



# PETRI ANDREÆ MATTHIOLI MEDICI CÆSAREI ET FERDINANDI

Archiducis Auſtriæ,

## *OPERA*

quæ extant omnia:

HOC EST,

*Commentarij in VI. libros Pedacij Dioſcoridis Anazarbei de Medica materia:*

Adiectis in margine variis Græci textus lectionibus, ex antiquiſſimis Codicibus deſumptis, qui Dioſcoridis deprauatam lectionem reſtituunt:

*Nunc à*

CASPARO BAVHINO D. BOTANICO ET ANATOMICO BASILIENSI ORDINARIO,

*Poſt diuerſarum editionum collationem infinitis locis aucti:*

SYNONYMIIS QVOQVE PLANTARVM ET NOTIS ILLVSTRATI:

*ADIECTIS PLANTARVM ICONIBVS, SVPRA priores editiones plus quàm trecentis (quarum quamplurimæ nunc primùm deſcribuntur) ad viuum delineatis.*

*DE RATIONE DISTILLANDI AQVAS EX OMNIBVS plantis: Et quomodo genuini odores in ipſis Aquis conſeruari poſſint.*

*ITEM*

APOLOGIA IN AMATVM LVSITANVM, CVM Cenſura in eiuſdem Enarrationes.

*EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBRI QVINQVE.*

DIALOGVS DE MORBO GALLICO.

*CVM LOCVPLETISSIMIS INDICIBVS, TVM AD REM Herbariam, tum Medicamentariam pertinentibus.*

*Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt. ſpeciali ad decennium.*

BASIL. M. DC.XCVIII. LXXIV.





ILLVSTRIS. ET CLEMENTIS.
PRINCIPI HEROI
D. D.

# FRIDERICO D. G.
# DVCI
# WIRTEMBERG. & TECCEN.

COMITI
MONTISBELIGARD. &c.
ORDD. REGG.
FRANCOR. ET ANGLOR.
EQVITI TORQVATO
IVSTO FORTISS. PRVDENTISS.
DOMINO SVO CLEMENTISS.
FID. OBS. ET SVMMIS. GRAT. ERGO
D. D.

*CASPARVS BAVHINVS. D.*

* *Memo-*

# EPISTOLA DEDICATORIA.

MEMORABILE *eſt Illuſtriſsime ac Clementiſs. Dux, Regum illud ſapientiſsimi Salomonis exemplum, quod is inter tot tantaq; imperij ſui negotia, omnium Plantarum, quo* DEI OPT. MAX. *ſapientiam admirandam prædicaret, à Cedro inquam Libani vſque ad Hyſſoſium murorum, Hiſtoriam texere voluerit: quæ (heu optata) non ſine magno mortalium damno interiit. Cuius tam illuſtre exemplum Ethnicorum Reges plures & conati & idem imitati ſunt. Et, vt ex multis aliquos referam: en eximios Reges, Gentium quidem Illyrorum, à quo Gentiana: Lyſimachum Macedoniæ, à quo Lyſimachia: Telephum Myſeæ, à quo Telephium: deniq; Mithridatem Ponti, à quo Mithridatica nomen ſibi reſeruat perpetuum. Quid? quod monumenta tradunt, Euacem Arabum Regem primum herbas pinxiſſe, ac eiuſmodi depictum librum Neroni Cæſari honoris gratia miſiſſe? Recte, equidem. Exiſtimarunt etenim, licet clari & armis & conſilio forent, illuſtriores futuros ſe, & nominis claritatem auctam iri, ſi de plantis vel ſcriberent, vel aliquas à ſe inuentas denominarent. Quin eadem ratione quoq; nomen ſuum non modo perpetuò hominum memoriis inhæſurum, verũ etiam dum plantis repullulantibus, & reuiuiſcentibus quotannis quaſi reuicturũ, haud temere iudicarunt. Sanè, hoc noſtro ſeculo neutiquã deſunt* HEROES *vere magnanimi, qui nullis ſumptibus parcentes, Hortos plantarum exoticarũ feraciſsimos colunt: inter quos* ILLVSTRISS. DVX *inter primos merito collocandus: Ecquis enim quæſo Principum hoc ſeculo, duos hortos Simplicibus exoticis refertiſsimos, ſi qui alij hodie ſunt, vel fuerint olim, præter I.C.T. excoli curat: alter Sturgardiæ, multis miraculo: Montisbeligardi alter exoticarum fertilitate notiſsimus, quem Iohannes Bauhinus, Celſitudinis Tuæ Archiater, optimus frater meus, magna cura, indefeſsis laboribus, ex I.C.T. mandato, indies auget & illuſtrat. His equidem, & maioribus etiam motus ego, (poſteaquam de ſimplicibus aliquid nunc ab annis aliquot meditari cæpiſſem, & quædam publici iuris feciſſem) labores hoſce & qualeſcunque notas, adiectaſq; Icones plantarum CCC. inter quas plures nuper inuentarũ ſtirpium, plurimaſq; deſcriptiones, quod in Matthiolo me præſtitiſſe fateor, dicare volui: ſed & iure etiã debui. Tantum enim eſt I.C.T. erga plantas harumq; cultores & ſtudioſos, ſtudium atq; patrocinium, vt nullum alium hodie videam, cui Botanica mea ſtudia potius voueam. Accedit quod ante ſeſquiannum ab I. C. T. in Medicorum numerum fuerim cooptatus. Pro quo tantoq; tanti Herois fauore, quid deberem, agnoui dudum, ſed hactenus occaſio defuit: nunc conatus ſum, quod conatum I. C. T. videt. Efficiat modo vt qualecunque hoc chartaceum munuſculum: verius animi obſequentis & fidei debitæ ſignum, aliquam apud C.T. mereatur gratiam. Quod* ILLVSTRISS. DVX, *te, prout es ingenio, virtutum, diſciplinarum, ſcientiarumque omnium capaciſsimo, facturum planè confido: quod etiam ſubmiſſè obteſtor. Quod vnum ſupereſt,* DEVM VNVM ET TRINVM *precor, vt* CELSITVD. TVAM, *ad Chriſtianæ Reipublicæ bonum incolumem diu conſeruet, clementer protegat, atque regat. Baſileæ* XVI. KAL. VIIBR. ANNO CIↃ. IↃ. IIC.

T. CELSITVDINIS

*Humilis & obſeruan.*

*Caſparus Bauhinus D.*

# INVICTISSIMO PO-
# TENTISSIMOQVE RO-
## MANORVM IMPERATORI
ſemper Auguſto, MAXIMILIANO ſecundo, &c.

## *SERENISSIMIS, ET ILLVSTRISSIMIS*
SACRI ROMANI IMPERII ELECTORIBVS, &c.

## FERDINANDO, ET CAROLO,
*AVSTRIÆ ARCHIDVCIBVS, &c.*

### AC CÆTERIS VNIVERSÆ GERMANIÆ PRINCIPIBVS,
DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS.

HERBARIAM MEDICINAM (vt ab ea primum ſermonem exordiar) Inuictiſſime Imperator, ac Sereniſſimi Principes, antiquis temporibus à Chirone illo magni nominis Centauro, Saturni ex Phyllira filio, primum repertam eſſe teſtantur, cum Plinius, tum plerique hiſtoriarum antiquarum autores. Alii vero ab Apolline inuentam volunt, alii ab Aeſculapio eius filio, tantæ facultatis excellentiam à nemine excogitari, inuenirique poſſe putantes, præterquam à Diis immortalibus. Non enim fieri poſſe cenſent, vt homo ipſe abditas ſtirpium naturas, facultateſq; inueſtigare, ac perſpectas habere quiuerit, niſi prius à maximo omnium opifice haſce dotes fuerit edoctus Namque (vt Plinius inquit) ſi quis id ab homine excogitari poſſe credat, ingrate Deorum numen intelligit.

*Herbaria Medicina origo diuina.*

Atqui non deſunt probatiſſimi autores, qui reiectis Poetarum figmentis, & aliorum, fabuloſe ſuis in hiſtoriis de Herbariæ Medicinæ inuentoribus ſcribentium, certo credunt, allatis cum autorum teſtimoniis, tum efficaciſſimis rationibus, omnium creatorem Deum, Optimum, Maximum, plantarum, & cæterarum rerum omnium, quas terra procreat, & alit, facultates Adæ, primo humani generis propagatori indicaſſe, eique illarum cognitionem infudiſſe, ſimulatque illi è limo terræ conformato vitæ lumen inſpirauit. Quod autem admiranda Medicinæ ſecreta, quæ non ſolum in herbis, & arboribus, ſed in omnibus rebus, quæ in vniuerſo habentur orbe, in humani generis vſum creata fuerint, apertiſſime teſtatur in ſacris literis moralis, ac vere diuinus ille philoſophus Ieſus Syrach: quippe qui ſcribit Medicinam à ſummo Deo è terra eſſe creatam, quam vir prudens abhorrere non debet. Quod vero rerum omnium ſcientiam in Adam infuderit ab initio Deus, facile quidem coniicere quiſque poteſt ex Moſaicis monumentis libro primo Geneſeos. Etenim cum parentibus primis noſtris poteſtatem dederit ipſe Deus, vt dominarentur volucribus Cœli, piſcibus maris, cæteriſque terræ animantibus: En vobis trado (inquit) omnes herbas, quæ in omni terræ ſolo frugiferæ ſunt, omneſque fructifero fœtu præditas arbores, ſemenque patientes, quibus ad alimoniam vobis vti liceat, Beſtiis autem omnibus terreſtribus, cæteriſque volucribus, & quæcunque vitali ſpiritu animata mouentur, his omnem herbarum viriditatem ad ſeſe alendum tribuo.

*Planta ad vſum hominũ condita.*

Hinc itaque (inquam) coniiciendum eſt, quod cum Deus tam immenſis muneribus hominem ornauerit, haudquaquam prætermiſiſſe illum, quin omnium rerum vires, ac naturam hominem ipſum, vno tantum ſpiritus diuini afflatu docuerit. Nihil enim à quoquam æſtimaretur, precioſiſſimum quantumuis donum, niſi ſcirent in quem vſum ſibi eſſet futurum. Cum autem Dei opera omnia omni prorſus defectu careant, aliter ſane nobis cenſendum non eſt, quod certiores ſumus ipſum Deum haud vnquam latuiſſe, humanum genus, tot, tantiſque ſubiici debere malis, quibus tollendis, ac mulcendis (vt pium decet patrem) nunquam prætermiſiſſet is, quin homines auxilia, ac remedia docuiſſet, quæ plantis ineſſent, ipſius tantum hominis cauſa procreatis, vt non deſperaret in afflictionibus, quæ in morbis atrociſſimis proueniunt. In quibus ingenti ſolatio afficimur, vbi medicamentorum auxilia præſentia eſſe videmus. Ab Adamo omnium parente ſubſequutam ætatem volunt rerum omnium notitiam habuiſſe, ac ſubinde induſtria adaucta, rem altius, diligentiusque exquirere cœpiſſe: ita, vt hinc primum rei herbariæ plurimum cognitionis ac ornamenti acceſſerit. Quod cum poſtea animaduertiſſent ſapientes, nouiſſentq; maximam huiuſce facultatis eſſe præſtantiam, ac vtilitatem, eius voluptate capti, ipſi quoq; rei herbariæ, & cæteris, de quibus ars medica tractat inueſtigandis, ac cognoſcendis, ſtudium impenderunt. Atqui non tantum mira eorum cura fuit, in his, quę ſatu blandiuntur, aut in cibum veniunt, ſed culmina quoq; montium inuia, & ſolitudines abditas, omneſq; terræ fibras ſcrutati, inuenere, quid quæq; radix polleret, ad quos vſus herbarum folia pertinerent, etiam quadrupedum pabulo intacta, ad ſalutis vſum vertentes, quibus quantum illis debeamus, nõ equidem facile dixerim, cum tanti beneficii præmium, nullo prorſus theſauro compenſari poſſit. De herbis autem primus omnium, quos memoria nouit, Orpheus accuratiſſime ſcripſit, apud Græcos, & poſt eum Muſæus, ac Heſiodus ab Ægyptiis (vt narrat antiquitas) edocti. Ab his Pythagoras ſapientia clarus, primus volumina de

*Primi herbarum ſcriptores.*

Plantarum facultatibus compoſuit', Apollini, Aeſculapioque omnia accepta referens. Compoſuit, & Democritus volumina de plantis, Perſide, Arabia, Aethiopia, & Aegypto prius peragratis. Hoc quoque ſequuti ſunt alii nobilitate, ac iucunditate huiuſce diuinæ facultatis allecti: quinetiam ſtudio iuuandæ poſteritatis non dubitarunt ſe variis vitæ periculis committere, dum multas ignotas, aſperaſque peragrarent regiones, vt veram, legitimamque medicamentorum cognitionem conſequerentur. Inter hos reperio fuiſſe Hippocratem, Crateuam, Ariſtotelem, Theophaſtrum, Dioclem Cariſtium, Pamphilum, Mantiam, Herophilum, Dioſcoridem, Galenum, Plinium, & alios quamplurimos, quorum nomina, ne longior videar, quam par ſit, lubens prætereo.

*Priſcorum Regum in plantarum inquiſitione mirum ſtudium.*

Cæterum quod plantarum peritia, aut inuentio, præter eam, quam maximam affert voluptatem, vtilitatem quoque, gloriam, & laudem pariat ſempiternam, nouerunt non tantum vniuerſi orbis ſapientes, diligentiſſimi rerum indagatores, ſed ſummi etiam, ac potentiſſimi Reges: quippe illorum claritatem, quę hinc potiſſimum ortum habuerat admirati, rati in hac antiquiſſima facultate ſummum ſplendorem, ſingularemq; præſtantiam eſſe, tantum ocii, ac ſtudii ad eã percipiendam, & illuſtrandã contulerunt, vt eorũ pleriq; de Plantarũ hiſtoria, & virib. libros condiderint, nõnulli generoſa antidota cõpoſuerint, vt ita ſuæ, & aliorum mortalium vitæ, viuiq; conſulerent. Alii, etſi ex rebus conſilio, & armis præclare geſtis, ſe illuſtres reddidiſſent, cũ tamen illuſtriores effici ſe poſſe cernerent, ſi clariſſimam ſtirpium facultatem ipſi quoque ſuo eſſent ſtudio proſequuti, è remotiſſimis terrarum regionibus raras, nobileſque plantas ingenti ſumptu, & labore conquiſitas, ad ſe transferri curarunt, vt certam, ac veram earum hiſtoriam deſcriberent. Neque illos certe hoc latuit, quod ſi hac in re ſtudioſe diutius verſati, egregium quicquam inueniſſent, aut ſcriptis tradidiſſent, ſuum nomen eſſet nullis non ſeculis celebre duraturum: quandoquidem herbæ, quæ ſingulis annis reuiuiſcunt, repullulant, & reuireſcunt, eos perpetuo in hominum memoriam reuocant, qui illas inuenerunt, vel de ipſarum hiſtoria, & viribus aliquid poſteritatis memoriæ prodiderunt. Gentianam herbam vbique ſcriptoribus commendatam à Gentio Illyriorum Rege inuentam, & ab eo appellationem mutuatam eſſe, illi vero claritatem, & immortalitatem tribuiſſe, plures ſunt, qui ſcribant autores. Similiter Lyſimachus Macedoniæ Rex Lyſimachiam (vt Plinius eſt autor) inuenit, & ex ſe nominauit ob hanc perpetuis laudibus celebris. Scordiũ item Mithridatem Ponti Regem nominis æterni commendat. Clymenos præterea herba, Clymeno Regi inuentori ſuo Euphorbium, Iubæ Mauritanorum: Telephium, Telepho Miſiæ Regibus. Echium, & Anchuſa Alcibiadi Athenienſium Duci, famam largiuntur æternã. Hinc etiam clarent Attalus Pergami, & Euax Arabũ Reges. Siquidem hic de ſimplicium medicamentorũ viribus ad Neronem Imperatorem multa cõſcripſit: ille vero dum plura aduerſus venena, & animalium virus eiaculantium ictus conficeret antidota plurimũ laboris inſumpſit, vt legitimas nanciſceretur plantas. His accedunt Archelaus Cappadociæ, Maſſiniſſa Numidiæ, & Agamemnon Argiuorũ Rex, quorũ nomina nulla penitus vetuſtate extingui poterunt ob eam, quam in cognoſcendis prodẽdiſq; ſtirpibus, curã, diligentiamq; adhibuerunt. Omittam Philometera, Hieronem, & alios nonnullos, magni nominis Reges, ne verboſius, quam oporteat rem proſequi videar, qui vel ipſi ex hoc immortalem gloriam retulerunt, quod rei herbariæ ſtudioſi extiterint, in eaq; de poſteris præclare ſint meriti.

*Romanorũ illuſtrium virorũ monumenta.*

Porro tracta temporis migrauit hæc facultas etiamnum ad Romanos, apud quos M. Cato omnium bonarum artium magiſter, primus, & diu ſolus hanc facultatem attigit, boum etiam medicina non omiſſa. Poſt eũ vnus illuſtriũ, nempe C. Valgius eruditione clarus, de re plantaria plura ſcribere tentauit, imperfecto tamen volumine, diuo Auguſto dicato. Sed antea condiderat ſolus apud Latinos plantarũ volumina Pompeius Lenæus, magni Pompei libertus, ex Mithridatis ꝓmptuario edoctus. Nãq; cum is Rex eſſet, in reliqua ingenii magnitudine medicę materię peculiariter curioſus, à ſubiectis hominibus, quæ fuere magna pars terrarum, ſingula exquirens, ſcrinium cõmentationum harum, & exemplaria, effectusq; in arcanis ſuis reliquit. Pompeius autem omni Regia præda potitus eo deuicto, & ſuperato, transferre ea Latino ſermone Lenæum, Grammaticæ artis doctiſſimũ, iuſſit, vitæq; ita profuit, non minus, quam Reipublicæ victoria illa.

*Plinii laus.*

Hos multo poſt tẽpore ſequutus Plinius de Naturali hiſtoria ſcribẽs, plurib. & continuis libris de plantis, & herbis fuſius egit, cui ea omnia, quæ ab aliis ante ipſum ſcripta ſunt, accepta referre debemus, cum iam diu perditis eorũ ſcriptis, nihil emolumenti ex iis capere valeamus, præterquam iis tantum, quæ ab eodẽ Plinio, in ſua translata ſunt monumenta.

*Antonii Caſtoris in colendis plantis diligentia*

Contemplanda quoq; fuit ante id tempus Antonii Caſtoris ſcientia, cui ſumma admodũ autoritas erat ea in facultate, viſendo eius viridariolo, quo plurimas alebat plantas, centeſimum ętatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidẽ memoria, aut vigore concuſſus, nec aliud mirata magis antiquitas reperietur.

*Poetæ Latini qui de plantis ſcripſerunt*

Fuere etiam inter Latinos, qui huiuſce facultatis meminere, Poetæ nonnulli, nempe Virgilius, Ouidius, Macer, ſiquidẽ hi plura de plantis notatu digna, & nunquã interitura carminib. cecinerunt.

*Heroinæ plantarum ſtudioſæ.*

Herbarum gloriã Mulieres quoq; affectaſſe, & aſſecutas eſſe, vt quæ multũ curæ, ac ſtudii earum virib. inueſtigandis impenderint, nõ modo Poetæ, ſed etiam hiſtorici tradunt. Etenim ob id Circem, à qua Circea herba dicta eſt, Poetæ Solis filiã fuiſſe fabulantur: Sed hæc re vera, eam demum exquiſitam herbarum notitiam adepta eſt, vt non temere ob eius mirabilia facta illis ſeculis, diuina potius, quam humana ſit habita. Talis quoq; Medea fuit, quæ tantam herbarum notitiam habuit, vt cum compoſitis ex iis medicamentis pluribus ſenectutem retardaſſet, Aeſonem Poetæ finxerint vltimo affectũ ſenio, ab hac iuuentuti fuiſſe reſtitutum.

*Helenium*

Helena adhæc, Helenio herbæ, quã primum (vt quidam volunt) ſeuit, ſuum nomen impertita eſt, atque ideo in ea nunc etiam nominatiſſima viuit.

*Artemiſia.*

Artemiſia vero Mauſoli Cariæ Regis vxor alioquin præclariſſimi nominis mulier, vel ex hoc memorabilis, & immortalis reddita eſt; quod ſuum nomen herbæ inditum reliquerit.

*Animalia bruta, quæ plantas manifeſtauerunt.*

Illud inſuper ſatis eſſe poteſt, vt quemq; ad plantarum cognitionem capeſſendam inuitaret, quod hęc tantum vtilitatis in ſe habeat, vt & animalia irrationalia, natura ipſa edocta, plurimarum plantarum vires cognoſcant eaſque mortalibus indicarint. Quandoquidẽ Cerui dictamnũ herbã, quod vulnerati eius paſtu tela è venatoriũ eieciſſent, ſagittarũ vulnerib. mederi oſtenderunt, vbi ferrũ vulneri inhæſerit. Itẽ Ceruæ, Seſeli herbã demonſtrarunt. Teſtudines, cunilã, muſtelæ, rutã, accipitres, hieracium: columbæ, verbenacam, hirundines, chelidoniũ, ciconię, origanum, & alia deniq; animalia alias innumeras herbas inuenere. Quocirca ſi ad prędicta mentẽ, animũq; homines cõuerterent, ſi medicę materię primordia ſpectarent, vtpote cũ plærę

ſuis

*Herbarum cognitio vtilis & neceſſaria.*

ſuis diuinis prœditæ virib. ſtatim ab elementis conditis, è terra emerſerint, nullum mihi dubiũ eſt, quin omnes faterentur hãc facultatẽ antiquitate, nobilitate, & diuinitate cæteras antecellere. Neq; ob id ſolũ illi tantum laudis, admirationis, & gloriæ debetur, quod eius cognitio iucunda, ac delectabilis ſit, ſed etiã quia vtilis admodũ, & neceſſaria exiſtit. Ea nanq; ſanitatem, qua nihil exoptatius homini eſſe poteſt, tuetur, varia, innumeraq; morborũ genera fugat, ferarũ virus euincit, & venenorũ lethalium vim demolitur: quin etiam homines in vita diutius ſeruat, & ſæpe etiam deploratos, quorum ſcilicet ſalutis nulla ſpes reliqua ſit, ad vitam reuocat.

*Cæſarum Romanorũ in re herbaria ſtudium.*

Quod cum recte quidem æſtimaſſent Romanorum Imperatorum nonnulli (vt libro primo de Antidotis teſtis eſt Galenus) etſi in Republica adminiſtranda, & prouinciis gubernandis, tuendiſq; plurimum eſſent occupati, eos tamen non mediocre tenuit ſtudium colendæ rei Herbariæ, atque etiam illuſtrandæ. Quippe, vt genuinas conſequerentur plantas, vtque veris aromatis potirentur, in multis ac longisquis regionibus, Herbarios magnis ſumptibus alebant, muneribusq; donabant: hac præterea animi inductione, vt inde non minus gloriæ, quam vtilitatis referrent, quod ita quoque ſtuderent immortalitatẽ beneficio demereri. Sane memorabili maiorum ſuorum exemplo ducebantur, qui non ſolum exuuias Regum quos in bello deuicerant, trophæis dicatas, in triumphis portare, ipſosque Reges vinctos ante ſe ducere ſolebant, ſed etiam raras, & peregrinas plantas, & generoſa aromata, quibus raræ præclaræque dotes inerant, in iiſdem magno cum honore ferebant, nec putabant ii ſe minorem laudem, & gloriam adeptos ex plantis illis, quas poſtea per quam diligenter ſuis in hortis ſerebant: idem ex aromatis, quæ inter ſua alia pretioſa reponebant in ſuum, & cæterorum commodum, quam ex trophæis, ſimulachris, & arcub. quæ omnia erigi curabat Senatus, Populusq; Romanus, in perpetuam rerũ geſtarum memoriam, & eorũ gratiam, qui ſe tali laude dignus exhibuerant. Magno ẽt honore apud Romanos habiti ſunt ii, qui de plantarum hiſtoria, & virib. ſcripſerunt, & in hac facultate claruerunt, argumento ſatis manifeſto, quod expugnata Carthagine omnes Bibliothecas, quas inuenerunt, variis Regib. & Principib. donauerint, præter duo & triginta volumina de re herbaria, & agricultura tãtum à Magone Pœno ſcripta, quæ Romam attulerunt, & vt in Latinã linguã verterentur, mandarunt: tantam nimirum ſolus iniit gratiam Mago ille rei herbariæ, & agriculturæ peritus.

*Mago Pœnus xxxij volumina de plantis conſcripſit.*

Adeo deniq; fuit attonita ad herbarũ facultates antiquitas, vt illorũ temporum ſcriptores affirmarent etiam mirabilia dictu, ita vt Xantus hiſtoricus in primo hiſtoriarum libro ſcripſerit, occiſum Draconis Catulum herba quadam à parente reuocatum ad vitam, quam Magi Balim nominant; eadem Thilonem, quem Draco occiderat, ſaluti reſtitutum.

*Quarundã plantarum admirandi, & prope ſtupendi effectus.*

Et Iuba Rex Mauritaniæ herba quadam in Arabia hominem ad vitam reuocatum eſſe tradidit. Picum etiam auem adactum ſuis cauernis cuneum, quas in arboribus habet, admota quadam herba extrahere tradiderunt, cum Democritus, tum etiam Theophraſtus. Quin etiam Aethiopide herba, tactu clauſa omnia aperiri, quibuſdam admurmuratis cantilenis. Id quod mihi miraculo non eſt. Memini enim dum ſuperioribus annis Venetiis agerem, me quendam ſuſpendio damnatum vidiſſe, cui fores omnes patefierent diſiectis ſeris, vna tantum herba admota ſignaculis quibuſdã decantata.

*Clauſtrorũ apertio.*

Talis fere facultatis alia haud mihi incognita habetur, in Italiæ montibus proueniens, qua ab equis calcata continuo ferrei ſoluuntur calcei. Herophilum clariſſimum antiquitatis medicum poſteritatis memoriæ tradidiſſe ferunt hiſtoriarum autores, quaſdam haberi plantas, quæ calcatæ tantum prodeſſe, quæq; etiam obeſſe poſſint.

*Alii effectus ex ſolo contactu.*

Obſeruatum certe eſt inflammari vulnera, vlceraq; ſuperuentu eorum qui pedibus iter confecerunt per loca pernicioſis plantis ſcatentia; contra vero ſanari morbos, vbi ab itinerantibus vulneratis, ſalubres calcatæ ſunt. Nam Hemionitidis contactu ſpleneticos ſanatos ſcimus: Comitiales ſuſpenſa collo Pęoniæ Romanæ radice: Ictericos ſubſtrato in calceis, nudis pedibus maiori Chelidonio aut Paſtoria burſa: Aconitum pardalianches contactis tantũ fœminei ſexus pudendis, paulo poſt necẽ afferre certum eſt. Tam diu quempiam lippitudine haud tentari obſeruatum eſt, quã diu is ſylueſtris Rumicis radicẽ, ſecum nitidiſſime habuerit. Deſinet ſtranguria cruciari, qui Tamaricis lignum ardens ſua ipſius extinxerit vrina. Inguinis tumorem haudquaquã iis ſubcreſcere putant, qui Myrti ſurculum ſecum gerat. Varices in cruribus ſanari ſcribunt, vbi hederæ radicibus, Luna Aquarium occupante, erutis circundetur affectio. Idemq; effici, ſi ternæ eiuſdem hederæ baccæ, per murum repentis, affecto cruri adalligentur. Scordii contactu præſeruari Cadauera, non ſolum Mithridatis, ſed etiam Galeni teſtantur monumenta.

*Scythica herba vis magna ad ambigendã famem.*

Scythæ, Scythicam herbam circa Bęotiam naſcentem adinuenere, guſtatu quidem prædulcem, cuius magna nimirum commendatio, quod in ore eam habentes, famẽ ſitimq; non ſentiant. Idem pręſtat apud eoſdem Hippice dicta, quod equis quoq; eundem effectum prębeat: Tradũtq; his herbis Scythas ẽt in duodenos dies durare in fame, & ſiti. Tantæ gloriæ herbæ Veronicæ tradidere quidam, vt domus in qua ſata ſit tuta exiſtimetur à piaculis omnib. Coriaceſia herba, quinetiam Callitia, Pythagoras aquam glaciari tradidit. Minaidis ſucco in aqua decocto protinus ſanari ſerpentium morſus, ſi eo foueantur, idem tradidit, & eundem effuſum in herba, qui veſtigio contigerint, vel eo reſperſi fuerint, inſanabiles perire monſtrifica prorſus natura veneni, præterquam cõtra venena.

*Herba quæ Reos ſua malefacta conſiteri cogit.*

Ab eodem Pythagora Aproxis herba appellatur, cuius radix nõ minus quam Naphtha è longinquo concipiat ignes. Achemenidon plantam colore electri ſine folio naſci in Tardyſtilis Indiæ meminit Democritus, cuius radice in paſtillos digeſta in dieque ex vino pota, noxii per cruciatus nocte confiteantur, omnia, per vanas numinum imaginationes. Adamantida Armeniæ & Cappadociæ alumnam, qua Leonibus admota, reſupinari eos illico laxo hiatu: nominis cauſam habere aiunt, quod Adamantis modo cõteri nequeat. Ariamidis herbæ contactu ligna oleo prius peruncta, illico accenduntur, ſi decerpatur, cum Sol fuerit in Leone. Therionarca in Cappadocia, & Miſia naſcente, omnes feras torpeſcere, quib. fuerit admota, nec niſi Hienæ vrinæ aſperſu recreari, tradidere veteres. Ophiuſa in Elephantina Aethiopiæ naſci etiam tradunt, liuidam, & horribili aſpectu, qua pota terrorẽ, minasq; ſerpentiũ obuerſari, ita vt mortem ſibi eo metu cõſciſcant, qui biberint, ob idq; cogi ſacrilegos illã bibere: aduerſari tamen ei palmeũ vinum, Potamantim ad Indum fluuiũ inueniri narrant, qua pota lymphari homines obſeruantibus miraculis. Manicum Solanum (vt Dioſcorides eſt autor) varias facere ſpecies, imagineſq; nõ iucundas obuerſari, ſi eius radicis drachma ex vino bibatur. Theangelida in Lybano Syriæ naſci, qua deuorata futura præſagiant homines. In Bactris, & circa Boriſtenẽ planta prouenit Gelotopyllis dicta, quæ ſi cũ vino, & myrrha, bibatur, varias dicũt obuerſari ſpecies, ridendiq; finẽ non fieri, ni potis

ex palmeo vino pineæ nucis nucleis, pipere, & melle additis. Aſciomenes herba (vt Apollodorus eſt autor) vino aſperſa, folia in ſe cõtrahit. Oenotheta (Crateuas autor eſt) meraco aſperſa, omnium animaliũ feritates domat, collo adalligata, vel iugo ſuſpenſa. Parthos ab Antonio fugatos ſcribit Appianus Alexandrinus, cum fame premerentur, in quandam herbam incidiſſe, quam qui comederent, nihil aliarum rerum reminiſcerentur, aut intelligerent, niſi quod lapides continuò effoderent, quaſi quidpiam magni operis facturi, & ſic debacchati, bilem demum euomentes interirent. Rhamni tertij ramus (autore Dioſcoride) valuis feneſtriſue impoſitus veneficia omnia depellit. Scilla tota in limine ianuæ ſuſpenſa, mali medicamenti noxam arcet. Lapathi radices, quinetiam Plantaginis collo adalligatæ (eodem autore) chœradas & ſtrumas ſanant. Vermiculi in echinatis Dipſaci capitulis autũno reperti, collo in folliculo adalligati, aut ſiniſtro brachio appenſi, quartana febre affectos incolumitati reſtituunt. Atractylis herbæ geſtatu obtunditur Scorpionum ictus, quouſq; icti geſtauerint: depoſita tamen illico recrudeſcere dolorem ſcribit Dioſcorides: Quin etiam poſteritates memoriæ tradidit, à Scorpione non ici eos, qui polemoniæ herbæ radicem ſecum tulerit, vel ſi forte fortuna quiſpiam ictus fuerit, eum quidem nihil moleſti paſſurum.

*Baaras admirabilis planta.*

Naſcitur in Iudæa radix Baaras, à loco appellata (vt Flauius Ioſephus ſcribit libro de bello Iudaico) quæ flammam colore imitatur, circa veſperam vero veluti iubar fulgurans: accedentibus autem, eamq; vellere volentibus, facilis res factu non eſt, nam tamdiu refugit, quouſque vrina muliebris, vel menſtruus ſanguis ſuper eam fundatur: quinetiam tunc ſiquis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi forte eam ipſam radicem ferat de manu pendentem: ideo effoſſæ circumquaq; radici, necdum extirpatę canem alligant, qui abeuntem inde dominum ſequi volens, eam extirpat, & continuò moritur, tanquã eius vice, à quo tollenda erat: nullus enim poſthac accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter vnam vim capi eam operęprętium eſt: Siquidem iis admota, qui cacodęmonibus oppreſſi ſunt, illico libertate fruuntur.

*Fucus paraſitis conuenien̄s.*

Cæterum & mihi quidem radix eſt, à Franciſco Galceolario Veronenſi reperta, qua vino per noctẽ macerata, & epoto ſubinde vino, linteolo percolato, à quouis quantumcunque famelico, is quidem edere nequit, nec cibi tantillum deguſtare, niſi aceti cochlear abſorbuerit. Ridendus profecto iocus, ſed res ipſa non omnibus committenda. Foditur radix apud occidentales Indos, foliis Sambuci, quæ humanæ coxæ complet craſſitudinem, cuius ſuccus epotus lethalis eſt. Reliqua vero expreſſa radix in farinam molita, optimum ac nutritioni ſaluberrimum conficit panem.

*Circulatorũ quorundam iocus.*

Illud etiam his addi poteſt, quod in Circulatorum ſpectaculis ſæpe demirantur homines. In vinum radicis cuiuſdam puluerem, cuius guſtatu fauces conuelluntur, immiſcent, & cui fucum facere volunt, iubent, vt illo in vino intinctum digitum, quaſi prægustandi cauſa ſugat, tum illico digitum in vino madidum in os inditum, ſibi mordicus, nõ ſine dolore, & clamore premit inuitus. Interea perinde atque blanditiis mærentem conſulatur Circulator, temporum, carpique arterias, alio quopiam oblinit medicamento, deinde nummum in terram proiectum hortatur, vt tollat. Ibi ille pronus, primum ſe ſe nequit attollere, mox vnguinis vi amens factus, concidit, ſtatimque eius more, qui metuit, ne mergatur in aqua, natat, ac vociferatur ſimul ſe fluctibus obrui. Ergo eum erigit Circulator. Ille quaſi vlturus iniuriam, primum maleficium obliquo ac toruo intuitu exprobrare, mox hominem aggredi videtur. Poſtremo fugientem Circulatorem perſequi, donec abſterſo tandem illiti medicamenti veneno, recipiat animum, ac menti reſtituatur. Vbi autem ad ſe rediit, quaſi, qui euaſerit à mari naufragus, capillum, veſtimentaque, veluti vela torquere, exprimereque, brachia tergere, & nares emungere conſpicitur. Hæc, fabulæ non ſunt. Nam non deſunt multorum teſtimonia, qui viderunt, quique impoſturam ſuſpicantes, ſuis & amicorum ſuorum famulis (vt hoc anno Pragæ factum eſt) hæc fieri iuſſerunt. Herbam commemorat Theophraſtus, qua deuorata ſeptuagies coeundi poteſtas accedat. Quin & in Indiæ Occidentalis prouincia quadam verſus Darien, arborem eſſe Pyri faciem referentem, ſcribunt Hiſpani, cuius fructus deuorati (ſunt ij butyri ſapore) adeo valide eos, qui deuorarunt, in Venerem agunt, vt prope miraculo ſit eorum efficacia: Agnoſoàt illi nomen eſt.

*Plãta agnos proferens.*

Achemenide herba in hoſtium aciem coniecta trepidare agmen, & terga dare ſcribit Plinius. Quinetiam Laticem Legatis dari ſolitam à Perſarum regibus, vt quocunque veniſſent, rerum omnium copia abundarent. Apud Tartaros plantam inueniri tradunt, cuius fructus Agnum per omnia refert. Obducitur is tenuiſſimo corio, quo vtuntur incolæ ad capitis tegmina: internam pulpam Cammari carnes referre aiunt, & è vulnere ſuccum manare ſanguini omnino ſimilem; item dulcore eſſe admirabili: radicemque humo exertam, ſubrigere ad vmbilicum vſque. Illud miraculi fouet magnitudinem, quamdiu obſidetur herbis, viuere illum, quaſi agnum in læto paſcuo: euulſis vero illis, paulatim contabeſcere. Atqui & illud admirationem auget, appeti à Lupis illum, atque vorari. Non ne & id mirum, quod de Ægyptia traditur Loto? Huius cum flores, tum etiam ſcapum veſperi ſub aquis mergi Ægyptij narrant, vſque ad medias noctes, totumque abire in altum, adeò, vt demiſſa quidem manu inueniri non poſſint: verti deinde paulatimque ſubrigi, & ad Solis exortum emergere extra aquas, ac flores patefacere, & capitula exerere, vt planè ab aqua abſit alte. Cæterum nec ſyluæ quidem, nec ſaxa, nec antra, horridiorque naturæ facies, medicinis carent, Sacra illa parente rerum omnium, nuſquam non remedia diſponente homini. Innumeræ fere ſunt in ſyluis plantæ, ac arbores, à quibus morborum ſalutem petimus. Sunt & in ſaxis, & in antris aliæ vtiliſſimæ: quin etiam in ipſo mari plantæ naſcuntur ſalubres, quemadmodum in lacubus, fluminibus, fontibus, ac paludibus, è quibus ſua habet medicina auxilia: adeo, vt nullus prorſus extet locus, qui hiſce dotibus deſtituatur. Nihil enim quiſpiam à natura creatum inueniet, quod in medicum vſum venire non poſſit.

*Venena venenis quandoque antidota eſſe poſſunt.*

Quandoquidem ipſa venena non ſolum ſeſe deſtruunt inuicem, ſed quamplurimis medentur morbis. Aconitum enim, & ſi (vt prædiximus) adeo pernicioſiſſimum ſit, vt contactis tantum fœminei ſexus genitalibus, necem paulo poſt afferat, epotum tamen, ictis à Scorpione, præſentaneo fere auxilio eos liberat. Mirum quidem, exitialia ambo cum per ſe ſint hæc duo venena, in homine commoriuntur, vt homo ſuperſit. Idem oculorum medicamentis, leuandi doloris gratia commodiſſimè adiicitur. Cicuta præterea pernecans planta, ſacros ignes, & vlcera, quæ ſerpunt, illitu reſtinguit, oculorum inflammationes mulcet, & alios quidem plures in Medicina habet vſus. Nerium aſinos, mulos, equoſque, qui deuorauerint, interficit; cæterum è vino potum demorſos à ſerpentibus ſanat. Meconium in perpetuum ſomnum ſumentes ducit; contra vero dolorificos morbos omnes mulcet. Cantharides deuoratæ, in necem hominem trahunt, atque iiſdem curantur à cane

rabido

tabido demorſi. Vipera reptilium fere pernicioſiſſima, non ſolum ſui ipſius venenum extinguit deuorata, & illita, ſed alia etiam venena deſtruit, & ſuperat. Quid demum plura? nihil non herbarum vi effici poſſet, ſi plurimarum vires non ignorarentur. Hæc tametſi quibuſdam fide carere videantur, admiratione tamen implent, coguntque conſiteri, multum eſſe, quod vero ſuperſit. Quapropter male audiunt apud doctos, qui talia plantarum miracula rident, cum & rerum euenta prorſus famæ ſuffragentur. Non protinus hiſtoriis fidem derogare conſentaneum eſt, ſi vel aucupium cauſæ, quo potiri nequeamus, nos fugiat: Siquidem innumera fere ſunt hominibus conſpicua, quorum ratio non poſſit iniri. Multa in intimis naturæ penetralibus deliteſcunt, quæ nec ratio vlla, nec humanus intellectus comprehendere poteſt. Voluit enim natura hæc potius admirari homines, quam à quoquam vnquam intelligi. Quare qui ſcrupuloſius in perueſtigandis ſingulorum rationibus verſantur, ex omnibus naturæ miracula ſubmouent. Etenim vbi nos cauſæ ratio deficit, hinc dubitãdi manat exordium, hoc eſt philoſophandi. Iccirco philoſophiam modo quodam conantur abolere, qui prodigioſis naturæ miraculis fidem non habent. Sed quare non plures noſcantur plantæ (inquit Plinius) cauſa eſt, quod eas agreſtes, literarumque ignari experiantur, vt qui ſoli inter illas viuant. Multis enim inuentis nomina deſunt. Nam ſcimus ſine nomine plantam in angulis ſegetis defoſſam, præſtare ne qua ales intret. Turpiſſima cauſa raritatis, quod & qui ſciunt, demonſtrare nolunt, tanquam ipſis periturum, quod tradiderunt alii. Ita certe recondunt, qui pauca alia nouere, inuidentes aliis, & neminem docentes, in ſcientiæ autoritatem: tantum excogitandis nouis, ac humána iuuanda vita, quorundam mores abſunt. Summumque opus ingeniorum diu iam hoc fuit, vt intra vnumquenque recte facta veterum perirent. At nos elaborata, ac iis, nobiſque, laboribus ingentiſſimis parta abſcondere atque ſupprimere cupimus, & fraudare vitam alienis bonis? minime omnium, imo non tantum aliorum inuentis, ſed propriis noſtris comparatis auxiliis præſentium, & poſterorum vitam iuuandam ſtatuimus, complurium ætatis noſtræ clariſſimorum, doctorumque virorum inſtitutum ſequuti, in quorum catalogo præcipui ſunt, Hermolaus Barbarus, Nicolaus Leonicenus, Ioannes Manardus, Ioannes Ruellius, Marcellus Vergilius, Leonardus Fuchſius apud Germanos claræ eruditionis medicus, Antonius Muſa Braſauolus, Iacobus Syluius, Aloyſius Mundella, & alii, qui cum animaduerterent, Medicam materiam, nullis olim non ſeculis celebrem, medicorum, qui nos præceſſerunt, incuria, ſegnitieque obſoletam, intentatam & incultã iacere, adeo vt perpauci reperirentur Medici, qui alias fere plantas, quam olera, quorum frequentior eſt in cibis vſus, cognoſcerent, humanum genus miſerati, ſtrenuam nauarunt operam, vt diſcuſſa ſuperioris ſeculi caligine, Medicam materiam è tenebris eriperent, & ſuæ priſtinæ luci reſtituerent.

*Clariſſ. huius ætatis viri qui de re herbaria ſcripſere.*

Quos equidem eo quo potui maiori ſtudio, atque induſtria imitatus, cum multis iam annis animaduertiſſem in vniuerſis Italiæ pharmacopoliis, cum à Pharmacopœis ipſis, tum maxime à medicis huiuſce facultatis ignaris, quam plurimos errores, eoſque graues, & deteſtandos committi in humanæ vitæ diſcrimen, ac ſæpe in eiuſdem perniciem, vt eorum errores tollerentur, habita noſtrorum Pharmacopœorum ratione, quorum pauci ſatis Latine ſciunt, Dioſcoridem Anazarbeum, & Græcum, & antiquiſſimum ſcriptorem, ac in ſimplicium medicamentorum hiſtoria, & viribus reddendis facile Principẽ in Italicam linguam vertendum, & Italicis itẽ commentariis, vt poſſem, illuſtrandũ ſuſcepi. In quos vtiq; quantũ ingenio, quantũ labore, ac cura, quãtum denique iudicio conſequi potui, contuli, vt legitimas, quas puto plantas proderem, meamque ſimiliter de cæteris ſimplicibus medicamentis proferrem ſententiam.

*Commentaria Italice ſcripta.*

*Medicorum ſuperioris ætatis negligentia.*

Qua in re coacti fuimus, non modo Pharmacopœorum, & Medicorum ſuperioris ætatis, qui hanc Medicinæ partem neglexiſſe videntur, errata paſſim explodere, ſed recentiorum quoque, qui tamen materiam hanc diligentiſſime tractarunt, opiniones ſæpenumero refellere. Nec certe mirum, quod viri alioqui doctiſſimi, & ſumma laude digni impegerint, lapſique fuerint, vel in tanto rerum diſcrimine vacillantes, vel interdum humana caligine cæcutientes: quod quidem & nobis aliquando accidiſſe, hoc in opere magno, non dubitamus.

*Methodus obſeruata.*

Porro Plantarum, & Animalium hiſtoriam late, quantum res poſtulare viſa eſt, complexus ſum. In viribus autem recenſendis, eas cuique plantæ ex Galeno in fine reddidi, eoq; fere ſemper contentus fui, niſi quando quid ipſe prætermiſit. Præterea, cũ plura ſint plantarum, aromatũ, & aliorũ ſimpliciũ medicamentorũ genera, quæ frequẽtem in Medicina vſum obtinent, partim à Mauritanis, partim ab aliis, qui per ſingulas ætates claruerunt inuenta, de quibus nuſquam, quod extet, meminerunt Dioſcorides, & Galenus, aliique veterum Græcorum authores, ea omnia noſtris commentariis inſeruimus, ipſorumque hiſtoriam, & vires, ea, qua potuimus diligentia deſcripſimus. Hoc opus, vbi ad vmbilicum perduxiſſem, vel amicorum hortatu edidi, eo in primis animo, vt aliqua ex parte induſtria mea hominum vitæ prodeſſem, deque ea benemeritus exiſtimarer. Aſſecutus hoc ſim, necne, noſtrum nõ eſt ferre iudicium.

*Comment. Italica quinto edita.*

Niſi temere fortaſſe à nobis dictum videretur, me ex eo conieciſſe, non ingratum opus Italis, neq; inutile fuiſſe, quod paucis poſt annis, tertio, quarto, quinto (ni fallor) fuerit excuſum, & venditum. Adderemque non vulgare de eo doctorum virorum iudicium, ex quo etiam cognoui, me non oleum nec operam plane luſiſſe. Id profecto me mouere debebat, vt ſi quid de exteris quoque gentibus promereri poſſem, tentarem, ne viderer in hoc Italis ſolis natus. Sed illud præterea huc acceſſit, quod ex illis etiam aliquos noſtris commentariis, quamuis Italice cõſcriptis delectatos eſſe, ex iiſque fructum aliquem cepiſſe intellexerim. Cuius rei illud mihi ſatis manifeſto indicio fuit, quod ex recentioribus tam Germanis, quã Gallis ſcriptoribus inuenerim, quibus placuit noſtras qualeſcunq; ſententias interpretari, ſuiſq; ſcriptis interſerere, neq; eas tantum nobis ingenue acceptas referre, ſed de nobis etiam (quæ eorum fuit humanitas) admodum honorifice loqui. Quorum erga nos voluntatem vt augerem, & ſtudium omnium externorum, ſi poſſem, adiuuarẽ, vtq; illis gratiam aliquam rependerem, & cum aliis omnibus inirem, nulla mihi commodior ratio viſa eſt, quam vt Italicos noſtros commentarios in Latinam linguam transferrem. Hos itaque, vt primum potui Latinos feci, in quibus tamen plura mutaui (quod maxima rei difficultas tulit) plura auxi, & omnia quodammodo illuſtraui. Adiecimus inſuper quamplurimas plantarum & animalium imagines in minori forma ad naturæ imitationem expreſſas, non alia, me hercle, ratione, quam vt iis, qui terras peragrare non poſſunt, nec præceptores habent, quaſi hortulum exhiberemus, in quo omni tempore, nulla adhibita cultura, viuas fere ſtirpium effigies ſpectare poſſent.

*Commentaria Latina cum minor. figuris.*

*Com. Latin. ſecunda editio.*

Cæterum dum anno à IESV CHRISTO nato M. D. LVIII. iterum recudi eadem commentaria

curatem,

curarem, multas adhuc adiecimus imagines, quæ partim plantas, partim vero animalia nonnulla refe-
runt, de quibus præterea, quæ à Dioſcorde tradita ſunt, in hiſce commentariis peculiariter diſſeruimus,
quinetiam vel ipſa commentaria permultis in locis auximus. Atqui nunc cum annis continuis decem
in Aula Sereniſſimi Principis Ferdinandi Archiducis Auſtriæ &c. viuam, & eius Celſitudinis Medicum
agam, id ocii, quod ſuffurari licuit, Medicæ materiæ adhuc diligentius excolendæ, contulimus. Vbi non ſo-
lum Germanis, & Bohemis in eorum ſermone Herbaria peculiaria ſcripſimus, & Typis excudenda cura-
uimus, ſed hæc eadem commentaria noſtra Latina locis plus mille auximus, & imagines omnes in for-
ma longe maiori, diligentiorique artificum ſtudio elaboratas, vna cum illis excudi curauimus, additis
aliquot nouarum, peregrinarumque plantarum centuriis, ad viuum expreſſis, quæ antea nunquam à me,
neque à quopiam editæ ſunt.

*Matthiolus Germanis & Bohemis Herbaria conſcripſit. Cum Latin. tertia editio.*

Eæ enim (vt res ipſa fatetur) adeo artificioſe (ſit hoc citra crimen iactan-
tiæ dictum) diligenterque expreſſæ ſunt, tamque ad amuſſim delineatæ, vt ſine coloribus vllis additis, fa-
cile ab omnibus rei herbariæ ſtudioſis dignoſci poſſint. Atque ita fit, vt vbi hactenus Matthioli hortulo
vſi ſunt rei Plantariæ ſtudioſi, nunc ampliſſimo eiuſdem viridario, cuius intrantibus omnibus patent fo-
res, ſeſe oblectari valeant. Tanta enim nobis ſemper fuit iuuandæ in vniuerſum Reipublicæ promptitu-
do, vt nec ſumptibus ingentiſſimis, quos in pingendis, ſculpendiſque tot imaginum tabellis contulimus,
neque vigiliis, nec laboribus pepercerimus vnquam.

*Autoris labores ac ſũptus in hoc opere cudendo.*

Quæ quidem qualia & quanta attulerint vitæ no-
ſtræ incommoda, ſilere potius conſilium eſt, quam multis explicare, ne his enumeratis, captandis potius
legentium animis, quam iuuandæ poſteriati, occupatus eſſe videar, præſertim cum ſciam hæc ante hac
quam plurimos haud latere, qui ea omnia, & viderunt, & intellexerunt: quin etiam multos futuros ſpe-
ro, qui operis magnitudinem ſcrutati, recte perpendent, quantum oneris, quantum laboris, curæq;, quan-
tum denique temporis, ſedulitatis, & diligentiæ, in hoc cudendo plantarum volumine exantlauerim.
Tacebo quoq; peregrinationum, & itinerum labores, ad montes, valles, ſyluas, colles, prata, maria, lacus,
flumina, paludes, & fontes diuerſarum prouinciarum, & regionum, quin etiam ad clariſſimarum vrbium
viridaria, ad rudera, collapſas magnorum ædificiorum ruinas, ad ſpeluncas, & longos terræ meatus in ſub-
terraneis diuerſorum metallorum fodinis, & ad eorum fornaces, vbi cadmia, pompholyx, ſpodium, flos
æris, argẽti ſpuma, & alia plura metallica medicamenta fiunt. Silebo quoq;, quam diu inſudauerim, quam-
que ſedulus fuerim in numeroſis peregrinis plantis mihi comparandis, ex Aſia, Græcia, Syria, Aegypto
Arabia, Numidiaque allatis. Id quod facile intelligere poterunt, qui volumen hoc noſtrum in Dioſcori-
dem, diligenter intuebuntur. Nec me certe labores, aut pericula deterruiſſent à magnis, longiſque iti-
neribus, quod Galeni exemplo mare traiecißem, & Cyprum, Cretam, Lemnum, Syriam, Aegyptum, aliaſ-
que regiones peragraſſem, vt multa præclara ſimplicia, quæ hodie deſiderantur, eſſem conſequutus, ad
mortalium cognitionem, & vſum transferenda, niſi meæ animi propenſioni obſtitiſſent negotia dome-
ſtica, ægros curandi pietas, & corporis imbecilla ſatis conſtitutio, quæ me quidem maris, & longæ pere-
grinationis incommoda, ferre non diu permiſiſſent. Itaque hec in conficiendo volumine ſi id mihi non
licuit, quod libuit, id ſaltem, quod potui omni ſtudio, induſtriaque mea præſtare conatus ſum. Adeo e-
nim huiuſcę operis conficiendi cupidus ſemper fui, vt potius ab ipſo etiam principio beneficium hoc in v-
niuerſam Rempublicam, & in futuram poſteritatem conferre ſtatuerim, quam vt cogitarem, quo pacto
tam magnis ſumptibus non ſuccumberem. Atqui ſuccubuiſſem profecto, ni Dei Opt. Max. nutu, me, da-
to cumulatius auro, iuuiſſent, cum Cæſar Ferdinandus, felicis recordationis, & Cæſarea Maieſtas tua, tum
Celſitudines veſtræ: (Cæſar inuictiſſime, & Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Princeps) Siquidem Imperator
ipſe Ferdinandus auro, & argento ſane non modico, hoſce meos iuuit conatus. Quem imitatus Cæſarea
Maieſtas tua, & ſereniſſimi Principes Ferdinandus, & Carolus, Auſtriæ Archiduces, ſuas quoque opes
non exiguas liberaliter contulerunt, adeo vt his potius quam mihi beneficium hoc acceptum referre poſ-
ſit vniuerſa Reſpublica.

*Principum Germaniæ in Matthiolum liberalitas.*

His acceſſit non mediocris liberalitas quorundam Germaniæ Principum, qui ad
hoc volumen conſummandum, ſua contribuere auxilia: Nam inter Illuſtriſſimos Sac. Rom. Imperii E-
lectores primus, qui ſuppetias ampliſſimas tulit, mihi recenſendus eſt Illuſtriſſimus Princeps Auguſtus,
Saxoniæ Dux, qui peculiarem ſuæ Aulæ Veredarium, ęre plurimo inſtructum, ad me miſit: cuius libera-
litatem, & erga me munificentiam, nunquam ſatis collaudare poſſum. Quem poſtea ſecutus Illuſtriſſi-
mus Fridericus, Comes Palatinus Rheni, & Illuſtriſſimus Ioachimus Marchio Brandeburgenſis, ſua etiam
contulere auxilia. Id quod inter cæteros Germaniæ Principes fecere Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus,
Cardinalis, & Princeps Tridentinus, Chriſtophorus Madrutius, & Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus
Ioannes Iacobus Archiepiſcopus, & Princeps Salizpurgenſis: quinetiam Illuſtriſſimi, Albertus Dux Ba-
uariæ, Gulielmus Dux Cleuenſis, & Ioannes Albertus Dux Megapolenſis, & Vandalorum Princeps: at-
que Magnificentiſſima Norimbergenſis Reſpublica.

*Matthioli Mecœnates.*

Quorum omnium liberalitatem non ſolum mihi ſed
omnibus celebrandam, ac diuulgandã cenſeo. Lętor autem plurimum, quod Mecœnates habuerim Impe-
ratores, Reges, Sac. Roman. Imperii Electores, Archiduces, Cardinales, Epiſcopos, Duces, ac Princi-
pes, quod hoc longe plus ſplendoris noſtris conatibus addat, quam cætera de quibus diximus. Sed quid
nunc commemorem de clariſſimo viro Ioanne Næuio, Illuſtriſſimi Electoris Ducis Saxoniæ Medico?
quibus ego illum præconiis efferam? innumeris, ſi tantum poſſem, quod is non ſolum Principem ſuum
hortatus ſit, vt tam copioſas mihi mitteret ſuppetias, ſed quod ex propria ſua pecunia (quæ ingens fuit
eius in me liberalitas, & in rei herbariæ ſtudioſos pietas) aliquot obſignati argenti pondo, ſua ſpon-
te ad conflandum hoc opus contribuerit.

*Ioannis Næuii laus, & liberalitas.*

O virum multiplici calamo celebrandum cum ob pietatem,
humanitatemque, quibus totus redundat, tum quoque ob inſignem doctrinam, & Medicæ facultatis
ſcientiam, in quibus adeo præcellit, vt è longinquis regionibus, ſpe recuperandæ tuendæque ſanitatis,
plurimi ad eum confluant homines, adeo vt à Cæſare Ferdinando ad ſe curandum, quoque vocatus fue-
rit. Non defuerunt etiam alii, qui hiſce noſtris conatibus magnam opem tulerunt, & non ſolum his
poſtremis, ſed aliis antea editis, quorum alii plantarum miſſione, alii conſilio, alii rerum inuentarum
communicatione, mihi multum profuerunt.

*Optimorum virorum cõmemoratio.*

Inter quos potiſſimum non grauarer hoc loco commemo-
rare, ſi poſſem illis ex beneficii accepti commemoratione aliquam referre gratiam, Lucam Ghinum Fo-

rocorne-

rocornelienſem, Medicum ingenii, & doctrinæ ſingularis, qui Piſis magna cum omnium laude Medicam materiam multis iam annis profeſſus eſt: nec non Doctiſſimum Vlyſſem Aldrouandum Bononienſem, honeſtiſſimi generis, probatę doctrinæ, & magnę expectationis cum Philoſophum, tum etiam Medicum. Quibus eo magis me deuinctum eſſe intelligo, quod ii pro ſua tãtum humanitate ac liberalitate, me quem non nouerunt, nec viderunt vnquam, amore & officio ſemper ſint proſecuti. Non defuerunt etiam amicitia, & affinitate nobis coniuncti, quorum ſtudio, ac diligentia, mihi licuit hoc tempore non aliter peragranti, ex diuerſis locis plures conſequi plantas, earumque picturas edere, ſed præſertim in hoc pro nobis aſſiduam nauauit operam Ioannes Odoricus Melchiorius Tridentinus Medicus ſpectatæ eruditionis, qui me in patris loco ſemper habuit, & qui ob ſuam præclaram eruditionem à Sereniſſima Imperatrice Maria Cæſaris Maximiliani coniuge, in ſui, & Aulæ ſuæ commodum in Medicum honorifice aſcitus eſt. Sane is tum Patauio, tũ Venetiis, complures ſtirpes non vulgares ad nos perferri curauit. Eſt præterea ſumma probitate, & vitæ integritate vir, Franciſcus Parthinus Roboretanus, cuius egregiæ doctrinæ & in re Medica ſingularis experientiæ, tanta eſt apud multos huius ætatis Principes opinio, vt eorum nonnulli, præcipue vero Cardinales, Tridentinus, & Auguſtanus, cuius aliquot annis Medicum egit: magnæ ſibi laudi duxerint, quod talem hunc virum ampliſſimis muneribus, variiſque ornamentis decorauerint. Quo poſtea factum eſt, vt nunc in Inuictiſſimi, Potentiſſimique Romanorum Imperatoris Maximiliani ſecundi, Medicum merito euectus fuerit. Eſt etiam Hieronymus Donzellinus Brixianus, vtraque lingua, eruditione, & iudicio ſummo clariſſimus Medicus, qui quidem modis quam plurimis labores hoſce noſtros adiuuantes, maximo nobis fuerunt ornamento. Cæterum poſtremis hiſce noſtris conatibus auxilii plurimum contulit vir Clariſſimus Augerius de Busbecke Flandrus, qui Conſtantinopoli pro Cæſare Ferdinando apud Turcarum Imperatorem, Oratc rem egit, quippe qui non ſolum is multas peregrinas raraſque plantas, mihi tranſmiſit, ſed vetuſtiſſima Dioſcoridis exemplaria, mei tantum cauſa; ſecum tulit: quorum auxilio ſplendoris plurimum toti operi acceſſit, vt latius, in ſequenti præfatione ad lectorẽ dicemus. Quinetiam opem maximam præſtitit, & aſſiduam, multis annis nauauit operam Clariſſimus, Doctiſſimuſque Iacobus Antonius Cortuſus Patritius Patauinus, à quo (quæ ſua fuit liberalitas, & beneficentia) complura ad me miſſa ſunt plantarum genera, ipſaque rara, peregrina, & paucis admodum nota. Hunc ſecutus eſt Doctiſſimus Medicus Bernardinus Teruiſanus, qui in Academia Patauina, Materiam Medicam magna cum laude profitetur. Namque is tum plantarum miſſione, tum etiam conſilio non parum nos iuuit. Nec minus mihi celebrandus eſt vir optimus, & rei plantariæ indagator acerrimus Franciſcus Galceolarius pharmacopœus Veronenſis vna cum eius filio Angelo, qui ne dum in rei herbariæ ſcientia patrem æquat, ſed fere ſuperat. quinetiam nec Cecchinus Martinellus Rauennas, quod hic Damaſco Syriæ, ille vero Verona, non paucas ad me raras miſerint plantas, quæ nuſquam antea à me viſæ ſunt, ſicuti nec à quoquam, qui ante nos hoc tempore de Medica materia ſcripſerit. Adiuuit nos quoque mirum in modum Georgius Liberalis homo artis pingendi peritiſſimus, & poſt ipſum Volfgangus Meierpeck Miſnenſis, qui dum aſſidue plantarum, & animalium imagines delinearent, nulli quidem labori, ac diligentiæ pepercerunt. Potuiſſem equidem hęc omnia facile diſſimulare, & mihi ſoli laudem vniuerſam vendicare, ſed abſit omnis inanis gloriæ cupiditas. Etenim benigum eſt (vt ſcite Plinius in epiſtola ad Veſpaſianum inquit) & plenum ingenui pudoris, fateri per quos proficimus. Cæterum quandoquidem Dioſcorides non modo quinque libris tradidit vniuerſam Medicam materiam, quæ plantis, animalibus, & metallicis comprehenditur, ſed his etiam ſextum attexuit, in quo ad humani generis vſum de antidotis diſſeruit, quibus venena omnia arcentur, ac omnium venenoſorum animalium morſus ictusue curantur, ideo nos ipſum ſecuti, in hunc quoque commentarios ſcripſimus, in quo plura regeſſimus, quæ vitæ hominum profutura ſperamus. Nam prætterquam quod improborum veneficorum inſidiis pateant cum vniuerſum genus humanum, tum maxime Reges, ac Principes, non deſunt etiam quamplurima animalium genera, quæ morſu, vel ictu homines ex tempore interimunt. Quippe Scorpiones, Stelliones, Phalangia, noſtris in domibus viuunt, oberrantque, quæ animalia cum nullam habeant perſonarum, aut locorum rationem, vbique ſeſe recipiunt, & latebras, nidoſque parant, quo fit vt interdum à domeſticis inſcientibus moleſtata ictu venenum inferant, & ictos in perniciem agant. Latent præterea modo in hortis, ac viridariis, modo in vinetis, & pratis, aliisque in locis inter flores, & herbas, aſpides, & viperæ, & alia venenoſa reptilia, quæ vel ſi tantillum quidem pede premantur, aut excitentur, illico exitioſum vulnus infligunt: ex quo ſtatim vel paulo poſt icti commoriuntur, niſi eis quam primum antidotis ſuccurratur. Eſt & Canis, qui etſi homini familiaris ſit, tamen cum in rabiem agitur, quos momorderit, in horrendum mortis genus plerunque deducit. Quæ cum diligenter examinaſſent, recteque expendiſſent veterum ſapientum complures, quorum ſuperius meminimus, plantarum, aromatum, & aliorum quorumcunque ſimplicium medicamentorum vires altius perſcrutati, varia aduerſus venena & virulentorum animalium morſus antidota compoſuerunt. Quorum veſtigia ſecutus Mithridates magnus ille Ponti, & diuerſarum gentium Rex, cuius etiam ante mentionem fecimus, cum non magnam ſatis ſibi gloriam ex eo comparaſſe iudicaſſet, quod mortalium ſolus (vt teſtis eſt Plinius) duabus & viginti linguis loqueretur, adeo, vt de ſubiectis gentibus, nullum hominem per interpretem compellaret, nec quod plurimis potitus eſſet victoriis, ad maiorem adhuc, immortalemque ſuam gloriam, Medicinæ peculiariter curioſus fuit, & rei herbariæ percipiendæ, maximum ſtudium impendit. Quorum vtrunque plane aſſecutus videtur: nam ex herbarum cognitione antidoti genera inuenit, ex quibus vnum compoſuit, quod nomen etiam eius ad noſtra vſque tempora retinet, & ſuum autorem famæ immortalitati conſecrat. Huius antidoti vſu adeo corpus ſuum Rex ille firmauerat, tutumque à venenis reddiderat, vt cum ipſe vitam finire mallet, quam Romanorum ſeruitutem pati, id ſæpius fertur fruſtra veneno tentaſſe. Mithridatem imitatus eſt Andromachus, doctiſſimus pariter & elegantiſſimus Neronis Imperatoris Medicus. Is ſiquidem Theriaces compoſitionem adinuenit, quæ Galeni teſtimonio à venenis ſeruauit non ſolum plurimos Romanorum Imperatores, ac Principes, ſed & alios quoſque, qui eam opportune ſumpſerunt. Qua propter Galeni tempore ab ipſo magnifice, ac ſplendide, ita iubentibus Imperatoribus, hæc parabatur Antidotus. Prætteribo Attalum Pergami Regem, de quo etiam nobis antea dictum eſt,

*Qui hoc opus iuuerunt.*
*Lucas Ghinus.*
*Vlyſſes Aldrouandus.*
*Ioannes Odoricus Melchiorius.*
*Franciſcus Parthinus.*
*Hieronymus Donzellinus.*
*Augerius de Busbeckȩ.*
*Iacobus Antonius Cortuſus.*
*Bernardinus Teruiſanus.*
*Franciſcus Calceolarius.*
*Cecchinus Martinellus.*
*Pictores qui plantarum icones delinearunt.*
*Venenoſa animalia quam facile homines interimunt.*
*Antidota à Regibus inuenta.*
*Mithridatium.*
*Andromachus Theriacæ inuentor.*

*Noſtri temporis Antidota antiquorũ antidotis deteriora ſunt.*

quem quoniam idem ſtudium tenuit antidota conficiendi, ideo is ab ipſo Galeno maximis laudibus celebratur. Veruntamen noſtra hæc ætas ex horũ antidotorum vſu non eum fructum, neque vtilitatem capit, ſentitque, quam ſenſit antiquitas. Nam etſi eorum nomina monumentis tradita habeamus, atque etiam antidota ipſa in officinis parata reperiantur, nõ eos tamen effectus, vireſq; hæc præſtant, quas ſuis nominibus pollicentur, quaſque illa præſtare veteres memoriæ prodiderunt. Cuius diſcriminis illud nimirum in cauſa eſt, quod plura à nobis deſiderentur generoſa & precioſa aromata, quæ legitima, & omnium præſtantiſſima, ſuis antidotis immiſcebant Mithridates, Attalus, Andromachus, Galenus, & alii complures veterum, quæque ingenti pecunia, ſummo ſtudio ac labore, ab Arabum, Aethiopum, Troglodytarum, aliarumq; diuerſarum gentium regionibus, illius florentiſſimæ ætatis Imperatores Romã afferri curabant. Vbi tamen nemini præterquam Cæſareis Medicis (quod fatetur Galenus) licebat verã ac legitimam conficere Theriacen, niſi quis forte potentiorum fauore ab Imperatoribus eſſet iis præclaris donatus aromatibus. Id quod maxime facit, ne miremur, ſi Theriacæ noſtri vſus, itemque Antidotus Mithridatica, non perinde pollent viribus, atq; eorum nomina pollicentur, & veterum ſcripta teſtantur. At certe in hoc ſatis infeliciter actum eſſe conſtat cum vita hominis, vtpote quæ iacturam fecerit maximorum remediorum aduerſus venena, aliaq; grauiſſima incommoda, quibus obnoxia eſt, ac ſæpe affligitur. Quam ob rem hac noſtra ætate, in qua quidem reliqua fere omnia in priſtinum candorem reduci, & ſuæ integritati reſtitui videntur, glorioſus, & vere fortunatiſſimus dici poſſet ſummus ille Pontifex, Inuictiſſimus ille Cæſar, Sereniſſimus ille Rex, Magnanimus ille Princeps, Sapientiſſimus ille cuiuſque Reipublicæ Senatus, qui propriis animi dotibus Romanos illos Imperatores, & alios potentiſſimos Reges imitatus, nullus fineret ſe vel ſumptibus, vel laboribus grauari, ſed omne ſtudium, omnem operam, omnem deniq; ſuam facultatem adhiberet, vt iam diu deperdita aromata, quæ omnino nobis deſunt ad Antidota conficienda, in lucem reuocarentur. Enimuero ſi horum aliquis id faceret, vel ſi omnes id facere contenderent, non ſuæ tantum, & aliorum mortalium vitæ conſulerent, deque poſteris præclare mererentur, ſed præterea hinc famam aſſequerentur æternam. Siquidem beneficium id poſteri ſumma cum laude propriis autoribus perpetuo acceptum referrent. Equidem ſi id mihi non licuit, id ſaltem quod potui omni ſtudio, induſtriaque mea præſtare conatus ſum. Nam cum viderem noſtræ huiuſce ætatis homines in iiſdem in quibus priſcæ, atque etiam in maioribus vitæ periculis verſari, nobis tamen deceſſe vera illa, ac generoſa veterum antidota, ob ea, quæ hodie in hiſce deſiderantur, legitima, ac præclara ſimplicia medicamenta, tentare volui, poſſent ne ex legitimis, quæ habemus, antidota parari, quæ illorum vicem penſarent. Feci id quidem magno meo labore, longo quererum vſu, & experientia: ſed aſſecutus ſim, necne, quod contenderam, ignoro. Illud certo fateri poſſem, ea ſemper mihi viſa eſſe longe felicius Theriacæ, & Mithridaticæ antidoti vires præſtare, quam quæ paſſim (paucis exceptis) hac tempeſtate earundem nomine conficiuntur. Verum non omiſi, quin in hoc, ſicut in reliquis aliorum potius eſſet iudicium, quam meum: quandoquidem eo promerendi animo, quem ſemper habui, in noſtris Commentariis in ſextum Dioſcoridis librum, non ſolum Dioſcoridem ipſum, quantum potui illuſtraui, ſed quædam etiam ſecuta antidota nobis inuenta deſcripſi.

*Antidota quæ vſui eſſe debent & quæ non.*

Verum non ob hoc velim nonnullos eſſe, qui putent hoc tempore ab vſu cuiuſq; Theriacæ, Mithridaticæque Antidoti eſſe abſtinendum: ſiquidem ab his tantum abſtinendum intelligo, quæ paſſim vbiq; veneunt, & de quarum compoſitione nullum extat probatiſſimorum medicorum teſtimonium, quarumque ingens habetur quantitas apud Impoſtores. Etenim ſcio non deeſſe in Italia in famoſis ciuitatibus Pharmacopœos honoris, & humanæ ſalutis cupidos, qui nullis ſumptibus, aut laboribus parcentes, omnem ſuam nauant operam, omneque ſtudium impendunt, vt legitima omnia ſimplicia medicamenta, quibus hæc antidota parari ſolent, ſibi comparent.

*Theriaca à Franciſco Calceolario parata præ cæteris laudatur.*

Inter quos (ſeruata ſemper cæterorum pharmacopœorũ fama, ac fide) mihi maxime laudandus venit Franciſcus Calceolarius pharmacopœus Veronenſis ad aureæ Campanæ ſignum, quippe qui Theriacam optimam & Mithridatium parare ſoleat, aſtipulantibus Clariſſimis medicis omnibus, & præſertim qui primas in ciuitate tenent. Id quod præ cæteris is præſtare poteſt, quod nõ ſolum Medicæ materiæ ſit indagator maximus, ſed quod vbiq; terrarũ amicos habeat qui ſibi peregrina & aliis ignota ſimplicia mittant, à quo nuper legitimum Coſtum ſum conſequutus, à me nuſquam antea viſum. Sed de his hactenus ſatis ſuperque diximus.

*Dedicatio epiſt.*

Cæterum cum veterum ſtudioſorum morem ſequutus, de promotoribus defenſoribusque cogitarem, qui labores hoſce noſtros ab inuidorum, vitiligatorumque morſibus protegerent; ac tuerentur, quorum item amplitudine, authoritate, gloriæ q; ſplendore, iidem illuſtriores, ac clariores redderentur, prima illico mihi ſeſe obtulit Sac. Cæs. Maieſtas Tua, vtpote quæ pro ſumma, & innata virtute ſua, atq; clementia, neminem vnquã inique depreſſum non extulerit, aut iniuria affectum non defenderit, nec quempiam nõ iuuerit bonarum artium ſtudioſum, qui ad eius patrocinium confugerit. Præterea mihi condecens admodum viſum eſt, vt hoc opus Cæs. Maieſt. tuæ potiſſimum conſecrarem, non ſolum quod Romani Imperii Diademate refulgeat, & Vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ imperet, & præſit, ſed quod mihi peculiariter (quæ ſua fuit in me Pietas, Benignitas ac Beneficientia) ſemper clementiſſima fuerit: Illud quoque me adduxit, vt Cæs. Maieſt. tuæ hoc volumen dedicarem, quod in ipſo ea deſcribatur Materia, cuius ſtudio (vt ſuperius commemoraui) complures olim Imperatores, ac Reges ſunt magnopere delectati. Ideoq; eo libentius id faciendum mihi propoſui, quo certior ſum Cæs. Maieſtatem tuam ex naturalis Philoſophiæ lectione plurimum capere voluptatis. Huc accedit immenſa erga ſtudioſos quoſque Cæſareæ Maieſtatis tuæ benignitas, qua eos perpetuo promouet, iuuat, & fouet, eoſq; præcipue quos de Republica literaria benemeritos eſſe agnoſcit, præſertimq; Medicos, vtpote qui diuinam potius quam humanam excolant facultatem. Id quod apud Hebræos teſtatum reliquit ſapientiſſimus ille Ieſus Syrach, diuino ſpiritu afflatus, dum ſic inquit: Ab Altiſſimo orta eſt Medicina, & à Rege accipiet munera. Medicamenta de terra creauit Dominus; & vir prudens non contemnit illa. Diſciplina Medici exaltabit caput eius, & in conſpectu Magnatum collaudabitur. Hæc ille. Porro & illud mirum videri poſſet, quod Cæs. Maieſtas tua, & ſi in grauiſſimis negociis, ſuique Romani Imperii, ac Regnorum ſuorum functionibus, & continuis curis, dies, noctesque verſetur, nunquam tamen prætermittere ſolet, quin ſucciſiuis quibuſdam horis variis ſcientiarum ſtudiis vacet. Quare non parum mihi ſperandum

randum eſt, lucubrationes haſce meas apud Cæſa. Maieſt. tuam non minimum authoritatis habituras, tum quod ante hac eius erga me ſingularem clementiã, liberalitatemque longe lateque fluentem, iterum, atq; iterum ſim conſequutus: tum quod omnia quantũuis exigua munuſcula, hilari admodum vultu, ſummaq; humanitate ab omnibus ſuis fidelibus ſuſcipere ſoleat. Cæſareæ ergo Maieſtatis tuæ beneficia in me ſunt ampliſſima, Sereniſſima Auſtriaca Domus denique tota me ſemper omnibus modis aluit, promouit, & decorauit. Quo fit, vt certa omnino ſpe ductus, mihi perſuadeam de Cæſ. Maieſt. tuæ clementia plurimum perpetuo confidere poſſe. Facit enim tua ſummi generis dignitas, Cæſareorumque ornamentorum amplitudo, vt quotquot ab ea iuuari petant, omnes promouendos ſuſcipiat. Cæteravero virtutum decora in Cæſarea Maieſtate tua ſic vigent & eluceſcunt, vt vniuerſæ gentes eã magnopere admirentur & colant. Quis enim non admiretur Cæſaream Maieſtatem tuam? Quis non prudentiam, magnanimitatem, & ingentem animi ſplendorem? Quis non ſuſpiciat Iuſtitiam, pietatem, clementiam, religionem, beneficentiam, & generoſitatem tuam? quæ tanquam ex vberrimo fonte è tota Maieſtate tua ſcaturiunt, emanant, & diffunduntur. Quæ quidem animi Maieſt. tuæ Cæſareæ dotes, proculdubio efficient (Dei Opt. Max. auxilio) vt ſuperatis, ac debellatis Sac. Rom. Imperii & Regnorum ſuorum inimicis, omnia nobis pacata reſtituat. Poſtremo vt Illuſtriſſ. Sac. Romani Imperii Electoribus, Sereniſſimis Auſtriæ Archiducibus dominis meis clementiſſimis, ac cæteris vniuerſæ Germaniæ Principibus, labores hoſce meos dicarem, in cauſa fuit, vt omnes ſimul coniuncti ex hoc intelligant ingentem animi mei erga eos omnes propenſionem, vtq; hac dedicatione, eorum erga me liberalitatem apud omnes gentes teſtatam relinquerem. Quin etiam quod mihi perſuaſum habeam, non minus hæc noſtra latina commentaria, vniuerſis (vt ſpero) profutura, defendenda, promouendaq; ſuſcipiant vna cum Cæſarea Maieſtate tua, quam ab iis antea factum ſit de Herbario Germanico noſtro illis dicato. Idq; præſertim faciendum ad me ſpectaſſe cognoui, quod non minora auxilia in hoc cudendo volumine, quam in illo nobis præſtiterint. Interim me totum Cæſareæ Maieſt. tuæ dedico, dono, ac voueo. Cui Deus Opt. Max. felicia omnia concedat. Pragæ, Vltima Ianuarii, MDLXV.

E. Cæſ. Maieſt. tuæ, Veſtarumque Celſitudinum

Humilis Seruitor

Petrus Andreas Matthiolus.

Petrus

# PETRI ANDREAE MATTHIOLI

## AD MEDICÆ MATERIÆ STVDIOSOS, PRÆFATIO.

*I VELLEM eorum morem ſequi, qui antequam opus ſuum aggrediantur, illud in primis profitentur, nihil ſibi maiori curæ ac ſtudio eſſe, quam vt vitæ, vſuique mortalium conſulant, hoc ipſe quoque ingenue facere poſſem. Nam ea animi propenſione ab ipſa iuuentute, quantū mihi ocii a medendis ægris, & cura familiari impetrare licuit, id totum ad bonorum Autorum libros euoluendos, ad ſimplicium medicamentorum cognitionem aſſequendam, ac demum ad ſcribendum contuli. Qua in re, vt certe apud omnes teſtatum relinquerem, me hac mente animoq; elaboraſſe, vt quantum ſtudio, labore, atque induſtria, conſequi poſſem, humanæ vitæ prodeſſem; deq; ea optime meritus exiſtimarer. Dioſcoridi omnem meam operam, ac diligentiam adhibui, vt quantum in me eſſet, illuſtrior redderetur, atque omnium manibus teneretur. Ad quod ea mihi viſa eſt ratio commodiſſima, vt ipſum Dioſcoridem in noſtram Italicam linguam transferrem, in eumq; commentarios, à nobis Italice etiam conſcriptos, adiicerem: quod tunc nos priuatim ſtudium, maiorque cura ſubiret, Italos iuuandi, quam cæteros. Etenim pauci admodum ſunt in Italia Pharmacopolæ, ad quos tamen potiſſimum hæc de Medica materia tractatio ſpectat, qui Latinam linguam exacte norint. Hoc opus, quod ſumma animi alacritate ſuſceperam, vbi abſoluiſſem, emiſi, vel hortantibus amicis, vt quem fructum antea ex meis laborib. mihi propoſueram, eum poſtea mortalibus percipiendum, ac omnibus æſtimandum exhiberem. Verum an is talis fuerit, qualis vt eſſet, contenderam, malim aliorum eſſe iudicium, quam meum. Illud certo ſcio (ſi tamen id abſq; vitio nobis teſtari licet) à multis in Italia, quorum iudicium cæteris antepono, eo animi candore ſcripta noſtra æſtimata, ac cōmendata fuiſſe, quo ipſi illa ſcripſimus, atq; ēt Italis non inutilia, neq; iniucunda accidiſſe. Quorum ſane exemplo, diq; noſtris commentariis iudicio, non potuit nō mihi ipſi gratulari, ac omnibus, quibus illos legendos tradidimus. Acceſſit interea mihi non minor inde cupiditas externos quoq; demerendi, eamq; cupiditatem illud auxit, quod intellexerim iis pergratū fore, ſi noſtri commentarii Latini fieret. Hac igitur ratione adductus, vt etiam ab externis gratiam aliquam inirem, vtque omnibus in vniuerſum ſtudio, cura induſtriaque mea prodeſſem (quod ego quidem antiquum ſemper habui, & præcipuum) noſtros commentarios ex paruo, quod nobis ſupereſt, otio, Latinos reddendos, atq; illuſtrandos ſuſcepi. Verum cum tractu temporis animaduerterem, me non omnes in vniuerſum exteros Latina editione iuuiſſe, cum longe plures habeantur in vnaquaq; natione Latini ſermonis ignari, quam periti, Germanis, & Bohemis, herbaria peculiaria conſcripſi, & in eorum linguis edita in lucem protuli, additis maioribus plantarum imaginibus. Quæ omnia (vt audio) iis haud ingrata fuere. Id quod apud omnes perpetuo teſtatum relinquet, Matthiolum ad omnes iuuandas nationes eſſe factum. His expeditis, dum interpretem quærebam, qui idem herbarium noſtrum Gallicum faceret, allatus eſt mihi Francofurto Dioſcorides meus in Gallicum Idioma traductus, quo factum eſt, vt a ſuſcipiendo hoc labore animum auerterim, ac interpreti illi me non parum debere cognouerim, quod me eo onere ſubleuaſſet. Curaſſem præterea, vt idem, Hiſpanico quoque ſermone exiret, niſi Andreas a Lacuna me præuertiſſet. Sed fortaſſe quoq; fiet, ſi vita noſtra curſum fortunet præpotens Deus, vt in iis quoque linguis ex Matthioli officina hæc euulgentur herbaria. Scripſeram antea in hac eadē præfatione, me abſoluta Latina commentaria in Dioſcoridem, in multorum gratiam in lucem miſiſſe, mihi vero hactenus non ſatis concocta. Quo fit, vt nunc locis plus mille aucta, cū pluribus caſtigata, & maioribus admodum numeroſioribus elegantioribusque imaginibus illuſtrata vobis inſpicienda legendaque emiſerim: ſed quid hucuſq; præſtiterim, vos in quorum gratiam tantum laboris inſumpſi, & tam ingentes feci ſumptus, de his æqui eritis iudices. Neque aliud ab omnibus petitum velim, quam vt hos noſtros Commentarios ea animi ſinceritate, & æquitate æſtiment, qua ſuos ab aliis æſtimari, & perpendi vellent: vel qua ipſi aggreſſi ſumus illos conſcribere. Nam etſi multorum eruditorum ſententias refellere auſus ſum, atque non pauca foriaſſe nimis acriter inſequi, corrupta ſcilicet, quæ indoctorum pertinacia nunquam ſatis explodi poſſunt, id tamen eo conſilio feci, vt quantum ingenio proficere, quantum mente elaborare, quantum denique iudicii in re Medica, ex ſtudiis, laboribus, ac vigiliis mihi comparare potui, libere in publicum ad mortalitatis fructum, & vtilitatem proferrem. Sed certe in hoc longius, quam ſtatueram, digreſſa eſt oratio noſtra: eo enim neſcio quomodo irrepſit, vt partem aliquam aperirem noſtri ſcribendi inſtituti. Quod tamen non penitus alienum fuiſſet, niſi eius conſilii ratio cum alibi, tum præcipue ſuperius in Epiſtola nuncupatoria à nobis latius expoſita eſſet, atque a pluribus opinor, comprobata, quam vt hoc loco paucis attingi debuiſſet. Quare iam ad id nobis accedendum eſt, quod in primis Medicæ materiæ ſtudioſos admonendos eſſe putamus, vtpote quod nonnihil priuatim ad rem præſentis operis facere videatur. Cum enim ab eo tria potiſſimum comprehendant, Dioſcoridis contextus, noſtri in eum Commentarii, & plantarum imagines, de ſingulis nobis reddenda ratio eſt, vt qualem me in vno quoq; gesserim, quod confitendum ſit, non diſſimulem. De contextu itaque Dioſc. quem nequaquam prætermittendum cenſuimus, ob plures cauſas, quas hic referre nimis longum eſſet, quæret aliquis, Cur Ioannis Ruellii Galli Medici eruditiſſimi interpretationem prætulerim, dignamq; exiſtimauerim, quæ præ cæteris in noſtris commentariis legatur, cū tamen duo alii viri ſummi pariter, & doctiſſimi Hermolaus Barbarus, & Marcellus Vergilius Florentinus, in idem ſtudium gnauiter incubuerint. Fateor ego ingenue, me Ruellii verſionem ſequutum eſſe, ſed non propterea aliorū præclaros conatus cōtempſiſſe vnquam: quin potius vtriuſq; ſtudium ſemper admiratum: quippe quod vterq; in eo maximā laudem promeruerit. Illud autē me magis mouit, Vt Ruellium admiſerim, quod eius conuerſio omnib. facta ſit vulgatior, ac frequentior in ſtudioſorum manibus verſetur. Adde etiam, quod de communi omnium fere, medicorum præſertim, iudicio præferatur. Cui nimirū nobis quoq; libuit ſubſcribere. Nō tamen illud me certe latuit, Ruellium nimis forte religioſum fuiſſe, quippe qui interdum maluerit Dioſcoridem deſerere, quam Plinium, modo*

Autor Italica Cōmentaria primū edidit.

Cur Italica Commentaria in latinam linguā cōuerſa fuerint ab Autore.

Autor conſcripſit herbaria Germanis, & Bohemis.

Matthioli Diſcorides in Gallicam linguam translatus eſt.

Operis auctio.

Authoris excuſatio in aliorum carpendis erroribus.

Admonitio ad lectores.

Cur Ruellii verſionem præ cæteris probauerit Autor.

Latini

# Præfatio.

Latini ſermonis nitore captus, modò etiam rei cognitione incertus, Theodorũ ſequutus, qui in conuertendo Theophraſto idem ſæpiſſime feciſſe videtur. Quare a nobis perſpecta, Ruelii quidem interpretationem recepimus, ita tamen, vt nonnunquam auſus ſim ab eo deſciſcere, vel vetuſtiſſimorum probatiſſimorumq; exemplarium, & vnius Oribaſii fidem ſecutus, vel certa rei experientia fretus. Eorum autem, quæ immutaui, nonnulla obeliſco adnotata reliqui, nonnullis etiam ſignum ſuppreſſimus, eo in exemplari, quod poſtremo loco excuſum dedimus. Atqui nunc ad hoc munus latius obeundum me ſummopere iuuit Clariſſimus Vir Augerius de Busbeke Belga, qui annis continuis ſeptem apud Solimanum Turcarum Imperatorem, pro Cæſare Ferdinando Oratorem egit: Siquidem is duo Dioſcoridis exemplaria antiquiſſima Conſtantinopoli ſecum tulit, quorum alterum Antonio Catecuzeno patritio Conſtantinopolitano, alterum cuidam Imperatoris Interpreti (Dragomanum Turcæ vocant) mei tantum iuuandi cauſa, mutuo acceptos referebat. Quorum exemplariũ auxilio non ſolum permultis in locis Dioſcoridis exemplar, quod publice circunfertur, ſed etiam Ruellii ipſius verſionem caſtigauimus, vt ex quam plurimis adnotationibus ad marginem diſpoſitis vnuſquiſq; facile intelliget. Vt autem omnibus perſpicuum eſſet, vnde illas acceperimus, Catecuzeni, Dragomani, meiq; exẽplaris nomen omnib: & ſingulis annotationib. addidimus. Id quod doctis viris, & rei plantariæ ſtudioſis non dubitamus gratiſſimum futurum. Itaque hinc factum eſt, vt Ruellii nomen contextui deſcribendum non duxerim, ne viderer cum eo, nomine conuenire, re autem ſæpe ab eo diſſentire. Satis enim fore putaui, ſi hic ſtudioſos certiores facerem, me Ruellio Dioſcoridis conuerſionem acceptam referre: ſi præterea rationem reddidiſſem, cur illi non ſemper addictus eſſe voluerim. Quod quia abunde (vt arbitror) præſtitimus, iam ad alterum nobis propoſitum, quod de noſtris commentariis erat progrediamur. De quibus profecto mihi ſatius fuerit tacere, quam pauca dicere, ſi velle naſutulis, & vitiligatoribus occurrere. Frequens nanq; hodie eſt in diesq; magis pullulat huiuſmodi genus hominũ, qui nullum in toto vitæ ſuæ curſu fructum ſemenve proferunt, alienos tamen auide carpunt, mox lacerãt, & pedibus obterunt: Sed ij omnes Sycophantæ ſunt, temerarii, impudentesq; quippe qui tantum bonis & doctis viris ſubſanandis ſtudent. Scimus iam dudum non deeſſe huiuſce atræ farinæ nonnullos, qui libellis contra nos ſcriptis, conatus noſtros obſcurare nituntur, nixi tantum ſophiſmatibus, fucatis mendaciis, iurgiis, & conuiciis. Ego autem cum hos verius Aſinos quam homines exiſtimem, in plateis laſciuientes, pedere ſinam ad ſanguinem vſq;. Interim garriant, agant, ſcribant, & contra me latrent hi perditiſſimi nebulones, lacerent, flagellent, vulnerent, & Calumniis, contumeliis, omniq; malorum genere, quibus tantum nituntur, labores noſtros oppugnent, & ſi quid etiam iis grauius in mentem venerit, contra nos proferant, non tamen ob id à ſtudiis, & laboribus iuuandæ Reipublicæ, propagandæq; veritatis, me auertent, nec vnquam ſuis venenatis morſibus ſcripta mea adeo dilacerabunt, labefactabuntq; (vt ipſi ſibi perſuadent) quin ea contra innatam eorum malignitatem continuo in medio bonorum, doctorumq; virorum emergant, & auri puriſſimi modo eluceſcant. Nam apud bonos, & ſanctos viros, vituperari mihi viderer, ſi ſceleratiſſimi atq; perditiſſimi homines me laudarent. Immo vero ſi ab iiſdẽ vituperentur ſtudioſi, & de republica bene meriti, maximo id illis eſſe honori ſemper exiſtimaui, cum huiuſcemodi inſidiatorum conſilia nil aliud moliantur, quam virtutem opprimere, veritatemq; confundere: vitium vero (ſi tantum poſſent) extollere, & mendacium vbiq; alere, vt præ cæteris hiſce diabolicis illuſionibus, miraculi aliquid in medium afferre videantur. Græci calumniatorem appellant διάβολον, qua voce etiam tam Græci, quã Latini cacodæmonem execrabilẽ illum teterrimumq; humani generis hoſtem, nũcupant, nimirum calumniarum ſummum architectum, mendaciorum patrem, & diſcordiæ magiſtrum. E cuius ſchola prodeunt atra illa ingenia, liuorem, virulentiam, fucos & mendacia, vtpote Tartareæ diſciplinæ materiam ſpirantia. Proinde qui mendaciis malunt conniuere, quam pro veritate libere dicere, non ex Deo, ſed ex diabolo ſunt. Semper enim legitimi aliquam referunt ex parentibus notam. Noſtra Cõmentaria (Dei Opt. Max. munere) ab annis propemodum viginti, magna cum laude, in omnium manibus, non in Europa ſolum, ſed in aliis orbis partibus verſantur, adeo vt in Italia magno ſibi dedecori eſſe exiſtiment, qui Matthiolum domi ſua non habeant. Atqui horum vitiligatorum fœdiſſima folia, quod omni ex parte peſtilentem auram ſpirant, & Stygio tincta ſint veneno, non dubito quin merito igni breui cõburenda tradantur; ſiquidẽ Salſamentarii halecib. & farciminib inuoluendis; olfactu virulentia, ea haud quaquam admittent. Noſtris commentariis, ſcriptis, conatib. ac ſtudiis (vt Deo Opt. Max. placet) ſubſidii, & auxilii plurimum contulerunt Imperatores, Reges, ac alii complures Sereniſſimi. & Illuſtr. Principes, & Heroes, & noſtros modis omnib. iuuerunt labores: ſed horum cõmentitiæ vanitates, quæ calumniis captiunculis, maledictis, atq; etiam blaſphemiis nitũtur, comites, aſſeclas, & promotores tantũ habebunt, Blaterones, Vitiligatores, Sophiſtas, Maledicos, Sycophantas, Suſurrones, Nebulones, Inuidos, Detractores, Impoſtores, Impudẽtes, Temerarios, Thraſones, Gnatones, & alios, quotquot habentur, huiſce diabolicæ factionis homines. Ad hæc tanta apud doctos & bonos viros (ſit etiam hoc citra inuidiã dictum) eſt autoritas noſtra, tantaq; in vniuerſa Republica nobis amicorũ eſt copia, vt certo mihi ſperandum ſit, hos ſuis iniquis, ac virulentis ſcriptis, longe plures inimicos ſibi cõparaturos, quam in omni eorum opere extent characteres. Sed tantum poteſt inuidia, atq; malignitas, vt veſanos reddat homines, à quo morbi genere nec Apollinis numen, cuius nomen nouus quidã impudentiſſimus ſibi vendicauit, nec ipſius filius Aeſculapius eos liberare queat. Atqui inter cætera, id mihi ſolatii plurimũ affert, quod rabidorum canũ (vt Itali dicunt) nuſquam alantur greges. Nã vbi forte fortuna inſectantiũ hominum manus euaſerint, poſtridie ſua ipſorum rabie extinguuntur. Porro facit in præſentia horũ nebulonum mentio, vt hic quoq;, & ſi præter rei ordinẽ eſſe videatur, Ioannem Iacobũ cognomine Vueker furem appellare auſim. Si quidem is tabulas medicinales noſtras, vigiliis, & ſtudiis non paucis elaboratas, quas Bononiæ a Balthaſſare Burger Labacenſi ſub Matthioli nomine accepit, in librũ, cuius ſe autorẽ fecit, congeſſit, & me laborib. meis exſpoliauit. Cum autẽ res ita habeat ſciant optimi quiq; Medici volumẽ illud, cui Medicæ Syntaxeos eſt titulus vſq; ad partẽ παθολογικὴν eſſe continuatũ Matthioli opus, vna cũ cõplurib. tabulis de euacuandi ratione, quas impudẽtiſſimus ille Plagiarius in θεραπευτικὴν transportauit. Cætera vero partim ex Iacobi Syluii libris, partim ex recentiorib. in Academia Patauina profeſſorum ſcriptis ablata ſunt adeo vt iam vanus ille Medicus, qui ſe pauonis pennis ornauerat, cũ Aeſopi crocitet coruo. Sed nolim Candide Lector, dũ hæc legis, Matthiolũ maledicentiæ accuſes, cum & bruta animalia vnguib & dentib. aduerſus inſidiatores, ſuos partus tueantur, vitamq; ſuam amore prolis, quibuſuis obiiciant periculis. Non ſum ego autor iniuriarum ſed propulſator. Armis vtor (vt leges inquiunt) non quæ offendere, ſed quæ defendere poſſunt. Iuſtiſſima cauſa eſt, veritatem ab iniuria vindicare, eaque iuſta, & licita famam, exiſtimationem, & dignitatem ſuam tueri, & defendere. Nam & ſi hic affe-

Emendatio cõtextus ex diuerſis exemplaribus iiſq; vetuſtiſſimis.

Contra obtractatores.

tius forte ardentius ſeſe exerunt, id virtus facit, non vitiũ, honeſtiſsimus eſt Zelus inuehi in alienũ ſcelus, & refutare calumnias. Vbi ergo & nos aſperius fortaſſe, quam ætas, & animi noſtri in cæteris moderatio ferat, calamũ in hos male feriatos Aethiopas ſtrinxiſſe videbimur, id noſtræ defendendæ innocentiæ aſcribant lectores quæſo. Nam manifeſtum eſt eos, quos dixi obtrectatores, nulla alia de cauſa, quam ex mera inuidia contra me ſcribere. Atqui vbi Inuidia & Odium in conſilio eſt, ibi cæcum eſt iudicium. Sed hos nunc miſſos faciam, nunquam poſt hac cum illis verba facturus, ne in iis caſtigandis temporis iacturam faciã, in Reipublicæ detrimentũ. Elixabunt tandẽ ſe ipſos, (vt de fungis quibuſdam prouerbium eſt apud Hetruſcos) ſuo ipſorum iure. Verũ ad candidos, & æquos, quib. hæc ſcribimus, noſtra ſe cõuertat oratio. Neminẽ velim moueat, lectores optimi, nec id a nobis factũ quiſquã admiretur, ſi noſtris hiſce commentariis, plures quã mille plantarum, & animalium imagines non appinximus: cum infinitus fere ſit ſtirpium numerus. Hoc (ſi veritatem fateri debeam) factum eſt, non quod deeſſent adhuc plantæ, ſed ob magnos ingentesq; ſumptus, quos diutius tolerare non poteram. His acceſsit magna negociorum moles, quæ ſtudia noſtra adeo impedierunt, vt nullus fere fuerit reliquus lucubrandi locus. Siquidẽ poſteaquã ab Imperatore Ferdinãdo in eius Sereniſsimi filii Ferdinandi Archiducis Auſtriæ Medicũ aſcitus ſum, cum non ſolũ quotidie præter opinionẽ multa emergant negocia, vt Medicis Aulicis fere quibuſcunq; plurimũ euenire ſolet, & longa quandoq; itinera ſeſe offerant, & bella, quo Medicos ſuos oporteat ſequi Principes, factũ ſane eſt, cũ hæc omnia exequi me oportuerit, vt hiſce negotiis impeditus, non potuerim per omnia, & vobis, & mihi ſatisfacere. Atqui nobis non parũ feciſſe videmur, ſi inter tot Aulica, bellicaq; incõmoda, & in tanta negociorum mole, ingraueſcente admodum etiã ætate, Cõmentarios noſtros vobis nunc damus, non ſolum (vt diximus) plus mille locis auctos, ſed trecentis, ac etiam plurib. ſtirpium, & animalium Iconib. additis, quæ in priorib. editionib. non habentur. Selegimus tamen meliora ac precioſiora, optimos gemmarios imitati, quippe qui relictis infimæ plebeculæ vilioribus Gemmis, Imperatorum, ac regum Coronis ac monilib. ornandis, Carbunculos, Smaragdos, Sapphyros, Adamantes ac ſplendidiſſimas Margaritas ſeligunt. Nã & nos precioſiorib. plantis afferendis intenti, quam plurimas nouo hoc in viridario noſtro conſeuimus plantas ingenti ſumptu & labore ex longinquis regionib. allatas, & à nemine hactenus editas, & à pauciſſimis fortaſſe viſas: quæ proculdubio ad ſeſe contemplandas, multorum doctorum, bonorumque virorum oculos allicient. Sed profecto moleſtiſsimum mihi accidit, quod nõ deſint qui noſtras plantarum imagines corrũpant, mutilent, ac deſtruant. Siquidẽ Andreas a Lacuna ſuperiorib. annis, non ſolũ in ſuos in Dioſcoride Cõmentarios, Hiſpanico idiomate conſcriptos, maiorẽ noſtrorũ laborũ partẽ tranſtulit, ſed imagines omnes antea a nobis editas, artificũ negligentia, & illius parſimonia, adeo deformes redditas, vt nihil natiui ſplendoris, qui in noſtris minorib. elucet, in iis cõſpici poſsit. Sed magis etiã acerbe accuſandus eſt Coterius Typograph⁹ Lugdunẽſis, quippe qui eaſdẽ imagines recudi curauit, & in Dioſcoride noſtro, in Gallicũ ſermonẽ conuerſo, appinxit. Nanq; is longe magis lucro addictus quam ſuæ gentis iuuandæ auidus, imagines ipſas in tam exiguam formam redegit, vt nihil inde frugis capi poſsit, cum nec foliorum, nec florum, nec fructuum, nec radicum aperta ſit facies, ſed omnia confuſa, intricata, mutila, & conſpurcata appareant: Adeo vt me quandoque pœniteat tantum ſuſcepiſſe laboris, & præſertim cum videam hoſce impoſtores, impune alienos corrumpere, & occupare conatus. Cæterum vt de imaginibus quoque ſeorſim aliquid aliud dicam, equidem alias abhorrui, ab iis excudendis, ratus neminem vnquam poſſe ex Iconibus, tam verã, & exactam ſimplicium medicamentorum peritiam aſſequi, vt eorũ varietas poſſit vna pictura comprehendi. Siquidem non ea eſt pullulantis herbæ facies, quæ adultæ, neq; adultæ, quæ iam ſeneſcenti. Quod ſi eiuſmodi herbarum mutationes omnes ſingulis picturis deberent repræſentari, quis dubitet id opus futurum infiniti laboris, ac immenſi ſumptus? Verum enimuero cum vidiſſem tales aliorũ conatus ab omnib. propemodum commendari, ac in dies creſcere ſtudium virorum, rerum effigies in publicum edentium, ne ſolus viderer in diuerſam ire ſententiam, re ipſa tandem melius perpenſa, & aliter comperta, ac aliud docente ipſa experientia, nolui huic optimo & minime infrugifero deeſſe ſtudio. Huc accedebat, quod nõ mediocriter ad hoc me incitaret Typographi cuiuſdam Mantuani vanitas, qui noſtris operibus Italicè prius editis, furtim quaſdam inſeruerat imagines, minime a nobis adiunctas, quæ quoduis potius, quã rem ipſam referrẽt. Gaudebã id adhuc me ſuperſtite, contigiſſe, vt turpem notam falſo mihi inuſtam ipſe delerem. Ideo, vt & aliorũ conatus adiuuarẽ & malitioſi huiuſce Calcographi temeritati occurrerem, ipſe quoq; experiri volui, ſi quid hac in re præſtare poſſem, non tantum vt mea in mediũ proferrem, ſed & vt de vobis ſtudioſis, ſi poſſem, bene mererer. Sed quã res hæc nobis difficilis fuerit, nõ eſt quod pluribus explicem. Omnes n. ſciunt, quam difficilime inueniantur homines, qui res ipſas, ita vt ſunt, ad viuum depingant, & qui depictas diligenter inſculpant: quorum maior adhuc inopia eſt. Id quod etiam facile diiudicabitis ſtudioſi, qui in hoc opere nonnullas fortaſſe effigies affabre ſatis, nonnullas vero haud ſatis ſoleter ſculptas offendetis. Sane quod in rem cõmunem nauare potui, licet illud exiguũ eſſe intelligam, in eo tamen non commiſi, vt meum ſtudium, opera, aut diligentia à nobis deſideretur. Quid autem profecerim neſcio: veſtrum de omnibus erit iudicium. Sed longe aliter, quam nos, videtur feciſſe Cornarius, alioqui in vtraq; lingua doctiſſimus, ſed qui inter omnes alios forte ſingularis haberi velit. Is enim in ſuo Dioſcoride, quem nunc primum in Latinum vertit, emblematibus quibuſdam additis, non ſolum nullas appinxit imagines, ſed eos etiam acriter dãnat, qui eas in ſuis inſeruerint commentariis. Sed an liuore potius, vel ratione ductus, id fecerit, vos iudices eſſe velim, ſi quandoq; illius boni viri legeritis præfationem, & eius animũ diligenter explorabitis. Nam tametſi Galeno dictũ ſit, (id quod & nos ante Cornarium ſcripſimus) plantarum imagines parum conferre ad earum indagandam cognitionem, non tamen ob hoc accuſandi ſunt, qui plantarum, & animalium Icones in ſuos conferunt libros. Quippe quoniam nuſquam inuenerim damnaſſe Galenum plantarum imagines, quæ in libros appingi ſolent, ſed eos qui exiſtimant ſe rei plantariæ peritiſſimos euadere poſſe, non ſolum imaginum inſpectione, ſed & librorum quorumcunque lectione, licet fuerint ii a ſummis, grauiſſimisq; autoribus conſcripti. Quamobrem non parum mirari ſubit Cornariũ alioqui virũ apprime doctum, Galeni verba non modo nõ intellexiſſe, ſed in reprobum quoq; diſtraxiſſe ſenſum. Quo fit, vt hinc facile ſuſpicari quis poſsit, quod cũ animaduerterit Cornarius omniũ poſtremus Dioſcoridis interpres, nullum ſibi reliquum iam eſſe locũ, quo noui aliquid de plantarũ imaginibus afferre potuerit, id ſibi conſilii aſciuiſſe, vt eos admodum deteſtaretur, qui plantarum picturas in ſuis libris habent: ratus fortaſſe hoc deteſtandi genere, non ſolum laudis plurimum ſibi comparaturum, ſed etiam ſuũ obtecturum infortuniũ, ſuamque (quod eius pace dicam) in plantarum hiſtoria imperitiam. Quæ n. ſit alia ratio, cur aliorũ damnat induſtriam? Quaſi poſteris nõ ſit id licitũ, vt & ipſi aliquid ſuo ingenio, & ſtudio excogitent, quod ab antiquis ante non ſit animad-

Cõtra corruptores, & raptores imaginum, ex Matthioli commentariis. contra Coterium typographũ.

De Imaginibus plantarum.

Cornarii opinio de Iconibus nõ edendis cõfutata.

*animaduerſum. At non damnaſſe Galenum plantarum imagines, nec libros de plantarum hiſtoria conſcriptos, ſed homines, qui horum, harum ve tantum inſpectione poſſe quenquam rei plantariæ fieri peritum, crediderunt, id manifeſto fuerit argumento, quod ipſemet Galenus libro primo de alimentorum facultatibus, poſteritatis memoriæ prodidit, cum inquit: Comparatos nobis eſſe hoſce libros, vt nobis ſint eorum, quæ ante didicimus, monumenta, non vt rudes, & ignari per illa imperfectam doctrinam aſſequantur. Quod ſi qui ſint, qui præceptoribus careant, velintque iis, quæ luculente, ac copioſe ſunt ſcripta, diligenter incumbere, magnum inde fructum eos accepturos teſtatur idem Galenus, præſertim ſi ea relegere non grauentur. Quibus palam eſt longe magis deteſtandos eſſe eos, qui clariſſimorum hominum laboribus inuidentes, nil aliud quam blaterare, ac carpere ſciunt, quam eos, qui Reipublicæ commodis ſemper prodeſſe cupientes, nil aliud agunt, quam vt boni ſemper aliquid, & noui in publicum vſum promant. At quare imagines, & non libros damnauerit Cornarius, cum non minus ex Galeni ſententia, eorum lectione, quam imaginum inſpectione, quis nequaquam proficere valeat, non ſatis animaduerto. Cur tantum laboris, ſi nihil profuerit in vertendo Dioſcoride, adiectis quoque emblematibus, in caſſum ſuſcepit? Hoc ne ei erat ſtudium, hunc ne capiebat animum, vt in vanum laboraret? Porro nil aliud vobis dandum, dicendumque ſupereſt. Spero tamen ab iis, qui grati ſunt (ingratos, maleuolos, ac inuidos nihil ſane moror) me gratiam initurum: quandoquidem mihi communis vtilitatis cupidiſſimo, hoc opus non aggrediendi voluntas defuerit, ſed perficiendi facultas, quam tamen omni ſtudio conſequi aſſidue conamur. Bene valete, & noſtra boni conſulite.*

# PRÆFATIO AD LECTOREM

## CASPARI BAVHINI.

QVID operæ in hoc volumine præſtiterim, CANDIDE LECTOR, paucis aperiam. Cum Petri Andreæ Matthioli in Dioſcoridem Commentaria, ſæpius Venetiis apud Valgriſios edita, toties fere mutata, maxime poſtrema anni 1583. quæ cum vltima ab auctore ipſo data editione non conuenit, cum multa non ſolum verba, ſed lineæ, imo ſententiæ ſint omiſſæ, vt in capite de Malabathro, Cinamomo, Coſto, Iunco odorato, Balſamo, Aſpalatho, Manna, aliiſque videre eſt: nunquam vero in Germania Latine excuſa, ſerio vero expetita, Typographus prælo eſſet commiſſurus, à clariſſimo & excellentiſſimo Viro D. Io. Hartmanno Beyero, Reipub. Francofurdianę Archiatro, ipſius Typographi nomine ſummopere rogatus, vt ſucciſiuis horis in Matthioli lectione, me, qui totus eſſem in vniuerſali hiſtoria noua conſcribenda, oblectarem, notiſq; vbi opus foret, illuſtrarem: ſane laborem hunc in gratiam Medicinæ ſtudioſorum, eorundemque commodum, denegare nec volui, nec debui: mihiq; cordi fuere: Primo vt omnia opera à Matthiolo edita, in vnum corpus congeſta, prodirent: cuiuſmodi ſunt, Commentaria in Dioſcoridem, quę Italice quinquies, & Latine toties, quater in Italia, ſemel in Gallia: quæ Germanice bis primo Opera Georgij Handſchij, dein, Opera Clariſſimi Ioachimi Camerarij (qui inſignẽ operam præſtitit, multiſq; nouis figuris auxit) prodiere: quæ etiam Bohemice bis, & toties Gallice, ſemel quidem ſtudio Antonij Pinæi fuere excuſa. Compendiũ ipſius ab auctore primum in Italia, dein Lugduni in 16. Opera Pinæi: tum in Germania, labore D. Camerarij. Apologia & Cenſuræ in Amatum, Commentariis additę aliquoties, tãdem in ſecundum Epiſtolarũ librum reiectæ: Diſputatio aduerſus viginti problemata Guilandini anno 1562. edita, quæ in libro tertio Epiſtolarũ nunc habetur. Epiſtolæ medicinales in folio & octauo editæ: Dialogus de lue venerea, ſeparatim & coniunctim cum aliis eiuſdem materiei excuſus: & ſimilia. Dein diuerſas Commentariorum editiones contuli, & quæ in aliquibus deerant, compleui: fuere enim ad manus editiones annorum 1554. 1559. 1561. 1563. quo anno tres diuerſæ editiones prodiere. 1565. 1568. 1570. 1571. 1572. 1583. 1586. Bohemicam vero editionem anni pręcedentis habere non licuit. Tum, quia in Commentariis non ſollicitus fuit circa deſcriptiones, quas tamen Compendio à ſe anno 1571. edito, inſeruit, eas omnes inde in Commentaria ſuis locis inſerui, & quidem iiſdem auctoris verbis ſeruatis. Quarto cum multarum plantarum ſæpius meminerit, figuris non appoſitis, eas adieci, & quidem ex omnibus editionibus tam ab ipſo authore datis quam ab aliis (maxime D. Camerarij, qui elegantiſſimis figuris Matthiolum illuſtriorem reddidit, cuius nomine non parua illi debetur gratia) & quidem numero trecentas, vt ſubſequens docebit Catalogus. Quo vero auctiora eſſent hęcce Commentaria, placuit ex meo Theſauro Botanico ſatis magno plantas multas (neutiquam omnes) à nemine ante me propoſitas

 deſcri-

deſcriptas, & iconibus viuis expreſſas adiicere. De quibus omnibus tamen & plurimis aliis, ſuo tempore & plenius & clarius, cum hunc meum laborem non pauci Viri Clariſſimi & Doctiſsimi hactenus iuuerint, & quidem inter cæteros, Iohannes Bauhinus frater meus, eiuſque gener Io. Henricus Cherberus: Iacobus Antonius Cortuſus Patricius Patauinus: Ferdinandus Imperatus, & Fabius Columna, Neapolitani: Hieronymus Belli ex Creta: Ioachimus Camerarius, Leonhardus Doldius, & Ioan. Neudorffer, Norinbergenſes: Paſchalis Gallus & Theodorus Collado, Galli: Nicolaus Agerius & Ioan. Rudolphus Saltzmannus, Argentinenſes: Philippus Sprengerus Electoralis Pharmacopœus, & eius filius Sigiſmundus Stephanus aliique plures: quod vt porro faciant, boni publici cauſa, rogo: & vt ipſorum exemplo moti idem faciant, Proſperū Alpinum, Botanicum Patauinum: Io. Richerum Profeſſorem Miſpelienſem: Iacobum Cargillum: Io. Purmannum: Iohan. Bierdumphelium Philoſophiæ & Medicinæ Doctores (vt iam polliciti ſunt) Iacobum Iſraelem Brunnerum Ratiſponenſem, alioſq; obſecro & obteſtor, omnium debito modo ſuo & loco & tempore (quemadmodum in noſtri Phytopinacis parte prima factitatum) mentionem facturus. Suam etiam operam contulere Ioan. Rudolphus Saltzmannus, Ioan. Purmannus Medicinæ Doctores, vt qui animi cauſa plurimas plantas deliniauere tam pro hoc, quam pro futuro noſtro opere: quos imitantur Io. Fridericus Exius, & Io. Henricus Frœlech, Medicinæ ſtudioſi: nec tu mihi prætereundus mi Io. Henrice Ryhinere, qui vt totius artis, ita huius ſtudij ſtudioſiſsimus es, qui mihi hactenus plurimum (vt ſcis) auxilio fuiſti, & porro eris. Tandem cum nominum varietas apud auctores qui de re herbaria ſcripſerunt, ſtudium hoc obſcurum, difficileque reddat, ad finem cuiuslibet capitis poſt Matthioli Commentaria, Synonymias plantarum ex claſsicis deſumptas, ſubieci: & quidem alio charactere, quo à Matthioli ſcriptis diſtinguantur: aſperſi nonnunquam notas & correctiones, cum humanum ſit errare, vbi opus videbatur: nonnunquam à quorundam immaturis calumniis, vbi veritas requirebat, Matthiolum tueri ſum conatus: ita tamen vt in neminem, quod honeſtum decet, eſſem iniurius. Quod denique Matthiolum attinet, cuius patrocinium ſemel ſuſcepi, hoc vnum addam, ſua laude dignum eſſe, cum inter eos qui glaciem in hoc ſtudio fregere, ſit referendus & recenſendus: is ſeipſum laudauit ſuis ſcriptis maxime Commentariis toties cuſis, & porro, apud æquiores laudabit. Hæc eſt CANDIDE LECTOR inſtituti ratio, quæ ſi abs te probata cognouerimus, ad Botanica noſtra abſoluenda nos accingemus, alteramque Phytopinacis partem abſoluemus. Vale, & viue, & faue cæptis, eademque moue & promoue.

CATALO-

# CATALOGVS FIGVRARVM, HVIC EDITIONI A CASPARO BAVHINO ADDITARVM.

## LIBRO PRIMO.

*Chamæiris.*
*Acorus cum ſulo.*
*Galanga maior, minor.*
*Meum ſpurium.*
*Mutellina.*
*Curcuma.*
*Herculus.*
*Nardus montana altera.*
*Valeriana rubra dicta.*
*Valeriana peregrina purpurea.*
*Cubeba.*
*Betel ſeu Tembul.*
*Folium Officinis.*
*Cinamomum Officinis.*
*Xilocaſſia.*
*Xilocaſſia ſubnigra.*
*Caſſia Monſpeliaca* { *Viridis.*
*Roſa Hiericontea* { *arida.*
*Amomum.*
*Amomis* { *amarum.* / *Dulce.*
*Coſtus* { *Officinarum* / *Iridem redolens* / *Arabicum.*
*Calamus odoratus Libani.*
*Balſamum ex Alpino.*
*Xilobalſamum.*
*Carpobalſamum.*
*Aſpalathus Rhodius.*
*Santalum* { *album* / *citrinum* / *rubrum.*
*Lignum aloes.*
*Bacca.*
*Gelſiminum grandiflorum.*
*Thus & eius folium.*
*Idelum Mauris.*
*Lentiſcus Peruuianus.*
*Iuniperus maior.*
*Muſcus terreſtris clauatus alter.*
*Arbor Vita.*
*Laurus* { *latifolia.* / *ſylueſtris.*
*Alnus hirſuta.*
*Myrtus maxima latifolia.*
*Carpini & Vlmi flores.*
*Canna fiſtularis.*
*Papyrus Nilotica.*
*Arundo maxima.*
*Tamarix Narbonenſis.*
*Aquifolii Varietas.*
*Oxyacantha pyraſtri folio Dioſc.*
*Liguſtrum Aegyptiacum ex Alpino.*
*China.*
*Smilax aſpera.*
*Phillyrea ſecunda & tertia.*
*Roſa ſylueſtris.*
*Acacia Aegyptiaca ex Alpino.*
*Arbor Iuda.*
*Vitex latifolia.*
*Salix* { *latifolia rotunda.* / *humilis repens.*
*Quercus* { *latifolia.* / *florens.*
*Vua Quercina.*
*Ilex latifolia ſpinoſa.*
*Tamarinda.*
*Balauſtia.*
*Malus fructu oblongo.*
*Cotonea oblonga.*
*Prunus* { *cerea.* / *ſylueſtris florens.*
*Nux Vomica.*
*Nux metel.*
*Nuci metel congener.*
*Anicardium.*
*Morus alba.*
*Sycomorus ſeu Ficus Cypria.*
*Opuntia marina Chamæficus.*
*Perſea Plinii.*

## LIBRO SECVNDO.

*Triticum* { *Hibernum ariſtis carens,* / *multiplici ſpica.*
*Zea dicoccos.*
*Triticum amylaceum.*
*Panicum minore panicula.*
*Linum ſylueſtre tenuifolium.*
*Lupinus* { *ſylueſtris luteus.* / *cæruleo flore anguſtifolium.*
*Rapunculus alpinus ſpicatus.*
*Lapathum rubens.*
*Acetoſa cretica.*
*Rapiſtrum monoſpermum.*
*Blitum polyſpermon.*
*Malua roſea flore pleno.*
*Spinachia ſemine non ſpinoſo.*
*Atriplex* { *anguſto centinodia folio.* / *ſylueſtris lappulas habens.*
*Kali cochleatum.*
*Braſſica* { *gongylodes.* / *cauliflora.* / *ſpinoſa.* / *maritima maior.*
*Soldanella alpina.*
*Beta Cretica.*
*Aſparagus ſylueſtris aculeatus.*
*Plantago roſea.*
*Naſturtium aquaticum minus.*
*Cochlearia folio ſubrotundo.*
*Sonchus læuis cæruleus.*
*Cichorium ſpinoſum.*
*Cyanus multiplex.*
*Lactuca* { *criſpa capitata.* / *foliis endiuiæ.*
*Scandix* { *Italica.* / *Cretica.*
*Caucalis echinata ad nodos.*
*Eruca cærulea.*
*Ocimum latifolium maculatum.*
*Tragopogon laciniatum.*
*Ornithogalum ſpicatum.*
*Medica.*
*Ampeloproſum.*
{ *anguſtifolium.* / *latifolium.*
*Naſturtium* { *criſpum.* / *hortenſe latifolium.*
*Thlaſpi* { *Vulgatum ſerrato folio* / *Villoſum.* / *ſaxatile.*
*Draba lutea.*
*Eryſimo ſimilis.*
*Macropiper.*
*Vua piperis.*
*Piper Indicum triplex.*
*Caryophylli aromatici.*
*Gingiber ex Lobelo.*
*Zedoaria longa & rotunda.*
*Saponaria.*
*Cyclaminus radice oblonga.*
*Ophioglossum* { *ramoſum.* / *abortiuum.*
*Aſphodelus luteus.*
*Scilla* { *Hiſpanica.* / *maior radice rubra.*
*Capparis* { *acuminato folio.* / *leguminoſa.*
*Ranunculus multiflorus albus.*
*Anemone Varii.*
*Pulſatilla lutea rubra aquatica.*
*Anagallis* { *aquatica.* / *aquatica folio rotunda.*
*Hedera terreſtris montana.*
*Chelidonium ſprengerianum.*
*Aquilegia multiplex.*
*Caryophyllus Indicus minor fl. ſimplici.*
*Myoſotis ſcorpioides.*
*Telephium purpureum.*

## LIBRO TERTIO.

*Rhaponticum* { *folio Helenii.* / *Verum Officinarum.*
*Rhabarbari radix.*
*Gentiana maior purpurea.*
*Ariſtolochia longa Vera, piſtolochia dicta.*
*Centaurium ſpicatum luteum, perfoliatum non perfoliatum.*
*Ipina Arabica.*
*Chamæleon Monſpelienſis.*
*Anonis non ſpinoſa purpurea lutea.*
*Carduus ſtellatus.*
*Aloe America.*
*Abſinthium* { *montanum* / *maritimum foliis laciniatis.* / *ſeriphium* { *latifolium* / *gallicum.*
*Veronica mas ſupina.*
*Hyſſopus cærulea folio diſſecto rubro flore.*
*Gratiola minor.*
*Origanum Monſpeliacum.*
*Pulegium anguſtifolium.*
*Saluia Cretica.*
*Mentha criſpa Verticillata.*
*Calamintha magno flore.*
*Thymus Vulgaris tenuiore folio.*
*Melilothus Italica folliculis rotundis.*
*Acinus Columnæ.*
*Ruta ſylueſtris tenuifolia.*
*Panax Aſclepium alterum Chironium.*
*Seſeli Maſſilienſe nonnullorum.*
*Creticum maius, minus.*
*Siſon.*
*Conſolida regalis peregrina.*
*Ammi minus.*
*Hieracium falcatum.*
*Apium criſpum maximum.*
*Imperatoria alpina.*
*Daucus Creticus.*
*Sena Orientalis.*
*Colutea ſcorpioides.*
*Roſmarinum ſylueſtre minus.*
*Nigella Cretica.*
*Laſerpitium Gallicum.*
*Euphorbium.*
*Anteuphorbium.*
*Viſcum polycoccon.*
*Aſclepias nigra.*
*Chamædrys ſpinoſa.*
*Moluca aſpera.*
*Phalangium ramoſum.*
*Trifolium* { *acetoſum luteum.* / *pratenſe luteum.* / *peltatum Creticum.* / *ſpinoſum Creticum.*
*Petaſites alba.*
*Tuſſilago altera pleno flore.*
*Geranium tuberoſum maius myrrhinum erectum cicuta folio, repens cicuta folio.*
*Gnaphalium Vulgare Americum.*
*Phyllon teſticulatum.*
*Teſticulus quartus & quintus ex magnis figuris ipſius Matthioli.*
*Satyrium baſilicum pratenſe maculatum.*
*Horminum Syriacum.*
*Lunaria minor ramoſa.*
*Chamæmelum fœtidum ſeu Cotula nobilis multiplici flore*
*Buphthalmum alterum. Bellis alpina.*
*Pæonia fœmina flore pleno.*

Liber

*Lithoſpermon* { *harundinaceum.*
*fruteſcens anguſtifolium.*
*aruenſe radice rubra.* }
*Rubia maritima.*
*Androſæmum fœtidum.*
*Chamæpytis Monſpeliaca foliis ſerratis.*

LIBRO QVARTO.

*Betonica flore albo.*
*Biſtorta minor.*
*Polygonum* { *maritimum latifolium.*
*Polonicum cocciferum.* }
*Clematis Daphnoides flore pleno.*
*Coris cærulea maritima.*
*Symphytum maius tuberoſa radice.*
*Conſolida media cærulea alpina.*
*Holoſtium hirſutum, albicans maius.*
*Piloſella maior repens, minus hirſuta.*
*Scabioſa* { *Officinarum.*
*argentea anguſtifolia.* }
*Iacea in tenui laciniata.*
*Periclymenum Germanicum.*
*Satureia montana.*
*Caryophyllata aquatica.*
*Epimedium.*
*Arundo Indica latifolia.*
*Echium flore albo.*
*Lychnis ſylueſtris alba multiflora.*
*Gramen* { *Caryophillo aruenſi glabro ſimile.*
*monophillon.* }
*Sideritis vulgaris hirſuta.*
*Virga aurea latifolia ſerrata.*
*Quinquefolium* { *erectum incanum.*
*paluſtre rubrum.* }
*Fragaria fructu albo.*
*Sanicula montana rotundi folio minor.*
*Vua marina minor.*
*Ilex coccifera.*
*Pimpinella minor.*
*Helichryſon Orientale.*
*Amaranthus panicula incurua.*
*Bellis* { *lutea maior.*
*lutea minor.* }
*Verbena nodiflora.*
*Hyacinthus Tripolitanus.*
*Papauer* { *polyanthos.*
*ſpinoſum.* }
*Hyoſcyamus Creticus luteus.*
*Nicotiana minor latifolia.*
*Solanum* { *tuberoſum eſculentum.*
*pomiferum, fructu rotundo, molli.* }
*Solani tuberoſi radix & fructus.*
*Aconitum lunifolium.*
*Thora minor.*
*Antora radices variæ.*
*Taxus glandifera.*
*Dens canis primus.*
*Hermodactyls Officinarum radices.*
*Alſine altiſſima.*
*Lens paluſtris tertia.*
*Elleborine.*
*Millefolium aquaticum pennatum, ſpicatum.*
*Millefolium aquat. cornutum.*
*Myagrum* { *ſatiuum.*
*Monoſpermon.* }
*Onagra.*
*Aſter Atticus cæruleus alpinus.*
*Aſter luteo flore.*
*Heptaphyllon alpinum ſericeum.*
*Viola Martia multiplici flore.*
*Cacalia.*
*Turpetum Officinarum.*
*Adiantum Syriacum.*
*Aſtragalus alpinus.*
*Seſamoides paruum flore magis completo.*
*Spartium Hiſpanicum.*
*Geniſta angulosa.*
*Glans vnguentaria.*
*Myrobalani* { *Chebuli.*
*Citrini.*
*Indi.*
*Bellerici.*
*Emblici.* } { *recentes.*
*ſicci.* }
*Behen rubrum Officinarum.*
*Chamæſice.*
*Scammonea Monſpeliaca.*
*Sambucus aquatica polyanthos.*
*Helenium Indicum* { *maximum.*
*Zamoſum.* }
*Cynocrambe* { *Dioſcoridis*
*fœmina.* }
*Heliotropium tricoccon.*
*Scrophularia* { *paluſtris.*
*flore luteo.* }
*Alga Veneta.*
*Equiſetum olidum.*
*Verbaſcum hortenſe multiplex.*

LIBRO QVINTO.

*Vua paſſa.*
*Alcyonium.*
*Spongia marina.*
*Corallium nigrum.*
*Corallium album & rubrum.*

## PLANTÆ, in Phytopinace CASPARI BAVHINI primum deſcriptæ, quarum Icones in hoc opere proponuntur.

*Acetoſa Cretica.*
*Alnus hirſuta.*
*Androſæmum fœtidum.*
*Apium maximum.*
*Atriplex ſylueſtris lappulas habens.*
*Bellis alpina.*
*Beta Cretica ſpinoſa.*
*Braſſica ſpinoſa.*
*Caucalis echinata ad nodos.*
*Centaurium ſpicatum.*
*Chamædrys ſpinoſa.*
*Chelidonium ſprengerianum.*
*Cichorium ſpinoſum.*
*Conſolida regalis peregrina.*
*Conſolida media alpina.*
*Cynocrambe Dioſcoridis.*
*Equiſetum fœtidum.*
*Eruca cærulea.*
*Eryſimo ſimilis.*
*Gnaphalium Americanum primo non pictum.*
*Horminum Syriacum.*
*Hyoſcyamus Creticus.*
*Hyſſopus cæruleus folio diſſecto.*
*Iacea alba.*
*Lens paluſtris tertia.*
*Lentiſcus Peruuianus.*
*Lithoſpermon fruteſcens anguſtifolium.*
*Millefolium pennatum.*
*Millefolium cornutum.*
*Myagron monoſpermon.*
*Naſturtium criſpum latifolium.*
*Naſturtium criſpum anguſtifolium.*
*Nigella Cretica.*
*Ocimum latifolium maculatum.*
*Opuntia marina.*
*Papauer ſpinoſum.*
*Rapiſtrum monoſpermon.*
*Rapunculus alpinus ſpicatus.*
*Scabioſa argentea.*
*Scandix Italica.*
*Scandix Cretica.*
*Scrophularia lutea.*
*Solanum tuberoſum eſculentum.*
*Spinachia ſemine nõ ſpinoſo, hactenus non picta.*
*Taxus cum glandibus.*
*Thlaſpi villoſum.*
*Trifolium peltatum Creticum.*
*Trifolium ſpinoſum Creticum.*
*Valeriana peregrina.*
*Verbena nodiflora.*

## NOTAS, QVIBVS VTITVR D. CASPARVS BAVHINVS, in Synonymis, ita intelligito.

*Acoſt.* Chriſtophori Acoſtæ de plantis Indiæ.
*Alpin.* Proſper Alpinus de plantis Ægypti.
*Anguil.* Aloyſius Anguillara.
*Apul.* Apuleius de herbis.
*Brunf.* Otho Brunfelſius.
*Camer.* Ioachimi Camerarij editio Matthioli, & ipſius hortus Medicus.
*Caſt.* Caſtor Durantes.
*C.B.* Caſparus Bauhinus.
*Caſal.* Andreas Caſalpinus de plantis.
*Cluſ. hiſt. Hiſp. Pan.* Caroli Cluſii hiſtoria Hiſpanica & Pannonica.
*Colum.* Fabius Columna in ſuo Phytobaſano.
*Cord. in Dioſ. hiſt.* Valerij Cordi commentaria in Dioſcoridem, & eius de Hiſtoria plantarum libri.
*Dalech.* Ioannis Dalechampij notæ in Plinium.
*Dod. gal. & fol.* Remberti Dodonæi editio gallica, & eius poſtrema latina in folio.
*Fuch.* Leonardi Fuchſij hiſtoria & Icones.
*Geſ.* Conradi Geſneri liber de hortis Germaniæ.
*Garz.* Garzias ab Orto de animalibus.
*Hermol.* Hermolai Barbari corollaria in Dioſcoridem.
*Lac.* Andreæ Lacuna hiſtoria Hiſpanica.
*Lob.* Matthiæ de Lobel obſeruationes & Icones.
*Lon.* Adami Loniceri hiſtoria poſtrema.
*Lugd.* Lugdunenſe herbarium.
*Monard.* Nicolaus Monardis.
*Pena* Petri Penæ Aduerſaria.
*Rauvolf.* Leonhardi Rauvolfij Hodæporicum.
*Scalig.* Iulij Cæſaris Scaligeri Exercitationes.
*Tabern.* Iacobi Theodori Tabernamontani Hiſtoria & Icones.
*Thal.* Ioannes Thalyus in ſua Harcinia Saxonothuringica.
*Trag.* Hieronymus Tragus.

# IN EFFIGIEM CL. D. CASPARI BAVHINI BASILIENSIS PRACTICI FOELICIS, ANATOMICI ſolertis, Botanici indefeſſi, Præceptoris obſeruandi

*Pinge mihi, vitam cui debet Virbius, vmbra*
*Factus, Crateuam, Pergameumq́ decus.*
*Geryoni huic inſpira animam, quæ triplice non ſit*
*Inferior. quod ſi non potis vlla graphis,*
*Non cœlum, ſcalprumue vllum; quanam arte* BOHINVM
*Tergeminum tandem pingere poſſe putas?*

IDEM

# IN PET. ANDREAE MATTHIOLI BOTANICA A CASPARO BAVHINO EMACVLATA ET AVCTA.

*Iampridem faſces melior, ſceptrumq́; ſuperbum*
*Hetruſcæ Floræ Belgica Flora tulit.*
*Damnatumque caput tenebris miſiſſet ad orcum,*
*Ni tantum, libri neſcio quo genio.*
*O factum bene, quod bigas agitante triumpho*
*Spes ſupereſt vitæ quantulacunque breuis!*
*Supremam moribunda animam legit acrior vltrix*
*Heluetica, & Tuſcam reſtituit ſolio.*
*Fallor ego, aut ſpoliis vtriuſque erectior olim*
*Intexet propriam perpete fronde comam.*

*Iacobus Cargillus Scotus*
*Philoſoph. & Medicinæ Doctor.*


CASPARVS BAVHINVS BASILIVS. D. MEDICVS, ANATOMICVS ET BOTANICVS PROFES. ORD. ÆTATIS 38. Aº 1598.

# SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATES SECVNDVM LOCOS ex Dioſcoride, & Matthioli commentarijs.

### CAPITIS.

#### DIOSCORIDIS.

Ad capitis dolores ex frigiditate.

IRIS Illyrica cum aceto, & roſaceo illita.
Oleum ſylueſtris oliuæ inunctum.
Oleum amygdalinum illitum.
Viticis ſemen emplaſtri modo adhibitum.
Amygdalæ amaræ cum aceto, vel roſaceo, fronti, uel temporibus illitæ.
Torpedo marina viua admota.
Lana ſuccida cum aceto, & roſaceo impoſita.
Siſymbrium fronti, & temporibus adalligatum.
Hederacei corymbi, uel foliorum hederaceorum ſuccus, cum aceto, & roſaceo perfuſus.
Aloe temporibus, frontiq́ ex aceto, roſaceoq́ illita.
Mentha fronti adalligata.
Serpyllum coctum, roſaceo, acetoque madefactum & adhibitum.
Melilotus cum roſaceo, & aceto ſubactus.
Baccharis folia per ſe illita.
Ruta ex roſaceo & aceto.
Scammonia ex aceto & roſaceo perfuſa.
Aniſum per ſe potum.
Sphondylium cum ruta illitum.
Aquæ marinæ vapor operto capite perceptus.
Peucedanum ex roſaceo, & aceto.
Melanthium fronti adalligatum.
Conyza minor adalligata.
Anagyris tenera folia drachmæ pondere ex vino pota.
Rhodia radix recens cum roſacei momento impoſita.
Hippogloſſum coronamenti modo adhibitum.
Chamædaphnes folia trita, & illita.
Elaterium ex lacte naribus infuſum.
Ruſci folia, & baccæ in vino potæ.

#### MATTHIOLI.

Galanga naribus indita.
Nardum Italicum.
Lauendula.
Phu virens, cum radicibus contuſum, & illitum.
Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.
Cubebæ deuoratæ.
Balſamum factitium & eius aqua illita.

### CAPITIS.

Moſchus.
Zibetum. } linimenti modo adhibita.
Ambarum.
Laurinum oleum.
Mumia ex amaraci aqua naribus infuſa, aut ex caſtoreo, caphura, & oleo balanino.
Maſtiche manſa cum odorata cera.
Dictamni albi florentis aqua naribus infuſa.
Perſicorum nucleorum cremor ex aqua verbenacæ paratus, fronti, temporibusq́ illitus.
Amygdalarum amararum lacteus cremor eodẽ modo paratus.
Muſtellarum combuſtarum cinis aqua ſubactus, & illitus.
Cæpæ ſquama feruenti cinere toſta, & calida in dolentis lateris aurem introducta, additis roſaceo, laurino, & ſuccida lana.
Flores Caryophylli vocati ſacch. aſſeruati, & deuorati.
Cyclamini ſuccus in errhinis additus.
Hederæ folia ſeptem, totidemq́ oſſium perſicorum nuclei à cortice delibrati, ex oleo, & aceto cocta, & temporibus & fronti illita.
Agaricum in potu ſumptum.
Graminis genus ſeptem internodijs diſtinctum capiti accommodatum.
Rhodia Radix recens contuſa, ex amaraci aqua fronti, & temporibus illita.
Verbenacæ aqua, aut oleum capiti adhibitum.
Verbaſci ſtillatitia aqua fronti illita.
Fungi qui ad imam ſambuci ſedem oriuntur in aqua roſacea macerati, & illiti.
Agaricum in potu ſumptum, aut in catapotijs additũ.
Colocynthis in catapotijs addita.
Quinta eſſentia noſtra lib v. capite de vino deſcripta tum pota, tum exterius fronti illita.

#### MATTHIOLI.

Ad diuturnum capitis dolorem.

Ligni Guaiaci
Chinæ radicis } decoctũ diebus continuis 40. potũ.
Sarzæ parillæ
Punicæ arboris folia, aut eorum ſuccus illitus.
Hederæ folia ſeptem, totidem oſſium perſicorum nuclei à cortice delibrati ex oleo, & aceto cocta, & fronti & temporibus illita.
Agaricum in potionibus, aut catapotijs additum.
Colocynthis in catapotijs, aut potione uſurpata.

## CAPITIS.

### DIOSCORIDIS.

Ad capitis dolores à calida cauſa genitos.

*Oleum ſylueſtris oliuæ inunctum.*
*Vnguentum roſaceum illitum.*
*Liguſtri flores fronti ex roſaceo illiti.*
*Roſarum aridarum ex vino dilutum adhibitum.*
*Viticis ſemen appoſitum.*
*Portulaca per ſe impoſita.*
*Melilotus cum aceto, aut roſaceo aſperſa & adhibita.*
*Nymphææ radix pota, & naribus indita.*
*Rhodia radix cum roſaceo, & fronti & temporibus adalligata.*
*Papaueris liquor fronti cum roſaceo illitus.*
*Pſyllium ex roſaceo, acetoq́; aut aqua impoſitum.*
*Hippogloſſi ſertum capite geſtatum.*
*Sedum maius cum roſaceo illitum.*
*Solani hortulani folia adalligata.*
*Viniferæ vitis folia & capreoli adhibita.*
*Ophites lapis adalligatus.*

### MATTHIOLI.

*Arboreus, lapideusue muſcus recens, roſaceo imbutus & impoſitus.*
*Populneum vnguentum toti capiti inunctum.*
*Betulæ aqua quæ per ſe è pforato caudice fluxit illita.*
*Liguſtrinum oleum illitum.*
*Roſæ, & præſertim purpureæ auſtero vino incoctæ & illitæ.*
*Pomorum acidorum ſuccus cum Santalis adhibitum.*
*Cochlearũ viuentium mucus, fronti ex roſaceo illitus.*
*Punicorum acidorum vinum potum & impoſitum.*
*Anguium ſenecta ex aceto decocta.*
*Oui recentis vitellus, albumq́; ex roſaceo, & roſacea aqua.*
*Mica triticei panis amygdalino, papauerinoq́; oleo imbuta, & fronti adalligata.*
*Portulaca contuſa, & fronti impoſita.*
*Plantaginis ſuccus ex roſaceo illitus.*
*Cucurbitæ, & cucumeris recentis ramenta fronti adalligata.*
*Lactucæ ſuccus cum roſaceo, & aceto impoſitus.*
*Fabaria contuſa ex aceto.*
*Nymphææ recentia folia capiti ſuperpoſita.*
*Polygoni maioris ſuccus illitus.*
*Hyoſcyami recentia folia fronti adalligata.*
*Pſyllij ſeminis mucago fronti ex roſaceo adhibita.*
*Solani hortulani ſuccus fronti impoſitus.*
*Mandragoræ recentia folia capiti ſuperpoſita.*
*Alſine contuſa & adhibita.*
*Sedi cuiuſcũque ſuccus, aut herba ipſa cõtuſa & illita.*
*Cotyledonis vtriuſque ſuccus impoſitus.*
*Cymbalaria vulgaris contuſa & illita.*
*Momordicæ fructus amygdalino oleo inſolatus, contuſus, & illitus.*
*Santalum album cum aqua roſacea adhibitum.*
*Caphura ex roſacea aqua impoſita.*
*Roſaceum oleum tepidum.*
*Sylueſtris oliuæ oleum inunctum.*
*Punicæ folia contrita, aut eorum ſuccus cum roſaceo illitus.*
*Amygdalæ dulces ex aqua roſacea contritæ, & illitæ.*
*Oleum in quo cucurbitæ flores inſolati fuerint illitũ.*

## CAPITIS.

*Muſtelarum exuſtarũ cinis aqua ſubactus, et illitus.*
*Senæ decoctum, vel dilutum potum.*
*Eiuſdem folia in lotionibus addita.*

### MATTHIOLI.

Ad hemicraneam.

*Thuris & Myrrhæ puluis oui albo exceptus, & fronti & temporibus illitus.*
*Mumia ex amaraci aqua naribus immiſſa.*
*Sagapenum ex Betonica decocto potum.*
*Cucumeris ſylueſtris radix in aqua elixa, tuſa & oleo ſubacta, & cum abſinthio applicata.*

### DIOSCORIDIS.

Ad purgandum caput.

| | |
|---|---|
| *Braſſicæ ſuccus*<br>*Anemonis ſuccus*<br>*Betæ ſuccus*<br>*Chelidonij mai. ſuccus*<br>*Cyclamini mai. ſuccus*<br>*Cepæ ſuccus* | } *naribus infuſus.* |
| *Pyrethrum*<br>*Staphyſagria* | } *diu manſa.* |

*Colocynthis in catapotijs deuorata.*
*Vua paſſa cum pipere manducata.*
*Atramentum ſutorium lanis naribus inditum.*

### MATTHIOLI.

*Iridis radicis ſuccus naribus infuſus.*
*Cubebæ cum maſtiche manſa.*
*Maſtiche vnà cum cera odorata commanſa.*
*Gattariæ ſuccus naribus infuſus.*
*Amaraci ſuccus naribus inditus.*
*Imperatoriæ radix commanſa.*
*Senæ decoctum vel dilutum potum.*
*Sagapenum in catapotijs deuoratum.*
*Sinapi & naſturtij ſemen commanſum.*
*Cyclamini ſuccus naribus infuſus.*

### DIOSCORIDIS.

Ad capitis dolores faciunt.

*Styracinum oleum olfactum.*

| | |
|---|---|
| *Oliuæ flauæ*<br>*Glandes*<br>*Palmulæ Phœniciæ*<br>*Iuglandes nuces* | } *in cibis acceptæ.* |
| *Arbuti fructus*<br>*Ferulæ caules* | } *deuorati* |

*Mei radices largius ſumptæ.*
*Abſinthij liquamentum hauſtum.*

### MATTHIOLI.

*Vinum generoſum largius ſumptum.*
*Sinapis in cibis vſurpata.*
*Ponticæ nuces largius deuoratæ.*
*Lac abunde potum.*

### DIOSCORIDIS.

Ad veternoſos.

*Viticis ſemen cum roſaceo & aceto perfuſum.*
*Caſtoreum ex aceto & roſaceo naribus infuſum.*
*Cæpa decocta, & in cibum ſumpta.*
*Sinapi deraſo capiti appoſitum.*
*Spondilium ſuffitum & ex oleo capiti illitum.*
*Peucedanum cum aceto, & roſaceo inunctum.*

### MATTHIOLI.

| | |
|---|---|
| *Nardus Italica*<br>*Lauendula* | } *cùm pota, tum illita.* |

Cinnamomi

*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*
*Balſami factitij aqua, ſecundarius liquor & oleum inunctum.*
*Siſymbrij ſuccus ex aceto illitus.*
*Caryophylli flores ſaccharo conditi & deuorati.*
*Agaricum potum cum purgante medicamento.*
*Oleum è floribus & folijs hyſſopi paratum & illitũ.*
*Stœchas addita ſcilla, aut eius aceto pota.*
*Dictamnus albus quomodolibet adhibitus.*
*Saluia tam in potionibus, quàm in fomẽtis vſurpata.*
*Saccarum è ſaluiæ floribus paratum.*
*Gattaria & bibita & fotu adhibita.*
*Amaracus introrſum, & extrorſum accepta.*
*Imperatoriæ radix quoquomodo vſurpata.*
*Roſmarinum, vel ſaccharum ex eius floribus paratũ.*
*Euphorbium occipiti affrictum.*
*Chamædrys in potionibus addita, & occipitio adalligata.*
*Quinta eſſentia noſtra li. 5. commẽt. de vino deſcripta, tum pota, tum naribus iniecta.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſomnum conciliandum.

*Iris illyrica pota.*
*Amomum fronti illitum.*
*Amygdalæ amaræ deuoratæ.*
*Viticis ſemen potum.*
*Lactuca in cibum ſumpta.*
*Aloë illita per ſeſe, vel ex roſaceo.*
*Baccharis odorata.*
*Iunci Aethiopici ſemen potum.*
*Papaueris erratici quinq; ſexue capita in vini cyathis tribus ad dimidium decocta, & potui data.*
*Hyoſcyami ſemen potum, ac appoſitum.*
*Solani ſomnifici radicum cortex drachmæ pondere in vino potus.*
*Mandragoræ radicis ex vino decoctũ, cyathi vnius menſura potum.*
*Mandragoræ poma olfacta naribus.*
*Mandragoræ liquor ſedi pro balano ſubditus.*

MATTHIOLI.

*Arborei, lapideiuè muſci dilutum ex vino paratum potum.*
*Salicis recentia folia in lotionibus addita.*
*Perſicorum nucleorum cremor fronti & temporibus adhibitus.*
*Amygdalæ dulces cum roſacea aqua illitæ.*
*Lactucæ ſuccus ex roſacea fronti & temporibus illitus.*
*Corallium potum.*

DIOSCORIDIS.
Somnia terribilia faciunt.

*Fabæ* } *in cibum acceptæ.*
*Lentes* }

*Pycnocomi ſemen comæ drachmæ pondere potum.*
*Smilacis læuis ſemen cum dorycnio potum ternis ſingulorum obulis.*

MATTHIOLI.

*Phaſioli in cibum ſumpti.*

DIOSCORIDIS.
Sternutamenta cient.

*Sinapi ſemen tritum & naribus admotum.*
*Ptarmicæ flores admoti.*
*Struthij radix trita & admota.*
*Ranunculi radix ſicca & in puluerem trita, naribus indita.*
*Daphnoides naribus indita.*
*Veratri albi radix trita & impoſita.*

MATTHIOLI.

*Piper tritum naribus inditum.*
*Cyclamini radix indita.*

DIOSCORIDIS.
Ad vertiginoſos.

*Balſami ſemen per ſe potum.*
*Peucedanum ex aceto & roſaceo illitum.*
*Galbanum olfactum.*
*Bryonæ radix pota per continuum annum quotidie drachmæ pondere.*
*Vitis nigræ viticulæ primæ recentes decoctæ, & in cibus accepta.*

*Vinum* } *Scillinum potum.*
*Acetum* }

MATTHIOLI.

*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*
*Balſami factitij primus, ſecundus & tertius liquor inunctus.*
*Mumia ex amaraci aqua naribus immiſſa.*
*Cochleæ cum ſuis teſtis tritæ ex aceto potæ.*
*Scorzoneræ radix, aut ſuccus potus.*
*Caryophyllorum flores ſaccharo aſſeruati, & frequẽter deuorati.*
*Combebarum grana quinque quotidie ſumpta.*
*Agaricum potioni infrictũ, & pro ſapone vſurpatũ.*
*Saluia tam in potu quàm in fomentis ſumpta.*
*Saccharum ſaluiæ floribus paratum.*
*Gattaria potui data, & forinſecus illita.*
*Amaracus tùm pota tùm illita.*
*Imperatoriæ radix in potiones & localia medicamẽta addita.*
*Senæ decoctum, vel dilutum potum.*
*Roſmarinum quocunque modo vſurpatum.*
*Saccharum è floribus roriſmarini paratum.*
*Sagapenum in potu ſumptum, & exterius inditum.*
*Chamædrys quoquo modo vſurpata.*

DIOSCORIDIS.
Ad comitiales.

*Cardamomum ex aqua potum.*
*Cancamum per ſe potum.*
*Balſami ſemen hauſtum.*
*Bitumen Naphtha ſuffitum comitiales deprehendit.*
*Populi nigræ in cibum acceptæ.*
*Ficus ſiccæ in cibum acceptæ.*
*Conchulæ Indicæ ſuffitæ excitant.*
*Coagulum leporinum potum.*
*Muſtelæ ventriculus coriandro infarctus, inueteratusq́ue deuoratus.*
*Muſtelæ eiuſdem ſanguis potus.*
*Aſininum iecur toſtum in ieiuno ſumptum.*
*Vngula aſini combuſta pota.*
*Equorum lichenes triti, & ex aceto hauſti.*
*Lapis in hirundinũ pullorũ prima fœturæ ventriculo inuentus, pro amuleto in cerui aluta ſuſpenſus.*
*Serum lactis potum quouſque aluum citet.*
*Phocæ coagulum bibitum.*
*Vrſinum fel ad lingendum datum.*

*Teſtudinis fel naribus inditum.*
*Teſtudinis terreſtris ſanguis potus.*
*Ciconiæ fimum ex aqua potum.*
*Plantago cum lenticula decocta in cibis ſumpta.*
*Sinapi tritum naribus inditum.*
*Piper diu manſum.*
*Scilla hauſta.*
*Agaricus drachmæ pondere cum oxymelite hauſtus.*
*Eryngij radix ex dulci aqua ebibita.*
*Rutæ ſylueſtris ſemen potum.*
*Seſelis Maſſilienſis radix & ſemen potum.*
*Peucedanum ex aceto & roſaceo capiti inunctum.*
*Sagapenum potum.*
*Laſerpitij liquor cum aceto mulſo bibitus.*
*Ladanum olfactum.*
*Ammoniacum in eclegmate cum melle datum.*
*Trifolij ſemen & folia pota.*
*Conyza cum aceto bibita.*
*Anthyllis altera ex oxymelite pota.*
*Betonicæ folia hauſta.*
*Quinquefolium triginta diebus hauſtum.*
*Papaueris ſpumei ſemen cum mulſa aqua potum.*
*Veratrum nigrum potum.*
*Hippophæſti ſuccus trium obolorum pondere hauſtus.*
*Vitis alba drach. pondere anno toto quotidie hauſta.*
*Vitis nigræ viticulæ primæ virentes cocta, & in cibis ſumptæ.*
*Acetum mulſum potum.*
*Vinum & acetum ſcillinum potum.*
*Selenites lapis tritus ebibitus.*
*Aetites lapis cum Cyprino vnguento, aut gleucino, vel alio excalfaciente illitus.*
*Cotes naxia pota.*

MATTHIOLI.

*Nardus Italica.*
*Lauendula.*
*Aſarina & eius decoctum potum.*
*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*
*Balſami factitij liquor omnis illitus.*
*Mumia ex amaraci aqua naribus immiſſa.*
*Cranium humanum potum.*
*Caſtoreum ex oxycrato potum.*
*Leporis coagulum cum aceto bibitum.*
*Lapis in felle bubulo inuentus tritus lentis quantitate, & in errhinis additus.*
*Aqua ſtillatitia humani ſtercoris pota.*
*Scorzoneræ radix, aut eius ſuccus potus.*
*Caryophyllorum flores ex betonica, aut amaraci decocto poti.*
*Iidem ſaccharo aſſeruati frequenter deuorati.*
*Cyclaminus in potione, vel clyſmate infuſus, aut eius ſuccus in errhinis additus.*
*Agaricum potioni ingeſtum.*
*Ariſtolochia rotunda.*
*Hyſſopum quoquo modo ſumptum.*
*Stœchas cum Scilla, aut eius aceto vſurpata.*
*Dictamnus albus.*
*Saluia tam pota, quàm trita adhibita.*
*Amaracus quouis modo vſu veniat.*

CAPITIS.

*Galegæ ſuccus ſeſcunciæ pondere potus.*
*Imperatoriæ radix in potionibus addita.*
*Senæ dilutum vel decoctum potum.*
*Roſmarinū, vel ſaccharum ex eius floribus paratum.*
*Sagapenum deuoratum.*
*Quercini viſci lignum in tenuiſſimum puluerem redactum & diebus quadraginta potum.*
*Vincetoxici radices tritæ vna cum pæoniæ ſemine.*
*Cardui benedicti decoctum, aut ſtillatitia aqua pota.*
*Chamædrys in potionibus addita.*
*Filipendulæ radicis puluis cibis inſperſus.*
*Palmæ Chriſti ſeminis puluis drachmæ pondere ex vino potus.*
*Eiuſdem radicum decoctum diutius vino miſtum potum.*
*Pæonia Galeni collo ſuſpenſa.*
*Pæoniæ ſemina filo traiecta, & collo circumligata.*
*Hyperici florentis aqua ſtillatitia pota.*
*Chamæpitys decoctum ex rhodomelle, & oxymelite diebus pluribus potum.*
*Ellebori nigri dilutum potum.*
*Colocynthis in catapotiis addita, aut in potionibus.*
*Quinta eſſentia noſtra lib. 5. comment. de vino deſcripta, hauſta.*
*Acetum ſcillinum frequenter hauſtum.*
*Stibium noſtrum proprio comment. deſcriptum.*
*Corallium tam ſuſpenſum, quàm potum.*

MATTHIOLI.

Ad obliuioſos & deperditam memoriam.

*Anacardia.*
*Quinta eſſentia noſtra comment. de vino lib. 5. deſcripta, frequenter vſurpata.*

DIOSCORIDIS.

Ad apoplexiam.

*Vitis albæ radix continuo anno quotidie drachmæ pondere hauſta.*

MATTHIOLI.

*Nardi Italicæ* / *Lauendulæ* } *ſtillatitia aqua pota.*
*Cinnamomi vulgaris aqua ſtillatitia pota.*
*Balſami factitij liquor primꝰ, ſecundus, tertiꝰ illitus.*
*Agaricū in potu ſumptū, aut in catapotijs deuoratum.*
*Quinta eſſentia noſtra libr. 5. comment. de vino deſcripta, pota.*

DIOSCORIDIS.

Ad Phreneſim.

*Vnguentum Crocinum perfuſum aut naribus illitū.*
*Vitex aceto & oleo inſtillatus.*
*Aſparagus in vino albo potus.*
*Serpyllum cum aceto & roſaceo impoſitum.*
*Sphondilium ſuffitum, impoſitum, & capiti ex oleo inunctum.*
*Peucedanum ex oleo & roſaceo inunctum.*

MATTHIOLI.

*Maluæ ſuccus octo vnciarum pondere potus.*
*Solani hortenſis, tum foliorum, tum baccarum ſuccus ſyncipiti cum linteolis ſuperpoſitus.*
*Borraginis, aut bugloſſi ſtillatitia aqua.*

DIOSCORIDIS.

Ad cerebri inflammationes, quas ſyriaſim vocant.

*Cucurbitæ ramenta ſyncipiti appoſita.*
*Peponis ramenta ſyncipiti adhibita.*
*Heliotropij folia fronti adhibita.*

*Acetum fronti illitum.*

MATTHIOLI.

*Agaricum potui datum.*

*Santala omnia ex roſaceo aceto & caphuræ momento illita.*

DIOSCORIDIS.

Ad melancholiam.

*Ocimi ſemen potum.*

*Veratrum nigrum potum.*

*Betonicæ folia pota.*

*Epithymum potum.*

MATTHIOLI.

*Poma dulcia.*

*Citria mala.*

*Santalum omne.*

*Maluæ ſuccus unciarum ſex pondere potus.*

*Scorzoneræ radix, aut eius ſuccus bibitus.*

*Agaricum ſumptum.*

*Thymus drachmarũ duarum pondere ex oxymelite potus.*

*Senæ decoctum vel dilutum potum.*

*Vincetoxici radices tritæ cum ocimi ſemine, aut cum citrei mali cortice, aut cum margaritis hauſtæ.*

*Melyſſophyllon quocunque modo frequenter potum.*

*Aſpleni decoctum hauſtum.*

*Borraginis aut bugloſſi decoctũ ex vino, aut ex aqua paratum potum.*

*Ellebori nigri dilutum.*

*Syrupus è polypodio, & præſertim ad hypochõdriacã: vide lib. 4. comm. de Polypodio.*

*Acetum ſcillinum hauſtum.*

*Quinta eſſentia noſtra lib. 5. comm. de vino deſcripta.*

*Stibium noſtrũ quatuor granorum pondere hauſtũ.*

*Argentum viuum præcipitatum octo granorum pondere ebibitum.*

*Aurum.*

*Corallium.*

*Margarita.*

*Oleum è lapide gagate tum potum, tum illitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad crapulam ebrietatemq́ue tollendam.

*Crocum ex paſſo præſumptum.*

*Punicorum malorum ſuccus* } *hauſtus.*
*Myrti baccarum ſuccus* }

*Braſſica ſummo cibo ſumpta.*

*Abſinthium præſumptum.*

MATTHIOLI.

*Acetum teſticulis cum linteolis adhibitum.*

*Croci florum ſtillatitia aqua pota.*

*Amygdala amara ſex ante potum deuorata.*

DIOSCORIDIS.

Ad capitis fluxiones.

*Vnguentum irinum naribus illitum.*

*Styrax illita, ſuffitaq́ue.*

*Bitumen naphtha ſuffitum.*

*Cinnamomum potum.*

*Mei radices tritæ cum melle in eclegmate deuoratæ, vbi fluxio pectus afficiat.*

*Nuces auellanæ toſtæ, & cum exiguo piperis potæ.*

*Dracunculi maioris radix toſta, vel elixa deuorata.*

*Tragacantha in eclegmate cum melle ſumpta.*

*Hyſſopum cum fico, ruta, melleq́; ex aqua decoctum potum.*



*Helichryſi coma trium obolorum pondere in vino diluto pota.*

*Hyoſcyami ſemen oboli pondere, addito papaueris ſemine hauſtum.*

MATTHIOLI.

*Iuniperinum gummi ſuffitum & capiti inſperſum.*

*Santalum rubrum capiti inſperſum.*

*Caryophylli aromatici ſuffiti fumo naribus excepto.*

*Agaricum in potionibus additum.*

*Roſmarinum.*

DIOSCORIDIS.

Ad cerebrum roborandum.

*Agallochum potum.*

MATTHIOLI.

*Cubebæ deuoratæ.*

*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*

*Balſami factitij vnuſquiſque liquor illitus.*

*Moſchus.*

*Zibetum.*

*Ambarum.*

*Caryophyllorum puluis capiti inſperſus.*

*Caryophylli flores ſaccharo cõditi frequẽter deuorati.*

*Stœchas.*

*Mentha Græca.*

*Saluia.*

*Sena in capitis perfuſionibus addita.*

*Roſmarinum atq; ſaccharum ex eius floribus paratũ.*

*Caryophyllatæ radix olfacta.*

*Rhodia radix olfacta, vel quomodolibet vſurpata.*

*Quinta eſſentia noſtra commẽto de vino deſcripta.*

DIOSCORIDIS.

Ad capitis vlcera manantia.

*Thus cum nitro confricatum.*

*Fici & caprifici lacteus ſuccus cũ polenta appoſitus.*

*Vrina inueterata appoſita.*

*Fœnum græcum appoſitum.*

*Cicer adhibitum.*

*Malua ex vrina humana emplaſtrata.*

*Allij cinis ex melle inunctus.*

*Cyclamini decoctum fomenti modo adhibitum.*

*Bulbi cum cremato nitro adhibiti.*

*Melilothus ex aqua cum creta chia, vinoq́; aut galla inuncta.*

*Rubi folia impoſita.*

*Lilij cremata radix ex melle adhibita.*

*Adianthum in lixiuio decoctum.*

*Acida muria inſperſa.*

MATTHIOLI.

*Hederæ helicis folia in pileũ cõſuta, et capiti impoſita.*

*Centaurij minoris ſuccus illitus.*

*Mentha illita.*

NERVORVM.

DIOSCORIDIS.

Ad conuulſionem.

*Iris Illyrica ex aceto pota.*

*Acori decoctum bibitum.*

*Cardamomum ex aqua potum.*

*Iunci odorati radicis drachma vna cum pari pondere piperis per dies aliquot data.*

*Coſtus ex vino, & abſinthio exhibitus.*

*Balſamum ex aqua hauſtum.*

*Helenium ex melle eclegmate exhibitum.*

*Vnguentũ ſampſuchinũ more cataplaſmatis appoſitũ.*
*Vnguentum metopium illitum.*
*Bdellium illitum.*
*Iuniperi baccæ bibitæ.*
*Cedrides deuoratæ.*
*Halimi radix drachmæ põdere in aqua mulſa hauſta.*
*Ficulneus cinis ex oleo illitus.*
*Erinacei terreſtris caro in cibum ſumpta.*
*Caſtoreum inunctum & potum.*
*Serpyllum potum.*
*Fimum caprinum cum aceto bibitum.*
*Dracunculi radix toſta & elixa deuorata cum melle.*
*Aſphodeli radix drachmæ pondere pota.*
*Capparis ſemen potum.*
*Capparis cortex pariter hauſtus.*
*Argemone emplaſtrata.*
*Agaricus ſumptus trium obolorũ pondere cũ mulſo.*
*Rhaponticum potum.*
*Galbanum deglutitum.*
*Gentianæ radix drachmæ pondere pota.*
*Ariſtolochia rotunda bibita.*
*Centaurij maioris radix ex vino pota.*
*Spinæ albæ ſemen potum.*
*Acanthij radices potæ.*
*Abrotani ſemen cum aqua potum.*
*Leucacanthæ radicis ex vino decoctum exhauſtum.*
*Origanum eſtum cum fico.*
*Eryngij radix pota cum aqua mulſa.*
*Pulegium cum poſca potum.*
*Calamintha decoctum hauſtum.*
*Baccharis radix in aqua decocta, & pota.*
*Panaces herculeum linitum.*
*Libanotis radices cum loliacea farina emplaſtrata.*
*Peucedanum ex aceto, & roſaceo inunctum.*
*Clinopodium bibitum.*
*Chamædryi decoctum potum.*
*Laſer oboli pondere datum & deuoratum.*
*Sagapenum potum.*
*Galbanum deuoratum.*
*Betonicæ folia denarij pondere cũ hydromelite data.*
*Xyridis radix ex paſſo bibita.*
*Symphytum ex aceto mulſo bibitum.*
*Pſyllium illitum.*
*Serpyllum potum aut illitum.*
*Verbaſci decoctum bibitum.*
*Bryoniæ eclegma ex melle.*
*Vinum ſcillinum hauſtum.*
*Vinum chamædrytes bibitum.*
*Vinum tragoriganites bibitum.*
*Satyrij radix ex vino nigro auſtero bibita.*
*Coris ex vino pota.*

MATTHIOLI.

*Oleum irinum inunctum.*
*Nardus Italica.*
*Lauendula.*
*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*
*Balſami factitij liquores omnes.*
*Helenij radicis farina.*
*Oleum nucum inunctum.*
*Mumia tum foris, tum intus vſurpata.*



*Oleum ex ſemine lini illitum.*
*Cyclaminus in potione ſumptus, vel clyſtere infuſus, aut in errhinis additus.*
*Agaricum potum vſurpatum.*
*Oleum è folijs & floribus hyſſopi paratum.*
*Stœchas in balneis, fomentis, & laconicis addita.*
*Pulegij decoctum tum potum, tum fotu adhibitum.*
*Saluia tam pota, quàm fotu vſurpata.*
*Gattaria.*
*Amaracus.*
*Imperatoriæ radix.*
*Euphorbium ex leucoij oleo illitum.*
*Vnguentum è viſci in pyro ſylueſtri naſcentis folijs, & recenti capi pinguedine paratum: vide viſci com.*
*Chamædrys in fomentis & vnguentis addita.*
*Liliorum alborum oleum illitum.*
*Cannabis radix decocta, & deinde tuſa & illita.*
*Colocynthis in catapotijs addita.*
*Stibium noſtrũ quatuor granorum pondere ſumptũ.*
*Oleum è lapide gagate illitum.*

MATTHIOLI,
Ad ſtuporem.

*Cinnamomi vulgaris aqua ſtillatitia pota.*
*Balſami factitij liquores omnes.*
*Oleum ſinapinum.*
*Nuclei pinei frequenter deuorati.*
*Oleum è floribus & folijs hyſſopi illitum.*
*Stœchas in balneis laconicis & fomentis addita.*
*Pulegij decoctum.*
*Saluia tam intus ſumpta quàm exterius admota.*
*Amaracus.*
*Imperatoriæ radix.*
*Roſmarinum.*
*Euphorbium ex leucoij oleo exterius illitum.*
*Chamædrys.*
*Chamæpitys decoctum ex rhodomelle potum.*
*Quinta eſſentia noſtra comment. de vino deſcripta, tam pota, quàm illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad paralyſin.

*Peucedanum ex aceto & roſaceo inunctum.*
*Capparis ſemen & cortex potus.*
*Sagapenum potum.*
*Rubiæ radix hauſta.*
*Colocynthis clyſtere perfuſa.*
*Vitis nigræ viticulæ primæ recentes coctæ, comeſtæ.*
*Vinum ſcillinum hauſtum.*

MATTHIOLI.

*Iridis radices conditæ, deuoratæ.*
*Nardus Italica.*
*Lauendula.*
*Aſarina per ſe, aut eius decoctum potum.*
*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*
*Balſami factitij liquores omnes illiti.*
*Helenij radicis farina bibita.*
*Oleum ſinapinum inunctum.*
*Nuclei pinei frequenter deuorati.*
*Mumia ex amaraci aqua illita.*
*Iuglandium oleum illitum cum calce lota.*
*Anacardia.*
*Caſtoreum cum mulſa potum.*

*Flores caryophylli ex betonica aut amaraci decocto poti.*
*Iidem ſaccharo aſſeruati, & frequenter deuorati.*
*Cyclaminus in potione, vel clyſtere ſumptus, aut eius ſuccus in errhinis additus.*
*Agaricum in catapotijs, aut potione ſumptum.*
*Oleum è folijs, & floribus hyſſopi paratum inunctũ.*
*Stæchas in balneis laconicis, & fomentis addita.*
*Pulegij decoctum, cùm hauſtum, tum fotum.*
*Saluia tam potione quàm fomentis vſurpata.*
*Gattaria.*
*Amaracus.*
*Imperatoriæ radix.*
*Senæ decoctum, vel dilutum.*
*Euphorbium ex leucoij oleo exterius illitum.*
*Chamædrys.*
*Oleum liliorum alborum.*
*Bellidis genera omnia.*
*Hyperici florentis ſtillatitia aqua pota.*
*Chamæpitys decoctum ex rhodomelle, & oxymelite potum pluribus diebus.*
*Conditum & pilulæ contra neruorum reſolutionem: vide chamæpitys commentarium.*
*Colocynthis in catapotijs addita.*
*Quinta eſſentia noſtra lib. 5. comment. de vino deſcripta, pota & illita.*
*Stibium noſtrum quatuor granorũ pondere ſumptũ.*
*Oleum è gagate lapide inunctum.*

DIOSCORIDIS.
Ad tremorem.

*Cerebrum leporinum toſtum comeſtum.*
*Caſtoreum potum & inunctum.*
*Braſsica in cibo ſumpta.*
*Althææ decoctum potum.*

MATTHIOLI.

*Cinnamomi vulgaris aqua ſtillatitia pota.*
*Balſami factitij liquor & oleum.*
*Nuclei pinei frequenter deuorati.*
*Saluia tum potu, tum fotu vſurpata.*
*Amaracus.*
*Imperatoriæ radix.*
*Chamædrys.*
*Chamæpitys decoctum cum rhodomelle hauſtum.*
*Quinta eſſentia noſtra tam pota, quàm illita: parandi rationem habes lib. 5. comment. de vino.*

DIOSCORIDIS.
Ad fluxiones.

*Farina tritici cum Apollinaris herba ſucco appoſita.*
*Farina hordei ex aceto adhibita.*

DIOSCORIDIS.
Ad ægritudines, & dolores.

*Oleum ſicyonium inunctum.*
*Oleum laurinum illitum.*
*Elæomeli illitum.*
*Vnguentum Cyprinum*
*Vnguentum Gleucinum* } *inunctum.*
*Vnguentum Metopium*
*Vnguentum Amaracinum*
*Bdellium malagmati inſertum.*
*Lixiuium ex cinere ficus ex oleo illitum.*
*Caſtoreum potum, & illitum.*
*Erinacei terreſtris caro deuorata in cibis.*



*Viperinæ carnes decoctæ, & eſui datæ.*
*Poterij radicis decoctum potum.*
*Peucedanum ex aceto & roſaceo inunctum.*
*Laſer oboli pondere deuoratum.*
*Centaurium minus ebibitum.*
*Lilij radix inaſſata, melleq; excepta impoſita.*
*Satyrij radix ex vino nigro auſtero pota.*
*Althææ radix per ſe, vel decocta in vino, aut aqua mulſa emplaſtri modo impoſita.*
*Coccũ infectoriũ cũ aceto illitũ præciſos iuuat neruos.*
*Senecij folia ad eadem præſtant illita.*
*Narciſſi radix illita ad eadem vtiliter imponitur.*
*Hippophæſti ſuccus trium obolorum pondere potus.*
*Aqua marina perfuſa.*
*Acetum ſcillinum potum.*
*Vinum de ſtæchade hauſtum.*
*Vinum de thymo potum.*
*Seſamum illitum craſſitiem iuuat.*

MATTHIOLI.

*Oleum larignæ reſinæ, vel terebinthinæ illitum.*
*Nuclei pinei frequenter in cibis vſurpati.*
*Terebinthina reſina*
*Larigna reſina* } *deuorata cum chamæpity.*
*Abiegna reſina*
*Nucis Indicæ* } *oleum tum potum, tum illitum.*
*Nucis Myriſticæ*
*Fabalium caulium, & ſiliquarum cinis cum vetere axungia illitus.*
*Stæchas in balneis, fomentis, & laconicis addita.*
*Pulegium.*
*Amaracus.*
*Aiuga.*
*Cortuſæ herbæ flores in amygdalino oleo recẽter preſſo & roſaceo completo, pari pondere commiſti, diu inſolati, & illiti.*

DIOSCORIDIS.
Ad neruorum vulnera.

*Cochleæ terreſtres tuſæ & impoſitæ.*
*Terreni vermes tuſi, & illiti.*
*Butyrum illitum.*
*Senecionis folia emplaſtri modo impoſita cum thuris manna.*
*Dracunculi minoris folia illita.*
*Poterij radix tuſa & impoſita.*
*Lilij radix ex melle ſubacta & illita.*
*Coccum infectorium cum aceto illitum.*
*Narciſſi radix illita.*

MATTHIOLI.

*Balſamum factitium impoſitum.*
*Terebinthinæ*
*Laricææ* } *Reſinæ oleum.*
*Abiegnæ*
*Abiegna lachryma.*
*Iuglandium oleum.*
*Cochlearum caro cum farina polline impoſita.*
*Oleum è terrenis vermibus, addito præſertim factitio balſamo, aut oleo è terebinthina confecto.*
*Hyperici oleum.*
*Oleum è fructu momordicæ illitum.*

MATTHIOLI.
Ad contractionem & duritiem.

*Muris montani pinguedo illita.*
*Taxi pinguedo inuncta.*
*Oleum ex ouorum vitellis perunctum.*
*Ceruina & vitulina medulla.*
*Oleum ex lini ſemine.*

MATTHIOLI.
Ad contuſiones.

*Cochlearum terreſtrium caro cum farinæ polline impoſita.*
*Farina fabarum cum oxymelite ſubacta.*
*Dracunculi radix cum melle & caprino fimo illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad neruorum craſsitiem.

*Seſamum emplaſtri modo impoſitum.*
*Sarmentitius cinis cum axungia, vel oleo illitus.*

OCVLORVM.

DIOSCORIDIS.
Ad palpebrarum defluuium.

*Nardi indicæ decoctum fotu adhibitum.*
*Cochleæ terreſtres acu traijciuntur vt effluat humor, quo poſtea palpebræ illinantur.*
*Oeſipus illitus.*
*Chondrillæ gummi, ac pariter lac impoſitum.*
*Lapis armenius illitus.*

DIOSCORIDIS.
Ad palpebrarum, oculorumque ſcabritiem.

*Thuris cortex toſtus, & appoſitus.*
*Picis fuligo illita.*
*Licium appoſitum.*
*Sepiæ os læuigatum, & illitum.*
*Fel { Marini ſcorpionis, Marinæ teſtudinis, Perdicis, Aquilæ, Gallinæ albæ, Sylueſtris capræ } illitum.*
*Sinapi tritum ex melle inunctum.*
*Omphacium impoſitum.*
*Squama æris illita.*
*Rubigo ferri illita.*
*Chalcitis inuncta.*
*Hæmatites lapis melle exceptus adhibitus.*

DIOSCORIDIS.
Ad palpebrarum fluxiones.

*Amaraci folia cum polenta illita.*
*Alſine cum polenta impoſita.*
*Ricini folia cum polenta trita, & emplaſtri modo adhibita.*

DIOSCORIDIS.
Ad palpebrarum craſsitiem.

*Mitulorum cinis plumbi modo lotus, & illitus.*
*Conchulæ Indicæ cinis inunctus.*

DIOSCORIDIS.
Ad palpebrarum ſcabiem.

*Cepæ ſuccus cum pari ſpodio impoſitus.*
*Aloe illita.*
*Fici lac inunctum.*

MATTHIOLI.

*Tragacanthæ lachryma lacte macerata & illita.*
*Sagapenum cum aceto ſuperpoſitum.*

MATTHIOLI.
Ad palpebrarum inflammationes.

*Ouum gallinaceũ crudum admiſto roſaceo impoſitũ.*



*Solani Halicacabi baccæ muſto dilutæ, & impoſitæ.*
*Lentis paluſtris ſtillatitia aqua illita.*
*Borraginis, vulgariſq; bugloſſi ſtillatitia aqua.*

DIOSCORIDIS.
Ad oculorum albugines.

*Opobalſamum illitum, inſtillatumq;.*
*Cancamum vino maceratum, & impoſitum.*
*Myrrha illita.*
*Bitumen naphtha impoſitum.*
*Mitulorum cinis plumbi modo lotus & illitus.*
*Conchulæ Indicæ cinis oculis inditus.*
*Cochlearum putaminũ cinis melle exceptus linitus.*
*Marini ſcorpionis fel inſtillatum.*
*Idemq; præſtat fel teſtudinis, perdicis, aquilæ, gallinæ albæ, & ſylueſtris capræ.*
*Vrina humana æreo vaſe decocta illita.*
*Lactucæ ſylueſtris lacteus ſuccus inſtillatus.*
*Dracunculi ſuccus immiſſus.*
*Caparum ſuccus perfuſus.*
*Gingiber illitus.*
*Chamæſyces ſuccus cum melle inunctus.*
*Argemones folia impoſita.*
*Ammoniacum impoſitum.*
*Horminium ex melle impoſitum.*
*Loti domeſtici ſuccus ex melle illitus.*
*Sal impoſitum.*
*Salis flos eodem modo adhibitus.*
*Sapphyrus lapis appoſitus.*
*Aeris ſquama impoſita.*

MATTHIOLI.

*Moſchus impoſitus.*
*Radix ebeni trita, & cum aqua inſtillata.*
*Muſtelarum crematarum cinis oculis iniectus.*
*Chamæleontis dexter oculus, vino animali erutus, & cum caprino lacte miſtus.*
*Centaurij minoris ſuccus cum melle illitus.*
*Hieracij ſuccus iniectus.*
*Sagapenum rutæ ſucco, & auium rapacium felle diutius maceratum, & in collyrijs additum.*
*Sarcocolla in cratere vitreo aſinino lacte quinq; diebus macerata, & deinde inſtillata.*
*Scabioſæ ſuccus cum chryſocolla & caphuræ momento illitus.*
*Antirrhinum fronti adalligatum.*
*Corallij cinis in collyrijs additus.*

DIOSCORIDIS.
Ad oculorum cicatrices delendas.

*Cancamum vino maceratum & infuſum.*
*Myrrha illita.*
*Bitumen naphtha inſtillatum.*
*Cedria illita.*
*Cochlearum terreſtrium cinis cum melle impoſitus.*
*Vrina humana æreo vaſe decocta, infuſa.*
*Fœni græci oleum cum myrteo impoſitum.*
*Sagapenum inditum.*
*Chamæſyces ſuccus cum melle illitus.*
*Aerugo immiſſa.*
*Vini fæx aduſta impoſita.*
*Corallium tritum inditum.*
*Hæmatites lapis immiſſus.*
*Sapphyrus lapis adhibitus.*

MATTHIOLI.

*Hieracij ſuccus inſtillatus.*
*Sarcocolla aſinino lacte macerata & inſtillata.*

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum nubeculas.

*Acori ſuccus inſtillatus.*
*Caſia alijs medicamentis ocularib. excepta et iniecta.*
*Cinnamomum impoſitum.*
*Ceraſi gummi inditum.*
*Acacalis dilutum ad collyria additur, quæ oculis claritatem faciunt.*
*Acaciæ ſuccus elotus & infuſus.*
*Punicorum malorum cytini tres quãtumuis minimi, deuorati anno, ab omni lippitudine præſeruant.*
*Thus immiſſum.*
*Crocomagma illitum.*
*Ebeni tenuiſſima ramenta vino optimo macerata, & in collyria addita.*
*Lycium inditum.*
*Cedria inuncta.*
*Pruni arboris gummi illitum.*
*Viperæ caro decocta, & in cibis deſumpta.*
*Hirundines ficedularum modo in cibis deuoratæ.*
*Cinis hirundinum collyrijs adhibitus.*
*Adeps piſcium inunctus.*
*Fœniculi ſuccus infuſus.*

*Fel* { *Marini ſcorpionis* / *Teſtudinis marinæ* / *Perdicis* / *Aquilæ* / *Gallinæ albæ* / *Sylueſtris capræ* } *infuſum.*

*Vrina humana æreo vaſe decocta inſtillata.*
*Lactucæ ſylueſtris lacteus ſuccus illitus.*
*Dracunculi maioris rad. ſuccus inunctus.*
*Cæparum ſuccus inditus.*
*Loti domeſtici ſuccus infuſus.*
*Hirundinariæ maioris ſuc. æreo vaſe cum melle decoctus, inunctus.*
*Othonnæ ſuccus inſtillatus.*
*Centaurij minoris ſuccus impoſitus.*
*Ruta in cibis ſumpta.*
*Omphacium inſtillatum.*
*Panaces Heracleum inunctum.*
*Libanotis foliorum & radicis ſuccus infuſus cũ melle.*
*Laſer ex melle inunctus.*
*Apiaſtri ſuccus cum melle inditus.*
*Marrubij ſuccus ex melle illitus.*
*Pumex indita.*
*Salis flos immiſſus.*
*Vini fex cremata impoſita.*
*Pyrites lapis inditus.*
*Thyites lapis impoſitus.*
*Geodes lapis impoſitus.*
*Sapphyrus lapis impoſitus.*

MATTHIOLI.

*Viperæ totius cum thure & ſucco fœniculi combuſtæ cinis per ſe inſperſus, aut alijs collyrijs additus.*
*Leporinum fel ſaccharo exceptum & illitum.*
*Muſtelarum fel cum fœniculi ſucco inſtillatum.*

OCVLORVM.

*Stercoris humani ſtillatitia aqua impoſita.*
*Scorzoneræ radicis lac inſtillatum.*
*Caryophylli in tenuiſſimum puluerem triti, & inditi.*
*Chelidonij maioris ſuccus cũ lacte muliebri inſtillatꝰ.*
*Hieracij ſuccus inſtillatus.*
*Sagapenum rutæ ſucco, & auium rapacium felle diutius maceratum, & in collyrijs additum.*
*Sarcocolla in cratere vitreo aſinino lacte diebus quinque macerata, & inſtillata.*
*Vinum è fragis inſtillatum.*
*Euphragia quouis modo intus ſumpta.*

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum vngulas.

*Sepiæ piſcis os tritum & impoſitum.*
*Glycyrrhizæ radicis puluis inſperſus.*

MATTHIOLI.

*Tragacanthæ lachryma lacte macerata & illita.*

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum ictus, & vulnera.

*Lac humanum cum thure iniectum.*

*Sanguis* { *Palumbi* / *Columbæ* / *Turturis* / *Perdicis* } *illitus.*

*Stœbis folia emplaſtri modo impoſita.*
*Hæmatites lapis cum lacte iniectus.*

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum vlcera.

*Fuligo* { *Thuris* / *Terebinthinæ* / *Butyri* } *illita.*

*Thuris cortex impoſitus.*
*Myrrha iniecta.*
*Cornu ceruinum vſtum impoſitum lotum.*
*Amylum linitum, & peculiariter cauis vlceribus.*
*Stimmi iniectum.*

*Lapis* { *Galactites* / *Sapphyrus* / *Samius* } *cum lacte infuſus.*

DIOSCORIDIS.

Ad eroſos oculorum angulos.

*Oeſypum inunctum.*
*Omphacium illitum.*

MATTHIOLI.

*Picis fuligo impoſita.*

DIOSCORIDIS.

Ad ægilopas, & ſinus.

*Iuglandium veterum nuclei triti & illiti.*
*Myrti decoctum infuſum.*
*Malua cruda commãducata cũ exiguo ſale adhibita.*
*Plantago emplaſtri modo impoſita.*
*Auricula muris altera illita.*
*Baccharis folia emplaſtri modo in principio indita.*
*Anthemis illita.*
*Solani hortulani conciſa folia impoſita.*
*Eiuſdem ſuccus cum rubenti gallinarum fimo illitus.*
*Aegilops adhibita.*
*Oenanthe vel labruſcæ flos impoſitus.*
*Cadmia illita.*
*Aeris ſquama indita.*
*Stimmi inditum.*

DIOSCORIDIS.

Ad procidentes oculos & vuas.

Fabarum farina cum roſis, ouorum albo & thure emplaſtri modo impoſita.
Rubi folia trita, & impoſita.
Sapphyrus lapis adhibitus.

DIOSCORIDIS.
Ad oculorum inflammationes.

Amomum ex vua paſſa illitum.
Fuligo { Thuris / Picis } illita.
Cupreſſi pilulæ cum polenta illitæ.
Myrti baccæ cum polline polentæ impoſitæ.
Cotoneorum malorum flores emplaſtri modo.
Caſeus illitus.
Saccharum infuſum.
Seſame herba ex vino decocta, & impoſita.
Portulaca cum polenta illita.
Intybus per ſe, & cum polenta adhibita.
Cucurbitæ ramenta impoſita.
Anemones radix illita.
Auricula muris cũ polenta emplaſtri modo adhibita.
Gentianæ ſuccus inunctus.
Abrotanum cum cydonio malo decoctum, aut pane & emplaſtri modo adhibitum.
Melilotus cataplaſmatis addita.
Baccharis folia illita.
Sedi maioris folia impoſita.
Apium cum pane, aut polenta impoſitum.
Rubi Idæi flos ex melle inunctus.
Elatinæ folia cum polenta appoſita.
Papaueris liquor cum toſto oui vitello, & croco impoſitus.
Hyoſcyami ſemen & folia cum farina, polentaue impoſita.
Mandragoræ folia recentia cum polenta adhibita.
Verbaſci aureum florem ferentis folia impoſita.
Aſter atticus illitus.
Violæ purpureæ folia illita.
Ricini folia cum polenta illita.

MATTHIOLI.

Lac muliebre vnà cum aqua roſacea, in qua accenſũ thus trigeſies extinctum fuerit, oculis inſtillatum.
Caphura in collyrijs addita.
Cochleæ in nitido mortario tuſæ vna cũ ouo gallinaceo incocto & ex ſuccida lana fronti adalligatæ.
Cyani ſuccus inſtillatus.
Hieracij ſuccus cum muliebri lacte inſtillatus.
Betonicæ folia contrita & fronti adalligata.
Conſolidæ regalis flores triti & ex roſacea aqua illiti.
Vinum è fragis adhibitum.
Solani hortenſis tum foliorum, tum baccarum ſuccus illitus linteolis fronti ſuperpoſitus.
Solani halicacabi baccæ muſto diluta & impoſitæ.
Lentis paluſtris ſtillatitia aqua, illita.
Borraginis, & Bugloſſi vulgaris ſtillatitia aqua, tam extra quàm intus impoſita.
Lapis Achates inſpectus.

DIOSCORIDIS.
Ad oculorum dolores.

Oui vitellus toſtus addito roſaceo & croco illitus.
Seſame herba in vino decocta, & illita.
Ocimi ſuccus infuſus.

OCVLORVM

Abſinthium ex paſſo decoctum adhibitum.
Ruta cum polenta emplaſtri modo impoſita.
Aconiti pardalianches radix permiſcetur ocularijs medicamentis, quæ doloribus oculorũ auxiliãtur.

MATTHIOLI.

Lac muliebre & aqua roſacea, in qua accenſum thus trigeſies extinctum fuerit, oculis inſtillata.
Caphura in collyrijs addita.
Cochleæ in nitido mortario tuſæ vna cum ouo gallinaceo incocto, ex ſuccida lana fronti adalligatæ.
Cyani ſuccus inſtillatus.
Cõſolidæ Regalis flores triti & ex roſacea aqua illiti.
Solani hortenſis cum foliorum, tum baccarum ſuccus illitus linteolis fronti adhibitus.
Solani halicacabi rubentes baccæ muſto dilutæ, & impoſitæ.
Lentis paluſtris ſtillatitia aqua impoſita.
Lapis achates inſpectus.

DIOSCORIDIS
Ad luſciosos.

Iecoris { Caprini / Hircini } emanãs ſuccus dũ aſſant iniectus.
Caprinum iecur toſtum in cibis ſumptum.
Sylueſtrium caprarum fel inunctum.
Sanguis { Palumbi / Columbæ / Turturis / Perdicis } illitus.

DIOSCORIDIS.
Ad ſuffuſiones.

Fel marini ſcorpionis inditum.
Viperæ adeps admixto cedrino liquore, Attico melle, & vetere oleo. Galenus verò non probat.
Fel { Teſtudinis marinæ / Perdicis / Aquilæ / Gallinæ albæ / Capræ ſylueſtris } illitum.
Fabarum farina vino macerata & illita.
Cæparum ſuccus inſtillatus.
Cyclamini ſuccus infuſus.
Sagapenum impoſitum.
Euphorbium impoſitum, cum cautela tamen.

MATTHIOLI.

Hieracij ſuccus inſtillatus.
Polium fronti adalligatum.

DIOSCORIDIS.
Ad lippitudines.

Portulaca & eius ſuccus impoſitus.
Plantaginis ſuccus infuſus.
Sedi maioris folia illita.
Chalcitis inditus, cum cautela tamen.
Spongiarum crematarum cinis illitus, & præſertim in arida lippitudine.
Hæmatites lapis tritus cum lacte iniectus.

MATTHIOLI.

Aqua roſacea in qua thus incenſum trigeſies extinctum fuerit inſtillata.
Criſpini baccarum ſuccus cum pompholige & aqua roſacea inſtillatus.
Margaritæ in collyrijs addita.

*Bubuli fellis lapis naribus inditus.*
*Fænugræci decoctum fronti illitum.*
*Rumicis ſylueſtris radix luna decreſcente effoſſa geſtata.*
*Ophiogloſſi ex vino auſtero decoctum ablutione adhibitum.*
*Hieracij ſuccus inſtillatus.*
*Euphragia quoque modo vſurpata.*
*Vinum Euphragiatum, vide lib. 4. cap. 38.*

DIOSCORIDIS
Ad oculorum caligines.

*Chamædrys trita inſperſa, aut ex oleo inuncta.*
*Loti domeſtici ſuccus cum melle impoſitus.*
*Veratrum nigrum in ocularibus collyrijs additum.*
*Flos æris inditus.*

MATTHIOLI.

*Phu ex vino albo decoctum, & oculis inſtillatum.*
*Vinum ex Helenio paratum frequenter potum.*
*Lenticinum oleum in cibis additum.*
*Erucæ ſuccus oculis infuſus.*
*Ebenum ad cotem tritum, & cum paſſo inditum.*
*Salicis florentis ſuccus, qui inciſo cortice fluxerit, inſtillatus.*
*Nux myriſtica commanſa.*
*Margaritæ in collyrijs additæ.*
*Lapis ex felle bubulo naribus inditus.*
*Braſſicæ ſuccus ex melle coctus, & oculorum angulis illitus.*
*Aſparagi in cibis ſumpti.*
*Sium in cibis deuoratum.*
*Scorzoneræ radicis lac inſtillatus.*
*Caryophyllorum puluis tenuiſſime tritus oculis inſperſus.*
*Hieracij ſuccus inſtillatus.*
*Roſmarini flores recentes decerpti, & cum ſale & pane quotidie deuorati, toto tẽpore quo floret planta.*
*Sagapenum rutæ ſucco, & felle auium rapaciũ diutius maceratum, & in collyrijs additum.*
*Sclareæ ſeminis granum in oculo delatum.*

DIOSCORIDIS.
Ad oculorum hebetudinem.

*Cancamum ex vino maceratum infuſum.*
*Populi albæ pilulæ, quæ primo foliorum exortu exiliunt, ex melle illitæ.*
*Marini ſcorpionis fel inunctum.*
*Braſſica in cibo ſumpta.*
*Sinapi cum melle inunctum.*
*Anagallidis ſuccus naribus exceptus.*
*Abſinthium cum melle impoſitum.*
*Thymus in cibo ſumptus.*
*Thymbra obſonijs addita.*
*Rutæ ſuccus in malicorio ferueſactus, addito fœniculi ſucco & melle infuſus.*
*Rutæ ſylueſtris ſuccus cum vino, melle, gallinaceorum felle, & fœniculi ſucco iniectus.*
*Solani ſomnifici ſuccus inunctus.*
*Flos ſalis inditus.*

DIOSCORIDIS.
Ad oculorum fluxiones.

*Crocum illitum cum humano lacte.*
*Thus ex oui vitello impoſitum, vel eiuſdem albo.*
*Thuris fuligo impoſita.*

*Picis fuligo illita.*
*Platani tenerrima folia in vino decocta & illita.*
*Ebeni ramenta tenuiſſimè trita indita.*
*Oleæ ſylueſtris foliorum ſuccus iniectus.*
*Cornu ceruinum vſtum lotum & iniectum.*
*Butyri fuligo illita.*
*Amylum impoſitum.*
*Pompholix elota iniecta.*
*Fabæ ſine cortice commanducata, & fronti impoſitæ.*
*Ocimi aquatici ſemen duarum drachmarum pondere ex quatuor mellis cyathis temperatum, inunctum.*
*Elatinæ folia cum polenta impoſita.*
*Squama æris elota iniecta.*
*Plumbum elotum iniectum.*
*Galactites* }
*Morochthus* } *lapis cum lacte iniectus.*
*Samius* }
*Hyoſcyami ſeminis cremor expreſſus infuſus.*
*Sarcocolla infuſa.*
*Alumen impoſitum.*
*Corallium iniectum.*
*Pumex impoſitus.*
*Hæmatites lapis iniectus.*

MATTHIOLI.

*Moſchus in puluerem tritus & impoſitus.*
*Aqua florum liguſtri inſtillata.*
*Tragacanthæ lacryma in collyrijs addita.*

AVRIVM
DIOSCORIDIS
Ad aurium dolores.

*Lauri baccarum ſuccus vino vetere, & roſaceo exceptus inſtillatus.*
*Populneorum foliorum ſuccus infuſus.*
*Ladanum ex vino illitum.*
*Roſarum aridarum decoctum ex vino infuſum.*
*Salicis foliorum & corticis ſuccus cum roſaceo in malicorio ferueſactus illitus.*
*Malorum acidorum punicorum ſuccus cum melle coctus infuſus.*
*Opium cum amygdalino oleo, croco, myrrhaq́; iniectũ.*
*Anguium ſenecta in vino decocta inſtillata.*
*Millepedæ ſiue oniſci conciſi, & cum roſaceo in malicorio calefacti infuſi.*
*Vulpini pulmonis adeps inſtillatus.*
*Vermes terreni cum anſerino adipe elixi inditi.*
*Anſerinus* }
*Gallinaceus* } *adeps inſtillatus.*
*Vulpinus* }
*Vrina* { *Tauri* / *Apri* } *cum myrrha cocta inſtillata.*
*Mel cum trito foſſili ſale infuſum.*
*Seſami ſemen ex roſaceo iniectum.*
*Betæ ſuccus inditus.*
*Plantaginis ſuccus immiſſus in calida materia.*
*Cucurbitæ ramentorum ſuccus cum roſaceo infuſus.*
*Dracunculi utriuſque ſuccus inſtillatus.*
*Porri ſuccus cum aceto, thure & lacte iniectus.*
*Sinapis ſuccus vel eius decoctum inſtillatus.*
*Hederæ & eius corymborum ſuccus cũ oleo inditus.*
*Abſinthium ſuffitum & cum melle impoſitum.*

Origani

*Origani virentis ſuccus cum lacte infuſus.*
*Menthæ ſuccus inditus.*
*Meliloti ſuccus cum paſſo iniectus.*
*Rutæ ſuccus in malicorio ferue factus infuſus.*
*Peucedani ſuccus cum roſaceo inditus.*
*Aparinæ ſuccus iniectus.*
*Marrubij ſuccus in roſaceo inſtillatus.*
*Cannabis domeſticæ ſuccus impoſitus.*
*Polygoni maris ſuccus infuſus.*
*Helxinæ ſuccus inditus.*
*Ocimi aquatici ſuccus cũ ſulphure, & nitro iniectus.*
*Hyoſcyami ſeminis cremor inſtillatus.*
*Solani hortenſis ſuccus impoſitus.*
*Alſinæ ſuccus infuſus.*
*Cucumeris aſinini foliorum ſuccus inditus.*
*Sal cum aceto iniectum.*

MATTHIOLI.

*Oleum Irinum inſtillatum.*
*Oleum Hyoſcyaminũ, cũ caſtoreo, aut croco impoſitũ.*
*Mumia ex Leucoij oleo, aut Hyoſcyamino infuſa.*
*Oleum è nucleis perſicorum inſtillatum.*
*Oleum ſcorpionum immiſſum.*
*Caſtoreum cum mæconio infuſum.*
*Baccarum ſambuci ſuccus, cum melle coctus & inſtillatus.*
*Oleum ex ouorum uitellis.*
*Oleum è colocynthide infuſum.*
*Gliris caro melle ſubacta, & deuorata.*
*Maluæ ſuccus inſtillatus.*
*Sonchi lacteus ſuccus è caule manans, & præſertim in Malicorio cum oleo coctus inſtillatus.*
*Ari ſemen tritum, vel baccarũ ſuccus ex roſaceo impoſitus.*
*Amaraci ſuccus inſtillatus.*

DIOSCORIDIS:

Ad internas aurium inflammationes,

*Crocum iniectum.*
*Seſamum cum roſaceo impoſitum.*

MATTHIOLI.

*Ouum gallinaceum crudum ex roſaceo impoſitum.*
*Oleum ex ouorum vitellis inditum.*
*Cucurbitæ ramentorum ſuccus ex roſaceo inſtillatus.*

DIOSCORIDIS.

Ad parotidas..

*Oeſypum impoſitum.*
*Caprarum montanarum fimus, vino vel aceto decoctus illitus.*
*Lini ſemen tritum, & emplaſtri modo impoſitum.*
*Fabarum farina cum melle, & fœno græco illita.*
*Rumex decoctus adhibitus.*
*Plantago emplaſtri modo adhibita.*
*Irionis ſemen tuſum, decoctumquè appoſitum.*
*Hyſſopum ſuffitu incenſum, & impoſitum.*
*Viſcum cum pari reſinæ, ac ceræ commiſtũ adhibitũ.*
*Althea decocta illita.*
*Pſyllium ex roſaceo, acetoquè aut aqua impoſitum.*
*Solani hortulani folia cum ſale illita.*
*Galiopſis ex aceto adhibita.*
*Cimolia terra impoſita.*

MATTHIOLI.

*Iridis radices recentes decoctæ, tuſæq́; ex hordeacea farina illitæ.*



*Fænogræci farina in hydromelite decocta, & cum axungia impoſita.*
*Aſphodeli radix decocta, & illita.*
*Eryngij radix decocta, & emplaſtri modo adhibita.*

DIOSCORIDIS

Ad tinnitum & incertos ſonos,

*Cedria infuſa.*
*Lauri baccarum ſuccus cum vino vetere & roſaceo inſtillatus.*
*Ficus ſiccæ tritæ cum ſinapi, & liquore aliquo exceptæ iniectæ.*
*Taurinum fel infuſum.*
*Mel cum trito foſſili ſale inditum.*
*Porri ſuccus cum thure, aceto, lacteq́; inſtillatus.*
*Cepæ ſuccus impoſitus.*
*Sinapi tritum & cum fico iniectum.*
*Acetũ calidum ſuffitum per traiectoriũ inſtrumentũ.*

MATTHIOLI.

*Lauri et nardi in vino decocti vapor per infundibulũ immiſſus.*
*Cyclamini cõciſæ radices in roſaceo, amygdalino, chamæmelino, & vini modico calefactæ, auribus inſtillatæ, oleo prius immiſſo.*
*Cyclamini item contuſarum radicum cum perſicorũ, amararũquè amygdalarum nucleis, & deinde triduo aqua vitæ maceratarum expreſſus ſuccus & auribus infuſus.*
*Oleum è colocynthide inſtillatum.*

DIOSCORIDIS.

Ad purulentas aures.

*Myrrha cum Mæconio, caſtoreo & glaucio iniecta.*
*Thus ex vino dulci infuſum.*
*Reſina { Therebintina, Larigna, Abiegna, Picea } ex melle & oleo indita.*
*Lycium infuſum.*
*Rhois decoctum iniectum.*
*Myrti baccarum ſuccus inſtillatus.*
*Oleæ ſylueſtris foliorum ſuccus ex uino infuſus.*
*Taurinũ fel cum caprillo, humanove lacte inſtillatũ.*
*Vrina infuſa.*
*Vmbilicus veneris cum medulla ceruina iniectus.*
*Aſphodeli radicũ ſuccus per ſe, & additis thure, melle, uino, & mirrha inſtillatus.*
*Cæpæ ſuccus impoſitus.*
*Abſinthium cum melle inditum.*
*Aniſum cum roſaceo inſtillatum.*
*Sphondylij florum ſuccus inſtillatus.*
*Polygoni ſuccus infuſus.*
*Stœbis decoctum iniectum.*
*Pſyllij ſuccus inditus.*
*Omphacinum cum melle impoſitum.*
*Alumen ſanguinalis herbæ ſucco exceptum infuſum.*
*Flos ſalis iniectus.*

MATTHIOLI.

*Perſici foliorum ſuccus inſtillatus.*
*Oleum è vitellis ouorum.*
*Burſa paſtoris ſuccus infuſus.*

DIOSCORIDIS.

Ad contuſas aures.

*Bulbi cum polenta impoſiti.*

Sulphur

*Sulphur cum vino & melle illitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad exulceratas aures.

*Oeſypum impoſitum.*

*Suillum fel inſtillatum.*

MATTHIOLI.

*Porrum non tranſplantatum cum terrenis vermibus in oleo decoctum.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſurditatem.

*Haſtulæ regiæ radicum ex oleo decoctum iniectum.*

*Cæpæ ſuccus inſtillatus.*

*Veratrum nigrum immiſſum, & relictum vſque in diem tertium.*

*Bryoniæ ſuccus cum melle inſtillatus.*

*Flos æris conditus per fiſtulam flatu impulſus.*

*Sulphur raptim per fiſtulam ſuffitum.*

MATTHIOLI.

*Oleũ reſinæ laricea, aut ſtillatitia eiuſdẽ aqua infuſa.*

*Fraxini ſpuma è viridi ligno in igne poſito emanãs, inſtillata.*

*Raphani radicis ſuccus vna cum oleo dulcium, & amararum amygdalarum, vino albo & colocynthidis momento calefactus & infuſus.*

*E cæpa excauata & cumini puluere repleta, & ſub feruenti cinere cocta, expreſſus cremor inſtillatus.*

*Oleum è colocynthide infuſum.*

DIOSCORIDIS.

Ad vermiculoſas aures.

*Cedria cum aceto inſtillata.*

*Vrina humana in malicorio decocta inſtillata.*

*Capparis radicis ſuccus iniectus.*

*Calaminthæ ſuccus inſtillatus.*

*Pſyllij ſuccus inditus.*

*Acetum infuſum.*

MATTHIOLI.

*Oleum è laricea reſina deſtillatum, aut eiuſdem aqua infuſa.*

*Foliorum perſici ſuccus inſtillatus.*

*Ficulneum lac infuſum.*

*Perſicariæ ſuccus inditus.*

*Centaurij minoris ſuccus infuſus.*

*Menthaſtri ſuccus inſtillatus.*

*Triſſaginis ſuccus impoſitus.*

*Cannabis decoctum, aut eius ſuccus infuſus.*

NARIVM.

DIOSCORIDIS.

Ad ſanguinis profluuium.

*Thus in puluerem tritum iniectum.*

*Cochleæ terreſtres cũ ſuo putamine tritæ, & impoſitæ.*

*Porri ſuccus cum thuris polline inſtillatus.*

*Ruta trita indita.*

*Vrticæ vtriuſq; folia cum ſucco impoſita.*

*Cuminum ex aceto impoſitum.*

*Ferulæ medulla intromiſſa.*

*Lyſimachia impoſita.*

*Clymeni ſuccus inditus.*

*Galyopſis flos impoſitus.*

*Equiſeti ſuccus infuſus.*

*Acetum tum potum, tum iniectum.*

*Stratiotes adhibita.*

*Chalcitis ſucco porri inſtillata.*

MATTHIOLI.

*Thus cum tela araneæ, oleo & oui vnius albo miſtũ.*



*& cum licinio naribus introductum.*

*Pannus in annoſis laricum caudicibus repertus intromiſſus.*

*Maſtiche cũ thure, ſanguine draconis, leporinis pilis combuſtis oui albo excepta, frontiq; applicata.*

*Caphura cum vrticæ ſemine immiſſa, aut fronti ex ſedi aut plantaginis ſucco illita.*

*Sandaracha puluis ex oui albo fronti, temporibusque illitus.*

*Suberis cortex ex aqua calida potus.*

*Gallæ combuſtæ inditæ.*

*Pili è ventre viui leporis euulſi & vſti intromiſſi.*

*Plantaginis ſtillatitia aqua cum æquali acerrimi aceti portione, manuum volis, pedum plantis, & iocinori applicata.*

*Cæpæ ſuccus ex aceto perquàm acerrimo infuſus.*

*Cyclamini ſtillatitia aqua naribus ſurſum tracta.*

*Menthæ florẽtis ſtillatitia aqua balneo calentis aquæ deſtillata, vnciarum quatuor pondere pota.*

*Betonicæ folia cum ſalis momento contuſa naribus immiſſa.*

*Clematis recens collo gulæq; circumducta.*

*Conſolida minor, & media.*

*Sanicula.*

*Auricula vrſi.*

*Piloſella.*

*Pyrola.*

*Millefolij ſicci farina naribus indita.*

*Exuſta ſambuci folia & in puluerem trita.*

*Gypſum tritum, & oui albo exceptum, & frõti illitũ.*

*Iaſpis lapis ſuſpenſus, & in manu geſtatus.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſanguinem è naribus eliciendum.

*Crocodilij radicis decoctum bibitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad polypum.

*Cupreſſi pilulæ cum fico tuſæ, & impoſitæ.*

*Dracunculi maioris radix impoſita.*

*Laſerpitij liquor cum chalcantho, aut raſili ærugine illitus, forcipe prius exciſo polypo.*

*Flos æris inditus.*

*Sandaracha cum roſaceo immiſſa.*

MATTHIOLI.

*Ari radicis ſuccus.*

*Ari folia combuſta.*

DIOSCORIDIS.

Ad narium vlcera & Carcinomata.

*Dracunculi maioris radix impoſita.*

*Hederæ ſuccus infuſus.*

*Sandaracha cum roſaceo iniecta.*

DIOSCORIDIS.

Ad narium tædia.

*Aurantiorum florum aqua infuſa.*

DIOSCORIDIS.

Ad narium deſtillationes.

*Melanthij ſemen tritum, & in linteolo colligatum ſæpe ac ſæpius olfactum.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſternutamenta cienda.

*Fibrorum teſticuli iniecti.*

*Ocymi ſemen, aut ſuccus naribus infuſus.*

*Sinapi tritum inditum.*

*Ranunculi radix ſicca, tritaq; iniecta.*

*Ptarmicæ flores olfacti.*

### ORIS, ET LINGVAE.

*Struthij radix impoſita.*

### MATTHIOLI.

*Betæ ſuccus infuſus.*

### ORIS, ET LINGVAE.

### MATTHIOLI.

Ad fœtorem oris.

*Iridis radix manſa.*
*Acorum deuoratum.*
*Galanga in ore detenta.*
*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*
*Moſchus in ore contentus.*
*Moſchardina ita vulgò vocata in ore ſeruata.*
*Caryophylli manſi.*
*Angelica radix manſa.*
*Aurum in ore contentum.*

### MATTHIOLI.

Ad puſtulas.

*Bellidis folia commanſa.*

### DIOSCORIDIS.

Ad erodentia vlcera.

*Cyperi radicis farina in os indita, etiamſi vlcera depaſcantur, vorentq́.*
*Aſpalathi ex vino decoctum ore collutum ad tetra oris vlcera.*
*Acacia indita.*
*Plantaginis ſuccus in ore detentus.*
*Capparis in aceto decocta in collutione.*
*Glycyrrhizæ ſuccus in ore detentus.*
*Origani ſuccus in ore contentus.*
*Leucoij flores ex melle impoſiti.*
*Teſticulus ſerapias impoſitus.*
*Anthemis manſa.*
*Britanicæ ſuccus infuſus.*
*Tribuli ſuccus ex melle delinctus.*
*Rubi decoctum in ore contentum.*
*Quinquefolij radicis decoctum ore collutum.*
*Verbenaca altera ex vino affuſa.*
*Staphyſagria cum melle indita.*
*Labruſcæ flos ore inſperſus.*
*Alumen cum melle impoſitum.*
*Sal cum polenta toſtum & iniectum.*

### MATTHIOLI.

*Aqua, quæ è perforato Betulæ caudice diſtillat in ore contenta.*
*Ligustri folia commanſa.*
*Aurum in ore contentum.*
*Malorum punicorum vinum cum aqua plantaginis collutum.*
*Oleum è chalcantho illitum.*
*Diphryges.*
*Corallium.*
*Achates lapis in ore detentus.*
*Fagi folia eſitata.*
*Pruni ſylueſtris baccarum, & radicum decoctum in ore contentum.*
*Mororum ſuccus in collutionibus, aut gargariſmatibus additum.*
*Portulaca commanſa.*
*Cyani maioris ſuccus in ore detentus.*
*Flos ſalis in vino decoctus.*
*Bellidis folia commanſa.*
*Conſolidæ mediæ, minorisq́ folia, vel eorum ſuccus.*
*Sanicula.*

### ORIS, ET LINGVAE.

*Auricula vrſi.*
*Virgæ aureæ decoctum.*
*Piloſella.*
*Potentilla.*

### DIOSCORIDIS.

Ad halitum commendandum.

*Reſina lentiſcina manducata.*
*Myrrha manſa.*
*Mala medica manducata.*
*Aniſum manſum.*
*Bromus cum ſiccis roſis decocta, in ore retenta.*

### MATTHIOLI.

*Citri decoctum collutum.*
*Nux myriſtica commanducata.*
*Sonchi folia commanſa.*
*Caryophylli manſi.*
*Anethum commanſum.*
*Imperatoriæ radix commanducata.*
*Roſmarinum manſum.*

### DIOSCORIDIS.

Ad linguæ ſcabritiem.

*Mentha confricata.*
*Rhois ſemen cum melle fricatum.*

### MATTHIOLI.

*Mucago ſeminis cydoniorum illita.*
*Sebeſtena delibrata & ſuperpoſita.*
*Tamarindorum pulpa confricata.*
*Saccharum candi in ore detentum.*
*Cucumeris recentis ſegmina impoſita.*
*Anguriæ pulpa admota.*
*Phyllitidis ſtillatitia aqua.*
*Solidaginis minoris decoctum.*

### MATTHIOLI.

Ad linguæ inflammationem.

*Cucumeris recentis, vel Anguriæ ſegmina impoſita.*
*Anguriæ pulpa adhibita.*
*Lentiſcinum oleum.*
*Trinitas herba in vino auſtero decocta.*

### MATTHIOLI.

Ad paralyſin linguæ.

*Mumia tum bibita tum confricata.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua in ore detenta.*
*Pyrethri & longi piperis decoctum, addito Amaraci ſucco & in ore retentum.*
*Sagapenum.*
*Pæoniæ ſeminis triginta grana à putamine repurgata, contritaq́ & ex vino pota.*

### MATTHIOLI.

Ad impeditam loquelam.

*Nardi Italicæ, aut lauendulæ ſtillatitia aqua pota.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua tũ pota tũ in ore cõtenta.*

### MATTHIOLI.

Ad puſtulas.

*Malorum punicorum vinũ ex Rhodomelle & aqua plantaginis adhibitum.*
*Plantaginis ſuccus illitus.*

### DENTIVM ET GINGIVARVM.

### DIOSCORIDIS.

Ad dentes purgandos.

Cinis {
*Purpuræ*
*Buccinæ*
*Mitulorum*
*Conchulæ*
*Cochlearũ terreſtriũ*
*Sepiæ piſcis*
*Ceruini cornu*
} *dentib. affricatus.*

*Planta-*

Plantaginis radicis decoctum in collutionibus.
Ariſtolochia rotunda confricata.
Alcyonium quintum.

Pumex / Samius lapis / Arabicus lapis } dentibus affricata.

MATTHIOLI.

Gammarorum lapilli in puluerem triti & affricti.
Maluæ radix ſub cinerib. decocta madida papyro circumuoluta, deinde ſiccata & pro dentifricio vſurpata.
Cyclamini ſuccus cum melle illitus.

DIOSCORIDIS.
Ad dentium dolores.

Piceæ & pini folia trita ex aceto decocta frequenti collutione.
Cedria dentium cauis indita.
Platani corticis ex aceto decoctum ore collutum.
Tamaricis foliorum ex vino decoctũ in ore detentũ.
Olei amurca in cupreo vaſe ad mellis craſſitiem decocta ex aceto, aut vino, aut mulſo colluta.
Mori corticis decoctum, aut pariter foliorum in collutionibus adhibitum.
Ficulneũ lac lana exceptum & cauis dentibus inditũ.
Anguium ſenecta ex aceto decocta in collutionibus.
Paſtinacæ piſcis aculeus in eius cauda prominens dentibus adhibitus.
Ranarum ex aqua & aceto decoctũ in collutionibus.
Lacertæ iecur cauis dentium impoſitus.
Vermes terreni oleo elixi, & in contrariam aurem inſtillati.
Rumicis decoctum in collutionibus.
Aſparagi radicum decoctum in ore contentum.
Aſphodeli radicum ſuccus in contrariã aurẽ infuſus.
Allij, tedæ, thuriſq; ſimul decoctum in ore cõtentum.
Ononis radicis ex poſca decoctum in collutionibus.
Capparis ſemintis decoctum in collutionibus.
Idem præſtat capparis cortex, quin & radix commãducata.
Lepidij (vt aiunt) radix collo ſuſpenſa.
Ranunculi radix impoſita.
Anagallidis ſuccus in contrariam narium partem infuſus.
Hederæ corymborum acini quinque cum roſaceo in malicorio feruefacti, in contrariam aurem inſtillati.
Chamæleonis nigri decoctum in ore contentum.
Spinæ albæ decoctum in collutionibus.
Leucacanthæ radix commanducata.
Abſinthij decoctum ſuffitum.
Hyſſopi ex aceto decoctum in ore retentum.
Panaces heracleum dentium cauis inditum.
Pyrethri decoctum ex aceto in ore acceptum.
Peucedani ſuccus cauis dentium inditus.
Nigellæ decoctũ, vna cũ teda ex aceto in ore detentũ.
Laſerpitij liquor cauis dentium impoſitus.
Galbanum illitum & eorum cauis inditum.
Apiaſtri decoctum in collutionibus.
Althææ decoctum ex aceto in ore detentum.
Betonicæ decoctum ex vino, vel aceto.
Clematis prima commanducata.
Polemonij radix commanducata.
Quinquefolij radicis decoctum in ore retentum.
Hyoſcyami radicis ex aceto decoctũ in collutionibus.
Solani ſomnifici ex vino decoctum in ore retentum.
Ephemeri radicis decoctum in collutionibus.
Verbaſci decoctum collutum.
Arction ex vino decocta, & in ore detenta.
Cucumeris ſylueſtris decoctum in os ſumptum.
Colocynthidis decoctum in collutionibus.
Staphiſagriæ decoctum ex aceto in ore contentum.
Tithymali caraciæ lac dentium cauernis inditũ, dente prius cera munito, ne lac in fauces incidat.
Acetum calefactum in collutionibus.
Sory dentium cauis inditum.

MATTHIOLI.

Maſtiche cum cera odorata manſa.
Cupreſſi conorum decoctum ex aceto collutum.
Sandaracæ ſuffitus per infundibulum exceptus.
Iuniperinum oleum calidum ore contentum.
Quinta eſſentia noſtra lib. 5. commen. de vino deſcripta, in ore contenta.
Betonicæ decoctum ex vetere vino paratum, in ore detentum.
Iuniperinarum baccarum ex vino albo decoctum, additis cupreſſi pilulis & myrti folijs, & aqua vitæ momento ſæpe collutum.
Myricæ decoctum ore verſatum.
Caſtoreum ex oleo auri dolentis lateris infuſum.
Calli equorum cruribus innati triti, & per aurem ex oleo infuſi.
Plantaginis radix commanſa, quinetiam dentium collutionibus incocta.
Sinapis ſemen manſum.
Naſturtij ſuccus calidus in aurem dolentis lateris inſtillatus.
Cyclamini ſuccus cum melle in ore detentus.
Iridis radix manſa, & eius decoctum collutum.
Nardi Italicæ, aut lauendulæ decoctum ore contentũ.
Hyoſcyaminum oleum ore contentum tepidum.
Imperatoriæ radicum decoctum ex vino auſtero paratum.
Roſmarini decoctum ex vino auſtero & aceto.
Biſtortæ radicum puluis, cum aluminis & pyrethri momento cauis dentium inditus.
Potentillæ decoctum ore collutum.
Millefolij folia commanducata.
Angelicæ radix manſa, & dentium cauis impoſita.
Calthæ aridæ puluis dentium cauis inditus.

DIOSCORIDIS.
Ad dentes carioſos frangendos.

Cedria eorum cauitatibus indita.
Amurca olei cum omphacio recocta ad mellis craſſitudinem & impoſita.
Paſtinacæ piſcis aculeus impoſitus.
Ranunculi radix iniecta eorum cauitatibus.
Chamæleonis nigri radix cauernis dentium indita.

MATTHIOLI.

Cyclamini ſuccus cum melle in ore detentus.
Chelidonij maioris ſuccus inditus.

DIOSCORIDIS.
Ad firmandos commotos dentes.

Lentiſci decoctum in ore contentum.

*Colymbadum muria in collutionibus adhibita.*
*Sylueſtris oleæ oleum in ore contentum.*
*Sory in collutionibus.*
*Alumen cum aceto & melle ſolutum & adhibitum.*

MATTHIOLI.

*Criſpini baccarum ſuccus in ore detentus.*
*Viburni foliorum ex poſca decoctum collutum.*
*Meſpilorum decoctum ore contentum.*
*Virga ſanguineæ baccæ admotæ.*
*Cornorum,& ſorborum decoctum.*
*Gammarorum lapilli contriti & leuiter affricti.*
*Portulaca commanſa.*
*Helenium à ieiunis commanducatum,ſed illud eſſe oportet,quod erutum terram non contingat.*
*Virgæ aureæ decoctum.*
*Potentilla.*
*Fragaria,& eius radicum decoctum ex vino auſtero*
*Corallij puluis affrictus.*

MATTHIOLI.
Ad dentionem facilitandam.

*Lapis è capite limaciarum ſine teſtis exiſtentium ademptus,& adalligatus.*

DIOSCORIDIS.
Ad dentitiitium torporem.

*Portulaca commanducata.*

DIOSCORIDIS.
Ad fluidas gingiuas.

*Cyperi farina impoſita.*
*Roſarum aridarum ex vino decoctarum expreſſus liquor,in collutionibus impoſitus.*
*Colymbadum muria in ore contenta.*
*Oleum ſylueſtris oleæ in ore detentum.*
*Gallæ quoquo modo adhibitæ.*
*Mali punici florentis cytini in decoctis macerati & in collutionibus additi.*
*Prunorum foliorum decoctum in ore retentum.*
*Lac aſininum in collutionibus.*
*Pulegium ſiccatum,crematumq́; & in puluerem tritum appoſitum.*
*Rubi decoctum in ore detentum.*
*Staphiſagriæ decoctum in collutionibus.*
*Omphacium cum melle impoſitum.*
*Acetum in collutionibus adhibitum.*
*Rubigo ferri adhibita.*
*Alumen quocunque modo adhibitum.*
*Sal toſtum cum polenta impoſitum.*
*Alabaſtrites* } *Lapis tritus impoſitus.*
*Smyris* }

DIOSCORIDIS.
Ad eroſas putridasq; gingiuas.

*Cancamum impoſitum.*
*Lycium attritum impoſitum.*
*Plantaginis ſuccus in ore detentus.*
*Aloe ex vino & melle illita.*
*Tribuli vtriuſque fructus ex melle impoſitus.*
*Labruſcæ florũ combuſtorum cinis cum melle illitus.*
*Acetum in collutionibus.*
*Chalcitis* }
*Alumen* } *trita & impoſita.*
*Pumex* }
*Aerugo* }

MATTHIOLI.

*Cochlearum putaminum exuſtorum cinis infrictus.*

*Cicer columbinum aqua maceratum, & deinde contuſum,& illitum.*
*Potentilla quouis modo vſurpata.*
*Fragariæ herbæ,& radicum decoctum.*
*Punicorum malorum vinum ex Rhodomelle,& plãtaginis aqua.*
*Corallij puluis illitus.*

GVTTVRIS ET GVLAE.
DIOSCORIDIS.
Ad Anginam.

*Pix liquida peruncta.*
*Mori fructus ſuccus in æreo vaſe decoctus,inſolatusq́; cum mellis exiguo illitus.*
*Multipedæ ſiue Onoſcij ex melle inuncti.*
*Cinis crematarum hirundinum ex melle more emplaſtri adhibitus.*
*Hirundines ſale inueteratæ drachmæ vnius pondere cum aqua potæ.*
*Fel taurinum cum melle inunctum.*
*Fel teſtudinis illitum.*
*Acetum gargarizatum.*
*Mel gargarizatum.*
*Capæ ſuccus inunctus.*
*Abſinthium cum melle & nitro illitum.*
*Piper cum melle inunctum.*
*Raphani ſemen ex aceto mulſo gargarizatum.*
*Hyſſopi cum fico decoctum gargarizatum.*
*Laſerpitij liquor cum mulſa aqua gargarizatus.*
*Violæ purpureæ ex aqua coctæ,& potæ.*
*Elaterium efficaciſſime illinitur cum melle,vetere oleo,aut felle taurino.*
*Sal ex melle,oleo & aceto illitum.*
*Spartij ſuccus è ramis in aqua maceratis,& mox tuſis extractus,& illitus.*

MATTHIOLI.

*Mumia cum oxymelite gargarizata.*
*Mororum ſuccus illitus.*
*Succinum ſuffitum & eius fumus per infundibulum in os receptum.*
*Cochleæ cum acu vulneratæ ſuccus cum penna illitus.*
*Viperæ caput in linteolo colligatus collo ſuſpenſus.*
*Caninum ſtercus fiſtula inſufflatum.*
*Virgæ aureæ decoctum gargarizatum.*
*Ebuli radicum ſuccus circa gulam calidus cũ linteolis illitus.*

DIOSCORIDIS.
Ad Gutturis inflammationes.

*Cinis crematarum hirundinum ex melle more emplaſtri applicitus.*
*Lac gargarizatum.*
*Rana oleo elixa ceruicis & colli abſceſſibus illita.*
*Mel illitum.*
*Origani virentis ſuccus gargarizatus.*
*Helxine ſuccus gargarizatus,forisq́; inunctus.*
*Vrticæ vtriuſque ſuccus gargarizatus.*
*Chalcitis impoſita.*
*Alumen illitum.*
*Sal toſtum cum melle inunctum.*
*Acetum gargarizatum.*
*Aloe cum vino aut melle impoſita.*
*Britannicæ ſuccus illitus.*
*Tribuli fructus ex melle impoſitus.*

Rubi

*Rubi mororum ſuccus gargarizatus.*
*Ficuum ſiccarum decoctum gargarizatum.*

MATTHIOLI.

*Caſſia ſolutiua pulpa inſumpta.*
*Creſpini baccarum ſuccus gargarizatus.*
*Vuæ ſpinæ ſuccus.*
*Ribis vulgaris ſuccus.*
*Lactucæ ſuccus cum punici mali ſucco gargarizatus.*
*Trinitas herba in vino auſtero decocta.*
*Virgæ aureæ decoctum gargarizatum.*
*Ebuli radicum ſuccus circa gulam calidus cum linteolis illitus.*
*Malorum punicorum vinum ex roſarum aut plantaginis aqua gargarizatum.*

DIOSCORIDIS.

Ad prolapſam columellam.

*Laſerpitij liquor cum melle inunctus.*
*Pruni foliorum ex vino decoctum, gargarizatum.*
*Omphacium impoſitum.*
*Acetum gargarizatum.*
*Flos æris in puluerem ſubtiliſſimum impoſitus.*

MATTHIOLI.

*Pix liquida calefacta vnà cum thure, & maſtiche deraſo occipitio adhibita.*
*Lauri baccæ cum cumino, hyſſopo, origano, & euphorbio melle exceptæ, & ſummo capiti calidæ applicatæ.*
*Viburni decoctum gargarizatum.*
*Cochleæ putamen vſtum, & inſperſum.*
*Phyllitidis ſtillatitia aqua gargarizata.*
*Virgæ aureæ decoctum gargarizatum.*
*Conſolida minor, & media.*
*Sanicula.*
*Auricula vrſi.*
*Piloſella.*
*Potentilla.*
*Pyrola.*
*Punicorum malorum vinum cum aqua plantaginis gargarizatum.*

DIOSCORIDIS.

Ad gulæ deſtillationes.

*Papaueris vaſculorum decoctũ ex melle in eclegmatis formam redactum, ſæpiusq; linctum.*
*Acetum gargarizatum.*
*Bdellium cum ieiuna ſaliua dilutum & illitum.*
*Verbenaca altera ex vino gargarizata.*
*Omphacium impoſitum.*
*Flos æris pulueriżatus, & impoſitus.*
*Alumen impoſitum.*

MATTHIOLI.

*Creſpini baccarum ſuccus* }
*Meſpilorum decoctum* } *in gargariſmatibus.*
*Pruni ſylueſtris baccæ, & eius radices in gargariſ. additæ.*
*Tragacantha lachryma delincta.*
*Punicorum acidorum malorũ vinum gargarizatũ.*

DIOSCORIDIS.

Ad faucium & tracheæ aſperitates.

*Myrrha linguæ ſubdita, ibiq; liquata.*
*Ptiſana hordeacea gargarizata.*
*Amylum delinctum.*
*Sinapis ſuccus gargarizatus.*
*Glycyrrhizæ ſuccus linguæ ſubditus.*
*Tragacantha in eclegmate cum melle ſumpta.*
*Laſerpitij liquor aqua dilutus in delinctu.*
*Symphytum petræum commanducatum.*
*Quinquefolij radicis decoctum gargarizatum.*
*Aethiopis cum melle in eclegmate.*
*Lac gargarizatum.*
*Licium attritum & delinctum.*

MATTHIOLI.

*Caſſia ſolutiua pulpa inſumpta.*
*Oleum amygdalarum dulcium.*
*Oleum ſeſaminum.*
*Cochleæ illotæ coctæ, tritæ, & ex paſſo potæ.*
*Oui album inſumptum crudum.*
*Maluæ cum foliorum, tum radicum decoctum gargarizatum.*
*Atriplex coctum deuoratum.*
*Phyllytidis ſtillatitia aqua.*
*Solidago minor ex aceto, & aqua roſacea decocta, & in ore colluta.*

PECTORIS, ET PVLMONIS.

DIOSCORIDIS.

Ad cruenta ſputa & ſanguinis reiectionem.

*Ouum tepidum bibitum.*
*Cornu ceruini cinis lotus & ebibitus cũ tragacantha.*
*Clymenum potum.*
*Serpylli ſuccus drachmarum duarum pondere cum aceto potus.*
*Fimum caprinum tritum in vino, aquauè potum.*
*Triticea farina glutinis modo elixa in delinctu data.*
*Amylum potum.*
*Ferulæ viridis medulla pota.*
*Portulaca ad ſummum cocta deuorata.*
*Plantago quoquo modo exhibita, præſertim ſuccus.*
*Eiuſdem ſemen potum.*
*Porri ſemen drachmarum duarum pondere cum paribus myrti baccis.*
*Agaricus triũ obolorum pondere cũ aquamulſa potus.*
*Rhaponticum hauſtum.*
*Lyſimachiæ ſuccus hauſtus, & perfuſus.*
*Centaurij maioris radix pota.*
*Spinæ albæ radix hauſta.*
*Arabicæ ſpinæ radix pota.*
*Aloe cochlearium duorum pondere cum frigida aqua vel ſero pota.*
*Polygoni maris ſuccus potus.*
*Saluiæ ſuccus in orbiculos cõcretus cũ melle ſumptus.*
*Symphytum petræum cum aqua potum.*
*Menthæ ſuccus cum aceto potus.*
*Althea decoctum potum.*
*Betonicæ folia trium obolorum pondere in diluta vini potione hauſta.*
*Symphyti alterius radix pota.*
*Achillea hauſta.*
*Tragi cacumina decem in vino bibita.*
*Perſonatæ radix cum pineis nucibus pota.*
*Iſopyri ſemen potum.*
*Adianthum potum.*
*Trichomanes pota.*
*Vitis viniferæ foliorũ & capreolorum ſuccus hauſtus.*
*Labruſcæ flores poti.*
*Omphacium parcè potum.*
*Corallium hauſtum.*

Hæmatites lapis. }
Morachthus lapis } cum mali punici ſucco pota.
Samia terra }

MATTHIOLI.

Thus potum.
Maſtiches in potu.
Mumia hauſta.
Iuniperi gummi hauſtum.
Succinei paſtilli exhibiti.
Liguſtri florum aqua pota.
Creſpini baccarum ſuccus hauſtus.
Hypociſtis potui data.
Rhodoſaccharum.
Quercus foliorum ſtillatitia aqua pota.
Glandes & galla in potionibus datæ.
Suberis corticis cinis hauſtus.
Caſtanearum tenuior tunica in puluerem hauſta.
Perſici lachryma ex aqua plantaginis, aut portulacæ pota.
Meſpili folia in puluerem trita, & potui data.
Virga ſanguineæ baccæ.
Corna.
Sorba.
Cochleæ elixæ, & pro cibo ſumptæ.
Plataginis ſuccus addito armenio bolo, aut hæmatite.
Burſæ paſtoris & plantaginis decoctum ex pluuiali aqua, addito armenio bolo.
Cyclamini radicis ſtillatitia aqua ſenarum unciarū pondere, unà cum ſacchari albiſſimi uncia pota.
Ophiogloſſon ex aqua equiſeti potum.
Rhabarbarum drachmæ pondere cum mumiæ momento potum.
Tragacanthæ lacbryma inſumpta.
Saluiæ ſuccus potus.
Flos ſolis unà cum radicibus contuſus & potus.
Hyperici ſeminis farina è polygoni ſucco hauſta.

Piloſella }
Conſolida minor }
Conſolida media }
Sanicula }
Auricula vrſi }
Caryophyllatæ radix } quouis modo hauſta.
Lagopi ſemen }
Virga aurea }
Potentilla }
Pyrola }

Pulmonariæ ſuccus potus, & herba ipſa quocunque modo vſurpata.
Amaranthi purpurei flos potus.
Millefolij ſuccus, aut ſicci farina ex ſymphyti maioris aut plantaginis aqua pota.
Punicorum malorum vinum ex aqua portulacæ, aut roſarum pota.
Corallium ſumptum.
Iaſpis lapis ſuſpenſus, aut iocinori admotus.

DIOSCORIDIS.
Ad phthiſin.

Piſtacia }
Pineæ nuces } per ſe aut ex melle ſumptæ.
Terebinthina reſina per ſe, vel ex melle more eclegmatis deuorata.



Pix liquida in eclegmate ex melle cyathi menſura deuorata.
Iuniperi baccæ hauſtæ.
Lauri baccæ tritæ cum melle, & cum paſſo deuoratæ.
Ficus ſiccæ cum hyſſopo feruefactæ, & potæ.
Cancri fluuiatiles elixi cum ſuo iure ſumpti.
Lac humanum ex vbere ſuctum.
Ius eſculentum omnium adipum datum.
Plantago in potu exhibita.
Porrum cum melle decoctum.
Agaricus drachmæ pondere ſumptus cum paſſo.
Acanthi radices potæ.
Marrubij folia, ſiue expreſſus ſuccus potus.
Betonicæ folia cum melle data.
Myrrhis in ſorbitione pota.
Aſij lapidis flos ex melle delinctus.

MATTHIOLI.

Larigna reſina in eclegmate delincta.
Pinei nuclei cum melle, aut ſaccharo exhibiti.
Cochleæ nemorales à mucagine repurgatæ, & ex lacte bubulo decoctæ, vnà cum tuſſilagine, & cibi loco propinatæ.
Ranæ ex capi, aut gallinæ iure decoctæ, deuoratæ.
Gallorum iuuenum teſtes in cibo vſurpati.
Braſſica percocta frequenter deuorata.
Melopeponum ſeminum cremor hauſtus.
Glycyrrhizæ radix, & eius ſuccus.
Veronica mas.
Saluiæ catapotia: vide ſaluiæ commentarium.
Geranij primi radix ex vino pota.
Pulmonariæ ſuccus frequenter potus, aut herba ipſa quocunque modo vſurpata.
Vuæ paſſæ in cibis deuoratæ.
Armenia terra quoquo modo ſumpta.
Corallium potum.
Hæmatites lapis ſumptus.

DIOSCORIDIS.
Ad pulmonis abſceſſus.

Semen cyclaminis ſecundæ ſpeciei quadraginta diebus potum.
Tragoriganum cum melle in eclegmate exhibitum.
Tuſſilaginis ſiccæ, incenſæq; fumus ore hauſtus apoſtemata interna pectoris rumpit.

MATTHIOLI.

Muſtelarum pulmo deuoratus.
Vulpinus item pulmo in puluerem tritus.
Fœnugræci decoctum potum.
Pulmonaria frequenter ſumpta.

DIOSCORIDIS.
Ad ſuſpirioſos.

Lauri baccæ tritæ cum melle, vel paſſo & exhibitæ.
Ficus ſiccæ cum hyſſopo decoctæ & potæ.
Vulpinus pulmo exiccatus bibitus.
Ius ſenum gallorum potum.
Vinum hyſſopites bibitum.
Plantago cum lenticula decocta comeſta.
Rhaponticum bibitum.
Aqua mulſa pota.
Ariſtolochia rotunda bibita.
Centaurij maioris radix pota.
Hyſſopū decoctū cum fico, aqua, melle, rutaq́; potum.
Stœchas ex aqua decocta pota.

Pule-

*Pulegium cum melle & aloe potum.*
*Scylla ex melle trium obolorum pondere delincta.*
*Thymi cum melle decoctum potum.*
*Satureia eodem modo pota.*
*Baccharis radicis decoctum potum.*
*Ruta pota.*
*Peucedani ſuccus in ouo ſumptus.*
*Nigellæ in vino pota.*
*Galbanum deglutitum.*
*Marrubij decoctum, ſiue expreſſus ſuccus potus.*
*Parthenium ex oxymelite ſumptum.*
*Anagyris folia cum paſſo bibita.*
*Periclymeni ſemen potum cum vino.*
*Adianthi potum decoctum.*
*Fidicula, ſiue trichomanes hauſta.*
*Elaterium optima ſuſpirioſis eſt purgatio.*
*Thapſiæ ſuccus exhibitus.*
*Bryonia cum melle in eclegmate ſumpta.*
*Sandaracha non reſina in catapotijs data.*
*Sulphur in ouo ſumptum, vel ſuffitum.*
*Agaricum drachmæ vnius pondere datum.*
*Cancamum hauſtum ex aqua vel mulſo.*

MATTHIOLI.

*Iridis radicis decoctum potum.*
*Iridis radices ſaccharo conditæ aſſeruatæ.*
*Phu, ſiue valeriana, præſertim cum dulci radice, vuis paſſis & aniſi ſemine cocta.*
*Cubebæ deuoratæ.*
*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*
*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa cum decocto hyſſopi pota.*
*Balſami factitij liquores, & oleum.*
*Helenium conditum ſepè deuoratum.*
*Oleum amygdalinum.*
*Oleum cnicinum.*
*Pinei nuclei melle, aut ſaccharo excepti, & deuorati.*
*Larigna, aut terebinthina reſina epota.*
*Pix ex melle lincta.*
*Perſici lachryma ex mulſo, aut bechij decocto pota addito croci momento.*
*Amygdalæ.*
*Nuclei pinei.*
*Oleum de nucibus Indicis.*
*Cochleæ magnæ ſemicoctæ deuoratæ, primo die vna, ſequenti duæ, tertio tres, quarto duæ, quinto vna.*
*Braſſicæ caulium medulla ex cremore amygdalino decocta & cum melle in eclegmate parata.*
*Sonchi lacteus ſuccus in potu ſumptus.*
*Traſorum cremor è carnium iure paratus, potus.*
*Porrum coctum, & ex melle delinctum.*
*Cepa elixa, aut ſub prunis toſta, & cum ſaccharo deuorata, & butyri recentis momento.*
*Sinapis ſemen in cibo vel potione exhibitum.*
*Ari radix decocta, melleq; excepta deuorata.*
*Eadē cineribus toſta, & ex amygdalino oleo exhibita.*
*Agaricum in potionibus additum.*
*Gentiana & eius aqua ſtillatitia.*
*Ariſtolochia rotunda.*
*Glycyrrhizæ radix & eius ſuccus.*
*Veronica mas.*
*Saluia.*
*Gattaria.*
*Hyſſopum.*
*Menthaſtrum.*
*Calamintha.*
*Amaraci decoctum.*
*Imperatoriæ radix.*
*Senæ decoctum vel dilutum potum.*
*Sagapenum ex Helenij, aut hyſſopi decocto potum.*
*Botrys decoctum, aut ipſa herba, ex dulcis radicis decocto pota.*
*Armenia terra delincta.*
*Vtriuſque ſecuridacæ ſemen ex melle, aut defruto delinctum.*
*Stibium noſtrum potum.*
*Scabioſa quoquo modo vſurpata.*
*Cnici ſeminis medulla ſaccharo eclegmatis modo excepta.*
*Quinta eſſentia noſtra cum iulapio violaceo frequēter pota.*

DIOSCORIDIS
Ad tuſsim.

*Iris illyrica aſſumpta.*
*Cardamomum ex aqua potum.*
*Cinnamomum deuoratum vel potum.*
*Calamus odoratus ſuffitus per ſe, vel ex reſina terebinthina.*
*Helenij eclegma ex melle deglutitum.*
*Myrrha ad quantitatem fabæ deuorata.*
*Styrax* } *data in eclegmate.*
*Bdellium* }
*Terebinthinæ reſina ex ſe, vel ex melle eclegma delinctum.*
*Maſtix pota.*
*Iuniperi bacca bibita.*
*Cedri fructus deuorati.*
*Paliuri ſemen potum.*
*Ladanū in medicamentis, & malagmatibus inſertū.*
*Ceraſi gummi cum vino diluto exhauſtum.*
*Amygdala amara cū melle, & lacte in illinctu datæ.*
*Gummi amygdalarum amararū cū vino diluto potū.*
*Nuces auellanæ cum aqua mulſa potæ.*
*Ficus ſiccæ deuoratæ.*
*Chamædryos decoctum potum.*
*Scordium potum.*
*Tuſſilago ſicca ſumpta, ſiue incēſa, accepto fumo per os.*
*Propolis ſuffita.*
*Mel deglutitum.*
*Farina tritici glutinis modo elixa, & ad lingendū cū mentha, & butyro data.*
*Farinæ auenæ cremor in ſorbitione receptus.*
*Semen lini cum melle, & pipere ſumptum.*
*Fabæ in cibis accepta.*
*Raphanꝰ elixꝰ mādncatus, præſertim in vetere tuſſi.*
*Dracunculi maioris radix toſta, & elixa deuorata.*
*Aſphodeli radix trium drachmarum pondere pota.*
*Allium crudum & coctum aſſumptū in veteri tuſſi.*
*Irionis ſemen cum melle linctum.*
*Piper delinctu acceptum.*
*Scilla cum melle in eclegmate in diutinis tuſſibus.*
*Centaurij maioris radix hauſta, in antiqua.*
*Tragacantha in eclegmate cum melle.*
*Hyſſopum cum melle, fico, rutaq; ex aqua decoctum.*

*Stœchas eodem modo parata.*
*Origanum in eclegmate cum melle linctum.*
*Tragoriganum eodem modo paratum.*
*Baccharis radicum decoctum potum, in diutina.*
*Panaces cum vino dulci potum.*
*Seſelis Maſsilienſis radix, & ſemen hauſtum.*
*Smyrnij radix comeſta.*
*Dauci ſemen potum in diutina.*
*Peucedani ſuccus in ouo ſumptus.*
*Laſerpitij liquor in ſorbili ouo datus.*
*Marrubij decoctum, ſiue expreſſus ſuccus bibitus.*
*Galbanum deglutitum, in vetere.*
*Helxinæ ſuccus cyathi pondere bibitus in diutina.*
*Equiſeti radix, & herba pota.*
*Iunci decoctum bibitum.*
*Papaueris vaſcula in aqua ad dimidium decocta, decoctóq; addito melle, vt eclegma fiat ad lingendũ.*
*Hyoſcyami ſemen potum.*
*Verbaſci decoctum potum, in antiqua.*
*Cacaliæ radix vino madefacta comeſta.*
*Bryonia cum melle in eclegmate delincta.*
*Vuæ paſſæ albæ caro exiccata deuorata.*
*Aqua mulſa pota.*
*Thapſia illita.*
*Vinum hyſſopites bibitum.*
*Sandaracha ſuffita cum reſina, accepto vapore per fiſtulam vel traiectorium.*
*Sulphur in ouo ſumptum, vel ſuffitum.*

MATTHIOLI.

*Acori decocti vapor hianti ore exceptus.*
*Phu radix cum dulci radice, vuis paſſis & ſemine aniſi cocta.*
*Caſsia ſolutiuæ pulpa cum decocto hyſſopi ſumpta.*
*Helenium conditum deuoratum.*
*Eiuſdem ſicci farina ſumpta.*
*Oleum dulcium amygdalarum potum.*
*Catapotia. X. ex thuris drachma, & agarici ſcrupulis quaternis cum hyſſopi ſucco formata, & ex iis vnum ad introitum lecti ſumptum.*
*Larigna reſina in eclegmate delincta.*
*Nuclei pinei melle & ſaccharo excepti & deuorati.*
*Mumia ex zizyphar. hordei. & myxor. decoct. epota.*
*Cupreſſini coni impari numero minutiſsime triti, & ex vino vetere hauſti.*
*Siliquarum decoctum potum.*
*Perſici lachryma ex mulſa, aut bechij decocto pota.*
*Sebeſtena.*
*Zizypha.*
*Saccharum candi vocatum.*
*Fœnugræci decoctum potum.*
*Melopeponum ſeminum cremor.*
*Eruca cocta & cum ſaccharo ſumpta.*
*Traſorum cremor hauſtus.*
*Porrum coctum ex melle delinctum.*
*Cepa elixa, aut cineribus toſta ex ſaccharo & butyro deuorata.*
*Ari radix cocta ex amygdalino oleo ſumpta.*
*Lac potum, in quo Ari radix fuerit incocta.*
*Agaricum in potionibus additum.*
*Glycyrrhizæ radix, & eius ſuccus.*



*Veronica mas in ſua ipſius ſtillatitia aqua hauſta.*
*Saluia.*
*Botrys herba ex dulcis radicis decocto pota, aut eius decoctum.*
*Conſolida Regalis flores poti.*
*Vua paſſa quoquo modo vſurpata.*

DIOSCORIDIS.
Ad pectoris aſperitates.

*Glycyrrhizæ ſuccꝰ in ore retentꝰ quouſq; colliqueſcat.*
*Radix cacaliæ in vino madefacta & delincta.*

MATTHIOLI.

*Caſsia ſolutiuæ pulpa hauſta, & deuorata.*
*Amygdalinum oleum.*
*Seſaminum oleum.*
*Perſici arboris lachryma ex mulſa, aut bechij aqua hauſta.*
*Porrum coctum ex melle delinctum.*
*Tragacanthæ lachryma.*

DIOSCORIDIS.
Ad vocem expediendam.

*Myrrha linguæ ſubdita, quouſque tota liqueſcat.*
*Tragacantha ex melle in delinctu adhibita.*
*Laſer aqua dilutum, & in ſorbitione ſumptum.*
*Styrax delinctus.*
*Braſsica commanducata.*
*Vinum hyſſopites.*

MATTHIOLI.

*Iridis radicis decoctum potum.*
*Iridis radices conditæ deuoratæ.*
*Amygdalinum oleum* }
*Seſaminum oleum* } *potum.*
*Cnicinum oleum* }
*Styrax hauſta.*
*Perſici arboris lachryma ex mulſa pota.*
*Oleum è nucibus Indicis.*
*Malua cocta & in cibis appoſita.*
*Porrum coctum cum melle ſumptum.*
*Glycyrrhizæ radix, & eius ſuccus.*
*Vuæ paſſæ in cibis deuoratæ.*

DIOSCORIDIS.
Ad pleuritim.

*Suillus adeps ex vino lotus, & cũ cinere & calce coctus impoſitus.*
*Paſtinacæ erraticæ ſemen potum.*
*Sagapenum emplaſtri modo illitum.*

MATTHIOLI.

*Terebinthina reſina hauſta.*
*Pomũ dulce cineribus incoctum, & glycyrrhizæ ſucco amylo & ſaccharo conſperſum deuoratum.*
*Amygdalæ & earum lacteus cremor cum ſaccharo.*
*Cochleæ teſtis exutæ ex ptiſana hordeacea abſorptæ.*
*Eadem contuſæ, & loco dolenti adalligatæ.*
*Seminis lini oleum recens potum ſelibræ pondere.*
*Glycyrrhizæ radix, & eius ſuccus.*
*Cardui benedicti ſtillatitia aqua pota vna cum ſeminis ſemidrachma.*
*Antemidis decoctum potum, vel eiuſdem florum ſtillatitia aqua.*
*Syrupus deiectorius ex violarum diluto paratus.*

DIOSCORIDIS.
Ad lateris dolores.

*Fimum caprillum cum cera & oleo ſubactum, impoſitum.*

*Hordeacea farina vnà cum meliloto & papauerum vaſculis ex mulſo elixa illita.*

*Braſsicæ caules virides cremati & ſuillo adipe excepti & impoſiti.*

*Leucacanthæ radicis ex vino decoctum hauſtum.*

*Aſphodeli radix drachmæ pondere ex vino pota.*

*Gentianæ radicũ ſuccus drachmæ pondere ſumptus.*

*Ariſtolochia rotunda ex aqua bibita.*

*Centaurij maioris radix pota.*

*Laſer in ſorbitionibus datum.*

*Galbanum illitum.*

*Marrubij folia ex melle adhibita.*

*Trifolij bituminoſi folia, ſemenvè potum.*

*Aethiopis pota.*

*Acori decoctum potum.*

*Coſtus cum abſinthio, & vino potus.*

*Agallochum ex aqua potum.*

*Myrrha fabæ pondere deuorata.*

*Bdellium hauſtum.*

*Reſina terebinthina illita, appoſitavè.*

*Bryonia ex melleo eclegmate delincta.*

DIOSCORIDIS.

Ad pulmonis inflammationes.

*Ocimum cum polenta illitum.*

*Vrtica vtriuſque ſemen cum melle delinctum.*

*Tragoriganum ex melle in eclegmate ſumptum.*

*Chryſocome pota.*

*Aqua mulſa hauſta.*

*Pulmonaria.*

*Lentis paluſtris ſtillatitia aqua pota.*

DIOSCORIDIS.

Ad purulentas excreationes.

*Irionis ſemen cum melle delinctum.*

*Betonicæ folia drachmarum duarum põdere in aqua mulſæ cyathis quatuor pota.*

*Perſonatæ radix cum pineis nucibus ſumpta.*

*Aethiopis hauſta.*

*Vinum hyſſopites.*

*Sandaracha ex mulſo data (hoc medicamentum ego nunquam probauerim.)*

*Sulphur in ouo potum, vel ſuffitum.*

MATTHIOLI.

*Larigna reſina, & terebinthina in eclegmate delinct.*

*Pinei nuclei melle, aut ſaccharo excepti, & deuorati.*

*Terebinthina reſina deuorata.*

*Pix liquida cum melle miſta, & deuorata.*

*Vlmi folia, quæ orientem ſpectant, impari numero decerpta & cum totidem piperis granis contrita, ex vino cretico hauſta.*

*Amygdalæ & earum lacteus cremor.*

*Nuclei pinei.*

*Tragacanthæ lachryma delincta.*

*Glycyrrhizæ ſuccus.*

*Veronica mas in ſua ipſius aqua propinata.*

*Botrys decoctum diebus pluribus potum, aut herba ex glycyrrhizæ decocto hauſta.*

*Scabioſæ farina pota, aut recentis herbæ ſuccus cum melle delinctus, & totius plantæ decoctum pluribus diebus hauſtum.*

*Pulmonaria quomodolibet vſurpata.*

DIOSCORIDIS.

Ad aſthmaticos.

*Lauri baccæ ex melle vel paſſo acceptæ.*

*Ficus ſiccæ cum hyſſopo feruefactæ & potæ.*

*Vrina impubis pota.*

*Ruta epota.*

*Cyclamini alterius ſemen potum.*

*Dracunculi maioris radix toſta, & elixa cum melle in eclegmate ſumpta.*

*Aqua mulſa pota.*

*Sphondilij ſemen, & herba ipſa in ſorbitione.*

*Equiſeti radix, & folia hauſta.*

*Cnici ſeminis medulla ex ſaccharo eclegmatis modo ſumpta.*

*Scabioſa, & eius ſuccus, atque decoctum quomodo libet vſurpata.*

*Abrotoni vtriuſque ſemen tritum, & cũ aqua potũ.*

*Hyſſopũ cũ fico, melle, rutaq́ ex aqua decoctũ potum.*

*Calaminthæ decoctum potum.*

*Vinum hyſſopites hauſtum.*

*Thymi cum melle decoctum potum.*

*Satureia cum melle hauſta.*

*Seſeli Maſſilienſe potum.*

*Fidiculæ ſiue trichomanis decoctum bibitum.*

*Cuminum cum poſca ſumptum.*

*Smyrnij radix comeſta.*

*Thapſia illita.*

*Ammoniacum bibitum.*

*Meliſſophylli folia in eclegmate delincta.*

*Tuſſilago ſicca, & ſuffita, adeò vt fumus in os ingrediatur.*

*Hippophæſti ſuccus trium obolorum pondere hauſtus.*

*Botrys pota vel in eclegmate data.*

*Periclymeni ſemen potum.*

*Adianthi decoctum bibitum.*

MATTHIOLI.

*Iridis radices conditæ.*

*Phu radix cum dulci radice, & ſemine aniſi decocta.*

*Cubebæ deuoratæ.*

*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*

*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa cum hyſſopi decocto pota.*

*Balſami factitij liquores, & oleum hauſtum.*

*Amygdalarum amararum oleum potum.*

*Cnicinum oleum bibitum.*

*Myrrha hauſta.*

*Styrax deuorata.*

*Terebenthina, ſiue larigna reſina inſumpta.*

*Pix liquida ex melle pota.*

*Caricæ duæ, aut tres in aquavitæ maceratæ deuoratæ.*

*Erui farina melle excepta & delincta.*

*Sonchi lacteus ſuccus potui datus.*

*Porrum coctum ex melle delinctum.*

*Cæpa elixa, aut cineribus toſta addito melle, & butyro, deuorata.*

*Sinapis, aut naſturtij ſemen in cibo aut potione exhibitum.*

*Ari radix cocta & ex melle delincta, aut ex amygdalino oleo.*

*Agaricum in potionibus additum.*

*Gentiana & eius aqua ſtillatitia.*

*Ariſtolochia rotunda hauſta.*

*Centaurij magni radix.*

*Veronica mas.*

*Hyſſopum.*

*Saluia.*
*Menthaſtrum.*
*Gattaria.*
*Amaracus.*
*Senæ decoctum vel dilutum.*
*Sapagenum ex helenij, vel hyſſopi decocto potum.*
*Botrys herbæ decoctum, addito violaceo melle, aut herba ipſa & glycyrrhizæ decocto.*
*Securidacæ vtriuſq; ſemen ex melle, aut defruto delinctum.*
*Quinta eſſentia noſtra com. de vino deſcripta pota.*
*Stibium noſtrum quatuor granorum pondere potũ.*

DIOSCORIDIS.
Ad renitentes excreationes.

*Iris illyrica pota.*
*Coagulum fere omne potum.*
*Raphanus elixus deuoratus.*
*Porrum cum ptiſana coctum eſui datum.*
*Naſturtium coctum in ſorbitione datum.*
*Bulbi breui coctura elixi, & in cibum ſumpti.*
*Ammoniacum in eclegmate datum.*
*Scordium potum.*
*Thapſia linita.*
*Lini ſemen in eclegmate delinctum.*
*Scillæ ſiccæ oboli tres ex melle in eclegmate exhibiti.*
*Marrubium ſiccum potum cum iridis farina.*
*Vinum hyſſopites hauſtum.*

MATTHIOLI.

*Iridis radicis decoctum potum.*
*Oleum amygdalinum.*
*Pinei nuclei melle, aut ſaccharo excepti & deuorati.*
*Terebinthina reſina in eclegmate delincta.*
*Erui farina melle excepta & delincta.*
*Agaricum.*
*Veronica mas.*
*Hyſſopum.*
*Pulmonaria quoquo modo ſumpta.*
*Saluia.*
*Scabioſæ puluis quinctiã ſuccus atq; decoctũ hauſta.*

MATTHIOLI.
Ad purgandum pectus.

*Terebinthina reſina deuorata.*
*Agaricum in potionibus additum.*
*Hyſſopum.*
*Saluia.*
*Senæ decoctum vel dilutum.*
*Scabioſa in puluerem trita, tum eius ſuccus cũ melle delinctus, aut herbæ decoctum pluribus diebus hauſtum.*

DIOSCORIDIS.
Ad pectoris deſtillationes.

*Irionis ſemen cum melle delinctum.*

MATTHIOLI.

*Agaricum.*
*Veronica mas.*
*Saluia.*
*Armenia terra ex rhodoſaccharo delincta.*

DIOSCORIDIS.
Ad omnia pectoris incommoda.

*Porrum cum melle decoctum comeſtum.*
*Glycyrrhizæ ſuccus bibitus.*
*Thymus melli miſtus in delinctu ſumptus.*
*Thymbra eodem modo parata.*

PECTORIS, ET PVLMONIS.

*Tordilij radix in eclegmate cum melle ſumpta.*
*Libanotis radices potæ.*
*Symphytum petræum in mulſo decoctum bibitum.*
*Quinquefolij radicis ſuccus potus.*

MATTHIOLI.

*Iridis radicis decoctum potum.*
*Iridis radices conditæ.*
*Terebinthina deuorata.*
*Veronica mas.*
*Glycyrrhiza.*
*Vuæ paſſæ quomodo libet vſurpatæ.*

MATTHIOLI.
Ad empyematicos.

*Pulmonaria & eius ſuccus ex melle deuorata.*
*Scabioſæ puluis, ſuccus atque etiam decoctum potum.*

DIOSCORIDIS.
Ad pectoris vulnera.

*Caryophyllata*
*Potentilla*
*Alchimilla*
*Biſtorta* } *radices.*
*Tormẽtilla*
*Solidagines omnes*
*Sanicula*
*Auricula vrſi*
*Piloſella*
} *in vino decocta, & deinde decoctum ipſum potui datũ.*

*Amaranthi purpurei flos potus.*
*Pyrola in potionibus addita, potionem eius vulnerariam admirabilis operationis reperies libr. 4. cap. 16. comment. de Limonio.*
*Vuæ paſſæ deuoratæ.*

CORDIS.
DIOSCORIDIS.
Ad deliquium animi.

*Cucumis olfactus.*
*Pulegium ex aceto naribus admotum.*
*Bugloſſum potum.*

MATTHIOLI.

*Nardi Italicæ, aut lauẽdulæ aqua pota & arterijs illita.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Santalum omne potum & olfactum.*
*Moſchus potus & illitus.*
*Confectio è moſcho deuorata.*
*Zibetum illitum.*
*Ambarum potum & impoſitum, aut olfactum.*
*Ocimum ex aceto naribus admotum.*
*Scorzoneræ radix, aut eius ſuccus potus.*
*Caryophylli commanſi, vel naribus admoti.*
*Caryophylli flores quocunque modo ſumpti.*
*Zedoaria commanſa.*
*Mentha olfacta.*
*Meliſſophyllon & eius ſtillatitia aqua.*
*Phyllitidis ſtillatitia aqua.*
*Caryophyllatæ radices olfactæ.*
*Angelicæ radix pota.*
*Borraginis atque etiam vulgaris bugloſſi decoctum potum, aut vino admiſtum & hauſtum.*
*Vinum odoratum, generoſumq́; in faciem proiectum, ac etiam potum.*
*Quinta eſſentia noſtra lib. 5. commen. de vino deſcripta, tam pota, quàm arterijs, & naribus illita, & in faciem proiecta.*

DIO-

DIOSCORIDIS.

Ad cardiacam.

*Intybus per ſe, & cum polenta illita.*
*Abſinthium in paſſo decoctum & appoſitum.*
*Rubi folia illita.*

MATTHIOLI.

*Nardi Italicæ aut lauendulæ ſtillatitia aqua pota.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Santalum omne potum, & epithematibus additum.*
*Moſchus potus & illitus.*
*Ambarum potum.*
*Agallochum.*
*Mumia ex aqua menthæ pota granorum quatuor pondere.*
*Roſarum ſuccus & dilutum potum.*
*Caryophyllata olfacta.*
*Vinum in quo gagates lapis ignitus extinctus fuerit potum.*
*Cardiaca herba pota.*
*Angelicæ radix hauſta.*
*Borrago, aut vulgare bugloſſum quouis mõ ſumptũ.*
*Rhodoſaccharum deuoratum.*
*Myrti baccæ quoquo modo hauſtæ.*
*Aurantij, limonumq́ florum ſtillatitia aqua pota.*
*Citria mala.*
*Aurantia mala.*
*Limonia mala.*
*Poma Adami.*
*Pyra cocta deuorata.*
*Sericum in antidotis additum.*
*Margaritæ potæ.*
*Ceruini cordis os epotum.*
*Scorzoneræ radix, aut ſuccus potus.*
*Caryophylli in cibis vſurpati.*
*Caryophyllorum flores ex Meliſſophylli decocto poti.*
*Zedoaria commanſa, aut in potionibus addita.*
*Eryngij radix ex bugloſſi meliſſophylliuè decocto pota.*
*Saccharum è roriſmarini floribus paratum.*
*Vincetoxici radix cum citrei mali ſemine, & bugloſſi aqua hauſta.*
*Phyllitidis ſtillatitia aqua.*
*Trifolium acetoſum.*
*Meliſſophyllon quocunq. modo hauſtum.*

MATTHIOLI.

Ad tremorem cordis.

*Galanga è ſucco plantaginis pota.*
*Cinnamomi aqua ſtillatitia.*
*Myrti baccæ quoquo modo hauſtæ, aut deuoratæ.*
*Scorzoneræ radix, aut eius ſuccus potus.*
*Vincetoxici radix cũ citrii mali ſemine ex aqua oxalidis pota.*
*Meliſſophyllum.*
*Phyllitidis ſtillatitia aqua.*
*Caryophyllata olfacta.*
*Quinta eſſentia noſtra, lib. 5. commen. de vino deſcripta, vnciæ pondere pota.*
*Aurum hauſtum.*
*Corallium ebibitum.*
*Margaritæ deuoratæ.*

MATTHIOLI.

Ad pulſum cordis.

*Scorzoneræ radix, aut eius ſuccus potus.*



*Vincetoxici radix cum citrei mali ſemine ex bugloſſi aqua hauſta.*
*Meliſſophyllum.*
*Phyllitidis ſtillatitia aqua.*
*Quinta eſſentia noſtra, lib. 5. commen. de vino deſcripta, vnciæ pondere pota.*
*Aurum hauſtum.*
*Corallium in potu ſumptum.*
*Margaritæ in potionibus additæ.*

MATTHIOLI.

Ad cordis dolorem.

*Viridis pinus aciculæ cõtritæ, & ex vino optimo potæ.*
*Scorzoneræ radix, aut eius ſuccus potus.*
*Meliſſophyllum.*
*Phyllitidis ſtillatitia aqua.*
*Quinta eſſentia noſtra, deſcripta lib. quint. commẽt. de vino, pota.*
*Aurum tritum & ebibitum cum corallio, & Margaritis.*

DIOSCORIDIS.

Ad præcordiorum duritiem.

*Rhaponticum potum.*
*Vinum abſinthites potum.*

MATTHIOLI.

Ad vetuſtas præcordiorum inflammationes.

*Scordium cum cera coactum impoſitum.*

MAMMARVM.

DIOSCORIDIS.

Ad mammarum inflammationes.

*Thus cum cimolia & roſaceo inunctum.*
*Cydonia mala cataplaſmatis adiecta & illita.*
*Nuces inglandes cum ruta & exiguo melle impoſitæ.*
*Fabarum lomentum per ſe, & cum polenta illitum.*
*Aſphodeli radices & folia ex vino exhibita.*
*Irionis ſemen illitum.*
*Hemerocallis radix emplaſtri modo impoſita.*
*Althæa decocta & ſuperpoſita.*
*Vuarum vinacei cum ſale illiti.*
*Oſtracites lapis cum melle impoſitus.*
*Geodes lapis cum aqua illitus.*
*Terra Samia ex roſaceo, & aqua impoſita.*

MATTHIOLI.

*Hyoſcyaminum oleum illitum.*
*Ouum gallinaceum crudum ex roſaceo impoſitum.*
*Oryzæ farina decocta & emplaſtri modo adhibita.*
*Portulaca contuſa & illita.*
*Trifolium acetoſum impoſitum.*
*Lenticulæ paluſtris aqua tum pota tum illita.*
*Oleum è fructu momordicæ illitum.*
*Vnguent. ex oleo in mortario plumbeo & piſtillo paratum.*

DIOSCORIDIS.

Ad rigentes à partu mammas.

*Triticei furfures ex rutæ decocto elixi & appoſiti.*
*Baccharis folia emplaſtri modo adhibita.*
*Epimedij folia conciſa ex oleo cataplaſmatis addita.*
*Hyoſcyami ſemen tritum ex vino illitum.*
*Ricini folia impoſita.*
*Vuarum vinacei cum ſale illiti.*

MATTHIOLI.

*Cancri crudi triti & illiti.*
*Marrubium cum vetere axungia tritum & illitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad induratas mammas.

*Erui farina emplaſtri modo impoſita.*

*Chamæpitys prima ex melle illita.*

*Vuarum vinacei cum ſale triti & impoſiti.*

DIOSCORIDIS.

Ad mammas exulceratas.

*Conchulæ Indicæ cinis illitus.*

*Aſclepiadis herbæ radices impoſitæ.*

MATTHIOLI.

*Aparinæ farina inſperſa.*

*Vnguentum ex oleo cum mortario & piſtillo plumbeo paratum.*

MATTHIOLI.

Ad Papillarum rimas.

*Oleum è luteis ouorum illitum.*

*Pomata illita.*

*Aparinæ ſuccus illitus.*

DIOSCORIDIS.

Ad lac in Mammis concretum.

*Ceræ grumi decẽ granorũ milij magnitudine ſumpti.*

*Fabarũ lomentum per ſe, & cum polenta impoſitum.*

*Lentium farina illita.*

*Apium & eius ſuccus illitus.*

MATTHIOLI.

*Mentha recens mammis illita.*

DIOSCORIDIS.

Ad extinguendum lac.

*Cicuta impoſita mammis.*

MATTHIOLI.

*Cucurbitæ recentia folia impoſita.*

DIOSCORIDIS.

Ad Lactis vbertatem præſtandam.

*Halimi folia in cibis ſumpta.*

*Viticis ſemen potum.*

*Ptiſana hordeacea cum fœniculi ſemine cocta & in cibum ſumpta.*

*Maluæ decoctum potum.*

*Sonchi ſuccus hauſtus.*

*Lactuca in cibis recepta.*

*Ocimum deuoratum.*

*Eruca comeſta.*

*Anemone & eius caules cum ptiſſana hordeacea deuorati.*

*Aniſum potum.*

*Anethi aridi ſeminis, & coma decoctum hauſtum.*

*Fœniculum in cibo ſumptum.*

*Nigella pluribus diebus pota.*

*Circeæ ſemen in ſorbitione potum.*

*Clematis prima in cibis accepta.*

*Echij radix in ſorbitione, vel cum vino hauſta.*

*Glaux cum hordeacea farina, ſale & oleo cocta & deuorata in ſorbitione.*

*Bryoniæ ſuccus cum tritico coctus, in cibum ſumptus. ſed hic prudentia opus eſt.*

MATTHIOLI.

*Vngularũ aſini aut vaccarũ cinis potus ex ptiſſana.*

*Cicerum decoctum potum.*

*Braſſica cocta & longo pipere aſperſa, vna cum iure deuorata.*

*Cardui benedicti radicis puluis addito fœniculi ſemine, & longi piperis momento ex ptiſſana hauſtus.*

*Cryſtallum in tenuiſſimum puluerem tritum potum.*

DIOSCORIDIS.

Ne lac in mammis concreſcat.



*Mentha cum polenta impoſita.*

*Vini fæx cum aceto peruncta.*

MATTHIOLI.

*Fabarum farina illita.*

DIOSCORIDIS.

Ad mammas cohibendas ne nimis creſcant.

*Cicuta contrita & impoſita.*

*Cotes naxia illita.*

MATTHIOLI.

*Aqua è nucibus pineis immaturis deſtillata & impoſita cum linteolis.*

*Alchimillæ ſeu ſtellariæ ſtillatitia aqua, aut ſuccus, aut decoctum, cum linteolis adhibita, admiſtis hypociſtide, equiſeto, roſis & alumine.*

VENTRICVLI.

DIOSCORIDIS.

Ad vomitiones, & nauſeam.

*Cotoneorum malorum maceratorum liquor hauſtus.*

*Nardus Indica* } *ex aqua pota.*
*Nardus Celtica* }

*Palmulæ in cibo ſumptæ.*

*Palmularum inuolucrum cataplaſmatis conferentibus adiectum.*

*Gallinaceorum ventriculi interior folliculus ſiccus, tritusq́; cum vino potus.*

*Succinum hauſtum.*

*Faba in poſca decocta, & in cibum ſumpta.*

*Lentis X X. grana ſine cortice deuorata.*

*Phaſeolus in cibo acceptus.*

*Siſymbrium hauſtum.*

*Rubi folia exterius illita.*

*Lactuca illota deuorata.*

*Lens ſylueſtris eſui data.*

*Scilla ſicca pota.*

*Agaricus trium drachmarum pondere per ſe abſq́; liquore ſumptus.*

*Gentianæ radicis ſuccus cum aqua potus.*

*Albæ ſpinæ radix hauſta.*

*Menthæ duo, tresve rami cum acidæ punicæ ſucco poti.*

*Pæoniæ ſemen ex vino nigro potum.*

*Betonica commanducata, moxq́; vino aqua miſto ſuperbibito.*

*Vitis viniferæ foliorum, capreolorumq́; ſuccus potus.*

*Myrtites vinum potum.*

*Vini fæx illita.*

*Scillinum vinum potum.*

MATTHIOLI.

*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*

*Muſci arborei dilutum ex vino paratum potum.*

*Pſeudoberberi bacca.*

*Ribes vulgaris.*

*Vua ſpina.*

*Poma auſtera cineribus incocta deuorata.*

*Cydoniorum pomorum vinum, oleum, caro, confe[illegible]ina.*

*E[illegible]ndem ſuccus, in quo conferbuerint corallium, [illegible]roſarum ſemen, rhabarbarum, hypociſtis, acacia.*

*Meſpilorum ſiccorum puluis, roſarum rubearum ſucco exceptus, additis corallio, caryophyllis & nuce myriſtica.*

*Malua*

*Maluæ ſemen ex rubro vino potum.*
*Caryophylli ex vino auſtero, aut malorum cydoniorum ſucco poti.*
*Iidem cum maſtiche, rhoe, corallijs, & balauſtijs ventriculo illiti.*
*Punicorum malorum vinum potum.*
*Iaſpis viridis lapis ſuper os ventriculi geſtatus.*
*Mentha ſicca è mali punici vino ſumpta.*
*Menthæ græcæ ſuccus tam potus quàm illitus.*
*Roſmarinum in puluerem contritum cum pane deuoratum, aut meraco potum.*
*Lagopi folia, paniculæ, ac ſemen ex vino auſtero, aut punici mali pota.*
*Sanguiſorba ſiue ſorbaſtrella hauſta.*
*Pulmonaria altera.*

DIOSCORIDIS.
Ad cæliacos.

*Lycium potum & inditum.*
*Cotonea mala cruda comeſta.*
*Mora immatura ſiccata, tuſáq; obſonijs immiſta.*
*Ficulnei cineris lixiuium pondere cyathi exhibitum.*
*Myrica in potu data.*
*Gallæ cum aqua aut vino tritæ, & illitæ.*
*Rhois ſemen obſonijs inſperſum.*
*Myrti folia trita & ex aqua illita.*
*Oleæ ſylueſtris folia cum polenta illita.*
*Coagulum leporinum, & equinum trium obolorum pondere ex vino potum.*
*Faba in poſca decocta, & deuorata.*
*Aegyptiæ fabæ farina, & corticis ipſius decoctum ex mulſo datum.*
*Oxylapathi, aut oxalidis ſemẽ in aqua, aut vino potũ.*
*Plantago elixa in aceto, & cum ſale ſumpta.*
*Hyacinthi ſemen potum.*
*Coronopus decoctus in cibo ſumptus.*
*Rhaponticum potum.*
*Spinæ albæ radix pota.*
*Ferulæ viridis medulla bibita.*
*Laſerpitij liquor in vuæ acino ſumptus.*
*Nymphææ radix ſiccata, & in vino bibita.*
*Clymeni ſuccus potus.*
*Limonij herbæ ſemen acetabuli pondere ex vino ſumptum.*
*Tragi herbæ acini decem ex vino bibiti.*
*Papaueris vaſculorum decoctum ex melle in eclegmate redactum in delinctu. Si vero efficacius reddere velis adiungito hypociſtidis, & acaciæ ſuccũ.*
*Vuarum vinaceorum decoctum potum.*
*Vinaceorum nuclei in farinam polentæ modo inſperſi.*
*Aqua vel vinũ, in quibus ferrũ extinctũ fuerit pota.*
*Morochthus lapis potus.*
*Vinum myrtites potum.*
*Adianthum ex vino bibitum.*
*Trichomanes ex vino pota.*

MATTHIOLI.

*Galanga ex ſucco Plantaginis pota.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Muſci arborei dilutũ in vino auſtero paratũ hauſtũ.*
*Thus tam potum quàm illitum.*
*Mali punicæ è floribus paratum ſaccharum ex vino auſteriuſculo ſumptum.*
*Myrteum condimentum.*

VENTRICVLI.

*Cydoniorum vinum, mina & oleum.*
*Cydoniorum confectio.*
*Meſpila. Sorba.*
*Pyra ſylueſtria.*
*Pruna ſylueſtria.*
*Nux myriſtica.*
*Mora immatura.*
*Cochleæ duæ vna cum teſtis contritæ, & ouis gallinaceis duobus exceptis, ex vino paſſo, & aqua prius calefacta pota.*
*Anguium ſenecta roſaceo incocta, & impoſita.*
*Oryza prius torrefacta & in lacte, in quo calculi fuerint extincti, decocta in cibum ſumpta.*
*Sonchi decoctum ex vino potum.*
*Caryophylli ex vino, aut malorum cydoniorum ſucco hauſti.*
*Mentha ſicca cum amylo, & aqua pota.*
*Anethum toſtum cum mentha exhibitum.*
*Coriandri ſemen ex aqua.*
*Roſmarini puluis cum pane deuoratus, aut ex mero hauſtus.*
*Amaranthi purpurei flos potus.*
*Malorum punicorum vinum potum.*

DIOSCORIDIS.
Ad vomitiones ciendas.

*Lauri folia pota.*
*Cochleæ vepribus inhærentes deuoratæ.*
*Peponis radix ſicca dra. pondere ex hydromelite pota.*
*Bulbus vomitorius deuoratus.*
*Origanum cum rhois ſemine & cæpis in cupreo vaſe diebus quadraginta, dum caniculæ ſydus flagrat, inſolatum potum.*
*Lemnia terra pota.*

DIOSCORIDIS.
Ad ventriculi dolores.

*Iuncus odoratus potus.*
*Bulbi comeſti.*
*Rhaponticum bibitum.*
*Abſinthium in paſſo decoctum potum.*
*Melilotum ex vino decoctum hauſtum.*
*Artemiſiæ tenuia folia ex oleo contuſa emplaſtri modo impoſita.*
*Nymphææ radix illita.*
*Senecionis caulis in paſſo decoct⁹, deuorat⁹ vel potus.*
*Alabaſtrites lapis cum cerato impoſitus.*

MATTHIOLI.

*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa.*
*Ricininum oleum illitum, potum & infuſum.*
*Amygdalinum oleum potum.*
*Laurinum oleum illitum.*
*Maſtiches grumi tres deuorati abeuntibus cubitum.*
*Myriſticæ nucis decoctum ex rhodomelle & aqua vitæ potum.*
*Siſymbrium calefactũ & vino cretico aſperſum impoſitum.*
*Aloe deuorata aut pota.*
*Quinta eſſentia noſtra, libr. 5. cap. de vino deſcripta, pota vbi à frigiditate prouenit dolor.*

DIOSCORIDIS.
Ad ventriculi eroſiones.

*Nardus Indica* }
*Nardus Celtica* } *ex aqua pota.*

*Iuncus odoratus potus.*
*Sycomori ſuccus potus.*
*Pineæ nuces deuoratæ.*
*Lac humanum potum.*
*Sonchi ſuccus bibitus.*
*Pulegium cum poſca ſumptum.*
*Hieracij vtriuſque ſuccus hauſtus.*
*Scordium duarum drachmarum pondere cum mulſa potum.*
*Pæoniæ ſemen ex vino nigro potum.*

MATTHIOLI.

*Amygdalarum dulcium oleum potum.*
*Seſaminum oleum potum.*
*Pinei nuclei melle, aut ſaccharo excepti, & cum ſucco portulacæ hauſti.*

DIOSCORIDIS.
Ad ventriculi ardores.

*Portulaca cum polenta illita.*
*Sonchus emplaſtri modo impoſitus.*
*Vmbilici Veneris ſuccus illitus.*
*Intybus vtraque ex aceto deuorata.*
*Glycyrrhizæ ſuccus potus.*
*Apium ebibitum.*
*Fœniculum cum frigida aqua potum.*
*Polygonum illitum.*
*Solani hortulani folia appoſita.*
*Chamædaphnes folia hauſta.*
*Vitis viniferæ folia, & capreoli emplaſtri modo adhibiti.*
*Labruſcæ flos illitus.*

MATTHIOLI.

*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa ſumpta.*
*Santala pota vel aqua roſacea foris illita.*
*Creſpini, vuæ ſpinæ, ribisq́; vulgaris baccæ deuoratæ.*
*Rhodoſaccharum.*
*Quercus recentia folia in ore contenta.*

| | |
|---|---|
| *Citria* <br> *Aurantia* <br> *Limonia* | } *mala.* |

*Melopeponum ſeminum lacteus cremor potus.*
*Glycyrrhizæ radix & eius ſuccus.*
*Phyllitidis puluis ſua ipſius aqua exceptus & illitus.*
*Trifolium acetoſum deuoratum.*
*Conſolidæ regalis flores poti.*
*Fraga deuorata.*
*Lenticulæ paluſtris ſtillatitia aqua pota.*

DIOSCORIDIS.
Ad ventriculi flatus.

*Mei radices ex aqua feruefacta, vel citra coctionem tritæ potæ.*
*Nardi Indica & Celtica ex aqua pota.*
*Caſtoreum bibitum.*
*Gallinaceorum ſeneſcentium ius potum.*
*Abſinthium cum ſeſeli, aut Gallica nardo potum.*
*Liguſtici ſemen, & radix pota.*
*Smyrnij ſemen hauſtum.*

MATTHIOLI.

*Cubebæ deuoratæ.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Calamus odoratus vulgaris hauſtus.*
*Oleum ricininum illitum, potum & infuſum.*
*Balſami factitij aqua cum carnium iure ſumpta.*
*Cnicinum oleum potum.*
*Laurinum oleum illitum.*
*Mumia ex cumini, ammi & cari decocto ſumpta.*
*Oleum noſtrum de ſcorpionibus illitum.*
*Caſtoreum ex oxycrato potum.*
*Milium torrefactum cum ſale miſtum, & anthemide in ſacculo impoſitum.*
*Mentha tam illita, quàm pota.*
*Menthaſtrum.*
*Mentha Græca.*
*Saluia.*
*Gattaria.*
*Imperatoria.*
*Tanacetum.*
*Quinta eſſentia noſtra, lib. 5. c. de vino deſcripta, pota.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſingultum.

*Siſymbrij ſemen in vino potum.*
*Rhaponticum hauſtum.*
*Ariſtolochia rotunda bibita.*
*Menthæ duo, tresvè rami cũ acidæ punicæ ſucco poti.*
*Anethi comæ, & ſeminis decoctum potum.*
*Cuminum erraticum cum aceto potum.*
*Alyſſon potũ, ſiue manib. geſtatũ, vel narib. infuſum.*
*Aſpleni decoctum potum.*
*Periclymeni ſemen potum.*
*Saxifraga bibita.*

MATTHIOLI.

*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Mumia hauſta ex cumini aut apij decocto.*
*Caſtoreum cum mulſa potum.*
*Rhabarbarum ex vino hauſtum.*
*Anethum cum hauſtum, tum olfactum.*
*Phyllitidis ſtillatitia aqua pota.*
*Quinta eſſentia noſtra, libr. 5. cap. de vino deſcripta, vnciæ pondere pota, vbi ex repletione fuerit ſingultus.*

DIOSCORIDIS.
Ad acidos ructus.

*Agaricus drachmæ pondere ſumptus.*
*Tragoriganum potum.*
*Betonicæ folia fabæ põdere ex deſpumato melle ſũpta.*

MATTHIOLI.

*Coriandrum cochlearij menſura exhibitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſanguinem & lac in ventriculo concreta.

*Ficulnei cineris lixiuium potum.*

| | | |
|---|---|---|
| *Coagulũ* { | *Equinum* <br> *Leporinum* <br> *Agninum* <br> *Hædinum* <br> *Hinnulinum* <br> *Vitulinum* <br> *Bubalinum* | } *trium obolorum pondere ex vino potum.* |

*Helichryſi coma cum mulſo pota.*
*Laſer potum.*

MATTHIOLI.

*Cyclamini radicis ſtillatitia aqua ſenis vncijs pota, cum ſacchari vncia vna.*
*Conſolidæ mediæ ſuccus epotus.*
*Auricula vrſi.*

DIOSCORIDIS.
Ad ventriculi inflammationes.

*Hiera-*

*Hieraciũ maius & minus emplaſtri modo impoſitũ.*
*Vitis viniferæ folia & capreoli cum polenta impoſiti.*
*Viola purpurea ex polenta illita.*

MATTHIOLI.

*Caſsiæ ſolutiuæ pulpa ſumpta.*
*Santala omnia tam ſumpta quàm illita.*
*Roſæ illitæ.*
*Conſolidæ regalis flores illiti.*
*Lentis paluſtris ſtillatitia aqua pota.*

MATTHIOLI.
Ad famem caninam.

*Glirium pinguium caro aſſa deuorata.*

DIOSCORIDIS.
Ad appetentiam ciendam.

*Piper comeſtum.*
*Acetum in obſonijs additum.*
*Abſinthium potum.*

MATTHIOLI.

*Creſpini baccæ.*
*Vua ſpina.*
*Ribes vulgaris.*
*Sinapiſmum.*

DIOSCORIDIS.
Ad concoctionem iuuandam.

*Eruca in cibo comeſta.*
*Piper omne comeſtum.*
*Gingiberis vſus.*
*Scilla cum melle cocta & deuorata.*
*Abſinthium hauſtum, vel ventriculo adhibitum.*
*Tragoriganum potum.*
*Pulegium potum.*
*Liguſtici ſemen, & radix pota.*
*Seſelis Maſsilienſis ſemen cum vino potum.*
*Garum potum.*
*Betonicæ folia poſt cœnam ſumpta, addito melle deſpumato fabæ magnitudine.*
*Vinum abſinthite.*

MATTHIOLI.

*Acori radicis & cinnamomi drach. ex vino abſinth.*
*Galanga.*
*Nardus Italica.*
*Lauendula.*
*Cubebæ.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua hauſta.*
*Caryophylli hauſti.*
*Crocum.*
*Ladanum drachmæ pondere duabus horis à cœna deuoratum.*
*Pyrum vel cydonium cineribus toſta & deuorata.*
*Piſtacia.*
*Citria condita.*
*Iuglandes conditæ.*
*Nux myriſtica.*

DIOSCORIDIS.
Ad ventriculi fluxiones.

*Adiantum potum cum vino.*
*Perſici mali ſicci decoctum & bibitum.*
*Cotonei mali macerati liquor potus.*

MATTHIOLI.

*Myrteum condimentum.*

MATTHIOLI.
Ad reſtinguendam ſitim.

*Creſpini baccæ.*
*Vua ſpina.*



*Ribes vulgaris.*
*Citria, Limonia, Aurantia* } *mala.*
*Pyra.*
*Portulacæ folia linguæ ſubdita.*
*Melopeponum ſeminum lacteus cremor.*
*Anguriæ pulpa.*
*Glycyrrhizæ radix, & eius ſuccus.*
*Trifolium acetoſum.*
*Fraga matura deuorata.*
*Punicorũ malorum vinum ex intybi ſtillatitia aqua, aut hordei decocto potum.*

IECINORIS.
DIOSCORIDIS.
Ad iecinoris obſtructiones.

*Nardus Indica, Nardus Celtica* } *ex aqua frigida hauſta.*
*Lauri cortex tribus obolis in vino odorato potus.*
*Piceæ folia drachmæ pondere in aqua, aut mulſa pota.*
*Amygdalæ amaræ cum melle, & lacte in illinctu datæ nucis auellanæ magnitudine.*
*Gentianæ radicis ſuccus cum aqua potus.*
*Agaricum potum.*
*Rhaponticum exhauſtum.*
*Eryngium ex vino aſſumptum.*
*Anthemidis decoctum potum.*
*Chamæpityos folia ſeptem diebus in vino pota.*
*Betonica in aceto mulſo drachmæ pondere bibita.*
*Eupatorij herba, aut ſemen in vino potum.*
*Papaueris corniculati radix pota.*
*Rubrica Sinopica hauſta.*
*Glycyrrhizæ ſuccus delinctus.*

MATTHIOLI.

*Nardus Italica & lauendula in decoctis addita.*
*Aſari decoctum.*
*Carpeſium.*
*Cinnamomi aqua ſtillatitia pota.*
*Caſsia ſolutiua.*
*Acorum quocunque modo ſumptum.*
*Amygdalarum amararum oleum potum.*
*Cnicinum oleum potum.*
*Roſarum ſuccus & dilutum.*
*Tamarindorum pulpa.*
*Amygdalæ.*
*Piſtacia.*
*Cicer nigrum & rubrum decoctum & potum.*
*Ciceris farina ex Intubi ſtillat. aqua decocta, & illita.*
*Lupini cocti & cum ruta & pipere deuorati.*
*Napi ſemen drachmæ pondere ex marrubij decocto frequenter potum.*
*Braſsica decocta vis.*
*Beta cum ſinapi, aut aceto deuorata.*
*Cichorium ex vino albo tenui potum.*
*Cyclamini ſuccus duarum drachmarũ pondere potus cum oxymelite.*
*Rhabarbarum quocunque modo potum.*
*Gentianæ ſtillatitia aqua pota.*
*Centaurij magni radix tũ pota tũ in vino macerata.*
*Centaurij minoris decoctum & ſuccus.*
*Cardui radicum decoctum hauſtum.*
*Eryngij radicum decoctum potum.*

*Aloe quocunque modo ſumpta.*
*Veronica mas.*
*Mentha græca.*
*Amaracus.*
*Imperatoriæ radix.*
*Senæ decoctum, aut dilutum hauſtum.*
*Roſmarinum frequenter uſurpatum.*
*Marrubium.*
*Eupatorij vulgaris decoctum, aut ſuccus epotus.*
*Lupuli flores in potionibus ſumpti.*
*Frangulæ corticum decoctum potum: parandi rationem inuenies lib. 4. cap. de ſambuco.*
*Cuſcutæ decoctum potum.*
*Quinta eſſentia ferri, deſcripta lib. 5. in comm. de ferri ſcoria, ſiue ſtercore, drachmæ pondere quotidie pota.*

DIOSCORIDIS.

Ad morbum regium.

*Nardus Indica* } *hauſta.*
*Nardus Celtica* }
*Ceruinum cornu uſtum, ac lotum, potumque.*
*Millepedæ, ſiue oniſci ex vino poti.*
*Cicer cum roremarino decoctum comeſum.*
*Rumicis radices in vino decoctæ & bibitæ.*
*Atriplicis ſemen bibitum cum mulſa aqua.*
*Aſparagi radicũ decoctum potum cũ ficis & ciceribus.*
*Crithmi et eius radicum ſeminũq; decoctum potum.*
*Irio cum melle lincta.*
*Scilla cum melle in eclegmate pondere trium obolorum pota.*
*Hirundinariæ radix cum aniſo, & vino pota.*
*Sphondilij ſemen potum.*
*Agaricus drachmæ pondere ſumpta.*
*Rhaponticum hauſtum.*
*Abſinthij decoctum, dilutumve trium cyathorum pondere quotidie hauſtum.*
*Aloe drachmæ pondere pota.*
*Origani decoctum corpori perfuſum.*
*Calamintha cum vino pota.*
*Fæniculum erraticum potum.*
*Libanotis radices potæ cum vino & pipere.*
*Roriſmarini decoctum potum.*
*Nigella trita cum Irino unguento, naribus appoſita.*
*Chelidonij radix cum aniſo & vino albo pota.*
*Laſer cum caricis datum.*
*Marrubij ſuccus naribus infuſus.*
*Polij utriuſque decoctum bibitum.*
*Conyzæ folia & flores poti.*
*Aſpleni decoctum potum.*
*Lichen ex melle inunctus.*
*Adianti decoctum potum.*
*Trichomanis decoctum hauſtum.*
*Anthemidis decoctum potum.*
*Buphthalmum potum ſtatim à balneo.*
*Pæoniæ radix bibita.*
*Hyacinthi ſemen cum vino potum.*
*Rubiæ radix cum mulſa aqua bibita.*
*Chamæpityos folia ſeptem diebus in vino pota.*
*Betonicæ folia cum dulci aqua pota.*
*Elaterium potum.*
*Anchuſæ radicis decoctum potum.*
*Quinquefolij ſuccus cum trium cyathorum pondere aliquot diebus potus.*



*Oſyris decoctum potum.*
*Chryſanthemi decoctum balnei more adhibitum.*
*Vinum ſcillinum potum.*
*Verbenacæ ſupinæ folia drachmæ pondere cũ thuris obolis tribus, & vini veteris hemina una, ieiuna quadraginta diebus pota.*
*Lycij herba in aceto decocta & bibita.*
*Myricæ decoctum potum.*
*Halicacabi fructus poti.*
*Chamæciſſi folia trium obolorum pondere ſenis diebus in aqua pota.*
*Ruſci folia & baccæ in vino pota.*
*Ceruini cornu cinis potus binis ligulis.*
*Sulphur ſorbili ouo ſumptum.*

MATTHIOLI.

*Iridis radicis decoctum potum.*
*Nardi Italicæ, lauendulæve decoctum additis cinnamomo, aſparagi & fæniculi radicibus.*
*Aſari dilutum ex uino paratum.*
*Aſarina, aut eius decoctum.*
*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa.*
*Roſarum ſuccus & dilutum.*
*Tamarindorum pulpa.*
*Caſtoris anteriores dentes in poculo contenti, è quo vinum biberit affectus.*
*Terrenorum vermiũ cinis ex abſinthij decocto potus.*
*Bubuli fellis lapis ex vino potus.*
*Napi ſemen ex marrubij decocto potum.*
*Oxylapathi ex vino decoctum potum.*
*Cichorij radices ſaccharo conditæ.*
*Cichorij & eius radicum decoctum potum.*
*Melopeponum lacteus cremor hauſtus.*
*Erucæ ſylueſtris tria folia læua manu decerpta, illicoque deuorata.*
*Cyclamini ſuccus cum ſaccharo hauſtus addita maſtiche, aut myriſtica nuce, aut rhabarbari ſcrupulo.*
*Aſphodeli radix ex vino ſumpta.*
*Chelidoniũ maius in calceis ſub nudis pedib⁹ geſtatũ.*
*Aquilegiæ ſemen ex cretico vino & croci momento potum.*
*Rhabarbarum in potionibus additum.*
*Agaricum in potionibus additum.*
*Centaurij magni radix quoquo modo uſurpata.*
*Centaurium minus.*
*Carduorum radicum decoctum.*
*Eryngij radicum decoctum.*
*Aloe quouis modo uſurpata.*
*Pulegij.* }
*Menthaſtri* } *decoctum hauſtum.*
*Marrubij.* }
*Cuminum illico à balneo exhibitum.*
*Senæ decoctum vel dilutum.*
*Radicum Vincetoxici decoctum in potu propinatum.*
*Chamædryos ſemen drachmæ pondere ex meraco.*
*Eupatorij vulgaris decoctum potum.*
*Lupulorum florum decoctum, hauſtũ ex vino albo.*
*Frangulæ corticum decoctum. Parandi rationem habes lib. 4. commen. de ſambuco & ebulo.*
*Cuſcutæ decoctum potum.*

MATTHIOLI.

Ad fluxum hepaticum.

*Quernorum foliorum tenellorum ſtillatitia aqua pota.*

*Lupinum iecur ſiccum in puluerē ſumptum.*
*Rhabarbarum tritum & propinatum.*

DIOSCORIDIS.
Ad Iecinoris dolores.

*Acori decoctum potum.*
*Abſinthij decoctum ex paſſo appoſitum.*
*Periclymeni ſemen potum cum vino.*

MATTHIOLI.

*Irinum oleum è floribus paratum illitum.*
*Amygdalinum oleum.*
*Laurinum oleum.*
*Eupatorij vulgaris decoctum aut eius ſuccus potus.*

DIOSCORIDIS.
Ad iecinoris duriciem.

*Ammoniacum illitum, & ebibitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad refrigeratum iecur.

*Nardus Indica* } *ebibita.*
*Nardus Celtica* }
*Amomi decoctum potum.*
*Pinorum & piceæ folia ex aqua, vel mulſo pota.*

MATTHIOLI.

*Acori oxymel potum.*
*Cinnamomi aqua ſtillatitia hauſta.*
*Acorum quocunq; modo ſumptum.*
*Balſamum factitium cum potum, tum illitum.*
*Caryophylli in potu, aut in cibo ſumpti.*
*Rhabarbarum tritum et cum vuis paſſis deuoratū.*
*Mentha Græca.*
*Imperatoriæ radix.*
*Eupatorij vulgaris ſuccus, aut eius decoctum potum.*

MATTHIOLI.
Ad iecinoris ſcyrrhum.

*Aſarum.*
*Amygdalinum oleum.*
*Seſaminum oleum.*
*Maſtiche cum impoſita, tum intus ſumpta.*
*Centaurij minoris decoctum hauſtum.*
*Frangulæ radicum decoctum potum. Parandi modum inuenies lib. 4. comment. de ſambuco.*
*Scillinum acetum potum.*

MATHIOLI.
Ad cacheziam. i. malum habitum.

*Cinnamomi aqua ſtillatitia pota.*
*Acorus, quē calamū odoratū vulgo vocant, ſumptū.*
*Balſami factitij liquores omnes.*
*Nux myriſtica intrò ſumpta.*
*Iecur leporinum areſactum potioni infrictum.*
*Sium in cibis ſumptum.*
*Cichorium quoquo modo acceptum.*
*Rhabarbarum quauis ratione hauſtum, et cum paſſis vuis comeſtum.*
*Agaricum.*
*Abſinthij pōtici coma ſaccharo aſſeruatæ & deuoratæ: parādi rationē habes cōmentario de abſinthio.*
*Pulegij decoctum potum.*
*Mentha græca.*
*Imperatoriæ radix.*
*Sagapenum exhibitum flauis myrobalanis duplicato pondere additis.*
*Marrubij decoctum potum.*
*Eupatorij vulgaris ſuccus, aut decoctum potum.*
*Frangulæ radicum decoctum hauſtum. Parandi rationem habes lib. 4. comment. de ſambuco.*



DIOSCORIDIS.
Ad hydropem.

*Aſarum potum.*
*Cinnamomum ebibitum.*
*Calami odorati decoctum cum ſemine apij potum.*
*Erinacei terreſtris caro.*
*Cochlearum terreſtrium operimentum, et caro ſimul contrita, tumoribus hydropicorum impoſita.*
*Amurca in villoſa pelle peruncta & impoſita.*
*Vrina humana ſui ipſius bibita.*
*Vrina capræ quotidie cum ſpica pota.*
*Cicer cum roremarino decoctum.*
*Raphanus emplaſtri modo impoſitus.*
*Plantago cum lenticula decocta.*
*Ebuli radix in vino decocta, & pota.*
*Allium decoctum manducatum.*
*Bulbi cū melle et trito pipere emplaſtri modo impoſiti.*
*Scilla præparata ſumpta.*
*Anagallidis ſuccus vino potus.*
*Chamæleonis albæ radix cum vino pota.*
*Abſinthium bibitum cum ficubus, nitro & loliacea farina.*
*Adianti decoctum potum.*
*Trichomanes decoctum potum.*
*Hyſſopum cum fico, nitroq; emplaſtri modo impoſitū.*
*Fidiculæ decoctum potum.*
*Origanum cum fico decoctum.*
*Sampſuchi decoctum potum.*
*Ruta cum fico emplaſtrata, & eius decoctum ex vino tum potum, tum corpori perfuſum.*
*Paſtinacæ erraticæ ſemen potum.*
*Aniſum potum.*
*Smyrnij ſemen potum.*
*Laſerpitij liquor cum caricis datus.*
*Chamedrij decoctum potum.*
*Polij vtriuſque decoctum bibitum.*
*Androſaces in vino pota duarum drachma. pondere.*
*Betonicæ folia cum aqua dulci pota.*
*Cucumeris aſinini radicis ſuccus ſeſquioboli pondere, & cortex eius acetabuli quarta parte.*
*Aquæ marinæ balneum.*
*Vitis ſylueſtris radix in aqua ferueſacta, & in vini cyathis duobus marina aqua diluti, pota.*
*Vinum ſcillinum potum.*
*Viticis ſemen potum.*
*Ficus ſiccæ in vino cum polenta, & abſinthio decoctæ & illita.*
*Sal.*
*Alcyonium tertium.*
*Arena è littoribus ſole ferueſacta capite tenus hydropicis obruta.*

MATTHIOLI.

*Electuarium de ſucco iridis, in cap. proprio de iride.*
*Iridis radices conditæ.*
*Cyperi radicum, et baccarū lauri puluis pari pondere ex impubis pueri vrina exceptus, et vētri adhibitus.*
*Aſari dilutum ex vino paratum potum.*
*Aſarina & eius decoctum.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Balſami factitij liquores omnes.*

*Cnicinum oleum potum.*
*Lixiuium ex vino albo, & iuniperino cinere potum.*
*Fraxini ſemen cum vino aſſumptum.*
*Oſſicula acinorum ſylueſtris mali punici trita et pota.*
*Humani ſtercoris ſtillatitia aqua pota.*
*Bubulũ caprillumvè ſterc⁹ emplaſtri modo impoſitũ.*
*Napi ſemen drachmæ pondere ex marrubij decocto in diebus pluribus potum.*
*Braſſicæ marinæ decoctum potum et præſertim addito rhabarbaro.*
*Braſſicæ marinæ puluis, additis rhabarbaro & cubebis, pluries ex vino potus.*
*Sinapis ex impubis pueri urina illitus.*
*Caryophylli in cibo, vel potione uſurpati.*
*Cyclamini ſuccus cũ ſaccharo potus addita maſtiche, aut myriſtica nuce, aut rhabarbari ſcrupulo.*
*Aſphodeli radix ex vino pota.*
*Rhabarbarum frequenter uſurpatum.*
*Agaricum in potionibus additum.*
*Gentiana.*
*Centaurij magni radix tum vino macerata tũ pota.*
*Cardui radicum decoctum* } *hauſtum.*
*Cardui benedicti decoctum* }
*Eryngij radicum decoctum.* }
*Zuccharum ex pontici abſinthij coma paratum: modum parandi habes commento de abſinthio.*
*Pulegij decoctum bibitum.*
*Mentha græca.*
*Imperatoriæ radix.*
*Sagapenum cum duplicato pondere myrobalanorum flauorum potum.*
*Euphorbium hauſtum.*
*Vincetoxici radicum ex vino albo decoctum bibitum.*
*Marrubij decoctum potum.*
*Eupatorij vulgaris decoctum hauſtum.*
*Ricini ſemen ex caprino lacte maceratũ & hauſtum.*
*Sambuci, aut ebuli radicum ſtillatitia aqua pota: hac binis, illa quaternis uncijs ſimul miſta, & diebus xxx. pota.*
*Frangulæ corticum decoctum potum: parandi rationem inuenies lib. 4. commen. de ſambuco.*
*Colocynthis cum pota, tum clyſmate infuſa.*
*Stibium noſtrum granorum quatuor pondere hauſtũ.*

LIENIS.

MATTHIOLI.

Ad inflammationem.

*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa deuorata.*
*Caphura illita.*
*Creſpini baccarum ſuccus potus.*
*Roſa & earum ſuccus, ſeu dilutum.*
*Cichorij radices conditæ.*
*Cichorij flores ſaccharo aſſeruati, & ſæpe deuorati.*
*Melopeponum lacteus cremor potus.*
*Phyllitidis farina ſua ipſius aqua ſubacta, & illita.*
*Trifolium acetoſum deuoratum.*
*Conſolidæ regalis flores poti.*
*Fragariæ & radicum decoctum ebibitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad induratos lienes.

*Cotoneæ mala cruda cataplaſmatis addita & impoſita.*
*Sycomori liquor hauſtus, & illitus.*
*Raphanus emplaſtri modo impoſitus.*
*Braſſicæ folia cum aceto deuorata.*
*Chamædrys decoctum potum.*
*Lupinorum farina illita.*

MATTHIOLI.

*Helenij radicis farina denarij pondere diebus aliquot ex vino pota.*
*Amygdalinum oleum.*
*Terebinthina deuorata.*
*Seſaminum oleum.*
*Myrica ex vino decocta.*
*Cochlearum maiorum cinis cum lini, & urticæ ſemine ex melle potus.*
*Stercus caprillum illitum.*
*Dracunculi radix contuſa, & illita.*
*Cyclamini ſuccus unguentis additus.*
*Centaurij minoris decoctum & ſuccus tam interius, quam exterius uſurpatus.*
*Mentha græca ex oleo irino illita.*
*Oleum liliorum alborum inunctum.*
*Phyllitis quocunque modo ſumpta.*
*Oxymel ex floribus geniſtæ paratum.*
*Saccharum è geniſtæ floribus paratum ſæpe ſumptũ.*
*Frangulæ corticum decoctum potum; parandi rationem habes lib. 4. comm. de ſambuco.*
*Scillinum acetum potum.*

DIOSCORIDIS.

Ad lienis obſtructiones.

*Nardus celtica ex vino pota.*
*Adiantum bibitum.*
*Trichomanes hauſta.*

MATTHIOLI.

*Nardus Italica, lauendulaq́.*
*Aſari decoctum hauſtum.*
*Cubebæ.*
*Carpeſium.*
*Helenij radicis farina frequenter ex vino vetere ſumpta.*
*Amygdalarum amararum oleum.*
*Cnicinum oleum.*
*Laurinum oleum.*
*Mumia ex cari decocto pota.*
*Tamarindorum pulpa.*
*Amygdalæ.*
*Ciceris rubri decoctum potum.*
*Lupini cocti & cum ruta, & pipere comeſti.*
*Braſſicæ decocta ius potum.*
*Beta cum ſinapi aut aceto deuorata.*
*Sium in cibis ſumptum.*
*Cyclamini ſucc⁹ binis drachmis ex oxymelite ſumpt⁹.*
*Rhabarbarum potioni infrictum.*
*Agaricum in potionibus ſumptum.*
*Gentiana & eius aqua ſtillatitia.*
*Centaurij minoris decoctum & ſuccus.*
*Eryngij radicum decoctum potum.*
*Veronica mas.*
*Mentha græca ex oleo irino illita.*
*Amaracus.*
*Imperatoria radix.*
*Senæ decoctum vel dilutum hauſtum.*
*Roſmarinum cum pane deuoratum.*
*Phyllitis quoquo modo ſumpta.*
*Eupatorij vulgaris decoctum potum.*
*Lupuli flores in potionibus additi.*

*Fragariæ tum folia, tum radices.*
*Frangulæ corticum decoctum hauſtum. Parandi rationem habes lib.4. comment. de ſambuco.*
*Cuſcuta, & eius decoctum.*
*Quinta eſſentia ferri, deſcripta in quinto libro capite de ſcoria ſeu ſtercore ferri, diebus pluribus continuis drachmæ pondere pota, ex adianti, aut aſpleni, aut myricæ decocto.*

DIOSCORIDIS.
Ad lienis inflammationes.

*Iris illyrica ex aceto pota.*
*Acorum potum.*
*Nardus celtica ex vino pota.*
*Nardus montana ex vino hauſta.*
*Sarmentitius cinis ex aceto, roſaceo & ruta illitus.*
*Myricæ ex vino decoctum potum.*
*Viticis ſemen potum.*

DIOSCORIDIS.
Ad lienis dolores.

*Dictamnum potum & illitum.*

MATTHIOLI.

*Irinum oleum è floribus paratum & illitum.*
*Laurinum oleum inunctum.*
*Oleum liliorum albōrum inunctum.*
*Phyllitis quouis modo ſumpta.*

MATTHIOLI.
Ad refrigeratos lienes.

*Acori oxymel ſumptum.*
*Cubeba.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Balſami factitij liquores omnes.*
*Amygdalarum amararũ oleum cum potum tum illitum.*
*Laurinum oleum.*
*Rhabarbarum intrò ſumptum.*
*Agaricum potum.*
*Mentha græca ex irino oleo inuncta.*
*Imperatoriæ radix deuorata.*
*Roſmarinum cum pane uſurpatum.*
*Phyllitis.*

DIOSCORIDIS.
Ad minuendos extuberantes lienes.

*Iris illyrica ex aceto pota.*
*Acorum potum.*
*Nardus { Celtica / Montana } ex vino bibita.*
*Myricæ ex vino decoctum hauſtum.*
*Viticis ſemen potum.*
*Cyclamini ſecundæ ſemẽ quadraginta diebus hauſtũ.*
*Sagapenum ebibitum.*
*Ammoniacum drachmæ pondere ex aceto ſumptum.*
*Chamædrys ex aceto pota.*
*Naſturtium hauſtum.*
*Piperis radix illita.*
*Polij utriuſque decoctum cum aceto potum.*
*Cyclamini ſuccus inunctus.*
*Capparis ſemen drachmarum duarum pondere quadraginta diebus ex vino bibitum.*
*Eiuſdem radix ex vino bibita eodem pondere.*
*Lepidium cum helenij radice impoſitum.*
*Hedera tenella folia ex vino decocta, vel arida ex pane cocta impoſita.*
*Iſatis ſylueſtris tum pota tum illita.*



*Agaricum drachmæ pondere cum aceto mulſo datũ.*
*Rhaponticum potum.*
*Smirnij radix comeſta.*
*Gentianæ radix duarum drachmarum pondere pota.*
*Ariſtolochia rotunda pota.*
*Crocodilij radicis decoctum potum præſentaneo remedio prodeſt.*
*Hyſſopum cum ficis, nitroquè illitum.*
*Tragoriganum cum aceto potum.*
*Pulegium cum ſale illitum.*
*Siſon potum.*
*Peucedani ſuccus hauſtus.*
*Viſcum cum calce, gagatève lapide decoctum.*
*Teucrium cum poſca potum, vel cum ficis appoſitum.*
*Leucoij radices cum aceto illitæ.*
*Nymphææ radix ex vino bibita.*
*Aſpleni folia pota, vel eius decoctum cum aceto quadraginta diebus hauſtum, vel folia ipſa ex aceto illita.*
*Bunij ſemen potum.*
*Hæmionitis cum aceto pota.*
*Rubiæ ſemen ex aceto mulſo potum.*
*Lonchitis alterius folia cum aceto hauſta.*
*Betonicæ folia ex oxymelite ebibita.*
*Polemonij radix ex aqua ſumpta.*
*Periclymeni ſemen quadraginta diebus in vino potũ.*
*Xyridis ſemen ex aceto ſumptum.*
*Anchuſæ radix cum mulſa aqua pota.*
*Vrtica utraque cum cerato impoſita.*
*Trichomanes pota.*
*Vini ſcillini uſus.*
*Glans vnguẽtaria cũ erui farina pota ex mulſa aqua.*
*Bryonia trium obolorum pondere triginta diebus ex aceto hauſta, aut cum ficis illita.*
*Vitis nigræ viticulæ primæ recentes cocta, ac comeſa.*
*Filicis maris radix hauſta.*
*Aqua vel vinum, in quibus chalybs, aut ferrum reſtinctum fuerit in potu.*
*Alcyonium tertium bibitum.*
*Corallium ex aqua bibitum.*
*Aſius lapis ex aceto, & viua calce illitus.*
*Cotis naxiæ delimata à ferro ſcobes ex aceto bibita.*

MATTHIOLI.

*Helenij radicis farina è vino vetere frequenter denarii pondere pota.*
*Terebinthina, lariceaq; reſina frequenter deuorata.*
*Fraxini corticis decoctum potum.*
*Myricæ rami ex aceto illiti.*
*Nux myriſtica.*
*Eruum à ieiunis deuoratum.*
*Erucæ ſemen potum.*
*Hederæ helicis foliorum ſuccus ex vino auſtero potus.*
*Rhabarbarum quoquo modo ſumptum.*
*Mentha græca ex oleo irino illita.*
*Phyllitis quouis modo ſumpta.*
*Eupatorij vulgaris decoctum potum.*
*Lupuli flores in potionibus decocti.*
*Frangulæ corticum decoctum hauſtum. Parandi rationem habes lib.4. capite de ſambuco.*
*Cuſcuta & eius decoctum.*
*Corallium frequenter potum.*

## DIOSCORIDIS.

Ad colicos affectus.

*Amygdalæ amaræ illinctu adhibitæ.*
*Cochleæ terreſtres cum ſuo putamine tuſæ, addita pauca myrrha, ex vino bibitæ.*
*Alauda auis toſta in cibo ſumpta.*
*Suillus talus crematus ad albedinem vſque, potus, vbi flatus excruciet.*
*Butyrum infuſum, vbi colon exulceratum fuerit.*
*Gallinæ fimum cum aceto vel vino hauſtum.*
*Rutæ decoctum ex oleo infuſum.*
*Petroſelinum potum.*
*Colocynthis infuſa clyſmatibus.*
*Cnici decoctum infuſum.*

## MATTHIOLI.

*Galanga pota.*
*Cubebæ.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua.*
*Balſami factitij liquores omnes poti & illiti.*
*Oleum cum pari portione cretici vini ſumptum, aut clyſtere infuſum.*
*Ricininum oleum potum, illitum & infuſum.*
*Amygdalinum oleum utrumque.*
*Cnicinum oleum.*
*Laurinum oleum.*
*Succinum ex tepenti aqua potum.*
*Perſicorum nucleorũ oleũ tam potum quàm infuſum.*
*Amygdalinum oleum potum.*
*Nucum iuglandium oleum hauſtum.*
*Oleum è ſcorpionibus noſtrum illitum.*
*Aqua in qua ceruinum genitale elotum fuerit pota.*
*Ceruorum tenerrima cornua in taleolis conciſa ſiccaq́, & in puluerem trita, & cum pipere, & myrrha hauſta.*
*Lupinum fimũ, quod terrã nõ attigerit ex vino albo vel aqua potum, & forinſecus ventri adalligatum.*
*Braſſicæ ſemen craſſiuſcule contuſum, & in carnium iure feruefactum, potumq́ vna cum ipſo iure.*
*Ius decoctæ braſſicæ cum vetere gallo potum.*
*Cyclamini ſuccus trium drach. pondere in clyſteribus additus.*
*Imperatoria ex calido meraco pota.*
*Sagapenum bibitum, aut clyſteribus inditum.*
*Verbaſci flores in puluerem triti, & poti.*
*Trinitatis herba in puluerem trita & pota.*
*Ricini ſemen ex iure veteris galli decoctum et potum.*
*Colocynthis clyſteribus infuſa.*
*Momordicæ puluis hauſtus.*
*Quinta eſſentia noſtra pota, & in clyſteribus addita.*
*Stibium noſtrum, commentario proprio deſcriptum, ſumptum quinque granorum pondere.*
*Gagates lapis in puluerem tritus drachmæ pondere diebus ſeptem potus.*

## DIOSCORIDIS.

Ad inteſtinorum dolores.

*Iris illyrica pota.*
*Acori decoctum bibitum.*
*Mei radices tritæ cum melle in eclegmate ſumptæ.*
*Cardamomum ex aqua potum.*
*Agallochum ex aqua hauſtum.*
*Nuces iuglandes cum ſuo putamine peruſtæ, & vmbilico admotæ.*
*Ficuum cum ruta decoctum clyſmate infuſum.*
*Halimi folia drachmæ pondere in aqua mulſa pota.*



*Crocum in potionibus bibitum.*
*Dauci ſemen potum.*
*Libanotidis radices hauſtæ.*
*Ferulæ ſemen in potu ſumptum.*
*Peucedani ſuccus in ouo hauſtus.*
*Meliſſophylli decoctum clyſtere infuſum.*
*Caſtoreum potum.*
*Butyrum clyſmatibus infuſum.*
*Serpillum ebibitum.*
*Calaminthæ decoctum hauſtum.*
*Eryngium ad potandum datum.*
*Cera in ſorbitionibus data.*
*Ammi ex vino ſumptum.*
*Triticei furfures ex decocto rutæ elixi, & illiti.*
*Milium calefactum in ſacculis adhibitum.*
*Orobi farina aceto macerata impoſita.*
*Siſymbrij ſemen in vino potum.*
*Piper cum lauri tenellis folijs hauſtum.*
*Scilla in eclegmate cum melle.*
*Rhaponticum potum.*
*Sampſuchi decoctum ebibitum.*
*Centaurij maioris radix epota.*
*Ruta vnà cum ſiccato anetho elixa in potu ſumpta.*
*Panaces cum vino hauſtum.*
*Anethi comæ & ſeminis decoctum potum.*
*Liguſtici ſemen & radix pota.*
*Cumini decoctum cum oleo clyſtere infuſum.*
*Phalangij folia, flores, ac ſemen hauſtum.*
*Centunculum auſtero vino potum.*
*Conyzæ folia & flores poti.*
*Pæoniæ radix in vino pota.*
*Pſeudobunium ebibitum.*
*Aqua marina fotu adhibita.*
*Chamæpitys hauſta.*
*Graminis decoctum ebibitum.*
*Chamædaphnes folia in potu data.*
*Sal calefactum in ſacculis adhibitum.*
*Nitrum cum cumino ex hydromelite hauſtum.*
*Seſelis Maſſilienſis ſemen ex vino potum.*
*Aſclepiadis radices ex vino pota.*
*Aliſma per ſe, aut cum pari pondere ſeminis dauci, hauſtum.*
*Suillus talus combuſtus ad albedinẽ vſque, ebibitus.*
*Lini ſeminis decoctum per ſedem infuſum.*
*Agaricum duorum obolorum pondere ſumptum.*

## MATTHIOLI.

*Oleum* { *Oliuarum cũ vino cretico potũ, et infuſum.*
*Amygdalarum dulcium ebibitum.*
*Laurinum inunctum.* }

*Ericæ florum decoctum potum.*
*Perſici nuclei deuorati.*
*Cochlearum elixarum ius potum.*
*Milium cum ſale, & anthemidis floribus mixtum & calidum cum ſacculis adhibitum.*
*Braſſicæ ius cum vetere gallo paratum potum.*
*Cyclamini ſuccus in clyſteribus additus.*
*Chelidonium maius vna cum radice tuſum, & oleo chamæmelino feruefactum, & vmbilico adhibitũ.*
*Dictamnum album ex meraco potum.*
*Menthaſtrum.*
*Imperatoria.*

*Vincetoxici*

*Vincetoxici radix ex meraco.*
*Verbaſci flores in puluerem triti & epoti.*
*Herba trinitatis, aut ſtillatitia eius aqua pota.*
*Momordicæ farina potui data.*

MATTHIOLI.
Ad Dyſentericos.

*Aſpalathi decoctum clyſtere infuſum.*
*Myrrha fabæ magnitudine deuorata.*
*Lentiſcus ebibita.*
*Piceæ cortex potus.*
*Maceris cortex in potu ſumptus.*
*Paliuri folia & radix hauſta.*
*Acutæ ſpinæ fructus deuorati, uel poti.*
*Rubi canini fructus deuoratus.*
*Ciſti folia & cytini in potu data.*
*Hypociſtis hauſta.*
*Ladanum cum vino vetere potum.*
*Roſarum fructus cum potu ſumptus.*
*Lycium potui datum.*
*Acaciæ ſuccus hauſtus.*
*Glandium interior, tenuiorq́ tunica decocta pota.*
*Caſtanearum interior pariter tunica ebibita.*
*Galla omphacitis ex vino, aut aqua trita illita, aut hauſta.*
*Rhois foliorum decoctum clyſtere infuſum, vel potu acceptum.*
*Eiuſdem ſemina pro ſale cibis, obſonijsq́ aſperſa.*
*Palmæ inuolucri decoctum tum infuſum, tum bibitū.*
*Punicorum acidorum nuclei ſiccati & ebibiti, vel in deſeſſionibus additi.*
*Myrti ſemen & folia pota.*
*Cotonea mala comeſa cruda, vel cocta, vel eorum ſuccus potus.*
*Pyra tam domeſtica, quàm ſylueſtria deuorata.*
*Meſpila in cibum accepta.*
*Loti arboris baccæ comeſtæ, vel hauſtæ.*
*Corni arboris baccæ, ſiue in edulijs, ſiue in defruto aſſumptæ.*
*Sorba ſicca quoquo modo ſumpta.*
*Prunorum ſylueſtrium baccæ deuoratæ.*
*Siliquæ ſiccatæ deuoratæ.*
*Cochleæ terreſtres ſuis cum putaminibus uſtæ (ut Galenus inquit) eſui datæ.*
*Siluri piſcis ſalſamentum fomento adhibitum.*
*Leporinus ſanguis frixus deuoratus.*
*Garum piſcium clyſmate infuſum.*
*Ceruinum cornu potum duorū cochleariū menſura.*
*Cera in ſorbitionibus data.*
*Lac ignitis iniectis calculis decoctū clyſtere infuſum.*
*Leporinū* }
*Equinum* } *coagulū triū obolo. pōdere ex vino potū.*
*Aſparagus altilis elixus, vel aſſus in cibo ſumptus mitigat.*
*Idæa radix bibita.*
*Althææ decoctæ ſuccus ex vino hauſtus.*
*Alceæ radices cum vino, aut aqua potæ.*
*Phyllitis pota.*
*Portulaca ad ſummum cocta in cibis ſumpta.*
*Plantago per ſedem infuſa.*
*Equiſeti ſuccus potus.*
*Caprillus adeps cum polenta, & rhoe datus, vel clyſtere infuſus.*

INTESTINORVM.

*Meliſſophyllum bibitum.*
*Tragiū ſcolopendræ ſimile elixū, & ſumptū in cibo.*
*Faba in poſca decocta & comeſa.*
*Aliſmatis radix, cum pari pondere ſeminis ſylueſtris paſtinacæ bibita.*
*Oxylapathi aut oxalidis ſemen in aqua, aut vino (bibitum.*
*Lyſimachia potui data.*
*Tragi cacumina decem in vino pota.*
*Clematis folia cum vino hauſta.*
*Stœbis decoctum clyſtere infuſum.*
*Limonij ſemen in vino potum.*
*Elatine elixa pota.*
*Polemonij radix ex vino ſumpta.*
*Eupatorij ſemen & folia in vino hauſta.*
*Nymphea ſiccata radix ex vino bibita.*
*Sedum maius cum vino potum.*

*Sanguis* { *Hirci* / *Capræ* / *Leporis* / *Cerui* } *in ſartagine frixus in cibo ſumptus.*

*Vitis viniferæ foliorum, & capreolorū ſuccus potus.*
*Vinaceorum decoctum ebibitum.*
*Vinaceorum nuclei in farinam polentæ modo illiti.*
*Vua paſſa alba comeſa per ſe cum ſuis nucleis.*
*Omphacium clyſtere infuſum.*
*Vinum œnanthinum* }
*Vinum cydonites* } *potum.*
*Vinum rhoites.* }
*Terra lemnia ebibita.*
*Muria clyſmatibus infuſa, ubi diutina dyſenteria inteſtina exulcerata extiterint,*
*Scordiū duarum drach. pondere cū aqua dulci potum.*
*Hederæ flores trium digitorum, carptæ bis in die ex vino hauſti.*

MATTHIOLI.

*Lentiſcinum oleum infuſum.*
*Roſaceum oleum potum.*
*Thus potum & clyſtere infuſum.*
*Armenium lutum unà cum corallio, maſtiche, cornu ceruino & hæmatite potum.*
*Pinorum nucum cortices ex aceto acerrimo decocti & ſuffiti.*
*Maſtiches pota.*
*Millefolij ſuccus clyſteribus infuſus: quin etiam ſicci farina cum epota, tum infuſa.*
*Potentilla pota, aut viridis in calceis impoſita ſub nudis pedibus.*
*Succinei paſtilli hauſti.*
*Creſpini vuarum ſuccus in potu ſumptus.*
*Vua ſpina.*
*Ribes vulgaris.*
*Liguſtrinorum florum aqua.*
*Ciſti flores.*
*Roſaceum ſaccharum.*
*Roſarum ungues.*
*Roſarum calyx.*
*Roſarum ſemen & lanugo circumſtans.*
*Licium infuſum.*
*Quernorum foliorum ſtillatitia aqua pota.*
*Querna folia, glandes & gallæ.*
*Fagineæ glandes & gallæ.*
*Punicū malū in furno toſtum tritumq́ potui datū.*

*Punicæ mali florum ſaccharum roſacei modo paratum ſumptum.*
*Myrteum condimentum.*
*Ceraſia auſtera ſaccharo condita.*
*Poma acerba ſub calidis cineribus aſſa.*
*Cydonia mala toſta à ieiunis deuorata.*
*Cydoniorum vinum, miua, oleum, hoc illitum, illa hauſta.*
*Diacydonites confectio.*
*Cydoniorum pomorum ſuccus, in quo conferbuerint rubrum corallium, rubearum roſarum ſemen, rhababarum, hypociſtis, acacia.*
*Corna cùm cruda, tum ſaccharo condita.*
*Mora immatura arida.*
*Cochleæ cum teſtis uſtæ, admiſtis galla omphacitide & pipere albo, & cibis inſperſæ, aut ex vino auſtero potæ.*
*Leporina caro aſſa deuorata.*
*Leporinus ſanguis adhuc calens cum hordeacea farina decoctus, & deuoratus.*
*Leporinus fimus potus.*
*Cerui genitale ex vino auſtero ſumptum.*
*Ouum gallinaceum in aceto coctum deuoratũ durũ.*
*Ceruinus ſanguis clyſteribus infuſus.*
*Caninum ſtercus album ex lacte potum, in quo igniti calculi extincti ſint.*
*Oryzæ decoctum potum, aut infuſum.*
*Oryza in lacte cocta, in quo igniti calculi extincti fuerint, deuorata.*
*Milij Indici panicularum flores intra ſumpti.*
*Milij granorum putamen oui vitello exceptum, & probè decoctum ſumptum.*
*Amylum in cibo vſurpatum.*

*Biſtortæ*, *Tormentillæ*, *Caryophyllatæ* } *radices, in potionibus additæ.*

*Lagopi paniculæ pro ſedis abſterſorio vſurpatæ.*
*Virga aurea pota, & clyſteribus infuſa.*
*Plantaginis vtriuſque ſemen ouo exceptum, teguliſq́ inaſſatum deuoratum.*
*Traſorum lacteus cremor ex aqua, in quo candẽs ferrum extinctum fuerit, paratus potus.*
*Burſa paſtoris cum plantagine, luto armeno ex pluuiali aqua cocta & pota.*
*Rhabarbarum igne torrefactum ex vino auſtero & plantaginis ſucco potum.*
*Tragacantha lachryma toſta, & ex vino cydoniorum pota, tum clyſmate infuſa.*
*Flos ſolis vnà cum radicibus ex vino auſtero potus.*
*Aparinæ ſtillatitia aqua pota.*
*Gnaphalium ex vino auſtero.*
*Conyzæ mediæ puluis drachmæ põdere quotidie ſumptus ex auſtero vino.*
*Palmæ Chriſti florum puluis ex aqua plantaginis, aut in qua ferrum ignitum extinctum fuerit.*
*Lunaria minor quoquo modo ſumpta.*
*Cannabis foliorũ puluis oui vitello except⁹, deuorat⁹.*
*Hyperici oleum ventri illitum.*

*Pyrola*, *Piloſella*, *Fragaria* } *ex vino auſtero pota.*

*Amaranthi purpurei flos epotus.*
*Punicorum malorũ vinũ ex aqua plantaginis potum.*
*Armenia terra pota aut in clyſteribus addita.*
*Corallium rubrum in pollinem tritum bibitum.*
*Cryſtallum tenuiſſimè læuigatum potui datum.*

MATTHIOLI.

Ad tormina.

*Oleum* { *Oliuarũ cum vino cretico potũ & infuſum.* *Amygdalinum hauſtum.* *Laurinum illitum.* }

*Ericæ florum decoctum potum.*
*Perſici nuclei deuorati.*
*Cochlearum ius potum.*
*Milium cum ſale miſtum, & in ſacculis calidum appoſitum ventri.*
*Braſſicæ ius cum vetere gallo decoctum bibitum.*
*Cyclamini ſuccus clyſteribus additus.*
*Chelidoniũ maius vnà cum radice tuſum, & oleo chamæmelino feruefactum, & vmbilico illitum.*
*Dictamnus albus ex meraco potus.*
*Menthaſtrum.*
*Imperatoria.*
*Vincetoxici radix ex meraco.*
*Verbaſci flores in puluerẽ triti, & potionibus inſperſi.*
*Herba trinitatis, aut ſtillatitia eius aqua pota.*
*Momordicæ farina hauſta.*

DIOSCORIDIS.

Ad cohibendam aluum, & diarrhœam.

*Coagulum leporinum potum.*
*Lac omne, in quo igniti calculi marini extincti fuerint.*
*Caſeus elixus, & ab elixatione ſtatim ſepoſitus, moxq́ inaſſatus in cibo ſumptus.*
*Fimus caninus ardente ſyrio acceptus, & in aqua bibitus.*
*Panis triticeus ſiccus inueteratus comeſtus.*
*Hordeacea farina cum myrti baccis, aut ſylueſtribus pyris, aut malicorio ex vino illita.*

*Puls ex* { *Zea*, *Auena*, *Milio* } *in cibum ſumpta.*

*Oryza in cibum accepta.*
*Lentes cum ſuo cortice decoctæ deuoratæ, præſertim ſi decoquantur ex aceto cum adſtringentibus alijs.*
*Oxylapathi aut oxalidis ſemẽ in vino, aut aqua potũ.*
*Braſſicæ percoctæ cibus.*
*Beta nigra cum ſua radice & lente decocta, eſui data.*
*Plantago ex aceto elixa cum ſale comeſa, quin & eius ſemen ex vino potum. Præterea clyſteribus infuſa.*
*Intybus tam hortenſis, quã erratica in cibũ accepta.*
*Chondryllæ ſuccus coctus potus.*
*Lens ſylueſtris quoquo modo ſumpta.*
*Acinos pota.*
*Aniſum ebibitum.*
*Anethum, quinetiam eius coma & ſemen hauſtum.*
*Apium in cibo ſumptum.*
*Phyllitis potui data.*
*Acanthi radices bibitæ.*
*Fœniculum erraticum potum.*
*Ruta in cibo, vel potu ſumpta.*
*Orchis Serapias ex vino potus.*
*Pæoniæ radix ex vino decocta hauſta.*
*Althææ decoctum bibitum.*

*Aliſmatis*

*Aliſmatis radix pota.*
*Polygoni ſuccus potus.*
*Clematis prima in vino bibita.*
*Lagopus ex vino, vel ex aqua ſumpta, vbi febris ſit.*
*Xyridis radix in mulſo pota.*
*Anchuſæ folia ex vino ſumpta.*
*Rubi ramorum decoctum potui datum.*
*Quinquefolij radicis decoctum bibitum.*
*Phœnix in vino auſtero hauſta.*
*Idæa radix bibita.*
*Iunci præſertim marini ſemen frixum, & in diluto vino potum.*
*Aſtragali radix ex vino hauſta.*
*Hyacynthi radix ebibita.*
*Papaueris nigri ſemen ex vino hauſtum.*
*Verbaſci radix, & flores potui dati.*
*Labruſcæ flores poti.*
*Punicorum acidorum vinum potui datum.*
*Rubrica ſinopica in ouo hauſta, aut clyſtere infuſa.*
*Vini fæx illita.*
*Sedum maius ex vino hauſtum.*
*Adianti decoctum potum.*
*Trichomanis decoctum bibitum.*
*Acetum cibis incoctum.*

MATTHIOLI.

*Arborei muſci dilutum ex vino paratum potum.*
*Thus potum & clyſtere infuſum.*
*Meſpila*
*Sorba*
*Corna* } *deuorata.*
*Pyra ſylueſtria*
*Nux myriſtica & præſertim toſta.*
*Auellanarum putamina trita, et ex vino auſtero pota.*
*Oryza torrefacta, & in lacte decocta, in quo igniti calculi extincti ſint.*
*Millij putamen oui uitello exceptum, deinde inaſſatũ & deuoratum.*
*Caryophylli prius igni toſti, et in potu, aut cibo ſũpti.*
*Coriandri ſemen ex aqua potum.*
*Lagopi folia, paniculæ, & ſemen, ex vino auſtero, aut punici mali hauſta.*
*Virga aurea pota, & in clyſteribus addita.*
*Potentilla pota, aut viridis in calceis nudis pedibus ſuppoſita.*
*Fragariæ folia, atq; radices.*
*Solbaſtrella, ſiue ſanguiſorba quouis modo uſurpata.*
*Pulmonaria altera ebibita.*
*Punicorum acidorum malorum vinum potum.*
*Armenia terra tam pota, quàm clyſmate infuſa.*

MATTHIOLI

Ad lienteriam.

*Arborei muſci dilutum ex vino paratum.*
*Lycium.*
*Saccharum è punicorum floribus paratum ex auſtero vino ſumptum.*
*Myrteum condimentum.*
*Siliquæ ſiccæ deuoratæ.*
*Nux myriſtica, præſertim calido cinere inaſſata.*
*Milij Indici panicularum flores hauſti.*
*Milij putamen oui uitello exceptum, deinde inaſſatũ, & deuoratum.*
*Oxylapathi ſemen potum.*

INTESTINORVM.

*Caryophylli toſti in potione, vel in cibo ſumpti.*
*Rhabarbarum toſtum, & vino auſtero, aut plantaginis ſucco hauſtum.*
*Coriandri ſemen ex aqua.*

DIOSCORIDIS.

Ad diuturnas alui fluxiones.

*Sanguis* { *Hircinus, Caprillus, Leporinus, Ceruinus* } *in ſartagine frixꝰ et comeſus.*

MATTHIOLI.

*Maſtiches pota.*
*Nux myriſtica.*
*Myricæ ramorum cortex.*
*Oxylaphati ſemen potum.*
*Milij Indici flores intro ſumpti.*
*Milij putamen uitello oui exceptum, et deinde inaſſatum deuoratum.*
*Caryophylli toſti in potu, aut cibo ſumpti.*
*Lagopi folia, ſemen & paniculæ, ex uino auſtero, aut punici mali pota.*
*Virga aurea tum pota, tum infuſa.*
*Pyrola*
*Piloſella* } *quomodo libet uſurpatæ.*
*Potentilla pota uel viridis in calceis nudis pedibus ſuppoſita.*
*Fragariæ folia & radices.*

DIOSCORIDIS.

Ad emolliendam aluum.

*Ceraſia comeſa.*
*Melimela eſui data.*
*Perſica in cibum ſumpta.*
*Mora matura comeſta.*
*Ficus maturæ deuoratæ.*
*Marinus echinus in cibis.*
*Tellinarum, chamarumq; ius cum ſale hauſtum.*
*Sepia in cibo ſumpta.*
*Silurus piſcis in cibis.*
*Gobij ius bibitum.*
*Piſcium in uniuerſum ius per ſe, aut ex vino bibitum.*
*Gallinacearum ueterum ius coptum.*
*Lac hauſtum.*
*Serum lactis potum.*
*Caſeus recens in cibo ſumptus.*
*Butyrum commeſtum, uel bibitum.*
*Medulla oſſium deuorata.*
*Cicer in cibo ſumptum.*
*Rumex*
*Blitum*
*Malua*
*Atriplex* } *decocta & in cibis ſumpta.*
*Beta candida*
*Aſparagus*
*Lactuca*
*Braſſica leuiter feruefacta eſui data.*
*Tragoriganum potum.*

DIOSCORIDIS.

Ad inteſtinorum inflationes.

*Farina tritici cum hyoſcyami ſucco illita.*
*Farina hordei cum lini, et fœnugræci ſemine impoſita.*
*Ocimi ſemen potum.*
*Rhaponticum bibitum.*

*Anethi*

*Anethi comæ & ſeminis decoctum potum.*

*Cumini decoctum cum oleo clyſtere infuſum, vel eius ſemen cum polenta, & hydraleo maceratum & illitum.*

*Peucedani liquor in ouo ebibitus.*

*Anthemidis decoctum potum.*

MATTHIOLI.

*Cubebæ quocunq; modo ſumptæ.*

*Cinnamomi aqua ſtillatitia pota.*

*Acorum, quod falsò calamum odoratum vocant.*

*Balſami factitij liquores omnes.*

*Ricininum oleum.*

*Mumia ex ammi & cari decocto ſumpta.*

*Milium torrefactum cum ſale miſtum, & calidum in ſacculis impoſitum.*

*Siſymbrium quocunque modo hauſtum.*

*Quinta eſſentia noſtra, cap. de vino deſcripta, pota.*

DIOSCORIDIS.

Ad latas inteſtinorum tineas.

*Cardamomum potum.*

*Mali punicæ radicum decoctum bibitum.*

*Nuces iuglandes largius eſitatæ.*

*Mori radicis corticum decoctum hauſtum.*

*Allium potui datum, vel comeſtum.*

*Chamæleonis albi radix acetabuli pondere ex caſtorei & origani decocto pota.*

*Filicis fœminæ radix trium drachmarum pondere ex melle hauſta.*

*Melanthij ſemen potum, vel ex aqua vmbilico illitũ.*

*Atramentum ſutorium drachmæ pondere ſumptum, vel cum melle delinctum.*

*Heliotropij maioris tum folia, tum ſemina cum hyſſopo, nitro, & naſturtio pota.*

DIOSCORIDIS.

Ad teretes inteſtinorum tineas.

*Lupinorum farina cum melle lincta, vel cum aceto, pipere, & ruta pota.*

*Braſſicæ ſemen potum.*

*Portulacæ ſuccus potui datus. Præſtat idem & ſemen.*

*Naſturtium bibitum.*

*Abſinthium marinum per ſe, vel cum oryza decoctũ cum melle ſumptum.*

*Abſinthium ſantonicum, aut marinum hauſtum.*

*Hyſſopum cum melle linctum.*

*Mentha bibita.*

*Calaminthæ decoctum cum ſale, & melle ſumptum.*

*Thymum hauſtum.*

*Thymbra potui data.*

*Rutæ decoctum ex oleo bibitum.*

*Coriandrum cum paſſo ſumptum.*

*Anchuſa tertia cum hyſſopo, & naſturtio pota.*

*Vinum abſinthites potui datum.*

*Sedum maius ex vino hauſtum.*

*Filicis fœminæ radix drachmarum trium pondere cum vino pota, ſed qui ſumunt prægustare allia debent.*

MATTHIOLI.

*Iridis radicis decoctum potum.*

*Aſarina quoquo modo hauſta.*

*Helenij radicum ſuccus, aut decoctum potum.*

*Amygdalarum amararum oleum potum.*

*Myrrha hauſta.*



*Iuniperi gummi hauſtum.*

*Lauri cimæ cum calamintha, & ſale tritæ, & ex tepida aqua potæ.*

*Creſpini acinorum ſuccus cũ aqua graminis aut portulacæ potus.*

*Perſici folia contuſa, & ventri ex aceto illita.*

*Aqua ſtillatitia è limoniorum ſucco pota.*

*Limonij immaturi ſuccus hauſtus.*

*Pruni ſylueſtris aqua è floribus ſ. diſtillata.*

*Sebeſtena deuorata.*

*Braſſicæ ſemen hauſtum.*

*Beta candida cum allio ſumpta.*

*Siſymbrium potum.*

*Erucæ ſemen ſumptum.*

*Nucum Indicarum oleum.*

*Mori arboris radix pota.*

*Oleum ſcorpionum noſtrum cum potum, tum illitum.*

*Cornu ceruinum ex melle hauſtum.*

*Apri vrina oleo in ſua ipſius veſica commiſta, diuq; in fumo ſuſpenſa, naribus & arterijs manuum, & temporum illita.*

*Secalæ vulgaris decoctum cum coriandro potum.*

*Lupinus tum illitus, tum potus.*

*Napi ſemen ex limoniorum, aut aurantiorum ſucco potum.*

*Caryophylli flores ita vocati, ſaccharo aſſeruati deuorati.*

*Succiſæ radicis puluis potioni iniectus.*

*Gentianæ ſtillatitia aqua pota.*

*Cruciatæ radix tuſa, & ventri impoſita.*

*Agaricum.*

*Rhabarbarum.*

*Centaurium minus drachmæ pondere ex melle potũ.*

*Aloe ex lacte vel melle ſumpta, aut bubulo felle, & aceto excepta, & vmbilico tenus illita.*

*Abrotonum.*

*Abſynthium.*

*Hyſſopum ex melle & nitri momento.*

*Dictamnus albus drachmæ pondere bibitus.*

*Menthaſtrum ex aceto potum.*

*Menthæ græcæ ſuccus potui datus.*

*Galegæ ſuccus, ſiue herba ipſa recens ex oleo amygdalarum amararum calefacta & ventri adalligata.*

*Pſeudomelanthij ſemen tam potum, quàm ex bubulo felle, & aceto illitum.*

*Vincetoxici radices cum albo dictamno hauſtæ.*

*Cardui benedicti decoctum, aut ſtillatitia aqua pota.*

*Chamædryos ſuccus vel vinũ, in quo floreſcens planta fuerit macerata.*

*Marrubij puluis inſumptus.*

*Securidacæ vtriuſque ſemen ex dulci lixiuio potum.*

*Tanacetum.*

*Cannabis decoctum bibitum.*

*Hyperici florum oleum, cochlearis menſura potum.*

*Tormentillæ, Biſtortæuè radicum decoctum potum.*

*Eupatorij vulgaris ſuccus in catapotijs deuoratus.*

*Muſcus marin⁹ drachmæ pondere hauſt⁹: & electuarium ex ipſomet muſco, vide lib. 4. eius comment.*

*Lupuli ſemen tritum & potui datum.*

*Oleum è colocinthide cum felle bubulo vmbilico inunctum.*

Argen-

*Argentum viuum ſemiſcrupuli pondere hauſtum.*

*Oleum è chalcātho ſex granorū pōdere ex vino datū.*

DIOSCORIDIS.

Ad fluxum alui ex epoto medicamento.

*Gallorum gallinaceorum ſenum ventriculus ſale inueteratus, & in vmbra ſiccatus potus.*

MATTHIOLI.

Ad iliacam paſsionem.

*Iridis Illyricæ puluis drachmæ pōdere ex paſſo hauſtꝰ.*

*Oleum ſenarum vnciarum pondere ex vino cretico potum, aut infuſum.*

DIOSCORIDIS.

Ad inteſtinorum vulnera.

*Equiſeti radix, & folia cum aqua pota.*

MATTHIOLI.

*Leporinus fimꝰ, atq; pili, q ſub vētre habētur ex melle decocti, & fabæ quantitate frequenter deuorati.*

*Terrenorum vermium oleum, addito factitio balſamo illitum.*

*Cyclamini radicum ſtillatitia aqua ſex vnciarū pondere hauſta, addito ſelectiſſimi ſachari puluere.*

*Ophioglosſum ex equiſeti aqua potum.*

*Terreſtris hederæ decoctum, vide eius commētarium.*

*Solidago minor, & media*<br>*Sanicula*<br>*Auricula vrſi*<br>*Piloſella* } *in potionibus hauſta.*

*Pyrola de qua vulnerariam potionem habes lib. 4. comment. de Limonio.*

*Virga aurea*<br>*Potentilla*<br>*Alchimilla, ſiue ſtellaria* } *in potionibus hauſta.*

*Momordicæ ſiccæ puluis cochlearis menſura ex plantaginis, aut equiſeti decocto potus.*

DIOSCORIDIS.

Ad inteſtinorum vlcera.

*Lac omne ignitis calculis calefactum infuſum.*

*Saphyrus lapis bibitus.*

MATTHIOLI.

*Solidago minor & media*<br>*Sanicula*<br>*Auricula vrſi*<br>*Piloſella*<br>*Pyrola* } *tum pota, tum infuſa per clyſtres.*

SEDIS.

DIOSCORIDIS.

Ad ſedis rimas.

*Pix liquida illita.*

*Amurca in cupreo vaſe ad mellis ſpiſſitudinem decocta illita.*

*Viticis ſemen cum aqua illitum.*

*Cancri fluuiatiles combuſti cum melle cocto illiti.*

*Labri veneris radix in vino decocta, & ſubinde tuſa impoſita.*

*Leucoij flores cera excepti, & emplaſtri modo adhibiti.*

*Labruſcæ flores illiti.*

*Plumbum elotum impoſitum.*

MATTHIOLI.

*Iuniperinum gummi cum roſaceo, aut Myrteo illitū.*

*Cancri fluuiatiles triti & inſperſi.*

*Oleum ex luteis ouorum illitum.*

*Plantaginis recentia folia trita & illita.*

*Verbaſci genera omnia.*



*Vnguentum ex mortario & piſtillo plumbeo atque oleo paratum.*

*Diphryges in vnguentis additum aut inſperſum.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſedis vlcera.

*Thus tritū cum lacte, et linamento exceptū impoſitū.*

*Punicorum acidorum ſuccus cū melle decoctus illitus.*

*Oeſypus impoſitus explet & emollit.*

*Plumbum elotum illitum.*

MATTHIOLI.

*Aloe inſperſa.*

*Solidago minor, & media.*

*Sanicula.*

*Auricula vrſi.*

*Piloſella.*

*Pyrola.*

*Verbaſci genera omnia.*

*Vnguentum ex oleo, mortario & piſtillo plumbeo paratum.*

*Diphryges.*

DIOSCORIDIS.

Ad condylomata.

*Cotonea mala cruda cataplaſmatis adiecta.*

*Oui vitellus aſſatus, & ex roſaceo & croco illitus.*

*Aloe cum paſſo adhibita.*

*Anethi cremati ſeminis cinis illitus.*

*Libanotis emplaſtri modo impoſita.*

*Ballotes folia in feruenti cinere cocta impoſita.*

*Rubi folia adhibita.*

*Helxine impoſita.*

*Quinquefolij radix illita.*

*Sarmentitius cinis, quin & vinaceorum ex aceto illitus.*

*Rubigo ferri illita.*

*Plumbum elotum impoſitum.*

*Sandaracha cum roſaceo inuncta.*

*Suillus adeps illitus.*

*Crocum cataplaſmatis inditum.*

MATTHIOLI.

*Lini ſeminis oleum illitum.*

*Plantaginis recentia folia trita, & illita.*

*Verbaſci genera omnia.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſedis inflammationes.

*Lens cum ſertula campana, ſiccis roſis, cydonio malo, malicorio & roſaceo illita.*

*Sonchi ſuccus illitus.*

*Melilotus cum fœnigræci farina, & lini ſemine ex paſſo impoſitus.*

*Libanotis adhibita.*

*Althææ radix decocta illita.*

*Symphyti maioris radix cum folijs ſenecionis cataplaſmatis modo.*

*Senecionis flores, & folia ex modico vino illita.*

MATTHIOLI.

*Plantaginis recentia folia trita, & illita.*

*Verbaſci genera omnia.*

DIOSCORIDIS.

Ad induratos ſedis tumores.

*Pix liquida illita.*

DIOSCORIDIS.

Ad procidentem ſedem.

*Lentiſci ſuccus, & folia illita.*

*Malorum cydoniorum decoctum in deſeſſionibus.*
*Torpedo marina appoſita.*
*Ciclamini ſuccus ad mellis ſpiſſitudinem decoctus illitus.*
*Carulei anagallidis flores appoſiti.*
*Aſter atticus illitus.*
*Acetum illitum et fotu adhibitum.*
*Acida muria in deſeſſionibus.*

MATTHIOLI

*Maſtiche aſperſum.*
*Cochleæ putamen uſtum & aſperſum.*
*Plantaginis recentia folia trita & illita.*
*Verbaſci florum & ſeminum puluis larigna reſina exceptus & ſuffitus, addita Anthemidis florum farina.*
*Ebuli radicum ſuccus illitus.*

MATTHIOLI
Ad hœmorrhoidarum dolorem.

*Nucum Indicarum oleum illitum.*
*Perſicorum nucleorum oleum.*
*Lini ſeminis oleum.*
*Plantaginis recentia folia trita & illita.*
*Porri folia decocta & illita.*
*Dracunculi radix cineribus calidis toſta, et impoſita.*
*Ari radix oleo ſubacta, & impoſita.*
*Scrophulariæ vnguentum, cuius parandi rationem habes lib. 4. cap. 90.*
*Verbaſci genera omnia.*
*Oleum de momordica ex amygdalino, aut lini ſemine paratum: vide lib. 4. comment. vitis nigræ.*

DIOSCORIDIS.
Ad hœmorrhoidas ciendas.

*Cepa confricata.*

MATTHIOLI.

*Ficulnea folia affricta.*
*Cæpa cruda impoſita, aut ex aceto illita.*
*Cyclamini radix recens affricta, aut eius ſuccus ex lana impoſitus.*

DIOSCORIDIS.
Ad hœmorrhoidarum defluxiones.

*Aloe cum paſſo illita.*
*Libanotis emplaſtri modo impoſita.*
*Rubi folia adhibita.*
*Palmulæ illitæ.*

MATTHIOLI.

*Iuniperinum gummi ex oleo roſaceo, aut myrteo illitum.*
*Plantaginis recentia folia trita & illita.*
*Lagopi panicularum cinis inſperſus.*
*Verbaſci flores vna cum oui vitello, & clematide primo, & porri folijs illiti.*
*Eiuſdē verbaſci folia ſuffita ex molari lapide acceſo.*

DIOSCORIDIS.
Ad hœmorrhoidas ſanandas.

*Rhois ſemen illitum.*
*Palmulæ illitæ.*
*Ononis decoctum (vt quidam aiunt) potum.*
*Plumbum elotum impoſitum.*
*Arabicus lapis illitus.*
*Portulaca ad ſummum cocta impoſita.*

MATTHIOLI.

*Iridis radicis decoctum fotum.*



DIOSCORIDIS.
Ad teneſmon.

*Lac { Ouillum, Caprillum, Bubulum } ignitis calculis calefactum, clyſteri infuſum.*
*Fœnigræci ſeminis decoctum infuſum.*
*Lini ſemen quoquo modo appoſitum.*
*Erui farina vino macerata illita.*

MATTHIOLI.

*Thus ſuffitum addita præſertim colophonia reſina.*
*Verbaſci florū & ſeminū puluis vna cum Anthemidis florum farina, reſina larigna receptus & ſuffitus.*

DIOSCORIDIS.
Ad penſiles thymos.

*Capræ ſylueſtris fel illitum.*
*Fimum ouillum ex aceto inunctum.*
*Laſer in malicorio cum aceto feruefactum.*
*Acetum illitum.*

MATTHIOLI.

*Plantaginis recentia folia trita & illita.*

MATTHIOLI.
Ad inflammationes.

*Caphura.*
*Oleum è cucurbitarum vulgarium floribus paratum illitum.*
*Lentis paluſtris ſtillatitia aqua tum pota, tum illita.*

RENVM.

DIOSCORIDIS.
Ad renum dolores.

*Cardamomum ex vino potum.*
*Nardum celticum potum, ac linitum.*
*Amomi decoctum bibitum.*
*Arundinis radix lumborum doloribus proficit cum aceto illita.*
*Tragacantha drachmæ pōdere in paſſo diſſoluta cum aduſto, eloto'q; cerui cornu, & ſciſſilis aluminis tantillo potum.*
*Peucedani ſuccus potus.*
*Vua paſſa alba in cibum ſumpta.*
*Alcyonium tertium potum.*
*Fœniculi comæ decoctum ſubditum.*
*Anagallis pota.*
*Agarici drachma pota.*
*Glycyrrhizæ ſuccus cum paſſo potus.*
*Tordilium bibitum.*
*Anthyllis pota.*
*Pæoniæ radix ex vino pota.*
*Symphytum petræum ex aqua potum.*
*Anchuſæ decoctum ex aqua hauſtum.*
*Vinum melitites ebibitum.*

MATTHIOLI.

*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa cum Glycyrrhizæ puluere hauſta.*
*Oleum laurinum illitum.*
*Amygdalinum oleum potum.*
*Filipendulæ radix pota.*
*Altheæ alterius ſemen ebibitum.*

MATTHIOLI.
Ad lumborum dolorem.

*Helenij folia ex vino illita.*
*Agaricum in potionibus additum.*

DIO-

DIOSCORIDIS.

Ad renum calculos & arenulas.

Nardus { Indica, Celtica, Montana } potui data. Verum Celtica cæteris præſtat.

*Lauri folia pota, quin & radicis cortex, qui longè potentior eſt potus.*
*Ceraſi gummi ex vino hauſtum.*
*Amygdalæ amaræ gummi ex paſſo ſumptum.*
*Anonis radicis cortex cum vino potui datus.*
*Aniſum potum.*
*Cumini alterius ſylueſtris ſemen potum.*
*Artemiſiæ decoctum in deſeſſionibus adhibitum.*
*Chamæmeli decoctum potum, vel fotu adhibitum.*
*Parthenij folia hauſta.*
*Altheæ decoctum bibitum.*
*Aliſmatis decoctum potui datum.*
*Tribuli vtriuſque fructuum ſuccus hauſtus.*
*Rubi radix pota.*
*Papaueris corniculati radicis decoctum hauſtum.*
*Vmbilici Veneris folia cum radice pota.*
*Vinum abſinthites bibitum.*
*Adiantum potui datum.*
*Trichomanes potui data.*
*Vua paſſa alba comeſa.*
*Melitites vinum aſſiduè potum.*
*Alcyonium tertium potum.*

MATHIOLI.

*Iridis radicis decoctum potum.*
*Iridis radices conditæ frequenter deuoratæ.*
*Phu radices ex iure ſumptæ.*
*Carpeſium.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa ex glycyrrhyzæ decocto, aut puluere ſumpta.*
*Balſami factitij liquores omnes poti.*
*Terreſtris muſci ex vino decoctum potum.*
*Oleum cum pari portione vini Cretici calidum potum aut infuſum.*
*Amygdalinũ oleum, & præſertim ex amaris nucibus.*
*Bdellium in potu datum.*

Reſina { Larigna, Terebinthina, Abiegna } deuorata vnciæ pondere.

*Os humani capitis hauſtum.*
*Fraxini ſemen ex vino vetere potum.*
*Aqua defluens ex perforato betulæ candice hauſta.*
*Quernorum foliorũ ſtillatitia aqua in potu ſumpta.*
*Glandis fagineæ cinis ex poſca illitus.*
*Perſici lachryma cum ſucco raphani, aut limonum ſumpta.*
*Perſicorum nucleorum oleum potum quin etiam nuclei ipſi in potu hauſti.*
*Perſicorum nucleorum, & aliorũ nonnullorũ ſtillatitia aqua: vide in commentario perſici, libro primo.*
*Limoniorum ſuccus ex vino Cretico propinatus.*
*Meſpilorum oſſicula cochlearis menſura ex vino albo hauſta.*
*Cochleæ putamen caſu inuentum tritum potu datũ.*
*Cammarorum lapilli ex vini albi potione ſumpti.*
*Cancri fluuiatilis putamen ex vino ſubdulci potum.*
*Scorpionum cinis ex vino datus.*



*Scorpionum oleum pubi illitum.*
*Leporis integri combuſti cinis in potu ſumptus.*
*Leporini renes tum crudi, tum cocti deuorati.*
*Calli, qui equorum interna crurum parte innaſcuntur, triti, & ex vino propinati.*
*Humani ſtercoris ſtillatitia aqua pota.*
*Ciceris cum nigri, tum quoque rubri, ius hauſtum.*
*Braſſicæ ius potum.*
*Hippolapathi radix trita ex vino ſumpta.*
*Anonidis radix trita ex vino ſumpta: item eiuſdem ſtillatitia aqua, cuius parandi rationem habes in commentario.*
*Veronica mas.*
*Dictamnus albus ex vino meraco ebibitus duarum drachmarum.*
*Filipendulæ radices hauſtæ.*
*Tanacetum quouis modo vſurpatum.*
*Hyperici ſemen ex vino.*
*Polygoni minoris puluis ex vino hauſtus.*
*Oleum è flammula illitum. Parandi rationem habes lib. 4. commen. de clematide altera.*
*Conſolidæ regalis flores poti.*
*Saxifragiæ albæ decoctum potum, vel alba radicum circumſtantia grana contuſa & deuorata.*
*Saxifragia magna drachmæ pondere ex vino hauſta.*
*Pimpinellæ ſaxifragiæ radices potæ.*
*Vinum è calcatis halicacabi ſolani baccis potum unciarum quatuor pondere.*
*Primulæ veris radicum decoctum potum.*
*Geniſtæ ſemen aut iuncei eius rami cum folijs in potionibus.*
*Geniſtæ florum ſtillatitia aqua pota libræ pondere, & eorundẽ conſerua ex ſaccharo parata & deuorata.*
*Oleum è chalcantho ſcrupuli pondere ex vino potũ.*

DIOSCORIDIS.

Ad renum vlcera.

*Lac omne potum.*
*Plantaginis radices & folia ex paſſo ſumpta.*
*Vua paſſa alba comeſa.*
*Melitites vinum aſſiduè potum.*

MATTHIOLI.

*Pinei nuclei ex melle, aut ſaccharo deuorati.*
*Tragacanthæ lachryma intus ſumpta.*
*Equiſeti cuiusq. decoctum, aut aqua ſtillatitia pota.*

DIOSCORIDIS.

Ad renum obſtructiones.

*Rhaponticum hauſtum.*

*Vinum abſinthites* } *potum.*
*Vinum Melitites* }

MATTHIOLI.

*Iridis radicis decoctum potum.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua hauſta.*
*Caſſia ſolutiua pulpa deuorata.*
*Terebinthina lariceàve reſina ſumpta vncia põdere.*
*Zizypha.*
*Agaricum.*
*Anonis & eius aqua ſtillatitia.*
*Ciceris decoctum potum.*
*Nuclei pinei.*
*Hippolapathi radix contrita ex mero.*
*Dracunculi radicis farina ex vuarum paſſarum cremore, & maſtyches momento ſumpta.*

 Cardui.

Cardui benedicti radicum decoctum potum.
Eryngij radix.
Veronica mas.
Fragariæ radicum, & foliorum decoctum potum.
Vinum e calcatis ſolani halicacabi baccis quatuor vnciarum pondere potum.
Oleum è chalcantho ex vino potum.

### VESICAE.
### DIOSCORIDIS.
Ad ciendam remorantem vrinam.

Acori decoctum potum.
Mei radices ex aqua decoctæ, vel tritæ citra coctionẽ & potæ.
Nardus { Indica / Celtica / Montana } potui data.
Cardamomum ex vino hauſtum.
Aſarum bibitum.
Phu ſicca pota.
Malabathrum potum.
Caſſia in potu hauſta.
Cinnamomum potum.
Coſtus ebibitus.
Iuncus odoratus in potu ſumptus.
Calamus odoratus cum graminis, aut apij ſem. ſumptus.
Aſpalathi decoctum hauſtum.
Crocum ebibitum.
Helenij radicum decoctum potui datum.
Crocomagma potum.
Pineæ nuces repurgatæ comeſæ, aut cum paſſo, vel cucumeris ſemine potæ.
Lentiſci decoctum hauſtum.
Terebinthi fructus comeſtus.
Reſina omnis, præſertimq; Terebinthina hauſta.
Cupreſſi folia ex paſſo, & exiguo myrrhæ pota.
Cedrides deuoratæ, vel potæ.
Lauri foliorum decoctum in deſeſſionibus.
Albæ populi cortex vnciæ pondere hauſtus.
Paliuri foliorum & radicum decoctum in potu ſumptum.
Phillyreæ folia pota.
Ladanum ex vetere vino hauſtum.
Oleæ æthyopicæ, ac noſtratis lachryma potui data.
Glandes in potu ſumptæ.
Palmæ inuolucri decoctum bibitum.
Punicæ acidæ ſuccus potus.
Ceraſi gummi hauſtum.
Amygdalæ amaræ lachryma bibita.
Erinaceus marinus in cibum ſumptus.
Erinacei terreſtris caro inueterata ex aceto mulſo pota.
Vermes terreni triti, & cum paſſo poti.
Mel hauſtum.
Ptiſana hordeacea deuorata.
Zythum ex hordeo paratum potum.
Cicerum decoctum potui datum.
Erui decoctum hauſtum.
Lupinorum radicum decoctum bibitum.
Raporum cauliculus elixus & in cibum ſumptus.
Raphanus comeſtus, quin & eiuſdem ſemen potum.
Siſeris radix in cibum accepta.
Aſparagi breui coctura elixi, & in cibum propinati.
Sion quoquomodo ſumptum.
Cucumeris ſemen potum.
Erucæ vtriuſque ſemen bibitum.



Dracunculus minor hauſtus.
Hortenſis ſmilacis ſiliquæ cum ſemine elixæ, & in cibum datæ.
Aſphodeli radix pota.
Bulbus vomitorius in cibum ſumptus, vel eius decoctum potum.
Porrum domeſticum, & ſylueſtre comeſtum.
Cæpa decocta & in cibum ſumpta.
Allium in cibum ſumptum.
Capparis fructus quadraginta diebus potus.
Anagallidis ſuccus bibitus.
Calaminthæ decoctum potum.
Saluiæ decoctum hauſtum.
Crocodilij ſemen potum.
Thymi decoctum potui datum.
Thymbræ decoctum bibitum.
Serpillum in potu ſumptum.
Ruta quoquo modo ſumpta.
Spinæ albæ radix pota.
Acanthi radices potæ.
Ononis radicis cortex ex vino hauſtus.
Eryngij radix pota.
Abſinthiũ potui datũ, vel eiuſdem decoctũ bibitum.
Hyſſopi decoctum in potu ſumptum.
Origanum hauſtum.
Tragorigani decoctum ebibitum.
Ruta ſylueſtris pubi illita.
Liguſtici ſemen, & radix pota.
Paſtinacæ erraticæ ſemen hauſtum.
Cari ſemen potum.
Anethi coma & ſeminis, decoctum bibitum.
Apium crudum, coctumvè in cibum ſumptum.
Petroſelinum in potu hauſtum.
Fœniculi decoctum potum.
Nigella pluribus diebus bibita.
Polij montani decoctum potui datum.
Artemiſia decoctum in deſeſſionibus adhibitum.
Anthemidis decoctum hauſtum, vel in deſeſſionibus additum.
Lithoſpermi ſemen ex vino albo ſumptum.
Rubiæ radix pota.
Lonchitis radix ex vino ſumpta.
Hypericum bibitum.
Betonicæ folia pota.
Periclymeni ſemen hauſtum. Eſt enim valentiſſimum medicamentum.
Saxifragia potui data.
Xyridis radix trium obolorum pondere bibita, ſed ſemini vis longè maior.
Iunci marini ſemen frixum.
Ageratum ſuffitum.
Veſicariæ, ſiue halicacabi rubentes acini folliculis incluſi deuorati.
Solani ſomnifici ſemen potum.
Ruſci folia, baccæ, aſparagi, radicesvè in vino pota.
Spartij ſemen deuoratum.
Vitis albæ cauliculi teneri decocti, & deuorati.
Cytiſi decoctum potum.
Dauci ſemen hauſtum.
Coris ſemen in potu ſumptum.
Equiſeti ſuccus potus.

*Vmbilici veneris folia cum radicibus manducata.*
*Bunij, & Pſeudobunij ſemen potum.*
*Aſtragali radix ex vino ſumpta.*
*Hyacinthi radix bibita.*
*Vitis nigræ viticulæ primæ coctæ, comeſtæquè.*
*Chamædaphnes foliorum ſuccus ex vino ſumptus.*

*Vinum* { *Cydonites* / *Hyſſopites* / *Scillinum* / *Abſinthites* } *potum.*

*Aqua mulſa in potum accepta.*

MATTHIOLI.

*Nardi Italicæ, aut lauendulæ flores ex vino ferueſacti & pubi impoſiti.*
*Aſarinæ decoctum potum.*
*Carpeſium hauſtum.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua.*
*Calamus odoratus vulgaris in potu ſumptus.*
*Bdellium hauſtum.*
*Iuniperinus cinis ex lixiuio & vino albo potus.*
*Sabina quocunque modo deuorata.*
*Fraxini ſemen potum.*
*Arundinis radix.*
*Cochleæ putamen caſu inuentum tritum, & ex albo vino potum.*
*Scorpionum exuſtorum cinis potus.*
*Eorundem oleum pubi illitum.*
*Sepiæ oua in cibis ſumpta.*
*Cimices viui in penis foramen immiſſi.*
*Aqua in qua ceruinum genitale elotũ fuerit, hauſta.*
*Siſymbrium aquaticum, cum raphano omni, & petroſelini radicibus ex albo meraco, butyroquè calefactum, pubi illitum.*
*Melopeponum ſeminum lacteus cremor potus.*
*Pectinis veneris planta tota, albo meraco & butyro calefacta, & pubi impoſita.*
*Porri ſemen ex paſſo potum.*
*Sinapi potum.*
*Gentiana.*
*Anonidis radicum ſtillatitia aqua. Parandi modum habes commento de Anonide lib. 3.*
*Cardui benedicti radicum decoctum potum.*
*Veronica mas ebibita.*

*Hyſſopum* / *Pulegium* } *potum.*

*Mentha Græca ex vino ferueſacta, pubi illita.*
*Imperatoria hauſta.*
*Vincetoxicum ſumptum.*
*Filipendulæ radices ex vino.*
*Tanacetum ferueſactum & illitum.*
*Polygoni minoris puluis ex vino hauſtus.*
*Oleum flammulæ inunctũ pubi, aut clyſtere infuſum.*
*Conſolidæ regalis flores aut eorum decoctum potum.*
*Saxifragia alba ex vino decocta, & pota: vel granula quæ in radice ſunt contuſa & deuorata.*
*Saxifragia magna.*
*Fragariæ folia et radices, ſiue earundem decoctum ex vino.*
*Pimpinella ſaxifragia.*
*Trichomanes in puluerem trita, & drachmæ pondere ex albo meraco pota.*
*Lupuli ſemen tritum & potui datum.*
*Geniſta quoquomodo ſumpta.*



*Geniſtæ florũ ex vino decoctum, aut ſtillatitia aqua: quin etiam conſerua ex iiſdem & ſaccharo parata.*
*Oleum è chalcantho ex vino potum ſcrupuli pondere.*

DIOSCORIDIS.

Ad vrinæ anguſtias.

*Cimices lectularij triti, et vrinariæ fiſtulæ impoſiti.*
*Millepeda ex vino pota.*
*Cicadæ inaſſatæ manſæ.*
*Locuſtæ ſuffitæ, præſertim in fœminis.*
*Ceruini cornu cinis elotus binis ligulis epotus.*
*Maluæ decoctum inſeſſione adhibitum.*
*Portulaca in cibum ſumpta.*
*Aſparagi radicum decoctum hauſtum.*
*Crithami radix, ſemen & folia ex vino decocta pota.*
*Sandicis decoctum potui datum.*
*Caucalis olerum modo in cibo ſumpta.*
*Amaraci decoctum potum.*
*Baccharis radicum decoctum hauſtum.*
*Ocimi ſemen bibitum.*
*Smyrnij radix pota.*
*Agaricum drachmæ pondere datum.*
*Peucedani ſuccus potus.*
*Rhaponticum potum.*
*Phalaridis ſuccus ex aqua, aut vino hauſtus.*
*Lotus ſylueſtris trita per ſe, aut cum maluæ ſemine ex vino, aut paſſo pota.*
*Chamæpitys potui data.*
*Chamæleonis albi radicis decoctum bibitum.*
*Abrotani ſemen tritum, et ex aqua calefactum potũ.*
*Paſtinacæ ſylueſtris ſemen potum, vel pubi illitum.*
*Tordilij ſemen in potu ſumptum.*
*Polemonij radix ex aqua pota.*
*Siſonis ſemen hauſtum.*
*Ammi cum vino ſumptum.*
*Petroſelini ſemen potum.*
*Galbanum bibitum.*
*Chamædrios decoctum potui datum.*
*Trifolij bituminoſi ſemen, & folia in aqua hauſta.*
*Scordij decoctum ex vino, vel ex aqua paratum potũ.*
*Anthyllis altera drachmarum duarũ pondere bibita.*
*Pæonia potui data.*
*Althææ decoctæ ſuccus ex vino potus.*
*Graminis radicum decoctum potui datum.*
*Arctij radix cum ſemine decocta in potu ſumpta.*
*Adiantum potum.*
*Trichomanes hauſta.*
*Alcyonium tertium potum.*

*Lapis* { *Hæmatites ex vino* / *Morochthus ex aqua* } *bibitus.*

*Lapis* { *Iudaicus ciceris magnitudine ex aqua calida potus.* / *Spongiæ ex vino hauſtus.*

MATTHIOLI.

*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa deuorata, aut cum diureticis hauſta.*
*Amygdalinum oleum potum, aut per penis meatum infuſum.*
*Terebinthina reſina hauſta.*
*Lauri baccæ cum triticeo furfure, iuniperi baccis, & allio contritæ, & vino ſuper calenti tegula aſperſa, & pubi ſuperpoſita.*
*Napi ſemen cochlearis menſura, addita lini ſeminis*

 drachma

drachma ex vino potum.

Raphani ruſticani radix minutim conciſa, vnà cum petroſelini vulgaris radicibus, ex oleo vel butyro & vino calefacta, & pubi adalligata.

Raphani hortenſis radix eodem modo vſurpata.

Raphani vtriuſque dilutum ex vino paratum hauſtum, vel eorum ſuccus vnciarum duarum pondere ex cretico vino ſumptum.

Anonidis radicum ſtillatitia aqua pota: parandi modum habes lib. 3. cap. 8.

DIOSCORIDIS.

Ad vrinæ ſtillicidium.

Acori decoctum potum.

Siſymbrij ſemen in vino bibitum.

Panaces heraclium ex vino hauſtum.

Seſeli Maſſilienſe potui datum.

Cumini ſylueſtris alterius ſemen in potu ſumptum.

Oluſatri radix cum ſemine ex mulſo pota.

Polycnemum ex vino bibitum.

Clinopodium hauſtum.

Oenanthes radix cum vino epota.

Conyzæ folia & flores in potu.

Aſpleni decoctum potui datum.

Cepæ cum aſparagi radicibus decoctum in potu ſumptum.

Onobrychis bibita.

Polygoni ſuccus hauſtus.

Saxifragia in vino decocta potui data.

Xyridis radix ex mulſo pota.

Tragij liquor, ſemen, & folia in potu ſumpta.

Ruſci folia, radices, & baccæ bibitæ.

Lauri Alexandrinæ radix ſex drachmarum pondere potui data.

Elichryſi coma ex vino hauſta.

MATTHIOLI.

Phu decoctum potum.

Caſſiæ ſolutiuæ pulpa cum dulci radice ſumpta.

Nuclei pinei ſacharo, aut melle excepti.

Sebeſtena.

Zizypha.

Cochleæ cum ſuo putamine contritæ, ex paſſoq́; diebus ſeptem continuis potæ.

Leporini teſticuli in cibo ſumpti.

Cicerum rubeorum decoctum paratum, vt in ciceris commento.

Sonchi lacteus ſuccus è caule manans cyathi menſura.

Amarago, ſiue dens leonis ex aceto decoctum potum.

Melopeponũ lacteus cremor, additis halicacabi paſtillis & glycyrrhizæ ſucco, mumiæq́; momento, & gummi arabici & tragacanthæ nonnihil.

Lactucæ ſemẽ è papauerini ſeminis cremore hauſtum.

Traſorum lacteus cremor è carnium iure abſque ſale paratum.

Glycyrrhiza.

Cuminum ex dulci vino potum.

Eryngij radix.

Filipendulæ radices, aut earum decoctum potum.

Veronica mas.

Lagopi decoctum cum maluæ folijs, & dulci vino paratum.

Agrimoniæ ex vino albo decoctum cum ſaccharo hauſtum.

Solani halicacabi baccarum ſuccus ex papaueris albi cremore, aut melopeponum, aut cucurbitæ, aut cucumeris hauſtus.

Lupulorum flores in deſeſſionibus additi.

DIOSCORIDIS.

Ad veſicæ vlcera.

Myrti folia & ſemen pota.

Lac omne bibitum.

Cucumeris ſemen ex lacte, & paſſo hauſtum.

Glycyrrhyzæ ſuccus ex paſſo ſumptus.

Vua paſſa alba comeſa.

MATTHIOLI.

Nuclei pinei ex melle, aut ſaccharo deuorati.

Mumia ex caprillo lacte pota.

Amyli ſemuncia cum ouo, & vuis paſſis ſubferuefacta & à balneo ſumpta.

Equiſeti cuiuſque decoctum, aut aqua ſtillatitia cum herbæ puluere pota.

DIOSCORIDIS.

Ad veſicæ vulnera.

Butyrum infuſum.

Equiſeti folia ex aqua pota.

DIOSCORIDIS.

Ad eijciendos veſicæ calculos.

Oſſifragi auis ventriculus paulatim in potu hauſtus.

Muris qui muſerta dicitur, fimus cum mulſo & thure potus.

Vrina apri potui data.

Rumicis radicum ex vino decoctum bibitum.

Sion crudum, coctumuè hauſtum, vel comeſtum.

Siſymbrij ſemen potum.

Baccharis decoctum hauſtum.

Apij ſemen vel radix vino bibita.

Fœniculum erraticum potum.

Sagapenum potui datum.

Adianthi decoctum bibitum.

Trichomanes decoctum in potu ſumptum.

Vitis viniferæ lachryma in caudice concreta ex vino pota.

DIOSCORIDIS.

Ad veſicæ calculos frangendos educendosque.

Cardamomũ cũ corticis radicis lauri drachma potũ.

Bdellium potum.

Ceraſi arboris gummi bibitum.

Aſpleni decoctum hauſtum.

Lithoſpermum ex vino albo potui datum.

Saxifragia ebibita.

Graminis decoctum hauſtum.

Tragij ſemina pota.

Ruſci radices, ac baccæ in potu ſumptæ.

Iudaicus lapis coti delimatus, ex aqua calida potus.

Lapis ſpongiæ potui datus.

MATTHIOLI.

Balſami factitij liquores omnes poti.

Betulæ aqua, quæ è perforato caudice deſtillauit, pota.

Ericæ decoctũ tum potum, tũ balneum ex eo paratũ.

Scorpionum cinis potioni inſperſus.

Scorpionum oleum pubi illitum.

Leporis integri cinis in potione ſumptus.

Murium ſtercus potum.

Bubuli fellis lapis in potione ſumptus.

Humani ſtercoris aqua ſtillatitia pota.

Polygoni minoris puluis ex vino potus.

Saxifragia

*Saxiſtragia alba ex vino decoctũ potum, ſine albicantia grana radicib⁹ inhærentia contuſa, et deuorata.*
*Saxiſragia magna drachmæ pondere ex vino.*
*Primulæ veris radicum decoctum hauſtum.*
*Geniſtæ florum decoctum potum.*
*Corallium vſtum bibitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad vrinæ incontinentiam.

*Rutæ ſylueſtris ſemen frixum, & in cibis ſumptum.*
*Phœnix in vino auſtero bibita.*
*Mumia ex caprillo lacte pota.*
*Echini terreſtris combuſti cinis cum agrimonia, & interna membrana ventriculi gallinæ ſumptus.*
*Tormentillæ* | *Biſtortæ.* } *radices ex plantaginis aqua potæ.*

MATTHIOLI.
Ad veſicæ ſcabiem.

*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa cũ puluere dulcis radicis pota.*
*Nuclei pinei deuorati ex melle, aut ſacharo.*
*Amygdalinum oleum potum.*
*Seſaminum oleum hauſtum.*
*Glycyrrhizæ radix & eius ſuccus.*

DIOSCORIDIS.
Ad cruentos mictus.

*Cumini ſylueſtris alterius ſemen potum,*
*Elichryſi coma in mulſo pota.*
*Acida maria infuſa.*

MATTHIOLI.

*Dactylorũ oſſa cũ crudo ſerico cõbuſta intus ſumpta.*
*Plantaginis et millefolij ſuccus potus, addita philonij Perſici drachma.*
*Millefolij farina vnciæ pondere, vna cum boli armenij drachma ex lacte bubulo propinata.*
*Millefolij ſuccus vnciæ pondere cum ſyru. myrtino hauſtus.*

VIRILIVM, ET PVDENDORVM.
DIOSCORIDIS.
Ad venerem ciendam ſtimulandamque.

*Coſtus ex mulſo bibitus.*
*Crocum potum.*
*Semen lini cum melle & pipere deuoratum.*
*Rapum decoctum in cibo ſumptum.*
*Eruca largius in cibis comeſa.*
*Erucæ ſemen hauſtum.*
*Dracunculi maio. radix toſta, vel elixa ex vino bibita.*
*Aſphodeli radix aſſumpta.*
*Naſturtium potum, vel comeſtum.*
*Porri ſemen potui datum.*
*Bulbus decoctus manducatus.*
*Allium cum coriandro tritum in cibis.*
*Vrticæ ſemen ex paſſo potum.*
*Gallij radix aſſumpta.*
*Menthæ ſuccus potus.*
*Paſtinacæ erraticæ radix comeſta.*
*Aniſum potum.*
*Teſticuli canis radix, quæ vegetior eſt, bibita vel comeſta.*
*Satyrij radix eſitata.*
*Horminium in vino potum.*
*Gladioli ſuperior radix ex vino ſumpta.*
*Scincorum renes drachmæ pondere ex vino hauſti.*
*Lac omne hauſtum.*



MATTHIOLI.

*Galanga pota, & in cibis addita.*
*Moſchus ex ricino oleo peni illitus.*
*Zibetum eodem modo inunctum.*
*Piſtaceorum oleum vnà cum oleo ſinapino, benzoino, & moſcho genitalibus illitum.*
*Fraxini ſemen cum piſtacijs, & nucibus pineis deuoratum addito ſacharo.*
*Nux Indica.*
*Myriſticæ nucis oleum genitalibus illitum.*
*Sepiæ piſces cũ nucibus & allio paratæ & deuoratæ.*
*Genitale cerui in puluerem tritum, et ex ouo ſumptũ.*
*Caryophylli quatuor drachma. pondere ex lacte poti.*
*Phaſioli in lacte bubulo decocti, & longo pipere, & galanga aſperſi.*
*Dauci ſemen.*
*Mala inſana elixa, & deinde in butyro frixa, & cum longo pipere deuorata.*
*Vitis nigræ radix ſub feruentibus cineribus decocta, & cum pipere & ſale deuorata.*

DIOSCORIDIS.
Ad augendam genituram.

*Coriandrum bibitum.*
*Omnia medicamenta, quæ venerem excitant, præter ea, quæ in calore, & ſiccitate excellunt.*

MATTHIOLI.

*Seſaminum oleum potum, aut in cibis additum.*
*Cephiliones cum pipere & ſale.*
*Nuclei pinei.*
*Piſtacia.*
*Nux Indica.*
*Gallinaceorum teſtes frequenter deuorati.*
*Oryza in bubulo lacte decocta addito croco & cinnamomo.*
*Cicera cibo data.*
*Phaſioli in lacte bubulo decocti, longoq́; pipere, galanga, & ſacchara aſperſi.*
*Rapum in lacte decoctum.*
*Napi ex pingium carniũ iure decocti addito pipere.*
*Siſer coctum & cum pipere deuoratum.*
*Aſparagi in cibo ſumpti.*
*Traſorum cremor ex carnium iure paratus.*
*Caryophylli quatuor drachma. pondere ex lacte poti.*
*Cinaræ echinus ex pipere deuoratus.*
*Ferulæ corculum ſub cineribus decoctum cum ſale & pipere deuoratum.*
*Mala inſana cocta, & in butyro frixa, & cum pipere deuorata.*
*Vitis nigræ radix ſub cineribus feruentibus probè decocta, & cum pipere deuorata.*

DIOSCORIDIS.
Ad venerem inhibendam & nocturnas pollutiones.

*Viticis ſemen potum, & folia teſtibus illita.*
*Portulaca manducata, pudendiſq́; inuncta.*
*Lactucæ ſemen potum, nocturnas veneris imaginationes arcet.*
*Anethi ſeminis & comæ decoctum aſſiduè potum.*
*Ruta in cibo, potuque ſumpta.*
*Canini teſticuli herbæ, languida flaccidaq́; radix potui data.*
*Cannabis ſatiuæ ſemen in cibum largius ſumptum.*
*Gladioli inferior radix pota.*

*Cicuta cum ſua coma trita, & genitalibus illita, & eſt potentiſſimum medicamentum.*

MATTHIOLI.

*Caphura renibus & teſtibus illita.*
*Vinum, in quo mullus piſcis fuerit immerſus, potum.*
*Lactucæ ſuccus cũ caphuræ momento teſtibus illitus.*
*Lactucæ ſemen ex papauerini ſeminis cremore potũ.*
*Siſymbrij ſuccus teſtibus illitus.*
*Cannabis ſatiuæ ſemen largius ſumptum.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſeminis profluuium.

*Nymphea radix bibita.*
*Iridis illyricæ radix ex aceto pota.*

MATTHIOLI.

*Hyoſcyaminum oleum renibus & teſtibus illitum.*
*Thus drachmæ pondere cum aqua nymphea bibitũ.*
*Larigna aut terebinthina reſina ex aqua plantaginis lota, additis ſuccino, vel aſpleno, & caphuræ momento.*
*Caphura cum ſuccino ex aqua nymphe æ hauſta, exteriusquè illita.*
*Roſarũ baccarũ ſemẽ, et lanugo in vino auſtero pota.*
*Roſarum crocei floſculi, capilliuè epoti.*
*Saccharum è punicæ floribus paratũ ex vino auſtero ſumptum.*
*Cichorij ſuccus potus.*
*Menthaſtri ſuccus potus, & teſtibus illitus.*
*Aſpleni aurigo drachmæ põdere, cũ albi ſuccini ſemidrachma ex portulacæ, aut plantaginis ſucco pota.*
*Lithoſpermi vtriuſq. ſemen, ſeſquidrachmæ põdere, addita pari aſpleni quantitate, et ſuccini ſcrupulis duobus, ex ſucco portulacæ pluribus diebus potum.*
*Milleioliũ cui candida ineſt vmbella, vna cum floribus tuſum, & cum ſua ipſius aqua ſtillatitia, aut caprino lacte potum, vel cum corallio, ſuccino & eboris ſcobe propinatum.*
*Vnguentum ex roſaceo in mortario plumbeo paratũ.*
*Diphryges illitum ex roſaceo vnguento.*
*Corallium potum.*

DIOSCORIDIS.
Ad pudendorum vlcera.

*Oeſypus illitus.*
*Aloe illita, & in puluerem impoſita.*
*Polygoni ſuccus in vino decoctus cũ melle adhibitus.*
*Alumen quocunque modo adhibitum.*
*Flos ſalis inſperſus.*

MATTHIOLI.

*Mumia ex caprillo lacte pota.*
*Malicorium cum marina ſpongia exiccatum additis oleo & alumine.*
*Cucurbitæ exuſtæ cinis.*
*Gammarorum lapilli cum tartaro triti & aſperſi.*
*Abrotanum vſtum in puluerem admotum.*
*Floris ſolis decoctum fotum.*
*Anethum vſtum & aſperſum.*
*Solidaginis mediæ folia, aut eorum ſuccus adhibitus.*

| | |
|---|---|
| *Sanicula*<br>*Auricula vrſi*<br>*Piloſella*<br>*Potentilla*<br>*Pulmonaria altera* | *tum in puluerem inſperſa tum in lotionibus decocta, et fota.* |

DIOSCORIDIS.
Ad teſtium inflammationes, & tumores.

*Cicer cum eruo decoctum appoſitum.*
*Faba in vino decocta cataplaſmatis adhibita.*
*Senecionis folia cũ floribus emplaſtri modo impoſita.*
*Aſphodeli radix & folia illita.*
*Cimolia illita.*
*Melilotum emplaſtri modo adhibitum.*
*Geodes lapis illitus.*
*Ruta illita cum lauri folijs.*
*Sal cum origano, & fermento illitum.*
*Cuminum cum paſſa vua, fabæquè lomento, aut cera impoſitum.*
*Coriandrum cum vua paſſa, & melle illitum.*
*Lilij conciſa radix cum apollinari herba, & triticea farina cataplaſmatis modo.*
*Samia terra ex roſaceo, & aqua illita.*
*Hyoſcyami ſemen tritum ex vino impoſitum.*

MATTHIOLI.

*Iridis Illyricæ farina cum alijs quibuſdam medicamentis, vt in commento de iride diximus.*
*Hyoſcyaminum oleum illitum.*
*Fœnugræci farina ex hydromelite decocta, & addita axungia, impoſita.*
*Cicerum farina, aut fabarum, aut erui ex aqua decocta & illita.*
*Bellidis folia tuſa, & illita.*
*Lentis paluſtris ſtillatitia aqua illita.*
*Vnguentum ex mortario et piſtillo plumbeo cum roſaceo paratum.*

DIOSCORIDIS.
Ad genitalium pruritum.

*Saluiæ decoctum ex vino illitum.*
*Reſinæ omnes præſertimquè terebinthina illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad induratos teſtes.

*Irionis ſemen impoſitum.*

MATTHIOLI.

*Irinum oleum illitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad eos, qui natura præputio carent.

*Thapſiæ ſuccus circumlinitus, tumorem enim excitat, qui deinde pinguium fotu emollitus, præputij iacturam reſarcit.*
*Mel triginta diebus à balneo illitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad genitalium phagædenas, exulcerationes.

*Taurinum fel ex melle illitum.*
*Labruſcæ flos tritus cum melle, croco, myrrha, & roſaceo impoſitus.*

MATTHIOLI.

| | |
|---|---|
| *Piloſella*<br>*Potentilla*<br>*Solidago minor & media*<br>*Sanicula*<br>*Auricula vrſi*<br>*Pyrola* | *quouis modo uſurpata in topicis auxilijs.* |

DIOSCORIDIS.
Ad genitalium thymos.

*Smaridis ſalſe crematum caput illitum.*
*Fel ſylueſtris capræ inunctum.*
*Fimum ouillum ex aceto impoſitum.*
*Thymus emplaſtri modo adhibitus.*
*Thymbra appoſita.*

*Ruta cum pipere, nitroque confricata.*
*Tithymali caracia lac inunctum.*
*Chamaſyces rami triti, & impoſiti.*
*Mercurialis ſuccus illitus.*
*Heliotropij ſemen illitum.*
*Oleum è chalcantho illitum.*
*Oleum noſtrum de antimonio cum cautela adhibitũ.*

VTERI.
DIOSCORIDIS.
Ad vteri ſtrangulatus.

*Mei radices tritæ, & cum melle in eclegmate deuoratæ.*
*Iuniperi baccæ potæ.*
*Vngues odorati ſuffiti.*
*Cimices lectularij naribus illiti.*
*Bitumen olfactum, ſuffitum & admotum.*
*Phocæ coagulum potum.*
*Vrina cum liguſtrino oleo feruefacta infuſa.*
*Plantaginis ſuccus potus.*
*Sinapi tritum naribus illitum.*
*Agaricum drachmæ pondere ſumptum.*
*Ruta trita excepta melle, pudendis & ſedi illita.*
*Panacis herculei ſemen cum vino bibitum.*
*Seſelis Maſſilienſis radix, & ſemen potum.*
*Peucedanum olfactum.*
*Sagapenum naribus ad olfaciendum illitum.*
*Trifolij bituminoſi ſemen, & folia pota.*
*Pæoniæ nigri ſeminis grana xv. bibita.*
*Aliſmatis radix pota.*
*Betonicæ folia drachmæ pődere in aqua dulci hauſta.*
*Gagates lapis ſuffitus.*

MATTHIOLI.

*Zibetum cauernulæ vmbilici illitum.*
*Iuglandium iuli in puluerem contriti, & ex vino albo poti.*
*Caſtoreum incenſum naribus admotum.*
*Caſtoreum ſemioboli pondere cum pari aſſa fœtida in catapotijs deuoratum.*
*Imperatoriæ radix ex vino.*
*Sagapenum cum olfactum, tum catapotijs deuoratũ.*
*Alliariæ ſemen ſuppoſitum.*
*Tuſſilaginis maioris radix duarum drachmarum pondere ex mero pota.*
*Hippogloſſi radicum, aut foliorum puluis cochlearis menſura ex vino, vel iure hauſtus.*
*Antirrhini flores folia, et ſemen, cum roſaceo, & melle vmbilico adhibita.*
*Vitis albæ radix ex vino pota.*
*Quinta eſſentia noſtra, in comment. de vino deſcripta, hauſta, & in faciem proiecta.*

DIOSCORIDIS.
Ad menſes ducendos.

*Iris Illyrica ex vino ſumpta, & fotu adhibita.*
*Mei radicum decoctum deſeſſionibus adhibitum.*
*Acori decoctum in ſeſſionibus.*
*Cyperi radicum decoctum fotu adhibitum.*
*Aſari radices ſenis drachmis ex aqua bibitæ.*
*Phu decoctum potui datum.*
*Caſſia odorata in potu ſumpta.*
*Cinnamomum hauſtum, vel ex myrrha ſuppoſitum.*
*Amomum peſſis, aut ſeſſionibus additum.*
*Coſtus ebibitus.*
*Odoratus iuncus potui datus.*
*Calamus odoratus hauſtus, & ſuppoſitus fotu.*
*Cancamum ex aqua mulſa potum.*
*Helenij radicum decoctum potum.*
*Myrrha cum abſinthio, lupinorum cremore, vel rutæ ſucco admota.*
*Styrax pota & appoſita.*
*Bitumen ex vino, & caſtoreo bibitum.*
*Cedrides ex polline piperis hauſtæ.*
*Lauri foliorum decoctum fotu admotum.*
*Phyllireæ folia potui data.*
*Viticis ſemen drachmæ pondere ex vino hauſtum.*
*Oleæ Aethyopicæ, ac noſtratis lachryma pota.*
*Amygdalæ amaræ deuoratæ.*
*Ficulneum lac cum detrita nuce græca ebibitum.*
*Cochleæ terreſtes cum ſuo operimento tuſæ, & fœmineis locis admotæ.*
*Caſtoreum drachmarum duarum pondere hauſtum.*
*Cepæ ſuccus pudendis illitus.*
*Oeſypum in lana ſuppoſitum.*
*Anſerinus & gallinaceus adeps illitus.*
*Caprarum montanarum fimum ex odoramento aliquo potum.*
*Standulaceum bibitum.*
*Seminis lini decoctum fotu admotum.*
*Lupinorum decoctum tum myrrha, & melle ſuppoſitum.*
*Raphanus in cibum ſumptus vel eius ſuccus hauſtus.*
*Aſphodeli radix potui data.*
*Eryngij decoctum hauſtum.*
*Braſſicæ ſuccus ex loliacea farina ſuppoſitus, vel eiuſdem decoctum bibitum.*
*Sium pro olere ſumptum.*
*Crithmum, vel eius decoctum in potu ſumptum.*
*Centaurij maioris radix bibita vel eiuſdem ſuccus ſuppoſitus.*
*Chondryllæ gummi ex myrrha ſubditum.*
*Lactucæ ſylueſtris lacteus ſuccus bibitus.*
*Porrum domeſticum, & ſylueſtre comeſtum.*
*Allij comarum decoctum in deſeſſionibus additum.*
*Cyclaminus tum pota, tum ſuppoſita.*
*Abrotani ſemen ex aqua hauſtum.*
*Capparis cortex & ſemen potui datum.*
*Anemones radix ex vellere appoſita.*
*Hederæ corymbi triti ſubditi.*
*Pulegium bibitum.*
*Agaricum cum oxymelle drachmæ pondere hauſtũ.*
*Origanum potum.*
*Abſinthium hauſtum, vel ex melle ſubditum.*
*Tragoriganum potui datum.*
*Saluiæ decoctum potum.*
*Ammi ex vino hauſtum.*
*Thymi, thymbraq́ decoctum in potu ſumptum.*
*Serpyllum potui datum.*
*Smyrnij ſemen ebibitum.*
*Amaraci decoctum hauſtum, vel pudendis illitum.*
*Baccharis radicis decoctum potum.*
*Ruta vtraq́, tum pota, tum ſubdita.*
*Panaces herculeum ex vino hauſtum.*
*Liguſtici radix & ſemen potum, & illitum.*
*Paſtinacæ erraticæ ſemen potum.*
*Seſelis Maſſilienſis radix & ſemen hauſtum.*
*Tordilium potui datum.*
*Fœniculum ex vino ſumptum.*

*Siſon bibitum.*
*Libanotis radices potæ.*
*Pucedani ſuccus potus.*
*Petroſelinum potui datum.*
*Daucum hauſtum.*
*Hammoniacum in potu ſumptum.*
*Nigella pluribus diebus hauſta.*
*Sagapenum potum.*
*Laſerpitij liquor cum pipere & myrrha bibitus.*
*Galbanum ſuppoſitum & ſuffitum.*
*Clinopodium hauſtum.*
*Chamædrios decoctum potui datum.*
*Lilij cremati radix ex roſaceo ſubdita.*
*Meliſſophylli decoctum in deſeſſionibus.*
*Trifolij ſemen & folia pota.*
*Polij vtriuſque decoctum hauſtum.*
*Scordij ſuccus bibitus vel herba ipſa ſubdita.*
*Artemiſiæ decoctum ſeſſionibus additum.*
*Myrrhis bibita.*
*Conyzæ folia & flores poti.*
*Hemerocallis radix cum vellere ſubdita.*
*Ruſci folia & baccæ ex vino ſumpta.*
*Leucoij decoctum fotum, & ſeſſionibus admotum.*
*Eiuſdem ſemen drachmarum duarum pondere ex vino ſumptum.*
*Anthemidis decoctũ tum potum, tum fotu adhibitũ.*
*Pæoniæ radix amygdalæ quantitate hauſta.*
*Rubiæ radix ſuppoſita.*
*Adianti decoctum bibitum.*
*Trichmanes potui data.*
*Anagyris tria folia ex paſſo ſumpta.*
*Hypericum tam bibitum, quàm ſuppoſitum.*
*Coris ſemen potui datum.*
*Vrticæ vtriuſque folia trita, & cum myrrha ſubdita.*
*Betonicæ folia drachma pondere cum vino ſumpta.*
*Medij ſemen hauſtum.*
*Chamedaphnes foliorum ſuccus ex vino bibitus.*
*Gladioli ſuperior radix ſuppoſita.*
*Tragij liquor bibitus, quinetiam ſemen & folia pota drachmæ pondere.*
*Chryſocomæ ex melicrato ſumpta.*
*Elaterium in peſſo ſubditum.*
*Helichryſi coma ex mulſo potui data.*
*Mandragoræ liquor ſemioboli pondere ſubditus.*
*Eiuſdem ſemen bibitum.*
*Daphnoides hauſta.*
*Veratrum { Nigrum / Album } ſuppoſitum.*
*Vitis nigræ tenellæ viticulæ in cibum ſumptæ decoctæ olerorum vel aſparagorum more.*
*Heliotropij folia ſuppoſita.*
*Vinum { Scillinum bibitum. / Abſinthites hauſtum. / Hyſſopites potum.*

MATTHIOLI.

*Nardus Italica & lauendula cum in potionibus, tũ in fomentis.*
*Aſarinæ decoctum potum.*
*Phu quoquomodo ſumptum.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Calamus odoratus vulgaris.*
*Crocum ex iure ſumptum.*



*Iuniperinarum baccarum decoctum potum.*
*Sabinæ decoctum hauſtum.*
*Arundinis radix.*
*Cicerum rubeorum, nigrorumvè ius.*
*Lupini decoctum cum myrrha & melle impoſitum.*
*Sinapi in potione ſumptum.*
*Dracunculi radix ſuppoſita.*
*Ari ſemen drachmarum duarum pondere hauſtum.*
*Gentiana quouis modo ſumpta.*
*Ariſtolochia longa fotu adhibita.*
*Centaurij magni radix ebibita.*
*Centaurij minoris ſuccus ſuppoſitus.*
*Cardui benedicti decoctum tam hauſtum, quàm fotu adhibitum.*
*Hyſſopum / Pulegium } quoquomodo vſurpatum.*
*Dictamnus albus tum ſuppoſitus, tum cum pulegio ſuffitus, tum ex mero potus duarum drachmarum pondere.*
*Gattaria tam pota, quàm deſeſſionibus addita.*
*Calamintha tum pota, tum ſuppoſita.*
*Imperatoria quouis modo vſurpata.*
*Vincetoxici radices in deſeſſionibus additæ.*
*Artemiſiæ recentia folia, cum myrrha & oleo irino trita, & appoſita.*
*Botrys ſuffitu vſurpata.*
*Matricaria quoquo modo adhibita.*
*Lupuli ſemen tritum, & potui datum.*
*Quinta eſſentia noſtra frequenter pota ſeſcunciæ pondere.*

MATTHIOLI.

Ad alba vteri profluuia.

*Hyoſcyaminum oleum pubi & lumbis illitum, & ſuppoſitum cum lana.*
*Caphura cum ſuccino, & aqua nymphææ hauſta, aut pubi, aut imo ventri illita.*
*Floſculi medij roſarum cum ſuis capillis accepti.*
*Quernorũ foliorũ tenellorũ ſtillatitia aqua hauſta.*
*Caſtanearum interior rubens membrana cum eboris ſcobe & nymphææ albæ ſtillatitia aqua.*
*Saccharum è floribus punicæ arboris paratum.*
*Dactylorum oſſa in puluerem trita, & cum ſanguinis draconis lachryma & aqua portulacæ pota.*
*Oſſicula mali punicæ acidi cum thuris polline ex ſtillatitia roſarum aqua.*
*Auellanarum putamina ex vino auſtero hauſta.*
*Ebur in tenuiſſimum puluerẽ tritũ, et ex cremore ſeminis lactucæ potũ, quod prius in aqua, in qua ferrum candens extinctum fuerit, ſit maceratum.*
*Milij Indici panicularũ flores ex vino auſtero hauſti.*
*Ophiogloſſum ex quernorum foliorum aqua potum.*
*Saluiæ aridæ folia ſuffita.*
*Roſmarinum quotidie, idquè diutius ſumptum.*
*Lunaria minor ebibita.*
*Alchimillæ lunariæ appellatæ ſtillatitia aqua pota, aut in uterum infuſa, aut eius decoctum in deſeſſionibus vſurpatum.*
*Caryophyllatæ radices hauſtæ.*
*Potentillæ ſiccæ farina ex ſua ipſius aqua ſtillatitia, additis corallio & eboris ſcobe, pota.*
*Solbaſtrella, & eius ſemen.*
*Pulmonaria altera.*

*Amaranthi*

*Amaranthi purpurei flos.*
*Millefolium recens contuſum, et ſuppoſitum, pubique illitum: vel cum corallio, ſuccino & eboris ramentis ex ſua ipſius aqua potum.*
*Malorum punicorum acidorum vinum potum.*
*Cymbalaria herba in acetariis deuorata.*

### DIOSCORIDIS.
Ad menſes cohibendos.

*Nardus Indica.*
*Muſcus arboribus innaſcens inſeſſionibus additus.*
*Thuris cortex in peſſo ſubditus.*
*Oxyacanthæ baccæ in potu, vel in cibo ſumptæ.*
*Hypociſtis tum pota tum indita.*
*Oleæ ſylueſtris ſuccus pudendis admotus.*
*Rhois ſemen potum, alba profluuia ſiſtit.*
*Palmulæ immaturæ manducatæ.*
*Palmularum inuolucrum potui datum.*
*Punicorum acinorum nuclei ſiccati in ſole, et obſoniis inſperſi, concoctiue ſumpti.*
*Gallæ in decoctis additæ ad inſeſſiones paratæ.*
*Glandium tenuior cortex tum bibitus, tum in paſſo ſuppoſitus.*
*Myrti ſemen fotu ſubditũ, vel deſeſſionibus additũ.*
*Cotoneorum malorum decoctum fotu adhibitum.*
*Acacia tum pota, tum indita.*
*Lycium ſubditum.*
*Loti ligni decoctum hauſtum, aut fotu admotum.*
*Lentiſci folia tam pota, quàm ſubdita.*

| | | |
|---|---|---|
| *Coagulum* | *Leporinum,* *Hædinum,* *Agninum,* *Ceruinum,* *Hinnulinũ,* *Vitulinum* | *potum ac etiam ſubditũ.* |

*Ceruinum cornu uſtum, lotum ex adſtringenti liquore aliquo hauſtum.*
*Caprarum montanarum fimum ſiccatum tritumuè cum thure in lana ſuppoſitum.*
*Rumicis radices ſubditæ.*
*Plantago tum bibita, tum fotu adhibita.*
*Barbæ hircinæ ſuccus ex vino ſumptus, vel ſuppoſitus.*
*Porri comæ decoctum ex aqua marina, & aceto in deſeſſionibus.*
*Rubi ramorum decoctum potum.*
*Arabicæ ſpinæ radix manducata.*
*Phœnix ex vino auſtero bibita.*
*Papaueris nigri ſemen potum.*
*Achillæa ſubdita.*
*Idæa radix hauſta.*
*Equiſeti folia bibita.*
*Mentha fotu ſubdita.*
*Iunci marini ſemen frixum, et ex vino diluto potum.*
*Ocimaſtrum potum ex vino.*
*Aniſum hauſtum, præſertim ad alba profluuia.*
*Cuminum ex aceto impoſitum.*
*Nymphea flore luteo radix, & ſemen ex vino nigro pota.*
*Pæoniæ ſeminis grana xij. ex vino auſtero ſumpta.*
*Lyſimachiæ ſuccus ſubditus.*
*Moly herba cum loliacea farina indita.*
*Polygoni ſuccus ſuppoſitus.*
*Symphyti petræi ex vino decoctum hauſtum.*
*Clymeni ſuccus bibitus.*
*Limonij ſemen acetabuli pondere ex vino bibitum.*
*Medij radix elixa, & ex melle in eclegmate ſumpta.*
*Tragi ricini numero x. ex vino hauſti.*
*Hyoſcyami ſemen oboli pondere in mulſa aqua potũ.*
*Solani hortenſis ſuccus in lana inditus.*
*Mandragoræ ſemen cum ſulphure, et vino ſuppoſitũ.*
*Semperuiuum maius in vellere ſubditum.*
*Vuarum vinaceorum decoctum hauſtum, & fotu appoſitum.*
*Labruſcæ flos peſſulo inditus.*
*Omphacium inditum.*
*Rubigo ferri ſubdita.*
*Chalcitis cum ſucco porri indita.*
*Vini fæx imo ventris, ac pudendis illita.*
*Hæmatites lapis ex vino hauſtus.*
*Morochthus lapis in vellere inditus.*
*Oſtracites lapis drachmæ pondere ex vino ſumptus.*
*Samia terra cum ſylueſtris punicæ floribus hauſta.*

### MATTHIOLI.

*Hyoſcyaminum oleum pubi & lumbis illitum, aut ſuppoſitum.*
*Roſaceum vnguentum.*
*Maſtiches.*
*Iuniperinum gummi.*
*Creſpini baccarum vinum.*
*Hypocyſtis ſæpe ex vino auſtero hauſta.*
*Roſacearũ baccarũ ſemen, & lanugo ex vino auſtero.*
*Quercus folia, Glandes, & gallæ.*
*Suberis cortex tritus, & ex aqua calida potus.*
*Saccharum ex mali punicæ floribus paratum, & ex vino auſtero potum.*
*Myrteum condimentum pro intinctu vſurpatum.*
*Cydoniorum vinum, Miua, oleum, confectio.*
*Meſpilorum decoctum, & Meſpila ipſa ſæpe eſitata.*
*Corna ſaccharo condita deuorata.*
*Virgæ ſanguineæ baccæ.*
*Pruni ſylueſtris decoctum in deſeſſionibus.*
*Leporinum ſtercus ſuppoſitum.*
*Milij Indici paniculorum flores ex vino rubro.*
*Portulaca quoquo modo ſumpta.*
*Burſa paſtoris tũ deuorata, tũ in deſeſſionibus addita.*
*Perſicaria maculoſa in deſeſſionibus ac etiam intus ſumpta.*
*Chelidonium maius mammis adhibitum.*
*Saluia arida ſuffita.*
*Flos ſolis cum radicibus contritus, & ex aqua plantaginis ſumptus.*
*Lunaria minor ex vino punicorum hauſta.*
*Clematis prima femoribus adalligata.*
*Biſtortæ & tormentillæ radicum decoctũ in deſeſſionibus uſurpatum.*
*Piloſella tã in corpus ſumpta, quã exterius vſurpata.*
*Caryophyllatæ radices potæ.*

| | |
|---|---|
| *Pyrola* *Potentilla* *Sanicula* *Auricula vrſi* | *quomodo libet vſurpata.* |

*Fragariæ folia & radices.*
*Solbaſtrella, ſeu ſanguiſorba.*
*Pulmonaria altera.*
*Amaranthi purpurei flos potus.*

*Milleſolium*

*Milleſolium recens tuſum,et ſuppoſitũ, pubiq́ illitũ.*
*Punicorum malorum acidorum vinum potum.*
*Corallium tam potum, quàm ſuſpenſum.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſecundas pellendas.

*Caſtoreum drachmarum duarum pondere, cum pulegio bibitum.*
*Cyclamini alterius ſemen hauſtum.*
*Allij comæ decoctum fotu impoſitum.*
*Ariſtolochia longa cum myrrha et pipere ſumpta, vel peſſulo indita.*
*Pulegium bibitum.*
*Thymi decoctum potui datum.*
*Thymbræ decoctum hauſtum.*
*Apij ſemen in potu ſumptum.*
*Marrubij decoctum bibitum.*
*Stachyos decoctum potui datum.*
*Artemiſiæ decoctum in deſeſſionibus adhibitum.*
*Circeæ radix quatuor librarum pondere contuſa, & in ſeptem dulcis vini heminis macerata per noctẽ diemq́, tribus diebus pota.*
*Oenanthes ſemen, caulis & folia ex mulſo bibita.*
*Leucoij ſemen drachmarum duarum pondere ex vino hauſtum.*
*Rubiæ radix ſuppoſita.*
*Anagyris trita folia ex paſſo bibita.*
*Chamæpitys ex melle ſubdita.*
*Chryſocome ex aqua mulſa pota.*
*Trichomanes hauſta.*
*Bryonia ſuppoſita.*
*Myrrha pota.*
*Peucedani ſuccus potus.*
*Bunij ſemen potum.*
*Smyrnij ſemen potui datum.*
*Adianthi decoctum bibitum.*

MATTHIOLI.

*Nardus Italica,aut lauendula pota.*
*Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.*
*Balſamum factitium potum.*
*Ari ſemen duabus drachmis potum.*
*Dictamni albi radices cũ pugelio fotu adhibitæ, aut ex meraco potæ duarum drachmarum pondere.*
*Liliorum alborum ſtillatitia aqua bibita.*
*Artemiſia recens cum myrrha & irino oleo trita, & ſuppoſita.*

DIOSCORIDIS.
Ad expellendum fœtum.

*Caſtoreum duarum drachmarum pondere cum pulegio ſumptum.*
*Caniculæ lac primæ fœturæ hauſtũ, mortuum pellit.*
*Oeſypus in lana ſuppoſitus.*
*Caprarum montanarum fimum cum aliquo odoramento potum.*
*Vulturis fimum ſuffitum.*
*Ciceris decoctum bibitum.*
*Lupinorum decoctum cum myrrha & melle fotu adhibitum.*
*Sium pro olere in cibo ſumptum.*
*Dracunculi maioris decoctum infuſum.*
*Piper hauſtum.*
*Cyclamini radix femori adalligata.*
*Hederæ foliorum pediculi melle illiti ſubditi.*
*Gentianæ radix ſubdita.*
*Centaurij maioris radix indita.*
*Centaurij minoris ſuccus infuſus.*
*Pulegium potum.*
*Dictamnum bibitum,inditum, incenſumquè.*
*Thymi decoctum hauſtum.*
*Thymbræ decoctum potui datum.*
*Baccharis recentiſſima radix ſuppoſita.*
*Panacis Herculei acuminata radix indita.*
*Paſtinacæ erraticæ radix ſubdita.*
*Seſelis Maſſilienſis radix pota,quinetiam et ſemen.*
*Galbanum cum myrrha et vino potum,ſuffitumquè.*
*Clinopodium potum.*
*Chamædryos decoctum potum.*
*Scordij ſuccus drachmæ pondere ſumptus.*
*Artemiſiæ decoctum inſeſſionibus adhibitum.*
*Conyzæ folia, & flores bibita.*
*Leucoij ſemen duarum drachmarum pondere ex vino potum.*
*Onoſmatis folia ex vino hauſta.*
*Rubiæ radix ſuppoſita.*
*Anagyris trita folia cum paſſo pota,quin & adalligata,ſed ſtatim poſt partum auferantur.*
*Anchuſæ radix appoſita.*
*Mandragoræ liquor infuſus.*
*Myrrhis pota.*
*Heliotropij folia indita.*
*Sulphuris fumus in vterum permeans.*
*Dauci ſemen bibitum.*
*Ammoniacum hauſtum.*
*Periclymeni ſemen drachmæ pondere in vino potum.*
*Lauri Alexandrinæ radix ſex drachmarum pondere ex dulci vino ſumpta.*
*Alumen ſubditum.*
*Iaſpis lapis femori adalligatus.*
*Aetites lapis pro amuleto femori ſuſpenſus.*
*Samius lapis adalligatus.*

MATHIOLI.

*Balſami factitij liquores omnes hauſti.*
*Sabina hauſta.*
*Dictamni albi radices cum pulegio fotu adhibitæ, aut ex meraco drachmarum duarum pondere hauſtæ.*
*Calamintha ſeu pota,ſeu admota.*
*Artemiſia radix pota.*
*Botryos ſuffitus per muliebria exceptus.*
*Chamæpitys altera recens in aceto decocta, & pota.*
*Chryſocolla mineralis ex ſabinæ ſucco drachmæ pondere pota.*

MATTHIOLI.
Ad alleuiationem partus.

*Iuniperinæ,et laurinæ baccæ cum cinnamomo in turturis ventre aſſatæ,& alternis diebus deuoratæ.*
*Lauri baccæ ſeptem deuoratæ.*
*Cochleæ ante partum diebus aliquot comeſtæ.*
*Malua cum radice ad lentorem uſque decocta, & potui data.*
*Euſdem ſuccus potus.*
*Cardiaca herba ſicca farina cochlearis menſura ex vino albo pota.*

DIOSCORIDIS.
Ad præſentem difficultatem partus.

*Suffitus ex cancris aridis in vuluam exceptus.*

*Lingua*

*Lingua chamæleonis adalligata.*

*Raphani cortex cum alijs nonnullis ſuppoſitus: lege raphani commentarium.*

*Dictamnum Cretenſe in potu propinatum cum ſuo ipſius decocto.*

*Dictamni albi radices cum pulegio ſuffitæ, aut ex meraco potæ duarum drachmarum pondere.*

*Liliorum alborum ſtillatitia aqua pota, additis croco & caſia odorata.*

*Lithoſpermi minoris ſeminis drachmæ duæ ex lacte muliebri potæ.*

*Cardiaca herba in puluerem trita, pota ex vino albo calido cochlearis menſura.*

*Chryſocolla foſſitia drachmæ pondere pota. Atqui dari non debet niſi in magno diſcrimine vitæ.*

*Argentum viuum ſemiſcrupuli pondere deuoratum.*

DIOSCORIDIS.

Ad conceptionem inhibendum.

*Salicis folia per ſe, & cum aqua ſumpta.*

*Leporinum coagulum poſt triduum à purgatione menſtrua ſumptum.*

*Sanguis menſtruus illitus.*

*Braſſicæ flores à puerperia in peſſulo ſubditi.*

*Aſparagi radix ſuſpenſa.*

*Piper à coitu illico ſubditum.*

*Hederæ corymbi drach. pondere à purgatione hauſti.*

*Hedyſarum ante coitum fœminis ſubditum.*

*Cedria virili membro illita.*

*Oſtracites lapis ſicilici pondere 4. diebus à purgatione potus.*

*Aſplenum (vt quidam credunt) ſilente luna nocturno tempore decerptum, cum muli liene ventri adalligatum.*

*Periclymeni ſemina & folia diebus triginta ſex pota.*

*Epimedij folia trita illico à purgatione quinq; diebus continuis bibita.*

*Gladioli inferior radix hauſta.*

*Filicis fœmina radix potui data.*

*Heliotropium adalligatum.*

*Rubigo ferri pota.*

*Mentha ante coitum vuluæ admota.*

MATTHIOLI.

*Leporinum ſtercus ſuſpenſum.*

*Vinum in quo viuus mullus piſcis immerſus fuerit, (potum.*

*Mulæ vngularum cinis hauſtus.*

DIOSCORIDIS.

Ad conceptionem iuuandam.

*Leporinum coagulum cum butyro ſubditum ſtatim à menſium purgatione.*

*Loliacea farina cum myrrha, thure, bitumine, & croco ſuffita.*

*Paſtinacæ erraticæ ſemen potum.*

MATTHIOLI.

*Saluiæ ſuccus heminæ menſura, addito ſalis modico quaternis diebus potus.*

*Cuminum ſuppoſitum.*

*Imperatoriæ radix ex vino pota.*

*Alchimillæ, ſeu ſtellariæ puluis ex vino aut iure, quindecim aut viginti diebus continuis potus cochlearis menſura.*

*Oleum è momordica vteri oſculo inunctum, ante veneris congreſſum.*

*Oleum è gagate lapide illitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad fœtum mortuum educendum.

*Dictamnum tum potum, tum ſubditum.*

*Saluia decoctum bibitum.*

*Galbanum cum myrrha ex vino potum.*

*Marrubij decoctum hauſtum.*

*Tuſſilaginis decoctum potui datum.*

MATTHIOLI.

*Balſami factitij liquores omnes hauſti.*

*Centaurij magni radix.*

*Centaurij minoris ſuccus ſuppoſitus.*

*Pulegij decoctum hauſtum.*

*Calamintha tam pota quàm ſuppoſita.*

*Botrys cocta ac ſuffita.*

*Chamæpityos ex aceto decoctum hauſtum.*

*Chryſocolla foſſitia drachmæ pondere ex ſucco ſabinæ pota, ſed vbi tantum vitæ periculum adſit.*

DIOSCORIDIS.

Ad prohibendum abortum.

*Aetites lapis ſiniſtro brachio adalligatus.*

*Samius lapis pro amuleto ſuſpenſus.*

MATTHIOLI.

*Dactyli recentes cũ infectorij cocci puluere deuorati.*

*Cydonia mala frequenter eſitata.*

*Saluia ſæpe deuorata, vel ſaccharum ex eius floribus paratum.*

*Biſtortæ vel tormentillæ radices bibitæ & ventri, lumbiſquè ex aceto illitæ.*

*Coccum infectorium quotidie in ouo ſorbili propinatum, thure modico addito aut maſtiche. Puluerem præſtantiſſimum ad hoc habes lib. 4. cap. 43.*

*Iaſpis lapis geſtatus.*

DIOSCORIDIS.

Ad puerperia iuuanda.

*Dictamni radix bibita.*

*Baccharis radicis decoctum fotu adhibitum.*

*Fœniculum erraticum potum.*

*Peucedani ſuccus hauſtus.*

*Pæoniæ ſiccata radix potui data.*

*Althea decoctum infuſum.*

MATHIOLI.

*Balſami factitij liquores omnes poti.*

*Dictamni albi radices ſuppoſitæ, aut cum pulegio ſuffitæ: quin etiam ex meraco potæ duarum drachmarum pondere.*

*Menthaſtrum bibitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad prægnantium malacias.

*Vitis viniferæ foliorum, capreolorumq́; ſuccus potus.*

DIOSCORIDIS.

Ad vteri inflammationes.

*Nardi Indicæ decoctum fotu adhibitum.*

*Iunci odorati decoctum in deſeſſionibus adhibitum.*

*Viticis foliorum, & ſeminum decoctum fotu appoſitum.*

*Butyrum recens illitum.*

*Sonchi ſuccus inunctus.*

*Agaricum drachmæ pondere cum oxymelite potum.*

*Pulegij decoctum fotu ſubditum.*

*Melilotus cum paſſo emplaſtri modo impoſitus.*

*Panacis herculei lachryma ex melle indita.*

*Artemiſiæ decoctum in deſeſſionibus adhibitum.*
*Leucoij decoctum fotu appoſitum.*
*Anthyllidis radix ex roſaceo, lacteque indita.*
*Parthenij decoctum in deſeſſionibus additum.*
*Althæa decocta, aut ſubinde anſerino, ſuillo ve adipe, aut reſina terebinthina ſubacta, ſubdita.*

MATTHIOLI.

*Hyoſcyaminum oleum illitum.*
*Conſolidæ regalis flores poti.*
*Oleum de momordica illitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad exulceratos locos.

*Aſpalathi ex vino decoctum infuſum.*
*Lac in quo igniti calculi extincti fuerint infuſum.*
*Oeſypum inditum, explet enim & emollit.*
*Fœnogræci folia ex aceto illita.*
*Aſclepiadis folia adhibita.*

MATTHIOLI.

*Malicorium cum marina ſpongia exiccatum, additis aloe & alumine.*
*Solidaginis mediæ, et minoris farina inſperſa, aut ſuccus illitus, aut infuſus.*

*Sanicula*
*Auricula vrſi*
*Piloſella* } *adhibita.*
*Pyrola*
*Potentilla*

*Oleum è momordica ſyphone iniectum.*

DIOSCORIDIS.

Ad induratos locos.

*Myrrha cum abſinthio, lupinorum cremore, vel ruta admota.*
*Styrax illita.*
*Anſerinus & gallinaceus adeps illitus.*
*Bdellium inunctum.*
*Maluæ decoctum inditum.*
*Ladanum peſſis immiſſum.*
*Panaces herculeum ex melle inditum.*
*Ebuli, ſambuciq́; decoctum fotu admotum.*
*Parthenij decoctum in deſeſſionibus.*
*Fænigræci ex aqua expreſſus ſuccus, cum anſerino adipe in peſſulo ſubditus.*
*Lilij radix admota.*
*Ageratum ſuffitum.*

MATTHIOLI.

*Amygdalinum oleum.*
*Seſaminum oleum.*
*Oleum ex ouorum vitellis.*
*Ceruina & vitulina medulla.*
*Lini ſeminis oleum.*
*Oleum liliorum alborum.*
*Lupuli florum decoctũ in deſeſſionibus vſurpatum.*

DIOSCORIDIS.

Ad vteri inflationes.

*Ruta ex oleo decoctum clyſtere perfuſum.*
*Geranium & eius radix drachmæ pondere pota.*

MATTHIOLI.

*Galanga.*
*Cubebæ.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua.*
*Balſami factitij liquores, & oleum in potionibus.*
*Cnicinum oleum.*



*Laurinum oleum.*
*Scorpionum oleum in potu datum, aut exterius illitum.*
*Caſtoreum cum pipere albo, & melicrato potum.*
*Milium cum ſale impoſitum.*
*Siſymbrium in calenti tegula calefactum, & odorato meraco aſperſum, ventriq́; applicatum.*
*Dictamni albi radices duarum drachmarum pondere ex meraco potæ.*
*Mentha græca in placentis addita, aut eius folia tenui pulticula illita, & deinde in oleo, aut butyro frixa & deuorata.*
*Carum quouis modo vſurpatum.*
*Imperatoriæ radix hauſta ex meraco.*
*Matricaria quoquomodo adhibita.*

MATTHIOLI.

Ad molam expellendam.

*Balſamum factitium potum.*
*Dictamni albi radices ſuppoſitæ, aut cum pulegio ſuffitæ, aut ex meraco duarum drachmarum pondere bibitæ.*

MATTHIOLI.

Ad vteri frigiditates.

*Nardus Italica.*
*Lauendula.*
*Cubebæ.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua.*
*Balſamum factitium, & eius liquores omnes.*
*Nux myriſtica.*
*Scorpionum oleum in vini potione ſumptum, & foriſecus applicatum.*
*Dictamni albi radices, aut cum pulegio ſuffitæ, aut ex vino meraco potæ duarum drachmarum pondere.*
*Mentha græca tam fotu, quàm potu vſurpata.*
*Carum quouis modo ſumptum.*
*Imperatoriæ radix ex vino pota.*
*Matricaria quomodolibet vſurpata.*

MATTHIOLI.

Ad vuluam cohibendam.

*Nucum ſiue viridium conorum pini ſtillatitia aqua cum linteolis in ea madefactis admota.*

MATTHIOLI.

Ad delectandas fœminas in coitu.

*Fel* { *Auratæ*
*Lucij* } *coli virili inunctus.*
*Perdicis*
*Gallinacei.*

*Zibettum peni illitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad procidentem vterum.

*Caſia fotu, vel ſuffitu adhibita.*
*Myrti baccarum ſuccus in deſeſſionibus.*
*Cotoneorum malorum decoctum fotu adhibitum.*
*Gallarum decoctum in deſeſſionibus additum.*
*Acacia ſubdita.*
*Hypociſtis ſubdita.*
*Vrticæ utriuſq; folia impoſita.*
*Acetum fotu adhibitum.*

MATTHIOLI.

*Maſtiche aſperſa.*

DIO-

VTERI

DIOSCORIDIS.

Ad vteri dolores & eroſiones.

*Adeps* { *Anſerinus* / *Gallinaceus* } *illitus.*

*Vrina cum liguſtrino oleo ferueſacta impoſita.*
*Lini ſeminis decoctum infuſum.*
*Maluæ decoctum fotu adhibitum.*
*Portulacæ decoctum clyſmate inditum, propriè facit ad eroſiones.*
*Rhaponticum potum.*
*Centaurij maioris radix bibita.*
*Anethi decoctum in deſeſſionibus.*
*Verbenacæ rectæ folia ex recenti ſuillo adipe, vel ex roſaceo ſubdita.*
*Hyoſcyami ſeminis cremor inditus.*
*Mandragoræ liquor peſſulis impoſitus.*

MATTHIOLI.

*Irinum oleum illitum.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Amygdalinum oleum hauſtum.*
*Laurinum oleum inunctum.*
*Balſami factitij liquores omnes.*
*Nucis myriſticæ decoctum ex rhodomelite, & aqua vitæ potum.*
*Nuces myriſticæ cum matricariæ radicibus ex vino albo coctæ, & potui datæ.*
*Scorpionum oleum in potione ſumptum, aut foris admotum.*
*Caſtoreum cum pipere albo ex melicrato.*
*Siſymbrium cum Parthenio in calenti tegula calefactum, et odorato meraco aſperſum, et impoſitũ vtri.*
*Succiſæ radicum decoctum ex vino paratum.*
*Chelidonium maius cũ radice tuſum, & oleo chamamelino ferueſactum, & imo ventri admotum.*
*Dictamni albi radices ex meraco vino potæ.*
*Mentha græca in placentis addita.*
*Imperatoria quouis modo bibita.*
*Vincetoxici radices in deſeſſionibus additæ.*
*Oleum liliorum alborum, & è lini ſemine calidum cum ſuccida lana ventri adhibitum.*
*Botrys recens in tegula calefacta, & cretico vino aſperſa & impoſita.*
*Aliud ſimile medicamentum, ſed præſtantius vide lib. 3. cap. 113.*
*Matricaria quoquomodo adhibita.*

EXTREMORVM MEMBRORVM.

DIOSCORIDIS.

Ad podagram.

*Amomum illitum.*
*Mei radices impoſitæ.*
*Populi nigræ folia ex aceto illita.*
*Amurca cruda, ac recens fotu adhibita.*
*Salicis foliorum, & corticis decoctum fotu impoſitũ.*
*Ficulneum lac cum farina fœnigræci, & aceto cataplaſmatis additum.*
*Cochleæ terreſtres ſuo cum operimento tuſæ impoſitæ.*
*Muſtelæ crematæ cinis ex aceto inunctus.*
*Marinus recens pulmo conciſus impoſitus.*
*Lac humanum cum opio, & cera illitum.*
*Adeps ouillus, caprillus, hircinusve ex eiuſdem animalis fimo coactus inunctus.*
*Sanguis menſtruus inunctus.*

EXTREMORVM MEMBRORVM.

*Caprarum montanarum fimus ex earum adipe illitus.*
*Hordei farina cum cotoneis malis impoſita.*
*Lens cum poléta decocta, et emplaſtri modo adhibita.*
*Raporum decoctum fomentis additum.*
*Braſſica cum fœno græco & aceto in cataplaſmate.*
*Intybus per ſe, & cum polenta illitus.*
*Cucurbitæ ramenta impoſita.*
*Ari radix fimo bubulo emplaſtri modo excepta.*
*Aſphodeli radix drachmæ pondere ex vino pota.*
*Cyclamini decoctum fotu adhibitum.*
*Bulbi per ſe, & cum melle impoſiti.*
*Panaces herculeum cum paſſa vua illitum.*
*Libanotis cum loliacea farina, & aceto cataplaſmatis addita.*
*Scordium ex aceto, aut aqua impoſitum.*
*Leucoium ex aceto illitum.*
*Androſaces impoſita.*
*Helxines ſuccus cera, & hircino adipe exceptus.*
*Hyoſcyami ſemen, & folia cum polenta cataplaſmatis adhibita.*
*Semperuiuum inunctum, vbi calor exuperat.*
*Vrtica emplaſtri modo illita.*
*Muſcus marinus impoſitus.*
*Cucumeris aſinini radix ex aceto inuncta.*
*Thapſiæ ſuccus illitus.*
*Glans vnguentaria illita.*
*Sambuci & ebuli folia cum ſeuo taurino, aut hircino impoſita.*
*Bryonia cum caprino ſtercore cataplaſmatis addita.*
*Heliotropij folia illita.*
*Vua paſſa à nucleis repurgata, & cum panacis ſucco inuncta.*
*Acetum calido fotu cum ſulphure adhibitum.*
*Rubigo ferri illita.*
*Sulphur cum aqua & nitro inunctum.*
*Sal cum aceto impoſitum.*
*Aſius lapis cum fabarum lomento illitus.*
*Gagates lapis inunctus.*
*Fornaceæ teſtæ exuſtæ impoſita.*

MATTHIOLI.

*Oleum irinum è floribus paratum.*
*Aſarina, aut eius decoctum potum.*
*Santalum rubrum è ſedi ſucco, aut ſolani, aut portulacæ illitum.*
*Muſcus terreſtris ex aqua decoctus & admotus.*
*Terebinthina reſina, aut larygna cum chamæpity decorata.*
*Iuniperini ligni decoctum pro balneo vſurpatum: vide Iuniperi commentarium.*
*Oleum è luteis ouorum illitum.*
*Oleum è terrenis vermibus.*
*Faba freſa cocta, & cum adipe ſuillo ſubacta & impoſita.*
*Plantago trita & illita.*
*Dracunculi radix cum melle, & caprino fimo illita.*
*Ari folia calenti fimo bubulo illita & impoſita.*
*Ariſtolochia rotunda.*
*Thymi aridi ſemuncia cum oxymelle hauſta.*
*Canabis ſatiuæ radix in aqua decocta & illita.*
*Chamæpitys decoctum cum rhodomelle, & oxymelite pluribus diebus potum.*

*Cortuſæ florum oleum illitum: Parandi rationem habes lib.4.commen.de lagopo.*

*Primula veris illita ac deuorata.*

*Verbaſci minoris folia in aqua decocta, & illita.*

*Eiuſdem florum oleum inunctum.*

*Geniſtæ florum conſerua ex ſaccharo parata frequenter deuorata.*

*Ricini ſemen ex iure veteris galli decoctum et potum.*

*Sambuci tenerrima folia primo germinatu prodeuntia, cum pari pondere radicum plantaginis, ſuillæq́; axungia veteris contrita, & illita.*

*Colocynthis in catapotijs deuorata, & clyſteribus addita.*

## DIOSCORIDIS.

Ad coxendicos affectus.

*Mei radices impoſita.*

*Helenij folia ex vino cocta impoſita.*

*Iridis Illyricæ decoctum clyſmate infuſum.*

*Cardamomum ex aqua potum.*

*Aſarum potum, vel clyſtere infuſum.*

*Populi albæ cortex vnciæ pondere hauſtus.*

*Iberis contuſa & emplaſtri modo impoſita.*

*Siluri piſcis ſalſamentum clyſteribus infuſum.*

*Piſcium garum clyſteribus iniectum.*

*Smyrnij ſemen potum.*

*Bubulum fimum ex bobus in paſcuis degentibus illitum.*

*Lolij farina ex aqua mulſa decocta impoſita.*

*Lupinorum farina ex aceto illita.*

*Ammoniacum bibitum.*

*Aſcyri ſemen ex aqua potum.*

*Aſparagi radicum decoctum bibitum.*

*Althææ decoctum potui datum.*

*Sinapi cum fico tritum impoſitum, donec ruborem excitat.*

*Naſturtium clyſmate infuſum.*

*Irionis ſemen clyſtere iniectum.*

*Bulbi per ſe & cum melle impoſiti.*

*Capparis ſemen potum.*

*Lepidij folia & radices cum helenij radice trita & impoſita.*

*Agaricum trium obolorum pondere in aceto mulſo potum.*

*Rhaponticum potum.*

*Androſami ſemen bibitum, ſed à purgatione aquam exſorbere oportet.*

*Centaurij maioris decoctum clyſtere infuſum.*

*Leucacanthæ radicis ex vino decoctum bibitum.*

*Abrotani ſemen cum aqua potum.*

*Rubiæ radix pota.*

*Pulegium illitum quouſque rubeſcat cutis.*

*Calamintha impoſita recens, tritáque donec exuratur locus.*

*Thymus ex fimo cum polenta impoſitus. Idem præſtat & Thymbra.*

*Rutæ ſylueſtris ſemen quadraginta diebus potum.*

*Panaces Herculeum ex melle inunctum.*

*Laſer cera, liguſtrino & Irino oleo ſubactum illitum.*

*Euphorbium in odorata potione ſumptum.*

*Leontopetalum clyſteribus infuſum.*

*Hyperici ſemen quadraginta diebus potum.*

*Chamæpityos folia 40. diebus ex dulci aqua bibita.*



*Betonicæ folia ex aqua bibita.*

*Polemoniæ radix ex aqua ſumpta.*

*Xyridis radix ex mulſo pota.*

*Ocimaſtri ſemen cum vino, myrrha, et pipere ſumptũ.*

*Quinquefolij radicis decoctum potum.*

*Heliochryſi coma ex vino hauſta.*

*Papaueris corniculati radicis decoctum potum.*

*Aethiopidis decoctum bibitum.*

*Arction ex vino hauſtum & illitum.*

*Chamæciſſi folia trium obolorũ pondere in aqua cyathis tribus, tricenis, quadragenisuè diebus pota.*

*Colocynthis clyſtere infuſa, et recens loco confricata.*

*Cucumeris ſylueſtris radix clyſmate infuſa.*

*Scammonia ex aceto decocta, & cum hordeacea farina impoſita.*

*Acetum mulſum hauſtum.*

*Sory ex vino clyſtere infuſum.*

*Muria clyſtere indita.*

*Adarces illitus.*

## MATTHIOLI.

*Aſari decoctum, ſiue dilutum ex caprino ſero paratum potum.*

*Balſami factitij liquor ſecundus, tũ hauſtus tũ illitus.*

*Abiegna lachryma deuorata.*

*Nuclei pinei frequenter ſumpti.*

*Terebinthina, aut larigna reſina ſumpta vnciæ pondere, addito chamæpitys, aut ſtæchadis puluere.*

*Caſtoreum drachmæ pondere potum, cum tribus opopanacis obolis.*

*Ibicis ſtercoris admirabile medicamentum: vide li. 2.commentarium de ſtercore.*

*Fabalium caulium & ſiliquarum cinis cum vetere axungia illitus.*

*Lupinorũ farina cocta, & cataplaſmatis modo illita.*

*Siliquaſtri recentia cornicula tuſa & illita.*

*Agaricum in potionibus additum.*

*Thymi aridi ſemuncia cum oxymelite hauſta.*

*Sagapenum quoquo modo adhibitum.*

*Euphorbium ex leucoij oleo illitum.*

*Artemiſiæ aridæ puluis trium drachmarum pondere ex vino hauſtus.*

*Bellidis genera omnia quouis modo vſurpata.*

*Chamæpitys in puluerem cum radicibus trita, & cũ terebinthi lachrymæ drachmis quatuor excepta, & quotidie diebus quadraginta deuorata.*

*Oleum flammulæ calidum inunctum, aut infuſum clyſteribus.*

*Conſolida regalis flores poti.*

*Daphnoidis recentia folia contuſa, & illita donec rubeſcat locus.*

*Saccharum è geniſtæ floribus paratum.*

*Ricini ſemen ex iure veteris galli decoctum potum.*

*Colocynthis in catapotijs deuorata, & in clyſteribus addita.*

## DIOSCORIDIS.

Ad articulorum dolores.

*Gallorum ſeneſcentium ius potum.*

*Braſſica cum fœnograeco, & aceto illita.*

*Ruta tum hauſta, tum cataplaſmatis adhibita.*

*Agaricum drachmæ pondere ex aceto mulſo ſumptũ.*

*Meliſſophyllum ex ſale impoſitum.*

*Quinquefolij radicis decoctum bibitum.*

*Pſyllium ex roſaceo & aceto, aut aqua illitum.*
*Mandragoræ radix cum polenta impoſita.*
*Vrtica cataplaſmatis modo adhibita.*
*Veratrum nigrum potum.*
*Ficus marinus recens impoſitus.*
*Thapſiæ ſuccus inunctus.*
*Narciſſi radix trita, & ex melle impoſita.*
*Acetum mulſum potum.*
*Vinum melitites frequentius potum.*

MATTHIOLI.

*Irinum oleum inunctum.*
*Balſamum factitium illitum.*
*Oleum flammulæ inunctum, & clyſteribus additum.*
*Cortuſæ herbæ oleum: vide lib. 4. comment. de lagopo, primula veris herba.*
*Abiegna, lentiſcina, terebinthina, larginaque lachryma, vnaquæq; per ſe deuorata.*
*Maſtiche cum cumino, pulegio, ſaluia, lauri baccis, & ſabina, omnia melle excepta & impoſita.*
*Cochleæ cum teſtis tritæ, & impoſitæ.*
*Oleum è terrenis vermibus.*
*Sagapenum quomodo libet adhibitum.*
*Oleum liliorum alborum illitum.*
*Cannabis radix in aqua decocta & adhibita.*
*Chamæpytis decoctum cum Rhodomelle & oxymelite pluribus diebus potum.*

MATTHIOLI.
Ad diuturnos articulorum dolores.

*Ligni Guaiaci.*
*Radicis { Chinæ / Zarzæ parillæ } decoctũ diebus xl potum.*

MATTHIOLI.
Ad genuum dolores.

*Oleum è nucibus Indicis.*

DIOSCORIDIS.
Ad articulorum colliſiones.

*Sarmentitius cinis cum axungia vel oleo illitus.*

DIOSCORIDIS.
Ad articulorum tophos.

*Cannabis ſylueſtris radix decocta, & illita.*
*Ochra inuncta.*

MATTHIOLI.

*Oleum Indicæ nucis illitum.*
*Taxi pinguedo.*
*Muris montani pinguedo.*
*Sagapenum emplaſtri modo impoſitum, addito aceto & capparum ſucco.*
*Oleum liliorum alborum.*

DIOSCORIDIS.
Ad perniones.

*Thus cum ſuillo adipe, aut anſerino impoſitum.*
*Pix liquida inuncta.*
*Acacia illita.*
*Myrti ſeminis decoctum fotu adhibitum.*
*Ficus crematæ cum cerato impoſitæ.*
*Cãcrorũ fluuiatilium cinis cum decocto melle illitus.*
*Pulmo marinus recens conciſus, & impoſitus.*
*Aſininæ vngulæ cinis oleo maceratus illitus.*
*Vrſinus adeps inunctus.*
*Vmbilici veneris ſuccus impoſitus.*
*Lentes cum meliloto, ſiccis roſis, malicorio, cydonio malo & roſaceo adhibitæ.*

*Orobi decoctum fotu impoſitum.*
*Raporum decoctum fomenti modo.*
*Betæ decoctum impoſitum.*
*Draculi maioris folia ex vino decocta & impoſita.*
*Oleum ex incauata aſphodeli radice decoctũ illitum.*
*Cyclamini decoctum fotu adhibitum, quinetiam oleũ cum pauca cera in eius excauata radice ferueſactum illitum.*
*Scilla cremata impoſita.*
*Ranunculi decoctum inunctum.*
*Arction ex vino illitum.*
*Alumen aqua aſperſum.*

MATTHIOLI.

*Malicorium ex vino decoctum, & impoſitum.*
*Cancrorũ exuſtorũ cinis oleo ſubactus, & impoſitus.*

MATTHIOLI.
Ad pedum tumores.

*Tiliæ folia ex aqua aſperſa.*

DIOSCORIDIS.
Ad pedum inflammationes ex calceorum attritu.

*Pulmo { Agninus / Vrſinus / Suillus } impoſitus.*
*Calceamentorum veterum ſolæ combuſtæ, & illitæ.*
*Cæpæ ſuccus cum adipe gallinaceo impoſitus.*

MATTHIOLI.

*Leporinus pulmo impoſitus.*
*Vnguentũ ex roſaceo in mortario plumbo paratum.*

DIOSCORIDIS.
Ad pedum rimas.

*Cancrorum fluuiatilium cinis cum decocto melle illitus.*
*Scilla oleo ferueſacta, & cum reſina impoſita.*

MATTHIOLI.

*Oleum ex ouorum vitellis.*
*Oleum ex tritico.*
*Vnguentum è roſaceo in mortario plumbeo diu circũductum, vt habes lib. 5. com. de plumbo.*

DIOSCORIDIS.
Ad digitorum reduuias.

*Punicorum malorum ſuccus illitus.*
*Myrti folia trita & inſperſa.*
*Oleæ ſylueſtris folia trita & impoſita.*
*Eboris ramenta in puluerem adhibita.*
*Aloe cum paſſo impoſita.*
*Paronychia conciſa & illita.*
*Bryonia oleo decocta, quouſque liqueſcat inuncta.*
*Labruſcæ cremati flores ex melle impoſiti.*
*Rubigo ferri illita.*
*Acacia illita.*
*Rhois folia ex aceto, aut melle illita.*
*Marrubij folia ex melle impoſita.*
*Quinquefolij radix illita.*
*Tithymali characiæ lac illitum.*
*Acetum illitum.*
*Alumen aqua inſperſum.*
*Sal impoſitum.*

MATTHIOLI.

*Plantaginis folia recentia trita, & illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad paronychia.

*Thus cum melle illitum.*

*Eboris ſcobes inſperſus.*
*Paronychiæ folia illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſcabros vngues auferendos.

*Pix liquida illita.*
*Lini ſemen cum pari naſturtio & melle.*
*Cupreſſi pilulæ impoſitæ.*
*Lapathi cuiuſque radix in aceto decocta illita.*
*Ranunculi folia & radices admotæ.*
*Chelidonium minus illitum.*
*Viſcum cum trito auripigmento appoſitum.*
*Alumen cum aqua aſperſum.*
*Sulphur cum reſina terebinthina inunctum.*
*Sandaracha cum pice impoſita.*
*Fæx vini cremata ex reſina.*

MATTHIOLI.

*Ranunculus tritus impoſitus.*
*Chelidonium minus tritum & illitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad mobiles vngues extrahendos.

*Vua paſſa illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad contuſos vngues.

*Bulbi cum polenta impoſiti.*

DIOSCORIDIS.
Ad clauos, & callos.

*Fermentum triticeum illitum.*

MATTHIOLI.

*Saligni corticis cinis ex aceto maceratus impoſitus.*
*Blitum illitum.*
*Lilij radix axungia excepta & illita.*

MATTHIOLI.
Ad verrucas.

*Cichorium verrucarium in acetario deuoratum.*
*Eiuſdem herbæ ſemen drachmæ pondere tribus diebus potum, ante nocturnum decubitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad varices.

*Cirſij radix dolenti loco adalligata.*

DIOSCORIDIS.
Ad lumborum dolores.

*Echij radix pota.*
*Chameleuce illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad inguinum inflammationes.

*Leporinus pes herba impoſita.*

EXTREMORVM MEMBRORVM.

*Aſter atticus recens illitus.*

MATTHIOLI.

*Cochleæ minores tritæ, & illitæ.*

DIOSCORIDIS.
Ad enterocelas.

*Cupreſſi pilulæ illitæ.*
*Punicorum cytini cataplaſmatis additi.*
*Symphytum petræum emplaſtri modo impoſitum.*
*Quinquefolium hauſtum.*
*Equiſeti radix & folia impoſita.*
*Aloe emplaſtri modo illita.*

MATTHIOLI.

*Bdellium ſaliua matutina ſubactum emplaſtri modo impoſitum.*
*Cupreſſini coni virides ex vino vetere decocti, et epoti, interim tamen cupreſſinis folijs affecto loco adalligatis.*
*Vlmi folliculorum liquor impoſitus.*
*Cupreſſi item folia contuſa & affecto loco illita.*
*Leporinus fimus & pili, qui ſub ventre habentur cũ melle decocti, & fabæ quantitate frequenter deuorati.*
*Ophiogloſſum in potione ſumptum, & extrinſecus impoſitum.*
*Trinitatis herbæ puluis dimidij cochlearis menſura ex vino auſtero pluribus diebus potus.*
*Lunaria minor in potu vſurpata.*
*Polygonum minus in potionibus ſumptum.*
*Sanicula quouis modo ſumpta.*
*Auricula vrſi ebibita.*
*Piloſellæ farina hauſta.*
*Caryophyllatæ radices ebibitæ.*
*Potentilla tam in cibis, quam in potionibus vſurpata.*
*Perſonata in vino decocta, aut trita & epota.*
*Alchimillæ aridæ puluis ex ſua ipſius aqua ſtillatitia ſumptus.*
*Hippogloſſi radicũ, aut foliorum puluis ſeſquidrachmæ pondere ex maioris ſymphyti decocto potus.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſarcocelas.

*Cinis ſarmentitius illitus.*

MATTHIOLI.

*Anonidis radix trita, & menſibus pluribus hauſta.*

# SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATES SECVNDVM GENERA,

## Ex Dioſcoride.

FEBRIVM.

DIOSCORIDIS.
Ad tertianas.

*ARANEVS, plagella confricatus, linteolove illitus, mox fronti, & temporibus impoſitus.*
*Vermes terreni, cum anſerino adipe decocti & illiti.*
*Plantaginis radices integræ tres, cum vini cyathis tribus, & pari aqua potæ.*
*Trifolij bituminoſi tria folia trita, totidemque ſemina epota.*
*Hypericum ex vino bibitum.*
*Verbenacæ ſupinæ tertius à terra geniculus; cũ adiacentibus folijs bibitus.*
*Heliotropij ſeminis grana quatuor, pota ante febris acceſſionem.*
*Portulacæ ſuccus hauſtus.*

DIOSCORIDIS.

*Aſari ex vino decoctum potum, addito melle, maci, & cinnamomo.*
*Roſarum ſuccus, & dilutum potum.*
*Tamarindi hauſti.*
*Sebeſtena.*
*Lapis inuentus in capite nudæ limacis ſuſpenſus.*
*Caninum ſtercus album in acceſſione cochlearis menſura ex vino potum.*
*Agaricum in potione ſumptum.*
*Rhabarbarum potui datum.*
*Gentianæ ſtillatitia aqua pota.*
*Centaurij minoris decoctum potum.*
*Chamædryos decoctum aliquot diebus potum.*
*Iaſpis lapis geſtatus.*

DIOSCORIDIS.
Ad quartanas.

*Cimices lectularij ſeptem, cauis fabarum incluſi, & poti.*
*Plantaginis radices integræ quatuor, cum vini cyathis quatuor, & pari aqua bibitæ.*
*Vermiculi qui in dipſaci echino internis partibus concluſi reperiuntur, in aluta collo, brachiòve adalligati.*
*Ruta ſylueſtris cum vino pota.*
*Hypericum ex vino hauſtum.*
*Quinquefolij rami quatuor ſumpti.*
*Verbenacæ ſupinæ quartus à terra geniculus vnà cum adiacentibus folijs hauſtus.*
*Heliotropij ſeminis grana quatuor, hora vna ante acceſſionem pota.*

MATTHIOLI.

*Aſari ex vino albo decoctum addito melle, maci, & cinnamomo.*

FEBRIVM.

*Aſarinum oleum pedum plantis, & ſpinæ dorſi illitũ.*
*Myrrhæ drachma ex vino Cretico calido pota hora vna ante acceſſionem, ſed ægros ſubinde in lecto ſudare oportet, et potionem tribus in acceſſionibus replicare.*
*Eadem in catapotijs cum theriaca conformatis.*
*Gentianæ ſtillatitia aqua pota.*
*Eryngij tenellorum foliorum ſtillatitia aqua.*
*Imperatoriæ radicis drachma, ex mero calido hora vna ante acceſſionem pota.*
*Cardui benedicti decoctum, aut herba ipſa in puluerem pota.*
*Palmæ Chriſti radices per potiones ſumptæ.*
*Flammula & eius aqua pota.*
*Verbaſci fœminæ radicis ſucc⁹ duarũ drachmarũ pondere, ex Cretico vino hauſtus, ipſa hora acceſſionis.*
*Ellebori nigri dilutum potum.*
*Stibium noſtrum quatuor granorũ pondere ſumptũ.*

DIOSCORIDIS.
Ad diuturnas febres.

*Galli ſenis ius Dioſcoridis modo paratum potum.*
*Agaricum hauſtum.*
*Vinum melitites hauſtum, vbi ventriculus magna imbecillitate laboret.*

MATTHIOLI.

*Aſari decoctum potum.*
*Agaricum in potionibus additum.*
*Rhabarbarum frequenter potum, & eius dilutum.*
*Gentianæ aqua pota.*
*Anthemidis florum paſtilli, in ſuo ipſius oleo diſſoluti, & febrientibus à vertice capitis vſque ad pedes illiti. Parandi modũ habes lib. 3. ca. de anthemide.*
*Eupatorij decoctum potum.*
*Foliorum, & folliculorum lupuli decoctum.*
*Ellebori nigri decoctum.*
*Stibium noſtrũ quatuor granorum pondere ſumptũ.*

MATTHIOLI.
Ad continuas.

*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa ſumpta.*
*Santala omnia pota, vel ex aqua roſacea ventriculo illita.*
*Melopeponum ſeminum cremor ex hordeacea ptiſana potus.*
*Trifolij acetoſi ſtillatitia aqua.*
*Anguriæ pulpa deuorata.*

DIOSCORIDIS.
Ad hepialas.

*Hyoſcyami tria, vel quatuor folia pota.*

MATTHIOLI.

*Acori, Fœniculi, Aſparagi, Agarici* } *decoctum potum.*

*Eupatorium quocunque modo vſurpatum.*

MATTHIOLI

Ad quotidianas.

*Agaricum in potionibus additum.*
*Rhabarbarum,& eius dilutum frequenter potum.*
*Geniſtæ ſtillatitia aqua potui data.*
*Eryngij ſtillatitia aqua pota,q̃ è tenellis paratur folijs.*

MATTHIOLI

Ad compoſitas febres.

*Gentianæ ſtillatitia aqua pota.*
*Agaricum* } *& eorum dilutum potum.*
*Rhabarbarum*

DIOSCORIDIS.

Ad cauſum.

*Creſpini baccarum ſuccus cum violaceo iulapio propinatus.*
*Vuæ ſpinæ iuſculis incocta.*
*Ribes vulgaris.*
*Salicum & arundinum folia circa lectulum ſparſa.*
*Ceraſia acetoſa ſaccharo condita.*
*Melopeponum, cucumerum,cucurbitarumq́; ſeminum lacteus cremor potus.*
*Anguriæ pulpa deuorata.*
*Potentilla pedum plantis manuumq́; volis admota.*

DIOSCORIDIS.

Ad hecticam.

*Portulaca tum ventriculi oſculo, tum hypochondrijs illita.*

MATTHIOLI.

*Amygdalinum oleum.*
*Piſtacia quoquomodo ſumpta.*
*Nuclei pinei.*
*Stibium noſtrum quatuor granorũ pondere ſumptũ.*

DIOSCORIDIS.

Ad febrium circuitus.

*Sinapi cibis inſperſum.*
*Smyrnij ſemen potum.*
*Piper bibitum.*
*Ruta pota.*
*Sagapenum hauſtum.*
*Anthemis clyſmate infuſa.*
*Polygoni ſuccus hora ante acceſſionem ſumptus.*
*Quinquefolij folia ex dulci aqua, aut diluto vino, cum exiguo pipere bibita.*

DIOSCORIDIS.

Ad febrium algores.

*Piper hauſtum.*
*Agaricum drachmæ pondere ſumptum.*
*Ariſtolochia rotunda ante acceſſionem bibita.*
*Abrotonum ex oleo inunctum.*
*Calaminthæ decoctum potum.*
*Panaces herculeum illitum.*
*Smyrnij ſemen, & radix ex mulſo pota.*
*Pyrethrum inunctum.*
*Laſer cum pipere, & thure ex vino hauſtum.*
*Groſſi coctæ & illitæ.*
*Viperæ carnes coctæ, & in cibum ſumptæ.*
*Muſtelæ ſanguis inunctus.*
*Aſinini vnguis cinis,ex oleo maceratus illitus.*

DIOSCORIDIS.

Ad peſtilentes febres.

*Myrrhis bis, vel ter qualibet die ex vino pota.*

MATTHIOLI.

*Phu decoctum potum,& ipſa quoque radix hauſta.*
*Myrrha.*
*Caphura.*
*Dictamnus albus.*
*Creſpini baccarum ſuccus.*
*Vuæ ſpinæ ſuccus.*
*Ribis vulgaris ſuccus.*
*Quernorum foliorum ſtillatitia aqua.*
*Citrij mali ſuccus.*
*Limonij & aurantij florum ſtillatitia aqua.*
*Auarantia acida.*
*E limoniorum ſucco ſtillatitia aqua.*
*Cyanus herba & eius flores.*
*Galegæ* } *radicũ decoctũ, addito armenio bolo.*
*Tormentillæ*
*Cardui benedicti decoctum, & ipſa herba pota.*
*Scordium quouis modo vſurpatum.*
*Tuſſilaginis maioris radix.*
*Tormentillæ radicum decoctum, vel aqua ſtillatitia, vel puluis.*
*Scabioſa quouis modo hauſta.*
*Sanguiſorbæ decoctum hauſtum.*
*Lentis paluſtris ſtillatitia aqua.*
*Punicorum malorum vinum ex oxalidis,aut intybi aut borraginis aqua potum.*
*Armenia terra ex oxalidis aqua ſumpta.*
*Antidotum noſtrum magnum deſcriptum in præfatione ſexti libri.*

MATTHIOLI.

Ad peſtem, & peſtilens contagium.

*Citrij pomi ſemen.*
*Scorpionum oleum noſtrum, cordi,& arterijs temporum,manuum,pedumq́; frigidum quotidie illitũ.*
*Ceruini cordis os.*
*Scorzoneræ radix,aut eius ſuccus.*
*Cæpa excauata,theriaca,& citrij ſucco repleta,& calentibus cinerib. cocta expreſſus cremor potus.*
*Caryophylli tam deuorati, quàm ſuffiti.*
*Saccharum è caryophyllorum floribus paratum.*
*Caryophyllorum florum ſuccus,ex tota planta expreſſus & hauſtus.*
*E caryophyllis floribus paratum inſolatumq́; acetum manibus & arterijs illitum.*
*Zedoaria commanſa,vel in potione ſumpta.*
*Succiſæ radix viridis, recenſq́; carbunculis impoſita.*
*Eiuſdem ex vino dilutum potum.*
*Cruciatæ vtriuſque radices quoquo modo ſumptæ.*
*Ariſtolochia longa pota.*
*Veronica mas drac.duabus vnà cum theriacæ drachma ex vino meraco pota,ad ciendum ſudorem.*
*Dictamni albi radices.*
*Galega ſiue ruta capraria quouis modo vſurpata quotidie.*
*Eiuſdem ſuccus, addita theriaca, trium vnciarum pondere potus.*
*Agaricum in potionibus.*
*Gentiana.*
*Abrotonum.*
*Calamintha intus ſumpta, & foris cum oleo feruefacta illita.*
*Imperatoriæ radix pota.*

*Saccharum*

*Saccharum è roriſmarini floribus paratum.*
*Vincetoxici radices ex vino potæ.*
*Carduus benedictus.*
*Chamædrys à ieiunis quotidie in acetarijs ſumpta.*
*Scordium quomodo libet ſumptum.*
*Tuſſilaginis maioris radix duarum drachmarum pondere ex vino calido pota, ad ſudandum.*
*Scabioſæ ſuccus quatuor vnciarum pondere cum theriacæ drachma pota, ad citandum ſudorem.*
*Pimpinellæ radices quoquomodo ſumptæ.*
*Sanguiſorba, & eius aqua ſtillatitia.*
*Angelicæ radicis ſemidrachma cum theriaca drachma & ſua ipſius aqua pota, ad ciendum ſudorem.*
*Stibium noſtrum quinque granorum pondere ſumptũ, cum electuario liberantis in principio morbi.*
*Armenia terra in antidotis addita.*
*Argentum viuum præcipitatum ex rhodoſacc haro ſumptum.*
*Oleum è chalcantho ſcrupuli pondere ſumptum, citato ſubinde ſudore.*
*Antidotum noſtrum magnum in præfatione 6. libri deſcriptum, tam ad infectos curandos, quàm ad præſeruandos ſanos.*

TVMORVM PRAETER NATVRAM.

MATTHIOLI.

Ad exanthemata & morbillos.

*Napi rapiuè ſemen ex adianti decocto potum.*
*Cancamum ex caricarum decocto hauſtum.*

DIOSCORIDIS.

Ad inflammationes.

*Arundinum virentia folia tuſa illita.*
*Glandes intritæ, & illitæ appoſitæ.*
*Rhois ſemen ex aqua illitum.*
*Lupinorum farina, cum polenta, & aqua impoſita.*
*Vmbilici veneris ſuccus circumlitus.*
*Plantago emplaſtri modo impoſita.*
*Aſphodeli radix cum polenta adhibita.*
*Acetum cum ſuccidis lanis, aut ſpongijs impoſitum.*
*Rhaponticum cum aceto illitum vbi diutius perſeuerauerit inflammatio.*
*Pulegium cum polenta illitum.*
*Tuſſilaginis folia contrita, & ex melle impoſita.*
*Parthenium emplaſtri modo impoſitum.*
*Lonchitis altera impoſita.*
*Cannabis ſylueſtris radix emplaſtri modo adhibita.*
*Polygonon illitum.*
*Tribuli fructus cataplaſmatis additus.*
*Xiridis ex aceto impoſita.*
*Achillea illita.*
*Helxine cataplaſmatis addita.*
*Lichen herba adhibita.*
*Verbenacæ ſupinæ folia illita vbi inflammatio diutius perſeuerat.*
*Papaueris folia, vnà cum calycibus illita, vel calyces tantum cum polenta adhibiti.*
*Hyoſcyami ſemen, & folia impoſita.*
*Mandragoræ recentia folia cum polenta illita.*
*Bryoniæ radix ex vino decocta adhibita.*
*Sambuci, ebuliq́; præterea folia cum polenta illita.*
*Indicum illitum rumpit.*
*Triticei furfures acerrimo aceto elixi impoſiti.*
*Tritici pollen ex hydrelæo, vel aqua mulſa illitus.*
*Triticeus panis ex aqua mulſa decoctus, & herbis ad idem conferentibus additus, & impoſitus.*
*Seſamum illitum.*

MATTHIOLI.

*Caphura.*
*Alni recentia folia.*
*Liguſtri foliorum decoctum.*
*Glandes omnes recentes illitæ.*
*Myrti foliorum, & baccarum decoctum.*
*Cydoniorum ſeminis mucago.*
*Cochleæ tam crudæ quàm coctæ, cum teſtis, aut ſine contritæ & locis affectis agglutinatæ.*
*Oui album.*
*Tritici farina, oleo roſaceo, aut chamæmelino ſubacta.*
*Indici frumenti farina.*
*Secale farina.*
*Fœngræci farina.*
*Lini ſeminis farina.*
*Lini ſeminis oleum.*
*Maluæ folia cum ſalicis frondibus.*
*Braſſica.*
*Portulaca.*
*Cucumis ſectus, & impoſitus recens.*
*Anguriæ pulpa illita.*
*Burſa paſtoris adhibita.*
*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa illita.*
*Santalum rubrum ex frigidis plantarũ ſuccis illitũ.*
*Muſcus terreſtris ex aqua decoctus, & admotus.*
*Hyoſcyaminum oleum.*
*Roſaceum vnguentum.*
*Lilia diu in oleo macerata, & illita.*
*Trifolij acetoſi ſuccus.*

DIOSCORIDIS.

Ad carbunculos.

*Liguſtri folia impoſita.*
*Pix liquida ex melle & vua paſſa illita, emarginat diſrumpitque.*
*Cupreſſi folia trita, & impoſita.*
*Sabinæ folia ex vino illita carbũculos circumſcribũt.*
*Oliuæ maturæ areſactæ illitæ emarginant.*
*Nucum iuglandium veterum nuclei peruncti.*
*Columbinum fimum cũ melle, et lini ſemine ſubactũ.*
*Erui farina emplaſtri modo impoſita.*
*Lupinorum farina ex aceto adhibita.*
*Braſſica cum ſale illita rumpit.*
*Naſturtium impoſitum.*
*Porrum cum ſale appoſitum.*
*Panaces herculeum illitum.*
*Coriandrum cum paſſa vua ex melle impoſitum.*
*Laſerpitij liquor inunctus.*
*Tithymali caraciæ lac illitum.*
*Vua paſſa à nucleis repurgata, & cum ruta impoſita.*

MATTHIOLI.

*Liguſtri foliorum decoctum.*
*Iuglandium oleum.*
*Burſa paſtoris trita impoſita.*
*Scabioſæ folia applicata.*
*Galega illita.*

DIOSCORIDIS.

Ad furunculos.

*Fermentum triticeum impoſitum.*
*Helxine illita.*

*Sal cum vua paſſa, aut ſuillo adipe, aut melle impoſitũ.*
*Haſtulæ regiæ radix in fæce vini decocta illita.*
*Ephemeri folia ex vino cocta, & impoſita.*
*Vtriuſque vrticæ illita folia.*
*Leontopodij radix ſuſpenſa.*
*Cucumeris ſylueſtris radix cum terebinthina reſina impoſita.*
*Scammoneæ ſuccus cum melle, aut oleo illitus.*
*Mori radicis liquor illitus.*
*Thapſiæ ſuccus ex melle illitus.*
*Pycnocomi folia inuncta.*
*Sandaracha cum adipe impoſita.*
*Aſius lapis liquida pice aut reſina terebinthina exceptus illitus.*
*Cimolia terra ex aceto illita.*

MATTHIOLI.

*Triticum commanſum impoſitum.*
*Lilij radix elixa, & cum adipe & oleo adhibita.*
*Sclareæ folia ex aceto impoſita, aut ex melle.*
*Triticea farina ex hydrelæo ſubacta, et calidè impoſita.*

DIOSCORIDIS.
Ad gangrænas, & ſphacelum.

*Rhois folia ex aceto, & melle illita.*
*Punicorum ſuccus inunctus.*
*Nucum iuglandium veterum nuclei peruncti.*
*Ficulnei cineris lixiuium ſpongijs exceptum & impoſitum.*
*Loliacea farina cum ſale, & raphano cataplaſmatis addita.*
*Cicerum farina cum hordeo, & melle adhibita.*
*Lentes cum ſertula campana, roſaceo, ſiccis roſis, malicorio, & ſalſa aqua illitæ.*
*Erui farina illita.*
*Braſſica elixa cum melle, cataplaſmatis addita.*
*Bulbi per ſe, & cum melle impoſiti.*
*Laſerpitij liquor illitus, loco prius ſcalpello exciſo.*
*Galiopſis folia, ſemen, ſuccus, & caulis, ex aceto impoſita.*
*Verbaſci florem aureum ferentis folia adhibita.*
*Tithymali characiæ lac impoſitum.*
*Bryoniæ radix, fructus, & folia cum ſale illita.*
*Vua paſſa à nucleis repurgata, & cum ſale impoſita.*

MATHIOLI.

*Iuglandium nucum oleum.*
*Lupinorum farina, ex vino, & oleo incocta, addito croco & emplaſtri modo adalligata.*
*Aerugo cum melle, alumine, & aceto incocta & illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad eryſipelas, & ſacros ignes.

*Crocum illitum cum refrigerantibus.*
*Cupreſſi folia per ſe, & cum polenta impoſita.*
*Rhamni folia illita.*
*Liguſtri folia adhibita.*
*Roſæ illitæ.*
*Acaciæ ſuccus inunctus.*
*Oleæ ſylueſtris folia contrita, & impoſita.*
*Myrti folia cum omphacino oleo, aut exiguo roſaceo, & vino illita.*
*Menſtruus mulierum ſanguis circumlitus.*
*Caprarum montanarum ſtercus ex vino, vel aceto decoctum impoſitum.*
*Vrinæ humanæ ſedimen inunctum.*
*Lentes cum meliloto, ſiccis roſis, roſaceo, & malicorio adhibitæ.*
*Malua ex oleo decocta & illita.*
*Braſſica vtraque inciſa, & cum polenta emplaſtri modo impoſita.*
*Portulaca cum polenta cataplaſmatis addita.*
*Plantago illita cum cimolia, & ceruſſa.*
*Intybi radix, & folia cum polenta impoſita.*
*Aſari folia illita.*
*Acinos cataplaſmatis addita.*
*Rutæ ſuccus cum aceto, ceruſſa, & roſaceo inunctus.*
*Coriandrum cum pane, polentavè illitum.*
*Lilij folia ex aceto illita.*
*Tuſſilaginis folia trita, ex melle impoſita.*
*Parthenium cum floribus emplaſtri modo impoſitum.*
*Polygonum illitum.*
*Anchuſæ radix cum polenta adhibita.*
*Lycopſis radix cum polenta impoſita.*
*Rubi Idæi flos illitus.*
*Helxine impoſita.*
*Quinquefolij radix decocta cataplaſmatis indita.*
*Verbenaca recta ex aceto inuncta.*
*Papaueris vaſcula conciſa cum polenta impoſita.*
*Solani hortenſis folia cum polline polentæ illita. Quin & eiuſdem ſuccus inunctus.*
*Mandragoræ radix ex aceto illita.*
*Cicutæ ſuccus inunctus.*
*Vmbilici veneris ſuccus circumlitus.*
*Pſyllium, & eius ſpiſſamentum inunctum.*
*Lens paluſtris illita.*
*Ricini folia ex aceto illita.*
*Semperuiuum maius inunctum.*
*Stratiotes impoſita.*
*Acetum circumlitum.*
*Rubigo ferri illita.*
*Chalcitis inuncta.*
*Sal cum aceto, & hyſſopo illitum.*

MATTHIOLI.

*Caphura.*
*Portulacæ ſuccus illitus.*
*Plantaginis ſuccus.*
*Solanum hortenſe, & eius ſuccus.*
*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa illita exterius.*
*Anguriæ pulpa.*
*Cucumeris recentis ramenta.*
*Burſa paſtoris.*
*Trifolij acetoſi ſuccus.*
*Solani maioris ſuccus illitus.*
*Verbaſci florum ſtillatitia aqua impoſita.*

DIOSCORIDIS.
Ad herpetas.

*Acaciæ ſuccus inunctus.*
*Myrti folia cum omphacino oleo, aut exiguo roſaceo ex vino impoſita.*
*Oleæ ſylueſtris folia contrita, & impoſita.*
*Caprarum montanarum fimus ex vino, vel aceto decoctus illitus.*
*Lentes cum ſertula campana, roſaceo, ſiccis roſis, & malicorio cataplaſmatis inditæ.*
*Helxines ſuccus cum ceruſſa inunctus.*
*Plantago impoſita.*
*Chelidonium maius ex vino illitum.*

*Rubi*

*Rubi folia illita.*
*Solani hortulani ſuccus cum ceruſſa, roſaceo, & argenti ſpuma illitus.*

MATTHIOLI.

*Pompholyx*
*Diphryges* } *in vnguentis addita.*
*Ceruſſa*
*Cadmia*
*Liguſtri folia contuſa & impoſita.*
*Rhous recentia folia & vua contuſa & impoſita.*

DIOSCORIDIS.

Ad epinictidas.

*Ouillum caprillumvè ſtercus ex aceto illitum.*
*Braſſica conciſa cum polenta impoſita.*
*Plantago quoquo modo adhibita.*
*Cucumeris folia cum melle inuncta.*
*Porri folia cum rhoe obſoniorũ cataplaſmatis indita.*
*Abſinthium cum aqua illitum.*
*Coriandrum cum paſſa vua, & melle impoſitum.*
*Viſcum in ſplenio adhibitum.*
*Heliotropij ſemen inunctum.*
*Vua paſſa à nucleis repurgata, cum ruta impoſita.*

MATTHIOLI.

*Lac caprillum, bubulumvè cum linteolis adhibitũ.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſtrumas.

*Iridis Illyricæ radix cocta, & illita.*
*Pix liquida cum hordeacea farina, & pueri impubis vrina decocta illita.*
*Ficus ſiccæ coctæ, & impoſitæ.*
*Viperinæ carnes coctæ, & in cibum ſumptæ.*
*Muſtellæ ſanguis inunctus.*
*Aſinini vnguis cinis ex oleo maceratus illitus.*
*Bubulus fimus è bobus herbas paſcentibus ſumptus illitus.*
*Hordei farina cum pice, & impubis pueri vrina excepta impoſita.*
*Loliacea farina cum fimo columbino ex vino decocta adhibita.*
*Fabarum farina cum melle, & fœno græco illita.*
*Lens in aceto cum meliloto decocta, illita.*
*Lupinorum farina ex aceto inuncta.*
*Rumex decoctus circumlitus.*
*Plantago cum ſale impoſita, vel radix collo ſuſpenſa.*
*Sinapi cum ſulphure illitum.*
*Naſturtium ex muria inunctum.*
*Piper cum pice impoſitum.*
*Coriandrum cum faba lomento adhibitum.*
*Galbanum illitum.*
*Aparine cum axungia inuncta.*
*Meliſſophylli folia cum ſale cataplaſmatis addita.*
*Althæa ex vino, vel aqua mulſa decocta, impoſita.*
*Quinquefolij radix decocta, ac conciſa adhibita.*
*Laſerpitij liquor ex cera illitus.*
*Vmbilici veneris ſuccus circumlitus.*
*Mandragoræ recentia folia cum polenta impoſita.*
*Semperuiuum tertium impoſitum.*
*Galiopſis folia, caulis, ſemen, & ſuccus cataplaſmatis indita.*
*Pſeudobunij rami quaterni ex aqua poti illitiq́;.*
*Adiantum impoſitum.*
*Fornaceæ teſtæ toſtæ ex cerato illitæ.*
*Capparis radix & folia trita, & impoſita.*

MATTHIOLI.

*Cochleæ, quæ ſalinis inhærent cum putamine tuſæ & illitæ.*
*Cancri fluuiatiles combuſti, tritiquè ex melle illiti.*
*Muſtelarum fimus melle exceptus addita lupinorum, aut fœnogræci farina, & illitus.*
*Milij Indici arundinum medulla, cum alijs nonnullis: vide panici commentarium.*
*Cyclamini radices contuſæ, & illitæ.*
*Dracunculi radix contuſa, & impoſita.*
*Cruciatæ minoris radix recens contuſa, & emplaſtri modo adhibita.*
*Eryngij radix decocta, & illita.*
*Menthaſtrum illitum.*
*Lilij radix cocta ex adipe & oleo, adhibita.*
*Arthemiſiæ radix ex axungia.*
*Bellidis genera omnia.*
*Scrophularia ex butyro illita.*
*Verbaſci folia ex aceto impoſita.*
*Perſonatæ emplaſtri modo adhibita.*
*Geniſtæ flores contriti, & ex rhodomelle, aut ſorbili ouo deuorati.*
*Vitis nigræ radicis ſuccus, cum vini, & mellis æquali portione hauſtus.*
*Eiuſdem radix tuſa, melleque excepta, & illita.*

MATTHIOLI.

Ad ganglium.

*Plumbea lamina tenuis probè adalligata.*

DIOSCORIDIS.

Ad panos.

*Oleæ ſylueſtris folia cum melle inuncta.*
*Ficus ſicca decocta, & illita.*
*Bubulum ſtercus ex paſcuis ſumptum, impoſitum.*
*Lupinorum farina ex aceto adhibita.*
*Atriplex tam crudum, quàm coctum illitum.*
*Plantago cum ſale impoſita.*
*Bulbi elixi cum polenta, & ſuillo adipe illiti.*
*Iſatidis folia impoſita.*
*Eryngium adalligatum.*
*Abrotonum cum farina hordeacea, & hydræleo ſubactum illitum.*
*Acinos herba impoſita.*
*Panaces aſclepij flores & ſemẽ cataplaſmatis indita.*
*Coriandrum cum faba lomento appoſitum.*
*Ammoniacum inunctum.*
*Onobrychis conciſa, & emplaſtri modo impoſita.*
*Gladioli ſuperior radix, cum loliacea farina, & dulci aqua illita.*
*Pſyllium ex roſaceo, acetovè, aut aqua impoſitum.*
*Mandragoræ folia recentia adhibita.*
*Galiopſis folia, caulis, ſuccus, & ſemen illita.*
*Perſonatæ radix cũ axungia ſuo ſuper folio impoſita.*
*Pycnocomum adhibitum.*
*Conyza emplaſtri modo impoſita.*
*Vini fæx illita.*

MATTHIOLI.

*Eryngij radix decocta, & emplaſtri modo impoſita.*
*Sclarea ex aceto aut melle ſubacta.*
*Folia verbaſci tuſa cineribusq́; calefacta et impoſita.*
*Malua decocta tuſaq́; ex hordeacea farina illita.*
*Lilij radix cocta, & ex lini ſeminis farina adhibita.*

DIO-

DIOSCORIDIS.
Ad tumores diſcutiendos.

*Cancri fluuiatiles impoſiti.*
*Lini ſemen illitum.*
*Fœnigræci farina cataplaſmatis addita.*
*Capparis radix, & contuſa folia impoſita.*
*Smyrnij radix illita.*
*Ammoniacum inunctum.*
*Buphthalmi folia, & flores cera excepta, et impoſita.*
*Mandragoræ recentia folia cum polenta illita.*
*Galiopſis folia, caulis, ſuccus, & ſemen adhibita.*
*Aegilops impoſita.*
*Diphryges cum reſina terebinthina, aut cerato.*
*Pyrites lapis illitus.*
*Alabaſtrites lapis crematus, reſina, aut pice exceptus.*
*Cimolia terra illita.*

MATTHIOLI.

*Iuglandium oleum.*
*Caricæ pingues cum lilij, Iridis, & althææ radicibus decoctæ.*

MATTHIOLI.
Ad chæradas. i. ſcrophulas.

*Muſtelarum fimus melle exceptus, addita lupinorum aut fœnogræci farina, & illitus.*
*Cruciatæ radix recens contuſa, & emplaſtri modo impoſita.*
*Cyclamini radices contuſæ, & illitæ.*
*Cruciatæ minoris radix impoſita in puluerem trita.*
*Scrophularia contuſa & illita.*
*Verbaſci folia ex aceto impoſita.*
*Perſonata contuſa, & adhibita.*
*Geniſtæ flores ex Rhodomelle, aut ſorbili ouo deuorati.*
*Vitis nigræ radicis ſuccus ex vino & melle hauſtus.*
*Eiuſdem radix tuſa, & ex melle illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſcirrhum.

*Taurinus ſanguis cum polenta illitus.*
*Bubulus fimus ex paſcuis aſſumptus, ex aceto illitus.*
*Loliacea farina cum fimo columbino in vino decocta.*
*Lini ſemen cum nitro, & lixiuio ficulnei cineris decoctum.*
*Hydropiper illitum.*
*Cannabis ſylueſtris radix impoſita.*

MATTHIOLI.

*Amygdalinum oleum.*
*Seſaminum oleum.*
*Pix liquida.*
*Bubulum* } *ſtercus ex aceto impoſitum.*
*Caprinum* }
*Cyclamini radices contuſæ illitæ.*
*Dracunculi radix tuſa & impoſita.*
*Oleum liliorum alborum.*

DIOSCORIDIS.
Ad carcinomata.

*Cancrorum fluuiatilium cinis cum melle decoctus, et illitus.*
*Irionis ſemen tritum, & impoſitum.*
*Vtraque vrtica adhibita.*
*Galiopſis folia, caulis, ſuccus & ſemen impoſita.*

MATTHIOLI.

*Humani ſtercoris ſtillatitia aqua illita.*
*Fœnigræci farina, ex vino ſubacta, & impoſita.*
*Sanguiſorba, & eius ſuccus illitus.*
*Vnguentum ex mortario, & piſtillo plumbeo, & roſaceo confectum.*
*Plumbum vſtum, & lotum.*
*Oleum de antimonio noſtrum adhibitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad tumores in vniuerſum.

*Suillus adeps.*
*Braſſica vtraque conciſa cum polenta impoſita.*
*Cucurbita impoſita.*
*Xanthij ſemen illitum.*
*Bulbi elixi cum polenta, & adipe ſuillo illiti.*
*Lini ſemen cataplaſmatis inditum.*
*Fœnigræci ſemen illitum.*
*Cepa decocta, & cum paſſa vua & ficu adhibita.*
*Narciſſi radix illita.*
*Bryoniæ radix ex vino decocta & impoſita.*
*Iſatidis folia applicata.*
*Smirnij radix illita.*
*Tragoriganum cum polenta impoſitum.*
*Mentha cum polenta cataplaſmatis addita.*
*Amaraci folia cum cera cocta, & illita.*
*Daucum illitum.*
*Libanotis radices emplaſtri modo impoſitæ.*
*Nigella ex aceto inuncta.*
*Horminum ex aqua illitum.*
*Buphthalmi flores cera ſubacti.*
*Althæa decocta impoſita.*
*Cannabis ſylueſtris radix emplaſtri modo adhibita.*
*Anagyris folia illita.*
*Polygonon cataplaſmatis inditum.*
*Xyridis radix ex aceto inuncta.*
*Helxine impoſita.*
*Quinquefolij radix decocta emplaſtri modo.*
*Verbenacæ ſupinæ folia impoſita.*
*Pſyllium ex roſaceo, acetovè, aut aqua illitum.*
*Ephemeri folia ex vino decocta, illita.*
*Cytiſi folia cum pane inter initia impoſita.*
*Cucumeris agreſtis radix cum polenta impoſita.*
*Chamæſyces rami triti, & impoſiti.*
*Pycnocomi ſemen cum polenta illitum.*
*Indicum inunctum.*
*Vini fæx cruda per ſe, vel cum myrto illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſteatomata.

*Chryſanthemi flores cum cerato triti, & impoſiti.*

DIOSCORIDIS.
Ad melicerides.

*Rumex cum roſaceo, & croco illitus.*
*Melilotus ex aqua inuncta.*
*Vua paſſa à nucleis repurgata trita, cũ ruta impoſita.*

DIOSCORIDIS.
Ad tumores ex ictu.

*Braſſica conciſa cum polenta impoſita.*
*Cucurbita emplaſtri modo illita.*
*Hydropiper impoſitum.*
*Thymus, Thymbraquè illita.*

MATTHIOLI.

*Abſinthium in tegula calefactum, & vino aſperſum adalligatum.*
*Cari ſeminis farina ex melle, aut ſapa decocta, & impoſita.*

*Fabarum*

*Fabarum farina vna cum anthemide, & betonica ex defruto decocta & illita.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſugillata.

*Caſeus recens illitus.*
*Succida lana oleo, acetovè perfuſa.*
*Fabarum farina ex melle, & fœnogræco.*
*Lupinorum farina impoſita.*
*Raphanus ex melle.*
*Allij cinis ex melle.*
*Sinapi illitum.*
*Hydropiper impoſitum.*
*Ptarmica cum floribus illita.*
*Bulbi per ſe, aut ex oui vitello.*
*Rhaponticum ex aceto.*
*Aloe ex melle.*
*Laſerpitij liquor.*
*Abſinthium ex melle.*
*Aqua maris calida fotu adhibita.*
*Hyſſopum ex feruenti aqua.*
*Calamintha ex vino.*
*Amaraci ſiccata folia ex melle.*
*Cuminum erraticum commanſum ex melle, & paſſa vua illitum.*
*Ammi ex melle.*
*Acetum ex melle.*
*Thapſiæ ſuccus, & radix cum thuris, & ceræ æquali portione, duabus tantum horis impoſita, & ſubinde marina aqua fotu adhibita.*
*Bryonia ex oleo decocta quouſque liqueſcat.*
*Sal ex melle inunctum.*

MATTHIOLI.

*Triticum cum radicula commanſum, & impoſitum.*
*Lupini ex aceto decocti, & impoſiti.*
*Ari radix cum fabacea farina ex defruto ſubacta.*
*Succiſa trita & illita.*

VVLNERVM.

DIOSCORIDIS.

Ad vulnera conglutinanda.

*Cupreſſi folia trita.*
*Vlmi folia, ſed multò magis corticis tilia, ſi faſciæ loco intorqueatur.*
*Sycomori liquor illitus.*
*Amurca in cupreo vaſe decocta illita.*
*Palmulæ immaturæ illitæ.*
*Viticis folia, & ſemen impoſita.*
*Punicorum cytini impoſiti.*
*Thus inſperſum.*
*Lanæ cinis impoſitus.*
*Syluestris braſſicæ folia impoſita.*
*Argemone illita.*
*Glycyrrhizæ ſuccus illitus.*
*Centaurij maioris recens radix impoſita.*
*Centaurij minoris folia tuſa, & illita.*
*Achillea impoſita.*
*Poterij radix impoſita.*
*Aloe in puluerem inſperſa.*
*Sarcocolla impoſita.*
*Polycnemon ex aqua impoſitum.*
*Polium emplaſtri modo impoſitum.*
*Scordium impoſitum.*
*Equiſeti folia inſperſa.*
*Lonchitis folia impoſita.*
*Althæa in vino, aut mulſa aqua decocta, impoſita.*
*Sideritis folia impoſita.*
*Chamæpitys ex melle adhibita.*
*Polygonum emplaſtri modo adhibitum.*
*Polygonatum emplaſtri modo admotum.*
*Symphytum petræum inditum.*
*Symphytum alterum emplaſtri modo impoſitum.*
*Clymeni ſuccus impoſitus.*
*Sideritis qualibet illita.*
*Lycopſis radix cataplaſmatis indita.*
*Ocimi ſemen illitum.*
*Graminis radix conciſa, & adhibita.*
*Conyza illita.*
*Quinquefolium adhibitum.*
*Coccum infectorium tritum, & inſperſum.*
*Verbenaca illita.*
*Erigeri folia, & flores cum thuris manna adhibita.*
*Verbaſci folia ex aceto.*
*Spongiæ recentes ſine pinguedine, ex aqua, vel poſca.*
*Succida lana vino, aceto, oleove infuſa.*
*Dracunculi folia ex vino decocta.*
*Iſatidis folia illita.*
*Stratiotes millefolium impoſitum.*
*Morochthus lapis inſperſus.*

MATTHIOLI.

*Oleum ſtillatitium è larigna reſina aut abiegna.*
*Abiegna lachryma.*
*Terebinthina reſina.*
*Pix arida.*
*Cupreſſi folia, germina, coni recentes, & molles.*
*Vlmi folliculorum concluſus liquor illitus.*
*Papyrus oxycrato, vinove macerata.*
*Tiliæ cortex commanſus & deinde illitus.*
*Ciſti folia impoſita.*
*Hypociſtis.*
*Ilicis rubentes pilulæ cum aceto tritæ & impoſitæ.*
*Querna folia adalligata.*
*Meſpili folia ſicca, & in puluerem aſperſa.*
*Corni folia eodem modo adhibita.*
*Oleum è terrenis vermibus addito balſamo factitio, aut oleo terebinthino.*
*Cyani maioris folia, & ſuccus.*
*Tragopogoni ſuccus, aut ſtillatitia aqua.*
*Burſæ paſtoris ſuccus.*
*Ophiogloſſum impoſitum, aut eius oleum illitum.*
*Omphacinum oleum in quo ophiogloſſum diu fuerit inſolatum, addita lachryma abiegna.*
*Chelidonij maioris puluis inſperſus.*
*Centaurij magni radix.*
*Veronica mas.*
*Gratiola trita & illita.*
*Flos ſolis.*
*Roſmarini ſicci farina inſperſa, poſt ablutionem è ſuo ipſius decocto.*
*Aparinæ ſuccus, aut ſiccæ puluis.*
*Trinitas herba tam hauſta, quam exterius vſurpata.*
*Lunaria minor.*
*Hyperici flores, & ſemen vel oleum.*
*Conſolida maior, minor, & media.*

*Sanicula.*
*Auricula vrſi.*
*Piloſella.*
*Pyrola, de qua præſtantiſſimam potionem vulnerariam habes lib. 4. cap. 16.*
*Virga aurea.*
*Potentilla.*
*Eupatorij vulgaris flores illiti.*
*Fragariæ folia, & radix.*
*Sanguiſorba.*
*Pulmonaria.*
*Alchimilla.*
*Ophris.*
*Biſtortæ & tormentillæ radices cum vulneribus illitæ, tum etiam in potionibus hauſtæ.*
*Oleum balſaminæ, ſeu momordicæ.*

DIOSCORIDIS.
Ad fluxum ſanguinis.

*Syluestris oleæ foliorum ſuccus admotus.*
*Gallæ crematæ vino, aceto, aut muria extinctæ inſperſa.*
*Punicorum cytini impoſiti.*
*Perſeæ arida folia illita.*
*Cupreſſi pilulæ cum arboris coma tritæ & admotæ.*
*Thus inſperſum.*
*Ranarum crematarum cinis illitus.*
*Araneorum tela adhibita.*
*Caprarum montanarum fimus ex aceto.*
*Aſinini ſtercus cum crudũ tum crematum ex aceto.*
*Stæbis folia impoſita.*
*Portulaca illita.*
*Plantago admota.*
*Idæa radix adhibita.*
*Iſatidis folia inuncta.*
*Saluia adhibita.*
*Galij flos inditus.*
*Androſæmi folia illita.*
*Quinquefolium admotum.*
*Phœnix herba cum punicea lana corpori alligata.*
*Lichen herba adhibita.*
*Aſtragali radix indita.*
*Hyoſcyami ſemen oboli pondere in mulſa aqua potũ.*
*Stratiotes millefolium admotum.*
*Cinnabaris, & ſanguis draconis inditus.*
*Alumen admotum.*
*Sulphur impoſitum.*
*Gypſum inſperſum.*
*Spongiæ ſiccæ recentes, & vacuæ impoſitæ.*
*Spongiarum crematarum cinis ex pice.*
*Eretria terra inſperſa.*
*Stibium inſperſum.*

MATTHIOLI.

*Pannus in annoſis laricum caudicibus prope medullam repertus, impoſitus.*
*Suberis cortex tritus, & ex aqua calida potus.*
*Meſpili ſicca folia in puluerem aſperſa.*
*Pili leporini vſti è viui ventre euulſi.*
*Burſa paſtoris tenui pulticula circumlita, & in oleo frixa.*
*Centaurij magni radix.*
*Flos ſolis.*
*Lanugo xyli combuſta, & illita.*



*Biſtortæ, vel tormentillæ puluis vulnerib⁹ inſperſus.*
*Conſolida minor, & media impoſita.*
*Sanicula quoquo modo adhibita.*
*Auricula vrſi.*
*Piloſella.*
*Pyrola, de qua præſtantiſſimam potionem vulnerariam habes lib. 4. cap. 16.*
*Potentilla quoquomodo adalligata.*
*Gypſum inſperſum.*
*Iaſpis lapis nuda manu comprehenſus.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſanguinem ex cerebro erumpentem.

*Gallinaceorum cerebrum ex vino potum.*
*Stibium tritum inſperſum.*

MATTHIOLI.

*Vrticæ communis ſemen tritum & inſperſum.*
*Xylum combuſtum.*

DIOSCORIDIS.
Ad ſanguinis grumos.

*Thymus impoſitus.*
*Thymbra illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad vulnera telis venenatis illata.

*Dictamni ſuccus tum potus, tum inſtillatus.*

MATTHIOLI.

*Ceruinus ſanguis ex vino ſumptus.*
*Cydonia mala deuorata.*
*Scorzoneræ ſuccus potus, tum vulneri infuſus.*

DIOSCORIDIS.
Ad oſſa nuda carne veſtienda.

*Iris Illyrica illita.*
*Panacis Herculei radix impoſita.*
*Myrrha cum cochlea carnibus peruncta.*

MATTHIOLI.

*Thuris cortex inſperſus.*
*Myrrha cum thure, aloe, & ſarcocolla.*
*Peucedani radix in puluerem trita, & inſperſa.*

DIOSCORIDIS.
Ad vulnera membranarum cerebri.

*Butyrum admotum.*

MATTHIOLI.

*Oleum roſaceum.*
*Abiegna lacrhyma.*
*Oleum ex ouorum vitellis.*
*Bellidis genera omnia.*
*Betonica tuſa, & illita, & in vnguentis addita.*
*Matriſylua eodem modo adhibita.*
*Sanguiſorbæ ſuccus in vnguentis additus.*
*Gummi elemi, Piloſella, Quinquefolium, Alchimilla* } *in vnguentis addita.*

MATTHIOLI.
Ad vulnera carne replenda.

*Iridis radicis farina, Thus, Myrrha, Aloe, Sanguis draconis, Sarcocolla, Panacis radicũ cortex* } *rhodomelle et laricea reſina excepta, aut per ſe ſe inſperſa.*

DIOSCORIDIS.
Ad vulnerum inflammationes.

*Bubulus*

*Bubulus recens fimus ex paſcuis ſumptus, ac ſubinde in folijs inuolutus, & in feruenti cinere calefactus impoſitus.*
*Pinorum & picearum folia trita, & illita.*
*Fabarum farina cataplaſmatis indita.*
*Lupinorum farina admota.*
*Stratiotes impoſita.*
*Millefolium ex aceto illitum.*
*Labruſcæ flores cataplaſmatis inditi.*
*Aerugo illita.*

MATTHIOLI.

*Roſaceum vnguentum.*
*Caphura illita.*
*Liguſtrinum oleum.*
*Maluæ folia cum ſalignis frondibus trita & illita.*
*Ophiogloſſum recens, ſiccumvè ex gallinaceo adipe illitum.*
*Cynogloſſæ vulgaris recentia folia circumligata & quotidie bis repetita.*

DIOSCORIDIS.
Ad infixa vulneribus extrahenda.

*Cochleæ terreſtres cum ſuo operimento tuſæ, & appoſitæ.*
*Siluri ſalſi caro admota.*
*Lacertæ conciſum caput impoſitum.*
*Bulbi cataplaſmatis inditi.*
*Horminum ex aqua illitum.*
*Anagallis adhibita.*
*Narciſſi radix cum lolij farina impoſita.*
*Ariſtolochia rotunda impoſita.*
*Dictamnum admotum.*
*Gladioli radix ſuperior ex vino, & thure illita.*
*Xyridis radix admota.*
*Tragij folia, ſemen, & liquor illita.*
*Pycnocomi ſemen cum polenta impoſitum.*
*Acutæ ſpinæ radix admota.*
*Harundinis radix admota.*
*Sinapi impoſitum.*

MATTHIOLI.

*Calami phragmitis radix cum bulbis appoſita.*
*Pectinis veneris radix, cũ malua tuſa, & adalligata.*
*Ariſtolochia rotunda illita.*
*Eryngij radix ex melle.*
*Verbaſci ſemen, & folia in vino decocta & impoſita.*

DIOSCORIDIS.
Ad carnis excreſcentias.

*Gallæ tritæ, & inſperſæ.*
*Palmarum nuclei exuſti, lotiq́; illiti.*
*Erinacei marini operimenti cinis admotus.*
*Crematæ purpuræ cinis inditus.*
*Conchulæ Indicæ cinis illitus.*
*Smaridis piſcis exuſtum caput impoſitum.*
*Lanæ crematæ cinis inunctus.*
*Scordium ſiccatum inſperſum.*
*Aes vſtum impoſitum, quinetiam æris flos admotus.*
*Plumbum elotum*
*Stibium*
*Argenti ſpuma*
*Ceruſſa*
*Chryſocolla*
*Ochra*
*Diphryges*
} *trita inſperſa, illita, vel quoquo modo admota.*

VVLNERVM.

*Auripigmentum*
*Pumex*
*Corallium*
*Aſij lapidis flos ſiccatus*
} *trita &c.*
*Pyrites lapis cum reſina impoſitus.*

MATTHIOLI.

*Alumen combuſtum.*
*Chalcanthum.*
*Mercurius præcipitatus.*
*Mercurius ſublimatus.*
*Ellebori nigri farina.*

DIOSCORIDIS.
Ad vulnera cicatrice obducenda.

*Cadmia elota inſperſa vel illita.*
*Plumbum elotum impoſitum.*
*Argenti ſpuma.*

MATTHIOLI.

*Alumen vſtum.*
*Corallium.*
*Pompholyx.*
*Sandix ex plumbo parata.*
*Aerugo exuſta.*
*Charta combuſta.*
*Linteorum combuſtorum cinis.*
*Cucurbita ſicca & combuſta.*
*Vini fæx combuſta vna cum ſiccis plantaginis radicibus.*

MATTHIOLI.
Ad vulnera interna.

*Phu in potionibus vulnerarijs additum.*
*Dictamni albi radices in potionibus additæ.*
*Flos ſolis potus.*
*Trinitas & eius decoctum hauſtum.*
*Lunaria minor potionibus addita.*
*Bellidis genera omnia.*
*Equiſetum*
*Solidago omnis*
*Sanicula*
*Pyrola*
*Alchimilla*
*Piloſella*
} *in vino decocta & pota.*
*Virga aurea*
*Biſtortæ*
*Tormentillæ*
*Dictamni albi*
*Fragariæ*
*Caryophyllatæ*
} *radices in potionibus additæ.*
*Potio noſtra de Pyrola, in limonij comment. deſcripta.*

VLCERVM.

DIOSCORIDIS.
Ad depaſcentia vlcera quæ Græci φαγέδαινα vocant.

*Pini piceæq́; cortex cum chalcantho tritus, illitus.*
*Lentiſci decoctum fotu adhibitum.*
*Cupreſſi folia trita inuncta.*
*Sabinæ vtriuſq́; folia trita & admota.*
*Rhamni cuiuſq́; folia impoſita.*
*Ciſti flores per ſe illiti.*
*Oleæ ſylueſtris folia trita, & adhibita.*
*Lignorum marcor illitus.*
*Oliuæ maturæ exuſtæ, tritæ, & inſperſæ.*
*Palmæ cortex ſiue inuolucrum admotum.*

*Myrti folia trita, cum omphacino oleo, aut exiguo roſaceo ex vino impoſita.*
*Amygdalæ amaræ ex vino inunctæ.*
*Smaridis piſcis crematum caput, tritum & illitum.*
*Garum piſcium admotum.*
*Teſtudinis fel inunctum.*
*Loliacea farina cum ſale, & raphano illita.*
*Lini ſemen ex vino decoctum.*
*Erui farina admota.*
*Raphanus tritus inunctus.*
*Betæ folia impoſita.*
*Plantago quoquomodo indita.*
*Dracunculi maioris radix conciſa, ex melle, bryonia addita.*
*Aſphodeli radix & folia ex vino.*
*Anagallis trita adhibita.*
*Hederæ decocta folia ex vino.*
*Chelidonij maioris radix ex vino.*
*Iſatidis folia ſuperpoſita.*
*Ariſtolochia rotunda adhibita.*
*Chamæleonis nigri radix cataplaſmatis addita.*
*Pulegium virens appoſitum.*
*Marum admotum.*
*Panacis aſclepij flores & ſemen illitum.*
*Paſtinacæ erraticæ folia contuſa, ex melle.*
*Coriandrum cum pane polenta vè illitum.*
*Marrubij folia ex melle.*
*Tithymali characiæ lac illitum.*
*Omphacium ex aceto inunctum.*
*Cicutæ ſuccus illitus.*
*Sedum maius impoſitum.*
*Sphondylium cum ruta admotum.*
*Polygonum ſuperpoſitum.*
*Verbenaca ex aceto.*
*Solani hortulani folia cum polenta polline illita.*
*Acetum fotu adhibitum.*
*Acida muria fotu impoſita.*
*Petaſites admota.*
*Aeris ſquama inſperſa.*
*Aerugo illita.*
*Sal toſtum cum polenta adhibitum.*
*Salis flos inſperſus.*
*Chalcitis illita.*
*Diphryges inunctum.*
*Aſius lapis tritus ex aceto.*
*Alumen cum galla cremata pari pōdere ex aceti face.*

MATTHIOLI.

*Cochleæ contritæ, & illitæ.*
*Humani ſtercoris aqua ſtillatitia, & oleum.*
*Lupini decoctum adhibitum.*
*Caninum ſtercus inſperſum.*
*Plantaginis ſuccus.*
*Ari radicum ſuccus.*
*Oleum è chalcantho.*

DIOSCORIDIS.

Ad vlcera diuturna.

*Ciſti flores per ſe illiti.*
*Centaurium minus illitum.*
*Panacis Herculei acuminata radix impoſita.*
*Viſcum cum thure inunctum.*
*Chamædrys ex melle.*
*Lilij foliorum ſuccus in æreo vaſe decoctus ex aceto, & melle.*
*Scordium tritum ex melle.*
*Anchuſæ radix oleo incocta ex cera.*
*Verbenaca trita ex melle.*
*Aſtragali radix illita.*
*Thalictri radix inuncta.*
*Perſonatæ folia impoſita.*
*Omphacium ex aceto.*
*Spongiæ recentes ſiccæ, & vacuæ impoſitæ.*
*Aſij lapidis flos ſiccatus illitus.*

MATTHIOLI.

*Terebinthina.*
*Carioſorum lignorum vermes.*
*Creſpini baccarum ſuccus.*
*Burſa paſtoris trita.*
*Hypociſtis.*
*Ladanum emplaſtri modo impoſitum.*
*Sylueſtris oliuæ oleum.*
*Aqua in marceſcentibus quercuum cauitatibus reperta.*
*Oleum è tritico.*
*Braſſica impoſita.*
*Chelidonij maioris puluis.*
*Ariſtolochia rotunda.*
*Aloe cum ſanguine draconis, & myrrha.*
*Veronica mas.*
*Flos ſolis.*
*Abrotonum vſtum.*
*Aparinæ ſiccæ farina.*
*Vtriuſq; ſecuridacæ farina.*
*Conſolidæ mediæ, vel minoris folia, aut eorum ſuccus.*
*Sanicula.*
*Auricula vrſi.*
*Piloſella.*
*Pyrola.*
*Caryophyllatæ ſuccus admiſta ærugine.*
*Potentilla.*
*Eupatorij vulgaris flores illiti.*
*Fragariæ folia.*
*Sanguiſorba.*
*Filicis farina inſperſa.*
*Oleum è chalcantho.*
*Oleum noſtrum de antimonio.*
*Mercurius præcipitatus.*
*Mercurius ſublimatus.*

DIOSCORIDIS.

Ad maleſica doloſaquè vlcera.

*Plantago quoquomodo impoſita.*
*Dracunculi conciſa radix cum bryonia ex melle.*
*Petaſites illita.*
*Pſyllium tritum ex melle.*
*Bryoniæ folia, fructus, radix cum ſale impoſita.*
*Filicis fœminæ radix trita & illita.*
*Cadmia puluis inſperſus.*
*Salis flos illitus.*
*Aſij lapidis flos ex melle.*
*Oſtracites lapis.*

MATTHIOLI.

*Quernæ ſuberinæq; glandes cum ſalſa axungia illitæ.*
*Humani ſtercoris ſtillatitia aqua, & oleum ſtillatitium.*
*Caninum ſtercus inſperſum.*

*Lupini*

*Lupini cum ſuo decocto admoti.*
*Burſa paſtoris.*
*Ari radicis ſuccus.*
*Carduus benedictus tam potus, quàm admotus.*
*Vnguentum ex mortario, & piſtillo plumbeo, & roſaceo paratum.*
*Plumbum vſtum & lotum.*
*Chryſocolla factitia inſperſa.*
*Oleum de chalcantho.*
*Oleum de antimonio.*
*Mercurius præcipitatus.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſinus & fiſtulas.

*Iridis Illyricæ radicum decoctum infuſum.*
*Suillus adeps infuſus.*
*Mel infuſum.*
*Plantaginis ſuccus inditus.*
*Dracunculi maioris radicis ſuccus ex melle.*
*Ariſtolochia rotunda cum iride ex melle.*
*Sphondylij ramenta circumligata ſinuum callos erodunt.*
*Quinquefolium cum ſale ex melle.*
*Stratiotes milleſolium infuſum.*
*Tithymali characiæ lacteus ſuccus inditus.*
*Omphacium cum aceto.*
*Chalcitis collyrij modo infuſa.*
*Cadmia illita.*
*Spongia recens ſine pinguitudine ex decocto melle impoſita.*
*Gentiana quoquomodo adhibita.*

MATTHIOLI.

*Aqua ſtillatitia Laricea lachrymæ ſiue abiegnæ infuſa.*
*Oleum è tritico.*
*Plantaginis ſuccus.*
*Burſa paſtoris & eius ſuccus.*
*Hederæ terreſtris ſuccus cum ærugine infuſus.*
*Caryophyllatæ ſuccus admiſta ærugine.*
*Alchimilla.*
*Oleum de chalcantho.*
*Oleum de antimonio.*
*Mercurius præcipitatus.*
*Mercurius ſublimatus.*
*Chalcanthi ſtillatitia aqua infuſa.*

DIOSCORIDIS.

Ad vlcera in callum indurata.

*Capparis radix exiccata impoſita.*
*Aerugo cum ammoniaco collyrij modo impoſita.*
*Spõgiæ aridæ lino ligatæ, et penicilli modo impoſitæ.*

MATTHIOLI.

*Anonidis radix trita & inſperſa.*
*Mercurius ſublimatus in vnguentis additus.*

DIOSCORIDIS.

Ad vlcera ab erodentibus facta.

*Lac omne, & præſertim bubulum illitum.*

MATTHIOLI.

*Oleum è luteis ouorum.*
*Ceruſſa elota* }
*Argenti ſpuma* } *in vnguentis addita.*
*Calx pluries lota* }

DIOSCORIDIS.

Ad phtyriaſim.

*Staphyſagria trita, & ex oleo illita.*

MATTHIOLI.

*Argentum viuum illitum.*
*Piper ex ſaluia inunctum.*



DIOSCORIDIS.

Ad ſordida vlcera.

*Oleæ ſylueſtris folia tuſa ex melle.*
*Iris Illyrica ex melle.*
*Colymbades trita & impoſita.*
*Reſina terebinthina illita.*
*Pix liquida cum melle indita.*
*Erinacei marini operimentum exuſtum impoſitum.*
*Purpuræ crematæ cinis illitus.*
*Conchulæ Indicæ cinis inſperſus.*
*Orobi farina admota.*
*Braſſica cum fœnogræco, & aceto illita.*
*Aſphodeli folia, & radices impoſita.*
*Capparis cortex ſiccatus, & adhibitus.*
*Anemones radix illita.*
*Hederæ decocta folia ex vino.*
*Chelidonium maius cum axungia admotum.*
*Ariſtolochia rotunda impoſita.*
*Libanotidis radices ſiccatæ ex melle.*
*Ballote ex melle.*
*Marrubij folia ex melle.*
*Verbenacæ ſupinæ folia illita.*
*Narciſſi radix cum erui farina ex melle.*
*Bryoniæ radix, fructusq; cum ſale admota.*
*Aerugo ex melle cocta, & impoſita.*
*Aes vſtum inſperſum.*
*Vrtica vtraq; illita.*
*Peucedani radix trita inſperſa.*
*Cadmia indita.*
*Mel illitum.*
*Pompholyx admota.*
*Muria indita.*
*Alumen quoquomodo adhibitum.*
*Aſij lapidis flos exiccatus, & illitus.*

MATTHIOLI.

*Terebinthina reſina.*

DIOSCORIDIS.

Ad ambuſta.

*Platani pilulæ adipe exceptæ illitæ.*
*Liguſtri foliorum decoctum fotu adhibitum.*
*Ciſti flores cum cerato impoſiti.*
*Acaciæ gummi ex ouo illitum puſtulas prohibet.*
*Myrti folia cruda ſeu cremata cerato excepta.*
*Mori folia trita ex aceto illita.*
*Thus ex ſuillo adipe vel anſerino exceptum.*
*Buccinæ cinis illitus.*
*Mitulorum combuſtorum cinis admotus.*
*Conchulæ Indicæ cinis inunctus.*
*Calceamentorum veterum cinis impoſitus.*
*Suillus adeps inunctus.*
*Fimus* { *Ouillus cera & roſaceo ſubactus.*
{ *Columbinus* }
{ *Gallinaceus* } *cum lini ſemine ex oleo.*
*Seſamum ex roſaceo.*
*Malua decocta ex oleo.*
*Betæ virentia folia illita.*
*Braſſicæ cinis ex oui albo.*
*Lactucæ ſylueſtris lacteus ſuccus ex humano lacte.*
*Hederæ flores ex cera. Quin & decocta folia ex vino.*

*Acanthi radix illita.*
*Rutæ ſylueſtris ſemen, & folia admota.*
*Glutinum calida aqua maceratum illitum puſtulas prohibet.*
*Typhæ flos vetere ſuillo adipe eloto exceptus.*
*Hemerocallis radix illita.*
*Althææ folia ex exiguo oleo admota.*
*Hyperici ſemen, & folia impoſita.*
*Aſcyri ſemen & folia adhibita.*
*Androſæmi folia impoſita.*
*Anchuſæ radix in oleo decocta ex cera.*
*Helxine admota.*
*Papaueris corniculati folia ex oleo.*
*Verbaſci ſylueſtris folia cataplaſmatis addita.*
*Stimmi ex recenti adipe illitum puſtulas prohibet.*
*Alumen ex aqua* }
*Sal ex oleo* } *puſtulas prohibet.*
*Cimolia terra illita* }
*Phrygius lapis cerato exceptus.*
*Atramentum ſcriptorium ex aqua.*
*Cinnabaris, & ſanguis draconis illitus.*
*Galij flos inunctus.*
*Lilij radix cremata ex roſaceo. Quin & folia illita.*
*Cynogloſſæ folia ex veteri ſuillo adipe.*
*Sambuci prætenera folia inuncta.*
*Narciſſi radix ex exiguo melle.*
*Oleum ex cauatis aſphodeli radicibus decoctum illitum.*

MATTHIOLI.

*Liguſtri foliorum decoctum.*
*Oui album per ſe, aut cum vitello impoſitum, addito roſaceo.*
*Oleum ex ouorum vitellis.*
*Hordei combuſti cinis inſperſus.*
*Lini ſeminis oleum ex aqua roſarum elotum, et illitũ.*
*Cucurbitæ cinis.*
*Sambuci ſecundarius cortex.*
*Cannabis radix in aqua decocta, & impoſita.*
*Eadem recens cum recenti butyro trita, & illita.*
*Verbaſci florum ſtillatitia aqua illita.*
*Vnguentum è ſambuci cortice inunctum: cuius parãdi rationem habes lib. 4. cap de ſambuco.*
*Oleum è fructu momordicæ illitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad fauos.

*Peponis radix ex melle.*
*Naſturtium illitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad ficos.

*Bulbi in cinere toſti, & cum capitum mænarum cinere impoſiti.*

DIOSCORIDIS.
Ad intertrigines.

*Calceamentorum crematorum ſolea illita.*

MATTHIOLI.

*Lithargyrium illitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad vlcerum inflammationes.

*Aranei tela impoſita.*

MATTHIOLI.

*Cynogloſſi vulgaris ſuccus vnà cum ceruſſa, & caphura illitus.*



DIOSCORIDIS.
Ad vlcera cicatrice obducenda.

*Purpurarum crematarum cinis illitus.*
*Mitulorum* }
*Conchulæ Indicæ* } *cinis illitus.*
*Aloe inuncta.*
*Eupatorij folia conciſa ex ſuillo adipe.*
*Filicis fœminæ radix ſicca in puluerem aſperſa.*
*Cadmia admota.*
*Aes vſtum impoſitum.*
*Squamma æris inſperſa.*
*Aerugo ex oleo & cera.*
*Stimmi* }
*Molybdæna* }
*Argenti ſpuma* }
*Ceruſſa* }
*Chalcitis* }
*Pumex* } *quoquomodo adhibita.*
*Fæx vini cremata* }
*Calx lota* }
*Corallium* }
*Aſij lapidis flos* }
*Fornacea teſta toſta* }

MATTHIOLI.

*Plumbum vſtum elotum.*
*Corallij cinis impoſitus.*
*Diphryges illitum.*
*Alumen vſtum.*
*Aerugo vſta.*
*Calx pluries lota.*

MATTHIOLI.
Ad vlcera morbi gallici.

*Argentum viuum in vnguentis additum.*
*Argentum viuum præcipitatum inſperſum.*
*Argentum viuum ſublimatum.*
*Oleum noſtrum de antimonio.*
*Calx lota.*
*Cinnabaris vulgaris.*

DIOSCORIDIS.
Ad vlcera caua explenda.

*Thus inditum.*
*Pix liquida cum melle.*
*Pix arida impoſita.*
*Medulla oſſium quadrupedum qualibet inuncta.*
*Mel infuſum.*
*Cadmia inſperſa.*
*Corallium inditum.*
*Aſij lapidis flos ex melle.*
*Eretria terra illita.*
*Pumex inſperſus.*

MATTHIOLI.

*Plumbum vſtum elotum.*
*Corallij cinis impoſitus.*
*Thus.*
*Myrrha.*
*Aloe.*
*Iridis radix.*
*Thuris cortex.*

LVXATIONVM ET FRACTVRARVM.

DIOSCORIDIS.
Ad artuum luxationes.

*Harundinis radix cum aceto adhibita.*

*Perſonatæ radix trita illita, dolores articulorum à contorſionibus ſedat.*
*Acaciæ decoctum fotu adhibitum.*
*Viticis ſemen cum folijs cataplaſmatis additum.*
*Stercus caprillum cum cera, & roſaceo inunctum.*
*Aſparagi radix ex aceto, vel vino adhibita.*
*Cyclamini decoctum fomenti modo.*
*Bulbi cataplaſmatis more adhibiti.*
*Acanthi radices impoſitæ.*
*Sampſuchi folia cum cera cocta impoſita.*
*Anchuſæ folia cum melle, & farina adhibita.*
*Vrtica vtraq; impoſita.*
*Narciſſi radix cum melle trita.*
*Vitis nigræ folia cum vino impoſita.*
*Filicula impoſita.*
*Heliotropij folia linita.*
*Sarmentorum vitis & vinaceorum cinis ex aceto linitus.*
*Sal cum farina & melle.*

MATTHIOLI.

*Fœnogræci farina cum hydromelite decocta, addita axungia.*
*Plantaginis folia ex ſale modico illita.*
*Primulæ veris ſuccus tum potus, tum illitus.*
*Thus cum armenia terra & ſanguine draconis, oui albo ſubactum & emplaſtri more illitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad oſſa fracta.

*Myrti foliorum decoctum fotu adhibitum.*
*Succida lana oleo, vino, acetoq; perfuſa.*
*Verbaſci decoctum potum.*
*Fuligo pictoria cum roſaceo cerato impoſita.*
*Vlmi foliorum, aut corticis radicum decoctum perfrictum.*

MATTHIOLI.

*Primulæ veris ſuccus tam potus, quàm illitus.*
*Lapis ad oſſium fracturas, deſcriptus lib. quinto côm. de lapide morochtho.*
*Symphyti maioris radix contuſa & circumligata.*
*Geranij florem cæruleũ gerentis, radix contuſa cum axungia & impoſita.*
*Oua recentia rude agitata, additis thure, aloe, ſanguine draconis, & armenio bolo.*

DIOSCORIDIS.

Ad oſſa fracta euellenda.

*Ariſtolochia rotunda cataplaſmatis more impoſita.*
*Peucedani radix in puluerem impoſita.*
*Euphorbium impoſitum.*
*Xyridis radix addito flore æris.*
*Bryonia trita & impoſita.*
*Vitis nigra radix.*

MATTHIOLI.

*Iridis radix trita & impoſita.*
*Dictamnum tum potum, tum illitum.*
*Mercurius præcipitatus impoſitus.*

DIOSCORIDIS.

Ad eos qui ab alto deuoluuntur.

*Gentianæ radicis ſuccus drachmæ pondere hauſtus.*
*Baccharis radicis decoctum potum.*
*Millefolium cum aqua, & ſale potum.*
*Lixiuium ex cinere ſarmentitio factum cum aceto, ſale, & melle.*

MATTHIOLI.

*Mumia cum caſſiæ ſolutiuæ pulpa, lemnia ſphragide, & rubiæ radice ſumpta.*
*Gammarorum lapilli cum tiliæ carbonibus ſumpti.*
*Plantaginis folia non ſolum illita, ſed & deuorata.*
*Cyani maioris puluis, ex aqua plantaginis aut ſymphyti.*
*Cyclamini ſtillatitia aqua, cum ſaccharo pota.*
*Rhabarbarum cum mumia, & erithrodani radice hauſtum.*
*Ariſtolochia rotunda.*
*Vincetoxici radices, ex vino aut ſymphyti maioris decocto potæ.*
*Lunaria minor ebibita.*
*Biſtorta, vel tormentillæ ſuccus, aut puluis ex ſymphyti maioris aqua potus.*
*Conſolida minor, & media in potionibus vulnerarijs additæ.*
*Sanicula.*
*Auricula vrſi.*
*Piloſella.*
*Virga aurea.*
*Potentilla.*
*Alchimilla.*
*Ophris.*

DIOSCORIDIS.

Ad ruptos.

*Acorum decoctum potum.*
*Cardamomum ex aqua potum.*
*Calami odorati decoctum cum graminis, aut apij ſemine potum.*
*Helenij radices in eclegmate cum melle deuoratæ.*
*Bdellium hauſtum.*
*Iuniperi baccæ bibitæ.*
*Cedrides deuoratæ.*
*Halimi radix drachmæ pondere in aqua mulſa pota.*
*Dracunculi maioris radix toſta, & elixa cum melle ſumpta.*
*Aſphodeli radix drachmæ pondere in vino pota.*
*Bulbi elixi in aceto, & in cibo ſumpti.*
*Agaricum trium obolorum pondere deuoratum cum mulſo.*
*Gentianæ radicis ſuccus drachmæ pondere hauſtus.*
*Ariſtolochia rotunda bibita.*
*Serpyllum potum.*
*Centaurij maioris radix hauſta cum vino.*
*Acanthi radices potæ.*
*Smyrnij radix comeſta, vel pota.*
*Leucacanthæ radicis ex vino decoctum potum.*
*Abrotoni ſemen ex aqua potum.*
*Origanum cum fico deuoratum.*
*Equiſeti radix & folia pota.*
*Calaminthæ decoctum hauſtum.*
*Baccharis radicis decoctum bibitum.*
*Libanotis radices potæ.*
*Sagapenum bibitum.*
*Laſerpitij liquor cum lixiuo potus.*
*Galbanum deglutitum.*
*Polycnemon bibitum cum vino.*
*Scordium additis naſturtio, melle, reſinaq; deuoratũ.*
*Althea decoctum potum.*
*Alceæ radix in vino, vel aqua pota.*

*Betonicæ folia drachmæ pondere in dulci aqua bibita.*
*Symphytum petræum cum aceto mulſo potum.*
*Symphyti radix pota.*
*Xyridis radix ex mulſo pota.*
*Helichryſi coma in vino pota.*
*Verbaſci decoctum potum.*
*Bryonia cum melle in eclegmate deuorata.*
*Schiſtus lapis potus.*

MATTHIOLI.

*Ophioglоſſum ex equiſeti aqua potum.*
*Rhabarbarum, cum mumia & rubiæ radice potum.*
*Vincetoxici radices ex vino aut maioris ſymphyti decocto hauſtæ.*
*Lunaria minor ebibita.*
*Biſtortæ & tormentillæ radicum puluis, ex ſymphyti maioris aqua potus.*

*Sanicula*, *Auricula vrſi*, *Piloſella*, *Virga aurea*, *Potentilla*, *Alchimilla*, *Ophris* } *quomodolibet ſumpta.*

*Perfoliata in vino decocta, aut in puluerem trita, & pota.*

MATTHIOLI.
Ad caluariæ fracturam.

*Gummi elemi.*
*Piloſella & eius ſuccus in vnguentis additus.*
*Ophris quoquo modo illita.*

VENENORVM.
DIOSCORIDIS.
Ad omnium venenorum morſum, aut ictum.

*Iridis Illyricæ radix ex aceto pota.*
*Cardamomum ex vino potum.*
*Nardus Celtica cum abſinthij decocto hauſta.*
*Phu antidotis inſeritur, quæ venenatis reſiſtunt morſibus.*
*Cinnamomum bibitum.*
*Caſſia potui data.*
*Helenij radicis decoctum potum.*
*Bdellium potui datum.*
*Platani pilulæ ex vino hauſtæ.*
*Ericæ flores poti: quin etiam coma.*
*Viticis ſemen in potu ſumptum.*
*Glandes eſitatæ.*
*Nuces comeſæ.*
*Sycomori lachryma illita.*
*Ficulneum lac plagis inditum.*
*Pix liquida cum trito ſale illita.*
*Paliuri foliorum, & radicis decoctum potum.*
*Gallinaceorum cerebrum cum vino potui datum.*
*Erucæ, quæ in oleribus reperiuntur ex oleo illitæ.*

*Coagulum* { *Leporinum*, *Agninum*, *Hinnulinum*, *Aprinum*, *Ceruinum*, *Vitulinum*, *Bubalinum*, *Hædinum*, *Capreæ*, *Laticornis* } *potum ex vino triũ obolorum pondere.*

*Marinæ teſtudinis ſanguis cum leporino coagulo & cumino potus.*
*Mel ex calido roſaceo bibitum.*
*Triticea farina, ex aceto & vino impoſita.*
*Porri ſuccus ex melle ſumptus: quin & coma illita.*
*Porrum ſylueſtre eſitatum.*
*Piper quoquomodo ſumptum.*
*Eryngium ex vino hauſtum.*
*Teucrium ex aceto inunctum.*
*Argemone ex vino epota.*
*Agaricum trium obolorum pondere ex vino hauſtũ.*
*Rhaponticum potui datum.*
*Chamædrys ex vino bibita.*
*Gentianæ radix drachmæ pondere cum pipere, & ruta ex vino pota.*
*Ariſtolochia longa drachmæ pondere potui data, & etiam plagæ admota.*
*Origani decoctum hauſtum.*
*Leucas ex vino ſumpta, vel cataplaſmatis addita.*
*Pulegium ex vino potui datum.*
*Dictamni ſuccus ex vino potus.*
*Baccharis radix ex vino bibita.*
*Panacis herculei ſemen, cum ariſtolochia ſumptum.*
*Liguſtici tum radix, tum ſemen hauſtum.*
*Paſtinacæ erraticæ ſemen potui datum.*
*Aniſum potum.*
*Aſclepiadis radices ex vino ſumptæ.*
*Cuminum ex vino hauſtum.*
*Ammi cum vino potui datum.*
*Delphinium morſui admotum.*
*Laſerpitij liquor tum inunctus, tum bibitus.*
*Galbanum inunctum homines tutos reddit.*
*Clinopodium hauſtum.*
*Trifolij bituminoſi folia ex oxymelite ſumpta.*
*Polij decoctum potum.*
*Betonicæ folia trium drachmarum pondere ex vini ſextarijs hauſta, vel admota.*
*Polygoni ſuccus bibitus.*
*Clematis prima illita.*
*Sparganij radix ex vino pota.*
*Acida muria plagæ indita.*
*Terra Lemnia hauſta.*
*Sal cum origano, melle, & hyſſopo illitum.*

MATTHIOLI.

*Phu radix non modo hauſta, ſed & olfacta.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.*
*Myrrha ex vino hauſta.*
*Caphura epota.*
*Dictamni albi radices ſumptæ.*
*Oleum noſtrum è ſcorpionibus, cordi & arterijs illitũ.*
*Humani ſtercoris aqua ſtillatitia pota.*
*Scorzoneræ foliorum, & radicum ſuccus potus.*
*Porri folia melle ſubacta & illita.*
*Caryophyllorum flores ſaccharo conditi, & deuorati.*
*Zedoaria cum pota, tum exterius illita.*
*Boni henrici ſuccus hauſtus.*
*Agaricum tum foris illitum, tum hauſtum, drachma pondere cum vino diluto.*
*Cruciatæ radices.*
*Dictamnus albus.*
*Menthaſtri folia tam pota, quam illita.*
*Galega contuſa, & vulneri adalligata, ſeu eius ſuccus potus.*

*Imperatoriæ radix.*
*Vincetoxicum.*
*Carduus benedictus tam intrò ſumptus, quàm icto loco adhibitus.*
*Securidacæ vtriuſque ſemen potum.*
*Hypericum cùm intus ſumptum, tum exterius demorſo loco illitum.*
*Biſtorta.*
*Tormentilla.*
*Angelica.*
*Borraginis*
*Vulgaris bugloſſi* } *ſuccus epotus.*
*Quinta eſſentia noſtra, in præfatione lib 6. deſcripta, ſemiunciæ pondere.*
*Galli vel gallinæ podex deplumatus, & vulneri ſuperpoſitus, repetitis tot gallis quouſque ſat ſint ad reuocandum venenum.*
*Theriaca.*
*Mithridatis antidotum.*
*Calx viua oleo & melle ſubacta, & illita.*
*Ellebori nigri radix vulneri infixa.*
*Cepa*
*Allium*
*Aſphodeli radix*
*Dracunculi radix* } *elixa, & contuſa, & morſibus illita.*

*Radices* { *Iridis, Ari, Phu, Chamæleonis, Lilij, Hemerocallis, Helenij, Fœniculi, Smyrnij, Gladioli, Scillæ, Spargany, Cyclamini, Bryoniæ, Raphani, Bulbaceorũ omnium* } *conciſa ac decocta, & vulneribus illita.*

*Citria mala deuorata.*
*Serpentinæ ſiue ſylueſtris coronopi radix pota.*
*Theriaca Andromachi.*
*Superſtitioſum remedium eremitæ cuiuſdam, vide lib. 6. commento communis curationis in omnes virulentos ictus.*
*Lapis bezahar duodecim granorum pondere hauſtus, & vulneri illitus.*
*Sordes in ceruorum oculorum angulis reperta pota & illita.*
*Melitea terra ex vino pota.*
*Antidotum noſtrum, libr. 6. in præfatione deſcriptũ ex vino.*
*Potio ex antidoto noſtro, & aqua vitæ eodem in loco deſcripta.*

DIOSCORIDIS.
Ad viperarum morſum.

*Coſtus ſemiunciæ pondere potus.*
*Caſſia potui data.*
*Pix liquida illita.*
*Iuniperi folia, & foliorum ſuccus potui datus.*



*Fraxini folia, vel eorum ſuccus hauſtus.*
*Lauri folia admota.*
*Abrotonum illitum.*
*Galbanum ſplenij loco ſuper ictum locum adhibitum.*
*Origanum virens inditum.*
*Pulli gallinarum diſcerpti, & confeſtim admoti.*
*Anthemis detrita cum hordeacea farina, & mulſo aceto cataplaſmatis modo admota: ſed locus anteà aceto mulſo calido foueatur.*
*Rubi folia ex vino illita.*
*Porri ſuccus ex meri hemina hauſtus.*
*Apiaſtri ſuccus ex vino potus.*
*Leporis coagulum potui datum.*
*Omotarichi piſcis ſalitæ carnes in cibũ ſumptæ, hauſto deinde copioſore vino: quin etiam admotæ.*
*Cerui genitale tritum, & ex vino ſumptum.*
*Vrina ipſiuſmet demorſi bibita.*
*Furfures triticei in decocto rutæ elixi, admoti.*
*Erui farina ex vino macerata illita.*
*Raphanus inunctus.*
*Braſſicæ ſuccus cum nitro & iride potus.*
*Chondrilla manducata.*
*Allium ex vino ſumptum, & illitum.*
*Scilla decocta in aceto, & impoſita.*
*Anagallidis ſuccus ex vino ſumptus.*
*Ferulæ medulla in vini potione hauſta.*
*Aparinæ ſuccus ex vino potui datus.*
*Rubiæ radicis ſuccus cum folijs potus.*
*Tribuli terreſtris ſuccus drachmæ pondere potus, plagæque admotus.*
*Anchuſa Alcibiadis nomine, folia, radicesquè tum comeſta, tum bibita, tum adalligata.*
*Ocimaſtri ſemen ex vino hauſtum.*
*Sambuci, ebuliquè radix ex vino cocta, potui data.*
*Bryoniæ radix duarum drachmarũ pondere hauſta.*
*Vitium ſarmentorum cinis ex aceto illitus.*

MATTHIOLI.

*Lapis bezahar tam potus, quàm illitus.*
*Sordes in angulis oculorum cerui reperta, cùm pota, tum etiam illita.*
*Antidotum noſtrum in lib 6. præfatione deſcriptum, potum.*
*Potio ex antidoto noſtro & aqua vitæ, ibidem deſcripta.*
*Viperei paſtilli poti.*
*Oleum noſtrum de ſcorpionibus, cordi & arterijs illitum.*
*Theriaca Andromachi cum vino pota.*
*Allium plurimum deuoratum ante cruentam vrinã.*
*Vinum meracũ copiosè bibitũ, excitatis vomitibus.*
*Vipera ipſa excoriata reſciſſis capite & cauda, interioribusque exemptis & anguillarum more cocta, & deuorata.*
*Viperæ viuæ caput amputatũ molliculà prehenſum, & morſui adalligatum ea parte adhuc calente, quæ à reliquo corpore abſciſſa eſt.*
*Gallina viua diſſecta, & calens morſui impoſita.*
*Cucurbitula loco demorſo impoſita.*
*Fraxini foliorum ſuccus potus poſt appoſitam cucurbitulam, & expreſſa à ſucco folia vulneri illita.*
*Meliſſophylli folia, & ſuccus, tum ex vino potus, tũ exterius illitus.*

Melanthij

*Melanthÿ drachmæ quatuor potæ.*
*Cancri fluuiatiles cum lacte triti, & poti, ac vulneri quoque illiti.*
*Ranæ cocta, & in cibum ſumpta, epoto deinde earum iure.*
*Teſtudinis ſanguis exiccatus, cum ſylueſtri cumino potus.*
*Anchuſæ radix in potionibus addita.*
*Hæmatites lapis hauſtus.*
*Heliotropium cum vino ebibitum.*
*Raphani in cibo accepti, & deinde in vomitione reiecti, exhibita ſtatim Andromachi theriaca.*
*Trifolÿ bituminoſi decoctum fotu adhibitum.*
*Porrum cum pane, & ſale illitum.*
*Allium cum aceto, aut ſuo ipſius, aut fraxini cinere cum pane illitum.*
*Haſtulæ regiæ radices tuſæ, & illitæ.*
*Sycomori folia cum pane impoſita.*
*Lauri tenella folia cocta, & oleo ſubacta, & illita.*
*Vipera tota contuſa, & vulneri adalligata.*
*Echÿ epotus ſuccus, & herba ipſa impoſita.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſerpentium & aſpidum morſum.

*Cancri fluuiatiles crudi tritique cum aſinino lacte potui dati.*
*Equi fluuiatilis teſticulus potus.*
*Caſtorium bibitum.*
*Muſtelæ ſalitæ, & in vmbra exſiccatæ puluis, drachmarum duarum pondere ex vino ſumptus.*
*Rana cum ſale in oleo decocta, comeſæ.*
*Gobius piſcis deuoratus.*
*Cimices lectularÿ ſeptem quoquomodo hauſti.*
*Aprinum iecur, & recens, et ſiccũ ex vino ſumptum.*
*Gallinaceorum carnes diſſectæ, ita vt tepebunt appoſitæ, crebroq; mutatæ.*
*Butyrum illitum.*
*Caprarum montanarum fimus in vino, vel aceto decoctus illitus.*
*Mel ex calido roſaceo bibitum.*
*Aſphodeli radix trium drachmarũ pondere ſumpta. Quin & folia, flores, & radices in cataplaſmatis addita.*
*Naſturtium hauſtum.*
*Spinæ albæ ſemen potum.*
*Abrotonum ſumptum, ex vino.*
*Hyſſopum tritum cum melle, ſale, et cumino impoſitũ.*
*Nepeta pota, vel cataplaſmatis indita.*
*Panacis aſclepÿ ſemen cum floribus hauſtum, & inunctum.*
*Panaces chironium bibitum, & illitum.*
*Hieracÿ ſuccus ex vino potus.*
*Elaphoboſci ſemen in vini potione ſumptum.*
*Euphorbium inciſa capitis cute ad os vſque, in vulnus impoſitum ſtatimquè contuſum.*
*Leontopetalum bibitum illico dolorem aufert.*
*Lilÿ folia illita.*
*Meliſſophyllum ex vino hauſtum, & plagæ admotũ.*
*Marrubÿ folia hauſta.*
*Serpyllum tum potum, tum impoſitum.*
*Ruta cum nucibus iuglandibus, & caricis ſumpta.*
*Phyllitis ex vino hauſta.*
*Smyrnÿ radix illita.*



*Fœniculum ex vino ſumptum.*
*Sagapenum ex vino potui datum.*
*Libanotis radices cum vino bibitæ.*
*Scordium ſiccatum ex vino ſumptum.*
*Conyza illita.*
*Clematis in aceto bibita.*
*Echÿ radix ex vino pota. Prępota verò demorderi prohibet, id quod præſtant ſemen, & folia.*
*Ocimaſtri ſemen potum.*
*Eupatorÿ ſemen, & folia in vino ſumpta.*
*Helichryſi coma ex vino bibita.*
*Verbenacæ ſupinæ radix, & folia ex vino hauſta, tum etiam admota.*
*Mandragoræ radix ex melle, aut oleo illita.*
*Nerÿ radix ex vino ſumpta.*
*Acetum calidum fotu adhibitum, vbi illatum venenum frigidum ſit: frigidum verò vbi calidum.*
*Adianti decoctum bibitum.*
*Aqua maris fotu adhibita.*
*Sal cum origano, melle, & hyſſopo inunctum.*
*Sarmentitius cinis ex aceto illitus.*
*Samia terra ex aqua pota.*
*Ophites lapis pro amuleto geſtatus.*

MATTHIOLI.

*Myricæ fructus potus.*
*Oleum noſtrum de ſcorpionibus, cordi & arterÿs illitum.*
*Gallinaceorum deplumatus podex plagæ appoſitus.*
*Sordes ex angulis oculorum ceruorum exemptæ, hauſtæ & illitæ.*
*Cicerum farina cum hyperico decocta & impoſita.*
*Maluæ folia cum porris & cæpis illita.*
*Betæ nigræ ſuccus cum potus, tum illitus.*
*Serpentinæ radix, ex vino ſumpta.*
*Scorzoneræ foliorum, & radicum ſuccus hauſtus.*
*Porri folia melle ſubacta, & illita.*
*Sinapis farina ex aceto impoſita.*
*Caryophyllorũ ſylueſtriũ radices ex meraco ſumptæ.*
*Centaurÿ magni radicis ſuccus vnciæ pondere hauſtus, ac etiam vulneri illitus.*
*Hyſſopum cum ſale, & cumino tritum, & ex melle vulneri illitum.*
*Mentha græca.*
*Hieracÿ ſuccus ex vino potus.*
*Eiuſdem folia toſta, thyrſiq; triti, et ex aceto hauſti.*
*Pœoniæ radix, vel ſemen, tam potum, quàm admotũ.*
*Biſtortæ & tormentillæ radices potæ & exterius illitæ.*
*Scabioſa tuſa recensquè illita.*
*Angelicæ radix cum ruta impoſita.*
*Staphydis agriæ flores, & folia tum pota, tum illita.*
*Melitea terra ex vino pota.*
*Antidotum noſtrum, in præfatione lib. 6. deſcriptum.*
*Potio ex antidoto noſtra & aqua vitæ, ibidem deſcripta.*
*Oleum noſtrum de ſcorpionibus, cordi, & arterÿs illitum.*
*Allium cum zito tritum ad nauſeam vſque potum, & vomitione reiectum.*
*Opopanax potum cum vino, et vomitione redditum.*
*Origanum cum vino hauſtum.*
*Centaurium minus cum myrrha, & opÿ momento, plagæ impoſitum.*

*Rumex contrita & cataplaſmatis modo adhibita.*
*Theriaca tum pota, tum illita.*
*Quinta eſſentia noſtra, in præfatione ſexti libri deſcripta, pota.*

MATTHIOLI.
Ad Dipſadis morſum.

*Antidota omnia quæ vipereis morſibus ſuccurrunt.*
*Oleum potum, & vomitione redditum.*
*Emplaſtra attractoria plagæ impoſita.*

DIOSCORIDIS.
Ad Hæmorrhoi morſum.

*Allium bibitum, & illitum.*
*Merum copioſius hauſtum.*
*Vitium viniferarum folia decocta, & ex melle ſubacta impoſita.*

MATTHIOLI.

*Allium copioſe deuoratum* } *anteaquàm cructa ſit*
*Vinũ dilutũ liberalius potũ* } *vrina, & deinde vo-*
*Theriaca deuorata* } *mitione reddita.*
*Piſces copioſo allio, & oleo perfuſi in cibis ſumpti.*

DIOSCORIDIS.
Ad Ceraſtæ morſum.

*Seſamum cum roſaceo inunctum.*
*Raphani ſemen ex vino bibitum.*
*Sal cum cedria, aut pice, aut melle illitum.*

MATTHIOLI.

*Antidota omnia, quæ vipereis morſibus conueniunt.*

MATTHIOLI.
Ad Tarantulæ morſum.

*Antidota omnia quæ phalangiorum ictibus reſiſtũt.*
*Muſicæ inſtrumenta & continua tripudia, & ſaltationes, ad laſſitudinem vſque.*

DIOSCORIDIS.
Ad Scolopendræ morſum.

*Aſphodeli radix & ſemen ex vino pota.*
*Sal ex melle, & aceto illitum.*
*Ruta ſylueſtris admota: quin, & bibita ex vino.*
*Muria acida, fotu adhibita.*
*Ariſtolochia ex vino pota.*
*Serpyllum potui datum ex vino.*
*Calamintha ex mero ſumpta.*

MATTHIOLI.

*Cinis ex aceto ſubactus & vulneri illitus.*
*Scilla impoſita.*
*Pulegium* }
*Ruta* } *ex vino pota.*
*Mentha* }

DIOSCORIDIS.
Ad Dryini morſum.

*Ariſtolochia cum vino hauſta.*
*Trifolij bituminoſi folia in potu ſumpta.*
*Aſphodeli radix potui data.*
*Glandes quæcunque bibitæ.*
*Ilicis radices tuſæ, & icto loco illitæ.*

MATTHIOLI.

*Antidota omnia quæ vipereis morſibus conueniunt.*
*Quercus foliorum ſuccus potus, aut ſtillatitia eorum aqua.*

DIOSCORIDIS.
Ad Natricis morſum.

*Origanum tritum, & aqua ſubactum ex lixiuio, & oleo inditum.*
*Ariſtolochia cortex minutim contritus cum querna*



*radice, & hordei farina ex melle illitus.*
*Ariſtolochia bina drachma in potione poſita pota.*
*Marrubij ſuccus ex vino hauſtus.*
*Fænus recens ex aceto ſumptus.*

MATTHIOLI.

*Cupreſſi pilulæ drachma pondere, vna cum baccarũ myrti tantundem, ex rhodomelle, aut vino mulſo potæ.*
*Calx viua ex oleo illita.*
*Oleum noſtrum de ſcorpionibus, cordi, arterijs, et vulneri illitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad Cenchri morſum.

*Lactucæ ſemen cum lini ſemine illitum.*
*Satureia cum ſylueſtri ruta, & ſerpyllo, & aſphodeli radice ex vino ſumpta.*
*Gentiana potui data.*
*Cardamomum deuoratum.*

DIOSCORIDIS.
Ad muris aranei morſum.

*Mus araneus ipſe diſcerptus & impoſitus.*
*Allium cum ficulneis folijs, & cumino illitum.*
*Abſinthium ex vino bibitum.*
*Chryſogoni radix conciſa, & ex aceto impoſita.*
*Galbanum in ſplenio admotum.*
*Hordeacea farina ex aceto mulſo illita.*
*Punica dulcis acini decocti, & inuncti.*
*Porrum contritum impoſitum.*
*Abrotani decoctum ex vino hauſtum.*
*Serpyllum ex vino potum.*
*Eruca ex vino ſumpta.*
*Cupreſſi recentes pilulæ ex aceto potui data.*
*Cyclaminus ex aceto mulſo ſumptus.*
*Pyrethrum ex vino potum.*
*Chamæleonis radix bibita.*

MATTHIOLI.

*Erucæ ſemen tritum, & impoſitum.*
*Cuminum cum allio ſimul cum putamine tuſo adhibitum.*
*Mus ipſe araneus laceratus, & impoſitus.*
Radix { *Gentianæ* / *Panacis* } *ex vino pota, & vulneri illita.*
*Capparis cortex, tam potus, quàm illitus.*
*Verbenacæ rectæ ſuccus potus.*
*Theriaca deuorata.*
*Mithridatis antidotum inſumptum.*

DIOSCORIDIS.
Ad paſtinacæ & draconis marini ictum.

*Saluiæ decoctum potum.*
*Simplicia omnia, quæ viperinis morſibus conueniũt.*
*Abſinthij, aut ſulphuris ex aceto decocti potio.*
*Animalia ipſa diſſecta ſuo cuiuſque ictui admota.*
*Mullus piſcis diſſectus, & impoſitus.*
*Ocimum cum polenta, & aceto impoſitum.*
*Plumbum confricatum.*
*Sulphur admotum.*

MATTHIOLI.

*Furfures aceto incocti, & impoſiti.*
*Acetum calido fotu adhibitum.*
*Fermentum acidum ex liquida pice impoſitum.*
*Lauri decoctum foliorum hauſtum.*

*Marrubium*

*Marrubium cum lauri folijs, & echio potum.*
*Panacis radix cum ſaluia deuorata.*
*Fici lactis guttæ quinq; cũ trib. ſerpylli granis pota.*
*Saluiæ decoctum potum pluribus diebus.*
*Scordium ex ſuo ipſius decocto potum.*
*Theriaca deuorata.*
*Mithridatis antidotum.*
*Quinta eſſentia noſtra cum antidoto noſtra parata.*

*Anchuſæ folia*
*Quinquefolium*
*Rubi flores*
*Arctium*
*Oxalis*
*Lycopſis*
*Tordilium*
*Chamæpitys*
*Fagi cortex*
*Paſtinacæ agreſtis ſemen*
*Terebinthi fructus*
*Ficus marinus.*
*Smyrnium*
*Eryngium*
*Libanotis*
} *plagis illita et intus ſumpta.*

DIOSCORIDIS.
Ad muſtelæ morſum.

*Eruca comeſta, & poſt eam bibitũ vinum odoriferũ.*

MATTHIOLI.

*Vincetoxici radices potæ.*

DIOSCORIDIS.
Ad baſiliſci morſum.

*Caſtoreum drachmæ pondere ex vino potum.*
*Papaueris ſuccus hauſtus.*

DIOSCORIDIS.
Ad calcidicæ lacertæ morſuram.

*Portulaca percocta deuorata & illita.*

MATTHIOLI.

*Antidota omnia quæ vipereis morſibus ſuccurrunt.*
*Portulaca plurima in cibo deuorata.*
*Vinum myrtite, meracius bibitum.*
*Acetum calidum cum ſpongia fotum.*

MATTHIOLI.
Ad ammodytæ morſum.

*Mentha ex aqua mulſa pota.*
*Caſſia odorata*
*Caſtoreum*
} *ex frigida pota.*
*Artemiſiæ ſuccus cum aqua potus.*
*Theriaca Andromachi tum deuorata tum illita.*
*Medicamenta quæ trahendi vim habent impoſita.*

DIOSCORIDIS.
Ad canis rabidi morſum.

*Lycium in catapotio datum, aut ex aqua bibitum.*
*Cancrorum fluuiatilium cinis cochlearium duorum pondere ex gentianæ radicis vino, per triduum in vino potus.*
*Smaridis piſcis ſalſa caro.*
*Omotarichi piſcis ſalitæ carnes illitæ.*
*Garum omnium piſcium fomento adhibitum.*
*Canis rabidi epar toſtum, & in cibo ſumptum à metu aquæ præſeruat.*
*Caninus ſanguis bibitus.*
*Canina vrina bibita.*
*Mel bibitum cum roſaceo calido.*
*Triticum commanducatum, & appoſitum.*



*Cape cum ruta, ſale & melle mixta.*
*Allium cum vino potum, & cataplaſmatis inditum.*
*Panaces herculeum pici miſtum & cataplaſmatis additum.*
*Fœniculi radices conciſæ, & ex melle impoſitæ.*
*Laſer impoſitum.*
*Ballote cataplaſmatis modo cum ſale illita.*
*Meliſſophyllum cum vino bibitum, & cataplaſmatis inditum.*
*Alyſſum in edulio contuſum.*
*Allium ſylueſtre in cibo ſumptum, & illitum.*
*Salſamentum inditum.*
*Succus cyrenaicus.*

MATTHIOLI.

*Cancrorum fluuiatilium cinis quadraginta diebus cum gentiana, & thure potus.*
*Pix brutia cum opopanace & aceto impoſita.*
*Humani ſtercoris ſtillatitia aqua pota.*
*Oxylapathi decoctũ fotu adhibitum, herbáque ipſa illita, atq; vnà cum radicibus hauſta.*
*Scorzoneræ radix deuorata, aut eius ſuccus hauſtus.*
*Hippolapathi radix quadraginta diebus pota, atque etiam illita.*
*Vincetoxici radices quotidie ſeſquidrachmæ pondere pota ex cardui benedicti decocto continuis quadraginta diebus.*
*Angelicæ radix exterius cum ruta impoſita, & nitro in corpus ſumpta.*
*Bitumen Aſphaltite drachmæ pondere, diebus pluribus continuis ex aqua potum.*
*Hippocampus marinus ex aceto nigro, & melle ſubactus tam potus, quàm illitus.*
*Rumex fotu adhibita.*
*Theriaca Andromachi deuorata, & vulneri illita.*
*Potamogetum cum ſale exterius illitum.*

*Artemiſia*
*Abſinthium*
*Allium*
*Centaurium mi.*
*Ariſtolochia*
*Scordium*
*Chamædrys*
*Bryonia*
*Pulegium*
} *tam intus ſumpta, quam exterius illita.*

*Caprifici cortex contuſus & ex aqua potus.*
*Cauterium actuale inuſtum.*
*Mercurius præcipitatus vulneri inſperſus.*

MATTHIOLI.
Ad hydrophobiam, id eſt aquæ timorem.

*Veratri albi, aut nigri potiones.*

*Epithymum*
*Fumaria*
*Sena*
*Myrobalana*
*Elaterium*
*Agaricum*
*Rhabarbarum*
*Centaurium mi.*
*Geniſtæ ſemen*
*Thapſia*
*Armenius lapis*
} *in potionibus purgantibus propinata.*

*Bitumen iudaicum frequenter ex aqua potum.*

*Coagulum* { *Leporis* / *Vulpis* / *Capreoli* } *potum.*

*Catuli coagulum ſemel potum.*

*Ciceris nigri decoctum copioſe hauſtum.*

*Mithridatis Antidotum.*

*Theriaca Andromachi.*

DIOSCORIDIS.

Ad canis non rabidi morſum.

*Amygdalæ amaræ ex melle exceptæ.*

*Mitulorum caro impoſita.*

*Gobius piſcis impoſitus.*

*Orobi farina vino macerata indita.*

*Plantago cataplaſmatis modo adhibita.*

*Cucumeris folia impoſita.*

*Bulbi cum melle,& trito pipere cataplaſmatis more impoſiti.*

*Mentha impoſita.*

*Vrtica vtraque cum ſale adhibita.*

*Cynogloſſi radix,& folia cũ ſuillo adipe veteri impoſita.*

*Sambuci,& ebuli folia illita.*

*Sarmentitius cinis ex aceto illitus.*

MATTHIOLI.

*Hippolapathi radix trita,et ex meraco vulneri illita.*

*Marrubij folia cũ veteri axũgia trita & impoſita.*

*Canis qui momorderit pili exciſi et vulneri adalligati.*

DIOSCORIDIS.

Ad phalangiorum morſum.

*Myricæ fructus poti.*

*Myrtus ex mero hauſta.*

*Mori foliorum ſuccus cyathi menſura potus.*

*Lixiuiũ ficulnei cineris potũ,adiecto ſale trito et vino.*

*Cancri fluuiatiles crudi,tritiq́; cum aſinino lacte poti.*

*Mullus piſcis diſſectus,& impoſitus.*

*Maluæ decoctum impoſitum.*

*Myrrhis ex vino pota.*

*Aſparagi radicum decoctum hauſtum ex vino.*

*Lactuca ſylueſtris bibita.*

*Coris ſemen potum in vino.*

*Hederæ ſuccus cum aceto potus.*

*Abrotanum cum vino bibitum.*

*Dauci ſemen ex vino aſſumptum.*

*Nigella drachmæ pondere cum aqua pota.*

*Aparine ex vino pota.*

*Meliſſophyllum cum vino bibitum,& cataplaſmatis more additum.*

*Phalangij folia,flores ſemenq́ue potum.*

*Iunci marini tenella folia prope radicem erumpentia impoſita.*

*Hyacinthi radix pota.*

*Semperuiuum maius in potu datum.*

*Aqua maris fotu adhibita.*

*Punicæ ſylueſtris radix, quàm tenuiſſimè trita, aut ariſtolochia cum hordei farina, & aceto ſubacta.*

*Apiaſtri decoctum fotu admotum,aut eius folia.*

*Abrotani* / *Aniſi* / *Cumini æthiopici* } *ſemẽ propinatũ* / *Cedrides tritæ admotæ,vel bibitæ.* } *Binarũ drachmarũ põde. cũ hemina vini.*

*Platani cortex potus.*



*Cupreſſi viridium pilularum admiſto vino decoctũ.*

*Chamæpytios decoctum bibitum.*

*Trifolij ſemen propinatum.*

MATTHIOLI.

*Atriplicis ſuccus potus.*

*Cyani vtriuſq; folia ſiue ſemen ex vino hauſta.*

*Porri folia melle ſubacta & illita.*

*Hyeracium ex commiſto vino,& aceto potum.*

*Trifolij bituminoſi decoctum fotum.*

*Acetum calidum cum ſpongijs vulneri adhibitum.*

*Sanguinaria trita & illita.*

*Porrum cum furfuribus,& aceto incoctum, et illitũ.*

*Hordeacea farina ex vino & melle cocta & impoſita.*

*Lauri folia cum ruta adhibita.*

*Caprillum ſtercus cum vino impoſitum.*

*Amaracus cũm ſylueſtri ruta,& cypero ex aceto.*

*Theriaca Andromachi.*

*Mithridatis antidotum.*

MATTHIOLI.

Ad aconitæ morſum.

*Antidota omnia,quæ vipereis morſibus reſiſtunt.*

*Oleum noſtrum de ſcorpionibus plaga,cordi,& arterijs illitum.*

*Potio ex aqua vitæ,& antidoto noſtro parata:lege li. 6. præfationem.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſtellionis morſum.

*Seſamum cum roſaceo.*

MATTHIOLI.

*Mithridatis antidotum.*

*Scorpiones contriti.*

*Oleum noſtrum de ſcorpionibus iniunctum.*

DIOSCORIDIS.

Ad crocodilorum morſum.

*Sal impoſitum.*

MATTHIOLI.

*Crocodili corij cinis ex aceto illitus.*

*Haſtulæ regiæ radices elixæ & illitæ.*

*Hypericum recens tritum & morſui adalligatum.*

DIOSCORIDIS.

Ad quadrupedum morſum.

*Aprinum epar tum recens tum ſiccum bibitum.*

MATTHIOLI.

*Phaſeoli commanducati & vulneri adalligati.*

*Fabarum & erui farina melle ſubacta, & illita.*

*Abiegna reſina calens,cum roſaceo adhibita.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſcorpionis ictus.

*Cyperus impoſitus.*

*Cardamomum ex vino potum.*

*Amomum ex ocimo illitum.*

*Lauri baccæ ex vino bibitæ.*

*Myrti ſuccus ex mero hauſtus.*

*Ficus ſatiuæ lacteus ſuccus plagæ inſtillatus.*

*Cancri fluuiatiles crudi,tritiq́; cum aſinino lacte poti.*

*Scorpius ipſe tritus, et impoſitus,vel toſtꝰ deuoratus.*

*Delphinium appoſitum.*

*Mullus piſcis diſſectus,& impoſitus.*

*Smaridis piſcis ſalita caro,appoſita.*

*Lacerta diſſecta,& appoſita dolorem ſedat.*

*Mures domeſtici diſſecti,& impoſiti.*

*Fimus* { *Aſini* / *Equi* } *herbas paſcẽtis vino dilutus hauſtus.*

*Vrina humana pota.*
*Farina triticea ex aceto, & vino impoſita.*
*Lychnidis ſemen cum vino potum.*
*Oxylapathi, & oxalidis ſemen vino, aut aqua potum.*
*Sonchi ſuccus comeſtus, & cataplaſmatis more impoſitus.*
*Intybus more cataplaſmatis adhibitus.*
*Phalangium herba pota.*
*Lactuca ſylueſtris bibita.*
*Ocimum cum polenta impoſitum.*
*Aſphodeli ſemen & flores in vino poti.*
*Abrotonum in vino potum.*
*Sampſuchum ex aceto & ſale impoſitum.*
*Hieracium maius, & minus cataplaſmatis more appoſitum.*
*Laſer oleo dilutum impoſitum.*
*Colus ruſtica cum vino pipereq; bibita, et manibus geſtata dolorem punctura omnino fugat.*
*Meliſſophylli folia adhibita.*
*Polemonij radix alligata.*
*Rubi flos, & mora.*
*Verbaſci aureum florem ferentis folia impoſita.*
*Chamaeſyces ſuccus illitus.*
*Scorpioides illita.*
*Heliotropium potum cum vino, & illitum.*
*Aqua maris fotu impoſita.*
*Sulphur ignem non expertum, cum reſina terebinthina exceptum admotum.*
*Calamintha trita illita, vel cum poſca fota.*
*Galbanum ſplenij more ductum impoſitum.*
*Hordei farina cum vino parata.*
*Rutae decoctum fotu adhibitum.*
*Trifolium tritum iniectum.*
*Cupreſſus cum vino & ruta.*
*Peucedani ſuccus hauſtus.*
*Pulegij* } *decoctum potum.*
*Gentianae* }
*Ariſtolochia praeſertim cortex drachmarum duarũ pondere.*
*Sal cum lini ſemine.*
*Sapphirus lapis illitus.*

MATTHIOLI.

*Mumia ex mero hauſta, quin et illita, cum recenti butyro.*
*Citrij ſemen potum & appoſitum.*
*Ponticae nuces in cibis ſumptae, tum quoque in cingulo geſtatae.*
*Paſtinacae ſemen potum.*
*Oleum noſtrum de ſcorpionibus, vulneri, cordi, & arterijs illitum.*
*Serpillum* }
*Althaea radix* } *pota.*
*Elaphoboſcum* }
*Blitum ex vino ſumptum.*
*Atriplicis ſuccus potus, & ipſa herba illita.*
*Cyani vtriuſq; folia ſiue ſemen ex vino decocta, & pota.*
*Porri folia melle ſubacta, & illita.*
*Sinapis farina aceto ſubacta, & illita.*
*Aſphodeli radix decocta & plagae admota.*
*Gentiana hauſta.*
*Achates lapis geſtatus, vt carnem tangat.*
*Cochlea hortulana contuſa, & illita.*

VENENORVM.

*Terreni vermes triti, & impoſiti.*
*Cancer fluuiatilis tritus, & potus ex vino.*
*Verbenaca recta tum pota, tum illita.*
*Cuminum cum melanthij, & viticis ſemine drachmae pondere potum ex vino.*

DIOSCORIDIS.
Ad veſparum, & apum ictus.

*Lauri folia trita, & illita.*
*Malua conciſa ex oleo impoſita.*
*Siſymbrij folia impoſita.*
*Althaea decoctum ex poſca bibitum.*
*Sal cum ſeuo vitulino adhibitum.*

MATTHIOLI.

*Aſparagus tritus, & cum melle illitus.*
*Bubulum ſtercus cum poſca illitum.*
*Seſamum cum poſca.*
*Muſca contrita, & illita.*
*Thymbra* }
*Meliſſophyllum* } *illita.*
*Siſymbrium* }
*Momordica oleum inunctum.*
*Ferrum in quo ſtrombi conchylij imago exculpta fuerit, icto loco ſuperpoſito.*

DIOSCORIDIS.
Ad fuganda animalia venenoſa.

*Iuniperi accenſa fimus.*
*Cedrides peruncto corpore adipe, vel medulla ceruina excepta.*
*Viticis folia ſuffita, vel ſubſtrata.*
*Cancri fluuiatiles crudi cum ocimo triti, ſcorpionib. admoti.*
*Ceruinum cornu crudum incenſum, ſuffitumq;.*
*Cerui, & Elephantis adeps inunctus.*
*Ceruina medulla.*
*Naſturtium ſuffumigatum.*
*Abrotanum ſtratum, ſuffitumq; incenſum.*
*Origani folia ſtratis ſubacta.*
*Dictamnum olfactum, omnia quae ictu aut morſu venenum relinquunt, enecat.*
*Calaminthae ſuffitus.*
*Peucedani ſuffitus.*
*Lyſimachia incenſa fugat ſerpentes, & muſcas.*
*Nigellae ſuffitus.*
*Polium vtrumq; incenſum, ſtratumq;.*
*Conyzae ſuffitus.*
*Gagates lapis ſuffitus.*

MATTHIOLI.

*Veteramentorum ſuffitus.*
*Scordium ſubſtratum & ſuffitum.*
*Bitumen ſuffitum.*
*Succinum ſuffitum.*
*Aſſa foetida ſuffita.*
*Caſtoreum ſuffitum.*
*Ceruina vngula ſuffita.*
*Cerui corium in terra ſtratum.*

DIOSCORIDIS.
Ad venena omnia.

*Phu antidotis inſertum.*
*Cinnamomum potum.*
*Pix liquida cyathi menſura in eclegmate ex melle data.*
*Cedrides antidotis impoſita.*
*Nuces iuglandes cum ruta, & ficis praeſumpta.*

*Quinquefolij radicis ſuccus bibitus.*
*Coagulum leporinum potum.*
*Epipactis hauſta.*
*Caſtoreum bibitum.*
*Calamintha prępota.*
*Muſtela ſalita, & in vmbra exiccatę puluis cũ vino.*
*Muſtelę ventriculus coriãdro farctus, & inueteratus.*
*Caniculę lac primi partus potum.*
*Eryngium cum vino potum.*
*Butyrum deficiente oleo hauſtum.*
*Sanguis { Anſeris, Anatis, Hœdi } antidotis commiſtus.*
*Vrina ipſiuſmet infirmi pota.*
*Semen raparum hauſtum.*
*Rutę ſemen acetabuli pondere cum vino potum.*
*Napi ſemen potum.*
*Maluę decoctum cum ſuis radicibus frequenter potum, crebroque reiectum.*
*Braſſicę ſemen antidotis impoſitum.*
*Irionis ſemen hauſtum.*
*Laſerpitium potum.*
*Agaricum drach. pondere cum diluto vino ſumptũ.*
*Chamęleonis alba radix pota cum vino.*
*Spina alba in amuletum congeſta, colloq; ſuſpenſa.*
*Abrotani ſemen cum vino potum.*
*Ruta cum iuglandibus nucibus, & caricis ſumpta.*
*Apij decoctum potum.*
*Marrubij folia bibita.*
*Betonicę folia drachmę pondere in vino bibita.*
*Tribuli terreſtris ſuccus hauſtus cum vino.*
*Polemonię radix in vino bibita.*
*Smilais aſperę acini prius, poſt vę ſumpti.*
*Acetum tepidum bibitum.*
*Terra { Lemnia, Samia } ex aqua hauſta.*

MATTHIOLI.

*Iridis radix pota.*
*Imperatorię herbę radix ſumpta.*
*Phu radix hauſta.*
*Cinnamomi ſtillatitia aqua.*
*Balſami factitij liquores.*
*Helenium.*
*Myrrha. Caphura.*
*Mumia cum tribulo marino, & aſſa fœtida ſumpta.*
*Dictamni albi radices quoquo modo ſumptę.*
*Quernarum glandium decoctum in potu ſumptum.*
*Citriorum malorum ſemen hauſtum.*
*Oleum noſtrum de ſcorpionib. cordi, & arterijs illitũ.*
*Caſtoris vrina.*
*Ceruini cordis os.*
*Napi ſemen hauſtum.*
*Cyani vtriuſq; folia, ſiue ſemen hauſta ex vino.*
*Scorzonerę radix, aut eius & foliorũ ſuccus hauſtus.*
*Caryophyllorũ flores ſaccharo aſſeruati, intus ſumpti.*
*Zedoaria deuorata, vel in potu hauſta.*
*{ Dictamnus albus, Imperatoria, Vincetoxicum, Scordium, Carduus benedictus, Hypericum } quouis modo inſumpta.*



*Biſtortę & Tormentillę decoctum potum.*
*Conſolidę regalis flores.*
*Angelica.*
*Quinta eſſentia noſtra hauſta.*
*Lapis bezahar octo granorum pondere ſumptus.*
*Melitea terra pota.*
*Antidotum noſtrum magnum, in prę fatione lib. ſexti deſcriptum.*
*Potio ex antidoto noſtro, & aqua vitę, eodem in loco deſcripta.*

MATTHIOLI.
Ad veneficia.

*Herbę paridis ſemen drachmę pondere quotidie potum ad vigeſimum diem vſque.*
*Argentum viuum pro amuleto ſuſpenſum.*
*Lapis aetites geſtatus.*
*Vpupę auis cor ſuſpenſum.*
*Leporis cor in aluta geſtatum.*
*Lupinus oculus dexter geſtatus.*
*Scilla ſuper limine ianuę ſuſpenſa.*

DIOSCORIDIS.
Ad leporem marinum.

*Cedria contrita cum vino hauſta.*
*Cancri fluuiatiles cum ſuo iure elixi, & comeſti.*
*{ Lac aſininum, Paſſum } continuè datum.*
*Maluę radicum decoctum hauſtum.*
*Cyclamini radix cum vino bibita.*
*{ Veratrum nigrum, Scammonij ſuccus } drachmę pondere data cũ mulſa, & mali punici acinis.*
*Anſerinus ſanguis tepidus hauſtus.*
*Aliſmatis drachma vna, vel altera adhibita.*

MATTHIOLI.

*Humanus ſanguis calens potus.*
*Humanum lac ab ipſis mammis exuctum.*
*Vulpis caro inaſſata, & deuorata.*
*Theriaca diateſſaron, tribus diebus pota.*

DIOSCORIDIS.
Ad rubetam ranam.

*Teſtudinis marinę ſanguis cum leporis coagulo, & cymino bibitus.*
*Aliſmatis radix vnius, vel duarum drachmarum pondere in vino pota.*
*Merum largius potum, & vomitu redditum.*
*{ Arundinis, Cyperi } radicis binę drachmę pota.*

MATTHIOLI.

*Eryngij radix ex ranarum comeſtibilium iure pota.*
*Antidotum noſtrum magnum, in prę fatione lib. ſexti deſcriptum.*
*Oleum noſtrum de ſcorpionibus, cordi & arterijs illitum.*
*Theriaca Andromachi.*
*Mithridatis antidotum.*
*Teſtudinis marinę ſanguis, additis cumino, leporis coagulo, & vino.*
*Potio ex antidoto noſtro, & aqua vitę, in lib. 6. prę fatione deſcripta.*
*Smaragdi puluis, ſcrupuli pondere ex vino potus, & ſubinde intret ęger nudus in mulum, aut equum*

recenter exenteratum, ibiq; concluſus moritur donec deferueſcat cadauer.

Rhabarbarum
Diacurcuma } pota.
Dialacca

Lapis in rubetæ ipſius capite inuentus potus.

DIOSCORIDIS.

Ad bupreſtes, & pinorum erucas.

Oleum { Irinum / Melinum } potum.

Caricæ comeſæ, & earum decoctum ex vino.

Palmula in cibo ſumpta, vel trita ex mulſo, aut lacte pota.

Pyra omne genus in cibum ſumpta.

Humanum lac bibitum copioſe.

MATTHIOLI.

Antidota omnia, quæ cantharidum noxæ ſubueniũt.

DIOSCORIDIS.

Ad epotas hirudines.

Muria in ſorbitionibus data.

Cyrenaicus ſuccus potus.

Laſerpitij folia ex aceto hauſta: quin & ſuccus ex aceto gargarizatus.

Betæ folia cum aceto bibita.

Niuis glebula cum aceto ſumpta.

Cimices ex vino acetoue poti.

Acetum cum ſale potum.

Nitrum ex aqua gargarizatum.

Atramentum ſutorium aceto dilutũ & gargarizatũ.

MATTHIOLI.

Salicis decoctum, aut lixiuium ex ipſius cinere paratum potum.

Alumen in lixiuio diſſolutum gargarizatum.

Sal ammoniacum aqua dilutum & gargarizatum.

Quinta eſſentia noſtra pota.

Oleum è chalcantho ſemiſcrupuli pondere hauſtum.

DIOSCORIDIS.

Ad epotas cantharidas.

Halicæ
Oryzæ
Tragi
Maluæ } decoctum clyſmate infuſum.
Sem. lini
Semen fœnigraci
Althææ

Nitrum ex hydromelite potum.

Nuclei pinei ex vino ſumpti.

Cucumeris ſemen contritũ, ex mulſo, aut lacte hauſtũ.

Anſerinus adeps ex paſſo potus.

Samia terra, quæ aſter appellatur ex defruto hauſta.

Pulegium tritum ex aqua potui datum.

Lac potum.

Vinum dulce liberalius bibitum.

Thuris cortex ex paſſo ſumptus.

Roſaceum cum Irino ex rutæ decocto ſumptum.

Vitis recentis ramuli detriti, & ex paſſo hauſti.

Ius eſculentum omnium adipum.

MATTHIOLI.

Lac humanum ex vberibus ipſis exuctum.

Butyrum crudum recens, ecligmatis modo delinctũ.

Pſillij, cydoniorum malorum, maluæq; ſeminis ſpiſſamentum.

VENENORVM

Lactucæ
Portulacæ
Cucumeris } ſuccus potus.
Cucurbitæ

Papaueris
Lactucæ
Peponum } ſeminum cremor lacteus, ex halicacabi
Cucumeris } ſolani aqua paratus, potus.
Cucurbitæ
Anguriæ

Halicacabi baccæ decem aut duodecim confractæ, & ex aqua portulacæ, aut hordeacea ptiſſana potæ.

Amygdalinum dulce ſelibræ pondere potum.

Oleum è pineis nucleis
Oleum è papaueris ſemine } copioſè hauſtum.

Maluæ
Althææ } ſtillatitia aqua abundè pota.
Cucurbitæ

Theriaca deuorata.

Mithridatis antidotum.

Antidotum è pineis nucleis, comm. de cantharidibus deſcriptum.

Antidotum è lemnia terra.

Oleum è momordica, ſyphone in penis meatũ infuſũ.

Balneum ex ibiſci, maluæ, violarum, pſillij, fœnigraci, hordei, & hyoſcyami folijs & ſeminibus paratum.

Oui album cum ſuccis frigidis iniectum.

DIOSCORIDIS.

Ad ſanguinem & lac in ventriculo concretum.

Coagulum leporinum epotum.

Acetum tepidum potum, & vomitu redditum.

Groſſi lacteo ſucco turgentes ex poſca ſumpti.

Nitrum per ſeſe potum.

Coagulum omne ex aceto, & laſerpitij radice, aut laſere hauſtum.

Braſſicæ ſemen ex lixiuio ficulnei cineris potum.

Conyzæ ſemen cum pipere ex aceto hauſtum.

Rubi ſuccus ex aceto potui datus.

Hordeacea farina ventriculo, & aluo ex aqua mulſa inuncta.

Thymum ex vino hauſtum.

Calaminthæ folia arida pota.

MATTHIOLI.

Caprifici lac potum.

Chelidonij maioris ſuccus hauſtus.

Napi ſemen ex aceto bibitum.

DIOSCORIDIS.

Ad ſalamandram.

Reſina pinea in delinctu.

Galbanum ex melle deglutitum.

Nuclei pinei contriti, ex aiugæ decocto poti.

Vrtica cum lilijs ex oleo decocta, & pota.

Teſtudinis marinæ, et terreſtris oua, cocta, et deuorata

Ranarum ius, in quo eryngij radix fuerit cocta, potum.

MATTHIOLI.

Theriaca
Mithridatis antidotum
Terebinthina reſina } pota.
Vrticæ ſemen
Cupreſſi folia

DIOSCORIDIS.

Ad colchicum ephemerum.

*Origanum cum paſſo aut oxymelite potum.*
*Bubulum lac hauſtum, quin & aſininũ largius potũ.*
*Quercus foliorum, aut glandium decoctum potum.*
*Malicorium hauſtum.*
*Serpyllum ex lacte decoctum bibitum.*
*Sanguinalis herbæ ſuccus potui datus.*
*Vitis recentium viticularum ſuccus bibitus.*
*Rubi ſuccus in potu ſumptus.*
*Ferulæ recentis medulla ex vino ſumpta.*
*Myrti bacca tuſa, & aqua macerata, & in liquorem ſoluta, pota.*
*Caſtanearum media tunica trita, & cum ſanguinariæ ſucco epota.*
*Origanum cum lixiuio bibitum.*
*Simplicia omnia, quæ fungis aduerſantur.*

MATTHIOLI.

*Lac* { *Humanum*, *Bubulum*, *Aſininum* } *potum.*

*Dictamnum duarum drachmarum pondere hauſtũ.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſolanum ſomnificum & manicum, & Dorichnium.

*Aqua mulſa copioſè ſumpta.*
*Lac caprillum*, *Lac aſininum* } *potum.*
*Amygdalæ amaræ deuoratæ.*
*Conchylia omnia, tam cruda quàm toſta deuorata.*
*Locuſtæ marinæ, quin & Gammari in cibum ſumpti, & eorum iuſcula pota.*

MATTHIOLI.

*Antidota omnia quæ opio aduerſantur.*
*Quinta eſſentia noſtra, comm. de vino deſcripta.*
*Potio ex antidoto noſtro, & aqua vitæ, in præfatione libri ſexti deſcripta.*

DIOSCORIDIS.

Ad hyoſcyamum.

*Mori cortex potus.*
*Aqua mulſa largius ebibita.*
*Lac omne præſertim aſininum potum.*
*Ficuum aridarum decoctum bibitum.*
*Nuclei pinei deuorati.*
*Cucumeris ſemen paſſo potui datum.*
*Vinum ſalſum cum ſuillo recenti adipe, & paſſo potũ.*
*Vrticæ ſemen ex aqua ſumptum.*
*Nitrum ex aqua hauſtum.*
*Cichorium deuoratum.*
*Sinapis quoquo modo ſumpta.*
*Naſturtium*, *Raphanus*, *Cepa*, *Allium* } *ex vino ſumpta.*

MATTHIOLI.

*Theriaca.*
*Mithridatis antidotum.*
*Antidotum noſtrum magnum.*
*Piper longum.*
*Piſtacea largius deuorata.*
*Meracum à vomitu potum.*
*Abſinthium.* *Caſtoreum.*

*Ruta*, *Lauri bacca, & folia*, *Defrutum*, *Vrticæ ſemen*, *Cardamomum* } *ex meraco hauſta.*

DIOSCORIDIS.

Ad aconitum.

*Leporinum*, *Hœdinum*, *Vitulinum* } *coagulum ex vino potum.*
*Chamæpityos decoctum hauſtum.*
*Scoria ferri ex aceto mulſo ſumpta.*
*Origani*, *Rutæ*, *Marrubij*, *Abſinthij* } *decoctum cum vino abſinthite potum.*
*Sedum maius*, *Abrotanum*, *Chamelæa*, *Aiuga* } *ex vino abſinthite pota.*
*Opobalſamum drachmæ pondere ex melle, vel lacte cum caſtoreo, pipere, & ruta æquis ponderibus ex vino potum.*
*Vinum, in quo aurum, argentum, ferrumve candens reſtinctum fuerit, potum.*
*Gallinæ ius ex lixiuio & vino paratum potum.*
*Bubularũ carniũ præpinguia iura cum vino ſumpta.*

MATTHIOLI.

*Eryngij radix ex ranarum comeſtibilium, vel Anſerino iure pota.*
*Lemnia ſphragis duarum drachmarum pondere ex calida aqua pota & vomitioni reddita.*
*Theriaca Andromachi à vomitu hauſta ex vino in quo gentiana decocta fuerit.*
*Antidotum noſtrum magnum, in præfatione ſexti libri deſcriptum, deuoratum, aut ex vino hauſtum.*

MATTHIOLI.

Ad napellum.

*Lapidis Bezahardici ſeptem grana ex albo meraco.*
*Napi, aut rapi ſemen potum.*
*Butyrum bubulum coctum, & ſæpe ac large cum vino ſumptum.*
*Glandium putaminum decoctum ex vino paratum.*
*Diambari, diamoſchiq́; puluis potus.*
*Moſchus ambarumq́; per ſeſe, & cum Lemnia terra ex vino pota.*
*Capparis radices contritæ, & hauſtæ.*
*Mus qui napelli ipſius radices depaſcitur, ſiccatus & ebibitus.*
*Antidotum è muſcis napelli flores depaſcentibus: vide lib. 6. Napelli commentarium.*
*Smaragdus in puluerem tritus duarum drachmarum pondere hauſtus.*
*Oleum noſtrum de ſcorpionibus, cordi, arterijs, atque nucibus replicatis ſæpe vicibus inunctum.*
*Puluis ſerui, principis Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, quo nonnullos qui Napellum ſumpſerunt ſanatos vidimus.*

DIOSCORIDIS.

Ad taxum.

*Acetum calidum potum, & vomitu redditum.*
*Simplicia omnia, quæ cicutæ reſiſtunt.*

MATTHIOLI.

Medicamenta omnia ad cicutam facientia.
Theriaca Andromachi.
Antidotum noſtrum magnum, in præfatione ſexti lib. deſcriptum.

DIOSCORIDIS.

Ad toxicum.

Sanguis { Hircinus, Caprillus, Leporinus, Ceruinus, Caninus } frixus, & in cibis ſumptus.
Galbanum cum myrrha ex vino hauſtum.
Quinquefolij radix pota.
Roboris, Fagi, Ilicis } cortex tritus ex lacte hauſtus.
Cotonea mala deuorata, aut cum pulegio, & aqua bibita.
Amomum, Carpobalſamum } ex vino hauſtum.

MATTHIOLI.

Lapis bezahar octo granorũ pondere ex vino hauſtus.
Napi, aut rapi ſemen potum.
Tormentillæ radix hauſta.
Glandiũ omphacides ſiue putamina ex lacte hauſta.
Malorum cydoniorum vinum potum.
Cubeba deuorata.

DIOSCORIDIS.

Ad opium & corniculatum papauer.

Mel ex roſaceo calido bibitum.
Origanum cum paſſo aut oxymelite hauſtum.
Aliſmatis radix duarum drachmarum pondere ex vino pota.
Acetum bibitum, & vomitu redditum.
Sal cum oxymelite ſumptum.
Meracum vinũ cum abſinthio, & cinnamo hauſtũ.
Nitrum ex aqua potui datum.
Origanum cum lixiuio, aut paſſo potum.
Rutæ ſylueſtris ſemen cum pipere, & panace ex vino ſumptum.
Piper cum caſtoreo ex aceto mulſo, vel cum ſatureia, aut origani decocto ex vino bibitum.
Pinguia iura in potu ſumpta cum vino, aut paſſo.
Oſſium medulla ex oleo pota.

MATTHIOLI.

Artemiſia recẽs deuorata, aut foliorũ ſuccus hauſtus.
Quinta eſſentia noſtra, cap. de vino deſcripta.
Laſerpitij lachryma pota.
Caſtoreum ebibitum.
Theriaca ſagzanea deuorata.
Mithridatis antidotum ex vino potum.
Moſchum, Ambarum } olfactum.
Ellebori albi puluis naribus inditus.
Sulphuris ſuffitus.

DIOSCORIDIS.

Ad cicutam.

Abſinthium ex vino bibitum.
Origanum cum paſſo, aut oxymelite potum.
Acetum bibitum, & vomitu reiectum.
Meracum vinum largius epotum, & per interualla repetitum.
Lac tum bubulum, tum aſininum potum.
Caſtorium cum ruta, & mentha ex vino ſumptum.
Amomi, Cardamomi, Styracis } vncia pota.
Piper cum vrticæ ſemine ex vino hauſtum.
Lauri folia potui data.
Laſer ex oleo, vel paſſo potum.
Paſſum per ſe largius ebibitum.

MATTHIOLI.

Apij ſemen ex vino potum.
Iridis radix potui data.
Seſeli Maſſilienſe ebibitum.
Nitrum ex copioſiore aqua potum.

DIOSCORIDIS.

Ad ixiam.

Abſinthium ex vino bibitum.
Origanum ex vino ſumptum.
Acetum potum, vomituq; reiectum.
Rutæ ſylueſtris ſemen, Laſerpitij radix } pota.
Tragorigani decoctum hauſtum.
Reſina terebinthina deuorata.
Nardus Indica potui data.
Caſtorium, Laſerpitium } oboli pondere ſumpta.
Nuces iuglandes cum reſina, caſtorio, & ruta tritæ, ita vt ſingula drach. põdus æquẽt ex vino hauſta.
Chamelææ, Thapſiæ, Abſinthij } ſuccus ſcillici põdere ex aqua mulſa hauſtus.

MATTHIOLI.

Theriaca Andromachi, Mithridatis antidotũ } ex abſinthij pontici decocto, pota.
Saccharum è floribus borraginis bugloſſi ve paratum, additis corallio, margaritis, moſcho, ambaro, & pretioſorum lapidum fragmentis.
Roſaceum cum aceto ſyncipiti illitum.
Thlaſpi ſemen potum.
Betæ ſuccus ebibitus.
Triticeæ ptiſſanæ cremor ex paſſo potus.
Abſinthij dilutum potum.
Nitrum ex mulſo hauſtum.
Lac recenter mulſum à vomitu copioſè potum.

DIOSCORIDIS.

Ad coriandrum.

Merum per ſeſe, vel ex abſinthio potum.
Oleum potum.
Oua in oleo exinanita, & ex muria liquefacta deuorata.
Muria epota.
Paſſum ex lixiuio aſſumptum.
Gallinarum, & anſerum ius copioſè ſalſum, hauſtum.

MATTHIOLI.

Theriaca ex mero pota.
Vincetoxici radices potui data.
Diamoſchum, Diambarum } in potionibus.

DIOSCORIDIS.

Ad pſillium.

Simplicia omnia quæ coriandro aduerſantur.

MATTHIOLI.

*Theriaca hauſta.*
*Vincetoxicum ebibitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad herbam ſardoniam.

*Aqua mulſa liberalius pota.*
*Lac affatim bibitum.*
*Aqua calida fotu adhibita: quin etiam & oleum.*

MATTHIOLI.

*Vinum dulce potum ad ebrietatem vſque, vt inde dormiant affecti.*
*Caſtorium è dulci vino potum.*
*Meliſſophylli ſuccus ex aceto ſumptus.*

*Oleum de* { *Lilio, Caſtorio, Vermibus, Coſto, Hypericone, Vulpinum* } *occipitio, ceruici, & ſpinali medullæ illitum.*

*Vnguentum* { *Aragon, Agrippæ* } *eodem modo vſurpatum.*

DIOSCORIDIS.

Ad mandragoram.

*Aqua mulſa copioſe pota, & vomitu reiecta.*
*Nitrum cum abſinthio ex dulci vino, aut paſſo ſumptum.*
*Roſaceum cum aceto capiti perfuſum.*

{ *Eupatorium, Piper, Sinapi, Caſtorium, Ruta* } *ex aceto trita, & ad olfaciendũ data.*

*Lucernarum extinctarum fumus olfactus.*

MATTHIOLI.

{ *Coriandri ſemen, Pulegium* } *ex aqua calida potum.*

*Origanum ex frigida ebibitum.*
*Veratri albi puluis naribus inditus.*
*Cantharides ex fermento occipitio adalligatæ.*

DIOSCORIDIS.

Ad fungos malos.

*Fimus gallinæ cum aceto bibitus.*
*Mel ex roſaceo calido potum.*
*Raphanus deuoratus, vel potui datus.*
*Abſinthium cum aceto bibitum.*
*Meliſſophylli folia cum nitro bibita.*
*Lixiuium ſarmentitij cineris ex acida muria potum.*
*Satureia ferueſacta, hauſtaque*
*Origani iuſculum potui datum.*
*Acetum calidum potum, & vomitu reiectum.*
*Atramentum ſutorium ex aqua potum.*
*Sal cum oxymelite bibitum.*
*Pyraſtri folia pota, deuorataque.*
*Oua gallinacea cum ariſtolochia drachma ex poſca deuorata.*
*Panacis radix, & ſemen ex vino pota.*
*Fæx vini cremata ex aqua pota.*
*Sinapis bibita.*
*Naſturtium comeſtum.*

MATTHIOLI.

*Myrti frondes, cum baccarum ſemine trita, & inſumpta.*
*Braßicæ ſuccus potus.*
*Porrum ſub cineribus coctum hauſtum, & comeſtũ.*



*Pyri ſylueſtris cinis potus, quin & ligni ramenta.*
*Pyra ſylueſtria deuorata, aut cum ipſis fungis elixa.*
*Quinta eſſentia noſtra pota.*
*Raphani domeſtici ſuccus potus.*
*Rutæ folia deuorata.*
*Origanum. Mel.*
*Theriaca ex aceto acerrimo pota.*
*Vinum generoſum in quo piper conferbuerit.*
*Allium crudum deuoratum.*
*Murinum ſtercus ex vino potum.*
*Oleum cum anatis adipe clyſtere infuſum.*
*Ricinum oleum ventri illitum.*
*Scammonium vltimo loco potum.*
*Diapipereos, aut diacyminum, aut diagalanga, aut diamoſchum pota.*

DIOSCORIDIS.

Ad gypſum.

*Origanum cum paſſo, aut oxymelite potum.*
*Maluæ decoctum potum: quin & toti corpori inſperſum.*
*Oleum bibitum.*
*Aqua mulſa bibita.*
*Caricarum decoctum potum.*
*Lixiuium è ficulneo, aut ſarmẽtitio cinere paratum, cum vino copioſiore hauſtum.*
*Origanum cum lixiuio, aut aceto, aut paſſo ſumptum: quin etiam & thymum.*
*Simplicia omnia quæ fungis reſiſtunt.*

MATTHIOLI.

*Antidota omnia quæ ceruſſæ & fungorum noxæ opitulantur.*
*Malua, althæa, fœnigræci, & lini ſeminis decoctum potum.*
*Aqua egelida cum butyro pota, & vomitione reiecta.*
*Mithridatis antidotum ex meraco duarũ drachmarum pondere à vomitu bibitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad ceruſſam.

{ *Amaracinum, Irinum* } *oleum potum.*

*Vlmi liquor potus.*
*Perſicorum nuclei ex ptiſſana poti.*

{ *Caricarum, Maluarum* } *decoctum hauſtum.*

*Lac calidum bibitum.*
*Seſamum tritum ex vino ſumptum.*
*Lixiuium ex ſarmentitio cinere hauſtum.*
*Columbina oua cum thure pota.*

MATTHIOLI.

*Scammonium ex mulſa aqua potum.*
*Medicamenta quæ ſuapte natura vrinam pellunt.*
*Oleum lilinum ex hydromelite potum, & vomitione redditum.*
*Atriplicis rapique ſemen ex mulſo potum, & vomitu reiectum.*
*Braßica decoctum abſque ſale cum oleo infuſum.*
*Theriaca.*
*Mithridatis antidotum.*
*Vinum album meracum liberalius potum.*

MATTHIOLI.

Ad arſenicum ſublimatum.

*Butyrum frequenter ſumptũ, frequenterq; reiectum.*

*Aſininum*

Aſininum lac potum.
Rapi ſemen bibitum.
Mucago ex pſillij, maluæ, & cydoniorum ſemine parata, & pota.
Amygdalinum oleum potum.
Pinguium gallinarum ius copioſè hauſtum.
Cryſtallum in tenuiſſimum puluerem tritum, drachmæ pondere ex dulci amygdalino oleo potum.

DIOSCORIDIS.

Ad argenti ſpumam.

Hormini ſylueſtris ſemen potum.

Myrrha bibita
Abſinthium
Hyſſopum
Apij ſemen
Piper
Liguſtri flores
} ex vino pota.

Palumborum aridus fimus cum nardo ex vino potus.

MATTHIOLI.

Butyrum cum mulſa potum, & vomitione reiectum.
Gallinarum & anatum adeps ex hydromelite potus, & vomitu redditus.
Amygdalinum oleum copioſè potum.
Hydromel clyſtere infuſum.
Apij ſuccus ventriculo iniunctus.
Butyrum ventri illitum.
Lathyris ſemẽ drachmarũ duarum põdere hauſtum.

DIOSCORIDIS.

Ad argentum viuum.

Lac copioſè potum, & vomitu reiectum.
Simplicia omnia, quæ faciunt ad argenti ſpumam.

MATTHIOLI.

Lac bubulum cum ſuo butyro potum.
Amygdalinum oleum ebibitum.
Aurum in puluerem ſubtiliter tritum potum.

MATTHIOLI.

Ad argentum viuum ſublimatum præcipitatumque, & cinnabarim.

Lac bubulum cum ſuo butyro potum, & vomitione redditum.
Antidota omnia quæ ad cantharidũ noxam faciunt.

DIOSCORIDIS.

Ad calcem, ſandaracham, & auripigmentum.

Lac ex aqua mulſa potum, & vomitu reiectum.
Carnium iura pinguia hauſta.

Althææ
Maluæ
} decoctum, ad ſpiſsitudinem redactũ potũ.

Tragi herbæ ſemen potum.
Seminis lini decoctum potui datum.
Oryzæ decoctum potum.

MATTHIOLI.

Lac abundè potum.

Butyrum
Ius carnium pinguium
Animalium pinguedines
Medicamenta aluum lubricantia
} copioſè pota.

Seminis {
Maluæ
Althææ
Pſillij
Lini
Fœnugræci
} mucagines.

Antidota omnia quæ ad cantharidum noxã faciunt.



MATTHIOLI.

Ad anacardia.

Amygdalinum oleum dulce
Oleum è pineis nucibus
Oleum è nucibus Indicis
Oleum è papaueris ſemine
Butyrum crudum recens
Bubulum ouillumq́; lac
Violaceum oleum
Hordeacea ptiſſana.
} glacie refrigerata, & pota.

Pinguium carnium ius
Suillus & anſerinus adeps
Cerebrũ tã quadrupedũ, quã volatiliũ
Oſsium medulla
} copioſè ſũpta.

MATTHIOLI.

Ad ſtaphidem agriam.

Amygdalarum dulcium oleum, admiſto copioſo hydromelite.
Medicamenta omnia quæ cantharidũ noxæ aduerſantur.
Theriaca Andromachi pota.
Mithridatis antidotum.
Antidotum noſtrũ, in lib. 6. præfatione deſcriptũ.

MATTHIOLI.

Ad ſcyllam malam.

Lac in quo calybs candens extinctus fuerit potum.
Ouorum vitelli in aceto decocti, deuorati.
Carnium pinguia iura pota.
Butyrum crudum ac recens, copioſè ſumptum.
Extrema iuuenum quadrupedum membra elixa & deuorata.

MATTHIOLI.

Ad flammulam.

Bubulum lac à vomitu, & clyſtere, potum.

Oleum {
Amygdalinum dulce
E pineis nucleis
Papaueris ſemine
Ex Indica nuce
} potum.

Semen {
Lini
Maluæ
Althææ
Pſillij
Cydoniorum
} ſpiſſamenta pota.

Pinguia carnium iura hauſta.
Halicacabi baccæ deuoratæ.

MATTHIOLI.

Ad vrticæ ſemen.

Medicamenta omnia quæ ſcyllæ noxæ reſiſtunt.
Malorum cydoniorum ſemina contuſa, & ex calida aqua pota.

MATTHIOLI.

Ad dracunculi ſemen.

Butyrum crudum recens hauſtum.
Hordeacea farina pulticula additis ſaccharo, penidijs, amygdalino oleo, aut recenti butyro.
Pinguia carnium iura hauſta.

MATTHIOLI.

Ad rhododendrum.

Fœnugræci decoctum potum.
Dactyli deuorati.
Viticis ſemen, aut folia, aut eorum decoctum potum.
Caricæ ex melle, aut iulapio ſumptæ.
Defrutum potum.

Pinguia

Pinguia omnia deuorata.
Diacaſtoreum potum duarum drachmarum pōdere.
Iuniperi bacca pari pondere pota.

MATTHIOLI.

Ad azadaracht.

Theriaca Andromachi
Mithridatis antidotum } ex vino pota.
Antidotum noſtrum

Medicamenta omnia quæ nerio conueniunt.

MATTHIOLI.

Ad vomicas nuces.

Butyrum copioſè deuoratum à vomitu.
Vinum meracum copioſum additis pipere, pyrethro, lauri baccis, cinnamomo, & caſtoreo à vomitu epotum.
Ea omnia quæ opij noxam ſuperant.

MATTHIOLI.

Ad ſanguinem menſtruum.

Margarita drachmæ pondere ex aqua meliſſophylli pota.
Balneum tepentis aquæ.
Theriaca Andromachi drachmæ pondere ex fumaria aqua quotidie pota.
Viperei paſtilli ſcrupuli pondere hauſti.

MATTHIOLI.

Ad fel Leopardi.

Antidota quæ napello epoto, et vipereis morſibus auxiliantur.
Antidotus Auicennæ è lemnia terra. Vide libro 4. comm. de taurino ſanguine.

MATTHIOLI.

Ad vipereum fel.

nrBryum decoctum potum.
Theriaca Andromachi
Mithridatis antidotus
Viperei paſtilli
Antidotum noſtrum
Moſchum. } à vomitu ſumpta.
Ambarum
Diamoſchum
Diambarum

Oleum noſtrum de ſcorpionibus, cordi, & arterijs ſæpe inunctum.
Quinta eſſentia noſtra, lib. 6. in præfatione deſcripta.

MATTHIOLI.

Ad canis piſcis fel.

Butyrum bubulum cum gentianæ radice, cinnamomo, & leporis coagulo potum.
Oleum odoratum quodlibet corpori vniuerſo illitum.

MATTHIOLI.

Ad cati cerebrum.

Terra lemnia ex oleo pota, & vomitione reiecta ſemel in ſeptimana.
Diamoſchum quotidie ſumptum horis quatuor ante cibum.
Moſchum per ſeſe ſemiſcrupuli pondere ex vino pluries potum.

MATTHIOLI.

Ad venenum caudæ cerui.

Butyrum bubulum potum & vomitione reiectum.
Smaragdi puluis ſemiſcrupuli pondere à vomitu ex vino potus.



Piſtacia & pontica nuces in cibis largius deuorata.
Oleum è citri ſemine preſſum, toti corpori illitum.
Theriaca Andromachi duarum drachmarum pondere ex vino pota.
Oleum noſtrum de ſcorpionibus, cordi & arterijs inunctum.
Antidotum noſtrum magnum, in præfatione. 6. lib. deſcriptum.

MATTHIOLI.

Ad quadrupedum quorundam ſudorem.

Butyrum ſiue oleum potum, & vomitione reiectum.
Vinum cum roſaceo à citata vomitione potum.
Rhabarbarum ſemidrachmæ pondere ſumptum, addito foſſitij ſalis momento.
Theriaca ex terra lemnia Auicennæ.

MATTHIOLI.

Ad caſtoreum malum.

Butyrum bubulum. } pota, & vomitione reiecta.
Aqua mulſa

Diamoron
Limonum ſuccus } à vomitu cum ſacchare potus.
Citrij mali ſuccus

Coriandri ſemen toſtū duarum drac. pondere hauſtū.

DIOSCORIDIS.

Ad plumbi ſcobem.

Antidota omnia quæ ad argenti ſpumam faciunt.

MATTHIOLI.

Ad ferri ſcobem, & ſcoriam.

Lac recenter mulſum potum.
Medicamenta valenter aluum ſoluentia ab epoto lacte ſumpta.
Butyrum tam diu potum quouſque inteſtinorum dolores cedant.

MATTHIOLI.

Ad lapidem magnetem.

Auri ſcobes in tenuiſſimum puluerem trita & pota.
Smaragdi puluis potus nouem diebus.
Lac, & amygdalinum oleum clyſtere infuſum.

MATTHIOLI.

Ad æris ſquamam.

Mulſa pota, & vomitione reiecta.
Balneum ex hircorum capitum, & cochlearum iure paratum.
Menthæ ſuccus potui datus.
Roſaceum calidum ventriculo inunctum.
Acori radices trium drachmarum pondere pota.
Lemnia terra drachmæ pondere ex vino albo hauſta.
Corallium rubrum drachmarum duarum pondere ex vino ebibitum.

MATTHIOLI.

Ad æruginem.

Medicamenta, & antidota omnia quæ ad æris ſquamam conferunt.

MATTHIOLI.

Ad riſagallum.

Medicamenta, & antidota omnia quæ argenti viui ſublimati, arſenici, & æruginis noxæ aduerſātur.
Amygdalinum oleum toti corpori illitum.
Violaceum iulapium ex ptiſſana hordeacea potum.
Oleum è pineis nucleis et Indica nuce preſſum, ſelibræ pondere potum.
Antidota omnia quæ cantharidibus conueniunt.

### MATTHIOLI.
Ad elleborum album.

*Mulſa cum butyro pota, & vomitione reiecta.*
*Nymphææ flores duarum drachmarum pōdere poti.*
*Theriaca Andromachi.*

### MATTHIOLI.
Ad elleborum nigrum.

*Abſinthium in vino potum.*
*Aniſi ſemen bibitum.*
*Nardus Indica unà cum caſtoreo pota.*

| | |
|---|---|
| *Caſeus recens* | |
| *Mel* | |
| *Butyrum* | } *in cibis ſumpta.* |
| *Pinguia* | |
| *Paſſum* | |

*Lemnia terra ebibita.*
*Theriaca Andromachi.*

### MATTHIOLI.
Ad euphorbium.

*Butyrum potum.*
*Oleum amygdalinum.*
*Pinguia omnia.*

| | | |
|---|---|---|
| | { *Solani hortenſis* | |
| *Aqua* | { *Violarum* | } *pota.* |
| | { *Nymphææ* | |

| | | |
|---|---|---|
| | { *Maluæ* | |
| | { *Althææ* | |
| *Seminis* | { *Pſyllij* | } *mucago pota.* |
| | { *Cydoniorum malorum* | |
| | { *Lini* | |

*Lac acidum.*
*Caphura ex aqua roſacea bibita.*

| | |
|---|---|
| *Punicorum malorum vinum* | |
| *Anguria: Cucumis* | |
| *Cucurbita.* | } *glacie refrigerata & inſumpta.* |
| *Malorum acidorum ſuccus* | |
| *Ptiſſana hordeacea.* | |

*Citri ſemen ex vino helenij potum*

### MATTHIOLI.
Ad turpetum & tithymalos.

*Antidota omnia quæ ad euphorbium faciunt.*
*Theriaca Andromachi ex vino pota, in quo Cretenſe dictamnum incoctum fuerit.*
*Mumia ſepulchrorum drach. pondere ex merato hauſta.*

### MATTHIOLI.
Ad ſcamonium.

*Lac à quo demptum fuerit butyrum potum.*
*Cotoneorum malorum ſuccus bibitus.*

VENENORVM

*Rhois ſuccus potus.*
*Ribis vulgaris, vinum hauſtum.*

### MATTHIOLI.
Ad colocynthidem.

*Antidota omnia ad euphorbium facientia.*
*Bubulum lac, & butyrum recens potum.*
*Lemnia terra frequenter pota.*
*Smaragdi puluis pluries hauſtus.*
*Theriaca Andromachi deuorata.*

### MATTHIOLI.
Ad cyclaminum.

*Lauri baccæ duarum drachmarum pondere pota.*
*Gentiana hauſta.*
*Nigrum piper in potu ſumptum.*
*Theriaca.*
*Lemnia terra.*

### MATTHIOLI.
Ad thymelæam & chamelæam.

*Antidota omnia quæ ad euphorbium faciunt.*
*Theriaca Andromachi.*
*Lemnia terra.*
*Roſaceum ſerapium ex hordei ptiſſana potum.*
*Origanum toſtum potum.*

### MATTHIOLI.
Ad bryoniam.

*Antidota omnia quæ ad euphorbium conueniunt.*
*Theriaca ex vino hauſta in quo helenium incoctum fuerit.*

### MATTHIOLI.
Ad elaterium.

*Theriaca Andromachi ex baccarum lauri decocto, aut melle drachmarum duarum pondere pota.*
*Menthæ ſuccus ebibitus.*

### MATTHIOLI.
Ad aquam frigidam.

*Piper potum.*
*Creticum vinum potum.*
*Antidotum noſtrum.*
*Quinta eſſentia noſtra.*

### MATTHIOLI.
Ad vini læſiones.

*Vomitus excitatio.*
*Braſsicæ ſuccus potus.*
*Acetum teſticulis adhibitum.*

### MATTHIOLI.
Ad carnes & piſces refrigeratos.

*Ea quæ ad maleficos fungos valent.*
*Vini optimi & odorati potus admiſto cydoniorū ſucco.*
*Lemnia terra cum agallocho, & maſtiche hauſta.*

# SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATES, QVAE CORPORI DECOREM præſtant, ex Dioſcoride.



## DIOSCORIDIS.

Ad alopeciam.

*MYRRHA cum ladano, & vino myrteo illita.*

*Harundinum corticum cinis ex aceto inunctus.*

*Ladanum cum vino, myrrha, & myrteo oleo admotum.*

*Myrti baccarum ſuccus illitus.*

*Nucum iuglandium putamen combuſtum, tritumq́; & impoſitum.*

*Nucum auellanarum crematarum cinis ex vrſino adipe perunctus.*

*Erinacei terreſtris corij cinis ex liquida pice illitus.*

*Leporinum caput crematum ex vrſino adipe.*

*Ranarum crematarum cinis ex liquida pice.*

*Murium ſtercus combuſtum ex aceto.*

*Vrſinus adeps illitus.*

*Caprarum fimus ex aceto.*

*Raphanus tritus ex loliacea farina admotus.*

*Braſſica cum ſale confricata.*

*Betæ recentia folia cruda illita.*

*Aſphodeli radicum cinis impoſitus.*

*Cepa confricata.*

*Allij cinis ex melle illitus.*

*Sinapi illitum.*

*Naſturtium confricatum.*

*Cyclamini ſuccus inunctus.*

*Ranunculi folia, & radices illitæ paruo temporis ſpatio.*

*Aloe ex vino.*

*Abrotoni cinis ex raphani ſucco, aut cicino oleo.*

*Laſerpitij liquor cum pipere ex aceto.*

*Nymphææ radix ex pice.*

*Cynogloſſæ folia ex vetere ſuillo adipe.*

*Adiantum illitum cum ſuſino, aut myrtino oleo, aut hyſſopo aut vino.*

*Thapſiæ ſuccus inunctus.*

*Rubigo ferri illita.*

*Sandaracha ex reſina.*

*Alcyonium tertium exuſtum inunctum.*

*Cotes naxiæ illita.*

*Hippocampi cremati cinis ex liquida pice, aut axungia, aut amaracino vnguento.*

*Caprinarum vngularum cinis ex aceto inunctus.*

## MATTHIOLI.

*Conorum cupreſſi, & mulorum vnguium cinis oleo myrtino exceptus illitus.*

*Vlmi radicum decoctarum mucago illita.*

*Perſici nuclei contuſi.*

*Abrotoni cinis cum oleo raphanino, aut ſicyonio illitus.*



*Lilij radix ex adipe, & oleo.*

*Oleum è colocynthide illitum.*

## MATTHIOLI.

Ad capillorum defluuium.

*Conorum cupreſſi, & mulorum vnguium cinis, ex myrtino oleo illitus.*

*Vlmorum radicum mucago illita.*

*Humor defluens è medulla diſſectæ tiliæ.*

*Ladanum inunctum.*

*Sylueſtris oliuæ oleum.*

*Rhois foliorum decoctum ex lixiuio paratum.*

*Viperinæ ſenectæ cinis inſperſus.*

*Murinum ſtercus ex aceto illitum.*

*Capa affricta.*

*Abrotoni cinis cum oleo veteri, aut lentiſcino illitus.*

*Oleum è colocynthide illitum.*

*Myrti baccarum vinum illitum.*

*Myrobalana omnia, & præſertim flaua, quouis modo vſurpata.*

## DIOSCORIDIS.

Ad pilos auellendos.

*Oleum in quo decocta fuerit ſcolopendra marina inunctum.*

*Lepus marinus per ſe, & cum marina vrtica tritus, & appoſitus.*

*Salamandræ cinis ex oleo.*

*Hederæ lachryma illita.*

*Dryopteris radix trita, & poſt ſudorem inuncta.*

*Aqua è viridibus vitium ſarmentis igne incenſis emanans, admota.*

*Auripigmentum illitum.*

*Cyperus babilonicus illitus.*

## MATTHIOLI.

Ad pilos retardandos.

*Oleum hyoſcyaminum.*

*Cicutæ ſuccus illitus.*

*Hyoſcyami ſuccus inunctus.*

## DIOSCORIDIS.

Ad capitis furfures.

*Salicis foliorum, & decoctum corticis in lotionibus.*

*Myrti baccarum ſuccus illitus.*

*Fel taurinum cum nitro, & cimolia inunctum.*

*Humana vrina inueterata admota.*

*Adiantum in lixiuio decoctum.*

*Fænum græcum in lotionibus.*

*Malua ex vrina humana.*

*Betæ decoctum admotum.*

*Allij cinis ex melle.*

*Bulbi cum cremato nitro illiti.*

*Lilij cremati radix ex melle.*

*Alumen cum eruo ex pice.*

MATTHIOLI.

*Euonymi baccæ in lixiuio decocta.*
*Syluestris oliuæ oleum.*
*Pomata illita.*
*Oleum amygdalarum amararum.*
*Lupini farina confricata.*

DIOSCORIDIS.
Ad rufandos capillos.

*Ligustri folia trita, & in radiculæ ſucco macerata & illita.*
*Lycium illitum.*
*Loti ligni decoctum in lotionibus admotum.*
*Vini fax cremata, ex lentiſcino oleo tota nocte illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad criſpandos capillos.

*Aſphodeli radices deraſo capiti affricta.*
*Caſtanearum echinorum cinis deraſo capiti ex melle illitus.*

DIOSCORIDIS.
Ad denigrandos capillos.

*Cupreſſi folia trita ex aceto.*
*Rhois decoctum admotum.*
*Mori folia trita ex aceto.*
*Gallæ aceto, aut aqua macerata illitæ.*
*Palmæ corticis decoctum admotum, & ſubinde detersum.*
*Myrti foliorum decoctum in lotionibus.*
*Acaciæ ſuccus illitus.*
*Ilignea radicis cortex ex aqua coctus, donec mollitus contabeſcat, tota nocte illitus.*
*Hederæ corymbi illiti.*
*Saluiæ decoctum ſæpius inſperſum.*
*Rubi folia admota.*
*Sory illitum.*

MATTHIOLI.

*Eruinæ ſiliquæ priuſquam indureſcant cũ ſale ſuisq; folijs contritæ, & illitæ.*
*Oleum è colocynthidis fructu illitum.*
*Ophris in capitis perfuſionibus addita.*

DIOSCORIDIS.
Ad pediculos, & lendes necandos.

*Cedria illita.*
*Myricæ decoctum perfuſum.*
*Mel inunctum capiti.*
*Betæ decoctum perfuſum.*
*Allium cum origani decocto potum.*
*Hederæ lachryma illita.*
*Staphys agria admota.*
*Sandaracha ex oleo inuncta.*
*Alumen ex aqua.*

MATTHIOLI.

*Euonymi baccæ in lixiuio coctæ.*
*Hederæ gummi illitum.*
*Hyſſopum cum oleo inunctum.*
*Albi veratri radix in lixiuio decocta.*
*Argentum viuum extinctũ, & cum butyro inunctũ.*
*Piper in puluerem tritum, & ex ſaliua illitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad prohibendam ſolis aduſtionem.

*Albumen oui inunctum.*
*Cyclamini ſuccus inunctus.*

MATTHIOLI.

*Melopeponis* } *pulpa illita.*
*Anguriæ* }
*Seminis maluæ, althææ, pſyllij, & cydoniorum malorum mucago illita ex recenti butyro.*
*Vlmi folliculorum liquor inunctus.*
*Vuæ præmaturæ ſuccus illitus.*

MATTHIOLI.
Ad remorandam caniciem.

*Syluestris oliuæ oleum inunctum.*

DIOSCORIDIS.
Ad faciei nitorem.

*Vlmi liquor in folliculis contentus illitus.*
*Maſtiche illita.*
*Lupinorum farina illita.*
*Raparum ſyluestrium ſemen admotum.*
*Peponis ſuccus cum eius ſemine, & farina in ſole ſiccatus & inunctus.*
*Polygonatum illitum.*
*Glans vnguentaria ex vrina illita.*
*Ricini ſemen impoſitum.*
*Vitis ſyluestris acini illiti.*
*Argenti ſpuma elota, inuncta.*
*Alcyonium primum, & ſecundum admotum.*
*Chia terra impoſita.*
*Crocodili terreſtris fimus illitus.*

MATTHIOLI.

*Caphura circumlitionibus addita.*
*Eadem cum chryſocolla trita ex melle.*
*E limoniorum ſucco ſtillatitia aqua.*
*Cochlearum terreſtrium ſtillatitia aqua.*
*Fabacea farina.*
*Aqua ſtillatitia ex phaſiolis, & quibusdam alijs, vide in phaſiolorum commentario lib. 2. cap. 101.*
*Lupini decoctum perfuſum.*
*Aqua ſtillatitia ex melopeponibus & alijs multis: vide lib. 2. cap. 128. in comment.*
*Ari radicum ſtillatitia aqua, vel earum ſuccus inſolatus, & cum eiuſdem ari ſtillatitia aqua illitus.*
*Primulæ veris florum ſuccus illitus.*
*Verbaſci florum, & polygonati radicum dilutum per alembicum deſtillatum.*

DIOSCORIDIS.
Ad colorem conciliandum.

*Cicer in cibis ſumptum.*
*Agaricum drachmæ pondere potum.*
*Hyſſopum manducatum, bibitumuè.*
*Chia terra illita.*
*Ceraſi gummi illitum.*
*Caricæ in cibis ſumptæ.*

MATTHIOLI.
Ad puſtulas ſanguineas.

*Caphura vnciæ pondere cum pari ſulphuris portione trita, additis myrrhæ, thurisq; cuiuſque quaternis drachmis, & aquæ roſarum libra in vitreo vaſe per dies decem inſolata & deinde illita.*
*Fraxini ſtillatitia aqua.*
*Tamarindorum pulpa deuorata frequenter.*
*Vinum è fragis illitum.*
*Verbaſci florum ſtillatitia aqua, addito caphuræ momento.*

DIOSCORIDIS.

Ad faciem derugandam.

*Cacaliæ grana poſt excuſſum florem prodeuntia, trita, & cum cerato illita.*

*Bryoniæ radix cum eruo, creta Chia, & fœno græco illita.*

*Chia terra admota.*

MATTHIOLI.

*Myrrhæ oleum frequenter illitum.*

*Myrrha ſuffita ex candenti patella.*

*Conorum pineorum recentium ſtillatitia aqua faciei admota.*

*Ari radicum ſtillatitia aqua illita, vel inſolatus ex radicibus ſuccus.*

*Primulæ veris florum ſuccus illitus.*

*Verbaſci florũ & polygonati radicum ſtillatitia aqua, addito limonio ſucco.*

DIOSCORIDIS.

Ad cutis vitia in facie.

*Sabinæ decoctum perfuſum.*

*Conchulæ Indicæ cinis admotus.*

*Glans vnguentaria trita ex vrina.*

*Cancrorum fluuiatilium cinis illitus.*

*Narciſsi radix cum ſemine vrticæ ex aceto.*

*Ricini ſemen admotum.*

*Vitis ſyluestris acini illiti.*

*Cinnamomum ex melle.*

*Coſti radix cum aqua, vel melle illita.*

*Bryoniæ radix per ſe, et cum eruo, creta Chia, & fœnigræco admota.*

*Alcyonium primum, & ſecundum impoſitum.*

MATTHIOLI.

*Reſinæ laricea aut terebinthina ſtillatitia aqua, addito oleo è vini fæce parato.*

*Pomata illita.*

*Aqua è ſucco limoniorum parata vitreo alembico.*

*Oleum ex ouorum vitellis.*

*Oleum è tritico.*

*Auenæ farina in aceto decocta.*

*Fabacea farina.*

*Lupini decoctum affuſum.*

*Rapi ſyluestris ſemen illitum.*

*Lapathi acuti aqua ſtillatitia, & quorũdam aliorum: vide lib. 2. cap. 108. in comment.*

*Erucæ ſemen cum melle inunctum.*

*Sinapi aqua ſubactum, & cuti affrictum.*

*Dracunculi radix contuſa & illita.*

*Boni Henrici ſuccus cum aceto illitus.*

*Ari radicis ſtillatitia aqua, vel inſolatus earum ſuccus illitus.*

*Gentianæ ſtillatitia aqua illita.*

*Pſeudomelanthij ſemen in farina tritum & melle illitum.*

*Scabioſæ ſuccus cum chryſocollæ farina; & caphuræ momento illitus.*

*Vinum quod è fragis elicitur.*

*Primulæ veris florum ſuccus illitus.*

*Verbaſci florum ſtillatitia aqua.*

*Lupuli florum, & folliculorum decoctum potum.*

DIOSCORIDIS.

Ad ionthos, & varos.

*Myrrha illita cum melle, & caſſia odorata.*

*Porri folia cum Rhoe obſoniorum admota.*

*Cepæ ſuccus cum ſale appoſitus.*

*Bulbi per ſe, & ex oui vitello.*

*Pulegium ex cera.*

*Sory ex aqua.*

*Alcyonium primum, & ſecundum admotum.*

MATTHIOLI.

*Aqua è ſucco limoniorum vitreo alembico parata.*

*Aqua è lapathi acuti radicibus, & alijs nonnullis parata: vide lib. 2. cap. 108. in comment.*

*Centaurij minoris decoctum adhibitum.*

*Scabioſæ ſuccus cum chryſocollæ farina, & caphuræ momento illitus.*

DIOSCORIDIS.

Ad cutis faciei vitia à ſole contracta.

*Iridis Illyricæ radix cum elleboro admota.*

*Cinnamomum ex melle.*

*Coſti radix cum aqua, vel melle illita.*

*Amygdalæ amaræ radicum tritarum decoctum admotum.*

*Fici lac inunctum.*

*Cochlearum tum caro, tũ teſta ſimul cremata ex melle.*

*Leporinus ſanguis inunctus.*

*Sepiæ crematæ cinis admotus.*

*Lini ſemen illitum.*

*Orobi farina impoſita.*

*Siſymbrium inunctum.*

*Bulbi cremati cum alcyonio impoſiti.*

*Hederæ decocta folia ex vino.*

*Chamæleonis nigri radix.*

*Alyſſum conciſum ex melle.*

*Melia terra inuncta.*

*Cyclamini ſuccus illitus.*

MATTHIOLI.

*Thus cum lacte illitum.*

*Melopeponum* } *pulpa illita.*
*Anguriæ* }

*Vuæ immaturæ ſuccus ex lacte humano illitus.*

DIOSCORIDIS.

Ad lentigines delendas.

*Iridis Illyricæ radix cum albo veratro admota.*

*Caſia ex melle illita.*

*Coſtus ex aqua, & melle.*

*Sanguis leporinus calens inunctus.*

*Tritici farina ex aceto mulſo.*

*Raphanus cum loliacea farina admotus.*

*Braſsicæ ſemen inſperſum.*

*Siſymbrium tritum, & impoſitum.*

*Allij cinis ex melle.*

*Dracunculi maioris radix ex melle.*

*Bulbi ex melle, & aceto.*

*Nigella confricata.*

*Galbanum cum nitro ex aceto.*

*Alyſſum conciſum ex melle.*

*Narciſsi radix cum vrticæ ſemine ex aceto.*

*Ricini ſemen illitum.*

*Vitis ſyluestris acini liniti.*

*Bryoniæ radix cum eruo, fœnograco, & creta Chia.*

*Adarces impoſita.*

MATTHIOLI

*Laricea reſinæ ſtillatitia aqua, addito oleo ex vini fæcë parato.*

*Nux myriſtica illita.*
*Muſtelæ fel ex melle, & ari farina illitum.*
*Oleum ex ouorum vitellis.*
*Rapi ſyluestris ſemen.*
*Hordei farina, ex aceto, & melle ſubacta.*
*Auenæ farina in aceto decocta, & illita.*
*Fœnograeci farina, cum ſulphure, & nitro appoſita.*
*Fabacea farina.*
*Lupinorum decoctum affuſum.*
*Sij ſuccus illitus.*
*Aqua ſtillatitia è lapathi acuti radicibus & aliorum nonnullis: vide lib. 2. cap. 108. in commentario.*
*Melopeponum pulpa affricta.*
*Dracunculi radix illita.*
*Ari radix elixa cum fabacea farina defruto ſubacta.*
*Gentianæ ſtillatitia aqua illita.*
*Centaurij minoris ſuccus, aut decoctum.*
*Menthæ græcæ ſuccus illitus.*
*Pſeudomelanthij ſeminis farina ex melle illita.*
*Securidacæ vtriuſq; ſeminis farina ex melle.*
*Scabioſæ ſuccus cum chryſocollæ farina, & caphuræ momento.*
*Xyridis ſuccus illitus.*
*Verbaſci florum ſtillatitia aqua.*
*Lupuli florum decoctum potum.*
*Scrophæ lac perfuſum & plena manu illitum.*

DIOSCORIDIS.
Ad næuos.

*Alcyonium illitum.*

MATTHIOLI.

*Auenæ farina in aceto decocta, & illita.*
*Lupinorum decoctum affuſum.*
*Centaurij minoris decoctum.*
*Argenti ſpuma ex aceto decocta & illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad totius corporis nitorem.

*Maſtiche inſperſa.*
*Vlmi liquor in folliculis concluſus illitus.*
*Butyrum inunctum.*
*Crocodili terreſtris fimum illitum.*
*Peponis ſuccus cum eius ſemine, & farina in ſole ſiccatus ex aqua.*
*Bryoniæ radix inuncta.*
*Cyclamini ſuccus inunctus.*

MATTHIOLI.

*Caphura illita.*
*Fabacea farina.*
*Aqua è vulnerato Betulæ caudice diſtillans illita.*
*Aqua è limoniorum ſucco parata vitreo alembico.*
*Fabarum ſtillatitia aqua: vide libro 2. cap. 101. in comm.*
*Sinapi aqua ſubactum, & cuti affrictum.*
*Ari radicũ ſtillatitia aqua, vel inſolatus earũ ſuccus.*
*Gentianæ aqua ſtillatitia.*
*Verbaſci florum ſtillatitia aqua.*

DIOSCORIDIS.
Ad cicatrices delendas.

*Aſininus adeps inunctus.*
*Fabarum farina cataplaſmatis indita.*
*Ranunculi folia, & radices illita.*
*Calamintha ex vino decocta admota.*
*Cucumeris ſylueſtris radix trita, & inſperſa.*

*Glans vnguentaria cocta in aceto cum nitro adhibita.*
*Bryonia radix cum eruo, creta Chia, & fœnograeco admota.*
*Chryſocolla illita.*
*Alcyonium primum, & ſecundum inunctum.*

MATTHIOLI.

*Erucæ ſemen tritum cum felle bubulo illitum.*
*Ceruina medulla.*
*Opobalſamum.*
*Oleum Myrrhæ.*
*Oui recentis dum aſſatur ſudor.*
*Caphura cum chryſocolla trita & medulla bubula illita.*

DIOSCORIDIS.
Ad vitiligines.

*Cochlearum terreſtrium teſta cremata, & illita.*
*Leporinus ſanguis inunctus.*
*Sepiæ cremata cinis admotus.*
*Fabarum farina inſperſa.*
*Lupinorum farina impoſita.*
*Beta cruda folia illita.*
*Chondrillæ radix, & folia ex melle, & nitro trita ex (aqua.*
*Dracunculi maioris radix ex melle.*
*Aſphodeli radicis ſuccus inunctus, confricata prius ſub ſole cute.*
*Cepæ ſuccus in ſole inunctus.*
*Allij cinis ex melle.*
*Piper cum nitro impoſitum.*
*Capparis radix trita ex aceto.*
*Argemone ſiccata, tuſaq; cum nitro, & vino ſulphure admota.*
*Telephij folia cum hordeacea farina ex hydrelæo ſex horis admota.*
*Gentianæ radicis ſuccus inunctus.*
*Chamæleonis nigri radix cum ſulphure illita.*
*Ruta cum vino, pipere, nitroque confricata.*
*Libanotidis ſemen ex acerrimo aceto.*
*Lilij cremata radix ex melle.*
*Nymphææ radix ex aqua.*
*Rubiæ radix ex aceto.*
*Althææ ſemen tum recens, tum ſiccum tritum ex aceto, in ſole inunctum.*
*Anchuſæ radix ex aceto.*
*Narciſſi radix cum vrticæ ſemine ex aceto.*
*Bryonia cum eruo, creta Chia, & fœnograeco illita.*
*Glans vnguentaria in aceto decocta cũ nitro impoſita.*
*Cucumeris ſylueſtris radix trita, & inſperſa.*
*Ricini ſemen illitum.*
*Veratrum nigrum ex aceto.*
*Sulphur quoquo modo admotum.*
*Alcyonium primum, & ſecundum inunctum.*

MATTHIOLI.

*Conorum cupreſſi decoctum affuſum.*
*Tamarindorum pulpa in potionibus addita.*
*Aqua è limoniorum ſucco parata vitreo alembico.*
*Oleum ex ouorum vitellis.*
*Lupinorum decoctum.*
*Rapi ſylueſtris ſemen.*
*Aqua è lapathi acuti radicibus & alijs nonnullis: vide lib. 2. cap. 108. in comment.*
*Ari radix elixa cum fabacea farina defruto ſubacta illita.*

Mentha

*Mentha Graca adhibita.*
*Chamaleonis nigri radix cum aceto trita & illita.*
*Securidaca vtriusque ſeminis farina melle excepta.*
*Scabioſa ſuccus addito chryſocolla, & caphura momento.*
*Xyridis ſuccus illitus.*
*Verbaſci florum ſtillatitia aqua.*
*Lupuli florum decoctum potum.*

DIOSCORIDIS.

Ad lychenas, & impetigines.

*Pini, & picea cortex illitus.*
*Lentiſci foliorum decoctum fotu adhibitum.*
*Cupreſsi folia cum polenta illita.*
*Rhamni folia admota.*
*Lignorum marcor inſperſus.*
*Naſturtij ſemen admotum.*
*Rhaponticum ex aceto illitum.*
*Veratrum nigrum ex aceto illitum.*
*Glans vnguentaria cum lotio impoſita.*
*Vitis viniferæ gummi cum nitro illitum, loco tamen prius perfricato.*
*Sulphur ex terebinthina reſina.*
*Sal ex oleo, & aceto perfrictum.*
*Alcyonium primum, & ſecundum impoſitum.*
*Adarces illita.*
*Pix liquida inuncta.*
*Thus inſperſum.*
*Aethyopica oleæ lachryma inuncta.*
*Pruni arboris gummi illitum.*
*Ficulneum lac cum polenta illitum.*
*Mel cum alumine decoctum illitum.*
*Propolis inuncta.*
*Triticeus recens panis ex muria.*
*Loliacea farina cum ſulphure ex vino.*
*Cicer cum hordeo ex melle.*
*Lapathi cuiuſq. radices in aceto decoctæ, loco prius ſcarificato, & nitro confricato, appoſita.*
*Naſturtium ex melle impoſitum.*
*Allij cinis ex melle illitus.*
*Sinapi ex aceto linitum.*
*Chamaleonis nigri radix ex aceto cocta, & inuncta.*
*Ruta cum alumine ex melle.*
*Laſerpitij liquor ex aceto.*
*Glutinum in aceto ſolutum inunctum.*
*Cucumeris ſylueſtris radix trita, & inſperſa.*
*Tithymali characia lac illitum.*
*Bryonia radix cum Eruo, creta Chia, & fænograco illita.*
*Aqua maris fotu adhibita.*

MATTHIOLI.

*Pix cum melle, illita.*
*Tamarindorum pulpa frequenter deuorata.*
*Oleum ex ouorum vitellis inunctum.*
*Rapi ſylueſtris ſemen.*
*Saliua humana affricta à ieiunis.*
*Aqua è lapathi radicibus & alijs nonnullis: vide lib. 2. cap. 108. in comment.*
*Plantaginis recentia folia trita, & illita.*
*Aſphodeli radix ex aceto decocta, & impoſita.*
*Gentianæ ſtillatitia aqua fotu vſurpata.*
*Mentha illita.*
*Mentha Graca ſuccus impoſitus.*

*Marrubij folia ex aceto.*
*Securidaca vtriuſq. ſeminis farina ex melle illita.*
*Scabioſa maioris radices decocta, & pota quadraginta diebus, & earundem radicum puluis, quotidie drachmæ pondere ex ſero hauſtus.*
*Xyridis ſuccus illitus.*
*Lupulorum decoctum potum.*
*Ellebori nigri dilutum potum.*

DIOSCORIDIS.

Ad papulas.

*Lac omne potum cum crudo melle, admixta aqua, & exiguo ſale.*
*Serum lactis potum.*
*Acetum applicatum.*
*Butyrum illitum.*
*Vrina humana inueterata adhibita.*
*Lupinorum farina admota.*
*Cyclamini ſuccus adhibitus.*
*Pulegij decoctum corpori perfuſum.*
*Ruta cum cera & myrteo oleo cataplaſmati indita.*
*Staphis agria illita.*
*Glans vnguentaria cum lotio linita.*
*Rubigo ferri illita.*
*Alumen cum melle adhibitum.*
*Cinnabaris, id eſt ſanguis draconis adhibitus.*
*Fornacea teſta toſta admota.*

DIOSCORIDIS.

Ad alphos & cutis maculas.

*Thapſia ſuccus cum melle illitus.*
*Glans vnguentaria cum lotio linita.*
*Narciſsi radix cum ſemine vrticæ ex aceto.*
*Lotus ſylueſtris cum melle perunctus.*
*Cucumeris ſylueſtris puluerizata radix impoſita.*
*Ricini ſemen illitum.*
*Vitis ſylueſtris acini liniti.*
*Bryonia cum eruo, creta Chia, & fænograco illita.*

MATTHIOLI.

*Lupinorum decoctum fotu adhibitum.*
*Rapi ſylueſtris ſemen.*
*Aqua è lapathi, & aliorum nonnullorum radicibus, vide lib. 2. cap. 108. in comment.*
*Melopeponum pulpa affricta.*
*Capa cruda affricta.*
*Ari radix elixa, et cũ farina fabacea defruto ſubacta.*
*Boni Henrici ſuccus ex aceto illitus.*
*Centaurij minoris decoctum fotu adhibitum.*
*Verbaſci florum ſtillatitia aqua illita.*
*Lupuli florum decoctum potum.*

DIOSCORIDIS.

Ad pſoram.

*Staphis agria trita ex oleo illita.*
*Bryoniæ ſemen inunctum.*
*Aqua marina fotu adhibita.*
*Glans vnguentaria in aceto cocta.*
*Sal illitum.*

MATTHIOLI.

*Lupinorum decoctum affuſum.*
*Rapi ſylueſtris ſemen illitum.*
*Florum, & folliculorum lupuli decoctum potum.*

DIOSCORIDIS.

Ad ſcabiem.

*Cardamomum ex aceto illitum.*

*Oleæ virentis, & accenſæ ſudor manans illitus.*
*Ficulneum lac illitum.*
*Erinacei marini teſta cruda, toſtáve cum alijs miſta & illita.*
*Hippocampi marini cremati cinis liquida pice, aut axungia, aut amaracino vnguento coactus, & capiti inunctus.*
*Vrina humana inueterata.*
*Serum lactis potum*
*Cicer cum hordeo & melle.*
*Lupinorum farina.*
*Argemone ſiccata, tuſaque cum nitro in balneo confricata.*
*Hirundinaria minor confricata.*
*Chamæleonis nigri radix addito exiguo atramento ſutorio, cedrinoq; liquore, & axungia pauco linita: quin etiam ſulphure, & alumine miſtis.*
*Glans vnguentaria cum lotio linita.*
*Origani decoctum corpori perfuſum.*
*Quinquefolij radix decocta, linitaq;.*
*Potamogeton valet prurituí impoſita.*
*Lotus ſylueſtris cum melle peruncta.*
*Veratrum nigrum linitum cum cera, pice, & cedrino oleo.*
*Stimmi cum cera, & exigua ceruſſa.*
*Alumen cum aqua aſperſum aduerſus pruritum.*

MATTHIOLI.

*Terebinthina reſina illita.*
*Iuniperi cineris lixiuium è vino paratum.*
*Oliuæ ſylueſtris oleum.*
*Aqua in marceſcentiũ quercuũ cauitatibus reperta.*
*Tamarindorum pulpa frequenter deuorata.*
*Poma Adami per medium ſecta, ſulphuris puluere aſperſa, ſubq; calenti cinere calefacta, & ſcabioſis membris affricta.*
*Nucum iuglandium oleum vetus.*
*Fœnogræci farina, cũ naſturtij ſemine aceto excepta.*
*Aſphodeli radices ex aceto elixæ, & illita.*
*Senæ decoctum, vel dilutum potum.*
*Scabioſæ decoctũ, & eius ſuccus in vnguẽtis additus.*
*Xyridis ſuccus illitus.*
*Eupatorij vulgaris, & fumariæ è caprino ſero decoctum potum.*
*Eupatorij eiuſdem ſuccus cum aceto & ſale.*
*Borraginis vulgarisq; bugloſſi decoctum ex vino, aut aqua paratum hauſtum.*
*Bugloſſi vulgaris radix trita & ex aceto illita.*
*Lupulorum florum, & folliculorum decoctum potũ.*
*Ellebori nigri dilutum potum.*

DIOSCORIDIS.
Ad lepram Græcorum.

*Fel taurinum cum nitro, & cimolia terra.*
*Vrina humana addito nitro fota.*
*Iuniperi cortex crematus ex aqua illitus.*
*Fraxini cortex crematus ex aqua.*
*Vlmi folia conciſa ex aceto.*
*Aethiopica oleæ lachryma illita.*

| | | |
|---|---|---|
| *Reſina* | *Terebinthina* / *Larigna* / *Abiegna* | *cum ærugine, chalcantho, & nitro illita.* |

*Ficulneum lac cum polenta.*
*Tritici furfures ex acerrimo aceto elixi.*

*Hordei farina ex aceto acerrimo, & hydrelæo.*
*Lolij farina cum ſulphure ex vino & aceto.*
*Lapathi cuiuſq; radices, loco prius ſcarificato, et nitro confricato admota.*
*Braſſica conciſa cum polenta adhibita.*
*Veratrum nigrum ex aceto.*
*Allij cinis ex melle.*
*Sinapi ex aceto.*
*Bryoniæ ſemen illitum.*
*Naſturtium ex melle.*
*Anchuſæ radix ex aceto.*
*Ranunculi folia & radices appoſita.*
*Melanthij ſemen admotum.*
*Cucumeris agreſtis radix in puluerem aſperſa.*
*Glans vnguentaria cocta in aceto, cum nitro.*
*Thapſiæ ſuccus inunctus.*
*Scammonia in aceto decocta illita.*
*Vitis viniferæ gummi admotũ, loco tamen prius nitro perfricto.*
*Aerugo cum nitro ex terebinthina reſina.*
*Alumen cum braſſica, & melle coctum.*
*Sulphur ex reſina terebinthina, & aceto.*
*Sal ex oleo, & aceto feruefactum.*
*Alcyonium primum, & ſecundum illitum.*
*Adarces impoſita.*
*Melia terra illita.*

MATTHIOLI.

*Tamarindorum pulpa frequenter deuorata.*
*Chamæleonis nigri radix ex aceto trita, & illita.*
*Ellebori nigri dilutum bibitum.*
*Senæ foliorum dilutum potum.*
*Polypodij radicum decoctum hauſtum.*
*Fumariæ ſuccus ex ſero caprino diutius potus.*
*Viperei paſtilli, ex meliſſophylli ſucco poti.*
*Myrobalanorum nigrorum, chebulorumq; decoctum pluribus diebus hauſtum.*

MATTHIOLI.
Ad morbum gallicum.

*Myricæ radicum decoctum potum.*
*Guaiacum lignum, & eius decoctum.*
*Guaiaci vinum: quære lib. 1. comment. de ebeno.*

| | | |
|---|---|---|
| *Radicis* | *Chinæ* / *ZarZæ parillæ* | *decoctum potum.* |

*Buxi ligni decoctum.*
*Pruni ſylueſtris rad. decoctum & nonnullorũ aliorũ ad eos qui oris exulceratione laborant: vide lib. 1. comment. de pruno.*
*Aſarinæ decoctum potum.*
*Eryngij nouellorum foliorum ſtillatitia aqua pota.*
*Dictamni albi radices quotidie drachmæ pondere ex Guaiaci decocto potæ.*
*Aſpleni decoctum bibitum.*

MATTHIOLI.
Ad obeſos extenuandos.

*Cancamum potum.*
*Fraxini ſemen.*
*Acetum frequenter potum.*

DIOSCORIDIS.
Ad pruritum.

*Ficulneum lac admotum cum polenta.*
*Sulphur ex nitro.*
*Sal ex oleo, & aceto perfrictum.*

*Alumen*

*Alumen cum aqua aſperſum.*

MATTHIOLI.

*Beta nigra in aqua decocta & illita.*
*Boni Henrici ſuccus ex aceto illitus.*
*Senæ decoctum, vel dilutum potum.*
*Eupatorij vulgaris, & fumariæ decoctum potum.*
*Lupuli florum & folliculorum decoctum potum.*
*Serum lactis hauſtum.*

DIOSCORIDIS.

Ad elephantiaſim.

*Erinacei terreſtris exiccatum corpus in cibis ſumptū.*
*Cedria inuncta.*
*Cochlearum terreſtrium cinis illitus.*
*Salamandra alijs frequentibus medicamentis admixta.*
*Fel { Capræ ſylueſtris / Hircinum } inunctum.*
*Calamintha in cibis ſero lactis ſuperpoſito.*

MATTHIOLI.

*Myrica radicum decoctum, & cum paſſis vuis epotū.*
*Viperina caro deuorata.*
*Viperei paſtilli inſumpti.*
*Veronica mas.*
*Eupatorij vulgaris, & fumariæ ſuccus ſimul potus.*
*Ellebori nigri dilutum ebibitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad alarum tædia.

*Myrrha cum liquido alumine illita.*
*Myrti foliorum arentium farina inſperſa.*
*Cardui radix cataplaſmatis more adhibita.*
*Alumen linitum.*

MATTHIOLI.

*Aſphodeli radices cum hyoſcyamo ferueſacta, pice liquida exceptæ, & illitæ.*
*Alumen ex vino affrictum.*
*Abſynthium recens appoſitum.*

DIOSCORIDIS.

Ad clauos, callos, & verrucas.

*Salicis corticis cinis admiſto aceto maceratus, & illitus.*
*Smaridis piſcis ſaliti crematum caput.*
*Lacertæ conciſum caput.*
*Ouillum fimum ex aceto.*
*Mel cum alumine decoctum.*
*Cicerum grana tot accipe, quot ſunt porri, & ſingulis granis ſingulas tange verrucas, deinde liga grana cicerum in linteolo, & poſt tergum proijce, & hoc non fiat niſi noua luna.*
*Heliotropij ſemen linitum.*
*Scilla cremata peruncta.*
*Ranunculi folia, & radices.*
*Dipſaci radix in vino decocta, tuſa, & impoſita.*
*Nigella ex vetere vrina impoſita, loco prius ſcarificato.*
*Laſerpitij liquor cera præmollitus impoſitus ſcarificatione prius facta.*
*Clinopodium diebus aliquot potum.*
*Chamæſyces rami triti, & impoſiti.*
*Vitis ſarmentorū viridium incenſorū emanās aqua illita.*
*Aerugo impoſita.*

MATTHIOLI.

*Saligni corticis cinis, aceto maceratus, & impoſitus.*

DECORIS.

*Cichorium verrucarium in acetario deuoratum.*
*Eiuſdem ſemen tribus diebus drachma pondere inſumptum, ante nocturnum decubitum.*
*Ranunculus tritus, & impoſitus.*
*Chelidonij maioris ſuccus illitus.*
*Verbaſci ſuccus tam florum, quam foliorum illitus.*
*Cantharides tritæ, & ex fermento illitæ.*

DIOSCORIDIS.

Ad acrochordonas, thymos, & myrmecias.

*Mali punici vinum adhibitum.*
*Lac ficulneum cum adipe circa adiacentem carnem illitum.*
*Thus ex aceto, & pice illitum.*
*Ruta cum pipere, vino, & nitro affricta.*
*Cicer cum hordeo, & melle.*
*Ranunculi folia, & radices.*
*Dipſaci radix trita in vino decocta.*
*Tithymali characiæ ſuccus, & lac illitum.*
*Chamæſyces rami triti, & impoſiti.*
*Heliotropij ſemen linitum: quin & heliotropium minus.*
*Vitium viniferarum ſarmentorum viridium incenſorum emanans aqua illita.*
*Sal cum ſeuo vitulino illitum.*

MATTHIOLI.

*Saligni corticis cinis ex aceto impoſitus.*
*Cichorium verrucarium in acetario deuoratum.*
*Eiuſdem ſemen drachmæ pondere potū ante nocturnum decubitum.*
*Ranunculus tritus & impoſitus.*

DIOSCORIDIS.

Ad labiorum rimas.

*Adeps { Anſerinus / Gallinaceus } illitus.*
*Lycium admotum.*

MATTHIOLI.

*Terebinthina larignaq; reſina.*
*Fagi folia.*
*Oleum ex ouorum vitellis.*
*Pomata illita.*
*Oleum è tritico.*

DIOCORIDIS.

Ad ſudorem ciendum.

*Ferulæ ſemen ex oleo impoſitum.*
*Onobrychis ex oleo inuncta.*
*Mel heraclium quodam anni tempore deuoratum.*
*Fici matura comeſæ.*
*Sinapi in cibum ſumptum.*

MATTHIOLI.

*Succinum album ex vino potum.*
*Aurantiorum & limonum florum ſtillatitia aqua pota.*
*Quinta eſſentia noſtra, in comment. de vino deſcripta vnciæ pondere hauſta.*

DIOSCORIDIS

Ad ſudorem compeſcendum.

*Bulbi comeſti.*
*Sulphur confricatum.*
*Gypſum. / Morochthus lapis / Samia terra } admota.*

DECORIS.

MATTHIOLI.

*Syluestrium oliuarum oleum illitum toti corpori.*

*Myrteum oleum.*
*Cyperi radicum.*
*Nardi Indicæ*
*Roſarum ſylueſtrium*
} *puluis effrictus toti corpori.*

DIOSCORIDIS.

DECORIS.

Ad extergendam cutim.

*Cyclamini radix inuncta.*

MATTHIOLI.

*Rapi ſylueſtris ſemen.*

*Ari radix elixa cum fabacea farina defruto ſubacta.*

*Gentianæ ſtillatitia aqua.*

# SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM VIRES, QVIBVS EXVBERANTES IN CORPORE HVMORES, VOMITV, & alui deiectione excernuntur, ex Dioſcoride.

## EXPELLENTIVM MEDICAMENTORVM

DIOSCORIDI.

Ad bilem educendam.

*IRIS Illyrica drachmarum ſeptem pondere ex hydromelite pota.*

*Thlaſpi ſemen potum.*

*Aloe hauſta.*

*Abſynthium potui datum.*

*Tragorigani decoctum bibitum.*

*Lychnidis ſylueſtris ſemen drachmarum duarum pondere potum.*

*Androſæmi ſemen duarum drachmarum pondere hauſtum.*

*Veratrum nigrum per ſe datum, aut ex ſcammonia cum ſalis drachma.*

*Pycnocomi radix duarum drachmarum pondere ex aqua mulſa.*

*Centaurium minus decoctum deuoratum.*

*Parthenium ſiccatum cum aceto mulſo, aut ſale.*

*Thapſiæ ſuccus in aqua mulſa potus.*

*Clematidis alterius ſemen tritum potum.*

*Seſamoides tritum datum.*

*Cucumeris ſylueſtris radicis ſuccus, & cortex ſeſquioboli pondere bibitus.*

*Hippophaës ſuccus oboli pondere potus.*

*Ricini triginta grana purgata trita hauſta.*

*Tithymalorum omnium ſuccus binis obolis in poſca potus.*

*Mercurialis ius potum.*

*Lathyris grana ſex aut ſeptem, cum ficis, aut palmulis in catapotio deuorata.*

*Peplus in hydromelitis cyatho potus.*

*Scammonij ſuccus drachmæ unius, aut quaternum obolorũ pondere hauſtus ex aqua mulſa, vel pura.*

*Chamelææ folia in catapotijs deuorata, cum duabus abſynthij partibus adiecta chamelæa, vnacum hydromelite.*

*Thymeleæ viginti granorum pars interna bibita.*

*Folia* { *Sambuci* / *Ebuli* } *olerum more cocta.*

*Apios, ſcilicet inferioris radicis pars deuorata.*

*Empetrum in iure aliquo, aut hydromelite potum.*

*Filiculæ aridæ farina aquæ mulſæ inſperſa bibita.*

*Cynocrambæ decoctum hauſtum.*

*Heliotropij decoctum ex aqua potum.*

*Agarici drachma vna, vel altera, cum mulſa bibita.*

*Pityuſæ radix drachmarum duarum pondere cum mulſa hauſta, ſeminis vero drachma, & ſucci cũ farina ſubacti cochlearium in catapotio.*

MATTHIOLI.

*Aſarum & aſarina.*

*Caßiæ ſolutiuæ pulpa.*

*Manna ex ſenæ diluto pota.*

*Spinæ infectoriæ baccæ, & ſyrupus ex earum ſucco paratus.*

*Tamarindorum pulpa.*

*Pruna.*

*Sebeſtena.*

*Zyzipha.*

*Naſturtij ſemen denariorum decem pondere ex aqua potum.*

*Thlaſpi ſemen acetabuli menſura hauſtum.*

*Rhabarbarum*
*Sena.*
*Gratiola*
*Myrobalani flaui*
*Frangula*
} *hauſta.*

DIOSCORIDIS.

ad pituitam eijciendam.

*Iris Illyrica drachmarum ſeptem pondere ex hydromelite.*

*Mandragoræ ſuccus duorum obolorum pondere potus.*

*Veratrum nigrum per ſe datum, vel cum ſcammonia cum ſalis drachma.*

*Lycij Indici ſemen cyathi dimidij menſura potum.*

*Vlmi craßior cortex in vino, aut aqua frigida vnciatim potus.*

*Gallinaceorum ſeneſcẽtium ius Dioſcoridis modo paratum hauſtum.*

*Cyclamini*

*Cyclamini radix ex hydromelite pota.*
*Scylla cum melle cocta pota.*
*Hyſſopi decoctum ex aqua, melle, & ruta potum.*
*Thymum cum ſale, & aceto hauſtum.*
*Sphondylij ſemen potum.*
*Ammoniacum drachmæ pondere bibitum.*
*Daphnoides folium recens, vel aridum potum.*
*Hippophaſti ſuccus trium obolorum pondere ebibitus.*
*Epithymum potum cum melle.*
*Bryoniæ ſuccus cum aqua mulſa.*
*Cnici ſeminis ſuccus cum mulſo, vel iure gallinaceo.*
*Magnes potus trium obolorũ pondere cum mulſa.*
*Centaurij minoris decoctum deuoratum.*
*Parthenium ſiccatum cum aceto mulſo, aut ſale potũ.*
*Clematidis alterius ſemen tritum potum.*
*Seſamoides tritum datum.*
*Cucumeris ſylueſtris radicis ſuccus, & cortex ſeſquioboli pondere bibitus.*
*Hippophais ſuccus oboli pondere potus.*
*Ricini grana triginta trita epota.*
*Tithymalorum omnium ſuccus binis obolis in poſca potus.*
*Lathyris grana ſex, aut ſeptem in catapotio cum ficis, aut palmulis deuorata.*
*Peplus in hydromelitis cyatho potus.*
*Scammonij ſuccus drachmæ vnius, aut quaternum obolorũ pondere hauſtus, ex aqua pura, vel mulſa.*
*Chamelææ folia in catapotijs deuorata, cum duabus abſynthij partibus, adiecta chamelæa vnà cum hydromelite.*
*Thymelææ viginti granorum pars interior bibita.*
*Folia* { *Sambuci* / *Ebuli* } *olerum more cocta.*
*Apij inferior pars deuorata.*
*Empetrum in iure aliquo, aut hydromelite.*
*Filiculæ aridæ farina aqua mulſa inſperſa hauſta.*
*Cynocrambes decoctum bibitum.*
*Pityuſæ radix duarum drachmarum pondere cum mulſa, & ſeminis drachma, ſucci vero cum farina ſubacti cochlearium in catapotio exhibita.*
*Heliotropij decoctum ex aqua potum.*
*Agarici drachma vna, aut altera cum mulſa pota.*

MATTHIOLI.

*Iridis radicis ſuccus potus.*
*Aſari decoctum aut dilutum potum, & præſertim ex caprillo ſero paratũ cum nardo & hydromelite.*
*Aſarina ex mulſa pota, aut oxymelite.*
*Caſſiæ ſolutiuæ pulpa.*
*Cnicinum oleum potum.*
*Manna ex ſenæ diluto pota.*
*Spinæ infectoriæ baccæ, & earum ſuccus.*
*Cyclaminus.*
*Dracunculus.*
*Agaricum.*
*Rhabarbarum.*
*Ariſtolochia vtriuſque radix.*
*Centaurium minus.*
*Aloë.*
*Gratiola.*
*Sena.*
*Myrobalani, Chebuli, Embelici, & Bellerici.*
*Frangula.*

DIOSCORIDIS.

Ad atram bilem pellendam.

*Mandragoræ ſuccus potus duorum obolorum pondere ex mulſo.*
*Gallinaceorum ſeneſcentium ius Dioſcoridis modo paratum hauſtum.*
*Epithymum ex melle hauſtum.*
*Serum lactis potum.*
*Origanum ſiccũ acetabuli menſura potum ex mulſa.*
*Pulegium bibitum.*
*Elleborum nigrum hauſtum.*
*Spartium epotum.*
*Alypum menſura epithymo pari cum ſale, & aceto ſumptum.*

MATTHIOLI.

*Sena & eius decoctum, vel dilutum, & vinum ex ea paratum. Vide comment. eius lib. 3. cap. 70.*
*Myrobalani nigri.*
*Ellebori nigri dilutum potum.*

DIOSCORIDIS.

Ad vomitum ciendum.

*Thlaſpi potum bilem rubeam educit.*
*Mandragora pota atram bilem.*
*Thapſiæ lacteus ſuccus in mulſa bibitus.*
*Tithymalorum ſuccus cum aqua mulſa binis obolis potus.*
*Apij ſuperior pars deuorata.*
*Spartij flores, & ſemina in mulſa pota.*
*Anagyris ſemen commanducatum.*
*Betonicæ radices ex hydromelite pota, pituitam eijciunt.*
*Papaueris ſpumei ſemen in mulſa acetabuli menſura potum.*
*Staphidis agriæ grana quindecim in mulſa data.*
*Silybi radicis drachma pota.*
*Glans vnguentaria cum hydromelite.*
*Narciſsi radix cocta, eſa, ſeu bibita.*
*Ricini grana triginta hauſta.*
*Raphani cortex ex aceto mulſo potus.*
*Tithymalorum omnium ſuccus potus.*
*Aes vſtum cum hydromelite bibitum.*

MATTHIOLI.

*Napi ſemen ex oxymelite & tepenti aqua potum.*
*Atriplicis ſemen potum.*
*Lathyris ſemen hauſtum.*
*Aſari radicum puluis ex oxymelite potus.*
*Stibium noſtrum quinque granorum pondere ex rhodoſacchoro ſumptum.*

DIOSCORIDIS.

Ad aquam intercutem educendam.

*Cyclamini radix ex hydromelite hauſta.*
*Polij decoctum bibitum.*
*Hippophaſti ſuccus trium obolorum pondere potus.*
*Hippophais ſuccus oboli pondere potus.*
*Ricini grana triginta pota.*
*Lathyris cuiuſque grana ſex, aut ſeptem in catapotio cum ficis, aut palmulis deuorata.*
{ *Sambuci* / *Ebuli* } *folia olerum more cocta.*
*Empetrum in iure aliquo, aut hydromelite hauſtum.*
*Cynocrambes decoctum potum.*
*Aſarum bibitum.*

*Lactucæ ſyluestris ſuccus in aceto mulſo potus.*
*Trifolij radix drachmarum duarum pondere in vino bibita.*
*Tithymalorum ſuccus bibitus.*
*Thymelææ viginti granorum pondere pars interna bibita.*
*Vitis ſylueſtris radix feruefacta in aqua in cyathis duobus vini aqua marina diluti, pota.*
*Squama æris ex aqua mulſa hauſta.*
*Mercurialis decocta ius potum.*

MATTHIOLI

*Iridis radicum ſuccus potus.*
*Perſici flores in acetarijs deuorati.*
*Braſsicæ marinæ ſuccus cum rhabarbaro ſumptus.*
*Frangula.*
*Elaterium bibitum.*
*Rhabarbarum* } *in potionibus additum.*
*Agaricum* }
*Stibium noſtrum deuoratum quinque granorum pondere.*
*Turpetum in potionibus additum.*

DIOSCORIDIS

Ad aluum emolliendam, citandamque.

*Ceraſa recentia manducata.*
*Pruna in cibus ſumpta.*
*Siliqua deuorata.*
*Fici matura deglutita.*
*Lac ficulneum potum.*
*Chamarum piſcium ius potum.*
*Vnguis odoratus ebibitus.*
*Raphanus comeſtus.*
*Beta alba deuorata.*
*Blitum comeſtum.*
*Rumicis cuiuſque decoctum potum: quin & ipſa herba decocta deuorata.*
*Malua in cibo ſumpta.*
*Atriplex manducatum.*
*Braſsica leniter feruefacta comeſta.*
*Lentis decorticatæ decoctum primum hauſtum.*
*Aſparagorum cauliculi in cibum accepti.*
*Cucurbita integra feruefactæ expreſſus ſuccus potus.*
*Gingiber quoquo modo ſumptum.*
*Peucedanum potum.*
*Scillæ ſiccæ cochlear vnum, aut alterum ieiunis datũ.*
*Androſami ſemen tritum potum.*
*Helxines foliorum ſuccus hauſtus.*
*Papaueris erratici ſemina acetabuli pondere, ex mulſa aqua pota.*
*Cynogloſsi decoctum hauſtum.*
*Chamæſyces rami decocti, & in cibum ſumpti.*
*Bryoniæ cauliculi recentes cocti, & in cibũ deuorati.*

MATTHIOLI

*Caſsiæ ſolutiua pulpa deuorata.*
*Amygdalinum oleum potum.*
*Manna ex iure ſumpta.*
*Laricea reſina deuorata.*
*Pruna Damaſcena, & Vngarica ex iure, aut vino decocta.*
*Sebeſtena iure macerata, & deuorata.*
*Iuglandes cum garo à ieiunis ſumptæ.*
*Maluæ folia, vel teneri eius cauliculi decocti, & ex oleo & aceto deuorati.*
*Beta alba & eius ſuccus.*
*Betæ albæ ſuccus libræ pondere infuſus.*
*Eiuſdem decocta radix ſale aſperſa & ſuppoſita.*
*Hieracij ſuccus ex poſca duorum obolorum pondere.*
*Senæ decoctum, vel dilutum, aut eiuſdem vinum. Parandi rationem habes in comment. proprio lib. 3. cap. 70.*
*Bellis recens in catapotijs deuorata vel ex iure decocta.*
*Vuæ paſſæ ante prandium deuorata.*

FINIS.

## Menſurarum & ponderum Typi ad Dioſcoridis mentem. Ex Galeno:

*In Ponderum ratione.*

| In Ponderum ratione | Pendet |
|---|---|
| *Siliqua* | *Chalcum vnum.* |
| *Aegyptia faba* | *Chalcum vnum & ſemis* |
| *Orobus* | *Chalcos duos* |
| *Obolus* | *Chalcos tres* |
| *Scrupulus* | *Obolos duos.* |
| *Drachma* | *Scrupulos tres.* |
| *Vncia* | *Drachmas octo* |
| *Acetabulum* | *Drachmas quindecim* |
| *Nux* – *Regia* | *Vncias ſeptem* |
| *Nux* – *Pontica* | *Vnciam vnam* |
| *Libra* | *Vncias duodecim.* |
| *Mina* – *Medicorũ* | *Vncias ſexdecim* |
| *Mina* – *italica* | *Vncias decem & octo* |
| *Mina* – *Alexãdrina* | *Vncias viginti.* |

## DE ARIDORVM MENSVRIS.

| In Aridorum menſuris. | continet |
|---|---|
| *Artaba Ægyptia* | *Modios quinque* |
| *Modius Ægyptius & Italicus* | *Chœnices octo* |
| *Medimnus* | *Hemiecta duodecim* |
| *Hemiectum. i. ſemiſextum* | *Congios duos* |
| *Congius* | *Chœnices 4. i. drachmas 720.* |
| *Chœnix* | *Heminas 3. Atticas. i. drach. 180* |
| *Sextarius* | *Heminas duas. i. drach. 120* |
| *Hemina* | *Cyathos ſex, id eſt drach. 60* |
| *Cheme* | *Cyathi quartã part. i. drach. 2. et 1.* |
| *Cochlear* | *Scrupulos tres* |

### Ponderum & Menſurarum Liquidorum ratio.

*In Liquidorum menſuris Pendit*

*Vini, Aceti, Aquæ*

- *Ceramium lib. 80*
- *Amphora lib. 80*
- *Vrna lib. 40*
- *Congius lib. 10*
- *Sextarius lib. 1 & vncias 8*
- *Hemina vncias 10*
- *Cotyla vnc. 10*
- *Oxybaphus drach. 18*
- *Acetabulum drach. 18*
- *Cyathus drach. 11. & ſcrupulos 4*
- *Cheme drach. 3. & ſcrup. 1*

*Olei*

- *Ceramium lib. 72*
- *Amphora lib. 72*
- *Vrna lib. 36*
- *Congius lib. 9*
- *Sextarius lib. 1*
- *Hemina vncias 9*
- *Cotyla vncias 9*
- *Acetabulum drachmas 18*
- *Oxybaphus drach. 18*
- *Cyathus drach. 18*
- *Cheme drach. 3.*

*Mellis*

- *Ceramium lib. 120*
- *Amphora lib. 120*
- *Vrna lib. 60*
- *Congius lib. 15*
- *Sextarius lib. 1*
- *Hemina lib. 1*
- *Cotyla lib. 1*
- *Acetabulum drach. 27*
- *Oxybaphus drach. 27*
- *Cyathus drach. 20*
- *Cheme drach. 5.*

Τῷ ἐξοχωτάτῳ ἰατρῷ τε, καὶ φιλοσόφῳ
Πέτρῳ Ἀνδρέᾳ Ματθιόλῳ Πέτρος
Κορτωναῖος.

Οὐδένα τῶν μερόπων γεννᾶσθαι μούνῳ ἑαυτῷ,
ἐνθάδε καὶ ζώειν, ἀλλ' ἅμα καὶ πατρίδι·
Τοῖσι φίλοις, κεδνοῖς τε γονεῦσι, πόλει, χρέος οἷσι
θρέπτρα, χάριν τε φέρειν ἦαι, ἔλεξε Πλάτων.
Δόγμα δὲ νῦν τε γεραιὲ τελεῖς σύγε Ματθιόλ' ἔργοις,
ὥσπερ ἂν εἰ κείνου κλᾶρον ἅπαντα λάχες·
Εὖ τε τοκήεσσιν, πάτρῃ τ' ἐρικυδέι κόσμον
αἰὲν ἄγειν σπεύδεις, ἀμφαγαπᾷς τε φίλους.
Ὤπασεν ὅττι πόνος σέο καλὸς ἅπασιν ἀνοίγων
τὸν βαθὺν οὐρανίης κόλπον ἀκεστορίης.
Ὅττι Διοσκορίδης διὰ σοῦ πάλι φαιδρὸς ἰδέσθαι,
καὶ προτέρην πάντως ἀχλὺν ἀπωσάμενος.
(Κἄνγε διαρραγῶσι μιμεῖσθαι ὅσοι τὰ καλὰ
οὔποτε, μιμεῖσθαι δ' οἴδασιν ἔργα μόνον)
Εὐμενίην δὲ τεὴν μαρτύρομαι αὐτὸς, ἐκείνης
πολλάκις εἰληφὼς πεῖραν ἐτυμολάλον.
Μαρτυρέουσι καὶ οἱ φιλαληθέες ἄνδρες ἔασι,
γευσάμενοι φιλίης σεῖο ποθεινοτάτης.
Τοὔνεκα τεθνήξῃ οὔ πω ποτε, τόσσον ὀνήσας
Ματθιόλε θνατοὺς, θειοσεβής τε τόσον.
Οἶδεν ἅλις γὰρ ἅπας σ' εὐπειθέα χριστῷ ὑπάρχειν,
τῇ τ' ἐκκλησίῃ κείνου ὑπηρέτιδι.
Ἔστι χρεὼ δέ μ' ἀεί σοι φίλτατε πλεῖστον ὀφείλειν
ἄμμι χαριζομένῳ πολλὰ, καὶ αὐτομάτως.
Πῶς γὰρ ἴσην ποτ' ἔχοιμι χάριν σοὶ ἀνταποδοῦναι,
ὅπερ ἐλαττοῦμαι πάντα, κρατῶν δὲ πόθον.

Martini Cutheni Pragenſis.

*Cedant Heſperidum, cedant & Adonidis horti,*
*Hactenus, & quotquot barbara Memphis habet.*
*Vnicus hic cunctis multó eſt præſtantior hortis,*
*Quem pia Matthioli cura, laborq́; dedit.*
*Illic non cuiuis tranſcendere ſepta licebat,*
*Omnibus hic aditus, & loca cuncta patent:*
*Illorum vanas abijt decor omnis in auras,*
*Huius at æternum gratia viua manet.*
*Tot plantis, herbisq; ſuum reddendo nitorem,*
*Autor naturæ contulit artis opus.*
*Huic igitur merito, debes Hetruria, quantum*
*Ipſa Dioſcoridi Græcia docta ſuo.*

# PETRI ANDREAE MATTHIOLI MEDICI Senenſis Commentarij,

## IN LIB. PRIMVM PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE MEDICA MATERIA.

## Præfatio Dioſcoridis,

*IOANNE RVELLIO SVESSIONENSI INTERPRETE.*

QVANQVAM, amiciſſime Aree, complures non veterum modò, ſed recentiorum quoque, de medicamentorum compoſitione, viribus, atque probatione ſcripſerunt: nobis tamen nec vanum, nec à ratione abhorrentem impetum animi ad hoc opus inceſſiſſe, tibi oſtendere tentabimus: propterea quòd eorum nonnulli abſolutum nihil ediderunt, alij plurima, vt ex narratione acceperant, ſcriptis tradiderunt. Siquidem Bithynus Iolas, & Heraclides Tarentinus, omiſſa prorſus herbarum tractatione, rem ipſam paucis perſtrinxerunt: neque verò omnes illi de metallicis quicquam rebus, aut odoramentis memoriæ prodiderunt. Crateuas autem herbarius, & Andreas medicus, qui cæteris diligentius hac in parte verſati videntur, radices multas apprimè vtiles, herbaſque aliquas haudquaquam adnotatas reliquerunt. Veruntamen priſcorum ſubſcribere oportet ſententijs: quos, etſi pauca ipſis referantur accepta, magnam tamen impendiſſe diligentiam conſtat. Iunioribus minus aſſentiendum: è quibus eſt Iulius Baſſus, & Niceratus, & Petronius, Niger, & Diodotus, Aſclepiadæ omnes, qui medicinalem materiam vernaculam, cognitamque vulgò, dignam cenſuerunt, quæ ab ipſis literis exactè mandaretur: & vt medicamentorum vires, probationesque curſim complexi, ſic nullo experimento eorum effectus colligentes, inani verò reddendarum cauſarum ſtudio verba fundentes, alia interdum pro alijs ſcriptitando, † rem in aceruum, côngeriemque controuerſiarum extulerunt. Siquidem qui inter eos egregius habetur Niger, Euphorbium naſcentis in Italia chamelææ ſuccum eſſe contendit: Androſæmonque eandem herbam cum hyperico eſſe: quinetiam Aloen in Iudæa foſſilem naſci: & pleraque his ſimilia falsò exponit, quæ prorſus veritati refragantur. Quibus coniectura colligi poteſt, ea non oculata fide, ſed narratione potius ab alijs accepiſſe. In ordine præterea iidem ipſi aberrarunt, partim eorum diſcrepantes, nullaque cognatione coniunctas vires colligentes: partim per elementa literarum ſcripta in ordinem digerentes, quò facilius memoriæ mandarentur, genera & eorum affectus a ſua cognatione diſiungentes. Nos verò ab ineunte, vt ita dicam, iuuenta, iugi deſiderio cognoſcendæ materiæ allecti, multis regionibus peragratis (nec enim neſcis nos militarem vitam exegiſſe) tuo hortatu commentationem in ſex libros contulimus. Quod opus tibi dicamus, Aree, animi gratitudine obſequentes, ob eum quo nos proſequeris affectum. Etenim natura cùm in omnes eruditione excultos, tum verò in eos, quibuscum tibi eiuſdem artis neceſſitudo intercedit, pronus ad amicitiam eſſe ſoles, in nos etiam aliquantò peculiarius. Enimuero non paruum præbet tuæ probitatis argumentum, optimi viri Licinij Baſſi ſingularis erga te amicitia: quam vnà nobiſcum degentes nouimus, cùm mutuam inter vos beneuolentiam æmulatione dignam intueremur. Admonitum autem te velim, eoſque qui in hoſce commentarios incident, ne in verbis facultatem noſtram æſtimetis, ſed potius adhibitam rebus cum peritia curam. Etenim plurima viſu ipſi exactiſſimè cognouimus: quædam etiam ex ea, de qua inter omnes conuenit, hiſtoria, percunctationeque rerum apud ſingulos vernacularum, diligenter accepimus. Dabimus igitur operam, vt differenti ab alijs ordine tradito, genera ſingularum medicinarum, vireſque deſcribantur. Quòd autem neceſſaria ſit medicamentorum doctrina, nemo eſt ferme qui ignoret: quòd ea & toti arti coniuncta ſit, vniuerſiſque eius partibus efficax adminiſtret auxilium. Quare per medicamentorum compoſitiones, atque miſturas, & facta in morbis pericula extendi, & incrementum capeſſere poteſt, plurimùm conferente ſingulorum medicaminum cognitione. Quinetiam vernaculam, familiaremque materiam complectemur, vt perfecta ſit, quæ à nobis relinquetur, doctrina. Verùm in primis curam impendere oportet, vt ſuis temporibus ſingula & demetantur, & recondantur: certè pro horum ratione, medicamenta aut valent viribus, aut euanido nulloque munere funguntur. Serena igitur cæli conſtitutione demetenda ſunt: magni ſiquidem refert inter colligendum, ſi vel ſqualores, vel imbres infeſti ſint: quemadmodum ſi loca, in quibus prodeunt, cliuoſa, & ventis expoſita ſint, & perflata, frigidaque & aquis carentia: in his enim locis vires eorum longè validiores intelliguntur. Contrà, quæ in campeſtribus, riguis, & opacis, cæteriſque locis à vento ſilentibus enaſcuntur, plerunque degenerant, & minus viribus valent: multoque magis, ſi non ſuo tempore, nec opportunè colligantur, aut ſi per imbecillitatem intabuerint. Neque ignorãdum, hæc ſæpe, pro peculiari loci natura, aut anni clementia, maturius, aut ſerius adoleſcere: nonnulla propria vi hyeme florent, & folia pariunt: quædam bis anno florifera. Quare cui in animo eſt horum peritiam aſſequi, neceſſe eſt eum prima germinatione ſolo emergentibus, adultis, & ſeneſcentibus adeſſe. Nam qui pullulanti herbæ duntaxat adſtiterit, adultam cognoſcere non poteſt: neque qui adultam tantùm inſpexerit, núper erumpentem noſcet. Quo fit, vt propter mutatam foliorum faciem, caulium proceritates, florum ſeminiſque magnitudinem, & id genus alias peculiares notas, nonnulli, qui olim has rerum varietates non perſpexerunt, magno in errore verſentur.

Quæ cauſa etiam nonnullis ſcriptoribus impoſuit, qui herbas quaſdam, verbi gratia, gramen, quinquefolium, & tuſſilaginem, emittere florem, fructum, & caulem negant. Ergo qui ſæpius ad viſendas herbas, & earum natales ſe contulerit, earum cognitionem maximè conſequetur. Scire etiamnum conuenit, ſola ex herbaceis medicaminibus Veratri genera, nigrum, inquam, & candidum, multis edurare annis: reliqua a trimatu inutilia. Quæ verò fruticoſa ſunt, ſicut ſtœchas, triſſago, polium, abrotonum, ſeriphum, abſinthium, hyſſopum, & alia id genus ſemine prægnantia demetantur. Flores quoque antea, quàm ſponte ſua decidant, Fructus autem, vt maturi decerpantur, neceſſe eſt: & ſemina, vbi ſiccari cœperint, priuſquam defluant. Herbarum ſuccus, & foliorum elici debet, germinantibus tum primum cauliculis. Lac, & lachrymæ excipiantur, inciſo per ſummum adoleſcentiæ vigorem caule. Radices, & liquamenta, corticesve vt recondantur, eximere conuenit, cùm herbæ ſuis folijs exuuntur: ſiccantur etiam expurgatæ inibi, locis aſperginem non redolentibus: ſed quæ luto, aut puluere ſunt obſitæ, aqua elui debent. Flores & omnia, quæ iucundum odorem efflant, arculis tiliaceis, nullo ſitu obductis, reponantur. Nonnunquam charta, aut folijs ſemina, vt perennent, aptè inuoluuntur. Liquidis medicaminibus denſior materia, argentea, vitrea, aut cornea conuenit. Fictilis etiam, ſi modo rara non ſit, accommodatur: & lignea, præſertim è buxo: ſed ænea vaſa ocularijs medicamentis, liquidiſque, & omnibus ijs, quæ aceto, pice liquida, aut cedria componuntur. Adipem autem, & medullas, ſtagneis vaſis recondi conuenit.

## COMMENTARIVS MATTHIOLI.

QVANTVM oporteat Medicos omnes, qui legitimum in arte nomen ſibi comparare ſtudet, ſimplicium quorumcunque medicamentorum, quæ medicinæ vſui competunt, cognitionem, ac facultatem ſenſibus exactè conſequi, non modò hac præfatione declarat Dioſcorides Anazarbeus, in hac materia cæteris facilè princeps: ſed id quoque poſt Dioſcoridem admirabili doctrina pluribus in locis memoriæ prodidit grauiſſimus auctor Galenus: qui hac in re præ cæteris Dioſcoridem ſecutus (vt eius luculentiſſima monumenta paſſim atteſtantur) in ſimplicium medicamentorum viribus, ac facultatibus indagandis, relicta (hoc etiam ipſe fatetur) Dioſcoridi hiſtoriarum palma, omnes, qui in hac materia ſcripſerunt, longè admodum ſuperauit. Quippe tanta animi propenſione oblectationeq; cognoſcendorum ſimplicium captus fuit (ſciebat enim non poſſe ritè ſe dici Medicum ſine eorum ſcientia) vt nullo magni laboris metu, nullis periculis deterritus, in Lemnum, Cyprum, Syriam nauigauerit, atque alias plurimas peragrauerit regiones, ea demum cauſa, vt quæ legitima & ſyncera, quæq; ſpuria & adulterata eſſent medicamenta, certò dignoſcere poſſet. Quapropter lib. III. de med. comp. per genera, ita ſcriptum reliquit. Hinc enim puto bonæ indolis iuuenes incitatum iri, vt medicamentorum materiam cognoſcant, ipſimet inſpicientes, non ſemel aut bis, ſed frequenter: quoniam ſenſibilium rerum cognitio ſedula inſpectione perficitur: cuius rei euidentiſſimum eſt indicium, quòd gemini per omnia ſimiles eſſe nobis videantur, differentes autem ijs, qui ipſos inſpicere conſueuerunt. Itaq; herbarum, fruticum, & arborum materiam, priuſquàm è terra eximantur, contemplari pulcherrimum eſt, dum fructus videlicet futuri ſunt, dum eduntur, dum augeſcunt, & dum vigent. Hæc ſiquidem continua eorum ſpeculatio docebit te, quando potiſſimùm ipſos commodè decerpas, ac in ſiccis domunculis repoſitos cuſtodias. Vos ergo admoneo, amici, vt in hoc quoque me ſequamini, ſi artis opera pulchrè obire volueritis. Nouiſtis enim, quomodo ex omni natione præſtantiſſima quotannis mihi afferantur medicamenta, eo quòd perditi illi omnigenarum rerum coëmptores (Græci ῥιζοπώλας vocant) varijs modis ea contaminant. Præſtiterat forſan non hos ſolùm, ſed multò magis etiam mercatores, qui illa aduehunt, incuſare, atque his multò magis ipſos herbarios: item nihil minus eos, qui radicum liquores, ſuccos, fructus, flores, & germina ex montibus in vrbes conferunt: hi ſiquidem omnium primi in eis dolum exercent. Quiſquis igitur auxiliorum vndique copiam habere volet, omnis materiæ ſtirpium, animalium, & metallorum, tum aliorum terreſtrium corporum, quæ ad medicinæ vſum ducimus, expertus eſto, vt ex eis & exacta, & notha cognoſcat. Niſi enim hoc modo inſtructus ad præſentis operis præſidia veniat, verbotenus quidem medendi methodum ſciet, opus verò nullum ipſa dignum perficiet. Et primo de antidotis: Medicus autem (inquit) omnium ſtirpium, ſi fieri poteſt, peritiam habeat, conſulo: ſin minus plurium ſaltem, quibus frequenter vtimur. Earum genera quiſquis toto ætatis illarum decurſu nouerit, multis in partibus orbis terrarum reperiet, vt ego in Italia multis in locis inueni: quæ nec quando pullulant, nec quando creſcunt, nouerunt iſti, qui ſiccas ſtirpes tantummodo cognoſcunt. Hæc Galenus. Ex quibus ſatis Medicis omnibus perſpicuum eſt, non poſſe quenquam ſine certa ſimplicium medicamentorum cognitione, nec morbis ratione mederi, neque artem recta methodo exercere, nec niſi fortuna quadam, vel naturæ ipſius robore ægros ſanare. Neque enim vllo pacto eis adſtipulandum cenſeo (vt Medicorum pleriq; faciunt, & ij ſæpè, qui primas ſibi deferri exiſtimant) qui compoſitis tantùm officinarum medicamentis, ipſiſq; admodum vulgaribus contenti ſunt. Nam cùm ſatis ſibi fore perſuadeant, ſcire Diacatholicum omnes in vniuerſum humores deijcere, Deiectorium è ſucco roſarum flauam bilem, Diacnicum pituitam, Diaſenam, & Catapotia ex cæruleo atram bilem, Coccia caput & cerebrum expurgare: ſicuti, quæ Lucida nuncupant, oculis, & quæ ex Hermodactylis dicuntur, ac quæ Fœtida vocantur, arthriticis eſſe peridonea, nihil vltra requirunt: quin potius ſcire negligunt, è quibus ea ſimplicibus componantur medicamenta, & an ijs ea inſint vires, quæ ſuis nominibus pollicentur: an ſimplicia, quibus conflantur, legitima ſint an ſpuria, ſyncera an adulterata, recentia an exoleta, ſicca an humore vel ſitu corrupta, an ſuo tempore, & opportunè decerpta, ſole ſiccata an vmbra, an igne, vt ſæpius in temporis anguſtia officinis fieri ſolet. Neque vnquam animaduertunt, quòd deiectoriis medicamentis, quæ noſtro æuo parantur ad bilem deijciendam, ſæpe Scammonium lacte tithymalorum, ac pityuſa adulteratum, magno ægrorum detrimento immiſcent. Iis verò, quæ pituitam ducunt, ſæpe legitimi Turpeti loco, modò pityuſæ, modò thapſiæ, modo pæoniæ radicum cortices imponunt, quæ impoſtorum mangonio ita Turpetum referunt, vt non ſeplaſiariorum modò, ſed etiam medicorum quorumcunque qui rem plantariam profitentur, oculos ſæpenumero fallant, niſi fraus guſtu, & legitimi Turpeti ſcrutinio & collatione deprehendatur. In Catapotiis deinde, quæ ex Hermodactylis vocant, ephemerum Colchicum legitimi Hermodactyli vice: in Fœtidis verò, cicutæ ſemen pro agreſtis rutæ ſemine, quorum vtrunque mortiferum eſt medicamentum, omnes inijciunt. Adde præter hæc, quòd ſæpenumero medicamenta ex iis ſimplicibus componunt, quæ ætate exoleta, nihil viribus præſtant, quo fit, vt penitus euanida, ac inualida reperiantur. Quod etſi quandoque malitia, ac propria artificum impoſtura fiat: id tamen plerunque accidit, ex ipſorum tum incuria, tum etiam imperitia: nam pauci, vel potius nulli habentur pharmacopolæ (eos ſemper excipio, qui ſimplicium hiſtorias amplexantur) qui ſuppoſititiis, ipſiſq; innumeris non vtantur ſimplicibus. Namque Aſaro vtuntur pro bacchare: vrbana

Galeni nauigationes, vt legitima cognoſceret ſimplicia.

Medicamenta adulterabantur etiam Galeni tempore.

Sine ſimpliciũ cognitione manca eſt medendi ratio

Medicorum quorundam opinio exploſa.

Officinarum lapſus.

Loto,

*Loto, pro ſertula Campana: Colutea, pro ſena: acoro, odorati calami vice: cypero, pro galanga: hieracio, pro ſoncho: ſphondylio, pro acantho: chondrilla, pro cichorio: agreſti lactuca, pro intubo: ophioſcorodo, pro ſcordio: quibuſdam arborũ lachrymis, pro ſuccino: tapſia, pro turpeto: pice, pro piſſaſphalto: reſina larigna, pro abiegna, & legitima therebinthina: phyllitide, pro aſpleno: obſcuris quibusdam radicibus, pro meo, peucedano, & coſto. Ad hæc laccam ex braſilio & cocco infectorio confectam, pro cancamo vſurpant. Rhodium oleaſtrum, pro agallocho, oſſa & carnem humanam, pro mumia: macim, pro macere: chartam, pro papyro: creſpinum (ſic enim vulgò vocant aculeatam quandam plantam) pro oxyacantha: conuolulum, ſiue leuem ſmilacem, pro liguſtro: agreſtium prunorum ſuccum, pro acacia: ſuccum verò baccarum liguſtri, & periclymeni, pro lycio: cancros, pro gammaris: ranunculum, pro coronopo: ſaponariam vulgò dictã, pro ſtruthio: carduum, quem benedictum nominant, pariterq; chamæleonem album, pro leucacantha: parthenium, pro artemiſia: cotulam fœtidam appellatam, pro parthenio: canis teſticulos (ſic enim radices quædam nominantur) pro ſatyrio: polium, pro chamæpity. Cadmia præterea officinis ferè omnibus pompholygem genuinam mentitur, ærugo æris florem, æris ſquama ſtomomatis (quod chalybem dictum putamus) ſquamam, ſandix minium: terra quædam mangonizata ſphragidem lemniam, ſalnitrum nitrum, & aphronitrum. Alia denique plura, ac diuerſa ſimplicia medicamẽta ſunt, quæ vbique locorum apud varias nationes, huius, vel illius vice nulla penitus ratione indifferenter ſubiiciuntur, vbi tum prauum, tum ſpurium ſibi iamdiu vendicant vſum. quæ, ne verboſius rem hanc proſequi videamur, ſilentio prætermittenda cenſemus.*

Officinarum ignorantia & abuſus.

*Hæc autem pluribus in locis non euenirent, ſi Medici omnes veram, & exquiſitam ſimpliciũ rerum doctrinã conſequerentur, quam maximè, & iure conſequi deberent. Quippe materiæ huius peritiam aſſecuti, & errorum cognitionem nacti, ne ſeplaſiarij in eiuſmodi verſarentur erroribus, obſtarent: neque eis vlla vnquam medicamenta confici permitterent, niſi ſibi prius perſpectis, cognitis, ac probatis ſimplicibus, quæ in ipſis componendis expetuntur. Dent itaq; iam operam imperiti, vt huiuſce materiæ cognitionem exactè conſequantur, quandoquidem artifici nihil quidem execrabilius, ac turpius eſſe poteſt, quàm ſuæ artis ſubiectum, & inſtrumenta ignorare. Quod ſanè vnicuiq; Medico vſu euenire cõperimus, qui non modò alienis vtitur miſturis, ſed nec ſimplicia quidem, nec eorũ facultates nouit. Proinde ſcitè à Galeno dictum eſt lib.* VII. *&* VIII. *de compoſi. medic. ſecundum locos, quòd non poterit is, ex quo ordine eiuſdẽ generis medicamentorũ compoſitum ſit, cognoſcere, num ex molliſſimo, an vehementiſſimo, aut medio, aut alio aliquo inter hunc, & alios intermedio, qui ſingulorum ſimplicium poteſtatem exactè antea non perceperit.*

Medicorum munus neglectum.

*Veruntamẽ nemo in hac materia ſe peritum euadere confidat aſſidua tantùm librorum lectione, etſi eos quidem grauiſſimi conſcripſerint auctores, niſi ſæpius ad viſendas ſtirpes ſe contulerit, & quod à præceptore in herbarum agnitione diu exercitato, digiti demonſtratione prius fuerit doctus, ac oculorum ſenſu, guſtatuq;, variis anni temporibus omnia hæc diligenter omni ex parte perpendat. Id enim, cùm maximè perpendiſſet Galenus (vt ſexti libri de ſimplicium med. facul. præfatione legitur) inquit. Equidem non poſſem non accuſare & illos quoque, qui primi herbarum formas ſcriptis docere ſunt conati, cùm melius exiſtimem ab ipſo præceptore oculis diſcere, ac non adſimilari iis, qui ex libris prodeunt gubernatores: nam ſic & verior, & manifeſtior eſſet doctrina, non herbarum modò, & fruticum, arborumq;, ſed & aliorum omnium medicaminum. Verùm enimuerò ſi omninò libris eſt opus, quis adeò miſer eſt, vt præteritis ſcriptis Dioſcoridis, Nigri, Heraclidis, Crateuæ, & aliorum innumerorum, qui in arte ipſa conſenuerunt, libros grammaticos ſcribentis incantationes, transformationes, & decantatum, dæmoniorumq; herbas ſacras perferat? Et libro primo de alimentorum facultatibus: Optima (inquit) illa doctrina eſt, quæ viua voce traditur: neque enim quiſquam ex libro nauclerus, aut alterius artis artifex euadit. In hoc namque comparati ſunt libri, vt nobis ſint eorum, quæ ante didicimus, monumenta: non vt rudes & ignari per illos doctrinam perfectam aſſequamur. Quòd ſi qui ſint, qui præceptoribus careant, velintque iis, quæ luculentè, ac copioſè ſunt ſcripta (qui nobis ſcribendi mos eſt) diligenter incumbere, magnum ij fructum capient, præſertim ſi eadem relegere identidem non grauentur. Et primo de antidotis: Quòd ſi nullo (ait) monſtrante ex libri alicuius lectione, quales ſunt commentarij Heraclidis, Crateuæ, Dioſcoridis, aliorumq; quorundam in ſimplicium medicaminum cognitionem peruenire aliquis velit, longè maiore ipſi opus eſt inſpectione, vt exactè ſingularum medicinarum virtutes, ac vitia diiudicare ſciat.*

Simplicium peritiam nemo poteſt adipiſci ex librorum lectione.

Herbarum formæ deſcriptæ parum conferunt.

Scripta quorum commendet Galenus.

Simplicium peritia à præceptoribus, non ex libris comparatur.

*Nam qui ſimplices medicinas diuendunt, tam callidè illarum quaſdam concinnant adulterantq;, vt etiam exercitatiſſimos in eis decipiant. Quare idem Galenus lib.* IX. *de ſimplic. medic. facultatibus, in Diphrygis mentione ita ſcriptum reliquit. Adijciam huic, qui de illo habetur, ſermoni, rem non modò de Diphryge ſcitu vtilem, ſed & de Lemnia ſphragide, & Pompholyge, & Opobalſamo, & Lycio Indico. Nam etiamnum adoleſcens didici hæc ita præparare, vt à veris natiuiſq; nihil differre viderentur. Erat autem qui me docebat ingenti mercede, homo curioſiſſimus, non in his tantum, ſed & aliis ſimilibus. Itaque in Lemnum, in Cyprum, in Palæſtinam Syriam eo ſtudio nauigaui, vt medicamentorum iſtorum cuiuſque multam copiam, quæ in omnem vitam meam ſatis foret, reponerem. Sed & Lycium Indicum cum Aloe Indica id temporis commodum accipere contigit, cùm à Palæſtina iter reflecterem: cùm perſuaſum haberem, eo quòd à camelis cum tota ſarcina aduectum eſſet, proculdubio id eſſe Indicum: quòdq; adulteratum haud noſci ab iis, qui portaſſent, poſſet, propterea quòd materia, ex qua id præparatur, illis in locis haud naſceretur. Porrò ſatius viſum eſt mihi illegitimorum compoſitiones haud quaquam adſcribere, vtpote cum homines ſcelerati in lucro ponant talia poſſe diſcere. Nec enim neceſſarium eſt cum verorum ac germanorum notis ac indiciis, adulterandorum noſſe compoſitiones, cùm nihil ad ea diſcernenda conferant: imò optem, ſi queam, quæ à maioribus me perperam conficiendorum atque adulterandorum medicaminum prodita ſunt compoſitiones, omnes prorſum delere atque extirpare: hactenus Galenus. Ex cuius verbis manifeſtè percipi poteſt, ex libris duntaxat non poſſe in ſimplicium agnitione peritum fieri quenquam, etiamſi in ipſis ſtirpium imagines virentibus perſimiles omni exquiſito artificio fuerint adiectæ.*

Impoſtores quandoque etiam peritos decipiunt.

Galeni peregrinationes.

*Siquidem (vt in hac præfatione ſcribit Dioſcorides, & locis iam citatis aſſerit Galenus) qui in ſtirpium hiſtoria peritiſſimus euadere cupit, illum quidem viuas omnium plantas non ſemel tantùm, ſed diuerſis anni temporibus inſpicere oportet. Quandoquidem plantæ ipſæ folia aliàs exhibent, cùm prima germinatione emergunt, aliàs cum adoleſcunt, & caulem edunt, aliàs vbi flores erumpunt, & aliàs vbi ſicceſcentes maturum geſtant ſemen. Videmus enim apertè Populum nigram, ſicuti Ricinum, per initia folia explicare rotunda, quæ tamen poſt tempus huic platani, illi verò triangulari ſectione laciniata viſuntur. Sed contra Hederæ euenit, quippe huic prima ſtatim iuuenta triquetra folia inſunt, quæ vetuſtiora iam facta quadantenus rotundantur. Siſymbrij aquatici folium cùm primùm erumpit, rotundum eſt, cùm verò adoleuit, in erucæ modum laciniatur. Lepidio, &*

Stirpes folia immutantes dum adoleſcunt.

*Naſturtio folia primo exortu ſinuata, ac circunquaque apij ferè modo laciniata emergunt: at cùm pubeſcunt, prælonga oleaceis ſimilia euadunt. Quo etiam modo hortenſe noſtrum vulgò Petroſelinum vocatum cum ſuis ludere cernimus. Lathyris amygdalinis folijs caulem veſtit, quæ in cacumine ita prioris formæ obliuiſcuntur, vt in Ariſtolochiæ, aut hederæ folia degenerent. Nouellus Acanthus folio Lactucæ longiore vireſcit erucæ inciſuris diuiſo: at ſenior effectus quædam circa totum caulem folia promit tam crebra, acuta, ſimplicita, denſa, ac minuta, vt nucamenti ſpeciem quandam referant. Sunt & alia nonnulla, quæ has foliorum mutationes per tempora oſtendunt, quarum nomina breuitati conſulentes nunc prætereunda cenſemus.*

Stirpium imagines parum, vel nihil proſunt ad ſimplicia dignoſcenda.

*At fieri quidem nequit, vt huiuſcemodi ſtirpium variationes ex libris, in quibus figura expreſſæ, atque etiam coloribus exornatæ habentur, omnes obſeruari poßint: quandoquidem plantæ ipſæ appictæ, ex tot varijsq; vnam nobis duntaxat imaginem repræſentant. Huc etiam illud accedit, quòd ea, quæ picturæ artificio fiunt, etſi ex optimi artificis penicillo emergant, nunquam tamen naturalium rerum lineamenta ad vnguem referre, ac exprimere queunt, quamuis etiam naturam exactiſsimè imitentur. Eadem ratione putauerim ex cuiuslibet grauißimi auctoris commentarijs, qui ſtirpium hiſtoriam continent, neminem abſolutam earum notionem vnquam adepturum eſſe, quæ maximè Medicis requiritur: quippe quòd ij ſuis ſimplicium monumentis, ac foliorum, caulium, & reliquarum partium hiſtorijs, non niſi vna lineamentorum, ac ſimilitudinum enarrationem tradiderint. Quæ tametſi vera ſint, nullum tamen præbent mutationis exemplum, vt ſæpe ac ſæpius plantis compluribus varijs totius anni curriculis tum in folijs, tum in caulibus, reliquiſque particulis euenire comperimus. Quo fit vt hæc variandi ſeries nullo alio pacto addiſci poßit, quàm longa oculorum exercitatione, dum ætate tota plantæ ipſæ ſolo educatæ vireſcunt. Cæterum vbi ſcriptores in ſuis hiſtorijs ſtirpium notas explicant, illi quidem ferè ſemper ſimilitudinibus vtuntur, acorum exempli gratia, xyridem, gladiolumq; iridi ſimilem reddentes: Meon præterea anetho, cyperum porro, aſarum hederæ, phu ſmyrnio, & bacilli, & illud huic ſæpißimè comparantes. Vnde fieri non poteſt, quin aliquis, non prius perſpectis vnà cum doctißimis ac exercitatißimis præceptoribus plantis quibuslibet, cum quibus aliæ iniſſe tum ſimilitudinem, tum etiam cognationem narrant auctores; & non habita hoc modo earum ratione, poßit vnquam ex ſolis libris cum ſtirpium imaginibus, vel ſine ijs editis, in ſummum & perfectum herbarium euadere. Quamobrem etſi ſtirpium imagines, quæ magno tum pictorum, tum typographorum ſtudio libris excuduntur, inſpicientium oculos blandè admodum detineant, atq; illas prius à nobis cognitas in memoriam reuocent, magni tamen eas eſſe emolumenti ijs non crediderim, qui viſu & præceptorum auxilio numeroſam earundem partem non acceperint prius: quanquam fortaſſe ſecus vulgus exiſtimet.*

Notandum.

*Adhibeant igitur curam ij, quibus in animo eſt rei herbariæ peritiam adipiſci, vt in primis viros huius rei non imperitos ſibi præceptores aſciſcant: deinde vt aſſueſcant per diuerſa temporis interſtitia, montes adire, valles, ſyluas, ac cætera terræ loca, vbi oculis, reliquiſq; ſenſibus ſimplicia medicamenta inſpicere, & cognoſcere valeant. Quos nec pigeat ſe conferre ad fodinas, vbi metallica & foßilia medicamenta tam diligenter contemplentur, vt legitima quæq; deinde ab adulterinis diſcernere ſciant. Neq; ſolum in fodinis ipſis verſari debent, ſed etiam in fornacibus, vbi metalla funduntur: nam ibi & diphrygem, & pompholigem, & ſpodium, & cadmiam, & argenti ſpumam, & alia nonnulla dignoſcere poterunt: quæ hac noſtra ætate factitia, ſpuria, & adulterata in myropolijs ferè omnibus habentur. Quin & ad magna emporia, luculentißimaſq; ciuitates ſe conferant, vbi peregrina vndique importata veneunt.*

Vanum & ſuperſtitioſum incantationibus vti, dũ plantæ effodiuntur.

*At certè ridiculi ſunt qui inter legendum tum herbas, tum etiam radices, vana ducti religione, quibuſdam verborum, carminum, & ſuffimentorum ſuperſtitionibus vti præcipiunt, quaſi vires, & facultates medicamentorum verba, & carminum incantationes infundere, augere, & diminuere valeant: vt ſtulti, & ſuperſtitioſi falsò credere, & affirmare non erubeſcunt. Quos tamen lib. VI. de ſimp. med. facul. ſuperius citato acerrimè damnauit Galenus, ſic inquiens. Et Pamphilus eum in modum tractatum de herbis compoſuit, verùm is ad fabulas verſus aniles eſt, ſimulq; præſtigiaturas quaſdam, iunctis nonnullis incantationibus, quas, cùm herbas colligunt, admurmurant. Et ſanè vtitur ijs πρὸς περίαπτα id eſt, ad quæ ſuſpenduntur, & ad alias manganeias non ſolum curioſas, & à medicina alienas, ſed etiam falſas vniuerſas. Ex hac Galeni ſententia omnibus palam fit, quòd ſi modò commentarios aliquos admittamus, omißis omni ex parte ſuperſtitioſis, eos tantùm legere debeamus, atque in ijs nauare operam, in quibus vera, & exculta ſimplicium doctrina nitet. Quos præſertim poſteritati donarunt ij, qui exactam eorum peritiam indefeßis laboribus ſunt conſecuti: inter quos omnium primus eſt Dioſcorides. Ideoq; iure quidem eodem loco cæteris à Galeno præfertur, cum inquit. At Pamphilus, is ſcilicet, qui libros de herbis compoſuit, planè ex iis, quæ vel ipſe ſcribit, præ ſe fert Grammaticum, indicatq; ſe nec conſpexiſſe herbas, quas exponit, nec vires earum expertum, ſed iis, qui ante ipſum ſcripſere, fidem habuiſſe citra vllam explorationem. [illegible] exſcripſit fruſtra annexo ad vnamquamq; herbam nominum aceruo: deinde etiam exponens, ſi qua ex homine ferebatur transformatio: tum incantamenta, & libationes, atq; thymiamata, quæ in colligendis illis adhib[illegible] bens: nec non & alias eiuſmodi præſtigiaturas nugaces.*

Dioſcorides à Galeno maximè commendatur.

*At Dioſcorides Anazarbenſis quinq; libris materiam omnem vtilem abſoluit, non herbarum tantùm, ſed & arborum, & fruticum, & ſuccorum, & liquorum: memorans inſuper & metallica omnia, & partes animalium. Et mihi vtiq; videtur omnium perfectißimè tractatum de materia medicamentorum confeciſſe. Nam licet à maioribus multa de illis bene ſcripta extent, tamen à nemine omnium æque de omnibus. Cæterum quæ ſcripta reliquit Heraclides Tarentinus, & Crateuas, & Manteias, non in ordinem digeſta, nec in vnum omnia collecta viſuntur, quemadmodum illa, quæ ſcripſit Dioſcorides. Et primo de antidotis volumine: Ac de omni quidem (inquit) medica materia ſufficienter à Dioſcoride quinq; libris traditum eſt, à quo tibi diſcere licet cùm alias omnes notas, tum guſtu, olfactuq; perceptas, quibus maximè probatiora medicamenta à deterioribus cognoſcuntur & diſcernuntur. Hinc ergo auctoritate Galeni ſatis perſpicuum eſſe poteſt omnibus Medicis, itemq; ſeplaſiariis, ad quos potißimùm ſpectat rei Medicæ cognitio, in ea ſimp. medicamentorum facultate Dioſcoridem cæteros excellere, & facilè primas tenere.*

Dioſcorides in ſimplicium medica materia, primas tenet.

*Quapropter ab iis præclarißimè ageretur, ſi eius ſcripta tantiſper legerent ac perlegerent, perpetuoq; in ſinu geſtarent, donec eum planè ſibi familiarem redderent, & hoc quidem eo præſertim tempore facerent, quo à peritißimis præceptoribus vera, ac legitima ſimplicia tum oculorum, tum guſtus, tum olfactus ſenſibus offeruntur. Quod eo citius ducet illos ad optatum finem, quò magis Dioſcoridis præclara ſcripta caſtigatißima, & à mendis quàm plurimis expurgata reperient. Quinetiam noſtris commentariis, qui præterea Galeno referunt acceptum ferè quicquid ipſe ſcripſit de ſimplicium medicamentorum materia, ita dilucidata & illuſtrata, vt maximã (ni fallor)*

ſecum

ſecum adſerant claritatem. Huic igitur ſoli ſe dedant, hunc ſolum ſequantur ob iam dictas rationes omnes ii, qui non modò ſtirpium, ſed & reliquorum ſimplicium medicamentorum doctrinam & facultatem conſequi volunt. Ac contra tum vulgò ſemper ignaro, tum iis etiam, qui coaxantium ranarum inſtar, è ſordido paluſtrium aquarum limo caput exerere nequeunt, nugaces, ac penitus deteſtabiles quorundam libros vbi ſimplicium & compoſitorum materia ab iis tractatur, qui vix lactucam nouiſſent, niſi eorum cœnis frequentiſſima extitiſſet: pariterq́; vrticam, niſi acerrime tangentes pupugiſſet.

Libri explodendi.

Quorum inſcitiam animaduerſus Galenus, contra eos locutus eſſe videtur lib. 6. de ſimplic. medic. facultat. præfatione breuiter & ſcitè, ſic inquiens. Verùm abſtinendum eſt a multis mendacibus, multóque etiam magis fugiendus eſt Pamphilus, qui ne per ſomnium quidem herbas vidit, quarum aggreditur figuras perſcribere. Nam id genus hominum (quomodo aſſimilauit eos Heraclides Tarentinus) ſimillimum eſt præconibus, qui formam ac notas fugitiui mancipii, licet ipſi non viderint vnquam, præconio tamen publicant, notas enim ab aliis, qui norunt, accipiunt, & ceu cantilenam eas proferunt, vt ſi fortè is, quem præconio indicant, adſiſteret, agnoſcere tamen non poſſent. Hucuſque Galeni verba.

Galeni verba notanda.

Quæ longè ſatis ſufficere poſſunt ad eorum monitionem, qui ad ſimplicium materiam noſcendam per rectum oſtium introire cupiunt, & ſecuro totius itineris greſſu progredi. Verùm in primis, vt opportunè ſingula demetantur, noſſe oportet tempora, quibus maximè plantæ viribus valeant.

Tẽpus, quo ſtirpiũ partes legẽdæ ſint.

Quapropter à radicibus initium ſumentes, dicimus harum vires, ſicut etiam aliarum ſtirpium partium, non eodem anni tempore æquè in omnibus reperiri, quandoquidem aliæ hoc tempore, aliæ verò illo humore prægnantes deprehenduntur. Tametſi non deſint, qui haud quaquam infirmis rationibus innixi, radices è terra eruendas aſſerant ſemper autumno, cùm ſcilicet folia decidunt, & caules contabeſcunt: alii verò ineunte vere, priuſquam folia concreſcant: ſiquidem hiſce temporibus radicibus maior vis ineſt, quàm cæteris partibus.

Radices quãdo effodiendæ.

Sed vt ingenuè in hac re fatear quid ſentiam, crediderim ego omnino maiorem ſucci vbertatem inueniri in his, quæ vere effodiuntur: quippe quòd plantæ nondum caules, folia, neque flores emiſerint, à quibus omnis radicum ſuccus exhauritur. Sed & rationi conſonum mihi videtur, autumnales radices omnes tum paucioris, tum imbecillioris eſſe ſucci, quàm vernales, quòd ſcilicet pauco ante tempore & caules, & folia, & fructus ediderint. Non tamen inficiari velim, quòd quæ vere leguntur, copioſiore, quàm par ſit, humore redundantes, illóque longè minus concocto eo, qui in autumnalibus habetur, putredini & corruptioni non ſint magis obnoxiæ, præſertimque ſi longo aſſeruentur tempore. Quare à Dioſcoride animaduerſa, is ſanè iuſſit ſtirpium radices effodiendas eſſe, cùm ſtirpes ipſæ foliis exuuntur. Quod cùm variis anni temporibus eueniat pro natura diuerſarum plantarum, curam impendere oportet, vt ſuo tempore vnaquæque radix integrè, ſi fieri poteſt, cum omnibus ſuis adnatis euellatur, & in iis locis, atque ſub ea cœli conſtitutione, quam maximè familiarem habet. Porrò radices abunde nutritæ ſint oportet, ac omni putredine, & tabe vacantes: non ita tamen, vt præ nimio alimento ex pingui ſolo, vbi naſcuntur, accepto, debitam & humoris copiam, & corpulentiæ metam excedant, neque vt eiuſdem alimenti inopia inanes, & rugoſæ reddantur.

Radicũ optimarũ notæ.

Quod cùm maximè perſpexiſſet Galenus de iridis radicibus diſſerens libro primo de antidotis: In vniuerſum (inquit) ex omni medicinarum genere illæ radices inutiles habentur, quæ inanes ſunt, & rugoſæ. Atque illæ quidem deteriores ſunt mediocriter nutritis, & mediocrem magnitudinem nactis, quæ craſſitudinis modum excedunt, & plus humoris in ſe continent, quàm illis vſu veniat. Hæc Galenus. Cæterùm vbi radices è terra fuerint exemptæ, primùm quidem tamdiu aqua clara elui debent, donec omni vndique terra vel limo penitus abſtergantur: mox deradi tum à fibris, tum capillamentis omnibus, quibus vniuerſim ferè omnes comantur: poſtremò ſiccari eas conuenit omni adhibita cura.

Radices quomodo mundandæ, ſiccãdæ, ac cõſeruandæ ſint.

Quòd ſi fuerint quales fœniculi, apii, aſparagi, ruſci, polipodii, rubiæ, intubi, & conſimilium, in vmbra, vbi orientales venti reſpirent, diligenter ſiccentur. At omnino cauendum eſt, ne ſole feriantur: quippe quoniam potior earum pars ab eis proculdubio euaneſceret, vtpote raris & tenuibus. Verùm enimuero ſi ex eis fuerint, quæ natura craſſæ ſunt, veluti gentianæ, helenii, mandragoræ, bryoniæ, & id genus aliæ, & aër ſit nubilus, & hyems, ne in vmbra ſitu tabeſcant, ac proinde marceſcant, in ſole ac vento tutò ſiccari poſſunt. Quod commodius fieri poteſt, ſi fruſtatim diſſecta ita tenui funiculo traiiciantur, vt partes non ſe contingant, aut cratibus impoſitæ quotidie ſæpius manibus reuoluantur. Atqui curandum eſt, antequàm ſiccentur, vt lignea matrix, quæ omnibus ferè radicibus includitur, ipſis in longum ſciſſis, integra eximatur; quippe omnino inutilis eſt, nullámque vim obtinet: etſi gentiana, cyclaminus, ariſtolochia rotunda, iris, bryonia, centaurium maius, nymphæa, aliæque complures abſque matrice ſuas præ ſe ferant radices.

Radices quibus in locis exiccatæ ſint ponendæ.

Siccatis radicibus, quòd planè conſtet eas ſine tabe, & teredine per tempora adſeruari poſſe, iis reponantur in locis, ad quæ ſolares radii non penetrent, neque fumo pateat aditus, & quæ neque vliginoſa ſint, neque puluerulenta. Sit igitur locus eminens, & ſiccus, ad ſeptentrionem vergens, vel etiam ad meridionalem plagam, quando ſcilicet radices ipſæ non prorſus exiccatæ reconderentur: adhibita tamen cura, ne eo tempore auſtri humidiſſimi flatus admittantur. Ita denique recondi, ac ſeruari poſſunt tot annis, quot ab inanitate, teredine, & tabe vindicari valeant. Nam etſi quæ tenues ſunt, vt aſari, phu, aſparagi, ruſci, & id genus aliæ, anno duntaxat perennent: veratrum tamen vtrunque, quamuis radicibus conſtet tenuibus, ad trigeſimum annum vſque perdurat.

Veratrum vtrumque triginta edurat annis.

Cæterùm demetendi tempus, recondendi locus, perdurandi terminus, non modò in radicibus obſeruandus, ſed & in cæteris tum ſtirpium, tum etiam animalium partibus, vt in hirci ſanguine, lupi iocinore, inteſtino, ac etiam ſtercore, vulpis pulmone, apri veſica, anguium ſenecta, aliiſque conſimilibus. Aſſumantur igitur hæc omnia eo demum anni tempore, quo magis ſuis viribus ſunt præditæ, nullo planè modo neglecta temporum ratione, quibus ſingula decerpi poſtulant. Neque enim damnandi ſunt, qui in quibuſdam plantis colligendis quædam decreta tempora, nonnulloſque errantium ſiderum aſpectus obſeruant: quippe quòd apud graues auctores ſcriptum inuenerint, pæoniæ radices contra comitiales non eſſe euellendas, niſi decreſcente luna.

Non eſt ab re certis temporibus herbas colligere.

Quæ quidem opinio non prorſus reprobanda videtur, nec ad ineptias incantationum, aliarumq; vanitatum, quas ſtultè (vt Galenus inquit) prodidit Pamphilus, comparanda. Nam cùm inferiora terreſtria à ſuperioribus cœleſtibus gubernentur & regantur, fieri maximè poteſt, vt luna, vt quæ cæteris errantibus ſideribus eſt nobis magis proxima, motuq; velociſſima, maximam cum plãtis omnibus, ac rebus quibuſuis aliis habeat rationẽ, tum cùm augetur, tum etiam cùm minuitur ſingulis menſibus. Quamobrem non temerè à Galeno proditum eſt, Alyſſum herbam tantùm ſirio ardente ad canum rabioſorum morſus eſſe euellendam, ſicuti etiam fluuiatiles cancros ad idem peridoneos. Quo etiam tempore capiantur ſcorpiones: atque Anchuſa radice conſtat ſanguineo ſucco madente. Quemadmodum & ſtirpes, quibus facultas

Quibus in locis plantæ colligi debeant.

*excalfaciens inſit, perpetuò in locis calidis, ac ſiccis demetere conuenit. Quocirca Hippocrates ad Crateuam ſcribens: Adnitere (inquit) quantum potes, vt nobis montanas maximè, & in altis collibus naſcentes herbas à radicibus reſeces: quandoquidem hæ firmiores, atque acriores ſunt iis, quæ aquoſioribus naſcuntur locis: idque, quòd in montibus terra ſit denſior, & aer tenuior: nam quod attrahunt plus virium ſortitur. Quinetiam dabis operam, vt flores ex his herbis etiamnum decerpas, quæ circa ſtagnantes aquas, paludes, fluuios, & fontes prodeunt, quas ſanè debiles, & exolutas, ac dulcis ſucci eſſe ſcio. Omnia autem medicamenta, quæ ſucci, & liquoris fluidi ſunt, in vitreis vaſis ferantur, quæ verò folia, aut flores, aut radices ſunt, in fictilibus nouis probè obturatis, vt ne ventis perflata, medicamenti vigorem, veluti in animi deliquium collapſa, amittant. Hæc Hippocrates.*

Herbæ quo pacto legendæ ſiccandæque ſint.

*Herbæ ſimiliter, atque radices, legendæ ſunt, ſiccandæ, ac aſſeruandæ, his tamen demptis, quæ tum in medicinæ vſu, tum in cibis, tum etiam in obſoniorum condimentis quotidie virentes vſurpantur, veluti lactuca, intubus tam domeſtica, quàm agreſtis (cichorium appellant) portulaca, bugloſſum, beta, atriplex, blitum, braſſica, viola nigra, malua, helxine, linozoſtis, ocimum, apium, hyoſcyamus, ſedum, plantago, aſparagus, acanthus, & alia complures. Atque non ſolum refrigerantibus herbis, verùm etiam excalfacientibus recentibus vtimur: plerunque enim ex calida poteſtate præditis virides ſiccis præponimus, præſertim vbi minus calefacere ſit opus: ſiquidem humor in virentibus exuberans earum calorificam facultatem haud parum demulcet. Cuius quidem claſſis habentur amaracus, eruca, naſturtium, mentha, abſinthium, thymus, ſatureia, ruta, calamintha, ſiſymbrium, pulegium, abrotonũ, & id genus permulta.*

Plantæ, quæ colligi poſtulant floribus ornatæ.

*Sunt præterea & alia, quæ demetiri expetunt, cùm primùm floribus ornantur, vt centaurium minus, viola purpurea, origanum, ſymphytum petræum, pulegium, ſerpyllum, amaracus, polium, thymus, chamædrys, chamæpitys, anthemis, chryſanthemum, ſtœchas, hyſſopum, fumaria, aliæque conſimiles plantæ, quas ne longior, quàm par ſit, eſſe videar, ex induſtria prætereo. Hæc igitur omnia ſerena cœli conſtitutione, non nubibus, non imbribus infeſtis in primis colligantur oportet. Deinde terra expurgata, atque aliis aduentitiis excrementis amotis, diligenter in vmbrâ ſiccentur. Niſi ex eo genere habeantur, quæ caulis craſſitudine, vt in acantho, vel foliorum lentore, craſſitie, & humoris exuberantia, vt in portulaca, & crithamo, omnino inſolari expetant: quandoquidem ſi eiuſmodi herbæ in vmbra ſiccandæ reponantur, dubio procul ſitu obducentur, & putreſcent. Cæterùm cum rectè ſiccatæ fuerint, decuſſo puluere, in ſacculis ex corio, vel ligneis capſulis recondantur, ac diligenter claudantur, ne earum vires euaneſcant.*

Officinarum lapſus in herbis ſiccis reponendis.

*Quare errant ſeplaſiariorum plerique, qui herbas iam ſiccatas in faſciculos digerentes ad officinarum laquearia ſuſpendunt, vbi non ſolùm breui viribus deſtituuntur, aeris ambientis excuſſione, ac ventorum perflatu, ſed etiam puluere, & aranearum telis obſiduntur: quin etiam muſcarum ſtercore, quæ illis die, noctúque inſident, labefactatæ nigricant. Neque verò planè laudibus efferendi ſunt ii, qui in linteis ſacculis, ipſiſque textura admodum raris eas trabibus appendere conſueuerunt: quippe æſtiuus aer in ipſos penetrans, quicquid boni ineſt, abſumit, & abolet: quinetiam puluere obſitæ corrumpuntur, & contabeſcunt. Idcirco vt tam herbæ, quàm radices ſuas integras aſſeruent facultates, nihil quidem præſtantius, quàm eas capſulis tiliaceis, vel piceis, vel fictilibus diligenter clauſis reponere, vt docet Hippocrates ad Crateuam his verbis ſcribens. Omnia medicamenta, quæ ſucci, & liquoris fluidi ſunt, in vitreis vaſis ferantur, quæ verò folia, aut flores, aut radices ſunt, in fictilibus nouis probè obturatis, vt ne ventis perflata, medicamenti vigorem, velut in animi deliquium collapſa, amittant. Quod ſi Hippocrates in recentibus obſeruandum præcipit, id maximè in ſiccis fieri operæpretium erit.*

Flores quo tempore ſint decerpendi, ſiccandi, ac recondendi.

*Flores inſuper non ſecus, atque reliquæ plantarum partes, eo tempore colligendi ſunt, quo magis ſuo in vigore conſiſtunt, non autem cùm iam flacceſcentes decidui euaneſcunt. At capparum flores muria aſſeruandi, antea quàm ſe explicent, decerpuntur. Roſarum verò cum non planè explicati viſuntur: cæteri deinde cùm omnino expanſis foliis patent. Verùm cum maiori ex parte omnes ferè flores ſint herbis fragiliores, molliores, & tenuiores: idcirco tantum abeſt, vt in ſole ſiccandi ſint, vt ne quidem in vmbra, ſi calida, vel eminentia fuerint loca: quippe, vt ſolis feruore, ſic & aeris calore nimio exoluuntur. Siccentur igitur in locis temperatis, quo tempore ſæpius reuoluantur, ne ſitum contrahant, adhibita etiam cura, ne ſicci natiuum colorem deperdant: quandoquidem certum eſt flores, qui inter ſiccandum à proprio colore degenerant, nullius eſſe in medicina vſus. Itaque perbellè ſiccantur ſuper linteis extenſi, velaminibuſque contecti. Siccantur autem probè vbi ſubſtratis linteaminibus ſparguntur, & iiſdem lenibus operiuntur. Flores itaque in vniuerſum ſicci ad annum duntaxat edurant, etſi anthemidis, centaurii, chryſanthemi, millefolii, ſpartii, & roſarum flores etiam longiori aſſeruentur tempore, ſi ligneis arculis optimè incluſi diligenter recondantur. Non minori etiam ſtudio ſunt colligenda ſemina tam ea, quæ ſuis in ſtirpibus nuda innaſcuntur, vt lithoſpermi, fœniculi, anethi, & cari: vel vaſculis, aut capitulis incluſa, vt papaueris, nymphææ, melanthii, hyoſcyami, & ocimoidis: aut ſiliquis tecta, vt fabæ, ciceris, phaſioli, dolichi, & lupini: aut corniculis recondita, vt fœni græci, ſertulæ campanæ, ſinapis, & erucæ: aut variis inuolucris contenta, vt ea, quæ circa medullam quorundam fructuum intus conduntur, quale eſt mali medici ſemen, aurantii, limonis, pyrorum, cydoniorum malorum, peponum, & melopeponum, cucurbitæ, & cucumeris. Veruntamen hæc aſſumere oportet, cùm fructus, à quibus eximuntur, ſuam maturitatem planè ſenſerint: illa verò, vbi herbæ iam ſiccæ, non amplius virent. Et quamuis multa reperiantur ſemina, quæ ad annum vltrà ſuas aſſeruent vires, ea tamen quotannis renouare ſatius, ac tutius erit: ſiquidem pauca ſunt, quæ inueterata rancorem non redoleant, quo fit, vt calorem naciſcantur extraneum, & ſibi non congenitum. Vbi igitur ſicca fuerint ſemina, arculis ligneis reponantur in locis ſiccis: facilè enim contrahunt locorum humores.*

Fructus quãdo decerpendi, & quomodo conſeruãdi.

*Cæterùm fructus, quemadmodum pruna, ſerica, myrti baccæ, cydonia mala, ceraſa, quæ vulgò maraſcas vocant, corna, ſorba, ficus, punica mala, & alia id genus, quæ in medicinæ vſum reponuntur, operæpretium eſt, vt maturi ex arboribus decerpantur: quanquam ſorba, vt ſiccentur, immatura decerpere conueniat. At animaduertendum eſt, quòd vbi adſtrictione, & repreſſione ſit opus, fructus adſtringentes vt paululum potius immaturi, quàm ſecus, demetantur oportet. Porrò iuglandes, amygdalæ, piſtacia, nuclei pinei, & auellanæ non prius ex arboribus excutiantur, quàm planè vltimum maturitatis gradum ſenſerint. Id autem rectè cognoſcitur, cùm extima inuolucra ſponte ſua dehiſcunt, & arbore concuſſa vnà cum fructibus decidunt, alioquin inſolata contrahuntur, & ſiderantur. Ex his igitur, qui ſiccati aſſeruantur, capſulis ligneis potius, quàm ſaccis recondantur, ne extraneos humores concipiant. Qui verò per annum recentes reponuntur, aut maiori ex anni parte perdurant, in locis ſiccis minime aſperginem redolentibus appendantur, vt aſſolet de vuis, pyris, malis cydoniis, & punicis: aut ſuper paleas expandantur, vt fit cum malis, ſorbis, ac meſpilis: aut hordeo, vel milio ſepeliantur, quemad-*

modum

Cortices quomodò ſiccandi, & reponendi.

Succi quomodo exprimendi, conſeruandíque ſint.

*modum medicæ, & aurantia mala. Cortices præterea, qui fructibus auferuntur, vt cytriis, punicis, & cucurbitis: quique arboribus decerpuntur, veluti thuri, ligno guaiaco, ſambuco, ac fraxino: qui item herbarum radicibus detrahuntur, vt capparum, mandragoræ, thapſiæ, alypiæ, pityuſæ, ac aliarum, non ſecus ſunt ſiccandi, atque radices: quinetiam ſimiliter reponendi. Succi quoque, vtpote in medicina admodum neceſſarii, omni prorſus diligentia, ac ratione ſunt conficiendi, atque ita aſſeruandi, vt toto anni curriculo putredinem non ſentiant. Ii igitur non ſolùm ab herbis eliciantur oportet, ſed etiam à radicibus, ac fructibus. Qui è radicibus exprimuntur, vt glycyrrhizæ, vere quidem parandi ſunt, cùm primum folia emergunt. Ex foliis verò, antè quàm ſtirpes flores edant, & earum caules lignoſi fiant. Ex fructibus denique, quidam cùm ipſi vltimam maturitatem ſenſerint, cuiuſmodi eſſe debet malorum punicorum, citriorum limonum, & ex myrti baccis: quidam verò antequam ad plenum maturuerint, ut ex iuglandibus, moris, pyxacantha, liguſtri baccis, & acacia: quidam ex immaturis adhuc vuis, vt omphacium. Horum omnium nonnulli diu inſolati, aut lento igne ſiccati reponuntur, vt aloes, ſylueſtris cucumeris, abſinthii, eupatorii, hypociſtidis, glycyrrhizæ, & huiuſmodi generis: aliqui verò humidi, fluxibileſq; reconduntur. Atqui non omnibus eadem eſt conſeruandi ratio: quippe alii paululum primùm ad ignem feruefacti, moxq; diligenter defæcati, vt fieri ſolet de ſucco roſarum, intubi, bugloſſi, oxalidis, lupulorum, apii, & fœniculi. Alii verò ignem non experti tantùm ſubſidere permittuntur, ac deinde vaſis tandiu transferuntur, donec defæcati pelluceant. Quod fit de ſucco malorum punicorum, citriorum, limonum, cydoniorum, & mororum. Veruntamen diligenti admodum animaduerſione opus eſt (vt Galenus inquit lib. 6. de medicamentorum compoſitione ſecundum locos) in ſuccis liquidis conſeruandis: quandoquidem facilè corrumpuntur, niſi feruefactis prius, & mox à fecibus omnibus percolatis, olei parum ſuperponatur, vt optimè norunt ſolertiſſimi pharmacopolæ.*

Gummi lachrymæ, & reſinæ.

*Adhac habentur varia liquorum genera, quæ quàm plurimis ex plantis diſtillant, ac defluunt, quorum alii gummi, alii reſinæ, alii lachrymæ vocantur. In gummi genere ſunt opopanax, laſer, ammoniacum, ſagapenum, euphorbium, galbanum, bdellium, myrrha, thus, opocalpaſum, ſarcocolla, ſtyrax, & id genus alia. In reſinarum verò cenſu ſunt terebinthina lentiſcina, ſtrobilina, pinea, picea, larigna, & abiegna. In lachrymarum denique numero ſunt lac, quod ex papauerum vaſculis excipitur, propriè opium appellatum, ſcammonium, quodque ex thapſia fluit, tithymalorum omnium lac, cancamum, tragacantha lachryma, quiq; defluit è vitibus liquor, ex pruno, amygdalo, & ceraſo. Quin & illud, quod vulgus Arabicum vocat gummi, quanquam non deſunt, qui tam hoc, quàm prunorum, ceraſorum, & amygdalorum lachrymas malint in gummi potius referre, quàm in lachrymas. Sed quoquo modo res habeat, eò tantùm ſumma harum rerum ſpectat, vt exacta ſcilicet earum notitia habeatur, quippe non deſunt mangones, & impoſtores, qui eas adulterent, quemadmodum & medicamenta metallica.*

Dioſcorides defenditur à calumnia.

*Poſtremò ſi forſitan cuipiam naſuto videretur Dioſcorides non parua erroris culpa ſuſpectus eſſe, quòd in hac præfatione abſolutè pronuntiauerit, ex omni herbarum genere ſolum Veratrum multis edurare annis, reliqua verò à trimatu inutilia eſſe, cum tamen in pluribus locis eius ſententiæ reclamet Theophraſtus antiquiſſimus plantarum ſcriptor: dicimus, vt hos ab huiuſcemodi opinione diſtrahamus, quòd cùm Dioſcorides extiterit in hac facultate peritiſſimus, conſummatiſſimus, & omnium facilè princeps, grauiſſimo quoque Galeni teſtimonio, non modò non credendum videtur, ſed ne cogitandum quidem, quòd non calluerit is omnes ſtirpium proprietates, quodq; haud ſtudioſè legerit ea, quæ ante ipſum trecentis, aut pluribus annis poſteritatis memoriæ mandauerat Theophraſtus, & aliorum veterum plerique: præſertim cum nobis perſpicuum ſit, quantum in his rebus deſcribendis fuerit ipſe apprimè fidelis, & diligens. Verùm omnibus perſuaſum eſſe debet, quòd ſicuti in quibuſdam locis huius voluminis ſcriptura deficit, in aliis ſpuriis additionibus redundat, in aliiſq; quandoque ſcatet mendis, ſcriptorum culpa, atque etiam eorum, qui in ſcribendis, vel excudendis auctorum voluminibus plus, minuſue curæ impenderunt, quàm ſua intereſſet, ita etiam in hac præfatione eueniſſe facilè potuit. Quare pro certo crediderim, longe plura hic deſiderari, quàm ea, quæ hac in re tradiderit Theophraſtus, qui veratrum ait triginta perdurare annis, ariſtolochiã quinque, vel ſex, chamæleonta nigrum quadraginta, centaurium maius decem, vel duodecim, peucedanum quinque, aut ſex, vitem ſylueſtrem vnico duntaxat anno, elaterium centenis annis, ita vt repertum eſſe atteſtetur elaterium ducentorum annorum, quod optimum erat, & pretioſum. Harum itaque rerum hiſtorias omnes tantum abſit, vt credamus non legiſſe, notaſſe ac monumentis tradidiſſe Dioſcoridem, vt ne imaginemur quidem, etſi ſcriptis ſuis non extent: quin potius locus iſte nobis ſuſpectus & deprauatus habeatur. Idcirco non Dioſcoridi, ſed ſcriptorum, & librariorum incuriæ id vitii adſcribendum eſt:*

Simplicium nomina varia Dioſcoridi adulterina.

*quemadmodum additionum redundantia accuſantur ii, qui, vt earum auctores eſſent, ab re hoc opus augere, atque illuſtrare exiſtimarunt, quales ſunt ſpuriæ additiones illæ, quæ plura & Græcorum, & Hebræorum, & Arabum, & Chaldæorum, & Aegyptiorum, & Magorum, & Latinorum, aliarumq; linguarum nomina coaceruant, atque in omni ferè plantarum hiſtoria in pluribus voluminibus Græcis ſtatim occurrunt ſingulis capitibus. Quæ facilè ex Pamphilo depromta fuerunt: argumento quòd (vt ſuperius dictum eſt) ei rem hanc vitio vertat Galenus, atque ſine vlla ratione ſint in hoc Dioſcoridis volumẽ importata. Cuius rei nobis poſtea præbuit teſtimoniũ, quòd in quibuſdam antiquis bibliothecis legitima Dioſcoridis volumina reperta ſint Græcè pluribus centenis annis ſcripta, in quibus nullum prorſus ex his ſpuriis nominibus legebatur. Quorum vetuſtam auctoritatem ſimul cum doctiſſimo Ruellio ſecutus, in meis verſionibus Italica lingua conſcriptis omnia illa nomina adulterina ab opere abdicaui, quemadmodum facturus ſum in hoc Latino Dioſcoride: etſi Hermolaus, & Marcellus vulgatis exemplaribus decepti, nomina illa ſuis interpretationibus reliquerint, tanquam Dioſcoridi legitima. Sed quoniam non minus vtile, quàm neceſſarium duximus, vt omnes ii, quibus in animo eſt plantarum peritiam aſſequi, ſciant ad vnguem quo arbores à fruticibus diſſideat, frutices ipſi à ſuffruticibus, & ſuffrutices ab herbis, dixerim ego Theophraſti auctoritate, omnes illas ſtirpes Arbores appellari debere,*

Arbores.

*quæ ab radice ſtatim ſimplici caudice ſurculoſo, diſſolutuq; contumaci aſſurgunt, à quo per interualla tanquam brachia, exorti rami latius diffunduntur, vti olea, ficus, malus, pyrus, quercus, ilex, & id genus aliæ.*

Frutices.

*Frutices verò, quæ ab radice caudice multiplici, ramoſoq; ſeſe attollunt, in quorum claſſe ſunt rubus, roſa, paliurus.*

Suffrutices.

*Suffrutices, qui inter herbarum genera annumerantur, ab radice caulem emittunt, ligneſis adnaſcentibus ramulis, foliiſque minutis, quæ non velut aliarum herbarum folia quotannis areſcunt, & decidunt, ſed perpetuis foliis toto anno vireſcunt, vt ſtœchas, ladanum, ruta, hyſſopum, ſaluia, & eiuſdem generis alia.*

Herbæ.

*Herbarum deniq; generi ſubſcribũt reliquæ plantæ, quæ inter initia folia tantum ſine caule pãdunt, ac deinde in caulem erectæ, flores, & ſemina ferunt, vt cerealium omnia genera, olera, quæ in hortis ad cibos ſeruntur, & ſylueſtrium ferè innumeræ, quæ ſponte ſua in pratis,*

*campis, ac aliis compluribus locis proueniunt: tametſi ex eis nonnulla habeantur, quæ neque caulem, neque flores, neque ſemina gignunt, vt phyllitis, aſplenum, cynogloſſum, hemionitis, onoſma. His ita determinatis, ſciendum præterea eſt, herbas aſſiduo quodam cultu, ac diligentia nonnunquam arboreſcere, quod maximè maluæ accidit. Hanc enim pluries vidi ſenis, ſeptenisve menſibus cultam, tanta caudicis longitudine, craſſitudine, & duritie proficere, vt haſtæ inſtar grandeſceret. Frutices quoque aut temporis diuturnitate, aut cultorum mangonio in arbores non pumilas exeunt, vt vitex, hedera, myrica, paliurus. Contrà ſimiliter fit, vt arbuſculæ quædam, ſi deſit alimentum, aut ſi nullo cultu adhibito dimittantur ſylueſcere, à ſua natura ita recedant, vt in frutices degenerent. Quandoquidem hi tum per adultam ætatem, tum per cultus rationem, vendicato ſibi robore, craſſos prædurosq; fundunt caudices ac ramos. Illæ verò tãquam indomitæ ſurculis, ſtolonibus, ac germinibus, qui circa caudicem & radices adnaſcuntur, luxuriantes, ſolidos ita ramos debilitant, & infirmant, ſubrepto illis humore, vt in frutices ſenſim elangueſcant, vt myrto, lentiſco, & corylo quandoque eueniſſe comperimus.* **[Plantarum degeneratio.]**

**[Stirpiũ mutatio.]** *Tantum enim in plantis naturæ germanitas poteſt, vt non ſolum ſæpe prædictos præſtet effectus, ſed etiam vt alteram in alteram ſtirpem facilè vertat, vt caſſiã in cinnamomum, ſiſymbrium in mentham, triticum in lolium, hordeum in auenam, & ocymum in ſerpyllum. Porrò ex his omnibus herbarum generibus quædam ſatiuæ ſunt, quædam agreſtes. Has volunt nonnulli priores fuiſſe ſatiuis, cùm earum permultas domitæ cultu feritate manſueſcere in hortis liquidò conſtet: etſi in permultis quoque & ſylueſtre, & ſatiuum genus inueniatur, quarum aliæ fœcundæ ſunt, aliæ ſteriles: aliæ florent, aliæ floribus orbantur: aliæ perpetua fronde virent, aliæ folia amittũt. Quod non aliunde prouenire ſcribit Theophraſtus, quàm à loco ipſo, vbi naſcuntur, ſicuti ab aëre eas ambiente: tametſi id accidat interdum particulari radicum vitio.*

**[Plantæ melioreſcũt cœli clementia, & loci amicitia.]** *Magni quippe refert, vt fœcundæ, floridæ, & perpetuò virentes plantæ conſeruentur, ſi clemens cœli conſtitutio, ſituſq; germanitas adſit. Quare nil mirum, ſi circa Memphim, & in Elephantio agro ficubus, ac etiam vitibus folia nunquam decidant, quòdque in inſulis, aliiſque regionibus nuper in Indiis occidentalibus à Luſitanis, & Hiſpanis repertis, nulla ſpectetur arbor, quæ ſempiterna coma non vireat. Neq; item admirãdum, quod reperiantur arbores proceriores, virentiores, aſpectu pulchriores, & magis frondibus & fructibus exornatæ in hoc loco, quàm in illo: namq; aliæ hoc ſitu lætãtur, aliæ illo, pro ſuæ quæq; naturæ ratione.*

**[Plantarum ſitus naturales, vbi lætæ naſcuntur.]** **[In Montibus.]** *Proinde videmus, quod quæ mõtes amant, vt cedrus, larix, abies, pinus, picea, terebinthus, buxus, iuniperus, fagus, carpinus, ibi proceræ admodũ, formaq; inſigni proſiliunt.* **[In planitie.]** *Quemadmodum in planitierum & collium nemoribus quercus, cerrus, ſuber, ilex, lotus, vlmus, acer, fraxinus, corylus maximè proficiunt.* **[Iuxta flumina.]** *Iuxta flumina, & in aquoſis lætiores proueniunt platanus, alnus, populus vtraq;, myrica, ſalix, harundo: etſi harum permultæ non æquè lætæ in montibus, vallibus, planis, & ſyluis exultent. Id quoque diſcriminis in herbis, & fruticibus viſitur, quædam enim paludibus enaſcuntur: aliæ in lacubus, & ſtagnantib. aquis exiliunt: aliæ litora, & fluuiorum ripas deſiderant: quædam humidos, aquoſos, vliginoſoſq; amant tractus: quædam aquas odere, & ob id arida & ſaxoſa ſequuntur. Nec etiam deſunt quæ in humidis & ſiccis locis vitam ancipitem agant. Sunt deinde quæ in campeſtribus degere cupiant, quæ vinetis lætentur, quæ pratis gaudeant: præterea quæ valles, quæ colles, quæ deniq; editos quærant ſitus. Aliæ quoque vrbanioribus locis allectæ iuxta vrbium, & oppidorum mœnia in maceriis, & ruderibus prodeunt.*

**[In paluſtribus locis.]** *In paluſtribus, & humentibus locis, ac ſecus magnarum ſcrobium aggeres feliciter enaſcuntur plãtago, coronopus, poterium, ſcordium, ranunculum, eleoſelinum, ſphõdylium, lyſimachia, aliſma, chelidoniũ minus, epimediũ, põtaphyllum, erinus, equiſetũ, limonium, heliotropium paruum, verbenaca, tuſſilago, hydropiper, onobrychis, conyza tertii generis, eupatorium commune. Et magis paluſtribus gaudent cyperus, typha, ſparganium, iuncus.*

**[In lacunoſis.]** *At tã lacunoſis, quã admodũ paluſtribus innatãt, nymphæa, potamogetũ, lotus Aegyptia, colocaſia, foliis & in aquis conditis, & extra eminentibus. Malabathrum ſimiliter in Indiæ paludibus naſcitur, atq; nobis in Italia oryza, hippolapathon, ac millefolium ſtratiotes. Tribulus æquè in lacubus, paludibus, fluminibus naſcitur, atq; in mari: quorum litoribus ac ripis familiare ſpectatur nerium.*

**[Vliginoſis locis.]** *Adianthum, itemq; trichomanes vliginoſis ſpecubus gaudent, præſertim ſi ſecundum amnes exiſtant: aut aſperginoſas ſequuntur ripas: quæ præruptis locis inhærent. Vitex deinde, elichryſon, bunium, botrys, rha, fluminũ ripas accolunt.*

**[In litoribus & ſcopulis.]** *Crithamũ verò, braſſica marina, androſaces, corniculatũ papauer, dorycnium, ſolanum ſomniferũ, glaux, hipophaes, hippophaſtum, tragium, tithymalus paralius, peplis, alypon, abſinthium ſeriphum in maritimis tum in litoribus, tũ ſcopulis, tũ etiã collibus emergũt. Tripoliũ etiã in maritimis exurgit, vbi ſcilicet allidit vnda, iterumq; recedit, modò in mari, modò in ſicco degẽs. Nõ niſi aquis proueniunt bryõ thalaſſiõ, coralliũ, & alga.*

**[In fontium riguis.]** *At in riguis fontium, præſertim quæ hyeme tepeſcunt, ſiõ, atq; aquaticũ ſiſymbrium vnà innatant, vt quaſi inuicẽ fraternã videantur iniiſſe amicitiã.*

**[In aridis & ſiticuloſis.]** *Cæterũ ex his, quæ in cõtinẽti naſcũtur, arida, & ſiticuloſa loca petũt eryngiũ, ſatureia, lythoſpermõ, lycium, ſaluia, ſtachys, onoſma, lõchitis, cynogloſſũ, echiũ, bugloſſũ, chamæpitys, veratrũ nigrum. Aridiſſimis, & ſaxoſis exurgũt capparis, libanotis, ſymphytũ petræum, ſaxifragum, helxine, hemionitis, ſedi vtrumque genus, cotyledõ, cymbaliõ, polytrichõ, paronychia, aſplenũ, clinopodiũ, circæa, lichẽ, ita vt harum pleræq; ſæpius in ædificiorum ruinis, ac ſaxoſis admodum locis vireſcant.*

**[In opacis.]** *In opacis autem naſcuntur chryſocome, aſarum, viola purpurea, aſtragalus, & cyclaminus.* **[In humidis.]** *In humidis clematis prima, quæ & ſecus aggeres inuenitur: item phyllitis, hemionitis, althæa, helenium, paludapium.* **[In collibus.]** *Collium amœnitate capiuntur ſpartium, nepeta, ſylueſtre cuminum, chamædrys, etſi non oderit etiam aſpera, & ſaxoſa: item phalangium, thymum, quod etiam petroſo ſolo naſci videmus: quin & holoſtium.*

**[In cultis.]** *Culta deinde virent lagopode, elatine, ornithogalo, coriandro, hyacintho, hypecoo, chamæciſſo, ægylope, oſyride, aphaca, orobanche, melanthio, buphthalmo, anthemide, ſylueſtri papauere, xyphio, leontopetalo, phœnice, hyperico, cyano.* **[In incultis.]** *Inculta verò virent pſyllio, hieracio.* **[In pratis.]** *Pratis lætantur trifolium, lotus ſylueſtris & vrbana, anonis, daucus, carum, tragopogon, oxylapathum, centaurium minus, hemerocallis, colchicum, betonica: quanquam hæc & colles, & montes abunde ſcateant.*

**[In vinetis.]** *In vinetis aluntur telephium, portulaca ſylueſtris, peplus, helxine hederacea, ampelopraſum, capnos.* **[Intra & extra oppida.]** *Tam intra, quàm extra oppida, & vrbes in plateis, monumentis, parietinis, ruderibus, propter muros, & hortorum ſepimenta viſuntur verbaſcum, blattaria, thlaſpi, iberis, malua, chelidonium maius, vrtica, ebulus, ſambucus, eryſimum, ariſtolochia longa, marrubium, chryſanthemum, galiopſis, ſenecio, terreſtris tribulus, ſideritis, eupatorium, hyoſcyamus, cicuta, perſonata, xanthium, ſylueſtris cucumis.*

**[In campeſtribus.]** *Campeſtria carduorum omni genere horrent, atractyli, ferulis, ſylueſtri fœniculo, gramine, thalictro, bunio.* **[Circa ſepes.]** *Agrorum, & pratorum ſepibus hærent ruſcum, aſparagus, rubus, rhamnus, liguſtrum, rubia. Ephemero autem, hippogloſſo, filice, planitierum ſyluæ vireſcunt.* **[In Montibus.]** *Montes adamant nardum tam Indicum, & Syriacum, quàm Celticum, & montanum, centaurium maius, mandragoras,*

baſtula,

haſtula regia, ſatyrium, teſticulus, gentiana, liguſticum, alyſſon, ſmyrnium, veratrum album, ruta ſylueſtris, polemonia, polygonatum, tithymalus characias, polium, ptarmica, thymelæa, chamelæa, glycyrrhiza, aſclepias, narciſſus, thapſia, pæonia, æthiopis, clymenum, onagra, cacalia, aconitum, daphnoides, hyſſopum agreſte, peucedanum, chamædaphne, tormentilla, biſtorta, chamæleo albus, angelica, libanotis. In ſyluis montanis emicat leucacantha, atque inibi in præruptis locis petroſelinum, & Rhodia radix.

*In montanis ſyluis.*

Sunt præterea, quæ arboribus innaſci velint, in quibus reſident, atque ab iiſdem ſuſcipiunt alimentum, vt agaricum, viſcum, ſphagnos, polypodium, dryopteris, lichen.

*In arboribus.*

Aliæ quidem in arboribus conſpiciuntur, aliæ verò prius è terra exortæ, per arbores repunt, quemadmodum labruſca, vitis nigra, bryonia, hedera, clematis altera, ſmilax tam læuis, quàm aſpera, lupus ſalictarius, conuoluulus, periclymenum. Non deſunt etiam herbæ, quæ ſine radicibus in aliis herbis proſiliant, neque alibi, quàm in illis reperiantur, vt cuſcuta, epithymum, epithymbrum, & epiſtœbe.

*In aliis plãtis.*

Veruntamen illud ſcire conuenit, quod etſi harum omnium quæque ſua natura felicius proueniant in prædictis locis, ſuosq́ vnaquæque ſequatur ſitus: nihil tamen obſtat, quin eædem modò in montibus, modò in planis, nunc in collibus, ſæpe in vallibus, nonnunquam in agris, & pratis, ac etiam in aliis variis locis nullo diſcrimine inueniri poſſint. Et hæc ſatis ſint quantum ad natalem plantarum ſitum. Cæterùm vt, quantum per me fieri poteſt, harum rerum non minus vtilis, quàm neceſſariæ doctrina excitetur, augeaturq́, iam ad ſingulas herbarum partes noſter ſe conuertet ſermo, & de radicibus, foliis, caulibus, floribus, ac ſeminibus diſſeremus, primò à radicibus, veluti à baſi aliarum partium, rem ipſam exordientes.

*Plantarum in radicibus varietas.*

Frumentacea igitur omnia multis nituntur radicibus, iisq́ tenuibus. Legumina verò ſingulas habent radices præter fabam, easq́ ſurculoſas, & duras. Sic & olera ferè omnia ſingulari radice cohærent, vt lactuca, apium, beta, bugloſſum, intubus, cichorium. Quinetiam radice ſingulari ſuſtinentur, ſylueſtris ruta, quam harmalam vocant, peplos, cratæogonum, ephemerum, & ſæpius verbenaca. Contrà numeroſis radicibus donantur, aſarum, phu, baccharis, veratri genus vtrunque, capparis, crithamum, haſtula regia, chelidonium minus, aſclepias, circæa, alcea, æthiopis, gramen, filix fœmina, muris auricula altera, plantago, chryſocome, aſparagus, ruſcus, hippogloſſum, panaces Heracleum, hemionitis, pæonia fœmina, aliſma. At nardi Indici, & Celtici radix in ſpicæ modum capillatur. Prægrandi, firmaq́ radice exurgunt helenium, bryonia, mandragoras, ſcammonium, ſylueſtris cucumis, vitis nigra, rapum, nymphæa, colocaſia, radix Rhodia, & China nuper ex Indiis occidentalibus importata, dracunculus, aloë, centaurium maius, libanotis, ſphondylium, œnanthe, ſymphytum ſecundum, papauer corniculatum: raphanus: carduus: periclymenum, ſolanum ſomniferum, ſmilax aſpera, thapſia, hippophaes, hippophæſtum, tithymalus characias, pityuſa, Rhabarbarum, Rhaponticum. Contra exiguam tenuemq́ radicem gignunt hydropiper, catanances genus ſecundum, ranunculus, panaces Aſclepium, & chironium, phalangium, trifolium, anthyllis, bechium, onobrychis, holoſtium, britannica, epimedium, onagra, tragium ſecundum, leontopodium, verbenaca ſupina, phyteuma, pancratium, aconiti tertium genus, chamæciſſos, aſarum, vtrunque veratrum, plantago minor, coronopus, ſeſamoides, origanum ſylueſtre, alypon, atractylis, heliotropium maius, onoſma, rubia, cepæa, aliſma, betonica, chameſyce, gingidium, centaurium minus. Radices in lignum dureſcunt æthiopidi, ſmilaci aſperæ, poterio, leucacanthæ, aſtragalo, tithymalo characiæ, cypero, rhododendro. At molli, lentaq́ radice conſtant althæa, acanthus, alcea, malua, ſymphytum maius. Geniculatæ veluti arundinibus, ſunt iridi, acoro, polygonato, ruſco, nymphææ, xyridi, hippogloſſo, gramini, lauro Alexandrinæ, colocaſiæ, galangæ, gingiberi, radici Chinæ nuper inuentæ, & Rhodiæ. Radicem digiti craſſitudine fundunt orobanche, eryngium, polygonatum, pæonia mas, pyrethrum, daucus, paſtinaca ſylueſtris, ſymphytum petræum, dorycnium, ebulus, echium, crithamum, elaphoboſcum. Bulboſæ autem inſunt cæparum modo, lilio, hemerocallidi, cæpis, bulbis, haſtulæ regiæ, allio, porro, croco, narciſſo, xiphio, teſticulorum omni generi, ſatyrio, ornithogalo, ephemero, ariſaro, hyacintho, dracunculo, ampelopraſo, ſcorodopraſo, moly. In globum extuberant radices ariſtolochiæ rotundæ, cyclamini, apij vomitorij, leontopetali, œnanthes, pæoniæ fœminæ, rapi, chryſogoni, periclymeni, cyperi, argemones, catanances ſecundæ, pycnocomi, geranij vnius, pſeudoapij, antoræ.

*Radicum differentiæ in coloribus & ſaporibus.*

Inſuper radices inter ſe diſsident, tum colore, tum odore, tum ſapore: quæ diſcrimina ſi rectè cognoſcantur ab his, qui breui hanc facultatem aſſequi deſiderant, non parum inde haurient vtilitatis. Sicuti & maximè confert ſcire, quæ ſint radices magnæ vel paruæ, quæ duræ vel molles, quæ numeroſæ vel paucæ, quæ cæparum vel tuberculorum effigie, quæ denique geniculatæ, de quibus hucusq́ abunde diſſeruimus. Sed iam de coloribus agamus.

*Quæ nigricant.*

Nigricat foris chryſogoni radix, etſi canticet intus: item papaueris cornuti, nardi montani, helenij ſecundi, cyclamini, chamæleonis, cardui, haſtulæ regiæ, libanotidis, rhapontici, quanquam huius interna rubeſcant, peucedani, leontopetali, epimedij, nymphææ, eryngij, ſymphyti ſecundi, ſmyrnij, echij, veratri nigri, aſtragali, anemones, mandragoræ, aconiti tertij generis, thapſiæ, perſonatæ, filicis maris, vitis nigræ, ariſtolochiæ vtriuſque, quarum tamen interna buxeo colore pallent, pæoniæ fœminæ, tametſi huic, ſicut etiam thapſiæ, & mandragoræ delibrata exalbeat.

*Quæ albicant.*

Contra è candida proueniunt radice plantago, polygonatum, dracunculus, arum, ariſarum, ranunculus, veratrum album, anonis, liguſticum, aſparagus, ruſcus, hippogloſſum, elaphoboſcum, libanotis, ſphondylium, rapum, radix, circæa, alcea, holoſtium, tragum, trifolium, narciſſus, allium, porrum, gingidium, iberis, hippoſelinum, tripolium, iris, panaces Heracleum, tragum, ſomniferum ſolanum, arction, onagra, chamæciſſos, ſcammonium, althæa, pityuſa.

*Quæ ſubalbicant.*

At non prorſus albæ, ſed ſubalbidæ radices tributæ ſunt aro, polemoniæ, helenio primo.

*Quæ rubent.*

Rubẽt rubiæ, centaureo magno, rhapõtico, rhabarbaro, tametſi tria hæc exterius nonnihil nigricent, itẽ pẽtaphyllo, heptaphyllo, betæ tertij generis, blito, carotæ, anchuſæ, lycopſi, onoſmati, chryſogono, quãquã exterius nigricãt.

*Quæ ſubrubent.*

Non planè rubra, ſed ſubrubra radice ſunt acãthus, phu, ſatyrium erythroniũ, xyris, radix Rhodia, ſolanũ ſomniferum, alypum, coſtus. Ex atro rubeſcunt filici fœminæ, cypero, pycnocomo, ephemero Colchico. Rubro colore purpuraſcunt radices ſymphyti petræi, cæparum, ſcillæ, pancratij.

*Quæ intus flaueſcunt.*

Flaua intus radice ſunt ariſtolochia rotunda, glycyrrhiza, lapathum, hippolapathũ, cyperus Babylonicus, argemone, chelidonium maius, gentiana.

*Quæ vireſcunt.*

At herbaceo colore inſunt polypodio, phalangio, ſmyrnio, & imperatoriæ.

*Quæ bene olent.*

Odorata radice fragrant, iris, acorus, meon, cyperus, galãga, zedoaria, nardũ tã Gallicũ, quàm Indicũ, aſarũ, phu, caryophyllata, baccharis, liguſticũ, paſtinaca, angelica, ſeſeli Maſſilienſe, hippoſelinũ, ſmyrniũ, libanotis, aſclepias, circæa, aliſma, tripoliũ: quin & radix Rhodia odorẽ expirat nõ iniucũdũ.

*Dulces.*

Dulcedinẽ guſtui præbẽt glycyrrhiza, tragopogonis radix, cẽtaurij maioris, chamæleonis albi, elaphoboſci, geranij, arctij, polipodij.

Amari-

*Amaræ.* Amaritudinem verò gentianæ, ranunculi, helenij, dictami candidi, leucacanthæ, panacis Heraclei hippophaës, pancratij, ſcillæ, cichorij, aſparagi, ruſci, centaurij minoris, chelidonij maioris, aſphodeli, cyclamini. *Acres.* Acri autem radice deprehenduntur gingiber, acorus, galanga, Zedoaria, Imperatoria, crocodylium, angelica, panaces Chironium, ſmyrnium, pyrethrum, aliſma, tripolium, raphanus tum ſatiuus, tum ſylueſtris, vtraque iberis, naſturtium, thlaſpi, argemone, hydropiper, arum, dracunculus, eryſimum, ophioſcorodon, ampeloptaſum, ſcorodopraſum, capa, allium, porrum, ſcandix. Quo fit, vt ſi exacta notitia differentiarum habeatur, quæ in radicibus forma, numero, colore, odore, ac ſapore notantur, maximum inde percipiant emolumentum ij, qui magna animi delectatione in hac ſimplicium medicamentorum facultate operam impenderint. Ac præterea plurimum ijdem contulerit, ſi omnes ſtirpium delineationes, ſimilitudineſq́ (de ijs intellige, quæ ſcriptis tradi poſſunt) tum earũ pariter & odores, & ſapores aſſequantur, eo inquã modo, ac ratione, quo hic à nobis adnotata reperiuntur. In primis igitur à ſimilitudine, quam inter ſe ineunt plantæ, exorſus, pro viribus enitar, vt quæ plurimis ignota ſunt, ijs, quæ omnibus ſanè vulgares apparent, rectè comparentur, quapropter ab hedera primùm, vt quæ neminem lateat, rem ipſam auſpicabor. *Foliorum in plantis comparatio, & ſimilitudo inter ſe.* Hederam igitur folijs æmulantur, etſi quædam maiora, quædam verò minora cernantur, ſcammonium, aſarum, vterque cyclaminus, ſmilax aſpera, læuis, & hortenſis, vitis nigra, marina braßica, Aethiopicum ſeſeli, periclymenon, ariſtolochia vtraque, aſclepias, epimedium, gramen parnaſi, apocynum, viola purpurea, chamæciſſos, helxine cognomento ciſſampelos, cinocrambe, hortenſe ſolanum, halicacabum, circæa, cucumis tam ſylueſtris, quàm ſatiuus, vtraque clematis. Vitigineum folium repræſentant platanus, acer, lupinus, ricinus, bryonia, veratrum nigrum, balſamina, colocynthis, cucumis, quem Veneti anguriam vocant. Alba ſpina, & acanthium ſimili virent folio: ſicuti abrotanum fœmina, & abſinthium ſeriphium vocatum folijs ſe inuicem imitantur. Vitex & anagyris, & folijs & ramis conueniunt. Apij folia referunt caucalis, ſecundum dauci genus, laſerpitium, ſmyrnium, bunium. Amygdalæ fronde veſtiuntur, perſicus, rhododendrum, ebulus, ſambucus, ſtaphylodendron, lathyris, quam officinæ cataputiam nominant. Aniſum deinde iſopyro folijs adſtipulatur, anagallis antyrrhino, atriplex xanthio. Vtriuſque rubiæ folia imitatur aparine, ac galium: quanquam illis maiora, huic verò minora ſpectentur. Porri bulbique folia præ ſe ferunt hyacinthus, narciſſus, allium, colchicum, cyperus, haſtula regia, ampelopraſon, ſcorodopraſon, canini teſticuli, lonchitis. Buxus, & lycium conſimili comantur fronde. Vitis alba amomo folijs correſpondet, pyrethrum ſylueſtri dauco, hemionitis dracunculo, coris ericæ. Fœniculi folia emittunt altilis aſparagus, panaces, Aſclepium, ſeſeli, daucum Creticum, anthemis, libanotis, buphtalmos, anethum, thapſia. Anethi folijs aſſurgit meon. Plantagini non diſsimilia ſunt folia candidi veratri, gentianæ, aliſmatis, & clymeni. Phœnij folium geranium exprimit, Filicem folio æmulantur ſideritidis ſecundum genus, polypodium, dryopteris. Ferula cicutam foliorum imagine refert, hæc vero myrrhidem. Bugloſſum, & cirſium conſimili modo foliantur. Graminis folium proferunt moly, holoſtium, gramen arundinaceũ, coronopus. Huius verò folia habẽt catanance, pſylliũ. Cichorium, chondrylla vtrunq; genus, & quod quibuſdã dens caninus dicitur, cõſimili ſunt folio. Cnico atractylis folio aßimilatur, chamæleoni nigro crocodiliũ, chamæleoni albo ſillybũ. Glaſto tripoliũ ſimile eſt. Coriandri folijs comãtur partheniũ, adianthũ, ſideritis tertia, omnia ranunculi genera (quorũ tamen quædam propius, quædam longius eius ſpeciẽ ſequuntur) vterque daucus, thalictrum, capnos. Helxines folia produnt anagallis, alſine, muris auricula, cannabis, aut quinque folii eupatorium, ſed quæ quadripertito diuidantur. Cotonei mali frontem exhibent capparis, ſolanum ſomniferum. Smyrnii folium præſtant phu, lauer. Cupreßi effigiem promit ſabina: iuniperi cedrus minor quæ phœnicia dicitur. Hypericum, androſæmum, aſcyrum, folio non diſcrepant. Ciſtus, & ladanus ſicuti in ſpecie, ita & in folijs conueniunt. Cyclamini folium pandit aconitum primum: ciceris teucrium, ſecuridaca: cumini ſylueſtris ſtratiotes millefolium: cucurbitæ perſonata: lolij phœnix: iuglandis centaurium maius, pæonia mas, gentiana: etſi huic magis cum plantagine cõueniat. Iridis folia reddunt, acorum, medion, ſylueſtris iris: item gladiolus, niſi hic breuiora, anguſtioraq́; folia ſibi vendicaſſet. In iunci ſpecie collocandum eſſet vtrunque equiſetum, ſed inani caule aſſurgit. Lenticulæ folium ſimulant aphaca, onobrychis, chamæſyce, helenium alterum, anonis, trichomanes, polygala, glaux. Laurea fronde virent polygonatum, clematis prima, daphnoides, nerium, chamædaphne. Lilii folia ſpargunt hemerocallis, pancratium, ſatyrium, martagon (ſic enim appellant lilium quoddam agreſte) ephemerum, onagra. Lentiſcum referunt glycyrrhiza, tragus. Nec lepidium arabis diſsimulat. Lactucæ effigie folia ferunt dipſacus, ſylueſtris lactuca, lycopſis, anchuſa, ſylueſtre glaſtum, mandragoras fœmina. Linguæ bubulæ ſimilia ſunt ſymphyti alterius folia. Myrti folia ruſcus habet, tithymalus fœmina, & catirubus. Mentham ſatiuam folio exprimunt ſiſymbrium, hidropiper, pentaphyllon. Marrubij effigie aſſurgit apiaſtrum, ballote, horminum, ſideritis prima. Mercurialis folio eſt cinocrambe: Helxine & elatine folio ſimili comantur. Naſturtij folijs iberis non refragatur nec thlaſpi. Oleam æmula foliorum facie repræſentant halimus, ptarmica, phyllyrea, liguſtrum, vitex, conyza, thelygonum, caninus teſticulus, lithoſpermum, dorycnium, hippophaes. Platanum folio imitantur ricinus, nigrum veratrum, ſphondylium, aconitum cinoctonum. Verbaſci folia fundunt helenium, æthiopis, arctium, bugloſſum, & tithymali genus latifolium. Paſtinaca, & gingidium folijs inter ſe non diſsident. Portulacæ folio aßimilantur telephium, cepæa, crithamum, terreſtris tribulus, tithymalus helioſcopius. Trifolio correſpondent lotus ſylueſtris, medica, citiſus, ſertula campana. Thimum, ſtœchadem, ſatureiam ſimile comat folium. Acuta ſpina, & meſpili primum genus ſimili virent folio. Nec diſsimili pulegio dictamnum & calamintha comantur. Miricæ ſabina, & cupreſſus: ſerpilli clinopodium: ſaluiæ ſideritis prima, horminum, verbaſcum ſylueſtre, folijs veſtiuntur. Piceæ folium ferunt poligonum, & pityuſa: quercus verò chamædrys, teucrium, ſcordium, betonica, ſideritis prima. Neque à rutæ folijs diſsident acacia altera, centaurium minus, ſerpillum ſylueſtre, ambroſia, polygonum primum, androſæmum, polemonia, peplus, paronychia, hipericum, apios. Aloe, & ſcilla ſimilia tributa ſunt folia. Sampſuchi folium oſtendunt marum, & panaces chironium. Solani folio germinant Circæa, halicacabus. Rumicis folia æmulantur arum, phyllitis, britanica, & quæ vulgo biſtorta dicitur. Foliorum ſimilitudine inter ſe certant ruſcus, hippogloſſum, laurus Alexandrina. Aſpleni imaginem præbent muris auricula altera, & altera lonchitis, ſicuti ſemperuiui minoris tertia aiugæ ſpecies, ariſtolochia clematitis. Salicis fronde prouenit lyſimachia, ſertulæ Campanæ liguſticũ. Silybus, chamæleo albus, carduus, alba ſpina, ſeſe folijs imitantur. Ex his igitur facilè quiſque herbarum germanitatem, cognationẽ, ſimilitudinemq́; perdiſcere poterit, quæ omnia in dignoſcendis ſtirpibus non paruam adferunt vtilitatem. *Foliorum in coloribus diſcrimen.* Cæterũ plantarum omnium folia non modicam in coloribus differentiam habent, tametſi folia ipſa coloribus adeò perſpicuis, vti flores haudquaquam ſplendeant.

dicant. Niger ſane color in nullis reperitur herbis, neque arboribus, quamuis nonnullæ atro quodam virore ſint ſuffuſæ, ita vt paululum nigricent, ſicut phillyrea, buxus, liguſtrum, hortenſe ſolanum, nigra viola, oſyris, hyoſcyamus, vtraque clematis. Contra nec folia habentur, quæ niueum candorem exprimant: verùm pleraq; quæ incana ſunt, ſubalbicant, vt crithamo, echio, ranunculo, abrotono, abſinthio, ſaluiæ, calaminthæ, maro, periclymeno, corniculato papaueri, ſtachy, menthaſtro, althææ, polio, verbaſco, vtriq; lychnidi, & mandragoræ mari: quæ omnibus supernè candicant, quemadmodum infernè roſmarino coronario, bechio, oleæ, populo, artemiſiæ, & aliis multis. Rubent punicæ malo, amygdalo, lentiſco, terebintho, rhoi, cyclamino, botry, cori, androſæmo, aſcyro, lonchiti, oſyri, blito, amarantho, phyco marino, ſeſamæ, irioni, atriplici, alypo, Celtico nardo, & cuidam betæ generi. Folia, quæ lanugine pubent, inſunt dictamno, verbaſco, lychnidi, gnaphalio, acanthio, althææ, menthaſtro. Aſpera ſunt ſymphyto alteri, marrubio, fico, ſaluiæ, ballotæ, & horminio. Aculeis horrent folia bugloſſi, echij, vrticæ, eryngij, ruſci, atractylis, ſonchi, chamæleonis vtriuſq;, dipſaci, quinetiam cardui omne genus, aquifolij, & ilicis. Humi iacent panacis folia, coronopi, anchuſæ, mandragoræ, vtriuſq; anagallidis, cynogloſſi, glauci, catananca ſecundi generis. Reptant etiam humi lithoſpermi, graminis, onoſmatis, canis teſticuli, albiq; chamæleonis. In vniuerſum plantæ omnes, quæ caule & floribus orbantur, folia per terram ſpargunt. Acuta folia, vt quæ olfactu nares feriant, data ſunt allio, cepis, naſturtio vtriq; tam aquatico, quàm terreſtri, ſinapi, erucæ, lepidio, gingidio, hydropiperi, eryſimo, clematidi ſecundæ, thlaſpi, ſerpyllo, thymo, thymbræ, ſiſymbrio, pulegio, calaminthæ, dictamno, dracunculo, aro, flammulæ, origano: quæ omnia non modò olfactu, ſed magis etiam guſtu acrimoniam præbent. Amaritudinem poſſident chondrylla, cichorium, gentiana, ruta, abſinthium, aphaca, abrotonum, parthenium, ſcandix, aloë, ſantonicum, ſeriphum, chamædrys, marrubium, ſcordium, glaucium, chamelæa, empetrum, & quæ vulgò gratia Dei delectoriæ facultatis herba dicitur. Odorata folia ſunt aſaro, ſio, ſiſymbrio, menthæ, menthaſtro, calaminthæ, pulegio, ſaluiæ, ladano, hyſſopo, ſampſucho, origano, thymo, ſerpyllo, ſatureiæ, ſymphyto petræo, roſmarino, liguſtico, ſtachy, malabathro. Nec inſuauem efflant odorem betonica, chamædrys, baccharis, artemiſia minor, & herba illa, quã aliqui ſclaream, nonnulli herbã ſancti Ioannis, & pleriq; matriſaluiam nuncupant. Nec deſunt ſtirpium folia, quæ ab aliis tum plantis, tum liquoribus odorem emendicaſſe videntur, vt ſcordium ab allio, trifolium à ruta, & bitumine, cytiſus ab eruca, apiaſtrum à citreo malo, chamæpitys à pino, xanthium à naſturtio: ita deniq; hydropiper à pipere mutuatur odorẽ. Grauiter olent abſinthium, abrotonum, ſeriphum, ballote, polium, ebulus, botrys, ariſtolochia, cannabis, anagyris, galiopſis, cicuta, mandragoras, apocynum, glaucium. Non paruum quoq; diſcriminis in plantarum tum caulibus, tum ſtolonibus reperitur: quandoquidẽ ex eis quædam ſingularem, ſimplicemq; caulem proferunt: aliæ numeroſos cauliculos edunt: quibuſdam craſſi caules inſunt: aliis tenues aſſurgunt: aliis inanes, & vacui eriguntur, fiſtularum, & arundinum inſtar: aliis pleni conſpiciuntur: quibuſdam item longus proſilit caulis, quibuſdam verò breuior, nonnullis caules geniculati ſunt: alij enodes exeunt, alij læuore, alij ſcabritia, alij duritia, alij lentore notantur. Nec deſunt, qui lanugine veſtiantur, & qui ſpinis, & aculeis rigeant. Quibuſdam plantis teretes ſunt, nonnullis quadranguli, & aliquibus ſtriati. Alij deniq; ſurſum eriguntur, alij per terram ſerpunt, ac repunt. Diſſident præterea inter ſe ſtirpium caule: colore, rectitudine, & curuitate: tanta fuit naturæ in plantis formandis varietas, atq; ſolertia. Plures igitur caules ab vna tantum radice exiliunt glaſto ſylueſtri, ptarmicæ, plantagini, muris auriculæ, telephio, ariſtolochiæ vtrique, rutæ ſylueſtri, hyperico, elatinæ, phœnici, trago, ſolano ſomnifero, & manico, minori ſedo, chamæciſſo, glauci, oſyri, tithymalo paralio, helioſcopio & thymelææ. Ramoſo, ac pariter ſurculoſo caule fruticant ſaluia, ſatureia, thymum maius, origanum, hyſſopum, abſinthium, abrotonum, ruta, ſtœchas, ocimum, amaracum, ſymphytum petræum: & vt ſummatim rem complectar, omnes denique plantæ, quæ ſuffrutices appellantur. Craſſum caulem mittunt dracunculus, chamæleo niger, œnanthe, helenium, ſymphytum alterum, hyoſcyamus, perſonata, ſedum maius. Contra proditur tenuis ornithogalo, thlaſpi, polemoniæ, ranunculo, limonio, anemonæ, liguſtico, panaci Aſclepio, peucedano, artemiſiæ, phyllo, cynocrambæ, buphthalmo, aliſmati, betonicæ, echio, eupatorio, plantagini, chelidonio maiori, muris auriculæ, ariſtolochiæ vtrique, ſeripho, tragorigano, menthæ, ſiſymbrio, lyſimachiæ, rutæ ſylueſtri, delphinio, melanthio, agreſti cumino, aparinæ, chamedry, ſcordio, teucrio, trifolio, hyperico, ſideritidi ſecundæ, elatinæ, pentaphyllo, veneris vmbilico, chamædaphnæ, tithymalo helioſcopio, thymelææ, alypo. Inanes in vniuerſum, ac fiſtuloſos caules habent frumenta, legumina, & olera. Particulatim verò cauis emicant colliculis phu, apium montanum, ſonchus, veratrum album, gentiana, equiſetum, narciſſus, ricinus, cicuta, lathyris, hieracium maius, ſymphytum ſecundum, ſpina alba, cæpe, porrum, hippoſelinum, thapſia, ferulæ omne genus, omneſq; plantæ ferulaceæ, qualis cicuta, panaces, laſerpitium, ſeſeli Peloponenſe, & quæ guttatim ſtillant ſagapenum, galbanum, & ammoniacum. Geniculatum culmum gerunt cerealia omnia: quin & ebulus, ſambucus, phu, cyclaminus ſecundus, gentiana, panaces Aſclepium, polycnemon, crateogonum, polygonum, equiſetum, ferula, cicuta, meon, odoratus iuncus, pityuſa, arundinum omne genus, hydropiper, liguſticum, xyphium, & omnes denique plantæ, quæ fœniculaceo caule aſſurgunt, vt elaphoboſcum, anethum, ſeſeli Maſſilienſe, pyrethrum, ſphondylium, peucedanum. Læui conſtant caule dracunculus, haſtula regia, typha, nymphæa, ſideritidis tertium genus, chryſanthemum, aconitum lycoctonum, gentiana, acanthus, aloe, iberis, hyacinthus, millefolium, chamædaphne. Dodrantali caule exeunt chamæleo niger, tripolium, hyacinthus, arum, ſeſamoides, daucus Creticum, caucalis, caninus teſticulus, epimedium, hypericum, ſideritidis tertium genus, centaurium minus, anonis, ſylueſtre cuminum, tuſſilago, œnanthe, anthyllis, anthemis, coris, ocimoides, achillea, elatine, penthaphyllum, tragus, ageratum, papauer ſpumeum, pſyllium, aconitum primum, colchicum, ſemperuiuum minus, vmbilicus veneris, ſtratiotes millefolium, chameciſſos, glaux, polygala, laurus Alexandrina, tithymalus myrſinites, paralius, helioſcopius, & cypariſſias: item chamælea, & verbenaca. Duum verò palmorum longitudine caules extollunt phalaris, thlaſpi, melanthium, pæonia, veratrum album, cynocrambe. Caulis cubiti altitudine adoleſcit petaſitæ, plantagini minori, ranunculo, phu, roſmarino, chelidonio maiori, bacchari, panaci Aſclepio, ſphondylio, ſatyrio, alſinæ, betonicæ, fabæ Aegyptiæ, crithamo, arabidi, aſphodelo, lepidio, xyridi, eupatorio, ſylueſtri papaueri, aconito tertio, ſemperuiuo maiori, ſenecioni, verbaſco fœminæ, cytiſo, xanthio, ruſco, daphnoidi, chamædaphnæ, lathyri, primo filicis generi, cnico, gladiolo, aſcyro, lyſimachiæ. Interdũ cubiti longitudinẽ caule excedunt aliſma, cyperus, tithymalus characias, pityuſa. At horminum ſemicubitali caule contentum eſt. Binûm cubitorum longitudinem caule æquant dracunculus, gentiana, ſpina alba, acanthus, coniza maior, althæa, ſymphytum ſecundum, helenium, glaſtum, glycyrrhiza, centaurium maius,

Caulium in plantis differentia.

dipſacum,

dipſatum, carduus, ſeſeli Aethiopicum, lycopſis, ſideritis ſecunda, manicum ſolanum, ſylueſtris lotus, cirſium. Quaternûm cubitorum caulis exit moly: tricubitalis verò medio. Duris lignoſisque nituntur cauliculis hypericum, chamædrys, teucrium, ſymphytum petræum, androſæmum, aſcyrum, ſatureia, thymum, origanum, millefolium, eupatorium, aſter Atticus, hyſſopum, ſtœchas. Lentore & mollitia caules langueſcunt irioni, poterio, maluæ, ſmilacibus omnibus, cucurbitis, peponibus, & melopeponibus, cucumeribus, lupino, periclymeno, bryoniæ, viti nigræ, viciæ, helxinæ, quam ciſſampelon cognominant, ſcammonio, iunco, typhæ, althææ, alceæ, ſolano ſomnifero, oſyri, ruſco, daphnoidi. Spinis horridum gerunt caulem dipſacum, poterium, agriacantha, ſcolymos, paliurus, rubus, canirubus, hieracium maius, ſtœbe, roſa. Spinoſa prorſus lanugine obducuntur urticæ caules, echij, anchuſæ, lycopſis, bugloſſi. Hirſutus caulis uiſitur menthaſtro, orobanchæ, helenio, ocimoidi, eupatorio, herbæ quam piloſellam vocant, ſecundo ſymphyti generi. Lanuginem caulem nutriunt acanthium, gnaphalium, verbaſcum, lychnis vtraque, tuſſilago, althæa, anemone, panaces Heraclium. Scabritia & aſperitate caulium ſunt paſtinaca, rubia vtraque, lupus ſalictarius, aparine, baccaris, ſylueſtris cnicus, æthiopis, equiſetum, veratrum nigrum, papauer ſylueſtre, & corniculatum. Humi cauliculis repunt polygonum, lithoſpermum, anagallis, clematis prima, holoſtium, tribulus terreſtris, peplos. Caules edunt quadrangulos ſideritis prima, apiaſtrum, marrubium, ballote, cyperus, centaurium minus, mentha, calamintha, baccharis, horminum, aparine, rubia, chamædrys, ſtachys, ſcordium, teucrium, betonica, ſymphytum ſecundum, clymenum, uerbenaca, urtica, galiopſis, æthiopis, lotus Aegyptia, bunium, xanthium, ebulus, pycnocomum. Triangulares inſunt cirſio, & quandoque etiam cypero. Cæterum caules albicant moly, utrique iberidi, naſturtio, cnico, cacaliæ, cynocrambæ. Rubeſcunt minori hieracio, ſoncho, artemiſia, hyperico, aſcyro, phu, virgæ aureæ, helxinæ, ſenetioni, myriophyllo, orobanchæ. Caule deſtituuntur chamæleo albus, phyllitis, filix, cynogloſſum, dryopteris, polypodium, onoſma, trichomanes, aſplenum, hemionitis, lichen, paronychia, adiantum, hippophæſtum, chamæſyce. Ad hæc non parum quoque in ſtirpibus dignoſcendis utilitatis præſtat florum tum coloris, tum formæ cognitio: quippe cum nulla ſit earum pars, quæ prius noſtris ſeſe offerat oculis vere & æſtate, quàm flores, varia colorum pictura, quæ in eis refulget. Quapropter non ab re fuerit, horum differentias edocere, quæ in coloribus ita ſe habent. Plantæ igitur, quæ flore candido decorantur, ſunt ut oxyacantha, liguſtrum, orneogloſſum, fraxinus, roſæ, quibus tum ruber, tum etiam purpureus erumpit. Item olea, myrtus, ceraſus, malus, pyrus, meſpilus, prunus, arbutus, iberis, raphanus, ſiſer, cucurbita, caucalis, eruca, ocimum, ornithogalum, cyclamini ſecunda ſpecies, haſtula regia, capparis, poterium, thymus, moly, aparine, phalangium, tripolium, ſed cui flos quandoque rubeſcat, polium, œnanthe, alba viola, nymphæa prima, althæa, polygonatum, clematis altera, ocimaſtrum, erinus, achillea, helxine ciſſampelos dicta, conuoluulus, dorycnium, ephemerum ſecundum, ſtratiotes millefolium, lotus Aegyptia, chamæſyce, ſeſamoides magnum, narciſſus, ſcammonia, thymelæa, ſambucus, ebulus, angelica, filipendula, uiburnum, flammula, fragaria, imperatoria, lilium conualliũ dictum, & vincetoxicum. Rubri flores emicant roſis, in quibus tamen variant, nã alij cãdidi, alij purpurei, alij lutei reperiũtur: itẽ malis punicis, fabæ Aegyptiæ, rumici, oxylapatho, oxalidi, blito, aphacæ, ophioſcorodo, anemonæ primo generi, argemonæ, anagallidi maſculæ, papaueri ſylueſtri, ſolano ſomnifero, onagræ, & caryophyllis vocatis, quem florem recentiores quidam, neſcio qua auctoritate ducti, vetonicum appellant, quanquam & hi purpurei emergant, & quandoque uaria colorum miſtura inficiantur. Flores menthæ, ſiſymbrij & hydropiperis colore ſubrubro apparent. In purpura albicantes inſunt phu, roſis, perſico, amygdalo, eruo, bacchari, trifolio, alceæ, periclymeno, rhododendro, pæoniæ. Purpurei exeunt aſaro, croco, vitici, viciæ, cyclamino primo, larici, centaurio minori, albæ ſpinæ, origano, pulegio, ſaluiæ, calaminthæ, thymo ſatureiæ ſimili, thymbræ, ſerpyllo, ſed qui in album quandoque varient, pſeudomelanthio, chamædry, lichnidi, ſcordio, violæ purpureæ, canis teſticulo, onobrychi, betonicæ, ſymphyto utrique: etſi ſecundum modò candido, modò luteo flore lætetur. Item medio, gladiolo, anchuſæ, lycopſi, echio, ſideritidi tertiæ, uerbenacæ, aſtragalo, hyacintho, cirſio, capno, bubonio, ſed cuius interna flaueſcant, antirrhino, acanthio, glauci, ueratro nigro: tametſi quandoque huic punicei, herbacei, candidi, & in purpuram albicantes flores reperiantur. Item ſeſamoidi maiori, ricino, amarantho, galegæ, perſonatæ, xanthio, hormino, martago (ſic uocant recentiores lilium quoddam) ſcrofulariæ maiori, geranio. At in purpura nigricantes inſunt uiolis, leontopodio, delphinio, napello, pulſatillæ. Aureis floribus coronantur helenium, cornus, rapum, napus, lampſana, braſſica, crithamum, ſonchus, aphaca cichorij genus, tragopogon, cucumis tam erraticus, quàm ſatiuus, pepo, lactuca, irio, ranunculus, anemone ſecunda, aconitum lycoctonon, chelidonium utrunque, ſertula Campana, ruta, hieracium, atractylis, tuſſilago, conyza, hemerocallis, viola aurea, nymphæa ſecunda, anagyris, aliſma, hypericum, aſcyrum, androſæmum, chamæpitys, ſpartium, lyſimachia, eupatorium, pentaphyllon, chryſocome, chryſogonon, chryſanthemum, ageratum, papauer corniculatum, hyoſciamus, galium, ſenecio, verbaſcum, lotus urbana, & ſylueſtris, bunium, oſyris, colocynthis, cnicus, virga aurea, balſamina, blattaria, caltha, colutea, tanacetum, & quam falſò oxyacantham recentiores nuncupant, abrotonum fœmina, piloſella, potentilla, ſena, ſinapi. Anthemidi flores exoriuntur in medio lutei, circinato orbe candidi, ſicuti & parthenio, buphthalmo, bellidi, & cotulæ fœtidæ. Cæruleum florem edunt linum, intubus, cichorium, chondrilla, anagallis fœmina, muris auricula, clematis prima, bugloſſum, melanthium, eryngium, ſcabioſa, & quæ à vulgaribus morſus diaboli appellatur: item cyanus, & quæ trinitas recentioribus dicitur. Hyacinthino colore placent flores centaurij maioris, chamæleonis nigri, cinaræ: quin & varia cardui genera. Vario colore inficiuntur iridi, tripolio, maluæ, euphragiæ. Spicati inſident blito, plantagini, hyſſopo, menthæ, menthaſtro, ſiſymbrio, hydropiperi, ſaluiæ, ſampſucho, ſtachy, betonicæ, amarantho, virgæ aureæ, ſtœchadi, ladano, lauendulæ utrique. Floris effigie lilium æmulantur hemerocallis, martagon, ornithogalum, nymphæa alba, helxine cognomento ciſſampelos, lotus Aegyptia, narciſſus, crocus, conuoluulus, ephemerum primum. Flores, qui roſæ referant ſimilitudinem, proſiliunt malo cydoniæ, meſpilo, althea, rhododendro, pæoniæ veratro nigro, colocaſiæ, corniculato papaueri. Echinatis capitulis flores condunt uterque chamæleo, centaurium maius, crocodilium, ſpina alba, dipſacus, ſpina Arabica, poterium, acanthium, cinara, leucacantha, atractylis, cnicus, & reliqua carduorum genera. Muſcoſos geſtant flores laurus, labruſca, myrica, erica, liguſtrum, olea, quercus, caſtanea, cornus, galium. Flores in umbellas radiantes, vel muſcarijs emicantes inſunt meo, ſiſaro, crithamo, caucalidi, origano, panaci, liguſtico, paſtinacæ, ſeſeli omni, ſiſoni, aniſo, caro, anetho, cumino, ammi, coriandro, apio, ſmyrnio, elaphoboſco, fœniculo, dauco, pyrethro, libanotidi, ſphondylio, ferularum omni generi, peucedano, laſerpitio, ſagapeno, galbano, panaci, ammoniaco, achillea, chryſocoma,

Florum in plantis varietas.

agera-

agerato, cicutæ, ſtratiotæ millefolio, myrrhidi, thapſiæ, ſambuco, ebulo, angelicæ, filipendulæ, viburno, imperatoriæ, eiq́; pimpinellæ generi, quæ nonnullis hircinum ſaxifragum vocatur, quòd hircum maxime oleat. Cytini imaginem repræſentant flores aſari, hyoſcyami, ciſti, arbuti. Corymbis ſimiles racematim cohærent botry, ambroſiæ, anagyri, vrticæ, lunariæ minori, hippophaes. Lanugine quadam obducuntur, atq; in pappos euaneſcunt flores omnium carduorum, ſonchi, tragopogoni, centaurii maioris, vtriuſque chamæleonis, vtriuſque hieracii, ſenecionis, cirſii. Stellarum, ſoliſque flore imaginem referunt eryngium, aſter Atticus, anthemis, parthenium, buphthalmus, bellis, hypericum, pentaphyllum, intubus vtraque, cyanus. Præterea exquiſitam prorſus plantarum cognitionem quis aſſequi poterit, ſi ſeminis, fructuſque, quos plantæ ferunt, delineationes habeat: quare non inutile fuerit earum tum figuras, tum diſcrimina, tum etiam ſimilitudines proſequi. Fructus itaque racemoſos proferunt therebinthus, lentiſcus, populus vtraque, oxyacantha, vitis nigra, vitis alba, cyclaminus ſecunda. Corymbaceos verò hedera, periclymenus, ſolanum hortenſe, & manicum, ſmilax aſpera, polycnemon, hippophaes. Semina autem racematim cohærent artemiſia, ambroſia, botry, vrtica noſtrati, mercuriali fœmina, hydropiperi, ricino. Acinoſa ſunt aſaro, taxo, veſicariæ, aſparago, ruſco, lauro Alexandrina. Semen folliculari ſpecie ineſt fraxino, rhamno, ſed quod vermiculi referat imaginem, naſturtio, thlaſpi, androſacæ. At in ſquamoſis folliculis occluditur gentianæ, cumino ſylueſtri, atriplici, ſphōdylio, œnanthæ, ferulæ, & thapſiæ. Pineam nucem imitantur, & veluti nucamenta ſunt fructus piceæ, laricis, & cupreſſi. Baccas gerunt olea, laurus, Zizyphus, cornus, roſa, capparis. Oblongæ, & quæ magnitudine cedant oliuis, viſuntur myrtho, thymelææ, polygonato. Rotundæ ſunt liguſtro, iunipero, hederæ, periclymeno, lycio, cedro, oxyacanthæ, ſabinæ. Cæterum fructum ſemenque ſiliquis includunt acacia, anagyris, geniſta, ſiliquæ arbor, caſia nigra, dorycnium, apocynum, ſtaphis agria, delphinium, cicer, faba, lens, phaſiolus, lupinus, piſum, eruum, ſena, ſmilax hortenſis, medica, aphaca, vicia, pæonia, leontopetalō, xyris, ſolanum ſomniferum, & tertium aconiti genus. In folliculis verò abditur halicacabo, coluteæ, colchico, & ſtaphylodendro, ſuumq́; in corniculis modò aduncis, modò rectis ſeruant delphinium, fœnum græcum, lotus ſylueſtris, rapa, napus, raphanus, lampſana, braſſica, eruca, ſinapi, eryſimum, circæa, leucoium, hedyſarum, papauer corniculatum. Capitibus ſemina condunt colocaſia, anemone, argemone, melanthium, ocimoides, papauer tam ſatiuum, quàm erraticum, hyoſcyamus, lotus Aegyptia, xyris, nymphæa. At capitulis paruis cōcipiuntur lino, ptarmicæ, cumino ſylueſtri, ſparganio, pſyllio, verbaſco, ſcrofulariæ, iſopyro, ricino, tithymalo paralio, & helioſcopio. Semina in flocci modum concluſa afferunt porrum, ampelopraſum, ſcorodopraſum, cæpa, allium: etſi prius folliculo quodam claudantur. Vmbellis nuda reſident ſemina omnibus panacis generibus: itemque ſeſeli, liguſtico, apii omni generi, aniſo, anetho, cumino ſatiuo, ammi, elaphoboſco, dauco, ſphondylio, peucedano, elichryſo, cicutæ, myrrhidi, angelicæ, imperatoriæ, thapſiæ, coriandro, ſmyrnio, fœniculo, pyrethro, ferulis omnibus, achilleæ, agerato, ſtratiotæ millefolio, ſambuco, ebulo. Semen veluti ſpicis cōtinetur origano tam ſatiuo, quàm ſylueſtri: quin & ſampſucho. Papaueris imaginem ſemine repræſentant phyllum, nymphæa alba, hyoſcyamus, lotus Aegyptia, peplis, peplos, chamæſyce. Piperis ſimilitudinem exhibent ſemina tum lycii, tum etiam viticis. Compreſſo, atq; rotundo ſemine habentur malua, althæa, alcea, ſmilax læuis. Neque ſeminis effigie ab epithymo diſſidet alypon: à lolio phœnix: à viola alba chamæciſſos: à ſaluia horminum. Hirſuto ſemine, ac aſpero, adeo vt id tactum veſtibus adhæreat, ſunt perſonata, eupatorium, aparine, helxine, xanthium, & vulgare cynogloſſum. Capiti viperarum ſimile fert echium, & vituli non diſſimile antirrhinum. Mucronatum oſtendunt tragos, ſpinachium ſic vulgo vocatum, tribulus tam aquaticus, quam terreſtris. A fœnigræci ſemine non deſciſcit ſemen myagri, item & loti ſylueſtris. Semen fœniculi modo ferunt liguſticum, ſiſon, cicuta, cuminum, carum. Aniſi verò ſemina, apii, & ammi conſimilem nacta ſunt formam. Cnici ſemen ſuam impartitur imaginem minori centaurio, vtrique chamæleoni, ſpinæ albæ, & Arabicæ, atractyli, cynaræ, medio, nigro veratro, & omnibus fere cardui generibus. Milii ſemine conſtant circæa, crateogonum, panicum, ſeſamum, lithoſpermum, phalaris, lotus Aegyptia, ſeſamoides. Erui ſemen poſſident catanance, tithymalus paralius, aphaca. Semine marrubium æmulantur ballote, clinopodium, ſideritis prima, pycnocomum. Conſimile naſcuntur ſemine libanotis, & crithamum: vt etiam ſemine conueniunt linum, ſatyrium erythronium, & quoddam vrticæ genus. Semine cauda ſcorpionis effigie cernitur ſcorpioides: & verrucarum modo pendet minori heliotropio. Semina quæ fructibus carnoſis tam arborum, quam herbarum deliteſcunt, geſtant aluo mala cotonea, pyra, citria, limonia, aurantia, punica, meſpila, cucurbita, pepones, melopepones, cucumeres, colocynthis: item balſaminæ vulgò vocatæ fructus, mandragoræ, ariſtolochiæ, halicacabi: quin & mala inſana conſimili modo ſuum recondunt ſemen. Minutum habent ſemen ruta, iberis, cupreſſus, circæa, pſyllium, mandragoras, apios, cynocrambe, papauer, hyoſcyamus, ocimum. Differunt etiānum colore inter ſe ſemina, ſiquidem albicant dauco, roſmarino, circææ, lactucæ, papaueri ſatiuo, & ſpumeo, cucurbitæ, peponi, cucumeri, ſeſamæ, lithoſpermo. Vt fructu rubent oxyacantha, terebinthus, cedrus, cornus, zizyphus, roſa, punica, arbutus, taxus, ceraſus. Ita ſimiliter ſemine rubeſcunt aſparagus, halicacabus, ruſcus, hippogloſſum, rumex, dracunculus, arum, acanthium, pæonia, rubia, tragus, iuncus, coccum infectorium, aſpera ſmilax, chamædaphne, ſeſamoides. Succo ſanguineo manant aſcyri, androſæmi, & hyperici grana. Nigrum ineſt liguſtro, lycio, myrto, oleæ. Quin & ſemina nigricant ocimo, hirci barbulæ, porro, allio, cæpis, ampelopraſo, hyacintho, ſcorodopraſo, ophioſcorodo, ſaluiæ, rutæ, hormino, liguſtico, ſeſeli Aethiopico, ſiſoni, hippoſelino, ſmyrnio, melanthio, phalangio, rubiæ, ſideritidi primæ, verbaſco, Laureolæ, narciſſo, ſylueſtri cucumeri. In longum verò protenſum proferunt ſemen ſeſeli Maſſilienſe, liguſticum, ſiſon, hippoſelinum, cuminum, narciſſus, fœniculum. Quadratum ſpectatur ſeſeli Maſſilienſi, & libanotidi: triquetrum verò ſtaphidi agriæ, & lathyri. Geminatum ſemen ferunt tordylium, alyſſon, æthiopis, mercurialis altera. Diſſident etiam ſapore ſemina: nanque acre id proferunt porrum, cæpe, allium, ampelopraſum, ſcorodopraſum, ſinapis, naſturtium, eryſimum, ſtruthium, cyclaminus altera, dracunculus, origanum, panax Herculeum, ſeſeli Maſſilienſe, tordylium, aniſum, hippoſelinum, fœniculum, pyrethrum, peucedanum, cardamomum, clematis ſecunda, ſmilax aſpera, thlaſpi, hydropiper, ptarmica, arum, lepidium, liguſticum, & ſiliquaſtrum, quod Indicum appellant piper. Odorato ſemine pollet omnia cardamomi Arabici genera, panaces Herculeum, meon, carum, panaces Aſclepium, elaphoboſcum, liguſticum, hippoſelinum, ſmyrnium, fœniculum, daucus, paſtinaca ſylueſtris, melanthium, iſopyrum, bunium, origanum, ammi, & libanotis. Amarum ſemen ineſt Aethiopico ſeſeli, omni abſinthiorum generi, abrotono, chamæciſſo, gentianæ, ſeſamoidi. In magnam denique duritiem ſemen coaleſcit aſparago, peryclimeno, & ruſco. Harum itaq; rerum, qui exactam cognitionem fuerit adeptus, is in hac præſtātiſſima facultate abſq; vllo impedimēto poterit peritiſſimus euadere: verum enimuero ne quid intactū relinquatur, quod in hac facultate tum vtile, tum neceſſarium exiſtimari poſſit, ob id ſcire

Seminum, & fructuum in plantis diſcrimina.

Sympathia, & antipathia rerũ quarundam pro ſimplicium materia.

*conuenit, quòd permulta creauit natura rerum omnium parens, quæ inter ſe vel maximè conſentiunt, vel admodum diſſentiunt. Quò fit, vt nihil hac re admirabilius ſit in tota natura, nihilq́; ſcitu exoptatius. Quapropter nec ab re quidem fuerit, hæc etiam cæteris adnectere, paucisq́; perſtringere, & de his præſertim agere, quæ ad ſimplicium medicamẽtorum materiam ſpectant. Tam igitur pertinaci odio ſeſe proſequuntur quercus, & olea, vt non ſolùm non viuant, neq́; germinent, ſi altera effoſſa, in eius ſcrobe altera implantetur: ſed etiam altera alteram interficiat, ſi forte prope oriatur. Nec minor inter braſsicam, & vitem antipathia cernitur: quandoquidem obſeruatum ſit, vitem, ad cuius radices aſsita fuerit braſsica, non paruo interuallo ſponte ſua refugere. Ideo nil mirum, ſi tantum braſsicam contra temulentiam pollere credant, quodq́; Germani quotidianis mẽſis id olus ſemper apponant, vt vini noxam effugiant. Nec ſecus braſsicam oderunt origanum, ruta, & cyclaminus, atque illa vites: quippe perſpectum eſt, quòd ſi ſeratur braſsica iuxta quamlibet explicatarum, confeſtim cadit, totaq́; contabeſcit. Scilla adeò veneficiis, & admurmurantium incantationibus aduerſatur, vt in limine ianuæ domus integra ſuſpenſa, ab omni eorum noxa eos, qui inhabitant, vindicet. Quocirca nõ temere à doctiſsimis rerum naturalium inueſtigatoribus memoriæ proditum eſt, omnes in vniuerſum ſtirpes, quibus ſcilla adſita profiliat, non modò aſſeruari ab omni aëris intemperie, animaliúmque noxa: ſed etiam lætiores, feracioresq́; euadere. Ferula in pabulo aſinis gratiſsima eſt, eosq́; mirificè alit: quæ tamen, ſi ab equis, vel bobus edatur, veneni præſentanei modo eos interficit: tametſi nulla prorſus noxa ea quoque ab hominibus edatur prima foliorum germinatione. Rhododendri flores, & folia mulis, canibus, aſinis, & quadrupedum plurimis venena ſunt: hominibus verò contra ſerpentum morſus præſidia. Cicuta eſitata homines enecat: item & quadrupedes: nihilominus ſturni innocuè eius ſemine veſcũtur. Cucumeres aquam ita diligunt, vt ſi vas aquæ plenum, dum plantis inhærent, illis ſubiiciatur, admodum longiores effecti, mirè in illam deſcendant. Contra oleum ſuppoſitum ſic refugiunt, vt in hamos recuruentur: quandoquidem in vniuerſum oleum omnibus, quæ ſeruntur plantis, inimicum eſt. Quo fit, vt planta quælibet, quæ fuerit eo peruncta, facilè perareſcat, & moriatur. Ob id enim admirandum non eſt, ſi arbores, quæ oleum ferunt, ac reſinam mittunt, cæterarum inſitiones aſpernantur: quemadmodum eas non reſpuunt aliarum nonnullæ, quæ nec oleum nec reſinam fundũt, ſiquidem ſæpe conſpecta eſt quercus pyra ferre, platanus poma, myrtus punica mala, oxyacantha meſpila.*

Braſsicæ mira vis ad temulentos.

Arbores aliarum arborũ fructuum feraces.

*At nunquam viſæ ſunt pinus, larix, picea, abies, olea, inſitionis adminiculo, alios ferre fructus, quàm proprios. Grandinis impetum, item & fulminis ictum arcet pellis hyenæ, crocodili, hippopotami, & vituli marini: neque fulmine iciuntur ficus & laurus. Caprificorum groſsi domeſticis ficis appenſi, non ſolùm eorum fructus decidere prohibẽt, ſed etiam caducos ad maturitatem vſque remorantur. Apium tantò celerius adoleſcit in hortis, quantò magis atteritur, & calcatur: cùm tamen ſecus, & contra eueniat de reliquis plantis. Tenereſcunt galli, eſuiq́; aptiores redduntur, qui iugulati prius in arbore fici pependerint. Carnes putredine diutius illæſæ aſſeruantur, quibus æneus clauus fuerit infixus. Corpora icta fulmine, etſi exiccentur, nunquam tamen putreſcunt. Quare non immeritò poëta ille damnatur, qui Phaëtontem cecinit de cœlo tactum quibuſdam in vallibus computruiſſe. Sed maiore miraculo nobis illud ſeſe offert, quòd ſcilicet fulminis ictu è loculis aurum adimatur illis illæſis, ac ne cõfuſo quidem ceræ ſigno: pariterq́; ex dolio vinum euaneſcat, dolio nullibi fracto. Quid enim hoc mirabilius? Martia princeps Romanorum grauida icta fulmine, partu exanimato, ipſa citra vllum aliud incommodum vixit.*

Corpora icta fulmine non putreſcunt.

Admirabilis fulminum facultas.

*Mentha lacti impoſita denſari ipſum in caſeum non ſinit. Murenæ piſces ferula tactæ ſtatim moriũtur, Scorpiones item admota delphinio herba, aut lychnide ſylueſtri, aut aconiti radice, quod pardalianches vocant, adeò torpeſcunt, & ſtupidi redduntur, vt potius mortui, quàm viui exiſtimentur: veruntamen albi veratri contactu mirifice excitantur, vireſq́; deperditas recuperant. Succo cotulæ manus illitæ apum, veſparumque aculeo non infeſtantur. Quod item malua præſtat oleo cõtuſa, corporiſq; mẽbris illita. Qui polemoniæ radicem geſtauerit, à ſcorpionibus nõ icitur: et ſi ictus ſit, nulla neque moleſtia, neque noxa afficitur. Porrò tanta eſt arundinis, & filicis diſcordia, vt arundine vomeri annexa, filices in agro enatæ penitus deperdantur. At cõtra magnã inter ſe ineunt amicitiã arundines, & aſparagi: quippe in arundinetis ſati lõge lætiores, quã alibi adoleſcunt: quemadmodum & vites, quæ vlmos, populoſque ſcãdũt. Magna inſuper conueniunt amicitia myrtus, & olea: item hæc, & ficus. Orobanche ſola præſentia legumina ſtrangulat. Cimices lectularii ſi viui deuorẽtur, nõ ſolũ quartanis febribus remedio ſunt, ſed etiam percuſsis ab aſpide proſunt.*

Gallinarum tutela contra Muſtelas.

*Martyres, feles, & muſtela gallinas non attingunt, quæ rutæ ſucco fuerint perunctæ: neque vulpes eas inuadũt, quæ pulmonẽ vulpinũ comederint. Vipera fagi ramulo obuiã facta greſſũ ſiſtit, & veluti attonita manet: quod itẽ facit arũdine ẽt leuiter percuſſa. Furens elephas ariete tantũ conſpecto manſueſcit: nec eſt taurus tam ferox, qui fico arbori adalligatus non miteſcat. Magnes lapis mirè ferrum ad ſe trahit: at ſi allio cõfricetur, id neutiquam agit, niſi ſanguine hircino lotus vim ab allio obſeſſam redimat. Succinum paleas, & feſtucas ad ſe trahit, nihilominus oleo illitum, eas reſpuit. Equi, quos lupus momorderit, & pernici curſu, & prolifica probitate pollebunt: at ſi luporum veſtigia calcauerint, cruribus obſtupeſcunt, ac cõuelluntur. Carnes ouillæ à luporũ morſibus dilaniatæ cæteris teneriores, & guſtatu ſuauiores exiſtunt: at earũ lana veſtibus cõtexta, pediculos creat. Leo animal ferociſsimũ præſentẽ gallũ mirũ in modũ veretur, ac magis terrore cõcutitur audito eius cãtu. Gallinacei pulli elephantẽ, bouẽ, & equũ minimè metuũt: atqui ſi vmbrã tantũ milui in aëre volantis cõſpexerint, ad matrẽ maximè perterriti cõfugiunt. Nec ſecus agunt oues & agni, lupo cõſpecto. Idem lupus ſcillæ bulbo cõtacto quàm primũ ſideratur. Hyenæ vmbra contecti canes obmuteſcunt: itẽ hyenæ ipſius lingua à latratu, ac morſu canum ẽt mordaciſsimorum ferentẽ vindicat. Polypodium herba cancro animali admota efficit, vt is paruo tẽporis tractu tum integentes cruſtas, tum vngues è pedibus abiiciat. Ciconiæ platani foliis nidos implent, vt inde veſpertiliones abigant, quibus cum ingens odium gerunt. Hirundines apium comportant, vt tineas, & blattas nidis inimicas arceãt: itẽ & chelidonium maius, quò obcæcatis pullis viſum reſtituant. Cæterùm lauri folia nidulis importãt palumbes, accipitres hieracium, corui arum, vpupa adiantum, cornices ſupinã verbenacã, turdus myrtũ, perdix arundinẽ, ardeola carum, aquila callitrichum, galerita gramen, cygni viticem, vt à diuerſis animalium iniuriis ſe vindicẽt, aut ab alio quocũque, quod noxã adferre poſsit: tam admirabilis in volatilibus, & quadrupedibus habetur ipſius naturæ inſtinctus, circa rerum vires abſconditas. Catus quadã herba adeò gaudet, vt illi catariæ nomen recentiores indiderint: quin etiam phu minoris radicibus maxime delectatur. Ranæ iuncum, ranunculum, & ſtœbẽ diligunt. Teſtudines, & ciconiæ origanum adamant. Serpentes fœniculi affricatu viſum recuperant. Leo deuorata ſimia febrem efficaciſsimè diſcutit. Ceruæ, & feræ capræ non modò dictami pabulo illata vulnera in Creta inſula ſanant, ſed & infixa tela venatoribus reiiciunt. Vrſi formicas deuorant, vbi mandragoram deguſtauerint, quibus mirifice ſanantur. Elephantes deuorato chamæleonte animali oleaſtri frondes depaſcuntur, quibus incolumes euadunt. Anſeres, anates, ac reliquæ aquaticæ*

*aues ſide-*

*aues ſiderite tantùm herba ſuis incommodis medentur: ſicuti gallinæ helxinem deuorant, grues iuncos, pantheræ humanum ſtercus, apri hederam, & cinaram ceruæ. Præterea rhabarbaro flaua bilis è corpore deiicitur, itemq; manna, & ſcãmonio: pituita colocynthide, & turpeto: bilis verò atra helleboro, & Armenio lapide: ſicuti & venena theriaca ſuperantur. Oculorum ægritudines curant ſolo contactu ſapphiri & anthraces. Ebrietas amethyſto lapide arcetur. Sanguinis defluxus iaſpide ſiſtitur. Topaſio appenſo venus infirma redditur: item & vitice lecto cubantibus ſtrata. Formicæ alis veſpertilionis, & vpupæ corde fugantur. Quin & ſerpentes veterum calciamentorum ſuffitu abiguntur, vt blattæ, & papiliones hircino iocinore incenſo. Torpedo piſcis non modò manu, ſed & longiori haſta contacta tangentis brachium ſtupidum reddit, quamuis validiſſimis muſculis conſtet. Catablepha quemcunque oculo conſpexerit, enecat, etſi per mille paſſus diſtet. Nec inter homines deſunt, qui laudibus, & oculorum intuitu conſpectos effaſcinent. Cæterùm ſi cæterarum volatilium pennæ aquilinis permiſceantur, breui carie contabeſcunt: quemadmodum teſtudinum chordæ contactæ diſrumpuntur, ſi vna tantùm ex lupi inteſtino parata inter eas reſonet. Eodem pariter modo tympana ouina pelle conſtructa franguntur, ſi tympanum lupina membrana contectum inter alia pulſatur. Tanta muſicis, tibiis, cæteriſq; id genus inſtrumentis facultas aduerſus tarantulæ venenum ineſt, vt languentes etiam inuitos non modò ad choreas, ſaltationeſq; alliciat, ſed etiam perſanet. Quinetiam tanta vi pollent Marſi, ac Pſylli contra ſerpentes, vt eos ſolo contactu enecent. Taurus perunctis roſaceo naribus ſtatim vertigine corripitur. Lapis Thracius aqua madens igni admotus præter rerum naturam flammam ſtatim concipit, nec reſtinguitur, niſi affuſo oleo. Sed de his hactenus: quandoquidem breuitati ſtudentes plura adhuc ſilentio prætereunda duximus.*

*† Hic locus (vt mihi retulit excellentiſs. Medicus Auguſtinus Gadaldinus) in antiquo codice ita legebatur:* εἰς ὄγκων διαφορὰς ἕκαστον αὐτῶν ἀναφέροντες. *Id eſt: in tumorum differentias vnumquodque ipſorum referentes. Quæ lectio non ſolum ob id magis probari poſſet, quàm vulgata, quòd dogmatica ſit, illudq; dogma innuat, quod facultatum medicamentorum cauſam in tumores, & meatus referebat: ſed quòd etiam eius dogmatis meminerit Galenus lib. primo de ſimpl. medicamentorum facultate cap. primo, his verbis.* τινὲς μὲν γὰρ εἴς τε τὰ μεγέθη, καὶ τὰ σχήματα, καὶ τὰς θέσεις τῶν ὄγκων τε καὶ πόρων ἀναφέρουσιν. *Hoc eſt: Quidam enim in magnitudines, figuras, & ſitus tumorum & meatuum referunt.*

# METHODVS, QVA DIOSCORIDES IN SVO OPERE VSVS EST, ET SECVNDVM QVAM OMNES AB AVCTORIBVS propoſitæ plantæ ad Dioſcoridis capita referri poſſunt, a CASPARO BAVHINO propoſita.

CVM DIOSCORIDES de MATERIA MEDICA perfectum opus ſe ſcripſiſſe in Præfatione teſtetur: & Galenus 6. de facult. ſimpl. medic. 1. idẽ ſtatuat, his verbis: Quinque libris materiam omnem vtilem Dioſcorides abſoluit: & 1. de Antidotis, ſufficienter de omni materia medica in quinque libris à Dioſcoride ſcriptum eſt, operæpretium eſt intelligere, quanam in ſuo opere Methodo ſiet vſus. Dioſcorides cum duos eſſe præcipuos Medicinæ ſcopos animaduerteret, Sanitatis conſeruationem, & Morbi curationem: materiam Medicam pertractaturus, cenſuit præſtantiùs eſſe valetudinem conſeruare, quàm amiſſam recuperare: quare ab illis exorſus eſt. At cùm nihil ſit, quod tam valetudinem cõſeruet, quàm Spirituum caloriſque natiui refectio, ea quæ citò hæc præſtare queant, præponit: eiuſmodi autem cum ſint aromatica, ab Aromatibus principium facit. Sunt autem Aromatica, quæ plenum, gratum, & perſeuerantem verbi gratia, per annos circiter decem, odorem ſpirant. Quare ea quę facultate conueniebant, primùm iunxit, & quantùm licuit etiam facierum ſimilitudinem obſeruauit, cum facies ſeu forma externa ipſius plantæ, facilimè ſub ſenſum cadat. Vbi verò facultas à forma externa eſſet ſeiuncta, potius facultate, quàm forma ſimiles coniunxit, inque claſſes & capita digeſſit: quod probatur ipſius Auctoris verbis, vt qui in fine præfationis libri ſecundi hæc habeat: ideò ne cognatorum vires diſiunxiſſe videamur, & quæ ſequuntur: ſic & in libro tertio inquit, quæ vernacula ſunt & cognata cenſentur. Aliquando vbi nulla neque facultatis neque faciei ſimilitudo intercedebat, Nominis ſimilitudine obſeruata, diuerſa in eandem claſſem retulit: ſic enim infinitum chaos in pauca reducitur, memoriámque & artem plurimùm iuuat. Primo ergo loco aromata, quæ ſpiritus reficiunt, caloremque innatum fouent, propoſuit: mox his ſubiunxit, quæ ex Aromatibus componuntur, vt vnguenta & olea, eò quòd apud veteres in magno forent pretio, & ad ſanitatem conſeruandam plurimum conferrent, propter quotidianum Balneorum vſum, è quibus egredientes ſe vngebant, vt Galenus pleniùs in libris de ſanitate tuenda, docuit. Hæc verò cùm ab arboribus petantur, arbores, à quibus vnguentorum & oleorum materiæ deſumuntur, ſubiunxit. Tum in fine libri, de alimentis agere incipit: & quia veriſimile eſt primos parentes potius arborum fructibus, quàm frugibus victitaſſe, ideò antequam ad Cerealia, quæ magis nutriunt, accederet, arbores quarum fructus edules ſunt, deſcripſit: vt quæ finem impoſuiſſent

Medicinæ ſcopi duo.

Aromatica quæ.

Libro primo quæ tractentur.

aromaticis,etiam alimentorum genus inciperent:accedente etiam facierum ſimilitudine : & quia magis notæ ſunt & familiares,quàm herbæ cereales:de his libro primo. Vnde liquet, caput vltimum libri primi,quod eſt de Iberide,licet Marcellus Virgilius, Hermolaus Barbarus, Ioan. Ruellius, Franciſcus Aſulanus,& Matthiolus(qui idem cum Lepidio dicit)in ſuis Codicibus reſeruarint, expungendum eſſe,& in librum ſecundum poſt caput de Lepidio reiiciendum eſſe, non ſolùm ratione ea, quòd locum iuſtum inter arbores non habeat,vt loquitur Ianus Cornarius:ſed quia nec facultate,nec facie,nec nominis ſimilitudine cum iis quæ à Dioſcoride libro primo proponuntur, conueniat. Eandem ob cauſam caput deHalicacabo,quod in quibuſdam exemplaribus Iberidi ſubiungitur,expungendum venit, & in librum quartum ad Solani genera referendum eſt.

Libro ſecundo quæ continentur.

Secundo libro, cùm non ſolùm Aromaticis reficiamur,ſed & Eſculentis ſpiritus & calor innatus conſeruetur, humoreſque augeantur, quibus librum primum concluſerat,nunc quæ ſuccedunt,proponit,vtpote carnes,piſces, cerealia, olera: ab Animalibus incipiens, à quibus non ſolùm alimenta, ſed etiam remediorum copia educitur: Cerealia ſubiungit,tum olera:& ſi ab his medicamenta quædam vel colligantur, vel conficiantur, breuiter admonet.Hæc enim Dioſcoridis eſt methodus,vt primùm propriam vim,dein communem alicuius plãtæ enumeret:id eſt,id quod illi peculiare eſt & præcipuum,& quod preſtantiſſimè facit:poſtea id quod etiam aliorum auxilio agit:quod vt in particularibus capitibus obſeruat, ſic etiam in vniuerſalibus tractatibus idem perſequitur.Exempli gratia:inter oleraceas ea connumerat primo,quę magis in vſu ſunt vt Triticum,Hordeum &c: dein ea quæ minus nutriunt: quare Alimentorum oleraceorum genus acribus terminatur.Acria autem cùm alia ſint Alimentoſa,alia medicamentoſa,alia mixta:ab alimentoſis orditur,vt à Sinapi,Cepa,Naſturtio:quæ quamuis parum nutriant,appetitũ tamen excitant: hæc ſequuntur,quæ non nutriunt,ſed medicamentoſa tantùm ſunt,vereque acria.

Materia libri Tertii.

Tertio libro, vt in iis quæ medicamentoſa ſunt,progrediatur,Radices ſubiungit: mox ſuccos, qui ex Corollariis eliciuntur: Dicuntur autem Corollariæ herbæ, quæ vulgò odoratæ plantæ appellantur, & potiſſimùm odore grato dignoſcuntur:ſubiicit Vmbelliferas,quarũ pręcipuè ſemina in vſu ſunt.

Lib. quartus.

Quartum librum Herbaceum genus incipit:Herbacea dicuntur,quia potiſſimùm herbacea pars(ſiue intelligas folia ipſa, vel ex iis elicitum ſuccum)in vſu eſt(ſub qua ſpecie ea quęCoſmetica ſunt,& ad capillorum tincturam faciunt,& ad cutis ornatum pertinent)de Radicibus etiam egit purgantibus, at in finem libri reiicit ea quæ potenter purgant,quò hęc,niſi alia proſint, vltimo loco experiamur,& in vſum reuocemus.At in purgãtibus primùm ad morbos internos,tunc ad externos reſpexit:& rurſus primùm ad vniuerſales, tum ad particulares:& potius & prius ad periculoſos, quàm ad ſalutares. Nec omiſit quæ vulnera & continui ſolutionem curant: imò & de venenis quoque in ſequentibus egit.

Lib. quintus.

Quinto libro de Vino agit: licet namque ſint,qui vinum inter Aromatica reponendum cenſeant, vt & omnia ea quæ ex eo eliciuntur, vt Aquam vitæ,Omphacium,Sapam: aſt quia magis antidotum eſt, & eo potius ad medicamenta miſcenda & antidota conficienda opus habemus,quã ad victũ,in hunc locũeius hiſtoriã reiecit:& librum integrũ dicauit, quo etiam vinorũ factitiorum,quæ partim aromatica ſunt,partim verò purgãtia, modum conficiendi,doceret.

Lib. Sextus.

Liber ſextus: quoniam venenum præcipuus eſt vitæ noſtræ hoſtis, nec ſatis ſit ſanitatem tueri, ideò ſexto libro de his agit: quem aliqui diuidunt, & alterum, De Beſtiis venenum eiaculantibus:alterum de Lethalibus Medicamentis inſcribunt:alii in tres,alii in plures diuiſere libros. Ex his ergo patet Dioſcoridem magis Facultatem plantarum (quas in Arbores, Frutices & Herbas diſtinxit)reſpexiſſe,cùm hoc magis intrinſecum ſit,neque adeo mutabile. Secundùm hanc Methodum, Angelica non inter Apiaſtra connumeranda,ſed cùm ſit aromatica, venenis, peſti ac putredini aduerſa, ſtatim poſt Iridem vel Meu collocari debet.Sic Flos ſolis Peruuianus,quem auctor noſter edit. poſtrema poſt præfationem locauit:Dodoneus ad Chryſanthemum : Cæſalpinus ad Helenium,retulit : licet antiquis indictus videatur,tamen non ex ſolius ſtipitis, neque floris aut ſeminis forma in aliquam claſſem referri debet, ſed omnibus ſimul conſideratis,& maximè facultate ipſa, qua cũ Carthamo conuenit,ad Carthamũ referri debet.In adprobatione remediorũ & vſu,hęc tria potiſſimùm obſeruat:vt vel ſibi experta dicat: vel cõmuni vſu & experiẽtia adeò probata,vt nullus inficiari poſſit:vel quæ à magno aliquo viro ſibi expoſita aſſerit. Hæc vniuerſalis eſt Methodus, nũc ad Particularem.Particularis methodus eſt in capitibus:in initio capitis nomen proponit, dein regionem in qua frequentius vel optima prouenit,quæ Geographia eſt:tum Chorographiam ſubiicit, eius regionis locum, vel niuoſum & altum:vel vmbroſum:vel hortenſem,vel alium aliquem explicando. Poſtmodum ab his incipit, quæ maximè oculis patent:hinc ea quæ non tam facilè videntur, vt ſunt radices & ſemina: mox particulares & minimas differentias:tandem facultates & proprietates & primùm vniuerſales & antidotarias, quæ Cordi, vitæ fonti opitulantur: dein quæ ſpiritibus animalibus: tum quæ ad morbos totius corporis, dein partium & communiter quæ ad capitis morbos valent primò exponit. Verum in virium enarratione aliquando ſimpliciter ponit, valet, prodeſt:aliquando legitur, ferunt, prædicant. Cùm ſcribit valere,prodeſſe,videtur experientiam eius rei habere:quod verò nunc non ſemper iidem effectus obſeruantur,id ad plantarum varietatem,quæ aliorum loco ſubſtituuntur, referendum eſt: non verò ad ignorantiam & fallendi voluntatem.Aſt cùm habet ferunt, prædicant,non neceſſarium eſt argumentũ certitudinis alicuius facultatis. Tandem licèt quædam interpoſuerit, non tamen contra propoſitam methodum fecit,ſed quòd nullus commodior locus videretur:ſic Confectionem Cyphi inter aromata recenſuit, quia ex odoratis conſtat:ſic Picem & bitumen terreſtre inter gummata. Hactenus de vniuerſali & particulari methodo librorum Dioſcoridis de materia medica,corundemque capitibus.

I. IRIS DOMESTICA.



II. IRIS SYLVESTRIS.

Iris germanica Sturm.



III. IRIS SYLV. ALTERA.

Iris sibirica Sturm.



IV. CHAMAEIRIS.

Iris graminea Sturm.



## Ἶρις. IRIS. CAP. I.

*Omnia exemplaria ἐπὶ καυλῷ i. in caule.*
*ὑποκόλοβος i. ſubmutila.*

IRis à cœleſtis arcus ſimilitudine nomen accepit. Folia fert gladioli, ſed maiora, latiora, & pinguiora. Flores in ſummitate cuiuſque caulis, æqualibus inter ſe ſpatiis diſtant, incurui, varij: ſiquidem candidi, pallentes, lutei, purpurei † & cærulei conſpiciuntur: qua diuerſi coloris ſpecie, quædam cœleſtis arcus imago repræſentari videtur. Radices ſubiacent geniculatæ, ſolidæ, odoratæ: quæ fruſtatim diſſectæ, in vmbra ſiccantur: & traiectæ lino reconduntur. Melior eſt Illyrica, & Macedonica: & inter has laudatiſſima, quæ † mutila ferè, & denſa conſtat radice, frangenti contumax, ſubrufo colore † guſtu amaro, odore perquàm grato, & ſyncero, ita vt nullum prorſus ſitum redoleat: quæ dum tunditur, ſternutamenta mouet. Secundum locum habet † Africana, candicans, guſtuque amara. Teredines in vetuſtate ſentiunt: tunc tamen odoratiores reddi ſolent. Vis omnibus excalfactoria, extenuans, contra tuſſim efficax: humorum, qui ægrè reiiciuntur, craſſitiem digerunt: bilem, craſſamque pituitam ex hydromelyte drachmis ſeptem epotæ purgant: ſomnum conciliant, lacrymas ciunt, torminibus medentur. Eædem potæ ex aceto auxiliantur ſerpentium ictibus, lienoſis, conuulſis, perfrictionibus, horroribus, & quibus genitura effluit: menſes ex vino potæ pellunt. Decoctum earum, fœminarum fotibus vtiliter imponitur, ad emolliendos locos, laxandaque in eis venarum ſpiracula: iſchiadicis infunditur: fiſtulas, ac ſinus carne explet. Radices ex melle glandis modo ſubditæ, partus extrahunt, quinetiam coctæ & illitæ, ſtrumas vtereſque duritias emolliunt. Siccæ quoque vlcera replent, & cum melle purgant: nudata oſſa corpore operiunt: doloribus capitis cum aceto, & roſaceo magna vtilitate illinuntur. Admotæ cum albo veratro, & duabus mellis partibus, lentigines & vitia cutis in facie à Sole contracta emaculant. Peſſis, malagmatis, & acopis inſeruntur. In vniuerſum magni ad omnia vſus.

*Iridis genera, eiuſque conſideratio.*

*IRis in vniuerſum ſatiua eſt, & ſylueſtris, illius tres numerantur ſpecies, verſicolor, lutea, candida. Huius tantum duæ maior & minor. Satiua paßim in hortis & viridariis habetur, folio gladii formam referente, ſtriato, acuminatoque: caulem præfert læuem, cubitalem, rotundum, geniculatum, à quo ramuli in ſummitate exeunt, è quibus flores prodeunt violacei coloris, æqualibus inter ſe ſpatiis diſtantes, & variis in medio coloribus ſeſe immiſcentibus Iridis cœleſtis modo. Capitula edit oblonga, gladioli modo, craßiora tamen, in quibus ſemen concluditur rotundum, ſeſamæ magnitudine. Quo fit vt ii manifeſto ducantur errore, qui Iridem nullum ferre ſemen contendunt. Radix ineſt Iridi candicans, ſolida, geniculataque, à cuius infima ſede, copioſæ funduntur fibræ, vt in maiori phu, odoratæ, guſtu acres, & ſubamaræ, perinde ac radix.*

*Improbatur opinio aſſerentium Iridem nullum ferre ſemen.*

*Iridis ſylueſtris genera.*

*SYLVESTRIS duum eſt generum. Altera, quæ plurimum ſaxoſis collibus & aſperis naſcitur locis, ſatiuæ per omnia ſimilis, minoribus tamen foliis, & floribus, radicibus gracilioribus, ac & caulibus. ALTERA foliis gladioli paulo longiorib. radice tenui, lignoſa, geniculata, ſubrufa, inodoraq́; & graminis ferè modo repente: caule breui: flore cæteris longè minori, odore Armeniaci mali. Cōſtat hæc foliis nouem purpureis, quorum extima, ſuperiore tantùm parte, aureis pinguntur lineis. Sunt qui hanc legitimam Illyricam putent, Illyricam ab Italica differre exiſtimantes, in quorum ſententiam etſi iampridem deuenerim, tamen longè aliter rem ſe habere poſtmodum comperi. Quandoquidem præferri Illyricam nouerim, non quòd genere, vel ſpecie à noſtrate differat, ſed quòd cœli, ſolique illius conuenientia, præſtantioribus polleat facultatibus: vt abſinthium, quod in Ponto naſcitur: acorum, quod in Colchide, & Galatia: cyperus, qui in Syria, & Cycladibus inſulis: coſtus, qui in Arabia: crocus, qui in Coryco monte: myrrha, quæ apud Troglodytas, & Minæos legitur: & alia quàm plurima præferuntur à locis, quorum dote ſelectiſſima, præſtantiſſimaque proueniunt. Id enim apertè teſtatur grauiſſimus auctor Galenus lib. primo de antidotis, his verbis. Omnes itaque herbarii vnanimes ſcripſerunt Irim in Illyrio natam optimam eſſe: petroſelinum verò, quod in Macedonia prouenit: bitumen è Iudæa aduectum, item & opobalſamum. Idem & in reliquis fecerūt, quorum dotes à regionibus acceptas, cùm priuatim de vnoquoque loquemur, nō omittemus: hæc Galenus. Docuit id etiam antè Galenum Theophraſtus lib. IX. cap. VII. de hiſtoria plantarum, ſic inquiens. In Europa nihil præter Irim inueneris, quæ optima apud Illyrios exit, non tamen parte maritima, ſed mediterranea, magiſque ad ſeptentrionem ſita. Verùm loci à locis differunt, ita vt producere meliorem poßint. Quibus palàm eſt, Illyricam Irim non genere, & facie, ſed viribus tantùm à noſtrate diſiungi. Satiua (vt arbitror) ex agreſti originem duxit, quemadmodum plantarum aliarum pleræque, cultu tamen vegetior grandiorque effecta. Seritur iam & altera, quam flore & foliis minorem eſſe diximus, quæ etiam in hortis frequens eſt, tum ipſius floris amœnitate, tum odoris præſtantia, tum etiam quòd nouis floribus delectentur homines, adeò vt iam tot ſatiuæ, quot ſylueſtris habeantur genera.*

*Opinio reprobata eorū qui Iridem domeſticam reperiri negant.*

*Sunt tamen, qui putent nullam Irim domeſticam reperiri, quòd ſcripſerit Theophraſtus loco antè citato, nullum Iridi cultum accommodari. Sed ii, meo quidem iudicio, decipiuntur: quandoquidem Theophraſtus eo in loco non de omni in vniuerſum Iride diſſerit, ſed de Illyrica tantùm, quæ cum loci ac cœli clementia in Illirico tractu optima ſpontè proueniat, non eſt neceſſe, vt colatur. Præterea cùm hodie Iris domeſtica paßim in Italiæ hortis læta, virens, pulchráque ſpectetur: ſylueſtris autem in plurimis montibus ſponte naſcatur, floribus & foliis ſatiuæ longè minoribus, radice tenuiore, breuiore & aridiore: nulli quidem abſurdum videri debet, ſi nos vtranque depingi curauimus. Quinetiam compertum habeo, veteres quoque Iridis ſylueſtris mentionem feciſſe, non ſolùm Marcelli medici auctoritate cap. 24. qui præterea Irim domeſticam cultámque illis fuiſſe oſtendit: ſed Galeni quidem teſtimonio, is enim Iridis ſylueſtris meminit lib. 10. de com. medic. ſecundum locos, dum nephriticas compoſitiones ab Aſclepiade conſcriptas recenſet. Quin etiam Plinius lib. 27. cap. 11. Medii folia Iridis ſatiuæ foliis comparat.*

*Sylueſtris vtraque vbi plurima oriatur.*

*Iris candida.*

*Iris aurea.*

*Sylueſtris vtriuſque generis plurima oritur in Goritienſi agro Sàluatino monte, & Iapidiæ collibus inter ſaxa, odore non ingrato: quamuis etiam ambas viderim in campeſtribus non longè à Sontii ripis. Eſt præterea in ſatiuarum genere, quæ flores niuei candoris, quæque aureos proferat. Hanc in Bohemia paßim colunt in hortis. Illam pluribus in locis in Hetruria vidimus, cuius radix odoris fragrantia, & virium robore Illyricam ferè æquat. Nec putes velim eam quæ flore eſt aureo pſeudoacorum eſſe vulgaris vſus. Eſt enim hæc Iridis propria ſpecies, vt florum figura, & ipſæ atteſtantur radices. Iridis meminit Plinius lib. 21. cap. 7. ſic inquiens. Iris radice tantùm commendatur, vnguentis, & medicinæ naſcens. Laudatißima in Illyrico: & ibi quoque non in maritimis, ſed in ſylueſtribus Drilonis, & Narona, quod à Nicandro tranſcri-*

pſiſſe videtur. Proxima in Macedonia: longiſſima hæc, & candicans, & exilis. Tertium locum habet Africana, ampliſſima inter omnes, guſtúque amariſſima. Illyrica quoque duorum generum eſt: raphanitis à ſimilitudine, quæ & melior: rhizotomos ſubrufa. Et cap. 20. eiuſdem libri, Iris rufa (inquit) melior eſt, quam candida. Quibus in locis ſibi manifeſtè repugnare videtur Plinius: quod ſuperius raphanitem, quæ candicat, rhizotomo, quæ ruſeſcit, antepoſuerit, hic verò cõtrà. Dioſcoridi præſtat, quæ ſubrufo conſtat colore, qualis Plinio rhizotomos. Cæterum (ſi Theophraſto & Plinio credamus) non omnis Illyrica præſtat, ſed quæ tantùm in ſylueſtribus naſcitur: ſiquidem quæ in maritimis foditur, humore prægnans improbatur, quòd ſubinde flacceſcens contrahatur in rugas. Succus hydropicis propinandus, quoniam recenti Illyrica deſtituimur, è noſtrate elicitur, ducitq́ abundè aquas. Excalfacit Iris ordine ſecundo completo, vel tertio inchoante, & pariter ſiccat. Atque præter vires, quas illi adſcribit Dioſcorides, aliis pluribus pollet, quandoquidem compertum eſt, manſam oris halitum commendare: dentium dolores mulcere, ſi radicis decocto iidem foueantur: coquit item abſtergit, digerit, reſoluit, lenit, reſerat, expurgat, & deiicit: vulnerariis medicamentis immiſta ſarcotica eſt. Radicis expreſſus ſuccus bilem flauam, pituitam, & aquas cutem ſubeuntes pellit, hæmorrhoidas fotu elicit. Fit quoque electuarium ex ſucci radicum Iridis drachmis tribus, Galangæ, zedoariæ cuiuſque drachmis duabus, Cinnamomi, Caryophyllorum cuiuſque ſeſquidrachma, marinæ braſſicæ ſemuncia, & mellis quantum ſat fuerit ad excipiendum: quo maximè iuuantur aqua intercute laborantes, vbi quotidie ſemunciam ieiuni deuorauerint. Quin etiam Iridis radicum farina, drachmarum quatuor pondere, additis cinnamomi, & anethi cuiuſque drach. duabus, & croci ſcrupulo, dolores, & tumores teſticulorum, mirificè tollit, ſi panni coccinei fruſto, albo meraco perfuſo, hæc omnia in puluerem contrita excipiantur, & calida apponantur. Eiuſdem radices veſtibus interpoſitæ, eas à tinearum eroſionibus tuentur, & odoris fragrantia commendant. Radix ipſa contrita, & ex aceto bibita, omnibus aduerſatur venenis. Succus radicis naribus infuſus cerebrum à pituita mirificè purgat: ventriculo tamen nocet cùm per ſe tantùm bibitur: ideoq́ à peritis Medicis exhiberi nõ ſolet, niſi admiſta mulſa, & Indica nardo. Potum radicis decoctum obſtructiones aperit, præſertim vbi craſſa fuerit impacta materia, & ventris tineas pellit, vrinas ciet, & renum calculos eiicit. Datur potãdũ vtiliter ictericis, quippe ſudores mouet, & auriginem exterit. Pulmones, & thoracem expurgat, & Iocinoris inflammationibus auxiliatur. Recentes Iridis radices ſaccharo aut melle conditæ, dantur vtiliter deuorandæ vnciæ pondere calculo affectis, & anhelandi difficultate laborãtibus, quin etiam hydropicis, ac reſolutis: eædem in paſſo decoctæ, contuſæq́, addita hordeacea farina, & illitæ, parotidas bellè diſcutiunt. Illyricæ puluis ſeſquidrachmæ pondere, datur ex paſſo calido, perquàm vtiliter ad Iliacos affectus. Oleum, quod è floribus, & radicum ſucco paratur reſoluit, emollit, concoquit, frigidos dolores mulcet, attenuat, & mirificè cõfert Iocinoris, & lienis doloribus: Podagricos iuuat, lenitq́ articulorũ duritiẽ, ac cæterarũ corporis partiũ: præſtat & ad frigidos vteri dolores, ad conuulſos, & aurium cruciatus. Vſus apud veteres eſt radicum tantùm, quamuis nunc non deſunt recentiores, qui flores quoq́ in medicum vertant vſum. Iris ſylueſtris maior excalfacit & ſiccat valentius tamen quam domeſtica. Eaſdem cum domeſtica vires habet, ſed acriores ac etiam valẽtiores. At ſylueſtris minor, excalfacit & extenuat ordine primo aut ſecundo inchoante. Præſtat eadem quæ cætera Iridis genera, minori tamen efficacia. Fit è floribus oleum, quo quidam vtiliter vtuntur ad tumentes ex partu mammas, & ad teſtium inflammationes. Reperio quoddã eſſe Iridis genus, quæ Aſtragalitis cognomine dicitur. Id. n. oſtendit Galenus lib. 1. de comp. medicament. ſecundũ locos cap. 1. ex Sotano tranſſcribens: itẽ Aetius lib. 13. cap. 3. qui quibuſdã in emplaſtris Irim aſtragalitidẽ imponunt. Veruntamen cùm antiquorũ, vel recentiorũ repererim neminem, qui in ſimpl. medic. libris huiuſce Iridis meminerit, quid certi de hac rè proferã, ſanè non habeo. Cæterùm Cornarius, qui in prædictos Galeni libros cõmentarios edidit, Irim aſtragalitem, & Aſtragalũ idẽ eſſe exiſtimat: hoc argumento ductus, quòd Plinius Iridem duplicẽ eſſe tradiderit: alteram, quæ raphanitis à ſimilitudine: alteram, quæ rhizotomos dicitur. At cùm aſtragalus radicem raphani modo ferat, inde Iridem aſtragalitem Aſtragalum eſſe coniicit: quin & Plinio per Iridem raphanitem, aſtragalum intelligi cenſet. Sed mea quidem ſententia rectius fortaſſe rem hanc explicaſſet, ſi per eam Iridem, quæ à ſimilitudine raphanitis vocatur, aſtragalitem ideo deſignari dixiſſet, quòd vt aſtragalus, raphani modo radicem gerat: ſiquidem Plinio Iris raphanitis aſtragalus non eſt, ſed altera Iridis Illyricæ ſpecies. Quamobrem ita Iridem aſtragalitim à Galeno cognominatam eſſe putauerim, quòd radice referat aſtragalum: quemadmodum raphanitis à Plinio dicta eſt, quòd radice raphanum repræſentet. Iridem memoria proditam fuiſſe Galeno in libris ſimplicium medicamentorum, ſanè nuſquam reperi: tametſi libro primo de antidotis eius poſtmodum meminerit his verbis. Andromachus roſis Iridem Illyricam adiungit: quæ verba non fruſtrà, negligenterq́ excipienda ſunt, veluti nec cùm aliis medicinis patriæ nomen apponit, de quibus paulò pòſt differentes, quid quoque in genere optimum ſit, demonſtrabimus. Polium ergo, & chamædrys Romam afferuntur, natis in Italia paulò meliora: in aliquot ſiquidem Italiæ locis haud multò deteriora proueniunt illis annis, quibus ver totum humidum non fuerit, ſed ſicuti ſæpe contingit, æſtiuo tempori ſimile. Quod ſi veris conſtitutio ſiccior obuenerit, multa, quæ in Italia naſcuntur, pluribus Creta allatis paria erunt, aut non multò inferiora, veluti chamædrys, chamæpitys, hypericum, gentiana, thlaſpi, veratrum nigrum, & id genus alia. At verò, quod ad Irim pertinet, ſecus ſe res habet: ſi enim Iris Lybica, quæ plurima ex Africa Romam affertur, Illyricæ comparetur, tantum ipſi cedet, quantum cadauer viuo corpori: non tamen aliis in gentibus orta tam multum ab Illyrica degenerare Iris videtur. Irim igitur, velut & reliquas medicinas, odoratiorem eligito: nam vnumquodque optimum eſt, quod proprium ſui generis odorem vehementiſſimum habet, qui quidem ex multorum inſpectione manifeſtus vnicuique fit. Ac de guſtu quidem perceptis qualitatibus eodem modo cenſendum eſt: id enim optimum medicamentum eſſe conſtat, in quo id, quod ſuo generi proprium eſt, exuperat: peſſimum verò quod ſui generis aliis & tenuius, & exilius eſt. Meliora nanque ſunt omni in ſpecie, quæcunque nec rugoſa, nec exilia fuerint: ſicut quæ conuenientem ſibi magnitudinem exceſſere, peiora ſunt iis, quæ benè nutritam, & adſtrictam habent ſubſtãtiam. Quamobrem, vt dixi, multa ſæpius inſpexiſſe operæpretium eſt, & maxime optima, & quæ longo iam tempore ſui experientiam ipſis naſcendi initiis præbuere, quæq́ vno ore à peritis medicæ materiæ ſunt commendata. Omnes igitur herbarii vnanimes ſcripſerunt, Irim in Illyrio natam optimam eſſe: hæc Galenus. Planta, quæ Græcis Ἶρις, Latinis item Iris nominatur: Arabibus, Aſmeni iuni, ſiue Aierſa: Italis, Iride, Giglio azurro, aut Giglio cœleſte: & Giglio pauonazzo: Germanici Blauwgilgẽ/ Blauwſchwertel/ veielwurtz & Himmelſchwertel: Hiſpanis, Lirio Cardeno: Gallis, Glayend & Flambe: Bohemis, Koſatec: & Polonis. Iris ſylueſtris maior Græcis Ἶρις ἀγρία μέγας: Italis Giglio azurro ſaluatico: Germanis, Wild blauw gilgen: Gallis, Flambe ſauuage. Iris ſylueſtris minor. Græcis, Ἶρις ἀγρία μικρά: Italis, Giglio azurro piccolo: at quidam falſò Iridem Illyricam vocant.

Plinii cõtradictio.

Iridis vires præter traditas à Dioſco.

Elect. ex Iride ad hydropicos.

Irid. rad. vires.

Irinum oleũ ad quos vſus præſtet.

Iris cognomento aſtragalitis.

Cornarius notatur.

Iridis mentio ex Galeno.

Iridis delectus.

Nomina.

*† Malui hoc in loco Marcelli interpretationem ſequi, quemadmodum alibi quandoque facturus ſum, quàm Ruellii, cui non ſemper addictus ero: quòd in aliquot Græcis codicibus legatur ἐπικαυλα, quæ vox in ſummitate cuiuſque caulis ſignificare videtur: quòdque natura in planta ipſa illud manifeſtè demonſtret.*

## ADDITIONES CASPARI BAVHINI.

THeophraſto 6. de cauſis plant. 13. Iris odorata eſt, & à gratia palati nomen accepit, quæ in Illyride, vt habetur 6. de cauſ. 28. melior eſt quā in Macedonia: in Thracia verò cæteriſq; frigidioribus locis odore penitùs caret: ſed plura 4. hiſt. plāt. 16. vbi Iridis vocē Gaza cōſecratricē vertit, fortè quoniam in quibuſdā tū Theophraſti, tū Athenęi codicibus ἱερὶς legitur: quod in ſacrificiis purificationibuſque ſuis antiquitas Iride ſit vſa. Aliis οὐρανία cœleſtis, quod cœleſtis arcus ſpecie & modo floreat: aliis θαυμαστὸς admirabilis, eadem ratione qua à poëtis ille cœleſtis arcus Thaumantias dicitur, genus originemque illi ex admiratione nouæ rei, rudi adhuc ſæculo, vt primus Plato indicauit, aſſignantibus antiquis. Diuidimus Iridem in ſatiuā & ſylueſtrem: quæ rurſus variat, vel formæ, vel loci ratione. Ratione formæ, vel foliorum, vel radicum, vel ob colorem floris. Ratione foliorum, alia latifolia, alia anguſtifolia: illa vel maior, quæ Caulifera: vel minor quæ ἄκαυλος. Ratione radicū, quòd aliis ſit bulboſa (& hæc fortè Hyacynthus Virgilij, Columellæ & Palladij, non autem vulgata) aliis geniculata: vtraque vel latifolia, vel anguſtifolia. Color aliis candidus, aliis pallidus, luteus, niger, purpureus, cæruleus, aliis denique mixtus. Quam coloris diuerſitatem Lacuna in vno flore reperiri exiſtimauit, quæ tamen Dioſcoridis mens non eſt: probatur ex eo quod de Illyrica maximè loquatur: iam verò Braſſauolus in ſuo examine teſtatur ſe in Illyrico flores pleroſq; candidos, alios pallidos, nonnullos luteos, quoſdam purpureos conſpexiſſe. Ratione denique loci natalis, Illyrica, Macedonica, Africana, Carthaginenſis, Luſitanica, Florentina, Septentrionalis, maritima, ſaxatilis. Sicque Iridis non bulboſę, de qua hoc loco, ſpecies viginti tres reperiuntur, quemadmodum in noſtro Phytopinace ordine recenſuimus: de ſingulis plenius in VNIVERSALI HISTORIA noſtra DEO iuuante, acturi.

I. Iris vulgaris cærulea C. B. Iris Brunf. Trago (cui nouem foliis & totidem coloribus flos conſtat) Fuch. Cord. in Dioſ. Dodon. Loni. Cæſ. Tab. Iris noſtra ſatiua Cord. hiſt. Iris vulgaris Lob. Iris domeſtica Lac. Lug. Iris ſatiua cæruleis floribus Geſ. hort. Iris maior cærulea Cam. hort. Variat colore floris cæruleo, purpureo, cæruleo obſoleto, cinereóue & variegato.

II. Iris ſylueſtris maior, quæ ſatiuæ vulgari ſimilis C. B. Gladiolus cæruleus maior Trag. Iris ſylueſtris Lac. Lug. Cord. hiſt. Tab. Iris ſylue. maior Geſ. hort. Caſt. Iris ſylu. prima Penæ.

III. Chamæiris prunum redolens C. B. Iris ſyl. minor Matth. ed. ital. & icon. Caſt. Iris ſyl. altera Geſ. hort. Lug. Chamęiris Dodo. Cam. Iris anguſtifolia minor, vel 12. Cluſ. Pan. Iris perpuſilla ſyl. anguſtifolia Lob. ob. Chamæiris anguſtifolia Lob. icon. Iris peregrina Cæſ. Iris anguſtifolia Cam. hort. Chamæiris anguſtifolia minor Tab. Hanc Illyricam cenſet Hermolaus, ſed ab ea differre Ant. Muſa oſtendit. Aliquibus Illyricam legitimam cenſeri, quæ ab Italica differat, licet nec genere nec ſpecie Italica ab Illyrica differat, auctor Geſnerus. An potius Rhizotomos Plinij lib. 21. cap. 7? Duum eſt generum, alterius enim flos cauli longiori, alterius cauli breuiori, & penè nullo inſidet, cuius iconem IV. notauimus.

V. Iris Florentina alba C. B. Iris Illyrica Cord. in Dioſ. Iris Florentina Geſn. hort. (qui fœminam dicit) Dodo. gal. Tab. Iris flore ex toto candido Cæſ. Iris alba Illyrica vulgo, vel potius Florentina Cam. hort. An hæc Macedonica Plinij? Etſi vulgata albo quoque flore reperiatur, hæc tamen radices minores habet, & quæ ſiccatæ non corrugantur, vt nec Illyricæ: & licet Illyricam præferant omnes, & ipſe Galenus, tamen cùm idem 1. de Antidotis ſtatuerit, quodlibet ſimplex medicamentum in ſuo genere quò ſit fragrantius, eo eſſe præſtantius, ex eius ſententia Florentinam merito, tanquam odore ſuauiorem Illyrica, candidiorem item & elegantiorem aſpectu, quis præferat: dein Illyricam, à cuius bonitate tantùm abeſt Africana, quantum animal vegetum à ſuo cadauere, vt auctor eſt Galenus.

## Ἄκορον. ACORVM. CAP. II.

*Meum ὑγρὸν i. amarum. ἀβρωτον i. non cario-ſum. ἐν χαλκίδι i. in Chalcide.*

ACorum folia iridis habet, anguſtiora tamen: radices non diſſimiles, complicatas, non in rectum, ſed obliquum actas, & ſummo ceſpite ſparſas, geniculis interceptas, albicantes, guſtu acres, odore non ingratas. Optimum eſt † denſum, candidum, † plenum, carie non exeſum, odoratum: cuiuſmodi † Colchidicum, & Galaticum, quod aſpletion dicunt. Radici vis calfactoria. Decoctum potu vrinam cit: prodeſt lateris doloribus, & iecinoris, atque thoracis: item torminibus, vulſis, ruptis: lienem abſumit: vrinę ſtillicidio, & ſerpentum ictibus auxiliatur: inſidentibus ad muliebres affectus, iridis modo, vtiliter imponitur: oculorum caligines ſucco diſcutit. Antidotis radix magno vſu commiſcetur.

*Acori conſideratio.*

*ACorum legitimum, quod falsò calamum aromaticum vocant, foliis prouenit Iridi anguſtioribus, longioribuſque, odoratis, ac guſtu feruidis: radicibus Iridi æmulis, frequenter geniculatis, firmis, ſubcandidis, innumeris in inferiore parte adnatis fibris, odoratis, guſtu acri, ac ſubamaro, complicatis, haud in rectum deſcendentibus, ſed in obliquum actis, & ſumma tellure ſeſe diffundentibus. Caule eſt laui, è quo ramuli prodeunt, in quorum cacuminibus, (vt Gulielmus Quacelbenus Medicus ſe vidiſſe affirmabat) nucamenta quædam exoriuntur, mihi hactenus non viſa, nucis Ponticæ iulis, aut longo piperi ſimilia. Tales ſane fuere legitimæ Acori plantæ, cuius hic imaginem damus, quas Conſtantinopoli ad me miſit Clariſſimus Cæſaris Ferdinandi ad Turcarum Imperatorem Orator Augerius de Busbecke vnà cum ipſo*

*Quacelbeno,*

I. ACORVM.



ACORVM CVM IVLO.



Acorus Calamus, L. Steud.

*Quacelbeno, è Nicomedia à quodam vaſtæ magnitudinis lacu petitas, vbi copioſiſsimum prouenit Acorum: eſt enim Nicomedia Bithyniæ ciuitas, Galatis, ac Colchis vicina, vbi naſci Acorum omnium optimum ſcribit Dioſcorides. Sed fecit diuturna rei herbariæ ignorantia, vt hactenus non in Italia ſolùm, ſed in quocunque terrarum loco, vbi ſeplaſiarii*

II. PSEVDOACORVS.



Iris pseudo acorus Steud.

Pſeudoacorum.

*& medici habeantur, in legitimi Acori locum rufa quædam radix ſucceſſerit, quæ paſsim in paluſtribus, & vliginoſis locis inutilis, & inodora plurima naſcitur: eo ſanè argumento, quòd foliis ſit Iridis, ſed longioribus, quemadmodum & caulibus & floribus, qui tamen haud verſicolores, ſed lutei ſpectantur: differunt tamen facie, quippe quòd minores ſint & anguſtioribus foliis, & radices iridis proferat, quamuis hæ colore rufæ, inodoræ, maiores durioreſque, illæ verò iridis longiora ſpectentur. Hæc itaq; radix apud omnes, qui plantarũ hiſtorias neglexerũt, in hoc vſq; æuum legitimi Acori munere functa eſt, à qua quãtum tum qualitatibus, tum facultatibus recedat, ex Dioſcoride patet: quandoquidem paluſtris hæc nec candicans, nec guſtu ſit acris, nec vllo prorſus commendetur odore. Radix, cuius tantum eſt vſus, exiccat, ſed non niſi parum excàlfacit: attenuat, roborat, reſoluit. Conſtat multorum experimento, valere Pſeudoacorum, propria ſua ipſius vi, ad omnes neruorum & cerebri affectus. At quamuis hac tempeſtate à peritis rei herbariæ medicis non parum improbentur ii, qui non in hac tantùm ſtirpe, ſed etiam in aliis quàmplurimis defecere, cùm tamen ipſi probatiſsimos auctores nuſquam legerint, potius excuſandi ſunt, quàm quidam fortaſſe ætatis noſtræ ſcriptores, tam Græcæ, quàm Latinæ linguæ peritiſsimi, quibus res ſole clariores propoſitæ ſunt, quiq; in ſimplicium medicamentorum cognitione cæteris præſtantiores haberi volunt, & ii lõgius nihilominus (vt arbitror) aberrant, quam cæteri. E quorum numero eſt Braſauolus Ferrarienſis, vir ſanè doctrina, & fama clariſsimus: qui dum innumera ſimplicia medicamenta declarare, explicare, & palã facere in ſuo ſimplicium examine ſtudium impendit, etſi id in plurimis aſſecutus fuerit, in hoc tamen, aliiſque nonnullis (vt ſuis locis in his noſtris commentariis oſtendemus*

Braſauoli error, Acorum Galangam eſſe ſtatuentis.

obſtēdemus)in tanto illuſtrium authorū lumine mihi magis cæcutire videtur, quā qui ante ipſum in tenebris errauerūt. Is enim conſtanter aſſerit, Acorū à Dioſcoride deſcriptum aliud non eſſe, quàm eam acerrimam, & odoratam radicem quam officinæ Mauritanos ſecutæ Galangam vocant, adeò vt maluerit cum Leoniceno errare, tantùm fuit præceptori ſuo addictus, quàm cum Manardo bene ſentire. Sed quantum eius opinio à veritate, quantùmq́; ab Acori hiſtoria receſ-

Galangæ cū Cypero comparatio.

ſerit, perquàm facilè probari poteſt. Quippe galangam folia iridis proferre apud Syrios nullo nobis teſtimonio conſtat: verùm quia cum cypero adeò conuenit, vt is ſylueſtris Galanga nonnullis dicatur: ideo non ab re credendum fuerit, galāgam potius cyperi, quàm iridis folio prouenire. Præterea quòd galanga radices habeat iridis, nec mihi quidem videtur, nec vllum id affirmare exiſtimo: neq; illud etiam videre poſſum, quòd eædem aliqua ex parte ſubalbicent, vt de Acori radicibus ſcribit Dioſcorides: quin potius tam intus, quàm extra non obſcurè ruſeſcunt. Quod autem guſtu ſint acri, atque mordaci, qui neget, nullus eſt. Sed non tamen ob id dicendùm erit, galangam eſſe Acorum, aliis non concurrentibus notis: præſertim cum Dioſcoridis teſtimonio Acorum eſſe debeat acre, non autem acerrimum, nec galāgæ modo linguam

Fuchſii error Galangam craſſiorem Acorum cenſentis.

adurens. Braſauolum ſecutus eſt Fuchſius medicus clariſſimus: is, cum ſibi nimis pumilæ viderētur prioris galangæ radices, quàm vt Acori radices referrent, atque propterea Braſauoli ſententiam non probandam duceret, in ſuis de ſtirpibus commentariis, alteram craſſiorem galangam, quæ iampridem in Italia fertur, Acorum eſſe contēdit. Verum ſi animaduertatur, quòd ea non ſit iridi ſimilis, multóq́; magis ruſeſcat, quàm quòd hæc dictio ὑπολεύκοις deſignet, quæ albicātes, & non rubentes denotat, facilè palàm fiet, quòd vna cum Braſauolo ipſe quoque aberrauerit. Sed præter hæc iis etiam

Acori radix amara.

refragatur Galenus lib. 6. de ſimpl. med. facul. quòd aſſerat Acori radicem guſtui nō modò acrem eſſe, ſed etiam ſubamaram: quæ tamen modica amaritudo neque in hac, neque in illa reperitur galanga: etſi inualidis quibuſdam argumentis ſuo vltimo examine contendat Braſauolus, quòd galanga præter acerrimam facultatem etiam ſit amara: ſed vereor, ne is tūc bile perfuſus ſuam deguſtauerit galangam. Amarum quoque eſſe Acorum, facile quiſpiam ex lectione antiqui noſtri exemplaris intelliget, qui legerit ea quæ in margine adnotauimus: quæ quidem lectio mihi maximè probatur, quod

Acori & Galangæ differentia.

cum Galeno Acorum amarum faciat. Comprobatur præterea aliud eſſe Acorum, & aliud eſſe galāgam Serapionis teſtimonio: qui, cum ſciret non parum diſcriminis inter has radices eſſe, de iis ſeorſum egit per propria capita, vtpote de rebus genera & facultate diuerſis. Hoc idem probatur ex Actuarii etiam monumentis, ſiquidem is in compoſitione aurea Alexandrina, & Acorum, & Galāgam imponit, quemadmodum & Nicolaus Myrepſicus, tanquam inter ſe genere diuerſa. His itaq́; tum rationibus, tum auctoritatibus adductus, à Braſauolo, & Fuchſio diuerſus eſſe cogor. Nec equidem intellexerim vnquam, quomodo factum ſit, quòd galanga maior, quæ à minore nō genere, & facultate, ſed tantum ſpecie differt, cum primum huc è Syria aduecta eſt, in Acorum ſe commutauerit: ſed qui hæc intelligūt, diiudicent. Cæterùm, vt

Acorum legitimum eſſe Calamum odoratum.

dicam quid hac in re ſentio, crediderim ego vnà cum Manardo Ferrarienſi, aliiſq́; nonnullis huius ætatis in ſimplicium medicamentorum facultate doctiſſimis viris, id omnino legitimum eſſe Acorum, quod non modò ſeplaſiæ, ſed omnes in vniuerſum falsò Calamum odoratum vocant, quanquam non deſint noui quidam herbarii, qui noſtram ſentētiam de-

Contra aſſerentes craſſiorem Galāgam legitimum eſſe acorum.

ſtruere nitantur, Leonicenum, Braſauolumq́; ſequuti. Sed ridiculum ſatis, meo quidem iudicio, eorum eſt argumentum, quippe vt probent à loco, craſſiorem Galangam legitimum eſſe Acorum, illam in Syriæ montibus oriri cōtendunt. Nam cum ſcribat Serapio in Syria naſci Galangam, nec eſt qui dixerit vnquam ibi prouenire Acorum, nil aliud probant, quā Galangam eſſe Galangam: quam quidem in Ponto naſci apud Colchos, aut in Galatia, Bithyniáue, vbi Acorum oriri ſcribunt autores, nemo eſt qui aſſerat. Nec minus infirma ac leuis eorundem ratio eſt, vbi volunt vno tantum inſpecto Galangæ folio, Iridi (vt aiunt) æmulo è Syria allato, Galangam hanc eſſe Acorum. Etenim, tametſi concedam ego facilè folium illud fuiſſe Galangæ, quod ſciam hanc folio eſſe Cyperi latiore vegetioreq́; Iridi non omnino abſimili, concedam tamen nunquam ex illius tantum folii inſpectione, rectè affirmare poſſe quenquam Galangam craſſiorem eſſe Acorum, cæteris latentibus partibus ac notis. Folia enim Iridis, Acori, Pſeudoacori, Xyphii, Xyridis, Galangæ, Cyperi, ſimilem ferè faciem referunt. Quo fit, vt ex ſolo folio, nihil certi quis affirmare queat. Fabulātur iidem præterea, imo potius veritati ſe opponunt, cum dicunt Calami aromatici radices Iridi non eſſe ſimiles, cum tamen geniculatæ, ſolidæ odoratæq́; vbiq́; ſpectentur. Nam non ſecus ſe habent Iridis radices, ſi Dioſcoridi credimus, ita de iis differenti. Ῥίζαι ὕπεισι, γονατώδεις, στερεαί, εὐώδεις. i. Radices ſubſunt geniculatæ, ſolidæ, odoratæ. Atqui non ſolum fabulantur, ſed potius delirant, cum tādem hiſce præmiſſis concludant, nil aliud eſſe vulgaris calami odoratæ radices, quàm generis cuiuſdam Iridis. An non itē apertiſſime inſaniunt, cum dicunt recentes Calami ipſius radices omni prorſus ſapore, & odore deſtitui, & paulo poſt affirmant eaſdem recenter effoſſas, eſſe amariſſimas, & odore admodum ingrato? Furor ſanè hic eſt non verbis, neque rationibus, ſed antidotis coërcendus. Credamne hoc ego illis? Profectò minimè, quod recentiſſimas haſce radices deguſta-

Anguillarii opinio.

uerim, tum etiam, quod Tartaros compertum habeam eas ſapidiſſimè pro obſonio cum pane deuorare. Sunt enim tunc nil minus odoratæ, & acutæ, quàm quæ ſiccæ ad nos deferuntur. Cæteras horum ineptias prætermitto, ne nimis ſeuerus cenſor tantæ oſcitantiæ videar. Cæterùm qui plura audire cupit, legat Anguillarii Italicum libellum, de ſuis in plantarū facultate opinionibus. Poterit enim æquus lector hinc ſuum quoque de reliquis ferre iudicium: quinetiam facilè agnoſcere craſſiorem Galangam arundinis potius quàm Iridis, vel acori referre radicem, & ſubinde mecum affirmare Calamum vulgaris vſus legitimum procul dubio eſſe Acorūm. Siquidem radices illi primū iridi perſimiles ſunt, geniculis diſtinctæ, reflexæ, ſubalbidæ, acres, odore præſtantes, & (vt inquit Galenus) etiam ſubamaræ: inſuper & folia, quæ integra ad nos vnà cum radicibus (vt hæc pictura demonſtrat) è Conſtantinopoli allata ſunt, id apertius affirmāt: ſunt enim ferme iridis. Ad hæc vt Oeniponti (Germani Iſpruck dicunt) retulit mihi clariſſimus medicus Ioannes Merlinus, qui pluribus annis degit apud Lituanos, quod paſſim Calamum aromaticum vocant, frequentiſſimum in Lituania, & circa Tartarorum fines, naſcitur, foliis iridi æmulis: caule iridis longiore, graciliorēq́; à quo tamen nullus exoritur calamus: vocaturq́; ab incolis ſuo idiomate Tattarſchi zelii, id eſt, herba Tartarica, quòd fortaſſe à vicinis Tartaris in Lituaniam primum fuerit allata. Ideoq́; Plinio memoria rectè proditum eſt lib. 25. cap. 13. optimum id eſſe Acorum, quod

Braſauoli error.

ex Ponto aduehitur. Pontus enim his Tartaris ferè iungitur, qui vltra Lituaniam inhabitant, vbi apud probatiſſimos auctores nuſquam legitur, odoratum calamum oriri. Quamobrem non potui non maximè Braſauolum admirari, quod ſibi tam facilè perſuaſerit, vulgarem Calamum legitimum, & odoratum calamum eſſe, à Dioſcoride, Theophraſto, Ga-

Acori vires.

leno, & Plinio non in radicum, ſed in arundinum genere deſcriptum: nam (vt ſuo loco de calamo odorato agentes latius explicabimus) is arundinea eſt fiſtula, non autem radix: ſed de his hactenus. Acorum pōticum à ieiunis deuoratum, optimè facit ad fœtorem anhelitus. Præſtat quoque Acori ex aqua decocti vapor per infundibulum hianti ore exceptus ma-

ximè

*ximo innamento ad tuſſim, eiuſdem quoq; radicis, & cinnamomi drachma in vini abſinthitis hauſtu ſumpta, frigidū infirmumq; ventriculum roborat. Fit quoque ex Acoro oxymel, quod mirum in modum præſtat, ad refrigeratos lienes, & refrigerata iocinora hoc modo: teritur Acori radicum libra craſſiuſculè, & dein tribus diebus maceratur in aceto, poſtea coquitur ad medias, & linteolo percolatur, demum aceto adiungitur mel, quod ſufficit, & coquitur, quouſque acetū euaneſcat: de quo datur quotidie mane vncia, cum eiuſdem Acori decocto. Affertur Acori radix ſaccharo vel melle aſſeruata recēs, à locis in quibus prouenit: quin etiam in Italia & Germania paratur è ſicca radice, ſed non vt genuina illa vtilis. Acori meminit Galenus lib. 6. de ſimpl. med. facul. ſic inquiens. Acori vtimur radice, quæ guſtu acris eſt, & modice amara, odore non iniucunda. Vnde conſtat, quòd facultatis calidæ eſt, & conſiſtentiæ tenuis. Huic cōſentaneum eſt, vt vrinam moueat, & lienes induratos iuuet, tum ceratoidis craſſitiem detergeat, ſimulq; extenuet: ſed ad hoc melior eſt ipſius ſuccus: omnino verò ſiccificum eſſe clarum eſt. Et ſanè ordinis eſto tertii in vtroque, in calfaciendo ſcilicet & deſiccando: hæc Galenus. Sed quando hic aliquid dicere de Galanga occurrerit, cùm à Dioſcoride, aliiſq; antiquioribus Græcis nihil de ea memoria proditum ſit, diſſeram ego de hac, quæ à Mauritanis, & aliis ſum conſecutus. Eſt itaque*

*Oxymel ex Acoro.*

*Acori radix condita.*

*Acori vires ex Galeno.*

III. GALANGA MAIOR.



IV. GALANGA MINOR.



*GALANGA duplex, maior altera, altera minor. Minor tenuis eſt radix, interius & exterius in purpura ruſeſcens, geniculata, internodiis quibuſdā reflexa, odorata, ſapore admodū acri, adeò vt māſa piperis, & gingiberis modo linguā & fauces exurat, odore, formaq; cypero ſimilis: quapropter quibuſdā Cyperus Babylonicus dicitur. In Italia nāq; tā ex Mephi, quā ex Syria transfertur. Optima quæ fuerit grauis, denſa, ſaturatè ruſa, odorata, & guſtu acerrima. Nō deſunt tamē impoſtores, qui cyperi radices cōtorquentes, aceto, & pipere macerēt, & pro Galāga vēditēt: verū fraus facilè deprehenditur, quippe abraſo exteriori cortice, nulla in radicis ſubſtantia acredinis nota, nulluſq; galāgæ ſapor percipitur. At maior, tametſi lōgè craſſior ſit radix, ignauior tamē eſt, & virib. infirmior, colore etiā dilutior, minuſq; odorata. Galāga calfacit, & ſiccat ordine tertio. Proinde vētriculū roborat, & eius dolores tollit, ſi tamē à frigore, vel flatu proueniāt. Narib. admota frigefacto cerebro vtilis eſt: ore rctēta anhelitū cōmēdat. Facit & ad cordis palpitationē, ſi è plātaginis ſucco bibatur: cœliacos ſanat, & coli dolores mulcet, qui à flatu oriuntur. Prodeſt flatuoſis vteri affectibus: venerē roborat: renes refrigeratos calefacit, in ſumma frigidis morbis omnib. ſuccurrit. Cæterū omnino explodēda eſt Monachorū in Meſue ſcribentiū opinio, qui cōtra Braſauolū & Fuchſiū quaſi velle videntur, Galangā potius odoratū iuncū eſſe, quàm Acorū quod tamen planè falſum omnibus iā cōpertū eſſe non dubitamus. Quod Græcè Ἄκορον, Latine etiā Acorū appellatur: Arabicè, Vage, ſeu Vgi: Italicè, Acoro: Vulgo medicorū & ſeplaſiariorum perperā Calamus aromaticus. Germanicè Kalmus: Bohemicè pruſtuorec: Polonicè, Tatarski, ziele. Pſeudoacorū verò appellant Græci ψευδοάκορον: Itali, Acoro falſo Acoro baſtardo & Giglio giallo: Germani Gelb waſſer lilien: Galli Flambe baſtarde, Flambe de riuieres: Bohemi, Koſatac zluti faleſſni: Poloni, Mieczi konne. Korzenie.*

*Galangæ cōſideratio & hiſtoria.*

*Galangæ vires.*

*Monachorū opinio falſa.*

*Nomina.*

ACORVS dicitur, quia τὰς κόρας aciei oculorū caliginoſæ medeatur: huius Plinius l. 25. c. 13. meminit, cuius radices nigras dicit, at Dioſcorides albicātes, candidáq; cōmēdat: quare dubiū an Plinius hāc intellexerit, an verò in ipſius cōtextu mēdū ſiet: tales ſunt Calami aromatici officinarū radices, quas Acorū Dioſcoridis ſtatuimus, licet alii Iridi cognatā: alii Iuncis magis cōuenientē: alii deniq; Coſti Arabici apud Dioſc. lib. 1. c. 15. deſcriptionē cōpetere ſtatuant, Galangā maiorē, Acorū Dioſcoridis facientes.

I. Acorus Dioſco. ſiue officinarum Calamus aromaticus. C.B. Cam. hor. Acorus vulgo Calamus aromaticus Cord. hiſt. & in Dioſ. Acorus Dioſ. Loni. Lob. Acorum Caſt. & Tab. Acorum legitimum Cluſ. hiſ. & pan. Calamus aromaticus vulgo Cæſ. Acorum verum Lugdunenſi hiſtoriæ.

II. Hanc aliqui Iridem in maritimis naſcentem à Theoph. & Plinio improbatam credunt: alii Butomon Theoph. 1. hiſt. 8. 4. hiſt. 9. & 11. quod à bobus libenter edatur & proſcindatur, eſſe volunt: verum cū radici vis ſit adſtrictoria, Acoro aut Galangæ ſimilior quàm Iridi. Acorus adulterinus ſeu Iris paluſtris lutea C.B. Acorus offic. Brun. 4. Acorum adulterinum offic. Trag. Gladiolus luteus vel acorus

vulgaris Fuch.icon.Iris lutea Dod.gal.Pſeudoiris eidem fol. Pſeudoacorus Cord. hiſt. Lon. Acorum Lac. Acorus falſa Geſ.hor.Acorum falſum Caſt.Matth.Ital.& 4.Acorus noſtras paluſtris Lob.Acorus, Iris paluſtris Cæſ.Iris paluſtris lutea Tabernæmontano.

III. Galangam veteribus Græcis ignotam,& Arabibus non ſatis perſpectam,ſunt qui Acori, alij qui iridis ſpeciem velint,rectius tamen ad Cyperi genera, potiſſimùm minorem retulerimus: quare recentiores Græci Cyperum Babylonicam vocauere. An hanc Dioſcoridis lib.2.cap.153.per piperis radicem,ob ſaporis ſimilitudinem,intelligit? A maiore & minore, cuius icones adiecimus, diuerſum ex Chriſt.à Coſtæ hiſtoria Lug.lib.18.cap.127.expreſſit. Galanga maior quæ Iauanenſis à regione dici poteſt:maior nominatur à Cordo.Dioſ.& hiſt.Lob. Cluſ.in Garc. Loni. Lugd. Tab. Cæſ. At minor quæ Chinenſis,cum ex Chinarum regione in Indiam deferatur, dici poteſt, appellatur minor à Cord. hiſt. Lob.Lon.Tab.Lugd.Galanga in offic.Cæſ.de his vide caput 40. lib.1.apud Garziam, qui Ruſco congeneres facit.

I. MEON.



II. MEVM ADVLTERINVM.



Μῆον

## MEON. CAP. III.

Oribaſius nõ legit concluſa.

† Nõ fermè, ſed ὡς τὰ πολλὰ legit Oribaſius i. vt plurimum.

MEON, [quod] Athamanticum [vocant,] in Macedonia,& [Hiſpania] plurimum gignitur, anetho foliis & caule ſimile [ſed eo craſſius:] binûm † ferme cubitorũ altitudine attollitur: ſparſis in obliquum, rectumq́ue radicibus, longis, tenuibus, odoratis, linguam excalfacientibus. Quæ ferueſactæ ex aqua, vel tritæ citra coctionem, præcluſorum renum, veſicæque farctæ vitia potu leniunt: vrinæ difficultati medentur: ſtomachi inflationes diſcutiunt, torminibus, affectæ vuluæ, articulorum doloribus, atque fluxionibus pectoris, tritæ cum melle in eclegmate auxiliantur. Sanguinem per menſtrua pellunt, defeſſionibus ferueſactæ: infantibus autem illitæ imo ventri, vrinas mouent. Quòd ſi plus quã deceat, ex his bibatur, caput dolore afficiunt.

Mei conſideratio.

Mei hiſtoria.

*CRedidimus ſuperioribus annis, legitimum Meon non oriri in Italia, nec eò aliunde aduehi: primùm quòd Mei vice vterentur ſeplaſiarii quibuſdam albicantibus radicibus, ſapore paſtinacæ ſimili; deinde quòd etiam Plinii tempore rarum eſſet in Italia, quippe qui ſcripſerit non ſeri in Italia Meon, niſi à Medicis, iiſque admodum paucis. Quod proculdubiò indicare videtur, vſque ad Plinii æuum peregrinum in Italia fuiſſe Meon. Sed cùm herbariorum quorundam diligentia, quædam nuper reperta ſit planta, cuius hic primo loco imaginem damus, quæque foliis conſtat anethi, caule, bicubitali, radicibus nigricantibus, longis, & in obliquum, rectúmque ſparſis, grauiter odoratis, acribúſque, quam legitimum eſſe Meum, omnes ferè rei herbariæ periti vnanimes affirmant, ne videar mordicus tenere opinionem, facere equidem non poſſum, quin in eorum ſententiam deueniam: tametſi in contrarium aliqua ſeſe offerat ratio, quòd ſcilicet huiuſce plantæ radices odorem non vſq; adeò gratum ſpirent, ſed quadantenus grauiter oleant, nec tenues cernantur, vt Dioſcorides inquit, nec folia anetho ſimilia, ſed aſparago potius ferat. Hanc Apuli Imperatricẽ vocant, & ad venenoſorũ ſerpẽtiũ morſus præferũt, Plinius Meo folia aniſo ſimilia reddidit, vocũ fortaſſe ſimilitudine deceptus: ſiquidẽ Dioſcorides anethi foliis Meũ oriri tradidit. Nobilius quod Athamãticũ vocãt, ita dictũ, quòd ab Athamãte Aeoli filio inuentũ ſit, vel*

*ſit, vel quod præſtantiſſimũ in Athamante Phthiotidis proueniat. Quod ad nos affertur, naſcitur in Italia montibus apricis. (Radices tantum eius in vſum medicũ venere: etſi ſemen viribus non careat ſuis.* Sunt qui plantam, quam ſecundo loco appinximus, pro Meo vſurpent, quod magis Anethum quàm altera referat, quorum ſententia non mihi omnino improbanda videtur, ſiquidẽ vt diximus, priori potius Aſparagi, quàm Anethi folia inſunt,* ) nõ ſolùm in Gargano Apuliæ monte, ſed etiam in alijs & apricis collibus. Meminit Mei Galenus lib. VII. ſimplicium medicamentorum, his verbis. Mei radices perutiles ſunt, calidæ tertio ordine, ſiccæ ſecundo: proinde vrinam, menſesq́ue ciere volentes hoc vtantur pharmaco. Sed ſi pluſculum ſumatur, capiti dolorem mouet, vtpote cum pluſculum ſit calidum, quàm ſiccum: quippe quòd eius caliditas humiditatem crudiorem etiamnũ, & flatuoſiorem ad caput deferat, atque ita ipſum afficiat lædatq́ue. Μῆον ita Græcis vocatũ, Latinis Meum dicitur. Arabibus, Mu. Italis, Meo: Germanis Bärwurtz ſeu Hertzwurtz: Hiſpanis Pinillo.*

Mei Plinius lib. 20. cap. 23. duo fecit genera, nobilius Athamanticum pronunciauit. Plures licet ſint ſpecies, tres hoc loco proponuntur, duæ quidem a Matthiolo, quibus tertiam adiecimus, cum & in D. Camerarij Matthiolo habeatur I. Meum folijs Anethi, ſeu Meum Dioſcoridis & Plinii B C. Daucus Creticus, Trag. Fuch. fol. Eric. Cordo, Lob. icon. Seſeli Creticum, Fuch. icon. Lon. Libanotidis primum genus, & Fœniculus porcinus officinarum, Dod. gal. Tordylion, Cord. hiſt. Tordylum & Tordylion: Nicandro, Hordylon: Aeginetæ, Torgylon: quibuſdam Meu, Cord. in Dioſcor. Meum, Geſ. hor. Anguil. Lob. obſ. Dodo. Caſt. Lugd. Taber. Cam. hor. Lac. cui & Anethum ſylueſtre: vt & Ruellio, qui etiam Anethum tortuoſum in Gallia vocari auctor eſt. Meu, Imperatoria quibuſdam, Cæſalpino. II. Meum adulterinum, C. B. Matthiolus in ſecunda Cõmentariorum editione, vt & poſtrema anno 1583. edita, plantam aliam a quibuſdam pro Meu vſurpari ſcripſit, eò quòd magis Anethum, quàm altera referat, ſed in omnibus editionibus pictura omiſſa: ne quid ergo deeſſet huic editioni, verba ipſius duobus aſteriſcis incluſa adiecimus, & figuram ex Lobelo & Lugdunenſi hiſtoria adpoſuimus, qui Meum alterum ſpurium Italicũ nominant. III. Meum alpinum vmbella purpurea. C. B. Ex radice ſimplici oblonga, nigra, parum fibroſa, aliquando minimum digitum craſſitie æquante, circa caput barbata, Mei ferè figura, ſed infirmiore, odorata & acri, folia prodeunt. Mei folijs latiora: caulis item vnus vel alter leuis, ſtriatus, vmbellam ſuſtinens florum purpureorum, vel etiam ex albo purpuraſcentium: quibus ſuccedunt ſemina oblonga ſatiſque magna. Naſcitur in Heluetiorum & Valeſianorum alpibus. Dicitur vulgo in alpibus Muttry, vel Mutteren, hinc Muttellinæ nomen apud Geſnerum in deſcriptione hortorum Germaniæ, & montis fracti (cui Caros vel Daucus aliquis alpinus cenſetur) & Camerario in Matthiolum. Radix cum ſit aromatica & Mei ferè ſapore, excalfacit, qua Dauci Cretici loco vsũ eſſe poſſe, Geſnerus cenſet, & ea efficaciorem cenſet. Eius pabulo (vt ex paſtoribus Berněſibus cognouimus) in montib. vaccæ plurimũ & optimũ lac reddunt, ſicut & Mei pabulo in Apulia. Ea etiam lactarij condiunt coloſtra & recoctam ſuam Glaronenſes & Valeſij.

MEVM ALPINVM VMBELla purpurea.



## Κύπερος CYPERVS. CAP. IIII.

CYperus (quem aliqui eryſiſceptrum, vt aſpalathum appellant, folia fert porraceis proxima, ſed longiora, & exiliora: a caulem b odorati iunci, cubitalem, aut maiorem c angulosum: in cuius cacumine minuta folia cum ſemine exoriuntur: radices, quarum in medicina eſt vſus, cohærentes inter ſe, oleis oblongis ſimiles, aut rotundæ, nigro colore, ſuaui odore, amaro guſtu. In d lacunoſis, paluſtribus, & cultis enaſcitur.) Optima eſt grauiſsima, denſa, fractu contumax e plena, & aſpera, odoris cum quadam acrimonia iucundi: qualis eſt Cilicia, Syriaca, & quæ a Cycladibus inſulis petitur. Huic calida vis ineſt. Venarum ſpiracula laxat: vrinam ciet: ad calculos aquamq́ue ſubter cutem vtiliſsimè bibitur: aduerſus ſcorpionum ictus remedio eſt: perfrictionibus vuluæ, & præcluſionibus fotu prodeſt: pellit menſes. Contra vlcera oris, etiamſi depaſcant vorentq́ue, farina eius efficax eſt. Malagmatis calfacientibus, & vnguentorum ſpiſſamentis benè adijci ſolet. Aliud Cyperi genus tradunt in India naſci, gingiberis effigie: quod manducatum croci vim reddit, guſtu amaro ſentitur, & illitum præſentem pſilothri vim exhibet.

a Addit Catac. καὶ αὐλη ρότερα, καὶ στιβώτερα I. aſperiora & anguſtiora. b Odorati, deeſt in omnibus exemplaribus. c Aliqua exemplaria legũt γονιώδη. I. geniculatũ Sed melius quæ γωνιώδη habent I. anguloſum, vt vertit Ruellius. d Meum exemplar habet tantum ἐν λιμνώδεσιν e Meũ exemplar ἀδρὰ aliud verò ὀσμηρά. Incluſa à quem vſque ad Optima non legit Oribaſius.

*TAmetſi vnum tantùm Cyperi genus memoriæ prodiderit Dioſcorides, cuius radices inter ſe cohærentes oblongas referunt oleas, aut omnino rotundæ ſunt, viſitur tamen Cyperus in pluribus Italiæ locis, qui radicibus conſtat longis geniculatis, ſummo ceſpite vagantibus, colore in purpurã nigricante. Ego hunc illũ eſſe crediderim, quem Plin. Cyperida vocat. Naſcitur hoc Cyperi genus laudatiſſimum prope Timaui fontes, circumſtantibus paluſtribus locis in Iapidiæ finibus galanga vocata (vt paulò ante diximus) perſimile, non tantum facie, ſed etiam odore. Commendatur etiamnum odore is, qui in Hetruria prouenit, radicibus ferè filipendulæ æmulis, ſed non ob id illi fuerit præferendus, quem Syria mittit: quandoquidem hic longè odoratior eſt, & ſubamarus. Cyperi meminit Plin. lib. XXII. cap. XVIII vbi de iuncis egit, ſic inquiens. Quidam etiamnum vnum genus faciunt iunci trianguli, cyperon vocant. Et paulò inferius: Cyperos, ait, iuncus eſt, vt diximus, anguloſus, iuxta terram candidus, cacumine niger, pinguiſq́ue, folia ima porraceis exiliora, in cacumine minuta, inter quæ eſt ſemen: radix oliuæ nigræ ſimilis, quam, cum oblonga eſt, cyperida vocant, magni in medicina vſus. Reperitur Cyperus quandoque etiam quadrangulari caule, vnde non mirum, ſi quadratum iuncum eum vocauerit Cornelius Celſus lib. III. cap. XXI. At Dioſcorides in hac facultate præclariſſimus, vtranque differentiam colligens, nec triangulum, nec quadrangulum Cyperum dixit, ſed anguloſum. Nos autem Cyperum plantam eſſe dicimus, quæ porraceis fermè prouenit folijs, longioribus tamen & exilioribus. Caulem edit cubitalem, & nonnunquam maiorem, anguloſum, alba intus medulla vt in iunco, in cuius cacumine folia ſunt minora, ſtellarum modo radiantia, inter quæ ſemen prodit ſpicatum herbacei coloris. Radices illi ſunt ſubnigræ, cohærentes, oblongis oleis ſimiles, aut rotundæ, aliquando etiam longæ, galangæ modo, quo fit vt hoc cyperi genus, à nonnullis apelletur ſylueſtris Galanga. Naſcitur in paluſtribus, & humecto ſolo, quin etiam locis cultis: vtimur eius radicibus, vbi Indica vel Celtica Nardus non ſit ad manus earum loco. Optimus defertur ad nos ex Syria, & Alexandria Aegypti, in cuius defectu Italicum ſupponunt officinæ. Non deſunt, qui differentiam ponant*

### I. CYPERVS ROTVNDVS.



### CYPERVS ROTVNDVS Orientalis.



### II. CYPERVS LONGVS.



Curcuma cyperi genus.

Lectio Serapionis deprauata.

*inter Cyperum & Cypirum, Plinium ſecuti, qui libro, & capite citatis, Cypirum gladiolum eſſe affirmat, Cyperum verò angulosum odoratum iuncum. Sunt tamen Dioſcoridis interpretes, qui vtroque vocabulo pro eodem indifferenter vtantur, eo quòd (vt rectè Hermolaus adnotauit) penultimam Cyperi quandoque diphthongo longam, quandoque vocali breuem Græci ſcribant. Eſt apud Plinium & cypirus arbor ocyſſime creſcens, & pſeudocypirus frutex, vt lib.* XVII. *cap.* XIII. *ipſe ſcriptum reliquit. Cæterum id* CYPERI *genus, gingiberis effigie, quod India mittit, eam eſſe radicem peritiores medici putant, quam officinæ Mauritanos ſecutæ* CVRCVMAM *vocant. Nempe præ ſe fert hæc notas ſanè omnes, quas Indico Cypero reddidit Dioſcorides, quandoquidem gingiberi ſimilis eſt, eius odorem ferme redolet, guſtu ſubamareſcit, & manſa croci modo inficit: quibus illud etiam accedit, quòd depilatorijs medicamentis quibuſdam immiſcetur. Veruntamen ſciendum eſt, hanc non eſſe Curcumam à Serapionis interprete pro chelidonio deſcriptam: ipſe enim nil aliud pro curcuma intelligit, quàm Dioſcoridis chelidonium: quo fit, vt non deſit ſuſpicio erroris vel interpretis, vel ſcriptoris, cum curcuma neque Mauritanum, neque Græcum ſit vocabulum: Aphri enim chelidonium Kauroch appellant. Vnde palam eſt Curcuma pro Kauroch in Serapione deprauatè legi: quo factum eſt, vt priores tum medici, tum ſeplaſiarii, qui nunquam hæc perpenderunt, fuerint hallucinati: quippe cùm eos lateret, cuiuſnam plantæ radicem Indica Cyperus referret, chelidonii maioris radicem eſſe crediderunt, ob crocei ſucci ſimilitudinẽ. Itaque Serapionis deprauatã lectionem ſecuti, Indicũ Cyperũ curcumam vocauere. Indici Cyperi meminit Serapio Dioſcoridẽ ſecutus, ꝓprio capite de Cypero.*

*Ex quo*

III. CVRCVMA.



*Ex quo apertè conſtat, curcumam Serapioni deprauatè inſcriptam, ſeplaſiarum curcumam, quæ procul dubio Indicus eſt Cyperus, eſſe nequaquam. Cyperi radicum farina, addita baccarum lauri eadem menſura, vrina impubis pueri excepta, & illita hydropicos mirificè iuuat. Cyperum recenſuit Gal. lib. VII. ſimplicium med. vbi ſic inquit. Cyperi radices maximè vſui ſunt, excalfacientes pariter & exiccantes abſque mordacitate. Itaque vlceribus, quæ præ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt, mirificè proſunt: habent enim quiddam etiam adſtringens: quapropter vlceribus item oris conueniunt. Quin & incidendi vim quampiam illis ineſſe teſtificandum, quæ & calculo vexatis congruunt, & vrinam menſesq; prouocant. Planta, quæ Græca voce κύπειρος, Latina Cyperus nuncupatur: Arabica, Saberade: Italis, Cipero: Germanica,* Wilder galgan/ *Hiſpanica, Iuncia de olor, & Iuncia auellanada: Gallica, Souchet: Bohemica, Galgan planey.*

Cyperi vires ex Galeno.

Nomina.

Κύπειρος aut κύπειρις à radicis effigie, quæ pixidulam aut poculum, vaſculumue puſillum imitatur, dictus videtur, ſiquidem apud Theophraſtum folliculus vlmi κύπειρον τῆς πτελέας legatur. Theophr. 4. hiſt. 11. Cypirũ (Gladiolũ Gaza vertit) dixit, radice inæquali, partim craſſa carnoſaq; partim gracili & ſurculoſa. Matthiolus vna figura vtramq;, nos duabus expreſſimus. Decẽ Cyperi ſpecies Phytopinax proponit, hic de quatuor ſermo. I. Cyperus odorata radice rotũda, ſeu Dioſ. & veterũ C.B. cyper⁹ radice carnoſa craſſa, Theoph. Cyperos & Cypirus Plinio. Cyperus Trago. Lugd. Lob. ob. cui & Iuncus quadratus Celſi. Iuncus anguloſus & triangularis Plinij. Cyperus rotundus Geſ. hor. Lob. icon. Dodo. Camer. Tab. Cyperus radice rotunda Lon. Cord. in Dioſc. cui offic. Cyperus rotundus & Germanorum ſyl. Galanga. Cyperus alter radice oliuari Cæſalp. Non multùm abſimilem pingit Rauwolffius in ſuo itinerario, Cyperi rotundi Orientalis maioris vel Babylonici nomine; ſic & apud Alpinum cap. 37. Cyperi rotundi figura, cuius radices quaſi ſibi inuicem incumbunt. II. Cyperus odoratus radice longa, ſeu Cyperus officinarum (quando enim ſimpliciter Cyperus ſcribitur, tum Cyperum longum aſſumunt) C.B. Cyperus radice gracili & ſurculoſa Theo. Cyperida Plinio. Cyperus radicibus longis geniculatis multis. Galanga ſyl. Matth. Cyperus Fuchs. Dodo. gall. Lat. Cyperus longus, Geſ. hor. Dodo. Tab. Cam. hor. Cyperus longus odoratior Lob. Lug. Cyperus radice Galangæ Caſt. Cyperus radice longa Loni. Cord. in Dioſ. cui etiam Cyperus Romanus vel longus off. Cyperus primus & maior Cæſalpino. III. Cyperus Indicus Dioſc. C.B. Cyperi ſecunda ſpecies Dioſc. quæ Curcuma Matth. Lac. Cyperus Indicus Dioſc. & Curcuma off. Cordo in Dioſ. Lonic. Cæſ. Curcuma off. Cyperus Indicus Cord. hiſt. Cluſ. in corol. ad Dod. gal. Lob obſer. Tab. Terra merita Lob. icon. Lugd. Cyperus altera radice lutea dictus Curcuma Caſt. Hic radice longa & rotunda, vt rectè Cordus in hiſt. lib. 4. cap. 71. reperitur. An ab eo, qui radice eſt rotunda, differt ipſius à Coſt. cap. 35. (ex quo Lugd. in appendice) Crocus Indicus, de quo & Garzias lib. 1. arom. cap. 39. cuius & Auicenna libr. 2. cap. 200. ſub Chalidunio meminiſſe videtur. Maior eſt curcumæ cum Zingibere, quàm cum Cypero ſimilitudo, & ratione formæ & virium, licet enim ipſo Gingibere ſit guſtu ignauiore & ingratiore, facultate tamen qua viſcerum obſtructiones tollit, eſt potiore.

## CARDAMOMI SPECIES. Καρδάμωμον. CARDAMOMVM. CAP. V.

I. CARDAMOMVM MAIVS.



CArdamomum optimum eſt, quod ex Comagene, Armenia, Boſphoroq; deuehitur: in India quoque, & Arabia prouenit. Eligi debet plenum, frangenti contumax † occluſum, fractumq; (quod enim huiuſmodi nõ eſt, exoletum iudicatur) & guſtu acre, ſubamarum, & odore caput † tentans. Excalfactoriam vim habet: potumque ex aqua facit ad comitiales, iſchiadicos, tuſſes, neruorum reſolutionem: item ad rupta, vulſa, tormina: latas ventris tineas excutit. Ex vino autem potum, renibus, difficultati vrinæ, à ſcorpione ictis, neque non omnibus venenum vibrantibus, auxilio eſt. Cum cortice radicis lauri epota drachma, calculos com-

† μέμυκος meum, aliud μεμυκός.

Tentans πληκτικὸς i. feriens.

## II. CARDAMOMVM MEdium.



## III. CARDAMOMVM MINVS.



los comminuit: partus ſuffitu enecat: ſcabiem ex aceto illitum adimit. Et ad vnguentorum ſpiſſamenta additur.

Cardamomũ maius.

Grana paradyſi.

Cardamomũ medium.

Cardamomũ minus.

*TRIA ſunt cardamomi genera, quę paſſim ad nos afferuntur, nempe maius, medium, & minus, & omnia ſuis in folliculis concluſa. Maioris inuolucrum Fici, [ſeu pyri] faciem refert, materia compactum tenaci, lentaq́; ac lęui Indicę nucis inuolucro aut palmę elates, non abſimili, ſtaminibus nonnullis ſecundum longitudinem diſcurrentibus. Hoc intus ſemine vbique farctum eſt, ſubrubro colore, granis inęqualibus, multis intercurſantibus membranis albicantibus, quibus ipſa ſemina conteguntur, quę Melegetas appellauere quidam, quod Milium Indicum referant; Italis Melegam appellatum, ſaporis acuti, & odoris iucundi, ac ſuauis: quo factum eſt, vt grana paradyſi quibuſdam vocitentur. Medium folliculo contegitur oblongo, triquetro, ſtriatoq́; retuſo in ſummitate cacumine, in quo ſemen reconditur membranis pariter obuolutum, oblongum, preſſum, canaliculo quodam altera parte diuiſum, pluribus tranſuerſim interſecantibus lineis, colore ex albo ruſeſcente. Minus capitulo conſtat breui, facie triangulari, Faginei ferè nuclei effigie, craſſioribus tamen angulis, colore ſubcandicante, media intus intercurſante membrana, in quo vtrinq; ſemen, altera parte caua linea diuiſum, ſubrotundum, & tactu ſubaſperum. Omnibus ſemen ineſt fractu facile, acre, quadam accedente odoris ſaporiſq́; ſuauitate, & omnis amaritudinis expers. Maius tamen acrius eſt, & aromatic quid magis reſipiens. Minus, vt medium acredinis vehementia ſuperat, ita & odoris fragrantia. Affertur in Europam ex Alexandria Aegypti, ac etiam à Luſitanis ex India orientali. Sed an horum aliquod Gręcorum ſit Cardamomum, hactenus affirmare non libuit.*

Cardamomũ veterum.

*Concederem tamen ego facilè maius Cardamomum legitimum illud eſſe quo vſi ſunt veteres, quod ſuo è cardamomo, ſecundo de antidotis apud Galenum folliculos abiiciat Zeno. Quin etiam, quod in Theriaca carmine deſcripta libro primo antidotorum poſt Damocratis inſcriptionem, folliculorum Cardamomi mentio fit. Et. 7. de comp. med. ſec. locos cap. 3. Galenus ex Pamphilo miropola tranſcribens Cardamomi delibrati meminerit: ſed vetat ne concedam in primus ſapor, in quo nulla prorſus reperitur amaritudo, quę Galeno adeò conſpicua eſt, vt vermes inteſtinorum necare Cardamomum is affirmarit. Deinde Cardamomi vulgaris odor ſuauis eſt, & caput minimè tentat, nec frangenti contumax eſt, ſed dentib. facillimè cedit, adeò, vt malleo ferreo nobis opus nõ ſit. Hęc itaq; in cauſa ſunt, vt dubius adhuc ſim an vulgare cardamomũ legitimũ ſit quo vſi ſunt antiqui. Hoc dixerim ego nunquam, quòd mordicus meam velim tueri opinionẽ, nec quod aliis, qui aliter ſentiunt contradicere velim, ſed vt meã tantũ ſententiã palam faciã.*

Cardamomũ Gręcorum & Arabum diuerſum. Saccola duplex.

*Ad hęc nec Arabum Cardamomũ, hoc repręſentare videtur, quandoquidẽ aliud Gręci, aliud verò Afri pro Cardamomo intelligunt, vt apertiſſimè teſtatur Serapio, qui quàm plurima ſimplicia medicamẽta ex Dioſcoride, & Galeno tranſcripſit. Is enim (vt ſua declarant monumẽta) Dioſcoridis Cardamomũ, Cordumenũ appellat, deinde auctore Iſach Arabe ſui Cardamomi peculiare caput inſtituit: idq́; Saccolã ſua lingua nominat: quin & duum eſſe generũ tradit, alterũ maius, alterũ verò minus: quorum nullũ non modò Dioſcoridis Cardamomo reſpondet, ſed nec etiam vlli eorũ, quib. officinę indifferenter vtũtur. Probatur prętereà officinarũ Cardamomum Arabicum nullum eſſe, quòd Serapioni maius Cardamomũ ſemen ſit plantę, quod oblongis quibuſdã concluditur capitibus, iis ſanè ſimilibus, quę è roſis prodeunt, granis obnigris, rotundis, pipere longè maioribus, in quibus minuta ſemina concluduntur, angulosa, farcta, & odorata: minus verò nullo contegitur capitulo maioris modo, quanquã colore conueniant. Quod planè indicat omne officinarũ Cardamomũ haud Arabũ eſſe, ſed potius ab eo maximè differre.*

Monachi reprehenduntur.

*Quare putauerim, illud falsò ſibi perſuaſiſſe Monachos, qui in Meſuem ſcripſere, quod Arabũ Cardamomũ minus illud ſemen ſit, quod ſeplaſię Meleghettas vocant, Andreę Bellunenſis, qui Auicennã mendis expurgauit, auctoritate freti. Sed cũ Bellunenſis id aſſerat vulgari tãtum opinione ductus: cumq́; notę minimè eorũ ſententię adſtipulentur, erraſſe Monachi facilè deprehenduntur. Semina enim quę Meleghettas appellant (vt omnibus planè cõſtat) capitulis excepta ſuboriuntur, quod minori Serapionis Cardamomo non euenit.*

Ruellij & Fuchſij error. Piperis Indici mentio.

*Crediderũt, Ruellius in ſuis de natura ſtirpiũ libris, & Fuchſ. in ſua methodo, id omnino Mauritanorũ eſſe Cardamomũ, quod nos PIPER INDICVM, alij ſiliquaſtrũ appellant: verùm cùm planta hęc foliis exeat hortenſi ſolano ſimilibus, florib. luteolis, fructu longo corniculorũ inſtar, qui primo exortu vireſcat, maturus verò adeò ruſeſcat, ac læuore quodã ita pelluceat, vt coralliũ referat, & in quo concludatur pumilũ ſemen, lentiũ modo compreſſum, vſq; adeo acre, vt ori tantùm admotum maximè linguã, & palatum exurat, exulceretq́;, ambo hac in re lapſi deprehẽduntur. Nã etſi Indicũ piper in hiſce corniculis roſarũ ferè modo ſuũ includat ſemen, reliqua tamen Serapionis Cardamomo nullis notis correſpondẽt: hoc enim ſuis in vaſculis globulos quoſdã concludit, nõ lenticulis ſimiles, ſed rotũdos, & pipere craſſiores, qui intra ſe minutũ quoddã ſemen continẽt. Huc etiã accedit, quòd cùm hoc piper corniculatũ, tũ ſemine, tũ corniculis ipſis tanta ſit acrimonia prędituũ, vt nõ modò manſum, ſed tantùm admotũ ſtatim quaſi ignis exurat, abſurdũ vtiq; fuerit credere Serapionis Cardamomũ eſſe, cũ dixerit ipſe magis adſtrictoria facultate pollere quàm acri. Cęterũ ſcribit Auicenna maius Cardamomum grana cicerib. atris, minus verò lentibus minora proferre. Quod cùm fortaſſe Ruell. haud rectè percepiſſet, ei errandi anſã prębuit: quippe minori Cardamomo, nõ autẽ maiori ſemina lentium modo naſci ait Auicenna: quanquam Ruellius, vt ſuam tueatur ſententiam, ſecus fortè legerit Auicennam.*

Cardamomi genera quatuor ex Plinio.

*Plinius lib. XII. cap. XIII. quadruplex eſſe Cardamomi genus ſcribit, ſic inquiens. Simile eſt amomo Cardamomum & nomine, & frutice, ſemine oblongo. Metitur eodem modo & in Arabia. Quatuor eius genera: viridiſſimum ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti, quod maximè laudatur: proximum è ruſo candicans: tertium breuius, atque nigrius: peius tamen varium, & facile tritu, odoriſq́; praui, quod verius coſto vicinius eſſe debet: hoc & apud Medos naſcitur: hactenus Plinius. Sed neſcio quos auctores ſit ſecutus, quandoquidem tam Dioſcoridi, quàm cęteris Gręcis, vnum tantùm extet Cardamomi genus. In cuius defectu ſupponit Galenus aut myrtum, aut*

cyperum

*cyperum. Qui præterea Cardamomi meminit libr. VII. ſimplicium medic. his verbis. Cardamomum eſt ſanè facultatis admodum calidæ, non tamen vſque adeò, vt naſturtium: ſed quantò ſuauius, magisq́; fragrans eſt naſturtio, tantò & imbecillior ei calida facultas ineſt: nec enim vlcerare idoneum eſt vel ipſum per ſe illitum. Porrò adiunctum habet quiddam etiam amaritudinis, qua lumbricos interficit, & cum aceto valenter pſoras detergit.* Cardamomi vires ex Galeno. *Cardamomum, καρδάμωμον, quod non ſecus Latinè atque Græcè vocatur: Arabibus, Cardameni, ſeu Cordumeni: Italicè Cardamomo: Germanis,* Cardomömlin: *Hiſpanis, Grana de parayſo, [ officinis Melegetæ & grana paradyſi. ]* Nomina.

Καρδάμωμον dicitur quaſi Naſturtium ſuaue. Verùm an officinarum Cardamomum ſit idem cum Dioſcoridis Cardamomo, ambigitur: cum nullas Dioſcorides notas proponat, ex Galeno & Paulo id elici debet: quod ſi ergo ea perpendamus, quæ Galenus lib. 2. de Antid. in compoſitione Zenonis habet, καρδαμώμου τῶν λοβῶν χωρὶς, τῆς ἐντεριώνης: & in verſibus Damocratis, Cardamomum ſemen eſſe quod ſit incluſum folliculo: Dein ſi color albicans ex Ægineta addatur: tum ex Dioſcoride, quod eligendum ſit plenum, frangenti contumax ( intellige dum adhuc in folliculo eſt ) occluſum, quod odore caput tentet, guſtu acre ſit & amarum. Hæc ſi cum noſtro conferantur minore Cardamomo, omnes in eo notæ, vt arbitror, apparebunt, licet Manardus & Braſſauolus aſtruant, vero nos Cardamomo carere. Verùm Dioſcorides & Serapio integros vtriculos granis refertos, vt olim afferebantur, deſcripſere: hodie verò vt plurimum ſola grana adferuntur, cum Græci vt videre eſt apud Galenum 7. de Compoſ. medicament. ſecundum loc. 3. in confectione Pamphilij. Καρδάμωμον ἐξεντερισμένον exenteratum, & aliquando τὴν ἐντεριώνην ex vtriculis exempta grana requirant. Sunt alij qui noſtrum Cardamomum veteribus tum Græcis tum Latinis indictum, & Dioſcoridis Cardamomum idē eſſe cum Arabum Cordumeni velint: at officinarum Cardamomum eſſe Arabum Saccolaa aut Saccule Auicennæ: alij maius Heyl & minus Helbane vocitant. Cæſalpinus ex genere Aſari Cardamomum eſſe dicit: ſed de his agemus Deo auxiliante in tractatu noſtro, quem de materia Medica in officinis vſitata inſcribemus. Genera plura videtur Dioſcorides agnouiſſe, cum ex Comagine, Armenia, Boſphoroq́; deuehi ſcribat, & ſubiungat in India quoq́; (vnde ad nos etiam adfertur) & Arabia pervenire. Hoc ex Galeno probari poſſe videtur, qui in Theriaca Andromachi 1. de antid. & 1. de Theriaca ad Piſonem, Indæum requirit Cardamomum. Tria proponit genera Matthiolus: at recentiores quinq; agnoſcunt, his nominibus. I. Cardamomum maius Matthiolus vocat ea grana, quæ officinis & vulgo Grana paradyſi dicuntur, qua voce Lon. & Lac. vtuntur, hic verò Cardamomum quoq; hortenſe nominat. Grana paradyſi, aliàs Melligeta, quæ Cardamomum maius vocant malè. Cord. in Dioſ. Melligetta ſeu Cardamomum piperatum, Cord. hiſt. Milleguetta, Grana paradyſi, Lob. Cardamomum alterum, Cæſalp. Cardamomum primum. Cam. 1. Cardamomum Arabū maius. Tab. II. Cardamomum mediū Matthioli: Cardamomū maius, Heyl Arabibus, Cord. in Dioſc. & hiſt. Cardamomū mediū, Lon. Caſt. Cardamomū maius vulgare, Lob. Cluſ. in Gar. Tab. Cardamomū 2. Camerario. III. Cardamomū minus ꝙ vocat Matthiolus, à recentioribus in tres ſpecies diſtrahitur: a notatum dicitur Cardamomū mediocre, Cord. hiſt. Cardamomū mediū, Lob. Tab. Cardamomum 3. Cam. 4. b Cardamomum minus propriè Matth. & Lac. cui & Cardamomū ſylu. Cardamomū minus, quod ſimpliciter Cardamomum dicitur, Helbane Arabibus, Cord. in Dioſ. Cardamomum minus, Eid. hiſt. Tab. Cardamomum minus vulgare, Lob. & Cluſ. in Gar. Cardamomum primum, Cæſalp. Verùm quemadmodū Matthiolus cum præcedenti iunxit: ſic & Camerarius cum priori, Cardamomi tertij nomine pingit. c Cardamomum minimum, Lob. Taber. Cardamomum quartum, Camer. 1. Lugdunenſe herbarium ad imitationem Matthioli, Cardamomi omnes ſpecies vna icone propoſuit.

## I. NARDVS INDICA. Νάρδος. NARDVM. CAP. VI.

Valeriana Jatamansi



DVO Nardi genera: vnum Indicum, alterum Syriacum appellatur, nō quòd in Syria proueniat, ſed quòd montis in quo oritur, pars vna ad Syrios, pars altera ad Indos flectitur. Ex hoc Syriaci genere, præcipuū eſt recens, & leue, largā gerens comam, flauum colore, perquàm odoratū, ac cyperū redolens; † breui ſpica, amaro ſapore, linguā ſiccante, ꝙ diu in ſua odoris gratia permaneat. † Breui. μικρῷ i. paruo Ex Indico autē Nardo quoddā Gangitis vocatur, à fluuio Gange, apud quem enaſcitur, montē præterfluente: quod genus ob multam loci, in quo prodit, vliginē, viribus infirmius eſt, atq; procerius adoleſcit, plures ferens ſpicas, ab vnica radice comoſas, vnaq́; conuolutas, ac grauiter olentes Montanū autem odoratius, ſpica breui ac mutila, odore cypero vicino, cæteras habens Syriaci dotes. Eſt & genus quoddā, cui Sampharitico nomen locus indidit, frutice breui, in magnas ſe ſpargēs ſpicas, candidiore interim medio caule, hircorum virus ſupra modū redolente: quod improbatur: madefactū vendi ſolet, ꝙ vitiū ex eo deprehenditur, quod candida ſit ſpica, & ſqualida, ſuaq́; careat lanugine. Frutice breui non legit Oribaſius, neque vllum exemplar. Adulteratur ſtibio cū aqua, aut palmeo vino, inſpiſſationis ponderiſq; cauſa inſpirato. Intueri autē oportet, ſi lutū radicibus inſideat, & in cerniculo puluerem excutere, eluendis manibus vtilem. Vim habent excalfactoriā, & exiccantem. Vrinam mouent: aluum

potu ſiſtunt: vuluæ profluuia, ſaniemque appoſita ſupprimunt. Nauſeæ ex aqua frigida auxiliantur, & ſtomachi roſionibus, inflationi, iecinori, regio morbo, renum vitiis. Aquæ autē incoctæ fotu ad inſeſſum, vuluæ inflāmationibus medentur: ad glabras oculorum genas valent, ſiquidem eas ad denſiorem pilū reducunt: perfuſis humore corporibus inſpergūtur. Miſcentur antidotis, & in fictili nouo nō picato ad ocularia medicamenta reconduntur, trita in farinam, & cūm vino in paſtillos coacta.

Nardi Indicæ & Syriacæ conſideratio.

NARDVM officinæ Nardi ſpicam appellant: Spica non eſt, quæ in culmorum ſummitate oritur, ſed radix quæ ſpicæ figuram habet. Complures enim ab vna baſi oriuntur ſpicæ, perinde ac in lilij aut allij radice, verùm capillaceæ & comoſæ, colore ferrugineo, pluribus vna parte capillamentis, odore haud iniucundo. Sed non deſunt, qui credāt Indicam nardū in Italiā non aduehi ob regionis diſtantiā, Syriacā opinantes eſſe, qua noſtro æuo ſeplaſiarij vtūtur: tametſi (vt inquit Dioſcor.) in Syria non oriatur, verùm ideo Syriacā dici, quòd ea montis parte proueniat, quæ flectitur ad Syrios. At cùm inter Indos, & Syrios ampliſſimæ interponantur regiones, nempe deſerta Arabia, Perſis, Carmania, Gedroſia, Darangia, aliaq; nonnullæ, quæ vltra quatuor millia milliariorum continent, neſciuerim profectò, quonam pacto fieri poſſit, vt mons ille ad Gangem poſitus, altera parte Syriā tam facilè reſpiciat, vt Nardus ea parte proueniens Syriaca dici mereatur. Quo fit, vt quandoq; mecū diſquirere licuerit, eā potius à Syraſtene regione, quæ ad Indicum fluuium eſt, Syrij nomen ſibi aſciuiſſe, quā à Syria: quandoquidem, ſi Ptolemæus vera refert, mons in India viſitur, qui à Gange fluuio ad Syraſtenē extenditur. Abſurdum enim eſſet credere, Nardum ad nos non deferri ex India, cùm in Syria nuſquā proueniat, cumq; multa Indiæ aromata, nulla diſtantiæ habita ratione, per Carouanas (vt vocant) in Alexandriā Aegypti conuehantur: cum quibus nec temere credendum eſt, quin Nardum etiam conuehant mercatores: præſertim cum certò ſciam, Nardum Venetias ex Alexandria afferri: nec eam alibi, quàm in India naſci, Dioſcoridis teſtimonio ſatis apertè monſtretur: etſi Plinius contra ſcribat naſci in Syria Nardum, præter eam quam India mittit Syriacam Dioſcoridi appellatam. Cæterùm Manardus Ferrarienſis, officinarum nardum nec Indicam, nec Syriacam eſſe cenſet.

Manardi error, offici. nardum, nec Indicam, nec Syriacā eſſe.

In cuius ſententiam non equidem pedibus eo, etſi medicæ materiæ is clariſſimus fuerit indagator, quippe quoniam Venetiis pluribus in locis Nardi ingentem copiam vidi, læuis, comoſæ, perquàm odoratæ, cyperum redolentis, flauæ, ſubamaræ, & manſæ nō modò linguā exiccantis, ſed odorem etiam non iniucundū per os aſpergentis, nullisq; deficientibus notis, quibus optima nardus ex Dioſcoridis ſententia explorari poteſt. Sed plerunq; accidit, dum per Indicum, & Arabicum mare in Alexandriam defertur, & inde Venetias, vt aſcito ſibi maris humore (id namque facilè fit, quòd Nardus ſit ſicciſſima) vel ſitum contrahat, vel ſubputreſcat: vnde poſtea amiſſa ſuaueolentia, grauiter oleat. Quo fit, vt hac in re Manardum longè hallucinatum crediderim, qui ſi rectè perpendiſſet, quæ Nardi pars ſit ſpica, atque in emporiis, vbi numeroſa præſtantiſſimaq; viſitur, accuratius ipſam expendiſſet, non equidem vereor, quin aliter de ea ſcripſiſſet. Verùm enimuero cùm planè ignoraſſet, quæ nardi pars ſpica eſſet, ſelectamq;, & incorruptam Nardum minime nouiſſet, lib. VI. epiſt. III. ſcribit, Galenum de nardi ſpica, quæ antidotis admiſcetur, loquentem, radicem quidem, non ſpicam intelligere. Et vtinam, inquit, quæ nobis affertur legitima eſſet: ſed quòd ea ipſa non ſit, cognoſcitur, quòd nulla odoris ſuauitate commendetur. Et lib. VIII. epiſt. I. inquit. Galenus lib. 1. de antidotis in theriacæ compoſitione Nardi radicem tantummodo admiſcet, eo quòd viribus ipſa præſtantior ſit: ſpicam verò paruipendit, & pro nihilo habet. Quod ſane declarat, Manardum hanc Galeni ſententiam perperam accepiſſe, atque etiam Nardi hiſtoriam ignoraſſe, quandoquidem nardi radix nil aliud eſt, quàm ſpica, vt ipſemet teſtatur Galenus eodem de antidotis libro, ſic inquiens.

Spica nardi eſt nardi radix.

Iubet Andromachus adiicere nardū indicā: ea verò eſt, quā ſpicā vocant, nō quòd ſpica ſit, radix etenim eſt, ſed quod ſpicæ formam referat. Quibus palàm eſt, idē eſſe nardi ſpicā, & nardi radicē, vt etiamnū declarat idē Galenus lib. IX. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, in Philonis antidotū ſcribens, dum inquit. Quin & nardi ipſius drachmam vnam coniiciendam cenſet, quā falſi nominis radicē dixit, quandoquidem ſpica nardi nominatur. Quapropter idē lib. VIII. ſimp. medic. de Nardo caput facturus, illud inſcripſit, Nardi ſpica, vtpote quæ pars ſit in tota ſtirpe præſtantior, minimè quidem ignorans, ſe radicem nardi deſcribere. Nā ſi ſenſiſſet, ſpicam à radice differre, eam planè ſilentio præteriiſſet tanquam inutilem, & capiti nomen indidiſſet aut generaliter ab ipſa Nardo, aut à radice tantùm, vti viribus præſtantiore. Manardo ſubſcribit, & quidem malè, nouus quidam rei plantariæ cenſor, Nardum inquiens, quod ad nos affertur, nec Indicum, nec Syriacum eſt, ſed Gangiticum. Quo argumento quis facilè noſſe poteſt, quàm diligenter hic peritus herbarius perlegerit Dioſcoridem, quàmq; in Geographorum libris fuerit verſatus. Sed neſcio quis tam fuerit amens, qui dixerit plantas, quæ circa Tyberim naſcuntur, non eſſe Italicas. Atqui Gangiticum Nardum Indicum eſſe apertiſſimè teſtatur Dioſcorides ſic inquiens. τῆς δὲ ἰνδικῆς ἡ μέν τις λέγεται γαγγῖτις ἀπό τινος ποταμοῦ παραῤῥέοντος τὸ ὄρους γάγγου καλουμένου. Id eſt ex Indico autem Nardo quoddam Gangitis vocatur à Fluuio Gange, apud quem naſcitur montem præterfluente. Sed an Gangitis noſtrum ſit, vel quod in monte naſcitur, difficile quidem ob eas, quas diximus rationes, quempiam affirmare poſſe cenſeo.

Braſauoli error, nardi radicē nullius vſus exiſtimantis.

In hoc, ac longè maiori verſatur errore Braſauolus, ſiquidem ſuo de ſimplicium examine, Nardi ſpicam non modò non eſſe radicem cenſet, ſed nullius vſus eam exiſtimat, ſic inquiens. Venetiis ſpicam, caulem, & radicem emes, quamuis & ipſi adulterent. Iubeo autem radicem, & caulem emere, quoniam hæc apud antiquos auctores, vt Dioſcoridem, & Galenum magis in vſu medico ſunt, quàm ſpica: quippe folia abiicit Dioſcorides: ad nos tamen ſpica non defertur, ſed radix: hæc ille. Sed mehercule quantum ex Dioſcoridis ſcriptis percipere potui, nunquam hactenus ſum conſecutus, quòd ipſe ex omnibus nardi partibus aliam præferat, quàm ſpicam. Quòd autem crediderit ipſe ſpicam in Nardo viribus magis præſtare, quàm cætera eius partes, quodq; cùm de Nardo ſcribit, tantùm de ſpica intelligat, apertè oſtendit, cùm inquit. Ex nardo Syriaca dicta melior eſt recens, & leuis, largam gerens comam, &c. Quippe leuitas, ac comæ magnitudo, nullis nardi partibus, præter quàm ſpicæ competunt, præſertimq; cum ipſa non vacet cæteris notis, quas illi tribuit Dioſcorides. Ad hæc nulli ſanè incompertum exiſtimo, Dioſcoridem huiuſce libri initio in probandis tantùm radicibus, quæ odore commendantur, operam impendere, nempe iridis, acori, mei, nardi, phu, aſari, & huiuſmodi ſtirpium generum, non autem in efferendis caulibus, floribus, foliis, ac ſpicis, quæ caulium ſummitatibus innaſcantur.

Braſauolus ignorauit ſpicam eſſe nardi radicem.

Quo fit, vt etiam fateri liceat, Braſauolum ignoraſſe ſpicam ipſam eſſe nardi radicem: quin potius pro certo credidiſſe in plantæ ipſius nardi cacumine, non in radice oriri ſpicam, quæ tamen Galeno teſte radix eſt, & cæteris nardi partibus præſtantior, quandoquidem ſi aliter res ſe haberet,

commoda

commoda longè plura radicibus ex more redderet Dioſcorides, quàm ſpicæ. Quòd præterea Galenus plus laudauerit Nardi caules, quàm ſpicam (vt aſſerit Braſauolus) nuſquam compertum habeo. Cæterùm quanta ſententiæ inconſtantia Nardi hiſtoriam idem deſcripſerit, ex ſuo poſteriori ſimplicium examine, in quo vltimam manum impoſuiſſe fatetur, facilè conijcitur, dum ſenem ſecum colloquentem inſtruit, his verbis. Ne igitur in his montibus Nardum quæras, ſed Venetijs ſpicam, caulem, & radicem emes. At ſui ipſius ſtatim oblitus videtur non multis poſt lineis, cùm inquit. Aliud verò ſunt ſpica, & flos, quæ ad nos non afferuntur. Ex quo facilè crediderim, ipſum non modò Nardi hiſtoriam cõfudiſſe, atque etiam, quod peius eſt, corrupiſſe, ſed etiam ſibi ipſi, vel potius ſeni verba dediſſe: primùm namque ait Venetijs ſpicam, caulem, & radicem reperiri: mox ſpicam ad nos aduehi negat. Sed ante hos hac in re Plinium quoq; grauiter hallucinatum inuenio: quippe qui libro & cap. XII. in Nardi ipſius hiſtoria longè diſſideat à Dioſcoride & Galeno, quin & à cæteris materiæ medicæ auctoribus, dum ita ſcribit. Nardum frutex eſt graui, & craſſa radice, ſed breui, ac nigra, fragiliq;, quamuis pingui, ſitum redolente, cyperi odore, aſpero ſapore: folio paruo, denſoq;. Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt: ideo gemina dote Nardi ſpicas, ac folia celebrant: hæc Plinius. Cuius doctrinam ſecuti, non modò Ferrarienſes illi, ſed Hermolaus, & Ruellius, ipſi quoq; pariter aberrarunt: ſiquidem Ruellius (vt puto) nulla alia de cauſa aſſerit, ſe in officinis Nardum vidiſſe, cui inerant dotes omnes illi à Plinio redditæ, quàm vt Plinianam tueretur lectionem: quod tamen falſum eſſe arbitramur. Ego enim tametſi Nardi quàm plurimum in Venetis officinis diligenter examinauerim, ac ſelegerim, aliud tamen, quàm ſpicam videre mihi non licuit. Quapropter nullum inueniri Nardum exiſtimo, quod in caulium cacumine ſpicas proferat, quemadmodum tradidit Plinius, aſſerit Ruellius, & contendit Braſauolus, contra Galeni, & Dioſcoridis ſententiam. Qui Nardum deſcribit plures ferre ſpicas, nõn quidem à caulibus, ſed ab vna tantùm radice prouenientes: non tamen quòd alia radix viribus præſtans ſpicis ipſis ſubſit, ſed quoniam, cùm plures in radice ſint ſpicæ, neceſſe eſt, vt baſi, vel firmamento aliquo conſiſtant, à quo originem trahant, vt in allio & lilij radicibus conſpicitur. Quod pro explorato confiteri poſſum, cùm ſæpenumero Venetijs Nardi ſpicæ ceſpites viderim, tum figuratum etiam ſpicarum connexu allium referentes, vt vnuſquiſq; pro arbitrio experiri poterit. Verùm enimuero vt probè reſponſum ſit omnibus ferè obiectionibus, dicimus, quòd ſi fortè reperirentur, qui aſſererent illas eſſe proprias Nardi radices, quæ capillaceis fibris à ſpicarum baſi oriuntur, vt in allio, cæpis, ac bulbaceis omnibus viſitur, & eapropter ſpicas ijs annexas non eſſe Nardi radices, ſed per ſe partes ab his admodum differentes, poteſt eorum obiectio facilè dilui Theophraſti teſtimonio. Siquidem is lib. primo cap. X. de plantarum hiſtoria apertè declarat, in allio, cæpis, bulbis, lilijs, ac alijs eius generis, & per conſequens in ſpica, non ſolùm dici radices ea capillamenta, quæ bulbaceis illarum plantarum capitibus ſubiiciuntur, ſed etiam id bulbaceum totum, quod terra reconditur. Et vt res ipſa clarior omnibus ſit, generali regula expreſſum voluit, quòd totum id in quauis planta, quod ſub terra obruitur, radix commodiſſimè dicatur. Proinde videtur Nardum ipſam inter radices idem memoraſſe Theophraſtus lib. IX. cap. VII. de plantarum hiſtoria, his verbis. Quibus ad vnguenta vtuntur, hæc ferè ſunt, caſia, cinnamomum, cardamomum, nardus, narum, balſamum, aſpalathus, ſtyrax, iris, narta, coſtus, panaces, crocum, myrrha, cyperus, iuncus, calamus, ſampſuchum, lotus, anethum. Horum alia radices, alia cortices, alia rami, alia ligna, alia ſemina, alia lacrymæ, alia flores. Quibus palàm eſt, non poſſe Nardum niſi inter radices recenſeri, cùm nec corticis, nec ligni, nec rami, nec floris, nec ſeminis, nec tandem lachrymæ ſpeciem præ ſe ferat. Quod cùm rectè ſciuiſſet Galenus tum libro. I. de antidotis, tum. IX. de compoſitione medicam. ſecundum locos, Nardi ſpicam radicem eſſe declarauit. Verùm longè ab omni Nardo diſtat NARDVS ITALICA, quæ noſtris vulgò vocatur Spigo. Cuius etiam generis ea eſt planta, quam aliqui vulgò appellant Lauanda, alij verò Lauendula, adeò vt hæc fœmina, illa verò mas in eo genere à quàmplurimis vocitentur. Mas folio conſtat latiore, lõgiore, craſſiore, robuſtiore, albidioreq; quàm fœmina. Sed vtraq; plãta fruticoſa, ac lignoſa, ſtœchadis aut roſmarini modo, innumeris referta eſt foliis longiuſculis anguſtiuſculiſq;, è quorũ medio iuncei exeunt cauliculi, quadranguli, tenues, dodrantalẽ longitudinẽ excedentes: in quorum cacumine flores exeunt ſpicati, colore purpureo, (quamuis in fœmina dilutiores, patentiores, & mitiore ſatis odore, ac magis grato) odore fragrantes, verùm vſq; adeò acuto, vt nares feriat. Naſcitur in collibus & locis ſaxoſis, à ſole illuſtratis, & ſeritur in hortis. Excalfaciunt, & exiccãt ambo ordine ſecundo completo, vel tertio inchoante; viribus à Nardis omnibus nõ longè recedentibus. Aperiunt, attenuant, reſoluunt, concoquunt. Conferunt omnibus cerebri ægritudinibus à frigido prouenientibus: Epilepticis, apoplecticis, veternoſis, conuulſis, reſolutiſq; auxiliantur: ventriculum roborant, & iecur ab infarctu liberant: quin & obſtructos lienes iuuant: vterum calefaciunt, & menſes, & ſecundas educunt. Flores ex vino feruefacti vrinã pellunt, & flatus diſſoluunt illiti. Datur decoctũ è floribus paratũ vtiliter morbo regio affectis ab infarctu iocinoris, & præſertim ſi cũ Marrubio, cinnamomo, & fœniculi, & aſparagi radicibus incoquãtur: colluuntur itẽ eodẽ decocto vtiliter in dolore dentes, rheumatiſmis præſertim obnoxii: ſtillatitia florũ aqua potu duorũ cochleariorũ mẽſura, deperditã reddit loquelã, & cardiacã ſanat: præſtat quoque ad animi deliquia nõ ſolũ pota, ſed etiã naribus illita, & arteriis admota. Fit è floribus ſtillatitium oleum vitreis

Pliniu halluci-natur.

Hermolai & Ruellij error.

Dilutio cuiuſdam obiectionis.

Nardus Italica.

Nardi Italicæ hiſtoria.

Nardi Italicæ vires.

Florum nardi vires.

II. NARDVS ITALICA.



Lavandula Spica

Oleum Spicæ

III. LAVENDVLA.



*organis, quod propriè vnguentarij vulgò vocant olio de Spigo, odoris adeò acerrimi, vt cætera odoramenta ſuperet: quo fit, vt extra officinas illud aſſeruent, ne moſchi, ambari, zibetti, aliorumq́; vnguentorum, & aromatum ſuauitatem intercipiat, quod illinitur vbi excalfacere ſit opus. Fœmina etſi idem poßit quæ mas, at peculiariter veſtibus interpoſita, eas à tinearum roſione vendicat, & odoratas reddit.*

Nardi Indicæ vires ex Gal.

*Nardi Indicæ vires ſcripſit Galenus lib. VIII. de ſimplicium medicamentorum facultate, ſic inquiens. Nardi ſpica excalfacit exceſſu primo, & deſiccat ſecundo iam completo. Compoſita eſt ex adſtringente ſufficienter ſubſtantia, & acri calida non multa, & quadam leuiter amara. Ex his conſtans facultatibus radix & ad iecur, & ad ſtomachum rationabiliter conuenit tum pota, tum extrinſecus impoſita. Vrinam ciet, morſus ſtomachi ſanat: in ventre, ac inteſtinis conſiſtentes fluxiones deſiccat, adhac & eas, quæ in capite, & thorace. Valentior eſt vocata Indica, nigriorq́; quàm Syriaca vocata.*

Nomina.

*Νάρδος & νάρδου ςάχυς ſic Græcis dicitur, vt Latinis Nardum, & Nardus, ſeu Nardi ſpica: Mauritanis, Stumbel, aut Senbel: Italis Spico & ſpigo nardo, Germanis* Edelſpicanard / Woltriechendt Spicken Narde/ *Hiſpanis, Azumbar, aut Eſpiga ſil: Gallis, aſpic d'oultremer. Bohemis Nardus indyanski. At vulgaris nardus qui pſeudonardus, ſeu Nardus Italica, Italis ſpigo. Germanis* gemeine Spicker Narde: *Boemis ſpica nardomaci: Gallis lauande maſle. Lauendula verò ſeu Pſeudonardus fœmina. Italis lauanda: Germanis* Lauendel: *Bohemis Leuendula: Gallis lauande femelle.*

NArdus fortè à Naardo vrbe Syriaca Euphrati contermina: alijs ναρδοςάχυς: quam inter aromata Dioſcorides, inter odorata Theophraſtus 9. hiſt. 7. recenſuit. Nardus Indica quæ Spica officinarum, & à Syriaca & Gangite natalibus tantùm differre videtur, & hodie ad nos indiſtinctæ ijſdem saccis adferuntur: qua de re in vniuerſali noſtra hiſtoria. Nardus Indica ſiue Spica Nardi, Matth. Ital. & 4. Caſt. Nardus & Spica Cord. in Dioſ. Nardus Indica, Cord. hiſt. Loni. Tab. Nardus Gangitis, Anguill. Spica Nardi, Aduerſ. Lob. icon. Garziæ, A coſtæ. Lugd. Cæſal. cui ex algarum genere eſſe videtur. Nardus, Lac. Lob. ob. Cluſ. in Garz. Spica Nardi Indica, Lugd. Quando ſimpliciter Nardus habetur, Indica vel Syriaca intelligenda: ſic & quando ſimpliciter Spica ſcribitur, hæc Spica Inda, vel Nardus intelligenda. II. Lauendula quia lauacris expetitur, à Plinio lib. & cap. 12. Pſeudonardus: à Meſuæo ſtæchas Arabica dicitur: quam aliqui ad Stæchadem veterum, alij ad Libanotidem coronariam, vt Leonicenus, Manardus & Ericius Cordus: alij ad Caſiam Vergilij referunt: alij ad Caſiam albam Theoph. alij Cercorum albam eiuſdem cenſent: quibuſdam Spica ſeu Nardus Celtica malè ſtatuitur, cum & Nardus Celtica & Lauendula ſui generis ſit planta. Hæc triplex, latifolia, anguſtifolia & diſſecto folio. Lauendula latifolia C.B. libanotidis Coronariæ ſpecies, Leoniceno & Manardo: Spica, Nardus Germanica, Trago, Pſeudonardus, Matth. 4. & Caſtori. Pſeudonardus fœmina, Fuch. icon. Lauandula fœmina, Dodo. gal. Lauandula maior, Cord. in Dioſ. & hiſt. Lauandula vulgò dicta ſtæchadi veterum cognata, Geſ. hor. Nardus Germanica: Spica recentiorum, Lob. obſ. Nardus Italica, Lob. icon. Lauandula, Ericio Cord. Dodo. Lauandula mas, Lugd. Lauandula vulgaris altera ſpica longiore, Cluſ. hiſp. Lauendula folijs latioribus, Cam. hor. Lauendula prima, Taber. Flore variat, vt & ſequens, qui communiter cæruleus, eſt & purpureo & albo. III. Lauendula anguſti folia C.B. Lauendula, Caſia Germanica, Trago Pſeudonardus fœmina ſiue Lauandula, Matth. 4. Caſt. Pſeudonardus mas, Fuch. icon. Lauandula mas, Dodo. gall. Lauendula vulgaris, Cord. in Dioſ. Lauendula minor, Cord. hiſt. Lauandula, Lac. Lon. Cam. hor. Nardus vulgò dicta, Geſ. hor. ſtachys, Auguſt. Spica Lauendula, Lob. Lauandula altera, Dod. Lauendula breuiore folio & Spica, Cluſ. hiſp. Lauandula fœmina, Lugd. Spica Italica, Cæſ. Spica alba Tabernæmontano.

Νάρδος κελτική.

## NARDVM CELTICVM. CAP. VII.

CElticum Nardum naſcitur in Liguriæ alpibus, aliungia patrio nomine appellatum: prouenitq; in Iſtria. a Exiguè fruticat, & cum radicibus in manuales faſciculos componitur. Folia habet b oblonga, colore in c flauum languido: florem luteum. Caulium, & radicum duntaxat vſus eſt, & odoris ſuauitas: vnde pridie faſciculos aqua abluere expedit, & exempta terra, pauito ſolo atque humenti, ſubiecta charta reponere, poſtridie repurgare, ſiquidem vtile, cum aceroſo alienoq; propter humoris vim, non excutitur. Adulteratur impoſita herba ſimili, quæ Hirculus vocatur, ab odoris grauitate. Sed facilis cognitio: nanq; herba candidior eſt, ſine caule, minus oblongis folijs, radice neq; amara, neq; odorata, vti verum Nardum eſt. Itaq; radices, atq; cauliculi, abiectis folijs, triti ſecernuntur, vino excipiuntur, digeruntur q́; in paſtillos, & ita fictili nouo diligenter operto, aſſeruari debent. Laudatur maximè, recens, iucundi odoris, radice numeroſa cohærens, plenum, nec fragile. Ad eadem, quæ Syriacum, pollet: ſed

a θαμνίσκος μικρός. i. paruus frutex.
b ὑπομήκη. i. ſublonga legit vulgata editio, Oribaſius vero ἐπιμήκη.
c Omnia exe. ὑπόξανθα. i. ſubrufa.

vehe-

vehementius vrinam cit, & ſtomacho vtilius eſt. Inflammationibus iecinoris, & felle ſuffuſis auxiliatur. Contra ſtomachi inflationes, cum abſinthij decocto bibitur: item aduerſus lienem, renum & veſicæ vitia, & venenatos ictus, ex vino. Additur in malagmata, potiones, & calfacientia vnguenta.

## NARDVS CELTICA.



Nardi Celticæ conſideratio.

*Tanta fuit veterum, qui nos præceſſerunt, negligentia, ne dicam ignorantia, vt non modò in veram ſimpliciū medicamentorum cognitionē, quæ peregrina ex longinquis terrarum partibus aduehuntur, probatiſſimorum auctorum ope, venire non elaborauerint; ſed ne minimā quidem curam adhibuerint, communi reipublicæ beneficio, vt de his ſaltē quæ in quàm plurimis Italiæ locis, ac aliis non longè diſtantibus inueniuntur, quicquàm lucis aſſequerētur, ac poſteris relinquerēt: quin potius in ſuis multò videntur negligentiores, quàm in alienis.*

Vbi naſcatur nardus Celtica.

*Naſcitur Celtica nardus in Liguriæ alpibus, naſcitur & in Iſtria, pariterq́ in montibus non longè à Villaco Carinthiæ oppido, & Iudemburgio Stiriæ: attamen non ob id legitima in multis viſitur officinis: nec fortaſſe in iis videretur, niſi his noſtris lucubrationibus annis ſuperioribus Italico ſermone editis, pharmacopolæ plures diligentiores redditi, medicā materiam accuratius expendere cœpiſſent. Sed id magis deteſtandū videtur, quòd iis in regionibus, vbi Celtica nardus naſcitur, magis hallucinentur homines, quàm alibi: ſiquidem Genuæ, quæ Liguriæ eſt ciuitas (niſi iam admoniti reſipiſcāt) aliiſq́ finitimis locis, vbi Celtica nardus facilè haberi poteſt, tā Medici, quàm ſeplaſiarij aliorum ignorantiam ſecuti, illius loco, Lauanda ſic vocata, vel noſtrate Nardo paſſim vtuntur.*

Comparatio Nardi Celticæ cum Lauanda.

*Quæ quantum in hiſtoria omnibus notis, non dicā viribus, à Celtica nardo diſcrepent, quicunq́ primùm rem optimè perpenderit, ac deinde notas, & qualitates illi à Diſcoride redditas, cū Lauandæ, noſtratiſq́ Nardi notis comparauerit, manifeſtū eorum lapſum facile incuſare poterit, quippe Celtica nardus in breuem, exiguamq́ plantam conſurgit caule tenui, & imbecilli, radice ſquamoſa, ſpicæ faciē referēte, è qua tenues & numeroſæ prodeunt fibræ: Lauanda verò, & ſocia Nardus magno exoriuntur ceſpite, ramuſculis proceris, denſiſſimiſq́ comantibus folijs. Illa folia fert ſubrubea, & flores flauo colore: hæ autem foliis conſurgunt incanis, floribus ſpicatis, & colore purpuraſcentibus. Illius caule & radicibus vtimur, quòd hiſce partibus maximè polleat: harum verò tantum flores commendantur. Quod ſatis clarè demonſtrat, quàm facilè decipiantur, qui tam leuibus & falſis feruntur opinionibus. Verùm quanquam (vt in ſuperioris Nardi mentione diximus) communi omnium ſententia compertum ſit, Lauandæ, ſpicæq́ noſtratis facultas ad omnia Nardi genera propius accedere, hoc tamen eos ab errore non vindicat, qui Lauandā Celticam nardum eſſe contēdunt.*

Seplaſiariorū quorundam error.

*Præterea non deſunt pharmacopolæ rei herbariæ penitus ignari, qui pro Celtica nardo plātam quandam incognitam emant humi repentem, caule longo reflexoq́, cuius folia, quæ colore ſubflauo conſtant, adeo denſa ac minuta ſunt, vt potius muſcoſam arborum, & lapidum materiam, quàm aliud repræſentent. At quòd in veſtiendis caulis ipſius ramuſculis, eos tam densè circundāt, vt ferè ſpicæ effigiem præ ſe ferāt, pro Celtica nardo ab impoſtoribus venditur: ſed hæc haud amareſcit, nec vlla odoris præſtantia commēdatur. Huius imaginē dabimus inferius, vbi de arboreo muſco diſſeremus. Cæterùm ingens legitimæ nardi Celticæ prouentus habetur in Stiria, Auſtriæ & Carinthiæ contermina, vbi Iudemburgenſia rura ſuis è montibus quotannis innumeros comportant faſciculos, quibus magnos admodum replent ſaccos, & mercatoribus vendunt, qui in Syriā, & Aegyptū mercimonia conuehunt. Siquidē (vt ferunt) Syris, & Aegyptiis Celtica nardus maximè expetitur, vt balneis eam imponant, quibus frequenter vtuntur. Celticam nardum ad me primùm miſit Petrus Salicetus clariſſimus Medicus ex Græzio Stiriæ oppido: in cuius plantis & ſpica in radicibus, & folia, & flores in caule (vt appicta figura demonſtrat) nullo impedimento cernebantur, adeò vt à Dioſcoridis hiſtoria nulla ex parte recederent: nec vlla tamen ſpica in eius cacumine videbatur, vti Ruellius & Braſauolus in Indica naſci ſcripſerunt. Quamobrē nobis quoq́ iam liceat literis memoriæq́ mandare Celticā nardum nō modò in Liguria, & Iſtria prouenire: ſed etiā in Stiria, Carinthia, ac etiā aliis fortaſſe locis: quippe ſuperiore anno ego huius Nardi nonnullas inueni plantas in quodam Vipaci monte, qui tantùm viginti millia paſſuū à Goritia diſtat. Verùm ſi eo deſtituantur Medici, cōmodè Indicā ſupponere poterunt.*

Leoniceni, & Fuchſij opinio improbata, qui voluerunt, Celticā nardum à Saliunca non differre.

*An verò Celtica nardus ſit Saliunca, aut nō, de qua Vergilius, & Plinius ſcripſere, etſi hæc inter ſe nullā habere cognationē pluribus comprobare poſſem: cùm tamen ea parū, vel nihil rei medicæ conferant, ſilentio inuoluenda duximus: quanquā eruditiſſimus Leonicenus non animaduertens Dioſcoridem Aliungiā, non Saliuncā, Celticā nardum appellaſſe, Pliniū accuſat, qua in re ipſe potius deceptus fuiſſe videtur: quemadmodū & Fuchſius, vir alioqui noſtræ ætatis clariſſimus. Is quidē in ſuo libro de componendis medicamentis, quē vltimo loco auctum edidit, vbi Diathamaron expēdit, Celticā nardum à Saliunca nihil differre exiſtimat. Plinius tamen locis ſeparatis de vtraque, tanquam herbis inter ſe differentibus tractauit: neq́ eæ notis tantùm diſſident apud antiquos auctores, ſed etiam natali ſolo. Dioſcoridi enim Celtica nardus in Liguriæ alpibus, atq́ in Iſtria prouenit: Plinio verò Saliunca in Pannonia, & Noricis naſcitur. Itaq́ Fuchſius vt Ruellii ſententiam ſecutus, qui Celticam nardum Dioſcoridi Saliuncam appellari affirmat, ita mihi & à veritate defeciſſe, & vnà cum illo erraſſe creditur, quandoquidem Celtica nardus Dioſcoridi ἀλιύγγια, non σαλιύγκα vocatur. Cæterùm Saliuncam Plinio aliam ab ea eſſe plantā, de qua Vergilius meminit in Bucolicis, vt Anguillarius contendit, non ita facile conſentiam, tum quòd Seruii authoritas in ſimplicium cenſura perinde ac in Grammatica mihi probanda non ſit, tum quòd nullo authorum teſtimonio*

probare

Anguillarij opinio reprobata in Saliunca, & Hirculo.

*probare nitatur Anguillarius, nil aliud Vergilio eſſe Saliuncam, quàm Anemonem, Grammatici tantum illius authoritate fretus, qui nec lactucas rectè fortaſſe nouit. Scribit quidem Seruius Saliuncam vulgo vocari Orcitunicam, cum tamen nec illam (ni fallor) nouerit vnquam. Sed qua ratione aut authoritate, Orcitunicam, de qua, nemo eſt, qui meminerit, Anemonem fecerit Anguillarius, nec ipſe dicit, nec ego coniicere poſſum, miror tamen hominem hunc rei herbariæ peritum, in re tam graui, tam leuibus, tamq́ vulgaribus niti argumentis, ſed is fortaſſe conducibilius ſibi fore putat, noui aliquid in medium afferre, quàm de his grauiori iudicio differere. Ego ſanè etſi parum in hac facultate ſum verſatus, haudquaquam tamen dixerim Anemonem, proceram ſatis plantam, vocari Vergilio humilem: nam & ipſa Vergilii comparatio, noſtræ aſtipulatur ſententiæ, quippe qui, vt Mopſum plurimum laudaret, ei tantum cedere dicit Amyntam, quantum Saliunca humillima herba, puniceis cedit roſetis, facta comparatione à pumila planta ad roſeta.*

## HIRCVLVS.



Hirculus.

*Nec præterea placet Anguillarii ipſius opinio de HIRCVLO herba, quam à Samphoritico Nardo, quod in India naſcitur, nihil differre putat. Siquidem Hirculus herba eſt, Celticæ nardo ſimilis, non quidem nardi genus, vt Samphoriticum, ita à loco in quo prouenit, denominatum, & in magnas ſe ſpicas diffundens: ſed fortaſſe, quòd hircum redoleat, hirculum id eſſe cenſet Anguillarius, cum quo Celticam Nardum adulterari ſcribit Dioſcorides. Sed non omnes herbæ, quæ hircino ſunt odore, hirculi ſunt appellandæ. Atqui ſi quis plura de Saliunca videre cupit, noſtras legat epiſtolas Ioanni Cratoni inſcriptas.*

Nardi Celticæ vires ex Galeno. Nomina.

*Meminit Celticæ nardi Galenus lib. VIII. de ſimp. med. fac. his verbis. Nardus Celtica iam dictis nardis ſimilis quadantenus in genere facultatis eſt: cæterùm ad omnia imbecillior, præterquàm ad prouocandam vrinam, ſiquidem calidior illis eſt, ſed minus adſtringit. Quæ planta Græcis Νάρδος κελτική, Latinis item Nardus Celtica, ſeu Nardum Celticum, ſeu Spica Celtica appellatur: Italis verò Nardo Celtico. Siue Spica Celtica: Germanis, Celtiſcher Nardus: Gallis, Nardus Gaulois: Bohemis, Celtitca Nardus.*

NArdus Celtica à loco fortè natali nomen habet: Celtarum autem appellatione tam Germani, (apud quos vt in Auſtria, Styria, Pannonia, Norica & alpibus Heluetiorum prouenit) quàm Galli (cuius nomine Nardus Gallica Plinio lib. & cap. 12. dicitur) vocantur. Addit Dioſcorides, & patrio nomine appellari ἀλιούγγιαν, ſic enim Marcellus, Ruellius, Matthiolus, & Cæſalpinus legunt, at Goupylius in notis σαλιούγκα legendum exiſtimat: alij γαλιούγγιαν legendum putant. Rectè videtur Saliunca legi, qua voce & Plinius (non tamen cum Vergilij Saliunca idem dicimus) loco citato, & Scribonius, cui & Nardus ſylueſtris, vſus eſt, ſic & Germani plerique eandem herbam adhuc proprio veterique nomine Seliunck, quaſi animam iuuenilem reddens, appellant, apud Galenum, Nardum Celticam interpres poſuit Gallicam. Nardus Celtica Dioſcoridis, C. B. ſic & Lac. Geſ. hort. (qui Valerianæ cognatam dicit) Cord. hiſt. & in Dioſc. (cui & Spica Romana offici.) Lob. Caſt. Lugd. Tab. Saliunca, Geſ. hort. Nardus Gallica & Saliunca Plinij, Cæſ. Nardus Alpina ſeu Celtica. Valerianæ ſylueſtris ſpecies, Cluſ. Pan. Verum notare conuenit differre eam quæ in monte Baldo creſcit, ab ea quæ in altiſſimis Valeſianorum mõtibus prouenit, quod cauliculi non ſint glabri, nec floſculi in vmbellam congeſti: huius iconem Camerarius in ſuo Matth. nomine Spicæ Celticæ faſtigiatò floſculorum ordine propoſuit. HIRCVLVS ſimilis eſt Nardo, ſed candidior, ex viridi cinereus, folio minore, odore graui, vnde nomen, radice villoſa ac nigricante, nec odorata nec amara, ſic & folia præmanſa nullum aromaticum ſaporem reddunt: ſed lenta & viſcida ſunt, cuius figuram adpoſuimus: & Hirculus, Cæſ. Cam. Tab. Hirculus veterum, Cluſ. in Garz. Lugd. & Hirculus, Nardo Celticæ ſimilis herbula, Aduerſ. & Lob. dicitur.

## Νάρδος ὀρεινή NARDVS MONTANA. CAP. VIII.

Oribaſius non legit concluſa.

MOntanum Nardum (quod ab aliquibus thylacitis, & niris appellatur) in Cilicia, & Syria naſcitur: Embitar legit πλαδὸς, caule & folijs eryngio ſimilibus, minoribus, minimè tamen ſpinoſis, aſperiſque. Radicibus binis nititur, aut pluribus, nigris, odoratis, ceu haſtulæ regiæ, ſed longè gracilioribus, † & longè minoribus. † Neque caulem, neque fructum, neque florem profert. Ad eadem, ad quæ Celticum efficax.

Nardi montanæ conſideratio.

*VIdetur in hoc capite Dioſcorides non parum à ſe ipſo diſſentire, quòd ſcripſerit primùm montanam Nardum caule, & foliis eſſe eryngio ſimilibus: mox prope capitis calcem eam ſcribat neque caulem, neque fructum, neque florem proferre. Quapropter exiſtimant tum Ruellius, tum etiam Marcellus id facilè accidiſſe ſcriptorum incuria, qui vocum vicinitate decepti καυλοὺς pro κλάδοις, vel κλῶνας ſcripſerunt. Verùm cùm hæ dictiones ramos, vel ſurculos deſignent, quæ nomina potius arboribus conueniunt quàm herbis, ſintq́ idem rami in arboribus, quod caules in herbis: idcirco non videtur hic locus, vt illi fortaſſe putant, à mendis vindicatus. Cæterum non crediderim ego, Dioſcoridem, qui eſt hac in facultate facilè princeps, & quem antiqua, & ſecuta ætas tantopere commendat, in tam paucis ſui oblitum, adeoque turpiter lapſum fuiſſe: quinimmo nobis relinquitur ſuſpicio, quòd omnino in altera capitis parte vitium aliquod acceſſerit, non harum vocum vicinitate, ſed potius ſcriptorum dormitantium negligentia, vel vigilantium temeritate. Quo factum eſt, vt hactenus incertus dubiusq́ fuerim, an hæc planta in Italia proueniat, vel aliunde eò afferatur.*

Nardi

I. NARDVS MONTANA. II. NARDVS MONTANA altera.





*Nardi montanæ imaginem, quam hic excudi curauimus, miſit ad me Clariſ. Medicus, & rei plantariæ indagator maximus Vlyſſes Aldrouandus Bononienſis, quæ [folia habet maioris Phu, ſed minora, caulem ſpithamæ longitudine, vmbellam puniceo colore: radices duas Antoræ, aut teſticuli modo ſubnigricantes ac fibratas, odore Phu, aut Aſari,] etſi folia Eryngii non habeat, cum tamen cætera correſpōdeant, & in hoc capite plures habeantur mendæ, haudquaquam abducar quin credam montanam hanc eſſe Nardum, præſertim cum radices perquàm bellè correſpondeant, tum facie, tum odoris fragrantia, quæ à cæteris nardi generibus nō diſſentit. Braſauolus Ferrarienſis. Indicæ nardi vice montanæ plurimum ad nos afferri è Cilicia ſcribit, eamq́; propriè montanam exiſtimat, cuius paſſim in officinis eſt vſus. Sed* Braſauolus arguitur. *qua ratione ductus nouam hanc protulerit opinionem, ipſe certè neſcio: Nardus enim montana radices habet aſphodelo ſimiles, non vtique ſpicatas, leues, comoſas, quemadmodum ea, qua vtimur ex India aduecta: niſi fortaſſe Braſauolus voluerit Indicam nardum ideo montanam appellare, quod in montibus oriatur, ita quidem eius ſententiam veram eſſe putarem, non tamen à rei herbariæ peritis acceptam iri. Nardi montanæ vires ſcripſit Galen. lib. 8. ſimpl. med. ſic inquiens. Nardus Montana, quæ & thylacitis, & pyritis nuncupatur, plurima in Cilicia naſcitur, ſed prædictis debilior* Nardi mont. vires ex Gal. *eſt. Νάρδος ὀρεινή Græcis, Nardus montana, ſiue Nardum montanum Latinis: Nardo montano Italis nominatur.* Nomina.

† *In Oribaſio, qui ſimplicium deſcriptiones Dioſcoridi acceptas refert, legitur λευκότεραι, hoc eſt, candidiores, quod Nardus montana conſtet radicibus aſphodelo non ſolum minorib. & gracilioribus, ſed etiam candidioribus.*

† *Nulla quidem diſſimulandā eſt ratio, qua probatiſſimi quique ſcriptores veteres à mendis, quæ eorum ſcripta temporum iniuria, & multorum imperitia contraxerunt, vindicari poſſint. In hoc capite Dioſcoridem deprauatum eſſe, ita vt etiam à ſeipſo diſſideat, manifeſtum eſt: in qua autem parte vitium lateat, quodque illud ſit, dubiæ feruntur opiniones. Verùm etſi nos quoque eius rei incertos eſſe antea ſcripſimus, nunc tamen inclinat animus, vt in hoc loco mendum ſubeſſe, illudq́; ex malo vnius vocis Græcæ intellectu ortum eſſe arbitremur. Siquidem verbum φέρει non pro fert, ſed pro συμφέρει, id eſt confert, accipiendum fuit. Itaque non οὔτε δὲ καυλὸν, οὔτε καρπὸν, οὔτε ἄνθον φέρει, vt vulgati codices habent, & legerunt interpretes, ſed, οὔτε δὲ καυλὸς, οὔτε καρπὸς, οὔτε ἄνθος συμφέρει, hoc eſt: Neque caulis, neque fructus, neque flos confert, prodeſt ve, legendum eſſe iudicamus. Etenim radicis, vtpote odoratæ, vſus præcipuè commendatur, non aliarum partium, quæ vt odore carent, ita etiam inutiles habendæ ſunt. Et certè facilis potuit eſſe error librarii Græci imperiti, vel potius temerarii, caſus nominum mutantis ad ineptā ac incongruam huic loco verbi illius ſignificationem. Subſcribunt huic noſtræ caſtigationi cùm alii rei herbariæ ſtudioſi, tum Gabriel Falloppius Mutinenſis, vir & ingenio & doctrina celebris, tum etiam Ioannes Odoricus Melchiorius Tridentinus, medicus non vulgaris eruditionis.*

Nardus montana radice oliuari C.B. Theophraſtus Nerum appellat inter odorata, quibus ad vnguenta vtitur: dicitur & θυλακῖτις Dioſcoridi, quoniam olim ex Cilicia coriaceis ſacculis, quos θυλάκια vocāt, ad exteros ferebatur, partim ad medicum vſum, partim vt ignibus propter odorem in ſacrificiis inücerctur, vnde & Pyrites vocatur. Hæc illa eſt Spica (licet aliqui Crocum eſſe velint) cuius Ouidius in Faſtis meminit. Et ſonat accenſo Spica Cyliſſa foco. Dicitur Nardus montana Anguil. Adu. Lob. Cāhor. Lugd. Tab. Cæſ. Huius duæ ſunt ſpecies radice potiſſimùm differentes: altera radice eſt oliuari orchidis inſtar, non tantum gemina, ſed pluribus: altera radice eſt oblonga, cuius iconem Nardi montanæ longius radicatæ nomine ex D. Camerarii Matthiolo proponimus.

A'capit

## ASARVM. CAP. IX.

Ἄσαρον.

† Addit Catac. βοτάνη εὐώδης στεφανωματική. i. herba odorata coronaria. Meum vero habet οὐδ' ἐ ναρδὸν ἀγρίαν καλοῦσι πόα εὐώδης στεφανωματική.

ASarum † ( quod & ipſum aliqui ſylueſtre nardum appellant) hederæ foliis † minoribus multó, rotundioribuſque a floribus cytino hyoſcyami ſimilibus, purpureis, inter folia proximè radicem emicantibus, b odoratis: in quibus c ſemen acinoſum. † Cauliculos habet anguloſos, aſperos, & molles: radices numeroſas, geniculatas, tenues, obliquas, gramini non diſſimiles, d longè tamen graciliores, odoratas, excalfacientes, & quæ linguam vehementer mordent. e Excalfactoriam vim habet: vrinam cit: hydropicis, & vetuſto coxendicum dolori f prodeſt. g Radices ſenis drachmis ex aqua mulſa potæ, menſes trahunt: & veratri albi modo purgant. In vnguenta additur. Vmbroſis montibus prouenit: ſed plurimum in Ponto, Phrygia, Illyrico, & Italiæ Iuſtinienſi agro.

Concluſa non legit Oribaſius. † Antiquum exemp. leg. πυκνότερα i. denſiora. Ruellius autem videtur legiſſe μικρότερα. a Meum exemp. leg. ἄνθος μεταξὺ τῶν φύλλων πρὸς τῇ ῥίζῃ κυανοῦν, ὑοσκυάμῳ κυτίνῳ ἐμφερές i. flos inter folia ad radicem cyaneus, cytinum hyoſcyami referens b. Catac. addit λεπτὰ i. leuiter. c Meum exemp. ὅμοιος γιγάρτῳ i. ſimile vinaceis. d Meum exēp. πολλῷ Catac. verò πολλαί. e Exemplaria omnia ad radices hæc tantum referunt. f. Meũ exemp. habet καὶ βηχί. i. tuſſi. g. Iſta dicuntur continua oratione cum aliis.

### I. ASARVM.



Aſarum & Bacchar differunt.

*NVllam noſtris temporibus officinæ ponunt differentiam inter Aſarum & Baccharem: quinimò vno ore ferè omnes Aſarum Baccharam appellãt, adeò vt & nomina hæc corrumpant, & res ipſas confundant. At quantum notis, & viribus inter ſe differant, is rectè iudicet, qui harum ſtirpium hiſtorias accuratius perpenderit: differunt enim inter ſe admodum Aſarum & Baccharis, vt diffuſius libro tertio diſſeremus. Aſarum itaque procul dubio illa fuerit planta, quæ vulgò Bacchara falsò appellatur, cùm nullis ab hiſtoria diſſideat notis.*

Plinii tutela aduerſus Braſauolum.

*Cæterùm Braſauolus immeritò in Plinium ſpiculum contorſit, cùm dicat ipſum eo etiam in errore verſari, vt Aſarum Baccharem eſſe exiſtimauerit. Sed profectò neſciuerim ego, qua ratione illud Braſauolus in Plinium ſcripſerit: quippe qui libro 21. cap. 6. eos acerrimè arguat, qui Baccharem, & ſylueſtrem nardum idem eſſe contendunt, his verbis: Sed eorum quoq; error corrigendus eſt, qui Bacchar ruſticum nardum appellauere: eſt enim alia herba ſic cognominata, quam Græci Aſaron vocant, cuius ſpeciem, figuramq; diximus in nardi generibus: hæc Plinius. Quibus palàm eſt, Plinium ſeipſum à Braſauolo defendiſſe. Porrò ſi etiam Plinii ætate nõ deerant, qui Aſaron Baccharem vocitarent, non mirum fuerit, ſi in hunc vſque diem protracta hæc ſit appellatio. In qua fortaſſe perſeuerantes veterum nonnulli, Dioſcoridis Aſaro eas ferè omnes facultates reddidere, præter auctoris mentem, quas ipſe libro tertio Bacchari adſcripſit: quod facilius ad credendum vulgus allexit, Aſarum & Baccharem nomine tantum differre. Verùm cùm recẽtiorum quorundam diligentia ac doctrina id totũ Dioſcoridi additum deprehenſum ſit, eo quòd diuerſis tum libris, tum capitibus ipſe de his diſſeruerit, cùmq; Oribaſium, & Serapionem viderint de Aſaro ex Dioſcoride ſcribentes, adulterinam hanc lectionem non admittere, id totum, quod eò acceſſerat præter auctoris ſententiam, tanquam illegitimum abdicarunt.*

Aſari vires ex Meſue.

*Aſari vires ſcripſit Meſues inter deiectoria medicamenta, vbi ſic habet: Excalfacit aſarum ordine ſecundo, & ſiccat tertio. Attenuat, reſerat, reſoluit & prouocat, adſtrictione tamen non vacat. Bibitum non modò vomitiones ciet, ſed & per aluum ducit, & per vrinam, pituitã, & bilem deiicit. Roboratur tamen admiſſo caprino ſero, aut nardo, aut hydromelite. At manifeſtius pituitam, quàm bilem educit, quo fit, vt coxendicũ cæterarumq; compaginum dolore vexatis non obſcurè opituletur: præſertim ſi ſero maceretur, vel decoquatur. Facit mirum in modum ad iocinoris & lienis infarctus, ſcirrhoſoſq; tumores. Quamobrẽ ſubeuntibus cutem aquis felliſq; ſuffuſionibus, datur maximo iuuamento vino maceratum. Confert idem diuturnis febribus, iiſq; præſertim, quæ ex contumaci infarctu proueniunt.*

Oleum Aſari.

*Oleum macerationis ipſius admiſſo ladano, dorſi ſphondylis inunctum ſudorem commouet: leuiter tamen coqui debet, nam ſi diu ferueat, vim ferè omnem deperdit, neque etiam diuturna indiget contritione: diutius enim contritum facilius vomitiones, quàm aluum ciet: hæc Meſues. A quo edocti fortaſſe, in Germania ruſtici tertianam febrem, & quartanam curant, epoto Aſari, ex vino, decocto, Melle Maci, cinnamomo, & id genus aromatibus additis. Bibunt enim huius decocti calidi cyathum vnum, alii quotidie, alii alternis diebus, itaque aluum ſubducunt: & quandoque bilem, aut pituitam vomitionibus reddunt. Accedente autem paroxyſmo, dorſalem ſpinam, & plantas pedum inungunt oleo calido, in quo Aſarum diu fuerit inſolatum, & deinde in lecto ſe componunt calido: ſic enim horror minuitur, & ſudor copioſus funditur. Eſt & planta in montibus, naſcens in Bohemia.*

cuius

## II. ASARINA.



*cuius hic imaginem damus, quam* ASARINAM *vocare libuit, quòd Aſaro congener videatur. Repit hæc humi folio Aſaro rotundiore, ac ſcabriore, leuiter circumſerrato, cauliculis piloſis, floribus melinis anthemidis modo, ſed longe minoribus, haud inodoris. Radices habet tenues, longaſq; ſumma tellure repentes, acuto guſtu, quadam cum leuiuſcula amaritudine, id quod calidum, ſiccumq; temperamentum indicat. Vim habet abſtergendi modicam, ſed attenuandi, incidendi, aperiendiq; magis præſtantem. Herba ipſa cum radicibus pota drachmæ pondere ex mulſa ſiue oxymelite, aluum exoluit, ducitq; craſſam pituitam & atros humores. Ideoq; hanc noui quidam herbarij præferunt ad Morbi Gallici dolores, & articularios morbos. Datur quoq; vtiliter hydropicis, & morbo regio laborantibus. Sunt qui ad comitiales, & reſolutos eam propinandam conſulant, nempe aut herbam per ſeſe, aut eius decoctum. Cit vrinam, & menſes: & vermes inteſtinorum necat. Legitur Autumno, & ſiccatur in vmbra, vnà cum radicibus. Aſari meminit Galenus lib.* VI. *ſimp. med. ſic inquiens. Aſari radices vtiles ſunt, facultate ſimiles radicibus acori, intenſiores tamen: itaq; ex ijs, quæ de illis prodita ſunt, hic facienda coniectura: hactenus Galenus. A cuius ſententia (ſit tamen cum venia dictum) maximè diſſentio, ſiquidem cùm nulla in acoro deiectoria ſit facultas, & Aſarum, vt Dioſcorides inquit, Meſues fatetur, & nobis experimento compertum eſt, veratri modo expurget, & bilem, pituitamq; & ſupernè, & infernè propellat, non video ſanè, cur acoro in omnibus ſuis facultatibus tam facilè comparari poßit. Planta Græcis* ἄσαρον *ac etiam* νάρδος ἀγρία *vocata: Latinis Aſarum, & Nardum ſylueſtre appellatur: Arabibus, Aſaron: Italis Aſaro, & Bacchara: Germanis* Haſelwurtz*: Hiſpanis, Aſara bacchara: Gallis, Cabaret: Bohemis, ac pariter Polonis, Kopytnick. Aſarina, Græcis, Ἀσάρινη: Italis, Aſarina.*

Aſarinæ conſideratio.

Aſari vires ex Galeno.

Nomina.

† *Hæc verba vt in Ruellio inuenimus, ita reliquimus. Sed admonendum eſſe lectorem duximus, ea non legi in Græcis noſtris codicibus, neque à Serapione referri: quod argumento eſt illa Dioſcoridi accreuiſſe. Suſpicionem augere, vel potius ita eſſe confirmare poteſt Oribaſius, qui Dioſcoridem tranſcripſit, & hæc verba non habet. Sunt tamen Græcè ſic ſcripta:* ἔχον καυλία γωνιοειδῆ, ὑποτραχέα, ἀραιά. *Id eſt: Habens cauliculos anguloſos, ſubaſperos, raros.*

ASarum quoniam in coronas non addatur Plinio lib. 21. cap. 6. & Nardus ſylueſtris, quòd Nardi vim, eodem auctore, habeat: vel quòd odore nardum æmuletur: nullam enim cum Nardo formam communem habet. Dicitur herbarijs Aſarum, Brunſ. Trag. Lac. (cui & Aſara Baccara) Fuch. Cord. hiſt. Geſn. hiſt. Lob. ob. Loni. Lugd. Tab. Dodo. fol. & gal. cui & Perpenſa & Vulgago. Aſarum Nardus Sylueſt. Cord. in Dioſ. Aſarum Nardus ruſtica, Caſtori. Aſarum Baccaris ſiue baccarus, Lob. icon. Aſarum, Bacchara vulgo, Cæſalpino. II. Aſarina folijs Aſari C. B. ad differentiam Aſarinæ Lobelij, quæ folijs eſt hederæ terreſtris, quam Hederam ſaxatilem vocamus: Aſarina, Matthioli, Caſtori, Lugd. & Taber.

## φοῦ. PHV. CAP. X.

PHV, quod & aliqui ſylueſtrem nardum appellant, naſcitur in Ponto, folio oluſatri, aut elaphoboſci: caule cubitali, aut altiore, læui, a cauo, molli, in purpuram vergente, geniculis intercepto: floribus narciſſo proximis, maioribus, b tenerioribus, & ex albicante purpureis: radice ſuperius ad digiti minoris craſſitudinem, ex obliquo c villoſa in nigri veratri, aut iunci d odorati modum: capillamentis inuicem contextis, flaueſcentibus, odoratis, cum quadam odoris grauitate nardum æmulantibus. Excalfacit: vrinam mouet, ſi ſicca potui detur. Decoctum eadem præſtare poteſt, ad lateris etiam dolorem efficax: menſes cit: antidotis inſeritur. Adulteratur radice ruſci admiſta: ſed maleficium deprehenditur, quoniam hæc dura eſt, & frangenti contumax, ſine vlla odoris gratia.

a Meum μεσοκοιλῶ. i. in medio concauum.
b Oribaſius non legit, nec vllum exemi.
c Oribaſius non legit villoſa, ſed ὑπόρριζια ἔχει. i. ſubagnatas radiculas habet.
d Omnia exemp. σχοίνος tantum habent.

PHV *trium habetur generum. Maius, minus, & exiguum. Maius folio eſt Scabioſæ, maiori tamen, nec tot ſectionibus diuiſo, caule cubitali aut altiore, læui, cauo, molli, in purpuram vergente, geniculis intercepto, in cuius ſummitate florida extat vmbella, floſculis in purpuram albicantibus. Radicem habet minimi digiti craßitudine, agnatis ex obliquo multis prodeuntibus Iridis, Acoriue modo, capillamentiſq; inuicem contextis, flaueſcentibus, odoratis, quadam cum odoris grauitate Nardum æmulantibus. Naſcitur in montibus, vliginoſo ſolo: ac etiam in campeſtribus, vnde hoc tempore in hortos & viridaria transfertur. Minus, omnibus cognitum, folijs eſt Fraxini vel Sorbi, lænibus, nigricantibus, humi accubantibus: caulem, ſed longiorem, & vmbellam gerit, vt maius, ſed magis habetur exiguum in omnibus ſuis partibus: radices habet numeroſas, albicantes, inuicem complicatas, Succiſæ vocatæ æmulas, odore*

Phu maius & eius hiſtoria.

Phu minus.

I. PHV MAGNVM.



II. PHV PARVVM.



*cum quadam grauitate iucundo, Nardi modo. Naſcitur humecto ſolo.*

**Phu exiguũ.** *Exiguum, folio eſt maioris effigie, ſed admodum paruo, caule anguloſo, dodrantali, foliis vtrinque per intervalla emergentibus, in cuius ſummitate vmbella exit exigua, colore, vt in aliis generibus dictum eſt, ſubpurpureo: radix illi parua, prælonga tamen, albicans, è qua numeroſa oriuntur capillamenta iucundi odoris. Naſcitur in montibus, aquoſo ſolo, & in pratis paluſtribus. Hanc non deſunt qui putent Nardum eſſe montanam, ſed decipiuntur. Leguntur in autumno omnium radices. Cæterùm non poſſum non fateri, eos omnes bene ſentire, qui maiorem Valerianam ſic vocatam legitimum eſſe Phu aſſerunt: quippe radices primùm forma, odore, colore, ac cæteris in vniuerſum notis ab ijs, quæ ſibi Phu ipſum adſciſcit, haudquaquam recedunt. Indicant idem & folia, & caules: illa enim oluſatro non ſunt diſsimilia: hi verò adoleſcunt cubitali menſura proceriores, leues, inanes, molles, geniculati, & in purpuram vergentes. Flores tamen obſtare videtur, qui in Phu lilij, vel narciſsi effigiem præ ſe ferunt, non autem vmbellæ, vel muſcarij ſpeciem, vt in maiori Valeriana viſuntur: quanquam floſculi per ſe omnes, qui vmbellam conficiunt, forma narciſsinos referant, in purpuram albicantes. Quo fit, vt cum Ruellio exiſtimandum putauerim, hæc de floribus verba eſſe à ſcriptoribus in Dioſcoride deprauata. Namque videtur noſtras Valeriana, omnibus tum notis, tum qualitatibus adeò cum Phu conuenire, vt reuera dici poſsit, non aliud, quàm ipſum Phu ad vnguem referre. Etſi non deſint (vt audio) qui profiteantur Phu alterum à Valeriana ſe inueniſſe, quod floribus*

**Phu vires Matthiolo.** *narciſsi proueniat: at quia id pro certo compertum non habeo, & quia non deſunt, qui talia fabulentur, non eſt, quid hac in re certi affirmare poſsim. Phu minus, excalfacit & ſiccat valentius quàm maius. Radix viribus omnibus prædita eſt, quibus & maior, guſtu tamen acrior eſt: quo fit, vt maiori aperiendi, attenuandiq; ſit facultate. Nam & veneris magis reſiſtit.* ~~*Peculiariter autem valent eius radices ad teſtium tumores à frigiditate, aut flatu genitos, ſi in vino decoquantur, & vapore fumi ſuffiantur teſtes.*~~ *Phu minoris radicibus mirum in modum delectantur cati, adeò, vt è longinquo iis olfactis, adueniant, atque inuentas deuorent, continuò dum eos erodunt, atque delingunt, præ ſolatio murmurantes, tanta eſt huius plantæ cum catis ſympathia. Omnia genera odore commendantur: proinde eas veſtibus quidam interponunt. Præſtat Phu [Antidotis miſcetur] ad venenoſorum ictus, ex vino potum, & aduerſus peſtilentiam non modo hauſtum, ſed etiam olfactum: valet ad ſtranguriam eius decoctum potum. Datur quoque vtiliter anheloſis, & tuſsientibus, præſertim ſi coquatur cum dulci radice, vuis paſsis, & ſemine aniſi. Deuorata radix flatus pellit. Tota planta*

**Phu vires ex Galeno.** *virens vnà cum radicibus contuſa, & capiti dolenti illita, dolores, & punctiones mulcet. Facit & ad oculorum vitia, & claritatem adiuuat vbi albo vino decoquatur, & deinde vinum in oculum guttatim inſtilletur: additur in potionibus vulnerum intrinſecorum magno iuuamento. Phu minimum excalfacit & ſiccat, ſed cæteris minus. Vires ſunt illi, quæ cæteris eadem, ſed longè imbecilliores. Phu (vt ſcriptum reliquit Gal. lib. VIII. ſimp. med.) odoratum quodammodo eſt. Huius herbæ radix nardo viribus ſimilis, ſed tamen ad pleraque infirmior. Vrinam plus mouet quàm*

**Carpeſium. Carpeſij conſideratio.** *aut Indica, aut Syriaca Nardus: ſimiliter autem vt Celtica. Simile Phu aſſerit ipſe Gal. eſſe Carpeſium, cuius cùm nullibi meminerit Dioſcorides, vt rectè ſciri poſsit quidnam ſenioribus Græcis fuerit. Carpeſium, in primis Galeni teſtimonio eius vires & formã deſcribã: is enim lib 7. ſimp. med. ſic habet. Carpeſiũ ſimile eſt vocato Phu, nõ guſtu tantũ ſed & facultate: ſed plus habet tenuitatis, proinde magis eo et viſcerũ obſtructiones extergit, & vrinã mouet, reneſq; calculis degrauatos expurgat. Non tamen eatenus tenuium eſt partium, vt liceat loco cinnamomi vſurpare, ſicuti faciebat*

*Quintus*

## III. PHV MINIMVM.



*Quintus. Præſtantius eſt Carpeſium Ponticum Laërtio: nõ tamen vel ipſum cinnamomi viribus vicinum eſt, immò non paruo deterius optima caßia. Nuncupatur vtrunque à montibus quibuſdam Pamphiliæ, in quibus naſcitur: ingensq; eius prouentus eſt in Syria. Et primo libro de antidotis inquit. Quintus (vt aiunt) quoties cinnamomum deerat, Carpeſium, vt quod viribus nihil ab optima caßia differret, in theriacæ compoſitione imponebat. Ego idcirco eius plurimum mecum attuli ex ea peregrinatione, qua orientis prouincias adij, diligenterq; repoſitum nunc vſque multum ſeruo, quod odorem etiamnum & ſaporem, ſi non qualem prius habebat, certè nondum exoletum retinet. Eſt autem Carpeſium herba phu appellato genere ſimilis, valentior tamen, atque odoratum quiddam ſpirans. Plurimum hoc in Sida Pamphiliæ naſcitur, emiturq; propterea illic viliſsimo pretio: quocirca ſi quis veſtrûm illuc acceſſerit, Carpeſij plurimum emat, cùm id ſibi longo tempore duraturum nouerit. Tenuia autem ſunt ſarmenta, cinnamomi virgultis ſimilia. Eius duo reperiuntur genera, vnũ quod Laërtium: alterum, quod Ponticum cognominatur, à monte, in quo naſcuntur, vtraque nomen adepta, ſed Ponticum melius eſt. Quod cùm eius non paruum haberem, permultis medicamentis admiſcui, in quibus phu vocata imponi debuerat. Eſt enim Carpeſium phu ſimile, valentius tamen, & in quo (vt dixi) nonnihil odoratæ qualitatis guſtu odoratuq; ſentitur: hactenus Galenus. Verùm quid hac tempeſtate ſit Carpeſium, arduum ſanè fuerit explicare & mihi, & cæteris materiæ Medicæ ſcriptoribus: tametſi Hermolaus, Ruellius, Fuchſius, ac etiam Monachi Meſuem exponentes pro certo exploratum habeant, Auicennæ, Serapionis, & Actuarij auctoritatibus innixi, fructus piperi ſimiles, qui vulgo Cubebæ vocantur, legitimum eſſe carpeſium. Siquidem Serapio, quod Galeno carpeſium vocatur, ſub cubebæ nomine ipſius Galeni teſtimonio, ſic deſcribit. Cubebe eſt medicina facultate, & ſapore Phu non abſimilis, quamuis longè tenuior: quare obſtructiones totius corporis aperit, vrinam ciet, & calculos renum pellit. In hac ferè ſententia verſatur & Auicenna cubebas carpeſium appellans. quemadmodum & Actuarius, qui Mauritanorum nomina ſecutus, in quibuſdam medicamentis Carpeſium imponit, quod à barbaris κομβέβας vocari ait. Quibus auctoritatibus luce clarius patet, quòd Galeni carpeſium, & Arabum cubeba nulla ex parte differant. Veruntamen illud animaduertendum eſt, quòd eos in errore verſari exiſtimem, qui credunt (vt Hermolaus, Ruellius, & Fuchſius) vulgares ſeplaſiariorum Cubebas illas referre, de quibus ſcripſere Serapio, Auicenna, & Actuarius: quandoquidem qui dixerit Cubebas plantæ fructum, vel ſemen eſſe, eorum reperio neminem: nec minus probari poſſe putem, id vſquam dixiſſe Galenum, qui carpeſium deſcribit his verbis.* λεπτὰ δ᾽ ἐςὶ τὰ κάρφη, παραπλήσια τοῖς ἀκρέμοσι τῦ κιναμώμυ. *hoc eſt. Sunt autem tenuia ſarmenta, cinnamomi virgultis ſimilia: ipſumq; Phu & odore, & facultatibus adſimilat. Quapropter cùm tantùm Phu radices in vſum medicum veniant, facilè dici poteſt, carpeſium Galeno potius radicum eſſe ſarmenta, quàm caulium: & præcipuè cùm aſſerat diu aſſeruari poſſe, quandoquidem ſolidiores ſunt radices, quàm caules, qui facilè in omni herbarum genere flacceſcunt, & pereunt. Præterea cùm Galenus aliàs cinnamomi virgulta ellebori radicibus comparauerit, hic mirum videri non debet, quod idem contra ſarmentoſas carpeſii radices cinnamomi virgultis ſimiles fecerit: Adde etiam, quòd in plantis non ſolùm caules ſarmentoſi, verum etiam radices plures ſarmentoſæ Dioſcoridi appellantur. Quo fit, vt crediderim Fuchſium in ſuis Paradoxis immeritò impugnaſſe Leonicenum. Ad hæc guſtantibus nobis vulgares officinarum Cubebas, nullum prorſus Phu ſaporem deprehendimus: quod manifeſtè indicat vulgares cubebas, nec Arabum cubebas eſſe, nec Galeni carpeſium. Ob id igitur, vbi & apud Græcos carpeſium medicamentis admiſtum reperitur, & cubeba apud Mauritanos, phu eorum vice, cùm ſit carpeſio in omnibus perſimile, vel caßia, potius quàm cubebæ vulgaris vſus, erunt ſubiicienda. Iacobus Syluius inter recentiores apprimè doctus, quanquam nouit cubebas noſtrates carpeſium non eſſe, non tamen animaduertit, nec etiam Serapionis, aliorumq; Arabum eſſe cubebas. Aberrauit in cubebarum hiſtoria etiam Serapio, quippe quicquid Dioſcorides de ruſco ſcriptum reliquit, is cubebis perperam reddidit. Cuius autem ſtirpis fructus vulgares* CVBEBAE *ſint, quid affirmare poßim non habeo, cùm ex orientali plaga nobis peregrinæ afferantur. Etſi eas dixerim odoratas eſſe baccas, racematim cohærentes, corymborum hederæ modo, qui guſtui præter odoris gratiam, acrimoniam & amaroris tantillum relinquunt. Quibus conſtat, quòd excalfacere valeant tertij ordinis initio, & ſiccent in fine eius: quamobrem languentem ex pituita ventriculum, vel etiam ex flatu roborant: pectus à lentis craßisq; humoribus expurgant. Lienem iuuant, flatus diſcutiunt, & frigidis vteri affectibus auxiliantur: diu cum maſtiche manſa, pituitam à capite trahunt, & cerebrum roborant.*

Quorundam doctorum virorum opinio reprobata, qui Carpeſium, Cubebas eſſe ſtatuunt.

Cubebæ Arabum ab offic. differunt.

Leonicenus à Fuchſij calumnia defenditur.

Syluij error.

Serapionis error.

Cubebarum vulgarium conſideratio.

## VII. CVBEBAE VVLgares.



*Quod φοῦ Græcis omnibus, aliquibus etiam ἀγρία νάρδος dicitur: Latinis, Phu, & ſyluestris Nardus: Arabibus, Fu: Italis, Valeriana: Germanis,* Baldrian: *Hiſpanis, herua benedicta: Gallis, Valeriene: Bohemis Koſslyk: Polonis, Koſslek. Phu minus, Græcè φοῦ μικρόν: Italis, Valeriana minore: Germanis* gemein Baldrian: *Gallis, Valeriene des prez: Bohemis kopitnik. Phu minimum, ſiue Valeriana montana: Italis, Valeriana minima: Germanis,* klein Baldrian.

VALERIANA Nardus quoque ſylueſtris dicitur, partim ob radices, quæ cum quadam odoris grauitate nardum æmulantur; partim ob vires Nardo (auctoribus Galeno & Aegineta) ſimiles. Dioſcorides videtur vna deſcriptione duo genera propoſuiſſe: folia namque oluſatri & radicis forma, hortenſi: at folia Elaphoboſci & floris color ſylueſtri maiori conueniunt. Duodecim autem ſpecies in noſtro Phytopinace recenſuimus, Matthiolus veró trium tantúm meminit, de quibus hoc loco: cui & rubram, cum in D. Camerarij editione habeatur, adijciemus: & purpuream peregrinam.

I. Valeriana hortenſis C.B. Valeriana vera ſeu Nardus agreſtis, Trag. Phu magnum. Fuch. fol. Lon. Lugd. Phu verum, Fuch. icon. Cord. in Dioſ. Taber. fol. Phu maius. Cord. hiſt. Caſt. Phu hortenſe. Geſ. hor. Valeriana hortenſis, domeſtica, genicularis, herba Benedicta, Dodo. gal. & fol. Valeriana maior, Lob. Cam. hor. Valeriana optima & Carpeſium Galeni. Cæſ. Phu ponticum & Valeriana pontica, Tab. in iconibus. II. Valeriana ſylueſtris maior, C.B. Phu Dioſcoridis, Brun. 4. & Fabio Columnæ Valeriana vulgaris, vel ſecunda, & Serpyllum maius, Trago. Phu Germanicum, Fuch. fol. Phu vulgare, Fuch. icon. Valeriana ſyl. maior, Dod. gal. Lug. Thal. Tab. fol. Phu paruum, Lac. Phu minus, Matth. 4. Caſt. Phu maius commune, Geſn. hor. Valeriana vulgaris, Cor. in Dioſ. Lon. Valeriana ſyl. Lob. Dod. Cam. hor. cui & Valeriana paluſtris maior. Valeriana altera, Cæſ. Valeriana maior & herba benedicta, Tab. icon. Variat hæc foliis, quæ aliquando vulgari decuplo maiora ſunt: aliquando minora & cinerea in ſyluis cæduis, quam Tragus tertiam fecit. III. Valeriana ſylueſtris minor. C.B. & Lugd. Valeriana exigua vel quarta, Trag. Phu paruum, Dod. gal. Phu minus. Geſn. hort. Lon. Tab. Phu minimum, Caſt. Lugd. Matth. 4. cui & Valeriana montana. Valeriana minor ſylueſtris, Lob. Valeriana ſylueſtris, ſiue paluſtris minor, Cam. hort. Valeriana minor ſeu paluſtris, Thalyo. Valeriana minima, Dodo. Duũ eſt generum, altera minore, altera maiore eſt flore. IV. Valeriana rubra dicta. Ex radice candida odorata, mediocriter craſſa longaque caules aliquot duorum dodrantum aut longiores rotundi læues geniculati exurgunt, quos folia viridia, lata, oblonga in acutum deſinentia cingunt, in caulium faſtigiis flores copioſi, oblongi, eleganti purpura rubentes, caudati, quaſi racemati diſponuntur: quibus ſemina oblonga, plumoſa, ſuccedunt. AEſtiuis menſibus floret. In ruderibus Piſanis ſpontè, apud Germanos in hortis prouenit. Radix, cum odorata & dulcis ſit cum leuicula amaritudine & aliqua acrimonia, calida in ſecundo, ſicca in primo compluribus cenſetur.

**IV. Valeriana Rubra dicta.**



**V. Valeriana Peregrina Purpurea.**



Huius

Huius habetur & altera ſpecies oblongo & anguſto folio. Sunt qui Narciſſum Virgilij & Columellæ in hortis cenſeant: alij Condurdum Plinij lib. 26. cap. 5. alij Struthij, alij Behen rubri: alij Polemonij ſpeciem: alij denique Limonium. Polemonij altera ſpecies, Dod. gal. Limonium Monſpellienſium, Polemonium alterum & Polemonij genus Fontanoni, Geſ. hor. & app. Ocymaſtrum Valerianthon, Behen rubrū Belgarum, Saponaria altera & Struthion Aldroandi, Lob. Valeriana rubra, Dod. Taber. Cam. hor. Phu peregrinum Pariſienſibus, Phu latifolium, Cam. 4. Polemonij ſpecies, Dod. Lugd. Valeriana inodora tertia, Centaurea media quibuſdam, Cæſalpino. V. Valeriana PEREGRINA purpurea. Ex radice parua, fibroſa, albicante, caulis prodit pedalis, viridis, rotundus, canus, ſtriatus, quem folia pallidè virentia, pauca, oblonga, Nardi montanæ ſimilia, integra, ſine pediculis cingunt: quorum tamē ſuperiora ad exortum in crenas diuiduntur. Caulis in ramos brachiatur, qui quaſi vmbellam (cui duo folia ſubijciuntur) floribus elegantiſſimis purpureis oblongis refertam, ſuſtinet: quibus ſuccedunt vaſcula oblonga calyces referentia, in quibus ſemen, altero tamen vaſculo incluſum, continetur. Spontè in Latio prouenit, in loco quodam Siculo dicto (vnde Valeriana Sicula) vt & in Sabinis: vbi & flore albo reperiri aiunt: nunc in hortis Italiæ habetur, & in horto Illuſtriſſimi Principis D. Friderici Ducis Wirtenbergici, & Teccij, Comitis Montiſbelgard. Domini mei clementiſſimi, quem Ioh. Bauhinus, eius Celſitudinis Archiater, frater chariſſ. Montembelgardi colit, nomine Nardi Creticæ cultam legimus. A forma Valerianam peregrinam purpuream nominamus, licet Nobiliſſ. Cortuſius Patricius Patauinus, hortique Medici præfectus, noſtri amantiſſimus, Tripolium eſſe cenſeat, cuius opinioni fauet icon Tripolij in manuſcripto Codice Dioſcorideo, quē Nobiliſſimus Pinellus, Patauij in ſua Bibliotheca habet. Hanc cum pictam Valerianæ Indicæ Imperati nomine à Doctore Paſchali Gallo, Pictauienſium Medico, rei herbariæ ſtudioſiſſimo, ex Italia accepiſſemus, nec deſcriptam inueniremus, & deſcripſimus in noſtro Phytopinace, & iconem adiecimus: quo loci circiter centum & ſexaginta hactenus non deſcriptarum plantarum breues deſcriptiones legere licet, plenius Deo duce, in vniuerſali noſtra hiſtoria hæc tractaturi, omniumque icones addituri. VI. Carpeſium, Cæſalpinus Valerianam maiorem eſſe cenſet: quare Caſtor in ſuo herbario ſub Carpeſij titulo Valerianæ maioris figuram, quā Matth. in ſecund. edit. & Lac. habet, poſuit. Cenſuerunt Arabum aliqui Ruſci fructū Cubebas vocari, & apud Galenum 7. ſimpl. & 1. de Antid. Carpeſium eſſe: quia de Carpeſio nil inueniatur apud Dioſcoridem, vt de Ruſco nil apud Galenum. Sed falluntur, cum Ruſci fructus & à Cubebis Arabum, & à Cubebis offic. differant. Cordus in ſua hiſtoria Carpeſium nominat, id quod Matthiolus & Lobelius pro pipere Æthyopico pinxere. VII. CVBEBÆ officinarum quid ſint ambigitur: alij ex genere piperis, & nigro piperi congeneres, Theophraſtoque piper rotundum dici volunt: alij viticis fructum (at facultates diuerſæ) exiſtimāt: Syluaticus, Ruſci fructum: alij Carpeſium Galeni ſtatuunt: at Cæſalpinus, Amomi legitimi fructum pronunciat. Verùm hunc fructum Actuarius χομβίβας vocat: Medicis Arabibus hoc ſeculo, Cubebe vel Quabebe. Arbor malo vulgari ſimilis, folijs piperis ſed anguſtioribus, ramis per arbores Piperis modo repentibus, cuius fructus racematim cohærent. Duum generum adferuntur, partim maturæ, partim immaturæ ab incolis collectæ: immaturæ leues, rugoſæ, nucleo exiguo, flaccido: maturæ, æquali ſuperficie, nucleo intus diſtento, quare illis ponderoſiores. Cubebas vocant, Cord. hiſt. Caſt. à Coſta, Taber. Cubebas offic. Lac. Cubebas Actuarij & Græcorum καρπήσιον, Lonicerus.

## Μαλάβαθρον. MALABATHRVM. CAP. XI.

Malabathrum [arbitrantur aliqui eſſe Indici nardi folium, falſi quadam odoris cognatione: permulta enim nardum olent, quemadmodum phu, aſarum, niris. Secus autem res ſe habet: namque Malabathrum folium ſui generis eſt, quod Indicæ gignunt paludes, lentis paluſtris modo innatans aquis ſine radice. Id collectum ſtatim lino tranſuitur, & ſiccatum reconditur. Tradunt ſiccatis æſtiuo feruore aquis, humum aridis fruticibus vri: quod vbi non euenerit, ne amplius quidem renaſci. ] Laudatur recens, ex candido nigricans, integrum nec fragile, odore caput feriens, quod diu in ſua vi odore permaneat, & nardum ſapore imitetur, nullo ſalis guſtu. Infirmum verò, & minutim contuſum, præſertim ſi carioſum virus olet, vitioſum eſt. Eaſdem nardo ſortitur vires: ſed efficacius omnia præſtat. Vrinam vehementius ciet, ac ſtomacho magis prodeſt Malabathri vis. Lippitudinibus, inflammationibusque tritum, & in vino feruefactum commodè illinitur. Subditum linguæ, oris halitum, & ſuauitatem commendat. Veſtium quoque odorem interpoſitum ſeruat & ab eroſione tuetur.

Oribaſius nō legit incluſa.

*Malabathrum, quod plerique folium Indicum vocant, qui hac ætate viderit, habeo neminem. Naſcitur (vt Dioſcorides inquit) in India paluſtribus tantùm locis, aquis abſque radice innatans, lenticulæ aquaticæ modo. Sed nec inde amplius ad nos aduehitur, quòd fortaſſe indigenarum culpa perierit in India, quemadmodum & balſamum in Syria. Etenim Dioſcorides refert, Malabathrum non renaſci, niſi ſiccatis æſtiuo feruore aquis, humus aridis fruticibus peruratur: quod cùm iamdiu fortè non ſit à natura factum, vel potius ſit ab indigenis omiſſum, ob eorum negligentiam, facilè poſtea euenire potuit, vt Malabathri genus omnino deperditum ſit. Plinius lib. XII. cap. XXVI. duorum meminit generum, quorum alterum arboris cuiuſdam Syriacæ folium eſſe ait, his verbis. Dat & Malabathrum Syria, arborem folio conuoluto, arido colore, ex quo exprimitur oleum ad vnguenta: fertilior eſt eiuſdem Aegyptus: laudatius tamen ex India venit. In paludibus ibi gigni tradunt lentis modo, odoratius croco, nigricans, ſcabrumque, quodam ſalis guſtu. Minus probatur candidum: celerrimè ſitum in vetuſtate ſentit. Sapor eius nardo ſimilis eſſe debet ſub lingua. Odor verò in vino ſubferuefacti antecedit alios: hactenus*

Malabathri conſideratio.

Plinij Malabathrum.

*Plinius. Qui tamẽ præter Dioſcoridis ſententiam præſtantius Malabathrum duxit, quod ſalſum eſt, non quod inſulſum. Sed non deſunt recentiores rei plantariæ profeſſores, qui ſibi perſuadent alia quoq; haberi folij genera præter Indicum Malabathrum, Galeni primum teſtimonio freti, quod is in vno, & eodem medicamento Malabathrini, & Foliati vnguenti meminerit in libris de comp. med. ſecundũ locos, tum de ſanitate tuenda. Deinde, quod apud Iureconſultos trium Foliorum fiat mentio, lib. Digeſtorum trigeſimonono, Titulo quarto de publicanis, & vectigalibus. Ego verò longè aliter rem hanc ſe habere crediderim, quod (quantum viderim legerimq́;) non ſcripſerint tractauerintq́; Dioſcorides, & Galenus niſi de vno tantũ Folio, nempe de Malabathrino, nec vllus inueniatur autor, qui de pluribus ſcripſerit inter Græcos: id quod affirmat vnum tantũ Folium fuiſſe apud antiquos. Nec obſtat quod Galenus Malabathrini & Foliati vnguenti meminerit in vno & eodem medicamento, quemadmodum Nardini & ſpicati: ſiquidem mihi quidem perpetuò perſuaſi, Malabathrinum apud Galenum non differre à Foliato, quòd Folium, & Malabathrum diuerſa ſint medicamenta, ſed quod diuerſa fuerit parandi eiuſmodi vnguentorum ratio, alterum Foliatum, alterum Malabathrinum vocarit antiquitas, differentiæ tantum cauſa. Quemadmodum eadem de cauſa alterum Sampſuchinum, alterum Amaracinum appellat Dioſcorides, quum tamen nil aliud ſit Sampſuchum quàm Amaracus. Atqui illis venia danda eſt, quòd primis in viridarijs detenti, ad intima & ſecreta Galeni loca non penetrauerint. Idem quoq; ſentio de ſpicato, & Nardino, apud Galenum, cum nihil à Spica differat Nardus: nec aliter, mea quidem ſententia, res ſe habere poteſt. Namque ſi Malabathrum & Folium, Spica & Nardus diuerſa eſſent plantæ, haud dubium eſt, quin Galenus ambarum meminiſſet in libris de ſimp. med. facultatibus: Id quod etiam non prætermiſiſſet Dioſcorides. Quantum verò ad Iureconſultorum authoritatem attinet, negauerim ego nunquam trium Foliorum ibi fieri mentionem, nempe Malabathrini, Barbarici, & Pentaſphæri. Atqui non tamẽ affirmauerim titulo illi Digeſtorũ eſſe credendum, quòd pluribus ibi ſcateat mendis. Nam Caſſamum (ita ibi legitur) Thuriana, Aroma Indicum, Alchelufia, Sargogalla, Omerabicum, Carpaſum, opus Buſicum, Ferrum Indicum, Folium pentaſphærum, de quo nullus antiquorum meminit, & alia nonnulla, quæ ibi deprauatè leguntur, & legi debebant, Cancamum, Thymiama, Ammoniacum, Agallochum, Sarcocolla, Gummi Arabicum, Carpeſium, opus Byſſinum, Ebenum Indicum, affirmant quidem nihil ſolidi, veriq́; de Folio Pentaſphæro ibi haberi: quin etiam, nec fortaſſe de barbarico, de quibus nihil apud Theophraſtum, Dioſcoridem, Galenum, Plinium, poſteritatis memoria traditum eſt. Cæterum demus nos hæc tria reperiri Folia apud Iureconſultos, & concedamus hæc omnia olim comportaſſe ad nos mercimoniorum negotiatores: probabunt ne ob id qui tria faciunt Foliorum genera, tria illa apud Iureconſultos genere, aut ſpecie inter ſe differre? Minime gentiũ, ſed cognomine tantum dicant oportet, à regionibus in quibus prouenit folium, aut à foliorum latitudine, anguſtiaue, ſibi comparato. Quemadmodum enim cognomine tantum à locis impoſito differunt Rha Indicum, à Rhabarbaro: Coſtum Indicum, ab Arabico & Syriaco: Iris Illyrica, à Macedonica, & Africana: Indica Nardus, à Syriaca: Amomum Armeniacum, à Medico: Crocum Coryceum, à Lycio & Cyrenaico: Styrax Cabalites, à Piſidica, & Cilica: Thus Arabicũ, ab Indico: Chia maſtiche, à Cretica: Lacca Cambaitis, à Sumatrina: Manna Orientalis, à Calabrina, & alia plura medicamenta ab alijs: eadem profectò ratione tenendum eſt Folium Barbaricum, à Malabathrino Indico, cognomine tantùm differre. Cum enim ſcribat Strabo lib. vigeſimoquinto ſuæ Geographiæ, ea omnia in aromatum & plantarum genere oriri in Arabia & Aethiopia, ſub qua Barbariam Geographi ponunt, quæ in India Auſtrali proueniunt, nihil ſanè vetat, quin in Barbaria Malabathrum quoq; naſcatur, & præſertim cum ſcribat Arrianus antiquiſſimus auctor, ſe magnam Malabathri copiam reperiſſe in quibuſdam Rubri maris inſulis, quarum oras & littora legebat. Sed iam ad pentaſphærum me confero, quod non Pentaſphærum legi debere cenſeo, ſed potius Hadroſphærum, aut Meſoſphærum, aut microſphærum. Siquidem Plinius de Nardi folijs ſcribens lib. & cap. XII. trium horum meminit, non quòd ſpecie aut genere differant, ſed amplitudine tantum, & anguſtia foliorum, quæ in vna & eadem planta, alia maiora, alia minora, alia minima habeantur. Nec alia de cauſa ſelegiſſe ea negotiatores cenſendũ eſt, quàm quòd hæc pluris, illa minoris væderentur. Id quod manifeſtò indicare videtur Plinius eodem loco his verbis: Folia diuiſere annonam ab amplitudine: Hadroſphærum vocatur maioribus folijs, pretio x.x x x. Quod minore eſt Meſoſphærum appellatur, emitur denarijs ſexaginta. Laudatiſſimum Microſphærum, è minimis folium, pretium eius x.lxxv. Hæc ille. Sed vereor ne hic Plinius deceptus ſit, quemadmodum in vniuerſa ipſius Nardi hiſtoria, in qua plura fabuloſa deprehenduntur, imò, & ne vna cum alijs quibuſdam crediderit Malabathrum eſſe Indici Nardi folium, falſus odoris cognatione, vt rectè libro primo de Malabathro ſcribens adnotauit Dioſcorides, quod non deeſſent ſuo tempore, qui falſa hac opinione ducerentur. Namque non reperio apud ipſum, nec apud Galenum, aliosq́; antiquos Græcos, qui de Nardi folijs vſquam meminerit, nec ea in medicum, aut alium vſum verterit: imò ea ſilentio præterierunt omnes tanquam ſuperuacua, & nullius vſus. Quæ in ſententia confirmat me Arrianus, quippe qui ſcribat in Periplo tres ferè ſimiles Malabathri differentias, ſic inquiens: Poſt hanc autẽ regionem, ſub ipſo Borea extrinſecus in quodam loco, vbi mare deſinit, mediterranea quædam maxima ciuitas eſt, quæ Thina dicitur: ex hac lana, cùm rudis, tum elaborata, tum in ſerica lintea contexta, Barigazam per Bactra, terreſtri itinere primum, atque inde in Lymiricam per Gangem fluuium deportantur. In Thinam autem hanc non facile peruenitur: rarò enim illinc homines, atq; pauci exeunt. Locus autem ſub ipſa Vrſa minore ſitus eſt. Dicitur autem conterminus eſſe his partibus, quæ deducta auerſaq́; ſunt à Ponto & Caſpio mari, vbi palus Mæotica, quæ proxima eſt, in mare ſeſe exonerat. Quotannis autẽ in confinia Thinæ gens quædã ventitat, corporibus breues, ſed horridi, & lata facie aliquã (& vt paucis dicam, hi Seſatæ nuncupari dicuntur) qui adductis ſecum vxoribus, & liberis vagantur ad tempus, & confluunt, ferentes magna onera, & culcitras, his quæ ex crudæ vitis folijs fieri ſolent, non diſſimiles. Hærent autem vno aliquo in loco, & ipſorum regioni, & Thinæ incolis confini, ac pradas agunt ad aliquot dies, culcitras, quæ diximus ſibi ſubſternentes: tandẽ domum in interiores ſuæ regionis ſedes ſe recipiunt. Qui autem de eorum diſceſſu certi fiunt, in ea loca confluunt, & ſtragula colligunt, & eneruantes calamos, quos petros vocant, duplicantes folia, rotundantesq́;, ea calamorum villis conſuũt: hinc tria genera efficiuntur. E maiore enim folio, quod Hadroſphærum Malabathrum dicitur: è minore Meſoſphærum, ex minimo verò Microſphærum: atque hinc ſunt tria genera Malabathri quæ in Indiam poſtea deportantur: hæc ad literam Arrianus. Quibus facilè adducor ad credendum Pentaſphærum non eſſe per ſe genus, & deprauatè legi in Iureconſultorum digeſtis, ita vt cenſeam vnicum tantum eſſe Folium, nempe Malabathrum: & Syriacũ Plinij Malabathrũ, potius fabuloſum eſſe, quàm verum. Cæterum ex præſcriptis Arriani verbis facilè quiſquã intelliget*

Folij mentio apud Iureconſultos.

Malabathrini, & foliati vnguenti explicatio.

Locus digeſtorum Iureconſultorũ emendatus.

Non pentaſphærum, ſed Hadroſphærum aut Meſoſphærum legendũ in ff.

Plinius in nardi hiſtoria deceptus.

Malabathri hiſtoria ex Arriano.

Hadroſphærum. Meſoſphærũ. Microſphærum.

quàm fraudulenter, ne dicã infideliter citauerit ex eodem Arriano Malabathri hiſtoriam nouus quidam rei plantariæ ψευδοτιμαντίας, dum mecũ, imo potius ſecum, de Malabathro cõtendit. Quippe qui ſcribat gloriari Arrianũ ſe reperiſſe Malabathri copiam (quod falſiſſimum eſt, nec vſquã apud Arrianũ extat) dum littora, & oras rubri maris legeret: atqui ne ſolo hoc mendacio ſuam ornaret in nos calumniam, corollarium addidit, nempe, quòd ſcribat idem, Thinam vrbem ſitam eſſe in fine Erythræi maris, ad quam quotannis gens ex Arabia proficiſcatur: taceo alias fabulas quas ex eodem authore ſibi fingit, vt tantum viciſſe videatur. Porrò fortaſſe cenſebat ſycophanta ille, qui miſellum tunc docuit, non alibi fortaſſe reperiri Arriani Periplum, quàm in ſua bibliotheca: ſed quid plura de his, qui meretricum modo frontem perfricuere, quique dolis tantum, & impoſturis aliorum labores inſectantur? Errant præterea recentiorum nonnulli, in cenſendo TEMBVL (quidam hoc quoque Folij genus faciunt) quòd putant hoc differe ab Indorum Betel: nihil enim inter ſe differunt. Siquidem, quod Indi Betel vocant, Arabes & Perſæ Tembul, & Tember appellant. Id illi continuè mandunt, tam in otio, quàm in negotio, quod petunt ſecundæ valetudini multum conferre, corporibus vires addere, venerem augere, cor & cerebrum roborare: vbi autem copioſius edatur mentem mouet. Iccirco mulieres Tarnaſari in defuncti mariti rogum ſe ipſas iniectura, tantum illius vorant, vt amentes efficiantur. Id aqua aſpergunt, qua ſoluta fit calx è conchis parata, ac tunc demum veſcuntur eo: ſed hæc perperam tranſcripſit nouus quidam herbariæ rei indagator, quippe qui hæc folia calce vel cinere circumuoluta, ab Indis deuorari ſcribit, ſed tam ſuaue obſonium mihi non vendet. Eſt Betel folium planta, quæ Hederæ, Smilacisue modo arbores ſcandit, neq; per ſe conſiſtere poteſt abſq; pedamento. Floret nunquam, nunquamq; fructum profert: folijs eſt hæc planta Citrio æmulis, neruis quibuſdam ſecundum longitudinem diſcurrentibus, vt in plantagine. Hæc Alexandria Aegypti ad nos pluribus ante annis comportantur: nec deſunt, qui loco Malabathri ijs vtantur: Sed videant illi an rectè, mihi verò Malabathri vicem nunquam præſtabunt. Vbi enim Malabathro opus ſit, Caſſiam odoratam, vel Indicam nardum ſupponendam putamus, Galenum ſecuti, qui ita decreuit tum in ſuccedaneis, tum etiam lib. VII. & VIII. ſimplicium medicamentorum. Quanquam Fuchſius in libro quem de compoſitione medicamentorum nouiſſimè edidit, dum ea perpendit quæ Auream Alexãdrinam conficiunt, Malabathri loco Attractylim ſtatuit ſubijciendam, Galenum (vt inquit) in libello de ſubſtitutis medicamẽtis ſecutus. Sed certe non ſatis poſſum mirari Fuchſium virum alioqui doctrina & iudicio clarum, in hac re (vt mihi quidem videtur) manifeſta, minus rectè ſenſiſſe. Nam vt omittam, in libro illo de medicamẽtis, quæ inter ſe commutari poſſunt, qui tamen liber Galeno adſcriptus cenſetur, me nuſquam legiſſe, quod Attractylis Malabathri vicem ſuppleat, ſed Caſſia odorata & Nardi ſpica: eſt Dioſcorides hoc loco, eſt Galenus locis ante citatis in ſimplicium cenſu: qui vno quaſi ore fatentur, eandem vim habere Malabathrum, quam Nardum. Quorum equidem auctoritati grauiſſimæ longè ſatius adhærendum exiſtimo, quàm vt temere fortaſſe ſit Attractylis in Malabathri locum ſubſtituenda: præſertim cum nobis nõ deſit copia Nardi & Caſſiæ odoratæ: Attractylis autem vera, hactenus, mea opinione, deſideratur, vt libro tertio ſuo loco latius oſtendemus. Quod etſi concedamus, hanc aliquibus compertam eſſe, tamen quis audebit ea vti pro Malabathro, etenim nullus, quod ſciam, Attractylim odore commendauit: vt Malabathrum Dioſcorides non ſolùm odoratum fecit, ſed etiam id ipſum ἐν τῇ εὐωδίᾳ, hoc eſt in odoris bonitate permanere affirmat. Excalfacit Malabathrum (vt author eſt Auicenna) ſiccatq; ordine ſecundo. Μαλάβαθρον καὶ φύλλον ſic Græcè, Latine autem Malabathrum & Folium appellatur: Italicè, Malabathro, & Folio Indiano.

Sycophantæ cuiuſdam calumnia depulſa.

Quorundam error qui Tembul & Betel diſtinguunt.

Tẽbul.

Betel hiſtoria.

Fuchſij opinio exploſa.

Nomen.

## I. BETEL SEV TEMBVL.



I.

HOc folio Indo adeò ſimile, vt idem eſſe multi credant, & miſceant, vt Luſitanus fecit, quod Tambul Arabes & Perſas vocare, Odoardus Barboſa auctor eſt: dicitur Tembul Auicennæ, Betre Garz. Betel, Caſt. Betre ſiue Betle, Lugd. & Taber. II. Malabathrum triplex eſt: primum Dioſcoridis, quod apud Plinium ſecundum eſt: alterum eſt, quod Plinius pro primo recenſuit: tertium officinarum eſt Malabathrum, cuius iconem vt & Betel adpoſuimus. Eſt autem officinarum Malabathrum quibuſdam folium Caryophyllorum: aliis Caſiæ folium: alij canellam (cuius figuram ſequenti capiti adiecimus) putant. Folium officinarum ſeu folium Indum (quod ex India adferatur) eſt arboris proceræ procul ab aqua naſcentis folium, mali Medicæ folio ſimile, per extremum tamen anguſtius, coſtis tribus per longitudinem excurrentibus, colore viridi, odore quodammodo Caryophyllorum, non adeò vehementi vt Nardus, aut Macis, neque tam acuto ut Canella: qua de re Ludouicus Romanus, Aloyſius Cadamuſtus & alij. Vocatur ab Auicenna Cadegi Indi, & à Betre ſeu Tembul, quæ apud Aui-

II. FOLIVM OFFICIN.



cennam eadem ſunt, differt. Foliū Indum ſeplaſiariorum, Trago Malabathrum, Lac. Lob. Cæſ. Tab. Caſia aromatica, Cord. hiſt. Tamalapatra Garziæ, Cluſ. Lugd. Folium Indianum, à Coſtæ. Fructus verò qui adpinguntur, Lob. fructus Tembul vocat: fructus Canellæ quorundam ſententia. Lugd. & ſanè fructus Canellæ nomine, ad nos etiam ex Italia miſſi, meminit & Cordus in Dioſc. Cinamomum fructum ferre paruum glandibus ſimilem.

### Κασσία CASSIA. CAP. XII.

CAſſia, cuius cōplura ſunt genera, iuxta a odoriferam Arabiam gignitur, craſſi corticis ſarmento, foliis b piperis. Eligenda eſt fuleſcens, pulchri coloris, corallij æmula, c perquàm anguſta, longa d craſſa, & fiſtuloſa, guſtu mordens, & cum e aliquanto feruore adſtringens, aromatica, vinoſo odore: cuiuſmodi eſt, quæ ab incolis achy appellatur, ab Alexandriæ negotiatoribus daphnitis. Huic præfertur craſſa, purpurea, & nigricans, zigir cognomine, quæ roſam odore imitatur, præcipui in medicina vſus. Secundum locū tenet antedicta. Tertia, cui Moſylitico blaſto, id eſt, germini cognomen eſt. Reliquæ viles, vt quæ aſyphemum dicitur, nigra, inſuauis, cortice tenui, ac rimoſo: & quæ darca, & citto vocitatur barbaro nomine. Similior huic eſt pſeudocaſſia, quàm vt explicari poſſit, quæ guſtu coarguitur, cū nec acris, nec odorata ſit, hærentemq; medullæ corticem habeat. Inuenitur etiam lata quædam fiſtula, mollis, leuis, f ſurculoſa: antedictæ præfertur. Damnatur candicans, ſcabra, hircinum virus redolens, & g quæ tenui fiſtula & ſcabra cute ſit. Vim obtinet calfaciendi, vrinam ciendi, ſiccandi, & leniter adſtringendi. Conuenit ad medicamenta oculorū, quæ præſtandæ claritatis gratia cōcinnantur, & ad malagmata: lentigines tollit cum melle illita: menſes trahit: contra viperarū ictus pota auxiliatur: aduerſus inteſtinorū inflammationes omnes, & renum vitia, pota proficit: fœminis in ſolio deſidentibus, aut ſuffimentis, prodeſt ad dilatationem vuluæ. Et duplo pondere medicamentis miſta, cinnamomi vicem ſupplet, ſi ipſum deſit: nam eoſdem effectus præbet. Ad plurima perquàm vtilis eſt.

a Meum ἀρωματοφόρον. i. aromatifera. b Cat. ὥσπερ ἴρεως. i. inſtar Iridis. c Meū στενὴν λεῖαν. i. anguſtam læuem. d Omnia exē. παχεῖαν τοῖς συριγγίοις πλήρη. i. craſſam, & fiſtulis plenam. e Me. & Drag. μετὰ πολλῆς πυρώσεως. i. cum multo feruore. f Meum ὀνέρπυς. i. ramoſa. g Meum καὶ τὴν μὴ ἔχουσαν δὲ τὴν σύριγγα παχεῖαν, ψαφαρὰν δὲ καὶ λεπτήν. i. & quæ non habet fiſtulā craſſam, ſeu ſcabram & tenuem. Sic item Catecuz.

### Κιννάμωμον CINNAMOMVM. CAP. XIII.

CInnamomi genera plura, patrium ſibi nomen vendicantia. Præfertur tamen Moſyliticum, quòd caſſiæ, cui moſyliti nomen eſt, aliquam referat effigiem: ſed in eo genere recens, nigrum, ex vinoſo in cinereum vergens, læue, tenuibus ramulis, ac frequentibus a nodis cinctum, perquàm iucundè olens. Optimi fere indicium, iucundi odoris proprietate conſtat: inuenitur enim cum optimo, eoque quod peculiare eſt, odor rutæ, aut cardamomo proximus. Inſuper acre, mordens, & cum calfactione quadantenus ſalſum, b quod non citò confricant aſperum; aut frianti lanuginoſum, læuibus tamen c internodiis appareat. Si certior fieri voles, vellito ab radice d ſurculum, facilis eſt huiuſcemodi probatio: namq; fragmenta miſcellanea quædam eſſe videntur. Quæ autem melius ſpirant, ſuo halitu, cùm nares primùm conſuluntur, olfactum explentia, deterioris dignotionem impediunt. Eſt etiam montanum, craſſum, pumilum, fuleſcens admodum. Tertium à Moſylitico, perquám ſuauiter olet, nigrum, e fruticoſum, paucis intercedentibus geniculis. Quartum fungoſum, candicans, aſpectu tuberoſum, vile, ac friabile, magnam habens radicem, quæ caſſiam planè repræſentat. Quintum genus odore nares feriens, ſubrufum, & cortice fuluæ caſſiæ ſimile, tangenti firmum, minus f neruoſum denſa radice firmatum. Iis, quæ thuris, caſſiæ, myrti, aut amomi odorem ſpirant, minus ſuauitatis ineſt. Deligito ſcabrum, album, rugoſum: g at læue, & lignoſum circa radicem, vt inutile reiicito. Eſt etiamnum ſimile aliud, cui pſeudocinnamomo cognomen eſt, vile, inualidi odoris, ſolutarumque virium. Vocatur etiam zingiber, cùm tamen ſit xylocinnamomū, præbens quandam cinnamomi faciem. Eſt autem lignoſum cinnamomum, ſarmenta h longa robuſtaque ferens, odore longè cinnamomo inferiore. Sunt qui xylocinnamomum, á cinnamomo genere differre dicant, quod á natura eius abhorreat. Cinnamomum omne excalfacit, emollit, & concoquit: vrinam ciet, tam menſes, quám partus potum, aut ex myrrha impoſitum pellit: contra beſtias, quæ virus eiaculantur, venenaque conuenit: caliginem pupillis oculorum obuerſantem diſcutit: craſſitiem extenuat: lentigines, & vitia cutis in facie ex melle illitum detergit: contra tuſſes, defluxiones, aquam ſubter cutem fuſam, renū vitia, & vrinæ difficultatem efficax eſt. Vnguentis pretioſis inſeri ſolet. Et in ſumma,

magni

a Meū ὄζοις i. ramis. b Meū ὅτε τῇ παρατρίψει μὴ ταχέως διασυνόμενον, καὶ ἐν τῷ θραύεσθαι χνοῶδες. i. quod attritu non cito friatur, & pulueruentum fit. c ὄζων. i. ramis ita me. exemp. d Meum θαλλῶν. i. germē. e Meū ὀνερπῶδες, i. ramoſū. f Antiquus codex οἰνῶδες. i. vinoſū. g Meum & Dra. καὶ ῥυσσόκαρφον, καὶ λεῖον καὶ ξυλῶδες δὲ καὶ τὴν ῥίζαν ὡς ἀχρεῖον παραιτοῦ. i. virgis rugoſum, at læue & lignoſum ad radicem, vt inutile reiicito. h Meum ῥάβδους μικράς. i. virgulta breuia.

magni ad omnia vſus. Tritum vino excipitur, vmbraq; ſiccatum, quo diutius eduret reconditur.

† Addunt Meum exemp. & Drag. ἐςὶ δὲ λεγόμενον, ὃ ἔνιοι ψευδοκιννάμωμον καλοῦσιν, εὐῶδες σφόδρα καὶ παχυραβδότερον, καὶ πολὺ μὲν τοῦ ἐλάττονός ἐςι κιννάμωμον, κατὰ ὀσμὴν καὶ κατὰ γεῦσιν.

NAtura omnium rerum parens, in hoc terrarum orbe quædam ſtirpium genera adeò inexorabilia procreauit, vt ne quam plurimis quidem deliciis, blandiciis, officiis, obſequiiſq́; ea apud nos quiſpiam retinere potuerit. Siquidem ſtirpes ipſæ viuere coactæ in hortis, viridariis, mitioribuſq́; Italiæ locis, ceu Tempe, omni amœnitate refertis, quemadmodum alpini homines delicias vrbium & maieſtatem aſpernantes, politicis moribus omnino neglectis, non alibi, quàm in ſuis mapaliis hilariter, ac iucundè viuere poſſunt: ita & ipſæ relicta cœli clementia, hortorumq́; amœnitate, ſpreto item fontium oblectamento, omniumq́; vrbanarum ac familiarium ſtirpium conſortio, in deſerta, ſolitudineſq́; ſuas, à quibus primam duxerunt originem, ſe tandem recepere, tantùm patriæ nataliſq́; ſoli amor in rerum natura poteſt. In quarum genere Caſſia connumeranda venit: quæ tametſi in maiore illa Romanæ gentis fortuna multis ac variis hortorum locis conſita habebatur: nullibi tamen hac ætate (quod nouerim) in Italia, ne in tota dicam Europa inuenitur. Sed hæc de Caſſia dixiſſe volumus ſimplicium medicamentorum peritiſſimos ſecuti, qui (vt eorum teſtantur volumina) nihil inuicem differre cenſent, Caſſiam quæ in arborum genere Dioſcoridi & Galeno recenſetur, & eam, quæ antiquis inter coronarias numerabatur herbas, quæq́; olim paſſim circa apum aluearia ſerebatur in Italia, quòd ea maximè apes delectentur, & in hortis & viridariis coronis maximè expetita. Verùm enimuero longè aliter hæc res intelligi poſtulat, quod aliam repererim fuiſſe Caſſiam (vt Dioſcorides inquit) è felici Arabia allatam, ex arbore (auctore Theophraſto) viticis magnitudine, ab hac longè diuerſam, quam apibus, & coronis ſerebat antiquitas, quandoquidem fuerit hæc herba, illa verò arbor: præſertim cùm nullus (quod ſciam) extet auctor, qui poſteritatis memoriæ mandauerit, Caſſiam adeo copioſam in Romanorum triumphis ex Arabia conuehi ſolitam, vt inde vulgaris facta, vbique paſſim & reperiretur, & ſereretur ab omnibus. Quod ſi fortè eueniſſet, nunquã tamen mihi perſuaſerim, quòd Galenus hac in ſcientia, & facultate omnium diligentiſſimus, & qui Romæ diu vitam duxit, Italicæ Caſſiæ hiſtoriam ſilentio inuoluiſſet. Plinius lib. xxi. cap. ix. nonnullas memorans herbas, quorum folia odoris gratia in vſum coronarum venerant, inquit. Ergo in coronamenta folia venêre malothron, ſpireon, trigonon, cneoron, quod caſſiam Higinus vocat. Id quod ante ipſum palàm fecerat Virgilius, Caſiam inter coronarias herbas recolens in Bucolicis ecloga ij. his verſibus

Caſſiæ odoratæ, & coronariæ diſcrimen.

> Tum caſia, atque aliis intexens ſuauibus herbis,
> Mollia luteola pingit vaccinia caltha. Et in Georgicis lib. II.
> Vix humiles apibus caſias, roremq́; miniſtrat. Item Georgicorum lib. IIII.
> Nec circum caſiæ virides, & olentia latè
> Serpylla, & grauiter ſpirantis copia thymbræ
> Floreat, irriguumq́; bibat violaria fontem.

Hæc Maro. Quibus palàm eſt, Caſiam coronariam, & quâ tantopere delectantur apes, herbam, non arborem fuiſſe. Quod etiam teſtatur Plinius libro ſuperius citato cap. xij. Verùm hortis coronamentiſq́; maximè aluearia, & apes conueniunt, res præcipui quæſtus, compendiiq́;, cùm fauit. Harum ergo cauſa oportet ſerere thymum, apiaſtrum, roſam, violas, lilium, cytiſum, fabam, eruilium, cunilam, papauer, conyzam, caſiam, melilotum, meliſſophyllum (lego myriophyllum) cerinthen: hactenus Plinius. His itaque rationibus, auctorumq́; veterum teſtimoniis innixus Theodorus, Cneoron Theophraſto, Caſiam appellat. Quamobrem potius fuerit credendum Cneorõ Græcis vocatum antiquis coronariam fuiſſe Caſiam apibus gratiſſimam, quàm eam, quæ in India & felici Arabia prouenit, cinnamomo perſimilis, odoramentis & antidotis expetita, & quâ per longas ætates cinnamomi vice vſi ſunt medici. Neque tamen propterea opinioni noſtræ refragari putamus Columellam lib. III. cap. VIII. de re ruſtica, vbi ita ſcriptum reliquit. Iudæam & Arabiam pretioſis odoribus illuſtrem haberi, ſed nec noſtram ciuitatem prædictis egere ſtirpibus: quippe cum pluribus locis vrbis iam caſiam frondentem conſpicimus, iam thuream plantam, florenteſq́; hortos myrrha & croco. Nam quamuis concedi poſſit Columellæ Caſiam ex Arabia allatam, vrbis illuſtrandæ gratia Romæ ſuo tempore conſpicuam fuiſſe in hortis procerum & Imperatorum, hoc tamen non prohibet, quin Caſia, quam prope apum aluearia paſſim ſeuit antiquitas, alia fuerit planta: præſertim cùm hæc inter herbas coronarias, illa verò inter arbores odoratas recenſeatur. CNERON autem deſcribit Theophraſtus lib. 6. cap. 2. de plantarum hiſtoria, his verbis. Cneori duo genera, aliud enim candidum, aliud nigrum. Candido folium cutaneum, oblongum, figura quaſi oleagineum: nigro quale tamariſci (ſunt qui legant μυρσίνη. i. Myrto) carnoſum. Candidum magis ſe humi ſpargit, odoratumq́; eſt: nigrum odore caret. Radix ambobus, quæ altè deſcendit, grandis: ramiq́; permulti, craſſi ſurculoſiq́; ab ipſa protinus tellure, aut paulò ſuperius ſparſi, lenti admodum conſtant: quamobrem hiſce ad colligandum iunci modo vtuntur. Germinant, florentq́; poſt æquinoctium autumni, & multum denique temporis florent: hæc Theophraſtus. Sed quænam plantæ oriantur in Italia, vel aliunde eò afferantur, quæ Cneorum referant, quid veri referam ſanè non habeo. Hallucinatur profectò Anguillarius, quippe qui nulla dubitatione ſibi perſuadet Lauendulam vulgo vocatam, Cneorum eſſe album: Nigrum verò, Roſmarinum coronarium. Nam præter id quòd Roſmarinum & Lauendula tantum inter ſe habent cognationis, quantum Laurus & Ilex, quod apertiſſimè eius errorem accuſat, ſunt & aliæ notæ quæ illi omnino repugnant. Siquidem Cneorum vtrumque (vt Theophraſtus teſtis eſt) floret tantum poſt æquinoctium Autumni. Atqui Roſmarinum bis in anno florere ſcimus, nempe poſt æquinoctium vernum, & ante æquinoctium autum: in Lauendula verò æſtate tantum. Præterea Theophraſto vtrique Cneoro radix eſt grandis & altè deſcendens: id quod nec in Lauendula, nec in Roſmarino quiſpiam vidit vnquam, cum hæ per ſumma ferè ceſpitum mediocres radices fundant, & ob id frigoris impatientes plantæ. Adhæc Cneori vtriuſq́; rami flexiles lentiq́; habentur, colligandis aliarum plantarum faſciculis apti: ſed cum Roſmarini rami tales non ſint, nec etiam Lauendulæ, cadit peritq́; Anguillarij ſententia. Præter id Cneorũ nigrũ nullo eſſe odore ſcribit Theophraſtus: ſiquidem nõ εὔοσμος, vt legit Anguillarius, ſed ἄοσμος, cũ Gaza & Plinio legendum eſt, qui album tantum Cneorũ ex Theophraſto odoratum habet: id quod ipſa Theoph. lectio manifeſtè indicat, quæ ſic habet. ὁ λευκὸς ἐςὶ δὲ εὐοσμώδης, ὁ δὲ μέλας ἄοσμος. Nõ ὁ δὲ μέλας εὔοσμος, vt perperam legit Anguillarius: ea enim aduerſatiua eſt oratio, nec vllo pacto vocem εὔοσμος admittere poteſt.

Columellæ caſia.

Cneori deſcriptio.

Anguillarij ſententia confutatur dum Lauendulam, Cneorum album, & Roſmarinum Cneorum nigrum cenſet.

Putridũ

Cneorum, chamælæa non eſt.

Cneori noui-terreperti cõſideratio.

Medicorum & ſeplaſiariorum error, in Caſſiæ ſuccedaneo.

### I. CNEORVM MATTHIOLI.



*Puerilis enim eſſet oratio, non grauiſſimi autoris Theophraſti, ſi locus hic Anguillarij modo legeretur: ſed admodum quidem miror quod hæc non nouerit Anguillarius, cum tamen is plus Græcæ (vt audio) quàm Latinæ linguæ profeſſorem ſe dicat. Poſtremò de Coronario Roſmarino ſcribens Dioſcorides, nihil ibi Cneori meminit, quem tamen totum legiſſe Theophraſtum non ambigo. Aberrant etiam qui contendunt Theophraſti Cneorum chamælæam eſſe, vel Thymelæam, vt in Epiſtolis noſtris ſatis ſuperq́; à nobis comprobatum eſt. Inuenimus nos hoc anno in Bohemiæ ſyluis plantã, cuius hic imaginem damus, quæ omnibus ſuis partibus* CNEORVM *candidum refert, ſiquidem cutaneum illi folium eſt, & oblongum, rami flexiles, ac lenti, multi, ſurculoſiq́; ab ipſa protinus tellure, aut paulò ſuperius emergentes, & humi ſeſe diffundentes. Flores illi ſunt in ſurculorum cacuminibus purpurei, odorati teſticuli odorem referentes: radice nititur altè deſcendente, non tenui, quæ notæ albo Cneoro bellè correſpondent. Atqui floret hæc (quantũ viderim) verno tempore, verùm non ob hanc tantum repugnantem notam adducar, vt credam hanc plantam Cneorum aut eius ſpeciem eſſe, & præſertim cum à ruſticis intelligam, florere etiam Autumno. Appinximus hic eius imaginem, & eius hiſtoriam deſcripſimus, non tam tuendæ opinionis noſtræ cauſa, quàm vt cæteri rei plantariæ periti de hac planta ſuum quoque iudicium ferant. Nam vbi ij Theophraſti Cneorum ipſam eſſe negauerint, erit mihi ſatis ſuperq́; ſatisfactum, ſi Matthioli Cneorum ipſam appellauerint. Sed iam ad Caſſiam odoratam redeamus, ob cuius cognitionem poſtmodum factum eſt, vt recentioribus medicis, in ea recuperanda, inueſtigandaq́; multum negocij acceſſerit. Namq; hactenus tum medici, tũ ſeplaſiarij (etſi plures iã reſipiſcant) odoratæ caſsiæ loco quædam incognitæ arboris ſegmenta, nec odore, nec viribus prædicata ſemper capeſſerunt. Veruntamen poſtquam nonnulli ætatis noſtræ doctiſſimi viri, ſtirpium hiſtorias diligenter examinarunt, detecta fraude, mercatores ex Alexandria mercimonia Venetias comportantes, cùm ſuam impoſturam deprehenſam cernerent, à negocio deſciſcentes, in aliud nouum Caſsiæ genus ſegmenta illa commutarunt: quæ ſanè præter odorem, pariterq́; ſaporem, quibus ferè penitus exoleta ſentitur, Caſsiæ à Dioſcoride deſcripta admodum habetur conſimilis. Quapropter nec eos errauiſſe crediderim, qui dicerent, hanc Dioſcoridis Pſeudocaſsiam eſſe, quippe & craſſo cortice conſtat, & in eius cauitate lignoſa etiã viſitur materies, paululũq́; eſt odorata, minimeq́; acris. Nonnulli hac nõ contenti, quedã vocati cinnamomi fragmina Caſsiæ vice vſurpant, quæ cum nullo odore ſaporeq́; cõmendentur, potius quercũ, vel fagum, quàm Caſsiam referunt. Cæterùm, vt dicam quid ego ſentio, ſi quis fiſtulam, quã cinnamomum perperã appellamus, & vulgò Cannella, Caſsiæ generibus rectè comparauerit, facile nouerit vulgaris vſus cinnamomum legitimã Caſsiam procul dubio referre: quinimò diligenter inquiſituris, iudicijq́; trutina examinaturis huiuſmodi cinnamomi ingentem copiam, quæ magnis ſaccis Venetijs in mercatorum repoſitorijs aſſeruatur, nimirum omnia illa caſsiæ genera, quæ à Dioſcoride deſcribuntur, facile ſeſe offerent, quandoquidem mercatores (vt ſemper aſſolent) ad expediendas deteriores merces bonarum lenocinio, quas illis admiſcent, pro virili vtuntur. Galenus itaq; libro primo de antidotis multa Caſsiæ genera recenſuit, vbi ſanè Dioſcoridem ſecutus, eam cæteris præſtare fatetur quæ Zigi cognomine dicitur, hancq́; aſſerit cinnamomum vſque adeò æmulari, vt eſſent, qui ſuo æuo eam cinnamomi loco venderent. Quo fit, vt admirari non liceat, ſi hodie quoq; tot annis hac deducta, protractaq́; conſuetudine, vbiq; caſsia pro cinnamomo venundetur. Nec quidem longè aberrarent, ſi modò optimam ſeligerent, quandoqui-*

Pſeudocaſſia.

Caſſia legitima eſt cinnamomum vulgò dictum.

### II. CINAMOMVM OFficin.



quandoquidem Galenus eodem loco palam prodit, Caſsiam ſæpenumero in cinnamomum tranſmutari, fateturq́; ſe iam vidiſſe eximiæ Caſsiæ ramulos omni ex parte cinnamomum referentes. Contra pariter inſpexiſſe cinnamomi ſurculos Caſsiæ prorſus perſimiles, adeò vt aſſerat pro qualibet cinnamomi parte in componendis medicamentis, duas electæ caſsiæ adhiberi poſſe. Deſcribit item Galenus quoddam aliud deterioris Caſsiæ genus, quod tradit iuniorem Andromachum Caſsiam fiſtulam nominaſſe, cùm fiſtularum modo inanis cauaque ſit, & craſsi corticis: cuiuſmodi in vulgari cinnamomo frequentiſsima conſpicitur. Huius ſanè ea videtur eſſe generis, quā in ſuo conficiendorum pharmacorum libello præfert Cordus, quod velit caſsiam, præter Dioſcoridis & Galeni ſententiam, lubrici eſſe guſtus. Porrò Caſsiæ odoratæ fruſtulum cum cortice & ligno ſuo interiore, nuper dono mihi dedit Sereniſsimus Princeps Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Dominus mihi clementiſsimus, ab integro ramulo abſciſſum, quē ille inter plures alias res non minus pretioſas quàm raras, reconditum habet. Huius cortex colore quidē cinereo à noſtro vulgari cinnamomo diſsidet, non tamen odore ac guſtu: quandoquidem manſus idipſum, quod vulgus Canellam vocat, ori planè repræſentat: at lignum, quod cortice contegitur, fragili conſtat materie, neque vllo prorſus odore, ſaporeq́; commendatur. Quare hinc facilè colligi poteſt, corticis tantum eius vſum eſſe, atque etiam Theophraſtum non ab re memoriæ prodidiſſe, huius virgas in fruſta ſecari, recentiq́; bouis corio hac conſui, vt vermiculis, qui ex eo naſcuntur, lignum illud inutile erodatur. Cæterùm odoratæ caſsiæ meminit etiam Virgilius præter coronariam lib. II, Georg. vbi cecinit hoc carmine. Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui. Quin & Plinius Caſsiæ meminit lib. XII. cap. XXIX. his verbis. Frutex & Caſsia eſt, iuxtaq́; cinnamomi campos naſcitur, ſed in montibus, craſsiore ſarmento, tenui cute, verius quàm cortice: quē contrà atque in cinnamomo leuari, & exinaniri pretium eſt. Amplitudo fruticis trium cubitorum. Color triplex: cùm primum emicat, candidus pedali menſura: deinde rubeſcit addito ſemipede, vltra nigricans. Hæc pars maximè laudatur, ac deinde proxima: damnatur verò candida. Conſecant ſurculos longitudine binûm cubitorum: mox præſuūt recentibus corijs quadrupedum ob id interemptarum, vt ijs putreſcentibus, vermiculi lignum erodant, & excauent corticem tutum acrimonia, & amaritudine. Probatur recens maximè, & quæ ſit odoris molliſsimi, guſtùue quam maximè feruens, potius quam lento tempore leuiter mordens, colore purpureo, quæq́; plurima minimū ponderis faciat, breui tunicarum fiſtula, & non fragili. Hæc Plinius: quorum plura à Theophraſto tranſcribit, qui Caſsiæ hiſtoriam tradidit lib. IX. cap. v. de hiſtoria plantarum, eamq́; fruticem eſſe amerinæ magnitudine ſcribit: quæ cum nullo pacto decorticari poſſit à ligno, cortexq́; tantū vtilis ſit, ob id hominum induſtria inuentum eſſe ait, vt corijs quadrupedum conſuta,

Caſsia tranſmutatur in cinnamomū.

Caſsia fiſtula Andromachi.

Caſsiæ hiſtoria ex Plinio.

Caſsiæ hiſtoria ex Theophraſto.

III. XYLOCASSIA.



IV. XYLOCASSIA SVBNIGRA.



interius lignum vermiculis deuoretur. Cæterum planè hallucinantur ij, qui Caſsiæ fiſtulæ loco, ſiliquam Aegyptiam, ſiue Caſsiam ſolutiuam vulgò dictam, atra medulla, ſemine duro, lignoſisq́; membranis confarctam, medicamentis admiſcent Mauritanos ſecuti: ſiquidem Serapio, Auicenna pariterq́; Meſues, ſiue ſit ipſorum, ſiue interpretum lapſus, pari conſenſu Caſsiam nigram, Caſsiam fiſtulam vocauere: legitimam verò Caſsiam, de qua hic diſſerit Dioſcorides, Caſsiam ligneam. Quamobrem certò crediderim, quòd citra omnem cenſuram dici poſsit, in omnibus ijs medicamentis à Mauritanis inuentis, quæ Caſsiam fiſtulam expetunt, ſolutiuam illam eſſe inſerendam. Si verò in Græcorum monumentis (excipio Actuarium, & Nicolaum Myrepſicum, qui à Mauritanis multa acceperunt) Caſsia fiſtula inuenta fuerit, vel in Mauritanorum compoſitionibus à Græcis tranſcriptis, Caſsiam odoratam, à Dioſcoride & Galeno deſcriptam, ſemper adhibendam exiſtimo. Niſi medici ſecus intelligentes in eum errorem labi velint, in quem Leonicenus quoſdam ætatis noſtræ medicos (quæ profectò imperitia multorum eſt) temerè incurriſſe teſtatur, qui ad commouendos menſes, difficiles partus, remorantesq́; ſecundas Caſsiæ deiectoriæ corticibus, odoratæ loco vſquequaque vtebantur. CINNAMOMVM verò, quod legitimum ſit, quanquam diu multumq́; tum Venetijs, tum Neapoli, & apud mercatores, qui ferè quotannis in Alexandriam nauigant, diligenter conquiſiuerim, nuſquam id tamen mihi videre licuit, neque etiam percipere potui, num hoc tempore apud magnos negociatores, qui è Luſitania Indiam, & felicem Arabiam claſſe paratiſsima petunt, vel apud quempiam principem, regem, vel imperatorem legitimum reperi poſsit: qua de re minimè demiror, cum & Galeni tempore huius

Error quorundam, qui Caſsiæ fiſtulæ loco, Caſsiā ſolutiuam ſumunt.

Cinnamomi conſideratio.

huius magna in Italia fuerit penuria, adeò vt Cinnamomum nullibi reperiretur, niſi apud Imperatores, qui admirabili cuſtodia inter alia pretioſa illud aſſeruari curabant. Cuius rei hiſtoriam in medium affert Galenus lib. I. de antidotis, ſic inquiens.

Cinnam. hiſt. ex Galeno.

De Cinnamomo contraria ijs, quæ de opobalſamo narrauimus, compertum habeo: perſuaſum namq; mihi eſt, ipſum omnium cognitu facillimum eſſe illis, qui ſæpè optimum cinnamomum viderint.

Cinnamomũ cognitu facillimum.

Optimum verò conſequi nemo poteſt, niſi repoſitum ab imperatoribus intueatur, ſex generibus quodammodo diſtributum: ſiquidem & in hoc ipſo, velut & in caſſia, optimi ad deterrimum tam magna differentia eſt, vt optima caſſia à peſſimo cinnamomo parũ diſtet.

Optima caſſia parum diſtat ab optimo cinnamomo.

Neque verò Cinnamomi virtus ad vſum apta longo tempore durat: ad triginta ſiquidem annos, quam à principio vim habuit, integram non conſeruat: nugantur autem, qui Cinnamomum ex hiſce medicinis eſſe dicunt, quæ ſenectutem non ſentiant. Atqui ego non centum, neque ducentũm annorum interuentu, ſed pauciorum, ſi quis ad tantũ numerũ conferat, iam aliquam mutationem vetuſtiori Cinnamomo factam obſeruaui. Quo tempore ſiquidem Antonino Imperatori theriacam paraui, vaſa lignea, in quibus eiuſdem generis Cinnamomum inerat, multa conſpexi, alia Traiani, quædam Adriani, nonnulla Antonini, qui poſt Adrianum imperator fuit, ætate repoſita: omniaq; hæc ſeſe & saporis, & odoris imbecillitate, vehementiaq; tantum planè ſuperabant, quantum & tempore differebant.

Cinnamomũ è barbarorũ terra Romã allatum.

Olim è barbarorum terris arca cubitos quatuor & medium longa, Romam perlata cùm fuiſſet, in qua Cinnamomi primi generis integra arbor erat, ex eoq; Marco Antonino Imperatori antidotum quandam compoſuiſſem, ipſam cæteris multum præſtare deprehendi, adeò vt Imperator quoq; ea deguſtata medicinæ concoctionem, velut in aliis fieri ſolet, expectare noluerit, ſed ſtatim ea vſus ſit nondum integrè duobus menſibus elapſis. Antonino ſubſecutus eſt Commodus, qui nec theriacæ, nec cinnamomi curam vllam habuit, ſub quo non ſolùm arboris illius, quod ſuperfuerat, omne diſſipatum eſt, verũ etiam quodcunq; poſt Adriani tempora comportatum fuerat. Quo factum eſt, vt nunc Imperator noſter Seuerus, cùm me ſibi antidotum eo modo conficere iuſſiſſet, quo Antonino confeceram, ex Cinnamomo Traiani, & Adriani tempore repoſito ſumere coactus ſim, imbecillioraq; planè mihi viſa ſunt, & tamen nondum anni triginta interceſſerant.

Cinnamomi optimi notæ.

Hic nos optimi Cinnamomi notas quaſdam neceſſarias ſubiicere volumus, ipſum ſcilicet ſummopere benè olere, inexplicabilemq; præ cæterũ bonum quendam odorem ſpirare, ac calidum guſtantibus ſe multùm exhibere, non ita tamen vt mordicando triſtitiam palato inferat: colorem denique talem habere, qualem ſi quis lacti nigrum colorem admiſceat, atque cærulei, quem vocant, aliquantulum addat. Ex hoc igitur quantum volebam, vt mos mihi fuit, cum accepiſſem, ramuſculos paucos apud me repoſui in ea apotheca, in qua res meas omnes pretioſas ſeruabam: verùm ipſa combuſta, qua tempeſtate & delubrum pacis incenſum eſt, & hæc, & aliæ quinque Cinnamomi ſpecies, quas mihi conquiſieram, periere. Nunc itaq; cùm Imperatori noſtro Seuero theriacam componerem, ex Cinnamomo Adriani tempore repoſito, quod optimum viſum eſt elegi, de quo etiam vtile quiddam lecturus ſubdere cùm poſſim, id facere non grauabor. Superſunt adhuc ibi multa vaſa lignea, quæ omnia habent plurium radicum, vel plurium ramorum, vel vt quiſpiam dicere velit, Cinnamomorum differentias: nullum tamen veluti truncus, in ramos plures diuiſus attollitur, ſed veratri vtriuſq; figuram præ ſe fert, atque etiam magis damaſonij vocati, quod è Creta ad nos adfertur.

Longitudo ramorũ cinnamomi.

Quæuis autem Cinnamomi ſpecies ab vna radice, ceu frutex quidam paruus conſurgit, emittitq; hæc ſex, illa ſeptem virgulta, vel paulò plura, pauciorave, non æquali tamen omnia longitudine ſunt, verùm quod maximum eſt, pedis Romani dimidium non excedit. Vniuerſa autem Cinnamomi natura ſimilis eſt quodammodo optimæ caſſiæ. Hactenus de Cinnamomo Galenus. Cuius verba hic recenſere libuit, vt omnibus palam ſit, quod cum ſub iis tam magnis Imperatoribus, qui toti ferè orbi imperabant, tanta eſſet Cinnamomi penuria, admirari non debeamus, ſi ſe nobis penitus incognitum, rariſſimumq; reddiderit.

Cinnamomi penuria vnde ſit.

Sed potius id mirum fuerit, quod cum hac ætate caſſia plurimum afferatur, quæ vt Theophraſtus, & Plinius inquiunt, naſcitur iuxta cinnamomi campos, ſed in montibus, Cinnamomi tamen nihil importetur. Quare non deeſt ſuſpicio, quin omne ferè Cinnamomi genus deperierit in Arabia, quemadmodum & balſamum in Iudæa, quandoquidem ſcripſerit Plinius lib. XII. cap. XIX. combuſtas iam eſſe plurimas Cinnamomi ſyluas, his verbis. Cinnamomi pretia fuere quondam in libras denariorum mille: ſed poſtea auctum id parte dimidia eſt, incenſis (vt ferunt) ſyluis, ira ne barbarorum id acciderit, an ob iniquitatem præpotentium forte, non ſatis conſtat: Auſtros ibi tam ardenter flare, vt æſtatibus ſyluas accẽdant, inuenimus apud auctores. Quo fit, vt facilè credi poſſit à Plinij æuo id, quod Cinnamomi reliquum erat, pariter vel barbarorum bello, vel igneis flatibus deperiiſſe. Nam ſi aliter res ſe haberet, qui caſſiam ad nos deferunt, cum multò plus lucri ex Cinnamomo, quàm ex caſſia ſe conſecuturos ſciant, Cinnamomum etiam vnà cum caſſia veherent. Hæc autem dixiſſe volui, non vt hac in re certi aliquid, exploratiq; habeam, cum tantùm coniecturis agam, ſed vt aliis vlterius explorandi latius pateat iter.

Cinnamomũ in India, Straboni.

Cæterum Strabo non modò cum Theophraſto, Dioſcoride, Galeno, Plinioq; cinnamomum in Arabia naſci ſcribit, ſed etiam in India, ea ſcilicet parte, quæ ad auſtrum vergit: quippe cùm hæc Arabiæ, & Aethiopiæ ſole perſimilis ſit, ea omnia (vt ipſe ait) gignit aromata, nempe cinnamomum, caſſiam, & alia, perinde ac illa.

Cinnamomũ auis Ariſtot.

Atqui naſci in Arabia Cinnamomum teſtatur Ariſtoteles libro nono cap. decimoquarto de hiſtoria animalium his verbis. In Arabia Cinnamomus auis appellatur, quã ſurculos Cinnamomi portare, ac nidos ex his conficere aiunt: nidificat excelſis arboribus & ramis, ſed incolæ ſagittis plumbatis nidum petunt, atque ita diſcuſſum in terra Cinnamomum legunt. Hæc ille: quæ quidem Iulio Solino pariter tradita ſunt cap. XIII. de Arabia ſcribens, atque id etiam addit, Cinnamomum hoc pretiis vendi amplioribus, quòd magis quàm aliud mercatores probent, ac etiam auem ipſam non Cinnamomum, ſed Cinnamulgum appellat. Veruntamen cur nec inde ad nos afferatur, an quod etiam ibi perierit, an aliam ob cauſam, ij manifeſtius referant, qui hoc tempore liburnicis eò ad aromata conquirenda quotidie nauigant. Sed videtur Galenus ſatis perplexè de Cinnamomo ſcriptitaſſe, quippe primùm arcam Romam delatam prodidit è barbarorum regione longitudine cubitorum quatuor cum dimidio, in qua integra cinnamomi arbor erat, quibus omnino denotat Cinnamomum eſſe arborem. Deinde verò vnamquamq; Cinnamomi ſpeciem ſcribit, ab vna radice, ceu frutex quidam paruus, conſurgere, adeò vt maiora eius virgulta dimidium Romanum pedem non excedant: quibus proculdubio fatetur, Cinnamomum eſſe in paruorum fruticum genere. Vnde certè neſciuerim ego explicari, quid ſibi hac in hiſtoria voluerit Galenus, præſertimq; cum tam tenui ipſum ſarmento eſſe tradiderit, vt veratri, vel damaſonij radicibus comparauerit. Sed illud etiam mirum mihi videtur, quod ex caſſia (vt ipſe ait) Cinnamomum oriatur, ſpectenturq; nonnunquam caſſiæ arbores integræ, in quibus aliqua cinnamomi virgulta è caſſiæ ramis prodeant, cùm tamen Cinnamomum, & caſſia diuerſæ inter ſe ſint plantæ. Niſi fortaſſe inter vtranq; tanta ſit generis cognatio, vt aliquando inuenta ſint caſſiæ virgulta tanta

odoris

odoris ſaporiſq; fragrantia, vt omni ex parte Cinnamomum referrent, etſi legitima fuerit caſsia. Præterea non deſunt, qui putauerint hac Galeni auctoritate freti, caſsiam & cinnamomum ex vna, & eadem arbore prouenire, quæ dum pumila ſit, cinnamomum edat, dum verò adoleuerit, caſsiam: ſed cùm dicat Galenus, caſsiam mutari in cinnamomum, nō autem cinnamomum in caſsiam, cadit eorum ſententia. Quibus etiam refragatur Theophraſtus lib. 9. de plantarum hiſtoria cap. 5. vbi caſsiam, & cinnamomum oſtendit diuerſas eſſe plantas: licet de earum forma, & proceritate nihil certi exploratíque affirmet. Quandoquidem initio capitis, non ex ſua, ſed aliorum ſententia ſcribit, cinnamomū & caſsiam frutices eſſe magnitudine amerinæ: deinde verò alios etiam ſecutus auctores, cinnamomum fruticoſum facit. Cæterum cùm ſcribat Strabo Arabes cinnamomo, & caſsia vti ad ignem parandum, cæterorum lignorum loco, videntur hæ plantæ non eſſe adeò pumilæ, vt quidam ſcribunt. Quod de caſsia facilè dici poteſt: ſiquidem Venetiis caſsiæ cannellæ vocatæ fiſtulæ viſuntur tantæ craſsitudinis, longitudiniſque, vt facilè quiſque iudicare poſsit eas è ramis, ſeu virgultis non ſanè breuibus fuiſſe decerptas.

*Quorundam error, caſsiam & Cinnamomum eiuſdē arboris exiſtimantium.*

Cinnamomi denique ſex genera eſſe produntur à Dioſcoride, & Galeno: ſed is nullibi (quod ſciuerim) præterquam in libro de theriaca ad Piſonem, quem tamen librum ſpurium putamus, ea per genera deſcripſit, fortaſſe (vt ſolet) Dioſcoridi ſe remittens, qui etiam tantùm à locis, vbi naſcuntur, plus minuſve præſtantiæ huic, quàm illi reddidit. At Theophraſtus citato nuper loco longè aliter cinnamomi differentias haberi ait, his verbis: Cinnamomum decerptum in quinas partes diſcerni narrant, & eſſe præcipuæ bonitatis, quod germinibus proximum fuerit: idq; palmi longitudine cædi, aut paulò maius. Secundū quod ſequitur, quod etiam minus caſura eſt. Tertium deinde, & quartum notatur. Vltimum verò, quod deterrimum, proximumq; radici: hoc enim minimum corticis habet, in quo ſumma gratia eſt, non in ligno, qua de cauſa præferri cacumina ſolent, quòd corticis plurimum habeant: quidam ſic aiunt. Alii verò Cinnamomum fruticoſum enarrant, eiuſq; genera duo, alterum nigrum, alterum candidum: hæc Theophraſtus.

*Cinnamomi ſex genera Galeno.*

*Cinnamomi differētiæ ex Theophr.*

Veruntamē cū nec is hac in hiſtoria aliquid conſtanter, affirmanterq; ſcribat, Imperatorem, Regemue quempiam deſiderarem, qui humanam Rempublicam miſeratus, explorandi Cinnamomi gratia in Arabiam, & Indiam mitteret, magnanimoſq; illos imitaretur Imperatores, qui ipſius Galeni æuo ex iiſdem regionibus ſibi Cinnamomum comparabant. Id enim Cæſar noſter Carolus quintus, ſi illi Deus opt. max. Chriſtianam remp. pacatam redderet, commodè conſequi poſſet: vel fortaſſe commodius Rex Luſitanus, qui in orientalem Indiam ſæpe ad aromata conquirenda ſuas liburnicas mittit, quo in itinere vniuerſas felicis Arabiæ oras explorare poſſet, quemadmodum & vniuerſam Indiæ partem, quæ ad auſtrum ſpectat, vbi inquit Strabo Cinnamomum pariter naſci. Sed ò clariſsimi Luſitaniæ medici, ſi res medica vobis cordi eſt, ſi noſtram cupitis ditare facultatem, medicumq; nomen extollere, ſi charitas vos tenet, ſi naturalis humani generis iuuandi amor vobis inſitus eſt, iamiā prouinciā hanc ſuſcipite. Quippe ſi princeps veſter hinc ſibi immortale nomen, vniuerſæ verò reipublicæ commodum per quàm maximū comparare poſſe à vobis intellexerit, cum omni pietate ac magnanimitate (vt audio) præditus ſit, nulli dubium eſt, quin omne ſtudium, auxiliumq; impendat, vt non modò Cinnamomum ipſum reuocetur in lucem, ſed & alia fortaſſe pleraque medicamenta, quibus antiqua medicorum familia ſuas illuſtrauit antidotos.

*Exhortatio ad Luſitanos Medicos.*

Porrò tametſi hactenus illud mihi abundè probatum eſſe videatur, quòd caſsiam veram habeamus, deſideremus autem optimum & legitimum cinnamomum, ſunt tamen hac ætate ſcriptores, qui non caſsiæ ſolùm, ſed etiam cinnamomi genera inueniri tradunt, inter quos extat Fuchſius, qui libro illo de compoſitione medicamentorum, quem locupletatum poſtremò edidit, de cinnamomo differens, ita ſcribit. Sed haud dubiè in capſis cannella refertis, & caſsiæ, & cinnamomi genera reperiuntur, quare delectu opus erit, qui illa diſtinguere velit: diſtinguet autem notis vtriuſque diligenter expenſis. His nimirum verbis Fuchſius cinnamomum nobis verum non deeſſe aſſeuerat. Sed quibus id rationibus, aut auctoritatibus comprobet, non video: niſi hoc acceptum referat Amato Luſitano, qui eò amentiæ deueniſſe videtur in ſuis enarrationibus, quas in Dioſcoridem ſcripſit, vt apud nos cinnamomi genera inueniri, atque etiam illud aroma notiſsimum eſſe contendat. Verùm huius ineptias ac vanitates plurimas alibi perſequimur, vbi nos ab eius calumniis defendimus: hîc enim quod de materia medica ſentimus, & ingenuè profiteri poſſumus, libenter ſcribimus. Quare ea ſit noſtra de Cinnamomo ſententia, quæ à nobis antea fuſius probata eſt, quàm modò oporteat pluribus Fuchſium refellere, quem tamen doleo maiorem fidem præſtitiſſe Luſitani illius ineptiis & mendaciis, quàm virum peritū deceat.

*Fucſii opinio reprobata volentis & Caſſiæ & Cinnam. genera inueniri.*

*Amati opinio cinnamomum notiſſ. refutatur.*

Cæterùm illud tantùm addam, quòd nobis, qui Cinnamomum lignum non corticem eſſe oſtēdimus, mirari quidem ſubit Fuchſium, qui libro ſuprà citato eodem loco paulò pòſt, contrarium ſcripſit, vt eius verba, quæ ſubiiciam, apertè teſtātur. Cinnamomum, inquit, quod nobis Zeilam inſula mittit, cortex eſt arboris quatuor ferè cubitorum altæ, craſsitudinis brachialis, ſex vel ſeptem è trunco mittentis ramulos, qui ſingulis annis amputātur, atque iterum pullulant: quorum cortex, qui cinnamomum eſt, ſit tenuis, odoratiſsimus, guſtatu acris, & valdè mordax, non tamen adeò vt moleſtè rodat, mā-ſum rutam oleat, &c. In hanc, meo quidem iudicio, vanam opinionem Fuchſius non ſecus atq; in ſuperiorem veniſſe deprehenditur, ſecutus Amatum Luſitanum, qui eandem ferè prius, quam ille poſt cinnamomo effigiem reddidit, quanquam eā à quodam accepiſſe fatetur.

*Fuchſius ſibi contrarius.*

Cinnamomi vires ſcribit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Cinnamomum ſummè tenuium eſt partium, non ſummè tamen calidum, ſed ex tertio ordine. Nihil autem æquè deſiccat eorum, quæ pari ſunt excalfaciēdi facultate propter tenuitatem ſcilicet eſſentiæ. At Cinnamomis eſt velut imbecillum cinnamomum, nonnulli ipſam pſeudocinnamomum nuncupant. Meminit & caſsiæ eodem libro citato, vbi ſic habet: Caſsia exiccat, & excalfacit tertio quodammodo ordine, ſed & tenuium admodum eſt partium, guſtu verò plurimùm in ſe acris deprehēditur, leuiter quoque nonnihil adſtringens. Quamobrem ob hæc omnia incidit, ſimulque digerit, quæ in corpore ſunt recrementa & ad hæc robur etiam inſtrumentis addit. Idoneum verò etiam ſuppreſsis menſibus cum videlicet à copia ſimul & craſsitudine excrementorum, quod ſufficiat, euacuari nequit: hactenus Galenus.

*Cinnamomi vires ex Gal.*

*Cinnamomis quid.*

*Caſſiæ vires ex eodem.*

Cæterùm ex vulgari cinnamomo fit aqua ſtillatitia, quæ & odore & ſapore idipſum pulchrè repræſentat, eam autem extrahendi ratio hæc eſt. Sumito dicti cinnamomi quantum licet optimi libram, idque leuiter contuſum in vas vitreum vel æneum, quod matulæ formam referat, coniicito: dein aquæ roſarum ſtillatitiæ libras quatuor, & vini albi odorati ſeſquilibram infundito, vas illud in balneum aquæ tepentis & non feruentis imponito, atque inibi ore vaſis prius obturato, vigintiquatuor horis macerari ſinito: poſt id tempus vitreo organo roſtrato, quod ab effectu galerum vocant, vas antedictum cooperito, & igne fornaci ſuccenſo, per balneum aquæ feruentis aquam ſtillatitiam elicito, (verùm canna ſtagnea vel vitrea, quæ duorum circiter cubitorum longitudinem expleat, organi vitrei roſtro admouenda inſerendáque eſt) illi poſtremò vas vitreum ſubiicito, quod manantem aquam excipiat: inſuper prouidendum eſt, vt omnia vaſorum orificia diligenter obſtruantur, ne quid expirare poſsit.

*Cinnamomi vulgaris aqua ſtillatitia vt conficienda.*

Hæc aqua contra omnes ægritudines, quas frigus excitauerit, efficax eſt: vtpote quæ pituitam humorúmque lentitiam digerat, incidat, & abſumat, flatúſque diſcutiat. Priuatim verò ventriculum, iecur, lienem, cerebrum, neruóſque iuuat & roborat: animi deliquio, cardiaciſque affectibus præſentaneo remedio ſuccurrit: venenis, veneno ſorúmque animalium morſibus aduerſatur: menſes pellit, & vrinam ciet: cœliacis auxilia-

*Vires aquæ Cinnamomi vulgaris.*

Mo. Bot. Garden.



tur:

## VI. CASSIA SOLVTIVA.



Caſſiæ ſolutiuæ conſideratio.

Aegyptiæ ſiliquæ hiſtor.

Caſſia ſolutiua, quæ præſtantior.

Caſſiæ ſolutiuæ vires.

tur: nauſeam ſedat, & faſtidium abigit: vteri morbis perquã vtilis eſt: prodeſt ſuſpirioſis, reſolutis, conuulſis, & comitiali morbo laborantibus: guſtui gratiſſima eſt, atque oris halitum commendat. In ſumma vbi excalfacere, aperire, incidere, digerere, & roborare ſit opus, huius aquæ vſus maximam præſtat vtilitatem.

Veruntamen quoniam nec Dioſcorides, nec veterum Græcorum quiſquam meminit CASSIAE SOLVTIVAE dictæ, quæ hoc tempore ad citandam aluum frequentiſſimè vtuntur medici, quámque Aegyptiam ſiliquam recentiorum quidam appellant, ne hæ noſtræ lucubrationes tam nobili, tam præſtanti, támque humanæ ſaluti neceſſario medicamento deſtituantur, diſſeram hic de eo, quicquid ex Mauritanis compertum habeo. Aegyptia itaque ſiliqua arbor inter valde proceras annumerari poteſt. Huius materies ſolida, compactáque viſitur, corticetenus buxeo colore, medullitus verò nigra, non ſecus ac ebenum, ſiue guaiacum, radicibus magnis, recens grauiter olet, ſicca tamen minimè. Folio conſtat ſiliquæ, ſed magis in acutum tendente, cortice cineritio, radicibus magnis iuglandis modo: à ramis ſiliquæ pendent, ſeſquicubitales, prælongæ, teretes, denſæ, ligneo putamine, ſed tenui ac fragili, & cùm maturitatem ſenſerint, colore in rubrum nigricante: hæ nigra, dulcíque replentur medulla, leni ac lento cremori ſimili, non tamen vt in oſſibus continua, ſed crebris lignoſiſq́; membranis diſtincta. Inhæret vnicuique membranæ ſemen durum, ſiliquarum ſemini adeò ſimile, vt alterum ab altero diſcerni non poſſit, ex quo eum non erraſſe putauerim, qui crediderit, has plantas eſſe congeneres. Eligenda eſt, quæ ex Memphi, & Alexandria Aegypti conuehitur, non admodum craſſa, pellucens, recens, grauis, farcta, & quæ concuſſa, incluſis ſeminibus minime conſtrepit. Pulpa excalfacit, & humectat ordine primo. Eadem lenit, reſoluit, ſanguinem mundat, biliſq́; feruorem extinguit: aluum item commodiſſimè citat, eiuſq́; vis ventriculum non pertranſit: quapropter ſecuriſſimè datur à medicis inchoantibus febribus, aliiſque calidis morbis ante venæ ſectionem, quòd tantum ventriculum repurget, & aluum emolliat. Nocet tamen inteſtinorum imbecillitate affectis, & his, qui admodum lubrici ſunt, aliàs omnino habetur innoxia: tollitur id noxæ admiſtis myrobalanis, rhabarbaro, nardo, & maſtiche. Conſtipatis ſi detur, augenda eſt eius facultas iis, quæ magis eadem vi pollent: proinde ſunt, qui addant amygdalinum oleum, & pſyllii ſpiſſamentum: vrinæ difficultatibus mirificè auxiliatur, ſi cum vrinam cientibus medicamentis hauriatur, vel deuoretur. Aegrè aluum excernit, eáque propter nonnulli roborant eius vires, addito hyſſopo, vel caprino ſero. Bilem, & pituitam excernit, nullo ſanè incommodo: pectus, & fauces mulcet, & eorum inflammationes reſoluit: renes à calculis, & ſabulo expedit: præſertim ſi cum glycyrrhizæ decocto, aliiſve medicamentis vrinam cientibus bibatur: quinetiam frequenter deuorata calculos renaſci prohibet: quinimo ſunt, qui affirment, ſi quis quotidie ante prandium ternas pulpæ caſſiæ drachmas deuorauerit, is nunquam calculos in renibus gignet, & à ventriculi doloribus, & apoſtematibus ſe perpetuò tuebitur: admodum præter hæc calidis confert febribus. Cæterùm exterius illita eryſipelas extinguit, cæteraſque inflammationes, quæ cutétenus emergunt. Sunt è recentioribus medicis, qui eam nunquam ſuis ægrotantibus exhibeant, niſi picræ puluerem admiſceant, quod conſulto factum exiſtimo, præſertim vbi ventriculi, & inteſtinorum imbecillitas adſit. Quæ Græcis κασσία, Latinis item Caſſia nominatur: Arabibus, Selicha, Selche, aut Selibacha: Italis, Caſſia, atque etiam Italorum vulgo Cannella: Germanis, Zimmet, ſeu Zimmet rörlin: Hiſpanis, Canela: Gallis, Canelle. Quod verò Græci κιννάμωμον, Latini quoque Cinnamomum dicunt: Arabes, Darſeni: Itali, Cinnamomo. Germani Zimmetrind: Bohemi, ſkorice. Caſſia ſolutiua, ſiue Aegyptia ſiliqua: officinis ſimpliciter Caſſia: Italis, Caſſia: Gallis, Caſſe laxatiue: Bohemis, Caſſia.

Nomina.

CNEORVM Matthioli, Cluſ. Pann. Cam: hor. Cneorum album Matthioli, & Oleander Syluestris Auicennæ, Lugd. Caſſia Matthioli, Chamælææ ſpecies, Taber. hanc fortè Thymelęæ minoris nomine, Cordus in ſua hiſtoria exprimere voluit. II. Caſſia παρὰ τὸ χάσαι, quaſi κοσμοῦσαν διὰ τῆς εὐοσμίας τὰς αἰσθήσεις, quod ſenſubus fragrantiam largiatur. Quam veteres Caſſiam vocarunt, credimus officinarum eſſe Cinnamomum, quod vulgo Canella. Eſt autem Cinamomum cortex arboris lauro non abſimilis, præſertim foliis, cuius baccæ lauro ſimiles ſed minutiores, albicantes: huius rami ſingulo triennio ab incolis inciduntur, (truncus enim quo nouos ſtolones proferat, aſſeruatur) qui delibrantur: cortex detractus fiſtulam repræſentãs (vnde vulgo Canella) Cinnamomum vocatur: qui poſt tres menſes à delibratione odoratiſſimus ſuauiſque redditur. Cuius, ratione craſſitiei & bonitatis, differentiæ plures, ſiquidem præſtent anguſtiores & leuiores fiſtulæ, odoris ſuauitate & ſaporis dulcedine. Quibus verò fiſtula maior & aſperior, iis pro dulcedine aſtrictio linguam exſiccans ineſt, & minor odoris fragrantia. Adfertur ex India, eius namque maxima copia in Zeilan inſula Indici maris prope Æquinoctium. Plura, qui volet, legat Ludouicum Romanum & alios. Dicitur Cinamomum, Cord. in Dioſcorid. Caſt. Tab. Lonic. (cui & Caſſia odorata) Cæſalp. cui & Cinnamum. Canella, Cluſ. in Garz. Lugd. cui & Caſſia lignea Græcorum. Caſſia, Lob. Garz. & Theueto, cui & Cinamomum & Canella. Quod verò officinæ communiter pro Caſſia exhibent, nil aliud eſſe videtur quàm Pſeudocaſſia

Dioſcoridis

Dioſcoridis & fortè Caſſia fiſtula Andromachi iunioris apud Galenum 1. de Antidotis, licet alii corticem Caſſię Monſpeliacę, cuius iconem addidimus, eſſe velint. Verùm cum Gal. 1. de Antid. teſtetur Caſſiam in Cinamomum, & Cinamomum in Caſſiam tranſire, habeatque noſtrum cinamomum officinarum vires Caſſiæ veterum, eius loco vſurpari poteſt & debet. Loco verò cinamomi veterum, imitati Dioſcoridem & Galenum, duplum noſtri cinamomi optimi ſubſtituamus: ſic compoſitionibus xylocaſſiam, ſiue caſſiam ligneam, ſiue odoratam poſtulantibus, cinamomum noſtrum in pari doſi immiſceatur, qua de re plenius in tractatu de materia medica in officinis vſitata agemus.

III. Xylocaſſiæ poſita figura, ſiquidem Matthiolus moneat odoratæ caſſiæ loco multos ſegmentis incognitæ arboris vſos eſſe. Huius, Xylocaſſiæ nomine, meminere Cordus in Dioſcoridem, Lobelius & Lugdunenſis hiſtoria: fortè Pſeudocinamomum Dioſcoridis. IV. Xylocaſſia ſubnigra Lobelo dicta, ea eſt cuius Matthiolus meminit caſſiæ fiſtulæ Andromachi nomine: quam & Cordus in Dioſco. Caſſiæ ſyringitis nomine expreſſiſſe videtur. V. Caſia Monſpelliaca frutex paruus eſt, ex radice dura lignoſa, ſubruffo craſſoque cortice valde adſtringente tecta, virgas emittit cubitales, nonnunquam altiores, tenues, lentas, ſtriatas, ex viroré nigricãtes, per quas folia lini rariora, at ſucculenta, guſtu amaro ſparguntur: flores muſcoſi ex herbaceo flaueſcẽtes corni æmuli, ad foliorum exortum prodeunt: quibus ſuccedunt fructus pedicellis inſidentes ſinguli, myrti æmuli, virentes primò, at maturi Aſparagi fructui ſimiles, in quibus oſſeus nucleus, medullã candidam dulcem continẽs, ipſa verò pulpa lenta, ſubdulcis primùm, dein acrimoniæ aliquid exhibens. Hanc in agro Monſpelliaco frequentem obſeruauimus: quamuis & in agro Romano & Hiſpania vulgaris ſit. Caſiam poëticam vocitabant. Cenſent aduerſaria eſſe Caſiam Theophraſti, quæ in Dioſcoride deſit: verùm nec Virgilii, nec Hygini eſt, quam odoratam dicunt. Oſyridis Plinii notas aliquas habet. Dicitur Caſia Poëtica Monſpellienſium Aduer. Lob. icon. & Cam. Caſia quorundam, Cluſ. hiſp. (cui & oſyris quorundam & Polygonum Placcæ, Plinii) Tab. Caſſia lignea officina. Cæſ. Caſſia lignea maritima, quibuſdam Geniſtæ marinæ ſpecies, Lugd. Radicis cortice ſunt qui ad obſtructiones hepatis vtantur. VI. Caſſia fiſtula purgatrix: cuius inuentionem Arabibus tribuunt, & ex recentioribus Græcis Actuario 5. de compoſ. med. κάσσια μέλαινα dicitur: an hãc intellexit Theophraſtus cùm ſiliquas quaſdam Ficus Ægyptias appellari ſcribit? Caſſia fiſtula Arabum, Caſia nigra Græcis recentioribus, Faba Indica Ariſtobulo, Cord. in Dioſc. Caſſia fiſtula Dodo. gal. Lacu. Loni. Caſtori, Alpino, Taber. Siliqua Inda, Geſ. hort. Cord. hiſt. Caſſia purgatrix, Lob. ob. Siliqua aut Caſſia purgatrix Arabum Carrobiis ſimilis, Lob. icon. Caſſia nigra, Dod. Canna fiſtula, à Coſtæ. Caſſia Ægyptia ſiue purgans, Cam. hort. Caſſia ſolutiua Monardis, Garziæ. Caſſia, Cæſalp. ſiliqua ſiue Caſſia Cathartica, Lugd. Hæc Caſſia cùm non ſit aromatica, ſecundùm methodum Dioſcoridis huc referri non debet, ſed inter arbores, quæ fructum ferunt edulem, nimirum ad ſiliquæ Dioſcoridis caput.

V. CASIA MONSPELLIACA.



## Ἄμωμον. AMOMVM. CAP. XIIII.

AMomum [exiguè fruticat, ex ligno ſe conuoluẽs, in racemi modum: flore, ceu candidæ violæ, paruo: foliis bryoniæ ſimilibus.] Laudatur quàm maximè Armeniacum, colore ad aurum vergens, ligno ſubrufo, abunde odorato. Medicum, quoniam in campeſtribus, & aquoſis enaſcitur, infirmius eſſe conſtat: eſt autem magnum, ſubuiride, tactu tenerum, frutice venoſo, odore origani. Ponticum verò ſubrufum, a paruum, fragile, racemoſum, fructu turgens, & odore nares feriens. Deligito recens, candidum, vel ſubrubrũ, quod nec adſtrictum cohæreat, nec conuoluatur, ſed ſolutum diffundatur, ſemine plenum, vuis paruis ſimile, graue, valdè odoratum, modò cariem non contraxerit, acre guſtu, mordens ſimplici colore non euariante. Vim habet calfaciendi, adſtringendi, exiccandi: Somnum allicit, & illitũ fronti, doloris ſenſum aufert: inflammationes, & meliceridas concoquit, diſcutitque: iuuat quos ſcorpius percuſſit, ex ocimo illitum: & podagricis confert: inflammationes oculorum, viſcerumque lenit ex vua paſſa: ad vuluarum vitia in peſſis, aut inſeſſionibus vtile eſt. Decoctum iocinori, renibus, podagræ, potu conuenit. Antidotis immiſcetur, & pretioſiſſimis vnguentis. Adulteratur Amomum herba ſimili, quæ Amomis vocatur, ſed ſine odore, ſine fructu. Naſcitur in Armenia, flore origani Quare in huiuſcemodi rerum probationibus fragmenta fugienda ſunt: eligenda autem, quæ ab vna radice ſuos integros ſurculos emittunt.

*Concluſa nõ legit Oribaſius.*

*a Meum [illegible] non longum.*

T*Anta medicorum, qui nos præceſſerunt, in ſimplicium medicamentorum hiſtoria, & facultatibus ignorantia, ſegnitiáque extitit, vt niſi Deus opt. max. acerrimi, & ferè diuini ingenii viros, hac ætate nobis produxiſſet in lucem,*

*Amomi conſideratio.*

*qui præter id, quod vniuerſam medicam facultatem ab erroribus ſanè innumeris expurgauerint, eandemq́; illuſtrauerint, vera quidem ſimplicia medicamenta inueſtigarunt: minimè profectò verendum fuerat, quin paruo temporis tractu ars medica penitus ſubuerſa, extinctaq́; remanſiſſet. Et certè ſi longiori tempore res ita ſe habuiſſet, nulli dubium eſt, quin huiuſce facultatis cognitio in auram euolaſſet, quandoquidem hæc peſtis radices tam in altum fixerat, ac tam latè ſe diffuderat, vt tametſi nonnulli ingenio & doctrina præſtantes plurimùm inſudauerint, omneq́; ſtudium, & operam quam diligentiſſime impenderint, quo errores, qui ignauia & negligentia emerſerant, à re medica excluderentur, eos tamen hactenus radicitus euellere nequiuerunt. Siquidem non deſunt, qui (quamuis haſce percipiant rationes) malint ſuos proſequi abuſus, omni ex parte deteſtandos, quàm candidiſſimæ inhærere veritati. Quo fit, vt vnà cum aliis innumeris ſimplicibus medicamentis etiam legitimo Amomo careamus: cuius vice quidam ſtirpium impoſtores ex Gargano Apuliæ monte profecti, pumilum quoddam ſemen ſupponunt, colore nigro, odore melanthii. Quod cùm tantillum aromatis reſipiat, & guſtu acri deprehendatur, excogitarunt, vt facilius ipſum corraderent, in hominum animis inducere, id proculdubio legitimum eſſe Amomum: quod tamen (ſi Dioſcoridi fides eſt adhibenda) ſemen edit vuarum racemis ſimile, non autem minutum, quale illud viſitur. Inſuper mihi ſanè non conſtat, Dioſcoridem ſemen in Amomo approbaſſe, ſed potius ligneam arbuſculæ materiem, vt in cinnamomo & caſſia videre eſt, quo fit, vt legitimum Amomum lignum potius, quàm ſemen exiſtimauerim. Sed & turpiter aberrant, qui Serapionis interprete decepti, herbam Pedem columbinum quibuſdam vocatam, quæ geranii præ ſe fert ſpeciem, Amomum eſſe contendunt, & in Amomi locum ſubſtituunt, nullam de his hiſtoriam inquirẽtes. Cæterùm Amomum, quod iure probari poſſit, nullibi (quòd ſciuerim) in Italia prouenit, nec eò aliunde translatum hactenus videre potui, præter quam illud vuæ modo racemoſum, baccis piperi æqualibus, quod à Franciſco Calceolario ſuperiori anno ſum conſecutus, dum ille ſuam theriacam, iure optimo præ cæteris extollendam, parabat. Atqui cùm omnibus haud conceſſum ſit vt legitimum Amomum conſequi queant, acorum (vt Galenus docuit) in eius loco ſubſtituendum erit.*

Amomũ ſpurium.

Serapionis interpretis lapſus, in Pede columbino.

ROSA HIERICVNTEA VIRIDIS. ROSA HIERIC. ARIDA.





*Porrò & hi omnino explodendi ſunt, qui pro certo aſſerere non verentur, eam ſtirpem eſſe Amomum, quam Hiericunteã à Hierico Palæſtinæ oppido appellant: plantam hanc plerunq; ad nos è Hierico deferunt ii, qui ad ſanctiſſimum* REDEMPTORIS *noſtri ſepulchrum peregre proficiſcuntur. Ea enim eſt, quam noſtrates mulieres roſam diuæ Mariæ vocant. Cõſtat hanc amomum non eſſe, quòd folia alba vitis non proferat, nec vllo ſpiret odore. Legitimum enim valde odoratum eſt, adeò vt nares feriat primo ſtatim occurſu, origanumq; reſipiat. Cordus libello de conficiendis pharmacis ſatis inconſtanter de Amomo diſſeruit, quippe in compoſitione aureæ Alexandrinæ pro certo aſſerit Amomum verum eſſe roſam Hiericuntiã: in compoſitione verò theriacæ, ſui ipſius oblitus, habere nos Amomum negat. Vtuntur Hiericuntea noſtrates mulieres tempore partus ad inueſtigandam pariendi horam, quãdoquidem (vt ipſæ fatentur) in aquam demiſſa non prius ſathiſcit, quã fœtus naſci incipiat: tanta inter Chriſticolas irrepſit ſuperſtitio. Fuchſius in libro de componendis medicamentis, quem nuper locupletatum edidit, dum ea ſimplicia examinat, quæ Theriacam ingrediuntur, cò productus, vbi Amomi racemoſi carmine meminit Andromachus ſenior, omnes Galeni interpretes inſimulat his verbis: Botryos, Græce eſt βότρυος. In hac voce interpretanda omnes Galeni, qui hanc compoſitionem tradit, interpretes hallucinati ſunt, ſiquidẽ Andernacus libro primo de antidotis, vuæ conuertit: alii omnes, & cum iis Cordus, racemoſi, βότρυος vocem cum Amomi dictione, quæ præcedit, cõiũgẽtes, quaſi verò Andromachus de Amomo racemoſo locutus ſit: quod certè Dioſcorides nõ βότρυν ſed βοτρυώδες appellat. Separandæ igitur hæ duæ dictiones per interiectum cõma erunt, hoc nimirum modo, ἀμώμου, βότρυος, vt nos cõuertimus: vt intelli-*

Error quorũdam qui Hiericonteã roſam, Amomũ cenſent.

Cordus taxatur.

Fuchſii opinio reprobata, qui Botrym theriacæ miſcet.

*vt intelligamus Andromachum de duabus inter ſe differentibus herbis eſſe locutum, nempe Amomo, & botry: hæc ille. Ex quibus vtique abunde liquet Fuchſium ſenſiſſe, botryn quoque herbam, de qua Dioſcorides agit libro tertio, in theriacam addendam eſſe. Veruntamē in hoc nos à Fuchſio, viro alioqui doctiſſimo, planè diſſentimus: quandoquidem Andromachum non botryn, ſed Amomum racemoſum intellexiſſe putamus, idque non ſine rationibus, & coniecturis. Et ne longè progrediamur, in primis Andromachus ipſe ſenior Fuchſio apertè refragatur: illum enim non inuenio in ſuis carminibus, quæ libro primo de antidotis in Galeno leguntur, aliter de amomo cecinisse, quam καὶ βοτρυόεντος ἀμώμοιο: quæ quidem duæ dictiones non ita ſeparari poſſunt, vt Fuchſius opinatur: neque prior illud vnquam ſignificabit, quod idem perperam accipit. Ad hæc non minus, quàm ſenior, noſtræ ſententiæ adſtipulari deprehenditur iunior Andromachus: vtpote qui in tradenda theriaca compoſitione, quam ſoluta oratione deſcripſit, nuſquam (quod equidem legerim) botryn commemoret, ſed amomum tantum. Quòd etſi Damocrates in eadem antidoto deſcribenda carminibus, quæ loco citato à Galeno referuntur, cecinerit Βότρυός τ' ἀμώμου, hæ tamen duæ dictiones non ſunt temere, meo indicio, ſeparandæ: nam eas auctor conſultò coniunxiſſe videtur. Quid præterea de Galeno dicemus? etenim is quanquam libro antè dicto ſigillatim enumerat, ac diligenter expendit ſimplicia medicamenta, quæ in theriacam adduntur, tamen nuſquam (quantum inuenerim) botryos mentionem facit: neque etiam eius meminit de theriaca ad Pamphilianum ſcribens: quid, ſi eandem plantam apud Galenum in ſimplicium medicamentorum cenſu deſiderari omnibus notum eſt. Addam illud poſtremò quòd inter recentiores Græcos Paulus, & inter Arabes Auicenna botryn herbam theriacis non inſerunt ſuis. Quæ ſanè omnia noſtram augent, & confirmant opinionem: cui ſi illud obiiciat Fuchſius, quòd Nicolaus Myrepſicus in ſua theriaca botryn Gallicam habeat, reſpondebo ego, quòd Nicolai codex Græcus deprauatus eſt, & innumeris ſcatet mendis: id quod ipſe Fuchſius non negabit, quòd idem de Nicolai codice ſæpenumero pollicetur. Ex his itaque ſatis manifeſtum fieri arbitror, quòd vt Fuchſii ſententia, quæ theriacæ botryn adiicere contendit, refellenda eſt, ita Galeni interpretes, qui Amomum racemoſum vertunt, probandi ſunt, vt qui ſint cum Andromacho Dioſcoridem ſecuti: is enim Amomi Pontici notas perſtringens, ipſum racemoſum fecit, vt ſuprà in eius mentione legitur. Amomi meminit Galenus lib. 6. ſimpl. med. ſic inquiens. Amomum acoro ſimilem facultatem obtinet, niſi quòd acorum ſiccius ſit, maiore autem concoquendi facultate Amomum. Hoc Græco nomine ἄμωμον dicitur: Latino item Amomum: Arabico, Hamemis, aut Hamama: Italico, Amomo.* Amomi vires ex Galeno. Nomina.

AMOMI nomine diuerſæ proponuntur plantæ: alii pedem columbinum, Geranii ſpeciem, male: alii vt Ericius Cordus, Val. Cordus & Lonic. Roſam Hiericōteam: alii cubebas amomum dicunt, vt Cæſalp. alii vt Anguillara, piper æthiopicum, quod piper caudatum eſt: alii vt officinę, ſemen Siſonis aſſumunt: alia denique in notis in Garziam proponitur, quæ pedem columbinum refert. I. Officinarum Amomum ſemen eſt plantæ, quam Σίσων Dioſcorides lib. 3. cap. 55. nominat: quæ Ammomum Germanicum, & Siſon hortenſe Trago, Petroſelinum Macedonicum Fuch. Dod. gal. & fol. Lonic. Siſon Taber. Cam. hor. Lugd. figuram lib. 3. cap. 55. inuenies.

III. Amomum, Amomus.







II. Roſam Hiericunteam, Ericius Cordus in ſuo Botanologico, Val. Cordus Amomum Dioſcorid. Hiericonthidam Roſam & S. Mariæ roſam vocant. Roſa Hiericontea, Lob. Caſt. Garz. Amomis Dioſc. & Plinii & Roſa Hierici, Cæſ. Huius duæ ſpecies, altera lignoſa tota, fractu contumax, inſipida & inodora, altera lignoſa quidem ſed fragilior, aromatica, valdè odora, intus racematim concreto ſemine plena: & illud Amomis, hoc verò Amomum Cordo ſtatuitur. III. Has binas Cluſius adiecit ſuis notis in Garziam: quæ ex Ormus Arabiæ emporio Valerando ſub his nominibus (quæ & Lugd. & Taber. reſeruarunt) ſint miſſæ, verum neutrum addit Dioſcoridis & Plinii deſcriptionibus conuenire, conſtant enim (auctore Cluſio) hæc fragmenta aliquot ramulis, foliolis quibuſdam adeò frequentibus onuſtis, vt ex ſolis foliis conſtare videantur, quæ in extremo tali ordine ſunt diſtributa, vt roſulam efforment. Ramuli iſti ſimul compacti non ineptè pedem columbinum (quale earum eſt, quæ pedes hirſutos, ſeu plumatos habent) referre videntur, nullo tamen ſingulari odore aut ſapore prædita ſunt.

## Κόστος. COSTVS. CAP. XV.

PRæcellit Arabicus, candidus, leuis, eximia odoris ſuauitate. Secundum locum ſibi vendicat Indicus a, leuis, vber, vt ferula niger. Tertius eſt Syriacus, grauis, colore buxeus, & odore feriens. Optimus eſt recens, albus, abunde plenus, denſus, aridus, à teredinibus non eroſus, ſine graueolentia, guſtu calidus ac mordens. Vis ei excalfactoria: vrinam ciet, menſes pellit, vitiis, quæ vuluam malè habent, tam impoſitu, quàm fotu, & ſuffitu auxiliatur. Contra viperarum morſus ſextantem bibere prodeſt: item aduerſus pectoris dolores, conuulſa, inflationeſque ex vino & abſinthio: venerem ex mulſo ſtimulat: latas ventris

a Omnia ex empl. ἀδρὸς ὢν καὶ μέλας καὶ κοῦφος ὡς νάρθηξ. id eſt, qui plenus e, & niger, & leuis vt ferula.

tineas ex aqua pellit: horroribus ex oleo ante febrium acceſſiones, & neruorum reſolutionibus oblinitur: vitia cutis in facie, cum aqua, vel melle illitus, emendat. Additur in antidota, & malagmata. Sunt qui, admiſtis helenii Comageni præduris radicibus, adulterent, quod deprehenſu facile eſt: ſiquidem neque guſtu feruet helenium, neque validum odorem vibrat, vt caput tentare poſſit.

I. COSTVS OFFICIN. AMARVS.



II. COSTVS OFFICIN. DVLCIS.



III. PSEVDOCOSTVS.



Coſti conſideratio.

*Coſtus, quo vſæ ſunt officinæ per longas ætates, in amarum, & dulcem diuidi ſolet: tametſi tum Dioſcorides, tum etiam Plinius nec dulcis, nec amari meminerint, ſed nigri duntaxat & albi. Galenus quidem ſcribit leuiculam Coſto ineſſe amaritudinem: ſed qui inter Græcos ſcripſerit Coſtũ inueniri dulcem, hactenus compertum non habeo: quãuis Mauritani, & eos ſecuti, dulcis, & amari quandoque mentionem fecerint. Qui in myropoliis paßim habetur, adulterinus eſt: quippe nec vlla odoris ſuauitate commẽdatur, nec guſtu adeò acri deprehenditur, vt admotus exulceret, vt Galenus inquit. Proinde medicamentis, quæ Coſtum excipiunt, nõ erit, meo iudicio, imponendus, cùm præterea nos planè lateat, cuiusnam plantæ ſit radix. Porrò non deſunt hodie impoſtores, qui ex Gargano Apuliæ monte, quotannis ad nos conuehunt Pſeudocoſti cuiuſdam radices, amari ſaporis, quæ facie quadantenus Rhodiam radicem repræſentant. Eas autem pro legitimo coſto vendunt noſtratibus pharmacopœis, iis præſertim, qui in rei herbariæ cognitionem negligentius incumbunt. Plantam nos habere, atque etiam depingi curauimus, vt ex eius imagine, quam hic damus, diſcant imperiti, cuius plantæ ſint radices illæ quæ pro legitimo coſto circumferuntur: videtur tamen Pſeudocoſti planta quandam præ ſe ferre maieſtatem, & ideo non vulgaris iudicanda. Foliis eſt paſtinacæ domeſticæ maioribus, denſioribus, criſpis, & aſperioribus, humi accubantibus, caule rotundo fœniculaceo, geniculatóque, bicubitali. E geniculis ramuli oriuntur in vniuerſo caule, in quorum ſummitatibus vmbellæ ſpectantur melino colore, nudo ſemine, ſubrotundoq́; Radice nititur vegeta, craſſo cortice, carnoſoq́; veſtita colore cinereo ſplendente. Excalfacit & ſiccat ordine ſecundo completo. Aperit, abſtergit, incidit, attenuat. Amara eſt & acris. Præferunt hanc herbarii, qui eam ex Apulia ad nos comportant, ad omnes capitis, neruorumque affectus frigidos, quinetiam ad pectoris vitia, ad ventriculi cruciatus: & viſcerum omnium obſtructiones, & ad renum, veſicæ, & vteri morbos. Ideoque diutino capitis dolore affectis, vertiginoſis, comitialibus, ſtupidis, veternoſis, conuulſis, reſolutis, aſthmaticis, anhelatoribus, tußientibus, ictericis, hydropicis, plurimum conferre Pſeudocoſti radicem affirmant: quin etiam flatus expellere, vermes necare, vrinas, & calculos eiicere, menſes, ſecundas, & partus ducere, ſiue bibatur ipſa radix, ſiue decoctum eius, aut ſi in fomentis, balneis, & deſeßionibus addatur. Præferunt eandem ad coli cruciatus, vbi decoctum clyſtere infundatur, & aduerſus articulorum morbos, & coxẽdicum dolores. Nam cum amara ſit, nonnihil odorata, & nonnulla ſit acredine prædita, hæc omnia Pſeudocoſtum præſtare poſſe, facile concedam. Sunt inſuper, qui Coſti loco Angelicam recentioribus vocatam ſupponendam exiſtiment, quorum ſententiam magis probandam cenſerem, quàm eorum, qui pſeudocoſtis vtuntur: Coſtum enim hæc radix non obſcurè refert, quandoquidem eximia illa odoris ſuauitate tam iucundè ſpirat, vt angelicæ nomen ſibi meritò vendicaſſe videatur: acris præterea eſt, nec amaroris omnino expers. Quapropter eos haudquaquam damnandos putauerim, qui Angelicam Coſti genus eſſe crediderint: contrà verò eorum opinionem haud vnquam probarim, qui Zedoariam legitimum eſſe Coſtum contendunt. Siquidem his nec Dioſcorides aſtipulatur, nec etiam Galenus. Ille quidem quòd Helenii radicibus, quæ vegetæ magnæque ſunt, coſtum adulterari ſcribit: hic verò quòd pluribus in locis aſſerat coſtum ex diſcuſſoria, & adſtringente conſtare facultate: adeoque eximii fragrantiſque eſſe odoris, vt non minus ad vnguenta odorata paranda eius apud antiquos inualuerit vſus, quàm Malabathri, Amomi,*

Pſeudocoſtus

Pſeudocoſti à Coſto diſcrimen.

Pſeudocoſtũ quale melius & quibus polleat viribus.

Angelica, Coſtus quibuſdam.

Zedoaria coſtus quibuſdam.

Caſsia,

*Caſſia, atque Myrrha. Quibus tamen tum notis, tum facultatibus prorſus Zedoaria deſtituitur, quum potius grauiter, quàm ſuauiter oleat. Adde quòd Coſto Galenus lexiculam planè amaritudinem, & validam tribuit acredinem, ſed hæc in Zedoaria contrario modo ſe habent, cum in ea validior amaritudo, & acredo remiſsior deprehendatur. Nec prætereà deſunt calumniatores, qui dicunt, vt nobis inſidientur, Zedoariam non Indicum eſſe coſtum, ſed Syriacum. Sed quis hos non ridebit, quum nuſquam auditum ſit in Syria naſci Zedoariam? Indica enim radix zedoaria eſt, quæ per mare rubrum affertur Alexandriam Aegypti: verùm non ob id negauerim pro Coſto ſubſtitui poſſe zedoariam, vt aliàs diximus in Epiſtolis. Arabici Coſti radices, omnibus aſtipulantibus notis, miſit ad me iam diu Franciſcus Calceolarius, pharmacopœus* Coſtus Arabicus.

IV. COSTVS ARABICVS.



V. COSTVS IRIDEM redolens.



*Veronenſis, materiæ medicæ ſtudioſiſsimus, quas pluribus de cauſis, tanquam pretioſas, inter mea ſelectiora ſimplicia ſeruandas duxi. Indici autem Coſti fruſtum deinde à Cecchino Martinello Rauennate mihi miſſum eſt, quod ſecum ex India attulit, vbi vulgò Coſti ab Indis vocari dicit. Cæterùm etſi duo hæc Coſti genera cum forma, tum ſubſtantia nõ parùm inter ſe differre videantur, id tamen mihi nullam dubitandi ſuſpicionem affert, cùm videam ex Dioſcoridis lectione, Arabicum ab Indico non parum differre, & hic quoque à Syriaco. Atque cum Arabicus Coſtus cæteros præcellat, illum à Calceolario mihi miſſum, præ cæteris magnifacio.* Coſtus Indicus. *Coſti vires ſcribit Gal. lib. 7. de ſimpl. medic. facultatibus, ſic inquiens. Coſtus lexiculam planè amaram, plurimam autem acrem, & calidam in ſe qualitatem ſimul & facultatem cõtinet, adeo vt etiam exulceret. Vnde ipſo cum oleo perfricant corpus ante acceſsionem in rigoribus per circuitus redeuntibus. Sic verò etiam in reſolutis, & iſchiadicis, atque in ſumma in quibus excalfacere partem quamuis, aut exalto in ſuperficiem extrahere aliquem humorem eſt opus, ad coſtum confugitur. Eadem de cauſa vrinas, menſeſq; prouocat: & ad rupta, conuulſa, ac laterum dolores conuenit. Porrò ob amaritatem, quæ illi ineſt, lumbricos latos enecat. Ob eandem & ad contractas velut ex ſole maculas, ἐφήλεις Græci vocant, cum aqua, aut melle vſurpant. Ineſt item flatuoſa quædam illi temperiei humiditas, per quam & venerem excitat cum vino mulſo.* Coſti vires ex Galeno. *Κόστος ita Græcè nominatur, quemadmodum Latinè Coſtus, Arabicè Koſtos, ſiue Chaſt, & Italicè Coſto. Pſeudocoſtus, Coſtus vulgaris: Italis, Coſto baſtardo, & Coſto di Puglia.* Nomina.

Coſti Arabici, Indici, & Syriaci: ſeu albi, nigri, & buxei meminit Dioſcorides: at Plinius lib.& cap.12.
tantum nigrum, & quod melius ſit candicans, nouit: & Theophraſtus 9. hiſt. 7. coſtum inter ea quę ad vn-
guenta apta ſunt, nominat. Nec quem moueat officinarum ſententia, quæ in dulcem & amarum diuiſe-
re, ſiquidem omnis coſtus Galeno amarus ſit, & ſolum recentiores Græci (inter quos eſt Actuarius) qui
Arabes ſunt ſecuti, coſti dulcis meminere: imò is quem dulcem vocant, amarus, & quem amarum nomi-
nant, dulcior guſtu ſentitur. I. Verùm quem coſtum amarum nominant, vt & Lon. & Tab. Helenii
Comageni radix eſt, apud Dioſcoridem, quo coſtum adulterari monet: quare Inula Comaginea Cord.
hiſt. & CoſtusComagineus adulterinus officinarum, Lob. icon. Quæ ſanè radix adfertur, vel per tranſuer-
ſum inciſa (quæ noſtrum Helenium orbiculato rugarum habitu refert) vel per longum ſecta. II. Ar
coſtus officinarum dulcis, quo nomine Lon. & Tab. vtuntur, Coſti pharmacopolarum maior ſpecies, Ca-
mer. in Matth. D. notatus, dicitur. Notare conuenit, ſæpe coſti vice in officinis vſurpari radicem per tranſ-
uerſum in taleolos ſectam, foris fuſco, intus candicãte colore, cortice craſſo, ſubſtantia rara, guſtu admo-
dum acri & odore cum teritur rancidam pinguedinem olens: quæ ſanè Thapſiæ maioris radix eſt, & non
ſine periculo intra corpus ſumitur. In hac ergo radicum incertitudine, ſuaſerim Zedoariam Coſti loco
aſſumendam: maximè cùm non deſint, qui Coſtum Arabicum, alii qui Syriacum, ſtatuant ipſam Zedoa-
riam. III. Pſeudocoſtus Matth. & Lugd. Panacem coſtinum nominamus: Coſtus vulgaris Caſt. Her-
ba coſta Cæſ. Panax chironium Theoph. Cam. hor. cui & ferula ſagapenifera quorundam. IV. Coſtus
Arabicus Dioſcoridis. C.B. & Cam. Zingiberis effigie coſtus Arabicus & Syriacus, Adu. & Lob. Coſti
quoddam genus Zingiberis radicibus ſimile, Cluſ. in Garz. Coſtus Arabicus vel Syrius, Tab. Coſtus Sy-
riacus & Arabicus Lugd. V. Coſtus Iridem redolens, an Indicus Dioſcoridis? C.B. Coſtus Indicus,
Cluſ. in Garz. Lugd. Tab. Coſtus facie radicis centaurii maioris, Lobelo.

IVNCVS ODORATVS. Σχοῖνος ἀρωματικός. CAP. XVI.



a Meum. λιβικὴ.

ODoratus Iuncus in a Africa, & Arabia naſcitur. Laudatiſſimus ex Nabathæa: proximus Arabicus, quem aliqui Babylonium cognominant, alii teuchitin: peſſimus ex Africa. Eligendus eſt rufus, recens, floribus refertus, tenuis, rubentibus fragmentis, qui manibus confricando roſæ odorem emittit, igneæ mordacitatis ad linguam. Floris, culmorum, radiciſque eſt vſus. Vim vrinæ ciendæ habet: menſes pellit, diſcutit inflationes, caput aggrauat, modice adſtringit, comminuit, excoquit ac venarum ſpiracula laxat. Flos eius in potu vtilis ſanguinem reiicientibus, doloribus ſtomachi, pulmonis, iocinoris, & renum: miſcetur antidotis. Radix adſtringentior eſt: ideo [faſtidiis ſtomachi,] hydropicis, conuulſis, drachma vna cum pari pondere piperis, per dies aliquot datur. Decoctum vuluæ inflammationibus, ad deſidentium fotus, vtile eſt.

δυσώδισι ϛομάχοις. id eſt graueolentibus ſtomachis Antiquus codex.

Iūci odorati conſideratio.

*IVncus odoratus, officinis Squinanthum vocatur: quæ vox, quamuis deprauatè, ex plantæ, & floris nomine componitur, in vnam vtriſque iunctis dictionibus. Namque ſquinanthum ſi ad rectam etymologiam referatur, non aliud inferet, quam duas haſce Græcas dictiones σχοίνου & ἄνθος, quæ Latinè florem iunci ſignificant: σχοῖνος enim iuncum, ἄνθος verò florem Græcis deſignat. Veruntamen flos ad nos non importatur, quod tamen mirum non eſt, cum etiam Galeni tempore non haberetur. Proinde inquit libro primo de antidotis: his præterea Iuncum odoratum ex Arabia allatum immitti præcipit, quem neſcio quomodo ſchœni anthon, id eſt, iunci odorati florem multi vocent, cum nobis floris copia non adeò ſuppeditet. Nam etſi tota aduehatur herba, ſunt tamen eius ſuperiores partes à camelis ſæpe depaſtæ: veſcuntur enim ea, & delectantur maximè: hæc Galenus. Quæ (ſi licet nobis dicere quod ſentimus) potius ridenda quàm probanda videntur. Arduum quippe fuerit credere, tam ingentem eſſe camelorum numerum, qui locuſtarum modo in vniuerſum ſchœni flores depaſcantur, vt nulla penitus ſuperſit planta, cui flos non deuoretur. Ego enim eorundem florum plenam habeo arculam, quorum partem Venetiis ad me miſit Albertus Martinellus pharmacopœus ad Angeli Myropolium, partem verò Veronæ Franciſcus Calceolarius materiæ medicæ admodum ſtudioſus, qui odoris ſuauitate atque fragrantia, quin etiam cæteris qualitatibus omnibus, quæ in Schœnianthο requiruntur, ita præditi ſunt, vt quiſpiam ſanæ mentis eos hallucinari manifeſtò deprehendat, qui communis vſus odoratum Iuncum adulterinum eſſe contendunt. Hos itaque flores Syria, primus in Italiam miſit Cecchinus Martinellus, Alberti præſcripti frater, qui non paruo labore ex Arabia ſibi afferri curauit. Planta eſt Iuncus odoratus peregrina, quæ ex Alexandria Aegypti ad nos conuehitur. Naſcitur in Arabia, Syriaq; cum in campeſtribus & paſcuis, tum etiam vbi lacus quodam tempore ſiccantur.*

Iunci odor. deſcript.

*Folia habet Caricis vel zeæ, robuſtiora tamen, ſurſum ſpectantia, & ſeſe ſtipantia, è quibus culmi exeunt zeæ modo geniculati, in quorum ſummitate flores habentur odorati. Radix eſt illi ima parte villoſa odorataque, ſed odor tractu temporis deperditur. Referunt quidam naſci odoratum Iuncum etiam in Apulia: quin & in Campania prouenit, vt Braſauolus inquit Plinii auctoritate. Sed vereor, ne hallucinentur, quòd nec inde flores afferantur, nec palea: neque etiam id Plinius affirmanter aſſerat. Is, quo Seplaſiarii paſſim vtuntur, non affertur aliunde, quàm ex Alexandria. Cæterùm non parua quidem diligentia, dum emitur, eſt adhibenda: quandoquidem non deſunt impoſtores, qui ad merces augendas, ſchœnum palearum & herbarum quibuſdam feſtucis adulterent. Præterea videndum eſt, ne vetuſtate exoleuerit: facilè enim (vt in libro de antidotis docuit Galenus) ab hoc vis omnis euaneſcit.*

Monachorū opinio exploſa, dum Iuncum odoratū offic. ſpuriū cenſent.

*Scribunt Monachi illi, qui in Meſuem commentarios ediderunt, odoratum Iuncum, quo paſſim officinæ vtuntur, ſpurium & illegitimum eſſe, cum hæ paleæ (vt eorum verbis vtar) Dioſcoridis ſchœnum minimè referant. Siquidem radices primùm medicinæ vſui congruas illi ineſſe contendunt, ſed capillorum modo tenues: deinde paleas ipſas nullam guſtantibus acrimoniam relinquere, nulloq; roſarum odore fragrare, ſi manibus confricentur: nec poſtremò iuncum aliquem proferre, ſed calamos geniculis interceptos tritici vel hordei modo. Qua in re (pace eorum dixerim) duplici errore notantur, primum quòd Dioſcoridem oſcitanter legerint: deinde quòd illud affirment, quod exprimento proculdubio falſum eſſe deprehenditur. Quod autem Dioſcoridem oſcitanter legerint, cùm dicunt ſchœnum iuncum proferre, non calamum, facilè patet, quandoquidem contrarium ſcribit Dioſcorides, vbi ſchœni vſum reddit his verbis. χρῆσις δὲ τῷ ἄνθει, καὶ τῶν καλάμων, καὶ τῇ ῥίζῃ: id eſt. Vſus eſt floris, calamorum, & radicis. Præterea quòd communis vſus ſchœnos acrimoniam non habet, pariter falſum eſt, quippe, vt experimento quotidie comprobari poteſt, qui non longo tempore cōſenuerit, linguam manſu vellicat. Quibus palam eſt, Monachos vel nunquam ſchœnum deguſtaſſe, vel ſi deguſtarunt, illum adeò vetuſtate exoletum fuiſſe, vt (quemadmodum Galenus inquit) omnem acrimoniam, odorémque amiſerit. Quòd autem noſtri ſchœni radices tenues ſint, nihil ad hiſtoriam refert: ſiue enim tenues ſint, ſiue craſſæ, eas non deſcripſit Dioſcorides. Schœni flores ex Alexandria vnà cum integra planta allatos ego in manibus habui, qui digitis attriti roſarum odorem emittebant. Quamobrem non temerè contra Monachorum ſententiam affirmandum putauerim, communis vſus ſchœnum legitimum, & probatiſſimum eſſe. Sed ii quidem adhuc magis reprehendendi videntur (non tamen vt eorum dignitati aliquid derogetur) quòd in Diagalangæ compoſitione ſcripſerint, radicem galangam vocatam legitimum eſſe ſchœnum, ipſamque galangam ad nos afferri, quod prorſus à veritate alienum deprehenditur.*

Fuch. lapſus. Anguilla. reprehenditur.

*Cæterùm & in hoc pariter Fuchſium erraſſe crediderim, quippe qui ſcripſerit ſua in methodo, ſchœni anthi ſtipites nullam acrimoniam manſu relinquere. Eſt etiam Anguillarius, qui Monachorum fortaſſe ſententiam ſequutus, pluribus con-*

tendit

*tradit ſchœnanthum communis vſus, eſſe adulterinum. Primùm quòd caulem non habeat Cyperi, vt Dioſcorides in Cypero teſtatur: deinde quòd eius radices ſimiles noſtro vocato Phu haudquaquam conſpiciantur: præterea, quòd antiquis vſus fuerit florum, caulis, radicum, non foliorum, quibus tantum nobis eſt vſus. Ad hæc quòd in noſtratis tum caule, tum radice nullus prorſus odor percipiatur, nec ſapor, ſed tantum in foliis, quibus non vtitur Dioſcorides. Hæc itaque ſunt Anguillarii argumenta, quæ non parum fortaſſe valere putaret, qui aliorum ſententiam non audierit. Ego verò hiſce argumentis ne minimo quidem vngue à priori mea opinione amoueri poſſum: ſiquidem ante Oribaſium nulla Dioſcoridi erat Cyperi deſcriptio, id eſt, nec foliorum, nec caulis, nec ſeminis, nec radicis: quo fit vt illa omnia in Dioſcoride addita crediderim: adde quòd in omnibus exemplaribus Dioſcoridis, quæ ad manus ſunt, nō legitur Cyperum odorati iunci modo calamum proferre, ſed iunci ſimpliciter, etſi odorati perperam addiderit Ruellius, id quod ipſe videtur apertè ſatis demonſtrare Dioſcorides cum dicit: χρῶσι; δὲ τῷ ἄνθει, καὶ τῷ καλάμῳ. Siquidem Cyperi caulis nullam prorſus calami faciem refert, cum rotundus non ſit, ſed angulosus, alba farctus medulla, non inanis, nec vlla in parte geniculatus, vt calamus: ideoq; Schœnianthum, rotundum odoratum Iūcum vocat Galenus lib. 6 de compoſ. medicament. ſecundum locos. Ad hæc nōn reperio ſcripſiſſe vſquam Dioſcoridem, Phu radicem habere Schœnianthо ſimilem: ſed quod Phu ſuperior radix, quæ digiti minimi craſsitudinem æquat, ex obliquo adnatas habeat fibras, ſiue exiguas radices iis ferè ſimiles, quæ in Iunci & Ellebori nigri radicibus viſuntur. Nam ita habent Dioſcoridis verba: ῥίζα δὲ ἡ μὲν ἀνωτέρω, περὶ δακτύλου μικροῦ τὸ πάχος, πλάγια δὲ ἐπιρρίζια ἔχει καθάπερ σχῖνος ἢ μέλας ἐλλέβορος: quibus linguæ Græcæ peritis facilè palàm fiet fibras tantum, quæ in Phu radice habentur, Iunci ſimpliciter, non odorati Iunci fibris (vt hic quoque ſominiauit Ruellius) comparaſſe Dioſcoridem. Quod verò noſtratis odorati iunci non veniant in vſum caules & radices, ſed tantum folia, præter Dioſcoridis ſententiam, quòd nulla odoris ſaporiſq; vis in hiſce partibus reperiatur, id euenire crediderim, non quòd ſit verum Anguillarii argumentum, (ſunt enim omnes eius partes odoratæ) ſed quòd ita poſt Dioſcoridis tempora inualuerit vſus, quandoquidem Galen. vniuerſa vtitur planta lib. 8. de ſimpl. medic. facultat. Ego quidem mihi teſtis eſſe poſſum, habere me nunc ad manus aliquot odorati Iunci plantas, quarum calami ac radices non minus ſunt acres quàm folia: quo fit vt putem rotundum, odoratum Iuncum, qui non fuerit exoletus, numquam deguſtaſſe Anguillarium, vt nec Fuchſium. Poſtremò ſi natale ſolum ac vires noſtri Schœnanthi rectè quidem examinentur, id proculdubio ex Arabia Alexandriam Aegypti importari nos facilè negociatores certiores reddent; & legitimi odorati Iunci viribus præditum eſſe omnes teſtabuntur Medici, qui curandis ægris ſeſe totos dedére. Schœni vires prodidit Galenus lib. 8. ſimpl. medic. vbi ſic habet: Schœnianthos modicè calfacit modiceq; etiam adſtringit, nec planè à tenuitatis natura alienus eſt. Aperit, digerit, pellit, incidit, excoquit, modicè adſtringit. Quocirca his de cauſis vrinam mouet, menſeſque ciet adhibitum ſiue in fomentationem, ſiue in potionem: prodeſt & iecoris, & ſtomachi, ac ventris inflāmationibus: magis eo adſtringit radix: quod verò florē vocant, calidius eſt. Porrò in omnibus ſui partibus, in aliis magis, aliis minus, guſtantibus apparet adſtrictio: proinde medicinis, quæ hæmoptoicis, ſiue ſanguinem reiicientibus exhibentur, commiſcetur: Decoquitur ex gallinaceo iure tota planta, fitq; hinc potus admodum vtilis fœminis, quæ vteri doloribus in puerperiis laborāt. Miſcetur Antidotis.* Iũci odorati vires ex Gal. *Σχοῖνος ἀρωματικός, Græcis: Iuncus odoratus, Latinis: Adcher, Arabibus: Giunco odorato, & Squinātho, Italis:* Cameelſz hew, *Germanis: Paya de la Mequa, ſiue Paia de chamellos, Hiſpanis: Paiſture de chameaulx, Gallis nominatur: Bohemis, Sirii Vuanne.* Nomina.

IVNCVM odoratum hoc loco proponit Dioſcorides, quia aromaticus eſt, idcirco de eo inter aromata egit: at paluſtrem, cùm non ſit aromaticus, in quartum librum reiecit. Licet Græci plerunque, vt Hippoc. de nat. mulieb. σχοῖνον abſolutè ſcribant, tamen idem de morbis mulieb. σχοῖνον ἡδύοσμον, καὶ εὔοσμον, καὶ εὐώδεα vocat: quibuſdā σχοῖνος μυρεψικός, quod in vnguēta recipiatur. Celſus, vt à Iūco paluſtri, & à Cypero ſeu iunco anguloſo odorato diſtinguatur, iuncum rotundum nominauit: quare Iuncus rotundus odoratus nominari poterit, Iuncus quintus & odoratus, Dodo. gal. Iuncus odoratus, Lob. Cluſ. in Garz. Lac. Caſtor. à Coſtæ. Cæſ. Lugd. Schœnus, id eſt, teres odoratus Iuncus, Cord. hiſt. & in Dioſc. Schœnanthū, Lon. Tab. Cam. cui & iuncus floridus ſeu aromaticus.

## Κάλαμος ἀρωματικός. CALAMVS ODORATVS. CAP. XVII.

CAlamus odoratus in India naſcitur. Melior eſt fuluus, densè geniculatus, & qui aſſuloſè frāgitur, plena araneorum fiſtula, albicans, lentus in mandendo, & adſtringens, cum aliquāta acrimonia. Vrinam potu ciet: quare cum graminis, aut apii ſemine coctus, in aquæ ſubter cutem fuſæ morbo, renum vitiis, ſtillicidio vrinæ ruptiſque commode bibitur: menſes & potu, & appoſitu pellit: tuſſi ſuffitu medetur per ſe, aut ex reſina terebinthina, hauſto per arundinem fumo: ad muliebres inſeſſus decoquitur, & clyſteribus imponitur. Malagmatis, & ſuffitionibus odoris gratia commiſcetur.

*CAlamus, & Iuncus odoratus (vt Theophraſtus eſt auctor lib. 9. cap. 17. de hiſtoria plantarum) trans Libanum montem, inter ipſum Libanum, & alium quendam montem paruum valle minima exeunt (non, vt quidam dixere, inter Libanum, atque Antilibanū) inter quos campus ampliſſimus, & pulcherrimus eſt, quem Aulonem appellant. Quà verò calamus, & iuncus prouenîunt, lacus in amplius ſpatiatur, iuxtaq; eum paluſtribus ſiccatis iſti aſſurgunt: occupant locū pluſquàm triginta ſtadia. Virides nequaquā eſſe videntur, ſed ſicci: forma verò nihil ab aliis differunt. Locum ingredienti protinus odor aſpirat, non tamen longius ſpirat, vt quidam referūt: hic enim locus à mari plus eſt, quā ſtadia centū quinquaginta. Sed in Arabia aſpirationē agri odoratiſſimam eſſe inter omnes conſtat: hæc de Calamo Theophraſtus.* Calami hiſtoria ex Theophraſto. *Cui etiā ſubſcribit Plinius lib. 12. cap. 22. vbi ſic habet. Calamus quoque odoratus in Arabia naſcens cōmunis Indis, atq; Syriæ eſt: in qua vincit omnis à noſtro mari centū quinquaginta ſtadiis. Inter Libanū montē, aliumq; ignobilē, nō (vt quidā exiſtimauere) Antilibanū, in conualle modica iuxta lacū, cuius paluſtria æſtate ſiccantur, tricenis ab eo ſtadiis calamus & iuncus odorati gignuntur: nihil ergo à cæteris ſui generis differunt aſpectu. Sed Calamus præſtantior odore ſtatim è longinquo inuitat, mollior tactu; meliorq; qui minus fragilis, & qui aſſuloſè frangitur. Ineſt fiſtula araneū, quod vocant florē: præſtantior eſt, cui numeroſius: reliqua probatio, vt integer ſit, damnatur alibi. Melior quo breuior, & craſſior, lentuſq; in frāgendo: hactenus Plinius.* Ex Plinio. *Sed certè ſatis palā eſſe arbitror (vt in acori cōmentariis diximus) quàm magno ducatur errore Braſauolus Ferrarienſis, quòd tam facilè ſibi perſuaſerit, legitimum odoratū Calamū illā eſſe radicē, quæ temerè omnibus in pharmacopolis* Braſauoli error, Calamū odoratum, Acorū eſſe credentis.

CALAMVS ODORATVS. CALAMVS ODORATVS LIBANI.





topolis illius vicem explet, quamque verum eſſe acorum ſuperius pluribus rationibus comprobauimus. Quandoquidem primum ex ipſa Calami appellatione, deinde ex eo, quòd dixerint Theophraſtus & Plinius, non differre hunc forma à reliquis ſui generis, id eſt, ab omni arundinum genere, vtiq; conſtat odoratum Calamum genere, & forma arundinem præ ſe ferre, odoratam tamen, non autem eſſe radicem. Quocirca Plinius Dioſcoridem fortaſſe ſecutus, dixit. Fiſtulæ (hoc eſt cauitati) ineſt araneum, quod vocant florem: non autem radici, vt falsò contendit Braſauolus, araneum illud inueniri in vulgari illo officinarum. Ad hæc Plinius lib. 24. cap. 11. dum plura arundinum genera, & vires recenſet, idem apertiſſime oſtendit, his verbis. Arundinis genera 29. demonſtrauimus, non aliter euidentiore illa natura, quàm continuis iis voluminibus tractatimus. Et quoniam plura genera fecimus, illa, quæ in India Syriáque naſcitur, odorum vnguentorúmque cauſa, vrinam mouet cum gramine, aut apii ſemine decocta: cit & menſtrua admotu: medetur conuulſis duobus obolis pota, iocinori, renibus, hydropi, tuſſi etiam ſuffitu, magíſque cum reſina: hæc Plinius. Sed præterea vulgares calami radices, quas acori eſſe cenſemus, aſſulosè nequaquam frangi poſſunt, ſed tranſuerſim, quemadmodum & iridis. Quo fit, vt eorum innoteſcat lapſus, qui Calamum odoratum radicem eſſe contendunt, qui tamen (vt apertè oſtendimus) nil aliud eſt quàm arundo. Cæterùm ſi quiſpiam dixerit, has radices, quarum eſt vſus, eſſe calami odorati proprias, non acori, illud ſanè argumentũ deſtruit, quod intuentibus euidenter apparet: quandoquidem etſi complures illius acori radices habeantur, quæ ſicca gerunt in cacumine folia, iridi omni ex parte ſimilia, nulla tamen vſquam inuenta eſt, quæ ſecum arundinis trunculum cacumini annexum deferat: nempe acori proprium, non odorati calami eſt, iridis folia ferre. His itaque rationibus Fuchſii quoque ſententia improbanda mihi videtur, quippe qui putauerit in ſua methodo, vulgarem officinarum calamum veri odorati calami eſſe radicem. Porrò minimè quidem compertum habeo Dioſcoridem, nedum Galenum, qui ex odoribus, ac ſaporibus vires atque, ac qualitates omnium ſimplicium medicamentorum accuratiſſimè inueſtigauit, dixiſſe aliquid odorato Calamo ineſſe amaritudinis, quam tamen in acoro haberi Galenus prodidit, qui calami odorati vires pluribus deſcripſit, lib. 8 ſimpl. medicamentorum ſic inquiens: Calamus odoratus leuiculam quandam adſtrictionem, ac minimam acrimoniam poſſidet: magna ex parte eſſentia eius terrena eſt & äerea, in caliditatis frigiditatíſque coniugatione temperata. Quamobrem moderatè vrinam mouet, & facultatibus, quæ iecori, & ſtomacho imponuntur, miſceri poteſt: tum in fomenta quoque vteri quæ phlegmones gratia, aut irritandis menſibus aſſumuntur, vtiliter admiſcetur. Ponatur itaq;, habeaturq; ſecundi ordinis eorũ, quæ excalfaciũt, & deſiccant, valẽtius tamẽ deſiccẽt quã excalfaciãt. Ineſt quoque ei quadã partiũ tenuitas, velut aliis omnibus odoratis. Cæterùm illorũ compluribus tenuium partium plurimum, calamo verò non multùm adeſt: hæc Galenus. Quibus facilè patet, Calamum officinis vocatum, legitimum eſſe nequaquam, maior enim illi ineſt acrimonia, quàm ſuo referat Galenus. Eaq; propter legitimo calamo odorato nos eſſe hoc æuo deſtitutos fateri non dubitauerim, id quod etiã aliquibus ſatis perſuaſum eſſe puto. Nam propterea ſunt qui libellum ſecuti de ſubſtitutis medicamentis falsò (vt mea quidẽ fert opinio) Galeno adſcriptum, ſphagnum, id eſt, muſcum arboreum, calami odorati loco ſupponẽdum eſſe velint: quam equidem ſententiam vt hactenus probaueram, ita etiam literis mandaueram. Nunc autem quoniam illud mihi abſurdum videtur, quòd ea medicamenta inter ſe commutari debeant, quæ contrariam facultatem ſortita ſunt, cuiuſmodi eſſe deprehenduntur calamus odoratus & ſphagnos, ideò non temerè cogor mutare ſententiam, atque ab illis deſciſcere: ſed quid pro calamo odorato rectè ſubſtitui poſſe credamus, alibi, Deo concedente, explicabimus. Eius nomen Græcum eſt Κάλαμος ἀρωματικὸς: Latinum, Calamus odoratus: Arabicum, Haſabel, aut Caſab aldatira: Italicum Calamo odorato, Calamo aromatico.

Calamus odoratus non eſt radix.

Fuch. opinio improbata.

Calami odorati vires ex Galeno.

Calamo odorato deſtituimur.

Muſcus arborum malè Calamo ſubſtituitur.

Nomina.

Calami duo prima genera ſunt, alter vulgaris ſeu paluſtris, & alter odoratus aromaticus, hic Hippocr. de natu. muliebri *κάλαμος*, Calamus odoratus Plinio, Dod. gal. Caſt. Calamus Arabicus, Plutarcho Alexandrinus, Celſo: Calamus aromaticus, Theoph. & Galeno dicitur: vt & Lac. Lon. Tab. At Lobelus calamum odoratum Libani proponit, cui ſimilem Camer. in Matth. habet. (cuius fruſta à Cl. viro Bernhardo Paludano Friſio vna cum aliis accepimus) qui an cum Matthioli conueniat conſideratione dignũ. Verùm cùm officinæ vero deſtituantur Calamo aromatico (ipſarum enim Acorus eſt) ſubſtitui poterit cum Galeno, Cardamomum, vel huius loco Squinanthum ipſorum, cum ſapore & odore penè conueniant Calamus & Iuncus: ſi & hoc exoletum ſit, Calamus aromaticus officinarum ſit ſuccedaneum, ſed in minori doſi, cùm in caliditate & ſiccitate gradu vno Calamus aromaticus officinarum, Calamum Dioſcoridis ſuperet.

## Βάλσαμον. BALSAMVM. CAP. XVIII.

Balſamum arbor albæ violæ, a lycii, ſiue pyracanthæ magnitudine conſpicitur. Folium rutæ proximũ, longè candidius, perpetuò virens. In Iudæa ſolùm quadam valle, & Ægypto naſcitur: his differẽs modis, ſcabritia, proceritate, gracilitate. Quod igitur tenui, & capillacea coma eſt, theriſtum vocant, quaſi demeſſile: fortaſſe quoniam ob gracilitatem facile demetatur. Æſtiuis ſub ortu canis ardoribus, arbor vnguibus ferreis inciditur, manatque è plaga b ſuccus, quem Opobalſamum vocant: ſed tam exiguo ſtillatu, vt annis ſingulis, ne plures quidem, quàm ſeni ſepteniue congii cogantur: inibique pondus duplo rependitur argento. c Succi probatio eſt, vt ſit recens, validi odoris, ſyncerus, non ad acorem vergens, dilui facilis, læuis, adſtringens, ac modicè mordens guſtu. Sed variè vitiatur miſto ab aliquibus terebinthi, cypri, lẽtiſci, balani vnguento: item ſuſino, metopio, melle, aut d Cypria cera liquida. Quod maleficium facilẽ deprehenditur: namq; merus in laneam veſtem fuſus, e neq; maculam facit, neq; ſi eluatur, notam relinquit: vitiatus autem inhæret, & lac inſtillatus coagulat, quod adulteratus non efficit. Quinetiam ſyncerus in aqua, aut lacte celerrimè liquatur, coloreq; lacteſcit: vitiatus verò olei modo innatat, ſe cõuoluens, aut in ſtellæ modum diffundens. Syncerus ſeneſcens craſſeſcit, deteriorque redditur. Hallucinantur, qui aqua concretum peſſum ire, & ad ima ſidere arbitrantur: poſtea diſſipatum ſupernatare. E ligni genere, quod Xylobalſamum vocant, probatur recens, f ſarmento tenui, fuluum, odoratum, quadantenus opobalſamũ ſpirans. Neceſſarius etiam ſeminis erumpit vſus: quare eligatur flauum, plenum, grande, ponderoſum, mordens guſtu, feruens in ore, modicè opobalſamum olens. Adulteratur ſemine hyperico ſimili, quod à Petra oppido defertur. Sed coarguitur magnitudine, inanitate, virium ignauia, ſapore piperis. Efficaciſſima vis ineſt ſucco, & quàm maximè calfaciens: abſtergit quæ tenebras oculorum pupillis offunduntameᵣdetur perfrictionibus vuluæ cum roſaceo cerato appoſitus: menſes quoque, ſecundas, & partus extrahit: horrores illitu diſcutit: vlcera ſordida expurgat, & cruda concoquit: vrinam potu ciet: ægrè ſpirantibus prodeſt: datur in lacte contra aconitum hauſtum, aut ſerpentium ictus. Miſcetur acopis, malagmatis, & antidotis. In ſumma præcipua authoritas ſucco, ſecunda ſemini, minima ligno. Semen commodè poturi datur doloribus lateris, pulmonum vitiis, tuſſi, iſchiadicis, comitialibus, vertiginoſis, orthopnoicis, vrinæ difficultati, torminibus, ac ſerpentium morſibus: ad muliebres ſuffitus perquàm vtile eſt: vuluam aperit in deſeſſionibus balnearum decoctum, & humorem euocat. Lignum eaſdem habet vires, aliquantò minores. Ex aqua potum cruditatibus, torminoſis, vulſis, venenatorum ictibus opitulatur: vrinam cit, ad capitis vulnera cum ſicca Iri conuenit: ſquamas oſſium extrahit, & ad vnguentorum ſpiſſamenta additur.

a Meum, & Drag. non habent.

b Meũ ὀπὸς i. liquor.

c Meum τῦ ὀπῦ i. liquoris.

d Omnia exẽ. κηρωτῇ μυρσίνῃ ἢ κυπρίνῳ λείῳ i. cerotũ myrteum, aut Cyprinum læue.

e Omnia exẽ. κηλῖδα οὐ ποιεῖ οὐδὲ σπίλον i. maculã non facit, neque notam.

f λεπτόκαρφος i. habens ramos tenues.

*Antiquitus Balſamum (vt Plinius libro 12. cap. 25. eſt auctor) in duobus tantùm hortis, vtroq; regio, altero iugerum viginti non amplius, altero paucіorum, vni terrarum Iudææ conceſſum erat: ſed poſtea propagata admodum fuit ſpecies, cùm Iudæa ipſa ſimul cum Balſamo Romani potiti ſunt, qui veluti politicarum pretioſarumq; rerum propagatores, tam dignam, claramq; ſtirpem raram eſſe non tulerunt: itaq; eam malleolis ſerendo, atque iterando, non ſecus ac vites in collibus propagantur, latius accreuerunt. Quocirca Iuſtinus quoque hæc de Balſamo memoriæ prodidit: Opes gentis Iudaicæ ex vectigalibus opobalſami creuere, quod in his tantùm regionibus gignitur. Eſt namque vallis, quæ continuis montibus, velut muro quodam cincta, ad inſtar caſtrorum clauditur: ſpatium loci ducenta millia iugera, nomine Hierico dicitur, in ea valle ſylua eſt & vbertate, & amœnitate arborum inſignis: ſiquidem palmeto, & opobalſamo diſtinguitur: quanquam ſpecies huius inſignis, ac pretioſæ arboris plurimum adaucta ſit: hæc Iuſtinus. Scripſit Balſami hiſtoriam etiam Strabo lib. 16. ſua geographia, vbi ſic habet. Hiericus eſt campus à montana quadam circundatus, quæ in theatri ſpeciem ad ipſum declinat: hoc in loco eſt palmetum palmis abundans ſpatio ſtadiorum centum, & totum irriguum, & habitationibus plenum, vbi & regia eſt, & Balſami viridarium. Quæ arbor odorata eſt, & fruticoſa, & cytiſo, & terebintho perſimilis: eius corticem vulnerantes, ſuccum in vaſis ſuſcipiunt tenaci lacti perſimilem. Sed alibi etiam, quàm in Iudæa naſci balſamum eodem libro idem teſtatur, præter Plinii, & Solini ſententiam, cùm inquit. Et apud Sabæos thus, & myrrha, & cinnamomum naſcitur: in ora etiam Balſamum, & quædam alia planta valde odorata: hæc ille. Oriri etiam Balſamum in Arabia teſtis eſt Pauſanias in Bœoticis, magnitudine fruticis myrti, foliis amaraci, ſub cuius vmbra innumeræ apricantur viperæ, & ſuauiſſimo eius liquore aluntur. Sed quonam modo ſit factum (vt in Syriam peregrinantes vno ore fatentur) quòd hoc tempore omnibus ſanè Balſami plantis Iudæa ſit penitus deſtituta, cum olim ſola Balſami ferax à compluribus crederetur, quid certi dicam, & quibus auctoritatibus id comprobem, ſanè non habeo. Verùm cùm certo ſciam probatiſſimorum virorum teſtimonio, qui ex Italia ſoluentes pluries in Aegyptum nauigarunt, in vrbe quam Cairum vocant, Balſami viridarium extare, illud fortaſſe eueniſſe putandum eſt, quòd è Iudæa ab Aegypti regibus, quibus vniuerſa ſubiiciebatur Syria, omne in vniuerſum Balſamum eò fuerit tranſlatum, quò decoris inde plurimum regiæ accederet. Quanquam Balſamum in Aegypto quoque prouenire antiquorum monumentis mandatum eſt, vt ex ipſo Dioſcoride conſtat, atque etiam ex Galeno libro primo de antidotis, cap. 4. vbi de melle agit componendis antidotis idoneo. Veruntamen diu eſt, quòd in Italiam, nè in totam dicam Europam, neque lachryma, neque ſemen, neque lignum, neque cortex importantur, niſi adulteriis, & impoſturis vitiata. Cæterùm non modò fuit id ætatis noſtræ adulterium, ſed & antiquorum, vt auctor eſt Theophraſtus, qui hæc de Balſamo lib. 9. cap. 6. de hiſtoria plantarum poſteritatis memoriæ mandauit. Balſamum in valle Syriæ prouenire: eius hortos duos tantum affirmant, alterum viginti iugerum, alterum multò minorem. Arboris magnitudo, qua malo punica*

Balſami cõſideratio.

Balſami hiſtoria ex Iuſtino.

Ex Strabone.

Ex Pauſania.

Iudæa Balſami plantis deſtituitur.

Balſamum in Aegypto.

Theophraſti de Balſamo.

*nicæ magnæ: rami multi: folium rutæ ſimile, candidum tamen, perpetuò virens: fructus ſimilis terebintho tam magnitudine, & figura, quàm colore. Is quoque admodum odoratus eſt, & magis quàm lachryma. Colligi lachrymam in caudice, & parte ſuperna tradunt, facta inciſura vnguibus ferreis ſub ſydere, cùm æſtus maximè angit: collectum verò æſtate fieri tota. Sed quod manat, multum non eſſe, vix enim toto die concham poſſe impleri: odorem tamen inferri eximium, & copioſum, adeò vt ex paruo ſpatium perlongum odor valeat permeare. Verùm ſyncerum ad nos nullum aduehi, ſed quod miſtum colligitur: plurimis enim miſtionibus vitiari, quodq; Græcia venditur. Ideoq; Galenus lib. primo de antidotis narrabat, cùm*

BALSAMI ARBOR.



Xylobalſamum officinarum.



Opobalſamum.

Carpobalſamum officinarum.



*non ignoraret, opobalſamum diuerſis modis adulterari poſſe, ita vt difficulter ementi diſcerni queat, ſe proprio oculorum intuitu cernere voluiſſe & quomodo creſceret Balſamum, & quomodo lachrymam mitteret: voluitq; ſynceræ eius lachrymæ partem habere, veluti regulam ad dignoſcendum alios Balſami liquores, qui per orbem ab impoſtoribus vitiati circumferebantur. Legitimum autem opobalſamum notis omnibus comprobatum, vidi tamen ego apud Imperatorem Ferdinãdum Primum, Dominum meum clemẽtiſſimum, à Solimano Turcarum Imperatore dono miſſum, quibuſdam cum nõnullis aliis muneribus. Cui ſimile omnino mihi viſum eſt illud quod anno ſuperiore detulit ad me Tridentum Franciſcus Calceolarius Veronenſis, rei medicæ admodum peritus: id ille acceptum referebat Reuerendiſſimo Danieli Barbaro Electo Aquileienſi Patriarchæ, ad ſuam parandam Theriacam: itaq; mirari deſinant inuidi, ſi eam præ cæteris iure optimo laudauerim, atque prætulerim.*

Cortex Balſami vt incidatur.

*Modus autem incidendi corticis, vt inde liquor effluat, apud auctores ſanè varius eſt: quandoquidem Theophraſtus, & Dioſcorides arborem dixerunt vnguibus ferreis ſcalpi, vt inde vulnerato cortice fluat lachryma. Plinius verò contra, ſi ferro incidatur, ſtatim ſiccari, atque emori ſcribit: ob ídque qui opobalſamum colligunt, inquit, vitro, lapide, oſſeíſque cultellis ad corticem vulnerandum vtuntur, deinde ſuccum lana excipiẽtes in corniculis colligunt. Cæterùm cùm mecum ſæpius cogitauerim à tot impoſturis, quæ indies fiunt, nos cauere non poſſe, non alienum fore duximus illud in hominum memoriam reuocare, quod ſi vnquam opobalſamum venale inueniatur (tametſi in Italia per longas ætates non amplius ipſum venturum putem) non ematur, niſi prius de eo omne fiat periculum, quò clarè cognoſcatur omnibus iis præſtare tum notis, tum facultatibus, quæ illi ab auctoribus tribuuntur.*

Carpobalſamum non legitimum.

*Ad hæc Balſami fructus, ſiue ſemen, quod* CARPOBALSAMVM *vocant, ab eo quidem longè differt, quod his temporibus ex Alexandria comportatur. Siquidem optimum legitimúmque flauum ſit oportet, farctum, ponderoſum, guſtu mordens, & feruens in ore: non autem nigrum, leue, inane, non acre, & nullum ſpirãs odorem, quale, quod circumfertur, deprehenditur. Quo fit, vt non aliud ſuſpicandum ſit, quàm quòd hoc idem ſit ſemen*

*hyperico*

*hyperico ſimile, quod etiam Dioſcoridis æuo à Petra Paleſtinæ oppido deferebatur. Hoc idem ligno euenit, quod Xylobalſamum vocant officinæ Græcos ſecutæ, quippe quod paßim in ijs habetur, potius myrtum, quàm Balſamum refert. Corticis non meminit Dioſcorides, quamuis dixerit Plinius libro & cap. ſuperius citatis, ipſum quoque in vſu medentium eſſe. Balſamum memoriæ prodidit Galenus lib. VI. de ſimplicium medicamentorum facultatib. ſic inquiens. Balſamum deſiccat, & excalfacit ſecundo exceſſu. Eſt autem tenuium partium, adeò vt odoratum ſit. Sed liquor eius ſubtiliorum etiam partium eſt, quàm ipſa planta, non tamen adeò calidus, vt quidam exiſtimant tenuitate partium falſi. Porrò fructus eius perſimilis genere facultatis eſt, cæterùm longè in ſubtilitate partium inferior. Placet eidem Galeno (vt in libello de ſuppoſititiis medicamentis illi adſcripto legitur) vt Balſami vice ſtacte myrrhæ, aut oleum, in compoſitis medicamentis commodè inſeri poſſit: xylobalſami verò loco leucoij radix. Porro quid carpobalſami vice ſupponẽdum ſit, nullibi apud eundem repperi, tametſi in quodam incerti auctoris libello, quem ſeplaſiarii Quid pro quo nuncupant, pro opobalſamo oleum terebinthinum, vel laurinum, vel gummi hederæ, ſubiiciatur, pro carpobalſamo hederæ corymbus: & pro xylobalſamo hederæ ipſius lignum tantam ille hederæ tribuit auctoritatem. Sed alia eſt opinio noſtra: Nam ipſe libentius pro opobalſamo oleum myriſticæ nucis, vel ſtyracinum ſuppoſuerim, quàm terebinthinum, vel laurinum: pro xylobalſamo agallochum: & pro carpobalſamo vulgares cubebas. Quod autem Carpobalſami locum cubebæ rectè ſupplere poßint, plerique rei medicæ ſtudioſi id mecum ſentiunt. Sed addã præterea, quòd ſi eæ mandantur, dentibusve conficiantur, mordent guſtum, feruentes in ore percipiuntur, & aromatis non modicum reſipiunt, quas nimirum qualitates Balſami fructui ineſſe Dioſcorides teſtatur. Hinc igitur fit vt in hoc à Fuchſio viro alioqui doctißimo planè diſſentiamus, namque in libro, quem de compoſitione medicamentorum nuper auctum edidit, Carpobalſami loco leucoii radicem ſupponendam cenſet: eo quidem argumento (vt inquit) quòd ita ſcriptum repererit in eo Galeni libro, cui titulus eſt de ſubſtitutis medicamentis. Verùm cùm ipſe nuſquam (quod quidem legerim) in legitimis Galeni libris inuenerim, hunc auctorem, ſi deſit Carpobalſamum, ſubſtituere, vel viribus proximam facere leucoii radicem, cui nulla prorſus ineſt qualitas, neque facultas, quæ Carpobalſamo reſpondeat, non eſt, cur in hoc Fuchſij probem ſententiã. Cæterùm affertur iam (vt audio) ex occidentalibus Indijs liquor odoratiſſimus liquido ſtyraci admodum ſimilis, quem qui deferunt, appellant Balſamum, quòd notas nonnullas Balſami præ ſe ferat. Veruntamen cùm teſte Strabone Balſami lachryma lacteo colore ſit, crediderim potius nouum liquorem hunc veram eſſe ſtactem, vel ſtyracis liquorem, quàm Balſami: ob idq; non eſſe penitus ab re, ſi quiſpiam eo Balſami loco vteretur. Quidam recentiores cùm ſe Opobalſamo deſtitutos conſpicerent, illud artificio quedam non ſanè damnando componunt. Faciundi modum ſic habeto: ego enim hac ratione pluries ipſum mihi confeci. Sumito reſinæ terebinthinæ, abiegnæ, cuiusque libram: thuris albi, ladani, cuiusq; vnc. ſex: nardi Indicæ drac. duas: radicum phu, iridis, acori, aſari, cyperi, ſingul. drachmam: maſtiches, galangæ, caryophyllorum, caßiæ odoratæ, zedoariæ, cuiuſq; drach. ſex: nucum myriſticarum vnc. quatuor, macis vnc. vnam: agallochi vnc. duas: gummi elemi vnc. ſex. aloes hepaticæ, myrrhæ, cuiuſque vnc. vnam & ſemis: caſtorei drach. decem: oßium cariotarum, ſtyracis calamitæ pinguis, laſeris odorati, ſing. vnciam: lachrymæ ſanguinis draconis ſeſcunciam: florum lauendulæ vnc. quatuor, olei vnguẽtariæ glandis vnc. ſex. Quæ ex his atterenda ſunt, in puluerem conterito, liquoribusq; admiſceto, & vitreo organo (ſi neſcis, Chymiſtas conſulito) diligentißimè vi commenſurati ignis oleum elicito. Primùm enim clarißima tenuißimaq; emanat aqua, tenuißimarum vtique partium, quæ igni admota modo quodam admirabili flagrat: hæc aqua Balſami dicitur. Deinde defluit oleum colore aureo, & ſubſtantia inter tenuem, & craſſam, quod oleum Balſami vocant. Poſtremò verò id manat, quod Balſamum vocant, rufo colore. Aqua quæ prius fluxit, ventriculi imbecillitate affectos hauſta mirum in modum iuuat: ſiquidem tum pituitam, tum flatũ valenter conſumit: ſed quòd acerrima ſit, dari ſanè per ſe nequit, niſi vino, aut iure aliquo admiſta. Liquor deinde, qui ſecundo ſtillicidio fluxit, quem quidam cæteris præferunt, mirificè neruorum vulneribus, compaginum cruciatibus, conuulſis, reſolutis, comitialibusq; ſuccurrit. Vltimũ verò oleum hæc omnia ſimiliter præſtat, verùm debilius. Pollent hi liquores & ad alia innumera corporis incommoda, quæ breuitati conſulentes ſilentio inuoluenda duximus.* Βάλσαμον *ſic Græcè dicitur, vt Latinè etiam Balſamum: Arabicè, Baleſem, Bolcſma, aut Belſan: Italicè, Balſamo.*

Xylobalſam.

Balſami vires ex Galeno.

Succedaneũ balſami.

Cubebæ pro Carpobalſamo.

Fuchſij opinio improbata de ſuccedaneo Carpobalſami.

Balſamum Indicum nouum.

Balſami factitij conficiendi ratio.

Balſami factitij vires.

Nomina.

Balſamum duplex eſt, naturale & artificiale: naturale aliud veterum, aliud recentiorum: veterum eſt Iudaicum, de quo Dioſcorides, Theophraſt. Galenus, Plinius, Pauſanias, Strabo, Iuſtinus multa: arbuſcula foliis rutæ proximis, floribus albæ violæ ſimilibus (vt figura hic ex Proſpero Alpino adpoſita, qui eleganter de eo ſcripſit, exprimit) fructu Terebintho magnitudine, figura & colore farcto ponderoſo, guſtu in ore feruente: quod in India & Aegypto prouenit. Ex quo tria in vſum aſſumuntur medicum, ſuccus, fructus & lignum arboris. Succus Opobalſamum ex inciſo caudicis cortice parte ſuperna ſub canicula colligebatur: huius ſuccedaneum Galenus ſtacten fecit: poteſt ſubſtitui Balſamum Peruuianum, vel in huius quoque defectu, Terebinthi genuini liquor lympidiſsimus, cum viribus opobalſamo reſpondeant: alii ſumunt oleum Caryophyllorum: alii oleum nucis moſcatæ. Fructus Carpobalſamum dicitur, & quod officinæ habent adpinximus, quos veros Balſami fructus eſſe, ſtatuit Alpinus: at quia exoleti & carioſi habentur, ſunt qui ſemen Terebinthi, vel Lentiſci immaturi, cùm horum vires Carpobalſamo reſpondeant, ſubſtituant: alii nucem moſcatam, alii Caryophyllos: Cubebæ etiam ſed in minori doſi, cum gradu vno caliditatis & ſiccitatis Balſamũ ſuperent, antibalomenon eſſe poſſunt. Lignum ipſius Xylobalſamum offic. dicitur, cuius figuram adpoſuimus, vt apud eos inuenitur: huic fortè Lentiſci ſurculi, modò non carioſi ſint, ſed recentes, nec odorẽ amiſerint, ſuccedere poſſunt, cũ ii ſint temperie modicè calfacientes & exſiccantes, moderatè quin & aſtringant & aromatica ſint: alii tamẽ Maceris & Cyperi æquales partes: alii ſantalum flauum: alii Cubebas ſubſtituunt. Balſamum recentiorum quadruplex eſt: Indicum, Americum, nouum ex Hiſpaniola & Tolutanum. I. Indicum ſeu occidentale, quod ex occidẽtali India in Hiſpaniam adfertur, liquor eſt arboris Indis Xilo dictæ punica malo maioris, foliis vrticę ſimilibus ſerratis & tenuibus: cuius cortice, qui tenuis eſt, vulnerato liquor tenax, ſubalbidus, paucus, quem incolę ſibi reſeruãt, effluit. Sed ex ramis & truncis aſſulatim & minutim conciſis, & cũ aqua in lebete decoctis, vbi refrixerit, cõchis oleum ſupernatans colligũt, quod ex nigro rubet, odoris ſuauiſſ. guſtus acuti & aliquantum amari, cuius libra in Hiſpania nũc tribus aut quatuor ducatis vænit, cum olei vnc. vna decem aut viginti venderetur. Calidum & ſiccum eſt gradu ſecundo: ſumitur in corpus, foris illinitur, & chirurgicis remediis permiſcetur. Plura apud Nicolaum Monardem lib. de ſimplic. Indiæ Occidentalis. II: Balſamum Americanum, quod ex Americæ, ſiue noui orbis continente adfertur, ſeu Peruuianum, liquor eſt arboris uaſtæ magnitudinis, ad radicẽ ramoſis, dupliciq; cortice, quo vulnerato ex medio ſpacio alba, lympidiſſima, & odoratiſſima lachryma effluit, cuius gutta libram prędicti per decoctionem collecti, vt autor eſt

Balſamum Iudaicum.

Balſamum Indicum.

Balſamum Americanum

Monardis, præſtat. Huius fructus ciceris aut piſi grano non maior, aliquantulum amarus, ſiliqua anguſta digitum longa, alba, tenui, includitur. III. Balſamum nouum, quod ex inſula Hiſpaniola adfertur, ſuccus eſt plantæ ſponte naſcentis, arboris magnitudine, ad duorum hominum proceritatem interdum aſſurgente, caulibus cinereis, foliis ſupernè viridioribus, acutis, coſta per medium diuiſis, foliis ſex digitorum longis, quatuor cum dimidio latis, pediculis rubeſcentibus, fructu racemoſo longo, acinis rubentibus: ex aſparagis & ſummitatibus, vt etiã racemis, expreſſus ſuccus in aqua ad medias coquitur ad mellis craſſitudinem: quo ad vlcera & vulnera vtuntur, Balſamo efficacius: Plura apud auctorẽ generalis Indiarum hiſtoriæ. IV. Tolutanum, quod ex continentis quadam prouincia inter Chartaginem & Nomen Dei ſita, Tolù ab Indis appellata, liquor eſt arboris pumilæ pino ſimilis, ramoſæ, foliis inſtar Ceratiæ perpetuo virentibus: cuius cortice inciſo, arbori veluti quibuſdam cochlearibus, è cera nigra confectis, adnexis, liquor colligitur ex rubro ad aureum tendens, dulcis, odore Limonũ fragrantiam referens, quod præſtantius eo quod ex noua Hiſpania adfertur, & ad omnia ad quæ & Balſamum Aegyptium efficax: plura in appendice hiſtoriæ Lugdunenſis.

Balſamum ex Hiſpaniola.

Balſamum Tolutanum.

## Ἀσπάλαθος. ASPALATHVS. CAP. XIX.

a Meũ & Cat. ξυλώδης i. lignoſus.
b Meũ μυρεψοὶ i. vnguentarij.
c Meũ ὀζαίνας i. ſordida narium vlcera.

ASpalathus, aliis eryſiſceptron, frutex eſt a ſurculoſus, multis ſpinis horrens. Naſcitur in Iſtro, Niſyro, Syria & Rhodiorum inſula: quo ad vnguentorum ſpiſſamenta c pigmentarii vtuntur. Optimus eſt grauis, detracto cortice rubeſcens, aut in purpuram vergens, denſus, odoratus, guſtatu amarus. Eſt & alterum eius genus candidum, lignoſum, ſine odore: quod deterius habetur. Vim calfaciendi cum adſtrictione obtinet. Vnde decoctum cum vino ad tetra oris vlcera colluenda conuenit: ad nomas genitalium, & c ſordida vlcera infunditur: ſubiectum in peſſo, partum extrahit. Aluum ſiſtit eius decoctum: & ſanguinis reiectionem potu cohibet: vrinæ difficultatem, inflationesque diſcutit.

I. ASPALATHVS RHODIVS.



II. ASPALATHVS ROSEVS.





Aſpalathi cõſideratio: nõ eſſe Santalũ rubrum.

*ASpalathus quidem ex Creta, Rhodo vel Syria ad nos (quod ego ſciam) non aduehitur: quare errant (mea quidem ſententia) qui putant Santalum rubrum legitimum eſſe Dioſcoridis & antiquorum Aſpalathum. Quorum errorem Serapio manifeſtè prodidit: quandoquidem de ſantalo agens, nullũ (vt aſſolet) affert Dioſcoridis teſtimonium, ſed tantùm ſuæ gentis nititur auctoritatibus. Quod maximo argumento eſt, ſantalum rubrum nihil cum Aſpalatho habere cognationis, & præſertim cùm plures in eo deſiderentur Aſpalathi notæ. Meminit tamen Serapio Aſpalathi ſub Arabico nomine Darſiſahan, vbi leguntur omnia, quæ de ipſo tradidit Dioſcorides. Huic alia validior accedit ratio, ſiquidem Aloiſius Cadamuſtus, Columbus, & Pinzonus in ſuis nauigationibus ad orientales Indias aliasq; ignotas terras, continuas ſantalorum recta proceritate ſyluas vnanimiter vidiſſe narrant. Quod longe abeſt ab Aſpalatho, qui frutex humilis eſt ſuauiter odoratus, amarulento guſtu: quæ in rubro ſantalo nõ deprehenduntur, rubrũ enim ſantalum odoratũ non eſt. Quod ſi quandoque odoratum ſentitur, id (vt optimè norũt periti myropolæ) nõ euenit, quòd ex ſe tale ſit, ſed quòd, dũ vnà cum albo & flauo importatur, quæ odorata ſunt, ex illis ſibi odorem aſciuerit, qui tamen tractu temporis facilè euaneſcit. Porrò Ruellius (ni fallor) mediocri cenſura non vacat, quòd pro certo aſſerat, id legitimum eſſe aſpalathum; quod Rhodium oleaſtrum nonnulli vocant: quo item quondam agallochi vice vtebantur moropolæ. Cuius materiam cùm & in ſeplaſiis, & apud artifices, qui precatorias (vt ita dicam) coronas ad Deiparæ virginis ſalutationes torno conficiunt, diligentiſſimè ſim perſcrutatus, ea ſane nigra partim, partim verò ex nigro flauoq; venoſa mihi ſeſe obtulit: rubram autem, & ſubrubram (vt Ruellius inquit)*

Ruellius errore notatur, quod Rhodium oleaſtrum, Aſpalathum cenſuerit.

Rhodius oleaſter.

*quit) nuſquam me vidiſſe ingenuè fateri poſſum. Adde etiamnum, quòd ſit (quemadmodum Rhodij narrant) hæc planta ex olearum genere Rhodio tractu abundè proueniens, quæ oliuas etiam proferat, ſed nec multis ſpinis horrens, nec detracto cortice rubeſcens. Quamobrem (vt mea fert opinio) Aſpalathus non erit Rhodium oleaſtrum, quanquàm ſententiæ noſtræ non ſubſcribat Anguillarius. Ille Conſtantinum Myropolam quendam Rhodium teſtem adducit, ego Rhodios alios à quibus de his omnibus diligenter ſum percontatus, qui plantam hanc oleaſtrum, non Aſpalathum vocari dicunt. Itaque cum nobis Aſpalathus deſit, qui tamen facilè ex Rhodiorum inſula afferri poſſet, ſuppleat eius locum viticis ſemen: ſic enim in Galeni ſuccedaneis ſcriptum reperio. Atqui manifeſtò hallucinatos eſſe cùm Ruellium ipſum, tum Anguillarium, palàm facit Aſpalathus, quem mihi primus ſuperiori anno dono dedit Franciſcus Calceolarius Veronenſis, rei plantariæ peritiſſimus, & deinde eiuſdem Aſpalathi truncus humani brachij craſſitudine à Bartholomæo Rolleo Medico, & rei medicæ perito, & à Conſtantino Sylueſtrio pharmacopæo Ariminenſi ex Cypro Inſula ad me miſſus: cùm huic, qui eiuſdem generis eſt, cum altero à Calceolario miſſo, nihil penitus deſit, quod in legitimo Aſpalatho comprobando deſiderari poſſit, & præſertim cum non ſolum detracto cortice, purpureo colore rufeſcat, guſtu ſit amaro, & materiæ denſitate grauis, ſed quòd Caſtoreũ non obſcurè reſipiat, vt Plin. inquit lib. duodecimo, ca. vigeſimoquarto. Cæterùm & illud quidẽ mirũ videri debet, (quod Cyprij referunt rei plantariæ periti) ex centum Aſpalathi plantis, vix reperiri duas, aut tres, quæ odoratæ habeãtur. Porrò quoniã non ignoro nõ defuturos calũniatores, qui (vt eorũ eſt natura) teſtimoniũ hoc noſtrũ impugnabunt, Aſpalathi huiuſce truncũ mihi ſeruo, vt ſi fortaſſe eorũ aliqui illũ videndi, examinandiq́ cauſa ad me concederent, poſſint ſuam ipſi accuſare proteruiã, & mentis amarorem abſtergere, ſi fortaſſe cõtigerit, vt ipſis olfacientibus, ego naſum ligno ſurſum impulſo ita protrudã vt inde ſanguis profluat & emergat, ita enim puto, futurũ mihi negotiũ ad eorum caſtigandã temeritatem. Meminit Aſpalathi Galenus lib. VI. ſimpl. medic. ſic inquiens: Aſpalathus guſtu quidem acris ſimùl & adſtringens eſt: facultate verò ex diſſimilibus conſtat, nempe partibus ſuis acribus excalfaciens, partibus verò aliis, auſteris ſcilicet, refrigerans. Itaque vtriuſque ratione deſiccat, & proinde ad putredines, & fluxiones eſt vtilis: hactenus Galenus. Cæterùm quò etiam hi noſtri commentarij Santala redoleant, poſteaquàm antiquiores Græci eorum non meminerunt, de his hic diſſerere non alienum duximus.* SANTALVM *itaque in vtraque India ſyluis denſiſſimis, ingentiſſimiſq́ naſcitur. Cuius*

Anguillara notatur.

Aſpalathum verum è Cypro allatum.

Aſpalathi vires ex Gal.

Santalorum conſideratio & vires.

III. SANTALVM ALBVM & citrinum.



SANTALVM RVBRVM.



*tria numerantur genera: quorum præfertur pallidum, ſecundum locum habet album, poſtremo rubrum, quòd nullo commendetur odore: priora duo ſuauiter ſpirent. Quapropter Mauritanorum ſententiam minimè probandam putauerim, qui Santalum tertio ordine frigefacere, ſiccare verò ſecundo memoriæ prodiderunt. Rubrum (vt ipſi aſſerunt) priuatim defluxiones prohibet: incandeſcentibus inflammationibus, podagriſq́ ex ſucco ſolani, aut ſedi, vel portulacæ vtiliter illinitur. Candidum ac pallidum, ex roſarum aqua fronti impoſita, capitis dolores mulcent. Aduerſantur omnia calidis febribus: epota æſtuanti ventriculo mirificè auxiliantur. Fiunt ex iis, & aqua roſarum epithemata, quæ ventriculo illita eius feruorem in ardentiſſimis febribus extinguunt. Ad hæc (vt auctor eſt Auicenna libro de viribus cordis) ſantalum non modo cordi efficaciſſimè lætitiam affert, ſed & robur non paruum addit: quare his immiſcetur medicamentis, quæ cordi, & cordis palpitationi maximam opem præſtant. Quod ἀσπάλαθος Græcis Latinis item Aſpalathus vocatur: Arabibus, Darſiſaban: Italis, Aſpalatho.*

Nomina.

Aſpalathus dictus ἀπὸ τοῦ μὴ ῥᾳδίως ἀπὸ τῶν πληγέντων ἀποσπᾶσθαι ἤτοι ἀφαιρεῖσθαι: quod non facilè euelli ſiue eximi queat è corpore eorum, qui in eam impegerũt: quare Plato 10. de Repub. refert Tyrannos Aſpalathi ſpinis apud inferos laniari. Hippocrates 2. de nat. mulieb. μέλαιναν ῥίζαν radicem nigram cum aliis in vino ad fluxum vteri bibendam exhibet, quam Galenus in lexico Hippocrateo dicit eſſe radicem Aſpalathi aromatici appellari. Plinius meminit li. 12. fruticis Aſpalathi, qui ſit ſpinoſus, nec vbique odoratus, vbi videtur alterum Dioſcoridis Aſpalathum intelligere: at lib. 24. meminit ſpinæ ſylueſtris in Oriente, quo loci videtur Dioſcoridis Aſpalathum voluiſſe exprimere. Sed hac de re plenius in vniuerſali noſtra hiſtoria. Vſus erat corticis ex radice, vt ex lib. de Theriaca ad Piſonem cap. 13. & de Theriaca ad Pamphylium in magmate Hedychroo, qui Theriacam Andromachi ſenioris ingrediuntur, colligere eſt: requirit enim ἀσπαλάθου ῥίζης φλοιὸν: cuius etiam vſus in Trochiſcis Cyphi Damocratis, qui Mythridatium ingrediuntur, de quibus Galenus 2. de Antidotis. Quare cum eo deſtituantur officinæ noſtræ, de antiballomeno cogitandum. Galenus in ſuccedaneis (modó ipſius ſit) Erices fructum, aut ſemen Agni caſti ſubſtituit: ſumi poteſt aut lignum aloes, aut ſantalum citrinum odoratiſsimum, aut agni caſti ſeu viticis ſemen. II. Rhodius Oleaſter, dicitur Rhodium lignum Cord. in Dioſc. cui & olea æthyopica videtur. Aſpalathi tertia ſpecies Penæ & Lugd. quod pro Agallocho ſæpè venditur, quare Agallochum & Xyloaloe ſolida & põderoſa, Cord. hiſt. cuius duæ ſpecies, altera albicat & torulo eſt cinereo: altera rubet, & hoc Aſpalathi 2. genus eſt Penę & Lugd. Rhodium lignum rubeſcens. Cord. in Dioſc. Aſpalathus roſeus, Lobelo in iconibus. III. Sandal Arabes vocant: veteribus Græcis indictum, ex recentioribus Actuarius meminit Arabes imitatus, qui flauum κίτεινον vocat. Album & pallidũ Garzia autore, in nucis iuglandis magnitudinem attollitur, foliis virentibus lentiſci æmulis, flos ex cæruleo nigricans, fructus ceraſi magnitudine, viridis, mox niger, inſipidus & facilè decidens. Arbor inodora, niſi iam detracto cortice exſiccata, odor enim in medulla eſt, quare id quod multum medullæ & parum ligni habet, præfertur; vtraque arbor ligni tantum colore differt. Santalum pallidum, officinæ citrinum vocant, aliiſque præfertur quia odoratius, ſed minore copia advehitur: hoc videtur eſſe ſantalum Machoziri apud Meſuem, quam vocem Monachi odoriferi reddunt: Cordus citrini ſpeciem odoratiſſimam quæ rarius cum albo & citrino vulgari adfertur, cenſet: quare Franciſcus Alexander in ſuo Appolline, quartum ſantalorum genus eſſe voluit: aſt Garzias exiſtimat dictum Machazari, quaſi è Malaca petitum: aut Mazafrani legendum, quod pallidum aut croceo colore infectum ſonat. In defectu citrini candidum ſubſtituemus, non albi & rubri partes æquales, vt Sepulueda fecit. Cenſet Cæſalpinus flauum quod habemus, candidi medullam eſſe. At rubrum (Lotum veterum cenſuit Cord. in Dioſc.) quod decorticatum affertur ligno Breſſilio dicto ſæpè adulteratur: verúm licet vtrumque ſit inodorum, attamen ſantalum rubrum neque dulce eſt, neque inficere debet. Braſſilium & dulce eſt & inficit: ponderoſior quin etiam & ſolidior ſantali materia, ideo aquæ iniectum ſtatim fundum petit. IV. Verum & Breſilii (quod ex Braſſilia adferatur) ligni duo genera ſunt, alterum ruffum, alterum citrinum: ruffum, aliud ruberrimum, aliud in ruffo candicat. Similitudinem quandam habet cum Acere, craſſitudine Guaiaco æquiparatur, fibras rectas habens: hoc tinctoribus ob rubedinem quam decoctione deponit, expetitum. Citrinum veró Bugia vocatur, baculi longi ſunt, craſſitudine ferè qua manum impleant, rectis etiam fibris, tenues aſſulæ in aqua decoctæ luteum vel citrinum colorem, quo fullones vtuntur, remittunt.

Sandali hiſtoria.

Breſilium duplex.

Bugia.

Βρύον.

## MVSCVS. CAP. XX.

Concluſa nõ legit Orib. a Meũ addit μέσον θερμοῦ καὶ ψυχρὸν. Drag. μετὰ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ. i. medium in caliditate, & frigiditate.

BRyon, [id eſt, Muſcus, à quibuſdam ſplachnon appellatur. In cedro arbore, populo alba, & quercu inuenitur.] Optimum eſt cedrinum, proximum populneum: in quo genere candidum & odoratius præſtat: nigricans improbatur. Adſtringendi vim habet. Decoctum inſidentium vuluis vtile. Vnguento balanino, oleiſq; inſpiſſandi gratia inſeritur: thymiamatũ, acoporumq; compoſitionibus cõueniens.

Muſci arborum hiſtoria.

Muſci nomina.

*GAlenus lib. VI. de ſimplicium medicamentorum facultate, & poſt ipſum Paulus non modo Muſcum, qui cedris innaſcitur, intactum non reliquere, ſed præterquam quòd populnei, & querni meminerint, de eo etiamnum, qui in picea arbore abieti cognata oritur, tradiderunt. A qua ipſe quidem in vallis Ananiæ montibus ſupra Tridentum muſcum admodum villoſum propriis manibus quàmpluries decerpſi, multò ſanè odoratiorem pulchrioremq;, quàm qui in populo, & quercu prouenit. Nec minus piceo ſuauiter olet abiegnus, quo in eorundem montium ſyluis, abietes innumeras adeò villoſas, incanaſq; mihi videre ſæpius contigit, vt prima ſtatim facie crediderim villos frondium loco iis in arboribus genitos eſſe. Sortitur arboreus Muſcus varia ac diuerſa nomina: quippe & muſcus, & bryon, & ſphagnos, & ſplachnon, & hypnon appellatur. Meminit huius Plinius lib. XII. cap. XXIII. ſic inquiens. Sphagnos in Cyrenaica prouincia maximè probatur: alij bryon vocant, ſecundum locum obtinet Cyprius, tertiũ Phœniceus. Fertur & in Aegypto naſci: quin & in Gallia nõ dubitauerim. Sunt enim hoc nomine cani arborum villi ex annoſis plerumq; arboribus dependentes, colore ſub albicante ac incano quales in quercu maximè videmus, ſed odore præſtantes. Laus prima candidiſſimis atque altiſſimis: ſecunda rutilis: nulla nigris. Et in inſulis, petriſq; nati improbantur, omneſq;, quibus palmarũ, atque non ſuus odor ineſt: hactenus Plinius. Cæterùm in eo genere, quod in Italia prouenit, is & nobilior, & odoratior apparet, qui in larice naſcitur: quapropter & viribus fortaſſe præſtantior erit. Nimirum recordor me non parum eo quandoque fuiſſe oblectatum, dum nocturno tempore quibuſdam in montibus ſuper fœno recumberem, ex conquiſitis plantis defatigatus, vbi larices innumeræ erant omni ex parte villoſo muſco incanæ. Quandoquidem paſtores, vt nos veluti re noua & voluptuoſa reficerent, quodam paruo ignis lumine hos villos incendebant, qui tanto flagrabant impetu, & crepitu, vt nobis quidem viderentur tormentorum puluerem facilè ſuperare. Quippe flammæ vna cùm ingenti fauillarum copia, in obſcura noctis ſilentio ad aſtra tolli videbantur, relicto ſui odoris oblectamento. Vnde illud exiſtimauerim, quòd Galenus, cùm bryon in quercubus, & piceis inueniri tradiderit, non ſolùm de picea intellexerit, ſed etiam de congeneribus plantis, nempe abiete, larice & pinu. Is autem lib. VI. ſimpl. medic. citato, ita de eo ſcriptum reliquit: Bryon, quidam verò ſplachnon: inuenitur autem in quercubus, & piceis & populis albis. Vim habet adſtringentem, inualidam: nec enim multum eſt frigidum, ſed propinquum fermè medijs: quia videlicet & digerendi, & emolliendi facultatis eſt particeps, maximè quod in cedrinis lignis reperitur. Muſcum officinæ Arabes ſecutæ Vſneam vocant: inter quos Serapio epotum vinum retulit, in quo diebus aliquot vſnea maduerit, altũ ſomnum inducere, ventriculum roborare, vomitiones compeſcere, & aluum ſiſtere. Retens decerptus & oleo roſaceo imbutus capitis dolores à calore exortos mirificè mulcet. Sanguinem è vulneribus manantem compeſcit impoſitus arcteque adalligatus. Expetitur quernus, laricens, ac etiam abiegnus vnguentarijs ad pulueres odoratos parandos, quos Cyprios vocant*

Lariceus muſcus nobilior.

Muſci arborei vires ex Gal. & Arabibus. Vſnea.

Adhæc

I. MVSCVS ARBOREVS.



II. MVSCVS TERRESTRIS.



*Ad hæc Muſcus (ut Auicenna inquit) utiliter inter cordis medicamenta inſeritur, quòd odoris fragrantia animi defectus iuuet. Eſt & planta, cuius ſuperius in celtica nardo meminimus, quam recentiorum quidam* TERRESTREM MVSCVM *appellant. Hæc longas viticulas vbique oblongis numeroſiſſimiſq; foliolis circumueſtitas, funiculi inſtar habet, quæ ſæpe ad ſeptem, octoq; vlnarum longitudinem protenduntur, compluribus vtrinque adnatis ramulis, pariter foliolis circumſeptis, vt piceæ arboris ſummitates. Tota planta tactu ſicca eſt, & ſubaſpera, colore ex viridi pallescente. Serpit humi, & inter ſaxa muſco ſcatentia, nititurq; radicibus plurimis capillaribus ex ipſis viticulis prodeuntibus vt in hedera. Emittit Iunio menſe, in ramuſculorum ſummitate iulos corylaceis ferè ſimiles, ſubflauo colore. Naſcitur in ſyluis ſabuloſis, & inuiis locis, & præſertim inter muſcoſos lapides. Hanc plantam pro celtica nardo, adhuc aliqui vſurpant Myropolæ, qui vulgares ſequuntur errores. Præſtat tota planta ad calculoſos affectus: nam ſi vino albo incoquatur, eo epoto, renum calculi franguntur, pelluntur q; certiſſimo experimento. Idem contuſus, & deinde ex aqua decoctus, inflammationes, & calidos dolores admotus mulcet, ob idq; hoc auxilium à multis uſurpatur ad podagram à calore prouenientem. In vinum pendulum impoſitus breui reſtituit illud. Sed quoniam arboreus muſcus odoratiſſimum Moſchon mihi in memoriam redegit, qui ab oriente & occidente, quibuſdam piloſis vtriculis concluſus defertur, etſi Dioſcoridis Galeniq; æuum hunc ſilentio præterierit, nos tamen haud quaquam diſſimulanda putauimus, quæ ad hanc rem pertinere arbitramur. Siquidem hi noſtri commentarii meritò de me conqueri potuiſſent, ſi eos tanta odoris ſuauitate deſtitutos reliquiſſem, præſertim cùm omnibus palam ſit vbique terrarum Moſchum inter pretioſa odoramenta primam ſibi comparaſſe ſedem. Quippe non modò collo, auribuſq; ſuſpenſus, veſtimentis interpoſitus, chirothecis illitus, crumenis concluſus, ore retentus, & barba & ſuperciliis inunctus defertur Moſchus, quo alarum, nariumq; tædia, ſudoris grauεolentia, & inſuaues corporis halitus occulantur, laſciuiæ oblectamēta augeantur, molliorq; politia fiat: ſed etiam vt odoris ſuauitate Deiparam virginem concilient, ne dicam, vt hac fucata hypocriſi laſciuiam diſſimulent (eò enim vanitatis peruentum eſt) Moſchum ipſum in orbiculos componunt, quibus funiculo traiectis angelicas ſalutationes in cœlum eructant: omnia denique, quibus miſcetur Moſchus ſua odoris iucunditate commendat. Quòd ſi hæ lucubrationes eo fortè caruiſſent, verendum quidem erat, ne cum illis gratiam iniiſſent, qui mira vndique odoramentorum fragrantia redolent. Quamobrem vt & ii ſibi vnguenta omnium præſtantiſſima, odoratiſſimaq; comparare valeant, Moſchi primùm, deinde verò liquoris Zibetti vocati, & Ambari denique hiſtoriam, & facultates deſcribam.* MOSCHVS *itaque (vt Ruellius ex Aetio, tranſcribit, ſi tamen ea Aetii legitima ſunt, cum potius Simeonis Sethi eſſe videantur) plura habet genera. Præfertur qui in municipio quodam naſcitur, quod magis quam Choraſa ciuitas ad orientem vergit: hoc barbaro nomine Pat dicitur, colore ſubflauo. Secundam ſibi ſedem arrogat, qui ab India defertur, priori bonitate cedens, colore ſubnigro. Eo infirmior cenſetur qui à Sinarum agro mittitur. At Moſchus omnis in vmbilico cuiuſdam animalis gignitur, quod capreæ ſimile eſt, vnico armatum cornu, prægrandi corpore. Huic cùm in venerem agitur, furoris vehementia vmbilicus intumeſcit, fitq; vomica prægnans congeſto inibi craſſiore ſanguine: quo tempore & pabulo, & potu ferum animal abſtinet, humique crebrò voluitur: qua verſatione vmbilicum lutoſo, fæculentoq; ſanguine turgentem exprimit. Cæterùm emiſſa ſanies poſt aliquod tempus ſibi magnam odoris ſuauitatem adſciſcit. De Moſcho inter Arabes ſcripſit diligenter accurateq; Serapio, his verbis. Animalia capreis non abſimilia, quæ Moſchum gignunt, in Tumbaſcorum, & Sinarum agro potiſſimùm habentur, loca inuicem contermina. Tumbaſcinus Sinico longè præſtantior eſt, quòd capreæ Moſchum gignentes & nardum, & alias odoratiſſimas plantas depaſcantur, quod Sinis non euenit: nam etſi hæ quoque odoratis veſcantur herbis, eæ tamen odoris & facultatis præſtantia, nardum, & cæteras Tumbaſci plantas non æquant. Quinetiam in cauſa eſt demetendi ratio: quippe Tumbaſcini è vomicæ folliculo*

Muſci terreſtris conſideratio.

Muſci terreſtris vires.

Moſchi odorati hiſtoria ex Ruellio.

Serapio de Moſcho.



*ſaniem*

*ſaniem nunquam eruunt, quo adulteria permiſceant, & non niſi ſereno cælo ſyncerum legunt. Sinici verò vomicæ viſculum exprimunt, & excluſa ſanie impoſturas quaſdam admiſcent, nubilo parumque arridente cælo, & alabaſtris recondunt. Is cæteris præſtat, qui maiore odoris fragrantia redolet, & qui è vomica maximè matura eruitur. Sunt & inter hæc animalia, quæ ab aliis Moſchum ferentibus nullo diſcrimine differunt, præterquàm caninis vocatis dentibus: quippe hæc verrium modo exertos palmi longitudine dentes habent, & pariter Moſchum præſtantiſſimum gignunt. Moſchus præcox tetro, & inſuaui odore diſplicet, verùm venatores immaturi folliculos excutientes, tantiſper eum libero aëre ſuſpendunt, dum abacto prorſus fœtore maturuerit: is enim aëris coctione perfecta, miram ſibi conciliat odoris ſuauitatem. Veruntamen præcipuus habetur, qui ſuapte natura in animalis vtriculo ſibi maturitatem comparauerit. Hunc incolæ per ſaxa metunt, & arborum truncos, namque animal cum vomicam maturam eſſe præſentit, & ſaxis & truncis ſeſe magno oblectamento affricat, donec facto vomicæ emiſſario tota saniei vis effundatur. Hic cæteros ſanè antecellit, tanquàm ſolis coctione, & cæli benignitate maturitatem vltimam conſecutus. Hunc itaq; Moſchum inde venatores colligentes eorum animalium vtriculis aſſeruant, quæ aliàs venatione captauerant: iſque ille Moſchus eſt, quo reges & donantur,*

Moſchi odorati vires.

*& vtuntur. Moſchus excalfacit ordine ſecundo, ſiccat verò tertio. Cor frigidum, ac tremulum roborat, & omnibus ipſius affectibus opem præſtat potus, atque illitus. Detergit tenues oculorum albugines, & humidas defluxiones exiccat: cerebrum roborat, & diuturnum capitis dolorem mulcet, ſi tamen pituitæ redundantia proueniat. Coles ex eo cicino oleo macerato*

Confectio è Moſcho.

*perunctus, promptius in venerem excitatur. Fit è Moſcho confectio ſuauis in exiguas particulas digeſta, quam Itali appellant Moſchardini, hoc modo. Tragacanthæ gummi vncia, vnà cum ſanguinis draconis lachrymæ binis drachmis, ſtillatitia aqua roſarum, duobus diebus maceratur, deinde in mortarium coniiciuntur: his adduntur ſacchari albiſſimi drachmæ ſex, amyli drachmæ quinque, moſchi ex aqua roſarum diſſoluti ſcrupulus: atteruntur deinde piſtillo quouſque ſimul miſceantur, poſtremò digeruntur in particulas hordei granis haud maiores, & ſiccantur in vmbra. Præ-*

Moſchi probatio.

*ſtat ad oris graueolentiam, ſi vna, aut altera portio in ore contineatur. Probant nonnulli an Moſchus legitimus ſit, hoc modo. Pondus libra examinatum in labellum humore perfuſum immittunt, tum paulò poſt iterum æqua lance ponderant, quod ſi ſuperferatur, ſyncerum & legitimum exiſtimant: ſin cedat, ſpurium, & adulteratum putant. Huic*

Zibetti hiſtoria.

*ſimile aliud quodpiam habemus, ſed præterquam quòd mirum in modum oleat, primo ſtatim occurſu odoris vehementia nares admodum ferit: hoc vulgari ſermone vocamus* ZIBETTO, *vnguentariis maximè expetitum ad ea odoramenta componenda, quæ propriè miſturas appellant. Gignitur id in exteriori teſticulorum vtriculo cuiuſdam animalis, feli, qui veteribus ædificiorum ruinis oberrat, non abſimilis. Catos hæc animalia vocant, quos ſæpius Venetiis vidi ex Syria delatos. Eſt autem Zibettum tanquam ſudor inter huiuſce animalis teſticulos concreſcens, calidæ, humidæque facultatis.*

Zibetti vires.

*Id cauernulæ vmbilici impoſitum vuluæ ſtrangulationibus mirificè prodeſt: proinde nec mirum eſt, ſi eo viri peni circumlito magnum mulieribus in coitu afferant ſolatium. Adulteratur Zibettum ab impoſtoribus felle bubulo antiquo,*

ANIMAL ZIBETTI.



Ambari hiſtoria.

*aloe, aqua roſarum, caryophyllis, & Moſcho, ſed fraus guſtatu facilè deprehenditur. Porrò ex quo* AMBARVM *aliud odoramenti genus gignatur, quod nos vulgò vocamus Ambracane, varii variè opinantur. Alii namque tradunt ipſum in maris alueo, non ſecus atque in terra fungos oriri, ac deinde ſæuientibus procellis, è profundo elici, & in litus expui. Nonnulli verò referunt piſcem Azelum nomine, Ambarum hoc auidiſſimè proſequi, cuius eſu necem ſibi ſtatim conſciſcere: quòd cùm ſciant piſcatores huius rei periti piſcem hunc mortuum, vndiſque fluctuantem coniectis vncis & funibus extrahunt, & Ambarum ſciſſo animalis ventre eruunt. Quod verò (vt perhibent) proximè dorſi ſpinam inuenitur, id maximè præfertur alio. Quidam præterea in fontibus quibuſdam Ambarum natare ſcribunt, qui bituminis modo illud eructant.*

Sethi de Ambaro.

*Huius ſententiæ è recentioribus Græcis inuenio Simeonem Sethi, qui Ambarum deſcribit his verbis. Ampar, quod & Ambar appellatur, in diuerſis locis ſcaturit: ſunt enim eius fontes vt bituminis, & ſulphuris, & rerum ſimilium.*

Ambari genera & vires.

*Tria Ambari faciunt genera: præfertur colore fuluum è : elachito Indiæ petitum. Aliud ſubalbidum, quod è Sinchrio felicis Arabiæ oppido aduehitur. Tertium atrum, & cæteris viribus imbecillius. Excalfacit Ambarum, & ſiccat: cerebrum, & cor olfactu roborat. Senibus, & natura frigidis opem mirificè præſtat: quare iiſdem potius, quàm iuuenibus chirothecæ Ambaro imbutæ concedi deberent. Vino infuſum temulentos efficit. Cæterùm ex antedictis quæ ſit Ambari hiſtoria vt verior accipienda, non equidem auſim decernere, quòd nihil adhuc certi atque explorati habeam. Neque etiam libet*

Fuchſii opinio Ambarū noſtrum eſſe factitium.

*ſubſcribere ſententiæ Fuchſii, quamuis viri eruditiſſimi: qui in libro de componendis medicamentis, quem vltimo loco auctum edidit, Ambarum noſtri vſus factitium eſſe cenſet, atque legitimum Ambarum, de quo ſcripſerunt Mauritani, quodque ipſe ſuccini generi adſcribit, deſiderari. Siquidem non video, quibus rationibus, vel auctorum teſtimoniis hanc ſuam comprobet ſententiam.*

Nomina.

*Muſcus arboreus βρύον, ἢ σπλάγχνον Græcis appellatur: Muſcus, Latinis: Axnech, aut Vsnee, Arabibus: Moſco, Italis:* Müeß, *Germanis: Bohemis, Mech & Polonis. Muſcus terreſtris: Italis, Moſco terreſtre: Germanis,* Beerlag. *At Moſchus odoratus μόσχος Græcis recentioribus nominatur: Moſchus, Latinis: Miſch, ſeu Meſc, Arabibus: Muſchio, Italis.* Byſem, *Germanis: Piizmo, Bohemis. Ambarum autem vocant Itali Ambra: Germani* Amber: *Bohemi Ambora Hiſpani Ambar.*

Muſci

Muſci vox quamcunque villoſam canitiem annoſis caudicibus, aut ſaxis madidis, aut aquis paluſtribus aut maritimis adnaſcentem ſignificat: idem quod Græcis βρύον: Arabibus, Vſnea: Sphagnum & Hipnũ Aëtio, Sphagnõ Plinio. Triplex eſt, arboreus, terreſtris, & maritimus: hic de arboreo, quia aliquãdo odoratus eſt, cuius nomine primas tenet, & à Galeno βρύον ἀρωματικὸν dicitur, eo quòd antiquitas crebrò in odoratis vnguentis & ſuffitibus vſa ſit, vt is qui è cedro, robore, pinu, picea, abiete, & larice dependet, quem priuatim Splachnon vocant: aliquando inodorus, vt eſt populi, vlmi, betulæ, pomi, pyri & aliarum arborum. Omnium ferè color viridis, vel albicans, quibuſdam fuſcidior, nonnullis flaueſcens, aliis ſubrubens, rariſſimè niger: ſic alter tenuior, craſſior alter: quidam breuior, alter prolixior: viliſſimus qui ex quercu dependet. Imitatur autem muſcus naturam parentis & loci natalitii. Muſcum & Muſcum arboreum communiter herbarii nominant. II. Muſcus hic in quartum librum fuit reiiciendus, qui dicitur Muſcus terreſtris, Trago. Lon. Caſt. Dod. Lugd. Permonaria, Anguil, Lycopodium ſeu pes lupi, officinis quibuſdam. ſpica celtica magno errore, Dod. Gal. Muſcus clauatus, Lob. Muſcus vrſinus, Geſ. in fracto. Muſci genus, Cæſ. Lycopodium, Tab. Selaginis ſpecies altera & Muſcus reptilis, Thal. Chamæpeuce, ſcholiaſti Cordi.

## Ἀγάλλοχον AGALLOCHVM. CAP. XXI.

AGALLOCHVM lignum eſt, quod ex India atque Arabia deportatur, thuiæ ligno ſimile, maculatũ, odoratum, guſtu adſtringens cum quadam amaritudine: [a] cute verius quàm cortice veſtitur, aliquãtulum verſicolore. Manditur, aut decocto os colluitur, commendandi halitus gratia: [b] ſudores arcet toto corpori inſparſum: pro thure ad ſuffimenta ſubſtituitur. Radix epota drachmæ vnius pondere, humida ſtomachi vitia, & imbecillitatem, feruoremque mulcet: ſi lateris, iocinoriſue dolor excruciat, ſi dyſenteriæ, aut tormina infeſtant, ex aqua bibere prodeſt.

a Ita leg. Carac. & Drag. ſed meum ὀστιγμένον. ſed vereor ne falsò.

b καὶ διαπάσμα δὲ ἀλεξίδρωτός ἐστι. i. ſiccum tritumque inſpergitur toti corpori.

### LIGNVM ALOES.



AGallochum à Græcis, & Latinis recentioribus, ſicuti ab Aphris, Lignum aloes appellatur. Optimum à Luſitanis è Calecut Indiæ emporio ad nos conuehitur. Etſi etiam Venetias hac ætate ex Alexandria Aegypti præſtantiſſimum affertur: ſiquidem igni accenſum ſuauiſſimum, ac periucundum ſpirat odorem. Nec ob id putandum hoc illegitimum eſſe, quòd ὀστιγμένον id eſt punctis maculatum nõ ſit: quoniam Oribaſius non legit ὀστιγμένον ἐστὶ μὲν οὖν εὐώδες, id eſt: Eſt igitur odoratum &c. Quemadmodum nec id etiam legit Serapio, qui nec punctorum, nec maculatum meminit: ſicuti nec Paulus. Cæterùm non diu eſt, quòd legitimum importari cœpit: nam licet antea quibuſdam non deeſſet Agallochum verum, nihilominus, quòd rariſſimum eſſet, officinæ ferè omnes eius loco, vt ſuperius diximus, oleaſtrum Rhodium ſuppeditabant: quem falsò exiſtimauit Ruellius aſpalathum eſſe. Naſcitur Agallochum (vt Luſitani per meridiem in orientem nauigantes teſtantur) in inſula Taprobana, aliiſq; confinibus locis, cuius integros truncos in Luſitaniam, & Hiſpaniam iidem ſecum attulere, qui non modo incenſi, ſed manuum tantùm attritu ſuauiter (vt aiunt) redolent. Porrò vbique pretioſum Agallochum eſt: nam & in locis, vbi naſcitur, plurimi penditur. Verum Agallochum, quod tantopere præſtet, hactenus mihi videre nõ licuit. Sunt, qui ſomniantes dixerint, Agallochi arborem vidiſſe neminem, cùm terreſtri tantùm paradyſo proueniat: illudque ferri fabulantur fluminibus, quæ (vt ſacra teſtantur monumenta) ex eo manant. Atqui pro comperto habetur (vt pautis innuit Serapio) Gangem Indiæ ampliſſimum fluuium quàm plurima ſecum Agallochi fragmina vehere, quæ tamen in ipſum ducuntur aliorum fluminum curſu, qui in eum confluunt. Quippe cum fluuii transfluant loca, vbi Agallochum prouenit, aquarum inundationibus turgentes, huius truncos, fragmina, ac ramenta rapiunt vnà cum aliis varii generis lignis, & in Gangem transferunt, quemadmodum in noſtris etiam fluminibus ſæpe ac ſæpius viſitur. Cuius rei indicium affert illud, quod Venetiis venditur, vtpote quod longo aquarum diſcurſu omni ex parte laceratum, exeſum, comminutumq; ſpectetur. Quamobrem mirum non eſt, ſi dum manibus tractatur, id odoris nõ præſtet, quo illud fragrare prædicant ex natali ſolo in Luſitaniam aduectum. Eius plura numerantur genera; ſi Serapioni fides eſt adhibenda, qui ex Abohaniſa Arabe ita tranſcribit. Dicunt Agallochum in Arabia nunquam oriri, tametſi quædam ibi creſcat planta Neuig vocata, quæ quadantenus Agallochum refert. Verum præſtantiſſimum India mittit: & quamuis hoc genere differat (plura enim Indis Agallochi ſunt genera) id tamen quod viribus cætera præcellit per excellentiam Indum peculiariter vocant, quemadmodum nigra myrobalana, quòd cæteris præſtent, Inda pariter appellant. Indum in quadam Indiæ inſula inuenitur, quæ Fimua nominatur. Selectiſſimum eſt nigrum, quod varium oſtendit colorem,

Agallochi conſideratio.

Agalloc. fabuloſa opinio.

Agallochi hiſtoria, ex Serapione.

*ſucci plenum, ponderoſum, duritie compactum, craſſum, non albicans, & quod accenſum ægerrimè flagret. Secundæ bonitatis eſt Mondunum à Mondel Indiæ vrbe denominatum. Tertium eſt Seiſicum, quod non obſcuræ bonitatis præſumitur, quòd ſua præſtanti vi, ac grauedine in aqua coniectum, non innatet, ſed ſtatim ſubſidat: porrò ex hoc genere id magis præſtat, quod craſſum eſt, & plurimo humore prægnans. Poſtremam ſedem habet Alcumericum Seiſico bonitate cedens: tametſi Alcumeri non longius à Seiſi diſtet, quàm itinere triduano. Præſtat in Alcumerici genere nigrum nulla albedine varium, graue, ignium flammis diu reſiſtens, veruntamen viribus Seiſico infirmius eſt. Item ex auctoritate Chealſetebeni idem ita ſcribit. Ferunt præterea, quod incolæ Agallochum ſtatim ab arbore diſſectum integro anno ſepeliunt, vt ita terra obrutum marceſcat cortex, lignumq́ tantùm purum remaneat, adeò, vt è ligno nihil erodatur. Ferunt inſuper illis in regionibus collabentes ex Agallochi arboribus ramos, raptos à fluminum inundationibus per circunſtantes regiones deferri. hæc Serapio.*

Ex Simeone Sethi.

*Cui ſubſcribit è recentioribus Græcis Simeon Sethi, cauſam etiam reddens, cur annua ſepultura diſſectum Agallochum recondatur, cùm inquit. Non aliàs odoratius futurum exiſtimant, niſi prius marcorem aliquem & teredinem ſenſerit: proinde harum regionum incolæ diſſectum ſub terra condunt, ſuoq́ tempore eximunt, & negotiatoribus vendunt. Nicolaus Myrepſicus ſæpius in ſuis componendis medicamentis Agallochi crudi meminit, vbi Fuchſius prima de antidotis ſectione, ſic adnotauit. Sæpè Agallochi crudi mentionem facit Nicolaus, ideoq́ hoc loco, quæ noſtra de illo ſit ſententia, exponemus. Per crudum itaque lignum intelligo, quod non putruit: nam (vt teſtis eſt Simeon Sethi) eius regionis, in qua prouenit, incolæ idipſum concidunt, & ſub terra multo puluere obruunt, & poſt aliquod temporis ſpatium, quantum ſcilicet ſufficere videtur, ligni partes educunt, & mercatoribus vendunt: crudum itaque erit, quod terra non obruitur, ſed ſtatim ab arbore exciſum ad vſum rapitur: hæc Fuchſii ſententia.*

Fuchſij ſentẽtia improbata de Agallocho crudo.

*A quo tamen nos pace ſua, diſſentimus, nam ſi in componendis medicamentis præſtantiora ſimplicia ſemper expoſcimus, ſitq́ Agallochum illud præſtantius, odoratiusq́ (vt etiam Simeon ille refert) quod terra, vel puluere fuerit ſepultum, non video, cur potius inſepultum, & ſtatim ab ipſa arbore exciſum (id enim ob locorum diſtantiam recens habere nequimus) crudum vocauerit Nicolaus, præſtantiusq́ exiſtimauerit. Puluere enim vel terra conditum coqui non poteſt, quòd nullus ibi ſit ignis, neque calor, ſed potius recrementitia humiditate exui, quæ fortaſſe odorem eius obtundit.*

Agallochum crudũ quid.

*Verùm crediderim potius, per crudum Agallochum Nicolao illud deſignari, quod non fuerit antea elixum: quòd inde fortaſsis odoratiſsima lauacra ex Agallochi decocto ſibi conficiant Indi, aliaq́ odoramenta in regales præparent vſus, vt etiam cum rhabarbaro fieri narrant. Vel forte per crudum illud intelligit Nicolaus, quod impetu fluminum, longoq́ eorum ductu per regiones non defertur: in his namque calorificis regionibus aquæ à ſolibus non obſcurè calefactæ non modo illud omni ex parte diluunt, ſed etiam elixant. Illud præterea addiderim, quòd cùm non modo crudum, ſed etiam bonum addiderit Nicolaus, nullum aliud expetere videtur, quàm quod ſepultum præſtantiſsimum euaſerit.*

Agallochi facultas.

*Cæterùm Agallochi omne genus excalfacit, & exiccat ordine ſecundo. Facit, vt Auicenna ſcribit, ad cordis affectus: ob idq́ inter ea medicamenta, quæ cordi præſidio ſunt, Agallochum recenſuit. Huius non reperio meminiſſe Galenum alibi, quàm in ſuccedaneis, vbi centaurium ſupplet pro Agallocho.*

Nomina.

*Lignum, quòd Græcis ἀγάλλοχον, Latini ſimiliter Agallochum dicunt. Verùm recentioribus Græcis ξυλάλον nominatur, vt officinis Lignum aloes: Mauritanis, Hoad, Agabian, Agalugin, aut Agalugen: Italis, Agallocho, & Legno aloe: Germanis, Aloes Holtz / ſeu Creutz Holtz: Hiſpanis, Lin aloe.*

AGallochum ex recentioribus Græcis primus Aetius, (quem ſequuntur Actuarius & Simeon Sethi) Xyloaloen, fortè à nonnulla ſimilitudine coloris aloes appellauit: vnde officinis lignum aloes, vt & Lon. Cæſ. Tab. & Lignum Paradyſi, quibuſdam lignum aquilæ, vel S. Crucis: at Cord. in Dioſc. Lac. Lob. Caſt. Lugd. Agallochus. Videntur & veterum nonnulli per Aloem, Agallochum intellexiſſe. Nam diapaſma illud quo lectulum ſuum odoris gratia, conſperſerat muliercula, de qua apud Salomonem legitur, Myrrham, Aloen & Cinamomum recipit, quo loco minimè ſuccus ille herbæ Aloes intelligendus, cùm inter odorata non referatur. Eſt enim Agallochum arboris oleæ inſtar, fructu piperis modo rotundo & rubente, ligno thuiæ ſimili, maculato, odorato, quod cortice craſſo, aliquantulum verſicolore, veſtitur: cuius licet Serapio plura genera, Sethi differentias decem, Ruellius quatuor, Ludouicus Romanus triplicem arborem faciat, duo conſtituimus ſumma genera, aliud legitimum, aliud ſylueſtre: legitimum aliud ſolidum & ponderoſum, nimirum Agallochum: aliud fiſſile, leue & aromaticum, quod Tarum dicendum. Sed de duplici Taro videatur Cordus in ſua hiſtoria.

## Νάρκαφθον. NARCAPHTHVM: CAP. XXII.

[a] Meũ & Cat. συκαμίνου i. Mori.

NArcaphthum ex India defertur, corticoſum, ſimile [a] ſycomori libro: quod iucundi odoris gratia ſuffitur. Miſcetur thymiamatis compoſitis. Conſtrictionibus vuluæ ſuffitu prodeſt.

Narcaphthi conſideratio.

*TAm breuiter, tamq́ parcè de Narcaphtho ſcripſit Dioſcorides, vt nimirum mihi perdifficile ſit explicare, quidnam hac ætate ad nos ex India afferatur, quod legitimum Narcaphthũ referat. Eoq́ magis quòd nihil de hoc (quod equidem ſciam) Theophraſtus, & Plinius ſuis monumentis poſteritatis memoriæ prodiderunt. Attamen non deſunt indicia, quæ præ ſe ferant (ſi modo ad nos deferatur) id omnino eſſe Narcaphthum, quod vulgò officinæ vocant Tigname: nam Tigname non aliud integrat, quàm thymiama apud Græcos, quod apud Latinos ſuffimentum ſignificat. Proinde cum huius in ſuffimentis frequentiſsimus ſit vſus, nil mirum ſi nouum ex vſu ſibi vendicauerit nomen, quod eſt thymiama. Id quod corrumpentes poſteri tigname pro thymiamate dixere. Ad hæc (vt Dioſcorides inquit) iucundi odoris gratia per ſe ſuffitur, ac etiam alijs ſuffimentis inſeritur.*

Tigname.

*Quod in Tigname facile probatur: quippe id tantùm vſu venit in compoſitis odoramentis, quæ ad ſuffiendum parantur, ita vt præterquàm quòd per ſe id muneris præſtet, raræ quoque fiant ſuffimentorum compoſitiones, quæ ipſum non recipiant. Quare admirari ſinamus, ſi relicto proprio ſuæ arboris nomine, ſibi aſcititiam nomenclaturam ex ſuffimentis vſurpauerit.*

Nomina.

*Serapio Narcaphthum Laſabaten vocat: & illud odorati calami vice ſupponi poſſe autumat. Νάρκαφθον Græcè, ſicut Narcaphthum Latinè appellatur: Arabicè, Nabach, ſiue Laſabaten: Italicè, Agallocho, atque etiam Tigname, veluti ſeplaſiarum vulgo.*

CVm nec Theophraſtus, nec Plinius Narcaphthi, ſeu Naſcaphthi, vt multa exemplaria habent, vt & ipſe Aegineta legit, meminerit, ſed ſolus Dioſcorides cum Aegineta, & quidem adeò ſuccinctè, dubium eſt, an legitimum hoc ſit caput, maximè cùm Marcellus in antiquiſſimo & probatiſſimo codice

dice

dice non legi teſtetur: imò & antiquiora exemplaria, quæ hoc caput habent, in eius tamen lectione varient. Aſt Hermolaus cenſet conſultò à Plinio Naſcaphthum prætermiſſum, quia eius natura incerta ſit, & nomine tantùm orbi noſtro cognitum: idem ex Hermolao, Ruellius refert.

Κάγκαμον. CANCAMVM. CAP. XXIII.

CANCAMVM Arabici ligni lachryma eſt, myrrhæ quodammodo ſimilis, viroſi guſtus, quam ad ſuffimenta vſurpant. Veſtes eo, additis ſtyrace & myrrha, ſuffiuntur. Vim proditur obtinere extenuandi obeſos, ſi ternûm obolorum pondere ex aqua, aut mulſo aceto pluſculos dies ebibatur: lienoſis datur, comitialibus, & ſuſpirioſis: menſes cum aqua mulſa pellit: oculorum cicatrices confeſtim emendat: vino madefactum medetur eorundem hebetudinibus: aduerſus gingiuas humore prægnantes, doloreſque dentium, non aliud efficacius.

LACCA.



Cancami cõſideratio.

*Cancamum, quod notis omnibus Dioſcoridis hiſtoriam referat (vt recentiorum ferè omnium medicæ materiæ ſtudioſorum fert opinio) nec ex Arabia, nec aliunde ad nos aduehitur. Quidam tamen pro Cancamo gummi quoddam rufum, ac pellucens oſtendunt, quod ſurculos incognitæ arboris vndiq; circumueſtit, myrrhæ quadantenus ſimile. Veruntamen quod nulla (vt Dioſcorides inquit) in eo manſo saporis viroſitas deprehendatur, alii id potius mentiri, quàm eſſe legitimum Cancamum volunt. Expetitur hoc gummi genus hoc tempore maxime infectoribus ad inficienda ſerica ſtamina, idq; vulgari ſermone quidam in Italia appellant Lacca, quidam diminutè Lacchetta. Cuius duo habẽtur genera, quæ tantùm (vt opinor) bonitate differunt. Præſtantius vulgò appellant Lacca ſumetri: quod verò deterius eſt, Lacca comberti, cognomentis fortaſſe à locis Arabum à quib. deferuntur, acceptis. Primum ſurculis perpetuò obuolutum viſitur: alterum abſq; ſurculis in glebas concretum myrrhæ modo, quod etiam viliori pretio vendunt. Hinc itaque factum eſt, vt crediderint illi Serapionis auctoritate freti, hoc legitimũ eſſe Cãcamum, nempe quòd is Cancamum Laccam appellet, & quod arboris ſit gummi, vel lachryma myrrham quadantenus referens: quodq; etiam eius meminerit Serapio, poſtquàm de Dioſcoridis & Pauli Cancamo egit, his verbis. LACCA (vt inquit Iſac amran) res quædam eſt rubea, quæ tenuibus lignorum ſurculis inhæret, ſapore non ingrato. Coquitur hæc, & inficiuntur inde panni rubeo colore, quam infecturam thermes appellant: quod verò poſt infecturam ſubſidet, & infectoribus remanet, pariter Laccam vocant. Cæterum Lacca ex Armenia defertur, exiccans & excalfaciens ordine ſecundo. Ventriculum & iecur roborat, eorumq; infarctus expedit, ictericos iuuat, & aquas pellit. Eluitur ad medicamenta hac ratione. Ramuli, qui hoc ſcatent gummi, diligenter franguntur, ac ſubinde aqua perfunduntur, in qua odoratus iuncus ariſtolochiaq; inferbuerint: deinde piſtillo agitantur: cum autem ab agitatione reſederint, aqua leuiter abiicitur, quod ſi vna tantùm lotione non pelluceat, ſecundò item repurgetur, demum ſiccetur in vmbra, & recondatur in vaſe vitreo: hæc Serapio.*

Laccæ Arabũ opinio varia.

Laccæ vires & lotio.

*Quibus palàm eſt, gummi, quod infectoribus vulgò Lacca dicitur, Laccam eſſe Arabum, & à Græcorum Cancamo differre: quod Dioſcoridi Cancamum lachryma ſit Arabicæ arboris, viroſi guſtus: Serapioni verò res quædam rubea, ex Armenia, non ex Arabia allata, tenuibus lignorum ſurculis inhærens, ſapore non ingrato. Item Dioſcoridi Cancamum obeſos extenuat, lienoſos iuuat, ſuſpirioſis & comitialibus prodeſt, menſes pellit, oculorum cicatrices delet, & hebetudinem curat, tumentes gingiuas cohibet, & dentium dolores tollit. Serapioni autem tantùm obſtructiones aperit, viſcera imbecilla roborat, iecoris dolores mulcet, & regium morbum, & hydropem ſanat: quæ omnia medicamentorum diuerſitatem præ ſe ferunt. Quo fit, vt non ab re exiſtimauerint peritiores medici, nos omnino Dioſcoridis Cancamo eſſe deſtitutos. Veruntamen non deſunt rationes, nec probatiſſimorum auctorum teſtimonia, quibus etiam probari poſſit, Græcorum Cancamum, & Arabum Laccam idem eſſe. Nam etſi hæc, quæ allata ſunt, omni ex parte vera videantur, ſi quis tamen Dioſcoridis codicem hoc capite ſcatere mendis animaduerterit, & rem omnem accuratius, diligentiuſque perpenderit, certior fortaſſe fiet, nos Cancamo non omnino deſtitui. Ego enim cum Paulum, qui in omni ſimplicium cenſu omnia ex Dioſcoride tranſcripſit, accuratius perlegerem, inueniſſemq; illi Cancamum lachrymam eſſe Arabicæ arboris, myrrhæ ſimilem, odore grato, & quòd nullius viroſi guſtus meminerit, illicò orta eſt ſuſpicio, quòd ea particula Dioſcoridi illegitimè acceſſerit. Auxit deinde ſuſpicionem hanc Serapio: quippe qui capite de Lacca de Cancamo agens, dum (vt aſſolet) ex Dioſcoride tranſcribit, nuſquam huius particulæ mentionem fecerit: quòd fortaſſe Dioſcoridis codex, à quo tranſcripſit, hac menda facilè vacarit. Sed illud adhuc magis rem ita ſe habere mihi perſuaſit, quod primum legatur in Dioſcoride, Cancamum viroſi eſſe guſtus, quod fœtoris, non ſuaueolentiæ indicium eſt: mox cum ſtyrace, & myrrha ad ſuffiendas veſtes expeti, vt grato commẽdentur odore: quæ vt inter ſe maximè repugnant, ita etiam deprauatæ lectionis præbent ſuſpicionem. His itaque rationibus, & auctoritatibus non ab re adductus eſſe videor, vt quaſi crediderim Dioſcoridis codicem hoc in loco vitiatum fuiſſe: vnde poſtea factum ſit, vt eius Cancamum ab Arabico diuerſum ſeſe oſtenderit. Neque ſanè huic opinioni illud obſtare videtur, quòd plura in morbis curandis Cancamo aſſignauerit Dioſcorides, quàm Serapio: ſiquidem nulli dubium eſt, quin ea medicamenta, quæ obeſos extenuant, lienoſos iuuant, & menſes cient, poſſint pariter ventriculum & iecur roborare, eorumque infarctus expedire, & cutem ſubeuntes aquas, & felle ſuffuſos ſanare. Hæc autem ſilentio inuoluenda non duximus, non vt noſtra hæc probetur, vel improbetur opinio, ſed vt aliis veritatis inueſtigandæ pateat aditus. Sunt etiam factitiæ Laccæ plura genera, quæ ex diuerſarum infectionum ſedimento pictoribus tantum parantur. Alia namque conficitur ex pimpinellæ bacca, quam vulgo vocant Cremeſe, & Cremeſino: ex infectorio cocco alia: alia ex*

Lacca tinctorum eſt & Arabum, differens à Cãcamo.

Cancamum & lacca quòd idẽ ſint, probatur.

Laccæ factitiæ genera.

natiua

*natiua Serapionis lacca: alia denique ex ligno, quod braſilium vocant, omnium deterrima: quarum nulla ad medicamenta admittitur. Non tamen deſunt, qui credant, chermeſinum infectoribus vocatum eſſe arboris gummi: imò illud idem, quod Serapio, auctore Iſac, rem rubeam (vt paulò ante diximus) eſſe ait, quæ tenuibus lignorum ſurculis inhæreat, & quòd*

Chermeſinũ quid ſiet.

*ea inficiantur panni rubeo colore, quem chermes appellant, quandoquidem huius ſentẽtiæ reperio fuiſſe Fuchſium. Sed meo iudicio non exactè rem exploraſſe videtur, quippe chermeſinum, quo puniceo, & purpureo colore ſerica ſtamina inficiuntur, eſt (vt Itali optimè norunt) pilula, vel bacca exigua pimpinellæ radicibus in orientalibus regionibus adnaſcens, non autem gummi, vel roſcidum, vel aliud per ſe manans, ab eo perquàm longè diuerſum. Siquidem hoc nihil aliud eſt, quàm natiua Serapionis lacca, quam propriè Itali vocant vulgò lacca & lacchetta, infectoribus tantùm expetita iis inficiendis*

Fuchſii opinio improbata, chermes laccam exiſtimantis.

*ſericis, quæ viliori veneunt pretio. Nec obſtat, quòd dixerit Serapio, quem hîc ſecutus eſt Fuchſius, huiuſce laccæ infecturam vocari chermes: quippe proprio capite de chermes, nil ſanè aliud per chermes intelligit, quàm coccum infectorium Dioſcoridis: quo fit, vt exiſtimauerim in eo capite de lacca omnino ſubeſſe mendum, vel auctoris, vel interpretis: & fortè melior hæc eſſet lectio. Coquitur hæc, & inficiuntur inde panni rubeo colore, adeò vt coccinei videantur: vel adeò vt iis ſimiles ſint,*

Pharmacopolarum error in dialacca.

*quorum infecturis iniicitur chermes. Aberrant præterea pharmacopolarum quàm plurimi, Dialaccam antidotum componentes, quòd legitimæ Armeniacæ laccæ loco, quam Arabes prodidere, factitias, & pictoribus tantùm dicatas immiſceant. Sed caueant, quæſo, ne hunc errorem corrigentes in alterum non minus deteſtandum incidant: id namque iis facilè continget, ſi Monachis, qui in Meſuem ſcripſerunt, morem gerent.*

Monachorũ lapſus, ſanguinem draconis, cancamo ſubſtituentium.

*Hi enim iam rei medicæ profeſſores aſſerere non dubitarunt, immiſcendam eſſe loco cancami, ſeu laccæ in magnam dialaccæ antidotum eam Aphricæ arboris lachrymam, quam ſeplaſiæ ſanguinem draconis appellant, quæque Dioſcoridis cinnabaris ab omnibus eſſe cenſetur. Sed certè ij magis hallucinantur, quàm vt refelli debeant, quòd ea lachryma in compluribus facultatibus cancamo aduerſetur. Quippe Arabicum Cancamum, quod potiſſimè antidotus illa expoſcit, tanquam à Mauritanis inuentum, præterquàm quòd ventriculum, & iecur roborat, adeò eorum infarctus, & obſtructiones expedit, vt ictericos quidem, & aqua intercute laborantes iuuet: contrà verò draconis lachryma propria vi efficaciter adſtringit, ita vt ſcriptum reliquerit Dioſcorides, eam lachrymam iiſdem pollere viribus, quibus hematites lapis: cuius tamen vis eſt, vt menſium profluuia ſiſtat, non autem vt eliciat, Cancami modo, præſertim vbi vaſorum infarctu remorentur, ob idq́ maximè expetitur ad ſanguinis emanationes, ad vulnera cohibenda, & oſſium fracturas ferruminandas. Sed monachos miſſos faciamus: & ſeplaſiarios admoneamus, vt ſi noſtro conſilio vti velint, non aliud pro lacca in eam antidotum imponant, quàm laccam ipſam Serapionis, quæ natiua ex Armenia ad ſericorum vellerum infectum copioſiſſima ad nos defertur, ſiquidem de hac intellexerunt Mauritani: quos ſecutus Nicolaus Myrepſicus in ſua Dialaccæ confectione, laccam infectorum immiſcuit.*

Nomina.

*Quod κάγκαμον Græci, Latini item Cancamum vocant: Arabes, Sach, ſiue lach: Itali, Cancamo: vulgus officinarum, Lacca.*

Cancamum Dioſcorides & Aegineta ex Græcis propoſuêre: at Galenus in claſſe ſimplicium non meminit: & Plinius li. 12. c. 20. nomẽ ſolum habet: at recẽtiores Græcos, vt Actuarium, ſecuti Arabes λάχα vocant: cur autem dicatur Lac, Loc, & Luc (Serapio habet Sac, apud incolas quibus naſcitur Trec, vnde apud Pandectarium Aec) cauſſam putat Garzias quod in Loc ſeu mellis craſſitudinem diſſoluatur, cùm ad inficiendum, vel etiam in medicina eius vſus eſt. Verùm Anguillara & Montanus Cancamum Græcorum cenſent eſſe id, quod in officinis Benioinum dicitur: ſic Garzias Cancamum vult idem eſſe cum eo gummate, quod nunc Anime nomine adfertur: qua de re plenius in Commentariis noſtris in librum primum Dioſcoridis agemus. Reuera Arabum Laccæ deſcriptio, cum Cancami Dioſcoridis & Pauli deſcriptione conuenit. Eſt autem Lacca lachryma adhærens lignoſis quibuſdam ſurculis, qui vaſtæ ſunt arboris, foliis quodammodo pruni (vel arboris, quę ugladibus noſtris ſimilis Ludouico Romano) in cuius ſurculis formicæ magnæ materiam ex arbore exſugentes Laccam elaborant, quæ colore ruffo, odore vitoſo ſi accendatur: præſtantior quæ ſurculis adhæret, quam Laccam Sumetri vocant, quia ex Sumetria inſula, id eſt, Taprobana habeatur: vilior quæ in glebis ſiue ſurculis affertur, quæ Lacca Comberti dicitur. Cancamum Græcis veteribus, recentioribus Græcis & Arabibus Lacha Cord. in Dioſc. & hiſt. Sylnio, Amato, Cronenburgio Arabum Lacca & offic. Lob. Lacca Cluſ. in Garz. Cæſ. Tab. & Lugd. qui Cancamum Dioſcorid. & Pauli eſſe negat: eò quod Lacca minimè ſit odorata: eandem ob cauſam Lobelius cum Hermolao, an Lacca Arabum & offic. ſit Cancamum, dubitat.

## Κῦφι. CYPHI. CAP. XXIIII.

CYPHI odorati ſuffimenti compoſitio eſt, dicata diis, qua abunde Ægyptii ſacerdotes vtuntur. In antidota miſceri ſolet: ſuſpirioſis datur in potu. Permultæ componendi rationes, quarum vna hæc eſt. Sumito cyperi dimidium ſextarium, cum pari baccarum iuniperi adultæ modo: vuæ paſſæ pinguis, exemptis vinaccis, minas duodecim: reſinæ purgatæ minas quinque: calami, & iunci odoratorum, & aſpalathi, ſingulorum minam: myrrhæ duodecim: vini veteris ſextarios nouem, cum duabus mellis minis. Vuam paſſam, detractis vinaceis, tuſam cum vino, & myrrha ſubigito: cætera tuſa, & cibrata adiicito: die vno humorem combibere ſinito: dein mel coquito, dum ſibi glutinis adſciſcat craſſitudinem: eliquatam reſinam accuratè permiſceto cum reliquis diligenter contritis, & in fictile vas recondito.

Cyphi caput adſcititium.

*NOn omnes ſanè Dioſcoridis codices, præſertimq́ vetuſtiores hoc Cyphi caput recipiunt. Quo fit, vt crediderim cum pleriſque rei medicæ peritis, id illegitimè huc acceſſiſſe: ſiquidem non rationi conſentaneum eſſe videtur, Dioſcoridem hic de ſimplicium materia ſcribentem, compoſita medicamenta tam inconſultè, ac præter rem ſimplicibus inſeruiſſe: præſertim cùm id nulli ſuperiorum commodè adnecti poſſit, quemadmodum eſt de multis aliis compoſitionibus. Vt κῦφι Græcis, ita etiam Latinis, & Italis, Cyphi appellatur.*

Quod Dioſcorides hoc loco Cypheos compoſitionem poſuerit, ratio eſt, quia velut ſimplex quoddam in multas compoſitiones recipitur, maximeque veteres ad ſuffitus vtebantur, quamuis & in Medicamẽtis eius fuerit vſus, vt videre eſt apud Galenum 8. de compoſ. medic. ſecundum loca, in malagmate Aſclepiadeo, vbi habetur Cypheos hieratici, id eſt, ſacrificulorum, eò quòd Ægyptii ſacerdotes eo vterentur,

vt eo-

vt eodem lib. cap. 7. & 2. de antid. 2. oſtendit Galenus: qua de re plenius Plutarchus commentario de Iſide & oſyride: vide & Hermolaum. Non tamen compoſitio ipſius Cyphi cum Cyphoide commiſceri debet, cùm diuerſa ſint medicamenta: de hac namque antidoto ad hepaticos & thoracis vitia agit Galenus libro citato cap. 7. & Aegineta lib. 7. cap. 11. Dioſcorides permultas dicit fuiſſe compoſitiones, & rectè: apud Ægyptios certus rerum exigebatur numerus, qui ſexdecim erat, quadratus & pariter par: adeò autem religioſè conficiebant, vt Sacerdotes ex ſcripto vnguentariis præirent. At Aegineta lib. 7. cap. 22. duplicem habet compoſitionem, alteram Cyphi magnam ἡλιακὸν ex triginta ſex ingredientibus, cuius & Poſidonius & Trallianus lib. 1. cap. 15. meminere: alteram σεληνιακὸν lunarem, ex viginti octo ſimplicibus compoſitam: qua de re & Myrepſius Antidoto 298. & Aetius lib. 13. cap. 116. Nec admodum diſſimile medicamentum Aegineta ſequenti cap. proponit, quod Maſucha, Ægyptia voce, quibuſdam Maſnaphium vocetur.

## CROCVM. CAP. XXV.

Κρόκος.

CROCVM optimum in medendi vſu Coryceum, recens, & boni coloris, paulum candidi gerens in a capreolo, oblongum, b omnibus ſuis partibus conſtans, non fragile, plenum, à quo detractum eſt nihil, quod madefactum manus inficit, nec ſitum redolet, aut cariem ſentit, ſubacre: ſin huius generis nõ eſt, aut vetus, aut humore perfuſum creditur. Secundus locus datur Coryceo, è tractu Lyciæ contermino. Tertius Lycio, è monte Olympo. Dein ex Aegibus Aetoliæ. Cyrenaicum & Centuripinum inter Sicilica omnia viribus infirmius eſt. Omnium natura oleracea: Italia tamen ob ſucci copiam, & coloris venuſtatem, tingendis mortariis dicauerunt: quibus de cauſis magno venditur. Vtiliſſimum in medicina quod antè deſcripſimus. Adulteratur immiſto crocomagmate tuſo, c atque etiam ſapæ ſublitu: contrita, quò pondus adiiciatur, ſimul argenti ſpuma, aut plumbagine. Sed maleficium declarat inſidens puluis, præſertim ſi defrutum in odorando ſubolet. Theſſalus ipſum tantùm odoratum eſſe voluit. Alii exitioſum, tribus drachmis ex aqua potis. Proculdubio vim coquendi, emolliendi, atque ſubſtringendi habet: vrinam cit: elegantem colorem præſtat: qui ex paſſo biberint, crapulam non ſentient: oculorum fluxiones illitum cum humano lacte cohibet: additur in potiones, quæ interaneorum cauſa temperantur: ad vuluæ etiam, ſediſque cataplaſmata vtiliter inditur: venerem ſtimulat; vergentes ad ignem ſacrum inflammationes mulcet: auriculariis collectionibus vtile. Quò facilius conteratur, in calido fictili † ſole ſiccari oportet, celeriterque verſari. Vrinam mouet radix ex paſſo pota.

a Meum τῆς ἑλικοῖ. i. in circuitu. b Ruel. ὁλόκληρος. Cat. εὐμήκης addi. ſed meum. ὁλομελής. c Non habet Orib.

† Nouo addit Orib.

## CROCOMAGMA. CAP. XXVI.

Κροκόμαγμα.

CROCOMAGMA fit expreſſis vnguenti crocini odoramentis, & in formas digeſtis. Optimum eſt odoratum, modicè myrrham olens, graue, nigrum, ligni expers, leue, ſubamarum, quod madefactum croci colorem reddit, guſtatumque vehementer dentes ac linguam inficit, multis durans annis: quale eſt quod à Syria defertur. Habet ſuas vires ad delenda, quæ caliginem oculis obuerſant: vrinam cit, calfacit, concoquit, & emollit. Vires croci proportione quadantenus repræſentat: quandoquidem plurimam croci partem ſibi Crocomagma vendicat.

CROCVM FLORENS.



CROCVM NON FLORENS.



Crocum

Croci conſideratio.

*CRocum quidem vbique terrarum cognoſcitur. Planta eſt comoſis foliis longis, anguſtis, capillaceis, planis, tamen non rotundis, tragopogoni modo, ſed anguſtioribus & numeroſioribus, humi accubantibus, denſis ac mollibus. Floret poſt æquinoctium Autumni anteaquam folia proueniant, floribus Colchico Ephemero ſimilibus, purpureis, ac aſpectu iucundis. E medio rubra prodeunt ſtamina in craßiuſculum cacumen deſinentia, quibuscum ex eadem ferè origine, quidam exeunt proceſſus exiguæ linguæ figura, aurei coloris, iis ſimilibus, qui in colchici flore habentur. Floret Crocum continuo fere menſe. A floribus prodeunt ſubinde folia, quæ tota hyeme vireſcunt, ſpretis algoribus: areſcunt hæc, ac prorſus deperduntur vere, & nunquam per æſtatem apparent. Radicem habet Crocum bulboſam, pluribus contectam tunicis, ipſisq; ſubflaueſcentibus, Gladioli modo. Eruuntur Bulbi quarto anno, verno tantum tempore, ſeruanturq́; æſtate tota in horreis: & ſeruntur deinde appetente autumno, in tenui ſolo, nam & ſtercora odere, & ſolidam humum, in campis & hortis, bulbis tantum tranſpoſitis. Crocum in Italia, & præſertim in Hetruria, Mauritanorum modo vulgò vocatur Zaffarano: quanquam non deſunt rura in agro noſtro Senenſi, quæ corrupto à Croco vocabulo ipſum appellant Gruogo. Cæterùm crocum Coryceum, & Lycium in Olympo monte decerptum (quod ſciam) ad nos non aduehitur: quapropter quod ab Aquila Veſtinorum vrbe affertur, primum ſibi locum vendicat in Italia. Conſtat optimum eſſe, & Aquilano longè præſtantius, quod in Germania oritur, è Vienna Auſtriæ metropoli deuectum: ſed huiuſcemodi ſanè perexiguum eſt, idq́; difficulter tranſit ad Italos, ob eius frequentiſſimum in cibis vſum apud Pannonios, & Germanos. Floret Crocum (vt Theophraſtus auctor eſt) vergiliarum occaſu, paucisq́; diebus: confeſtim verò cum folio florem quoque expellit. Gaudet calcari, & melius ita euadit.*

Crocũ quod optimum.

Croci vires ex Galeno.

*Croci meminit Galenus lib. 7. ſimpl. med. inquiens: Crocus paululum etiam adſtringens quid obtinet, quod terreum, frigidumq́; oſtendimus: ſed ſuperat in eo calfaciens & qualitas, & facultas, vt tota eius eſſentia ſecundi ſit ordinis excalfacientium & primi exiccantium, proinde concoquendi quoque vim quandam habet, adiuuante ſcilicet in hoc & pauca adſtrictione. Quippe quibus medicamentis, cùm non admodum excalfaciant, paucula adeſt adſtrictio, ea parem facultatem habent eſſentiis emplaſticis vocatis, quas cùm iunctas eſſe caliditati non vehementi contigerit, concoquentes eſſe oſtendimus. Et lib. 2. de comp. med. ſecundum locos: Crocum, ait, ſuo odore caput ferit, & mentem tentat, peucedani, & fructuum lentiſci modo. Lætitiam affert, ob id additur vtiliter medicamentis ad cor facientibus.*

Nomina.

*Κρόκος, Græcè: Crocus, ſiue Crocum Latinè nominatur: Zahafaran, aut Zafaran, Arabicè: Zaffarano, Italicè:* Saffran, *Germanicè: Azaffran, Hiſpanicè: Saffran, Gallicè. Bohemicè, ſſfran. Polonicè, Szafran. Κροκόμαγμα idē nomen retinet apud Græcos, Latinos & Italos.*

In Croci floris medio plerunque tria, nonnunquam etiam plura ſtamina (κροκίδες vocantur) obſeruantur, quæ cùm ſola in vſum veniant, propter excellentiam croci nomine donantur. Duum generum eſt Crocus Theophraſto: Satiuus, de quo 1. hiſt. 6. & 6. eiuſdem 6. item 7. hiſt. 9. & 10. & montanus, de quo 6. hiſt. 7. Sic Syluestrem alium dicimus maiorem, alium minorem: alium vernum, alium autumnalem, qui rurſum colore floris & foliorum variat: quare in noſtro Phytopinace quindecim differentias poſuimus. Dicitur herbariis Crocus, Crocus vulgaris, Crocus ſatiuus. Callimachi Scholiaſtes deducit παρὰ τὸ ἐν κρύει θάλλειν, quòd bruma vireat: at Galenus 9. de comp. med. fabulam de Croco puero, cuius ſanguis in hũc florem verſus ſit, refert: aliter tamen quàm Ouidius 4. Metam. qui ob amorem Smilacis virginis in hunc florem mutatum ſcribit. Subiũgit Dioſcorides Crocomagma, quod fex eſt olei Crocini, ſeu Crocini vnguenti, ex croco & Myrrha parati, ſedimentum in paſtillos efformatum. Hippocrates libro de Sterilibus, ἐκμαγμα appellat. Celſus libr. 5. recrementum: Plinius, vnguenti fecem nominauit. Verùm Galenus 2. de Antidotis aliam Crocomagmatis deſcriptionem propoſuit, quam Damocrates verſibus cõſcripſit: quam & Aetius lib. 2. cap. 196. & libr. 6. cap. 50. & lib. 14. cap. 50. habet: Aegineta lib. 7. cap. 12. etiam compoſitionem, ſed Galeni & Aetii pleniorem proponit: habet & Meſues ſuos Trochiſcos Crocomagmatis, qua de re aliàs.

HELENIVM.



a Ita Cat. Sed Meũ & Drag. ſimpliciter καυλὸν οὐκ ἀ-ρεσον.
b deeſt in meo & pro ſubrufa habet κίρρην. i. fuluam.
c Cat. δριμεῖαν. i. acrẽ.
d deeſt in omnibus exemplaribus.
e Ita Meum & Drag. Sed Cat. κινάρας. i. cinaræ: idque rectius meo iudicio.
f Meum ἀνίκμοις, i. ſiccis. ſed Cat. ἐνίκμοις. i. humectis: idque rectius.

## Ἑλένιον. ELENIVM. CAP. XXVII.

HELENIVM folia habet verbaſci anguſtioris folii aſperiora, oblonga: caulem a quibuſdam in locis non emittit: radicem b ſubalbidam, interdum ſubrufam, odoratam, c ſubacrem, vegetam, magnam: ex qua agnatæ propagines d liliorum, aut e ari modo ſeruntur. Montanis, vmbroſis, & f ſiccis locis prouenit. Foditur æſtate radix, particulatimque diſſecta ſiccatur. Potum radicis decoctum menſes, & vrinas ciet. Ipſaque in eclegmate ex melle prodeſt tuſſi, orthopnœæ, ruptis, conuulſis, inflationibus, & ſerpentium morſibus. In ſumma excalfaciens eſt. Folia eius ex vino cocta vtiliter iſchiadicis illinuntur. Helenii radix & ſtomacho vtilis eſt in paſſo condita: ſiquidem ſalgamarii paululum ſiccatam eam, mox decoctam, & frigida aqua madefactam, in ſapam coniiciunt, & ad vſus recondunt. Trita, potaque ad cruentas excreationes efficax eſt.

tax eſt. Alterum Helenij genus in Aegypto gigni Crateuas tradit. Herba eſt cubitalibus ramulis, ſerpylli modo per humum repentibus, foliis lenticulæ circa ramos, ſed longioribus crebriſque, radice pallida, g digiti minoris craſſitudine, per ima tenui ſupernè craſſiore, cortice nigro. Naſcitur in maritimis, collibuſque. Radix vna in vino epota, contra ſerpentium ictus auxiliatur.

g Cat. addit. χαὶ μαχρα I. & longa.

*Helenium, quod Latinis etiam Inula dicitur, planta eſt vulgaris notitiæ. Folia habet verbaſci latifolij latiora, longioraq́ue, hirſuta & in acutum deſinentia, dorſo prominente. Caulem profert bicubitalem, & aliquando maiorem, craſſum, hirſutum, in quo flores exeunt aurei, Chryſanthemi modo, ſed maiores. Semen edit verbaſco ſimile, tactu pruritum faciens. Radice nititur grandi, vegeta, tortuoſaq́ue: exterius nigricans, interius verò albicans, ſapore amaro & ſubacri, ex qua agnata propagines ſeruntur: loca amat vliginoſa, quanquam & in montibus quandoque naſcitur. Quod autem in Italia prouenit, folio eſt longe maiore, quàm tradiderit Dioſcorides. Quippe non ſolùm verbaſco anguſtifolio Inulæ Italicæ maiora inſunt folia, verum etiam ea magnitudine longè ſuperant, quæ latifolio exoriuntur: quod tametſi pro locorum varietate euenire facilè poſſit, crediderim tamen hoc in loco Dioſcoridis codicem pluribus ſcatere mendis. Siquidem teſtatur Marcellus Florentinus vir quidem apprimè doctus, ſe habuiſſe Dioſcoridis vetuſtiſsimum ac probatiſsimum codicem, in quo longè plura legebantur, quàm in cæteris ferè cunctis Græcis exemplaribus. Sed præſertim in hoc capite hæc de caule, floribus, & ſemine habebantur. Caulem ex ſe mittit Helenium craſſum, hirſutum, cubitalem, & aliquando maiorem, anguloſumq́ue: flores luteos: & in his ſemen verbaſco ſimile, tactu pruritum faciens. Quare mirum non eſt, ſi etiam alia hic deſiderari poſsint, cùm non facilè adducar, vt credam, Dioſcoridem Helenij radicis, cuius tantùm eſt in medicamentis vſus, tum amaritudinem, tum formam ſubticuiſſe. Meminit Inulæ Plinius lib. XIX. cap. V. vbi ſic habet. Siſer his ſeritur menſibus, Februario, Martio, Aprili, Auguſto, Septembri, Octobri: breuior his eſt, ſed toroſior amariorq́ue Inula, per ſe ſtomacho inimiciſsima: eadem dulcibus miſtis ſaluberrima. Illuſtrata maximè Iuliæ Auguſtæ quotidiano cibo. Superuacuum eius ſemen, quoniam oculis ex radice exciſis, vt arundo ſeritur. Item lib. XX. cap. V. Inula quoque inquit, à ieiunis commanducata dentes confirmat, ſi vt eruta eſt, terram non attingat. Condita tuſsim emendat. Radicis vero decoctæ ſuccus tineas pellit. Siccata autem in vmbra farina, tuſsi, & conuulſis, & inflationibus, & arterijs medetur. Venenatorum morſus abigit. Folia ex vino lumborum dolori illinuntur hactenus Plinius. Vinum, quod Helenij radicibus paſsim vbique in Germania paratur, frequenter in potu ſumptum mirifice viſum acuit. Arridet radicis farina denarij pondere, diebus aliquot ex vino vetere hauſta, ſpleneticos iuuat. Cæterùm Aegyptium helenium, quod Crateuæ auctoritate memoriæ prodidit Dioſcorides ad nos (quod ego ſciam) non defertur, nec in Italia prouenit: hoc à noſtrate non diſtinxit Auicenna, ſed vtrunque ſimul confudit. Meminit huius etiam Plinius lib. XXI. cap. X. his verbis. Helenium è lachrymis Helenæ dicitur natum, & ideo in Helena inſula laudatiſsimum: eſt autem frutex humi ſe ſpargens, dodrantalibus ramulis, folio ſimili ſerpyllo. Item lib. eodem cap. XXI. Helenium, inquit, ab Helenæ lachrymis (vt diximus) natum, fauere creditur formæ: cutem mulierum in facie, reliquoq́ue corpore nutrire incorruptam. Præterea putant vſu eius quandam gratiam ijs, veneremq́ue conciliari. Attribuunt & hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumq́ue, quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero, quod triſtitia omnis aboleatur: eſt autem ſucci prædulcis. Prodeſt & orthopnoicis radix eius in aqua ieiunis pota. Eſt autem candida intus, & dulcis. Bibitur & contra ſerpentium ictus ex vino. Mures quoq́ue contrita dicitur necare hæc Plinius. Quibus ſatis conſtat, non modo in Aegypto hoc Helenij genus prouenire, ſed etiam in Helena Aegæi inſula præſtantiſsimum haberi. Helenij radicum ſuccus, cum pari hyſſopi ſucci portione, & aquæ ſtillatitiæ Tuſsilaginis triplicato pondere, ſacchariq́ue quantum ſat fuerit, ad mellis ſpiſsitudinem decoctus, mirificè aſthamaticos iuuat, ſi eo frequenter vtantur. Helenij vires ſcripſit Galenus lib. VI. ſimpl. medic. ſic inquiens: Helenij herba radix maximè vtilis eſt, non primo ſtatim occurſu excalfaciens: ac proinde non dicenda eſt calida, & ſicca exactè, ceu piper tum atrum, tum candidum, ſed cum recrementitio humore. Quapropter eclegmatis, quæ faciunt ad educendos ex thorace, & pulmone craſſos lentosq́ue humores, idoneè commiſcetur. Rubrificant quoq́ue ea partes frigidis, ac diuturnis vexatas affectibus, cuiuſmodi ſunt nonnullæ coxarum paſsiones, iſchiadas vocant, & exiguæ aſsiduæq́ue articulorum quorundam præ humiditate procidentiæ ac luxationes: hæc ille. Aperit, prouocat, concoquit, incidit. Aqua à radicibus deſtillata maculas in facie delet, & cutis nitorem conciliat. Cæterum ſunt, qui dicunt (vt etiam teſtatur liber de theriaca ad Piſonem, Galeno aſcriptus) quod ſi Helenij ſucco tela venatoria inficiantur, venenata efficiuntur, idq́ue in Dalmatia fieri narrant, vt feras omnino perdant: quod tamen potius fabuloſum, quàm hiſtoricum crediderim. Nam cum plura ſint in eo libro, quæ fabuloſa habentur, vt latius in noſtris ſcripſimus epiſtolis, nihil eſt quod me adducat ad credendum, ex Helenio parari venenum. Crederem potius illius operis authorem ex aliquo codice hæc transſcripſiſſe, vbi ἑλένιον ἀντὶ τοῦ ἐλλεβόρου deprauatè legebatur. Idq́ue eò magis adducor vt credam, quod ſciam in Hiſpania ex albo veratro parari vnguentum pro illinendis ſagittis, adeo venenoſum, quod vbi ſanguini ſe commiſcuerit, ante horam animal interficit, nec alio medicamento ſanari poſſe vulneratos, quàm deuoratis cydoniis malis, vel ſucco eorum ebibito. Hac enim antidoto ijs mirificè ſuccurritur. Planta, quæ Græco nomine ἑλένιον, Latino Helenium & Inula dicitur: Arabico, Iaſim, ſiue Raſen: Italico, Iella, Enoa, aut Enola: Germanico, Alantwurtz: Hiſpanico, Raiz de alla: Gallico, Aulnee: Bohemico Vuoman. Polonico, Oman: vulgo officinis Enula campana.*

Helenii conſideratio, & hiſtoria.

Plinius de Inula.

Vinum helenites.

Helenii Aegypt. conſid.

Helenii vires ex Gal.

Fabuloſum, Helenii ſuccum venenatum eſſe.

Vnguent. venenat. ex Elleb.

Nomina.

Helenium quidam ab Helena dictum volunt, quod, vt habet Plinius lib. 21. cap. 10. fabulentur, ex eius lachrymis in Helena Inſula, in qua Paris primum adulterium commiſerit, natum ſit: quam fabulam eleganter Nicander in Theriacis deſcripſit: alii quód contra ſerpentes ex eo primum remedium ab Helena inuentum ſit: vel quod in Helena inſula longe optimum luxuriet. Quibuſdam dicitur Nectarium, qui à Mercurio inuentum & Vlyſſi traditum volunt. Tria genera agnouit Dioſcorides, hoc enim capite duo propoſuit, alterum foliis ſimilibus verbaſco, στενοφύλλῳ, vbi πλατυφύλλῳ legendum cenſemus: alterum Ægyptiacum: & tertium Helenii Comagenii nomine, ſuperius capite de Coſto. Quod Helenium vulgare vocamus, vulgo Enula campana, quòd alicubi in campis proueniat, dicitur, apud Theophraſtum 9. hiſtor. 10. Panax chironium cenſetur Anguill. quibuſdam panaces centaurium: Inula Plinio. Inula Campana, Apuleio: Enula, Lon. Cæſ. Elenium, Trago. Fuchſ. Helenium, Dod. Geſ. hor. Cord. in Dioſc. Lac. Caſt. Lob. Tab. Cam. Helenium maius Cord. in hiſto.

## Ὀμφάκινον, καὶ πᾶν ἔλαιον. OMPHACINVM, ET OMNE OLEVM. CAP. XXVIII.

OLeum quod ex a immaturis oliuis exprimitur, ad multos vſus recte valentibus accommodatiſſimum eſt, omphacinum id appellatur. Præſtat recens, odoratum, quod non mordeat. Tale vnguen-

a Meu. ὠμοτριβὲς i. crudum.

b Meum hic addit. μέσον θερμοῦ ψυχροῦ. i. in caliditate & frigiditate temperatum.
c Meum cum Rue. ἱδρώτων ἐφεκτικόν. i. ſudores ſiſtit. Sed Cat. contrario. ἐφελκυστικόν. i. elicit: ſed male.
d Ita Cat. ſed Meũ & Drag. μαλακτικὸν τῆς σαρκός, idque rectius.
e Meũ & Cat. μέλιτος πάχος ἕως ἂν ἔχῃ· τὴν γὰρ αὐτὴν τῷ προειρημένῳ εἰσφέρεται δύναμιν. i. ad mellis craſſitudinẽ, & vtitor, eandem enim cũ prędicto vim habet.

torum compoſitionibus idoneum intelligitur. b Stomacho vtile eſt, quòd aſtringat: gingiuas contrahit, dentes firmat, ſi contineatur in ore: c ſudores cohibet: quò autem vetuſtius ac pinguius, eò ad medicamenta aptius eſt. Et (vt reliqua in communie dicantur) omne oleum calefacit, d emollit ventrem, à perfrictionibus corpus tuetur, ipſumq; promptius ad obeunda munera reddit, aluum emollit, vlcerantium medicamentorum vires permiſtum hebetat: contra venena datur, aſſiduè potum, redditumq; vomitionibus: ſoluit aluum heminæ menſura cum pari ptiſanæ ſucco, aut aqua potum: ad tormina calidum ſimul decocta ruta tribus ſextariis in potu datur, ventris animalia pellit: idem maximè ilei inteſtini morbo laborantibus infunditur. Vetus magis calfacit, & vehementius diſcutit: oculorum claritati ſublitum confert. Si vetuſti non ſit occaſio, in vaſe decoquitur e ad mellis craſſitudinem, vt vetuſtatem repreſentet.

## Ἔλαιον τῆς ἀγριελαίας. OLEVM SYLVESTRIS OLIVÆ. CAP. XXIX.

OLeum, quod ſylueſtres oliuæ fundunt, vehementer aſtringit, & ad ſanorum vſus ſecundum ſibi locum vendicat. In doloribus capitis vtiliter pro roſaceo ſubſtituitur: ſudores arcet: defluentes capillos inhibet: furfures, vlcera capitis manantia, ſcabiem, leprasq; abſtergit: tardius canitiem ſentiunt, qui eo quotidie perunguntur. Candidum oleum fit hoc modo. Album colore, nec anniculo vetuſtius, in nouum fictile oris patuli funditur, centum heminarum menſura, & ſub ſolem media quaque die concha refunditur, ex altoq; demittitur, vt aſſidua deuolutione, ictuque agitatum reſpumet: octaua die fœnum græcum mundum quinquaginta denariorum pondere, calida aqua madefactum, donec emolleſcat, in ſupradictum oleum deijcitur, ita ne extillet aqua: poſtea tedæ præpinguis piceæ, aſſulatim caſæ æquale pondus adijcitur, & tranſactis octo diebus, oleum concha mouetur. Vbi candorem contraxerit, in vas nouum vetere vino affuſum recondi debet, ſubſtratis ſertulæ campanæ corollis drachmas vndecim pendentibus, cum pari iridis pondere: ſin minus, ruſſus ſoli mandandum, & idem munus obeundum, vſque dum inalbeſcat.

## Σικυώνιον ἔλαιον. SICYONIVM OLEVM. CAP. XXX.

SIcyonij componendi ratio hæc eſt. In lebetem oris lati, ſtanno inductum, funditur noui olei albi, quod crudæ oliuæ reddiderunt, congius vnus: aquæ ſemicongius. Leui id igne coquitur, leniter mouendo: at vbi bis efferbuit, & ſubtracto igne refrixit, innatans oleum concha decapulatur, & adiecta noua aqua conferueſcit, & reliquis, vt diximus, peractis reponitur. In Sicyonia maximè fieri conſueuit, Sicyonij inde accepto cognomine. Calfactoriam ad quendam vſq; modum vim habet. Febri ac neruorum vitijs prodeſt: fœminæ ad commendandum faciei nitorem eo vtuntur.

## Ῥύπος. STRIGMENTVM. CAP. XXXI.

Meũ & Drag. coniungunt hoc caput cũ ſuperiori.

STrigmenta à balneis calfaciunt, molliunt, diſcutiunt: ad ſedis rimas, & condylomata illinuntur. Illa verò, quæ ex palæſtris puluerem ſibi adſciuerunt, in ſordis ſpeciem redacta, articulorum nodos impoſita adiuuant: iſchiadicis in fotus, aut malagmatis locum, calida commodè ſufficiuntur. Deraſa gymnaſiorum parietibus ſymulachriſq; ſordes, calfaciunt: tubercula, quæ ægrè ad coctionem producuntur, diſſipant: deſquamatis, & vlceribus antiquis proſunt.

Olei conſideratio.

*MVlto quidem artificio veteres vtebantur ad componendum multifariam oleum, vt ex Dioſcoride ſatis ſuperq; conſtat: quod tamen hac tempeſtate à nobis fieri non ſolet, quamuis fortaſſe apud Græcos eiuſmodi parandi olei conſuetudo minimè exoleuerit. Quippe id tantum in communi omnium vſu apud nos habetur, quod è maturis oliuis exprimitur: tametſi quidam, quod & guſtatu iucundius, & ſanitati conducibilius ſibi oleum comparare velint, id ab immaturis oliuis exprimant, quas eo tempore legunt, cum ipſæ iam plene flauæ tantillum ſubrubeſcere cœperint. Cæterùm non mirum eſt, ſi veteres & illud candidum reddere, & multis parare modis curabant: ſiquidem non modo in ciborum condimentis oleo frequenter vtebantur, ſed etiam vt agiliores, promptiores, ac expeditiores euaderent ad obeunda corporis munera, frequentius ſibi totum corpus oleo perungebant, qua de cauſa & balnea frequentabant, & thermas: namq; olei contracta ſordes, vt corpora ſæpius perluerentur, maximè expetebat. Obibant autem id muneris ſerui in balneis, qui non modo corpus totum intrantibus abluebant: ſed & ipſum quibuſdam ſtrigilibus abradebant ad hoc opus aptiſſimis, quas alij ex auro, nonnulli ex argento: quidam ex ferro, aliqui ex ebeno, ac etiam ex præclaris lapidibus ſibi comparabant, deniq; pro nobilitate, & facultate eorum, qui ad balnea confluebant. Quapropter dum ſe in ipſis balneis abradere, ſudoremq; emanantem detergere curabant, olei ſtrigmenta, quo ſe prius perunxerant, in balnei aquam decidebant: quorum hic meminit Dioſcorides. Fuit præterea in magno, ac præcipuo vſu apud veteres oleum ad perungendos athletas qui in theatris palæſtra nudi luctabantur, non ſolum vt eorum corpora agiliora, expeditioraq; in certamine redderentur, ſed vt etiam ij difficilius ſeſe manibus comprehenderent. Cum autem ibi puluis ob pedum frequentiorem motum concitaretur, athletæ ipſi oleo affatim peruncti, illum in ſe facilè contrahebant, ac multò magis cùm vi terram alter alterum conſternebat. Quare balneum ingreſſi, ſtrigilibuſq; abraſi cœnoſa ſtrigmenta relinquebant, quibus artuum affectibus Dioſcorides mederi tradidit. Sed cùm plurimi athletæ oleo copioſè peruncti inter luctandum palæſtræ parietibus, ac ſtatuis lapideis, ſeſe ſæpius affricarent, contacta loca olei pinguedinem contrahebant, quo facilè fiebat, vt adueniente puluere cœnoſum quoddam vnguen parietibus inhæreſceret: de quo etiam Dioſcorides diſſeruit. Oleum, ſi cum pari portione vini Cretici calidum libatur, aut Clyſtere infundatur, colicos, iliacos, & calculoſos dolores mirificè mulcet. Olei facultates fuſius proſecutus eſt Galenus lib. VI. de ſimplicium medicamentorum facult. ſic inquiens. Oleum, quod ex oliuis conficitur, quod ſanè propriiſſimo nomine oleum appellamus, cuiuſmodi ſit temperaturæ, ſuperioribus libris definitum eſt: quippe humectatorium eſſe, & moderatè calidum oſtendimus. Eiuſmodi eſt, quod eſt dulciſſimum, ſitque potiſſimum ex oliuis, quas Græci δρυπεπεῖς vocant,*

Olei vſus apud veteres.

Ol. ad colicos.

Olei facult. ex Galeno.

*vocant, nos drupas. Cæterùm quod omotribes, & omphacinum nuncupant, id quantum in ſe habet adſtrictionis, tantum etiam illi ineſt frigiditatis. Porro oleum vetus, quod quidem ex dulci inueterato efficitur, & calidius eſt, & magis diſcuſſorium. Quod verò ex immaturo, id dum reliquum quippiam ſeruauerit adſtrictionis, miſta permanet facultate; vbi verò illam prorſum abiecerit, reliquo fit ſimile. Quinetiam quicunq; in præparando germina inijciunt, ij & ipſi omphacino ſimile oleum efficiunt. Cæterùm rogandum non eſt, quo pacto ſit præparatum, ſed guſtandum eſt potius: ac ſi præ ſe ferat adſtrictionis quippiam, eatenus etiam frigidum eſſe exiſtimandum, ceu illud, quod ab Iberia portatur, quod Spanum, id eſt Hiſpanicum nominant. Quod ſi nequaquam guſtantibus adſtringere appareat, ſed adamuſſim videatur dulce, id modicè eſſe calidum putandum. Porrò ſi tenue quoq; cernatur (tale eſt, quod purum eſt, quodq; intuenti tranſlucidum videtur) ac modicum eius latiſſimè per cutem extenſum ſibi maneat continuum, celeriterq; à cute combibatur, id vtiq; pro optimo ducendum, ac olei virtute quàm maximè pollere, quale eſt Sabinum. Porrò quòd oleum lotum maximè expers ſit mordacitatis, ſuprà poſitum eſt. Cæterùm quo potiſſimum modo id probiſſimè laues, in ſequenti tradam opere, quod inſcribetur de medicaminum compoſitione, vbi & de Sicyonio, & ſi quod eius generis præterea oleum eſt, agetur: nunc ſimplicia proſequor, adijciamq; & de aliis olei ſpeciebus ſermonem. Iam quod ex agreſti oliua oleum exprimitur, non ſimplicem temperaturam obtinet, ſed extergit, ſimulq; adſtringit. Squalidiſſimum id eſt ex omni olei genere, & poſt Iſtricum quoq;: deinceps illis eſt Hiſpanum. Pinguiſſimum eſt Libycum, & Cilicium: ſimul autem pingue, & tenue Sabinum: in medio comprehenſorum omnium ſunt tum id, quod per Cyclades inſulas naſcitur, tum quod per Græciam, Aſiamq;. Porrò oleum pingue æſtimatur, iudicaturq; viſcoſitate: tenue verò ſi perluceat, ſi purum ſit, ſi plurimum à minima eius portione inungatur, ſi facilè à cute combibatur. Ex dictis cognoſcere iam liceat & de aliis olei generibus, quæ æquiuocè ipſis dicuntur vnguenta, puta roſaceo, melino, liliaceo, & quæcunque id genus floribus, fructibus, germinibus, foliis in oleo maceratis conficiuntur. Horum quodq; vbi vnà cùm aromatibus præparatur, vnguentum efficitur: pro cuiusq; iniectorum natura oleum variari contingit. Ex ijs ergo, quæ in toto hoc opere de quoq; iniiciendorum generatim diſces, ſigillatim quoque confectum ex iiſdem oleum cognoſcere dabitur. Quod Græci ἔλαιον, Latini Oleum dicunt, id Arabibus Cait, ſeu Zait nominatur: Italis, Olio: Germanis, Oel: Hiſpanis, Azeyte: Gallis, Huyle.*

Oleum ſyl-ueſtre.

Nomina.

Oleum aliud natiuum eſt, ſeu proprie vocatum oleum, quo in genere continentur ex cuiuſcunque Oleæ aut oleaſtri baccis facta olea: aliud factitium. Natiuum, aut ex ſatiuis premitur oliuis, aut ex ſylueſtribus: ſi ex ſatiuis, vel ex baccis maturis, vel immaturis. Si ex maturis, tunc nationum & regionum quibus naſcitur diuerſitate, in plures ſpecies diſtinguitur, vt Italicum, Gallicum, Hiſpanicum: hocq; Oleum commune eſt. Hoc rurſus ſecundum præparandi modum variat, aut eſt ſimplex & impermixtum, ſaliſque expers: aut cum ſale præparatum: vel illotum, vel lotum, idque vel vt fiat candidum, vel vt fiat morſus expers: rurſus vel recens & velut muſtum, vel antiquatum: & denique ſecundum inductam arte alterationem variat, aut enim ſeruatur quomodo ab initio præparatum fuit, aut candidum efficitur. Candidum ſi efficiatur, vel fit ſimplici affuſa & refuſa aqua: eaque rurſus vel ſimplici, vel artificiali, vel etiam additis odoramentis. Si ex immaturis baccis prematur, quod acerbum oleum, vel Omphacinum dicitur: cuius differentiæ ſunt vt & olei communis: ex hoc etiam fit oleum Sicyonium. Si ex Syluestris baccis prematur, vel fit ex baccis vulgaris oleaſtri, vel æthiopici oleaſtri, vel oleaſtelli. Factitium in duo etiam genera diuiditur, alterum enim ſimplex eſt, alterum compoſitum. Simplicia olea dicuntur Galeno 6. ſimplic. omnia ea quæ è ſolis fructuum & ſeminum nucleis, quæ pinguem in nucleo, vel ſemine, ceu medullam habent, exprimuntur: dicta ſimplicia, quod illis educendis ac exprimendis, aliud miſceri non conſueuit, præterquam quibuſdam pauxillum aquæ. Hæc rurſus duplicia, alia enim tantum exprimuntur: alia verò ignis vehementia extrahuntur, vt ex liquoribus, ſuccis, gummatibus, reſinis, cera, melle, lignis reſinoſis, aromatibus. Compoſita fiunt ex ſimplicibus, vt arborum, fruticum & herbarum folijs, floribus, ſeminibus, aut aliis partibus medica vi pollentibus, oleo natiuo maceratis, vt eſt Myrtinum, Laurinum, Lentiſcinum, Maſtichinum & reliqua eiuſmodi. Hæc rurſus variant, aliqua enim macerantur, aliqua inſolantur, aliqua incoquuntur: & quidem vel in oleo natiuo, vel alio oleo. Variant etiam ratione partium plantarum: aliqua enim ex floribus oleo inditis conficiuntur, idque inſolatu, coctionem enim flores non tollerant: ſic quidam diu, quidam pauco tempore inſolantur: vt meliloti, cheiri, ſambuci & ſimiles. Quidam validam vim odoris & pluribus diebus conſtantem edunt oleo merſi, vt ex roſis, violis, chamemelo, &c. talia olea inſolatu tenuiora & vtiliora redduntur. Quædam antequam colentur duplici vaſe incoquuntur: vt anethinum, nardinum, myrteum, & id genus. Aliqua denique ex germinibus ſurculiſue: aliqua ex fructibus integris oleo iniectis fiunt. Hæc de oleo: particulatim de oleis à Dioſcoride propoſitis, vt & de diuerſa auctoris lectione, egimus in Commentarijs noſtris in librum primum Dioſcoridis, quæ ſuo tempore publici iuris faciemus, hic enim guſtum tantum damus.

Oleum du-plex.

Natiuum ol.

Factitium o-leum duplex.

Compoſita olea.

## Ἐλαιόμελι. ELÆOMELI. CAP. XXXII.

IN Palmyris Syriæ, quod elæomeli vocant, ex quodam caudice manat, oleum melle craſſius, ſapore dulci. Bilem, cruditateſq; detrahit ſextario cum vna aquæ hemina dato. Sed qui ſumpſere, torpeſcunt, & viribus deficiuntur, quod minimè vereri oportet, verùm crebro excitare, ne veterno preſſi ſomnos capiant. Fit & oleum è pinguitudine ſurculorum. Optimum vetus, craſſum, pingue, non turbidum. Calfacit: priuatim caliginibus oculorum illinitur, lepras, neruorumq; dolores illitum emendat.

*QVanquam quotidie plura, variaq; mercimoniorum genera nobis ex Syria conuehuntur, Elæomeli tamen (quod ſciam) non modò non conuehitur, ſed ne vllum quidem vnquam audiui, qui ipſum viderit, vel nouerit. Cæterùm Hermolaus vir quidem præſtantiſſimus dubitat, vtrum elæomeli ſit manna, elæomelitis, & aeromelitis, quod mel aëris ſignificat, vicinitate deceptus. Quapropter non poſſum non admirari, doctiſſimum virum hac in re dubitaſſe; cùm tum Dioſcorides, tum etiam Plinius, quibuſcum longam contraxerat conſuetudinem, communi ſententia ſcribant, elæomeli oleum eſſe è quodam arboris caudice manans in Syria Palmyris, non mel aëreum, neque rorem, qui ab æthere ca-*

Hermolai lapſus elæomeli, Mannã cenſentis.

dat. Eoq; magis, cùm addiderit Dioſcorides, non modò elæomeli per ſe ex arbore manare, ſed & factitium haberi, tuſis, expreſſiſq; arboris ſurculis.

## Κίκινον ἔλαιον. CICINVM OLEVM. CAP. XXXIII.

CIcinum oleum hoc modo temperatur. Maturi ricini, qua voles quantitate, torrido ſole flacceſcunt, & aliorum more cratibus inſtrati tantiſper inſolantur, dum veſtiens cortex fractus decidat. Caro colligitur, & coniecta in pilam diligenter tunditur: poſtea in lebetem ſtanno illitum, qui aquam habeat, demittitur, ſubiectoq; igni feruefcunt: & vbi inſitum prorſus humorem reddiderunt, ſublato ab igni vaſe, innatans oleum concha tollitur, & reconditur. Sed in Ægypto, vbi largior increbuit vſus, longè ſecus fieri ſolet: nam repurgatos ricinos molæ mandant, & accuratè mollitos per ſportulam torculo exprimunt. Tum quidem ematuruerunt ricini, cùm continentibus orbiculis exuuntur. Cicinum oleum ad pſoras, & vlcera capitis manantia valet: prodeſt ſedis inflammationibus, vuluis conuerſis, atq; præcluſis: item indecoris cicatricibus, & aurium doloribus: emplaſtra efficaciora reddit additum: potu aquam aluo extrahit: ventris animalia pellit.

Ricini olei conſideratio.

RIcinum, ſiue Cicinum oleum, Cherua oleum officinis dicitur, quamuis rarioris ſit vſus. Namque ſemen plantæ, quam Dioſcorides ricinum appellat, Arabum eſſe cheruam, nemo eſt qui ignoret: quod etiam Serapio pentadactylum vocat, vt diffuſius ſuo loco libro quarto explicabitur. Caterùm ricinus animalculum eſt fœdum, liuidum, & ſanguine plenum, quod Italis Zecca vocatur, ſuibus, canibus, capellis, & id genus animalibus infeſtiſſimum. Cui cùm hoc ſemen forma, & colore ſit quàm ſimillimum, idcirco Ricini nomen ſibi comparauit. Meminit huius olei etiam Meſues, qui præter vires ei à Dioſcoride redditas, addidit, id validè craſſas coercere inflationes. Proinde ventriculi, laterum, coliq; doloribus prodeſſe illitum, potum, & infuſum. Simili ferè modo conficitur oleum è ſemine ebuli repurgato, ad quoſuis dolores mitigandos efficaciſſimum, quod ad rem medicam ornandam & locupletandam nunc edam in publicum, licet diu inter arcana mea id primum habuerim. Semen fruticis ſiccatum in pila ligneo pilo tunditur in offas, aqua calida adiecta per noctem maceratur, & tandem in lebetem oris lati ſtanno inductum, poſitum leui igne coquitur leniter mouendo: at vbi aſſiduo feruore ictuq; agitatum reſpumat, & ſubſtrato igne refrixit, innatans oleum concha excipitur, & prorſus oleum reddiderit, quod nulla alia ratione, nullove artificio acquiri poteſt. Idq; oleum ob virorem, à me Smaragdinum appellatum, quod hactenus theſauri loco continui, neque cuiquam aperire volui, pio in omnes medicinæ ſtudioſos animo iam effluere ſino, hortante Phedrone Rhodocheo, quem ob morum, vitæq; probitatem, inſigni doctrina, ac multarum rerum experientia conditam, diligo maximè, dum apud Sereniſſimas D.D. Magdalenam & Helenam, natas Vngariæ, & Boëmiæ Reginas, magna laude medicinam factitat.

Ricinus animalculum.

Ol. e ſemine Ebuli.

## Ἀμυγδάλινον ἔλαιον. AMYGDALINVM OLEVM. CAP. XXXIIII.

AMygdalinum oleum, quod aliqui metopium vocant, hoc fit modo. Semodius ex amaris nucibus repurgatis, ſiccatiſque, in pila ligneo piſtillo leniter tunditur in offas, aquæ, quæ ferbuerit, ſextarius adiicitur, & vbi dimidia hora humorem hauſerit, vehementius quàm antea tunditur: mox tabellis premitur, & quod digitis hæſit, concha excipitur. Preſſis nucibus rurſum hemina aquæ inſpergitur, & poſtquam ebiberint, idem opus proſequendum: ſingulas heminas reddunt ſinguli modii. Contra vuluarum dolores, ſtrangulatus, conuerſiones, & eorundem locorum inflammationes efficax eſt: vitiis renum, calculoſis, difficili vrinæ, ſuſpirioſis, lienoſiſq; proficit: dolores capitis, grauitatem auditus, ſonos incertos, tinnituſq; diſcutit: maculas & vitia cutis tollit è facie: & eam erugat cum melle, radice lilii, & Cypria cera, aut roſaceo cerato: & oculorum hebetudines emendat: vlcera capitis manantia, & furfures cum vino abſtergit.

CVm amarum omnino dulci ſit temperandum, delinquere ſanè exiſtimarem, ſi oleum ex dulcibus amygdalis expreſſum (etſi illud Dioſcorides ſilentio inuoluerit) ex amaris confecto non adiicerem, rectumq; conficiendi modum non explicarem: præſertim cùm noſtræ ætatis medicis maximo ſit vſui, & pauci ſint myropolæ, qui ipſum rectè probeq; conficiant. Parandi igitur rationem (vt Meſues tradidit) ſic habeto. Præſtantiores, dulcioreſq; amygdalæ, qua lubet quantitate, ab vtriſq; corticibus repurgatæ, optimè in lapideo mortario tunduntur, & in loco calido reponuntur, quinque horarum ſpatio: dein parum iterum contunduntur: mox prælo tamdiu premuntur, quouſq; omne, quod continent, effluat oleum. Elicitur etiam hoc modo. Collocantur delibratæ, contuſæq; amygdalæ in vitreo, vel ſtanneo vaſe, infundi turq; vas in balneo calentis aquæ: eximitur deinde tribus peractis horis, extrahunturq; amygdalæ, & ſtatim prælo calentes ſubiiciuntur: itaq; oleum copioſius excipitur. Tritæ rurſum amygdalæ, & repurgatæ, in ſacculis panno duplicato inuolutis, ſub arena cinereve calido reconduntur, & poſtquàm efferbuerint, prælo oleum elicitur. Sed noſtrates ſeplaſiarii plurimùm negligentiæ ſegnitiæq; indulgentes, non modò amygdalas non repurgant, neq; delibrant, ſed & amaras, & rancidas commiſcent, & omnes ſimùl conterentes, in æreum cacabum iniiciunt, igniq; admouent affuſo aquæ tantillo, ne penitus torreantur: deinde in ſacculum coniiciunt, & prælo ſummittunt, & quod inde fluit oleum excipiunt: quod plerunq; exuſtionis nidorem tantum obolet, vt haurientibus illico euomendi pariat nauſeam. Qui autem ſic parant oleum amygdalinum, eius lenientem facultatem peruertunt, ac deſtruunt: ſiquidem contuſis amygdalis non delibratis, oleum inde confectum corticum vires aſſeruat; proinde & conſtipat, & exaſperat, & ſcabritiem inducit: id quod etiam adauget ignis violentia, dum in lebetibus amygdalæ torrentur. Hoc itaq; diligenter animaduertens optimus Meſues, Amygdalini faciundi rationem prodidit, vt videlicet, cum purgatæ contuſæq; eſſent amygdalæ, calore quodam ſuaui ac lento leniter caleſierent, ſicut diximus, non autem carbonibus ardentibus, quemadmodum hodie ii faciunt miropolæ, qui etiam alia pleraq; confundũt. Amygdalinum igitur, ſi rectè probeq; conficiatur, mirificè lenit: quare potũ ad libræ dimidiũ, aluum leniter deiicit: aſperæ arteriæ, pulmonis, ac pectoris ſcabritias tollit: duritias omnes emollit: & compaginum, & membrorũ omniũ ſiccitates humectat, quocirca hecticis plurimùm conducit. Contra vuluarum dolores illitum & potum facilè præſtat: ſicuti veſicæ cruciatib. eſt efficax, ſi argẽtea fiſtula coniectũ impulſorio inſtrumẽto iniiciatur. Quod autẽ ex amaris amygdalis exprimitur,

Amygdalini dulcis parandi ratio.

Myropolarũ ignauia, & lapſus.

Meſues.

Amygdalini dulcis vires.

Amygdalini amari vires.

dulci

*dulci in omnibus efficacius habetur: idcirco in prouocandis lapillis, conciliandiſq́; viſcerum cruciatibus à flatu craſſiore genitis, dulci longè præſtantius reperitur. Nimirum & obſtructiones aperit, & interaneorum tineas enecat.*

## Βαλάνινον ἔλαιον. BALANINVM OLEVM. CAP. XXXV.

SImili modo fit Balaninum oleum. Quod repurgat maculas, lentigines, varos, & cicatrices nigras: aluum ſoluit, ſtomacho aduerſatur: contra aurium dolorem, ſonos, & tinnitus auxilio eſt, cum anſerino adipe inſtillatum. Similis ſeſaminum ex ſeſamo conficiendi ratio. Fit etiam è nuce iuglande oleum, quod caryinum vocant: eandem vim habet, quam balaninum.

Antiq. cod. ſeparat ab inuicem hæc tria capita.

*OLeum vnguentariæ glandis, quod Balaninum vocant, à pharmacopolis & vnguentariis oleum de Ben appellatur: quoniam myrobalanum, quod Latini vnguentariam nucem dicunt, ex qua hoc conficitur oleum, Mauritani Ben appellant, vt latius libro quarto diſſeremus. Conſimili modo id Meſues fieri tradit. Et (vt idem etiam eſt auctor) abſtergit, mundat, & obſtructiones aperit: illitum ſtrumas diſſoluit, duroſq́; tumores. Frigidis tum iocinoris, tum lienis affectibus opem mirificè præſtat: facit & ad frigidas neruorum conuulſiones, & compaginum cruciatus. Sed illud ſibi peculiariter adſciuit, quod etiamſi diu vetereſcat, haudquaquam rancidum euadit: ideoq́; vnguentarijs expetitur ad ſuauiſſima odoramenta excipienda, præſertim cùm moſcho, & ambra chirothecas illinunt: quo fit, vt nullo temporis tractu rancorem vnquam reſpiant, vt facilè eueniret, ſi alio quouis oleo eo in opere vterentur. Quamobrem mirari non licet, ſi veteres fructum, à quo elicitur hoc oleum, glandem vnguentariam nominauerint. Seſaminum verò (vt Meſues inquit) amygdalini modo exprimitur. Quippe ſeſami repurgatum ſemen primò contunditur, deinde eodem artificio calefactum prælo ſupponitur, tandiuq́; premitur, quouſque oleum reddat. Id (vt idem teſtatur) pingue miniſtrat alimentum: ſemen adauget, aſperitates quaſcunq́; lenit, ſed præcipuè gulæ: vocem expedit, & dura apoſtemata mollit. Adijcitur Seſaminum plerisq́; vnguentorum compoſitionibus, quorum in officinis eſt vſus. Verùm quod è Iuglandibus nucibus elicitur, nullius in medicina vſus eſſe reperio, etſi lucernis, & lampadibus, qui parſimoniæ ſtudent, id maximopere expetant, quippe ignis funiculo non tam citó conſumitur, quàm id, quod ex oliuis paratur. Præfertur etiam pictoribus eo, quod è Lini ſemine exprimitur: ſiquidem hoc ceruſſæ admiſtum tractu temporis colorem immutat, illud verò incorruptum perpetuo aſſeruat.*

Balanini conſideratio.
Balanini facultates.
Seſaminũ, & eius vires.
Oleum è nucibus iuglandibus.

## Ὑοσκυάμινον ἔλαιον. HYOSCYAMINVM OLEVM. CAP. XXXVI.

HYoſcyaminum ſic fit. Semen candidum recens ac ſiccum tunditur, & calida aſpergitur aqua, vt in amygdalino diximus: dumq; inſolatur, ſiccatæ, quæ ſub manu ſunt, partes cum reliqua maſſa permiſceantur: hoc autem fieri oportet, dum nigreſcat, & grauiter oleat: mox preſſum, atque excolatum reconditur. Ad aurium dolores efficax eſt: peſſis miſcetur, ad emolliendũ vtile. Fit & è grano gnidio purgato, & tuſo. Vis ei aluum ſoluere potu. Non ſecus cnicinum oleum temperatur, cui facultas eadem eſt, quæ facto è gnidio grano, verùm inualidior. Raphaninum è raphani ſemine fieri ſolet, cæterorum more. Phthiriaſes mala valetudine contractas tollit: ſcabritias cutis in facie emendat. Ad obſonia vtuntur Ægyptii. Melanthinum idem, quod raphaninum poteſt, eodemq; modo paratur. Tritum ſinapis ſemen, [& calida aqua] madefactum, adiecto poſtea oleo exprimitur. Illud diuturnos dolores efficax eſt: transfert humores, qui in aliqua parte concreuerunt.

ὕδατος ψυχροῦ. i. aqua frigida leg. antiq. cod.

*TAmetſi perpauci reperiantur medici, qui Hyoſcyaminum oleum nouerint, ne dum in vſum receperint vnquam, ego tamen idipſum pluries confeci. Siquidem ad tollendos omne genus dolores, vbi cætera præſidia non iuuerint, efficaciſſimum eſt medicamentum, præſertimq́; inflammationibus pudendorum vtriuſque ſexus. Item acutiſſimis aurium doloribus medetur cum caſtoreo, vel croco inſtillatum. Prohibet præterea gonorrhœam, renibus & teſtibus illitum. Menſium exuperantiam cohibet, & albicantia vteri profluuia, tum pubi & lumbis perunctum, tum peſſis infuſum. Mammis à partu inflammatis vtiliter illinitur. Dentium dolores mirificè mulcet, ſi tepidum in ore contineatur. Pilorum exortum admodum retardat, aliis quibuſdam additis: ita vt euulſi pili integro anno non renaſcantur, ſi eodem depilata loca ſæpius perungantur. At ipſe in eo faciundo Dioſcoridem minimè ſecutus ſum, ſed aliam parandi rationem adinueni, quæ hæc eſt. Sumito nouum, ſiccumq́; hyoſcyami ſemen, tundito deinde, ponitoq́; in ſtanneo, vel vitreo vaſe, ardenti aqua, quæ è vino fit, parumper prius affuſum. His factis ponito vas in calentis aquæ balneo die ac nocte, demum adhuc feruens ſacculis imponito, & prælo ſubijcito, ſicq́; oleum habeto. Quod autem è grano Gnidio, quod ruſtici Ananienſes montanum piper appellant, paratur, receſſit hoc æuo à medicorum vſu, eo quòd in deijcienda aluo violentiſſimum ſit medicamentum, ruſticis tamen aptiſſimum, cùm ſæpius, ne medicos conſulant, coccum Gnidium deuorent, quo etiam ſæpius morte occumbunt. Porrò Cnicinum (vt Meſues inquit) potum aqua intercute laborantibus, viſcerum obſtructionibus, ventriculi, & coli cruciatibus à flatuoſitate genitis, efficax eſt. Suſpirioſis mirificè prodeſt, & vocem clarificat. Epotum pituitatam tum vomitionibus elicit, tum per inferna ducit. Raphaninum præterea, & Melanthinum aboleuerũt, ſicuti etiam Sinapinum, etſi vbi ad ſummum excalfacere opus fuerit, maximam opem præſtare valeant. Sinapinum verò non niſi collachrymantib. oculis exprimi poteſt: tanta enim eſt vaporis acrimonia, vt concepto vapore, illico prodeant lachrymæ. Miſcetur quandoq́; cum eo, quod è piſtaceis nucib. elicitur: perũgunturq́; eo genitalia in frigidis, vt felicius coeant, addito laſere, & moſcho.*

Hyoſcyamini vires.
Hyoſcyã. parandi ratio.
Gnidinum.
Cnicinum.
Raphaninũ.
Melanthinũ.
Sinapinum.

## Μυρσίνινον ἔλαιον. MYRTEVM OLEVM. CAP. XXXVII.

MYrtei faciundi ratio hæc eſt. E myrto nigra, ſylueſtri, aut ſatiua, foliorum molliſſima quæque tuſa premuntur: ſucco pares omphacini olei portiones adiiciuntur, ſubiectiſq; carbonibus inferueſcũt, donec concoquantur: innatans oleum deraditur. Sed longè facilior hæc compoſitio. Tenera folia contuſa coquuntur in oleo & aqua, & quod innatat, eximitur. Priuatim alii deiecta in oleum folia in ſole macerant: alii prius oleum inſpiſſant malicorio, cupreſſo, cypero, & iunco odorato. Efficacius eſt amarum guſtu, & oleoſum, viride, translucens, & olens myrtum. Aſtringit, & indurat: ideo medicamentis miſcetur, quæ cicatricem obducunt: prodeſt vlceribus in capite manantibus, ambuſtis igni, & papula-

rum eruptionibus. Facit ad attrita, & furfures, ſedis rimas, condylomata, articulos laxatos: corporis ſudores compeſcit: & ad omnia valet, quæ aſtrictionem, inſpiſſationemq; deſiderant.

In myrteo officinarum lapſus.

*Myrteum myropolæ ferè omnes non quidem ex tenellis myrti frondibus, Dioſcoridis more, conficiunt, ſed è fructibus tantùm, nulla ſeruata parandi ratione. Quandoquidem myrti baccas contundentes, oleo, nigroq; vino immiſcent, & in æneum cacabum transferunt, ſubduntq; (vt citius opus expediant) ignitos carbones, ibiq; tamdiu inferueſcere ſinunt, donec vinum totum abſumatur; mox ab igne tollunt, percolant, & aſſeruant. Neq; animaduertunt conficiendi regulam à Meſue explicatam, ſiquidem in calentis aquæ balneo, non quidem violento carbonum igne Myrteum parari iubet: ex oleoq; omphacino fieri, non (vt ipſi parant) ex maturis oliuis expreſſo. Namque, vt balnei humenti, ac leni calore olei compoſitio mirificè digeritur, ac eius omnes conſeruantur partes: ſic contrà violēto igne ſubdito peruertitur, & deſtruitur tota rei compoſitio. Sed quoniam reipublicæ beneficio (vt etiam ab ipſo exordio pollicitus ſum) decreui non prætermittere quicquam, quo errores, qui indies contingunt, è medio tollantur, dico, oleum omne quod officinæ ad medicamenta vſurpant (illud excipio, quod ab arborum reſinis ſtirpiumq; aliarum gummi, vitreis organis per ſublimationem, vt chymiſtæ vocant, elicitur) vaſe vitreo, vel ſaltem ſtanneo in balneo calentis aquæ fieri debere: & inibi primum impoſitis imponendis tribus diebus macerari: poſt tertium verò diem expreſſis cunctis prius impoſitis, & recentibus infuſis pari temporis ſpatio, eodem in balneo, eadem macerari. Itaque tamdiu opus proſequendum, donec ſibi oleum ampliſſimas exceptorum medicaminum comparauerit vires. Verùm ingens hominum lucri auiditas, duriq; ingluuies, vt admodum ſuperlucrentur, arcamq; auro ad ſummum vſque impleant, non patitur myropolas neceſſarium tempus impendere ad medicamenta exactè paranda: eos, inquam, qui continue magis crumenis intendunt & inhiant, quàm vt vitæ ægrotantium ſatagant. Probi tamen, & diligentes hæc mea verba boni conſulant, his verò mali errores emendent ſuos. Idcirco Myrteum oleum, quod myrti præſtantiam ad plenum referat, hoc modo temperatur. Sumito fructuum myrti libram, foliorum eius recentium vncias decem, vini nigri adſtringentis libras duas, olei omphacini libras quinque: deinde contuſis baccis ac folijs omnia oleo excipito, & vaſe vitreo, vel ſtanneo reponito, tectoq; vaſis ore in balneo calentis aquæ immergito, & poſt tres dies extrahito, ac percolato: rurſus aſſumptis recenter baccis, folijs, & vino, vt antea oleo exceptis, in eodem balneo omnia recondito ad tertium vſq; diem. At poſtremo vaſis ore detecto, tandiu id apertum ſinito, donec balnei feruore vinum totum exiliat, & oleum tantùm remaneat. Nec audiendi ſunt ij, qui Dioſcoridis teſtimonio, æneo cacabo (vt ſupra dictum eſt) ſubſtratis carbonibus Myrtinum conficiunt: quippe Dioſcoridis tempore ars medica non adeò exculta erat, quin nec ſeplaſiaria, vt noſtra hac ætate eſſe viſitur. Quamobrem putandum, quòd ſi huius balnei artificium Dioſcoridi innotuiſſet, ipſum haudquaquam ſilentio præterijſſet, veluti nec illud Meſues, nec alij complures præterierunt, qui ſummo ſtudio & diligentia medicam facultatem excoluerunt & in ordinem redegerunt.*

Olei omnis generis parandi ratio.

Myrtei parandi ratio.

## Δάφνινον ἔλαιον. LAVRINVM OLEVM. CAP. XXXVIII.

Laurinum fit hoc modo. Lauri baccæ cùm maturæ ſunt in aqua coquuntur: ſiquidem ex obducto cortice quandam pinguitudinem reddunt, quæ manibus ſubacta, concha excipitur. Alii omphacinum prius oleum cypero, iunco odorato, & calamo inſpiſſant, deinde tenera lauri folia concoquunt: alii etiam baccas, donec oleum odorem contraxerit: alii ſtyracem, & myrtum addunt. Optima laurus ad id latifolia, & montana. Oleum laurinum vtilius, quò recentius, quoq; viridius colore, amariſſimum, & acre. Vis ei excalfactoria, emolliens: venarum ſpiracula aperit, laſſitudines diſcutit: omnibus neruorum vitiis, algoribus, deſtillationibus, aurium doloribus, malis renum frigore contractis, illitum, non aliud iuuantius: attamen potum nauſeam parit.

Laurini conſideratio.

Laurini vires ex Meſue.

*Laurini conficiendi rationem aliter à Meſue inſtitutam legimus, ſed tamen ab hac parum recedentem, ideoque quod id parum vel nihil referat, rem ipſam ſilentio prætereundam duximus: præſertimq; quòd non me latet, Laurinum, cuius eſt vſus in officinis, à ſeplaſiarijs nequaquam fieri, ſed ab alijs confectum emi, qui lecta magna lauri baccarum quantitate ipſum eliciendi artem exercent. Meſues præter facultates à Dioſcoride traditas, id ſummè laudauit & ad ioci neris dolores, & ad hemicraniam, quæ frigidis contrahitur ſuccis: quin & ad ventriculi dolores, coli, vuluæ, & lienis efficax eſſe tradidit.*

## Σχίνινον ἔλαιον. LENTISCINVM OLEVM. CAP. XXXIX.

Similis Lentiſcini ratio: nam è maturo fructu temperatur, factis prius ſpiſſamentis: vt in laurino diximus. Hoc ſcabiem iumentorum, canumq; ſanat: vtiliſſimum peſſis, acopis, & leprarum medicamentis: ſudores cohibet. Nec ſecus Terebinthinum fieri ſolet: quod † refrigerat, & aſtringit.

Lentiſcini parandi ratio.

Lentiſcini vires.

Terebinthini conſideratio & vires.

*Lentiſcinum pluribus in locis Hetruriæ conficitur, ſed præſertim in agro noſtro Senenſi, Ilua, & Gilio Tyrrheni inſulis, non longè à continenti noſtra diſtantibus. Fit autem ab incolis hoc modo. Racemoſas lentiſci baccas aſſumunt, & à putaminibus cunctis expurgant, permittuntq; aliquot diebus ſimùl flacceſcere: deinde magnum in ahenum collocant, affuſa aqua: & igni tandiu feruent, donec baccæ dehiſcant: demum eas extrahunt, & ſaccis includunt preloq; ſubijciunt, expreſſumq; aſſeruant oleum. Quod & quibuſdam Adriatici inſulis hac ſimiliter ratione confici audio, abſq; alterius cuiusuis olei adminiculo: ſiquidem fructus is per ſe olei ſatis emittit. Incolæ (vt exprimento comprobatum affirmant) ad acuendam oculorum aciem, caligineſq; delendas, illud cibis commiſcent. At ego eo ſæpius vſus ſum magno ſanè iuuamento in dyſentericis, non quidem potu exhibito, ſed clyſteribus infuſo. Lentiſcinum ſummis laudibus extulit Galenus libr. v. de comp. medic. ſecundum locos, ad gingiuarum, & linguæ inflammationes, ſi os eo colluatur. Quod autem fit è fructibus terebinthi, quos Mauritani grana viridia nuncupant, non fit in Italia, neque ad nos (quod equidem ſciam) aliunde conuehitur: proinde non venit in vſum. Hoc tamen (vt Meſues inquit) vulnera conſolidat: medetur item conuulſis, opiſthotonicis, neruorumq; durities, & crebèrrimè cataplaſmatis admiſcetur.*

*† In his verbis mendum ſubeſſe putamus, vt etiam doctiſſimè adnotauit Manardus Ferrarienſis lib. VIII. epiſt. prima. Alias ſiquidem ſibi ipſi repugnaſſet Dioſcorides, cum ſcripſerit in Terebinthi mentione, eius fructus excalfacere, hic verò dica-*

*ri) dicatur oleo ex eiſdem parato ineſſe refrigerandi facultatem. Huic deprauatæ lectioni illud quoque refragatur, quòd ſint nobis Græci Dioſcoridis codices, in quibus verba illa de Terebinthini olei facultatibus non leguntur, ſed de eius tantùm conficiendi ratione mentio habetur.*

Μαςιχινον ἔλαιον. **MASTICHINVM OLEVM. CAP. XL.**

MAſtichinum è trita fit maſtiche. Quod contra omnia vuluæ mala efficax eſt: mediocriter calfacit, aſtringit, & emollit. Aduerſus prominentes ſtomachi duritias, cœliacorum, dyſentericorumq; cruciatus vtile: faciem emaculat, & colorem nitidum facit: optimum in Chio inſula componitur.

*MAſtichini parandi rationem, ſanè quàm paucis Dioſcorides perſtrinxit, quippe è trita tantùm Maſtiche fieri tradidit, nulla alia explicata conficiẽdi ratione. Seplaſiarij autem nonnulli prorſus obliti, ſcripſiſſe Meſuem in balneo calentis aquæ Maſtichinum confici debere, communi oleo, albo vino permiſto, maſtichen admiſcent, & æreo vaſe carbonum igni admouent, ibiq́ tanto tempore efferueſcere ſinunt, quoad vinum prorſus exiliat, ac inde vſui aſſeruant. At ipſe vitreis organis è puriſſimo tantùm maſtiche illud ſæpius confeci.*

Seplaſiariorũ lapſus.

Μύρων σύνθεσις. **VNGVENTORVM COMPOSITIO. CAP. XLI.**

DE ratione vnguentorum conſequenter tractandum exiſtimauimus, quandoquidem ea in nonnullis corporum vitiis, aut medicamentis miſta, aut corpori perfuſa, aut naribus obiecta, plurimùm proſunt: in quorum probationibus conſulere nares oportet, an ea oleant, ex quibus temperantur. Optimum huiuſcemodi iudicium, quod tamen in quibuſdam planè obſeruari non poteſt, propter ea, quæ admiſcentur, odore cæteris præualentia: vt in amaracino & crocino, telino, & pleriſq; aliis, quæ crebra circa hæc meditatione experiri conueniet.

Vnguenta, ab vtendi modo, Græcis μύρα forte à Myrrha: quo nomine veteres pretioſa vnguenta ex odoramentis confecta appellabant: hodie verò quæ ex oleis, ſpeciebus quibuſcunque & cera componuntur, ita vocantur: at hæc non ſimpliciter μύρα, ſed myracopa dicenda, quoniam ſimilia ſint acopis. Primus cenſetur Archilochus μυρῦ nomen vnguentis impoſuiſſe, ſiquidem vetuſtiſſimus Homerus licet vnctionum frequenter meminerit, attamen oleum, non Myron appellauit: ſic quo vngebantur à Moyſe ſacerdotes, non vnguentum ſed oleum ſanctum vocant. Et licet opinio ſit, primum vnguentum ex Bryo ſeu muſco & balanino oleo confectum fuiſſe, attamen oleum ſanctum, de quo Exodi 30. & apud Ioſephum lib. antiquit. 3. cap. 13. primum ſtatuendum, quod ex præſtantiſſimis odoramentis conficiebatur, vtpote ex myrrhæ ſpontè fluentis, quingentis ſiclis: cinnamomi aromatici, 250. & calami aromatici tantundem, caſiæ verò quingentis, ſecundum ſiclum ſanctuarij: & olei de olea Hin, id eſt duobus cois Atticis, vnguentum opere vnguentarii conficiebatur: quo & ſacerdotes, & tentorium conuentionis, arca teſtimonii, menſa & omnia inſtrumenta eius ac reliqua vaſa [illegible]dita purgabantur. Vnguentorum licet duo conſtituerit genera Iceſius libello de odoribus, alterum deliciarum quod χεῖμα ſeu χεῖσμα dicitur: alterum promiſcuum & ferè palæſtris dicatum, quod ἄλειμμα cognominatur: tria tamen conſtituemus ſumma genera: vnum ad luxuriam: alterum ad neceſſitatem: tertium ad ſalubritatem. Ad luxuriam, apud Græcos, Perſas & alios cultiores Orientis populos, quotidianus erat in conuiuiis vſus, quare cum bellarijs & corollis, ſecundis menſis inferebantur: quibus conuiuatum capilli & barbæ vngebantur, de quibus Athenæum conſule. Et licet Solon, cum hæc ad laſciuiam veneris facere animaduerteret, vnguenta Athenis diuendi vetuerit: ſic Socrates apud Xenophontem vt meretricium accuſarit: ſic Lacedæmonij vnguentarios ciuitate expulerint, eos oleum corrumpere dictitantes, attamen hac ætate plurimi & ambram & moſchum ad faſtidium olent. Ad neceſſitatem erant ea quibus certantes vtebantur & palæſtrarum corpora inungebantur. Ad valetudinem tertium genus facit. Dioſcorides auctor eſt, ea aut medicamentis miſta, aut corpori perfuſa, aut naribus obiecta, in quibuſdam corporum vitiis plurimum conferre. Hæc autem nunc vſitata ex tribus conficiuntur, oleo, ſpeciebus & cera: oleis adiiciuntur adipes, butyrum & mucilagines: nonnunquam gummata & lachrimæ his quoq; miſcentur. Species ſeu pulueres pro affectuum diuerſitate variant. Cera additur, vt conuenientem conſiſtentiam vnguenta nanciſcantur: ita tamen pleriq; cõficiunt vt ad oleorũ ℥ 1. ſpecierum ʒ 1. ceræ ʒ. ij admiſceant: At cum vnguenta æſtate plus ceræ, hyeme minus requirant: ſic interdum firmius & diutius, interdum contra, corporib. adhærere velimus, conſultius vt componentis iudicio liberum relinquatur. Galenus 4. de ſanitate tuenda, ceræ quartæ parti, reſinæ duodecimam immiſcet, ſic enim non ſolùm pulcherrimum ſed etiam quod bene adhæreat vnguentum fieri: idem habent Oribaſius in vnguento ex Euphorbio, & Æginetа lib. 7. cap. 17. Concludentes dicimus vnguenta quæ in Pharmacopoliis habentur, aſſumpta antiqua vnguenti ſignificatione, vnguenti nomen non mereri, ſed potius eſſe apud veteres olea compoſita, cum plerunque nullam odore fragrantiam habeant. Dioſcorides verò ea proponit quibus corpora irrigantur & ex quorum olfactu vires animales (hic rurſus ipſius Methodus notanda) recreantur, & quod aliis medicamentis hæc miſceri ſoleant. Vnguenta verò quæ ad voluptatem & luxum faciunt, in totum Dioſcorides omittit, tanquam indigna quæ inter remedia ſalutaria proponantur: de quibus multa Plinius lib. 13.

Vnguenti primi confectio.

Vnguentorũ genera tria.

Vnguenta vſitata ex quibus conficiantur.

Olea compoſita veterum.

Ῥόδινον. **ROSACEVM. CAP. XLII.**

ROſaceum ſic fit. Iunci odorati quinque libras & beſſem tundito, & ſubactas aqua in viginti olei libris & quincunce, ſubinde mouendo, coquito: dumque percolaueris, in olei libras viginti, & quincuncem, adiicito roſas † non madefactas numero mille, & manib. melle perunctis identidẽ moueto, in-

† ἐρυθρῶν. i. rubras. Anti. codex habet.

terdiu premens, finito nocte tota macerari, poſtea exprimito: & vbi recrementum peſſum ierit, mutato vaſe, in craterem melle illitum recondito. Cæterum roſas, quæ antea preſſæ fuerunt, in labellum demittito, & affuſis octo libris & quadrante ſpiſſari olei, iterum premito, eritq; ſecundarium oleum. Quòd ſi tertias vſque, quartaſve perfuſiones infundens exprimere voles, ſecundarium fiet, tertiarium, & quartarium vnguentum. Sed quoties id feceris, vaſa melle oblini debent. Si verò ſecundam a infuſionem inſtituere libet, in expreſſum oleum, numero pari recentes roſas, nullo b humore imbutas iniicito: manibus melle præmadefactis agitans premito: & iterum tertiò, aut quartò ſimili modo exprimens facito, totieſque recentes roſas detractis vnguibus immittito: fiet enim ita oleum multò validius: nam ſepties oleum roſarum infuſionem admittit, nec amplius. Prælum melle perungatur, oleum à ſucco diligenter ſecerni oportet, nam ſi minimum quid relinquatur, vnguentum corrumpet. Alii autem detractis vnguibus, roſas tantùm oleo macerant in ſole hoc modo. Roſæ, quæ ſelibram pondere æquant, in ſextario olei diebus octo madeſcunt, & vſque ad tertiam perfuſionem quadraginta diebus inſolantur, & ſic oleum reconditur. Alii calamo, aut aſpalatho prius olei ſpiſſamenta faciunt. Alii coloris cauſa anchuſam admiſcent, & ſalem, quò minus oleat. Vim aſtringendi, & refrigerandi obtinet: fomentis, & cataplaſmatibus vtile. Potum ſoluit aluum: ſtomachi ardorem reſtinguit: vlcera caua replet, & mulcet, quæ cacoëthe vocantur: vlceribus in capite manantibus, atque feruidis eruptionibus illinitur: caput dolens eo perfunditur: dentes inter initia doloris collui prodeſt: ad genarum duritias illitum efficax eſt: ad laceſſita interanea, & concitatas vuluas vtiliſſimè ſubiicitur.

a Meum ἐμβολῇ. i. iniectionem.
b Meum ἀβρόχων. i. ſiccarum.

Vnguentorũ conſid.

*HOc ſub olei nomine comprehendit Dioſcorides, oleum omne, quod per ſe tantum, nulla alterius olei admiſtione, aut ex arborum fructibus, aut herbarum diuerſorum generum ſeminibus, aut ſtirpium reſinis elicitur. Sed vnguenti appellatione intelligit oleum omne genus, cui & odoramenta, & alia ſimplicia medicamenta admiſcentur, vt in præſentia de Roſaceo agens, & deinde in ſequentibus manifeſtè oſtendit. Quo fit, vt apud Dioſcoridem oleum vocetur, quod ſimpliciter expreſſum ſit: vnguentum verò oleum quodlibet, cuius componendi ratio pluribus conſtet medicamentis. Quapropter Galenus lib. VI. ſimp. medicamentorum de oleo agens, ſic inquit. Ex dictis cognoſcere iam liceat, & de aliis olei generibus, quæ æquiuocè ipſis dicuntur, vnguentis, puta roſaceo, melino, liliaceo, & quæcunque id genus floribus, fructibus, germinibus, foliis in oleo maceratis conficiuntur. Horum quodque vbi vna cum aromatibus præparantur, vnguentum efficitur. Cæterum oleum roſaceum, quod hoc tempore officinæ completũ appellant, à Dioſcoridis roſaceo longè diſsidet, quod etiam eo præſtantius exiſtimandum eſt, ſummum ob artificium, quod in ipſa parandi ratione diligentiores adhibent myropolæ. Quod eorum tamen perpauci (ita vt ingenium eſt multorum à labore procliue ad ignauiam) illud ſecundum Meſuem temperant, tametſi plures ab eo optimi roſacei conficiendi modum ſint conſecuti. Fit etiamnũ roſaceum roſis non affatim dehiſcentibus in omphacinum demiſsis, modò calentis balnei viribus (vt in quibuſdam aliis ſuperius adnotauimus) modò inſolatu perquàm longo. Sunt & qui, vt magis viribus præſtet, oleum prius ex aqua roſacea lauent, deinde pluſculo temporis ſpatio ter, aut quater roſas infundant, quæ haud penitus fatiſcant: demum expreſsione peracta, immaturarũ roſarum ſuccum adiiciunt, ac inde diu inſolant. Poſtremò oleum à ſucco ſecernunt, & diligenter aſſeruant. Hoc inflammationes diſcutit, roborat, adſtringit, fluxioneſq; cohibet, ne ad ægras defluant partes. Potum torminibus dyſentericis medetur. Capitis vulneribus aptiſsimum eſt, quòd roboret, ſiccet, reſoluat, inflammationeſq; non modo prohibeat, ſed etiam extinguat. Quocirca hac in re maximè probatur Galeno lib. 2. de comp. med. ſecundum locos, vbi de dolore capitis ſcribit, qui vel ex vulnere, vel caſu excitatur: cuius etiam meminit lib. X. ſimp. med. de ſanguine agens.*

Roſacei conſideratio.

Roſaceũ omphacinum.

Roſacei omphacini vires.

## Ἐλάτινον. ELATINVM. CAP. XLIII.

FRacta elate, tuſa, & ſacrificata, in labellum deiicitur: omphacinum oleum triduo infunditur, mox per ſportulam exprimitur: verùm pares eſſe debent vtriuſq; portiones, dein mundo vaſe ad vſus reconditur. Viribus roſaceo proportione reſpondet: aluum tamen non mollit.

*ELatinum, quod ex da[illegible]rum inuolucris antiquitus parabatur, hac noſtra tempeſtate obſoleuit.*

## Μήλινον. MELINVM. CAP. XLIIII.

MElinum hoc modo temperatur: Olei congius decem aquę ſextariis admiſcetur. Adiicitur elatæ palmarum fractæ quadrans, & iunci odorati vncia: quæ die vno macerata coquuntur, mox in vas oris patuli oleum excolatur, & indita arundinacea crate, aut rara tegete, cotonea mala ſuperponuntur, & veſtimentis operta tantiſper inibi reſident, dum malorum vires ad ſe oleum alliciat. Aliqui cotonea decem dierum ſpatio operimentis inuoluunt, vt contineatur odoris ſuauitas, nec euaneſcat: poſtea biduo macerata oleo exprimuntur, oleumq; reconditur. Id vim refrigeratoriam, & adſtringentem habet. Contra ſcabioſa vlcera, & quæ ſerpunt, ac furfures, perniunculoſq; effectum præbet: exulceratis vuluis infunditur: citatam vrinam ſiſtit infuſum: ſudores cohibet: contra cantharides, bupreſtim, pinorum erucas, bibitur. Laudatur maximè quod cotonea mala olet.

Melini conſideratio.

*MElinum oleum ad hodiernum officinarum vſum hoc modo conficitur. Cotonea nondum planè matura in taleolas diſſecta omphacino oleo macerantur, & vino ex eis expreſſo ſuperaddito inſolantur. Deinde in calentis aqua balneo iterum, atque iterum perfunduntur, & extrahuntur, vt in aliis ſuperius oſtendimus.*

## Οἰνάνθινον. OENANTHINVM. CAP. XLV.

OEnanthe è labruſca, optimè olens poſtquàm emarcuit, deiecta in omphacinum oleum mouetur, voluiturq;: & cum biduo manſerit, exprimitur, & reconditur. Aſtringit, proximũ roſaceo effectum præbens: ſed aluum non reſoluit, aut mollit. Probatiſſimum eſt, quod odore œnanthen refert.

Oenan-

*OEnanthinum nullam à nobis requirit explanationem: quoniam à Dioſcoride tam apertè proditur eius parandi ratio, vt non ſit opus, illud pluribus explicare.*

## Τήλινον. TELINVM. CAP. XLVI.

FOeni græci libræ quinque, calami libra vna, cyperi libræ duæ, olei libris nouem ſeptenis diebus macerantur, quotidie ter mouentur, poſtea premuntur, & reponuntur. Aliqui pro calamo cardamomum ſubſtituunt, & cyperi loco xylobalſamum macerant. Alii oleo antea his odoribus ſpiſſato fœnum græcum macerantes exprimunt. Hoc telinum abſceſſus emollit, & concoquit: omnibus vuluarum duritiis magnopere conuenit, fœminis difficilè parientibus ſubiicitur, vbi præ excretis humoribus loci ſiccitatem contraxerunt: ſedis inflammationes lenit, teneſmo ſubditum prodeſt: vlcera capitis manantia, furfureſque expurgat: ambuſtis, & pernionibus addita cera proficit: vitia cutis in facie emendat: pigmentis ad conciliandum faciei nitorem inſeritur. Eligi oportet recens, quod non vehementer fœni græci odorem præ ſe ferat, & manus abſtergat, ſapore ex dulci in amarum inclinato: tale enim optimum indicatur.

*OFficinarum Luminaria ex Rhaſis auctoritate aliam, quamuis exoletam, Telini componendi rationem tradunt, in quo calamo odorato, & cypero elaterij beſſem adijciunt.*

## Σαμψύχινον. SAMPSVCHINVM. CAP. XLVII.

SErpylli, caſſiæ, abrotoni, florum ſiſymbrii, frondium myrti, ſampſuchi ſingulæ portiones, quadam pro viribus ipſorum coniectatione, vnà tunduntur, atque is omphacini olei modus adiicitur, qui madentium vires non euincat: hæc poſt quatriduum exprimuntur: denuo noua alia ſimili menſura, & æquali tempore macerata premuntur: ita enim validius reddi ſolet. Eligi oportet ſampſuchum colore ex atro viridi, plurimùm redolens, mediocriter acre. Vim habet acrem, calfactoriam, extenuantem: aduerſus vuluæ præcluſiones, conuerſioneſq; efficax eſt: menſes, & ſecundas, & partus extrahit, vuluæ ſtrangulatus recreat: lumborum, inguinumque dolores lenit: ſed cum melle vti eo præſtat, quandoquidem vehementi aſtrictione locos indurat. Laſſitudines illitum diſcutit: in opiſthotonicorum, vulſorumque cataplaſmata vtiliſſimè additur.

Sampſuchini conſideratio.

*QVanquam ex Theophraſti, Dioſcoridis, & Plinij ſententia idem eſſe conſtat ſampſuchum, & amaracum: cùm tamen Galenus, & Paulus de his diuerſis capitibus ſeorſum ſcripſerint, eorumq; temperamenta per gradus diſſidere tradiderint, non ab re credidere nonnulli aliud eſſe ſampſuchum, aliud verò amaracum. Quorum opinionem auxit etiam Dioſcorides, quòd in his vnguentorum compoſitionibus Sampſuchinum, & Amaracinum diuerſis capitibus digeſſerit. Quod facilè pleroſq; ad credendum induxit, has ſtirpes tum facie, tum viribus differre, hac ratione freti, quòd ſi alterum ab altero non diſtaret, omnino præter rationem de his variis in locis ſcripſiſſet Dioſcorides, alterum vnguentum Amaracinum alterum verò Sampſuchinum appellans. Porrò vt huiuſmodi controuerſia tollatur, ſciendum eſt, ſtirpem eam, quæ Galeno, & Paulo amaracum appellatur, id ſanè amaracum non eſſe, quod Theophraſtus, Dioſc. & Plinius ſampſuchum vocauere, ſed potius (vt ego exiſtimo) Marum, id quod etiam ſentiunt clariores noſtri ſeculi ſimplicium indagatores. Namque Mari, nec Galenus, nec item Paulus quicquam prorſus in ſimplicium medicamentorum libris meminerunt. Quare non deeſt ſuſpicio, quin librariorum culpa, in Galeno Mari titulus in amaracum abierit: quandoquidem in eius tum gradibus, tum facultatibus aſsignandis Galenus à Dioſcoridis Maro non longè receſſerit. Sunt & qui velint apud Paulum, & Galenum id amaracum dici, quod Dioſcorides parthenium vocat: quippe & hoc quibuſdam amaracum vocatur. Cuius rei indicium eſſe exiſtimant, quòd tam Galenus, quàm Paulus nullibi in ſimp. medic. libris aliquid de parthenio poſteritatis memoriæ prodiderunt: quorum opinio non omnino reprobanda videtur. Cæterùm licet Dioſcorides Sampſuchini, & Amaracini diuerſis per ſe capitibus meminerit, non obſtat propterea, quò minus idem eſſe poſsint ſampſuchum, & Amaracum. Siquidem duabus de cauſis vt alterum ab altero diſtingueret, Dioſcorides facilè impulſus fuit: quarum altera eſt, quod ſi diligenter animaduertantur vtrorumq; compoſitiones, vtiq; Amaracinum tum multò odoratius, tum Sampſuchino pretioſius iudicabitur. Ideoq; auctor, eo quòd nolebat vnguentum hoc apprimè nobile intactum relinquere, quodq; ob eius claritatem id particulari deſcriptione dignum cenſebat, vt præſtantiæ diſcrimen faceret, vtq; etiam minus probatum à probatiſsimo dignoſceretur, homonymiam immutauit, ipſumq; non quidem Sampſuchinum, ſed Amaracinum appellare voluit: nam ſi id non feciſſet, quodnam altero præſtantius eſſet, diſcerni non potuiſſet. Huc accedit alia ratio, qua alterum Sampſuchinum, alterum verò Amaracinum Dioſcorides appellauerit: quod (vt libro tertio proprio capite legitur) in Cyzico ſampſuchum amaracum appellabatur, vnde hoc vnguentũ inſigne petitur. Et quoniam à Cyzicenis claris illius compoſitoribus ex eorum more Amaracinum vocabatur, talem nomenclaturam Dioſcorides haudquaquam permutandam cenſuit: quare ipſum in eadem reliquit appellatione, quam ſecum ex Cyzico tulerat.*

Solutio controuerſiæ de Sampſucho & Amaraco.

Opinio quorundam Amaracum eſſe Partheniũ.

## Ωκίμινον. OCIMINVM. CAP. XLVIII.

OCiminum oleum fit vt cyprinum. Ocimi folia decerpta librarum vndecim, & beſſis pondo, die noctuque viginti olei libris macerato, premito, colato: cumque exhauſeris quallum, rurſus parem olei modum fundito, & exprimito. Vocatur autem id ſecundarium: nam tertiæ perfuſionis non eſt capax. Deinde recens ocimum æquali pondere, vt in roſaceo diximus, rurſus maceratur, & cùm tanto temporis ſpatio maduerit, exprimitur, & oleum reconditur: quod ſi in animo fuerit ter, aut quater madefacere, ſemper ocimum recens addes. Poteſt ex omphacino confici: ſed illo modo melius. Idem quod ſampſuchinum poteſt, ſed inefficacius.

## Ἀβροτόνινον. ABROTONINVM. CAP. XLIX.

OLei cyprini odoribus imbuti libris nouem & quincunce, foliorum abrotoni libras octo die noctuq; madefactas, premito. Quod ſi in longum tempus oleum velis aſſeruari, eiectis prioribus foliis, noua appones, & macerata exprimes. Calfacit: ad vuluæ duritias, præcluſionesq; efficax eſt: menſtrua, & ſecundas pellit.

## Ἀνήθινον. ANETHINVM. CAP. L.

† παλαιῶ i. antiqui. leg. Orib.

Concluſa leg. Orib.

τὸ αὐτὸ. i. tantundem.

OLei † libris octo & dodrante florum anethi [ libras vndecim & beſſem, ] maceratas in oleo die vna, manibus premito, & recondito. Quòd ſi iterum perfundere velis, recentes anethi flores conſimiliter madefacito. Vuluarum duritias emollit, venarum ſpiracula laxat, contra horrores febrium circuitu redeuntes auxiliatur: calfacit enim & laſſitudines diſcutit: prodeſt articulorum doloribus.

## Σούσινον. SVSINVM. CAP. LI.

SVſinum, quod alii lilinum appellant, ſic temperatur. Olei libræ nouem cum quincunce, calami libræ quinque & quadrans, myrrhæ vnciæ quinque, permiſto odorifero vino decoquuntur, & colato oleo, cardamomi tuſi & cœleſti aqua madefacti libræ tres & ſemis macerantur premunturq;, tres libræ cum ſemiſſe ſpiſſati olei aſſumuntur: mille lilia deceptis foliis, in latum, non tamen profundum labellum demittuntur: iniectum oleum manibus melle perunctis agitatur: die noctuq; conquieſcunt, & in pyxidem matutinis exprimuntur, quod deflues oleum, protinus ab aqua, quæ ſimul expreſſa fuerat, colo incerni oportet: non enim, vt roſaceum moram tolerat; nam concalfactum feruet, & computreſcit; quare ſæpius decapulandum. Vaſa melle illinenda, tenuis ſal inſpergendus, & ſi qua ſordes vaſis faucibus hæſit, eximenda. Odoramentis iam expreſſis ex quaſillo in labellum transfuſis, ruſum olei prius odoribus imbuendi, quod primum pondus æquet, & cardamomi tuſi drachmæ decem coniiciuntur. Hæc manibus ſcitè preſſa, interiecta breui mora exprimuntur: quod profluit, repurgatur. Tertiò eadem infunduntur, adiecto cardamomo, & ſale, & manibus melle madefactis. Longè optimum erit, quod prius exprimitur: ſecundum, quod ſequitur: tertium locum ſibi vendicat, quod nouiſſimum prodit. Denuo in mille lilia euulſis foliis expreſſum primò oleum infunditur: tum eadem ratione proſequendum, idemq; faciendum, vt prius: addito cardamomo, dein expreſſo, fac eadem in ſecundo, & tertio, vt dictum eſt: & quò frequentius recentia lilia maceraueris, eò validius vnguentum efficies. Denique cum factum abunde videbitur, ſingulis compoſitionibus miſcere cõuenit mirrhæ quàm optimæ duas & ſeptuaginta drachmas, & croci decem, cardamomi quinque & ſeptuaginta. Croci verò, & cinnamomi pares portiones tunduntur, & cribratæ in lutram cum aqua demittuntur, expreſſumq; primò vnguentum infunditur, & paulò poſt excipiuntur vaſculis ſiccis, myrrha, aut gummi antea perfuſis, & croco, & melle, & aqua madefactis. Eadem fiunt in altera, aut tertia expreſſione. Aliqui ſimplex ex balanino, aliove oleo, & liliis componunt. Optimum eſſe conſtat in Phœnice, mox Ægypto factum, ſed cumprimis laudatur, quod lilia redolet. Excalfacit, emollit: vuluæ præcluſiones, & collectiones aperit: vtiliſſimum ad muliebria mala: vlcera in capite manantia, feruidas eruptiones, varos, furfureſq; emendat: vibices, cicatriceſq; celerrimè ad colorem reducit, ita vt ſæpe fallant. In ſumma extenuat: potum, bilem per aluum extrahit, vrinam ciet: ſed ſtomacho alienum eſt, & nauſeam parit.

Antiq. cod. legi. ψύξεων καὶ φλεγμονῶν. i. frigiditates & inflammationes.

*HOc, quod ex liliis temperatur: illud item, quod ex ocimo, abrotono, anethoq; conficitur oleum, cùm vniuſcuiuſq; parandi ratio per ſe clara ſit, ideo noſtris explanationibus non indigent. Cæterùm Suſini compoſitio mihi quidem pluribus in locis librariorum potius, quàm auctoris incuria deprauata videtur.*

## Ναρκίσσινον. NARCISSINVM. CAP. LII.

NArciſſini ſpiſſamenta ita fiunt. Sex libræ aſpalathi cum ſextante tunduntur: olei eloti libræ ſeptuaginta cum vnciis quinque aſſumuntur. Aſpalathus aqua madefactus in tertia olei parte coquitur: quo exempto, calamus quinque libris & beſſe adiicitur, cum myrrhæ gleba contunditur, cribrataque ac vino veteri odorato immiſta, decoquitur: ſimulac autem cum iis efferbuerit, eximitur: refrigeratum oleum excolatur, cuius portio in labellum mittitur, flores narciſſi quàm plurimi coniiciuntur, qui bidui ſpatio (vt in ſuſino dictum eſt) permoti exprimuntur. Oleum ſubinde decapulandum, ſiquidem celerrimè putredinem ſentit. Valet hoc ad emolliendas vuluæ duritias, præcluſioneſque: ſed capitis dolores facit.

*NArciſſinum, quod ego ſciam, non paratur noſtratibus myropolis, quod mirum non eſt, cum id etiam Plinii ætate parari deſiiſſet, vt ipſe libro* XIII. *cap. primo memoriæ prodidit.*

## Κρόκινον. CROCINVM. CAP. LIII.

CVm Crocinum componere voles, prius olei, vt in ſuſino diximus, ſpiſſamenta facies, eiſdem ponderibus, & menſuris: cuius olei libras tres & ſemiſſem, croci vnciam vnam aſſumes: identidem quotidie moueto, & ſexta die, quàm hoc aſſiduò peregeris, oleum à croco colis incernito, eidem croco parem olei modum adiicito: moue triduo, dein contuſæ myrrhæ, atque cribratæ drachmas quadraginta permiſceto, & in pila agitatum recondito. Aliqui oleo aromatibus ad cyprinum imbuto in crocini compoſitione vtuntur. Optimum eſt, quod abunde crocum ſpirat, in medendi vſu expetitum. Proximum quod myrrham

myrrham refert. Calfacit, ſomnum allicit, quare perſæpe phreneticis ſubuenit perfuſum, aut naribus admotum, aut illitum: pus mouet, vlcera purgat: contra vuluæ duritias, atq; præcluſiones, & vlcera, quæ cacoethe vocantur, prodeſt cum croco, cera, medulla, duplicato olei pondere: cõcoquit enim, emollit, humectat, & permulcet, ad oculorum glaucitates ex aqua illinitur: huic autem proportione reſpõdent butyrinum, onychinum, & ſtyracinum: quæ etſi nominibus diſtant, viribus, & compoſitione cognata ſunt.

### Κύπρινον. CYPRINVM. CAP. LIIII.

OLei omphacini eloti pars vna, aquæ cœleſtis tantundem cum ſemiſſe, cuius vna parte oleum diluitur, altera adiiciendis odoramentis admiſcetur. Dein aſſumptis aſpalathi libris quinque & ſemiſſe, calami libris ſex & ſemiſſe, mirrhæ libra vna, cardamomi libris tribus & dodrante, olei libris nouem, & vaciis quinq; aſpalathus tuſus, & aqua affuſus decoquitur in oleo, donec conferueſcat: myrrha autem vino vetere odorifero ſubacta, contuſusq; ſimul calamus, digeruntur in offulas, quæ exempto aſpalatho immittuntur, & vbi efferbuerint, ſublato aheno oleum percolatur. Cardamomum tuſum reliqua aqua aſperſum infunditur, ſpatha agitatur, nulla, dum refrixerit, interpellatione. Poſt hæc colato oleo in viginti octo libras olei, floris liguſtri, quod cyprum vocant, ſex & quadraginta libræ cum beſſe inſtillantur, quæ ſufficienter madefactæ per ſportulam exprimuntur. Quod ſi copioſius deſideretur, idem recentium florum pondus iniectum ſimili modo prematur: & iterum aut tertió, ſi quis velit, madefacere poterit, & ita reddetur efficacius. Eligi oportet bonum, quod cum odoris ſuauitate nares feriat: aliqui cinnamomum addunt. Calfacit, emollit: ora venarum adaperit: vuluæ, neruorumq; vitiis conuenit, pleuriticis, fractisq;, per ſe, vel cerato immiſtum: malagmatis imponi ſolet, quæ opiſthotonicis, angina laborantibus, inſlammationiq; inguinum opitulantur: item in acopa adiicitur.

### Ἴρινον. IRINVM. CAP. LV.

SPathæ quàm minutiſſimè contuſæ ſex libras cum beſſe, in tribus & ſeptuaginta libris & quincunce olei, æreo vaſe, additis decem aquæ heminis incoquito, quoad odorem acceperit: poſtea in capulam melle oblitam colato: ex eo aromatibus imbuto oleo, irinum primò temperatur, iride ex oleo inſpiſſato macerata, vt ſcripſimus. Sed alia eſt componendi ratio. In olei ſeptuaginta libris & quincunce, xylobalſami (vt dictum eſt) contuſi libras quinq; & ſextantem excoquito: poſtea detracto xylobalſamo, tuſi odorati calami nouem libras & ſextantem adiicito, & myrrhæ glebam vetere vino odorato perfuſam, & in olei ita odoribus imbuti quatuordecim libris, totidem tuſæ iridis, binis diebus ac noctibus madefacito ſtrenue, & vehementer diſtringito. Quód ſi vis validius fieri, par pondus iterum ac tertiò ſimiliter maceratum exprimito. Longè optimum eſt, quod ſolam irim olet, quale illud eſt, quod in Perga Pamphiliæ, & Elide Achaiæ componitur. Vim habet calfactoriam, atq; emollientem, cruſtas adimit, ſordida vlcera & putrida purgat: confert fœminis vuluæ cauſariis: item inflammationibus eiuſdem, atque præcluſionibus: partus eiicit, hæmorrhoidas recludit: contra aurium ſonitus ex aceto, ruta, & amaris amygdalis, prodeſt: diuturnis deſtillationibus, naribus illitum, & contra graueolentia earum vlcera, quas ozænas vocant, auxiliatur: aluum purgat cyathus epotus: facit ad ilei cruciatus: vrinam mouet: difficiles vomitiones adiuuat, perunctis eo digitis & immiſſis, vel iis, quæ ad vomitum ciendum induuntur: anginæ etiam illinitur, aut ex aqua mulſa gargarizatur: item contra arteriæ ſcabritiam: datur etiam iis, qui cicutam, coriandrum, aut venena fungorum hauſerunt.

Irini conſideratio.

*QVanquam Irini præparatio (eſt enim per ſe clara ſatis) non magis, quàm Crocini, & Liguſtrini explanari expoſtulat: illud tamen ſilentio minimè prætereundum videtur, quòd non Iridis flores, ſed radices, cum hæ odore fragrent, illi vero malè oleant, in hoc olei ſpiſſamento imponi debent. Quod etſi Dioſcorides non explicauerit, cùm tamen vnguenta odorum iucunditate commendentur, de Iridis radice, non de floribus intellexiſſe Dioſcoridem exiſtimandum: quippe quæ & ſuauiter oleant, & ad vnguentorum ſpiſſamenta floribus præſtantiores habeantur.*

### Γλεύκινον. GLEVCINVM. CAP. LVI.

GLeucinum abſolutè conſtat omphacino oleo, iunco odorato, calamo, Celtica nardo, ſpatha, aſpalatho, ſertula campana, coſto, & muſto: circundatis interim vinaceis vaſi, quod aromata, vinum, & oleũ conceperat. Tricenis dieb. bis in die mouetur, poſtea expreſſum oleũ reconditur. Calfacit, emollit, remittit: horroribus, & neruorũ vuluæq; vitiis auxiliatur: omni acopo iuuantius, quippe q emolliat.

Gleucini conſideratio.

*MInimè quidem mirari licet, quòd Gleucini parandi rationem ſimplicem appellauerit Dioſcorides. Siquidem aliæ habentur vnguentorum compoſitiones, quæ multò pluribus ſimplicibus conſtant odoramentis, ſicuti Columella libr. XIII. capite I. apertè indicat. Cæterum non poteſt Gleucinum (ſi rectè admiſta ſimplicia conſiderentur) non vehementer excalfacere: tametſi Plinius lib. XXIII. cap. IIII. id tum adſtringere, tum refrigerare ſcripſerit. Quod euidenti argumento eſt, aut Plinij gleucinum, ſiue muſteum, ab hoc Dioſcoridis, & Columellæ diuerſum eſſe, aut Plinium non exactè illius temperamentum perpendiſſe. Verùm cùm is lib. XV. cap. VII. ſcribat, gleucino muſtum incoqui in vapore lento, non vt alia admoto igne, ſed circundatis vinaceis per ſe calentibus, videtur non parum cum Dioſcoride conuenire. Quamobrem crediderim potius Plinium, cùm dixit gleucinum refrigerare, lapſum fuiſſe, quàm ſecus. Nam etſi oleum omphacinum, cum quo muſteum conficitur, tantum (vt Galenus inquit) frigiditatis, quantum adſtrictionis habeat: cùm tamen ſit aliarum qualitatum ſuſceptiuum, fieri quidem non poteſt, quin admiſtis calidis odoramentis, puta cypero, calamo odorato, Celtica nardo, dactylorum operimento, aſpalatho, meliloto, & coſto, valde calidum euadat. Quippe eadem ratione aqua, cùm frigida admodum ſit, temperamentum permutat (vt Galenus aſſeruit, & experimento comprobatur) cùm calida in ea macerantur medicamenta: quandoquidem & ipſa facilè alias recipit qualitates.*

Plinii lapſus.

Ἀμαρακ-

## Ἀμαράκινον. AMARACINVM. CAP. LVII.

AMaracinum longè optimum in Cyzico fieri ſolet ex omphacino oleo, & balanino: ſpiſſamentis è xylobalſamo, iunco odorato, & calamo factis: conditiſq; amaraci, coſti, amomi, nardi, caſſiæ, carpobalſami, & mirrhæ odoribus: aliqui, quò pretioſius fiat, cinnamomum addunt. Mel autem, & vinum aſſumuntur: hoc in vaſorum illitionem, illud ad cogendas tuſorum aromatum offas. Amaracinum calfacit, ſoporem mouet, venarum ſpiracula aperit, emollit, feruorem excitat, vrinam cit: putrilaginibus, ac fiſtulis perquàm vtile: necnon humentibus hernijs, poſtquam medica manus operam ſuam impenderit: cruſtas, & tetra vlcera, quæ theriomata vocant, rumpit: difficili vrinæ illata ſede, & eius inflammationibus auxiliatur: hæmorrhoidas illitu ſoluit; vuluæ ſubditum menſtruos curſus euocat: duritias, ac vuluæ tumores diſcutit: vulneratis neruis, & muſculis cõfert, laneo centunculo modice madefactũ & impoſitum.

Amaracini conſideratio.

*SVperius in ſampſuchini commentario abunde de Amaracino à nobis dictum eſt, quo fit, vt hic de eo plura ſcribere non ſit opus. Huius meminit Galenus libro primo de antidotis, dum hedychroum explicat, quod theriacæ admiſcetur, vbi diffuſius de eo agens ſcribit, quod ſui temporis vnguentarij amaraci loco, ex quo in Cyzico antiquitus parabatur, Marum imponebant, vt maiorem expiraret odorem. Cæterùm ſe iuſsiſſe ait, vt legitimum experiretur amaracinum, id ſibi ex ſolo amaraco præparari, quod etſi odoris fragrantia videretur inferius, non tamen viribus imbecillius fuiſſe teſtatur.*

## Μεγάλειον. MEGALINVM. CAP. LVIII.

FActitabatur olim Megalinum, ſed nunc compoſitio exoleuit, & prorſus obliterata eſt, cuius ad hiſtoriæ complementũ meminiſſe non fuit alienum. Miſtura cum amaracino eadem erat, ſed reſina exuperabat, hac tantùm ratione differens. Quare leuiter emollit. Reſina vnguentis, neq; tutelæ, neq; voluptatis gratia adijcitur, ſed coloris, craſſamentiq; cauſa. Ea tantiſper coquitur, dum deſinat olere: cuius coquendæ ratio declarabitur, cum de reſina differemus.

## Ἡδύχρουν. HEDYCHROVM. CAP. LIX.

QVod Hedychroon vocant, in Co fieri ſolet: eiſdem præditum viribus, & miſturis, quibus amaracinum, ſed ſuauius ſpirat.

Hedychroi compoſitio ex Galeno.

*HEdychroi compoſitionis meminit Galenus libro primo de antidotis, cùm omnia, quæ continet, odoramenta vino ſubacta Andromachi theriacæ recipiat. Cæterùm etſi hedychroi parandi rationes plures dicat reperiri, vnam tamen elegit, quam hoc modo deſcripſit. Hedychroum habet mari drachmas duas: aſari, amaraci, aſpalathi, ſchœni, calami odorati, phu pontici totidem: xylobalſami verò, & opobalſami, cinnamomi, coſti, ſingulorũ drachmas tres: myrrhæ drachmas ſex, totidem folij malabathrini, nardi Indicæ, croci, caſsiæ: duplo autem plus amomi, aduectæ verò ex Chio abundante plurimis fontibus inſula, maſtiches drachmam vnam: vino falerno omnia excipe. Cum igitur hæc miſcueris, fac trochiſcos ſimiles theriacis, & ſcillinis, quos exiccabis eo modo, quo diximus. Productus fuit Galenus, vt hunc parandi modum deſcriberet, tum quod Andromachus hedychroum (vt inquit) nullibi literis mandauerit: tum etiam vt rei medicæ imperitos doceret, quidnam eſſet hedychroum in theriaca præparatione, ne in eorum errorem caderent, in quem ſua ætate medicum quendam Romæ lapſum fuiſſe commemorat: qui compoſiturus antidotum, quærebat apud myropolas Hedychroum, exiſtimans eſſe herbam, aut radicem, aut quodpiam ſimplex medicamẽtum, id quod etiam hac noſtra tempeſtate quàm plurimis eueniſſe comperimus. Auicenna, & cæteri Arabicæ familiæ ſcriptores in ſua theriacæ compoſitione hedychroum trochiſcos Alindaracaron appellauere: tradentes varias eorum compoſitiones, in ſimplicibus medicamentis, pondere, & menſuris à Galeni doctrina plurimùm differentes. Quare mirari non licet, ſi iamdiu legitima Theriacæ compoſitio infeliciter ſucceſſerit, cum & ab Arabibus, & à myropolis, adulterinis medicamentis fuerit deprauata.*

Alindaracaron Auicen. Theriacæ deprauatio.

## Μετώπιον. METOPIVM. CAP. LX.

FIt in Ægypto vnguentum, quod Metopion patrio nomine appellatur, propter galbani miſtionem: nam lignum, in quo galbanum enaſcitur, metopion vocant. Conſtat amygdalis amaris, omphacino oleo, cardamomo, odorato iunco, calamo, melle, vino, myrrha, balſami ſemine, galbano, & reſina. Probatur pingue, graui odore, quod magis cardamomum, & mirrham, quàm galbanum reſipiat. Calfacit vehementer, & adurit, atq; extrahit: ora venarum aperit: vlcera purgat, extrahitq;: ad præciſos neruos, & muſculos, ad hernias humore contractas, cum erodentibus medicamentis efficax eſt: ceratis, & malagmatis inſeritur: horroribus, conuulſiſque, præſertim quibus ceruix in ſcapulas deiecta, & retrorſum contracta eſt, vtile habetur: ſudores ciet, vuluæ ſpiracula recludit, & eiuſdem duritias laxat. In ſumma molliendi naturam habet.

## Μενδήσιον. MENDESIVM. CAP. LXI.

MEndeſium conſtat balanino oleo, mirrha, caſſia, & reſina. Aliqui tamen poſt ſingulorum pondera, cinnamomi exiguum addunt, nullo compendio: nam quæ ſimul excocta non fuere, vim nullam exhibent. Similem metopio vim obtinet, ſed inferiorem multò.

## Στακτή. STACTE. CAP. LXII.

λίαν, valde non leg. Ori.

STacte vocatur pinguitudo recentis myrrhæ cum exigua aqua tuſæ, & organo expreſſæ. Ea perquam odorata ac pretioſa eſt, atq; vnguentum per ſe facit, quòd Stacte nominatur. Maximè probatur, quæ nullam

nullam olei miſtionem admiſit, cuius minima portio compos eſt virium plurimarum. Vim calfactoriam, myrrhæ, & calidis vnguentis reſpondentem habet.

*STacte Serapioni, quemadmodum & reliquis Mauritanis, pariterq́; officinis, Styrax liquidus appellatur, cuius copia non ſolùm Venetiis vbique venalis habetur, ſed & in omnib. ferè officinis reperitur, quæ medicamentorum componendorum artem exercent. Quòd autem Stacte myrrhæ ſit liquidus vocatus Styrax facilè probat Serapio, quippe qui capite de Styrace calamita, liquidum ſtyracem ex myrrha primum aqua conſperſa, ac deinde expreſſa, fieri tradidit: qua in re Dioſcoridē ad vnguem imitatur. Cui quidem ſententiæ illud adſtipulatur, quòd liquidus ſtyrax (de legitimo ſanè loquor) ſit perquàm odoratus, & guſtui non obſcurè amarus. Porrò animaduertendum eſt, quòd hoc æuo ſyncerum haud facilè inuenias, vt fermè euenit cùm cæteris medicamentis, quæ ex Alexandria Aegypti, vel Syria ad nos conuehuntur. Siquidem cùm omnia hæc per Mauritanorum, Turcarum, Iudæorumq́; manus tranſeant, qui nobis Chriſticolis ſemper dolos, fraudeſq́; moliuntur, Diis ſacrificium facere ſibi perſuadent, cùm nos aliqua in re fallere poſſunt. Cæterùm, vt redeam, vnde diuerteram, mea quidem fert opinio, ſi ſynceram ſtacten nanciſci poſſemus, non alienum fore, ipſam in myrrhæ locum ſubſtituere. Sed certè perquàm difficile erit legitimam inueniri, niſi fortè vera ſtacte ſit liquor ille, de quo ſuperius in balſami commentatione diximus.*

Stactes conſideratio.

Styrax liquidus.

Medicam. peregrina cur adulterentur.

Stacte à ſtillando dicta: licet ſint qui non tantum Myrrhæ propriam vocem eſſe velint, ſed aliorum etiam liquorum ex arborum truncis diſtillantium, idque ex Plinio lib. 17. cap. 11. colligentes: attamen cum Galenus ſtacten myrrhæ, Aegineta ſtillatitiam myrrham, & Plinius lib. 12. cap. 16. Myrrhæ arbores ſponte prinſquam incidantur ſtacten fundere ſcribat, ſtacten Myrrhæ liquorem dicimus, qui in Mecha Arabiæ ex myrrha exprimitur: quod tamen à Styrace diuerſum, cum ſtyracis & Myrrhæ arbores ſint diuerſæ: huius lachryma in aqua reſoluitur: illius verò in oleo: ſtacte magno, ſtyrax paruo emitur: item ſtacte amara, ſtyrax non item. Cæſalpinus Aſam dulcem, Stacten credidit: Athenæus vult appellatione vnguenti Ægyptiaci, ſtacten venire.

## Κινναμώμινον. CINNAMOMINVM. CAP. LXIII.

CINNAMOMINVM conſit è balanino oleo, & xylobalſami, calami, iunci odorati ſpiſſamentis: atque cinnamomi, & ſeminis balſamini ſuauitate conditur, quadruplaque myrrhę ad cinnamomū portione: mel ad cogenda omnia adiicitur. a Laudatur non acre, molli odore, planè myrrham redolēs, craſſum, odoratum, guſtu perquàm amaro. Idnon à reſina, ſed myrrha craſſitudinem obtinuit: reſina enim neque amaritudinem præbet, neque vllam odoris gratiam adiicit. Vim habet admodum acrem, amaram, & calfacientem: Itaque ora venarum aperit, calfacit, diſcutit, diffundit: humores & ſpiritus attrahit, caput aggrauat: contra vuluæ vitia cum duplo oleo, cera, & medulla efficax eſt. Ita enim ferè multum acrimoniæ exoleſcit, & quædam emolliendi vis contrahitur: alioqui adurit, & præ omnibus craſſis vnguentis indurat. Facit mirum in modum ad fiſtulas, & vlcera, quæ putredinis vitium ſenſerunt: item ad hernias humidiores, carbunculos, gangrænaſq; cum cardamomo: quin & ad febrium horrores, & tremores: aduerſus ſerpentium morſus illinitur: ſcorpionum, & phalangiorum ictibus, cum tritis groſsis imponitur.

a Drag. οὐ δὲ κινάμον ἢ τὸ δριμύ. i. probatur quod acre eſt.

## Νάρδινον. NARDINVM. CAP. LXIIII.

RATIO Nardini faciundi euariat: nam aut malabathrino folio, aut ſine eo fit: plerunque autem balanino oleo, aut omphacino. Iuncus odoratus ſpiſſamenti gratia adiicitur: ſicuti propter odoris ſuauitatem, coſtus, amomum, nardum, myrrha, balſamum. Laudatur tenue, non acre, nardi aridæ, aut amomi odorem referens. Vis ei extenuans, acris: expurgat, calfacit, abſtergit humores, rarefacit. Hoc liquidum eſt, nec habet ſtrigmenti craſſitudinem, niſi reſinam recipiat. Fit etiam ſimplex ex omphacino oleo, iunco, calamo, coſto, & nardo.

## Μαλαβάθρινον. MALABATHRINVM. CAP. LXV.

MALABATHRINVM ſpiſſamenta nardi habet: inſuper myrrhæ pluſculum additur. Qua de cauſa calfacit, crocino, aut amaracino viribus reſpondens.

## Ἰάσμινον. IASMINVM CAP. LXVI.

APVD Perſas fit, quod Iaſminum cognominatur, ex albis floribus violæ, quorum ſextans in Italicum ſextarium ſeſamini olei demittitur, violis, vt in lilino diximus, viciſſim permutatis. Apud Perſas inter epulandum vſurpatur odoris cauſa. Quinetiam toti corpori conuenit, præſertim cùm in balnea deſcenſum eſt. Sed iis opitulatur corporibus, quæ calfactionem, laxationemque deſiderant: grauius tamen ſpirat, quàm vt libenter à pleriſque recipiatur.

Ex meis Dra. & Car. Exemplaribus nullū habet hoc caput.

*IAſminum vnguentum non eo quidem ſilentio prætereundum duximus, quo aliqua in præcedētibus à nobis omiſſa ſunt: in illis enim nihil ſanè, in hoc verò aliquid nobis ſeſe offert declarandum. Itaq́; primùm ſcire conuenit, quòd Iaſme vocabulum apud Græcos, aliorum etiam teſtimonio, nil aliud ſignificat, quàm violaceum. Et certè cùm ſcribat Dioſcorides, vnguentum hoc fieri ἐκ τῶν ἀνθῶν τῶν λευκῶν τοῦ ἴου, hoc eſt verbum verbo reddendo, ex floribus albis violæ, id Violaceum meritò appellari debet. Sunt tamen è recentioribus, qui pro certo ſibi perſuadeant, vocabulorum fortaſſe vicinitate decepti, illud ex floribus iis perquàm odoratus fieri, quos in Italia Gelſomini vulgò appellamus. Quorum opinioni non parum ſuffragantur tum Hermolaus Barbarus, tum Marcellus Florentinus. Qui præcipuè, vt ſuam comprobet ſententiam, veteres aſſerit, præſertimq́; Dioſcoridem, inter leucoii genera noſtratem gelſiminum comprehendiſſe, illudq́; ſpeciatim gelſiminum intellexiſſe,*

Iaſmini conſideratio.

Hermolai, & Marcelli opinio improbata.

*lexiſſe, quod floribus cæruleis prouenire nonnulli pro certo aſſerunt. Cuius ſententiam non modò non probandam cenſeo, ſed omnino refellendam exiſtimo: ſiquidem nullo pacto cogitandum eſt, nedum credendum, quod Dioſcorides, qui in ſimplicium hiſtoria, & in eorum declarandis ſeparandiſq; generibus, omnium diligentiſſimus fuit, adeò imprudenter nullo diſcrimine exiſtimauerit cæruleum leucoium gelſiminum eſſe: cùm id foliis viticuloſo caule, radicibus, ramis, floribus, ceteriſq; notis ab omni leucoio diſſideat. Sed hoc verum eſſe Marcello concedamus, etſi minus concedēdum ſit, quanam ratione dicet vnquam, Iaſminum vnguentum fieri ex floribus gelſimini, quod cæruleum Dioſcoridis leucoium eſſe aſſerit, ſi Dioſcorides ipſe palā prodit, Iaſminū ex albis violis temperari? Ad hæc differre Gelſiminum à leucoio abunde oſtendit Serapio, qui non modo fuit Dioſcoridis imitator, ſed etiam interpres, cum alterum ab altero diuerſis capitibus diſtinxerit, & de vtriſq; tanquam de rebus diuerſis diſſeruerit. Quinimo de gelſimino agens capite centeſimo ſeptuageſimo ſexto nullam Dioſcoridis, nec Galeni auctoritatem affert, ſed tantùm ſuæ gentis monumentis inhæret, aſſeritq; gelſiminum floribus tum albis, tum luteis, tum cæruleis reperiri, quale etiam ætate noſtra viſitur. Quod nobis maximo argumento eſſe poteſt, vt credamus, gelſiminum Dioſcoridi cæteriſq; veteribus incognitum fuiſſe. Cæterùm cur Arabes ſtirpem hāc IESEMIN appellauerint, cauſa facilè aſſignari poteſt: quòd cum gelſimini flores odoratos, albicanteſq; albæ violæ modo conſpicerent, Græcos barbaricè imitari volentes, ipſi violæ nomen indidere, quod eſt Ieſemin: tametſi vernacula eorū lingua Zabach, ſiue Sambach vocitetur. Id autem ſicut odore fragrat, ita & viribus pollet: ſiquidem Serapionis teſtimonio, excalfacit ordine ſecundo, humores diſcutit, pituitæ lentitiā ſenibus frigidis digerit, cruciatibuſq; ex pituitæ lentore prouenientibus mirificè prodeſt. Floresq; recētes, quàm ſicci lentigines & impetigines in facie abſtergunt. Paratur ex iis etiam oleū Zambachinum appellatum, quod frigidis affectibus non obſcurum affert auxilium. Hoc vnguentarii cùm amygdalino oleo parant, hominum barbis odoris gratia perfundendum: quod tamē tēperie calidis caput adeò excalfacit, vt quandoq; è naribus ſanguinē eliciat. Hallucinātur, qui falſi vocabuli ſimilitudine, Sambacinū & Sābucinū idem eſſe exiſtimāt. Inter quos errore implicatur Ioannes de Vigo chirurgus noſtri temporis nō obſcurus, capite de Sambuco in ſuo paruo de ſimplicibus libello. Non diu eſt, quòd Ieſeminum, ſiue (vt nos) Gelſiminum in Italiam allatum eſt, quamuis nūc vbiq; horti opere topiario tum albis, tum luteis, tū etiam cæruleis gelſiminis ornentur. Planta itaque eſt Gelſiminum topiariis operibus maximè expetita, non modo quòd ad veſtiendas attegias, pergulas, & vmbracula contexenda plurimū valeat, ſed quòd flores odoratiſſimos proferat. Tota viticuloſa ſarmētoſaq; eſt planta, facilè ſcandens. A radice viticulæ oriuntur flexiles, longæ, virides, ac lentæ, è quibus folia prodeunt oblōga, ſeptem vno è pediculo exeuntia, vt in lentiſco in mucronē deſinentia, mollia, & ſaturatè virentia. Flores habet in caulium ſummitate racematim prodeuntes, lilii parui effigie, odoris iucundi acutiq;, variis, vt prædiximus, coloribus, è quibus rariſſimè ſemen oritur. In aliquibus tamen locis Gelſiminum ſemen edit, lupino ſimile, quod à Doctiſſimo viro Iacobo Antonio Cortuſo Patauino mihi miſſum eſt. Amat amœnos & calidos tractus, paſſimq; habetur in hortis & viridariis. Oleum quod ex eius paratur floribus in eo inſolatis, lilino facultatibus æquiparari poteſt ad omnes frigidos dolores, excalfacit enim & laxat. Illinitur quoq; vtiliter mulieribus, ad frigidos vteri cruciatus, frigidoſq; quoſcunque neruorum, & articulorum affectus. Fit etiam iiſdem ex floribus oleum aliud ab vnguentariis tantum ad odoramenta, recentibus floribus, delibratis dulcibus amygdalis commiſtis, pluribus replicans vicibus, quouſque nuces humorem odoratum combiberint. Tunduntur deinde in lapideo mortario, & calidæ ſacculis concluſæ premuntur. Reddunt enim oleum perquàm odoratum, quod etiam in medicum vſum venit, quòd viribus iis polleat omnibus, quibus ſuum pollere ſcribit Dioſcorides. Gelſiminum, Italicè appellatur Gelſimino: Arabicè Ieſemin, & Zambach, ſiue Sambach.*

Ieſemin vnde dictum.

Ieſemini vires ex Serap.

GELSIMINVM.



Ioannis de Vigo lapſus.

Gelſemini deſcriptio.

Oleum è Iaſmino.

Nomina.

Iaſminum, quaſi violaceum, à violis quas ἴα vocant: vel Ioſme quaſi violæ odor: aut Iaſme quaſi medicatus odor. Zambach & Sambach Arabibus: quibuſdam Apiaria, quòd apes eius floribus plurimùm delectentur: an Smilax lęuis Dioſcoridis, & Smilax redolens Homero? quibuſdam Pothon album Theophraſti. I. Iaſminum album C.B. Lugd. Tab. Viola perſica, Parthica & peregrina, Hermolao: Ieſiminū Marcello: Iaſminum primum, Anguill. Iaſminum, Dod. Cord. in Dioſc. Cluſ. Iaſme & Sambac, Geſ. hort. Gelſeminum vulgatius, Lob. Gelſiminum, Caſt. Cæſ. Cam. II. Iaſminum Hiſpanicum grandiflorum C.B. Hoc ex radice, caudice recto, fungoſo, leui, nō admodum craſſo fruticat, cuius rami cubitum vel ſeſquicubitum longi, virides & tenues, cortice vna parte rugoſo veſtiti: è quibus prodeunt folia, quàm in Iaſmino albo breuiora, nigriora & rotundiora: in virgarum ſummitatibus flores, qui antequam dehiſcant ſubpurpurei apparent, aperti intus candicant, foris purpuraſcunt, ex quinis foliis compoſiti, quadruplo aliis latiores, ampliores & venoſiores, ſed rariores, odore acriori & ſuauiori: floret autūno & penè tota hyeme: Hæc à Græcis & Turcis in multis Peloponeſi locis ſtudioſè colitur: quæ primùm è Chio inſula Genuam, & inde in alia loca aduecta, nam Patauii, Lugduni, & Baſileæ in vrceis penſilibus cultam obſeruauimus: vt autem propagetur in vulgari inſeritur. Dicitur Iaſminum tertium, Anguill. Chamægelſiminum grandiflorum, Lobel. Gelſiminum Catalonicum, Cam. in Matth. Gelſiminum

**IASMINVM HISPANICVM grandeflorum.**



minum humilius primum, Cæſ. Iaſminum puniceũ, Lugd. Iaſminum candiflorum, Tab. Habetur & flore luteo, & cæruleo, quam Clematidem alteram faciunt: quædam folio capillaceo, flore rubro, quod Geleminum alterum rubrum, Cæſalp. & Quamoclit. Cam. dicitur. Habetur etiam Iaſminum Indicum Cluſ. Cam. quod rubrum Cæſalp. & Lugd. vocatur, quod potius ad Solanum, vel Mandragoram referendum videtur.

## Σμύρνα. MYRRHA. CAP. LXVII.

MYRRHA lachryma eſt arboris, quæ in Arabia gignitur, Ægyptiæ ſpinæ non diſſimilis: è cuius vulnere defluit lachryma in ſubiectas tegetes: a alia circum caudicem cõcreſcit. Dicitur ex his aliqua pediaſimos præpinguis, qua expreſſa, ſtacte emittitur. Alia gabirea pinguiſſima, læto & pingui ſolo naſcẽs: ea copioſam ſudat ſtacten. Omnium prima eſt, quæ Troglodytica appellatur, accepto cognomine à loco, in quo prouenit, ſplendens, ſubuiridis b ac mordens. Quinetiam legitur tenuis quędam, quæ à Troglodytica ſecunda eſt, bdellii modo mollis, verùm odore grauiuſcula, apricis naſcens. Alia caucalis cognominatur præter modum exoleta, nigra, & retorrida. Omnium deterrima quæ ergaſima dicitur, pingui carens, c cano ſitu obducta, acris, ad gummi imaginem vergens, & viribus eius proxima. Improbatur aminnea cognomine. Ex iis paſtilli fiunt, ſed è pinguibus pingues, & odorati: è ſiccioribus haudquaquã pingues, & inodorati. Minus odore pollet, quæ oleum non admiſit, cum in paſtillos digerebatur. Adulteratur macerato gummi aqua, in qua myrrha maduerit. Eligenda eſt recens, d fragilis, leuis, vndique concolor, quæ confracta venas vnguium modo candidas & læues oſtendat, minutis glebis, amara, acris, odorata, calfaciens: ſuperuacua, & inutilis eſt ponderoſa, coloris picei. Calfacit, cohibet, ſoporem gignit, glutinat, ſiccat, aſtringit, vuluam emollit, & præcluſam aperit: menſes & partus celeriter extrahit cum abſinthio, lupinorum cremore, vel ſucco rutæ admota: tuberculo fabæ deuoratur in vetere tuſſi, orthopnœa, in laterum pectoriſque doloribus, in alui profluuio, & dyſenteria: horrores diſcutit duabus horis ante febrium acceſſiones, fabæ magnitudine pota cũ pipere & aqua: ſubdita linguæ liquataque, ſcabritiem arteriæ expolit: obtuſam vocem expedit, ventris tineas enecat, contra grauem oris halitum manditur, & aduerſus alarum tædia cum liquido alumine illinitur: gingiuas, & dentes ſtabilit colluto cum vino, & oleo ore: vulnera capitis illitum glutinat: medetur fractis auribus, ac oſſibus nudatis, peruncta cum cochleæ carnibus: item purulentis auribus, inflammatiſque cum meconio, caſtorio, & glaucio: ad varos autem cum caſſia, & melle illinitur: impetigines ex aceto purgat: defluentes capillos cum ladano, & vino myrteo illita, firmat: diuturnas deſtillationes lenit, † illitis penna naribus: oculorum vlcera complet, albugines tollit, caliginem diſcutit, ſcabritiem læuigat. Fit è myrrha, perinde atque thure, fuligo: & vt poſtea oſtendemus, ad eadem conueniens. Bœotica myrrha diſſecta radix eſt arboris cuiuſdam in Bœotia naſcentis. Melior eſt, quæ myrrham odoris ſuauitate repræſentat. Vis ei calfactoria ineſt, emollit, diſcutitque: ſuffimentis commodiſſimè inſeritur.

a τὸ ἐπὶ τῷ στελέχει συμπηγνύμενον κάλλιον. i. alia vero quæ in caule concreſcit melior eſt leg. Orib.

b Non leg. Orib.

c Meum ψαφαρά. i. ſquallore fragilis, alii ψαθυρός.

d ψαθυρά friabilis.

*MYrrha, quæ ex Alexandria Aegypti hac ætate ad nos affertur, admodum ſanè ab ea differt, quam inter præſtantiſſimas Myrrhæ ſpecies recenſuit Dioſcorides. Quippe vniuerſa ferè myrrha, quæ in officinarum vſu habetur, iis omnibus qualitatibus, ac notis deſtituitur, quibus optima commendatur. Namque ea (vt videre eſt) minimè vireſcit, pinguis non eſt, non odorata, non vndique concolor, nec confracta venas vnguium figura leues intus oſtendit, nec ſapore acri deprehenditur, tametſi guſtui amaritudinem relinquat. Verùm ſi fortaſſe cuipiam videretur & hæc inter Myrrhæ ſpecies eſſe recipienda (quod tamen non ſatis compertum habeo) aut cacalim, aut ergaſimam, eſſe crediderim, aut potius quam Plinius ex India deferri ait, cum hæ cæteris deteriores habeantur, certoq́ue ſciamus ex India in Alexandriam myrrham importari. Nam ea, quæ plurima ad nos affertur, non modò ſicca, nigraq́ue eſt, ſed etiam retorrida, macilenta, & cano quodam ſitu obducta: & quanquam inter huiuſcemodi globulos aliquod quandoque reperiatur fragmentum, quod & clarum ſit, & pellucens, confractum tamen diuerſicolor apparet. Ecquid magis? nec guſtui inſigniter amarum, nec myrrhæ odore præditum ſentitur. Quo fit, vt credere liceat, eiuſmodi Myrrham aut è deterioribus eſſe, aut gummi alicuius, aliarumq́ue miſtionum adulterio minimè vacare: hac enim impoſtura (vt Dioſcorides inquit) myrrha adulterari ſolet: ſed hæc ita de illa cõiicimus, quæ paſſim vulgaris habetur. Cæterùm electam Myrrham iam ad nos aduehi ſcimus, quæ & legitima, & probatiſſima eſſe cenſetur: verùm ea hactenus tam rara eſt, vt non niſi ad oſtentationem aſſeruetur, & ad aliarum dignoſcendarum regulam. Habebatur myrrha Galeni tempore in opocalpaſum, quod calpaſi lethalis, venenoſaq́ue eſt lachryma, conuerſa, vt Caſſia in cinnamomum, & Galbanum in Sagapenum. Idcirco libro primo de antidotis, Opocalpaſum (inquit) exitiale eſt, multoſq́ue nos forte quadam vidimus noſtræ ætatis decurſu mori, quòd inſcii myrrham, cui opocalpaſum admiſtum erat, aſſumpſiſſent. De induſtria namque nonnulli eorum, qui antidotos præparant, vt laudatiſſimã imponebant, eo quod viderent collyriis inditam optimum eſſe medicamentum. Quippe quæ pus citra mordicationem diſcutiat: & interdum in-*

Myrrhæ conſideratio.

*cipientem oculorum ſuffuſionem ſubſtantia tenuem: ſiue autem in emplaſtrum, ſiue in ceratum, ſiue in aliquod digeſtiuum medicamentum, quod extrinſecus imponitur, huiuſmodi myrrham inicias, vim ipſius augebis: at intra corpus aſſumptum lethale eſt medicamentum. Hæc igitur fuſius dicta ſunt, tum quòd orationis ſeries ita expoſtularet, tum etiam quia hæc ſpeculari non eſt inutile: hactenus Galenus. Adhibenda itaque diligentia eſt, ne & nos Myrrham quandoque opocalpaſo adulteratam emamus.*

Braſauoli opinio improbata, volentis Myrrham offic. eſſe Bdellium.

*Ad hæc Braſauolo Ferrarienſi animus inclinare videtur, vt exiſtimet Myrrham officinis vulgarem, bdellium eſſe. Cui haudquaquam aſſentiendum putauerim: ſiquidem myrrha hæc pellucens adeò non eſt, nec taurino glutino ſimilis, vt bdellium eſſe tradidit Dioſcorides. Et licet quædam noſtratis myrrhæ fruſta quandoque translucida reperiantur, ſunt tamen potius hæc (vt dictum eſt) gummi adulteria, quàm myrrha, vel bdellium: nempe guſtu maleficium deregitur. Præterea bdellium incenſum (Dioſcoridis teſtimonio) odorem vnguibus odoratis ſimilem ſpirat, quod in noſtrate myrrha nunquam, facto periculo, ſum conſecutus. Huic etiam alia accedit ratio, quæ magis ac magis Braſauoli animum immutare poterit: quod ſcilicet bdellium diu digitis ductum, tractatumq; facilè renteſcat, & confractum pingue ſpectetur: myrrha verò, quæ officinis venditur, digitorum attritu conteritur, & ſi frangatur perquàm aridã ſeſe offert. Cæterùm improbauit Dioſcorides, omniumq; Myrrhæ ſpecierum deterrimam indicauit, quæ aliquibus minæa, aliis aminnea vocatur: quam cùm Galenus probauerit libro primo de antidotis, omnibuſq; Troglodyticis prætulerit, factum eſt, vt exiſtimauerint quidam, in hoc loco Dioſcoridis codici mendam ſubeſſe. Sed cum in Dioſcoride Græco legatur aminnea, & in Galeno minæa, ego potius crediderim, eos non idem myrrhæ genus intellexiſſe.*

Myrrhæ hiſt. ex Plinio.

*Plinius lib. 12. cap. 15. myrrhæ arboris faciem diligenter expreſſit, his verbis. Myrrham in iiſdem ſyluis, vbi & thus, permiſtam arborem naſci tradidere aliqui: plures ſeparatim, quippe multis in locis Arabiæ gignitur. Conuehitur & ex ſyluis laudata, petuntq; eam etiam à Troglodytis Sabæi tranſitu maris. Satiua quoque prouenit multum ſyluestri prælata. Gaudet raſtris, & ablaqueationibus: melior radice refrigerata. Arbori altitudo ad quinque cubita, nec ſine ſpina, caudice duro, & intorto, craſſiore quàm thuris, & ab radice etiam, quàm aliqua ſui parte: corticem læuem, ſimilemq; vnedoni: ſcabrum alii ſpinoſumq; dixere: folium oliuæ, verùm criſpius, & aculeatum: iuba oluſatri. Aliqui ſimilem iunipero, ſcabriorem tantùm, ſpiniſq; horridam, folio rotundiore, ſed ſapore iuniperi. Necnon fuere qui è thuris arbore vtrumque naſci mentirentur. Inciduntur bis & ipſæ thuris modo, iiſdemq; temporibus, ſed à radice vſque ad ramos, qui valent. Sudant autem ſponte priuſquàm incidantur, ſtacten dictam, cui nulla præfertur. Ab hac ſatiua, & in ſylueſtri quoque melior æſtiua. Non dant ex myrrha portiones Deo, quoniam & apud alios naſcitur. Et ſequenti capite inquit. Adulteratur myrrha lentiſci glebis, & gummi: item cucumeris ſucco amaritudinis cauſa, ſicut ponderis argenti ſpuma. Reliqua vitia deprehenduntur ſapore gummi dente lenteſcentis. Facillimè autem adulteratur Indica myrrha, quæ ibi de quadam ſpina colligitur. Hoc ſolùm peius India affert, facili diſtinctione, tantò deterior eſt: hæc Plinius. Quo fit, vt facilè crediderim noſtri vſus myrrham Indicam eſſe: namque per mare rubrum, & inde per Carouanas (vt dicunt) Alexandriam importatur.*

*Myrrhæ quoque hiſtoriam non iniucundè ſcripſit Theophraſtus lib. 9. ca. 4. de plantarum hiſtoria, ſic inquiens. Gignitur thus & myrrha regione Arabum media circa Saba, & Adramytta, & Citibana, & Mamali: & exeunt thuris, myrrhæq; arbores aliæ ſuper montem, aliæ in pede mõtis culturis propriis: quamobrem aliæ coluntur, aliæ vitam agunt incultæ. Montem iſtum præaltum affirmant, & ningi ſolitum: amnes quoque de eo in plana fluere.*

Myrrhæ hiſt. ex Theophr.

*Myrrhæ arborem thure altitudine minorem, fruticoſioremq; narrant: caudice duro, contortoq; iuxta terram craſſioriq; ſura hominis, cortice læui adrachnæ ſimili. Alii verò, qui ſe vidiſſe affirmant, de magnitudine ferè conſentiunt: neutram earum arborum magnam referunt, & minorem myrrhæ humilioremq;. Sed thuris folium laurinum, læueq;: myrrhæ aculeatum, non læue, ulmeo ſimile, criſpum tamen, extremò ſpina horridulum, ilignei modo. Iidem ea nauigatione, qua ex ſinu heroum vehementer egreſſos ſeſe aquam in monte quæſiſſe dixere, atque ita vidiſſe has arbores, & lectionem notaſſe hoc modo ambarum: & caudices, & ramos inciſos quidem, ſed alios veluti ſecuri percuſſos videri, alios tenuiores inciſuras habere: & lachrymam aliam decidere, aliam arbori inhærere: nonnuſquam etiam ſubiectas tegetes ex palmis contextas, alibi ſolum tantummodo circumpauimentatum. Montem autem vniuerſum Sabæis diuiſum dixere: hos enim locis illius dominos eſſe, iuſtitiaq; mutua degere, quamobrem nullum ſuas arbores cuſtodire: vnde & thus, myrrhamq; ſeſe largè ad naues ſolitudine deportaſſe narrarunt. Illud quoque ſe audiuiſſe dixere, myrrham, thuſq; collectum vndique ad Solis delubrum conuehi: quod Sabæorum eſſe ſanctiſſimum inter omnia regionis illius, cuſtodeſq; Arabes armatos habere, quibus ſingulos ſuum thus aceruatum, & myrrham eodem modo relinquere, poſita ſuper aceruum tabella, literis ſignificante numerum menſurarum, & pretium, quod pro ſingulis menſuris ponendum ſit: mercatores verò, qui venerint, tabellas aduertere, eiuſq; quod placuerit, acta menſura pretium in eodem ponere loco, vnde merces acceperint: ſacerdotem deinde venire, parteq; tertia pretii Deo accepta, reliquum ibidem relinquere: idque ſeruari tutiſſimè dominis, donec acceptũ venerint. Alii myrrhæ arborem terebintho ſimilẽ reddidere, ſed ſcabriorem, ſpinoſioremq;: folium paulò rotundius, guſtatu proximum terebintho: earum quoque veteres præſtantiores haberi. Naſci verò hanc, & thus in eodem loco terra ſubargilla, & ſabuloſa: & aquas fonte fluentes raras admodum comperiri. Hæc ergo illis repugnant, videlicet ningi, & imbribus perlui, & amnibus locum illum exhilarari. Sed hi quidem altera quoque longè maiore ignorantia laborarunt: thus enim & myrrham naſci ex eadem arbore putauerunt. Quamobrem veriſimilius ipſi narrarunt, quos ex heroum oppido profectos naui retulimus. Myrrhæ aliud ſtillatitium, aliud fictitium conſtat. Probatur melior guſtu, eiuſq; norma concolorem accipiunt: hactenus Theophraſtus.*

Myrrhæ vires in febri.

*Myrrhæ drachma ex vino Cretico calido pota, hora vna ante paroxyſmum datur vtiliter quartanariis, ſed ſudare eos in lecto ſtatim oportet, tribus replicatis potionibus, in ipſis acceſſionibus. Hoc medicamento ego ipſe curatus ſum. Valet quoque ad idem in Catapotiis cum Theriaca conformatis, magnitudine ciceris. Horum ſi vnum quotidie voretur, hora vna ante paroxyſmum, quartanarii bene habebunt. Myrrha ponitur in Antidotis, quæ ad venena, venenoſorum animalium ictus, & aduerſus peſtilentiam parantur.*

Ol. Myrrhæ.

*Fit quoque è Myrrha oleum, quod ita paratur. Decoquuntur oua gallinarum, quouſque dura fiant, deinde ſecantur ſecundum longitudinem in duas partes æquales, & exemptis vitellis, replentur Myrrhæ puluere, conduntur q; in humido loco, donec Myrrha liqueſcat in oleum. Huius vires ſunt ad tollendas vulnerum cicatrices, & faciem erugandam, vbi frequenter illinatur.*

Fucus ex Myrr. ad rugas.

*Cæterum alio quoque myrrhæ fuco mulieres nonnullæ faciem abſque rugis præſeruant. Admouent igni ferream nouam patellam, quouſque cãdeſcat, deinde vino albo cũ impetu ore proiecto, patellã ipſam reſtinguunt, mox capite linteo amplo contecto, vaporẽ facie excipiunt, ſubinde in eandẽ patellam rurſus igne candentẽ Myrrhã contritã proiiciunt, eodemq; linteolo contectæ fumum recipiunt, demũ ipſomet linteo faciem contegunt, & dormitum ſe conferunt. Fit eiuſmodi fuco, ſingulis octo diebus parato, vt ea perpetuo erugatæ, iuuentutem etiam iam ſeneſcentes mentiantur.*

Myrrhæ vires ex Galeno.

*Myrrhæ meminit Gal. libr. 8. ſimplicium medicam. vbi ita ſcriptum reliquit. Myrrha ſecundi ordinis eſt tum excalfacientium, tum deſiccantium. Itaque capitum vulneribus illita glutinare ea poteſt. Ineſt & amaritas non pauca, per quam fœtum, & lumbricos tum enecat, tum elicit: adeſt hinc ei & ab-*

*& abſtergendi potentia. Sic igitur ocularibus miſcetur facultatibus, vtique quæ ad vlcera, & craſſas cicatrices præparantur. Eadem de cauſa inditur & medicamentis, quæ ad tuſsim veterem, & aſthma, ſiue anhelationem exhibentur: non tamen arteriam exaſperat, ſicut abſtergentium nonnulla, verùm adeò moderatam obtinet abſterſionem, vt nonnulli eam arteriacis quæ vocant, medicamentis commiſceant, tanquam ſufficienter excalfaciens, & deſiccans medicamen: ſcilicet abſterſionem proficiſcentem ab amaritudine nihil verentes: hæc Gal. Porrò vbi myrrha deſit, Gal. in ſuccedaneis (ſi tamen liber is Galeni eſt, nobis enim ſpurius cenſetur) odoratum calamum ſupplet.* Myrrhæ ſuccedanea. *Conſtantinus verò amaras amygdalas eodem pondere. Sed equidem hic myropolas admonitos velim, vt nullo pacto eorum ſequantur doctrinam, qui iubent, Auicennæ auctoritate malè intellecta, myrrhæ loco piper nigrum ſupponere. Namque Auicenna hanc ſententiam omnino refellit, cum vtatur his verbis: pro myrrha ſubſtituendum piperis nigri dimidium aliqui perhibent: ſed hoc falſum eſt. Poſtremò illud etiam notandum eſt, quòd (vt Gal. inquit lib. 2. de comp. medic. per genera) myrrha ſemper medicamentis eſt commiſcenda, cum ab igne tolluntur: quippe quæ coqui minimè patiatur, veluti etiam thus, & aloe. De Bœotica autem myrrha,* Bœotica myrrha. *quid dicam non habeo, quòd ætate noſtra ſit (vt arbitror) omnibus incognita. Σμύρνα ſic Græcis dicta, Myrrha Latinis appellatur: Ler Mur, ſeu Mor, Arabibus: Mirrha, Italis:* Myrrhen, *Germanis: Mira, Hiſpanis: Myrrhe, Gallis: Myrrha, Bohemis.* Nomina.

*† Exemplaria Græca typis expreſſa habent, διαχριομένη πτερυγὶ τῶν μυξωτήρων, id eſt, illita alæ narium. Quæ verba inunctionem ad partem naſi referre videntur, non autem ad inſtrumentum, quo debeat fieri inunctio. Siquidem, teſte etiam Galeno lib. 11. de vſu partium, πτερὸν ſeu πτερύγιον pars quædam naſi vocatur.*

Myrrha, *μύῤῥα* Hippocrati: communis opinio, nobis non eſſe veram Myrrham: aliqui tamen exiſtimāt Benſoinum officinarum, veram eſſe Myrrham. Sic Beniouinum Amygdaloides, eſſe apud Dioſcoridem Myrrham Troglodyticam, Gummi verò quod Luſitani Anime vocant, multi Myrrham Amineam Dioſcoridis ſtatuunt. Sic & Indicam Myrrham à Plinio vocatam eam eſſe, qua vera Myrrha adulterabatur. De Bœotica Myrrha quæ proponit Dioſcorides, videntur non genuina, quod ex Serapione capite de Myrrha colligi poſſe videtur, qui non radicem arboris dicit, ſed inquit, Myrrha quæ eſt ex terra, quæ dicitur Laptoteno, id eſt Bœotia, abſcinditur ex radice arboris, quæ eſt in terris illis: vult ergo ex radice exſcindi, quemadmodum inciſione elici ſolent reliqui liquores: at hæc hodie omnino non cognoſcitur.

## Στύραξ. STYRAX. CAP. LXVIII.

STYRAX lachryma eſt arboris malo cotoneæ ſimilis. Præfertur pinguis, flauus, reſinoſus, albicantibus grumis, quàm plurimum in ſua odoris gratia permanens, qui dum mollitur, melleum liquorem reddit: qualis è [a] Catabalis, Piſſidia, & [b] Cilicia deuehitur. Deterior niger, furfuroſus, [c] friabilis, canoque ſitu obductus. Cæterùm lachryma inuenitur gummium ſimilitudine, perlucida, & myrrhæ æmula: verùm perpauca manat. Adulteratur ligni ſcobe, quam vermiculi erodentes excuſſerunt, melle, & iridis ſedimento, & quibuſdam aliis. Alii ceram, aut adipem odoribus imbutum, flagrantiſſimis ſolibus cum ſtyrace ſubigunt, & per laxa cribri foramina in frigida aqua veluti vermiculos exprimunt, vænundantque. Styracem hunc, † quoniam in vermiculorum ſpeciem contrahatur, ſcoleciten cognominant, quem tanquam ſyncerum imperiti approbant, non animaduertentes ad præcipuam odoris fragrantiam: ſiquidem acer admodum eſt, qui adulterationis vitio caret. Styrax calfacit, emollit, & concoquit: medetur tuſſi, deſtillationibus, raucedini, grauedini, & interceptæ voci: vuluæ præcluſæ, duritiaue laboranti conuenit: cit menſes potu, appoſitúque: aluum leuiter mollit, ſi exiguum cum reſina terebinthina catapotij modo deuoretur. Miſcetur vtiliter diſcutientibus malagmatis, acopiſque. Adoletur autem, & igni torretur, vt fiat ex eo veluti ex thure, fuligo: ad eadem conueniens, ad quæ thuris fuligo. Ex eo etiam in Syria ſtyracinum oleum componitur, quod calefacit vehementer, & emollit: verùm caput dolore afficit, aggrauatque, & ſoporem adfert.

[a] Orib. leg. [b] γαβαλίτης λύκιος. [c] Meum. habet tantum ψαθυρὸς. i. friabilis.

STYRAX.



*STyracis planta proceritate, ac forma malo Cotoneæ eſt ſimilis. Folia tamen longè minora profert, auerſa parte albicantia, ſolidaque, robuſta, oblonga paulo, latiore tamen ambitu. Flos eſt illi albus, aurantiæ mali haud longè diſsimilis. Baccas profert longo pediculo appenſas, & tenui quadam lanugine obductas, rotundas, & in acutum deſinentes, nucis ferè Ponticæ magnitudine, in quibus aliquot concluduntur oſsicula ſemen continentia. Habentur Styracis plantæ in Italia non ſolùm in hortis nonnullis, ac viridariis, ſed etiam ſpōtè prouenientes in Romano, ac Tyburtino agro: ſed in Italia gūmi non proferunt. Hanc plātam vidi ego primùm Venetiis, in viridario clariſsimi medici Maffei à Maffeis, vbi alia plura & rara, diligenter coluntur. Gummi, quòd è Styracis planta emanat, vocatur paſsim in Italicis officinis Storax Calamita,* Styracis conſider. & hiſt.

*quod cognomen ex Galeno libro primo de antidotis acceptum crediderim. Namque ipſe de ſimplicibus medicamentis agēs, quæ ad theriacæ compoſitionem faciunt, optimum indicauit ſtyracem, qui in calamis è Pamphilia ferebatur: vnde calamitæ cognomen ſibi facilè vendicauit. Itaque cùm non alius habeatur ſtyrax, qui ſit hoc genere præſtantior, in vſu medentium eſt, vt dum pharmacopolis imperant fieri medicamenta, quæ ſtyracem excipiunt, calamitæ cognomen adiiciant, quo indicent, ſe primum dotibus intelligere. Nec illud quidem ab re: quandoquidem Galenus eodem loco memoriæ prodiderit, hoc ſtyracis genus tantum præſtare cæteris, quantum vinum falernum illud bonitate excellit, quod à cauponibus venditur.*

Manardi lectio non probata.

*Quo argumento fretus Manardus Ferrarienſis exiſtimauit, vbi in Dioſcoridis codice legitur τοιοῦτος ἐστιν ὁ καταβαλίτης, hoc eſt, talis eſt Catabalites, potius legendum eſſe, talis eſt calamites. Neque probat lectionem mutandam eſſe in Gabaliten, quemadmodum fecit Marcellus. Sed profectò hac in re (etſi Manardus fuerit vir ſumma doctrina præditus) mihi magis Marcelli ſententia probanda videtur, quippe quæ Plinij teſtimonio comprobatur lib. 12. cap. 25. vbi ſic inquit. Styracem Syria Iudææ proxima ſupra Phœnicem gignit circa Gabalam, & Marathunta, & Caſium Seleuciæ mōtem. Atque etiam ei adſtipulatur Oribaſii codex manuſcriptus, in quo lib. 12. legitur γαβαλίτης & non καταβαλίτης.*

Fuchſii opinio ſtyracem calamitem liquidū fuiſſe reprobata.

*Porrò Fuchſius medicus noſtræ ætatis clariſſimus, in libro, quem de compoſitione medicamentorum ſecundò condidit, ſtyracem calamiten liquidū fuiſſe cenſet, non alia (quantum equidem video) ratione fretus, quàm quòd in calamis aducheretur. Verùm in hoc Fuchſius (pace eius dixerim) à veritate deſciſcit, quandoquidem Dioſcoridis ſtyrax lachryma eſt arboris malo cotoneæ ſimilis: cuius ille præſtat cæteris, qui flauus eſt, reſinoſus, grumos habet albicantes, & dum mollitur, melleum liquorem reddit. Ex quibus facile conſtare arbitror, ſtyracem non fuiſſe liquidum, ſed in grumos concretum. Neque certè mihi rationi conſonū videtur, ex eo quod Galeni tempore ſtyrax in calamis vehebatur, inferre ipſum fuiſſe liquidum. Nam (vt mea fert opinio) non alia de cauſa qui ſtyracis lachrymam colligebant, eam ſtatim in calamis includebant, quàm vt ſuauis eius odor cōſeruaretur. Id quod etiam cum dictamno faciebant ii (vt memoriæ prodidit Theophraſtus lib. 9. cap. 16. de hiſtoria plātarum) qui ipſum in Creta legebant: ſiquidem ii dictamni manipulos in ferula, aut arundine intercludebant, ne vis eius expiraret. Præterea cùm apud veteres Græcos nulla (quod legerim) extet liquidi ſtyracis mentio, haudquaquā poſſum huic Fuchſii ſententiæ adhærere: quinimo cogor eam prorſus refellere, quod rectius ſentire videar cum Arabibus, & recentioribus, qui per liquidum ſtyracem non aliud intelligunt, quàm ſtacten myrrhæ. Cæterum Plinio loco citato laudatur ſtyrax poſt ſupradicta, ex Piſidia, Sidone, Cypro: è Creta verò minimè. Reddidit Plinius cauſam, quare eſt, quod ſtyrax plerunque puluerulentus exiſtat, dicens, quòd in eum circa canis ortum aduolant pennati vermiculi erodentes, ob idque ipſum in ſcobe ſordeſcere.*

Styracis adulteratio.

*Adulteratur etiam ſtyrax (vt idem ſcribit) cedri lachryma, vel gummi, melle, aut amaris amygdalis: quocirca retinendæ ſunt notæ, quibus Dioſcoridis auctoritate præſtantiſſimus cognoſci poteſt.*

Oleū ex Styrace.

*Paratur è Styrace oleū odoratum hoc modo: Styrax biduo è roſarum aqua maceratur, deinde vnà cum aqua in vitreo vaſe, luto circumlinito collocatur, huic roſtrato lambico ſuperimpoſito & in fornace collocato, ignis ſit moderatus, quouſque aqua tota in recipiens vas deſtillauerit. Cùm verò oleum fluere inceperit, fortiore igne opus eſt, donec totum effluxerit. Præſtabit hoc oleum non ſolùm ad odoramenta, ſed etiam ad ea omnia ad quæ ſtyrax: eſt tamen longè ad omnia valentius.*

Styracis vires ex Galeno.

*Huius meminit Galenus lib. 8. ſimpl. medic. ſic inquiens: Styrax excalfacit, emollit, concoquit: quamobrem tuſſibus, catarrhis, pituitæ deſtillationibus, raucedinibuſq́; quas κορύζας καὶ βράγχους vocant, prodeſt. Tum mēſes ſeu potum, ſeu admotum proiicit. Combuſti eius fuligo, thuris fuligini quodammodo eſt ſimilis.*

Nomina.

*Στύραξ vt Græcè, ita etiam Latinè Styrax nuncupatur; Arabicè verò Mehu, Mehaha, ſeu Aſtarach: Italicè, Storace: Officinis, Storax calamita: Hiſpanicè, Eſtoraque.*

*† quoniam in vermiculorum ſpeciem contrahatur. Hæc verba non leguntur in Græcis codicibus: ſed ea (vt arbitror) à Ruellio interprete adiecta ſunt ob maiorem rei declarationem, quæ hanc ob cauſam, lectore tamen admonito, nobis quoque relinquere placuit.*

Styrax triplex in officinis.

Styracis in officinis tres differentiæ: ſtyrax calamita, ſtyrax liquida, & ſtyrax rubra. Secuti fortaſſe Arabes, ſiquidem Serapio diuiſit in liquidum & ſiccum: per liquidum intelligit modò oleum ex nucleis extractum, modò ipſam arboris lachrymam, modò ſtillatitium humorem è Myrrha quem Stacten vocat Dioſcorides: per ſiccam verò corticem fructus, poſtquam expreſſum eſt oleum. Auicenna ſimiliter humidum & ſiccum facit, humidum, vnum qui ſponte ex arbore fluit, coloris citrini, quem Storacem calamitam vocant: alterum per decoctionem coloris nigri, quem Storacem liquidum: fæces autem Storacem ſiccum eſſe. Videtur ſic diſtinguendum, vt alia ſit Styrax calamita, ſeu rubra, alia ſtyrax liquida, cuius veteres Græcos feciſſe mentionem necdum inuenimus: hæc cenſetur quibuſdam Oeleomeli Dioſcoridis: hoc enim ex quorundam ſurculorum in aqua decoctione fieri tradunt: alia Styrax ſicca, ſeu ſtyracis cortex.

Oeleomeli quibuſdam Styrax.

Liquidābar quid.

Ad ſtyracis genera reduci poteſt id quod Liquidambar nunc vocant, reſina liquida odore ſtyraci ſimilis, quæ ex arboris magnæ (quam Americi Ocoſol vocant) frequentibus ramis ac foliis hederæ, craſſo & cinereo cortice inciſo aut excauato emanat, cui indigenæ corticem confractum (ſuauioris odoris gratia dum vtitur) miſcent. In noua Hiſpania prouenit, & ex India Occidentali adfertur.

Oleum de Liquidambar.

Cuius differentiæ aliquot, aut ex vulnerata arbore effluit: aut ex recenti reſina humido loco repoſita oleum odoratius ſtillat, quod ol. de Liquidambar vocant: aut ex hoc oleum exprimitur, minus perfectum, quo chirothecæ inficiuntur: aut ex ramis comminutis & coctis pinguedinem innatantem colligunt. Folia in faſciculos collecta cum ſummitatibus, odoris gratia, veſtibus Indi apponunt, à quibus Hiſpani emunt. Huius, ſtyracis loco vſus, cùm calidum ſit in fine ſecundi & humidum gradu primo: ſed oleum longè ſubtilius, & frigidis morbis vtilius. Hæc ſummatim ex autore hiſtoriæ Mexiocanæ, & Nicolao Manarde deſumpta: qua de re & Cluſius in Garziam, Cæſalpinus & hiſtoria Lugdunenſis, Liquidambar nomine.

## Βδέλλιον. BDELLIVM. CAP. LXIX.

BDELLIVM a [alii bolchon appellant, alii madelcon:] lachryma eſt † Saracenicæ arboris. Probatur guſtu amarum, tranſlucidum, taurini glutinis in morem, intus pingue, b liqueſcens facilè, ligni ac ſordis expers, † ſuffitu odoratū, vngui ſimile. Eſt etiamnū bdellii genus ſordidū, nigrū, vberioribus glebulis in offas cōuolutum, c aſpalathi odore, ex India aduectum. Defertur etiam à Petra oppido d ſiccū reſinoſum,

a Orib. non leg. & meum habet ἔλοχον ita etiā Drag.
b εὐμάλακτον. i. quod facilè molleſcit.
c Meum ἀσπαλαθώδης.
d Non leg. Orib.

lum, e liueſcens, ſed facultate ſecundum. Adulteratur gummi, ſed ita vitiatum non perinde guſtui amaritudinem repræſentat, nec vſque adeò ſuffitionibus odoratum. Calfacit, & emollit: duritias, & turgentia guttura, humidasq; hernias diſcutit cum ieiuna ſaliua dilutum: vuluæ ſpiracula laxat appoſitu, & ſuffitu: & partus, humiditatesq; omnes extrahit: calculos potu comminuit, vrinam mouet: tuſsientibus, & à ſerpente percuſsis vtiliſsimè datur: valet ad rupta, vulſa, laterum dolores, & diſcurſantes ſpiritus. Malagmatis inſeritur, quæ contra duritias, & neruorum nodos proſunt. Contuſum reſoluitur affuſo vino, aut aqua calida.

ὑπόπελιον. i. ſubliuidum Me.

PRæſtantiſsimum Bdellium Dioſcoridi tranſlucidum eſt, taurini glutinis in morem, amarum, tactu liqueſcens facilè, & quod incenſum odorem emittat vngui odorato ſimilem. Quod ſi medò noſtro tempore in Italiam importatur, adeò rarum eſt, vt (quemadmodum de myrrha diximus) ad oſtentationem tantùm aſſeruetur, vel ad adulterini, & reprobati dignoſcendi normam. Credidere quidam, hoc vulgare Bdellium, cuius paſsim in officinis eſt vſus, conſtare partim ex nigro, quod India mittit, partim verò ex eo Arabici genere, quod ſiccum, reſinoſum, liuensq; ex Petra defertur, vtriſque à mercatoribus ſimul mistis. Quod ſi ita res ſe haberet, non eſſet planè moleſtè ferendum, quod ſaltem mediocre impertiretur, poſtquam nobis optimo interdictum eſt. Verùm etſi hoc fieri poſsit, cùm tamen in eo parum, vel nihil amaroris ſentiatur, cùmque cæteris ferè omnibus tum notis, tum qualitatibus ſit expers, quas ei Dioſcorides tribuit, eſt potius opinandũ factitium id & adulterinum eſſe, quàm legitimum. Hinc factum eſt, vt quidam recentiores ſimplicium indagatores, cum nobis perſuadere vellent, Bdellium in officinis reperiri, licet non aduectum ex Saraca felicis Arabiæ ciuitate, vnde aduehi conſueuerat, ſomniauerint communem myrrham legitimum eſſe bdellium, vt eorum ſententiam refellentes, in præcedenti commentario ſcripſimus. Huius, quo paſsim vtimur, plura quidem habentur genera: ſiquidem aliquod quandoque vidi nigrum, reſinoſum, odore fœtido laſeri quadantenus proximo: aliud trãslucidum, vtpote taurinum glutinũ, ſed ſiccum, amaroris expers, nulloq; odore præditum: quoddam verò adeò vulgari myrrhæ perſimile, vt ab ea vix dignoſci poſſet. Quæ omnia genera tametſi illegitima cenſeantur, officinis tamen tanquam legitima, & præſtantiſsima in medicamentis paſsim temerè vſurpantur. Bdellium ſcriptis tradidit Plinius lib. XII. cap. IX. his verbis. Vicina eſt Bactriana, in qua Bdellium nominatiſsimum. Arbor nigra eſt, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici natura. Gummi alij brochon appellant, alij malachram, alij maldacon. Nigrum verò, & in offas conuolutum, hadrobolon. Eſſe autem debet tranſlucidum, ſimile ceræ, odoratum, & cùm fricatur pingue, guſtu amarum citra acorem. In ſacris vino perfuſum odoratius. Naſcitur & in Arabia, Indiaque, & Media, ac Babylone. Aliqui Peraticum vocant ex Media aduectum, facilius hoc, & cruſtoſius, amariusq;: at Indicum humidius, & gummoſum. Adulteratur amygdala nuce: hæc Plinius. Bdellij facultates prodidit Galenus lib. VI. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Bdellium quod Scythicum nominant, quod ſanè & atrius eſt, & reſinoſum magis, emollientis admodum, & efficacis virtutis eſt. At alterum, nempe Arabicum, quod dilucidius eſt, magis deſiccat, quàm emolliat. Igitur recens, & humidum eſt, & contuſum facilè molleſcit, ad omnia, ad quæ Scythicum, idoneum. At quod antiquius eſt, & admodum guſtu amarum, & acre, & ſiccum, ab eorum, quæ indurata molliunt, mediocritate excidit. Vtuntur autem quidam illis, & potiſsimum Arabico, & ad gutturis ramices, & hernias aquoſas, ſaliua matutina, ieiunaq; ſubigentes, vt emplaſtri conſiſtentiam accipiat. Porrò Arabicum & calculos renum in potu ſumptum frangere apparet, tum vrinas ciere, & crudorum flatuum diſcurſus, præterea laterum dolores, & rupturas perſanare: hactenus Galenus. Cæterùm inuenio Serapionem duobus capitibus Bdellij meminiſſe: quorum alterum appellauit Iudaicum, quod nimirum eſt ipſum Dioſcoridis bdellium: alterum verò cuiuſdam plantæ palmæ ſimilis fructum eſſe tradidit. Hoc Neapoli frequentiſsimum vidimus, iiſq; in officinis accepimus, vbi ſacchari arundines è Sicilia petitæ venundantur. Nam cùm illic eſſem cum Bernardo Cleſio Cardinali, & Principe Tridentino, qui apud Cæſarem Carolum V. inuictiſsimum Imperatorem agebat, multarum videndarum rerum, quæ ad medicam materiam ſpectant, fuit mihi facultas. Hoc igitur palmæ genus (vt ab incolis accepi) ex Sicilia cum folijs palmeis, ac radice defertur cubitali, vel paulò ampliori longitudine. Vocantur hæ plantæ Neapoli vulgò CEFAGLIONI, quarum quoddam duntaxat germiculum comedunt, tenerrimum, ſapidum, & ori gratiſsimum. Includitur hoc mille quibuſdam inuolucris, tanquam totiũs plantæ corculum. Hoc quidem tuberibus, & carduis, carduorumq; echinatis capitibus (carioffi & archichiochi Itali vulgò vocant) præferunt: quandoquidem id ſecundis menſis pro bellarijs cum pipere, & ſale ſolenniter aſſumunt, tum quòd guſtui is cibus admodum arrideat, tum etiam quòd venerem conciliet. Porrò illa vulgaris Ceſagltoni appellatio (quantum conijcere poſſumus) à Mauritanis accepta eſt: ſiquidem Serapio ſic inquit. Ceſilio eſt cor iſtius palmæ: & natura eius eſt, ſicut natura palmerij. Gal. inſuper lib. VIII. ſimpl. med. de palma diſſerens, eius medullam encephalos appellari tradidit: ex quo adducor, vt ſuſpicer, inde Arabes Græca voce corruptæ ſuum Ceſilionis nomen accepiſſe. Quod Βδέλλιον Græci, Bdellium ſimiliter Latini vocant: Mauritani, Molochil, Molochal, Mochol aut Mochel: Itali, Bdellio. Hiſpani, Bedelio.

Bdellij conſideratio.

Bdellij vulgaris genera.

Bdellii hiſtoria ex Plinio.

Bdellii vires ex Gal.

Bdellium alterũ Serapioni, palmæ genus.

Ceſaglionis conſideratio

Nomina.

† Licet Saracenicæ arboris lectio admitti poſsit, quòd Saraca, vnde Saraceni dicti ſunt, vrbs ſit in Arabia, non tamen improbanda videtur lectio Arabicæ arboris, quod non ſolùm Plinius ſcribat bdellium in Arabia naſci, & Galenus alterum Bdellij genus Arabicum faciat, ſed etiam quod Oribaſius lib. XI. legat δάκρυον ἐστὶ δένδρου ἀραβικοῦ: hoc eſt; lachryma eſt arboris Arabicæ.

‡ Hoc loco in vulgatis Græcis codicibus ſic legitur: εὐώδης ἐν τῷ θυμιᾶσθαι ἐοικὸς ὄνυχι. hoc eſt, ſi verbũ verbo reddamus: odoratum in ſuffitu, ſimile vngui. Eadem verba ex Dioſcoride referunt inter Græcos Aetius & Oribaſius. Cæterum in iis verbis illud dubiam ſententiam facit, quòd nõ facilè colligi poſsit, quid per ὄνυχι intelligat Dioſcorides: nam cùm hæc vox homonyma ſit, & plura ſignificet, cui potiſsimùm rei conueniat, auctor non explicauit, vt hinc vel aliquid deeſſe ſuſpicandum ſit, vel hac voce diuinandum de nota illa Bdellii optimi magis ſit, quàm aliquid certi ſtatuendum. Auget difficultatem, quòd interpretes omnes, viri doctiſsimi, verba illa in diuerſum ſenſum trahant. Alii enim probatum Bdellium volunt bene odoratum eſſe ſemper, ſed incenſum, fieri vngui ſimile, vt Manardus libro ſuarum epiſt. octauo: alii dum incenditur, odore malunt vngui aſsimilari, vt Hermolaus: quorum tamen vtrunque conſtat de odorato vngue intellexiſſe. His adſtipulari videtur Serapio inter Arabas, qui Bdellii deſcriptionem Dioſcoridi acceptam ferens, verba illa interpretatur in hunc ſenſum: cùm incenditur, bonum ſpirat odorẽ, odori vnguis odorati ſimilem. Sunt porrò qui Bdellium ſuffitu odoratum faciunt, vngui ſimile, vt Ruellius, qui certè ea ſimplici verborum illorum verſione non minus ambiguum reliquit illius notæ ſenſum, quàm in Græco reperiatur. Marc. autẽ diuerſam ab antedictis ſententiã protulit, nã ita vertit illa verba: cum incenditur, odoratum, & humano vngui colore ſimile. Hæc vtique Marcelli interpretatio plura habet, quam in Græcis codic. legantur, ea fortaſſe ratione ab eo addita, vt nulla reliqua eſſet ambiguitas, quanquã in hoc à Manardo redarguitur.

*Mihi quidem hactenus placuit Serapionis interpretationi ſubſcribere, vt patet in principio huius commentationis: nunc verò quid mihi ſentiendum ſit, fere incertus ſum. Videntur enim verba illa Dioſcoridis ita diſtincta eſſe, vt duas Bdellij optimi notas faciant: quarum altera eſt, vt odoratum ſit, cùm ſuffitur: altera, vt ſit vngui ſimile. Sed relinquitur dubitatio an vnguis odoratus, aut humanus ſit intelligendus: eò tamen inclinat animus, vt putem humanum vnguem intelligi, quòd Plin. lib. XII. cap. IX. de bdellio diſſerens, Bactriano vngues reddat candidos, cùm inquit. Bactriano nidor ſiccus, multiq́; candidi vngues. Ex his nimirum verbis liquet, Bdellium illud albis maculis vngui humano ſimilibus refertum eſſe. Id quod etiam videtur Bdellio aſſignaſſe Damocrates in ſuis carminibus, quibus cypheos compoſitionem cecinit, & quæ à Gale. referuntur lib. II. de antidotis, dò ita ſcribit.* Σχοίνε ιβ. καὶ κρόκε μίαν, βδελλίε ὄνυχας < γ', ἀσπαλάθου β S. *Hæc duo carmina ſoluta oratione ad verbum ſic vertemus: Iunci odorati duodecim, & croci vnam, Bdellij vngues drachmas tres, aſpalathi duas ſemis. Sanè quòd Damocrates Bdellij vngues in cypheos compoſitionem addat, me magis mouet, vt credam Bdellium notam peculiarem habere, qua vnguium effigiem repræſentat: aut quòd illud Bdellium ſit præſtantius, cui ſint maculæ humanis vnguibus ſimiles. Sed hæc fortaſſe fuſius, quam deceat, vt quid alii, & quid ego ſentiam in illis Dioſcoridis verbis, exponerem, ita tamen vt malim eruditiorum quoque iudicium eſſe.*

Bdellium denſata lachryma eſt ex arbore quadam, Ceraſo ſimili cortice veſtita, emanans, atque circa ramulos in magnos grumos concreſcens, qui tam integri, quàm confracti ex Arabia, India, & vicinis aliquot locis adferuntur, vna cum adhærente ſæpè cortice & ramulis. Hoc myrrhæ concretione & aſpectu ſimile, quare cenſuit quidam Bdellium Myrrhæ ſpeciem eſſe (quidam Anime eſſe voluit) á qua

Bdellium à Myrrha differt.

differt, non ſolùm quod arbores ſint differentes, ſed in eo quòd Myrrha ſit fragilior, & in igne vt reſina ardeat: at Bdellium magis naturam gummatis reſipit, difficile enim ardet, & humore molleſcit, odor non ſine grauitate ſuauis. Sunt autem eius ſex differentiæ: 1. Maioribus glebis ruffum, & cum frangitur in plu-

Bdellii differentiæ ſex.

rimos grumulos diſſiliens, mediocriter ſplendens: 2. minoribus glebis ſubfuſcum, intus ruffum, cum frangitur in duas partes quaſi diſſectum ſe diuidens, tranſlucens, denſum, lentum, glutinoſum, pingue, & lachrymas albas calido in loco emittens. 3. nigrum, intus in nigro ruffum, glutinoſum, mediā inter thus & gummi ceraſorum qualitatem reſpiens. 4. Nigrum quoque, ſed intus fuluum, purpureo colore, maxime tranſlucens, molle, glutinoſum, ceraſi gummi ſimile, eiuſdemque ſaporis. 5. Colore & ſapore priori ſimile, ſed intus pallidis aut candicantibus maculis diſtinguitur. 6. pallidum aut candidum, grumis oblongis, mediocribus, multis, longis, guttis denſatis concretum, amarum, ingratum, omnibus ſpeciebus acerrimum. Eligendum eſt in quouis genere aſpectu, cum frangitur, nitidum, cornu, aut taurino glutini ſimile, magis tranſlucens, pinguius & mollius, cum hoc recentis indicium ſit. Sunt qui Cuciopheram de qua inferius Matthiolus aget, Bdellii fructus nomine allatam cenſeant, & vtrumque idem ſtatuunt.

Λίβανος. THVS. CAP. LXX.

a Meum ἐκεῖ καὶ ἰσ.
b Meum ἐν μόλῳ.

THus in ea gignitur Arabia, quæ thurifera cognominatur. Primatum tenet in eo genere maſculus ſtagonias appellatum, ſuapte natura rotundum: tale autem † indiuiduum eſt, candidum, cum frangitur, intus pingue, in ſuffitu ſtatim ardens. Indicum verò a fulueſcit, & colore liuet, ſed rotundum induſtria factitant: nam in quadrangulares formas diſſectum fictilibus verſant, donec rotunditatem contrahat: verum huiuſmodi thus tempore flaueſcit, quod atomum, aut ſyagrum appellant. Secundum locum habet† Arabi[illegible], & in b Smilo naſcens, quod aliqui copiſcum vocant, minus multò, & fuluius. Eſt & genus aliud, cui amomite cognomen eſt, alioqui candidum: quod dum mollitur, maſtiches more digitis cedit. Adulteratur omne thus † in itinere pini reſina, & gummi: quod facile deprehendi poteſt, ſiquidem ſuffitum gummi flammam non eiaculatur, & reſina in fumum euaneſcit, thus verò ſtatim ardet: idem maleficium odor prodit. Ad calfaciendum, & aſtringendum pollet: oculorum caliginem diſcutit, caua vlcera complet & ad cicatricem perducit: cruenta vulnera glutinat, infrenatque cunctas ſanguinis eruptiones, etiamſi cerebri membranis effluat: vlcera, quæ cacoethe vocantur, & ſedis, & reliquarum partium permulcet tritum cum eo & lacte linamentum: formicantes verrucas inter initia, impetiginesque ex aceto, & pice illitum tollit: ambuſta igni, pernionesque cum ſuillo adipe, aut anſerino, & vlcera in capite manantia cum nitro, ſi infricetur, ſanat: paronychijs cum melle, auribus fractis cum pice, medetur: ad reliquos aurium dolores cum dulci vino infunditur, inflammatæ à partu mammæ, cum cimolia & roſaceo magna vtilitate perunguntur: additur ad arteriæ viſcerumque medicamenta: prodeſt ſanguinis excreationi potum. Sed in ſecunda valetudine hauſtum inſaniam mouet, & largius cum vino potū interficit, in fictili mundo thus crematur, flagrante glebula ſuccenſum á lucerna, donec exuratur: poſt perfectam vſtionem operire oportet, vſquedum reſtinguatur: ſic enim in cineres non redigitur. Aliqui ollulam æneo vaſe cauo circa medium perforato cingunt ad excipiendam fuliginem, vt in eius mentione mox oſtendemus. Alii crudo fictili luto oblito, & in fornacem indito, cremant. Fictili etiam nouo vivacibus prunis torretur, dum non amplius bulliat, aut pingitudinem vaporemve emittat: facile enim comminuitur, quod peruſtum non eſt.

Φλοιὸς λιβάνου. CORTEX THVRIS. CAP. LXXI.

b Meum φλοιὸς λιβάνου ἢ πίτυος i. Strobilino aut pineo.

PRæfertur thuris cortex craſſus, pinguis, odoratus, recens, læuis, minimè ſcaber, ſine membranis. Adulteratur admiſto d pini, aut nucis eius cortice, ſed horum index ignis eſt, ſiquidem reliqui cortices ſuffiti nequaquam incenduntur, ſed ſine odore fumum eructant: thuris verò cortex ardet, & cum odoris fragrantia vaporem eiaculatur. Thuris modo vritur: & vis eadem, quæ thuri, ſed validior, adſtringentiorque. Quare potu cruentis excreationibus, vuluis fluxione laborantibus in peſſo confert: ad cicatrices oculorum, & caua, ſordesque efficax eſt: toſtus ſcabris lippitudinibus auxiliatur.

Μάννα λιβάνου. MANNA THVRIS. CAP. LXXII.

a Non leg. Crib.

MAnna thuris probatur candore, micarum frequentia, & puritate. Vim habet eandem, quam & thus, ſed inualidiuſculam. Sunt qui a cribrata pini reſina, ac polline, aut cortice thuris contuſi adulterant.

terant. Sed hæc igne deprehenduntur : neque enim æquè ſuffitu aërium vaporem, ſed fuliginoſum & impurum expuit, & permiſtum ſuaueolentiæ halitus virus habet.

## Αἰθάλη λιβανώτου. FVLIGO THVRIS. CAP. LXXIII.

FVliginem thuris ſic facito. Forcipicula lucernis accenſas ſingulatim thuris glebas in nouam fictilem ollam concauam imponito : & æreo vaſe in medio perforato, deterſa diligenter ſorde, obtegito: alteram admoueto, ex altera eius parte, aut vtraque, ſubiectis quaternum digitorum altitudine lapillis, quò facilius perſpici queat, ſi vrantur: & quá locus capax fuerit, glebulas alias ª ſupponito, & antequam prorſus prior gleba reſtinguatur, aliam imponito, donec ſufficientem fuliginem videaris coegiſſe. Continuó tamen externæ æramenti partes ſpongia, aqua frigida madefacta abſtergantur: ita enim temperato æris feruore, fuligo omnis inhærebit, quæ alioqui per leuitatem decidua thuris cineribus admiſcetur. Deraſa itaq; fuligine, cinis cremati thuris ſeorſum ſubtrahendus eſt : idem opus, quoad ſatisfactum tibi videbitur, obeundum. Oculorum inflammationes mitigat, fluxiones ſuſpendit, vlcera purgat, caua explet, carcinomata ſiſtit. Simili modo è myrrha, reſina, ſtyrace, reliquiſq; lachrymis fuligo excipitur, ad eadem conueniens.

ª ἀθρόας. integras Orib. addit.

*CVm thus, Thuris cortex, manna, & fuligo ab vna tantùm arbore proueniant, non alienum duxi de his omnibus vnico commentario differere. Sed primùm a thure exordiens, cùm Dioſcorides in eius ſcribenda hiſtoria, non late ſe diffundat, vt eos voti compotes faciam, qui eam audire deſiderant, hic referam, quæ ex Theophraſto lib. IX. cap. IIII. quæque ex Plinio libro XII. cap. XIIII. diligenter excerpſi. Gignitur itaque thus (vt illi prodiderunt) præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem vniuerſæ, ſed priuatim cuidam loco in medio ferè regionis poſt Atramitas pago Sabæorum, qui caput regni eſt: tractus is ſpectat ad orientem vndique rupibus inuius, & à dextra maris ſcopulis inacceſſus. Syluarum, quæ thus proferunt, longitudo eſt centum millia paſſuum, latitudo autem dimidium eius: quas & Minæi attingũt alium pagum colentes, per quos thus euehitur vno tramite anguſto, à quibus etiam thus Minæum olim dictum eſt. Siquidem hi primi fuere thuris repertores, eiuſq; commercium primi fecere, maximeq; exercent. Cæteris interdictum eſt, his exceptis, videre thuris arbores : ac ne Minæorum quidem omnes (vt perhibent) ipſas arbores videre poſſunt. Ius enim in thus, ipſumq; legendi poteſtas, tricentum tantummodo eſſe familiarum dicunt, quæ per ſucceſſiones id ſibi vendicant, quæ etiamnum ob id a propinquis populis ſacræ vocantur, quòd cùm vulnerant arborem, qui liquor defluat, aut cum metunt, nec fœminarum, nec funerum congreſſu polluũtur: atque ita religione merces augentur: quidam promiſcuum ius Minæis omnibus eſſe tradunt, & vnoquoq; anno inter ipſos diuidi. Cæterùm quanquam priſci Romani in Arabia bella geſſere, thuris tamen arboris facies à nullo (quod equidem legerim) Latinorum tradita eſt: neque Græcis etiamnum auctoribus (etſi plures de ea conſcripſerint) de eius effigie ſatis inter ſe conuenit, licet dixerit Theophraſtus, quòd arbos thuris, quæ ſuper Sardes apud delubrum quoddam ſurrexit, fronde lauri conſtet: Thus duntaxat meti ſolebat inciſo arboris cortice, canis ortu, flagrantiſſimis æſtibus, quòd tunc eſſet humoribus maximè prægnans, quod poſtea legebatur ſequenti autumno. Verum dulcedo quæſtus aliam viam attulit, qua etiam primo vere ipſum legeretur, inciſis per hyemem arboribus. Excipitur quod ex arbore proſilit, atque diſtillat palmea tegete, vbi loci natura poſcit, alicubi area circum pauita. Purius & perlucidius illo modo, ſed hoc ponderoſius, minus pellucet, minuſq; viribus pollet. Vindemia verna thus rufum emittit, nec comparandum priori: vires enim imbecilliores ſibi ſortitur. Creditur nouellæ arboris candidius eſſe, quàm veteris: quod hæſit in arbore, ferro depectitur, ideoq; corticoſum. Tradidit Dioſcorides præter Arabicum inueniri & Indicum, id tamen flaueſcere: quod indicat, thus & in aliis regionibus naſci præter illud, quod ex Arabia deuehitur. Quod cum Theophraſtus, & Plinius ſatis compertum haberent, quamuis prius ſcripſiſſent, thus præter Arabiam nullis gigni, dixere tamen poſtea, quòd ex relatu acceperant, id etiam naſci in quibuſdam inſulis. Datur vtiliter potandum dyſentericis, & diarrhœa laborantibus, & iiſdem clyſtere quoque infunditur. Linitur cum lacte aduerſus ſolis ardores. Cum aqua autem nymphææ bibitur drachmæ pondere ad gonorrhœam. Auget memoriã bibitum oboli pondere: fugat triſtitiam, & lætificat cor, & conuenit omnibus eius affectibus, præſertim vbi miſceatur cum medicamentis, quæ cordi opẽ præſtant. Fit è thure medicamentum, quo nihil præſtantius, certiuſq; vidi ad oculorum lippitudinem, & ruborem: & enim ſæpe vna tantum nocte affectos iuuit. Accenditur Thuris grumus, acuto ſtilo affixus, cerea cãdela, mox in aqua roſaceæ vnciis quatuor reſtinguitur, repetuntur incenſiones extinctioneſq; trigeſies, & deinde percolata aqua linteolo mundo, oculorum angulis cum penna veſperi illinitur; dum cubitum affecti ſeſe recipiunt. Atqui ſi rubor, lachrymæq; vehementi cum dolore fuerint, additur tantundem lactis muliebris. Siſtit Thus ſanguinem è naribus manantem, ſi cum tela araneæ & aloe, excipiatur oui vnius albo, & cum licinio introducatur in nares: Thuris ſuffitu ſanatur quoque tenaſmus, addita præſertim colophonia reſina. Fiunt ex Thuris drachma, & agarici ſcrupulis quaternis cum hyſſopi ſucco catapotia decẽ admodũ vtilia ad frigidã tuſſim, ſi vnum tantũ quotidie ſumat æger veſperi iturus dormitũ. Paratur ex Thure puluis quoque admodum vtilis ad dyſenteriam hoc modo: Sumito Thuris, Maſtiches, cuiuſque drachmas duas, luti Armenij drachmam, coralliorum rubeorum, cornu ceruini vſti, ſingulorum drach. ſemis. Lapidis hæmatitis vſti ſcrup. duos: terito ſimul omnia: datur ex vino rubeo ſeſquidrach. horis duab. à cœna. Thuris & Myrrhæ puluis oui albo except. frõti tẽporibuſq; illitus,*

Thuris hiſto. ex Theophr. & Plin.

THVS ET EIVS FOLIVM



Thuris vires.

Catapotia ex Thure.

tur,

tur, hemicranias dolores mulcet. Thus (vt ſcribit Galenus lib. VII. ſimp. medicamentorum) excalfacit ordine ſecundo, deſiccat vero primo, paululumq́; adſtringit. Sed candido minimum adſtrictio manifeſta. Cortex eius euidenter adſtringit: proinde ſanè ſtrenuè quoque deſiccat, adeò vt ex ſecundo ſit ordine completo deſiccantium. Eſt autem craßiorum partium, quam ipſum Thus, & minimè particeps acrimoniæ. Ob has igitur tum facultates, tum qualitates multus eſt eius vſus apud medicos in hæmoptoicis, ſtomachicis, cœliacis, & dyſentericis, non tantum ijs, quæ extrinſecus applicantur, ipſum admiſcentes, ſed & ijs, quæ intrò in corpus ſumuntur. Ramus eius (lego fuligo eius, & infra rationem reddam) tum ſiccioris, tum calidioris eſt facultatis, quàm ipſum thus, adeò vt ad tertium vſque exceſſum perueniat. Habet verò etiam abſterſorium quiddam: itaque eo nomine expurgare, & implere, quæ in oculis conſiſtunt vlcera, videtur, velut & myrrha, & ſtyrax: hæc Galenus. Verùm, ne quiſpiam fortaſſe me perperam Galeni lectionem immutaſſe exiſtimet, illud ſciendum eſt, quòd in Galeni loco citato non ſolum Gerardi Gaudani verſio reprehendenda (quod tamen interpreti vitio minimè dandum eſt) ſed etiam in Græcis tum ipſius Galeni, tum Pauli Aeginetæ codicibus cõmunis lectio deprauata videtur: quippe vbi in thuris capite legitur apud Gal. ὁ δὲ θαλλὸς αὐτοῦ ξηροτέρας ἐςι, καὶ θερμοτέρας ἢ κατὰ αὐτὸν τὸν λίβανωτὸν δυνάμεως, hoc eſt, vt vertit Gerardus, Ramus eius tum ſiccioris, tum calidioris eſt facultatis, quàm ipſum thus, rectius legendum putauerim, ἡ δὲ αἰθάλη αὐτοῦ, hoc eſt, Fuligo eius &c. Quæ quidem lectio primò Dioſcoridis teſtimonio comprobatur: qui præterquam quòd ramorum nõ meminit, ipſi thuris fuligini, non ramis, tum expurgandi, tum implendi, quæ in oculis conſiſtunt vlcera, facultatem ineſſe teſtatur. Deinde id manifeſtè innuiſſe videtur Galenus in prædicti capitis calce illa comparatione, cùm inquit, veluti ex myrrha, & ſtyrace. Nam lib. VIII. ſimp. medic. de ſtyrace agens: ſtyracis combuſti fuligo, inquit, thuris fuligini quodammodo eſt ſimilis: & libro VII. de fuligine ſcribens: Primùm enim, ait, thuris fuligine vtuntur, in ocularias medicinas miſta, eas videlicet, quæ ad oculos etiamnum phlegmone tentatos accomodantur, atque etiam fluxione tentantur, & vlcera habent: nam & illa expurgat, & carne replet. Ad hæc vſurpant quoque eam ad facultates, quas vocant callıblepharas. Præterea terebinthinæ, myrrhæq́; fuligo moleſtia caret, non aliter, quàm thuris: ſed ſtyracis his quodammodo valẽtior eſt. His igitur rationibus aſſerere nõ dubitauerim, hoc in loco vulgatos Græcos codices fortaſſe librariorũ incuria vocũ ſimilitudine deceptorum deprauatos eſſe: quodq́; loco huius vocis αἰθάλη quæ Latinè fuliginem reddit, ſucceſſerit θαλλὸς quæ ramum germenue ſignificat. Quod etiam apertißimè confirmat Serapio: qui cùm hunc Galeni locum ſuo tempore legitimum, & incorruptum haberet, quæ hoc Galeni loco noſtra ætate de thuris ramo leguntur, ea ipſe Galeno accepta referens, de thuris fumo, ſeu fuligine legit. Quod item apud Actium videre licet: quin etiam apud Auicennam cap. de olibano legitur: fumus eius eſt vehementioris exiccationis & ſtipticitatis: tametſi Paulus hac menda non vacet, vel ſui ipſius fortaſſe, vel potius librariorum culpa. Nam aliàs non poſſem non admirari, quòd in Galeno lectionem hanc deprauatam eſſe non animaduertiſſet, quemadmodum hac in re noſtræ ætatis interpretes mihi quidem admiratione digni videntur. Cæterùm thus (vt Galenus ſcribit lib. IIII. de compoſitione medicamentorũ per genera) concoquit, & pus mouet in temperatis corporibus, nam in humidis ſarcoticũ eſt. Præterea cùm dixerit Dioſc. thus in ſecunda valetudine hauſtum, inſaniam facere, & largius cum vino ſumptum interficere, hinc Auicennam erraſſe crediderim, qui & deprauatis ſenſibus, & abolita memoria thus opem præſtare tradit. Porrò credidere nonnulli thuris Mannam apud Græcos eſſe, quam noſtra ætate è cœlo collapſam ſuper arborum frondes colligimus, quamq́; tanquam omni ex parte innocuum medicamentum, & vtero gerentibus mulieribus, & pueris, & delicatis deijciendæ alui gratia propinamus. Verum res quidem aliter ſe habet: namque Plinius, & alij complures produnt, Mannam thuris eſſe micas eius concuſſu eliſas, quod dum conuehitur, euenit: quod etiam teſtatus eſt Galenus lib. IIII. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. Sed quoniam thuris Manna mihi redegit in mentem Mannam hanc purgatoriam cælitus demiſſam, vt plenius legentibus ſatisfiat, cùm huius nuſquam meminerit Dioſcorides, de ea tradam, quæ ex Arabum monumentis deprompſi, quæq́; ipſe etiam in Calabria vidi, vbi laudatißima colligitur. Eſt igitur MANNA quidam ros, ſiue liquor ſuauis, qui ex aere veniens ſublucanis temporibus, arborum ramis, & frondibus, herbis, lapidibus, & ſolo interdum inuenitur hærere: qui breui temporis curriculo coaleſcens, grumoſus in gummi morem efficitur. Huius duo tantum genera ipſe in Italia vidi, quorum alterum ab orientali plaga, alterum verò à Calabria defertur. Eius, quod ex oriente petitur, duplex habetur ſpecies: præſtantißima altera, quam Maſtichinam appellant, nomine à granorum maſtiches ſimilitudine ſumpto: infirma verò, & vilis altera, quæ Bombycina nuncupatur, quippe quæ nil aliud eſt, quàm aut euanida, & ſenio exhauſta Maſtichina, aut ſaccharo, alijsque impoſturis adulterata. Calabrienſis plurimi penditur, quæ ſtirpium frondibus inſidens colligitur, proinde foliorum Manna cognominata, minutis granulis conſtãs, translucida, grauis, maſtiches granulis ſimilis, candida, guſtu dulcis atque ſuauis. Secundas partes ſibi adſciſcit, quæ ramis inſidet, tertias verò, quæ lapidibus, & ſolo inhæret: nimirum hæc granulis conſtat craßioribus, & colore longè minus ſyncero. E[illegible]a, quæ nocte peracta è cœlo ceciderat Coſſentiæ, quæ eſt Calabriæ ciuitas, mihi facta fuit copia ſuper fraxineis frondibus, quæ inlapij perfectè cocti guttas prorſus referebat. Accepi inibi ab incolis, quòd hæc mane legitur, priuſquam ſol exortus admodum excalfaciat: namq́; poſtea ſole liquefacta, abſorptaq́; facilè euaneſcit. Quapropter plerique (vt à nonnullis audiui) vbi in magna deciderit copia, ſummo mane arborum ramos præſcindunt, & in opacis collocant, vbi concretam maiori commodo legunt. Hinc verò fit, vt neſciuerim ego, qua ratione ductus Fuchſius vir eruditißimus, ſcripſerit libro de componendis medicamentis, quem nuper auctum edidit, Mannam (vt ſuis verbis vtar) Calabrinam grano conſtare grandiori, floccorum lanæ & bombycis referente effigiem, candidiori, & ob id alio nomine Bombycinam vocari: quin & hanc viliori pretio vendi. Atqui cùm is à nobis planè diſſentiat in Mannæ, quæ ex Calabria aduehitur, hiſtoria, ratus gnarusq́; hanc quam paulò antè reddidi, veram eſſe, non plura adijciam: ſed relinquam in hoc fore iudicium eorum (ſint vel medici, vel pharmacopœi, vel mercatores) qui Mannæ illius naturam rectius norunt, atque eam ſatis exploratam habent. Duo Mannæ genera etiamnum à Mauritanis diuerſis capitibus prodita reperio: quorum alterum Mannam, alterum verò Tereniabin appellant. Tamen non aliam inter ea ſpecierum differentiam eſſe conſtat, quàm quòd alia liqueſcens, melli ſimilis, alia in grumos concreta videatur: quæ profectò illa eſt, quæ ad nos aduehitur. Quam verò ij Tereniabin vocant, Serapionis teſtimonio & ipſam eſſe Mannam manifeſtè oſtenditur. Namque Abicis auctoritate, Tereniabin, inquit, febrium ardentium inflammationes mulcet, ſitim extinguit, aluum mediocriter emollit, pectori, & tußi opem præſtat, nec aliud eſt, quàm Manna. Teſtatur Braſauolus Ferrarienſis, Nicolaum quendam Ferrariæ (vt arbitror) pharmacopolam emiſſe à quodam Mauritano vas plenum cuiuſdam Mannæ melli ſimilis, quæ in medicamentis non ſatis laudari potuit. Hanc equidem ex eo genere fuiſſe exiſtimauerim, quod Mauritani Tereniabin nominant: etſi Braſauolus ipſe contrarium ſenſerit, cùm velit, Tereniabin Mauritanorum eam eſſe Mannam, qua communiter vtimur: eorundem verò Mannam eſſe huiuſce liquidæ ſpeciem. Quæ tamen ſententia Arabum ſcriptis prorſus refragatur, quandoquidem ipſe inuenerim apud Serapionem, quòd Tereniabin quidam ros eſt è cœlo cadens melli grumoſo ſimilis, & quod aliter mel roſcidum appellatur. Auicenna verò de

Manna

Thuris facul. ex Gal.

Galeni locus reſtitutus.

Auicen. lapſus.

Manna thuris.

Mannæ cœleſtis hiſtoria, & genera.

Fuchſii opinio.

Mannæ Arabum.

Braſauoli lapſus.

Mannæ aqtus, inquit, tam gummi modo concreſcere: è quo Meſuem nihil diſſentire comperio. Credidit Auerroes, & poſt eum alij quam plurimi, Mannam veteribus, præſertim Galeno, incognitam fuiſſe. Quibus illud reclamat, quod ipſe Galenus ſcriptis tradidit libro III. de alimentorum facultatibus, capite de melle, ſic dicens. Memini aliquando cùm æſtate ſuper arborum, ac fruticum, herbarumq; folia mel quàm plurimum fuiſſet repertum, agricolas velut ludentes ceciniſſe, Iupiter melle pluit. Præceſſerat autem nox, vt per æſtatem, ſatis frigida (nam tum tempus anni æſtiuum erat) pridieq; calida, & ſicca fuerat aeris temperies. At qui peritis naturæ interpretibus, halitus è terra, & aquis prodeuntes, ſolis calore exactè attenuati ac cocti, à frigore ſecutæ noctis in vnum coacti, ac denſati fuiſſe videbantur: ſed apud nos rarò id accidit: in monte autem Libano quotannis perſæpe. Itaque coria ſuper terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt, & ollas ac fictilia melle implent, vocantq; id roſcidum mel, & aerium. Hæc Galenus de Manna memoriæ prodidit. Ex quibus eorum error deprehenditur, qui putant hanc ei fuiſſe incognitam. Exiſtimandum igitur eſt, quòd hinc Arabes ſuum deduxerunt Tereniabim, præſertimq; cum ſcribat Serapio, hoc ab eis mel aerium appellari.

Mannæ hiſtoria ex Galen. Pli. & Theo.

Huius etiam meminit Plin. li. vndecimo cap. 12 his verbis. Venit mel hoc ex aere, & maximè ſiderũ exortu, precipueq; ipſo ſyrio explendente ſit, nec omnino prius vergiliarum exortu ſublucanis temporibus: itaque cum prima aurora, folia arborum melle roſcida inueniuntur. At ſi qui matutino ſub dio fuere, vnctas liquore veſtes, capillumq; concretum ſentiunt. Siue ille eſt cæli ſudor, ſiue quædam ſiderum ſaliua, ſiue purgantis ſe aeris ſuccus, vtinam eſſet & purus, ac liquidus, & ſuæ naturæ, qualis defluit primò: hactenus Plinius. Sed tam antiqua Manna res eſt, vt ante Galenum, & Plinium, eius etiam meminerit Theophraſtus Heſiodi auctoritate, libro III. capite nono de plantarum hiſtoria, his verbis. Sin autem auctore Heſiodo, mella, apeſq; quercus ferat, magis quoq; illud confirmatur. Ergo naſcitur vel hic melleus humor è cœlo cadens, in hac maximè inſidens.

Plinius.

Mannam vtriuſq; conſiſtentiæ è cœlo demiſſam vidimus in Comitatu Goritienſi, vniuerſoque Foroiulienſi agro, ac circumuicinis locis, Anno à CHRISTO nato M. D. XLVI. Maio & Iunio menſibus: fuitq; mihi ambarum colligendarum ampliſſima facultas. Siquidem ea, quæ fici, fraxini, & orneogloſſi frondib. inhæſerat, gummi modo concreuerat, colore candida. At quæ ſuper amygdalo, perſicæ ac quercus folia deciderat, mellis modo liqueſcens ab arbore defluebat, flauo colore. Quo factum eſt, vt facilè crediderim, quòd non ſui ipſius facultate gummi modo Manna concreſcat, ſed foliorum, in quibus delapſa recumbit: quare ab Arabibus diligentiſſimè perſpecta, vtriuſq; Mannæ hiſtoriam diuerſis per ſe capitib. ſuis monumentis prodidere.

Manna in comitatu Goritienſi, & foro Iulii.

Cecidit quoq; è cœlo Manna admodum copioſa, maſticheſq; grumis ſimilis, agro Tridentino, in Ananienſib. montibus, & præſertim ſuper larices arbores, vt teſtari poſſunt Clariſſ. Medicus Iulius Alexandrinus & Petrus Spezzalancius pharmacopœus Ananiens: quippe qui huiuſce Mannæ, quam ipſemet legerat, ſelibram fere mihi Goritiam miſit, quo ſit, vt hinc, & ex cæteris, quæ præmiſimus, manifeſtò deprehenderim non parùm aberrare Donatum Altomarum medicum inſignem, cùm is plurib. contendat verbis, Mannam quæ in Apulia & Calabria è fraxineis legitur folijs, è cœlo haud quaquam decidere, ſed ex ipſa & planta exſudare. Atqui tametſi id illi verum eſſe videatur, ego tamen concedam nunquam, Mannam, quã è lariceis folijs legerunt Ananienſes è larice ipſa exudaſſe, cùm nihil prorſus reſinoſi reſiperet: quin etiam quòd non ſolùm in arborum folijs ſpectetur, ſed etiam in pratis, adeo, vt fœniſecæ præ manna à Sole diſſoluta, falces ab herbis nequiuerint explicare. Fuit itaq; hæc profectò Cœleſtis Manna, perinde ac illa, quam ego proprijs manib. legi in agro Goritienſi, & alij perplures legerunt in circumſtantib. locis.

Manna in agro Tridentino è cœlo delapſa, contra Altomarum.

Sed profectò non admittenda, quin potius explodenda videtur ſententia Monachorum, qui in Meſuem commentarios ſcripſere, cùm pro certo aſſerant, ſirio ardente Mannam non ſolùm roris modo ſuper arborum & herbarum folia reperiri, aeris & cœli clementia: ſed etiam arboribus fraxino. ſ. & orneogloſſo abſq; aliquo cæli rore, gummium modo inciſo earum cortice, in lachrymas concreſcere. Quod tamen vt à rei natura, ita etiam à ratione, & à veritate abhorrere putauerim. Siquidem ea Manna, quæ inciſo harum arborum cortice in Apulia, & Calabrienſi agro hac ætate canicularibus dieb. collachrymare cœpit, nullus quidem plantæ liquor eſt, ſed ipſa eadem Manna, quæ dieb. ſuperiorib. eaſdem in arbores ab aere deciderat. Nam cum illis regionib. vſu veniat, quòd præ cæteris prædictæ arbores eo mellifluo rore affatim abundeq; madeſcant, ſitq; cortex ſolis ardore nimio ſitiens, ac rimoſus, magnam liquoris quantitatem intra ſe abſorbet. Quo ſit, vt poſtmodum exurente canicula, inciſo eodem cortice idem liquor exiliat, & in grumos concreſcat: qui tamen cùm leues fungoſiq; ſunt ob arboris ſucci miſtionem, infeliciter operantur, nec alterius Mannæ virib. correſpondent.

Monachorũ opinio exploſa.

Quòd autem id tantùm fraxino, orneogloſſoq; eueniat, cùm melleus ille ros in vniuerſum omnes occupet plantas, in cauſa eſt harum arborum nobis occulta poteſtas, vt magnetis ad ferrum, & ſuccini ad paleas: quippe omnib. clarum eſt, apud Calabros, & Apulos ſolam fraxinũ & congenerem orneogloſſum Mannã in ſe contrahere, retinere, denſare, ac cohibere: ex alijs verò arborib. eandem ſtatim defluere, & in ſubiectas herbas, petras, ſolumq; diffundi. Quare ab his duntaxat arboribus inciſo cortice, non ſanè primò, & ſecundum naturam, ſed ex accidenti defluit Manna. Verùm optimi illi patres contenti (ni fallor) cortice, internas illarum arborum partes penetrare neglexerunt: at incolæ, qui ex maiori huius liquoris prouentu, plus auri referunt, rei naturam diligentius inueſtigarunt. Monachorum ſententiæ aſtipulatur Altomarus, cùm ipſe ſibi perſuadeat communis vſus Mannam, nihil roſcidi cœleſtiue liquoris continere, ſed tantùm eſſe: quod etſi multis conatur ipſe comprobare, cum tamen plura ſint quæ non conſentiunt, id ego examinandum ſapientioribus relinquo.

Manna ſectę arborum cortice manans.

Cæterùm ex his, qui thuris Mannam cæleſtem hanc eſſe crediderunt, vnum Crinitum Florentinum fuiſſe comperio: in cuius cenſuram Manardus Ferrarienſis libro I. ſuarum epiſt. peculiarem epiſtolam conſcripſit. Veruntamen venia illi danda eſt, cum & Serapio, qui Mauritanis omnib. in ſimpl. medic. hiſtoria præſtitit, thuris Mannam cum cæleſti inepte confundat. Meminit Mannæ inter alios Græcos etiam Actuarius lib. de medic. compoſitione, ibiq; de eius viribus ac facultatib. diſſeruit.

Petri Criniti error.

Serap. lapſus.

Manna tam Auicennæ quàm Meſuis teſtimonio, æquali ferè temperamento conſiſtit, licet ad calidum paululum inclinet: at Auerroi calida, humidaq; habetur. Aluum deuorata, aut hauſta ciet, per ſe tamen imbeciliter. Ideoq; tum fœminis vtero gerentib. tum pueris ipſis tutò ſemper exhiberi poteſt. Alijs medicamentis addita vires eorum auget. Bilem facilè educit: ſitim extinguit: aperit, emollit, læuigatq; gulæ, pectoriſq; partes. Quæ ex Alexandria Aegypti affertur Maſtichina vocata, vno dũtaxat anno in ſuis virib. perſiſtit: ſed quæ in Italia prouenit, præſertimq; Calabriẽſi agro plurib. annis incorrupta perdurat.

Mannæ temperamentum & vires.

Enimuero Fuchſius medicus noſtra ætate & doctrina, & rerũ cognitione clarus, in li. de compoſitione medicamentorum, quem ſecundò auctum excudit, Mannam à medicorum vſu explodere conatur his verbis. Manna leuem certè, aut ferè nullam ſoluendi, aluumq; ſubducendi vim habet, quod iis compertum eſt, qui iuxta Libanum fuerunt: nã referunt indigenas eius mõtis, cùm abundè ea ſatiẽtur, nihil tamen lædi, aut aluũ ſibi quoquo pacto ſubduci ſentire, ſed ea tanquã obſonio nutriri. Quapropter cùm melli quodammodo ſimilem facultatem habere conſtet, facilè ea carere liceret, modò peregrinorũ admiratione nõ ita duceremur, neq; ſtulti, contẽptis noſtratib. è lõginquis regionib. allatis vti potius, quã iis, quæ noſtris in hortis proueniũt, mallemus: ſed ſtultitiæ noſtræ, temere ſumptus immodicos faciẽtes, cõdignas damus pœnas: hæc Fuch. Quibus nimirũ verbis liquet eũ velle vſum Mãnæ prorſus adimi, atq; ipſum ad medicã deferri quã noſtrũ

Fuchſii opinio reprobata, Mannam explodere conantis.

*noſtris in regionib. proueniunt: vtinam aquè commodè & tutò fieri poſſet iſta commutatio, vt ſaltem, quod ipſe vehementer cupit, immodicis ſumptib. parceremus. Sed quoniam rationes, quas affert, non ſunt ea, quibus perſuaderi poßimus, idcirco cogor in hoc eius ſententia reſragari: namq; quod Manna aluũ ſubducat, & eam quidē innocue, non ſolùm cõuenit inter auctores, qui hactenus de illa ſcripſerunt, ſed ita etiam quotidiana experientia docet: ſiquidem duarum & ſemis vnciarum pondere data aluum perbellè deijcit, & priuatim bilem educit. Quod autem Libani montis indigena Manna non vt medicamento quod purget, ſed vt obſonio, quod nutriat, vtantur, quis tam facilè vt Fuchſius, referentibus credet? cùm nos quotidie contrarium experiamur, aut ſi credat, non aliquam facti illius rationem adinueniet, qua vt decet, experimentum tueatur? certè nullus, ſi rectè iudico. Vt autem medicamenta peregrina aboleſcant, qua mitißimam ſoluendi vim habent, inter qua iamdudũ Manna principem ferè locum obtinet, vtemur noſtratibus, & fortaſſe lathyri, pityuſa, tithymalis, bryonia, & aliis huiuſmodi, qua paßim naſcuntur in hortis & campeſtribus, atq; vim lethiferam ac pernicioſam ſortita ſunt? abſit, meo quidem iudicio. Malim ergo in hoc ſequi exemplum Dioſcoridis, Galeni, & aliorum tum Gracorum, tum Arabum probatißimorum auctorum, quam alterius quicunq; ſit, illi enim non contenti ſimplicib. medicamentis qua ſuis in locis naſcebantur, peregrinis etiam vti voluerunt: quos tamen tãtum abeſt, vt ſtultos dicamus, vt etiam ſapientes iudicemus. Quare non potui ſatis mirari Fuchſium ita malè de Manna ſenſiſſe, quam omnib. eo excepto, perſpicuum eſt ſine moleſtia ventrem purgare. Equidem optarem, vt ij, qui alicui medicamento vſum abrogare ſtudent, vel id aquius & modeſtius agerent, aut è noſtratib. ea proferrent, qua eandem vim praſtare poſſent: neq; enim ego is ſum, qui peregrina noſtratib. praferre velim, modò hac cum illis virib. certare valeant.* Λίβανος καὶ λιβανωτὸς *id Gracis dicitur, quod Latinis* Thus: *Arabibus, Ronder, Conder, aut Kateth: Italis, Incenſo: Germanis,* Weyrauch: *Hiſpanis, Encienſo: Gallicis, Encens: Bohemis, Kadidlo.*

Peregrinis medicamentis etiã vtendum.

Nomina.

† ἄτομος. *Hac dictio hic, & paulò poſt legitur in vulgarib. Gracis codicibus: qua in primo loco thus natura rotundum inſignitur, in ſecũdo verò arte tale factum cognominatur. Sed quia abſurdum videbatur Marcello, Dioſcoridem vſum fuiſſe homonymia, ideo mutauit lectionem, alterum. ſ.* ἄτομον ἔντομον, *ad rem nomen accommodans. Quam tamen lectionis mutationem minimè probat Manardus, qui praterea dubitat quomodo atomos Latinis ſit reddendus. Ha difficultates mihi quidem videntur ab Oribaſio ſublata lib.* XII *vbi primò non* ἄτομος, *ſed* ἄτμητος *legitur, qua vox ſine controuerſia illaſum, atq; non ſciſſum thus facit: ſecundò verò nihil legitur, quod argumento eſt, atomum ſecundum accreuiſſe Dioſcoridi. Legitur autem* τύαγρος, *qua vox vt eſt illius factitij thuris cognomentum, Oribaſio teſte legitimum, ita non mutanda videtur.*

† *Hic vulgaris lectio habet,* ὁ ἀραβίας, καὶ ὁ ἐν σμίλῳ, ὅν ἔνιοι κοπίσκον καλοῦσι. *id eſt: Arabias, & in Smilo naſcens quod aliqui copiſcum vocant. Marcellus non* ἀραβίας, *ſed* ὀρόβιας *legit. Cui lectioni adſtipulatur Oribaſius libro* XII. *vbi* ὁ ὀρόβιος *tantùm, reliqua verò vt addititia non leguntur.*

† *Exemplaria Graca vulgata hoc in loco legunt* μεθοδευόμενος: *qua vox, in itinere, à Ruellio, & artificiosè conformatum, vertitur à Marcello. Sed equidem eam aduentitiam putauerim, quòd non legatur ab Oribaſio.*

Thuris nomen.

Thus dictum aut á Græco θύος ſacrificium notante, aut à tuſis glebis, λίβανος à λείβω ſtillo: licet Græci fabulétur á iuuene Aſsyrio huius nominis, quòd Deos ſtudioſiſſimè coleret, ab inuidis occiſo (hinc nihil eſſe Diis thure gratius) in hanc fruticem conuerſo dici. Arbor Galeno λίβανος καὶ δενδρολίβανος: lachryma verò λιβανωτὸς, quæ Hippocrati λιβανώτου κάρφος dicitur. Præter Theophraſtum & Plinium, de thure multa ſcriptis tradidere Diod. Siculus lib. 3. & 6. antiq. Solinus cap. 36. Strabo & alii antiquiſſimæ fidei hiſtoriographi. Sed recentiores aliter arborem thuris deſcripſere: Thenetus qui iconem ponit tomi. Coſmog. lib 4. arborem thuriferam pinus reſiniferas referre, ſuccum (ipſum thus) fundere qui tempore dureſcat, cum quo granula reperiantur arenæ aut ſabulo ſimilia, quæ ſint Manna thuris. Garzias arborem humilem ſcribit foliis Lentiſci, alteram montanam, à qua laudatiſſimum thus: alteram in planis naſcentem, quæ nigrum & improbum thus fundat. Verum ex aduerſariis folium adpoſuimus quod ab imo pediculo ad ſummum vſq; duplicatum, quaſi ex geminis tenuibus tunicis conflatum, vagina ſeſquipalmum longa inſtar infundibuli hiantis, supernè galeata. Differentiæ plures, colore & magnitudine grumorum variantes mixtim adferuntur I. Indicum maximis glebis conſtans, ex liuido nigricans, candicantibus aut flauis maculis nigricans. II. Mammoſum, multis oblongis guttis denſatis pendularum mammarum figura compoſitum, quod flauum & ſtagonia cognominatur. III. Maſculum, paruis rotundis candicantibus, aut flauuis granis, partim ſingulis, partim geminis cohærentibus cõſtans: IV. Orobia, granulis minimis, eruo æqualibus, globoſis, colore maſculo ſimili. Eligendum authore Gal. 5. Meth. magis tenax & reſinoſius, hoc enim mollius & albidius: tum quod manſum, ritu aloes & mannæ non comminuitur, ſed velut maſtiche partes habet cohærentes. Mannam veró Thuris, Græci etiam ὑπόσεισμα à concuſſu dixerunt, & veteres Latini pollinem Thuris quoq; nominarunt, cúm veterum Manna, ſit lachrymæ thuris pollen & farina, quæ crebro motu ac concuſsione atterentibus, vt loquitur Aetius, ſe glebis eliditur: differe autem à Thure docuit Galenus 4. de compoſ. medic. ſecundum loca 4. ſic 5. & 13. Meth. meden. vbi Mannam magis ipſo thure adſtringere ſcribit: quod dubio procul ob corticis thuris admixtionem contingit. Fuligo dicitur Gazæ fauilla: Galeno λιγνὺς: ſunt qui & ἡμισώματα ſemicorpora appellent, eſt tenuis fumus reſolutus ex quacunq; re pingui incenſa, impoſito quodam concauo vaſe exceptus: qui ex omnibus reſinoſis & oleoſis rebus fieri poteſt: modum conficiendi docuit Dioſcorides, oſtendit & Aetius lib. 1. at plenius in liquidæ picis fuligine declaratur. Quæ ſit in ipſis differentia, quæ ſpeciatim ab vſta materia obuenit, & quis vſus, Galenus 7. ſimplicium explicauit.

Thuris arbor

Thuris differentiæ.

Manna Thuris.

Fuligo thuris.

## Πεύκη καὶ Πίτυς. PINVS, ET PICEA. CAP. LXXIIII.

PINVS ET PICEA generi eidem aſcribuntur, ſed quandam flagitant ſpecierum diſtinctioné arbores vulgò cognitæ. Quarum cortex adſtringit: prodeſt tritus, & illitus intertrigini, vlceribus ſummum corpus occupãtibus, ambuſtiſq; cum ſpuma argẽti, & manna: vlcera delicatulorũ acrimoniá recuſantium cerato myrtino exceptus ad cicatricem perducit: tritus cum ſutorio atramento ſerpentia cohibet: ſuffitu partus, & ſecundas eiicit: potus aluũ ſiſtit, vrinam mouet. Folia eorũ trita, & illita inflãmationes leniũt, vulnera ab inflam. vindicãt: trita aũt, & decocta in aceto feruẽti collutione dẽtiũ dolores mulcẽt: hepaticis

vtilia

vtilia ſunt drachmæ pódere in aqua, aut mulſa pota. Piceæ nucis cortex, & folia potu idem præſtant. Teda earum particulatim ſecta, ſi in aceto coquatur, & decocto dens colluatur, dolores leuat. Ex his etiam fit ſpatha acoporum, peſſorumq; compoſitionibus idonea. Quinetiam earum crematarum fuligo ad librarii atramenti confectionem excipitur: ea circumlitionibus efficaciſsimè imponitur, quibus palpebras ornant, coloremq; mentiuntur, calliblephara Græci vocant: arroſis oculorũ angulis: calloſis, glabriſq; genis, & collachrymationibus opitulatur. Pityides a appellantur pinorum, piceæq; fructus, qui in conis inueniuntur. Vim aſtrictoriam habent, & aliquantulum excalfacientem: tuſsi, & pectoris vitiis auxiliantur per ſe, aut ex melle ſumpti. Nuces pineæ cum repurgatæ manduntur, aut cum paſſo, aut cucumeris ſemine bibuntur, vrinam cient: acrimonias in renibus, & veſica hebetant: ſtomachi roſiones leniunt: datæ cum portulacæ ſucco, virium infirmitatem roborant, corruptorum quoq; humorum labem obtundunt. Pineæ nuces integræ recenter arboribus decerptæ in paſſo franguntur, & decoctæ, vetuſti tuſsi ac tabitudini conferũt, ſi quotidie ex eo liquore terni cyathi bibantur.

a appellãtur pinorum, piceæque fructus, ita habent omnia exemplaria quæ vidi; ſed locus eſt mihi ſuſpectus, nam puto aliunde irrepſiſſe in conte. καὶ τῆς πεύκης.

*NOſtræ nimirum negligentiæ adſcribendum foret, cùm nos aſsiduè habeant pinorum, abietum, picearum, & laricum ſyluæ, niſi harum omnium ampliſsimam, veramq; hiſtoriam traderemus: eoq; magis ad hoc teneri videor, cùm animaduerterim Plinium, recentiorumq; nonnullos eum ſecutos, in huiuſcemodi plantarum hiſtoria, quæ reſinas fundunt,*

PINVS SYLVESTRIS MONTANA.



I. PINVS DOMESTICA.



*longè ab eo diſſentire, quod in Tridentinis montib. noſtris oculis perſpectũ, apud alios etiã teſtatum relinquere poſſumus. Rem itaque à Pinu exordiens, inuenio Theophraſtum lib. III. cap. X. de plantarum hiſtoria, duas Pini ſpecies adnotaſſe, domeſticam alteram, alteram verò ſylueſtrem: huiusq; in maritimam, & montanam diſtinctionem feciſſe, hiſce verbis. Pinorum aliam vrbanam, aliam ſylueſtrem aſsignant. Sylueſtris binum ſtatuunt genus, quorum alteram Idæam, alteram maritimam vocant. Harum rectior, celſior, materieq; craſsior Idæa: folio imbecilliori, tenuiorq; maritima, & cortice leuiori, vtiliq; ad coria, quod alteri minus. Nux maritima rotũda, breuiq; dehiſcens: Idæa oblongior, viridis minusq; hiſcens tanquã ſylueſtrior: hactenus Theophra. Verùm nõ deſunt, qui cõtendant Theophr. hæc de picea ſcripſiſſe, non autẽ de pinu: ea nimirũ ratione freti, quod πεύκη de qua hic diſſerit Theophr. Græcis piceã, non pinum ſignificet. Quamobrem Petrus Bellonius Cenomanus communẽ Græcorum ſententiam ſecutus, libro, quẽ arboribus coniferis dicauit, id totum piceæ arbori reddidit contra Theodori interpretationem, quod Theophr. περὶ πεύκης Græcè ſcriptum reliquit. Sed equidem hac in re Bellonium (pace viri boni dixerim) hallucinatum arbitror, non quod propterea eum Græci ſermonis imperitum iudicem, ſed quòd mihi videatur non diu verſatus in Theophraſti & Galeni lectione, aut de plantis ijs ſcripſiſſe, quarum non certam habuit cognitionem: nam plura ſunt, quæ eius opinioni refragantur. In primis mihi quidem non dubium eſt, quin veteres Græci πεύκην pro pinu, & πίτυν pro picea vſurpauerint. Neque certè veriſimile eſt Theodorum, Theophraſti interpretem natione Græcum, & linguæ tum Græcæ, tum Latinæ peritiſsimum, ignoraſſe quid per illa tam vſitata & trita vocabula intelligerent Græci ſcriptores. Deinde Theophraſtus ipſe τῆς πεύκης nucem ϛρόβιλον vocat: ex quo palam fit, eum nomine πεύκης de pinu, non autem de picea ſcripſiſſe. Quandoquidem ϛρόβιλος non aliud deſignat, quàm nucem pineam, vt aperte declarat Galenus libro ſecundo de alimentorum facultatibus his verbis. Nux pinea boni ac craſsi eſt ſucci, multumq; nutrit, non tamen facilè coquitur. Appellant autem Græci ipſam non κῶνον ſed ϛρόβιλον.*

Pini hiſtor. eiusq; genera.

Petri Bellonii opin. exploſa.

II. PINVS SYLVESTRIS
Montana.



Idem libro de cibis boni & mali ſucci, ita ſcribit. His ipſis plus craßi, non autem mali ſucci habet nucleus pineus, qui κῶνος (sic) vocatur, ipſum verò etiam ϛρόβιλον veteres appellant. Item lib. VII. de ſimplicium medicament. facultatibus ſic inquit: Coni fructus, quem quidem & coccalon nominant & ſtrobilon, &c. Ad hæc commentario quarto de victus ratione in morbis acutis apud eundem hæc ſcripta leguntur. Nempe κόκκαλος ab Hippocrate dictus, non ita, ſed κῶνος magis ab antiquis Græcis appellatur, veluti à recentioribus medicis propemodum omnibus ϛρόβιλος. Galeno denique adſtipulatur Simeon Sethi, vtpote qui nucleos pineos κωνάρια τοῦ ϛροβίλου etiam nominet. Ex quibus vtiq; conſtare puto contra Bellonij opinionem, Theophraſtum ſub πεύκης vocabulo pinum deſcripſiſſe, non piceam. Nam ſi Theophraſto peuce ſtrobilum profert, quem Galenus inter cibos connumerat, non video quomodo is piceæ fructus eſſe poßit, cuius nuclei non ſunt edendo, Bellonij etiam teſtimonio. Quòd inſuper hoc loco per πεύκην pinum intelligat Theophraſtus, illud maximo eſſe poteſt argumento, quòd nuſquam picea viſa ſit vrbana, niſi fortè è ſylueſtrium ſemine ad ſpectaculum in hortis ſata. Cuius tamen contrarium deprehenditur in pinu, quæ domeſtica atq; vrbana frequentißima conſpicitur. Hinc porrò factum eſt, vt Bellonius ſua ductus opinione, ex hoc in alium quoq; errorem inciderit: quippe illud falſum eſt, quòd ex teda piceæ fiat pix, vt Bellonius aſſerit, perperam, meo iudicio, Theophr. hoc loco interpretatus. Siquidem rara admodum eſt picea, quæ tedam habeat: atque pix omnis, cuius eſt vſus, ex pinea tantùm teda conficitur in Italia, quemadmodum & in Bohemia, vbi ingentißimæ ac frequentißimæ ſunt pinorum ſyluæ. Sed iam ad legitimam, veramq; Pini hiſtoriam venio, quæ ſic habet. Pinorum duo genera. Alterum domeſticum, alterum ſylueſtre. Domeſtica Pinus numeroſos fundit ramos in proceri caudicis ſummitate circumuagantes, comoſis ac firmis folijs, in cacumine aculeatis, & in longitudinem protenſis, anguſtis. Nuces edit magnas, ponderoſas compactas, ſolidas, in quibus nuclei concluduntur oblongi, ac duris putaminibus concluſi, nigra quadam fuligine obductis. Interior nucleus tenui tunica circumtegitur, flauo colore, quæ digitorum attritu facilè expellitur: ſapor illi dulcis ac iucundus: ſubſtantia pinguis; oleoſaq;. Habetur copioſa domeſtica Pinus in agro Rauennate, non longè ab Adriatici maris littore: habetur & in alijs Italiæ locis, & præſertim in cœnobiorum hortis & viridarijs. Syl-

Pinorum ſpecies, & conſideratio.
Pinorum hiſt.

III. PINVS SYLVESTRIS MVGO.
Pinus Mugus.



Pinus mughus
Sturb.
Spr.

IV. PINVS SYLVESTRIS
Cembro.



aestrium
Pinus Cembra
Sturt
Spr.

Syluestriũ pinorum varia genera.

ueſtriũ varia ſunt genera, quæ in alpina & maritima partiũtur. Alpinorũ tria genera. Excelſius cæteris primũ, quod copioſiſsimũ habetur, in omnib. Bohemiæ Sileſiæ & Poloniæ ſyluis, ac etiã in Tridẽtino agro, cum in Ananienſibus, tum etiam in Flemenſibus montib., è quibus ſyluani homines picẽ perpetuò parãt. Pinus hæc omnib. ſuis notis domeſticæ ferè ſimilis, coma tamẽ breuiori, folijs rudiorib. & acutiorib. eſt, ſed minores edit nuces: ſunt enim cupreſsinis paulo maiores, longiores tamen ac compactiores & in acutũ deſinentes, ſquamarũ cõgerie domeſticis nucib. per omnia ſimiles, reſinoſæ, ac odoratæ, autumno dehiſcẽtes. Secundũ genus Mugũ Ananienſib. appellatum, quo Rouena mons in ſummitate abundat, caudicem nullum edit, ſed humotenus ramos à radice fundit, qui humi perpetuò repunt, decem, quindecimve cubitorum ſpatio. Fructum profert prædictæ ſimilem, vel paulò vegetiorem, ac reſina magis obductum, odoris non ingrati, nullo intus nucleo, qui mandi poſsit. Huiuſce ramis vtuntur incolæ ad vaſa vinaria cingenda. Nam præter id quòd longiſsimi habentur, flexiles, ac tenaces admodum ſunt. Tertium quod Tridentini & Ananienſes Cembro, & Cirmulo vulgò vocant, prouenit frequens in Tridentino agro, tum in Gauia Phœbeæ vallis, tum in Flemenſibus, Vulturenæ, & Rhetinorum montibus, & in Comitatu Tyrolenſi, non longè ab Oeniponte. Id ſpecioſa ſatis prouenit proceritate, ita, vt ad tabulas parandas materiam non modo pulcherrimam præbeat, ſed etiam odoratam, attamen non tam procerum eſt, vt alterum genus, nec caudicis cortex, vt in cæteris pinorum generibus, flaueſcit, ſpiſsiori tamen ac tenuiori coma. Huius fructus Piceo craſsitudine æquè ſimilis eſt, breuior tamen, reſinoſus, colore ſubpurpuraſcente, omniumq́; fragilior. Concluduntur inter eius nucamenta nuces, domeſticis longè minores, triquetræ, breues, fractu faciles, vt quæ dentibus facilè cedant: ineſt his nucleus puſillus, dulcis, albicans ſub ruſa contectus membrana, non ingratus eſui: ſapore quadantenus domeſticas referentes, niſi quòd guſtui quandã leuiculam relinquunt aſperitatem, quod omnium ſylueſtrium eſt proprium.

Pinus Mugo.

Pinus Cembro.

Pinus Tarentina.

Quo facile adducor, vt credam hanc plantam Pinum eſſe Tarentinam, de qua libro xv. cap. x. meminit Plinius, digitis (vt ille inquit) fragili putamine, auiumq́; expoſitum furto in arbore. Etenim ita eæ nuces fragiles ſunt, vt non difficulter ab auibus roſtro frangantur. Manat etiam ex hoc genere reſina, tum alba, tum odorata, veluti ab alijs ſui generis plantis. Tabulæ ex his paratæ ad extruenda ædificia Germanis plurimi ſunt, non modò quòd pulchra materie, & venarum ſerie placeant, ſed quod etiam vt diximus, odoris fragrantia præſtent. Idenim ad eorum hypocauſta paranda, quibus maximè ob frigidiſsimam regionis temperiem, & indigent, & vtuntur, plurimum affert ornamenti, ac etiam ad alia ædium ornamenta. Marinorum duplex obſeruaui genus, nucum tantum magnitudine ac paruitate differens, vt ex appictis hic imaginibus quiſque facilè conijcere poterit. Primum genus folia habet anguſta, prælonga, raraq́; in capillamenti modum protenſa, ſquamoſis vbiq́; ramis, iulis ſurſum ſpectantibus. Conos edit cæteris ſylueſtribus longiores, craſsioreſq́;, præduros, nucamentis in acutum extuberantibus, in quibus inanes concluduntur nuces. Prouenit in maritimis Italiæ, agro cum Piſano, tum Senenſi, & (vt audio) apud Calabros. Secundum genus, comoſior huic opaciorq́; quam alterius, ſed breuioribus capillamentis. Strobilos profert maiores, longiores, duriores, ac pulchriores, prominentibus vndiquaque nucamentis, vacuis intus nucibus, ac ſuperuacuis. Naſcitur haud longè à mari, iiſdem ferè vt altera locis. Omnia in vniuerſum genera reſinam albam, & odoratam mittunt, in tedam vertuntur, & picem nigrã fundunt. Cæterùm his quæ de ſylueſtrium pinorum generibus ſcribit Theophraſtus, in noſtro climate refragatur, quæ ſenſibus clariſsimè patet experientia: ſiquidem agreſtes, quæ plurimæ in maritimis noſtris Senenſibus proueniunt, fructum ferunt ſpithamæ oblongum, pyramidalem, firmum, ac ſolidum, nec per ſe facilè dehiſcentem. Quæ verò numeroſæ vireſcunt in Ananijs, reliquiſq́; Tridentinis montibus, ac etiam in Bohemia, Morauia, Poloniaq́;, fructu conſtant paruo, breui, qui quàm primùm aruerit, affatim dehiſcit, & ex arbore decidit. Sed id euenire exiſtimamus, climatũ & regionum varietate, vel etiam quòd maritimæ plura ſint genera.

Bellonii alia opinio exploſa.

Bellonius, cuius paulò antè meminimus, libro de arboribus reſiniferis hoc pini genus (quantum ex eius verbis colligere potui) pinaſtrum eſſe cenſet. Sed non rectè, mea quidem ſententia: namq́; pinaſter, Plinio lib. xvi. cap. x. auctore, nihil aliud eſt, quàm pinus ſylueſtris, mira altitudine, gigniturq́; non modò in montibus, ſed etiam in planis, Bellonio verò contra, pinaſter pino humilior eſt: & plana, & montium ſupercilia prorſus reſpuit, nec alibi prouenit, præterquàm in excelſiſsimis montium iugis. Huic profectò vt quis adſtipularetur, fortaſſe ex eo adduci poſſet, quod peregrinationi quã ille in Aſiam, Græciam, Syriam, Aegyptũ, aliaſq́; regiones ſe feciſſe fatetur, plura tribuere vellet, quàm probatiſsimorum authorum ſcriptis, quibus ſæpe Bellonius perperam refragatur, ita vt ſuam putet auctoritatem illis præferendam eſſe. Sed ego miror, quod mihi relatum ſit virum hunc eſſe vulgaris peritiæ, neque tot loca peragraſſe, quot eius ſcripta perhibent. Quod autem ad rem noſtram attinet, Bellonius vbi pinaſtri hiſtoriam exorditur, hanc pinaſtri vocem ex verſione Latina frequenter legiſſe ait apud Theophraſtum, ſed non propterea Theophraſtum eam agnouiſſe plantam, quòd non naſcatur in Græcia, aut Aſiæ montibus: atque ideo nullum eſſe ex Græcis authoribus, qui de pinaſtro, aut pinu ſylueſtri meminerit. Sed quanta ſit huius boni viri arrogantia, & in Græcorum authorum lectione negligentia, antea explicauimus, vbi ex Theophraſto ſcripſimus duo eſſe pini genera, vnum vrbanum, alterum ſylueſtre. Veruntamen ſi is mordicus ſuam tenuerit opinionem, quòd ſcilicet Theophraſto πεύκη piceam ſignificet, non pinum, & quòd ex conſequenti idem hic de picea ſylueſtri ſit locutus, demus illi ita eſſe, quid reſpõdebit ad illa Theophraſti loca, in quibus πίτυς ἀγρία legitur? mehercule nihil, quantum reor. Subijciamus ergo quæ Theophraſtus lib. III. cap. IIII. de plantarum hiſtoria in cenſu arborum quæ in montibus naſcuntur, contra Bellonij ſententiam poſteritati memoriæ prodidit, ijs verbis. Ἴδια δὲ τὰ τοιάδε τῶν ὀρεινῶν, ἃ ἐν τοῖς πεδίοις οὐ φύεται· περὶ τὴν Μακεδονίαν ἐλάτη, πεύκη, πίτυς ἀγρία. hoc eſt. Montib. autem propria ſunt illa, quæ in planis non proueniunt. Macedoniæ abies, picea, pinaſter. Addamus præterea quæ eodem capite, vbi plantarum meminit, quæ perpetuo virent, idem ſic habet. ἀείφυλλα μὲν οὖν τῶν ἀγρίων, ἃ καὶ πρότερον ἐλέχθη. πεύκη, πίτυς ἀγρία. id eſt Ergo inter ſylueſtria perpetuò virent, quæ primo volumine retulimus, abies, picea, pinaſter. Ex his itaque manifeſtum fieri arbitror, Bellonium multa in Theophraſto oſcitanter legiſſe, plura etiam temere & falſo ſcriptis tradidiſſe: vt hunc ipſum inanis gloriæ, vel alicuius dignitatis cupidum potius, quàm veritatis ſtudioſum fuiſſe facilè iudicem.

Anguillarij lapſus.

Nec minus hallucinatus in his cenſendis reſiniferis arboribus videtur Anguillarius, quippe qui tantum ſua ipſius ductus opinione, nullis adductis rationibus, nec autorum teſtimonijs, Montanam ſylueſtremve Pinum, ac eam quam Mugum vocari Ananienſibus diximus, picearum generi aſcribit, cum tamen hæ à pinis alijs quibuſcunque, niſi magnitudine, & conorum exiguitate differant, cæteris nihil diſſentientibus. Nam omnibus eadem facies, eadem folia, iidem flores, eadem germina, eadem ligni materies, idem cortex, eadem reſina, idem odor, idemq́; ſapor. Adde etiam quòd hæc omnia pinorum genera in tedam vertantur & picem copioſiſsimam fundant, quod omnium ſcriptorum conſenſu pinorum proprium eſt, non picearum. Nec minus decipitur in cenſenda Tarentina pinu, quam quibuſdam vocari Cembro diximus. Quippe is hanc, ſua tantum ſententia ductus, Montanam pinum eſſe cenſet: ſed cùm inter cætera pinorum genera, tam ſylueſtrium, quàm vrbanarum, nulla habeatur pinus, quæ fragiliori ſit fructu, quàm hæc, cadit, peritq́; Anguillarij ſentẽtia: namque Theophraſti teſtimonio ſylueſtris Montana pinus, nucem edit Maritima compactiorem, durioremque, ac minus dehiſcentem, tan-

V. PINVS MARITIMA.



VI. PINVS MARITIMA II.



*quam ſylueſtrior, ac robuſtior. Cætera quæ plurimũ huiuſce hominis ſententiæ refragãtur, ſi quis audire deſiderat, legat epiſtolam priorem noſtrã ad Clariſſ. Medicum Vlyſſem Aldrouandum: ibi enim plura ſanè reperiet, quæ ante à nemine de pino*

Plinij lapſus.

*& picea vſquam ſunt explicata. Cæterum non potui non admirari dixiſſe Plinium, ſcandulas è pino ad contegendas domos ex omnibus, quæ reſinam fundunt, arboribus aptiſsimas eſſe, cùm laricem non ignoraret materiei præſtantia, duritie, & firmitate, nulli æquiparandam eſſe. Præterea ſcribit Theophraſtus (nos id quotidie videmus) quòd pini interitus eſt, vt tæda fiat. Cuius verba ſunt hæc loco ſupra citato. Morbum pinis accidere talem Idæi incolæ narrant, cùm non ſolùm cor, ſed etiam pars externa caudicis in tædam tranſiuerit, tunc ſtrangulari quodammodo, quod ſponte accidit vbertate arboris largiſsima, quo ad quis coniectare poßit: tæda enim totum efficitur. Ergo hæc pini propria affectio eſt. Quare autem pinus tæda fiat, ſcribit idem Theophraſtus libro VI. cap. XV. de cauſis plantarum, ſic inquiens. Pinus enim radicem agit tæda totam refertam, vt antè dictum eſt. Ratio eadem, quæ in animalibus eſt, quòd pars alimenti, quæ ferbuerit, excoctaq; ſit, quoniam purgatiſsima eſt aßidet: & collecta, denſataq; pinguedinem reddit. Reliquum verò ſurſum tranſmiſſum, partes, quæ ſupra terram eminent, nutrit: non per illam pinguedinem ſubiens, ſed per alios quoſdam meatus. Nam quæ in tædam omni ex parte mutata ſunt, obeſitate moriuntur, vt dictum eſt: cùm enim nullum tranſitum habeant, ſpiritus ſtrangulantur, ſicut animalibus accidit, quæ vltra modum pinguerint: hæc ille. Cæterum quod tæda opus ſit ad picem conficiendam, non defuit ſanè ratio, quæ etiam arte fieri poßit, ita vt pinus non ſua vtique ſponte, ſed artificio tæda fiat. Id enim idem docuit Theophraſtus libro IX. cap. II. de hiſtoria plantarum, his verbis. Idæi vbi arboris caudicem cortice diſpoliarint, quod parte ſolari, binis, aut ternis à terra cubitis facere conſueuere, confluxum iſtuc fieri non ſine tæda vno cùm plurimùm anno affirmant. Idq; cùm ſecuri detraxerint, ſecundo iterum anno tæda locum expleri: & tertio pari modo. Poſt hæc ob eam paulatinam inciſuram arborem extenuatam, putrefactamq; humi facilè à flatu proſterni, tum eius cor extrahi (hoc enim tædam maximè præfert) nec non & radicem effodi: hæc etiam ille. Quibus palàm eſt contabeſcente pino, tàm ſponte, quàm arte fieri oririq; tædam.*

Tædæ conſideratio.

*Quamobrem putauerim hac in re non parum cæcutiſſe Plinium: quippe qui lib. XVI. cap. X. vbi reſiniferas enumerat arbores, tædam propriam, & per ſe eſſe arborem cenſet, cum inquit. Sextum genus eſt Tæda propriè dicta, abundantior ſucco, quàm reliquæ: parcior, liquidiorq;, quàm picea, flammis, ac lumini ſacrorum etiã grata. Et lib. eodem cap. XVIII. Nunc ait, celeberrimis arborum dictis quædam in vniuerſum de cunctis indicanda ſunt. Montes amant cedrus, larix, tæda, & cætera, è quibus reſina gignitur: hæc Pli. Verùm ſi quis Plinij defenſor diceret per tædam ipſum hoc in loco non aliud intelligere quàm pinum, itaque eum tueri vellet, hanc tutelam illud (vt puto) vanam eſſe oſtendit, quòd cùm eo capite Plin. reſiniferas arbores omnes per genera deſcribat, & primum omnium genus pinum faciat nullo pacto pinum pro tæda accepiſſe videtur, cùm ſexto reſinarum generi tædam poſtea adſcripſerit.*

Plinij error, qui Tedam propriam arborem eſſe cenſet.

*Hinc fortaſſe & Marcelli error defluxit qui in hoc Dioſcoridis cap. pinum tædam interpretatur. In hoc etiam verſatur errore Adamus Lonic. Ruellium ſecutus in ſuo de plantarũ hiſtoria volumine, vbi fictam potius, quàm veram arborem pro tæda pinxiſſe videtur. Sed animaduertendum eſt, non è pinu tantùm fieri tædam, ſed ex alijs etiã plãtis reſinam fundentibus, nempe larice, & picea: à quibus nos in Ananienſibus ſyluis pinguißimam exciſimus. Sed in his rara admodum tæda eſt. Quapropter dicebat Theophraſtus libro quarto cap. quinto de hiſtoria plantarum, quòd in Ponto ex ſylueſtribus deſint pinaſter, abies, atque picea, & omnino quæ tædam in ſeſe gerunt. Quibus clarè patet, alias præter pinum arbores eſſe, quæ in tædam contabeſcunt. Sed quòd id morbi magis pino eueniat, quàm cæteris, propria pini affectio eſſe creditur. Quo fit, vt & in hoc Plinium erraſſe crediderim, qui non pini, ſed laricis morbum eſſe ait, vt*

Marcelli error Pinum tedam interpretantis.

Plinij error tedam Laricis morbum volentis.

ait, vt teda fiat: at eidem omnes attribuit tum vires, tum notas, tum qualitates, quas Theophraſtus pino reddidit. Quare cùm Ruellius eum ſibi familiariſſimum ab huiuſcemodi lapſu vindicare vellet, non mirum, inquit, quòd in hoc Plinius æquiuocatione ſit vſus, quando & perpetua fronde perinde ac pinus, ſit larix, & ſitus idem in montibus, eademq́ facies, minimè animaduertens, quàm magno ipſe quoque fuerit errore implicitus, quemadmodũ & recentiorũ alij. Quandoquidem pro certo atteſtari poſſum, laricem me vidiſſe nunquam (etſi centenas laricum ſyluas viderim) cui per hyemem folia non deciderent, & quæ tantam contraheret cum pino cognationem, quantam Ruellius tradidit. Itaque vt vera eius quoque promulgetur hiſtoria, hic ea de larice diſſeremus, quæ & vidimus, & experientia comprobauimus. LARIX igitur arbor eſt eximia proceritatu, materie æterna, cortice perquàm craſſo (non autem leuiori, quàm picea, vt Adamus Lonicerus ſcribit) in rimas vndique dehiſcente, intuſq́ rubente: ramos gradatim circa ſtipitem totum emittens, adnatis compluribus ſalicis more lentis, colore luteo, odore non iniucundo: foliis gregatur circum ramulos prodeuntibus, denſis, oblongis, mollibus, comoſis, pineis anguſtioribus, minimè aculeatis, quæ aduentãte hyeme pallida effecta ad caudicis radices decidunt, ibiq́ marceſcunt: ita vt ſola larix inter cæteras reſinam fundentes arbores, ſpreta omni algoris immanitate, nuda per hyemem vitam tranſigat. Nouella cupreſſum prorſum æmulatur, non autem piceam, vt Ruellio placet. Eius coni (quanquam credidit Plinius laricem ſterilem eſſe) cupreſſinis admodum ſimiles ſunt, molliores tamen, neque ingratũ efflant odorem. Veruntamen

Ruellii error Laricẽ perpetua fronde eſſe.

Laricis hiſtoria.

VII. LARIX.



flores longè odoratiores ſunt, qui vere emergentes è ramuſculorum cacuminibus, arborem vniuerſam mirum in modum condecorant, quippè cùm in purpura ardenter rubeſcant, comantibusq́ foliolis, miro quodam naturæ artificio annectantur, non parum viatorum oculos remorantur. Ligni materies duriſſima, præſertimq́ rubeſcẽs & in caudicis meditullio ſita: eaq́ propter in ædificiis omnibus extruendis, cæteras longè præcellit. Vanum profectò eſt credere, (vt Plinius, Vitruuius, & recentiorum pleriq́ perhibent) quòd nec flagret Larix, nec in carbones vertatur, ſed veluti calcarium ſaxum in fornace exuratur. Quin etiam ij proculdubio falluntur, qui horum authoritate freti, Laricem noſtram legitimam haud eſſe contendunt, quòd eam tam facilè accendi cernant. Siquidem cum omnium tam antiquorum, quàm recentiorum ſcriptorum conſenſu, præſertimq́ ipſius Plinij, ac Vitruuij, Larix præpinguem, & copioſam reſinam fundat, quæ perinde ac bitumen igne admota, quàm celerrimè accenditur, ignari ſanè hominis eſt, credere Laricis reſinoſum, & pinguiſſimum lignum ignem reſpuere, quum lapides ipſi, qui propria ſua natura flammis accendi nequeunt, vbi tamen bitumine redundent, perinde ac ligna exuruntur, editis continuo flammis, quouſque vertantur in cineres. Quod facilè teſtabuntur Flandri, Brabantii, & alii Aquilonares gentes, quæ ob lignorum penuriam hiſce tantum lapidibus ſuos fouent ignes. Si vero plura contra horum ſententiam quiſpiam audire cupiat, legat ſecundam epiſtolam noſtram ad Clariſſimum Medicum Vlyſſem Aldrouandum. Ibi enim plura reperiet authorum teſtimonia, quæ nulla dubitatione affirmant, noſtratem & antiquorum laricem eandem eſſe plantam. Malè quidem cum fornacibus ageretur, in quibus fit ferrum in Tridentinis montibus, & in ea præſertim valle Ananiis contermina, quam Solis nuncupant, ac aliis mu... Camonicæ, & Eliotropiæ vallis fornacibus, in Brixienſi agro, ſi larigno carbone carerent, cuius inibi maxima conflagratur copia. Namque (vt referunt in hac arte periti) nullo alio carbone in fornacem indito, rude ferri metallum tam celeriter colliqueſcit, quàm laricco: quin & lignum eius ſiccum, cùm abunde ſit reſinoſum, impetu flagrat perquàm vehementi.. Quamobrem in Tridentinis montibus laricinis tantum lignis furnos incendunt, tam eos, quibus panis coquitur, quàm quibus hypocauſta caleſiunt. Cæterùm ſelectiſſimum Agaricum in larice prouenit: namque ipſe quidem ſæpius in Ananienſibus montibus præſtantiſſimum agaricum parua quadam ſecuri à laricibus compluribus deieci, emiq́ ſæpius ab his, qui reſinas colligunt. Naſcitur etiã agaricum (vt prodit Plinius) in Gallia, non in larice duntaxat, ſed in aliis arboribus, præſertim glandiferis. Dioſcorides, ſicuti & Galenus, non ſatis compertum habet, an Agaricum fungus ſit, aut radix, licet aſſerat in cedro gigni. Braſauolus agaricum Comachij in ilicibus inueniſſe fatetur, nec non per Galliam equitans, id vidiſſe ait quercuum caudicibus inhærere. Enimuero ipſe in tota Hetruria, in aliisq́ quam pluribus Italiæ locis, denique in multis Germaniæ, Carniolæ, Dalmatiæq́ prouinciis, vbi ſyluæ quercubus, cerris, ilicibus, ſuberibusq́ referta conſpiciuntur, non ſolùm nunquam vidi, ſed ne quidem audiui in his agaricum prouenire: tametſi illis inhærere viderim fungos alios plurimos lignea materie concretos, duros, ac nigros: quibus vbiq́ paſſim fomites fiunt ad ſuſcipiendum ignem, cùm è ſilice chalybe excutitur: quinetiam iis ignitis ad machinulas exonerandas venatores frequentiſſimè vtuntur. Ad hæc quamuis in Tridentinis montibus præſertimq́ Ananienſibus, præter abietes, pinos, larices, & piceas, innumerabiles adſint quercus, in nulla tamen agaricum, præterquam in larice, naſcitur. Porrò ex larice etiàmnum præſtantiſſima illa reſina manat quæ falsò officinis terebinthina vocatur, cùm terebinthina ex terebintho proueniat. Verùm cùm mercatores præterito iam æuo terebinthinam ad nos minimè aſſerrent, ob idq́ larigna eius loco vterentur tum medici, tum myropolæ, facilè factum eſt, vt larigna ex vſu ſibi terebinthinæ nomen vendicauerit. Et quòd larigna terebinthinæ nomen & locum antea paſſim occupauerit, vt etiam hodie in officinis eiuſdem, ſi deſit, vicem ſuppleat, omnibus notiſſimum arbitror. Attamen Fuchſius vir alioqui doctiſſimus, in libro, quem ſecundò edidit de compoſitione medicamentorum, ſcribit pharmacopœos legitimæ terebinthinæ vice abietinam ſupponere. Qua in re apertè fallitur, quòd omnes (vt dixi) pro terebinthina larignam vſurpent. Atqui Galeni tempore liquida picea terebinthinæ loco vendebatur, vt ipſe libro tertio de compoſit. medicam. per genera memoriæ prodidit, ſic inquiens. Ex harum genere eſt & larigna vocata, prædictis planè humidi-

Plinii error volentis laricem eſſe ſterilem.

Vana Vitruuii, & Plinii de larice quod nõ flagret, opinio.

Lapides qui accenduntur.

Agaricum larici innaſcẽs.

Braſauolus in quercubus Agaricũ vidit.

Fungi ignitarii.

Reſina larigna, quæ officinis terebinthina dicitur.

Fuchſii error circa terebinthinam reſinam.

*or: ſubſtãtia verò ſimilis liquidæ piceæ, quã loco terebinth. inſtitores vẽdunt ignorantib. eas diſcernere: eſt autẽ talis reſina odore guſtu, & facultate, quàm terebinthina acrior. Cum hac igitur & terebinthina, larigna vocata, perſimilẽ potentiam obtinet, ſed tenuiori ſubſtantia, maioreque diſcutiẽdi virtute prædita eſt. Hanc Tridentini, ac etiã qui ijs cõtermini ſunt,*

VIII. PICEA.



IX. ABIES.



Larga.

*vernaculo ſermone Larga appellant, deflexa à larice, à qua emanat, appellatione. Hæc tamen ſponte ſua non defluit, ſed qui ipſum colligunt, magno & longo terebro laricis caudicem ad medullam vſque per æſtatem perforant, & inde manantem reſinam vaſculis quibuſdam è piceo cortice paratis excipiunt. Splendidiorem mittunt iuuenculæ arbores, ſicuti de thure diximus: turbidiorem verò annoſæ. Cortex ſiccat pini modo. Reſina excalfacit, atqui minus quam pinea & abiegna.*

Reſinæ larignæ vires.

*Hæc ad quàm plurima expetitur medicamenta, & præſertim ad vulnerum, vlcerumq́; auxilia paranda. Deuorata vnciæ pondere, purgat per inferna. Abſtergit, prouocat, aperit, glutinat, attrahit. Renes & veſicam expurgat, calculos expellit, & vrinam ciet, & præſertim, ſi cum Benedicta ſimp. ſeſquidrachma deuoretur: deuorata articulorum dolores lenit: præſtat & ad Gonorrhœam, vbi abſorbeatur, pluries cum aqua plantaginis lota, aut nymphea, addita ſelectiſsimi ſuccini drachma, & corallij vel aſpleni, & caphuræ momẽto. Delincta in eclegmate commodiſsimè auxiliatur tabidis, empyicis, ac diuturna tuſsi laborantibus, purulenta extrahit.*

Oleum & aqua de Reſina larigna.

*Fit ex ea oleum & aqua, deſtillatorio vaſe, cum ad plura vtile, tum maximè ad recentia vulnera glutinanda plurimum præſtans, quin etiam ad neruorum articulorumq́; dolores à frigiditate prognatos. Cæterùm aqua quæ in primis diſtillat, ſi ſcrupuli tantum pondere ex vino albo bibatur, vbi ventriculus pituita repletus languet, paulo poſt eam per vomitum expellit, magno iuuamento. Eadem lentigines, varos, alphosq́; abſtergit: cum in facie tum in quacunque alia corporis parte, addito oleo, quod ex vini fæce paratur. Præſtat quoque ad ſinuoſa vlcera infuſa, & ad vermiculoſas aures, addito fellis bubuli momento: quin etiam ad ſurditatem, vnà cum oleo ſuo infuſa.*

Pannum in larice naſcens, & eius vſus.

*Reperitur præterea in annoſis laricum caudicibus prope medullam ipſam, pannum quoddam albicans quandoque, cubiti amplitudine, corio, ex quo chirothecæ conficiuntur, adeò perſimilè, vt vix alterum ab altero diſcerni poſsit. Vtuntur hoc incolæ ad vulnera glutinanda, & ad ſanguinis fluores compeſcendos.*

Piceæ, & Abietis hiſtor.

*Cæterùm admodum inter ſe ſimiles ex his, quæ reſinam fundunt, arbores ſunt* PICEA, *&* ABIES, *ita vt ſæpè etiam lignarios fabros fallant. Siquidem eadem vtriq́; proceritas, ambæ iiſdem ſunt foliis, oblongis, duris, ac denſis: vtriuſq́; ramuſculi produntur crucis in morem, à duorum duntaxt ramorum lateribus exeuntes: quod & foliis euenit. Veruntamen hoc tantùm diſcriminis inter ſe habent, quòd piceæ folia colore ſint abiegnis longè nigriora, quin & paululum latiora, molliora, læuiora, minusq́; pungentia, ac ramos circumquaque veſtientia. Præterea piceæ cortex nigreſcit, tenax eſt, lentus & lori modo flexilis, abieti verò albicat, & ſi flectatur, facilè perfringitur. Piceæ rami plerunque ad terram flectuntur: quod in abiegnis non viſitur. Ligni deniq́; materies piceæ multò ſpecioſior, ac etiam vtilior: habet enim venas rectiores, minusq́; nodoſas. Ambæ conos ferunt ſpithamæ longitudine, nucamentis quam plurimis inuicem ſubintrantibus compactos, in quibus ſemen eſt ſubalbum nulla intus medulla. Picea naſcitur in montibus & ſyluis. Abies in altis montibus inter Larices & Piceas. Picea fert reſinam inter corticem & lignum gummi modo concretam, licet nonnunquam ex ea defluat liquida, larignæ ſimilis. Abies verò inter corticem & corticem præſtantiſsimum liquorem illum concludit, quem vulgò* LAGRIMO, *quaſi abietis lachrymam, appellant, de quo veteres nihil (quod equidem ſciam) poſteritatis memoriæ prodidere.*

Abietis lacryma, an Picea liquida Galeni.

*Niſi quiſpiam dixerit per abietes lachrymam intellexiſſe Galenum li. III. de comp. med. per genera paulo antè citato, piceam illam liquidam reſinam quam pro terebinthina inſtitores vendebant. Cuius rei illud indicium eſſe videtur, quòd ſcribat ipſe, hanc & guſtu, & odore terebinthinæ eſſe perſimilem, quod in abiegna lachryma maximè notatur, & quod inſuper ſit quadantenus terebinthina acrior: namque huiuſmodi qualitates in liquida picea reſina minimè reperiuntur. Quo fit, vt ſuſpicandum putauerim, in his Galeni verbis, librariorum fortaſſe culpa, mu-*

p[illegible]mendum aliquod ſubeſſe, licet conſtet antiquos ſcriptores in arborum reſinas ferentium hiſtoria, in quam plurimis inter ſe diſſerre, & alteram ſæpe pro altera (vt ſupra diximus) ſubſtituere. Auxit mihi ſuſpicionem hanc Galenus, quippe qui ſcripſerit deinde eodem libro in Euphorbii medicamento, inter reſinas cæteris odoratiores haberi terebinthinam, & abiegnam, hancq́; illa calidiorem eſſe. Falluntur autem, qui putant abiegnam lachrymam, clariſſimam eſſe larignam: quandoquidem illa inter abietis cortices vomicæ modo coaceruatur, & ſecto corio (vt in abſceſſibus ſanie vexatis fieri ſolet) elicitur: hæc verò manat è laricis caudice ad medullam vſque perforato, vt ego experientia doctus facilè atteſtari poſſum. Nam, vt rem omnem hac in hiſtoria exactius exploratam haberem, & à Larice larignam, & ab Abiete abiegnam per memet elicere libuit. Sunt qui huic illam admiſceant, vt hac impoſtura magis lucrentur, eo quod omnes abiegnam pluris faciunt, quàm larignam. Nec deſunt qui percolatam larignam, & ad vltimam claritatem redactam pro abiegna vendi-tent, cùm rariſſimi reperiantur myropolæ, qui rectius alteram ab altera dignoſcant. Sed fraus cognoſci poteſt, quòd abietis lachryma ſubſtantia minus conſiſtat, odore præſtantiſſimo fragret, & guſtui larigna ſit amarior: magis excalfacit & eadem præſtat valentius, ad annumq́; aſſeruata quadantenus flaueſcit. Ea vulneribus recentibus maximum affert præſidium, quòd non ſolùm glutinet, ſed & mundet, & ſarcotica habeatur. Pota ſemunciæ põdere renũ calculos eiicit, arthriticos dolores mulcet, coxendicumque cruciatus lenit: quin & Aſthmaticos, ſuſpirioſos & purulentos. Capitis vulnera mirificè ſanat, vbi tamen cerebri membrana haud detecta appareat, adeò vt hac ſola nonnulli vtantur. Additur & in antidotis balſami vice. Cortex exiccat Piceæ & Pinus modo. Affirmat Ruellius abieti croceum florem innaſci: verùm in Tridentinis montibus, vbi vndiq́; ea montes ſylueſcunt, Abies omnis eſt & floribus & fructibus infœcunda. Sed vt ad piceam noſtra redeat oratio, non ſatis compertum habeo, quam arborem pro Picea intelligat Petrus Bellonius: quanquam ex imagine, quã exhibuit, atque etiam ex notis, quas ſuæ piceæ aſſignauit, aliquod pinaſtri genus intelligere videtur. Cæterùm arbor, quam idem ſua tantum auctoritate, ne dicam temeritate, ductus, perperam Sapinum vocat, ac abieti ſimilem facit, non eſt (quantum ego conũcere potui) niſi legitima picea. Quippe hæc abieti adeò ſimilis eſt, vt ſæpe ſyluanos homines, & lignarios fabros fallat, vt ſuprà dictum eſt. Idcirco Plinius lib. 16. cap. 24. eadem folia reddidit piceæ & abieti, ſic inquiens: inſecta pectinum modo (intellige, folia ſunt) piceæ, abieti. Iis etiam idem Taxum ſimilem fecit eodem libr. cap 10. quemadmodum & Dioſcorides libro 4. Taxum autem (vt obſeruauimus) maximè foliis æmulatur picea, quam magno & pudendo errore Bellonius Sapinum appellat: nam Sapinus, teſte Plinio, pars tantùm eſt in abiete, vt eius verba declarant lib. 16. ca. 39. vbi ita ſcribit. Abietis quæ pars à terra fuit, enodis eſt. Hæc quâ diximus, ratione fluuiata decorticatur, atque ita Sapinus vocatur, ſuperior pars nodoſa duriorque ſubſterna. Quibus vtique Plinii verbis palam eſt Sapinum non eſſe per ſe arborem, ſed tantum abietis partem, ſicuti etiam Vitruuius teſtatur. Verùm Bellonius, quod audiuerit tam piceam, quàm abietem indifferenter du Sapin ſuis Gallis nominari, hanc fortè vulgarem & confuſam nomenclationem ſecutus, vt eam veram putauit, ita etiam piceam Sapinum appellauit. Sed is mihi quidem non videtur in Plinio rectè conſideraſſe reſiniferarum plantarum hiſtoriam, neque in Theophraſto cognouiſſe quid πεύκη & πίτυς ſignificarent, neque etiam animaduertiſſe, quòd hæ duæ voces ſæpe à Græcis vna pro altera vſurpantur. Sed hic fuſius, quàm deceat, aliquot Bellonii errata perſecuti ſumus: alius enim locus erit, niſi quid mihi humanitus accidat, vbi alia plura in hoc genere conſultò tractabimus. Cæterùm his expeditis, iam tempus admonet vt de nucleis pineis, & eorum viribus agamus, quinetiam de recenti pini nuce. Siquidem aqua, è viridibus pinorum nucibus, quas conos vocant, deſtillatorio vaſe parata, rugas in facie delet & mammas admodum in virginibus extuberantes cohibet, vbi linteolis in ea madefactis ſæpius fo-ueantur: eadem vuluam anguſtiorem reddit infuſa, & à fluxionibus tuetur, ſed longè ad hoc efficacior eſt ſuccus. Nuclei autem è domeſticis nucibus exempti humano corpori magno ſunt vſui. Sunt enim in ſuis qualitatibus temperamento proximi, paulùlum tamen ad calidum inclinantes. Maturant, leniunt, agglutinant, reſoluunt, & impinguant, & leniuſcula quadam acrimonia mordicant: belle nutriunt, ac quamuis craſſiuſculum potius quàm tenue præbeant alimentum, non tamen improbantur: emendant enim humiditates in inteſtinu putreſcentes, ægre tamen concoquuntur: ideoq́ natura frigidis dari debent cum melle, calidis autem cum ſaccharo, id enim corrigit eorum contumaciam. Cæterùm vbi tepenti aqua macerantur, acrimoniam exuunt, & oleoſam quam poſſident qualitatem. Sanant, frequenter deuorati, neruorum ac dorſi dolores. Dantur vtiliter Iſchiadicis, paralyticis, ſtupidis, & tremore affectis. Pulmones mundant, & eius vlcera, humores lentos, & ſaniem inde expurgantes: propinantur tuſſientibus. Remorantem excitant Venerem, aquæ tepida prius macerati, & deinde ſaccharo, aut melle excepti, & deuorati. Præſtant quoque ad renum & veſicæ vlcera: idcoq́; opitulantur vrinæ cum ſtillicidiis, tum etiam ardoribus. Impinguant macilentos, & ſanant ventriculi eroſiones, cum ſucco portulacæ hauſti. Cæterum viridis pinus aciculæ contritæ, ex vino optimo potui datæ, cordis dolorem ſedant: ſed à pinguibus agros abſtinere oportet. Pini Conorum cortices in aceto acerrimo decocti, perquàm vtiliter ſuffiuntur dyſentericis. Pini ſylueſtris cortex, ſicciore præſtat facultate, vt reſina, calidiore quàm domeſtica. Folia, cortex, reſina, nuces eadem præſtare poſſunt, quæ in domeſtica diximus, ac etiam valentius. At Mugo eadem ſunt qualitates, quæ cæteris pini generibus. Iiſdem quoque viribus pollet, quibus & cætera pinorum genera. Sic & Cembro qualitate & viribus à cæteris pini generibus non variat. Maritimæ cortex mitius exſiccat, minuſq́; reſina excalfacit quàm cæterorum ſylueſtrium. Eædem quæ cæteris illi ſunt facultates. Vtũtur incolæ pinguiſſima eius materie ad nocturnas faces. Maritima altera, qualitate & viribus à cæteris haud differre videtur. Arbor, quæ pleriſq́; Græcis πίτυς, Latinis Pinus appellatur: Arabibus, Sonabar: Italis, Pino: Germanis, Hartzbaum/Fichtenbaum & Kynholtz: Hiſpanis, Pino: Gallis, Pin: Bohemis, Borouuibt. Polonis Soſzan. Pinus ſylueſtris, Græcis, πίτυς ἀγρία: Italicè, Pino ſaluatico: Germanicè, Wild Fichtenbaum: Gallicè, Pin ſauuage. Pinus ſylueſtris altera, Ananienſibus Mugo, Latinis Pinus ſylueſtris repẽs: at Græcis quod ſtipite careat πίτυς ἄστελεχος vocari poterit. Pinus Sylueſtris, Cembro & Cermolo Ananienſibus: Pinus Tarẽtina Plinio. Pinus maritima, Græcis θαλάσσια πίτυς: Italis, Pino marino. Quæ autẽ Græcè πεύκη, Latinè Picea nominatur: Arabicè, Arz: Italicè, Pezzo: Germanicè, rot Thannenbaum: Hiſpanicè, Pino negro: Gallicè, Vn arbre du gendre du pin, Peſſe, Pignet, ſiue Garipool. Quæ deinde Græco nomine λάριξ, Latino item Larix: Italico, Larice: & Germanico Lerchenbaum vocatur: Gallis, Melze, ſiue Meleze. Quæ deniq́; Græcis ἐλάτη, Latinis Abies dicitur: Italis, Abete: Germ. Thannen ſiue Thannenbaum. Gal. Sapin.

Error eorum qui abiegnã lachrymam larignam cẽſent.

Abiegna lac. vt adulteretur, eius vires.

Ruellius croceũ florem abieti tribuit.

Bellonii Sapinus eſt Picea.

Bellonii error Sapinum arborem ſtatuentis.

Pinearũ Nucum facult.

Nucleorũ pineorũ vires.

Nomina.

Magna eſt controuerſia ratione interpretũ in vocabulo πίτυς & πεύκη: quia interdũ Πίτυν Pinũ, interdũ Piceã: & πεύκην piceã, interdũ pinũ verterunt. Sic Gaza etſi in Theophraſto πεύκην pinũ, & πίτυν piceã reddiderit, attamẽ & ipſam πίτυν, Laricẽ eſt interpretatus, Pliniũ ſequutus, quẽ & Marcellus ſequitur, qui præterea πεύκην Tędã reddidit: ſed & in Græcia & Maced. πίτυς & πεύκη arbores, ſua nomina permutabãt. Verũ dicimus πεύκην Theop. eſſe Pinũ, & πίτυν piceã: probatur ex Theophraſto 3. hiſt. plãt. 10. qui τῆς πεύκης nucẽ στρόβιλον appellat, quod nucẽ pineã ſignificat, quæ edulis eſt, atteſtãte Gal. 2. de fac. al. 7. ſimpl. & li. de

Πεύκη an ſit Pinus vel Picea.

Πεύκην Pinũ eſſe probatur.

mali ſucci alimentis: altera probatio, ex libro de cauſis plãtarum Theophraſti deſumitur, vbi τῆς πεύκης duo conſtituuntur genera, ſatiua & ſylueſtris: iam verò Pinum coli, notiſſimum eſt, non autem piceam: tum diuiſit τὴν πεύκην in Ideam & Maritimam: at Picea ſolum in frigidis & excelſis montibus prouenit: tandem ἐκ τῆς πεύκης copioſam picem fieri ſcribit, earumque proprium vt in tedam abeant: iam verò ex pinorum aſſulis tedaque picis copiam colligi, norunt alpium incolæ. Subiiciamus nomina. I. Pinus Satiua C.B. & Dod.gal. Lugd. Pinus vrbana folio perpetuo, Theoph. Pinus, Plinio: ſic & Brũf. Trag. Cord. in Dioſc. Lon. Geſ. Dod. Bellon. Lac. Caſt. Cæſ. Pinus domeſtica Tab. Pinus vulgariſſima Lobelo. In hoc genere datur mas & fœmina: illa enim nucem fert rotundiorem, hæc longiorem. Adferuntur nunc ex noua Hiſpania pinei nuclei cathartici, pineis nucleis ſimiles, in ſtrobilis magnis, at molliore & nigriore putamine: Indi quinque aut ſex tritos, in vino loco cathartici aſſumunt: de quibus Monardis & ex eo Lugdunenſis hiſtoria. II. Pinus ſylueſtris duplex eſt, alia fructifera, alia ſterilis: fructifera alia eſt montana, alia maritima: montana triplex, ſatiuæ ſimilis, altera quæ Tubulus Plinii, & tertia quæ Teda arbor. Maritima duplex, maior & minor. Sterilis etiam duplex, maior & minor. Pinus ſylueſtris ſatiuæ ſimilis C.B. quando enim ſponte prouenit pinus, tũ Pinaſter dicitur, Plinio auctore: hinc Pinaſter, Brunſ. Trago, Lob. (cui & Pinus ſylu. montana Theop.) Cæſ. Thal. Pinus ſylueſtris ſiue Pinaſter, Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Pinus ſylu. fructifera, Lug. Pinus ſylu. montana, Taber. Hæc in multis Hiſpaniæ & Luſitaniæ montibus creſcit adeò fructuoſa, vt inde copia nucum pinearum in Galliam adferatur.

*Pinei nuclei purgantes.*

*Pinus ſylu. duplex.*

III. Pinus ſylueſtris humilis ſeu repens. C.B. quia ſine caudice rami in terram ſparſi ſunt tubulorum modo, quare Tubulus Plinio, licet quibuſdam in exemplaribus legatur Tibulus, in aliis Stubulus. Pinus ſylueſt. altera, Dodo. gal. & fol. quoad iconem, quoad deſcriptionem tertia. Pinus ſylueſtris Mugo, Lobel. Tab. Pinus tubulus, Lugd. Pinus ſylueſtr. repens, Matth. in iconibus. IV. Pinus ſylu. montana tertia. C.B. an Teda arbor fructifera Plinio? Pinus ſylu. tertia, Dod. gall. Pinus ſylu. altera ſpecies, Italis Cembro, Dod. Pinaſter, Bellonio: Teda arbor, Lugd. Pinus ſylueſt. Cembro, Tab. Pinus Tarentina Plinii, Matth. icon. Nuclei parui trianguli forma, quos putant à Plinio Tarentinas nuces appellatas lib. 15. cap. 10. quo loci nucum pinearum genera recenſet: non autem quod cenſuerit Pini genus aliquod Tarentinum, vt quidam exiſtimant, ſed quòd hæ nuces Tarento Romam veherentur. V. Pinus maritima longioribus ſetis C.B. Pinus ſyl. quinta Dod. gal. Pinus maritima maior Dod. Pinus maritima Theoph. Lob. Pinus maritima Lugd. & Taber. cui prima. VI. Pinus maritima altera C.B. ſic & Matth. Lugd. Taber. Pinus ſylu. 4. & Pino Idææ Theophraſti ſimilis, Dod. gal. Pinus Idæa Theophraſti, Lob. Hæc duo genera potiſſimum nucum magnitudine differunt. Pinus ſylueſtris ſterilis dicitur, non quòd nullum edat fructum, cùm conos ferat, ſed quod nuclei edules non ſint: qua de re Cluſ. hiſtor. Hiſpan. & ex eo Lobelus, Dodonæus, & Lugdunenſis hiſtoria. Præter hæc Pini genera, Cluſius hiſto. Pannonica, meminit Pinaſtri latifolii iulis vireſcentibus aut palleſcentibus: dein tenuifolii iulo purpuraſcente: tum pumilionis qui conos ſurſum ſpectantes habet. VII. Laricem nuſquam in Græcia naſci, idcirco Theophraſto ignotam, ſtatuunt; attamen quidam Pinum vrbanam folio deciduo apud Theophraſtum cenſent: dicitur Larix, Brũf. Lon. Lac. Bellon. Fuch. Dod. gall. & folio, Cord. in Dioſc. & hiſt. Geſn. hor. Lob. Caſt. Lugd. Cam. hor. Taber. Abies tertia & Larix, Trag. Pini ſylueſtre genus, cui hyeme folia decidunt, Cæſ. huius lachrymaſeu reſina liquida pro Terebinthina venditur: in hac etiam ſola Agaricum vtile naſcitur, de quo libro tertio agitur. VIII. Piceæ vox ab aliquibus Abieti & contrà tribuitur, πίτυς Theophraſto, (quamuis Gaza aliquando Laricem vertat) & veteribus: ſunt qui à πίττα deriuatam putent, quod hæc arbor, præ cæteris picem ſtillantibus, magnam copiam fundat: ſiquidem inter corticem & lignum gummi reſinæ modò concreſcat, ac nonnunquam etiam liquida effluat. Dicitur Picea, Brunſ. Lac. Cord. in Dioſc. Lob. Caſt. Cæſ. (qui Tedam Plinii ſtatuit) Thal. Tab. Lugd. Abies prima & rubra Trag. Abies fæmina & ſapinum, (eò quod Gallis Sapin dicatur) Bellon. ſequutus Lacuna, Sapini nomine proponit iconem Bellonii. Picea & Abies rubra, Geſ. Lon. Picea Plinii, Abies maſcula Theophraſti, Cluſ. Pannon. Habet ex Bellonio Dodonęus edit. gall. aliam Abietis figuram, cuius rami ſurſum ſpectant, quam editione Latina pro Abiete altera propoſuit: à Bellonio de Coniferis & in iconibus, Abies legitima & mas, Lacunæ Abies, & Abietes Pilari, du choul in deſcriptione Pilari nominat, & ex eo Lugd. Verùm de his & ſimilibus plenius ſuo loco. Sic & Cluſius hiſtoria Pannonica Piceam pumilam nucamentis nucis ponticæ magnitudine è ſquamulis imbricatim compoſitis, ſed in pungens foliolum deſinentibus, quæ matura dehiſcentia concauas cellulas oſtendant, proponit. IX. Quam Abietem Plinius, Theophraſtus ἐλάτην nominat, vulgò Abies dicitur, vt Brunſ. Bellon. Lac. Cord. Caſt. Lob. Cæſalp. Lugd. Taber. Abies Candida Trago: Abies fœmina Anguill. Picea, Dodon. Abies Plinii & Abies fœmina Theophraſti, Cluſ. Panno.

*Tubulus Plinii.*

*Larix.*

*Picea.*

*Abies.*

## Σχῖνος. LENTISCVS. CAP. LXXV.

LENTISCVS nota arbor eſt, cui toti vis ineſt adſtringendi: ſemini enim, folio, ramo, cortici radicibuſque cognatæ inſunt vires. Liquamentum autem ita fieri ſolet. Folia, cortex, & radix in aqua coquuntur, & vbi abunde cocta, refrigerataque ſunt, folia abiiciuntur: aqua denuo coquitur, donec mellis habeat craſſitudinem. Lentiſcus ſua adſtringendi dote, valet aduerſus ſanguinis reiectiones, alui profluuia, & dyſenterias in potu: item contra eruptionem ſanguinis è vulua, & eiuſdem, aut ſedis procidentia. In totum acaciæ, & hypociſtidis vicem repræſentat. Idem facit ſuccus è tritis foliis. Decoctum fotu caua explet, & fracta oſſa ferruminat, vuluæ fluxiones ſiſtit, nomas arcet, vrinam pellit, motus dentium collutione ſtabilit. Virentes ſurculi calamulorum vice dentibus repurgandis affricantur. Fit è ſemine oleum aſtrictoriam vim habens: quod prodeſt, cum quid adſtringi opus eſt. Lentiſcus reſinam gignit, quæ lentiſcina cognominatur, & ab aliquibus maſtiche. Pota vtilis eſt ſanguinẽ reiicientibus, & tuſſi veteri: ſtomacho auxiliatur, ſed ructum mouet, additur in dentifricia, & illitiones faciei, ad nitorem cuti conciliãdum: palpebras oculis incommodas replicat: manducata halitum oris commendat, gingiuas contrahit.

Optima, & copioſiſſima in inſula Chio prouenit. Præfertur, [a] nitedulæ modo reſplendeſcens, & candore Tyrrhenicæ ceræ ſimilis, adulta, [b] [retorrida,] friabilis, odorata, ſtridorem edens. Viridis autem inferior eſt. Adulteratur thuris, reſinæque pineæ nucis miſtura.

a Græcè uno verbo λαμπυρίζουσα. b καὶ πυῤῥά. Et fulua leg. Orib.

## I. LENTISCVS.



*Lentiſcus in Italia frequentiſſima naſcitur, præſertimq́; in Hetruria maritimis noſtris Senenſibus. Gignitur in collapſis Romanorum ædificiis, ac ruderibus: quinetiam in tractu Tyrrheni vbique copioſa oritur, in Campania maximè. Cæterum Lentiſci nonnullæ ſunt plantæ, quæ in arborem mediæ proceritatis aſſurgūt: nōnullæ verò humiles, quæ nullo grandiore caudice à radicibus ſublato, ſed virgultis, ſtolonibuſq́; innumeris corylorum ſylueſtriū modo diſſiliunt: veruntamen Lentiſcus tum ramis, tum foliis denſior cōſtat, magiſq́; virgultorum cacuminibus ad terram deflectitur. Foliis vtraq; eſt Myrto æmula, octo ex vno pediculo prodeuntibus, pari vtrunq; exortu graueolentibus, pinguibus, friabilibus, & in obſcurum virentibus, in ambitu tamen rubent, ſicuti & quibuſdam venulis: perpetua fronde viret. Cortice eſt ſubruſo, læto, tenaci, flexibiliq́;. Profert terebinthi modo, præter racemoſos fructus rubenteſq́; in vnū modum, è quibus oleum elicitur, folliculos corniculi modo intortos, in quibus includitur liquor lympidus: qui tandem veteraſcens vertitur in beſtiolas iis perſimiles, quæ ex vlmi, & terebinthi folliculis euolant. Tota planta grauiter olet: quapropter nonnulli, quòd olfactu caput aggrauet, ipſam deuitāt. Sed Lentiſcum, quæ roboris magnitudine proueniat, folio ſorbi, acinis ſylueſtris punicæ rubētibus, vt Ruellius ſcribit, hactenus nō vidi, nec id vnquam me legiſſe memini apud probatos auctores. Idcirco Ruellium hac in re hallucinatum crediderim, quemadmodū & Hermolaū, qui ea eſſe lētiſci folia exiſtimat, quibus coriarij Venetiis pelles conficiunt, vulgò propriè appellata foglia. Siquidem planta, à qua hæc folia decerpuntur, maximè à lētiſco differt, etſi cum terebinthino aliquam habeat ſimilitudinem. Fert etiam Lentiſcus Italica maſtichen, vt ipſe atteſtari poſſum: ſed rara admodum, nec Chiæ comparanda. Itaq́; immeritò à nōnullis notatur Auicenna, quòd Maſtichen Italicam memoriæ prodiderit. Quippe quòd ij, qui maiori in errore verſantur, exiſtimauerint non alibi fortaſſe, quàm in Chio naſci. Indicam maſtichen è ſpinoſa quadam planta manare, non ſolùm Theophraſtus, ſed etiam alij tradidere, quemadmodum & Plinius, qui lib. 12. cap. 17. non modò Chiæ maſtiches meminit, ſed aliarum quoque, quæ in Arabia, Aſia, Græcia, Pontoq́; proueniunt. Quæ ad nos comportatur, & in vniuerſam ferè Europā, in Chio tantum, Aegei maris inſula, prouenit, ex domeſticis ſolùm lentiſci plantis, vulnerato quotannis arboris trunco. Fluit enim inde Maſtiche, & in terra circumpauita concreſcit. Maſtiches id omne quod in tota Inſula prouenit, Reipublicæ debetur, quo fit vt qui vindemiæ tempore propriis in agris Maſtichen colligunt, id totum abſque dolo in commune ferāt. Mulctantur ſecta manu, qui Lentiſcum Maſtichen fundentē in proprio, vel alieno agro exciderit, tanta eſt Maſtiches cura, & reuerentia apud Chios. Nec ab re quidem, cum illis tantùm Mundus ferè vniuerſus tam neceſſarium ac ſalubre medicamentum acceptum referat. Audio etiam in Creta lentiſcum Maſtichen fundere, ſed flauam, amaram, & Chia longe deteriorem. Reſtringit Maſtiche ſanguinem è naribus manantem, ſi vnà cum Thure, ſanguine draconis, & leporinis pilis combuſtis, excipiatur oui albo, & fronti applicetur, faſcia ſuperpoſita, quæ arctè conſtringat. Manditur vnà cum cera odorata ad dentium dolores, & ad pituitam à capite detrahendam. Tollit, mulcetq́; maſtiche frigidos articulorum dolores, ſi vna cum cumino, pulegio, ſaluia, lauri baccis, & ſabina, melle excipiatur, & dolorifico loco applicetur: valet ad ventriculi dolores, vbi affectus iturus dormitum tres maſtiches grumos deuorauerit: non ſolùm enim hoc medicamento tollitur dolor, ſed fit quoque, ne poſt hac ſentiatur. Lentiſci meminit Galenus lib. 8. de ſimpl. medic. facultatibus, ſic inquiens. Lentiſcus facultate ex aquea eſſentia leuiter calida, & terrena frigida non pauca compoſitus eſt, ob quam & moderatè adſtringit. Deſiccat igitur ſecundo ordine completo, aut tertio incipiente: in caliditatis, & frigiditatis differentia quodammodo eſt medius, & ſymmetrus. Similem omnibus ſui partibus adſtrictionem obtinet in radicibus, ramis, extremis turionibus, germinibus, ac foliis, præterea fructu, & cortice: ac ſi ſuccum ex foliis eius viridibus exprimas, ſimilis hic ordinis eſt, moderatè adſtringens. Itaque bibitur & per ſe, & cum aliis medicamentis, quæ dyſenterias, & alui affectus ſanant: quin & ad ſanguinis expuitiones, ſanguiniſq́; ex vtero eruptiones, tum ſedis, vuluæq́; procidentias idoneus eſt, vtpote ad hypociſtida nonnihil propè accedens. Meminit idem & maſtiches lib. 7. ſimpl. med. his verbis. Maſtiche candida quidem, & Chia conſueto more cognominata, quodammodo ex contrariis compoſita facultatibus eſt, adſtringente videlicet, & emolliente. Proinde ſtomachi, ventris, inteſtinorum, iecoriſq́; inflammationibus competit, vtputa ſecundo ordine excalfaciens, & deſiccans. Nigra verò, quæ Aegyptia cognominatur, tum magis deſiccat, tum minus adſtrictoriæ facultatis eſt particeps: quamobrem aptior eſt ad ea, quæ validiorem digeſtionem per halitum expoſcunt: hac igitur ratione & furunculis bonū eſt remedium. Porrò oleum, vnguentumq́; maſtichinum ex Chia conficitur, non admodū ſanè ex Aegyptia: cæterùm ſimilis eſt & ipſum maſtichæ facultatis. Hæc de lētiſco, & maſtiche Galenus poſteritati memoriæ prodidit. Sed cū maſtiche mihi Caphuram in memoriā redegerit, quòd certò ſciā, eā maſtiche, ardenti aqua, zedoariaq́; ab impoſtoribus adulterari, cumq́; Dioſcorides, Galenus, & cæteri illius ſeculi ſcriptores ipſam nō ſolū nō adnotauerint, ſed ne nouerint quidē, ſilentio minimè diſſimulādū fore putauimus, quò magis legentibus ſatisfiat, quantū tū à Serapione, tū etiā ab his, qui meridionalē plagam, & Indiæ ora hoc æuo nauigationibus perluſtrarūt, memoriæ proditū eſt.* CAPHVRA *igitur eſt gūmi arboris cuiuſdā in India naſcētis tāta magnitudine, ac proceritate, vt ſub eius vmbra hominū cēturiæ recondi poſſint. Naſcitur hæc arbor in mōtib. mari propinquis.*

Lentiſci conſideratio, & hiſtoria.

Lentiſcus roboris magnitudine.

Ruel. & Hermolai lapſus.

Maſtiches conſideratio.

Maſtiche Indica.

Maſtiches cura.

Maſtichis vires.

Lentiſci vires ex Galeno.

Maſtiches vires ex Gal.

Maſtiches nigra.

Caphura vt adulteratur.

Caphuræ hiſtoria, & genera.

*propinqua: materie leui, ferulacea, qua prodit Caphura. Huius largioris prouentus augurium eſt, cùm frequentibus cælum fulgetris corruſcat, aut crebro tonitru conſtrepit, vel cùm terra motu concutitur. Huius multa traduntur genera. Vna in intertcniis ligni, lamellarum modo impacta figitur. Alia foras emergit cortice abrupto, veluti reſina, illiſq; gummi modo inhæret, maculis inter initia rubentibus, poſtmodum vel calore ſolis extoſta, vel ignium vi candeſcit: hanc ſumpto a rege quodam Riach illius loci nomine, indigenæ Riachinam appellant: quandoquidem is primus dealbandæ Caphuræ rationem adinuenit. Hæc cæteris & bonitate, & tenuitate præſtat, longioriq; perdurat tempore. Alia craßior, nec pellucens, atro colore, proinde bonitate cedens. Tertia vilior reperitur, fuſco colore. Succedit huic impurior alia, quæ arboris ſcobe, ramentis, & aſſulis implicita, gummi more agglutinata lenteſcit, tuberculo amaræ nucis, aut fabæ, aut ciceris. Hanc pontificum, & ſacerdotum ſuffimentis, ſicut thus, & myrrham, coſtumq; in templis dicant. Sed hæ omnes in duo tantùm faſtigia rediguntur, in rudem, & elaboratam: ſiquidem rudis eſt Caphura omnis ignem non experta: elaborata verò, quæ ſolis, vel*

**Fuch. opinio improbata, Caphurā bituminis genus ſtatuētis.**

*ignis ardore excocta, atque purgata album contraxit colorem, vtpote & cera. Fuchſius lib. primo de componendis medicamentis, putat Caphuram eſſe bituminis Indici genus, quòd ſcripſerit Serapio auctoritate Almazodi, largioris Caphuræ prouentus augurium eſſe, cùm cælum crebris fulgetris corruſcat, aut plurimis ſtrepit tonitruis, vel cum regio, in qua prouenit, terræmotu concutitur: argumento, quòd ſimiliter ex terræ concuſſu magna tum ſulphuris, tum bituminis copia profundi ſoleat. Sed diſſentit ab eo opinio noſtra, quandoquidem nec Serapionis, nec aliorum quorumcunque hanc fuiſſe ſententiam exiſtimem: cùm tam ipſe, quàm cæteri, qui de Caphura ſcripſere, arboris cuiuſdam vaſtißimæ proceritatis gummi, vel reſinam Caphuram eſſe ſcribant. His accedit quòd ex omni bituminum genere per alembicum (vt Chimiſtæ vocant) oleum & aqua elici poteſt, id quod ex caphura, haud quaquam ſuccedit. Siquidem ea hydrargyri modo ad vaſis cacumen aſcendit*

**Platearii error volentis Caphurā ex ſucco herbæ fieri.**

*ibiq; tota purior facta cohæret. Nimium oſcitanter de hac ſcripſiſſe videtur Platearius Salernitanus: quippe qui Caphurā gummi arboris eſſe inficiatur, Dioſcoridis & complurium teſtimonio, ex ſucco cuiuſdam herbæ fieri tradens. Quod profectò falſum eſt, cùm nullibi Caphuræ meminerit Dioſcorides. Eam autem eſſe gummi non ſolùm Auicennæ, & Serapionis teſtimonio probatur, ſed & Luſitanorum, qui noſtro æuo per meridiem ad Calicut orientalis Indiæ emporium nauigant.*

**Caphuræ tēperamētum, & vires.**

*Credidere Serapio, & Auicenna, Caphuram tertio abſceſſu & ſiccare, & refrigerare: quæ tamen cùm vehementer etiam in aquam proiecta conflagret, ſit perquam odorata, & adeò tenuium partium, vt ſæpe per ſe in auram euaneſcat, illis reclamare videtur. Quo fit, vt quis ſuſpicari poßit, aut legitimam Caphuram ad nos non aduehi, aut hoc loco Arabum monumenta (vt in aliis quam plurimis) eſſe vitiata. Capitis dolores (ſi tamen in hac parte credendum eſt Mauritanis) ex calore prouenientes, Caphura illita mulcet: incandeſcentes inflammationes reſtinguit, præſertimq; iocinoris. Renes, & ſeminaria vaſa refrigerat, ſanguinemq; cogit. Circumlitionibus imponitur ad cutis nitorem conciliandum, & ad arcendas tam vulnerum, quàm vlcerum inflammationes. Eryſipelas extinguit, & aduerſus gonorrhœam, & albas vuluæ fluxiones efficax eſt cum ſuccino, & aqua nymphææ hauſta. Idem præſtat pubi, ſeu imo ventri, teſtibus, renibuſq; illita: quæ tamen antea pſyllii ſeminis ſpiſſamento, aut omphacio, aut ſolani ſucco probè ſit macerata. Sanguinem è naribus profluentem ſiſtit, aut cum vrticæ ſemine immiſſa, aut ex maioris ſedi, & plantaginis ſucco fronti circumlita. Collyriis ad calidas oculorum lippitudines vtiliter imponitur. Renibus ac teſtibus illita venerem extinguit. Corpora à putredine præſeruat: proinde commodè antidotis admiſcetur, quæ contra venena, venenoſorum animalium ictum, & peſtilentes affectus conficiuntur. Caphura vnà cum Chryſocolla, qua vtuntur aurifabri, trita, & cum melle illita, faciei cutim clariorem ſplendidioremq; reddit.*

**Aqua ad faciei ruborē.**

*Eadem trita vnciæ pondere cum ſulphuris æquali portione, additis myrrhæ, thuriſq;, cuiuſque quaternis drachmis, & aquæ roſarum libra, & vitreo vaſe exceptis omnibus, diebuſq; decem inſolatis, remedium eſt præſtantiſſimum ad faciei ruborem puſtulis ſcatentem, ſi cum hac aqua ſæpe lauetur. In vniuerſum viribus innumeris pollet, quas breuitati conſulentes prætermittimus. Legitimæ probatio talis eſt. In calido pane è furno recentißimè ſublato, bipartitoq; manibus ſciſſo, Caphura ponatur: quòd ſi humore madeat, ſynceræ eſt argumentum: ſin contrà perareſcat, ſpuriæ ac factitiæ ſignum. Cæterū*

**Caphura legitima quę & quomodo aſſeruanda.**

*niſi diligenter aſſeruetur, ex operculatis etiam capſulis nonnunquam euaneſcit: itaq; ſæpe deluduntur ſeplaſiarii. Aſſeruatur tamen ſecurè vaſe marmoreo, aut alabaſtrino, lini & pſyllii ſemine ſepulta. Nec deſunt, qui eam pipere felicius aſſeruari putent, quod nec planè comprobandum videtur. Venetias Caphuram omnem rudem important, ibiq; igne, & arte vitreis organis elaboratur, ſic vt candeſcat, atque pelluceat.*

**Caphura vt alba reddatur.**

**Nomina.**

*Σχῖνος Græcis, Lentiſcus Latinis appellatur: Daru, Arabibus: Lentiſco, Italis: Mata, aut Arueria, Hiſpanis: Lentiſque, Gallis. Germanis, Maſtixbaum. Huius reſina μαστίχη Græcè vocatur: Latinè, Maſtiche, aut Reſina lentiſcina: Arabicè, Maſtech, Maſteche, ſiue Maſtoche: Italicè, Maſtice: Germanicè ac Gallicè, Maſtic: Hiſpanicè, Almaſtiga. Quod Arabibus Kaphor, ſeu Cafur, recentioribus Græcis κάφουρα, vt etiam Latinis Caphura nominatur: Italis, Camphora: Germanis, Gampher: Gallis, Camphre.*

Lentiſcus σχῖνος dicitur (non σχοῖνος, quod eſt Iuncus aromaticus ſeu Squinanthum officinarum) quaſi σχιστὸς fiſſilis, quòd facilè & frequenter findatur in dentiſcalpia. At lētiſcus, fortè quòd folia eius lentore quodam lenteſcant. Arbor maſtiches, eò quod Maſtichen ferat, dici poſſet: eſt enim ex reſiniferarum genere, à quibus tamen foliis differt. Arbor, Lentiſcus dicitur herbariis omnibus: at baccas ſiue fructus,

**Reſina Lentiſci.**

σχινίδας Hippocrates libro de natura muliebri, appellat. Sic reſina quæ ex trunco vulnerato primum liquida deſtillat, dein paulatim in guttas denſatur foris candida aut flaueſcens, propter inhærentem puluerem, quo abſterſo propemodum cryſtallina & tranſlucens, dicitur Reſina Lentiſcina, Maſtiche & officinis Maſtix, Arabibus Gluten Romanum, quæ optima in Chio prouenit: hinc factum, vt apud Græcos ſæpè chia ſimpliciter pro Maſtiche ſcriptum reperiatur. Duplex eſt, alia propriè Maſtiche dicta, alia

**Maſtiche duplex.**

impropriè. Propriè dicta eſt ea quæ ex Lentiſco effluit, hæcque vel alba, vel viridis Dioſcoridi: vel vt Galenus, alia alba, quæ Chia, alia nigra, quæ Ægyptia: habetur & Cretenſis quæ flaua eſt & amara: apud Italos exiguam fundunt. Impropriè dicta eſt ea, quæ ex ſpinoſa planta emanat, vt habet Theophraſtus 6. hiſt. 4. vel vt Plinius ex humili ſpina: quæ planta Chamæleon albus Dioſcoridi lib. 3. dicitur: qui ſcribit Ixion aliquibus ideò vocari, quod quibuſdam in locis viſcum circa radicem eius reperiatur, quo pro Maſtiche vtantur mulieres: & Theophraſtus Acanthicen Maſtichen vocat, Gaza ſpinalem vertit. Eſt & altera arbor, quam LENTISCVM PERVVIANAM vocamus, quæ Lentiſco ſimilis, ramoſa, ramis obſequioſis deorſim ſpectantibus, cortice ſubruffo & rugoſo tectis: foliis lētiſci modo integris, ſed acuminatiorib. vtrinq; binis non tamē ſibi ex oppoſito reſpōdentib. quindecim, ſeptēdecim & etiā nouendecim ab vno pediculo cohærentibus, ſaturatè virentibus, per quorum mediū linea ſubalbicans excurrit & ad latera venulæ quaſi rugoſę diſcurrunt, quę inferna parte potiſſimum cōſpiciuntur, hæc trita non ingratū ſpirant odorem. Flores qui in ramorum ſummitatibus conſpiciuntur, ramulis palmaribus & longioribus

II. LENTISCVS PERVVIANA. III. MOLLIS ARBOR.





ribus inſtar racemi ſparſi inſident, albicant & ex quinque foliolis acuminatis cōponuntur: his ſuccedunt fructus rotundi, vt Lentiſci, paruis pediculis & pericarpiis ſuſtentati, qui racematim conglobantur, primum virides, mox rubei, dein ſubnigri, piperis inſtar acres & pingues, tenui tecti membrana, cui medulla acutiſſimi ſaporis & odoris ſubeſt. Semen ex America primum allatum, & Piperis nomine Romæ in horto Illuſtriſs. Cardinalis Columnæ, à quodam Pharmacopœo Septembri menſe ſatũ, & ſequenti anno ad quinque cubitos excreuit, at ſemen ad maturitatem non peruenit, monente Doctore Edoardo Vorſtio, qui nobis ramulum cum baccis (vnde delineari curauimus) obtulit. At nunc Lentiſcum altitudine adæquat, vnde ramos cubitales floribus & tenellis baccis refertos, à Doctore Io. Neuderfero (vnà cũ aliis elegantiſſimis) accepimus, vt & Gummi quod ex inciſo cortice emanat. Etenim apud Americanos, ex cortice vulnerato gummi album maſtici ſimile colligitur, quod in aqua vel decocto aliquo diſſolutum ab incolis drachmæ vnius pondere pro cathartico ſumitur, cum eo blande humores omnes vacuentur, & hydropicorum aquæ educantur. Ex foliorum libra, ſcrupulus vnus ſucci elicitur, quem Opobalſamo comparant. Verum cum hic Lentiſcus Peruuianus, ab incolis Molle (quod molliat aluum fortè) dicatur, & in multis (niſi ſit eadem) cum ea quam pro Molle, Carolus Cluſius in Monardem propoſuit, conueniat, & eius iconem proponere placuit, cuius hæc eſt apud Cluſium hiſtoria, ex quo etiam Lugdunenſis & Tabernæmontanus deſumpſere. Cæterum odor fœniculi mihi in memoriam reuocat arborem in Peru naſcentem, Molle vocant, cuius ego puſillas duas plantas è ſemine natas, vidi ante aliquot annos Machliniæ in horto ſplendidiſſimo Illuſtris viri D. Ioan. de Brancion, ſed quæ tertio anno perierunt hyemis iniuria. Erant autem eæ arbuſculæ trunco (quia tenellæ) ex viridi nigricante, multis conſperſo veluti maculis cinereis, folia pennata vt fraxini, ſed multo minora, ex viridi nigricantia, ſerrata, & ſub extremũ anguſtiora, quæ ab arbuſculis reuulſa, lacteo ſucco, eoque lento & viſcido & odorato manabant, & ipſa folia trita fœniculi odorem reddebant, guſtata adſtringentis facultatis nonnihil habere videbantur. Fructus ex quo natę ſunt, piperis ferè magnitudine, oleaginoſus, pellicula rubeſcente tectus, racematim cohærens, vt ex eius icone, quam ad viuum depingi tum temporis curauimus, conſpicere licet: florẽ quem habeat ignoramus, ſed quibuſdam auctoribus minutus eſt, viti ſimilis. Hæc arbor abundanter naſcitur in conuallibus & locis planis Peruanæ regionis, vt referunt omnes qui Occidẽtalium Indiarum deſcriptionem dederunt. Sed Petrus Cieca maximè, qui eius deſcriptionem cap. 112. primæ partis Chronici dedit.

## Τέρμινθος. TEREBINTHVS. CAP. LXXVI.

TEREBINTHVS cognita arbor eſt: cuius folia, & ſemen, & cortex aſtringunt, & ad eadem, ad quæ lentiſcus conueniunt, ſimili parata modo, ſumptaque. Fructus eſui aptus eſt, ſed ſtomacho aduerſatur: excalfacit, vrinam mouet, venerem excitat: contra phalangiorum morſus conuenienter in vino bibitur. Reſina eius ex Arabia petræa defertur. Prouenit etiã in Iudæa, Syria, Cypro, Aphrica, & a Cycladibus inſulis. Sed pręualet candida, perlucida, vitreo colore, b[& in cæruleũ vergente,] terebinthũ olens. Terebinthina reſinas omnes antecedit: proxima lentiſcina, & è pinu, & abiete: has ſequitur è picea, & pineis nucibus reſina. Natura omnibus calfacere, mollire, diſcutere, expurgare. Tuſſi, & tabi conueniunt per ſe, aut in

a Meũ addit καὶ ἐν ἰουδαίᾳ

b Hæc non leg. Orib.

aut in eclegmate ex melle: vitia pectoris expurgant, vrinam cient, cruda concoquunt, ventrem emolliunt, palpebras commodiſſimè replicant: lepras tollunt, cum ærugine ac ſutorio atramento, nitroque: auribus ſaniem emanantibus cum melle & oleo, item in pruritu genitalium vtiles, malagmatis, acopiſque admiſcentur. Laterum doloribus per ſe, illitu & appoſitu auxilio ſunt.

## Ῥητίναι ἄλλαι. RESINÆ ALIÆ. CAP. LXXVII.

a Hæc delet Orib.

b καθυ̃ρα i. liquida Meũ.

c Meum & Drag. πιτυΐνη, καὶ ἐλατίνη. i. pinea & abiegna.

LIQVIDA reſina è pinu & picea, à Gallia & Hetruria conuehi ſolet, atque olim à Colophone petebatur: hinc Colophoniæ ſibi cognomentum vendicauit. A Gallia quoque ſubalpina: quam vernaculo nomine larica, hoc eſt, larignam appellant incolæ. Ea a [in linctu, & per ſe] magnopere prodeſt tuſſi veteri. Colore inter ſe diſtant: ſiquidem alia candida eſt, alia oleoſa, alia mellei liquoris ſimilitudine, vt larigna. Cupreſſus etiam liquidam fundit reſinam, quæ ad eadem pollet. Quæ verò aridarum generi aſcribuntur, quædam ex pineis nucibus, aliæ abiete, aliæ picea, & pinu exierunt. Eligi debet longè omnium odoratiſſima, translucens, non retorrida, neque b diluta, quandam ceræ faciem præbens, & friabilis. c E picea, & abiete reſinæ cæteras antecedunt: odoratæ enim ſunt, atq; thus odore imitantur. Preſtãtiores à Pityuſa inſula deferuntur, quæ ſecundum Hiſpaniam ſita eſt. Sed quæ è picea, nucibus pineis, & cupreſſo manarunt, nihil ad illas, nec tantis viribus potiuntur: veruntamen eorundem gratia, quorum & illę, ſumi ſolent. Lentiſcina terebinthinæ reſpondet. Vritur reſina omnis liquida in vaſe quadruplæ capacitatis ad humorem, qui infunditur: itaque reſinæ cõgius in duobus aquæ pluuiæ coquitur, ſubiectis leuibus prunis, reſina aſſiduè mouetur, donec omnis odor aboleatur, & friabilis & retorrida reddatur, ac digitis cedat. Cæterùm vbi refrixit, in fictile non picatum, quod aconitum vocant, id eſt, nõn illitum, reconditur. Fiet etiam eximii candoris, ſi reſina omnis eliquata præcoletur, quò fæculenta ſordes excernatur. Vrũtur quoque ſine aqua, primùm lento igne, & vbi coire cœperunt, maior carbonum ſtrues ſupponitur, & triduo citra intermiſſionem diſcoquuntur, vſque dum antedictas naturæ ſuæ notas exuerint: mox, vt dictũ eſt, reponuntur. Aridas vnius diei ſpatio decoxiſſe ſatis eſt. Vſtæ odoratis malagmatibus, & acopis, & vnguentorum colorationibus magnopere vtiles ſunt. E reſina perinde atque thure, fuligo excipitur, ad circumlitiones idonea, quibus palpebras fucant, & colorem mentiuntur: prodeſt glabris genis, collachrymationibus, eroſiſque oculorum angulis. Ex ea fit atramentum ſcriptorium.

## TEREBINTHVS.



Terebinthi deſcriptio.

*Terebinthus folio eſt fraxini, craßiore, pinguioreq́; & rotundiore, cotino proximo. Ligni materies lentiſco ſimilis quemadmodum & cortex. Radices validæ, altè deſcendentes. Flos oleæ ſimilis, ſed ruſeſcens, è quo fructus rubens racematim prodit, vuarum modo, Iuniperi baccarum magnitudine, reſinoſus, duruſq́; Cornicula edit rubentia, carpinorum ſimilitudine, in quibus culices quidam concluduntur, vnà cum liquore quodam, vt in lentiſco. Reſina è trunco manat, vt è reliquis plantis ipſam fundentibus, liquida & odorata, Larignæ, aut Abiegnæ ſimilis, cæteriſq́; præſtantior, lentiſcina excepta.*

Terebinthi hiſtoria ex Theophraſt.

*Terebinthorum (vt Theophraſtus memoriæ prodidit lib. 3. cap. 15. de hiſtoria plantarum) alia maſcula, alia fœmina. Maſcula ſterilis eſt, ob idq́; ſexui maris adoptatur. Fœminarum alia fructum protinus ruſum promit, magnitudine lentis, qui concoqui nequit: alia viridem editum, ruſum poſtmodum tingit, & cum vua matureſcentem, nigrum nouiſsimè facit, magnitudine fabæ, reſinoſum, & ſulphuroſum. Circa Idam, & Macedoniam breuis, fruticoſa, cõtortaq́; naſcitur: vt apud Damaſcum Syriæ magna, copioſa, decoraq́; montem enim inibi Terebinthis refertum, vt nil aliud habeat, referunt. Materies ei lenta, radices validæ in profundo, atque in totum incorrupta hæc arbos habetur. Flos oleæ, verùm colore ruſo. Folia circa vnum pediculum, pleraque ſpecie laurinorum, coniugatim, quemadmodum ſorbo, quodq́; parte poſtrema acuminet, impar exit: verùm minus angulata, quàm ſorbo, ambituq́; laurino ſimiliora, & pinguia cũ vniuerſo fructu. Fert & ad nucis ſimilitudinem quadam concaua, vt vlmus: quibus beſtiolæ tãquam culices innaſcuntur. Fit in his reſinoſum quid, lentumq́;: ſed reſina tamen nõ hinc legitur, ſed à ligno. Fructus reſinæ copiam non mittit, ſed manibus tantùm adhæret: et ſi non lauetur, poſtquam collectus eſt, inter ſe cohæreſcit: cùm verò lauatur, candidus, probeque non maturus ſupernatat, niger ſubſidit. Idem refert deinde li. 4. cap. 5. hiſtoria plantarum, Indicam etiamnum Terebinthum haberi: cui folia, rami, & reliqua omnia Terebintho ſimilia: fructus autem diuerſus, ſimilis enim amygdalis. Nam & in Bactris Terebinthum hanc eſſe, ferreq́; nuces amygdalarum magnitudine: quoniam non magnas, ſed viſu ſimiles, & ſuauitate amygdalis præſtantiores: & ideo loci illius incolas his potius vti: hæc Theophraſtus.*

Indica Terebinthus piſtacearum planta.

*Quibus facilè adducor ad credendum Indicam Theophraſti Terebinthum, nil aliud deſignare quàm noſtratem Piſtaceam. Eſt enim hæc tota facie Terebintho ſimilis, & nuces profert Amygdalis ſuauiores. Terebinthũ vidi ego primum in colle vulgò cognomine Caſtel Trento, non procul à ciuitate Tridenti prope Atheſim, à Theophraſti hiſtoria haud quaquam diſsimilem, facta huius videndi mihi copia à clariſsimo medico Iulio Alexandrino Tridentino: reperique*

riqueipſam deinde in aliis compluribus Hetruriæ locis, videlicet in collapſis Romanorum ædificiis ac ruderibus: ſed frequẽtem admodum in Iapidiæ collibus prope Pucinum caſtrum, Adriatico ſinu non longè à Tergeſto: ſaxoſa enim & calida amat loca. Ab hac ſæpe, dum illac iter haberem, & fructus & folliculos caprarum cornibus non abſimiles, quibuſdam intus beſtiolis culicis figuram præ ſe ferentibus, & reſinam decerpſi: quæ etſi omnium præſtantiſsima ſit, non tamen diu eſt, quòd Venetias defertur ex Cypro. Antea coctam afferebant, vel quòd eſſet aduectu aptior, vel quòd impoſtoribus ad adulterationem aditus hoc modo facilior fieret: verùm liquida vt per ſe ex arbore manat, iam frequens facta eſt.

Reſina terebinthina.

Cæterùm quia terebinthina iamdiu in Italiam non aduehebatur (vt ſupra in laricis mentione diximus) larigna non modò terebinthinæ locum ſibi vendicauerat, ſed etiam cognomentum. At cùm eodem loco à nobis de pinea, picea, larigna, abiegnaq́; reſina, & earum à quibus colliguntur arboribus, abunde ſcriptum ſit, operæpretium quidem non eſt, vt hic iterum ea repetamus. Scire tamen conuenit, rariſsimas eſſe abietes in montibus Tridentinis, quæ præter fluentem lachrymam, aridam fundant reſinam: ſed ſi quædam inueniuntur, hæc eſt (vt Plinius inquit) arboris morbus. Cuius rei manifeſtum argumentum eſt, quòd omnis abies, quæ reſinam fundit, tabida ſit, putris, & carioſa.

Braſa. opinio reprobata.

Braſauolus de reſinis differens, Plinium in earum hiſtoria à Dioſcoride diſſentire autumat, quòd ſcilicet Plinius lib. 24. cap. 6. tradiderit ſummas reſinæ ſpecies duas, ſiccam & liquidam: ſiccam in pinu, & picea fieri: liquidam è terebintho, larice, lentiſco, cupreſſo. Dioſcorides verò ex pinu, & picea, & liquidam præter ſiccam haberi ſcriptum reliquerit. Quos tamen melius erat ſic conciliaſſe, quòd quamuis aſſerat Plinius, ſiccas reſinas è pinu, & picea colligi: non propterea obſtat, quominus ferant pariter huiuſcemodi arbores & liquidas, & ſiccas reſinas. Quandoquidem in Tridentino tractu pluribus variiſq́; locis, è pinu, piceaq́; antea longo tempore cæſis, ſoliſq́; ardore æſtuantibus liquidas reſinas exudare comperimus larignæ non abſimiles: quod etiam ſæpe euenit in aſſeribus ex hiſce arboribus paratis, & in tignis, vel trabibus, quæ ædificiis coaptantur. Verùm enimuero malim dicere Pliniũ erraſſe, quòd liquidarum generi lentiſcinam adſcribat, quæ eſt noſtra maſtiche, cæteris profectò durior.

Colophoniæ conſideratio.

Ad hæc ſcire etiam conuenit, quòd quæ in officinis Colophonia Hiſpanica, Græcaq́; dicitur, illius ſpecies eſt quam coquere Dioſcorides edocuit. Conſtat hæc coloribus diuerſis, vtpote cryſtallina, hyacinthina, ſaturatoq́; colore, pro reſinarum ex quibus conficitur, varietate: quippe (vt Dioſcorides ait) alia candida eſt, alia olei, alia mellis colore, qualis eſt larigna. Quæ verò à Colophone Ioniæ vrbe ſibi cognomentum comparauit, eſt (vt refert Plinius lib. 14. cap. 20.) præter cæteras fulua: neq́; alia de cauſa vocatur & Hiſpanica, & Græca, niſi quòd ex iiſdem etiam regionibus aduehatur. Attamen animaduertendum eſt aliam ab hac, quæ neque fricta, neque excocta eſt, haberi Colophoniam: ſiquidem ſcribit Dioſcorides quòd pinea, piceaq́; liquida, ac pinguis reſina ex Colophone afferebatur: ob idq́; Colophonia per excellẽtiam vocabatur. Quod itẽ teſtatur Galenus li. 7. de compoſ. med. per genera, cùm inquit. Quoniam verò piceam reſinam & frictam, & colophoniam appellare conſueuerunt, ſciendum venit, aliam quandam eſſe colophoniam Chiæ maſtichæ perſimilem, molliens aliquid habens, quemadmodum illa, & thus. Et libro 2. eiuſdem. Eſt, inquit, inter liquidas etiam colophonia thuris redolens, quæ nonnullis ſola vocatur colophonia, odoratu ſuauitatem quandam referens, vt abietina, & calore ſicut illa mediocri prædita: naſcitur admodum modica, atque ob id pretioſa eſt.

Abiegna liquida Dioſc. & Plin. ignota.

Porro ſi quiſpiam diceret, non cognouiſſe Plinium, neque Dioſcoridem, liquidam abiegnam, quam aliqui lachrymam, nonnulli verò abietis oleum nuncupant, eum ne tantillum quidem à veritate deſciſcere putauerim: ſiquidem hi de liquida abiegna (quod legerim) nihil memoriæ prodiderunt.

Terebinthinæ reſ. vſu.

Terebinthina reſina auxiliatur laterum doloribus, ſanat cum labiorum, tum faciei rimas. Scabiem & impetiginem delet illita, vlcera expurgat, & vulnera recentia glutinat. Splenem attenuat ſæpe deuorata, valet ad articulorum dolores, nempe ad podagram, chiragram, & iſchiadicos affectus, vbi frequenter ſumatur vnciæ pondere, addito chamæpityos, aut ſaluiæ, aut ſtœchadis puluere. Terebinthi & reſinarum meminit Galenus lib. 8. de ſimplicium medicamentorum facultate, vbi ita ſcriptum reliquit;

Terebinthi vires ex Gal.

Terebinthi tum cortex, tum folia, tum fructus adſtrictorium quiddam obtinent: ſed & ſecundo ordine excalfaciunt. Itaque quod etiã deſiccent, manifeſtum eſt: recentes quidem etiamnum, humidiq́; modicè: ſicci verò, ordine ſecundo adſtringunt, roborant, repellunt, contrahunt. Cæterùm fructus aridus propinquus eſt etiam tertio ordini deſiccantium: eſt enim adeò calidus, vt mandentibus protinus eius caliditas percipiatur. Itaque etiam vrinam prouocat, & lienibus prodeſt.

Reſinarum vires ex Gal.

Paulò ſuperius de reſinis differens, ſic inquit. Reſinæ omnes deſiccant, & excalfaciunt. Cæterùm inter ſe diſcrepãt, quòd plus, ac minus habeant in guſtu quidem acrimoniæ, in facultate verò caliditatis: tum quòd aliæ plus, aliæ minus ſortitæ ſunt partium tenuitatis: præterea quòd nõnullæ adſtrictionis ſunt participes, aliæ nequaquam. Primas meruit omnium non iniuria lentiſcina: eam vocant maſtichen. Nam præterquàm quòd paucula ei adeſt adſtrictio, adeò vt ſtomachi ventriſq́; & iecoris imbecillitatibus, & phlegmonis conueniat, inſuper illi ineſt mordacitate vacans deſiccatio: minimum enim acris eſt, & maximè tenuium partium. Inter alias præfertur terebinthina, manifeſtam quidem, non tamen ſimiliter atque maſtiche, adſtrictionem poſsidens. Cæterum adiunctam habet amaritudinem quandam, per quam magis etiam quàm maſtiche digerit. Ob eandem qualitatem ineſt & abſterſio, tanta quidem, vt & pſoras ſanet: quin etiam quæ in profundo reſidet, cæteris reſinis magis attrahit, nimirum cùm illis maiorem habeat partium tenuitatem. Attamen picea, & hac etiam magis ſtrobilina acriores quidem ea ſunt, ſed non magis tamen digerunt, neque attrahunt. Mediæ inter has ſunt pinea, & abietina, acriores quidem quàm terebinthina, minus tamen quàm aut picea, aut ſtrobilina. Habet porrò etiam emolliens quiddam terebinthina: ſecundum locum habet in emolliendo lentiſcina, ſicut & cypariſsina acrimonia. Et lib. 3. de compoſitione medicamentorum per genera inquit. Etenim cera ad liquiditatem multo pingui indiget: at reſinæ, quæ quidem aridæ prorſus ſunt, modico: liquidæ & ſiccam quandam ſubſtantiam ad emplaſtri craſsitudinem aſſumere poſtulant. In ceris igitur non magna humiditatis, ac ſiccitatis differentia eſt: in reſinis, ſicut etiam in picis genere contrà, aridæ ab humidis permultum differunt. Omnium ergo reſinarum ſicciſsima eſt, quam nonnulli frictam, alii colophoniam appellant. Huic ſuccedit, quæ ex fictilibus impura, nec frixa ſumitur, quam ſi purges, in frictam mutabitur: his ambabus ſiccior eſt, quæ dicitur πιτυινὸν φύσημα, ac ſi dicas pinea germinatio. Hanc ſanè, ceu ſqualidam in præſentis emplaſtri compoſitionem non eſſe idoneam ratus, abieci: vſus autem ſum fricta, & liquidis. Iam verò ex his quoque nonnullæ diutius liquidæ permanent, quemadmodum terebinthina, aliæ citò inareſcunt, ſicut ſtrobilina: media vtriuſque eſt abietina. Quinetiam facultate calidior eſt quidem ſtrobilina, mox verò abietina, deinde terebinthina: cupreſsi reſinam miſcere non auſus ſum, vt quæ nonnihil adſtringeret. Putabit forſan aliquis nobiſcum diſſentire Dioſcoridem Anazarbeum in ſermone de reſinis hæc verba ſcribentem, primo de medica materia commentario: Ex omnibus reſinis principatum terebinthinæ datur, poſt eam lentiſcinæ, tum ei, quæ de pinu raditur, & abiete, poſt quas picea, ſtrobilinaque numeratur: in his enim Dioſcorides tanquam de infima ſtrobilina, optima verò terebinthina ſentire videtur. Verùm ego ex his tribus reſinis ſtrobilina, abietina, terebinthina, principem certè ſtrobilinam calore, ſecundam abietinam, poſtremam terebinthinam eſſe dixi: hactenus de reſinis Galenus. Sed hac in re animaduertendum eſt, quòd hoc in loco cæteris

*ſtrobilinam non aliter præfert Galenus, niſi quòd omnes caliditate tantùm antecellat: ſiquidem in vniuerſum in medicamentis componẽdis à Dioſcoride nequaquam diſſentit, videlicet quod inter omnes terebinthina primas occupet ſedes, paulò poſt declarauit, dicens. Inter reſinas optimam, tanquam medicamentum in multiplices vſus accommodatum, meritò terebinthinam affirmaueris, non tamen caliditate primas obtinere. Excalfacit, extrahit, emollit, abſtergit, deijcit. Arbor, quæ Græcè τέρμινθος, Latinè Terebinthus appellatur: Arabicè, Baton, Boton, Botin, ſiue Albotin: Italicè, Terebintho: Gallis, Terbentin. Reſina verò ita Latinis vocata, Græcis ῥητίνη nuncupatur: Arabibus, Ratim, ſiue Natig: Italis, Ragia: Germanis, Hartz.*

Nomina.

Terebinthus, τέρμινθος Dioſcoridi, Galeno & Paulo: τερέβινθος Theophraſto: apud Nicandrum legitur τρέμιθος, quo loci ſcholiaſtes idem vult eſſe quod τερέβινθος. Terebinthum herbarii vocant: cuius fructum Auicenna grana viridia nominat: ipſam verò reſinam, Gluten albotin, Nicandro alexiph. τερμινθίς. Reſina omnis duplex eſt, alia liquida, alia ſicca, ad quas differentias omnia reſinarum genera referri poſſunt. Colophoniam videtur Dioſcorides à pinu vel picea ſumere, quæ non ea eſt, qua hodie vtimur: cum noſtra reſina ſit ſicciſſima, veterum fuerit liquida, quam aliqui cedri picem credunt, vulgò pix ſicca Græca, dicitur: frictam etiam vocant Colophoniam: & Græci frictam reſinam, ſimpliciter φρυκτὴν appellant, vt 4. de tuenda ſanitate, & 6. methodi, apud Galenum legitur.

Reſina duplex eſt. Colophonia Dioſc. à noſtra differt.

## Πίσσα ὑγρά. PIX LIQVIDA. CAP. LXXVIII.

PIx liquida, quam alii conum vocant, è pinguiſſimis pini, piceęque lignis congregatur. Optima eſt ſplẽdens, ſyncera, læuis. Contra venena, phthiſim, purulentam excreationem, tuſſes, ſuſpiria, & pectoris humores, qui difficile extuſſiuntur, efficax eſt, eclegmate cyathi menſura cum melle dato: tonſillarum & vuæ inflammationes, anginæque vtiliter perunguntur: purulentis auribus infunditur cum roſaceo, & illinitur cum trito ſale ſerpentium morſibus: adiecta verò pari cera, ſcabros vngues extricat, impetigineſque emendat: vuluæ duritias, ac ſedis tubercula diſcutit: cum farinaque hordeacea, & pueri impubis vrina decocta, ſtrumas rumpit: cohibet vlcera, quæ ſerpunt, cum pineo cortice, aut ſulphure, aut furfuribus illita. Cæterùm cum thuris manna, & cerato profundos vlcerum ſinus conglutinat: rimis ſedis & pedum magno auxilio illinitur: vlcera replet, & cum melle purgat, quin & cum vua paſſa, & melle carbunculos, & putrida vlcera emarginat, diſrumpitque. Erodentibus medicamentis, quas ſeptas vocant, probè immiſcetur.

## Πισσέλαιον. PICINVM OLEVM. CAP. LXXIX.

Orib. nõ leg.

E Pice fit quod piſſelæõ appellant, ſeparato liquore aquoſo, qui ſupernatat pici, ſicut ſerum [lacti.] Nã expãſa, quandiu pix coquitur, ſupra cortinam vellera pura madeſcũt, acceptoq; halitu eius exprimũtur in vas, idq; tandiu fiat, donec pix coquatur. Quas pix liquida præbet vtilitates: alopecias capillo replet cum farina hordeacea illitum: quibus & liquida pix medetur: iumentorum vlcera, ſcabiemque emendat.

## Λιγνὺς τῆς ὑγρᾶς πίσσης. FVLIGO LIQVIDÆ PICIS. CAP. LXXX.

FIt hoc modo è liquida pice fuligo: in lucerna noua, quæ ellychnium habeat, nonnihil picis incendito, lucernamque fictili vaſe in clibani ſpeciem conformato, ſuperius in anguſtum fornicato, inferius perforato, vt clibani eſſe ſolent, operito, & adoleri ſinito: conſumptoq; liquore nouum infundito, quoad ſufficientem vſui fuliginem collegeris. Vis ei adſtringens, acriſque. Vſui eſt ad pigmenta, quibus palpebras linunt, & venuſtant, & ad circumlitiones. Item vbi glabris genis pilos reſtitui oportet, ad imbeciles, lachrymoſoſque oculos, inſuper ad eorundem vlcera non inutilis eſt.

## Πίσσα ξηρά. PIX ARIDA. CAP. LXXXI.

Concluſa nõ legit Orib.

LIqvida pix decocta in ſpiſſam coit, [quam vocant aliqui palimpiſſam,] quo in genere quædam viſci modo lenteſcit, [boſcas cognominata:] altera ſicca eſt. Probatur pura, pinguis, † odorata, ſubrufa, reſinoſa. Talis Brutia & Lycia, picis reſinæque ſimul naturam habentes. Calfactoriam vim habet: dura emollit, pus mouet, tubercula panoſque diſcutit, vlcera replet: vulnerariis medicaminibus commodè permiſcetur.

*† Hoc loco non εὐώδης, id eſt, odorata, vt communis lectio habet, ſed ἰξώδης, hoc eſt, viſcoſa legitur in Oribaſii codice manu ſcripto, libro 12. ſimplicium. Harum lectionum quæ ſit melior in probatione picis ſiccæ, aliorum ſit iudicium.*

## Ζώπισσα. ZOPISSA. CAP. LXXXII.

ZOpissam aliqui aiunt deraſam nauibus reſinam cum cera, quam alii apochyma appellant. Ea diſſipandi naturam habet: quoniam marino ſale macerata ſit. Alii pineam reſinam hoc nomine vocauerunt.

*TAmetſi de pluribus Picis generibus, de oleo, earumq; fuligine diuerſis, ac propriis capitibus diſſerat Dioſcorides: cùm tamen horum omnium hiſtoria notior ſit quàm vt à nobis explicari debeat, operæpretium non eſt, vt de his pluribus agamus. Sed quoniam fortaſſe nonnullos delectabit audire, quonam modo pix ipſa conficiatur, vt illis & mihi ſit ſatisfactum, hic rem paucis aperiam, omniaque de ea referam, quæ Tridentino tractu in Flemarum montibus coràm clarè perſpexi. Sic ergo picem, quæ paſſim naualis dicitur, eo quòd picandis nauigiis ſit aptiſſima, artifices conficiunt. Veteres pinos, quæ prorſus teda confecta ſint, in particulas ſecuribus concidunt, vt ex aliarum arborum truncis ad carbonis opus fieri*

Picis conficiendæ, & parandæ ratio.

*fieri ſolet. Deinde verò area ex creta pauitur in medio paululum elata, extremitatibus æqualiter dependentibus, vt liquor è teda reſudans in canalem totam aream ambientem facilius defluere poßit. Itaque conciſam tedam in area ſtruis congerie locant, velut in carbonis artificio: mox hac primùm abietum, picearumq́; frondoſis ramis vndiq́; tecta circundataq́;, tum demum terra ſepta, lutoq́; obſtructa, ne quouis modo fumo ac flammis pateat exitus, per foramen in cacumine paratum ignem ſuccendunt, eadem quoque ratione, qua & carbones coquuntur. Quare cùm deſit locus, per quem flamma erumpere poßit, ſentiatq́; ob id congeſta moles maximum ignis ardorem, pix liquatur, & per areæ pauimentum cõfluens in canalem circumpoſitum defluit, qui per alios canales inibi artificioſè paratos picem fluentem conuat in ſcrobes ligneis aſſeribus circumdatos, ne terra defluxam picem combibat: vnde poſtea dolia, & cadi, & vtres implentur. Operis perfecti ſignum, ſi rogus decumbat, ſubſidatq́;, & liquor defluere deſinat. Sic enim picem fieri vidimus à ſyluicolis eam parantibus, qui quodammodo ſecuti videntur Theophraſtum lib. 9. cap. 3. de hiſtoria plantarum, vbi eadem ferè ratione Macedones picem vrere latius tradidit. Pix liquida calefacta vnà cum Thure & Maſtiche, deraſo occipitio adhibita, prolapſam columellam reſtituit. Picis facultates memoriæ prodidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Pix ſicca quidem deſiccat, & excalfacit ſecundo à mediocribus, ſiue ſymmetris exceſſu: ac plus deſiccare poteſt, quàm excalfacere. Humida verò contrà, plus videlicet calfacit, quàm deſiccat: habetq́; nonnullam partium tenuitatem, qua & aſthmaticos, & purulẽtos adiuuat: ſatis eſt autem cyathi linxiſſe menſuram melli miſtæ. Sed & abſtergendi quandam vim habent, atque concoquendi, digerendiq́;: veluti & in guſtu ſubamarum quid obtinent, & acre. Sic leproſos vngues eximunt miſtæ cum cera: lychenaſq́; detergunt: concoquunt item duros & crudos tumores omnes cataplaſmatis inditæ. Ad ea omnia humida valẽtior eſt: arida verò pix tametſi ad hæc quidem deterior eſt, glutinandis tamen vulneribus magis congruit. Ex his itaq́; clarũ eſt, humidæ pici calidam humiditatem affatim eſſe admiſtam. Meminit item Galenus picis fuliginis lib. 7. eorundem ſimp. vbi ita de omni fuligine ſcriptum reliquit. Fuligo omnis exiccatoria eſt, ac proinde terreſtris eſt eſſentiæ, habens quaſdam etiam ignis, qui materiam combußit, reliquias: ſed id puſillum eſt. Porrò tota eius natura terrena eſt, tenuium partium. Sed quæ ſpeciatim in ea differentiæ ſunt, eæ pro vſta materia eueniunt: ex acriore, & calidiore, tali etiam proueniente fuligine: ex dulciore ſimili quoque, & hinc fuligine proueniente. Primum enim thuris fuligine vtuntur, in ocularias medicinas miſta, eas videlicet, quæ ad oculos etiamnum phlegmone tentatos accommodantur, atque etiamnum fluxione vexãtur, & vlcera habent: nam & illa expurgat, & carne implet. Adhæc vſurpant quoque eam ad facultates, quas vocant callìblepharas. Præterea terebinthinæ, myrrhæq́; fuligo moleſtia caret, non aliter quàm thuris: ſed ſtyracis his quodammodo valentior eſt: magis etiam picis liquidæ, quæ etiam magis cedri. Porrò acrioribus vtuntur ad vitia palpebrarum vocata ptila, & eroſos oculorum angulos, humidoſq́; citra phlegmonem. At mollioribus, mitioribuſq́; tum ad hæc, tum ad ea, ad quæ competere paulò ſuperius diximus thuris fuliginem. Πίσσα ὑγρὰ, Græcis dicitur: Latinis, Pix liquida: Arabibus, Erſ, Ceſt, Zeſt, aut Kir: Italis, Pece liquida: Germanis pix omnis, Bech: ſicut etiam Hiſpanis, Pex negra: Gallis, Poix fondue, liquida tantum. Πίσσα ξηρὰ, καὶ παλίμπισσα Græcè vocatur: Latinè, Pix ſicca: Italicè, Pece ſecca: Gallis, Poix ſeche. Quod Græci πισσέλαιον, Latini Picinum oleum dicunt: Arabes Kepſen, ſeu Kapſe: Hiſpani, Azei de pez.*

Picis facultates ex Gal.

Fuliginum vires ex Gal.

Nomina.

## Ἄσφαλτος. BITVMEN. CAP. LXXXIII.

BITVMEN Iudaicum cæteris anteponitur: cuius probatio eſt, vt purpuræ modo ſplendeat, ſitque põderoſum, ac validum odorem vibret: nigrum autem & ſordidum, vitioſum eſt. Adulteratur pice. Gignitur in Phœnice, Babylone, Zacyntho, & Sydone. a[Liquidum inuenitur in Agragantino Siciliæ, fontibus innatans: quo vtuntur ad lucernarum lumina, olei vice. Hallucinantur, qui id Sicilicum oleum nominant: namque liquidi bituminis genus eſſe conſtat.]

a Non habet Orib.

## Πισσάσφαλτος. PISSASPHALTVM. CAP. LXXXIIII.

NASCITVR in Apolloniatarum agro circa Epidaurum, quæ piſſaſphaltos appellatur. Ea Cerauniis montibus deuoluta impetu fluminis rapitur, æſtuque in litus expuitur, illic coacta in glebas miſtam bitumini picem redolet.

## Νάφθα. NAPHTHA. CAP. LXXXV.

a NAPHTHAM vocant Babylonii bituminis colamen, colore candidum: inuenitur etiam nigrum [Vis ei ignium rapax, ita vt ex ſpatio protinus in eam tranſiliant. Ad ſuffuſiones oculorum & albugines vtilis.] Bitumen omne diſcutit, glutinat, emollit, ab inflammatione tuetur: vuluarum procidẽtias, ſtrangulationeſque olfactu, ſuffitu, impoſitu, emendat: comitiales morbos ſuffitum deprehendit, gagate lapidis more: purgationes mulierum cum vino, & caſtorio potum elicit: tuſſim veterem, & anhelitum adiuuat: ſerpentium morſibus, coxendicum, laterumque doloribus auxiliatur: datur cœliacis in catapotio deuorandum: cum aceto potum diſcutit ſanguinem concretum: dyſentericis cum ptiſana liquatum infunditur: deſtillationibus ſuffitione medetur: mitigat dentium dolores oblitum. Cæterum pilos incõmodos ſiccum replicat, ſpecillo impoſitum: concalfactum autem, & cum farina hordeacea, nitro, & cera illitum, podagris, articulorum doloribus, lethargiciſque prodeſt. Piſſaſphaltos eadem, quæ pix, & bitumen, ſi miſceantur, poteſt.

a Iſta omnia deſunt in meo, & Drag.

*LEgitimum quidem Iudaicum Bitumen hoc æuo (quod ſciam) in Italiam non aduehitur: id namque, quo officinæ vtuntur, impoſtura quædam eſt, pice, petroleo, & aliis nonnullis parata. Igitur mirari non licet, ſi id Dioſcoridis hiſtoriæ minimè reſpondere videatur. Optimum in Iudæa prouenit in quodam lacu, quà Iordanis amnis influit, qui ab vrbe Hierico quindecim tantùm millia paſſuum diſtat, ſi Brocardo fides habenda eſt, qui Palæſtinæ topographiam edidit. Nil verò aliud bitumen eſt, quàm pingue quoddam lacus illius aquis ſupernatans, quod vndis ventoq́; agitatum in littore concreſcit, denſatur, coit, tenaciſſimumq́; redditur. Nullum in hoc lacu (vt Galenus teſtatur lib. 4. cap. 20. ſimpl. medicamentorum) animal, nullaq́; ſtirps innaſcitur, neque viſitur, ob aquæ ingentem ſalſedinem. Imò cùm duo ingentia flumina in*

Bituminis conſideratio, & hiſtoria.

eum confluant, in quibus piſces innumeri, præſertim in eo, quod propè Hierichontem fluit, quod Iordanem appellant, nullus omnino piſcium fluminum oſtia excedit. Quinimo eodem auctore, de his, quæ in eum proiiciunt, nihil mergitur, ſed inſtar nauis, ſuper aquam fertur. Quippe hoc eſſe verum probari facilè poteſt experimento, quod ſenſibus patet: nam vnaquæque nauis leuius admodum marinis, quàm dulcibus fertur aquis. Proinde loco citato hæc ſcitè prodidit Galenus. At aqua, quæ ex lacu Syriæ Palæſtinæ, quem alij quidem mare vocant mortuum, alij ſtagnum bituminoſum, guſtantibus non ſalſa modo, ſed & amara eſt. Salem verò etiam habet ex ſeſe natum, perinde ſubamarum, primoq́ ſtatim aſpectu vnà cũ vniuerſo mari tum candidior, tum craſsior apparet, ſalſugini meræ ſimilis: in quam ſi ſalem iniicias, ne liquari quidem etiam poſsit: plurimum enim eius in ſe habet: ac ſi quis in eam ſe emergat, continuo ſale tenuiſsimo velut conſperſus, vndiq́ emergere conſpicitur. Quapropter etiam aqua illa, quàm cætera marina grauior eſt, idq́ tanto pondere, quanto fluuiali marina. Itaque ſi volueris te ipſum deiicere in profundum, ne ſic quidem poteris deorſum ferri: ita attollit, eleuatq́ aqua: non ſanè quia natura leuis ſit, quod quidam veterum ſophiſtarum prodidit, ſed vt cenſuit Ariſtoteles, propter grauitatem inſtar luti, quæ leuiora ſunt, geſtans. Proinde ſi hominem ligatis manibus, pedibuſq́ in ſtagni illius aquam conieceris, deorſum haud feretur: quin verò ſicut naues in mari onera plura, quàm in fluuiis citra ſubmerſionem portare valent, eundem in modum in ſtagno mortuo multò plura, quàm in mari. Tantò enim eſt, quæ in illo eſt aqua, marina grauior, quantò marina lacuſtri, aut fluuiali: ineſt enim ei ſalis ſubſtantia, quæ terrea, grauiſque eſt. Ipſique tibi marinam, ſi lubet, efficere licet, ſale in aqua fluuiali colliquato, cognoſceréque quanto grauior reddatur aqua eiuſmodi, quàm ſit dulcis. Quin & modum iam inuenerunt, moderatam ad ſaliendum conficiendi ſalſuginem, ſi ouum in ea videatur natare: nam vbi etiamnum ſidit, ac nondum ſuper ſalſuginis ſuperficiem innatat, aquoſa magis eſt, & dulcis: grauiter verò ſalſa eſt, vbi tanta eſt ſalis copia indita, vt amplius liquari, qui poſtea adiicitur, nequeat: quam aquam ſi pendere non grauaberis, omnium aquarum comperies grauiſsimam. Itaque ego quandoque inanem eſſe diuitis cuiuſdam ambitionem oſtendi, qui tanta in Italiã maris mortui aquam deuexit, quæ ciſternam implere poſſet. Nam id ipſum ego expeditè præſtiti, ſale plurimo in aquam potabilem coniecto: hæc Galenus.

Sodomeus lacus.

Lacus iſte, quem aliqui mare mortuum vocant, ille quidem eſt, quem ſacra teſtantur monumenta exortum eſſe, vbi Sodoma, Gomorrha, aliæque finitimæ ciuitates cæleſti igne abſorptæ, ſubuerſæque fuere. Quod etiam Galeni auctoritate comprobatur, qui eodem loco citato lacum hunc Sodomeum appellari ſcribit. Eructat continuè is (vt quidam Patriarcha Hieroſolymitanus ſuis ſcriptis perhibet) nebuloſos quoſdam vapores fœtorem intolerabilem vibrantes, qui poſtea ventorum flamine per conualles olim fertiliſsimas exagitati, perpetuam ſterilitatem relinquunt, ita vt longo terrarum ſpatio nec herba, nec arbos, nec vllum denique germen proueniat, neque vireſcat, niſi iuxta Hiericum, vbi ab Eliſei fonte irrigantur horti. Tradit Plinius hunc lacum longitudine cẽtum millia paſſuum excedere, latitudine maxima viginti quinque millia paſſuum implere.

Piſſaſphalti conſideratio.

Idem Piſſaſphalti inter picis genera meminit lib. 24. cap. 7. ſic inquiens. Eſt & Piſſaſphaltos miſta bitumini pice naturaliter ex Apolloniatarum agro: quidam autem ipſi miſcent. Affertur ex eodem agro etiamnum hoc æuo: ſiquidem ex Apollonia Epiri, quam vulgò Valonam nuncupant, Venetias piſſaſphaltum pro picandis nauigiis copioſum importatur: quippe quòd pineæ pici commiſtum, valẽtiſsimè id muneris præſtet. Nuper ex Dalmatia afferri cœpit, vbi prope Leſinam, non longè à Narenta foditur: cuius amicus quidam mihi copiam fecit. Foditur & in Pannonia, vbi id incolæ foſsitiam ceram eſſe exiſtimant.

Fuch. & quorundã lapſus circa piſſaſphaltum.

Scribit Fuchſius lib. 1. de comp. med. piſſaſphaltum nunc etiam tribus fere milliaribus ab Iſbruck reperiri, vocariq́ Germanico ſermone Triſchemblut, cuius portionem aliquam adhuc ſe habere fatetur, ſibi à Georgio Collimitio tranſmiſſam, quæ ſuccenſa bitumen ac picem veriſsimè redolet. Sed equidem vereor, ne ipſe quoque decipiatur, vna cum Georgio illo. Is enim lapidem gagatem, qui ferè tribus ab ea ciuitate Germanicis milliaribus (vt Fuchſius inquit) in litore cuiuſdam torrentis frequentiſsimus reperitur, pro piſſaſphalto oſtendebat. Sed illius error, dum ego in Isbruck eſſem, à clariſsimo Ioanne Petro Merendio medico Regio, & à me pariter deprehenſus eſt: quod lapis Germanica lingua Triſchemblut vocatus; etſi lapidis gagatæ modo conflagret, & bitumen redoleat accenſus, nunquam tamen vt pix & aſphaltus igne liqueſcit, ſed ligni, vel tedæ modo comburitur.

Naphthæ mentio.

Præterea vltimum bituminis genus, quod Naphtham vocant, Plinius lib. 2. cap. 105. in Auſtagenis Parthiæ inueniri prodidit, tamq́ eſſe huic ignium cognationem, vt tranſiliant protinus in ipſum vndecunque viſum. Quod etſi in Italiam aliunde (quod ſciam) non inferatur, inibi tamẽ pluribus in locis id generis erumpit, quod eoſdem cum igne præſtat effectus: quale eſt, quod in agro Mutinenſi & aliis quibuſdam in locis in Inſubriæ ſcaturit, petroleum, ſiue ſaxeum appellatum: Cæterum id quidem mirum admodum de petroleo omnibus videri debet, quod mihi narrauit Poſonij Vngariæ, Illuſtris comes Hercules à contrariis Ferrarienſis, eo tempore, quo Maximilianus Romanorum & Bohemiæ rex, Pannoniæ coronam ſuſcepit.

Petrolei cuiuſdam hiſtoria, & vis admirabilis.

Narrabat itaque Comes ſuo quodam in prædio ſe puteum habere, in quo vna cum aqua petroleum diſtillat è terræ meatibus. Atqui cum rimæ quædam in putei fundo hiantes exortæ eſſent, è quibus petroleum ſenſim labebatur, cementarium fabrum ſe conduxiſſe, dicebat, qui rimas diligenter obſtrueret: at cum artifex ſine lumine id præſtare nequiret, laternam expoſtulaſſe, eamq́ illi in puteum demiſſam eſſe perquam diligenter occluſam, verum paulo poſt, eueniſſe affirmabat, vt petroleum ignium rapax accenſis putei parietibus, & impetuoſo admodum excitato vapore, non ſolùm cementarium artificem illum, perinde ac è bombarda extinctum ſurſum extra puteum eiaculaſſet, ſed etiam putei tectum totum in aëra euexiſſet, accenſis lagenis nonnullis petroleo plenis extra putei oſtium exiſtentibus, quarum igne aſtantes quidam maximè læſi ſunt. Hinc itaque adducor omnino ad credendam, nil aliud petroleum eſſe, quàm Naphtham, bituminis colamen, de quo ſcripſere Dioſcorides, & Plinius. Sed vt redeamus, vnde digreſsi ſumus, bitumen Sodomeum non niſi fictitium vel impoſtorum malitia adulteratum, aduehitur.

Braſa. opinio improbata, dum Mumiã, bitumini ſubſtituit.

Proinde Braſauolus in ſynceri defectu, Mumiam à Mauritanis vocatam ſubſtituit, quòd certò crediderit, mumiam eſſe legitimum Palæſtinum aſphaltum. Quandoquidem exiſtimauit, ſiccatum Arabum, tum aliarum gentium corpora, quæ pro mumia ex Syria & Aegypto Venetias deferuntur, cum ſint ex infima illius regionis plebecula, vice aloës, myrrhæ, croci, & balſami ex more Iudaico, duntaxat aſphalto impleri, quod eorum pauperies aromatum ſumtus non toleret. Hoc fundamentum hinc ieciſſe videtur, quòd Strabo literis mandauerit Bitumen Sodomei lacus in vſu eſſe ad tutanda hominum cadauera.

Mumiæ conſideratio.

Sed quãtum ipſe ex Arabum ſcriptis deprompſi, apud eos MVMIA potius eſt piſſaſphaltum, quàm aſphaltum: ſiquidem ſcribit Auicenna, mumiam eadem præſtare, quæ aſphaltus pice commiſtus. Ex quo facilè conii cere poſſumus, cadauera illa piſſaſphalto tantum impleri. Cui etiam ſubſcribit Serapio, qui de Mumia diſſerens, ex Dioſcoridis auctoritate, eadem, quæ Dioſcorides de piſſaſphalto tradidit, ipſe verbotenus ad mumiam retulit, ſic inquiens. Mumia eſt in terris Apolloniæ: deſcendit namque ex montibus, qui ducunt flumina cum aqua, & eiicit eam aqua fluminis in ripis, & eſt coagulata, & fit ſicut cera, & habet odorem picis miſtæ cum aſphalto cum aliquo fœtore: & virtus eius eſt, ſicut picis, & aſphalti miſtorum. Vnde potius aſſerendum puto, nẽ rim, noſtram Mumiam eſſe piſſaſphaltum, quàm aſphaltum. Et quamuis dicat Strabo bituminis Iudaici vſum fuiſſe ad

conſeruanda

## M V M I A.



*conſeruanda cadauera: non tamen negat, quin bitumini picem admiſceant, fiatq; piſſaſphaltum factitium. Verùm Serapio, & Auicenna has miſturas optimè nouerant, vtpote quibus non modo Syri, ſed & ſuæ gentis Mauritani vterentur. Quo fit, vt Braſauoli ſententiam non probandam exiſtimem, quod ſcilicet vulgaris Mumia bituminis loco in componendis medicamentis ſubſtituatur. Namque Mumia præterquam quod eſt (vt puto) ſyncerum piſſaſphaltum, vel aſphaltum pice miſtum, concepit deſfluentem humorem, qui continuo è cadaueribus in ſepulchris liquatur: ex quo credendum eſt, eam non parum ſuam immutaſſe naturam. Porrò ſatius ducerem Galenum & Paulum conſulere, qui in ſuccedaneis, ſi deſit aſphaltus, picem liquidam ſubdunt. Cæterùm notare conuenit Serapionem Mumiam Dioſcoridis piſſaſphalto adieciſſe, vt quæ aliquam inter ſe cognationem haberent, ab inuicem non diſiungeret: non enim erat neſcius, huiuſcemodi cadauera piſſaſphalto impleri, quemadmodum myrrha, croco, aloe, ac etiam balſamo ſimul admiſtis implebantur: quæ veram tractu temporis conficiebant mumiam, cuius meminit eiuſdem capitis initio, his verbis. Mumia ſepulchrorum, fit è myrrha, aloe, aliiſq; rebus his additis, & humiditate, quam exudant humana corpora. Veruntamen hæc noſtra tempeſtate in Italiã haudquaquam aduehitur: quippe quod hac miſtione nulla earum regionum cadauera, præter nobilium, ac diuitum condiantur: & hi quidem ſepulchra habent ſibi conſtituta, diligenterq; occluſa. Idcirco non ita facile iſtorum corpora ſurripi poſſunt à mercatoribus illuc profectis, vt minori tum difficultate, tum ſuſpicione auferri poſſunt pauperum, & ignobilium, aſphalto pice miſto, vel ipſo piſſaſphalto conſarcta. Ideoq; apertiſſimè falluntur, qui pro legitima Mumia arefactam iſtiuſmodi cadauerum carnem aſſumunt, non autem eorum infarctum, veluti ſeplaſiariorũ quàm plurimi, qui carnes & oſſa contundunt, eaq; medicamentis admiſcent, quæ mumiam expoſcunt. Neceſſum igitur eſſet legitimam mumiam expetentibus vt in hoſpitalibus noſtris cadauera obeuntium aloe, myrrha, & croco repleri curarent, eamq; deinde ſuo tempore eximi. Hanc tamen noſtram ſententiam pluribus refellere contendit Petrus Bellonius Cenomanus, vir ex eo fortaſſe peritus iudicandus, quòd profiteatur ſe Aſiam, Græciam, Syriam, Aegyptum, & Arabiam peragraſſe. Quippe qui putet, non aliam eſſe Mumiam apud Græcos & Arabes, quàm piſſaſphaltum. Sed quod eius argumenta non ſint tanti momenti, vt oppoſitum nobis perſuadere poſſint, & quòd potius idem hallucinetur, in epiſtolis, quas conſcribere inſtitui, adiuuante Deo, latius oſtendam: vbi etiam plurima eius errata attexemus, quæ in libellis, quos tum de medicamentis cadauera ſeruantibus, tum de reſiniferis arboribus, tum etiam de piſcibus condidit, legendo adnotauimus.* Bellonii opinio exploſa. *Quandoquidem noſtrum in primis inſtitutum non eſt in his commentariis noſtras ad vnguem tueri ſententias, atque ab erroribus, quibus notati erimus, nos vindicare, ſed quantum poſſumus materiam medicam à mẽdis expurgare, eamq; illuſtriorem reddere, & in priſtinum candorem reſtituere conamur. Porrò Mumia, de cuius viribus iam nobis diſſerendum eſt, (vt Arabes tradunt) quàm plurimus pollet facultatibus: ſiquidem ſecundo ordine tum ſiccat, tum excalfacit: capitis dolores frigiditate obortos abſque humorum præſentia mulcet.* Mumiæ vires. *Medetur hemicraneæ, paralyſi, oris diſtractionibus, comitialibus, vertiginoſiſq; ſi ex amaraci aqua naribus immittatur. Leucoij oleo, ſiue hyoſcyamino grani pondere ſubacta, ad aurium dolores frigidos vtiliter in earum concauitatem infunditur. Prodeſt quatuor granorum pondere ex thymbræ decocto reſoluta, gulæ cruciatibus. Epota ex zizypharum, hordei, & myxorum decocto tribus diebus continuis, tuſſientibus opem non modicam præſtat. Granorum item quatuor pondere ſumpta ex aqua mẽthæ, cordis affectus remouet: cum decocto verò cumini, ammi, & cari, tum ventriculi, tum inteſtinorum flatus diſcutit. Bibitur vtiliter ab alto deuolutis ex ſiliquæ Ægyptiæ medulla, additis Lemnia ſphragide, & rubiæ radice. Hauſta trium, vel quatuor granorum pondere ſingultum inhibet, ſi tamen ex cumini, & apij decocto aſſumatur. Errhinis impoſita, additis moſcho, caſtore, caphura, & oleo balanino, narib⁹ cõmodè inditur ad diuturnos capitis dolores: præſertimq; cum adhibitis aliis, contumax morbus non ſoluitur. Gargarizatur cum oxymelite aduerſus anginam: & ad lienis affectus ex cari decocto vtiliter bibitur: & contra lethalia venena ex decocto tribuli marini, & fœtidi laſerpitij gummi iuuamento non modico ſumitur: item ex mero contra ſcorpionum ictus bibitur, ictiſq; locis cum recenti bubulo butyro vtiliſſimè imponitur. Adſtringit mumia illita externa ſanguinis profluuia, pota verò interna: proinde perutilis ad cruentas excreationes. Ex caprillo lacte pota opitulatur exulceratæ veſicæ, internis penis deſquamationibus, & vrinam ægrè continentibus. Non deſunt qui credant, humanorum cadauerum oſſa in puluerem redacta, & in potu exhibita, variis corporis languoribus prodeſſe, os ſuum vnicuique membro tribuentes. Quod penitus refellendum non eſt: ſiquidem ipſe pluries vidi in comitiali morbo cranium humanum in puluerem redactum maximè profeciſſe, ſicuti etiam calculoſis renibus, & eorum doloribus. Sed ad Bitumen redeamus, à quo nos penè diſiunxerat mumia, ne à noſtro inſtituto recedamus. Huius meminit Galenus lib. 11. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Bitumen, vnum & ipſum eſt ex iis, quæ in aqua marina proueniunt, & in alia quapiam, quæ non eſt marinæ diſſimilis, vt in Apollonia Epiri, & per alia id genus loca, multis aquis ſpontè naſcentibus, ceu ſpuma quadã innatans hoc medicamẽ reperitur, & molle quidem eſt, dum innatat, poſtea verò reſiccatum pice ſicca durius efficitur. Optimũ verò bitumen in mari, quod mortuum vocant, prouenit.* Bituminis hiſtor. & vires ex Gal.

*Eſt autem id ſtagnum ſalſum in cœle, hoc eſt caua, Syriæ. Cæterùm medicaminis ipſius vis eſt tum reſiccatoria, tum excalfactoria in ſecundo ordine. Meritò itaque eo vtuntur & ad glutinationes vulnerum cruentorum, & ad alia omnia, quæ exiccari debent cum modica excalfactione.* Nomina. *Nomen eius Græcum eſt* ἄσφαλτος: *Latinum, Bitumen: Arabicum, Haſal ieudi, ſiue Cheſer aliheud: Italicum, Bitume, & Aſphalto: Germanicum,* Juden leim. Πιττάσφαλτος *verò ſic Græcis dicitur, vt Latinis Piſſaſphaltum: Arabibus, Mumie, Mumiay, ſeu Mumia: Italis, Piſſaſphalto: Hiſpanis, Cera de minera.*

Aſphalti nomina. Bitumen, ἄσφαλτος, dici Suida innuit, παρὰ τὸ σφάλλεσθαι, quamuis ab Aſphaltitide lacu (mortuum mare vocant) vbi plurimùm colligitur, deriuari poſſit. Germani Erdbech quaſi picem terreſtrem, eò quòd ſubſtantia & viribus cognatum ſit, vocant. Eſt autem veluti pinguis terræ adeps, aëreæ & igneæ ſubſtantiæ, Bitumen duplex. ideoque flammam promptiſſimè concipiens, Plinio lib. 35. cap. 15. Duplex verò eſt Bitumen, liquidum ac denſum: illud vario eſt colore, candidum, quod Babyloniis Naphtha: aliud in cinereo candidum, quod concretum Arabes Ambra nominant: eſt & fuluum, nonnihil cæruleum, purpureo colore ſplendens: eſt nigrum, eſt alio atque aliò colore, pro locorum in quibus ſcaturit diuerſitate. Sic hoc noſtro ſeculo Bitumen ex Auuernia. ex Auuernia Galliæ Bitumen adfertur & liquidum & nigricans, grauiſque odoris, ad hyſtericas paſſiones olfactu vtile. Et licet Aſphaltum quamdiu innatat, molle ſit, exemptum verò pice ſicca ſit durius, Galeno auctore: attamen interdum ex fontibus ita craſſum emanat, vt limus videri poſſit: quod fortaſſis Plinium mouit, cur loco citato, alibi limum, alibi terram dixerit. Quod ſi bitumen tam durum fuerit vt Gagates. poliri queat, Gagates appellatur & Obſidianus lapis: ſic in mare Germanicum bitumen effunditur can- Bitumen foſſile. didum, quod Succinum album eſt. Nihil dicimus de Bitumine foſſili, quod terra ampelitis & Bitumen foſſile terrenum, Germanis Stein koll, id eſt, Carbones lapidei dicuntur. Quod denique Dioſcorides liquidum Bitumen in Siciliæ fontibus innatare dicit, copioſè etiam in Germania, maximè circa Brunſchwigum reperitur, quo ad axes vngendas, iumentorum ſcabiem & lucernarum lumina vtuntur, & aliqui Pix Burgundiaca. à fœtore Teüffels dreck, id eſt, Satanæ ſtercus vocitant: at in Burgundia, ad axes vſus eſt picis albæ quam Burgundiacam vocitant. Simile etiam ex Betula arbore igne elicitur, quod Bitumen Betulæ arboris, Pli- Betulæ bitumen. nius nominat. Pissasphaltvm idem ac ſi dicas picinum bitumen: Marcellus Empiricus dicit Latinis, Piſſaſphalti nomina. Rubricam Scythicam appellari. Galenus, Aegineta, Aëtius Piſſaſphalti ne mentionem quidem vllam fecere, vt rei ad medicamenta inutilis: Theopompus de eo tanquam foſſili agens, ea penè quæ Dioſcorides refert: Arabibus eſt Mumia, quod Piſſaſphaltum Dioſcorides vocat: duplex autem eſt Arabibus, na- Mumia duplex. turale & factitium, quo mortuorum corpora condiebantur, ex Myrrha & Aloe. Sic & Mumia duplex, alia Arabum, Piſſaſphaltum puta, quæ natiua eſt: alia officinarum, quæ Bitumẽ iudaicum eſt, humani cadaueris tabo mixtum. Dicitur autem Mumia, cadauer conditum. Ex Dioſcoride enim capite de Cedro, hæc conditura φίλαγμα νεκρῶν σωμάτων dici poteſt: ſic ex Galeno ſeptimo ſimplicium ξηράγχιν καὶ φίλαγμα μόθειον τεθνεώτων appellare licet. Herodotus in Euterpe, cadauerum condituram ταρίχευσιν vocat: quem Diodorus lib. 1. cap. 5. ſequitur, & Strabo lib. 16. quòd ea non aliter, quã carnes ſale condirentur. Plinio li. 11. cap. 37. Cadauer conditũ, at Pomponio Melæ lib. 1. ca. 9. medicatũ. Hodie non ſolùm in Europa, ſed vt Cadauera qui condiãt. ferunt, etiã in Aſia & Africa, Mumia dicitur. De condientibus & cõdiendi modo, Diodorus Siculus loco citato eadem penè quæ & Herodotus habet. Tres enim hoc munus abſoluunt. Primus Grammaticus dicitur, qui poſito humi corpore circa ilia deſcribit, quãtum à ſiniſtra parte incidatur: Alter eſt Sciſſor, qui æthiopico lapide latus aperit, ſubitoq; aufugit, ob aſtãtes qui cum exſecratione in eũ lapides coniiciunt: tũ ſequũtur corporis curatores, qui Ταριχεύους ſalitores appellãtur & polinctores, qui exiſtimatione digni: horũ vnus ſciſſurã per corporis interiora, præter renes & cor, ducit: alter vino phœniceo odoriferis immixtis lauat, dein Cadauer lotũ vnguentis ex cedro & aliis pretioſis per dies triginta vngũt: Myrrha deinceps & Cinnamomo liniunt, vt ſeruari & odoriferũ reddi poſſit. Curatũ cadauer cognatis traditur, etiam Cõdiendi triplex modus. ſuperciliorũ & palpebrarũ pilis ſeruatis, vt dormienti ſit ſimilis. Triplicẽ cõdiendi modũ Herodotus docet. Primus, cerebro per nares hamo extracto, & lapide æthiopico viſceribus ablatis, repurgãt vino phœniceo, & odoribus farciunt: tũ omenta myrrha, caſia & odoribus, excepto thure, cõtuſis, cõplent & conſuunt: dein per ſeptuaginta dies ſaliunt: tũ cadauer ablutũ, & ſyndone inuolutũ, gummi illiniunt. Tãdem in ligneam hominis effigiẽ indunt & reponũt. Alter modus: clyſtere repleto vnguine cedrino, in aluum iniiciunt, non refectis corporibus: dein diebus ſeptuaginta ſaliunt: vltimo die cedrinum vnguen regerũt, quod ſecũ inteſtina educit. Tertius modus: pauperes dilutionibus ventrẽ abſtergunt, per dies ſeptuaginta, ſale areſaciunt, dein reponunt. Verùm Iudæi, Strabone li. 16. atteſtante, Aſphalto ſiue Bitumine liquido vtebantur. Aſt conſuetudo condiendi corpora in Ægypto, longè ante Heſiodi tempora, qui quadrin- Cadauera cur condita. gentis ante Herodotũ annis vixit, cæpit. Condierunt autem ob id, quod mortuorũ reſurrectionẽ exſpectarent, quod Democriti ſententia teſtatur, inquientis: Ægyptii, Iudæorũ more mortuorũ eſpectabant reſurrectionẽ, ideò corpora condiebant, vt durarent, & ad æternitatẽ aſſeruarentur: ob id nefas illis videbatur ab igne cõburi corpora, aut à vermibus abſumi debere. Quam Democriti ſententiam Plinius, vt Epicureus li. 7. c. 55. irriſit his verbis: ſimilis & de aſſeruandis corporibus hominũ ac reuiuiſcendi promiſſa Democriti vanitas, qui non reuixit ipſe. Herodotus in principio li. 3. Zoroaſtis rationẽ adferre conatus Cadauera quæ condita. eſt hãc, ne humatus à vermibus deuoraretur. Verũ enimuerò non ſolum hominũ, ſed etiam brutorũ animalium, permulta genera in Ægypto condiebantur. Ex quo colligi poſſe videtur, etiam ſceleratorũ cadauera quouis mortis genere affectorũ condita fuiſſe, cùm lib. 2. referat Apicem regem ſtrangulatum & in paternis monumentis ſepultũ: ſic fœminarum, non ſecus quàm virorum funera condiebantur, ita tamen vt fœminæ forma conſpicuæ, monente Herodoto, demum tertio aut quarto à morte die ſalinariis & polinctoribus, ne cum eis concumberent, fuerint traditæ. Tradebantur autem, vt Diodorus autor eſt, iis Bruta etiam condita. tantùm, qui funera mortuorum curare ſoliti erant, eo exercitio à maioribus tradito. Bruta quoque condita fuiſſe, ſufficiat Herodoti teſtimonium, ſiquidem Ægyptii certa animalia diis ſacra habuere, & etiam poſt mortem coluere: quorum cùm aliquod moriebatur, ſyndone contectum cum vlulatu pectus percutientes ſale aſpergebant, ac cedri liquore, quo diutius ſeruaretur, ac vnguentis odoriferis corpus vnctum, in ſacris locis ſepeliebant. Eiuſmodi autem erant, crocodylus, felis, canis, mures aranei, accipitres, vrſi, lupi, qua de re Herodotus lib. 2. Aduehuntur ex Ægypto eiuſmodi medicata & condita

& condita cadauera ( cuiuſmodi duo Venetiis integra vidimus ) quorum tamen venter non videtur conciſſe: eó quòd mos fuerit, vt quæ defunctus in vita dilexiſſet, vnà cum eo ſepelirentur, & ſi fas eſſet condirent, quæ in aluum indebant & rebus odoratis complebant, quare in Aegypto & Alexandria, in ventre & thorace etiam reperiuntur libri, idola, numiſmata, vaſa. Meminit Rondeletius funeris conditi, quod integrum ex Memphite, nauigio Maſſiliam fuit aduectum, in cuius thorace inventa ſunt viginti folia papyri antiquæ literis Arabicis inſcripta, quod nemo legere potuerit, licet Iudæi Auinionenſes hiſtoriam vitæ defuncti contineri aiebant. Sic Bellonius refert ſe vidiſſe libros antiquiſsimos, idola ex ære & orichalco, aliaq; permulta ſuppellectilia antiqua, in eorum thoracibus reperta. Vidimus nos ipſi idola palmum ferè longa, ex terra aliqua confecta forinſecus coloris ex viridi ſubcærulei, quæ vel viros vel mulieres referebant: quorum quędam hieroglíphicis litteris erant inſignita, quędam non: vnum habemus quod à D. Doctore Bernhardo Paludano, cùm ex Aegypto rediret, Pataui dono accepimus, quod ex thorace cadaueris in Aegypto conditi ſe ſumpſiſſe affirmabat, cuius iconem adiecimus: alterum hieroglíphicis notis inſignitum apud Nobiliſſimum Cortuſum, nunc horti Patauini præfectum, quod de collo geſtabat, vidimus. Nunc de vſu Cadaueris conditi paucis: Etſi Dioſcorides, Galenus, Aegineta, Aetius, non minus quam hiſtorici, Diodorus Siculus & Herodotus, Cadauer conditum agnouerint, & cedria condiri voluerint, quo humiditates depaſcerētur, duræ carnes exſiccarentur, & à putredine aſſeruarentur, tamen priſcorum Græcorum ætas nuſquam in ſuis monumentis vires medicas tribuiſſe legimus, cùm hoc non fuerit ipſorum inſtitutum, & à paucis annis aduehi ſit cœptum. Quare inquiunt recentiores, ſi cedria condiantur, cedriæ virium participia cadauera futura. Si aſphalo, aſphali: idem de reliquis medicamentorum generibus dicendum: ex quibus perſpicuum, Mumiam vocatam, rem eſſe compoſitam ex humana carne, admixto vel ſale, vel bitumine, vel cedria: quare hoc conditum mixtam naturam habet cum nitro & cedria, vel pro ratione eorum, quibus conditur: diuitum namq; cadauera in oriente, Aloë, Myrrha, & opobalſamo etiam condiebantur, pauperes verò, Bitumine cōditi ſepeliebātur. Hæc ratio cur noſtro ſeculo, Mumiæ dictæ, inter exotica medicamenta primum locum tribuerint: cuius apud Gallos tanta commendatio, vt optimates ea nunquam carere voluerint: referunt Franciſcum primum ipſorum Regem, in baltheo ſemper geſtaſſe, nullum caſum pertimeſcentē, ſi vel minimum ſaltē apud ſe haberet. Vtuntur & hoc tempore Medici ad coagulatum vel grumoſum ſanguinem, ex caſu reſoluendum. Aſt in ea quæ ad nos adfertur, nec colore, nec odore, nec ſapore percipias myrrham vel aloen, vel opobalſamum admixtum: quare videtur ea eſſe, quæ bitumine & humano tabo conſtat, at neq; hæc genuina, ſed bitumine cadauerum oſsibus infuſo & circumfuſo: hinc in officinis ſæpè ſcapularum, coſtarum videbis oſſa. Quod cúm ita ſit, malunt aliqui Bitumen, aut picem ſiccam accipere, cúm hæc cum Aſphalto & vim & ordinis facultatem ſortiatur: & ſanè, tutius eſt rem cognitam & ſynceram, quàm peregrinam & multis abominabilem in vſum vocare. Ex dictis facilè colligere eſt, falſam eſſe eorum opinionem, qui dicunt Mumiā eſſe corpora eorū, qui in littore maris arena obruuntur: vel, vt aliis placet, corpora in montibus frigore congelata, qua de re plenius alibi. Verum & hoc tempore magnatum condiuntur corpora, poſtquam enim omnia fuerint interanea ablata, ea quæ Cadauera à putredine conſeruare poſſunt, aſpergunt, & indunt. Apud Gallos vſitatus fuit puluis, quem Myrrhaceum vocant, cuius plures licet ſint compoſitiones, vnam tamen addere lubet. Aſſumunt ſalis multum, Alumen cum Myrrha & Aloe fuſum, Abſinthium, Cinnamomum, Caryophillos, Piper, Cuminum, Siler montanum, & id genus aromatum, omnium partes cōuenientes, quæ in craſsiorem comminuunt puluerem, affundendo Aceti parum: hunc puluerem aluo indunt: tum cera circūlitum ( quod tamen non in omnibus obſeruatur) & involutum feretro plumbeo includunt. Simile quid apud Herodotum lib 4. habetur. Pataui anno 78. vidimus hoc pacto cadauer condiri: inciſo ventre inteſtinis cum reliquis viſceribus exemptis, pectus ad coſtarum cartilagines fuit inciſum, viſceraq; exciſa: mox corpus aqua frigida ablutū, ſpongijſq; abſterſum primò: dein aceto acerrimo, tum aqua vitæ, tandem poſt factam cum ſpongia ſicca abſterſionem, puluis inſperſus ac infricatus: quin & bombacem vel ſtupas aquæ vitæ immerſas & expreſſas carni applicant, totaq; & infimi & medii ventris cauitas puluere impletur, cutiſq; conſuitur. Pari pacto & caput conditur, poſteaquam cranio ſerra ablato aut perterebrato, cerebrum fuerit exemptum. Sic conditum cadauer linteo cerato adhuc calente inuoluitur, & denique pice nauali illinitur: hoc pacto conditum in annos decem conſeruari poteſt. Pulueris hæc eſt compoſitio. Accipe herbarū Abſinthii ſicci, Saluiæ, Lauendulæ, florum Roſarum rubearū, Nucis cupreſſi, ana M. iij. Spicæ Germanicæ, calami aromatici, ana M. i. Aloes, Myrrhæ, Maſtiches, ana ℥. j. ß. Cinnamomi, Caryophyllorum, Nucis moſchatæ, Macis, Croci, ana ℥ i. Aluminis rochæ, Acatiæ, ℥ ij. Salis marini, Cumini, Furfuris torrefacti, ana ℔ i. Contuſa omnia ruditer ſeruentur ad vſum. Dein, accipe Aquæ vitæ ℔ x. aceti acerrimi ℔ xv. Stupæ canabinæ vel Bombacis ℔. viii. Spongias magnas, N. iiii. Hæc ſunt quæ parata haberi debent.



Cadaueribus varia incluſa.

Idola in Cadaueribus.

Cadaueris conditi vſus.

Error quorundam.

Cadauera vt nunc condiantur.

Pulueris deſcriptio.

Naphtha Græcis & Latinis, Arabibus & Turcis Nepht. Suidas medicum eſſe vocabulum ſcribit: & à Græcis μηδείας ἔλαιον vocari, eó quod Medea Creontis filiam pellicem cremauerit Naphthico oleo, qua de re & Plinius lib. 2. cap. 105. Quibuſdam oleum Siculum, quod in Agrigentino Siciliæ agro, eo olei vice ad lucernarum lumina vtantur. Perſæ, auctore Herodoto, oleum hoc Rhodium vocant. Officinis oleum

Naphthæ nomina.

Petroleum.

Petræ ſiue petroleum: Mutinenſibus, oleum montis Gibij. Differt ab alio quouis liquido bitumine: alia abſq; igne, aut bitumine accenſo, per ſe in terra gignuntur: hoc verò gignitur ex Bitumine in terra & montibus natura accenſo, tenuiſſimis eius vaporibus ſurſum eleuatis, & ad frigidiora ſaxa in tenuem liquorem reſolutis, qui dein per ſuos meatus è montibus fontium modo ſcaturit: verum ex craſſo & terreſtri bitumine, craſſa: ex tenui & puro, pura etiam & tenuis gignitur.

*Naphtha duplex. Petroleum triplex. Album.*

Duas quidem differentias Dioſcorides agnouit, candidam & nigram: at cum Bellonio tres ſtatuimus, nigram, candidam, & flauam: illa craſſior, hæ verò aquæ modo liquidæ ſunt. Variant etiam ratione loci: Italica namq; in ſuo fonte non flagrare dicitur, quod Babylonica facit, ſi Plutarcho in vita Alexandri credimus. Alba, quæ Babylonica eſt: licet etiam in Italia ſcaturiat in tractu Parmenſi apud Meianam pagum, quo loci tres ſcaturigines ſunt, vbi leui ſtillatu effluit, cum paulo maiori aquæ quantitate, parcius oleum fundens, quàm ruffa. Excipiunt autem ſingulo vel altero die: hoc pacto: aquam ſcopis quatiunt, ſicq; oleum in angulum coactum vaſe quodam excipiunt in ſingulum diem libram ſemis, vel pauloplus: maximè æſtiuo, ſicco & ſereno tempore: hocq; cæteris odore ſuauius & ſubtiliorum partium.

*Ruffum.*

Rufa circa montem Zibitum, tredecim à Mutina miliaribus diſtantem, vbi duæ vel tres ſcaturigines, colligitur, & quidem hyberno tempore ad vncias quindecim, at æſtate ad vncias quadraginta quinq;.

*Nigrum.*

Nigra in vico Allenſi non longè à Mediolano colligitur, ex puteis qui non Naphthæ gratia, ſed ſalis cauſa parati ſunt: aquæ namq; quæ ſalis conficiendi cauſa hauritur oleum innatat, quod concha aufertur: alij tamen vellera immergunt & oleo ſupernatante imbuunt, eaq; poſtea exprimunt: & quantò magis aqua exhauritur, tanto amplius olei excipitur, ita vt aliquando in æſtate ad 240. vncias colligi referant, maxime æſtate ſicciſſima, hyeme veró nihil aut parum. Quàm ſit Naphtha ἁρπακτικὸν τοῦ πυρός, exempla diuerſa legantur apud Plinium capite de Naphtha, Plutarchum in vita Alexandri, & Herodotum de ſcaturigine Naphthæ apud Perſas: ſolent enim, vt auctor Ammianus, Perſæ Naphtha tela illinire, ipſisq; accenſis & latius emiſsis hoſtium tecta cremare: qui volet, plura inueniet & de Naphtha & Mumia apud Bellonium & alios. Inter has candida efficaciſsima, dein fulua, poſtremum locum nigra obtinet, quod Aſphalti odorem plus cæteris refert, eiusq; pretium, propter magnũ eius prouentũ, vilius eſt. Hæc craſsior eſt rufa: rufa paulò craſsior alba, licet rufa & alba ſæpè pro eadẽ ſumatur, quæ ambæ adeò liquidæ, vt aquæ non valdè ſint abſimiles: quare ſi paulò obſcuriorem videris, nigram largius affuſam ſcias. Sunt qui loco olei petræ ſubſtituunt oleum Latericeum, quod quibuſdam Petroleum artificiale, illud naturale, dicitur.

## Κυπάρισσος. CVPRESSVS. CAP. LXXXVI.

*a Cõcluſa nõ legit antiquũ manu ſcriptũ exemplar: ſed meum, & Cantag. hæc omnia habent.*

CVpreſſus refrigerat, & aſtringit: cuius folia ex paſſo, & exiguo myrrhæ pota, veſicæ rheumatiſmi, & vrinæ difficultati auxiliantur. Pilulæ autem ex vino tuſæ in dyſenteria, alui fluxione, tuſsi, & orthopnœa, aut ſi reijciatur ſanguis, conuenientiſsimè bibuntur: earum decoctum eoſdem præbet effectus. [tuſæ cum fico duritias emolliunt, nariumq; polypo medentur: in aceto coctæ, & cum lupinis detritæ ſcabros vngues eijciunt: hernias inteſtinorum prolapſu erumpentes illitu reprimunt. Folia eadem præſtant.] Pilulæ cum arboris coma ſuffitæ, culices abigere exiſtimantur. Folia trita, & impoſita vulnera conglutinant, ſanguinem ſupprimunt: trita ex aceto capillum tingunt: illinuntur per ſe, aut cum polẽta ignibus ſacris, vlceribus quæ ſerpunt, carbunculis, & oculorum inflammationibus: admota cum cerato ſtomachum corroborant.

CVPRESSVS.



*Cupreſſi hiſtoria.*

*TAmetſi cupreſſus arbor notiſſima ſit in Italia: quin etſi vulgaris ſint notitia eius fructus, quos tam Græci, quàm Latini conos appellant, attamen cùm nihil de eius hiſtoria memoriæ tradiderit Dioſcorides, vt lectorib. vndequaque ſit ſatisfactum, hic nobis de ea diſſerendum eſt. CVPRESSVS itaque duum eſt generum: quorum alterum mas eſt, alterum fœminam appellant. Hæc metam in faſtigium acuminatam ducens, illa vero ramos in latum ſpargens: vtraque procera eſt planta, recta, candice glabro, ramos in ſummitate tantum habens. Folijs viret perpetuis & Sabina baccifera viridioribus, ac longioribus. Conos edit ter in anno, lariceis ſimiles, craſsiores tamen, duriores, compactiores, ſpecioſioresque, in quibus minutum concluditur ſemen.*

*Reſina Cupreſſi.*

*Fundit caudex reſinam liquidam ſed modicam, odore haud ingrato, Terebinthinæ haud abſimilem & facultatis ferè eiuſdem. Ligni materies ſolida, compacta, ſpectabilis, ſuauiter odorata, ſantalorum fere modo. Aduena igitur quondam fuit Italiæ Cupreſſus, & difficilimè naſcentium, natuque moroſa, vt quæ in educatione plurimum diligentiæ expetat, & præſertim in locis, vbi ſuapte natura non prouenit. Tradiderunt veteres cupreſſum Diti ſacram: & ideo funebri ſigno eius ramos ante domos ponere ſolebant, vbi aliquis defunctus iaceret: ex quo more creditur eius vmbra infauſta, nec quidem gratioſa.*

*Cupreſſi natalia.*

*Cupreſſi patria, ac proprium natale ſolum Creta inſula eſt: namque inibi quocunque loco terra moueatur, ſubactaq; ſit, niſi ſerantur alia, hæc ſua ſponte gignitur, atque protinus emigrat. In Idæis etiam montibus, quæ ad Troadẽ ſpectant, non appellato ſolo, Cupreſſus numeroſa ſponte profilit. Quod admiratione non vacat, alibi nõ niſi tempore, &*

*pere, & perquàm diligenti cultura proueniens, & cultorem magnopere faſtidiens. Odere cupreſſi flumina, lacus, omnesq; aquoſos tractus, quo fit, vt eiuſmodi locis ſata confeſtim inareſcant. Quod ſi rectè ſciuiſſet Adamus Lonic. non tam facilè (vt puto) ſcripſiſſet, cupreſſum humidis gaudere locis. Aſpernantur & fimum, quo etiam, ſi circumfoſſura impleatur non multo poſt tempore pereunt. Mira eſt Cupreſſi fœcunditas, etenim trifera eſt: colliguntur eius coni menſibus Ianuario, Maio, & Septembri. Semen iis innaſcitur, granis adeò puſillis ac minimis, vt atomis comparari poſſit: ob id enim ægrè perſpicitur. Non omittendum naturæ miraculum, ex tam paruo ſemine gigni tam proceras arbores. Semen mirè formicis expetitur, ampliato etiam miraculo, tantuli animalis cibo abſumi natalem tantarum arborum: quo fit, vt fructiferæ Cupreſſi nunquam formicis ſint deſtitutæ. Cupreſſus perpetua coma viret, eiusq; materies nec cariem, nec vetuſtatem ſentit, vt etiam cedri, ebeni, loti, taxi, buxi, & oleæ. Proinde veteres non aliam ob cauſam ex cupreſſina materie ſimulacra ſculpebant, niſi quòd ad æternam diuturnitatem permanſura putarent, veluti Romæ illud Iouis in arce. Fert & Cupreſſus liquidam reſinam larignæ ſimilem, ſapore verò acerrimam. Reliqua ſemina tradunt, foliis cupreſſi tuſis ſi miſceantur, à vermiculis quibuſcunque non tangi, neque erodi. Lignum autem (vt aiunt) nulla temporis diuturnitate ſuaueolentiam exuit. Conorum decoctum ex aceto paratum dentium dolores mulcet, ſi eo ſæpe os colluatur, eorundem rheumatiſmos cohibet: idem quoq; præſtat foliorum decoctum. Hoc quoque medicamento vitiligines curantur: eorundem & mulorum vnguium cinis oleo Myrtino exceptus, valet illitus ad capillorũ defluuium. Iidem (vt Marcellus inquit) impari numero minutiſſimè triti & ex vino vetere hauſti, tuſſim potentiſſime leniunt. Recentes virides q; coni hernioſos magnopere iuuant, ſi eorum decoctum ex vino vetere paratum, quotidie affecti biberint trium vnciarum pondere: interim tamen folia cupreſſi trita teſticulis illinenda ſunt, eſt enim hoc auxilium multis experimentis comprobatum. Idem præſtant tenera arboris germina commanſa, ita vt eorum ſuccus deglutiatur. Sunt qui puſillam cupreſſum, nonnullis etiam Cipreſſo vulgo dictam, abrotonum fœmininam vocent, à ſimilitudine, quam hæc cum arbore in multis habet: idcirco nec fortaſſe aberraret, qui certo crederet, Plinium libr. XXIV. cap. XV. de chamæcypariſſo herba differentem, de hac intellexiſſe: præſertim cùm tradat, ipſam ex vino potam contra ſerpentium omnium venena, ſcorpionumq; ictus pollere: ſiquidem & noſtra hac ætate plerique abrotonum fœminam ad idem vſurpant. Quod item ad alui tineas necandas bellarijs immiſcent, vt arte pueros ad comedẽdum alliciant. Hetruſci hanc Santolina vulgò nominant, de qua cùm libro tertio in abrotoni mentione nobis latius ſit differendũ, hic plura dicere ſuperuacaneum eſſet. Cupreſſi meminit Galenus libro VII. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Cupreſſi folia, germina, pilulæ recentes, & molles magna vulnera conglutinant in duris corporibus: ex quo clarum eſt, quòd reſiccandi vim habeat abſque inſigni acrimonia, aut caliditate, ſicut certè & guſtus teſtificatur. Apparet enim in ea leuis quidem acrimonia, ſed plurima amaritudo, multoq; etiam plus acerbitatis in tota planta. Tanta ei ineſt acrimonia caliditasq;, quanta ſatis ſit deducendæ in altum acerbitati, vt nullam tamen mordicationem, aut caliditatem in corporibus efficiat. Proinde in alto latentes in flaccidis, putreſcentibusq; affectibus humiditates innoxiè, tutoq; depaſcitur, atque abſumit: cùm quæ excalfaciunt ſimul deſiccantq;, eas quidem quæ contentæ ſunt, abſumant, cæterùm acrimonia & caliditate alias attrahant. Sic enterocelicos iuuat: ſiquidem exiccat, roburq; addit corporis partibus præ humiditate laxis, vtpote cùm adſtrictio in altum ſubeat, deducente ipſa caliditate, quæ admiſta eſt, eum ſeruante modum, vt deducere quidem valeat non tamen mordicare queat. Quidam ea vtuntur ad carbunculos, & herpetes polenta miſcẽtes, tanquam abſumat citra excalfactionem eos morbos facientem humiditatem. Sunt qui ad eryſipelata vtantur, admiſta nimirum polenta cum aqua, aut oxycrato aquoſo. Κυπάρισσος Græcè vocatur: Latinè, Cupreſſus: Arabicè, Saro, aut Sero: Italicè, Cipreſſo: Germanicè Cypreſſen: Hiſpanicè, Cipres: Gallicè, Cyprez: Bohemis, Cypriʃs.*

Adami Loniceri lapſus circa locum natalem cupreſſi.

Cupreſſina reſina.

Conorum vſus.

Cupreſſus puſilla.

Santolina.

Cupreſſi vires ex Gal.

Nomina.

De Cupreſſo ex antiquis, nullus melius ipſo Theophraſto, ex quo Plinius ſua deſumpſit, ſcripſit. Dicitur autem ἀπὸ τοῦ κύειν παρίσους τοὺς ἀκρέμονας à partu parilium ramorum: arborem Herbarij Cupreſſum vocant, cuius fructus, σφαιρία pilulæ dicuntur, aliis Coni, quibuſdam galbulæ, officinis nuces: quemadmodum apud multos Taxus, apud Germanos Buxus, ſic Cupreſſus apud Italos in cœmiteriis colitur, cum funebris arbor olim fuerit habita: plurimas videmus non longè Patauio in colle circa Eremitarum cœnobium: apud nos ſæpè licet ex ſemine germinarit Iuniperinis folijs, non tamen ad aliquam altitudinem peruenit.

a Ἀρκευθίς. IVNIPERVS. CAP. LXXXVII.

IVniperi genera duo, altera maior altera minor: vtraq; acris eſt. Excalfacit, & vrinã mouet: acceſa ſerpentes fugat. b Baccarum nonnullæ nucis iuglandis magnitudine nonnunquam grandeſcere, aliæ nucem Ponticam æquare inueniuntur, rotundæ, odoratæ, in mandẽdo dulces, ſubamaræ, quæ arceuthides etiam id eſt, baccæ Iuniperi nominantur. Modicè calfaciunt, & adſtringunt, ſtomacho vtiles: contra pectoris vitia, tuſſim, inflationes, tormina, & ſerpentium ictus efficaciſsimè bibuntur: vrinam cient, vnde ruptis, conuulſis, & vuluæ ſtrangulatui ſubueniunt. c [Folia acrimoniam habent: ideo tam ipſa, quàm eorum ſuccum ex vino contra viperarum morſus illini, aut bibi prodeſt. Corticis cinis cum aqua illitus, lepras eximit.] d.

a Antiquus codex habet περὶ Ἀρκεύθου μικρᾶς capit. περὶ Ἀρκευθίδος μεγάλης in multis antiquis codicib. reperitur. b Meum & Drag. τῶν δὲ καρποῦ ὁ μέν τις κάρυου ποντικοῦ τὸ μέγεθος, εὑρίσκεται, ὁ δὲ κυάμῳ ἴσος. Profert fructum magnitudine nucis ponticæ, reperitur & fabæ æqualis. Sed Cat. primo loco habet καρύου ſimpliciter: Secundo verò καρύου ποντικοῦ. c. Concluſa deſunt in meo, ſed Caracut. habet. d Cat. addit. τὸ δὲ ῥίνημα τοῦ ξύλου ποθὲν ἀναιρεῖ. i. ramenta verò ligni deuorata interficiunt: quin etiam addit alterum caput de Iunipero maiore, hunc in modum Ἀρκευθος μεγάλη, οἱ δὲ κυπάρισσος ἀγρία, οἱ δὲ μνησίθεος, ῥωμαῖοι Ἰουνίπερους, ἔστι δὲ καὶ αὐτὴ γνώριμος τοῖς πλείστοις, ἐμφερὴς κυπαρίσσῳ, γεννωμένη ἐν τραχέσι καὶ παραθαλασσίοις τόποις ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. δύναμιν δὲ ἔχει τὴν αὐτὴν τῇ προειρημένῃ. Id eſt, Iuniperus magna quæ & Cupreſſus ſylueſtris & mneſitheos dicitur, Romanis Iuniperus, plurimis cognita; ſimilis eſt cupreſſo. Naſcitur plerũque aſperis & maritimis locis. Eaſdem habet vires cum prædicta.

*R*Eperiuntur Græci Dioſcoridis codices (vt etiam adnotatum reliquit Marcellus) in quibus Iuniperi caput prorſus deprauatum legitur, quibuſdam additis, quæ Dioſcoridis doctrinam minimè ſapiunt. Siquidem nec Galenum, nec Paulum Aeginetam, minusq; Serapionem, qui tamen verbotenus Dioſcoridis ſcripta per capita ſingula refert, illud vſquam poſteritatis memoriæ prodidiſſe conſtat, quòd ſcilicet ramenta ligni Iuniperi epota homines perdant, præſertim cùm eius baccæ contra ſerpentium ictus efficaciſſimè deuorentur: bibaturque, ac illinatur foliorum expreſſus ſuccus ad viperarum*

IVNIPERVS. IVNIPERVS MAIOR.





*rarum morſus. Adde etiam quòd facto periculo id omnino falſum eſſe deprehendatur. Quare non modo non credendum, ſed ne cogitandum quidem, eiuſmodi ineptias à Dioſcoride ſcriptas: quin potius illi adſcriptas eſſe exiſtimandum. Siquidem cùm Oribaſius, qui plantarum hiſtorias perquam diligenter ex Dioſcoride tranſcribit, Iuniperi hiſtoriam prætermittat, id quidem manifeſtè indicat hæc omnia eſſe Dioſcoridi adulterina. Nam ſcripſiſſe Dioſcoridem, maioris Iuniperi fructum haberi nucis iuglandis magnitudine, alterius verò nucem ponticam æquare, nihil eſt quod me adducat ad credendum, & præſertim cum de re hac tam variæ ſint lectiones. His ergo rationibus adductus, non temerè partem illam, vtpote addititiam, ex hoc capite reſecandam duxi. Sed non deſunt recentiorum quidam, qui vt noui aliquid in medium afferre videantur,*

Iuniperus Dioſc. Cedrus Theophr. non eſt. Iuniperus duplex.

*Dioſcoridis Iuniperum contendunt, nil aliud eſſe quàm Theophraſti cedrum, & erroris in hoc Dioſcoridem accuſant. Sed ij potius videntur ſomnia deſcribere quàm vera, vt facilè cuipiam palam fiet, qui diligenter Theophraſtum perlegerit. Habet enim is duo cedri genera, alterum lycium, alterum Phœnicium, de quibus in Iu nipero nihil meminit Dioſcorides. Sed maiorem & minorem Iuniperum deſcribit: non lycium & Phœnicium ex Theophraſto, vt noui hi cenſores ſomniauere. Maior, & minor Iuniperi ſpecies in pluribus Italiæ locis reperitur. Tuſcia vrbanas alit, quæ in proceram arborem aſſurgunt viſunturq́; hæ frequentes in agro noſtro Senenſi: quarum fructus ſylueſtribus & craßior, & dulcior habetur. Folio vtraque eſt aculeato, longiuſculo, coronarij Roſmarini effigie, anguſtiore tamen. Ligni materies dura, compactaq́; at odorata, ad centenarios annos incorrupta perdurat: proinde iußit Hannibal (vt Plinius tradidit lib. 15. cap. 40.) templum Dianæ Epheſiæ*

Iuniperi lignum ad centenarios annos perdurat.

*Iuniperinis trabibus extrui, quòd per multas ætates eſſet duraturum. Igitur mirari non licet, ſi chymiſtæ aſſeuerant, carbonem Iuniperinum accenſum, & ſuo cinere obrutum ignem integro anno fouere. Baccas edit cæruleas copioſas, erui magnitudine, odore haud ingrato. Profert ex ſe Iuniperus gummi maſtichæ ſimile, quod & Sandaracham, & Vernicem appellant. Hoc primùm cùm metitur, candido ſplendeſcit colore, ſeneſcens verò in rufum abit. Porrò haud ignorandum eſt, hanc Arabum ſandaracham à Dioſcoridis ſandaracha perquam longè deſidere. Namque Græcis ſandaracha eſt foßilis ad arſenici, ſiue auripigmenti genera referenda, erodens, & exitiale medicamentum, vt amplius in quinto libro, Deo duce, dicemus. Verùm hæc ſandarachæ nomenclatio in gummi Iuniperi inuecta fuit à medicis, qui Mauritanos ſecuti ſandarax Arabicum nomen (ſic enim Arabes Iuniperi gummi vocant) in ſandaracham conuerterunt. Quamobrem illud adnotandum eſſe videtur, quòd vbi Arabes ſandaracham medicamentis inſerendam eſſe præcipiunt, gummi Iuniperi immiſcendum intelligunt: vbi verò à Græcis de ſandaracha fit mentio, foßilis illa rufa, & auripigmẽto ſimilis, eſt intelligenda. Non deſunt tamen qui velint Mauritanorum Sandaracham non eſſe gummi Iuniperi, ſed Oxycedri. Quorum equidem iudicio auſim facilè ſubſcribere: etenim pauci admodum ſunt, qui non putent oxycedrum eſſe Iuniperum maiorem: adeò vt plerią; vulgarium illam ab hac neſciant diſtinguere. Tradit Plinius libro decimo tertio capite vndecimo plura gummi genera, vbi gummi Iuniperinum ad nihil eſſe vtile ſcribit.*

Gummi Iuniperi ſeu Vernix.

Sandaracha Græcorum

Sandarax Arabum.

Gummi Iuniperi vſus.

Vernix liquidus & ſiccus.

*Cuius tamen frequens vſus in medicamentis contrarium indicat. Quippe hoc ſyncero, & oleo ex lini ſemine preſſo fit vernix liquidus: cuius eſt vſus ad illuſtrandas picturas & ad nitorem ferri conciliandum: vtilis etiamnum ad ambuſta, & præcipuus ad dolores, & tumores hæmorrhoidum. Siccus vernix, hoc eſt gummi Iuniperi (vt author eſt Serapio) ſuffitus aut aſperſus deſtillationes ſuſpendit: hauſtus menſium profluuia ſiſtit, ſinus exiccat immiſſus, hauſtus verò pituitam, quæ ventriculo, & inteſtinis hæſerit: tineas & cætera ventris animalia necat. Neruorũ reſolutionibus, quas humores frigidi cõtraxerint, opitulatur. Capitis diſtillationes ſuffitu diſcutit. Idẽ exceptus ſanguinis excreationes ſupprimit, & hæmorrhoidas fluentes illitus. Addito tum roſaceo, tum myrtino ſedis rimas coercet, & hiantibus frigore manuum, pedumq́; ſciſſuris illitu ſuccurrit. In ſumma calfacit, & ſiccat primo receſſu. Sandaracha igni admotæ fumus dentium dolores mulcet, vbi per infundibulum ad affectum dentem peruenerit: eiuſdem puluis oui albo ſubactus, & fronti temporibusq́; illitus ſanguinem è naribus fluentem ſiſtit. Eſt & Sandaracha ceraginoſi mellis genus apud Plini. qui de ea li. XI. cap.*

Sandaracha alia Plinij à pumicibus.

VII. ita

*ulla ſcribit. Præter hæc conuehitur Erithace, quam alij ſandaracham, alij cerinthum vocant. Hic erit apum, dum operantur, cibus, qui ſæpe inuenitur in fauorum inanitatibus ſepoſitus: & ipſe amari ſaporis, gignitur rore verno: hactenus Plinius: de hac ante ipſum meminit etiam Ariſtoteles lib. IX. cap. XL. de hiſtoria animalium, Apes inquiens recondunt alterum quoq; cibarij genus cui durities, ceræ proxima, quod Sandaracham nonnulli appellant. Cæterum oleum, quod ex Iuniperi materie (vt chymiſtæ dicunt) per deſcenſorium duobus aduerſis fictilibus, tum pariter vitreis inſtrumentis elicitur, calidum ore contentum dentium dolores mirificè mulcet, ſi tamen frigida defluxione afficiantur. Fit ex baccis hoc longè præſtantius, odore perquàm iucundo: foliorum & baccarum Iuniperi decoctum potum valentiſſimè pellit menſes & vrinas. Decoquũtur quoque iuniperinæ baccæ ex vino albo prius confractæ, vnà cum roſis, cupreſſi pilulis, & myrti folijs, vtiliſſimè ad dentium dolores. Siquidem hoc decocto calido in ore contento facile iuuantur affecti, & præſertim addito aquæ vitæ momento, atque vbi dolor modum exceſſerit, addito etiam philonis antidoto. Lixiuium ex vino albo, & iuniperino cinere paratum, vnciarum quatuor aut quinque pondere potum, valentiſſimè pellit vrinam ita vt nonnullos viderim hydropicos hoc tantum auxilio ſanatos. Item ſcabiem ſanat vbi eo affecti ſeſe perfundant. Paratur ex iuniperino ligno balneum admirabilis facultatis ad podagricos, hoc modo. Sumito ligni iuniperini conciſi lib. XII. coquito in aqua in cortina magna, quouſque tertia tantum pars ſuperſit: deinde decoctum vnà cum ligno in labrum proijcito. In hoc vbi deſcenderit æger, ſedeat vmbilicotenus, & membra languida foueat: atqui hunc præpurgatum eſſe oportet. Hoc enim balneo nonnullos podagricos in Bohemia vidimus in lectulo iacentes, perpetuoq; dolore vexatos, qui adeo reualuerunt, vt expeditiores facti, ad negotia redierint, quoquo libet ambulantes. Iuniperi & lauri cuiuſque ſeptenæ baccæ, addita caſſiæ ligneæ vulgaris ſemi drachma, & Cinnamomi drachma, ſi in Turturis ventrē integra omnia conijciantur. & Turtur deinde aſſatus, & gallinaceo adipe perſuſus, mulieri propediem parituræ, veſperi alternis diebus, deuorandus præbeatur, prægnans faciliмè puerpera fiet. Iuniperi meminit Gal. lib. VI. ſimpl. medic. ſic inquiens. Iuniperus, calida & ſicca vtrinque tertij ordinis. At fructus ſimiliter quidē calidus eſt; ſed non ſimiliter ſiccus, verùm in hoc primi fuerit ordinis. Attenuat, aperit, digerit, reſoluit, adſtringit, roborat. Arbor Græca voce ἀρκευθὶς dicta, Latina Iuniperus appellatur: Mauritana, Arconas, aut Archenas: Italica, Ginepro, Germanica Wachholter/ & Krametbaum: Hiſpanica, Enebro: Gallica, Geneure: Bohemica Ialouuec. Eius autem gummi Græci vocant κόμμι ἀρκευθίδος: Latini, Gummi Iuniperi: Mauritani, Sandarax: Itali, Gomma di Ginepro: Germani, Virnes: Hiſpani, Verniz: Galli, Vernix.*

Sandaracha Ariſtotelis. Oleum Iuniperi.

Balneum ad Podagricos. Pulchrũ experimentum.

Iuniperi vires ex Gal. Nomina.

Iuniperus cum reſinam fundat maſtichi per ſimilem, inter reſiniferas, at bacciferas, non autē coniferas connumerari poteſt. Græcis ἀρκευθὸς παρὰ τὸ ἔλιω ἀραν κεύθειν, quod eius odorem omnia reptilia adverſentur: vel διὰ τὸ ἔχειν τὰς ἀκάνθας κεκρυμμένας. Iuniperus verò, quod iuniores & nouellos fructus pariat antiquis matureſcentibus, vt qui pariat vſq; ad tertium annum, arbori ſuæ inhærente fructu. Florere Theophraſtus & Plinius meminere, ſuccedunt fructus ἀρκευθίδες ſeu baccæ, officinis Grana Iuniperi, quibus ſemen incluſum eſt. Iuniperum diſtinguimus in minorem & maiorem. Minorem alium vulgatum; alium alpinum: vulgatus duplex, fructu vel maiore, vel minore, quod videtur ratione fruticis euenire, ſi quidem humilis baccas maiores, arboreſcens minores ferat: quod & à Geſnero libro de hortis, annotatum fuit: ſic & aliæ baccæ obſeruantur rotundæ, aliæ acuminatæ & oblongæ. De alpino ſeu minimo, qui cubitalem non excedit altitudinem, vide Geſnerum, & Cluſium hiſt. Pan. alibi de eo dicturi. Maioris Iuniperi nomine tres oſtenduntur plantæ, vtpote ea quam Cedrum phœniceam auctor vocat: dein altera quam pro Cedro Lycia auctoris poſuimus: tum ea cuius figuram adiecimus. Et licet omnibus tribus hoc nomen tribui poſſit, vt in vniuerſali oſtendetur hiſtoria, hic tamen de tertia ſermo, cúm Dioſcoridis maior ſit Iuniperus, aut ſaltem congener, quam Iuniperum maiorem bacca cærulea appellamus: Lobelus, Iuniperi Maximi Illyrici: Lugdunenſis hiſtoria Iuniperi maioris: Tabernæmontanus Iuniperi maioris Illyricæ nomine propoſuere.

## Βράθυς. SABINA. CAP. LXXXVIII.

SAbina duorum generũ eſt. Vna folijs cupreſſo ſimilis, ſpinis horridior, a [grauiter olens,] acris & feruens: b arbor eſt coactæ breuitatis, quæ ſeſe magis in latitudinem fundit: huius folijs nonnulli pro ſuffitu vtuntur. Altera tamaricis folio ſimilis eſt. Vtriuſque folia nomas ſiſtunt, collectiones illitu mitigant: quin & cum melle illita nigritias, ſordesq; repurgant, & carbunculos rumpunt: cum vino pota ſanguinem per vrinam eliciunt: partus appoſita extrahunt, & ſuffitu idem præſtant. Vnguentis calfacientibus immiſcentur, & priuatim c gleucino.

a βαρυοσμότερον, grauius olens Orib. legit.

b Meū μεγαλόν δὲ τὸ δένδρον, id eſt eſt autem arbor robuſta.

Sed Cæteri. κολοβὸν δὲ τὸ δένδρον. i. eſt autem arbor curta. c. In gleucini compoſitione apud Dioſcoridem nulla fit ſabinæ mentio.

*SAbina, planta eſt denſa in latitudinem potius, quàm in longitudinem ſeſe diffundens: ramos edit flexiles, & fractu contumaces, folijs, ſquamisve circumquaque veſtitos. Duum eſt generum, alterum quidem frugiferum, alterum ſterile. Sterilis, vulgaris eſt notitiæ: Folijs exit hæc cupreſſi ferè ſimilibus, ſed acuto, pungentiq; cacumine grauiter olentibus, acribus, feruentibusq;. Naſcitur in apricis, & ſeritur quoq; in hortis & viridarijs. Fructifera etſi non adeo vulgaris in Italia viſitur, in Germania tamen frequens reperitur, ſponte proueniens, folio tamariſci, craſſiore tamen, minimè aculeato, nec adeò vt alterius, grauiter olente, acriq;. Differt hæc quoque baccarum colore, quæ in altera rubentes, in altera cæruleæ ſpectantur, ſed odore, ſaporeq; ſimiles. Seritur in apricis & collibus, in hortis & viridarijs, ac etiam ſponte per ſe prouenit. Cæterùm non deſunt imperiti, qui pro Sabina quandam herbam dodrantalem ſumunt, quæ quibuſdam in montibus plurima naſcitur, folio tamaricis, licet nec odore, nec ſapore ſabinam referat. Hanc ſæpius exiſtimaui eſſe Selaginem à Plinio lib. XXIIII. cap. XI. commemoratam: namque inibi ſelaginem eſſe affirmauit, ſabinæ ſimilem. Olim ſelaginem cõtra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorũ, & contra omnia oculorũ vitia ſuffitã prodeſſe. At tanta extitit tunc temporũ ſuperſtitionũ magorumq; vanitas, veluti & hoc æuo apud pleraſq; gentiũ turbas viſitur, vt ij nunquã ad ſelaginem legendã accederent, niſi prius Dijs ſacra feciſſent: quin & eam inualidã omnino cenſebãt, niſi dextra manu, & nudis pedib. legeretur. Cæterùm non deſunt qui bacciferam ſabinã, haud ſabinam eſſe contendãt, hoc ni fallor, argumẽto, quòd hæc baccas proferat, quarũ in ſua Dioſc. nõ meminit. Vnde factũ eſt, vt quidã putauerint, eã maiorẽ iuniperũ eſſe, alij verò thuiã, quã Theophr. memoriæ prodidit li. & c. V. de hiſt. plantarũ. Verùm vtriq; meo iudicio in errore verſantur: illi quidem q; hæc*

Sabinæ conſideratio.

Herba quæ pro Sabina exhibetur. Selago Plinij. Opiniones quorundam reprobatæ qui bacciferã Sabinam negant eſſe Sabinam.

plantæ

planta nec folio, nec flore, neque fructu, non materie, non odore, neque ſapore, non cæteris deniq; notis iuniperum refera(t). Si verò, quòd thuia, vt eſt auctor Theophraſtus, naſcatur apud Ammonis delubrum, atque in Cyrenenſi agro, forma cupreſſo ſimilis cùm ramis, tum folijs, caudice, fructuque, vel potius ceu cupreſſus ſylueſtris: præterea quòd, vt idem ſcribit, thuiæ materies omnino incorrupta perduret, nihil eius radice criſpius ſit, atque ſimulachra ex ea antiqui ſculpere ſint ſoliti, quemadmodum ex cupreſſo, loto, & buxo. Hæc autem arbor conos ſeu galbulos non fert cupreſſi modo, ſed baccas: caudice non attollitur longo, ſed eo breui contenta eſt: materie non conſtat incorrupta ſolidaq;, ſed caduca & fungoſa: non vt thuia peculiaribus locis gaudet, ſed vbiq; ferè locorum naſcitur: vt hinc maius atque euidentius diſcrimen in ijs plantis appareat, quam vt illorum error, qui eas vnam faciunt thuiam, pluribus explodi mereatur. Ideoque noſtris antagoniſtis mihi aſtipulandum non eſt, quòd noſtris non reſpondeant argumentis, ſed friuolis admodum nitantur coniecturis, vbi bacciferam ſabinam Thuiam facere nituntur. Sed dicant: ſi ſapiũt, quomodo, & quo pacto Thuia ex Mauritania euolauerit in Germaniam, vbi in Tyrolenſi comitatu plurima baccifera ſabina prouenit. Hæc profectò omnia ſunt, ſapientium indigna-

SABINA BACCIFERA.



III. MVSCVS TERRESTRIS clauatus alter.



tio, riſus poſteritatis. Sed certè relinquitur, vt miremur eos, qui ſtirpem hanc, quam depictam exhibemus, veram Sabinam eſſe infitiantur, cùm nullis careat notis ex ijs, quas illi Dioſcorides reddidit. Atqui illud nobis obiiciunt, quòd Dioſcorides in deſcribenda Sabina nullam baccarum mentionem fecerit: id mehercule, quod legatur, non fecit. Sed quid dicẽt ii, ſi in quàm plurimis plantis ex iis etiam, quæ ab omnibus legitimæ habentur, plures notæ, & eæ quidem præcipuæ, nonnunquam deſiderentur? quas nimirum Dioſcoridem omiſiſſe credendum eſt, vel quòd plantæ eæ eſſent alioqui vulgo cognitæ, vel quòd omnes earum partes non ſatis exploratas haberet, vel alias ob cauſas, quas proſequi non eſt hic locus: quarum omnium aliqua facilè potuit eſſe, cur Sabinæ baccas non adnotatas reliquerit. Addam & id fortaſſe ex eo eueniſſe, quòd Sabina frequentius ſterilis occurrat, quàm fructifera. Atqui fructum proferre Sabinam teſtatur apertiſſimè Auicenna, illum ad aurium ſurditatem præferens, & ad menſes ducendos. Ex iis igitur meritò colligendum eſſe arbitror: hanc noſtram Sabinam eſſe legitimam, vt quæ non ſolùm notis Dioſcoridis delineationi pulchrè reſpondeat, ſed etiam facultatibus. Porrò Petrus Bellonius de arboribus coniferis diſſerens, iis ineptè ſatis, meo quidem iudicio, Sabinam admiſcet, atque in ea deſcribenda, quam ſecundo loco ponit Dioſcorides, mihi non parum hallucinatus deprehẽditur, quòd conſtanter affirmauerit ſe vidiſſe frequentiſſimum hoc Sabinæ genus in Amano & Olympo Phrygiæ montibus tota facie Iuniperum maiorem referens, magnitudine amygdalæ arboris maioris, foliis cupreſſo per omnia ſimilibus, baccis per maturitatem in cæruleo nigricantibus, & caudice reſinam ferente. Etenim Dioſcorides non tradit quæ ſit huius plantæ facies, & quæ magnitudo, ſed etiam in foliis tantùm à priori variare ſcriptum reliquit. Quod non alia de cauſa auctorem hunc feciſſe reor, quàm quòd ſciret nullum vtriuſque eſſe in reliquis notis diſcrimen. Quare quòd alterum Sabinæ genus tota facie iuniperum maiorem referat, magnitudine amygdalum arborem æquet, cupreſſum foliis prorſus æmuletur, & ex caudice reſinam fundat, vt Bellonius ſuũ depingit, mihi quidem planè abſurdum videtur. Sed quòd rem hanc turpiter confuderit Bellonius, vel ex eo manifeſtum eſſe puto, quòd quam plantam nunc Dioſcoridis alteram Sabinam aſſerit, eandem paulò poſt arborem illam conſtituit, quam Plinius libro duodecimo, capite decimo ſeptimo Brutam appellat, quaſi Plinius non meminerit vtriuſque Sabinæ libro vigeſimo quarto capite vndecimo. Tantum quidam ſuis peragrationibus tribuendum eſſe putant, vt eos non pudeat ſæpe abſurda, & fabuloſa, & quæ cum ſummis & probatiſſimis authoribus pugnent, narrare ac ſcriptis tradere, vt nouus alius quidam impoſtor facere ſolet. Neque certè id propterea dico, quòd peregrinationes damnem, quas ſemper, Galeni exemplo, vtiliſſimas duxi ad legitima ſimplicia medicamenta cognoſcenda. Sed optarem, vt ij, qui multas regiones peragrarunt, illa tantùm in medium proferrent, quæ eſſent rationi, & veritati conſona, & veterum ſcriptorum auctoritate con-

Bellonij opinio abſurda circa Sabinã bacciferam.

Bruta Plinij.

*tate comprobata. Quòd ſi à Bellonio, qui tot terras ſe peragraſſe profitetur, factum eſſet, nimirum eas laudes iure ſibi comparaſſet, quæ rei medicæ inquiſitoribus maxime debentur. Atque hæc obiter dicta ſint. Quòd autem idem Bellonius primum Sabinæ genus eam arborem ſuſpicetur, quam Theophraſtus thuiam nominat, non miror: nam & alij idem ſentiunt. Verùm quandoquidem hanc opinionem ſuperius abunde (ni fallor) improbauimus, ideo hic non eſt vt plura addamus, atque idem repetere ſuperuacuum eſſet. Sabina ſterilis, non adeò multum differt à baccifera, verùm tum acrior eſt, tum quoque graueolentior. Excalfacit & ſiccat tamen valentius. Digerit, reſoluit, aperit, abſtergit, prouocat, & perumper adſtringit. Præſtat foliorum ſabinæ puluis cum adipe vaccini lactis miſtus, magno iuuamento ad manantia infantium capitis vlcera: quin etiam incenſæ fumus gallinarum pituitam excutit, & grauedinem. Idem drachmæ pondere ex butyri vnciis tribus, & binis mellis ſumptis mirificè aſthmaticos iuuat. Dantur quoque magno auxilio binæ ſucci ſabinæ drachmæ, additis ternis ſcrupulis Chryſocollæ foßitiæ, & vini albi vncia, ægrè parturientibus: verum dari non debet, niſi in maximis difficultatibus. Reliquum igitur eſt, vt Sabinæ ſuas vires reddamus, de quibus Galenus lib. VI. ſimplicium medicamentorum diſſeruit ijs verbis. Sabina ex numero eſt fortiter exiccantium, idq; ſecundum tres qualitates, quas in guſtu præ ſe fert, ſimiliter cupreſſo, niſi quòd ea & acrior eſt, & vt ſic dixerim, magis aromatica, ſeu odoratior. Igitur huius, quam modo dixi qualitatis eſt particeps, nam acrimoniæ conſiſtentis in temperamento calido, præterea amaritudinis, & adſtrictionis obſcurioris, quàm in cupreſſo. Siquidem quantò magis acrimonia ſuperat, tantò etiam potentius digerit. Itaque glutinare nequit ob ſiccitatis, & caliditatis robur: nam vtriuſque illi tantum ineſt, vt etiam tendat, & inflammationem afferat. At putredinibus ſimiliter cupreſſo accommodari poteſt, maximè vbi rebelliores fuerint, & diuturniores, nam hæc citra noxam vim medicamenti perferunt. Quin & quæ atra ſunt reddita, & admodum ſordida, ea cum melle expurgat: carbunculos item ſoluit. Porrò eſſentiæ tenuitate menſes quoque prouocat, vt ſi quid aliud, & ſanguinem per vrinas mouet, fœtum etiam viuentem interficit, & mortuum eijcit. Eſto autem hoc medicamen tertij ordinis, tum excalfacientium, tum deſiccantium ex numero eorum, quæ vel maxime tenuium ſunt partium. Et hoc vtique nomine vnguentis inditur, & maximè gleucino, & in multas antidotos inijcitur. Quidam verò etiam cinnamomi vice duplum eius ſubijciunt: eſt enim extenuandi, & digerendi facultatis ſi epotum fuerit.*

Sabinæ vires.

Sabinæ vires ex Galeno.

*Βράθυς Græcè, Sabina Latinè vocatur: Arabicè, Abel, Abhel, ſeu Alborat: Italicè Sabina & Sauina: Germanicè,* Seuenbaum: *Hiſpanicè, Sabina: Gallicè, Sauiniere aut Sauinier. Bohemicè Klaſterska Chuuogka, Polonis, Szauuina. Sabina Sterilis, Græcis, Βράθυς ϛεριλικὸς: Italis, Sauina ſterile.*

Nomina.

Sabina Romanis dicta à regione, in qua multum naſceretur, quæ duplex: altera vulgatior folio Tamariſci: altera folio Cupreſsi: in hoc tamen conueniunt, quód immortali coma vireant, & vtraq; baccas ferat nigras Iuniperinis ſimiles: nulla enim eſt, quæ ſterilis omninò ſit, licet ea quæ ſurculis ſeritur rarius fructum proferat. I. Sabinam ergo primam Dioſcoridis, ſabinam folio cupreſsi vocamus, Sabina maior Geſn. Sabina altera Dodo. ſabina fructifera, Caſt. Genuina ſabina baccifera atrocærulea. Lob. Sabina folio cupreſsi ſimili, Cord. in Dioſc. Sabina cupreſſo ſimilis, Lugd. Sabina baccifera, Cam. ſauina fœmina maior, Tab. II. Sabina folio Tamariſci, C.B. Sabina, Brunf. Fuch. Dodo. Sabina ſterilis, Caſt. Sabina vulgatior, Lob. Sabina minor, Geſ. hort. ap. ſauina Lon. ſauina mas, Lob. Sabina Tamarici ſimilis, Lugd. III. Meminit Matthiolus herbæ quæ pro Sabina exhibeatur, idcirco eius iconem adiecimus, dicitur autem Muſcus terreſtris clauatus alter, qui toto genere à ſabina differt. C.B. ſauina ſylueſtris, Trag. (cui & ſelago) Lon. Geſ. Muſcus terreſtris tertius, Lugd. ſauina Tragi ſylueſtris ſeu ſelago Pliniana, Thalio: Chamæcypariſſus, Turnero & Tabernæmontano. Sed de hoc muſco alibi.

a Catacuz. Κέδρος δένδρον ἐϛὶ μέγα, ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία συνάγεται. Καρπὸν δὲ ἔχει ὥσπερ κυπαρίσσου μακρότερον μὲν παρὰ πολύ. λέγεται δὲ καὶ ἄλλη κέδρος μικρὰ ἀκανθώδης ὥσπερ ἀρκευθος φέρουσα καρπὸν μέγεθος μύρτου περιφερῆ. id eſt. CEDRVS arbor magna eſt, ex qua cedria colligitur, fructum producit velut cupreſſus maiorem tamen vt plurimum. Reperitur & alibi cedrus parua aculeata, inſtar Iuniperi, ferens fructum magnitudine myrti rotundum.

Κέδρος.

## CEDRVS. CAP. LXXXIX.

CEdrus arbor magna eſt, ex qua picem colligunt, quæ cedria vocatur. Iuniperi modo baccas parit, baccarũ myrti magnitudine, rotũdas. Cedria optima eſt craſſa, perlucida, grauis odoris: quæ dũ effunditur, guttatim nõ diſsipata coit. Cui ea vis ineſt, vt defuncta corpora conſeruet, & viua corrũpat: qua ex cauſa mortuorũ vitam aliqui eam appellauere. Veſtiméta quoq;, & pelles eximia calfaciẽdi, & ſiccandi dote, corrũpit: magni ad ocularia medicamenta vſus: quippe illita oculis claritatem affert, albugines cicatricesq; detergit: inſtillata autem cũ aceto, vermes auriũ necat: cũ hyſſopi decocto infuſa, ſonitũ ſibiloſq; ſedat, cauis dentium indita eos frangit, & dolores leuat: idẽ facit cũ ex aceto colluitur: perunctо ante coitum genitali, concipiendi vim adimit: anginæ ea perunguntur, tonſillarum inflammationibus auxilio eſt: lendes, pediculoſque illitu enecat: ceraſtæ morſibus cum ſale impoſita ſubuenit: contra hauſta leporis marini venena in paſſo ſumpta, auxiliatur: in elephantia aut linctu, aut perunctione proficit: pulmonum vlcera purgat, & ſi cyathus eius abſorbeatur, perſanat: vermes, & tineas ſubter indita necat, & partus extrahit. Fit & oleum à cedria ſeparatum dum coquitur, velleribus ſupra halitum eius expanſis, vt in pice. Eiuſdem ad omnia vſus: priuatim vehementer perunctum, ſcabiem quadrupedum, canum, boumque perſanat: ijsque inhærentes ricinos enecat, & vlcera, quæ ex tonſura acceperunt, ad cicatrices perducit. Cedrides cedri fructus vocantur. Calfactoriam vim habent: ſtomacho aduerſantur: auxilio ſunt tuſsi, cõuulſis, ruptis, ſtranguriæ: menſes ciunt ex polline piperis poti: contra hauſtum leporem marinum in vino ſumuntur: ſerpentes fugantur, peruncto ex adipe ceruino, aut medulla, corpore. In antidota adduntur. † Fuliginem, quo modo ex pice, congeri oportet: quæ eandem, quam picea fuligo, vim præbet.

*FEcit deprauata Dioſcoridis lectio, & ſcriptorum negligentia, vt non ſolùm is author multis in locis à recentioribus erroris reprehendatur, ſed vt rei herbariæ indagatoribus multum acceſſerit negotij in agnoſcendis, demonſtrandiſq; ipſius Dioſcoridis plantis. Id, quod in Cedro accidiſſe videmus, cum non deſint recentiores, qui in deſcribenda maiori Cedro toto cælo aberraſſe Dioſcoridem dicant: quippe qui ſcripſerit magnam cedrum baccas edere iuniperi modo rotundas, baccarum myrti magnitudine. Hoc idem nobis quoque magnum faceſſebat negotium, donec clariſſimus vir Augerius Buſbeke Flander qui ſeptem annis, Cæſaris Ferdinandi, apud Turcarum Imperatorem, oratorem egit, ad nos redijt. Siquidem is antiquum Dioſcoridis exemplar habuit ab Antonio Catacuzeno Conſtantinopolitano viro optimo acceptum, cuius teſtimonio mihi iam compertum eſt, ne minimum quidem vnguem in deſcribenda Cedri hiſtoria à ſcopo aberraſſe Dioſcoridem. Id quod doctiſſimo Augerio vniuerſa poſteritas referet acceptum. Exemplar enim illud ſic habet* κέδρος δένδρον ἐϛὶ μέγα ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία συνάγεται. καρπὸν δὲ ἔχει ὥσπερ κυπαρίσσου μακρότερον μὲν παρὰ πολύ. λέγεται δὲ καὶ ἄλλη κέδρος μικρὰ ἀκανθώδης ὥσπερ ἀρκευθος, φέρουσα καρπὸν μέγεθος μύρτου περιφερῆ. *Id eſt, Cedrus arbor magna eſt, ex qua cedria colligitur.*

Cedri hiſtoria Dioſcoridi reſtituta.

L ligitur.

I. CEDRVS. | II. CEDRVS PHOENICIA.





ſigitur, fructum producit velut Cupreſſus, maiorem tamen vt plurimum. Reperitur, & alibi Cedrus parua, aculeata inſtar Iuniperi, ferens fructum magnitudine myrti, rotundum. Quibus manifeſtò palam eſt, vtriuſque cedri hiſtoriam rectè ſcripſiſſe Dioſcoridem, quemadmodum Theophraſtus, & Plinius, qui maioris cedri duo genera facit lib. XIII. cap. V. vbi ita ſcribit. Et maioris cedri duo genera: quæ floret, fructum non fert: fructifera non floret, & in ea antecedentem fructum occupat nouus, ſemen eius cupreſſo ſimile. Quidam cedrelaten vocant. Ex hac reſina laudatiſſima, materia verò ipſi æternitas: itaq; & ſimulachra deorum ex ea factitauerunt. Et libro XXIV. cap. V. idem inquit. Cedrus magna, quam cedrelaten vocant, dat picem, quæ cedria vocatur: hactenus Plinius. Qui fortaſſe non ineptè magnam cedrum cedrelaten appellauit, quoniam cedri arbores, quæ in monte Libano proueniunt (vt mihi retulerunt amici, qui vniuerſam ferè Syriam peragrarunt) tota facie abietem referunt. Abies autem Græcis ἐλάτη dicitur: vnde cedrelate poterit cedrabies Latinè reddi. Arbor hæc (vt iidem mihi narrarunt) adeò magna & procera eſt, vt nuſquam arborem ſe vidiſſe affirment, quæ cedrelaten magnitudine excellat. Cortice veſtitur leui & glabro, ea parte excepta, quæ à terra ad primos vſque ramos attollitur: hæc enim aſpera cernitur: corticis color eſt ceu loti arboris. Rami ab imo vſque ad cacumen ferè in rotæ modum per interualla caudicem cingunt, & ſpatiantur: qui tantò minores viſuntur, quantò ſuperius erumpunt: hinc eſt, quod eminus conſpecta arbor pyramidis faciem repræſentat. Folia illi capillata aſſignant, veluti larici, vel pino, breuiora tamen, & minimè aculeata: id quod etiam teſtatur Plinius lib. XVI. cap. XXIV. Conos profert piceis æmulos, verùm breuiores, craſſiores, duriores, & vegetiores, vt ex eius imagine quiſpiam videre poteſt, pediculo pertinaciter inhærentes: in quibus ſemen includitur cupreſſo ſimile, vt Plinius tradit. Caudex reſinam fundit albam, & liquidam: ſed tractu temporis, ſolis feruore in grumos concreſcit. Sunt qui aſſerant, hanc cedrum duplicem reſinam ferre, atque alteram intra corticem vomicæ modo coaceruari, vt abiegnam lachrymam in abiete oriri ſuperius diximus: alteram verò extra corticem emanare: vtranque ab arbore cedriam nominant. Hæc ſunt, quæ de magna cedro à peregrinis accepi. Porrò Cedrus cor habet duriſſimum, ac odoratum, colore perinde rubens, atque larignum. Tota cedri materies duriſſima: quam ob cauſam credidere maiores, eam neque cariem, neque vetuſtatem ſentire, ſed æternam eſſe. Qua etiamnum ratione ductus Salomon Hebræorum rex, Dei optimi maximi templum Hieroſolymis ex cedri materie extruendum curauit. Ex ea quoque priſci ſimulachra factitarunt, exiſtimantes tantam illis ineſſe diuturnitatem quantam marmoreis, aut metallicis. Cedri materies optima nauigiis non modò extruendis, ſed & palatiorum, & arcium fabricis conueniens: quippe quoniam incorrupta quaſi in perpetuum perdurat. Cedrus ſaxoſis & frigidis locis gaudet, & montes amat præ cæteris tractibus. Perpetua coma viret, quæ ſi caſtretur, decacuminata demoritur, nec vnquam inde regerminat, vtpote & cupreſſus, pinus, larix, & aliarum plures. In Aegypto ac Syria (vt Theophraſtus & Plinius narrant) reges inopia abietis cedro ad claſſes feruntur vſi. Maxima ea in Cypro traditur ad vndeciremem Demetrij ſucciſa, centum triginta pedum longitudinis, craſſitudinis verò ad trium hominum complexum. Cedri huiuſce maioris ramum vnà cum fructu è Libano monte allatum, cuius hic imaginem damus, miſit ad me Verona Franciſcus Calceolarius pharmacopœus ad Auream Campanam, vir quidem rei plantariæ ſtudioſiſſimus: à cuius icone edocti, qui medicã materiam colunt, facilè intelligent, quàm magno ducantur errore, qui noſtratem laricem Cedrum hanc magnam eſſe contendunt. Cæterum minoris Cedri bina itẽ ſpecies ſunt (vt prædicti authores teſtãtur) Lycia, & Phœnicia, iuniperi ſimilitudine: differunt folio, nã Phœnicia foliũ habet iuniperi, durũ, ſpinoſum, acutũ, & ob id oxycedros appellatur. Lycia verò folio conſtat lõgè minore frequẽtiore, longè minus aculeato, vt ita iuniperũ paruam quadantenus referat. Eadẽ ſi digitis atterãtur non inſuauẽ ſpirant odorem: talis enim habetur, qualis ferè in pineorũ ſtrobilis percipitur, cortice caudex obducitur ſubrubro, & ramos emittit lentis ſimiliũ inſtar: vtraq; omni tẽpore fructũ gerit: verùm in oxycedro maior & pulchrior ſpectatur, quadruplo maiorib. colore aureo ruſeſcẽte, ſapore dulci, eſui haud ingrato. Lycia baccas gerit alterius minores, rubẽteſq;, amaro ſapore, odore nõ ingra-

Cedri duo genera Theophraſt. & Plinio.

Cedri maioris hiſtoria.

Cedri duplex reſina.

Cedri minoris genera.

Cedrus Phœnicia.

ta. Phœnicia cedrus freq̃ẽtiſſima naſcitur in Iſtria, atq; etiã in nõnullis Iapidiæ locis, iunipero admodũ ſimilis, nec niſi fructu differẽs, maiore, rubẽte, ac dulci: quo tamẽ eam incolæ a iunipero neſciũt ſecernere. At cùm ipſe oxycedri ramuſculos eſſem donatus a Georg. Reſſingero primario prouinciæ Carniolæ medico, qui illũ ex Peſino Iſtriæ oppido ſecũ attulerat, rubẽtib. baccis vndiq; refertum, eaq; in memoria haberẽ, quæ apud Theoph. Galenum, ac veteres alios legeram, mihi quidẽ fructũ intuenti ſtatim inclinauit animus, hanc plantam minorem eſſe cedrum. Etenim (vt memorant ſtirpium ſcriptores tum veteres, tum recentiores) difficile admodum eſſet dignoſcere oxycedrum à iunipero, niſi huic cæruleus pumilusq;, illi verò flauus rubensve, ac grandior fructus ineſſet. Eam igitur plantam, quam in Iſtria naſci diximus, & cuius hic effigiem damus, non maioris cedri genus vllum, ſed minoris ſpeciem eſſe cenſemus, nimirum Phœniciam, quæ & oxycedros vocatur. De Lycia au- Cedrus Lycia.

## III. CEDRVS LYCIA.



## IV. ARBOR VITAE.



tem cedro quid ſentirem, vel quam plantam pro ea in medium proferrem, hactenus non habui, vt quæ mihi planè incomperta eſſet: ſed hoc anno, dum Pragæ Bohemorum ago, plantam mihi oſtendit Adamus Leonorus ſpectatæ doctrinæ, & magnæ ſpei iuuenis, ex quibuſdam Morauiæ montibus à quodam vulgari herbario pro Sabina allatam. Vt autem ille hanc veram Cedrũ Lyciam adinuenit, & pro ea mihi demõſtrauit, ita mihi eius cognitionẽ illi acceptam referre iucundũ eſt: atque ideo ipſam pictura, quam hic damus, exprimere curaui. Huius plantæ folia ſi digitis atterantur, ſuauiſſimum ſpirant odorem, illi quadantenus ſimilem, qui in pinorum ſtrobilis percipitur. Ea baccas profert, longè tamen minores quàm altera, Cedria. quæ in ramuſculorum tantum cacuminibus prodeunt: hæ non ſecus ac illæ primo exortu virent, mox flaueſcunt, denique rubent vbi plenè maturuerint: ſaporem habent ſubamarum, atque non obſcurè odoratæ ſentiuntur. Manat ab arbore magni cedri (vt ſupra dictum eſt) etiam reſina, quæ propriè Cedria dicitur, vtilis ad multos in medicina vſus. Sed hanc ad nos non adferunt Cyprij, neque mercatores, qui ex Syria mercimonia conuehunt: tametſi regiones illæ plurimis (vt aiunt) cedris maioribus ſcateant. Petrus Bellonius lib. III. de medicato funere, item libro de coniferis arboribus, putat non modò cedrum Cedriam fundere, ſed & piceam, tedam, laricem, cupreſſum, iuniperum & betulam. Quinetiam idem ſuis malè excogitatis cedrijs eas omnes facultates aſſignauit, quas Dioſcorides, Galenus, & alij quàm plurimi auctores cedriæ duntaxat reddiderunt: adeò vt magno ac ridendo errore dixerit, ſuas haſce cedrias defuncta corpora conſeruare, quemadmodum ea conſeruat legitima cedria: quaſi idem quoque velit, quòd picea, pinus, larix, cupreſſus, iuniperus, & betula nullis prorſus inter ſe facultatibus differant. Neque certè alia videtur mihi auctoritate vel ratione ductus, vt in hanc iuerit ſententiam, quàm hac, quod ſcripſerit Plinius lib. XVI. cap. XI. picem in Syria cedrium vocari. Sed quòd Bellonius maximè hallucinetur, vtpote qui Plinium non rectè intellexerit, ex verbis Plinij, quæ modo ſubijciam, ſatis, vt puto, manifeſtum fiet. Pix, inquit, liquida in Europa è teda coquitur naualibus muniendis, multosq; ad alios vſus: lignum eius conciſum furnis vndique igni extra circundato feruet. Primus ſudor aquæ modo fluit in canali: hoc in Syria cedrium vocatur, cui tanta vis ineſt, vt in Aegypto corpora hominum defunctorum ea perfuſa ſeruentur. Ex ijs Plinij verbis non aliud (meo quidem iudicio) intelligi poteſt, quàm quòd Syri liquorem illum cedrium vocauerint, quoniam olim ij ex cedro tantùm picem ſuam conficiebant, vt ea in Europa è teda fit. Quod autem pix ex cedro paretur, authores eſſe poſſunt Dioſcorides, Galenus, & Plinius. non tamen contra quòd cedria ab alijs reſiniferis plantis deſluat. Adde quòd à veteribus, nempe Theophraſto, Dioſcoride & Galeno, nuſquam (quod equidem ſciam) memoriæ proditum eſt, reſinæ, aut picis genus vllum defuncta corpora conſeruare, & viuentia corrumpere, præter cedriam, de qua omnes illi id ſcriptis tradiderunt. Ex quo abunde conſtare arbitror, Plinium quidem loco citato de pice tantùm cedri ſcripſiſſe: Bellonium vero in hoc ſimiliter hallucinatum fuiſſe, atque in alijs pluribus rebus, vt aliquando, Deo iuuãte, latius oſtendemus. Cæterùm variat in Dioſcoridis codicibus de cedria lectio: quippe vulgata βαρεῖα τῇ ὀσμῇ habet, id eſt grauis odore, cùm tamen antiquiſſimus codex manu ſcriptus habeat εὔτονος τῇ

Bellonij opinio falſa circa Cedriam.

Plinius picẽ Cedriam vocat.

Pix ex Cedro.

*ὀσμῇ, id eſt vehemens odore, quod indicat cedriam eſſe vehementer odoratam, non autem grauiter olere. Quod etiam maxime teſtatur Virgilius libro 7. Aeneidos his verſibus de Circe canens.*

*Proxima Circeæ raduntur littora terræ,*
*Diues inaccessos vbi ſolis filia lucos*
*Aſſiduo reſonat cantu, tectiſq; ſuperbis*
*Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,*
*Arguto tenues percurrens pectine telas.*

Fuch. opinio de Cedria.

*Gummi cedri meminit Fuchſius libro illo de componendis medicamentis, quem poſtremò locupletatum excudit, in compoſitione antidoti Mithridatis: proq; eo, quando non poſſit inueniri, lachrymam abietis ſubſtituendam præcipit, ratus vtrique eandem vtrique facultatem ineſſe. At ego quidem Galenum ſecutus malim ladanum ſubſtitui, donec ab alijs aptiora proferantur, quorum meliori iudicio ſubſcribendum ſit.*

Cedrus Atlantica Plinij

*Eſt etiam (vt Plinius inquit lib. 13. cap. 15.) aliud cedri genus, quod in Atlante Mauritaniæ monte, quadam in peculiari ſylua prouenit. Arbor eſt cupreſſo fœminæ, etiamnum ſylueſtri ſimilis, folio, odore, caudice. Huius exiſtimatio ſumma menſarum cauſa eburneis pedibus ſubiectis. Ex huiuſce arboris materie menſæ duæ (vt idem inquit Plinius) altera M. Ciceronis, altera Galli Aſinij, quæ ſeſtertium vndecies venundata ſunt. Traditur & Iubas Rex duas vendidiſſe, quarum alteri pretium ſeſtertium quindecies, alteri paulò minus.*

Cedrus Atlantica & Thuia idem.

*Sunt qui dicant, & rectè quidem, Cedrum hanc à Thuia ſiue Thya nihil differre, de qua meminit Theophraſtus libro & capite 5. de plant. hiſt. Quamobrem Plinium redarguunt, quòd ſimul ac de Cedro Atlantica diſſeruit, illico caput proprium de Thuia ſcripſerit, tanquam de arbore diuerſa. Verùm longè aliter ſe habet ſententia noſtra: nam diligenter Plinij lectionem enucleantibus, palam apertiſſimè fit, Thuiam Plinio nil aliud deſignare, quàm Atlanticam Cedrum, cum ibi ſic habeat. De menſis tamen tacuit Theophraſtus: & alias nullius ante Ciceronianam vetuſtior memoria eſt, ex quo nouitiæ apparent. Etenim hæc verba non ſolum Theophraſtum excuſant, quod eius æuo nulla cedrinarum menſarum extiterit memoria, ſed manifeſto ſunt argumento, haudquaquam ignoraſſe Plinium Thuiam & Cedrum eandem eſſe plantam, cùm paulò ſuperius Ciceronianam menſam ex Atlantica cedro aſſeruerit fuiſſe paratam: Adde quòd in antiquis Plinianis codicibus Thuiæ caput à Mauritana Cedro ſeparatum non ſit, quod manifeſtè arguit Plinium adhuc Cedri illius hiſtoriam proſequi de Thuia agentem, quemadmodum & ipſa verba clariſſimè indicant, quæ in antiquis codicibus ita habent: nota etiam Homero fuit, Trogete vocatur, ab alijs Thya. Id eſt, eadē Cedrus nota etiam fuit Homero, quā alij Trogetem, alij Thyam appellant. Ideoque perperam egerunt, qui in Frobeniana editione Thuiæ ſiue Thyæ caput ab Atlantica Cedro diuiſerunt, haud rectè Plinium intelligentes: ac præter id lectionem eius corruperunt, vbi ſe emandaſſe crediderant.*

Anguillarius notatur circa Thuiam.

*Cæterum Anguillarius de Sabina agens, eam quæ Cupreſſinam exprimit faciem foliorum tantum ſimilitudine, Thuiam nulla dubitatione eſſe cenſet. Atqui cum deinde Thuiam nihil ab Atlantica cedro differre exiſtimet; ſequitur, vt velit nihil à Cedro hac differe Sabinam. Sed credam ne ego Anguillario Sabinam hanc eſſe Cedrum Atlanticam, vel Thuiam? Minimè omnium, quòd hæc nuſquam gentium proueniant niſi in Cyrenaica regione apud Ammonis delubrum: & in ea Atlantis parte, vbi Anchorarius mons habetur, Plinij aduſque tempora exhauſtus, quodque caudice & odore, quin etiam fructu nullam habeat Sabina cum Cupreſſo cognationem. De Citris autem, quibus aurea totius ferè Italiæ viridaria exornantur, tam in Tyrrheni, quàm Benaci littoribus, in ſequentibus, & capite de malis, vbi ipſorum mentionem facit Dioſcorides, adiuuante Deo, plura dabuntur: ſiquidem arbor illa ab hac, de qua nunc agitur, plurimùm differt.*

Cedreæ vires ex Galeno.

*Cedri meminit Galenus libro 7. ſimplicum medicamentorum his verbis. Cedrus ſpecie duplex eſt, altera fruticoſa iuniperis adſimilis, alera arbor non exigua. Vtraque eſt calida, ſiccaque temperatura tertij quodammodo ordinis, ſecundum vtrunque. Cæterum Cedrea (vocatur ita cedrioleum) quartum etiam ordinem videtur attingere: abunde calida ſimul, & tenuium partium. Molles itaque carnes promptè citraq; dolorem putrefacit, ſicut alia omnia, quæ cùm eiuſdem ſint in calfaciendo ordinis, adiunctam etiam habent ſubſtantiæ tenuitatem: at in duris pluſculo tempore, & vix operatur. Porrò talia omnia medicamenta ſeptica vocantur, & ſepta: ſed inter ſeſe maioris, minoriſq; ratione diſſident. Eſt autem in hoc genere medicamentorum ex primo, & infirmiſſimo ordine cedrea: pleraque enim eorum admodum ſunt efficacia. Talia itaque & mortuorum corporum carnes corrumpunt: at cedrea exiccat, ſimulque à corruptione tuetur corpora demortua, vtpote humiditates eorum ſuperfluas depaſcens, cæterùm ſolida corpora haud attingens. At in viuentibus calor ipſe, qui in corporibus eſt, cedreæ vires adaugens, cauſa efficitur, vt teneræ ab ea carnes deuorentur. Nec mirum videri debet, ſi cùm tanta polleat potentia, lendes, pediculos, & tineas, & in auribus natos vermes interſicere valeat, tum fœtum appoſita viuentem quidem interimat, mortuum autem eijciat, ſicut ſanè etiam in coitu ſemen, pudendo circumlita, proinde conceptum impediens eſt medicamentum, ſi ſic vtaris, nulli ſecundum, aliaq; multa eiuſmodi particulatim efficit. Itaque argumentum eſt, ipſum valenter excalfacere, ſicut vbi dentium foraminibus inſtillatur: ſiquidem dolores eorum mitigat, ſed & ipſos confringit. Extenuat quoque oculorum cicatrices, & viſus hebetudini ab humorum craſſitudine orta medetur. Porrò quod eius eſt pinguiſſimum, & ad vnguem oleoſum, quod ſuſpenſis ſupra eam dum coquitur, lanis excipitur, ac colligitur, tota cedrea tenuius quidem eſt, ſed minus acre, quanquam non minus excalfaciens. Eandem quippe rationem habet ad id quod reliquum eſt cedreæ, craſſius illud videlicet, quam oleum ad amurcam: proinde illud vtpote craſſius, mordax eſt, & maiore aperiendi facultate præditum. Itaq; vlcera irritat, phlegmonemq; illis excitat. Porrò oleoſa illa cedrea adeò clementibus eſt viribus, vt etiā plebeij experientia docti vulnera ouibus occaſione tondendi à forfice facta, illa illita ſanent, ſicut etiam pice humida. Vtuntur autem ea & ad ouium ſcabiem, & ricinos, Græci κρότωνας vocant.*

Cedrides fructus Cedri.

*Porrò cedrides (nam ita fructum cedri nuncupant) moderatiores vires obtinent, adeo vt comedi quoque poſſint: attamen ſi liberalius ijs vtare, capiti dolorem inferent, ardoremq; ac morſum in ventre percipies.*

Nomina.

*Quæ arbor Græcis κέδρος, Latinis item Cedrus nominatur: Arabibus, Serbin: Italis, Cedro. Eius autem liquor vt Græcè κεδρία, ita etiam Latinè Cedria dicitur: Arabicè, Kitran, ſiue Alkitran: Italicè, Cedria. Cedrus phœnicea Græcis ὀξύκεδρος: Italis, Cedro minore. Cedrus Lycia, Græcis Κέδρος λυκία: Italis Cedro Lycio.*

† *Hic lectorem admonitum volumus, illa de fulgine Cedri verba non legi in Græcis tum vulgatis, tum etiam antiquis omnibus codicibus quos legimus. Quare cùm neque à Marcello vertantur, qui plura exemplaria Græca habuiſſe fatetur, ea potius addititia, quàm legitima cenſenda videntur.*

Cedrus maior eſt & minor: minor altera Iunipero, altera Sabinæ ſimilis, ſeu Phœnicia & Lycia. I. Cedrus maior, cui competit nomen δενδρολίβανος in Geoponicis, cuius coni ſurſum (licet hoc figura non exprimat) ſpectant, quod huic vt & Abieti peculiare eſt. Cedrus in Syria, Theophraſto lib. 5. cap. 9. Cedrelate, Plinij. Cedrus maior, Bellon. Caſt. Cedrus arbor conifera, Geſ. hor. Cedrus maior conifera, Dod. Cedrus Libani & Paleſtinæ præcelſa, Lob. Cedrus phœnicia, Lugd. Cedrus, Cæſal. & Taber. II. Cedrus minor

nae Iuniperi folio & oxycedrus Theophraſti, quam videtur intellexiſſe Galenus dum cedrum fruticoſum Iuniperis adſimilem ſcribit. C. B. Oxycedrus, Dod. Gal. Lugd. Cluſ. Hiſp. cui etiam Cedrus Lycia Theophraſt.& Plinij: Oxycedrus Phœnicea, Dodo. Cedrus Phœnicea, Caſt. Tab. Cedrus, Lac. Lon. Cedrus magna, Cord. in Dioſc. Cedrus minor, Geſ.hor. Iuniperus maior Monſpelienſium, Lob. inter Iuniperum montanum Ceſalpinus recenſuiſſe videtur. III. Cedri Lyciæ nomine hanc Matthiolus proponere videtur, quo nomine & Bellon.& Geſ.hort. donarunt: Cedrus minor, Cord. in Dioſc. Oxycedrus Lycia, Dod. Cedrus Phœnicea media, Lob. Iuniperus maior, Cluſ. Hiſp. Sabina baccata, Aduer. & Lob. in Iconibus. Thyiæ genus quartum, Lugd. Cedrus Phœnicea ſecunda, Tab. Oxycedrus folio cupreſsi, & ſabina maior Monſpellienſibus dicebatur, aqud quos in monte Cetio ad mare collegimus. Equidem malim ad Iuniperum referre, cuius nomine Iuniperum maiorem folio Cupreſsi appellamus, & videtur Iuniperus maior Dioſcoridis, quem ſcribit aliquibus Cupreſſum ſylueſtrem appellari, quia Cupreſſo ſimilis, aſperis maritimiſq; locis plerumq; naſcitur: quæ Dioſcoridis verba tanquã notha, à Dioſcoridis interprete reiecta ſunt. Huius eſt altera ſpecies, maioribus multó baccis, quam ex Ææegypto accepimus, quam Cedrũ phœniceam alteram Lobel. nominat, vt qui tres referat ſpecies, ſola magnitudine differentes. IV. In hanc claſſem & Arbor vitæ referenda, cum Cedrus Lycia Lob. dicatur, multis videatur eſſe Thuya Theop. 4. hiſtoriæ 1. qua in deſcriptione quædam ſunt quæ noſtræ conueniunt: alij ad Brutam Plinij lib. 12. ca. 17. referunt, licet paucißimæ notæ Plinianę noſtræ conueniant. Hæc vulgo Arbor vitæ dicitur, fortè ob odoris vehementiam: quo nomine donarunt Bellonius, Geſ.hort. Dodo. Cluſ. Caſt. Taber. Arbor filici ſimilis Oviedo: Thuiæ tertium genus, Lugd. Thuia, Cam. Arbuſcula eſt admodum odorata, perpetuo virens, altitudine virum longè ſuperans, quæ ex radice vnicum caudicem eumq; rectum, cortice lento ex rubro nigricante tectum emittit, nodoſo duroq; ligno: qui in varios ramos alarum modo expanſos brachiatur, hiq; in alios planos alternatim diuiduntur, & ij denuo in alia atq; alia oblonga folia, è multis foliolis quaternis ſimul compoſitis conſtantia. Flores ex extremis folijs vernali tempore exeunt, vt in Cupreſſo puſilli flaueſcentes, quorum aliqui in exiguum fructum pinei nuclei magnitudine conglobantur, conis ex ſquamulis ſex compactis, qui primó virent, mox pallent, & vbi maturuere nigricant: in quibus ſemina quatuor pelleacea in medio continentur, quorum medulla acris & amariuſcula. Hæc ex Canadas ſeptentrionalis Americæ prouincia in Galliam primum illata, & Franciſco regi arboris Paradyſi nomine donata: quam Lutetiæ dum eſſemus ex Regio horto quem Io. Robinus colit, in Illuſtriſsimi Ducis Wirtenbergici D. Friderici hortum, quem Montembelgardi, frater Ioha. Bauhinus eius Celſitudinis Archiater colit, miſimus, vndè plurimis alijs per Germaniã communicata ex transmiſsis ſurculis, qui facilè radices agunt.

LAVRVS.



LAVRVS LATIFOLIA.



Δάφνη.

## LAVRVS. CAP. XC.

Laurus quædam tenui folio conſtat; altera latiore: vtraque excalfactoriam naturam habet, & emollientem. Vnde decoctum earum in muliebres inſeſſus additum, vuluæ, & veſicæ vitijs conuenit. Virentia a folia ſenſim ſubſtringunt: illita quoque, ac trita veſparum apumque ictibus opitulantur: eadē cum polenta, & pane illita inflammationem omnem mitigant: ſed pota ſtomachum effundunt, & vomitiones mouent. Lauri baccæ magis quàm folia calfaciunt: ergo in eclegmate tritæ cum melle vel paſſo, proſunt tabi, orthopnœæ, & omnibus thoracis rheumatiſmis: contra ſcorpionum ictus ex vino bibuntur: vitili-

a Ita Cstac. & Drag. At meum exemplar legit τὰ δ' ἐχλωρα τῶν ξύλων. i. virentia ligna. ξύλων. i. ... lonitui legit antiq. co...

gines emaculant. Succus baccarum vtiliſsimè aurium dolori, [ & grauitati ] inſtillatur cum vino vetere, & roſaceo. In medicamenta autem adijciuntur, quæ neruorum laſsitudines reficiunt, acopa vocant: & ad vnguenta, quæ calfaciunt, & diſcutiunt. Cortex radicis calculos rumpit, partus necat, hepaticis prodeſt, tribus obolis in vino odorato potus.

Lauri hiſtor.

Laurus mas & fœmina.

LAurus tam tenuifolia, quàm latifolia, arbor eſt odoratiſsima, neminiq; in Italia non cognita, quòd non ſolùm in hortis, viridarijsq; ac vineis ſata vbique vireſcat, ſed per ſe in ſyluis, locis præſertim maritimis, ac etiam in montibus, & collibus apricis, qui lacus & maria reſpiciunt, ſpontè naſcatur. Folia habet oblonga, & lata origine in acutum deſinentia, craſſa, ſolida, & odorata, in vno quidē genere latiora, in altero anguſtiora: qua foliorū differētia alterā marem alterā fœminā cenſemus. Flores mittit paruos muſcoſos, oleæ ferè ſimiles, ex luteo albicantes, è quibus baccæ prodeūt oleis ſimiles, colore primùm viridi, & per maturitatē nigro, craſſo intus nucleo, vt in Ruſci baccis. Decerpūtur Lauri baccæ in fine Autumni, vel ſtatim in ipſo hyemis principio, vt etiam oliuæ. Et oleum ex ijs elicitur, quod Laurinum vocamus. Laurus planta eſt,

Laurus Apollini & Ioui ſacra.

Appollini lucidiſsimo ſacra: quin etiam à Ioue colitur. Vna quoque laurus Romæ antiquitus imperatorum pontificumq; domos exornare ſolebat. Quod ſimliter, atque alij complures gentilium mores, in hunc vſq; diem apud nos perdurat. Namque vbi dies feſtus aduenerit, laurus non modò templorum valuas decorat, ſed & vbi dies geniales adfuerint, ingentium palatiorum eſt ianitrix. Quo fit, vt magnis aduentantibus principibus, lauri frondibus & columnæ & arcus in pacis ſignum extruantur: ſiquidem pacifera laurus eſt, non ſecus ac olea. Ideo antiquitus etiam, ſi eius rami prætendebantur inter armatos hoſtes, firmum quietis erat indicium. Qua obſeruatione ductus Bernardus Cleſius Cardinalis ampliſsimus Tridentinus, tum pacis, tū quietis ſectator maximus, lauri & palmæ floridæ ramū adnectebat, vt nitida marmora, præclara metalla, ſpecioſæ picturæ, aurea & argentea vaſa, ac reliqua admiranda demonſtrant, quibus magna eius palatia fulgent. Romanis etiam laurus ferebatur lætitiæ victoriarumq; ſigno. Idcirco laurum in templis in Iouis gremio reponebant, quoties Romæ lætitiam victoria noua attulerat. Quin etiam grata Apollini dona vnoquoq; anno mittere ſolebāt in Parnaſo mōte, quod ibi laurus ſpectatiſsima creſceret. Cæterùm quòd laurus Romæ à Ioue è cœlo miſſa fuerit, vt ea imperatores coronarentur, facilè

Laurus è cœlo miſſa.

perhiberi poteſt: namque Liuia Druſilla, quæ poſtea Auguſta matrimonij nomen accepit, cum pacta eſſet illa Cæſari, gallinam conſpicui candoris ſedenti in hortis aquila ex alto abiecit in gremium illæſam, intrepideq; miranti acceſsit miraculum, quòd teneret roſtro laureum ramum ſuis baccis onuſtum. Quod audientes conſeruari alitem & ſobolem iuſſere aruſpices, ramumque eum ſeri, ac rite cuſtodiri: quod factum eſt in villa Cæſarum fluuio Tyberi impoſita, iuxta nonum lapidem flaminia via, quæ ob id vocatur ad gallinas. Porrò tam creuit ramus laureus, tamque ſe propagauit ( tametſi radicibus deſtitutus ) vt breuī tempore ibi mirè ſylua prouenerit: ex qua triumphans poſtea Cæſar laurum in manu tenuit, coronamque in capite geſsit. Ac deinde Imperatores Cæſares cuncti triumphantes lauro coronabantur: tenebantque in manu eiuſdem ramos: quos poſt triumphos traditus eſt mos ſerendi in eminentioribus locis in celebratis Romæ collibus. Quo factum eſt, vt plures laurorum ſyluæ Romæ vireſcerent, quæ ob id laureta vocabantur: qualis erat, quæ in monte Auentino multo ante alios tempore viguit. Nimirum indicat laurum dijs gratiſsimam eſſe arborem, quæ ſui habetur ab impetu fulminum ratio:

Lauri natura.

ſiquidem nulla habita, cùm è cœlo ruunt, nec diuinitatis, nec principum amplitudinis ratione, plerunque templorum turres iciunt, ſuperba mundi palatia dilacerant, ac ſæpius homines immaniter interimunt: hæc tamen ſola arbor fulmine non percutitur, niſi in futuræ calamitatis prodigium: ac ne quidem domus, in quibus adſint eius rami, de cælo tanguntur, pro certo creditur. Proinde Tyberius Cæſar fulminibus perterritus, tonante cœlo lauro coronabatur.

Lauri vires Matthiolo.

Laurus ex ſeſe vim habet ignem producendi: quippe ſi exiccatæ ramus ramo frequentius confricetur, ſuper aſperſo ſulphuris puluere ignis ſtatim exiliet. Eadem perpetua fronde viret, tantaq; pollet vi, vt eius ramis in aruo defixis, rubigo, maxima ſegetum peſtis, abigatur, tranſeatque in earum folia ex aruis. Poëtæ perfectionis ſigno lauro coronantur, idque præmium eſt Apollineorum muſas colentium. Coruus occiſo chamæleonte, fronde lauri deuorata infeſtum virus extinguit: qua etiam palumbes, graculi, merulæ, & alia perplures aues annuum faſtidum purgant. Lauri tenerrimæ ſummitates vnà cum nardo in vino ferueſactæ, aurium grauitatem, & ſonos curant, ſi decocti calentu vaporem, per infundibulum in aures intromittant affecti. Reſtituunt Lauri baccæ prolapſam columellam, ſi cum æquali pondere cumini, hyſſopi, origani & euphorbij melle excipiantur, & ſummo capiti calidæ applicentur. Eadem cùm triticeo furfure, Iuniperi baccis, & allio contritæ, & vino ſubinde ſuper calenti tegula aſperſæ, pubique admotæ, vrinam ſuppreſſam prouocant. Septem lauri baccæ, à prægnantibus propediem parituris, cum ſe dormitū recipiunt, deuoratæ fœlicē facilemq; partū præſtant. Tenerrimæ lauri cimæ, vna cum calamintha, & ſale contritæ, ex tepida aqua ſumptæ, aluum concitant, pituitamq; & lumbricos celeriter eijciunt. Cæterùm lapideas lauros oriri in mari rubro ſcribit Theophraſt. lib. 4. capite 8. de planta. ſic hiſto. inquiens. In ſinu autem Heroo cognominato, ad

Laurus lapidea.

quem deſcendunt Aegyptij, laurus eſt, & olea, & thymum: verùm non viridia, ſed lapidis ſpecie parte à mari eminente, ſimilia tamen viridibus tam foliis, quàm germinibus. Colos quoque floris in thymo, tanquam nondum perfectè floruerit, li-

Lauri vires ex Galeno.

quidò deprehenditur: longitudo arbuſcularum cubitorum ternorum eſt: hæc ille. Laurum ſcriptis commendauit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Lauri arboris & folia, & fructus deſiccant, & calfaciunt vehementer, plusque etiam fructus, quàm folia. At radicis cortex minus quidem acris eſt & calidus, plus tamen amarus, habetque etiam adſtrictionis non nihil. Quamobrem & calculos confringit, & iecori prodeſt, bibitur ex vino fragrante trium obolorum pondere. Laurus attenuat, aperit, prouocat, incidit, emollit, digerit, flatus pellit.

Nomina.

Arbor Δάφνη ſic Græcis vocata, Latinis Laurus dicitur: Mauritanis, Gaur, ſeu Gar: Italis, Lauro: Germanis, Lorberbaum: Hiſpanis, Lauret, ſiue Laureiro: Gallis, Laurier: Bohemis, Bobeck. Huius fructus Græcè Δαφνίδες vocantur: Latinè, Lauri baccæ: Italicè, Bacche di lauro: Germanicè, Lorbeer.

Lauri multa genera Plinius recenſuit, vt Muſtaceam, Delphicam, Cypriam, baccaliam, triumphalem, taxam, ſpadoniam: qui & alia genera affert, quæ nomine potius quam generis ſocietate conueniunt. At Theophraſto Laurus quædam flore eſt copioſo & racemoſo ( Vuam vocat) quæ fructum non fert: altera fructum fert. Diuidimus in ſatiuam & ſylueſtrem: ſatiuæ (quia vt plurimum in hortis colitur) alia latifolia, cuius ſpecies quædam adeò latis folijs, vt ad mali Medicæ folia accedant, quam Laurum Regiam ampliſsimam Plin. vocauit: alia tenuifolia: ſic vtraq; mas, vel fœmina, eo quod alia ſit ſine fructu, alia verò baccifera. Variat & fructu, alterius enim in rotundo modicè oblongus: alterius oblongus, gracilis, & vtrinque ouato mucrone turbinatus. Sylueſtris trium generum eſt & Tini nomine Cluſius hiſt. Hiſpanica propoſuit. De Lauri ſylueſtris ſpecie vna, cum eius & in Matthiolo Camerarij addita ſit icon, paucis.

Hæc

LAVRVS SYLVESTRIS ſeu Tinus.



PLATANVS.



Hæc arbuſcula eſt Lauro humilior in alas diuiſa, ramis longiuſculis articulatis: folia lauro vulgari latiora, nigricantia, inodora, ramos ordine quodam ambientia, leuiter lanuginoſa: ramulorũ ſummitatibus vmbellæ florum (quinis foliis conſtantium) alborum, foris purpuraſcentium, inſident: quibus ſuccedũt baccæ ſeu fructus ſubcęrulei, oblongi, tenui pericarpio ſemen continentes. Hanc in Italiæ hortis obſeruauimus, quam in Hetruriæ ſyluis frequentem dicunt. Theoph. 1. hiſt. 15. vbi Gaza ſimpliciter Laurum vertit, δάφνην ἀγρίαν, Cato Laurum ſyluaticam, Plinius lib. 15. c. 30. Laurum Tinnum appellauit. Anguillara Lauro ſyluatico Italis dici ſcribit. Bellonius, Lentagine nuncupat, Cluſius & ex eo Lugd. pro Tinno tertio, at Tabernæmontanus pro ſecundo, propoſuere.

## Πλάτανος. PLATANVS. CAP. XCI.

TEnerrima Platani folia in vino decocta, mox illita, oculorum fluxiones ſiſtũt: tumores & inflammationes leuant. Decoctus cortex in aceto, dentes in dolore colluit. Virides pilulæ in vino potæ, ſerpentium morſibus auxiliantur: exceptæ autem adipe, igni ambuſta ſanant. Inſidens foliorum, pilularumque lanugo, oculos, & aures offendit.

*Platanus Italiæ aduena peregrinaq; eſt, quanquam regionem diluunt (vt Theophraſtus eſt author) multi, magnique fluuij. Verùm enimuero ſi ibi nonnullæ vireſcunt Platani plantæ, vt quas ipſe Neapoli, & Patauij vidi, ſunt quidem ex longinquis regionibus allatæ, vt etiam antiquitus à Romanis per mare Ionium inuectæ fuere, eorum dũtaxat vmbra gratia Romæ expetitæ, vbi platanis tantùm honoris increbuit, vt diu nutritæ ſint mero radicibus infuſo. Namque hæc arbor plurimũ vini irrigatione gaudet: tametſi maiorem in modũ fontes, & fluuios amet. Platanus ad ampliſſimam ramorum amplitudinem adſurgit, adeò vt Licinius Mutianus ciuis Romanus, Plinio teſte, hoc prodendum etiam poſteris putarit: qui prouinciæ Liciæ legatus affirmat, in ea fuiſſe platanum ſociam gelidi fontis amœnitate itineri appoſitam, octoginta atque vnius pedum ſpecu, numeroſo vertice, ſe vaſtu protegentem ramis arborum inſtar, & agros longis obtinentẽ vmbris: ac ne quid deſit ſpeluncæ imagini, ſaxea intus crepidinis corona, muſcoſos cõplexa pumices: intra quam ſe epulatum cum duodeuigeſimo comite, largè ipſa toros præbente fronde, ab omni afflatu ſecurum, optantem imbrium per folia crepitus, lætiorem quam marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubuiſſe in eadem. In Creta inſula ad Cortynam Platanus ſtetiſſe fertur apud fontem quendam, quæ folia hyeme non amitteret, ſub qua Ioui compreſſam Europam indigenæ fabulantur. In Aſia longè maiores habentur: nã earũ folia, quæ vna cum fructu ad me miſit Conſtantinopoli Gulielmus Quaccelbenus, eruditiſſimus Medicus, viniferæ vitis maiora ſunt. Pilulæ verò iuglandis magnitudinẽ æquant, & hirſutiores ſpectãtur, quã quæ in Italia proueniunt. Scripſit quoq; de Platanorũ vaſtitate Pauſanias lib. 7. hiſtoriarum veteris Græciæ, his verbis. Præterfluit Pharenſium agrum fluuius Pierus in cuius ripis Platanorũ lucus eſt, tanta arborum magnitudine, ex ipſa vetuſtate, vt intra cauernas (multæ enim concauæ ſunt) qui velint, & epulari, & recũbere poſſint. Fori area magna, & late patẽti ambitu eſt, quo ſcilicet ſpatio eſſe cõſueuerũt priſcorũ fora. Quæ in Italiã inuectæ fuerũt climatis inclemẽtia in magnã proceritatẽ non adoleſcunt: attamẽ ſunt cortice craſſo, ſubalbicãte, fronde vitigineæ auerſa parte candida, ſed multò minore, lata, longo rubroq; pediculo, floſculo paruo ac pallido, baccis rotundis, ſcabris, & lanuginoſis, lõgo à pediculo depẽdetibus: ex quibus oleũ fieri prodidit Plin. li. 15. c. 7. Platani vmbra vſq; eò delectatũ Xerxẽ in terra Lydia ſcribit Aelian. vt diẽ integrũ ſub ea cũ maximo exercitu conſumpſerit, floccipẽdẽs tã breui voluptate tot copias remorari. Pla-*

Platani conſideratio.

Mira Platani, vaſtaque amplitudo.

Pauſanias de Platano.

Platani deſcriptio.

Platani vires ex Gal.

*tani aduerſantur veſpertilionibus: earum pilulæ addito melle, & illita, lentigines, vetereſq; nigritias emendant. De platano diſſeruit Galenus lib 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Platanus humidioris frigidioriſq; eſſentiæ eſt, non ita multò quam ſymmetra. Proinde folia viridia trita & illita, prohibent, reſoluunt, reprimunt, & non obſcurè phlegmonas naſcentes adiuuant: Cortex autem, & pilulæ magis deſiccantem vim obtinent, vt ille quidem in aceto coctus ad dentium adhibeatur dolores: pilulæ verò cum adipe ad vlcera ambuſta. Sunt autem qui cortice combuſto medicamẽ deſiccatorium, & abſterſorium efficiunt, vt cum aqua lepras ſanet, per ſeſe autem illitum, ob humorem nimium, vetera & ſordida. Vitandus eſt puluis foliis arboris inſidens, alioqui ſi ſpiritu attrahatur, arteriam offendit, valenter deſiccans, & exaſperans, vocemq; lædit, ſicut ſanè etiam viſum & auditum, ſi in oculos, aut aures inciderit. Πλάτανος vt Græcis, ita pariter Latinis Platanus appellatur: Arabibus, Dulb: Italis, Platano. Gallis, Plan, ſiue Plane.*

Nomina.

Platanus nomen habet ab amplitudine, ob latè diffuſos ramos, amplaq; folia, de qua Plato in Phædrone, Theophraſtus, Aelianus, aliiq;, Platanum vocantes, vt & ex recentioribus Cord. Geſ. Dodo. Lob. Lac. Caſt. Cæſal. Lugd. Taber. Platanum Græcam vocabimus ad differentiam Gallicæ (relicta ſententia Cornari, qui Tiliam vulgarem Platanum autumat) quæ ob foliorum formam & nominis ſimilitudinem, huc quidem referri poſſet, quæ Acer maior dicitur: at quia Aceris in ſimpl. med. claſſe Dioſcorides, Galenus, Aegineta, Aetius, aliiq; non meminerunt, & viribus cum Platano non conuenit, de eo, eiuſque ſpeciebus in vniuerſali hiſtoria.

## FRAXINVS. CAP. XCII.

Fraxini hiſt ex Theophr.



FRAXINVS arbor nota eſt. Cuius foliorum ſuccus, & ipſa ex vino pota, & illita viperarum ictibus auxiliantur. Corticis cinis ex aqua illitus lepras eximit. Ligni ramenta, ſcobemque potu perniciem afferre tradunt.

*FRaxinus arbor eſt notiſſima. Eius (vt Theophraſtus memoriæ prodidit lib. 3. ca. 11.) duo reperiuntur genera: quorum alterum excelſum proceruma; eſt, lignum habens candidum, craſſiuenium, neruatum, mollius, enodius, ac criſpius: alterum humilius, minus auctile, ſcabrius, durius, & flauius. Folia laurinis, lauri latifoliæ ſimilia, in acutius tamẽ coacta, & ambitu leuiter ſerrata. Ramulus totus, quem folium vnũ putaueris, quòd ſimul cuncta folia ferat ſingulari pediculo, & ſingulis foliis coniugatim, veluti per genicula, pendentibus cõſtat: amplo interuallo coniugationibus diſtinctis, perinde atq; in ſorbo. Fert fructum in ſiliquis linguis auicularum ſimilem, ſubrubrum, & guſtu ſubamariuſculo ac medicato, minutũ, nucoſum, qualem amygdala, guſtu ſubamarum. Fraxinus excalfacit & ſiccat, adſtringit, reſoluit, abſtergit, attenuat.*

Plinii lapſus, fraxini folia mortifera eſſe.

*Tradidit Plinius fraxini folia iumentis mortifera, cæteris ruminantium innocua: quæ de taxo, non de fraxino Theophraſtus prodidit, inquiens. Si iumenta (vt ferũt) taxi folia comederint, emoriuntur: ſi ruminantia, nihil incommodi patiuntur. Sed nominum vicinitate Plinium deceptum eſſe crediderim, nã Græcis fraxinus μελία, taxus verò σμίλαξ, & μίλος appellatur: vnde vnum pro altero ſumẽs Plinius, facilè (vt diximus) in errorem incidit. Rei fides fuerit in hoc Plinium lapſum fuiſſe, clara in Italia experientia, ſiquidem taxi foliis, non fraxini, iumenta nõ ruminantia necãtur. Quinimò hæc ſalutare præſtant remedium lethalibus ſerpentium venenis: quibus adeo inimica eſt fraxinus, vt ne matutinas quidem occidenteſve vmbras quamlibet ſpatioſas ſerpens arboris huius attingat. Quapropter expertũ proditur, ſi fronde ea gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius, quàm in fraxinum fugere ſerpentem. Miræ naturæ benignitas, priuſquàm hæ prodeant, florere fraxinum: nec ante conditas folia dimittere. Quo argumento fretus, non vereor quin vnuſquiſque medicæ materiæ ſtudioſus, facilè deprehendet hallucinari proculdubio Robertum Conſtantinum, in annotationibus editis in Amathi Luſitani enarrationes in Dioſcoridem, dum contra ſententiam noſtrã, hoc in loco Plinium defendere nititur. Atqui ſi ſuam ipſius ignorantiam & Plinij errorẽ cognoſcere cupit, alat ſuum equum aut aſinum fraxineis frondibus: id ſi fecerit ſui erroris atque Plinij palinodiam recantabit. Quòd ſi plura à nobis doceri non dedignabitur, ſciat deuoratis à quadrupedibus fraxini foliis ea certò ſanari, quæ taxum fuerint depaſta. Humiliorem Fraxinum Ornum & orneogloſſum vocauere quidam, ab ipſius fructus figura, quæ linguæ imaginem refert, quamobrem auis linguam illum vocant officinæ. De quo differens Plinius lib. 24. cap. 8. mederi id iocinoris, & lateris doloribus in vino tradidit: aquam, quæ ſubit cutem, extrahere: corpus obeſum leuare onere, & ipſum ſenſim ad maciem reducere. Id quoque in recentiorum medicorũ vſu eſt ad ſtimulandam venerem. Fraxini ſpumã, quæ à viridi ligno igni expoſito manat, additis ſucci cyclamini, ſcillæ, rutæq; æqualibus partibus, omnibus ſimul parumper ferueſactis, plurimum valere ad ſurditatem ſcimus, ſi in aurem ſanã hic liquor calidus infundatur, cũ ſe cubitum receperit æger: atqui eum ſuper affecta aure iacere oportet. Vbi verò vtranq; aurẽ ſurditas occupauerit, in eam fundatur, quæ minus affecta fuerit, & ſuper altera iaceat. Fit è viridi fraxini ligno teſſeratim conciſo per deſcẽſum, aqua ſimul & oleum, vt ex ligno Iuniperi: quæ quidem aqua, cũ quarta parte aquæ violarũ purpurearũ faciei illita, ruborem, & puſtulas cum eo erumpentes ſanat. Ramorũ cortex in aqua decoctus ſplenem abſumit, vbi pluribus diebus eiuſdem decoctum bibant ſplenetici. Semen, quod auis linguam vocant Myropolæ, datur vtiliter potandum in lateris dolore, & ad ciendam vrinam. Venerem idem excitat, & præſertim, ſi vna cum piſtaciis & nucibus pineis deuoretur, ad-*

Roberti Cõſtantini hallucinatio.

Fraxinus humilior Ornus.

Fraxini vires.

Aqua & oleũ fraxini.

Auis lingua.

*[...] ſacharo: idem Semen in Nouembris initio decerptum, & in furno ſiccatum, datur perquàm vtiliter potandũ calculoſis, ex vetere vino. Folia fraxineis ſimilia fert ſtirps illa apprimè celebris, quam vulgò* DICTAMVM ALBVM *nuncupant, ob idq́ à recentiorum nonnullis pumila fraxinus cognominatur. Hæc nullis tã Græcorum, quàm Arabum authoribus (quod equidem legerim) vſquam deſcripta eſt. Quare non poſſum non admirari, quonam pacto ſibi dictami nomẽ vendicauerit. Ea eſt viſu pulcherrima, ſpecioſaq́; floribus formoſis, impensè redolẽtibus, in purpura albicantibus, citrei arboris modo. Radix ei candida, odore hirci, amaro ſapore: proinde mirum non eſt, ſi ventris tineas perimat. Tradunt etiam ſuapte vi pollere aduerſus lethalia venena, ac omnium venenoſorum animalium morſum ictumq́, nec minus aduerſus peſtilentiam. Prodeſt ſtomachicis, & ſuſpirioſis. Elicitur è floribus aqua, quæ naribus infuſa capitis morbos frigiditate obortos mirificè propellit. Cæterum non deſunt antagoniſtæ, qui velint Dictamum hunc eſſe Dioſcoridis Tragium. Sed cum tantum in Creta Dioſcoridis, Galeni, Oribaſii, Pauli, Pliniiq́ teſtimonio proueniat Tragium, cadit peritq́ horum ſciolorum ſententia, quos & illi perpetuò ridebant, qui haud ignorant quanto grandior ſit, albo dictamno Lentiſcus. Namque quis ſanæ mentis dixerit dictamnum hunc herbam ſeſquicubitalem ramos habere lentiſco arbore non infima, maiores, aut grandiores? ſed ita ſæpe ducuntur inuidi ad ſtultitiam vſque: atqui plura de his in Epiſtolis ſcribemus. Quæ arbor Græcè* Μελία: *Latinè Fraxinus appellatur: Italicè, Fraſſino: Germanicè,* Eſchern/ Eſcherbaum/ Steyneſchern: *Hiſpanicè, Fraſno, & Frexo: Gallicè, Fraiſne. Bohemicè, Gelin: Polonis, Zeſion.*

Dictami albi conſideratio. Tragium Dioſc. non eſſe. Nomina.

Fraxinus duum generum, altera latioribus, altera anguſtioribus foliis: quæ latioribus, alia ſterilis, alia frugifera: ea eſt quam Theophraſtus excelſam dicit, quamq; Macedones βυμελίαν (Bubulum fraxinum Gaza reddidit) id eſt, grandem fraxinum vocitant: idem enim eſt, ac ſi diceret πολυμελίαν, ἐκ particula magnitudine υ ſignificante pro πολὺ, Plutarcho in Sympoſiis auctore: etſi ad boum pabula quidam frõdes etiam reponant, ita vt & ob eam cauſſam Bubula fraxinus fortè ſit dicta: Hæc Plinio longa & campeſtris eſt. Recentioribus fraxinus. Sterilis ſeu mas ſolos floſculorum racemos ſeu globulos nigros fert, qui abſq; fructu decidũt, quos Theophraſtus οἷον βρύα, velut muſcos, vocat: pilulas vocat auctor Herbarii Lugdunenſis, Muſcos in globum coactos quoq; Cæſalp. & Camer. in Matth. hiq; partim fructui propinqui, partim longè remoti vernò tempore obſeruãtur. Frugifera ſeu fœmina, fructus fert ſiliquarum inſtar dependentes, quos aliquis ὀρνεόγλωσσον, alii rectiùs ὀρνιθόγλωσσον vocant. Officinis, ex Serapione & Auicenna, Lingua auis & Lingua paſſerina.

## Λευκὴ, ἢ Αἴγειρος. POPVLVS ALBA, ET NIGRA. CAP. XCIII.

POPVLVS albæ populi cortex vnciæ vnius pondere, iſchiadicis, ac vrinæ ſtillicidio prodeſt, ſterilitatẽ inducere tradunt, ſi cũ mulino rene bibatur. Folia quoq; cum vino poſt purgationes pota idẽ præſtare produntur. Tepens foliorũ ſuccus vtiliter aurium dolori inſtillatur. Pilulæ, quæ primo foliorũ partu exiliunt, tritæ & cũ melle illitæ, oculorũ hebetudini medentur. Memoriæ prodiderunt, corticem albæ populi, & nigræ particulatim cæſum, & ſulcis ſtercoratis mandatum, omni tẽpore anni edules fungos proferre. Populi nigræ folia cum aceto illita, magna vtilitate podagricis doloribus illinuntur. Reſinam populus fundit, quæ in malagmata additur. Semen potum ex aceto comitialibus vtile eſt. Lachrymã populorum commemorant, quæ in Padum amnem defluat, durari, ac coire in ſuccinum, quod electrum vocant, alii chriſophorum. Id attritu iucundum odorem ſpirat, & aurum colore imitatur: tritum, potumq; ſtomachi, ventriſque fluxiones ſiſtit.

I. POPVLVS ALBA.



II. POPVLVS NIGRA.



Populorum conſideratio, & hiſtoria.

## III. POPVLVS LYBICA.



POpulus tres habet ſpecies: alba, nigra, & Lybica ſiue montana, quæ Græcis Κερκὶς dicitur. Alba arbor eſt procera, craſſo caudice, albicante cortice, ac leui. Folia illi ſunt vitiginea, auerſa parte maximè albicantia lanugìnoſaq́ʒ, Bechij herbæ modo, quod à ſimilitudine chameleucen vocauere Græci, vnde illi nomen, λεύκη.

Nigra.

Nigra, procerior, rectiorq́ʒ habetur folio hederaceo, non tamen vt in alba diſſecto, ſed integro, paululum per ambitum ſerrato, longo tenuiq́ʒ appenſo pediculo, apice in acutum deſinente: cortice eſt cinericio, non tenui: materia alba ac contumaci ad ædium & vtenſilium fabricas idonea, præſertimq́ʒ ad aſſeres parandos.

Lybica.

Lybica in Bohemia, & in vniuerſa Germania frequentiſſima viſitur, folio eſt cæteris rotundiore, tenuiore, anguloſo, leuiter in ambitu ſerrato, punctis quibuſdam albis conſperſo, longo tenuiq́ʒ pediculo appenſo, continuò ferè ſe mouente, etiam ſi nullus in aëre ſpiritus ſentiatur. Caudice eſt cæteris breuiore, nigrioreq́ʒ cortice veſtito, & materia imbecilliore, alba tamen, ac tenaci, fructum nullum fert nec flores. Alba ſterilis. Nigra verò fructum fert racematim vuæ ſpeciem repræſentantem, baccis orobi magnitudine, in quo plurima concluditur lanugo albicans, quæ, vbi maturuerint baccæ, in pappos euolat. Amat vtraque naſci in fluminum ripis, in ſcrobium aggeribus, & vliginoſis tractibus. Lybica naſcitur in montium ſyluis, & ſyluestribus locis. Semen legitur anteaquam rumpatur; & ſiccatur in vmbra.

Theophraſtus de Populo.

Harum omnium meminit Theophraſtus lib. 3. ca. 14. de hiſtoria plantarum, vbi ſic habet. Populus alba, nigraq́ʒ vniformes habentur: ambæ natura erectæ, ſed excelſior, læuiorq́ʒ nigra: figura foliorum adſimilis, & ligni materies albedine ſimilis viſitur: vtranque ne florem quidem habere exiſtimant. Κερκὶς (quam quidam Alpinam, quidam Lybicam vertunt) populo albæ non abſimilis, cùm magnitudine, tùm verò quòd ramis albicantibus ſpargitur: folio hederæ, ſed parte altera ſine angulo, altera verò oblongo, inq́ʒ angulum exeunte acutum: colore parte reſupina, pronaq́ʒ ferme ſimili: pediculo prolixo, tenuiq́ʒ annexo, quamobrem non erecto, ſed inflexo. Cortice aſperiori, quàm populus alba, ſcabriorìq́ʒ vt pyrus ſylueſtris: hæc Theophraſtus.

Plinii plures lapſus circa Populum.

Hæc omnibus paſſim nota ſunt. Lybica Plinio lib. 16. cap. 23. minima folio eſt, ac nigerrima, fungiſq́ʒ enaſcentibus laudatiſſima. Alba folio bicolor, ſupernè candicans, inferiore parte viridi. Sed hic Plinius apertè errore notatur, quòd hæc contra ſupernè vireat, infernè vero albicet, candida efflorescente lanugine, quæ tamen in nigra non viſitur, vt Plinius exiſtimat, cum indifferenter inquit: Populorum foliis grandiſſima lanugo. Sed & tertiò idem erraſſe deprehenditur: quippe qui ſcripſerit eodem libro cap. 26. populum nec fructum, nec ſemen ferre, cum tamen fructum ferat, vuarum ſpeciem præ ſe ferentem, intus alba lanugine refertum: atque etiam ſcribat Dioſcorides, ſemen ex aceto potum comitialibus prodeſſe. Sed quid opus eſt pluribus ſi Plinius ſeipſum accuſat? ſiquidem libro 24. cap. 8. populum & vuas & ſemen ferre fatetur, illas vtique vnguentis, hoc verò comitialibus præferens.

Ruellii erratũ in vnguẽto populeo.

Sed caueant myropolæ, ne ob id communis vſus vnguentum populeum vocatum, ex populi vuis conficiant, vt Ruellius credidit à Plinio deceptus, & quòd iis ad vnguenta odorata vteretur antiquitas. Quãdoquidem Nicolaus Myrepſicus non vuas, ſed germina, vere primo prodeuntia admiſcet: odorata enim ſunt, & ceraginoſa, cum tamẽ nullus prorſus vuis ſit odor.

Populi vua quid.

Verùm enimuero an antiquitas populi vuas odoratis admiſcuerit, dubitandum ſanè eſt: nam Plinio lib. 7. c. vlt. vbi de vnguentorum materia egit, nil aliud eſt populi vua, quàm bryon, Latinis muſcus vocatus. Quem etiam præter cedrinum, & quernum prætulere ad vnguenta Dioſc. & Gal. & inter alia odorata recenſuerunt. Quo fit, vt facilè credi poſſit, Plinium errore ductum exiſtimaſſe, muſcum in populo naſcentem nihil ab eiuſdem vuis differre, cum innuit: eodem & bryon pertinet vua populi albæ. Optima circa Gnidum, & Cariam, in ſitientibus, aut ſiccis aſperiſq́ʒ locis. Secunda in Lycia cedro: hæc ille. Sed cùm cedrus nullas ferat vuas, ſed muſcum perquàm odoratum, hinc Plinij error manifeſtè deprehenditur. Populus vtraque frequentiſſima naſcitur in agro Mantuáno, ac Ferrarienſi, non modò in Padi ampliſſimi fluminis littoribus, ſed & per agros, & prata in foſſarum aggeribus.

Poetarum fabula circa ſuccinum.

Ideoq́ʒ fabulantur poëtæ, icti Phaëtontis fulmine ſorores fletu mutatas in populos arbores iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocant, ex corticis meatibus inſtar auratæ lachrymæ, electrum, ſiue ſuccinum fundere, vt adhuc viuentes lachrymas effundebant: quæ noſtro tempore in orbiculos, quibus Deiparæ virgini fœminæ ſalutationes enumerant, effinguntur, & vulgaribus & infimis mulierculis monilium vice, collo geſtantur decoris gratia. Quare Dioſcorides, qui poëtarum fabellis adhibere fidem haud quaquam cenſebat, noluit pro comperto fabuloſam ſuccini hiſtoriam aſſerere, ſed dubiam, & ſuſpenſam tenere. Ideoq́ʒ inquit: Lachrymam populorum commemorant, quæ in Padum amnem defluat, durari, ac coire in ſuccinum, quod electrum vocant, alij chryſophorum. Ex quo facilè percipi poteſt, quòd cùm Dioſcorides aliquid de ſuccino ſuis monumentis mandare decreuiſſet, nullam eius certam tenens hiſtoriam, ipſum populi generi vtrique adiunxit: ea tamen ratione id dijudicans, quòd non alio in huiuſce operis loco aptius ſuccinum accommodari poſſet. Quandoquidem in fabulis nactus eſſet poëtas ceciniſſe carminibus, ſuccinum populos fundere: tametſi non ignoraret, ſuccinum populorum gummi eſſe nequaquam, ſiquidem huic fabulæ datus eſt locus ob ſuccini innumeros globulos, qui olim filo traiecti ab Eridani accolis collo ſuſpendebantur. Quippe cùm pleriq́ʒ ipſorum, præſertim verò fœminæ, ob nimis humidum regionis aërẽ, in gulæ morbos, ac ſtrumas incurrerent, hi exiſtimabant ſuccinum aduerſari. Quod fortaſſe non erat ab omni ratione alienum: namque cùm facultatem habeat ſuccinum ſiſtẽdi fluxiones, collo etiam geſtatum, facilè inhibere poterat, ne capitis deſtillationes in guttur defluerent. Quo fit, vt non demirer, ſi etiamnum Germani in oculorum defluxionibus magno ſucceſſu ſuccineos globulos occipitio adnectant.

Succini varia hiſtoria.

Reperio in enarranda Succini hiſtoria, auctores complures, ſed re vera admodum varios: qui etſi grauius (vt hiſtoricos decet) hac de re loquantur,

relinquantur, tamen cum ipſi ſuccini originem nuſquam viderint, & quicquid de eo ſcripſerunt, aliis acceptum referant, his nulla, aut ſanè pauca adhibetur fides. Philemon ſuccinum foßile eſſe dixit, & in Scythia erui duobus in locis, vno candidum, altero verò croceum. Sudines, & Metrodorus ſuccinum prodiderunt in Liguria arboribus effluere, quod Sotacus credidit in Britannia euenire. Pythias tradidit eſſe locum in Britannia prope Gutones, vbi à fluctibus maris non procul ab Abalo inſula ſuccinum aduehitur: quo incolæ ad ignem pro ligno vtuntur, ipſumq́; Teutonis vendunt. Nicias hiſtoricus ſuccinum ſolis radiorum ſuccum eſſe voluit: hic enim credit radios vehementius actos in terram pinguem ſudorem in ea parte relinquere, deinde æſtate ſiccari, & à fluctibus maris in Germanorum littora eiici. Idem & Aegypto naſci ſimili modo dixit. Item in India, gratiusq́; thure eſſe Indis. Non defuerunt etiamnum, qui ſuccinum naſci tradiderint iuxta mare Atlanticum in lacu Cephiſide dicto, qui ſole excalfactus è limo fundat electrum. Non deſunt præter hos plures, qui de ſuccino differentes in diuerſas iuerint ſententias, quas nunc, vtpote non probandas, ſilentio inuoluam. Vnde iure dici poteſt, ſuccinum apud eos vel cereum, vel figulino luto ſimile haberi, cùm ipſum in tot varias formas ac imagines tranſmutauerint. Sed vt tandem referam, quod pro comperto habetur: gignitur ſuccinum in inſulis Septẽtrionalis oceani, id olim à Germanis Gleſum appellabatur: vnde à nonnullis, qui erant cum Germanico Cæſare, ibi claßibus rem gerente, vna inſularum ob ſuccini copiam, Gleſaria fuit appellata, quæ prius Auſtrauia à barbaris dicebatur. Hic nimirum (vt Plinius inquit) naſcitur ſuccinum arboribus pinei generis defluens in terram, vbi poſtea denſatur. Cùm verò intumeſcens æſtus fertur in proximas ſyluas, ex iis in ſe rapiunt fluctus maris, & in Germanorum littora expuunt. Itaque Cornelius Tacitus rectè ſcriptum reliquit, Germanos huius maris accolas ſolos omnium ſuccinum habere, & legere. Quod ſuccinum ſit arboris ex pinorum genere lachryma, olim Romanis teſtimonium perhibuit quidam eorum eques, illuc miſſus ad id comparandum à Iuliano curante gladiatorium munus Neronis principis, qui ea littora peragrauit, ipſum vidit, veram eius originem didicit, & ſecum ingentem copiam Romam inuexit.

Succinum lachryma arboris Pinorũ.

Præterea ſuccinum eſſe pineæ arboris gummi indicio eſt pineus in attritu odor, & quòd accenſum tedæ & reſinarum modo deflagret. Liquorem eſſe copiosè ſtillantem, tenacem, ac lentum, argumento ſunt quædam intus implicita, vt formicæ, culices, ac etiam lacertæ, feſtucæ, ac paleæ, quæ tranſparentia inſpiciuntur. Cum enim hæc animalia, & alia ſtramenta humoris lentore facilè implicentur, dureſcente deinde materia, veluti carcere includuntur.

Formicæ, culices in ſuccino.

Hæc partim ex Plinio, partim verò ex aliorum ſcriptis decerpſimus. Atqui ego potius credam vna cùm Georgio Agricola, ſuccinum non aliud eſſe, quàm bituminis genus, quod à quibuſdam ſcopulorum crepidinibus erumpens in mare defluit, vbi aquarum ſalſedine dureſcit. Ita enim affirmant Borußi medicæ materiæ haud ignari, ad quorum tantum littora maris fluctibus ducitur ſuccinum.

Succinum bituminis genus Agricolæ.

Nam, quod nigerrimum eſt, ex quo etiamnum globuli ad angelicas numerandas ſalutationes conficiuntur, aliquid cognationis cum piſſaſphalto habere videtur. Succinum incoctum adipe lactentis ſuis expolitur, & redditur translucidum, quemadmodum tradit Archelaus, qui rubeum corticibus arboris, ex qua defluit, inhærens, ſe vidiſſe affirmat.

Succinum rubeum.

Cæterùm, quantum video, plures de ſuccino veteres narrauerunt fabulas. Atqui, compertum eſt, quòd ſicuti magnes ferrum reſpuit, ſi adſit adamas, vel ſi allio affricetur: ita nec ſuccinum ad ſe paleas allicit, quæ ſint oleo perfuſæ. Verùm eorum opinio vana eſt, qui ſuccinum tradiderunt peculiari dote ocimum reſpuere: nam ipſe ſæpe ac ſæpius huius rei periculum feci, & ſemper ſuccinum ad ſe ocimum trahere comperi. Officinæ communi nomine ſuccinum vocant Karabe Mauritanos ſecutæ: licet Braſauolus Ferrarienſis in ſuo de ſimplicium examine deceptus exiſtimauerit, Arabum Karabe ſuccinum eſſe nequaquam, ſed verum populi albæ gummi, Serapionis, & Auicennæ teſtimonio: etſi eorum neuter, ſicut nec Dioſcorides, quem illi ſequuntur, id quidem pro comperto aſſeuerauerit. Namque Serapio (vt in omnibus adſolet) quicquid de Karabe notauit, verbotenus ex Dioſcoride deprompſit, ſic inquiens. Et dicitur, quod gummi Hauromi, quod naſcitur iuxta fluuium, qui dicitur Eridanus, quando diſtillat in flumine illo, coagulatur ibi, & eſt illud, quod dicitur Alipton, id eſt electrum, & ſunt qui nominant ipſum Arſepodon, & eſt Karabe.

Braſauoli opinio reprobata, qui Karabe negat eſſe Succinũ.

Eadem ſententia elicitur ex Auicenna, quippe qui capite de Haur, itemque capite de Karabe, non aſſerat eam eſſe populorum gummi, ſed quòd ita perhibeatur.

Auicenna de Karabe.

Nec alia ratione duobus capitibus de Karabe diſſeruit, niſi vt oſtenderet, Karabe per ſe à populorum gummi differre. Præterea comprobat id eſſe Karabe apud Mauritanos, quod electrum apud Græcos, nominis ſignificatum: quandoquidem Karabe lingua Perſica, Auicenna auctore, non aliud deſignat, quàm rapiens paleas, quod ſenſu comprehenditur proprium eſſe ſuccini, aut electri, non autem populorum gummi.

Karabe, i. rapiens paleas.

Inſuper adſtringentes paſtillos, quos Galenus lib. 7. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, Paulus ſui voluminis etiam ſeptimo, & Actuarius in ſuo de compoſitione medicamentorum, electri trochiſcos vocant, Arabes de Karabe appellant, eoſdem à Galeno, & Paulo aſſumentes: quo fit, vt hac in re manifeſtè aberraſſe Braſauolus deprehendatur. Itaque dicendum eſſe putauerim, electrum idem eſſe apud Græcos, quod ſuccinum apud Latinos, & Karabe apud Arabes Neque etiam illud ideo populorum gummi eſſe crediderim, vt Braſauolus aſſeuerat, quòd Paulus quoque dixerit: Electrum populi albæ lachrymam dicunt, quæ iuxta Eridanum amnem deſtillat, & in ſpißitudinem coit, aureo colore: nam his verbis non probat electrum eſſe albæ populi gummi, ſed id tantum refert ex aliorum opinione, quemadmodum fecit Dioſcorides, quem ſecutus eſt Paulus. Ex his igitur ſatis patere arbitror, falſum eſſe, quòd idem ſint electrum, gummi populi, & Karabe: quin potius clarum, ſuccinum, & gummi populneum eſſe inter ſe diuerſa. Credidit Demoſtratus fieri ſuccinũ ex lyncis vrina (quemadmodum credidere pharmacopolæ, & vulgus medicorũ ex eadẽ fieri lapillos, quos lyncis appellant) ſuccinum aſſerens, quod flaueſcit, fieri ex vrina maris, album verò ex vrina fœminæ.

Demoſtrato ex lyncis vrina ſuccinum fit.

Quibus refragatur Plinius: quandoquidẽ ipſe manifeſtè dicat, hoc eſſe falſum. Quod cũ & Diocles, & Theophraſtus credidiſſent (non autem Dioſcorides, vt ei falsò Braſauolus imponit de lapidibus lyncis agens) eos eiuſdẽ criminis Plinius accuſat. Quod autem Diocles, & non Dioſcorides (vt Braſauolus putat) huius erroris accuſetur, oſtendit ipſe Dioſcorides libro ſecundo capite de vrina, vbi in eandem Plinij ſententiam veniens, hæc verba protulit: Lyncis vrinam, quam lyncurium appellant, ſimul ac excernitur, glaciari, coireve in calculi duritiã, vulgo creditũ eſt, quare quod de ea proditum eſt, vanum eſſe conuincitur.

Braſauoli lapſus.

Eſt enim quod à nonnullis vocatur ſuccinum pterygophorõ, ideo dictum, quòd pennas ad ſe alliciat.

Succinũ pterygophoron.

At cũ Braſauolus minus fortaſſe accuratè Dioſcoridis verba legendo percurriſſet, dixit de Karabe agens, ſenſiſſe Dioſcoridẽ electrũ eſſe lapillũ, in quem lyncis vrina concreſcit. Quod tamen falſum eſſe facilè conſtat ex prædictis Dioſcoridis verbis. Ceterũ cùm non deſint etiam poëtæ, qui Phaëtontiadas non in populos, ſed in alnos mutatas fabulentur, Alni quoque hiſtoriam, & vires præcedentibus adnectere non ab re fore exiſtimauimus. Eſt itaque ALNVS (vt Theophraſtus eſt auctor libro 3. capite 14. de plantarum hiſtoria) ſterilis & vnigena natura, caudice recto: ligno, medullaque molli adeò vt graciliores virgæ totæ concauentur: folio pyri, ſed ampliore, neruoſioreq́;: cortice ſcabro, rufoq́; intus, qua de cauſa coria tingit: radice ſumma, nec maiore quàm laurus: naſcitur in aquoſis, alio nullo pacto: hactenus Theophraſtus.

Alni hiſtoria ex Theophr.

Qui tamen eodem lib. cap. 15. non vtique pyri folio alnum vireſcere tradidit, ſed ponticæ nucis. Nec eandem prodidit eſſe ſterilem lib. eodem ca. 6. cùm inquit. Terebinthus circa tritici meſſem, aut paulo ſerius ſemen reddit: fraxinus atq; acer æſtate: alnus,

IV. ALNVS.



VI. BETVLA.



alnus, nux inglans, pyrorumq; ſylueſtrium genus quoddam autumno. Quo fit, vt alterum omnino ſuſpicandum videatur, aut ſibi ipſi Theophraſtum repugnare, aut eius codicem his locis mendis ſcatere.

Alni deſcr.

Alnus in Italia naſcens, folio eſt coryli craſſiore neruoſioreq;, cortice ſcabro, materie molli, rubente, in aquoſis ferè ſemper proueniens, ſecus flumina, & vliginoſo tracta. Hetruſci vulgò appellant Onio: alij verò in Italia Auno. Italica fructum fert viridem, oblongum, moris forma ſimilem, ſquamis quam plurimis in ſe compactis. Matureſcit autumno, minuto intus ſemine, colore in nigrum fuluo. Exſiccat manifeſtè, ſed in frigiditate & caliditate parum à mediis abeſt. Præfertur lignum & pali ex alno parati ad ædificiorum fundamenta, quæ in fluminibus, lacubus, paludibuſq; fiunt, quod in aqua nunquam putreſcat. Ob id enim expetitur maximè Venetis ad iacienda palatiorum, ædiumq; fundamēta, quòd crebrò fixa non modo ad æternitatem permaneat immortalis, ſed quòd ingentes admodum ferat moles.

Alni vires.

Folia reſoluunt, reſtringunt, delaſſatoſq; recreant. Recentia folia tumores impoſita diſſoluunt, & inflammationes reſtinguunt: eadem nudis pedum plantis ſuppoſita viatoribus itinere defatigatis leuamentum præſtant. Quin & rore matutino madentia cubiculis ad necandos pulices per æſtatem vtiliter ſpargūtur. Præſtat cortex, quod magis adſtringat, gallæ vice tingendis coriis atro colore. Sunt etiam, qui iis & fructu viridi vtantur, gallarum vice ad ſcriptorium atramentum conficiendum, additis gūmi, & chalcantho. Sed nec B E T V L A omittenda videtur: quæ cùm cortice albo ſit albæ populo adſimilis, nunc nobis ſeſe offert deſcribenda.

Betulæ conſideratio, & hiſtoria ex Theophraſto & Plinio.

Hæc Theophr. folio eſt caryæ ſic Græcis vocatæ (quid autem ſit carya compertū hactenus non habeo) præterquàm quòd paulò anguſtiori, cortice autē verſicolore, & materie læui non niſi ad baculos vtili. Plin. lib. 16. c. 18. Betula arbor eſt Gallica, mirabili candore atq; tenuitate: terribilis magiſtratuū virgis: eadem circulis flexilis: item corbiū ſportis. Bitumen ex ea Galliæ excoquunt: hactenus Plinius. Betula in Tridentino agro frequentiſſima prouenit, materie adeo tenaci lentaq;, vt ad vaſa vinaria cingenda circuli ex ea parati omnium præſtantiſſimi habeantur. Ananij è ſuis Betulis non modo optimos conficiunt carbones, ad coquenda liquandaque metalla, ſed è delibrato contortoq; cortice, faces ad nocturna lumina parāt, quæ quòd bituminoſa pinguitudine redūdent, tedæ modo conflagrant, & reſinoſum quoddā picis colore reddunt. Nec fortaſſe alia de cauſa Betula dicitur, niſi quòd bitumine ſcateat. Hāc Tridentini corrupta voce vulgò appellant Bedollo.

Betulæ deſcrip.

Gaudet frigido tractu ac niuoſo: & ideo in Bohemia frequentiſſima: folio eſt nigræ populi haud abſimili, ſed parte prona aſperiori, viridioriq;, per ambitum ſerrato. Sterilis hæc nec fructum ferens, quanquam iulos, vt Corylus edit, cortex illi albus mēbranoſuſq;, bituminoſus & pinguis. Materies cādida flexilis ac tenax.

Aquæ Betulæ vires.

Huius caudex terebro perforatus ingentē aquæ clariſſimæ copiā reddit, potu non ingrato, cui vim maximā ineſſe quidā aſſerunt ad comminuendos tā renum, quā veſicæ calculos ſi diutius bibatur. Eadē maculas in cute delet, nitoremq; conciliat: oris vlcera ſanat collutione ex ea facta. Foliorum ſuccus coagulo admiſtus, caſeos à carie, & vermibus vindicat. Folia excalfaciunt & ſiccant, reſoluunt, attenuant, abſtergunt, aperiunt, & amara ſunt. Cortex verò quod bituminoſus ſit, excalfacit & emollit. Sed iā ad Populos, & ad Succinū noſtra reuertatur oratio, in quibus medicinæ nobis reddenda ratio eſt, vt in omnibus ferè facere conſueuimus.

Populorum vires.

Nigræ populi prima erūpentia germina odorata ſunt & glutinoſa: expetuntur ad capillorū nitorem conciliandū à mulieribus. Cōtundunt enim ea cū recenti butyro, & deinde aliquot diebus inſolata, à butyro percolant, quo poſtea capillos inungunt, abluto prius capite. Libycæ autē populi folia, ad ea omnia præſtant ad quæ nigra populi valere diximus, ſed longè inefficaciora creduntur.

Populorum vires ex Gal.

Primùm igitur de viribus Populi nigræ diſſeruit Galenus lib. 6. ſimpl. med. vbi ſic inquit. Populi nigræ flores calidi facultate quidem ſunt in primo receſſu à tēperatis: ſed in differentia, quæ habetur in ſiccando & humectando, paulū à temperatis & mediis ad ſiccius deflexerunt: verùm & ſubtiliorū potius quam craſſiorū ſunt partium. Et folia quidem ipſius quodammodo floribus ſimilia ſunt, niſi quòd ad omnia imbecilliora, minuſq; efficacia. Sed & reſina eius floribus ſimilem facultatem obtinet, atq; etiam calidiorē. Porrò ſemen tum reſina, tum floribus & ſubtiliorum eſt partium, & exiccantius: non tamen eſt admodū calidū. Deinde li. 7. eorūdem ſim-

*& ſimplicium, idē Galenus Populi albi vires deſcribit his verbis: Populus alba arbor miſta quodāmodo tēperaturæ eſt, ex aquea tepida, & terrena extenuata eſſentia, quamobrē & abſtergētis facultatis eſt particeps: hactenus Galenus de vtriuſq; Populi facultatibus. Atqui præterea quæ à Galeno de Populi facultatibus ſcripta ſunt, ſciant hoc velim rei medicæ ſtudioſi, populū albā humotenus ſectā ad radicē vſq; & aqua calida, in qua fermentū fuerit diſſolutū perfuſam, infra quatriduum fungos copioſos edere, eſui quoq; gratiſſimos.* Fungi ad populu albam. *Cæterùm non inuenio Galen. Succini meminiſſe in ſimpl. med. cenſu, qui tamē li. 7. c. 4. de comp. medic. ſecundū locos paſtillū ex ſuccino confectū ab Aſclepiade tranſcripſit: quem quidē is hæmoptoicis, longo tempore tuſſientibus, & recenter phthiſicis, purulenta è pectore difficulter eijcientibus, ſuppuratis, cœliacis, dyſentericis, & inflatis conferre tradidit.* Succinum apud Galenū. *Atqui referunt Prutheni in quorum littora fluctus maris ſuccini plurimum expuunt, eius genus quoddam reperiri quod planè cryſtallum repræſentat, quod album ſuccinum vocatur.* Succinum album. *Huic vim mirabilem ineſſe teſtantur, quò ſcilicet fœmina deprehendatur an virgo ſit & incorrupta necne. Nam ſi ex vino ieiunæ exhibeatur, efficere aiunt, vt corrupta & vitiata protinus vrinam reddere cogatur: id quod virgini euenire negant. Datur ſuccinum magno auxilio tritum duorum cochleariorum menſura, coli dolore affectis, diebus tribus continuis ante cibum ex tepenti aqua potandum. Idem, & præcipue album, ex aqua frigida potum, ſitim illico ſedat, & ſudorem valentiſſimè prouocat. Suffitur prunis impoſitum vtiliſſimè ad anginas, fumo per infundibulum hauſto, eſt enim præſtātiſſimum auxilium.* Nomina. *Arbor λεύκη Græcis dicta, Latinis Populus alba vocatur: Arabibus, Haur: Italis, Populo bianco: Germanis,* Bellen/ Poppelbaum/ *&* Sarbaum: *Hiſpanis, Alamo blanco: Gallis, Peuplier. Quæ verò Ἄιγειρος Græco nomine, Latino, Populus nigra vocatur: Mauritano, Haur romi: Italico, Popolo nero: Germanico,* Aſpen *aut* Poppel weiden: *Hiſpanico, Alamo nigrilho: Gallico Tremble, & Peuplier. Bohemicè, Topel. Populus Lybica ſiue alpina, Græcis, κερκὶς: Italis Popolo montano. Quod Græcè ἤλεκτρον ἢ χρυσόφορον, Latinè Electrum ſeu ſuccinum dicitur: Arabicè Karabe ſiue Kakabre: Italicè, Succino, & Ambra gialla: Germanicè,* Agſtein/ *aut* Boernſtein: *Hiſpanicè, Eſclarimente, aut Ambar: Gallicè, Ambre. Alnus verò Græcis dicitur κλήθρα: Italis, Alno, Onio, Onizo & Auño: Gallis, Aulne: Germanis,* Erlenbaum: *Bohemis, vuolſe: Polonis, Olſa. Betula autem Græcis Σημύδα dicitur: Italis, Betula: Tridentinis, Bedollo: Germanis,* Bircken: *Bohemis, Brika: Gallis, Bouleare.*

Populus alba & nigra Dioſcoridi, ob corticis & foliorum colorem ſic diſtincta: quibus Theophraſtus & Plinius tertiā addunt, & recentiores Americā. I. λεύκη ab albedine foliorū quæ eſt auerſa parte: ἀχερωΐδα Homero Iliade ς. quod Hercules deuicto Cerbero, populū arborē ex Acherōte ſecū detulit, frondibus populneis coronatus: ad cuius exēplū certatores victores poſtmodū coronabantur. Farfarus Plauto, Populus alba Plinio & recentioribus ſcriptoribus, excepto Trago, cui Populus alba ſecunda dicitur. Quædā ſterilis eſt, vt non floreat: quædā iulos ſalignis ſimiles fert, quos vuas lanoſas aliqui appellant. Eſt autē duplex, alia maioribus, alia minoribus foliis, quare rectè in Lobelii Iconibus duæ proponuntur figuræ. II. Populus nigra, ἄιγειρος veteribus Græcis, Plinio Populus nigra, quem ſequuntur Herbarii, excepto Trago, qui populū vulgarē & albam primā nominat. Huius folia antecedunt germina, quæ oculi vulgo dicūtur, aliis Gemmę populi, Dioſcorides videtur pilulas vocaſſe: ex quibus vnguentum populneū (non ex albæ germinibus, vt aliqui volunt) officinæ ex Nicolao Myrepſio conficiunt, quæ colliguntur, quando iulos producit. Quædā ante exortum foliorum floret, at fructum non fert, flos inſtar amenti, colore rubente aut candicante: quędā fructum fert, ſeu iulos, racematim compactos, multis rotundis & viridibus granis conſtantes (vua populi aliquibus) in quibus lanugo candida, in pappos auolans, cui pauca ſemina valdè minuta adpenſa ſunt: Plinius Bryon ſeu Muſcum eſſe vult. Fundit etiam reſinā hæc populus: ferunt & populi folia guttam, ex qua apes Propolim faciunt. III. Populus Lybica, quæ κερκὶς Theophraſto, Gaza alpinam, alii Lybicam vertunt, ſic Plinio Lybica, quod nomen reſeruarunt ex recētioribus Dod. Caſt. Lob. Thal. Lugd. & Taber. Populus nigra, Trago & Loni. Populi tertia ſpecies, Cord. in Dioſc. Populo nigræ ſimilis in alpibus, Cæſ. Tremula latinis, quòd ſemper ferè folia tremant. Huius iuli cæteris longiores, coloris ex cinereo fuſci. Eſt & Populus America, de qua Aduerſaria & Lobelus, nomine populi noui orbis & populi Americæ Lugd. & Taber. de hac in noſtra hiſtoria.

V. ALNVS HIRSVTA.



Alnus incana, L
shrub

IV. Alnus, quod amne alatur, κλήθρα Theophraſto: Amedanus Creſcentio: Herbariis Alnus: iulos longos, Betulis ſimiles, fuſci coloris pro flore emittit, qui non decidunt vt in Fago, ſed coguntur in formā oliuarum, hic fructus Alni eſt durus, viridis ex plurimis ſquamis compactus, in quibus ſemē colore in nigrum fuſco, licet Plinius neq; fructum neq; ſemen Alnum ferre, & Theophraſtus ſterilē dixerit, fortè Ariſtotelis moti ſententia, qui inter naturæ miracula retulit, quod Alni in ſola Creta non ſint ſteriles: aſt notare conuenit, Theophraſtum aliquando ſteriles vocare eas quæ fructum non conſpicuum, aut inutilem ferunt. Alnus. Genera duo apud nos habentur, glabra & hirſuta. Glabra alia & glutinoſa, quæ foliorum forma variat, altera folio rotundo, altera folio oblongo, prior ea eſt, quæ ab Herbariis deſcripta, quam Alnum rotundi foliam glutinoſam appellamus, ex cuius ligno pali in aqua, ædificiorum fundamentis ſubacti lapideſcunt. Altera Alnus eſt folio oblongo, quam locis aquoſis inter Mutetam & Münchenſteinum Baſilienſis ditionis obſeruauimus. Quæ verò hirſuta eſt, arbor eſt minor vulgari alno foliis longioribus, acuminatioribus & maioribus per ambitum inciſuris, ſubnigris: quæ ſupernè glutinoſa non ſunt, ſed mollia ob exiguam, vixque conſpicuam lanuginem, quæ

aduerſa parte copioſior, cuius nomine ſubcinereus eorum color, qua etiam pediculi veſtiuntur, iulos obtinet vulgari breuiores, qui conglobati fructum non ita rotundum, ſed oblongum conſtituunt. Reperitur apud nos infra pagum Hüningen ad Rhenum. VI. Betula σημύδα Theophraſto, Betulla Plinio, Betula Trago (qui papyri ſpeciem veterum cenſet) Dod. Lon. Lob. Caſt. Lugd. Thal. Tab. populo albæ ſimilis in Alpibus, Cæſal. Hæc ſuis iulis vere floret, in quibus ſemen continetur: duplici cortice eſt, quorum interior tenuis, candidus chartæ inſtar, cui veteres, ante repertum vſum chartæ, opera ſua inſcribebant.

Betula.

## Μάκερ. MACER. CAP. XCIIII.

MAcer ex Barbaria aduehitur, cortex flaueſcens, craſſus, guſtu perquàm adſtringens. Qui contra cruentas excreationes, dyſenterias, & alui fluxiones bibitur.

Maceris & Macis diſcrimen.

*NVnquid officinarum Macis, quo myriſticæ nuces prætextus inſtar conteguntur, Dioſcoridis ſit Macer, non modò dubitandum eſt, ſed etiam credendum (vt ego arbitror) magnam inter vtrunq; eſſe differentiam. Cùm enim Dioſcorides dicat, Macer qui ex Barbaria aduehitur, eſt cortex craſſus, flaueſcens, & guſtu perquàm adſtringens: manifeſtè declarat, Macerem non eſſe officinarum macim, quòd hoc tenue ſit, guſtu feruens, acre, perquam odoratum, amariuſculumq;. Adde quod dixerit Plinius lib. 12. cap. 8. Macis ex India aduehitur, cortex rubens, radicis magnæ, nomine arboris ſuæ: qualis ſit ea, incompertum habeo. Hanc etiamnum differentiam non ignorauit Serapio: nam poſtquàm tradidiſſet ex auctoritate Iſaach, macim eſſe nucis odoratæ operimentum, dixit ſecus eſſe, de quo loquebatur Dioſcorides: quippe quòd ſcriptum reliquerit, Macerem eſſe ligni corticem, ſiue corium. Quod cum compertam haberet Auicenna, de vtroque ſeorſum tractauit, & Macim odoratæ nucis inuolucrum ad caput 456. relegauit: Macerem verò radicis corticem capite 694. ſub titulo Thaliſfar deſcripſit. Præterea maximo eſt argumento, quòd Macis & Macer vtique inter ſe differant, quòd Dioſcorides, Galenus, & Paulus de odoratis nucibus, quorum Macis eſt tegumentum, nihil ſcriptis memoriæ reliquerint. Quippe ſi Macer, qui eis conuehebatur, Macis nobis vulgare extitiſſet, credendum ſanè eſt, quòd cum illo quoque aduectæ eſſent myriſticæ nuces: quarum illi hiſtoriam, & facultatem, cùm ſint & in viribus, & in odore admirabiles, nequaquam deſcribere prætermiſiſſent. De macere Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, hæc ſcriptis tradidit. Macer cortex eſt, qui ex India conuehitur, guſtu multum acerbo, cum leuicula quadam acrimonia odorata, iucundum ſanè redolens, vt pleraq; aromata ſiue odorata, quæ ex India conuehuntur. Videtur itaque & ipſe ex miſta conſtare eſſentia, pleraq; terrena frigida, paucula verò calida, & tenuium partium. Quamobrem valenter deſiccat, adſtringitq;: proinde cœliacis, & dyſentericis miſcetur facultatibus: in tertio exiccantium conſiſtens ordine, in caloris frigoriſq; differentia neutrum inſigniter efficiens: hæc Galenus. Ex quibus haud obſcurè colligi poteſt, quòd Macer longè differat à Maci: namq; ipſe guſtu non reperio hoc eſſe adeò acerbum, nec tam leuiuſculæ acrimoniæ, quin potius ſi deguſtetur, linguam, & fauces admodum vellicat: odorem iucundum perfundit, & leuiuſculum amarorem quadam cum ſiccitate relinquit. Quod facilè oſtendit, quòd Macis tantum calidi, quantum ſicci cœperit, vel fortaſſe plus calidi, & quòd pleraq; ipſius eſſentia ſit tenuium partium. Idcirco errare non crediderim, qui dixerint Macim odoratum excalfacere, & pariter ſiccare in fine ſecundi, vel in principio tertij. Quamobrem id Macer eſſe non poteſt, cùm dicat Galenus conſtare macerem eſſentia pleraq; frigida terreſtri, paucula verò calida. Quibus facilè concludi poteſt, quòd Macer à Dioſcoride & Galeno deſcriptus, hoc æuo ad nos non aduehatur: ſiquidem nullus in officinis reperitur cortex, qui poſſit maceris hiſtoriam explere. Et quamuis Monachi illi, qui in Meſuem commentarios ſcripſere, nullam inter macim, & macerem ponendam eſſe differentiam pro certo affirment, nulla tamen auctoritate (quod equidem ſciam) aut ratione nituntur. Cæterùm haud ignorandum eſt nec Galeno, nec Plinio, quod dixerint ex India aduehi macerem, Dioſcoridem repugnare, cùm ex Barbaria ipſe afferri dixerit: quoniam (vt Ptolomæus eſt auctor) quædam in Indo fluuio inſula, vel vrbs ſita eſt, quæ Barbaria dicitur, ex qua facile comportabatur macer: vel quod afferatur ex Arabia eo maris ſinu, qui à Barbaria inſula Barbaricus appellatur. Quandoquidem (vt inquit Strabo) omnia, quæ in India proueniunt, ea ſcilicet parte, quæ ad auſtrum vergit, ſimiliter in Arabia naſcuntur. Μάκερ vt Græcis, ita Latinis Macer, atque etiam Machir appellatur: Arabibus, Thaliſfar: Italis, Macero. Quod Arabibus Bisbeſe, recentioribus Græcis Μάκις quemadmodum & Latinis, & Italis Macis nominatur: Germanis, Muſchaten blumen: Hiſpanis, Macias, & Macas.*

Maceris facultates ex Gal.

Monachorũ opinio falſa.

Nomina.

Macer Græcorum veterum, vt & Plinii non eſt id, quod Macis officinæ vocant, ſed cortex radicis arboris Maceris, vt monet Plinius: à Coſta, arborem Vlmo maiorem in prouincia Malabar prouenientem, cuius arboris cortex in vſu ſit, deſcripſit & iconem adiecit: ex quo Lugdunenſis hiſtoria in appẽdice, quæ loca lector conſulat, cùm alibi hac de re acturi ſimus. Macis verò, quod recentioribus Græcis μάκις, nucis moſcatæ medium operimentum eſt, Græcis veteribus incognitum: Auicennæ vt & Serapioni notum vtrumque, illud nomine Taliſafar: hoc pro nucis moſcatæ inuolucro.

Macer & Macis differunt.

## Πτελέα. VLMVS. CAP. XCV.

VLmi & folia, & cortex, & [a] rami vim habent ſpiſſandi. Folia trita ex aceto ad lepras efficaciter illinũtur: vulnera glutinãt, ſed multo [b] magis corticis tilia, ſi faſciæ loco intorqueatur: nam in lori morem flecti poteſt. Craſſior cortex in vino, aut aqua frigida vnciatim potus, pituitas trahit: fracta oſſa celerius ſolideſcunt, ſi decocto foliorum, corticis, aut radicis foueantur. Humor in folliculis enaſcens prima germinis eruptione, cuti illitus nitorem inducit, faciemque ſplendidiorem præſtat: qui dum ſiccatur, in animalia abit, quæ culicum formam gerunt. Folia cùm tenereſcunt cocta, olerum more ad obſonia vſurpantur.

a ἀκρέμονες. b μᾶλλον ὁ φλοιός. meũ habet excẽp. & ita Cara. eum. Sed rectius vertiſſe videtur Ruellius.

*TAmetſi Vlmus notiſſima omnibus ferè ſit arbor, non tamen ob hoc eius hiſtoriam ſilentio inuoluendam putauimus. Vlmi itaq; duo ſunt genera. Altera montana, altera campeſtris. Fruticoſior hæc, illa verò auctior. Folium habet indiuiduum, leuiter circumſerratum oblongumq;, criſpum, ſcabrumq;. Folliculos profert multos, non paruos, ſubrotundos,*

*ac criſpos*

I. VLMVS.



II. CARPINVS



III. CARPINI ET VLMI flores.



ac criſpos humani ſcroti effigie, in quibus liquor concluditur lentus ac clarus, vnà cum culicibus cōpluribus, vt in Terebinthi & letiſci corniculis. Ligni materies neruoſa, tenax, robuſtaq́; deformis tamen: Mōtana iulos [ſiliquas] profert, & deinde ſemē, quod ſamaram vocant. Cortex illi ſuperius aſper, cruſtoſuſq́; & inæqualis: ſed interior, qui lignum ambit, contrario modo ſe habet, ſiquidem lentus, & lori modo flexilis habetur. Ideoq́; Vlmus (dicebat Theophraſtus lib.3.cap.14. de plantarum hiſtoria) duobus diſtinguitur generibus: cuius altera montana, quam Græci ὀρειπτελέαν vocant: altera campeſtris, vlmus propriè vocata: fruticoſior hæc, illa verò auctior: folium indiuiduum, leuiter circumſerratum, oblongius quàm pyro, ſcabrum, non læue. Præſtat hæc arbor & amplitudine, & celſitudine, non crebra circa Idam, ſed rara, irriguis amica: materies flaua, robuſta, neruoſa, deformis, vt quæ tota cor ſit. Vtuntur ea ad fores lautiores: viridis facilè cæditur, ſicca difficilè: ſterilis denique putatur: ſed gummi in petiolis gignit, & animalia quædam culicea, cachryes peculiares gerit autumnō multas, minutas, nigras: cæteris verò temporibus quid ferat, minus animaduerſum eſt: hactenus Theophr. Plinius verò quatuor vlmi genera ſtatuit li.16.c.17. his verbis. Inter has, atq; frugiferas, materie vitiumq́; amicitia accipitur vlmus. Græci duo eius genera nouere, mōtoſam, quæ ſit amplior: campeſtrē, quæ fruticoſa: Italia attineas vocat, excelſiſſimas: & ex iis ſiccanas illis præfert, quæ non ſunt riguæ: alterum genus Gallicas: tertium noſtrates, denſiore folio, & ab eodem pediculo numeroſiore: quartum ſylueſtre. Attineæ non ferunt ſamaram, ita vocatur vlmi ſemen, omneſq́; è radicum plantis proueniunt, reliquæ verò ſemine: hæc Plinius, qui tamen vna cum Theoph. erraſſe deprehēditur, quod hic vlmum cuiuſuis generis ſterilem eſſe ſcripſerit, ille autem quod attineam ſic Italis appellatam, ſemen nullum ferre prodiderit. Quandoquidem Theophr. præter id, quod experientia nobis compertum eſt, repugnat Plinij authoritas: quippe qui vlmos omnes præter attineam, ſemine prouenire ſcribit. Plinio deinde, qui attineam ſemen ferre negat, refragatur Columella lib.5.cap.6. cùm inquit: Vlmorum duo eſſe genera conuenit, Gallicum, & vernaculum: illud attinia, hoc noſtras dicitur. Attiniam vlmum Tremellius Scrofa nō ferre ſamaram (quod eſt ſemen eius arboris) falsò eſt opinatus. Nā rariorem ſine dubio creat, & idcirco pleriſq́; & ſterilis videtur, ſeminibus inter frondem, quā prima germinatione edit, latentib. Itaq́; nemo iā ſerit ex ſamara, ſed ex ſobolib. Eſt autem vlmus longè lætior, & procerior, quàm noſtras, frondemq́; iucundiorē bubus præbet. Vlmo foliis ferè adſimilis plāta eſt, quā Itali paſſim CARPINVM vocāt, omnib. notiſſima creſcit

Theophraſt. de Vlmo.

Plinio Vlmi quatuor genera.

Theophr. & Plinii error.

Columellæ duo genera.

Carpini conſideratio, & hiſtoria.

hæc paſsim omnibus ferè in ſyluis inter quercus, & cæteras ſyluestres arbores foliis (vt diximus) Vlmo proximis, ſed tenuioribus. Caudice aſſurgit procero, cortice ſubalbicãte, modicè ſcabro. Ramos fundit copioſos, robuſtos, in latitudinem ſeſe diffundentes, folioſos vmbratileſq́;. Ex his per æſtatem petioli quidam pendent, in quibus triquetra quædam folia, ſubpallida, & craſſa, folliculari ſpecie, circumquaque racematim dependent, quorum medius apex cæteros longitudine ſuperat: & inter hos parua quædam capitula exeunt, ciceris magnitudine, aut paulo maiora, in quibus ſemen concluditur: radicibus nititur firmis, craſsiſq́;: ligni materies alba, ſolida, tenaxq́;, è qua iuga boum villici in Italia parant. Qualitates atque vires,

Carpinus Plinii & Theop.

nemo eſt (quod ſciuerim viderimq́;) qui deſcribat. Cæterùm an hæc Carpinus ſit legitima, de qua Theophraſtus, & Plinius ſcripſere, nõ parum mihi dubitandum relinquitur: Siquidem vtriq́; ζυγία, quam Plinius Carpinum interpretatur, Aceris genus eſt, à qua (ni fallor) noſtra Carpinus omnibus ferè diſsidet notis: ſi tamen arbor, quam paſsim Acerem appellant, legitima fuerit Acer, de qua iidem ſcripſerunt authores, cum enim illorum neuter Acerem (quod viderim legerimq́;) deſcripſerit, quemadmodum nec Carpini, non habeo ſanè quid de eorum Acere affirmare queam. Præterea Theophraſto Carpini materia eſt flaua, criſpaq́;, cortex verò paulò ſcabrior, quàm Tiliæ, craſſus, & ſpiſsior quam Piceæ, & flexui contumacior. Atqui noſtra carpinus alba conſtat materie, minimè criſpa, cortice Tiliæ haud ſcabriore, Piceæ tenuiore, & qui detractus facilè inflectatur. Corticis tamen colore non differunt, cum in vtraq́; cinereus habeatur, aut ſubalbicãs. Ad hæc Theophraſto Carpinus rara inuentu eſt, & riguis tractibus gaudet. Noſtra verò contrà ſyluis ferè omnibus, mõtibuſq́; communis, & numeroſa habetur, & raro humectis reperitur locis: verùm in hoc tantum conuenire videntur, quod è noſtrate quoque iuga parentur. Atque ita tot aliis repugnantibus notis, affirmauerim ego nunquam, noſtratem, & Theophraſti Carpinum, eandem eſſe arborem, niſi compareat aliquis, qui hæc mihi dubia diſſoluat: dixi ſententiam meam, eſto quoq́; aliorum iudicium, ſed hactenus de Carpino. Vlmi autẽ facultates hæ ſunt. Folia, & cortex, & rami vim habent ſpiſſandi, & vulnera

Vlmi facultates ex Plin.

contrahendi. Corticis vtique interior tilia, lepras ſedat, & folia ex aceto illita. Corticis denarij pondus potum in hemina aquæ frigidæ aluum purgat, pituitaſq́;, & aquas priuatim trahit. Imponitur & collectionibus lachryma: & vulneribus, ambuſtiſq́; decocto fouere prodeſt. Humor in folliculis arboris huius naſcens cuti nitorem inducit, faciemq́; gratiorem præſtat. Cauliculi foliorum primi vino decocti tumores ſanant, extrahuntq́; per fiſtulas: idem præſtante tiliæ cortice. Multi corticem commanducatum vulneribus vtiliſsimum putant. Folia trita, aqua aſperſa, pedum tumori. Humor quoq; è medulla caſtratæ arboris effluens capillum reddit capiti illitus, defluenteſq́; continet. Hæc Plinij verba de vlmi facultatibus lib. 24. ca. 8.

Humor in folliculis ad enterocelas.

Cæterum humor in folliculis vlmi contentus (vt ego experientia compertum habeo) medetur puerorum enterocelis, ſi ſplenia ſiue linteola in eo madefacta ſæpe inguini partis ruptæ ſuperimponantur, atque inibi ſub femorali, quod Italis vulgo brachiere appellatur, ſubligentur, & conſtringantur. Idem liquor vitreo vaſe exceptus ſepelitur in terra, aut fimo equino calido, vigintiquinque diebus, ore diligenter obturato, & collocato vaſis fundo ſuper ſalis communis ſtrato: fit enim hoc temporẽ vt fæx ſubſidat, & liquor clariſsimus ſupernatet. Is ad vulnera recentia conglutinanda adeo efficax eſt, vt dictu mirum ſit, quàm belle celeriterq́; id præſtet, ſi cum ſpleniis, aut confractis linteolis applicetur. Quin & corticis radicum decoctum articulorum duritias emollit, & neruorum conuulſiones reſoluit, ſi in fotus, vel balnei modum adhibeatur: item tumores diſcutit, quos iugi attritus in collo boum excitauit. Interiores Vlmi radices ſi diu decoquantur, & iuri ſupernatans pinguedo colligatur, illinaturque ea ſæpe locus glaber, à quo pili defluxerunt, breui repullulabunt. Eiuſdem cortex contuſus, & muria vſque adeo ſubactus, vt malagmati ſimilis ſit, illitus, podagricos dolores mulcet. Folia Vlmi quæ ad orientem ſpectant, impari numero decerpta, & cum piperis granis totidem contrita, & ex vino Cretico pota à ieiunis

Vlmi vires ex Galeno.

purulentas tuſſes mirificè iuuant, vt Marcellus eſt author. Vlmi meminit Galenus lib. 8. ſimpl. med. ſic inquiens. Vlmi foliis quandoque recens vulnus glutinauimus, confidentes adſtringentem pariter & abſtergentem ineſſe illis facultatem. Cortex amplius etiam ſubamarus eſt, & adſtrictorius: itaque cum aceto & lepram ſanat. Porrò viridis etiamnum ac recens, ſi vulneribus vinculi vice circumligetur, ea glutinare poteſt. Radices eandem vim obtinent: nam & decocto earum quidam perfundunt fracturas, quæ topho, ſiue callo inducto opus habent.

Nomina.

Huius arboris nomẽ Græcum eſt πτελέα: Latinum, Vlmus: Arabicum, Didar, Dirdar, ſeu Luzach: Italicum, Olmo: Germanicum, Ulmen/Ruſtolz/Lindbaſt/Yffenholtz: Hiſpanicum, Vlmo: Gallicum, Orme: Bohemicum, Gilm. At Carpinus Græcis ζυγία vocatur: Italis, Carpino.

Vlmus noſtra vulgaris, Vlmus eſt Dioſcoridis, Vlmi alterum genus Theophraſto, Vlmus vernacula Columellæ: Herbarii Vlmum vocant. Quòd ſi Vlmus, Aprili aut Maio Menſe pluuiis, ſubitoque calore ſolis inſequente infeſtetur, ipſius folia corrugantur protinus, & veſicæ ſeu folliculi, ſcroti hominis figura generantur, quibus includitur humor, initio lentus, mox ſolis vi in gummi concreſcens, quod Gummi vlmi

Gũmi Vlmi.

recentioribus ex Theophraſto, quod dum ſiccatur, vermiculi qui cnipes, culices & muliones appellãtur, euolant. Galenus 2. de cõp. med. ſecundùm genera 7. in Emplaſtro Melino quod Ruſtico adſcribitur, recipit πτελέας τῆς ἐν θυλακίοις drachmas xvi: vbi interpres vertit, vlmi in ſacculis ex corio recõditi denarium pondo: verùm intelligendum Humoris Vlmi qui in folliculis continetur, vt τῆς ὑγροῦ, aut quid ſimile intelligatur: nam apud Paulum habetur ἐν τοῖς θυλακίοις ὑγρόν. Ita vt τὸ θυλάκιον apud Galenum & Paulum, idem ſit quod κωρυκὸς Theophraſto, & φύσα Dioſcoridi, id eſt, folliculus, vtriculus, veſicula. De altero Vlmi genere & ſimilibus, Deo adiuuante, in vniuerſali noſtra hiſtoria, quam adornamus, verba facturi. II. Fagus Sepium C. B. quam Fraxino ſimilem dixit Plinius: alii ad Vlmum, ad Fagum alii referunt: ſunt qui Carpinum Plinii velint, quæ Aceris eſt ſpecies, alii Oſtry ſeu Oſtriam Theophraſti, quam aliquantum repreſentat: Dicitur Ornus Trago, Lon. Vlmi tertia ſpecies, Dod. gal. Vlmus atinia, Lugd. Fagus ſepium, Vlmo magis cognata, Geſ. hor. Carpinus Dod. Lob. obſ. Tab. Cam. Carpinus alba, Caſt. Betulus, Lob. icon. Fago ſimilis altera, Cæſ. Oſtrya Cordi, Thalio. III. Figura addita Carpini & Vlmi flores & ſemina exprimit.

## Σαπρότης ξύλων. LIGNORVM MARCOR. CAP. XCVI.

EX caudicibus, ligniſque veteribus caries congeritur, quæ farinæ modo illita vlcera purgat, & ad cicatricem perducit: ſerpentia cohibet, ſi cum pari aniſo & vino ſubacta, linteiſque impoſita illinatur.

Cariei lignorum conſid.

NOn ſanè prorſus negligenda eſt lignorum veterum, & contabefactorum caries, cum tãta facultate polleat, vt vlcera expurget, ſolidetq́;, & eadem ſerpentia ſiſtat: quod eò præſtat efficacius, ſi ex lignis arborum colligatur, quæ tum adſtringendi, tum etiam abſtergendi vim poſſident. Quo fit, vt ligni Guaiaci caries cæteris hac in re facilè præſtet: quippe quæ

*quæ non modò vlcera, quæ contumacia non ſunt, ſanat, ſed & quæ cacoethe dicuntur, quæq́; Gallica peſte contracta ſunt: quare pudendorum exedentibus vlceribus inſperſa mirificè medetur. Caterùm non modò lignorum marcor ſiue caries in medicum vſum venit, ſed & VERMES in carioſis lignorum caudicibus naſcentes, ſi Plinio credimus, qui libro 30. cap. 13. de his ſic ſcriptum reliquit. Coſſes qui in ligno naſcuntur, ſanant vlcera omnia: nomas verò combuſti, cum pari pondere aniſi, & ex oleo illiti. Delicatiores fuiſſe hos olim & in cibis, idem poſteritatis memoriæ tradidit lib. 17. cap. 24. cùm inquit. Vermiculantur magis minuſve quædam, omnes tamen ferè, idq; aues caui corticis ſono experiũtur. Iam quidem & in hoc luxuria eſſe cœpit, prægrandeſq́; roborum delicatiore ſunt in cibo, coſſos vocant: atque etiam farina ſaginati, hi quoque altiles ſiunt. Quapropter mirum non fuerit, ſi etiam antiquitas cicadas, quæ nondum alas deprompſerint, in cibis deuorauerit, Ariſtotelis teſtimonio, qui etiam addidit guſtantibus eſſe ſuauiſſimas. Sed cur illud admirandum fuerit, ſi noſtris etiam temporibus vermes, qui carioſis caſeis innaſcuntur, magna admodum cum voluptate à compluribus deuorentur? Galenus cùm & ipſe ad arborem, ex qua caries decidit, particularem ſcopum habuiſſet, lib. 8. ſimp. med. ſic de illa ſcripſit. Caries lignorum, & maximè, quæ particeps eſt adſtrictionis ſimul & abſterſionis, velut vlmus, expurgat, impletq́; vlcera humida. Σαπρότης ξύλων ita Græcè dicitur, quod Latinè Lignorum marcor, ſiue caries: Arabicè, Nucharer veaſab: Italicè, Tarlatura de legno: Germanicè,* Wurm meel: *Hiſpanicè, Carcoma.*

Vermium lignorum vſus in cibis.

Cicadæ in cibo.

Cariei vires ex Galeno.

Vermes vetuſtos arborum truncos, & intempeſtiuè cæſa, atque ædificiis nimia vetuſtate corrupta ligna arrodunt, ita vt è foraminibus puluis farinæ ſimilis, qui caries ſeu marcor lignorum dicitur, excidat. Quæ ſanè ſecundum lignorum diuerſorum naturam variat. Quandoquidem verò caries lignorum maximè adſtringendi & extergendi vi præditorum, vt eſt vlmus, humentia vlcera exſiccat & replet, ideò vlmi hiſtoriæ, arborum cariem ſubiungit.

## Κάλαμος. ARVNDO. CAP. XCVII.

IN Arundinum genere quædam naſtos, id eſt farctior vocatur, ex qua ſagittæ factitari ſolent. Alia fœmina, qua tibiarum ligulas efficiũt. Alia, quòd fiſtulis addicta ſit, ſyringias: cui multum ineſt carnis, crebris cincta geniculis, ad librorum conſcriptionem accõmodata. Alia craſſa, concaua, apud amnes naſcẽs: quæ à quibuſdam cypria, ab aliis donax appellatur. Alia phragmites, ſeu vallatoria, a gracilis, candicans, vulgò cognita: cuius trita radix per ſe, aut cum bulbis ſuis illita, ſpicula aculeóſque corpore extrahit: luxata, lumborumq́ue dolores cum aceto mulcet. Virentia folia tuſa, & impoſita ignibus ſacris medentur, & cæteris inflammationibus. Corticis cinere perunctæ cum aceto alopeciæ ſanantur. Paniculæ lanugo, ſi aures intrauerit, exurdat. Eundem effectum implet arundo, quæ cypria dicitur.

a Cat. ὑπόλεπτος. i. aliquãtulum tenuis.

I. ARVNDO DOMESTICA. II. ARVNDO PALVSTRIS.





*ARundinum quinque genera tantùm, veluti notiora hoc in loco à Dioſcoride produntur: licet Plinius lib. 16. ca. 36. & lib. 24. cap. 11. viginti nouem arundinum ſpecies deſcripſerit: inter quas (vt ſuperius diximus) odoratam recẽſuit, quæ Græcis κάλαμος ἀρωματικὸς appellatur, in India, Syriaq́; naſcens, odoris iucunditate vnguentis accommodata. Quod apertè indicat calamum odoratum eſſe inter arundinum genera reponendum, non autem inter radices, vt vulgus medicorum, & Braſauolus Ferrarienſis contendunt, acori radices pro legitima odorata arundine aſſumentes. Quæ in Italia frequentiſſima*

Arundinum conſi. & hiſt.

Arund. ſatiuæ deſcrip.

*quẽtiſsima in vinearum Arundinetis, vliginoſo præſertim ſolo, è radicũ geniculis ſeritur ad vitium palos, ad decẽ cubitorũ altitudinẽ adoleſcit, militaris haſtæ craßitudine, robuſta, ac firma materie, inanis tamen intus, cõpactis per interualla geniculis. Cortice veſtitur ſquamoſo, & qui facile auferatur, aſpero ac ſubalbicante. Folia illi ſunt longa, milij Indici æmula, ſed latiora, ac longiora, aſpera vbiq; ſuperficie, & acuta circũferẽtia: radix illi eſt alba, dura, tuberoſa, cõtortaq;, informis, ac geniculata, vt in Iride, ſed longè maior, ac robuſtior. Secãtur Arũdines quotannis humotenus, ſectaq; illico regerminant, creſcuntq; anno toto ad priorem altitudinem, craßitudinemq;.*

Naſtos.

*Illa, quæ naſtos dicitur, ſolida, farctaq;, quamuis gracilis & leuis, in communem ſagittarum vſum à Syris accepta, non oritur, quod ſciam, in Italia, niſi naſcatur (vt tradidit Plinius) in Rheno Bononienſi amne. Illa etiam, quæ thelys, hoc eſt, fœmina appellatur, cuius tantùm eſt vſus ad tibiarum ligulas, hactenus mihi incognita eſt.*

Vallatoria.

*Namq; noſtra tempeſtate fiunt eiuſmodi ligulæ ex communibus arundinibus, ex ea ſcilicet ſpecie quam Dioſcorides vallatoriam nuncupat, qua noſtri in viridariis, ac hortis in topiariis extruendis vtuntur, ac palos vitibus aptiſsimos efficiunt. Quod autem vallatoria ſit hæc noſtra cõmunis, mihi aliquando dubitãdi præbuit auſam Dioſcorides: quippe qui dicat, eam eſſe gracilem & candidam, cùm tamen communis noſtra ſit craßior. Verum cùm poſtea inuenerim Theophraſtum ſcribentem li. 4. c. 12. de plantarũ hiſtoria, craßiorem, firmioremq; illam arũdinem eſſe, quæ vallatoria nominatur, facilè ſum ad credẽdũ inductus, hũc Dioſcoridis locum eſſe deprauatũ: eoq; magis, quòd ſeptis, palis, & topiariis operibus craſſæ ſunt tenuibus aptiores. Eſt autẽ arundo paluſtris calamo tenui, geniculato, læuibus internodiis, inani ac fragili, foliis longis, aſperis, & per ambitum acutis, paniculis in ſummitate comoſis, tactu mollibus, læuibusq;. Prouenit ſponte in paludibus, lacubus, & cæteris ſtagnãtibus aquis. Vires ſunt illi eædẽ quæ & cæteris generibus.*

Scriptoria.

*Illa verò quæ ad ſcribendum vſurpatur, cui authoritatem pennæ derogarunt, plurimis reperitur in locis, eſtq; omnibus notiſsima: veluti & ea, quæ Cypria vocatur, in paludibus naſcẽs, & apud amnes.*

Arundinis, & filicis odium: cum aſparago amicitia.

*Traditur à pluribus rei agrariæ auctoribus, tum etiam à Plinio, inter arundinẽ & filicem herbam inteſtinum eſſe odium: proinde arũdinem vomeri alligatam filicem in agro deſtruere, ac enecare prodiderunt. At eo maior arundini cum aſparagis intercedit amicitia: nam ſi ſerantur in arundinetis, inibi mirificè proueniunt. Quidam præterea prodiderunt, arundines in India ad tantam aſſurgere molem, vt ſingula internodia nauigiorum vicem præſtent per fluuios & lacus, ternos homines capiente alueo. At ſi plura de arundinum generibus quis audire cupiat, Theophraſtum legat, qui longiori ſermone earum hiſtoriam literis memoriæq; mandauit. Pota arundinis radix vrinam, & menſes ciet: eadem recens tuſa ſcorpionum ictibus vtiliter imponitur. Non deſunt impoſtores, qui Arundinum radices combuſtas pro ſpodio vſurpent.*

Arundinis vires ex Gal.

*De arundine Galenus lib. 7. ſimp. med. hæc ſcripta reliquit. Calami phragmitis radicem cum bulbis, aculeos & ſtipites ex alto extrahere quidam ſcripſere, ceu trahendi quædam vis ei ineſſet. Nos tamen eius rei periculum non fecimus: verum quantum guſtu liceat conĳcere, abſtergentem facultatem poßidet non paucam, minimeque acrem. Cæterùm folia ipſa abſtergentis ſunt facultatis. Cortex verò eius combuſtus admodum tenuium partium & digerentis facultatis efficitur, adiunctum habens abſterſorium quiddam, vt exiccet, & excalfaciat tertio quodammodo ordine, plus tamen deſiccet, quàm excalfaciat. Vitandum autem eſt eius, id quod anthelen vocant: nã ſi in aures incidat, adeò tenaciter adhærens affigitur, vt auelli non poßit, auditumq; vitiat: quamobrem ſæpiſsimè exſurdat.*

Nomina.

*Arundo ſic Latina voce vocatur, vt Græca κάλαμος: Arabica, Caſab: Italica, Canna: Germanica Rohr: Hiſpanica, Cannas: Gallica, Cannes ſiue roſeau: Bohemica, Treſt. Arundo paluſtris. Græcis Κάλαμος ἑλεῖος: Italis, Cannella, & Cannuccia aquatica.*

Arũdo κάλαμος, παρὰ τὸ καλῶς ἀμᾶσθαι etymologicè dicitur, quæ odorata, (de qua ſuperius) & inodora, cuius genera quinque agnouit Dioſc. at Theoph. 4. hiſt. 12. duo ſumma conſtituit genera, τὸν δὲ αὐλητικὸν καὶ τὸν ἕτερον, inde in plures ſpecies ſubdiuiſit. Plin. etſi lib. 16. c. 36. plures differentias agnouerit, attamẽ li. 24. c. 11. viginti nouẽ genera ſe demõſtraſſe expreſſe monet: in phytopinace noſtro duodecim Arundinis genera recẽſuimus, ſed de commentatoris arundinibus.

III. Arundo ſcriptoria.



I. Papyrus Nilotica.



I. Arundo ſatiua, quæ Donax Dioſcoridi C. B. Arundo Cypria & ſexta, Dod. gal. Arundo magna, Geſ. hor. Arundo donax ſatiua ſiue Cypria, Lob. Arundo domeſtica, Caſt. Lugd. Tab. Calamus ſiue harundo craſſa, Cæſ. Arũdo Italica maior, Cã. II. Arundo vulgaris quæ phragmites Dioſco. C. B. Arundo, Trag. Geſ. Lõ. Harũdo vallatoria, Dod. gal. Lugd. (qui figurã habet Dodonæi & alterã Matthioli) Thal. Harũdo phragmites, Dod. Arundo paluſtris & Cãna ſepiaria, Tab. Calamus vallatoria, Lob. Calamus ſiue arũdo alia gracilis, Cæſ. III. Arundo ſcriptoria συριγγίας Dioſc. C. B. Syringias fiſtularia, arundo tertia, Dod. gal. Fiſtula vel ſyringa. Lobel. Canna fiſtularis, Tab.

## Πάπυρος. PAPYRVS. CAP. XCVIII.

PAPYRVS, qua chartæ fiunt, nullis non cognita, præcipue in medicina vtilitatis ad laxandas

bicandas fiſtulas: madefacta lino inuoluitur, vſq; dũ inaruerit: cõſtricta enim atq; immiſſa in hiatũ humore cõpletur, & intumeſcendo fiſtulas aperit. Habet neſcio quid alimenti radix: itaq; Aegyptij eã mandũt, ſuccũ tantũ deuorantes, & manſam expuunt. Ipſis radicibus pro ligno vtuntur. Crematæ papyri cinis depaſcentia vlcera cúm omnium partium, tũ oris maximè, cohibet: verum melius id cõbuſta charta præſtat.

Papyri conſideratio ex Theoph. & Plinio.

*QValis Papyrus ſit, Italia neſcit: ſiquidem (vt Theophraſtus eſt auctor lib. 3. cap. 9. de plantarum hiſtoria, & Plinius lib. 13. ca. 11.) Papyrus in Italia non naſcitur, ſed in Aegypto quibuſdam in locis tantùm prope Nilum fluuium, quieſcentibus Nili aquis, vbi hæ euagatæ ſtagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum: brachiali obliqua radicis craßitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modo cacumen includens: ſemine nullo, aut vſu eius alio quàm floris ad deos coronandos. Radicibus incolæ pro ligno vtuntur, nec ignis tantùm gratia, ſed ad alia quoque vtenſilia vaſorum. Ex ipſo quidem papyro nauigia texunt: & è libro vela, tegetèsq́;, necnon & veſtem etiam ſtragulam, ac funem. Mandunt quoque crudum decoctumque, ſuccum tantùm deuorantes. Naſcitur & in Syria, circa quem odoratus ille calamus lacum. Nuper & in Euphrate naſcens circa Babylonem Papyrum intellectum eſt eundem vſum habere, quem chartæ: & tamen adhuc malunt Parthi literas veſtibus intexere. Præparantur ex eo chartæ diuiſæ acu in prætenues, ſed quàm latißimas philuras. Hæc Plinius: qui deinde ſequẽti capite fuſius docuit Papyri conficiendi rationem, his verbis.*

II. ARVNDO maxima.



Papyri conficiendi ratio.

*Poſt hanc papyrum eſt, extremumq́; eius ſcirpo ſimile, ac ne funibus quidem niſi in humore vtile. Texunturque omnes tabulæ madentes Nili aqua. Turbidus liquor vim glutini præbet, cùm primò ſupina tabula ſcheda adlinitur longitudine papyri, quæ potuit eſſe, reſegminibus vtrinque amputatis. Tranſuerſa poſtea crates peragitur: premitur deinde prælis, & ſiccantur ſole plagulæ, atque inter ſe iunguntur, proximarum ſemper bonitatis diminutione ad deterrimas. Nunquam plures ſcapo, quàm vicenæ, magna in latitudine earum differentia 13. digitorum optimis. Hactenus de papyro Plinius.*

Papyri quoddam genus.

*Videntur & Papyri quoddam eſſe genus, tenuia læuiaque illa folia è iuncea quadam planta prodeuntia, quæ ab inſulis diui Thomæ, Braſilij, & Mederæ, ad nos conuehuntur, ſacchareis vt vocant panibus inde delatis circũuoluta. Quandoquidem fragmentum retinemus à clariſſimo medico Luca Ghino Piſis ad nos miſſum, nigris rubriſque Arabicis characteribus manu ſcriptum. Quod clarißimum præbet indicium, earum inſularum incolas tenuißimis his folijs pro papyro paßim vti. Veruntamen hoc non eſſe papyrum, è quo antiquitas ſuas confecit chartas, certò ſcimus, quod hoc arte (vt Plinius eſt auctor) fieret, illud verò tale à natura producatur, & proprium ſuæ ſtirpis ſit folium. Antiqui itaque ex Papyro chartam factitabant, quemadmodum nos ipſam ex contritis linteis conficimus: vnde hactenus antiquum retinẽs nomen, etiamnum Papyrus apud pleroſque dicitur.*

Indica arundo.

*Credidere nonnulli, veram eſſe Papyrum arundines illas, quas Indicas vocant, quibus imbecilles principes, atque hierarchæ, prælati vulgò dicti, ad ægram ſenectutem fulciendam pro ſcipione vtuntur, materiem auro, vel argento ſuccingentes. Quod tamen aſſerere non auſim, nec vtique reprobare, cùm huiuſce rei certã cognitionem adhuc aſſequi non potuerim.*

Papyri vires ex Gal.

*Papyri meminit Galenus lib. 8. ſimpl. med. ſic inquiens. Papyrus ipſa quidem per ſe in vſum medicinalem non venit, at macerata, aut vſta vtilis efficitur. Igitur oxycrato, vinove macerata, recentia vlcera glutinat, maximè in circulum circumpoſita. Verum hic quidem eſt, ceu materia, quæ medicamina ſanantia accipiat: at vbi vſta fuerit, medicam̃e eſt exiccatorium, velut & charta combuſtæ cinis, niſi quatenus infirmior eſt, quàm papyri: hæc Galenus. Cæterum animaduertendum eſt, quod noſtri vſus charta, quæ ex veteribus conficitur linteis, ijſdem non pollet facultatibus, quibus ea commendatur, quam veteres ex papyro arbore parabãt. Quo fit, vt dubium mihi ſit, quonam modo parari poßit illud Galeni medicamentum, quod de charta combuſta dicitur, vlceribus ſordidis, & ſinuoſis vtilißimum: itemq́; paſtillus Fauſtini à Paulo li. 7. traditus. Πάπυρος Græcis, Latinis pariter Papyrus appellatur: Arabibus, Burdi, ſeu Berdi: Italis: Papiro.*

Papyri iconem ex Lobelo adiecimus, quæ Dioſcoridis & Theophraſti eſſe videtur, & Papyrus Caſalp. & Alpino dicitur, Papyrus Nilotica, Adu. Lob. & Tab. Papyrus Aegyptia, Lugdu. Quemadmodum apud veteres ὁ χάρτης charta ex papyro fiebat, & chartæ papyriq; vox non eadem erat, qua ad ſcriptionem vtebãtur, cuius multa genera Plinius propoſuit, ſic charta noſtra ex attritis linteaminibus paratur, eadem tamẽ eſt chartæ & papyri vox. Aſt quemadmodum veteres & aliis rebus ad ſcriptionem vſi ſunt, vt Betulę Tiliæq; corticibus: ſic recentiores varia habent: Sic Carolus Clu. Papyri ex Iacca meminit, liber eſt arboris tenuiſsimæ membranæ inſtar candidus, quo vt Papyro ſcriptura excipi poteſt: ſic Scaliger exerc. 158. Palmeta humilia recenſet, & foliorum pro chartis vſum ſcribit: ſic Ouiedus li. 8. cap. 13. & 14. Guaiabara ſcribit Hiſpanis in inſula Hiſpaniola papyri vſum præbere & atramenti. Idem & Copey in Hiſpaniola folio duplo maiore & craſsiore refert, quibus pro chartis luſorijs Hiſpani vtebantur. Nicolaus Coſtinus in ſuo itinerario arboris meminit, cuius folia tenuia longitudinem & latitudinem ſex brachiorum æquant, quibus chartæ vice vtantur, & folio extenſo, tres quatuorve ita operiantur, vt pluuias non metuant. Tandem Lugd. hiſt. libro 18. cap. 86. Tal vocat arborem in prouincia Mangi, folio grandi, quod chartæ vſum præbeat in tota India, fructu magno Napy ſimili. II. Meminit Commentator Indicæ arundinis, cuius figuram adiecimus, quam Arundinem maximam vocamus, Naſtos Dioſcoridis & Toxicam Theophraſti cenſemus. Harundo prima Dioſcoridis, Dod. Naſtos vel farcta, Lob. Naſtos tertia, Tabernæmontani.

Papyrus ex Iacca.
Guaiabara.
Copey.
Tal.

Μυρίκη. **MYRICA. CAP. XCIX.**

MYrica, ſeu tamarix, [arbor vulgo cognita] eſt, cúm apud pigras, & ſtagnantes aquas enaſcatur, fructum quaſi florem ferens, compage muſcoſum. Aegyptus, Syriaq; alteram gignunt mitiorem, ſylueſtri cætera ſimilem. Fructum parit gallæ proximum, inæqualiter aſtringentem guſtu: quo conuenienter vtimur vice gallæ in medicaminibus oculorum, oriſq;. Datur cruẽtę excreationi in potu, & cœliacis,

Orib. non habet.

 & con-

& contra profluuia fœminarum, regium morbum, & phalangiorum morſus: illitus tumores inhibet. Cortex in eoſdem vſus adhibetur. Decoctum foliorum cum vino potum, lienem abſumit: ad dolorem dentium in collutionibus ſalutare, & mulieribus fluxione vuluæ opportunis in deſeſſionibus: phthiriaſi lendibuſque circumfuſum prodeſt. Abundantiam fœminarum ſiſtit impoſitus arboris cinis. Pototios calices è caudice lienoſis moliuntur, quò datus in his potus proficiat.

I. MYRICA.



II. TAMARIX NARBONENSIS.



Myricæ conſideratio.

*VRbana Myrica, quod ſciam, non naſcitur in Italia: quanquam in Aegypto, & Syria gignitur. Quæ verò alicubi reperitur in hortis, & in quibuſdam viridarijs mitior reddita, non alia eſt, quàm ſylueſtris, in locos mitiores translata, quæ folia habet Sabinæ bacciferæ ſimilia, tenuiora tamen, ac magis virentia, fructum quaſi florem ferens compage muſcoſum. Cuius rei certo ſunt indicio fructus & flores, quos omnino ſylueſtribus ſimiles profert, non autem gallæ modo vt domeſtica. Vmbra arboris inſigni proceritate ſæpe per æſtatem Romæ me oblectatum fuiſſe recordor ad Tyberis ripas, in hortulo quodam hoſpitalis Sancti ſpiritus: quæ etſi domeſtica haberetur ab omnibus, florem tamen & fructum ferebat ſylueſtri ſimilem. Hæc in fluminum ripis frequentiſſima naſcitur in Italia. Quare non potui non admirari Dioſcoridem, quippe qui dicat tantùm naſci Myricam apud paludes, ac reſides aquas, cùm oppoſitum ſanè eueniat in Italia. Quod me ſæpius adduxit, vt crediderim, aut Dioſcoridis codicem hoc loco deprauatum eſſe, aut in Græcia ſecus, quàm in Italia myricam proximè ſtagna ac paludes oriri. Tamaricis fruticem, qui fructum quaſi florem profert compage muſcoſum* παραχαρπέα θάμνον *Nicander in theriacis celebrat, tanquam diuinam, & omnib. modis colendam plantam ad ſerpentium morſus hiſce Carminibus.*

Καὶ μυρίκης λάζοιο νέον πανακαρπέα θάμνον,
Μάντιν ἐνὶ ζωοῖσι γεράσμιον ᾗ ἐν Ἀπόλλων
Μαντοσύνας κοροπαῖος ἐθήκατο, καὶ θέμιν ἀνδρῶν.

Myricæ medicinæ.

*E Myricæ trunco aluei excauantur (vt Columella ſcribit) aquaq; replentur, vt ſubinde poſtea bibant ſues: nam hoc potu ſplenis incremento ſanantur, quo morbo æſtate maximè torquentur, dum, quæ eorum eſt pabuli inſatiabilis auiditas, arborum fructus conſectantur, qui plurimi eo tempore propter ariditatem in terram decidunt. Porrò myricæ cinerem omnia vlcera ignis exuſtione contracta, efficaciter exiccare author eſt Serapio. Folia ſimul cum tota planta fotu frigidas collectiones inhibent, ac reprimunt. Rami conciſi, ex aceto illiti lienem attenuant. Datur ramorum cortex ad diuturnas alui fluxiones. Fructus potui datus confert vipereis morſibus. Elephantiaſim ex lienis vitio obortam myricæ radicum decoctum, & cum paſſis vuis epotum ſanare tradidit Alcanzius Arabs: id quod ſe vidiſſe ait in duabus mulieribus, quæ hac labe laborarunt. Ex quo mihi perſuaſum eſt, id non incongruum in Gallica peſte fore medicamentum, Guaiaco forſitan ligno non abſimile. Myricæ radices, pro odorata caſia venditabant impoſtores, ſed poſtquàm fraus à peritis medicæ materiæ viris deprehenſa eſt, eius in officinis vſus penitus exoleuit.*

Myricæ vires ex Galeno.

*Meminit myricæ Galenus lib. VII. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit. Myrica abſtergentis eſt ac incidentis facultatis, abſq; perſpicua deſiccatione: habet verò etiam adſtrictionem nonnullam. Has ob qualitates facultateſq; admodum prodeſt lieni indurato decocta cum aceto, aut vino, ſiue radice, ſiue folijs, ſiue extremis ramulis: ſanat porrò dentium dolores. Cæterùm fructus & cortex non paucam ſortita ſunt adſtrictionem, adeò vt gallæ omphacitidi proxima ſint, niſi quòd acerbitas euidens eſt in galla, ſed myricæ fructui temperatura ineſt inæqualis: immiſta eſt enim naturæ eius multa partium tenuitas, atque vis abſtergendi: quod ſanè gallæ non accidit. Attamen vbi galla forte ad manum non erit, eo vti liceat ad omnia, ad quæ illa vtimur, in eiſdem, & cortice. Porrò Myricæ combuſtæ cinis*

admodum

*aduedum deſiccatoriæ facultatis eſt, plurimam habens abſtergendi facultatem, pauxillam adſtringendi.* Μυρίκη *arbor ita Græcè vocata, Latinè Myrica, & Tamarix nuncupatur: Arabicè, Tarſa, ſeu Carſa: Italicè, Tamarigio. Germanicè, Tamariſcken, aut Porſt: Hiſpanicè, Tamargueria, & Tamaritz: Gallicè, Tamariſc.* Nomina.

Myrica Dioſcoridi, Theophraſto & Galeno: Tamarix Corinthiis Hermolao teſte, & quibuſdam Amarix, quæ duum generum, ſatiua Aegyptia, quæ arbor eſt: & ſylueſtris, quæ frutex eſt lignoſus:. Huius duplex genus in Germania, alterum ſolidiore ligno, medulla exili, & foliis tenuioribus, circa Rhenum: alterum ampliore medulla, foliis latiuſculis, ligno non vſq; adeò ſolido, quę in Danubij ripis frequens. Rurſus differt Narbonenſis à Germanica, illa exiguos habet floſculos, non papposos ſed rotundos, ex albo punicantes, & acinulis ſubſilientibus à vermiculo intus orto agitatos. Hæc verò flores habet tomentoſos & pappoſos purpureos, qui vnà cum ſemine diffluunt. Narbonenſi ſimilis ea quæ in Lio Venetorum inſula creſcit. I. Tamariſ. Germanica C.B. Lob. & Lugd. Tamariſ. Brun. Lon. Tamarix. Dod. Tab. Fuch. cui & Tamarix ſylu. fœmina. Tamariſcus fæmina, Cord. hiſt. Tamarix humilis, Cord. in Dioſc. Myrica, Trag. Lac. Geſ. hort. Myrica humilis, Dod. gal. Myrica altera in Germania, Cam. Myricæ ſylueſtri ſecundæ ſimilis, Cluſ. Hiſp. & Myricæ Pannonicæ ſimilis, Cluſ. Pan. II. Tamariſcus Narbonenſis C.B. & Lob. Tamarix Narbonenſis, Lugd. Tab. Tamariſci ſylu. genus, Alpino, Myrica circa Monſpelium, Geſ. hort. Myrica ſylu. prima, Cluſ. Hiſp. Myrica ſiue Tamariſcus gallica Cam. Myrica, Cæſalp.

Tamaritis genera.

De Aegyptia in hiſtoria noſtra.

## Ἐρείκη. ERICA. CAP. C.

I. ERICA PRIMA.



ERica fruticoſa arbor, myricæ ſimilis, longè minor, cuius flore apes reprobum mel efficiunt. Tam flos, quā coma ſerpentium ictibus illitu medetur.

*ERica ſtirps fruticoſa Aſia, Græciæq; fruticibus aſcribitur. Hæc (vt plantarum ſcriptores aſſerunt) bis anno floret, quo fit, vt prima, & vltima habeatur, quæ inter ſylueſtres ſtirpes floreat. Quæ de Erica Dioſcorides prodidit, Nicander habet in theriacis dum Ericam perpetuò virentem apes depaſci ait, & ſerpentium ictibus aduerſari commemorat his verſibus.* Ericæ conſideratio.

Λάζεο δ᾽ ἀνθεμόεσσαν ἄφαρτα νυφύλλον ἐρείκην.
Ἥν τε μελισσαῖος περιβόσκεται οὐλαμὸς ἑρπων.

*Plinius lib. 24. cap. 9. Ericam deſcribens inquit. Ericen Græci vocant fruticem non multum à myrice differentem, colore roris marini, & penè folio. Hanc aduerſari ſerpentibus tradunt: hæc Plinij verba. Verùm non ob id facilè fuerit affirmare, quenam plāta nobis legitimam Ericam præ ſe ferat, cùm tam paucis notis deſcribatur ab omnibus: tametſi hæc, cuius hic figuram appinximus, nil aliud quàm Ericam deſignare videatur. Siquidem fruticoſa eſt planta, ſemicubitalis, colore rorismarini, folijs ferè myricæ, cui eam Dioſcorides aſſimilat: vere primo & autumno floreſcens, quod huius fruticis proprium eſt, ſi rei herbariæ ſcriptoribus eſt adhibenda fides. Adde, quòd huiuſce flores autumno maximè depaſcantur apes, ea fortaſſe de cauſa, quòd non modò Erica prima ſit, & vltima ſylueſtrium, quæ floreat, ſed quòd etiam diutius floribus quàmplurimis ornetur, nempe autumno toto, & ad hyemem vſque. Vnde mel, quod ex ijs apes faciunt, ericeum (vt Plinius eſt author) antiquis appellatur, quod conuehi tradidit poſt primos autumni imbres, cùm erica ſola floret in ſyluis. Præterea cùm lib. 3. ſcribat Dioſcorides, corim, hypericum aliquibus vocatum, fruticem eſſe folio ericæ, minore tamen, ſitq; hæc cori folio admodum ſimilis, magis adhuc inclinauit animus ad credendum, hanc eſſe Dioſcoridis ericam. His ergo rationibus adductus non temerè factum putaui, pro legitima erica huius effigiem expreſſam dare. Oritur hæc frequentiſſima in Goritienſi agro eo præſertim tractu, quà à Dino Andrea (ita appellatur vicus) ad Vipacum fluuium itur: incolæ vernaculo ſermone eam nominant Grione. Sed in Hetruria longè magis adoleſcit, fiuntq; ex ea ſcopæ aptiſſimæ ad mundandas ædes, & ob id vulgò hæc planta propriè vocatur Scopa. Marcellus, neſcio qua ratione ductus, ericam magno errore geniſtæ ſpeciem putat. Ericam aliam, cuius etiam hic imaginem exhibemus, vt quæ fortaſſe nōn minus, quàm antedicta, veram referat, miſit ad me Gabriel Fallopius Mutinenſis Medicus ſingularis ingenij & eruditionis, dum Patauij honorificè humani corporis diſſectionem & materiam medicam profitetur. Ramos edit tēues, folijs alterius lōgioribus acutioribusq;, anguſtis ac numeroſioribus, quibus circumquaq; ramuli ſtipantur. Flores edit paruos rubenteſq;. Naſcitur arido ſolo, & in collibus apricis & montibus non valdé excelſis. An Erica ſit legitima hæc planta, aliorum iudicio relinquo. Eſt & planta in montibus naſcens, qui Bohemiam à Sileſia diſterminant, & à quorum fontibus Albis fluuius originem ducit, humi procumbens & latas occupans areas, folio penè vulgaris Ericæ, quæ bacca edit purpureas in purpura nigricantes, Iuniperinis haud minores, ſed molliore pulpa, lenta, & colore ſubuireſcente vt in pruno. Ramis eſt lignoſis, ex atro rufeſcentibus, flexibilibus, obſequioſisq;, flores videre non licuit, ſed ipſam tantùm bacciferam menſe Auguſto. De qualitatibus & viribus, quid certi dicam, non habeo. Hanc Ericam bacciferam appellandā duximus: quā vnà cum altera à Fallopio mihi miſſam libēter depingi curauimus, atque in mediū proferre libuit, vt rei herbariæ peritos in his, quemadmodum & in cæteris plantis, iudices conſtituamus: quorum ſanè iudicio ſubſcribent ſtudioſi, quibus nos quidem, quantū labore atq; induſtria conſequi poſſumus, non grauamur prodeſſe. Ericā paucis perſtrinxit Gal-*

Mel ericeum.

Scopa.

Erica altera.

Erica baccifera.

II. ERICA SECVNDA. III. ERICA BACCIFERA.





Ericæ facultates ex Gal.
Contra calculum.

*xit Galenus lib.6.ſimplicium medicamentorum,ſic inquiens.Erica digerendi per halitum facultatem obtinet. Flore eius potiſsimum,ac folijs vtendum:hæc Galen. Cæterùm aqua, in qua vulgaris Erica,folia eius & flores,decocta ſit,ſumpta tepida tam mane quàm veſperi triginta dies,quinque vnciarum pondere tribus horis ante cibum, valet ad veſicæ calculos comminuendos & expellendos.Verùm fœlicius ſuccedit,ſi poſt id tempus male affecti in balneum decoctionis eiuſdem plantæ ingredi,atque inibi dum morantur,ſuper Ericam decoctam ſedere debent:idque pluries repetendum eſt. Equidem noui aliquos,qui ſeruata recta victus ratione, hoc tantum potu veſicæ calculum in minimas partes comminutum eiecerunt. Florum decoctum potum lumborum & ventris doloribus ſuccurrit: foliorum ſuccus oculorũ imbecillitatem ſanat,ſi guttatim inſtilletur.Planta hæc,quæ Græcis ἐρείκη,Latinis item Erica nominatur, pariter & Italis:* Heyden, *Germanis: Queiro, Hiſpanis:Bruyere Gallis.*

Nomina.

Ericæ,quæ Tetralix Athenienſibus,Plinio auctore,Siſara Varroni,duo ſumma ſunt genera: altera Myricæ ſimilis,ſed minor:altera Coridis folio,vt ex Dioſcoride colligitur: Siquidem capite de Cori,corin Ericæ dixerit folio.Huius multæ ſunt ſpecies magnitudine foliorum, & florum forma coloreque inter ſe differentes,cuius nomine Cluſius hiſtoria Hiſpanica nouem ſpecies: Pannonica verò hiſtoria alias etiam propoſuit,qua de re ſuo loco.I:Quam Ericam folio Tamariſci vocamus,Erica eſt Dioſcoridis, Erice Fuch.Erica, Dodo.gal. Cord.in Dioſc.Lonic. Caſt.Tab. Erica vulgaris, Thal.Erica folio myricæ,Lob. Cluſ.Hiſp.Erica prior,Dodo.Erica prima, Matth.Lugd.Erica vulgaris purpurea, Trago. Variat floris colore purpureo & candido:hæc etiam folijs tomentoſis & incanis, flore dilutiore,monente Cluſio,in Anglia reperitur.II.Erica ſecunda,altera Cluſ.hiſp.Erica Iuniperifolia denſe fruticans Narbonenſis,Lob. Erica altera,Matth.Lugd.Caſt.Taber.III.Erica baccifera Matthioli,Cluſ.hiſp.Lugd. Thal. Erica prima vel Erica baccifera,Cluſ.Panno.

## Ἀκακαλίς. ACACALIS. CAP. CI.

a Meũ exem. ἔοικως κατά τι τῷ μυρίκης καρπῷ. i. quadantenus ſimilis eſt myricæ fructui.

ACacalis fructus eſt naſcentis in Ægypto fruticis a ſeminis myricæ quadantenus ſimilis. Cuius aqua, in qua maduerit,ad collyria additur, quæ ad excitandam oculorum aciem conueniunt.

*ACacalim Aegyptiæ arbuſculæ ſemen ad nos hac ætate conuehi non equidem arbitror, quippe quòd inter ſemina,quæ peregrina nobis importantur,nullum adhuc repererim, quod Acacalim legitimè referat.*

## RHAMNVS. CAP. CII.

Et aculeos, non legit Orib.

RHamnus fruticat in ſepibus, ramos ferens rectos, [ & aculeos ] in acutæ ſpinæ modum:folijs paruis oblongis,ſubpinguibus, teneris. Alterum ei genus candidius. Tertium nigrioribus,latioribusq; folijs conſtat & quadantenus rubentibus:cuius rami quinum ferè cubitorum longitudinem implent,ſpinoſiores quidem,ſed infirmioribus,minuſque rigentibus aculeis.Fructum edit latum,candidum,tenuẽ,folliculari ſpecie,verticillo ſimilem. Omnium folia igni ſacro, & ſerpentibus vlceribus efficaciter illinuntur.Fama eſt ramos huius valuis,feneſtriſve impoſitos,veneficia depellere.

I.RHAM-

I. RHAMNVS PRIMVS.



II. RHAMNVS SECVNDVS.



III. RHAMNVS GERMAnicus.



*Rhamnorum conſid. & hiſtoria.*

R*Hamni tria genera facit Dioſcorides, ac etiam eum ſecutus Oribaſius. Primum, & tertium vbique in Hetruria fruticant. Illud priuatim in ſepibus & frutetis naſcitur, quo noſtrates mulieres vtuntur ad inſolandas ficus: ſiquidem eas adhuc recentes longis huiuſce fruticis aculeis perforant, & ad ſolem appendunt. Fert aculeos in acutæ ſpinæ modum: folia oblonga, mollia, ſubpinguia, tenuia: corticem habet album, læuemque, baccas rubentes, piſi magnitudine, cortice albo & tenui. Secundus primo candidior eſt: folijs ſalicis, auerſa parte candidis, virgis aculeatis albicātibus, & rubentib. inter folia baccis. Tertium quod nigrius eſt (vt etiam Dioſcorides inquit) quinum ferme cubitorum altitudine attollitur, cæteris ſpinoſius: infirmioribus aculeis, alijs longis & rectis, alijs vt Rubi incuruis, leui cortico obductis, fuluo colore: folijs latioribus, ſolidioribus, neruoſioribusque: nigrioribus, quadātenus ad ruborē vergentibus, floribus muſcoſis, ſubcroceis, fructu tenui, lato, candido folliculari ſpecie, rotundo, verticillo non abſimili: in cuius medio nucleus eſt durus ac rotundus, ciceris ferè magnitudine, in quo ſemen concluditur, lentis inſtar compreſſum, rubro cortice & alba intus medulla. Naſcitur in maritimis, in campeſtribus, & locis incultis. Secundum verò genus, quod cæteris candidius eſt, ad nos miſit clariſs. medicus Lucas Ghinus, cuius etiā hic effigiem damus. Verum non deſunt recentiores quidam rei plantariæ ſtudioſi, qui cenſent tertium Rhamni genus, Dioſcoridi eſſe adulterinum, quòd (vt ipſi aiunt) in fructus deſcriptione non deſit contradictio. Namq; ipſi ita legunt.* καρπὸς δὲ πλατὺς λευκὸς, λεπτὸς ὡς θυλακώδης, ἐοικὼς ἀσφοδέλῳ. *Id eſt fructum edit latum, candidum, tenuem veluti folliculum Aſphodelo ſimilem: quæ comparatio adeo abſurda videtur (vt illi contendunt) vt nihil prorſus Dioſcoridis lectionem reſipiat, quippe quòd Aſphodeli fructus, nullam penitus habeat folliculi ſpeciem, nec latus aliqua ex parte videatur, nec tenuis, nec candidus, ſed viridis, & globuli inſtar rotundus. Quæ fortaſſe argumenta poſſent facilè nonnullos in eorum trahere ſententiam, quam nos minimè probamus. Siquidem Oribaſius qui plantarum hiſtorias perquàm fideliter ex Dioſcoride tranſcribit, non legit* ἐοικὼς ἀσφοδέλῳ, *ſed* ἐοικὼς σφονδυλίῳ, *vt etiam legit antiquus Dioſcoridis codex, cuiuſmodi exemplar habuiſſe Ruellium haud ambigo, quippe qui verterit: Fructū edit latū, cādidum, tenuē, folliculari ſpecie, verticillo ſimilē, quo ſcilicet vtūtur infuſis mulieres. Quæ quidē nota in 3. Rhamni fructu manifeſtò deprehendūtur. Fideliores codices habuere quoq; Marcel. Virg. & Cor-*

*Dioſcoridis locus reſtitutus.*

IV. RHAMNVS TERTIVS.



V. SPINA INFECTORIA.



*narius: quippe qui vna cum Ruellio verterunt verticillo ſimilem: atque eorum impugnauerunt opinionem, qui deprauata lectione decepti, antea longè à ſcopo aberrauerant. Notæ enim, quibus Rhamni fructum deſcribit Dioſcorides, ad fuſorum verticillos manifeſte pertinent, quorum figura, authore Theophraſto, natura pluribus plantis ſemina dedit. Hos itaque, qui tertium Rhamnum Dioſcoridi adimunt, nullam aliam ob cauſam id moliri crediderim, quàm vt hoc Rhamni tertium genus, Dioſcoridi legitimum Paliurum confingerent. Sed hallucinari eos, vel potius eorum fallaciam à nobis deprehenſam, is facilè conijciet, qui apud Theophraſtum lib. 3. cap. 17. de hiſtor. plantarum legerit paliurum ἐν λοβῷ proferre ſemen, id eſt in ſiliqua prælonga fabæ inſtar, non autem in fructu rotundo, ac verticillato, qui non vere folliculus ſit, ſed folliculare quãdam referat ſpeciem, & vt propriè Dioſcorides inquit θυλακώδης. Græcis enim ſcriptoribus λοβὸς longam, vel oblongam ſiliquam in plantis deſignat, Suida & Phauorino teſtibus, vt fabæ folliculi ſunt, & Terebinthi cornicula, non autem rotũdum fructum verticilli faciem referentem. Quod verò Paliuri fructus ſiue folliculus oblongus ſit, id quidem manifeſtò teſtatur idem Theophraſtus lib. 3. cap. 2. de plant. hiſt. de Acere ſcribens. Ibi enim Acerem fructum ferre ait oblongum, Paliuro ſimilem. Obſtat præterea ne tertium hoc Rhamni genus Paliurum eſſe poſſit, ipſum quoque ſemen, quod non ἐν λοβῷ, ſed in duro, ac rotundo concluditur oſſiculo, in ipſius verticilli centro lateſcente, fungoſa quadam pulpa exterius obducto, triplici intus cauitate diuiſo, vbi ſemen ipſum ſe continet, ac latitat, lentis inſtar compreſſum, rufa ac læui cuticula contectum, alba dulciq; intus medulla, non autem fuliginoſum, & pingue, vt de Paliuri ſemine ſcribit Dioſcorides. Quæ omnia maximo ſunt argumento, falli proculdubio, qui putant hoc tertium Rhamni genus Dioſcoridi adulterinum eſſe, & plantam, quam nos tertium Rhamnum eſſe non dubitamus, Paliurum eſſe contendunt. Cæterùm Ruellium deceptum eſſe crediderim, quippe qui Rhamni genus eam eſſe ſtirpem arbitretur, quam nos vulgari ſermone SPINO merlo, Longobardi Venetique Spin ceruino, Foroiulienſes verò Spin guerzo appellant. Hæc enim arbuſcula eſt non magna, folijs latis, pyri quadantenus modo breuioribus & anguſtioribus. Ramos fundit numeroſos, quorum faſtigium in aculeum deſinit: fructu copioſo liguſtri effigie baccarum inſtar, quæ primum virides, & per maturitatem nigræ ſpectãtur, cuius ſucco vtuntur pictores, vbi colore viridi inficere ſit opus. Ligni materies albicat exterius, medullitus verò rufeſcit, prouenit in ſepibus & ſenticoſis. Exoluit aluum baccarũ ſuccus, aperit & expellit, & caloris & ſiccitatis haud eſt expers. Quamobrem hanc plantam nobis* SPINAM INFECTORIAM *appellare libuit. Fit è baccarum huiuſce arboris ſucco liquor aluum exoluens, qui diu aſſeruari poteſt, hoc modo: Sumito ſucci baccarum probè maturarum (id namq; fit circa calendas Octobris) libras duas (atqui anteaquam ſuccum prælo extrahas, baccas ſemicontuſas quaternis diebus in fictili vitreato macerari per ſeſe in calido loco permittito) quibus addito ſacchari optimi ſeſquilibram, vel mellis electi probè deſpumati tantundem: deinde lento igne decoquito ad Iulapij vel ſyrupi ſpiſsitudinem: demũ linteolo rariore colato, additoq; pulueris Cinnamomi ſelectiſsimi, Gingiberis, cuimque drach. quatuor, Caryophyllorum drach. duas, & mundo vaſe aſſeruato. Datur potandum vnciæ quantitate, & vſque ad drach. decem. Educit enim facilè pituitam, & craſſos, ac lentos humores: ideoq; podagricis, Iſchiadicis, paralyticiſq; bellè confert. Aberraſſe præterea Ruellius deprehenditur, quod Theophraſti teſtimonio ea de Rhamni fructu tradiderit, quæ ſtatim Theophraſt. abſoluta rhamni hiſto. de paliuro diſſeruit. Sed in errore longe maiore verſantur Monachi, qui in Meſuem commentarios edidere, cùm Rhamnum exiſtimauerint rubum quendam, qui humi repens, incultiſq; proueniens, mora, cæruleo potius, quàm nigro colore profert. Rhamni meminit Galenus li. 8. ſimplic. medic. ſic inquiens. Rhamnus deſiccat, & digerit exceſſu ſecundo, refrigerat in primo completo, aut ſecũdo incipiente: proinde herpetes ſanat, & eryſipelata non magnopere calida. Cæterùm adhuc teneris vtendum eſt folijs. Huic plantæ nomen Græcum ῥάμνος. Latinum, Rhamnus: Mauritanum, Nauſig, ſiue Nauſegi: Italicum, Rhamno, & Marruca: Hiſpanicum, Scambrones. Gallis, Burgueſpin, ſiue Neprun. Rhamnus ſecundus, Italis, Marruca bianca. Rhamnus tertius Italis, Marruca nera. Spina autem Infectoria, Italis dicitur. ſpino merlo, ſpino ceruino [ſiue ſpino guercio]:* Germanis Creutzbeer: Wegdorn: Bohemis Bodlak.

Opinio quorundam improbata circa Paliurum.

Ruellij error qui Spinam infectoriam Rhamnum cenſuit.

Spinæ infectoriæ ſuccus & eius vires.

Monachorũ error.

Rhamni vires ex Gal.

Nomina.

Rhamni

Rhamni tria genera propoſuit Dioſcorides: at Theophraſtus duo, album & nigrum, quem ſequutus eſt Plinius, Ruborum generi aſcribens. Et ſanè Rhamnum primum Dioſcoridis, Rhamnum nigrum Theophraſti, & apud Plinium Rhamni alterum genus ſylueſtre nigrius, cenſemus. At ſecundum Dioſcoridis, candidum Theophraſto, & candidiorem Plinio: Tum Rhamnum tertium Dioſcoridis, Paliurum Theophraſti, cuius ſemen in ſiliquis cōtineri 3. hiſtoriæ ſcribit, credimus. Recentiores plures agnoſcunt differentias, ſed in præſens de cōmentatoris Rhamnis. I. Rhamnus primus, Matth. Lac. Lonic. Lugd. Caſt. II. Rhamnus ſecundus Matth. Lac. Lon. Lugd. Hic multùm cum Rhamno Germanico ſimilitudinis habet (ſi non idem) cuius nomine iconem adiecimus. III. Rhamnus Germanicus, arbuſcula eſt quatuor, quinq; aut ſex cubitorum, nonnunquam procerior, quę ex multifida lateq; diffuſa radice, caudicem emittit intortū, rugoſo ſpadiceoq; cortice veſtitum, qui in plurimos ramos brachiatur: hiq; vndiq; aculeis longis, ſeſcuncialibus, cinericeis armantur: ramos cingunt inordinatè folia oblonga, anguſta ſalignis æmula, cādida, infernè tenuiſſima lanugine pubeſcētia, ſuperne ex viridi cinerea, ſaporis modicè adſtringentis. Flores herbacei ramulis compacti adnaſcuntur, quibus ſuccedunt baccæ rotundæ Aſparagi baccis ſimiles, racematim quaſi cohærentes, tenui & ruffeſcente, vel ex luteo rutilante cute tectæ, quib. præter pulpam mollem, luteam ſingulis ſemen vnicum ex rotunditate oblongatum, ſplendens, tunica foris fuſca, intus candida inuolutum, includitur. In noſtris aquoſis ad Rhenum infra Hunningen, ludit, quæ enim foliis latioribus eſt & longioribus, baccis eſt ſingulis vel binis ſtipiti annexis: quæ verò foliis eſt anguſtioribus & breuioribus, baccis eſt multis veluti conglobatis, quæ & hyeme frutici adhærent. Prouenit etiam ad Lycum Vindeliciæ amnem & ad Danubium: ſic & in Hollandiæ potiſſimū Flandriæ maritimis littoribus. Ex baccis paratur Rob quod acidum eſt, incidens & attenuans, & in Dyſenteria cōmendatur: cum acinis vis quædā purgatrix à Belgis tribuatur, idcirco Schytbeſien, id eſt Acini purgatrices ipſis dicūtur. Cordo in Dioſc. & hiſt. Oleaſter Germanicus, Dodonæo gal. & fol. Lugd. Rhamnus ſecundus: Camerario in Matthiolum Rhamni ſpecies nominatur. IV. Rhamnus tertius Dioſcoridis. C.B. Rhamnus tertius, Dod. Gal. Lac. Lon. Caſt. Geſ. hor. Rhamnus niger, Cord. in Dioſ. Paliurus, Dod. Lob. Lugd. Caſto. Cam. Iuiuba ſylueſtris, Cæſalp. V. Rhamnus ſolutiuus Dod. Gal. & fol. Thal. Cam. (licet pruno ſylueſtri ſit ſimilior, quàm Rhamno, à quo facultatibus diſcrepat) Rhamnus Catharcticus, Lugd. Rhamni alia ſpecies, Trag. Cerui ſpina, Cor. hiſt. Spina Ceruina Marcello, Hermolao, Geſ. hor. Spina infectoria, Lob. Cluſ. Pan. Caſt. ſpina alba, Lon. ſpina Cerualis, Cæſalpino. Huius duas adhuc pumilas Cluſius hiſt. pan. ſpecies propoſuit.

## HALIMVS. CAP. CIII.

Halimus frutex eſt ſepimentis idoneus, ſimilis rhamno, ſine ſpinis, foliis oleæ, ſed latioribus, naſcitur in ſepibus. † & maritimis. Folia decoquuntur ciborum gratia. Radix conuulſa, rupta, torminaque mitigat, drachmæ pondere in aqua mulſa pota: eadem lactis vbertatem facit.

† ϗ κρημνώδεσι addit Orib. i. eminentibus.

I. HALIMVS VVLGVRIS.



II. HALIMVS LATIFOLius, erectus.



*Eſt profectò & Halimus planta, cuius variæ ſunt inter auctores ſententiæ. Alij enim (vt Plinius auctor eſt libr. & cap. XXII.) halimum fruticem eſſe dicunt, Dioſcoridem ſecuti. Alij maritimum olus, ſalſo ſapore. Tertium quoq; genus addidit Crateuas ſub hedera tantùm naſci, longioribus folijs hirſutioribusq; odore cupreſſi. Quæ autem à Dioſcoride hoc loco deſcri-*

Halimi conſideratio.

*deſcribitur, etſi alicubi fortaſsis proueniat in Italia, tamen qui illam mihi oſtenderet, adhuc reperi neminem. Verùm ſi Ruellio credimus frequens in Gallia naſcitur in ſepibus. Solinus plurimam in Creta naſci tradit, mirabili, ſi credamus, effectu, quòd ea tantum admorſa fames arceatur: vnde ſi nomen adinueniſſet, ea proculdubio ſine aſpiratione ſcribenda eſſet. Halimus Mauritanis molochia, & atriplex marinus appellatur. Cuius hiſtoriam referens Serapio narrat, quòd eam venalem*

Molochia Mauritanis quid.

*circumferentes in manuales faſciculos componunt, & per Babyloniam clamitant, molochia, molochia. Quod manifeſtè indicat, Halimum apud Mauritanos herbam potius eſſe quam fruticem vel arborem, eamq́; fortaſſe, quam Plinius maritimam ac ſalſam prodidit. Quo fit, vt ſalſam quandam herbam (incolæ Bidone vulgò appellant) quæ frequentiſsima in littoribus Venetis prouenit, hanc eſſe putauerim: quamuis non deſint rationes, quæ rem dubiam reddant: quippe quòd ea inſtar oleris in ciborum vſum recipiatur.*

Halimi vulgaris deſcriptio.

*Hæc nimirum (vt eius pictura, quam hic damus, apertè demonſtrat) folia fert oliuæ ſimilia, craſsiora tamen, ac perinde ferè pinguia, vt portulacæ, ſubalbida, læuia, ſapore ſalſo. Caules emittit plures à radice albicantes, tenues & lentos, in quorum ſummitate ſemen profert minutum, racematim cohærens. Naſcitur frequens prope Tergeſti mœnia circa ſalinas, vbi etiam ſeparatim, nec minus copioſa viſitur atriplex marina, quæ ſylueſtrem maxime æmulatur: quanquam apud Mauritanos atriplex marina, idem eſſe videtur cum halimo. Sed quòd inter ſe differant, manifeſtum fiet libro ſecundo in atriplicis commentatione.*

Halimi vires ex Gal.

*Halimi meminit Gal. lib. 6 ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Halimum, hæc planta frutex eſt plurimo in Cilicia præcipuè prouentu, vbi & germina eius recentia eſitant, & reponunt quoq; in poſterum futura vſui. Semen pariter, & lac planta ipſa generat, eſtq́; guſtus ſalſi, & ſubadſtringentis. Ex quibus omnibus palam eſt, ipſam eſſe diſsimilarem. Maior autem pars eius ſubſtantiæ calida eſt temperatè, cum humiditate inconfecta, & leuiter flatuoſa, & vt cætera ſalſa corroborat, adſtringit & abſtergit. Cocta ex iure, aut aqua addito oleo aut butyro aluũ ſubducit. Idonea planta eſt Halimus ad ſepiendos hortorũ toros, quippe obſequioſa cum ſit, facilè quocunq; diſtrahitur.*

Nomina.

*Quæ planta Græcè ἄλιμος, Latinè ſimiliter Halimus dicitur: Arab. Molochia: Italicè, Halimo: Venetis, Bidone.*

Halimus id eſt, marinus, quod in maritimis proueniat: vel rectiùs, vt Plinius lib. & cap. 22. quod olus ſit maritimum ſalſum, cum & alibi quàm in maritimis proueniat: apud Theophraſtum Gaza Auronẽ vertit 4. hiſt. 20. Halimi duo genera Plinio, mitius id eſt, ſatiuum, quod Tholoſani in hortis habẽt & herbam Colicam, ab vſu, vocant: & ſylueſtre: tres habemus ſpecies, hæc verò dicitur Halimus tertius. Cluſ. Hiſpa. Halimus primus tenuiore folio & Halimus ſylueſtris Plinii; Cæſ. Portulaca marina, Dodo. gal. (cui videtur ſecunda ſpecies Halimi apud Plinium) & fol. Lemnio (qui Halimum eſſe negat) Lugd. Lobelo, qui an Crithmum ſit Dioſcoridis dubitat. II. Halimus latifolius erectus, C.B. frutex eſt omnino candidus, in Rhamni altitudinem aſſurgens, qui ex radice dura, lignoſa & ramoſa multos protrudit ramos, craſſos, lignoſos, at fragiles & leues: circa quos ſine ordine naſcuntur folia oleæ, ſed latiora & breuiora, interdum rhomboidea candida, carnoſa quaſi ſplendentia, acida guſtu: flos in ſummis ramis muſcoſus, purpuraſcẽs racematim cohæret: cui ſuccedit ſemen copioſum latum portulacæ marinæ ſimile. Æſtate floret, ſemen autumno matureſcit, qui Vlyſſiponæ ſponte prouenit & Hiſpali in ſepibus: in horto Montebelgardiaco legimus. Hic legitimus Dioſc. Halimus & mitius genus Plinii, Auronem Gaza apud Theoph. vertit. Halimus Lob. Halimus primus Cluſ. Hiſp. Halimus alter latiore folio Cæſalp. Portulaca marina Dodo. fol.

## Παλίουρος. PALIVRVS. CAP. CIII.

PAliurus frutex cognoſcitur, aculeatus, durus: cuius ſemen pingue & fuliginoſum inuenitur. Quod potum tuſſi opitulatur, veſicæ calculos comminuit, ſerpentium ictibus aduerſatur. Folia & radix aſtrictoriam vim habent: quorum decoctum potu aluum ſiſtit, vrinam trahit, contra venena & ſerpentium morſus auxiliatur. Radix recentia tubercula, tumoresq; omnes diſcutit, trita & impoſita.

Paliuri conſideratio.

*ADeo inter ſe quibuſdam plantarum hiſtoriis diſcrepant ſcriptores, vt perſæpe eorum mentes maxime perturbent, qui rerum veritatem indagare ſtudent. Id autem diſcriminis nimirum euenit de Paliuro. Nam quæ huiuſce ſtirpis à Dioſcoride traditur hiſtoria, omninò differt ab ea, quam diuerſis generibus protulit Theophraſtus. Hæc autem non conuenit cum ea, cuius Plutarchus eſt auctor, & hæc à prædictis omnib. prorſus diſſentire videtur. Paliurus Dioſcoridis (vt ab ea primùm exordiar) eſt frutex ſpinoſus, durus, omnibus notus: cui ſemen pingue & fuliginoſum. Paucis eius hiſtoriam perſtrinxit Dioſcorides, nulla habita de foliis mentione, q̃ ſuperuacaneum exiſtimauerit pluribus agere de Paliuro, vtpote planta*

Paliuri hiſto. ex Dioſcor.

*apud ſuas regiones notiſsima, quòd nobis eſt impedimento, quò minus veram Paliurum, de qua ipſe intellexit, cognoſcere valeamus. Theophraſto deinde lib. 3. cap. 17. de plantarum hiſtoria plura ſunt Paliuri genera, quæ omnia in ſiliquis ſemina terna, aut quaterna proferunt, lentorem præ ſe ferentia, vt lini ſemen. Amat naſci locis aridis, quemadmodum & rubus,*

Paliuri Theophraſto varia hiſtoria.

*nec minus quoq; dilutis. Cæterùm ab hac non parum differre videtur & illa, cuius idem meminit inferius lib. & cap. 4. ſiquidem hanc plurimam naſci teſtatur in Aphrica, foliis ei quæ in Græcia naſcitur, non abſimilem. Quæ quamuis folio Græcam æmuletur, fructu tamen diuerſo prouenit, vt qui non latus, neq; folliculari ſpecie, ſed rotundus, ruberq́; ſit, cedri fructibus magnitudine ſimilis: cui & nucleus ineſt acinorum punici modo, qui non manditur. Fructus verò per ſe iucundus habetur, atq; ſi quis vinum infundat, tum ipſum ſuauiorem, tum vinum ſuauius reddi aiunt. Ex quo aliquando mihi perſua-*

Agrifolium.

*ſi, eum non longè aberrare, qui dixerit, hanc illam eſſe ſtirpem, quam Plinius Aquifolium vocat: & nos AGRIFOLIVM dicimus, quòd foliis ſit vndiq; aculeatis, loto maioribus, fructu cedri, rotundo, rubro, nucleum intus habente, iucundo & guſtui non ingrato: non tamen, quòd pro certo hoc aſſerere velim, quòd hæc propria ſit Aphricæ planta, ſed quòd aliquando his notis perſuaſus putauerim, Paliurum hanc aut Agrifolium eſſe, aut omnino arborem ſibi ſimilem, nõ autem Zizyphum,*

Guilandinus arguitur.

*vt ille impudentiſsimus ſomniauit Guilandinus: ſiquidem zizyphi baccæ rotundæ nõ ſunt, vt cedrides, ſed oblongæ oliuarum modo, neque os intus habent punica malo ſimile, ſed vt in Oliuæ longum, durumq́;. Plinius ex Theophraſto hanc ipſam literis mandauit libr. 13. cap. 27. Sed cùm de viribus eius diſſereret lib. 24. eam recenſuit, quam & Dioſcorides. Nullam ego arborem hactenus reperi, quæ Paliuro Aphricanæ ſimilitudine reſpondeat, præter Agrifolium, vt dixi. Verùm,*

Paliuri hiſto. ex Agatocle.

*vt ad noſtrum inſtitutum redeamus, Agatocles Paliurum omnino, ab illis differentem tradit, quippe quoniam aſſurgat in Alexandria (vt ipſe inquit) ad Pinus, Vlmiq; proceritatem, ramis frequentib. & aculeatis, folio viridi, rotundo, tenui. Hæc bifera eſt, nam tam Vere quàm Autumno fructum profert oliuæ phaulis vocatæ, magnitudine. Crudus manditur is, ac virens, vbi verò exaruit, in farinam molitur, atque ea ita eſtur nullo liquore ſubacta.*

Paliuri deſcriptio ex Plutarcho.

*Aliud Paliuri genus in monte Coccygio naſci prodit Plutarchus ex Cteſiphontis authoritate libro arboribus dicato, cui ſi auis, aut aliud animal volucre ſidat, veluti inuiſcatum cohæret, præter cuculum, cui ſoli parcit, ſi tamen his fides eſt adhibenda. Quare cùm de Paliuro tot ac diuerſæ ferantur ſententiæ, & habeantur hiſtoriæ, facilè crediderim, Paliurum eſſe nomen ad nationis plantæ*

varijs,

uarijs ac diuerſis aculeatis ſtirpibus impoſitum: etſi Ioſephus Salandus medicus apprimè doctus, & in ſtirpium hiſtoria non imperitus, dum Veneta claſſe in Græciam traiecíſſet, Dioſcoridis Paliurum ſe vidiſſe mihi pro certo affirmauerit, ſemine fuliginoſo, ac pingui: atq; ibi proprium adhuc nomen retinere. Sunt tamen è recentioribus, qui putent Paliurum Dioſcoridis eam eſſe arborem, quam nos ſequenti capite oxyacantham eſſe pluribus comprobabimus. Sed profectò non placet eorum opinio, quòd planta, quam oxyacantham cenſemus, arbor ſit, non frutex: quodq; fructum proferat myrti magnitudine, confertum, fragilem, rubrum, oſsiculos intus habentem, & in racemi modum cohærentem. Paliurus verò non fructum ſed ſemen ferat fuliginoſum, pingue, & (vt Theophr. inquit lib. III. cap. XVII. de hiſt. plant.) in ſiliquis concluſum, lentum, pingueq; lini ſeminis inſtar. Verum ij fortaſſe Theodorum Theophraſti interpretem ſequentes, hac in re decipiuntur. Siquidem is libro primo cap. XVI. ſic vertit: Quædam folia cum extremo, tum etiam lateribus ſinuata concidunt, vt ilicis, roboris, ſmilacis (glandiferæ ſcilicet, & ilici ſimilis) rubi, paliuri, & aliorum. Vbi animaduertendum eſt, eum perperam vertiſſe παραράζοντα ſinuata, cùm ea dictio Græca nil aliud Latinè ſignificet, quàm ſpinis horridula. Error præterea ex eo manifeſtè deprehenditur, quod omnibus ſenſu pateat, ilicem, ſmilacem, rubum, folia non proferre aliqua parte ſinuata, vti ea eſſe cernuntur, quæ plantæ illi exeunt, quam nos acutam ſpinam arbitramur: ſed longa, & per ambitum vbiq; tenuiſsimis ac crebris aculeis circumſepta, vt in eiuſdē capitis progreſſu idem oſtendit Theophraſtus, cùm inquit. Simili modo nonnulla ex his caulem primo mitem, pòſt horridulam ſpinis gerunt, vt lactuca, & cuncta folia ſpinoſa redduntur, atq; etiam magis in fruticum genere, vt rubus, paliurus. Quibus palàm fit, plantam, quam nos vulgò vocamus Bagaia, alij verò Amperlo, non eſſe Paliurum, ſed potius acutam ſpinam ijs tum rationibus, tum auctoritatibus, quæ ſequenti capite à nobis adducentur. Cæterùm quoniam Paliurus AGRIFOLIVM ſiue AQVIFOLIVM (vt Plinius appellat) mibi

Recentiorum opinio reprobata, oxyacantham paliurum ſtatuentium.

Gaza reprehenditur.

Aquifolii conſideratio.

AQVIFOLII VArietas.



AQVIFOLIVM.



in mentem reuocauit, non ab re factum eſſe putaui ſi de eius hiſtoria & viribus hic verba facerem. Eſt itaque Aquifolium planta arboreſcens, ad acutæ ſpinæ magnitudinem, folijs perpetuò virentibus, Lauri æmulis, ſed in toto ambitu per interualla ſinuatis, aculeatis, carnoſis, ſolidisq; ac leuibus. Virgas edit virenti libro veſtitas, lentas ac flexiles: baccas rotundas rubentesq;, Ruſci æmulas, & nucleo etiam ſimili, albo craſſoq;. Arboreſcit in ſyluis, & ſylueſtribus locis. Radicum decocto fouentur vtiliter articuli, qui prius luxati duritiem contraxerunt, nam emollit & reſoluit, tumores diſcutit, & oſſa fracta ferruminat. Id quod valentius præſtat radicum ipſarum cortex excoctus & illitus. Folia ſuſpenduntur circa funes, è quibus ſalſæ carnes ſub tecto pendent, prohibent enim ſuis aculeis, ne mures accedant. Sunt qui è tuſo radicum cortice arte quadam viſcum parant ad aucupia. Sunt, qui etiam ſcopas ad verrendas domos è folioſis virgis parant. Ramis, quòd perpetuo vireſcat hæc arbor, hyeme ornantur templorum fores, & aræ, quos deinde in ſuas ædes deportant ruſtici, putantes hiſce ramis fulgura inhibere, & faſcino aduerſari, gentilitatis ſuperſtitionem ſectantes, à Plinio edocti: quippe qui ſcribit, Aquifolium arborem in domo aut in villa ſatam veneficia arcere. Eiuſdem arboris flore (eodem authore ex Pythagora) aquam glaciari legimus. Item baculum ex ea factum, in quoduis animal emiſſum, etiam ſi citra ceciderit defectu emittentis, ipſum per ſe ſe recubitu propius adlabi, tam præcipuam naturam ineſſe arbori. Cenſet idem Plinius lib. 27. cap. 8. Crateogonon, ſiue Crateogona Theophraſto eam arborem deſignare, quam Latini Aquifoliam appellant. Sed an is rectè ſenſerit, ex Theophraſti lectione iudicare poterunt, rei plantariæ ſtudioſi: ſiquidem is ita habet lib. 3. cap. 15. de hiſtoria plantarum. Crateogon, folio meſpilæ, promiſſo ſcilicet eſt, verum maiori, latiori oblongioreq;, nec ſerrato, quemadmodum illa ſit: hæc non admodum magna neq; craſſa. Materies ei verſicolor, valida, fulua, cortex læuis, meſpilo ſimilis, radix ſingularis, acta in profundum. Magna ex parte fructus rotundus qui matureſcens ſiccatur, nigreſcitq;, guſtu & ſucco meſpilaceus, quapropter veluti ſylueſtris meſpilus apparuerit, eſt ſpecie ſimplex, & ſine vllo diſcrimine. Hallucinantur qui hanc arborem Theophraſto Agriam, ſiue Ariam faciunt: atq; in eodem errore verſantur, qui eandē exiſtimant eiuſdem eſſe crateogonon.

Aquifolii vires.

Crateogonon Theophr.

*Galenus Paliuri à Dioſcoride deſcripti meminit lib. 8. ſimp. med. his verbis: Paliuri folia & radix adeò non obſcuram habent adſtringendi facultatem, vt & ventrem fluentem cohibeant: adeò digerunt, vt & phymata curent, quæ quidem non admodum phlegmonode ſunt & calida. Fructus porrò tantam obtinet incidendi vim vt & calculos veſicæ comminuat: & pectoris pulmonuq́; excretionibus auxilietur.* Παλίουρος *Græcis, Paliurus Latinis, Paliuro Italis pariter appellatur. Aquifolium autem vocant Itali Agrifoglio: Germani* Walddiſtein ſiue Stechpalmen.

Nomina.

Paliurus Dioſcoridis idem fortè cum Rhamno tertio eiuſdem, ita vt quæ de Rhamno tertio dicuntur, ad hoc caput ſint referenda. Theophraſtus 3. hiſt. duo paliuri genera propoſuit, alterum cuius ſemen in ſiliquis continetur, intelligens Dioſcoridis Rhamnum tertium: alterum Paliurus Africanus fructu rotundo & rubicundo, vt Gaza vertit: Verum vox στρόγγυλον apud Theophraſtum ex rotunditate oblongum ſignificat: Hanc dicimus eſſe Iuiubas minores, qua de re inferius. Nunc de Agrifolio: aliquib. Paliurus Africanus Theophraſti: alius Cratægus eiuſdem, cum quo tamen deſcriptio non conuenit, vt nec Paliuri apud Dioſc. aliis hedera rigens apud Pliniũ: quibuſdam Lauri ſpecies. Videtur Theophraſtus 3. hiſto. 4. ἀγρίαν vocaſſe, quo loci Gaza Aquifolium vertit: at 3. hiſt. 16. licet habeatur ἀγρία, ἀρία legendum. Vocatur Aquifolia Trago (cui & laurus ſpinea, ſiue aculigera) Dod. Gal. (& Ruſcus ſylueſtris) Aquifolium Ruellio. Geſ. hor. (& Ilicis aquifoliæ genus, Paliurus aculeata) Lob. Caſt. Thal. Lug. Tab. Agrifolium Dodo. Cæſ. Cam. Ilex aquifolia, Lon. Paliurus ſecunda, Lac. Variat hæc, quod aliquando in arborem excreſcat, aliquando fruticoſa ſit: ſic alia eſt cuius folia margine ſpinoſo: alia folio non fimbriato, leui, extremitate tamen aliquando acuminata, aliquando non, vt figura adiecta exprimit.

## Ὀξυάκανθα. ACVTA SPINA. CAP. CV.

a Orib. hæc non habet.
b ἀχράδι.
† Non legit Catacuz.
c πυρῆνας. i. nucleos leg. Orib.

ACuta a [ſpina, quam pyrinam, aut pityanthem aliqui vocant,] arbor eſt b pyraſtro ſimilis, ſpinoſa valde, & minor: baccas profert myrti, plenas, rubras, † fragiles, & intus c nucleum: radicem multifidam, alte deſcendentem. Huius baccæ potu, aut cibo, alui profluuium, & abundantiam fœminarum ſiſtunt. Radix illita aculeos, & ſpicula extrahit: abortum fieri tradunt, ſi ter radice venter aut ſenſim feriatur, aut perungatur.

Acutæ ſpinæ conſid. & hiſtoria.

Acuta ſpina non eſt offic. Berberis, ſiue Creſpinus.

*HAbet pro comperto tota recentiorum medicorum familia, quod arbor Dioſcoridi* ὀξυάκανθα, *id eſt, acuta ſpina, vocata, quam Mauritani Berberim dixere, ea ſit nimirum arbuſcula ſpinis horrens, quam rura Tridentina, vbi in ſepibus, ſyluis & conuallibus frequentiſſima naſcitur, Creſpino vulgò nominant: medicorum verò vulgus ac officinæ Arabes ſecutæ Berberim appellant, ita eſſe certò credentes, vt opinione ducuntur. Veruntamen ſi rectè delineationes notæq́; perpendantur, quas oxyacanthæ reddidit Dioſcorides, creſpini notis prorſus acuta ſpina reclamare conſtabit. Quæ potiſſimum ratione adductus, quo magis veritas eluceat, erroriſq́; nebula tollatur, non dubitaui eorum opiniones refellere, qui inter recentiores medicos de ſtirpibus commentaria conſcribentes, Creſpinum vocatum legitimam oxyacantham eſſe aſſeuerant. Neq; me fugit, non parum ſuſcepiſſe negotij, vt eos à concepta iamdiu opinione in ſententiam noſtram, quam veram putamus, venire compellam, cùm magna admodum ſit tum medicorum, tum ſeplaſiariorum turba, quæ hac in hiſtoria longo vſu aberrat. Verùm cùm compertum habeam, quòd veritas ſit niue candidior, ſoleq́; ſplendidior, & eorum tum vera, tum fida comes, qui virtutibus ac probitate præſtant, duxi meas rationes multorum auctoritate comprobatas, nullam horum doctiſſimorum virorum auribus moleſtiam allaturas, qui nolentes aberrarunt: quinimo ijs, vtpote veri defenſoribus, fore iucundiſſimas atq; gratiſſimas. Nam qui, vt ſibi placeant, malunt errare quàm veritati & æquo cedentes, errores cognoſcere, eoſq́; corrigere, non ſunt in philoſophorum ac rationabilium hominum numero recipiendi. Sed ne apologeticis verbis tempus conteratur, rem inſtitutam aggredior. Dioſcorides acutam ſpinam arborem eſſe pyraſtro ſimilem ſcribit, minorem tamen, magiſq́; aculeatam, fructumq́; gerere myrti ſimilitudine, plenum, fragilem, rubentem & intus nucleum, cui radices ſubſint multifida, alteq; deſcendentes. Ex quo palàm eſt, ipſum non alias acutæ ſpinæ notas expreſſiſſe, quam proceritatis, craſſitudiniſq́; ſtipitis, ramorum, radicum ac fructuum, omiſſa foliorum, florum, & corticis hiſtoria. Folia apij hortenſis modo diuiſa, ſed longiora: floribus racemoſis ac candidis: cortice ſcabro, et materie pyracea. Quæ omnia ipſe accuratè perpendens, in primis Creſpinum omnibus notis pyraſtro reclamantem comperio, cui tamen prorſus adſtipulari acutam ſpinã Dioſcorides eſt auctor. Siquidem ſylueſtris pyrus, quemadmodum & oxyacantha, ſimplex è ſolo proſilit, atq; vnico duntaxat caudice attollitur, ac inde tam in longũ latumq́; creſcit, vt ad communẽ arborum proceritatẽ aſſurgat. Creſpinus verò, cuius ſanè innumeræ mihi præ oculis quotidie ſeſe offerunt plantæ, nullũ ab radicib. mittit caudicem, ſed pluribus ac diuerſis aculeatis ſtolonibus fruticat, qui virgarũ modo in altum ſe attollunt, nec vnquã arboreſcunt, niſi rarò, & longo temporis tractu: quippe qui omniũ maiores habentur, pollicarem craſſitudinẽ rariſſimè excedunt, niſi ætate longa incrementũ ſuſceperint: quin & raro inueniuntur eius virgulta, quæ hominis longitudinẽ æquent. Ad hæc pyraſter cortice conſtat aſpero, ſquamoſo, inæquali, craſſo, colore in nigro rufeſcente. Creſpinus verò cortice veſtitur albo, leui & admodũ tenui: quo fit vt non adeò leuiter ferro, vel lapide tangi poſſit, quin ſtatim cortex frangatur, & crocea ligni materies detegatur. Præterea pyraſter prunorũ modo aculeata conſpicitur, aculeis ſingulis ex eodẽ loco erumpentib. licet rami frequentiſſimis horreãt ſpinis ijsq́; nigris, validis, candidi rhamni modo mucronatis. At creſpinus ternis per interualla armatur aculeis, ſimul ex vno, eodemq́; puncto prodeuntib. adeò vt trifurcato ordine prodeant, duobus ſcilicet vtrinq; ſe pandentib. tertio verò mediũ occupante, albis, planis, nõ quidẽ rotundis, fragilibus, & admodũ pungentibus. Illud inſuper diſcriminis addam, acutã ſpinã fructum afferre myrti magnitudine. Creſpinus verò racematim in vuæ modũ, cuius oblongi acini tritico paulò maiores, viuidi ac rubentes, eleganterq; racemis adnexi, puniceos acinos quadantenus repreſentant: quanquã minores, oblongiores, acidiores, & colore etiã multò viuaciores habeantur. Creſpini deinde folia minimè pyraſtrum referunt, ſed potius punicũ malũ, quamuis latiora, nec adeò in mucronẽ deſinentia, per ambitũ ſpinis tenuiſſimis, frequentiſſimiſq; horrida. Radices etiam, quæ pfectò æquè flauæ ſunt, ac ſi croco eſſent infectæ, etſi plures ſint, atq; exiles, nihilominus altè nõ deſcendunt, veluti acutæ ſpinæ, ſed in latus ſummo ceſpite vagãtur. Flos deniq; pyraſtro admodũ refragatur: namq; melinus ex racemo vuæ ſimilis erumpit, ſui fruticis interno colore, à quo dum explicatur atq; dehiſcit, per quam ſuauẽ ſpirat odorem. Quib. euidentiſſimè colligi pot, & oxyacanthã Græcis, & berberim Arabib. nõ eſſe creſpinũ, cuius cõmunis eſt vſus apud medicos & ſeplaſiarios. Sed præter hæc illud etiam certò credendum eſt, quod ſi Dioſcorides per acutã ſpinam creſpinum intellexiſſet, nunquã ſilentio diſſimulaſſet folia mirabili opere per ambitum aculeata: neq; fructum, quem ramis pendulũ gerit, acinis inter ſe racemati*

Creſpini cũ pyraſtro & acuta ſpina collatio.

*matim cohærentibus, myrti baccis aſsimilaſſet: nec ſcriptum reliquiſſet: radices in profundum agi: nec denique flauum earum colorem vnquam reticuiſſet, quo inſigniter natura infecta ſunt. Non prætermiſiſſet etiam ſpinarum hiſtoriam, vtpote quæ terna ſuis virgis innaſcantur, à pede ad verticem: non corticis candorem, non tenuitatem: non item, quod ſæpius ſine caudice, variis veluti ſtolonibus fruticet: non denique ipſam pyraſtro prorſus ſimilem reddidiſſet, à qua profectò non minus diſsidet, quàm quercus ab olea. Cæterùm ſi modò dicendum eſt, Oxyacantham naſci in Italia, eam equidem acu-* Legitima oxyacantha.

I. ACVTA SPINA.



II. OXYACANTHA DIOſcoridis.



*leatam arborem eſſe crediderim, ſtipite, cortice, ramis, floribus, proceritate ac ligni materie planè pyraſtrum referentem, quam in Hetruria rura noſtra Senenſia Bagaia vulgò nominant. Ananienſes, & cæteri Tridentinarum vallium incolæ quidam Amperlo, quidam verò Pan d' orſo vernaculis nominibus vocant, & Goritienſes barazzo bianco vulgari ſermone appellant, quippe quæ omnibus notis ac lineis acutam ſpinam referat. Primùm enim hæc manifeſto indicio eſſe poſſunt, arboris ſcilicet ſtipes, rami in qualibet parte acutiſsimis, firmisq́; aculeis armati, ligni materies, ſubſcaber ſquamoſusq́; cortex veluti pyraſtro. Tum ita eſſe comprobant radices in profundum deſcendentes, & fructus, quem fert myrti craſsitudine, viſu iucundus, rubeſcens, plenus, fractu facilis, ori ſubauſterus, in quo modò vnus, modò plures concluduntur nuclei. Flos etiam, quem album edit, pyraſtro admodum adſtipulatur: quippe quòd ſit illi haudquaquam abſimilis. Porro folia duntaxat à pyraſtro diſsidere videntur: nam diſſecta ſunt apij modo, paululumque longiora. Verum mihi quidem illud non videtur ob multas rationes aliqua ex parte noſtræ repugnare ſententiæ: conuenientias enim pluribus ex partibus peti certum eſt, non autem ex paucioribus. Quali ergo acuta ſpina vireat fronde, hîc non explicauit Dioſcorides, ſed tantum dixit, eam eſſe arborem pyraſtro ſimilem, quemadmodum Arbutum Cotoneæ malo, & ilicem & fagum Quercui, idem comparauit Dioſcorides, quòd magis ad ſtipitis, ramorum, corticis, florum delineationem, & ligni materiem reſpiceret, quàm ad folia, quæ nihilominus laciniata conſtant apij modo: tametſi hoc in loco id adnotare prætermiſerit Dioſcorides. Hoc autem probatur manifeſto ipſius Dioſcoridis, ac etiam Theophraſti teſtimonio. Nam Dioſcorides, cùm de meſpilo ageret, duo meſpilorum genera conſtituit, & relicta in capitis calce vulgata, quæ frequens, & communis viſitur in Italia, illam in primis deſcripſit, quæ Neapoli noſtra tempeſtate vulgò Azarolo vocatur, & veteribus aronia dicta eſt, ſic inquiens. Μέσπιλον τὸ δένδρον· ὃ παρ' ἐνίοις ἀρωνία καλεῖται, ἀκανθῶδές ἐστιν, ὅμοιον τοῖς φύλλοις ὀξυακάνθῃ· καρπὸν φέρον μικρῷ μήλῳ ὅμοιον ἡδύν: id eſt verbum ex verbo. Meſpilus arbor, quæ à nonnullis aronia vocatur, ſpinoſa eſt, ſimilis folijs oxyacanthæ: fructum ferens exiguo malo ſimilem, ſuauem. Quib. autem foliis conſtet illa meſpilus Azarolo vocata, Theophraſtus lib. III. cap. XII. demonſtrauit his verbis. Huius folia diſſecta ſunt, extremitateq́; apio ſimilia. Ita fit, vt concludamus oporteat, ſi meſpilus aronia folio oxyacanthæ prouenit, eoq́; ſciſſo (vt Theophraſtus prodidit) apij inſtar, hanc ſpinoſam arborem Bagaia vulgo dictam, eſſe proculdubio acutam ſpinam: quandoquidem eius folia in modum apii diſſecta ſunt meſpili aroniæ modo. Theophraſtus lib. VI. cap. vltimo de hiſtoria plantarum ſcribit, oxyacanthæ fructum fuiſſe antiquis in coronarum vſu, quod etiam nō paruo eſt argumento, illam legitimam eſſe oxyacantham, quam in medium attulimus: quandoquidem fructus eius, qui autumno toto, & ad mediam hyemem vſque perdurat, adeò læuore quodam pellucet, ruboreq́; decoratur, vt globulos è præſtantiori corallio paratos referat: id quod in coronis maximè præſtaſſe crediderim. Hanc noſtram de oxyacantha ſententiam, duobus argumentis impugnant Antagoniſtæ. Primum ſane eſt, quòd noſtra folia decidant, Theophraſto verò perpetuò acuta ſpina vireſcat. Secundum quòd ipſius etiam Theophraſti teſtimonio Acutæ ſpinæ aculei ijs ſimiles habeantur, qui in Medica malo proueniunt: quæ tamen non magno quidem labore diſſolui, ac conuinci poſſunt. Siquidem vt reperitur fabuloſum apud Theophraſtum lib. primo cap. XV. de hiſt. plantarum, Tiliam & Myricam perpetua fronde vireſcere, & libro tertio cap. 16. Suber folio eſſe haud perpetuo, ſed deciduo, ita pariter de Oxyacantha di-*

Meſpili duo genera.

Antagoniſtarū argumenta confutata.

xerim: ſed verendum eſt potius ne in hoc capite, quemadmodũ in alijs pleruq; locis, plura deprauata legantur, quàm quod in his aberrauerit Theophraſtus. Quòd autem ita ſit, maximo eſt mihi argumento Plinius, qui plantas perpetuo fronde virentes ex Theophraſto tranſcribens lib. 16. cap. 21. ibi nec Tiliæ, nec oxyacanthæ meminit. Id quod manifeſte arguit in Theophraſti codice hæc haudquaquam adinueniſſe Plinium. Sed non deſunt etiam Theophraſti exemplaria quæ πυξάκανθος, non ὀξυάκανθος legunt. Præterea ſi Dioſcoridis, & Galeni teſtimonio Oxyacantha fuerit pyraſtro per omnia ſimilis, vt aduerſarij contendunt, nuſquam hanc perpetuo vireſcere dicam, ſed vnà cum Pyraſtro folia hyeme amittere. Quantum verò ad aculeos attinet, ſi quis Theophraſti verba diligentius, quàm illi fecerint, expenderit, ea nihil prorſus pro iiſdem affirmare comperiet. Inquit enim Theophraſtus de mali Medicæ aculeis agens, ἀκάνθας δ' ἔχει οἵας ἄπιος ἢ ὀξυάκανθος. Id eſt ſpinas quales Pyri, aut Oxyacanthæ. Atqui cum domeſtica Pyrus nullis rigeat aculeis, de ſylueſtri intellexiſſe illum neceſſe eſt: verùm quantum agreſtis Pyri aculei, à mali Medici aculeis differant, quiſpiam per ſeſe videre poterit. Quo fit vt Theophraſti verba nil aliud exprimere putarim, quàm quòd Medica malus aculeata ſit, vt Pyraſter, & Oxyacantha: non autem quod harum arborum aculei ſint omnino ſimiles, vt perperam ille interpretatur. Poſtremò quòd baccæ, quas noſtra profert acuta ſpina, ſint dulces, vt vltimo loco contendit illorum vnus, nec aſtringant, ſed potius adſtrictos muliebres locos ducant, ij id omnino iudicabunt, qui ſapidiori guſtu ac ſaniori à natura fuerint procreati, quiq; aliquando huiuſce plantæ fructus periculum fecerint. Reliquum igitur eſt, vt dicamus, Creſpinum aliud eſſe ab Oxyacantha, plantamq; ideo fuiſſe veteribus incognitam, quòd eorum nullus, qui de plantarum hiſtoria ſcripſerunt, huius aculeatæ ſtirpis (quod ego ſciam)
Creſpini forma & vires. meminerit. Porrò CRESPINVS frutex potius, quàm arbor eſt, è terra virgultis plurimis ſiue aculeatis ſtolonibus aſſurgens,

III. CRESPINVS.



IIII. VVA SPINA.



veluti corylus: è quibus non deſunt, quæ quandoque longo temporis tractu, ægrè tamen, arboreſcant. Hæc ab imo ad ſummum ſpinis quibuſdam acutiſſimis horret, longis, compreſsis, albicantibus, fractuq; minime contumacibus, quæ (vt ſupra dictum eſt) per interualla ternæ ex eodem prodeunt puncto. Cortex toti plantæ candidus, læuis, ac tenuis: cui ſubeſt ligni materies flaua, fragilis atq; fungoſa. Numeroſis tota virgultorum congeries nititur radicibus impensè flauis, quæ per ſumma terræ diuagantur: folijs ferè punicæ, tenuioribus tamen, latioribus, minuſq; in mucronem extenſis, per extremum ambitum minutiſsimis ſpinis circumſeptis. Flores emittit ineunte Maio luteos, racematim cohærentes in vuæ ferè modum, odore non ingrato. Quibus poſtea ſuccedit fructus acinis oblongis, racemo pendulis, qui maturitate maximè rubent, punicæ mali acinis haudquaquam abſimiles, quanquam figura longiores, guſtu acido, & ſubauſtero, paruis reconditis intus nucleis. Naſcitur in ſepibus, frutetis, ac ſenticoſis locis. Baccæ refrigerant & ſiccant, cohibent, roborant, & adſtringunt. E ſucco poſt vindemias incolæ vinũ exprimunt, quod falſo de Berberi vocãt officinæ: cui auſteritatis aciditatiſq; longè plus ineſt, quam mali punicæ ſucco.
Vinum Berberis & eius vſus. Quod ſi in acutis, pernicioſiſq; febribus, vti cauſus, & quæ peſtilens eſt, iulapio violaceo commiſtum, ac oxalidis aqua ægrotantibus exhibeatur, non modò ſitim reſtinguit, ex ptiſana hauſtum, ſed bilioſas, peſtilenteſq; exhalationes ſupprimit. Datur vtiliter cum myrtino & aqua plantaginis, cœliacis, cibum reijcientibus, & dyſentericis, & vbi bilis à iocinore in ventriculum regurgitans cholericos excitauerit affectus. Non ſecus tam ſumptum, quam inditum menſium profluuia cohibet. Tineas ventris enecat ac pellit, præſertim ſi bibatur ex aqua graminis, vel portulacæ, vel abrotoni, addito ſacchari tantillo. Prodeſt cruentis excreationibus: firmat commotos dentes, ſi eo ſæpius foueantur: quinetiam gingiuas roborat, & gargarizatu faucium vuæq; inflammationes diſcutit, columellã procidentem reprimit atq; deſtillationes eo confluentes reprimit. Vulnera recentia in carnis ſuperficie glutinat, & vlcera ſerpentia cohibet, & humida deſiccat. Nihilominus nocet his, qui ex flatu, ac frigiditate laborant ventriculi dolorib. atq; etiã ægrè ſpirantibus: datur etiã vtiliter ad iocinoris inflammationes. Confert oculorũ deſtillationib. lachrimaſq; cohibet, vbi guttatim in oculorũ angulos diſtilletur cum pompholyge, & aqua roſarũ. Cæterùm poſtquã acutæ ſpinæ hiſtoria eò me deduxit, vt de nonnullis alijs aculeatis ſtirpibus diſſeruerim, non erit ab re, vt plantarum facultas augeatur, ſi illam addiderim plantam, quæ folio etiam
Vuæ ſpinæ mentio. apij conſtat, & vndiq; ſpinis riget, ab aliquibus VVA SPINA, à nonnullis Vua marina, & à pluribus Vua creſpina vocata.

*Vua ſpina. Planta hæc antiquis (vt puto) incognita, arbuſcula eſt parua, fruticoſa, folio apii, aut oxyacanthæ: ramulis ac virgis albicantib. vbiq; aculeatis. Duorũ eſt generũ. Satiua altera, altera ſylueſtris ac ſponte proueniẽs. Flos vtriq; albus, & quandoq; ex viridi purpuraſcens. Vuas profert non racematim cohærentes, ſed baccarũ more diſpoſitas: eadem facie ſunt rotunda, piloſæ, præſertimq; ſylueſtres: ſucco abũdant plurimo, vinoſo, ſapore acido adſtringẽte, adeo, vt prorſus omphacinũ referant. Color illis ante maturitatẽ viridis, atqui matureſcentes colorẽ vnà cum ſapore permutant, ſiquidẽ flaueſcunt, & ſuccũ ſubdulcẽ reddunt. Habent & nucleos, fragiles tamen, & imbecilles, adeo vt vnà cum fructu mandantur. Leguntur ante maturitatẽ. Maio menſe, ac Iunio. Satiua in hortis, pomarijs & vineis ſeritur. Sylueſtris in ſepibus, & ſenticoſis locis ſponte prouenit. Frigidæ ſunt, & ſiccæ aſtringẽtes, & in cibis omphacij loco gratæ: nam iuſculis incoctæ appetitũ excitant. Quæ & febrientib. iuſculis incoctæ nõ ſine vtilitate exhibentur, ſitim ſedant: in ſumma mulierib. vtero gerentibus magnopere expetuntur, grauidorũ malaciæ ſuccurrunt. Dantur deuoranda cœliacis, dyſentericis, & cruenta exſpuentibus. Huic accedit & altera planta, veterib. quantũ reor, incognita, & ſilẽtio inuoluta, quã aliqui falsò Mauritanorũ RIBEM eſſe contendunt.*

Vua ſpina duplex.

Vuæ ſpinæ vſus.

Ribes officin. conſid.

V. RIBES VVLGARIS.



*Duum eſt generũ, domeſticũ & ſylueſtre. Patua vtraq; eſt arbor. Ea fruticoſa eſt, topiaria, folio paruo, vitigineo, perinde ac albæ populo, ſed longè viridiori: ramuli ſunt ei lenti, ac flexibiles, è quib. fructus paruarũ vuarũ modo, vt in creſpino, racematim dependẽt, rotundis, ſimulq; cohærentib. acinis magnitudine piperis, qui maturitatẽ adepti maximè rubent, ſapore ſubacido & adſtringenti, admiſto et dulci: floret menſe Maio, florib. in luteo candicantib. & in ſtellæ modũ radiantib. Vulgaris eſt planta, in hortisq; frequens: quippe quoniã domeſtica ad ſepiẽdos hortorũ puluinos eleganter ſeratur: ſylueſtris naſcitur ſpontè in Bohemia, in ſylueſis collibus, & in alijs Germaniæ locis. Verum eos hallucinari abunde cõſtat, qui putant, hanc arbuſculam eſſe Arabũ Ribem. Siquidẽ, vt poſteritatis memoriæ prodidit Serapio, Ribes eſt arbor, pferens capreolos colore viridi rubeſcente, & folia lata, magna & rotunda. Quas ſanè notas huic nõ reſpondere ſatis notũ eſt: neq; n. fert hæc capreolos, neq; eiuſmodi folius viret, tametſi fructu Ribẽ admodũ referat, quod is guſtui ſit acidus ſimul & dulcis, qualẽ eſſe Ribis baccã author eſt Serapio, exiccãt, adſtringunt & roborant, quamobrẽ is ad ea, quæ ille iure poterit vſurpari, vtpote quod febrib. acutis opituletur, æſtuantẽ ventriculũ refrigeret, ſitim reſtinguat, nauſeã & vomitiones ſiſtat, cibi appetentia incitet, cœliacos & lientericos iuuet, & bilioſis defluxionib. vexatos: ſanguinis feruorẽ demulceat, bilis acrimoniã retundat, impetumq; domet. Quare nõ damnandi, quin potius laudandi videtur ſeplaſiarij, qui ex huiuſce arbuſculæ fructu vinũ exprimunt, & per annũ aſſeruant, vt illud Ribis loco medicamentis immiſceant. Non deſunt, qui id eſſe hanc plantã arbitrentur, quã Galenus lib. 7. de cõpoſitione medicamentorũ ſecundũ locos Vrſi vuã appellat. Quorũ error ſatis ab ipſomet Galeno refellitur eodẽ loco: quandoquidẽ aſſerit huiuſce vuæ plantam memacyli folio vireſcere. Memacylum n. Galeno, etſi Arbuti fructum deſignat lib. 7. de ſimpliciũ medicamentorũ fac. aliquando tamen ipſam quoq; Arbuti plantã deſignare videtur, vt loco ſuperius citato, vbi Gal. continens pro contento accipiens, Arbutũ Memacylum appellauit. Inquit n. quæ vrſi vua appellatur, in Ponto naſcitur. Planta eſt humilis, & fruticoſa, folio Memacyli. Cæterum cum magna differentia habeatur inter Ribis folia, quæ vitiginea ſunt, & Arbuti quæ laurina æmulantur, explodenda eſt omnino Dodonæi ſententia, quippe qui nulla dubitatione cenſeat vulgarẽ Ribem vrſi vuã eſſe Galeni, ſua tantũ opinione falſus. Bellonio verò in libro de arborib. coniferis, Ribes Serapionis planta quadã cenſetur, quam ſe inueniſſe ſcribit in monte Libano ad ſupremũ cacumen, foliis oxylapathi, grandiorib. retuſioribusq; è quorũ medio racematim exeunt baccæ rubẽtes, vt in hippogloſſo, ruſco & lauro Alexandrina. At certè ego nõ audeo, nec poſſum Bellonii iudicio ſubſcribere, quã planta illa nõ reſpondeat notis, quas Ribi tribuit Serapio. Ea n. folia nõ fert rotunda, ſed oxylapathi, nõ habet capreolos, & baccas è mediis foliis exerit. Vnde facilè adducor, vt putẽ eius Ribẽ falſam & adulterinã eſſe potius, quã verã & legitimã. Oxyacanthæ meminit Galen. lib. 8. ſimpliciũ medicamentorum, ſic inquiens. Oxyacanthus, arbor vt pyro ſylueſtri ſimilem habet ſpeciẽ, ita & vires nõ diſſimiles: quin & ipſi fructus, pyri quidẽ ſylueſtris abſolutè acerbus eſt, cæterum oxyacanthæ, & tenuiũ eſt partium, & paulũ quiddam inciſiuũ obtinet. Porrò arboris huius fructus pyri ſylueſtris fructui ſimilis nõ eſt, verùm myrti, ſcil. rubens & rarus. Habet verò & nucleos. Porrò non eſus tantũ, ſed & bibitus affectus omnes fluxionũ, quos ῥοώδεις Græci vocant, cohibet. Hæc planta Græcis ὀξυάκανθα nominatur: Latinis, Acuta ſpina: Arabib. Amirberis, ſeu Amyrbaris ſiue Berberis: Italis Hetruſcis, Bagaia, & Ananienſib. Amperlo: Hiſpanis, Pirlitero, & Pilriteros: Germanis Hagdorn: Bohem. Hloc. Creſpinus verò officinis Berberis: Italis Creſpino: Germ. Saurach/ Saurdorn vñ Paiſelbeer/ Verſich: Bohem. Drac ſiue Driſtal: Gallicè Eſpine vinette dicitur. At Vua ſpina ſiue criſpa, Ital. vocatur vua ſpina, ſiue vua ſpinella, vua marina: Germ. Kloſterbeer ſiue Creutzbeer: Bohem. Chlupate yahody: Gallis Groiſelier. Cæterũ vulgaris Ribes Italis vocatur vuetta roſſa, & Ribes: Ger. S. Johanstreuble: Bohe. vuyno S. Iana: Gal. Groiſelles d'outremer.*

Error quorũdam Ribes Arabum credentium.

Ribes offici. vſus.

Vua vrſi Gal.

Dodonæus arguitur.

Bellonii opinio improbata.

Oxyacanthæ vires ex Gal.

Nomina.

Oxyacantha à Dioſcoride proponitur, at Galen. 8. ſimp. & clariùs libro de facultatib. alimentorũ, præter oxyacanthã habet & oxyacanthũ. Oxyacãtha i. acuta ſpina Dioſc. eſt oxyacanthus Galeni: à veterib. Latinis ſimpliciter ſpina dicta, quæ tribuũtur ei quæ vulgo oxyacanthæ nomine oſtẽditur, quam alii ad Cynoſbatũ Theophraſti (nõ autẽ Dioſc.) nec adeò malè referũt: huius vulgò cognitæ nomina ſubiiciamus. I. Oxyacãtha apii folio. C.B. ſpina Callobrix Palladio: Spina candida Marcello, Anguil. Cynosbatos Trag. Lon. Sorbus aculeata, Cor. hiſt. Oxyacãtha ſeu pyracãtha, Cor. in Dioſc. Oxyacantha Dioſc. Dod. gal. Geſ. hor. cui & ſpina appẽdix Plin. Oxyacãtha, Lac. Lob. Lug. Tab. Cam. Cæſ. cui Anthemis Theoph. & Meſpili tertiũ genus apud Plinium videtur. Oxyacãthus ſiue ſpina acuta Dodo. Meſpilus ſylueſtris Caſtori. II. Verum cũ Dioſc. pyraſtro & Galenus pyro ſylueſtri ſimilẽ dicat, alterã adiecimus figurã, quæ melius eius de-

ſcriptione

ſcriptione conuenire videtur. Hæc ex radicibus craſſis, multis, caudicem emittit rectum, firmum, cortice ſubcinereo tectum: qui in multos ramos longos latè diffuſos brachiatur, quos inordinate cingant ſpinæ validè erectæ, atrociter pungẽtes, quib. ſuperiores rami ſæpè deſtituũtur: foliis eſt aliquãdo rotundiorib. arbuti inſtar, aliquãdo ad modũ pyraſtri oblõgis, aliquãdo etiã acuminatis, in ambitu tamẽ diſſectis, venoſis: floſculi ex quatuor & quinq; foliolis cõpoſiti, paruis pediculis inſidentes, aceruatim congeſti, ex luteo ſubrubẽt, ex quorũ medio aliquot breuia ſtamina prodeũt: his ſuccedũt fructus forma oxyacãthæ vulgaris, rotundi, vmbilicati, denſius coaceruati, ex aureo ad cocciniũ vergentes, acidi guſtus, in quib. grana aliquot continentur. Prouenit ſponte in ſepibus circa Bononiam, in agro item Senenſi prope Alcinum montem: & in Alpinorum gentium Ebrodunenſium ſaxoſis conuallibus. Sunt qui pro ſchamno, alii qui pro Pyrocantha oſtendant. Vuam vrſi Galeni 7. de compoſ. med. ſecundum loca, Lugdunenſis herbarii auctor cenſet, Acutæ ſpinæ nomine Caſtor Durantes exhibet. Oxyacantham Dioſcoridis cenſemus, & ad differentiam vulgatæ, oxyacantham pyraſtri folio nominare lubet. III. Creſpinus Matthioli oxyacantha Dioſcoridis non eſt ſed Galeni (non autem oxyacanthus) id eſt ſpina acida, cùm non ſolùm fructus, ſed & folia ſint acida eius nomine ad ciborum condituram vſurpata: ſpina appendix Plinii lib. 24. cap. 13. Arabum eſt Amirberis fructu longo acido, non autem rotundo: vnde deprauata voce officinis dicitur Berberis, ſic & Bruf. (cui & ſpina acuta) Dod. Gal. Lac. Geſ. hor. Lob. (ſpina ſancta quorundam) Lugdun. (quibuſdam Colytea Idæa ſecunda Theophraſti) Lon. Caſt. Cam. Oxyacantha Dioſc. Hermolao, Ruellio, Trag. Fuch. Cornaro. Oxyacantha Galeni, Cord. in Dioſc. Taber. Camer. Creſpinus Cæſalpino, qui Ribes Serapionis ſuſpicatur: Spina acida ſiue oxyacantha Dod. In hortis Italiæ nomine ſpinæ Chriſti colitur, cuius folia ratione culturæ, multò ſunt longiora, ſpinis dein duplo maioribus flaueſcentibus, dimidiam ſtellam efformantibus. IV. Vua criſpa (ab intortis & veluti criſpis foliis) licet quibuſdam Rhamni ſpecies, aliis Oeſon Candidum Theophraſti, aliis Vritis precia Plinii cenſeatur, attamen Ceanothum ſpinam Theophraſti credimus. Vua criſpa, Trag. Fuch. Dod. Gal. & fol. Lon. Geſ. hor. Lob. Tab. Vua ſpina, Lac. Caſt. Cæſ. Criſpina vua, Cord. in Dioſc. Ceanothus aſper, Geſ. hor. Groſſularia Thal. Groſſularia alba (quod groſſorum exiguorum imaginem referat) Lugd. Variat, quòd domeſtica fruteſcat & fructu ſit ceraſi magnitudine: ſylueſtris per omnia minor: fructus item maturus flaueſcit, nonnunquam ſubrubet. V. Ribes vulgaris. Ribes hortenſe, Trag. Ribes, Fuch. Lac. Lon. Geſ. hor. Taber. Ribes Arabum, Lob. Ribeſium fructu rubro & Ribes Serapioni, Dod. Vua vrſi Galeni, Dod. Gal. Ceanothus leuis, Geſ. hor. Groſſularia rubra, Lugd. Ribes vulgare baccis rubris, Cam. Hæc duplex, communiter in hortis colitur fructu ſubacido; in montoſis tamen Bernenſium & Marchionatus ſylueſtribus ſed fructu per omnia minore, baccisq; rarioribus reperitur: habetur & fructu dulci, aliàs à vulgari nil differens: ſic & illius ſpecies quædam rubro flore, foliis & fructu maioribus: in hortu Illuſt. Ducis VVirtenbergici Stutgardiæ baccis habetur vnionum inſtar candidis. Eſt & fructu nigro, Ammomum quibuſdam, maioribus quoque & minoribus baccis varians. Bellonius meminit & Ribes foliis oxylapathi: alia tamen eſt Rauvvolfij figura.

## Κυνόσβατος. RVBVS CANIS. CAP. CVI.

FRutex eſt arboris inſtar, rubo longè maior. Folia fert multò latiora myrto, robuſtis circa ramos ſpinis, flore candido: fructu oblongo, nucleo oliuæ ſimili, qui per maturitatem fulueſcit, & flocculos intus continet. Fructus exemptis interioribus floccis arefactus, aluum ſiſtit: feruefacti enim ij in vino, mox poti, arteriam infeſtant.

Rubum canis non eſſe roſam ſylueſtrẽ.

*NOn equidem putauerim eſſe Rubum canis illud roſarum ſylueſtrium genus, quæ roſas edunt ijs quadantenus ſimiles, quas Moſchette vulgò vocamus, quæq; rubentes baccas roſarum fructibus non abſimiles, licet minores, proferunt: nec etiam quoduis aliud ſylueſtre roſarum genus, quemadmodum nonnulli exiſtimant. Nam ſi ita res ſe haberet, ſat erat Dioſcoridi dicere, quod canis Rubus roſæ ſimilis eſſet, non autem quod arboris inſtar aſſurgeret, rubo longe maior, quodq; folia ferret myrto latiora, à quibus ſylueſtris roſa profectò plurimum diſsidere videtur, fructumq; mittere non modò oliuarum nucleis, ſed oliuis ipſis multo craſsiorem. In eam autem ſententiam non modo me pluries deduxit, ſed etiam confirmauit Plin. quandoquidem ipſe lib. VIII. cap. XLI. peculiari nomine roſam ſylueſtrem cynorrhodon appellat, id eſt, caninam roſam, non cynosbaton i. caninum rubum, cuius radicem ad canis rabidi morſum miris laudibus extulit. Quod iterum aſſeruit lib. XXV. cap. II. vbi illud etiam addidit, quod apud veteres nil aliud cynorrhodon erat, quam ſpongiola illa, quæ mediis ſylueſtrium roſarum ramis oboritur. Cæterùm cùm de cynosbato, hoc eſt, canirubo idem diſſereret, eum à roſa ſylueſtri longe diuerſum fecit, vt videre eſt libro XXIIII. cap. XIIII. vbi ait, cynosbaton folio eſſe veſtigio hominis ſimilem. Huc illud etiam accedit, quod poſteris ſcriptum reliquit Theophraſtus lib. III. cap. XVIII. de plantarum hiſtoria, vbi ſic inquit. Canirubus fructum ſubrubrum parit malo punico ſimilem: eſt inter arborem & fruticem medius, & punicæ proximus, folio viticis. Ex quibus palàm eſt, non parum inter ſe habere diſcriminis canirubum, & ſylueſtrem roſam, de qua poſtea libro & cap. VI. particularem tradidit hiſtoriam. Vbi cùm primùm ſatiuas roſas longa proſecutus fuiſſet oratione, de ſylueſtri ita paucis diſſeruit. Sylueſtres roſæ domeſticis aſperiores tum virgis, tum foliis conſtant, & florem minus odoratum minusq; coloratum, nec tanta magnitudine ferunt. Quare pro comperto habetur, aliud genus eſſe roſam ſylueſtrem à canirubo, quorum alterum κυνόρροδον, alterum κυνόσβατος à Græcis appellatur.*

Marcelli & Monachorũ lapſus, cynoſbaton & cynorrhodon idem credentes.

*Quocirca manifeſto in errore fuiſſe deprehenditur Marcellus Dioſcoridis interpres, & commentator: quippe qui idem eſſe crediderit cynosbaton, & cynorrhodon, non animaduertens, quàm illa inter ſe diſsimilia fecerit Plinius ſibi familiariſsimus. Hunc forſitan ſecuti Monachi in Meſuem ſcribentes, ipſi quoq; in eundem lapſum inciderunt, credentes ſylueſtrem roſam legitimum eſſe canirubum. Quibus præterea animo exciderat, Dioſcoridem ſcripſiſſe rubi canis fructum oliuarum nucleis eſſe ſimilem: quandoquidem ipſi illum pyris compararunt: ex quo aliquis facile iudicabit, hos nullam canis rubi cognitionem habuiſſe. Ad hæc non reperio, quod dixerit Dioſcorides, canis rubi fructum ſemen aliquod includere, quo tamen roſarum ſylueſtrium fructus refertus inuenitur: ſed lanoſum quoddam continere dixit.*

Serapiõ de canino rubo.

*Accedit his Serapionis authoritas, qui de canino rubo inter alia rubi genera egit, non autem inter roſas: quod omnino compertum haberet, hunc à roſis quam plurimùm differre. Illud inſuper addi-*

adiſderim, quòd cùm roſæ ſylueſtres ferè omnes non leuiter ex albo purpureſcant, cynosbato verò flos perpetuò ſit candidus, non eſt legitimè aſſerendum, ſylueſtrem roſam eſſe cynosbaton. Ex ijs igitur omnibus ſatis (vt arbitror) liquet, canirubum à ſylueſtri roſa longè abeſſe, tantoq́ magis, quòd memoriæ prodiderit Theoph. lib. & cap. 9. de plantarum hiſtoria, caninæ ſentis fructum auerſo flatu colligendum eſſe, alioqui periculum oculis imminere. Quod apertè demonſtrat, ſuper eo vel tenuem quandam lanuginem, vel quid puluerulenti inſidere, quod ſi à vento expellatur in colligentium oculos, facile ijs cæcitatem inducat, quod tamen in ſylueſtrium roſarum fructibus nunquam viſitur. Sed neſcio quo iudicio quave authoritate Cynosbati plantam naſci apud Pelignos & Ethruſcos ſcribat aduerſarius quidam, eamq́ arbores ſcandere, quum manifeſtò ſcribat Dioſcorides fruticem eſſe arboris inſtar, & poſteritatis memoriæ prodiderit Theophraſtus Canirubum medium eſſe inter arborem & fruticem, malo punicæ proximum. Meminit Rubi canis Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens. Huius fruticis fructus non ſegniter adſtringit, folia verò mediocriter: itaque particularis eius vſus haud ignotus eſt. Cauendum ab eo, quod in fructu eius lanæ ſpeciem habet, ceu arteriæ infeſtum. Frutex is Græcè κυνόσβατος vocatur: Latinè, Rubus caninus: Arabicè, Sent: Italicè Rouo canino.

*Rubi canis vires ex Gal.*

*Nomina.*

Κύπρος. LIGVSTRVM. CAP. CVII.

Ligustrum arbor eſt oleæ foliis circum ramos ſimilibus, latioribus, mollioribus & colore viridioribus: flore candido, [muſcoſo,] odorato: ſemine ſambuci, nigro. Optimum naſcitur in Canope, & Aſcalone. Folia aſtrictoriá vim habent: quare commanducata vlceribus oris medentur: illita feruidis inflammationibus, carbunculiſque proſunt: decocto eorundem igni ambuſta fouentur: capillum rufant trita folia, quæ in radiculæ ſucco maduerint. Flos ex aceto fronti illitus, capitis dolorem ſedat. Cyprinum oleum, quod ex eo fit, odoratum, excalfacit, emollitque neruos, ſi quæ feruenti natura prædita ſint, aſſumat.

*βοτρυώδη. i. racemoſo leg. Orib.*

## I. LIGVSTRVM.



Ligustrum in Hetruria Guiſtrico corrupta voce vulgus noſtrum appellare conſueuit: quod inibi etiam aliqui Oliuetta, nonnulli Oliuella, quidam Chambroſſene vulgò vocant. Mauritanis verò Alcanna nominatur. Naſcitur frequens in ſepibus ac nemoribus, ſecus vias paſſim in Italia. Floret abeunte vere, & ineunte æſtate, flore muſcoſo, vel (quandoquidem Oribaſius legit βοτρυώδη) racemoſo, candido, odore ſuaui, ſed qui decerptus ſtatim flacceſcat. Oriuntur ex eo baccæ in cacumine racematim cohærentes pyramidis modo, hederæ baccis minores, læuiores ac nigriores, ſapore amaro ac iniucundo, purpureo intus ſucco: hæ ſua in arbore hyeme ferè tota perdurant incorrupta, quib. aues veſcuntur, præſertimq́ merulæ ac turdi. Folia edit oleaginea, latiora, molliora tamen ac viridiora, adſtringentis guſtus. Virgas habet lentas, flexileſq́, ſolida tamen materie, è quibus caueæ fiunt ad canoras ſeruandas auiculas, ac virgæ ad inſtruendos equos. Sunt qui baccas à Virgilio vacinia vocari putent, ſed meo quidem iudicio non rectè planè ſentiunt. Quemadmodū nec Fuchſius qui rubi mora, quoniam Græcis βάτινα vacinia eſſe putat: ſiquidem vacinium florem, non fructum eſſe pluribus conſtat. Cæterum in nothis Dioſcoridis ſtirpium nomenclaturis legitur, Hyacinthum vaciniū Romanis fuiſſe vocatum. Ex quo facilè crediderim, vacinium Virgilio nil aliud deſignare quā Hyacinthum. Neque mirum eſt, quod Virgilius Hyacinthum vacinij nomine nigrum appellauerit: nam hyacinthus facilè cum violis colore purpureo certat, purpureus autem color à compluribus niger intelligitur. Hanc noſtram ſententiam comprobat Virgilius: quippe qui ſemper vacinia floribus admiſcet, ijſdemq́ comparat, non autem fructibus. Quod manifeſtè declarauit in Bucolicis, vbi de vacinio ſic cecinit, primo Eclog. II.

*Liguſtri conſideratio & hiſtoria.*

*Vacinia.*

*Fuchſii error.*

*Hyacinthus vacinium eſt.*

*Alba liguſtra cadunt, vacinia nigra leguntur.* Deinde in eadem:

*Mollia luteola pingit vacinia caltha.* Item in vltima:

*Et nigræ violæ ſunt, & vacinia nigra.*

Nec placet præterea Marcelli opinio, qui pluribus comprobare nititur, vacinium eſſe Irim. Siquidem præterquam quòd nunquam legerim Irim in coronas veniſſe, color non æque promptè correſpondet, quod varius adeo ſit, vt non aliunde ſibi nomen comparauerit, quàm à cæleſtis arcus colorum varietate. Adde etiam, quod cùm Iridis flos omnium fragiliſſimus caduciſſimusq́ ſit, poeta nullo pacto hunc liguſtro prætuliſſet. Quidam Liguſtrum eam conuolului ſpeciem eſſe autumant, quæ ſepibus, fruticibus & arbuſtis ſe circumuoluit, ac etiam ſæpius vitium palis in vinetis, flore candido, lilij, ſeu calathi effigie, quam ego læuem eſſe ſmilacem nunquam dubitaui: è quorum numero fuit Seruius Grammaticus Virgilij commentator Eclogæ ſecundæ Bucolicorum. Nempe falſus (vt arbitror) quòd neglexerit in hac hiſtoria Plinium conſulere, Dioſcoridem & alios de ſtirpium natura diſſerentes. Non defuerunt etiam qui exiſtimauerint liguſtrum eſſe Mauritanorum caprifolium, quod ſane nil aliud eſt, quàm Dioſcoridis pyxacantha ſeu lycium, non autē periclymenon, vt Ruellio placet: ſed ipſi quoq́ à veritate deſciſcunt. Nec in minori ſane errore verſatur quidā nouus Herbarius, quippe qui cenſeat Cyprum & Liguſtrū diuerſas eſſe ſtirpes: idq́ tam friuolis argumentis ex Plinio deſumptis, vt ea potius cōtra illum, quàm pro illo faciant: hallucinatur profectò qui nō videt Liguſtrū omnib. ſuis notis referre Cyprum. Prouenit. n. Liguſtrum folijs circum ramos oleæ ſimilibus, latioribus tamen, mollioribus ac viridioribus, guſtu adſtringenti: quinetiam & flores edit, candidos, muſcoſos,

*Marcellus reprehenditur.*

*Liguſtrum conuolului ſpecies Seruio Gram.*

*Herbarii cuiuſdam error cyprum & liguſtrum diuerſa cenſentis.*

vacino-

*racemoſosq́, & fructum nigrum, Sambuci baccis æmulum. Præterea ſi Liguſtri facultates expendamus, nullum reperiri poſſe medicum tam inexpertum crediderim, qui non nouerit liguſtrum ijs omnibus præſtare viribus, quib. pollere Cyprum ſcriptum reliquerunt Dioſcorides, & Galenus. Atqui Herbario illi venia danda eſt, quod is noſcendis tantum plantis, non autem earum facultatibus examinandis operam nauarit. Verùm videat is quo pacto Plinij verbis ſuam tueatur ſententiam, cum ipſe lib. 24. cap. 10. affirmanter ſcribat, Liguſtrum eandem eſſe arborem, quæ in Oriente Cypros appellatur.* Liguſtrinum oleum & eius vires. *Paratur è Liguſtri floribus oleum, ijs in oleo inſolatis, quod plurimum præſtat ad vulnerum inflammationes: valet idem & ad capitis dolorem à bile prouenientem.* Liguſtrina aqua, & eius vires. *Fit etiam è floribus aqua non inodora, ad ea ſanè vtilis, quæ refrigerationem, & adſtrictionem poſtulant. Eadem pota auxiliatur cœliacis, dyſentericis, & cæteris alui fluxionibus affectis: vterinas quoq; fluxiones cobibet tam bibita, quàm ſuppoſita. Datur eadem vtiliter potanda ſanguinem reijcientibus. ſicut oculorum fluxiones, per ſe, aut cum pompholyge adhibita.* Liguſtri vires ex Galeno. *Liguſtri meminit Galenus lib. VII. ſimp. med. ſic inquiens: Cypri ſeu liguſtri folia, ſummaq́ germina in vſum veniunt, & facultatis, & temperamenti maximè miſti: habent enim quiddam digerens cum aquea ſubſtantia modicè calida, habentq́ etiam adſtrictorium quiddam ex terrena ſubſtantia frigida. Itaq; eorum decocto quidam ambuſta fouent. Vtuntur verò etiam aduerſus igneas phlegmonas, & carbunculos: nam abſque moleſtia & morſu deſiccant. Quinetiam ſponte prouenientibus in ore vlceribus, aphthodeſi, & ipſis puerorum aphthis commanſa accommoda ſunt.* Nomina. *Κύπρος arbor ita Græcis, Latinis verò Liguſtrum appellatur. Mauritanis, Kenne, Henne ſeu Hanne: Officinis, Alcanna: Italis, Guiſtrico, Oliuella, Oliuetta, & Chambroſſene: Germanis,* Rheinweiden / Beinhöltzlein vnnd Mundholtz*: Hiſpanis, Alſena, ſiue Albena: Gallis, Du troeſne ſiue Trezillon: Bohemis Ptacij Zob.*

Cyprus Dioſcoridis; idem ne ſit cum Liguſtro noſtro, & Henne Arabum, ampla eſt controuerſia alibi tractanda: hoc in loco duas poſuimus figuras: alteram vulgaris Liguſtri, alteram Ægyptiaci. I. Liguſtrum vulgare, C. B. Liguſtrum, Brun. Fuch. Lac. Geſ. hor. (cui & phillyrea) Lob. Thal. Tab. Liguſtrum, Cyprus, Trag. Cord. in Dioſ. Coſt. Lugd. Cæſ. Phillyrea, Dodo. Gal. (& liguſtrum Plinii) & fol. Liguſtrum maius & minus, Lon. Flore eſt albo, at ſubluteo reperiri aiunt. II. Liguſtrum Ægyptiacum arbor eſt Liguſtro ſimilis, quæ in multos ramos brachiatur, quos folia Liguſtrinis anguſtiora & candidiora, vt in Lentiſco diſpoſita cingunt: in ramulorum ſummitatibus flores racematim diſpoſiti conſpiciuntur, qui nō albi ſed cinericei, figura ſambucinis proximi, at minores, odore Liguſtrinis ſuauiores & acutiores: quibus ſuccedunt fructus ſeu baccæ inſtar coriandri rotundæ, quę tanquam in folliculo multa ſemina nigra parua concludunt (quæ ipſimet ex baccis ſumpſimus.) Hæc copioſiſſima & notiſſima in Ægypto, quæ & in Canope (Alpino monente) vbi Dioſcorides ſuum Liguſtrum notauit, prouenit. Foliis adſtrictoria & exſiccans vis ineſt, qualē ſuo Liguſtro Dioſcorides, & ſuæ Alcannæ Auicenna tribuit. Quare Ægyptii, apud quos Elhenne ac Tamarhendi nominatur, foliorum puluere ad vlcera oris, gingiuarum & pudendorum maximè vtuntur: eundem cum mulſa miſcentes & emplaſtri modo pedibus applicantes, fluxiones humidas pedum, eorundem ſudores & fœtores, exſiccando tollunt. Mulieres puluerem foliorum aquæ miſcentes auream reddunt, qua manus & pedes aureo colore ad ornatum inficiunt. Vtuntur & Ægyptii foliis in commerciis ad tingendum aureo colore. Flores quinetiam capiti dolenti (vt & Dioſcorides monuit) applicant, ſed ſine aceto. Huius iconem Alpinus etiam propoſuit: & ſimilem hiſtoria Lugdunenſis ex Rauwolfii itinerario, Cypri Græcorum & Liguſtri Latinorum nomine.

II. LIGVSTRVM ÆGYPTIACVM.



## φιλλυρέα. PHILLYREA. CAP. CVIII.

PHillyrea arbor eſt liguſtri magnitudine, foliis oleæ nigrioribus, & latioribus: fructu lentiſci, nigro, ſubdulci, racematim cohærente: aſperis naſcitur. Huius folia aſtringunt: ad eadem vtilia, ad quæ oleaſter, cùm aſtrictione eſt opus: maximè ad oris vlcera commanducata, aut ſi decocto colluantur: pota vrinam, ac menſes cient.

Phillyreæ, & Tiliæ confuſ. *REcentiores Dioſcoridis interpretes, vt Hermolaus, Ruellius, & Marcellus Florentinus, Phillyream hic deſcriptam à Dioſcoride, eam eſſe arborem certò credidere, quæ Tilia dicitur, nimirum falſi nominis ſimilitudine. Quandoquidem tilia Græcis φιλλύρα, non autem φιλλυρέα, dicatur. Quod cùm nullus horum animaduertiſſet, alter alterum ſecuti concordes phillyream tiliam appellarunt, ita Græcum nomen malè, meo quidem iudicio, in Latinum vertentes. Quo factum eſt, vt multis ſit perſuaſum, vel quòd Dioſcorides tiliam nunquam viderit, vel quod illi à vulgari tilia alia eſſet longe diuerſa, vtpote quæ omnibus notis tiliæ refragatur.* Interpretum Dioſc. lapſus. *Sed quod Dioſcorides tiliam ſeorſum à phillyrea cognouerit, vel ſaltem in ijs plantis diſcrimen poſuerit, ſatis perſpicuum fieri arbitror in huius libri præfatione circa finem, vbi hæc verba leguntur. Flores, & omnia, quæ iucundum odorem efflant, reponantur ἐν κιβωτίοις φιλλυρίνοις. Quæ ſanè voces Græcæ non ſolùm quod rectè vertantur ab interpretibus, in arculis tiliaceis, ſed quod poſtrema quidem non à φιλλυρέα, ſed à φιλλύρα, quæ Latinis tilia eſt, deduci poſſit, abunde declarant, has plantas diuerſas eſſe in hoc ipſo auctore. Porrò hinc facile comprehendi poteſt quod illi non ſolùm nomina, ſed etiam rem confuderint: nam ſi tiliam cognouiſſent, nulli dubium eſt, quin phillyream Dioſcoridis proprio nomine ſeparaſſent à philyra, hoc eſt tilia Theophraſti, qui eam lib. III. cap. X. de plantarum hiſtoria*

I. PHILLYREA.



II. PHILLYREA MEDIA.



III. PHILLYREA ANGVſtifolia.



IV. TILIA MAS.



*ſorta his verbis memoriæ prodidit.* TILIA *quædam mas eſt, quædam fœmina. Diſtant inter ſe tum materie, tum totius corporis forma, & quod altera ſit fructifera, altera vero ſterilis. Nam mas arbor eſt magna, patentibus ramis: materies mari dura, flaua, nodoſior, ſpiſsiorq́: fœminæ candidior: & cortex mari craſsior, detractusq́ inflexibilis propter duritiam eſt: fœminæ candidior, flexibilior tenaxq́, ex quo ciſtas faciunt, item fœmina odoratior: & mas ſterilis, nulloq́ flore eſt:* Tiliæ hiſtoria.

V. TILIA FOEMINA. VI. MAHALEB.





re eſt: fœmina & florem, & fructum gignit. Flos calycula intectus præter folij pediculum, amentumq́; futurum, pediculo altero annexus, viridis dum in calycula eſt, detectus autem leuiter flauus: floret cum vrbanis. Fructus oblongus, orbiculatus, magnitudine fabæ, ſimilis hederæ acino, quinis angulis, veluti neruis eminentibus, inq́; acutum, cum ſeſe contrahentibus partitus, qui ſcilicet maiuſculus eſt, minutiuſculus autem cõfuſior conſtat: cùm ille maiuſculus ſcabitur, paruula quædam, ac prætenuia ſemina, quanta atriplicis emittit. Folium & cortex dulcia, ſuauiaq́;: folium fœminæ forma hederaceum, niſi quod in angulum acutiorem rotundatur: & quanquam iuxta pediculum curuatius, tamen de medio in acutius coactum prætendit, ſeq́; prolixius protrahit, criſpum in orbem leuiter, atq́; ſerratum. Medullam exiguam materies continet, nec multò reliquo molliorem corpore: nam & reliquum ligni molle eſt: hæc de tilia Theophraſtus. Mas folia fert lata, oblonga tamen, in quibus ferè omnibus numeroſæ extuberant bullæ, in quibus muſcæ gignuntur, quæ tandem areſcentibus receptaculis, inde gregatim euolant. Prouenit in ſyluis & montibus, ſaxoſis locis. Fœmina non ſolùm in montibus, ſed in planitie quoq́; prouenit, ac in cæmiterijs, & ædium areis. Quid de maris facultatibus ſcribam, hactenus non habeo. Fœmina adſtringit, glutinat, diſcutit, inſpiſſat, abſtergit. Quibus ſanè notis ad amuſsim reſpõdent noſtræ tiliæ, quarum hic imagines damus. Sed eas, mea quidem ſententia, non inuenias in phillyrea Dioſcoridis: ſiquidem hæc folio conſtat oleæ, illa verò hederæ: huic fructus lentiſco ſimilis, racematim cohærens, rubens, granis, quæ vocant paradyſi, non abſimilis: illi verò oblongus, orbiculatus, ad fabæ magnitudinem, quinis angulis, veluti neruis, diſiunctus, cui intus ſemen atriplicis inſtar: quod apertè oſtendit earum diſcrimen. Id etiam declarat tiliæ proceritas amplitudoq́;, ac ramorum denſitas: nam phillyrea Dioſcoridi arbor eſt pumila, liguſtri magnitudine. Et quanquam tradat Plinius, tiliam arborem eſſe proceritate perquàm modica, tamen cum ſenſibus, & experimento contrarium conſtet, credendum certè putauerim, Plinium quoq́; deceptum propinquitate vocabuli, & Theophraſti philyram, & Dioſcoridis phillyream ſimul confudiſſe: à quibus facilè ea, quæ de tilia ſcripſit, accepit.

*Plinii lapſus.*

In quam ſententiam hæc quoq́; ratio me deducit, quod Plinius vni tantùm ſpeciei, ſcilicet noſtræ vulgari tiliæ, vires attribuit, quibus pollere phillyream Dioſcorides eſt auctor, præter alias plures, quæ ipſi tiliæ ſunt propriæ, quemadmodum fecit & Ruellius illum ſecutus. Eſt itaq́; Phillyrea arbor à Tilia vtraq́; valde diuerſa, cuius imago, quam hic appinximus, deſcriptioni haud parũ aſtipulari videtur: ſed non ob id affirmare auſim, hanc legitimam eſſe Phillyream, quòd eius baccæ ſubdulces non habeantur. Quamobrem minimè eorum ſententiæ ſubſcribam, qui liguſtrum de quo ſuperiori capite diſſeruimus, Phillyream eſſe contendunt. Serapio ex Dioſcoride tranſcribens, Phillyream MAHALEB appellat.

*Mahaleb à Phillyrea diſcrimen.*

Verùm planta, quam nonnulli Mahaleb vocant, arbor eſt non admodum procera, folijs Tiliæ haud longe abſimilibus: flores edit albos, è quibus baccæ ſubnaſcuntur nigræ, oſsiculo intus ceraſorum paulo minore, in quo nucleus reconditur, cuiusq́; baccarum nucleis Vnguentarij noſtri vtuntur, ad ſmegmata odorata paranda, Dioſcoridis Phillyreæ haudquaquam reſpondere videtur. Siquidem Phillyrea Dioſcoridi folia habet oleæ, ſed latiora, & baccas racematim cohærentes: quæ quidem notæ in Mahaleb, cuius imaginem hic expreſsimus, longe aliter ſe habent. Verum etſi negauerim hanc eſſe Phillyream, non deſunt tamen argumenta, quæ me inducunt ad credendum eandem legitimum eſſe Mahaleb, de quo Arabes ſcripſerunt, quod videam apud Arabes, quos in eodem capite citat Serapio, eorum Mahaleb à Phillyrea plurimum facultate differre.

*Serap. lapſus.*

Phillyrea enim Dioſcoridi adſtringit oleæ agreſtis modo. Serapioni vero, Aben meſuai & Raſis teſtimonio excalfacit & emollit. Id quod vulgaris Mahaleb nuclei, quorum tantum eſt vſus, manifeſto præſtant: nam cutis aſperitatem, duritiemq́; facilè tum emolliunt, tum læuigant illiti, confrictive. Quapropter eos haud aberrare crediderim, qui plantam, cuius hic imaginem damus, Mahaleb Arabum legitimam eſſe cenſent. Atqui non parum hoc in loco aberraſſe Serapionem animaduerto, quod putarit Dioſcoridis Phillyreã ab Arabico Mahaleb nihil differre.

*Mahaleb vires ex Auic.*

Mahaleb Auicennæ abſtergit, attenuat, reſoluit & dolores

*dolorem ſedat: ideoq; nuclei contuſi vtiliter illinuntur iliorum, & dorſi doloribus: id quod magis præſtat oleum ex ijs expreſſum: ex melicrato pota, animi deliquiis ſubuenit. Datur quoq; aduerſus coli cruciatus, & renum calculos. Cæteris verò Arabicis, quorum authoritate nititur Serapio, ventris tineas pellit, & vrinam cit: quæ omnia Mahaleb communis vſus præſtare poſſe non ambigimus. Huius plantam miſit ad me primum Iacobus Antonius Cortuſus Patritius Patauinus, rei plantariæ admodum ſtudioſus: & deinde eandem quoq; miſit Franciſcus Calzolarius Myropola Veronenſis ad auream Campanam, vir quidem medicæ materiæ haud ignarus. Adamus Lonicerus in ſuo de ſtirpium hiſtoria libro conſtanter aſſeris, nulla tamen huc allata ratione, nec authoritate, liguſtrum & phillyream vnam & eandem eſſe plantam: contenditq; caput hoc omnino Dioſcoridis ſpurium eſſe. Verùm is ideo hallucinatus videtur, quod primùm phillyreæ delineatio à liguſtro, quod Græcis κύπρος dicitur, non parum diſſentiat: ſecundo quod non ſolum codices Dioſcoridis Græci, & ij quidem probatiſſimi, habeant phillyream: ſed etiam Oribaſij codex manu ſcriptus, in quem ipſe ex Dioſcoride ſimplicia transtulit: quemadmodum eam etiam habent Paulus & Serapio, qui Arabico ſermone phillyream Mahaleb appellauit. Tiliæ cortex commanſus, ac inde illitus vulneribus recentibus agglutinandis efficax eſt. Folia verò trita, & aqua conſperſa pedum tumores diſcutiunt. Humor è medulla caſtratæ arboris defluens capiti illitus capillos reddit, defluentesq; continet. Aqua è floribus deſtillata ſua peculiari dote datur vtiliter Epilepticis. Ligni carbones in puluerem tuſi, auxiliantur his qui ab alto deuoluuntur fractis ac contuſis. Arbor, quæ Græcis φιλλυρέα, Latinis item Phillyrea vocatur: Arabibus, Mahaleb: Italis, Phillyrea. Mahaleb: Mauritanis ſic dicta vnguentariis: Italis, Machalep. Quæ verò Grecè φιλύρα, Latine Tilia, pariter & Italicè ſiue Teio nominatur: Germanicè, Linden: Bohemice Lypa: Gallis Tilleu femelle. Mas vero Tilia, Græcis φιλύρα ἄρρην: Italis, Tilia maſchio & Carpino nero: Germanis Steinlinden: Gallis Tilleu masle.*

Adami Loniceri error.

Tiliæ vires.

Nomina.

Phillyream ſunt qui eandem cum Liguſtro cenſeant: alii qui Tiliam interpretantur, quæ apud Theophraſtum philyra dicitur: at hæc Dioſcoridis, videtur à Theophraſto phylica dicta. Genera quinque Cluſius propoſuit, de quibus aliàs. Quam Matthiolus proponit racemoſam, ad imitationem textus Dioſcoridei, niſi racemos haberet phillyream arborem Gallo prouinciæ Aduerſariorum, Lobelii & Lugd. herbarii diceremus. Camerarius vna figura tres differentias oſtendit, alteram latis, alteram anguſtis & tertiā medio modo ſe habentibus foliis, vt nihil obſtet Dioſcoridis deſcriptioni folia oleæ latiora Phillyreæ tribuentis. Has diuerſas ſpecies & adhuc alias, de quibus in hiſtoria, circa Monſpelium obſeruauimus, cuius nomine ad Matthioli figuram adiecimus adhuc mediam & anguſtifoliam: quæ enim II. eſt, dicitur Phillyrea Narbonenſis Lob. Phillyrea tertia Cluſio hiſp. Taber. Phillyrea Penæ maior & Alaternus maior Dalechampii Lugd. Phillyrea media Camer. ad Matth. Cyprus latiore folio, Dodo. fol. Ilatrum, Cæſalpino: hæc breuis eſto deſcriptio: Arbuſcula eſt, viri altitudinem non facilè ſuperans, ramoſa, cortice rugoſo eoq; candicante: foliis oblongis, integris, acuminatis, firmis, ex viridi nigricantibus, ſaporis adſtringentis: floribus oleæ ſimilibus, puſillis, ex herbaceo candidis, inter foliorum exortus congeſtis: quib. ſuccedunt fructus racematim inter folia propendentes, rotundi, nigri, magnitudine fructus Myrti, qui nucleum oſſeum cortici fragili alboq; incluſum continent. Non longè Monſpeſſulo obſeruauimus, via qua itur ad ſtagna. III. quam anguſtifoliam vocamus, (licet & aliam anguſtiorem humilioremq; habeamus) Phillyrea anguſtifolia dicitur Lobelo: & Cam. ad Matth. Phillyrea quarta Cluſ. hiſp. & Taber. Phillyrea minor Penę, & Alaternus minor Dalechampii, Lug. Cyprus, Dod. fol. Oleaſtrū Monſpelienſes dum apud ipſos eſſem, vocabant. Hæc priore humilior magisq; à radice ramoſa, ramis minoribus, cortice nigriore veſtitis, foliis ſalignis, anguſtis, nigricantibus, amaris: floribus ad foliorum exortus circa ramulos congeſtis, candicantibus: quibus ſuccedunt fructus nigri paruis pedicellis inſidentes, baccarum Myrti magnitudine, in quibus oſſiculum durum continetur. In ſepibus Monſpelliacis legimus. IIII. Tilia màs, quæ hic proponitur, vt & à Lob. Lug. & Tab. Carpinus nigra dicitur Caſtori: & nobis Vlmus, aut certè eius aliqua ſpecies eſſe videtur: aliam enim marem agnoſcimus, cuius deſcriptionem ſubiicere placuit; figuram hiſtoriæ noſtræ addituri: Arbor eſt craſſo caudice, ramoſa, materia vti Tiliarum robuſta, cortice lanuginoſo, ſubruffo: foliis magnis, quæ vix rotundantur, vt in fœmina fit, monente Theophraſto 3. hiſt. 10. ſed in acutum angulum deſinunt, Mori ſatiuæ foliis quoad formam ſimillima, eo excepto, quod profundè ſint ſerrata, ex virore nigricantia, prona verò parte ſplendentia, Tiliæ fœminæ vulgaris, foliis triplo & quadruplo maiora: in qua hactenus nec florem, nec fructum videre licuit. Quam tamen ab annis ſeptendecim nunc obſeruaui, cum in monte noſtro Muteto (quo ſtudioſos ſingulis annis deducere ſolemus) verè Appollineo ob plantarum copiam, plures ſint arbores. Tilia fœmina non eſt, nec etiam Tilia ſylueſtris Tragi, cui folia multo minora: fortè Tilia mas Theophraſti 3. hiſt. 11. quam ſterilē & nullo flore eſſe ſcribit. V. Tilia fœmina Plinii ſeu Phillyra Theophraſti C.B. aliis Tilia ſimpliciter, aliis Tilia fœmina dicitur: ad radices antiquarum Tiliarum ſæpenumero extuberantias & excreſcentias obſeruare licet, quemadmodum iuxta antiquas quercus vuarum forma reperiuntur. VI. Chamæceraſus petræa. C.B. Mahaleb, Matth. Caſt. Lugd. Cam. Ceraſus ſylueſtris, Trago, Chamæceraſus alia quam Punicè Mahaleb vocant, Geſ. hor. Phillyrea Arabicè Mahaleb, Geſ. ad hiſt. Cordi. Macaleb, Geſneri & Matthioli, Lob. Machalepum Tabernæmontano.

Tilia mas noua.

## Κίστος. CISTVS. CAP. CIX.

CIſtus quem aliqui citharon, aut ciſſaron vocant, ramoſus frutex eſt, ſed improcerus, a folioſus: ſaxoſis locis naſcens: foliis rotundis, b acerbis, hirſutis, flos † maſculo c vt mali punicæ, fæminæ albet. Vis aſtringens: vnde flores in vino auſtero bis in die poti, proſunt dyſentericis, & nomas per ſe illiti cohibent: vetuſtati vlcerum, & igni ambuſtis cum cerato medentur. Hypociſtis rhobethron, aut cytinus à nonnullis cognominata, iuxta ciſti radices naſcitur, floris punici ſimilitudine. Quædam rufa, † altera herbacea, tertia candida. Liquatur acaciæ modo. Aliqui tamen exiccant, fractamque macerant, & incoquunt, reliquaque vt in lycio proſequuntur. Vires acaciæ habet, verùm aliquanto magis ſiccat & aſtringit. Prodeſt dyſentericis, cœliacis, ſanguinem excreantibus, fœminarum profluuio & pota & indita.

a Meum φυλλώδης i. folioſa. Cat. verò ξυλώδης, i. lignoſa.

b Meum μέλανα, i. nigra, ſed Cacum Ruellio ſτρυφνά, i. acerba.

c Cata. ὥσπερ ῥόδα, vt roſæ.

I. CISTVS MAS.



II. CISTVS FOEMINA.



III. HYPOCISTIS.



*Ciſti & hypociſtidis conſideratio & hiſtoria.*

NAſcitur vterq; Ciſtus, e cuius radicibus Hypociſtis prosilit, in pluribus aſperis Hetruriæ locis, & præſertim in Apennino monte. Fœmina in collibus aridis ac ſaxoſis: copioſa in agro Patauino. Duum eſt generum: Alterum mas: alterum fœmina. Arbuſcula Ciſtus eſt pumila, ramoſa tamen & folioſa, ſaxoſis ac aridis locis naſcens. Mas folijs eſt rotundis, criſpis, acerbis, hirſutis, albicantibus. Flos mari vt mali punici, fœmina vero albus, & ciſti maris longè minoribus, & folia oblonga Saluiæ æmula, albicantia & hirſuta. Hanc ruſtici Patauini Syluestrem Saluiam vocant.

*Hypociſtis.*

Hypociſtis verò iuxta vtriuſq; Ciſti radices, quinetiam Ladani naſcitur, floris punici figura, vel potius Orobanches faſtigijs colore vario. Liquatur Acaciæ modo: cæterum tunditur recens, elicitur ex eo ſuccus ad medicamenta, & ſubinde inſolatur & aſſeruatur ad vſum: ſiccat enim & potenter adſtringit. Quare probi quidem, ac diligentes ſeplaſiarij omni ſtudio atq; ope niti deberent, vt ſibi vtrunque genus cum hypociſtide vel ex Apennino ipſo, vel aliunde comportaretur: quandoquidem ſine legitima hypociſtide legitima non poſſit fieri theriaca, nec præterea alia quædam, quæ in medicinæ vſum veniunt, antidota ac medicamenta. Namq; hypociſtin, qua paſſim vtuntur officinæ, ex hirci barbæ radicibus impoſtores conficiunt, ſuccum inde exprimentes, ac vt concreſcat, inſolantes.

*Ciſtus, hirci barbula.*

Errandi tamen ac ſimul impoſturam faciendi cauſam dederunt Arabes, quòd ciſtum hirci barbulam appellent. Quo factum eſt, vt ij omnino aberrauerint, qui officinis hypociſtidem parant, ſibi perſuadentes hirci barbam, quam Græci τραγοπώγωνα vocant, illam eſſe ſtirpem, de qua Arabes intelligunt. Qua errore ducti nō modò ſeipſos decipiunt, ſed etiam alios, qui paſſim adulterina hypociſtide vtuntur.

*Fuchſii error dum hypociſtin fungum putat.*

Atqui Fuchſius in libro de componendis medicamentis, quem ſecundo edidit, vbi paſtillos ex ſuccino perpendit, non ſine magno errore (pace viri eruditi dixerim) putat hypociſtim fungum eſſe. Quandoquidem hypociſtis non fungus eſt, ſed veluti germen, quod è ciſti radicibus pullulat, effigie ferè punicorum cytinos repræſentans, vt optimè ſciunt ij, apud quos ciſti plantæ copioſæ proueniunt.

*Hypociſtidis ſuccedanea.*

Hypociſtidis locum ſupplere acaciam tradidit Dioſcorides, vt etiam habetur in Galenicis ſuccedaneis, quæ illius vice vti poſſent officinæ, ſi modo & ea careret adulterio. Poteſt etiamnum, ſi deſit hypociſtis, aſſumi eius loco floris agreſtis punicæ ſuccus, quippe qui eadem præſtet, quæ hypociſtis, auctore Dioſcoride.

*Plinii lapſus ciſtum cum ciſſo confundentis.*

Plinius deceptus vocabulorum germanitate ineptè

*inspectſatis, nihil iudicio, commiſcet ciſſi, & ciſti hiſtoriam: quamobrem non immeritò eum damnauit docti ſsimus Leonicenus. Ciſti meminit Gal. lib. 7. ſimp. med. ſic inquiens. Ciſtus aut Ciſtarus frutex eſt guſtu adſtringens, omnibusq; particulatim operibus. Attamen folia & parua germina trita adeò deſiccant, adſtringuntq;, vt vulnera glutinare valeant. At flores ſunt magis efficaces, adeò vt cum vino poti dyſenterias, ventris imbecillitates, fluxusq; ac humiditates ſanent: cataplaſmatis ritu illita vlcerum putredinoſa iuuant. Eſt enim eorum facultas non inſtrenuè deſiccans, fereq; ſecundi exceſſus à temperatis abſoluti: adeo vero frutex hic frigidus eſt, vt tepidi caloris ſit particeps. Porro Hypociſtis, quam vocant, multo eſt magis aſtrictoria quam folia, admodum efficax remedium ad omnes fluxionū affectus, puta ſanguinis reiectiones, profluuia muliebria, cœliacos, dyſentericosq; affectus. Quin ſi quam partem roborare conſilium ſit, quæ videlicet pluſculo humore exoluta fuerit, robur ac firmitatem illi non imbecilliter addit. Sic ſane ſtomachicis epithematis, hepaticisq; commiſcetur, & ex viperis confecto antidoto inditur, nimirum, quo corpora confirmet ac roboret.* Frutex Κίςος, κίθαρον aut κίσαρον, *Græcis dictus, Latinis quoq; Ciſtus appellatur: Arabibus, Ramiet, Altheis ſeu Ibaie althis:* Italis Ciſto: Hiſpanis *Ciſtus fœmina, Græcis* Κίςος θήλυς: *Italis Ciſto femina: Patauinis Saluia ſaluega. Hypociſtis vero ſic Latina voce, quemadmodum* ὑποκιςὶς, *Græcè dicitur: Arabice, Taratith: Italice Hypociſto: Hiſpanice Pultegras.*

Ciſti & hypociſtidis vires ex Galeno.

Nomina.

*† Hæc dictio non legitur in Græcis codicibus. Sed eam huc ad clariorem (vt puto) ſenſum ex Plinio tranſtulit Ruellius: quod verbum illud à Dioſcoride ſtudio fortaſſe breuitatis omiſſum, ſatius addendum eſſe duxerit, quam ſubintelligendum, quod etiam Hermolaus fecit.*

*† Nimirum eſſe debet, quod Plinio duo tantum hypociſtidis genera prodantur, coloribus ruſo & candido diſtincta: quandoquidem ijs duntaxat Oribaſius quoq; contentus fuiſſe videtur lib. 12. vbi genus* χλωρὸν, *hoc eſt, herbaceum, vt vulgati codices habent, non legitur.*

Κίςον Gaza apud Theophraſtum 6. hiſto. interpretatus eſt Hederam, quia κισσὸν pro κίςον (vt multa exemplaria habent) legit: quæ forte cauſa fuit Plinio, vt lib. 16. κισσὸν cum κίςῳ confuderit, quod recte Leonicenus oſtendit, licet Collinutius & Polutianus pro Plinio pugnent. Ciſti duo genera facimus, Ciſtum non ladaniferam, & Ciſtum ladaniferam: illius duo genera, mas & fœmina: maris genera quinq; Cluſius hiſt. Hiſpanica propoſuit, quæ inter ſe foliorum forma, aut colore florum rubro, nunc ſaturatiore, nunc dilutiore differunt. Fœminæ plures ſpecies, aut elatior eſt & rectis virgis fruticat, aut ſupina eſt: rurſus vtrumq; genus colore floris variat, vel candidus eſt, vel luteus. Ad fœminam communem, nouem adhuc ſpecies Cluſius refert, nam cum florem roſeum aut purpureum non habeant, qualem in mare requirit Dioſcorides, recte ad fœminam referuntur. His adiicit Ciſti ſpeciem Lobelus & exoticam Ciſtifoliam: ſic & Cluſius hiſt. Pannonica Chamæciſti quatuor propoſuit differentias. I. Ciſtus mas Matthiolo Lac. Ciſtus maſculus, Lonic. Ciſtus mas folio rotundiore Matthioli, Lug. forte ciſtus mas quartus Cluſ. hiſt. hiſp. At Matthiolus in ſuis editionibus, diuerſas proponit icones: inter magnas enim figuras habet Ciſtum, cuius folia ex rotunditate oblonga ſunt, inter minores hanc proponit foliis rotundis, procul dubio imitari volens Dioſcoridis deſcriptionem, qui talia in Ciſto requirit folia. Cum vero talibus foliis marem hactenus non viderimus, ſed oblongis, adpoſuimus figuram talem ſub Hypociſtide. Dicitur Ciſtus, Dodo. Ciſtus mas, Lob. Cam. Ciſtus mas primus, Cluſio & Lugd. Ciſtus mas latifolius, Tab. Ciſti alterum genus Cæſalp. II. Ciſtus fœmina Matthioli, at maioribus floribus cæteri pingunt, ſed noluimus commentatori ſua mutare. III. Hypociſtis dicitur id quod ex ipſius & Ciſti & Ledi radicis medio pullulat: Limodori genus vocat Dodonæus. Reperitur rubra, flaua, pallida.

Ciſti genera.

## Λῆδον. LEDVM. Λάδανον. LADANVM. CAP. CX.

EST & alterum ciſti genus, Ledon à nonnullis appellatum, frutex ſimili modo naſcens, longioribus foliis, & nigrioribus, quæ verno tempore quiddam contrahunt pingue. Foliorum vis aſtringens, ac eoſdem, quos ciſtus, effectus præbens. Fit ex eo quod Ladanum dicitur: ſiquidem cum ciſti frondes paſcūtur capræ, hircique, pinguitudinem conſpicuè barba carpunt, & ſuo lentore villoſis cruribus adhæreſcētem reportant: quam depectentes incolæ colanteſque, cogunt in offas, & ita recondunt. Alii vero attractus funiculis, inſidentem fruticibus lentorem abſtergunt, conglomerantque in Ladanum. Maxime probatur odoratum, ſubuiride, a [facile molleſcens, quod arenas non collegit, nec ſqualore obſitum eſt, reſinoſum,] quale in Cypro gignitur. Arabicum vero, Libicumq; vilius. Natura ei ſpiſſandi, calfaciendi, molliendi: ora venarum patefacit: capillum fluentem continet, addito vino, myrrha & myrteo oleo: cicatricibus decorem reddit, cum vino illitum: medetur aurium doloribus, cum hydromelite aut roſaceo infuſum: ſuffitu ſecundas eiicit: peſſis immiſtum vuluæ duritiem ſanat. In medicamenta, quæ aurium dolorem, tuſſimque finiunt, & malagmata vtiliter inſeritur: aluum ſiſtit cum vino vetere potum, & vrinam ciet.

a Meū & Cas. εὐμάλακτον, λιπαρὸν, ἀμέτοχον ψάμμου, ἀψαφαρές(?), ῥητινῶδες. i. facile molleſcens, pingue, expers arenę, nec friabile, ſed reſinoſū.

*LAdanum, quod vulgo alij appellant Landano, alij vero Odano, tametſi plerumq; impoſtorum malitia adeo ſabulo, & alijs adulterijs ſit vitiatum, vt nihil valoris præſtet, ego tamen præſtantiſſimum ſæpius Venetijs emi ab vnguentarijs, qui odoramenta conficiunt. Verum apud pharmacopolas, qui medicamenta nobis parant, Ladanum, quod ſyncerum purumq; ſit, rariſſime reperitur: cum eorum plurimi potius curent, vt rem minoris emāt, quam vt ſeligant legitima ab adulternis, quod tamen iniquum eſt, inhumanum ac deteſtabile crimen. Arbuſcula, è qua Ladanum colligitur, Ledum appellatur, & inter ciſti genera recenſetur. Cæterum Plinius vocabulorum vicinitate deceptus (vt etiam in ſuperiori commentatione dictum eſt) ex ciſſo, id eſt, hedera, non autem ex ciſto ladanum colligi dixit. Ex quo item multis falſo perſuaſum eſt quod non à ciſto, ſed ab hedera Ladanum legeretur. Duum eſt generum: alterum folijs grandioribus, alterum vero minoribus. Eſt ladani planta Ciſto fœminæ fere ſimilis, ſed longioribus folijs & nigrioribus, quæ verno tempore quiddam contrahunt pingue. Prouenit in ſaxoſis, & apricis collibus in calidioribus regionibus. Ladanum, additur in emplaſtris, quæ ad roborandum ventriculum parantur. Atqui non modo id præſtare ladanum extrinſecus palam eſt, ſed etiam in catapotijs drachmæ pondere deuoratum, duabus horis à cœna: ſiquidem hoc modo concoctionem adiuuat. Additur in odoratis ſuffitibus.*

Ladani conſideratio.

Plinii lapſus ladanum ex ciſſo colligentis.

Ladani vires.

LEDVM.



*bus. Conſolidat antiqua vlcera, emplaſtri modo impoſitum. Purgatur Ladanum calore remollitum, & vino albo, & aqua roſacea deinde pluries elotum. Expetitur ita purgatum ad globos qui parantur aduerſus peſtilentem auram, Ambaro, Moſcho, Caryophyllis, Santalo & Agallocho additis. Paratur ex optimo pinguiq; ladano ab vnguentarijs oleum odoratum hoc modo: Sumunt ladani præſtantiſsimi libram: ſecant in tenuiſſimas portiones, & in æreo cacabo collocant, ſuperadduntq; deinde aquæ roſarum ſenas vncias, & amygdalini olei dulcis vncias quatuor. poſthac igni haud magno admouent, ferueſcereq; ſinunt ſeſquihora: poſthac tollunt, & toties percolant, quouſq; clarum fiat. De Ladano plura memoriæ prodidit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Ciſtus aut Ladanum: in calidioribus regionibus hic Ciſtus proueniens, tametſi haud alius ſit genere, quàm qui apud nos naſcitur: eximiam tamen à regione ac peculiarem, digerentemq; caliditatem nactus eſt: atq; vtroq; à noſtrate differt, tum quia frigiditatem depoſuit, tum quia calorem aſſumpſit. Itaq; cætera quidem huius ciſti, illis quæ in noſtrate viſuntur, ſimilia ſunt. Verùm Ladanũ, quod vocãt, ex eo prouenit, medicamentum primo exceſſu iam quoddammodo complete calidum, vt videlicet & ſecundum attingat, habens etiam adſtrictionis paululum. Ad hæc ſubſtantia tenui, ac proinde emolliens ſiue malacticum, pariterq; moderatè digerens, at videlicet etiam συμπεπτικὸν, hoc eſt concoquens. Emollit, digerit, concoquit, venarum ora patefacit & ſpiſſat. Itaque mirandum non eſt, ſi peculiariter ad vteri vitia conueniat: quandoquidem ad dicta paulum quiddam adſtrictionis obtinet. Quocirca defluentes capillos retinet. Nam quicquid ad radices eorum praui humoris ſederit, id omne abſumit: tum meatus, quibus infixi ſunt, contrahit & conſtringit adſtrictione. Cæterùm alopecias & ophthalmias ſiue lippitudines, ſanare non poteſt, vtpote magis diſcuſſorias vires, quàm quæ Ladano inſunt, poſcentes: quippe proueniunt hæ ex prauis ſuccis, lentis craſſisq;, quos ſecantia ac digerentia medicamenta potiſsimum euocant atque euacuant. Cæterùm tenuium partium ſint facultatis oportet, & minimè aſtringentis: non tamen vſque adeò tenuium partium, & deſiccatoria, vt nimio plus deſiccent, vnaq; cum collectis inibi ſuccis præter naturam, naturalem quoq; humiditatem incrementa pilis ſuppeditantem abſumant, nam ſic non tantum alopecia liberabunt, ſed & caluiciem afferent. Sed hæc ad curandi rationem pertinent. Arbuſcula, quæ Græcè λῆδον, Latinè ſimiliter Ledum nominatur, Arabicè Chaſus. Quod verò λάδανον Græci, Latini item Ladanum vocant: Mauritani, Leden ſiue Laden: Itali Laudano & Odano: Hiſpani, Xara.*

Oleum ex Ladano quomodo paretur.

Ladani vires ex Galeno.

Nomina.

Ciſtus Ladanifera vel Ledum: Galeno ciſtus aut ladanum: Plinio Lada. Recentioribus Ledum & Ciſtus ledon. Huius genera decem Cluſius hiſt. Hiſp. propoſuit: quibus tria adhuc Lobelus addit, & hiſtoria Lugdunenſis, his omnibus & aliam nomine Ledi Bauhini adiecit. Ladanum verò, ſiue officinarum Laudanum, lenta eſt reſinoſa & odorata pinguedo, foliis & ramis Ciſti ledi adhærens, quæ inde colligitur diuerſimodè, qua de re Dioſcorides, Plinius, Hermolaus & Bellonius.

## Ἔβενος. EBENVS. CAP. CXL.

EBenus optima habetur Æthiopica & nigra, nullos habens a venarum diſcurſus, factitii cornus læuore: cum frangitur, denſa apparet, mordens guſtu, atque b aſtringens. Suffitur iucundo odore ſupra carbones, ſine fumi tædio. Recens autem ad ignem prolata, ob pinguitudinem accenditur, & trita ad cotem rufeſcit. Altera eſt Indica, c internatis ſegmentis candicantibus, & d modicè fuluis, item frequentibus maculis: cæterùm prior bonitate antecedit. e Apud quoſdam ſeſamina, aut ſpinea ligna conſimilia pro ebeno væneunt. Quod diſcernitur ex eo, quòd fungoſa ſunt, & in purpureas aſſulas reſoluũtur, nihil mordacitatis in guſtu, nec redolentiæ in ſuffitu præferentia. Caliginem oculorum abſterget: ad veteres deſtillationes, puſtulasq; mirum in modum pollet: ſi quiſpiam facta ex eo coticula collyriis vtatur, melius proficiet. Ad oculorum medicamenta efficax eſt, ſi ſcobes, ramentave vino Chio, die noctuq; macerata, in collyria digerantur. Nonnulli præterita ipſa excolant, reliquaq; eundem in modum peragunt. Alii pro vino aqua vtuntur. Vritur in fictili nouo, donec in carbones redigatur. Lauatur plumbi vſti modo, & ita ſiccis, ſcabriſq; lippitudinibus conducit.

a Meum ... i. pectines.
b Meum ὑποστύφουσα i. ſubadſtringens.
c Meum διαφύσεις λευκὰς i. lineas albas.
d Meũ & Cat. κιῤῥὰς i. fuluas.
e Meum ἔνιοι δὲ τὰ σησάμινα ἢ ἀκάνθινα καλοῦσι ξύλα ἐμφερῆ ὄντα ἀντὶ ἐβένου πωλοῦσι. i. quidam Seſami, aut Acanthi ligna, quod illi ſimilia ſunt, pro Ebeno vendunt.

*CRedidit Theophraſtus in India tantùm naſci Ebenum lib. 4. cap. 5. de hiſtoria plantarum, vbi ſic habet. Ebenus quoq; eius regionis vernacula eſt. Huius duo genera conſtant: alterum materiè laudatum pulchrumq;: alterum vile & vitiatum. Rarum, quod præſtantius: reliquum permultum habetur. Colorem commendatum, non recondita, ſed ſtatim ſua natura capeſcit: hæc Theophraſtus. Quod etiam ſenſiſſe videtur Virgilius in Georgicis lib. 2. ita canens:*

*-ſola India nigrum*
*Fert ebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis.*

*Plinius etiam lib. 12. cap. 4. Ebenum nuſquam alibi, quàm in India naſci ſcriptum reliquit: nec eam tamen Indiam vniuerſam mittere, ſed exigua ſui parte gigni, præter quoddam fruticoſi genus cytiſi modo, in tota India diſperſum. Herodotus verò (eodem auctore) Ebenum Aethiopiam ſolam ferre intellexiſſe videtur: quippe qui de Indica nullã fecerit mentionem. Veruntamen ex hoc Dioſcoridis capite palam eſt, naſci Ebenum in ambabus his regionibus. Indi quidem non niſi ex ebeno*

Eboni conſideratio ex Theoph. & Plinio.

*Deorum*

Deorum ſimulacra ſingunt, regesq́; ex eo tantùm ſceptrum ſumunt: item pocula, craterasq́; ex ebeno factitant, quòd ſanè credant contra maleficia efficaciſsimum eſſe, & quicquid veneficij fuerit, tractu eius auerti. Itaq́; nihil mirum, ſi quod peregrinum in Italia importatur, ſummo ſit in pretio, cum etiam ab ipſis, quibus prouenit, maximo honore habeatur.

Ebenũ quando primum Romæ.

Ebenum ex India Romæ primum magnus Pompeius Mithridatico triumpho oſtendit, cuius materies denſiſsima omniũ conſtat: quo fit, vt quamuis multis annis exareſcat, non fluitet in aquis, ſed tota mergatur. Ebeni ſiccatos truncos maximè hac ætate nouit Italia: namq́; innumeri viſuntur in eorum officinis, qui pectines conficiunt ad explicandos aptandosq́; capillos: itemq́; apud illos, qui globulos funiculo traijciendos ad mulierum preces numerandas torno in orbiculos expoliunt. Pauſanias in libro primo, Græciam deſcribit. Audiui autem, inquit: Cyprium hominem oppido quàm peritum in herbarum generibus ad medendi vſum notandis, qui diceret, Ebenum nulla folia, nullumq́; omnino fructum ferre, quin & ſtirpẽ nullam eſſe ſoli expoſitam: radices tantum terra occultari, quas eruant Aethiopes, atq́; ij in primis, qui quo maximè loco reperiatur, norunt. Hæc ille: quæ etſi fabuloſa fortaſſe videantur, facilius tamen illi crediderim, quàm Anguillario,

Anguillara arguitur.

qui minorẽ Anagyrim, quam Ananienſes Eghenum vel Eghelum vocant, vocis tantum ſimilitudine fretus, ſecundum ebeni genus (ridenda ſanè opinione) Theophraſto eſſe cenſet. Cum Eghenus fœtidiſsima ſit planta, & ſcribant Theophraſtus, & Plinius id ebeni genus in India tantum naſci, & in India tota eſſe diſperſum. Redeo ad Pauſaniæ ebenũ, quod quidẽ fabuloſum haudquaquam exiſtimò,

Ebenum foſſile Agricolæ.

cum ſcribat Georgius Agricola foſsiliũ indagator maximus, reperiri etiam in Germania Ebenum foſſile, ad ſeptimi libri ferè calcem, his verbis. Quinetiam Hildeshemi intra terram aluminoſam iuxta lignum in lapidẽ mutatum, & in eius commiſſuris reperitur ebenum foſsile, quod & ſparſum in alterũ lapidum cauernis, tanquã in aluo latere Theophraſtus non ignorauit. Stirps eſt nigra, folijs fructuq́; carens, cornu politi modo ſplendidum, ſolida, ſed leuis, omnino aſpectu ſimilis gagatæ lapidi, ſed natura admodum diuerſa: nam ebenum ignem non ſentit, Gagates accenſus ardet & igni perit: Hæc ille. Cæterum an ebenum, quod ad nos affertur legitimum ſit (ſi Dioſcoridi credimus) non parum videtur dubitandum, quod ſuffitum nullo commendetur odore: verum quum cæteræ eius notæ legitimi ſint Ebeni, non omnino eorum opinio videtur reijcienda, qui nihil de ebeno dubitant, & præſertim cum Theophraſtus, & Plinius nullibi (quod legerim ſciuerimq́;) odorati ebeni meminerint.

Ebeni vires ex Plinio.

Ebeni vires ſcripſit Plinius lib. 24. cap. 11. his verbis. Non omittam propter miraculum ebenum. Scobem eius oculis vnicè mederi dicunt: lignoq́; ad cotem trito cum paſſo caliginem diſcutit, ex aqua verò & radice albugines oculorum. Item tuſſim pari modo cum melle ac dracunculi abſecta radice. Ebenum medici & inter erodentia aſſumunt.

Ebeni vires ex Galeno.

Ebeni meminit Gal. lib. 6. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens. Ebenus ex ijs lignis eſt, quæ trita cum aqua in ſuccum ſoluuntur, vt lapidum nonnulli. Vis ei ineſt excalfaciendi, extergendi & tenuium partium. Quamobrẽ quæ pupillas offuſcant, extergere creditur: miſcetur alijs remedijs ocularibus, quæ ad vlcera vetera, fluxiones & bullas, ſiue puſtulas accommoda ſunt. hactenus Galenus.

Guaiaci conſideratio, quod quibuſdam Ebenum.

Sunt qui lignum ex Indijs petitum, quod quidam GVAIACVM, nonnulli Guaiacanum, pleriq́; verò lignum ſanctum appellant, cuius aduerſus Gallicam luem præcipuus eſt vſus, ebeni genus eſſe crediderint. Quod quidem nec aſſerere, nec negare auſim, quandoquidem nuſquam inuenerim apud quenquam tum veterum, tum recentiorum ſcriptorum, quas frondes, quos flores, quosq́; fructus proferat ebenus. Illud tamen omnib. perſpicuum eſt, Guaiacum nihil, niſi ſumma nigritia, ab ebeno diſsidere, quæ in hoc ſummo ſplendore nigricat, in illo albeſcit: cæteris verò qualitatib. id maximè cum ebeno certat.

Guaiaci tria genera Manardo.

Tria ad nos Guaiaci genera aſſeruntur, vt in ſuis Epiſtolis doctiſsimè adnotauit Manardus Ferrarienſis: quod & nobis iamdiu planè compertum eſt, cum hæc omnia ſæpius nobis præ manib. fuerint. Eximium itaq́; genus craſsiori, vegetioriq́; mole conſtat, quo reſecto materies apparet interiore parte nigra, exteriore verò ſubpallida & veluti perplexis lineis quibuſdã ad fuſcũ tendentib. per longũ interſecta. Alterũ caudice minori, nec adeo vegetiori habetur, cuius extimæ partes maiore ambitu ſe diffundunt: intimæ verò, quæ pariter nigricant, minore ſatis orbe concluduntur. Tertium, quod propriè ſanctũ appellant, caudice cæteris exiliore viſitur, intrinſecusq́; & extrinſecus albicans, cuius materies lineis admodũ exilib. in longum actis perplexe diſtinguitur, eſtq́; hoc longe cæteris & acrius & odoratius.

Fallopius notatur.

Cæterùm credendum non eſt eiuſmodi ligna, etſi colore, magnitudine ac pondere inter ſe diſcrepẽt, idcirco diuerſarũ eſſe plantarũ, diuerſorumq́; generum, vt quidã fortaſſe exiſtimant, quorũ vnus eſt Fallopius. Nam quod hoc tam intus, quam extra candicet, illud verò interiore ſui parte nigricet non aliunde prouenit, quàm quod hoc magis, illud verò minus adoleuerit vel conſenuerit. Quippe eo ſane nigrius cernitur lignũ Guaiacum, quo ad maturiorẽ ætatem peruenerit arbor, à qua deciſum fuerit: & per conſequens tanto magis albũ apparet, quanto minus adoleuerit illa, quemadmodum conſpicitur in noſtris nonnullis Italiæ arboribus, & præſertim in moro, nuce & anagyri. Verùntamen illud cuiq́; perſuaſum ſit, ætatẽ vni plus, quàm alteri viriũ addere ſolere.

Guaiacum lignum præſtantius.

Qua de re verba facturi dicamus, cum illud, quod planè omni ex parte albicat, odoratius, acrius & amarius habeatur, cumq́; eius decoctum craſsius & cæterorũ decocto pinguius ſit, & acrimonia & amarore admodũ refertum, vt ipſa me docuit experientia, nil mirum eſſe crediderim, ſi in eo, vtpote iuniore, vis inſit vegetandi præſtantior, ac propterea plus in ſe ſucci contineat, quin & cæteris virib. præſtet. Eaq́; propter putauerim ego, hoc illis in vſu perpetuo fore, quib. ob Gallicam luẽ vlcera emerſerint depaſcentia, contumaciaq́;: oſſa vero carioſa ſint, ac putrilagine cõſumpta, & tumores in oſſeam penè duritiem occalluerint: & quibus deniq́; perpetuus articulorũ cruciatus, diuturnusq́; capitis dolor inhæſerit, eoq́; magis quo patiens iunior extiterit, fortior & natura robuſtior. Huic illud ſuccedere exiſtimamus, quod mediũ obtinet locum: ſiquidem hoc & odoratius eſt, & acrius eo, quod nigrius ac craſsius inuenitur: neq́; illud quidem ab re, quandoquidem id minus eſt ætate confectum & maiore humoris copia redundat. Quocirca commodiſsimè hoc vti poterunt, qui natura delicatiores ſunt, & temperamento imbecilliores, atq́; etiam ij, in quorum artus huiuſce luis furor nondum graſſari cœperit. Poſtremò illud minus cæteris præſtat, viribusq́; infirmius habetur, quod nigrius, craſsius & annoſius reperitur. Namq́; quælibet conſeneſcens planta (quemadmodum etiam cunctis animalib. euenit) continuo exareſcit, humidoq́; priuatur. Cuius rei certiſsimum eſt argumentum, quod in annoſarum arborũ truncis maior appareat nigredo, quàm in alijs vel iunioribus, vel ætate tenellis: nigredo enim ſiccitatis indicium eſt, quinetiam deperditi caloris innati & humidi naturalis: id quod tam in plantis, quàm in animalib. locum habet. Nihilo tamen ſecius illud diligenter animaduertendum eſt, quod Guaiacum albicanti prorſus colore præditum, recens, incorruptumq́; ſit: quippe cùm cæteris exilius ſit, citius ac facilius exareſcit, & ob humoris redundantiam velocius cariem ſentit atq́; fraceſcit. Quam ob cauſam ſatius quandoq́; foret vetuſtiore recenter cæſo vti, quàm iuniore, quod multo ante tempore fuerit ab arbore deciſum.

Alphonſus Ferreus.

Sunt quoq́; recentiorum nonnulli, de quorum numero vnus eſt Alphonſus Ferreus, qui de ligni guaiaci decocto elegans admodum opuſculum edidit, qui tantùm guaiacũ illud preferunt, quod è plantarũ ramis ætatis mediæ deſumptum fuerit. Quorum opinio non planè refellenda videtur: nam quicunq́; rem naturalib. expenderit rationib. ramos antiquioris à caudice mediocris ætatis parum differre cognoſcet: item ramos huius à caudice iunioris: quippe plus humoris ad ſe trahit ramorum auctrix facultas, quam caudicis. Idcirco non alia de cauſa plantæ reiuueneſcunt, cùm earum rami implantantur, ſeruntur & propagantur, niſi quòd illud idem humi-

*dum innatũ intra ſe continẽt & eodem vigent temperamento, quo qui adoleſcunt: etenim ſurculi atq; rami ſunt candici perinde atq; filij & propterea animalibus ætate tenellis non abſimiles. Id quod maximè confirmat Theoph. li. 1. c. 12 de cauſis plantarum, vbi ſic habet. Etenim quodq; germen quaſi planta quædam in arbore, perinde ac in terra conſiſtit. Atqui mihi longe magis iuniorum candicis placeret vſus: ſiquidem in hunc immediatè à terra humor & alimentum defertur, ac præterea quoniam is fortaſſe nullum adhuc fructum protulerit: quandoquidem fœtus à plantis, vt etiam ab animalibus, multum virium aufert. Præſtantiſſimum itaque lignum Guaiacum illud erit, quod ex iuniori candice recenter cæſum fuerit, tam exterius, quàm interius albicans, rimis carens, denſum, ponderoſum, minimè carioſum, odoratum, guſtu acre, & ſubamarum.*

Guaiaci corticis electio.

*Cæterùm quoniam noſtra ætate æquè cortices, atque lignum in vſum veniunt, eandem in iis rationem ſeruandam cenſeo, vt quinam meliores præſtantioresq; ſint, dignoſci poſſint, quam nos in eligendo optimo ligno in medium attulimus, vt ſcilicet illi eligantur & probatiſſimi habeantur, qui a præſtantiori candice detracti fuerint. Importatur Guaiacum tam ex occidentalibus, quàm orientalibus Indijs: nam & Hiſpani è ſuis regionibus nuper repertis, & Luſitani ex Calicut, Taprobana & Iaua inſulis, & Mauritani, Aegyptij, Arabes ac Perſæ à mari rubro per camelorum carouanas (vt aiunt) Guaiacum ad nos conuehunt: quin & ex Aethiopia, vt quidam narrant. At cùm omnibus compertum ſit, ea in medicamentorum genere longè magis cætera præcellere, quæ ex orientali plaga comportantur, ob id omnino cenſendum fuerit, Hiſpanicum viribus eſſe imbecillius, quàm quod ex Luſitania, vel Alexandria in Italiam importatur.*

Guaiaci planta.

*Guaiaci planta (vt ij referunt, qui eam in ſyluis ſe vidiſſe teſtantur) ad fraxini proceritatem, & ad hominis mediocris habitus craſſitudinem plerumque aſſurgit. Folia fert quadantenus plantaginis æmula, dura ac breuia. Flores eius prodeunt lutei: fructus verò iuglandis magnitudine, qui eſu aluum ſubducit: cortex annoſis niger, iuuenibus verò ſubrutilus.*

Guaiaci facultates.

*Porrò ſi Guaiaci vires ac qualitates rectè perpendantur, proculdubio liquidò conſtabit, ea præſtare poſſe, quæ in curanda Gallica lue requiruntur: nam cùm id ex partibus admodum calidis, ac tenuibus conſiſtat, itemq; ſiccis, habeatq; ſibi reſinæ plurimum admiſtum, nimirum etiam poteſt ſuis viribus ea efficaciter exiccare, attenuare, liquefacere atque expurgare, quæ humores infecerint: quinetiam ſudorem ciere. Huc accedit etiam, quòd parte reſinoſa, quam poſſidet, contagioni atque putredini mirificè reſiſtit: quæ quidem incommoda hanc peſtem comitari ſolent. Cæterum eo tempore, quo primum in Italiam Guaiacum inferri cœpit, necnon etiam multis poſt annis, non ſine ſummo timore dabatur potandum. Etenim ferebatur illi manifeſtum necis periculum imminere, qui rectam exquiſiti victus rationem per panis, & vuæ paſſæ modicum non ſeruaſſet, quique non perſtitiſſet in curatione ad quadrageſimum diem vſque in tenebris incluſus, ita vt ne aëris quidem claritatem inſpiceret, nedum pedem è cubiculo efferret: ijs inſuper carnium eſu, & vini potu interdictum erat, non ſecus atque veneno. Verùm enimuero cùm ſæpius eueniſſet, vt ante conſtitutum tempus quidam ob tenuiſſimam victus rationem ita imbecilles ac viribus deſtituti conſpicerentur, vt penè ſpiritus & vita deficerent, ij ne in tam manifeſto vitæ diſcrimine verſarentur, à conſanguineis & aſſidentibus perſuaſi, caporum, gallinarumq; iura, ac contuſas carnes in cibum ſumentes, tantum inde percipiebant iuuamentum, vt vitam quaſi deperditam recuperarent. Quo poſtea medici experimento edocti, vanam illorum doctrinam ridentes, qui tam grauem ægris legem imponebant, paulò pleniori victu vti iuſſerunt, nempe iuuenum gallinaceorum carnibus, ac maiore panis portione. At nullus tamen adhuc auſus erat vinum exhibere.*

Matthiolus primus vinũ ex Guaiaco propinauit.

*Quare à me ſæpius animaduerſa, ego primus (ni fallor) inter Italos medicos rationibus non obſcuris adductus tentare volui, poſſet ne vinum dari ex Guaiaci maceratione ijs maiori cum iuuamento, qui Gallica lue correpti eſſent. Quod cum mihi in frigidis morbis felicius ceſſiſſet, quàm ex aqua tantum lignum decoquere, id potiſſimum me adduxit, vt hanc vini potandi rationem ad commune omnium commodum literis, poſteritatisq; memoriæ mandarem, id quod feci pluribus iam annis elapſis: quo ſcilicet tempore Dialogus noſter de morbo Gallico Bononiæ excuſus prodijt in lucem, vbi eodem anno Carolus Quintus inuictiſſimus Imperator à Clemente ſeptimo Pontifice maximo imperiali diademate feliciter eſt coronatus. Ex quo poſtea factum eſſe audiui, vt plerique medici ex illis noſtris lucubrationibus, breui temporis tractu plurimum laudis ac gloriæ ſibi comparauerint, vtpote qui vinum Guaiaci ad ſuam praxim vertiſſent, proſpero admodum ſucceſſu. Licet fuerint, qui alijs perſuadere conati ſint, ſuum illud eſſe inuentum: qui vt rem facilius prætexerent, omnibus huiuſmodi vini præparationem diſſimulabant & occultabant: vel id facerent, vt rem ita plurimi facientes, inde maiorem quæſtum conſequi poſſent.*

Impoſtorum fraus cauẽda.

*Sed cauendum profectò eſt à quibuſdam impoſtoribus, qui cũ ſint earum rerum ignari, quæ ad medicæ facultatis contemplationem ſpectant, dum lignum, vel eius cortices ex vino decoquunt, cyclaminum, bryoniam, pityuſam, colocynthidem & turpetum admiſcent, atque alios mille cacodæmones, qui eos de medio tollant, quippe nulla habita temperamenti, ægritudinis, temporum anni, ſexus, nec ætatis ratione, ſingulis diebus huiuſce decocti tepidi cyathum omnibus indifferenter præbent potandum. Quo fit, vt ſi forte quadam vnum quandoque perſanant, decem poſtea iugulent, tanquam improbi carnifices. Verùm vt quiſque horum manus euitare, atque effugere poſſit, operæ pretium viſum eſt, vini Guaiaci conficiendi rationem ſubiungere, ac ſubinde hauriendi modum addere.*

Vini Guaiaci conficiendi, & exhibendi ratio.

*Sumito igitur ligni Guaiaci præſtantiſſimi lima in ſcobem tenuiſſimam attriti, aut tornatili inſtrumento minutim conciſi libras quatuor: corticum eiuſdem libras duas: cardui benedicti libram vnam & ſemis: adianthi, aſpleni, florum vtriuſque bugloſſi, cuiuſque libram, caſſiæ odoratæ drachmas ſex: ſeminis aniſi ſeſcunciam: ſacchari libras quinque. Deinde conijciantur omnia in cado vinario mundo aptæ capacitatis, deſuper affuſis vini albi quàm optimi & feruentis libris centum & quinquaginta, mox diligenter vas operculetur, omniaque ſic macerari triduo dimittantur. Poſt triduum verò linteo percolentur, aſſeruetúrq; huiuſce macerationis vinum in alio vaſe ad ægrotantium potum. Siquidem bibitur hoc tam in prandio quàm in cœna, ſecundi Guaiaci decocti loco: non mane, neque veſperi ſerapij vice, quemadmodum temerè multi facere conſueuerunt. Hoc idem vinum longè etiam melius, & maiore quantitate vindemiarum tempore confici poteſt, admiſtis ligno, cortice, cæteriſque alijs recentibus vuis albis in muſtum compreſſis: ibique tamdiu dimiſſis, quouſque muſtum efferueſcere deſinat, & pellucidum clarumq; reddatur: veruntamen multiplicanda ſunt omnia, quæ conueniunt medicamenta, pro vuarum quantitate. Præter huius vini potum cibis aſſociandum, bis in die mane ſcilicet, & veſperi tribus aut quatuor horis, antea quàm ſumatur cibus, ægrotantib. exhibeo decocti ligni ex aqua ſecundũ cõmunem Medicorũ vſum ſenas vncias, admiſtis vncijs duabus liquoris hoc modo parandi.*

Syrupus decocto ligni miſcendus, & eius parandi ratio.

*Sumito primum adianthi, lupi ſalictarij, fumariæ, aſpleni, ſenæ, ſingulorum manipulos tres: radicum centaurij magni, glycyrrhizæ, filiculæ, vtriuſque bugloſſi, ſingulorum vncias quatuor: ſeminis aniſi, melanthij, florum ſatiui & erratici bugloſſi, omnium ſantalorum, caſſiæ, quam cinnamomum vocant, ſingulorum drachmas quinque. Hæc ex aquæ libris viginti quatuor decoquantur ad tertias, demum colentur. Sumito deinde præſtantiſſimæ ſenæ libras duas, conijcitoq; in vas fictile oris anguſti, demum percolatum decoctum feruens ſuperimponito, ac inde obturato fictilis ore puluinari anſerinis plumis farcto, igniq; prius calefacto fictile inuoluito, & loco calido collocato, itaque per diem ac noctem reponito. Poſtridie verò manibus ſena premitur, mox dilu-*

tum

tum percolatur: cui adijciuntur diluti roſarum efficaciter aluum ſubducentis libræ ſex, ſacchari libræ octo: efferueſtunt deinde ſimul ſubiecto igne, quouſq; tertia pars euaneſcat: quo facto additur electiſsimi Rhabarbari minutim conciſi vncia: ac ita iterum ſeruent omnia donec iulapij modo conſiſtat liquor. Poſtremo percolatur linteolo, & vaſe vitreo reconditur. At ſi ægrotantes multa pituita redundent, decocto præſcripto optimi turpeti vncia vtiliter addi poteſt. Supereſt victus ratio, quæ ægro talis præſcribenda eſt, ſcilicet vt tam in prandio, quàm in cœna edat panis ternas tantum vncias, ſitq; is ſimilaceus ac probe in clibano coctus: item totidem carnis pullorum gallinaceorum, perdicum, attagenarum, turdorum ac auicularũ in ſyluis, vineis ac montibus victitantiũ, aſſata potius quàm elixa: quin & vuæ paſſæ modicum. Bibat autẽ oportet præſcripti vini æquam cum cibo menſuram. Quod ſi quis purum id bibere nõ poſſet, diluatur aqua, quæ in phialis vitreis addita Guaiaci vnciola breui temporis ſpatio efferbuerit. Tempus autem huic curationi aptiſsimum profectò ver eſt Martio, Aprili & Maio menſibus: quod ſi hoc tempore fieri non poſsit, fiat menſe Septembri in autumno: nam ſicuti æſtiuis ardorib. & exurente iam ſirio, non modo diuturna pharmaca, ſed ne quidem breuia tollerant homines, ita nec brumali tempore, dum ingenti frigore ſæuit hyems. Interea ægris ſine metu noxæ indulgere licet, modo cæli ſerenitas adſit, vt quandoq; in proximis hortis ac viridarijs ſolatij cauſa lento gradu deambulent: quippe quoniam eiuſmodi hortorum amœnitate animus plurimum leuari ſolet. In hac etiam curandi ratione quoſdam magis, alios minus perſeuerare oportet, pro morbi neceſsitate & ſalutis menſura. Hac ergo ratione vinũ Guaiaci exhibitum non modo medetur cuiq; acerrimo Gallicæ peſtis incommodo; ſed etiam diuturnis articulorum, capitis, neruorum, ventriculi, iocinoris, lienisq; morbis pituita genitis mirifice ſuccurrit. Nec minus etiam podagra laborantibus opem fert, modò diuturna admodum nõ fuerit ægritudo. Porro in hoc illud etiam obſeruandum eſt, quòd ego Guaiaci vinum ijs tantum potandum exhibeo, quibus pituita redundet: vel ſaltem non exuperet bilis. Siquidem biliosis ſecundum ac tertium ligni ex aqua decoctum, vini loco ſemper cum cibis præbendum cenſui, vt communiter ab alijs fieri ſolet. Nondeſunt præterea hoc tempore, qui radicem illam, quam alij CINAM, alij Chinã vocant, Guaiaco præferant, etſi Veſalius admirabilis humani corporis fabricæ profeſſor, oppoſitũ ſenſerit. Huius radicis iamdudum apud Hiſpanos inualuit vſus contra podagras, maximeq; apud inuictiſsimum Imperatorem Carolum v. cui merito præclaram laudem acceptã referre poteſt. Aduehitur hæc (vt audio) tam à Luſitanis, quàm ab Hiſpanis ex regionibus æquinoctiali proximis, legiturq; in littoribus maris è terra euulſa: nam in paludibus exorta ac inde maris fluctibus rapta, in littus reijcitur. Radix eſt fungoſa, perinde ac arũdinacea, leuis, colore ruſeſcente, Rhodiæ radicis admodũ æmula. Præfertur recens, firma & quæ neq; teredinem, neq; cariẽ ſenſerit, & quæ magis rubeſcat. Damnat eam acriter Veſalius, vt dixi: ſed quibus validis rationib. id faciat, compertum ſatis non habeo, præſertim cùm illud certò ſciam Cæſarem inuictiſsimũ nunquam ea toties vſum fuiſſe, niſi ex ea plurimum adiumenti percepiſſet. Cæterum non minus China, & Guaiaco præſtat ea radix, quam Hiſpani ZARZAM PARILLAM vocant, quinimo hoc ego aſſerere poſſum, nonnullos à me eſſe curatos

Victus ratio.

Chinæ radicis co[...]

Zarzæ parillæ conſid.

CHINA.



ZARZA PARILLA.



morbo Gallico affectos, qui Guaiaci decocto pluries epoto, antea curari non potuerunt. Affertur hæc ab Hiſpanis ex occidentali India, ſed plantam cum folijs hactenus videre non licuit. Sunt tamen rei plantariæ ſtudioſi, qui velint Zarzam Parillam Smilacis aſperæ eſſe radicem, in quorum opinionem ego facilè concedo. Nam inter cæteros, qui ita eſſe affirmãt, primus fortaſſe in Italia fuit Lucas Ghinus medicus clariſsimus, & rei plãtariæ peritiſsimus, qui ſe vidiſſe palam affirmabat apud Illuſtriſsimũ Florentiæ Ducẽ Zarzæ parillæ integram plantã ex Hiſpania allatam, quæ omnib. ſuis partibus ac notis, nihil ab aſpera Smilace differebat: imò nil aliud hanc plantam eſſe cenſebat, quàm genuinã Smilacem aſperam. Id quod paulò poſt experimento deprehendit: ſiquidem, erutis aſperæ Smilacis radicibus, earum decocto plures curauit morbo Gallico affectos. Hoc idem quoq; ab alijs medicis eſſe factum intelligo, & Romæ, præſertim ſub Paulo tertio Pontifice Maximo, à Giberto Horſchio Flandro, Medico non vulgari, & rei plantariæ ſtudioſiſsimo, vt libro tertio noſtrarum Epiſtola-

Smilacis aſperæ radix.

*runt, hiſtoriam hanc poſteritatis memoriæ commendauit Ioannes Heſſus Medicus Norimbergenſis. Cæterùm non deſunt alij, qui hanc opinionem impugnent, quod videant zarzæ Parillæ, & aſperæ ſmilacis radices facie non parum differre, cum hæ nodoſæ, illæ verò rugoſæ habeantur. Ego autem quid de re hac veri affirmare poſſim, ſanè non habeo, quòd nuſquam integram viderim zarzæ Parillæ plantam. Veruntamen cogor interim ſequi Lucæ Ghini opinionem, quòd is (vt ego ſyncerè atteſtari poſſum) præter id, quod in cenſendis plantis, dum vixit nemini ſecundus habebatur, ſed quod candidus admodum fidelis & verax perpetuò fuerit. Nec admodum obſtat radicum differentia, quandoquidem (vt Theophraſtus eſt author) loci à locis differunt, & ſæpè climatum, cæli, ſoliq́; varietate differunt cum forma, tum ſapore & odore plantarum radices. His accedit nomenclaturæ ſignificatio; namq́; zarza parilla apud Hiſpanos nil aliud deſignat, quàm Rubus viticuloſus.*

Zarzæ parillæ etymologia apud Hiſpanos.

*Parra enim Hiſpanis vitis dicitur, Parilla viticula & zarza rubus. Hetruſci quoq; Aſperam ſmilacem, quod aculeos Rubi æmulos habeat, Ceruinum rubum appellant. Ea arbores etiam proceras ad ſummũ vſq; ſcandit: quo fit, vt Hedera aculeata pluribus dicatur. Quamobrem aut aſperam ſmilacem zarzam parillam eſſe dixerim, aut plantam illi viribus, & facie congenerem. Vis illi excalfaciens & attenuans, & quæ valenter ſudorem prouocat. Peculiariter autem præſtat non ſolum ad Gallicum morbum curandum, ſed ad quoſcunq; articulorum dolores: quinetiam ad quaſcunque cutis infectiones, vlcera contumacia, & Lichenas. Auxiliatur præterea ijs, qui œdemate laborant, videturq́; proprias habere facultates ad frigidos capitis, & cerebri affectus.*

Zarzæ parillæ vires.

Decoctio zarzæ.

*Decoquuntur huiuſce radicis vnciæ quatuor, in libris quindecim aquæ, in qua prius maceratæ fuerint die & nocte vna, ad medias, ac etiam diutius, vbi decoctum valentius deſideretur: vbi autem deferbuerint, linteolo mundo colantur, & aſſeruatur decoctum ad potandum. Dantur huiuſce decocti quotidie ægris tam manè quàm veſperi, horis quatuor ante cibum vnciæ octo, prius calefacti, & deinde ſudant in lecto ſtragulis contecti horis duabus, in trigeſimum, & quandoq; (vbi morbus contumax ſit) in quadrageſimum diem vſq;. Eſt hæc radix magis tenuium partium, quàm China & Guaiacum, ob idq; copioſiorem prouocat ſudorem, & longè melius morbos, qui ſunt in ambitu corporis, curat. Eſt tamen operæ pretium decimo quoq; die bibentes purgare, aut catapotijs, aut potionibus ad morbum facientibus. Victus ratio eadem inſtituitur, quæ Guaiaci decoctum ſumentibus inſtitui ſolet, nempe ex pane biſcocto, & vuis paſſis, quanquam quandoq; imbecillioribus gallinacei pulli, & auiculæ concedantur. Daturq́; potandum cum cibis idem decoctum, pro affectorum voluntate. Quibus quoque, vbi ſerena quietaq́; fuerit dies, conceditur, vt pauliſper egrediantur. Cæterùm oportet, vt qui hoc medicamento vti volunt, ij prius præpurgati ad hanc curationem accedant. Sed de zarza parilla hactenus. Sed iam ad Ebenum redeamus, atq́; de nominibus agamus.*

Nomina.

*Eius nomen Græcum eſt ἔβενος, veluti & Latinum Ebenus: Arabicum, Abanus ſeu Abenus: Italicum, Ebeno. Quod verò Latini Lignum Guaiacum, Lignum ſanctum, aut Lignum Indum vocant, Italis, Legno ſanto, Guaiaco, & Guaiacane appellatur: Germanis, Frantzoſenholtz: Hiſpanis, Legno ſanto, & Legno della antilhas: Gallis, ſaintbois.*

Ebeni ſpecies.

Ebenus duplex Dioſcoridi, Æthiopica & Indica: hanc Theophraſtus 4. hiſt. 5. agnouit & duplicem fecit: at Braſſauolus in tractatu de morbo gallico (vbi 234. morbi gallici ſpecies recenſet) Ebeni plures facit ſpecies, rubram, albam, luteam, variegatam, de Guaiaco intelligens, cum ſint, qui velint Guaiacum Ebenum eſſe.

Guaiacum quid ſit.

Guaiaci nomen patrium eſt, Indi enim Guayacan vocant, nunc Guaiacum, Gaiacum & lignum Indum nominant: quod aliqui Buxi ſpeciem faciunt: alii Ebenũ ſtatuunt: alii Ebeni ſpeciem, quod facile conceſſerimus, propter læuorem ſimilem ei qui eſt in cornu elaborato: propter ſpiſſitudinem materiæ, propter ipſius grauitatem, quod in aquis ſtatim ſubſideat & non fluitet, quæ de Ebeno prædicauit Plinius, & in Guaiaco obſeruãtur: ob vires, cum Galenus Ebeno vim extergentem cum caliditate ac partium tenuitate tribuat, quam ſanè & in Guaiaco reperias.

Guaiaci arboris deſcriptio.

Eſt autem arbor (referente Monarde de ſimp. Indiæ occidentalis) Ilicis magnitudine ramoſa, matrice magna nigricante, cortice craſſo, pingui, à ligno ſicco facile decidenti: foliis exiguis, duris: flore luteo: fructu rotundo ſolido, in quo ſemina velut in Meſpilo cõtinentur. Ad nos verò aduehuntur caudices craſſi ab incolis in truncos ſerra inciſi, cuius diameter pedis longitudinem penè æquat ligno denſiſſimo, in ambitu albo, vel potius flaueſcente, in medio nigro Ebeni forma reſinoſo, ſapore non inſuaui, ſubamaro: cortices craſſi, cinerei, ſcabri, amariores ligno.

Guaiaci tria genera.

Palum ſanctum.

Genera tria, alterum de quo dictum, in inſula S. Dominici frequẽs: alterum in inſula S. Iohannis de portu diuite, poſtea repertum, ſuperiori ferè ſimile, ſed per omnia minus & penè ſine matrice, ſuperiore tamen odoratius & amarius, quod ab ipſis illi præponitur, & ob mirandas facultates, lignum ſanctum dicitur, de quo videntur aduerſaria nomine Palmæ, aut Pali ſancti Indiç occiduæ, egiſſe: verum vtriuſq; in lue venerea inſignes vires. Multæ ſunt Inſulæ in Oceano in quib. Guaiacũ naſcitur, vt S. Benedicti, Hiſpaniola, S. Crucis, S. Dominici, S. Ioannis de portu: egregius tamen in inſula S. Ioannis oriri exiſtimatur: ſed cum hoc ligno naues onuſtæ in Hiſpaniam, Genuam, Venetias, afferantur, nec ratione loci dignoſci poſſit, ex ipſius dotibus eligendum. Tertium genus in Orientalibus etiam repertum magnitudine Fraxini, foliis plantaginis breuibus ac duris: floribus luteis, fructu iuglandis magnitudine qui eſu aluum ſubducit: cortice annoſis nigro, iuuenibus ſubrutilo.

Guaiaci primus vſus.

Vſum primum ita narrãt: Hiſpanum magnis doloribus ob luem veneream ab Inda muliere contractam, diuexatum fuiſſe, cui ſeruus eius, in ea prouincia medicinam faciens, decoctum ligni propinauerit, quo ipſum reſtituerit: cuius exemplo multi Hiſpani eadem lue infecti curati ſint. Cura hæc Hiſpali ſtatim euulgata, & ab iis qui ex ea inſula redierant per totã Hiſpaniam & vniuerſum orbem.

Buua lues.

Etſi referant Chriſtophorum Columbum cùm viros & mulieres ex inſula S. Dominici in Italiam duxiſſet, ſimùl & luem, Buuam appellatam, eius regionis familiarem attuliſſe, vnde & remedium aduectum.

Chinæ deſcriptio.

Chına radix eſt tuberculoſa craſſa, arundini ferè ſimilis, exterius rubens aut ſubnigricans, interius candicans aut ſubrubens, denſa & ponderoſa cum vegeta eſt, ſucco exuta fungoſa & leuis redditur, inſipida: quæ hederæ modo arbores cauliculis tenuibus raris ſcandit, ſuiſq; ſarmentis ſmilaci aſperæ non abſimilis, foliis mali Aſſyrii ſimilibus. In maritimis Chinæ Indiæ regionib. copioſe prouenien(s) (vnde nomen) Lac. Lob. Lon. Caſt. Lugd. Tab. cui & Schina: Chinna ſeu Cinna, Cæſalp. Chinæa radix, Cord. hiſt. dicitur.

Nomina.

China duplex.

Hæc duplex, alia in India Orientali, alia in India Occidentali, quæ colore interius magis ruffo eſt. De hac Veſalius libellum conſcripſit: multa habet Monardes, Garzias, Acoſta (qui integram propoſuit plantam) & alii.

Chinæ vſus.

Vſum huius, non ſolùm ad luem veneream, cum ea in regione frequens ſit, ſed etiam in ſanandis morbis inueteratis, vt in Occidente per Sarſam & Lignum, Luſitani didicere ab Indis, apud quos præ aliis remediis in pretio eſt. Modus exhibendi: Accipe radicum in taleolos tenues inciſarum

inciſarum vnciam vnam: Atque lib. duodecim, ſtent in olla obturata horis 24. dein lento igne abſq; fumo ad medias coquantur: refrigerata coletur, vitro indita loco calido (ſic enim diutius incorrupta perdurat) reſeruetur. Huius aquæ calidæ vnciæ decem ægro purgato exhibeantur manè, totidem octo horis à prandio in lecto & ad duas horas ſudare debet: Victus obſeruatur vt in decocti ligni exhibitione, ſolùm potus variat, qui idem eſſe debet cum priori, cùm duplex non paretur vt ex Ligno. Hic modus triginta diebus (nulla alia purgatione intermixta, cum largus ſudor ſatisfaciat) continuis obſeruari debet, ægro in conclaui remanente. Poſt id tempus, æger 40. diebus cibis boni ſucci vtetur, & vini loco ſit aqua hoc pacto præparata: Sume radicis taleolos paruos decoctos in vmbra exſiccatos vnciã vnam, infunde per horas 24. in libris 12. aquæ, dein vt prius ad medias coquatur, & ad vſum (ſingulis diebus decoctionem parando) ſeruetur. SMILAX ASPERA Peruuiana C.B. Sarza parilla Cæſ. ob ſimilitudinem cum ſmilace aſpera, quam Hiſpani Sarza parillam (quaſi dicas Rubum viticulum) vocant. Zarza parilla, Lac. Dodo. Mona. Lugd. Salſa parilla, Lob. Tab. Sarſa parilla, Lon. Smilax aſpera in Zacynthi inſula, quæ ſalſa parilla eſt, diuerſa à ſmilace aſpera Italiæ, Alpino. Duum eſt generum: altera radicibus tenuibus, colore albo ad fuluum vergente, in noua Hiſpania: altera craſſioribus radicib. ac magis fuluis aut ſubnigris, efficacior quæ in Hondura iuxta flumen quoddam reperiatur: de hac Monardes. Huius vſum, Hiſpani primùm ex Peru in Europam, nunc à triginta circiter annis inuexere. Variis modis & in lue venerea, & in frigidis capitis affectibus exhibetur, vt habet commentator, at vel ſolius radicis decoctum, vel ipſius puluerem, vel cum Guaiaco & aliis mixtum. Simpliciſſimus modus hic: Accipe Sarzæ vncias octo, aquæ lib. 12. coquantur ad remanentiam librarum quatuor, adde ſacchari libras quatuor. Huius decocti exhibeatur, præmiſſis purgantib. vnciæ tres manè & veſperi: vel puluis tenuiſſimus ex pulpa dempto interno neruo drachmæ vnius pondere, cum prædicta decoctione mane ieiuno ventriculo & veſperi poſt cœnam, cum victu boni nutrimenti, & potu aquæ eiuſdem, exhibetur: quidam puluerem cum vino exhibent. Vel hoc pacto: ℞. Sarzæ vncias duas, Guaiaci vncias quatuor, iuiubarum demptis oſſibus, numero triginta ſex, pruna paſſa demptis oſſibus num. vigintiquatuor: Florum borraginis, violarum, ſingularum vnciam ſemis: Hordei mundi pugillum, aquæ libras duodecim: coquantur ad librarum octo abſumptionem: cuius decocti exhibentur manè & veſperi vnciæ decem, addita ſyrupi violati vncia vna.

Smilacis aſperæ nom[illegible]

Smilax aſpera duplex.

Vſus.

## Ῥόδον. ROSA. CAP. CXII.

ROſa refrigerat, a [& aſtringit,] ſed ſicca magis aſtringit. b Succus recentibus foliis exprimitur, deſectis forfice vnguibus (ſic appellantur candidæ foliorum partes) reliquum in pila premi, & teri debet in vmbra, donec cogatur, & ita ad oculorum circumlitiones recondi. Siccantur etiamnum folia roſarum, continuò verſata, ne muceant, neue ſitus in iis inſideat. Aridis roſis, & in vino decoctis expreſſus liquor, facit ad dolores capitis, aurium, oculorum, gingiuarum, ſedis, recti inteſtini, ac vuluæ penna illitus, aut infuſus. Eadem ſine expreſſione tuſa, præcordiorum inflammationibus, humidis ſtomachi vitiis, igni ſacro illini prodeſt: ſiccis ac tritis ſemina aſperguntur. Miſceri ſolent vulnerariis antidotis, atque compoſitionibus, quas antheras vocant. Folio vtuntur in calliblephara. Flos, qui in mediis roſis inuenitur, ſiccatus, gingiuarum fluxionibus efficaciter inſpergitur. Capita pota citam aluum & cruentas reiectiones ſiſtunt.

a Oribaſ. non legit.
b Addit Cor. καὶ ψύχει, & refrigerat.

## Ῥοδίδες. ROSEI PASTILLI. CAP. CXIII.

PAſtilli, quos rhodides vocant, hac ratione conficiuntur. Roſarum viridium, quæ nullo antea humore madefactæ extabuerint, drachmæ quadraginta. Indicæ nardi drachmæ decem, myrrhæ drachmæ ſex, quæ digeruntur in paſtillos, qui trium obolorum pondus æquent: ſiccatiq; in vmbra in fictili non picato, obturato reconduntur. Alii adiiciunt coſti drachmas duas, iridis Illiricæ totidem, & vinum Chium cum melle miſcent. Mulieribus monilium vice collo circundato vſui ſunt, ad retundendum graue ſudoris virus. Tritis etiam vtuntur ad illitiones, & diapaſmata, quæ fiunt ad ſudores coercendos, ita vt à balneis inareſcant corpora, dein frigida aqua abluantur.

*ROſa adeo vulgaris eſt planta, vt ſuperfluum omnino iudicauerim eius hiſtoriam à me deſcribi debere. Eſt domeſtica & ſylueſtris. Domeſtica multa ſunt genera, quæ in vſum medicum veniunt. At vulgatiſſimæ in Italia trium ſunt generum, albicantes, puniceæ, & quæ ex albo rufeſcunt, quas vulgo appellant incarnate. Præſtantiſſimæ, quæ puniceo colore rubent: proxima laus iis, quæ in rufum candicant: viliſſimæ albicantes, in quarum tamen genere eæ odoratiſſimæ excipiuntur, quæ Hetruſcis Damaſcenæ, & aliis Moſchette vulgò dicuntur. Siquidem non modo cæteras excellunt, quòd odore admodum ſuaui fragrent, ſed quòd etiam magis aluum ſubducant, id quod indicat earum iucundiſſimus odor. Vrbanæ in hortis, viridariis, pomariis & vineis floret. Sylueſtris in ſepibus, ſenticoſis, nemoribus & campeſtribus prouenit. Roſæ diuerſis partibus conſtant, quo fit, vt pro diuerſis tam internis quàm externis particulis, diuerſum quoq; temperamentum ſibi aſciſcant. Primum itaq; terreſtribus & aqueis partibus, quæ tamen in ipſis mediocriter ſe habent, ſubſtantiam & adſtrictoriam facultatem acceptas referunt. Ab aereis verò & ſubdulcem, & odoratum ſaporem aſſumunt. Ex his demum, quæ ignis naturam ſequuntur, amarorem concipiunt, ac etiam coloris rubedinem, quæ ſcilicet rubicundæ ſpectantur, quo fit, vt plus inſit caloris puniceis, quàm ſubrubentibus. In recentibus aſtrictioni præſtat amaritudo, in ſiccis verò minimè: eaque propter compertum eſt, earum deiiciendæ alui facultatem, quam priores Græci non animaduerterunt, tantùm ex amaritudine prouenire, cum recentes aluum ſubducant, ſiccæ verò nequaquam. Succus medicamentis componendis expetitus, præſtantior è puniceis elicitur, item ex ſubrutilis, verum huic infirmior facultas. Dilutum Græcis ἀπόβρεγμα, è quo rhodopharmacum aluum innoxiè deiiciens conficiunt, plerunque ex ſubrubeſcentium maceratis aqua foliis paratur: etſi hac in re iis Damaſcenæ Hetruſcis vocatæ longè præſtent: quippe ex earum vicenis deuoratis foliis facilè quidem, & citra noxam ſubducitur aluus. Roſarum [illegible] reſerat, [illegible], abſtergit, & de-*

Roſarum conſideratio.

Roſarum ſuccus & dilutum.

ROSA.



ROSA SYLVESTRIS.



& deiicit: quapropter & bilem trahit, & ſanguinem bilioſum expurgat. Idem felle ſuffuſis & ventriculi, iocinoriſq; obſtructionibus opem mirificè præſtat. Cor item corroborat, eiusq; palpitationi ſalutare eſt remedium: nam illos deiicit humores, qui cordi officiunt. Facit & ad bilioſas febres, cuiuſmodi ſunt cuiuſuis generis tertianæ.

Syrupus roſa. ſolutiuus.

Adhæc roſarum dilutum, ex quo conficitur rhodopharmacum, quod pharmacopolæ Syrupum roſatum ſolutiuum appellant, in eorum medicamentorum genere recentiores medici recenſent, quæ quoniam abſq; aliqua noxa aluum ſubducant, ſuo more Benedicta nuncupant. Albicantes deinde roſæ (Damaſcenas tamen exceptas velim) non alium in medicina ſibi vendicant vſum, quàm vt ex ſe aquam ſtillent: ſiquidem ijs deiectoria vis, qua pollent puniceæ ac ſubrutilæ, multo infirmior ineſt.

Manardus arguitur. Damaſcenæ veter. notæ.

Quamobrem videtur Manardus Ferrarienſis, vir alioqui doctiſſimus, immerito id Meſuæ vitio vertiſſe. Nam albæ, quas Damaſcenas appellamus, etſi maiore deiiciendi vi cæteris præſtent, credendum tamen eſt, de his non intellexiſſe Meſuem: quod eas illi facile incognitas fuiſſe exiſtimem, verùm de iis albis tantum, quibus paſſim roſeta florent. Cuius rei illud maximo argumento eſſe poteſt, quod Damaſcenæ Hetruſcis vocatæ nuper in Italia florere cœperint, quodq; eas veteribus cognitas fuiſſe (quod ſciam) memoriæ prodiderit nemo: ni fortaſſe eas credamus eſſe, quæ Plinio ſpineolæ appellantur. Sane roſæ magnificandæ ſunt, ſummoq; in pretio habendæ, non modo quòd viridariis, & hortis ſint ornamento ac aſpectu perquam iucundo: ſed etiam quod in præclariſſimis medicamentis conueniant, quibus humanæ vitæ ſuccurritur.

Syluestres roſæ.

Syluestres maiore adſtringendi facultate ſunt prædita, quàm ſatiuæ, ſed minori fragrantia redolent, atq; deiiciendæ alui ne tantillum quidem facultatis retinent. Idcirco Theophraſtus lib. & cap. 6. de hiſtoria plantarum: Syluestres, inquit, roſæ domeſticis aſperiores tum virgis, tum foliis conſtant: florem præterea ferunt, quo ab illis odore, colore atque magnitudine ſuperantur: hæc Theophraſtus.

Roſæ luteæ. Roſarum genera ex Plin.

Cæterum quædam etiam roſæ naſcuntur in Italia, quæ aureo colore fulgent, ſed odore ſunt admodũ ingrato, atque inſuaui. Roſarum differentias longa hiſtoria proſequitur Plinius lib. 21. cap. 4. vbi ſic inquit. Contra roſæ genera noſtri fecere celeberrima, Præneſtinam & Campanam. Addidere alii Mileſiam, cuius ſit ardentiſſimus colos, non excedentis duodena folia. Proximam ei Trachiniam, minus rubentem. Mox Alabandicam viliorem, albicantibus foliis. Vtiliſſimam vero plurimis, ſed minutiſſimis ſpineolam. Differunt enim multitudine foliorum, aſperitate, læuore, colore, odore. Pauciſſima quina folia, ac deinde numeroſiora. Cum ſit genus eius, quam centifoliam vocant, quæ eſt in Campania Italiæ, Græciæ vero circa Philippos, ſed ibi non ſuæ terræ prouentu. Pangæus namque mons in vicino fert, numeroſis foliis ac paruis: inde accolæ transferentes conſerunt, ipſaq; plantatione proficiunt, non autem talis odoratiſſima eſt, nec cui latiſſimum maximumq; folium: breuiterq; indicium eſt odoris ſcabritia corticis: Cyrenis odoratiſſima eſt, ideoq; ibi vnguentum pulcherrimum. Carthagine Hiſpaniæ hyeme tota præcox. Refert & cæli temperies: quibuſdam enim annis minus odorata prouenit. Præterea locis ſiccis, quam humidis, omnis eſt odoratior. Seri nec pinguibus vult, nec argilloſis locis, nec riguis, contenta raris, proprieq; ruderatum agrum amat. Præcox campana, ſera Mileſia, nouiſſime tamen deſinit Præneſtina. Roſa ex ſpina naſcitur. Germinat primo incluſa granoſo cortice, quo mox intumeſcente, & in virides alabaſtros faſtigiato, paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſeſe pandit, in calicis medio ſui ſtantis complexa luteos apices: hactenus Plinius.

Partes in roſa, earumq; vires.

Partes in Roſa ſex antiqui adnotarunt, quæ omnes ſunt & ſcitu dignæ, & in medicina vtiles, etſi pauci habeantur ſeplaſiarii, qui ſeparatim eas reponant. Primum quidem duæ partes inueniuntur in foliis: quarum altera eſt, vbi calyci folia inſeruntur, vnguium modo albicans, ob idq; roſarum vngues hæ extremitates appellantur: altera vero foliorum reliquum. His aliæ duæ ſuccedunt, in iis floſculis qui veluti minuta ſemina tenuiſſimis capillis annexa flaueſcunt in roſarum vmbilico: horum enim partem faciunt granula, partem vero capilli. Poſtremo quæ reliqua ſunt, in ipſo Roſarum alabaſtro continentur: vna ſcilicet in cacumine, altera in fundo. Folia cor, ventriculum, iecur & retentricem inſuper facultatem corroborant: dolores ex calidit ate

*dis ex eprouenientes leniunt, & inflammationes auferunt. Vngues etſi proprium à ſcriptoribus non receperint dotem, inſeruntur tamen vtiliter lotionibus omnibus & clyſteribus, ad inhibendas fluxiones. Floſculi medij cum ſuis capillis gingiuarum defluxiones cohibent. quinetiam, auctore Plinio, alba fœminarum profluuia mirificè inhibent. Calyx denique, quem caput etiam aliqui dicunt, cum reliqua parte baſis, alui fluores, & cruentas excreationes ſiſtit. Cæterum præter has, quæ in florentibus roſis conſiſtunt, tres etiamnum in fructu comperiuntur partes, vbi rubeſcit is, & maturitatem ſenſit, videlicet ſubſtantia carnis, ſemen & lanugo concluſa: quibus non obſcura ineſt adſtringendi vis. Idcirco & ipſæ remedio ſunt contra alui fluores, & fœminarum abundantiam qualemcunque: item contra gonorrhæam, in qua præcipuè pollent: & præſertim ſylueſtrium. Namque harum fructus vna cum ſeminibus prius ſiccati & in puluerem triti, vtiliter ſeminis profluuio affectis dantur drachmæ pondere ex vino auſtero. Sunt, qui floſculos capillis appenſos, qui vero alabaſtros,* Quorundam lapſus de anthera.
*antheram eſſe exiſtiment. Sed revera hac in re planè hallucinantur: etenim anthera Celſo, Gal. & Paulo nuſquam ſimplex eſt medicamentum, ſed quædam ex pluribus rebus compoſitio, cuius frequens erat vſus apud antiquos ad oris vlcera: item ad pedum rimas, digitorumque pterygia. Cuius etiam parandi rationem adnotatam reliquit Galenus lib. 6. de comp. medicamentorum ſecundum locos, de oris vlceribus differens. Ex roſis vi ignis fit aqua, pluribus ac diuerſis inſtrumentis:* Aqua roſarū præſtantior.
*veruntamen ea cæteris præſtantior, ac odore fragrantior habetur, quæ per balneum calentis aquæ vitreis organis elicitur, cuiuſmodi & aliæ ſunt, quæ eodem modo ad vniuerſum medicinæ vſum confici ſolent. Quandoquidem inter has & illas, quæ plumbeis inſtrumentis lignorum vel carbonū igne extrahuntur, tanta deprehenditur differentia, quanta inter plumbum & aurum deprehendi poteſt. Quippe quæ fiunt in balneo calentis aquæ vitreis roſtratis organis, ab herbis & floribus, à quibus manant, nec ſapore nec odore diſſentiunt: adeo vt non ſolum proprias plantarum qualitates ſecum referant, ſed ne etiam tantillum quidem tum fumi, tum rei adustæ reſpiciant. Quod quidem in iis non inuenias, quæ vulgo plumbeis & æneis inſtrumentis eliciuntur: his enim nunquam, vel rariſſime ignis fauentis, quin tibi fumidum virus, nidoremque reddant. Quæ res non modo ægris ingentem moleſtiam afferunt, & nauſeam plerunque mouent, ſed & plurimum noxæ pectori, ventriculo, iecinori, viſceribusque omnibus conferunt: quod à metallicis organis, à quibus diſtillant, malam eorum qualitatem ſibi vendicent, vt libro tertio in abſinthij commentatione, annuente Deo, latius explicabimus. Quare hac ætate perſpecta, doctiſſimi ac peritiſſimi medici vitreis ſecuti, decoctis ac iulepis tantum vti cœperunt. Quæ tamen ſi viribus aquas qualeſcunque, ſublimatas (ita enim ſtillatitias vocant) præcellant, ea tamen, quæ calentis aquæ feruore (vt ſupra diximus) fiunt, cum proprios tum odores, tum ſapores herbarum ac florum, à quibus extrahuntur, ſecum trahant, iure quidem decoctis non modo ipſas æquipollere, ſed etiam præſtare credidimus: non tamen, quod viribus præcellere dixerim, ſed quod guſtui ſuauiores, & viſui iucundiores habeantur, quod non parum ſolatij ægrotantibus affert. Nos quidem aliis aquis non vtimur quam his, ad quas eliciendas nobis organum aſſiduè parari fecimus: cuius ope has ſtillatitias ac præſtantiſſimas aquas ſuo tempore conficimus, quarum aliæ ſapore conſtant amaro, aliæ vero acri, aliæ auſtero, aliæ acido, aliæ denique inſipido pro varijs ſimplicium medicamentorum qualitatibus, à quibus eliciuntur. Quapropter ſeplaſiarij & medici, quos magis decet humanam charitatem colere, quam aurum & argentum, dent operam, vt tam plumbea & ænea organa aboleantur, & balnea, de quibus diximus, in eorum locum ſuccedant: quippe in hoc etiam (quamuis plus laboris, minus vero emolumenti ſuſcipiant) & Deo & hominibus ſimul rem gratam facere poterunt. Cæterum Fuchſius* Fuchſij ſententia non probata.
*in libro de compoſitione medicamentorum, quem nuper edidit, vnicè cauendum præcipit in ſuccis ſtillatitijs eliciendis, ne eius vaſculi fundum, in quo ſtirpes continentur, aquam in cacabo bullientem attingat, ſed ſolo vapore ab ea eleuato intabeſcat. Qua in re ſecutus potius videtur fuiſſe Manardum, virum de arte medica præclare meritum, qui ita ſcriptum reliquit in ſuis epiſtolis, quam rei experimentum. Verum ipſe non poſſum omnino eorum ſententiæ ſubſcribere, vt qui iudicem non eſſe ſemper ea exquiſita ratione procedendum in herbis diſtillandis: quod certo ſciam nihil referre, quando etiam vaſculum herbas recipiens in aquam in maiore vaſe bullientem immergatur. Nam etſi aquæ, quas illi volunt ex herbis vapore tantum ab aqua bulliente eleuato extrahi, cæteris præſtantiores habeantur: tamen quæ ex herbis eliciuntur vaſculo impoſitis, quod aqua bulliens circumluat, parum certe aut ferè nihil illis bonitate cedunt: quod mihi compertum eſt in iis aquis, quas ſæpiſſime libuit vtroque modo elicere & experiri. Attamen aliquis illud diſcrimen eſſe dicet, quod illo modo aquæ ex herbis extrahantur, quæ tenuiores partes retinent, quod vaporis illius caliditas imbecillior ſit, quam vt poſſit totam herbæ ſubſtantiam conficere: hoc autem modo aquæ eliciantur, quæ omnes herbarum partes ſecum afferunt. Hæc ſanè differentia, quæ facile concedi poteſt, non eſt, meo iudicio, tanti momenti, vt illa regula perpetuo ſit obſeruanda, hæc vero euitanda: quin potius facit, vt hæc mihi videatur probanda, illa vero reiicienda tanquam cautio nimis ſuperſtitioſa. Roſarum vires collegit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Roſarum vis, atque facultas ſu-* Roſarum facult. ex Gal.
*perioribus libris pluribus verbis expoſita eſt, nempe quod ex aquea ſubſtantia calida miſta duabus alijs qualitatibus, adſtringenti videlicet & amara, compoſita ſit: quinetiam cuius ſit naturæ vtraque, amara ſcilicet & adſtringens, in horum commentariorum quarto declarauimus. Flos earum magis etiam ipſis roſis adſtringit, ac proinde ſanè etiam exſiccatorius eſt. Roſa, quam ita Latini vocant, Græcis ῥόδον dicitur: Arabibus, Nard, Naron ſeu Vard: Italis Roſa: Germanis Roſen:* Nomina.
*Hiſpanis Roſa: Gallis Roſe: Bohemis Ruoze.*

Roſa ῥόδον Græcis, ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀσμῆς ἀφίησι, quod ingentem odoris fluxum emittat, Plutarcho auctore. Cuius differentiæ permultæ Theoph. 6. hiſto. 6. foliorum multitudine, paucitate, aſperitate, læuitate ſtirpis, colore & odore variantes. Diuidimus in ſatiuam & ſylueſtrem. Satiua eſt purpurea, quæ incarnata Italis, Alabādicæ Plinii ſimilis Dodonæo: Trachiniā Plinii, quam minus rubentē dicit, credimus. Roſa duplex.
II. eſt alba, quæ ſpineola Plinii Dodonæo: malim Campanā dicere, niſi ſit Alabandica, quam viliorē albicantibus foliis ſcribit. III. Rubra ſaturati coloris, prouincialis Gallis, Mileſia Plinii videtur, Holoſericeā Lobelo: hæc flore eſt ſimplici & multiplici. IV. Flore nō ita ſaturate rubente, Franche Gallis, Damaſcenā Lobelii: Præneſtina Plin. forte: & hęc vel ſimplici, vel multiplici flore eſt. V. Moſchata ab odore, Neſrim Serapioni: alia ſimplici, & quidē vel minore, vel maiore flore: alia pleno flore eſt. VI. Spinis carēs, quę vel Neſrim.
maior vel minor. VII. Folio eſt criſpo, floribus incarnatæ ſimilibus. Sylueſtris aliquot etiam differentiæ. I. Vulgaris cui ſpongiola Bedeguar adnaſcitur, Cynorrhodon, Barbaro: Cynosbatos, Brunf. Roſa ſylueſtris prima, Trag. Dod. Canina roſa odorata & ſylueſtris, Lob. hanc & glabro, & hirſuto folio circa Montēbelgardū paſſim, fratre Ioh. Bauhino oſtēdente, obſeruauimus. Hæc flore eſt ſimplici & pleno, vt & II. quæ Cinamōmea dicitur. III. Lutea, quæ veterib. indicta videtur quę ſimplici flore rariſſime pleno. IV. Pimpinula, à ſimilitudine foliorū Pimpinellę. V. Odoratis foliis, Eſglāteriū vulgo & ſpina Mariæ. VI. Campe-
ſtris

ſtris humilis vel auenacea, albo eſt flore: eſt & rubello: VII. Pomifera. VIII. Rotundifolia: hæc purpureæ ſimilis, ſed rotundo quaſi folio.

## Λύκιον. LYCIVM. CAP. CXIIII.

a Oribaſius non legit.
b Addit meũ μέζον θερμοῦ καὶ ψυχροῦ. i. medium in caliditate & frigiditate.
c πλαγίας. i. latis leg. Ori.
d Meum χυλίζεται δὲ τῶν φύλλων σὺν τοῖς θάμνοις θλασθέντων. i. Elicitur ſuccus foliis vnà cũ frutice tuſis.
e καπνόν. i. Fumũm legit Orib.
f Meum κιῤῥόν. i. fuluum.

LYcium, a [quod aliqui pyxacantham vocant,] arbor eſt ſpinoſa, ramis trium cubitorum, aut longioribus, foliis buxi, denſis: b fructu piperis, nigro, læui, amaro, denſoq;: cortice pallido, non diſſimili lycio madefacto: radicibus c [multis, obliquis,] lignoſis. Naſcitur plurimum in Cappadocia, Lycia, & pleriſque aliis locis: aſpera loca amat. Succi extrahendi ratio hæc eſt. d Rami cum radiculis tuſi, & antè per multos dies macerati coquuntur, tum abiectis lignis, itidem liquor coquitur, donec mellis craſſitudo fiat. Adulteratur id lycium, adiecta decoctioni amurca, aut abſinthii ſucco, aut felle bubulo. Innatans ſpuma inter coquendum exempta, oculorum medicamentis additur: reliquo ad alia vtuntur. Simili modo fit lycium ſemine expreſſo & inſolato. Optimum, quod vri poteſt, reſtinctumq; rubentem e [ſpumam] oſtendit, glebis intrinſecus nigris, intus, cùm fregeris, f rufis, odore minimè viroſo, cum amaritudine aſtringens, crocino colore: cuiuſmodi Indicum eſt, cæteris præſtans & efficacius. Lycium adſtringit, caliginem oculorum diſcutit: genarum ſcabiem, pruritus, veteresq; fluxiones ſanat: facit ad purulentas aures, exulceratas gingiuas, tonſillas, labiorum fiſſuras, ſedis rimas, attritusq; illitum: cœliacis, dyſentericis potum, inditumq; conuenit: datur ſanguinem excreantibus & tuſſi ex aqua: contra rabioſi canis morſus in catapotio deuoratur, aut in aqua bibitur: flauos facit pilos: reduuiis, vlceribus, quæ ſerpunt, aut putrent, medetur: fœminarum profluuia appoſitum ſiſtit: rabioſorum ictibus ex melle potum, aut vice catapotii deuoratum, auxiliatur. Tradunt Indicum fieri Lycium, ex frutice lonchitide appellato. Ea ſpinarum generi aſcribitur, ramos rectos habens ternum cubitorum longitudine, maioresve, rubo craſſiores, à radice numeroſos: fractus cortex rubeſcit: folia oleæ ſimilia. Herba in aceto decocta proditur lienis inflammationibus, & regio morbo mederi, & fœminarum purgationes elicere. Aſſeuerant etiam crudam in potu, eoſdem effectus præſtare: ſemen cyatho dimidio potum, pituitam expurgare, venenis quoque auxilio eſſe.

I. LYCIVM.



II. LYCIVM ITALICVM.



Lycii conſideratio.

Lycium adulterinum.

*LYcium medicamentum, quo hodie officinæ paßim vtuntur, nimirum notis illi plurimum reclamat, quod nobis hic reddidit Dioſcorides. Siquidem illud officinarum igni admotum non accenditur, nec intus rufeſcit, nec vllam guſtantibus affert amaritudinem: quæ omnia certo ſunt indicio, id omnino impoſturis, & adulterijs non vacare. Tradidere quidam hoc ab impoſtoribus fieri è liguſtri fructu, alij id tribuunt periclymeni baccis, alij ſanguineæ virga corymbis, alij porrò ex his omnibus ſimul contuſis elici produnt, ac inde inſolari. At legitimum, & quod ſyncerum ſit, quoquomodo ſe res illa habeat, compertum eſt, hoc æuo ex Lycia, vnde illi nomen, ad nos non importari. Lycij plantam cuius hic imaginem damus appictam mihi miſit Baptiſta Baliſtus Dalmata, Myropola, & rei plantariæ ſtudioſus, ſed reuera planta ipſa viua à me nuſquam viſa eſt. Cæterum quanquam cenſet vitilitigator quidam hanc fictitiam potius quàm veram eſſe Lycij plantam, nos tamen cum Lycij hiſtoriam omnibus ferè notis illam repreſentare videamus, eam ex Comentarijs noſtris eruncandam non duximus, quouſque alius compareat, qui ex Lycia vel Cappadocia, vbi naſci Lycium ſcribit Dioſcorides, veriorem Lycij plan-*

cij plantam ad nos afferat. Habetur quoq; alia quadam planta, quæ non parum Lycio æmulatur. Hanc primum Verona ad me miſit Franciſcus Calzolarius rei plantariæ admodum ſtudioſus, cuius hic imaginem damus, vt de ea quoq; aliorum ſit iudicium. Lycium Italicum, planta eſt aculeata, pruni ſylueſtris faciem referens, minoribus tamen folijs. Flores mittit candidos, è quibus baccæ gignuntur, liguſtri ferè ſimiles, ſapore acerbo atq; adſtringenti, è quibus ſuccus exprimitur. Naſcitur copioſum in agro Tridentino circa arcem de Greſta, ſaxoſis locis. Adſtringit, cohibet, roborat, ſiccat & reprimit, & vbi legitimum Lycium non ſit ad manus, nihil prohibet, quin hoc eius vice ſuccedere valeat: ſuccus è baccis à me extractus, hæc omnia belle præſtat. Quinam præterea aculeatus ille ſit frutex Lonchitis appellatus, è quo Indicum parari Lycium ſcribit Dioſcorides, hactenus mihi non conſtat. Licij vices Dioſcoridi explet amurca in cupreo vaſe decocta, aut etiam rhus decoctus quouſq; eius liquamentum mellis craßitudinem acquirat. Licij meminit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Lycion ſiue pyxacanthon, arbor ſpinoſa, ex qua lycium, quod vocant, conficitur: id videlicet medicamentum liquidum, quo ad ſugillata vtuntur, & ſedis oriſq; phlegmonas vlcerationesq;, tum herpetas, putredines & vlcera contumacia, & aures pure fluentes, & intertrigines ac paronychias. Eſt autem facultatis exiccatoriæ, compoſitum ex diuerſi generis ſubſtantijs, quas ἑτερογενεῖς Græci vocant: altera quidem tenuium partium digerente atq; calida: altera terreſtri & frigida, ex qua adſtrictionem obtinet. Porrò hæc qualitas puſilla medicamento ineſt, digerit verò & deſiccat non parum, nempe in ſecundo receſſu, in calore autem medijs & ſymmetris proximum eſt. Proinde ad diuerſos affectus hoc vtuntur medicamine, vt abſtergente quidem ad ea, quæ pupillas obtenebrant: vt contrahente verò, cœliacis, dyſentericis, ac muliebri profluuio adhibentes. Lycium hoc in Lycia & Cappadocia plurimum prouenit: alterum verò Indicum ad omnia valentius eſt. Et primo de antidotis, non facile adulterinum lycium a legitimo dignoſci idem memoriæ prodidit: hæc Galenus. Cæterum

Lycii vires ex Galeno.

III. BVXVS.



quoniam Pyxacantha, quo nomine lycium ab aliquibus appellatur, mihi Buxum, quæ Græcis πύξος dicitur, in memoriam redegit, non omittendum duximus, quin de ea etiam aliquid dicamus. BVXVS itaque nobis notiſſima eſt planta, quòd plurima in Italia proueniat, folio myrti minore, denſiore, craßiore, viridiore ac ſubrotundiore: viret perpetua coma, eaq; propter topiario operi accomodatiſſima: flore herbaceo, fructu rutæ ſimili, quadruplici, apice in cacumine diuiſo, ciceris magnitudine, ſemine ruſeſcente, omnib. animantib. inuiſo. Craßiſſima in Corſica, flore non ferendo: quæ cauſa amaritudinis mellis. Frigidis gaudet & apricis. Materies buxo honorata, rarò criſpanti, nec niſi radice: cæterò lenis quies materiæ, ſilentio quodam, & duritie ac pallore commendabilis. Eadem ſpißiſſima, flaua & denſiſſima atq; ponderoſiſſima, adeo vt in aquis non fluitet, nec cariem ſentiat. Exiccat manifeſtè, ſed in calore non longe a medijs abeſt, adſtringit quoque & roborat. Hæc etſi (vt quidam putant) nullius ſit in medicina vſus, & ob id à Dioſcoride eſſe prætermiſſam, nos tamen compertum habemus capillos ruſos fieri, vbi frequenter lauentur lixiuio in quo decocta fuerint folia & rami. Sunt etiam qui dicant ligni ſcobe hauſta, ſanari alui profluuia. Non deſunt etiam è recentioribus, qui velint non aliud eſſe Italis buxum, quàm Indis lignum, quod Guaiacum appellant: ea tantum ratione ducti, quod pluries experimento compertum ſit, eius decocto etiam felicius eos ſanatos eſſe, qui Gallica lue affecti erant. Quod etſi experientiæ concedi poßit, illud buxi lignum præſtare: attamen quod buxus in Italia naſcens, & Guaiacum ab Indis petitum, vna & eadem ſint planta (vt in ſecunda centuria Amathus Luſitanus aſſerere videtur) nunquam profecto crediderim. Sed delirant qui vnam & eandem faciunt arborem. Siquidem Guaiacum pingue, reſinoſumq; viſitur: materie inrumque ebeni ferè modo: quin & ſapor huic amarior & acrior, quibus omnibus notis ſiccam buxi materiem carere conſtat. Quoniam Guaiaco (vt narrant ij, qui ab Indis ad nos redeunt) folia inſunt plantaginis, breuiora, craßiora durioraq;: lutei flores & fructus iuglandis magnitudine. Buxus verò folia fert myrti, breuiora: flores herbaceos, & fructum myrto nunquam grandiorem. Quo fit, vt omnino exiſtimem eos hallucinari, qui putant buxum quæ in Italia naſcitur, idem eſſe cum Indico guaiaco, vt nuper ſenſiſſe videtur Luſitanus loco ante dicto. Sed quàm ab eo ieiune, ne dicam imprudenter actum ſit de ſimpl. medi. cognitione, eorum facile iudicium futurum ſpero, qui non mediocriter in re herbaria verſati fuerint, & huius ſcripta legent: atque etiam legere non grauabuntur Apologiam, quam nos aduerſus illum ſcripſimus, cui plurima errata attexuimus, quæ in eiuſdem in Dioſcoridem enarrationes adnotauimus. Quoniam autem buxo cum materie, tum quoque baccarum facie quadantenus ea arbor ſimilis ſpectetur, quam nos in Tuſcia vulgari idiomate vocamus Silio: alij verò Fuſaro, quòd ex ea optimi fuſi fiant, quibus mulieres è lino ſtamina ducunt, nos verò Euonimum eam eſſe putamus, prætermittendum ſanè non duximus, quin de ea hic ſcriberemus. EVONIMVS itaque Theophraſt. libro tertio, cap. vltim. de plantarum hiſtoria, arbor eſt mali punicæ magnitudine, atque folio eiuſdem, maiori quàm chamædaphne, molli, vt punica. Germinare menſe Septembri incipit: floret vere: flos colore albæ violæ ſimilis, odore infeſtus, velut cruorem inferens. Fructus cum putamine ſiliquæ ſeſamæ proximus, præterquam quod in verſus diuiditur quaternos. Hic pecus enecat guſtatus, quinetiam folium idem facit, & potiſſimum capras, niſi purgentur, interimit: purgantur autem Anecho: bacille. Quæ quidem ſi quis cum Silio noſtro conferat, eam Euonimum eſſe facile conijciet. Id enim vt credam, non ſolum huiuſce plantæ notæ me adducunt, ſed quod ſciam, arbuſculam nobis Silio vocatam, pecoribus eſſe aduerſiſſimam, quinetiam quod grauiter oleat. Lixiuium in quo baccæ decoctæ fuerint (vt noſtræ referunt mulieres) capillum ſplendidum facit, furfures extergit, & pediculos necat. Materie eſt Buxi modo pallida, verũ nõ adeo graui ac ſolida. Naſcitur frequens in Italia in ſepibus, dumetis & ſyluis. Errat toto cœlo Tragus, qui hanc plantam Theophraſti ζυγίαν eſſe contendit.

Buxi conſideratio.

Quorundam opinio reprobata, qui Buxum Guaiacũ cenſent.

Contra Amathum.

Euonimi cõſideratio.

Tragus arguitur.

P Lycium

Nomina.

## IIII. EVONYMVS.



*Lycium Latini ſimiliter atq; Græci λύκιον nominant: Arabes Hadhadh, Hadad, Kiluleon ſiue Felzahrarag: Itali Licio. Quæ verò planta Græcis πύξος, Latinis Buxus appellatur: Itali Boſſo: Germanis* Buxbaum: *Bohemis Poſſpan. Euonymum deniq; appellant Græci εὐώνυμον: Hetruſci, Siluæ Itali cæteri Fuſano ſiue Fuſaro, quod ex eo fuſi à tornitoribus fiant: Germani* Spindelbaum.

Lycium officinarum. Lycii ſeu pyxacanthæ, id eſt, Buxi aculeati vox cùm apud Theophraſtum non reperiatur, ſunt qui exiſtimant oxyacanthi nomine ab ipſo proponi. I. Lycium, Lac. Caſt. Tab. Cæſ. Braſſa. Lycium alpinum, Lug. Pyxacantha, Dod. gal. (cui & Onopyxos Theophraſti) & fol. Lon. II. Lycium Italicum, Lug. & Tab. Meminit & tertii Hiſpanici nomine Cluſius & Lobelus, aliud habet Lug. hiſtoria: ſic Alpinus, Vzeg pro Lycio Indico habitum, pingit: habet & ſuum Rauwolfius in ſuo itinerario: tandem apud Acoſtam habetur Cate, quod Lycium putat Garzias. Officinæ ſuum Lycium cõmuniter ex Periclymeni baccis grauiſſimo errore conficiunt, qui error à pandectario promanare videtur, qui Periclymenon cum Pyxacantha confundit: alii ex Liguſtri fructu: alii ex prunis ſylueſtribus: poſſet non ita contemnendum ſuccedaneum ex oxyacantha ſeu acuta ſpina, aut Rhamno aut Rhois ſucco fieri, cùm & veteres nõ ſolùm è Lycio, ſed & è Rhamnis & aliis quibuſdam ſimiliter adſtringentibus ſpinis confecerint. III. Buxus Theophraſti, vel ſylueſtris Plinio C.B. Buxus herbariis: hæc frutex eſt, quædam tamen & in arborem excreſcit. Eſt & humilior foliis rotundioribus Chamæpyxos Trago & Tabernæ. IIII. E-

Euonymi differentiæ. uonymus, id eſt, boni nominis, per antiphraſin, vnde quædam exemplaria habent Anonymos, vt & apud Plinium: duplex eſt, anguſtifolia & latifolia: anguſtifolia, alia granis rubeis vulgaris, quæ aliquando & albis variat: alia nigris quæ Pannonica. Euonymus vulgaris granis rubris C. B. dicitur Fuſanus Creſcentio, quod ex eo fuſi fiant. Carpinus Theophraſti, Trag. Lon. Anonymos, quæ aliàs Euonymos, Cord. hiſt. Euonymus Theophraſti, Dod. gal. Thal. Geſ. hor. Lob. Tab. Caſt. Tetragonia (quadratoria Gaza vertit) Theophraſti Lugd. Siler Plinii, Cæſalpino.

## Ἀκακία. ACACIA. CAP. CXV.

a Meũ & Cat. δενδρώδης. θαμνοειδής. b Meum καρπὸν. i. fructum. c Meum κύλισμα. d Oribas. ἐν ἡλίῳ. i. in ſole.

ACacia in Ægypto naſcitur, ſpina inſtar a arboris, fruticoſa, non ſe in rectum attollens. Florem habet candidum, & b ſemen lupino ſimile in folliculis: ex quo, c ſuccus expreſſus ſiccatur d in vmbra, niger ex maturo ſemine, ſubrufus ex viridi. Eligatur modicè rufus & odoratus, vt in hac arbore eſſe poteſt. Aliqui exprimunt ex foliis & ſemine ſuccum: Manat & gummi ex ea ſpina. Vis ei ad ſpiſſandum refrigerandumq; efficax. Succus oculorum medicamentis vtilis: valet ad ignem ſacrum, vlcera quæ ſerpunt, perniones, pterygia & oris vlcera: procidentes oculos reprimit: menſium abundantiam ſiſtit: prociduam vuluam cohibet: citam aluum ſupprimit, aut potus aut ſubter inditus: capillos denigrat. Lauatur oculorum medicamentis, trito in aqua, mox effuſo, quod concreuerat, donec pura extet aqua, & ita cogitur in paſtillos. Vritur etiam in cruda fidelia, donec fictile fornacibus percoquatur: torreturque in carbonum halitu perflata. Spinæ decoctum ſolutos artus fotu committit. Præfertur eius ſpinæ gummi, quod in vermiculorum ſpeciem contrahatur, & vitri modo perluceat, ligni expers: proximum eſt candidum: ſordidum verò ac reſinoſum inutile. Cutis meatus obſtruit, & medicamentorum, quibus admiſcetur, acrimoniam hebetat: ambuſtis ex ouo illitum, puſtulas non patitur erumpere. Alterum Acaciæ genus in Cappadocia, Pontoque prouenit, Ægyptiæ ſpinæ ſimilitudine, [longe minus, tenerius, humile: aculeorum vallo munitur, folia habens rutæ, ſemen lenticula minus fert autumno, in loculis connexis, ternûm quaternûmve capacibus. Succus eius adſtringit, ] viribus inferior & ocularibus medicamentis inutilis.

Hæc non legit Orib.

Acaciæ hiſto. ex Theophr. *ARbor, quæ Dioſcoridi Acacia vocatur, Theophraſto Spina ſimpliciter dicitur libr. 4. cap. 3. de plan. hiſt. vbi de ea ita ſcriptum reliquit: Spina ex eo nomen accepit, quod tota arbos aculeis horret, excepto caudice: nam & ſuper germina & foliaq; aculeos gerit. Magnitudine excellit, materies quippe duodenorum cubitorum tectis idonea caditur. Eius duo genera ſunt, quædam enim candida, quædam nigra: & altera imbecillis, facileq; putreſcens: nigra autem robuſtior atq; incorrupta, ob id in nauium fabrica ad coſtas, ventriúq; compagines ea vtuntur. Erecta non valde aſſurgit. Fructum fert in ſiliqua, leguminum modo, quo incolæ coria perficiunt vice gallæ. Flos & pulcher aſpectu, vt coronas ex eo facerent: & medicamentis perutilis, qua de cauſa colligi à medicis ſolet. Fit & gumma ex ea: manat hoc tum arbore percuſſa, tum ſponte ſine vlla plaga: cum autem cæſa fuerit, anno tertio protinus reſurgit. Copia huius arboris largè habetur, & ſylua ingens circa agrum Thebanum eſt, vbi & robur & perſea, & olea quoque eo loco emigrat, non aquis fluuij riguo (diſtat enim plus, quam trecentis ſtadijs) ſed ſuis fontibus, qui circa eum tractum permulti exiliunt. Materies arboris dura & cæſa colorem celtis vtique repræſentat: hactenus Theophraſtus.* Ex Plinio. *A quo Plinius non diſſentiens, ipſe quoq; eius hiſtoriam*

memoria

I. ACACIA AEGYPTIACA.



II. ACACIA.



III. ARBOR IVDAE.



*memoriæ prodidit lib.* XXIIII. *cap.* XII. *cuius ſic verba ſonant. Eſt & acaciæ ſpina. Fit in Aegypto alba, nigraquè arbore, item viridi, ſed longe melior è prioribus. Fit & in Galatia tenerrima, ſpinoſiore arbore. Semen omnium lenticulæ ſimile minore eſt tamen & grano, & folliculo. Colligitur autumno, quoniam ante collectum nimio validius. Spiſſatur ſuccus ex folliculis aqua cœleſti perfuſis, mox in pila tuſis: exprimitur organis, tum denſatur in ſole mortarijs in paſtillos acacia dicta, arboris videlicet ſuæ nomine. Fit & ex folijs per ſe minus efficax. Ad coria perficienda ſemine pro galla vtuntur. Foliorum ſuccus, & Galatiacæ acaciæ nigerrimus improbatur: item qui valde rufus eſt: hæc Plinius. Succus è recenti ſemine expreſſus, ac poſtea longa inſolatione concretus Græcis nomine ſuæ arboris Acacia nuncupatur. In cuius defectu ſupponunt tum officinæ, tum medicorum vulgus ſuccum è ſyluestribus prunis expreſſum in tenues quaſdam placentulas in ſole denſatum: ſiquidem legitima acacia ad nos non affertur. Vbi acacia defecerit, licet (ſi Dioſcoridi credimus) eius vice tum rhois arbuſculæ folia, tum lentiſci foliorũ ſuccum, tum etiam hypociſtidem medicamentis immiſcere. Quamobrem his potius ſeplaſiarij vti deberent, quàm ſuppoſititio ſylueſtriũ prunorum ſucco. Acaciæ imaginem, quam hic appingi curauimus, detulit ad me Conſtantinopoli Clariſsimus Augerius de Busbeke Flander, Cæſareus orator ad Turcarum Imperatorem, quæ omnibus ſuis partibus, notisq́; veram legitimamq́; Theophraſti & Plinij acaciam imitatur. Nam plantæ integra imago, cuius vnum tantum ramum appinximus, caudicem habet non in rectum, ſed in obliquum ſe attollentẽ, nigro omnino libro, ramos, ſurculosq́; vbiq́; ſpinis rigentes. Folijs eſt rotundis, pyri magnitudine, venoſis, parte prona fuliginoſis, ſupina verò ex viridi ſubalbicantibus, minimè ſerratis, ſubnigricante pediculo, floribus ex albo purpuraſcentibus, & ſiliquis, & ſemine Lupino ſimilibus. Dioſcorides tamen Acaciæ albos reddidit flores. Atqui cum Acacia Theophraſto, & Plinio tum nigra, tum alba, generis diuerſitate habeatur, facilè crediderim albam, album proferre florem: nigram verò (vt noſtra hæc eſt) purpureum, & præſertim cum Theophraſtus ſcribat Acaciæ florem aſpectu eſſe pulchrum, & coronas ex eo factitari. Nam purpureus color longe pulchrior ſpecioſiorq́; eſt quàm albus. Scire etiamnum conuenit, gummi, quod ab arbore acaciæ manat, ideo Serapioni Arabicum nuncupari, quod ab Arabia regione Aegypto contermina ſuo tempore importaretur. Sed animaduertere oportet, quod Arabicum vulgaris vſus gummi longè quidem ab illo differt, quod ab acacia colligitur:*

Acacia officinarum.

Acaciæ ſuccedaneum.

Acaciæ primæ Matth. deſcriptio.

Gummi Arabicum.

*tur: namq; illud non contractis vermiculis ſimile, ſed in grumis verſicoloribus conſpicitur, quorum alij ſuccinum, alij topatium, alij chryſopatium, alij beryllum colore, & nitore referunt. Quod autem nobis gummi Acaciæ deſit, illud argumento eſſe poteſt, quod ipſa quoq; legitima acacia hactenus, quod ſciam, non defertur. Nam ſi hoc, quo vtimur, ſyncerum, legitimumq; acaciæ eſſet gummi, proculdubio ipſa quoq; acacia ad nos conueheretur, cùm longè magis in paranda theriaca, alijsq; componendis medicamentis expetatur, quàm gummi. Hinc itaq; facilè quisq; conijcere poteſt, gummi ex Aegyptia ſpina defluens ab eo ſanè plurimum differre, quod Arabici gummi nomine officinarum vulgus habet. Hoc igitur vulgare gummi illud equidem eſſe exiſtimauerim, quod Græcis gummi ſimpliciter vocatur.*

Gummi Græcis quid.

*In quam ſententiam me adduxit Galenus, ſiquidem lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquit: Gummi lachryma eſt congelata, concretaq; in truncis arborum ipſam fundentium, velut reſina quoq; in multis viſitur plantis, quæ reſinam fundere poſſunt. Cæterum quod exiccatoriæ, emplaſticæq; ſit facultatis, conſtat: hæc Galenus. Ex cuius verbis palam eſt, gummi ſic in vniuerſum Græcis appellatum, noſtrum gummi eſſe vulgo Arabicum dictum. Quod quidem (quantum ſenſuum iudicio conſequi poſſumus) ex pluribus arborum gummi miſcellaneum eſt. Cuius rei manifeſto indicio ſunt cum grumorũ formæ diuerſitas, tum colorum varietas. Huc etiam accedit, quòd Galenus vnica nomenclatione omnia earum arborum gummi comprehendit, quæ reſinam non proferunt.*

Quorundam lapſus.

*Quamobrem omnino explodenda videtur eorum ſententia, qui vbi Græci gummi abſolutè ſcriptum reliquerunt, illud gummi intelligendum eſſe contendunt, quod è ſpina Aegyptia manat. Non deſunt præterea, qui gummi ſpinæ Aegyptiæ illud eſſe opinentur, quod gummi Dragaganthi, hoc eſt, tragacanthæ officinis appellatur, propterea, quòd effigie contractos vermiculos referat, quo nihil certè melius illi competere poſſet.*

Dragaganthum.

*Sed tamen hoc etiam illud non eſt, vt ſuo loco dicemus. Galenus lib. 7. de compoſitione medicamentorum per genera, Acaciæ gummi κόμμιθη βαϊκὸν vocat: hoc fortaſſe argumento, quod ſcripſerit Theophraſtus (vt ſupra dictum eſt) ingentem huiuſce ſpinæ ſyluam eſſe in agro Thebano. Sed cum ad nos non perferatur acacia (vt paulò ante ſcripſimus) nec etiam eius gummi importari credendum eſt.*

Iacobi Syluii opinio reprobata.

*Gummi Acaciæ meminit Iacobus Syluius, vir ſanè ætatis noſtræ ingenio & doctrina celebris, ſuo de natura ſimpliciũ medicamentorum libello, his verbis. Gummi acaciæ non meminit Galenus in Acacia libro ſexto ſimplicium, vti nec acaciæ mentionem facit paulò poſt in Acantha Aegyptia ſeu Arabica, quo nomine ſolo Dioſcoridi vocatur. Vnde colligas licet, acaciã & acantham Aegyptiam ſeu Arabicam, diuerſas eſſe in Aegypto ſpinas arbores: hæc ille. Sed mea quidem ſententia, Syluius manifeſtè aberraſſe deprehenditur: quandoquidem Galeno acantha Aegyptia arbor vtiq; non eſt, ſed herba è carduorum genere, quemadmodum & Dioſcoridi libro tertio ἀκάνθη λευκῆ, hoc eſt, ſpinæ albæ ſimilis, quam Mauritani ſuchaa appellãt: quocirca eo capite Acaciæ meminiſſe Galenum omnino fuiſſet abſurdum.*

IV. ACACIA ALTERA.



Acaciæ alterum genus.

*Cæterum alteram* ACACIAM, *quam in Cappadocia, Pontoq; prouenire tradit Dioſcorides folijs rutæ, quamque hic depictam damus, accepimus hoc anno à quodam ex ijs, qui rei herbariæ dant operam. Et quoniam ea Dioſcoridis hiſtoriam perbelle repræſentare viſa eſt, non potuit animus non inclinari ad credendum hanc ſecundam eſſe Acaciam. Eſt enim aculeis horrida, folio rutæ, ſemine lenticula minore, in ſiliquis ternum quaternumve capacib. quod autumno profert, guſtu etiam adſtringente: color ſiliquis aureo quodam fulgore reſparſus, adeò vt in ſole auri modo pelluceat.*

Anguillarii opinio.

*Ab hac ſanè opinione non recedam, anteaquam eam viderim plantam, quam Anguillarius ſecundam Acaciam eſſe cenſet. Nam eius iudicio minimè ſubſcribam, niſi prius plantam conſpexerim.*

Acaciæ vires ex Galeno.

*Acaciæ vires adnotatas reliquit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit. Acacia & planta ipſa acerba eſt, & fructus & ſuccus, qui lotus quidem & imbecillior, & minus mordax redditur, vtpote acrimoniã quandam per lotionem deponens. Porrò ſi parti alicui ſanæ illinatur, protinus eam & ſicciorem, & contractam efficiet, nullum quidem caloris ſenſum inuehens, ſed nec frigoris admodum valentem. Vnde conſtat medicamen id eſſe frigidum, & terroſum, immiſta quadam etiam eſſentia aquea. Et ſanè coniectura eſt, non eſſe ſimilare, verùm quaſdam in ſeſe diſperſas habére partes tenues & calidas, quæ in ipſa ablutione ſegregentur. Eſtq; & hoc tertij ordinis exiccantiũ, & ſecundi refrigerantiũ, vbi quidẽ elotũ fuerit, illotum verò primi.*

Nomina.

*Nomen, quod ἀκακία habet apud Græcos, idẽ, quod eſt Acacia, retinet apud Latinos & Italos. Ea autẽ Arabicè Achachie appellatur.*

Acacia ab ἀκάζω acuo, quaſi acuta, quare Theoph. 4. hiſt. 3. ſimpliciter Acanthã, id eſt ſpinã, vocat. Spina Ægyptia, ex qua Acacia præparatur, Aëtio lib. 1. & Oribaſio. Spina Ægyptia, aliquib. Arabica Gal. 6. ſimplicium: at Dioſ. & Plin. diſtinxere. I. Acacia Ægyptiaca C.B. Acacia Ægyptia, Dod. Gal. Lug. Acacia, Bellonio in iconib. Dod. Alpino, Acacia prima, Lac. Acacia prima Ægypt. Cam. Acacia Alexãdrina, Caſt. Spina Acaciæ Dioſc. Lob. Acanthus Theoph. Anguillaræ. Succus expreſſus Acacia dicitur Paulo & Aëtio, at Gal. ſuccus Acaciæ, lachryma cyanea Andromachi fortè: verum officinarũ Acacia prunellorũ agreſtium ſuccus eſt diligenter ſpiſſatus. Gũmi quod ex hoc manat, veterib. abſolutè videtur gummi dici, vt apud Gal. 4. ſecundũ loca 4. cui lib. 7. ſecundũ genera gummi Thebaicũ, aliis Babylonicũ, aliis vermiculatũ: gummi acanthinũ, Marcello: gũmi Alexandrinũ, Scribonio dicitur. II. Acacia 1. Matt. Caſt. Lug. quæ licet videatur nil aliud eſſe, quã Arbor Iudæ, cui aculei adpicti: ſiquidẽ tota deſcriptio, aculeis exceptis, noſtræ tertio loco poſitæ cõueniat: attamẽ cùm cõmentator ſe talẽ accepiſſe teſtetur, noluimus eã remouere, ſed potius arboris Iudæ iconẽ verã, vt iuxta ſe poſita dignoſcãtur, adiicere. III. Arbor Iudæ dicitur Geſ. hor. Dod. Lo. Tab. Lug. cui & Colytea 3. Theoph. quibuſdam: Siliqua ſylueſtris Cluſ. Hiſp. Cam. in Matt. Cæſ. Siliquaſtrũ & ſili-

& Siliqua ſylueſtris & fatua & arbor amoris, Caſt. Sycomorus, Stephano Ceratonia ſylueſtris, Geſ. hor. cu & Ceratia agreſtis & Cercis Theophraſti. Fabago arbor Bellonio. Floribus eſt cõmuniter purpureis, quandoq; candidis. IV. Acacia altera, Dod. Gal & fol. Lac. Lugd. Acacia altera Dioſcoridis, Lob. Tab. Aſpalathus ſecundus Maranthæ, Geſ. hor. Aſpalathus Cæſ. Camerario.

## Ἄγνος. VITEX. CAP. CXVI.

VItex ſiue lygos, frutex eſt in arborem aſſurgens. Naſcitur in fluminum ripis, a aſperiſq; locis, ac torrentium alueis: ramos gerit longos, fractu peruicaces: folia oliuæ, ſed molliora. Duo genera eius: vna harum album florem mittit b cum purpureo: altera tantùm purpureum & ſemen, vt piper. Excalfactorias vires habet, & adſtrictorias. Semen eius potum venenatis ictibus, aquæ quæ cutem ſubiit, lienoſiſq; auxiliatur: lac euocat: menſes ciet, drachmæ pondere in vino potum: genituram exoluit: caput tentat, & ſoporem affert. Decoctum herbæ & ſeminis in deſeſſione, mulieribus vuluæ malo oportunis opitulatur: item inflammationibus. Purgationes mouet ſemen cum pulegio potum, etiam ſuffitu, vel appoſitu: capitis dolorem diſſoluit illitum: inſtillatur cum aceto & oleo capiti in lethargo & phrenitide. Folia ſuffitu, aut ſubſtratu fugant venenata: illita quoque ſerpentium morſibus auxiliantur, teſtium duritias cum butyro & foliis vitium emolliunt. Rimas ſedis ſemen cum aqua illitum mitigat: & cum foliis medetur luxatis, vulneribuſq;. Virgam qui manu teneat, dum iter facit, negatur intertriginem ſentire. Agnum, quaſi dicas caſtum, vocant Græci, quoniam matronæ in Theſmophoriis Athenienſium caſtitatem cuſtodientes, foliis huius cubitus ſibi ſternunt, & lygon, quaſi vimen, propter inuictam ferè ramorum flexilitatem.

a Cat. πεδιοις ἐφύδροις. i. campis vdis. b Oia exem. σὺν ὑποπορφύρῳ. i. cum ſubpurpureo.

I. VITEX.



II. VITEX LATIFOlia ſerrata.



*Vitex, quam vulgus herbariorum Agnum caſtum appellat, arbuſcula eſt in Italia vulgaris notitiæ. Duo eius genera recenſet Plinius lib. 24. cap. 9. Maior in arborem ſalicis modo aſſurgit: minor ramoſa, folijs candidioribus, lanuginoſis. Prima album florem mittit cum purpureo, quæ & candida vocatur: nigra, quæ tantum purpuream. Naſcuntur in paluſtribus campis. Non multum à ſalice vitilium vſu diſtat vitex: foliorum quoq; aſpectu, niſi odore gratior eſſet. Græci lygon vocant, alij agnon, quoniam matronæ in Theſmophorijs Athenienſium caſtitatem cuſtodientes folijs cubitus ſibi ſternunt. Meminit præterea Theophraſtus lib. 4. cap. 11. de plantarum hiſtoria, cuiuſdam plantæ ἐλαίαγνος appellatæ (ex olea & agno nomenclatione deducta, quod vtriq; ſimilis habeatur) ſic inquiens. Ἐλαίαγνος natura fruticoſa, nec cæteris Amerinis abſimilis folio, figura quidem proximo cæteris, ſed molli, lanuginoſoq; flore populi albæ, ſed minore: fructu nullo: naſcitur plurima ſuper inſulas fluitantes. Verum an ea vera ſit ἐλαίαγνος, quam nouus quidam herbarius in Vmbria, & apud Pelignos oriri ſcribit, nõ auſim ego affirmare: quod illam non viderim vſquam. Naſcitur tamen & in Bohemia planta, quæ omnibus notis Elæagno aſtipulari videtur. Eſt enim fruticoſa, folio viticis ſimili, molli ac lanuginoſo. Flore albo gradatim ex virgis propè foliorum exortum prodeunte: odore non inſuaui, è quo nullus prouenit fructus. Huic alia per omnia ſimilis habetur Viennæ Auſtriæ, in Viridario Sereniſſimi Cæſaris Ferdinandi, quæ baccas profert oleæ figura, ſed longè minores apice in ſummitate aculeo ſimili. Hanc ego Elæagnum appellarem, quòd folio ac virgis Agnum, fructu verò oleam referre videatur. Etſi ſciam Theophraſti Elæagnum non eſſe, quod hæc ſterilis ſit, non fructum ferens, niſi fortaſſe deceptus ſit Theophraſtus, vel eius codex deprauatus, vt in alijs quàm plurimis locis obſeruauimus. Vitex, vt ſcriptum reliquit Ga-*

Viticis conſideratio.

Ἐλαίαγνος Theophraſt.

Elæagni Bohemicæ hiſt.

Elæagnus alia.

III. OLIVA BOHEMICA ſiue Elæagnos.



*lenus lib.6.ſimplicium medicamentorum, caliditatis & ſiccitatis claſſem tertiam ſortita eſt, verùm ea eſt multum tenuis ſubſtantiæ, tum guſtu acris ſimul & adſtringens: ipſas tamen vitices ad medicinam habet inutiles: cæterùm folia, ſemenq́ue calida, ſiccaq́ue facultate ſunt, ſubſtantia verò tenui. Nam & vtentibus ita apparet, & guſtantibus acre ſimul & ſubadſtringens percipitur tum folium, tum flos, tum ſemen. Edendo tamen etiam ſemen eſt, verùm tam perſpicuè calfacit, vt capiti hoc nomine dolorem pariat. At ſi frigatur (nam & ſic editur cum bellarijs) minus caput tentat. Porrò flatus ventris diſcutit & cùm non frictum, & multo magis cùm frictum fuerit. Cohibet præterea ſemen impetus in venerem tum frictionis expers, tum etiam ipſam expertum. Folia item, floresq́ue ipſius fruticis idipſum præſtare poſſunt. Itaque non tantum eſa, potaq́ue ad caſtitatem conferre creduntur, verùm etiam ſubſtrata. Hinc eſt, quòd Athenis in Theſmophorijs, hoc eſt, ſacris Cereris, mulieres totum ſibi fruticem ſubſternunt: hinc illi quoque nomen inditum agni, hoc eſt, caſti. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, ſi quidem memoria teneamus, quæ ſuperioribus commentarijs ſunt dicta, agnum calfacere, ſimulq́ue exiccare, tum omnium maximè flatus diſcutere. Porrò quòd exactè tenuium ſit partium; facultas eius indicio eſt. Nam quòd caput tentat, non magis à multitudine vaporum ab eo prognatorum, quàm à caliditate eius ac ſubtilitate partium fieri rationabile eſt. Nam ſi flatuoſum ſpiritum procreare poſſet, ſanè & ventrem inflaret, & venerē ſtimularet, perinde vt erucæ: verùm cùm non tantùm non excitare, imò etiam reprimere queat, fuerit profectò ſecundum rutæ maximè facultatem tum in excalfaciendo, tum in reſiccando: non tamen illi par eſt, nam vtroque paulò eſt inferior: ſiquidem ruta tum magis eſt excalfactoria, tum magis deſiccatoria. Differt etiam qualitatis ſimul ac facultatis miſtione. Nam agni ſemen ac germina modicam ferunt adſtrictionem: at ruta vbi aruerit, exactè amara eſt, & acris: vbi verò humida, ſubamara. Non tamen auſteritas, aut acerbitas illi ineſt: aut ſi cui videatur ineſſe, ea vtiq́ue omnino obſcura, ſcio, videbitur, nec par ei, quæ eſt in agno. Quocirca & ad iecur, & lienem indurata, & obſtructa agni ſemen potius, quàm ruta competit. Sed hæc ad curandi iam methodum pertinent, quàm vt omnino non attingam de medicamentorum pronuncians facultatibus, fieri non poteſt: verùm celeriter ad rem propoſitam reflectere, viri eſt vtiq́ue temperati: magisq́ue etiam idipſum in ſequentibus medicamentis efficere conabor, hoc eſt, vbi ex quibuſdam paucis euidentibus generalem facultatem collegero, particulares poſtea actiones omittam. Nam in præſens id ſolum nouiſſe ſufficit, quod agnus calidus eſt & ſiccus facultate, idq́ue non mediocriter, ſed tertio exceſſu, tum admodum tenuium partium. Hæc qui norit, ac poſtea methodum curandi didicerit, ipſemet inueniet, quo pacto menſes hinc cieat, quo pacto partes induratas digerat, quo pacto laſsitudinem ſoluens, ſeu acopum, & excalfactorium ex eo vnguentum præparetur: hactenus Galenus.*

**Nomina.** *Huius plantæ nomen Græcum eſt ἄγνος καὶ λύγος: Latinum Agnus, Vitex & Salix amerina: Arabicum Famancheſt, Samancheſt ſeu Bengiecheſt: Italicum Vitice & vulgare, Agno caſto: Germanicum* Schaffsmüllen vnnd Keuſchlamb: *Hiſpanicum, Gattiglio caſto: Bohemicum Drmek: Gallicum Agnus caſtus & officinis.*

Vitex, ἄγνος quaſi caſtus, licet Gaza apud Theophraſtum Amerinam ſit interpretatus: & λύγος, vimen, propter inuictam ferè ramorum exilitatem, vnde fortè nomen Viticis. Non ſolum floris colore variat, ſed & foliorum, altera namq; eſt anguſtiore, altera latiore & ſerrato folio, quare vtriuſq; figuram adpoſuimus, cum vtramq; in Patauino horto medico ante viginti annos collegerimus. I. Vitex anguſtifolia C.B. Vitex maior candida Plinio: Vitex, Trag. Dod. Gal. fol. Lac. Lon. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lug. Cæſ. Cam. Agnus caſtus, Coſt. & officinis. Elæagnon Theophraſti. Vitex, Lob. II. Vitex latifolia ſerrata. C.B. Vitex latiore & ſerrato folio, Lob. Lugd. Vitex minor, quæ & nigra Plinio, Cæſ. III. Olea Bohemica & Elæagnus Matth. Lugd. Ziziphus alba Columellæ, Bello. in obſer. Geſ. hor. Cluſ. Hiſp. Cam. Ziziphus Cappadocica Bell. Dodo. Lugd. cui & arbor Paradiſea à floris odore. Salix amerina Amato: olea ſylueſtris Septentrionalium, & Elæagnos Theophraſti folio viticis Lobelo.

## Ἰτέα. SALIX. CAP. CXVII.

SAlix vulgo nota eſt. Cuius ſemen, folia, cortex & ſuccus ſpiſſandi vim habent. Trita folia cum exiguo pipere & vino pota, ileoſis ſubueniunt: ſumpta per ſe, & cum aqua, præſtant mulieribus ne concipiant. Salignum ſemen in potu ſanguinem expuentibus prodeſt. Cortex eoſdem præbet effectus: corticis cinis admiſto aceto maceratus, illitu clauos, & callos tollit. [a] Ex foliis & cortice, ſuccus cum roſaceo in calyce punici calfactus, aurium doloribus auxiliatur. Decocto eorum podagras foueri vtiliſſimum: furfures purgat in corpore. Excipitur ſuccus, qui manat ex ea, cum floret, exciſo cortice: in plaga enim concretus humor inuenitur, qui ad purganda, [b] quæ obſtant oculis ſuam vim præbet.

a Cat. ὁ δὲ ἐν τῶν φύλλων κ(αὶ) τῶν ἀνθησιν ἐν κελύφῳ ῥοιᾶς θερμαιθεὶς. .i. Succus ex foliis tempore floris in cortice mali punici calfactus.

b Meum τὰ ἐπισκοτοῦντα τῆς κόρης. .i. quę obtenebrant pupillas.

**Salicis conſideratio.** *QVamuis de Salice, vt vna tantùm agat Dioſcorides, eius tamen plura traduntur genera tum à Theophraſto libr. 3. cap. 13. de plan. hiſt. tum etiam à Plinio lib. 16. cap. 37. Nam quædam in tantam proceritatem aſſurgunt, vt ex eis in Liguria fiant & perticæ & pali maximi vſus ad vitium pedamenta. Aliæ non tam proceræ creſcunt, colore rufeſcentes, ſequacis lentitiæ, quæ ligandis cadorum vinariorum circulis commode finduntur. Hanc Saluē Græcam vocat M. Cato, quo de*

re ra-

SALIX.



SALIX LATIFOLIA rotunda.



SALIX HVMILIS REPENS.



re ruſtica libro. Rurſus aliæ firmiores corbibus & ruſticanæ ſupellectili admodum expetitæ. Aliæ deniq; ſunt minuſculæ ac ſpectabili tenuitate, texendis caniſtris, ciſtellis ac calathis aptiſſimæ, omnibus folia oleaginea oblonga, superne virentia, & inferne candicantia. Naſcuntur humecto ſolo in fluuiorum & foſſarum aggeribus. Salicis lachrymam trium generum eſſe prodidit Plinius lib. 24. cap. 9. tametſi vnius tantum generis meminerit Dioſcorides. Vnam arbor ipſa ſponte exudat, altera manat in plaga, cum floret, exciſo cortice trium digitorum magnitudine: tertia eſt detruncatione ramorum autumni tempore à falce diſtillans. Cæterum qui ſalicis albicantem ſpumam adnotatam reliquerit, inuenio neminem: quæ delapſis ſtatim floribus e ramuſculis vuæ modo dependet, donec ventis arrepta huc & illuc plumæ modo impellitur. Salix citò ſeneſcit, ac breui vitæ ſpatio perdurat. Salicis recentia folia vtiliter à Medicis adduntur in lotionibus, quæ ad ſomnum conciliandum parantur, sparguntur eadem vtiliter circa febricitantium lectulos. Epotum ſalicis decoctum, aut lixiuium e ſalicis cinere paratum, inhærentes gutturi hirudines necat ſoluitq;. Viridia folia ſparguntur vtiliter circa febricitantium lectulos. Ligni materies, cadis ac ſcutis conficiendis, aptiſſima, q; ſuo lentore frangi contumax ſit, & leuitate polleat. Salicis vires memoria prodidit Galenus lib. 6. ſimp. med. his verbis. Salicis folijs ad cruenti vulneris glutinationem quis vti poſſet. Verum floribus eius maximè propè omnes vtuntur medici ad exiccantis emplaſtri præparationem: eſt .n. vis eorũ ita deſiccatoria, vt morſu abſtineat: habet verò & quandam adſtrictionẽ. Sunt verò etiã, qui ſuccũ ex ea expreſſum, medicamen ſeruent mordacitatis expers, & exiccatoriũ, ad multas res vtile. Haud enim inuenias quid ad plures res vtilius, medicamento circa mordacitatem exiccante, quod paulum etiam adſtringat, ſicut in opere de medicamẽtorum compoſitione exactius demonſtrabitur. Porrò arboris cortex ſimilem facultatem obtinet tum floribus, tum folijs, niſi quòd temperaturæ ſit ſiccioris, velut omnes cortices. Sed hunc quidam comburunt, eiusq; cinere vtuntur ad omnia, quæ valenter deſiccare oportet. Nam clauos quos vocant callos, Græcis τύλους, myrmeciasq; tollunt, aceto acri ipſum macerantes. Nonnulli autem dum floret ſalix, corticẽ eius incidunt & ſuccum quendam colligunt, vtunturq; ad ea, quæ pupillas offuſcant, extergere videlicet, ſimulq; tenuium partiũ medicamine. Vti verò illo ad multa alia quis poſſet, ſiquidem talis fuerit. Salix ita Latinis dicta, Græcis ἰτέα: Arabibus Balef, Bhullef, Nomina.

Salicis lachryma triplex Plinio.

Salicis ſpuma.

Salicis vires ex Galeno.

*Saſaf aut Chalif nominatur: Italis Salice & Salcio: Germanis* Weiden und Felbinger: *Hiſpanis Salce aut Salgueiro: Gallis Saulz: Bohemis Vurba.*

Salicis differentiæ.

Salix ἰτία, παρὰ τὸ ἰέναι quod ea celeritate creſcat, vt ſalire videatur: ὠλεσίκαρπον frugiperda Homero, quia ocyſſimè ſemen amittat, vt habet Theophraſtus 3.hiſt.2. & Plinius lib. 16.cap.26. Salix alia perticalis, alia viminalis. Perticalis, quæ vulgaris & prima, vel eſt ſterilis, flores ferens amentaceos ante folia: vel eſt fructifera, ferens racemulos populi inſtar oblongis granulis. Viminalis variat colore corticis magnitudine & fructu. Colore eſt cortex albo ſeu pallido, Gallica dicta: nigro, phænicea Theophraſto, purpurea Plinii: luteo, Græca dicta, vitellina Plinio: Cinereo, quæ latifolia ſeu aquatica. Magnitudine, alia viminalis magna, alia parua: magna quæ ſecunda eſt ſalix purpurea nigra viminalis, cui peculiare quod ad cuiuſq; folii petiolum gemina ſemper ſint foliola, μελανόφλοιον Theophraſto: tertia ſalix phænicophloios ſiue phænicea: quarta ſalix lutea: quinta ſalix latifolia, quam aliqui Elæagnon Theoph. cenſent, quæ duplex, alia folio oblongo, quę ſalix caprea latifolia Tab. alia folio rotundo, ſalix quarta Trago, cuius iconem adpoſuimus: ſexta ſalix anguſtifolia: ſeptima, ſalix foliis longiſſimis, Eleagnos Lugdunenſi. Parua variat foliis latis & anguſtis: latis ſalix humilis repens, cuius iconem adpoſuimus, quæ duplex eſt apud Cluſium hiſtoria Pannonica, hæc octaua eſt & nona: decima eſt rotundifolia in hiſtoria noſtra deſcribenda. Anguſtifolia duplex Cluſio, vndecima & duodecima: decima tertia, ſalix Helice Lugdunenſi, quæ baccas fert rubentes & caput ſquaminis compactum: decimaquarta ſalix marina quæ teſtis oſtrearum & ſaxis in mari adnaſcitur. Fructu variat, quod alia ſterilis, alia fructifera, vt ſupra dictum.

## Ἀγριελαία. SYLVESTRIS OLEA. CAP. CXVIII.

SYlueſtris oleæ, quam aliqui cotinon, id eſt, oleaſtrum appellant, alii Æthiopicam oliuam: folia aſtringunt, trita autem & impoſita ignem ſacrum, vlcera quæ ſerpunt, epinyctidas, carbunculos, reduuias, nomasque cohibent, cruſtas emarginant cum melle illita: quinetiam ſordida vlcera repurgant: inflammationes, panoſque cum melle impoſita diſcutiunt, cutem à capite vulſam conglutinant: oris vlceribus, & priuatim infantium commanducata medentur. Succus & decoctum eoſdem habent effectus: ſanguinis eruptiones ac muliebre profluuium, admotus ſuccus inhibet: vuæ oculorum puſtuliſque prodeſt: vlcera & veteres defluxiones ſiſtit: quapropter in collyria additur, ad palpebrarum eroſiones perquam vtilis. Exprimitur ſuccus tuſis foliis, affuſo vino aut aqua, ſiccatusque ſole in paſtillos digeritur: ſed longe validior ad recondendum ſuccus habetur, qui cum vino, quam cum aqua expreſſus eſt: auribus ſubuenit ſiue vlcerentur, ſiue pus effluat. Folia conuenienter cœliacis cum farina hordeacea illinuntur. Vruntur cum floribus folia, vt ſpodii vicem cinis præſtet, in cruda olla, oblito ore luto, vſque dum figulinum percoquatur: reſtinctaque vino, & rurſus ſubacta, eodem modo vruntur: poſtremo ceruſæ modo elota coguntur in paſtillos. Huiuſcemodi cinerem in medicamentis oculorum conſtat ſpodio non cedere, ſed eiſdem viribus præditum eſſe putandum eſt. Foliorum ſatiuæ oleæ eadem vis intelligitur, ſed aliquanto inferior: vnde ocularibus medicamentis ob ſuam mitiorem vim conuenientior eſt. Sudor ligni virenti accenſo manans, illitu ſanat lichenas, furfures & ſcabiem. a Oleaginum ſemen illitum medetur furfuribus & vlceribus, quæ depaſcunt, vorantque: quod autem intra nucleum eſt, ex adipe & farina ſcabros vngues excutit. Colymbades tritæ, & ambuſtis illitæ, puſtulas gigni prohibent: ſordida vlcera purgant. Muriæ ſuccus collutas gingiuas contrahit, & motus dentium firmat. Oliua b flaua & recens ſtomacho vtilior eſt, ventri difficilis: nigra autem & matura corruptioni opportuna eſt, ſtomacho aduerſatur, oculis non conuenit, capitis dolorem mouet: areſacta illitu depaſcentia vlcera ſiſtit, & carbunculos emarginat. Oleum ſylueſtris oliuæ gingiuis putri vligine laborantibus colluitur, dentium mobilitates ſtabilit: calfacti fotus gingiuis fluxione laborantibus vtilis eſt: lanam enim ſpecillo circumligatam oleo madefacere oportet, & gingiuis admouere, donec albæ ſpectentur.

a Meum καρπὸν. i. fructum.

b Meum ὑπόξανθος. i. ſubfulua.

## Δάκρυον αἰθιοπικῆς ἐλαίας. LACHRYMA ÆTHIOPICÆ OLEÆ. CAP. CXIX.

Quę concluſa ſunt tribus in locis non leg Orib.

a Meum μέγα καὶ λεῖον. i. magnum & læue.

LAchryma, quam Æthiopica olea ſtillat, ſcammonio ſimilis quadantenus eſt, fulua, ſtillis exilibus conſtans, mordax. Quæ autem [ammoniaci aut gummi ſimilitudinem refert,] colore a nigricans, [nec] guſtu mordens, ſuperuacua eſt. Noſtrates [oleæ,] oleaſtri [que] ſimilem lachrymam ſudant, quæ commode ad oculorum hebetudines illinitur: cicatrices, albugineſq; illitu emendat: vrinam & menſes ciet: cauis dentium impreſſa ad dolores efficax eſt. Inter venena ſcribitur, partus pellit: lepras & impetigines ſanat. Appellatur autem Æthiopica & agreſtis olea.

## Ἀμόργη. AMVRCA. CAP. CXX.

a [illegible] i. olei, eg. Orib.

AMurca a [expreſſæ] oliuæ recrementum eſt. Decocta in cupreo vaſe ad craſſitudinem mellis adſtringit, cæteros præbens lycii effectus. Inſuper dentium dolori, & vulneribus cum aceto, vino, aut mulſo commode illinitur: additur in medicamenta ocularia, & meatus inducto ſuo obſtruentia. Vetuſtate meliorem fieri conſtat. Vtiliter infunditur ſedis, genitalium ac vuluæ exulcerationi. Si verò cum omphacino recoquatur ad mellis craſſitudinem, carioſos dentes extrahit: iumentorum ſcabiem cum decocto lupini, & chamæleonte illitu ſanat. Cruda & recenti amurca podagras, articularioſque dolores foueri, vtiliſſimum: peruncta in villoſa pelle & hydropicis impoſita, tumoris molem reprimit.

Cum

I. OLEA SYLVESTRIS.



II. OLEA DOMESTICA.



CVm oliuæ, oleum, oleæ Aethiopicæ lachryma, & amurca ex vna tantùm arbore proueniant: non ab re duximus de his omnibus ſimul pertractare, & ita ſingulis partibus vnica commentatione, quantũ opus erit, ſatisfacere, & quicquid ad eas ſpectat, ſimul perſtringere. Oleæ itaq; folia habent longa, in acutum deſinentia, craſſa, pinguiaq́;, ſupernè virentia, infernè albicantia, ſapore amaro & acriuſculo. Florent omnes Iulio menſe floribus albis, racematim prodeuntibus, è quib. baccæ prodeunt primum virides, deinde appropinquante maturitate palleſcunt, tandem purpureæ prius factæ ſaturate nigreſcunt: decerpuntur menſe Nouembri & Decembri, namq; antea non matureſcunt. Sternuntur deinde in pauimentis, donec rugoſæ fiant, deinde molæ ſupponuntur, & torculari premuntur, affuſa feruenti aqua: ita enim oleũ reddunt. Ligni materies pulchra, ſolida, venoſa, criſpa, ardetq́; viridis, perinde ac ſicca: ſerũtur in collib. & in campis. Naſcuntur ſylueſtres oleæ copioſæ in agro noſtro Senenſi, alijsq́; Hetruriæ locis: naſcuntur & in Dalmatiæ tractu, & in quam plurimis Adriatici & Aegei maris inſulis, verùm domeſticis longe minores, folijs breuioribus aculeatisq́; ramis. Earum baccæ etſi numeroſa fœcunditate vincant, magnitudine tamen ſatiuis cedunt: quin & guſtatu adſtringentiore ſentiuntur, & ori ſapidiores exiſtunt. Cuius rei certo ſunt teſtimonio turdi, merulæ ac ſturni: quippe quoniam ſylueſtres oliuas libentius deuorãt, quàm ſatiuas. Incolæ, qui aucupijs delectantur, agreſtes oleas ſummo ſtudio ac induſtria ab auibus tuentur: nempe quòd confecta ſatiuarum vindemia, auiculæ ad has aduolant, vbi menſe Decembri & Ianuario viſco innumeræ capiuntur, præſertimq; turdi. Pauci admodum ſunt in Hetruria, qui oleaſtri baccas legant vt oleum inde exprimant: nam ea demum magna ſatiuarum copia eſt, quæ facit, vt inibi omnino paruipendantur ſylueſtres. Oliuarum genera decem in antiquorum notitiam peruenisse reperio, pauſias videlicet, algianas, licinianas, ſergias, neuias, culminias, orchites, regias, circites, murteas: etſi Vergilius trium generum tantum meminerit, quemadmodũ etiam plura nõ nouit hæc noſtra ætate Hetruria, præſertimq; noſter Senenſis ager. Primum harum genus eas noſtri faciunt, quæ licet à minoribus olearum plantis proferantur, ſunt tamen ſpectata forma & magnitudine, Bononienſibus non quidem inferiores: his tantum muria aſſeruatis vtuntur in cibis: quandoquidem oleo minus aptæ ſunt, quod multo plus amurcæ quàm olei fundant. Proximæ tum colore, tum magnitudine præſtantes, quamuis prædictis longè minores ſint, ſunt tamen omnium aptiſſimæ ad olei conficiendi vſum: quippe quod oleum ex eis expreſſum, ſit non modo flauum, dulce, pellucidum ac cæteris præſtans, ſed etiam copioſum. Gignũtur hæ à proceriſſimis oleis, prægrandibus, iuglandium nucum inſtar, ramos in altum latumq́; ampliſſime fundentibus, eas rura noſtra Oliuaſtre vulgo vocant. Tertij verò ac poſtremi generis eæ deniq; ſunt, quæ paſſim in vniuerſa Italia naſcuntur, & omnium vulgariſſimæ habentur. Laudatiſſimæ oliuæ Bononienſibus & noſtratibus craſſiores muria aſſeruatæ Romam, Venetias, & ad alias cõplures Italiæ clariſſimas vrbes, vbi magnificæ, opiparæq́; parantur menſæ, ex Hiſpania importãtur. Condiuntur muria oliuæ breui tempore, ſeruata natiua viriditate, hoc modo. Sumuntur calcis viuæ cribratæ libræ ſex, aquæ quod ſufficit ad diſſoluendum, quouſq; calx pulticula liquida fiat, huic adduntur cineris querni cribrati libræ duodecim, & aquæ tantum, quod ſufficiat ad diſſoluendum: deinde in hac pulticula macerentur oliuarum viridium electarũ libræ vigintiquinq; horis octo continuis, aut ad ſummum decem (hoc temporis ſpatio omnẽ amaritudinem exuent) ſed interim lignea rudicula leniter commiſceantur, ne lædantur, contundanturve. Eximuntur deinde, & lauantur in aqua, in qua poſthac macerantur quinis, ſenuve dieb. mutata, affuſaq́; ſæpius aqua: Extrahuntur deinde, & condiuntur muria in qua ferbuerint prius fœniculacei caules in particulas diſſecti: & aſſeruantur fictili, quod commodum fuerit. Ita enim paratæ natiuam viriditatẽ ſeruant, & eſui delectabiliores euadunt. Cæterũ olea, & quercus tam pertinaci odio inter ſe diſſidẽt (ſi rei agrariæ ſcriptorib. fides eſt adhibenda) vt altera prope alterã depacta breui tempore pereat. Oleæ item ſi primo germinatu a capra depaſcantur, adeo ſterileſcunt, vt nullo remedio in poſterum prolificæ fiant. At ſi aliâ de cauſa raras admodum, vel nullas proferant baccas,

Oleæ conſideratio.

Olea ſylueſt.

Oliuarũ genera decem.

Oliuas condiendi ratio.

Oleę & quercus odium.

*baccas, nudatas earum radices à circumſtante terra hybernis algoribus opponere, certiſsimum eſt remedium. Amant oleæ apricos tractus & colles, calidasq́ regiones, nam in frigidis locis non proueniunt.*

Aethiopicæ oleæ lachryma.

*Syluestris ſeu Aethiopica oleæ lachryma, licet multis polleat viribus, eius tamen in Italicis officinis nullus eſt vſus: neque quod ea ad nos afferatur, adhuc compertum habeo. Sunt, qui hanc putent illud eſſe gummi, quod medici recentiores, & officinæ gummi elemi appellant.*

Gummi elemi.

*Verum illud certo argumento eſt, oleæ Aethiopicæ lachrymam gummi elemi non eſſe, quòd guſtatu mordax non ſit, neq́ linguam vellicet: tum etiam, quod omnibus perſpicuum ſit, eam lachrymam (etſi impropriè gummi appelletur) non in gummi quidem, ſed verius in reſinarum genere eſſe recipiendam: cum igni expoſita ſtatim colliqueſcat & diffundatur, quemadmodum & reſinæ, quæ è pinu, picea, & alijs reſinam fundentibus plantis colliguntur: licet nobis prorſus ignota ſit planta, à qua in Oriente defluit. Siquidem nullum gummi genus (quod ego ſciam) igne colliqueſcit, niſi addito aceto vel vino: quin potius ſtatim comburitur. Eſt & alia oleæ maris rubri lachryma, ex qua (vt Theophraſtus inquit lib. 4. cap. 8.) medici ſiſtendo ſanguini medicamentum componunt. Cæterum quamuis ætate noſtra obſcura admodum ſit gummi elemi origo, eius tamen vires clariſsimæ apud chirurgicos & vulnerarios medicos reperiuntur: nam in caluariæ fracturis, ac vulneribus mirificè vnguentis, & emplaſtris additur, adeò vt præſtantiſsimum ſit in his ſanandis medicamentum.*

Amurca olei.

*De Amurca olei poſtremo nil aliud dicendum eſt, niſi quòd ſit admodum vtilis (vt memoriæ prodidit Cato) apothecarum & officinarum fabricis, vbi lanei, vel ſericei panni reconduntur. Nam ſi calci admiſceatur, & ex ea inde parietes incruſtentur, oblinanturq́ item laquearia & pauimenta, non modò parietes contractos, vel aduentitios humores nunquam collachrymant, & ſitum minimè contrahunt: ſed nec blattæ, nec aranei, nec cuiuſuis generis vermiculi ibidem gigni poſſunt. Syluestris oliuæ oleum cæteris adſtringentius eſt. In doloribus capitis vtiliter pro roſaceo ſubſtituitur, ſudores illitu arcet, & defluentes capillos cohibet, capitis furfures, vlcera manantia, ſcabiemq́ abſtergit. Tardius etiam canitiem ſentiunt, qui eo quotidie perunguntur.*

Oliuæ vires ex Galeno.

*Oliuæ vires prodidit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Oliuæ rami quantum habent adſtrictionis, tantæ & frigiditatis participes ſunt. Fructus verò, ſi quidem ad vnguem maturuit, moderatè calidus eſt: ſin immaturus eſt, magis tum adſtringit, tum refrigerat. Oleæ ſyluestris rami, ac folia magis adſtringunt, magisq́ refrigerant quam domeſtica.*

Nomina.

*Olea ſatiua, ſic Latinè, vt ἐλαία ἥμερος Græcè vocatur: Arabicè Saiton ſeu Caiton: Italicè Oliuo domeſtico: Germanicè* Oelbaum: *Hiſpanicè Oliuo & Azeytimo: Gallicè Oliuier. Syluestris autem Græcis Ἀγριελαία, ἢ κότινος appellatur: Latinis, Oleaſter & Olea ſylueſtris: Italis Oliuo ſaluatico: Germanis* Wilder Oelbaum: *Hiſpanis Azebuche: Gallis Oliuier ſauvage.*

Olea ſatiua eſt & ſylueſtris. I. Sylueſtris olea ſeu Cotinus Dioſcoridi: olea ſylueſtris, Lac. Lob. Dod. Tab. Oleaſter Lon. Lug. Cæſ. II. Satiua, olea & olea ſatiua herbariis dicitur. Oliuarum genera plura propoſuit Plinius lib. 15. cap. 3. Columella verò lib. 5. cap. 8. decem recenſuit. At Virgilius 2. Georgicorum tria enumerat quæ nota ſatis, Orchites, Rhadios & Pauſias. Tria quoq; ad nos adferuntur genera: grandiſſimæ nucis ferè magnitudine ex Hiſpania muria conditæ, quæ Superbæ Plinii fortè: dein maiuſculę & oblongæ ex Gallia & Italia: tum Genua minores rotundiores, quæ Oliuellæ vocantur. Verum apud Generoſum Baronem Rudolphum à Salis Cæſareæ Maieſtatis conſiliarium, aliquoties comedimus peculiares à prædictis oliuas, quæ oblongæ ſunt & magnitudine ad Hiſpanicas accedunt, verum minore ſunt pulpa ſeu carne & nigricantes, quæ in Rhætia ſuis in hortis proueniunt.

## Δρῦς. QVERCVS. Βάλανος. GLANS. Φηγός. FAGVS. Πρῖνος. ILEX. CAP. CXXI.

QVercus omnis adſtrictoriam vim habet, præſertim liber, qui cortici & ligno intercedit: quin etiã tunica putamini glandis ſubiecta. Decoctum ex iis datur dyſentericis, cœliacis, ſanguinem excreantibus. Trita in peſſo fœminis fluxione vuluæ laborantibus ſubiicitur. Glandes eoſdem effectus exhibent: vrinam ciunt: capitis dolorem, & flatus in cibum ſumptæ pariunt: reſiſtunt eſitatæ venenatorum ictibus. Decoctum earum, & corticis cum lacte vaccino potum, prodeſt contra toxica. Intritæ crudæ inflammationes illitu leniunt: ad duritias, quas cacoethe vocant, & malefica vlcera cum ſalſa axungia conueniunt. Iligneæ glandes viribus quernas antecellunt. Fagus & Ilex quercus generi aſſignantur, & conſimile munus obeunt. Iligneæ radicis cortex cum aqua coctus, dum mollitus intabeſcat, & tota nocte illitus, denigrat capillos, prius cimolia terra purgatos. Folia omnium tuſa & trita tumoribus proſunt, & imbecillas membrorum partes corroborant.

Glandiferarũ arborum cõſideratio.

*SVnt & aliæ glandiferi generis arbores, præter Quercum, Ilicem & Fagum: inter quas numerantur Cerrus, Suber, Aeſculus, Phellodrys & aliæ nonnullæ, quæ ſuo more rura noſtra appellant, quarum omnium exactè rationem reddere poteſt vniuerſa Hetruria. Quippe quòd & in maritimis noſtris Senenſibus, & Faliſcorum agro, ac etiam Romano tractu, omnia hæc glandiferarum genera adeo numeroſa in vaſtiſsimis ſyluis proueniant, vt glandibus innumerabiles porcorum greges incolæ ibi quotannis ſaginent. Verum ne aliquis exiſtimet, harum non meminiſſe Dioſcoridem, quod fortaſſe eas non cognouerit, ſciendum eſt, eum, meo quidem iudicio δρύος nomine comprehendiſſe in vniuerſum omnes glandiferas arbores non ſolùm quòd ſciret, vna voce omnia illa genera contineri poſſe, ſed etiam vt breuitati conſuleret: δρῦς enim apud Græcos non modo quercum particulatim ſignificat, ſed vniuerſim quamcunque glandiferam arborem. Quo fit, vt dixerit ipſe*

Quercus quę proferat ex Theoph.

*Δρῦς πᾶσα ςυπτικὴν ἔχει δύναμιν, id eſt, Quercus omnis adſtrictoriam vim habet, ac ſi dixiſſet, arbor omnis glandifera adſtringit. Quercus folijs eſt oblongis, firmis, robuſtis, per ambitum vtrinq́ ſinuatis, caudice craſſo, cortice rudi, ſcabroq́ in ramis vero læuiori. Materie robuſta, dura, graui, compacta, firmaq́. Glandifera eſt arbor, & præter glandes Gallas quoque producit cum maiores, tum etiam minores, quas omphacitides vocant. Alios quoq́ fert fructus de quibus Theophraſtus. Porro mirum eſt (vt Theophraſtus eſt auctor lib. 3. cap. 8. & 9. de plantarum hiſtoria) quod alia plurima præter fructum ferat quercus. Nam gallam gignit paruulam atq́ alteram reſinoſam & nigram: quin & aliud ſpecie veluti morum, ſed durum & fractu admodũ difficile, id tamen rarum: ad hæc aliud effigiem colis repreſentans. Cum verò perficitur, durum quid parte emicante & perforatum, & tauri caput quodammodo æmulans profert, quod præruptum nuclei oleæ ſpeciem intus oſtendit. Fert & quod quidam pilum appellant. Id pilula eſt comam gerens lanaceam, mollem, nucleo durior, qua in lucernarum luminibus vtuntur: flagrat etenim probe, vt galla nigra. Fert & alteram comigeram pilulam, cæterùm quidem inutilem,*

I. QVERCVS LATIFOLIA.



II. QVERCVS FLORENS.



II. QVERCVS.



*utilem, verno autem tempore ſucco melligeno inficientem, tum tactu, tum guſtatu. Inq; ramorum alis pilulam aliam gignit ſine pediculo, concauoq; ſeßilem, peculiarem certè, verſicoloremq;. Nam eminentes quoſdam vmbilicos candicantes, vel paßim variantes nigris maculis habet: partem mediam grani tinctura infectam, ſplendidamq; oſtendit aperta, nigra & putricans cernitur. Lapillum quoq; puniceum magna ex parte gignit, quanquam rarò. Item aliam eò rariorem pilulam è folijs conuolutam, compreſſam atq; oblongam. Super folijs verò tergo adhærentem pilulam fert candidam, aquoſam, dum tenera eſt: hæc etiam interdum muſcas intus continet, veniensq; ad incrementum iuſtum in modum lapis paruulæ gallæ indureſcit. Fungos omitto, qui è radicibus, & iuxta radices erumpunt: communes enim eos cum cæteris habet arboribus. Quinetiam viſcum taceo, quippe cùm in alijs quoq; proueniat. Sed nihilominus (vt dictum eſt) ferax hæc arbor habetur plurimarum: hactenus Theophraſtus. Cæterùm non dubitandum eſt, quin omnes ij partus ſuos habeant vſus, ſuisq; polleāt virib. Stillatitia aqua, quæ in balnei calentis aqua vitreo organo à tenellis quercus folijs primo ipſarū exortu decerptis elicitur, iocineris deſluxiones ſiſtit, renū calculos comminuit, & mulierum alba profluuia cohibet. Datur quoq; potanda vtiliter dyſentericis, & ſanguinē reijcientibus. Sunt qui in peſtilentialibus febrib. eam propinent, q; aduerſus venena non parum valeat. Recentia folia ventriculi ardorem tollunt, ſi ſuper linguā teneātur. Cæterùm aqua quæ in marceſcentiū quercuum reperitur cauitatibus, ſcabiem omnē vlceroſam ſanat. Glandes vrinam cient & reſiſtunt deuorata venenatorum morſibus. Intrita cruda inflammationes leniunt. Ad hæc eius echinata pilula ſicca, ac trita vim apprimè adſtrictoriā poßident: eaq; ppter efficaciſsimò ſunt remedio cōtra omnes alui fluxiones. In sūma præſtant, vbi ſupprimere ſit opus.* F A G V S *quoq; glandiferis arborib. adnumeratur, tametſi fructus effigies glandib. prſus reclamet. Eſt autē Fagus folio carpini nō abſimili, grandiore tamē, leuiore, nec adeo criſpo. Atqui, vt ad fructū redeamus, eſt quidē is extima parte, calyculo includitur rotūdo quadantenus echinato, hiſpido ac ſcabro: interius verò triāgulari forma nuclei ſunt, qui tenui & læui cute, caſtanearū modo, in atrū rubeſcēte obtegūtur. Nucleus albicat, horū ſapor dulcis & ſubaſtringēs. Materies dura, ſed nō admodū firma, arbor in magnā aſſurgit proceritatē, ramis grandiorib. ac patulis. Prouenit in ſyluis, tam in planitie quàm in montib. & collibus. Glires hoc pabulo maximè delectātur ac pingueſcunt: quamobrē cùm eius aduenit maturitas, innumeri capiūtur glires in Carniola, Stiria & Carinthiæ ſyluis: quippe ijs in locis incolas mane inſpexeris, qui ſaccos glirib. plenos ferāt vna tantū nocte captis. Delectātur fagi fructu ēt mures, ſiquidē è longinquis regionib. natura ducti gregatim ſyluas ingrediūtur. Hic & ſciuris gratiß. eſt cib. ac ēt turdis, merulis, alijsq; cōplurib. volatilib. Quin & obſeſſos hoſtib. hōmes in oppido Chio ea tantū*

Aqua foliorū quercus & eius vires.

Fagi conſideratio.

## IX. FAGVS.



## X. ILEX.



## XI. ILEX LATIFOLIA ſpinoſa.



*glande victitaſſe, Cornelius Alexander eſt auctor, donec ſe obſidione liberaſſent. Fagi folia eſitata labiorum, gingiuarumq́; vitijs mirificè opitulantur: tuſa, illitaq́; torpentia membra corroborant. Glandis fagineæ cinis renum calculis vtiliter illinitur.* I LEX *inſuper arbor eſt in Italia notiſsima, ſpectataq́; proceritatis, cortice in rufum nigricante: materies eius denſa admodũ eſt, grauis ac robuſta, in atrum rubeſcens. Folijs laurinis ac perpetuis viret, ſed quæ externè candicent, ſcabreq́; ſint: internæ verò vireſcant, læueſq́; cernantur: quin & in toto ambitu ſerrata ſunt.*

Ilicis conſideratio & hiſtoria.

Ilex duplex.

*Duum Ilex eſt generum: alterum folio ſpinoſo, ſine aculeis alterum. Hoc vbique fere ſcatet Hetruria: illo verò Hiſpania. Meminit vtriuſque Columella libr. 6. cap. 3. de re ruſtica, ſic inquiens: Poſſunt & ficulnea bubus probè dari, ſi ſit eorum copia: Ilignea tamen vel melior eſt quernea, ſed eius generis, quæ ſpinas non habet: nam id quoq́; vti Iuniperus, reſpuitur à pecore. Quare non rectè ſentiunt, qui Plinij tantum & Theophraſti teſtimonio freti, Ilicem haud ſpinoſam, legitimam eſſe negant. Glandes profert quernis minores, quæ & in reliquis minus præſtant. Iligneus carbo Hetruſcis in pretio eſt, non modo quod ignem diu foueat, ſed etiam quòd (vt aiunt) vapore caput minimè tentet. Hæc præter glandes, pilulas quaſdam rubentes gignit, quæ tritæ cum aceto vulneribus recentibus, & cruentis oculis vtiliter imponuntur.*

Smilacis conſideratio ex Theophraſt.

*In Ilicis genere (vt memoriæ prodidit Theoph. lib. 3. cap. 16. de plan. hiſt.) eſt arbor illa, quam Arcades Smilacem vocant, ilici ſimilis (ea autem non eſt taxus, quæ etiam ſmilax dicitur, quoniam de taxo capite 10. eiuſdem libri diſſeruit Theophraſtus) folio tamen non aculeato, ſed molliori profundioriq́;, differentijsq́; pluribus diſtinguendum: nec materie, vt illa, ſolida ſpiſſaq́;, ſed ſoluta, molliq́; in opere. Sunt qui cenſeant Ilicem nõ ſpinoſam ſmilacem eſſe. Sed cum ſmilaci materies ſit ſoluta mollisq́; in opere (vt Theophraſtus ſcribit) cur eorũ ſententiã comprobem, non habeo. Meminit huius Gal. lib. 6. ca. 3. de comp. med. ſecundum locos in columellæ remedijs, ſic inquiens: His fortiora ſunt myrti ac baccarũ eius decoctũ, & ex acerbis cotoneis malis, & virgultorũ tenerorũ ilicis, arbuti, ſmilacis ac fagi.*

Cornarij lapſus circa ſmilacem.

*Super quo loco dubitat Cornarius, quomodo fieri põt, quòd ſmilax (taxum, vel eius ſpeciem intelligit) quæ ab omnib. venenoſa deſcribitur, ponatur à Galeno inter gurgulionu remedia. In dubij verò ſolutione nil aliud determinat, niſi quòd, cùm non vbiq́; (ſic ipſe putat) taxus ſit veneno-*

XII. SVBER PRIMVS.



XIII. SVBER SECVNDVS.



XIV. PHELLODRYS.



*venenoſa, ex eo genere ſumi debeat, quæ lethali careat noxa. Sed ſi Cornarius Theophraſtum ſibi alioquin familiarem conſuluiſſet, qui ſmilacem quandam (vt paulò antè oſtendimus) in arborem ilici ſimilem refert, rectius meo quidem iudicio, & paucioribus rem hanc explicaſſet.* S V B E R *denique arbor eſt fructu & folio ilicis, perpetua ſimiliter coma virens, quanquam id negat Theophraſtus, ſed craſſiſſimo cortice veſtitur, atq; ilici magnitudine cedit, vt ij quidem atteſtari poſſunt, qui Baccano Romam profecti ſunt: eo enim in itinere innumeræ Suberum plantæ viſuntur. Atqui duo eius viſuntur genera: alterum folio anguſtiore, prolixiore, acuminatioreque: alterum verò breuiore, rotundioreq;, & per ambitum ſerrato, acuminatis quibuſdam in locis inciſuris. Glandes quoq; profert iligneis pares, paulo tamen minores, deterioresque. Hoc in Romano, illud in Piſano agro proueniens. Hæc cortice exuta minimè areſcit, quemadmodum reliquæ arbores, quandoquidem natura haud ignara, quod ſæpiſſimè cortice expolianda eſſet, materiem duplici cortice muniuit. Inter plures, ac varios corticis ſuberei vſus, qui in rebus domeſticis celebrantur, ille præcipuus eſt, & vulgaris, quod ſutoribus maxime ſit expetita ad crepidas conficiendas. Quin & globis ex ea factis vtuntur piſcatores, quòd ea nunquam aquis mergatur, ſed ſupernatet ſuſtinendis retibus plumbeis glandibus in altum ductis. Ideoq; Plinius lib. 16. capite 8. ſcriptum ſic reliquit. Suberi minima arbor, glans peſſima, raraq;: cortex tantùm præcraſſus, ac renaſcens, atque etiam in denos pedes vndique explanatus. Vſus eius anchoralibus maximè nauium, piſcantiumque tragulis, & cadorum obturamentis: præterea in hyberno fœminarum calceatu: quamobrem non infacetè Græci mulieres cortices arborum appellant. Sunt qui Suberem fœminam ilicem vocent, atque vbi non naſcitur ilex, pro ea ſubere vtuntur, in carpentarijs præcipuè fabricis, vt circa Elin, & Lacedæmonem: nec in Italia tota naſcitur, nec in Gallia omnino. Et eodem libro, cap. 40. inquit. Eius materies tardiſſimè vetuſtatem ſentit, ſicut robur, larix, caſtanea, iuglans: hac Plinius. Eſt & alia arbor glandifera, quam, quod caudicem habeat Suberi non abſimilem, folia ferat ſuberis, corticem verò, & ligni materiem & glandes quercui ſiue cerro non abſimiles, Hetruria vulgò appellat Cerroſugaro, quaſi Cerriſuberem dicas. Id quod etiam feciſſe videtur antiquitas: quandoquidem Theophraſto loco ſuperius citato ea* PHELLODRYS *dicitur: copioſa hæc in agro Senenſi*

Suberis conſideratio, & hiſtoria.

Suber duplex.

Suberinæ corticis vſus.

Suber Plinij.

Phellodrys & eius hiſt.

*Anguillarius arguitur.* *in omnibus Archidoſſi, & comitatus S. Floræ ſyluis Sed illuc vſque non peruenit Anguillarius, cum de hac arbore nihil meminerit inter glandiferas, quæ in Italia proueniunt. Non differt ſuis in facultatibus ab aliis glandiferis.* *Suberis vires Matthiolo.* *Suberis cortex tritus ex aqua calida potus ſanguinem fluentem ex vtralibet parte ſiſtit: eiuſdem cinis ex vino calido ſanguinem excreantibus magnopere laudatur. Omnium glandes in farinam tritæ, & potui datæ, drachmæ vnius pondere, ex ſucco plantaginis, auxiliantur omnibus alui, & vteri fluxionibus. Confert earum decoctum potum contra venena. Crudæ ac recentes intritæ, illitæque inflammationes leniunt. Illinuntur eadem cum ſalſa axungia maleficis vlceribus. Calyx quo Glandes in arbore ſuſtinentur, eaſdem poſſidet facultates, ſed magis tum adſtringit, tum contrahit.* *Glandiferarũ arborũ vires ex Galeno.* *Galeno tam quercus, quàm quarundam aliarum glandiferarum arborum medicina commemorantur libro 6. ſimplicium medicamentorum, his verbis. Quercus partes omnes adſtringentis qualitatis participes ſunt. Sed plus tamen habet, quæ in trunci cortice membrana ſubeſt, tum quæ ſub glandis ipſius calyculo, ea videlicet, quæ fructus carnem conueſtit. Quamobrem ad profluuium muliebre, & ſanguinis expuitiones, tum dyſenterias & diuturnos ventris fluxus cõmodam eſſe credunt. Maximè verò ea vtuntur decocta. Valentius tamẽ adſtringũt, fagus, & ilex, ſeu quis has ſpecies eſſe roboris velit, ſeu toto genere diuerſas. Quin & folia harum plantarum tenella illita non inſtrenuè deſiccare valent, minus autem quæ ſunt alterius roboris, nimirum quanto minus ſortita ſunt adſtrictionis. Siquidem ego quandoq; glutinaſſe me vulnus memini falce inflictum, cùm nullum adeſſet ad manum medicamen præter ipſius quercus folia: triui ea in leui petra, & vulnus, omnemq; vicinum locum cõtexi. Eandem vim folijs habet & fructus roboris, eoq; medici nonnulli ad incipientes & creſcentes vtuntur phlegmonas, nam quæ iam vehementes ſunt, adſtringentia reſpuunt. Sed talia ad curandi potius rationem, quàm ad præſentem tractatum attinẽt. Cæterùm in præſentia nouiſſe, quòd eatenus adſtringentem quatenus dictum eſt, facultatem quercus obtineat, ſufficit: ac proinde deſiccandi, atq; adſtringendi: excalfaciendi autem paulò infra media, in genere ſcilicet eorum, quæ (vt ſic dicam) tepida ſunt. Arbor, quæ Δρῦς Græcis: Quercus Latinis appellatur: Chullot, Hullet, aut Beluth, Arabib. Quercia, Italis:* Eychbaum, *Germanis: Robre, Hiſpanis: Cheſne, Gallis. Quæ verò Φηγός Græcè: Fagus Latinè dicitur: Arabice, Chinaos, aut Chiachas: Italicè, Faggio: Germanicè,* Buchbaum: *Hiſpanicè, Haia: Gallicè, Fau. Quæ denique Græca voce Πρῖνος: Latina Ilex nominatur: Arabica, Barbes, ſiue Carmas: Italica, Elice: ſiue Leccio: Hiſpanica, Anzina, & Anzinheira: Germanica,* Stecheychen. *Gallis Veuſe. Suber autem Græcis Φελλὸς: Italis Sugaro: Germanis,* Pantoffelholtz. *Suber anguſtifolium φελλὸς ſτενόφυλλος. Phellodrys, Græcis pariter φελλόδρυς: Italis præſertimq; Hetruſcis, Cerroſugaro.*

Quercus δρῦς: Veteres omne genus arboris δρυὸς appellatione intellexerunt, ἀναδρύω erumpo aut pullulo: poſterioribus δρῦς omnem arborem glandiferam tantùm ſignificat & præſertim Quercum. Vna voce Latina comprehendi poſſe Plinius negat: at Gaza Roboris appellatione contineri poſſe cenſet. Quercus apud Latinos, modo pro genere, modo pro vnica eius ſpecie ponitur. Sic fructus βάλανοι glandes dicuntur: licet Latini, vt Iabolenus ait, glandis nomine omnem fructum ſint complexi: at Plinius Glandem, inquit, quæ propriè intelligitur, ferunt Robur, quercus, eſculus, cerrus, ilex, ſuber. Genera Quercus quinq; Theophraſto 3. hiſt. 9. Platyphyllos, hemeris, phagus, ægylops, haliphlæos ſeu cerrus fœmina: quę caudice, ligno, folio, fructus ſapore, magnitudine, figura, colore variant. I. Quercus latifolia ſeu platyphyllos Theophraſti, cuius iconem adiecimus: quam in marem & fœminam diſtinguunt. II. Quercus longiſſimo pediculo eſt Hemeris Idæorum, Etymodrys Macedonum, Placidam Gaza interpretatur: huic peculiare, quod longo pediculo & tenui affixa ſit, modò vnica, modò gemina glans: huius & flores adpinximus. III. Phagus ſeu Eſculus, Roboris primum genus Cluſio [qui quinq; Roboris ſpecies propoſuit, vt eſt in Pannonicis, diſtinctas) in quo genere mas eſt & fœmina. IV. Quercus calyce echinato, Aegylops Idæorũ Aſpris Macedonum, Cerris maiore glande Lob. V. Quercus calyce echinato altera, Halyphlæos Idęorum & Macedonum, Cerris Plinii minore glande Lobelo: huius lignum ſæpè lapideſcit. VI. Huius etiam ſpecies in Burgundia reperitur minor, glandibus tribus quatuorve ſimul iunctis, quæ ſine pediculo ſurculis hærent, calyce valdè hiſpido, quam apud fratrem Iohannem Bauhinum Ill. Ducis Wirtenbergici Medicum Montembelgardi vidimus. VII. Quercum marinam refert Theophraſtus 4. hiſt. 7. folijs lenibus, carnoſis, myricæ folio: quam nunc habemus: oblonga lataq; habet folia eaq; mollia. VIII. Præter autem ea, quæ ex Theophraſto Matth. refert Quercũ ferre, ad annoſarum Quercuum radices vua reperitur antiquis incognita, vernali potiſſimum tẽpore, aliquando etiam in Canicularibus, ex ſuperfluo ſucco circa radicem coaceruato diutiuſque detẽto, ſub terra prorumpit concretitium quiddam vuæ forma, colore foris purpureo, intus candido & quaſi lactifero, ſaporis adſtringentis, quæ in æſtate ligneſcit. Colligenda vernali tempore, in vmbra ſiccanda, ſiccata pulueriſanda, cum puluis hic in Dyſenteria ſit inſignis, & in omni fluxu ſanguinis: hac vna deſperatos dyſentericos ſe curaſſe teſtatur Encelius libro tertio de lapidibus & gemmis capite 51. Hanc cum nemo pinxerit, eam depingi voluimus, ex vua quam Friburgo à clariſſimo Iohan. Schenckio à Graſenberg ante annos decem accepimus. IX. Fagus Latinorum, non autem φηγὸς Græcorum ſiue Dioſcoridis: φηγὸν Græcorum Phegum vertere oportet, non Fagum, cum hæ inter ſe differant. Græci enim vt ex hoc Dioſcoridis loco & Theophraſto liquet, glandiferis connectunt ſuam φηγὸν, cui glandem tribuunt, non oblongam ſed rotundam. Latinorum Fagus glandem propriè non fert, ſed in echinato involucro

VIII. VVA QVERCINA.



cro

ero caſtanearum more, aliquot paruas, pingues & oleoſas nuces, non rotundas, ſed acuminatas & triquetras. Quare Fagus Latinorum ſui generis eſt arbor quæ Theophraſto ὀξύα vocatur, ſciſsimam Gaza reddidit, eò quòd eius materia facile in tenuiſsimas laminas findatur, Fagus recentioribus. X. Ilex πρῖνος (qua ſerra propter duritiem ſit ſecanda) duplex, altera folio non ſpinoſo, alia ſpinoſo. Ilex Italica folio oleæ. C.B. Ilex prima folio oleæ Plinio. Ilex Lac. Cæſ. Lugd. cui & Phellodrys folio ſerrato anguſtifolia. Ilex anguſtifolia Tab. Ilex prima Matthioli & Smilax Arcadum Theophraſti, Cluſ. hiſp. Suberi ramulum huius adpinxit Lobelus. XI. Ilex Hiſpanica ſpinoſo folio. Ilex maior Cluſ. hiſp. & Pan. Ilex maior glandifera, Dod. Ilex arbor. Lob. Ilex latifolia, Cam. in Matth. Ilex Taber. Lugd. cui & Phellodrys nigra: Ilicis alterum genus Cæſalpino. Hæc altitudine & ligni materia cum præcedenti conuenit, & foliis differt, quæ in hoc latiora ſunt, ambitu ſinuoſo & aculeato: licet in eadem diuerſa etiam obſeruentur, vt in iuuencis folia per margines ſpinis horreant, adultæ verò aculeis careant. Floſculi puſilli flaueſcentes, oblongum racemulum conſtituentes Maio menſe inueniuntur: quibus ſuccedunt fructus ſeu glandes ratione locorum variantes, interdum namque glans maior & longior, vt in Hiſpania: interdum minor & breuior quam in quercu, vt in Narbonenſi: ſpinoſa attamen intelligitur calyce, qui per maturitatem alicubi nigricat, & cuius nucleus albus gratique ſaporis. Frequens hæc in nemoribus & conuallibus Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis. XII. Suber, dicitur & Ilex fœmina Plinio: duplex eſt, alterum rotundo, alterum oblongo folio. Rotundo, Suber dicitur Lac. Lon: Cord. in Dioſc. Cæſal. & Suberella: Suber latifolium, Cluſ. hiſp. Caſt. Tab. Lob. Suber folio breuiore & latiore, Lugd. Phellos ſiue Suber Dodo. XIII. Suber oblongo folio: Suber anguſtifolium. Caſt. Tab. Suber Aquitanicum & Suber folio deciduo Theophraſti, Cluſius hiſp. Suberi latifoliæ ſuæ ramum adpinxit Lob. XIV. Phellodrys, id eſt ſuberi quercus: Ilex fœmina Arcadibus, Theophraſto monente, Phellodrys, Caſt. Lugd. Tabernæmontano.

I. CASTANEAE. II. CASTANEAE EQVINAE.





Κάστανα.

## CASTANEAE. CAP. CXXII.

SArdianæ glandes, quas aliqui Caſtaneas, aut lopima, aut glandes Iouis appellant, adſtringunt & ipſæ, ſimileſque effectus præbent: præſertim tunica, quæ carnem, & corticem media intercurſat. Caro his, qui ephemerum biberunt conueniens eſt.

*CAſtaneæ nuces ſunt in tota Italia vulgò notiſsimæ: item & earum arbores haud quaquam incognitæ. Antiqui caſtanearum complura fecerunt genera: nominibus plerunq; inditis à locis, vnde importabantur. Sed duo tantũ in Hetruria habentur genera, ſatiuum ſcilicet, & ſylueſtre. In domeſticarum genere habentur maiores, quæ Marones vocantur: & minores quæ peculiariter Caſtaniæ vocantur. Mitiores facilè purgantur, harumq; illæ principem locum tenent, quas vulgus Marroni appellat: quippe quòd cæteris ſint maiores, ſapidiores, ſpecioſioreſq;. Arbor eſt procera, amplaque, folijs oblongis iuglandis ſimilibus, venoſioribus tamen, & per ambitum fimbriatis, fructu echinato: nuce intus ſolida, altera parte plana, altera gibboſa, triplice tegminis ambitu ſepta, membrana primum tenui, criſpaq; & amara, mox lento ac coriaceo cortice, demum echinato calyce, alba intus pulpa ac dulci. Ligni materies ſolida, ac diuturna. In montanis, vbi quotannis aliarum frugum annona deficit, incolæ caſtaneis per hyemem victitant. Namque eas in cratibus fumo prius exiccatas ab vtroque cortice repurgant, moluntq; in farinam, ac deinde cogunt in panem. Materies arboris ædificijs, atque alijs domeſticis vtenſi-* Caſtanearum conſideratio.

Caſtanea Orientalis ſiue equina.

*libus admodum apta eſt: ſiquidem non modo ex ea fiunt trabes, tigna, aſſeres, & pedamenta, ſed & cadorum coſtæ & circum cinctus: verùm ignarijs inepta. Montibus, & opacis gaudet magis, quàm campeſtribus, & apricis. Creauit quoque natura aliud Caſtanearum genus, in orientalibus regionibus, de quo tam apud antiquos, quàm recentiores (quantum viderim legerimq́;) nemo, eſt, qui meminerit. Arbor eſt Caſtanea hæc ſpectatæ proceritatis, folio pentaphylli, ſenis tamẽ diuiſuris ſed longè humana manu, quin etiam Ricini folio, grandiore, longo ac tenui pediculo appenſo. Echinos fert in cacumine, magnitudine noſtratibus æquales, ſubruſo colore, verum duriore ac craſsiore putamine, aculeis raris, ſed robuſtis ac firmis, & colore flaueſcentibus: ſinguli ſingulam includunt caſtaneam noſtratibus ferè ſimilem, craſsiorem tamen rotundioremq́; cortice ſubnigricante, præterquam anteriori parte, qua interno echini putamini coniungitur, ea enim albicat, macula cordis figuram præ ſe ferente, quemadmodum videmus in repentis veſicariæ ſemine. Totus idem robuſtus eſt, ſimplex tamen, nullam intra ſe aliam tuniculam habensque carnem ambiat illi ſimilem, quæ noſtrates caſtaneæ conteguntur. Sapor pulpæ vulgarib. ferè ſimilis habetur, ſed dulcior paulò, nec adeo mandentibus grato, ſi tamen ex ſicco fructu id quidem rectè percipi poteſt. Adſtringunt, & flatus deuoratæ pariunt. EQVINAS haſce caſtaneas appellant Conſtantinopolitani, quòd anhelosis, ac tuſsientibus equis plurimum auxilij afferant deuoratæ. Dantur quoque ſanguinem reijcientibus. Plantæ ramum, vna cùm prægnantibus echinis miſit ad me Conſtantinopoli Guliel. Quaccelbenus Flander, medicus inſignis, vnà cũ quamplurimis alijs, de quibus in epiſtolis latius diximus.*

Caſtanearum vires.

*Caſtaneæ vehementer ſiſtunt tum alui, tum ventriculi fluxiones, idque maximè ſiccæ: quin & ſanguinem excreantibus proſunt. Tritæ cum ſale melleque, ſubactaque rabidorum canum morſibus vtiliter imponũntur: & cum hordeacea polenta, & aceto illitæ mammarum duritias diſcutiunt. Venerem excitant, eo quòd flatum gignant. Largius in cibis ſumptæ capiti dolorem inferunt, inflant, aluum adſtringunt, ac ægre concoquuntur: attamen quæ cineribus obrutæ torrentur, vulnerato prius in latere cortice, crudis & elixis innocentiores redduntur, præſertim ſi cum pipere, & ſale, vel ſaccharo edantur. Interior caſtanearum membrana rubens, quæ albicans pulpa circumueſtitur ex vino auſtero pota, duarũ drachmarũ pondere, ſiſtit valẽter immodicos omnes alui fluores, & ſanguinis reiectiones, quin etiam cum pari pondere ramentorum Eboris, alba fœminarum profluuia cohibet ex aqua alba Nymphea hauſta.*

Caſtanearum vires ex Gal.

*De caſtaneis differens Galenus libro ſecundo de alimentorum facultatibus, ſic inquit. Caſtaneæ omnium glandium ſunt præſtantiſsimæ. Sunt qui hos fructus λοπίμου; appellent: hi namque & ſoli inter fructus agreſtes alimentum memorabile corpori præbent: hactenus Galenus. Illud porrò in his verbis animaduertendum, quòd Caſtaneæ, quamuis eas Gal. plurimum nutrire prodiderit, non tamen in cibis commendantur, ſi comedantur frequenter. Namq́; vt idem auctor eſt libro de tenui victus ratione, ſint illæ in aqua coctæ, ſint toſtæ, ſint etiam frixæ, ſemper eſitantibus noxam inferunt, multoq́; magis, ſi crudæ edãtur: Quod etiam libro de cibis boni & mali ſucci memoriæ mandauit.*

Nomina.

*Caſtaneæ ita Latinis vocatæ, Græcis Κάϛανα, σαρδιαναὶ βάλανοι, ἢ διὸς βάλανοι, ἢ λόπιμα dicuntur: Arabibus, Sadianalach, Caſtal, & Stebulot: Italis, Caſtagne: Germanis, Keſten: Hiſpanis, Marones: Gallis, Caſtaignes: Bohemis, Kaſtany.*

Caſtanea κάϛανα & καϛάνεια, à Caſtano Magneſiæ vrbe, Phocioni: Nux heracleotica Macrobio Plinius lib. 15. cap. 23. genera octo recenſuit. Apud Germanos triplex genus, vnum ſylueſtrium & duo ſatiuarum. Sylueſtrium prouentus in Alſatia inferiori: ſatiuarum quædam minores, quę populares & coctiuę Plinij videntur: quædam veró grandes ex Allobrogibus allatæ, quas Marones appellant. Verùm figura & ſapore etiam differunt. Nux Euboica Theophraſti cenſetur, quam Iuglandem aliquando Gaza vertit. Caſtanea herbarijs dicitur. II. Caſtanea equina Lob. Caſt. Cluſ. Pan. Lugd. Tab. Cæſal. qui dubitat an ſit Myrobalanus folio Heliotropij Plinij. Addit & tertium genus Lugd. hiſtoria Caſtaneæ humilis, prouenientis ad montem Pilati non lõgè Lugduno. Quartum habet Monardis, & ex eo Caſtor, Caſtanearum purgatiuarum ex India.

GALLA.



Κηκὶς.

## GALLA. CAP. CXXIII.

a Meũ & Caλλῶν læuis.

GAlla fructus eſt quercus. Aliqua omphacitis appellatur, parua quidẽ, ſed† articulorũ manus modo rugoſa, ſolida, nullo foramine peruia. Altera a plana, leuis, perforata. Eligi debet omphacitis, quę efficacior eſt. Vtriuſq; vis vehemẽter adſtringere: tritæ excreſcentias in carne, fluxiones gingiuarum & vuæ, atque oris vlcerationem cohibent. Nucleus dentium cauernis inditus, dolorem ſedat. Crematæ carbonibus, donec igne flagrent, & vino, aut aceto, aut acida muria extinctæ, ſanguinem ſupprimunt. Decoctum quibus inſidere expedit, efficax eſt, & contra vuluas procidentes, fluxionesque. Capillos denigrant, aceto aut aqua maceratæ: dyſentericis, cœliacisque cum vino, aut aqua tritæ conuenienter illinuntur, aut bibuntur: obſonijs addi debent, aut integræ in aqua præcoqui, in qua nonnihil excoquendum eſt, quod his affectibus conferat. In ſumma his vtendum ad adſtringenda, aut ſiſtenda, aut ſiccanda, quæ opus ſunt.

Gallarum conſideratio.

*GAllæ vulgò notiſsimæ ſunt, easque ferunt arbores omnes (vt Plinius auctor eſt) quæ & glandem. Naſcuntur ſole de geminis exeunte: & ſi æſtu nimio excipiuntur, areſcunt protinus, nec amplius adoleſcunt. Quercus in Italia præter glandes duo Gallarum genera ferunt. Minores quæ rugoſa cute ſpectantur, fullonibus, & coriarijs expetitæ; quæ Græco nomine omphacitides dicuntur. Maiores vero, quæ*

*quæ leniores habentur. Cæterùm neque in hoc Cornario adſtipulandum eſſe iudico, quòd ſuis in Galenum commentariis tam primo, quàm ſexto libro de comp. med. ſecundum locos, acriter contendat, nil aliud omphacitidem gallam eſſe Dioſcoridi, & Galeno, quàm calycem illum, quo glandes in arboribus continentur. Hoc tantùm argumento ductus, quòd Paulus capi. de dyſenteria in quodam clyſteri ſcribat: ὀμφακίδος κεκαυμένης. ἔστι δὲ τὸ κοῖλον, ἐξ οὗ ἡ βάλανος φύεται τῆς δρυὸς ᾧ οἱ βυρσεῖς χρῶνται. id eſt: omphacidis vſtæ: eſt autem cauum illud, ex quo glans quercina enaſcitur, quo coriarij vtuntur. Vbi ipſe non omphacidos, ſed omphacitidos putat legendum, vulgatam lectionem immutans. Ex qua poſtea non aliud omphacitidem gallam (vt diximus) eſſe exiſtimat, quàm cauum illud, in quo glandes inſeruntur, quod recentiores cupulam vocant: ſtatuitq́ue nunquam à ſua opinione recedere, niſi quis planè corruptum apud Paulum locum docuerit, aut ὀμφακίδα ab eo ſubſtantiuè pro eo, quod calycem Plinius dixit, & vulgò cupula glandis vocatur, dictum oſtendat. Sed equidem non poſſum non admirari, quòd is, quem alioquin ſuorum ſcriptorum teſtimonio, acutiſſimi ingenij, ſaniſſimique iudicij virum ſemper exiſtimaui, in re tam, meo iudicio, clara, tam facilè aberrauerit. Nam ſi Paulus non putaſſet, quòd ὀμφακὶς Græcum vocabulum ob ſui raritatem permultis fuiſſet obſcurum, quemadmodum & Cornario fuiſſe videtur, certè non fuiſſet opus per circumlocutionē illud declarare, vt fecit, cùm inquit. Eſt autem ὀμφακὶς cauum illud, ex quo glans quercina enaſcitur, quo coriarij vtuntur. Quod præterea Paulus pro omphacitide gallā glandium calycem non acceperit, illud manifeſto argumento eſſe poteſt, quòd ipſe libro ſeptimo de gallis, non autem de glandibus diſſerat, duoq́ue gallarum genera conſtituat, quarum alteram omphacitidem appellat: alteram verò magnam, flauo colore, viribusq́ue inferiorem eſſe ſcribit. Quod etiam antea Dioſcorides, & Galenus fecere, qui omphacitidem gallam glandium calycem eſſe nuſquam, quod ſciam, tradidere: quòd non ignorauerint (vt Cornarius ignoraſſe videtur) & genere, & ſpecie à gallis differre glandes. Adde, quòd Galenus, Dioſcorides, & Paulus nuſquam, quod equidem legerim, vſi ſunt hoc vocabulo ὀμφακῖτις pro galla, niſi adiectiuè, & cum ſuo ſubſtantiuo κηκὶς. Quare concludendo putauerim, in Paulo legendum eſſe, ὀμφακίδος, non ὀμφακίτιδος, vt contendit Cornarius: quin etiam crediderim Græcis glandium calycem ὀμφακίδα propriè appellari. Tametſi Cornarius, & Andernacus, qui in Paulo vocem illam acerbam vuam interpretatur, Græcæ linguæ peritiſſimi, hoc non cognouiſſe, neque animaduertiſſe deprehendantur. Fit ex omphaciti Galla, chalcantho, gummi, & vino atramentum ſcriptorium optimum, hoc modo. Sumito gallarum craſſiuſculè cōfractarum vncias quinq́ue, chalcanthi Romani vncias tres, gummi Arabici vncias duas, ſalis drach. vnam. Ponantur hæc omnia in fictile vitro circumlitum, & deinde ſuperinfundito vini albi potentis, ferventisq́ue libras quinque, & vncias quatuor, & occluſo vaſis orificio, quindecim diebus inſolato, vel poſt vaporarij fornacem hyeme reponito, miſcetoq́ue quotidie rudicula. Illud peculiare ſibi maiores gallæ vendicauere, vt quotannis aut annonæ fertilitatem, aut ſterilitatem, aut peſtilentem auram prænuncient: nam ſi rumpantur integræ, & quæ perforatæ non ſunt, aut muſcam, aut araneum, aut vermiculum exponent. Si muſca volat, futuri belli: ſi repit vermiculus, annonæ penuriæ: ſi currit araneus, peſtilentium morborum præſagium eſt. Neque cuiquam mirum videatur, quòd ex omnibus gallis iſta exoriantur animalcula: etenim ego huius rei ſæpius periculum feci, nullamque vnquam ſum conſecutus, prius non perforatam, quæ ex tribus animalibus vnum intra ſe non contineret: nam foramine conſpecto facilè indicium ſumi poteſt, iam animal exiſſe. Dicamus igitur licet, quercū & fructū, & animal gignere. Cuius rei haud ignari veteres illi patres, nō ſine cauſa quercū dixerunt Ioui ſummo eſſe dicatam. Gallarum vires memoriæ prodidit Gal. lib. 7. ſimpl. medic. ſic inquiens. Galla, quæ omphacitis nuncupatur, admodum acerbum eſt medicamen, pleraque ſui parte eſſentia terrena, & frigida: perquam deſiccat, & repercutit fluxiones: ad hæc conſtringit, contrahitq́ue partes laxas, ac languidas: omnibusq́ue fluxionum affectibus ſtrenuè reſiſtit. Eſto verò tertij in deſiccando, ſecundi autem in refrigerando ordinis. Altera autem galla, flaua illa, & magna, laxaq́ue, & ipſa deſiccat quidem, ſed tantò minus, quātò minus acerbæ qualitatis eſt particeps. Cocta itaque ipſa per ſe, ac deinde trita, cataplaſma eſt non inſtrenuum ſedis phlegmonarum, ac procidentiarū. Porrò coquenda eſt, ſi modica opus ſit adſtrictione, in aqua: ſin vehementiore, in vino. Ac ſi augere inſuper adſtrictionem ſit opus, vino vtare auſteriore. Hanc ruſtici noſtrates οἰνοκηκίδα, quaſi vini gallam dicas, nominat. Denique gallæ combuſtæ ſanguinis reprimendi facultatem acquirunt, ac nimirum etiam calorem, & acrimoniam ex vſtione aſſumūt: ſuntq́ue ijs, quæ ignem experta non fuerint, tum ſubtiliorum partium, tum maiore deſiccandi poteſtate. Cæterum cùm ad ſanguinis ſuppreſſionem præparare eas voles, carbonibus impoſitas, dum vndequaque candeant, aceto, aut vino extinguere oportebit. Quercus fructus κηκὶς Græcè dicitur: Galla Latinè, pariter & Italicè: Haſs, aut Haſus, Arabicè:* Gallöpffel vnd Eychöpffel, *Germanicè: Galha, & Bugalha, Hiſpanicè: Noix de galle, Gallicè: Bohemicè Galles aneb bublinky.*

Cornarii opinio reprobata dum omphacitidē gallam calycem glandium eſſe dicit.

Andernacus notatur.

Atramenti ſcriptorij cōficiēdi ratio.

Gallarū præſagium.

Gallarum vires ex Gal.

Nomina.

*† Hoc loco Græci codices habent κονδυλώδη. Qua voce conſtat, iudicio meo, Dioſcoridem gallæ omphacitidis figuram deſignaſſe, cùm prius magnitudinem expreſſiſſet. Attamen ex interpretibus Marcellus manifeſtè eam etiam ad magnitudinem retulit. Ruellius autē, cùm eam tuberoſam interpretetur, ipſe quoque magnitudinem innuiſſe videtur. Quocirca nobis ſatius viſum eſt, omphacitim rugoſæ parti articulorum in digitis, cùm extenduntur, ſimilem reddere: quòd non ſolùm id innuat Græcum vocabulum: ſed multo etiam magis omphacitides ipſæ apertiſſimè demonſtrent.*

## Ῥοῦς. RHVS. CAP. CXXIV.

RHus, quæ obſonijs aſpergitur, [ab aliquibus erythros appellata,] ſemen eſt coriarij fruticis, [ſic vocati, quoniam coriorum infectores eo vtuntur ad inſpiſſandas pelles.] Arbuſcula † eſt in petris naſcens binum ferè cubitorum altitudine: folijs oblongis, ſubrubentibus, in ambitu ſerratis † ilicis modo: acino vuarum gracilium, denſo, magnitudine terebinthi, quadantenus lato, cuius corticoſa tunica perquàm vtilis eſt. Folia vim habent adſtringendi, & acaciæ effectus præbent. Decoctum capillos denigrat: dyſentericis infunditur, in potus eorum, inſeſſusque adijcitur: inſtillatur auribus purulentis: gangrænas, & pterygia cohibent folia ex aceto, aut melle illita. Liquamentum fit ex aridis folijs, ad craſſitudinem [mellis] in aqua decoctis, ad eadem, vt lycium, conueniens. Semen eoſdem effectus exhibet: cœliacorum, dyſentericorumq́ue obſonijs inſpergitur: fracta, deſquamata, liuidaque illitum ex aqua, ab inflammatione vindicat: linguæ aſperitates cum melle abſtergit: candida fœminarum profluuia ſiſtit: hæmorrhoidas ſanat, cum querno carbone intrito admotum. Aqua, in qua ſemen maduit, decocta cogitur, coitque, efficacior quodammodo ipſo ſemine. Gummi defert, quod dentium cauis imprimitur, ad dolores finiendos.

Orib. non legit concluſa.

† μικρὸν. i. parua habet Orib.

I. RHVS.



II. VIBVRNVM.



Rhois conſideratio.

RHus Græcorum, cui (vt ſcribit Plinius li. 24. cap. 11.) Latinis non eſt inditum nomen, Sumach officinis vulgò vocatur, vocabulo nimirum à Mauritanis accepto, vt in alijs quàm plurimis ab illis fieri ſolet. Hac in condimentis pro ſale vtebantur antiqui: idcirco Dioſcoridi in ipſius capitis fronte, Rhus dicitur, quæ obſonijs aſpergitur. Cuius vſus vt audio, & apud Syros, & apud Aegyptios in hunc vſque diem perdurat, vbi rhus prouenit præſtantior. Naſcitur & in Italis Apennino monte plurib. in locis, ijs omnibus planè notis, quæ illi à Dioſcoride tribuuntur. Huius aridis folijs hircorum, caprarumque pelles illæ ſpiſſantur, criſpantur, concinnanturq́, quas vulgò Somachi nuncupant. Cæterùm illud non videtur

Rhois plura nomina apud Gal.

prætereundum, quòd etſi Galenus tum alibi, tum præcipuè lib. 6. de comp. medic. ſecundum locos, plura Rhois nomina, & genera explicaſſe videatur, vt qui id modo Syriacum appellet, modò Ponticum, modò obſoniorum, modò coriarium, modò rubrum, non tamen propterea cenſendum eſt, Rhois arbores inter ſe genere, vel ſpecie differre. Quandoquidem nobis conſtat, vnum tantùm genus Dioſcoridi hoc loco deſcriptum eſſe, quemadmodum & Galeno lib. 8. ſimp. med. Atqui hac in re ſcire conuenit, quòd Rhus obſoniorum nihil aliud eſt, quàm ſemen: coriariorũ verò nil aliud, quàm folia, & fruticis ramuſculi. Noſtræ enim ſententiæ ſubſcribit Dioſcorides, qui ſcriptum reliquit: Rhus ſemen eſt exiguæ plantæ, qua coriarij ad inſpiſſandas pelles vtuntur. Quod etiam Galenus confirmat loco citato. Rhus verò rubens nil aliud eſſe comperitur, quàm eius ſemen immaturum, cui maior adſtringendi vis ineſt, quàm maturo, cuius acini quadantenus nigricant. Syriaca præterea, atq; Pontica rhus, etſi in alijs naſcatur regionibus, à quibus nomen inuenit, nihil tamen genere diſtat ab Italica,

Monachorum error & Plinij. Fuch. opinio damnata dũ Rhois tertiũ fecit genus.

atq́; Iberica, niſi illa magis, hæc verò minus viribus præſtet. Ideoq́; Monachos illos, qui in Meſuem commentarios edidere, longè hallucinari crediderim: nempe qui ſibi perſuaſerint, Rhoëm Ponticam alterius eſſe generis ab ea, cuius extitit vſus apud antiquos in obſonijs. Qua in re & Plinius deceptus eſſe videtur, cùm de coriario particulariter ſcripſerit, ipſumq́; diuiſerit ab eo, quo in ciborum condimentis antiquitus vtebantur. Fuchſius verò, non contentus duobus Rhois generibus, Plinij imitatione, tertium adinuenit. Etenim is lib. de componendis medi. quem ſecundo loco edidit, Rhoem Syriacum non ſolùm differre ſcribit ab eo, qui tum culinis, tum coriarijs expetitur, ſed peculiarem quidem Syriacæ arbuſculæ ſuccum eſſe cenſet, quod Galenus libro 6. de comp. med. ſecundum locos ſuccum rhois Syriaci in quoddam medicamentum addat. Sed errat Fuchſius in hoc, mea quidem ſententia, quandoquidem non video, quomodo ex mentione ſucci rhois Syriaci à Galeno facta, colligi poſſit, rhoem Syriacum eſſe genus ſeparatum: nam ego potius adducar vt credã, ita eum cognominatum fuiſſe à Galeno, quòd apud Syrios cœli & ſoli illius temperie proueniat cæteris præſtantior. Et quamuis Theophraſto lib. 3. cap. 18.

Rhus duplex Theophr.

Rhus duplex reddatur, mas ſcilicet, & fœmina, quòd alia ſterilis, alia fructifera ſit, non tamen ob hoc poſteritatis memoriæ prodidit, quòd altera cibis, altera corijs naſceretur, ſed ambas ad coria inficienda deſtinauit: quòd coriarij folia, & ramuſculos tantùm accipiant, non autem ſemen. Rhoem, quæ in Cornelio Celſo ros Syriacus deprauatè legitur, Mannam, quæ ex

Petri Criniti lapſus ros Syriacum, Mannam putãtis. Fluida Theodoro.

Syria nobis aduehitur, eſſe putauit Petrus Crinitus Florentinus cap. 7. libri vltimi de honeſta diſciplina, falſus vocum similitudine, quòd ros, quæ dictio rhos Græcè legenda eſt in Celſo, aëris rorem ſignificare crediderit: etenim manna ros quidam eſt. Veruntamen eius ſententiam acriter exploſit Manardus Ferrarienſis lib. epiſt. ſuarum primo. Theodorus in Theophraſt. Rhois vocabulum fluidam interpretatur, quod nomen Græci etymũ ſecutus ſibi Latinè finxit: quippe (vt Plinius eſt auctor) rhus Latinũ nomen non habet. Id quod mihi errandi præbuit anſam, cum iam dudũ pro certo exiſtimauerim, fluidã Theophraſto eã arbuſculam eſſe, quæ vulgo Lantana vocatur, è cuius radicib. viſcum quidam conficiunt. Verùm cùm accuratius Græcũ Theophr. codicem perlegiſſem, Theodoriq́; nouũ vocabulum nõ ſine bile examinaſſem, erroris mei cauſam facilè deprehendi. Quo factũ eſt, vt iam fateri libeat, fluidã Theodori nil aliud Theophr. deſignare, quàm Rhoë, & ob id Lantanam

Viburni hiſtoria.

ſic à vulgarib. vocatã, vt prius crediderã, non eſſe. Quæ tamẽ (vt mea fert opinio) potius VIBVRNVM imitatur, quòd maximè lenta, obſequioſa, flexuq́; inuicta ſit. Tale enim eſſe viburnum Virg. in Bucolicis cecinit hoc carmine.

Quantum

*Quamuis lenta ſolent inter viburna cupreßi.*

*Exit hæc ramulis digitali craßitudine, bicubitalibus, folijs ferè vlmeis, craßioribus, incanis, & piloſioribus, quæ paribus internodijs aduerſis pediculis coniugatim adhærent, per ambitum tenuißimè ſerrata. Florem edit album, vmbellæ modo cohærentem: à quo acini prodeunt lentium modo preßi, qui primo ſtatim exortu virides, deinde rubri, demum verò nigri ſpectantur: radice per ſumma ceſpitum vagante: virgæ adeò flexiles, lentæq́; habentur, vt ad colligandum faſciculos ijs commodè vtantur ruſtici. Naſcitur in ſepibus, & frutetis, & inculto ſolo. Folia aſpera ſunt & guſtu adſtringentia: fructus, vbi ad vltimam peruenit maturitatem, aluum exoluit. Sententiæ noſtræ adſtipulatur Ruellius, non ſolùm quòd hæc planta flexilis admodū ac lenta omnibus ſuis partibus habeatur, ſed etiam quòd hactenus in Gallia proprium retineat nomen. Nam detracta vna tantum litera ibidem viurna vocatur. Plura de hac planta diximus aduerſus Guilandini calumnias in Epiſtolis noſtris. Non deſunt autem, qui geniſtam quandam Viburnum faciant, eo tantum argumento, quòd Calabri Geniſtam illam, Vauorna nuncupent. Atqui nihil eſt, quod me addūcat ad credendum, Virgilium Geniſtam vocaſſe Viburnum, cum hæc proprium habeat nomen. Viburni itaq́; folia adſtringentis ſunt facultatis, vt prædiximus, ideoq́; præſtant ad vacillantes dentes confirmandos, & gingiuarum rheumatiſmos, ſi decoquātur in vino auſtero: atqui longè magis valebit, ſi cum oliuæ folijs decoquantur in aqua & aceto, & ex hoc decocto ſæpe foueantur dentes. Gargarizatur idem ad columellæ prominentiam & ad faucium fluxiones: vuarum acini arefacti anteaquam matureſcant, & in puluerem poti, alui fluxiones ſiſtunt. Paratur è radicum corticibus ſub terra maceratis, & ſubinde decoctis, & diu tuſis, viſcum ad aucupia haud inutile. Folia vbi in lixiuio decoquantur, capillum denigrant, & eoſdem fluentes ſiſtunt. Cæterùm cum Rhois mentio Cotinum arborem mihi in mentem redegerit, quam Itali vulgo vocant Scotano, quòd hac quoque planta coriarij vtantur, non minus quàm Rhoe ad coria firmanda, prætermittere ſanè non potui, quin in Medicum vſum hic eius hiſtoriam, & vires attexerem, & eius quoque imaginem adderem. Eſt itaque* COTINVS *planta vel arbuſcula fruticoſa, folioſaq́; ra-*

Viurna Gallorum.

Geniſta quædam Viburnum eſt.

Viburni vires.

Cotini hiſtoria.

III. COTINVS.



COTINVS CVM FLORE.



*mis numeroſis, tenuibus, ſubrubentibuſq́; folijs denſis, terebinthi rotundioribus, ac latioribus, odore ſubgraui, gallæ contuſæ modo, creſcit ad trium quatuorve cubitorum altitudinem, & ſi quandoque adhuc grandior euadat, candice humano brachio paulo minore: materie adeo flaua, vt ad lanificia coloranda maximè infectoribus expetatur. Gerit in ramuſculorum cacuminibus magnam, plumoſamq́; congeriem, vmbellæ ferè ſpeciem præ ſe ferentem, colore ex candido ruſeſcente, in quæ ſiliquæ oblongæ hyperici ferè haud abſimiles proueniunt, in quibus ſemen concluditur. Prouenit copioſa in Tridentino agro, Veronenſi, & in alijs non paucis Italiæ locis, & præſertim in Apennino monte. Meminit breuiter Cotini Plin. lib. 16. cap. 18. his verbis. Eſt & in Apennino frutex qui vocatur Cotinus ad lineamenta colore inſignis: hæc ille. In multis Inſubriæ locis appellatur vulgò Roſo, & Scotano, vbi in arbuſculam adoleuit. Vis illi adſtrictoria inſignis, exiccans, cohibenſq́;. Sanantur foliorum decocto in collutionibus oris, & linguæ vlcera, quin etiam columellæ, & faucium defluxiones. Valet idem ad genitalium quoque vlcera, vbi eo ſæpe abluantur. Adduntur folia in deſeßionibus, quæ ad menſes cohibendos parantur. Succorum foliorum, ac ramuſculorum puluis, ventri prius aceto roſaceo illito, inſperſus, alui defluxiones quaſcunque compeſcit. De Rhoe hæc, quæ ſequuntur, nobis ſcripta reliquit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens. Rhus fruticoſa planta aſtringit, deſiccat. Nam & coriarij ad deſiccandum, & adſtringendum pelles planta vtuntur: ac proinde βυρσοδεψικὴ hoc eſt, excoriaria appellata eſt. Porrò Medicis in vſu ſunt in primis fructus eius, & ſuccus multum auſteræ qualitatis. Conſentaneus eſt vſus particularis ipſi guſtus ſenſui. Fuerit itaque & hoc medicamen ex tertio ordine exiccantium, ex ſecundo verò refrigerantium. Ῥοῦς vt Græcis, ita etiam Latinis Rhus nominatur.*

Cotinus ex Plinio.

Cotini vires.

Rhois vires ex Galeno.

Nomina.

*Sumach, Adurien, Rosbar ſadiſticos, ſeu Roſaidicos, Arabibus: Rhu, & Semacho, Italis: Sumach, & Sumagro, Hiſpanis: Germanis,* Gerbe baum*: Gallis & officinis, Sumac. Viburnum autem Italis Viburno: Inſubris, Lantanna: Gallis, Viorne, & Mauſſane. Germanis,* Schlingbaum. *Cotinus, Italis, Scotano & Roſo.*

*† In vulgatis Græcis codicibus hic legitur* πρινοειδῶς, *hoc eſt, ilicis modo. Hæc dictio qua ratione ab interpretibus Ruellio, & Marcello omiſſa fuerit, certè neſcio. Sed mihi quidem viſa eſt non omittenda, quòd non modò eam quoque Oribaſius legat, ſed quòd etiam Rhus foliis pulchrè Ilicem æmuletur.*

I. Rhus, ῥόος Hippocrati à colore coccineo acinorum dicitur: Rhus Cord. in Dioſc. Lac. Lug. Tab. Rhus coriaria, Dod. gal. & fol. Rhus obſoniorum Lob. Sumach Lon. Caſtori. Eſt & alterũ genus à Plinio, myrti folio, propoſitum, de quo Geſ. hor. Lob. Lugd. Dod. Tab. II. Hæc quibuſdam Viburnum Vergilii videtur, aliis ſpinea Theophraſti. Viburnum Geſn. hor. Caſt. Lugd. Kleiner Mälbaum Trago & Lon. Lantana (quod lenti ſint rami) Geſ. hor. Dod. Cæſal. cui Rhoe, ſiue Fluida, vt Gaza vertit, Theophraſti videtur. Viurna vulgi Gallorum & Ruellii, Lobelo. III. Cotinus Plinii, Geſ. hor. Cam. Caſt. Tab. Cotinus coriaria, Dod. Scotanum vulgo Cæſ. Coccigria Theoph. Geſ. hor. Lob. Lugd. Tab. Coggygria Plinii, cocconelia Theophraſti Cluſ. Pan. Quidam Rhoem coriariorum crediderunt, eò quòd huius cortice Allobroges coria ſpiſſant: & Gaza κοκκιμυλέαν legit apud Theophraſtum, & Prunum ſatis abſurdè vertit. Oleam Aethiopicam Hippocratis, Guilandinus nominare ſolebat.

## Φοῖνιξ. PALMA. CAP. CXXV.

PAlma in Ægypto gignitur. Ea medio maturitatis vigore, autumno decerpi ſolet, Arabici myrobalani ſimilis, pomatis cognomine, colore viridi, & odore mali cotonei: quòd ſi ad maturitatem peruenire ſinatur, phœnicobalanus fiet. Palma acerba eſt, & adſtringens: contra alui, fœminarumq́; profluuia, in vino auſtero bibitur: hæmorrhoidas ſiſtit: vulnera glutinat illitu. Phœnicobalani recentes plus ſiccis adſtringunt: capitis dolorem afferunt: copioſiores in cibo inebriant. Sicciores ſanguinem excreãtibus, ſtomachicis, & dyſentericis vtiles in cibo: illinuntur cum cotoneo, & cerato œnanthino veſicæ vitiis. Caryotæ, præſertim eſu, faucium aſperitati medentur. Thebaicarum decoctum potu æſtuationem ſedat: vires recreat cum hydromelite veteri ſumptum: cibo idem faciunt. Fit ex eis vinum ad eadem conueniens. Decoctum per ſe potu, & gargarizatione magnopere adſtringit, & cohibet. Nuclei palmarum, cæterorum more, cremati in crudo fictili, & vino reſtincti, cinere loto, ſpodii vicem efficiunt, miſcenturque in calliblephara, quòd ſi non iuſtam vſtionem acceperint, denuo cremandi. Vim adſtringendi habent, & ſpiracula cutis obductu ſuo claudunt: contra oculorum vuam, & puſtulas, palpebrarum defluuia, cum nardo effectum præbent: corporis excreſcentias cum vino reprimunt: vlcera ad cicatricem perducunt. Sed inter primas vtiles ex palmis humilibus Ægyptiæ.

## Φοῖνιξ ἐλάτη. PALMA ELATE. CAP. CXXVI.

PAlma, quam aliqui elaten, aut ſpathan appellant, fructus palmarum adhuc florentium inuolucrum eſt, calixque: quo in ſpiſſamenta vnguentarii vtuntur. Optima habetur odorata, aſtringens, ponderoſa, præcluſa, intus pinguis. Vis ei adſtrictoria: ſiſtit vlcera, quæ depaſcunt: laxatos artus committit: trita miſcetur cataplaſmatis, & malagmatis: prodeſt præcordiis, imbecilli ſtomacho, & iocineri affecto, miſta cõferentibus cataplaſmatis. Eius decoctum ſubinde deterſum, capillos denigrat: datur bibendum congruè renum, veſicæ, & viſcerum vitiis: vuluæ, ac ventris fluxiones ſiſtit: ſcabiem cum reſina, & cera † ſanat, ſi viginti diebus recens apponatur. Inuolutuſque in ea elate fructus, quem ſuo amplexu fouet, elate etiam vocari ſolet, & ab aliquibus boraſſus. Adſtringit, & ſpathæ effectus præſtat, non ſic vnguentis expetitus. Alba medulla caudicis recens in cibo, aut decocta, eadem facit, quæ boraſſus.

† Liberica, l. cocta leg. Antiquus Cod.

Palmæ conſideratio, & hiſtoria.

*PAlma, arbor eſt procera, caudice admodum ſquamoſo, ramos in cacumine tantum fundit in orbem actos, cacuminibus ſolum ſpectantibus: foliis longiſſimis, duplicibus, gladij figura. Flores profert numeroſos, tenuibus quibuſdam villis appenſos, in magni racemi modum, facie crocinis ſimiles: ſed multò minores, albo colore. Ii anteaquàm emergant, magno quodam concluduntur inuolucro, quod palmam elaten vocant, quo tandem dehiſcente, emergunt, ac panduntur. Hinc ſubinde dactyli prodeunt, qui per Autumnum, vnà cum ficubus mature ſcunt, ruſo colore. (Decerpuntur eodem tempore, & inſolantur ad vſus,) nucleo intus duriſſimo, oblongo, canaliculatoq́. Fructus palmarum adhuc florentium inuolucrum eſt magnum puluinaris faciem repræſentans, extremitatibus in acutum deſinentibus, colore ſubruſo, fragili materie, ac tenui. Dehiſcit hæc ſuo tempore, & numeroſos pandit flores, in racemi magni modum, è quibus dactyli proueniunt, parum racemoſi.*

Elate & eius hiſtoria.

*Naſcitur Elate ex ipſo caudice inter primos ferè ramos, duarum ſpithamarum longitudine, ea, quæ hic appicta eſt, imagine. Hanc, cuius hic imaginem damus, miſit ad me integram, vnà cum dactylorum racemo, Gabriel Fallopius Medicus clariſſ. quinetiam eodem tempore, eiuſdem Elates icones graphicè delineatas nobis miſit Iacobus Antonius Cortuſus patritius Patauinus, vir quidem vt proſapia & virtute præclarus, ita omni humanitate, & liberalitate præditus. Viſuntur palmarum arbores in compluribus Italiæ ciuitatibus, nempe in hortis, viridariis, & monachorum clauſtris dictis, inſigni magnitudine, ac ſpecioſa proceritate, cùm tamen climatis noſtri temperies earum naturis inclementior ſit, fructum nobis non proferunt, ſed ſteriles conſeneſcunt. In Hiſpania tamen maritimis quibuſdam locis fructum edũt, verùm immitem, & qui nunquam matureſcat.*

Palmulæ vbi optimæ.

*Quæ in Creta proueniunt, fructũ ſanè percoquũt, ſed magis admodum Cypriæ. Principem locum tenent, & palmulas omnium præſtãtiſſimas ferunt, quæ in Iudæa proueniunt, & inter has maximè (vt inquit Galenus) quæ in Hiericunte naſcuntur. Venetias palmarum fructus, qui nonnullis palmulæ, aliquibus caryotæ, quibuſdam verò dactyli dicuntur, ex Syria, & Alexandria Aegypti aduehuntur, ac etiam ex Neapoli illuc prius ex Numidia importati.*

Vinũ ex palmis Plin.

*Ex recentibus ab arbore ſtatim decerptis, quibus Italia caret, vinum fieri auctor eſt Plin. lib. 14. cap. 16. quo Parthi, & Indi vtuntur, at cæteri, qui orientalem plagam incolunt. Et vt idem refert lib. 13. cap. 4. Palmæ fœminæ fructum non proferunt, niſi prope marem conſerantur: quo exciſo, aut exiccato, viduæ poſtea ſterileſcunt: Nec tamen ob id putandum quod* mares

I. PALMA CVM FRVCTV & floribus.



DACTYLI CVM PALMA elate.



mares fructum non ferant. Quandoquidem ſcribit Theophraſtus lib. 2. ca. 8. de hiſtoria plantarum, quod ex fructiferis (plures enim ſunt, quæ fructum non ferunt) tam mares, quàm fœminæ fructus edũt. Quorum plures ſunt differentiæ, quoniam alij ſine oſſe, alij duro oſſe, alij molli proueniunt. Colore quoque inter ſe diſcrepant: alij enim candidi, alij nigri, alij flaui: ad ſummum non pauciores, quàm ficorum colores, neq; abſolutè pauciora genera ſtatuunt. Ad hæc differre magnitudine, figuraq; volunt: quoſdam enim rotundos eſſe in modum malorum: magnitudineq; tantos, vt quatuor tantùm in ſpicam tegeantur, alios minutos cicerum magnitudine. Saporibus item plurimum differre inquiunt, ſed optimum tam inter nigros quàm inter candidos, genus, quod regium vocant, cùm magnitudine, tum virtute, ſed rarum id eſſe. Quædam non fructu modo, verùm & arbore ipſa, longitudine, formaq; reliqua diſtant: non enim magnæ, excelſæque, ſed breues fœcundiores, quàm cæteræ, trimæ protinus fructificantes. Tales etiam in Cypro, in Syria quoque, Aegyptoq; palmæ proueniunt: quæ quadrimæ, aut vt plurimùm quinquennes fructificant, hominis altitudine aſſurgentes. Genus aliud eſt in Cypro, quod & folium amplius habet, & fructum multò ampliorem, diſcrimineq; peculiari diſcretum, magnitudine mali punici, figura oblongum, non tamen ſapidum, tanquam cætera, ſed radicibus ſimilem, vt non deuoretur, ſed ſucco tantum expreſſo expuatur: hæc de palma hiſtoria ex Theophraſto. Sunt præterea, qui palmarum generi adſcribant plantam in Syria Aegypto, Cyproq; & Sicilia naſcentem, quam Veneti inde redeuntes MVSAM appellãt, & Muſas ſimiliter fructus. Adoleſcit hæc (vt referunt) ad quinum, ſenumve cubitorum proceritatem è ſtolonibus alterius ſata: folio eſt arundineo, quod tamen per-quàm longo, latoq; ambitu ſe diffundit, adeò vt in longum trium cubitorum menſuram quandoq; excedat: in latum verò ſeſquicubitum, ac etiam quandoq; grandiore ſpatietur, lata craſſaq; per medium excurrente coſta. Torreſcunt folia æſtate ſiccitate, vel etiam fortaſſe ſolis ardore, adeò vt menſe ſeptembri eorum coſtæ prorſus nudæ cernantur, decidente foliorum materia, quæ admodum ſit tenuis. Caulis ſquamoſo foliorũ cortice veſtitur, palmæ, vel arundinis ferè modo. Ramos habet nullos, ſed caudice tantũ conſiſtit. E vertice germen emergit materie molli, lõgitudine ferè cubitali, à quo alia ab origine ad ſummum prodeunt germina ternum, quaternúmve digitorum inuicem diſtantia: è quibus circumeminent fructus parui cucumeris magnitudinẽ, qui per maturitatem quadantenus flaueſcunt, cortice fici, qui eodem modo digitis detrahitur. Subſtantia pulpæ conſiſtit melopeponum modo, nullo intus oſſe, neque ſemine. Sapore cum quadam inſipiditate dulci. Primùm guſtantibus fructus inſipiditatem quandam præ ſe ferre videntur, adeò vt primo ſtatim guſtu non placeant: verùm qui eſui aſſueſcunt ijs indies magis delectantur: quippe qui quadam occulta ſaporis ſuauitate allecti, quæ niſi tractu temporis cum palato init gratiam, nunquam ſaturi videantur. Ita Muſam mihi deſcripſere qui ex Aegypto, & Cypro ad nos reuertuntur. Sed quænam antiquis Muſa fuerit planta, quid referam non habeo. Inclinat tamẽ animus eam eſſe, quæ Theophraſto in palmarum genere recenſetur: quam idem in Cypro naſci tradidit, folio cæteris ampliore, & fructu longè maiore magnitudine mali punici, & figura oblongo. Muſæ ex Arabibus Serapionem inuenio mentionem feciſſe inter ſimplicia, vbi de eius viribus in hunc ſenſum diſſeruit. Muſa excalfacit in medio primi abſceſſus, humectat autem in eius fine: paucum præbet alimẽtum. Priuatim prodeſt thoracis, pulmonis, ac veſicæ ardoribus: aluum emollit. Verùm liberalior eius vſus ſtomacho aduerſatur, ac iecur obſtruit. Quamobrẽ ſi quis, cùm frigidi ſit temperamenti ea copioſius veſcatur, ſubinde aquam mulſam, oxymel, aut gingiber cõditũ ſumat neceſſe eſt. Fœtũ in vtero alit, renibus opitulatur, vrinã ciet, & venerẽ ſtimulat: hactenus Serapio. Eſt & aliud palmæ genus humile pumilũq;, quod in Sicilia & Creta copioſiſſimũ prouenit: quinetiã in maritimis noſtris Senenſibus, cubiti altitudinẽ parũ excedens, folio cæteris ſimili, ſed lõge minore breuioreq;. Flores edit ex obliquo è capillacea quadã coma emergentes: è quibus baccæ racematim prodeunt, vt ex appicta hic imagine quiſpiã cer-

tior

Dactylorum differẽtia ex Theoph.

Palma in Cypro.

Muſæ plantæ hiſtoria.

Muſa quid apud veteres.

Muſæ vires ex Serapione.

Camæriphis conſideratio.

III. MVSA SINE FRVCTV.



MVSA CVM FRVCTV.



II. CHAMAERIPHES SIVE palma humilis.



*tior fieri poterit. Pars radici propinquior in globum extuberãs internum, germen quoddam, quod cerebrum vocant, innumeris ferè inuolucris circumſeptum habet, tenerrimum, ſapidum, & ori gratiſſimum. Adſtringenti pollent facultate: itaque roborant & cohibent: Germen quod cerebrum vocant eſtur ſecundis menſis pro bellariis, cum pipere & ſalis momento, Cardui aut echinatæ Cinaræ modo: Arridet enim maximè guſtui. Id (vt aliqui aiunt) ad venerem excitãdam præſtare haud parum creditur. Rami quadrageſimali tẽpore deferuntur venales per totam ferè Italiam, ad exornandos oliuarum ramos, qui ſacra palmarum die ab omnibus in templis geſtantur. Præſtant iidem ad ſportulas, tegetes, & ſcopas parandas: ſunt enim ad verrendas domos rami vnà cum foliis ad ſcopas parandas, non ſolum peridonei, ſed etiam vtiles, quòd non confringãtur, niſi tempore longo. Cætera cum maiori Palma communia habet. Baccæ ſua adſtringenti vi, dantur contra omnes corporis fluxiones. Hoc palmæ genus, Theophraſto* Χαμαιῤῥιφὲς *appellatur lib. 2. cap. 8. de hiſtoria plantarum vbi ſic habet. Palmæ autem vocatæ* Χαμαιῤῥιφεῖς *aliud quoddam genus eſt, tãquam eiuſdem nominis. Nam excepto cerebro viuunt, & ab radicibus ſucciſæ repullulant. Fructu quoque, & foliis diſtant: ſunt enim lato, mollique folio: ob id ſportulas, tegetes, & capitis vmbracula eo contexunt: quæ & in Creta inſula multæ, ac etiam multo plures in Sicilia tales proueniunt, vbi Ceſaglioni vulgò vocantur. Palmæ genus India profert (vt Ioſephi Indi nauigationes perhibent) è cuius truncis, exciſis conſultò ramis menſe Auguſto diſtillat liquor, quem incolæ vaſis excipiunt, ebibuntque ſuauiter vini vice: veruntamen niſi excoquatur, poſt triduum in acetum acerrimum deſciſcit. Eaque propter illum decoquunt, vt nos defrutum, ſitque hoc modo, velut mel ſuauiſſimum, quod poſtmodum ex aqua reſoluũt, & diebus viginti artificio quodam percolant, donec optimè ſit defæcatum, atque pellucidum: quo artificio iucundiſſimus redditur potus, diuque perennat. Porrò Palmulæ, quas Dioſcorides Thebaicas vocat, quantum ex pluribus auctoribus comperi, adeò tractu temporis inſolatæ ſiceſcunt, vt molitæ cogantur in panẽ. Eſt & aliud ab his palmularũ genus, quod officinæ Mauritanos ſecutæ* TAMARINDOS *appellant, Græcis verò à ſaporis acrimonia oxyphœnica: ſiquidem Mauritani per Tamar dactylos ſignificant: quare Tamarindorum vocabulo idem intelligunt, quod noſtri palmulas Indicas. Indici igitur dactyli producuntur (vt inquit Serapio) à*

Χαμαιῤῥιφὲς ex Theoph.

Palmæ genus in India.

Palmulæ Thebaicæ Dioſc.

Tamarindorum conſid.

IV. TAMARINDI.



V. CVCIOPHERA.



rapio) à quibuſdam plantis, quæ foliis longis, acuminatiſq́; ſalignis ſimilibus virent: licet à nonnullis exiſtimentur Tamarindi fructus agreſtium palmarum. Sed equidem malim adſtipulari Serapioni, quam illis, præſertim cùm non conſtet è veteribus, qui de Tamarindis quicquam memoriæ prodiderit. Ex iis, qui ad nos importantur, nulli, vel pauci admodum integri reperiuntur: nam plerunque contriti, & in maſſam quandam compacti deferuntur, quam ſi diſieceris, flauos nucleos inuenies, varias formas referentes. Præſtant, qui in obſcuro rubeſcunt, molles, recenteſq́;, & qui neruoſis quibuſdam villis facti inueniuntur. Adulterantur ab impoſtoribus prunis, ſed deprehenditur fraus tum colore, tum etiam guſtu: quippe nec admodum ſunt acidi, nec tam ſaturato colore nigricant. Refrigerant, ac deſiccant (vt ſcribit Meſues) ordine ſecundo, tametſi Auerroi tertio deſcribantur. Aluum cient, quapropter potiſſimum bilem facilè ſoluunt: item & præaſſatos humores leniunt, & inſaniam & furorem mulcent. Dantur obſtructis, aqua intercute affectis, arquatis, & lienoſis vtiliter. Faciunt & ad ſcabiem, lepras, vitiligines, & lichenas: quin & contra omnes cutaneas exulcerationes, quæ à ſanguine præaſſato emerſere. Officiunt tamen frigidum ventriculum habentibus, ſed noxa tollitur, admiſtis maci, maſtiche, caſſia, aut Indica nardo. Aegrè munus obeunt ſuum, ſed roborantur, ſi admiſto caprino ſero, aut fumariæ, aut lupi ſalictarij ſucco bibantur: in ſumma palmarum varia, at diuerſa ſunt genera. Quare curioſum remittemus ad Theophraſtum loco ſuperius citato, & ad Plinium lib. 13. ca. 4. vbi de his latiſſimè ſcripſit. Atqui non ob id ſcribere prætermittam, quod eſt etiamnum Theophraſto planta Κυκιόφορον appellata, libro 4. cap. 2. de plantarum hiſtoria, palmam caudice & foliis repræſentans. Verùm à Palma differt, quòd hæc indiuidua ſimplexq́; aſſurgat, illa verò quum aliquatenus increuerit, ſcindatur, & bifida fiat, iterumq́; horum vtrumq́; pari modo diuidatur, & ſubinde virgas breues, & multas proferat, cortice ſicuti palmæ ad vtenſilium nexus vilis. Fructum peculiarem parit: magnitudine & figura, & ſucco ſingularem. Quippe magnitudine ferè, quæ manum impleat, rotundum, colore flauicantem, ſucco dulcem, & ori gratiſſimum, non racematim congeſtum, vt Palma, ſed per ſingula diſiectum, nucleo magno, vehementer duro, ex quo annulos detornantur quibus in verſicoloribus ſtragulariis vinculis vtuntur. Materies à palma plurimum diſtat: altera enim rara corpore, & neruoſa, & viridis: altera ſpiſſa, grauis, carnoſaq́;, & cæſa criſpa admodum, atque dura. Perſæ quidem maiorem in modum eam præferunt ad lectorum pedes conficiendos. Hæc ex Theophraſto tranſcripſimus, quòd hæc planta palmarum generi aſcribatur. Huiuſce arboris poma (vt puto) miſit ad me Conſtantinopoli Gulielmus Quaccelbenus Flander Medicus inſignis: ſed re vera tunc temporis, cuius arboris eſſent fructus coniectare non poteram. Verum cum poſthac illuſtrandis augendiſq́; commentariis hiſce noſtris operam nauarem, legeremq́; apud Theophraſtum, de Cuciopheri fructu, ac de admirabili nuclei ipſius duritia, illico inclinauit animus hæc poma, quæ nuces appellabat Quaccelbenus, legitimos Cuciopheri eſſe fructus, cum omnibus ſuis notis deſcriptioni correſpondeant. Sunt enim ea magnitudine, qua manum implere poſſint, oriq́; gratiſſima, & ſuaui quadam dulcedine prædita, colore flauicantia, perinde ac Cydonia mala, à quibus etiam parum facie diſtant: glabra tamen ſunt, & carne fibroſa. Os internum habent iuglandis magnitudine, quadrilateri ferè figura, ima tamen parte lato, & ſuprema in acumen deſinente, color illi exterius, qualis in iuglandium, auellanarumue, aut Pineæ nucis putaminibus viſitur: putamine altero obductum grandiori, haud fragili, ſed duro, villis quibuſdam valido compactu ſeſe ſtringentibus, colore ex ruſo nigricante. Oſsis ſubſtantia interior, vt colore marmor imitatur, ita etiam duritie excedit, in cuius centro cauitas eſt, in qua ſylueſtris auellana vnà cum putamine recondi facilè poſſet: verum nullo intus nucleo; ſed inanis & vacua. Nos tantum fructum vidimus: quo fit vt plantæ imaginem hic oſtendere nequeamus.

*Tamarindorum vires.*

*Cuciopheræ plantæ, & eius fructus conſideratio.*

Cæterum

**Palma elate quid ſit.** *Cæterum quid in palma illud ſit, quod aliqui elaten, aliqui ſpathan vocant, manifeſtè declarat Dioſcorides, cùm inquit. Palma, quam aliqui elaten, aliqui ſpathan appellant, fructus palmarum adhuc florentium inuolucrum eſt. Cui adſtipulatur Theophraſtus loco iam citato, vbi ita ſcribit. Fructiferarum aliæ maſculæ, aliæ fœminæ: intereſt autem, quòd mas primùm ſuper ſpathan floret: fœmina fructum oblongum illico præſtat. Sed elate, ſiue ſpathe Galeno duo videntur eſſe genera lib. 8. ſimpl. med. alterum quod tenerum ſit palmæ germen: alterum quod eius ſit tegumentum.* **Elate duo genera Galeno.** *Primum verò genus fortaſſe illud erit, quod in interiore parte inuolucri gignitur antequàm flores prodeant. Id, Dioſcoridis teſtimonio ab aliquibus Boraſſus appellatur, atque etiam Elate dici ſolet. Verum hac in re maximè cæcutiſſe Plinium illud apertiſſimè oſtendit, quod ipſe lib. 12. cap. vlt. ſcriptum reliquit, ſic inquiens.* **Plinii lapſus.** *Eſt præterea arbor ad eadem vnguenta pertinens, quam alij elaten vocant, quod nos abietem, alij palmam, alij ſpathen. Quibus palàm eſt, Plinium palmæ adhuc florentis fructus inuolucrum cum abiete arbore confudiſſe, vocabulorum propinquitate deceptum: Græcis enim ἐλάτη, Latinis abietem ſignificat. Quinetiam eundem putaſſe elaten palmam arborem eſſe, cùm tamen vel germen palmæ tantùm, vel florum ſit inuolucrum. Nec minus inter recentiores hallucinari deprehenditur Adamus Lonicerus Germanus, qui ſpatham in palma nil aliud eſſe cenſet, quàm folia, quod enſiformia videantur.* **Loniceri lapſus.** **Palmarum vires ex Gal.** *De Palmarum viribus pertractans Galenus libro 8. ſimpl. medic. ita ſcriptum reliquit. Phœnix arbor adſtrictoriæ facultatis omnibus ſui partibus eſt particeps: igitur ramorum ſuccus auſterus eſt, ex aquea ſubſtantia tepida, & terrea frigida conſtans. Similis natura eſt encephalos, quem vocant, hoc eſt cerebrum, ſiue medulla, eſui aptus: at fructus eius, & maximè dulcis, non paucam obtinet caliditatem. Cæterùm cùm edendo ſit, multo eſt vſui, non tamen foris impoſitus, vbi quid roborare, & deſiccare, contrahere, ſtipare, denſareq́; conſilium eſt, ſed & tanquam cibus ſumptus & ſimul cum aliis, & per ſe. Porrò quod elaten vocant, nempe tenerum illud palmæ germẽ, eandem cum cerebro eius facultatem poſsidet. Quod verò velut tegumentum eius eſt, adſtringentem & ipſum qualitatem habet: verùm plus quàm dicta omnia exiccat, vtpote quod & eſſentiæ conſiſtentia illis ſiccius eſt, & minimè particeps eſt humiditatis. Itaque iure vtuntur illo ad vlcerum putreſcentia, miſcentq́; medicamentis articulos plus iuſto laxatos contrahentibus: adhæc facultatibus hepaticis, & ſtomachicis, ſeu intrò ſumantur, ſeu foris admoueantur. Sed & radix plantæ deſiccatoriæ citra morſum facultatis eſt, adiunctum habens & ipſa adſtrictionis quippiam.* **Palmarum facultas ex eodem.** *Et de Palmarum fructu diſſerens libro ſecundo de alimentorum facultatibus, ſic inquit. Eſt autem non parua in palmulis differentia: aliæ namque ſiccæ ſunt, & adſtringentes, vt Aegyptiæ: aliæ molles, & humidæ, & dulces, vt quæ caryotæ appellantur. Hæ autem præſtantiſſimæ in Syria Paleſtina naſcuntur in Hiericunte: reliquæ omnes palmulæ inter dicta duo genera mediæ cẽſentur. Verùm concoctu difficiles ſunt, capitiq́; dolorem inferunt: quarum aliæ quidem magis, aliæ minus ſunt humidæ ac dulces, ſiccæ atq; adſtringẽtes: ſed cõſtitutis extremis iam omne quod in medio eſt facillimè deprehendes. Nulla ergo ex ipſis eſt, quæ non dulcedinem quandam, & adſtrictionem habeat: ſiquidem caryotæ leuiuſculè adſtringunt, & Thebaicis obſcura quædam ineſt dulcedo. At ſuccum quidem dulcem nutrire, auſterum autem gratum eſſe ſtomacho, & aluum ſiſtere oſtẽdimus. Omnes autem palmulæ, ſi largius ſumantur, concoctu ſunt difficiles, & capiti dolorem adferunt: quædam etiam morſus cuiuſdam ſenſum ori ventriculi, quod medici ſtomachum vocant, inducunt. Succus autem ex iis in corpus diſtributus, craſſus quidem omnino eſt, cum quodam etiam lentore, vbi pingues fuerint palmulæ, vt caryotæ. Cùm autem huic ſucco dulcedo etiam miſta fuerit, celerrimè quidem hepar ab eo obſtruitur: læditur autem maximè ab ipſorum eſu, quod & inflammetur, & ſcyrrho obſideatur: poſt hepar autem & lien obſtruitur, ac læditur. At multò ſanè maximè virides palmulæ ad omnia ſunt noxiæ, ſi paulò largius ſumantur. Perſpicuum porrò eſt, dulces quidem calidiore, adſtringentes verò frigidiore ſucco præditas eſſe. Virides præterea palmulæ inflationes pariunt, veluti & ficus: eadem namq́; palmularum viridium ad alias eſt proportio, quæ ficuum ad caricas. Cæterùm in regionibus non admodum calidis, palmulæ non perfectè matureſcunt, adeò vt reponi nequeant. Quo fit, vt homines ipſis viridibus veſci coacti, crudis ſuccis impleantur, rigoribuſq́;, qui ægrè caleſiant, & hepatis obſtructionibus prehendantur. Dactyli recentes duo oſſe exenterati, & infectorij cocci puluere repleti, deuoratiq́; ſæpè à prægnantibus, abortum prohibent. Præſtant quoque dactylorum oſſa in puluerem trita ſemunciæ pondere addita ſanguinis draconis lachrymæ drachma, & portulacæ aqua pota, ad albas vteri fluxiones, & præſertim ſi exempto oſſe infarciantur Eboris ſcobe, Margaritis, Corallio rubeo, & deinde ſumantur à ieiunis quotidie tres aut quatuor: eadem combuſta drachmæ pondere, cum crudi ſerici combuſti ſemidrachma, ſanguinem mingentibus medentur.* **Nomina.** *Arbor, quæ φοῖνιξ Græcis, Latinis Palma vocatur: Arabibus, Machla, aut Nachal: Italis, Palma: Germanis,* Dattelbaum: *Hiſpanis, Palmera: Gallis, Arbre de dattes, Palmiers ſiue Dattiers. Huius autem arboris fructus, qui δάκτυλοι καὶ φοίνικες Græcis, Latinis, Palmulæ & dactyli dicuntur: Arabibus, Tamar: Italis, Dattoli: Germanis,* Datteln: *Hiſpanis, Tamaras, & Datiles: Gallis, Dattes: Bohemis, Daktile. Palma elate, Græcis, φοῖνιξ ἐλάτη: Italis, Inuaglio, ouer Corteccia di dattili. Chamæriphes ſiue palma humilis, Græcis, χαμαιριφής: Italis, Palma minore: Siculis, Ceſaglioni.*

I. Palma arbor φοῖνιξ: fructus δάκτυλοι & φοίνικες, dactyli & palmulæ. Gal. φοινικοβάλανοι, Caryotæ Dioſcoridi & Plinio: vagina, elate & ſpatha, Palmes Plinio. Palmam vocant authores, at Tabernæmontanus Palmam maiorem. II. Palma Humilis: hæc Bdellium eſt de Mecha apud Arabes. Palma minor, Geſ. hor. Palmites Lob. Chamæriphes Dod. Lugd. cui & Palma chamærops Plinii. **Palma vinifera.** Meminit Theuetus Palmę viniferæ in Aethiopum promontorio, quæ arbor ex palmarum genere pulcherrima, ſiue proceritatem, ſiue perpetuam viriditatem ſpectes: fructus cuius, parui dactyli acerbi, qui non facilè edi poſſunt. Inciditur hæ arbores duobus pedibus à terra, quo ſuccus inde eliciatur, qui vaſis terreis pro quotidiano potu excipitur, vt autem diutius conſeruetur modicum ſalis iniiciunt: hic colore & conſiſtentia vinum album Campaniæ refert & ſuauiſſimi guſtus eſt. III. Muſa quæ ex palmarum genere cenſetur, Serapioni & Auicennæ Muſa, Maum, & Amuſa, in Syria Moſc: vbi Græci Chriſtiani & Iudæi eam dicunt arborem eſſe, cuius fructus edit Adam in Paradyſo, quare Ludouicus Romanus libro nauigationum ſuarum Poma Paradyſi nominat: at Garzias hanc opinionem ridet. **Muſa.** Palmæ ſpeciem humilem Geſn. hor. Muſam Dod. gal. Garz. Caſt. Cæſ. Tab. Lug. vocant: at Lobelus, Muſam Serapionis: Muſa ſeu Ficus Indica à coſtę: Maurz Alpino: Mauze nomine Theuetus ſuæ Coſmog. Tomo 1. lib. 5. ca. 2. propoſuit. Huic additur Muſa Pacouera à Lug. hiſt. quam arborem Theuetus Paquouere Americis vocari, & fructum Pacoua, ſcribit. **Pacouera.** **Photel.** Meminit idem Coſmographiæ tomo 1. lib. 12. cap. 19. arboris in regione Catay, quam Photel vocat, quæ altitudinem octo cubitorum vix ſuperat: folio plantaginis, ſed paullo ſpiſſiore: in ramorum vtraque parte fructus Muzæ Ægyptiæ ſimilis, ſed breuior, quem nonnulli ficum Pharaonis vocant, qui ligno ipſi inhærens

hærens ſub foliis occultatur: cuius vſus ad ſitim & febrium ardentium æſtus refrigerandos, & ad arthritidem vtilis. IV. Tamarindi, quaſi dicas Palmulas Indicas, cenſentur oxyphœnica, id eſt, Palmulæ acidæ & palmæ ſylueſtris fructus: at videntur potius ad ſiliquas quàm ad palmas pertinere: dicuntur Tamarindi Lac. Lob. Garz. Cæſalp. Cam. à Coſtæ, Lug. Alpino, Cord. hiſt. cui & Acacia Indica: Palma ſylueſtris, Lon. Oxyphœnix, Caſt. V. Cuciophera quo nomine Lugd. & Taber. etiam propoſuere, aliqui an Nux Indica ſit dubitant: alii id quod pro Bdellii fructu à Cluſio in notis in Garziam proponitur, eſſe ſtatuunt.

## Ροιά. MALVM PVNICVM. CAP. CXXVII.

MAlum punicum omne boni ſucci eſt, ſtomacho vtile, perexiguum ſufficiens alimentum. Dulcia ſtomacho vtiliora habentur, ſed aliquantulum in eo calorem gignunt, inflationes pariunt, vnde in febri abdicantur. Acida aſtringunt, æſtuanti ſtomacho auxiliantur, & multò magis contrahunt, ac vrinam cient: a ora, gingiuaſque lædunt. Vinoſa verò mediam ſortiuntur naturam. Nuclei acinorum acidi punici in ſole ſiccati, & obſoniis inſparſi, concoctiue, fluentem aluum, ſtomachumque ſiſtunt: cœleſti aqua madeſcunt, bibunturque commodè ſanguinem excreantibus: ad deſeſſus dyſentericorum, fœminarumque fluxione vuluæ laborantium vtiles ſunt. Expreſſus nucleorum ſuccus coquitur cum melle, ad oris vitiatis, & ſedis vlcera, nomas, b reduuias, & ea, quæ in corpore extuberant, aurium dolores, & narium vitia, præſertim acidorum. Huius flores cytini vocantur: qui adſtringunt, ſiccant, cohibent: ſanguinolenta glutinant: quas punicum, præſtant vtilitates: humida gingiuarum vitia, mobileſq; dentes decocto colluuntur: herniam prolapſu inteſtini erumpentem, cataplaſmate repellunt. Memoriæ tradunt, qui tres quàm minimos cytinos deuorauerit, nullam eo anno lippitudinem paſſurum. Eliquatur hypociſtidis exemplo. Malicorium aſperum eſt mali punici putamen, quod aliqui ſidion appellant. Id ſpiſſandi vim habet, & quos cytini, præbet vſus. Decoctum c [radicis,] potu latas ventris tineas pellit, & eaſdem euocat. Balauſtium ſylueſtris punicæ flos eſt, cytino ſimilis. Cuius complura genera reperiuntur, candidum, d [fuluum,] colore roſaceo. Succus ex eo exprimitur, hypociſtidis modo: cui adſtrictoria vis ineſt, eadem faciens, quæ hypociſtis, & cytinus.

a Meum εὐστομαχοειδὲς καὶ στυπτικόν. i. ſtomacho vtile & adſtringens ſed Cat. εὔστομος καὶ στυπτικόν. i. ori gratum & adſtringẽs.
b Meum παρωνυχίας τὰς ἐν δακτύλοις. i. ad reduuias in digitis.
c ῥοιῶν leg. antiq. cod.
d πορφυροῦν. purpureum, legit Orib.

MALA PVNICA.



BALAVSTIA.



*PVnica Malus arbor eſt mediocriter procera, foliis Oleaginis, Myrti æmulis ſed maioribus, ſaturatè virentibus, craſſiuſculis, rubris intercurſantibus venulis, rubroq; pediculo appenſis. Ramuli illi ſunt flexiles, ſpinis horridi. Flores puniceis Calathi modo patuli, ore ſtellatim circumſepto, è quo foliæ prodeunt tenuia, colore puniceo, agreſti papaueri æmula, granulis quibuſdam mediis capillamentis appenſis, vt in Roſa. Fructus coriaceo tegitur cortice, exterius ruſeſcente, & interius flaueſcente: innumeris refertus granis anguloſis, rubentibus, vinoſo ſucco refertis, oſſiculo intus latente, quæ intercurſantibus fimbriis tenuibuſq; membranis, miro quodam naturæ ordine diſtinguuntur. Ligni materies flaua, cinereo libro veſtita. Punica itaque Mala in pluribus Italiæ locis vulgò, ſicut etiam Latinis Granata dicuntur, à multis intus concluſis granis: quanquam* — Punici mali conſid. — Granata.

R non

*non deſunt, qui ita appellari velint à Granata Hiſpaniæ regno, quòd inibi numeroſa proueniant. Sed quomodocunque ſeſe res habeat, nuſquam non cognita ſunt in Italia: ſiquidem inibi & in hortis, & in vinetis, & in viridariis, eorum frequentiſſimæ viſuntur arbores. Syluestre alterum, alterum domeſticum. Syluestres ſpontè naſcuntur in collibus, & maritimis locis, & aridis. Domeſtica triplici (vt etiam ſcribit Dioſcorides) diſtinguuntur ſpecie: quippe quod alia dulcia ſint, alia acida, alia vinoſa. Vinolenta ea ſunt, quæ vulgò Vaiani vocat Hetruria, quæq; alibi Schiaui, & alibi di mezo ſapore Italico ſermone appellantur. At Plinio lib. 13. cap. 17. quinque enumerantur ſpecies, dulcia ſcilicet, acria, miſta, acida, & vinoſa. Verùm hæc omnia Dioſcorides in tria redegit faſtigia: vtpote qui vni dulcia, alteri acria, & acida, tertio verò generi miſta & vinoſa adſcripſerit. Hæc omnia Italia habet, & celebrat: ſed & fructus, & acinorum magnitudine, tum liquoris copia excellunt dulcia, & vinolenta.*

Acida quomodo miteſcant.

*Acida miteſcere, & dulcia fieri tradunt, ſi ſuillo, aut humano ſtercore foueantur arboris radices, & vetere vrina ſæpius irrigentur.*

Punicorum cultura.

*Cæterùm ne fructus in arbore dehiſcant, remedio ſunt lapides tres, cùm ſeritur arbor, ad radices collocati, quin & ſi iam cõſita ſit, & fructum ferat, eadem ratione emendatur: ſed & hoc item præſtabitur, ſi ſcilla ſecundum radices conſeratur. Si florem arbor non continet, vrinam veterem cum pari aqua menſura temperare, & ter per annum radicibus infundere, efficaciſſimum eſt remedium. Eundem præſtabis effectum, ſi arboris florentis truncum plumbeo concluſeris circulo, vel anguis corio inuolueris. Seruantur punica mala incorrupta anno toto, ſi cùm ferè matura fuerint, petioli, quibus pendent, intorqueantur in arbore, vel ſi poſtquàm decerpta fuerint, argilla ex aqua reſoluta vndiq; oblinantur, ac deinde pluribus diebus inſolentur. Sunt & qui, vt diu integra perennent, ea in feruentem aquam immergant, ſtatim eximant, & ſoli ſiccanda exponant, octo dierum ſpatio.*

Vini è punicis conficiendi ratio.

*Vini ex omnibus conficiendi ratio hæc eſt: Acini maturi diligenter à putaminibus & membranis purgati prælo committuntur, ac exprimuntur: mox vinum ſaccis ad id accommodatis percolatur, & in vaſculis reponitur, quouſque fæx reſidat: defæcaturq; deinde, & clarum reponitur, affuſo deſuper oleo, ne corrumpatur, vel aceſcat. Sunt & qui ſine oleo illud in cadis aſſeruent, ſed id per æſtatem facilè aceſcit.*

Cytinus, & Balauſtium.

*De floſculi nomine inter ſe diſcrepant auctorum ſententiæ. Dioſcorides florem ſatiuæ punicæ cytinum appellat, balauſtium verò ſylueſtris. Plinio lib. 23. cap. 6. primus tam ſatiuæ, quàm ſylueſtris partus florere incipientis cititus vocatur: balauſtium verè flos vtriuſque in ipſo erumpens cytino. Laudatiſſimi ſatiuarum flores colore perquàm rubro ex Creta, & Cypro hoc aut Venetias importantur, aſpectu quidem ſpecioſo, & viribus cæteris præſtantiores. Sed & mangonio fiunt in Italia peregrinis non diſſimiles, non tamen vſque adeò præſtantes.*

Malicorium.

*Immaturus punici cortex ideo Malicorium antiquis dicebatur, quòd eo, vt Rhu ad perficienda coria vterentur.*

Punicorum vires.

*Dulcia punica, quæ apyrena aliò nomine vocantur, ventriculo inutilia haberi, dentes gingiuaſq; lædere, auctor eſt Plinius, etſi rectius fortè id Dioſcorides acidis attribuat. Puluis mali punici in olla noua operculo indito in furno toſti, potus fluentem aluum efficaciter ſiſtit. Sylueſtris verò acinorum oſſiculi vtiliter bibuntur triti ad aquam, quæ cutem ſubierit, ſiccandam. Cortice punici ex vino decocto, & impoſito perniones ſanantur. Punica, & myrtus (ſi rei agrariæ auctoribus credimus) mutua conſuetudine mirum in modum oblectantur, ita vt etiam reddantur fertiliores, ſi altera in alteram inſeratur.*

Conſerua è floribus punicorum, & eius vires.

*Paratur ex Punicæ floribus, hoc eſt ex internis Cytinorum puniceis, ac tenuibus foliis Saccharum, perinde ac ex puniceis roſis, admirabilis facultatis, ad vtraſq; vteri fluxiones, ſi ſemunciæ pondere ſumatur ex vino rubro auſteriuſculo, aut ex punicorum acidorum ſucco, aut ex aqua in qua ferrum quod Græcis ςόμωμα vocant, extinctum fuerit: quinetiam ex carnium iure, vbi alia non ſint ad manus. Præſtat quoq; magno ſanè præſidio, ad Gonorrhæam, ad Cœliacos & dyſentericos: quo medicamento plurimæ adiutæ ſunt mulieres, quæ diuturna vteri fluxione laborarunt: id quod Franciſco Calzolario Pharmacopœo Veronenſi acceptum refero, qui mihi tantum hoc ſaluberrimum auxilium reuelauit.*

Malicorii vires.

*Cæterùm eſt etiam Malicorio præcipua vis aduerſus pudendorum vlcera: ſiquidem id exiccatum, & cum ſicca pariter marina ſpongia, & aloe tritum, æquali omnium portione, addito aluminis vſti momento, penis vlcera in viris, & vuluæ in mulieribus, breui ad ſanitatem deducit.*

Punicæ arboris facult.

*Punicæ folia diligenter contrita, aut eorum ſuccus roſaceo permiſtus, potenter inueteratos capitis dolores mulcet, fronti frequenter illita. Punicum malum fictili vaſe incluſum, cooperculo argilla circumlito, & in furno combuſtum, dyſentericos & torminoſos, præſentaneo remedio iuuat, vbi ipſius ſeſquidrachmam in puluerem contriti, ex vino potandum propinabis. Oſſiculi punicorum malorum acidorum vncia vna, cum thuris drachma in tenuiſſimum puluerem contrita, auxiliantur fœminis albis vteri profluuiis laborantibus, ſi quotidie ex roſarum ſtillatitia aqua huiuſce pulueris binas hauſerint drachmas.*

Mali punici vires ex Gal.

*Malorum punicorum vires prodidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Malum granatum omne adſtringentem qualitatem obtinet, non tamen in omnibus ea exuperat. Sunt enim inter ea quædam acida, quædam plus dulcia, quàm auſtera: & ſanè quæ ab vnoquoque eorum procedit vtilitas, ſecundum vincentem eueniat qualitatem neceſſe eſt. Dictum autem in quarto horum commentariorum eſt ſuper dulci ſapore, auſtero, & acido: itaque ex illis de malorum punicorum differentia liceat colligere. Porrò acini magis, quàm ſuccus tum adſtringunt, tum exiccant, his etiam magis putamina: vocantur autem ſidia. Adſimilem illis vim habet cytini.*

Nomina.

*Malum, quod Græcis ῥοιά, Latinis, Malum punicum appellatur: Arabibus, Kuman, Ruman, ſeu Roman: Italis, Melagrano, & Pomo granato: Germanis,* Granatöpffel: *Hiſpanis, Granadas, & Romanas: Gallis, Pommes de grenades, & Mygraines: Bohemis, Grana Ienuè yablka.*

Malus punica ſeu granatus, fert poma vel dulcia, quæ vt plurimum grandiora granis maioribus, in quo genere quædam reperiuntur, adeo paruo oſſe, vt eo carere videatur ἀπύρηνα dicta: vel acida: vel mixta medio quodam ſapore, quæ Arabibus Muza, voce μέσον corrupta. At Plinio lib. 14. cap. 19. quinque ſunt ſpecies, dulcia, acria, mixta, acida, vinoſa. Eſt ſatiua, eſt ſylueſtris ſimilis, ſed incultior & ſpinis horridior. Reperitur quoque ſterilis flores tantum proferens, adeò multiplici folio, vt Roſæ videantur centifoliæ, colore ſaturato. Empedocles ὀψίγονα appellat, quod ſeriùs gignantur fructus, & ὑπέρφλοια μῆλα, quòd cortice præcraſſo veſtiantur. Dicitur Recentioribus Malus punica & malus granata.

## Μυρσίνη. MYRTVS. CAP. CXXVIII.

a Me. καρπὸς i. fructus.

MYrtus ſatiua nigra vtilior eſt medicinæ, quàm candida, & in hoc genere multò magis montana: ſemen tamen imbecillius parit. Vis & myrti, & ſeminis adſtringit. a Semen viride, aut aridum in cibo datur ſanguinem excreantibus, & veſicæ eroſionibus. Succus virentibus baccis expreſſus, eoſdem effectus exhibet: ſtomacho vtilis, vrinam cit: prodeſt contra phalangii morſum, & ſcorpionis ictus in mero. Seminis decoctum capillum tingit. Ius decocti in vino vlcera in extremis mẽbris nata ſanat: oculorum inflammationes illitum cum polline polentæ lenit: contra ægylopas illinitur: crapulã arcet præſumptum vinum,

vinum, quod feruefacto aliquantùm eius ſemine exprimatur, aliàs enim acorem contraheret. Præſtat idem ſeminis effectus: vtile procidentiæ vuluarum in deſeſſionibus, ſedis vitiis, & fœminis fluxione uuluę laborantibus: purgat furfures, vlcera capitis manantia, atque eruptiones papularum: fluentesq́ capillos cõtinet. Additur quoq; in medicamenta, quas liparas vocant, vti oleum, quod ex foliis eius factum eſt. Decoctum foliorũ ad deſeſſiones balnearum conuenit, & contra laxatos artus, & malè ſolideſcentes: eo fracta ferruminationi repugnantia vtiliſſimè fouentur: vitiliginem emẽdat, purulentis auribus infunditur, & capillos denigrat. Succus eorũ eadem efficit. Trita folia, & ex aqua illita humidis vlceribus, & partibus omnibus fluxione laborantibus, cœliacisq; proſunt: & admiſto omphacino oleo, aut exiguo roſacco cum vino, ad vlcera ſerpentia, ignem ſacrum, teſtium inflammationes, epinyctidas, & condilomata. Arentium foliorum farina vtiliter inſpergitur paronychiis, pterygiis, & contra alarum, feminumq́ue perſuſiones: cardiacorum ſudores cohibet. Folia cruda, ſeu cremata cum cerato, ambuſtis, paronychiis, pterygiiſque medentur. Exprimitur foliis ſuccus, adfuſo vetere vino, aut aqua cæleſti, cuius recentis vſus eſt: nam exiccatus planè cariem ſentit, & vires amittit. Myrtidanum dicitur, adnatum inæquabile, b verrucoſum, intu- b Meum meſcenſq;, & concolor: quod perinde quaſi manus, myrti caudicem amplectitur. Magis quàm myrtus adſtringit. Tuſum addito auſtero vino reponitur, coactumq; in paſtillos ſiccatur in vmbra: multò efficacius & folio, & ſemine, cerato, peſſis, inſeſſionibus, cataplaſmatis admiſtum: vbi adſtringendum aliquid eſt.

I. MYRTVS ROM.



II. MYRTVS TARENTINA.



*Myrtus arbor frequens in Italia naſcitur. Cuius duo produntur genera: ſatiuum, quod in candidum, & nigrum diuiditur: & ſylueſtre, quo vniuerſa ferè Tyrrheni littora vireſcunt, ac redolent. Siquidem in agro noſtro Senenſi in maritimis, ac in vniuerſo Liguriæ tractu, Romano, atque Neapolitano vbique Myrti ſponte proueniunt. Satiuæ in arbores facile adoleſcunt, at ſylueſtris magis fruticat ramis flexilibus ac lentis, rubro cortice: foliis longiuſculis, craſsiuſculis, firmis, odoratis, in acutum deſinentibus, perpetuoq; virentibus, punicæ æmulis: quanquam in nigris nigriora, in candidis candidiora ſpectantur. Flores omnibus inſident candidi, numeroſi, intus capillamentis, eximiè odorati, ideoq; aqua ex iis confecta odoris ſuauitate vnguentariis plurimum expetitur. At cùm noſtras æquè ſit odorata, atque olfactu iucunda, eam tamen odoratiſsimam exiſtimauerim, quæ ex Aegyptia myrto elicitur: ſiquidem & odoratiſsimã, & iucundiſsimã in Aegypto naſci Myrtum memoriæ prodidit Theophraſtus. Satiuarum vtrumque genus baccas fert oblõgas, agreſtes oleas quadãtenus referentes, multò ſanè ſylueſtribus maiores, paruis numeroſiſq; intus nucleis: etſi contrarium aſſeueret Marcellus. Quippe experientia compertum eſt, quòd vbicunque ſatiua Myrtus colitur, grandiores, vegetioreſq; baccas edit, quàm ſylueſtris: cultura enim Myrti manſueſcunt, & longè magis humore replentur, vtpote & aliæ ſatiuæ ſtirpes omnes: quod quidem indomita tellus ſylueſtribus denegat. Cæterùm, ne quis decipiatur, hic lectorem admonendum eſſe duxi, cùm de ſylueſtri Myrto loquor, non me de ruſco intelligere, qui & Dioſcoridi, & Plinio ſylueſtris, & acuta myrtus appellatur: ſed de vera ſylueſtri myrto, quæ ſua ſponte in littoribus ſine cultu oritur: quæ item in mediterraneis in collibus, ſyluis, ac campeſtribus prouenit. Hæc tametſi præter ruſcum à Dioſcoride non fuerit expreſſa, cùm tamen dicat initio capitis, Myrtus ſatiua, & reliqua, his verbis & ſylueſtrem eiuſdem generis myrtum tacitè dari fatetur. Porrò inter ſylueſtres alba quoque, & nigra reperitur, quemadmodum & inter vrbanas, quandoquidem ipſe quam plurimas ſylueſtres myrti plantas vidi in mille locis, quibus maturæ inerant baccæ, non ſanè nigræ, ſed in purpuram albicantes. Myrti montes non amant, quia & frigidos*

Myrti conſideratio. Myrti arboris hiſtoria. Marcelli lapſus. Ruſcus, Myrtus eſt ſyl.

III. MYRTVS EXOTICA.



IV. MYRTVS MAXIMA latifolia.



V. MYRTILLVS.



odere tractus: tamen cùm iñ mediterraneis, nempe in hortis, viridariis, vinetis, & campis maximè proueniũt: tum in maritimis præcipuè, atque amœnis ſtagnorum, & lacuum ripis à natura nullo ſtudio editæ, mirifice proficiunt; vitamq; lætam agunt. Quod Dioſcoridi Myrtidanum nominatur, vulgo notiſſimum eſt, vbi ſcilicet myrtus frequens naſcitur. Sunt & alia veteribus Myrti genera, nobis quoque non ignota, nempe Tarentinum, & exoticum. TARENTINA à Tarento Apuliæ ciuitate, vbi copioſa prouenit ita vocata, folio eſt noſtrate lõge minutiore, robuſtioreq; fructu minore, copioſiore, & in ſummitate pluribus apicibus coronato, colore ex nigro purpuraſcente, minutis, crebris, albicantibuſq; intus oſsiculis: floribus communi Myrto ſimilibus. EXOTICA habetur nunc in Italia in hortis, & viridariis. Hæc folio eſt noſtrati non abſimili, dilutiore tamen, acuminatiore, copioſioreq; & adeò denſo, vt eo rami vbique ſtipentur. Fructum fert oblongum, è longoq; pediculo dependentem, ſeminibus refertum, communi Myrto haud abſimilem, flores albicant vt in cæteris generibus. Vtraq; topiariis operibus peridonea habetur. Viribus quoque pollet vtraq; noſtrati paribus, & qualitatibus à cæteris generibus non differunt. Harum Plinius meminit libro 15. cap. 29. his verbis. Satiuarum genera topiarij faciunt: Tarentinam folio minuto, noſtratem patulo, exoticam denſiſſimo, ſenis foliorum verſibus. Hæc non eſt in vſu, ramoſa vtraque alia. In Germania & Bohemia, quod legitima Myrto careant, aliam in ſyluis naſcentem ſibi compararunt pharmacopolæ, eamque MYRTILLVM vocauere. Prouenit hæc in montibus & ſyluis, frutice cubitali, caudice duro & ramis tenuibus & viridibus. Foliis viret buxo ferè ſimilibus, ſed tenuioribus, myrti minorib. robuſtis, & ſenſim per ambitũ ſerratis: flores illi ſunt, tintinnabuli figura, ſuis è pediculis dependẽtes inter folia, colore ſubpuniceo, rufo intus ſtamine. Floribus baccæ ſuccedũt, quæ maturæ cũ ſunt, colore & magnitudine Iuniperinis [Myrti] non abſimiles, ſed paulo minores, vinoſæ auſteriuſculæq; & in ſummitate concauæ vmbilicatæue. Fructus refrigerat, exiccat, roborat, reprimit, cohibet. Dantur baccæ cum recẽtes, tum quoq; ſiccæ deuorandæ dyſentericis & cœliacis. Hæ itaq; Germanis vnà cum vniuerſa plãta haud inefficaciter Myrti vicem præſtant. Peculiariter autem iis vtuntur infectores ad inficienda ſtamina, & chartam

Myrtidanũ.

Myrti alia genera.

Myrtus Tarentina.

Myrtus exotica.

Myrtilli hiſtoria.

cæruleo

*ceruleo colore, ac etiam à pictoribus: quinetiam eduntur æſtate fragorum vice à paſtoribus, & aliis; nam guſtui placent. Ast ruſculæ cùm ſint & vinoſæ, ſitim extinguunt. Germani autem Pharmacopæi iis paſſim vtūtur Myrti baccarum vice, cum iis destituantur. Myrti noſtratis in Hetruria coria vbique perficiuntur: quippe quod ea pelles denſentur, criſpentur, atque craſſeſcant. Myrti baccis vltimam maturitatem adeptis, noſtrates mulieres vtuntur ad ciborum intinctus, qui cum aſſatis carnibus eſitati maximam cum palato ineunt gratiam. Ideoq; Plinius loco ſuprà citato ita ſcriptum reliquit. Succorum natura præcipuam admirationem in myrto habet, quando ex vna omnium olei, viniq; bina genera fiunt: item myrtidanum, vt diximus. Et alius vſus baccæ fuit apud antiquos, anteaquàm piper reperiretur, illius obtinens vicem. Quodam etiam generoſi obſonij nomine inde tracto, quod etiamnum myrtatum vocatur. Eademq; origine aprorum ſapor commendatur, plerumque ad intinctus additis myrtis: hæc Plinius. Myrteum condimentum languidos ventriculos roborat, idcirco & cœliacis, & dyſentericis vtile: quin & fœminarum fluxiones, qualeſcunque ſint, valenter inhibet. Myrti frondes, itemq; baccarum ſemen tritum: contra fungorum ſtrangulationes mirificè præſtant. Arida folia longè plus ſiccant, quàm viridia. Foliorum, baccarumve decoctum, auxiliatur calidis collectionibus, nempe eryſipelatibus & herpetibus. Baccæ quoque modo hauſtæ, aut deuoratæ, cor corroborant, & eius tremori mirificè conferunt. Folia ſicca vruntur in fictili crudo, quouſque in cinerem albiſſimum vertantur, lauanturq; deinde, & pro ſpodio, vel pompholyge ſupponuntur. Myrtus (vt memoriæ prodidit Galenus libro ſeptimo ſimplicium medicamentorum) ex contrariis ſubſtantiis planta conſtat: vincit tamen in ea frigidum terrenum. Habet verò etiam tenue quiddam calidum, vnde valenter deſiccat. Porrò tum folia, tum germina, tum fructus, tum ſuccus, non parū inter ſe in adſtrictione diſſident. Cæterùm quod ramis, & trunco adnaſcitur tuberoſum, quam quidam myrtada nuncupant, quanto dictis ſiccius eſt, tantò & deſiccat & adſtringit vehementius: quidam id tundentes reponunt; poſtea vino ſubigentes in paſtillos formant. Folia item arida viridibus plus deſiccant: miſcetur enim virentibus humiditas quædam. Porrò ſuccus non tantùm ex virentibus foliis exprimitur, ſed & fructu. Reſtringendi vim hæc omnia habent tum foris impoſita, tum intrò ſumpta in corpus, quod ſcilicet nondum vllam deleteriam, aut purgatoriam ſubſtantiam habeant admiſtam. Planta, quæ μυρσίν. Græcis, Latinis Myrtus nominatur: Arabibus, Aes, Ala, ſiue As: Italis, Myrto, Mortina & Mortella: Germanis,* Welſch beydelbeer: *Hiſpanis, Murta, aut Raſam: Gallis, Meurte. Myrtillus verò Germanis,* Heydelbeer: *Bohemis, Byaodi aut vuranoka. χαμαιμυρσίνη Græcis: Italis, Myrtillo: Ananienſibus, Calauezza.*

Myrti vſus. — Myrteũ condimentum. — Myrti vires Matthiolo. — Myrti vires ex Galeno. — Nomina.

Myrtus & Murtus *μυρσίνη & μυῤῥίνη*, à Myrſine Athenienſi puella, pulchritudine & robore inſigni: amica Palladi, in quam occiſa conuerſa fuit. Huius plures differentiæ. I. Myrtus vulgaris: Myrtus Bœtica ſylueſtris, Cluſ. Hiſp. Lugd. Myrtus, Geſ. hor. Dod. Cæſ. Myrtus candida & nigra, Cord. in Dioſc. Myrti maioris quinta ſpecies, Lob. Myrtus communis Italica, Cam. II. Myrtus Tarentina, Caſt. Lugd. Cam. Myrtus minor, Cluſ. hiſp. Myrtus maior vulgaris, Lob. Myrthus, Tab. Huius quatuor differentias fecit Lob. III. Myrtus exotica, Caſt. Lugd. Myrtus exotica Plinii pluribus foliorum verſibus, Lob. Myrtus tertia, Dod. Myrtus Bœtica exotica anguſtifolia, Cluſ. hiſp. His addere oportet. IV. Myrtum maximam latifoliam, quam Myrtum laureã maximã, Lob. vocat: dein Myrtum laurifoliam ſecundam, quæ Myrtus Bœtica latifolia domeſtica, Lobelii: cuius tres agnoſcit ſpecies Cluſius: tū Myrtum nonam anguſtifoliam Lob. cuius duas differentias magnitudine variantes refert Cluſ. V. Myrtili, ad Vitim Idæam Theop. referuntur. Fructus colore variat rubro & nigro: ſic foliis craſſioribus. Dicitur Myrtillus exiguus, Trago: Myrtillus germanica, Lug. Vaccinia nigra, Dod. gal. & fol. Lob. Vitis idæa, Geſ. hor. Lug. Vitis idęa nigra, Cam. Vidis idęa prima, Tab. Vitis idea minor, Thal. Vua vrſi, Anguillaræ.

CERASIA.



CERASA RACEMOSA.



## Κεράσια. CERASIA. CAP. CXXIX.

ἡ κόμμι κεραςίων.

CErasia aluo vtilia ſunt, ſi viridia ſumantur: eadem ſiccata illam ſiſtunt. a Gummi, quod ceraſi relūdarunt, cum vino diluto, tuſſi vetuſtæ medetur: colorem commendat, viſum exacuit, & appetentiam inuitat: idem ex vino potum calculoſis auxilio eſt.

Ceraſorum hiſtoria.

*NVlla hodie arbor eſt in Italia, quæ vulgo notior ſit Ceraſis. Ceraſus itaq; arbor folia fert Meſpilo latiora, & per ambitum ſerrata: flores albos racematim dependentes, è quibus rubentes oriuntur baccæ, longo, ac tenui pediculo iunci modo flexili, appenſæ, prona parte diuiſura quadam ſectæ, duro intus oſſiculo, piſi magnitudine, aut maiore, in quo nucleus concluditur, ſubamariuſculo ſapore. Ligni materies fibroſa, compactaq; cortice veſtitur læui, pluribus inuolucris referto. Genera Ceraſorum diuerſa habentur. Nam alia dulcia, alia ſubamara, alia auſtera, alia acida, alia inſipida reperiuntur: quinetiam alia domeſtica, alia ſylueſtria. Domeſtica in hortis, vineis & viridariis ſeritur. Sylueſtris in ſyluis prouenit, ac etiam in vallibus. Harum plantas ſcribit Plinius lib. 15. cap. 25. nouas, & peregrinas, nec antea viſas e Ponto ſecum primùm aduexiſſe in Italiam Lucullum, poſtquàm debellato Mithridate u victoria potitus Romam venit. Sed poſtea tanta agro Italo amœniſſimo cum hac arbore interceſſit affinitas, & conſortium, vt non ſolùm ager is ſatiuarum plantas ſeruauerit, propagauerit, & adauxerit, ſed & veluti ex eius humore (quæ ſumma fuit inter ſe ſocietas) grauida terra facta, ſine aliquo ſemine in campis, in montibus & ſyluis numeroſiſſimas plantas procreauerit, & ediderit. Satiuarum ſpecioſiſſimi fructus, qui Ceraſa, & Ceraſia Latinis etiam appellantur, diuerſorum ſunt generum: quo fit, vt diuerſa quoque ſortiantur nomina. Inter hæc illa principem ſibi locum vendicant, quæ Hetruſcis vulgò Marchiane, & duracine vocantur: tametſi horum alia maiora, alia minora, alia ſaturato colore rubeant, alia verò potius albicent. Quæ autem Plinio Iuliana, nobis verò vulgò Acquaiuole, hoc eſt, aquea dicuntur, in nullo ſanè habentur pretio: quandoquidem adeò ſunt tenera & fragilia, vt niſi ſub arbore ſua comedantur, facilè geſtatu collidantur, & marceſcant: quin & ob aqueæ partis redundãtiam inſipida ſunt, oriq; ingrata. Quæ autem, quod ad modum Cornorum modo nigricent, Corbine nos vulgò vocamus, Plinius verò actiæ, & cæciliana, cùm ſint duriuſcula, & dulcia, guſtatu habentur non iniucunda: veruntamen quòd manus, dentes, ac labra atro colore inficiant, diſcumbenteſq; deturpent, menſis rarò apponũtur. Sunt & Ceraſa, quæ vno tantùm petiolo, ternæ, quaternæ, quinæve baccæ nitantur: quinetiam, quæ racematim vuæ modo proueniant, quorum imagines miſit ad me Verona Franciſcus Calzolarius: quæ peculiariter in hortis, vineis ac viridariis habentur. Viribus & qualitatibus ab aliis ceraſorum generibus non differunt. In ceraſiorum genere numerantur & illa, quæ Romæ Viſciole, Senis Amarine, & in aliis compluribus Italiæ locis Maraſche vulgò nuncupantur, à ſapore (vt puto) dicta, quòd non iniucundi amaroris tantillum reſipiant. Horum porrò varia diuerſaque notantur genera, quæ cunctis notiora ſunt, quam à me deſcribi poſſint, quæ etſi omnia ſibi acidum aſciſcant ſaporem, hæc tamen eius plus, illa verò minus habent. Habentur in hortis paſſim, viridarijs atq; etiam vineis. Rura Tridẽtina ea Maraſche vulgo nominant, quæ nimis acida guſtu deprehenduntur, quorum genus quoddam eſt, quod ori admodum gratum habetur: quippe quòd in ijs acido*

Ceraſorum genera.

CERASA AVSTERA.



CHAMAECERASVS.



*dulceſit*

dulce ſit admiſtum, ob idque illa palato maximè placeant. Quædam præterea inibi Marine, & Marinelle cognominantur, vna & minora, & rotundiora ſunt, & breuiori pediculo appenſa, guſtu nihil ferè prædictis reclamante. Eſt & horum tertium genus, quæ vulgus illud Verule nominat, longiore pediculo, bacca etiámnum cæteris craſſiore, guſtu acerbo, & admodum acido, colore perpetuò rufeſcente, nec vnquam in atrum uergente, etſi cætera, ubi plenè maturuerint, in atrum rubeſcant. Omnia ... ceraſiorum (ut ita dicam) Amarinorum genera refrigerant, exſiccantque: quin etiam adſtringunt, roborant, & cibi appe... tiam excitant. Non ita facilè deuorata, ut dulcia corrumpuntur in ventriculo, ideoq́; febricitantibus ac ſitientibus facilè conceduntur à Medicis Germanis. A pediculis repurgata, vuis maturis admiſcentur, & deinde vinum ex his paratur, guſtatu gratiſſimum, quod in alui fluxionibus vtiliter vſurpatur: aptiſſima ſunt, vt inſolentur, & vt ſaccharo condiantur. Quinetiam ſapore commendantur ad intinctus conficiendos, quibus nō modò ſanis edulia iucundiſſimè condiuntur, ſed etiam ægrotantibus, præſertimq́; bilioſis febribus vexatis. Siquidem illis non modò ſitim extinguunt, ſed oris inſuauitatem emendant, & cibi appetentiam conciliant. Sylueſtre pumilumq́; horum genus nulla adhibita cultura Anaunienſibus in Tridentino agro, ac etiam in Bohemia circa Pragam, & in Auſtria circa Viennam ſecus itinera, & propè ſepes ſponte prouenit, nihil prorſus tum colore, tum etiam ſapore ab illis diſſidens, quæ inibi, vt diximus, Verule vulgò vocantur. Baccæ quæ cum auſteris magnitudine certāt. Hæc breui pediculo pendent in arbuſculis admodum pumilis, tantæque breuitatis, vt ... æ, vel potius nullæ dodrantalem æquent menſuram. Quo factum eſt, vt crediderim (etſi id pro comperto aſſerere non auſim) hæc eadem eſſe, quæ Plinio Macedonica dicuntur. Cæterùm ego horum plantam Chamæceraſum potius vocarem. Baccæ cum cæteris auſteriora habeantur, etiam cæteris ſicciora iure fuerint, magisq́; adſtringentia. Sylueſtria, quibus plerunque veſcuntur aues, rarò in cibis admittuntur, præterquam à ruſticis, tum quòd plus oſſis, quàm carnis habeant, tum etiam quòd cum quadam acerbitate amara ſentiantur. Degenerant ceraſi quocunque fimo radicibus admoto, id vſque adeò oderunt, & horrent: contra proficiunt, ſi ſui ipſius putamina falce conciſa circum radices ſepeliantur, ibique marceſcant. Præcoces illæ fructus ferunt, quibus ante florum exortum calx viua radicibus circumponitur: vel quibus aqua calida ſæpius pede irrigantur, etſi poſtea paruo temporis tractu inareſcant. Sine oſſibus ceraſa prouenient, ſi arborem teneram ad duos pedes recides, & eam vſque ad radicem findes, medullamque partis vtriuſque ferro curabis abradi, & ſtatim vtraſque partes in ſe vinculo ſtringi, & oblini fimo, & ſummam partem, & laterum diuiſuras: ita poſt annum cicatrix ducta ſolidatur. Hanc arborem vbi ſurculis, qui adhuc fructum non attulerunt, inſeres, baccas ſine oſſibus dabit. Galenus habita Ceraſiorum omnis generis ratione lib. 7 ſimpl. med. ea hiſce paucis perſtrinxit. Ceraſus arbor fructum fert non paruæ adſtrictionis in omnibus particulatim plantis participem. Nam & in horum, ſicut etiam malorum granatorum, & malorum, quibuſdam auſtera qualitas, in quibuſdam verò dulcis, in nonnullis autem acida exuperat. Quinetiam ipſorum dulcium ea, quæ nondum cocta ſunt, ac matura, quædam admodum acerba ſunt, quædam ſimiliter moris acida: ſed in moris immaturis acida qualitas acerbam exuperat, in ceraſijs non ſemper. Ergo quæ dulciora ſunt magisque in inteſtinis ſunt, ſubducunt, ſed minus vtilia ſtomacho ſunt, contrà auſtera. Quæcunq́; verò acida ſunt, ea pituitoſis, excrementiſq́; ſtomacho [illegible]: ſiquidem auſteris magis deſiccant, & nonnihil etiam incidunt. Porrò ipſius arboris gummi communem omnibus viſcoſis, & mordacitate carentibus medicamentis facultatem obtinet, quæ & ad arterias exaſperatas accommoda eſt. Propriè autem (ſiquidem verum eſt quod quidam ſcribunt) calculis vexatos cum vino potum adiuuat: nam ſic illi tenuium partium quædam facultas ineſt. Ceraſorum fructus, qui Græcis Κεράσια, Latinis item Ceraſia, & Ceraſa dicuntur: Arabibus, Seraſie: Italis, Ciregie: Germanis, Kirſen vnd Chirſchen: Hiſpanis, CereZas: Gallis Ceriſes: Bohemis Vuiſſne. Ceraſa racemoſa. Hetruſcis, Ciregie grappoloſe: cæteris verò Italis, Ciregie del Graſpo. Ceraſa auſtera, Romanis Viſciole: Senenſibus, Ciregie amarine: in cæteris verò Italiæ locis Maraſche. Chamæceraſus, Græcis χαμαικέρασος: Italis Ciregio nano.

Sylueſtria ceraſia ſeu Chamæceraſus.

Ceraſi arboris cum fimo inimicitia.

Ceraſa ſine oſſibus.

Ceraſiorum vires ex Gal.

Gummi ceraſorum.

Nomina.

SILIQVAE.



Ceratonia siliqua

Ceraſus à Ceraſunte Pontico municipio in Italiam detuliſſe Lucullum Romanum imperatorem auctor eſt Athenæus. Plurima ceraſorum genera apud Plinium: differentia enim ſumitur ex colore, ſapore & magnitudine: ſic inter ſatiua ſunt quæ planè cerea, quæ pruno ſunt inſita, ſed non adeò ſapida: quædam flores inſtar paruarum roſarum habent, ſed paucos fructus edunt: quædam fructus & flores proferunt penè ſine folijs, qua de re in hiſtoria.

## Κεράτια. SILIQVAE. CAP. CXXX.

Siliquæ recentes ſtomacho aduerſantur, aluum ſoluunt: eædem ſiccatæ ſiſtunt, ſtomachoque vtiliores fiunt: vrinam ciunt, ſed præcipuè, quæ vinaceis condiuntur.

Siliquæ, quæ Græcis Κεράτια dicuntur, in Italia officinis vulgò Carobe, & Carobole appellantur. Naſcuntur arbores, quæ Siliquas ferunt, copioſe in regno Neapolitano, præſertim in Apulia, ac etiam in Campania, vt optimè ſciunt ij, qui Fundo Itrum, & hinc Molam iter faciunt: ſiquidem in illa ob læuigatos lapides inibi ſtratos laborioſa admodum via, quam Appiam vocant, frequentiſſimæ conſpiciuntur. Incolæ has plantas Salequa vulgò nominant, vocabulo nimi-

Siliquarum conſideratio.

R 4 nimia

*Siliquarũ deſcriptio.* *rum à Siliqua detorto. In Creta, Syria, Cypro, ac alijs calidioribus regionibus, arbores in ſpectatam ſatis proceritatem attolluntur, ramis in latitudinem potius, quàm in longitudinem protenſis: cortice cinetitio ad cæruleum inclinante, loti arboris inſtar. Folio virent fraxineo, latiore tamen, duriore, rariore, ac magis circinnato. Florent diſcedente hyeme, aut vere iam appetente: fructificant verò æſtate, & autumno, dependentibus ſiliquis, primum viridibus, & deinde cum ſicc...ur extuſo nigricantibus, manſu lignoſis, ſed dulci pulpa ſuccoque præditis, ſemine Aegyptiæ Siliquæ haud diſsimili. Siliquæ recenter ab arbore decerptæ ingrato diſplicent ſapore, ſed tractu temporis in cratibus expanſæ & ſiccat... adeò miteſcunt, vt & dulces euadant admodum, & guſtui ſuaues fiant.*

*Siliquæ mel fundentes.* *Melleo ſucco referta ſunt, eaque præſert... quæ in orientalibus naſcuntur regionibus: ideoque Indi, & Arabes, non paruam mellei ſucci copiam ab eis exprimunt, quo zingiber, Myrobalanos, Myriſticas nuces, & alia aromata condiunt. Id quod teſtatur Strabo lib. 15. ſuæ Geographiæ de Indicis arboribus ſcribens.*

*Ficus Aegyptia.* *Aliud ſiliquarum genus, quod ficum Aegyptiam cognominant, ſcriptis tradiderunt Theophraſtus, & Plinius: de quibus mihi diſſerendum non propoſui, tum quòd Italis nuſquam (quantum equidem ſciam) naſcantur, neque cognoſcantur: tum etiam quòd nullum habeant vſum in medicina. Siliquæ ſiccæ, etſi omnium conſenſu manifeſtò adſtringunt, compertum eſt tamen præſtare earum decoctum potum mirificè tuſsientibus, ob dulcem, melleamque ſubſtantiam, quæ ijs ineſt.*

*Siliquarũ vires ex Gal.* *Siliquas in cibis damnauit Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus, his verbis. Ceratia quorum tertia ſyllaba per, τ, literam ſcribitur, & pronunciatur, nihil cum ceraſijs per, ſ, ſcriptis habẽt ſimilitudinis. Eſt autem praui ſucci edulium, ac lig[...]um: vnde neceſſariò ſequitur, vt concoctu ſit difficile: nihil enim quod lignoſum eſt, facilè coquitur. Præterea incommodum illud ipſis ineſt non paruum, quòd non celeriter deijciantur: proinde ſatius eſſet, ea ad nos nõ importari à regionib. oriẽtalibus, in quibus naſcuntur. Sed de viribus quas & arbor, & ipſæ habent in medicina, idem Galenus diſſerens lib. 7. de ſimplicium medicamentorum facultate, ſic inquit. Ceratonia exiccantis eſt, & adſtringentis facultatis, ſicut & fructus eius, quæ ceratia vocant, nonnihil etiam dulcedinis continent. Accidit autem iſtis quiddam ſimile ceraſijs: nam ſi humida ſumas, magis ventrem ſubducunt: ſicca verò magis ſiſtunt: vtpote cùm humiditatem expirent, & quod eſſentiæ eſt craſsioris, tantum reliquum habeant.*

*Nomina.* *Κεράτια Græcè, Latinè Siliquæ vocantur: Arabicè, Charumb: Italicè, Carobe & Carobole: Germanicè, S. Johannis Brot: Hiſpanicè, Alfarobas: Carrouges, Gallicè, Caronge: Bohemicè, Sunatheo Ianacbleb: Officinis, Carobe.*

Κεράτια ob corniculorum ſimilitudinem, Ceronia arbor Theophraſto, officinis Xylocaracta, pro Xyloceratia & Carobe. Ceratonia, Dodo. gal. & fol. Geſ. hort. Lug. Ceratia Cluſ. hiſp. Ceratia ſiliqua, Lob. Tab. Siliqua, Lac. Lon. Cord. in Dioſ. Caſt. Cam. Siliqua dulcis, Alpino. Siliqua arbor, Geſ. hort. Cæſal.

I. MALVS. MALVS OBLONGO FRVCTV.





Μῆλα. MALA. CAP. CXXXI.

Folia, flores, & germina cùm omnis mali, tum maximè cotoneæ adſtringunt. Pomis acerbis adſtringendi vis ineſt, maturis verò longè ſecus. Ex ijs verna bilem gignunt, neruos omnes lædunt, inflationes pariunt. Cotonea ſtomacho vtilia, vrinam cient: verùm toſta mitiora habentur. Proſunt cœliacis, dyſentericis, purulenta extuſsientib. cholericis, præſertim cruda. Maceratorum liquor commodè in ſtomachi, aut ventris fluxionibus, potui datur. Succus crudorum aſſumptus orthopnoicis ſalutaris eſt. Decocto fouentur uuluæ, & ſedes, ſi procidant. Cotonea, quæ melle condiuntur, vrinam mouent: mel autem ſibi conſtrin-

conſtringentem illorum vim, & inſpiſſantem adſciſcit. Quæ cum melle coquuntur, ſtomacho, atque ori gratiora ſunt, ſed minus inſpiſſant. Cruda cataplaſmatis adijciuntur, ad cohibendam aluum, aut ſi ſtomachus æſtuet, aut in vomitiones effundatur: ad mammarum inflammationes, præduros lienes, & condylomata. Fit vinum ex ipſis tuſis, expreſsiſque, ſed quò perduret, quindecim ſextarijs ſucci vnus mellis adiungitur: alioquin in acorem degenerat. Prodeſt ad omnia, quæ dicta ſunt. Fit & oleum ex ijs, quod melinum vocamus: quo vtimur, quoties adſtringenti oleo eſt opus. Eligi oportet vera, quæ ſanè rotunda, parua, & odorata: quæ verò ſtruthia dicuntur, magna quidem ſunt, ſed minus vtilia. Flos & viridis, & ſiccus cataplaſmatis imponitur: ijs conueniens, quæ adſtrictionẽ deſiderant, inflammationibus oculorum, reiectionibusque ſanguinis: contra citam aluum, & menſium impetus, in vino bibitur. Melimela ventrem molliunt, & ab eo animalia expellunt: ſtomacho negotium exhibẽt: æſtuationem faciunt, ea multis dulcia mala vocantur. Epirotica mala, quæ Latinè orbiculata dicuntur, ſtomacho vtilia, ſiſtunt aluum, vrinas euocant: malis tamen cotoneis inualidiora. Syluestria mala ſimilia ſunt vernis, & adſtringunt. Sanè in hunc vſum immatura omnia opus ſunt. Perſica poma matura tam ſtomacho, quàm ventri vtilia ſunt: acerba aluum cohibent, ſed ſicca vehementius. Decoctum è ſiccis alui ſtomachiq; fluxiones ſiſtit. Armeniaca, quæ à Latinis præcocia dicuntur, minora ſunt ſupradictis, & ſtomacho vtiliora. Medica mala, perſicaue, aut cedromela, quæ Latini citria vocant, nemini non cognita. Arbor ipſa omnibus anni temporibus pomifera, alijs deciduis, alijs ſubnaſcentibus. Malum oblongum eſt, rugoſum, colore aurum imitans, cum grauitate odoratum: ſemen habet pyri. Id in vino potum venenis reſiſtit, aluum mouet: oris ſuauitatem commendat, decocto eius colluto, aut ſucco: eſtur in malacia mulieribus. Veſtiarijs impoſitum ab eroſionis vitio veſtes vindicare exiſtimatur.

*IN malorum quoque genere Dioſcoridi recenſentur Perſica, Præcocia, Cotonea, & Citria: quippe quòd eandem effigiem, & formam repræſentare videantur. Sed nos primùm de vulgaribus malis agemus, reliqua ſubinde ſigillatim proſequemur. Malorum itaque planta vnico tantum exit caudice, ramos inde ſtatim mittens, in latum longumque ſe diffundentes: veſtitur craſſo ſatis libro, cinereo exterius colore, & interius flauo, læui potius, quàm aſpero. Folijs eſt oblongis, carnoſis, per ambitum tenuiter ſerratis. Flores edit verno tempore foliatos, albo colore, vel ex candido ſenſim purpuraſcentes, è quibus poma oriuntur forma, colore, magnitudine & ſapore varia. Radicibus nititur paucis, non in profundum actis, ſed ſumma tellure vagantibus. Domeſtica in hortis, vineis & pomarijs habentur. Syluestria verò locis campeſtribus, tum etiam in ſyluis & collibus ſpontè naſcuntur. Fructuum diuerſa ſunt genera, ac plura quàm explicari poſſint: quinetiam & ſapore, & forma diuerſa, quo fit, vt varia quoque ſint eorum functiones. Alia namque (vt Galenus inquit libro ſecundo de Alimentorum facultatibus) auſterum, alia acidum, dulcemue ſaporem gerunt. Sunt etiam quæ ex ijs miſtum habeant, ita vt appareant & dulcia ſimul & auſtera. Quædam præterea cum dulcedine manifeſtè acida ſentiuntur: adhæc alia cum acore acerba. Inuenias autem nonnunquam & quæ tres ſimul ſapores planè referant, dulcem ſcilicet, & acidum, acerbique nonnihil. Cæterùm mala quidẽ, quæ adſtringũt, ſuccum habẽt frigidũ quidem ac terreũ, quæ verò acida apparẽt, frigidũ ſuccũ habent, verùm tenuiũ eſt partiũ. Mediæ autẽ temperaturæ ſunt dulcia, quæ ad calidius vergũt. Quemadmodũ quæ omnis qualitatis ſunt expertia, inſipidaue, ac veluti aquoſa, ad frigidius inclinãt. Malis igitur vteris pro vincentiũ ſaporũ facultatibus: auſteris quidẽ, cùm vẽtriculus vel propter calidã intemperiẽ, vel ob multã humiditatẽ fuerit imbecillus: acerbis autẽ, cùm hæc aucta admodum fuerint: acidis, cùm craſſum ſuccũ, qui non magnopere frigidus ſit, ſuſpicaberis in ipſo eſſe collectũ. Siquidem ſuccus frigidus non acida, ſed acria poſtulat. Vtraque certè & acida & acria ſuccos craſſos incidunt: in eo tamen differunt quòd hæc quidem cum refrigeratione, illa autẽ cum calfactione id præſtent. Porrò dulcis malorũ ſuccus, cùm ſine acrimonia, & craſſitie, hoc eſt, cùm ſolus exquiſitè fuerit, celerius, quantum in ipſo eſt, diſtribuitur: quòd ſi acrimoniam, aut craſſitiem habuerit, citius ſubducitur. Cæterùm optima etiam genere mala vitãda ſunt, antequàm in arboribus maturuerint: quippe quoniam concoctu ſunt difficilia, & frigida, tardeque permeant, & praui ſunt ſucci: ad hæc ſuccum habent frigidum, & leuiter craſſum. Quæ verò bellè matura in hyemem, & ver proximum aſſeruantur, ea morbis ſæpenumero perquàm vtilia ſunt, aut farina aqua ſubacta circumlita, aut calidis cineribus mediocriter aſſata, aut pulchrè in aquæ bullientis vaporibus percocta. Dare autem ipſa conueniet ſtatim poſt cibum, aliquando etiam cum pane, ad ventrem, & ſtomachum roborandum, ijs qui cibum faſtidiunt, tardeque concoquũt, quique vomitu, diarrhœa, ac dyſenteria infeſtantur. In hunc quoque vſum apta ſunt acerba: nam parata, vt modò dixi, mediocrem retinent adſtrictionem. In Hetruria principatum obtinent, quæ Appie, & Mele roſe vulgò vocantur: quandoquidem hæc duo genera, cùm ſuauiter oleant, guſtuique arrideant, cum naribus, & palato maximam ineunt gratiam. Eaque propter non longè eum aberrare putauerim, qui dixerit Appia eſſe Dioſcoridi melimela: Roſea verò, quæ eidem Epirotica, & Latinis orbiculata dicuntur. Quæ verò adeò rubent, vt cruore perfuſa videantur, & acido guſtu ſunt prædita, non alia de cauſa ita rubeſcũt (ſi rei agrariæ auctoribus credimus) niſi quòd ex mali & mori nigræ inſitione ſuam traxerint originem. Cornarius ſua tantùm, ni fallor, opinione ductus, putat in ſuis commentarijs in Galeni libros de compoſi. medicamen. ſecundum locos, Ceſtiana poma eſſe arantia ſiue aurãtia mala, quæ in Citrei mali genere ab omnibus recenſentur. Nec eum potuit à ſua ſententia reuocare Plinius, qui libro 15. capite 14. apertiſſimè ſcribit à Ceſtio ceſtiana, à Matio matiana, à Manlio manliana, à Claudio claudiana, & ab Appio appiana mala per inuentorum nomina, à quibus habuerunt originem, Romanis fuiſſe cognominata. Quocirca eo loco ſcriptum reliquit Galenus ex auctoritate Apollonij, quòd in capitis dolore ex ebrietate ceſtiana mala ſic in vrbe Romana appellata, in cibis cocta conferunt, quòd auſtera ſint facultate: non, vt ſomniaſſe videtur Cornarius, aurantia, quæ præterquàm quòd Appollonio, & Galeno incognita fuiſſe cenſentur, nuſquam gentium, quod equidem ſciam, cocta exhibentur. Quo ſit, pace omnium dixerim, vt qui ſuæ ceruicis duritiam conſulunt, ſuas ſæpius reprobare ſententias audiant. Malos, quæ fructus ſuos tanquam ſteriles, dare recuſant, fœcundas effeceris, ſi plumbeo circulo earum caudicẽ altitudine pedis à terra ſtrictim concluſeris ante florum aduentum, & cùm mala cœperint adoleſcere, ſoluto vinculo eas libertate donaueris. Præſtant dulcia poma ad melancholicos affectus, quinetiam contra pleureſim. Nam ſi dulce pomum calidis cineribus coctum, & glycyrrhizæ ſucco, amylo, & ſaccharo albiſſimo conſperſum, pleuriticis edendum præbeatur, tam mane, quàm veſperi, horis duabus ante cibum, illos quidem mirificè iuuat. MALA COTONEA primùm in Italiã aduecta fuerunt è Cydone Cretæ oppido, vnde Græcis cydonia dicta ſunt. Eſt itaque Planta Cydonia malus communi malo ferè ſimilis, atqui folia anguſtiora ſunt, leuiora, carnoſiora, duriora, & à tergo cãdidiora, florẽ fert albũ, vel ex albo purpuraſcentẽ ſyluestris roſæ figura, quinq; per ambitũ folijs diſtinctũ, qui vere prodit. Hæc raro procera viſitur, fructu ſcilicet incuruatos deprimẽte ramos. Cydoniorũ*

Malorum conſideratio, & hiſtoria.

Fructuum diuerſa genera.

Malorum vires.

Poma præcipua.

Cornarij opinio reprob.

Aurantia Gal. ignota.

Steriles Mali quo fœcundæ fiant.

Mala dulcia ad Pleuritidẽ.

Malorum Cotoneorum cõſideratio.

malorum

II. COTONEA MALVS.



COTONEA PYRVS.



**Cydoniorum genera.**

**Pyra cotonea**

*malorum tria in Italia inueniuntur genera. Prima illis, quæ peculiariter Mala cotonea cognominantur, preſſa, inciſuris interſecta melopoponum modo, colore ad aurum inclinato, lanuginoſa, & longè cæteris odoratiora. Proximum locum ſortiuntur, quæ maiore admodum corporis mole proueniunt. Dioſcoridi & Galeno ſtruthia vocata. Hetruſci hæc pyra cotonea vocant: quippe quòd forma magis pyra, quàm mala referant. Pulpa, ac ſucco cæteris præualent, colore tamen, ſuaueolentia, ac viribus cedunt. Poſtremò Plinio miluiana ſunt, quæ nonnullis notha dicuntur, quòd tantùm proueniant ex cotoneis malis, quæ ſtrutheis inſita fuerint, vel ex ſtrutheis, quæ cotonearum ſurculos receperint. Hæc malis grandiora, pyris verò, ſiue ſtrutheis minora viſuntur: forma verò, ac facultate inter vtrumque media. Proueniunt ſata in hortis, vineis & viridarijs. Valenter adſtringunt, cohibent, roborantque: quin etiam refrigerant ordine primo, ſiccant ſecundo. Cæterùm ſanè hæc omnia, præcipuè mala, maximè officinis expetuntur in medicinæ vſum. Nempe quòd ex omnibus præter vinum, miuam, oleum, & quod Dyacidonium vocant, conficiantur & intinctus, & congelati liquores: quæ omnia non ægris modò apta ſunt, ſed etiam ſanis vtilia æquè & grata. Galeni æuo (vt ipſe conteſtatur in libris, quos de alimentorum facultatibus cōſcripſit)*

**Diacydonium Galeni.**

*Cydonite placenta, quam officinæ Dyacidonium nuncupant, ex Iberia, & Syria Romam convehebatur, ex melle tantùm, & cotoneorum carne confecta, tam ad cibi, quàm medicamenti commodum. Quæ ſacharo, vel melle condita reponuntur, perfectè matura legi debent, alias indureſcunt lignorum inſtar, ita vt dentibus confici nequeant. Quæ cruda per hyemem aſſeruantur, ſeorſim à penſilibus vuis reponēda ſunt, quòd vuas ſuo acerrimo ſapore adeò vitient, vt eæ ſtatim marcore con-*

**Mirū admodum auxiliū.**

**Malorum Cydoniorum vires Matthiolo.**

*ficiantur. Mirum eſt, quod multi ferunt, vt ſi mulier prægnans Cydonia mala crebrius eſitauerit, paritura ſit infantē cum induſtrium, tum ingenioſum. Struthiorum radix adalligatur vtiliter ſtrumoſis, ſed anteaquam eruatur, terra circumſcribenda eſt ſiniſtra manu: quin & oportet, vt qui fodit, dicat ſe id facere, & cuius cauſa. Cydonia mala præſumpta, aluum ſiſtunt, contra verò citant, & vapores caput petentes reprimunt. Semina ſi in aqua decoquantur, quouſque ius mucaginem contrahat, proſunt illita omnibus inflammationibus, linguæque ſcabritiē mirificè læuigant. Cydoniorum ſuccus libræ pondere in quo corallorum rubeorum, ſeminis roſarum rubearum, & Rhabarbari, cuiusq; drachma, vnà cùm hypociſtidis, & acaciæ, binis ſcrupulis, ad tertias bullierint, auxilium eſt magnum, ad bilioſas vomitiones: quinetiam ad dyſenteriam. Datur is quotidie potandus mane, & veſperi horis binis ante cibum: verùm affectos purgatos eſſe oportet.* PERSICA *autem*

**Perſicorum conſideratio, & genera.**

*malus notiſſima eſt: folijs Amygdalæ per omnia ſimilibus, ligni materie fungoſa, & imbecilli. Flores quoque amygdalinos profert, ſed magis purpuraſcentes. Radicibus nititur imbecillibus, minimè in altum actis, vnde fit, vt citò conſeneſcat, & cadat. Perſicorum plurimæ reperiuntur ſpecies: nam quædam rubent, alia aureo colore fulgent, alia vireſcunt, alia candida ſunt, alia ſanguineo ſucco madent, alia duracina, alia cotonea vocantur. Ad hæc quædam habentur dulcia, quædam acida, quædam vinoſa, quædam amariuſcula, & quædam etiam auſtera. Prima laus in cibis duracinis, ſic ex re dictis, quòd durio-re ſint pulpa & caro tam pertinaciter hæreat oſſi, vt nullo pacto ab eo auelli queat. Præcipua autem in hoc genere illis laus, quæ ab aurei coloris nitore, odoreque perquàm iucundo, Cotonea cognominant. Secundas ſibi vendicant partes, quæ cortice derracto ſanguineum ſuccum fundunt, nō propterea modò quòd ſint guſtu reliquis ſuauiora, ſed etiam quia magnitudine,*

**Nuciperſica.**

*& colore ſunt ſpecioſa. Proxima ſunt, nec prædicto generi fortaſſe cedunt, quæ à nucis ſimilitudine Nuciperſica, quod nucum iuglandium faciem repræſentent, cognominantur: hæc enim cum colore & ſapore non refragentur perſicis cotoneis, tum etiam non ingrata dentibus duritie, guſtum mira afficiunt voluptate. Eſt & genus aliud Perſicorum in Hetruria, ac in alijs*

**Perſica amygdala.**

*Italiæ locis agricolarum mangonio factum, quæ ideo Perſica amygdala appellant, quoniam Perſicorum oſſium vice dulces amygdalarum nucleos includunt. Habetur Perſica vbiq; copioſa in Italia, ſed in Apulia copioſiſſima prouenit. Cæterùm ſa-*

**Cornarij opinio reprob.**

*ne multis contendit Cornarius, in ſuis commentarijs in ſecundum Galeni librum de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, vbique corruptum eſſe Plinij codicem ijs in locis, in quibus de duracinis perſicis tractat: quin & Pauli, & Palladij, & Con-*

## III. PERSICA MALA.



& Conſtantini Cæſaris libros corruptos eſſe, vbi in ijs de duracinis perſicis aliquid ſcriptum reperitur. Quandoquidem is, vbi in horum monumentis de duracinis perſicis factam fuiſſe mentionem legitur, ibi de rhodacenis, non autem de duracinis legendum eſſe cenſet. Verùm cùm in ibi nulla vel ratione, vel auctoritate nitatur, quibus id comprobet, ſua tantùm ductus opinione videtur: atque ob id facilè pronunciaſſe, horum omnium codicibus (quod tamen abſurdũ eſſet credere) mendum ſubeſſe. Quamobrem in hoc potius Cornarium hallucinatum, quàm libros deprauatos eſſe crediderim. Quinimmo virum alioquin doctiſſimum admiror, quòd rem per ſe claram obſcuram reddere conatus ſit, quòdq; non intellexerit, quid Plinio, & Palladio duracina, quid Paulo δοράκια, quidue Aetio, & Conſtantino, ac alijs quibuſdam Græcis ῥοδάκινα extiterint. Nam ſi animaduertiſſet, hæc inter ſe & nominibus, & re ipſa differre, facilius, meo quidem iudicio, rem dubiam explicaſſet, nec omnes in vniuerſum auctorum codices deprauatos pronunciaſſet: cùm, vt equidem arbitror, eorum nullus his in locis ſit vitiatus. Paulo enim δοράκια vt vulgata habet lectio, non ῥοδάκινα Cornarij modo, legendum ſemper exiſtimaui, quòd ipſe eo loco de præcocibus, & armeniacis tantùm malis differat, non autem ſimpliciter de perſicis. Siquidem, vt Cornarius ipſe fatetur, Rhodacene non eſt alia, quàm malus perſica, quemadmodum Rhodacena nil aliud ſunt, quàm mala ipſa Latinis perſica vocata: id quod & nos ſine vlla controuerſia probamus. Sed Paulo δοράκια (vt diximus) genus eſt præcocis, ſiuè armeniaci mali, vt ipſe declarat his verbis. τὰ δὲ πραικόκιά τε καὶ δοράκια, καὶ ἀρμένια κρείττονα τῶν περσικῶν. οὔτε γὰρ ὀξίζεται, οὔτε ὡσαύτως διαφθείρεται. id eſt: Præcocia, doracia, & armenia perſicis præſtant: neque enim aceſcunt, neque ſimiliter corrumpuntur. Quibus palàm eſt in Paulo potius δοράκια quàm ῥοδάκινα eſſe legendum, quòd tantùm perſica malus Græcis ῥοδακινέα vocetur, non autem armenica, doracia, & præcox: quarum fructus, tametſi à quibuſdam inter perſica numerentur, quòd forma tantùm ijs ſimiles videantur, non tamen vera ſunt ſimpliciter perſica, quæ propriè Græcis nonnullis ῥοδάκινα μῆλα in vniuerſum vocantur, vt ipſe etiam Cornarius teſtatur. Quippe nugaretur ineptè Paulus, ſi vellet, quòd rhodacena perſicis præſtarent, cùm nil aliud ſint rhodacena, quàm perſica. His itaque rationibus liceat nobis dicere, δοράκια Paulo nec ῥοδάκινα, nec duracina deſignare, ſed præcocis, ſiue armeniaci mali genus ſibi peculiare. Sed iam ad Plinium venio, cui duracina perſica perſicorum ſpecies ſunt, quibus palma inter omnes, non autem genus, quemadmodum & duracina ceraſa, & vuæ etiam duracinæ inter varias ceraſorum, & vuarum ſpecies eodem Plinio, & Palladio deſcribuntur. Quod maximè arguit, aliud eiſdem deſignare duracina, aliud verò Græcis ῥοδάκινα, quòd verbum hoc vniuerſaliter de omni perſico prædicetur, non autem de aliqua particulari ſpecie. Neque, vt ait Cornarius, vocat noſtra ætas quædam perſica mala duracina, quòd oſſe cæteris duriora ſint, ſed antiquos ſecuta, quòd pulpa conſiſtentia guſtu gratiora ſeſe offerant, & longiori tempore perdurent. Quod quidem palàm facit Plinius lib. 14. cap. 3. cùm ait. Duracina vua ſine vllis vaſis in vite ſeruabilis eſt: tanta eſt contra frigora, æſtus, tempeſtateſque firmitas: hanc & Columella prætulit in cibis. Poſtremo quod rhodacene arbor, perſicam arborem in vniuerſum ſignificet, cùm Cornarius ipſe id firmiter aſſerat, opus ſanè non eſſet hoc pluribus comprobare: ſed ne fortaſſis potius ſibiipſi non eſſe adhibendam fidem, Aëtium conſulat, Conſtantinum Cæſarem, & Simeonem Sethi inter recentiores Græcos. Siquidem ij pluribus in locis manifeſtè demonſtrant, nil aliud per Rhodacenem ſe intellexiſſe, quàm veram, legitimamque perſici plantam. Perſicorum omne genus damnauit Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus, vt praui ſucci, & quæ facilè corrumpantur, ac noxam ventriculo inferant: quapropter Perſica primis menſis ſemper edenda præcipit. Quare ego certè neſcio, ex quorum ſcriptis deprompſerit Plinius, quòd innocua expetantur ægris, niſi fortaſſe & ipſe pro perſico perſeam deceptus acceperit, quemadmodum fecere recentiorum nonnulli. Perſici flores recentes eſu aluum deijciunt, itemque vomitiones cient. Hydropicorum aquam pellunt, ſi recentes in acetarijs edantur, ſed non abſque ægrotantium labore. Arboris lachryma datur ex aqua plantaginis, aut portulacæ ſucco vtiliter ad cruentas reiectiones: tuſſientibus verò & anhelosis, ex mulſa, aut Tuſſilaginis decocto, addito croci momento: facit ad raucedines, & aſperæ arteriæ impedimenta. Datur calculoſis cum ſucco raphani, aut limonum, aut ex vino duarum drach. pondere: contuſa folia recentia illinuntur vmbilico ventri ex aceto ad interaneorum vermes: eorundem ſuccus purulentis, vermiculoſiſque auribus vtiliter inſtillatur. Nuclei tormina ventris tollunt, ſi deuorentur: quinetiam potantes inebriari prohibent, ſi ſeni ſepteniuè præſumantur. Tunduntur ijdem & decoquuntur in aceto, quouſque liqueſcant, pulticulæ modo, ad alopeciam, namque illiti mirum in modum capillos replicant. Contuſorum cremor ex aqua Verbenacæ illinitur vtiliter fronti, ac temporibus, in capitis dolore. Idem præſtat oleum ex ijs expreſſum, conuenit enim peculiariter hemicraniæ, & ſomnum conciliat, id quod & cremor facit: inſtillatur oleum cum vtilitate ad aurium dolores. Idem tam potum, quàm clyſteribus infuſum, coli dolores à flatu genitos, ac etiam à fecibus exiccatis, perbellè mulcet: datur pariter potandum iliacis, ac calculoſis, quatuor vnciarum pondere. Atqui maximè calculoſis auxiliantur hoc modo: Sumito nucleorum oſſium perſicorũ quinquaginta, nucleorum oſſium ceraſorum centum, florum ſambuci manipulum, vini Cretici odorati libras tres: excipiantur hæc omnia fictili nouo, & ſepeliantur in fimo, diebus decem: deinde deſtillentur vitreis organis. Aqua quæ inde fluxerit, pota ante cibum, quatuor vnciarum pondere, mirum in modum renum calculos pellit. Non defuerunt, vt Marcellus Florentinus, & Symphorianus Campegius in hiſtorialibus Galeni campis, qui exiſtimauerint eandem plantam eſſe perſicam & perſeam, de qua agit Dioſcorides in huiuſce primi voluminis calce. Quæ (vt tradunt) ea profectò eſt, quæ in Perſide exi-

Doratia Pauli.

Rhodacena ſunt perſica.

Perſicorũ vis ex Galeno.

Plinij lapſus.

Perſici arboris, & perſicorum facultas.

Aqua ſtillatitia ad calculoſos.

Marcelli, & Symphoriani error Perſicã & Perſeam idem cenſentium.

IV. ARMENIACA malus.



ARMENIACA MInor.



ſide exitioſa naſcitur, etſi translata in Aegyptum cœli illius clementia mortiferam in ſalutarem verterit naturam, adeo vt in cibos recepta, tam ſanis, quàm morboſis prorſus habeatur innocua. Huius hiſtoriam latius proſequitur Theophraſtus lib. IIII. de plantarum hiſtoria ( vt infrà ſuo loco dicemus ) quam ſi quis perlegerit, hanc à noſtris perſicis plurimùm diſſidere comperiet. Manifeſto etiamnum argumento ſunt Dioſcorides, & Galenus, quòd hæ plantæ inter ſe differant: quandoquidem

Armeniacorum confid.

ij de his vt forma, & genere differentib. ſeorſum ſuis ſcriptis tradiderunt. Armeniaca præterea quæ Latini, vt in Dioſcoride legitur, præcocia nominant, & Græci bericocia pronuntiant, nos in Hetruria Græcos imitati vulgò Bacoche, & Moniache corruptis vocabulis appellamus, ac ſi diceremus Bericocia, & Armeniaca. Plura eorum viſuntur genera magnitudine potius quàm genere differentia: quod euenit non modò cœli clementia, & terræ admodum frugiferæ dotibus, ſed & cultorum mangonio: namque ex multiplicata inſitione maximè proficiunt. Porrò omnia, vbi maturitatem ſenſerint, aureo colore ſplendent: idcirco Romanis vulgò Griſomele, quaſi chryſomela dicuntur, eaque præcipuè, quæ eo tractu cum perſicis magnitudine certant. Matureſcunt ineunte æſtate menſe Iunio ante alios fugaces fructus, vnde meritò Præcocia dicta. Ea parum genere, & naturæ dotibus à perſicis diſsidere, teſtis eſt Galenus libro ſecundo de alimentorum facultatibus: ſed non item in ventriculo, vt illa, tam cito corrumpi: quanquam recentiores Medici ea longè magis, quàm perſica, corruptioni obnoxia experientia contendunt. Hæc arbor rarò procera admodum viſitur: folia fert nigræ Populi æmula, Pyri haud abſimilia, ſubrotunda, in ſummitate acuminata, & per ambitum ſerrata, quaterna, quinaue ſimul emergentia. Flores profert albos Ceraſi figura, e quibus fructus prodeunt perſicorum forma, ac ferè magnitudine, ſed aureo colore, ſæpè cum purpura miſto. Plura eorum habentur genera, cum ſapore, tum magnitudine differentia, quod non modo cœli, ſolique clementia euenire crediderim, ſed etiam cultorum mangonio: namque multiplicata inſitione maximè proficiunt, & augeſcunt. Os omnia intra ſe concludunt, vtraque parte turgens, in quo nucleus concluditur eadem figura, qui in quibuſdam amarus reperitur, vt in Perſico, in alijs verò dulcis, vt in amygdala. Habentur in hortis, vineis & viridarijs. Oleum è nucleis expreſſum, mirificè

Oleum nucleorum Armeniacæ.

valet inunctum ad inflammatas hæmorrhoidas: valet quoque ad vlcerum tumores, ac linguæ impedimenta, & pariter ad aurium dolores. Idem potus vnciarum quinque pondere, cum vini Cretici vncia, calculos pellit, & colicos iuuat. Armeniaca minor, arbor eſt, mali proceritate, folijs albæ populi, floribus ceraſi admodum ſimilibus, ac pariter racematim prodeuntibus. Fructus edit mali Perſici effigie minores tamen, colore aureo ſubrutulanti, & odore iucundo. Non differunt ſuis in facultatibus à maioribus: veruntamen auſteriori ſunt ſapore. Inſuper MEDICA MALA, vt ex nomine cognoſci poteſt, ex Media

Medica mal.

primùm aduecta ſunt: hæc Latinis Citria, vel Citromala vocantur. Eorum arbor quæ perpetuo pomifera eſt, aurantiorum ac limoniorum plantas magnitudine æquat. Folia, quæ perpetuo ei vireſcunt, aurantijs parum, vel nihil refragantur, foraminibus viſum ferè effugientibus vbique veluti acu tenuiſsima punctim traiecta. Quamobrem neſciuerim ego qua ratione Theophraſtus (vt Theodorus interpretatur) ei folia aſsignauerit portulacæ, quæ illi nullis notis conſentiunt. Quo fit, vt

Theodori lapſus.

admirari non liceat, ſi recentiorum plerique exiſtimauerint Theophraſti codicem hoc in loco ſcatere mendis, & quòd vbi legitur ἀνδράχνης, id eſt portulacæ, legi potius debeat ἀράχνη; id eſt, araneorum tela. Quandoquidem ijs fortaſſe videbatur quòd, cum mali Medicæ folia ſint vbique minutis admodum punctis perforata, ita vt linteoli ſpiſsioris modo, ſint transparentia.

## V. MEDICA MALVS.



rentia, facile telis araneis comparari poſſent. In quorum ſententia ego quoque perſtiti, quouſque Plinius inde me reuocauit. Quippe cùm accuratius Plinium perlegiſſem, comperi Theodorum, alioquin virum & Græcum natione, & Latinæ linguæ peritiſſimum, male Theophraſtum hoc in loco fuiſſe interpretatum, & vocabuli ſignificatum minus rectè accepiſſe: ſiquidem, vt apertiſſimè declarat Plinius lib. 13. capite 22. Adrachne arbor eſt arbuto admodum ſimilis. Inquit enim, Adrachnen omnes ferè Græci portulacæ nomine interpretantur, cum illa ſit herba, & andrachne vocetur, vnius literæ diuerſitate. Cæterum adrachne eſt ſylueſtris arbor, neque in planis naſcens, ſimilis vnedoni, folio tantùm minore, & nunquam decidente. Hinc ergo facilè colligi poteſt, huic plantæ, quæ arbuti frondibus perpetuò vireſcit laurinis ſimilibus, Medicæ mali folia comparaſſe Theophraſtum. Citrea arbor (vt diximus) Aurantij folio perpetuò vireſcit: ramos habet flexiles, viridi libro veſtitos, atque ſpinoſos. Flores edit ſubpurpureos, ſolidos, calathi effigie capillamentis quibuſdam è medio emergentibus, omnibus horis pomifera eſt: alia namque matura cadunt, alia matureſcunt, alia verò ſubnaſcuntur. In pomis non parua ſpectatur diuerſitas, cum magnitudinis, tum ſaporis. Quandoquidem nonnulla in tantam excreſcunt molem, vt melopepones magnitudine æquent, cuiuſmodi ſunt, quæ ex Liguria & Hadriatici, Aegeique pelagi inſulis afferuntur: alia his paulò minora, alia verò limonum magnitudine, aut paulò maiora, cuiuſmodi ſunt, quæ à Lacu Benaco comportantur: hæc principem in cibis obtinent locum. Nam etſi cæteris pumiliora ſint, maiorem tamen reliquis ab ore ineunt gratiam. Atqui quæ grandiora ſunt, etſi ſpecioſa magnitudine excellant, cum tamen inſipido guſtu non multum placeant, in cibis recentia non æquè ac illa præſtant: verùm quòd pulpa copioſiore conſtent, officinis expetuntur, ſaccharo vel melle aſſeruanda. Color omnibus aureus, facies oblonga, vt limonum, ſed denſiore corticis pulpa: cortex illis rugoſus, flauus, odore præſtans perquàm grato. Acidam concludunt medullam, ſucco plenam, in qua ſemen latitat hordei figura, grandius tamen, & duro obductum cortice, amaro ſapore. Matureſcunt integro anno, decerpunturque cum aureo colore fulueſcunt: namque matura cadunt: alia matureſcunt, alia verò ſubnaſcuntur. Hæ Plinij æuo non erant in Italia, vt ipſe teſtatur lib. 12. cap. 3. vbi inquit, ſæpius tentaſſe gentes, plantas è Media transferre ad ſe, quæ tamen ibi diu viuere nequiuerunt, licet magna cultorum ſolertia fuerint enutritæ. Nunc verò contra translatitiæ factæ ſunt, atque cum Italo ſolo tantam iniere gratiam, vt non modo in maritimis, ſed in mediterraneis quidem tum hortis, tum viridarijs, tum etiam nobilium lacuum ripis frequentiſſimæ feliciter germinent, poſtquam cultu, & diligentia Palladij (is enim proditur primus artem adinueniſſe) factum eſt, vt ex Media in Italiam translatæ proſilierint, ac propagauerint. Theophraſti ætate Citria mala nondum in ciborum vſum venerant, eorum teſtimonio, quæ ipſe libro 4. de plantarum hiſtoria memoriæ prodidit, ſed tantùm odoris gratia veſtibus inſerebantur. Quin & eorum vſus erat antidoti loco contra venena, ad quæ demolienda ſemen præcipuè efficaciſſimum habent. Refert Athenæus, quòd cùm princeps quidam Aegyptius maleficos quoſdam damnaſſet nebulones, quò ſuorum facinorum luerent pœnas, aſpidibus ſecundum Aegyptias leges in prædam exponendos, ij Citrium in itinere, dum ad beſtiarum pabulum ducerentur, comederunt quod caupona quædã vicem eorum dolens atque miſeriam, illis dederat: mox cùm in theatrum deſcendiſſent, & ab immanibus, ferociſſimisque feris demorſi eſſent, nihil ſanè moleſtiæ ſenſerunt. Qua de re præfectus non paruam capit admirationem, & à militibus diligenter inquirens, an antidotum aliquod præſumpſiſſent, certior factus eſt, citrium tantùm ex integra ſimplicitate donatum, eos comediſſe. Poſtridie verò iuſſit vni præberi, alteri denegari, & denuo in theatum trudi ad ſupplicium. Quo facto qui comederat, demorſus nihil incõmodi paſſus eſt, alter verò à fera ictus vndiq; liuidus factus, confeſtim interijt. Narrat præterea Theopompus Chius duodequadrageſimo ſuarũ hiſtoriarum volu. Clearchũ Heracleotã Ponti tyrannum multos veneno necaſſe: ſed ille, inquit, plures adhuc interfeciſſet, ſi populum præſtantiſſima citrij vis latuiſſet. Seruantur citria mala diutius incorrupta, ſi hordei, vel milij aceruis obruantur. Sed habita medicinæ ratione, iam de eorum viribus plenius diſſerendum eſt. Citria itaque venenis aduerſantur, eorumque maximè ſemen. Citrij decoctum collutione oris halitum commendat, ſuauitatemque accerſit. Ipſa autem integra veſtiarijs condita, veſtes non modo gratiſſimo odore perfundunt, ſed eas etiam à tineis, & blattis vindicant. Idem potum venenis aduerſatur, & ſuccurrit peſtilentialibus febribus affectis. Cortex ſaccharo aut melle conditus, ventriculum & cor corroborat. Si cruda tamen manduntur, non facile coctioni obediunt, quin & craſſum generant ſuccum: ob hoc veſci ijs melle, aut ſaccharo conditis ſatius eſt, quòd ventriculum commodè calefaciant, ac roborent: quamuis hæc noſtra ætas gulæ nimium indulgens, in cibis citria cruda præferat cum aſſatis carnibus eſitata. Citria aduerſus atram bilem, & morbos mœſtos, quos illa excitat, opitulantur: Semen priuatim ſcorpionum ictibus & potum, & appoſitum mirificè medetur. Acidus eorum ſuccus flauam reprimit bilem, arcetque peſtis contagia, & ſitim ſedat. Proinde rececentiores medici ad febres peſtilentes ſerapijs ex eo confectis feliciter vtuntur: Succus grauidarum malaciæ ſuccurrit. Citrij mali meminit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens. Mali medicæ fructus non amplius malum medicum, ſed ab omnibus Citrium nuncupari adſolet. In ſemine quidem vincentem habet qualitatem acidam, & ſiccam, vt ipſum tertij ſit ordinis reſiccantium, refrigerantiumque. In cortice verò itidem deſiccantem temperiem eſt ſortitus, non parum tamen habentem acrimoniæ: proinde deſiccat hic ſecundo exceſſu, non tamen frigidus eſt, ſed aut temperatus, aut paulò infra. Porrò caro eius pariter craſſi ſucci eſt, & pituitoſa, frigidaq; : nam & ipſa editur, ſicut & cortex. Semen omne edi ineptum eſt, tum humidum illud, & acidum, de quo primùm diſſerui: tum nucle-

Adrachne Plinij.

Malorum diuerſitas.

Palladius mala Citria propagauit in Italia.

Citriorũ mira facultas aduerſus venena.

Citriorũ vires Matthiolo.

Citrij mali vires ex Gal.

*us, qui in illo inuenitur, id quod reuera ſemen eſt. Hic amarus eſt, & digerendi videlicet, ſiccandiq; facultatem obtinens, ſecundo quodammodo ordine à temperatis recedens. Folia verò denique exiccandi, ac digerendi vim obtinent; hactenus Galenus. Vbi animaduertendum eſt, quòd cum initio capitis inquit: In ſemine quidem vincentem habet qualitatem acidam, & ſiccam, vt ipſum tertij ſit ordinis reſiccantium, ac refrigerãtium, Gal. non de nucleis intellexit, neq; de vero eorum ſemine, ſed tantùm de acido Citrij ſucco, in cuius medio vbiq; includitur ſemen. Eam autem fuiſſe in hoc Galeni ſententiam, eius verba in calce ferè capitis oſtendunt, quæ ita ſonant: Semen omne eſui ineptum eſt, tum humidum illud, & acidum, de quo primùm diſſerui: tum nucleus, qui in illo inuenitur, id quod reuera ſemen eſt. Hic amarus eſt & diſcutit, hoc eſt calfacit, & exiccat ſecundo receſſu.*

Auicenna notatur.

*Quam rem malè, meo quidem iudicio, aſſecutus Auicenna, vtpote qui non rectè diſtinxerit, neque hac in re planè Galeni ſententiam acceperit, libro ſuorum canonum ſecundo, ſemini Citrij ſecundam calidorum, & ſiccorum ſedem aſſignauit: tractata verò, quem cordis viribus dicauit, eidem tertiã frigidorum, & ſiccorum claſſem adſcripſit, nullum quidem verbum faciens de acido Citrij ſucco, quem à Galeno ſub ſeminis nomine comprehenſum fuiſſe demonſtrauimus.*

Limonia.

*Non longè natura, & viribus à citrijs diſtant mala* LIMONIA *&* AVRANTIA *dicta, & illa quæ* ADAMI POMA *vulgò vocantur, nos verò Lomie dicimus: tametſi Limonia magis cùm facie tum facultate Citria referant. Li-*

VI. LIMONIA MALA.



VII. AVRANTIA MALA.



*monum planta perpetua fronde viret, quemadmodum & Citrus, folijs etiam ſimilibus: ſed paulo anguſtioribus. Flores fert albos, & odoratos: à quibus poma oriuntur citrij faciem referentia. Sunt tamen Citrijs minora, oblonga, cute non adeò craſſa, & magis ſucco prægnantia, qui guſtu acidior percipitur, ſemine ferè ſimili, & colore pallida. Eadem omnibus ferè gentibus nota ſunt magis, quam deſcribi debeant. Sunt maiora & minora: quæ etiam ſucci bonitate differunt, & corticis craßitudine. Nam quæ grandiora ſunt, & ſucco, & cortice, carneq; longè ſunt præſtantiora. Serũtur tanquam peregrina in hortis & viridarijs: & quanquã mangonio cultorum in frigidis regionibus viuant, quod hyeme in concameratis cellarijs recondantur, earum tamen proventus, non eſt niſi in locis calidis, & præſertim maritimis, & circa lacus amanißimos. Ideoq; in Apulia, Calabria, & alijs regni Neapolitani regionibus copioſa Limonia proueniunt. Iiſdem qualitatibus prædita ſunt, quibus & Citria mala.*

Aurantia.

*AVRANTIA verò poma rotundiora, & per maturitatem aureo prorſus colore nitentia, odorataq;, cortice limonibus craßiore, amarioreq;. Internus ſuccus, quo maximè ſunt referta, in quo ſemen citri ſimile, non in omnibus eodem percipitur ſapore. Nam in hoc genere acidus, in illo dulcis, in altero vinoſus habetur. Horum arbores citro ſimiles, quemadmodum & Citreæ mali coma perpetua virent, folijs Lauro latifoliæ proximis, craßis, leuibus, ac ſuauiter odoratis, & in acutum definentibus. Rami pariter illis ſunt flexiles lentiue, topiarijs operibus haud inidonei, aculeis firmis acutiſq; referti: cortice ex viridi ſubalbicante. Flores albi, odore perquàm præſtanti. Seritur in viridarijs & hortis, maritimis præſertim tractibus. Abundant iis Campania, Apulia, Calabria, & aliæ regni Neapolitani regiones, quin etiam Liguriæ & Benaci lacus viridaria: decerpuntur flores, vbi copioſi proueniunt, ab Vnguentarijs ad varia odoramenta paranda.*

Aquæ florum aurantiorum mira facultas.

*Peculiariter autem diſtillatur ex iis aqua, quæ non ſolùm odoris præſtantia cæteras præcellit, ſed ad medicamenta etiam optimè facit, & præſertim ad peſtilentes febres, quæ cum exanthematibus in cute eueniunt. Datur enim potanda ſex vnciarum pondere magno ſanè auxilio, vbi per ſudorem à centro ad circumferentias infectos humores trahere ſit opus. Siquidem hæc aqua valenter ſudorem prouocat, & cordi plurimũ ſuccurrit, id corroborat, & ſpiritus viuificat. Cortex Sacchаro conditus*

ventrico-

## VIII. POMA ADAMI.



*ventriculum roborat, & flatus pellit. Omnium ſuccus ſitim extinguit & febrientes iuuat, præter dulcium Aurantiorum: nam is febrientibus non adeò ſalubris eſt, nec ſitim ſedat. Arbor hæc ſemper pomifera eſt, & eadem ferè, quæ citria præſtat. Aurantia calidiore ſunt cortice, quandoquidem is reliquis acrior, atque amarior guſtu deprehenditur. Refrigerant & exiccant, quæ ſcilicet acida & vinoſa ſunt. Dulcia omnibus partibus excalfaciunt, cæterorum verò ſuccus refrigerat, & putredini aduerſatur. Quocirca febricitantibus bellè cõueniunt, dulcia verò contra. Fit è Limoniorum ſucco, ſicut & citriorum, ſerapium ad reſtinguendum bilis feruorem non inutile: ſed quoque ad ſitim extinguendam: item & ad peſtilentes febres, & eas, quæ contagione non vacant. Aqua, quæ è Limoniorum ſucco calentis aqua balneo, & vitreis organis extrahitur, præterquàm quòd mulieribus expetitur pro fuco ad faciem expoliendam, vitiligines vbicunque ſint, & totius corporis cutis maculas emẽdat, varos delet, & acaros interimit. Serapijs admiſta febribus acutis, & contagioſis mirè ſuccurrit. Epota ventris tineas enecat: id quod etiam præſtat ſuccus recenter expreſſus, vnciæ pondere potus: idem ex immaturo pomo expreſſus ſeſquiunciæ pondere, ex vino cretico potus mirificè calculos renum pellit. Cæterum non parum laboris impendiſſe videtur Braſauolus in præfatione ſui de ſimplicium examine libri, vt doceret, vnde emanauerit Arantiorum vocabulum. Sed licet ibi plura de eius origine referat, ea tamen, meo quidem iudicio, non multùm nomini quadrant: quandoquidem ego potius exiſtimauerim, vulgo Arantia, quaſi Aurantia, altera expuncta litera, dicta fuiſſe. Nam cùm hæc poma auri colore reluceant, ab auro meritò nomen accepiſſe videntur: vnde, quantum equidem reor, Aurantia, hoc eſt, aurea mala dicta fuere. Cæterùm non longè natura, & viribus à Limonibus diſtant, quæ ADAMI poma vulgus vocat. Siquidem planta, quæ hæc profert, folio eſt Limonij arboris maiore, patentioreque, ramis etiam ſimilibus, floribus Citrei mali æmulis, fructu Aurantijs duplo triploue maiori rotundoque, cortice non admodum craſſo, pallido, criſpo, & inæquali, fiſſuris quibuſdam apparentibus, perinde ac ſi dentibus demorſus eſſet, vnde illi nomen, quòd putet ignarum vulgus hoc illud eſſe pomum, quod ab Adamo in Paradyſo delitiarum demorſum fuit: ſed hæ fabulæ ſunt. Succoſa ac acida madet pulpa, ſapore limonibus haud longè abſimili, ſed non ita palato grata, in qua ſemina latitant Citrei aut Limonij mali ſimilia. Hæc poma quidam putant Limonia eſſe fœminini generis. Seruntur cum Citrijs, limonijs aurantijsque, & iiſdem, vt illa proueniunt locis. Refrigerant, exiccant, & adſtringunt. Præſtat pomorum ſuccus ad ea omnia, ad quæ limonia præſtare diximus, minore tamen efficacia. Peculiariter autem valent poma ad ſcabiem, ſi per medium ſecta, & tenuiſſimo ſulphuris puluere aſperſa, & deinde cinere feruenti calefacta corpori ſcabioſo confricentur. Reliquum eſt, vt ſingulis malis ſua reddamus nomina. Mala ita Latinis dicta, Græcis μῆλα vocantur: Arabibus Tufa, ſeu Tufaha: Italis, Mele ſeu Pomi: Germanis,* Oepffel: *Hiſpanis, Manſanas: Gallis, pomes. Ea verò, quæ Græcè κυδώνια μῆλα, Latinè Cotonea, & Cydonia mala dicuntur: Arabicè Saſſargell: Italicè, Mele cotogne: Germanicè,* Quitten oder Kitten: *Hiſpanicè, Membrilhos, & Marmellos: Gallicè, Conting, Pomes de coing. Quæ autem Græcum nomen habent μελίμηλα, ἢ γλυκύμηλα eorum Latinum eſt, Mellita, vel Dulcia mala: Arabicum, Melomela, & Galopomella: Italicum, Mele dolci. Mala quæ περσικὰ μῆλα, καὶ ῥοδάκινα Græco nomine, Latino Perſica mala appellantur: Arabico, Sauch, ſeu Chauch: Italico, Peſche & Perſiche: Germanico,* Pferſich: *Hiſpanico, Pexegos: Gallico, Peſches. Polonis, Broskuini. Μῆλα ἀρμενιακὰ, πραικόκκια, καὶ βερικόκκια quæ Græci, Latini, Armeniaca mala, & Præcocia nominant: Mauritanis, Merniex, ſeu Mirmix, Mex, Meſmes, ſiue Miſmis: Italis Armoniache, Bacoche, Moniache, & Griſomole: Germ.* S. Johan. Pferſich: *Hiſpa. Albiricoques, Albarchigas, & Aluaricoques: Gal. Abricot, Carmaignoles & Chicambiz. At Armenia minora, Græcis Μῆλα ἀρμενιακὰ μικρὰ: Italis, præſertimque Hetruſcis, Armoniache, Bacoche & Moniache minori: Inſubribus autẽ & Venetis, Armellini. Mala deniq; Μηδικὰ μῆλα, ἢ κεδρόμηλα à Græcis vocata, Latinis ſimiliter Medica mala, aut Citromala, & Citria dicũtur: Italis, Cedri, & Citroni: Germ.* Citrin Oepffel Jũdẽ Oepffel, & Citronatẽ: *Hiſpanis, Cidras: Gallis, Citron: Bohemis Citrynouuy. Mala Limonia Italis, Limoni: Gallis, Limons. At Aurantia mala, Italis, Aranci: Germanis* Pomerantz, *Gal. Pome d' Orenges. Poma Adami, Italis, Lomie & Pomi d' Adamo.*

Aqua ſtillatitia è limoniorũ ſucco & eius vires.

Braſauolus de Arantiorũ nomine.

Adami pomorum hiſtoria.

Pomorũ Adami vires.

Nomina.

I. Mala propriè dicuntur, quæ breui pediculo annectuntur: ab alijs poma, quamuis hoc commune ſit nomen ferè omnibus fructibus perſpicuæ magnitudinis. Differentiæ plurimæ ratione ſaporis acidi, aquoſi, auſteri, dulcis: coloris, magnitudinis, figuræ: duæ figuræ adpoſitæ, magnorum rotundorum & oblongorum: plures differentias veteribus indictas, qui cognoſcere cupit, Cordum in ſua hiſtoria, qui vltra triginta ſpecies habet, & Tabernæmontanum conſulat. II. Aſt Cydonia, Cotonea etiam dicuntur, quo nomine primus Cato donauit à Sidonte Corinthi vico: quibuſdam, quod mala eius cotone ſeu lana quadam tegi videantur: fortè ex Plinio χρυσόμηλα ab externo aureo colore. Apud Plutarchum 5. Sympoſiacon, Tryphon medicus, apud Homerum ἀγλαόκαρπον dictum putat. Genera explicatur Athæneus 3. Dipnoſoph. Columella lib. 5. c. 10. tria refert, Struthia, Chryſomeliana, & Muſtea: icones binæ, altera Cotoneæ malus, altera Cotoneæ pyri, quæ Cydonia miluiana etiam dicuntur quibuſdam. III. PERSICA quæ ῥοδάκινα Simeoni Sethi de alimentis. Differentiæ plures à nobis obſeruatæ, quòd alia ſint præcocia, alia ſerotina: præcocia dicuntur perſica S. Iohannis, quòd circa illud tempus matureſcant, paruin inſtar Arme- Perſica.

niacorum, eiusq; ferè ſaporis. At ex Armeniacorum genere non eſſe, nucleus oſtendit, qui vt perſicorum ſtriatus eſt. Serotina maiora, alia minora: maiora vel flaua quæ à Cotoneis cognominata, vel alba, vel viridia, vel buxea: minora, vel rubra, quæ ſanguinea dicũtur, vel flaua. Ratione ſaporis, dulcia, acida, vinoſa, amariuſcula, auſtera. Ratione oſsium, quorundam oſſa à carne ſeparari non poſſunt, quæ Duracina dicuntur, non quòd ſeruari diutius poſſint, ſed ob carnis ſubſtantiam duriorem, quæ modò candida, modò lutea, nunc ex albo ſubrubea: in quibuſdam nuclei diſrupti obſeruãtur. Sic et figura differunt, quędam orbiculata, quædam in rotunditate oblonga, quædam cotoneis ſimilia & colore & odore, quæ primas tenent: quædam à nucis ſimilitudine Nuciperſica: alia quæ mangonio facta perſica amygdala vocantur, obs nucleum amygdalorum modo dulcem. Sic denique ex his quædam lanuginoſa, alia glabra, læuia, exteriu & interiu virentia.

Armeniaca. IV. Armeniaca malus ex genere perſicorum Galeno, quare præcocia, inter perſica recenſuit Plinius: hæc differunt ſapore & magnitudine, ſunt enim parua, prunis vulgaribus non maiora, alia vt mediocria perſica, alia maiora inſitione, alias exigua: ſunt & candicantia nucleo dulci. Dicuntur præcocia & perſica minora, Brunf. Perſici quartum genus, Lon. Malum armeniacum vel præcoquum, Geſ. hort. malus Armeniaca, Cord. in Dioſc. Lob. Dod. gal. & fol. Lac. Lugd. Caſt. Armeniaca, Tab. Cæſalpino.

Citria. V. Citria, Limonia, Arantia, tria hæc malorum genera in officinis vſitata, ad vnum genus pertinent. Citria Theophraſto μῆλον μηδικὸν ἢ περσικὸν à regione: Malum Heſpericum & Chryſomela Athenæo lib. 3. Κίτριον Galeno Medica malus: quibuſdam Aſsyria: adnumerat Barbarus in ſuo Corollario, Nuptialia prægrãdia & melonum orbiculata facie. Varietas enim eſt pomorũ tam in magnitudine quam ſapore: quædam in molem decem librarum pondo excreſcunt: quæ Gallis pomcires, quaſi poma citria, vocãtur: alia his minora: alia Limonũ magnitudine aut paulò maiora: ſapore vehementiore & remiſſiore: item dilutiore ſaturatioreque colore. De his vide Theophraſtum 4. hiſto 4. 1. de cauſ. plant. 22. Plinium li. 12. cap. 3. Solinum cap. 49. Macrobium 3. Satur. 19. Palladium in Martio. Recentioribus dicitur Malus citria, medica, citrium.

Limonia. VI. Limonia mala ex citri genere ſunt, ſed minora, cute minus craſſa, ſucco acidiore. Plures differentiæ: alia oblongiora aſperiora, cortice craſsiore, ſucco dulciore, quæ maximè probantur: alia lætiora, cortice tenuiore, ſucco acidiore: ſunt in Hiſpania, vix nucis amplitudine, odore cæteris præſtantiore, arbore excelſiore, ſic & puſilli dulciſsimi in Zeilan habentur, Scaligero atteſtante: & in Syria in ſylueſtribus frequentia exigua & acidiſsima. Recentioribus Limonia, Limones. VII. Aurantia mala fortè ab Arantio Achaiæ oppido, vel Arania à gente eius nominis in Perſia: alijs á corticis colore luteo, quare Aurea Virgilio: an Ceſtianum malum Galeni 2. de compoſ. ſecundum loca. 1. fortè Martianum malum apud Suetonium in Domitiano. Sunt qui Citrangulum Auicennæ & Meſuei ſtatuant. Cenſentur inſitione ad nos deueniſſe: Si enim Arantius Citro inſeratur, Arantius vix cubiti altitudinem excedet: at ſi contra Citrus in Arantio, ad magnam proceritatem peruenit. Variant ſapore ſucci, acido, dulci, medio ſeu vinoſo. Dulcia ſuperficie magis ſunt glabra, lęuia, mollia: acetoſa duriora ac aſperiora. Cutis colore magis viridi, magis flaueſcente, quæ citreolus, magis croceo, quæ Citrangula dicuntur: reperiuntur etiam ſine ſemine, & alia in pomo duo genera acinorũ habent: noſtris amarus eſt cortex: meminit Scaliger in Zeilan haberi cortice dulci & ſuaui. Variãt & cortice modo rugoſo magis minusue, aliquãdo extuberat forma rotunda, aliquando oblonga papillarũ inſtar. Recentioribus Aurantia, Anarantia & Aurea mala dicuntur.

Poma Adami. VIII. Poma Adami: hæc folijs cum limonibus (ſed maioribus) floribus cum Citro, fructu, ſed triplo quadruploue maiore, cum Arantijs conuenit. Poma Adami, Cord in Dioſc. Caſt. Lugd. Citrius altera, Cord. hiſt. Malus Aſsyria, Dod. Tab. Pomum Aſsyrium, Lob. Põnziras, Cæſalpino.

PYRA.



## Ἄπια. PYRA. CAP. CXXXII.

PYrorum multa genera. Quæ tamen omnia adſtringunt: proinde adduntur conuenienter in repellentia cataplaſmata. Decoctum è ſiccis, & cruda ipſa aluum ſiſtunt: ieiunos eſitata lædunt. Achra pyraſtri genus eſt, quod tardiſſimè matureſcit. Vim pyro adſtringentiorem habet, & ad eadem conuenit: ſtringunt etiam eius folia. Ligni pyrorum cinis efficaciter his auxiliatur, quos fungi ſtrangulant. Aiunt fungos, ſi ſylueſtria pyra cum eis coquantur, innoxios fieri.

Pyrorũ conſideratio, & genera.

*QVoniam Pyra vulgatiſsima ſunt non modò in Italia, ſed vbique in tota Europa: quæ prouenium vbique in collibus, agris, vineis, hortis, & viridarijs, ſylueſtria vero locis incultis & in ſyluis. Varia eſt quoq; Pyrorum facies: quod cum omnibus notum ſit, quemadmodum & planta: ideo ſuperuacaneum duxi eorum arbores per hiſtoriam explicare. Multa ac varia apud nos Pyrorũ numerantur genera, quemadmodum & apud antiquos, odore, ſapore, colore, forma ac prouentu differentia. Quin etiam & ſylueſtria quoque copioſa viuntur. Antiqui, vt Plinius refert libro & capite decimo quinto celebra-*

*tibbra, aut è ſuperba, falerna, decumiana, dolobelliana, pompeiana, liceriana, ſeueriana, tyranniana, ſamoniana, lateriana, antiana, tiberiana, ſignina, purpurea, ſementina, laurea, amphorina, coriolana, cucurbitana, & alia, quorum enumeratio longa foret. Quas ſanè varias appellationes mutuati ſunt, vel ab hominibus, qui primùm ea in ciborum vſum reuocarunt: vel à locis, vnde venerant: aut à notis, quas aliquibus fructibus acceptas referebant: aut à colore proprio: aut à tempore, in quo ab arboribus decerpebantur. In hoc itaq; noſtri quoq; Hetruſci antiquorum conſuetudinem ſecuti, varijs nominibus à diuerſis inditis cauſis ſua Pyra vulgò appellant, moſchatelle, gingnole, ciampoline, rogie, ghiacciuole, ſpinoſe, quadrane, carouelle, papali, ſan Nicolo, durelle, Zuccaie, campane, vernareccie, gentili, porcine, ſementine, & plura alia habent alij nomenclaturis appellata. Cæterùm ſi quis vellet in noſtratibus, veterum Pyra collatione aſſequi, operæpretium eſſet, vt vnumquodq; eorum genus peculiarem perſpicuamq; habuiſſet deſcriptionem: quandoquidem fieri non poteſt, vt hæc ſola nomenclatura innoteſcant. Porrò in vniuerſum de eorum viribus differentes, dicamus, ſicuti etiam de malis diximus* Pyrorum facultas. *quòd pyrorum facultates ex ſaporibus guſtu dignoſcuntur: cùm dulcia natura diſtent ab acerbis, acidis, auſteris, & ab his, quæ vnum, vel plures præ ſe ferunt ſapores: & contra, hæc deinceps ab illis ſint diuerſa. Pyra (vt ſcriptum reliquit Galenus* Pyrorum vires ex Gal. *lib. 5. ſimplicium medicamentorum) eſu ſtomacho grata ſunt, quin & vim habent exiccandi. Atqui ſylueſtribus magis adſtringendi facultas ineſt: ob id etiam magis præſtant contra fluxiones. Et lib. 2. de alimentorum facultatibus ita ſcribit: Quæ de malis diximus, ſi omnia ad pyra, & punica transferantur, nihil nouo alio ſuper his ſermone opus erit. Nam in ijs quoque alia auſtera tantùm, vel acerba apparent, veluti quædam acida, quædam dulcia, quædam denique ex horum miſtione compoſita ſunt, quæ nullam penitus huiuſcemodi qualitatem exuperantem habent: quo fit, vt cùm aquea ſint, ac hebetia nulla roborandi vi polleant. Talis igitur omnino pyrorum vſus, qualis malorum. At pyris, præſertimque grandibus, quæ apud nos menata uocantur, aliqua alendi facultas donata eſt. Proinde ea ſecta in tenues orbiculos, ſiccataque reponunt quibus coctis per hyemem, & ver, cùm fames eſt, ciborum parum nutrientium vice veſcuntur. Pyri fructus, qui ἄπια Græcis, Latinis Pyra dicuntur: Arabibus, Hummechte, Cirmetre, ſeu Kemetry: Italis, Pere: Germanis, Byren: Hiſpanis, Peras: Gallis, Poires: Bohemis Hruſky.* Nomina.

Pyra dicuntur, quæ longo pediculo pendent, & quidem à fructus figura pyramidem referente: differentiæ plurimæ ratione magnitudinis, figuræ, ſaporis, odoris, coloris, temporis, ita vt Cordus in ſua hiſtoria quinquaginta genera recenſuerit. Sic genus quoddam eſt quod comeſtum ventrem ſubducit, qui eleganti rubore carnis placent: eſt & alterum genus è quorum medio corpore folium exoritur, quod Pyrophilla dicuntur: eſt & quoddam pomi folio.

## Μέσπιλον. MESPILVS. CAP. CXXXIII

MEſpilus, quæ à nonnullis aronia vocatur, ſpinoſa arbor eſt, folio †pyracanthæ, ſiue oxyacanthæ. Fert pomum ſuaue, exiguo malo non diſsimile, tribus intus oſsiculis: qua ex cauſa id nonnulli tricoccon appellauere. Tarde matureſcit, eſu adſtringit: ſtomacho gratum eſt, aluumque ſupprimit. Alterum meſpili genus in Italia naſcitur, quod aliqui ſetanium, alij epimelida vocant: arbor folijs mali, ſed minoribus: a πυθμὴν. i. fundũ, meum habet. pomum fert rotundum, eſui aptum, a vmbilico latiore: quod adſtringit, ſeroque matureſcit.

I. MESPILVS PRIMA.



Crataegus azarolus

*MEſpilorum hic à Dioſcoride duo recenſentur genera: quorum illa, quæ folijs eſt pyracanthæ, ſiue oxyacanthæ* Meſpilorum conſideratio. *noſtratibus haud quaquam adſtipulari videtur. Quippe (vt ſenſu patet) noſtrates Meſpili folijs oblongis, ceraſorum ferè ſimilibus virent, non autem apij modo per ambitum inciſis, veluti oxyacantha. Fructum ferunt non quidem guſtatu ſuauem, ſed potius iniucundum, quòd acerbus ſit, & auſterus. Quin & is quina includit oſsicula, non ſanè terna: vt primo Meſpilorum generi aſsignat Dioſcorides. Cæterùm ſi fructum profert Italia, qui priori Meſpilo legitimè adſcribi poſsit, eius nimirum arborũ erit, quæ Neapoli, vbi copioſa ſeritur in hortis, viridarijs, ac vineis, Azarolo vulgò nominatur. Huius plures plantas vidi ego primùm Neapoli in ampliſsimo viridario Pompeij Cardinalis à Columna, via, qua itur ad poetæ Maronis ſepulchrum, vel vt vulgò dicunt à Pedigrotta. Arbor eſt mediocris proceritatis, cor-* Azaroli deſcriptio. *tice, ac materia pruno [pyro] haud abſimilis: ſpinis horrida, non tamen admodum acutis: folijs laciniatis, apij æmulis aut oxyacanthæ, floribus albicantibus, racematim cohærentibus. Fructus illi ſunt ſorborum craſsitudine, oblongi, rubentes, vulgaribus meſpilis æquales, ſed arctiore vmbilico, tribus tantum intus oſſiculis. Matureſcunt autumno, Septembri tantum menſe. Ex quo perſpici poteſt, eos Dioſcoridis codices hoc loco ſcatere mendis, in quibus deprauate legitur, hanc arborem folijs eſſe pyxacanthæ, non autem, vt legitimè legi debet, oxyacanthæ. Nam (vt ſuperius ſuo loco explicauimus) oxyacantha folijs germinat diſſectis: pyxacantha verò buxi modo oblongis. Cuius rei illud* Dioſcoridis locus enucleatus. *manifeſto eſt indicio, quod de hoc Meſpilorum genere poſteritatis memoriæ prodidit Theophraſtus libro 3. capite 12. cùm in-* Meſpilus Theophr. *quit: Magnitudine arbor iſta excellit, gyroque comatur. Folium magna ex parte inciſum, quod vel apium parte poſtrema imi-*

*tatur, ampliore figura, quodque promiſſum, neruoſum, apio tenuius, oblongius, totumque circuntuſum eſt, & pediculo tenui, ac longo dependet: antequam decidat, vehementer rubet. Radice numeroſa, altaque arbor cohæret: ob id diuturna, & inextirpabilis eſt: hactenus Theophraſtus. Quæ ſanè verba certo ſunt argumento, eam Dioſcoridis lectionem planè deprauatam eſſe, quæ huic Meſpilorum generi pyxacanthæ frondes reddit. Quinetiam folium explicant oxyacanthæ à Dioſcoride eius in hiſtoria ſilentio diſſimulatum, quòd ſcilicet apij modo per ambitum ſit diſſectum. Sed illud etiam non ignorandum, tantam oxyacāthæ cum hac Meſpilo interceſſiſſe cognationem, vt ſi Meſpilus hac oxyacātha inſeratur, omnium ſpecioſiſſima proueniat, & longè magis fructifera euadat. Sed vt redeamus eò, vnde codicis mendæ, quæ librariorum incuria eſt, nos diduxerant, dicimus quòd Azaroli vocata fructus nullis prorſus notis reclamant Meſpilis, quæ primo loco à Dioſcoride deſcripta ſunt. Siquidem ij exigui ſunt, terna includant oſſicula alijs Meſpilis duriora: quanquam magnitudine, & forma diſſimili, ſeram ſentiunt maturitatem, ori grati habentur, ſtomacho non iniucundi, & reliquis denique notis, ac qualitatibus illorum ſpeciem adeò repræſentant, vt non aliud hac in re aſſerendum putauerim, quàm quòd idem ſint Azarola, & Dioſcoridis Meſpila à quibuſdam Aronia dicta. Hæc cum maturitatem ſenſerint, guſtui haud parum placent: quo fit, vt ab incolis pro delitijs, non ſolum cruda expetantur in cibis, ſed ijs etiam ſacchæro, melleque aſſeruata edantur. Eadem gratiſſimus ſunt cibus vtero gerentibus: quippe non modo ſapore placent, ſed earum malacia ſubueniunt. Quæ porrò Meſpila aliquibus Setaniæ, & Epimelides appellantur, vulgaribus noſtratibus collata nihil inter ſe diſſentire comperiuntur. Folijs eſt mali, ſed minoribus: flores fert albicantes, cotoneæ mali æmulos: fructum rotundum, latiore vmbilico quinq; acutis proceſſibus coronato: Habetur in vineis, hortis & ſepibus. Quapropter nil mirum ſcriptis mandaſſe Dioſcoridem, alterum hoc Meſpili genus copioſum in Italia naſci. Veruntamen Galenum Epimelidis appellatione aliam arborem à noſtratibus Meſpilis diuerſam ſumpſiſſe, liquidò conſtat. Quandoquidem libro 6. ſimplicium medicamentorum ſcribit, eius fructum acerbum eſſe, & ventriculo noxium: Epimelida autem à ruſticis Italiæ vuedonem nominari. Hoc inſuper illud confirmat, quòd Galenus de vtroque Meſpilorum genere, ſeorſum diuerſis capitibus tradiderit. In Meſpilorum hiſtoria Serapio apertè hallucinari deprehenditur, quippe qui ſorbi titulo omnia referat, quæ de vtroque Meſpilorum genere ſcripſit Dioſcorides. Verum etſi hac in re is quidem aberret, declarat tamen primum Meſpili genus nobis Italis Mauritanos ſecutis Azarolum eſſe: namque is Arabico idiomate Meſpila Zaror appellat. Vulgaria Meſpila deuorata cœliacos, dyſentericos, & diarrhœa affectos iuuant. Siſtunt faucium, gutturis dentium, & gingiuarum fluxiones, vbi eorum decocto os colluatur. In hoc ſi inſideant fœminæ, menſium abundantiam ſiſtit. Fit à ſuccis Meſpili, roſarum ſucco exceptis, additis aliquot Caryophyllis, & coralliorum rubeorum nonnihil, quinetiam myriſticæ nucis, cataplaſma, ori ventriculi admouendum, ad compeſcendas vomitiones, & præſertim, vbi cibus reijciatur. Sicca folia in pulueres aſperſa, recentia vulnera glutinant, & ſanguinis profluuium ſiſtunt: ideo dantur quoque vtiliter ad cruentas reiectiones. In ſumma vbi adſtrictione, corroboratione que opus ſit, cum folia, tum fructus plurimum præſtant. Meſpilorum oſſicula in puluerem contrita, calculos renibus pellunt, vbi cochlearis menſura ex vino in quo vulgaris petroſelini radices decoctæ fuerint, ebibantur. Meſpilorum vires recenſuit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Meſpili fructum, alij tricoccum nominant, quòd tria intus in vniuerſum gerat grana, quorum vnumquodque arboris eſt ſemen, ceu ea, quæ in malis inueniuntur, ipſius mali: & acini, ipſius vitis: & ficus, minuta illa grana, quas cenchramidas Græci vocant. Arboris huius fructus admodum acerbus eſt, vixque edi poteſt, ventrem ſtrenuè coërcens: quin & in germinibus, & folijs acerba hæc qualitas non pauca reperitur. Et libro 2. de alimentorum facultatibus ſic inquit: Horum eadem quoque prædictis eſt ratio: ambo enim adſtringunt, ſed multò fortius Meſpila, quàm ſorba. Quamobrem aluo fluenti in cibo accommodatiſſimè exhibentur: ſorba tamen ipſis ſunt ſuauiora: prorſus namque nihil acerbi, vt Meſpila obtinent, ſed ſuccus eorum citra acerbitatem auſterus eſt. Illud porrò neminem puto latere, hæc omnia parcè, non affatim, vt ficus, vuaſque eſſe comedenda: nequaquam enim eis, vt cibis, ſed vt medicamentis potius indigemus. Hæc nouiſſe longè tibi fuerit vtilius, quam ſi primam huius dictionis ὄυαν ſyllabam ab antiquis Athenienſibus per, o, ſolùm prolatam, ſcriptamque fuiſſe cognoſcas. Meſpila, nullis intus oſſiculis, miſit ad me Verona Franciſcus Calzolarius. Arbor μέσπιλον ἢ μεσπίλη Græcis, Latinis item Meſpilus, & Meſpila nominatur: Arabibus, Zaror, ſeu Zarur, & Alzarur. Meſpilus prima: Italis & Hiſpanis Azarolo. Meſpilus vulgaris, Græcis Μέσπιλος ἢ μεσπίλη. Italis Neſpolo: Germanis, Neſpel: Hiſpanis, Neſperas, Gallis, Neſplier. Bohemis Nyſpule.*

Meſpilus oxyacanthæ inſerta.

Meſpila Aronia.

Meſpilus altera.

## II. MESPILVS ALTERA.



Epimelis Galeni.

Serap. lapſus.

Meſpilorum vſus.

Meſpilorũ vires ex Gal.

Meſpila ſine oſſiculis.

Nomina.

*† Ne videamur hic temerè communem lectionem immutaſſe, quæ eſt pyxacanthæ, lectorem admonere non alienum duximus, variam eſſe huius loci ſcripturam in Græcis tum impreſſis, tum vetuſtis exemplaribus. Verùm ea nobis magis probāda viſa ſunt, quæ habent pyracantham vel oxyacantham (idem enim eſſe putamus,) innixi rationibus, quas in commentario adduximus.*

Meſpilus duplex habetur: I. Meſpilus folio apij C.B. Hæc Aronia Dioſcori. Anthedon dicitur Theophraſto & Plinio. Meſpilus Aronia, Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lob. Tab. Meſpilus prima Lac. Caſt. Paliurus Africana Ruellij, quæ & vinoſa cognominari poteſt, Geſ. hor. Meſpilus propriè, Cord. in Dioſc. Azarolus, Cæſal.

Cæſalp. hæc ſpinoſa quidem eſt, attamen in Italia tanquam magis domeſticam ſpinis carentem obſeruauimus, à Theophraſto capite de Sorbo admoniti. II. Meſpilus vulgaris: apud Theophraſtum & Plinium Setania ſeu Satania cognominatur. Meſpilus, Brunf. Trag. (cui Cratægus Theophraſti) Geſn. hort. Lon. Lob. Dodo. Tab. Meſpilus altera, Dod. gal. Cord. in Dioſcor. cui eſt Epimelis & hamamelis: Meſpilus ſetanea Lugd. Hæc duplex eſt, vulgatior quæ aliquot ſpinis armatur, fructu minore: altera frequenti inſitione miteſcit, nec ſpinis horret, fructumque edit multo maiorem, cuius iconem propoſuit Lobelus editione Belgica. Scaliger meminit Meſpili, cuius fructus albus ſit, maliq́ue magnitudine. Huc referri poteſt & Meſpilus altera humilior, quæ Chamæmeſpilus Geſnero & Lobelo dicitur.

## LOTVS ARBOR. CAP. CXXXIIII.

Lotus arbor eſt vaſtæ magnitudinis, ferens baccam pipere maiorem: dulcem, cibis gratam, ſtomacho facilem. Aluum ſiſtit baccis. Ramentorum ligni decoctum ſiue potu, ſiue infuſione dyſentericis, ac fœminis fluxione vuluæ laborantibus, auxilio eſt: rufat capillos: citam aluum cohibet.

*Lotus (inquit Theophraſtus lib. & cap. quarto de plantarum hiſtoria) proprium genus præſtat, magnitudine quanta pyrus, aut paulò minore, inciſuras folium habet, ac Ilicis eſſe videatur: materies nigra. Genera eius plura fructibus inter ſe diſcreta: fructus magnitudine fabæ: matureſcit vuarum modo, variè colores immutans. Naſcitur vt myrta, aduerſa inter ſe denſus ſuper germina: guſtatu inter Lotophagos dictos prædulcis, ſuauis, innocuus, atque etiam bonæ frugis. Ventri haceſt bonus, ſuauior verò, qui ſine ligno interiori eſt: nã vel genus huiuſmodi eſt, & vinũ eo exprimitur. Multa hæc arbor, fructuq́; copioſa eſt. Exercitum itaque Ophelli cum in Carthaginem proficiſceretur, vel eo fructu diebus pluribus paſtum commeatuum defectu, accepimus. Eſt igitur in Inſula Lotophagia, Pharide vocata, larga copia: hæc autem inſula abeſt, & non multum diſtat. Cæterùm non minor in continenti, ſed longè largior eſt: plurima enim hæc omnino in Lybia: hæc Theophraſtus. Cui ſubſcribit lib. 13. ca. 17. his verbis. Eadem Africa, quà pergit ad nos, inſignem arborem Loton gignit, quam vocant Celtim, & ipſam Italiæ familiarem, ſed terra mutatam. Præcipua eſt circa Syrtes, atque Naſamenas. Magnitudo, quæ pyro. Inciſuræ folio crebriores, alioqui Ilicis viderentur. Differentiæ plures, eæq́; maximè fructibus fiunt. Magnitudo huic fabæ, color croci, ſed ante maturitatem alius, atque alius, ſicut in vuis. Naſcitur denſus in ramis myrti modo, non vt in Italia Ceraſi, tam dulci ibi cibo, vt nomen etiam genti terræque dederit. Melior ſine interiore nucleo, qui in altero genere oſſeus videtur. Vinum quoque exprimitur illi ſimile mulſo, quod vltra denos dies negat durare Nepos. Baccaſque contuſas cum Alica ad cibos dolijs condunt, quin & exercitus paſtos eo accepimus, vltro, citroque commeantes per Aphricam. Ligno color niger, ad tibiarum cantus expetitur. E radice cultellis capulos, breueſque alios vſus excogitant. Dioſcorides non aliis notis reddidit Lotum, quàm quòd arbor eſſet vaſtæ proceritatis. Cui ſubſcribens idem Plinius libro 16. capit. 30. ſic inquit. Lotus præcipuè domibus expetitur, ramorum petulantia, latiſſima expatiantium vmbra, & in vicinas domos ſæpè tranſilientium. Item eodem loco ita ſcribit: Loti fructus ſylueſtris quidem eſt, ſed ceraſorum penè natura. Nulli breuior opacitas, nec aufert ſolem hyeme decidentibus foliis. Nulli cortex iucundior, aut oculos ex-*

Loti arboris hiſtoria ex Theophr.

Vinum è Loto.

Lotus Plinii.

### I. LOTVS.



### II. PSEVDOLOTVS.



cipiunt

cipiens blandius. Nulli rami longiores, validioreſque, aut plures, vt dixiſſe totidem arbores liceat. Cortice pelles tingunt, ſe dice Lanas: & libro 17. capite 1. lotos ingentes eſſe arbores quoque oſtendit his verbis. Eæ ſex arbores fuere Loti patula ramorum opacitate laſciua. Cæterùm non ſolum ingentes eſſe arbores Lotos teſtatur Plinius, ſed etiam in longas perdurare ætates lib. 17. idem oſtendit his verbis: Romæ vero Lotos in Lucinæ area anno qui fuit ſine magiſtratibus 369. vrbis ædem condita: incertum ipſa quanto vetuſtior: eſſe quidem vetuſtiorem non eſt dubium, cum ab eo luco Lucina nominetur. Hæc nunc circiter annum 450. habet. Antiquior illa eſt, ſed incerta eius ætas, quæ capillata dicitur, quoniam Veſtalium Virginum capillus ad eam defertur. Verùm altera Lotos in Vulcanali, quod Romulus conſtituit ex victoria de Decumis, æquæua ibi intelligitur, vt autor eſt Maſſurius. Radices eius in forum vſque Cæſaris, per ſtationes municipiorum penetrant. Quamobrem putauerim ego, ſi modo hodie Loti naſcuntur in Italia, eum non aberrare, qui veram lotum, præſertim Dioſcoridis, & Plinio, eam eſſe arborem dixerit, quæ in Tridentino & Goritienſi agro vulgo Bagolaro vocatur: in Veronenſi verò, & in aliis quibuſdam Italiæ locis, Perlaro. Siquidem licet harum arborum multæ pyri magnitudinem æquet, pleræque tamen conſpiciuntur, quæ longè admodum pyrum proceritate vincunt. Hæ itaque præterquam quòd caudice cõſtãt craßißimo, ramis latißimis in altitudinem latitudinemque ſe extollentibus: cortice ſpectantur læui, colore in cæruleum nigreſcente. Quo fit, vt is grato coloris aſpectu reſpicientium oculos mirum in modum ad ſe alliciat, vt tradidit Plinius. Foliis virent ilici proximis, per ambitum ſerratis, aſperisq́; quæ medio autumno flacceſcunt. Fructus eis (vt Plinius libro 13. & decimo ſexto inquit) ceraſorum ſimilitudine, qui vt illa, longiore pediculo pendet: is primo viret, mox in candidum flaueſcit, deinde per maturitatem rubeſcit: deniq́; poſtquàm maturuerit, nigricat, guſtu non ingrato. Quæ omnes huiuſce arboris delineationes ac notæ, Dioſcoridis, & Plinij loto planè reſpondere videtur. Non deſunt tamen, qui noſtræ refragentur ſententiæ, cenſentes fortaſſe Lotum haud prouenire in Italia, ſed his maximè repugnat Plinius, qui Lotum Italiæ familiarem eſſe affirmat. Itaque cum nulla alia arbor creſcat in Italia, quæ Plinianam referat lotum, quàm ea de qua diximus, nulla ratione poſſumus, debemuſq́; à noſtra deflectere ſententia. Quare non equidem diffitebor, Lotum quoque hoc æuo Italiæ eſſe copioſam. Cæterùm neſciuerim ego, quorum teſtimonio, & auctoritate fretus Ruellius lotum exiſtimauerit plantam exiguam illam, quam Hetruſci vulgò Agrifolio dicunt: è cuius cortice (vt ſuperius de paliuro differentes diximus) vti ex viburno noſtro, vulgò verò lantana, quidam viſcum conficiunt, quo aues capiuntur. Quæ ſanè opinio tãtùm abeſt ab hiſtoria loti, quam ex Theophraſto, Plinioq́; retinemus, vt etiam ei prorſus aduerſetur: quippe quoniam Agrifolium arbor eſt, perpetua virens coma, foliis admodũ per ambitum aculeatis, exigua proceritate, & cortice viridi: quæ notæ penitus loti deſcriptioni repugnant. Atqui videnda magis videtur Anguillarij diligentia in vertenda ex Theophraſto Loti hiſtoria in Italicum ſermonem. Siquidem is, dum neſcio quos carpit, quod perperam (vt ille putat) Theophraſti lectionem verterint, ipſe præ cæteris dum ſe peritißimum eiuſdem interpretem facit, erroribus illis omnibus, quibus alios accuſat, apertißimè notari poteſt. Nam vbi Theophraſtus habet ἢ καθάπερ τὰ μύρτα, παράλληλα ille quidem vertit. Come quelli del Myrto intrecciati, id eſt Myrti modo triplici ordine implicitis. Deinde vbi ſtatim Theophraſtus habet πυκνός ἐστι τῶν βλαστῶν, manifeſtò declarans fructum ipſum deſum prouenire ſuper ramorum germina: ille ad arborem, non ad fructus reſpiciens, autoris ſententiam deſtruit, his verbis: è copioſo di germogli: id eſt germinibus copioſus eſt. deinde, vbi paulo inferius Theophraſto legitur καὶ ἔστι πρὸς τὴν κοιλίαν ἀγαθόν. ἡδίων δ' ὁ πύρηνος ἔστι γὰρ καὶ τοιοῦτον γένος ποιοῦσι δὲ οἶνον ἐξ αὐτοῦ, inutile admodum, & ſine vllo prorſus ſenſu, vertit Anguillarius hoc modo: Ma di queſto è piu ſoaue il primo, percioche ve n'è vna ſorte coſi chiamata, & di queſto ſe ne faceua vino: id eſt, iſto ſuauior eſt primus, quoniam genus vnum eſt ita vocatum, ex quo vinum parabatur. Hæc qui viderint, facilè cognoſcent Anguillarij in Græcis literis peritiam. Præterea manifeſtò is hallucinatus deprehenditur, vbi Plinij authoritate parari vinum dicit ex eo loti arboris fructu, qui nucleum habet. Siquidem contra Plinius ex iis loti baccis vinum fieri ſcribit, qui ſine interiori nucleo habetur: quemadmodum ſcribit etiam Theophraſtus. Sed de his ſatis. Cæterùm miſit ad me plantam, cuius hic imaginem damus, Conſtantinopoli allatam, Augerius de Buſbecke, vir quidem clarißimus, cui ſubſcriptum erat, Dactyli ex Trapeſonda dulces, & guſtui delectabiles. Hanc itaque ego inter Lotorum genera annumerandam cenſerem: & præſertim, cum legerim apud Athenæum eadem de loto ſcripſiſſe Polybium, quæ de dactylis ſcripſit Herodotus. Pſeudolotus arbor eſt procera, foliis latis oblongiſque, firmis ac neruoſis, fructu Sebeſtenorum effigie, ſed longè minore, colore per maturitatem cæruleo, pluribus intus oßiculis, ſapore non ingrato. Italiæ peregrina hæc arbor eſt, & raris in viridariis habetur. Eadem ferè illi qualitates ſunt, quæ legitimæ loto tribuuntur. Vires quoque eædem illi ſunt, ſi rerum experimentatoribus credimus. Non rectè ſentiunt, qui Pſeudolotum hanc Guaiaci plantam eſſe putãt. Nec fortaſſe ab re fuerit, inter lotos recenſere aliam quoque plantam, quam hic Pſeudoloton vocauimus. Lotus Africana altera, arbor eſt procera, foliis alterius loti latioribus, baccis rotundis, acuminato tamen cacumine, colore cæruleo ſubnigricante. Hæ pediculis carent, calyculis tamen ima parte obductis perinde ac glandes, & Mixa, arboris ramis & ſurculis ſeriatim cohærent. Habentur arbores multis in locis in Italia, è longinquis tamen regionibus allata. Sunt qui velint arborem hanc eiuſdem cum loto pollere viribus: id quod nos quoque putamus. Aberrant, qui hanc loti ſpeciem, Guaiaci eſſe plantam contendunt. Sed hæc obiter dicta ſint, vt alij quoque, qui rem plantariam excolunt, ſuam his mentem adhibeant. Sunt etiam qui putent

Lotum

## LOTI AFRICANAE SPECIES.



Lotũ longæuam admodum eſſe arborem.

Lotus Italica.

Loti Italicæ hiſtoria.

Ruellij error Agrifolium lotum cenſentis.

Anguillarij lapſus in Theophraſti verſione.

Angui. lapſus in Plin.

Dactyli ex Trapeſunda.

Pſeudoloti deſcrip.

Loti Africanæ deſcrip.

*Lotum Athenæo, Zyzyphum eſſe noſtratem, ſed decipiuntur, quod Zyzyphus folia non ferat Rhamno latiora, nec baccas rotundas puniceaſq; ſed oblongas, & aureas potius, quàm rubentes. Quinetiam, quòd Zyzypha eſui ficubus, dactyliſque haud perſimilia ſint, nec eos odoris ſuauitate præcellant. Lotum ſcriptis tradidit Galenus libro 7. ſimpl. med. his verbis. Lotus arbor non ita multa adſtrictoriæ qualitatis eſt particeps, ſed & tenuium partium eſt, & exſiccatoria. Itaque lignorum ipſorum ramenta muliebri accommodantur profluuio, & dyſenterijs, & cœliacis affectibus. Decoquuntur verò interim in aqua, interim in vino, nimirum prout vſus popoſcerit, nec infunduntur tantùm, ſed & bibuntur. Quinetiam quòd pilos defluentes cohibeat, non paruum ſignum eſt ipſum adſtringentis eſſe cuiuſdam, ſimiliter mediocriter deſiccantis facultatis. Dictum quippe eſt & in ſermone de ladano, eiuſmodi eſſe facultatis oportere, quod fluentes capillos eſſet cohibiturum. Plãta, quæ Græcis λωτὸς δένδρον, Latinis Lotus arbor, & Celtis appellatur: Arabibus, Sadar, Sedar, ſeu Alſadar: Italis, Loto albero, Bagolaro, ſiue Perlaro: Germanis, Zurgelbaum: Gallis, Alyſier: Hiſpanis, Almez. Pſeudolotus, Italis, Loto baſtardo. Lotus Africana altera, Italis, Legno ſanto, ſed falsò.*

Lotus Athenæi non eſt Zyzyphus.
Loti vires ex Galeno.
Nomina.

I. Lotus arbor, Lotus Celtis Plinio: Fraxinagolum, Creſcentio: recentioribus Lotus, & Lotus arbor.
II. Loti Africanæ nomine quæ proponitur, à quibuſdam Dioſpyros Theophraſti cenſetur, Lotus & Faba Græca, Plinio, Cæſalpinus ſuſpicatur apud Plinium inter Mala eſſe Tuberum alterum genus, quod Sericum cognominatum eſt à colore. Guaiacum Patauinum, Geſ. hor. (cui & viſcago) Lob. cui & Lotus vera Theophraſti: Dioſpyros ſiue Faba Græca, Lugd. Ermellinus Cæſ. Guaiacana vulgò, Camer. Pſeudolotus, Tab. Ceraſum Trapezuntiũ Cõſtantinopoli vocari teſtatur Bellon. Figuræ duæ adpoſitæ Pſeudoloti & Loti Africanæ nomine, videntur foliorum tantùm longitudine, breuitate, anguſtia, latitudine, pro ratione ætatis & loci, variare. Quòd Guaiacum aliqui putarint cauſſa eſt, quòd ligni materia ſit alba, & cor nigreſcens.

## Κρανία. CORNVS. CAP. CXXXV.

Cornus dura arbor eſt, baccas ferens oliuæ modo oblongas, quæ primùm virent, dein per maturitatem a rubeſcunt, aut ceræ colorem repræſentant. In cibo adſtringunt: profluuio alui, atque dyſenteriæ ſalutares, ſiue in edulio, ſiue in defruto exhibeantur. Mtria, vt oliuæ condiuntur. Sanies, quam virentia folia torrendo reſudarunt, impetigini conuenienter illinuntur.

a Metin & Drag. ξανθὸν ἢ κηροειδῆ. i. flauus aut ceram colore referens, ſed Catacuz. ξανθὸν ἢ κροκοειδῆ. i. flauus aut croceus.

I. CORNVS.



*Cornus eſt vulgaris notitiæ. Cæterum (vt lib. 3. de plantarum hiſtoria, cap. 12. memoriæ prodidit Theophraſtus) ſexus in ea duplex inuenitur. Namque conſurgit mas duodecim cubitorum altitudine: folio amygdalæ, niſi quòd pinguius, craſſiuſq;: cortice neruoſo, & tenui: caudice non minus craſſo. Fœmina virgas paruas, ficut ſalix amerina, ſuo latere proſert, & fruticoſior eſt. Nodos ambæ, perinde ac vitex, tum geminatos, tum inuicem congruos habent. Materies maris excors, totaque ſolida, cornibus denſitate, firmitateq; ſimilis, vnde illi nomen. Fœmina verò medullam continet & mollior eſt, atque cauatur: ob id ad venabulorum vſum inutilis. Qui Idam Troianam incolunt, marem ſterilem dicunt: fœminam autem fructuoſam. Nucleum fructus oliuæ ſimilem habet, guſtu dulcis, odoratuq; gratus. Flos oleæ, & floret, fructificatq; eodem modo, vt ſingulari pediculo plura proferat. In Macedonia verò (veluti etiam in Italia) ambæ fructiferæ ſunt: ſed mas per æſtatem, fœmina verò per autumnum baccas maturat, huius tamen baccæ tantum maſculæ bonitate cedunt, vt mandi vix poſſint. Porrò cauendum eſt, ne corni arbores prope aluearia conſerantur, vel à natura productæ ibidem permittantur: quandoquidem apes flore eius deguſtato aluo citata commoriuntur: atqui contrarium in homine operatur. At certè mirandum eſt, quòd ſcriptis mandauerit Theophraſtus, Cornum arborem amygdalæ folio vireſcere, cùm longè diuerſo prorumpat. Eaque propter dixerim ego, aut in Theophraſti exemplaribus hoc loco mendum ſubeſſe, aut in Ida monte prope Troiam tum ſoli, tum etiam cæli magis æſtuãte natura, corno folia adeò reſtringi, vt amygdalæ quadantenus æmula videantur: etſi meo quidem iudicio, potius putandum ſit, Theophraſti lectionem hoc in loco deprauatam eſſe. Arbor eſt Cornus mediocris proceritatis, plerumq; fruticoſa, virgis numeroſis, è breui caudice emergentibus, nodoſis, firmis, robuſtiſq;. Tota arbor ſcabro veſtitur cortice, adſtringenti admodum ſapore: proinde expetitur piſtrinarijs fabris, ad parandos rotarum dentes: folia illi ſunt ſanguineæ virgæ, tactu leuia, mediocriter craſſa, ac venoſa. Flores edit muſcoſos aurei coloris, è quibus baccæ oriuntur rubentes, oblongæ oliuarum figura, & ſingulari pediculo, præduro intus oſſiculo, oliuæ modo, in quo nucleus, ſapore dulci, odoratuque gratus. Fit ex baccarum pulpa quoddam obſonij genus cydonite non diſſimile. Quin & ex eorum decocto, & ſacchari liquor ignis opere, & coctura concreſcit, coagulaturque, qui præterquàm quòd gratiſſimo placeat guſtu, datur vtiliter dyſentericis, ac fœminis menſium profluuio laborantibus. Aduerſatur cornus à canibus rabidis demorſis, vt inferius libro ſexto, diffuſius dicemus. Corni vires memoriæ prodidit Galenus libro ſeptimo de ſimplicium medicamentorum facultate, ſic inquiens. Corni arboris fructus admodum acerbus eſt, eſui aptus. Itaque mirum videri non debet, ipſum valenter ventrem reſtringere, ſicut & meſpila. Folia quoque & germina guſtu acerba ſunt.*

Corni hiſtoria ex Theophraſto.
Theophraſti locus ſuſpectus.
Corni hiſtoria.
Cornorum vſus in cibis.
Corni vires ex Gal.

## II. VIRGA SANGVINEA.



Virgæ Sanguineæ conſideratio.

Ol. ex virgæ ſang. baccis.

Virga ſanguinea Plinii.

Nomina.

*ſunt, valenterq́ deſiccant. Itaque maxima vulnera glutinare poſſunt, potiſsimum durorum corporum: at paruis vulneribus, & mollioribus corporibus magis contraria ſunt. Nam nimium ea contendunt, ac plus ſatis deſiccant. Corno haud longè abſimilis eſt planta, quam nos vocamus in Hetruria à ſanguineo virgarum colore vulgari idiomate* SANGVINO, *& Sanguinello. Creſcit hæc in dumetis, & ſepibus: arbor eſt fruticoſa, virgis Corno tenuioribus, robuſtis, nodoſisq́. Cortice ſanguinis modo ruſeſcente: foliis Corno proximis, paulo tamen breuioribus ac latioribus, firmis, neruoſis, & rubenti pediculo nitentibus. Floret Vere vmbellis albicantibus, quarum flores baccas edunt, racematim cohærentes, ſanguineis, tenuibusque petiolis appenſa, orobi magnitudine, primùm virides, & per maturitatem nigricantes: è quibus Ananienſia rura, in Tridentino agro, oleum conficiunt ad lucernarum vſum, expreſsis torculari, decoctis prius in aqua baccis. Ligni materies dura oſſeaq́ habetur, corno minimè cedens, ob idq́ ſunt qui velint hanc Cornum eſſe fœminam, ſed non video, quibus argumentis hoc probare nitantur. Atqui fortaſſe à ſcopo non longè aberraret qui diceret, hanc virgam eſſe ſanguineam, de qua Plinius meminit libro 24. ca. 10. his verbis. Nec virga ſanguinea felicior habetur, cortex eius interior cicatrices, quæ præſanauere, aperit: Hæc ille. Sed an planta, Sanguino nobis vocata id præſtare poſsit, nondum periculum feci, quo fit, vt hanc ſententiam non auſim affirmare, cum nullis notis de ea meminerit Plinius. Baccæ quæ ad maturitatem peruenerunt, amaro, acerbo, adſtringentiq́ ſapore deguſtantur: itaque abſtergunt, roborant, cohibent ac repellunt: quare oleum, quod ex iis exprimitur, tale quoque eſſe neceſſe eſt. Porrò plura non habeo, quæ de hac planta in medicum vſum veniant. Arbor, quæ Græcis κρανία, Latinis Cornus vocatur: Italis, Corniolo, veluti fructus eius Cornole, & Cornie. Germanis arbor,* Cornelbaũ/ Kurbeerbaum/ *&* Dierlein: *fructus verò* Welſch Kirſchen: *Hiſpanis, Cornizoles: Gallis, Cornier, fructus verò Corneille: Bohemis, Driukouuy, à virga ſanguinea, Italis, Sanguineo, & Sanguinello.*

Cornus mas eſt & fœmina: Mas ſatiua & ſylueſtris: Satiua fructu rubro, ceræ item colore & albo. Sylueſtris fruticat tantùm & fructu eſt dulciore. I. Cornus mas Theophraſti: Cornus Dioſcoridis: Cornus ſatiua & mas, Cord. in Dioſc. Cornus mas, Dod. gal. Geſ. hor. Lug. Caſt. Cornus, Trag. Lon. Lob. Lac. Dod. Cæſalp. II. Cornus ſylueſtris ſeu fœmina Theophraſti. Virga ſanguinea Plinii, Geſn. hor. Dodo. Sanguinus Creſcentio, Caſt. Sanguen vulgo, Cæſalp. Hartrigel Trago: Cornus fœmina, Dod. gal. (cui & Opulus Columellæ) Geſ. hor. Lob. Bellon. Lugd. Tab. Thal. Cornus ſylueſtris & Oſſea Loni. Pſeudocrania, Cord. in hiſtoria ſua.

## Οὖα. SORBA. CAP. CXXXVI.

a [illegible]

SOrba a colorem luteum referentia, priuſquàm matureſcant, diſſecta, & ſole ſiccata manduntur, vt aluum ſiſtant. Eadem eſt functio molitorum farinæ, ſi polentæ loco ſumatur. Quod & decoctum eorum in potu præſtat.

Sorborum conſideratio & genera.

Sorbæ ſylueſtris hiſtor.

*SOrba fructus ſunt in Italia vulgatiſsimi, nulliſq́ non cogniti. Habentur ferè vbique locorum in campis, vineis & viridariis. Duorum ſunt generum quæ domeſtica ſunt, quemadmodum & quæ ſylueſtria. Domeſtica pomorum diuerſitate noſcuntur: nam alterum quidem mas, alterum fœmina, quæ pomorum diuerſitate noſcuntur. Vtraque arbor caudice exit recto ac longo, ramis in altum aſſurgentibus: folio Fraxini ſed anguſtiore, auerſa parte albicante, & per ambitum ſerrato: album edit florem, racematim prodeuntem, è quo fructus exeunt in racemi modum, & ex vno tantum exortu pediculos ducentes, in altera quidem orbiculati, & ſucco odoratiore, ac mitiore: in altera verò ouati pyri faciem referentes, & guſtu aſperiores, inſuauioreſq́, & minus olentes, colore ſubpallido, & in latere ruſeſcente. Hic maris, ille fœminæ eſſe creditur. Decerpuntur immatura Autumno, & in manipulos colligata ſuſpenduntur, vel reponuntur ſubſtratis ſtraminibus, vt ita miteſcant, nam aliter præ nimia auſteritate nec mandi, nec deglutiri poſſunt. Ligni materies ſolidiſsima, ac compacta: ideoque ad menſas parandas lignarijs fabris perquàm libenter expetitur, quemadmodum & virgæ à bubulcis ad ſtimulos parandos. Cortice veſtitur ſcabriuſculo, colore ex flauo albicante. Radix illi rara, craſſa, ſolida, atque deſcendens. Datur vtiliter farina delingenda dyſentericis, cœliacis, & ſanguinem reiicientibus, ac etiam fœminis vterinis fluxibus opportunè. Sylueſtrium (vt diximus) ſimiliter genera duo. Vnum quod propriè ſylueſtre appellatur, alterum quod Terminale vocat Plinius.* SYLVESTRE *ferè facie à ſatiuo non differt, præterquàm fructu, qui ex muſcarijs vmbellatim ſambuci modo prodit, crocantibus in ruſam baccis oxyacanthinis magnitudine ferè æqualibus, ſapore tamen à domeſticis non parum diſsimili, acerbo, adſtringentique. Prouenit ſyluoſis ac frigidis locis inter cæteras agreſtes plantas. Baccæ adſtringunt, ſiccant & repellunt.*

I. SORBVS DOMESTICA.



II. SORBVS SYLVESTRIS.



III. SORBVS TORMINALIS.



*& repellunt, quæ per hyemem à ruſticis ad aucupia aſſeruantur: ea enim turdis gratiſſima ſunt. Arboris virgæ quod ſolida, robuſtaque ſint materie, expetuntur à ruſticis pro ſtimulis boum parandis.* TORMINALIS *folio eſt vitigineo, Platani modo, laui, haud infirmo: baccis oblongis, aſperiuſculis, teretibus, racematim coeuntibus, & longo pediculo appenſis, coronato vmbilico, colore ferrugineo, ſapore per maturitatem acido, & auſtero. Arbor ipſa ſpectatæ ſatis habetur proceritatis, cortice abducta laui, & materie haud fragili. Naſcitur in ſyluis, cum cæteris ſylueſtribus. Baccæ adſtringunt, non tamen adeo valenter, vt domeſticæ. Poſſunt eadem omnia quæ domeſtica, ſed inefficaciora habentur. Aſtringunt enim aluum, & dyſentericorum torminibus vtilia ſunt, vnde illi nomen. Hanc Anguillarius manifeſto ſanè errore Cratægum eſſe cenſet. Siquidem Theophraſto libro 3. capit. 15. de hiſtoria plantarum, Cratægus folio Meſpili prolixo ſcilicet eſt, verùm maiori, latiori, oblongiorique, nec ſerrato quemadmodum illa ſit. Atqui quantum diſtet Torminalis ſorbi folium à Meſpili foliis, manifeſtè teſtatur Plinius libro 15. cap. 21. quippe qui Torminali Sorbo Platani, non Meſpili folia eſſe ſcribit. Adde quòd huic Sorbo ligni materies, nec verſicolor ſit, nec valida, nec flaua, qualis Cratægo eſſe debet, ſi Theophraſto credimus. Quinetiam nec fructus conuenit, qui in hac Sorbo oblongus ſemper viſitur, in Cratægo vero magna ex parte turbinatus. Sorba, teſtimonio Galeni tum libro 8. ſimplicium medicamentorum, tum libro 2. de alimentorum facultatibus, eandem adſtringendi naturam præſtant, quam meſpila, ſed imbecilliore effectu. Vtraque tamen in medico vſu magis, quàm in cibis expetuntur, probanturque. Sorbi fructus Græci οὖα: Latini, Sorba: Itali, Sorba: Germani,* Sporerling / Sporoepffel / Sperberen: *Hiſpani, Sorbas: Galli, Sorbes & Corniers nominant: Bohemi, Kzerbiny. Sorbus ſylueſtris, Italis, Sorbo ſaluatico: Ananienſibus, Temelo. Sorbus torminalis, Italis, Sorbo torminale, & Sorbo ſaluatico: Germ.* Wilder Sperwerbaum: *Bohemis, Vuoſkeruſſe.*

Sorbi Torminalis conſideratio.

Anguill. Cratægũ malè.

Sorborum vires ex Gal.

Nomina.

Sorbus

Sorbus alia ſatiua, alia ſylueſtris, quæ duplex: ſatiua variat & forma & ſapore fructus. Forma, alia orbiculata, vt mala: alia oblonga, vel turbinata, vt pyra: alia ouato fructu. Orbiculata, dulciora & odoratiora: ouata verò, acida & minus odorata. I. Sorbus fructu ouato Theophraſti. Sorbus, Brunf. Trag. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. Lac. Lon. Geſ. hor. Cæſ. Tab. Lugd. Sorbus domeſtica, Caſt. Lobel. cui & Oſtria Theophraſti. Sorbus eſculenta, Cam. Sorbus ouata, Fuch. Sorbus legitima Cluſ. Pann. II. Sorbus ſylueſtris: Caſt. Tab. Sorborum quartum genus Plinio: Fraxinus Bubula, Dod. gal. Fraxinea arbor, Trag. Fraxini ſpecies, Lon. Ornus, Geſ. in fracto Dod. Ruell. Sorbus ſylueſtris alpina, Lob. Sorbus aucuparia, Cluſ. Pann. Thal. Cam. Sorbi quintum genus, Cord. in Dioſc. III. Sorbus Torminalis, Cord. hiſt. Geſ. hor. (cui & Meſpili aroniæ ſylueſtris ſpecies) Dod. Cluſ. Pann. Lob. Lugd. cui & torminalis vera, Lonic. Tab. Cæſalp. Thal. Cam. Sorbi quartum genus, Trag. Cord. in Dioſc. Sorbi ſylueſtris alia ſpecies, Caſt. Cratægus Theophraſti: Anguil. Lugdunenſi hiſtoriæ.

Κοκκυμηλέα. PRVNVS. CAP. CXXXVII.

PRunus arbor eſt nota, cuius pomum eſtur, ſed ſtomachum malè habet, aluum mollit. Syriaca pruna, & præcipuè quæ Damaſci gignuntur, exiccata ſtomacho vtilia ſunt: aluum adſtringunt. Folia pruni in vino decocta, collutione & gargarizatu, vuam, gingiuas, & tonſillas fluxione laborantes reprimunt. Præſtant idem ſylueſtrium Prunorum baccæ, poſt maturitatem exiccatæ: cum ſapa verò decoctæ ſtomacho vtiliores redduntur, aluumque magis adſtringunt. Gummi prunorum agglutinat: a potum in vino calculos comminuit: ex aceto quoque illitum, lichenas infantium ſanat.

a Addit Cat. περιμπλάστικον. i. cutis meatus obſtruens.

I. PRVNVS.



II. PRVNVS CEREA.



Prunorum conſideratio.

*PRunorum differentiæ inexplicabiles ferè ſunt, facie, magnitudine, colore & ſapore differentia. Nam alia reperiuntur herbaceo colore perfuſa, alia rubeo, alia eburneo, alia luteo, alia purpureo: quædam deinde magna, quædam vero parua: quædam mediocria: dulcia nõnulla, alia acida, alia vinoſa, alia dura, alia mollia: alia denique rotunda, alia oblonga, alia ouata conſpiciũtur. Arbor eſt procera, radicibus haud altè deſcẽdẽtibus paucisq́, caudice ſubrecto, cortice ſcabro, multis ramis brachiato, foliis latis oblongisq́, per ambitũ ſerratis: floribus cãdidis, foliatis, racematim prodeũtibus. Fructu carnoſo, tenui veſtitus cuticula, oſsiculo intus oblongo, in quo nucleolus. In vineis, hortis & viridariis habetur. Cæterũ licet Dioſ. pruna Damaſcena ſicca aluum ſiſtere prodiderit, Galenus tamen aliter ſenſiſſe videtur ſeptimo ſimplicium cenſu, vbi ſic inquit: Pruni fructus ventrem ſubducit, recens quidem plus, aridus verò minus. Sed haud ſcio, cur Dioſcorides pruna Damaſcena ſiccata ventrem ſiſtere dicat, cùm & ipſa perſpicuè ſoluant, minus tamen iis, quæ importantur ex Iberia: hactenus Galenus. Atqui in hoc Braſauolus Ferrarienſis medicus noſtræ ætatis clariſsimus, apertè refragatur Galeno in ſimplicium medicamentorum omnium peritiſsimo æquè atque doctiſsimo, ſuo de ſimplicium examine, vbi Galenum ſcribit hac in re, non Dioſcoridem fuiſſe deceptum. Quippe quòd Galenus non animaduerterit, Dioſcoridem de ſiccis prunis Damaſcenis loqui: quæ præterquàm quòd ſicca ſunt, guſtu etiam acida ſentiuntur, & adſtringentia. Qua quidem in re Braſauolus potius (pace ſua dixerim) planè hallucinatus, & à recto veritatis tramite lapſus deprehenditur, quandoquidem non meminerit, quod non ſolũ pruna Damaſcena ſicca, ſed etiam alia quàm plurima ſimplicia medicamẽta deiectoriam ſimul & adſtrin-*

Galeni tutela contra Braſauolum.

adſtringentem vim obtinent, vt manifeſto teſtimonio ſunt tamarindi, & myrobalanorũ omne genus: item rhabarbarum, & alia pleraque, quæ præter id quod primùm aluum deiiciant, poſtea illam adſtrictam relinquunt. Quam ſanè prunorum facultatem etſi Braſauolus non perpenderit, Galenus tamen optimè nouit, & expertus eſt. Idcirco cum loco citato pruna Damaſcena ſicca aluum ciere tradiderit, eadem etiam adſtrictoria vi pollere, lib. 2. de alim. facultat. his verbis atteſtatur: Prunis æquè ac ficubus conceſſum eſt, vt vel exiccata vtilia permaneant. Damaſcenis à Damaſco Syriæ monte, in quo naſcuntur, appellatis, prima laus bonitatis magna hominum opinione defertur: proxima iis, quæ in Iberia, & Hiſpania proueniunt. Verùm hæc quidem nihil adſtrictionis præ ſe ferunt: nonnulla verò Damaſcenorum vel plurimum. Probatiſſima in his ſunt, quæ cum mediocri adſtrictione, magna laxaq; ſunt. At parua, dura, acerbaq; & in cibo praua ſunt, & ventri ſubducendo minùs idonea: hæc Galenus. Ex cuius verbis ſatis conſtare arbitror, nulla ferè ratione, nec niſi inualidis admodum argumentis Braſauolum adductum fuiſſe, vt hac in re Galenum ipſum accuſaret, quaſi Galenus omnino ignorauerit, quam ſapores, quam odores, quam cætera denique non fructuum modò, ſed & omnium ferè ſimplicium medicamentorum qualitates naturam & facultatem ſortita eſſent. De quibus omnibus adeò doctè, & copioſè diſputauit, vt parem nunquam repererit neminem, vt omnibus perſpicuum eſt ex ſuis primis quinque libris, quos de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus accuratiſſimè conſcripſit. Huic ſententiæ æquè & rationibus accedit quoque communis medicorum experientia: nempe quòd compertum ſit, pruna Damaſcena laudatiſſima, iis ſimilia, quæ Galeno præferuntur, eſu ventrem ſoluere non ineſficaciter, adſtricta aluo poſtmodum relicta, tamarindorum, & myrobalanorum modo. Sic igitur Galenum à Braſauoli reprehenſione ſeruaſſe volumus. Sed ſi Dioſcoridem quoque tueri velimus, nil aliud dicẽdum putauerim, quàm quod pruna Damaſcena ſiccata aluum adſtringere tradiderit, vt referuntur ad alia, quæ minus adſtringunt: non tamen, quòd noluerit, ea eſſe deiectoriæ facultatis expertia. Porrò pruna bilem deiiciunt: proinde ea vtiliter vſurpant medici ad febres, aliosq; bilioſos affectus: quin & ſeplaſiariis expetuntur, quippe qui ex iis quotannis electaria, intinctus, liquoreſq; varios parare conſueuerint, quibus non modò ſani guſtu non ingrato delectantur, ſed etiam qui languent, refocillantur. Habetur & in Aegypto prunus (vt Theophr. eſt auctor lib. 4. cap. 3. de plant. hiſt.) inſignis magnitudinis, fructum ferens natura & magnitudine meſpilis proximum, niſi quòd rotundum nucleum habet. Florere incipit menſe Iulio, fructum circa brumam perficit, nec folia dimittit. Qui circa agrum Thebanum habitant, propter arboris copiam fructum ſiccant, & oſſe exempto tundunt, offaſq; faciunt: hæc Theophraſtus. Pruna quæ dulcia ſunt, minus frigidæ naturæ poſſident, contra verò acida, & auſtera: atqui omnia frigida, & humida ſunt. Palma datur (vt Galenus inquit) Damaſcenis, quæ ſicca ex Syria Venetias importantur. Secundas tenent in Germania, quæ ex Pannonia, & Tranſyluania conuehuntur: in quorum genere, quæ minuſcula ſunt, maiorem cum palato ineunt gratiam, in vino decocta, & ſacchharo aſperſa. Hoc enim modo parata, & primis menſis deuorata, præter id quod eſui placent, commodiſſimè aluum citant: nihil enim adſtrictionis habent, ſed dulcia ſunt. Habetur & SYLVESTRIS prunus, in dumetis, ſepibus & ſyluis creſcens. Pumila eſt arbuſcula fruticoſa, & vbique aculeata, folio ſatiuæ pruni, verum longè anguſtiore, duriore, aſperioreq;. Vere floret floribus

Prunorum vſus.

Prunus Aegyptia.

Prunorum facultas.

Pruni ſylueſtris conſid.

III. PRVNVS SYLVESTRIS.



PRVNVS SYLVESTRIS florens.



albis numeroſiſque, è quibus baccæ proueniunt magnitudine vuæ acinis æquales, colore in purpura nigricante, viridi intus pulpa, auſtero, & adſtringenti admodũ guſtu, in quo oſſiculũ includitur ceraſorũ ſimile. Tota planta exiccanti & adſtringenti facultate præſtat, quẽadmodũ & baccæ. Baccæ cœliacis, & dyſentericis vtiliter deuorantur. Eadẽ cũ arbuſculæ radicibus ex aqua, vel vino auſtero decocta, ſanãt oris, linguæ & gingiuarũ vlcera, & fluxiones, quinetiã columellæ & faucium

Pruni ſylueſtris vires.

## IV. PRVNVS SEBESTENA.



vlcera, tum collutione, tum gargarizato earũ decocto. Quãobrem non parum recreantur hoc medicamento, qui hydrargyro peruncti, oris vlceribus, & fluxione laborãt, & præſertim addito lycio, alumine, & Rhodomelle. Idem decoctum in deſeſſionibus auxiliatur fœminis vteri fluxionibus obnoxiis. Aqua è floribus diſtillata hauſta, inteſtinorum vermes interficit, oculorumq́; fluxiones cohibet. Non diſsident effigie a prunis, nec diſsimili admodum ſunt facultate fructus ij, quos officinæ Arabes ſecutæ SEBESTENA nominant, quiq́; Græcis Myxa, & Myxaria vocantur. Quod etſi Dioſcorides, & Galenus horum ſuis monumentis non meminerint, de ijs tamen à poſterioribus Græcis, nempe Paulo, Aetio, Pſello, & Actuario frequens facta fuit mentio. Arbores ſeri in Italia cœperunt Plinij ætate: nunc verò nullis ibi in hortis aut viridariis (quod ſciam) virent. Plantæ ramum vnà cum fructu miſit ad me præclariſs. Medicus Gabriel Faloppius Mutinenſis, vir quidem, vt doctrina & facundia præcellens, ita humanitate, & liberalitate illuſtris.

Sebeſten cõſideratio, & hiſtoria.

Eſt itaq; arbor Sebeſtenus pruno non admodum diſsimilis, ei tamen magnitudine cedens. Foliis comatur pruno rotundioribus ac firmioribus, floribus albicantibus, racematim prodeũtibus, è quibus fructus oriuntur prunis paruis ſimiles, calyculo quodam vt glandes, ima parte colligati, oſſe intus triquetro, qui ſatis baccæ proportione correſpondet, in quo nucleus. Ii maturitatem adepti, in atrum vireſcunt, guſtu ſunt prædulci, ac lenta tenaciq́; pulpa. Ex qua Syri, & Aegyptij apud quos proueniunt, vnde ad nos conferuntur, viſcum ad aucupia conficiunt, quod Venetiis Alexandrinum appellant, aucupiis commodiſsimum: Argumẽto ſunt nuclei, qui in eo reperiuntur, color & dulcedo, quæ guſtatu deprehenditur.

Viſcum è Sebeſtenis paratur.

Emolliunt, ſitim ſedant, & aluum citãt. Pollent autem deiectoria facultate, non ſecus atque pruna, tam Græcorum, quàm Arabum teſtimonio: id quod etiam comprobatur quotidiana Medicorum experientia.

Sebeſten facultas.
Fuchſii opin. reprobata.

Tametſi contrarium ſenſerit Fuchſius: quippe qui in ſuis paradoxis capite 27. vt fortaſſe in Arabes inueheretur, quos vbique ferè odiſſe videtur, nullam Sebeſtenis deiectoriam eſſe facultatem contendit, quin potius ea adſtrictoria vi pollere. Sed longè diſſentit ab eo opinio noſtra, & vulgata, comprobataq́; continua medicorum experientia. Quandoquidem quòd Sebeſtena aſſumpta in medicamentis aluum cieant, teſtis in primis eſt Paulus Aegineta, qui lib. 7. de iis verba faciens, ſic inquit: Myxa arboris fructus eſt, minor quidem prunis, facultate verò conſimilis. Ex quibus Pauli verbis elicitur, quòd ita ventrem molliant Sebeſtena, quemadmodum pruna: de quibus idem diſſerens eodem libro Galenum ſecutus: Pruni fructus, inquit, ventrem ſubducit, recens quidem magis, aridus verò minus. Neq; huius rei neſcius Actuarius hæc pluribus commiſcet medicamentis, quæ bilem eijciunt, vt videre eſt ſuo de compoſitione medicamentorum compendio. Eorum inſuper deiiciendæ alui facultatem maximè comprobat vulgaris experientia, clariſſimum omnium lumen.

Sebeſten doſis.

Siquidem (vt iam millies expertus ſum) eorum pulpa drachmarum decem pondere deuorata, aut ad ſummum duodecim, eoſdem ferè præbet effectus, quos Aegyptia ſiliqua caſsia vocata. His ergo rationibus, & auctoritatibus adducor, vt illam quoque Fuchſii opinionem minus probem, quæ eſt, quòd electuarium de Sebeſtẽ officinis dictum ventrem deiiciat, non Sebeſtenorum facultate, ſed aliorum ſimplicium medicamentorum deiectoria vi præditorum, quæ iis adduntur: nam ſi id per ſe præſtant, vt oſtendimus, idem etiam aliis admiſta præſtabunt.

Fuchſius reprehenditur.

Quare, vt ingenuè dicam quod ſentio, non Fuchſius tantùm, quem alioquin ſemper admiratus ſum, vt virum doctiſsimum, & de medicina ampliſsimè meritum: ſed plerique alij, nunquàm adeò Græcis addicti eſſe deberent, vt prorſus à Mauritana familia deſciſcentes, nonnunquam & rationes, & experimenta, firma noſtræ artis & veritatis præſidia, cogantur deſerere. Sed vt eò noſtra vertatur oratio vnde diuerterat, dicimus auctoritatibus & experientia freti Sebeſtena deiectoriam vim habere. Quapropter baccæ à cortice purgatæ vtiliter dantur ex flaua bile febricitantibus, atque (vt auctores ſunt Paulus, Aetius, Pſellus, & Actuarius) linguæ aſperitatem mirificè leniunt: quin & pectori, atque tuſsi & lateris dolore affectis opitulantur: ventris tineas pellunt: vrinæ ardoribus à bile, vel ſalſa pituita prouenientibus maximam opem præſtant: deuorata triginta, aut quadraginta, ex iure carnium macerata, prima ſtatim menſa, aluum commodiſsimè citant: præſtantiora ſunt plena, pinguia, & carnoſa, quæq́; ſitum non redolent, nec teredinem ſenſerunt.

Zizyphorum conſideratio.

Cæterùm quoniam Sebeſtena nobis ZIZYPHA, quæ officinis Iuiubæ dicuntur, in mentem reuocarunt, cùm eorum Dioſcorides nuſquam, quod extet, meminerit, duximus non fore quidem ab re hic eius hiſtoriam & vires diffuſius recenſere. Arbor itaque eſt Zizyphus pruno paulò humilior, candice contorto, cortice ſcabro, vitis ferè viniferæ ſimili. Materie oxyacanthæ proxima, radicibus firmis, ac ſolidis. Spinis vbique fere riget, longis, leuibus, firmis, acutiſsimiſque, colore ex nigro ruſeſcente, quemadmodum & rami, è quibus iuncei quidam proceſſus exeunt, colore pallido, tenues ſparthi modo, lenti, ac flexiles, ſpithama longiores, in quibus vtrinq; per interualla folia exeunt, vt in fraxino, & ſorbo, impari tamen exortu oblonga, non magna, firma, vt in clematide, quam vincam peruincam vocant, & ſenſim per ambitum ſerrata. Flores à foliorum exortu naſcuntur pallidi, & muſcoſi, è quibus baccæ exoriuntur oliuarum inſtar, primum virides, deinde ſubalbicantes, poſthæc aureo colore, & cum ad vltimam venerint maturitatem ruſeſcentes, in quibus nucleus oſſeus concluditur oliuæ ſimilis. Pulpa ante maturitatem ſunt viridi, auſteriuſculo ſapore referta, at in præmaturis, dulcis euadit, & guſtui non ingrata. Quo fit vt zizypha in humiditate, & caliditate temperata habeantur. Seruntur in hortis & viridariis. Galenus, qui (vt nonnulli cenſent) ea Serica vocat, de eorum viribus libro ſecundo de alimentorum facultatibus ſic habet: Ne his quidem, quid ad tuendam ſanitatem, morboſve profligandos valeãt, teſtis eſſe poſſum. Nam ab inſolentibus, ac effrænatis pueris, & mulieribus cibo duntaxat expetuntur. Exiguum præbent alimentũ, difficilè cõcoquuntur, ideo ſtomacho non ſunt vtilia. Eandem ſen-

## V. ZIZYPHA.



*dem ſententiam ex ipſo Galeno ſumptam reddidit Auicenna, cui tantùm illud addidit, quòd ea ad pectoris, atque pulmonis vitia conferant, & quòd quidam (vt ferũt) cum maximè renum, tum etiam veſicæ affectibus prodeſſe cenſeant. Verùm quoniam (vt diximus) ſcribit Galenus, nullam ſe adinueniſſe in Sericis facultatem ad corporum affectus curandos, hinc capta occaſione Fuchſius iterum digladiatur, honeſto quidem ſtudio, non modò cum Auicenna, ſed etiam cum cæteris Arabicæ familiæ auctoribus, aſſerens id omne, quod de zizyphis Arabes ſuis monumentis commendarunt, omnino falſum eſſe, & à veritate alienum. In quo tamen ſi vitium aliquod Mauritanis adſcribendum eſt, illud quoq; Græcis poſterioribus adſcribendum erit. Quandoquidem cõſtat, Actuarium & Græcum, & medicum peritiſſimum, ſuo de compoſitione medicamentorum volumine, zizypha ad pectoris vitia compoſitis medicamentis compluribus admiſcere, vbi ſcilicet ex calidorum humorum redũdantia morbus emerſerit, item eandem in his vſurpare, quæ bilem deijciunt. Quod & Nicolaum Alexandrinum in ſuis compoſitis medic. perſæpe feciſſe comperio. Ideoq; nil mirum ſi ad hæc omnia præſtare zizypha tradiderit Auicenna: namque ſuo lentore, ac ſua, qua ægrè permeant, craſſitie (vt rei veritas adſtruit) ſanguinem craſſum reddunt, qui flauæ bilis redũdantia tenuior, quàm par ſit, redditur. Cùm itaque tradat Auicenna, Zizypha & pectori, & pulmoni prodeſſe, non temerè quidem eum locutum eſſe crediderim (vt fortaſſe aliqui putant) ſed illud ea ratione ſcripſiſſe, vt in morbis tantum calidis, & acutis intelligendum eſſet, in quibus medici vtiliter zizyphis vti poſſint & debeant. Id quod eius verba apertè indicãt, cùm dicat, quòd ſanguinem incraſſant. Neque enim erat Auicenna adeò ignarus, vt datis iam præmiſſis neſciret ſubinde cõcluſionem inferre. Sed certè pulchrum, atque tutum eſſe iudico, quòd quandoque cum mortuis luctemur. Et quoniam (vt ſæpè antea polliciti ſumus) nulli medicorum ſectæ, nec huic magis, quàm illi noſter animus erit addictus, ſed veritati propagandæ, addam ex prædictis rationibus cum Auicenna, eos meo quidem iudicio, labi, ac falli, qui zizyphis ſanguinem expurgari, ac abſtergi contendunt, quiq; ea ijs commiſcent medicamentis, quæ pectoris affectibus frigiditate obortis parari ſolent, vt recentiorum nõnulli, qui zizyphis nulla eorum habita ratione ad quoduis pectoris vitium indifferenter vtuntur, & plerumque cum maximo ægrotantium diſcrimine. Cæterùm an Galeno Serica zizypha ſint, dubitandum ſanè fuerit, cùm aliud Plinio fuiſſe reperiantur lib. 15. cap. 14. vbi ſic habet: Aequè peregrina ſunt zizypha & tuberes, quæ & ipſa non pridem venere in Italiam. Hæc ex Africa, illa ex Syria, Sextus Papinius, quem cõſulem vidimus, primus vtique attulit, diui Auguſti nouiſſimis temporibus in caſtrorum aggeribus ſata, baccis ſimiliora, quàm malis: ſed aggeribus præcipuè decora, quoniam & tecta iam ſylua ſcandunt. Tuberum duo genera, candidum à colore Sericum dictum. Et lib. 16. cap. 25. Ab amygdala, inquit, proximè florent armeniaca, dein tuberes, & præcoces: illa peregrina, hæ coacta. Item lib. 17. cap. 10. Et zizypha ait, grano ſeruntur menſe Aprili. Tuberes melius inſeruntur in pruno ſylueſtri, & malo cotoneo, & in calabrice, ea eſt ſpina ſylueſtris: hæc Plinius. Columella tamen tuberum nuſquam, quod legerim, meminit, ſed zizyphorum lib. 9. cap. 4. duo tradidit genera, quòd harum floribus maximè delectentur apes, nempe rutilum, & album. Quo fit, vt ſuſpicandum ſit, Plinij codicem hoc in loco deprauatum eſſe. Illud ſuſpicionem auxit, quòd inter Arabes Auicenna, & inter Græcos recentiores Simeon Sethi, duas zizyphi ſpecies ſcriptis mandauerint, & quòd tamen in Plinio vna tantùm legitur zizyphus. Verùm cùm Actuario, Nicolao Myrepſico, & Simeoni Sethi ζίζυφα, ζίνζυφα, καὶ ζίτζυφα (tot enim manuſcripta inueniuntur) ea eſſe videantur, quæ Galeno ſerica, eademq; Auicenna, Serapioni, aliiſq; pluribus Mauritanis, mihi quidem ſtatuendum videtur, Galeno ſerica non aliud deſignare, quàm zizypha. Ex his præterea omnibus maximum eſſe argumentum crediderim, in Plinio hic ſubeſſe mendum, & illi de zizyphis id adſcribendum eſſe, quod de tuberibus deprauatè fortaſſe legitur. Leguntur zizypha ad calcem Septembris in Autumno, vnà cum iunceis ramuſculis, & in manipulos colligata, laquearibus ſuſpenduntur, prius diebus aliquot inſolata: poſtremo decerpuntur, & aſſeruantur in capſulis, ad medicos vſus. Sunt etiam qui decerpta & ſuper cratibus, aut tegetibus ſtrata tam diu inſolant quouſque rugoſa fiant.*

Auicẽnæ defenſio contra Fuchſium.

Plinii Zizypha & Tuberes.

Zizyphorum duo genera.

*Prunus, Græcè κοκκύμηλος: Fructus pruni, qui κοκκύμηλα Græcis, Pruna Latinis appellantur: Arabibus, Anas, Auas, ſeu Agias: Italis, arbor Pruno Suſino: fructus Prune, & Succine, & Suſine: Germanis,* Praumen/Pflaumen/*&* Kriechen: *Hiſpanis, Prunas, Andrinas, & Amexeas: Gallis, arbor Prunier, fructus Prune. Prunus ſylueſtris, Græcis* κοκκύμηλος ἀγρία: *Fructus Italis, pignuole ſaluatiche: Germanis,* Schlehendorn *arbor: fructus* Schleen: *Bohemis, Truki. Fructus verò, qui Græcis recentioribus* μύξαι, μύξα, καὶ μυξάρια: *Latinis ſimiliter Myxa, & Myxaria, atque etiam Sebeſtena Mauritanorũ imitatione dicuntur: Arabibus, Sebeſten, Motheica, Mukeita, & Mokaita: Vulgo & officinis, Sebeſten: Gallis, Sebeſte. Fructus præterea, qui item recentioribus Græcis* ζίζυφα καὶ ζίνζιφα, *& Galeno* σηρικὰ, *Latinis Zizypha vocantur: Arabibus, Hunen, Zufalzef, ſeu Hanab: Officinis, Iuiuba: Italis, Giuggiole: Germanis,* Rot Bruſtbeerle: *Hiſpanis, Azufeciſat Gallis, Iuiubes: Bohemis, Iuiuoba.* Nomina.

Prunorum ingẽs turba eſt, vt habet Plinius: differunt verò hæc magnitudine, figura, colore & ſapore: ſic quibuſdam caro ſiccior, facilè ab oſſe ſeparabilis, aliis humidior & pertinacius adhæret: præcipua laus tribuitur Damaſcenis, quæ Brabyla Theocriti cẽſentur. Habentur nunc & ſuauiſſimi guſtus, quæ exempto nucleo ſiccata ex Galliis aduehuntur Prunorum de Prunioles nomine. II. Addita eſt figura Prunum

Pruna cerea. altera Prunorum, quæ Pruna cerea & cereola dicuntur, quia ex cãdido in luteum palleſcunt. Elegantiſſima etiam ſunt Amygdalina, quæ Coccimelea videntur eſſe apud Theophraſtum: recentiores pruna habent quæ Myrobalana cognominantur. Prunus Syl. III. Prunus ſylueſtris, cui hoc peculiare, quòd ſi defloreſcentem imbres contigerint, fructus in oblongũ & inane corpus conuertitur, quod Itali Turcas vocant. Carne huius, vel ſucco expreſſo pro Acacia vtuntur. Prun. Sebeſten. IV. Prunus Sebeſten, alia ſatiua, alia ſylueſtris, autore Alpino. Satiua, dicitur Sebeſten Trag. Lac. Mixa, Dod. Lon. Mixæ vel Sebaſtæ, Cord. hiſt. Prunus Sebeſtena, Lugd. Zizypha. V. Zizypha: duplex eſt, rutila & alba: rutila, ſatiua & ſylueſtris, vt rectè Anguillara: Satiua, ratione fructus duplex, maior & minor. Zizyphus rutila ſatiua maior, ſunt Iuiubæ Arabũ & officinarum, quæ Iuiube & Zizypha recentioribus dicuntur, & referre oportet ad Lotum Athenæi, Homeri & Polybii, & Paliurum Africanam Theophraſti. Zizyphus verò rutila ſatiua minor, ea eſt quàm Cordus Iuiubas minores & Tuberes Plinii vocat: hæ à prioribus differunt, quod colore, nitore, carne molli, lentore, ſapore & nucleo maiores quidem imitantur, ſed minores ſunt, nec oblongæ, ſed rotundæ (hæ fortè ad Paliurum alteram Theophraſti, dum fructu dicit rotundo, referri poſſunt) atq; ſimiliter flaccidæ. Zizypha ſyl. At Zizyphus rutila ſylueſtris, Iuiuba ſylueſtris & Paliurus ſecunda Theophraſti, & rectè, Anguillaræ dicitur: hæc in agro Veronenſi prouenit, ſpinis valdè horrida, vnde eam habemus.

## Κόμαρος. ARBVTVS. CAP. CXXXVIII.

ἀλεπτόφλοιον i. tenui corti ce leg. Orib. b Meũ ὑπόκιρρον. i. ſubfuluum.

ARbutus, ſiue vnedo, arbor eſt cotoneæ malo non diſſimilis, tenui [a] [folio:] cuius fructus pruni magnitudinem implet, nullo intus nucleo, huic memæcylo cognomen eſt. Maturus aut [b] flauet, aut rubeſcit: in eſu aceroſus, ſtomacho aduerſatur, capitiſque dolorem mouet.

Arbuti conſideratio.

*ARbutus in Hetruria frequentiſſima prouenit, vbi vel per hyemem perpetuis vireſcit frondibus. Hæc etſi Dioſcoridi redditur malo cotoneæ adſimilis, magis tamen putauerim ab eo arboris proceritatem repræſentari cotoneæ, quàm folia, & caudicis corticem. Vel deprauatus fortaſſe (vt magis ſuſpicor) eſt hoc in loco Dioſcoridis codex: quandoquidem Serapio Dioſcoridis ipſius teſtimonio, Arbutum non deſcribit in vniuerſum cotoneæ malo ſimilem, ſed eam tantùm proferre folia malo cotoneæ minora: nec ſcribit tenuia habere folia, vt vulgata habet Dioſcoridis lectio: ſiquidem, vt palàm eſt, Arbuto folia inſunt laurinis, & iligneis craſſiora.* Arbuti hiſtor. ex Theophr. *Meminit Arbuti Theophraſtus lib. 3. cap. 16. de plant. hiſt. ſic inquiens: Arbutus, quæ pomum cibo idoneum ferat, magnitudine non nimium præſtat: corticem tenuem, tamarici ſimilẽ habet, folium inter ilicẽ, & laurũ: floret menſe Iulio. Flores ſingulari appendice parte poſtrema racematim cohærent, ſpecie quiſq; myrto oblõgo ſimilis, & magnitudine tantus: non foliatus, concauus, tanquã ouũ excalptũ, ore aperto: cũ autẽ defloruerit, retinaculũ perforatur, quodq; defloruerit tenue, ficut verticillus circa fuſum. Fructus anno integro matureſcit, vt ſimul hũc haberi, atq; alterũ flore ſponderi contingat: hactenus Theoph.* Arbuti deſcriptio. *Quæ in Hetruria naſcitur, folia profert laurinis, ilignei sve ſimilia, breuiora tamen paulò, craſſioraq; colore potius pallido, quàm viridi, in ambitu vbique ſerrata, rubra per medium excurrente coſta. Caudex cortice veſtitur ſubrubro, haud craſſo, tamẽ aſpero, ſquamoſoq; à quo rami prodeunt rubẽtiores, ac leuiores. Floret menſibus Iulio & Auguſto, floribus candidis, paruis, lilij conuallij vocati figura, racematim dependentibus. E quibus fructus gignuntur rotunda, forbcrum ferè magnitudine: qui primo exortu virent, deinde flaueſcunt, maturi verò rubent; aſpero tactu, nulla intus oſſiculo, fragorum modo, quorum etiam effigiem referunt. Sapor his inſipidus ſimul & auſterus: quinetiam dum eduntur, linguam, & palatum ſtimulant aceroſa quadam ſubſtantia, quæ exterius conteguntur, ita vt planè aceroſi videantur: integro anno matureſcũt: naſcitur in collibus, & ſyluoſis vallibus.* Arbuti vſus, & vires Matthiolo. *His maximè delectantur turdi, & merulæ, quo fit, vt hyeme, quo tempore ipſa poma maturitatem ſentiunt, eiuſmodi aues inibi laqueis, retibus, aliiſq; aucupij generibus facilè capiantur. Arboris folia coriariis ad ſpiſſanda coria expetuntur. Sunt qui credant, Arbutum maximam opem præſtare aduerſus peſtem: quamobrem aquam, quæ ex foliis extracta ſit, admiſto oſſe in cerui corde reperto, vbi ſtatim morbus inuaſit, magno (vt ipſi aiũt) iuuamento ægrotantibus exhibent. In ſumma, vbi adſtringere, & roborare opus eſt, Arbutus eximiè præſtat. Arbuti meminit Gal. lib. 7. ſimpl. med. vbi paucis inquit: Arbutus arbor ipſa qualitate acerba vnà cum fructu eſt, eum memecylum nuncupant. Eſt autem hic & inſenſus ſtomacho, & capiti dolorem inferens.* Nomina. *Huius arboris nomen Græcum eſt κόμαρος: Latinum, Arbutus ſiue Vnedo: Arabicum, Hatiladii: Italicũ, Albatro: Hiſpanis, Madronho, aut Madromethro: Gallis, Arbauſier.*

ARBVTVS.



Arbutus variat, quòd alibi vaſtæ magnitudinis ſit arbor, Bellonio in obſeru. monente: alibi tãtùm fruticet: modica in fructu differẽtia, quidam parui mali amplitudine, rubore magis nigricãte, qui ſuauior eſt: quidam auellanæ magnitudine flauior & aſperior. Fructus, Arbutus Vergilio, Fraga montana Ouidio, Memecylon Dioſcoridi, Theophraſto, Galeno. Vnedo Plinio. At arbor Comaros Dioſcoridi, recentioribus Arbutus dicitur.

Ἀμύγδαλα

Ἀμυγδαλαῖ. **AMYGDALÆ. CAP. CXXXIX.**

AMygdalæ amaræ radicum tritarum decoctum vitia cutis in facie corrigit. Illitæ nuces idem munus præſtant: menſes admotæ ciunt: capitis dolori auxiliantur, illitæ fronti, aut temporibus cum aceto, vel roſaceo: epinyctidas ſanant ex vino: item putreſcentia vlcera, & quæ ſerpunt, & morſus canum cum melle. Earum autem eſu dolores finiuntur, aluum emolliunt, ſomnum faciunt, vrinam cient: contra ſanguinis reiectiones cum a amylo, † & mentha aſſumũtur: renum vitiis, & pulmonum inflammationibus b [ex aqua in potu, aut eclegmate cum reſina terebinthina dantur: calculoſis, difficilique vrinæ in paſſo auxiliantur: & illinctu cum melle, & lacte hepaticis, tuſſi, & inflationibus coli, c nucis auellanæ magnitudine: quinis, ſeptenisve præſumptis, ebrietatem non ſentiunt potores. Vulpes ſi cum quadam eſca eas vorauerint, emoriuntur. Gummi eius calfacit, & adſtringit: reiicientibus ſanguinem, potum auxilio eſt: impetigines, quæ ſummum corpus occuparunt, illitum cum aceto tollit: tuſſi vetuſtæ cum diluto vino potum medetur: calculoſis cum paſſo bibere prodeſt. E nucibus Græcis, dulces cibo idoneæ, ſed multò minus valent in remediis, quàm amaræ: attamen extenuant, vrinam ciunt. Recentium ſeu cum ſuo putamine, humida ſtomachi vitia emendantur.]

a Caiac. σὺν ἀμύλῳ λευκοτάτῳ i. cũ amylo albiſſimo.
b Concluſa Orib. non legit.
c Meum & Drag. καρύϊ ſimpliciter.

*AMygdalæ tam dulces, quàm amaræ fructus ſunt vbique vulgò notiſſimi. Differunt tamen inter ſe: nam amaræ maiore excalfaciendi, exiccandiq́ facultate præditæ ſunt, quàm dulces: quo fit, vt etiam dulcibus longè præferantur ad craſſos, pituitoſoſq́ humores expectorandos. Arbor eſt Amygdalus, ſpectatæ ſatis proceritatis, caudice craſſo, raro tamen, recto, cortice aſpero, paucis radicibus, ſiquidem plurimùm ſingulari nititur radice, robuſta, grandi, altè deſcẽdente. Folia habet perſico per omnia ſimilia, quã quoque tota æmulatur planta, nam & flores in amygdalo ſpectarentur, quales in Perſico, niſi huius ſaturatiori purpura rubeſcerent. Floret vere inchoante. Nuces edit cordis figura, quæ antequam obdureſcant, integrę cum putamine comeduntur, & præſertim ab vtero gerentibus, ſunt enim guſtui non ingratæ. Duplici conteguntur putamine, quemadmodum iuglandes: ſunt aliæ maiores, aliæ minores. Leguntur Auguſto menſe ad finem æſtatis, cum externa earum tunica dehiſcit. Tractu gaudent calidiore, quo fit vt in Apulia, Siciliaq́ optimæ, copioſiſſimæque proueniant. Galenus dulces paucis perſtringẽs li. II. de alimentorum facultatibus, ſic inquit: Amygdalæ nihil prorſus adſtrictoriæ facultatis ſortitæ ſunt: ſola enim extenuandi, atque abſtergendi vi pollent: qua tum viſcera purgant, tum humorũ è pulmone, ac thorace excreatus moliuntur, ac promouent. Dulces impinguant, lateris dolores, ac tuſſim ſedant, & præſertim earum cremor. Oleum ab iis expreſſum mulcet intrinſecos dolores omnes, inteſtinorum præſertim, vteri ac renum, ſi calidum ſex vnciarum pondere bibatur, eſt enim certum auxilium. Et de vtroq́ Amygdalarum genere differens lib. 6. ſimplicium medicamentorum, primò amaras, deinde dulces proſequitur, his verbis: Amygdala, quæ quidem palàm amara ſunt, omnino extenuandi vim poſſident: quod & qualitas ipſa indicat, & experiẽtia comprobat. Ac de amara quidem qualitate in quarto horum commentariorum proditum eſt. Cæterùm duo experientiæ exempla proponi ſatis eſt, vnde vim eorum poſſis diſcere. Siquidem ephelim expurgant, & excreationibus ex pectore pulmoneq́, craſſorum lentorumq́ humorum impendio conferunt. Porrò hæc oſtenſa ſunt genere quidem incidentis, ſpecie verò extergentis eſſe facultatis. Quin & quod per accidens facultatem item habeant ab obſtructione liberandi, & ipſum ſuprà demonſtratum eſt, ſed & experientia monſtrat: nam in iecore craſſorum, viſcoſorumque humorum in extremis vaſis impactorum obſtructiones abunde expurgant, expediuntq́. Quin & laterum dolores ab eiuſmodi cauſa natos, & lienis, & coli, & renum ſanant. Porrò & ipſa arbor vniuerſa ſimilem ſortita vim eſt: nam huius radices coctæ, atque illitæ epheleis purgant. Quotquot verò ſunt amygdala dulcia, & ipſa leuiculam amaritudinem poſſident, quæ tamen dulcedine ſuperante occultatur: cæterùm id temporis ſpatio clarum fit. Demõſtratum autem retrò eſt, qualitatem dulcem moderate eſſe calidam: hactenus Galenus. Amygdalæ, vt Theophraſtus, & Plinius prodidere, ex amaris dulces fiunt, ſi circumfoſſo ſtipite, & ab ima parte circumforato, defluens vndique humor abſtergatur. Et contrà, dulces amaræ fiunt, ſi primo germinatu tenellæ arbores à pecore decacuminentur. Amygdalæ (vt etiam tradidit Galenus) non multum ſuppeditant alimenti: quanquam eis plerique vtuntur, & ad roborandam venerem, & ad reficiendas vires. Amaræ gallinas, & gallinaceos necant, ſi ab iis deuorentur. Eædem contritæ, & fronti, temporibuſque illitæ, capitis dolorem mulcent, & ſomnum conciliant, & præſertim, ſi aqua Verbenaca exipiantur. Hæ vt Græcis Ἀμυγδαλαῖ, ita etiam Latinis Amygdalæ vocitantur: Arabibus, Iauz, Kauz, ſeu Lauzi: Italis, Mandole: Germanis, Mandelkern: Hiſpanis, Almendras: Gallis, Amendes: Bohemis, Mandly.*

Amygdalorũ conſideratio.
Amygdalæ hiſtoria.
Amygdalarũ vires ex Gal.
Amygdalarũ amararum facultas.
Amaræ amygdalæ quo pacto fiant dulces.
Nomina.

AMYGDALAE.



Amygdalus communis, L.

*† In vulgatis Græcis exemplaribus hic non legitur καὶ ἡδυόσμου, id eſt, & mentha. Verùm dictionem hanc vertit Marcellus ex antiquis codicibus, quos habuiſſe teſtatur: eam quoque & Oribaſius, & Serapio ex Dioſcoride tranſcribunt. Quæ vt veræ Dioſcoridis lectioni adſtipulantur, ita hoc loco mentham addendam eſſe putauimus.*

Amygdalus ipſa arbor dicitur, at fructus Amygdala & Amygdalum, Catoni Nux Græca: ob oſſeum eorum corticem, antiqui inter nuces repoſuere. Sũt autem dulces & amaræ, & hæ arte dulces fiunt: ſic maiores ſunt (pruno enim ſi inſerantur grandiores fiunt & lanugine carent, quæ maximè laudantur) & minores, triplo namque minores aliis ex Aſia adferuntur, amaræ & dulces: ſunt nuces plerunque oblõgæ, reperiuntur tamen & rotundæ. Addere oportet Amygdaloperſicum nunc in Alſatia frequentem, cuius oſſeus cortex perſici inſtar rugoſus, & nucleus perſicum olet, grati ſaporis, fortè perſico primò inſita.

Πιςάκια. PISTACIA. CAP. CXL.

Pistacia, quę conſtat in Syria gigni, pineis nucibus ſimilia ſunt, & ſtomacho amica. Trita cum vino contra ſerpentium ictus proſunt, ſiue edantur, ſiue bibantur.

I. PISTACIA. II. STAPHYLODENDRON.





Piſtaciorum conſideratio & hiſtoria.

*Piſtacia, quorum eſt communis in officinis vſus, ex Perſia, Arabia, & Syria Venetias importari ſolent. Quæ & è Syria (vt Plinius auctor eſt) Lucius Vitellius cenſor in Italiam primus intulit, cùm legatus in ea prouincia fuiſſet, nouiſſimis Tyberij Cæſaris temporibus. Horum arbores Venetiis, Caietæ, Neapoli, & in aliis Italiæ locis vidimus. Tota arbor Terebintho ſimilis eſt, foliis colore ex viridi in luteum inclinante, Terebinthi modo, è ramuſculis vtrinque emergentibus. Nuces racematim prodeunt è ramorum extremitatibus, rufa exterius tunica & odorata: albo ſunt putamine, facie vnguentariæ glandi ſimili: internus nucleus cuticula contegitur rufa: atqui medulla vireſcit, ſapore pineæ nuci proximo, ſed odoratiore, ac gratiore.*

Terebinthus Indica Theophraſt.

*Quo fit, vt legitimã Indicã Theop. Terebinthũ, Piſtaciã arborẽ nulla dubitatione eſſe cenſeã, vt ſuperius de Terebintho agẽtes latius diximus. Etenim nota tã perſpicua ſunt, vt id negare nemo cũ ratione poßit. His accedit Athenæi teſtimoniũ. Quippe qui li. 14. c. 20. Dipnoſoph. Nicander Colophonius, inquit, in Theriacis Piſtaciorũ meminit, ſic inquiens: Piſtacia aßimiles trũcos onerare videbis prorſus Amygdalinis. Meminit de his & Poßidonius Stoicus lib. hiſt. 3. his verbis. Ipſum fert Perſia, Arabia, & Syria, ac Piſtacium vocant: fructus racematus eſt, albo cortice, ac lõgus lachrymiſq; ſimillimus, atq; vuarũ modo vicißim cohæret. Quæ interius ſunt, virent, minuſq; bonũ habent ſuccũ quã nux Pinea, at melioris ſunt odoris. Fratres verò, qui Georgica conſcripſerunt, hæc inquiunt, & Fraxinum & Terebinthum, quæ Syri nunc Piſtacia vocarunt: atque hi per p Piſtacia dixerunt, cum tamen Nicander aſpirauerit, dixeritq; phiſtacia: hactenus Athenæus. Excalefaciunt & humectant, impinguant, roborant, aperiunt, non tamen valdè nutriunt. Hæc (vt libr. 2. de alimentorum facultatibus ſcriptum reliquit Galenus) parum præbent alimenti, tametſi infarctas humore iocineris vias expediant, & à vitiis liberent. Porrò an ſtomacho noxia ſint, an vtilia, an aluum molliant, an adſtringant, nullum huius rei certum habere teſtimonium ſcribit Galenus. Cuius ſententiæ refragatur Auicenna, qui cum palam, & nominatim Galenum refellere nollet, libro ſecundo hac dicendi ratione vtitur, his ferè verbis: Inquit quidam, non inuenio, quòd Piſtacia ſtomacho proſint, aut ſanè officiant: ego autem dico, quòd nauſeam diſcutiunt, & ventriculi os roborant. Argumento eſt ſubamara, ſubauſteraq; qualitas, quæ guſtu in iis deprehenditur. Hac igitur ratione freti medicorum nonnulli, non modò ad iocineris infarctus Galenum ſecuti piſtacia exhibent, ſed ad iecur ipſum, ventriculumq; roborandum, ea tam cibis, quàm medicamentis immiſcent: quin & ad conciliandã venerẽ, & ad pinguedinẽ inducendã, macie & maraſmo affectis commẽdant. Stomacho amica ſunt deuorata, aut ex vino pota. Proſunt cõtra ſerpẽtiũ morſus. Tabidos & ſuppuratos iuuãt.*

Quibuſ-

*Quibuſdam in locis piſtaciorum ſylueſtrium nomine appellantur cuiuſdam arboris fructus, quam Plinius libro, & cap. 16. STAPHYLODENDRON nominat, etſi à piſtacijs effigie, & ſapore plurimum diſsideant. Planta hæc humilis eſt, folio ſambuci, materie admodũ imbecilli: floribus albicantibus racematim dependentibus, quemadmodũ & fructus: qui quibuſdam in folliculis prouenit, rufo colore, ciceris ferè effigie, maior tamen: in quo ſubuirens nucleus includitur, ſapore dulcis: ſed nauſeam commouens. Prouenit in ſyluis & frutetis. Neminẽ habeo, qui de horum viribus & facultatibus ſcripſerit: verùm cum nauſeam moueant ſi copioſè edantur, vomitiones eadem mouere poſſe non dubitamus. Sapore piſtacijs ſimiles ſunt Pinei nuclei, qui in ſtrobilis includuntur. Hi enim (vt loco citato tradidit Galenus) corpus alunt, bonum procreant ſuccum ſed craſſum, tametſi ægrè concoquantur. Verùm ſi Auicennæ etiam credimus; digerunt, leniunt, reſoluunt, ac impinguant. Proſunt præterea plumonum vitijs, purulenta excreantibus, & tuſsi moleſtatis: ſed priuſquam edantur, aqua calida macerare eos oportet, alioquin ventriculum lædunt. Semen augent, & venerem excitant. Renes & veſicam non modò expurgant, ſed etiam roborant, eorumque vlcera prohibent: vrinæ ſtillicidio opem mirificè præſtant. Quam ob cauſam ſtrobilini nuclei apud recentiores medicos in frequentiſsimo habentur vſu ad huiuſcemodi affectus. Quæ nuces Græcè Πιςάκια, Latinæ quoque Piſtacia, & Piſtacea appellantur: Arabicè, Puſtech, aut Feſtuch: Officinis & Barbaris, Fiſtici: Italis: Piſtacchi: Germanis, Welſch Bimpernüßlein: Hiſpanis, Alhocigo: Gallis, Piſtaches. Bohemis, Piſtacya. Staphylodẽdron, Italis, Piſtaci ſaluatici: Gallis, Piſtaches ſauuages: Germanis Wild Bimpernüßlein.*

Staphylodẽdron Plinij.

Nuclei pinei vires.

Nomina.

Piſtacia peregrina C.B. Terebinthus Indica Theophraſti: recentioribus Piſtacia & Piſtacium. II. Piſtacia Germanica. C.B. & Lon. Nux veſicaria, Trag. Dod. Staphylodendrum Plinij. Dod. gal. Geſ. hor. Lob. Cæſal. Tab. Cam. Lugd. Arbor vuæ, Anguillaræ. Piſtacia ſylueſtris, Caſtori. Coulcul & Hebulben Turcarum cum hac conuenire, ſentit Matthiolus in ſuis epiſtolis.

## Κάρυον βασιλικόν. NVX IVGLANS. CAP. CXLI.

NVces Iuglandes, quas nonnulli Perſicas vocant, ſunt difficiles concoctu, ſtomacho inutiles, bilioſæ, capitis dolorem inferentes, tuſsientibus inimicæ: vomituris tamen ieiunis in cibo aptæ. Cum ruta verò, & caricis præſumptæ, & à ſummo cibo, venenis reſiſtunt, nec minus ſi à veneni hauſtu comedantur: largius eſitatæ, tineas latas pellunt: illinuntur mammarum inflammationi, abceſsibus, luxatiſque, cum mellis exiguo, & ruta: cum cæpa autem, ſale, & melle, canis hominiſque morſui proficiunt: tormina, cum calyce ſuo peruſtæ, & vmbilico admotæ, ſedant. Putamen combuſtum tritumque, in oleo & vino infantium capite perunctо, nutrit capillum, alopecias replet. Siſtunt menſes nuclei uſti, ſi triti ex vino admoueantur: iidem è veteribus illiti carbunculis, gangrenis, & ægilopijs medentur: alopecijs commanducati & impoſiti, præſenti ſunt remedio. Nucibus tuſis oleum exprimitur. Recentes ſtomacho innocentiores ſunt, vtpote ſuauiores: itaq; allio miſtæ eximunt acrimoniam: liuores in corpore illitu tollunt.

I. NVX IVGLANS.



*NVces Iuglandes, quæ in communi ſunt vſu, itemque arbores, à quibus eduntur, omnibus vulgò notiores ſunt, quàm vt à nobis repræſentari debeant, cùm nulla arbor Nuce vbique frequentius occurrat. Hæ Latinis Iuglandes, quaſi Iouis glandes, interliſis litteris appellantur. Quo nomine primo mundi æuo eas appellatas eſſe, plures tradidere auctores. Quippe cum homines primum glandibus tantum diu victitaſſent, inuenta tandem arbore, quæ nuces ferebat, deguſtato nucleorum ſapore, horumq; dulcedine mirũ in modũ allecti, nuces Iouis glandes ob excellentiam appellauere. Iuglandium arbor prægrandis ſpectatur, caudice procero, ac craſſo, ramis multis, ingentibus, & longè lateque ſeſe diffundentibus, libro veſtitur cinereo, craſſo, ac rimoſo: radicibus nititur prælongis, robuſtiſque. Frondibus pluribus vtrinque ab eodem pediculo exeuntibus, vt in Fraxino, oblongis, & grauiter olentibus. Vere inchoante in ipſa prima germinatione, iulos edit, ſiue paniculas, quæ breui flacceſcentes decidunt: tum ſuper horum pediculo flos emergit herbaceus, totidemque caliculacea tegumenta, quot flores petiolo contrahuntur, ſinguliſque his ſingulæ includuntur nuces, duplici obductæ munimento, & (vt Plinius inquit) puluinato calloſo primùm calyce, mox ligneo putamine. Criſpo intus nucleo, quadriparitoque, calloſa intercedente membrana. Genera Iuglandium plura, quæ cum forma, tum putaminis duritia, fragilitateque dignoſcuntur. Præſtant oblongæ, putamine albicante ac fragili, albo intus nucleo, putamini haud hærente, & guſtu dulci. Iuglandes aquas odere, montes amant algoris cupidæ. Leguntur inchoante autumno, perticis excuſſæ, & ſiccantur vmbra, exuto exteriore indumento. Proueniunt vbique in campis & collibus. De ijs differens Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ita ſcriptum reliquit. Nucis arbor tum in folijs, tum in germinibus adſtrictionem quandam poſſidet: cæterùm euidentem, multamque in nucis putamine recenti pariter & ſicco: proinde eo tinctores quoque vti ſolent. At nos eius expreſsi ſucco ſimiliter, vt mororum, & ruborum in melle decocto, vice ſtomachici medicaminis vtimur, & ad omnia reliqua adhibemus, ad quæ modò dicti ſucci conuenire cenſentur. Porrò nucis ipſius id, quod edendo eſt, oleoſum eſt, & tenue: itaque ob id etiam facilè exprimitur, & quò diutius reconditum fuerit, magis tale efficitur, quamobrem*

Nucum Iuglandiũ conſideratio & hiſtoria:

Iuglan. deſ.

Iuglandis vires ex Gal.

*oleum ex eo inueterato exprimere liceat: tunc ſanè admodum fit per halitum euaporatorium. Itaque quidam eo gangrænas, & carbunculos, & ægylopas ſanant, ac nonnulli ad* νευρότρωτα *hoc eſt, neruorum vulnera vtuntur. Et lib. 2. de alimentorum facultatibus ſic inquit: Habet Iuglans & adſtringentis qualitatis non exiguum, quæ temporis proceſſu marceſcit, degenerante tota eius ſubſtantia in pinguem ſuccum, adeò vt cibo prorſus fiat inidonea, quòd veteri oleo, ſua pinguitudine adſimilis appareat. Viridis autem, atque etiamnum humida, neque adſtringentis qualitatis, neque oleoſæ conſpicuè eſt particeps, ſed magis eſt quodammodo* ἄποια *id eſt, qualitatis expers: quod ſaporis genus aqueum (vt dixi) vocare conſueuimus. Iuglans facilius, quàm auellana concoquitur, ſtomachoque vtilior eſt, & multò magis, ſi vna cum caricis edatur. Proditum autem eſt à pleriſque medicis, ſi ambo hæc cum ruta ante alios cibos ſumantur, hominem non magnopere à lethalibus pharmacis lædi poſſe. Conſtat præterea humidas deiectioni magis, aridas verò minus conuenire. Non pauci quoque cum garo iuglandes præſumunt, ventris ſubducendi gratia. Ad hoc autem virides aptiores ſunt, vtpote quæ adſtringentis qualitatis minus participes ſunt. Quin & aridarum quoque, vt prius in aqua fuerint maceratæ (vti nonnulli faciunt) ſimilis, ac viridium facultas habetur: hæc Galenus. Nuclei vſti alopeciis impoſiti præſenti ſunt remedio, recentes ſtomacho innocentiores ſunt, & illita liuores auferunt.* Iuglandes cõditæ. *Cæterùm Iuglandes virides decerptæ menſe Maio, vel Iunio appetente, antequàm earum putamina obduruerint, ſacchara vel melle aſſeruatæ, ſtomacho vtiles euadunt, & ori non ingratæ.* Iuglandiũ vires Matthiolo. *Iuglandium iuli, qui menſe Martio prima germinatione erumpunt, ſicci & in puluerem contriti, & ex vino albo poti drachmæ pondere, fœminis ſtrangulatu vuluæ affectis mirificè proſunt. Fit quoque è nucibus oleum, quo ad lucernas vtuntur Inſubres, quinetiam pictores & fabri lignarij, vbi ſplendorem ſuis operibus addere volunt. Hauſtum hoc quinque aut ſex vnciarum pondere, flatus potenter diſſipat, quo fit, vt in coli affectibus à flatu genitis plurimum afferat auxilij. Illitum tumores diſcutit & contractos neruos emollit, addita præſertim calce lota: antiquam verò ſcabiem ſanat. Ineſt quoque iuglandibus nucibus propria quædam, & peculiaris facultas ad remoratos menſes ciendos, adeo vt ego facto periculo, non parùm fuerim demiratus, & præſertim vbi cætera medicamenta, quæ ad hoc munus obeundum præſtantiora cenſentur, nihil mouerant. Macerantur itaque ad id in aqua iuglandes nuces cum ſuis putaminibus quouſque remollitæ, atque humefactæ eorum nuclei à contegente membrana perinde ac virides expoliari poſſint: ſumuntur deinde expoliati nuclei & conduntur macerandi in aqua vitæ præſtanti, & poſt duos dies præpurgatis prius fœminis, nuclei duo vel tres integræ nucis, quotidie dantur manè ieiunis deuorandi, decem continuis diebus, ante tempus menſtruæ fluxionis. Sed quoniam ſermo nobis eſt de nucibus, tùm Dioſcorides, Galenus ac cæteri poſteriores Græci de Indicis, Myriſticis, Metellis, ac Vomicis nihil, quod conſtet, memoriæ prodiderint, hic ea non diſſimulanda putaui, neque alienum duxi recenſere, quæ de ijs ex Mauritanorum monumentis, & recentiorum quorundam hiſtorijs ſum conſecutus. Sed primo de Indicis dicamus.* Nucis Indicæ conſid. *Nuces igitur* INDICAE, *myropolis omnibus vulgatiſſimæ, fructus ſunt arboris cuiuſdam (vt Mauritani auctores ſunt) palmæ effigie prægrandes, magnorum melonum inſtar, de arbore dependentes: namque magna inuolucrorum mole obteguntur. Cortex ijs extimus colore conſtat in atrum rufeſcẽte, ſubdurus, tenax, calloſusque, intus verò villoſa materie compactus, quæ manibus extrita in capillamenta fatiſcit. ſubtus eſt putamen triquetrum, villoſum, barbatumque, cornu inſtar prædurum, anteriori parte humanam ferè faciem referente, eiuſdem ferè coloris nucleum continens, oui anſerini magnitudine, intus concauum: ſubſtantia illi pinguis, craſſitudine ſemidigitali, duriuſcula, tenax, calloſaque, albicans, ſapore dulci, butyrum referens: tenui, ſed aſpero obtecta cortice, putaminis colore. Prouenit hæc arbor copioſa in India orientali, vnde ad nos affertur. Probantur recentes, eæque præſertim, in cuius concauitate liquor quidam dulcis includitur: ſiquidem hoc argumento recentiores facilè cognoſcuntur.*

II. NVX INDICA.



III. NVX MYRISTICA.



Excalfaciunt ſecundo abſceſſu, humectant verò primo, emolliunt, læuigant, & dolores ſedant. In cibis ſumptæ, etſi noxium admodum ſuccum non gignant, ventriculo tamē laborē inferunt: Additur nucleus à tenui cuticula repurgatus, in medicamentis, quibus extenuata corpora refocillantur. Iidem ſemen augent, & venerem excitant. Oleum, quod è nucibus Indicis exprimitur, vtiliter hæmorrhoidum doloribus inungitur, oleo præſertim admiſto, quod è perſicorum nucleis elicitur: per ſe illitum, lumborum'q; & genuum dolores mulcet, & ventris animalia pellit. Quod verò recentes nuces preſſæ ſtillauerunt oleum, denſum eſt, candidum, & pingue: in ſumma ſubſtantia, qualitate, ſapore, ac denique facultatibus butyro non diſſimile, ſed longè melius ſubminiſtrat alimentum. Præſtat idem inunctum ad neruorum dolores, quinetiam pectus lenit, non modo illitum, ſed etiam hauſtum. Raucedini opitulatur, macros impinguat, ſemen auget, & induratos articulos emollit. Nux Indica lætiore ſagina corpora reficit: idcirco ſtrigoſas mulieres mirum in modum impinguat, & ad craſſitiem reducit: hactenus de Indicis. Oleum ex nucibus Indicis.

His ſuccedunt MYRISTICAE, quæ vulgo officinis ob odoris præſtantiam Muſcatæ, quaſi moſchatæ dicuntur. Hæ afferuntur ex India (referunt ij, qui Indica littora perluſtrarunt) & proueniūt copioſiſſimæ in inſula quadam nomine Badan: ibique eas proferunt arbores quædam noſtratibus perſicis haud abſimiles, anguſtioribus tamen folijs, ac breuioribus. Fructus noſtratibus nucibus adhuc in arbore exiſtentibus perſimiles ſunt. Siquidem primò craſſo, ac viridi cortice conteguntur, cui deinde ſubeſt nux ipſa, duro ſatis putamine occluſa, noſtra tamen tenuiore, Maci quem vocant, in reticuli modum circumueſtito, eoque fracto nucleus exit, quē myriſticam, moſcatamve nucē vocamus. Id quod palam faciunt myriſticæ nuces, quæ ſaccharo, aut ſiliquarum melle aſſeruatæ, integræ ex India ad nos conuehuntur. Has, cum ſuo tempore maturescunt incolæ legunt certatim, & quàm quiſque poteſt vberius, quoniam ſunt ibi omnia communia. Arbores abſque omni cultu, ſuppeditante tantùm natura, ſuos fructus edunt. Myriſticæ nuces ſuo maci, tanquam rete comprehenſæ, Venetiis in officinis quàm plurimis viſuntur, duro putamine concluſæ, auellanarum modo, colore ſubnigro: quo fracto compactulus ſubeſt globulus nuclei vice, & is eſt nux Myriſtica, quam vſurpare ſolemus. Præferuntur recentes, quæ nullam præſeferunt cariem: item ponderoſæ, farctæ, præpingues, humore redundantes, ita vt adacta acu confeſtim è vulnuſculo exeat humor. Nucis Myriſticæ conſid.

Siccant (vt Mauritani ſcribunt) & excalfaciunt ordine ſecundo completo. Adſtringunt, oris ſuauitatem commendant, & fœtentis animæ virus commanſæ abolent: lentigines in facie emendant, viſum acuunt, ventriculum & iecur roborant: lienem abſumunt, vrinam cient, fluentem aluum ſiſtunt, flatus diſcutiunt, & frigidis quibuſcunq; vteri affectibus mirificè proſunt: & vt in vniuerſum dicam, facultas eis eadem, quæ & caryophyllis. E recentibus prius contuſis, & in cacabo calfactis, prælo exprimitur liquor, qui refrigeratus ceræ nouæ inſtar concreſcit, fragrantiſſimum ſpirans odorē, neruorum & articulorū diuturnis doloribus à frigore excitatis vtiliſſimus: quin & venereis inunctionibus maximè expetitur. Mulcet mirificè myriſtica nux ventriculi dolores, ſi trita decoquatur ex rhodomelitis ſenis vncijs, & aquæ vitæ binis, quouſq; aqua euaneſcat. Namq; ſi huiuſce liquoris colati tria cochlearia quotidie dentur ieiunis, procuidubio iuuabuntur, vbi cauſa a frigidis oriatur excremētis aut à flatu. Præſtat eadē ad flatuoſos vteri cruciatus hoc modo: Coquitur vna craſſiuſculè tuſa, cum matricariæ radicibus ex ſenis vncijs vini albi generoſi ad tertias: deinde percolatur decoctū, & additis ſacchari duabus drachmis propinatur. Contra venenoſorum animalium ictum ex vino pota maximè præſtat. Myriſticas nuces veteribus Græcis ignotas fuiſſe illud fidem facit, quòd Theophraſtus, Dioſcorides, & Galenus earum, quod in ſuis monumentis equidem legerim, nuſquam meminerint. Quare & hic quoque aſſerere non dubitauerim, macerem (vt in eius mentione iam ante diximus) Dioſcoridi, & Galeno myriſticæ nucis florem eſſe nequaquam. Nam ſi ad Myriſticarū vires.

IV. NVCES VOMICAE.



V. NVX METEL.



VI. NVX METEL.



Nuces vomicæ & metellæ.

*eos floris cognitio perueniſſet, veri quidem ſimilimũ eſt quòd etiam fructus notitiam habuiſſent: quos, certò ſcio, ob ſuas admirabiles facultates & naturæ dotes, nunquam ſcriptis diſsimulaſſent. Præter odoratas, eas etiam nuces memorant Mauritani, quas* VOMICAS & METELLAS *vocant. Sed tam officinæ, quàm medicorũ vulgus, has magno errore confundunt, quod plerunq́; legitimas vomicas metellarum loco vſurpent, & contra metellas nonnunquam vomicarum vice. Nam vomicas quidem eas appellant errore ducti, quæ lupinorum inſtar compreſſæ ſunt, & tenui quadam lanugine contectæ, quarum eſu canes necantur. Metellas verò quæ nonnihil extuberantes, quibuſdam nodis, veluti paruis oculis per ambitum ſunt refertæ. At eorum lapſus facilè deprehendi poteſt Serapionis teſtimonio, qui Abrahami auctoritate reddidit nucem Vomicam colore inter glaucum & album, auellana paulo maiorem nodoſamq́; Quibus notis eas eſſe præditas conſtat, quas Selapſiariorum vulgus Metellas appellat, quæ nullo modo reſpondent legitimis Metellis à Serapione deſcriptis, his verbis: Nucis metellæ arbor, vomicæ arbori non diſsimilis fructum gerit mandragoræ oleoſum, hirſuto cortice, ſapore non iniucundo. Quæ notæ perſpicuò adſtipulantur ijs, quas Vomicas nuncupant: eæ ſiquidem corticem habent hirſutum, oleoſæ ſunt & guſtui non ingratæ: quin & facultatibus, non autem notis (vt quidam falſo exiſtimant Serapionem intellexiſſe) mandragoræ fructus referunt, cum auctore Serapione quarto refrigerent exceſſu, ita vt drachmarum duarum pondere eſitatæ interimant, minore verò menſura temulentiam faciãt. Quos quidem effectus præſtare videmus non modo in canibus, ſed etiam in hominibus, quibus hæ datæ fuerint, quas Vomicas eſſe contendunt. Siquidem Serapio de Vomicarum facultatibus differens, nullam lethalem vim eis adſcribit, ſed quod tantùm duarum drachmarum pondere cum anethi decocto, vel ſale hauſtæ, mirificè vomitum eliciant. Quamobrem dixerim ego illas, quibus calloſa tubera ſupereminent, nodiq́; viſuntur, oculorum ferè inſtar, legitimas eſſe vomicas: Metellas verò, quæ preſſæ & hirſutæ canibus necandis aptiſsimæ habentur. Cæterùm neſciuerim ego, qua ratione ductus Leonhardus Fuchſius vltimo libello, vbi tantum ſtirpium imagines in exiguam formam contraxit, dixerit nuces metellas hiſpidos eſſe fructus peregrinæ illius plantæ, quam antea magno volumine Stramoniam vocauerat. Quod prorſus reclamare videtur Mauritanorum ſententiæ, à quibus harum hiſtorias accepimus. In quibus cenſendis, me antea in errore verſatum eſſe, nunc primum intelligo. Credideram enim nuces, quas Vomicas ſeplaſiæ vocant, genuinas eſſe Methellas, nec id tamen ſine adſtipulantibus indicijs. Atqui cum diligentius legerem apud Auicennam Nucem Methel craſsis, ac breuibus rigere aculeis, & ſemen ferre Mandragoræ ſimile, non potui me ipſum non accuſare. Siquidem non is ſum, qui (vt multi faciunt) velim mihi potius, quàm veritati aſſentiri, & ſtudioſæ imponere poſteritati. Hinc itaque factum eſt, vt priore mea reuocata ſententia, eorum prorſus inhæſerim opinioni, qui nucem Methellam Stramonij fructum eſſe affirmant. Siquidem is præter id, quod nucis imaginem refert, & aculeis craſsis, ac breuibus riget, mandragoræ etiam ſemen ſimile habet. Nec dubito, quin fructus ipſe, ac etiam tota planta ſoporiferæ ſint facultatis. Nam & ipſa plantæ facies ſolanis adeo ſimilis, vt aliud nihil quàm ipſum repræſentet: verùm eius folia opiũ redolent, & odor illius grauis, id quidẽ manifeſto indicare videtur. Flores gerit albos, cõuoluului maioris, ſiue læuis ſmilacis æmulos. Fructus meſpilorum magnitudine, circumquaq́; aculeatus vmbilicatusq́; viridi colore, in quo ſemen Mandragoræ ſimile. Seritur nunc paſsim in hortis, vt alia peregrina. Frigida eſt Serapioni exceſſu quarto, obſtruit, mulcet, vomitiones ciet: pota quatuor granorum pondere cum vino fortem facit ebrietatem, duarum verò drachmarum pondere hauſta, ſtatim interimit, niſi ſuccurratur epoto butyro calido, vomitu, & aqua calida balneis cum brachijs tum cruribus adhibitis. Cæterùm hinc quoque conijcient alij, Vomicam nucem, quam vocant, non eſſe genuinam: quandoquidem (ſi Auicennæ, & Serapioni credimus) Vomica nux, Methellæ aſsimilis eſſe debet: ſed aculeorum vice (vt Serapio inquit) nodis quibuſdam referta. Quibus non ſolùm vulgaris vomica caret, ſed nullam prorſus nucis faciem refert. Itaque hanc Caninam, non Vomicam poſthac appellare licebit, quòd Canes deuorata, parua temporis mora interimat. Sunt & aliæ quædam nuces, quas quidam metbellas putant, Myriſticarum magnitudine & colore, ſuis nixi rationibus, de quibus quid in præſentia dicam non habeo. Cæterùm valent Stramoniæ nuces ſiccæ, in puluerem que contritæ, ex vino hauſtæ drachmæ pondere (vt quidam vir inſignis mihi affirmauit) magno remedio ad colicos affectus, ſiquidem (vt ille ait) non ſolùm morbum facilè propellunt, ſed prohibent quoque ne poſthac affligat. Verùm ego huiuſce medicamenti hactenus minimè periculum feci. Atqui non omnibus eadem eſt facies, quippe quod aliæ rotundæ ſint, altera parte ſeſsiles, aliæ oblongæ. Conteguntur hæ capillaceo quodam inuolucro, in acutum deſinente, colore ſubflauo, vt quiſpiam videre poterit ex earum imagine, quam hic appingi curauimus, vt alij quoque Medicæ materiæ ſtudioſi ſuam de his ſententiam proferant. Tria nobis allata ſunt genera prima. Nuces Farſalach Conſtantinopoli vocari eas, ſcripſit ad me Gulielmus Quaccelbenus, Medicus inſignis, vt latius in Epiſtolis ante à nobis ſcriptum eſt. Ego verò has Indicas crediderim eſſe Auellanas, Serapioni Fauſel appellatas. Nam illis omnibus notis correſpondere videntur. Videtur haſce nuces rectè agnouiſſe Matthæus Syluaticus, quippe qui de his ita ſcriptum reliquerit: Fauſel, id eſt Auellana Inda, eſt ſimillima nuci Muſcatæ: niſi quòd pars vna eſt plana, altera eminentior, ita vt poſsit ſtare erecta, ſicut calculus, qui in ludo dicitur pedes: in cæteris intus & extra nuci muſcatæ ſimilis eſt, ſine odore, & ſapore adſtringenti. Naſcitur hæc nux incluſa in quadam lanugine, ſeu potius capillaceo inuolucro Indicæ nucis modo barbato, ſimili folliculo ſerici. Multoties fertur inter alias ſpecies à Calicut, & ego vidi ipſam in ſuo folliculo: hæc ille. Auellanæ huiuſce planta, (vt Serapio eſt author) eſt ſimilis Neragil, id eſt Nuci Indicæ, proceritate tamẽ minor. Refrigerat quæ Fauſel appellatur & valenter adſtringit: proinde membra corroborat, confert calidis morbis quibuſcunque tam bibita, quàm exterius illita. Decoquitur in vino ad dentium dolores, & fluxionem, ſiquidem ſi eo calido foueantur, non ſolùm eorum dolores mulcet, ſed commotos firmat, gingiuas laxas ſtringit, & fluxiones inhibet. Illinitur quoque vtiliter ad palpebrarum ſcabiem. Additur in collyrijs, quæ parantur ad oculorum inflammationem. Atqui præter id admirabile admodum eſt medicamẽtum aduerſus dyſenteriam, drachmæ pondere quotidie pota cùm ſucco pomorum Cotoneorum, aut cum vino rubro auſtero. Sed alia eſt Auellana Indica, quam mihi dono dedit Iacobus Antonius Cortuſus, patritius Patauinus, rei plantariæ peritiſsimus. Siquidem hæc longè alia eſt, cum facie, tum magnitudine, vt ex eius imagine, quam hic appinximus, quiſpiam videre poterit. Contegitur hæc putamine exteriori cardamomi maioris putamini ſimili, ſed duriore, compactiore, & colore magis obſcuro: magnitudine Inglandis, viridi adhuc putamine circumtecta. In eo itaque Auellana concluditur, oblonga vtraque parte acuminata, dorſo arcuato, & inferiore parte lata ac ſeſsili, oſſe contecta duro, læui, caſtanearum colore, in quo nucleus concluditur ſolidus, eiuſdem ferè figuræ, tenui albaque membrana circumueſtitus, dulcique intus medulla, & ipſa quidem albicans. Atqui de eius facultatibus, nihil hactenus compertum habeo. Cæterùm, dum hæc ſcribo, altera quoque comparuit Indica Auellana, ſuperiori longè minor, ab eodem Clariſsimo Cortuſo mihi Patauio miſſa. Eſt itaque hæc, ſuo tegumento exempta, quod læue molleque eſt, colore ſubpallido, nec folio Palmæ craſsius, glandis acuminatæ, aut Myrobalani flaui ferè figura, duro putamine, colore vulgaris Auellanæ, oblongo intus nucleo, pumilam amygdalam referens, vt ex eius hic imagine omnibus palam fiet. Afferuntur ex India vna cum Myriſticis nucibus. Sed quoniam ſcribenti mihi de Nucibus omnibus,* ANACARDIA *ſeſe*

*obtulere*

VIII. AVELLANA INDICA.



IX. NVCVLA INDICA.






XI. ANACARDIVM.



*Anacardij mentio, & vires.*

*attulere Græcis veteribus ignota, cùm & ipſa in officinarum vſu expetantur, de eis quoque verba facere ex Arabum teſtimonio, non quidem ab re fore duximus. Sunt igitur Anacardia (vt teſtis eſt Serapio) fructus cuiuſdam arboris, auicularum cordis nō diſsimiles, vnde & nomē, colore etiamnū cordis modo rufeſcente, cū ſcilicet de arbore decerpuntur. Ineſt ijs liquor mellis craſſitie ſub cortice reſidens, ſanguinis modo rubicundus, ſub quo eſt & nucleus paruæ amygdalæ effigie. Naſcuntur in Siciliæ montibus, qui continuè igneas eructant flammas. Excalfaciunt, & exiccant tertio exceſſu. Præſtat in medicina liquor, etſi myropolæ cōmuni errore & cortice, & nucleo vtantur. Anacardia (vt aiunt) labantes reuocant ſenſus; memoriæ iacturam reſarciunt, & neruorum, & cerebri affectibus, quos frigida cauſa attulerit, auxiliantur: nihilominus ſanguinem exurunt, & cutim vlcerant. Quare Anacardia iuuenibus noxia ſunt, cùm & adurant, & deleteria facultate non vacent: cui tamen remedio eſt lac affatim potum, & oleum ex eorum nucleis expreſſum. Hactenus de varijs nucibus, nunc earum nomina ſunt nobis reddenda.*

*Nomina.*

*Nuces communis vſus Græci vocant κάρυα βασιλικά: Latini, nuces Iuglandes: Arabes, Ieuz, Leuz, aut Giauzi: Itali, Noci: Germani* Nüſſe vnd Welſchnuße*: Hiſpani, Nœzes: Galli, Noix. Nux verò, quæ ex India defertur, recentioribus Græcis, κάριον ἰνδικὸν appellatur: Latinis, Nux Indica: Arabibus Neregil, Dabig, ſeu Giauz ialhindi: Italis, Noce d'India: Germ.* Indianiſche Nüß*: Hiſp. Noez de las Indias: Gallis, Noix d'Indie. Nux deinde, quæ μοσχο… μοσχοκαρύδιον, κάρυον μυριστικὸν; ἢ κάρυον ἀρωματικὸν Græcè, Nux myriſtica, aut Nux moſcata Latinè dicitur: Arabicè, Iusbague, ſeu Giauzbuan; Arabicè: Noce moſcada, Italicè:* Moſchat Nüß*, Germanicè: Noez de eſpecie, Hiſpanicè: Noix muſcades, Gallicè. Nux præterea, quæ Arabibus Leuz alkei, ſeu alkee, Officinis ac Barbaris Nux vomica, & Italis Noce vomica nominatur. Nux denique Arabica voce Leuz alrachaba dicta: Latinæ Nux metella: Recentioribus Stramonia barbara, Nux Methel: Italicè, Noce metella nuncupatur. Auellanæ Indicæ, Italis, Nociucle d' India. Quod autem ἀνακάρδιον Græci, Latini item Anacardium dicunt: Arabes, Baladar, ſeu Beladur: Hiſpani, Anacardo.*

*Nux de quibus dicatur.*

Nux quemadmodum βαλάνου glandis, ita τοῦ καρύου nucis nomine permulti fructus nominantur: ſiquidem Athenæo auctore, Attici omnes fructus ligноſo cortice incluſos κάρυα nominant. Κάρυα quod caput odoris grauitate offendat Plinio. Nux perſica & baſilica, quod è Perſide à Regibus ſit translata. Huius aliquot differentiæ à magnitudine & corticis duritie: ſunt quæ à magnitudine malis æquales Caballinæ dicuntur, aliæ mediocres, aliæ minores; ſic ſunt quæ ante feſtum Iohannis nec folia nec nuces oſtendant.

*Nux Indica.*

II. Nux Indica, fructum aliqui cenſent Palmæ Indicæ, qua de re Garziam qui volet, legat: videtur in genere Caryotarum eſſe, quos Plinius Nicholaos appellat, aut quod Pateton nominat. Coccus Indica, Lac. Nux Indica, Cord. hiſt. Lon. Lob. Caſt. Lugd. Tab. Cæſ. Palma Indica, Garziæ, Lugd. in append. cui & Elephantis. Aiunt referente Cæſalpino, creſcente nuce colligi humorem ſub extimo inuolucro inter ſtamina, qui nuce perfecta aquę roſaceę ſimilis effunditur, menſura terni calicis ex ſingulis nucibus, qui in potu ſit ſuauis. Arborem tradunt Palmæ ſimilem, cuius folia per ſex menſes aquam contineant: ramos primos vere amputari, mox largè, vt ex vitibus lachrymas exſtillare, quæ vaſis excipiuntur, vt pro vino vtantur, at triduo aceſcere: liquorem verò percoctum in melleam ſubſtantiam tranſire. Huius eſt & altera ſpecies, quæ minor & Cuci Theophraſti à Cordo cenſetur: Nucula Indica quibuſdam.

*Nux moſcata.*

III. Nux moſcata, videtur Nux Indica Aetij, cuius etiam in ſuffimento moſcato meminit. Variat fructu oblongo & rotundo: quę oblongo eſt, mas cenſetur; & à Cordo in hiſt. Nux moſchata maſcula vel maior dicitur, eſtq; guſtu adſtringente, odore ferè nullo, carioſa magis, minus oleoſa, affectibus ventriculi & capitis commodior.

Auctor eſt Acoſta in Moluccis humiles eſſe & fructu puſillo naſci. Triplici donantur cortice, cortex exi-

Nux vomica.

mus quibuſdam Narcaptnum Dioſcoridis cenſetur: medius verò, qui reticuli inſtar fructui circumijcitur, Macis dicitur: tertius nucem quam in Officinis habent, continet. IV. Nux vomica (quod vomitum cieat) officinarum: hanc nec veram vomicam, nec methellam eſſe Anguillara putat. Nux metella vera, vomica officinis, Lonic. Nux metella, Lac. Nux vomica, Lugd. Tab. Cord. hiſt. cui & Canina. Nux methel

Nux methel.

vulgo, & Fungus oriẽtalis Cæſalpino, verba aſteriſcis incluſa ex ſecunda commentariorum editione adiecimus, maximè propter vomicas officinarũ V. Hæc nux methel cẽſetur Lug. Nux vomica vera ſeu metella officinarũ Lon. Nux vomica, Lacunæ: Hippomanes Crateuæ quibuſdã. VI. Quæ pro nuce Methel à Cõmẽtatore propõitur, ad Solanũ, (licet Cardanus dubitet) referimus, cuius duo ſunt genera: alterũ fructu

Stramonia.

rotundo & ſemine albo: alterum fœtidum, fructu oblongo & ſemine nigro. Primum Solanum pomo ſpinoſo ſemine albo C.B. Stramonia ſeu pomum ſpinoſum, Trag. Stramonia, Dodo. gal. & fol. Geſ. hor. Lac. Lon. Fuch. (cui & nux methel) Lugd. Stramonium peregrinum, Lycoperſicum Galeni, βαρυοκόκκαλοι Diodonæi, Lob. Hyoſcyamus Peruuianus, Cordo hiſt. Solanum ſpinoſum, Lac. Tab. Hippomanes, Anguillarę Geſ. hort. Nux methel Auicennæ, Tatonla Turcis, Paracocalon Græcis, corona regia, Nux impropriè, pomum verius, Mandragoris potius quàm Solanis adnumeranda, Solanum Romanum Monſpelij, Solani pomiferi genus tertium, Geſ. hor. Nux methel ſiue Stramonia Alpino, Caſt. Cam. Malum ſpinoſum Solanum manicũ alterũ Dioſcor. cui caput oliuæ, ſed hirſutius tribuit & Theophraſtus ſimile fructui platani,

Solanum fœtidum ſpinoſum.

Nux methel Auicennæ Cæſalpino VII. SOLANVM fœtidum pomo ſpinoſo, ſemine nigro, vel Stramonia fætida nigro ſemine, planta eſt fruticoſa, humanam ſuperãs altitudinem, ex cuius radice fibroſa, alba, pro ratione totius plantæ, parua, caulis exſurgit vnicus, craſſus, inæqualis, ſtriatus, viridis, bicubitalis, altiorue antequam in varios brachietur ramos: hos folia cingunt ampla, quorum aliqua palmum longitudine excedunt & latitudine adæquant, quæ inſtar foliorum Xanthij laciniata ſunt, in acutiores tamen & longiores angulos deſinunt, viridia, venoſa, ex pediculis leuiſſimè villoſis dependentia, grauiſſimo & tetro opij odore prædita, quem etiam non trita, ſed ſaltem veſtibus tranſeuntium mota emittunt. Flores in extremis ramis dodrantales, ex calicibus quinquangulis viridibus, oblongis prodeunt, colore albi, calathi inſtar integri, qui in acuminatos angulos deſinũt, in quorum medio ſtamina quina, etiam ſena (quæ extra florem non feruntur) quibus ſingulis ſingula capitula oblonga, alba, vt in lilijs albis reſident, quæ puluere etiam aſperſa. His ſuccedunt fructus copioſi, breui, anguloſo, craſſoque pediculo inſidentes, ex rotunditate oblongi, nucem iuglandem magnitudine æquantes: horum exterior cortex viridis, vndique aculeis horridis cingitur, qui exſiccatus, ſponte in quatuor ſecedit partes: in horum medio fungoſa membranoſaque ſubſtantia, cui vndique ſemina depreſſa, lenticulæ forma, multò quam in altera Stramonia, quæ ſemine albo eſt, minora, tanta copia infixa ſunt, vt pomum refertum ſit, quæ ante maturitatem candida, matura verò atra exiſtunt & amara. Naſcitur in Malauar vmbroſis locis & ſecundũ aquas: noſtri in hortis colunt. Hoc primus Chriſtophorus Acoſta pictum propoſuit Daturæ nomine, ſic enim Luſitani & la Burladora, hoc eſt, facetũ nominãt: in Malabar Vnmatacaya: in Cauara, Datiro: apud Arabes, Marana: apud Perſas & Turcas, Datula dicitur. Germani Igelkolben vnnd ſtinckende Stachelnüß vocant. Maxima pars Medicorum ijs in regionibus legitimam Nucem Methel Arabum eſſe cenſent. An potè Solanum manicum Dioſcoridis? Nuci metellæ congener Cam. in Matth. Frigidam exceſſu tertio & ſiccam ſecundi fine conſtituunt: pernicioſa idcirco qualitate non caret. Seminis triti dimidiam drachmam ex vino qui hauſerit, diu velut mente alienatus remanet, aut ridens, aut eiulans, aut dormiens, aut alteri colloquens & reſpondens, omnium tamen pòſtquam ad ſe redierit immemor.

VII. SOLANVM FOETIdum ſpinoſum.



Si nimia ſumatur quantitate, interimet: licet Gentiles ad prouocandas vrinas cum Pipere & folijs Betele id exhibere ſoleant: ſed alijs potius vtamur certioribus. Gentiles Medici ad curam eorum qui ſumpſere vocati, vomitum prouocant, forteſq; ligaturas & fricationes adhibent, quæ ſi non ſufficiant, balnea ex aqua calida præſcribunt ad ſudorem mouendum: Porrò á vomitu Vinum propinãt, cui Piper & Cinnamomum admiſcent. Semine per noctem in aceto macerato, dein exactè trito, vtiliter illinuntur herpetes miliares & eryſipelata ſerpentia, breui enim ſanari A Coſta monet. Sic & Radicis drachma ex vino pota ſomnum profundum inducit, in quo varia inſomnia & miræ rerum facies obuerſantur.

Auellana Indica.

Huius adhuc duo ſunt genera quæ flore potiſsimum à prædicto differunt, ſiquidem colore ſint flauo & ſecundum pediculos nonnihil rubent. Sed de his in hiſtoria. VIII. Auellana Indica hic proponitur oblonga, cum ſuo inuolucro & eodem exuta: eiuſdem varietates aliquot adduntur: dicitur Areca Scaligero, Vartomano, Lugd. Areca ſiue Faufel, Cluſij: Faufel ſiue auellana Indica, Syluatico: Faufel, Serapioni: Frefel Auicennæ, Lugd. Faufel Garziæ, Lob. Areca Caſt. Tab. Nuci Indicæ affinis fructus Indis Areca ſiue

Mehenbethene.

Faufel Cæſal. Auellana Indica Acoſtæ. IX. Nucula Indica Tab. Auellana Indica Lob. X. Mehenbethene, Lob.

Lob. Tab. Lugd. Eſt etiam ex Auellanis Indicis XL. Anacardium (à cordis ſimilitudine & colore) Auicennæ & Serapionis Lug. Anacardium Cord. hiſt. Lac. Tab. Anacardus, Caſt. Cæſal. cui & Anacardium recentioribus Græcis, & Perſea fortè Plinij, Anacardum à Coſta. Anacardium.

Κάρυα ποντικά.

## NVCES AVELLANÆ. CAP. CXLII.

NVces auellanæ, quas & leptocarya vocant, ſtomacho infeſtæ ſunt: ipſæ tamen tritæ, & in aqua mulſa potæ, tuſſi veteri medentur: toſtæ, & cum exiguo piperis potæ, deſtillationem concoquũt. Crematarum cinis cum axungia, aut adipe vrſi perunctus, alopecijs capillum reddit. Aiunt nonnulli vſta earum putamina, & in cineris ſpeciem redacta, cum oleo, cæſiorum oculorum pupillas infantibus denigrare, perfuſo ſyncipite.

NVX AVELLANA.



*AVellanæ nuces ideo Græcis Ponticæ dictæ ſunt, quòd in Græciam (vt Plinius inquit) è Ponto primùm allatæ fuerunt. In Italia tamen & in vrbanarum, & in ſylueſtrium genere numeroſæ reperiuntur. Cæterum ex domeſticis aliæ oblongæ, aliæ rotundæ ſunt: veruntamen oblongas & præſtantiores, & guſtui gratiores eſſe conſtat, & illas præſertim, quæ putamine vehementer rubent, & fractu minimè ſunt contumaces, quales ſunt Victrinæ, quæ tam ſuaui ſunt ſapore, vt piſtacijs ferè comparari poſſint. Siquidem non omnibus Auellanis idem ſapor repetitur, neque eadem pulpæ gratia: ſiquidem aliæ prædulces ac manſu faciles, aliæ verò aſperiuſculæ, & ingratiores, & manſu duriuſculæ habentur. Oblongæ ſerius maturitatem ſentiunt, celerius verò rotundæ: quapropter illæ vegetiori ſunt nucleo, diuque perdurant. Sylueſtribus coryletis ferè innumeris ſcatent Tridentini montes, quæ oblongas pariter, & rotundas largiuntur nuces, tanta vbertate, vt eas rura ſaccis legant, vbi maturitatem ſenſerint. Auellanarum planta, quæ corylus dicitur, rarò procera ſpectatur, ſed quæ ab ipſis ſtatim radicibus numeroſos emittat caudices, vt fruticoſa ſit: arboreſcit tamen, è quibus in ſummitate rami exeunt frondoſi, ac virgis non breuibus, enodi materie. Folijs eſt Alno ſimilibus, latioribus tamen, criſpioribus, tenuioribusq; & in ambitu ſerratis. Cortice veſtitur tenui, albis maculis vario. Radicibus nititur minimè craſſis, altis tamen, viuacibus, ac robuſtis. Florere hanc arborem non videmus, ſed iulos emittere Autumno, quo tempore folia decidunt, longi piperis figura, dehiſcit is ineunte Vere ac defluit, cũ folia proſiliunt, tunc calyculacea tegumenta totidem quot iuli, ſupra pediculum exeunt, eorumque ſingulis nuces ſingulæ. Veſtitur auellanæ nucis putamen, viridi calloſaque membrana, in extremitatibus tamen mollior, & fimbriata in barbæ modum protrahitur: quo fit vt quibuſdam hæ barbatæ nuces appellentur, etſi genus reperiatur haud barbatum, ſed adeo breui amictu, vt putamen anteriori parte nudum videatur. Nucleus primò molli calyculo innaſcitur, alba occluſus medulla, atqui ſubinde indureſcente putamine, is adoleſcit, tenui membrana circumplexus. Nuci nucleus quãdoque albus, quandoque purpurea veſtitus membrana, dulcis ferè Amygdalarum modo, ſed duriore pulpa. Domeſticæ habentur in hortis, vineis & viridarijs: Sylueſtres verò vbique proueniunt in ſiluis & ſecus itinera. Bilem nuces augẽt, & dyſenteriã faciunt, vberius deuoratæ. Tritæ tamen, & ex mulſa hauſtæ, tuſſi veteri medentur, & cum exiguo piperis hauſtæ deſtillationes concoquunt. Crematarum cinis cum axungia, aut adipe vrſi perunctus, alopeciæ capillum reddit. Putamina ipſa cruda in tenuem puluerem contrita, & ex vino auſtero hauſta drachmæ vnius pondere, diarrhœam cohibent, & alba fœminarum profluuia. verum ad hæc, ac etiam menſes cohibendos, ſunt qui magis præſtare affirment ſubrufeſcentem medullam, quæ putamini intus inhærens nucleum circum ambit. Aiunt nonnulli vſta earum putamina ac oleo excepta, cæſiorum oculorum pupillas infantibus denigrare, perfuſo ſyncipite. Obſeruauit ſimplex ruſticitas, ſerpentem prorſus obtorpeſcere, quæ Coryli virga percuſſa fuerit, & tandem emori: nec fortaſſe mirum, cum nux ipſa cum ficubus & ruta deuorata, venenis ac venenoſorum animalium morſibus reſiſtat. Oleum è nucleis expreſſum articulorum dolores inunctum iuuat. Auellanæ (vt memoriæ prodidit Galenus tum libro ſeptimo ſimplicium medicamentorum, tum ſecundo de alimentorum facultatibus.) plus habent eſſentiæ terreſtris, ac frigidæ, quàm Iuglandes: quin & plus præbent alimenti; ſiquidem denſiores ſunt, & minus pingues. Diocles auctor eſt, Auellanas nuces minus amygdalis alere, cibis in ventriculo ſupernatare, largius oſitatas caput tentare, innocentiores tamen eſſe virides, quàm aridæ. Nuces, quæ κάρυα ποντικὰ καὶ λεπτοκάρυα Græcis; Latinis nuces Ponticæ, nuces Præneſtinæ, & nuces Auellanæ dicuntur: Arabibus, Agileuz, ſeu Bunduch: Italis, Nocciuole, Auellane, & Nocelle: Germanis, Haſelnüß: Hiſpanis, Auellanas: Gallis, Noiſilles Noyſette, & Melline: Bohemis Vuoredi Liſkoui.*

Auellanarum conſid.

Coryli hiſt.

Auellanarum facultates.

Auellanarum vires ex Gal.

Nomina.

Auellana, quę Februarij fine communiter flores eleganter rubentes inſtar ſtaminum oſtendit, Heracleotica Theophraſto, quod ex Heraclea Ponti translata: dicitur Nux barbara, Plinio: Nux auellana ſeu Corylus recentioribus. Alia eſt ſatiua, alia ſylueſtris. Satiua fructu eſt oblongo, rubro, hæc vera pontica veterũ: alia fructu rotundo, eoq; vel minore vel maiore, hæcq; eſt Auellanæ tertium genus Cordo in Dioſcoridẽ, & Nux auellana maior Lugdunen. dicitur. Eſt & Corylus Macedonica, cuius nuces in racemum congeruntur, monente Geſnero. Habetur & Byzantina pumila apud Cluſium & Tabernæmontanum,

Huc referendę ex Monarde Auellanæ purgatrices, quæ colore & forma noſtris reſpondent, quæ in nouo orbe inſula D. Dominici reperiuntur, & Ben magnum medicorum vulgus vocare teſtatur.

## Μορέα. MORVS. CAP. CXLIII.

a Omnia exē. μορέα ἤδε συκαμινέα. i. Morus ſiue ſycaminea.

b Ca. κοιλίας μαλακτικὸν καὶ λυτικόν. i. aluum mollit & ſoluit.

MOrus arbor nota eſt: cuius fructus [b] aluum ſoluit, ſtomacho inutilis eſt, & facilè corruptionem ſentit. Hoc idem præſtat mori ſuccus: decoctus autem æreo vaſe, atque inſolatus, adſtringentior redditur. Facit ad fluxiones, nomas, & tonſillarum inflammationes, addito mellis exiguo. Sed inoleſcit vis eius adiecto ſciſsili alumine, galla, croco, & myrrha: item myricæ ſemine, iri, & thure. Immatura mori poma ſiccantur, tuſaque acinorum rhois vice, obſonijs miſcentur, vt cœliacos iuuent. Radicis cortex decoctus in aqua, & potus aluum reſoluit: latas ventris tineas excutit: his quoque auxiliatur, qui aconitum hauſerunt. Folia trita ex aceto illita, ambuſtis igni medentur: tinguntque capillum, vitium & fici nigræ frondib. ſimul coctis in aqua cœleſti. Succus foliorũ cyathi mẽſura potus, contra phalangiorũ morſus auxilio eſt. Ferueſacti corticis, & foliorum iure, dentes aptiſsimè in dolore colluuntur. Radix circiter meſſem inciſa, facto ambitu ſcrobe, ſuccum emittit, qui poſtride concretus inueniri ſolet. Is in dolore dentium efficax eſt: tubercula diſcutit, & aluum purgat.

I. MORVS.



II. MORVS ALBA.



Mori conſid. & hiſtoria. Mori nigræ deſcript.

MOri duo ſunt genera, album videlicet, & nigrum, à fructuum colore ita appellata. Nam & nigra, & alba mora reperiuntur, quæ non ſolum colore, & magnitudine differunt, ſed etiam ſapore. Nigra Morus caudice plurimum eſt contorto, gibberoque ac nodoſo, etſi nonnunquam ſatis ſpectatæ proceritatis reperiatur. Ramos edit craſſos, in latum magis quàm ſurſum ſpatiantes: libro veſtitur craſſo, lento, flexilique, cui materies ſubeſt robuſta, & medullitus flaua. Radicibus nititur numeroſis, magnis ac robuſtis, non tamen altè deſcendentibus, ſed quæ ceſpite tenus in ingentem ſeſe diffundunt longitudinem, & præſertim albæ mori, fortaſſe quoniam hæc amplior, altior, proceriorque ſemper quàm nigra habeatur. Nigræ folia latiora craſsioraque ſunt, & ambabus in acutum deſinentia, & circumquaque ſerrata, quanquàm nonnulla, in vtraque moro, vitiginea quandoque ſpectantur. Nigra fructum fert rubi, grandiorem tamen & oblongiorem, ſanguineo ſucco per maturitatem madentem, qui contactu manus & os inficiat: is primum viridis eſt, & ſubcandicans, dum adoleſcit rubens & per maturitatem niger. Idem dum rubet acido adſtringentique ſapore deguſtatur, ſed vbi maturuerit, adeo mitescit, vt dulcis ferè fiat, modica remanẽte auſteritate.

Morus alba.

In alba autem baccæ minores habentur, quæ ante maturitatem ſubvirides factæ, auſteriuſculo ſapore percipiuntur, vbi verò vltimam ſenſere maturitatis coctionem, melleam prorſus dulcedinem reſipiunt, quo fit vt minime cum nigris facultate conueniant. Alba vbique ſcatet Italia, ac etiam Hiſpania: ad alendos bombyces ſericeos tantùm ſata. Nigra verò etiam vbiq; habetur, aut in hortis aut in viridarijs. Sapientiſsima antiquis Morus dicta eſt, quòd vltima inter vrbanas arbores germinare incipiat. Amat amœnos tractus. Materie conſtat vtili operibus quæ flexu conſtant, eique hac in re primatus datur. Aeternam arbitrantur ac validam, ideo furculas ex ea circosq; faciunt, vtunturq; ea in nauigiorum fabricis.

Mori vires ex Gal.

Mora (vt prodidit Gal. lib. 8. ſimplic. medicam. item ſecundo de alimentorum facultatibus) matura quidem ventrem ſubducunt, immatura verò vbi aruerint, admodum reſtringunt. Itaque ad dyſenterias accomoda ſunt, item ad cœliacos, & quaſcunq; alias fluentes affectiones. Porrò quòd maturorum ſuccus ad oris medicamenta ſit vtilis, propter eam videlicet, quæ ineſt illi, adſtrictionem, neminem latet. Præterea ad alia cõplura particularia, que

*quæ mediocrem expoſcunt adſtrictionem, competit. At immatura mora præter acerbitatem, ſortita ſunt & aciditatem, & tota adeò arbor in omnibus ſuis partibus miſtam aliquam vim obtinere videtur, ex reſtringente, & purgante compoſitam. Attamen in radicis cortice purgatoria cum quadam amaritudine exuperat, adeò vt & latas interaneorum tineas perimat. In alijs autem partibus reſtringens vincit, in folijs tamen, & germinibus quodammodo media vtriſque temperies eſt. Mora vbi primùm manſa fuerint, ingeſta citiſsimè tranſeunt, & alijs cibis ſuo veluti ductu viam ſtruunt, verùm ſecundo loco ſumpta, celerrimè alijs vnà cum cibis corrumpuntur: id quod etiam faciunt, ſi cùm eduntur prauo in ventriculo humori occurrant. Quòd ſi corruptionem non ſentiant, corpus quidem humectant, ſed non planè refrigerant, niſi actu frigida aſſumantur. Pauciſsimum miniſtrant alimentum ſimiliter atque pepones, haud tamē vomitum cient, nec ſtomacho, vt illi aduerſantur. De Moris autem, quæ rubi ferunt, libro 4. in Ruborum commentatione, Deo fauente, latius diſſeremus. Sed quoniam Mori folijs & veſcuntur, & aluntur vermiculi, latinis recentioribus Bombyces appellati, qui admirabili naturæ ſpectaculo, & miro ac ferè inexplicabili opificio nobis SERICVM vellus conficiunt, veniatque & ipſum in medicum vſum in Arabum medicorum antidotis, non præter rationem fore duximus eius hic vires (quandoquidem non inuenio è veteribus Græcis, qui de hoc quicquam prodiderit) ex Serapione, & Auicenna deſcribere. De eo itaque ſcribens Serapio, Bombyx inquit (ſic Serapionis verba latina reddidit Nicolaus Mutonus Mediolanenſis) aureis iam filis agglomeratis, obſcuroq́; clauſa carcere, nec annuo vix ſpatio intacta. folliculum roſtro cōtundit, ac protinus erumpit, vnde oritur Habriſen & Ken. Folliculo autem inſolato, vt Bombyx, Serùe extinguatur, ſericum aut ſeta inde efficitur: hæc ille. Cæterùm alterius, ac ſane diuerſi generis ſunt animalia, quæ à Seris populis aluntur ad Serica ſtamina comparanda, de quibus lib. ſexto quinque regionum veteris Græciæ ita ſcriptum reliquit Pauſanias: Sed enim quæ fila ad textrinam vſurpant Seres, ea è nulla ſtirpe ſunt. Naſcitur in eorum terra vermis, quē Serem Græci, ipſi longè alio appellant nomine: magnitudine eſt id inſectum dupla maximi ſcarabei, cætera aranei ſimillimum. Hoc Seres accuratè nutriunt, cellas illi tum æſtiuas, tum hybernas aptè fabricantes. Pedib. (habet vero octo, quot & aranea) ſub arboribus teſtile opus facit. Annos fere quatuor panico alitur: quinto demum (neque enim longior contingit vita) viridem apponunt arundinem, quo pabulo beſtiola illa maximè delectatur, eo ſatur ſagina rumpitur. Educunt inde è viſceribus ſtaminum volumina: hactenus Pauſanias. Bombycinum vellus (vt ſcribit Serapio) medicorum nonnulli in caliditate, & ſiccitate ſymmetrū poſuerunt. Cordi laudatiſsimum. Ipſum enim roborat, in eoq́; ſanguinem expurgat, vnde medicamentis cordi potiſsimum conducentibus admiſcetur, præſertim compoſitioni ex Moſcho, Græcis Διάμοσχον inſcripta. Vritur, quò fictius redditum, læuigari, & tenuiſsimè comminui poſsit, quanquàm id nonnullis improbetur, ne vires per ignem minuantur. Cæterùm minutatim inciditur, admixtumq́; vnionibus potiſsimum Succino & Corallio, facilè contunditur. Alij vim per coctionem extorquent, decoctoque à colatura in mortario, aliòue vaſculo, medicamenta ſole calente infundunt, quoad bellè macerentur, atque imbibantur facultatemque omnem attraxerint, indeque exiccant, & in vſum reponunt: nec plura Serapio. Scripſit quoque de Bombycini velleris facultatibus Auicenna, libro, de viribus cordis, his verbis: Sericum ex fortibus lætificantibus eſt, excellentius tamen eſt crudum; ſed quandoque cadit in vſum & coctum, potiſsimum ſi non fuerit tinctum: eſt autem calidum & ſiccum in primo: corroborat itaque cor ac etiam viſum quemadmodum & memoriam: quin etiam naturales operationes mirificè exhilarat, quæ in re crudum eo longè præſtat, quod ignem fuerit expertum, tametſi coctum quandoque in vſum veniat, verùm antequàm in inſectorum cornuis immerſum inficiatur. Excalfacit ſericum, reſiccatque ordine primo, exiccat, & attenuat ea natura dote, vt cor recreet, lætumque efficiat. Quapropter laxat, firmat, purificat, & illuſtrat ſpiritus: neque enim facultas vni tantùm aſsignatur ſpirituum generi in vna tantùm diſpoſitione, ſed ei proprium eſt, omnibus æquè ſpiritibus opem ferre, ita vt ſpiritus tam vitales & animales, quàm naturales reficere valeat. Cæterùm quamuis negauerit Auicenna decoctum ſericum, & fullonum coloribus imbutum in medicos venire vſus, Meſues tamen in eo ſerapio, quod de pomis inſcribitur, id ſericum admittit, quod cocco legitimè ſit infectum. Idque ſimiliter inſerit in ea medicamenti compoſitione, quam Alchermes ipſe nuncupauit. Arbor, quæ μορέα ἢ συκάμινος Græcè, Latinè Morus appellatur: Italicè, Moro. Eius fructus Græcis συκάμινον, Latinis Morum dicitur: Italis, Moro. Arabes vtrunque Tut, ſeu Thut nominant: Germani, Maulberbaum vnd Maulber: Hiſpani, Moras del moral: Galli Meurier & Meure.*

Bombycis hiſtoria.

Seres Pauſaniæ.

Bombycini velleris vſus.

Nomina.

Morus Sycamine Theophraſto, ſatiua eſt & ſylueſtris, ſeu ratione fructus nigra & alba. I. Morus nigra fructu eſt maiore & ſuauiore, quæ in arborem excelſam excreſcit, aliquādo humilis remanet, & Chamæmorus dicitur, augmenti tarditate tantúm diſcrepans: diuerſa tamen eſt ab hac Chamæmorus cuius Cluſius in hiſt. Pannonica meminit. Dicitur recentioribus Morus & Morus nigra: in quibuſdam officinis morus celſa ad differentiam fructus Rubi, quæ etiam Mora dicuntur. II. Morus alba ſiue candida, in qua folia inſtar foliorum vitis lacinioſa & ſinuata ſæpiſsime obſeruauimus in vrbe Patauina.

## Συκόμορος. SYCOMORVS. CAP. CXLIV.

SYcomorum, aliqui etiam ſycaminum, id eſt, morum, vocant, cuius fructus ſycomorum etiam propter inefficacem guſtum, appellatur. Arbor eſt magna, fico ſimilis, a frondoſa, multo lacte abundans: folijs mori: pomum ter aut quater anno fert, non ramis, vt fico, ſed caudice ipſo, caprifico non diſsimile, dulcius groſsis ſine granis interioribus: quod non matureſcit niſi vngue, aut ferro ſcalpatur. Naſcitur plurimum in Caria, Rhodo, locisque non multi tritici feracibus: vbi prouentu fœcundo, reſtibilique iuuamentum adfert, cúm annonæ caritas premit. Pomum aluo vtile eſt, ſed perquàm exilem præbet alimoniam: ſtomacho aduerſatur. Succus primo vere tenera arbore antequam fructum ferat, eximitur, lapidis ictu ſummo cortice deſquamato: ſi enim altiore plaga violetur cortex, nihil effluet. Spongia aut vellere lachryma excipitur, quæ ſiccata, & in paſtillos coacta, fictili vaſe reponitur. Vis b ſucci emollit, & vulnera conglutinat, diſcutit collectiones concoctioni repugnantes: bibitur etiam, aut illinitur contra ſerpentium morſus, duratos lienes, ſtomachi dolores, & perfrictiones: celerrimè teredinem ſentit. Gignitur & in Cypro arbor genere diſtans, quæ cúm ſit vlmus, prædita tamen eſt folijs c ſycomori, fructu pruni magnitudine, multò dulciore, ſupradictis cætera ſimilis.

a Meum ita diſtinguit πολύκομον, σφόδρα ἐοικὼς τοῖς φύλλοις μορέᾳ i. folijs Moro valde ſimilis. At Cat σφόδρα refert ad πολύκομον. Illud verò, quod ſequitur i. multo lacte abūdans, in omnibus exemplarib. deeſt. b ὀπὸς. liquor. c Meum συκαμίνου.

*SYcomorus (vt Theophraſtus eſt auctor lib. 4. capite 2. de plantarū hiſtoria) arbor eſt moro noſtrati ſimilis, quippe folio magnitudine, aſpectuque proxima. Fructum præter cæteras peculiariter gignit: non enim germinibus, non ramis extremis, ſed*

Sycomori hiſtor. ex Theophraſto.

I. SYCOMORVS.



II. SYCOMORVS SEV Ficus Cypria.



III. PSEVDOSYCOmorus.



mis, ſed candice pomũ parit magnitudine ficus, & viſu proximum, ſucco atque ſapore caprificis ſanè ſimile, verùm lõgè dulcius, graniſque internis omnino carens, multitudine numeroſiſſimum, matureſcere nequit niſi ſcalpatur. Scalpitur autem vnguibus ferreis: & cùm ſcalpta poma ſunt, ad quartum diem matureſcunt: hiſce ablatis, alia, & alia ex eodem loco ſubnaſcuntur, terno ita, & quaterno partu copioſa. Lactuoſa arbor admodùm eſt, & materies (quòd ſit ſolida, robuſta, & nigra) ad multa commoda exiſtit. Hæc inter cæteras arbores id ſibi proprium vendicauit, quòd cæſa continuò viret, neque ſiccatur vnquam, niſi aqua obruatur. Eaque propter & lacubus, & ſtagnis demergitur madefactaque in profundo ſiccatur, cumq; ſicca omninò fuerit, ſuperfluitat atq; innatat: hactenus Theophraſtus. Hanc quam appingi curauimus, Sycomori imaginem miſit ad me clariſſimus Medicus, & rei plantariæ ſtudioſiſſimus, Vlyſſes Aldrouandus Bononienſis, vir quidem non ſolum doctrina, ſed etiam liberalitate, & humanitate præclarus. De Sycomoro diſſeruit Gal. lib. 2. de alim. facultatibus, vbi ita ſcriptum reliquit: In Alexandria Sycomori plantam vidi vna cum fructu, parua, candidaque ficui adſimilem. Is fructus nullum habet acrimoniam, exiguæ dulcedinis eſt particeps, eſtque facultate humidior quodammodo, ac frigidor, veluti mora: quinimmo inter mora ac ficus medium iure quis ipſum collocarit, atque hinc nomen ipſi inditum eſſe mihi videtur. Ridiculi namque ſunt, qui fructum hunc ob id aiunt ſycomora fuiſſe nominatum, quòd paruis ficubus aſſimiletur. Ipſius autem naſcendi ratio ab alijs arborum fructibus quodammodo eſt diuerſa: haud enim ex primoribus ramulis, ac germinibus, ſed ex prægrandibus ramis, caudiceq; enaſcitur. hæc Gal. Sycomoro ſimilis

Sycomori mentio ex Gal.

Vulgaris error.

eſt (ro

*eſt (vt loco citato memoriæ prodidit Theoph.) quæ in Creta vocatur Cypria ficus: nam & ipſa fructum edit, caudice, ramiſq; craſsiſsimis. Differt tamen à priore, quod germen quoddam emittit ſine vllis folijs, radiculæ ſimile, cui fructus præpilatur. Caudex arboris magnus, & populo albæ proximus, eiuſq; folia vlmũ repræſentant. Quater anno fructum fundit, ſed nullum ad maturitatem perducit, niſi pomo ipſo immaturo inciſo, emiſſoq; lacte. Dulcedo ficubus non abſimilis, & interna groſsis planè conueniũt: magnitudo autem pruni eſt: hæc Theophraſti verba. Quæ ſanè maximo ſunt argumento, hanc quoque plantam in Sycomori genere annumerandam eſſe. Cæterùm apertè hallucinantur ij, qui putant arborem Sycomorum eſſe, quæ plerunque viſitur in monachorum clauſtris vulgo vocatis, & in templorum plateis, vbi mortuorum cadauera humãtur, nuſquã alias in Italia (quod ſciuerim nouerimq;) hæc plãta ſpõte naſcitur. Arbor eſt procera, folijs vulgaris loti lõgioribus, & in acutum deſinentibus. Baccas edit virides, è cuius baccis monachi verticillos factitant, quibus funiculo traiectis mulieres ſuas numerant preces. Hanc (vt Bellunenſis caſtigauit) Azadaracht appellat Auicenna, quam deleteriæ facultatis participem eſſe prodit Fen ſexta quarti, vt latius lib. 6 dicemus. Arbor, quæ Συκόμορος Græcis, Latinis Sycomorus, & ficus Aegyptia nominatur: Arabibus, Mumeiz, Iumeiz, Alumeiz, ſeu Giumeiz: Italis, Sicomoro, & Fico d'Egitto: Bohemis Moruſe. Pſeudo ſycomorus, Italis, Sicomoro falſò: Mauritanis, Azadaracht.* Vulgaris error. Azadaracht Nomina.

Sycomorus duplex à Dioſcoride & Theophraſto proponitur: altera fructum ex caudice ramiſue grandioribus emittit, hæcque AEgyptia eſt ficus: altera ex trunco germina ſine folijs emittit, quibus ficus adhærent, & hæc Cypria eſt ficus. I. Sycomorus ſeu ficus Ægyptia, Caſt. Lugd. Rauuolf. Sycomorus in Ægypto, Cord. in Dioſc. Sycomorus, Lac. Lon. Dod. gal. & fol. Lob. Alp. Tab. Sycomorus veterum, Ficus Pharonis vulgò in Syria, Morus Ægyptia Theophraſti, Geſ. hor. Sycamine Theophraſti, Caſ. II. Sycomorus ſeu Ficus Cypria, Sycomorus in Cypro, Cord. in Dioſc. Ficus Cypria, Rauuolfio, & ex eo Lugd. In hanc claſſem referas Ficum Indicam Theophraſti, de qua ex Cluſio Lugd. & Taber. & Mangle Ouiedi videtur. Sic & Ficus Nigritarum, folijs ficus, fructu duorum pedum, ſemine fabæ magnitudine, figura renis: apud Theuetum, ex quo Lugd. hiſtoria ſumpſit. III. Pſeudoſycomorus, ſeu Zizyphus candida. Sycomorus Italorum male, Cord. in Dioſcorid. Azadarecht Auicẽnæ, Sycomorus falsò Mónachis. Siliqua Bellonio, Sebaſtum ſeu Mixus alba quibuſdam, alijs Laurus Græca Plinij, Geſ. hor. Zizypha candida Monſpelienſium Lob. (cui & arbor Paradyſi Luſitanis) Lugd. Azedarach, Dod. Azadarac, Arbor ſancta Monſpelienſibus, Lotus alba Pelicerio, Cluſ. hiſp. Pſeudoſycomorus Tab. Caſt. cui & ficus Ægyptia falſa, Piſtacia ſylueſtris: Tuber Cæſalpino.

## Σῦκα. FICI. CAP. CXLV.

Fici maturæ recentes ſtomachum lædunt, aluum ſoluunt, ſed facilè contracta ab eis fluxio ſiſtitur: ſudórem euocant papulaſque, ſitim ſedant, calorem reſtinguunt. Siccis natura excalfaciendi, a vires alunt, ſed ſitim magis ſtimulant, aluo vtiles: rheumatiſmis ventris, & ſtomachi contraria: gutturi autem, arteriæ, renibus, veſicæ, & ijs, quos longa valetudo decolorauit, anhelatoribus, hydropicis, comitialibus aptiſsimæ: feruefactæ cum hyſſopo, & potæ, thoracem purgant: tuſsi veteri, diuturniſque pulmonum vitiis cõueniunt: aluum molliunt tuſæ cum nitro, & cnico, dein manducatæ. Decoctum arteriæ, & tonſillarum inflammationibus gargarizatu prodeſt: b cum hordacea farina cataplaſmatis miſcentur, & in muliebres fotus cum fœnogræco, & ptiſana. Cæterùm cum ruta coctæ, torminibus infunduntur: coctæ, illitæque duritias diſcutiunt: parotidas, & furunculos emolliunt: panos ad maturationem perducunt, maximè nitro, iri, aut calce addita. Crudæ, ſi cum antedictis tundantur, eadem efficiunt: cum malicorio, pterygia purgant: cum atramento ſutorio, deploratis fere tibiarum fluxionibus, & cacoethicis vlceribus medentur: quin & cum vino decoctæ addito abſinthio, & hordeacea farina, vtiliſsimè hydropicis illinuntur. Crematæ cum cerato ſanant perniones, prurigines, ſonituſque, ſi crudæ terantur, & ſinapi, liquoreque aliquo exceptæ auribus inſtillentur. Tam ſylueſtris, quám ſatiuæ fici c lacteus ſuccus coaguli modo lac contrahit, concretumque diſſoluit, vt acetum: exulcerat corpora, meatus aperit: ſoluit aluum, vuluam recludit cum detrita d nuce Græca potus: menſtrua ciet cum luteo oui appoſitus, aut Tyrrhenica cera: podagricorum cataplaſmatis cum farina fœnigræci, & aceto vtilis: lepras, lichenas, vitiligines, vitia cutis in facie, pſoras, vlcera in capite manantia, cum polenta expurgat: inſtillatus plagæ percuſsis à ſcorpione, venenatorum ictibus, & rabioſi canis morſibus auxiliatur: prodeſt dentium dolori lana exceptus, & cauis eorum additus: verrucarũ informicationes tollit cũ adipe, circumlita in ambitu carne. Hoc idẽ præſtat ſuccus è teneris ramis ſylueſtris fici, qui lacte prægnantes, ſilente adhuc oculo, tuſi exprimuntur, & ſiccatus in vmbra reponitur. Et lac, & ſuccus imponuntur exulceratorijs medicamentis. Decocti cum bubulis carnibus ramuli ficulnei, facilem afferunt decoctionem. Lac efficiunt, quod magis ſoluat, ſi inter coquendum ficulneo ſurculo, ſpathæ loco, moueatur. Groſsi, quæ erinei nonnullis vocantur, coctæ illitæ, ſtrumas, nodoſque omnes emolliunt. Crudæ e formicas, verrucas, & thymos, nitro, farinaque additis, tollunt. Folia eadem poſſunt. Illita cum ſale, & aceto vlcera in capite manantia, epynictidas, & furfures ſanant: ijs f ficoſæ extuberationes, & palpebrarum ſcabritię perfricantur. Nigræ ficus, folijs cauliculiſque, candidæ vitiligines perunguntur: faciunt ad canum morſus, g & vlcera, quæ ceria, id eſt fauos, vocant. Groſsi cum ſylueſtris papaueris foliis oſſa extrahunt, furunculos cum cera diſcutiunt: contra muris aranei morſus, & ſcolopendræ venena, cum eruo & vino illitæ, auxiliantur. Fit ex cinere ficus tam ſylueſtris, quam ſatiuæ lixiuium, crematis ramorum cauliculis, quod ſubinde macerari opus eſt, & inueteraſcere: ſiquidem inter cauſtica intelligitur. Gangrænis prodeſt, namque expurgat, & conſumit, quæ excreſcunt, eoque ſic vtendum eſt: ſpongia aſsiduè hoc lixiuio imbuta ſuperponitur. Interdum dyſentericis, & in fluxiones vetuſtas, h & ſinus cuniculatim exedentes, magnoſq;, inſtillari conueniet. Etenim purgat, conglutinat, carne replet, & oras cõmittit, non ſecus atq; emplaſtra, quæ cruentis vulneribus inijciuntur, enæma vocant. Bibitur ad diſcutiendum ſanguinem concretum, & contra præcipitationes, rupta, conuulſa, cum cyatho aquæ recenter colatum, addito olei exiguo: cœliacis, dyſentericis, per ſe cyathus datus prodeſt: neruorum vitiis, conuulſonibus, commodè illinitur ex oleo, vtpote quod ſudores moueat: aduerſus gypſi potum, & phalãgiorum morſus bibitur. Hæc eadem præſtant reliqua lixiuia, præſertim quernum: omnia tamẽ adſtringunt.

a Meũ τρόφιμα. i. nutriũt.

b Meũ & Cat. καὶ εἰς τὰς ἐμὰς λύσεις μίγνυται. i. admiſcetur & hordeaceæ farinæ.

c Meũ ὀπὸς i. liquor.

d Meũ μετὰ ἀμυγδάλου. i. cum amygdalo. ſed Cat. σὺν ἀμύλῳ i cum amylo.

e Meũ μυρμηκίας. i. formicas, tãtum habet.

f Meum. συκώδη καὶ τὰ τραχέα τῶν βλεφάρων. i. ficoſæ, & aſperæ palpebræ. Cat. καὶ τὰ βραχέα. i. breuea.

g Addit Cat. σὺν μέλιτι cum melle.

h Meũ κόλπους ὑπονόμους καὶ μεγάλους ſinus cuniculoſos & magnos.

I. FICVS.



II. CHAMAEFICVS.



III. FICVS INDICA.



FICVS INDICAE FRVctus.



Ficorum conſideratio, & hiſtoria.

FIcus arbor caudice plurimum eſt breui, contortoq; ſubalbicante libro, lacteoque ſucco madente, guſtu adſtringente, acri amaroq;, ita vt exulcerare poßit. Materies illi alba & fungoſa, vt in vite, tenax tamen, & ad ſcuta parandа peridonea. Radicibus nititur multis, ſed ſumma tellure vagantibus, quo fit, vt algoris, & frigoris ſit impatiens. Folia fico ſunt aſperſa, ampla, firma, virginea, rotundis ac robuſtis pediculis nitentia. Fructus edit, nullis apparentibus floribus, à foliorum exortu, extremis tantum ramis, turbinatos, & varios: ſiquidem alij pyri faciem repraeſentant, alij ſeßiles ſunt, alij verò inter hos medij. Differunt etiam colore Ficus: quippe quòd aliae albae, aliae nigrae, aliae purpureae, aliae virides, aliae ſubruſae, aliae pallidae, & aliae variegato colore ſpectentur. Molli praeterea ſunt pulpa, granis minutis referta, quae eſui maximè placent. Habentur in hortis, vineis & viridarijs, in Italia & Hiſpania copioſae. Eae prae caeteris laudātur, quae maturae rimoſa cute viſuntur, & quae pulpae pinguedine, dulcedine, atq; ſapore caeteras antecellunt. Matureſcunt Autumno, Auguſto, & Septembri: ſed Großi aeſtate perficiuntur. Decerpuntur maturae, & in ſole ſiccantur cratibus, non ſolùm ad ciborum, ſed etiam ad medicamentorum vſum: ſiccatae cadis ligneis aſſeruantur. Atqui longè à noſtratibus diſtant Indicae Ficus, de quibus Theophraſtus lib. 4. cap. 5. de hiſtoria plantarum

Ficuum varia genera.

Indicae ficus hiſt. ex Theophraſto.

plantarum ita ſcriptum reliquit: Indica autem regio arborem ficum vocatam ſortitur, quæ è ramis radices dimittit ſingulis annis, vt primo volumine retulimus. Dimittitur autem non ex nouellis, ſed ex anniculis, atque etiam vetuſtioribus. Illæ ſe terræ coniungentes, ceu ſepem circum arborem faciunt, ita vt veluti tabernaculum condatur, quo etiam morari homines ſolent. Radices autem naſcentes euidentiſſimè à ramis diſcernuntur: ſunt enim albiores, hirtæ, tortuoſæq́;, binaque fronde foliatæ. Item arbos comam ſupernam laſciuam gerit, totaq́; fornicato ambitu pulchrè orbiculatur, & magnitudine vehementer excellit, quippe vmbram bino ſtadio facere fertur, & craſſitudine caudicis pleraſq́; vltra quàm ſexaginta gradum orbem colligere, magna verò ex parte quadraginta. Folium peltæ non minus habet, fructum admodum paruum, magnitudine ciceris, ficui ſimilem, quamobrem Græci ficum eam arborem appellabant. Paruum mirum in modum fructificat, non tantùm pro magnitudinis deſiderio, verùm etiam omnibus rebus. Naſcitur arbos hæc circa Aceſiuam amnem: hæc Theophraſtus. Atqui eadem ferè à Strabone lib. 15. ſuæ Geographiæ, & à Plinio lib 12. ca. 5. de Indica Ficu ſcripta reperio, ſub qua, vt idem ſcribit Plinius lib. 7. ca. 2. turmæ cōduntur equitum. Cæterùm ea lōgè ab hac differre videtur, quam nos, quòd ex Indiis occidētalibus allata ſit, Indicam ficum vocamus: ſiquidem hæc nec caudice, nec ramis, nec foliis, nec fructu genuinam Indicam ficum refert, de qua ſcripſere Theophr. Strabo, ac etiam Plinius. Hanc Indi ſuo idiomate TVNE vocant. Ego verò eandem plantam eſſe cenſerem Opuntiam Plinio appellatam, quòd circa Opuntem proueniat, vt Theophraſtus inquit his verbis: Huic Indicæ Fico ſimile, vel potius quodammodo mirabilius, ſi quid ex foliis radicem dimittat, qualem circa Opuntem herbam eſſe quandam enarrant, cui datum eſt, vt mandi ſuauitate poſſit. Nam vt nobis manifeſtò conſtat, abſciſſo ab hac planta vno tantùm folio, humiq́; ad medium vſque ſepulto, prognatis è ſe radicibus paulò poſt folia ſuperne ex ipſo prodeunt, adeò vt hac ſerie foliis è foliis prodeuntibus, in arboris ſpeciem hæc planta aſſurgat, ſine caudice, ſine ramis, germinibuſq́;, vt ex appicta hic imagine quiſpiam cernere poteſt. Adeò vt inter naturæ miracula hæc planta meritò recenſeri poſſit. Folia ei craſſiſſima ſunt, ita vt quandoque pollicis craſſitudinem excedant, è quibus albæ, tenues, longæ, acutæq́; prominent ſpinæ, etſi ſine ſpinis nonnulla viſa ſint. Parit hæc planta illis in regionibus foliorum ſummitatibus fructus ficubus noſtratibus ſimiles, ſed craſſiores, & qui anteriore parte in coronæ ſpeciem deſinant, colore ex viridi purpuraſcente. Interior pulpa perinde eſt ac in noſtratibus, verùm adeò ſuccoſa rubicūdaq́;, vt ſanguineo ſucco, mororum modo manus inficiat. De viribus & qualitatibus, quid veri, certiq́; afferam, ſanè non habeo: referunt tamen, qui Orientales Indias ſunt peruagati, eorum eſu & vrinam ſanguineam reddi: id quod multis non exiguum terrorem incuſſit, qui horū vires ignorarunt, non ſine Medicorum & conſociorum riſu. Peregrina in Europa eſt arbor, & in Italia à multis in hortis colitur. Vnicum tantum folium cum fructu mihi dono dedit Angelus Crottus Brixianus, cuius hic imaginem appingi curaui, quod è Prouincia ſecum attulerat Viennam. Audio quoque in quibuſdam Italiæ locis haberi hanc plantam, quæ ficus proferat. quod tamen hactenus mihi in Bohemia agenti, videre non licuit. Habui quidem ego, dum Goritiæ agebam, hanc plantam, hominis magnitudine, ſed nūquam edidit fructum. Cæterùm vt ad noſtrates ficus reuertar, & vt præter id, quod à Dioſcoride proditum eſt, earum omnibus facultas innoteſcat, & temperamentum: quin & vt omnes cognoſcant, quod præbeant alimentum, quamq́; vtilitatem ac noxam inferre poſſint, ea paucis ediſſeram, quæ ex Galeno deprompſi, qui in primis lib. 2. de alim. fac. ſic ſcriptum reliquit: Ficus tametſi minus praui ſucci gignant, quàm cæteri omnes non modo fugaces, ſed etiam autumnales fructus, non tamen id vitium prorſus effugere potuerunt. Cæterùm hæc ipſis inſunt bona, nempe quòd commeabiles ſint, & facilè in totum corpus peruadant, penetrentq́;: nam & abſtergendi vi pollent haud obſcura: cuius gratia poſt ipſarum vſum nephritici multas arenulas excernunt. Cùm porrò omnes autumnales fructus exiguum corpori alimentum præbeant, minimè omnium ficubus id vſu venit. Carnem tamen non compactam, neque firmam generāt, ceu panis & ſuilla caro, ſed turgidulam, & ſubinanem, veluti fabæ. Quin ventrem flatibus implent & ipſæ, & non mediocrem hinc profectò moleſtiam intuliſſent, ni etiam celerem deſcenſum eſſent adeptæ, cuius beneficio, cùm celeriter permeant, flatus quem excitant, non diu manet, atque ob id minus cæteris autumni fructibus lædere conſueuerunt. Cæterùm maturæ ficus immaturas non mediocriter antecellunt, quod & in aliis quidem omnibus cernitur fructibus: quanquam nō tantum in illis diſcrimen exiſtit. Siquidem ad plenum maturæ ficus paulò minus omni prorſus noxa vacant. Et ſequenti capite, vbi vuarum facultates recenſet, ſic inquit: Ficus, & vuæ quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumq́; praui ſucci habent, præſertim cùm exactam maturitatem fuerint adeptæ. Porrò quòd ipſæ nutriant, maximo argumento ſunt ij, qui vinearum fructum cuſtodiunt: ſiquidem hi cū duos menſes, ſolis vuis ac ficubus, quorum cuſtodiæ præſunt, veſcantur (niſi fortè panis quidpiam cum illis edant) obeſi tamen, ac pingues fiunt. At caro, quæ ex ipſis gignitur, haudquaquam eſt firma, ac denſa, quemadmodum ea, quæ ex carnibus fit, ſed laxa eſt, ac præhumida: ob id celeriter etiam, cùm veſci ipſis deſierint, contrahitur ac conſidet. Idem etiam de Ficubus ſiccis differens loco prius citato, ita ſcribit: Caricæ multiplicem quidem habent vtilitatem, ſiquis tamen largius eſitauerit, ab eis offendetur: non admodum enim probum ſanguinem gignunt, quapropter pediculorum quoq; agmen eas comitatur. Incidendi extenuandiq́; vim habent, qua & ventrem ad excretionem irritant, & renes expurgant. Iecori autem, lieniq́; inflammatione obſeſſis ſunt noxiæ, quemadmodum & ficus, non peculiari quadā eximia facultate, ſed communi ratione dulcium omnium ciborū, ac potuum. Obſtructis autem illis, aut ſcirrho tentatis, ipſæ ex ſeſe nihil proſunt nec obſunt: ſed medicamentis incidentibus, ac extenuantibus, & abſtergentibus miſtæ, non mediocriter auxiliātur. Ideoq́; nonnulli meditorum in dictis lienis ac hepatis affectibus exhibent ipſas longè ante cibum cum thymo, aut pipere, aut zingibere, aut pulegio aut ſatureia, aut calamintha, aut origano, aut hyſſopo. Ad eundem etiam modum, ſi caricæ cum alio quopiam eorum, quæ facultatem habent acrem, aut omnino incidendi aut extenuandi, aſſumantur, non ſolùm ſic affectis, ſed ſanis quoque vtiliſſimum eſt. Siquidem iecoris meatus, per quos fertur alimentum, apertos eſſe non ægrotantibus modò, ſed benè valentibus etiam tutiſſimum eſt. Proinde hoc pacto ficus cum ſale extenuante, aceto, & garo præparatas vulgò comedunt, quòd id vtile eſſe experientia didicerint. Veriſimile autem eſt ipſorum nonnullos medici cuiuſdā conſilio adductos, ficus hoc modo primū comediſſe, deinde eam notitiam ad vulgus dimanaſſe. Qui verò cum cibo aliquo incraſſante ficus, & caricas edunt, nō mediocriter offenduntur. Item lib. 8. de ſimp. med. facult. idem Gal. ita ſcribit. Ficus aridæ vim habent excalfaciēdi ordine primo etiam completo, aut ſecundo incipiente: habent verò etiam partium tenuitatem quandam. Ex iſtis duobus idoneæ ſunt, quæ tumores duros concoquunt, ſtatim verò etiam ea diſcutiunt: atque ipſæ per ſe illitæ eiuſmodi vim obtinent. Sed & decoctum earum eiuſdem vtique naturæ eſt. Verùm vbi magis concoquere conſilium eſt, miſcēda eſt farina triticea: vbi verò plus diſcutere, hordeacea: panis horum in medio eſt. Sed hæc magis ſunt propria tractatus de medic. comp. & rationis curandi, verùm in præſentia hæc de caricis nouiſſe ſufficiat. Porrò ſcire oportet, quòd quæ pinguiores ſunt, magis poſſunt cōcoquere: quæ verò guſtu acriores, magis tum extergere, tum diſcutere. Cæterùm quod ex iis plurimùm in aqua coctis efficitur, ſimile eſt melli, non ſolùm conſiſtentia, ſed & facultate. Porrò ficus virides comeſæ, propter admiſtam humiditatem,

faculta-

Indica ficus altera, & eius hiſtoria.

Tune.

Opuntia.

Ficuum facult. ex Gal.

Caricarum vſus.

Ficus arbor & eius vires.

*facultatis ſunt imbecillioris: ſubducunt tamen aluum vtraq; tum humidæ tũ ſiccæ. Ficus arbor calidæ tenuiumq; partium temperatura eſt, ceu indicant tum liquor eius, tum foliorum ſuccus, valenter enim eorum vterque calidus eſt. Itaque non mordicat tantùm, aut abſtergit vehemẽter, ſed & vlcerat, & ora vaſorum reſerat, & formicas, quas myrmecias vocant, eijcit: quinetiam purgare poteſt. Porrò ficus agreſtis, quam erineum Græcè (Latinè caprificum) nominant, tum liquor, tum ſuccus ad omnia quàm ſatiua valentior eſt. Sed & cradæ, hoc eſt, rami earum adeò ſunt calidæ, tenuiumq; partium temperamento, vt carnes bubulas duras, ſi coquendis adiiciantur, friabiles ac teneras efficiant: hæc de ficubus Galenus. Cæterũ nobis experimento compertum eſt, caricas duas aut tres, nocte vna in aqua vitæ maceratas aſthmaticos iuuare, qui mane eas deuorauerint. Democritus præcoces ficus fieri pollicetur, ſi oleo, & columbaceo fimo arbor illinatur. Et contrà, ſerotinas, ſi primæ groſſi, cùm fabæ magnitudinem exceſſere, detrahãtur. Ficum arborem item atque laurum, è cælo fulminibus non ici compertum eſt. Ficus arbores, vt perquàm pumilæ habeantur, & in vaſculis ſuper feneſtris ſpectentur à viatoribus, ita docuère mangones: abſcindito Fici ſurculum verno tempore, paulò ante germinationem, prominente iam corculo, & ſubinde contorto manibus cacumine, in quo vis vaſe terra referto ſurculum ipſum ſerito cacumine inuerſo, circa quem hordei milijq; nonnihil inſpergito, & terra deinde obruito, demiſſa extra tellurem reſecta parte. Fit.n. hoc mangonio, vt inde ramuli enaſcãtur paruuli, qui circũ vas ſe ſe fundẽtes, breui admodum tẽpore ficus optimos edant, pumila perpetuo manente arbore. Ficulneo lacte vermiculoſæ ſanantur aures: & ficulneis foliis facilè affrictu citãtur hæmorrhoides. Pani quoq; probè maturãtur, illitis caricis decoctis, additis lilij, aut Iridis, aut Altheæ radicibus. Fici fructus Σῦκα Græcis, Latinis Fici, & Ficus appellantur: Arabibus, Sin, Fin, ſeu Tin: Italis, Fichi: Germanis, Feigen: Hiſpanis, Higos: Gallis, Figuier: Bohemis, Fjkſtepei: & Ficus Indica, Italis, Fico d'India.*

Caricarũ vires Matth.

Fici præcoces quo mangonio fieri poſſint.

Ficus pumilæ quomodo habeantur.

Nomina.

I. Ficus multa cognomina Plinius affert, vel à figura, vel à gente, vel autore deriuata: verum variant & forma & colore tunicæ, quæ nigra, ſubrubra, ex viridi candicans, vel flaua eſt. Fructus immaturus, ὄλυνθος. Groſſus ſiccus ἰσχὰς, καρικὴ caricæ: grana ficaria, κεγχραμίδας vocant, frumẽta Plinius. Floris veſtigium tãtũ in ſummo, quà etiã in internã cauitatẽ foramen patet. II. Chamæficus, ſiue humilis ficus Lob. Chamæſyce arbor. Lugd. Ficus pumila, Dod. III. Ficus Indica ſpinoſa: Carduus Indicus & Euphorbium Io. Leonis, Cluſ. in Cord. ad Dod. hiſt. Gallicam. Ficus Indica, quam aliqui ridiculè Opuntiam vocãt, Geſ. hort. Ficus Indica quibuſdã Pala Plinii, Lac. Tune, Lon. Lugd. Ficus Indica, Dod. gal. & fol. Lob. Caſt. qui ab Oponte loco natali Opuntiam dici ſcribit. In Inſulis Peruuianis & Hiſpaniolæ aliàs ſpõte prouenit. Indorũ Tuneficifera, Aduerſ. Ficus Indica Theop. Cæſ. Ficus Indica ſpinoſa, Tab. Anapallus Bellonii: Opuntia vulgo, Camerario. Huc referenda eſt illa, quam Indorũ ferruminatricem Aduerſaria & Opuntiã oſteocollon, quod artuum fracturis & luxationibus mirè proſit, Lugd. hiſt. vocat, quæ foliis ſimilibus, ſed fructu ſuperiore minore, ex auctore hiſtoriæ generalis Indiæ refert. IV. Ficus maritima, planta eſt in maritimis proueniens, quæ ex radice cõpacta vnum alterumve emittit foliũ ſubrotundũ, pallidè vireſcẽs, ex quo (vt in Ficu Indica fit) alia supernè prodeũt, adeò vt hac ſerie foliis è foliis prodeuntibus quaſi ramoſa fiat. In foliorum ſummitatibus prodit flos paruus oblõgus, modo vnus, modo duo, colore ruffeſcente. Hanc, ob ſimilitudinem quã cum Ficu Indica habet, in hãc claſſem retulimus, Ficumq; maritimã nominauimus, quam Neapoli ab ingenioſiſſimo & doctiſſimo pharmacopæo Imperato Ferrando nomine Sertulariæ accepimus: quibuſdam tamen & Opuntia marina dicitur, de qua plenius in hiſtoria noſtra vniuerſali, cum figura à nemine quidẽ hactenus propoſita, fideliter eã exprimat, vt eam doctiſſimus D. Io. Rudolphus Saltzmannus Argentinenſis Medicinæ candidatus, noſtri amãtiſſimus, vna cum aliis plurimis pro noua noſtra hiſtoria, animi cauſa (cùm hoc ſtudio vt & omnium Medicinæ partium, maximè delectetur) depinxit.

IV. FICVS MARITIMA.



## Περσέα. PERSEA. CAP. CXLVI.

Perſeæ arboris conſid. & hiſtoria.

PErſea arbor eſt in Ægypto, fructum ferens cibo idoneum, ſtomacho vtilem, in quo phalangia cranocolapta nomine inueniuntur, præſertim in Thebaide. Arida folia in farinam redacta, illitu ſanguinis eruptiones ſiſtunt. Arborem hanc prodiderunt aliqui in Perſide exitioſam eſſe, translatamque in Ægyptum, mutata natura in cibos receptam.

*QVemadmodum ſuperius in malorum commentatione prodidimus, Perſea arbor Aegyptia non eſt (vt putat Marcellus Virgilius Florentinus) noſtrás Italica malus perſica, ſed planta plurimum diſſidens ab ea, vt & Dioſcoridis, & Galeni teſtimonio facilè probari poteſt: quãdoquidem ij vtramq;, ſed vt alterã ab altera diuerſam, diuerſis capitibus tradiderunt. Hæc (vt lib. 4. de plant. hiſt. c. 2. ſcribit Theoph.) arbor eſt Aegypti, aſpectu magna, formoſaq; folio, flore, ramo, totaq; figura potiſſimum pyro vicina: niſi quòd altera folio perpetuo, altera deciduo eſt. Fructũ abunde parit, omniq; tẽpore perficit: quippe nouus anniculũ ſemper occupat. Maturitas anniuerſariorũ afflatu cõficitur: reliquum crudiorẽ auferunt, atq; recõdunt. Eſt magnitudine pyri, figura oblõgus: amygdalæ modo, colore herbidus. Nucẽ intus habet, vt prunum, verùm lõgè minorẽ mollioremq;: caro eius ſuauis, ac prædulcis mãditur, cõcoctuq; facilis, & innocua, etiã largiore cibo ſumpta. Radice arbor exuperat, tũ lõgitudine, tũ etiã craſſitudine, multitudineq;. Materie cõſtat robuſta, dura, viſuq; decora, veluti lotus: quapropter ex ea & ſimulachra, & lectulos, & menſas, & reliqua ſimilia factitãt. Ex his igitur Theop. verbis, ſi Perſeæ notæ, ac delineationes cũ noſtra perſica malo diligenter cõferãtur, liquido patere arbitror, has plantas inter ſe diuerſas eſſe. Huius imaginẽ ſuis coloribus ornatã dono mihi dedit Tridenti Odoardus Polonus Medicus, & rei plantariæ ſtudioſiſſimus, qui Syriã & Aegyptũ peragrauit. De Perſea verba faciens Gal. lib. 2. de alim. facul. hæc memoriæ cõmendauit: Hanc etiam plantã vidi in Alexãdria, quæ & ipſa magnis arboribus eſt annumeranda. Tradunt autem fructũ huius apud Perſas adeo*

Perſeæ mẽtio ex Gal.

noxium

I. PERSEA. II. PERSEA PLINII.





*noxium eſſe, vt edentes interimat: in Aegyptum verò tranſlatum, in eſculentū miteſcere, & pyrorum malorumque modo, cum quibus & magnitudine conuenit, eſitari. Eadē recenſuit Gal. lib. 2. de comp. med. ſecūdum locos, vbi de cephalææ curatione agens, ſic inquit: In ſola Alexandria Perſeæ arborem vidi, at non in alia Romanis ſubdita gente. Quidā perſion ipſam appelant, aiuntq́ in Perſis lethalem eius arboris fructum eſſe, cùm tamen is in Aegyptiorū regione innocuus exiſtat: hadenus Galenus. Ex cuius etiam verbis palàm eſſe crediderim, perſeam à perſica malo prorſus diſsidere, cùm in tota ferè Europa perſica malus frequentiſsima proueniat. Quin & ex ijs facilè dixerim, Columellam erraſſe, quòd exiſtimauerit, perſica eſſe poma, quæ à Perſis ad Aegyptios allata Perſea dicuntur, vt libro cultui hortorum dicato his verſibus teſtatur:* Perſeæ mētio ex Gal. Columellæ lapſus.

*Tunc præcox bifera deſcendit ab arbore ficus,*
*Armeniiſq́, & cereolis pruniſq́ Damaſci*
*Stipantur calathi, & pomis quæ Barbara Perſis*
*Miſerat (vt fama eſt) patrijs armata venenis.*
*At nunc expoſiti paruo diſcrimine lethi*
*Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.*

*Arbor, quæ περσέα Græcis, Latinis ſimiliter Perſea nominatur: Italis, Perſeo Græcæ vocis imitatione dicitur.*

IBERIS.



Perſeæ duas propoſuimus figūras, cùm diuerſas arbitremur. I. Matthioli ex quo Lonicerus & Lugd. ſumpſere: & II. Cluſii quę hiſtoria Hiſpanica habetur, quam Perſeam Plinii & Plut. cēſet, quem ſecutus Lob. & Lugd. hiſtoria. Arbor eſt Pyro ſimilis perpetuo virēs, ramis ex viridi palleſcentibus, inq; latum diffuſis: folia Lauri latifoliæ ſuperne virentia, ſubtus cinerei coloris, firma, neruis per obliquum diſcurrentibus, maſticata cum adſtrictione linguam mordicantia: flos racematim compactus, pallidus, ex ſex foliolis compoſitus: cui ſuccedit fructus Pruno ſimilis, auctus pyri modo oblongus, niger, iucundo ſapore: nucleum cordis effigie cōtinens, guſtu caſtaneæ aut Amygdalæ. Vere florere, autumno maturum fructum ferre in regni Valentini Ieſuitarum monaſterio, vbi vnica arbor ex America eò delata, monet Carolus Cluſius in ſuæ hiſtoriæ Hiſpanicæ lib. 1. cap. 2. Author herbarii Lugdunenſis ſuæ figuræ fructum adpinxit eum, quem ſupra pro Cuciophera exhibuimus: qualem fructum & nuper Danus quidam nobis oſtendit.

IBERIS. CAP. CXLVII.

IBeris, ſiue cardamātica, folia habet naſturtii, vere virētiora: caulē cubitalē, aut minorē: in incultis naſcitur. Æſtate lacteū florē promit, quo tēpore efficacior eſt. Radices duas naſturtio ſimiles hēt calfacientes, & adu- Iberidis caput nō habet antiquus manuſcriptus codex, nec alia, quæ vidi exēplaria.

adurentes. Ipſæ enim iſchiadicis cum ſalſa axungia emplaſtri modo vtiles, quaternis horis alligatæ, vt dein in balneas deſcendatur, & poſtea oleo cum lana locus perungatur.

Iberidis conſideratio, & hiſtoria.

*Vidimus primùm Iberidem, quam nobis indicauerat Iulius Alexandrinus medicus Tridentinus, qui nunc ob preclaras ſui ingenij & doctrinæ dotes, apud Sereniſs. Ferdinandum Regem Roman. artem medicam exercet, extra ciuitatem Tridenti, vbi vulgò dicitur alle Laſte, effigie nimirum, qua deſcribitur à Dioſcoride, ac aliis pluribus Græcis auctoribus. Huius Galenus in ſimp. cenſu nuſquam ſeparatim meminit, ſed hãc, & Lepidium non niſi nomine differre prodidit. Quod etiam idem teſtatus eſt lib. 10. de comp. med. ſecundum locos circa finem, de coxendicum curatione agens, vbi ex Damocrate ſic inquit: Damocratis extat libellus, qui Clinicus inſcribitur, in quo verſibus Iambicis, quemadmodum ſolet, de tribus diſſerit medicamentis: ac primo quidem de eo diſſerit, quod ex herba conſtat, quam ipſe Iberidem appellat, quod ad coxendicum dolores commendauit. In Iberide Medicum quẽdam amicum ſuum curatum fuiſſe ait herba, quam (vt dixi) ipſe Democrates Iberidem vocat, vt qui tantùm viſu herbam cognouerit, nomen autem eius nullum audierit, cùm etiam id ipſum ignorauerit is, à quo eius vſum didicerat. Porrò ex notis, quibus eam repræſentat, videtur iberidem appellare, quæ à Græcis lepidium nominatur, appellatione ducta à regione, in qua amicus eius curatus fuit. Deſcribit autem ipſius formam his carminibus:*

Iberis, & Lepidium idem.

*Herba hæc vbique multaq́ frequens naſcitur,*
*Monumenta iuxta antiqua, muros, & veteres,*
*Tritaſq́ quondam publicè pedibus vias,*
*Quas iuxta aratrum duxit haud quis agricola.*
*Semper vireſcens, foliis naſturtij*
*Florentibus vere, attamen maioribus.*
*Caulem cubitalis longitudinis gerit*
*Paulò minorem, aut rurſus ampliore: ab hoc*
*Aeſtate pendent folia, donec multa hyems*
*Sarmentitiam deducat hac ad imaginem, &*
*Deiecta, & exiccata depereant gelu.*
*Adnata radici tamen cernes alia.*
*Aeſtate florem fert colore lacteo,*
*Multùm tenuem, variumq́, valde, cauliculus.*
*Ad quem ſequitur ſemen penitus ſic exiguum,*
*Viſum ferè vt fallens, oculos quoque effugiat.*
*Odorem habet radix at inde acerrimum,*
*Verò ſimilem quàm maximè naſturtio.*

Iberidis caput additium.

Monachorũ lapſus.

Iberis altera Paulo.

*Huc illud etiam accedit, quòd Galenus item loco citato, Hygieni Hipparchi auctoritate, Iberidem, & Lepidium idem eſſe teſtatur his verbis: Si coxendicum dolores leuare eſt animus, herbam Iberidem, quam aliqui Lepidium vocant, aut naſturtium ſylueſtre colligito. Ex cuius certè ſententia aſſerere non dubitauerim, Iberidem apud Græcos eandem eſſe cum Lepidio. Vnde perſpicuum eſt, hoc Iberidis caput huiuſce primi voluminis calci accreuiſſe nimia vel librariorum, vel medicorum curioſitate. In quam ſententiam cum antedictis cauſis, ea ratio me potiſſimùm deducit, quòd conſtet, huius primi voluminis calcem, non eſſe legitimum locum, in quo Iberidis hiſtoria fuerit collocanda: quandoquidem eiuſmodi herbas Dioſcorides li. 2. ordinatè diſpoſuit, ac de eis diſſeruit, vbi priuatim Lepidio, quod Damocratis Iberidẽ exiſtimamus, propriam aſſignauit ſedem. Idcirco rectè Paulus Aegineta Lepidium Iberida etiam appellari ſcribit, & ex tertio excalfacientium ordine eſſe, ac naſturtio viribus proximum. Et lib. 3. in iſchiadis curatione: In totum, inquit, iſchiadicos reſtituit ſanitati iberidis herbæ vſus, quam lepidium quoque appellant. Quare apertè hallucinari deprehenduntur monachi illi venerandi, qui in Meſuem commentarios ſcripſere, cùm expreſsè contra Galeni & Pauli auctoritatem, & contra rationes, quas ſuperius adduximus, aliud à Lepidio Iberidem eſſe contendant. Quos tamẽ excuſatos habeo, vtpote qui fortaſſe maius ſtudium rebus diuinis impenderint, quàm vt certam ſimpl. med. cognitionem aſſequi potuerint. Dixi de Iberide ſententiam meam non hic ſolum, ſed etiam diffuſius in Epiſtolis noſtris Medicinalibus, ad Bartolomæum Maranthã ſcribens, quam qui impugnare volunt, noſtris inprimis reſpondeant argumentis, & deinde ſuas exordiantur opiniones, ſiquas habent meliores. Cæterùm non ignorandum eſt, Paulum præter Iberidem, de qua nunc agimus, alterius etiam meminiſſe ab illa longè diuerſæ, eiuſq́ item vſum ad iſchiadas commendaſſe. Quod eius verba demonſtrant, quæ eodem loco ita ſonant: Quæ verò apud nos Iberis fruticoſa naſcitur ſimilibus lauri foliis, & multò amplioribus, reſpondere multa experimenta teſtantur, non ſolum in coxarum, ſed in aliis quoque diuturnis affectibus. Huic planè adſtipulatur Lepidium, quod Plinio lib. 19. cap. 8. his paucis deſcribitur: Exit lepidium in cubitalem altitudinem, foliis laurinis. Quibus ſanè notis ſatis apparet, hoc ſecundum Iberidis genus, vel lepidij dicamus, quod lauri folia mittit, eam eſſe ſtirpem, quæ hodie paſsim in hortis frequens naſcitur, à quibuſdam Piperitis, ob vehementem eius acrimoniam dicta. Itaq́ manifeſtè aberrarunt viri alioqui clariſsimi Barbarus, & Ruellius, cùm lepidium illud eſſe putauerint, quod vulgus herbariorum Raphanum ruſticanum appellant. Veruntamen folia, quæ huic raphano inſunt, verbaſco maiora, & helenio æqualia, manifeſtè declarant, his legitimum non innotuiſſe lepidium, niſi forſan lepidium Raphani nomine acceperint. Planta, quæ ἰβηρὶς, καρδαμαντικὴ, ἢ ἀγριοκάρδαμον Græcis dicitur, nomen Latinum eſt Iberis, & Lepidium: Arabicum, Seitaragi, Aſeitaragi, ſeu Scitharegi, & Hauſab: Italicum, Iberide, & Lepidio: Germanicum, Wilder kreſs: Hiſpanicum, Naſturtio monteſino: Gallicum, Chaſſerage, Paſſerage ſauuage, & Naſitort ſauuage: Bohemis, Steuniik.*

Barbari, & Ruell. lapſus.

Nomina.

*† Quòd caput hoc de Iberide accreuerit in Dioſcoride, eiq́ adſcriptum ſit, illud maximè corroborat rationes in commentario allatas, quòd reperti ſint vetuſtiſsimi Græci codices, in quibus hoc caput non legebatur.*

Iberidis icon diuerſa eſt apud Matthiolum, alia enim ipſius eſt inter figuras minores, huic ſimilis: alia verò habetur inter maiores figuras folio Naſturtii, quam libro ſecundo capite de Lepidio inuenies.

LIBRI PRIMI FINIS.

# PETRI ANDREAE MATTHIOLI MEDICI Senenſis Commentarij,

## IN LIB. SECVNDVM PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE MEDICA MATERIA.

IN PRIMO, chariſſime Arce, libro, quem de medicinali materia condidimus, de aromatibus, oleis, vnguentis, arboribus, & naſcẽtibus ex eis ſuccis, lachrymis, ſeminibuſque diſſeruimus. In hoc autem ſecundo de animantibus, melle, lacte, adipe, frugibus, atque oleribus explicabimus, ſubnexis herbaceis, quæ acri prædita ſunt facultate, vtpote quæ cum ipſis cognatione iuncta ſint: qualia allium, cæpa, ſinapi, intelliguntur. Idque ideo, ne cognatorum vires diſiunxiſſe videamur.

### Ἐχῖνος θαλάσσιος. ECHINVS MARINVS. CAP. I.

MArinus Echinus ſtomacho, ventrique vtilis eſt: vrinam cit. Huius teſta cruda inaſſata commodè medicamentis admiſcetur, quæ pſoras abſtergunt. Crematæ verò cinis ſordida vlcera expurgat, luxuriantem carnem reprimit.



*Echinus marinus notiſsimus eſt, ijs præſertim, qui in Italia tam Tyrrheni, quàm Adriatici littora accolunt. Ingentem Echinorum numerum vidimus nos, dum placidis mare ageretur vndis, in alueo magni portus Ciuitatis veteræ in Romano littore, nigris horrentibus ſpinis. Alios verò vidi ex Pirano Iſtriæ oppido allatos, his longè maiores, purpureo colore ſuffuſos, quos Echinometras appellauerim, quòd ſcripſerit Ariſtot. lib. 4. de hiſt. anim. c. 5. hos cæteros magnitudine excedere. Habentur circa Toronem Echini marini candidi teſta, ſpina, & ouo: augeri forma productiore, quàm cæteri, ſoliti: ſpinis paruis, nõ rigidis, ſed mollioribus. Genera (vt idem inquit) Echinorum plurima ſunt. Primũ, quod cibo idoneum eſt, in quo quæ oua appellãtur, magna, eſculẽtaq́; conſiſtũt. pariter in maiore corpore, & minore: nã nouelli adhuc, paruiq́; pleniuſculis illis cõſtant. Secundũ, ac tertiũ ſpathagi, ac briſſi, quæ genera pelagia ſunt, raraq́; inuentu. Ad hæc, quæ Echinometra appellatur (quaſi matrẽ, aut matricẽ dixeris echinorũ) quæ quidẽ omnes magnitudine excedit. Genus itẽ aliud eſt minutum, ſpinis longis præduriſq́;, gigni in alto gurgite ſolitũ, quo nõnulli ad deſtillationes vrinæ medicam. vtũtur. Quo fit, vt Paulũ Iouiũ planè aberraſſe crediderim: quippe qui ſuo de Romanis piſcib. libello, Echinometrã Ariſtoteli deſtillationib. vrinæ opitulari, nõ aũt huiuſce minuti genus, memoriæ prodiderit. Corpus Echinis clibani forma viſitur, priore, atq; nouiſsima parte ſpiſſũ, & cõtinens: cætera verò nõ continuum, ſed ſimile laternæ, cui nõ obducta mẽbrana eſt. Omniũ maximè à natura*

Echini marini conſid.

Echinometra.

Iouii error.

Echinorum deſcriptio.

munitı

*muniti ſunt, vtpote qui teſta vndiq; ſpinis circumuallata celentur, quibus vtuntur perinde ac pedibus: ijs enim nitibundi mouentur, ſedemq; permutant, cuius rei argumentum eſt, quòd ſemper algam ſpinis implexam gerant. Euenit autem, vt quod caput appellant, & os, echinis verſum in terram ſit: quod verò ad excrementi exitum deputatum eſt, id ſupra habeatur, quod idem omnibus turbinatis, patelliſq; euenit: paſtus enim de imis petatur neceſſe eſt, vnde fit, vt os inuerſum ad paſtum ſit, excrementum verò ſuperius parte prona teſtæ contineatur. Dentes quini Echinis omnibus ſunt, caui intrinſecus: inter quos caruncula quædam interiacens linguæ officio fungitur, mox iungitur gula, deinde venter in partes quinque diſtinctus, perinde ac ſi plures numero ventres hoc animal habeat: ſunt enim omnes diſtincti, plenią; vacantis materiæ, & ex vno ſtomacho dependent, in vnumq; oſtium excrementi finiunt. Caro echinis circa ventrem nulla, ſicuti in vniuerſo corpore. Sed quæ oua appellantur, numeroſiora teſtæ adhærent, mēbranulis ſingula obuoluta, & paribus diſtincta internallis: nigra etiam quædā circū ab ore fuſim ſpar guntur, nomine adhuc nullo appellata. Sed cū non vnum, ſed plura genera Echinorum ſint, omnium partes quide eas omnes ſortiuntur: ſed oua appellata, nec omnes cibo idonea, & parua admodum continent, exceptis ijs, qui vada incolunt. Tradunt ſæuitiam maris Echinos præſagire, correptiſq; operiri lapillis, mobilitatem pondere ſtabilientes: quod vbi videre nautici, ſtatim pluribus anchoris nauigia infrænant: hæc ex Ariſtotele.*

*Echinorum vires ex Gal.*

*Meminit vtriuſq; Echini Galenus, marini ſcilicet & terreſtris, vnico tantùm cap. lib. 11. ſimpl. medic. ſic inquiens: Erinacei vtriuſque tum marini, tum terreſtris corpus totum vſtum; cinerem efficit facultatis tum extergentis, tum detrahentis. Itaque eo quidem & ad excreſcentia, & ſordida vſi ſunt vlcera.*

*Nomina.*

*Animal, quod ἐχῖνος θαλάσσιος Græcis, Latinis Echinus marinus appellatur: Hiſpanis, Erizo de la mar: Italis, Riccio marino.*

## Ἐχῖνος χερσαῖος. ECHINVS TERRESTRIS. CAP. II.

TErreſtris erinacei corium combuſtum alopeciis cum pice liquida aptiſſimè illinitur. Aſſiccatum corpus, & cum aceto mulſo potum, renum vitiis auxilio eſt: item aquæ, quæ cutem ſubiit, conuulſionibus, elephantiæ, & malè habitis, quos cachectos vocant: viſcerum fluxiones exiccat. Eiuſdem iecur fictili ſolibus excocto areſactum, ad eoſdem vſus vtiliſſimè reconditur.

ECHINVS TERRESTRIS.



*Echini terreſtris conſid. & hiſtoria.*

*TErreſtris Erinaceus vulgaris notitiæ animal in Italia eſt. Duplici conſtat genere, canino ſcilicet, ac ſuillo, quemadmodum & Taſſus. Differentia dignoſcitur ex eorum roſtro: id namq; alij ſuillum, alij verò caninum habent. Rarò ex cauernis exeunt, niſi noctu, quo fit, vt nocturno tempore à venatoribus plerunque capiantur. Matureſcentibus vuis per æſtatem, & autumnum vineas petunt, vbi ad vuas, quæ ſolum attingunt, accedentes, acinos pedibus didycunt. His conſtratis in terra, in orbem ſe conglomerant, & ſuper eos ſe volutant, itaque ſpinis affixos portant in ſpecum. Eodemq; actu ſylueſtrium arborum poma à ventis decuſſa, aut maturitate decidua, in cauas arbores gerunt. Inter quadrupedes ſolus Erinaceus volatilium more teſtes renibus hærentes habet, eaque propter velociſsimè coit, non quidem aliorum quadrupedum more ſuperueniens, ſed erectus coniungitur propter ſpinas. Vbi præſenſit venantem, ſtatim in globum ſe contrahit, ne quid comprehendi poßit præter aculeos: itaque oblatrantes deludit canes. Affuſa conglomerato aqua, illico ſoluitur is, & ingreditur.*

*Echini terreſtris facult.*

*Frigidi temperamenti animal Echinus eſt, excrementis compluribus redundans, quibus aculei nutriuntur. Idcirco eius carnes in medicamentorum potius, quàm in ciborum vſu ſunt expetendæ: terreſtres enim cùm ſint, ægrè concoquuntur, & minimum ſanè præbent alimenti. Præſtat terreſtris Echini combuſti cinis trium drachmarum pondere, additis Agrimoniæ vncia, & internarum membranarum vētriculi gallinarum quaternis drachmis, ad eos qui dum dormiunt in lecto mingunt: datur hic puluis ex vino veſperi cum ſe cubitum recipit affectus. Vires lōgè plures ijs Echino reddidit Rhaſis libro de ſexaginta animalibus. Veruntamen quoniam illa, quæ ibi leguntur, potius apocrypha, quàm fide digna ſemper exiſtimaui: ideo hic ea adnotanda non duxi. Cæterùm qui ſunt harum rerum cupidi, eò ſe conferre poterunt, vbi diffuſius tractantur.*

*Hyſtricis mētio.*

*Erinaceorum generi adſcribitur HYSTRIX, quòd forma ſit illi non abſimilis, quanquam corpore lōge maior: quin & longioribus aculeis, firmis, tenuiſſiméue mucronatis vndequaque riget: in ſpecubus moratur, & noctu magis, quàm interdiu ad paſcua exit. Latet hoc animal hyeme in cauernis, vt vrſus, totidemq; diebus fert vtero fœtum. Irata hyſtrix intendit cutem, & tunc ſuos iaculatur aculeos: quo fit, vt non modo canes, ſed quandoque venatores feriat. Combuſti cinis potus (vt Plin. eſt auctor) partus concep[illegible] continet.*

*Nomina.*

*Animal quod ἐχῖνος χερσαῖος Græco ſermone: Echinus terreſtris Latino vocatur: Arabico, Ceufud: ſiue Cauſed: Italico, Riccio terreſtre: Germanico, Yechel, aut Ygel: Hiſpanico, Erizo: Gallico, Heriſon.*

## Ἱππόκαμπος[illegible]. HIPPOCAMPVS. CAP. III.

HIppocampus marinum animal eſt exiguum: cuius cremati cinis exceptus cum liquida pice, aut axungia, ſeu amaracino vnguento illitus, alopecias replet.

HIPPO-

## HIPPOCAMPVS SIVE EQVVLVS MARINVS.



QVanquam non deſunt ſcriptores, (vt Marcellus inquit) qui in locuſtarum genere Hippocampum recenſeant, quiq; ad multos in medicinis vſus eum commendent: eorum tamen hactenus reperi neminem, qui peculiaribus notis eius hiſtoriam tradiderit, effigiemq; exprompſerit. Cæterum ſunt, qui credant Hippocampum id nominis ſibi aſciuiſſe ab erucis, quæ in hortis olera, in campis verò herbas vniuerſas, & arborum frondes depaſcuntur, quaſq; propriè Græci χάμπας vocant: quippe quòd illis fortaſſe forma ac facie ſit perſimilis. Ad hæc non deſunt qui Dioſcoridem mirentur, quòd ſcripſerit, Hippocampum exiguũ animal eſſe, cùm tamen nomen plerunque magnitudinem innuat: ἵππος enim Græcis grande ſignificat, vt hippoſelinum, hippolapathum, hippomarathrum clariſſimè demonſtrant. Veruntamen non ob id Dioſcoridem impugnandum exiſtimant, nec pariter alios qui de eo idem ſcripſere: quoniam licet comparatum hoc animal marinis beluis, aliiſq; in aquatilium genere grandioribus, paruum videatur: ſi tamen eo erucarum generi comparetur, quarum imaginem formamq; reddit, & à quibus nomen accepit, grande ſanè fuerit. Vnde inclinauit quandoq; animus eum eſſe Hip- Hippocampi conſideratio & opiniones.

## HIPPOCAMPVS LOCVSTAE GENVS.



pocampum, qui piſcatoribus Aquileienſibus vulgò vocatur Falopa. Corpus huic ineſt locuſtæ modo in longitudinem protenſum, capite & ceruice oblongis: chelis minimè biſidis, ſed acutiſſimis ſolidiſq; aculeis rigentibus: pedibus ſexdenis, quorum decem, qui circum os habentur, ſcorpionum caudas extremitatibus referunt, cæteri verò vt in locuſtis ſpectantur. Cornua capite gerit ſex, quorum poſtrema in latum funduntur. Dorſo eſt flexuoſo erucarum modo, adeò vt in ſicco earum ferè modo perambulet. Caudam gerit latam, alis pluribus ſe pandentem, rigentibus vndiq; aculeis, maculis duabus purpureis naturæ artificio inſignitam: adeò vt his notis, quaſdam villoſas erucas referat in nigro ruſeſcentes, quæ pari forma ſub terra degunt in hortis & agris, olerum & ſegetum radices erodentes. Has Tridentina rura vocant vulgò Cagne, Ananienſes verò, quod villoſæ ſint, Orſolane: qua appellatione planè videtur vulgus illud ſecutum Columellam, qui has erucas hirſutas nominat. Proueniunt hæ in Tridentino agro frequentiſſimæ, exeuntq; è terra plerunque imbrium tempore: nam quæ propè herbarum radices in cauernulis ſe condunt, facilè aquarum ingreſſu ſuffocantur. Quapropter olitores eas venantur aduenientibus pluuiis, irrigantq; hortos, vt poſtea exeuntibus mortem inferant. Quo fit, vt ſi vera referunt, qui dicunt Hippocampum è locuſtarum genere eſſe (id enim videtur inter antiquos fateri Plinius lib. 32. cap. 11. & inter recentiores Marcellus Dioſcoridis interpres) nullum aliud marinum animal ſeſe offerat, quod illud magis referre valeat, quam id de quo diximus. Sunt & alii, qui pro certo velint, Hippocampum eſſe piſciculum illum, vel potius marinum monſtrum, qui quibuſdam Dracunculus: aliis verò Equiculus marinus vocatur, cuius nullus in cibis vſus, flexuoſum equum Hippocampum vertentes. Viſitur plerunq; hic in piſcariis foris inter minutiores piſciculos, ſemidrodantali longitudine. Caput illi eſt equinum, quemadmodum & collum: roſtrum oblongum fiſtulæ in modum cauum, oculi rotundi perſpicuè: à ſuperciliis duo oriuntur aculei, qui in mare in crines deſinunt: frons illi glabra, ſynciput crinitum eſt, quemadmodum ſuperior Equiculi marini conſideratio.

X colli

*colli pars. Id quod in fœminis non viſitur; namq; ijs ſinciput tantum crinitum eſt. Verùm crines in viuis tantum videntur, extinctis enim illico decidunt. Pinnam habet in dorſo ſingularem, qua ad natandum regitur. Ventre eſt albicante, extuberanteq;, ſed fœmina ventricoſior eſt. Mas ſub ventre rimulam habet, qua excrementa excernuntur, fœmina verò præter hanc alteram dedit natura, excludendis ouis idoneam: cauda eſt quadrata, reflexaq; vnci modo. Totum corpus ex cartilagineis circulis compactum eſt, & vbiq; ferè aculeatum. Namq; duplici vtrinq; à capite ad caudam vſq; aculeorum ſerie rectis lineis ſpectatur, nec disparibus aculeis collum præcingitur, ac per longum rectà ſecatur. Horum opinionem, ſicut & aliorum, cur rationibus, aut auctoritatibus comprobem, cur item contrà reprobem, ſanè non habeo, cùm hactenus nunquam in probatiſſimorum auctorum monumentis legerim, qui per notas ipſum delineauerit: nam etſi Plinius lib. 36. cap. 5. dum Praxitelis, & eius filij Cephiſodori admiranda percurrit marmora, videri aſſerat in maxima dignatione Cn. Domitij delubro in circo Flaminio Neptunum, Thetim, atq; Achillem, Nereidaſq; ſupra delphinos, & hippocampos, cùm tamen hæc poetica fabuloſaq; ſint, nullam certè ijs adhibendam eſſe fidem exiſtimauerim. Multa enim & pictorum, & ſculptorum adhuc extant figmenta, vbi locis innumeris marini viſuntur equi piſcium in morem natantes, quibus tantùm equina ſit facies, reliquum verò corporis partium numeroſis ſquamis contectum, aliſq; per quàm amplis ad natandum munitum piſcium modo, partim verò ſerpentis inſtar prælongum ac ſinuoſum, magna quidem, non parua corporis mole. Quòd ſi fabuloſa ſequamur, hoc facilè Plinio Hippocampos eſſe probabimus. Cæterum tametſi notarum nihil de Hippocampi facie ex autorum monumentis haberi poſſit, inclinat tamen animus, hunc verum eſſe Hippocampum, cuius hìc cum maris, tum fœminæ imaginem damus, cuiuſq; hiſtoriam deſcripſimus, & præſertim cùm non pauci doctiſſimi viri, qui aquatilium hiſtorias deſcribunt, in eadem perſiſtant ſententia. Hippocampi vires recenſuit Galenus libro 11.* Hippocampi vires ex Gal. *ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Et Hippocampum animal illud marinum ſi totum vſſeris, alopecijs prodeſſe proditum quibuſdam eſt, ipſumque videlicet deſiccantis eſſe facultatis, & tenuium partium, aut certè eius cinerem: quem quidam vnguento amaracino commiſcent, quidam pici liquidæ, alij veteri adipi ſuillo: hæc Galenus. Cæterùm longe alias* Hippocampi vires ex Aeliano. *Hippocampi vires retulit Aelianus lib. 14. cap. 20. de hiſt. animalium: cuius verba hìc ſubijciam: Rei piſcatoriæ periti homines, dicunt Hippocampi ventrem in vino decoctum ſi quis dederit cuipiam bibere, eum primò ex ea potione acerrimo ſingultu affici, deinde tuſſi vehementer torqueri, at enim nihil excreare, ſed & ſuperiorem ei ventrem intumeſcere, & calidos vapores in caput ſurſum efferri, ac indè per nares minutatim diffluere, & puſculentum odorem reddere, ſimul & oculos eius ſanguine ſuffuſos ignei coloris flagrantia laborare, & eorundem oculorum genas inflari, & vomendi quidem cupiditate ardere ferunt, verùm nihil emittere. Quòd ſi natura euicerit, hunc tamen, periclitata prius morte, in obliuionem, & dementiam incurrere: ſin in ventrem inferiorem delapſum fuerit, ipſum omnibus iam membris captum e vita excedere. Ex morte porrò qui euadunt, mente capti aquam ſummo ſtudio perſequuntur: hanc enim ipſam identidem expetunt aſpicere, tum ſtillantem audire, quòd ſanè eis ægritudinis leuationem afferat, & ſomnum conciliet. Itaque ad perennes fluuios, aut ad litora, aut iuges fontes, aut lacus commorationes eis gratæ ſunt, & iucundæ: cùm tamen non magnopere deſiderent bibere, ſed & ipſum natare, & pedes aqua alluere eis plurimum iucunditatis adfert. Sunt qui non hæc mala dicant huius beſtiæ ventrem creare, ſed Hippocampum algam acerbiſſimam, ex qua ita afficitur, depaſci. Veruntamen ſolertia veterani piſcatoris, & ad res maritimas bene prudentis, ſalutaris etiam repertus eſt Hippocampus: is & Cretenſis erat, & filios admodum adoleſcentes piſcatores etiam habebat. Accidit autem, vt hic piſcator Hippocampos ſimul cum alijs piſcibus caperet, et per adoleſcentes à rabida canicula morderentur. Cum eorum in Methyna Cretenſi ad litus iacentium vicem dolentes ſpectatores interficiendam caniculam cenſerent, & illius iecur medicamentum ad rabiem edendum iuuenibus dandum eſſe: alij conſulerent à Diana ſalutem petendam eſſe; ſenex piſcator eos de conſilijs, quæ aſſerent, laudatos demiſit, & Hippocamporum exenteratorum alios aſſos eis comedendum dedit, alios in acetum & mel contriuit, ijſq; morſus vlcera obligauit, atq; hominum adoleſcentium rabiem vicit, eoſq; ad incolumitatem tandem reſtituit: hactenus Aelianus de Hippocampi viribus. Hoc animal vt Græcis* Nomina. *ἱππόκαμπος, ita etiam Latinis Hippocampus appellatur: Italis pariter Hippocampo.*

Πορφύρα, Κήρυκες, Κιόνια.

## PVRPVRA, BVCCINA, CIONIA.

## CAP. IIII.

a κήρυκες ita in eum ſcribit & Drag. PVrpura vſta exiccat, dentes abſtergit, excreſcentias in carne cohibet, vlcera purgat, & ad cicatricem perducit. Eadem præſtant concremata a Buccina, ſed vehementius vrunt. Si quis ſalis plena fictili cru-

PVRPVRAE ET BVCCINAE.



do ad-

do adurat, dentifricio conveniunt: ambuſtis vtiliter illinuntur, quibus ſolui medicamentum non oportet, nam poſteaquàm vulnus cicatricem duxerit, ipſum in teſtæ modum induratum, ſponte ſua decidet. Fit etiam calx è buccinis, vt in eius mentione demonſtrabimus. b Cionia vocantur purpurarum buccinarumq; mediæ partes, circa quas teſtæ volumen clauiculatim intorquetur. Cremata ſimili modo, maiorem purpuris, buccinisq; facultatem vrendi conſequuntur, quoniam apprimendi naturam obtinent. Buccinorum carnes ori gratæ ſunt, & ſtomacho vtiles, ſed aluum non molliunt.

b κιόνια. alij ἰόνια.

*Purpurarum conſi. & hiſt.*

*SVnt & Purpuræ marini piſces, eius ſanè generis, quæ teſta integuntur. Hæ (vt auctor eſt Plinius lib. 9. capite 36.) illum magni pretij florem retinent, purpureum propriè dictum, tingendis regum veſtibus expetitum. Hunc in medijs faucibus gerunt, candida quadam venæ concluſum, colore nigricantis roſæ pellucidum. Viuas capere contendunt, quia cum vita ſua ſuccum illum euomunt. Latent circa canis ortum tricenis diebus. Congregantur verno tempore, mutuoq; attritu lentorem cuiuſdam ceræ ſaliuant. Lingua purpuræ digitali longitudine, qua paſcitur perforando reliqua conchylia: tanta duritia aculeo eſt. Capiuntur autem purpuræ paruulis, rariq; textu veluti naſsis, in alto iactis. Ineſt ijs eſca, cluſiles, mordacesq; conchæ, quales mitulos videmus, has ſemineces, ſed redditas mari, auido hiatu reuiuiſcentes, appetunt purpuræ, porrectisq; linguis infeſtant. At illæ aculeo extimulatæ claudunt ſeſe, compriuntq; mordentia: ita pendentes auiditate ſua purpuræ tolluntur. Aqua dulci necantur, & ſicubi flumini immerguntur: alioqui captæ diebus quinquagenis viuunt ſaliua ſua. Anno magnitudinem implent, celerrimeq; creſcunt, quemadmodum et conchylia omnia. Eſt in purpurarum genere & Buccinum, ad ſimilitudinem eius buccini, quo ſonus editur: vnde & cauſa nomini, & rotunditate oris in margine incìſa. Sed maior eſt purpura, cuniculatim procurrente roſtro, & cuniculi latere introrſus tubulato, qua proferatur lingua. Cui circum orbes aculeati, qui buccino non inſunt, ſed vtriq; orbes totidem, quot habent annos. Buccinum non niſi petris adhæret, circaq; ſcopulos legitur. Purpuræ, buccinaq; ſimul, quemadmodum & reliqua conchylium genera longa ſanè narratione ſcriptis celebrata ſunt ab Athenæo: ad eius igitur volumina accedant ij, qui plura ſcire deſiderant. Sed quoniam MARGARITAE, quæ non modo ad mulierum, hominumq; decorem, ſed etiam ad medicamenta maximo luxu expetuntur, à marinis & ipſæ gignuntur conchis, hìc inter pretioſa conchylia eas recenſere non ab re fore duximus, præſertim quòd neq; Dioſcorides, neq; Galenus de his quicquam, quod legerim, poſteritatis memoriæ prodiderunt.*

*Buccinum.*

## MARGARITAE.



*Margaritarũ & earũ conchæ hiſtoria.*

*Naſci itaque animalia, quæ margaritas gignunt, in oceano Indico refert Plinius lib 9. cap. 35. Fertilis admodum earum eſt Taprobane, & Toidis: item Perimula promontorium Indiæ, circa Arabiam in Perſico ſinu maris rubri. Origo, atq; genitura conchæ eſt haud multùm oſtrearum conchis differens, ut liquidò conſtat ex ijs, quas noſtri vulgò Madriperle apellant, quæ ad nos deferuntur. Has vbi genitalis anni ſtimulauerit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu tradunt, grauidas factas poſtea eniti, partumq; concharum eſſe Margaritas, pro qualitate roris accepti. Nam ſi purus influxerit, candorem conſpici: ſi verò turbidus, & fœtum ſordeſcere: eundem pallere cælo minante conceptum. Et ex eo quippe conſtare cæliq; eis maiorem ſocietatem eſſe, quàm maris. Inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina ſerenum: ſi tempeſtiuè ſatientur, grandeſcere & partus: ſi fulguret, comprimi conchas, & pro ieiunij modo minui. Si verò & tonuerit, pauidas, ac repentè compreſſas, quæ vocant Phyſemata efficere ſpeciem, verùm inani inflatam ſine corpore. Cæterùm in aqua molles ſunt Margaritæ, at exemptæ protinus dureſcunt. Quidam tradunt, ſicut apibus, ita concharum examinibus ſingulas magnitudine, & vetuſtate præcipuas eſſe, veluti duces, miræ ad cauendum ſolertiæ. Quocirca has ſummo ſtudio petunt vrinantes piſcatores: ſiquidem capto rege facilius cæteras palantes retibus includunt. Concha ipſa cùm manum videt captioſam, comprimit ſeſe, operitq; opes ſuas gnara propter illas ſe peti, manumq; ſi præueniat, acie ſua abſcindit, nulla iuſtiore pœna, & alijs munita ſupplicijs. Captæ multo obruuntur ſale in vaſis fictilibus: namq; eroſa carne, vniones ſiue margaritæ puræ, & expurgatæ decidunt in ima vaſis. Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, leuore, pondere, tametſi raræ admodum ſint Margaritæ, quæ his omnibus dotibus præſtent. Tradit Iuba Arabicis concham eſſe ſimilem pectini inſecto, inſutam echinorum modo, ineſſeq; illi Margaritam grandini ſimilem. In conchis quaternos, aut ad ſummum quinos vniones reperiri Plinius ſcriptum reliquit. verùm Americus Veſputius, qui noſtro æuo liburnicis omnẽ ferè auſtralem oceanum explorauit, talem ibi concham ſe quandoq; habuiſſe teſtatur, in qua vniones vltra centum & triginta reperti ſunt. Quod non modò confirmant ij, qui poſt ipſum ad occidentales Indias nauigarunt, ſed etiam addunt numeroſiores ibi vniones in vna tantùm concha naſci: præterea alia plura de Margaritarum hiſtoria referunt, quæ à Plinij ſententia plurimùm diſsident. Porrò certum eſt & naſci, & capi margaritas in oceano occidentali Scoto, & Anglico ſinu, ſed eas quidem paruas, nec adeò pellucidas, vt orientalibus comparari poſsint, è quibus contextum thoracem aſſerunt, quem Dianæ templo Iulius Cæſar dicauit. Reperiuntur Margaritæ quandoq; etiam in Pinnis magnis, quas Veneti vo-*

*Plinij error.*

*cant* ASTVRAE, *vt Plin. teſtatur. Ad hæc non in mari tantùm, ſed etiam in fluminibus aquæ dulcis conchæ proueniunt, quæ margaritas geſtant. Huius autem rei ego quidem teſtimonium perhibere poſſum, quòd iam mihi in Bohemia degenti*

Margaritæ proueniunt in Bohemia.

PINNA, SIVE ASTVRA.



*compertum ſit in Vuetaua flumine & reperiri & capi conchas, quæ pulcherrimos includunt vniones, magnitudine, forma, & candore præſtantes. Atq; certè mihi, ubyt quandoq; mirari, cum earum margaritarum copiam vidi tum apud Sereniſs: Principem dominum meum, tum etiam apud primarios Bohemiæ homines. Margaritæ in medicum etiam vſum ueniunt: quandoquidem ſcribunt Serapio, et Auicenna, eas ad cordis affectus præcipuam opem ferre. Quinetiam collyriis admiſtas oculorum nubeculas detergere, & aquam eò defluentem abſumere. Animal, quod* πορφύρα *Græcè, Purpura Latinè nominatur: Arabicè Naporam & Porphyra: Italicè Porpora. Quæ verò Latinis Buccina,* κήρυκες *Græcis dicuntur: Arabibus, Barcóra, Cobros ſeu Cobron: Italis Buccine: Hiſpanis Bozios: Gallis Bios Cornetos. Cæterùm quod Græci* μαργαρίτας, *Latini item Margaritas & Vniones vocant: Arabes Hageralbato: Itali Perle: Germani* Perlin: *Hiſpani Perlas.*

Vnionum vires.

Nomina.

Μύακες. MITVLI. CAP. V.

MItuli laudatiſsimi in Ponto. Cremati eundem buccinis effectum præbent: priuatim plumbi more eloti, oculorum medicamentis cum melle vtiles habentur: palpebrarum craſsitudines abſumunt, albugines purgant, & cætera, quæ oculis caliginem offundunt. Carnes eorum ad canis morſus vtiliter imponuntur.

MITVLI.



Τελλῖναι. TELLINAE. CAP. VI.

REcentes Tellinæ aluo vtiles, ſed maximè ius earum. Salitæ vruntur, tritæq; in cinerem, & cum cedria inſtillatæ, anulſos palpebrarum pilos renaſci non patiuntur.

*NOn deſunt, qui Mitulos, & Tellinas idem eſſe cenſeant: in quam ſententiam potiſſimùm veniſſe comperio Paulum Iouium virum apprimè eruditum: quippe qui libello, quem de Romanis piſcibus edidit, malit (etſi medicus eſſet) cum Athenæo errare, quàm cum Dioſcoride rectè ſentire. Ex cuius ſcriptis ſatis apertè conſtat, aliud eſſe mitulos, aliud tellinas: nam præterquàm quod de his duobus diuerſis capitibus ipſe diſſeruerit, differentes etiam vtriſque reddidit dotes, haud neſcius illis ineſſe differentiam. Idem ſimiliter ſenſit Galenus lib. 11. de ſimpl. medicamentorum facultatibus, vbi*

Mitulorum & tellinarũ confid. Iouij lapſus.



*vbi de viperis differens, eodem capite mitulorum etiam meminit, tellinarum verò peculiari capite, ſingulis proprias & diuerſas reddens facultates. Non ſecus ac illi, ſenſit Paulus Aegineta, fidelis nempe vtriuſque ſectator. Quamobrem dicendum putauerim, differentes nimirum eſſe mitulos & tellinas. Notiſſimæ ſunt in Italia Tellinæ, præſertim Romæ, vbi plurimæ venales circumferuntur, quòd edendo ſint, & ori admodum grata, ſi tamen ab arena optimè repurgentur. Cæterum quales Mituli ſint in Italia, qui hac noſtra tempeſtate explicauerit, hactenus inueni neminem, præter vnū Maſſarium Venetum, qui eos mitulos putat, quos Adriatici accolæ vulgò appellant Muſcioli, quaſi muſculos dixerint. Cuius opinio nobis maximè probatur: quippe quòd & forma, & nomine conchylia ita vocata legitimos referant mitulos. Sunt enim tellinis paulò maiores, teſta exterius lineis quibuſdam ſcabra: intus verò pellucida & tota pondere leuia. Μύακες ita Græcis, Mituli Latinis appellantur, pariter & Italis: Arabibus verò, Amarchas: Hiſpanis, Mixilhus. Τελλῖναι vt Græcè, ita etiam Latinè Tellinæ, & Italicè Telline dicuntur: Arabicè Sedef & Talſam: Hiſpanicè Brignigois.* Nomina.

Χῆμαι. **CHAMÆ. CAP. VII.**

CHamarum, aliarumq; conchularum in exigua aqua decoctarum ius, aluum ciet, id cum vino aſſumitur.



*QVanquam Chamæ inter cætera conchyliorum genera longa deſcriptione ab Athenæo referuntur, nihilominus tamen tot huiuſmodi teſtaceorum habentur ſpecies, vt non facilè ſit, eas inter ſe diſtinguere. Cæterùm præter cæteras conchas, id ſibi peculiare aſciuere Chamæ, quòd plerunque in littore hiantes inueniuntur. Idcirco eas rectè Chamas dici poſſe putauerim, quæ in marinis oris, pandentes ſeſe leui teſta contectæ reperiuntur. Harum quàm plurimas ipſe vidi in Adriatici littore. Verùm quoniam nulla alia facultate ſunt præditæ, præter eas, quibus & reliqua concharum genera commendantur, ideo non eſt, vt plura de his dicamus. Quæ Græcis χῆμαι, Latinis Chamæ, Arabibus Hame, & Italis Chame nominantur.* Chamarum conſideratio. Nomina.

Ὄνυξ. **VNGVIS ODORATVS. CAP. VIII.**

VNguis ſiue onyx conchylii tegumentum eſt, ei ſimile, quo purpura integitur: quod in Indiæ nardiferis paludibus inuenitur, ſuauem ideo ſpirans odorem, quòd conchylia inibi nardi pabulo veſcantur. Colligitur poſteaquam ſtagnantes aquæ æſtiuis ſqualoribus inaruerunt. Laudatiſſimus qui à rubro mari defertur, candicans, pinguis. Babylonicus nigreſcit, atque minor conſpicitur. Ambo odoris gratia ſuffiuntur, ſed aliquatenus caſtoreum olent. Iidem ſuffitu excitant fœminas vuluæ ſtrangulatu oppreſſas,

oppreſſas, comitialesque: poti ventrem molliunt. Crematum conchylium eadem efficit, quæ purpura & buccinum.

## VNGVIS ODORATVS.



*Vnguium odoratorum conſideratio.*

QVi diligenter caput hoc de vnguibus odoratis legent & expendent, non ab re fortaſſe mirantur Dioſcoridem, quòd ſcripſerit, onyches, id eſt vngues odoratos in Indiæ nardiferis paludibus inueniri, quando nuſquam à veteribus & recentioribus memoria proditum ſit, nardum in paludibus naſci, ſed in montibus; arido & ſicco ſolo. Admirationi ſuæ illud non obſtare putant, quòd memoret Dioſcorides, Indici nardi genus eſſe, quod Gangitis vocatur, à fluuio Gange, apud quem enaſcitur, monte præterfluente. Neque enim volunt eam nardum in fluuio illo, aut in paludibus prouenire, ſed in monte, aut infima eius parte, quam flumen ipſum alluit. Præterea cùm ſcribat Dioſcorides conchulas odoratas in India paludibus inueniri, illis planè abſurdum videtur, quòd præ cæteris eas laudauerit, quæ à rubro mari deferuntur: quòd item Babylonici generis meminerit. Addunt inſuper, quod cum vngues ij, quorum in officinis pharmacopœorum communis vſus, ſi vruntur, non ſuauem ſpirent odorem, ſed potius caſtoreum oleant, qui nimirum odor ab omnib. & iniucundus & ingratus habetur, fieri non poteſt, quòd odoris gratia ſuffiantur, præſertim quod ijdem ſuffitu (vt Dioſcorides tradit) excitant fœminas vuluæ ſtrangulatu oppreſſas, comitialesq́. Sciunt autem, quòd qui huiuſmodi morbis tentantur, ab odoratis læduntur, & à fœtidis iuuantur. Verùm quia nitimur quantum poſſumus pro noſtra virili parte Dioſcoridem defendere, & ab erroris ſuſpicione vindicare, quid mihi illa cogitanti occurrerit, nunc ediſſeram. In primis igitur non ita mihi mirũ videtur, quòd à Dioſcoride ſcriptum ſit, vngues odoratos in nardiferis Indiæ paludibus inueniri. Nam ſi, eodem auctore, aliqui arbitrati ſunt, malabathrum eſſe Indici nardi folium, falſi quadam odoris cognatione, facilè fieri potuit, vt ijdem rei herbariæ imperiti paludes, quæ malabathrum gignunt, nardiferas vocauerint, ſimili ratione decepti. Quorum forte Dioſcorides appellationem ſecutus, eas paludes Indiæ nardiferas nominauit, in quibus huiuſmodi habentur conchilia. Nec placet Rondeletij,

*Rondeletius notatur.*

aliàqui viri doctiſſimi opinio, qui putat conchilia nullibi haberi poſſe, præterquam in mari, ſic inquiens: Nam ſi conchilia marina ſunt animalia, quomodo in lacubus inueniuntur, colligunturq́ aquis æſtu exiccatis? an mare deſerunt turbinata, vt fluuios lacusq́ ſubeant? Hæc ille: qui etſi præclarus ſit, & doctrina non vulgari præditus, non tamen omnia naturæ ſecreta rimari potuit. Quandoquidem & conchæ Margaritiferæ, quæ marina quoq́ ſunt animalia, in Bohemia habentur,

*Margaritæ naſcuntur in Bohemia.*

quæ à mari longè lateq́ diſtat, in flumine Vuotauua, vt de margaritis agentes paulò ſuperius diximus. Deinde illud quoq́ mirum non eſſe debet, quòd ad nos adferantur conchulæ Indicæ ex mari rubro ac Babylone. Etenim hoc non euenit, quòd inibi naſcantur, ſed quòd Dioſcoridis tempore non ſecus ac noſtro, mercimonia, quæ ex India in Græciam & Italiam conuehebantur, omnia prius per mare rubrum conueherentur in Aegyptum, nempe Memphim aut Alexandriam. Sed quomodo fit, dicet aliquis, quòd raræ admodum reperiantur conchulæ Indicæ, quæ ſuauem ſpirent odorem, eoq́ nardum imitentur, atq́ odoris gratia ſuffiantur? Certè non aliam ob cauſam fieri puto, niſi vel quòd propter maximam locorũ diſtantiam in longo itinere adſcititium illum malabathri odorem amittant, vt Indicæ nardo euenire libro ſuperiori in eius mentione diximus: vel quòd eæ, quæ ad nos adferuntur, in paludib. capiantur, quæ malabathro prorſus deſtituuntur. Nam quoniam multo iam tempore malabathrum ad nos non aduehitur, facilè adducor, vt credam id in India cultorum negligentia periiſſe, perinde ac balſamum in Iudæa. Quippe vt malabathrum renaſcatur (id quod Dioſcorides refert) neceſſe eſt, vt ſiccatis æſtiuo feruore aquis, humus aridis fruticibus vratur. Quod cùm ab Indis fortaſſe fuerit omiſſum & neglectum, facile poſtea factum eſt, vt vniuerſum malabathri genus omninò deperditum ſit. Atq́ adeò hinc eſt, vt vngues ij, qui hodie ad nos afferuntur, nullo nardi odore commendentur. Poſtremo illud mihi haudquaquam abſurdum eſſe videtur, quòd conchulæ Indicæ ſuffitu preſſas vteri ſuffocatione mulieres comitialesq́ reuocent. Namq́ quod fieri potuerit, nos non negamus, onyches olim fuiſſe odoris grati atq́ iucundi, vtpote qui malabathrum redolerent. Sed equidem exiſtimo odorem illum partibus ita tenuibus inhæſiſſe, vt igni impoſita teſta ille ſtatim exhalaret, teſta verò eadem relicta & incenſa, quid mirum ſi odorem fœtidum emiſerit & caſtoreum oluerit? ex quo ſanè (vt experientia docet) mulieres vuluæ ſtrangulatione laborantes ſuſcitantur. Ideoq́ variat noſtra à Rondeletij ſententia, qui vt Dioſcoridis lectionem ſeruare videatur, dicit εὐῶδες Dioſcoridi deſignare non ſemper id quod grato ſolùm & iucundo, ſed aliquando quod vehementi aut graui eſt odore: quippe etſi id

*Rondeletii ſententia nõ accepta.*

haud negauerim ego, non tamen affirmauerim εὐῶδες hoc in loco iniucundum ſignificare aut graueolentum: ſiquidē cùm Dioſcoridi hi vngues ſuauem ſpirent odorem, quòd conchilia, quorum tegumenta ſunt, nardi pabulo veſcantur, ratio ſanè non conſentit, vt Rondeletio ſubſcribam. Cæterùm cùm onyx vnguem ſignificet (vnde conchula Indica vnguis odorati nomen accepit, quòd fortaſſe vnguis alicuius effigiem referat) cur ipſum purpuræ tegumento ſimilem fecerit Dioſcorides, mihi hactenus incompertum eſt, cum purpuræ operculum rotundum ſit, quemadmodũ & buccinæ, conchilij verò longum, niſi vnà cum Rondeletio dicamus, haud intellexiſſe Dioſcoridem odoratos vngues facie purpurarum opercula referre, ſed quod ijs conchilia operiantur, vt purpuræ ſuis, à ſubſtantia rei, non quidem à forma comparatione facta. At certè, vt dicam quod

ſentio,

*ſentio, mihi non placet eorum opinio, qui non alia de cauſa hoc conchilij genus onychem appellari volunt, quàm quòd eius tegumentum ſit rugarum, concauitatis, aſperitatisq́ expers: læuore autem ac candore præditum, humanorum vnguiũ mo-do: ſiquidem purpuræ teſta, cui onychẽ aſsimilat Dioſcorides, in vniuerſum aculeata conſpicitur: quin & inæquali, ſinuoſoq́ cortice obducitur. Porrò quòd videam vngues odoratos, qui in myropolijs paſsim habentur, brutorum quorundam vngues repræſentare, atq́ ſi vrantur caſtoreum olere, facit vt ferè non dubitem affirmare eas legitimas eſſe. Fuchſius in ſuis in Nicolaum Myrepſicum annotationibus, in compoſitione aureæ Alexandrinæ, vbi ipſo vertente legitur, oſsis anterioru narium purpuræ, ſcribit id nil aliud Nicolao deſignare, quàm quod Actuario, & alijs poſterioribus Blattium byzantium, ſiue byſantiũ dicitur, quòd in quibuſdam interpretationib. in Nicolaum legatur βλάττιον βυζάντιον ὀστοῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρας. Quin & differre inter ſe ait Blattium byzantium & Dioſcoridis onychem, quòd onyx conchilij ſit tegumentum, blattium autem os anterius narium purpuræ. Quod etiam confirmauit libro primo de compoſitione medicamentorum, illud etiam addens: officinis hodie hoc os, quod in ore, aut naribus purpuræ reperitur, Blattam Byſantiam vocari. Sed longè quidem ab eo diſsidet opinio noſtra. Primùm quòd Serapioni & Auicennæ, quorum vocabula medicamentaq́ tam ſimplicia, quàm compoſita (vt ipſemet fatetur Fuchſius) recentiores Græci ſæpius vſurpant, nil aliud deſignat Blattium byzantium, quàm Dioſcoridi onyx, Latinis vnguis odoratus dictus, ac pariter conchula Indica. Huic alia accedit ratio, quòd cum hactenus non inuenerim, qui purpurarum os tam oris, quàm narium (vt Fuchſio placet) ſiue teſta earũ tegumentũ odore aliquo commendauerit, quiq́ inter odoramenta recenſuerit, atq́ antidotis inſeruerit, ſed qui tantùm ſcripſerint, earum crematarum cinerem exiccare, dentes abſtergere, extreſcentias in carne cohibere, vlcera purgare, & ad cicatricẽ perducere: contra verò conſtet omnibus odoratos vngues a Mauritanis præferri, quòd aroma quoddã reſipiant, & tenuiũ atq́ adſtringentium ſint partium, ad ventriculi, iocineris, cordis, vteriq́ affectus, non modo Fuchſij, ſed Nicolai quoq́ ſententia (modò huius codex non ſit deprauatus) inanis profectò, & planè refellenda videtur. Quòd autem ad hos affectus odoratos vngues prætulerint Arabes, quib. recentiores Græci longè plura accepta referunt, teſtis eſt Serapio authoritate Meſebaæ, cum inquit: Conchula Indica excalfacit & ſiccat ordine tertio: quin & adſtrictionis, & tenuium partium eſt particeps: ventriculo, cordisq́ palpitationi, iocineri, vuluaq́ odoris fragrantia conferens. Quo fit, vt etiam facilè crediderim, Actuario nil aliud Blattium ſiue blattum byſantium repræſentare, quàm Indicam odoratam conchulam, non vt Fuchſius arbitratur, os in ore, vel naribus purpuræ inuentum. Miſcetur itaq́ Indica conchula, vel eam voces odoratum vnguem, non ſine magna ratione & authoritate à poſterioribus Græcis in aurea Alexandrina, quòd ad cardiacos, & viſcerum morbos ſit admodum vtilis: quin & in antidoto è margaritis, quòd omnem virium imbecillitatem firmet, animi defectum ſiue à corde, ſiue à ventriculo originem ducat, maximè iuuet: longo morbo deiectos, & imbecillitate languentes recreet, & vteri ſtrangulatus in mulieribus euertat, vt Actuarius & Nicolaus Myrepſicus teſtantur. Quæ omnia odorata conchula per ſe ferè præſtare poteſt, ſi primùm eius qualitates, demum verò facultates perpenderimus, quarum nulla (quod ſciam) purpuris aſsignantur. Quare non immeritò Nicolaum damnauerim (ſi tamen error illi aſcribendus eſt) qui narium purpurarum oſſa excogitauerit his antidotis eſſe admiſcenda, cùm purpuræ in vniuerſum præter teſtam, qua conteguntur, oſsib. careant. Niſi fortè id in purpuris narium os appellauerit, quod in anteriori teſtæ parte prominet, & roſtri potius, quàm narium ſpeciem repræſentat. Illud præterea falſum eſſe deprehenditur, quòd officinis hæc excogitata purpurarum oſſa Blattæ byzantiæ vocentur, cùm etiam quæ legitimæ in officinis habentur, propriè ſint odorati vngues. Poſtremò quæcunque ſint illæ in Nicolaum expoſitiones, quib. maximè nititur Fuchſius, eas noſtris rationibus, & auctoritatibus adductis haudquaquam obſtare poſſe putauerim, cùm fortaſſe incerti ſint auctoru, vel ſi certi, minimè probandi, quod is rationi ac veritati refragetur. Niſi quis dixerit, illum contra quam Fuchſius intellexerit, Nicolai verba interpretatum fuiſſe, & lectores admonuiſſe, nil aliud Nicolao deſignare ὀστοῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρας quàm βλάττιον βυζάντιον, id eſt, vnguem odoratum. Siquidem cùm Nicolai verba ſecundum Fuchſij interpretationem adeò per ſe clara ſint, vt nulla indigeant explanatione, non erat opus, vt ille interpres ea aliter exponeret: ſed potius vt declararet, animaduerſa deprauata Nicolai lectione, pro eo purpurarum oſſe in Nicolai antidotis Blattum byzantium, id eſt, Indicam conchulam admiſceri debere: quòd facilè ſciret, fabuloſum eſſe purpuras in naſo vel ore gerere oſſa. Quod etiam ſenſiſſe videtur antiquus fragmentorum Nicolai interpres: quippe qui non purpurarum oſſa in aurea Alexandrina, & diamargarito ſit interpretatus, ſed byzantiam blattam, quam odoratum vnguem eſſe, hactenus nos abunde demonſtraſſe exiſtimamus. Huius nomen Græcum eſt ὄνυξ: Latinum vnguis odoratus, & conchula Indica: Arabicum Achfar ateb aut Adfar althaib: Italicum, Vnghia odorata.*

Fuchſii opin. reprobata, volentis Blattium byzantium & onychen differre.

Conchulæ Indicæ qualitas.

Nicolaus damnatur.

Nomina.

Κοχλίαι. COCHLEÆ CAP. IX.

TErreſtres cochleæ ſtomacho vtiles ſunt, & non facilè corrumpuntur. Optimæ Sardonicæ, a Aphricanæ, Aſtypaleicæ, & quæ in Sicilia ac Chio gignuntur, & quæ in Liguriæ alpibus, pomatiæ, id eſt, operculares, cognominatæ. Marina ſtomacho idonea, & facilè aluo excernitur: fluuiatilis virus olet. Quæ verò vepribus, frutetisq; glutinata cohæret, quam vocant nonnulli b ſeſilon, ventrem & ſtomachum turbat, vomitiones excitat. Crematæ omnium teſtæ excalfaciendi, & vrendi naturam ſortiuntur: purgant lepras, vitiligines denteſque: emendant oculorum cicatrices, & vitia cutis in facie, albugines ac viſus hebetudines, ſi cùm carne ſua vſtæ, tritæque ex melle illinantur. Crudæ cum tegumentis impoſitæ, aquæ inter cutem tumores exugunt, ſed non antè ſoluantur, quàm omnis hauriatur humor: podagricas inflammationes leniunt: impactos corpori aculeos illitæ euocant: menſes tritæ & admotæ ciunt. Carnes earum cum thure & myrrha illitæ, cùm vulnera alia, tum maximè quæ nerui acceperunt, conglutinant: tritæ in aceto, ſanguinem naribus erumpentem infrænant. Viuæ corpus, & præſertim Aphricanæ, cum aceto deuoratum, ſtomachi dolores mitigat: trita cum teſta, vino & myrrha ſi exiguum inde bibatur, coli, veſicæque cruciatus ſanat. Terreſtris pilos incommodos replicat, ſi quis abraſo acu lentore eius, pilum attingat.

a Menu. Λιβύκαι, i. Libycæ.

b Meum & Drag. addunt ἢ σεσιλῖται, i. aut ſeſilitim.

*COchleæ vulgò notiſsimæ ſunt. Hæ licèt albæ nigræq́ reperiantur, tum magnæ, tum paruæ, tum mediocres, omnes tamen eandem naturam in vniuerſum obtinent. Si verò aliquo pacto inter ſe differunt, id natalis ſoli cauſæ adſcribitur: nam quæ in apricis admodum locis odoratis victitant herbis, ijs ſanè præſtant, quæ in opacis degunt, ac in paludibus. Id enim guſtu facilè deprehenditur, quòd hæ vel inſipidæ habeantur, vel paluſtrem reſipiant limum: illæ verò ſapidiores, eſuiq́ gratiores exiſtant. Quandoquidem abſinthiũ depaſtæ amaritudinem reddunt, ſicuti quæ ſerpyllum, pulegium,*

Cochlearum conſid.

 calamin-



*calaminth† am, origanum, aliaſq́; odoratas herbas aſſumunt, odoris gratia commendantur. In quarum numerum aquę ferri poſſunt, quæ paulò lupinis maiores in agro Romano leguntur, vbi autumno quorundam carduorum caulibus aceruatim cohærentes innumeræ viſuntur. Cochleas olim vſq; adeò cœnis expetitas memorat Plinius lib. 11. cap. 56. vt ijs viuaria à nonnullis fuerint inſtituta, diſtinctis quidem generibus earum, quò melius gulæ fieret ſatis: ſeparatim vt eſſent albæ, quæ in Reatino agro naſcuntur: ſeparatim Illyricæ, quibus magnitudo præcipua: Aphricanæ, quibus fœcunditas: Solitanæ, quibus nobilitas. Saginam quinetiam commentati ſunt ſapa & farre, alijſq́; rebus, quæ eas alebant.*

**Cochleæ pomatiæ.**

*Non me fugit, quas Dioſcorides pomatias vocat, plurimas reperiri in montibus Tridentinis, viciniſq́; alijs locis, & eas quidem præſtantiſſimas. Eruuntur enim è terra hyeme in ſepibus & frutetis, vncis quibuſdam ferreis prope fruticum radices terra circũfoſſa. Conduntur hæ contra frigoris iniuriam, quodam albo operimento, duro, gypſi ſpeciem referente, ſicq́; contectæ terra ſe condunt. Fit enim ob hoc, vt in cibis ijs longè ſuauiores, gratioreſq́; habeantur, quæ vere & æſtate imbrib. excitatæ hinc inde vagantur. Quòd autem ſic hyeme recondantur, deliteſcantq́; ſub terra circùm fruticum radices, Hetruria planè ignorat, cùm tamen & ibi eodem modo ab his eruantur, qui alibi artem didicerunt.*

**Cochlearum vires Matth.**

*Præſtant cochleæ, præter ea quæ à Dioſcoride ſcribuntur, ad varia corporis incommoda. Siquidem teſta exutæ, & hordeacea ptiſana incoctæ lateris dolorem tollunt, vbi ptiſana ſorbenda detur, cochleæ verò contuſæ loco dolenti illinantur. Earundem diu elixarum ius potum iliacos iuuat: eædem elixæ ac tritæ, cruentis excreationibus medentur. Diſuriæ efficaciſſimè proſunt, ſi crudæ cum ſuo ipſarum putamine contritæ bibantur ex paſſo, diebus ſeptem continuis, aut ad ſummum nouem. Vertiginoſis quoq; proſunt ſuſpirioſiſq́;, vbi prima die cochleã vnam magnam, ſequenti duas, tertio tres, quarto duas, quinto vnam, ſemicoctas vorauerint affecti, nec minus vertiginoſis quàm amentibus medebitur is, qui ſingulas cochleas diebus ſingulis plurimis, cum ſuis teſtis contritas, ex defruto potandas dederit, ſed has maiores eſſe oportet: ſi verò minus res ſucceſſerit, triduo quieſcat affectus, & ſubinde eandem potionem diebus plurimis replicet: Cœliacos quoq; iuuant cochleæ duæ, vnà cum teſtis contritæ, & duobus ouis gallinaceis exceptæ vini paſſi ternis vncijs, & aquæ quaternis, ac demum fictili vaſe calefactæ & hauſtæ. Præſtant eædem ad faucium moleſtias & aſperitates, ſi illotæ coquantur, & deinde tritæ ex paſſo ebibantur. Partus faciles reddunt, ſi à grauidis fœminis edantur aliquot ante partum diebus. Adduntur vtiliter in emplaſtris, quæ pus mouent: namque non ſolum bubones & cæteros tumores concoquunt, ſed etiam abrumpunt. Contritæ crudæ & illitæ ſerpentibus vlceribus medentur. Quæ verò ſalinis inhærent, ſtrumas illitæ reſoluunt, ſi cum putamine tuſæ illinantur: columellæ vitia ſanat cochleæ viuæ ſuccus acu pulneratæ, cum penna illitus. Complures crudæ, in nitido mortario tuſæ, vnà cum ouo gallinaceo incocto, ex ſuccida lana vtiliter fronti adalligantur, ad ſedandas oculorum epiphoras. Combuſtarum cinis, cum ligni & vrticæ ſemine ex melle potus, intra paucos dies lienoſos ſanat. Quæ autem cæteris minutiores habentur, tritæ & illitæ, inguinum tumores reſoluunt. Omnium putamen vſtum, & in puluerem tenuiſſimum contritum, gingiuarum putredines exulcerationeſq́; illitus tollet. Idem caſu inuentum tritumq́;, & potui datum, calculos expellit: quin etiam vrinam mirificè pellit, ſi duarum drachmarum pondere ex vino albo & aqua calida bibatur: prolapſam columellam cohibet: & procidentem quoq; ſedem, ſed prius inteſtinum ablui oportet aqua in qua ferrum candens pluries reſtinctum fuerit.*

**Ad tabidos.**

*Cochleis nemoralibus à mucagine natiua diligenter repurgatis, & in lacte bubulo recenter mulſo vnà cum Tuſſilagine conciſa decoctis, condimentum fit optimum tabidis, cibi loco propinandum. Item cochlearum carnes à putaminibus & excrementis repurgatæ, quin etiam aqua ablutæ inuoluuntur linteolo craſſiore pluries replicato, & ſepeliuntur in fimo equino feruenti duarum horarum ſpatio, indeq́; detractæ lauantur lixiuio calido, & coquuntur in iure gallinacei pulli: atq; tabidis, & macie ſumma affectis auxilio ſanè magno propinantur deuorandæ. Parantur præterea ad idem maiori etiam cum vtilitate hoc modo: Sumito cochleas maiores quinquaginta, eaſq́; prius bellè lotas coquito cum putaminibus in aqua, vnà cum hordeo à gluma repurgato, quouſq; hordeum rumpatur. Deinde exemptas è putaminibus coquito iterum ex capi iure quouſq; probè diſcoquantur: demum ius percolato linteolo mundo, & quotidie eiuſdem affectis propinato ſex vncias, addita ſacchari vncia tam mane quam veſperi horis tribus ante cibum.*

**Aqua cochlearum.**

*Non paruo quoque auxilio ad hoc mali parantur cochleæ hac etiam ratione. Sumito cochlearum putaminibus exutarum libras 2: radicum glycyrrhizæ recentium libram vnam: rad. altheæ vnc. quatuor, atque omnia minutim conciſa in vitreum collocato alembicum, & balneo feruentis aquæ Chimica ratione eliciatur aqua, cuius vncias quatuor cum ſacchari vnceola quotidie mane affectis propinato.*

**Cochlearum vires ex Gal.**

*Cochleæ ſi totæ cum teſtis vrantur (vt Galenus memoriæ prodidit lib. 11. ſimplicium medicamentorum) admiſta galla omphacidite, ſimulq́; pipere albo, mirificè proſunt dyſenterijs, in quibus vlcera nondum putredinoſa ſunt: conuenit autem vt piperis ſit pars vna, gallæ vero duæ, quatuor cineris cochlearum. Hæc vbi ad vnguem læuigaris, cibis inſpergito, bibendumq́; aut ex aqua, aut ex vino albo & auſtero præbeto. Cæterùm abſq; gallæ miſtione cinis cochlearum admodũ reſiccantis eſt facultatis, obtinens itẽ nonnihil ex vſtione calidum. Porrò cochleæ, quæ vſtionẽ non ſunt expertæ, ſi tritæ vnà cum teſtis imponantur, & toti ventri aqua inter cutẽ laborantium,*

[...]ntium, & in arthriticis articulorum tumoribus, ægrè quidem diuelli poterunt, cæterùm impensè deſiccant: & omnino inhærere ipſas ſinere oportet, quoad ſponte decidant. Idemq; faciendum in tumoribus ex ictu natis difficilè ſolubilibus, & ex contuſione facta in auribus: deſiccant enim illos magnopere vniuerſos, etiamſi viſcoſus, craſſusq; in alto humor contineatur. Idem libro citato, cùm de diuerſis carnibus verba faceret, ſic de cochlearum quoq; carne diſſeruit. At cochlearum caro prius in mortario contuſa, ac poſtea ad læuorem redacta, omnium valentiſsimè deſiccat partes ſuperfluo humore grauatas, adeò vt & hydericis conueniat. Ipſarum autem humor ſolus per ſe citra carnem ſumptus (vocatur autem is à multis μύξα κοχλίου hoc eſt, mucus limacis) thuri miſtus aut aloæ, aut myrrhæ, aut horum quibuſdam, aut omnib. quoad habeat craſsitiem, medicamentum ſit glutinatorium, deſiccatq; pulchrè putulentos mucos aurium: ſed & fronti impoſitum inhæret, oculorum fluxiones reſiccans. Quidam etiam ad palos eximendos vtuntur totis vnà cum teſtis ad læuorem tritis: ſed & quidam ad ſiſtendos menſes. Et quidem ego aliquando in agro carnes ipſas ſolas in vulnus cum nerui vulneratione, & contuſione factum tritas impoſui, ipſumq; vulnus pulchrè glutinatum eſt, & neruus phlegmonē haud perpeſſus: erat autem homo durus & agreſtis: miſcui tamen illis contritis pollinem farinæ acceptum à pariete molæ proximo. Scripſere autem maiores me nonnulli medici, ad eiuſmodi vſum miſcendum ipſi thus aut myrrham. Verùm horū habebam tum neutrum, vt qui tunc ab vrbe abeſſem in villa. Poſsis autem & reſinæ frictæ contritæ admiſcere, ſi adſit, quippiam. Porrò vbi multū muci cochlearum accipere voles ſeorſum, ſtylo carnem earum pungito, ſed non ante multos dies venatas eſſe expedit, alioqui enim tempore deſiccantur: nam recentes plurimum habēt viſcoſæ illius humiditatis, quam ſtylo compunctæ effundunt. Humiditas hæc pilorum in palpebris præter naturam gluten eſt: hæc Galenus. Cochleæ tum crudæ, tum coctæ cum teſtis ſuis, aut ſine, contritæ emplaſtris concoquentibus, & ſaniem è vomicis fracta cute educentibus vtiliter immiſcentur. Marinæ in Italiæ mediterraneis perquam raro in cibis veniunt: quanquam ijs qui maris litora inhabitant, frequentiori ſint vſui.

Cochleę marinæ.

Sunt & in cochlearum genere, quæ tegumento vel teſta carent, quæ nobis ſpeciatim Lumache vulgò appellantur, noctu potius, quàm interdiu ad paſcua exeuntes. Degunt hæ non modò in campis & hortis, ſed in cellis vinarijs, & alijs ſubterraneis vliginoſisq; ædium locis. Gerunt in capite lapidem (non tamen omnes) quem febribus tertianis adalligatum vulgus prodeſſe exiſtimat. At Plinius lib. 30. cap. 5. auctor eſt, hunc lapidem adalligatum dentitionem facilem præſtare. Expetuntur hæ mulieribus ad expoliendam faciem: namq; ex ijs in ſtillatorium vas coniectis, additis quibuſdam alijs, aquam eliciunt, qua inde earum elota facies læuorem mentitur. Quin & his Aphricam abundare ſcriptum reliquit Plinius lib. 30. cap. 3. & eas combuſtas dyſentericis vtiliſsimas eſſe, dariq; ex eo cinere cochlearia bina in vino myrtite aut quolibet auſtero. Eadem cum Thuris polline contritæ, addito oui Gallinacei albo & illitæ, faciunt mirificè ad puerorum Enterocelas, ſed interim pueros in lecto iacere oportet. Vtuntur & ipſæ vtiliter & in puluerem teruntur, qui inſperſus quamcunq; pedum exulcerationem ſanat. Κοχλίαι vt Græcis, ita Latinis Cochleæ nominantur: Arabibus Balzum & Halzum: Italis Chiocciole: Germanis Schnecken: Hiſpanis Caramuyos & Caracoles: Gallis Eſcargotz.

Cochleæ ſine teſta.

Nomina.

Καρκίνοι.

## CANCRI. CAP. X.

CAncrorum fluuiatilium exuſtorum cinis, qui duo cochlearia expleat, a adiecto dimidio radicis gentianæ modo, triduo potus cum vino, magnopere prodeſt canis rabioſi morſibus: rimas pedum ſedisq; perniunculos & carcinomata, cùm decocto melle lenit. Triti crudi, potiq; ex aſinino lacte, auxiliantur contra ſerpentium phalangiorumq; morſus atq; ſcorpionum ictus. Decocti autem, & cum iure eſitati, iis proſunt, qui tabe conficiuntur, aut leporem marinum hauſerunt. Necant ſcorpiones triti & cum ocimo admoti. Poſſunt eadem marini, verum inefficacius omnia præſtant.

a σὺν γεντιανῆς ῥίζης κοχλιαρίῳ ἑνί. i. cum gentianæ radicis cochleario vno.

CANCER FLVVIATILIS.



HAllucinantur, qui credunt Cancros à Dioſcoride & Galeno deſcriptos, illos eſſe, quos vulgus Italorum Gambari nominat. Καρκίνος enim Græcè (vt hoc loco ſcribit Dioſcorides) non eum ſignificat cancrum perperam vocatum, qui ἀστακὸς appellatur à Græcis, ſed qui rotundo corpore habetur, quem nos Hetruſci vulgari nomine dicimus Granchio. Is Venetijs, vbi MARINORVM numerus propè infinitus habetur, vbi cruſtam exuerit, à corporis mollitie vulgò vocatur Mollecca. E quorum genere ſunt etiam quæ appellantur Macinette: nam & hæ ſuo tempore cruſtam exuunt. Hoc ita eſſe teſtatum reliquit Ariſtoteles libro quarto, capite ſecundo de hiſtoria animalium, vbi ſic inquit: ὁ δὲ καρκῖνος μόνος τῶν τοιούτων ἀνορροπύγιον, καὶ τὸ σῶμα τὸ μὲν τῶν καράβων, καὶ καρίδων προμήκες, τὸ δὲ τῶν καρκίνων στρογγύλον: hoc eſt: Cancer ſolus ex cruſtaceis non regitur cauda, & corpus cum quidem locuſtis, ſquillisq; longum ſit,

Cancrorum conſideratio.

Multorum error.

Cancrorum

CANCER MARINVS.



Aſtacus.

cancris verò rotundum eſt. Porrò ASTACVS Oppiano ſpeciatim dicitur gammarus magnus ille marinus, quem Romani & Tyrrheni litora incolentes Leonem appellant. Veneti autem, quaſi adhuc Græcum nomen retineant, eum vulgò Aſtaſe nominare conſueuerunt. Idem dictus eſt gammarus à Theodoro Ariſtotelis interprete: quippe quòd vulgaris gammari faciem repræſentet. Veruntamen (ni fallor) Ariſtoteli ἀστακὸν nil aliud eſſe crediderim, quàm quod Venetis Aſtaſe, Ro-

ASTACVS.



manis verò Leo nuncupatur: quandoquidē is paulò inferius poſtquā de marinis, quæ cruſta integuntur, animalibus diſſeruiſſet, videtur ſanè vulgares fluuiatiles gammaros deſcribere ſtatim poſt fluuiatiles cancros, cum inquit: ἔστι δ' ἔτι καὶ ἕτερον γένος μικρὸν μὲν, ὥσπερ οἱ καρκίνοι, τὸ δ' εἶδος ὅμοιον τοῖς ἀστακοῖς: hoc eſt. Genus item aliud eſt, quod quidem paruum eſt veluti cancri, facie verò aſtacis ſimile. Hæc, meo quidem iudicio, declarant Græcis fluuiatilem gammarum proprio carere nomine, vtpote & paruorum cancrorum aliqua genera, vt ipſe eodem loco teſtatur Ariſtoteles, cum inquit: Cæteri minutiores, & nullis penè nominibus annotati. Quo fit, vt putauerim ego gammaros Galeno appellari γαμμαρίδες, mutuato, cùm Romam veniſſet, à Latinū vocabulo, quòd eo carerent Græci. Namq; lib. 3. de alimentorum facultatibus: Ἀστακοὶ (inquit) καὶ πάγουροι: καὶ καρκίνοι ἔτι καὶ κάραβοι, καὶ καρίδες, καὶ καμμαρίδες, ὅσα τ' ἄλλα λεπτὸν ἔχει τὸ περιέχον ὄστρακον, hoc eſt: Aſtaci, paguri, cancri, locuſtæ, carides, gammarides, & id genus alia tenui teſta concluduntur. Magisq; hoc affirmare non dubitauerim, quòd nomen hoc à Galeno Græcum factum, nec apud Ariſtotelem, nec apud quenquam repererim vnquam. Quibus etiam ex verbis palàm certè eſt, inter GAMMAROS & cancros manifeſtam eſſe differentiam. Quamobrem eos medicos hallucinari cenſemus, qui pro cancris ad canum rabidorum morſus, itemq; ad tabidos & maraſmo laborantes Gammaris vtuntur: quandoquidem cùm Dioſcoridem, tum Galenū non de gammaris quidem, ſed de cancris intellexiſſe nobis compertum ſit. De cancris Gal. lib. 11. de ſimp. med. hæc fuſius ſcripta reliquit. At fluuiatilium cancrorum cinis, quanquam ſimiliter prædictis exiccatorius eſt, ſubſtantiæ tamen proprietate mirificè contra rabioſorū morſum efficax eſt, isq; tum ſolus, tum cum gentiana & thure multò præſtatior. Thuris ſane partem vnā eſſe oportet, quinq; autem gentianæ, porrò cancrorum decem: & rarò equidem aliter illis vſtis nos ſumus vſi: cæterùm ad eum modum plerunq;, quo Aeſchrion empiricus ille vtebatur, medicamentorum peritiſſimus ſenex, conciuis ac præceptor meus. Patella erat æris rubri, in quam impoſitos cancros viuentes, hactenus vrebat, dum facilè ad lauorem redigi poſſent. Hic Aeſchrion paratum ac promptum ſemper in ædibus hoc habebat medicamen, vrens cancros tempore æſtiuo poſt ortum canis, quando ſol in leonem tranſiſſet, luna decima octaua. Porrò bibendum hoc medicamen ijs, qui à cane rabido fuiſſent morſi, præbebat quotidie vſque ad diem quadrageſimum, menſura cochlearij ſatis magni aquæ inſperſum. At ſi non protinus ab initio, verum aliquot poſt dies curam cœpiſſet demorſi, tunc quotidie duo cochlearia aquæ inſpergebat. Ad ipſum verò vulnus empla-

Gammari nomen græcum Ariſt. ignorauit.

Quorundam medicorum error.

Cancrorum vires ex Gal.

Antidotus ad rabidorū canum morſus.

## GAMMARVS.



*emplaſticum applicabat medicamentum, quod ex pice brutia & opopanace, aceto que conficitur, habens picis libram vnam, vnam aceti acerrimi ſextarium Italicum, opopanacis verò vncias tres. Hæc tametſi à præſenti inſtituto eſſent aliena, ſcribenda tamen cenſui, quia magnopere medicamento huic ipſe confiderem: nimirùm cùm nullus vnquam eorum, qui illo, vt dictum eſt, fuerunt vſi, ſit mortuus. Cæterùm ſeorſum alterum librum conſcribam aliquando de ijs, quæ proprietate ſubſtantiæ totius quid agunt, è quorum numero ſunt id genus omnia. Ignoſcendum itaque tum hoc in loco ſcribendi importunitati, tum ſicubi præterea id mihi hoc in opere contigit: nempe quia ex dictis ſumma proueniret vtilitas, quam ſanè poſteris impertire volebam, ſi forſan me prius, quàm quæ his deinceps ſunt opera, perfeciſſem, mors occupaſſet, propoſitum impediens. Cæterùm Pelops doctor meus, & ipſe omnium eiuſmodi cauſas reddere volens: non abs re inquit, Cancer cùm animal ſit aquaticum, prodeſt à cane rabido morſis, quibus videlicet metus eſt ne corripiantur affectu ſiccißimo, nempe rabie: quamobrem ſanè etiam aquam metuunt. Ac fluuiatiles, non marinos conuenire cancros dictitabat, ſcilicet quòd animalia marina ob admiſtionem ſalis natura ſiccißimi haud æquè exactam tuerentur eam, quæ eſt aduerſus rabiem, contrarietatem. Ac cùm quidam ſubieciſſet, cur non omnia, quæ in potabili aqua degunt animalia, perinde vt cancri, iuuare aſſolent? quia, inquit, ſimilem cancris præparationem non admittunt. Nam horum vſtorum cinerem, exiccatorius cùm ſit, canum mordentium venenum abſumere, ſimulque digerere profeſſus eſt. Hæc igitur Pelops dicebat ambitione magna iactitans, omnium ſe talium nouiſſe cauſas. At ego niſi planè me ſcire quippiam prius perſuaſum habeam, alijs perſuadere non tento. Itaque nec Pelopis rationem, vt veram accepi, vt quæ crebras habeat contradictiones: verùm cancros opinor ex proprietate totius ſubſtantiæ prodeſſe. Quoniam autem nullum eorũ mortuum ſcieram, qui fuerant illis vſi, totis vtique corporibus, hoc aperiendum recenſendumque à me exiſtimaui, tametſi non eſſet huius inſtituti proprium: nam id non erat propoſitum: hactenus Galenus. Cancros tritos ex lacte potos auxiliari ſerpentium morſibus, Dioſcorides è Nicandri Theriacis literis mandaſſe videtur, cum ipſe ſic habeat Nicander:*

[illegible]
Καρκίνον ἐνθρύψαιο [illegible] λοις γάλακτος.

Gammarorum lapilli.

*Cæterùm gammarorum faciem referunt locuſtæ & ſquillæ, quanquam hæ chelis careant. Gerunt gammari eo tantum tempore, quo cruſtam exuunt, duos in capite lapillos albos, rotundoſque, quibus vtuntur medici vtiliter ad expellendos renum calculos: conterunt enim hos in puluerem, & ex vino potandos exhibent. Sunt, qui hos igne prius toſtos, ad idem magis probent. Et præſertim vbi ex petroſelini vulgaris ſucco propinentur. Nec deſunt, qui cenſeant eoſdem ad cordis imbecillitatem facere, atqui ego de re hac, quid certi affirmare poſſim, non habeo. Iidem cum vini excremento, quod circa vaſa lapidis inſtar concreuit (Tartarum vocant chimiſtæ) vlceribus pudendorum medentur, ſi ſimul triti aſpergantur. Dantur quoque cum Tiliæ arboris carbone vtiliter ab alto deuolutis, quinetiam ad diſſoluendos internos ſanguinis grumos. Eorundem puluere dentes quoque dealbantur firmanturque.*

Cancri fluuiatiles.

*Cæterùm, rotundis cancris marinis ſimilib. quos Adriatici accolæ, maris & fœminæ diſcrimine vulgò Granci & Macinette nuncupant, abundat maximè vbique ſuis in fluminibus ac riuulis Hetruria: non quemadmodum Inſubria, Tranſalpinarumque regionum fluuij ac lacus gammaros alunt: Ita Hetruria cancros, vt poté & Græcia, vbi ab Aeſchrione & Galeno à cane rabido demorſis ex eorum cinere ſaluberrima parabatur antidotus. Cancri fluuiatilis putamen diligenter contritum, & ex vino ſubdulci potum, renum calculos pellit. Iidem combuſti, tritique & ex melle illiti, Strumas diſcutiunt. Eorundem puluere ſanantur ſedis rimæ. Exuſtorum cinis oleo ſubactus, perniones curat. Suffiuntur ſicci, vbi fœtus hæſerit mortuus in vteri ceruice. Iidem triti crudi & tumentibus mammis illiti, mirificè proſunt: quinetiam impactas mammarum durities reſoluunt & lac exiccant. Scorpiones proximos omnes ad eum locum conuenire tradidere quidam, vbi cancri decem fluuiatiles marinive, cum ocimi manipulo contriti, repoſiti fuerint. Fluuiatiles autem peculiariter hortorum erucas pellere dicunt, qui de colendis hortis ſcripsêre, ſi pluribus in locis inter olera ligneis clauis figantur.*

Cancrorum fluuiatilium vires.

Quorundam error.

*Sed & illi non minori in errore verſantur, qui putant marinos minutiores (vt ita dicam) gammarulos, quos vulgò Gambarelli & Gambaruſoli appellamus, eos eſſe, quos tum Ariſto. tum Galenus, tum Aelianus, tum Plinius cancellos nominant: quippe quod hi gammaruli Ariſtoteli propriè ſquillæ paruæ dicantur. Siquidem ij; qui in hoc genere nunquam rufeſcunt, Venetis alijſque quàm plurimis populis, proprium adhuc* SQVILLÆ *retinent nomen; vulgo enim Schille dicuntur: quanquam in Hiſpania, præſertimque in Cantabria omnes hi gammaruli Squillæ nulla differentia vocitentur. His, vt diximus, adſtipulatur Ariſtoteles lib. 4. de partibus animalium. cap. 8. cum inquit: Squilla à cancrario genere differunt, eo quòd caudam habeant: à locuſtario verò, quòd forcipe careant. Quibus ſanè claret, cancris nullam ineſſe caudam, quapropter omne cruſtatorum genus, cui cauda deſit, in cancrario genere fuerit recenſendum. Cuiuſmodi ſunt* MAIÆ *vulgò Granceuole, Paguri vulgò granciporri, marini ac fluuiatiles canchri vulgò Granchi appellati: & id genus plura. Nec aliam ob cauſam diximus gammarulos paruas dici ſquillas, niſi vt omnibus notum ſit, eas etiam haberi*

Squillarum conſideratio.

Maiæ.

his lou-

SQVILLAE.



M A I A.

*his longè maiores, vt memoriæ prodidit Ariſtoteles libr. 4. cap. 2. de hiſtoria animalium, ſic inquiens. Squillarum enim genere continentur gibbæ, crangones & paruæ, quæ maiores nunquam effici poſſunt. Quibus liquidò conſtat vulgares gammarulos Ariſtoteli paruas facilè eſſe Squillas, cùm ij maiores nunquam euadant, quàm qui ſemper parui in piſcarijs*

Cancellorũ conſideratio.



*habentur venales. Quinetiam id ipſum affirmare non dubitamus, quòd ijs caudá ſit locuſtarum & gammarorum modo, chelæ verò ſeu forcipes deficiant. Squillæ tametſi concoctu contumaces ſint, Galeno tamen teſte, ſtomachicis conferunt. Eædem tritæ & cum aceto potæ, lumbricos & tineas eijciunt. Quadam autem peculiari facultate ad mulierum conceptus in cibis efficaces ſunt. A Scorpionum ictu ſecurum dicunt illum, qui Squillæ marinæ imaginem in achate lapide ſculptam in anulo geſtauerit. Cæterùm Rondeletius, vir quidem doctiſſimus atq; præclariſſimus,* PAGVRVM, *quem Granciporo Itali vocant, Maiam facit. Sed facilè quiſpiam illum deceptum deprehendet, qui diligenter Aelianum de Paguris ſcribentem legerit. Sclaui, qui Lapidiam incolunt, quorumq; littora Adriaticum mare alluit, Græcum adhuc nomen ſeruantes, qui no-*

Rondeletii erratum, Pagurum, Maiã ſtatuentis.

PAGVRVS.



qui nobis Granciporri vocantur, Paguri vulgò appellant. E Paguris in cauernis extinctis oriri ſcorpiones teſtis eſt Nicander. Sed ad CANCELLOS redeo, nomine ipſo paruulos cancros deſignantes, de quibus ſcripſit Galenus libro tertio de alimen-

## CANCELLI.



torum facultatibus: Cancelli, inquiens, animalcula ſunt perexiguis cancris ſimilia, colore flauo. Aſſeruntur enim cancelli inter minutulos piſciculos duplici ſanè genere, vt quarto tum libro, tum capite de animalium hiſtoria retulit Ariſtoteles, his verbis: Quem autem cancellum appellant, communis ferè ſocius cruſtatorum, & teſtatorum generum eſt: quippè qui natura locuſtis ſimilis ſpectetur, naſciq; ſeorſum per ſe ſolitus ſit. Verùm quòd teſtam deinde petit, quam ingreſſus vitam traducat, hinc ſimilis teſta contectis animantibus eſt, quapropter is in ancipiti eſſe, genuſquè ſibi vendicare vtrunq; videtur. Forma tamen (quod ſimplicius dixerim) ſimilis araneis eſt, niſi quòd partem capiti, & pectori ſubditam, ampliorẽ quàm aranei habeat. Cornicula duo rufa, tenuia gerit, quibus oculi magni totidem ſubiacent, qui nunquam intrò recedant, vt cancrorum, ſed ſemper eminentes appareant. Os ſub ijs eſt, quod velut capillamentis quibuſdam pluribus circumdatur. In pedes ſubiuncti duo bifurces, quibus cibum ori admoueat: bini item vtriq; adhærent lateri, & tertius paruus. Thoracis pars inferior mollis tota eſt, diſſectoq; ſinu pallidum intus cernitur. Meatus ab ore ad ventrem pergit: foramen excrementi perſpici nullum poteſt. Pedes, ac thorax duritiem præ ſe ferunt, ſed minus quàm cancri. Nexu nullo teſtis adhæret, purpurarum modo, & buccinarum; ſed abſolutus liberq; vagatur. Oblongior eſt, qui turbinem ſubit, quàm qui neritem, (quem naticem interpretamur) genus enim diuerſum eſt, quod in natice degit, cætera quidem non abſimile: ſed dextrum biſurculatum pedem paruum habens: cùm læuum grandiuſculum habeat, & ingredi eodem ipſo grandiore potiſſimum ſolet: hac Ariſtoteles. Aelianus verò lib. 7. cap. 31. de cancellis ita ſcribit: A conchis quidem inopes, & nudi primùm cancelli naſcuntur, deinde eas tanquam domicilia ad habitandum deligunt. Cùm enim vacuas, & inanes offenderunt conchulas purpuræ, aut turbinis, primò intra eas ingrediuntur: deinde cùm in ampliorem magnitudinem excreuerunt, quàm ijs vt capi queant, in teſtam laxiorem tanquam domum alteram demigrant, neq; modò in ſupra dictorum conchas immigrant, ſed & in permultas alias capaciores tranſeunt, & ampliorem nacti ea tanquam maiore domicilio gaudent; ac ſæpe de ſpolijs multo certamine inter ſe contendunt, viribuſq; inferiore répulſo, victor exuuias aſſequitur: hactenus Aelianus. Cui in omnibus ſubſcribit Plinius lib. 9. cap. 31. & 42. His igitur diligenter perſpectis, omnibus, vt arbitror, palàm fiet, & cancros & cancellos à ſquillis differre. Animal, quod καρκίνος Græcè, Cancer Latinè appellatur: Arabicè Sartham, ſeu Sarthan: Italicè Granchio: Hiſpanicè Cangreio: Gallicè Cancres.

Cancellorum hiſtoria.

Cancelli ingrediuntur conchulas.

Σκορπίος χερσαῖος.

## SCORPIO TERRESTRIS. CAP. XI.

TErreſtris Scorpio tritus crudus, & impoſitus, ſuæ plagæ remedium eſt: quin eſtur aſſatus, ad eadem.



**Scorpionum conſideratio.** Terreſtres Scorpiones animalia ſunt vulgò nota, quòd in quacunque domo, non modò in cubiculis, & cellis vinariis ſed vbique paſsim reperiantur: adeò eſt hominum vita periculis obnoxia. Licet autem ſint in Italia minus venenoſi, minusq́uè nocui, quàm alijs in regionibus, quæ ſub meridie ſitæ ſunt, ipſe tamen complures vidi in Hetruria à Scorpionibus ictos, qui ſæuiſsimas perpeſsi ſunt exacerbationes, & quaſi ad mortem redacti. **Scorpiones vbi minus nocui.** Contrà in regionibus frigidis minus nocui ſunt. In agro Tridentino à ſcorpionibus icti nihil noxæ percipiunt. Quod tamen euenire affirmant gratia peculiari ſibi à Deo impertita precibus diui Vigilij epiſcopi, quem & patronum præcipuum habet, & aduocatum apud Deum. Hoc idem aſſerit Ariſtoteles lib. 8. cap. 29. de animalium hiſtoria, vbi ſic inquit: Morſus beluarum ex locorum diuerſitate plurimùm differunt, vt in Pharo, locisq́ alijs, ſcorpiones non lædunt. At in alijs locis, & præcipuè in Scythia, multi & magni nocui ſunt, & vel hominem, vel quamuis beſtiam percuſſerint, interimunt, nec ſues euadere poſſunt, quanquam **Scorpionum genera nouē.** cæteros virulentos ictus minimè ſentiunt. Plinius, Auicenna, Albertus, Aelianus, & aliorum plerique, nouem Scorpionibus genera aſsignant, diuerſis duntaxat coloribus diſtincta: nimirùm quòd alij ſint flaui, alij ruffi, alij cinerei, alij ferruginei, virides alij, alij lutei ſubatraq́ cauda, alij vinoſi, alij albi, alij deniq́ fuliginis colore. Præter nigros, & ferrugineos, virides quàm plurimos me vidiſſe, legiſſeq́ recordor, in comitatu Arci non longè à Sarca flumine, quadam in ſyluula nouellis quercubus compoſita apud ſacellum diui Pauli, vbi paruo admodum tempore, ſirio ardente, ego & eremita quidam, de his, qui **Scorpionum fœtus.** ſub ſaxis latebant, plus quàm mille & quingentos collegimus, craſſos & plurimùm farctos. Plures inter eos fœminas inuenimus, quæ ſuos nuper editos fœtus albos, pediculi magnitudine, ſub ventre ſecum vbique gerebant, ſinguli ſingulis cruribus adhærentes. Quapropter non ab re prodidit Ariſtoteles lib. 5. cap. 26. de hiſtoria animalium, quòd terreſtres Scorpiones vermiculos ouorum ſpecie pariant complures, & incubent: mox vt prolem perfecerunt, pellantur ab ea ipſa, & interimantur à ſuis liberis magno numero: ſæpius enim vndenos pariunt. Plinius auctor eſt, Scorpionum ictum multò magis fœminis pernicialem eſſe, quàm viris: præſertim virginibus, quibus ſemper lethalem eſſe ait. Quibus ſepteni in cauda in**Scorpiones aligeri.** ternodij numerantur, longè ſæuiores habentur, quàm ij quibus tantùm ſeni inſunt. Nonnulli præterea literis mandarunt, quibus ſubſcribit Strabo lib. 15. ſuæ Geographiæ, Scorpiones quoſdam habere alas, quibus per aëra volitantes de vna in aliam regionem deferuntur. Hoc enim credere non videtur abſurdū, cùm idem formicis ſimiliter eueniat, quandoquidem & hæ ijsdem ferè coloribus diſtinguuntur. Tantoq́ magis credendum eſt, quòd in Caſtella Hiſpaniæ regione ſæpius agricolæ aliquos terræ ceſpites aratro ſcindant, vbi formicarum more innumeri ſcorpiones gregatim hyeme deliteſcunt. Citra Cynamolgos Aethiopas latè deſerta regio eſt, à ſcorpionibus gente ſublata, ſi Plinio credimus. Qui præterea tradit, (vt in Cancro ſuperius diximus) quòd ſi decem cancri cum ocimi manipulo adalligentur, omnes, qui ibi ſunt ſcorpiones, ad eum locum coibunt. Quod tamen Dioſcoridi manifeſtè refragari videtur, nam ſuperius in cancris ita ſcriptum reliquit Dioſcorides: Cancri Scorpiones necant, ſi triti cum ocimo admoueantur. Ferunt à veſpis, apibus, & crabronibus eos non **Scorpionum facultates.** ici, qui prius à ſcorpione percuſsi fuerunt. Quin etiam narrat Plinius lib. 25. cap. 9. Scorpiones mortuos reuiuiſcere, admoto albo veratro. Quidam medici vtuntur Scorpionum cinere, qui viui ſint exuſti, ad vrinam ciendam, ijs præcipuè, **Olei ex ſcorpionib. vires.** qui renum, aut veſicæ calculo obſtruuntur. Quo fit, vt in hunc vſum commendauerit Meſues oleum ex ijs paratum, quod officinæ habent, renibus & pubi illitum. Hoc idem commendauit Auicenna ad aurium dolores. Ego tamen illud vſu exploratum habeo, quòd oleum per me factum, in quod ſanè magnus ſcorpionum ingreditur numerus, cordi duntaxat, & pulſantibus temporum, manuum, & pedum arterijs, illitum, ab omnibus liberat venenis, dummodo erodenti facultate vacent. Quin & eos ſanat, qui tam à viperis, quàm cæteris venenoſis animalibus vel icti, vel demorſi fuerint. Quæ de re ij (abſit tamen verbis iactantia) teſtimonium perhibere poſſunt, qui prius oleo ſancto à ſacerdotibus illiti, noſtro poſtmodum peruncti euaſere incolumes. Præſtat item maximè hoc oleum, cùm in homines peſtilentia ſæuit: quippe quòd non modò peſte infectos iuuet, ſed & ſanos præſeruet. Præſtat deniq́ ad omnes interaneorum vermes, omnesq́ dolores mulcet ex flatu, vel ex frigore genitos, præſertim ventriculi, coli, ac vteri. Eius parandi rationem trademus (Deo concedente) libro ſexto, **Nomina.** vbi de venenorum remedijs, ſiue Antidotis latius diſſeremus. Σκορπίος χερσαῖος Græcis, Latinis Scorpio & Scorpius vocatur: Arabibus Harrab, ſeu Hacharab: Italis Scorpione terreſtre: Hiſpanis Alacran.

## Σκορπίος θαλάσσιος. SCORPIO MARINVS. CAP. XII.

MArini Scorpionis fel conuenit ad ſuffuſiones oculorum, albugines & hebetudines.



**Scorp. marini & Scorpenæ conſid.** CRedidere quidam marinum Scorpionem, & Scorpenam vocatam, nihil inter ſe differre, veruntamen hos piſces inter ſe differre haud infitiabitur, qui Plinij & Athenæi autoritate nitatur: vterque enim ad inuicem diſtinxit illos. Porrò vterq́ in dorſo ſpinam gerit venenatam, qua imprudentes piſcatores ſæpius icit: neq́ iam defuerunt, qui eius ictu ſint interempti.

*[...]tempti. Proinde exiſtimarunt nonnulli, ictuum ſimilitudine falſi, inter Scorpenam, & marinum ſcorpionem nullum prorſus intereſſe diſcrimen. Atqui Scorpio ſpinas quoq; in capite habet, quæ prædictis non ſunt minus venenoſæ. Cæterùm Scorpio, & SCORPENA (vt equidem arbitror) eiuſdem ferè generis ſunt, ſed in ſpecie & forma pulpaq; præſtantia (vt Athenæus eſt author) inter ſe pluribus differunt. Siquidem Scorpius è pelagijs piſcibus eſt, ſcorpena longè maior; adeo vt ocFonas nouenasq; quandoq; ponderet libras. Scorpena verò piſcis eſt litoralis, ſcorpione multò minor. Scorpius item vniuerſo corpore rubet; cornua bina in capite gerit, ſed mollia: & acutos in ore dentes, minutulos tamen: Pinnis conſtat aculeatis,*

SCORPENA.



*tam his, quæ per medium excurrunt dorſum; quàm his, quas anteriore, & poſteriore parte gerit, ſed ijs tantùm aculeis icit, qui dorſo annectuntur: quorum tamen vis his, qui ſcorpenæ inſunt, imbecillior eſt. Hunc ſunt, qui vulgò vocent Peſce cappone, ſed in Hetruria maritimis quibuſdam locis vocatur Cerna.* SCORPENA *autem, quæ ſuũ apud omnes retinet nomen, dentes adeò acutos non habet: gerit tamen in dorſo aculeos ſcorpij modo, ſed eminentiores, ac duriores, nec vſque adeo pinnatos: in cæteris verò pinnis ijs omnino caret, præterquàm circa branchias, vbi duos prælongos habet aculeos, & nonnullos circa caput: corpore eſt in nigro vireſcente. Sunt tamen, qui indifferenter ſcorpium ſcorpenam vocent. Vinum in quo Marinus Scorpio necatus fuerit, hauſtum, iocinoris doloribus medetur. Nec minus ad id quoq; valere dicunt lapidem in eius capite inuentum, oboli pondere ſumptum. Cæterum Scorpij marini felle ex lana ſuppoſito, ſecundas & menſes elici certum eſt: quin etiam eodem incipientes ſuffuſiones oculorum, & albugines tolli, ex melle oleoq; illito, intermiſſis diebus. Adhæc trium Scorpenarum paruarum vſtarum cinis epotus, calculos exterit. Σκορπίος θαλάσσιος, Græcè: Scorpio marinus Latinè: Italicè Peſce cappone & Scrofano dicitur: Scorpena autem Scrofanello.*

Scorpenæ conſideratio.

Nomina.

Δράκων θαλάσσιος.

## DRACO MARINVS. CAP. XIIII.

DRACO marinus diſſectus, & apertus impoſitusq;, ſpinæ ſuæ ictus qua ferit, medela eſt.

DRACO MARINVS.



*VAriat auctorum ſententia in marini Draconis hiſtoria. Quandoquidem Alberto marinus draco ingens eſt beſtia, ſerpentis faciem referens, alis non amplioribus, quàm quæ ad natandum ſufficiant, ſed ob virium præſtantiam omnium aquatilium velociſſimus cenſetur: quapropter breui admodum tempore ingentia metitur maria. Quin & venenoſum eſſe animal, adeò vt quoſcunque piſces, vel alia quæcunq; animalia dente vulnerauerit, interimat. Piſcatorum præterea [...] captus, ſtatim vt in arenam ſeſe protrahi cernit, mira celeritate ſcrobem in litore fodit, qua ſe condere poſſit: hæc Albertus. Qui etſi ex Ariſtotele, et Plinio (vt opinor) tranſcribat, plura tamen addere videtur, quibus an multa ſit adhibenda fides, quid ſtatuam non habeo. Siquidem hoc animal Ariſtoteli tanta admiratione non præſtat, nec draco appellatur,*

Draconis marini conſ.

Serpentis marinæ, hiſt. ex Ariſtotele.

*ſed ſerpens, vt is poſteritatis memoriæ commendauit libro 9. cap. 37. de hiſtoria animalium his verbis.* SERPENS MARINA *colore, & corpore Congro proxima eſt, ſed obſcurior, atq; acrior: hæc ſi capta dimittatur foris, in arenam roſtro quam*

SERPENS MARINA.



Draconis marini hiſtoria ex Ariſtotele.

*primum adacto terebrat, ſubitoq; tota. Eſt ore acutiore hæc, quàm terreſtres. Et lib. 2. cap. 14. Sunt etiam (inquit) marinæ indigenæ ſerpentes terreſtribus ſimiles: niſi quod caput habeant congri. Et quidem genera earum plura ſunt, colore numeroſæ varietatis. Naſci eas non in altiſſimis gurgitibus certum eſt. De marino autem Dracone ſcribens libro octauo, cap. decimo tertio, de hiſt. anim. Draco marinus, inquit, piſcis eſt litoralis quemadmodum dentex, ſcarabeus, cernua, aurata, mugil, mullus, turdus, pulcher, gobius, atq; alÿ complures, & omne ſaxatile genus. Meminit quoq; de eo Plinius libro trigeſimo ſecundo cap. ſeptimo, ſic inquiens: Extra has ſunt rotundæ in oleario vſu cochleæ, cucumis, cynopus, cammarus, cynoſdeſia, draco, quidam volunt eſſe dracunculum. Eſt autem graculo ſimilis, aculeos in branchÿs habet ad caudam ſpectantes. Huic ſane non parum correſpondere videtur, quem Veneti Piſcatores, quin etiam Tergeſtini, & Aquileienſes vocant peſce Ragno, Itali verò Traſcina. Quippe qui inter litorales, aculeos circum branchias habeat caudam verſus ſpectantes, & alios in dorſo adeò venenatos, vt ab eo icti, niſi curam admiſerint diligentem, vel doloribus intenſiſſimis crucientur, vel moriantur. Itaq; & is videtur Plinio fuiſſe Draco, quē libro nono cap. quadrageſimo octauo ipſe araneum quoque vocauit: cum inquit: Atq; peſtiferum animal Araneus, ſpinæ in dorſo aculeo noxius: præſertim cum libro trigeſimo ſecundo, cap. vltimo, inter litorales piſces, & mari magis peculiares, non aliter araneum recenſere videatur, quàm draconem Ariſtoteles.*

Plinius Serpentem marinam, cum Dracone cōfundit.

*Cæterùm is libro nono, capite vigeſimo ſeptimo, Serpentem marinam, de qua ſuperius ex Ariſtotele diximus, draconem quoq; vocat, & vtriuſq; hiſtoriam errore manifeſto confundit, ſic inquiens: Rurſus draco marinus captus, atq; immiſſus in arena, cauernam ſibi roſtro mira celeritate excauat. Id quod Ariſtoteli marini draconis non eſt, ſed marinæ ſerpentis. Quibus apertiſſimè conſtat, Plinium aut negligenter hoc in loco Ariſtotelem legiſſe, aut eius lectionem haud rectè intellexiſſe. Nec ſanè quiſpiam Plinium excuſabit, qui dixerit draconem marinum in arenam immiſſum, perinde ac ſerpens illa, roſtro ſibi cauernam fodere, quandoquidem cum nullo roſtri mucrone ſit inſtitutus (vt rectè vir doctiſſimus Saluianus inquit) ſed obtuſo quidem ore habeatur, nulla prorſus conſentit ratio, vt cauernam in arena ſibi tam facilè excauare*

Rondeletio non ſubſcribendum.

*queat. Itaq; Matthiolus non tam leuiter Rondeletio ſubſcribit, qui hoc Plinÿ erratum haud animaduertens. Præterea, inquit, quod de Dracone ſcripſit Plinius, id in araneo noſtro (araneus illi Draco marinus eſt) quiuis experiatur, qui piſcium capturæ intereſſe voluerit. Captum enim araneum arena ſemper ſe obuoluentem cernet. Atqui aliud, mea quidem ſententia, deſignat Plinio, roſtro in arenam immiſſo cauernam ſibi mira celeritate excauare draconem: aliud verò Rondeletio, in arena ſe obuoluere, vt fere cæteri faciunt piſces, qui viui è retibus in litus à piſcatoribus deuoluuntur. Quare non abſq; iniuria in Matthiolum inuehitur (illum tamen non nominat) cum dicit abſurdam eſſe illius opinionem, qui in Dioſcoridem commentaria ſcripſit, quod ſcribat is non eundem eſſe Plinÿ, & Dioſcoridis marinum Draconem. Sed hanc iniuriam ÿs refellendam, imò potius ægrè ferendam relinquo, qui hoc loco Rondeletÿ viri alioqui doctiſſimi negligentiam in examinanda Plinÿ lectione facilè cognoſcent. Non video ſanè, quo pacto Draconem lib. nono cap. vigeſimo ſeptimo à Plinio deſcriptum facere legitime poſſit Rondeletius Dioſcoridis Dracone minimè differentem, cùm ibi nil aliud deſcribat Plinius, quàm ſerpentem marinam Ariſtotelis. Cæterùm marinæ ſerpentis imaginem, primus (quod viderim legerimq;) ad amuſſim delineatam edidit Hippolytus Saluianus, medicus doctiſſimus, in pulcherrimo ſuo de piſcibus volumine, vnde nos hanc, quam pinximus, accepimus:* Δράκον θαλάσσιος *Græcè: Italicè, Traſcina: Gallicè Vive dicitur.*

Σκολόπενδρα. SCOLOPENDRA. CAP. XIIII.

SCOLOPENDRA marina in oleo decocta ſi illinatur, auellit capillos: ſed contactu pruritus facit.

Scolopendræ conſideratio.

*Scolopendra marina animal eſt non magnum. Scribit de ea Ariſtoteles lib. ſecundo cap. 14. ſic inquiens. Marinæ Scolopendræ terrenis ſimiles ſunt, magnitudine tamen paulo inferiores: gignuntur in ſaxoſis locis: colore magis rubro, pedum numero terreſtres ſuperant, ſed cruribus ſunt gracilioribus. Serpentum more non altis gurgitibus naſcuntur. Hæc ille. Quibus haud parum adſtipulari videntur, quæ à Rondeletio in ſuo de piſcibus libro pinguntur: ac etiam à nobis quoq; ex illius codice huc tranſlatæ ſunt, vermium terreſtrium figura, & numeroſis, tenuibusq; vtrinq; pedibus ſtipatæ. Verùm ab his longè differt marina Scolopendra, quam mihi dono dedit Conſtantinopoli allatam Clariſſimus Augerius de Busbecke, qui ſuperioribus annis apud Turcarum Imperatorem pro Cæſare Ferdinando oratorem egit. Hanc ego legitimam eſſe marinam Scolopendram cenſeo, ideoq; eam hic excudi volui, vt aliorum quoq; ſit iudicium. Ariſtoteles lib. nono cap. trigeſimo de hiſtoria animal. Quæ autem, inquit, centipeda appellatur, vbi hamum deuorauerit, euomit foras ſua interiora, nec hamum reÿciat, non recipit intro. Id quod etiam ſcribit Plinius libro nono cap. quadrageſimo tertio. Sed hæc fe-*

ri in

SCOLOPENDRA.



SCOLOPENDRA MARINA, RONDELETII.





*tiim tam exiguo animali, quod pro marina Scolopendra pingit Rondeletius, vix credibile videtur, cum tam exiguo ſit ore, & anguſto, vt hamum quantumuis tenuem deglutire nequeat. Quo fit, vt omnino adducar ad credendum, noſtram hanc legitimam veramq́; eſſe Scolopendram: id enim adeò manifeſtum facit vniuerſa eius effigies, vt omni prorſus iudicio eum carere putem, qui aliter ſenſerit.*

## Νάρκη. TORPEDO. CAP. XV.

MArina Torpedo diuturnis capitis doloribus admota, cruciatuſ vehementiam mulcet: eadem appoſita euerſam ſedem, prociduamq; coercet.



Torpedinis conſideratio.

*Torpedo in cartilagineorum planorumq; piſcium genere ab auctoribus recenſetur, perinde ac raia, leuiraia, rhombus, ſolea, paſtinaca, & alia id genus plura. Corporis facies, ſi caudam abſcideris, orbicularis fuerit. Caput adeò inter ſcapulas contractum eſt, vt ipſius nullum veſtigium appareat: Oculos tamen habet anterius, ſuperiori parte, ſed exiguos, citra hos paulò foramina duo ſemicirculi effigie, quæ perpetuo reluſa ſpectantur. Os habet ſupina parte haud amplum, minutis intus dentibus. Lingua illi nulla, os præcedunt foramina duo, quæ olfactus gratia nata videntur. Eadem in parte, (vt author eſt Ariſtoteles libro ſecundo cap. decimotertio de hiſt. anim.) Branchias vtrinque quinas habet, ſed exiguas & arcuatas. Excrementorum meatus ima corporis parte ſuum habet locum: prope caudæ exortum, quæ illi breuis eſt, ſed carnoſa, & in latam deſinens pinnam. In caudæ dorſo duas quoque pinnas habet, ſed prior altera maior, quinetiam ad caudæ ipſius exortum binas gerit, vtrinque vnam, latiores ſemicirculareſq;, de quibus tantum libro quarto, cap. decimotertio de partibus animalium, meminit Ariſtoteles, cæteris ſilentio prætceritis. Atqui haud rectè eodem in loco eundem de Torpedinis cauda ſcripſiſſe iudico, cum Torpedini non ſecus ac Paſtinacæ, cæteriſq; cartilagineis, longam, ſpinoſam, rigidamve caudam tribuat. Corpus totum molli ac leui cute contegit. Supina parte albicat, ſed prona flaueſcit, vinoſo ferè colore. Dorſo non omnibus eadem facies: ſiquidem aliquibus quinque ſunt in dorſo maculæ nigræ orbiculareſq;, oculorum ferè effigie, pentagoniq; figura diſpoſitæ. Vnde illi nomen, Romanis occhiatella: Alijs eadem ferè viſuntur maculæ, ſed non vt in primo genere nigræ. Sunt enim circulis verſicoloribus pictæ, nota quadam in medio exiſtente, quæ oculi pupillam quadantenus refert. Nonnullis hæ maculæ deſunt, ſed minores, minutiores ac numeroſæ in toto dorſo diſperſæ ſpectantur: quibuſdam verò nullæ prorſus apparent, dorſo tantum flaueſcente. Cæterùm, etſi præſcriptis notis Torpedines diuerſo eſſe genere videantur, non tamen in ijs variat torporis inducendi facultas: namque omnibus eadem eſt. Torpedo viuum parit animal ouis prius intra ſe genitis, vt cætera ferè cartilaginea, & adeo prolifica eſt, vt ſcripſerit Ariſtoteles, Torpedinem viſam eſſe grandem, quæ intra ſe fœtus circiter octuaginta haberet. Tanta huic vis peculiaris ineſt, vt retibus capta, antequam manu attingatur, & manus & lacertos piſcatoris ſtupore non modico afficiat: id quod etiam fit, ſi capiatur hamo. Talis namque huius facultas per ſetas & haſtam inſenſibili quodam modo permeans, ad manum piſcatoris tandem tranſuecta, celeriter torporem inducit. Idcirco Galenus lib. 6. de locis affectis: Ea (inquit) potentia torpedo prædita eſt, vt ſi fuſcina attingatur à piſcatore, tranſmiſſa qualitate per haſtam ad manum, eam repentè obſtupefacit. Idem poſtea retulit Plinius lib. 32. cap. 1. ſic inquiens. Torpedo etiam procul, & è longinquo vel ſi haſta, virgave attingatur, quamuis prævalidos lacertos torpeſcere facit, & pedes quamlibet ad curſus veloces alligat & retinet. Et lib. 9. cap. 42. ita ſcribit: Nouit torpedo vim ſuam: ipſa enim non torpens, merſaq; in limo ſe occultat, piſces, qui ſecuri adnatantes obtorpuere, corripiens. Quod ante ipſum prodiderat Ariſtoteles lib. 9. cap. 37. de hiſtoria animalium ſic inquiens: Torpedo piſcis, quos appetit, afficit ea ipſa, quam in ſuo corpore continet, facultate inducendi torporis, atq; ita retardatos præ ſtupore capit & veſcitur. Abdit ſeſe in arena & limo, tum piſces, qui adnatantes obſtupuerunt, corripit. Quam rem pleriq; conſpectam à ſe retulerunt. Eſt enim pigra Torpedo ob pinnarum in corporis mole defectum, & cum piſcibus veſcatur, cumq; lento motu eos capere nequeat, aſtu illos capit, cuius rei indicio ſunt Mugiles, qui cum velociſſimi ſint, ſæpius in torpedinum ventriculis reperiuntur. Cæterùm proprietas hæc viuis duntaxat ineſt: nam ſi eadem in exanimatis perſiſteret, comeſtæ (veniunt enim frequenter in cibis) vniuerſum corpus ſtupidum redderent. Quamobrem Galenus lib. 11. ſimp. med. de ea ita ſcriptum reliquit: Sed & Torpedinem totam (dico autem animal marinum) capitis dolores ſanare capiti admotam, ſedemq; euerſam coercere, à quibuſdam eſt proditum: verùm ego cum vtrunq; eſſem expertus neutrum facere comperi. Eam igitur cum cogitaſſem, adhuc viuam eſſe applicandam, cui caput doleret (poſſe enim fieri, vt hoc medicamen anodynon ſit, hoc eſt, dolore liberet, ſimiliter alijs quæ ſenſum obſtupefaciunt) ita habere comperi, putoq; eum, qui primus eſt vſus, tali quapiam motum ratione vti agreſſum: hæc Galenus. Non deſunt authores, qui putent vim torpidam in Torpedine haud in toto corpore eſſe diffuſam, ſed in quibuſdam tantum particularibus eius corporis membris, ſed an hoc verum fabuloſumve ſit, haud facile fuerit aſſerere: ſunt tamen rationes, quæ illorum ſententiæ non parum refragantur. Venetijs piſcis hic ab effectu, vulgò Tremolo appellatur: ſiquidem membro ſtupefacto, ſubinde tremorem incutit. Romani verò (me quidem latet, vnde id nomen traxere) eundem vulgari nomine Batti potta & Fotterigia dicere conſueuerunt. Quæ* Νάρκη *Græcis, Torpedo Latinus nominatur: Arabibus Tead: Italis, Torpedine: Hiſpanis Hugia: Gallis, Turpilles.*

Torpedinis mira facultas. — Torpedinis vires ex Gal. — Nomina.

## Ἔχιδνα. VIPERA: CAP. XVI.

Viperinæ carnes ſi coctæ edantur, claritatem oculis afferunt: neruorum vitiis auxiliantur: increſcentes ſtrumas reprimunt. Detracta autem cute, caput caudaq;, quoniam carne vacant, amputari debent: quippe a commentitium eſt quod præcipitur, certam vtrinq; menſuram præcidi oportere. Reliquum verò corpus exemptis interaneis, elotum diſſectumq; diſcoquitur cum oleo, vino, ſalis exiguo & anetho. Aiunt iis, qui viperas eſitent, pediculos procreari, quod planè à veritate abhorret. Adiiciunt aliqui longam ſenectutem agere, qui eo cibo veſcuntur. Sal ex eis ad eadem conficitur, ſed inefficacior eſt. Viua autem vipera in fictile nouum demittitur, adiiciuntur ſalis, caricarumq; tritarum, ſingulatim quinque ſextarii, mellis cyathi ſex, mox fictilis operculum luto oblinitur, & fornacibus inſlatur, donec ſal in carbones redigatur, qui poſtea tritus in pulueris faciem reconditur. Plerunq;, vt ori gratior fiat, immiſcetur b ſpica, aut folium nardi, aut malabathri momentum.

a μυθῶδες. i. fabuloſa. b ναρδοστάχυος ἢ μαλαβάθρου φύλλου βραχέος. i. ſpicæ nardi, & malabathri folii parum, ita habet antiquus manuſcriptus codex.

Viperarum conſideratio.

*Iampridem cœptum eſt veras Viperas nanciſci in Italia. Earum enim partus eas indicarunt: quandoquidem recentiorum medicorum quidam Viperas ſummo ſtudio indagantes, vt Galeni more, hoc etiam æuo legitimam poſſent parare theriacam, inito conſilio cum his circumforaneis, qui ſerpentibus alendis quæſtum factitant, Viperas ipſas prægnantes ſunt conſecuti, quæ in capſulis concluſæ catulos peperere, quòd proprium Viperarum ſit animal edere, non quidem oua cæterorum ſerpentium more. Nec tamen propterea illud verum eſſe compertum eſt, quòd naſcentes Viperæ viſcera abrodant, occiſa parente, vt libro de theriaca ad Piſonem prodidit Galenus (ſi tamen is liber legitimus eſt) ex Nicandri auctoritate, & Plinius lib. 10. cap. 62. qui Ariſtotelis verba præterquam interpretari deprehenditur, à quo viperæ hiſtoriam ipſum accepiſſe liquido conſtat. Cuius ſententiam non tantùm explodit, quod experimento compertum eſt, ſed & Ariſtoteles ipſe: quandoquidem nuſquam dixerit, viperinos fœtus parentis viſcera, aut vterum abrodere, ſed quod qui tardius eduntur catuli (tardius enim ideo illi excluduntur, quòd vipera ſingulos ſingulis diebus parit) abrodunt membranã quandam, quæ in matris vtero obuol-*

Plinii lapſus.

## VIPERA.



re obuoluuntur, vt citius prodeant in lucem. Qua in re, vt hoc omnibus palàm ſit, ſic lib. 5. de hiſtoria animalium capite vltimo, ſonant Ariſtotelis verba. Τῶν δὲ ὄφεων ὁ μὲν ἔχις ἔξω ζῳοτοκεῖ· ἐν αὑτῷ πρῶτον ᾠοτοκήσας. τὸ δ' ᾠόν, ὥσπερ τὸ τῶν ἰχθύων, μονόχρουν ἐστὶ, καὶ μαλακόδερμον. τὸ δὲ κύημα ἄνωθεν περιγίνεται, καὶ οὐ περιέχει ὀστρακῶδες, ὥσπερ οὐδὲ τὰ τῶν ἰχθύων. τίκτει δὲ μικρὰ ἐχίδια ἐν ὑμέσιν, ἅπερ περιρρήγνυνται τριταῖα· ἐνίοτε δὲ καὶ ἔσωθεν διαφαγόντα αὐτὰ ἐξέρχεται. τίκτει δ' ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καθ' ἕν, τίκτει δὲ πλείω ἢ εἴκοσιν. Vipera è ſerpentibus animal edit, cùm intra ſe primùm oua pepererit. Ouum hoc vnius coloris, & molli cute contectum, vt piſcium eſt. Fœtus supernè gignitur, nec duro cortice continetur, ſicut nec piſcium quidem. Parit paruas viperulas membranis obuolutas, quæ tertia die rumpuntur. Euenit interdum, vt qui in vtero ſunt, abroſis membranis prorumpãt. Singulos diebus ſingulis parit, pluresq́; parit quàm viginti: hæc Ariſtoteles. Cuius ſententiam (vt dictum eſt) peruertens Plinius, vbi ei dicendum fuerat, quòd vltimæ viperulæ adhuc in matris vtero degentes, ſua abrodant inuolucra, anteaquam prorumpant, dixit cæteras tarditatis impatientes, perrumpere latera, occiſa parente. Porrò huic exploſæ ſententiæ etiam Philoſtratus refragatur: nam in vita Apollonij Tyanei narrat, Apolloniũ ipſum viuam, ac incolumen vidiſſe Viperã, quæ ſuos catulos nouiſſimè excluſos lingebat. Marſi præterea, qui ſerpentiũ domitores ſe prædicãt, quiq́; falsò ex D. Pauli proſapia ſe originẽ duxiſſe gloriantur, Viperã Maraſſo vulgò appellant, vtq; maiorẽ cum ſpectatorib. ineant gratiã, ſæpiſsimè viperinos dentes, longos, acuminatos, atq; mortiferos oſtentant, cõditos (vt Plin. inquit lib. 11. c. 37.) gingiuis, atq; mẽbranula quadã circũdatos, lethali veneno referta. Quin & viperarũ nuper editos fœtus oſtendunt, quos viperæ ſuis alunt in capſulis, quib. eas deferunt: nec tamen illi matris viſcera ſcindunt. Cæterùm q. viperæ primùm intra ſe oua pariant, mox animalia gignant, Theophraſtus quoq; auctor eſt libro 7. cap. 14. contra eos, qui ſecus ſentiunt. Viperæ (vt ſcribit Auicenna libro quarto, vbi de venenis agit) caput habent preſſum, latumq́; vbi ceruici annectitur quæ peculiariter illis tenuis eſt, nec corpore admodum ſunt longo, vt pote nec cauda. Ad hæc Galenus, cùm ſcriptis tradere vellet, quibus notis mares viperæ à fœminis diſtent, eo libro, qui de theriaca ad Piſonem inſcribitur, ſic inquit: Viperæ fœminæ ſubruſæ ſunt, & perquam agiles, ceruice elata: oculis ſubrubentibus, inuerecundis, atque intuitus feri: ijs caput latius, quàm mari, quem etiam excedunt vniuerſa corporis mole, earumq́; excernens meatus ſuum propius caudam obtinet ſitum. Mari duo tantùm inſunt canini dentes, fœminæ verò plures. Proinde igitur Nicander cecinit his verſibus.

Τοῦ μὲν ὑπὲρ κυνόδοντε δύω χροῒ τεκμαίρονται,
Ἰὸν ἐρευγόμενοι· πλέονες δέ τοι αἰὲν ἐχίδνης.

Hoc eſt ſoluta oratione.

Maſculi quidem ſuprà canini dentes duo colore notantur, venenum eructantes: at plures ſemper fœminæ inſunt. Illud insuper addiderim, Ariſtotelem memoriæ mandaſſe lib. 8. cap. 15. de hiſtoria animalium, quòd licet hyeme cæteri ſerpentes cauernas ſubeant terræ, viperæ tamen ſub ſaxis condantur. Ex quo palam eſt, Plinium hoc etiam loco non rectè intellexiſſe Ariſtotelem: quippe quòd tradiderit lib. 8. cap. 39. Viperam ſolam terra condi, cæteras arborum, aut ſaxorum cauis. Illud item reticuit Ariſtoteles, quod Plinius poetas ſecutus retulit, fœminam ſcilicet in coitu mari caput abrodere voluptatis dulcedine. Sed vt iam viperis vires ſuas, ac facultates reddamus, hic ea nunc referam, quæ de ijs lib. 2. ſimplicium medicamentorum, tum libris de antidotis pluribus poſteritatis memoriæ prodidit Galenus. Viperarum igitur carnes palam videre eſt excalfacientes & deſiccantes, vbi condiuntur ceu anguillæ, nempe oleo, ſale, anetho, porro & aqua, ſeruato nimirum modo. Quòd autem totum corpus per cutim purgent, diſcere tibi liceat vel ex ijs, quæ ego iuuenis etiamnum in Aſia noſtra ſum expertus: quæ ſingulatim deinceps narrabo. Homo quidam morbo, quem elephanta cognominant, laborans, aliquouſque cum ſodalibus conuerſabatur, donec ex ipſius conſuetudine conuerſationeq́; quidam noſtrum morbi inficerentur contagione: ille iam graueolens erat ac deformis. Constructo igitur illi tugurio proximè vicum, in iugo collis propter fontem, illic hominem collocant, tantum illi quotidie ciborum ferentes, quantum victui ſuppeteret. Cæterum ad canis exortum, cùm fortè meſſoribus haud procul metentibus vinum eſſet allatum in fictili ſanè quàm fragans, is quidem, qui attulerat, depoſito illo propè meſſores, abijt. Verùm vbi eius bibendi adueniſſet tempus, ſublato fictili adoleſcens, vt pro more impleto cratere, competente aqua vinum temperaret, in cratera vinum effundit, & vnà excidit vipera mortua. Qua re attoniti meſſores, veriti ne quod, ſi ebibiſſent, inde ſibi malum eueniret, ſuam quidem ſitim aquæ potione ſedare maluerunt. Cæterũ cum illinc diſcederent, quaſi præ humanitate ac miſericordia, homini illi elephanti obnoxio vinum largiuntur, rati expedire illi potius mori, quàm viuere in ea miſeria. At ille, vbi ex hoc bibiſſet, admirabili quodam modo ſanitati reſtitutus eſt: nam tuberoſum illud omne cutis totius non aliter, quàm animalium à teſtis mollitie nuncupatorum malacoſtracôn, tegmẽ decidit. Quantum autem reliquum erat, molle admodum apparuit, inſtar cutis cancrorum & locuſtarũ (carabos Græci vocant) vbi extima teſta exciderit. Alterum quoq; eiuſmodi non diſſimili caſu in Myſia, Aſiæ, non procul ab vrbe noſtra accidit. Vir quidam elephanto laborans profectus eſt ad aquarum calidarum ſponte naſcẽtium vſum, ſperans inde nonnihil ſe commodi adepturum: erat illi ſcortum ancilla iuuẽcula, ſanè formoſa, complurib. amatorib. ambita. Profectus igitur ille, cum aquis

Viperarum partus ex Ariſtotele.

Viperarum facies, & ſexus diſcrimẽ.

Plinij lapſus.

Viperinæ carnis vires ex Galeno.

cùm aquis vteretur, in ædibus, quibus vicinus erat locus ſqualidus, & viperarum plenus, fortè fortuna ex illis vna in vrceum vini incidit negligentius poſitum, extinctaq; eſt. Ac ſcortum quidem in lucro id reputans quod ſors eueniſſet, hero id vini propinat. Cæterùm ille, vbi ebibiſſet, ad eum modum, quo ille, qui degebat in tugurio, perſanatus eſt: hæc Galenus. Qui etſi alia è viperis experimenta ibidem ſcripſerit, vnde ſimiliter alij incolumes euaſere, vt eius firmior redderetur ratio, quod ſcilicet viperarum eſu elephantiaci ſanentur, attamen breuitati conſulentes, ea hoc loco ſilentio inuoluenda duximus. Verùm enimuero nil mirum alicui fuerit, Viperas ambas, quarum meminit Galenus, ſe tam facilè immerſiſſe vino: ſiquidem illis natura comparatum eſt, vt vino ſummopere delectentur. Quamobrem narrat Ariſtoteles libr. 8. cap. 4. de hiſtoria animalium, quod ideo viperas aliqui vino cum fictilibus ad ſepes diſpoſito venantur, quia vini incontinentes ſunt: ebriæ enim capiuntur. Id quod etiam dixit Dioſcorides in ſexti libri præfatione de venenis, venenatiſq; agens. Quinetiam viperæ (vt ad Piſonem ſcribit Galenus) bupreſtes & cantharides deuorant. Item Ariſtotelis teſtimonio libr. 8. cap. 29. de hiſtoria animalium, ſcorpium deuorari à vipera certum eſt: ob idq; (vt idem eſt auctor) eorum venenatorum morſus grauiores ſunt, quæ alijs animalibus venenatis veſcuntur: quod profectò faciunt viperæ. Hæ theriacen ingrediuntur; at non omnes, nec omni tempore captæ probantur. Proinde Galenus libro primo de antidotis rem hanc ſcitè & apertè declarauit, ſic inquiens: Viperas non vt aliqui faciunt, æſtate media, neq; ſtatim, vbi cauernas egreſſæ fuerint: æſtate ſiquidem earum caro ſitim excitat, ſtatimq; ab egreſſu frigida eſt, ſicca & extenuata. Optimum itaque tempus eſt, quod ijs medium intercedit, quod & Andromachus ipſe ſignificauit, quo tempore & qui Bacho ſacra faciunt, viperas dilacerare ſolent, vere quidem finiente, nondum tamen æſtate inchoata. Vel ſi ver ad magnam ſui partem hyemale fuerit; circa principium æſtatis, non multo tempore poſt pleiadum ortum. Viperas autem, quæ prægnantes ſunt, reijcere oportet, aliarum verò caput, ac caudam abſcindere: nam præterquàm quòd hæ particulæ virulentiores eſſe videantur, etiam duræ & parum carnis habent. Sufficit autem in magnis viperis, id quod vtrinq; amputatur, quatuor digitos æquare. Totum verò reliquum corpus, inteſtinis exemptis, pelleq; detracta, aquis primò abluendum, atq; in vas fictile conijciendum eſt: deinde aqua pura ſuperinfuſa viridiq; anetho (tunc enim viget) ollæ prunas vt coquatur ſubijcere conuenit: vel arida ligna, quæ, quòd fumum non emittant, ακαπνα vocant: vel quod melius adhuc eſt, vitium ſarmenta. Salis autem, ſiquidem ſuo tempore viperas ceperis, tantillum immittere oportet: ſin æſtate iam incipiente, nihil. Porrò obſeruandum eſt, ne illæ capiantur, quæ in maritimis locis, quæve in aliqua ſalſa aquarum lacuna degunt, antidotus enim quæ ex huiuſmodi viperis confecta fuerit, ſitim excitabit. Cum igitur Viperæ probè coctæ fuerint, ac ſi quis comedere vellet, eas ex aqua eximere oportet, deinde carnes ita à ſpinis auellere, vt nihil ex ſpinis ſimul auferatur: atq; his exquiſitè contritis, panis ex puriſſima farina optimoq; confecti, qui præcipuè & bene fermentatus ſit, & in furno, non ſub clibano coctus, modicum quiddam admiſcere. Nonnulli tamen in commiſcendo panem viperis hanc menſuram ſeruandam præcipiunt, vt panis pondus viperinarum carnium dimidio minus ſit. alij ne tertiam partem excedat malunt: ego vero quandoq; quartam, quandoq; & quintam panis impoſui. Cæterùm niſi probè coctus fuerit, periculum eſt, ne aliquid aciditatis medicamentum contrahat. At ſatius eſt, panem hunc ita coctum per aliquot dies loco aliquo ſicciori prius exiccaſſe. Verùm cùm viperas & panem coniunxeris, diligenterq; adeò ſubegeris, vt nulla viperinæ carnis particula non contuſa remanſerit, paſtillos ex ea maſſa conficito, qui tenues ſint: nam craſſi cùm difficulter ſicceſcere ſoleant, & carnem putrere, & panem aceſcere ſinunt. Quamobrem panem quoq; ante ſiccatum terere melius eſt, & non, quemadmodum ante nos qui Cæſari theriacam faciebant, viperarum iure maceratum: id quod ipſe quoq; diu feci, ſed mihi poſtea melius eſſe viſum eſt, panem antea contritum viperarum carnibus exactè iam ſubactis admiſcere: citius namq; paſtilli ſiccantur, qui ſiccum panem, non madidum acceperint. Sit autem cella, in qua paſtillos ſiccabis in ſuperiori domus parte ad meridiem conuerſa, vel ſaltem ad ſeptentrionem non reſpiciat, vt ſolis radios tota penè die admittat: tali enim in loco commodè ſicceſcent. Statim vbi fuerint conformati, ea parte collocentur, qua ſolares radij peruenire non poſſint. Frequenter autem ipſos conuertere opus erit, vt æqualiter vtraq; ex parte ſicceſcant: quod facere ſi quis omiſerit, ſuperior quidem pars celeriter areſcet, inferior autem humida diutius permanebit, periculumq; erit ne marceſcant. Poſtea verò quàm exiccati fuerint, maneant adhuc aliquot diebus eadem in cella longius, quàm prius à ſolis radijs, ſæpeq; denuo conuertantur. Sufficient autem ad hæc omnia quindecim dies ad ſummum, poſt quod tempus donec theriacam conficere volueris, recondi debent in vaſe ſtanneo aut vitreo, aut etiam aureo. Vitrum ſiquidem, & aurum nullam fraudem admittit: ſtannum autem plumbi miſtura adulteratur, quod vitare conueniet, non ſolum in hac, ſed & in quibuſcunq; alijs antidotis: quemadmodum & argentum, ſi purum non fuerit: vaſa namq; ex eo fabricata celerrimè rubiginem contrahunt, purum autem argentum, Romani candidum vocant. Cæterùm longè melius eſt, haud multo poſt, quam paſtillos confeceris, ipſis vti: quanquam non multum detrimenti capiunt, etiamſi peracto anno, atq; etiam multo poſt, eis vtaris. Rectè namq; à principio ſiccati, ad tertium quartumq; annum integri perſeuerant, dummodo tamen aptè reponantur, & ſubinde puluiſculus quidam, qui ipſis obnaſci cõſueuit, mundis linteis interdum abſtergatur. Is namq; ſi diutius inhæreat, paſtillos perforabit. Perſpicuum eſt autem eos inutiles euadere, qui perforati fuerint, quemadmodum antequam hoc ipſis accidat, etiamſi multum tempus interceſſerit, vtiles permanent. Hæc Galenus de conficiendi paſtillos vipereos ratione, quò optimi & præſtantiſſimi habeantur. Cæterùm illud Dioſcoridi ridiculum videtur, quod qui viperas eſitent, pediculos procreent. Cui tamen reclamat Galenus lib. 11. ſimplicium medicamentorum, vbi id certò ijs euenire aſſerit, quibus plurimum mali ſucci in corpore exuperat. Narrat Plinius lib. 30. ca. 3. quòd Antonius Muſa Cæſaris Auguſti medicus cùm incidiſſet in inſanabilia vlcera, viperas edendas dabat, miraq; celeritate perſanabat. Quare non demirabor Cardanum viperarum carnes mirum in modum prætuliſſe ad eos perſanandos, qui tabe afficiuntur, & pulmonum vlceribus laborant. Namq; quodam in conſilio ad Ioannem Scotum Archiepiſcopum S. Andreæ ita de eis ſcribit: Dicam tibi ſecretum maximum, liberans à tabe, elephantiaſi, & morbo Indico, atq; præter omnium ſpem impinguat & ſanat etiam deploratos. Sumito itaq; viperam illam rubram, craſſam & breuem, quam Itali appellant Milort, & abſciſſis capite & cauda, detractoq; corio, & exemptis inteſtinis, & pinguedine per ſe aſſeruata, viperam ipſam diſſecato plures in partes anguillarum modo: coquitoq; deinde in aqua cum belzoino & ſale, additis etiam paulò poſt petroſelini vulgaris folijs: cum autem excocta fuerit, [illegible]us linteolo percolato, ac ex eo gallinaceum pullum iuuenculum coquito, ac panem ſubinde ipſo iure maceratum, cum pulli carnibus edendum præbeto: & interim cum aſſeruata pinguedine dorſi ſpinam, cæterorum membrorum articulos, & pulſantes manuum pedumq; arterias, quin & pectus ipſum inungito. Interim verò in vaporario calido maneat affectus, atq; id repetat diebus ſeptem continuis. Hoc enim auxilio pulmonum vlcera ad extimam cutem expelluntur excitatis ibi tuberculis: interna verò vlcera ſanantur, & ægri bellè reualeſcunt: hactenus Cardanus. Qui tamen non parum cæcutiſſe videtur in hac vipera deſcribenda, namque plurimum à vipera ſerpentem diſtare ſcimus, quam Mediolanenſes, ac cæteri Inſubres Milort appellant. Siquidem hæc omnium innocentiſſima ſerpens eſt, & domibus plerunque familiaris: illa verò contra, cùm morſu facilè de-

Viperæ vino delectantur.

Viperarũ venatio & earũ paſtilli.

Viperarum vires aduerſus tabem.

*cile demerſos perimat. In Aegypto Aegyptios ipſos viperis, aliiſq; ſerpentibus ſimiliter atq; anguillis victitare prodidit Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus. Quibus item eos veſci traditum eſt, qui occidentales, nouiterq; repertas Indias incolunt, perinde ac ij, qui orientales inhabitant, vt libro 7. auctor eſt Plinius. Cinis ex viperea pelle factus, capiti aſſiduè aſperſus, alopeciæ fœditates aufert. Viperæ totius cinis, quæ viua in vas nouum fictile coniecta fuerit, additi ſucci fœniculi vncijs duabus, & thuris grumo, & deinde cooperculo argilla circumlito tecta, & in fornace combuſta oculorum hypochiſes & caligines potenter tollit, collyrijs adhibitus aut per ſe tantum. Viperæ caput linteolo colligatum & collo ſuſpenſum, magnum ſanè amuletum eſt contra anginas, quippè non ſolùm iam factas ſanat, ſed ne fiant prohibet. Vipera ita Latinis dicta Græcis ἔχιδνα vocatur: Arabibus Labane alſahay: Italis Vipera: Germanis* Brandtſchlangen: *Hiſpanis Biuora & Bicha: Gallis Viperes.*

Aegyptiis viperæ cibus.

Γῆρας ὄφεος.

## SENECTA ANGVIVM. CAP. XVII.

SEnectus anguium in vino decocta dolori aurium, infuſu; & dentium, collutione auxilio eſt. Addunt eam in medicamenta oculorum, ſed præcipuè viperinam.

### SENECTA ANGVIVM.



N*Vlli non cognita anguium Senecta: quippe quæ ſæpe in campeſtribus inter ſaxa & ſtirpes inuenitur. De hac cum dißereret Ariſtoteles lib. 8. de hiſtoria animal. cap. 17. ſic inquit: Serpentes ſenectam exuunt tum vere cum egrediuntur, tum etiam autumno. Vipera etiam exuit tam vere quàm autumno. Cum ſerpens exuere incipit, ab oculis primùm detrahi aiunt, ita vt obcæcari videatur ijs, qui rem non intelligunt: tum caput exuitur: glabrum enim hoc omnium antequam reliquum corpus, apparet: atq; vna ferè nocte & die ſenectus tota exuitur à capite orſa ad caudam: & cute altera intus ſubnaſcente, ipſa remouetur. Vt enim fœtus inuolucro ſecundarum, quo contentus prodierit, exuitur: ſic iſta ſenecture detracta renouantur. Porrò de ea nil aliud memoriæ prodidit Galenus lib. 11. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, quàm quòd in aceto decocta dentium dolori medetur. Marcellus tamen empiricus anguium ſenectam vulſis commendat, ſi ijs licio alligetur. Eandem quoq; prætulit, ad cœliacos, in roſaceo prius decoctam in ſtanneo vaſe, & deinde ventri impoſitam. Γῆρας ὄφεος Græcè: Senecta anguium, Latinè vocatur: Alchalba & Selach albaie, Arabicè: Spoglia delle Serpi, italicè:* Schlangenbalck *Germanicè: Pelle de la culebra, Hiſpanicè.*

Senectæ anguium conſideratio.

Nomina.

Λαγὼος θαλάσσιος καὶ χερσαῖος.

## LEPVS MARINVS ET TERRESTRIS. CAP. XVIII.

LEpus marinus loligini paruæ ſimilis eſt: qui per ſeſe tritus, aut cum a vrtica marina illitus capillos euellit. Terreſtris leporis inaſſatum cerebrum manditur, iuuandis tremoribus, qui valetudine contracti ſunt: affrictu aut cibo facilem infantibus dentitionem præſtat: exuſtum caput, & cum adipe vrſino aut aceto illitum, alopeciarum inanitatibus medetur. Leporinum coagulum poſt triduum à concubitu potum, conceptum adimere, partuſq; ſpem intercipere proditur: vuluæ & alui fluorem ſiſtit: comitiales iuuat: contra venena ex aceto bibitur, præſertim aduerſus concretum lac & viperarum morſus. Sanguis eius ſi calidus illinatur, vitia cutis in facie, vitiliginem lentigineſq; ſanat.

a ἀκαλήφῃ, cum vrtica ſimpliciter, non cũ vrtica marina vt Ruellius, Marcellus & Cornarius vertũt. Ita enim habent omnia exemp.

M*Arinus Lepus (vt nonnulli memoriæ prodidere) ſic primùm appellari cœpit, quod terreſtris leporis faciem referat. Quapropter hæc de eo à Plinio produntur lib. 9. cap. 43. Lepus, inquit, qui Indico mari naſcitur, etiam tactu peſtilens, vomitum, diſſolutionemq; ſtomachi protinus creat. In noſtro offa informis, colore tantùm lepori ſimilis: in Indis & magnitudine, & pilo duriore tantùm, nec viuus ibi capitur: hæc Plinius. Ex quibus facilè conijci poteſt, Dioſcoridem potius de noſtratium marium Lepore intellexiſſe, quàm de ijs, qui in Indico innatant pelago, argumento quòd paruæ loligini ſimilem marinum leporem reddiderit. At Aeliano marinus lepus cochleæ exenteratæ ſimilis habetur, cui ſane is, cuius imaginem hic primo in loco ex Rondeletio appinximus, illi haud parum ſimilis videtur. Huic color in dorſo eſt ex rufo nigreſcens: caput habet deforme, cuius alterum cornu Libella, quam Græci ζυγαίναν vocant, ſimile cernitur: alterum*

Leporis marini conſid.

verò

## LEPVS MARINVS I.



verò mutilum eſt, foramine apparente, per quod proceſſum quędam carnium exerit ac retrahit adeò, vt linguæ ferè imaginem exprimat. In horum medio oris rima viſitur. Os habet in dorſo perinde ac Sepia, ſed tenui[illegible] [illegible] Intus & cornicula duo mollia, cochlearum modo citra capitis ſedem, ſed breuiora & reſciſſa. Atramento refertus eſt, vt loligines, quibus quoq; internis viſceribus omnibus ſimilis habetur. Eſt & alterum genus grandius atq; exterius à præſcripto differens. Siquidem a[illegible]riore parte appendices duas habet latas carnoſasq;, ore in medio repoſito. Inferius paulò cornicula

Leporis marini alterum genus.

## LEPVS MARINVS ALTER.



quoq; duo prominent, ſed breuiora quàm in altero & acutiora: oſſe hic in dorſo caret, cætera Sepiæ ſimilia ſunt, atq; viſceribus loliginem quoq; refert, quemadmodum atramento. Pernitioſum valde Lepus marinus animal eſt, lethaliq; veneno refertus, adeò vt deuoratus interimat, & conſpectus à prægnantibus abortum faciat, ingenti excitata prius nauſea. Ideoq; rectè Plinius ſcripſit lib. 32. cap. 1. Lepus marinus venenum eſt, alijs in potu, aut in cibo datus, alijs etiam viſus, ſiquidem grauidæ ſi omnino aſpexerint fœminam ab eo genere duntaxat, ſtatim nauſea & redundatione ſtomachi vitium fatentur, & deinde abortum faciunt. Cæteræ moriuntur totidem diebus, quot vixerit lepus, incertiq; temporis veneficium id eſſe, autor eſt Lycinius Macer: hæc ille. Tetrum & piſculentum odorem ſpirat marinus Lepus, nec alibi degit quàm in limo & ſordibus. Albertus auctor eſt, tertium Leporis marini genus reperiri, communi piſcium magnitudine, ſed capite lepori non abſimili, dorſo ruſeſcente, eſculentum: tametſi à nonnullis explodatur, vtpote quod & concoctu contumax ſit, & elephantiaſim gignat. Dioſcoridi marinus lepus præſtat tantum illitus ad euellendos pilos. Plinio præſtat quoq; ad ſtrumas ſi imponatur, & celeriter amoueatur. Idem (vt Marcellus empiricus eſt author) aut eius ſanguis cum oleo tritus, euulſos pilos renaſci prohibet. Verùm ſi renaſcantur, adeò molles futuros dicit, vt ſi iterum euellantur, & poſthac illinatur locus, haudquaquam eos renaſcituros. Cæterùm TERRESTRIS Lepus notiſſimum animal eſt, & curſu velociſſimum. Solùm hoc inter cætera terræ animalia, quæ vtrinque dentata ſunt (vt ſcriptum reliquit Ariſtoteles libro tertio de partibus animalium, capite decimo quinto) & quæ vnicum tantum continent ventrem, coagulum habet. Sunt & lepores albi, quales etiam Plinius libro 8. cap. 55. refert in alpibus inueniri. Hi hyberno tempore admodum albicantes in ſummis vallis Ananiæ montibus frequentes reperiuntur, eo præſertim tempore, quo[illegible] niuibus altiſſimis veſtiuntur: qui tamen adeò magni non ſunt, nec ita in cibum parati cum palato ineunt gratiam, vt qui in campeſtribus capiuntur. Cæterum candidi hyeme tantùm conſpiciuntur, nam liqueſcente niue ſubrubeſcunt, quemadmodum & cæteri. Cuius rei indicio ſunt illi, qui cùm non perfectè priores pilos exuerint, partim candidi, partim ſubrutili viſuntur. Lepores apertis oculis dormiunt, nec (quæ ſua maxima timiditas eſt) alio quàm fuga ſe tutari ſciunt. Huic ſoli pilos in bucca intus[illegible] ſub pedibus eſſe adnotauit Ariſtoteles lib. 3. de hiſtoria animalium, cap. 12. Archelaus auctor eſt, cui etiam ſententiæ [illegible]

Lepus marinus venenũ.

Leporis terreſtris conſideratio.

Vana opinio lepores æquè gignere.

riqui

rique ſubſcribunt, Leporibus vtranque ſexum, & vtramque gignendi vim ineſſe, & omnes lepores æquè gignere, ac ſi eſſent Hermaphroditi. Verùm inualuit falſa hæc opinio, quòd crediderint homines tumores binos in inguinibus vtriuſque ſexus prominētes, teſticulos eſſe. Atqui hi teſtes non ſunt (vt in Caſtore inferius dicemus) ſed folliculi glandulæ faciem referentes, qui meatum intus habent obliquum, è quo liquor quidam effluit, perinde ac è Caſtoris folliculis, quos omnis ſuperior ætas

LEPVS TERRESTRIS.



falſò teſticulos putauit. Hos quoque, quinimmo & vulgus vniuerſum, hæc in opinione confirmauit, quòd viderint, Lepores, quanquam plurimi quotidie capiantur, etiam quodammodo fœcundiùs procreare. Veruntamen id non euenit, quoniam mares ipſi pariant, ſed quia (teſte Ariſtotele libro 6. de hiſtoria animalium, cap. 33.) ſuperfœtant, dum adhuc vtero gerunt, ſimiliterque ſtatim à partu concipiunt, ita quòd ſingulis menſibus generant. Sed fœtus edunt non vniuerſos: interpoſitis enim diebus, quot res tulerit, peragunt partionem: vnde tam innumera fœcunditas: nam etſi fœmina lac nuper natis præbeat, nil tamen prohibet, quin eadem repetat coitum, & lactans gerensq́ue vtero, denuo concipiat fœtum. Mares (vt loco citato idem prodidit Ariſtoteles) auerſi coëunt cum fœminis: retro enim ijs genitale membrum à natura datum eſt, vt apparet, dum vrinam reddunt. Ex quo etiam multis perſuaſum eſt, mares fœtum concipere, ſiquidem cognitu perquàm difficile eſt, an mares, an fœminæ ſint, vt etiam cuniculis contingit: qui cum fœcundius etiam prolificent, quàm lepores, non ob id tamen mares vnquam parere viſi ſunt, quamuis quolibet menſe fœminæ pariant. Tradit Plinius lib. 11. cap. 37. bina iecinora Leporibus ineſſe circa Briletum, & Thernem, & in Cherroneſo ad Propontidem: at translatis aliò alterum ſtatim abſumi. Id quod ante ipſum memoriæ prodiderat Ariſtoteles libro 2. de hiſtoria animalium, cap. 17. Item libro 3. de partibus animalium, cap. 7. vbi hoc Leporum genus pluribus in locis reperiri teſtatur, ſpeciatim verò in Sycino agro, circiter Bolbam lacum. In Ithaca inſula (vt idem tradidit libro 8. de hiſtoria animalium, cap. 28.) Lepores ſi aliunde illati dimittantur, viuere nequeunt: ſed eodem reuerſi, vnde maris introierint inſulam, moriuntur. Leporinæ carnes in cibis eſitatæ præter id quòd ægrè concoquuntur, craſſum atrabilioſumque generant ſuccum. Veruntamen (vt inquit Raſis libr. de 60. de animalibus) dyſentericis conferunt, ſi aſſatæ ſumantur. Iecur verò arefactum, iecinoroſis vtiliter exhibetur potandum. Integer cum pelle Lepus, operculato fictili impoſitus, in clibanoque igne ſuccenſo tamdiu dimiſſus, vt penitus exuratur, vrinæ vitijs mirificè opitulatur, adeò vt calculos eijciat, tam in renibus quàm in veſica genitos. Leporinum fel ſaccharo exceptum, oculorum argemas nubeculasq́ue delet. Leporinum ſtercus (vt aiunt) mulieribus geſtatum, conceptum impedit. Sed illud experientia compertum eſt, quòd vuluis earum immiſſum, & menſium defluxiones cohibet, & humentem exiccat vterum. Renes crudi, præſertim adhuc calentes deuorati, auxiliantur mirificè calculoſis, quin etiam cocti idem præſtant. Pulmo autem frequenter adhibitus, attritos ex calciamentis pedes ſanat: eiuſdem teſticuli ijs ſalubriter manduntur, qui veſicæ moleſtijs laborant. Leporinus ſanguis adhuc calens, cum hordeacea farina decoctus ac deuoratus, dyſentericorum profluuium illico ſiſtit. Ad idem quoque valet Leporinus fimus potus. Idem atque pili, qui ſub ventre habentur (vt Marcellus eſt author) cum melle decocti, & fabæ quantitate frequenter deuorati, rupta inteſtina conglutinant, etiam ſi læſio in gracilioribus fuerit inteſtinis, verùm aſſiduè hoc medicamento vtendum eſt, donec periculum omne tollatur. Pili leporini vſti, ſanguinem vndequaq́ue fluentem ſiſtunt, peculiariter autem ad fluxum ſanguinis narium ij valent, qui è ventre viui Leporis euulſi fuerint, ſi in nares intromittantur. Sunt qui ſcribant, eos ventriculi doloribus affici nunquam, qui leporinum Talum ſecum portauerit: ſed hæc ſuperſtitioſa ſunt, quanquam non omnino reijcienda. Animal λαγὼος θαλάσσιος Græcis, Lepus marinus Latinis nominatur: Italis Lepre marino. Quod vero λαγὼος χερσαῖος Græcè Lepus terreſtris Latinè dicitur: Arabicè Arnebetri: Italicè Lepre terreſtre: Germanicè Haſe: Hiſpanicè Lieure: Gallicè item Lieure.

Leporibus bina iecora.

Nomina.

Τρυγὼν θαλάσσια. PASTINACA MARINA. CAP. XIX.

MArinæ Paſtinacæ radius, qui eius cauda enatus aduerſis ſquamis reflectitur, dentium dolorem mitigat, nam eos frangit & euocat.

PAſtinaca marina ſimiliter atq́ue Raia, & alia id genus, in piſcium planorum, & cartilagineorum genere collocatur. Hanc Veneti Peſce colombo, Romani Bruco appellant. Duo eius vidimus genera, aliarum, cuius vnus tantùm aculeus caudæ ineſt: alterum, cui duo. Poſtremam hanc aquilam quidam eſſe cenſent. Verùm cum Aquila vno tantum aculeo ſit munita, nec parum capitis figura, & caudæ longitudine à Paſtinaca differat, piſcatorū ſententijs ego potius acceſſerim: quippe

Paſtinacæ piſcis conſid.

PASTINACA MARINA.



*quippe qui dum Iſtriæ litora perluſtrarem, Paſtinacas nonnullas mihi obtulerunt, quarum aliæ vnico, aliæ gemino aculeo armata ſpectabantur, has mares, illas fœminas appellantes. Sed mirum dictu, quàm acriter feriant Paſtinacæ. Aculeos enim robuſtos admodum habent, vtrinq; minutis dentibus, ipſisq; aduncis ſerræ in modum exciſis, quorum veneno ditius piſcatores grauiter afficiuntur. Quam ob cauſam memoriæ prodidit Aëtius lib. 3. quòd qui à marina Paſtinaca percuſſi ſunt, his vulneris locus manifeſtè apparet: Sequitur autem dolor pertinax, & totius corporis ſtupor: acutum enim, & firmum habet aculeum, quo vehementiſſima vi in altum impulſo nerui ſauciantur: quapropter in aliquibus mors derepente totum conuellens corpus comitatur. Idcirco non abſq; forti ratione Plinius libr. 9. cap. 48. ita ſcriptum reliquit: Nullum vſquam execrabilius venenum, quàm radius ſuper caudam eminens trigonis, quam noſtri Paſtinacam appellant, quincunciali magnitudine, arbores infixus radici necat. Arma vt telum perferat & ferri, & veneni malo. Latet piſcis hic (vt & idem auctor eſt libro citato, cap. 42.) latrocinatur ex occulto, tranſeuntes radio figens.*

Marcelli ignoratio.

*Marcellus Vergilius, nimirum cupidus ineundi rationem, qua Paſtinacæ radio vti poſſet, dentium doloribus ſedandis, quippe quòd in ſilentio inuoluerit Dioſcorides, fatetur, etſi diligenter, vt conſentaneum eſt, inquiſiuerit, nunquam tamen apud antiquos ſcriptores eam ſe conſecutum fuiſſe. Qua in re apertè declarat, ſibi cum Plinio parum interceſſiſſe conſuetudinis: quandoquidem Plinius lib. 32. cap. 4. nos abundè docuerit modum, quo eo radio in dentium doloribus vti valeamus, ſic inquiens:*

Paſtinacæ & eius radii vires.

*Paſtinacæ quoq; radio ſcarificare gingiuas, & in dentium dolore vtiliſſimum. Conteritur is, & cum hellebero albo illitus, dentes ſine vexatione extrahit. Quapropter mirari non licet, ſi quandoq; in plateis circulatores, dentium extractores cernimus, qui dentes abſq; ferreis inſtrumentis, nullo illato dolore extrahant. Idem radius equos perſanat, qui ſubcutaneis vermibus exeduntur, ſi eo vlcera ſcarificentur, purganturq;. Paſtinacæ iecur oleo incoctum, non modò hominum ſcabiem ſanat, ſed etiam brutorum. Piſcis tamen eſculentus eſt, ſi abſciſſis in vniuerſum cauda & capite, decoquatur.*

*Τρυγὼν θαλάσσια ita Græcis, vt Paſtinaca marina Latinis, pariter & Italis nuncupatur.*

## Σηπία. SEPIA. CAP. XX.

SEpiæ coctæ dum eſtur atramentum ægrè concoquitur: aluum mollit. Collyriis è teſta factis conuenienter genarum ſcabritie perfricantur. Vſtum in ſua teſta, donec id, quod cruſtoſum eſt, abſcedat, poſtea tritum, expurgat vitiligines, furfures, dentes: & vitia cutis in facie: elotum in medicamenta oculorum addi ſolet: contra albugines, oculis iumentorum efficaciter inſpiratur: pterygia oculorum abſumit, cum ſale tritum & iniectum.

Sepiarum conſideratio.

*SEpiæ in omnibus Italiæ piſcarijs, proprium retinent nomen, venaleſq; habentur, in ijs inquam, in quibus marini veneunt piſces. Hæ polypis ſimiles ſunt, præterquam quòd hi innumeris pedibus excellunt, illæ verò maiore corporis mole. Eſt Sepijs in dorſo os candidum, ſuperiori parte durum ac leue: inferiori autem fungoſa quadam medulla repletum, quæ & leniter aſpera, & ligni modo frequentibus venis diſtincta viſitur. Expetuntur Sepiæ oſſa aurifabris: facilè enim in partem illam fungoſam annulorum, cæterarumq; rerum formas imprimas, quæ metallu igne colliquatis expleri ſolent. Sepiæ ſuo etiam aſtu non vacant: vbi enim piſcantem ſenſere, effuſo atramento, quod pro ſanguine his eſt, infuſcata aqua abſconduntur. Id quod etiam faciunt aduenientibus voracioribus piſcibus. Pariunt (vt prodidit Plinius libr. 9. cap. 51.) omnibus menſibus, plerunque autem in terreno inter harundines, aut ſicubi enata fuerit alga: neque his bimatu longior eſt vita. Id quod de polypis retulit Ariſtoteles lib. 9. de hiſtoria animalium, cap. 37.*

Polypi mira magnitudo.

*Qua in re dixerim, quòd ſi hiſtoria, quam to tradit Plinius libr. 9. cap. 30. de illo tam ingenti Polypo, cuius caput Lucullo oſtenſum fuiſſe narrat, dolij magnitudine amphorarum quindecim capax: atque pedes, quos vix vtroque brachio complecti eſſet, longitudine pedum triginta, vera perhibetur, nullum ſequetur abſurdum, quin polypi & denis, & bis denis annis viuere poſſint. Quod etiam tum ſepijs, tum loliginibus euenire poſſe non dubitauerim, præſertim cum eodem loco ſcripſerit Plinius, ſepias, loligineſq; eiuſdem polypi magnitudine in Hiſpanico litore vndis expulſas eſſe repertas. Sepiæ atramento tantam vim eſſe Anaxilaus eſt auctor, vt eo in lucernis accenſis addito, cæteris ablatis luminibus, homines circumſtantes Aethiopes videantur.*

Geſnerus notatur.

*Hic an iure, vel iniuria me redarguat Geſnerus, doctis viris relinquo iudicandum, cum ego ſenſum, non verba Anaxilai referam. Sepiæ polypi, loligines, & cætera id genus mollia difficillimè concoquuntur, quam ob cauſam antea cæſi verberibus ſolent, quam exco-*

## SEPIA.



excoquantur. Quanquam Athenæus Sepias aqua elixas ventriculo vtiles exiſtimauerit, dixeritq́; eas ſanguinem attenuare, atque hemorrhoides ciere. Cæterùm ( vt Galeno placet libr. 3. de alimentorum facultatibus ) duræ ſunt carnis, ægrè conficiuntur, & ſucci crudi plurimum gignunt. Attamen ijs quibus probè concoquuntur, non parum corpori præbent alimenti. Quin & eius teſta exuſta ( vt libro 11. ſimplicium medicamentorum, idem ſcriptum reliquit ) ad vitiligines, Sepiarum facultates.

## LOLIGO SIVE CALAMARO.



lentes, & ſcabiem vſum vtilem præſtat: miſta præterea foßili ſale, in oculis exiſtentes vngues eliquat, & antequam vratur fricatione dentibus ſplendorem affert, & illitione vlcera deſiccat. Sepiæ oua in cibis ſumpta vrinam ciere Plinius commemorat, renumq́; lentorem disijcere. Sepijs, nucibus & allio paratis quidam veſcuntur, vt ſalaciores in venerem prorumpant. Quæ Σηπία Græcis: Sepia item Latinis & Italis appellatur: Arabibus Sarathan & Sarthan: Germanis Blackfiſch: Hiſpanis Siba: Gallis Seche. Nomina.

Τρύγλα. MVLLVS PISCIS. CAP. XXI.

MVllorum aſſiduo cibo aciem oculorum hebetari conſtat. Is marini draconis, aranei ac ſcorpionis morſibus medetur, ſi crudus atq; diſſectus admoueatur.

MVllus piſcis Latinis olim ſic dictus, relicta mulli appellatione, hodie Græcorum more Latinè etiam Trigla, & Italicè Trigilia nominatur. Duo eius habentur genera ( vt diligenter obſeruauit Saluianus ) colore & magnitudine differentia. Maior qui pedali longitudine ſæpe viſitur, rubro veſtitur colore, aureis lineis à capite ad caudam ductis. Minor purpureus eſt, maculis quibuſdam flauis, liuentibusq́; apparentibus; nec palmarem longitudinem excedit. Ambo barbati ſunt, ideoque à Venetis appellantur Barboni. Antiquis is magno expetebatur pretio, præcipuè ganeonibus: cum ex fide dignis conſtet monumentis, Mullos ſæpenumero à priuatis etiam hominibus argenti libra ſingulos vęniſſe, tanta cum eorum iecore, & capite gratia interceſſerat gulæ. Quamobrem Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus de eo hæc memoria prodidit. Mulli iecur à guloſis mirabilem in modum voluptatis nomine commendatur. Quidam verò ipſum ne per ſe quidem ſolùm edendum cenſent, ſed garelæo, quod vocant, in vaſe præparato, cum pauxillo vini viſcus in eo tantiſper diſterunt, dum ex vniuerſa eius ſubſtantia, & præparato liquamine vnus ac ſimilaris ſuccus, quantum ſenſu poßis iudicare, factus eſſe videatur, in quo intincta mulli carne veſcuntur. At mihi profectò nequaquam tantæ ſuauitatis viſum eſt,

Mulli conſideratio.

Mulli facultas ex Gal.

*vt eum honorem mereatur, neq; tam inſignem corpori vtilitatem conferre, vti nec ipſum caput: quanquam hoc quoq; laudant ganeones, ac ſecundas poſt iecur ferre prædicant. Cæterùm intelligere nequeo, cur permulti grandiſſimos mullos emptitent, cùm nec adeò ſuaui ſint carne, vt minores: nec concoctu facili, vt quæ dura admodum eſt. Itaque cum aliquando*

MVLLVS PISCIS.



*quendam ingenti pecunia prægrandes Mullos ementem interrogarem, cuius rei gratia illos tantopere expeteret, reſpondit ſe primùm propter hepar illos tanti emiſſe: tum autem & propter caput. Idem loco citato, circa capitis initium ita ſcribit. Mullus omnium ferè aliorum duriſſimam habet carnem, impendioq; friabilem: quod perinde, ac ſi dicas, nihil in eo eſſe lentoris neque pinguedinis. Eaque ex parte cunctis alijs præſtantius nutrit, dummodo probè concoquatur: hactenus Galenus. Mulli, auctore Plinio, ter anno fœtificant, tantaque ijs ingluuies, vt etiam hominum cadaueribus veſcantur. Ii cæteris in cibis præſtant, qui inferiori labro vtrinq; barbati habentur. Romani, Neapolitanis & Venetis longè præſtant. Vinum, inquit Athenæus, in quo Mullus viuus immergitur, hauſtum venerem viris mirum in modum inhibet: fœminis verò conceptum.* Nomina. *Piſcis τρύγλα Græcis, Mullus Latinis vocatur: Italis Triglia & Barbone: Hiſpanis Salmoneta.*

Ἱπποπόταμος. HIPPOPOTAMVS. CAP. XXII.

a Meſi & Catecuz addunt μετὰ οἴνου. i. cum vino.

HIppopotami teſtes exiccati ac triti, a contra ſerpentium morſus bibuntur.

HIPPOPOTAMVS.



Hippopotami hiſtoria.

HIppopotamus eſt (*vt Plinius narrat libro 8. cap. 25. & 26.*) *belua, quæ in Nilo editur, crocodilo altitudine maior: vngulis biſidis, quales bubus: dorſo equi, & iuba & hinnitu: roſtro reſimo, cauda torta, & dentibus aprorum aduncis, ſed minus noxijs: tergoris ad ſcuta, galeasq; impenetrabilis, præterquàm ſi humore madeat. At Ariſtoteles libr. 2. de hiſtoria animalium, cap. 7. à quo Plinius tranſſcripſiſſe videtur, de fluuiatili equo ita ſcriptum reliquit: Os quibuſdam animalibus reſciſſum, vt cani, leoni, denique omnibus, quibus dentes ſerrati, alijs paruum, vt homini, alijs mediocre, vt generi ſuum, equo fluuiatili, quem gignit Aegyptus, iuba equi, vngula qualis bubus, roſtrum reſimum. Talus etiam ineſt biſulcorum modo, dentes exerti, ſed leniter, cauda apri, vox equi, magnitudo aſini. Tergoris craſſitudo tanta, vt ex eo venabula faciant. Interiora omnia equi, & aſini ſimilia: hæc ille.* Pauſanias. *Cæterùm* (*ſi Pauſaniæ credimus*) *Hippopotamus dentes in inferiori maxilla, vt aper exertos habet, eosq; adeò conſpicuos ac grandes, vt in Arcadicis ſcribat is apud Pro-*

*connb-*

*… matris Dindymenæ ſimulacbrum aureum extitiſſe, cuius facies, eboris vice è dentibus Hippopotamorum erat conformata. Sed longe admodum diſtare videtur ab Hippopotami hiſtoria animal, cuius hic imaginem damus, quanquam illud pro Hippopotamo primus Bellonius pinxit, & deinde eum ſequutus Geſnerus. Siquidem huic boum modo pedes biſulci non ſunt, nec talus biſulcorum ſimilis, ſed canum, luporumve ſimiles, multifidi, vnguibus in digitorum extremitatibus emergentibus. Os non mediocre illi eſſe videtur, cum Bellonio, crocodilum in ore habeat. Dentes nulli viſuntur exerti aprorum modo: iuba illi nulla, nullaq́ equi aut aſini facies: cauda elephanti potius quàm apri è poſterioribus pendet: aures habet vrſinas, & roſtrum porcinum, quod etſi reſimum ſit, abſurdum tamen fuerit affirmare hoc animal hac tantùm nota eſſe Hippopotamum: nam potius toto corpore, præterquam pedibus, porcum referre videtur. Nec me à mea deducit ſententia ſtatua illa lapidea Nili, quæ Romæ habetur, prope quam tale animal, quale hîc pinximus, ſtare videtur, ore crocodilo apprenſo atq́ ſublato: ſiquidem cum id nullis notis equum fluuiatilem referat, de quo Ariſtoteles, Plinius & cæteri antiqui ſcriptores meminere, mihi perſuadere non poſſum, ibi hoc animal Hippopotamum repreſentare. Et præſertim cum nuſquam legerim, Hippopotamum crocodilos venari, & eos dentibus mordicus retinere. Sed Bellonium potius miror, quippe qui ſcribat, ſe vidiſſe Conſtantinopoli Hippopotamum huic ſimilem, qui abſq́ humore tribus annis in ſicco vixerat, viuebatq́ adhuc: cum ſcribat Ariſtoteles lib. octauo cap. ſecundo de hiſtoria animalium, quædam eſſe animalia, vt ſunt, quæ marinæ teſtudines appellantur, Crocodili & equi fluuiatiles, quæ viuere quidem diſcluſa ab aqua natura non valeant, id quod ipſa naturæ ratio & experientia comprobant: quare dixerim ego, potius erraſſe Bellonium, quàm Ariſtotelem. Itaq́ Bellonium hac in re vel cæcutiſſe crediderim, aut longè plura, maiorave narraſſe, quàm ipſe viderit vnquam. Quod autem ita ſit, teſtantur quædam antiquiſsima Romanorum numiſmata quæ ſuis cum Hippopotamis ad viuum delineatis iam ante excuſa, [ hic tamen omiſſa ſunt, ] ope & auxilio Iacobi à Strada Mantuani, Cæſaris Ferdinandi & Maximiliani antiquitatum præfecti, qui ex ſuo promptuario illa numiſmata vt appingerentur conceſsit. Hippopotamus olim non ſolùm Nilo flumine alebatur, ſed Bambotho quoque iuxta Athlantem Africæ & Indo Indiæ flumine, vt Strabo & Iulius Solinus narrant. Nuſquam veri Hippopotami reperiuntur, inquit Ammianus Marcellinus, vt coniectantes regionum incolæ dicunt, inſectantis multitudinis tædio ad Blemmas migraſſe compulſi. Segetes Hippopotamus aſtu magno depaſcitur deſtinatione ante determinatas in diem: nempe ex agro ferentibus veſtigiis, ne qua reuertenti inſidiæ comparentur. Primus eum viuum & quinque crocodilos, Romæ ædilitatis ſuæ ludis M. Scaurus temporario euripo oſtendit. Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter exiſtit. Aſsidua namque ſatietate obeſus exit in litus, recentes harundinum cæſuras perſpeculatus, atque vbi acutiſsimum videt ſtipitem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat: atq́ ita profluuio ſanguinis morbidum aliàs corpus exonerat, & plagam limo rurſus obducit. Huius corij cinis cum aqua illitus panos ſanat. Adeps frigidas febres: item fimus ſuffitu. Dentes è parte læua dolores dentium, ſcarificatis gingiuis. Pellis eius è ſiniſtra parte frontis in inguina adalligata, venerem inhibet. Eiuſdem cinis alopecias explet. Quod Dioſcorides Hippopotami teſtes contra ſerpentium morſus propinat, è Nicandri Theriacis, vt alia quam plurima deſumpſiſſe videtur, vbi hunc ſegetum Aegyptiarum depopulatorem nobis deſcribit his verſibus.*

Hippopotamus Bellonii & Geſneri.

Bellonius arguitur.

Hippopotamus vbi alatur.

Hippopotami vires.

ἄρχιν

Ἵππου, τὸν νεῖλος ὑπὲρ σάιν αἰθαλόεσσαν
Βόσκει ἀρούρῃσιν δ' ἐ κακὴν ἐπιβάλλεται ἅρπην.
Ὅς δ' ἤτε καὶ ἐκ ποταμοῖο λιπὼν ζάλον εἰλυόεντα,
Χιλὸς ὅτε χλοάουσι νέον δ' ἀπεχεύατο ποίην
Τόσσον ὅπῃς εἴβων λείπει βυθὸν ὅσσα τι ὄνπερ
Ἐκνέμεται γενύεσσι παλίσσυτον ὄγμον ἐλαύνων.

*Belua, quæ ἱπποπόταμος Græcis, Hippopotamus item Latinis, & fluuiatilis equus appellatur; Italis Hippopotamo.* Nomina.

Κάστωρ.

## FIBER. CAP. XXIII.

Fiber ancipitis vitæ animal, plerunque cum piſcibus & cancris ex aqua victum capeſſit. Huius teſtes ſerpentium venenis aduerſantur; ſternutamenta mouent, & in vniuerſum varios obtinent vſus. Si-

CASTOREVM SIVE FIBER.



quidem menſes ac partus ciunt, duabus drachmis cum pulegio poti: partus ſecundasque eiiciunt: cætra inflationes, tormina, ſingultus, venena, ixiamque ex aceto bibuntur: lethargicos & vtcunque veterno obdormiſcentes excitant infuſi: cum aceto autem & roſaceo olfactu & odoris ſuffitu, idem faciunt: poti & illiti proſunt tremulis, conuulſis & omnibus neruorum vitiis. In ſumma calfactoriam vim habent. Eligi debent teſtes, qui ex vno ortu connexi ſunt (fieri enim non poteſt, vt gemini folliculi in vna membrana coniuncti reperiantur) liquore intus veluti ceroſo, odore graui, & virus redolente, guſtu acri, mordente ac friabili, naturalibus tunicis circundato. Quem fraude aliqui corrumpunt, coniicientes in follem gummi aut ammoniacum cum ſanguine & caſtorio ſubactum, & ita exiccantes. Vanum eſt, quod traditur, teſtes ab ipſis euelli, & à ſeſe abiici, cum venatu vrgentur: ſiquidem tangi nequeunt, ita, vt in ſue, ſubſtricti. Operæ autem pretium eſt, diuiſa pelle melleum liquorem cum eueſtiente tunica aſſumere & ſiccatum † potui dare.

Fibri hiſtor.

*QVemadmodum in ſuperiore ſpectatur Germania, vbicunque Rhenus influit, quin & in Auſtria, atq; Pannonia, vbi Danubius, in aliiſq; finitimis prouinciis, vbi Drauus & Sauus diſcurrunt, Fiber ſanè, quem Græci κάστορα appellant, animal eſt (vt Dioſcorides inquit) quod ex amphibio habetur genere: quippe quod & terris & aquis vitã ducat: ibi namq; videtur modò in fluminib. natare, modò in litore vagari, modò in propinquis ſyluis ſpatiari. Fiber lutræ ferè faciem refert, maior tamen. Caput huic eſt ſubrotundum, dentes & oculi murini, lingua ſuilla, leporinæq; maxillæ, roſtro retuſo, minimè prominente, longis quibuſdam ſetis barbato, quemadmodum & ſupercilia. Dentes anteriores, qui vtrobiq; bini ſpectantur, illi ſunt, longi latiq; incurui, acuti & intus concaui, flauo colore: molares autem in vtraq; parte octoni, ſed inæquales & limæ inſtar aſperi, auriculæ breues, ſubrotundæ, paruæ, piloſæ. Priores pedes digitis quinq; conſpicuis conſtant muris montani aut ſciuri modo, firmis vnguibus armati, non autem Simiæ ſimiles, vt ſcribit vir quidam clarus: poſteriores verò anſerinos æmulantur, digitis pariter quinq;, cartilagine nigra comprehenſis. Caudam habet latam, ſuperiori parte ſquamoſam, altera verò ſede leuem & pilis, vt ſuperior vacuam, qua vnà cum poſterioribus pedibus ad natandum vtitur. Iecur habet magnum, ſubnigrum, lobis quinq; diſſectum, vbi quoq; fel hæret inter minores. Renes longè maiores ſunt, ſplen verò minor, quam requirat corporis moles, veſica ſuillam refert. Teſtes illi ſunt parui, ſubſtrictiq; & adhærentes ſpinæ, qui*

Vana opinio.

*adimi ſine animalis vita non poſſunt. Id quod rectè apud Plinium animaduertit Seſtius medicus. Idcirco manifeſtò fabulantur Solinus, Andromachus, Aelianus, Apuleius, Iuuenalis, Cicero & Plinius, quippe qui ſcripſerint, Caſtorem ſibi teſtes dentibus amputare conſpecto venatore: ſed miror Plinium in hac falſa perſtitiſſe ſententia, cùm legerit apud eundem*

Caſtoreum nõ prouenire ex teſtibus.

*Seſtium (vt ipſemet ſcribit lib. 32. ca. 3.) id eſſe fabuloſum & comprobatũ ab eo errorem cerneret. Cæterùm cùm Fibris teſtes ſint manifeſtò ſpinæ cohærentes & gallorum Gallinaceorum teſticulos non admodum magnitudine ſuperent, caſtorea, quæ medicamentis vſurpamus, veri teſtes nõ ſunt, ſed folliculi quidã, qui tam in maribus, quàm in fœminis, vtrinq; in inguinibus, ſtatim ſub cute ouorum gallinaceorum magnitudine, & ſæpe maiores conſpiciuntur. Meatum vterq; habet, cuius orificium extra corpus circa pubem perſpicuum eſt, parumq; alterum ab altero diſtat, ex vtroq; exudat fluitq; humor ſubſtantia oleoſus, odore perquam graui, quem animal lingua lambit, & deinde ſeipſum inungit. Liquoris, quo folliculi iidem referti ſunt, in viuis adhuc animalibus fluidus eſt, olei modo: deinde exemptis folliculis, & aliquandiu aſſeruatis, mellis ſpiſſitudinem coloremq; contrahit. Poſtremò ceræ in modum concreſcit, vbi in fumo ſuſpenduntur folliculi. Quòd autem hi tumores folliculive, teſticuli non ſint, ex hoc liquidò conſtat, quod tam in maribus, quàm in fœminis habeantur, quodq; nullus in iis ſit meatus in penem, qui inter illos tamen ſitus eſt, quinetiam ipſorum folliculorum magnitudo eos non eſſe teſticulos facilè cõuincit. Poſtremò cum teſticuli intus ſpinæ cohærentes conſpiciantur, ipſiq; parui, vt prædiximus, nulla conſentit ratio, vt Caſtorea, teſticuli eſſe poſſint. Nos ergo id primũ à Rõdeletio edocti, rei nouitate excitati, Caſtores duos, marẽ*

Rondeletii laus.

*alterũ, alterũ fœminã, à Sereniſſimo Auſtriæ Archiduce Ferdinãdo nobis dono datos ſecuimus, vnà cum Claudio Richardo, Cæſaris Ferdinandi Chirurgo, collegis noſtris clariſſimis, Andrea Blauio, Ioanne Villebrochio, Georgio Handſchio, & aliis nonnullis aſtantibus medicis, qui omnes non aliter rem ſe habere inuenimus, quàm ipſe deſcribat Rondeletius, cui ſequutura poſteritas huiuſce ſecreti munus acceptum referre debet. Cum antiquitas vniuerſa, & ad hæc vſq; tempora ſecuta ætas, in hoc verſata ſit errore, vt crediderit caſtorea veros Fibrorum eſſe teſticulos. Fœmina vno tantùm meatu & parit & egerit & mingit, vteri & veſicæ ceruicibus illuc concurrentibus. Cauda vnà cum poſterioribus pedibus eſtur, & quòd guſtatu piſcium carnes planè ſapiat, iis etiam editur diebus, quibus nobis carne interdictum eſt à lege. Dentes Fibris anteriores (vt diximus) ferociſſimi atq; acutiſſimi ſunt, quibus arborum ramos, vt ferro, cædit, quos poſtea miro coaptat artificio, ſibiq; domum conſtruit pluribus tabulatis in riparum cauis, vbi iuxta flumina degit. Animal eſt horrendi morſus: nam ſi hominis parte comprehenſa, non ante, quàm fracta concrepuerint oſſa, morſu reſoluit. Cæterùm diligenter animaduertere oportet,*

Caſtorei adulteratio.

*ne ab impoſtoribus adulterata caſtorea emantur: namque pauca admodum habentur ex iis, quæ venalia Venetias importantur, quæ quidem adulterio careant. Cuius manifeſto eſt indicio nimia eorum magnitudo. Quinetiam præſtantiæ indicium præbet concluſus liquor in recentibus mellis inſtar, in diutius verò aſſeruatis, ceræ modo concretus. Adulterantur contritis eiuſdem animalis renibus, farctis inde teſtium folliculis. At mihi quidem ſæpius contingit & videre & habere ex Auſtria, Stiria & Carniola Caſtorea, quæ omni prorſus adulterio vacant. Plinius libr. 32. cap. 3. eos Caſtoris teſtes efficaciſſimos putat, qui è Ponto afferuntur, id quod prius ſcripſerat Strabo libro tertio ſuæ Geographiæ, his verbis.*

Straboni & Plinio quod Caſtoreum efficaciſſimũ.

*Producit Capreas Hiſpania, equosque ſylueſtres affatim. Quibuſdam in locis lacus incrementa ſuſcipiunt. Cygni & eius generis aues plurimæ: ſimiliter & otides aues. Fluuii quidem ferunt Caſtoras: ſed Caſtoreum non eam, quam Ponticum, habet vim. Pontico enim proprium eſt, vim in medicamentis habere efficaciſſimam, vt in aliis permultis. Ideoque malè vertit Strabonis interpres φαρμακῶδες venenoſum, cum potius medicamentoſum vertere debuiſſet, id eſt in medicamentis præſtantius, vt alia permulta quæ ibi proueniunt, cuiuſmodi eſt Abſinthium, Phu, Acorum, Amomum & alia complura. Quod cum Damocratem non lateret, in Mithridatis antidoto Ponticum Caſtoreum addit. Horum meminit Galenus lib. 11. ſimp. med. ſic inquiens: Teſticulos caſtoris nuncupant Caſtoreum, medicamentum & celebre, & multi vſus, adeò vt*

Caſtorei vires ex Gal.

*Archigenes de Caſtorei vſu totum conſcripſerit librum. Atq; ille ſanè particulares eius facultates expoſuit, nos verò velut in aliis medicamentis fecimus, ita & in hoc quoq; generalem modò facultatem dicemus: ad quam ſi quis reſpiciat, ipſe per ſe particulares inuenire poterit. Itaq; quòd excalfaciat, manifeſtum eſt: nam ſi voles ipſum ad vnguem læuigatum oleo maceratum parti cuipiam illinere & infricare, euidenter illam incaleſcere percipies. Porrò calfacientia omnia, vbi contacta*

ſubſtan-

*ſubſtantia quippiam digerunt, continuò etiam illam deſiccant, niſi quid natura fuerit humidum, ceu oleum & aqua, atq; aduentitiam qualitatem calidam, non facultatem aſſumpſerit, ſicut certè hæc ipſa igni, & ſoli æſtiuo admota. Itaq; cum Caſtorei conſiſtentia quoq; ſit ſicca, & calefaciendi potentiam habeat adiunctam, meritò deſiccat. Atq; hoc illi cum multis alijs medicamentis commune exiſtit. Porrò quoniam impenſè ſubtilium eſt partium, ob id plus valet, quàm alia, quæ ſimiliter vt ipſum & calfaciunt, & deſiccant. Nam quæ tenuium ſunt partium medicamenta, ijs quæ ſunt craſſarum plus ſunt efficacia, etiamſi parem ſortita fuerint facultatem, nimirum quia penetrent, & in altum ſubeant admotorum corporum, potiſsimum ſi ea denſa fuerint, velut neruacea. Palam igitur talia ob cauſam poſitam magnificè iuuantur à caſtorio. Cæterùm falluntur medicorum plerique in vſu Caſtorei, cùm id modò conſiderant, partem quampiam aut tremere, aut conuelli, aut ſenſu motùue priuatam, aut ægrè ſentire: haud ſcientes id genus ſymptomata ad diſsimiles ſequi corporis affectus. At vt ab Hippocrate doctus, ex plenitudine pariter & inanitione conuulſionem fieri, vbi quidem quæ in neruis continentur præter naturam, euacuare conſilium eſt, ibi & bibendum exhibe, & foris cuti caſtorium impone. Vbi verò ex ſiccitate nimia obuenerit conuulſio, ſcito hoc medicamen illic eſſe aduerſiſsimum. Ad eundem modum, ijs qui præ plenitudine tremunt, vtiliſsimum: aduerſiſsimum verò ijs, quibus huiuſmodi affectus accidit ab inanitione. Ad portionem modò dictorum affectuum, vbi ſingultus euenerit ſtomachi, perſcrutato prius, inuentoq; illius affectu, ac diſcreto, ſiquidem à plenitudine ipſum ægroti perpetiantur, ad caſtorij uſum accedito: ſin autem à ſiccitate, & euacuatione, aut acrium humorum morſu prouenerit, medicamen hoc fugito. Sanè ſi odori, guſtuiq; aduertas animum, ſuſpicaberis humano corpori aduerſiſsimam habere ſubſtantiam: tametſi in natura nihil efficere comperiatur eorum, quæ talia facere aſſolent. Siquidem alia ſtomachum vitiant, alia ventrem, alia caput, alia aliam quamuis partem lædunt. At hoc medicamen ſiue corpori humido applices reſiccationem poſcenti, ſive frigido excalfactionem; ſiue humido ſimul frigidoq; excalfactionem pariter & reſiccationem requirenti, magnam vtiq; oſtendit vtilitatem: nec vllam parti cuiquam noxam imprimit, potiſsimum ſi febri vacet, aut non admodum calidam perpetiatur homo febrem, ſed vt ſic dicam tepidam, qualis accidit in cataphoris maximè, & lethargis. Ac multis ſanè Caſtoreum exhibuimus vnà cum pipere albo, vtrumq; menſura cochlearij ex melicrato bibendum præbentes: nec quiſquam vllam ſenſit noxam. Sed & menſibus retentis, vbi per venam, quæ in talo eſt, medicè euacuaſſem, oblato caſtorio vnà cum pulegio & calamintha, ſemper medicamen hoc expertus ſum purgationem ciere, abſq; vt fœminam læderet. Præterea locos morantes eijcit, eaq; omnia ex melicrato potum efficit. At quibus ita venter flatu diſtenditur, vt ægrè curationem admittat, aut torminibus vexatur, atq; ſingultu, idq; ob frigidos, viſcoſosq; humores aut craſſos, flatulentoſq; ſpiritus, eos ex oxycrato potum adiuuat. Quæ porrò iuuat in corpus intrò ſumptum, ijs prodeſt quoq; cuti impoſitum cum ſicyonio, aut veteri oleo. Quæ verò amplieri caliditate indigent, ijs etiam per ſeſe infricari debet. Iuuat etiam, ſi quis ſuffitum eius in prunis impoſiti inſpiratione hauriat, maximè humidos, & frigidos affectus in pulmone, aut cerebro conſiſtentes. Attamen lethargicos, & cataphoricos affectus, qui quidem adiunctam habent febrem, præſtat non dictorum oleorum quopiam macerantes curare, ſed potius ex roſaceo capiti colloq; imponere: hactenus de caſtoreo Galenus. Caſtoreum ſuffitum, fumo naribus admoto, fœminas vteri ſtrangulatu collapſas reuocat. Præſtat idem, & quidem valentius ſemioboli pondere cum eadem aſſæfœtidæ quantitate in catapotio deuoratum. Citat quoque aluum drachmæ pondere bibitum, & induratas educit feces, flatuſq; ſurſum, deorſumq; pellit. Mirificum quoq; eſt auxilium, vbi diſcrimen adſit, ne colica, aut vteri doloribus laborantes, tremore, contractione, conuulſioneve afficiantur. Datur cum mulſa vtiliter reſolutis, & ſingultientibus. Iuuat & Iſchiadicos potum drachmæ pondere, cum tribus opoponacis obolis. Non deſunt ſuperſtitioſi, qui dicant anteriores dentes ſanare regium morbum, ſi in poculo teneantur, è quo vinum biberit affectus. Cæterùm, vt Plinius eſt autor libro 32. cap. 3. Caſtoreum ſumptum comitialibus auxiliatur. Medetur & dentibus ex oleo in aurem infuſum, à cuius parte doleant: Aurium doloribus melius, ſi cum meconio infundatur. Vrina quoq; Fibri reſiſtit venenis, & ob id in antidota additur. Aſſeruatur autem optimè in ſua veſica, vt aliqui exiſtimant. Animal, quod κάστωρ Græcè, Fiber Latinè dicitur: Arabicè Inchiam algiden beduſter, Giendedeſtar, ſeu Gendibideſtar: Italicè Caſtoreo: Germanicè Biber: Hiſpanicè Biuaro & Biuerio: Gallicè Bieure.*

*Conuulſioni ex plenitudine prodeſt Caſtoreum.*

*Ad menſes mouendos.*

*Caſtorei ſuffitus.*

*Caſtorei vires ex Plin.*

*Nomina.*

*† Cùm impreſsus hoc loco legatur ποτίζειν, id eſt, potui dare: tamen in codice manu ſcripto, in quem Oribaſius (vt aliàs diximus) Dioſcoridis verba retulit, legitur ἀποτιθέναι id eſt, reponere: Quæ lectio ideo verior eſſe videtur, quòd caſtoreum (teſte Dioſcoride) non ſolùm potui detur, ſed etiam infundatur, & ſuffiatur.*

Γαλῆ κατοικίδιος.

## MVSTELA VVLGARIS CAP. XXIIII.

MVſtela, quæ in domibus noſtris oberrat, ambuſta exenteratur, & inveterata ſale, in vmbra ſiccatur. Ea binis drachmis cum vino pota, aduerſus omnia ſerpentium venena præſentaneo eſt remedio: torico, ſimili ſumpta modo, reſiſtit. Eius ventriculus coriandro farctus, inveteratusq;, percuſſis à ſerpente, & comitialibus potu auxiliatur. Cremata in fictili podagricis confert, cinere ex aceto illito. Sanguine perunctæ ſtrumæ iuuantur: comitialibus etiam prodeſt.

*MVſtela vulgaris notitiæ in Italia, animal eſt miræ ſagacitatis, & quanquam corpore paruum, animo tamen inuicto conſtat, atq; feroci. Muſtelarum duo genera eſſe auctor eſt Plinius lib. 29. cap. 4. Alterum ſylueſtre, quod in agris & vepribus vitam agit. Alterum domeſticum, quod in domibus noſtris oberrat. Vtræq; adeò cupide catulos ſuos diligunt, vt eos hinc aliò transferant, verentes, ne ſibi ij ſurripiantur. Quo factum eſt, quemadmodum memoriæ prodidit Ariſtoteles lib. 3 de generatione animalium, cap 6. vt cùm vidiſſent quidam, Muſtelas catulos ſuos, quos paruos admodum parit, ore ſuſceptos transferre, falsò opinati ſint, eas ore parere. Quorum opinionibus adſtipulatur Ouidius: cui tamen venia danda eſt, cùm poetis qualibet audendi ampliſsima ſit poteſtas. Non eſt ſimiliter in eo audiendus Chriſtophorus Encelius, vir alioquin eruditus, quòd lib. 3. cap. 54. de foſsilium natura, vulgi fortaſſe ſententiæ addictus magis quàm Ariſtotelis & aliorum probatiſsimorum auctorum, ſepias, loligines, locuſtas, & ſquillas ore coire ac parere, ridenda hiſtoria ſcriptum reliquerit: qui præterea coruos & ſylueſtres gallinas ore concipere magno errore tradidit. Cæterùm in muſtelarum genere recenſentur quæ* MARTES *appellantur, quarum duæ in Italia habentur ſpecies. Vna namq; pilo veſtitur fuluo nigricante, excepta gutturis parte, quæ albicat: hanc nos vulgò dicimus Faina. Hoc animal oderunt rura, quòd ſæpè domos illorum ingrediatur, vbi non modò gallinas, quas inuenit, iugulat, ſanguine plerumque exucto, ſed etiam oua exhaurit & exorbet:*

*Muſtelæ conſideratio.*

*Vana quorundam opinio.*

*Martes & earum hiſt.*

## MVSTELA VVLGARIS.



quin & in turres aſcendit, atq; ibi columbas ( modò eas comprehendere poſſit ) earumq; pullos enecat. Altera ſyluas incolit, raroq; illas deſerit: hæc propriè Mars vocitatur. Differt ab illa, quòd corpore conſtet aliquantulum longiore, gutture ſit luteo, & pilo contegatur clariore tactuq; molliore, vt vel his nominibus eius generis pelles, magnatibus expetantur, ad hyemales veſtes ſuffulciendas. Sunt qui putent, poſtremam hanc duorum eſſe generum: alterum quidem, quod in fageis, quernis, iligneuq; ſyluis verſatur: alterum verò, quod in piceis & abiegnis tantùm oberrat, pulchrius nimirum aſpectu.

Zobellæ hiſt. Muſtelarum quoq; generi adſcribitur quod Germani ZOBELLAM, nos verò Zibellinum vocamus. Hæc corporis tum forma, tum magnitudine parum differt à martes, quamuis paulò minor ſit. Totum corpus habet pilis fuluis veſtitum, præterquam guttur, quod ex albo nigricat. Zobellis referta eſt Moſcouia, & Lituania, atq; etiã ijs abundant finitimæ aliæ regiones, è quibus eorum pelles ad nos conuehuntur. Vaeneunt magno pretio in locis etiam, vbi capiuntur: quo fit, vt venatores quandoq; ditiſſimi fiant.

Viuerra. Porrò & VIVERRA inter muſtelas annumeratur. Ea autem animal eſt ſciuri magnitudine, pilo ſubluteo, audax admodum, & animantibus ferè cunctis inimicum, præſertim cuniculis, quos ſæpe gregatim ſuis ex antris pellit. Oblectatur ſanguine mirum in modum, adeò vt ſanguine potius, quàm carnibus victitet. Inueniuntur præterea (vt audio) in Germania, Polonia, & vicinis locis alia Muſtelarum genera: quæ quoniam hactenus ipſe non vidi, neq; explorata ſunt mihi, ideo quid de ijs ſcribam, non habeo. Verùm quòd nunc in Bohemia vitam agam, equidem futurum ſpero fauore atq; auxilio Sereniſſ. Ferdinandi, Archiducis Auſtriæ Principis, & domini mihi colendiſſimi, vt non ſolum mihi liceat tractu temporis hæc & alia animalia videre & cognoſcere, quæ in hac boreali plaga proueniunt, ſed & multa rara conſequi, quæ ad rem tum herbariam, tum metallicam ſpectabunt.

Muſtelæ natura, & vis. Muſtelæ ſerpentes acriter perſequuntur, dimicantq; deuorata prius ruta. Baſiliſco muſtelæ virus exitio eſſe auctor eſt Plinius libro 8. cap. 21. adeò naturæ nihil placuit eſſe ſine pari. Inijciunt enim eas cauernis facilè cognitis ſola tabe. Necant illi ſimul odore, moriunturq;, & naturæ pugnam conficiunt. Muſtelæ etiam oculis punctu erutis aiunt viſum reuerti, eademq;, quæ in lacertis, & annulus faciunt. Muſtelæ cuiuslibet fimus moſchum nonnihil reſipit. Is melle exceptus, addita lupinorum aut fœnigræci farina, ſtrumas, cæteroſq; pituitoſos tumores diſcutit. Muſtelarum felle cum ſucco fœniculi vtuntur quidam ad oculorum argemas & nubeculas: quin etiam idem lentigines, & alia huiuſmodi cutis vitia emaculare perhibent, ſi cum melle, & vitis albæ radicis, aut æri farina illinatur. Nec deſunt, qui putent Muſtelarum pulmonem ad omnes pulmonis morbos efficacem eſſe. Muſtelarum combuſtarum cinis aqua ſubactus illitu capitis dolores mulcet: oculis verò iniectus ſuffuſiones emendat.

Nomina. Hoc animal γαλῆ Græcis dicitur: Latinis Muſtela: Italis Donnola.

## Βάτραχοι. RANAE. CAP. XXV.

COntra omnium ſerpentium venena pro antidoto ſunt Ranæ, ſi ex ſale & oleo decoctæ edantur, iusq; earum itidem ſorbeatur: contra inueteratos tendinum rigores pollent. Illitus earum cinis, profluentis ſanguinis impetus ſiſtit: explendis alopeciarum inanitatibus ex liquida pice illinitur. Viridium ranarum cruor auulſos genis pilos renaſci prohibet, in veſtigia euulſorum inſtillatus: decoctæ in aceto, & aqua dentium dolores collutione leniunt.

Ranarum conſideratio. RAnæ Italis, præſertimq; Inſubriæ populis frequentiſſimæ. Genere ſanè differunt, quemadmodum magnitudine, colore, ac natura. Aliæ namq; ex putredine gignuntur æſtiuis imbribus puluere madefacto, quibus ſic ortis breuis eſt vita, nulluſq; earum vſus. Aliæ verò ritè, & ſecundum naturæ ordinem, proueniunt in mari, fluuijs, paludibus, ac lacubus.

Rubetæ. Sunt & terreſtres, quæ in frutetis, & rubetis plerumq; victitant, ob idq; rubetæ Latinis dicuntur. Nec deſunt in hoc genere, quæ etiam Calamitæ dicantur, quòd in arundinetis vitam agant: Verùm vtræq; & venenatæ, & lethales habentur. Cæterùm illæ in fluuijs, paludibus, & lacubus verſantur, & degunt, quarum nobis in cibis inualuit vſus, colore viridi, aut ſubrutilo, cinereòve, tametſi & inibi quandoq; ex his cernuntur, quæ non tutò edi poſſunt, vt pote quæ à rubetis non multum pernicie diſtent.

Ranarum partus. Pariunt Ranæ, vt Plinius tradit lib. 9. cap. 51. & experientia quotidie comprobari poteſt, minimas carnes nigras, quas gyrinos vocant, oculis tantùm, & cauda inſignes: mox pede figurantur, cauda findente ſe in poſteriores. Mirumq; ſemeſtri vita reſoluuntur in limum nullo cernente, & rurſus vernis aquis renaſcuntur, quæ fuere natæ, perinde

occulta

RANAE.



occultatione, cum omnibus annis id eueniat: hæc Plinius. Cui tamen ſententiæ prorſus reſragatur experientia: quippe quòd in paludibus maritimis, quæ glaciem nunquam hyeme contrahunt, quocunque anni tempore ranas conſpicere liceat. Quapropter dicendum fuerit, Plinium eas tantum quotannis in limum reſolui exiſtimaſſe, quæ ex ipſius aquæ & terræ putredine gignuntur. Carnem habent Ranæ albam, iis ſanè vtilem, qui hectica febre aut phthiſi laborant, & præſertim Ranarum vis.

BVFO.



ſi è capi, aut gallinæ iure decoquantur. Vnguentis adduntur, vbi ſiccare aut diſcutere ſit opus. Decoctæ, quouſque diſſiliant & fiant veluti vnguentum, ſcabiem equorum ſanant illitæ. Ranas decoctas contra ſerpentium venena antidotum eſſe patet ex Nicandri Theriacis vbi ſic habet.

— φρύνου καὶ χοὶ πέρι ἄλλα τοκῆες
Βάτραχοι ἐν χύτρῃσι καθεψηθέντες ἄρειστοι.

Βάτραχοι ſic Græcè, Ranæ Latinè vocantur: Arabicè Diſdaba: Italicè Rana: Germanicè Froſch: Hiſpanicè Rana: Gallicè Grenouille & Raine. Nomina.

Σίλουρος SILVRVS. CAP. XXVI.

Silurus recens in cibo nutrit & facilem præbet aluum, ſale verò conditus, minimum ſuppeditat alimentum: arteriam expurgat & vocem expedit. Illita ſaliti caro, aculeos & infixa corpori ſpicula extrahit. Muria eius incipientibus dyſenteriis prodeſt, ſi in deſidentium fotus adiiciatur: fluxiones ſiquidem ad ſumma cutis elicit: iſchiadicis infuſa medetur.

Exiſtimat Paulus Iouius in libello de Romanis piſcibus, Silurum eum eſſe piſcem, quem vulgus Sturionem appellat. Veruntamen ſi Ariſtoteli & Plinio eſt adhibenda fides, liquidò conſtabit, aliud piſcis genus eſſe Silurum, aliud Sturionem. Namq; Ariſtoteles Siluro dentes aſſignat adeò firmos atq; acutos, vt iis hamos etiam ferreos frangere valeat. Plinius item lib. 9. cap. 15. tradidit, Silurum vbicunque ſit, graſſari, omneq; animal appetere: idcirco innatantes equos ſæpè demergere, præcipuè in Rheno Germaniæ amne prope Lisboum & in Danubio. At Sturiones etſi prægrandes ſint, edentuli Pauli Iouii opinio reprobata.

*penitus habentur. Ad hæc Silurus Ariſtoteli & Plinio fluuiatilis ſemper deſcribitur piſcis, cum tamen Sturio frequentius in mari, quàm in fluminibus reperiatur. Quo factum eſt, vt facilè deductus ſim in ſententiam clariſſimi Manardi Ferrarienſis: quippe quod pro certo crediderim, Silurum Italis haudquaquam eſſe cognitum. Quandoquidem inibi in fluminibus,*

## SILVRVS EX SECVNDA EDITIONE.



*quanquam ingentibus, nunquam (quod ſciam) Silurus fuerit repertus. Pannoni Danubij accolæ Silurum vulgari ſermone vocant Acchia: Rheni verò litora inhabitantes Germanica lingua* Bolich *appellant: ſiquidem is maximè graſſatur, morſuq́; petit omne animal, quod ſibi obuiam ſit. Is effigie Gobium refert, capite magno, ore amplo, & dentibus ferociſſimis. Hac in ſententia me quoq; Plinius confirmat: is enim Silurum & in Rheno, & in Danubio naſci auctor eſt. Piſcis qui* Σίλυρος *Græcis, Silurus Latinis appellatur: Arabibus Harbe: Italis Siluro: Germanis* Bolich vnd Balich.

Nomina.

Siluri conſideratio. Theodori Gazæ error. Glanides.

M*Irum ſanè eſt Theodorum Gazam, Græcum hominem atq; doctiſſimum, adeò Plinianæ lectioni fuiſſe addictum, vt Plinij errores potius, in vertendo Theophraſt. & Ariſtotele fuerit ſequutus, quàm ipſorum Græcorum genuina cùm plantarum, tum animalium nomina. Id quod in Siluro ab eo factum eſſe, quis facilè cognoſcet, qui Plinium cum Græco Ariſtotelis codice contulerit. Siquidem id omne, quod de Glanide ſcripſit is, Plinius errore magno, ſuo tribuit Siluro: quo*

## SILVRVS.



*factum eſt vt Theodorus Glanidem in Ariſtotele Silurum verterit. Hæc itaque falſa interpretatio alijs errandi præbuit anſam, qui tantum Latinum Ariſtotelis codicem legerunt, vbi Glanidem Silurum vertit interpres. Id quod nobis quoque antea accidit, quippe qui Gazæ ipſius interpretationem ſequuti, illius & Plinij erratum non agnoſcentes, Pauli Iouij opinionem refutauimus, quòd Sturionem nullis armatum dentibus ſciremus, Silurum verò Plinio valde dentatum eſſe, & rapina viuentem, adeo vt is natantes in fluminibus equos ſæpe demergat. Verùm cùm poſthac & Plinij & Gazæ ipſius errorem agnoſcerem, non potui vtrumque non accuſare, quòd me quoque in errorem vocauerint. Quare fit in præſentia, vt ego ſubſcribam Saluiano, qui Pauli Iouij opinionem firmis defendit argumentis, contra Rondeletij & Geſneri ſententiam, quòd hic Glanidem potius, quàm legitimum Silurum pingat: ille piſcem quendam marinum potius, quàm fluuiatilem, dentibus armatum, quem à Geſnero ſibi miſſum ſcribit, quanquam id manifeſtò neget Geſnerus. Nec probo tamen friuola Rondeletij argumenta, quæ contra Iouij & Saluiani opinionem ſcribit, cum Saluianus ea omnino ſuperauerit. Scribant itaq; illi, quicquid volunt, ego quidem nunquam à Iouio & Saluiano poſthac diſſentiam, niſi prius horum ſcripta vbiq; ab ijs confutata conſpexero. Piſcis qui Græcis* Σίλυρος*: Silurus Latinis appellatur, Arabibus Harbe: Italis Sturione: Germanis* Stör oder Styrle *: Gallis Eſturgeon: Hiſpanis Suillo.*

Rondeletii erratum.

Σμαι-

Σμαρίδες. **SMARIDES.** CAP. XXVII.

SMaridis piſcis ſaliti caput exuſtum, a excreſcentes vlcerum oras puluilloſq; reprimit, nomas cohibet, thymos clauoſq; abſumit. Caro b non ſecus atq; ſalſamentum prodeſt á ſcorpione percuſsis, aut à cane demorſis.

a Meum ἕλκη ςέλλει ὑπερσαρκοῦντα. i. viſcerum ſuper-creſcentem carnem cohibet.
b Meum καθάπερ πᾶς τάριχος. i. veluti omne ſalſamentū.

SMARIDES.



Μαινίδες. **MAENAE.** CAP. XXVIII.

MAenarum ex capitibus cinis, ſi illinatur, calloſas ſedis rimas abolet. Eius etiam garum oris putrilagines collutione ſedat.

MAENAE.



*ET ſi ſtudij, ac diligentiæ plurimum impenderim, vt quinàm piſcis ſit Smaris, certior fierem, nunquam tamen apud Ariſtotelem, nec Plinium, nec deniq; veterum quenquam aliquid certi nactus ſum, ita vt planè Smaridem cognoſcere, ac deſcribere poſſem. Illud tantùm inueni, ijs Smaridem eſſe piſciculum, mænis facie ſimilem. Ex quo facilè adductus ſum, vt eos non longè aberrare putauerim, qui Smarides eos piſciculos dixerit, quos vulgo Veneti appellant Giroli: namq; hi præter id quod corpore minores ſunt, mænas notis omnibus repræſentant. Ceterùm cum Mænæ, quæ vulgò Menole dicuntur, ſint vulgaris notitiæ, non eſt, cur plura de eis diſſeram.*

Smaridis conſideratio.
Mænæ.
Nomina.

*Σμαρίδες ita Græcis, vt etiam Latinis Smarides nominantur: Arabibus, Abſamaris: Italis Smaridi. Quæ verò Græcè μαινίδες, Latinè: Mænæ dicuntur: Italicè Menole: Hiſpanicè, Pandelhas.*

Κωβιός. **GOBIVS.** CAP. XXIX.

GObius recens in ſuillum ventrem coniectus, ſi conſuta rima in duodecim aquæ ſextarijs donec duo ſuperſint, decoquatur excolatus & ſub diuo refrigeratus potui detur, aluus ſine moleſtia deijcitur. Illitus contra ſerpentium, canumq; morſus auxilio eſt.

GOBI-

## GOBIVS I.



## GOBII ALIVD GENVS, SIVE PAGANELLO.



*Gobiorũ cõſideratio.* GObij in Venetis ichthyopolijs frequentiſſimi conſpiciuntur, quòd inibi in finitimis lacunis mirum in modum ſatiſcent, ac numeroſi proueniant. Quare non immeritò prodidit Ariſtoteles in marinis littoribus, vbi in profundum non labatur aqua, ſumma cum voluptate morari Gobios. Hos Veneti detractis poſterioribus ſyllabis Go vulgo vocant. Capite *Gobij facult. ex Gal.* ſunt amplo, guſtuq́; perſuaues, quod carnem habeant tum pinguem, tum etiam friabilem. Proinde de his differens Galenus libro 3. de alimentorum facultatibus, ſic inquit: Gobius litoralis eſt piſcis, ex eorum numero, qui parui perpetuò manent. Præſtantiſſimus autem ad voluptatem, coctionem ſimul ac diſtributionem, & ſucci bonitatem eſt is, qui in arenoſis litoribus, aut ſaxoſis promontorijs viuit. At qui in fluminum oſtijs, aut ſtagnis marinis verſatur, non æquè ſuauis eſt, neque probi ſucci, neque concoctu facilis. Cæterùm ſciendum eſt (vt etiam annotauit Galenus) Gobios non in *Gobij fluuiatiles.* mari tantùm reperiri, verùm etiam in fluminibus, & lacubus, quemadmodum teſtantur ij, qui in Lario lacu, itemq́; Ver-

## GOBIVS III. ET IIII.



hamo capiuntur, laudatiſſimi quidem, propterea quòd eorum iecur maximam cum palato ineat gratiam. Nam tametſi hi piſces, qui Italis dicuntur Bottatriſæ, fluuiatiles Gobij non ſint, de quibus meminit Auſonius, ſunt tamen omnibus ſui partibus, pulpaquè adeo Gobijs ſimiles, vt mihi nihil verendum ſit, quin rectè in Gobiorum fluuiatilium, lacuſtriumque generi recenſeri poſſint: quemadmodum & ij, qui in fluuijs vniuerſim minores exiſtunt, quanquam ex ijs etiam

Bottatriſæ.

GOBIVS V. & VI.



nonnullos inuenias, qui duas, aut tres vncias pendant. In agro Tridentino pauci admodum ſunt fluuij, qui Gobios non alant: namque & Atheſis & Noſius, & Lauiſius, & Sarca ijs refertiſſimi ſunt. Hos inibi quidam vulgò vocant Capitoni, quidã vero Marſoni: at in Hetruria, vbi tamen rariſſimi habentur, corrupto à Gobijs vocabulo, vulgò dicuntur Ghiozzi.

GOBIVS FLVVIATILIS.



Sunt hi piſciculi non modò concoctu facillimi, ſed & ori ſuauiſſimi, atque gratiſſimi, præſertim cùm ouis turgent: hæc enim in his & pinguia, & copioſa ſunt, guſtui verò ſuauiſſima. Quo fit, vt ſolertiſſimi piſcatores horum fœturas obſeruantes, non minus expiſcandis ouis operam nauent, quam piſcibus ipſis. Κωβιός Græcis, Latinis ſimiliter Gobius appellatur: Arabibus Kamen, Italis Gobio: Germanis Goeb: Hiſpanis Cadozes: Gallis Gouiones.

Gobij vir.

Nomina.

## Θύννος. THVNNVS. CAP. XXX.

Conditanei thunni caro, quam omotarichon vocant, ſumpta iis auxiliatur, quos vipera nomine præſter momorderit: ſed oportet vinum quàm plurimùm ſubinde cogantur haurire, ita vt vomitione reddatur. Contra acrimonias eſitatorum maximè valet: canum morſibus vtiliſsimè illinitur.

Thunni piſces inter cetaceorum genera recenſentur. Ii multitudine ſua omnibus litoribus ſunt noti, præſertimq; Tyrrheni accolis magis, quam ijs, qui Adriatici litora inhabitant. In Euripo maxima eorum eſt captura. Irrumpunt Maio Menſe, ac Iunio in mare noſtrum mediterraneum per Herculis columnas ab Atlantico oceano, cogentibus xiphijs, hoc eſt, ſpathis piſcibus, qui enſe à roſtris prominente inſtructi, eos toto mari perſequuntur: ſunt enim xiphiæ immanes belluæ. Nam (vt Plinius inquit libro 32. cap. 2) mucronato noſtro tam validè naues perfodiunt, vt in oceano mergantur, præſertim ad Mauritaniæ locum, qui Cotta vocatur, non procul à Lixo flumine. Thunni igitur cùm piſcium ſimpliciſſimi timidiſſimiquè ſint, non aliter in fugam à xiphijs gregatim aguntur, quàm ouium greges à lupis: quam ob cauſam vel inanibus terriculamentis acti, facilè vadis atque litoribus intruduntur. Porrò ſumma ſpectantium voluptate Maio & Iunio menſibus Thunni à Gaditanis non longè ab Herculeo freto capiuntur, ad quam piſcationem vniuerſus concurrit populus, maximo clamore tympanorũ ſonu, ac bellicis puluere & igne concrepitantibus terriculamentis. Hæc enim eorum capturam faciliorem reddunt: quandoquidẽ ſtolidi cùm ſint, vocibus & ſtrepitu territi, concitantur ad vada, quo in loco poſtea gregatim retibus capiuntur, maximoque omnium plauſu trahuntur in litus. Thunni diuerſa ſortiuntur nomina: namque primus thunnorum fœtus ab ipſo ſtatim ouo Cordilla dicitur, qui mox in Limarias euadit: ex limarijs autẽ adoleſcentibus

Thunni conſideratio.

Xiphiæ piſcis.

Thunnorum captura.

Pelami.

THVNNVS.



*Pelamides ſunt, ſic à luto dictæ: cùm verò hæ pedalem exceſſere menſuram, in Thunnos abeunt. Athenæus hos diu viuere ait, & in prægrandes euadere piſces. Sed huic opinioni videtur aduerſari Ariſtoteles, cùm aſſeueret, eos biennio vitam finire. Animal eſt paruum (vt ſcribit Plinius) ſcorpionis effigie. Hoc ardente Sirio ſub pinna affigit aculeo, tantoq́ infeſta dolore vt in naues exiliant, quo tempore, vt maximè noxij damnantur in cibis. Cæterùm thunnorum ventres, quò in cibatu ori gratiores habentur, eò magis ventriculo nocent: contrà eorum carnes, quæ omni prorſus pinguedine carent, etſi non tantam cum palato ineant gratiam, minorem tamen ventriculo inferunt noxam. Quanquam huiuſcemodi piſces, qui in cetaceorum genere recenſentur (vt Galenus eſt author libro 3. de alimentorum facultatibus) dura carne ſunt præditi: quā ob cauſam & praui ſunt ſucci, & excrementitium præbent alimentum. Quapropter ſale macerata plerunque eduntur, quòd inde alimonia tenuior facta ex ipſis in corpus diſtribuatur: ob idq́ ſit coctioni, & ſanguini faciendo accommodatior. Nam recens horum caro ni admodum probè concoquatur, magnam crudorum ſuccorum copiam in venis congerit. Piſcis, qui Græcis θύννος, Latinis item Thunnus vocatur: Arabibus, Keſam & Aliena: Italis Tonno: Hiſpanis Atuni: Gallis Thon.*

Tunnorum in cibis facul.

Nomina.

## Γάρον. GARVM. CAP. XXXI.

GArum omne, quod ex piſcibus, carnibusq́; ſale maceratis liquamen eſt, ſi ex eo fotus fiat depaſcentia vlcera ſiſtit. Morſis à cane medetur: dyſentericis, atque iſchiadicis infunditur: nonnullis, vt exulcerata adurat: aliis autem ad laceſſenda, quæ vlcera non ſenſerunt.

## Ζωμὸς ἰχθύων. IVS PISCIVM. CAP. XXXII.

REcentium piſcium ius, modò per ſe, modò ex vino potum, aluum ſubducit, Priuatim ad hunc vſum conficitur è phycidibus, & ſcorpionibus, & iulide, percis, & recentibus aliis ſaxatilibus, nec virus reſipientibus, ſimpliciter cum aqua, oleo, & anetho.

Gari conſid.

*GArum dictum eſſe à veteribus tradidit Plinius lib. 31. cap. 7. quòd olim conficeretur ex piſce, quem Græci Garon vocabant, inteſtinis illius ſale maceratis, ac eliquatis. Quod item poſtea è ſcombri extis confici cœptum eſt. Fuit olim Garum complurium ciborum condimentum, adeò vt nullus ferè liquor, qui ad gulæ luxum magis præſtaret, ab antiquis fuerit excogitatus. Veruntamen de hoc non intellexit Dioſcorides, ſed generatim de omni piſcium, & carnium muria, quæ hæc diutius aſſeruari ſolent. Cæterùm de piſcium iure non eſt cur pluribus agam, cùm ſatis ab ipſo auctore de eo proditum ſit. Quod Græci γάρρον, Latini ſimiliter Garum dicunt: Arabes Muri ſiue Almuri: Itali Garo: & Salamuoia. Quòd verò Græcis ζωμὸς ἰχθύων, Latinis Ius piſcium dicitur: Italis Brodo de peſci.*

Nomina.

## Κόρεις κλινικοί. CIMICES LECTVLARII. CAP. XXXIII.

CImices, qui in cubilibus enaſcuntur, cauis fabarum incluſi, ſi ante febrium ſignificationes ſepteni deuorentur, quartanis auxilio ſunt: & citra fabas ſumpti, percuſsis ab aſpide proſunt: vuluarum exanimationes olfactu reuocant. Poti cum vino aut aceto adhærentes ſanguiſugas abigunt: triti & vrinariæ fiſtulæ impoſiti, vrinæ anguſtias leuant.

Cimicum conſideratio.

*INter omnes nocturnos hoſtes, qui nobis dulcem ſomni quietem intercipiunt, nulli quidem nocentiores, infeſtioresq́ habentur, quàm Cimices: quippe qui non ſolùm morſu dilacerent, quo & ſomnum interturbant, & ſanguinem nobis adimunt, ſed etiam fœtorem adeò deteſtabilem, abominandumq́, nobis ex ſe relinquunt, vt eo longè magis ſenſus, ſpiritusq́ lædantur, quàm vniuerſæ corporis partes, quæ ab ijs fuerint ictæ. Cæterùm tametſi infeſtiſsima, fœtidiſsimaq́ ſint animalia: noluit tamen eos genuiſſe natura omnium rerum parens, quin ſuum haberent in medicina vſum. Vtuntur ijs recentiores quidam ad ciendam vrinam, viuis in penis organum immiſsis, non autem mortuis, & tritis, Dioſcoridis modo. Quod mihi magis conſentaneum eſſe videtur: ſiquidem in meatum vrinarium inditi, ingreſſu titillationem excitant, & vrinæ vim expultricem proritant. Sunt & ſylueſtres Cimices, qui ex herbis victum, & locum habent, lectularijs maiores, colore viridi, æquè ac illi fœtidi. Sed hi nullũ, quod ſciam, obtinent in medicina vſum. Cimices ita Latinis κόρεις Græcis appellantur: Italis Cimici: Germanis* Wanzen*: Hiſpanis Chiſmes, Chimeſas, & Parauelhos: Gallis Puneſes.*

Cimicum vires.

Cimices ſylueſtres.

Nomina.

Ὄνοι

## CIMICES LECTVLARII.



## Ὄνοι. MILLEPEDAE. CAP. XXXIIII.

Millepedæ, quæ ſub aquario vaſe ſtabulantur, animalia ſunt multis pedibus nitentia, quæ contacta manu contrahuntur in orbem. Hæ ex vino potæ difficili vrinæ, & regio morbo auxiliantur. Millepedæ cum melle anginis vtiliter illinuntur tritæ, & in cortice mali punici calfactæ, doloribus aurium, addito roſaceo, conuenienter inſtillantur.



Millepedarum conſid.

*Millepedæ, quas vulgo appellamus Porcelleti, animalia ſunt exigua, & omnibus vulgaria: proinde non operæpretium duxi, vt plura de eis in præſentia referam, quàm tradiderit Dioſcorides. Ceterùm animalcula hæc Galeno commendata ſunt lib. 2. de comp. med. ſecundum locos ad diuturnos capitis dolores, vbi ſic inquit: Maximè etiam proſunt ſub aquario vaſe naſcentes aſelli, millepedæ appellati, ſi oleo incoquantur. Quamobrem neſciuerim, cur dixerit Plinius lib. 29. cap. vltimo, Millepedam animal eſſe è vermibus terræ, piloſum, multis pedibus arcuatim repens. Animalia, quæ Græcè ὄνοι, Latinè Millepedæ, Aſelli & Multipedæ vocantur: Arabicè, Harna: Italicè Millepedi: Germanicè* Eſel: *Hiſpanicè Gallinilha: Gallicè Cloporte.*

Millepedarum vſus.

Nomina.

## Σίλφη. BLATTA. CAP. XXXV.

Blattæ eius, quæ in piſtrinis inuenitur, interanea trita, aut cum oleo decocta, aurium dolores inſtillatæ mitigant.

Blattarum conſideratio.

*Blattarum plura eſſe genera, auctor eſt Plinius lib. 29. cap. vltimo. Verùm hæ, quarum in Hetruria aliquibus locis ingens eſt multitudo, & quæ vulgò vocantur Piattole, noctu magis, quàm interdiu in cellis vinarijs apparentes, circa latrinarum ora, in piſtrinis, balneis, vliginoſisq; ædium partibus, fœdiſſima quidem nauſeoſaq; ſunt animalia. Gryllos hæ qui noctibus æſtate ſtrident, quadantenus referunt: planiores tamen, cruribus etiamnum tenuioribus araneorum modo: proinde fugæ citiſſimæ. Lux iſtis aduerſiſſima, ita vt, ſi nocte lumen repentè inferatur, humentibus locis, in quibus degunt, celerrimo curſu refugiant. De his igitur, vt pote quæ multùm in piſtrinis verſantur, intellexiſſe Dioſcoridem credendum eſt: non autem de illis vermiculorum modo oblongis, quæ in apum aluearijs, & in carnibus diu ſale inueteratis enaſcuntur: quanquam & hæ blattæ nomen ſibi vendicauerint. Nobis hæ vocantur vulgo Barbeggie, alijs verò Carpe. Blattarum vires, quas pluribus Plinius conſcripſit, ſilentio inuoluimus, rati gratioribus, ſalubrioribusq; remedijs morbos poſſe*

Nomina. *ſapari, quàm ijs, qui à tam fœtidis, atq; execrandis ſumuntur animalibus. Quæ Græcis σίλφη, Latinis pariter & Italis Blatta nominatur: Germanis* Grillen vnnd Heimichen. *Hiſpanis, Rapacoua.*

Πνεύμων θαλάσσιος. **PVLMO MARINVS.** CAP. XXXVI.

POdagras, pernioneſque emendat pulmo marinus recens, tritus & illitus.



Pulmonis marini conſi. *PVlmones marini animalium pulmonibus non abſimiles habentur. His (vt Plinius eſt auctor libro 9. cap. 47. eadem quæ frutici ineſt natura, perinde ac ſpongijs, vrticis, ſtellis, & olothyris. Conſpiciuntur marini pulmones plerunq; vndis ſupernatantes, futuram maris procellam præſagientes. Colore criſtalli in modum pellucido, cum cæruleo miſto, ſubſtantia tam fragili, vt vix è mari integer eximi queat. Mirum, quod ſi ijs virgæ baculiq; perungantur, nocte facium accenſarum modo lucem edunt: admotus pruritum facit, & ruborem excitat, id quod ego in me ipſo expertus ſum.* Nomina. *πνεύμων θαλάσσιος ita Græcis: Latinis verò Pulmo marinus appellatur: Italis Potta marina. Hiſpanis, Natura de vieja, Capacha de velha.*

Πνεύμονες. **PVLMONES.** CAP. XXXVII.

SVillus, & agninus, vrſinuſq; pulmo impoſitus, attritus á calceamentis contractos, ab inflammatione tuetur. Vulpinus verò ſi arefactus bibatur, ſuſpirioſos adiuuat. Adeps a quoque liquefactus, infuſuſq; aurium dolores finit.

a Meum αὐτῆς i. ipſius.



*MVlta præterea ſunt horum animalium membra, de pulmonibus quorum diſſerit Dioſcorides, quæ medicamenti vim poßident, de quibus poſtea ſpeciatim ſuis locis dicetur. Verùm cùm hæc animalia nemini non ſint cognita, non opus eſſe exiſtimo, vt de ijs plura dicamus.* Vana de vrſæ partu opinio. *Quanquam illud ſilentio non dißimulandum, quòd ſcilicet Vrſarum partus non ſit plurimis membris indiſcretus, cruribus præſertim, & vndiq; rudis, ac informis: nec quòd parentis linctu formam tandem recipiat vrſinam, vt nonnulli ſcriptis commendarunt, & credit vulgus. Quandoquidem in valle Anania ſupra Tridentum vidimus nos prægrandem Vrſam prægnantem, ab ipſis venatoribus exenteratam, cuius catuli adhuc in vtero exiſtentes, omnibus ſuis membris diſtinctis, ac formatis reperti ſunt, non autem informes, vt plæriq; exiſtimant, magis fortaſſe Ariſtotelis, & Plinij auctoritatibus freti, qui ita eſſe memoriæ prodiderunt, quàm ſenſibus, & experientiæ.* Nomina. *Πνεύμονες Græcè, Pulmones Latinè dicuntur: Arabicè, Rich, & Riche: Italicè Polmoni: Hiſpanicè, Leuianes: Gallicè, Polmon.*

Ἥπατα.

## IECINORA. CAP. XXXVIII.

ASini iecur inaſſatum eſu comitialibus prodeſt: veruntamen ieiunis edendum præcipitur. Capræ verò inaſſati decidua ſanie, inungi luſcioſos prodeſt: & dum coquitur, apertos oculos halitu eius vaporari: prodeſt in cibo toſtum ad eadem. Tradunt hircini iecinoris cibo comitiales deprehendi. Aprinum recens ſi arefactum teratur, ex vino potum, contra ſerpentium, † volucrumq; morſus auxilio eſt. Iecur canis, qui rabie exagitatur, toſtum, & in cibo ab emorſis ſumptum, ne tententur metu aquæ tueri creditur. Vtuntur autem ad arcendos aquæ pauores dente eo, qui caninus dicitur: hunc à cane, qui momordit, exemptum & folliculo inditum, pro amuleto brachio adnectunt. Inueteratum autem ſale Mergi iecur, ex hydromelite binis ligulis potum, ſecundas pellit.



*PRæter Aſini, Capræ, Hirci, Apri, rabidi Canis & Mergi iecur, eſt & Lupinum, quo vtuntur medicorum nonnulli, qui primas tenent in vniuerſa Italia. Siccant enim lupinum iecur, mox in puluerem conterunt, & tanquam præcipuum medicamentum iis exhibent, qui iecinoroſis afficiuntur fluxionibus: iiſq; ſimiliter, qui aqua inter cutem laborant. Quanquam id probare non videatur Galenus lib. 11. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Iecur lupinum ſæpenumero in medicamentum indidi hepaticum, quod ex eupatorio conficitur, nec tamen quod memoria dignum ſit, amplius præſtare comperi, ad illud videlicet comparans, quod ſine ipſo componitur. Secus autem Galenus de iecore lupino ſcripſit poſtea libr. 8. cap. 8. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, vbi iecinoris medicamenta recenſet, cùm ſic inquit. Cochlearum terreſtrium carnem valde probè terito, & affuſis vini nigri cyathis tribus calfacito ac bibendum dato. Videntur autem hæc iuxta totam ſubſtantiam efficacia eſſe, non ſecundum vnam aut alteram qualitatem. Quale eſt & lupinum hepar, cuius abunde experimentum habemus. Vſus autem ipſius conſimilis cochleis eſt: teritur enim exacte hepar lupinum, & datur drachma vna cum vino aliquo dulci, qualia ſunt theræum, Creticum, & ſcybelites, ac dulce protropum. Benigna enim hæc ſunt viſceri, ipſum nutrire potentia, & media iuxta calidi & frigidi oppoſitionem: & ob id talia pharmaca omnibus intemperaturis conuenire videntur, vt quæ ex ſubſtantiæ proprietate cõmoditatem de ſe exhibẽt, & neq; calidas neq; frigidas intemperies lædunt: hactenus Galenus. Cæterùm idem in ſimpliciũ medicamentorũ cenſu, libro paulo ante citato, Canis rabidi iecur non iis præſtare viribus, quibus aliquorum fert opinio, ſcriptum reliquit his verbis: Iecur rabientis canis, ſi aſſum edatur, remedium exiſtere iis, qui ab ipſo fuerint demorſi quibuſdam memoriæ eſt proditum. At ſcio certè quoſdam qui ipſum ſumpſere, manſiſſe ſuperſtites, verùm non illo ſolo: ſiquidem aliis præterea remediis vſi ſunt, quorum fecimus periculũ in rabioſorum morſibus. Audiui verò quoſdam, cùm illi ſoli fidem habuiſſent, poſtea mortuos. De iecore Mergi in aqua degentis, tametſi Galenus nihil literis mandauerit, Paulus tamen id renum calculos eiicere tradidit. Dioſcorides verò ſecundas, non autem calculos pellere protulit. Quo fit, vt Pauli codicem deprauatum eſſe crediderim. At ventris quidem Mergi meminit Galenus citato loco, eorum opinionem vt vanam explodens, qui ventriculo roborando ipſum exhibent. Eoq; idem deridet medicos, qui ad idem vſurpant internas ventriculorum gallinarum tunicas: ſiquidem ait, ſe vtrunq; expertum fuiſſe, nec inde quicquam conſecutum emolumenti. Quod tamen cùm ignorent recentiorum quidam, cum ſeplaſiariis ad ventriculum roborandum aliquid præcipiunt, nihil frequentius habent in ore, quàm illud, Recipe ſtomachi gallinarum, longè magis vulgum, quàm Galeni dogmata ſecuti: quanquam in hoc Galenus ſua experientia fretus, apertè Dioſcoridi refragetur. Quod Græci ἧπαρ, Latini item hepar & iecur vocant: Mauritani Bedib: Itali Fegato: Germani Leber: Hiſpani Figado.*

Iecinoris lupi conſid.

Lupini Iecinoris vires ex Galeno.

Canis rabidi iecur.

Mergi iecur & venter.

Nomina.

*† Sunt qui hoc loco non πτηνῶν quod eſt volucrum, legant: ſed κτηνῶν id eſt, quadrupedum, priore tantùm mutata litera. Certè facilis hic fuit librariorum lapſus: tamen quæ ſit vera Dioſcoridis ſcriptura, non facilè intelligi poteſt, cùm Plinio aues etiam dentatæ prodantur.*

Αἰδοῖον ἐλάφου.

## GENITALE CERVI. CAP. XXXIX.

GEnitale cerui tritum, & in vino potum, à vipera demorſis auxiliatur.

*RHaſis auctor eſt, Genitale cerui, præter vim, quam ſibi natura comparauit contra viperarum morſus, vt etiam ſcribit Dioſcorides, auxilio eſſe remorantibus vrinis, ac coli cruciatibus affectis, ſi vbi aqua probè fuerit elotum, ipſa ſtatim*

Genitale cerui vires.

*ablutionis bibatur aqua. Aiunt in puluerem tritum, & ijs medicamentis inditum, quæ venerem excitant, ea valentiora efficere. Quin & dyſentericis mederi magno ſucceſſu à nonnullis expertum eſt. Cerui genitale auxiliari ſerpentium morſibus autor eſt quoq; Nicander in Theriacis hoc carmine, à quo ſumpſiſſe videtur Dioſcorides:*

Ἠὲ καὶ ἐξ ἐλάφοιο ταμὼν ποιεῦντα θοραίην.

Nomina. *Quod αἰδοῖον ἐλάφου Græci, Genitale cerui Latini dicunt: Itali, Verga del ceruo.*

Ὄνυχες ὄνου, καὶ αἰγός.

## VNGVLÆ ASINI ET CAPRÆ. CAP. XL.

VNgularum aſini cinis per dies multos binis cochlearibus potus, proditur comitiales adiuuare: eædem oleo ſubactæ ſtrumas diſcutiunt; & illitæ pernionibus medentur. Caprinarum cinere perunctæ ex aceto alopeciæ ſanantur.



Vngularum vires. *NOn ſolum Aſini & Caprarum vngulæ in medicum veniunt vſum, ſed & Vaccarum, ex prioribus tantùm pedibus exutæ, vt auctor eſt Rhaſis libello de 60. animalibus. Siquidem harum combuſtarum cinerem potum, nutricibus lactis copiam præbere exiſtimat: Mularum verò mulieres infæcundas reddere. Quinetiam mures earum ſuffitu fugari, ipſis carbonibus impoſitis & accenſis.* Nomina. *Earum nomen Græcum ὄνυχες, Latinum Vngues & Vngulæ: Arabicum Chaſit, Stes & Dalef: Italicum Vngie: Hiſpanicum Vnhas de animal: Gallicum Ongle.*

Λειχῆνες ἵππων.

## LICHENES EQVORVM. CAP. XLI.

LIchenes ſunt in equorum genibus, & ſuper vngulas indurati calli, qui triti, & in aceto poti, comitialibus mederi traduntur.

LICHENES EQVORVM.



Callorum equi vires. *DE Callis, qui equorum cruribus innaſcuntur, meminit Plinius libro 28. cap. 10. & 15. iiſq; tritis, & per aurem cum oleo infuſis, dentium dolorem mulceri ſcribit, diebuſq; quadraginta ex vino aut mulſo potis calculos expelli.*

Cæterùm

Cæterùm Galenus, cui etiam ſubſcribit Paulus, addidit hos quibuſdam vſurpari ad quemlibet animalium morſum: Λειχῆνες ἵππων ita Græcis, Latinis verò Lichenes equorum nominantur: Arabibus Zeide: Italis Calli de caualli: Hiſpanis Impigenes dellos cauallos: Gallis, Cal des iambes des cheuaux. Nomina.

## Καττύματα. CORIA VETERAMENTARIA. CAP. XLII.

VEteris corii cremati illitus cinis ambuſta igni, intertrigines, necnon calceamentorum attritus ſanat.

*Coria vetera, quæ videlicet veteramentorum ſunt, vſta (vt Galenus memoriæ prodidit libro 11. de ſimplicium medicamentorum facultatibus) ad attritiones commodari calceamentorum ſcriptum à quibuſdam eſt, tanquam ſcilicet hoc faciant ex antipathea quadam. Certè quæ phlegmone obſidentur, haudquaquam iuuantur: verum vbi ſedata fuerit phlegmone, non iniuria iuuantur, nempe quia reſiccantur: hæc Galenus. Cæterùm veteramenta prunis accenſo fumo naribus accepto, efficaciſſimum conſtat eſſe remedium ad vuluæ ſtrangulatus, vt mihi quoq; experientia comprobatum eſt: quandoquidem hoc tantùm remedio ego deploratas in eo affectu mulieres incolumes pluries reddidi. Iis ſimiliter accenſis ſerpentes efficaciter fugari compertum eſt, neq; eos modò, qui in domibus noſtris oberrant: ſed eos etiam, qui in hominum corpora ingrediuntur, dum homines per æſtatem alto ſomno oppreſſi, ore aperto in campeſtribus obdormiunt. Quod ſcriptis tradidit Marcus Gattinaria noſtræ ætatis medicus non contemnendus, accidiſſe ſuo tempore cuidam homini, cui cùm fruſtra adhibita eſſent innumera medicamenta, ipſaq; alioquin efficaciſſima, illud tamen magnificè præſtitit veteramentorum fumus traiectorio in corpus hauſtus. Siquidem cum primùm immanis fera (erat enim vipera non parua) fumi nidorem præſenſit, viſa eſt à circumſtantibus egredi per anum, nō ſine magna omnium admiratione. Καττύματα ſic Græci, quæ Latini Coria veteramentaria vocant: Arabes Geldalatiche: Itali Scarpe vecchie: Hiſpani Zepatos viegos.*

Veteramentorum vires ex Galeno.

Vipera ex homine fugata.

Nomina.

## Ἀλεκτορίδες καὶ ἀλεκτρυόνες. GALLINÆ ET GALLI. CAP. XLIII.

DIſſectæ gallinæ, & adhuc calentes appoſitæ, ſerpentium morſibus auxiliantur: ſed identidem alias ſufficere oportet. Earum cerebellum in vino bibendum datur contra ſerpentium morſus: ſanguinem à cerebri membrana profluentem ſiſtit. Quæ interiore ventriculi galli ſinu reſidet membrana, ſecti in lamiuas cornus ſpecie ſimilis (ea verò inter coquendum abiici ſolet) ſiccatur, tritaque in vino conuenientiſſimè ſtomachicis datur in potu. † Ius è vetere gallinaceo aluum deiicit. Abiectis itaque interaneis ſalem coniici oportet, & conſuto ventre decoqui in viginti ſextariis aquæ, donec ad tres heminas redigantur: totum id refrigeratum ſub diuo, datur. Aliqui incoquunt olus marinum, mercurialem, cnicum aut filiculam. Crudos humores, craſſosq;, atram bilem, & ſtrigmenta elicit: prodeſt longis febribus, ſuſpiriis, articulariis morbis & inflationibus ſtomachi.

GALLINAE ET GALLI.



*TAmetſi Gallinarum ius ſimplex (vt Galeno proditum eſt libro 11. ſimplicium medicamentorum) retinendi vim habeat: gallorum tamen veterum cum ſale diutius decoctorum, ſubducendi facultatem obtinet. Aduerſus ſerpentium morſus tam gallinis, quàm gallinaceis vtuntur medici, non tantum ipſis diſſectis & appoſitis (vt docet Dioſcorides) ſed viuentibus adhuc plumas detrahunt ab ano, eumq; demorſis partibus apponunt: attrahunt enim hæc animalia cucurbitularum modo in ſe venenum, quo mox interficiuntur. Quamobrem alios gallinaceos viuos continuò apponere neceſſe eſt, donec iniectum virus penitus abſumatur. Vtuntur præterea gallinarum adoleſcentium iure, ad æquandos corporis humores: poſt febrium diſceſſum, cum ſaccharo, ſerapij modo. Ad hæc gallorum cum gallinis nondum coëuntium teſtes, deperditas in morbis vires mirificè reſtituunt: quam ob cauſam hecticis & maraſmo laborantibus, morborumq; diuturnitate macre factis vtiliter exhibentur. Inſuper gallinaceorum teſtes ſemen prolificum ſuppeditant, & venereas roborant vires. Plinius cùm de gallinis diſſereret lib. 29. cap. 4. hæc inter cætera memoriæ prodidit. Non præteribo (inquit) miraculum, quanquam ad medicinam non pertinens, ſi auro liqueſcenti gallinarum membra miſceantur, conſumunt illud in ſe, ita hoc venenum auri eſt. At gallinaceis ipſis circulo è ſarmentis addito collo, non canunt. In quibus illud quoq; ſibi à natura datum, non eſt non ſummopere admirandum, quòd noctis horas diſtinguant ſuo cantu: qua in re nunquam adeò ſomno capiuntur,*

Gallorum & gallinarum vires ex Gal. & aliis.

Nomina. *tur, quin ſtatis horis cantent: etſi per anni circulum noctes modò breues, modò maxima fiant. Gallinæ ſic Latinis, ἀλεκτορίδες Græcis vocantur: Arabibus, Degedi ſiue Giaziudiuch: Italis Galline: Germanis* Han vnd Hennen: *Hiſpanis Gallinas: Gallis Gellines & Coq.*

† Codices Græci typis expreſſi hoc in loco habent: *ὁ δὲ ζωμὸς τῶν νέων ἀλεκτόρων μάλιστα δίδοται ἐπὶ κράσεως χολώδων, καὶ ἐπὶ τῶν στόμαχον πυρουμένων ἁπλῶς σκευαστείς. hoc eſt ad ſenſum: Ius galli iunioris maximè datur ad contemperandos humores vitioſos, & in ardoribus ſtomachi ſimpliciter paratum. Verba illa Ruellius, cuius interpretationem alioquin ſequimur, vel neglexit, vel illegitima indicauit. Nos verò huc ea afferenda duximus, non ſolum quod in vulgatis codicibus ac antiquiſſimo (teſte Marcello) legantur: ſed quia etiam à Serapione referuntur. Quibus etiam ſubſcribere videtur verborum ſeries & communis rei vſus.*

## Ὠόν. OVVM. CAP. XLIIII.

OVum molliculum plus alit ſorbili & durum plus molli. Luteum oui contra oculorum dolores vtile eſt: inaſſatum ſedis inflammationibus prodeſt, cum croco & roſaceo: & condylomatis, cum meliloto: cum vua autem fruticis eius, quem rhoa dicunt aut galla, in patinis frigitur, vt cibo aluos ſiſtat: per ſe etiam offerri ſolet. Candidum oui crudum refrigerat: ſpiramenta cutis occludit: inflammationes oculorum infuſum lenit: ambuſta, ſi ſtatim eo perungantur, puſtulas non ſentiunt: faciem à ſolis aduſtione tuetur: fronti impoſitum cum thure fluxiones arcet, auertitq́: inflammationes oculorũ lana exceptum, addito roſaceo, melle & vino mitigat: vtiliter contra hæmorrhoidis ſerpentis morſus crudum ſorbetur: ſummè tepidum prodeſt veſicæ roſionibus, renum exulcerationibus, gutturis ſcabritiæ, reiectionibus ſanguinis, deſtillationibus & thoracis rheumatiſmis.



Ouorum cõſideratio. *DE Gallinarum tantùm ouis hic locutum fuiſſe Dioſcoridem, credendum eſt: quippe quæ ſint cæteris præſtantiora, eorumq́ ſit tum in cibis, tùm in medicinis præcipuus vſus. Nam quemadmodum teſtatur Galenus lib. 3. de facultatibus alimentorum, & Iſach Arabicus in ſuis diætis, gallinarum oua gratioris ſunt ſaporis, ori iucundiora, plusq́ afferunt alimenti, quàm cætera. Alunt hæc, & breui reficiunt tempore, recreant, ſemen prolificum augent, & vires ad coitum ſuppeditant. Quæ omnia eò præſtant efficacius, quò recentiora ſunt, & à gallinis edita, quæ prius admiſſarios gallos ſuſceperint: quandoquidem (vt Galenus inquit) recentia veteribus plurimum præſtant, quippe optima ſunt recentiſſima, peſſima autem vetuſtiſſima. Secundum locum ſibi vendicant à perdicibus, & phaſianis edita, quanquam gallinacea viribus non excellant.* Perdicum & Phaſianorũ oua. *Deteriora verò ſunt anatum, anſerum, gruum & reliquarum aquatilium: aggrauant enim ventriculum: ſuccum craſſum gignunt, & ægrè concoquuntur, tametſi plurimum præbeant alimenti, vbi à validis, robuſtisq́ ventriculis optimè conficiantur. Columbarum oua admodum calida ſunt, potius in medicamentorum, quàm ciborum vſum expetenda.* Pauonum oua peſſima. *Pauonum autem ac ſtruthiocamelorum peſſima ſunt, ſaporis horrendi, concoctu contumacia et humanæ temperaturæ inimica. In ouis luteum candido longè præſtat: nempe quòd illud temperatum conſtat, ori non ingratum, boni ſucci & concoctu minimè contumax: hoc verò frigidum eſt, pituitam gignit, ægreq́ concoquitur.* Ouorum coctura diuerſa. *Oua varijs & diuerſis modis decoquuntur: quo fit, vt etiam diuerſum afferant nutrimentum, & ob id diuerſos in corpore pariant ſuccos.* Oua tremula. *Probantur, quæ cum putamine decoquuntur, & horum præ cæteris, quæ tremula vocant, quòd lactis ſemicoagulati inſtar tremant. Sorbilia, quæ vt velocius hauriantur, breuiorem cocturam experiuntur, minus ſanè nutriunt. Quæ autem cum putamine longiore elixatione indureſcunt, difficillimè concoquuntur, craſſos generant ſuccos, obſtruunt, in ventriculo marceſcunt: arenulas & calculos gignunt: coli & ventriculi excitant cruciatus. Porrò ex ijs, quæ extra putamina coquuntur, ea cæteris præſtant, quæ integra in feruentem immerguntur aquam: hæc à noſtris, quòd quaſi diſpergantur, vulgò Sperdute vocantur. Veruntamen curandum, ne hæc quoq́ indurentur: ſiquidem vbi duritiem contraxerint, non ſecus atq́ alia diutius cocta, redduntur noxia.* Oua frixa. *Quæ deinde ex oleo, aut butyro integra friguntur, ventriculum lædunt, ructus commouent, ægrè conficiuntur, conſocium corrumpunt cibum, malum præbent alimentum, & putridas pariunt exhalationes. Quæ demum ſuper prunis torrentur, aut ignitis figulinis tegulis inaſſantur, aluum cohibent, difficileq́ concoquuntur. Et hæc ſufficiant de ouorum in alimentis facultates.* Ouorum vires ex Gal. *Cæterùm quibus, quantisq́ oua in medicamentis polleant viribus, retulit Galenus lib. 11. de ſimp. med. facultatibus, ſic inquiens: Ouorum album & tenue illud, quo item ad ophthalmias vtimur, ex numero eſt medicamentorum minimè mordicantium. Itaque vtendum eſt oui albumine non tantùm ad oculos, verùm etiam ad alia omnia, quæcunque medicamenta requirunt maximè expertia mordacitatis, vt ſunt omnia ſedis ac pudendorum vlcera*

ta maligna. Miſcetur quoque vtiliter medicamentis profluuium ſanguinis ex cerebri membranis ſupprimentibus, quæ ... marum citra morſum illinuntur, atque aſtringunt. Sed & ad vlcera rebellia miſcetur ijs, quæ abſque morſu ex poſſunt deſiccare, cuiuſmodi eſt medicamen Pompholyx elota, & metallicorum quædam elota, de quibus priuatim ſupra diſſeruimus. Porro & ipſe vitellus adſimilis eſt naturæ, ac proinde miſcetur ceratis morſus expertibus, ouis videlicet aut elixis, aut

Ouorum partes.

aſſis. Verum id tamen manifeſtum eſt inter hæc leuiculam exiſtere differentiam, quod paulò plus deſiccent quæ ſunt aſſa: ac quantum huius accipiunt facultatis, tantum deperdant de mitigandi potentia. Miſcetur & cataplaſmatis phlegmonem arcentibus, vt ijs quæ ex meliloto conſtant, ſedi applicandis. Crudo verò ouo toto vtimur admiſto roſaceo ad palpebrarum, aurium, mammarumquè phlegmonas, quæ ſcilicet aut ictis illis, aut alio quouis modo euenerint, aut extiterint in neruoſis corporibus, puta cubito, & digitorum tendonibus, aut articulis, idquè in pedibus pariter, & manibus. Porrò in aceto coctum ouum ſi edatur fluxiones ventris deſiccat. At ſi etiam quippiam eorum, quæ ad dyſſenteriam, aut cœliacum affectum conueniunt, illi miſcueris, atque in igne modico, fumiquè experte (qualis eſt, qui ex prunis conſtat) in ſartagine frixeris, edendumquè ita præbeas, non minime ſanè laborantes adiuueris. Aptiſſima tale ad miſtionem ſunt omphacium, rhus, tum ipſe qui cibis adſpergitur erythros nuncupatus, tum ſuccus ipſius, gallæ, ſidia, hoc eſt mali granati putamina, ciborum coblearum integrarum vſtarum. Apta quoque & vuarum acini, & myrta, & meſpila, & corna. Magis iſtis medicamentoſa ſunt balauſtium, hypociſtis, cytini, ſiue mali punici flores. Sed & ad ambuſtiones protinus crudum impoſitum eſt vtile, ſiue quis ſeorſum albumen duntaxat ipſum molli lana excipiat, ſiue etiam cum vitello totum commiſcens applicet. Etenim mediocriter refrigerat, & citra morſum deſiccat. Nam medicamentis, quæ humiditates deſiccant, aut elixum, aut aſſum, aut in ſartagine frictum miſcetur: ijs verò, quæ craſſa in pectore, pulmonequè incidunt, ſorbile quod vocant: id quod in aqua eo vſque lixari debet, dum incaluerit. Eiuſdem ipſius naturæ nomine & ad eos, quibus fauces aut ex vociferatione, aut ex humorum acrimonia exaſperatæ ſunt, aſſumitur: tum ſcilicet quòd affectis partibus illinitur, atque cataplaſmatis modo inhæret: tum quòd ſubſtantiæ ſuæ lenitate ea mitigat, ſanatquè. Eadem ratione ſtomachi, ventris, inteſtinorum, ac veſicæ medetur aſperitatibus: hæc Galenus. Ouum recentiſſimè excluſum, ſi crudum dum adhuc calet abſorbeatur, præſtat maximo ſanè auxilio, cùm ad alba fœminarum profluuia, tum quoque ad gonorrhæam. Cæterùm oleum, quod è

Oleum ex ouorum luteis.

vitellis diu in ſartagine frixis elicitur, illitum aſperitatibus cutaneis mirificè prodeſt: ſerpigines, & vtiligines emendat: rimas labiorum, manuum, ſedisquè ſanat. Quinetiam vlcerum dolores, & articulorum cruciatus mulcet. Prodeſt & aurium doloribus, atque vlceribus: item ambuſtis vtiliter illinitur: cerebri contuſas membranas putrilagine affectas mirum in modum à partibus ſanis ſegregat, vt nos compluries magno cum honore periculum fecimus. Ex ouis præterea omnibus volu-

Animalia ex ouis orta.

cribus generatio euenit, quanquam & aquatilibus ferè omnibus, præterquam phocæ, delphino, & alijs nonnullis. Gignuntur item ex ijs & è terreſtribus quædam, vt crocodili, lacertæ, teſtudines, ſtelliones, & alia: & è reptilibus omnia, vipera excepta. Verùm, vt Hippocrates auctor eſt libro de natura pueri, ſeu fœtus (niſi fortaſſis librariorum culpa eo in loco codex ſit deprauatus) pullus ex vitello naſcitur, informaturq́ue, ex albumine verò alimentum, & augmentum capeſſit. Cui ſanè ſententiæ illud prorſus refragatur, quod de pullorum creatione longo ſatis ſermone poſteritatis memoriæ prodidit Ariſtoteles lib. 6. cap. 3. de hiſt. animalium. Illud inſuper eam refellit ſententiam, quod experientia ſæpe à mulierculis compertum eſt, quæ ſuis gallinis oua incubanda ſubijciunt. Siquidem exempto quandoque fœtu, die vno, atque duobus ante tempus excluſionis, fractis pulli viſceribus magnam vitelli partem inuenerunt in corpus aſſumptam. Teſtudinum oua,

Oua teſtudinum.

quanquam diutius elixantur, nunquam tamen eorum album concreſcit, quamuis luteum admodum dureſcat. Præterea experimento compertum habeo teſtudines ſtatim oua non edere cùm teſta obducuntur, quemadmodum volucres, ſed poſtquam omnia, quæ in corpore fuerint, teſtaceum contraxerint putamen: namque mihi quandoque contigit diſſecuiſſe teſtudinem, quæ vtero ſeptena gerebat oua, ſuo putamine obducta, quod & ſerpentibus euenire quidam exiſtimant. Ouum quod

Nomina.

Latini, ὠὸν Græci vocant: Arabes, Naid, Beid, ſeu Baid: Itali, Vouo: Germani, Ein Ey: Hiſpani, Hueuo, & ouo: Galli Oeuf.

## Τέττιγες. CICADAE. CAP. XLV.

Cicadæ, quæ inaſſatæ manduntur, veſicæ doloribus proſunt.

### CICADAE.



Cicadarum conſideratio.

CIcadæ paſſim in Italia cognoſcuntur, atque adeò inibi vulgaris notitiæ ſunt, vt ſæpe æſtate aſſiduo cantu meſſores, agricolas, ac viatores in campeſtribus obtundant. Cæterum quemadmodum tradidit Ariſtoteles lib. 5. cap. 30 de hiſtoria animalium, & Plinius lib. 11. cap. 27. qui certe ea omnia Ariſtoteli accepta referre poteſt: Cicadarum duo ſunt genera: aliæ enim minores, quæ primæ prodeunt, & nouiſſimæ pereunt; aliæ maiores, quæ canunt, eædemq; nouiſſimæ prodeunt & primæ intereunt. Sunt quæ canunt præcinctu diuiduæ ſiue minores, ſiue maiores ſunt: quæ autem non canunt, indiuiduæ ſunt. Pariunt in aruis ceſſantibus, excauantes fœturæ locum aſperitate præacuta, quam parte habent poſteriore, quemadmodum & bruci. Quin etiam in arundinibus, quo adminiculo vites eriguntur, nidum fœturæ excauant. Proueniunt largè copia imbrium. Creſcit primò in terra vermiculus, deinde fit ex eo, quæ tettigometra vocatur parentu nomine, quo tempore guſtu ſuauiſſimæ ſunt, anteaquam cortex rumpatur. Poſtmodum circa ſolſtitia noctu exeunt, ſtatimq; rupto cortice prodeunt cicadæ ex matrice illa cicada, quam modò tettigometram dixi. Mares canunt in vtroq; genere, fœ-

Cicada ſine ore eſt.

minæ verò ſilent. Vnum hoc animal, ex ijs quæ viuunt, ſine ore eſt. Pro eo quiddam aculeatum linguis ſimile habent, & hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipſum fiſtuloſum, vnde illis redditur cantus. Oleas maxime amant, vt minus vmbroſas, quanquam & cæteras non aſpernantur arbores: proinde vbi arbores deſint, naſci non poſſunt. Loca præterea

Alberti lapſ.

frigidiora oderunt: quamobrem in vmbroſis nemoribus eſſe nequeunt, nec in frigidis etiamnum regionibus. Quo factum eſt, vt crediderit Albertus cognomento magnus, gryllos, qui noctu ſtrident, cicadas eſſe: quippe quòd in Germania, qua fuit oriundus, frigidiſſima regione ad Arcticum ſpectante, tametſi frequentes habeantur grylli æſtate in campeſtribus, hyeme verò ad hypocauſtorum fornaces plerunque ſtabulantes, cicadæ tamen deſunt. Parthi cicadis veſcuntur, quemadmodum & gentes ad Orientem. Idcirco mirum non eſt, quòd dixerit Ariſtoteles, eas eſſe guſtu ſuauiſſimas, anteaquam tettigometræ rumpatur cortex. Cæcinus fluuius (vt Pauſanias eſt autor) Locrenſem agrum, à Rhegino diuidens, cicadarum miraculo eſt memorabilis. Citerioris enim Locridis accolæ, atque aliæ omnes argutæ ſunt. At in Rheginorum finibus trans Cæcinum,

Cicadarum vires ex Gal.

nulla eſt omnino cicada vocalis. Cicadarum vires deſcripſit Galenus lib. 11. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Sed & cicadis ſiccis quidam vtuntur ad colicos affectus, cum paribus numero piperis granis, dantq; aut tres, aut quinq;, aut ſeptem, per intermiſſionem videlicet, & ipſos etiam paroxyſmos. Porrò alij aſſas edendas offerunt, quibus affecta veſica eſt.

Nomina.

Τέττιγες Græcis, Cicadæ Latinis dicuntur: Italis Cigale: Hiſpanis, Ciguattregas: Gallis Sigale.

## Ἀκρίδες. LOCVSTÆ. CAP. XLVI.

LOcuſtæ odoris ſuffitu vrinæ difficultates adiuuant, præſertim quæ fœminas malè habent: earum carnes nullo ſunt in vſu. Eſt & quoddam genus locuſtæ, quæ aſiracos, aut onos dicitur, ſine pennis, prælongis cruribus. Exiccata autem ſi ex vino bibatur, contra ſcorpionis morſus magnopere proderit. Hac abunde veſcuntur Aphri, qui Leptin, incolunt.

### LOCVSTAE.



Locuſtarum conſideratio.

LOcuſtæ omnibus notæ, variæ pro morum & locorum diuerſitate ſortiuntur nomina. Verùm herbis & ſegetibus infeſtiſſimæ, quòd ſæpius quibuſdam in regionibus paucis admodum diebus vniuerſa terræ germina abſumant. Harum, quemadmodum tradidit Ariſtoteles lib. 5. cap. 28. de hiſtoria animalium, qui mares ſunt, fœminis magnitudine cedunt. Pariunt in terra fixo cauliculo, quo mares vacant: ac vniuerſæ, & loco eodem fœtum deponunt, ita vt quaſi fauus eſſe videatur. Hinc vermiculi, ſpeciem oui gerentes oriuntur, qui terra quadam prætenui tanquam membranula ambiuntur: qua diſiecta emergunt locuſtæ ac euolant. Tam mollis fœtura hæc eſt, vt ad tactum leuiſſimum dilabatur & pereat. Pariunt exitu veris, & ſtatim à partu moriuntur, vermiculis circa collum innaſcentibus tempore partus, qui eas ſtrangulent. Mares quoq; eodem tempore obeunt. Locis montanis, aut tenuibus locuſtæ non fiunt, ſed planis, rimoſiſq;: pariunt enim in rimis ſua oua. Tranſeunt Locuſtæ immenſa maria, immenſoſq; tractus permeant (vt Plinius inquit) diraq; meſſibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morſu erodentes. Italiam ex Aphrica maximè coortæ infeſtant, tanta ſanè multitudine, vt ſolem obumbrent ſolicitè ſuſpectantibus populis, ne ſiſtentes ſuas operiant terras, quòd non modò

Locuſtarum agmina in Italia.

vniuerſas cum ſegetes, tum herbas deuorent ad radicem vſque, ſed & radices ipſas regerminare prohibeant. Huius rei teſtimonio fuere inaudita Locuſtarum agmina, quæ noſtro tempore voluente anno Domini M. D. XLII. ex paludib. Maeotidibus profectæ, non ſolùm vniuerſam Pannoniam, maximamq; Germaniæ partem, ſed totam etiam Italiam occuparunt,

Locuſtæ in cibis.

non ſine magna omnium è terra naſcentiũ pernicie: ſiquidem omnẽ ſegetem, omnemq; virentem herbam radicitus deuorarunt. Hæ Parthis in cibo gratæ. Quamobrẽ admirandum non eſt, ſi ſacris literis mandatum ſit, vt Leuitici 11. capite legitur,

*à Moſe probatas eſſe in cibis. Nec mirum etiam; diuum Ioannem Baptiſtam ijs ex ſylueſtri melle victitaſſe in deſerto: tametſi non deſint interpretes, qui velint pro locuſtis quaſdam herbarum radices intelligi: alij verò nonnullas arborum ſummitates. At mehercule in horum ſententiam deuenire nunquam potui: quin potius certò crediderim, ipſum nempe legis Moſaicæ ſectatorem acerrimum; hiſce Locuſtis animalibus victitaſſe, quemadmodum etiam ſentit diuus Auguſtinus, exponens diui Pauli epiſt. ad Romanos. In Cyrenaica regione (vt Plinius eſt auctor) lex eſt ter anno debellandi Locuſtas, primò oua obterendo, deinde fœtum, poſtremò adultas, deſertoris pœna in eum, qui ceſſauerit. Et in Lemno inſula certa menſura præfinita eſt, quam ſinguli enecatarum ad magiſtratus referant. Necare & in Syria militari imperio coguntur: tot orbis partibus vagatur id malum. In India ternûm pedum longitudinis eſſe traduntur, adeò vt fœminarum crura ſerrarum vſum præbeant, cùm inaruerint. Earum nomen Græcum ἀκρίδες, Latinum, Locuſtæ: Italicum item Locuſtæ: Hiſpanicum, Logoſtas de tierra, & Gaſanthotes grandes: Gallicum, Locuſte & Sauterelles.*

Locuſtæ debellantur.

Nomina.

## ὀίνη. OSSIFRAGVS. CAP. XLVII.

OSSIFRAGVS.



VEnter eius auis, quam Latini oſſifragum appellant, particulatim potus, calculos cum lotio pellere proditur.

*VAria admodum eſt inter ſcriptores Oſſifragi hiſtoria. Siquidem Ariſtoteli volucris eſt aquila maior, colore cinereo, albicante. Probè hæc fœtificat & viuit. Pia & benigna eſt: non enim ſuos tantum nutricat pullos, ſed & aquilæ. Cùm autem illa ſuos è nido eiecerit, anteaquam adoleſcant, quòd inter ſe cibi auiditate dimicent, hæc recipit eos, & educat. Parum Oſſifragus oculis valet: nubecula enim oculos habet læſos. At Plinio lib. 10. cap. 3. Oſſifragus in aquilarum genere annumeratur, iſq; ab eodem proditur ex haliaëto, hoc eſt, aquila marina natus. Marinam hanc ſuum genus non habere, ſed ex diuerſo aquilarum coitu naſci, idem auctor eſt. Alberto præterea Oſſifragus ea videtur auis, quam idem lib. 23. Arabica voce appellat Kirij, cùm ſic inquit: Kirij auis eſt præda victitans, bonæ pulliſicationis, & diligenter pullos nutriens, non ſolùm ſuos, ſed & ab aquila abiectos tædio nutriendi: hæc ille. Qui vel clarius meminit Oſſifragi inter aquilarum genera, vbi ita ſcribit: Quintum autem aquilæ genus eſt paruulum valde, & à quibuſdam vocatur frangens os, eò quòd quando carnes comedit, oſſa in altum defert, & ſuper lapidem cadere permittit, vt ex ijs confractis medullam ſugat: hactenus Albertus. Verùm is ab Ariſtotele diſſentire manifeſtè cognoſcitur, quòd Ariſtoteli Oſſifragus non ſit genus aquilæ minimum, ſed auis maior aquilis, dempta Germana. Quo fit, vt in hac hiſtoria Albertum hallucinatum eſſe credam, quemadmodum & Plinium in eadem deceptum puto. Namque marina illa clariſſima aquila vocata (vt Ariſtoteles tradit) oculorum acie maximè pollet, ac pullos adhuc implumes cogit aduerſum intueri ſolem: tum cuius oculi prius lachrymarint, hunc occidit, reliquum educat. Id quod abunde oſtendit hac in re Plinium errâſſe, atque oſcitanter fortaſſe Ariſtotelē legiſſe, quippe cùm marinæ aquilæ pulli acerrimi omnino ſint viſus, nullam ij cum Oſſifrago cognationem habere videntur, quòd hic potius quadantenus cæcitate laboret. Cæterùm, quòd nobis eſſet Alberti codex librariorum culpa deprauatus, in quo oſſifrago pro oſina legebatur, iamdudū credidimus oſſifragum apud Albertum eam auem eſſe, quæ in maritimis noſtris Senenſibus circa Herculis portum, & Orbetelli ſtagnum frequens viſitur, cygno maior, roſtro longo, inferiori parte ſacculi inſtar ampli. Hæc autem incolis vulgò vocatur Agrotto. Sed cùm poſteà animaduertiſſem Albertum in hac hiſtoria apertè Ariſtoteli refragari, atque aliud Alberti exemplar nactus eſſem, in quo oſina, non oſſifraga, vt vitioſè in alio ſcriptum erat, cæpi eos acriter accuſare librarios, quorum negligentia in cauſa fuit, vt in hoc mihi ipſi hactenus imponerem, ſecutus deprauatam Alberti lectionem.*

Oſſifragi cõſideratio.

Plinii opinio.

Alberti ſententia.

Alberti & Plinii lapſus.

*Auis, quæ Græcis ὀίνη; Latinis oſſifragus nominatur.*

Nomina.

## Κορυδαλλός. GALERITA. CAP. XLVIII.

GAlerita auicula eſt parua, apicem in vertice, pauonis modo, geſtans. Hæc aſſa, & in cibo ſumpta, cœliacos adiuuat.

*ALaudarum (vt memoria prodidit Ariſtoteles libro 9. cap. 25. de hiſtoria animalium) duo ſunt genera. Alterum terrenum, criſtatum, Galerita à criſta appellatum. Alterum gregale, nec ſingulare, more alterius, verùm colore ſimile: quanquam magnitudine minus & galero carens. Campeſtres ambæ ſunt aues, vermiculis victitantes, decidentibusque ſeminibus. Mares ſuauiter canunt, primæque ſunt aues, quæ æſtatem cantu pronunciant. Porrò Alaudæ adeò ad aucupes aues expaueſcunt, vt ſæpe, dum ſentiunt ſe perſequi, in hominum gremia confugiant, ne rapiantur. Mares in caueis diutius retenti, altero ſæpius obcæcantur oculo. Quæ auis Græcè κορυδαλλός: Latinè Galerita & Alauda vocatur: Arabicè Hanabroch ſeu Kanabroch: Italicè Lodola: Germanicè Waldlerch: Hiſpanicè Cucuyada: Gallicè Alouette.*

Alaudarum hiſtoria.

Nomina.

GALE-

GALERITA.



χελιδών. HIRVNDO. CAP. XLIX.

DIſſectis creſcente luna pullis hirundinis, qui primo partu excluſi ſunt, in ventre eorum lapillos offendes: è quibus duos, vnum colore varium, alterum purum eximes: ij priuſquam terram attigerint, in iuuencæ corio, aut ceruina pelle, brachio aut collo adalligati, comitalib. proderunt, & ſæpe prorſus eos recreabunt. Hirundines vti ficedulæ, in cibo, aciei viſus medicamentum præbent. Tam pullorum quàm matrum in fictili olla crematarum cinis cum melle oblitus, oculis claritatem adfert: anginæ eo commodè perunguntur: vuæ & tonſillarum inflammationibus hoc cinere ſuccurritur. Et ipſæ & pulli exiccati, ſi drachmæ pondere ex aqua bibantur, hos iuuant, qui anginæ morbo conflictantur.



Hirundinum hiſtoria. *Hirundinum tria habentur genera: vnum noſtra tecta ſubit: alterum vetuſtorum ædificiorum muros, cauernulas, & montium ſcopulos expetit: tertium verò nidificat in altis fluminum ripis. Hæ quotannis (vt Plinius auctor eſt) ex Aphrica maria tranſeuntes, appetente vere ad nos aduolant, & Martio plerunq; Menſe noſtras ingrediuntur ædes: ibiq; è luto, & quibuſdam ſtramentis ſibi conſtruunt nidos, in quibus oua pariunt, & bis pullos excludunt, tantum humanæ fidunt benignitati: atq; vbi vltimos educauerint partus, æquinoctij autumnalis tempore, in ſuas remigrant regiones.* Chelidonium. *Chelidoniam herbam ab his inuentam tradunt, vnde illi nomen eſt inditum. Hanc ſuis obcæcatis pullis deferunt in nidum, hoc tantùm medicamento ijs viſum reddentes. Quinetiam experientia compertum eſſe quidam aiunt, quòd ſi data opera pullorum hirundinum oculi acu perforentur, ſanantur paucis diebus, allata à matre chelidonia herba. Hinc igitur edocti medici ad oculorum claritatem chelidonium adhibent: ſed his refragatur Ariſtoteles, vt in maiori chelidonio inferius differemus. Hirundinum verò ſtercus oppoſitum præſtat: excæcat enim, ſi calidum in oculos decidat. Quod etiam ſacra teſtantur monumenta, in quibus, Tobiam hoc ſtercore excæcatum fuiſſe, legitur.* Hirundinum vires ex Gal. *Cæterùm vires Hirundinum recenſuit Galenus lib. 11. de ſimpl. medic. facultatibus, ſic inquiens: Hirundinibus quoq; vſi ſunt multi, comburentes videlicet, & cinerimel admiſcentes, ac deinde ſynãchicos inungentes, & in totum omnes quicunq; in faucibus atq; columella cum tumoribus conſiſtunt affectus. Vtuntur & ad acuendum viſum hoc cinere nonnulli. Alij verò eas areſactas drachmæ pondere bibendas exhibent.* Nomina. *Auis χελιδών Græcis, Hirundo Latinis appellatur: Arabibus, Thartaſ, Chatas aut Chataſ: Italis Rondine: Germanis* Schwalb: *Hiſpanis Golandrina & Andorinha: Gallis Arondelles.*

Ελέφας. EBVR. CAP. L.

EBoris ſcobe illito, paronychia ſanantur. Vim adſtringendi ebur obtinet.

Omnibus

## ELEPHAS.



Elephantorũ hiſtoria.

Omnibus ſanè perſpicuum eſt, nil aliud Ebur eſſe, quàm Elephantinorum dentium materies, multis apta operibus, tametſi Pauſanias libro quinto deſcriptionis veteris Græciæ, non dentium ſed cornuum materiem eſſe ebur deſcribat, his verbis. Quod ad ebur verò pertinet, ſi qui hominum ſannas illas eſſe è beluarum ore exertas, non cornua exiſtimant, ab Alcæ illi Gallica fera, & tauris Aethiopicis ſpecimen capiant. Alces enim qui mares ſunt, (nam fœminis nulla omnino prodeunt cornua) è ſuperciliis, Aethiopicis tauri è naribus cornua omnino extrudunt. Quis igitur in magno ponat miraculo eſſe animal, cuius ex ore erumpant cornua? Argumento & illud eſſe facilè poteſt illam eboris molem cornua eſſe, quæ beſtiæ ſunt, quæ rarò certoq; tempore cornua abijciant: rurſusq; illa quoties amiſerint rurſus reponant. Hoc ceruis, capreis, & item Elephantis accidit. Dens certè animali nullo iam adulto cum ſemel decidit renaſcitur. Quare ſi dentes eſſent, & non cornua, quæ naturæ vis, vt renaſcerentur efficere potuiſſet? Hæc & plura Pauſanias. Elephantorum meminit Plinius longa admodum hiſtoria, initio libri octaui pluribus capitibus: tametſi non omnia, quæ ſcribit, probanda putauerim.

Plinius de Elephanto.

Elephantos fert Aphrica vltra Syrticas ſolitudines, item Mauritania & Aethiopia: ſed maximos India mittit: Ii quanquam magnitudine cætera excedant quadrupeda, Ariſtotelis tamen teſtimonio adeò cicurantur, vt omnium ferarum mitiſſimi & placidiſſimi euadant: quippe qui per multa officia & erudiantur & intelligant. Corio Elephanti integuntur bubalino ſimili, vt is verò præbuit exemplum, quẽ Roma vidit Leonis decimi Pont. Max. æuo, etſi rariſſimis horreat pilis. Caput eis magnum, collum breue, aures verò vndiq; duum palmorum amplitudine: naſum, quem peculiariter in Elephanto promuſcidem appellant, longiſſimum habent, concauum, grandis tubæ inſtar: hic infra anteriores dentes ad terram ferme promittitur, quo pro manibus vtuntur. Os gerunt pectori proximum, vt quod cum ſuillo ineat ſimilitudinem: è cuius ſuperna parte dentes duo prominent præcipuæ magnitudinis (quales plurimi venales conſpiciuntur Venetijs in publico foro, vulgò Merceria dicto, ac in alijs Italiæ emporijs) qui proni cuſpide deorſum vergunt. Pedibus nituntur rotundis, diſci inſtar, latitudine duum trium ve palmorum, quos calloſa materia obducit: vngulis quinq; circùm, rotundis, mediocrium concharum magnitudine. Crura ijs magna ac fortia, neq; (vt quidam imperiti exiſtimant) vno tantùm oſſe conſtant indiuiſa, ſed genua flectunt, vtpote & cætera quadrupeda.

Error quorundam.

Quamobrem Elephanti (vt refert Aloiſius Cadamuſtus, qui claſſe in Aethiopiam, & ad Calicut nauigauit) vt eos, qui deferri volunt, ſuſcipiant, genua ſubmittunt, ſeſeq; erigunt deinde. Elephantis cauda bubali, trium palmorum circiter longitudine, rariſſimis ſetis referta. Quocirca haud facilè ſe tueri poſſunt à muſcarum iniuria, niſi aliam illis induſtriam natura tribuiſſet, qua ab ijs ſe vindicent: quandoquidem ferientibus muſcis, cutim, quam cancellatam obtinent, contrahunt, quo fit, vt arctatis in rugas repentè cancellis, muſcas comprehenſas enecent. Hominibus non niſi laceſſiti nocent. Veruntamẽ irritati homines promuſcide comprehenſos, adeò in ſublime iaciunt, vt priuſquam in terram decidant, ſuffocentur & pereant. Adhæc nullus hominum tantæ pernicitatis inuenitur, quem mox Elephas non comprehendat, etiam non currens, ſed gradatim incedens. Id efficit vaſta animalis moles: quandoquidem ſui greſſus longitudine, humanam omnem pernicitatem euincat. Victitant arborum tam frondibus, quàm fructibus: neq; vlla tam ingens eſt arbos, quam ij promuſcide non proſternant, frangant ac dilacerent. Adoleſcunt ad ſexdecim palmorum altitudinem, quapropter qui eos conſcendere non aſſueuere, non ſecus faſtidio afficiuntur, ac illi, qui nauibus non aſſueti maria ſulcant. Effrenes præterea adeò natura Elephanti ſunt, vt nullis habenis cohiberi poſſint, quo fit, vt liberi incedere dimittantur: verùm cùm maximè gubernantibus ſuarum regionum hominibus pareant, & eorum ſermonem intelligant, idcirco verbis facilè reguntur. Adeò conſpectum ignem expaueſcunt, vt eo territi à fuga reuocari non queant. Qua re ab ijs non cognita, qui eius Elephanti curam gerebant Romæ, in cuius dorſo oppidulum conſtruxerant, eo die, quo Iulianus Medices Pontificis Max. frater vxorem è Gallia duxit, in magno ſanè diſcrimine verſati ſunt: nam vbi bellica tormenta ignem eructantia conſpexiſſet, magnumq; ac terrificum ſonum ſenſiſſet, tantæ ſe fugæ dedit, vt nunquam cohiberi voluerit, donec vnà cum concluſis in oppidulo hominibus in Tyberim ſeſe commiſerit. Elephanti non coeunt neq; gignunt, niſi annum vigeſimum agant, vt auctor eſt Ariſtoteles lib. 6. cap. 27. de hiſtoria animalium.

Plinii lapſus.

Qua in re Plinij error manifeſtus deprehenditur: quippe qui marem quinquennem, fœminam decennem generare memoriæ prodiderit. Elephanti nulla nouere adulteria: nam vnius tantùm fœminæ coitu vtuntur, eamq; cùm vterum gerentem viderint, nõ amplius tangunt. Quantum verò temporis vnaquæq; fœmina vtero gerat, haudquaquam ſciri poteſt: quod Elephanti pudore nunquam niſi in abdito coeant. Idcirco alij eis annum & ſex menſes ſtatuerunt, alij biennium, alij deniq; triennium.

Elephantorũ partus.

Pariunt fœminæ cum dolore, quemadmodum & mulieres. Pullum editum ore lambunt, qui ſtatim cum natus eſt, cernit & ambulat. Viuere Elephantos (vt inquit Ariſtoteles) tradunt quidam annos ducentos: ſed florere ætate circa ſexageſimum vel ſeptuageſimum narrant. Iidem hyemis ac frigoris impatientes ſunt. Gaudent amnibus maximè, circaq; fluuios vagantur, quos intrant libenter bubalorum more. Cæterùm Elephanti ingenio & intellectu hominibus proximi ſunt: ſiquidem patrios ſermones intelligunt, ſummam præſtant obedientiam, prudentiam ſeruant, & religionem præ ſe ferunt: ſolem namq; ac

lunam

*lunam venerantur. Cuius rei auctores ſunt Mauritani, in quorum regionibus Elephanti innumeri conſpiciuntur: qui gregatim noua niteſcente luna ad amnes deſcendunt, ibiq; lauantur: mox purificati, genibus flexis ſalutant ſidus, & in ſyluas reuertuntur.* Elephantorũ mira ſagacitas. *Sunt, qui tradant tanta intellectus ſagacitate Elephantos pollere, vt maria tranſituri ad alienas regiones, non antea naues conſcendere voluerint, quam ij, qui eos ducebant, iureiurando de reditu promiſerint. In ſyluas ituri gregatim ferè ſemper ingrediuntur, quorum agmen ducit natu maximus: cogit verò ætate illi proximus. Produnt Elephantos a venatoribus circumuentos, cùm ſciant prædam ſolùm in dentibus ſuis ab illis expeti, dentibus vehementer impingentes arboribus eos ſibi euellere, prædaq; ſe redimere. Quod facilè crediderim vanum ac fabuloſum eſſe: quemadmodum eſſe falſum ſuperius oſtendimus, quod fiber viſo venatore ſibi ipſi teſtes amputet. Elephanti omnes natura indomiti, ſylueſtresq; ſunt, miteſcunt autem arte, vt pleraq; alia fera animalia. Item ſi parui & ætate tenelli educantur: quanquam Plinius ſcribit, natu grandes domari fame & verberibus: præſertim ſi alijs domitis, qui tumultuantem coerceant, admoueantur. Porrò non deſunt in Elephantorum genere, qui naturæ feritate nunquam domari poſsint, quales in Senega (vt in ſuis nauigationibus ſcriptum reliquit Aloiſius Cadamuſtus) Aethiopiæ regno reperiuntur. Elephantorum dentes admirabilis magnitudinis venales ſpectari poſſunt in compluribus Italiæ vrbibus, veluti Romæ, Venetijs, Medìolani & Neapoli: quibus non ſolùm innumeri pectines parantur ad explicandos capillos, ſed etiam alia plura inſtrumenta, quæ ad humanum vſum accommodantur. Hinc itaq; fit, vt neſciam ego, qua ratione ductus Fuchſius, ſcripſerit in libro de compoſitione medicamentorum, quem nuper auctum edidit, Ebur nullibi penè verum reperiri: atque illud quod vulgò eius vice in officinis proſtat, marinorum piſcium dentes eſſe: quòd in hoc erret euidentius eſt, quam vt à nobis oſtendatur.* Fuchſii opinio falſa. *Præſtat Ebur ad albas mulierum fluxiones, ſi tamen in tenuiſsimum puluerem, lapide porphyreo redigatur, propineturq; ex lactucæ ſeminis cremore, aqua in qua chalybs extinctus fuerit, prius macerato ſemine.* Eboris vires. *Quod Græcis ἐλέφας, Latinis Ebur nominatur: Italis Auorio: Germanis* Helffantbeyn*: Hiſpanis Diente de eleſante aut Marfil: Gallis Iuoire.* Nomina.

## Ἀστράγαλος ὑός. SVILLVS TALVS. CAP. LI.

SVis talus comburitur, dum è nigro albeſcat: qui tritus & potus inflationibus coli, longisq; torminibus medetur.



Nomina.

*TAlus in animalibus os illud vltimum pedis eſt, quod tibiæ cruris annectitur. Id Græcis ἀστράγαλος, vulgò autem os dauiculæ appellatur, de quo non operæ pretium eſt, vt plura dicamus. Nomina ſubijciam. Græcum eſt ἀστράγαλος ὑός. Latinum Talus Suillus: Italicum Talone del porco: Hiſpanicum Tornizuelo de pie de puerco: Gallicum Talon de porceau.*

## Ἐλάφου κέρας. CERVINVM CORNV. CAP. LII.

CEruini cornu cinis elotus, binis ligulis epotus, prodeſt dyſentericis, excreantibus ſanguinem, cœliacis, a regio morbo & veſicæ doloribus cum tragacantha: fœminis fluxione vuluæ laborantibus, cum liquore huic rei accommodato. Cerui cornu contuſum, crudo fictili, luto circumlito, & in furnum indito, vritur donec albeſcat. Id cadmiæ modo elotum, vlceribus oculorum, & defluxionibus ſalutare eſt, infrictum dentes expurgat. Crudi cornu ſuffiti nidore ſerpentes fugantur, feruefactum in aceto, ſi eo gingiuæ colluantur, maxillarum à dentitione dolorem adimit.

a Antiquus codex. ὑστερικαῖς. i. vtero affectis.

Ceruorum hiſtoria.

*CErui animalia ſunt notiſsima. Sed quoniam eorum natura non omnibus cognita eſt, vt candido cuiq; lectori ſiat ſatis, ea de Ceruis hîc referam, quæ Ariſtoteles tum 6. & 9. de hiſto. animalium libris, tum 4. de partibus eorundem poſteritatis memoriæ prodidit. Cerui itaq; ſylueſtrium animalium genere conſtant, magnitudine aſinorum, curſu velociſsimi & ingentibus armati cornibus. Ii cùm turgente iam Venere coitum appetunt, adeò rabie libidinis ſæuiunt, vt inſaniant, & maximo cum ſtrepitu & clamore vagentur in ſyluis: quo fit, vt conualles & montium cauitates, eorum boatu reſonent. Tanto impetu, tantaq; rabie mares feruntur in coitum, vt ſæpe inter coeundum fœminas declinent atq; proſternant in terram. Cum autem maris genitale vtpote durum, ſuſtinere non poſsint fœminæ, euntes & currentes coeunt & concipiunt. Mares non in eadem immorantur, ſed mutant & hircorum modo, breui interpoſito tempore aliam atq; aliam ſupergrediuntur. Si fortè fortuna in vnam tantùm fœminam concurrant plures, imis cornuum adminiculis, ſtatim ſupra frontem enatis, acriter inter ſe pugnant ad mortem vſq;. Cum mares impleuerint fœminas, ſeparantur per ſe ipſi. & propter libidinis graueolentiam quiſq; ſolitarius ſcrobes fodit. Fœtent vt hirci: facies quoq; eorum nigreſcit aſpergine, vt hircorum.*

## CERVINVM CORNV.



[…] Degunt ita quouſq; imber accedat, tum paſcua repetunt. Hæc ideò Ceruo accidunt, quia ſalax animal ſuapte natura eſt, atq; etiam quia pingui abundat: pingueſcunt enim æſtate ſupra modum. Quamobrem nec currere quidem poſſunt: ſed ſecundo aut tertio curſu capiuntur ab ijs, qui pedibus inſectantur. Quo fit vt vbi ſe præpingues ſenſere, latebras quærant, fatentes incommodum pondus. Coitus eſt ab arcturo, Menſe Auguſto & Septembri. Implentur ceruæ paucis diebus, & ab eodem multæ. Vtero ferunt octo Menſes. Pariunt magna ex parte vnum: ſed nonnullis etiam gemines ceruam peperiſſe perſpectum eſt. Ferarum quadrupedum Cerua maximè prudentia præſtare videtur, tum quia circa ſemitas pariat, quò ſcilicet beluæ rapaces propter homines minus accedunt: tum etiam quia cum peperit inuolucrum primum exedit, quòd ad multa (vt nonnulli aſſerunt) in medicamentis expetatur. Redeunt mox ad prolem, deuorata à partu ſeſeli herba. Anniculis maribus nondum cornua naſcuntur, niſi quòd indicij gratia ſit initium quoddam protuberans, quod breue hirtumq; eſt. Bimis cornua primùm oriuntur ſimplicia & recta, ad ſubularum ſimilitudinem: quamobrem Subulones per id temporis eos vocant: trimis bifida exeunt: quadrimis trifida, atq; deinceps ad hunc modum (vt Ariſtoteles inquit) procedit numerus vſq; ad annum ſextum. Ab hoc ſimilia ſemper prodeunt, ita ne ſit dignoſcere ætatem ramorum numero. Verùm in Italia (ſit tamen cum Ariſtotelis venia dictum) vſq; ad vndenarium numerum ramificant, quod & Albertus teſtatur ſe vidiſſe in Germania, quemadmodum & nos vidiſſe fatemur. Addam præterea, quod certò ſcimus, Gulielmum Bauariæ Ducem inter res ſuas pretioſas habuiſſe bina cerui cornua, quorum ſingula vnum & viginti ramos fundebant. Hæc admiranda cornua poſtea dono, vtpote raro ac ſingulari, data fuerunt Sereniſſimæ Pannoniorum Reginæ Mariæ, Caroli V. Imperatoris, & Ferdinandi Romanorum Regis ſorori. Vanum eſt credere Ceruorum ætatis annos dignoſci poſſe ramorum numero, quòd ſingulis annis vnum ſuperaddant: quippe cum longæui admodum ſint, ſi quotannis ramorũ numerus augeretur, profectò ijs, qui vltra centum annos vixiſſe narrant auctores, cornua quercubus, & pinis maiora fuiſſent. Cæterùm (vt Ariſtoteles ſcribit) duplici indicio ſenes cognoſcimus, tum quòd dentes aut nullos, aut paucos habeant: tum quòd adminiculis careant, quæ imis cornibus prominent ante frontem: Nam ijs in pugna vtuntur iuniores, ſed in ſenibus non renaſcuntur, cum prælijs omnino ceſſerint. Cerui (vt etiam Theophraſtus inquit libro & capite primo de hiſtoria plantarum) quotannis cornua amittunt: ideo ſub ipſa die quàm maximè inuia petunt. Latent amiſſis velut inermes, ſed & ipſi bono ſuo inuidentes. Fit hoc menſe Aprili, ſtatuto tempore: idq; opacis faciunt locis, vt muſcarum tædio vacent: paſcuntur per id tempus noctu quaſi verecundantes, donec recipiant cornua. Decidua amittunt difficilibus, & inacceſſis locis, & quæ inueniri nequeant: vnde illud prouerbium ortum: qua cerui amittunt cornua. Quaſi enim ſua amiſerint arma, cauent ne inermes reperiantur. Cornu ſiniſtrum compertum eſſe (inquit Ariſtoteles) à nemine adhuc fertur: occulunt enim id tanquam quodam medicamento præditum: etſi Plinius & Albertus occuli dextrum memoriæ prodiderunt. A phalangio demorſi, vel à quouis generis eiuſdem, cancros edunt: quod idem homini etiam prodeſſe putatur: ſed non carent faſtidio. Cerui ſibilo, & cantu venantium, paſtorumq; fiſtulis capiuntur: mulcentur enim alliciunturq; ea voluptate, ita vt alter venantium cantet palàm, aut ſibilet, alter clàm feriat à tergo, vbi ſocius iam tempus eſſe ſignificauerit. Namq; animal ſimplex ceruus eſt, & omnium rerum miraculo ſtupens, intantum vt equo, aut bucula accedente, propius hominem iuxta venantem non cernat, aut ſi cernat, arcum ipſum ſagittasq; miretur. Si ceruus erectas auriculas teneat, acerrimè ſentit, nec latere inſidiæ poſſunt: ſin demiſſas, facilè interimitur. Maria tranant gregatim natantes porrecto ordine, & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibusq; ad terga redeuntes. Hoc maximè notatur à Cilicia Cyprum traijcientibus. Nec vident terras, ſed in odorem earum natant. Ceruorum fœminæ cornua non habent: nec maribus naſcuntur, ſi cum per ætatem nondum cornua gerunt, caſtrentur: ſed ſi cornigeris teſtes exciduntur, non decidunt cornua, & magnitudine eadem ſeruantur. Ceruas tamen corniger as, non ſine naturæ miraculo, quandoq; inuentas eſſe compertum habeo. Huius autem miraculi fidem facere poſſunt illa cornua ceruæ, quæ ſunt Auguſtæ Vindelicorum apud Antonium Fuggerum nobiliſſimum diuitem, in quorum ſingulo ſex rami conſpiciuntur. Atq; idipſum confirmari poteſt non diſſimilibus ceruæ cornibus, quæ argento laborato ornata conſeruat Dux ille Bauariæ, de quo à nobis paulò antè facta eſt mentio. Vita ceruis (vt Plinius memoria prodidit lib. 8. cap. 32.) in confeſſo longa: quandoquidem poſt centum annos quidam capti ſint cum torquibus aureis, quos Alexander magnus addiderat, adopertis iam cute in magna obeſitate. Cæterũ quòd vita tam longa ſint cerui, quanta eos eſſe ferunt, non videtur approbaſſe Ariſtoteles lib. 6. de hiſtoria animalium, vbi ſic inquit: Vita eſſe quàm longa hoc animal fertur. Sed nihil certi ex ijs, quæ narrantur, videmus: nec geſtatio aut incrementum hinnuli ita euenit, quaſi vita eſſet prælonga: hæc Ariſtoteles. Qui revera nihil certi nanciſci potuit ex his, qui centum annos poſt Alexandrum capti ſunt cum torquibus aureis. Nec etiamnum ex Cæſaris Auguſti cerua, quæ ſimiliter innumeris elapſis annis poſt eius imperium capta nunquam iugulari potuit, prohibente torque argenteo, temporis diuturnitate cute quaſi contecto, in quo ſcripta legebantur verba hæc: Noli me tangere, quia Cæſaris ſum. Monte Aſiæ Elapho nomine apud Arginuſam, quo loco

Ariſtoteles arguitur.

Vulgaris opinio vana, ramorũ numero ætatem dignoſci.

Ceruis caſtratis cornua nõ naſcuntur.

Cerui vita.

*Alcibiades mortem obijt, ceruæ omnes ſciſſa aure ſunt, qua nota vel alibi ſi loca mutauerint, digneſcuntur. Mirum quippe eſt dixiſſe Ariſtotelem lib. 8. cap. 28. de hiſtoria animalium, Aphricam nec ceruos, nec apros gignere. Cui etiam [illegible] bet Plinius lib. 8. cap. 33. Cum tamen palam omnibus ſit, & aprorum, & ceruorum greges in Aphrica haberi: niſi [illegible] poſteriori æuo aliunde eò fuerint illati. Dictamnum herbam extrahendis ſagittis (vt Plinius eſt auctor lib. 8. ca. [illegible]) cerui monſtrauere percuſſi eo telo, paſtuq; eius herbæ eiecto. Quod tamen Dioſcorides capris attribuit telo in Creta vulneratis. Cerui manifeſtò fel in iecore non habent, quemadmodum equi, aſini, muli, cameli, damæ: & in natalitium genere delphinus & phoca: ſed id in venulis continent, quæ per inteſtina ſparguntur: quo fit, vt eorum viſcera non modo in cibis minime recipiantur, ſed nec à canibus quidem edantur, niſi præpinguia ſint: amareſcunt enim bile, qua ſuffunduntur. At ceruis Achainis cognomine, fel contineri in cauda creditur, auctore Ariſtotele. Eſt quod ibi contineri aiunt, colore quidem ſimile felli, ſed non ita vt fel humidum, lieni ſimile parte interiore. Hoc deguſtantibus atrociſſimum eſt venenum, adeò vt breui temporis ſpatio hominem è medio tollat. Vermes cerui omnes continent in capite viuos, qui naſci ſolent ſub lingua in concauo circiter vertebram qua ceruici innectitur caput, magnitudine haud minores ijs, quos maximos carnes putres ediderint. Gigni vniuerſi atque contigui ſolent numero adeò circiter viginti. Ceruinus ſanguis (vt Raſis inquit libro ſexaginta animalibus dicato) clyſteribus infuſus inteſtinorum vlcera ſanat, & diuturnas alui fluxiones cohibet: ex vino verò ſumptus, venenatis ſagittis reſiſtit. Eius cerebrum neruorum, & compaginum collectiones mundat. Cornu ad candorem vſque exuſtum, ex melle hauſtum, alui tineas pellit. Iuuenum ceruorum tenerrima cornua, quæ adhuc lanuginoſa cuticula operiuntur (auctore Scribonio Largo) in taleolis conciſa, & nouo fictili indita, ac inde operculo argilla circumlito, in clibanum impoſita, donec adeò areſcant, vt in puluerem facilè conteri poſſint, additis pipere & myrrha, coli cruciatibus mirificè medentur. Sordes etiam, eodem auctore, quæ in protenſis oculorum ceruorum angulis hærent ac coaleſcunt, tam hauſtæ quàm illitæ, præſtant mirificè ad venenatorum ſerpentium morſus. Ideoque à Siculis venatoribus diligenter colligi ſcribit, & quocunque portari cum ipſis in cingulo. Os præterea, quòd in ceruorum corde reperitur (tametſi Veſalius vir alioqui clariſſimus libro, quem de humana fabrica edidit, nullum inibi os reperiri falsò contendat) omnibus cordis affectibus confert. Quin & contra omnia venena mirificè præſtat, antidotiſq; admiſcetur, quæ peſtilentiæ aduerſantur. Sed cauendum eſt, ne huius loco ſeplaſiarij bubulam tracheam arteriam accipiant in compoſitionibus, vt facere conſueuerunt. De Tubere, ſeu Boleto ceruino vel fungo, quem è cerui ſemine oriri quidam aſſerunt, ſatis ſuperq; à nobis dictum eſt in libro noſtrarum Epiſtolarum. Itaq; qui hæc non legerunt, ibi huiuſce fungi hiſtoriam & vires inuenient. Quod Græci ἐλάφου κέρας, id Latini Ceruinum cornu vocant: Itali Corno del ceruo: Germani Hutzhorn: Hiſpani Cuerno de cieruo, & Punta de cieruo: Galli Corne de Cerf.*

Ariſtotelis & Plinii lapſus, dum in Aphrica ceruos eſſe negant.

Cerui fel nō habent.

Vermes in capite cerui.

Cerui vſus in medicina.

Veſalius arguitur.

Nomina.

## Κάμπαι — ERVCÆ. — CAP. LIII.

ERucis, quæ in oleribus gignuntur, cum oleo peruncti, à venenatis beſtijs feriri negantur.

Erucarum hiſtoria.

*ERucæ, quibus Olitores maximè inimicantur, animalcula ſunt vulgaris notitiæ, ſed hortis admodum noxia, quòd quandoque adeò numeroſæ proueniant, vt inuitis olitoribus olera cuncta vna tantùm deuorent nocte. Gignuntur (vt memoriæ prodidit Ariſtoteles lib. 5. cap. 19. de hiſtoria animalium) ex virentibus herbarum folijs, maximeq; ex braſſica. Primùm minus quid milio conſiſtit in folio: mox vermiculi inde contrahuntur & augentur: tum intra triduum erucule efformantur. Hæ tempore ſeneſcentes motu ceſſant, ſuaq; forma immutantur, durioreq; cortice integuntur, cuius color auro fulget: ob idq; (vt Ariſtoteles prodidit & poſt ipſum Theophraſtus lib. 5. de cauſis plantarum) appellantur tantiſper chryſalides, quaſi aurelias dixeris. Dum eo putamine integuntur, ad tactum tantùm mobiles ſunt, & palpitantes, meatibus araneoſis obductæ: non os, non aliud ex membris, quod conſpicuum ſit, poſſident. Longo poſt tempore putamine abrupto, euolant inde animalia pennigera, quos papiliones vocamus. Itaque primum dum Erucæ ſunt, cibo aluntur, atque excrementum emittunt: at verò cum in aurelias tranſierint, nihil vel guſtant vel excernunt. Harum, dum adhuc puer eſſem, ingentem copiam quodam anno peperit Hetruria, adeò vt pueri omnes mirabili quadam oſtentatione numeroſas in plateis geſtarent aurelias, ita aureo nitore fulgentes, vt ex puro auri metallo factas quiſque credidiſſet, niſi deprehenſæ fuiſſent palpitantes. Fuit eo anno tanta Erucarum multitudo, vt vniuerſas eroſerint herbas: quo poſtmodum factum eſt, vt vbique ſtirpium folia ac rami, ædificiorumq; parietes, ijs veluti viuo ac palpitanti fulgerent auro. Facies eis quaſi humana, capite bicorni, corpore infantuli modo faſcia obducti: id quod ſilentio diſſimulauit Ariſtoteles. Hæ quærentibus quotannis ſeſe offerunt circa vrbium mœnia, & ædificiorum muros, circa eos præſertim, quibus adiacent horti ac viridaria: plerunque enim in ædificiorum cauis capite ad terram verſo reperiuntur appenſæ. Cæterùm etſi dixerit Ariſtoteles, erucas ex herbarum, olerumq; præſertim folijs ex ſeſe gigni, abſq; animalis ſemine, viſuntur tamen hoc æuo papiliones ex aurelijs exorti, auerſis olerum folijs oua parere ſubalbida, milio minora, ex quibus erucæ tandem prodeunt, vt ſericino erucarum generi euenire comperimus. Vnde mihi quidem dubitandum videtur, an rem hanc diligenter perpenderit, vel exquiſitè tractauerit Ariſtoteles. Quanquam minimè negauerim, quin & ex putri quodam humore per ſe erucæ naſci poſſint, quemadmodum & mures, angues, vermes, aliaq; complura generantur. Plinius grana illa ex rore fieri putat, ſoleq; addenſari, quod tamen naturæ ſpeculatores non ita facilè comprobant. Erucis olera non erodi auctor eſt Plinius, ſi palo imponantur in hortis oſſa capitis ex equino genere fœminæ duntaxat. Aduerſus quas & cancrum fluuiatilem in medio horto ſuſpenſum auxiliari narrant. Sunt etiam qui ſanguineis virgis tangunt ea, quæ nolunt his obnoxia eſſe: hæc Plinius. Columella præterea lib. 11. de re ruſtica circa calcem, necandis prohibendiſq; erucis hæc in medium protulit: Vbi verò apricis regionibus poſt pluuias noxia inceſſerunt animalia, quæ à nobis appellantur Erucæ, Græcè autem κάμπαι nominantur, vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti. Sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore, ſi deciderint, non amplius ſuperiorem partem prorepunt. Id tamen ſuperuacuum eſt facere, ſi ante ſationem ſemina ſucco herbæ ſedi macerata ſunt: nihil enim ſic medicatis nocent erucæ. Sed Democritus in eo libro, qui Græcè inſcribitur περὶ ἀντιπαθῶν, affirmat, has ipſas beſtiolas enecari, ſi mulier, quæ in menſtruis eſt, ſolutis crinibus, & nudo pede vnamquamq; aream ter circumeat: poſt hoc enim decidere omnes vermiculos, & ita emori. Sed poſtrema hæc, quæ à Columella referuntur, ſuperſtitioſis ſunt relinquenda. Κάμπαι ita Græcè, Latinè Erucæ vocantur: Arabicè Riapſa: Italicè Bruchi: Germanicè Raupen oder Holtzwurm: Hiſpanicè Bruchi: Gallicè Chenilles.*

Erucarum generatio.

Remedia cōtra erucas.

Nomina.

Κανθαρίδες.

## CANTHARIDES. CAP. LIIII.

E Frumentis congeſtę Cantharides ad recondendum idoneæ ſunt, quę fictili vaſe non picato conduntur, & raro mundoq; linteo obligato ore, & deorſum conuerſo ſuſpenduntur ſuper aceti feruentis quàm acerrimi halitum, donec æſtu exanimentur: poſtea lino transfixæ reponuntur. a Potentiſſimæ omnes variæ, b luteis lineis, quas in pennis tranſuerſas habent, promiſſoq; corpore, craſſæ, ac blattarum modo præpingues: ſed inertes ac imbecillæ, quæ vnius ſunt coloris.

a Meum ἐνεργὲς. i. efficaces.

b Luteis, in meo non legitur, nec etiam in pennis.

Βουπρήστεις καὶ πιτυοκάμπαι.

## BVPRESTES ET PINORVM ERVCÆ. CAP. LV.

SImili modo reconduntur Bupreſtes, genera quædam cantharidum, & pinorum erucæ, quæ ſupra cribrum ſuſpenſum feruenti cinere pauliſper intoſtæ, reponuntur. Vis omnium communis erodere, vlcerare, calorem elicere: qua de cauſa admiſcentur medicamentis, quæ lepras, feroſq; lichenas, & carcinomata ſanant: menſes ciunt peſſis emollientibus additæ. Aliqui cantharidas antidotis impoſitas, aquæ ſubter cutem auxiliari prodiderunt: argumento, quòd vrinam moueant. Alij pennas, pedeſq; contra potorum veneficia, remedio eſſe tradiderunt.



*Cantharides vulgata ſunt animalia, nomine à canthar̃o, qui Latinè ſcarabeus eſt, deducto, ac ſi eas dixeris paruos ſcarabeos. Sunt in Italia frequentiſsima, calidioribus præſertim regionibus, vbi non modò in frumentis inueniuntur: ſed in fraxinis quoq; ſtabulantur. Præſtant quæ ſolidæ, recenteſq; ſunt, nam veteraſcentes facilè cariem ſentiunt, vnde inutiles ſunt in medicamentis. Bupreſtes autem ( vt Plinius inquit libr. 30. cap. 3. ) non perinde in Italia ſunt vulgares & frequentes: ſunt tamen ſcarabeis ſimiles, quanquam minores. At pinorum erucæ numeroſæ ſanè habentur in Tridentinis montibus, quòd inibi pinorum perpetuò vireant ſyluæ, Ananienſi præſertim tractu, ac Flemarum conuallibus. In extremis arborum ramis, & ijs plerunq;, qui in earum cacumine attolluntur, innumerabiles Erucæ rufeſcentes, ac piloſæ miro artificio nidificant, quibuſdam tenuiſsimis velleribus innumeris inuolucris contextis. Latent in his hyeme, ita frigoris noxam euitantes. Nidi magnitudo adeò ampla eſt, vt nonnunquam concluſi vermiculi millenarium numerum excedant. Inuolucri materies, qua concluduntur, tenuiſsima ſerici velamina maximè æmulatur, tenuior tamen eſt. Hæc ſanguinis manationibus aptiſsima eſt, quare impoſita confeſtim fluorem ſiſtit. Sed de his hactenus. Cæterùm ſunt medicorum quàm plurimi Mauritanos præcipuè ſequentes, qui quotieſcunq; Cantharidas medicamentis miſcent, præcipiunt capita, alas & pedes abijci, tanquam partes cæteris nocentiores: quod tamen Galeni ſententiæ omnino repugnat. Quippe qui lib. 11. ſimpl. medicamentorum integras cantharidas medicamentis addendas præcipit, quemadmodum & ijs integris ipſe perpetuò fuerat vſus. Sed ſi reſponderint ij, illud nec eorum eſſe inſtitutum, nec Mauritanorum, ſed Hippocratis libr. 4. de victus ratione in morbis acutis, audiant quæſo quibus verbis eodem loco Hippocratis ſententiam declaret Galenus, cum inquit: Quidam dictionis huius mentem haudquaquam intelligens audax medicus, prædictas partes à cantharidibus abiecit, deditq; hydropico cui cum à primo die abſceſſus in ſura comparuiſſet, poſt tres alios dies ſectus eſt, effuſaq; copioſa aqua, curatus eſſe viſus eſt: quòd pars tumoris præter naturam plurima ſtatim ad moderationem redacta ſit, veruntamen non multis poſt diebus obijt. Quam ob cauſam medico quidam crimen ingeſſit, perperam data eſſe cantharidum corpora inquiens: Nempe propinanda, ablatis corporibus, tum caput, tum pedes, tum alas, idq; eſſe quod in dictione enunciaretur. Quare non cunctatus audax ille medicus, hydropi alteri ita propinauit: moxq; facto ſimiliter in femore abſceſſu ſectoq;, multis poſt diebus hominem mori contigit, quanquam vrinam prouocatorio medicamento ex cantharidibus confecto, quidam citra bibentium incommodum vſi ſint: hæc Galenus. Ex quibus facilè cognoſcitur, Arabes non rectè Hippocratem intellexiſſe. Quamobrem dicendum eſſe exiſtimauerim, quòd ablatis cantharidum extremitatibus, exuantur antidoto, quo natura ſunt præditæ in proprij veneni remedium. Quod cum accuratè perpendiſſet Galenus, eas integras ſuis medicamentis ſemper admiſcuit: vt facilè atteſtantur quæ libro 11. de ſimplicium medicamentorum facultatibus memoriæ prodidit, ſic inquiens: Veruntamen ſufficientem habemus de cantharidib. experientiam, quòd in vngues pſorodeis cum idoneis ceratis, aut emplaſtris impoſitæ, ſic illos educunt, vt toti cadant. Miſcuimus eas etiam facultatibus pſoris, & lepris congruentibus, necnon quibuſdam ſeptis, atq; interim etiam ijs quæ clauos, quos vocant, eijciunt. Porrò præceptorum meorum quidam earum paulum quiddam in medicamenta vrinam cientia inijciebat. At quidam ſolas alas & pedes inijciunt, quæ aiunt eſſe alexiteria ijs, qui corpora ipſorum bibiſſent: alij contra: at nos totas indimus. Cæterùm aptiores ſunt ad ea, quæ expertum me dixi, ea*

Cantharidū conſideratio.

Bupreſtes.

Pinorum erucæ.

Error multorum, alas & alia abiicientium.

Cantharides integras vſurpandas.

Cantharidū vires.

cantharidum, quæ inuentæ in frumento, luteâ tranſuerſim in alis cingula obtinent, potiſſimum ſi inijciantur in vas fictile nouum, deinde ori vaſis linteum obductum ſit rarum, & vas ita teneas inuerſum, vt linteum, quod cantharidibus iubeſt, vaporem ab aceto ſurſum elatum excipiat, donec emoriantur ipſæ cantharides. Et de Bupreſtibus agens, ita ſubdit: Sic Bupreſtes quoq; reponere expedit. Sunt autem & ipſæ animalis quoddam genus cantharidibus tum ſpecie, tum viribus adſimile. Mox de pinorum erucis: Quin & erucæ (inquit) quæ in pinis naſcuntur, meritò nuncupatæ pityocampæ, huius ſunt facultatis. Κανθαρίδες vt Græcis, ita etiam Latinis Cantharides appellantur: Arabibus Dherarie ſiue Carariha: Italis Cantarelle: Germanis Goldt Keffer: Hiſpanis pariter & Gallis Cantarides. Βουπρήστεις Græcè, item Latinè Bupreſtes nominantur: Arabicè Xofoſtis: Italicè Bupreſti: Germanicè Knöiſter: Hiſpanicè Arebenta buei. Πιτυοκάμπαι Græcis, Pinorum erucæ Latinis dicuntur: Bruchi de pini Italis: Pytoriapſa Arabibus: Die Würm von Fichten Germanis: Guſanos del pino Hiſpanis.

Bupreſtes.

Nomina.

## Σαλαμάνδρα. SALAMANDRA. CAP. LVI.

SAlamandra lacertæ genus eſt, iners, varium, quod fruſtrà creditum eſt ignibus non vri. Vim habet erodentem, calfactoriam, exulcerantem. Additur, vt cantharis, in medicamenta, quorum vis eſt exeſſe, a & lepras abolere: ſimiliq; modo reconditur. Liquefacta in oleo pilos euellit. Exenterata, detractis pedibus & capite, in melle ſeruatur ad eundem vſum.

a Orib. addit καὶ ἑλκωτικαῖς δυνάμεσι. i. exulcerare.

## SALAMANDRA.



Salamandræ conſideratio.

SAlamandræ in agro Tridentino copioſæ inueniuntur, Ananienſi præſertim valle, iuxta ſemitas, & in opacis vliginoſiſq; locis. Incipiunt enim apparere verno tempore, atq; etiam autumno, cælo maximè pluuio. Sed æſtate ob ſolis feruores: itemq; hyeme ob vrgentiſſima frigora, ſuis è latebris non exeunt. Salamandra corporis magnitudine, formaq; lacerto ſimilis eſt, verùm capitis ac ventris craſſitudine excellit, breuiore tamen conſtat cauda. Illa etſi altioribus nitatur cruribus, ad greſſum tamen ignauior eſt, hic verò contrà agilis celerq; conſpicitur. Color illi niger, luteis non minimis infectus maculis, quadam lauitate pellucidus. Viſu Salamandræ horribiles atq; abominandæ ſunt, ita vt facilè eorum aſpectus hominibus nauſeam pariat. De hac differens Plinius lib. 10 cap. 67. ſic inquit: Salamandra animal lacerti figura ſtellatum, nunquam niſi magnis imbribus prouenit, & ſerenitate deficit. Huic tantus rigor, vt ignem tactu extinguat, non alio modo quàm glacies: quod quidem facit prunis ſuperpoſita, non ſecus atq; cæteræ animalium carnes, quæ prunis aſſandæ traduntur. Veruntamen in medium magni ignis, vbi flamma valentius agit, vel in fornacem proiecta, ſtatim comburitur. Vanum eſt ergo credere (vt etiam Dioſcorides inquit) igne eam minimè abſumi poſſe, eoq; victitare, vt chamæleon aëre: quandoquidem facto periculo, igne exuſtam breui Salamandram vidimus. Quo fit, vt ſcripſerit Galenus lib. 3. de temperamentis, Salamandram ad certum vſq; temporis ſpatium ab igne nihil pati: vri tamen, ſi ea longius igni ſit admota. Quod poſtea effecit, vt explicare neſciam quo argumento, quave ratione prodiderit Ariſtoteles libr. 5. cap. 19. de hiſtoria animalium, Salamandram igne minimè comburi, ſed per eum inambulantem, flammas & prunas extinguere: cum contrarium experientia facilè probari poßit. Illud præterea mihi dubium eſt, an idem eodem capite vera retulerit, cum aſſerit in Cypro inſula ærarijs fornacibus, vbi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, in medio igne, exoriri pennatas beſtiolas paulò muſcis grandibus maiores, quæ per ignem ſaliant atq; ambulent, amotoq; igne ſtatim emoriantur. Quippe quòd maximè id naturæ operibus repugnet. Adde etiam quòd ſi hæc vera eſſent, ea nunquam reticuiſſet Galenus, qui diligentiſſimè omnia Cypri metalla inueſtigauit ac nouit, pariterq; metallorum fornaces, cum fuerit ipſe harum memorabilium rerum accuratiſſimus indagator. Vidi ego in Germania ærarias complures fornaces, à quibus vtranq; cadmiam, pompholygem, ſpodium, æris florem, & alia mecum retuli, ſed muſcas per ignem obambulantes mihi nunquam videre licuit. Qua in re neſciuerim, quonam pacto Ariſtoteles ſeruari poſſit: niſi dixerimus, ipſum hoc in loco non ſuam, ſed aliorum hiſtoriam recenſere. Sed de his hactenus. Cæterùm Salamandræ nil gignunt (vt Plinius tradit) neq; eſt in eis genus maſculinum fœmininumve. Naſcuntur enim ex putri quodam humore terræ. Morſu venenum inferunt, ſerpentium modo. Quinetiam fructus, & herbas quadam oris ſaliua veneno inficiunt, maxima deguſtantium iactura: quandoquidem non pauci reperti ſunt, qui hoc veneno interiere. Eſt & Salamandræ aquaticum genus Vtinenſibus frequentiſſimum, capite terreſtribus breuiore rotundioreq;, cauda anguillarum modo, nigro vndiq; dorſo, ventre autem rufeſcente, luteis

Salamandrā igne abſumi.

Ariſt. vanæ opiniones.

Salamandræ generatio.

Salamandra aquatica.

SALAMANDRA AQVATICA.





*maculis reſperſo, horrendo aſpectu, æquè atq; terreſtre. Animal, quod Græcis σαλαμάνδρα Latinis ſimiliter Salamandra nuncupatur: Arabibus Adhaja: Italis Salamandra: Germanis* Olm oder Moll: *Hiſpanis Salamantegua: Gallis Salamandre.*

## Ἀράχνη. ARANEVS. CAP. LVII.

ARaneus, quem holcum, alij lycon, id eſt lupum vocant, ſubactus cum ſplenio, & linteo illitus, prolatuſq; vtriſq; temporibus, aut fronti, tertianos circuitus perſanat. Tela eius impoſita ſanguinem ſiſtit, vulnera, quæ ſummam cutem occuparunt, ab inflammationis iniuria vindicat. Eſt & alterum aranei genus, qui candidam, tenuem denſamq; telam orditur, quem in aluta ligatum, & lacerto appenſum, quartanis circuitibus mederi narrant. Decoctus ex roſaceo, & infuſus, aurium doloribus auxiliatur.



*ARaneorum & phalangiorum (vt lib. 9. cap. 39. de hiſtoria animalium ſcribit Ariſtoteles) plura ſunt genera. Mordax quod in duo diſtinguitur, alterum ſimile ijs, quæ lupos appellant, eſt paruum, varium, procax, ſalax, pulex nuncupatum. Alterum maius, coloris nigri, cruribus prioribus nigris, tardum & lentè ambulans, nec viribus valens neq; ſaliens. Cætera, quæ medicamentarij proponunt, aut nullum aut certè exilem inferunt morſum. Genus ſecundum, quod lupi nomen accepit, partim exiguum eſt, quod non texit: partim maius, quod aſperam, paruamq; telam apud terram aut ſepes orditur, bucculis intexere ſolitum primordijs intus poſitis obſeruatur, dum aliquid in tela offendens commouerit, mox accurrit, vt capiat: partim varium eſt, quod paucam vilemq; telam ſub arboribus facit. Tertium genus, quod ſapientiſſimum latiſſimumq; omnium eſt, noſtris ædificijs latiſſimas contexit telas. Huius vt equidem arbitror hic meminit Dioſcorides. Plinius araneos, qui ictu, vel morſu venenum inferunt, phalangia nominat, quorum hiſtoriam lib. 29. cap. 4. diffuſius enarrauit his verbis: Phalangium eſt Italiæ ignotum, & plurium generum. Vnum ſimile formicæ, ſed multò maius, rufo capite, reliqua parte corporis nigra, albis intercurſantibus reſperſum guttis. Acerbior huius, quàm veſpæ ictus. Viuit maximè circa furnos & molas. Aequè phalangion Græci vocant inter genera araneorum, ſed diſtinguunt lupi nomine. Tertium genus eſt eodem phalangij nomine araneus, lanuginoſus, grandiſſimo capite. Quo diſſecto inueniri dicuntur intus vermiculi duo, qui ceruina pelle concluſi, & mulieribus adalligati ante ſolis ortum, præſtant, ne concipiant. Vocatur & rhagio, acino nigro ſimilis, ore minimo ſub aluo, pedibus breuiſſimis, tanquam imperfectis. Dolor à morſu eius, qualis à ſcorpione. Vrina ſimilis, araneis textis. Idem erat aſtertion, niſi diſtingueretur virgulis albis. Huius morſu genua labefactantur. Peior vtroq; eſt cæruleus, lanugine nigra, caliginem concitans, & vomitus araneoſos: etiamnum deterior, à crabrone penna tantùm differens: hic & ad maciem perducit. Myrmecion capite formicæ ſimilis, aluo nigra, guttis albis diſtinguentibus, veſparum dolore torquet. Tetraganthij duo genera habent, peior medium caput diſtinguente linea alba, &*

Araneorum & phalangiorum genera.

Phalangiorũ genera ex Plinio.

*tranſuerſum altera, hic ori tumorem facit. At cinereus poſteriori parte candicans, lentior. Minimè autem noxius: eodem colore, qui telas muſcis in parietibus latiſſime pandit. Hactenus de araneis & phalangijs Plinius. Cui ſubſcribens Aetius lib. 13. cap. 18.* Phalangiorũ genera ex Aetio. *Phalangiorum genera, inquit, plura ſunt. Quæ vero apud eos, qui de noxijs beſtijs ſcripſerunt, referuntur, vt plurimum ſex numero exiſtunt. Vnum quidem ex eis rhagium, alterum lupum, tertium formicarium, quartum cranocolaptes, quintum ſclerocephalon, ſextum ſcolecion appellatum. Ac primum quidem rhagium, id eſt acineum, figura rotundum eſt, colore verò nigrum, acini vuæ nigræ ſimilitudine, vnde etiam appellationem accepit: & os quidem iuxta medium ventrem habet, pedes verò ex vtraq; parte quam breuiſſimos. Alterum verò lupus appellatum, muſcas perdit eiſq; paſcitur: ac corpus quidem habet latum ac volubile, partes vero circa eius ceruicem inciſæ ſunt. amplius autem, & os eius eminentias tres habet. Tertium autem myrmecium, hoc eſt, formicarium dictum, quod formicis maxime aſſimiletur, colore eſt fuliginoſum: corpus verò eius velut aſtris quibuſdam inſignitum, præſertim circa dorſum. Quartum deinde cranocolaptes, oblongum eſt & viride, ſtimulumq; iuxta collum habet, atq; ſi in aliquem irruat, locos circa caput petit. Quintum ſclerocephalum dictum, caput habet ſaxeum & obduratum: lineamenta vero per omne corpus ſimilia animalibus illis, quæ lucernas noctu circumuolitant. Sextum poſtremò ſcolecium ſiue vermicarium appellatum, ſublongum eſt, & ſubmaculoſum, maximè circa caput. Atq; hæ quidem ſpecies phalangiorum enumerantur. Hæc de phalangijs Aetius. Ego autem aſſerere non dubitauerim, omnia hæc phalangiorum genera haberi in Italia: quippe quæ a me ſæpius ſint viſa, quanquam ſcribat Plinius, phalangia in Italia non oriri. Quin potius præter prædicta genera inibi & alterum reperitur omnium pernicioſiſſimum, quod a Taranto Apuliæ ciuitate, vbi innumera æſtate tota vagantur in campis, Tarantulam appellant.* Tarantulæ conſideratio. *Icti verò ab his variè ac diuersè torquentur: ſiquidem alij perpetuò canunt, alij rident, alij plorant, alij clamitant, alij dormiunt, alij vigilijs afficiuntur, pleriq; vomitionibus laborant, nonnulli ſaltant, ſunt qui ſudant, alij tremebundi fiunt, quidam pauoribus infeſtantur, & alij alia patiuntur incommoda, fiuntq; phreneticis, lymphaticis ac maniacis ſimiles. Quæ quidem ſymptomata tam varia, ac diuerſa non aliunde prouenire dicendum eſt, quam aut ex vario horum animalium veneno, aut ex demorſorum hominum temperamentis. Nam atra bile tentatis, pro eorum temperaturis omnia hæc accidiſſe conſpeximus: tametſi non deſint, qui putent Tarantulæ venenum dietim, vel horatim immutari, fieriq; ob hoc, vt tam varijs ſymptomatibus vexentur, qui ab ea iciuntur. Habentur Tarantulæ etiamnum in maritimis noſtris Senenſibus Tyrrheno litori adiacentibus, & Romano agro frequentes: veruntamen non perinde ac in Apulia numeroſæ. Degunt hæ inter ſegetes in quibuſdam terræ cauernulis, è quibus interdiu exeuntes, ſæpe eos meſſores iciunt, qui huius inſidiæ ignari, crura ocreis non munierunt. Ictos vidi ego nonnunquam in plateis iacentes, & in xenodochijs, qui prædictis affectibus torquebantur.* Tarantulæ remedium muſica. *Sed mirum certè, quàm facilè huiuſce veneni vis muſica mulceatur. Quandoquidem (vt equidem atteſtari poſſum) auditis lyricis inſtrumentis, vel tibiarum ſono, primo ſtatim occurſu icti à Tarantula à languoribus ceſſant, & in medium tripudiare & ſaltare incipiunt, tamq; diu rem proſequuntur, ac ſi ſani eſſent, & nullo vnquam tenerentur dolore. Quod ſi eueniat, vt tibicines tantillum conquieſcant ac interponant, non multo poſt tempore in terram concidunt, & ad priſtinos redeunt languores: niſi tamdiu indeficiente ſonitu ſaliant atq; tripudient, donec veneni virus, partim inſenſibiliter per cutis meatus, partim per ſudorem exeat & diſcutiatur. Ob id igitur tibicines ſtipendio conducuntur, alternatimq; mutantur, vt abſq; vlla ſonitus intermiſſione, tamdiu tripudient demorſi, quouſq; penitus curati quieſcant: cum tamen, dum hæc aguntur, ſint, qui antidotis eos corroborent, nimirum theriaca, mithridatico, ac alijs, quæ venenoſorum morſibus aduerſantur.* Solifugæ hiſtoria. *Conſtat quoq; eſſe ex mortifero araneorum genere quam Solifugam appellat Iulius Solinus, his verbis: Sardinia eſt quidem abſq; ſerpentibus, ſed quod alijs locis ſerpens eſt, hoc Solifuga Sardois agris animal perexiguum, ſimile araneis forma. Solifuga dicta, quòd diem fugiat. In metallis argentarijs plurima, nam ſolum illud argenti diues eſt: occultim reptat, & per imprudentiam ſupercedentibus peſtem facit.* Nomina. *Nomen* ἀράχνη *Græcum eſt, vt Latinum Araneus: Arabicum Hamdebut ſeu Hanchebut: Italicum Ragno: Germanicum* Spinn: *Hiſpanicum Arana: Gallicum Areine.*

## Σαῦρα. LACERTA. CAP. LVIII.

LAcertæ caput intritum & appoſitum, aculeos, & omnia corpori infixa extrahit: varos, formicantes verrucas & penſiles, quas acrochordonas vocant, tollit. Iecur exeſis dentibus coniectum dolores finit. Si diuulſa admoueatur, ictis á ſcorpione leuamentum præſtat.

LACERTA.



SEPS

## Σηψ. SEPS. CAP. LIX.

SEps, quam aliqui lacertam chalcididam vocarunt, in vino pota, morſus ſuos ſanat.



*LAcertæ, quæ vulgò vulgares oberrant, oua quemadmodum ſerpentes pariunt, & cochleis maximè inſidiantur. In Arabia (vt Plinius eſt auctor) cubitalem æquant menſuram: & in Mauritania, auctore Strabone, bicubitales reperiuntur. In India verò Nyſa monte, ſi Plinio credimus, ad 24. pedum longitudinem lacerti reperiuntur, colore fului, aut punicei, aut cerulei. Eſt & Inſula Capraria lacertis maximis referta, vt referunt, qui ad fortunatas nauigarunt inſulas. Cæterùm, quæ Chalcidicæ vocantur, in Lybia, & Cypro copiosè prouenientes, non habentur in Italia. Morantur hæ plerunque in locis aridis, & inter ſaxa. Varia eſt harum hiſtoria, apud auctores: nam quidam noſtratibus lacertis ſimiles eſſe ſcripſere, quidam verò inter ſerpentium genera recenſent. Nicander Dioſcoridi ſubſcribit: quippe qui in theriacis ſic dicat Vitabis & Sepem corpore humilibus lacertis ſimilem. Veruntamen Aetius lib. 13. Sepam inter mortiferos recolit angues, ſic inquiens: Serpens, qui Seps appellatur, longitudine quidem duorum cubitorum reperitur, ex craſſo autem in tenuem abit: recta verò, ac tardè proſerpit. Caput habet latum, os acutum, vniuerſum autē corpus multis albis notis reſperſum. Cæterùm ij, qui ab eo percuſſi ſunt intra tres, aut quatuor dies pereunt: hæc Aetius. Pauſanias porrò aliter ſentire videtur: inquit enim Aegyptum Arcadiæ quondam regem in venatione occupatum, & imprudentem Seps oppreſſit. Viperæ ſimilis eſt minimæ, cineris colore, maculis ex interuallo varius, lato capite, anguſta ceruice, aluo maiori, cauda breui, obliquo inceſſu, quaſi cancer, quod & ceraſtæ ſerpenti proprium eſt. Quamobrem credendum putauerim, aut fabulosam eſſe lacertæ Chalcidicæ hiſtoriam, aut pluribus hoc nomen conuenire ſerpentibus. Verùm minimè reticendum duximus, reperiri in Hetruria, in Romano agro, ac etiam in Apulia quoddam lacertarum genus Terrantola vulgò dictum, quoniam ſub terra deliteſcat. Quæ cum homines morſu perimat, fecit, vt mecum quandoque cogitauerim, an ea fortaſſis Nicandro ac Dioſcoridi Chalcidica eſſet lacerta: aut Stellio, quòd ſtellis maculata, inſignitaq; cernatur. Sed hæc libro ſexto duce Deo, latius explicabimus, vbi de his, quæ morſu, vel ictu venenum emittunt, ſermonem faciemus. Quæ Græcis σαῦρα. Latinis Lacerta nominatur. Italis Lucertola: Germanis Heidex: Hiſpanis Gartixa. Quæ verò Σηψ Græcè, Latinè Seps & Lacerta Chalcidica vocatur: Italicè Sepa.*

Lacertarum conſideratio.

Chalcidicarū deſcriptio.

Seps inter mortiferos Aetio.

Terrantola.

Nomina.

## Σκίγκος. SCINCVS. CAP. LX.

SCincus aut Aegypti, aut Indiæ, aut rubri maris alumnus, quāuis inueniatur a in Lydia Mauritaniæ. Eſt autem terreſtris crocodilus, ſui generis, ſale inueteratus cum Naſturtio. Aiunt carnes, quæ renes amplectantur, id ſibi virium vendicaſſe, vt ſi drachmæ pondere bibantur, venerem accendant. Verùm decocto lentis cum melle, aut ſemine lactucæ cum aqua poto, veneris cupiditates inhibentur: additur in antidota.

a Ori. le. ἀπολλωνία. Apolonia.



Scinci conſi.

TAmetſi ſcribat Dioſcorides, Scincum eſſe terreſtrem Crocodilum, ſui generis: aquatile tamen animal eſt. Quandoquidem qui Venetias importantur, in mari rubro, & in Aegypto Nilo flumine capiuntur. Hi quamuis forma crocodilos referant magnitudinem tamen longè minorem habent: namq; qui ad ſummum adoleuerunt, noſtrates lacertas magnitudine non excedunt. Squamis veſtiuntur ſubluteis, cæſia à capite ad caudam diſcurrente linea. At non eadem crocodilis tunica: quippe qui nigro natura ſunt dorſo. Pauſanias in Libya bicubitales reperiri Scincos tradidit: veruntamen hi ad nos non deferuntur. Sunt in agro Vicentino lacus quidam, qui Scincos etiam gignunt, ſed minutulos, ac nigricantes, quibus ſæpius vtuntur ſeplaſiarij deficientibus marinis, non ſine magno fortaſſe hominum diſcrimine. Reprobat hos Fuchſius quoque lib. 1. de compoſitione medicamentorum, ſic inquiens: Scincus animal eſt in aquis degens, lacertæ magnæ ſimile, ſed ventricoſius: cauda lata, vt anguilla, ad natandum apta. Quapropter quos officinæ ſubijciunt, cum duabus caudis, veri non ſunt, ſed ex Vicentino agro allati: hæc ille. Qui tamen dum aliorum errorem merito damnat, ipſe (pace viri alioquin clariſſimi dixerim) in alterum non minorem mihi quidem incidiſſe videtur, quòd exiſtimauerit, legitimum Scincum, cuius effigiem damus, regi lata cauda ad natandum, anguillæ modo. Quandoquidem Fuchſij Scincus, quo Foroiulienſis ager, & quæ circa Vtinum ciuitatem ſtangantes ſunt aquæ, maximè ſcatent, & cui lacertæ magnæ corpus, tumidus venter, ac maculis varius, rotundum quadantenus caput, anguillæ cauda, nigrumq; dorſum eſt, Scincus verus non eſt: ſed potius animal ſalamandræ generi adſcribendum, quod terreſtrem ſalamandram non paucioribus referat notis, quam aquatiles teſtudines terreſtres repræſentant: ob id itaq; rectè Vtinenſes hoc animal Salamandrã aquaticam vocant, abhorrentq; maximè, quòd inter venenata omnino reputent. Huic ſanè cùm Aegyptio ſcinco nulla eſt cognatio: quippe Aegyptius capite conſtat longo, dorſo quadantenus elato: ventre lacerta non maiore: corio ſquamis ſubluteis, numeroſis, minimisq; in vniuerſum referto: cauda lacertæ modo tereti, breuiore tamen: cæſiaquè à capite ad caudam diſcurrente linea. Talis nimirum Scincus eſt, qui quotannis ab Alexandria Aegypti Venetias numeroſus conuehitur. Scincorum meminit Plinius libro 28. cap. 8. vbi ita ſcribit. Ex chamæleontis ſimilitudine eſt Scincus, quem quidam terreſtrem crocodilum eſſe dixerunt: candidiore autem, & tenuiori cute. Præcipua tamen differentia dignoſcitur à Crocodilo aquatico ſquamarum ſeta à cauda ad caput verſa. Maximus Indicus, deinde Arabicus. Afferuntur ſalſi. Roſtrum eius, & pedes in vino albo poti, cupiditates veneris accendunt. Vtique cum ſatyrio, & erucæ ſemine ſingulis drachmis omnium, ac piperis duabus admiſtis, ita vt paſtilli ſingularum drachmarum bibantur. Per ſe laterum carnes obolis binis cum myrrha, & pipere pari modo potæ efficaciores ad idem creduntur. Prodeſt & contra ſagittarum venena, ante poſteaq; ſumptus. In antidota quoque nobilia additur: hæc Plinius. CROCODILVS (vt refert Ariſtoteles in libris de hiſtoria, & partibus animalium) animal eſt magnum,

Scinci Vicentini.

Fuchſii error.

Scinci Aegyptii hiſtoria.

Crocodili hiſtoria.

## CROCODILVS.



ad quindecim vſque cubita creſcens: quamuis ad duodeviginti ſcripſerit Plinius. Hic animal non parit, ſed ouum anſerini magnitudinem non excedens: idq; in terra, non autem in aquis. Parit cùm plurimum ſexaginta, viuitquè diu, maximumquè animal minima hac origine euadit: namque fœtus ex ouo excluſus proportione reſpondet, lacertorum magnitudinem æquans. Linguam adeò indiſcretam habet, vt omnino ea carere videatur. Cuius rei cauſa eſt, quod idem & terreſtris, & aquatilis quodammodo eſt. Ergo vt terreſtris, locum obtinet linguæ, vt verò aquaticus elinguis. Piſces enim aut nullam habere linguam videntur, niſi valdè reſupinentur, aut inexplanatam habent. Solus inter cætera ſuperiorem mouet mandibulam, minimeq; inferiorem: cauſa eſt, quòd pedes ad capiendum, retinendumq; inutiles habet. Oculi crocodilo ſuilli, dentes exerti, & vngues in pedibus acutiſſimi, coriumq; duriſſimum, telis ac ſagittis minimè cedens. Interdiu plerunque terram incolit, noctu verò aquis ſe mergit, innatatq; flumine. Duo eius eſſe genera Plinius eſt auctor loco citato. Vnum maius, de quo diximus: alterum minus illi ſimile, multum infra magnitudinem, in terra tantùm, odoratiſſimisq; floribus viuit. Ob id inteſtina eius diligenter exquiruntur, iucundo nidore farcta. Crocodileam vocant, oculorum vitijs vtiliſſimam, cum porri ſucco inunctam, & contra ſuffuſiones, vel caligines. Illita quoque ex oleo cyprino moleſtias in facie enaſcentes tollit. Ex aqua verò morbos omnes, quorum natura ſerpit in facie, nitoremquè reddit. Lentigines tollit, ac varos, omneſquè maculas. Et contra comitiales morbos bibitur ex aceto mulſo binis obolis. Felle inunctis oculis contra ſuffuſiones nihil vtilius prædicant. Maiores dentes è dextra maxilla adalligati dextro lacerto (ſi credimus) coitus ſtimulant. Corij vtriuſque cinis, ex aceto illitus his partibus, quas ſecari opus ſit, aut nidor cremati, ſenſum omnem ſcalpelli aufert. Sanguis vtriuſque claritatem viſus inunctis donat, & cicatrices oculorum emendat. Cor annexum in lana ouis nigræ, cui nullus alius color incurſauerit, & primo partu genitæ, quartanas abigere dicitur. Corpus ipſum excepto capite pedibusq; elixum manditur iſchiadicis, hæc Plinius. Veruntamen quæ is alterius inteſtinis aſſignauit, ea Dioſcoridem fimo tribuiſſe conſtat. Cæterùm cùm Scincus Chamelæontem, cuius formam refert, mihi in mentem reuocauerit, veniatq; & ipſe in medicum vſum, non ab re fore duxi, eius tum hiſtoriã, tum etiam facultates enarrare. CHAMAELEON igitur (vt Ariſtoteles memoria prodidit libro. 2. capite. 11. de hiſtoria animalium) figura totius corporis lacertam planè repræſentat. Latera deorſum

Crocodili genera & vires.

Chamæleontis hiſtoria.

CHAMAELEON.



*... ducta ventri iunguntur, vt piſcibus: & ſpina modo piſcium eminet. Roſtrum ſimiæ porcariæ ſimillimum: cauda ... longam tenue deſinens, & longis implicata in ſe orbibus. Elatior à terra eſt, quàm lacerta. Pedes ſinguli bipartitò ſe... parteſq; talem inter ſe habent ſitum, qualem pollex ad manus reliquam partem obiectam. Sed ipſæ etiam reliquæ ... paulatenus in digitos quoſdam ſinduntur, aduncis vnguiculis. Corpus aſperũ totum, vt crocodilo. Mutat ſuum colo... inflatus. Omnium ouiparorum tenuiſſimus eſt: quippe qui omnium maximè inopia ſanguinis rigeat. Cauſa ad mores ... eam referenda eſt: præ nimio namque metu multiformis efficitur. Motus ei piger admodum, vt teſtudinis: palleſcit ... moritur, defunctuſq; colorem eundem ſeruat. Subit cauernas, & latitat more lacertarum. Caput eius, & guttur ſi ... accendatur lignis, imbrium, & tonitruum concurſus facere Democritus narrat. Item iecur in tegulis vſtum. De... oculo, ſi viuenti eruatur, albugines oculorum cum lacte caprino tolli. Lingua adalligata, pericula puerperij adimi... linguã, ſi viuenti exempta ſit, ad iudiciorum euentus pollere dicunt. Item dextrã maxillam ad formidines, pauoreſq;, cor... vero illito detrahi pilos: & felle glaucomata, & ſuffuſiones corrigi. Σκίγκος vt Græcis, ita etiam Latinis Scincus ap... pellatur: Arabibus Aſchancur, ſiue Scanchur: Italis Stinco & Scinco: Hiſpanis Stinco.*

Chamæleontis vires.

Nomina.

Γῆς ἔντερα.

## TERRENI VERMES. CAP. LXI.

Terreni vermes impoſiti, præciſos neruos glutinant: tertianas diſcutiunt. Decocti cum anſerino adipe, infuſi, affectis auribus medentur: cum oleo autem decocti, ſi in contrariam aurem inſtillentur, dentium doloribus præſtant auxilium. Triti in potu ex paſſo vrinam ciunt.

*Terreni vermes etiam in medicum vſum veniunt, quandoquidem oleo incoquuntur ad articulorum, neruorumq; cruciatus. Veruntamen aberrant plerunque myropolæ in olei conficiendi ratione. Imponunt enim vermiculos in æneum caccabum, & affuſo inde oleo igni ferueſaciunt: quo fit, vt paruo momento ij non modo inaſſentur, ſed penitus comburantur, nullo in oleo humore relicto. Fit autem rectius, cum vaſe vitreo excipiuntur, & diutius calore balnei macerantur, ... innatantes: namque hoc modo eorum ſuccus elicitur, comburiq; nequeunt. Præſtat hoc oleum ita paratum, præſertim ſi vermes roſaceo macerentur, ad podagricorum dolores, à calidis defluxionibus prouenientes, inunctis prius locis dolentibus oleo, & mox ſuperpoſitis vermibus in eo elixis, tuſis, admiſtiſq; cum æquali cerati pondere, quod tria pharmacum vocant ex argenti ſpuma, oleo & aceto conflatum. Quibus etiam commendauit Plinius libro 30, cap. 3. ipſorum vermium ... cum melle triduo emplaſtri more impoſitum. Quin & ipſos vermes in oleo veteri elixos, & ſuperpoſitos. Ad hæc terreſtres vermes prius vino albo eloti, ac per ſe abſque oleo vaſe vitreo excepti, operculato vaſis ore, ne quid expirare poſſit, ... in balneum calentis aquæ immerguntur, tamdiuq; efferueſcere permittuntur, donec in liquorem oleo ſimilem vertantur. Referunt quidam hoc, quòd maximè præſtet neruorum, & inteſtinorum vulneribus glutinandis. Quod longe efficacius ... ſi factitio balſamo, de quo libro primo diximus, fuerit admiſtum: aut oleo, quod vitreis organis è larigna, ſiue abi... lacryma elicitur. Namque his additis vniuerſa corporis recentia vulnera breui tempore glutinat, ijs exceptis, quæ ca... inferuntur. Dantur vtiliter terreni vermiculi igne cremati, & in puluerem contriti felle ſuffuſis, ex marrubij, vel ab... decocto: adduntúrq; in electuarijs ad idem paratis, vt Galenus docuit libro de theriaca ad Piſonem. Triti, ac roſaceo ... (vt idem author eſt) podagricorum inflammationes extinguunt. Γῆς ἔντερα Græcis dicuntur: Latinis vermes terreni: Arabibus Charatin: Italis Vermi terreſtri, & Lombrichi: Germanis Regenwürm: Hiſpanis Lumbrices de tierra: Gallis Vers de terre.*

Terrenorum vermiũ, & eorũ olei vires.

Nomina.

Μυογάλη.

## MVS ARANEVS. CAP. LXII.

Mvs araneus diſſectus & impoſitus, ſui morſus veneficia luit.

*Araneus mus (vt Aëtius inquit) colore quidem muſtelæ ſimilis eſt, magnitudine autem muri. Os verò ſublongum habet, & exiguam caudam. Dentes ei tenues, duplice ordine nati, in utraq; maxilla: quo fit, vt quatuor dentium ordines habeat. Quibus vtiq; notis abunde reſpondent ij, à quibus picturam, quam hic damus, mutuati ſumus. Meminit muris aranei Nicander, in ſuis theriacis, dixitq; perire in rotarum orbita, ſi progrediens in eam inciderit. Quod tamen fabuloſum ... cumquè cenſemus: tametſi non deſint, qui terra è plauſtrorum rotis excuſſa, huiuſce ſuccurrant morſibus. Scribit Plinius libro 8. capite 58. mures Araneos vltra Apenninum non haberi, cùm tamen hoc æuo in vniuerſa reperiantur Italia.*

Aranei muris conſid.

Plin. arguitur.

MVS ARANEVS.



*Italiæ. In Ananienſibus montibus, Tridentino agro frequentes viſuntur. Nihilominus incolæ inter venenata non habent: id quod fortaßis & cæli & ſolis temperamento euenit. Siquidem nec Scorpiones ibidem exorti ictu venenum relinquunt, vt in eorum mentione ſuperius diximus.* Μυογάλη *Græcè, Mus araneus Latinè appellatur: Italicè Topo ragno: Germanicè* Spitzmauß: *Hiſpanicè Murganho.*

Nomina.

Μῦες. **MVRES.** CAP. XLIII.

MVres, qui in domibus oberrant, conciſos ſcorpionum plagis vtiliſsimè imponi, in confeſſo eſt. Si inaſſatos infantes ederint, oris ſaliuam exiccari promittunt.



Muris conſideratio.

*MVres diuerſorum ſunt generum, ſiquidem domeſtici, ſylueſtres, ac montani reperiuntur, ſunt etiamnum aquatiles, & marini. Verùm primùm de ijs diſſerentes, qui noſtris in domibus oberrant, quiq; etiam in agris in magnam ſegetum perniciem morantur, Ariſtotelis verba referam, qui libro 6. de hiſtoria animalium cap. vltimo ſic habet: Murium generatio mirabilis præter cætera animalia, maiorem in modum eſt, tum numero, tum celeritate. Iam enim fæmina prægnans in vaſe miliario aliquando occupata, paulo poſt reſerato vaſe, muſculi numero viginti & centum reperti ſunt. Mirum etiam percipimus ortum redundantis agreſtis murium generis. Locis enim compluribus agri, tam inaudito modo oriri ſolent, vt parùm ex vniuerſo frumenti relinquatur: tam cito abſumitur, vt nonnulli mediocres agricolæ, cum pridie metendum ſtatuerint; poſtridie manè cum meſſoribus accedentes ad ſegetem, abſumptam inueniant totam. Interitus autem minime euenit ratione: paucis enim diebus omnino abolentur: quanquam ſuperiore tempore homines vincere, vel ſuffiendo, vel ſues, vt latibula effoderent, admittendo, non poſſent. Quin etiam vulpes eos venantur, & cati ſylueſtres inprimis: ſed tamen ſuperare copiam, & celeritatem prouentus nequeunt. Nec aliud quicquam omniũ vincit, niſi imbres: ijs enim quam primùm intereunt. Terræ Perſicæ parte quadam mure fœmina reſciſſa, fœtus fœminini prægnantes comperiuntur. Sunt qui vehementer confirment, Mures, ſi ſalem lambant, impleri ſine coitu. Aegyptijs muribus prædurus, ferè vt erinaceis, pilus eſt. Habentur in murium genere &* GLIRES. *Idcirco( vt Plinius auctor eſt lib. 36. cap. primo) apud Romanos cenſoriæ extabant leges, Glires in cœnis apponi vetantes. Verùm hoc æuo ganeonibus maximè expetuntur in cibis, non modicam palato iniuriam fieri putantes, ſi tam pingui priuetur alimento. Sed ij minimè perpendunt, vel potius negligunt, quòd glires pinguedinis exuberantia ventriculi appetentiam deſtruant, lentum ac frigidum gignant ſuccum, concoctuq; contumaces exiſtant. Notatum non congregari glires, niſi populares eiuſdem ſyluæ, & ſi miſceantur alienigenæ, amne, vel monte diſcreti, interire dimicando. Genitores ſuos feſſos ſenecta alunt inſigni pietate. Senium finitur hyberna quiete. Conditi enim*

Glirium conſideratio.

*& hi*

e decumbant, rurſus æſtate iuueneſcunt. Montibus Goritienſi agro conterminis, & in Carniolæ, Carinthiæ, ac Stiriæ alpium vias maxima eſt horum quandoq; fœtura. Quò fit, vt numeroſi à venatoribus capiantur, præſertim cùm fagina glande abundant ſyluæ. Exeunt venatum nocte, & arbores ſuffientes, in quibus ſtabulantur, ſi eos ſtupefactos innumeros capiunt, adeò vt iis repletis ſaccis domum plerumque redeant, quos poſtea excoriant, & impoſitos præ nimia copia cadis, ſale & muria aſſeruant, quemadmodum piſces. Horum caro iis vtiliter eſtur, qui canina laborant fame: namque exuberante pinguedine obtunditur appetentia, & tollitur morbus. Diſcoquitur Gliris caro detracta pelle, & inteſtinis exemptis in fictili nouo, addito nardo ad tertias, atque ita aſſeruatur, quod conſtet deplorata aurium vitia eo remedio ſanari. Georgius Agricola, vir alioqui doctiſſimus, & acerrimus rei metallicæ indagator, quòd fortaſſe veros glires non viderit, aut agnouerit, non ſine magno errore putat in libello, quem ſubterraneis animalibus dicauit, Sciuros à villoſa cauda, qua ſe operiunt & inumbrant, ita vocatos, Glires eſſe. Sed quòd hæc duo animalia inter ſe maximè differant, omnibus notius eſſe arbitror, quàm vt pluribus exponi debeat. Porrò MONTANI mures cuniculos magnitudine æquant, ac etiam  Agricolæ error, Sciuros, Glires exiſtimantis. Murium montanorũ conſideratio.

MVS MONTANVS.



nonnunquam ſuperant, cruribus non vſque adeò longis. Capite leporem referunt: verùm tam breuibus auribus ſunt, vt vix ſupra pilos appareant. Pilo veſtiuntur vario taſſi modo, oblongo. Breuem habent caudam, & pedes acutis vnguibus armatos. Hyeme admodum pingueſcunt, & obeſi fiunt, ita vt aliquando monſtroſè intumeſcant. Hi Ananienſibus, Thebeuque montibus, in Tridentino agro frequentes habentur, vocanturque vulgò corrupto vocabulo Marmontane, quaſi Mures montanos dixerint. Eriguntur ſæpius vrſi modo, anterioribus pedibus veluti manibus, cibum ori administrantes. Dentes anteriores quatuor habent leporis inſtar, ſed longiores, atque acutiores, quibus ſæuiſſimè mordent. Sed mirum eſt (ego enim qui periculum feci, id certò teſtari poſſum) quòd ſi acutis forcipibus ſecentur, vna tantùm nocte renaſcuntur. Domi retenti ſi iuuenes ſint, exuta quadantenus feritate miteſcunt, ſed vtenſilibus damnum inferunt: quippe qui omnia, quibus obuiant, erodant, & deſtruant. Hyeme deliteſcunt, fœno ac paleis in aceruum congeſtis plerunq; ſe condentes. Dormiunt integris menſibus, quemadmodum & glires. In montibus viuunt. Stramenta in cauernas comportant, quibus à frigore ſe tueantur. Exterrefacti acutiſſimè vociferantur, ac ſibilant, & ad tumulos confugiunt. Horum carnes ſylueſtri & graui quodam odore adeò ſpirant, vt quibuſdam nauſeam moueant. Quo fit, vt ſale & muria aſſeruati tum odoris grauitatem, tum etiam exuperantẽ humiditatẽ ob pinguedinis copiam exuant: cùm tamen tã recentes, quàm ſale conditi concoctu admodum contumaces exiſtant, ventriculo laborem inferant, corpuſq; vniuerſũ excalfaciant. Horum pinguedo medicis expetitur, quod contractos molliat & reſtituat neruos. Sunt verò & alia quoq; murium genera, nempe, Ponticum, Laſſicũ, Noricum, Pannonicum, Indicum, à regionibus prouinciiſq; cognominata. Ponticus pilo eſt niuei candoris, ſed ſuperiore caudæ parte ſaturatè nigricat: ea enim digiti longitudinem non excedit, corporis magnitudo illa, quæ eſt ſciuro: inſectatur aues & mures. Hunc ſanè id eſſe cenſemus, quod Armellinum vocamus. Laſſicus pilis veſtitur in  Murium alia genera.

SCIVRVS.



cinereo

*cinereo candidis, ventre tamen albicante: eſt Pontico paulò maior: hunc Varium appellamus. Noricus corporis mole domeſticam muſtelam æquat, pilis leporinis fere ſimilibus, breui conſtat cauda, caret auribus, non tamen foraminibus, quæ habet aurium inſtar. Pannonicus, cui color ſubuiridis, muſtelæ ſpeciem refert, verùm magnitudine domeſticos mures non ſuperat. Poſtremò Indicus colorem habet fere murium montanorum, albus tamen compluribus intercurſantibus pilis, capite eſt & ore in longum porrectis, quin & auriculis breuiuſculis: cauda ab ipſis clunibus craſsiore in exilitatem ad imum prolixè defluente, cruribus dodrantalibus. Corpore felem æquat, pedibus aliquantò breuioribus, ac pilo hiſpidiore, præſertim ſi aduerſo tractu mulceas. Atque hactenus de murium generibus. Cæterum poſſet & SCIVRVS in murium genere recenſeri, nam præter caudam, quæ illi adeò villoſa, amplaq́; eſt, vt ea ſe totum inumbret & contegat, cætera Pontico muri ferè ſimilia ſunt. Animal vulgò notum. Meminit Sciuri Plinius libro octauo cap. trigeſimo octauo, his verbis: Præuident tempeſtatem & Sciuri, obturatiſq́; quà ſpiraturus eſt ventus, cauernis, ex alia parte aperiunt fores. De cætero ipſis villoſior cauda pro tegumento eſt. Ergo in hyemes alijs prouiſum pabulum, alijs pro cibo ſomnus. Hæc ille. Non deſunt, qui Sciuri carnes in cibum paratas commendent, & quòd vtile corpori præbeant alimentum, quodq́; cum palato non vulgarem ineant gratiam. Habet etiam eius pinguedo ſuum in medicamentis vſum vbi emollire, ac diſcutere opus ſit. Cæterum murium ſtercus (vt in libro de theriaca ad Piſonem legitur) aceto ſubactum, capillis defluentibus vtiliter illinitur. Quinetiam per ſe potum, veſicæ lapidem comminuit. Μῦες ita Græcis, Latinis verò Mures appellantur: Italis Topi: Germanis, Mauß: Hiſpanis Ratones: Gallis Sorice.*

Sciuri conſideratio.

Nomina.

## Γάλα. LAC CAP. LXIIII.

LAc generatim omne boni ſucci eſt, corpus alit, aluum emollit: ſtomachum & inteſtina † inflatione vexat. Vernum tamen dilutius æſtiuo habetur, & è viridi pabulo aluum magis emollit. Probatur autem candidum, æquali craſsitudine, quod vngui inſtillatum cogitur. Aluũ minus tentat caprinum: quoniam pecus hoc adſtringentibus pabulis, robore, lentiſco, & oleaginis frondibus, & therebinto magna ex parte veſcitur: inde ſtomacho accommodatiſsimum reddi ſolet. Ouillum autem dulce, craſſum, & præpingue: non autem vſque adeò vtile ſtomacho. Bubulum tamen, aſininum, & equinum, ventri magis idonea, ſed ipſum turbant. Quibus in locis pecora, ſcammoniam, veratrum, clematidem, aut mercurialem paſcuntur, lac omne ventrem, & ſtomachum ſubuertit: [a] quale in Iuſtinis montibus eſſe, à nobis proditum eſt. Siquidem capræ, quibus candidum veratrum pabulo fuerit, primo foliorum partu euomunt: & eorum lac hauſtum nauſeam creat, & ſtomachum in vomitiones effundit. Ventrem adſtringit lac omne decoctum, præcipuèque candentibus calculis marinis exuſtum. Et in ſumma, omnibus auxiliatur internis exulcerationibus, præſertim faucium, pulmonis, interaneorum, veſicæ & renum: foris verò contra pruritum cutis, eruptiones papularum, & vitiatos corporis ſuccos, recens cum melle crudo, addito ſale, datur exigua aqua dilutum. Minus inflat quodcunque ſemel feruefactum. Decoctum cum calculis marinis ad dimidias, vlceroſas ventris fluxiones adiuuat. Lac quodcunque ſerum continet implicitum, quod vbi diſceſsit à lacte, multó potentius ad purgationes redditur. Datur quibus ſine acrimonia, volumus deiectionem moliri, vt melancholicis, comitialibus, lepris, elephantiis, & erumpentibus toto corpore papulis. Ex omni lacte fit, quod ſchiſton, id eſt ſciſsile, appellant. Lac autem fictili nouo feruet ramoquè ficulneo recenti mouetur, inſparſis, poſtquàm bis, aut ter efferbuerit, totidem aceti mulſi cyathis, quot ſunt heminæ lactis: ita enim ſereſcens liquidum ab eo diuiditur, quod in caſeum concreuit. Sed cùm feruet, ne ſuperfundatur, conueniet ſpongia ex frigida continuò fictilis labrum detergere, ſextariumquè argenteum frigidæ aquæ plenum dimittere. Bibitur heminis per interualla ſingulis, vſque ad quinas, ita vt intercedentibus ſpatiis, potantes ambulent. Lac autem recens efficax eſt contra roſiones, vſtioneſquè, ab exitialibus medicamentis factas: vtiá cantharidibus, aut ſalamandra, bupreſte, aut pinorum eruca, hyoſcyamo, dorycnio, aconito, aut ephemero: præſertim bubulum ad id eximiè confert, gargarizatur autem exulceratis faucibus, tonſillisq́;. Aſininum peculiariter collutos dentes, gingiuaſquè ſtabilit. Fluxiones alui, ſi vlcera ſentiantur, teneſmoſquè, ouillum, bubulum, aut caprinum, cum marinis lapillis decoctum, ſiſtit: per ſe autem, & cum hordeacea ptiſana, aut alicaceo cremore infuſum magnopere inteſtinorum roſiones mitigat: exulceratæ vuluæ immittitur. Humanum lac dulciſsimum eſt, & maximè alit: mammis autem exuctum, prodeſt tabi, & ſtomachi roſionibus: contra hauſtum leporem marinum præſidio eſt: oculis cruore ex ictu ſuffuſis, cum thuris polline inſtillatur: podagricis vtile eſt, cum meconio, & cerato illitum. Lac omne reſpuendum ſplenicis, hepaticis, comitialibus, vertigineſis, & neruorum vitio laborantibus, febriculoſis, & capite dolentibus: niſi ſi quis interdum purgationis gratia, vt oſtendimus, ſchiſtum præbeat. Primiparæ canis lactæ perunctos narrant glabreſcere: potum contra venena antidoti vicem obtinet: abortus mortuos expellit.

a Meum. ὥς κ ἐν τοῖς Ἰυςίνοις ὄρεσιν ὑφ᾽ ἡμῶν ἠς-όρηται. i. ſicut in Iuſtinis montibus à nobis viſum eſt.

## Τύρος. CASEVS. CAP. LXV.

CAſeus recens ſine ſale ſumptus alit, ſtomacho vtilis eſt, & facilè in membra delegatur: carnem facit, aluum modicè emollit: alius tamen alio præſtantior, pro natura lactis, á quo conficitur. Decoctus autem, & expreſſus, deinde inaſſatus, aluum ſiſtit: illitus, oculorum inflammationibus, & ſugillatis prodeſt. Qui verò recens ſalitus eſt, minus alimenti præbet: carnem aptè minuit, ſtomacho aduerſatur, negotium ventri, interaneiſquè exhibet. Vetuſtiore ſiſtitur aluus. Sero, quod à caſeo manauit quàm optimè canes aluntur. Quod hippacen vocant, caſeus eſt equinus: ea virus redolet, magnopere alit, bubuloq́; proportione reſpondet. Nec deſunt, qui Hippacen equinum coagulum appellarint.

## Βούτυρον καὶ αὐτοῦ λίγνος. BVTYRVM, ET EIVS FVLIGO. CAP. LXVI.

E Lacte pinguiſsimo probatum fit butyrum, quale ouillũ eſt. Fit & ex caprino, agitato in vaſis lacte donec pingue ſeparetur. Butyrum natura oleoſum eſt, & emolliens: vnde largius epotum, ventrem reſoluit:

reſoluit: prodeſt, vbi oleum non adfuerit, contra venena. Cum melle ſi infricetur, dentitiones adiuuat: gingiuarum pruritus, & oris vlcera infantibus emendat. Illitum foris capaciora alimentorum facit corpora, & ab albidis puſtulis per ſumma ſcatentibus aſſerit. Contra inflammationes & duritias vuluæ, quod nec virus reſipit, nec vetuſtatem ſentit butyrum efficax eſt: dyſentericis, & coli exulcerationibus infunditur. In medicamenta addi ſolet, quæ pus mouent: vtile præſertim cum nerui, aut cerebri membranæ, veſicæ ceruix, vulnera acceperit. Id autem purgat, replet, carnem creat, ab aſpide percuſſis vtiliſſimè imponitur. Recens obſoniis additum olei vicem penſat, & adipis vice fungitur in bellariis. Colligendæ ex eo fuliginis ratio hæc eſt. Butyrum in lucernam nouam ingeſtum accéditur, fictilique operculato, quòd ſuperne in ſiphúculi ſpeciem deſinat, & infima parte cuniculos clibani modo habeat, crematur, & ſubinde aliud in abſumpti locum ſufficitur, dum coaceruetur fuliginis modus, quem facere inſtitueris: penna poſt deraditur ad vſus. Eius effectus eſt in medicamentis oculorum, exiccare, & adſtringere: fluxiones cohibet, & vlcera celeriter ad cicatricem perducit.

## LAC, CASEVS, BVTYRVM.



*Lac eſt benigni alimenti ſuperfluum in fœminarum mamillis ex bina ſanguinis coctione progenitum. Conſtat autem id tribus diuerſis eſſentiis: nimirum caſeoſa, butyroſa, ac ceroſa, quæ abinuicem ſeparatæ, variam conſequuntur temperiem. Sed à lacte primùm rem exorſus, de eo tantùm facultates diſſeram, cuius hac tempeſtate tam in cibis, quàm in medicamentis eſt vſus. Tale autem eſt humanum, caprinum, ouillum, bubulum, bubalinum, & aſininum. Et quamuis veteres vſi fuerint tum camelino, tum etiam equino: cum tamen in Italia, ac in aliis conterminis regionibus, quod ſciam, eorum nullus ſit vſus, hæc tanquam ſuperuacanea omnino reticenda cenſemus. Præcellit igitur humanum, quòd temperatum ſit in omnibus ſuis partibus. Hoc ſequitur caprinum, etſi aliquantò ſiccius ſit. His craßius eſt ouillum, minuſq; ſeroſum. Bubulum deinde, ac bubalinum, præter id quòd admodum ſit craſſum, cæteris longè pinguius habetur. Quamobrē lib. 10. ſimp. med. dicebat Galenus: Miror autem quo pacto Dioſcorides ex ouillo, & caprino butyrum confici referat. Ego namq; ex bubulo fieri noui, ac proinde nuncupatum eſſe butyrum exiſtimo: hæc Galenus. Porrò aſininum ſicut lac omne ſeri exuberantia ſuperat, ſic cæteris pinguedine cedit. Probatur in vniuerſum lac colore, odore, ſapore, ac ſubſtantia. Ob id igitur præfertur quod colore perquàm albo viſitur, pellucidum, ac clarum, non viride, non luteum, non nigrum, nec aliquo liuore ſuffuſum: odore ſuaui, ſyncero, minimè graui, aut viroſo: ſapore quidem dulci, non amaro, acri, acido, aut ſalſo: ſubſtantia media inter craſſum, & tenue, ita vt eius gutta vngui inſtillata non defluat, ſed in ſua ſphærula permaneat. Quod autem tale fuerit, omnium ſanè præſtantiſsimum erit, & in cibis optimum. Contrà peßimum præbet alimentum, ventriculum, ac totum corpus ſubuertit, quod contrarias notas habuerit, quodq; ex morboſis animalibus emulſum fuerit, vel etiamnum ab iis, quæ reprobatas, veneno ſaſq; plantas depaſcuntur. Quocirca memoriæ prodidit Galenus lib. 3. de facult. alim. quòd ſi capra, aut alterius cuiuſpiam animalis ſcammoniam, aut tithymalum depaſti, lac cibi loco quis ſumpſerit, omnino aluus illi fluet. Optimum datur vtiliter ætate conſiſtentibus, ſenibus non naturaliter frigidis, biliosis, & maraſmo affectis, & deinde, vbi ventriculus excrementis vacet. Nocet lac potum contrà febrientibus, capitis dolore affectis, ophthalmicis, reſolutis, conuulſis, fluxione tentatis, calculo oppreßis, pituitoſis, adoleſcentibus, obſtructis, & iis præſertim, qui lacte, & edulijs lacte paratis, cœnas & prandia claudunt: tantoq; maior inde ſequitur noxa, quantò craßius lac aſſumptum extiterit. Eaq; propter citato loco inquit Galenus: Lac, quod ſeri plurimum habet, etiamſi ſemper eo vtare, nullum prorſus periculum adfert. Quod verò huiuſcemodi humiditatis exiguum habet, caſeoſæ autem craßitudinis multum, omnibus qui ipſo frequentius vtuntur, eſt periculoſum. Cæterùm vt lac, quod bibendum eſt, proſit, hæc præterea adſint oportet: lac nimirum recẽter ſit mulſum, aliquid mellis, ſacchari, aut ſalis admiſtum ſit, ne in ventriculo concreſcat: tantumq; ex eo ſumatur, quãtum concoquere valeat ventriculus. A cibis etiam omnibus, & vino, poſtquàm aſſumptum fuerit, abſtinendum eſt, quouſque à ventriculo ſeceſſerit, minimeq; exercitio vtendum eſt. At quoniam lac dentes inficit (etſi Dioſcorides contrarium de aſinino ſcripſerit) eo ſtatim ebibito, vino, aut hydromelite os abluere oportet. Quod autem immiſto coagulo cõcreuit, quãquam verno, ac æſtiuo tempore, menſis frequentiſsimè expetatur, tamen anguſtiam parit, ventriculum opprimit, caput vaporibus replet, ægrè concoquitur & craſſum gignit ſuccum. Quamobrem ſi quandoque in cibũ veniat, primum omnium ingeratur: ſiquidem vltimo loco ſumptum (vt fieri adſolet) aut ſtatim putreſcit, aut ſubſidẽtem cibum ſecum ad ima incoctum trahit. Lac omne, humanum præſertim, cerebrum auget, corpus impinguat, ſiccam & aſperam tußim lenit, venerem roborat, vrinæ ardoribus ſubuenit, diſſoluta corpora reficit, probi multiq; eſt alimenti, bonam facit aluum, facilè in ſanguinem vertitur, carnem auget, pectus dilatat, & cæteris alimentis maius adfert nutrimentum. Quòd autem lac primiparæ canis peruulſos glabreſcere faciat, potum verò emortuos educat fœtus, vt nonnullis proditum eſſe ſcribit Dioſc. reprobat Galenus*

Lactis conſideratio.

Lactis probatio.

Lactis facultates.

Lactis bibendi ratio.

Lactis coagulati vires.

Butyri vires ex Gal.

lib.10.ſimpl.med. Butyrum præterea (vt loco citato ſcribit Galenus) facultatis eſt concoquentis, paulum habens etiam digerendi potentiæ, in mediis nimirum corporibus ſecundum duritiem, ac mollitiem. Corporum etenim planè durorum tumores præter naturam hoc nequit medicamen digerere: at quæ in mollibus ſunt phlegmonæ, eas & concoquit, & digerit perfacilè. Nam parotides, & bubones, & oris phlegmonæ, aliæque partes complures illo prorſus ſolo oriuntur, nimirum in pueris, ac mulieribus. Sed & dentientium puerorum gingiuis illitum, nihilo imbecillius melle gingiuas extenuat, per quas exitus eſt dentibus: & alios omnes in ore affectus phlegmonoſos, poſteaquam fluxio reſtiterit, digerit & pariter concoquit. Proinde cataplaſmatis inditur, quæ extrinſecus imponuntur parotidibus, hypochondriis, & bubonibus. Sed & in ventrem deuoratum, & ex eo diſtributum, magnificè confert expuitionibus ex pulmone, idque in pleuriticis, & peripneumonicis affectibus, cum hoc, quòd eos etiam concoquat. Atque ſi ſolum lingatur, magis quidem concoquit, verùm minus educit: plus verò ſi cum melle, & amaris amygdalis, ſed minus concoquit. Fit ex bubuli præſertim lactis pinguedine id, quod vulgò Romæ, ac in vniuerſa fere Italia Capo di latte appellant, menſis plurimum expetitum, quòd guſtui, ac palato maximè arrideat.

Caput lactis.

Verùm enimuerò ob pinguedinis copiam, præterquàm quòd ventriculum relaxat, & cunctis ſupernatat cibo, nutrimentum eiicit, anteaquam concoquatur, vapores in caput mittit, & craſſum generat ſuccum.

Caſei conſideratio, & facultates.

Caſeus autem fit ex craßiore cuiuslibet lactis ſubſtantia, admiſſo coagulo, & expreſſo inde ſero. Præfertur in cibis recens, quòd noxam ventriculo non inferat, concoquaturque facilius, quàm qui diutius aſſeruatur. Namque vetus, qui quòd linguam parumper vellicet, quàm plurimis gratior redditur, omnium peßimus eſt: quippe qui cæteris magis adurat, ſitim excitet, & difficilius concoquatur. Quin & calculos in renibus gignit, iecur obſtruit, aluum cohibet, & in calefactis corporibus atram bilem gignit. Quo fit, vt plus damni ex eius ſucci prauitate, & feruenti qualitate inferat, quàm quòd humores craſſos attenuando compenſare poßit. Fugiendus igitur iſtiuſmodi caſeus eſt, cùm neque ad concoctionem, neque ad mouendam vrinam, neque ad ciendam denique aluum, quicquam boni conferat, quemadmodum neque ad ſucci probitatem.

Caſei bubuli antiqui vires ex Gal.

De hoc autem ediſſerens Galenus lib. 10. ſimplicium medicamentorum, ſic inquit: Itaque cùm mihi olim caſeus allatus eſſet bubulus, quem ex odore acrem eſſe conijciebam, abieci, & iam à famulis abſumptum putabam: verùm illi talia ſeruare ſoliti, longo pòſt tempore ex promptuario proferentes, quidnam de illo fieri iuberem, rogant. Cùm igitur edendo non eſſet propter acrimoniam, ludicrum nobis problema extitit, proponentibus, cui rei quis illum vtiliter poſſet accommodare. Interea cùm ad me arthriticus quiſpiam in curru conuectus eſſet, tophos, quos Græci πώρους nuncupant, in articulis habens, ſubiit mihi crure ſuillo ſalſo decocto caſeum eo decocto macerare, ac probè in mortario ſubigendo vnitum, tophis imponere. Et ſanè arthriticus ab hoc medicamine magnificè adiutus eſt: nam rupta ſponte ſua cute, abſque inciſione videlicet, emergebant quotidie citra dolorem tophorum particulæ. Vbi autem totus, qui apud me erat caſeus, fuiſſet abſumptus, talem ſibi alium comparans arthriticus in poſterum ſeruauit, & poſtea rurſum vſus eſt inueterato: atque vbi tunc quoque idem percepit commodum, ſæpius deinceps vti perſeuerabat, & quoſdam amicos ſimiliter affectos docuit. Atque id quidem nos excogitauimus: cæterùm comprobauit, ac confirmauit experientia: hactenus Galenus. Ex quo palàm fit, eiuſmodi caſeum eſſe omnino in cibis reprobandum. Qui verò nec recens, nec vetuſtus fuerit, cùm & ipſe non ſit expers læſionis: minore tamen conſtat noxa. Præſtat cæteris ouillus.

Caſeus Hetruſcus optimus.

Verùm ſicuti Pergamenum caſeum Galenus in laudem ſuæ patriæ præ cæteris commendauit libro 3. de alimentorum facultatibus: ita nec mihi ſanè vitio vertendum exiſtimauerim, ſi Hetruſcum cæteris Italicis præferam, eum præſertim, qui in noſtro Senenſi agro, ac etiamnum Florentino ex ouillo lacte conficitur, qui vulgò appellatur Caſcio marzolino, guſtu dulcis atque ſuauis, quòd lac, ex quo paratur, coagulo non ſit concretum, ſed cinaræ floribus, qui paßim vniuerſæ ferè Hetruriæ coaguli vicem præſtant: quo fit, vt ſeneſcens nunquam acris euadat. Cui nec alter cedit, qui in noſtro agro præſtantißimus fit ex caprarum lacte, menſe Septembri, recenſq; eſtur. Hunc vulgò Rauaggiuolo appellamus. Defertur is Romam, quòd à Præſulibus, aliiſque primatibus ſummopere expetatur, quippe qui odoratas redoleat herbas, quibus vbique noſtrates referti ſunt colles, iique præſertim, qui non longè diſtant ab vrbe noſtra. Bubulus præterea caſeus, etſi plus cæteris nutriat, pinguiorq; exiſtat, eſt tamen reliquis concoctu difficilior. Caprinus verò quanquam ex temperatiori lacte ſit confectus, inueteratus tamen reliquis caſeis eſt deterior, cum ſtatim exiccetur, & friabilis fiat. Bubalinus denique in globos illos iunceis vinculis conſtrictus conformatur, qui noſtris Mozze, Romanis autem Priuature vulgari ſermone dicuntur. Is caſeus, quo paßim Hetruſci veſcuntur, ori quidem gratißimus eſt, & dulcis, ſed ægrè concoquitur, quòd ſubſtantiam habeat admodum pinguem ac lentam.

Recoctæ vires.

His accedit, quæ vulgò nobis Recotta dicitur. Fit hæc ex ſeroſa lactis parte ad ignem decocta. Recens (ſi Auicennæ, Raſi, & Iſach credimus) minus ventriculum vexat, quàm caſeus omnis recenter preſſus. Confert calidis defluxionibus obnoxiis, ſitim ſedat, ſomnum conciliat: veruntamen obeſt ventriculum frigidum habentibus, & neruorum morbis. Inueterata autem ægrè concoquitur, ſitim excitat, parum nutrit, aluum cohibet, & flatus procreat.

Seri vires ex Gal.

Reliquum eſt Serum, quod lactis aquoſa eſt ſubſtantia. Hoc (vt Galenus inquit lib.10. ſimplicium medicamentorum) extergendi potentiam poßidet, ſumiturque ſubducendi ventris gratia, ac per clyſteres iniicitur, extergens, & abluens ſine mordacitate inteſtinorum acrimoniam. Præterea ſi quis vlcera, quæ ſanie infeſtantur acri, vice aquæ ſero colluat, optimè ſanè fecerit. Præterea quæcunque medicamenta digerere ſolent ecchymomata, & atra, ea præſtat ſero, quàm aqua diluere. Sic etiam eo vtimur ad ſugillata, & hypoſphagmata, peculiaribus ad hæc medicamentis commiſcentes.

Ex Meſue.

Prætulit Meſues ſerum, quod ex nigrarum caprarum lacte elicitur, deinde quod ex ouillo, ſic inquiens: Aqua lactis macerationis materia eſt, & per ſe quidem innocuum medicamentum. Præfertur, quæ fit ex lacte nigrarum caprarum, in laudatis paſcuis victitantium, recenterq; fœtarum. Excalfacit hæc, atque ſiccat ordine primo completo, & vſque ad ſecundum. Quinetiam attenuat, abluit, abſtergit, & nitroſa, qua referta eſt facultate, aluum abſque aliqua mordacitate leniter ſubducit. Bilem tum flauam, tum atram ab exuſtis humoribus genitam deiicit: quo fit, vt mirificè conferat maniacis, & melancholicis. Præſtat item ad viſcerum infarctus, & morbis inde prouenientibus opitulatur, nimirum aqua intercute laborantibus, felle ſuffuſis, & lienoſis. Datur vtiliter febrientibus ex bile, & viſcerum, ac vaſorum obſtructionibus. Competit etiamnum vitiis in cute à bile, & peruſtis humoribus emergētibus. Quare lichenibus, vitiliginibus, alphis, pſoræ, lepriſq; admodū conuenit: hæc Meſues. Optimi ſeri parandi rationem docuimus fuſius nos, quodq; magis in medicina præſtet, in noſtro Epiſtolarū medicinalium volumine.

Lactis facult. ex Gal.

Lactis autē facultates memoriæ prodidit Galenus loco nuper citato, vbi ita ſcribit: Lac vbi aliam quāpiam exiccantem facultatem habuerit adiunctam, optimum eſt remedium dyſenteriæ, & omnium ventris acrium fluxionū. Eam accipit à lapidibus, qui prædecocto ipſi iniiciuntur igniti. Porrò eos eſſe oportet, quos vocant κάχληκας. Et lac eouſque decoqui debet, dum pleraq; ſeroſi in eo humoris abſumpta pars fuerit. At nos iniectis ferreis in ipſum cylindris candentibus, eandem aut etiam meliorem facultatem efficimus. Porrò lac totum ad acres oculorum fluxiones tum per ſe, tum cum mollium collyriorum quopiam eſt vtile: præterea ad hypopia, & hypoſphagmata.

Quinctiam

*Quinetiam palpebris extrinſecus, vbi qui ophthalmia laborant, ſomno ſeſe dabunt, impoſitum ſimul cum roſaceo & ouo, phlegmonas eorum concoquet. Sed hoc eſto lac mulieris recens ex mamillis expreſſum. Infundimus ipſum & vtero vlcerato tum per ſeſe, tum iis medicamentis commiſcentes, quibus miſceri poteſt, vtique citra morſum curantibus, & vbi in ſede vlcera mitigamus præ ſaniei acrimonia dolentia, aut phlegmonas, aut rugas perpetienda. Sic & ad vlcera pudendorum vlcera, & omnia quæ leniri poſtulant, ſiue ob inflammationem, ſiue morſum, ſiue ob malignitatem. Eaq; propter & cancroſis applicatur vlceribus, medicamentis anodynis commiſtum, qualia ſunt, quæ ex pompholyge conſtant. Et quid attinet commemorare, quod ore contentum, collutum, gargarizatumq; vel maximè phlegmonas eius mitigat: Sed & tonſillas, & columellam, & antiadas phlegmone affectas admodum mitigat, & proinde anginam. Atque vt ſemel dicam, medicamentum eſt leniens, totam quidem ſubſtantiam habens mordacitatis expertem: ſed multò magis, vbi concoctione moderata periſſima pars ſeroſi humoris abſumpta eſt. Sic mihi videntur etiam medici ad venena, quæ eroſione interimunt, lac dare ſuadere, velut & lepus marinus interficit, & cantharis. Sed & ſunt, qui aconitum, & thapſiam ſumpſerunt. Sed hæc exeatione fecerunt. Quod Græci γάλα, Latini Lac dicunt, Arabes, Leben: Itali, Latte: Germani, Milch: Hiſpani, Leche: Galli, Laict. Caſeus verò ita Latinis: τυρὸς, Græcis vocatur: Arabibus, Lubon ſeu Gieben: Italis, Caſcio: Germanis, Keſe: Hiſpanis, Queſo: Gallis, Fromage. At Serum Latinè dictum, Græcè ὀῤῥὸς γάλακτος appellatur: Italicè, Siero: Germanicè, Molcken: Hiſpanicè, Suero de leche: Gallicè, Ser du laict. Quod denique Græci βούτυρον, Latini ſimiliter Butyrum nominant: Arabes, Zebd: Itali, Burro: Germani, Butter/& Ancken: Hiſpani, Mauteca: Galli, Beurre, & Buyre.* Nomina.

*† Illud hoc loco non prætereundum duxi, quòd in Græco codice manu ſcripto non φυσητικὸν, hoc eſt inflationem pariens, ſed φυσικὸν, id eſt, naturale legatur: quòd lac potius ſtomachum iuuet, quàm inflatione vexet: id enim innuit verbum naturale. Hanc lectionem ſecutus fuiſſe videtur Serapio: quippe qui ex Dioſcoride ita tranſcribat: Et lac confert ſtomacho. Quin & facilis potuit eſſe librariorum lapſus ob vocum ſimilitudinem.*

## Ἔρια, καὶ οἴσυπος. LANÆ, ET OESYPVS. CAP. LXVII.

Svccidæ lanæ molles è collo feminibuſque, laudatiſſimæ habentur. Subueniunt inter initia vulneribus, percuſſis, deſquamatis, liuidis, oſſibus fractis, aceto, oleo, aut vino imbutæ: ſiquidem facilè ſuccos combibunt, quibus immerguntur, & ob pecudum ſordem (ſic enim œſypum vocant) emolliunt: capitis, ſtomachi, aliarumque partium doloribus, cum aceto, & roſaceo efficaciter imponuntur. Crematarum

LANA.



lanarum cinis cruſtas obducit, excreſcentias in carne cohibet, & vlcera ad cicatricem perducit. Mundæ autem, & carptæ, in fictili crudo, cæterorum more vruntur. Nec ſecus fimbriati marinarum purpurarum flocculi cremari ſolent. Aliqui cum ſordibus lanas carpunt, & melle irrigant, eodemque modo vrunt. Alii in fictili oris patuli, verucula inter ſe diſtantia componunt, & concerptas carminataſque lanas, oleo ita ſuffuſas, vt ne ſtillare quidem poſſint, aſſulis tedæ ſubiectis, & eiſdem, laniſq; permutatim interſtratis, leuiter ſuccedunt, & vſtas tollunt. Quòd ſi è teda pix, pinguitudove vlla profluit, collecta reconditur. Lauatur ad oculorum medicamenta: cinerem in labellis, aqua addita, manibus confricant, & conſidere patiuntur: idque ſæpius, mutantes aquam, donec linguam adſtringat, nec mordeat. Oeſypum vocant Græci, ſuccidarum lanarum pinguitudinem: cuius parandi ratio hæc eſt. Succidæ molles, radicula non curatę, calida aqua lauantur, & quibuſcunq; ſordibus expreſſis, & in labellum oris ampli coniectis, aqua infunditur, magnoq́ue impetu ligula, vti reſpumet, agitatur, aut lignea rude validiuſculè conturbatur, quo largius ſordida ſpuma colligi poſſit, deinde marina reſpergitur: & conſidente pingui, quod ſupernatabat, collectoq́ue in altero fictili vaſe, denuo aqua in labellum fuſa agitatur: ſpuma iterum mari perfunditur, & demum eximitur: hoc tantiſper fieri ſolet, dum conſumpta pinguitudine, nihil prorſus ſpumæ extet. Collectum œſypum manibus emollitur, & ſi qua inſedit ſpurcitia, confeſtim demitur: excluſaque ſenſim omni aqua, recentiq; affuſa, manibus miſceatur, donec admotum linguæ œſypum adſtringat leuiter, nec mordeat, atq; pingue candidumq; ſpectetur: tum in fictili vaſe conditur: verum omnia feruido ſole fiant. Nonnulli excolatum pingue frigida aqua eluunt, & manibus, non ſecus atque ceratum mulieres, confricant: ita enim candidius redditur. Alii elotis lanis, & ſordibus quibuſcunq; exemptis, ac lento igni in æneo vaſe ex aqua decoctis, pingue, quod ſupernatat, collectum aqua, vt diximus, lauant: colatumq; in fictilem patellam, quę calidam aquam contineat, linteo operiunt, atq; ſoli mandant, donec candidum fiat,

& ſatis craſſum. Alii bidui ſpatio aquam effundunt, nouamq́; adiiciunt. Melius eſt læue, radiculis non cœratum, quod ſuccidarum virus oleat, & ſi manu in cócha fricetur cũ aqua frigida, albeſcat, nihil in ſe duri, aut concreti habens: veluti quod cerato, aut adipe adulteratur. Oeſypum excalfacit, explet vlcera, & emollit, præſertim ſedis ac vuluæ, cum meliloto & butyro. In vellere appoſitum menſes, & partus euocat: vlcera non aurium modò ſanat, ſed & genitalium cum anſerino adipe: contra eroſos angulos oculorum, ſcabioſoſque, genas quæ occalluerũt, & ciliorum defluuia, efficax eſt. In teſta noua torretur, donec redactum in cinerem pinguitudinem amittat. Ex eo etiam fuligo colligitur, vti demonſtrauimus, quæ in oculorum medicamenta commodè addi ſolet.

*CVm Lanæ ſuccidæ, & earum ſordida pinguitudo, quàm Græci Oeſypum appellant, & officinarum vulgus Iſopum humidam vocat, pleniſſimè à Dioſcoride deſcripta ſint, nihil nobis hic relictum eſt, quod declarandum, vel adiiciendum*

Nomina. *eſſe putemus. Cæterùm ἔριον quod Græcis, Lana Latinis dicitur, pariter & Italis: Arabibus, Sauf, aut Suf: Germanis, Schmutzig e Wollen: Hiſpanis, Lana: Gallis, Laine. Quod verò Græcè οἴσυπος, Latinè itẽ Oeſypus nominatur: Arabicè, Senferatab: Italicè, Eſipo: Hiſpanicè, Iſopilho humido: Gallicè, Graiſſe de la laine ſorge.*

## Πιτύα. COAGVLVM. CAP. LXVIII.

LEporis coagulum tribus obolis ex vino, venenatorum morſibus, cœliacis, dyſentericis, & fœminis fluxione vuluæ laborantibus, ac reiectionibus à pectore, auxiliatur, ſanguinem in grumos cócretum diſcutit. Poſt menſtruas purgationes appoſitum vuluæ cum butyro, præſtat mulieribus, vt concipiant: potum verò partus enecat, & à puerperio, pariendi ſpem adimit. Equi coagulum, quam hippacen aliqui vocant, priuatim cœliacis, dyſentericiſq; conuenit. Hœdi, agni, hinnuli, capreæ laticornis, & dorci, apri, cerui, vituli, bubaliq́; coagula ſimiles naturas ſortiuntur, contra aconiti potum in vino, & concretum lac in aceto conuenienter aſſumuntur. Hinnuli priuatim triduo à purgationibus admotum, partus ſpem intercipit. Vituli marini, caſtorei vires repræſentat: comitialibus, ſtrangulatis vuluis, potu conferre exiſtimatur. Sed ſi ſit vituli marini, hoc experimentum eſt: aqua inſpergitur, qua pauliſper cùm alterius animantis, tum præcipuè agni coagulum, madueri: nam ſi erit ſyncerum, ſtatim liqueſcit in aquam: ſin minus, conſimile permanet. Excipitur autem catulis, qui nondum natare poſſunt. In ſumma coagulum omne diſſipata cogit, & coacta diſſoluit.

Coaguli conſideratio. *ANimalium coagulum (vt Ariſtoteles memoriæ prodidit lib. 3. c. 21. de hiſtoria animalium) lactis ſubſtantia eſt: quippe quod in eorum ventriculo, quæ adhuc lactent, contineatur. Eſt ergò coagulum lac ignem habens intra ſeſe, quod cùm animalis tepore concoqueretur, caſeum traxerit. Habent coagulum omnia ruminantia: & inter dentata vtrinque lepus. Quo vetuſtius coagulum eſt, eò præſtantius: tale enim profluuio alui mederi præcipuè poteſt: atq́; etiam quod leporis eſt. Sed laudatiſſimum hinnuli: hæc Ariſtoteles. Quòd autem leporinum coagulum ſanguinem reiicientibus conueniat, vt*

Coaguli facult. ex Gal. *Dioſcorides ſcribit, minimè quidem probare videtur Gal. lib. 10. ſimpl. med. vbi ſic inquit: Coagulum omne acris, ac digerẽtis potentiæ eſt, ac nimirum etiam exiccatoriæ: nam neceſſariò id ſuperiora comitatur. Ac leporis quidem coagulum comitialem morbũ, ſi cum aceto ebibatur, prætereà profluuium muliebre ſanare proditum eſt: ſed & lac in ventre coagulatum diſſoluere: quod certè & nos experti ſumus, non ſolùm in leporino, ſed etiam in aliorum animalium coagulo. Attamen leporinum omnium eſt præſtantiſſimum. Sed & ſanguinem in ventre concretum ſimili modo epotum diſſoluit, ac efficacius fortaſſe cæteris leporinum: verùm non ſolùm, quod quibuſdam ſcriptum legitur, ſed & hoc commune eſt omni coagulo. Quidam autem ſanguinis ex thorace reiectiones leporinum coagulum epotum ſupprimere prodiderũt. Cæterùm nec alium quenquam eo vſum noui, nec ipſe ſum auſus acri vti remedio ad affectum adſtrictionem poſcentem. Porrò coagulum equinum ad dyſentericos, & cœliacos accommodari ſcripſerunt nonnulli. At phocæ coagulum eximiè aptum eſſe quidam prædicant, tanquam vires obtineat caſtorij. Verùm quæcunque proditum eſt, quodq́; coagulum ſecundum eſſentiæ totius præſtare proprietatem, non eſt nunc tempus exponere. Quam vim Dioſcorides contra venenatorum morſus hic tribuit coagulo leporis, capreæ, hinnuli, cerui, eandem quoque Nicander in Theriacis hiſce verſibus:*

Ἐν δὲ τίθει τάμισον σκίνακος νεαροῖο λαγωοῦ
Ἢ προκὸς ἢ νεβροῖο πάροιθ᾽ ἀπολύματα κόψας
Ἢ ἐλάφου νηδὺν, τὴν δὴ καλέουσιν ἐχῖνον.
Ἄλλοι δ᾽ ἐγκατόεντα κεκρύφαλον ὤν ἀπερύσας
Δραχμάων δοιῶν τε δύω καταβάλλεο μοίρας
Τέτρασιν ἐν κυάθοις μέθυος πολιοῦ ἀπομίξας.

*Eius nomen Græcum πιτύα: Latinum, Coagulum: Arabicum, Anfea, Anſhae, ſeu Anſhaa: Italicum, Caglio: Germanicum, Lipp/Kimm lipp/& Käß lipp: Hiſpanicum, Coalho: Gallicum, Preſure.*

## Στέαρ. ADEPS. CAP. LXIX.

ADEPS anſerinus, aut gallinaceus recens, & ſine ſale conditus, ad vuluæ vitia proficit. Sale inueteratus, & qui temporis ſpatio acrimoniam concepit, vuluæ inimicus eſt. Recens exemptis membranis in fictilem ollam demiſſus, quæ altero tanto capacior ſit, quantus ſit modus adipis, quem curare inſtitueris, obſtructo diligenter vaſe flagrantiſſimo ſoli exponitur: eliqueſcens inde humor in fictile alterum excolatur, donec adeps omnis abſumatur: mox loco vehementer frigido reconditur, & ad vſus digeritur. Alii fictile fulciunt ſuper aquam calidam, aut tenuem & elanguidam prunam, quæ ſolis vicem penſet. Eſt & alia curandi ratio. Exemptis membranis teritur, coniectuſque in ollam eliquatur, adiecto minuti ſalis momento: mox lineo colo transfuſus reponitur. Vtiliter in medicamenta additur, quæ laſſitudines, & fatigationes leuant. Suillus adeps, & vrſinus hoc curantur modo. Recens, præpinguis, renibus potiſſimùm detractus, in largiore aqua cæleſti, & quàm frigidiſſima, exemptiſque tunicis, diligentiſſime manibus confricatur, & exprimendo ferme ſiccatur, ſubindeq́; noua aqua abluitur: cæterũ fictili capacitatis duplæ inditus, in aquam demergitur, & ſubditis leuibus prunis ſpatha mouetur, eliquatuſq́;

colo

colo transfunditur in aquam. Vbi verò refrixit, & guttatim aquam omnem excluſit, in prælotum fictile demittitur, & infuſa aqua leniter eliquari debet, & manu deprimi, quò facilius fæculentum virus peſſum eat: poſtea in pilam ſpongia madefactam transfunditur: vbi coire cœpit, reſidens in imo ſordes eximitur. Orib. legi. λαπάδα. Tertiò citra aquam eliquatur, repurgatuſque, fictili bene operculato, perquàm frigidis locis reponitur. Hircinum ſeuum, ouillum, ceruinumque ita curato. Elotum ex his quodcunque tunicis (vt in ſuilli mentione dictum eſt) exemptis, pilæ emolliendum tradito, ac manibus fricato, affuſa paulatim aqua, donec ne amplius quidem cruentum virus excernatur, aut pingue aliquod innatet, ſed nitida ſpectetur. Deinde in ollam fictilem coniicito, & adiecta aqua, vt ſupereemineat, leui pruna liquefacito, & moueto, atque in aquam colato: cumque refrixerit, iterum in loto fictili eliquato, & quæ antè diximus, facito. Tertiò ſine aqua liquefactum, in perfuſam liquore pilam colato, refrigeratumque, vt in ſuilli ratione diximus, recondito. Bubulum autem ſeuum, renibus maximè detractum, exemptis membranis, aqua marina ex alto petita eluendum eſt: mox in pila tundendum diligenter, affuſa maris aqua. Cùm verò diſſolutum fuerit, in fictilem ollam coniiciendum, & marina aqua, quæ non minus dodrante ſupereemineat, proluendum: decoquendum, donec omnis aboleatur odor, additis ad ſingulas ſeui Atticas minas, quaternis Thyrrenicæ ceræ drachmis: excolatumque, detractis quæ peſſum ierunt ſordibus, in nouo fictili reponendum, opertumque ſoli interdiu credendum, vt ad candorem reducatur, & odoris virus euaneſcat. Priuatim taurorum pingue ſic curari debet. Renibus euulſum pingue profluēte amnis aqua abluito detractiſque tunicis, fictili nouo, poſtquàm exiguum ſalem inſperſeris, liquefacito: dein in nitentem aquam excolato: & vbi concreſcere cœpit, manibus iterum confricando vehementer lauato, aqua ſæpius infuſa, refuſaque, donec quàm optimè elotum videatur. Rurſus in olla cum pari modo vini odorati decoquito, & cùm iterum efferbuerit, dempto ab igni vaſe, ibidem ſinito pernoctare: poſtridie ſi grauiter adhuc oleat, noua olla repetitum, vino odorato perfundatur: eadem quæ prius, fiant, dum omne virus euaneſcat. Colliquatur & ſine ſale, præſertim affectionum earum cauſa, quibus ſal aduerſari ſolet, ſed ita paratum non magnopere albeſcit. Eodem modo pardorum, ac leonum pinguia curari oportet, a Taurinum autem, & vitulinum pingue, necnon ceruinum, atque etiam huius animalis medulla, odoramentis imbuitur, hac ratione. a Hæc omnia veluti ſubdititia non deſcribuntur ab Oribaſio. Pingue, quod odoratum reddi debet, demptis, quo diximus modo, membranis, elutum, & vino quàm odoratiſſimo, nulla maris aqua diluto, feruefactum, pernoctare ſinitur: alterum id genus vinum eadem menſura infunditur, colliquatur, & exquiſitè colatur: nouemque eius heminis, iunci Arabici ſeptem drachmæ adiiciuntur. Quòd ſi ipſum odoris fragrantioris fieri voles, quadraginta floris eiuſdem drachmæ, cum paribus palmæ, calami & Caſſiæ modis adduntur: & Xylobalſami, Aſpalathi ſingulæ drachmæ, cinnamomi, cardamomi, & nardi ſingulæ vnciæ: omnia exactius tunduntur, & affuſo vino odorato, in vaſe operto, quod ſupra carbones firmiter collocatum ſit, ter efferueſcunt, & ſemoto ab igni vaſe inibi pernoctant: poſtridie vinum effunditur, aliudque generis eiuſdem adiicitur. Ter ſimili modo bene conferueſcat: deinde matutinis exempto adipe vinum effundatur, & ablato vaſe, ſi quid imo ſubſidens hæſit, detergatur. poſtremò eliquatum pingue, & excolatum, ad vſus reconditur. Hoc autem modo odoramentis imbuitur, quod antea curatum eſt. Verùm antè dicta prius inſpiſſari ſolent, quò facilius ſibi odoramentorum vires adſciſcant. Itaque aſſumens quodcunque horum voles, cum vino feruefacito, impoſitis vnà myrti ramulis, ſerpyllo, cypero, item aſpalatho plenius tuſo. Aliqui tamen ad hunc vſum, vno duntaxat horum contenti ſunt. Cùm autem ter efferbuit, exemptum leniter, & linteo colatum, aromatis, vti expoſitum eſt, imbuitur. Adipibus ſpiſſamenta ſic fiunt (quemcunque acceperis, oportet vt recens tundatur.) Syncerus & ſanguinis expers adeps, reliquas habens notas, quas ſæpe retulimus, in ollam nouam demittitur, infuſo vino albo, vetere, odorato, quod ſemipedis altitudinem ſuperet: lento igni ferueſcat, dum vernaculus odor aboleatur, planeque vinum redoleat. At vbi depoſito vaſe refrixit, duæ adipis minæ in ollam mittuntur, & duo vini eiuſdem ſextarii, & ſeminis loti, eius inquam, cuius è ligno ludicræ tibiæ factitantur, tuſi minæ quatuor adiiciuntur: lento igni ſubinde miſcendo decoquuntur: cumque odoris virus euanuerit, excolatuſque adeps refrixerit, vna contuſi aſpalathi mina, cum amaracini floris minis quatuor, & vetere vino ſubigitur. Nocte vna hæc odorem rapiunt, combibuntve: poſtridie in fictilem ollam tricongialem ea omnia cum adipe iniecta, additis ſextariis tribus vini, vnà ferueſcunt, quouſque & vim, & odorem ſpiſſamentorum adeps ipſe contraxerit, qui eliqueſcens colatur, & reponitur. Quod ſi maiorem odoris fragrantiam efflagites, drachmas octo quàm pinguiſſimæ myrrhæ vino maceratæ, quod multos in annos aſſeruatum eſt, miſceto. Gallinaceus, anſerinuſque ſic odoribus imbui ſolent. Cuiuſuis eorum percurati ſextarii duo fictili olla excipiuntur: eryſiſceptri, xylobalſami, palmæ elatæ, & calami planè contuſi, ſingulorum ſeſcuncia admiſcetur: vini Lesbii veteris cyathus vnus adiicitur: ea ter efferueſcunt prunis, mox vaſe ſublato ab igne, die, noctuque refrigerantur: poſtridie liquata per linteum craſſum mundum in vas excolantur: vbi verò adeps coierit, concha excipitur, fictilique nouo denſius operto perfrigidis locis reponitur. Hyberno tempore id inſtituere oportet: æſtate ſiquidem pinguia non coguntur. Nec deſunt, qui Tyrrhenicæ ceræ momentum adiiciant, quò facilius in vnum corpus omnia coaleſcant. Eadem ratione ſuillus adeps & vrſinus, cæterique id genus, odoramentis imbuuntur. Verùm ſampſuchi odorem adeps ipſe repræſentabit hoc modo: Curati quàm optimè adipis, præſertim taurini, mina vna, tempeſtiuique ſampſuchi exquiſitè confracti ſeſquimina miſcentur, & inſperſo largiore vino digeruntur in offas, quæ in vaſe cooperto nocte quieſcunt. Matutinis in fictili olla leuiuſculo igni, affuſa aqua leuiter coquuntur: dumque ſuum adeps odorem exuerit, defæcatus, ac bene opertus, nocte tota permanet: poſtero die deterſa ſorde, quæ peſſum ierat. ſampſuchi, vt dictum eſt, contuſi iterum ſeſquimina priori paſtillo adiicitur, eodemque modo in offas cogitur: aliis quæ diximus peractis, decoquitur, & colatur, & ſi qua fundo hæſit ſpurcitia, deraditur, & frigido loco reconditur. Siquis tamen incuratum adipem anſerinum, gallinaceum, aut vitulinum à putredine tueri velit, ita faciundum eſt. Quemuis adipem diligenter elotum, & ſiccatum in vmbra ſuper cribrum, per lintea munda manibus vehementer exprimat, linoque conſutum vmbroſo in loco ſuſpendat, & poſt multos dies noua charta inuolutum, frigi-

do loco recondat. Pinguia autem indito melle vindicantur à putredinis vitio. Vis omnium eſt excalfacere, mollire, rarefacere. Taurinus adeps, bubulus, & vitulinus aliquantum adſtringunt. Earundem virium compos leoninus: nam reſiſtere eum aiunt iis, qui inſidias moliuntur. Ceruino, elephantinoq; perunctos, ſerpentes fugiunt. Adſtringentior eſt caprinus: qua ex cauſa decoctus cum polenta, rhoe, & caſeo dyſentericis datur, & cum ptiſanę ſucco infunditur. Ius decocti phthiſicis in ſorbitionibus prodeſt, datur quoque vtiliter iis, qui cantharidum venena hauſerunt. Hircinus, vt qui validiſſimè diſcutiat, podagricis auxiliatur, cùm fimo capræ, & croco impoſitus: huic proportione reſpondet ouillus. Suillus verò contra vuluæ, & ſedis vitia idoneus eſt: ambuſtis igni medetur. E ſue vetuſtiſſimus quiſque ſale conditus excalfacit, & emollit: elotus vino pleuriticis prodeſt cinere, aut calce exceptus, inflammationibus, fiſtulis, ac tumoribus ſuccurrit. Aſininum tradunt cicatrices corpori concolores reddere. Anſerinus, gallinaceuſque conueniunt muliebribus malis, & ad labiorum rimas, ad mangonizãdam faciem, & contra aurium dolores. Vrſinum conſtat raptos vitia alopeciæ capillos reſtituere, pernionibus ſubuenire. Vulpinus medetur aurium doloribus. Fluuiatilium piſcium pinguia perunctis oculis claritatem afferunt, ſi in ſole liqueſcãt, & melli admiſceantur. Viperæ adeps contra oculorum hebetudines, ſuffuſioneſque efficax eſt, addita cedria, melle Attico, & pari oleo vetere: pilos alis euulſos perunctis radicibus recens, & per ſe illitus obliterat, atque renaſci non patitur.

*TAmetſi de adipibus, ſeuis, & pinguibus, quæ in medicum vſum veniunt, copioſè, & abundanter locutus ſit Dioſcorides, vtpote qui non eorum modò facultates, & vires tradiderit: ſed etiam rationem docuerit, qua illa curentur, ſpiſſa & odorata reddantur, & à putredine vindicentur: tamen cùm de eorum natura, & facultate accuratius (meo quidem iudicio) copioſius etiam, & particularius diſſeruerit Galenus, nec vanum, nec à noſtro inſtituto alienum duximus, huc eo omnia referre, quæ ab ipſo memoriæ prodita ſunt libro 11. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcriptum reliquit: Pinguedo, & adeps & hæc quoque communiſſima ſunt inter animalium partes. Nam omnia quæ bene nutriuntur, aut pinguedinem, aut adipem obtinent. Quæ verò macilenta ſunt, maleq́; nutriuntur, ſæpe omnino ne habere quidem apparent, ſæpe verò adeò pauculum, idq́; ſiccum, vt ægrè vti poſſis. Porrò differt à pinguedine adeps craſſitie: ac propterea animantibus totam naturam terroſiorem habentibus adeps prouenit, velut humidioribus pinguedo. Proinde pinguedo celeriter ab igne liqueſcit, nec facilè, vbi liquata fuerit, rurſum concreſcit, cogiturve. At adeps nec facilè funditur, liqueſcitúe, & fuſus celerrimè coit, ac conglaciatur, multoq́; apparet pinguedine durior. Sus enim bene nutritus, paſtuſve multam habet pinguedinem, ob naturalem temperamenti humiditatem. At boues, & capræ, & quæcũq; id genus cornigera, ob ſiccitatem adipem plurimum generant. At tu ſi voles, oleoſam, & pinguem in animalibus ſubſtantiam omnem, adipem appellato, vt pleriq; medici. Sed & pinguedinem appellare totum hoc genus tibi licet. Non tamen licet tibi citra mendacium adipem caprinum humidiorem eſſe dicere, quàm ſuum. Nã hic omnium fermè aliorũ eſt humidiſſimus, ac proinde actione ſua vicinam oleo vim poſſidens, quanquam oleo magis tum emolliat, tum concoquat: ac proinde cataplaſmatis, quæ ad phlegmonas accommodantur, commiſceri ſolet. Qui verò mordicationes perpetiuntur aut in recto inteſtino, aut in colo, iis potius caprinum adipem, quàm ſuillum iniicimus: non quòd acrimonias plus obtundat (nam ex natura ſua ſuillus obtundit magis, ac proinde miſcetur medicamentis vlcera curantibus, cuiuſmodi eſt, quod vocant parygrum) ſed quòd caprinus ob craſſitiem citius concreſcat, ſuillus autem inſtar olei defluat: proinde ipſum potius dyſentericis, & teneſmoſis iniicimus, quando morſum eorum mitigare conſilium eſt. Porrò ob tenuitatem partium nonnulla acrimonias magis retundunt, vbi nimirum in alto mordicatorum corporum, quod moleſtum eſt, hæſerit. Nam quod craſſarum eſt partium, minus: magis autem quod ſubtilium partium eſt, tota corpora penetrat, & omnibus ipſum ſaniebus mordicantibus permiſcetur. Hac ratione adeps anſerinus, quæ in alto corporum mordicant, magis obtundit: ſed & ſuillo calidior eſt. Horum tamen in medio eſt gallinaceorum adeps, ac gallinarum. Porrò calidior ſemper ac ſiccior eſt maſculorum animalium, & horum ipſorum exectorum minus tum calidus, tum ſiccus. Quippe mas caſtratus eiuſdem ſemper generis fœminæ aſſimilatur. Hoc autem ſermonis caput commune eſt, cuius meminiſſe oportet: Pro animalium temperatura ſemper exiſtere differentias eius, quæ in illis eſt, pinguedinis, aut adipis, aut quocunque modo appellare libebit totum hoc genus corporis in animantibus oleoſi, & pinguis. Igitur cum ſus omnibus prope quadrupedibus animalibus in caliditate, ac ſiccitate inferior ſit: proinde pinguedinem quoque minus habet calidam, magiſq́; humidam. Omnis igitur pinguedinis facultas eſt humectatoria, & excalfactoria humanorum corporum. Huius enim meminiſſe perpetuò oportet in principiis huius operis dicti. At differentiæ, quæ ſunt cuiuſq́; ſingulatim, in maioris minoriſq́; ratione ſunt. Nam pinguedo ſuis, vt ad nos quidem, largius humectare poteſt, ſed non æquè excalfacere, vt oleum: verùm pinguedinis ſuum talis eſt caliditas, qualis ſpectatur in nobis. Porrò taurorum adeps ſuillo multò calidior eſt, & ſiccior. Rurſum id & hic memoria repetentibus nobis, marem fœmina eſſe tum calidiorem tum ſicciorem: marem autem caſtratum aſſimilari fœminæ, velut quicquid iuuenilis eſt ætatis. Et inter iuuenilia fœmina mare humidior eſt, & minus calida. Sic & adeps vitulinus, taurino minus, tum calidus eſt, tum ſiccus: & hædorum, quàm caprarum, ſed & caprarum minus, quàm hircorum: & rurſum taurorum minus, quàm leonum: nam horum adeps omnium propè quadrupedum adipe potentius digerit: nam & ipſorum calidiſſimus eſt, & maximè tenuiũ partium. Itaque ſi ipſum medicamentis ad vlcera, & phlegmonas conuenientibus commiſceas, non modo nihil adiuueris, verùm etiam læſeris, nimirum addita maiori, quàm conueniat acrimonia. Inueteratis tamen tumoribus atque ſcirrhi in morem induratis, tum neruorum curuaturis (ἀγκύλας Græci vocant) & in ſumma quæcunque ſcirrhoſa ſunt, iis aptiſſimus eſt, in quibus ſanè inefficaciſſimus apparet ſuillus. Taurinus autem ab vtroq; ex æquo diſtat, vt quantò calidior ſicciorq́; ſuillo eſt, tanto ſuperetur à leonino. Itaque tanquam in medio conſiſtens, meritò vtriq; medicamentorum miſcetur generi, & iis ſcilicet quæ ſcirrhoſis medentur, & iis, quæ phlegmonas concoquunt, cuiuſmodi eſt tetrapharmacum quod vocant, ex cera, reſina, pice, & adipe conſtans. Nam ſiue in hoc taurinum, ſiue vitulinum, ſiue hircinum, ſiue ſuillum indideris, ſemper puri mouendo aptum, & concoctorium medicamen effeceris. Sed ſuillus ſi addatur, in pueris & fœminis, & vt breuiter dicam, omnibus quibus caro eſt mollior, competit. Sin taurinum adieceris, foſſoribus, & meſſoribus, & omnibus carnem duram habentibus, ſiue ob naturalem temperiem, ſiue ex ratione, ac forma vitæ, cõueniens effeceris. Cæterùm adeps omnis dum inueteraſcit, ſe ipſo & calidior, & tenuior efficitur, ac proinde quoque magis diſcuſſorius. Verùm id omnibus ferè inueteraſcentibus accidit, quæ quidem putreſcere non anticipent. Nam vinum, mel, acetum, frumẽtum, butyrum, lana ſuccida, oleum omne, ſiue lentiſcinũ, ſiue cicinum, ſiue raphaninũ, ſiue ipſum quod ex oliuis conficitur, vetuſtate & calidiora, & tenuioris eſſentiæ efficiuntur, ac proinde guſtantibus apparent acriora, & ad induratos, ægreq́; ſolubiles affectus omnes*

Adhibentibus

Pinguedinis vires ex Gal.

Pingued. & adipis differ.

Caprinus.

Anſerinus Gallinarum adeps.

Suillus.

Taurinus.

Vitulinus.

*ſubtilientibus potentius digerentia. Atque ego ſanè guſtantibus acriora videri dixi. At quidam, quibus ſtudium eſt nominum ſignificatus corrumpere, non acria, ſed adſtringentia vocant id genus omnia, aduſque piper: tanquam interſit nihil, adſtringens, an acre dixeris. Et ſi denuo illos roges de galla, myrtis, meſpilis, mali punici putaminibus, quæ ſidia vocant, rhoe & omphacio, & hæc dicunt adſtringere: tametſi aduerſiſſimum ex illis ſenſum percipiamus ei, qui in nobis fit à pipere, pyrethro, napy, euphorbio, cæpa, allio, & adarce: igitur ſi quemadmodum adſtrictionis vocabulum de vtroque affectu, quem guſtu percipimus, communiter efferunt, ſic ipſos quoque affectus vnam habere naturam exiſtimant, quiduis aliud potius habendi ſunt, quàm homines, vt qui ſoli proprios ſenſus obtineant. At ſi omphaca, rhoa, gallam, balauſtium, hypociſtida contrahere, conſtringereque noſtram fateantur ſubſtantiam: ſecernere verò, mordicare, ac penetrare, piper, napy, pyrethrum, impropriè adſtringentia nuncupant, quæ mordicant, & excalfaciunt: cæterùm in cognoſcendis ipſis medicamentis non peccant. Verùm ſi oportet coniectantem dicere, an in vocabulis, aut in rebus hallucinentur, equidem in vocabulis potius falſos viros illos dixerim, & maximè quibus Græca lingua inſueta eſt, qualis eſt Dioſcorides Anazarbenſis, qui profectò multa bene dixit eorum, quæ de materia medica memoriæ prodidit, cæterùm ſignificata Græcanicarum vocum non ſatis percepit. Hic ergo cum ait magis eſſe adſtrictorium adipem caprinum ſuillo, ſiquidem acriorem ſignificare velit, per magis adſtrictorium, accipimus ſermonem ceu verum. At ſi illud, talem habentem qualitatem, & facultatem, qualem rhus, rhecium, hypociſtis, balauſtium, haud verum eſſe ſermonem dicemus. Porrò quoniam viperarum adipem, vbi radicitus pilos ſubducis euulſeris, prohibere illos recreſcere illitum referunt, viſum eſt mihi eius facere periculum eſſe ſatius: at vbi prout dicunt feciſſem, mentitos comperi, ſicut etiam quòd initia ſuffuſionum ſanet. Verùm vrſorum adipem alopecias curare velle proferunt: cùm tamen probatiora habeamus ad eum affectum remedia. Porrò cùm dicant tamen vlpinum adipem dolores aurium ſanare, abſque vt explicent, quos aurium dolores dicant, ceu non noſcentibus ipſis diſtinguere, quæ dicunt, attendendum non eſt: Alij piſcium adipem laudant, tanquam ad ſuffuſiones, aut quemcumque alium affectum nominare libet, congruat. Alij non ſimpliciter piſcium, ſed addunt fluuiatilium: alij verò potius marinorum, quò videlicet aliquid plus ſcire videantur, quàm vulgus: hæc Galenus. Cæterùm de Taſſi pinguedine, quæ (vt experimento manifeſto conſtat) contractos neruos, & articulorum duritias emollit, & diſcutit, nihil poſteritatis memoriæ prodiderunt Dioſcorides, Galenus, & Paulus. Nec præterea Galenus pinguedinis curandæ, ac parandæ rationem vllam, quod ſciam, tradidit: nec quibus odoramentis veteres pinguedinem imbuerent, & in vnguenti morem conficerẽt: quemadmodum hac noſtra ætate vnguentarij illam parant, quam vulgò POMATA vocamus. Ea autem hoc modo paratur: Sumunt ceruini adipis, aut hædi bilibrem: ſuilli verò recentis vncias ſex, deinde exemptis membranis, vino albo lauant, exprimuntq́; tamdiu, donec vinum nitidum exeat: poſt hæc elotam pinguedinem in fictile nouum, vitro, vel plumbo oblitum conijciunt, additis nardi Indici granis tribus, caryophyllorum ſemuncia, nucis myriſticæ drachmis duabus, malis appianis, vel ſylueſtribus ſemicontuſis ſenis, vel ſeptem. Hæc omnia in ſufficienti aquæ roſaceæ quantitate macerant die vna: deinde lento igne tamdiu decoquunt vas operculo contegentes, & rudicula ſæpius miſcentes, quouſq́; vniuerſa ferè aqua euaneſcat. Percolant deinde linteolo ſpiſſiori ſubdito vaſe mundo, aqua roſarum madente, dimittuntque concreſcere. Quo facto in fictile nouum iterum conijciunt, adiecto olei amygdalini dulcis vncijs ſex, ceræ albæ vncijs quatuor, & ad ignem colliquant, ac poſtmodum linteolo percolant in mundiſſimum catinum aqua roſarum affuſa, ſinuntq́; concreſcere. Demum eadem aqua moſchum experta, aut alijs fragrantibus aquis tamdiu lauant rude miſcentes, donec vnguentum illud ad ſummum albeſcat. Tunc enim extrahunt, & vitreo vaſe recondunt, ſeruantque in frigido loco, ne rancorem contrahat. Hoc in Italia frequentiſſimum obtinet vſum ad labiorũ, manuũ, & mamillarum rimas, tam à frigore, quàm ab acri ſucco factas. Vtuntur eo præterea ad deſquamatã cutem, & ad cruſtoſas papulas, quæ pueris in capite enaſcantur. Sunt qui ei corallia porphyreo lapide læuigata admiſceant, vt melius, citiusq́; rimæ occludantur. Alij verò cinnabarin addunt, vt flammeum referat colorem. Porrò (vt lib. 3. de facult. alim. ſcribit Gal. & Iſach Arabicus in diætis) Adeps omnis in cibis ſumptus ventriculum effundit, appetentiam deijcit, pituitam auget, parum nutrit, ſuccum illaudabilem gignit, alui fluxiones cõmouet, retentricem ventriculi facultatem imbecillem reddit: ſenſus & intellectum hebetat, ſomnolentiam inducit, & in ventriculis facilè in bilem vertitur, & in vapores caput petentes. Quare adeps eſt potius in ciborum condimentis, quàm in alimentis expetendus. Στέαρ Græcis, Latinis adeps, & pinguedo appellatur: Arabibus, Meuim, Vxabam, ſiue Sabam: Italis, Graſſo: Germanis, Feyſt, Fettigkeit vnd Schmaltz: Hiſpanis, Gordura: Gallis, Greſſe.*

Viperarum. Vrſorum.

Adeps piſciũ. Taſſi pinguedo.

Pomatæ parandæ ratio, & vſus.

Adipis in cibis facultas.

Μυελός.

## MEDVLLA. CAP. LXX.

LAudatiſſima eſt ceruina, mox vitulina, poſt hanc taurina, dein caprina, & ouilla. Colliguntur æſtatis exitu, cùm appetit autumnus: quippe cum alijs anni temporibus concrementum ſanguinis, & veluti caro friabilis, in oſſibus inueniatur: nec facilè cognoſci poteſt, ni quis eam oſſibus extrahat, & recondat. Omnes medullæ molliunt, calfaciunt, rarefaciunt, vlcera explent. Ceruina perunctos venenata fugiunt. Curantur recentes, adipis modo, aquæ reſperſu ſubactæ, ſelectiſq; oſſibus tantiſper elotæ, & in linteũ expreſſæ, donec aqua ſyncera emanet: & deterſa ſorde pinna, ſi qua innatet, liquatæ in duplicato vaſe in pilã exprimuntur: & vbi coiere, omni fæce, quæ ad ima ſidit, deraſa, fictili nouo reponuntur. Quòd ſi libet incoctas reponere, facito omnia, quæ de anſerum, & gallinarum adipe demonſtrauimus.

*MEdulla, vt ſcriptum reliquit Galenus lib. 11. ſimplicium medicamentorum, vim habet indurata, & ſcirrhoſa corpora emolliendi, ſiue muſculis, ſiue tendonibus, ſiue ligamentis id accidat, ſiue etiam viſceribus. Optimam ſemper expertus ſum ceruinam, deinde ipſorum iuniorum boum, quos vitulos etiam nominant, ac proinde medullam eorum vitulinam appellant. At hircorum, & taurorum tum acrior eſt, tum ſiccior. Itaque duritiem ſcirrhoſas diſſoluere nequit, ſiquæ etiam memoria manet eorum, quæ in quinto libro de his ſunt prodita. Ex vitulina igitur, & ceruina medulla peſſi componuntur vteris emollientes. Et extrinſecus vteris medicamenta imponuntur, quæ ex medulla præparantur, vim habentia emolliendi: Accipitur autem non ſolum medulla ex oſſibus, quæ ſanè reuera eſt medulla, ſed & ex ſpina, quam & ipſam medullam nominant, ſpinalem videlicet: quæ tum durior, tum ſiccior eſt, quàm alia. Illa enim mollior eſt & pinguior: ac proinde ego ſpinalem ſeorſum per ſeſe abſque illa repono. Sed ea mihi vtriuſque medullæ cura eſt, ne aut putreſcant, aut ſitum colligant. Itaque in hyeme primum eas capio, velut & adipem, deinde in ædibus ſiccis, atque editis, planè humoris expertibus, cum folijs lauri ſiccis repono. Nam quæ recentia ſunt & humida, multum etiam qualitatis ſuæ illis impartiunt, vt acriores fiant medullæ. At ſi quando ambiente calido, & auſtrino, medullas aut adipem voles reponere, paratum ſit in hoc cubiculum neque calidum, qualia ferè ſunt quæ meridiem ſpectant (putreſcunt enim in talibus) nec humo pro-*

Medullæ vires ex Gal.

*mo proximum, atque humidum (nam in talibus ſitum contrahunt) ſed ſupernum atque excelſum, & ad aquilonem diuerſum, paruas habens feneſtras apertas, vt tam noctu, quam interdiu ab Arcto ſpirantes ventos accipiat: hactenus Galenus. In vſu verò ciborum ſpinalis medulla id nutrimenti corporibus exhibet, quod cerebrum. Idcirco pituitoſum, ac craſſum generat ſuccum, ægrè concoquitur, ventriculo nocet, nauſeam concitat: robuſtis tamen ventriculis concocta, bonum præbet alimentum. Porro quæ ex oſſibus elicitur medulla, quanquam largius ſumpta ventriculi appetentiam deſtruat, pituitamque gignat: ſi tamen probè conficiatur, valentiſſimè nutrit, magisq; ori placet, quàm ſpinalis, quòd hæc ſapidior ſit in omnibus ſuis partibus.* Μυελὸς *Græcè: Medulla Latinè vocatur: Arabicè, Mochial balbadam, ſeu Moch ſimpliciter: Italicè, Midolla: Germanicè,* Marck: *Hiſpanicè, Tuetanos, & Tutanos: Gallicè, Moelle.*

Medullæ in cibis facultas

Nomina.

## Χολὴ. FEL. CAP. LXXI.

FEl omne reponitur hoc modo: Recens præligato ore folliculi lino tamdiu demiſſum in feruentem aquam, dum quis ſpatium trium ſtadiorum percurſaret, mox exemptum ſiccatur vmbroſo loco, aſperginem non redolente. Sed quod ad oculorum medicamenta adijci ſolet, ligatum lino in vitreum vas, quod mel habeat, immittitur: circumuoluto ad os vaſis lini principio, & operto vaſe reconditur. Eſt autem omnis fellis vis acris, & excalfaciens: intenſis tamen, & remiſsis viribus differunt. Siquidem præſtantius in effectu eſſe videtur fel marini ſcorpionis, & piſcis qui callionymus appellatur, marinæ teſtudinis, hyænæque: item perdicis, aquilæ, gallinæ candidæ, & ſylueſtris capræ, quod priuatim prodeſt cõtra ſuffuſiones incipientes, & oculorum caligines, argemas, & genarum ſcabritias. Ouillo, ſuillo, hircino, atque vrſino, taurinum multó efficacius. Felle omni perfacilem, præſertim infantibus, deiectionem quis molietur, ſi intinctum eo tomentum aut fimbriam, ſedi ſubijciat. Priuatim taurino anginæ cum melle perunguntur: ſedis vlcera ſanat, & ad cicatricem vſque perducit. Idẽ auribus fractis, & purulentis cum muliebri lacte, aut caprino inſtillatum, medetur: & ſibilo earundem ex porri ſucco. Admiſceri inſueuit vulnerarijs emplaſtris, & circumlinitionibus, quæ contra venenata parantur: phagedænicis vlceribus colis, & ferociti doloribus ex melle prodeſt: lepras, furfures cum nitro, & terra cimolia quàm optimè purgat. Ouillum, & vrſinum contra eadem pollent, verùm inefficacius hæc præſtant. Vrſinum eclegmate comitiales adiuuat. Fel teſtudinum anginis, & in ore infantium nomis prodeſt: naribus inditum comitiales erigit. Sylueſtrium caprarum felle peculiariter perunctì luſcioſi ſanantur. Hircinum idem obit munus: thymia abolet, & luxuriantes elephanticorum extuberationes illitu reprimit. Suillum autem contra aurium vlcera, reliquaque omnia magno vſu aſſumitur.

Fellis vires ex Gal.

*QVamuis de fellis reponendi ratione, atque etiam de eius viribus abunde ſcripſerit Dioſcorides, non tamen ob hoc prætermittenda exiſtimaui nonnulla, quæ à Galeno lib. 10. ſimpl. medicamentorum de fellis facultatibus ſcitè memoriæ ſunt commendata. Eſt igitur fel (auctore Galeno) ſuccorum, qui in quoque ſunt animalium, calidiſſimum. Itaque ſicuti ſanguinem, & carnes diſſimiliter temperata obtinent animalia: eadem ratione & fel. Quocirca calidiſſimorum fel, aliorum quoque animalium fel excellere neceſſe eſt: & quæ illis minus ſunt calida, proportione & hunc humorem illis ineſſe minus calidum, quantó ſcilicet & in alijs ſunt inferiora. Cæterùm hæ differentiæ habentur non modò pro diuerſo animalium genere, quòd hæc magis, illa verò minus calida ſint: verùm etiam pro diuerſo eiuſdem generis animalium temperamẽto, ac etiam irritamento. Quandoquidem fel tauri interfecti, qui funibus adalligatus, violenterq; diu tractus, & curſu & canum latratu defatigatus, & ſitim famemque & multum laborem perpeſſus fuerit, ab eius felle plurimùm differre inuenietur tum ſubſtantia, tum colore, tum facultate, qui in paſcuis lętus liberéq;, vitam deſidem, ac quietam duxerit. Nam defatigati, ac vexati animalis fel ſubſtantia craſſius erit, colore nigrius, aut viridius, aut magis cæruleum, magisque æruginì ſimile: ob idq; etiam longè calidius erit quàm alterius, qui in pace, & otio degerit: Ideoque fel animalium quantò tenuius eſt, ac colore conſtat dilutiore, tantò minus ſpiſſioribus & magis colore ſaturatis excalfacit. Gignitur in bubulo felle lapis quidam nonnunquam oui magnitudine, croceo colore, facileq; friabilis, cuius Dioſcoridem & Galenum meminiſſe non reperio. Hic (vt plerique perhibẽt auctores) potus veſicæ calculos comminuit. Naribus inditus viſum mirificè acuit, & aquam in oculos fluentem inhibet. Tritus lentis quãtitate, & betæ ſucco commiſtus, & in errhinis naribus attractus, comitialibus ſubuenit. Non deſunt etiam qui idem magno ſucceſſu ex vino exhibeant potandum felle ſuffuſis. Denique auratæ, lupì piſcis, perdicis, & galli gallinacei felle mirificè delectantur in coitu fœminæ, ſi viri penis eo perungatur. Quod Græcis* χολὴ, *Latinis Fel appellatur: Arabibus, Saratac, aut Merata: Italis, Fiele: Germanis,* Gall: *Hiſpanis, Hiel: Gallis, Fiel.*

Fellis bubuli lapis, & eius vires.

Nomina.

## Αἷμα. SANGVIS. CAP. LXXII.

SAnguis anſeris, anatis, & hœdi, vtiliſsimè in antidota miſcentur. Palumbi autem, turturis, & columbæ, necnõ perdicis, oculis cruore ſuffuſis, & recentibus eorum vulneribus, luſcioſiſque illinuntur. Peculiariter columbæ ſanguis, cruorem membranis cerebri erumpentem inhibet. Hirci, capræ, cerui, & leporis ſanguis inaſſatus ſartagine, dyſenterias, & cœliacorum profluuia ſiſtit, in vino potus contra toxica efficax eſt. Leporinus ſanguis ita vt tepet illitus, vitia cutis in facie, lentigineſque emaculat. Caninus commodè ab his bibitur, quos efferata in rabiem beſtia momorderit: contra epotum toxicum auxilio eſt. Teſtudinis terreſtris ſanguinem epotum tradunt prodeſſe comitialibus. Marinæ autem teſtudinis cum vino & leporis coagulo, cuminoque contra ſerpentium morſus, & hauſta rubetæ venena conuenienter bibitur. Taurinus cum polenta illitus, duritias diſcutit, emollitque. Sanguis equarum, quæ admiſſuram expertæ ſunt, in medicamẽta additur, quæ erodunt, ſeptica vocant. Sanguine chamæleonis genarum palpebras euelli creditum eſt. Hoc idem viridium ranarum ſanguine præſtatur. Menſtruus ſanguis fœminarum, circumlitu conceptum inhibere exiſtimatur: aut ſi omnino mulier menſtrua ſupergrediatur, leuat podagræ dolores, & ignem ſacrum illitus.

Diſſe-

Sanguinis cõſideratio. Vana ſanguinis experumẽta. Dioſcoridis locus ſuſpectus. Nomina.

*Differens de ſanguine Galenus, ſtatim initio lib. 10. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, etſi minimè eat inficias, quin animalium ſanguini aliquid inſit, quod medicamentorum vſu rectè competat, vt Dioſcorides, & plerique alij qui de eius viribus ſcripſerunt, liquidò affirmarunt: declarat tamen, multa de ſanguinis viribus à ſcriptoribus eſſe prodita, quæ facto periculo fabuloſa potius, & vana reperiuntur, quàm vera. Siquidẽ, vt idem refert Galenus, falſum ſanè eſſe omnibus in confeſſo eſt, quòd epotus noctuæ ſanguis difficulter ſpirantes ſanitati reſtituat. Veſpertilionum verò perunctus virginum mammis, eas extuberare non ſinat: piloſque renaſci inhibeat, ijs partibus illitus, vnde recenter ipſi euulſi fuerint. Falſum ſimiliter eſſe aſſerit, comitiales ebibito agni ſanguine curari: piloſque è palpebris euulſos naſci prohiberi viridiũ ranarum cruore. Quibus facilè conijcere poſſumus, hoc in loco Dioſcoridis codicem librariorum fortaſſe culpa mendoſum eſſe, quippe quòd ibi legatur, oculorum palpebras ranarum viridium ſanguine depilari, cùm potius Galeni teſtimonio (etſi ſententiam hanc non approbet) euulſi in palpebris pili harum ſanguine renaſci prohibeantur. Quin & aliud huic capiti mendum ſubeſſe videtur, quòd hic ea, quæ de admiſſariorũ equorum ſanguine prodidit Galenus, de equarum ſanguine, quæ admiſſuram expertæ ſunt, legantur. Niſi fortè interpretum vitium ſit, qui ſexum in Dioſcoride perperàm mutarint. Præterea inquit Galenus: Tametſi non deſint, qui turturis, vel columbæ ſanguinem præferãt in perforata caluaria, vbi roſaceo melicratum nequire nihil poſſis: nonnulli verò laudibus extollant gallorum, gallinarumque ſanguinem ad ſanguinis fluorem è cerebri membranis: crocodili verò terreſtris ad roborandam oculorum aciem: admiſſariorum equorum, quòd ſepticus ſit, ad exedendam vbique cutim: domeſticorumque murium ad ἀκροχορδόνας Græcis vocatas, id tamen nunquam experiri volui. Verebam enim (inquit) ne curioſus, vel ſtolidus viderer, ſi tantis, tamq; probatis remedijs ſemel præteritis, conſiderem ſanguinem horum animalium illis plus poſſe præſtare. Quòd ſi quis hæc experiri volet, certò ſcio, damnabit non modò, qui talia ſcripſerunt, ſed & ſe deluſum facto periculo reperiet. Taurinus autem ſanguis epotus antea quam concreſcat, inter deleteria recenſetur medicamenta, quòd haurientem protinus ſtrangulet, vt ſexto volumine diffuſius dicetur. Eius nomen Græcum αἷμα: Latinum Sanguis: Arabicum, Dem: Italicum, Sangue: Germanicum, Blut: Hiſpanicum, Sangre: Gallicum, Sang.*

Ἀπόπατος. FIMVM. CAP. LXXIIII.

ARmentariæ bouis fimum, ſi recens admoueatur, vulnerum inflammationes mitigat: folijs autem inuoluitur, & calefactum cinere feruenti ſuperponitur: coxendicis cruciatus fotu compeſcit: illitum ex aceto duritias, panos, & ſtrumas diſcutit. Priuatim ſuffitu fimi, quòd à maſculo boue redditum eſt, procidentes vuluæ reprimuntur: accenſi nidore culices abiguntur. Fimum caprarum præſertim in montibus degentium, potum in vino, regium morbum emendat: menſes cit cum odoramentis hauſtum, & partus euocat. Tritum in farinam, & impoſitum laniſcum thure, fœminarum profluuia ſiſtit, cæteroſq; ſanguinis impetus ex aceto cohibet. Medetur alopecijs exuſtum, & cum aceto, aut oxymelite illitum: cum axungia verò impoſitum, his qui podagra tentantur, auxilio eſt. Caprillum in aceto decoctum imponitur ſerpentum morſibus, vlceribus quæ ſerpunt, igni ſacro, & parotidibus. Vtilem iſchiadici vſtionem hunc in modum accipiunt. In eo interſtitio, vbi pollex brachiali committitur, caua veluti lacuna ſubſidet, in qua lana oleo imbuta ſubſternitur, deinde ſigillatim feruentes ſtercoris caprini pilulæ imponuntur, dum vapor per brachium ad coxam ſentiatur peruenire, & coxendicis dolorem mitigare: aduſtio id genus Arabica appellatur. Ouillum ex aceto illitum ſanat epinyctidas, clauos, penſiles verrucas, thymos, & ambuſta igni roſaceo cerato exceptum. Fimum ſuis ſylueſtris aridum, in aqua, aut vino potum, reiectiones ſanguinis ſiſtit, vetuſtum lateris dolorem mulcet: ad rupta, & conuulſa ex aceto bibitur: luxatis cum cerato roſaceo medetur. Tam aſinorum, quám equorum fimum, ſiue crudum, ſiue crematum, addito aceto, ſanguinis eruptiones cohibet. Armentarij, qui herba paſcitur, ſiccum fimum liquatum in vino, mox potum, cõtra ſcorpionum ictus magnopere auxiliatur. Columbinum vehementius & excalfacit, & vrit: cum hordacea farina miſtum, ſtrumas ex aceto diſcutit, carbunculos emarginat, tritum cum melle, lini ſemine & oleo: ambuſtis igni medetur. Gallinaceum verò omnia eadem, ſed inefficacius præſtat: priuatim tamen contra venena fungorum, & coli cruciatus ex aceto aut vino bibitur. Ciconiæ fimum, ſi ex aqua hauriatur, comitialibus prodeſſe credunt. Vulturini fimi nidore partus excuti produntur. Murinum detritum cum aceto, & illitum, alopecijs medetur: cum thure & mulſo calculos expellit: ſubditæ infantibus muſcerdæ, alui deiectionem promouent. Caninum, quòd flagrantiſsimo canis ſydere fuerit exceptum, cum vino, aut aqua potum, ſiſtit aluum. Humanum ſtercus illitum, vulnera ab inflammatione vindicat, & obiter intumeſcere non patitur: ſed ea ſtatim glutinat: ſicca ex melle anginæ perungi commodiſsimè traduntur. Terreſtris crocodili fimum, crocodileam vocant, quæ mulieribus colorem nutrit in facie, nitoremq; ſeruat. Optima eſt candidiſsima, & friabilis, amyli modo, minime põderoſa, in humore ſtatim eliqueſcẽs: quæ cùm teritur, fermenti acorem quadantenus refert. Adulterant eam ſturnorum fimo, quos captos oryza paſcunt, ipſumque non diſsimile vendunt. Alij amylum, aut cimoliam miſcent, & adſcito anchuſæ colore per rarum cribrum paulatim exprimunt, vt ſe contrahat in vermiculorum ſpeciem: qui ſiccati pro crocodilea væneunt. Inter omnes conuenire inuenio, humanum ſtercus, caninumque gutturi impoſitum, anginis auxiliari.

Stercoris vires ex Gal. Humani ſtercoris experimentum.

*STercus, vt poſteritatis memoriæ prodidit Galenus libro 10. ſimplicium medicamentorum, vim habet vel maximè digerentem. Verum humanum ob fœtorem abominandum eſt. At bubulum, caprinum, crocodilorum terreſtrium & canum, vbi oſsibus duntaxat veſcuntur, neque grauiter olet, & multa experientia non tantùm nobis, ſed & alijs medicis me natu maioribus comprobatum eſt. Siquidem Aſclepiades, cui cognomentum erat Pharmaceon, & alia omnia compoſita medicamenta collegit, vt multos impleret libros, & ſtercore ad multos ſæpe affectus vtitur, non modò medicamẽtis, quæ foris imponantur commiſcens: ſed ijs quoque, quæ intrò in os ſumuntur. Cæterùm humani ſtercoris hoc habeo experimentum. Aſsiduè quidam à phlegmonis ad fauces exiſtentibus vexabatur, adeò vehementer, vt ſuffocationis ſubiret periculum, & ſæpe ob hoc periculum venam ſecare cogebatur. In hunc cùm fortè quis incidiſſet, pollicitus eſt ſe præbiturum medicamenti experimentum, & ſe vocari, ſi quando rurſus aliqua in parte gutturis emicuiſſet phlegmone, ante ſanguinis miſsionem præſtò. Itaque vocatus, medicamento illito, ſtatim hominem curauit. Vt autem iterum profecit, non in ipſo tantùm, ſed & in alijs*

*in alijs, qui ſimiliter erant affecti, rogabat is, qui aſſiduo ſuffocari periclitabatur, data mercede, vt ſe medicamentum illud doceret. Erat enim ille & locuples, & in pecuniæ ſumptu liberalis. Porrò vbi conuentum eſſet de pretio, is qui vendebat ſcripturam: Hoc medicamentum, inquit, per antipatheian quandam vtilitatem obtinet. Eſſe autem eam antipatheian, vt qui curatur neſciat, vnde conficiatur. Iuſsit itaque alium daret, qui pro ipſo diſceret, quique iureiurando reciperet, ſeſe nulli eius medicamenti facturum copiam, priuſquam ipſe, qui dediſſet, foret defunctus. Itaque à morte eius, qui indicarat, non tantùm ille qui didicerat, ſuum hominem, ſed & alios ſanabat: & mihi ne petenti quidem medicamenti exemplum volens ac lubens obtulit. Erat autem ſtercus pueri ſiccum, cum melle Attico ad læuorem tritum. Victitabat autem puer, cuius ſtercus accepturus erat, vt ipſe qui medicamentum dederat oſtendit, lupinis, illis videlicet, qui ex more edi ſolent cum pane bene cocto in clibano, modicum ſalem, & fermentum habente. Præbebat autem bibendum vinum vetus: atque hæc omnia mediocri in quantitate, modò vt perfectè ea puer poſſet concoquere. Itaque cùm primo die eo victu eſſet vſus, poſtero tamen die nondum ſtercus capiebat, ſed in eo quoque die rurſum eodem alebat victu, ac tertio demum excretum ſumebat: ac poſtea arefacto vtebatur, ſimiliter vt ſtercore canino, vt antè dictum eſt. Dicebat autem illum, qui docuerat, fugitantem alios cibos ob fœtorem, prætuliſſe lupinos: ſeſe verò experimenti gratia, carnes gallinaceas, aut perdicum ex aqua aut tenui iure bene coctas perſæpe exhibuiſſe, & medicamentum nihilo minus operatum. Atq; ego ſanè hæc tibi de humano ſtercore narrare poſſum: hæc Galenus.*

Aqua, & oleũ ex humano ſtercore.

*Cæterùm fit ex humano ſtercore vitreis organis aqua, præſertimque ex eo, quod homo rufus excreuerit, quæ cuniculoſis, exedentibus, ſinuoſis, & contumacibus vlceribus mirificè opem præſtat. Delet & oculorum argemas ac nubeculas. Quinetiam carcinomata ſanat exterius adhibita. Intus veró ſumpta comitiales iuuat, lapidem in renibus, & veſica comminuit: aquæ intercute laborantibus prodeſt: item & ijs auxiliatur, qui non modò à cane rabido demorſi ſunt, ſed etiam ab omnibus alijs animalibus icti, quæ venenum eiaculantur. Porrò oleum, quod poſt eius ſtillatitiam aquam ab organo emanare ſolet, carcinomata, ſinus, aliaque vlcera, quæ Græcis cacoethe dicuntur, etiam valentius ſanat.*

Bubuli ſter. vires ex Gal.

*Bubulum deinde ſtercus (vt idem Gal. citato loco ſcriptũ reliquit) exiccantis attrahẽtisq; & ipſum eſt facultatis, vt palàm facit, dũ apum veſparumque morſus iuuat. Atque hæc vt à proprietate ſubſtantiæ totius iuuentur, fieri poteſt. Cæterùm humidum illud vere collectum, cum boues herbas depaſcũtur, impoſitum ruſticorum phlegmonas diſcutit, & aqua intercute laborantes iuuat. Scire tamen oportet, omnia genus medicamenta duris agreſtium hominum corporibus aptari, nempe foſſorum, & meſſorum, & qui opus obeunt adeò validum. Quæ & ad eorum ſcirrhoſos tumores aceto in cataplaſmatis formam compoſita illinuntur.*

Caprini ſter. vires ex Gal.

*Caprinum præterea digerentis, & acris eſt facultatis, adeò vt induratis ſcirrhorum in modum tumoribus congruat, nec tantùm lienis, ad quos creberrimè medici non pauci huiuſmodi ſtercora applicant, ſed etiam aliarum partium. Siquidem ego (inquit Galenus) eo vſus ſum ad genu tumorem habens inueteratum, & ægrè ſolubilem, iuſſo fieri cataplaſmate ex farina hordeacea per oxycratum, indito videlicet hoc ſtercore, & mirificè homo ille fuit adiutus. Erat autem ruſticus, in quo id factum eſt. Et iam etiam alius ruſticus, cùm ſic vſus eſſet, non tantùm in genu, ſed etiam alijs in partibus ad tumores ſimiles, perinde adiutus eſt. Nã acrius eſt medicamẽtũ, quàm vt mulieres vrbanas, aut pueros, aut omnino qui molli ſunt carne, ſanare poſsit. Quin & ad aquam intercutem, & ad ſplenicos varie caprino ſtercore vtimur. Sed & vſtum tenuiorum quidem partium, verùm haud manifeſtò redditur acrius. Quamobrem ſanè ad alopecias congruit, & omnia adeò quæ extergentia medicamenta deſiderant, vt lepras, pſoras, lichenas, & hoc genus alia. Miſcetur & digerentibus cataplaſmatis, qualia ſunt quæ accommodantur ad parotidas, & bubonas diuturniores. Eſt enim vis eius cuiuſque etiam vſti, abſterſoria, & digerens, nec eam paruam habet digerendi potentiam. Nam medicus quiſpiam ex ijs, qui in agris, & vicis medicinam exercent, vtebatur eo ex aceto ad viperarum morſus, & multò ſanè etiam magis aliarum beſtiarum, ac profectò ex ijs complures ſeruauit. Et hic ipſe quoque medicus arquatis potandas ipſas σπυράθους, hoc eſt, pilulas caprinas ex vino præbuit, & ad profluuium muliebre cum Thure appoſuit. Quæ omnia ſanè optimus medicus ignorare non debet, cæterùm potiora eligere potiſsimum ad vrbanos, & honoratos, alicuiusque exiſtimationis viros: in quibus equidem ego talibus nunquã ſum vſus medicamine, cùm multo meliorũ ſuppeteret copia. Attamen exiſtit nonnunquam talium vſus, aut in venatione, aut ruſticatione, cùm ſcilicet meliorum nihil adfuerit, aut homo ruſticus perinde fuerit carnis duræ, ac aſinus. Nam eiuſmodi multos in agris reperias dignos, qui bibant ſpyrathos.*

Canini ſtercoris vires.

*Cæterùm è canibus oſſa comedentibus ſtercus præterquam quod cæteris tum præſtantius, tum candidius habeatur, fiſtula gutturi inſufflatum anginam curat: ſicuti & dyſenteriam ex lacte caprino hauſtum, in quo prius igniti calculi fuerint extincti, aut ignitum ferrum, quod Græci ςόμωμα vocant. Quinetiam periodicas, circularesve fugat febres, ſi cochlearis menſura in acceſſu ex vino præbeatur bibendum inſcio patiente. Prodeſt & malignis vlceribus inſperſum, vel emplaſtris ad id facientibus commiſtum.*

Lupini ſterc. vires ex Gal.

*Pollet etiam ſuis viribus Lupinum: idcirco id magnis laudibus extulit Galenus citato loco, ſic inquiens: Lupinum ſtercus quidam colicis potandum dabat, non tantùm in ipſis paroxyſmis, ſed etiam in interuallis, ſi quidem phlegmone vacarent. Quorum ego quoſdam vidi non amplius hoc affectu correptos, & correptos non amplius id grauiter paſſos, ſed nec poſt paucum temporis. Accipiebat autem ille albius potius luporum ſtercus, quale vbi oſſa ederint, ſolent excernere: verùm illud etiam in eo mirabar, quod vel ſuſpenſum, euidenter ſæpenumero iuuiſſet. Itaq; hic ſtercus capiebat, quod non decidiſſet in terram, id quod non erat inuentu difficile. Ea enim eſt luporum natura quæ canum, vt ſuſpenſo altero poſteriorum crurum, & meiant, & cacent in eminenti quopiam loco ex terra. Itaque in ſpinis ſæpe æſtate ſtercus lupinum reperitur, & fruticibus, vepribus, herbiſq; procerioribus. Inuenitur porrò in ſtercore illorum & nonnihil oſsium deuorati animalis, quod vt effugit commanſionem, ita & concoctionem: quod & ipſum contendens ac conterens, bibendum præbuit colicis: ac ſi homo eſſet peritatis amans, miſcebat & ſalis quippiam, aut piperis: aut quippiam eiuſmodi. Vt plurimùm autem ex vino albo conſiſtentiæ tenuis bibendum præbebat: interim verò etiam ex aqua. Hoc ergo ſtercoris, quod patientibus ilibus applicandum eſſet, iubebat ſuſpendi vinculo confecto ex lana, non cuiuslibet ouis, verùm multò præſtabat eam eſſe ouis à lupo laniatæ, vnde quod ad hunc vſum accommodaretur, eſſet conficiendum. Quòd ſi talis non adeſſet lana, ex pelle ceruina, & lorum quod cingeret ilia, & in quo ſtercus contineretur, parari præcipiebat. At nos ollulam ad magnitudinem maximæ fabæ confecimus, quam experiundi gratia indito ſtercore quibuſdam ſuſpendimus, nec potuimus non mirari, cùm plurimos ipſorum videremus adiutos: cæterùm ad ollulã duas ceu aures affiximus, per quas lorũ tranſmitti poſſet.*

Ciconiæ ſtercus.

*Quòd autem ciconiæ fimum comitiales iuuet, planè refellit Galenus, aſſerens eos eſſe redarguendos, qui talia ſcripſerunt. De ouillo, columbino, gallinaceo, & murino, & crocodilino, cùm ſatis ſuperque diſſeruit Dioſcorides, nec plura à Galeno, & alijs deſcripta reperierim, quæ medicinæ magis competere poſſint, non eſt quid amplius addendum exiſtimem. Veruntamen animaduertendum eſt, quòd, quemadmodum etiam de animalium fellibus diximus, ſtercora ipſa inter ſe plurimùm differunt temperamenti, & victus animalis ratione. Quippe quòd alterum ſit altero plus, minusue calidum, pro animalium diuerſorum generum temperie, aut pro alimentorum temperamento in eiuſdem ſpeciei animalibus.*

Ibicis ſtercoris mira facultas.

*Cæterùm non duxi prætermittendum, quod de Ibicis ſtercore ſcribit Marcellus em-*

[illegible], ad iſchiadicos, & arthriticos, cũ certè admirabile ſit auxiliũ. Ille itaq; ſic habet: Incredibile & vnicũ remediũ ſchiadicis & arthriticis hoc eſt, quo & ipſe Auſonius medicus ſanatus eſt, & multos ita iacentes, vt mouere ſe ſine cruciatu nequirent, intra quinque dies ſtare, ambulare autem intra ſeptem dies facit. Conficitur ſic: Fimum Ibicum luna ſeptimadecima collige, quanquàm & alia luna vetere collectum, ſimili efficacia proſit, dum modo medicamen ſeptimadecima luna componatur. Ex eo ergo fimo quantum vnius manus pugno pleno poteris comprehendere, dummodo impar ſit numerus pilularum, in mortarium mittes, atque adijcies piperis grana vigintiquinque, diligentiſſimè trita: tunc addes mellis optimi hemin[am], & vini veterrimi optimi ſextarios duos, & contritis prius pilulis vniuerſa miſcebis, & repones in vaſculo vitreo, vt cùm fuerit opus, paratum habeas medicamentũ ad ſubueniendum. Sed vt maior ſit medicaminis efficacia, luna ſeptimadecima illud facere debebis, & cùm daturus fueris, à die Iouis incipe, & per dies ſeptem continuos dato, ita, vt qui remediandus eſt, ſtans in ſcabello contra orientem bibat: quæ potio, ſi ita, vt ſcriptum eſt, data, & obſeruata fuerit, etiam ſi omnibus articulis, & coxa infirmus contractusque fuerit, & immobilis, ac deſperatus iacuerit, neceſſe eſt, vt ſeptima die ambulet. Hæc ille: qui etſi non dixerit, quantum huiuſce medicamenti quotide ſumere affectos oporteat, intelligendum tamen cenſeo, vt in ſeptẽ æquales partes diuidi debeat, & vna quotidie ſumi. Quod Græcè ἀπόπατος. Latine Stercus & fimus vocatur: Arabicè, Hebel, Zebel, aut Bhar, haiuã: Italicè, Sterco: Germanicè, Dreck: Hiſpanicè, Eſtiercol: Gallicè, Fiãte.

Nomina.

## Οὖρον. VRINA CAP. LXXIIII.

HVmanam vrinam ſuam cuique bibere, contra viperæ morſus ac venena, incipientemque aquam inter cutem proderit: ſcorpionis, viperæ marinorum, draconiſque morſus, ea conuenientiſsimè fouentur. Canina ad perfundendos canis morſus idonea eſt: pruritus, & lepras nitro addito expurgat. Sed vetus vlcera capitis manantia, furfures, pſoras, & feruidas eruptiones, multò magis abſtergit: nomas, & præcipue genitalium, cohibet: auribus infuſa manans pus ſupprimit: decoctaq; in calyce mali punici, earum vermiculos abigit. Pueri impubis reſorpta vrina, orthopnoicis auxiliatur: decocta in æreo vaſe cum melle emendat cicatrices, argema, caligineſque: ex ea, & cupro idoneum auri ferrumen conficiunt. Quod in vrina ſubſidit illitu ignem ſacrum mitigat: feruefactum cum cyprino, inditumque, vuluæ dolores mulcet, ſtrangulatus leuat, genas deterget, oculorum cicatrices expurgat. Taurina ſi cum myrrha inſtilletur, aurium dolores lenit. Aprina viribus eiſdem prædita eſt: priuatim comminuit veſicæ calculos, & potu expellit. Caprina ad aquam quæ cutem ſubijt, cum nardi ſpica quotidie binis cyathis cum aqua bibitur: vrinamq; per aluum extrahit: aurium doloribus inſtillata medetur. Aſinina traditur renum vitijs mederi. Lyncis vrinam, quam lyncurium appellant, ſimulac excernitur, glaciari coireue in calculi duritiam, vulgò creditũ eſt: quarequod de ea proditum eſt, vanum eſſe cõuincitur. Eſt enim quod à nonnullis vocatur ſuccinum pterygophoron, ideo dictum, quòd pennas ad ſe alliciat. Id potum ex aqua, ſtomacho aluoq; fluxione laboranti conuenit.

VRinæ omnes quidem, vt ſcriptis tradidit Galenus lib. 10. ſimplicium medicamentorum, facultate ſunt calidæ: ſed plus tamen animalium calidorum, minus autem frigidorum. At vrina hominis omnium propè aliarum vrinarum eſt imbecillima, exceptis porcis domeſticis, quibus exempti ſunt teſtes. Nam illorum ſimilis eſt totius corporis temperatura temperiei hominum, & vrina ſimiliter debilis. Verùm montanorum aprorum valida eſt, vt etiam ex odore apparet, qui vtique acerrimus eſt. Hac vtuntur Hetruſci ad puerorum vermes, oleum ſuo in vtriculo vrinæ admiſcentes, & in fumo tandiu ſuſpendentes, donec craſſeſcat ad mellis ſpiſsitudinem: deinde illud diligenter aſſeruant, eoq; puerorum nares, tempora, & vmbilicũ inungunt magno ſanè ſucceſſu: nam & ego ſæpe periculum feci. Sed quamuis Dioſcorides complurium vrinarum vires deſcripſerit, vt quas varijs, ac diuerſis morbis vtiles eſſe exiſtimauerit, Galenus tamen vrinarum medicamenta paruipendiſſe videtur. Quippe qui crediderit (quemadmodum & de ſanguinibus diſſerens inquit) cùm parata reperiantur valentiora medicamenta, ac experimento comprobata, ijs præcipuè morbis congruentia, quibus vrinam conferre nonnulli autumant, earum medicinas ad curioſos ſuperſtitioſoſque ſpectare magis, quàm ad peritos medicos, qui hæc nauſeoſa, incertaque remedia nunquam probatis, expertisq; præponunt. Quòd autem puerorum vrina ægrè ſpirantibus conferat (vt Dioſcorides auctor eſt) minimè probat Galenus, cùm loco citato inquit: Vrinã pueri orthopnϾ vocatæ gratia ebibere neceſſarium non eſt, cùm ſint & alia medicamenta, quæ huic medeantur affectui. Quin cùm bibiſſet quidam, affectu liberatus non eſt, vt non eximium quid præter alia poſſideat. Chryſocollæ conficiendæ rationem, quam fieri ex puerorum vrina prodidit Dioſcorides: quamque ſeplaſiarij, & aurifices vulgò Borrace nominant, duobus in locis ſcriptam reliquit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, vbi de ea ſpeciatim egit, & lib. 10. eorundem de vrinis diſſerens. Et quamuis (vt libro quinto dicetur) legitima, probataq; chryſocolla foſſitia habeatur, fit tamen artificio ex pueri vrina in ardentiſſimis ſolis caloribus, æreo mortario, atq; etiam piſtillo æreo tamdiu circumacta, donec mellis ſpiſſitudinem aſſequatur. Præfertur, quæ hoc modo parata ſit, ad contumacia vlcera ſananda, exedentiaque coercenda. Illud profectò vanum, ac fabuloſum eſſe manifeſtè deprehenditur (vt hic Dioſcorides ſcribit, & nos eum ſecuti ſuperiori libro in ſuccini mentione oſtendimus) quòd vrina lyncis, ſimulac excernitur, duretur, coeatue in lapidem illum, quem Lyncurium vocant. Quippe quòd is inter ſuccini genera ab omnibus fide dignis auctoribus recenſeatur: quòd ſuæ proprietate naturæ pennas ad ſe trahat, quemadmodum & cætera ſuccini genera paleas, feſtucas, ac leuiſſima quæq; alliciunt. Quantũ verò à legitimo lyncurio vulgaris ille lapillus differat, qui officinis lapis lyncis appellatur, & cuius eſt vſus apud ſeplaſiarios, & medicos, qui ſimplicium medicamentorum ſcientiam negligunt, ij dijudicent, qui ſimplicium hiſtorias, & facultates optimè norunt. Quandoquidem is, quem pro fabuloſo lapide lyncis venditant impoſtores, lyncurium ſuccini genus haudquaquam eſt, nec alius quiuis lapis ei viribus reſpondens, nec ſiquidem vrinam cieat, & renum, veſicæq; calculos comminuat, vt ſeplaſiariorum, & medicorum vulgus opinatur: qui parum Dioſcoridis, aliorumque in re medica bonorum auctorum familiaritatem curant. Cæterùm hinc ſatis conſtare arbitror, Chriſtophorum Encelium (pace viri alioquin docti dixerim) planè hallucinari, quod lib. 3. cap. 27. de re metallica, poetarum fortaſſe, & aliorum quorundam fabulis addictus magis, quàm veris probatiſſimorum auctorum teſtimonijs, probare contendat, Lyncurium ex vrina lyncis coaleſcere, atque ex maris vrina fuluum fieri, ex fœminæ verò vrina album. Hanc autem opinionem ſuam ex eo comprobare videtur, quòd aliquando in veſica apri, itemq; ſuis domeſtici lapillos inuenerit. Ex quo poſtea colligit, mirum non eſſe, quod lyncis quoq; vrina in lapillos concreſcat. Sed quàm leuis & infirma ſit hæc ratiocinatio, vt comprobet quod contendit, quamque vana ſit opinio hæc, eorum ſit iudicium, qui magnis laboribus, multis

Vrinarum facultas ex Gal.

Vrina apri.

Vrinæ medicinas contempſit Galenus.

Chryſocolla factitia.

Vana de lyncurio opinio.

Lapis lyncis vulgatus.

Encelij opinio vana de Lyncurii generatione.

*multis ſtudijs, ſummaque diligentia rerum ſimplicium peritiam ſunt aſſecuti. Atque hactenus de vrinis, & lyncurio. Reſtat modò, vt etiam de Saliua aliquid in medium afferamus. Itaque cum eius non meminerit his libris Dioſcorides, poſſitque nonnullis humani corporis morbis opitulari, ea de eius viribus, & facultatibus hic referam, quæ à Galeno libro 10. ſimplicium medicamentorum memoriæ produntur his verbis: Sielon, ſiue ſialon, ſiue ptyelon appellare libet, nihil intereſt. Verùm id ſciendum eſt, vim eius eſſe differentem, tum in animalium ſpeciebus, tum in eorum vnoquoque ſano, aut ægroto, ieiuno aut ſitibundo, aut cibo potuque ſumpto. Etenim vt vrina, & bilis, & ſudor: ſic etiam ſaliua ſumpto quidem cibo imbecilla eſt: valida & acris eorum, qui ingenti aut inedia, aut ſiti premuntur. In medio vtriuſque eſt eorum qui probè concoxere quidem, nondum tamen cibum potumve ingeſſerunt. Hac ergo ſaliua nutrices puerorum lichenas curant, paruum videlicet digitum rigantes, ac deinde cutem affectam confricantes. Idq; faciunt ſubinde tanto ſcilicet interuallo, dum ſaliuæ uires in lichene perdurent, ac nondum ſint extinctæ. Sed & triticum mandentes ruſtici non pauci furunculis imponũt. Nam celeriter eos & digerit, & cõcoquit: cùm ſi macerarent aqua, non æque prodeſſet. Ex quo liquet ſaliuam ipſam auxilij robur adferre. Atque corporibus mollibus, & puerorum, panem, non triticum imponũt ore commanſum. Porrò omnia ſic commanſa digerunt, & ſugillata, cæteraque ecchymomata, maximè vbi panis ſimul cum pauco radiculæ fuerit commanſus. Porrò tota ſubſtãtia vel maximè aduerſa eſt ſaliua beſtijs hominem interficientibus, ceu alicubi etiam Nicander poeta refert. Pollicitus autem mihi quidam incantationem ſeſe oſtenſurum, quæ ſcorpios interficeret: vbi illam ſemel dixiſſet, in ſcorpium expuit: inde rurſum eam obmurmurans iterum ſcorpium conſpuit: ac vbi tertiò dixiſſet, atque expuiſſet, mortuus eſt ſcorpius. At poſtea ego abſque incantatione à ſola ſaliua morientem vidi ſcorpium, idque celeriter paſſum à ſaliua eſurientium, aut ſitiẽtium: tardè autem ab illis, qui cibo, potuque fuerant impleti: in alijs autem proportione.* Quod οὖρον *Græcis: Latinis, Vrina, & Lotium nominatur: Arabibus, Baul: Italis, Orina. Quod verò* σίελον, σίαλον, καὶ πτύελον, *Græcè, Saliua Latinè, pariter & Italicè vocatur: Arabicè, Buſach, Bezach, & Ibab.*

Saliuæ vires ex Galeno.

Nomina.

## Μέλι. MEL. CAP. LXXV.

PRincipem locum obtinet mel, quod Atticæ regionis eſt, pręcipue ex Hymetto, mox Cycladibus inſulis, & è Sicilia, cognomine hyblæum. Magis probatur dulcius & acre, odoratius, ſubflauum, nec humectum, graue & minimè fluxum, quod ob ſequacem lentitiam non facilè abrumpitur, tractumque reſilit in digitos. Mel abſtergendi vim habet: ora venarum aperit, humores euocat, qua ratione in ſordida vlcera, ſinusque, commodiſsimè infunditur. Decoctum, atque impoſitum, abſcedentem carnem glutinat, medetur impetigini coctũ cum liquido alumine, & illitum: item aurium ſonitui, & dolori cum foſsili ſale trito, tepidum inſtillatur: lendes, & fœda capitis animalia illitum necat: nudam glandem recutitis operit, præſertim quæ circuncisione aperta non eſt, ſi melle præputium à balneo triginta diebus emolliatur: oculorum caliginem diſcutit: faucibus, tonſillis, anginæ, collutum gargarizatumve medetur: vrinam ciet: auxiliatur tuſsi, & à ſerpente percuſsis: contra hauſtum meconium, cum roſaceo calidum aſſumitur: aduerſus venena fungorum, & rabioſi canis morſus linctum, aut potum proficit: crudum tamen aluum inflat, tuſſim laceſsit, & ea de re deſpumati vſus aptior eſt. Primatum tenet in mellis genere vernum, deinde æſtiuum: hybernum veró, vtpote quod craſsius conſtet, deterrimum reputatur, ceragini faciũdæ idoneum. Quod in Sardinia gignitur mel, amarum eſt: quoniam apes inibi abſinthio veſcantur: quo vitia cutis in facie, & maculæ aptiſsimè perunguntur. Heracliæ in Ponto quibuſdam anni temporibus, propria quorundam florum dote mel conflatur: quod qui edère, mente alienantur, ac ſudore diffluunt. Remedio ſunt eſitata ruta, & ſalſamenta, aut epotum mulſum: reſumpta, quoties vomitione reijciuntur. Acre autem eſt, & olfactu ſternutaméta mouet. Quod cum coſto illitum, fœminarum cutem emendat, & cum ſale ſugillationes rapit. Eſt & aliud concreti mellis genus, quod ſaccharon nominatur. In India verò, & felici Arabia in arundinibus inuenitur: ſalis modo coactum eſt, dentibus, vt ſal, fragile: aluo idoneum, & ſtomacho vtile, ſi aqua dilutum bibatur: vexatæ veſicæ, renibusque auxiliatur. Illitum ea diſcutit, quæ tenebras oculorum pupillis offundunt.

MEL.



Mellis conſideratio.

*MEL, quod apes colligunt, omnibusq; vulgariſsimum eſt (auctore Galeno lib. 3. de alimentorum facultatibus) oritur in plantarum foliis: earumq; neque ſuccus, neq; fructus, neq; pars, vllo pacto dici poteſt. ſed eiuſdem cum rore generis eſt: non tamen aſsiduè, nec copioſe, vt ille, prouenit: repertumque eſt aliquando æſtate ſuper arborum, ac fruticum, herbarumque*

quæ folia mel quàm plurimum, adeò vt agricolæ velut ludentes canerent, Iupiter melle pluit. Cui ſubſcribens Plinius lib. 11. cap. 12. ſic inquit: Mel ex aere venit, & maximè ſiderum exortu, ſitq́; præcipuè ipſo ſirio explendente, nec omnino prius vergiliarum exortu ſublucanis temporibus. Itaque cum prima aurora arborum folia melle roſcida inueniuntur. At ſi qui matutino ſub dio fuere, vnctas liquore veſtes, capillumq́; concretum ſentiunt. Siue ille eſt cœli ſudor, ſiue quædam ſiderum ſaliua, ſiue purgantis ſe aeris ſuccus: vtinam eſſet & purus, ac liquidus, & ſuæ naturæ, qualis defluit primò. Nunc verò è tanta cadens altitudine, multumq́; dum venit ſordeſcens, & obuio terræ halitu infectus: præterea à fronde, ac pabulis potus, & in vtriculos congeſtus apum: ore enim vomunt, ad hæc ſucco florum corruptus, & alueis maceratus, totieſq́; mutatus, magnam tamen cœleſtis naturæ voluptatē affert. Ibi optimus ſemper, vbi optimorum doliolis florum conditur. Atticæ regionis hoc, & Siculæ Hymetto, & Hybla ab locis, mox Calydna inſula. Hactenus de melle Plinius citato loco. Verum enimuero (vt idem auctor eſt libro 11. cap. 14.) mel, quod in Creta Carina monte colligitur, muſcæ non attingunt, nec eo in monte eædem ipſæ reperiuntur.

Mel Heracleoticum.

Porrò venenatum mel, quod in Heraclia Ponti prouenit, cuius hic meminit Dioſcorides, Plinius quoq; meminit libro ante citato, ca. 13. ſubiunxitque & alterum eodem in Ponto gigni gente Sannorum, quod ab inſania, quàm gignit, Mænomenon vocant. Id exiſtimatur contrahi flore rhododendri, quo ſcatent ſyluæ. Habentur præterea & alia mellis genera, quæ roſcida non ſunt, ſed ex plantis naſcuntur, vt illud, quod ex anacardys fluere Arabes ſcribunt, & inter Græcos Strabo Geographicorum libro 15. ex arborum ſiliquis, quas arbores proferunt, denorum digitorum longitudine, mellis plenas, quod qui ederint, non facilè euadant.

Mellis genera non roſcida.

Quinetiam refert Pomponius Mela tertio de ſitu orbis, tam pinguis alicubi, & tam fœcundi ſoli Indiam eſſe, vt in eo mella ex arborum frondibus defluant. Exprimitur etiamnum è vulgaribus ſiliquis, quæ Græcis ceratia dicuntur, quo tam Indi, quàm qui Troglodyticam Arabiam incolunt, gingiberis radices recentes virideſq́; condiunt, ac etiamnum myrobalana omne genus. Quod facilè conijcitur ex ijs quæ ex Alexandria Aegypti Venetias quotannis comportantur.

Sacchari conſideratio.

Cæterùm non deſunt inter recentiores medicos, qui diſputant, an Saccharum, quod ſub mellis genere ſcripſerunt veteres, præſertim Dioſcorides & Galenus, in India, & felici Arabia naſci, idem cum noſtrate Sacchato dici poſſit. Et quamuis plerique reperiantur, qui dubio procul exiſtiment, ac pro certo aſſirment, communis vſus ſaccharum, & quod ab antiquis deſcribitur, vnum & idem eſſe, quòd ex eadem proueniant planta, tamen Manardus Ferrarienſis, & Leonardus Fuchſius ipſum ſecutus, maximam inter ea ponunt differentiam, omnino opinantes in alio arundinum genere concreuiſſe antiquorum ſaccharum, de quo inter mellis genera ſcripſere Dioſcorides, & Galenus, concreſcereque ad hanc diem vſque ex cœleſti rore, quemadmodum & id quod mannam vocamus: non autem in ijs arundinibus, è quibus in aqua decoctu huiuſce ætatis ſaccharum in Medera, Sicilia, Creta, Rhodo, & Cypro inſulis, ac etiam in Aegypto exprimitur.

Manardi, & Fuch. opinio reprobata.

Qua in re eos viros alioqui doctiſſimos, planè hallucinatos crediderim, quòd nullo, vt puto, auctorum probatorum teſtimonio ducti ſibi perſuaſerint, mannæ in modum ex rore concreſcere antiquorum ſaccharum ſolis ardore ſuper arundinum folia tam in India, quàm in felici Arabia. Quippe quòd nuſqam reperim ſcripſiſſe Dioſcoridem, Galenum, nec veterum, vel recentiorum quempiam, concreſcere ſaccharum in arundinum folijs, ex rore ſolis feruore concreto, ſiue potius exiccato, quemadmodum in quibuſdam arborum frondibus manna per ſe concreſcit. Quo fit, vt mihi refellenda videatur eorum ſententia. Nam ſi verùm illud eſſet vt ipſi imaginantur, non modò non eſt credendum, ſed ne cogitandum quidem Dioſcoridem, qui diligentiſſimè ſimplicium medicamentorum hiſtorias literis, memoriæq́; mandauit, ſilentio præteriſſe tam pulchrum & admirabile, ſcituq́; dignum naturæ opus in ſaccharo conficiendo. Nec minus id reticuiſſet Galenus naturæ operum maximus indagator, quemadmodum nec reticuit lib. 3. de alimentorum facultatibus, aërei mellis hiſtoriam, quod nos manna vocamus, quodq́; ſua ætate in monte Libano, alijſq́; locis ſuper arborum frondes repertum ſcribit. Quamobrem magis veritati conſonum videtur, vt dicamus, nil aliud veteribus ſaccharum extitiſſe, quàm noſtratis ſacchari arundinum lachryma, ſeu liquor, qui nimia ſucci copia aperto in latere calamo, perinde ac gummi, exterius cōcreuerit.

Antiquorum Saccharum.

Huic noſtræ opinioni ſubſcribit Plinius lib. 12. cap. 8. ſic inquiens: Saccharon & Arabia fert, ſed laudatius India. Eſt autem mel in arundinibus collectum gummium modo, candidum, dentibus fragile, ampliſſimum nucis auellanæ magnitudine: hæc Plinius. Ex quibus facilè cognoſci poteſt, quòd non ex rore, vt mānā euenit, coaleſceret antiquorum ſaccharum ſuper arundinum folia, ſed quòd fractis calamis earum internodijs cohæreret collachrymans, è quibus vulgare noſtrum conficitur. Quandoquidem hoc modo reſinæ, gummaq́; omnes ſciſſo ſui arboris cortice emanant. Alia præterea huc accedit ratio, quæ (vt equidem arbitror) Manardi, ac Fuchſij ſententiæ prorſus aduerſatur. Nam quemadmodum in Apulia, & Calabria manna à ſole tacta, dum arborum inhæret folijs, paruo temporis interuallo in auram euaneſcit (vt libro primo diximus in mannæ mentione) eadem ſanè ratione id ſaccharo eueniſſet, ſi ex rore (vt ipſi contendunt) concreſceret. Siquidem à ſole tactum, rarefactumq́; facilè diſſiluiſſet in auram, nec gummium modo concreuiſſet. Eoque magis, quòd nuſquam legerim in Dioſcoride, nec Galeno ſaccharum è folijs arundinum colligi, ſed in ipſis calamis concretum reperiri. Quod etiam teſtatur Strabo libro 15. Geographiæ, vbi apertè ſcribit, in India arundinem mel ſine apibus gignere: non autem quòd ex rore in arundine fiat, vt quidam peruicax, ignarusque medicus mecum contendere, atque etiam, vt ſuam mordicus teneret opinionem, Strabonis codicem corrumpere non eſt veritus. Præterea cùm memoriæ prodiderint Dioſcorides, Galenus, & Plinius, antiquorum ſaccharum durum eſſe, ſalis modo coactum, album, dētibus fragile, ex his coniectare licet, è rore ſaccharum nequaquam fieri. Quippe quoniam manna, quæ eodem modo è rore concreſcit, ſal minimè refert, nec dentibus fragilis deprehēditur, ſed potius mandentibus tenax & ceræ modo lenteſcens. Quare crediderim antiquis ſaccharum fuiſſe tenuiorem, ac præſtantiorem illius partem in arundinum ſacchariferarum medulla, quæ per internodiorum fiſſuras exiens ſolis calore concreuerat, vt & ſaccharum noſtrum calore ignis arte concreſcit, & addenſatur. Quòd cum accuratiſſime perpendiſſent homines, liquorisque præſtantiam agnouiſſent, à natura edocti hoc arte ſe facturos exiſtimarunt. Neque id incaſſum attentaſſe videntur, quandoquidem ſacchari integros calamos aſſumentes, minutimq́; incidentes, ignis calore tādiu decoxerunt, donec vniuerſus liquor abrupta igni aqua, diu efferueſcens in ſacharum ſalis modo in vaſis fundo concreuerit.

Factitij ſacchari inuētio.

Verùm etſi ſacchari arte facti nihil meminerint Dioſcorides, & Galenus, non deſunt tamen qui dicant, hoc etiam ante eos factum eſſe, Solini auctoritate freti, qui in Indiæ paluſtribus arundinem ita craſſam progigni ait, vt fiſſis internodijs lembi vice vectitet nauigantes, è cuius radicibus dulcem etiam exprimunt humorem ad mellis ſuauitatem. At qui liquorem hunc, qui ex harum cānarum radicibus elicitur, ſaccharum noſtri vſus fuiſſe exiſtimant, proculdubio falluntur, quòd Indi non modò ex decoctis cannarum, ſed aliarum quoque arborum radicibus ſibi potus parent, cùm illius cæli & ſoli clementia frequentiſſimæ ſint plantarum radices, quæ mellea dulcedine imbuuntur, vt Strabo teſtis eſt loco nuper citato, vbi ſic inquit: Nullus annus in India inuenitur vtroque tempore ſine pluuia, quapropter contingit annum feracem eſſe, cùm ſemper terra ſit fœcunda: fructus autem arboreos multos gigni arborumque radices, præſertim magnarum arundinum, & natura, & decoctione dulces eſſe, aqua à ſolibus tepefacta, tam cæleſti, quàm fluuiali: adeò quod ea, quæ apud alios & fructuum, & ſuccorum maturitas dicitur, apud illos

Aliquorum lapſus.

*concoctio eſt: quæ tantum ad dulcedinem operatur, quantum ea, quæ per ignem ſit. Sententiæ noſtræ Lucanus quoque ſuffragatur, illud explicans hoc carmine:*

*Quique bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos.*

*Quinetiam Marcus Varro, qui eodem ferè tempore claruit, his tribus verſibus atteſtatur, dum inquit:*

*Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,*
*Illius & lentis premitur radicibus humor,*
*Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.*

*Ex ijs palam eſt, hos omnes de factitijs Indorum potionibus, quæ ijs vini loco ſunt, fuiſſe locutos: non autem quod ex illarum cannarum radicibus ſaccharũ aliquod pararetur. Quandoquidem & nos è glycyrrhizæ radicibus, quin & è decoctu, preſſuq́ ſiliquis, ſicut & alij è dactylis, dulces elicimus ſuccos ad varij vſus potationes: quemadmodum & occidentales Indi è pluribus dulcibus arborum fructibus ſuos ſibi parant potus. Sed non ob id dicẽdum hos liquores, quòd mellis dulcedinem præſtent, eſſe mel, neque ſaccharum. Nec mirum ſanè ſi Indicæ arundines radicibus dulciſſimum præbeant ſuccum, non modo illæ magnæ, ſed etiam quæ ibi naſcuntur noſtris fortaſſe non multò grandiores: cùm etiam noſtrates recentes manſæ quadantenus ori dulces ſentiantur. Quòd autem minores arundines in India radicibus dulces præbeant potus, ſuperioribus carminibus explicauit abunde Marcus Varro, cui non magna nimis eſt arbor. In hoc tamen à Solino diſſentit, cui arundines, quarum meminit, vaſtiſſimæ ſunt proceritatis. Hinc ergo eorum ſententia explodenda videtur, qui credunt ex illarum magnarum arundinum radicibus, ſaccharum noſtro ſimilius factitaſſe Indos, quòd non quidem ſaccharum, ſed dulces inde potus vini loco ſibi conficiant. Sed vt ſuam opinionem auctoritatibus fulciret Manardus Ferrarienſis, vtque lucidius comprobaret antiquorum ſaccharum, perinde ac mannam, ex rore fieri, libro 9. epiſt. 5. Auicennam etiam admittit, quem tamen alias vbique reiecit, ac reprobauit, aſſerens, quod cùm ipſe huius fuerit ſententiæ, vltimo capite libri ſecundi, antiquorum ſaccharum mannam vocauit, cùm inquit: Zuccharum albuſar eſt manna cadens ſuper albuſar, & eſt ſicut fruſta ſalis. At nos, qui huic opinioni minimè adſtipulamur, dicimus Albuſar, ſiue Alhaſſer (vt Bellunenſis caſtigauit) nullo pacto Arabica lingua arundinem ſignificare, ſed aliam Aegypti, & Arabiæ arborem, ſic ab eius loci indigenis appellatam: quandoquidem Arabes (vt teſtatur Serapio) arundinem Caſab dicunt. Quod manifeſtè declarat zuccharum alhaſſer apud Auicẽnam huiuſce arboris eſſe mannam, vel gummi, non autem Græcorum ſaccharum in calamis concretum. Illud inſuper noſtram comprobat ſententiam, quod eodem loco addidit Auicenna, ſic inquiens: Et in zuccharo quidem albuſar eſt cum abſterſione pauca, ſtipticitas, & amaritudo. Siquidem auſteritatis, & amaritudinis, quæ in antiquorum ſacchara fuerint, nuſquam meminere Dioſcorides, & Galenus: nec item quòd conferret id pulmòni, & aquæ intercuti, vt paulò infrà voluit Auicenna. Qui etſi dixerit deinde zuccharum hoc oculorum morbis, pariterque renum, & veſicæ vitijs auxiliari, non tamen ob hoc dici poteſt, zuccharum alhaſſer eſſe antiquorum ſaccharum. Sed rectè quidem contra Manardi ſententiam, Auicennæ teſtimonio (cùm & ipſe hoc in loco Auicennæ auctoritate nitatur) probari poteſt, quòd antiquorũ ſaccharũ gummi modo collachrymãs in arundinibus concreſceret, non autem ex rore. Quippe quòd is de zuccharo agens loco nuper citato, ibiq́ antiquorum ſaccharum recenſens, inquit: Aſſumptum ſicut gummi ab arundine abſtergit oculum. Quibus palam ſit, antiquorum ſaccharum perinde ac gummi, ab interiori medulla exterius emanaſſe, ibique poſtmodum ſolis ardoribus concreuiſſe. Verùm enimuero quòd Alhaſſer apud Arabes ſui generis arbor ſit, & ab arundine maximè differat, & quòd eius zuccharũ, quamuis ab Auicenna manna dicatur, quòd fortaſſe granulis concreſcat mannæ ſimilibus, ex rore haud quaquam fiat, ſed gummium modo ab arbore deſtillet, manifeſtè oſtendit Serapio capite de ſaccharo his verbis. Alhaſſer habet lata folia, & habet Zuccharum, quod egreditur ab oculis ramorum ſuorum, & à locis foliorum eius, & colligunt de eo homines rem conuenientem, & in zuccharo eius eſt amaritudo, & egrediuntur ab hac planta mala quædam, ſicut teſticuli camelorum, è quibus liquor quidam emanat adurens, ſtipticæq́ facultatis, ad cauteria peridoneus. Et lignum quidem Alhaſſer eſt leue, craſſum, rectum pulchrumq́: & ideo aſſimilauerint cantilenarij in cantilenis ſuis, brachia & crura dominarum ligno eius: hæc Serapio. Ex quibus facilè & Manardum & Fuchſium, viros alioqui doctiſſimos, hac in re hallucinatos putauerim. Cæterùm Fuchſius, vt probaret antiquorum ſaccharum è roſcido cæli ſucco in calamis concreſcere, vtq́ illud à noſtrate diuerſum oſtenderet, dicit, quòd cùm noſtri vſus ſaccharum, perinde ac mel calidum reperiatur, ſitimque facilè concitet, antiquorum ſaccharum eſſe non poteſt, eo quòd Galenus ſuæ ætatis ſaccharum id efficere non prodiderit. Cuius tamẽ ſententia (pace ſua dixerim) experimento minimè reſpondet: à quo non diſcedens Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum de ſacchara ita ſcribit: Sacchar, quod ex India, atq́ felici Arabia cõuehitur, in calamis, vt aiunt, cõcreſcit, & ipſum mellis eſt ſpecies: minus certè noſtrate dulce, ſed adſimiles ei vires obtinẽs, quod ad abſtergendũ deſiccandũ & digerendũ attinet. Porrò quatenus nec inimicũ ſtomacho eſt, ceu noſtras, nec ſitim afferẽs, eatẽus ab illo ſubſtãtia differt. Quibus Galeni verbis clarũ eſt, quòd cùm ſaccharum melle minus ſit dulce, minus etiam calidum ſit neceſſe eſt. Eaq́ propter aſſerit Gale., ſaccharum non perinde ac mel, ſitim excitare: non tamen quòd nulla ab eo ſitis excitetur, vti Fuchſius interpretari videtur. Quin etiam idem Galenus libro 8. cap. 4. methodi medendi, ſaccharum inter ea connumerat, quæ febrientibus exhiberi poſſunt. His igitur rationibus, & auctoritatibus adductus ſum, vt certò crediderim, antiquorum ſaccharum ab ijſdem arundinibus emanare, à quibus vulgare noſtrum exprimitur: ſed hanc tantùm inter ſe differentiam eſſe, quòd à natura factum, ſit noſtrate factitio longè tenuius: Ideoque Auicenna: Zuccharũ (inquit) Tabarzed frigidius eſt, & ſubtilius. Hoc laudibus extulit Paulus, & poſt ipſum Auicenna, Archigenis auctoritate Sal Indum ipſum appellans, ad linguæ ſcabritiem, ariditatemque in acutiſſimis febribus. Sed eo nos hac ætate caremus, quòd amplius non afferatur: quanquam ego non ita pridem à viris fide dignis accepi, qui diui Thomæ inſulam, itemque Mederam luſtrarunt, adhuc ijs in locis ſaccharum inueniri in arundinibus ſacchariferis concretum (illi non diſſimile, quod arte ſit, & candidum cognominatur) poſtquàm ab illis ſponte emanarit gummi modo. Quòd autem adferri deſierit, non aliud in cauſa eſſe exiſtimamus, quàm quòd hodie paucum admodum proueniat. Siquidem Dioſcoridis, & Galeni tempore, quo ad eos copioſum conuehebatur, cùm adhuc non innotuiſſet exprimendi ratio, neceſſe quidem erat, vt arundines ſacchari liquore prægnantes, cùm annis compluribus adoleuiſſent, & falcem nunquam expertæ eſſent, per ſe liquorem exudarent, veluti innumeris arboribus gummi, & reſinæ emanant. Proinde non mirum, ſi tum à natura facti antiquis fuerit vbertas. Sed poſtquàm lucri dulcedo, fulgentiſq́ auri ſitis docuit homines artem modumque ſaccharum conciſis, decoctis, preſſiſque arundinibus copioſius elicerent, factum eſt, vt Indi quotannis vniuerſos inciderint calamos, ac iterum quotannis ſeuerint. Hinc igitur euenit, vt nullis remanentibus, quæ ſaccharo plurium annorum ætate turgeant, naturæ impedita ſit operatio, deperditumque hac de cauſa ſit antiquorum ſaccharum. Cuius vice eo recentiores vtuntur, quod officinæ candidum cognominant, arte factum, pellucidum, ſalis foſſitij modo, dentibusq́ fragile, vt antiquorum ſaccharum vndequaque referat. Competit perinde ac illud, ſcabritiei linguæ, pectoriſq́ aſperitatibus. Verùm ad haud*

**Manardi ratio infirma.**

**Alhaſſer quid ex Serapione.**

**Fuch. opinio reprobata.**

**Sal Indum.**

*bat id præſtantius eſt; quod in fictilibus, vbi violaceum Iulapium aſſeruatur, æſtate concreuit: eo quòd violarum diluti facultate humectet, leniatque magis. Cæterum qui plura de ſaccharo legere deſiderant, quæ ſententiam noſtram longè magis probent, videant in Epiſtolarum noſtrarum volumme epiſtolam ad Iacobum Boſellum ſcriptam, ibi enim plura quàm hic à nobis comprobata inueniet. Quod Græcis μέλι, Latinis Mel appellatur: Arabibus, Hael: ſeu Haſſel: Italis, Mele: Germanis, Honig: Hiſpanis, Miel: Gallis, Myel. Quod autem Græcè: σάκχαρον, Latinè quoque Saccharum dicitur. Arabicè, Zuchar: Italicè, Zucchero: Germanicè, Zucker: Hiſpanicè, Azucar: Gallice, Succre.*

Κηρὸς.

## CERA. CAP. LXXVI.

CEra optima eſt ſubfulua, ſubpinguis, pura, odorata, & halitum quadantenus melleum referens, natione Pontica, aut Cretica. Secundum locum obtinet candicans, & ſuapte natura pinguis. Candida fit hoc modo. Ex ea radunt album, ſyncerumque, atque transfundunt in vas, quod ſatis habeat marinæ ex alto petitæ, inſperſoque nitri momento, decoquunt: cumque iterum, tertioue inferbuit, ſeparatum vas refrigerant, ac ceræ paſtillum eximunt, deterſa ſorde, ſiqua fortè adhæſit: tum denuo indita noua maris aqua feruet, vti retulimus: & vaſe dempto ex igne, fundum ollulæ nouæ aqua frigida madefactum, in ceram ſuauem ſuſpenſa manu intingunt, quò celerius concreſcat, & quàm minima portio extrahatur. Suſcepto primo ceræ orbiculo, iterum vaſis imum aqua refrigeratum, tantiſper in ceram immitti debet, dum tota excipiatur. Orbiculi lino conſuti, interuacante ſpatio ſuſpenduntur, & interdiu continuò ſub ſole, noctu ſub luna aſperguntur, vſque dum perfectè albeſcant. Verùm ſi eximius ille candor deſideretur, eadem ſæpius iterari, & identidem recoqui operæpretium eſt. Nec deſunt qui pro marina, in muria quàm acerrima ſemel, aut iterum excoquant, dein laguncula tenui, rotunda, anſam habente extrahunt: poſtea orbiculos ſubſtrato affatim ceſpite herboſo, inſolant, donec candorem ſummum contraxerint. Præcipiunt hoc obeundum munus vere, cùm ſol remiſſa vehementia humorem pariat, vt non facilè liquetur. Cera omnis mollit, calfacit, modicè explet corpora: datur in ſorbitione dyſentericis, ac milij magnitudine decem grana ceræ hauſta, lac in nutricibus non patiuntur coagulari.

Ceræ vires ex Gal.

*CEra, vt Galenus ſcriptis mandauit libro 7. ſimplicium medicamentorum, mediū quodammodo tenet calfacientium, refrigerantium, humectantium, & deſiccantium. Habet verò quiddam etiam craſſarum partium, atque emplaſticum, quamobrem non modò exiccare, ſed & per accidens humectare videri fortaſsis poterit, perſpirationes videlicet prohibens. Quapropter aliorum medicamentorum tum excalfacientium, tum refrigerantium materia eſt. Ipſa autem per ſe ex genere fuerit debiliter concoquentium: nec tamen intrò in corpus aſſumpta, ſed foris impoſita. Siquidem paulum quiddam digerentis, calidæque facultatis retinet, quæ plurima melli inerat. Eius nomen Græcum κηρὸς: Latinum, Cera: Arabicum, Hamaha. Italicum, Cera: Germanicum, Wachs: Hiſpanicum, Ciera: Gallicum, Cire.*

Nomina.

Πρόπολις.

## PROPOLIS. CAP. LXXVII.

PRopolis eligi debet flaua, odorata, ſtyracem referens, in vehementi ariditate mollis & maſtiches more ductilis. Magnopere calfacit, & euocat aculeos, & omnia infixa corpori extrahit: in vetere tuſsi ſuffita proficit, impetigines admota tollit. Ea in aluneariorum foribus, ceroſæ naturæ inuenitur.

Ori. leg. ςύρακος πνέουσαν. i. ſtyracem ſpirās.

Propolis cōſideratio.

*QVanquam, vt hic Dioſcorides inquit, & Marcus Varro li. tertio de re ruſtica, Propolis ea eſt ceroſa materia, quæ in aluearijs præforibus reperitur, ſeu, vt apertius dicam, præ ſpiraculis, vbi intrandi, exeundique apibus patet aditus: tamen Plinius lib. 11. cap. 7. ita ſcriptum reliquit: Prima fundamenta comoſin vocant periti, ſecunda piſſoceron, tertia propolin. Inter coria, ceraſque magni ad medicamina vſus. Comoſis cruſta eſt prima, ſaporis amari. Piſſoceros ſuper eam venit picantium modo, ceu dilutior. Ceræ initium, plerunque è mitiore gummi. Propolis craſsioris iam materiæ, additis floribus, nondum tamen cera, ſed fauorum ſtabilimentum, qua omnes frigoris, aut iniuriæ aditus obſtruuntur: odore & ipſa etiamnum graui, vt qua plerique pro galbano vtantur. Huius etiam meminit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Propolis extergentis, non ita valentis eſt facultatis, cæterùm admodum valenter attrahentis: eſt enim eſſentia tenui. Porrò excalfacit receſſu ſecundo completo, aut certè tertio incipiente. Et vt idem quoque ſcribit libro 3. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera: Propolis valentius attrahit, quàm cuiuſuis generis reſina. Quamobrem illis in neruorum vulneribus medendis propolin admiſcet. Cæterùm cùm propolis, cera, & mel, de quibus hic diſſeruit Dioſcorides, medicamenta ſint omnia mire artificio ab apibus conflata, non ab re his quoque addendam fore duximus Apum hiſtoriam.*

Propolis vires ex Gal.

Apum conſideratio.

*APES igitur (vt Plinius auctor eſt) ſunt & ruſticæ ſylueſtreſque, horridæ aſpectu, multò iracundiores, ſed opere ac labore præſtantes. Sunt & vrbanæ, quarum duo genera. Optimæ breues variæque, & in rotunditatem compactiles. Deteriores longæ, & quibus ſimilitudo veſparum, etiamnum deterrimæ ex ijs piloſæ. Apes odere fœdos odores, proculque fugiunt, ſed & infectos. Itaque vnguenta redolentes infeſtant. Icientes pereunt: relicto enim aculeo interiora diſrumpunt. Quin & morbos ſuapte natura ſentiunt. Index eorum triſtitia torpens: & cùm ante fores in teporem ſolis promotis aliæ cibos miniſtrant: cum defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exequias. Reges habent, pluresque inchoantur, ne deſint. Poſtea ex his ſoboles cùm adulta eſſe cœpit, concordi ſuffragio deterrimos necant, ne diſtrahant agmina. Duo eorum genera: melior rufus, quàm niger, variusque. Omnibus forma ſemper egregia, & duplo quàm cæteris maior: pennæ breuiores, crura recta, ingreſſus celſior: in fronte macula quodam diademate candicans. Multum etiam nitore à vulgo differunt. Cùm rex procedit, vnà eſt totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore cum populus in labore eſt, ipſe opera intus circuit, ſimilis exhortanti, ſolus immunis. Circa eum ſatellites quidam, lictoresque aſsidui cuſtodes auctoritatis. Procedit foras non niſi migraturo examine. Id multò intelligitur antè aliquot diebus murmure intus ſtrepente, apparatus indice diem tempeſtiuum eligentium. Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen. Cùm proceſſere, ſe quæque proximam illi cupit eſſe, & in officio conſpici gaudet. Feſſum humeris ſubleuant: validius fatigatum*

Apum rex, & regimen.

ex toto portant. Si quà laſſatus deficit, aut fortè aberrauit, odore proſequuntur. Vbicunque ille conſedit, ibi cunctarum caſtra ſunt. Duce prehenſo totum tenetur agmen: amiſſo dilabitur, migrantque ad alios. Eſſe vtique ſine rege non poſſunt. Inuitæ autem interimunt eos, cùm plures fuere, potiusque naſcentium domos diruunt. Rege conſumpto, mœret pleb, ignauo dolore: non cibos conuehunt, non procedunt, ſed triſti tantùm murmure glomerantur circa corpus eius. Subtrahitur itaque deducta multitudine: alias ſpectantem exanimem luctum non minuunt. Tunc quoque ni ſubueniatur, fame moriuntur.

Apes quibus gaudeant. Gaudent Apes æris plauſu, ac tinnitu, amœniſſimisque locis, & fragrantibus herbis. Harum ergo cauſa prope aluearia oportet ſerere thymum, apiaſtrum, roſam, violas, lilium, cytiſum, fabam, eruilium, cunilam, papauer, conyzam, caſiam, melilotum, meliſſophyllum (malim legere myriophyllum) cerinthen. Eſt autem cerinthe folio candido, incuruo, cubitali, capite concauo, mellis ſuccum habente. Horum florum auidiſſimæ ſunt, atque etiam ſinapis, quod miremur, cùm oliuæ flores ab his non attingi conſtet. Ideoque hanc arborem procul eſſe melius eſt, cum aliquas quam proximè ſeri conueniat: quæ & euolantium examina inuitent, nec longius abire patiantur. Cornum quoque arborem caueri oportet: nam flore eius degustato (etſi is nobis profluuia ſiſtat) aluo concita moriuntur. Remedium ſorba contuſa è melle præbere iis, vel vrinam hominum, vel boum, aut grana punici mali amineo vino conſperſa. Amant & geniſtas circumſeri aluearijs, ijsque gratiſſimum.

Mira apum in opere ſuo induſtria. Mira apum prudentia, earumque operis obſeruatio, vt annotauit Ariſtomachus Solenſis, quem admirabili admodum diligentia duodeſexaginta annis, apum amore captum, nihil aliud egiſſe tradunt. Ratio autem operis ita ſe habet. Interdiu ſtatio ad portas more caſtrorum: noctu quies in matutinum, donec vna excitet omnes gemino aut triplici bombo, vt buccino aliquo. Tunc vniuerſæ prouolant, ſi dies mitis futurus eſt. Prædiuinant enim ventos, imbreſque, & tunc ſe continent tectis. Itaque temperie cæli (hanc enim inter præſcita habent) cùm agmen ad opera proceſſit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasque lanugine totius corporis, quibus eſt. Quarum adoleſcentiores ad operam exeunt, & ſupradicta conuehunt: ſeniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura ſcabra, pedes priores roſtro, totæque onuſtæ remeant ſarcina pandatæ. Excipiunt eas ternæ aut quaternæ, atque exonerant. Sunt enim intus quoq; officia diuiſa: aliæ ſtruũt, aliæ poliunt, aliæ ſuggerunt, aliæ cibũ cõparant ex eo, quod allatum eſt. Neq; enim ſeparatim veſcuntur, ne inæqualitas operis, & cibi fiat, & temporis. Struunt orſa ea concameratione aluei, textumque vel vſque ad ſumma tecta deducunt, limitibus binis circa ſingulos arcus, vt alijs intrent, alijs exeant. Faui ſuperiore parte affixi, & paululum etiam lateribus ſimul hærent, & pendent vnà. Alueum non contingunt, nunc obliqui, nunc rotundi, qualiter poſcit alueus, aliquando & duorum generum, cùm duo examina concordibus populis diſſimiles habuere ritus. Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerinis à ſolo fornicatis, ne deſit aditus ad ſarciendum. Primi ferè tres verſus inanes ſtruuntur, ne promptum ſit quod inuitet furantem. Nouiſſimi maximè implentur melle: ideoque auerſo alueo faui eximuntur. Gerulæ ſecundos flatus captant. Si cooriatur procella, apprehenſi ponduſculo lapilli ſe librant. Quidam in humeros eum imponi tradunt. Iuxta verò terram volant in aduerſo flatu vepribus hebetato. Mira obſeruatio operis. Ceſſantium inertiam notant, caſtigant, mox & puniunt morte. Mira munditia. Amoliuntur omnia è medio, nullaque inter opera ſpurcitiæ iacent. Quin & excrementa operantium intus, ne longius recedant, vnum congeſta in locum, turbidis diebus, & operis ocio egerunt. Cùm adueſperaſcit in alueo ſtrepunt minus, ac minus, donec vna circumuolet, eodem quo excitauit bombo, ceu quietem capere imperans, & hoc caſtrorum more, tunc repentè omnes conticeſcunt. Cæterùm (vt Pauſanias teſtatur) Himmetus mons paſtiones habet apibus omnibus aptiſſimas, quæque ſolis cedunt Haliſonum paſcuis. Apud Haliſones certè adeò manſuetæ ſunt apes, vt cum hominibus vna pabulatum exeant, ac liberè vagentur, quippe quæ alueariibus nullis contineantur. Paſſim verò opus faciunt, illudque ita concretum, vt mel à cera nequeas ſeiungere. Fit præterea Mel ſine fauo, vt Ariſtoteles eſt autor lib. quinto cap. vigeſimo ſecundo, vbi ſic habet: Ad Amiſum vrbem conuehitur à locis ſuperioribus mel candidum, craſſumque maiorem in modum, quod apes faciunt arboribus ſine fauo, quale etiam fieri in Ponto cognitum eſt. Sunt etiam apes, quæ fauos ſub terra triplici ordine faciant, in quibus mel eſt, vermis nullus: ſed nec faui omnes eiuſmodi ſunt, nec apes ita omnes confingunt.

Apum reparatio ex vitulo. Si fortè fortuna apum vniuerſum deperderetur genus, facilè reparari poſſet ex bienni vitulo, vt lib. 4. Georgicorum clarè docuit Virgilius, ita canens.

*Exiguus primùm, atque ipſos contractus ad vſus*
*Eligitur locus: hunc anguſtiq; imbrice tecti,*
*Parietibusque premunt arctis, & quatuor addunt*
*Quatuor à ventis obliqua luce feneſtras.*
*Tum vitulus bima curuans iam cornua fronte*
*Quæritur: huic geminæ nares, & ſpiritus oris*
*Multa reluctanti obſtruitur: plagisque perempto*
*Tunſa per integram ſoluuntur viſcera pellem.*
*Sic poſitum in clauſo linquunt: & ramea coſtis*
*Subijciunt fragmenta, thymum, caſiasque virentes.*
*Hoc geritur zephyris primùm impellentibus vndas,*
*Antè nouis rubeant quàm prata coloribus, antè*
*Garrula quàm tignis nidum ſuſpendat hirundo.*
*Interea teneris tepefactus in oſſibus humor*
*Aeſtuat: & viſenda modis animalia miris,*
*Trunca pedum primò, mox & ſtridentia pinnis*
*Miſcentur: tenuemque magis, magis aera carpunt:*
*Donec, vt æſtiuis effuſus nubibus imber,*
*Erupere: aut vt neruo pulſante ſagittæ,*
*Prima leues ineunt ſi quando prælia Parthi.*

Nomina. De reparatione Apum hactenus Virgilius. Cæterùm etiam apes in medicina vſum habent: ſiquidem ſiccæ & in puluerem contritæ, ijs admiſtæ, quæ ad id faciant, ex oleo, & cera inunctis alopecijs capillum reſtituunt. Πρόπολις vt Græcis, ita etiam Latinis Propolis appellatur: Arabibus, Mum, vel Iaſach alcut: Italis, Propoli: Germanis Vorſtoß: Hiſpanis, Betum de colmena. Gallis, Cire vierge.

Πυρός.

## TRITICVM. CAP. LXXVIII.

OPtima è tritici generibus ad ſecundæ valetudinis vſus habentur, quæ recentia, & iam perfectè adulta, colorem luteum referunt: dein ſequuntur trimeſtria, quæ nonnullis ſitania nominantur. Itaque cruda in cibis teretes tineas gignunt: canum morſibus proſunt, manſa & impoſita. Confectus eorum ſimilagine panis, plus alit, quàm cibarius. E trimeſtrium farina panis, leuiorem cibum præbet, & qui facilè in membra demandetur. Farina eorum cum hyoſcyami ſucco illinitur aduerſus neruorum fluxiones, quas Græci rheumatiſmos vocant: item contra interaneorum inflationes: lētigines ex aceto mulſo tollit. Furfures autem in acri aceto decocti, turgentes mammas ſedant: viperarum ictibus auxiliantur: & torminoſis proſunt. Farinaceum fermentum calfaciendi, extrahendique vim habet: a priuatim callos pedum, clauosque extenuat: & cætera tubercula furunculosque ex ſale concoquit, & aperit. Sitaniorum farina contra venenatos ictus cum aceto, aut vino commodiſsimè illinitur: eadem ſi decocta in glutini modum deligantur, cruentis excreationibus proderit: contra tuſsim, & exaſperatas arterias, cū mentha & butyro decocta, efficax eſt. Tritici pollen ſi ex aqua mulſa, aut hydrelæo decoquatur, omnem diſcutit inflammationem. Panis & crudus, & coctus cum aqua mulſa inflammationes omnes illitu mulcet, cùm emolliat, & quadantenus refrigeret: ſed herbis, ſuccisve huic rei accommodatis admiſceatur. Vetus panis aridus, adiectis conuenientibus, citam aluum cohibet. Recens muria maceratus, illitu vetuſtas impetigines ſanat. Glutinum ex ſimilagine, & polline, quo chartæ glutinantur, ſanguinem excreantibus prodeſt, ſi liquidius, ac tepidum cochlearis menſura detur ſorbendum.

a Omnia exē. ἰδίως τὰ ἐν πέλμασι λεπτύνει καὶ τὰ ἄλλα φύματα. i. priuatim ea, quę in plantis pedum, & alia tubercula attenuat.

I. TRITICVM.



II. TRITICVM HYBERNUM ariſtis carens.



TRitici genera (vt Theophraſtus auctor eſt libro 8. cap. 4. de plantarum hiſtoria) plura notantur, cognomina ex locis ſortita, vt Aphricum, Ponticum, Thracium, Aſſyrium, Aegyptium, Siculum: quæ & colore, & magnitudine, & ſpecie, & proprietate inter ſe differunt. Quædam vel aliunde cognomina ſortiuntur pro ſuis virib. tum alijs, tum vel maxime quæ ad cibum pertineant, vt cachrydias, ſtlengys, alexandrinus, quorum omnium differentias in ſupradictis colligere licet. Nec verò ab re fuerit, ſi illa quoque pro differentijs capies: & aliud præcox, aliud ſerum: & aliud auctu amplum multumque reddens, aliud ieiunum quoddam parumque ferens: & aliud ſpicam grandiorem effundens, aliud paruam: & aliud diu in folliculo manēs, aliud aptū breui abſolui, vt Aphricū: & aliud culmo tenui conſtās, aliud craſſo, quod etiā ipsū Aphrico datum eſt: craſſo tamē, & cachrydias dictum conſiſtit. Item aliud tunicis paucis aliud multis veſtitur, vt Thraciū: & aliud vnicalamū, aliud multicalamū, & magis, minusq́;. Adde etiā ſi quid aliud his, aut prædictis, ratione viriū proximū eſt: eiuſmodi namq́; differētiæ naturaliores profectò appareāt. Quibus & trimeſtriū annumerari genus par eſt, & bimeſtriū, & ſi quid intra pauciores dies valeat conſummari, vt in Eubœa genus quoddam intra quadraginta dies craſſari, perficique poſſe affirmant: idemque firmum eſſe, ac ponderoſum, nec trimeſtris modo leue. Quamobrem famulis id præberi inquiunt: etenim nec multum in hoc furfuris eſſe volunt. Igitur genus id celerrimum quidem ad conſummationem, ſed inuentu rariſsimum eſt. Et bimeſtria verò quædam habentur, quæ ex Sicilia & in Achaiam aduecta ſunt: ſed hæc paucum reddunt, parumque fœcunda habentur: quanquam cibo facilia, & iucunda ſunt. Naſcuntur & alia quædam genera in Eubœa, & præcipue apud Cariſtum. Trimeſtria verò permulta, & vbique habentur: leuia hæc, & parum fœcunda, vnicalama ſunt, atque in totum in-

Tritici genera ex Theophraſto.

*tum infirma. Leuiſſimum igitur triticum, quo ad ſimplici ratione agere licet, Ponticum eſt: ponderoſius ex iis, quæ in Græciam aduehi ſolent, Siculum datur: ſed eo ponderoſius, quod Bœotia fert. Indicum aſſerunt, quòd athletæ, qui Bœotiæ ternos ſemiſextarios vix poſſint conſumere, cùm fuerint Athenis, facilè quina conſumunt. Leue ſatis & quod in Laconino agro conficitur. Horum igitur cauſa in terris cœloq; intelligi debet. Nam & Aſiæ vltra Bactra quodam in loco adeò grande frumentum fieri tradunt, vt nucleis oliuæ ſua æquiparent magnitudine grana ſingula. In Piſſoris autem dictis adeò firmam* Triticum Italicum. *naſci affirmant, vt ſi quis plus comederit, diſrumpatur neceſſe ſit. Hactenus de tritici generibus Theophraſtus. Cæterum Plinius Italicum noſtrum omnibus prætulit lib. 18. cap. 7. his verbis: Tritici genera plura, quæ fecere gentes. Italico nullum equidem comparauerim candore, ac pondere, quo maximè decernitur. Montanus modo comparetur Italiæ agris externum. Hæ fuere ſententiæ Alexandro magno regnante, cùm clariſſima fuit Græcia, atq; in toto terrarum orbe potentiſſima: ita tamen, vt ante mortem eius anni ferè centum quadraginta quinque Sophocles poëta in fabula Triptolemo frumentum Italicum ante cuncta laudauerit: ad verbum tranſlata ſententia:*

*Et fortunatam Italiam frumento canere candido.*

*Quæ laus peculiaris hodie Italico eſt. Quo magis admiror, poſteros Græcorum nullam mentionem huius feciſſe frumenti. hæc Plinius. Nec ſanè mirum videri debet, quod Græcus ille Sophocles Italicum frumentum cæteris prætulerit; quandoquidem natura Italos adeò præ cæteris adamauit, & moribus, ac legibus, omnique ornatu ad politice (vt ita dicam) viuendum inſtituit, vt meritò etiam frumentum omnium præſtantiſſimum in eorum alimentum procrearit. quemadmodum & alia multa, quibus Italia pleraſque ſuperat gentes. Triticum omne radicibus numeroſis, ac prætenuibus nititur, folio vno, germinibus omnino multis, ſed quæ in ramos brachiari non poſſint. Tota hyeme herbaceum eſt: remollito autem cœlo, cauliculus de medio aſſurgit, cuius tertio, aut 4. geniculo, ſpica geritur, nō prius euidens, quàm folliculo incluſa. Cōſumpto eo, flos erumpit, quarto aut quinto poſt die, ac totidē ferè diebus perdurat: poſt florē granum craſſeſcit, maturaturque intra quadrageſimum diem, quanquam etiam citius in calidiori tractu. Seritur vbique locorum. Locis autem maritimis & tractu* Triticum ſpicis vigintiquatuor. *amœniore calidioreq;, fragilius ac copioſius prouenit In aliquibus Italiæ locis, ac præſertim in agro noſtro Senenſi, maritimis locis planta vna viſa eſt 24. ferre ſpicas, tantaque reperitur ibi ſoli vbertas, vt quandoque modius vnus centum afferre ſit viſus. Quare rectè ita de eo ſcripſit Plinius: Tritico nihil eſt fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maximè alat hominem, vtpote cùm è modio, ſi ſit aptum ſolum, quale in Bizacio Africæ campo, centeni quinquageni modij reddant. Miſit ex eo loco Diuo Auguſto procurator eius ex vno grano (vix credibile dictu) quadringēta, paucis minus, germina. Miſit & Neroni ſimiliter, trecentas & quadraginta ſtipulas ex vno grano: cum centeſimo quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt, alijſq;, & tota Bætica, & in primis Aegyptus. Triticum omne folio exit arundinaceo, anguſtius tamen quàm hordeum, culmis quoque læuius, nec perinde fragile. Notatur & in ſpicis differentia. Siquidem aliæ ſine ariſtis, tonſæ proueniunt: vt in vniuerſa viſitur Bohemia: aliæ verò longis, aſperiſque rigent ariſtis, quod quidem genus altero melius eſt, & fœcundius.*

III. TRITICVM MVLTIplici Spica.



Tritici electio, & panis optimi conficiendi ratio. *Triticum autem, ex quo omnium optimus fit panis, eligi debet fractu contumax, denſum, graue, colore aureum, lucidum, læue, trium menſium, maturum, mundum, pinguique terra ortum. Nam plerunque euenit (teſte etiam Galeno libro primo de alimentorum facultatibus) vt quod foris flauum denſumque apparet triticum, intus rarum, laxum, albumque conſpiciatur, quod vtique plurimum furfuris habet. Quo fit, vt panes furfuracei inde confecti infirmum non modo præbeant alimentum, verùm etiam ventriculum ipſum excrementis repleant. Farina porrò ea cæteris præſtat, quæ non ad ſummum molita, non noua, non longi temporis, & craſſi furfuris fuerit. Nam quæ ſuperfluè molitur, furfuraceos facit panes: & quæ recentior eſt, adſcititiam molæ caliditatem retinet: quæ verò iamdiu molita fuit, puluere, ſitu, carie, aut viroſo aliquo odore labefactatur. Hæc deinde, dum fit panis, optima eſt aſſocianda aqua, eaque ſubigenda, quæ fluxerit è laudatiſſimis fontibus, pellucida ſit, non paluſtris, neque cœnum aut limum redoleat. Quinetiam fermentum admiſcendum fuerit triticeum, non antiquum, mediocris quantitatis, ne inde ipſius abundantia panis acorem contrahat. Inijciendum eſt & ſalis albi parum, vt panis ſapidior efficiatur. Poſt hæc farina ita ſubacta, optimè manibus pinſitur: mox maſſa illa in panes mediocris magnitudinis digeritur, qui poſtquam abunde creuerint, & fermentati fuerint, in clibanum prius æqualiter calefactum, dein à cineribus, & prunis expurgatum decoquendi immittuntur. Sed furnus iuſtæ capacitatis ſit oportet, ita vt quantitati panis proportione reſpondeat. Quippe quemadmodum modica panum quantitas, in amplum clibanum miſſa, exiccatur, ac comburitur: ita & magna in angu-* Panis quis optimus Gal. *ſto ſimul comprimitur, & decoqui nequit. Quamobrem panes (dicebat Galenus citato loco) ad concoctionem probatiſſimi ſunt, qui plurimum fermentati, & probè elaborati in clibano igne moderato percoquuntur. Nam profuſior ignis primo ſtatim occurſu adurens, exteriorem ſuperficiem in teſtæ modum indurat, crudis incoctiſq; remanentibus interioribus partibus. Vnde accidit, panem hunc viſu iniucundum fieri, & duplici nomine prauum, quòd interne crudus ſit, atque illaboratus: externè verò ſiccus, & præaſſatus. Qui autem longiore ſpatio vndique æquabiliter præaſſatur, hic & probe in ventriculo concoquitur, atque ad actiones, quæ coctionem conſequūtur, accommodatiſſimus redditur. Triticum in agris facilè degenerat in lolium: præſertim cum annus pluuius frigidusque aduenerit, vt in lolij mentione latius dicemus.* Oleum è Tritico. *Fit è tritici granis inter ferri laminas igne calfacti compreſſis oleum, quod ad vlcerum ſinus commendant. Sunt etiamnum, qui eo vtantur*

*adpe*

IV. FRVMENTVM INDICVM.



FRVMENTI INDICI SPICA.



adpedum, & manuum rimas quas frigus excitauerit: item ad aſperam cutim læuigandam. Meminit tritici Galenus lib. 8. ſimpl. med. ſic inquiens: Triticum vt medicamentum foris impoſitum, primi eſt ordinis excalfacientium: non tamen nec reſiccare, nec refrigerare manifeſtò poteſt: habet verò etiam quiddam viſcoſum, & obſtruens. Porrò quod ex eo conficitur amylum, eo tum frigidius eſt, tum ſiccius. Quod verò ex pane fit cataplaſma, vim habet magis digerentem, quàm quòd ex tritico: nimirum cùm & ſalem, & fermentum panis adiuncta habeat: quippe cùm fermentum vim habeat attrahendi, digerendiq; ea, quæ in alto reſident. Et primo de facultate alimentorum: In cibum aſſumptum (inquit) ægrè concoquitur, flatus excitat, laborem ventriculo infert, & caput vaporibus tentat. Poteſt inter Tritici genera quoque recenſeri illud frumenti genus, quod quidam perperam Turcicum appellant. Perperam, inquam, quòd INDICVM, non Turcicum, vocari debeat. Nam ex occidentalibus Indiis primò allatum eſt, non ex Turcia, & Aſia, vt credidit Fuchſius. Huius quatuor vidimus genera, colore tantum cùm granorum, tùm ſpicarum differentia. Namq; & rufeſcentibus ſeminibus, & nigricantibus, & crocantibus, & ſubalbicantibus Indicum frumentum habetur. Calamum edit arundinaceum, quemadmodum & folia, craſſum, rotundum, procerum, geniculatum, & alba farctum medulla, Sacchariferarum Arundinum modo, in cuius ſummitate paniculas fundit diuulſas, ſpicis pluribus inde emergentibus, mutilis tamen, & granis vacuis, nunc luteo, nunc candido, nunc purpureo colore, prout frugiferæ ſpicæ coloratæ ſunt. Fructus, in quo grana vaginis foliaceis concluduntur, in ipſo caule è lateribus prodeunt. Horum ſpica piceæ arboris conum tum longitudine, tum craſſitudine æquat, circa quā totā omnino nuda coaceruantur grana, penitiſſimè ſeſe ſtipantia, læuia, ac ſubrotunda, piſi magnitudine, alba intus ſubſtantia, inq; octo aut decē verſus, rectis lineis ordine digeſta. E vaginarū faſtigio capillacea coma dependet, eo ipſo colore, quo grana habentur. Radicibus nititur multis, duris, ac neruoſis, ſed minimè craſſis. Serunt Indi hoc ſemen, quod Malitz vocant, hoc modo. Deſcendunt in agrum aliquot ſimul, recta linea diſpoſiti, æqualiterq; diſtātes, & deinde acuto palo terrā perforant dextra manu, & ſtatim quatuor quinqueve grana ſiniſtra manu in vnūquodq; foramen coniiciunt, pede altero foramina occludentes, ne Pſitaci ſemen depaſcantur: & ita ſeriatim paſſu ſuo diſtantias metientes, agrum totum ſemine replent retrocedentes. Verùm anteaquam ſemen terræ credant, biduo id aqua macerant, nec ſerunt, niſi prius terra pluuia maduerit. Naſcitur infra paucos dies, & quarto in India demetitur menſe. Eſt etiam huiuſce frumenti peculiare genus, quod duobus tantùm menſibus, & ſeritur, & demetitur. Quinetiam aliud, quod quadraginta tantùm diebus à ſatione matureſcit. Verùm minutum eſt & infirmius, nec aliam ob cauſam ſeritur, quam quòd vbi futurā annonæ caritatem veretur. Eius temperamentum noſtro tritico ſimile eſſe creditur, aut paulò calidius, id quod indicare videtur panis ipſius dulcedo. Farinam mittit candidā, è qua panes pinſunt, craſſiore tamen ſubſtantia, ac magis viſcida, quàm noſtri, adeò vt eorū alimentum craſſius quoq; ſit, & quod facilè obſtruere poſſit. Quo fit vt eiuſmodi frumenti farina iis in cataplaſmatis ſit vtilis, quibus mouendi pus inſit facultas. Id quod valentius etiam præſtat fermentum ex eadem farina paratum. Ex ea quoq; rura alpinis tractibus pultem, quam ſuo idiomate vocant Polenta, conficiunt, & addito butyro, & caſeo auidiſſimè vorant. Eſt enim cibus non inſuauis, ſed craſſum præbet alimentum. Nam ſuo lentore meatus obſtruens, apoſtematibus maturandis peridonea exiſtit. Ceterùm facit Indicum frumentū, vt de Saracenico, quod id mihi in mentem reuocauit, aliquid differā. Hoc primùm ex Aphrica allatū dicūt, & ideo ab Italis appellatur multis in locis Saracino, hoc eſt SARACENICVM, quanquā non deſint, qui illud quoq; vocent Formentone, quaſi vile frumentū. Creſcit id in primis folio ſubrotūdo, quod deinde tractu tēporis hederaceum euadit, verū acutius & mollius. Caulē edit fragilē, rotundū, inanē, bicubitalē & ſæpe maiorē, rubētē, folioſumq;. Florē deinde fundit paruum, candidū, racemoſū, è quo ſemē oritur triquetrū, pullo colore, nigro exterius cortice, ſed alba intus medulla. Seritur paſſim in aruis, perinde ac alia frumētacea Aprili, & metitur Iu-

Tritici vires ex Gal.

Triticum Indicum.

Indici tritici hiſtoria.

Frumenti Saraceniçi hiſtoria.

V. FRVMENTVM SARACENICVM.



lio menſe in calidioribus locis, adeò vt ibi bis in anno, in eodẽ agro proueniat: nempe vere & poſt meſſem, id quod in pluribus fit Italiæ locis. Itaque biferum eſt, calefacit & humectat, verum non multum a temperatis diſtat. Farina ex lacte decocta præſtat illita ad bilioſas inflammationes. Ruſtici ex eius farina nõ ſolùm panes conficiunt, ſed pulmenta, quibus hyeme victitant. Pinſunt quoque idem in pila, & exutis granorum putaminibus ptiſanam inde conficiunt, qua nonnulli veſcuntur è carnium iure decocta, eſt enim cibus non ingratus, ſi rectè coquatur, nec adeò, vt grana diſsiliant in pultem, ſed integra permaneant. Ruſtici, qui circa Italiæ, & Germaniæ fines degunt, pultem, quam vulgari idiomate appellant Poleta, conficiunt, & deinde forti ſtamine maſſam in tenues ac latas portiones ſecant, & caſeo & butyro ſubinde conſperſas in cibum ſumunt. Eſt enim (vt ego quoque teſtari poſſum) non ingratus, nec ventriculum grauat, perinde ac pulsilla, quæ è milij farina paratur à ſyluanis. Quanquam autem flatus expers non eſt, haud tamen adeo inflat, vt faſelus, & faba, atque piſum. Hallucinantur profectò, qui putant hoc frumenti genus illud eſſe pabulum, iumentis purgandis aptiſſimum, quod antiqui ocymum vocauere. Quo fit vt Tragus

Tragi error.

manifeſtò fuerit deceptus, non ſolùm quòd in hoc verſetur errore, ſed etiam quòd huic frumento omnes tribuerit vires, quæ ocymo odorato tribuunt autores: quod quidẽ non parũ ridendum videtur, iiſq́; præſertim, qui rei plantariæ excolendæ inuigilant.

Nomina.

Triticum ſic Latinè dicitur: πυρὸς Græcè: Henta, Henca, ſiue Hantha, Arabicè. Grano, ſiue Formento, Italicè: Korn/ ſiue Weyʒen/ Germanicè: Trigo, Hiſpanicè: Forment, Gallicè. Frumẽtum Indicum, Indis Maiz: Italis, Grano, ſiue Formento Indiano: Germanis, Turckiſch Korn: Bohemis, Turecken zyto. Frumentum Saracenicum: Italis, Fermentone, & Saracino: Germanis, Heydenkorn: Bohemis, Pohanka.

Poſteaquam Dioſcorides hoc libro ſecundo Animalia, à quibus non ſolùm alimenta, ſed & remediorum copia deſumuntur, expoſuiſſet, ad Cerealia ſeu fruges accedit. Cùm verò Frugum duo ſint ſumma genera, Frumenta, vt Triticum, hordeum &c: & Legumina, vt Faba, Cicer &c. à frumẽtaceis orditur. Frumentacea autem ſunt, quæcunq; geniculato culmo & harundinaceis conſtant foliis, ſemenq́ue panificio & pultibus aptum, in ſpicis aut Iubis producunt, ceu triticum, hordeum, milium, panicum, & quotquot his ſimilia exiſtunt. Aſt Frumenti duo etiam prima ſunt genera, per tempora ſatus diuiſa. Hyberna, quæ circa Vergiliarum occaſum, ſeu Nouembrem ſata terra, per hyemem nutriuntur, vt Triticum, Hordeũ: Æſtiua, quæ ante æſtatem Vergiliarum exortu, circa Maium ſeruntur, vt milium, panicum. Verùm in Græcia & Aſia omnia Vergiliarum occaſu ſeri teſtis eſt Plinius: quædam autem vtroque tempore in Italia: ex his quædam & tertio, Veris ſcilicet: aliqui enim verna appellãt, milium, panicum, ſiliginem. Sed ad Triticum accedamus. Etſi Triticum generaliter omne Frumentum, quod ex ſpicis tritum ac trituratione repurgatum eſt, ſignificet, vt ex Varrone colligere eſt, poſteriores tamen peculiari frumenti ſpeciei Tritici nomen tribuunt. Cuius genera plura, quæ ex locis cognomina ſortita ſunt, Theophraſtus 8. hiſt. 4. & ex eo Plinius lib. 18. ca. 7. recenſuere: nunc verò ſeptem præcipuè ſpecies habentur, de quibus in vniuerſali noſtra hiſtoria: eſt namque aliud, cuius ſpicæ ariſtis carent: hocq́ue vel hybernum, vel æſtiuum: aliud longioribus ariſtis armatum, hocq́ue vel multiplici ſpica, vel ſimplici: hoc rurſus quatuor generum in noſtro phytopinace fecimus, qui tamen primum & ſecundum genus ariſtis donatũ idem cenſuerit, cum eo non contenderimus: quo loci etiam Triticũ amylæum malè irrepſit. Sic & granis color alius cãdidus, alius ſubruffus: alia rotundiora, alia oblongiora: grandiora quoq; & tenuiora. I. Triticum longioribus ariſtis C.B. Triticum, Matth. Lac. Lugd. Triticum tertium, Trag. Lon. Fuch. Tipha Dodonæi & Fuchſii, Lugd. Typha Cerealis, Dod. gal. Triticum Romanum Tragi, Dod. fol. quod Tritico Typhino non diſsimile dicit: quare qui Triticum hoc cum Typhino Dodonæi & Tritico ariſtis circumuallato Lobel. idem contenderit, cum eo non diſputarim. II. Triticum hybernum ariſtis carens C.B. Triticum, Brunf. Dod. gal. & fol. Cord. hiſt. Geſ. hor. Tab. Tritici primum genus, Trag. Fuch. Lon. Triticum ſpica mutica. Lugd. Siligo ſpica mutica, Lob. Triticum ariſtis carens, Cæſalp. III. Triticum multiplici ſpica. C.B. & Lob. Tritici quinta ſpecies, Anguill. Triticum ſpica ramoſa, Cæſalp. Triticum Typhinum multiplici ſpica, Taber. IV. Panicum Indicum (quia primum ex India allatum) maius C.B. Turcicum Frumentum, Trag. Fuch. Dod. fol. Geſ. hor. Tab. cui & Aſiaticum: Triticum Bactrianum ſiue Indicum, Cord. hiſt. Geſ. hor. Frumentum Indicum, Matth. Lonic. cui & Turcicum: Milium Indicum, Lac. Milium Indicum Plinianum vel Mais occidentalium, Lob. Maiz Indorum, Cæſalp. Cam. Diſtinxit Plinius lib. 18. ca. 17. colore candido, nigro, ruffo, etiam purpureo: variat namque floris colore qui modò purpureus, modo ruber, modo luteus, aliquando pro ratione fructus futuri. V. Frumentum Saracenicum, quia ex Africa primum ſemen allatum, cuius Theophraſtus inter frumentacea nomine Eryſimi alterius, meminiſſe videtur, C.B. Ocymum veterum, Trag. Ocymum Varronis, Anguil. Frumentum Sarracenicum, Matth. Caſt. Lugd. Tragotrophon Fago triticum, Dod. gal. Fegopyron, Dod. fol. Frumenti genus folio hederaceo, Cord.

eo, Cord. in Dioſc. Frumentum Vaccinum, Lon. Eryſimum Theoph. Lob. Ocymum Cereale, Cluſ. Pan. Tab. cui & Tragopyrum: Formentone vulgò Cæſalpino.

## Κριθή. HORDEVM. CAP. LXXIX.

a HOrdeum eſt candidum, purumque, id minus, quàm triticum alit. Ptiſana tamen ob cremorem in decoctione redditum, plus alimenti præbet, quàm polenta ex hordeo facta, contra acrimonias, atque gutturis ſcabritias, exulcerationeſque pollet: quibus etiam triticea ptiſana præſidio eſt: ſed plus alit, magiſque vrinam mouet. Lac abunde ſuppeditat, ſi cum fœniculi ſemine decocta ſorbeatur. Hordeum abſtergit, vrinam ciet, inflationem parit, ſtomacho aduerſatur, tumores concoquit. Farina hordeacea decoquitur in mulſa aqua cum fico, vt inflammationes, collectioneſque diſcutiat: duritias b cum reſina, & fimo columbarum concoquit: cum meliloto autem, & papaueris calyce dolores finit, qui latus excruciāt: aduerſus inteſtinorum inflationes cum lini ſemine, fæno græco, & ruta illini iuuat: ſtrumas cũ pice liquida, cera, oleo, & impubis pueri vrina, ad cōcoctionē perducit: & cũ myrto, aut vino, aut malicorio, aut ſylueſtribus pyris, aut rubo, alui profluuia ſiſtit: podagricis inflammationibus cum cotoneis, aut aceto prodeſt: decocta in acri aceto, modo quo hordeaceum cataplaſma, & calida impoſita, lepris medetur. Cremor verò farinæ ex aqua, atque cum pice, & oleo decoctus, puri mouendo eſt, cum aceto ſubactus, itidem & cum pice contra articulorum fluxiones prodeſt. Farina ex his aluum cohibet, inflammationeſque mitigat.

a Omnia exē. Κριθὴ ἢ ἀείστη λευκὴ, ἢ καθαρά. i. Hordeum optimum eſt, album & mundum.

b Omnia exē. μετὰ πίσσης ἢ ῥητίνης. i. cum pice, & reſina.

HORDEVM.



NOn minus Hordeũ in Italia vulgaris notitia eſt, quàm triticum. Eſt autem (vt Theop. lib. 8. c. 4. de plant. hiſt. memoriæ prodidit) in hordei genere differentia, quippe quòd aliud binis verſibus, aliud ternis, quaterniſq́; cumq́; plurimũ ſenis: eſt enim vel eiuſmodi quoddam genus. Quod verò pluribus conſtruitur verſibus, hoc ſemper ferè ſpiſſius, poſituque arctius conſtat. Magnam & Indicum differentiam facit: quandoquidem ramis natum ſit brachiari, vt propoſui. Et ſpicæ verò aliis grandiores, rarioreſq́; conſtant: aliis minores, frequentioreſq́;: & aliis diſtantiores à foliis, aliis proximiores, vt Achilleis cognomine. Et hordeorum ipſorum aliud rotundius, minuſq́;: aliud oblongius, maiuſq́;, atq; in ſpica rarius. Item aliud candidum, aliud accedēs ad purpuram, quod & farinam reddere copioſius creditur: & contra hyemem, & flatus, & in totum contra cœli mutationes candido validius eſſe videtur: hactenus Theoph. Oritur & in Gallia hordeum, quod cantherinum dici putauerim, quia folliculo caſtratum enaſcitur. Galli qui ſerunt, mundum vocant hordeum, quòd ſponte granum gluma concidat, in reliquo autem non niſi ægrè deglubitur. Hordeum magis quàm triticum, rubiginem ſentit, minuſq́; tolerat imbrium impetus. Siquidem infeſtis imbribus, aut vliginoſis locis, aut longiore pluuia dilutis ſatum in lolium degenerare affirmant. Exit Hordeum folio tritici latiore, aſperioreq́; quinetiam culmo fragiliore, ac minore, ſed ... articulis geniculato, ſimplici in ſtipula, folio, & eo quidem ſcabro, latoque: grana ſimplici amiciuntur tunica, quæ tamen ſolidè inhæreat, è cuius acumine ariſtæ prodeunt firmiores, longiores, mordacioreſq́; quàm in tritico. Nititur fibrata radice. Pinguiſſimo agro Hordeum committendum, quòd eius ſatu facilè macreſcat ſolum, nec ſeri poſtulat, niſi ſolūta, ſiccaq́; terra. Præſtat, quod candidiſſimum eſt, farctum, ponderoſum, coctu facile, & quod ſitum non contraxit. Rurſum enim, vt contra cœli tempeſtatem, & hyemem validius, ſic medica vi infirmius. Hordei meminit Galenus lib. 7. ſimpl. medic. vbi ita ſcriptum reliquit: Hordeum primi eſt ordinis in exiccando, & refrigerando: habet etiam pauxillum abſterſiuum. Paulò etiam plus deſiccat, quàm farina fabacea, cui non inſint cortices: cætera verò ſimilia ſunt foris vtentibus. In cibo autem hoc fabis præſtat, quòd flatuoſam naturam exuat: fabis, quantumcunque coxeris, flatuoſa natura remanet: ſunt enim craſſioris eſſentiæ, quàm hordeum, quamobrem eo plus etiam alunt. Porrò quoniam vtrumque paulùm à medio receſſit, multo ſunt vſui. Nam talia medicamenta multis aliis miſcentur, ceu materia quædam: itaque etiam cera, & oleum, non paucis medicamentis coniunguntur. Alphiton verò, hoc eſt polenta, multò plus hordeo deſiccat. Et primo de fac. alim. ſic inquit: Hoc item ſemen in vſu frequenti apud homines eſt, quod non eandem cum tritico habet facultatem. Siquidem illud palàm calfacit, hoc verò non modò non calfacit (quo modo nonnulla, quæ in medio ſunt calfacientium, & refrigerantiũ, vti amylum, & elotus panis) ſed quoquo modo ipſo vtare, ſiue panes ex ipſo feceris, ſiue ptiſanã coxeris, ſiue polētam paraueris, vim quandam refrigerandi habere cernitur. Diſſidet præterea ſucci ſpecie à tritici natura hordeum: nam et ſuccis, quos vtrumq́; ſemen gignere natum eſt, qui quidē è tritico in nobis prouenit, craſſus & viſcoſus eſt, qui ab hordeo tenuis, ac nõnihil deterſorius. Nulla igitur apparandi ratione hordeum vnquã calfacit: ſed variè pro modo præparationis humectat, ac deſiccat. Etenim manifeſtè cernimus, polentam ex toſto hordeo factam ſiccare: ptiſanam contra humectare, ſi quidem vt decet fuerit parata, hoc eſt, cùm in coctione quàm plurimùm intumuerit, poſtea igne lento per multũ otium in chylũ fuerit redacta: hæc Galenus. Hordei cõbuſti cinis, ambuſtis, & carnibus, quæ recedũt ab oſſibus, vtiliter inſpergitur. Hordei quoq; farina ex aceto, & melle ſubacta, vtiliter illinuntur lentigines. Cæterùm cùm recentiores medici Gal. ptiſanã non ritè, & ad vnguem parare nouerint, eius vice integrũ deglubitum hordeum accipiunt, & tãtiſper decoquunt, dum

Hordei conſideratio.

Hordei facul. ex Gal.

multis

Ptiſanæ cõſi.

*pultis ſpeciem referat: tunduntq́ deinde, & tenui incerniculo percolant, modò ſaccharum, modò dulcium amygdalarum, modò melopeponum, ac papauerum ſeminis cremorem, pro morborum ratione addentes. Ptiſana febrientibus & pleuriticis commodiſſimè datur: quinetiam tabidis, & hectica, aut maraſmo laborantibus, & præſertim addito ſeminis melopeponis, cucurbitæ, cucumeris & papaueris cremore. Manardus verò Ferrarienſis ætate noſtra acutis morbis minimè competere antiquorum ptiſanam, minuſq́ recentiorum exiſtimat: quòd, vt ipſe aſſerit, Itali huic cibo à teneris non aſſueuerint, quodq́ noſtri vſus hordeum antiquorum hordeo facultate ſit longè infirmius. Cuius tamen ſententiæ, non vulgari ratione ducti medici Hippocraticam, Galenicamq́ doctrinam ſequentes, minimè adſtipulantur. Porrò hordeaceus panis præterid, quòd ventriculo laborem inferat, frigidos, lentoſq́ ſuccos generet, parum nutrit, flatuſq́ gignit: quanquam aſſerunt nonnulli podagricis hordeaceum panem peridoneum eſſe. Sed cùm polenta ſpeciatim ex hordei farina fiat, interponaturq́ ſæpius à Dioſcoride ſimplicibus medicamentis, vt omnibus palàm ſit, quidnam extiterit polenta apud antiquos: nõ alienum duximus hic de ea diſſerere. Polentam veteres pluribus modis faciebant, vt Plinius eſt auctor lib. 18. cap. 7. Græci enim perfuſum aqua hordeum nocte vna ſiccabant, ac poſtero die frigebant, deinde molis frangebant. Erant & qui vehementius toſtum rurſus exigua aqua aſpergerent, ſiccarentq́ prius quam molerent. Alij verò virentibus ſpicis decuſſum hordeum recẽs purgabant, madidumq́ tundebant in pila, atque in corbibus eluebant: ſiccatumq́ in ſole rurſus tundebant, & purgatum molebant. Quocunque autem genere præparato vicenis hordei libris, ternas ſeminis lini, & coriandri ſelibras, ſaliſq́ acetabulo, torrentes ante omnia miſcebant in mola. Itali verò ſine perfuſione hordeum toſtum in ſubtilem formam molebãt, iiſdem additis, atque etiam milio: hæc ex Plinio. Cæterùm aliam rationem parandi polentam prodidit Gal. libr. 1. de alim. facult. vbi non ex aliis ſeminibus admiſtis, vt Plinius tradit, ſed ex hordeo tantùm recenti, ac nouo mediocriter toſto, laudatiſſimam fieri polentam ſcribit. Quare crediderim, iis medicamentis, quæ in Dioſcoridis, & Galeni ſcriptis polentam expetere inueniuntur, eam legitimè imponendam eſſe, quæ ex recenti, & viridi adhuc hordeo modicè toſto, & in farinam redacto parari debeat: quòd de hac vtrunque intellexiſſe non dubitem. Hordeum quod Latinis, κριθὴ Græcis appellatur: Arabibus, Xahaer, aut Shair: Italis, Orzo: Germanis, Gerſten: Hiſpanis, Ceuada: Gallis, Orge.*

Manardi opinio. Panis hordeaceus. Polentę conſideratio. Nomina.

Hordeum, Κριθὴ, ἀπὸ τοῦ διακριθῆναι, quòd eo reperto & in vſum recepto, glandibus ſpretis, à brutis homines diſtincti ſint. Hordei plures fuerunt Theophraſto 4. hiſt. 5. & 8. hiſt. 4. vt & Plinio lib. 18. cap. 7. differentiæ, recentioribus etiam cognitæ, in ſpicarum forma, in magnitudine, & in granorum ordine, eorundemque colore. Datur polyſtichum (quia in multos verſus ſpicatur) hybernum & vernum, datur & diſtichon: figura polyſtichon exprimit.

## Ζύθος. ZYTHVM. CAP. LXXX.

EX hordeo potus fit, cui Zytho nomen eſt: is vrinam ciet: renes, & neruos tentat: membranis, præſertim cerebrum veſtientibus, officit. Inflationes parit, vitioſum ſuccum creat, elephantiaſin gignit. Perfuſum zytho ebur, obſequioſum, & operi tractabile redditur.

## Κοῦρμι. CVRMI. CAP. LXXXI.

FIt & ex hordeo potus, quem curmi nominant, eoq́ ſæpe poto pro vino vtuntur: verùm dolorem capitis mouet, malum ſuccum gignit, neruis nocet. Conſimilia etiam potus genera ex tritico fieri ſolent, in Iberia, quæ occidentem ſpectat, & Britannia.

Zythi, & curmi conſid.

*ZYthum, quantum ex Dioſcoride colligi poteſt, potus ſanè fuerit ex macerato hordeo, vel tritico paratus, illi maximè ſimilis, qui aquilonaribus regionibus Ceruiſia appellatur. Siquidem huius rei teſtis eſt Plinius lib. 22. cap. vlt. vbi ſic inquit: Et frugum quidem hæc ſunt in vſu medico. Ex iiſdem fiũt & potus: zythum in Aegypto: cælia, & ceria in Hiſpania: ceruiſia, & plura genera in Gallia aliiſq́ prouinciis: hæc Plinius. A zytho parum differt Curmi, quod & ipſum paretur è frugibus, nimirum hordeo, triticoq́ in aqua maceratis, bibaturq́ vini loco. Quamobrem credendum eſt, nil aliud zythum, & curmi fuiſſe antiquis, quàm Ceruiſia, quam loco vini bibit hoc æuo vniuerſa regio ſeptentrionalis: nempe Germania, Bohemia, Polonia, Cimbria, Gallia, & aliæ algentes Europæ regiones. Nec aliam inter zythum, & curmi crediderim eſſe differentiam, quàm in conficiendi ratione, cùm eorum vtrumque fiat ex eadem fruge. Siquidem conficiendi ratio vno, vel altero modo adhibita, rerum facultates & auget, & imminuit, cùm plus, vel minus cocturæ adhibent artifices, quemadmodum etiam hac tempeſtate in Germania euenit. Nam etſi omnes illi potus ex hordeo, vel tritico parentur, diuerſa tamen eſt apparandi ratio, cùm ſaporibus inter ſe differant. Aliæ namq́ dulces, grataq́ guſtui ſunt: aliæ verò amaræ, auſteraq́ habentur: quinetiam aliæ turbidæ, aliæ claræ pellucidæq́ cernuntur. In Bohemia, Germaniaque hos potus ſuos conficiunt, hordeum, & triticum macerant lupulorum decocto. Quo fit, vt in his locis non leui plectatur pœna, qui lupulos ſuſtulerit, vel deperderit. Serunt enim lupulos, coluntq́ hanc ob cauſam, vt nos vites, demetuntq́ eorum flores, & fructus ſtatutis temporibus: quandoquidem eorum decocto maceratæ fruges, non modò fermentantur, ſed & vini ſpeciem induunt: quapropter potus inde confectus guſtatu gratior euadit. Inebriat is largiùs ſumptus, quemadmodum & vinum, perduratq́ eius temulentia longè diutius, quòd craſſior, concoctuq́ difficilior ſit, quàm vinum: cui viribus quoq́ tam ſimilis eſt ceruiſia, vt ex ea aquam vitæ conficiant perinde ac ex vino. Ζύθος ſic Græcè, vt Zythum item Latinè, & Italicè, Zitho vocatur: Germanicè, Bier: Bohemicè, Piua.*

Ceruiſia. Aqua vitæ ex ceruiſia paratur. Nomina.

## Ζειά. ZEA. CAP. LXXXII.

ZEa duorum generum eſt: vna ſimplex, altera in geminis putaminibus grana bina iuncta gerit, ob id dicoccos appellatur. Plus quàm hordeum alit, ori grata, digeritur in panificia, minus quàm triticum alens.

Zeæ conſid. Spelta.

*NIſi Zea, de qua hoc in loco diſſerit auctor noſter Dioſcorides, illud fuerit frugis genus, quod Itali partim Spelta, partim Pirra vulgari lingua nominant, aliam certè frugis ſpeciem prouenire in Italia equidem non facilè crediderim*

I. ZEA.



*II. ZEA DICOCCOS.*



*…derim, quæ legitimam referat zeam. Verùm enimuero quod zea, Italica ſit Spelta facilè ex Dioſcoride coniectari poteſt, quòd ſcripſerit duplicem eſſe zeam, quarum vna ſimplex, altera dicoccos appellatur, eo quòd in geminis putaminibus grana bina gerat. Nam & Spelta apud Italos duum eſt generum: vna ſpicas profert ſimplicibus granorum verſibus: altera verò in duplicibus conſtat. Zeam hanc quidam, vt Foroiulienſes, Pitra farra vulgò appellant, quòd ex ipſius deglubitis granis farris modo halicam conficiant. Plinius præterea libro 18. ca. 8. zeam eſſe Italiæ in Campania maximè, & ſemen vocari ait. Id quod manifeſtè oſtẽdit, cũ zea fuerit copioſa fruges in Italia: facilè in hũc vſq; diem eius perdurare prouentũ. Quòd cùm ita eſſe certò credam, nil aliud antiquorum Zea eſſe poteſt, quàm Spelta nobis vocata. Hãc Hetruſci antiquos quadantenus ſecuti, appellant vulgò biada. Nam quemadmodum hoc nomen Semen, omnibus ſeminibus eſt commune: ita biada, quæ idem eſt, quod ſeges, cunctis ſegetibus, & frugibus communiter aptari poteſt. Sunt & apud Inſubres, qui Speltam, algam,* Semen. *quaſi alicam vocent: quod facilè atteſtatur hanc eſſe zeam. Siquidem & veteres deglubitam zeam, halicam appell iuere. Zea itaq; quam nos ſpeltam vocamus, tritico haud abſimili folio prouenit, tenuiore tamen culmo firmioreq́; verùm ſpica, à tritico differt, quòd plana ſit, granis tantũ vtrinq; è lateribus ſimplicibus verſibus prodeuntibus, ariſtis lõgis, ac tenuibus.* Zeæ hiſtoria. *Duarum ſunt genera. Dicoccos, maius, firmiore, grãdioreq́; culmo, & ſpica grandiore prouenit, quæ duabus ſiliquulis ſimul coniunctis duo grana profert: alterum quod minus eſt, minore tum culmo, tum ſpica ſpectatur, in qua grana ſingula, ſingulis includuntur putaminibus. Seritur vbiq; locorum in agris, cæterorum frumentaceorum modo. Tunditur vtraq; in pilis, donec glumam exuat, & frangitur in particulas, ptiſſanæ hordaceæ modo, vt ſuo loco inferius dicetur. Leues efficit panes, concoctu faciles, haud ingrati guſtus. Zeæ meminit Gal. lib. 6. ſimpl. med. ſic inquiens: Zea vniuerſa ſua facultate quodammodo in medio eſt tritici, & hordei: itaque ex illis cognoſcatur.* Zeæ facultas ex Gal. *Eius nomen Græcum Ζειά, Latinum, Zea: Arabicum, Hais: Italicum, Spelta, Biada, & Pirra: Germanicum, Spelt/ S.Peters Korn/ Kinkorn/ & Dinckelkorn: Hiſpanicum, Spelta: Gallicum, Eſpeltra, & Eſpeautre.* Nomina.

Zea duplex quidem Dioſcoridi, his tamen addere poſſumus eam quam oryzam Germanicam Tragus vocauit: & eam quàm Zeopyron (quod Zeæ & tritici naturam habeat) Dod. & Lob. nominant. Duæ additæ icones. I. Zea prima & ſimplex Dioſcor. quod ſimplicis ſit grani, an Typha apud Gal. C.B. Spelta prima quoad iconem, ſecunda quoad deſcriptionem, Trag. Frumentum loculare, Ruell. Briza, Dod. gal. Lugd. Briza monococcos, Lob. Monococcon & Frumẽtum barbatum, Dod. fol. Zeæ alterũ genus Fuch. Zea, Matth. Lac. Caſt. Zea ſimplex, Cord. in Dioſc. Zea monococcos, Tab. Spelta vulgo, Cæſal. II. Zea altera quæ δίκοκκος Dioſcor. eò quòd in geminis putaminibus grana bina iuncta habeat. C.B. Zea, Brunf. Cord. in Dioſc. Lon. Dod. gal. & fol. cui & Spelta & Semen Latinorum: Zeę primum genus, Fuchſ. Spelta prima, Trg. Far, Cæſ. Zea, Ador, Far adoreum Tabernæmõtano. Hæc & ariſtis armatur, vt expreſſit Zeæ alterius nomine Matth. Lac. Caſt. Zeæ maioris ſeu dicocci, Lugdunenſis hiſtoria.

κρίμνον. CRIMNON. CAP. LXXXIII.

CRimnon craſſior eſt ex zea, triticoque farina, ex qua pultem faciunt. Abunde alit † ſed ægrè conficitur: aluum vehementius adſtringit, ſi zea, ex qua fit, prius torreatur.

Crimni conſideratio. Nomina.

CRimnum craſſior zeæ, aut tritici farina extitit apud antiquos, qua ad pultem conficiendam vtebantur: quaque loco panis diutius victitarunt, vt Plinius eſt auctor lib.18.cap.8. Κρίμνον id Græci, quod etiam Latini Crimnum, & Hiſpani Farina atorcolada, aut Rolum vocant.

† Neque Ruellium, neque communem, vulgatamq́; Græcam lectionem hic ſecuti ſumus: ſed Marcellum, qui probatiſſimi codicis teſtimonio non εὐκατέργαστον, quod facile conficiatur: ſed ἀκατέργαστον, quòd ægrè concoquatur legendũ putat.

## Ὄλυρα. OLYRA. CAP. LXXXIIII.

EIdem zeæ generi † olyra adſcribitur, ſed minus aliquantò nutrit. In panes, vt zea, cogitur. Fit quoque ex olyra craſſior farina, quam Græci crimnon vocitant.

Olyræ conſideratio.

Marcelli lap.

OLyram zeæ eſſe ſpeciem, Dioſcoridis teſtimonio, ambigit nemo, tametſi hac ætate nõ ſeratur in Italia: ideoq́; Gal. iiſdem Olyram pellere facultatib. ait, quibus & zea: u.n. vtramq́; inter triticum, & hordeũ medium tenere temperamentũ aſſeruit. Adducitur aũt Marcellus, Dioſcoridis interpres, vt fere credat, Olyram à Secale vulgò vocato, è quo ruſtici Alpium cultores panẽ conficiunt, minimè differre. Qua in re Plinium alioqui ſibi familiarẽ, haud accuratè legiſſe videtur, cùm non animaduerterit, ſeorſim ac differenter ſcripſiſſe illũ de Olyra & Secale, quod ſpeciatim Farraginẽ appellat. Nam lib.8.c.10. de olyra ſiue Arinca ſic idẽ habet Plinius: Ex Arinca dulciſſimus panis, ipſa ſpiſſior quàm far, & maior ſpica, eadem & ponderoſior. Rarò modius grani decem & ſeptem libras implet. Exteritur in Græcia difficulter, ob id iumentis dari ab Homero dicta. Hæc eſt, quam olyram vocant. Eadem in Aegypto fertilis, faciliſq́;. De Secale autem ſcribens libr.18. cap.16. Id autem, inquit, quod Secale ſiue Farrago appellatur, occari tantum deſiderat. Secale Taurini ſub Alpibus Aſiam vocant, deterrimum, & tantùm ad arcendam famem vtile. Fœcunda, ſed gracili ſtipula, nigricia triſte, ſed pondere præcipuum. Admiſcetur huic Far, vt mitiget amaritudinẽ eius, & tamen ſic quoque ingratiſſimum ventri eſt: naſcitur quodcunq́; ſolo: hæc ille. Quibus non ſolùm liquidò conſtare non ambigo, Secalam quidẽ ab Olyra differre, ſed quòd nullũ aliud ſit granum, quam vulgaris Siligo noſtra. Siquidẽ hæc, præter id, quod in Italia adhuc genuinum nomen retinet, vbi Secala vbiq́; ferè appellatur, cæteris quoq́; notis Plinianæ Secali correſpondet. Eſt.n. fœcunda, ſtipula tritico graciliore, nigricans, tum ipſa, tum eius panis: quinetiam ruſtici farris loco, tritici aut Milij tertiam partẽ admiſcent, vt panis amarorẽ amittat, qua ſeminum miſtura olyra minimè indiget, cùm dulciſſimum per ſe conficiat panẽ. Ad hæc plurimum differre Olyrã à Secala noſtrate teſtatur grauiſſimus author Gal.lib.1. de alim fac. vbi ſic habet, de Typha, Olyra, & Zea ſcribens: Typhæ ſemen extrinſecus corticem habet, veluti Olyra, & Hordeum, verùm decorticatũ in panes congeritur: & paulò pòſt inquit. Ex nobiliſſima autẽ Olyra, cùm vt decet, fuerit decorticata, nominatim Tragum conficiunt: id quod repetiit libro de attenuante victus ratione, ſic inquiens: Cæterùm ſemen vt Hordeum, Olyra, & Auena, eſt mundandum, & cortice ſpoliãdum: ideoq́; dicebat Plinius, quòd in Græcia Olyra difficulter exteritur. Siquidẽ Secala vulgaris noſtra decorticatione non indiget, quemadmodum nec Triticum, cùm ipſa tritura tantũ nuda è folliculo prodeat. Præterea ex colore quoq́; noſcitur, Olyram non eſſe Secalã vocatã, vt Gal.lib.1. de alim.fac. teſtatur his verbis: Color in hordeis quidẽ & Olyris eſt albus, in triticis autẽ ſubflauus, id quod nuſquã in Secala viſitur. In eodẽ verſatur errore Otto Brunfelſius, & Ianus Cornarius, quorum ſententiis manifeſtò ea, quæ diximus, refragantur. Præter id non poſſum nõ admirari Hermolaum, Manardũ & Ruellium, alioqui doctiſſimos viros, quippe qui vno ore fateantur, quod tamen nuſquã reperitur, Olyrã Plinio Siliginem nuncupari, cùm is non ſiliginem, ſed Arincã Olyrã vocauerit, & ſpeciatim de vtraq́; tanquam de rebus inuicẽ diſcrepantibus ſcripſerit lib.18.c.8.9. & 10. Is enim pro ſiligine intelligit quoddã præſtantiſſimi frumenti genus, è cuius farinæ ſelectiore parte veteres panẽ conficiebãt omnium præſtantiſſimum, leuiſſimumq́;. Pro Olyra autem aliam frugis ſpeciem, è qua dulcis fiebat panis. Plinij autẽ verba ſunt hæc: E ſiligine laudatiſſimus panis, piſtrinarumq́; opera laudatiſſima. Præcellit in Italia, ſi Campana Piſis nata miſceatur. Ruffior illa, at Piſana candidior, ponderoſior verò Cretacea. Iuſtũ eſt è grano Campanæ, quam vocãt caſtratã, è modio redire ſextarios quatuor ſiliginis, vel è gregali ſine caſtratura, ſextarios quinq́;. Præterea floris ſemodium, & cibarij, quod ſecundarium vocant, ſextarios quatuor, furfuris ſextarios totidem. E Piſana autem, ſiliginis ſextarios quinq́;, cætera paria ſunt. Item eodem lib.c.10. Similago, inquit, ex tritico fit laudatiſſima, ex Aphrico iuſtum eſt, e modiis redire ſemodios, & pollinis ſextarios quinq;. Ita.n. appellant in tritico, quod florẽ in ſiligine. Hoc ærariæ officinæ, chartariæq́; vtuntur. Et cap.11. Panis ſumma laus, ait, Siliginis bonitate, & cribri tenuitate conſtat. Plinio quoq; videtur ſubſcribere Gal.lib.1. de facult.alim.cap. de Tritico, de panibus ſcribens, vbi ſic habet: Et apud Romanos quidem, vt etiam apud alios propemodum omnes, quibus ipſi imperant, panis quidem puriſſimus σιλιγνίτης id eſt Siligineus: qui autem huic eſt proximus σεμιδαλίτης, id eſt Semilaceus nuncupatur. Verum σεμίδαλις quidem Græcum nomen eſt, & antiquum: σιλίγνις verò neq́; Græcum eſt, neq́; ipſam aliter poſſum exprimere. Inter panes igitur Siligineus plurimum alimenti præſtat: poſt ipſum autẽ Semilaceus, tertio loco Medius, qui & συγκομιστός & αὐτοπύρος dicitur: quartum poſt hunc ſordidorum genus, in quibus furfuraceus eſt poſtremus. De olyra autẽ agens: Olyrini ſanè panes, inquit, ſi ex bona Olyra fiant, poſt triticeos ſaltẽ ſunt præſtantiſſimi, ſecundi autem ab his ſunt Typhini. Quod ſi olyrini ex vitioſo ſemine ſint facti, Typhini non erunt eis inferiores: hæc ille. Quibus ſanè nulla dubitatione conuincitur, contra eorundem doctiſſimorum virorum ſententiam, Olyram non eſſe Siliginem: quæ quantum differat à Secala noſtrate, non ſolùm ex panis ipſius præſtantia ſcire quiſquam poterit, qui aliter ſentiat, ſed etiam ex eius hiſtoria apud Plin.lib.18.ca.10. vbi ſic habet: Siligo nunquã mattureſcit pariter, nec vlla ſegetum minus dilationem patitur, propter teneritatem, ijs, quæ maturuere protinus granum dimittentibus, ſed minus quã cætera frumenta in ſtipula periclitatur, quoniam ſemper rectã habet ſpicam, nec rorem cõtinet, qui rubiginem faciat: hæc ille. Quæ ſanè euidenter admodum diſtinguunt Secalæ vulgaris, & Siliginis antiquorum differentias. Sed mirum, quòd ſecuta à Romanis ætas adeo hoc præſtantiſſimum ſemen neglexerit, vt non ſolùm in Italia, vbi frequentiſſimum habebatur, ſed in tota Europa, nuſquam hoc æuo reperiatur. SECALE folio prouenit tritici anguſtiore, ſtipula tenuiore, ſed firmiore, ac proceriore, ſpica pendente, ariſtis infirmioribus, ſed fœcundis granis: diu floret, adeo vt quadrageſimo tantum die à flore matureſcat. Seritur alpinis tractibus. Refrigerat & humectat ordine primo: emollit, abſterſione non vacans, & pus mouet. Sordidos efficit (Plin.lib.18.ca.16.) efficit panes, agreſtibus hominibus idoneos, amarulentos ac lentos, æq; facile permeabiles: minus alit quàm triticum & hordeum. Secalæ vulgaris farina, quod glutinoſa emplaſticaq́; ſit, vtiliter additur in emplaſtris pus mouentibus. Seminis decoctum tineas ventris pellit, præſertim addito coriandri ſemine. Ideo quæ Mulomedici Secalam decoctam dare ſolent iumentis, quæ tineis infeſtantur. Idonea eſt farina ad glutinum librariorum parandum, eſt enim cæteris tenacius. Culmorum cinis aquæ ſubactus & illitus pedum, manuũq́; rimas ſanat. Culmi aqua macerati vtiles ſunt feſtucandis vitibus, iunci enim, aut geniſtæ vicem explent. Olyra Græcis Ὄλυρα. Siligo Latinis dicta.

Secale.

Olyræ & Secalæ differẽtia.

Brunfelſii, & Cornarii et Hermolai Ruellii & Manardi lapſus.

Siligo antiquorum.

Siliginis deſcriptio ex Plinio.

Secalæ vulgaris vires.

SECALE.



*aliud apud alias nationes nomen non habet. Secale autem vulgaris Latinis Secale, ſiue farrago: Germanis,* Korn: *Italis, Segala: Hiſpanis, Centeno blanquo: Gallis, Seigle blanche: Bohemis, Zito.* Nomina.

Secale ſiue Rogga duplex eſt, vnum enim autũnò alterum vere ſeritur: hybernum maius, vernum minus eſt. Siligo, Brunſ. Lon. Siligo veterum & ſecale, Trago: Secale Fuch. Dodon. gal. Matth. Caſt. Lobel. Tab. Lugd. Olyra, Cord. in Dioſc. Rogga ſiue Secale, Dod. fol. Fit aliquando vt ob copioſius alimentum attractum grana ob corticem tenerum ruptum, longiora reddãtur, quę à feruore Solis forinſecus nigreſcunt, intus verò denſiore & candida materia conſtãt. Quod vitium aliqui matrem Secales, alii clauos Siliginis vocant. At Plinius lib. 18. cap. 17. hoc intellexit, dum inquit, inter vitia ſegetum & luxuriam eſſe, cum onerata fertilitate procumbunt: ſunt tamen, qui ſtatuant Plinium eo loci id voluiſſe exprimere, quod Theophraſtus 8. hiſt. 7. φυλλομανίαν, inſanam foliorum luxuriam vocauit. Huius figurã cum nemo expreſſerit, in noſtra hiſtoria proponetur.

## Ἀθήρα. ATHERA. CAP. LXXXV.

Athera ex zea fit tenuiſſimè molita: eſt autem ſorbitio, quaſi liquida pulticula, infantibus conueniens, & cataplaſmatis efficax.

*Cum Dioſcorides ſatis ſuperq; declarauerit, quid ſit Athera, neceſſarium quidem non duximus, de ea plura ſcribere. Veruntamen illud ignorandum non eſt, quòd nonnulli auctores ſunt, qui Atheram etiam fieri aſſerant ex tritico, olyra, & amylo. Hæc Germanis vulgò Moſa nuncupatur, vtunturque ea plurimum non modò infantulorum lactantium cibis, quemadmodũ nos pane in aqua decocto, ſed & quotidianis menſis, quam ex farina, lacte, & butyro parant, vt ij quidem norunt, qui diu in Germania verſati ſunt. Quã ἀθήρα Græcè, Athera item Latinè, & Italicè nominatur: Germanicè,* Muos: *Hiſpanicè, Papas.* Atheræ conſideratio. Nomina.

TRITICVM AMYLAEVM.



## Τράγος. TRAGOS. CAP. LXXXVI.

Tragos quandam halicæ frugis figuram gerit: multò minus, quàm zea nutrit, quòd multum aceris habeat: quare ægrius conficitur, aluumque magis emollit.

*Trágos, quem aliqui halicam, nonnulli verò far notis referre aſſerunt, hac ætate, quod ego ſciam, non prouenit in Italia. At quoniam (vt Plinius inquit libro 18. c. 10.) ex oriente peregrinus nobis inuectus erat, vnde noſtro etiam æuo innumeræ deferuntur plantæ, mirum quidem non eſt, ſi, tam longo temporis tractu, relicto Italico cultu, in proprium redierit ſolum, ex quo primùm ad nos aduehi cœpit, vt in aliis quàm plurimis eueniſſe comperimus. Nomen eius Græcum τράγος, Latinum quoque Tragus: Arabicum, Sult: Germanicum,* Amelkorn: *Gallicum, Double turguet.* Tragi conſi. Nomina.

Ee Cum

Cum Tragos Germanis Amelkorn dici auctor ſit Matthiolus, placuit figuram Frumenti ſeu tritici amylæi Germanorum adiicere.

Βρῶμος. AVENA. CAP. LXXXVII.

AVENA.



a Μεῦ ὥσπερ ἀκρίδα δίποδα i. veluti locuſtas bipedes. Cat. ἀκρίδια δίποδα. i. locuſtulas bipedes.

AVena genicula quædam habet: folio, & ſtipula triticum imitatur: & in cacuminibus dependentes paruulas veluti a locuſtas bipedes gerit, in quibus ſemen continetur, vtile ad cataplaſmata, vti hordeum. Pulte huius aluus ſiſtitur: prodeſt tuſſientibus in ſorbitione ſuccus.

Auenæ conſi

*TAmetſi Auena, vulgaris notitiæ ſeges, ſeratur in campis gaudeatq́; frigido tractui, & edita ſit à natura in equorum potius, quàm hominum alimentum, in Germania tamen ab aceribus repurgata, & iure pinguium carnium elixa, frequenter in cibis ſumitur, quemadmodum in Hetruria ſaa, & oryza. Sic enim parata cibus fit haud ingratus, & præſertim vbi eſtur antequam diſſiliat. Quin & pulticulam Germani ex ea parant eadem ratione, quam in Athera paulò ſuperius retulimus.*

Auenæ facultates ex Gal.

*Bromos, id eſt, Auena (vt Galenus memoriæ prodidit lib. 6. ſimpl. medic.) vnum eſt ex leguminibus: verùm vt medicamentum ſimilem hordeo vim obtinet. Nam illitum deſiccat, & digerit mediocriter, & ſine morſu: temperiem autem habet paulò frigidiorem: nonnihil etiam adſtrictionis obtinet, vt ventris profluuia iuuet. Et primo de alimentorum facultatibus: Hoc ſemen (inquit) in Aſia perfrequens eſt, & potiſſimum in Myſia, quæ eſt ſupra Pergamum, vbi & typhæ, & olyræ vberrimus eſt prouentus. Iumentorum autem eſt alimentum, non hominum: niſi vtique aliquando extrema fame, ad panes ex eo quoque ſemine conficiendos compellantur. Citra famem autem coctum, ex aqua eſur cum vino dulci, aut ſapa, aut mulſo. Eadem cum putamine calefacta, & in ſacculis adhibita, flatuoſos dolores tollit. Caterùm Auenæ farina (vt Plinius adnotauit lib. 22. cap. 25.) decocta in aceto næuos tollit.*

Nomina.

*Seges hæc, quæ βρῶμος Græcè, Auena Latinè vocatur: Arabicè, Cartamum, ſiue Churtal: Italicè, Vena ſiue Gena: Germanicè, Habern: Hiſpanicè, Auena, & Auea: Gallicè, Auoyne.*

ORYZA.



Auena βρῶμος, forſan à βρῶμα quod cibum ſignificat: nam vt auctor eſt Plinius lib. 18. cap. 17. Germaniæ populi eam ſerunt, quibus frumenti inſtar eſt, cuius pulte etiam viuunt: & ſanè quotidiano vſu apud Germanos frequentiſſima, non autem ſola hac pulte vtuntur, vt falsò Plinius ſcribit. Theoph. 4. de cauſ. plant. 6. Auenam ex Zea fieri: & Plinius loc. cit. primum frumenti vitium eſſe, & in eam hordeum degenerare, ſcribit. Hæc triplex eſt, vulgaris, dein nigra, tum nuda.

Ὄρυζα ORYZA. CAP. LXXXVIII.

ORyza frugum generis eſt, in paluſtribus, riguiſque naſcens. Mediocriter alit: ſed aluum ſupprimit.

Oryza.

*ORyza folio exit arundinaceo, carnoſo, porro haud abſimili: culmum fert cubitalem, & ſæpe maiorem, geniculatum & tritico craſſiorem, firmioremq́;, in cuius ſummitate ſpica prodit, in ramulos diuulſa, in quibus ſemen vtrinque impari exortu prouenit, cortice ſubflauo, aſpero, tenuibus quaſi coſtis ſtriato, oui figura, quod gluma expoliatum, candidum eſt. Gaudet locis vliginoſis ac paluſtribus. Prouenit copioſa in nonnullis Italiæ locis, humecto tantùm ſolo: ſed copioſiſſi-*

pinguiſsima in Aſia, Syria, & Aegypto. In cibis Oryza admodum eſt familiaris, concoctuq; facilior euadit, & ori gratior, vbi ex lacte bubulo, aut amygdalarum cremore, aut carnium pingui iure decocta fuerit. Datur vtiliter in cibis, dyſentericis, ... & diarrhæa affectis, præſertim vbi prius torrefacta, in lacte, in quo igniti calculi fuerint extincti decoquatur. Sūt, qui oryzam quoque dicunt genitale augere ſemen, in bubulo lacte decoctam, additis ſaccharo, & cinnamomo. Orizæ decoctum vtiliter dyſentericis infunditur, ac etiam potandum datur. Farina bellè quidem cataplaſmatis admiſcetur repellentibus: mammarum incipientes inflammationes arcet cum roſis & anthemide decocta, & illita. Huius meminit Gal. qui lib. 8. de ſimpl. med. facultate, ſic de ea paucis ſcribit: Oryza habet adſtrictorium quippiam: quare mediocriter ventrem ſiſtit. Et lib. 1. de aliment. facultat. Semine hoc, inquit, omnes in ſiſtenda aluo vtuntur ipſum eodem modo, quo halicam decoquentes. Difficilius tamen quam halica conficitur, & minus alit, ceu vtique & in edendi ſuauitate ab ea quàm plurimum deficit. Vt ὄρυζα Græcis, ita etiam Latinis oryza nominatur: Arabibus, Arz ſeu Arzi: Italis, Riſo: Germanis, Reiß: Hiſpanis, Atroz: Gallis, Ris.

Nomina.

Oryza: ὄρυζον Theophraſto 4. hiſt. 5. ex qua Plinius lib. 18. cap. 7. Ptiſanam fieri ſcribit, quod aliqui de Oryza quæ vulgo cortice nudata venalis habetur, intelligendum volunt. Dicitur Oryza Italica, ad differentiam Germanicæ. C.B. Oryza peregrina, Trag. Oryza, Brunf. Cord. in Dioſc. Dodo. Matth. Lac. Lon. Lob. Caſt. Cæſalp. Lugd. Cam. Tab. cui & Hordeum galaticum.

## Χόνδρος. HALICA. CAP. LXXXIX.

Halica fit ex zea, quam dicoccō appellauimus: plus alit, quàm oryza: aluum a magis cohibet, b ſtomacho longè vtilior. Decocta in aceto, illitaq; lepras tollit: vnguium ſcabritias extricat: incipientibus ægylopiis medetur. Decoctum dyſentericis, quos excruciat dolor, infuſum, idoneum eſt.

a Magis non legit Orib.
b Orib. εὐστόμαχος. i. ſtomacho vtilis.

Halicam antiquitus parabant ex zea, cretam, & gypſum admiſcentes. Huius rei auctor eſt Plinius lib. 18. cap. 11. ſic inquiens. Halica fit è zea, quam ſemen appellauimus. Tunditur granum eius in pila lignea: nam lapidis duritia conterit. Nobilius, vt notum eſt, pilo vinctorum pœnali opera. Primori ineſt pyxis ferrea, excuſsis inde tunicis. Iterum iiſdem armamentis nudata conciditur medulla. Ita fiunt halicæ tria genera, minimum, ac ſecundarium, grandiſsimum verò aphærema appellant. Nondum habent candorem ſuum, quo præcellunt, iam tamen Alexādrinæ præferuntur: poſtea mirum dictu, admiſcetur creta, quæ tranſit in corpus, coloremq;, & teneritatem affert. Inuenitur hæc inter Puteolos, & Neapolim in colle Leucogeo appellato. Halica adulterina fit maximè è zea, quæ in Aphrica degenerat. Latiores eius ſpicæ, nigrioresq;, & breui ſtipula, pinſunt cum arena, & ſic quoque difficulter deterunt vtriculos: poſteaq; gypſi pars quarta inſpergitur, atque vt cohæſerit, farinario cribro ſubcernunt: hactenus Plinius. Ex quo non ſatis admirari poſſum, quod veteres & cretā, & gypſum in cibis ſimul cū Halica citra noxam eſitaſſent, cùm proculdubio cōpertum ſit, gypſum in corpus aſſumptū adeò ſpiritibus meatus obſtruere, vt facilè homines ſtrangulet. Niſi fortaſſe dixerimus, quod quanquam aliqui cretam, alij verò gypſum halicæ commiſcerent, vt candidior, & mollior euaderet: ablutionibus tamen prius eam expurgabant, quàm decoquendam traderent. Namq; & hoc tēpore gingiberis radices fabrili rubrica inficiunt, vt illas à carie, & teredine vindicēt: quæ tamen & abluitur, & deraditur, & cribro excutitur, cùm in ciborum condimentis, vel medicamentorum miſturis eæ expetuntur. Hoc enim mihi viſus eſt innuiſſe Gal. lib. 1. de alim. fac. cùm ait: Cæterùm diligentiſsimè, dum ex halica elota ſorbitiones parantur, animaduertere oportet. Quippe cùm Halicam ad ſorbitiones parandas elui præcipiat, id ſanè facere videtur, vt repurgetur à creta, & gypſo, quibus inficiebatur. Quòd autem in cibum non ſumeretur Halica, quæ ab omni inquinamento non eſſet purgata, oſtēdit idem Gal. loco nuper citato, cùm inquit: Halica ex genere eſt tritici, quæ valenter nutrit, ſuccumq; lentum habet, ſiue in aqua duntaxat coctam cum mulſo, aut dulci vino, aut etiam adſtringente ſumas, ſiue ex oleo, ſaleq; conditam. Qui autem per ſanitatem ob vehementem ventris mordicationem, ſiue à bilioſi humoris copia, ſiue aliunde profectam, ſorbitione egent, iis halicam affatim coctam, quoad teneram flacciditatē adepta colliqueſcat, deinde conditam, & colatam, vt ptiſanæ colato cremori perſimilis ſit, ſorbendam exhibeto. Hæc Galenus, qui certè tot laudibus hac in re Halicam non commendaſſet, ſi creta, vel gypſo admiſtam aſſumpſiſſent in cibum. Fiebat antiquitus Halica non modo ex zea, quæ dicoccos dicitur, ſed etiam ex tritico, & aliis frumētaceis, vt ex Galeno, Paulo, Aetio, & aliis intelligi facile poteſt. Fit & hoc tempore in vniuerſa Italia, quamuis eam non Halicam, ſed Far falsò appellitent. Namque far ab halica longè diuerſum putamus. Quòd autem Far a chondro, ſiue halica differat, ſitq; per ſe frumenti, vel tritici proprium genus, antiquis Adoreum vocatum, è quo Far ipſum paratur, id ſanè ex plurium probatiſsimorum auctorum ſcriptis apertiſsimè conſtat. Siquidem id primùm declarat Plinius lib. 18. cap. 8. ſic inquiens: Frumenti genera non eadem vbiq;, neque vbi eadem, ſunt iiſdem nominibus. Vulgariſsimum far, quod Adoreum veteres appellauere. Quin & eodem capite, vt fortaſſe palam faceret, aliud eſſe zeam, è qua fit halica, aliud verò far: Qui zea vtuntur, inquit, non habent far. Item cap. 7. eiuſdem libri: Populum Romanum, ait, farre tantùm è frumento trecentis annis vſum Verrius tradidit. Quo tempore Romanis nullus fuit halicæ vſus, vt ipſe teſtatur Plinius lib. 22. cap. 25, cùm inquit: Halica res Romana eſt, & non pridem excogitata, neque arbitror Pompeij magni ætate in vſu fuiſſe. His accedit Aſclepiadis, & Galeni auctoritas lib. 7. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos in quodam eclegmate ad cruenta ſputa, vbi ſic habet. Farris Cluſini appellati ſextarij dimidium, decocti marrubij viridis ſextarium vnum: hæc in vas vitreum coniecta, diem & noctem macerari ſinito. Sequenti die pharmacum mollito, quemadmodum halicam maceramus: hæc Galenus. Quibus palam eſt à farre differre halicam. Galeno deinde ſubſcribit Aetius lib. 9. cap. 45. vbi ex Archigene hæc habet. Quod verò Latinè in regionibus Romæ vicinis far appellant, hoc modo paratur: Frumentum modico tempore aqua madefacito, indeq; extractum, ac in pilam cōiectum, veluti ptiſanam, à cortice repurgato, vbi verò corticem exuerit tollito, atq; in ſole ſiccato: deinde manibus tritum, donec penitus à cortice fuerit mundatum, craſsiſsimè molito, ita vt granum vnum in quatuor, aut quinque partes redigatur, & ſiccum aſſeruato. Vſus autem tempore halicæ modo coquitur, & à ſanis in cibo ſumitur. Pro ægris verò variè apparatur, & epithematis quoque admiſcetur. Quidam ſpicas frumenti adhuc virides tollunt, ex ipſiſq; far concinnant, quo modo & ſuauius, & iucundius redditur: hactenus Aetius. Ex cuius, & ſupradictorum teſtimonio, illud planè omnibus patere arbitror, quòd far ab halica diſsideat, quà de re etiam plura, duce Deo, dicemus in epiſtolis noſtris. Quod Græcis χόνδρος, Latinis pariter & Italis Halica nuncupatur: Arabibus, Chandaros.

Halicæ conſideratio.
Parandi ratio ex Plinio.
Halica ex zea Aphricana.
Gingiberis rad. rubrica inficiuntur.
Halicæ vires ex Galeno.
Farris, & halicæ differētia.
Nomina.

## Κέγχρος. MILIVM. CAP. XC.

MIliam in panes coactum minus cæteris frugibus alit: ſiſtit pulte ſua aluum, vrinam cit. Torretur milium, feruenſque in ſacco ponitur, vt torminibus reliquiſq; doloribus, ſi foueatur, auxilio ſit.

Milii conſid. & hiſtoria.

MILIVM.



*MIlium, folia profert arundinacea, panico æqualia, calamum bicubitalem, craſſum, geniculatum, lanuginoſumq́; radicem multiplicem, ac duram, paniculis diuulſis è cacumine dependentibus. In quibus copioſum oritur granum, ſubrotundum, ſolidum, læue, ſubflauum, tenui tunica veſtitum. Seritur in agris, pingui & ſtercorato ſolo. Eius panis dum recens eſt, & arte quadam piſtoria rectè paratus, vt Veronæ fit, & ita calidus, vt ex furno excipitur, deuoratus, ſua quadam dulcedine placet, & à pluribus expetitur. Quare non deſunt, qui ipſum calidum per plateas circumferant, clamãtes, Pan di miglio caldo, caldo: at cum obduruit, ingratus ſanè eſt. Syluani, qui carbones, & arbores ſecant in Tridentino agro, ſola pulte Miliacea, quam vulgò appellant Polenta, ſe alunt, eam cum lacte edentes, nec alio dicunt ſe poſſe alimento perdurare. Quare anno toto hoc tantùm alimento viuunt, & fontanam aquam potant. Milium fomentum eſt optimum ad ſiccandum citra morſum, & adflatus repellendos, præſertim vbi cum ſale admiſtum fuerit. Siquidem rectè ad tormina adhibetur, quæ à flatu excitantur, & ad lateris dolores quin etiam præſtantius eſt additis chamæmeli floribus. Medicamenta, quæ in milij aceruo ſepeliuntur, diutius à carie, & putredine præſeruantur: imò & ipſæ carnes recentes milio æſtate ſepultæ, pluribus diebus à putredine vindicantur.*

Milii vires ex Galeno.

*Milium, vt libro 7. ſimplicium medicamentorum prodidit Galenus, primo ordine refrigerat, exiccat verò tertio exoluto, aut certè ſecundo intenſo: paululum etiam habet tenuitatis. Ex hac tum conſiſtentia, tum temperatura inſtar quidem edulij comeſtum, planè inter omnia frumentacea edulia minimum confert nutrimenti, ſed & ventrem deſiccat. Porrò foris impoſitum in ſacculis idoneum eſt fomentum ijs, quæ citra morſum exiccari poſtulant: & cataplaſmatis modo illitum exiccare poteſt, attamen admodum friabile eſt, proinde difficilis eſt eius in cataplaſmatis vſus. Quibus omnibus ea prorſus adſtipulantur, quæ idem de Milio tradidit lib. 1. de alimẽtorum facultatibus, cùm inquit: Milio item in pane nonnunquam vtuntur, vrgente frugum penuria. Panis tamen ex eo exigui eſt alimenti, & refrigerãs. Conſtat inſuper præaridum, & inſtar arenæ, aut cineris fluibilem eſſe: nihil enim in ſe habet pinguitudinis, & lentoris. Iure ergo aluum humentem deſiccat. Agricolæ huius farina cocta, admiſto adipe ſuillo, & oleo veſcuntur.*

Nomina.

*Κέγχρος Græcè: Milium, Latinè dicitur: Arabicè, Ieuers, Geguers, ſiue Gianres: Italicè, Miglio ſiue Meglio: Germanicè, Hirß: Hiſpanicè, Millo, & mijo: Gallicè, Millet.*

I. PANICVM MINORE PANICVLA.



Miliũ à milliari ſumma Feſto, quaſi milleſimũ granum ferat: κέγχρος Theophraſto 8. hiſt. 3. à minutis ficuum granis numeroſiſſimis, quæ κεγχραμίδες vocitur: πασπάλη, Hippocrati: πάσπαλος, Galeno. Habetur ſemine luteo ac albo: alterum ſemine nigro, quod à vulgato differt, caule latiore & non hirſuto & latiore iuba. In Argouia nunc frequenter ſeritur nigrum, quod ex radice caules emittit non adeò vt in priori altos, foliis latioribus, iuba ſparſa & minore, ſemine aliquantum maiore & rotundiore, & ad pultes conficiendas altero longè vtiliore. De Indico dicetur ſequenti capite.

## Ἔλυμος. PANICVM. CAP. XCI.

PAnicum a frumentaceis ſeminibus annumeratur, milio ſimile, eodemque modo in panes ſubigitur. Eoſdem habet vſus: minus tamen & nutrit, & ſtringit.

a Meum. ἣν τινὲς μελίνην καλοῦσι. i. eam aliqui Melinem appellant.

Panicum

II. PANICVM DOMESTICVM. III. PANICVM SYLVESTRE.





Panici conſi. & hiſtoria.

PAnicum folio, radice, culmo, milio eſt per omnia ſimile, paniculis autem differt. Siquidem in Panico pedali longitudine panicula prouenit, ad terram verſa, non vt in milio diuulſa, ſed prædenſis compacta racemis, granis numeroſis, hirſutiſq;. Seritur in campis menſe Maio, & quandoque ſtatim poſt meſſem.

Panicum alterum.

Eſt & aliud genus, quod mammoſas ferè paniculas gerat, & pene ſemen racematim proferat, copioſiore prouentu. Color paniculis varius: namque in quibuſdam candicat, in aliis rufeſcit, in pluribus verò flaueſcit.

Panici ſylu. conſid.

Reperitur & SYLVESTRE, ſed cibis inutile, & tantùm auiculis idoneum, quibus paniculæ offeruntur. Hoc ſatiuo longè minus, gracili admodum ſtipula, geniculata tamen, cubitali longitudine, aut maiori: foliis anguſtioribus, breuioribus, aſperiſque, paniculis in cacumine longis, ſubrubentibus, hirſutis & aſperis, adeo, vt pertinaciter veſtibus inhæreant, ſed panico valde minoribus. Spontè per ſe prouenit in hortis & viridarijs: quinetiam in campis, & vineis.

Panici vires ex Gal.

Vis illi panico ſimilis, ſed longè magis adſtringit, ſiccat, ac refrigerat: vt ſcriptum reliquit Galenus, lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ex leguminum genere eſt, milio ſpecie ſimile, facultate certè pauci nutrimenti, & exiccatoria. Siſtit quoque nonnihil ventris fluxus, ceu ipſum etiam milium. Si verò foris illinatur, exiccat, atque refrigerat: hæc Galenus.

Ruell. lapſus.

Caterùm ſcribit Ruellius ſecundo de natura ſtirpium volumine, Panicum in Italia Melicam appellari. Qua in re apertè hallucinatur: namque melica, quæ apud Inſubres vulgò Melega nominatur, illud genus frugis eſt, quam noſtrum vulgus in Hetruria Saggina vocat: alij verò in Italia populi Sorgo appellant. Nec vſquam, quod ſciam, in Italia panicum melica vocatur.

Melicæ conſideratio.

MELICA autem (vt vtar hoc nomine) frugis eſt genus tam forma, quàm proceritate arundinem referens, adeò vt campi, in quibus ad maturitatem vſque adoleuerit, arundineta repræſentare videantur. Eius tamen calamus non vt vulgarium arundinum, inanis eſt, ſed ſacchariferarum arundinum modo, alba farctus medulla, Sambuci modo. Paniculæ quas ad Cybelis pomorum magnitudinem ſummis proferunt culmis, magnas, craſſaſque, quædam cum maturitatem ſenſerint, in nigro rufeſcunt: quædam verò nigredinem in vniuerſum contrahunt, quædam ſubalbicant granis compluribus onuſtæ. Seritur in campis aratro cultis, ac ſtercoratis. Refrigerat, ſiccat, cohibet & reſoluit. Facultas ei haud milio diſsimilis. Depectitur granum à ruſticis, moliturq; in farinam, & inde in agreſtem cogitur panem concoctu contumacem, & qui parum alat: aluum adſtringit: etſi in Hetruria potius ad columbarum, gallinarumq; feratur ſaginam, quàm ad hominum alimentum. Hæc Plinio libro 18. cap. 7.

Milium Indicum Plinii.

Milium eſt INDICVM, quod tamen non animaduertit Ruellius, alioqui maximus Plinij ſectator. Plinius enim ſic habet: Milium intra hos decem annos ex India in Italiam inuectum eſt, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adoleſcit ad pedes altitudine ſeptem, prægrandibus culmis, lobas vocant, omnium frugum fertiliſsimum.

Milii Indici aliud genus.

Eſt & aliud Milij Indici genus, quod primum mihi Patauio miſſum eſt, à Iacobo Antonio Cortuſo, Nobili Patauino & rei plantariæ ſtudioſiſsimo. Verùm hoc altero longè nobilius, præſtantiuſque habetur, nam glumam facilè exuit, & minorem, pulchrioremque conficit panem: idem culmo, foliis, paniculiſque alteri ſimile habetur. Sed hæc omnia in Bohemia minora prouenerunt, aeris fortaſſe inclementia. Fit è milij Indici communis arundinum medulla medicamentum ad ſtrumas valde vtile; hoc modo: Sumuntur huiuſce milij internodia decem, extrahiturque inde vniuerſa medulla, huic ſpongia noua integra, rubenſque additur, & igni ſimul comburuntur: deinde in puluerem teruntur, additis piperis nigri granis duodecim. Pulueri admiſcetur triticeæ farinæ vncia, & poſtea exceptis omnibus ouo recenti, inde placentula conficitur, & ſub feruentibus cineribus coquitur. Demum in ſex partes diuiditur, & Luna decreſcente, pars vna alternis diebus veſperi, ſtrumoſo dormitum ituro propinatur, nullo addito potu: fitque ita, quouſque affectus ſenas illas vo-

## IV. MILIVM INDICVM.



*rauerit particulas: deinde altera, & tertia luna, idem repetitur. Hoc medicamento plures curati ſunt. Flores, qui è rubris Milij Indici Paniculis excutiuntur, drachmæ pondere ex rubro vino hauſti, rubra fœminarum profluuia ſiſtunt, quemadmodum ex albis paniculis accepti albos quoque vteri flores cohibent. Dantur pari iuuamento etiam dyſentericis, & cæteris alui fluxionibus affectis. Idem præſtat granorum putamen, oui vitello probè decocto exceptum, & a ieiunis illicò deuoratum.*

Nomina.

*Quod ἔλυμος Græcis: Panicum Latinis appellatur: Arabibus, Dochon: Italis, Panico: Germanis, Fench: Heydelfenich/Fuchsſchwantz: Hiſpanis, Panico, & Paniſo: Gallis, Paniz. Milium Indicum. Hetruſcis, Sagina: Longobardis, Melega: Venetis, Sorgo. Panicum ſylueſtre Græcis ἔλυμος ἄγριος: Italis, Panico ſaluatico, ſiue Panicaſtrella.*

Panicum à panniculis quibus ſemen ineſt, Plinio lib.18.cap.7. quod mel frugum Diocli dici, idem lib. 22.ca.25. teſtatur, qua de re dictum plenius in noſtro Phytopinace. Hoc quadruplex reperitur, minore, maiore & cærulea pannicula: & Indicum de quo ſupra. I. Quod & vulgatius, dicitur Panicum pannicula minore C.B. Milium exiguũ, Trag. Panicum, Fuchſ. Cord. in Dioſc. & hiſt. Geſ. hor. Dod. gal. & fol. Lon. Lob. Cęſalp. Taber. Cam. Hoc variat panniculis albis, flauis, purpureis, quare ſemine eſt albo, luteo, ruffeſcente. II. Panicum pannicula maiore C.B. Panicum domeſticum, Matth. Panicum, Lacu. Caſt. Panicum aliud Indicum pannicula villoſa, Lob. Panicum Indicum, Dodo. fol. & Tab. cui & villoſum & Hiſpanicum. III. Panicum ſylueſtre eſt, quod quadruplex exiſtit, primum quidẽ duplex, ſine ariſtis & cum ariſtis: alterũ ſimplici ſpica molli: tertium ſpica aſpera, & quartũ ſpica nigra. Figura adpoſita Panici eſt ſylueſtris ſine ariſtis, ſiquidem alterius eius ſpeciei vtriculi in oblõgam ariſtam deſinunt. C.B. dicitur Panicum paluſtre & ſylueſtre, Dod. gal. Panicum ſylueſtre Matth. Caſt. Taber. Lugd. Cam. Panicum herbariorum ſylueſtre, Lobel. Panicaſtrellæ ſimilis alia, Cæſalpin. Gramen Mannæ alterum, Dodon. fol. & Lugd. Milium ſylueſtre & ſupinum quod Iſchæmon videtur, Cluſ. Hiſp. an Schwaden, Cord. in Dioſc. & Geſ. hor. IV. Milium Indicum, quia Plinius lib. 18. cap. 7. ex India in Italiam inuectum ſcribit. C.B. Panicum, Trag. Milium Indicum, Matth. Fuch. (cui & Sarracenicum vel Sorgi) Caſt. quo ad deſcriptionem Lugd. Cam. Sorghi, Dod. gal. Lon. Melica, Cæſ. Dodo. fol. cui & Sorghum, Sorgo. Melica Italorum Lob. Sorgum, Geſ. hor. Tab. Maizum, Geſn. hor. cui & Panicum Indicum, & Milium Indicum. Hoc variat ſeminis colore nigro, rubro, luteo, albo.

## SESAMVM.



Σήσαμον. SESAMVM.

### CAP. XCII.

SEſamum ſtomacho inutilis cibus: halitus grauitatem facit, quoties inter mandendum, commiſſuris dentium inhæſit: neruorum craſſitiem illitu diſcutit: medetur auribus fractis, ambuſtis, inflammationibus, coli doloribus, & ceraſtæ morſibus: capitis dolores, qui æſtuatione concitantur, ex roſaceo lenit. Eadem efficit herba decocta in vino: præſertim inflammationibus oculorum, doloribuſq; prodeſt. Ex ea fit oleum, quo Ægyptii vtuntur.

Seſami conſideratio.

*TAmetſi Seſami ſemen, à quo copioſum exprimitur oleũ, officinis notiſſimum ſit: pauci tamen reperiuntur ſeplaſiarij, qui Seſami plantas viderint vnquam, cùm nullum, vel rariſſimum, quòd agros ſteriles reddat, ſeratur in Italia.*

Siquidem

*Siquidem quod in myropoliis habetur, ex Græcia, & Peloponneſo ad nos conuehitur. Prouenit (vt Theophraſtus eſt auctor) caule milio ſimili, craſsiore tamen, ac altiore: folijs rubentibus: flore viridi, herbaceo: ſemine vaſculis incluſo, papaueris modo. Seſamum, teſte Plinio, ab Indis primum aduectum eſt. Ibi enim copioſiſsimum ſeritur, cùm oleum inde maximo prouentu conficiant, non modò ad lucernarum vſum, ſed ad ciborum condimentum, quemadmodum nos ex oliuis. Non temerè ſcripſiſſe videtur Ruellius, nihil ita, vt Seſamum, emacrare ſolum, vtpote cui craſsior, & multiplicior arūdo ſit, quam milio, & radix quoque numeroſior. Siquidem id legimus Theophraſto proditum eſſe lib. 8. cap. 9. de plantarum hiſtoria, vbi ſic inquit: Omnium, quæ æſtiuis ſementibus ager recipit, Seſama terræ moleſtiſsima eſſe, plurimumq́; poſſe extenuare putatur, vtpote quæ multipliciori craſsiorique calamo, & numeroſiore conſtet radice, quàm milium: hactenus Theophraſtus. Cæterùm plantam, quam hic pro Seſamo excudi curauimus, miſit ad me Piſis Lucas Ghinus præſtantiſsimus plantarum indagator. At ſi verum fateri debeam, non auſim ego affirmare hanc genuinum eſſe ſeſamum, quod in primis culmum non gerat milio craſsiorem, altiorem, numeroſioremque, nec radices longè plures, ſed ſcapum fabæ æmulum, in quo fabarum more ſiliquæ gradatim exeunt triquetræ, aut quadriquetræ, in quibus ſemen: Deinde quod eius folia non rubeſcant, nec flos herbaceo ſit colore. Dixi ſententiam meam, videant nunc alij, an hæc planta pro legitimo ſeſamo ſit recipienda. [Cæterùm duas diuerſas imagines pro Seſamo exhibuimus, quod varia quoque ſit hoc tempore herbariorum de eo ſententia: alij enim hanc plantam, illam alij pro legitimo Seſamo demonſtrant. Mihi quidem (vt ingenuè fatear) neutra placet, quod vtraque hiſtoriæ refragetur, quam de Seſamo Theophraſtus & Plinius tradiderunt. Has tamen plantas hic depingi curauimus, ea ſolum ratione, vt illud lectores admonerem, quod ea, meo iudicio, notis veri Seſami non reſpondeant: quodque in manifeſto errore verſentur, qui ſecus opinantur.] Seſami meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamētorum, ita ſcribens: Seſamon temperum in ſe continet viſcoſum, & pingue: quare emplaſticum eſt, & emolliens, ac modicè calidum. Eiuſdem facultatis eſt, quod ex eo conficitur oleum: & herbæ quoque decoctum ſimilem vim obtinet. Et libro de alimentorum facultatibus. Seſami ſemen, inquit, pingue eſt, ideoq́; repoſitum celerrimè fit oleoſum: quamobrem & eos, qui ipſo veſcuntur, celeriter implet, & ſtomachum ſubuertit, tarde concoquitur, & pingue corpori præbet alimentum. Liquet ergo quòd ventris partibus vigorem, ac robur addere nequit, quemadmodum neq; aliud quoduis pingue. Eſt autem craſsi ſucci, ideoq; non celeriter permeat. Σήσαμον Græci, pariter & Latini Seſamum dicunt: Arabes, Semſem, aut Senſera: Itali, Seſamo: Hiſpani, Iorgilim, & Alegria: Galli, Iugeline.*

Seſami hiſt. ex Theophr. & Plin.

Ruellius.

Lucas Ghin. An Seſamum hoc ſit genuinum.

Seſami vires ex Gal.

Nomina.

Seſamum: in ſecunda editione commentariorum duas habet icones, vt ex verbis ex ſecunda editione deſumptis & notis incluſis, huicq; editioni additis colligere eſt. Alteram Seſami quorundam nomine; quam figuram in alijs editionibus, capiti de Myagro adpoſuit, ſiquidem in ſecunda editione, capiti de Myagro, nullam figuram addiderit: alteram habet Seſami aliorum nomine, quam pro Seſamo alijs in editionibus reſeruauit, & rectè: quam Seſamum etiam vocant Cord in Dioſc. Dodo. fol. Lobel. Caſt. Tab. Seſamum verum, Geſ. hor. Lugd. Cam. Seſama, Cæſalp. Sempſem Alpinus.

Αἶρα. **LOLIVM. CAP. XCIII.**

LOlium, quod inter ſegetes naſcitur, molitum, nomas, putreſcentia vlcera, gangrænaſque compeſcit, cum raphanis, & ſale illitum: & ex aceto, & ſulphure viuo feros lichenas, & lepras ſanat: ſtrumas quoque diſcutit, cum fimo columbino, & lini ſemine decoctum in vino: rumpit, quæ ægrius ad coctionem perducuntur. Decoctum ex aqua mulſa vtiliſsimè iſchiadicis illinitur: ſi cum polenta, thure, myrrha, aut croco ſuffiatur, conceptionem adiuuat.

LOLIVM.



*LOlium omnibus notiſsimum eſt. Naſcitur in aruis è tritico, & hordeo corruptis vligine ſeminibus, aut per hyemem imbre nimio madidis, vt ſuperius quoque in tritici, & hordei commentatione dictum eſt. Verùm etſi non deſint, qui Lolium vere tantùm exoriri putent, prouenit tamen (vt Theophraſtus memoriæ prodidit libro octauo capite ſeptimo de plantarum hiſtoria) hyeme ineunte, folio anguſto, piloſo, & pingui, eiusque peculiare pingitudo notatur. Cæterùm non ſolùm triticum, hordeumque in Lolium degenerat, ſed & ipſum quoque Lolium in Triticum mutatur. Id quod non ſolum affirmant Ruricolæ, ſed & Theoph. quoq; teſtatur libro quarto capite ſexto de plantarum cauſis, ſic inquiens: Sed de mutatione in formam alienigenam, ceu ex tritico in Lolium, & rurſus ex Lolio in triticum, & ex ſemine in auenam, mirandum ſanè eſt, &c. Quo fit vt potius exibilanda ſit noſtrorum antagoniſtarum opinio, quippe qui mutari plantas in melius negant, voluntque earundem mutationes perpetuò in deterius fieri. An non ipſe Theophraſtus libro ſecundo capite quinto de hiſtoria plantarum ſcribit Typham, & Zeiam tertio quoque anno mutari in Triticum? an non ſcribit idem, cupreſſum fœminam in marem mutari? Hippocrates grauiſsimus autor, ad calcem libri ſexti de morbis popularibus, ſcribit contra hos ſycophantas: Phaetuſam Piteæ vxorem, quæ antea fœcunda erat, in virum hirſutum barbatumq; eſſe mutatam: & Plinius teſtatur ſe vidiſſe in Africa mutatū ex fœmina in marē ipſo nuptiarū die Luciū Coſsicū, ciuem Tiſdutanum: Naturam enim ſagaciſsimam qui negant in melius operari, ij ſanè amentia, aut furore agitantur: an nō ex putri fimo lutove animalia gignūtur? an nō ex putri*

Lolii conſid.

Triticum in Lolium: & Lolium in triticū mutatur. Matthioli aduerſarii notātur.

Fœminæ in viros mutatæ ex Hippoc. & Plinio.

*iuuenci cadauere apes procreantur, quæ nobis ſuauiſsima fundunt mella? an non ex rudi vilique materia gignuntur in terræ viſceribus pretioſiſsima metalla, & gemmæ? Sileant ergo hi blaterones, naturæ monſtra, qui potius ad perdendas ſcientias, vitiandasque, quam iuuandas nati ſunt. Sed hæc iam miſſa faciamus, & ad inſtitutum noſtrum redeamus.*

Lolij hiſtoria

*Eſt itaque Lolium, vt prædiximus, vitium frugum, & hyeme ſtatim prima e terra proſilit, folio longo, pingui, hirſuto, adultum culmo tritici graciliore, in cuius ſummitate ſpica habetur longa, aculeatis ſiliquulis impari exortu vtrinque referta, è quibus grana tria vel quatuor cumulatim apertè exeunt, cortice contumaci contecta. Matureſcit vnà cum tritico.*

Lolij vires.

*Attenuat, reſoluit, & abſtergit. Panis qui Lolij multũ admiſit, inebriat, & caput maximè afficit, adeo, vt qui ederint, ſomno quodam graui opprimantur, & quaſi vertiginoſi fiant. Nocet oculis, & viſum obtenebrat. Ideoque Italia, apud quos plurimum inter ſegetes prouenit, cribris ad hoc paratis lolium à tritico magna diligentia ſecernunt, ſeruantque pro alendis gallinis, & capis. Namque non ſolum ab eo nõ læduntur, ſed bellè ſaginantur.*

Fuchſij error.

*Credidit Leonhardus Fuchſius (vt declarauit in ſuis circa Lolium clariſsimis de ſtirpium hiſtoria commentarijs) Pſeudomelanthium, quod inter ſegetes frequens naſcitur, legitimum eſſe Lolium. Id quod (pace ſua dixerim) non modò communi doctiſsimorum virorum, qui in ſtirpium doctrina diu verſati ſunt, ſententiæ refragatur, ſed & veterum ſcriptis, qui Lolium in ſpica, non calyce, non capitulis Melanthij vel papaueris modo incluſum, ſemen proferre tradiderunt. Et quãuis Theophraſti auctoritate nitatur, vt ſui Lolij effigiem repræſentet, plura tamen ex eo reddidiſſe videtur, quàm ipſe uſquam in Theophraſto legerim. Qua in re mihi quandoque iocandi fuit occaſio, vt dixerim Fuchſium ideo in lolio tam manifeſtè lapſum fuiſſe, quòd forte eo tempore, quo hæc ſcribebat, contigerit id loliũ in pane comediſſe. Quod autem id legitimũ ſit Lolium, quod rei herbariæ peritis, agricolis etiam, & omnibus fere vulgò cognitum eſt, teſtis eſt Dioſcorides libro 4. cap. de phœnice, vbi phœnicem ſpicam lolio ſimilem proferre prodidit. Ex quo palam fit, lolium in ſpica, non autem in capitulis pſeudomelanthij, & papaueris modo ſemen ferre. Exvulgata quoque Lolij facultate Fuchſii error deprehendi poteſt. Siquidem panis, (vt prædiximus) in quo lolium fuerit, ſtupiditatem quandam, & veluti temulentiam eſitantibus parit cum inexpugnabili ferè ſomno. Quamobrem vbique locorum incerniculis à tritico, alijsque cerealibus ipſum ſeparant, qui eius noxam ſenſere.*

Lolij vires ex Galeno.

*Lolium, vt ſcriptum reliquit Galenus lib. 6. ſimpl. med. deſiccat & excalfacit efficaciter, vt propinquum ſit acribus, magis quàm Iris: ſed non eſt perinde vt illa ſubtilis eſſentiæ, verùm multum in hoc deficit. Secundum hoc ponat ipſum quiſpiam in principio tertij ordinis excalfacientium, ſecundi verò extremè exiccantium.*

Nomina.

*Eius nomen Græcum αἶρα: Latinum, Lolium: Arabicum, Sceilen, ſeu Zened: Italicum, Loglio, & Gioglio: Germanicum,* Twalch / Kutweyƺen / vnd Lulch: *Hiſpanicum, Yoio: Gallicum, Iuayara, & Turaye.*

Lolij nomine multæ donantur à diuerſis plantæ, nos duas potiſsimum hoc nomine dignas cenſemus: alteram ſpica breuiore de qua infra: alteram ſpica longiore de qua nunc. Lolium ſpica longiore tritici peſtis, C.B. dicitur Lolium, Dodo. gal. (cui & Zizania Arabum) & fol. Matth. Cord in Dioſc. Lob. (cui & in iconibus Triticum temulentum) Caſt. Cæſalp. Lugd. & Taber. cui & Iureum: Lolium verum, Geſnero de hortis.

## Ἄμυλον AMYLVM. CAP. XCIIII.

Concluſa nõ leg. Orib. a Orib. addit. τὸ ἐκπλυνόμενον, καὶ βρεχόμενον, ἐν ὕδατι γλυκεῖ ἀποψυχόμενον. i. quod fit ex tritico, purgato, loto & madefacto, aqua dulci affuſa.

AMylum [ex eo appellatum eſt, quòd ſine mola fiat.] Optimum a [ex trimeſtri, natione Creticum, aut Ægyptium. Ratio faciundi amyli hæc eſt. Purgatum trimeſtre triticum madeſcit] quinquies die, & ſi fieri poteſt, nocte: cúm emollitum fuerit, effunditur ſenſim ſine agitatione aqua, quó minus cremor vitilis vna excludatur: vbi molliſſimum eſſe videtur, mutata aqua, pedibus calcari oportet: rurſus infuſa, teritur: tum demum enatantes ibi furfures incerniculo eximendi, reliquumq; quallo ſportisq; ſiccatum, tegulis nouis confeſtim torreatur flagrantiſſimo in ſole: namque ſi pauliſper vdum maneat, acorem concipit. Contra fluxiones oculorum, puſtulas, cauaq; vlcera efficax eſt: ſanguinis reiectiones potu cohibet, exaſperatas fauces lenit: lacti, atque obſonijs admiſcetur. Fit etiam amylum ex zea, quæ maceratur, ac eluitur vno, aut altero die, & ſubactæ farinæ modo manibus ſubigitur: preſſaq; feruentiſsimo in ſole, vt antè retulimus, exiccatur. Nullus in medicina vſus, ad alia tamen conueniens.

Amyli conſi.

*AMylum, quod vulgò Amidum officinis vocatur, omnibus quidem notum eſt: probatur autem, auctore Plinio lib. 18. cap. 7. leuitate ac læuore, atque vt recens ſit, & candidum. Cæterùm etſi prætulerit Dioſcorides Amylum, quod è Creta aduehitur, Plinius tamen longè magis Chium, cui inſulæ (vt ipſe ſcribit) Amyli inuentio debetur, præſtare aſſerit. Amylum, vt memoriæ prodidit Gal. lib. 1. de alimen. facul. ex tritico conficitur, læuigandi exaſperatas partes vim obtinens, quæ*

Amyli vires ex Gal.

*communis eſt omnibus ſubſtantijs conſiſtentia ſiccis, quæ neque adſtrictionem, neque acrimoniam, neque aliam quamuis facultatem habent inſignem, quas ſubſtantias iure ἀποίους, id eſt, qualitatis, quæ ſenſu deprehendi queat, expertes appellant: qualis inter humidas ſubſtantias eſt aqua. Cæterùm amylum ſimilem lotis panibus habet facultatem: nam, vt illi, minus quàm panes non loti, corpori præbet alimentum, & non calfacit, cùm cæteri panes calfaciant. Quod verò ad triticum in aqua elixum attinet, cum ea amylum ne conferendum quidem eſt, cùm palam id tum calfaciat, tum valenter nutriat, ſi coctum fuerit: id quod factu (vt diximus) eſt difficile. Porrò Amylon (vt Pli. tradit lib. 22. cap. 25.) hebetat oculos, & gulæ inutile, contrà quàm creditur. Item ſiſtit aluum, epiphoras oculorum inhibet, & vlcera ſanat. Item puſtulas, & fluxiones ſanguinis: genas duras emollit. Datur cum ouo his, qui ſanguinem reiecerint: in veſicæ verò dolore ſemuncia amyli cum ouo, & paſsis tribus, ſufferuefacta à balneo.*

Nomina.

*Quod Græci ἄμυλον, Latini ſimiliter Amylum vocant: Mauritani, Nixe: Itali, Amido: Germani,* Amlung: *Hiſpani, Amydon: Galli, Amydum.*

## Τῆλις FOENVM GRÆCVM. CAP. XCV.

FOeni Græci farina vim habet emolliendi, diſcutiendique: in aqua mulſa decocta aduerſus tam internas, quàm externas inflammationes, efficaciter illinitur: lienem cum aceto, & nitro trita extenuat. Succus decocti eius fœminarum malis ſubuenit: & ſiue tumor, ſiue præcluſio ſit vuluæ, fouentur, & inſident. Fœni græci in aqua decocti cremor expreſſus, capillos, furfures, & manantia capitis vlcera purgat: locos dilatat, & emollit, ſi cum anſerino adipe peſsi vice ſubijciatur. Viride cum aceto vtiliſsimum imbecillibus locis

FOENVMGRAECVM.



locis,& vlcera ſentientibus. Decoctum eius prodeſt aduerſus teneſmos, fœtidamque dyſentericorum proluuiem. Oleum, quod ex eo exprimitur, & myrto, capillos, & genitalium cicatrices abſtergit.

*Foeni Græci ſemen profert plantam trifolio ſimile, folia habet per ambitum ſerrata, caules exiles, complures ab vna radice prodeuntes: flores candidos, paruos, è quibus cornicula prodeunt incurua, acuminataq́; in quibus ſemen concluditur ſubfuluum, pingue, odore graui. Radice nititur multiplici atq; tenui. Seritur pingui ſolo Februario, & Martio calidiori tractu.* Fœni Græci conſid. & hiſt. *Digerit, reſoluit, emollit, pellit & abſtergit. Sicci ſeminis farina, cum ſulphure, & nitro lentigines delet. Medetur vlceroſæ ſcabiei, ſi cum quarta parte ſeminis naſturtij, excipiatur aceto, & ſubinde illinatur. Eadem in hydromelite decocta, addita axungia, auxiliatur genitalium tumoribus: quinetiam parotidas iuuat, chiragram, podagram, & articulorum luxationes. Ex vino ſubacta carcinomata purgat. Datur vtiliter potandum fœnograeci decoctum diuturna tuſſi laborantibus, & vbi pectus fuerit exulceratum. Seminis mucago, madefactis in eo linteolis, & fronti adhibitis, oculorum fluxiones auertit. Decoctum verò eius ex aqua oculorum inflammationes arcet inſtillatum.* Fœni Græci vires Matth. *Huius meminit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Fœnum Græcum calidum eſt ſecundi ordinis, deſiccat primo: proinde feruentes phlegmonas irritat acerbatq́;: quæ verò minus ſunt calidæ, & magis duræ, eas digerẽdo curat,* Fœni Græci vires ex Gal. Τῆλις, καὶ βούκερως *id Græcè dicitur, quòd Latinè Fœnum græcum: Arabicè, Olba, Helbe, ſeu Hebbe: Italicè, Fieno greco: Germanicè* Fenigrec/ *&* Bockshorn: *Hiſpanicè, Alfornas & Alloluas: Gallicè, Fenigrec, & Senegre.* Nomina.

Foenum græcum Plinio dictum, à ſiliquarum forma, βούκερος καὶ αἰγίκερος Græcis, & Siliqua Columellæ dicitur. Fœnumgræcum, Trag, Matth. Lac. Lob. Dodo. fol. Caſt. Cam. Cæſalp. Fœnogræcum, Fuch. Cor. in Dioſc. & hiſt. Dod. gal. Fœnumgræcum ſatiuũ, Lug. Hoc enim duplex eſt, ſatiuum & ſylueſtre: hocque duplex, alterum à Dodonæo & Lobelo, alterum ab Herbario Lugd. propoſitum: quod enim Tragus Fœnugræci ſylueſtris nomine propoſuit, in hanc claſſem non pertinet.

*Λίνον.* LINVM. CAP. XCVI.

I. LINVM.



Linum vulgò notum eſt: cuius ſemen eaſdem, quas fœnum græcum, vires habet. Diſcutit, & emollit omnem intus, foriſq; inflammationem, cum melle, oleo exiguaq; aqua decoctum, aut melle cocto exceptum: vitia cutis in facie, varoſq; crudum tollit: illitum cum nitro, & ficulneo cinere, parotidas, duritiaſq; diſcutit: vlcera, quæ ſerpunt, fauoſq; cum vino decoctum expurgat: vngues ſcabros eximit, cum pari modo naſturtij, & mellis: vitia pectoris extrahit, ſi ex melle in eclegmatis vicem ſubſtituatur: tuſſim lenit: ventrem ſtimulat, ſi farina piperis, & melle exceptum, pro placenta largius adſumatur. Huius decoctum interaneorum, vuluæq; eroſionibus immittitur, alui excremẽta euocat, ad vuluæ inflammationes in deſeſsionibus perquam vtile.

*Linum caulem edit ſeſquicubitalem, teretem, rectum, obſequioſum, folia oblonga, anguſta molliaque: ramulos promit in ſummitate ternos, quaternoſve, in quibus cærulei emicant flores: Semen edit in orbiculatis folliculis in acutum deſinentibus, planum, læue, cordis figura. Radice nititur vnica, non tamen ſine fibris. Seritur paſsim in campis, attrito ac ſtercorato ſolo. Cum Linum, & eius ſemen ſint non modò medicis omnibus, ſed etiam cæteris, & præſertim agricolis, vulgò notiſsima, ſuperuacaneum quidem foret, pluribus eorum hiſtoriam perſequi, etſi ſeminis vſus, & vires minimè ſilentio ſint prætereundæ.* Lini conſid. *Exprimitur ex ſemine oleum, quod non ſolum medicis, & ſeplaſiariis expetitur: ſed etiam pictoribus, lapicidis, lignarijs, cæmentarijs, ac ferrarijs fabris. Præſtat & ad lucernarum vſum, quod diutius igni reſiſtat, quàm quod ex oliuis exprimitur. In medio* Olei ex lini ſemine vires.

autem

## II. LINVM SYLVESTRE.



## III. LINVM SYLVEſtre anguſtifolium.



## IV. XYLON SIVE GOSſipium.



diutius igni reſiſtat, quàm quod ex oliuis exprimitur. In medico autem vſu neruorum cõuulſionibus peridoneum eſt. Quin etiam ad eorum emolliendas duritias, & ad oſſium compagines explicandas mirificè prodeſt. Perutile eſt omnibus ſedis affectibus, nempe hæmorrhoidibus, condylomatibus, rimis ac doloribus: fœminarum induratos locos emollit: infunditur vtiliter coli dolore vexatis. Nymphææ, aut roſarum ſtillatitia aqua ablutum, ambuſtis auxiliatur. Sunt & qui hoc bibendum magno ſucceſſu ijs exhibeant, qui laterali dolore vexantur & nephriticis, verùm recens ſit oportet: quandoquidem inueteratum, contracto rancore non modo excalfacit pluſquàm par ſit, ſed & nauſeam commouet. Cæterùm quoniam (vt Plinius inquit libro 19. capite primo) XYLON, ſiue Goſſipium, quod nos vulgari ſermone Bambagia, alij Cotone appellant, inter lini genera nonnulli annumerant, & cum eius, quod ſciam, nuſquam meminerint Dioſcorides, & Galenus, mihi ſanè prætermittendum non fuit, quin de eo hic differerem.

Xyli mentio & vires.

Planta eſt Xylon non admodum magna, caule tamen ramis non paucis referto, folijs [vitigineis] triquetris [floribus luteis, vmbilicotenus purpuraſcentibus] fructu [exigui mali magnitudine] barbato, ponticæ nucis fere modo in quo ſemen concluditur [pipere maius, in quo medulla eſt alba ac pinguis] vnà cum molliſſima, ac cãdidiſſima lanugine, quæ maturo iam fructu eximitur, atq; netur ad multa vtilis. [Planta ſeritur, adoleſcitq; tribus, aut quatuor mẽſibus, ad arbuſculæ proceritatem.] Excalfacit eadẽmq; & ſiccat. Vſta ſiſtit ſanguinis profluuia: & præſertim in vulneribus. Seminis medulla tuſſientibus & difficulter ſpirantibus mirificè auxiliatur: genituram quoq; auget. Oleũ è ſeminis medulla expreſſum lentigines, & cæteras cutis infectiones delet.

Linum ſylueſtre.

Eſt & plãta lino ſimilis, tũ folijs, tũ caule, tũ quoque florũ ipſorũ figura, quãquã aureo ſint colore. Hãc à nobis inuenta LINVM ſylueſtre vocare libuit, nõ ſolùm, quòd Linũ facie referat, ſed quòd lini modo in ſtamina trahi poſſit. Cõplures ab vna radice emittit caules, graciles, teretes, rectos, ac flexiles: folijs in caule vniuerſo lini æmulis, ſed breuioribus ac firmioribus. Flores in cacumine exeũt puſillis è ramulis, aurei lini florib. facie haud abſimiles. Naſcitur ſpõte in cõuallibus inculto ſolo.

Lini vires ex Gal.

Herba ipſa vnà cũ florib. decocta, & cũ recẽti butyro illita, tumores reſoluit, & inflãmationes lenit, quin etiã induratos articulos emollit, addita althea radice & gallinaceo adipe, panoſq; in inguinibus ſanat. Lini ſeminis vires memoriæ prodidit

*prodidit Gal. lib. 7. ſimpl. medic. ſic rubens. Lini ſemen eſum flatuoſum eſt, etiam ſi frigatur, adeò ſanè excrementia humiditate plenum eſt. Eſt verò etiam in primo ordine quodammodo calidum, ac humiditatis, & ſiccitatis quodammodo in medio eſt ſitum. Quinetiam emollit, reſoluit, concoquit & abſtergit. Quod Græci λίνον, Latini item Linum appellant: Arabes, Bazarchichen, ſiue Bezerchetan: Itali, Lino: Germani,* Lein vnd Flachß: *Hiſpani. Lino: Galli, Lin. Linum ſylueſtre, Græcis, λίνον ἄγριον: Italis, Lino ſaluatico: At Goſsipium, Græcis, ξύλον, βάμβαξ, ſiue πάμβαξ, ſiue ἐριοφόρον. Officinis & Barbaris, Cotum, Bambax, ſeu Bambaſium: Italis, Bambagia, ſiue Cotone: Germanis,* Baumwoll: *Gallis Coton.* Nomina.

Linum in Lolium mutari auctor eſt Theophraſtus 3. de cauſ. plant. 21. cuius genera ratione loci natalitij Plinius lib. 19. ca. 1. recenſuit: in Phytopinace noſtro licet nouem propoſuerimus genera: nunc tamen & decimum tenuifolium violaceum agnoſcimus, de quibus ex profeſſo in vniuerſali noſtra hiſtoria, vbi deſcriptionibus fideliſsimis etiam icones adponemus. Lini enim duplicis tantùm meminit Matthiolus, ſatiui & eius quod flore luteo eſt: adiecimus tamen & tenuifolium cùm vulgatiſsimum ſit. I. Linum ſatiuum C. B. & Dodo. fol. Linum, Brunf. Fuch. Dod. gal. Cord in Dioſc. Lac. Lonic. Lob. ob. Caſt. Cæſ. Lug. Linum Germanicum ſiue Satiuum, Trag. Linum ſatiuū vulgare cæruleum, Lob. icon. II. Linum maritimum luteum. C. B. Linum ſylueſtre, Matth. Dod. fol. Caſt. Cæſalp. Linum ſylueſtre primum, Lugd. Linum marinum luteum Narbonenſe, Lob. III. Linum ſylueſtre anguſtifolium flore minore. C. B. Linariæ quarta ſpecies Trago: linum ſylueſtre tenuifolium, Lob. Tab. Linum ſylueſtre tertium, Cluſ. Pan. Lugd. Linum ſylueſtre cæruleo flore, Camer. ad Matth. Flore eſt cæruleo, reperitur & albo. IV. Goſsipiorum duplex nouimus, alterum vulgatum, alterum arboreum, quod in horto, Doctoris Zuingeri vidimus cuius iconem hiſtoria noſtra exhibebit: ſed de vulgato quod Coto & Bombax Serapioni dicitur, Xylon. Fuchſ. Matth. Dodo. gal. Geſ. hor. Lac. Lon. Goſsipium, Matth. Lob. Dodo. fol. Caſt. Lugd. Cæſalp. Taber. Cam. ξύλον ἐριοφόρος, Gulandino.

CICER DOMESTICVM.



Ἐρέβινθος.

CICER SYLVESTRE.



## CICER. CAP. XCVII.

Cicer ſatiuum aluo idoneum eſt, vrinam ciet, inflationem parit, colorem commendat, menſes ac partus expellit, lac auget. Cùm eruo decoctum illinitur ad inflammationes teſtium, verrucoſas informicationes: ad ſcabiem, vlcera capitis manātia, impetiginesque, item contra carcinomata, & vlcera, quæ cacoethe vocantur, cum melle, & hordeo prodeſt. Alterum genus arietinum nominatur. Vtrunque cit vrinas, dato cum roremarino hydropicis, aut regio morbo laborantibus, eorum decocto. Lædunt ea exulceratam veſicam, & renes. In verrucarum formicantium, penſiliumque genere, prima luna ſingulis granis ſingulas tangunt, eaq; grana linteolo deligata abijci poſt ſe præcipiunt, ita decidere eas arbitrantur. Sylueſtre cicer, folijs ſatiuo ſimile eſt, odore acri, ſed ſemine diſcrepat. Idem quod ſatiuum præſtat.

*In Cicerum genere habetur ſatiuum & ſylueſtre. Satiuum trium eſt generum, candidū, quod Columbinū vocatur, eſt & rubeum Veneum dictum, quòd ad excitandam venerem mirificè præſtet. Habetur item & nigrum cæteris minus, quod Arietinum appellant. Adoleſcit ciceris planta cubitali altitudine, paulò procerior, folijs oblongis, denticulatis, ſubalbi-* Ciceris conſideratio. Ciceris hiſt.

*albicantibus. piloſis: caule lignoſo, haud recto, ramis multis brachiato, floribus ſubpurpureis, è quibus ſiliquæ prodeunt bre-*
*ues, farctæ, hirſutæ, in mucronem acutum tenuem deſinentes, in quibus ad ſummum cicera duo concluduntur. Radice nitu-*
*tur lignoſa, fibroſaq́ꝫ, altè deſcendens. Solum amat pingue. Seritur vere appetente & matureſcit æſtate, quo etiam tempore*
*demetitur areſcentibus ſiliquis, nam ſi citius extirpetur, ſemen rugoſum euadit. Horũ meminit Gal. 1. de alim. fac inquiens:*

Ciceris vires ex Gal.

*Cicer non minus quam faba inflationes excitat, ſed valentius nutrit. Venerem ſtimulat, creditumq́ꝫ eſt etiam ſimul ſemen*
*generare: cuius gratia admiſſarijs equis quidam ipſum exhibent. Ineſt præterea Ciceribus facultas abſtergendi maior, quam*
*fabis: adeo vt quædam ex ipſis contractos in renibus calculos euidenter frangant, atq́ꝫ comminuant. Nigra autem ſunt ea,*
*& exigua in Bithynia præcipue naſcentia, Arietinaq́ꝫ vocata. Huius ex aqua decoctum potare præſtiterit: Veſcuntur & vi-*
*rentibus adhuc ciceribus homines ante adeptam maturitatem, quemadmodum & fabis: hactenus Galenus. Nigrum voca-*
*ri Arietinum tradidit Plinius, quòd arietum capita ſua imagine repræſentet. Theophraſto quoque Cicerum plu-*
*res ſunt differentiæ libro octauo capite quinto de hiſt. plan. vbi ſic habet: Cicer & magnitudine, & ſapore, & odore, &*
*forma, pleraſq́ꝫ differentias oſtendit, vt arietinum, & columbinum. Candida inter omnia dulcedine præſtant. Ciceris fa-*

Ciceris vires ex Aetio.

*cultates recenſuit etiamnum Aetius, ſic inquiens: Cicer flatuoſum legumen, ac alimentoſum, ventri accommodatum, v-*
*nam ac menſes euocat, & lac, & ſperma copioſè generat. Huius decoctum, præſertimq́ꝫ nigri, calculos renum frangit. Alte-*
*rium verò genus, quod Orobiæum vocatur, attrahit, diſcutit, incidit, & abſtergit. Iecur, lienem, & renes expurgat: ſcabiem,*
*& impetigines exterit: parotidas, ac teſticulorum durities diſcutit: affertq́ꝫ ad vlcera maligna præſidium non pœnitẽdum:*

Ciceris vires Matthiolo.

*hactenus Aetius. Cicerũ farina ex intubi ſtillatitia aqua decocta, & iocineri illita tumores illius reſoluit, & ſerpentiũ mor-*
*ſibus medetur, præſertim, ſi cũ Hyperici decocto miſceatur: columbinum aqua maceratũ, & deinde contuſum, & illitũ, pu-*
*treſcentes gingiuas ſanat. Paratur è cicerum rubeorum ſeſquilibra, additis quibuſdam alijs, decoctum perquàm optimum ad*
*vrinæ ardores, hoc modo: Sumito eorũ ſeſquilibrã, & in lib. 10. aquæ die vna macerato, & ad tertias decoquito. Deinde per-*
*colato decocto addito dulcis radicis vnciam, item maluæ, & eius radicis, graminis, & althææ, agrimoniaq́ꝫ, & cuſcutæ ma-*
*nipulum, Sebeſtẽa, & zizyphas decem, præterea ſeminis melopeponis delibrati binas vncias, baccarum Helicacabi, & hor-*
*tenſis Solani, & lithoſpermi, ſingulorum drachmas quatuor, oſſium dactylorum contritorum drachmas tres: et permittito*
*hæc omnia feruere ad tertias: propinato quotidie manè vncias quatuor. Errant maximè Germani, qui Piſorum ius, pota-*
*dum exhibent ad abſtergendum ventriculum, ſibi perſuadentes Piſum, columbinum eſſe cicer CICER ſylueſtre, ſatiuo acce-*
*ri ſimillimum habetur, ſed folia denticulata non ſunt & ſiliquæ minores, rotundioresq́ꝫ ſpectantur. Eſt planta in vniuer-*
*ſum hirſutior, atq́ꝫ aſperior. Naſcitur ſponte in agris: & locis incultis. Excalfacit & ſiccat, & cum plus amaritudinis habeat,*

Cicer ſylueſtre. Nomina.

*magis quam ſatiuum abſtergit & aperit. Cæterùm ſylueſtre omnibus ferè notum eſt, & ſi Plinio fides eſt adhibenda, ven-*
*trem ſubducit: ſed flatus, & inteſtinorum dolores gignit. Græcis ἐρέβινθος: Latinis, Cicer nominatur: Arabibus. Chemps,*
*Hamos, ſeu Halhamos. Italis, Ceci. Germanis, Kichern / Kichererbs / vnd Ziſererbs: Hiſpanis, Grauancos: Gallis, Cices.*
*Cicer ſylueſtre, Græcis ἐρέβινθος ἄγριος: Italis, Ceci ſaluatichi.*

Cicer ſatiuum eſt & ſylueſtre. Satiui differentias Theophraſtus & Plinius referunt, ſiquidem habemus floribus candidis, aut ex purpura rubeſcentibus, ſeminibus albis qui columbini, rubri qui arietini, alijs venerei: & nigri qui, vt Galenus voluit, arietini, alijs Venerei dicuntur. Aliud quoddam Ciceris orobæi Theophraſti nomine aduerſaria propoſuere. Ciceris verò ſylueſtris tres quoq; occurrunt differentiæ, alterum enim eſt folliculis rotũdis, alterum folliculis oblongis, quod duplex exiſtit. Hic de priori ſermo, quod dicitur Cicer ſylueſtre folliculis rotundis. C.B. Cicer ſylueſtre, Dodo. gal. Matth. Caſt. Lugd. Cicer ſylueſtre herbariorum Lob. Cicer ſylueſtre primum, Dodo. fol. & Taber: quod fructu etiam maiore & oblongiore reperitur monente D. Cam.

I. Κύαμος.

## FABA. CAP. XCVIII.

a Omnia exẽ. κύαμος ἑλληνικός. i. faba græca.



FAba inflationem excitat, ægrè concoquitur, tumultuoſa ſomnia facit, tuſsi confert, carnem gignit, media calidi, frigidiq; natura. Decocta in poſca, & cum ſuo cortice eſitata, dyſenterias, & cœliacorum profluuia ſiſtit: contra vomitiones conuenienter manditur. Inflatio leuior contrahitur, ſi aqua prior inter coquendum abijciatur. Viridis plus negotij ſtomacho exhibet, maioremque flatũ parit. Lomentum eius & per ſe, & cum polenta illitum, inflammationes, quas vulnus excitauit, mitigat: cicatrices concolores facit: turgentes grumoſo lacte mammas, etiam ſi inflammatione tententur, adiuuat: lac reſtinguit: furunculos, ſugillata, parotidasq; cum fœni græci farina, & melle diſcutit: cum roſa autem, thure, & oui candido, procidentes oculos, tumores, vuasq; reprimit: ſubactum vino, ſuffuſiones, & ictus oculorum recreat. Manducata ſine cortice faba, ad auertendas fluxiones, fronti illinitur: decocta in vino teſtium collectiones ſanat: quò tardius pubes erumpat pueris, imo ventri illinitur: vitiliginem purgat. Fabarum cortice illiti capilli, qui poſt euulſionem renaſcuntur, gracileſcunt & minus alimenti capeſſunt: cum polenta, ſciſſo alumine, & vetere oleo impoſiti cortices, ſtrumas diſcutiunt. Decocto earum lanæ inficiuntur. Faba dempto cortice in illas partes diuiſa, in quas ſuapte natura ſcinditur, imponi ſolet ſanguinis defluxionibus ab hirudine concitatis: namq; eas ſupprimit, ſi ſemiſecta apprimatur.

Fabarũ conſi. & hiſtoria.

*FAba, caule exit quadrangulo, obliquo, geniculis interſepto, inani fragiliq́ꝫ, alijs multis, è quibus flores plures ex vno pedi-*
*culo*

*calor acematim exeunt, nõ quidem vtrinq; ſed vno tantùm latere ſeriatim appenſi, verſicolores, hirti, ac criſtati. Prodeunt è caule rami diſpari exortu, è quibus folia emergunt pinguia, vtrinq; quaterna: è ramuſculorum cacuminibus capreoli exeunt ſingulares, ſed adeo tenues, vt facilè perdantur. Siliquas primas edit ijs floribus, qui in inferiori caulis parte habentur, cæteris leguminibus maiores, craßiores, carnoſioresq;, apice in acutum deſinente, quibus fabæ concluduntur, forma, colore & magnitudine differentes. Nam aliæ magnæ, aliæ paruæ, aliæ ſubrotundæ, aliæ compreſſæ, & aliæ quidem colore ſunt albicante, aliæ ſubrutilo, aliæ ſubnigro. Planta tota vnica nititur radice, tenuibus adnatis fibris. Seritur in agris cæterorum leguminum modo. Gaudet irrigari pluuia, dum floret, deflorescens verò contra, tunc enim niſi exiguas deſiderat aquas. Seritur à nonnullis ſolùm ad arua impinguanda: namq; cum florere incipit, totaq; ſuccoſa eſt planta, illam arant agricolæ, quæ ſubinde ſepulta contabeſcens, lætiſsimum, pinguiſſimumq; agrum reddit. Fabalium caulium, & ſiliquarum cinis, ad coxẽdices, & veterũ neruorum dolores, cum vetere axũgia illitus, prodeſt. Fabæ, vt memoriæ prodidit Gal. li. 7. ſimpl. medic. in exiccando, & refrigerando ſecundũ vtrumq; ad mediũ temperamentũ propinquiſsimè accedunt. Caro Fabæ paulũ quid abſtergentis facultatis cõtinet, ſicut cortex nõnihil adſtringẽtis. Idcirco medicorũ nonnulli totã fabam cũ oxycrato decoctam dyſentericis, cœliacis, & vomentibus, quos ἐμετικὰς nominant, exhibuerunt. Porrò vt eduliũ, flatulenta eſt, ac coctu difficilis, ſi quid aliud: excreationibus ex thorace, & pulmone idonea: vt medicamentum verò, foris impoſita, ſine moleſtia deſiccat. In podagricis ea ſæpenumero vſi ſumus ex aqua decocta, & deinde adipe ſuillo admiſta. Ad neruorum tum contuſiones, tum vulnerationes, farinam eius cum oxymelite impoſuimus. Ad eos, quos ex ictu iam phlegmone occupauerat, cum polenta. Sed & teſtium, & mammarum aptum eſt cataplaſma. Nam hæ partes cùm phlegmone tenentur, moderatè refrigerari amant, maximè cùm mammæ ex lacte ipſis concreto phlegmonem patiantur. Quin lac quoq; ab eo cataplaſmate extinguitur, ſicut puerorum pubes farina fabacea illita plurimo tempore glabra permanet. Et libro primo de aliment. facultatibus, ſic inquit: Inflat is cibus quocunq; modo apparetur, nec per quamuis longam decoctionem id vitij poteſt amittere, quod ptiſanæ minimè negatum eſt, deponit enim per illam quicquid habet flatulenti. Qui porrò affectus ſingulos cibos ſequnatos, animaduertere, & mente conſequi volet, quandam totius corporis tenſionem, quaſi à flatulento ſpiritu perſentiſcet, maximèq; qui ad huiuſmodi eſculentum non fuerit aſſuefactus, aut ipſum minus recte coctum aſſumpſerit. Habent autem fabæ non denſam, nec grauem, ſed fungoſam, leuemq; ſubſtantiam: quæ tamen ipſa nonnihil abſterſoriæ poßidet facultatis, ſimiliter ptiſanæ. Etenim manifeſtè fabacea farina cutis ſordes detergere conſpicitur. Quod intelligentes mangones, ac mulierculæ, in balneis quotidie hac vtuntur, velut alij nitro atq; aphronitro, & in vniuerſum ijs, quæ abſtergent. Illinunt præterea & faciem hac, quemadmodum ptiſana: nam quæ in ſumma cute eminent lentes, exterit, & maculas velut ex ſole contractas. Huius ergo facultatis nomine in alui quidem tranſitu diu cunctatur, ſicut quæ glutinoſa, & craßi ſucci ſunt ſine vlla abſtergendi facultate, qualia halicam, tragum, ſimilaginem, & amylum, eſſe perhibuimus. Cùm porrò ferculum ex freſa faba paratum, quod ἔτνος Græci nuncupant, flatibus non careat, multò amplius integræ fabæ inflabit cibus: quanquam fricta (nam hoc modo aliquãdo pro bellarijs ſumunt) flatum deponit, ſed tum concoctu, perdifficilis, tardoq; deſcenſu incommodior redditur, & craßi ſucci alimentum in corpus diffundit. Quod ſi viridis, immatura, nondumq; areſacta edatur, commune omniũ fructuũ, quos ante perfectam maturitatem ingerimus, rationem obtinens, corpori humidiorem alimoniam exhibebit, ac proinde maiorem excrementorum vim non tantùm in vijs inteſtinorum, ſed etiam per vniuerſum corporis habitum producet. Merito igitur minus quoq; nutriet, ſed promptiùs deijcietur. Plerique autem hominum non crudas ſolas fabas comedentes, vnà eas cum ſuilla carne decoquũt, veluti olera conſueuerunt, ruri verò etiam cum caprina, & ouilla. Alij fabas inflare ſentientes, cæpas admiſcent, cùm in ollis pulmentum ex illis ſtruunt: ſunt qui non ſimul elixatas, ſed cum pulmento cæpas ingerant crudas. In omnibus nãq; dapibus quicquid flatuoſum continetur, per calfacientia, & extenuantia corrigi comparatum eſt.*

Fabarum vires ex Gal.

## II. FABA SYLVESTRIS.



*Eſt etiam planta, cuius hic imaginem appingi curauimus, quam SYLVESTREM FABAM appellare libuit, quòd cum domeſtica non paruam habeat ſimilitudinẽ. Creſcit hæc in Apulia, vt quidã mihi retulerũt, paſſim in campeſtribus humi repens, caulibus quadrangulis ſeſe inuicem implicantibus, folio domeſticæ fabæ, floribus in purpura albicantibus, è quibus ſiliquæ oriuntur, lupinorum modo compreſſæ, fabarum longè minores, in quibus ſemen continetur rotundum, fabarum ſapore. Sunt qui dicant hanc eaſdem cum domeſtica habere vires. Sunt qui hanc plantam velint Galeno libro primo de alimentorum facultatibus ARACVM vocari domeſticum, qua in re fortaſſe non malè ſentiunt, nec volo ego quoq; horum ſententiæ contradicere: etſi ego ſylueſtrem fabam eam vocauerim, ob ſimilitudinem, & præſertim, cum alia ſit planta, cuius hic imaginem quoque expreßimus, quæ Arachum ſecundo loco à Galeno deſcriptum per omnia referat. Dicant alij rei plantariæ ſtudioſi ſuam quoq; ſententiam, quam facilè ex Galeni verbis elicere poterunt, qui de Aracis ſiue Arachis ita ſcriptum reliquit: Poſtremam nominis Aracorum ſyllabam ſcriptam per, c, in Ariſtophanis Helcadibus inuenimus, vbi inquit: Aracos Triticum, ptiſſanam, alicam, zeam, tolium, ſimilaginem. Semen hoc cicerculæ ſemini eſt adſimile, fueruntq; nonnulli qui putarunt ipſum non eſſe generis à cicercula diuerſi, quandoquidem & vſus ipſius omnis, & facultas, cicerculæ facultati eſt adſimilis, niſi quòd Araci ſunt duriores, minùsq; facilè elixantur: quæ cauſa etiam eſt, cur cicerculæ concoctu ſint difficiliores. Apud nos autem ſylueſtre quoddam, rotũdum, ac durum, eruoq; exilius, in fructi-*

Fabæ ſylueſtris hiſtoria.

Araci hiſt.

Galenus de Araco.

Theophraſt. de Araco.

III. ARACVS NIGER.



*bus cerealium repertum, quod Arachum nominant, non per, c, ſed per ch, vltimam ſyllabam proferentes: proijciunt ipſum, vti & ſemen ſecuridacæ, ſeligentes. Hæc ille. Meminit quoque Araci Theophraſtus lib. & cap. 8. de hiſtoria plant. ſic inquiens: Nam & Auena magis in hordeo exire videtur, & in lente Aracus, res ſcabra, & dura. Id quod in planta, quam pro ſylueſtri Aracho appinximus, quis facilè videre poteſt. ARACVS humi repit, caule anguloſo, flexili, ſubaſpero, cicerculæ haud abſimile: folia illi ſunt oblonga, caulem infernè ambientia, quæ ſummo cacumine clauiculas tenues fundunt: flores edit non magnos erui ferè modo, è quibus ſiliquæ oriuntur piſi minores, in quibus ſemen eſt aſperum, rotundum, pullo colore. Naſcitur inter ſegetes, campeſtribus locis. Abſtergit, reſoluit, deſiccat & expurgat. Verùm in altera nullam video ego Cicerculæ cognationem, quo fit, vt eam fabam ſylueſtrem appellauerim.* κύαμος *ſic Græcis, Latinis verò Faba vocatur: Arabibus, Hachille, Haballe, ſiue Bachale: Italis, Faua: Germanis,* Bonen: *Hiſpanis, Hauas: Gallis, Faue. Faba ſylueſtris, Græcis,* κύαμος ἄγριος: *Italis, Faua ſaluatica. Aracus, Græcis* ἄρακος: *Italis, Araco.*

Nomina.

Faba κύαμος à feracitate dicta, & κύαμος ἑλληνικὸς ad differentiã Ægyptiacæ, ſemẽ eſt inter legumina maximũ & quo maius, eò magis in longitudinẽ depreſſum: minora autem rotundiora ſunt, quę in ſiliquis cõtinentur vt plurimùm ternæ ad ſummum, & rariſsimè quinæ, quæ vt plurimùm candidæ, ſunt nigræ & ex rubicundo colore purpuraſcentes: & flores aut candidi lituris nigris conſpicui (quas lugubres dicunt, ideóque ab eorum vſu aliqui abſtinent) aut ex purpura nigreſcentes. Eſt autem ſatiua & ſylueſtris: eſt & purgatrix, quam alij ad Phaſeolos referre malunt. Satiua eſt maior & minor. Faba ſatiua maior. C. B. Fabulum Gellio & Feſto: Faba, Brunf. Fuch. Matth. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lac. Lon. Caſt. Cæſalp. Tab. Faba vulgaris, Trago, Fuch. Cord. in hiſt. Faba maior recentiorum, Lob. Faba ſatiua, Lugd Phaſelus ſatiuus, Faba non eſt, Dodo. gal. Bωna ſiue Phaſelus maior. Dodo. fol. II. Faba ſylueſtris Matth. Caſt. Lugd. Tab. Phaſelus ſylueſtris & niger, fortè Faba, Dodo. gal. Geſ. hort. Sylueſtris Græcorum Faba, Lob. Bωna ſylueſtris, Dodo. fol. Piſa nigra, Cam. Aracus Fuchſ. dicebatur. III. Aracus & Aracus niger Matth. Caſt. Cam. Eruilia ſylueſtris, Dodo. gal. & fol. Ochrus ſiue Eruila, Lob. Cicer eruinum quorundam, Lugd. ſemen colore eſt ſubluteo, aut nigro.

## FABA ÆGYPTIA. CAP. XCIX.

Κύαμος αἰγύπτιος.

I. FABA AEGYPTIA.



AEgyptia Faba, quam aliqui Ponticam vocant, in Ægypto plurima prouenit: in Aſiæ etiam, Ciliciæq; lacubus inuenitur. Folia habet ampla, † etiam ſi ad arborum frondes comparentur: caulem cubitalem, digiti craſſitudine: florem roſeum, dupla papaueris amplitudine: & vbi flore exuitur, fert folliculos veſparum fauis ſimiles, in quibus faba ſupra operculum, bullantis ampullæ modo, prominet. Ciborion, aut Cibotion, id eſt arculam, ideo nominant, quoniam ſeratur ipſa humenti glebæ mandata, & ita in aquam demiſſa. Radice firmatur arundine craſſiore, quæ cruda coctaue eſtur: ei Colocaſiæ nomen eſt. Faba virens manditur, & exiccata nigreſcit: vulgarem magnitudine ſuperat. Adſtringendi facultatem obtinet, & ſtomacho vtilem: dyſentericis, cœliacisque prodeſt, inſparſo polentæ vice, lomento: datur quoque in pulte. Cortices in vino mulſo decocti ſi terni inde cyathi bibantur, magis proficient. Facit ad aurium dolorem, quod in earum medio viride ſpectatur, guſtu amarum, ſi tritum, & cum roſaceo coctum inſtilletur.

Aegyptiæ fabæ conſid.

*SVnt qui Aegyptiam fabam ſua radicis appellatione Colocaſiam nuncupent. Hanc primùm Tridenti anno 1558. oſtendit mihi Odoardus Polonus, qui alias quoq; plantas, & eas quidem raras, ſecum deferebat ex Syria & Aegypto.*

Cæterùm

*Cæterùm eos equidē in errore verſari crediderim, qui putant plantam illam ex Aegypto allatam, quæ Ari ſpeciem repræſentat, eſſe fabam Aegyptiam. Siquidem hæc, nec caulem, nec flores, nec fabas edit, nec radice nititur craſſiſſima, arundinaceaq́ue, nec ſpinis ſubhorrens, vt Theophraſtus inquit. Cæterùm explodenda videtur Anguillarij ſententia, vbi probare contendit AEGYPTIVM ARVM legitimam eſſe Colocaſiam.*

## II. ARVM AEGYPTIVM.



Anguillarij opinio explodenda volētis Aegyptiū Arū eſſe Colocaſiam.

*Siquidem ipſe, non aliam ob cauſam Ari huiuſce plantam caule viduam perpetuò eſſe cenſet, quàm quòd illarum regionum incolæ quotannis radices effodiant ad eſum, nec permittant eam ad ſuam peruenire frugem. Sed quàm friuolo nitatur argumento, ipſamet planta palam facit, cùm neque in Italia pluribus annis ad ſenectutem vſque in fictilibus, & viridarijs educata, vſquam caulem ediderit. Deinde quis crediderit vnquam effodi has plantas, ijs in regionibus adeò diligenter, vt alicubi quandoque aliqua non remanſerit? Abſurdum quidem hoc eſt, & minimè credendum. Ideoq́ue cum ijs conſentiam, qui Ari ſpeciem eſſe putant, ſiquidem cum folio, tum radice Arum imitatur, vt ex eius imagine hic expreſſa, quam mihi dono dedit Augerius de Busbecke, vir ſanè clarus, ex Conſtantinopoli allatam, quis certior fieri poterit. Meminit huius Theophraſtus lib. 4. cap. 10. de plantarum hiſtoria, vbi ita ſcribit: Faba Aegyptia in paludibus, ſtagniſq́ue exit. Caulis eius, qui longiſſimus, quaterna cubita perficit: craſſitudo digitalis eſt, ſimilis calamo molli, non geniculato. Rimas intrinſecus habet tendentes per totum, lilij modo. Caput in cacumine orbiculatum, veſparum fauo non abſimile. Inque ſingulis cellis ſingulæ fabæ continentur, paulò ſuper id eminentes, multitudine plurimùm terdenæ. Flos papauere duplo maior, colore roſeus, in plenum caput. Super aquam folia ad ſingulas fabas amplexa exeunt. Fabam quamq́ue conterenti amarū illud, ex quo pilula fit, infiexū pateſcit: fructus ita ſe habet. Radix illi craſſiſſima, arundine plenior, rimas ſimiliter atq́ue caulis habens: manditur & cruda, & elixa, & aſſa: eoq́ue cibo, qui incolunt paludes, vtuntur. Naſcitur itaq́ue ſponte vel plurima: cæterùm & ſeritur in limo paleis largè admiſtis, vt deſcendat, incorruptaq́ue maneat, ſicque fabeta faciunt. Si autem ſemel apprehenderit, perpetuò manet. Radix enim valida eſt, nec procul arundinum ſtirpibus, verùm ſpinis ſubhorrens. Quamobrem eam crocodilus refugit, ne occurrens oculo offendatur, quoniam acutè non videt. Naſcitur hæc etiam in Syria, Ciliciaque: hactenus Theophraſtus. Hanc ampliſſima emittere folia tradidit Plinius lib. 21. cap. 15. vbi ſic inquit: In Aegypto nobiliſſima eſt Colocaſia, quam cyamon vocant aliqui. Hanc à Nilo metunt: caule, cùm coctus eſt, araneoſo in mandendo: thyrſo autem, qui inter folia emicat, ſpectabili: folijs latiſſimis, etiam ſi ad arbores comparentur, ad ſimilitudinem eorum, quæ perſonata in noſtris amnibus vocamus. Adeoque Nili ſui dotibus gaudent, vt implexis Colocaſiæ folijs, in variam ſpeciem vaſorum, potare gratiſſimum habeant. Seritur iam hæc in Italia: hæc Plinius. Aegyptia faba (vt Galenus auctor eſt libro primo de alimen.) ſicuti noſtratē magnitudine lōgè præcellit, ita & naturā humidiorē, magisq́ue excrementitiā ſortita eſt. Planta, quæ κύαμος αἰγύπτιος Græcè, Faba Aegyptia Latinè dicitur: Italicè, Faua d' Egytto: Hiſpanicè, Inhame, Haua de Egipto: Gallis, Faue d' Egypte. AEGYPTIVM Arum folia fundit bina, & fortaſſe plura, prægrandia, Ari noſtratis maiora lineis numeroſis exarata, ac longo, craſſo, canaliculatoq́ue pediculo appenſa. In regionibus noſtris translatū, neq́ue caulem, neq́ue florem, neq́ue fructum gignit. Radice nititur bulboſa, rotūda, ima parte in caudam deſinente, agnatis circumquaq́ue multis, ari noſtratis modo. Prouenit plurimum in Aegypto. Excalfacit & ſiccat, minùs tamen quàm noſtrum: quin etiam abſtergit, incidit, aperit, attenuat, prouocat. Radix decocta & melle excepta, medetur cunctis pituitoſis pectoris morbis. Expectorat enim valenter admodum, quæ craſſa, lentaq́ue ſunt, & pituitoſa: quare aſthmaticos maximè iuuat. Datur elixa vtiliter tuſſientibus, ex pituitoſis pectoris vitijs, ex amygdalino oleo. Idem præſtat lac bubulū recenter mulſum, in quo radix ipſa incocta fuerit. Illinitur elixa epiphoris, ſuggillatis, inflammatiſq́ue tonſillis, fabacea farina addita & defruto ſubacta: præſtat quoq́ue ex oleo illita ad tumētes hæmorrhoidas. Arum Aegyptium, Græcè ἄρον αἰγύπτιον: Italis, Aro ſiue Gigaro d' Egitto.*

Aegyptiæ fabæ hiſtor. ex Theophr.

Colocaſia ex Plinio.

Galenus de Aegyptia faba.

Nomina.

† *Græci codices hoc loco habent ὡς πέτασον, id eſt, inſtar galeri. Quæ autem horum loco aſſert Ruellius ex Plinio ſumpſit loco citato. Vbi verbis, quæ illa ſequuntur, rectius fortè hunc Dioſcoridis locum interpretari videtur.*

Fabam Aegyptiam & Arum Aegyptium, diuerſas fecit plantas Matthiolus, alij verò non diſtinguunt: Arum Aegyptium ſeu Colocaſiā, ſæpius vidimus, at Fabā Aegyptiā, ſi modò diuerſa ſit, nunquam vidimus, quàm vtinam aliquis ad nos mitteret pro vniuerſali hiſtoria noſtra, eius enim, vt par eſſet, honorifica fieret mentio. I. Faba Ægyptia Matth. Lacu. Lugd. Caſt. cui etiam Colocaſsia dicitur, Colocaſia Lon. II. Aron maximum Ægyptium, Aron cui folium cauum Theophraſti, & fortè faba Agyptia Dioſcoridis, cuius radicem Colocaſiam dici monet. C.B. Arum Ægyptium, Matth. Geſ. hor. Lob. in icon. Dod. fol. Caſt. Lugd. Cam. Aron magnum Colocaſia vulgo, Pampina Paradyſi Siciliæ incolis, Cæſalp. Faba Ægyptia, Cord. in Dioſc. Colocaſia Bellon. Geſ. hort. Cluſ. Hiſp. Lob. obſer. Lugd. Culcas, faba Ægyptia, Alpini. Hanc nec fructum nec florem ferre, ſcribit Bellonius, Lugdunenſis verò cum flore pingit, quem tamen hactenus videre non licuit.

## Φακός. LENS. CAP. C.

Lens frequenti cibo aciem oculorum obtundit, ægrè concoquitur, ſtomachum malè habet, eumq; & inteſtina inflat: ſed aluum cum cortice cocta ſiſtit. Præſtat in cibo, quæ facilimè coquitur, nihil atri in

maceratione reddens. Vim habet adſtringendi, qua ex cauſa aluum cohibet, ſi detracto antea cortice diſcoquatur accuratè, primaq; aqua inter coquendum effundatur (quippe primum id decoctum ventrẽ reſoluit.) Somnia tumultuoſa excitat: capiti, neruis, ac pulmoni inutilis: melius ſuo fungetur munere cõtra alui fluxiones, addito cum aceto intybo, aut portulaca, aut beta nigra, aut baccis myrti, aut putamine punici, aut aridis roſis, aut meſpilis, ſorbiſue, pyris Thebanis, aut malis cotoneis, aut cichorio, aut plantagine, aut gallis integris, quæ poſt decoctionem abijciuntur: vel rhoe, quæ obſonijs inſpargitur: verùm acetum cum ea diligenter percoqui debet, aliás aluum conturbat. Contra ſubuerſionem ſtomachi, triginta grana lentis delibrata deuorari proderit. Decocta cum polenta, & illita, podagras lenit: ſinus cum melle glutinat, cruſtas rumpit, vlcera purgat. Decocta in aceto duritias, & ſtrumas diſcutit: cum cotoneo, aut meliloto medetur inflammationibus oculorum ſedisq;, addito roſaceo: ſed in amplo ſinu, vt inflammationibus ſedis, quæ maius remedium exigunt, cum putamine punici, ac ſiccis roſis adiecto melle, decoquitur: nomis quæ in gangrænam euaſerunt, adiuncta maris aqua: puſtulis, & his quę ſerpunt, igni ſacro, pernionibusq; vt antea dictum eſt: contra mammas in quibus lac in grumos coijt, & præ nimia ſui copia profunditur, cocta in aqua maris, & illita auxiliatur.

## LENS.

Lentium cõſideratio.



*Lens legumen vbiq; cognitum, folio eſt viciæ minore, & flore haud longè diſsimili, ſiliqua parua, compreſſa, molliterq; in latitudinem fuſa, in qua ſemina terna, quaternàue concluduntur, rotunda, preſſa, læuiq; cuticula contecta. Genera eius duo, album, quod minus eſt, & in cibis gratius, cinereo colore alterum, orbe paulò maiore. Huic flos eſt in purpura cãdicãs, alteri ſimpliciter albus. Seritur vbiq; in campis, cum cæteris leguminibus. Necatur ſtrangulaturq; lens, adnata illi aparine herba. Semina quæ ante ſationem bubulo ſimo obruuntur, præſtantiora proueniunt, & celerius demetuntur, ſi rei agrariæ indagatoribus credimus. Lentis decocti cremor ad oris, & genitalium exulcerationes vtiliter adhibetur. Sunt qui ſcribant, certoque affirment, epoto primo lentis iure, necari expellique citiſsimè puerorum vermes.*

Lentium vires ex Gal.

*Lentes quemadmodum libr. 8. ſimplicium medicamentorum ſcriptum reliquit Galen. valenter adſtringunt, in caliditate verò, & frigiditate medium tenent, deſiccant tamen in ſecundo ordine. Ipſum itaque earum corpus deſiccat, & ſiſtit ventrem: cæterùm decoctum prouocat: proinde etiam prior aqua abijcitur, vbi retentionis cauſa adhibentur: hactenus loco citato Galenus.*

Galenus, Dioſcoridi contrarius in Lẽtium viribus.

*Cæterùm aſſerenti Dioſcoridi Lentes aluum cohibere, ſi detracto antea cortice diſcoquantur accuratè, primaque inter coquẽdum effundatur, omnino refragatur Galenus, qui libro primo de alimentorum facultatibus ſic ſcribit: Ne ex lente quidem panem quis tentauerit: præarida enim ſine pingui, & friabilis eſt. Cortex eius vehementer adſtringit, carnea ſubſtantia tenuiter, quæ & craſsi ſucci, & terreſtris eſt. Succus porrò lentis, ſicut antè retulimus, adſtringenti eſt contrarius: quocirca ſi elixæ in aqua iuſculum ſale, garo, oleoque conditum bibatur, aluum deijcit. At quod ex bis decocta lente ad eum modum, quem retulimus ferculum apparatur, contrariam ſucco vim obtinet. Nam quæ ventri obueniunt, fluxiones deſiccat, os ventriculi, inteſtina, & totum denique ventrem corroborans. Quamobrem cœliacis, & dyſentericis accommodatus eſt cibus. Lens verò decorticata, vt illam adſtringendi vehementiam, cumque hac alia videlicet omnia, quæ conſequuntur amittit: ita alibilior, quàm integra illa efficitur, craſſum, prauumque ſuccum gignens, tardè commeans: alui tamen fluores haud deſiccat, vti ea quæ cortice non eſt ſpoliata. Iure igitur qui modum in hoc edulio non ſeruant, elephantiaſim quam vocant, & cancrum incurrunt. Siquidem craſſa, ſiccaque cibaria facilè in melancholicos humores vertuntur. Quare ijs duntaxat, quibus vitioſa eſt habitudo ob aquam in carne diffuſam, lens cibo vtiliter præbetur: ceu aridis, & ſqualentibus admodum damnoſè. Eandem ob cauſam viſum integrum, & inculpatum hebetat, immoderatè exiccans: ei verò, qui contrario modo ſe habet, humidiori videlicet, opitulatur. Menſtruis purgationibus inepta eſt, craſſum enim, & tardifluũ ſanguinem facit: at muliebri appellato profluuio conuenientiſsima. Cùm porrò lens, & ptiſana cõtrariæ inter ſe ſint facultatis, ex amborũ cõmiſtione præſtantiſsimũ edulium cõponitur, quod nos in Aſia phacoptiſanam nuncupamus. Verùm non æqua vtriuſque portio eſſe debet: minus enim ptiſanæ adijciendum, vt quæ per decoctionem in cremorem latè diffunditur, & in magnam attollitur molem: lens autem cocta exiguum quendam tumorem aſciſcit. Sed enim huius edulij eadem ac ptiſanæ eſt confectio, præterquam quòd ſatureia, & pulegio adiectis, iucundius & paratius concoctioni efficitur: cum ptiſana illis minimè gaudeat, ſed ſolo anetho, porroq; ſit contenta. Deterrima eſt lentis cõditio, quam diuitũ coci ſapa inficiunt: minimè enim incraſſantia ſibi vult admiſceri, ſed liquida potius, & craſsitudinem incidẽtia. Cui verò ſapa cõmiſcetur, iecoris obſtructiones gignere nata eſt, & ipſius viſceris, atq; vna lienis inflãmationes augere, niſi addito melle corrigatur. Illud præterea non arbitror obſcurum, dureſcentes viſceris vtriuſque affectũs, quos ſcirrhos vocant, hoc epulo exacerbari. Quod ſi ſuillam ſimul libeat incoquere, ptiſanæ recentem, lenti ſale aſſeruatam congruere deprehendes: ceu vtique quæ inter has media eſt, quam νεαλῆν id eſt, recenter ſalitam appellant, phacoptiſanæ percommodè & ad ſuauitatem, & concoctionem immittitur. Magis tamen lens cum ſalſis carnibus eſitata, craſſos humores augebit: nam hæ quoque ſanguinem craſſiorem, & melancholicum magis generant. Quapropter nequiſtus aſſatim, ſæpeque vti expediet, præſertim cui corpus melancholico præcraſſo: & omnino prauo humori obnoxium eſt. Hæc eadem & de regionibus, anni temporibus, & aëris conſtitutionibus in vnoquoque edulio intelligere oportet.*

At autem-

& autumno quidem melancholicis, ac ſiccantibus cibis abſtinendum: hyeme verò eis vtendum: vti ſanè in æſtate humectantibus, & refrigerantibus: in vere medij temperamenti, mediæq; facultatis epulas offerendum. Eſt porrò mediorum non vna, nec ſimplex ſpecies: quædam enim huiuſmodi ſunt, quoniam cum extremis nihil habent commune: quædam ex duorum cõtrariorum æquo interuallo à medio diſtantium miſtione ſunt mediocritatem adepta: vt ſi quis iuxta id, quod paulò antè dixi, ptiſanam lenti commiſceat. Sic & teutlophacen, quæ ex beta, & lente nomen apud Græcos inuenit, Heraclides Tarentinus non ſanis modò, verùm etiam laborãtibus exhibebat, eſt enim & hoc ex pugnantibus compoſitũ edulium: quãobrem etiam tardius, quàm beta, citius verò, quàm lentes per aluum deſcendit. Eſt & illud perſpicuum, huius ſuccum in corpus diſpartitum, ex amborum virtute, lentis videlicet, ac betæ, eſſe permiſtum: hactenus Galenus. Ex cuius verbis facilè colligi poteſt. Lentes in frequenti ciborum vſu minimè eſſe recipiendas, præterquàm ab ijs, quibus morbi alicuius ratione, vt medicamenta potius, quàm vt cibus conueniant. φακὸς Græcis eſt, quæ Lens Latinis: Hades, Arabibus: Lenticchia, & Lente, Italis: Linſen: Germanis: Lentejas, Hiſpanis: Lentille, Gallis.

Nomina.

Lentium genera duo habemus, maius quod album, minus verò, aliud cinereo, aliud ſubruffo colore, aliud colore ex luteo pallido. Lentis maioris figura adpoſita.

φασίολοι.

## PHASIOLI. CAP. CI.

Phaſioli inflant, ſpiritus cient, ægrè coquuntur. Virides cibo aluum emolliunt, ad vomitiones idonei.

PHASIOLI.



Phaſioli ſunt in Italia vulgares, & in hortis, ac aruis frequentes. Diuerſa eorum habẽtur genera, varijs coloribus diſtincta, nam & candidi, & rubeſcentes, & melini, ac diuerſis reſperſi maculis reperiuntur. Quos ſuperiori quoq; ætati cognitos fuiſſe putauerim: etſi nonnulli eos nuper in Italiã veniſſe exiſtiment. Candidi, quibus granum cæteris minus eſt, cæterorum leguminum more, in aruis ſeruntur: at rubeſcentes, melini, ac varij ſeminantur in hortis alijſue locis, vbi vmbra æſtiua ſuerit opus. Siquidem præterquàm quòd fructum ſuo tempore demetendum proferunt, ſuis etiam inuolucris, ac ſequaci foliorum, clauicularumq; reptatu, teſtudines, attegias, mapalia, tuguriã, cameras, pergulas, ſcenas, ac tabernacula, è lignis cancellatim fabricata opacant, ac veluti topiario opere contexunt: ſolareſq; radios inhibent, non ſecus quàm vitis, lupus ſalictarius, bryonia, colocynthis, clematis, periclymenum, & ſtirpium id genus, quæ arbores & ſepes ſcandunt, perreptant, implicant, ac conueſtiunt. Quo fit, vt crediderim ego, illos à veritate haudquaquam deſciſcere, qui dixerint, hoc Phaſeolorum genus hortenſem eſſe ſmilacem, hoc etiam libro à Dioſcoride deſcriptum: quippe quòd illi maximè reſpondeat, vt in ſequentibus dicetur. Quamobrem longè aberraſſe videtur Marcellus, in carpendo Hermolao tantopere auidus, cùm dixerit ſibi parum veriſimile videri ad eam altitudinem, & foliorum copiam poſſe legumen aliquod augeri, vt ſcenas, & tabernacula veſtiens inumbret. Quandoquidem non modò huic refragatur Dioſcorides: ſed & ipſius ſmilacis numeroſus plantarum prouentus, quæ in quàm plurimis hortis, ac viridarijs longiſſimos ſcandunt palos, & cancellata tecta conueſtiunt. Cæterùm nec eos quidem hallucinari putauerim, qui pro certo aſſeruerint, Phaſiolos ſupradictis coloribus infectos, quos equidem nihil ab hortenſi ſmilace differre exiſtimo, Dolichos eſſe, quorum meminit Theophraſtus lib. 8. cap. 3. de plantarum hiſtoria: & Galenus libro primo de facultate alimentorum: & ipſum ſecutus Paulus. Quippe quoniam Dolichi (vt adiuuante Deo infrà in ſmilacis hortenſis mentione dicemus) non ſunt illud piſorum genus, quod Auſonijs vulgo dicitur Rouiglione, Tridentinis verò Arabeia, vt Manardo Ferrarienſi placet. Quandoquidem hunc ſub Ochri nomine, tam Galenus, quàm Paulus deſcripſere, vt eo, quem modò citauimus loco patebit. Porrò in hoc præſenti capite Dioſcorides de candidis tantùm, ac vulgaribus phaſiolis diſſeruit, non de eruilia, Arabeia vulgò vocata: in ſequentibus verò capite de hortenſi ſmilace, eorum mentionem fecit, qui vel rubentes, vel lutei, vel verſicolores enaſcuntur. Albi itaq; & magis vulgares, qui ſeruntur paſſim in campis, menſe Maio & quandoque poſt meſſem ſine pedamento per ſe ſubſiſtunt, ſed in latum ſeſe pandunt, folijs hederaceis, maioribus tamen & mollioribus, venoſis, ternis ex vno pediculo prodeuntibus: flores emittit candidos piſo minores, è quibus palmaria cornula prodeunt, teretia, & in acutum deſinentia, primo quidem exortu viridia, & per maturitatem albicantia. In his ſemina plura, quæ phaſiolos appellamus, continentur, facie quadrupedum renibus ſimilia, alba, præter vmbilicum, qui tantum in ijs nigricat. Phaſioli excalfaciunt, & humectant ordine primo. In cibum ſumpti inflant, & ventriculo laborem faciunt, ſemen tamen generant, & venerem ſollicitant, præſertimq; vbi longo pipere, galanga, & ſaccharo aſperguntur: atqui id valentius præſtant, ſi lacte bubulo pingui decoquantur quouſq; rumpantur. Redduntur in cibis innocentiores, ſi cum ſinapi vel cari ſemine edantur. Tumultuoſa præterea ac terrifica faciunt ſomnia, perinde ac lentes. Cornicula dum tenerrima ſunt, elixantur, & in acetarijs deuorantur, addito pipere, guſtu non ingrato: Eadem prius elixa, & farina circumlita, & deinde in oleo feruenti aut butyro frixa, addito pipere, & vuæ acerbæ ſucco, Italis quoq; expetuntur in cibum. Præſtant peculiariter propria ſua ipſius facultate ad ſanandum equorum morſus, ſi dentib. attriti crudo vulneri illinantur. Parant quoq; è phaſiolis muliebrem fucum hoc modo: Sumunt phaſiolorum alborum, micæ panis triticei albiſſimi, ſingulorum libram, Cucurbitam longam, teneram, virentemq; vnam: diſſecta prius cucurbita macerãt ſimul omnia ex lacte caprino nocte vna, deinde addunt ſeminum melopeponũ vncias quinque, nucleorum perſicorum mundatorum vnc. 3. nucleorum pineorum delibratorum ſelibram: Conterunt per ſe omnia in

Phaſiolorũ conſid.

Candidi, Rubeſcentes, Melini, Varij.

Marcelli error.

Rouiglione.

Phaſiolorum deſcriptio.

Phaſiolorũ vires.

Fucus ad mulierum ornatum.

in lapideo mortario, & deinde addant pullum columbinum domeſticum vna cum plumis in particulas diſſectum, abiectis tantum inteſtinis, & omnibus ſimul miſtis, ex vitreo organo, ad hoc parato, in vaſe feruentis aquæ collocato, aquam diſtillant, & ſubinde diligenter cuſtodiunt. Siquidem huiuſce aquæ lotione nitorem faciei conciliant, & cuti molliſſimum addunt læuorem. Cæterùm cùm phaſioli piſa mihi in mentem reuocauerint, & nihil de eis meminerit Dioſc. prætermittere quidem non potui, quin de eis quoq; differerem. PISVM itaq; caulib. exit fiſtuloſis ramoſisq;, capreoleis multis è ramorum ſummitatib. prodeuntibus, folio numeroſo, longiuſculo, craſſiuſculoq;, ac ſubpingui: ſiliqua cilindracea, rotunda, & cando

Piſorum hiſt.

PISVM. MAIVS.



PISVM MINVS.



do ſemine albi ciceris magnitudine. Florem edit papilionis animalis figura, circa vmbilicum purpureum, quandoq; in vniuerſum candidum: radice imbecilla: Grana in ſiliquis ſeſe inuicem ſtipant, vt in vicia, & eruo. Seritur vere, & æſtate demetitur. Duo eius ſunt genera, alterum maius, alterum minus. Maius pedamento gaudet, quo fit, vt Agricolæ arborum ramos illi adiungant. Facilem & ſolutam terram deſiderat, & in apricis ſeri. Minus humi accumbit, gracilius omnibus, in partibus nec adeò in cibis gratum. Duum hoc eſt generum, album, & cinereum, quod Eruiliam vocāt quidam: Ananienſes, & cætera Tridentina rura, Arabeia vernaculo ſermone appellant: alij Rouiglione. Seritur, vt maius, aprico loco, ſolo probè culto ac ſoluto, in qualitatibus omnibus nihil prorſus à maiori differt. Exiccant piſa fabarum modo, remiſſius tamen. Sunt qui ſcribant Piſorū iure hauſto purgari puerperas, & lactis copiā augeri, auriginoſos ſanari, & aquæ interenti ſuccurri, ſed proculdubio decipiuntur, quòd hæc haud quaquam præſtare poſſit medicamentum, quod refrigeret, & ſiccet. Verùm errandi anſam cæteris præbuit Tragus, quippe qui perperam putarit Piſum cicer eſſe Arietinum, cui ea ineſt facultas. At quantū ab Arietino cicere diſtet Piſum, facilè quiſpiam conijcere poterit ex his, quæ ſuperius in Cicere diximus. Cicer enim Arietinum nihil ab alijs ciceribus differt, niſi colore, cætera ſimilia ſunt. Ideoq; errorem hunc debent diligenter vitare Germani, qui ſuis puerperis piſorum ius propinant, quin etiam ijs qui ſumpſerunt purgatiuum medicamentum, extergendi ventriculi gratia. Nulla.n. piſis ineſt abſterſoria facultas, vt Gal. inquit lib. 1. de alim. fac. his verbis: Piſa tota ſubſtantia cum fabis quandam habent ſimilitudinem, eodemq; cum fabis modo ſumuntur. His duabus tamen rebus ab eis diſcrepant, tum quod non aquè ac fabæ ſunt flatulenta, tum etiam quod detergendi facultatem non habent, ideoq; ſegnius quàm illæ per aluum ſecedunt. Vbi faba non ſit ad manus, piſum eius poterit eſſe ſuccedaneum, præterquam ijs in morbis, qui abſterſione opus habent. Ita φασίολοι Græcè, vt etiam Phaſioli Latinè dicuntur: Italicè, Fagiuoli. Hiſpanicè, Faſiolos: Gallis, Faſiols. Piſum, Græcis πισὸν, Italis Piſello & Piſo. Germanis, Erbis, Piſum minus Græcis, πισὸν μικρὸν. Italis, Piſello minore. Gal. Poix.

Piſorum genera duo.

Quorundam opi. refutata.

Tragi error, Piſum cicer arietinum cēſentis.

Piſorum vires ex Gal.

Nomina.

Piſa á Piſa loco, vbi olim copioſè naſcebantur: quæ diuerſorū generū ſunt, maiora quæ hortenſia, cuius fructus dum virides rotūdi, reſiccati, anguloſi fiunt: colore candido aliás ſordido: hæcq; duplicia, vel ſine folliculis comeduntur, vel ſimul cum folliculis & leptoloba dicuntur: ſunt quadrata: ſunt minora, quæ vel hortenſia & ramis affixis in altum ſcandunt, & ramulare piſum dicitur: vel in agris ſeruntur, & humi ſerpunt, & ſunt vel alba (quæ maiora & minora) vel virida, vel cærulea quæ rariora, vel ruffa, quæ noſtris cinerea dicuntur. Eſt piſum proliferum, vbi plures ſiliquæ ſimul iunguntur: ſunt piſa Americana rubræ ſunt & ſylueſtria, de quibus omnibus in hiſtoria.

## Ὄροβος. ERVVM. CAP. CII.

Concluſa nō leg. Orib.

[ERuum paruus frutex omnibus cognitus, anguſto folio, tenuis, ſemina in valuulis habens: è quibus farina fit, nomine eruina, ad medendi vſus conueniens. Eruum capiti oneroſum eſt: aluum eſu turbat: ſangui-

ſanguinem per vrinam extrahit: elixo boues ſaginantur.] Parandæ farinæ ratio hæc eſt. Vberiora grana candidaque deliguntur, permiſcendoque aqua reſperguntur, donec ſufficienter combibant: poſtea torrentur, vſque dum hians cortex diſrumpatur: molitaque, farinario cribro incernuntur: poſtremò farina reconditur. Hæc aluo vtilis eſt: vrinam ciet: meliorem colorem efficit: ſanguinem per veſicam, aut aluum cum torminibus elicit, ſi largius in cibo, aut potu aſſumatur: vlcera cum melle purgat: lentigines, & vitia cutis in facie, & maculas, totumq; corpus emẽdat: nomas, gangrænas, duritiaſq; ſerpere non patitur: mãmarum duritias emollit: atra vlcera, quæ theriomata vocãt, fauoſq; emarginat: carbunculos rumpit: cum vino ſubacta illitu morſibus viperarum, canum, hominumque medetur: vrinæ difficultates, teneſmoſq; ex aceto mitigat. Eruum tabidis, qui alimentum non ſentiunt, toſtum, & ad nucis magnitudinem melle exceptum, ſumptumque conuenit. Eius cremor perniones, & pruritus in toto corpore ſanat fouendo.

I. OROBVS.



II. OROBVS CRETICVS.



*ERuum officinæ, Græcorum more, Orobũ appellant: Planta itaque eſt eruum ſarmentoſa, folioſa, humi procumbens, caulibus ac ramis multis ſeſe implicantibus, foliis paruis, longiuſculis, lẽte minoribus, pluribus ex vno pediculo vtrinque pari exortu per interualla prodeuntib. vno in cacumine permanente. Flores edit paruos, ipſoſq; ſubpurpuraſcentes, & aliquando candicantes: Siliquam gerit Piſi ferè ſimilem, ſed breuiorem, & graciliorem, in qua ſemen rotundum concluditur, preſſa, ſtrictaue inter granum & granum ſiliqua. Duum eſt generum, candidum, & rufum. Gal. tertium quoq; addidit, nempe pallidum, inter priora medium. Non diu eſt, quod legitimum habetur, & ſeritur iam vbiq; in Italia. Alterum quoque vidimus erui genus, quod Creticum vocant, noſtrati ferè ſimile, ſed minutiore ſemine, & ſiliquis gracilioribus. Porrò Braſauolus credidit Eruiliam, quæ Theophraſto, Galeno, ac Paulo, ochros appellatur, legitimum eſſe Eruum, nominis vicinitate fortaſſe deceptus. Qua in re Fuchſius quoque hallucinatus deprehenditur, quòd ſuo de plantarum hiſtoria volumine Cicercula vulgò vocatam, ſatiuum Eruum eſſe exiſtimauerit: etſi cicerculam omnes rei herbariæ periti Galeno lathyrum appellari non dubitent. In cicercula enim, vt periculum facientibus clariſſimum eſt, haudquaquam eæ reperiũtur facultates, quibus pollere Eruum tradidit Dioſcorides. Quandoquidem præter id, quòd omni prorſus amaritudine vacat, largius eſitata nunquam ſanguinem per veſicam & aluum cum torminibus elicit, vt de orobo fatẽtur Dioſcorides, & Galenus: ex quo planè conſtat tam Braſauolum, quàm Fuchſium, vtriuſque pace, hac in re deceptos eſſe. Sed ignorandum non eſt, quòd etſi Eruum ab agricolis ſeratur, habetur tamen & inter ſponte naſcentia: namque & per ſe inter ſegetes frequens oritur. Verùm cùm à paucis cognoſcatur, illud inter viciæ ſpecies annumerãt. Animaduertendũ præterea eſt, quòd quanquam ad Eruinam farinam conficiendam eligit Dioſcorides candidius Erui ſemen: Gal. tamen lib. 1. de fac. alim. candidũ pallido, ac rufeſcente, longè minus præſtare ſcribit. Quapropter Braſauolus Galeni rationẽ minimè habuiſſe videtur, cùm ſibi ex Dioſcoridis tantùm ſententia perſuaſerit, album erui ſemen in medicamentorũ vſu tam rufum, quã pallidum viribus antecellere. Erui farina melle excepta ij recreantur, quorum pulmones craſſis excrementis redundant: expectorat n. ex thorace id omne, quod inhæſerit. Lienẽ minuit Eruum, à ieiunis deuoratũ. Inguinũ bubones reſoluit, ex melle illitũ. Virides eius ſiliquæ priuſquàm indureſcant, cum ſuo caule foliiſq;, cõtritæ illitæq;, nigros faciunt capillos. Eruina farina in Theriacam quoq; venit: nam ſine ea parari nequeunt Viperei paſtilli. Erui vires prodidit Gal. lib. 8. ſimp. med. ita inquiens. Orobus deſiccat quidem exceſſu ſecundo intenſo, calfacit verò primo. Porrò quatenus amaritudinis eſt particeps, eatenus incidit, extergit, atque obſtructiones expedit. Cæterùm ſi ſumatur copioſè, ſanguinem per vrinas euocat. Et libro 1. de alimentorum facultat. ait; Boues apud nos, vt apud alias pleraſque gentes, Eruo in aqua edulcato paſcuntur: hominum cibis*

Erui conſi[deratio]. Eruũ duplex. Eruum Creticum. Braſauoli lapſus, Ochrũ, Eruum cenſentis. Eruum ſpontè prouenit. Erui farina. Erui vires ex Galeno.

*prorſus hoc ſemen damnatur, eſt enim & inſuauiſſimum, & praui ſucci. Cæterùm in magna fame nonnunquam, ſicut Hippocrates quoque ſcripſit, neceſſitate coacti homines ad id etiam confugiunt. Nos eruo inſtar lupini præparato ex melle vtimur, vt medicamento craſſos pulmonũ, thoracisq; humores expurgante. Candidum minus eſt medicamentoſum, quàm id, quod ad flauum, aut pallidum colorem tendit. Eruum bis elixum, & in aqua identidem condulcefactum, inſuauitatem certè deponit, ſed vna cum ea & abſtergendi, & incidendi vim, vt ſola in eo relinquatur terreſtris ſubſtantia. Itaque citra amaritudinis intellectum deſiccans fit eſculentum. Id Græcis ὄροβος quod Latinis Eruum nominatur: Arabibus, Herbum,* Nomina. *Keiſene, ſiue Kerſene: Italis, Eruo: Germanis,* Eruen*: Hiſpanis Ieruos: Gallis, Ers.*

Orobus ὄροβος Græcis, quibuſdam ϖϱὰ τὸ ἐρέπτεσθαι ὑπὸ τῶν βοῶν, quòd eo boues veſcantur & ſaginentur: Eruum Latinis: quod ſatiuum eſt & ſylueſtre. Satiuum, vel maiore ſiliqua & ſemine, vel graciliore ſiliqua & ſemine: rurſus qui maiore, ſemine candido eſt aut pallido, aut ruffo. Sylueſtre eruum, varium eſt. Hic tantùm de ſatiuo. I. Orobus ſatiuus maiore ſiliqua C.B. Orobus & Eruum Matth. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Caſt. Lugd. Orobus receptus Herbariorum, Lob. Eruum verum ſiue Orobus, Cam. Tab. Cicer ſatiuum, Dod. gal. Mochus ſiue Cicer ſatiuum, Dod. fol. II. Orobus ſatiuus, minore ſiliqua. C.B. Orobus Creticus Matthiolo (in cuius editione poſtrema, & iconibus figura non habetur) & Lugdunenſi.

## Θέρμος. LVPINI. CAP. CIII.

SAtiuus Lupinus notus eſt. Cuius farina cum melle delinctu, aut potu, ventris animalia expellit. Ipſi quoque macerati, & cum ſua amaritudine eſitati eadẽ efficiunt. Decoctum eorum idem munus præſtat, cum ruta, & pipere potum: quare lienoſis prodeſt: eodem vlcera tetra, quæ theriomata vocant, gãgrænas, incipientem ſcabiem, eruptiones puſtularum, vlcera in capite manantia, vitiligines, maculaſque fouere vtiliſſimum: menſes, & partus extrahit, cum myrrha, & melle ſubditum in vellere. Eorum farina cutem, liquoreſque corrigit: inflammationes cum polenta, & aqua mitigat: tubercula, & coxendicum cruciatus, ex aceto lenit: ſtrumas in aceto a cocta, illitaque diſſipat: carbunculos rumpit. Decocti cœleſti aqua, donec in cremorem lenteſcant, faciem abſtergunt: medentur pecorum ſcabiei, cum radice nigri chamæleontis, ita vt tepente decocto abluantur. Cit vrinam radix cum aqua cocta. Lupini triti, vbi maceratu dulceſcere cœperint, cum aceto poti, faſtidia detrahunt, & cibi auiditatem faciunt. Gignuntur & ſylueſtres Lupini, b ſatiuis ſimiles, ſed omnino minores: qui eadem quæ ſatiui poſſunt.

a Drag. addi. μετὰ μέλιτος i. cum melle. b Omnia exẽ. ἐμφερεῖς τῷ ἡμέρῳ κατὰ πάντα, μικρότερος δὲ. i. ſatiuo per omnia ſimilis, minor autem.

I. LVPINVS.



II. LVPINVS SYLVESTR. luteus.



Lupinorum conſideratio & hiſtoria. *LVpinus vulgaris planta vnico exit caule, haud infirmo, folio ſeptifariam diſſecto, piloſo, molli, ſubcandicante, flore cãdido, ſiliquis compreſſis, per ambitum crenatis, albicantibuſq;, fabarum modo longis, in quibus quina, ſenáve continentur grana, membranis diſtricta: orbiculata, preſſa, vmbilicotenus concaua, ex albo flaueſcentia, & inſigniter amara. Radice nititur ſublutea, in multas diuaricata partes. Nullis lupinus peſtiferis ſtrangulatur plantis, cùm ipſe noxius*

omnes

### III. LVPINVS COERVLEO flore anguſtifolius.



*omnes ſtrangulet herbas, quæ illi adnaſcuntur. Floret inprimis circa medium caulem. Serũtur in agris ſterili ſolo in Hetruria Lupini, non modò ad alimentorum vſum, ſed ad agros impinguandos. Cæterùm præter ſatiuos Lupinos, ſylueſtrium in Hetruria innumeræ exoriuntur plantæ, quæ Maio menſe in campeſtribus viſuntur, floribus roſeo colore rufeſcentibus.* Lupini ſylueſ. *Satiui dulcorantur in Italia, ibiq́ frequenter eduntur cum ſale. Excalfacit, & ſiccat manifeſte, abſtergit, aperit, digerit, reſoluit & attenuat. Lupinus (vt ſcriptum reliquit Galenus lib. 1. de alimentorum facultatibus) multi vſus legumen cenſetur.* Lupinorum facult. ex Gal. *Elixus enim, ac deinde in aqua dulci, donec omnem ſibi ingenitam exuat inſuauitatem, commadefactus, ita editur cum garo, ac oxygaro, vel ſine his etiam, ſale modico cõditus: non velut hordeum, & alia multifariam inſtructa. Lupini dura, ac terreſtris ſubſtantia eſt: quocirca neceſſariò concoctioni repugnat, & craſſum gignit ſuccum: ex quo non probè in venis confecto, crudus propriè appellatus ſuccus aceruatur. Et lib. 6. ſimpl. medic. ſic inquit: Lupinus editur coctus, multis antè diebus in maceratione in aqua amaritudinem deponẽs: fitq́ tunc nutrimentum ſucci craßi. Cæterùm vt medicamẽtum ita præparatus ex genere eſt emplaſticorum. At qui natiuam amaritudinem habet, is etiam extergendi, digerẽdiq́ vim obtinet. Interficit lumbricos tũ illitus, tum addito melle linctus, tũ ex poſca epotus: quin & decoctum eius lumbricos eijcere poteſt. Tum etiam foris identidem perfuſum, vitiligines, achoras, puſtulas, exanthemata Græci vocant, pſoras, gãgrænas, vlcera maligna, quæ cacoethe vocant, iuuat, partim extergendo, partim citra mordacitatem digerendo, ſiccãdoq́. Expurgat iecur & lienem, cum ruta & pipere ſuauitatis gratia aſſumptum. Elicit menſes, ac fœtum cum myrrha, & melle impoſitum. Porrò Lupinorum farina, ſine mordicatione digerit:* Lupin. farina. *nec enim liuida tantùm, ſed & chœradas, & dura phymata curat: ſed tunc in aceto, aut oxymelite, aut poſca coquatur oportet, idq́ pro laborantium temperamento, & affectus diuerſitate, quod ex vſu eſt eligendo. Sed non eſt præſentis inſtituti talia diſtinguere: digerit item quæ liuida ſunt. Et quæcunque modò diximus præſtare poſſe decoctum, eadem omnia efficit & farina. Sunt verò etiam qui eam iſchiadicis cataplaſmatis modo illinunt. Lupinus agreſtis amarior eſt, & ad omnia valentior domeſtico, eiuſdem genere cum ipſo facultatis.* Nomina. *Lupinus ſatiuus ſic Latinis, Græcis θέρμος ἥμερος appellatur: Mauritanis, Tarinus, Arinus, ſeu Tormus: Italis, Lupino domeſtico: Germanis,* Wickbonen/ Feigbonen/ Wolffsbonen: *Hiſpanis, Entramuces, & Entramucos: Gallis, Lupins. Lupinus verò agreſtis Latinis, θέρμος ἄγριος Græcis, & Italis Lupino ſaluatico dicitur.*

Lupinus duplex, ſatiuus & ſylueſtris: ſylueſtris flore vel luteo, vel cæruleo minore fructu: hicque vel latifolius hirſutus, vel anguſtifolius. I. Lupinus ſatiuus albus C.B. Lupinus Brunf. Trag. Fuch. Matth. Lac. Lon Cord. in Dioſc. Caſt: Cæſalp. Tab. Lupinus ſatiuus, Dod. gal: & fol. Cord. in hiſt. Lob. Lugd. Lupini communes, Geſ. hor. Lupini albi, Fuchſ. Cam. In hoc genere maximi, flore antequam aperiãtur ſubcæruleo, intus verò albo. II. Lupinus luteo flore. C.B. Ex radice vnica fibroſa plures caules emittit virides, ſtriatos, ſubhirſutos, ſeſquipalmares, circa quos folia priora quidem duo ſubrotunda & integra, reliqua verò lõgis pediculis donata, quorum inferiora in nouem, ſuperiora in ſeptem partes communiter diuiſa ſunt: flores obtinet luteos, ſpicatos, violæ luteæ colore & ſanè odore: quibus ſuccedunt ſiliquę ſatiuis minores, duriores & hirſutæ, quibus ſemina iis minora, plana, rotunda, maculis & lineis variegata, ſaporeq; amariſſima includuntur. Hic vt & ſequens, licet apud multos ſponte oriatur, apud Germanos tamen, quibus hic violæ Turcicæ nomine donatur, hortẽſis eſt. Dicitur Lupinus ſylueſtris luteus, Dod. gal. & fol. Lupinus Hiſpanicus flore luteo Geſn. hor. Lupinus luteus Cam. ad Matth. Tab. De Lupino flore purpuraſcente, latifolio, hirſuto, ſeu ſylueſtri Dioſcoridis, dicitur in hiſtoria exhibita ſimul figura, prout ſponte in laco Gramuntio prope Monſpelium prouenit, qui prædicto altior & ramoſior eſt. III. Lupinus cæruleo flore anguſtifolius C.B. Hic eſt foliis multò anguſtioribus & minoribus, vt figura oſtẽdit, communiter in ſeptem partes diuiſis: floſculis quàm in illa minoribus, cæruleis, aut ſubrubentibus, quibus ſiliquæ multò minores ſuccedunt, vix conſpicua lanugine hirſutæ, quibus ſemina minuta rotunda, colore ſordido, variis maculis aſperſa & amara reconduntur. Florent eodem tempore quo ſatiui, & quia ſatiuis amariores, idcirco iis valentiores: hiq; Lupini minores Tabernæmontano dicuntur.

## Γογγύλη. RAPVM. CAP. CIIII.

DEcocta Rapi radix alit, inflationem parit, humentem ac fluxam carnem creat, venerem ſtimulat. Decocto podagræ, pernioneſq; fouentur: contritoq; rapo, atq; impoſito iuuantur. Si excauatę radici roſaceum ceratũ adigatur, & feruenti cinere eliqueſcat, [a] exulceratis pernionibus proficiet. Cymæ eius decoctę mãduntur, & vrinã ciunt. Semen antidotis, & theriacis, pręſertim quę ſenſũ doloris auferũt, anodyna

a Cat. εἱλκωμένας διαθέσεις. i. exulceratas affectiones.

I. RAPVM ROTVNDVM.



II. RAPVM LONGVM.



III. RAPVM SYLVESTRE.



anodyna vocant, idoneum eſt: potum contra venena ſalutare: venerem concitat. Rapum muria conditum, minus alimenti ſufficit: ſed multò magis appetentiam recreat. Sylueſtre rapum in aruis naſcitur. † Frutex eſt in cubiti altitudinem aſſurgẽs, ramoſus, læuis in cacumine. Folia fert læuia, digitali latitudine aut maiora: & fructum in ſiliquis calyculatis: cumq; eorum inuolucra aperiuntur, alia intus ſiliqua ſpectatur, quæ quandam capitis ſpeciem præbet: in qua ſemina paruula concipiuntur, foris nigra, intus alba. Additur in medicamenta, quibus ad detergendam cutem in facie, totoque corpore, vtimur: præſertim quæ ex lupini, aut erui, tritici, aut lolii farina fieri ſolent.

Rapi conſ. & genera.

*R Apum in Italia vulgò notiſsimũ eſt, vt ſuperuacaneum ſit eius formam deſcribere, præſertim apud Inſubres, vbi ſtatim poſt meſſem, vbi ſeges prius fuerat æſtate, Iunio, ac Iulio menſibus, in aruis ſecundò ſeritur: deinde menſe Octobri, cùm radix ad ſummũ extuberauit, è terra eruitur. Satiuum in triplici recenſetur genere, ſeſsile, longum, & rotundum: tametſi literis mandauerit Plinius libro 18. cap. 13. longum erraticum eſſe. Non omittendum naturæ miraculum, ex tam paruo ſemine tribus penè menſibus gignitur tam magna radix, vt ea aliquibus in locis plus quam centenas libras pendat. At librarum triginta pondere nos ſæpius innumera rapa vidimus in Ananienſi agro, longa, & colore purpurea. Rapum & radix (vt Theophraſtus eſt auctor lib. 7. cap. 4. de plantarum hiſtoria) gaudent frigoribus, & ſic ea dulceſcere putant, ſimulq; incrementum in radicem, non in folia verti. Auſtrinis, atq; ſerenis temporibus celeriter cauleſcunt. Nurſinis Plinio palma, quòd eo fortaſſe ſolo magnitudine, & dulcedine cæteris præſtent. Alpinis, quibus rara ſeges, rapa vtilia admodum, ac neceſſaria habentur, tam in hominum alimentum, quam iumentorum pabulum. Quæ æſtate ſeruntur, vindicantur ab erucarum iniuria, quæ plerunque tenella folia in vniuerſum erodunt, commiſta ſationis tempore ſemini fuligine, aut maioris ſedi ſucco per noctem macerato ſemine: ſiquidem Columella rem hanc ſibi experientia comprobatam aſſerit. R A P V M longum, forma tantum ab altero differt: cætera verò nihil diſsidet. S Y L V E S T R I S rapi plantam ob meam ab Hetruria vbi frequens naſcitur, abſentiam,*

Rapum quo pacto ab erucis vindicetur.

Rapum ſylueſtre Matth.

hactenus

## IV. RAPVNCVLVS.



*hactenus conſequi non potui, atqui volo etiam meipſum accuſare, quòd rem ipſam neglexerim apud amicos. Quare Rapi ſylueſtris imaginem, quam hic appingi curauimus, etſi ſylueſtre Dioſcoridis rapum non referat, refert tamen plurimùm domeſticum: quam ob cauſam, illud quoque excudi curauimus, tanquam Rapum ſylueſtre noſtrum.*

Rapunculus non eſt Rapũ ſylu.

*Non deſunt rei herbariæ ſtudioſi, qui velint Rapunculum vulgò vocatum, quo Itali in acetariis veſcuntur, vnà cum Fuchſio rapum eſſe ſylueſtre Dioſcoridis, quorum opinionibus refragari cogor: quippe quoniam Rapunculi capitula, in quibus ſemen concluditur, duplicia non ſunt, nec vlla in ipſo ſemine reperitur qualitas, quæ abſtergere poßit. Horum etiam ſententiæ repugnat Theophraſtus lib. 7. cap. 6. de plantarum hiſtoria, quippe qui ſylueſtre rapum radice conſtare longa raphani modo, breuiq́ caule conſiſtere ſcribit.*

Rapunculi conſideratio.

*RAPVNCVLVS itaque planta eſt cubitalis, caulibus pluribus ab vna radice prodeuntibus, in cacumine ramoſis: antea quàm caulem edat, folia profert oblonga humi accubantia, ſed quæ in caule fere toto ſunt longiori facie, ſed breuiora, & anguſtiora ſpectantur. Flores fert in ramuſculorum cacumine purpuraſcentes, & ad cæruleum inclinantes, quatuor tantum foliis conformatos. Semen in ſimplici capitulo continet minutum, pullo colore. Radice nititur alba, trium digitorum quatuorve longitudine, craßiuſcula, extuberante media ipſius parte, alba, fragili, tenera, & ſubdulci quodam ſucco prædita. Id quod, meo quidem iudicio, non prætermiſiſſet Dioſcorides, ſi rapunculus noſter ſylueſtre illi fuiſſet Rapum. Naſcitur in aruis non cultis, in collibus amœnis, & in pratis, quin etiam in hortis iam ſeritur, vt grãdiores edat radices, quarum eſu plurimi delectantur. In caliditate & frigiditate radix non longè abeſt à temperatis, imò nec in aliis qualitatibus.*

Rapunculus ſeritur.

*Eduntur in acetariis eædem non ſolùm crudæ, ſed etiam coctæ, quod maximè guſtui placeat & appetentiam excitet. Cæterùm quid in medicum vſum Rapunculus præſtare poßit, nondum compertum habeo, etſi non deſunt, qui putent lactis vbertatem in nutricibus facere, ſi coctus cum longo pipere edatur.*

Rapi ſylueſtr. Matth. conſi.

*Sed ad SYLVESTRE rapum noſtrum venio, quod frequens in Bohemia in agrorum marginibus & iuxta ſemitas naſcitur. Exit hoc folio, caule, flore, ſiliculis, ſemine, domeſtico ſimile, ſed agreſtioribus foliis, omnia agreſtiora, aſperiora, hirſutioraq́ ſpectantur. Radix illi eſt raphani modo longa, craſſaq́, ſed ſapore per omnia domeſticum refert: acriore tamen & amariore, quo factum eſt, vt ſylueſtre rapum hanc plantam vocauerim. Legitimum naſci copioſum in Hetruria diximus, non quòd ipſum vſquam à nobis viſum ſit, ſed quòd id ex aliorum relatione intelleximus. Noſtri ſemen, cum inſigniter amarum habeatur, & abſterſoria ſit facultate præditum, alterius loco ſecurius illini poterit, vbi cutem detergere fuerit opus: quin etiam necandis vermibus vtile quoque fuerit. Radix, quod acrior amariorq́ ſit, excalfacit ordine ſecundo, & ſiccat in principio primi: atqui ſemen id longe valentius præſtat: præterea abſtergit, incidit, aperit, attenuat & prouocat magis quam domeſtici. Rapi domeſtici radix excalfacit & humectat. Semen verò calidum eſt & ſiccum: cum autem etiam ſit amarum, abſtergit, aperit, digerit, prouocat, flatus gignit.*

Rapi vires ex Galeno.

*Rapi vires recenſuit Gal. lib. 6. ſimpl. med. ita inquiens. Rapi ſemen venerem excitat, vtpote ſpiritum flatuoſum procreans. Sic & radix concoctu difficilis eſt, inflatq́ & ſemen generat. Et lib. 2. de alim. fac. inquit: Rapum ſiue γογγυλίδα, ſiue βουνιάδα appellare velis, quod eius extra terram eſt, oleraceum cenſetur. Radix, quę terra cõtinetur, ante elixationem & dura eſt, & cibo aliena: in aqua autem decocta, mirum ſi aliqua ex congeneribus plantis minus nutriat. Hanc quoque ipſam multifariam homines parant: nam & in muria, & in aceto reponunt, quò in totum annum vſui eſſe poßit. Succus ex ea in corpus digeſtus, temperato craßior eſt: ideoq́, ſi quis vltra modum eſitauerit, & maximè ſi perfectè conficere eam nequeat, crudum ſuccum in venis congeret. Ad alui deiectionem nec conferre quicquam, nec officere dixeris, potißimùm quando bene fuerit percocta, vt quæ longam elixationem requirat, optimaq́ ſit bis decoctionem perpeſſa, ad eum modum videlicet, quem antea in hac præparandi ratione docuimus. Sin crudior ingeratur, cõcoctu eſt difficilior ac flatulenta, ſtomachoq́ noxia: nonnunquam autem & ventrem mordicat. Conſtat experimento, ſemen valere ad variolas & morbillos: nam potum ſemidrachmæ pondere, morbillos latentes ad cutim expellit.*

Nomina.

*Γογγύλη id Græcè vocatur, quod Latinè Rapum: Arabicè, Seliem, Selgem, Selgrem, ſiue Alſegrem: Italicè, Rapo: Germanicè, Rüben: Hiſpanicè, Nabo: Gallicè, Raue, ſeu Naueau blanc de Iardin. Rapum Sylueſtre Græcis γογγύλη ἀγρία: Italis, Rapo ſaluatico. Rapunculus Italis, Raponzolo. † Quod in Græco hic legitur θάμνος, Ruellius vertit fruticoſum. Quæ vox eſt potius ab eo ex Plin. li. 20. cap. 3. repoſita, quod etiam aliàs ſæpenumero facit, quàm Græcè Latina reddita. Nos fruticem vertimus, licet hac, vt aliis plerisq́ vocibus, Dioſcoridem impropriè vſum fuiſſe exiſtimemus.*

Rapa quaſi ruapa, quod è terra eruantur Varroni: at veriſimilius etymõ à Gręco ῥάπυς Athenæo li. 9. c. γογγύλη Dioſc. à rotunda orbiculariue radicis figura. Theop. 7. hiſt. 4. marẽ & fœminã dicit, ambas tamẽ ex eodẽ ſemine naſci, ſic c. 6. eiuſd. lib. & ſylueſtris meminit. Diuidimus in ſatiuam & ſylueſtrẽ: ſatiuam in longã ſeu fœminam, in rotundam ſeu marẽ, & in ſeſſilẽ. Sylueſtris alia radice non bulboſa, alia radice turbinata: his addimus Hetich Americũ ex Theueto, quod Rapũ Americanum vocamus & fortè apud Plinium lib. 21. c. 15. Oetũ eſt. I. Rapa ſatiua rotunda ſeu mas Theop. & Plin. C.B. Rapum, Trag. Lac. Lon. Caſt. Rapa, Brũf. Dod. gal. Geſ. hor. Cæſ. Rapũ ſatiuum, Fuch. Cord. in Dioſc. Rapũ vulgare, Dod. fol. Rapũ maius orbiculatũ, Lob. Rapum orbiculatum, Tab. Rapum ſatiuum orbiculatum. Lugd. Huius radix quoad formã cõmuniter tuberoſa eſt, rarò globi inſtar orbiculata, frequentius in latitudinẽ effuſa: variat & paruitate & magnitudine: colore externo etiam vel viridi, vel candido, vel puniceo: habetur nunc, quæ foris & intus flaueſcunt: ſic & Bernæ, quę obſoletè nigræ, vt plurimum rotundæ, rarius oblongatæ, quę vulgatis dulciores ſunt. II. Rapa ſatiua oblonga ſeu fœmina Theophr. & Plinio C.B. Rapum longum Matth.

Caſt. Lon. Lugd. Rapum oblongum, Trago Dodon. fol. Rapum tereti, rotunda oblongáque radice, Lob. Rapa radice in rotunditate oblonga, Cæſalp. Hæc magnitudine etiam variat. III. Rapa ſylueſtris non bulboſa C.B. Rapum ſylueſtre, Matth. Lugd. Tab. Rapum ſylueſtre non bulboſum, Lob. Rapa ſylueſtris, Cæſalp. IV. Rapunculus eſculentus, forte Rapum ſylueſtre Dioſcoridis & Plinii C.B. Raponcoli, Brunſ. Rapunculum vulgare, Trag. Rapunculus, Matth, Lac. Dod. fol. Lon. Cæſalp. Caſt. Tab. Cam. Rapuntium paruum, & pes locuſtæ Auicennæ, Lob. Rapunculus minor, Lugd. Rapum ſylueſtre, Fuch. Geſ. hor. Rapum ſylu. minus, Dod. gal. Erinus Nicãdri & Dioſc. Colũnæ. Flore eſt cæruleo, aliquando purpureo, aliàs candicãte vel albo. Verũ Rapũculi vndecim ſpecies in Phytopinace propoſuim⁹ eſculentum, ſpicatũ, triplicẽ, vmbellatu triplicẽ, nemoroſum triplicem & alpinum ex Baldo: cuius iconem adiecimus. V. Rapunculus alpinus ſpicato ſimilis, palmo maior, vnico caule ex fiſſuris rupium prodiens, folium vtrinque habet ſubrotundum Bellidis cæruleæ forma, quibus ſuccedunt folia, quæ ex cauliculo ſtriato, oblongis pediculis inſident, ex rotunditate oblongata, ſatis lata, profundis rariſque inciſuris donata: & licet ea quaterna ſint, rarius plura, attamen in cauliculi ſummo folia, forma ſimilia quina vel ſena pene ſine pediculo, ſtellæ modo flori ſubiiciuntur: ſiquidem cauliculi ſummo apici inſideant: flores viginti & plures, quaſi ad exortum conglobati, latis, breuibus tamen, & ſtriatis pediculis inſidentes, qui oblongi ſunt tenues, infernè albicãtes quaſi inflati, qui ſenſim anguſtantur, cæruleo purpurei in extremitate crenati: ex ſingulorum medio, filamentum oblongum prodit, quod in ſummo bipartitum aliquando inſtar Capreolarum vitium contorquetur. Hunc in Baldo Auguſto mẽſe, inter ſaxa collectum, cum D. Guilandino horti Patauini præfecto anno 1578. Patauii oſtendiſſemus, Rapunculum montanum nominauit: at Nobiliſſ. Iacob. Antonius Cortuſus, nunc horti eiuſdem præfectus, Cantabricam alteram Anguillaræ ſtatuebat. Cum iam delineatus eſſet hic Rapunculus, eundem à Doctore Ioanne Neudorffero Norimbergenſi, rei herbariæ ſtudioſiſſimo & nobis amiciſſimo, accepimus, vnà cum radice quę tuberoſa eſt inæqualis, Rapunculo vulgato triplo maior. Ab eodem & duas alias Rapunculi ſpecies ex monte Sumano, necdum deſcriptas accepimus, vt & à Nobiliſſimo Cortuſo elegantem aliam Petramarulæ nomine, quarum omnium & deſcriptiones & figuras vniuerſalis hiſtoria noſtra, Deo cõcedente vitam, exhibebit.

V. RAPVNCVLVS ALPINVS ſpicato ſimilis.



NAPVS.



Βουνιάς. **NAPVS. CAP. CV.**

COcta Napi radix inflat, modicum alit: ſemen eius potum venenorum vires hebetat: antidotis admiſcetur. Conditur ſale radix.

Naporum conſideratio.

*NApi in raporum genere recenſentur, & quanquam folio, & radice, raphanos magis referant, caule tamen, floribus, ſemineq; rapum æmulantur. Plura Theophraſto, & Plinio produntur genera: quanquam hac tempeſtate duo tãtum repererim, nempe album, & flauum. Flaui tametſi albos craßitudine ſuperent, magiſq; colore placeant: ſunt tamẽ inſipidiores, & guſtui ob id minus grati. Omnes melius placent in pinguium carnium iure decocti, inflant tamen, & magis quàm rapum ſaturant, & magis quoque venerem excitant, & præſertim addito pipere. Radix excalfacit ordine ſecundo, & humectat primo incipiente: atqui ſemen excalfacit & ſiccat, abſtergit, aperit, digerit, prouocat, & incidit. Semen additur in Theriaca, quod venenis potenter reſiſtat. Necat & interaneorum animalia, ex limonum, aut aurantiorum ſucco potum: ex Adianti autem, ſiue lentium decocto potum, morbillos & exãthemata ad cutim propellit. Duplici enim*

Napi ſeminis vires Matth.

*enim nomine morbillis affectos iuuat, tum quòd à centro ad circumferentias corporis materiam morbiferam ducat, tum quoque quod propria ſui ipſius facultate morbi malignitatem ſuperet, ac compeſcat. Datur vtiliter cochlearis menſura ex vino addita lini ſeminis drachma ad ciendam vrinam. Ventriculi cruditates vomitione extrahit, vbi ex oxymelite, & tepenti aqua hauriatur. Datur quoque diebus pluribus quotidie drachmæ pondere, ex marrubij ſtillatitia aqua aut decocto, vtiliter Ictericis, & aquæ intercuti incipienti. Sed plura de eo in epiſtolis diximus. In Aegypto frequentius ſeritur, quòd inibi ex eius ſemine tuſo preſſoq; copioſum exprimant oleum, ad omnia vtile ad quæ ſemen.*

*Βουνιὰς, nomen Græcum eſt: Napus, Latinum: Italicum, Napo: Germanicum,* Steckrüben: *Hiſpanicum, Nabicas: Gallicum, Nauet.* Nomina.

Napus, βουνιὰς Dioſcoridi, à tumenti figura deducta ſignificatione: γογγύλης ſpecies Galeno. Plinius li. 20. cap. 4. Naporum non plures quàm duas differentias propoſuit, alterum Bunion, alterum Buniada medicis Græcis vocatum: nec quenquam moueat locus Plinii lib. 19. cap. 5. vbi quinq; Naporum genera fecit, ſiquidē hæc de Raphano ſint intelligenda: quod probatur ex eo, quod quæ Theop. 7. hiſt. 4. de quatuor generibus τῶν ῥαφανίδων retulit, ea Plinius de Napo recenſuit. Agnoſcimus Napum ſatiuam quæ bunium: & ſylueſtrem, quæ Bunias, quæ etiam ex non tranſplantatorum ſemine naſcitur. Napus ſatiua C.B. Rapum mas apud Theophraſtum cenſuit Athenæus. Napi, Brunf. Napus, Dod. fol. Matth. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lac. Lob. Caſt. Cæſalp. Cam. Napus hortenſis, Dod. gal. Napus bunias ſatiuus, Fuch. Napus ſatiuus, Lugd. Napus verus, Anguil. Bunias Napus, Aduer. Lob. icon. Rapum ſatiuum alterum & Napus veterum, Trago. Napus primus Lon. Hæc radice eſt colore aliis candido, aliis buxeo & croceo: radice etiam nigra in horto Illuſtriſſimi Ducis Wirtembergici, quem Montembelgardi colit frater Ioh. Bauhinus, legimus.

## Ῥαφανίς. RAPHANVS. CAP. CVI.

Radix, quæ Græcis raphanus dicitur, excalfacit, flatus gignit, ori ſuauis eſt: ſed ſtomacho aduerſatur, ructus ciet, vrinam pellit, aluo aptior: ſummo tamen cibo ſumi debet, quò magis eius diſtributionem adiuuet: cum autem præſumitur, cibum ſuſpendit: quare vomituris commodiſſimè datur ante cibum: ſenſuum aciem excitat. Decocta contra veterem tuſſim, & pituitæ craſſitiem in pectore, efficax eſt. Cortex ex aceto mulſo, celerius vomitiones mouet: hydropicis commodiſſimè illinitur: lienoſis vtilis: ſugillata cum melle rapit, & nomas amolitur: contra viperarum ictus auxiliatur: alopecias ad pilum reducit: lentigines cum loliacea farina emendat: his qui fungis ſtrangulantur, tam cibo, quàm potu ſalutaris eſt: menſes cit. Semen, vomitiones facit, vrinam mouet, lienem extenuat: cum aceto illitum gangrænas validiſſimè emarginat: coctum cum aceto mulſo, anginis perquàm vtiliter gargarizatur: contra ceraſtis morſus, potum ex vino auxilio eſt. Sylueſtris raphani, quam Romani armoraciam vocant, folia ſatiuo ſimilia, ſed magis lampſanam imitantur: radix gracilis, tenera, ſubacris. Tam folium, quàm radix in olera recipitur: ſed hæc excalfacit, vrinam concitat, æſtuoſa eſt.

I. RAPHANVS I.



II. RAPHANVS II.



*Raphanus Græcis dictus, Latinis Radix appellatur. In Hetruria quod Latinum nomen imitentur, Radicę vulgò vocant: quemadmodum & Romani ſuam antiquam Raphani ſylueſtris appellationem retinēt, qui ipſum prima literæ metatheſi* Raphani conſideratio.

Dioſco. locus ſuſpectus.

## III. RAPHANVS RVSTICANVS ſiue vulgaris.



Raphani vires Matth.

Fuch. error circa Armoraciam.

Raphanus ruſticorum.

metatheſi Ramoraciam appellant. Cæterùm cùm ſylueſtris, ſatiua longè durior, acriorq́ deprehendatur, Dioſcoridis codex hic, vt in aliis plerisq́ locis, mendi ſuſpicione non vacat: vtpote qui Armoraciæ radicem reddat teneram mollemve, & ſubacrem. Folio prouenit Raphanus napo ſimili, & rapo anguſtiore, ſcabriore, ac magis hirto, caule tereti, flore albo, ſiliquis tumentibus, rapo quadruplo maioribus, in mucronem deſinentibus, in quibus ſemen concluditur rotundum, rufum, & ſapore acutum, rapi, napiq́ ſemine cum minus, tum etiam durius. Radix illi varia, nam nonnullis longa, alba, teres tenera, fragilis, nec admodum acris, quæ cæteris in Hetruria præſtantior habetur: aliquibus craſſa, napi pene figura, altera longè durior, acrior, & guſtui ingratior. Differunt quoque colore: namque & alba, & nigra, vbique ferè habetur, non ſolum ſatiua, ſed agreſtis quoque: ſed hæc altera minus frequens. Satiuus ſeritur in hortis & agris: Agreſtis ſpontè prouenit in campeſtribus in agro Romano. Recens minutim inciſa radix, albo meraco inſperſa, & butyro in ſartagine calefacta, & pubi admota, remoratam vrinam pellit: idem præſtat eiuſdem ſuccus, duarum vnciarum pondere ex Cretico vino hauſtus. Vncia corticis cum tãtundem mercurialis, croci granis quatuor, caſiæ odoratæ pulueris drachma, & drachmis duabus ſucci ſabinæ, omnibus ſimul in mortario contuſis, & tenuiſſimo linteolo exceptis, & vteri ceruici adhibitis, ſubuenit præſentaneo auxilio agrè parturientibus. Eiuſdem radicis ſuccus vnà cum oleo dulcium, aut amararum amygdalarum, & vini albi nonnihil feruefactus, addito colocynthidis momẽto, aurium ſonitus curat, ſi calidus inſtillabitur. Leonhardus Fuchſius, Armoraciam eam eſſe ſtirpem putat, quam Raphanum ruſticum nonnulli vocauere, folijs oxylapathi maioribus, radice longa, pollicis craſſitudine ac etiam craſſiore, acerrimo guſtu, ſinapi haud abſimili: floribus in caulium ſummitatibus albis & puſillis, radicibus acerrimis, quibus vtitur vniuerſa Germania, & Pannonia ad carnium intinctus, [ & quanquam appetentiam faciat, tenera tamen & caput lædit & nidoroſas eructationes mouet. Naſcitur ſpontè in pratis, viridariis, & ſecus itinera. Radix excalfacit, & ſiccat ordine tertio completo. Aperit, pellit, incidit, prouocat, attenuat, & abſtergit. Ea omnia poteſt, quæ domeſtica & agreſtis radix, ſed valentius operatur. Quinetiam Sinapi vires obtinet, vrinam, & arenam valentius pellit. Illinitur contrita radix ex vino albo, & recenti butyro calefacta, vtiliter pubi ad ciendam vrinam, ſiue ſit dolor ex renum calculis, ſiue ex craſſa lentaq́ pituita veſicæ ceruicem obſtruente. In quo caſu datur quoque non paruo auxilio potandum vinum, in quo inciſa radix fuerit macerata. ] Qua in re eum alioqui peritum, facilè hallucinatum crediderim, acerrimo fortaſſe illius plantæ ſapore fretum. Quòd ſi is vel Romam vnquam profectus eſſet, vel cæteras notas accuratius perpendiſſet, nunquam (vt arbitror) in eum errorem incidiſſet. Rectius fortaſſe ſaperent, qui hanc plantam perperam Armoraciam faciunt, ſi Crateuæ Thlaſpin, de quo in Thlaſpi meminit Dioſcorides, eandem eſſe ſcriberent.

Raphanorũ Theoph. genera plura.

Raphani Theoph. lib. 7. ca. 4. de hiſt. plant. plura ſunt genera: nempe corinthium, cleonium, liothalaſſium, bœotium. Adoleſcit ampliſſimè Corinthium, quod vel radice conſtet detecta. Hoc enim ſurſum verſus protruditur, nõ vt cætera in terram ampliari ſolitum eſt. Liothalaſſium, quod Thracium vocant, validiſſimum aduerſus frigora traditur. Bœotium dulciſſimum eſt, & figura rotundum, nec vt Cleoneum prælongum. Quibus folia læuia, dulciora, ſuauioraque ſunt: quibus autem ſcabra, acriora. Genus præterea redditur, quòd foliis erucæ ſimile conſtat.

Raphani vires ex Gal.

Raphanus (vt lib. 8. ſimpl. med. ſcribit Gal.) excalfacit quidem exceſſu tertio, deſiccat verò ſecundo: agreſtis autem in vtroq́ efficacior eſt. Quin & ſemen ipſum planta efficacius eſt. Facultas ei ineſt digerendi, itaq́ ad ſugillata, & alia id genus liuida ob talem facultatem accommoda exiſtit. Aperit, prouocat, incidit, extenuat, rarefacit. Meminit item Galenus Raphani lib. 2. de alim. facult. ſic inquiens: Radiculam ſolam, crudamq́ vrbani homines vt plurimùm prima menſa ex garo ſumunt, alui ducendæ gratia: pauci autem acetum admiſcent. Ruſtici verò frequenter cum pane eſitant, non ſecus ac alia, quæ nobis natura non ars parauit obſonia, in quibus eſt origanum viride, naſturtium, thymum, ſatureia, pulegium, ſerpillum, mentha, calamintha, pyrethrum, eruca. Quippe hæc omnia viridia, eduliorum ſunt obſonia, vnà cum illis ſumpta, ſuntq́ herbacei generis plantæ. Radiculæ caulis quoq́, & folia nonnunquam eduntur, ſed neceſſitate magis, quàm ſponte. Radix in eorum numero eſt, quibus obſonij potius, quàm nutrimenti nomine aſſiduè veſcimur. Vim extenuatoriam gerit, cum qua conſpicuè vnà calfacit: acris enim in ea qualitas exuperat. Verno tempore caulem in altum aſſurgentem producere ſolet, ceu alia, quæ nata ſunt excauleſcere. Hic elixus eſtur ex oleo, garo, & aceto. vt rapæ caulis, ſinapiq́, & lactucæ: nutritq́ magis caulis iſte, quàm cruda radicula, vt qui acrimoniam in aqua deponat: quanquam minimam ſanè & ipſe alendi poteſtatem habet. Quidam non ſolùm caulem, ſed vnà ipſas radiculas elixantes comedunt, raparum modo. Cæterùm cùm medicos, tum idiotas illos mirari ſubit, qui à cœna crudas eas edunt, concoctionis iuuandæ gratia: ipſi quidem id ſe experientia abunde compertum habere dicunt, nullus tamen eos citra damnum potuit imitari.

Nomina.

Radix, quæ Græcis ῥαφανὶς Latinis item Raphanus & radix appellatur: Arabibus, Fugel, ſiue Fegel: Italis, Rafano, & Radice: Germanis, Rettich: Hiſpanis, Rauano, & Rauanillo: Gallis, Reſſort. Raphanus longus: Italicè, Radice longa. Raphanus ruſticanus: Græcis Ραφανὶς ἀγριότερος: Italis, Rafano & Rauano: Germanis, Kren: Gallis, Rafan, ſiue Reſſort ſauuage.

Raphanus veteribus ῥαφανὶς, quaſi radix perſpicua: poſterioribus ῥάφανος, παρὰ τὸ ῥᾳδίως φαίνεσθαι quia ſtatim à ſemine oriatur. Theophraſtus licet vtraque vſus ſit voce, attamen Raphanum ῥαφανῖδα vocauit, at

ῥάφανον

vbi habetur, Braſſicam intelligere oportet, quæ cauſſa erroris fuit Plinio ca. 5. lib. 19. vbi Raphani genera recenſet, quæ ex Theophraſto 7. hiſt. 4. ſunt deſumpta, vbi de Braſſica egit: & quæ Theophraſtus Raphani genera propoſuit, Plinius lib. 19. cap. 5. pro Napi generibus recenſuit. Has licet nunc differẽtias obſeruare, vt ſit præcox alius, alius ſerotinus: hicq; albus, niger & rubeus: albus, oblongus & orbicularis: niger, communiter rotundus, rarius oblongus: ruber oblongus, qui & fibras rubentes per ſubſtantiam diſcurrentes obtinet: habetur & radice lutea: eſt ruſticanus: & deniq; ſylueſtris aquaticus. I. Raphanus maior orbicularis C.B. Raphanus, Brunf. Matth. Lac. Cord. in Dioſc. Caſt. Raphanus vulgaris, Trag. Geſ. hor. Raphanus ſatiuus, Fuch. Lugd. Raphanus magnus: Lob. Raphanus orbicularis, Tab. Raphanus rotundus, Lon. Raphanis ſiue Radicula ſatiua, Dod. fol. & gal. Radix & Radicula, Cæſalp. II. Raphanus oblongus C.B. Raphanus longus, Trag. Lonic. Raphanus prælongus, Geſ. hor. Raphanus ſecundus, Matth. Lugd. Raphanus minor purpureus, Lob. Radicula ſatiua minor, Dod. fol. colore radix variat, nonſter albo eſt cortice: Italicus rubello. III. Raphanus ruſticanus ſeu Thlaſpi alterum Dioſcoridis C.B. Raphanus maior ſeu Armoracia, Brunf. Trag. Geſ. hor. Raphanus ſylueſtris Fuchſ. Raphanus magnus & montanus, Dodon. gal. Raphanis magna, Dod. fol. Raphanus ruſticanus, Matth. Lob. Raphanus ruſticus, Lug. Cam. Raphanus marinus, Tab. Armoracia Plin. Lac. Thlaſpi maius, Cord. in Dioſc. Lon. Cæſalpino.

## SISER. CAP. CVII.

Σίσαρον.

Siſer vulgò cognitum, cuius radix decocta ori grata eſt, & ſtomacho vtilis: vrinam ciet, & appetentiam inuitat.

I. SISER I.



II. SISER II.



*Siſeris conſideratio.*

*Etſi antiquis omnibus Siſer adeò notum fuit, vt horum nullus habeatur, (quod ſciuerim viderimq́;) qui eius ſcripſerit hiſtoriam, nobis tamen adeò obſcurum, ignotumq́; eſt, vt hoc æuo difficillimum ſit, cùm nobis, tum cæteris, qui ante nos ſcripſerunt, verum ac legitimũ oſtendere Siſer. [*Non deſunt, qui crediderint, album quoddam Carotarum vocatum genus, quæ naporum modo carnium iuri incoquuntur, legitimum eſſe Siſer. Cæterùm eos hallucinari putauerim, Plinij teſtimonio ductus, qui libro 19. capite 5. hæc habet: Ineſt Siſeribus longitudine neruus, qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta. Id quod in hiſce Carotarum radicibus haudquaquam reperire licet: quippe quæ nec neruum côdudant, nec guſtui amaritudinem relinquant, ſed dulcedinẽ potius quandam præ ſe ferant. Quod præterea Siſer ſapore ſit ſubamaro, facilè ex Galeni ſententia comprobari poteſt lib. 8. ſimplicium medicamentorum. Ex cuius verbis facilè colligi poteſt, Siſera ab hiſce carotis plurimum recedere. Sciendum igitur eſt, quod Siſer in Italia non ſeritur, tametſi in Germania, Rheni præſertim fluminis accolæ, ſuis in hortis Siſera frequentiſſima habeant, quæ & ſerunt, & colunt. Ideoq́; Maguntiæ venalia abunde reperiuntur à Tincæo agro illuc allata. Siſer folio eſt oluſatri, caule & vmbella paſtinacæ ſimili, radicibus dodrantalibus, neruoſam intus matricem continentibus, ſubamaris & colore ſubcroceo, & quæ guſtatu gratiam cum piſto non modicam ineant. Quarum in cibis præſtantia allectus Tiberius Cæſar (vt citato loco tradit Plinius) omnibus annis à Germania aduehi Siſera curauit ex Gelduba caſtello Rheno impoſito, vbi generoſitas præcipua.*] Ego ſuperiori*

tempore, quorundam relatione perſuaſus, ſcripſeram reperiri verum Siſer in agro Maguntino circa Rhenum: ſed poſtquam deinde cum aliis doctis viris regionis illius de re hac conferrem, affirmabāt id eſſe falſum: quippe quòd ea radix, quam priores illi Siſer faciebant, eadem eſſet, quam nos hic appinximus, quamq; Germani Gelb Ruben, & Mören vocant: quæ res in cauſa fuit, vt nunc aliter ſentiam. Adducor itaq;, vt putem ſi Siſer nunc apud nos extat, id eam eſſe plantam, quæ folia promit hortenſi paſtinacæ ſimilia, breuiora tamen, atque minora, caules etiam ſimiles habet, ſtriatos. Semen in vmbella prouenit, petroſelini modo. Radicibus nititur numeroſis aſphodeli modo, teneris, fragilibus, dulci ſapore & amariuſculo, ori gratis, tenui intus matrice, cuius hic quoque imaginem expreſſimus. Hoc vt cenſeam, plura ſunt, quæ me inducunt: primum, quòd Siſer apud veteres, ſi cuncta ab eis de Siſere tractata obſeruentur, paſtinacæ congenere ſit. Namq; Plinius, (vt cæteros omittam) libro 20. cap. 5. vbi de paſtinaca egit, illico de Siſere, tanquam de congenere tractauit, quemadmodum & hoc noſtrum eſſe videmus: præterea, quod eius radix (vt idem Plinius inquit) neruum ſiue matricem intus habeat, quæ eximitur, cùm cocta fuerit. Deinde quod ſeratur frequentius, auulſis à radice agnatis, vt Inula, Lilium, Arum, quàm ſemine, quod ſemine ſatum non niſi tertio anno eſui idoneum proueniat, radice verò quotannis. Id quod feciſſe veteres in Siſeris ſatione teſtatur Marcellus, Dioſcoridis interpres, & Ruellius, qui quamuis non ſcribant, vbi id legerint, nec à quibus autoribus acceperint, ego tamen illis credendum eſſe cenſeo, quòd mihi certò perſuadeam, hoſce probos, doctoſq; viros, haud quaquam ſcripſiſſe hæc, niſi id alicubi legiſſent apud antiquos autores. In qua ſententia confirmat me Columella lib. 11. cap. 3. de re ruſtica, ſic inquiens: Paſtinaca & Siſer, atque Inula, coaleſcunt altè paſtinato, & ſtercorato loco, ſed quàm rariſſimè ponenda ſunt, vt maiora capiant incrementa: quæ verba ſi diligenter expendantur, radice ſeri Siſer, non ſemine facilè conſtabit: quinetiam quòd numeroſa ſit radice Aſphodeli ferè modo, rariſſimè idem poni oportere, vt latius radices fundātur, & incrementum ſuſcipiant. Nam quò craſſiores fiunt, eò guſtui ſuauiores habentur. Ideoq; dicebat Plinius libro 19. cap. 5. inter medica dicendum Siſer, & ipſum Tiberius Princeps nobilitauit, flagitans omnibus annis à Germania. Gelduba appellatur caſtellum, Rheno impoſitum, vbi generoſitas præcipua: ex quo apparet frigidis locis conuenire. Ineſt longitudine neruus, qui decoctis extrahitur: hæc ille. Quibus palam eſt, Germanicum Siſer Tiberio fuiſſe gratum, quòd in frigidioribus regionibus generoſius, & grandius proueniret. Ad hæc ſcribit Dioſcorides, decoctā Siſeris radicem, & ori gratam eſſe, & ſtomacho vtilem. Id quod in huius plantæ radicibus manifeſtò deprehenditur, vbi prius elixæ, & deinde butyro in patellis farina circumlitæ frigantur. Vnus tantùm mihi ſcrupulus reliquus eſt, quippe quòd in hoc noſtrate Siſere nulla ferè percipiatur amaritudo, cùm tamen Galeno, & Plinio, Siſer amarore non vacet. Verùm hoc à mea me non deducit ſententia, quod haud me lateat, regiones ſæpe plātis immutare ſaporē. Siquidem cæpa, quanquam ſui natura acris admodum ſit, in Caietano tamen agro, vbi omnium maxima prouenit, nulla prorſus acredine redundat: id quod multis in locis, in Raphano vidémus, & in Aro (vt Galenus inquit) quod in Cyrenaico agro prouenit. Dixi ſententiam meam, non vt hanc plantam legitimum faciam Siſer, ſed vt noſcant rei plantariæ ſtudioſi, non leuibus rationibus me adductum eſſe ad credendum, eam ipſam eſſe Siſer. Sylueſtre quoque extare Siſer, perinde ac Paſtinacam, teſtis eſt Plinius lib. 20. cap. 5. vbi inquit: Siſer erraticum ſatiuo ſimile eſt, & effectu ſtomachum excitat, faſtidium abſterget, ex aceto Laſerpitiato ſumptum, aut ex pipere, vel mulſo, vel garo. Vrinam ciet, vt Opion credidit, & venerem: in eadem ſententia eſt & Diocles. Præterea cordi conuenire conualeſcentium, aut poſt multas vomitiones perquàm vtile. Heraclides contra argentum viuum dedit, Veneri ſubinde offenſanti, ægriſq; ſeſe recolligentibus. Satiui priuatim ſuccus cum lacte caprino potus ſiſtit aluum: hæc Plinius. Siſeris meminit Galenus lib. 8. de ſimpl. med. facult. his verbis: Siſari radix cocta ſtomacho grata eſt, & vrinam mouet, ſecundo ordine excalfaciens, adiectam habens amaritudinem quandam, cum leuicula adſtrictione. SISER ALTERVM, folia, caules, vmbellas, flores & ſemen habet ſylueſtris paſtinacæ. Radix, napi effigiem repræſentat, colore albicante aut ſubflaueſcente, ſapore ſubdulci, ac ſimul amariuſculo. Seritur in hortis ac etiam in agris, in vniuerſa Germania & Bohemia. Excalfacit & humectat, inflat, aperit, vrinas mouet. Valet radix ad ea omnia, ad quæ Siſer primum valere diximus. Tametſi ſub Siſeris alterius nomine hæc planta poſita ſit, nihil tamen cum legitimo Siſere habet cognationis. Siſer Græcis σίσαρον dicitur: Mauritanis, Culcas, Fiſarum, ſiue Seiſaron: Italis, Siſaro. Siſer alterum: Italis, Carota bianca: Germanis, [illegible], ſiue Girgelin: Hiſpanis, Chirinias: Gallis, Cheruy, ſiue Giroles, aut Carottes blanches.

Siſeris legitimi planta.

Siſer apud Plinium.

Marcel. & Ruel.

Columella.

Siſer Tiberio Cæſ. gratiſſimum.

Cæpa non acris.

Siſer ſylueſtr.

Nomina.

Siſarum, quod cum Elaphoboſco Dioſcoridis & Plinii multum conuenit, dicitur Siſer Brunf. Cord. in Dioſ. Geſ. hor. Lon. Cam. Siſarum, Dod. gal. & fol. Lob. & Tab. Siſer ſatiuum, Fuch. Siſer primum, Matth. Caſt. Siſer alterum, Lac. Siſer Germanicū & Elaphoboſcū Plinii, Cęſal. Siſarū maius, Lugd. Elaphoboſcō Dioſc. Columnæ. II. Quæ pro Siſero altero hic proponitur, Paſtinacā tenuifoliam ſatiuā radice lutea, ad differentiam eius quæ radice alba, & eius quæ radice rubra eſt, vocamus: aliis Staphylinus primus, vt Trag. Staphylinus luteus, Dod. gal. Siſer alterum, Matth. Tab. Siſer Lac. Paſtinaca ſatiua prima, Fuchſ. Paſtinaca ſatiua flaua, Lon. Paſtinaca ſatiua Dioſc. & Daucus Theop. Lob Paſtinaca tenuifolia ſatiua, Dod. fol. Paſtinaca radicibus luteis, Geſ. hor. Carota radice buxei coloris, & Daucus domeſticus Galeni, Cæſal. Carota noſtra lutea, Lugd. Carota altera radice ex albo flaueſcente Caſtori.

Λάπαθον.

## LAPATHVM, SIVE RVMEX. CAP. CVIII.

EX generibus rumicis, oxylapathum vocant, quod in acutum tendit, dura habens extrema, in paluſtribus naſcens. Alius eſt ſatiuus, † illi a diſſimilis. Tertium genus ſylueſtre, paruum, plantagini proximum, humile, & molle. Quartum eſt, quod alii oxalida, alii anaxirida, aut lapathon vocant. Folia eius ſylueſtri, ac exiguo rumici ſimilia: caule non magno: ſemine ſubacuto, rubente, acri, in caule, & agnatis appendicibus, emicante. Omnium decocto olere aluus emollitur. Crudi illitu, melicerides, roſaceo aut croco adiecto, diſcutiuntur. Sylueſtris, & oxylapathi, & eius quam oxalida nominant, ſemen ex aqua, aut vino vtiliter bibitur, contra dyſenterias, & cœliacorum affectus, ſtomachi faſtidia, ſcorpionū ictus. Quòd ſi quis in potu præſumat, nihil moleſti ex ictu patietur. Radices ex aceto coctæ, aut illitæ crudæ, lepras, impetigines, & ſcabroſos vngues perſanant: ſed antea locus aceto, & nitro in ſole perfricandus eſt. Pruritus corporis, decoctum earum ſedat, ſi foueatur: aut in ſoliis balnearum confricetur. Coctæ in vino, & inſtillatæ, aurium dentiumque dolorem mulcent: ſtrumas, parotidaſque diſcutiunt: lienem cum aceto extenuant. Aliqui amoliendis ſtrumis radicū geſtamine vtuntur, eas collo appendentes. Tritæ, & admotæ

a Cat. οὐκ ἀνόμοιον. i. non diſſimile.

fœminarum

I. OXYLAPATHVM.



II. * LAPATHVM SANguineum. *



III. OXALIS SIVE ACETOSA



fœminarum profluuia ſiſtunt: cum vino autem potæ regio morbo medentur, calculos veſicæ comminuunt, menſes cient, ſcorpionum ictibus auxiliantur. Hippolapathon olus eſt magnum, in paludibus naſcens. Eaſdem habet vires, quas ſupradicta rumicis genera.

*TAmetſi Rumex, qui & Lapathum, nomine à Græcis* Rumicis conſideratio.
*mutuato, appellatur, hodie in hortis non ſeratur, in iis*
*tamen ſponte frequens naſcitur, quinetiam incultis locis, foliis nigræ betæ proximis, ſed minoribus, plantagini proximus, humi accubantibus, caule cubitali, ſtriato, flore rubro, ſemine minuto, pellucido, ſubnigricante, radice longa, crocata amaraq;. Lapathum, quod in paludibus naſcitur, Dioſcoridi*
*Oxylapathum vocatur, non quidem quòd guſtu acutum, ſeu* Oxylapathũ.
*acidum ſentiatur, vt oxalis, quam vulgus officinarum Acetoſam appellat, ſed quòd foliis proueniat in acutum deſinentibus. Siquidem ὀξὺ Græcorum appellatione, modò ſignificat acutum ſaporis reſpectu, modò mucronatum reſpectu formæ.*
*Ad quod non aduertentes Auicenna, pariterq; Serapio, La-* Auicen. & Serapi. lapſus.
*pathum omne nullo diſcrimine Acetoſam nominant, perperam id ad ſaporem referentes, quod ad foliorum figuram retulit Dioſcorides in primo lapathi genere. Plinius lib. 20. cap.* Oxylapathũ Plin.
*21. Oxylapathon non niſi in paluſtribus naſcens, ſatiuo ſimilius eſſe ſcribit, cùm tamen alterum alteri diſsimile faciat*
*Dioſcorides. Illud verò, quod ab acido ſucco ὀξαλὶς Græcis di-* Oxalis duplex.
*citur (etſi id ſilentio inuoluat Dioſcorides) duorum eſt generum, maius nimirum, & minus. Illi folia ſunt agreſtis rumicis adeò æmula, vt quandoq; oculos fallant, tanta eſt lineamentorum ſimilitudo, atqui herba deguſtata, illico cognoſcitur. Eſt tamen folio minore, paulo leniore, anguſtioreq; ſagittali fere ab ipſo exortu figura: Radicibus nititur pluribus vbiq; fibratis, ſed haud vt in Rumice crocantibus, acido guſtu, perinde ac folia & caules, caule cubitali, & ſtriato & ſucco ſo. Naſcitur ſponte in pratis, & ſeritur etiã à nonnullis in hortis. Alteri verò folia ſunt longè minora, lanceæ cuſpidis figura, mollia, læuia, quibuſdam veluti capillamentis ſubrubentibus inſperſa, ſuccoſa, foliiſq; maioris acidiora. Semen vtriq; idem ſubrubrum, paruum & acuminatũ, præterquàm quòd*
*maiori maius, minori verò minus.* HIPPOLAPATHI *duo obſeruauimus genera. Hortenſe alterum, alterum ſylueſtre.* Hippolapathum duplex.

 Quod

IIII. OXALIS SIVE ACETOSA minor.



VI. HIPPOLAPATHVM.



VII. HIPPOLAPATHVM ſylueſtre.



*Quod in hortis ſeritur Rhabarbarum Monachorum vocant. Siquidem hoc folio, ſemine, radice, ac cæteris in vniuerſum notis legitimum Hippolapathum refert. Planta eſt grandis, ac formoſa, foliis, ſemine, radicibus, ac cæteris in vniuerſum notis, minori lapatho ſimilibus, ſed omnia lõge maiora, nam folia grandia ſunt, helenij ferè modo, radix pariter grandis, vegeta, fuluo colore. Seritur à pluribus ſpectaculi cauſa in hortis & viridarijs. Sylueſtre autem non ſolum in paluſtribus & vliginoſis tractibus prouenire videmus, ſed etiam in montibus, ijs præſertim in locis, vbi pecudes diutius ſtabulari ſolent, & vbi eorum fimo pingueſcit ſolum, illi planta omnino reſpondens, quæ ſub Rhabarbari nomenclatura, paſſim hodie in hortis ac viridarijs plantatur. Folia gerit numeroſa, magna, hortenſis haud abſimilia, ſed viridiora & aſperiora: caulibus bicubitalibus: floribus in ramuſculorum cacumine numeroſis, rufeſcentibusq́: ſemen profert in rubris folliculis incluſum, acuminatum & ſubrufeſcens. Radice nititur crocante, pollicis craſſitudine, dura ac lignoſa.*

Lapathi vires ex Gal.

*Lapathi meminit Gal. lib. 7. ſimpl. med. ſic inquiens: Lapathum moderatè digerentem ſortitum facultatem eſt, at oxylapathum miſtam: nam ſimul cum eo quòd digerit, nõnihil quoq́ repercutit. Semen eorum manifeſtam quandam etiam adſtrictionem obtinet, adeò vt & dyſenterias, & diarrhœas, ſiue profluuia ſanet, & maximè oxylapathi. Porrò hippolapathum, quod in totum in paludibus prouenit, eaſdem dictis facultates obtinet, ſed imbecilliores. Et libro 2. de alimentorum facultatibus: Rumicẽ, ait, vti antè diximus, ſylueſtrem betam poſſit quis appellare, cùm non guſtu ſolùm, verùm etiam facultate hortenſi betæ perſimilis ſit. Quoniam autem beta iucundior eſt rumice, idcirco ea magis homines veſcuntur. Quare nec nos quoque prolixius hic de rumice ſcribere oportet, cùm in beta omnia ad rem facientia expoſuerimus.*

Oxylapathi vires ex Aetio.

*Oxylapathum (Aetius auctor eſt) peculiariter præſtat aduerſus rabioſorum morſus, ſi vulnus in primis eius decocto foueatur, & deinde herba ipſa illinatur, atque potanda vna cũ radicib. præbeatur.*

Lapathi vires Matthiolo.

*Fit è lapathi acuti radicib. aqua per alembicũ, quæ omnes cutis, & præſertim faciei, maculas ac puſtulas tollit, nempe [illegible] vitiligines, lichenesq́. Sumuntur aquæ radicum oxylapathi, & melopeponis prmaturi ſingulorum libræ*

... dua, oza hirundinum decem, ſalis nitri ſemuncia, Tartari albi vnciæ duæ: attritis terendis ponuntur ſimul cum aqua præſcriptis in vitreum Alembicum, & ſuccenſo igne extrahitur aqua: cum qua mane abluitur facies, & veſperi illitur oleo de Tartaro, & Amygdalino ſimul miſtis. Vinum decoctionis oxylapathi diebus aliquot potum, auriginem pellit, & cutim ad priſtinum nitorem reſtituit. Credunt quidam lippire nunquam eos, qui Rumicis ſylueſtris radicem luna decreſcente effoſſam, nitidiſſimè ſecum portauerit. Oxalis maior refrigerat & ſiccat exceſſu ſecundo digerit, aperit, & nonnihil ... Herba ipſa bilioſis ac peſtilentibus febribus aduerſatur: præſtat & ad cordis affectus. Sitim ſedat, putredini reſiſtit: ... necat, appetentiam excitat. At minor refrigerat, ac ſiccat perinde ac altera digerit, & incidit. Omnia belle poteſt, ... maior, nec infirmioribus pollet viribus. Hippolapathi hortẽſis radicis ſuccus cum ſulphere illitus ſcabiem ſanat, cum lupinorum ... farina lentigines, alphos, & alias cutis infectiones exterit. Radicis dilutum, ex vino paratum, præſtat ad pellendos ... calculos. Idem facit ſiccæ radicis puluis, drachmæ pondere ex meraco potus: quinetiã ex Marrubij decocto hau... auriginem curat. Hippolapatho ſylueſtri eadem inſunt qualitates & vires, quæ & cæteris Lapathi generibus. *Vinum oxylap.*

Planta ... quæ Græcis λαπαθον ἢ ὀξυλάπαθον: Latinis etiam Lapathum & Rumex, Officinis Lapatium acutum appellatur: Arabibus, Hamadh, Hunadh ſeu Hamad: Italis, Rombice, & Lapatio: Germanis Ampffer: Hiſpanis, Labara: Gallis, Lapais. Quæ vero Græcè ὀξαλὶς, Oxalis item Latinè & Officinis dicitur: Germanicè Saur Ampffer: Hiſpanicè, Azederilha: Gallicè, Ozeille, Vinette, & Saliette. Oxalis minor, Græcis ὀξαλὶς μικρά: Italis, Acetoſella, Saecciola & Sannicciola. Hippolapathum, Græcis ἱππολάπαθον: Officinis Rhabarbarum monachorum: Italis, Rombice maggiore. Germanis Mönch Rhabarbaren: Gallis, Reubarbe de marais: Hippolapathum ſylueſtre, Græcè, ἱππολάπαθον ἄγριον Italis, Rombice ſaluatica maggiore. *Nomina.*

† Nihil fortaſſe Plinius à Dioſcoride diſſentiet, ſi in hoc loco ſequamur lectionem Oribaſij lib. 11. ſimplicium, qui habet οὐ κατὰ πᾶν ὅμοιον τῷ πρώτῳ, id eſt, non prorſus ſimile primo. Nam ex hac patere arbitror, non tantum priora lapathi ... inter ſe differre, quantum vulgata lectio innuere videtur.

Lapathum à λαπάζειν exinaniendo nominatur, ſiquidem foliorum decoctum aluum molliat: Latinis Rumex dicitur, quod non tantum ſatiuo competit, ſiquidem Plinius lib. 20. cap. 21. Oxalidi tribuat. Genera plura ſunt Theophraſto 7. hiſt. 4. Plinius loc. cit. quinque recenſuit genera, in noſtro Phytopinace oxalidis decem differentias, lapathi & hydrolapathi tredecim, & hippolapathi duas propoſuimus. I. Lapathũ folio acuto, quod Oxylapathum Dioſcoridi & Plinio C.B. Lapatium acutum & Sicla ſylueſtris Auicennę, Tra. Lapathum acutum & Oxylapathum, Lob. Lapathum ſylueſtre, Geſ. hor. Lapathum & Rumex, Lon. Caſt. Oxylapathũ. Fuch. Dod. gal. Matth. Lac. Lug. Rumex acutus Cor. in Dioſ. Hæc folijs eſt aliquãdo anguſtiſſimis, oblongis & criſpis. II. Lapathum rubens, quod cum oxylapatho plurimum conuenit: ex radice oblonga, mediocriter craſſa, fibroſa, lutea vt in vulgari, á qua ferè magnitudine tantúm differt, caules emittit oxylapatho breuiores, ramoſos: folijs eſt oblongis, aliquando rugoſis, ſaturato rubore nigricantibus, coſta media ac fibris dilutè rubentibus, quæ vna cum caule cruento ſucco turgent, vt ſi terantur manus inficiant: floribus & ſeminibus priori correſpondet. In hortos ſemel ſata, ſeipſam ſemine propagat. Viribus cum oxylapatho conuenit, nitroſiore tamen guſtu eſt, quare eius decoctum, aut ſuccus expreſſus aluum lubricat. Seminis etiam puluerisati in aliquo decocto adſtringẽte exhibiti, in ſiſtendis ſanguineis fluxibus ſingularis efficacia. Dicitur ἐρυθρολάπαθον. Lapathum nigrum Dod. gal. Lapathum rubens, Dod. fol. Lapathum ſanguineum, Lob. & Cam. Lapathum rubrum Cæſalp. Cam. ad Matth. cui & Cretenſe: Lapathi ſyl. tertium genus, Lugd. Sanguis draconis herba, Geſ. hort. & Lonicero. III. Acetoſa pratenſis ſeu lapathum quartũ Dioſcoridis, & Lapathum ſyl. Plinij. C.B. Acetoſa & Lapathum acetoſum, Brunf. Acetoſa, Lon. Oxalis, Trago. Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Lac. Oxalis prima, Cæſal. Oxalis maior, Matth. in icon. Lugd. Lob. cui & Lapathum oxalida. Acetoſa maior, Caſt. Lapathum minimum, Geſ. hort. Rumicis ſeu Lapathi quarta ſpecies, Cord. in Dioſc. Huius folia aliquando criſpantur: aliquando media ipſorum pars per longitudinem candida reperitur: nonnunquam vtrinque ab exortu duplici ſagittali figura conſpiciuntur. Huius ſpecies in montibus reperitur, maioribus & rugoſioribus folijs, quàm ſunt ipſius pratenſis, in reliquis vix differens, quæ in montibus Helueticis & Sabaudicis reperitur: Eſt & alia tuberoſa radice: alia geniculis nodoſis: alia Calthæ folio: alia rotundifolia ſeu Romana, quæ maximis etiam folijs reperitur. IV. Oxalis aruenſis lanceolata. C.B. Oxalis minima, Trago. Dodo. fol. Oxalis minor, Matth. Geſn. hort. Lugd. Oxalis parua, Dodo. gal. Oxalis veruecina tenuifolia ſinuata. Lob. Oxalis ſpõte naſcẽs, Cæſ. Oxalis ouina, Tab. Acetoſa minor, Caſt. Acetoſella, Lon. Rumicis ſeu lapathi ſextum genus, Cord. in Dioſ. Hęc maior minorue, latioribus anguſtioribuſq; folijs, pro ratione loci pinguioris aridiorisue reperitur. Eadem reperitur etiam non lanceolata. V. His addamus Acetoſam Creticam, ſemine aculeato, prius à nemine deſcriptam nec pictam. Hæc cauliculis eſt ſæpe plurimis dodrantalibus, humi reclinatis, in alios ramulos diuiſis, folijs paruis, oblongo pediculo donatis, oxalidis veruecinæ forma, ſed auriculis carentibus, ramulis floſculi iunguntur & adhærent multi exigui, quibus

*V. ACETOSA CRETICA.*



Semen ſuccedit, tenuibus membranis aculeatis incluſum, cuius nomine cum Tribuli terreſtris ſemine ſimilitudinis aliquid habet, minus tamen eſt, minusq́; pungens, cui pediculus oblongus, incuruus, tenuis vt in Caltha additur. Iunio floruit & ſemen maturuit, in horto Illuſtriſs. Ducis Wirtenbergici, qui Montembelgardi colitur. VI. Hippolapathum latifolium, ſeu Hippolapathum Dioſcoridi, Galeno & Plinio C.B. Rhabarbarum, Brunf. Rhabarbarum Monachorum Trag. Geſ. hor. Rumicis alterum genus Fuch. Lapathum ſatiuum Dod. gal. Lapathum hortenſe Lac. Lapathum maximum Geſ. hor. Cæſalp. Lapathi vel Rumicis ſpecies Cord. in Dioſcoridem. Hippolapathum Dod. fol. Matthiol. Hippolapathum ſatiuum latifolium. Lob. Lugdunenſ. Hippolapathum hortenſe Matth. in icon. Lugd. Hippolapathum ſatiuum, Caſt. Tab. Bulapathum Scaligero. Patientia vulgi. Vtimur eo frequenter pro Rhabarbaro, ſed dupla doſi. Eſt & alterum rotundifolium. VII. Hydrolapathum folio cubitali. C.B. Rumex paluſtris vel ſeptimus Trago. Hippolapathum, Dodo. gal. Geſ. hor. Hippolapathum ſylueſtre, Matth. Caſt. Hydrolapathum maius, Lob. Lugd. Lapathum paluſtre, Taber. Rumicis ſeu Lapathi quintum genus, Cordo in Dioſcoridem.

## Λαμψάνη. LAMPSANA. CAP. CIX.

LAmpſana ſylueſtre olus eſt. Plus alit quám rumex, & ſtomacho vtilius. Cuius folia, caulesq́; coquuntur in cibo.

I. LAMPSANA.



*II. RAPISTRVM MONOſpermon.*



*Lãpſanæ cõſideratio.* QVamuis hic inter olera, quæ in alimentorum vſum venere, Lampſana recenſeatur à Dioſcoride, nullis tamen notis ab ipſo deſcribitur, quòd fortaſſe ſuis in regionibus notiſſima haberetur: id quod nobis Italis non euenit. Quamobrem dixerim vnà cùm Plinio lib. 20. cap. 9. inter ſylueſtres braſſicas lampſanam eſſe pedalis altitudinis, hirſutis folijs, napi ſimilemis, niſi candidior eſſet flore. *Lampſana Plinij.* Naſcitur hæc frequentiſſima in Hetruria, Apulia, ac plerisq́; Italiæ locis, ijs præſertim campis, qui aratrum eo anno minimè ſenſere: tametſi nobis hac tempeſtate non fuerit, niſi forſan vrgente annonæ penuria, in alimentorum vſum recepta. *Lãpſanæ vires ex Gal.* Meminit huius Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, his paucis verbis: Lampſana eſa ſuccos prauos procreat. Cæterum illita abſtergendi nonnullam, digerendiq́; facultatem poſſidet. *Nomina.* Olus vt hoc Græcis λαμψάνη, ita Latinis, ſiue Braſſica ſylueſtris nominatur: Italis Cauolo ſaluatico & rapo falſo, & rapaſtrela.

Quæ pro Lampſana à Matthiolo pingitur, Rapiſtrum eſſe aruorum, ex eius epiſtolis ſatis liquet. Hoc Rapiſtrum à ſimilitudine cum folijs Rapæ dictum videtur: Eſt flore luteo, eſt albo, aliquando purpureo, eſt & monoſpermon. I. Rapiſtrum luteum C.B. Lampſana, Matth. Caſt. Lon. Lug. qui & alteram habet figuram, vt ſæpiſsimè ſolet, nomine Lampſanæ veræ. Lampſana flore melino, Taber. Lampſana, Geſ. hor. Rapiſtrum, Brunf. Geſ. hor. Dodo. fol. Rapiſtrum aruorum, Lob. Sinapi agreſte quartum, Trago. Irio Fuch. Eryſimum Theophraſti, Dod. gal. Rapa ſylueſtris altera, Cæſalp. II. Rapiſtrum monoſpermon à nemine prius pictum nec deſcriptum. Ex radice longiuſcula non craſſa exurgunt caules pedales & altiores, rotundi, tenues, ramoſi, eleganter virentes, leuiter hirſuti: folia per terram ſparſa Rapi folijs ſimilia, ad principium laciniata, dein ſubrotunda, leuiter ſinuata, craſſa leuiterque hirſuta, ſecundum cauliculos palmares, tenues, flores prodeunt, vulgari forma eleganter lutei, quibus ſiliquæ pulcherrimæ ſuccedunt, rotundæ quaſi geminatæ, ſibi inſidentes (vt in radice gladioli) ita tamen vt pars ſuperior, in

qua

qua ſemen vnicum continetur, ſit maior: hæ ſtrijs inſtar ſeminis Coriandri diuiduntur, & ſingulæ in oblongum filamentum abeunt. Huius ſemẽ Lampſanæ monoſpermi nomine Doctor Doldius Norinberga tuit. Maio menſe floruit, & ſemen in horto Doctoris Zuingeri hic Baſileæ maturuit.

I. BLITVM MAIVS.



II. BLITVM RVBEVM.



III. BLITVM ALBVM.



## ΒΛΊΤΟΝ. BLITVM. CAP. CX.

BLitum eſtur oleris modo, aluo vtile eſt: nullius in medicina vſus.

*BLitum duorum eſt generum, rubrum nimirum, & album. Vtrumque notum, in hortis ſeritur ac etiam in ijs ſpontè & campis naſcens. Rubro caulis & folia adeò rubeſcunt, vt coccineo colore infecta videantur, etſi temporis tractu tandem purpuraſcant. Folia amaranthum referunt [minus tamen rubeſcentia] ſicut etiam caulis, qui purpuraſcens, ſtriatus, cubitaliſque flores edit ſpicatos, ſiue in racemi modum, pariter purpureos. Quin & radix [multifida] ſanguineo ſucco madet. Eſt in hoc rubri genere alterum, quod nobis* MAIVS BLITVM *vocare libuit, quòd creſcat arbuſculæ magnitudine, folijs, & caule altero longè maioribus: flore grãdi, numeroſis paniculis, ſiue ſpicis ſcatente, cacumine deorſum ſpectante, rubentibus amaranthi ferè modo, caule brachiali craßitudine, ſtriato, firmoque, lignoſo. Seritur in hortis & viridarijs, & habetur etiam fictilibus ad feneſtras opacandas. Auxiliantur peculiariter ad menſes remorantes prouocandos, molas, & ſecundas educendas, ſi fœminæ vapore decocti calidi ſuffiantur, adeò vt vapor ad vterum aſcendat.* ALBVM *prouenit iiſdem folijs, latioribus tamen, & colore ſubalbidis. Flores & ſemen racematim cohærentes, tenuibus inſident ramuſculis, ex alarum cauis prodeuntibus panicularum effigie, ſylueſtris panici modo. Hoc olus Tridentina rura Biedone vulgo appellant, recipiturq́; nonnullis in cibum. Id namq́; aqua prius decoquunt, demum affuſo oleo, vel butyro in ſartagine frigunt, additis allio, & omphacio, vel aceto. Veruntamen cibus is nonnunquam (vt ego ex viſu teſtari poſſum) vo-* [illegible] *mouet, ventriculi, & inteſtinorum tormina facit, & alui fluxiones ciet, excitata bile. Eaque propter Plinius lib. xx. cap. xxii. ita de eo ſcriptum reliquit: Blitum iners videtur, ac ſine ſapore, aut acrimonia vlla: vnde conuitium fœminis* Blitũ duplex. Blitũ maius. Blitum albũ.

apud

*apud Menandrum faciunt mariti. Stomacho inutile eſt: ventrem adeò turbat, vt choleram faciat aliquibus. Dicitur tamen aduerſus ſcorpiones potum, e vino prodeſſe, & clauis pedum illini. Item lienibus, & temporum dolori ex oleo. Hippocrates menſtrua ſiſti eo cibo putat: hactenus Plinius. Bliti meminit Gal. 6. ſimpl. med. his verbis: Blitum olus eſt eſculentum, humidæ, frigidæq́; temperatura, in ſecundo maximè exceſſu a temperatis. Item 2. de alim. facul. Qui porrò, inquit, atriplicis, bliti q́; guſtabilem qualitatem intelligit, braſſicæq́; ſaporis commeminit, lactucam in braſſica, ac horum olerum medio eſſe non dubitabitur: ſiquidem illa egregiè deſiccat, hæc contra planè humida, aquoſaq́; ſunt. Quapropter non ex ſolo oleo, garoq́; ſed addito aceto ſæpius, meliusq́; aſſumuntur: alias namq́; ſtomacho infeſta ſunt. Diximus autem iſtiuſmodi olera nonnihil ad leuigandam aluum momenti afferre, maximè ſi cum humiditate glutinoſam lubricitatem ſortita ſint: hæc Galenus. Quo fit, vt mirari liceat, ſi Plinij, & Galeni ſcripta perpendamus: quòd dixerit Dioſcorides, Blitum aluo vtile eſſe, & nullum in medicina vſus. Eius nomen Græcum eſt βλῆτον: Latinum, Blitum: Arabicum, Bachala iamenia, ſiue Bachale aliamanie: Italicum, Blito: Biedone & Bietolone: Germanicum, Mayer: Hiſpanicum, Bredos: Gallicum, Poree rouge, Blette. Blitum rubrum minus, Græcis βλῆτον μικρὸν: Italis, Blito, Biedone, aut Bietolone minore, & Geloſia. Blitum album, Græcis, βλῆτον λευκὸν: Italis, Biedone & Bietolone bianco.*

Bliti vires ex Galeno.

Nomina.

## *IV. BLITVM POLYSPERMUM.*



Blitum βλῖτον, fortè ita dictum quaſi βλῆτον, id eſt, abijciendum, propter vilitatem, vel ab inſulſo fatuoue ſapore. Genera plura eſſe Theophraſtus 1. hiſt. 9. pronũciauit: quare aliud facimus maius, aliud minus: maius rubrum & album: minus quoq; album & rubrum, hoc verò vel caule tantùm, vel omnibus partibus rubet. I. Amaranthus maximus ſiue criſtatus, an Eryſimũ Theophraſti 8. hiſt. 1. & 3. vbi Gaza Trionum vertit, C. B. Blitum maius, Matth. Blitum rubrum maius, Caſt. & Lug. quod Polyanthes Dalechampius appellat: Bliti peregrini genus primum, Cæſalp. Blitum Indicum, Taber. Amaranthi ſpecies alia: arboreſcens cognominata, Geſ. de hort. Amaranthus purpureus tertius, Dodo. gal. Amaranthus maior floribus obſoleti coloris, Dodo. fol. Amaranthus maior floribus panniculoſis, ſpicatis purpureis, Lob. Amaranthus magnus, Cam. II. Blitum rubrum maius C. B Blitum rubrum, Matth. Lob. icon. Dodo. fol. Cam. Blitum rubrum minus, Matth. in icon. & Lugd. Blitum maius rubrum vel ſecundum, Dodo. gal. Blitum ſatiuum rubrum, Geſ. hor. Blitum primum vel rubrum, Cæſalp. Blitum, Lob. obſ. & Taber. III. Blitum maius album. C. B. Dod. gal. Lob. Lugd. Blitum album, Matth. Caſt. Blitum ſatiuum album, Geſ. hor. Blitum, Lac. Blitum maius, Dod. folio. IV. Blitum polyſpermum adiecimus, à ſeminis copia qua cauliculi onerantur dictum, quod ex radice alba gracili, plures caules ſeſquicubitales, etiam minores, ſtriatos emittit, folijs paucioribus, pediculis oblongis donatis, eos cingentibus, Solani vel etiam Bliti forma, modò latiores, modò anguſtiores, ex viridi nigricantes, ſummis tamen minoribus: ex caule prodeunt plures ramuli, floſculis racemoſis & muſcoſis, ex luteo viridibus onuſti, quibus ſemen copioſiſſimum Botryos inſtar nigrum & ſplendens ſuccedit. Prouenit in noſtris arenoſis ad Wieſam fluuium, ſed longè humilius: maius verò in pinguioribus locis vbi fimum reperitur, inter Blitum & Atriplicem. Hoc mirè capi piſces auctor eſt Caſſianus, cui Polyſpermon dicitur, vt & Lugd. cui & Anguillara experimẽto nixus ſubſcripſit: Polyſpermon, Lob. & Tab. Blitum ſylueſtre, Cam. ad Matt. quid ſi ad Blitũ tertiũ Tragi referatur?

## Μαλάχη. MALVA. CAP. CXI.

Malua ſatiua eſui longè aptior ſylueſtri: ſtomacho aduerſatur: aluum iuuat, ſed multò magis caules interaneis, & veſicæ vtilis. Cruda folia cum ſalis exiguo manducata, ægilopas ex melle ſanant: verùm cùm cicatricem trahere cœperint, ea demum citra ſalem vtendum eſt. Contra aculeatos apum, veſparumque ictus, illita efficax eſt: eadem cruda cum oleo trita perun̄cti non feriuntur: vlcera manantia in capite, furfureſq; cum vrina ſanat. Sacris ignibus, & ambuſtis decocta folia, tritaque vtiliſſimè ex oleo imponuntur. Eius decoctum vuluas inſeſsione mollit: prodeſt eroſionibus veſicæ, & inteſtinorum, vuluæ, ſediſq; clyſtere infuſum. Ius decoctæ cum radice ſua contra omnia venena auxiliatur, ſi continuo á bibentibus reuomatur, contra phalangiorum morſus remedio eſt: lac euocat. Semen in vino potum, addito loti ſylueſtris ſemine, veſicæ cruciatus lenit.

Maluæ conſi.

*Malua vulgaris adeò notitiæ eſt, vt nulli ferè reperiantur, qui eam non nouerint: hæc olim antiquis de induſtria in hortis ſerebatur, in quibus nunc ſpontè frequentiſſima prouenit: ea enim tunc veſcebantur homines, cæterorum olerum modo. Plura eius genera: Vna hortenſis, altera agreſtis, & vtraque maior, & minor. Vulgaris adeò notitiæ Malua eſt vt eam calamo delineare opus non ſit, ſed ea, quæ aliquibus locis in Italia arboreſcit, nil aliud eſt, quàm ſatiua culturæ mangonio in tantam magnitudinem aſſurgens, vt lib. 1. de plant. hiſt. cap. 5. prodidit Theophraſtus, cùm inquit: Quædam etiam comperta ſunt ob culturam diuerſa effici, atque à ſua natura diſcedere, vt Malua in altum ſe attollens, atque in arborem tranſiens. Quippe ita fit neq́; tempore longo, ſed menſibus ſenis, aut ſeptenis, ita vt longitudine, craſſitudineq́; inſtar haſtæ*

Malua in arborẽ Theophraſti.

I. MALVA.



II. MALVA MAIOR.



* III. MALVA ROSEA flore pleno.*



*haſta poßit grandeſcere: quapropter cõmodè ad vſum baculi venit. Tempore verò longiore exacto, pro ratione magis quoque incrementa capeßit: hactenus Theophraſtus. Plinio lib. 19. cap. 4. præter eam, quæ in Arabia ſeptimo menſe arboreſcit, & baculorum vſum præbet extemplo, eſt & Malua arbor in Mauritana Lixi oppidi æſtuario, vbi Heſperidum horti fuiſſe produntur. Ipſa altitudinis pedum viginti, craßitudinis quam circumplecti nemo poßit: in ſimili genere habetur & canabis. Maluã, quæ in arborẽ degenerauerat, vidi ego primùm Grignani ad Benaci ripas, in quodã monachorũ cœnobio, vbi eorũ otio, & cultu tantã ſibi aſciuerat amplitudinẽ. Eſt & ea inter maluarũ genera recẽſenda, quæ in hortis ac viridarijs grandeſcit arbuſculæ inſtar, caudice ſimplici, magno, rotũdo, baculi faciẽ referẽte, folijs amplis, raris & quæ ad terrã ſunt, nõ vt in altera diuiſa ſpectãtur, ſed tantũ per ambitũ leuiter ſimbriatis ſerratis: ijs verò, qui in caule ſunt, vulgaris maluæ modo diuiſis floribus vt in altera roſæ maioribus, & nõ vt in altera verſicolorib. ſed in quibuſdã ſimplici omnino foliorũ ordine, ſylueſtris roſæ modo, in alijs verò multiplici. Radice nititur firma, diuaricatãq; ſemine lupino maiore. At POLYCAVLON, folia gerit hortenſis maluæ grandiora, ſubhirſuta, per ambitum hortenſis maluæ modo diuiſa, longiſq; pediculis appenſa. Stolonibus pluribus ab vna radice prodeuntibus, tricubitalibus, & quandoque maioribus, ſubhirſutis, baculi effigiem referentibus: floribus, in toto ferè caule magnis roſarum effigiem referentibus, folioſis, colore vario: nam in quibuſdam plantis purpureus, inflammatus, in aliquibus candidus, in nonnullis, carnis colorem referens, viſitur, adeo vt forma ita etiam colorẽ cum roſis certare videatur. Huius flores minus quàm roſæ fugaces ſunt, ſed inutiles & nullo prorſus odore præditi [*Nam ſi vt roſæ nares conciliarent, quemadmodum oculos hilari forma ac coloris viuacitate alliciunt, nulli dubium eſt, quin de præſtantia ac pulchritudine cum roſis certare potuiſſent.*] At Roſa etſi fugacior ſit, hoc magnopere præcellit, quòd odore ſit gratißimo, tam recens, quàm ſiccatum quoque quod præclariſsimis ſit facultatibus prædita. Semen edit cæteris maluis ſimile, ſed maius. Radice nititur longa. Althææ modo flexili; ac lenta. Seritur in hortis, & viridarijs, ac etiam in fictilibus, ad opacandas in æſtate feneſtras. Hanc itaque, nihil eſt, quòd*

Malua arbor Plinio.

Malua roſea.

quod prohibeat, quin Maiorem maluam appellare poſſimus: quanquàm non deſint, qui arboream maluam ipſam appel-
lent. Cum tamen Gal. li. 7. de ſimpl. medic. facultatibus, & li. 14. nihil aliud ſit ἀν᾽αδενδρομαλάχη quàm Althea. Ea om-
nia facile præſtare poteſt, quæ & cætera maluarum genera. Scripſit ad me ſuperioribus annis Ioan. Iordanus Medicus, naſci
arboreã maluã copioſam in Genuenſi litore, ſed hactenus non potui ab eo hanc plantã extorquere. Quartã quam hic quoq;
expreſſimus, nuſquam antea à me conſpectam, mihi dono miſit Franciſcus Calzolarius Pharmacopæus Veronenſis, & rei

Malua quarta.

IV. MALVA MAIOR altera.



V. MALVA QVARTA.



plantariæ ſtudioſus. Folia profert oblonga Hederæ helicis ferè modo, per ambitum ſinuata, ſed haud profundè diuiſa: pedi-
culis prælongis inhærentia, caulibus multis, lentis ac folioſis: floribus ac ſeminibus hortenſis maluæ. Prouenit ſponte in altis
montibus. Magis digerit quàm domeſtica, minusq; humiditatis habet. Non differt viribus ab alijs Maluæ generibus. Maluæ
radix ſicca, die vna in aqua macerata, & deinde madida papyro circumuoluta, & ſub cinere feruenti decocta, & iterum
ſiccata, vtiliter vſurpatur ad dentifricia: mundat enim affricta dentes, & gypſeam materiam ſoluit. Foliorum & radicum
decoctum gargarizatu exaſperatas fauces lenit, mucago verò acrimonias emẽdat: Feruefacta folia in cibum appoſita ran-
cedines expediunt, ex oleo autem, ſale, & recenti butyro aluum citant. Fit è folijs cum ſalignis frondibus tritis præſtantiſſi-
mum emplaſtrum ad vulnerum, & alias quaſcunque inflammationes. Valent eadem cum porris & capis illita ad ſer-
pentium venenoſorum morſus. Succus auribus inſtillatus dolorem ſedat. Decocta vnà cum radice ad lentorem vſq; datur po-
tanda ægrè parturientibus magno iuuamento: id quod etiam præſtat ſuccus ſelibræ pondere hauſtus. Semen ex vino rubro
potum nauſeam tollit. Cauliculi molles decocti delibratique comeduntur ex aceto, & oleo, & ſale, aſparagorum modo,
prima ſtatim menſa, ad citandam aluum: in ſumma, malua ad multa vtilis eſt. Ideoque non immeritò antiqui Maluam
omnimorbiam appellauerunt. Datur vtiliter ſuccus potandus melancholicis ſex vnciarum pondere, at inſanientibus vnciæ
octo propinantur. Maluæ meminit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Malua agreſtis quidem dige-
rentis paululum, & emollientis leuiter eſt facultatis: Hortenſis verò quantò plus habet aqueæ humiditatis, tantò faculta-
te imbecillior eſt. Fructus eius tantò validior eſt, quantò & ſiccior. Porrò huius generis eſt & ea, quæ anadendromalache
nuncupatur, ſed efficaciſſima comprehenſarum in digerendo: appellatur etiam althæa. Et libro 2. de alimentorum faculta-
tibus: Eſt, inquit, ab hac hortenſi alia quædam ſylueſtris malua, ceu à lactuca eſt θριδακίνη, id eſt lactuca ſylueſtris: Inter ve-
rò has congeneres plantas id eſt diſcriminis, nempe quòd ſicciora ſint ſylueſtria, ſatiua humidiora. Permiſtum quoque eſt
maluæ ſucco aliquid glutinoſum, quo lactuca caret. A refrigerandi facultate manifeſtè abeſt, vt etiam ante ſumptionem
cernere licet, ſi ex ambobus viciſſim oleribus cataplaſma ad calidum quempiam affectum, quale eſt eryſipelas, componas: id
quod factitare homines conſueuerunt, molliuſcula folia perquàm diligenter tundentes, donec ad læuorem exactiſſimum re-
dacta ſint. Tum namq; cognoſces lactucam manifeſtò refrigerare, maluam verò modicum, & quaſi tepidum quendam ca-
lorem obtinere. Facile hoc olus deorſum labitur, non tantùm quia humidum eſt, ſed etiam quia glutinoſum, præcipuè cum
oleũ garumq; affatim vna hauritur. Ad concoctionem mediocriter ſe habet. Si horum trium olerum ſuccos inter ſe compa-
res, tenuis & abſterſorius beta, malua craſſior glutinoſiorq;, lactuca in vtriuſq; medio ſtatuetur. Herba, quæ Μαλάχη Græ-
cè, Malua Latinè vocatur: Arabicè, Chubeze, ſeu Chabazi: Italicè Malba & Malua: Germanicè, Pappel: Hiſpanicè, Mal-
uas: Gallicè, Malue. Malua arborea, ſiue Malua maior: Græcis Δενδρομαλάχη: Italis, Malba ſiue Malua maggiore: Germa-
nis, groſſe Pappeln: Gallis, Malues de iardin. Malua maior vnicaulis Græcis Δενδρομαλάχη μονόκαυλος: Italis, Malua
arborea, ſiue Malua maggiore d'un gambo ſolo. Malua hederacea, ſiue montana: Italis Malua ſaluatica montana.

Maluæ vires Matthiolo.

Omnimorbia.

Maluæ vires ex Gal.

Nomina.

Malua quòd aluum molliat, idcircò Græcis μαλάχη à μαλάσσω emolliendo ventre, propter naturalem lentorem ſuum, vt Paulus aſſerit: vnde Martiali Mollis dicitur. Nouem ſpecies in Phytopinace recenſuimus. I. Malua ſylueſtris folio rotundo, quam Theophraſtus 7. hiſt. 7. coqui, & cibo eſſe idoneam ſcribit. C.B. Malua, Brunf. Matth. Lac. Caſt. Malua vulgatiſsima & prima, Trago. Malua ſylueſtris pumila, Fuch. Dod. gal. & fol. Thal. Malua ſylueſtris repens pumila, Lob. Lug. Malua ſylueſtris ſupina, Cord. hiſt. Malua agreſtis minor, Geſ. hort. Malua minor, Lonic. Malua ſylueſtris minor, Tab. & vulgaris minor Cam. Malua flore candido, Cæſalpino II. Malua roſea folio ſubrotundo, flore ſimplici, quæ Malua ſatiua eſt apud antiquos, & quam cultu arboreſcere ſcribit Theophraſtus, Malope Plinio C.B. Malua hortulana Brunf. Malua hortenſis vel Romana, Trag. Cam. Malua Romana, quibuſdam Haſtula regia Apuleij, Geſ. hor. Malua hortenſis, Fuch. Dod. fol. Lac. Malua ſatiua, Dod. gal. Malua maior, Matth. Malua roſea fruticoſa, Lob. Malua arborea ſiue hortenſis. Tab. Malua roſea ſimpliciore flore, Lug. Floribus eſt candidis, rubentibus ſaturatis vel dilutis, ſiue ex rubro nigricantibus. III. Malua roſea folio ſubrotundo, flore pleno, C.B. Malua Romana multiplex, Trag. Geſ. hort. Malua roſea, Matth. (in minoribus figuris pingit ſimplici, in maioribus pleno flore) Malua roſea multiplex, Lob. Tab. Lug. cui & Roſa tranſmarina. Malua hortenſis multiplici flore, Dod. fol. Lon. Habetur candido, incarnato, rubro, puniceo, nigricante flore, eoq; maiore & minore. IV. Malua arborea Veneta dicta flore cæruleo. C. B. Malua maior altera, Matth. Lugd. Malua arboreſcens, Geſ. hor. Dod. fol. Cam. Malua arborea, Caſt. V. Malua montana hederaceo folio, C.B. Malua quarta, & Malua hederacea ſiue montana eidem in icon. & Caſt. Malua maior tertia Matthioli, Lugdunenſi.

## Ἀτράφαξις. ATRIPLEX. CAP. CXII.

ATriplicem aliqui chryſolachanon vocant, cognitum olus eſt: duo eius genera, ſylueſtre, & ſatiuum. Coctum eſtur, vt olus: aluum mollit. Panos diſcutit, ſiue crudum, ſiue coctum illinatur. Semen cum aqua mulſa potum, regium morbum ſanat.

I. ATRIPLEX DOMEſtica.



II. SPINACIA.



ETſi in Hetruriæ hortis rara admodum ſit Atriplex, frequentiſſima tamen apud Inſubres ſeritur à ruricolis in hortis, & in campis, quòd ex ea præſertim rura ſibi quoddam placentæ genus conficiant hoc modo. Incidunt enim acutiſſimo cultello Atriplicis folia, & caſeo in ſcobem attrito, butyro, ac ouis commiſcent, & in ſartaginibus folioſa paſta ſubſtrata, decoquunt, comeduntq́, abunde, perunctis vndique labijs. Hæc inter olera ocyſſimè aſſurgit: nam & ſeritur, & manditur decimo quinto à ſatu die. Trium eſt generum, hortenſe, ſylueſtre, marinum. Hortẽſis ATRIPLEX folia promit [humotenus] cauletenus lata, in mucronem tamẽ deſinentia, ſagittarum inſtar, pinguia, ſuccoſa, colore ex viridi in luteum langueſcente. Caulis, qui illi rubet, multis vndique adnatis ramis, ad quatuor cubitorum menſuram adoleſcit: ſemine ſpicato, preſſis, tenuibusq; folliculis concluſo. Præſtat Atriplex in cibis vere tantùm: ſiquidem vt ocyſſimè creſcit, ita & velociſſimè ſeneſcit, & deperditur. Credidere recentiorum quidam Atriplicem, & Spinaciam vulgò dictam, eiuſdem eſſe generis. Verùm ij, meo quidem iudicio, falluntur apertiſſimè: quippe præter id, quòd Spinacia nouum in Italia olus eſt, & foliorum, & caulis, & ſemi-

Atriplicis cõſideratio.

Recẽtiorum quorundam opinio reprobata circa Spinachiam.

Plantaginis vires ex Gal.

*culdubio falluntur. Plantago (vt ſcriptum reliquit Gal. lib. 6. ſimpl. med.) miſta eſt temperatura: habet enim quiddam aqueum frigidum, habet verò & auſterum quiddam, id quod terreum eſt, ſiccum, frigidum. Itaque refrigerat ſimul, & deſiccat, & in vtroque ſecundi exceſſus à mediis eſt. Porrò medicamenta, quæ cum hoc quod refrigerant, vna etiam ſicca ſunt, ea & ad vlcera rebellia omnia, & ad fluxiones, & putredines conueniunt, ac proinde & ad dyſenterias: nam & ſanguinis profluuia ſiſtunt, & ſi quid aduratur, refrigerant: tum ſinus quoque glutinant, & alia vlcera recentia ſimul & vetera. In omnibus ferè id genus medicamentis primas tenet, aut certè nulli ſecunda eſt plantago, idque temperaturæ ſymmetria, & conuenientia. Nam ſiccitatem obtinet morſus expertem, & frigiditatem, quæ nondum obſtupefaciat. Semen eius, & radix ſimilis ſunt facultatis, niſi quòd ſiccioris, & minus frigidæ. Sed ſemē etiam ſubtilium eſt partium: radices vero craſſiorum. Ipſa autem herbæ folia exiccata tenuioris, & minus frigidæ facultatis fiunt: nempe diſſlato ex eo, ac digeſto excremento aqueo. Hac ratione & radicibus vtuntur ad dentium dolores tum mandentes, tum collutionibus ipſorum incoquentes. Præterea ad iecinoris, & renum obſtructiones, non has tantùm adhibent, ſed folia quoque, & multò magis ſemina. Hæc enim quandā in ſe abſtergendi facultatē obtinent: quā & in herba viridi ineſſe ſatis conijci poteſt, verùm ab humiditatis copia vinci.*

Nomina.

*Herba, quæ Græcis ἀρνόγλωσσον, Latinis Plantago vocatur: Arabibus, Liſen, aut Leſan alhamel: Italis, Piantagine, ſeu Centinerbia: Germanis, Wegerich: Hiſpanis, Lhantem, Tamchagem: Gallis, Plantain. Plantago media ſiue minor, Græcis ἀρνόγλωσσον μικρὸν, ſiue μέσον: Italis, Piantagine minore. Plantago longa Græcis, ἀρνόγλωσσον μακρόν: Italis, Piantagine longa, ſiue Lanciola. Plantago aquatica recentioribus appellata, Græcis incognita: Officinis, Barba ſyluana: Italis, Piantagine aquatica.*

IIII. PLANTAGO LONGA.



V. PLANTAGO AQVATICA.



Plantago à planta ducto nomine, plures habet differentias, vt in Phytopinace monuimus. I. Plantago latifolia maxima ſinuata. C.B. Plantago rubea, Brunf. Trag. Lon. Plantago maior, Matth. (figuræ enim trāſpoſitæ in aliis editionibus) Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Tab. Caſt. Cam. Plantago latifolia, Cor. in Dioſc. Plantago vulgaris latifolia, Lob. & Lugd. Arnogloſſa. Plantago latifolia læuis, Lob. icon. Plantago πολύνευρος maior ſeu rubra. Thal. Plantago & Centineruia, Cæſalp. II. Plantago ROSEA, quæ Plantaginis latifoliæ maximæ ſpecies eſt, cum ea foliorum forma & radice conuenit, at caule, ſeu ſpica variat, quæ multo breuior eſt: antequam enim penitus adoleſcat, multis foliolis conueſtitur, ita vt foliorum & denſitate & frequentia herbaceum florem multiplicis roſæ inſtar, forma non colore, oſtendat. Vocatur Plantago roſea Aduerſ. Lob. icon. Lugd. & Cam. Plantago multiplex Tabernæmontano. III. Plantago latifolia maior incana. C.B. Plantago maior, Brunf. Matth. Lac. Lon. Lugd. Plantago maior incana, Lob. Plantago media, Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Thal. Plantago latifolia vel media, Trag. Plantago tertia, Cord. in Dioſc. Plantago minor Dioſcor. Tab. Cynogloſſa quorundam, Lugd. Hæc etiam reperitur ſpica multiplici ſeu pannicula ſparſa. In hoc genere & minor eſt. IIII. Plantago anguſtifolia maior. C.B. Plantago minor, Brunf. Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lac. Lon. Lugd. Plantago lanceolata, Trag. Tab. Plantago longa, Matth. Plantago anguſtis oblongiſque foliis, Cord. in Dioſc. Plantago quinquenerua, Lobel. Plantago media, Caſt. Lanceola vulgo, Cæſalp. Plantago πεντάνευρος minor, Thal. Hæc aliquando caulem palmarem emittit, in cuius ſummitate folia plura habentur, eo modo quo ad radicem diſpoſita: ſpicis rotundis breuiſſimis, panniculis lanuginoſis inſidentibus. Habetur & altera anguſtiſſimo folio, quam in Phytopinace deſcripſimus. Addere oportet & anguſtifoliam minorem: & denique paruam

quandam,

quandam, quæ ſpicarum loco globulos habet hirſutos, albos, quam à Doctore Io Henrico Cherlero vnà cum aliis Nemauſo accepimus, cuius & iconem & deſcriptionem in vniuerſali noſtra hiſtoria exhibebimus. V. Plantago aquatica latifolia. C.B. Barba Syluana, Ianuenſi: Plantago aquatica, Brunf. Trag. Matt. Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. (cui impropriè plantago) Lon. Caſt. Lugd. Thal. Cæſalp. qui vult plantaginem maiorem Dioſcoridis & Plinii, ab hac non abhorrere. Plantago paluſtris ſiue aquatica, Tab. Plantago aquatica foliis Betæ aut Plantaginis, flore Gallii albi, Lob. icon. qui in obſer. an Aliſma ſiue Damaſonium ſit dubitat. Reperitur huius ſpecies anguſtifolia, quæ & humilior eſt.

## Σίον. SIVM, SEV LAVER. CAP. CXX.

SIon in aquis inuenitur, frutice pingui, recto, foliis latis, oluſatro ſimilibus, ſed minoribus, & odoratis. Quę cruda, coctaque eſu, calculos rumpunt, atq; excernunt: vrinas cient: menſes, & partus extrahunt: dyſentericis in cibo auxiliantur. De Sio Crateuas tradit, a herbam eſſe fruticis ſpecie, pauca folia ferentem, rotunda, maiora quàm menthæ, nigra, & † ad erucam accedentia.

a Me. & Dra. πόα θαμνώδης ὀλίγη ἔχουσα πολλὰ φύλλα περιφερῆ. i. herba fruticoſa, exigua, habens multa folia rotunda.
† Ol. λιπαρὰ. i. pinguia.

I. SIVM VERVM.



II. SIVM VVLGARE.



SIum in ſcaturientium fontium riuis, quorum aquæ hyeme calent, æſtate verò frigeſcunt, plerumque naſcitur. Cæterùm falluntur apertiſſimè, qui pro Sio herbam Creſcione vulgò vocatam, tam ſcilicet dulcem lactucæ ſimilem, quàm acrem, ac ſubamaram, cui naſturtij ſapor, & erucæ folia inſunt, in medicamentis vſurpant. Quippe quòd ea non alia ſit planta, quam ſiſymbrium aquaticum ſequenti capite à Dioſcoride deſcriptum, non legitimum Sium, quod noſtratibus Senenſibus vulgò vocatur Gorgoleſtro. Hoc enim à Dioſcoridis Sio nullis prorſus diſſidet notis: quandoquidem pinguis eſt planta, caule exit recto: foliis latis, in ambitum ſerratis, oluſatro ſimilibus, ſed minoribus, & odoratis: vmbellas profert in ſummis caulibus, floribus candidis: ſemine odorato, aniſo non diſſimili. Rari admodum ſunt fontium riuuli, quibus aquaticum ſiſymbrium innatet, qui Sium etiam nõ habeāt. Sium V V L G A R E, caulem edit ſtriatum, ramoſum, inanem, tenerum, fragilemq;: folia gerit apij, non inſuauia, floſculos in ſummitate albos, ſemine corniculis incluſo, paruo, minutoq;: radice ſupernacua. Prouenit tantum in aquis decurrentibus, perinde ac Sium verum. Plin. lib. & ca. 22. Sium cum aquatico ſiſymbrio confudiſſe videtur: quòd Sio Siſymbrii aquatici vires aſſignauerit, nominis fortaſſe communitate deceptus. Nam Dioſcoridis teſtimonio, ſiſymbrium hoc, quod aliqui cardaminam vocant, nonnulli etiam Sium appellant. Vnde quòd fortè exiſtimauerit Plinius, Sium & Cardaminam vnam & eandem plantam eſſe, vni tantùm Sio vtriuſq; facultates reddidit: etſi prius lib. 20. cap. 22. ſpeciatim de ſyluestri ſiſymbrio in riguis prouenıente diſſeruerit. Serapio Sium Senation vocat: verùm Senecio Dioſcoridi alia eſt planta, vt lib. 4. in eius mentione explicabitur. Confert Sium in cibis ijs, qui oculorum hebetudine laborant, quinetiam ſpleneticis, & malo habitu laborantibus. Cruda folia coctave eſa, calculos rũpunt atque excernunt, vrinas cient, menſes & partus extrahunt, dyſentericis in cibo auxiliantur. Hepatis obſtructiones quoque expedit, vniuerſa plantæ decoctum potum, auriginem tollit, hydropicos iuuat. Ventris tineas pellit, id quod valentius facit eius ſemen tritum, cochlearis menſura, ex vino auſtero potum. Succus illitus lentigines delet. Decoctum cum ſale, & nitro, equorum ſcabiem ſanat. Vtuntur etiam eo quidam in acetariis. Sium vulgare, excalfacientis eſt facultatis, quæ tamen imbecillior

Sii conſid.

Plinii lapſus.

Senatio Serap.

Sii vſus.

*III. SPINACHIA SEMIne non ſpinoſo.*



IV. ATRIPLEX SYLueſtris. I.



V. ATRIPLEX SYLVEſtris. II.



VI. ATRIPLEX SYLueſtris. III.



*& ſeminis forma, atq; colore ab atriplice maximè differt, ſicuti & ſapore. Namque ſuſpicatur Manardus Ferrarienſis, neſcio tamen qua ratione ductus, Atriplicem, & Spinaciam Chryſolachani ſpeciem eſſe. Sed eius ſententiam minimè probandam cenſeo: chriſolachanon enim Latinis aureum olus ſignificat: quod tametſi Atriplici competere poßit, non tamen ob id Spinaciæ conuenire videtur, quæ folijs, caule, flore, ac ſemine perpetuò vireſcit. Seritur Auguſto, quinetiam Martio. Naſcitur*

Spinachiæ deſcript.

*VII ATRIPLEX ANGVſto Centinodiæ folio.*



IX. ATRIPLEX MArina.



ſcitur ſeptem diebus à ſatu, folio primùm triangulari, deinde ſagittali, mox à pediculo intubi ſylueſtris modo laciniato: exigua nititur radice, tenuibus capillamentis fibrata, caule cubitali, & ſæpe longiore, intus cauo. Flores gerit in vertice rotundos, paruos, herbaceo colore, racematim cohærentes: ſemen ſpinoſum, anguloſumque prouenit, in quocunque ſolo, quod ſtercoratum fuerit, & copioſa vbique creſcit in hortis: hyemes, & frigora ſpernit. Nam in Bohemia, hyeme tota, venalis in plateis reperitur, & frequentiſsima. In quo genere fœmina quoque habetur: hæc facilè noſcitur, quòd ſemen nuſquam proferat. Non deſunt, qui putent hoc olus ex Hiſpaniјs primùm fuiſſe aduectum, ob idque volunt ſpanaceum, non ſpinaceum appellari debere, ſed reuera, à ſpinoſo ſemine ita denominari cœpit. Coquitur plerunque ſine aqua, nam cum multum humoris inter coquendum remittat, proprio contentum iure videtur. Refrigerat, & humectat ordine primo, nec omnino vacat nitroſa qualitate, aluum emollit, flatus parit. Bibitur eius ſuccus ad ſcorpionum, phalangiorum & araneorum ictus, ac etiam vulneri illinitur, quinetiam coctum lenit exaſperatas fauces. Cæterùm duo alia Atriplicis genera habentur, vnum ſylueſtre, alterum maritimum. Sylueſtre aliquot habet ſpecies: nos hic tres excudi curauimus, foliorum diuerſitate diſsimiles. Primum genus folia edit hortenſi haud diſsimilia, minora tamen & quæ ad terram ſunt per ambitum laciniata, ſubalbicantiaque: caulem ſeſquicubitalem, ramoſum, ac etiam ſtriatum, ſemen racemoſum, & exile. Radicibus nititur numeroſis, ac tenuibus. Naſcitur ſponte cum in hortis, & vineis, tum ſecus itinera, & locis incultis & campeſtribus. Secundum folijs exit latioribus, quercus modo per ambitum inciſis, ſubalbicantibus: cætera cum altera paria ſunt. Naſcitur propè vrbium mœnia, & locis quoque alijs incultis. Eædem illi ſunt qualitates & vires, quæ priori. Tertium folia habet lata, viridia, carnoſa, per ambitum laciniata & in acutum deſinentia: ſemen racemoſum, cæteris minutius, caule ramoſo, firmo atque ſtriato. Naſcitur intra & extra vrbium, & oppidorum mœnia, & in areis. Viribus præſtat, quibus & præcedentes.

Spinaciæ fac.

Atriplicis alia genera.

ATRIPLEX verò in maritimis naſcens, humi iacet, ſuos circumquaque caules ſpargens, in quibus folia ſunt ſubalbicantia, ſpinachij oleris figura, ſed minora, ſalſo ſapore. Semen profert in caulium ſummitatibus, baccis quibuſdam inæqualibus racematim cohærentibus Radice nititur diuaricata, multiplici. Vis illi, quæ cæteris atriplicibus, ſed propter ſalſedinem, qua referta eſt, magis quidem aluum citat, magisq́; abſtergit, ſi è carnium iure decocta edatur: digerit, incidit, attenuat, liquat, à putredine vindicat, aperit, & abradendo expurgat. Humentem ventriculum ſiccat, hydropicos iuuat, pingues extenuat. Huius nulla (quod equidem ſciam) facta eſt mentio à Dioſcoride & Galeno, ſed ijs facilè ſeſe offeret, qui non grauabuntur, vt hanc & alias maritimas herbas cognoſcant, maris litora peragrare. Eam nos copioſam inuenimus Tergeſti ad ſalinas in maris litore, nimirum diuerſam ab halimo olere maritimo, vt eius imago, quam hic damus, apertè declarat. Inibi quoque plantam illam nobis contigit videre, quæ KALI Mauritanis appellatur, cuius cinere vtuntur fabri vitrarij ad vitrum conficiendum: ex decocto autem eiuſdem herbæ paratur ſal illud, quod Alkali ijſdem dicitur. Hæc cùm primum terra emergit, folio eſt tereti forma, minori ſedo non abſimile: atque deinde creſcens, caule erecto, geniculato, nõ multo poſt tempore in digitalem fermè longitudinem attollitur. Cùm verò amplius adoleuerit, è geniculis folia emittit pinguia ac craſſa, in medio caua, & ex lata origine mucronata. Vbi denique planta adulta ſeneſcit, folia in caulium cacuminibus longè minora exilioraque conſpiciuntur, colore ruſo: ex quorum ortu pilulæ prodeunt rotundæ ac paruæ: quibus exile ſemen includitur. Caules habet pingues & ruſos. Sapor vniuerſæ plantæ ſalſus, veluti crithmo. Itaque excalfacit, adſtringit, diſſoluit: attenuat, contrahit, & deſiccat citra apertam caliditatem aut ſiccitatem. Hanc quidam alteram Dioſcoridis Anthyllidem eſſe cenſent: ſed errant, meo quidem iudicio, vt latius dictum eſt in ſequenti libro, tum etiam in ea Apologia, quam in Amatum illum Luſitanum ſcripſimus. Atriplex, vt memoriæ prodidit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, humida, & frigida temperie eſt, humida quidem ſecundi ordinis à medijs, frigida veró primi, quam vtique tepidam eſſe caliditatem

Atriplicis marinæ deſcriptio.

Kali Mauritanorũ mentio.

Kali Anthyllis altera quibuſdam.

Atriplicis vires ex Gal.

X. KALI.



XI. KALI MAIVS cochleato ſemine.



*poſuimus, cuiuſmodi roſis ineſt. non tamen adſtrictionis eſt particeps, ſed aquea eſt, & minimum terrena, ſimiliter maluæ. Quin & ventrem celeriter permeat, vt illa, ob lubricitatem. Porrò paululum omnino eius eſt, quod digerendi obtinet potentiam. Hortenſes autem atriplex, & malua, quàm agreſtes, tum humidiores ſunt, tum frigidiores. Proinde phlegmonis, & phygethlis incipientibus gliſcentibusq́; & mollibus etiamnum, ac velut feruentibus hortenſes: vigentibus autem & declinantibus, ac indureſcentibus commodiores ſunt agreſtes. Semen eius abſtergendi vim habet: itaque ad morbum regium ex pituita (rectius fortè hepatis legendum) infarctu prognatum vtile eſt: hæc Galenus. Scribit Serapio, Raſim vidiſſe hominem quendam, qui ex Atriplicis ſemine duarum drachmarum pondere ſumpto, crebris tum vomitionibus, tum alui deiectionibus vexatus fuit, adeò vt ad extremam virium imbecillitatem deuenerit. Quod mihi quidem mirum non eſt: quandoquidem noui ego pharmacopolam quendam, qui ad ruſticos purgandos Atriplicis tantùm ſemen exhibebat: quod ijs non ſine moleſtia magna aluum abundè ciebat, atque etiam ſimul crebros prouocabat vomitus: quæ tamen facultas paucis, vt puto, hactenus innotuit. Atriplex ſic Latinis, Græcis ἀτράφαξις, καὶ χρυσολάχανον, vocatur: Arabibus, Cataf, ſeu Caraf: Italis, Atriplice: Reppice & Treppice: Germanis, Molten vnd Milten: Hiſpanis, Armoles: Gallis, Follete, & Femes. Choux, Arroches, Bonne dames. Spanachium, Græcis Σπανάχιον: Italis Spinace: Germanis, Spinat: Arabibus, Spanach: Gallis Eſpinoches, ſiue Eſpinach. Atriplex ſylueſtris, Græcis ἀτράφαξις ἀγρία: Italis, Reppie ſaluatico: Germanis Wildmilten: Gallis, Arroches ſauuages. Atriplex marina, Græcis, ἀτράφαξις θαλασσία: Italis, Atriplice, ſiue Reppice marino. Kali ita marinis vocata, Italis, Soda.*

Atriplicis ſemẽ ex Serap. aluum mouet.

Atriplex ἀτράφαξις παρὰ τὸ ἀθρόως αὐξεῖν, vtpote quæ octauo á ſatu die prodeat, vt habet Theophraſtus 7. hiſtor. 1. Duodecim genera nouimus, quare diuidimus in hortenſem, ſylueſtrem & maritimam. Illæ in plures ſpecies diſtrahuntur, folijs namque rubicundis, in luteum langueſcentibus & nigricantibus: ſic & ſinuatis & non ſinuatis reperiuntur. I. Atriplex hortenſis rubra, C.B. Lon. Atriplex ſatiua folio rubicundo, Trag. Atriplex domeſtica, Matth. Atriplicis ſatiuæ ſpecies altera, Dodo.gal. Atriplex ſatiua ruffo folio, Cord. in Dioſ. Atriplex ſatiua altera, Lugd. Atriplex ſatiua, Lob. obſer. Atriplex ſatiua altera folio & flore purpurea liuens, Lob. icon. Atriplex hortenſis, Dod. fol. Atriplex rubra, Tab. Atriplex purpurea grãdis, Cam. Ab hac potiſsimum colore differt Atriplex hortenſis alba. II. Lapathum hortenſe alterum ſeu Spinacia ſemine Spinoſo, C.B. Spinachiam ob ſemina dura & ſpinoſa coaceruata, at Σπανάχια recẽtioribus Græcis à raritate, quód rarò illa medici vtantur. Hiſpanach Arabibus. Spinachia, Brunſ Fuch. Dodo. gal. & fol. Tab. Spinacia, Matth. Lob. Lug. Cæſalp. Spanachium, Matth. in icon. Caſt. Spanachia, Lon. Spinaceum olus & Seutlolapathum, Geſ. hort. Seutlomalache Ruellio. Olus Hiſpanicum, Trago: cuius tres ſunt ſpecies, altera ſemine ſpinoſo, quæ vulgatior, quæ mas quibuſdam: altera ſemine non ſpinoſo ſed rotundo, quæ fœmina: & tertia ſterilis. III. Lapathũ hortenſe alterũ ſemine non ſpinoſo. C.B. Spinachiam manifeſtum habere ſexũ, rectè Scaliger, quare hic de nobili hactenus non depicta. Hæc ex radice oblõga tenuibus fibris conſtans caulẽ emittit pedalem, teretẽ, ſtriatum, cõcauum, infernè aliquando ſubrubentem, ramulis brachiatũ. Folijs veſtitur molliuſculis, obſcurè virẽtibus, ſucci plenis, quorũ inferiora multò quàm in vulgari latiora, aliquando palmum æquantia, non acuta ſed ſubrotunda & Boni heinrici inſtar laciniata: ſuperiora verò acuminata & ob vnam vtrinq; laciniam quaſi triangula. In alarũ ſinu floſculi racematim cohærẽt, quibus ſemina rotunda, nequaquã ſpinoſa, verrucarũ inſtar cõglobata ſuccedunt. Hæc diligen-

diligentiſsimè coli deſiderat, quare in paucioribus hortis habetur, & quò ſæpius tenella ſucciditur, eò ſucculoſior euadit. Dicitur Olus Hiſpanicum & Spinachia nobilis, Trago. Spinacia fœmina, Geſ. hor. Spinacia ſatiua mas, Lugd. & Camerario. IV. Atriplex ſylueſtris prima, Matth. Lugd. Atriplex ſylueſtris, Fuch. Dodo. gal. & fol. Geſ. hor. Lac. Atriplex ſylueſtris maior, Lonic. Cynocrambe prima, Cæſalpino. V. Atriplex ſylueſtris ſecunda, Matth. Lugd. Tab. Atriplex ſylu. Cord. in Dioſ. Cæſalp. Atriplex ſylueſtris ſinuata, Lob. Duæ hæ ſpecies tantúm foliorum amplitudine & exilitate differunt. VI. Atriplex ſylueſtris latifolia, C. B. Blitum quartum, Trago, Solanum quartum, eidem. Pes anſerinus, Fuch. Dod. gal. & fol. Lon. Lugd. Cam. Atriplex ſylueſtris tertia, Matth. Lugd. Atriplex ſylueſtris ſiue pes anſerinus latifolia laceris lacinijs, Lob. Chenopodium, pes anſerinus primus, Tab. Cynocrambe alterum genus, Cæſalpino. Huius & altera ſpecies eſt acutior & nigriore folio. VII. Atriplex anguſto Centinodiæ folio. C. B. Hæc ex radice parua fibroſa, caulem emittit ſupinum, læuem, ſtriatum, qui mox in ramos brachiatur, hique in alios quos folia cingunt Helxines aut Cẽtinodiæ maioris æmula, oblõga, acuminata, integra, obſcurè virẽtia, quorum inferiora aliquando ad exortum in duas alias laciniantur: ramulis inſident floſculi exigui coacervati, ſuccedente ſemine cæteris minore, foliaceo, tenui cute obducto, racematim cohærente. Naſcitur circa mœnia, in areis, locisq; fimetarijs. Dicitur Atriplex ſyl. prima, Matth. inter maiores figuras, inter minores enim non expreſsit. Atriplex ſylueſtris altera, Dod. gal. Atriplex ſylueſtris humilima, & quarta Dod. fol. Atriplex ſylue. Polygoni aut Helxines folijs, Lob. Cam. Atriplex ſyl. prima Matthioli polygoni folio Lugdunenſi. VIII. Atriplicem ſylueſtrem lappulas habentem à nobis primum deſcriptam exhibet. Hæc atriplici ſylueſtri ſecũdæ Matthioli aliquantum ſimilis: quæ ex radice parua, fibroſa, cauliculos plures emittit palmares & maiores, ſtriatos, leuiſsimè hiſpidos, longè á ſeinuicem diſcedẽtes, quos cingunt folia ſinuoſa alternatim diſpoſita, alijs minora, breuibus pediculis donata, ad quorum exortum lappulæ duræ adhærent, in quibus ſemen nigrum, paruum, compreſſum continetur. Monſpeſſuli prouenit: eandem Atriplicis ſylueſtris hiſpidæ paruæ, erectæ nomine, à Doctore Doldio Norinberga accepimus. IX. Atriplex maritima. C. B. Atriplex marina, Matth. Caſt. Dod. fol. Lugd. Cam. Atriplex marina repens, Lob. Cynocrambe tertium genus, Cæſalpino eſt rubro & herbaceo ſemine. X. Kali Mauritanorum nomen eſt, quod aliqui ad Anthillidem alteram Dioſcoridis: alij ad eiuſdem Tragum, minus rectè, ſapore acerbo, & defectu acinorum reclamantibus, referunt: videtur Plinius lib. 8. cap. 22. ad Halymum retuliſſe. Nouem ſpecies in Phytopinace propoſuimus, duas adponimus figuras, quia vna figura vtramq; ac ſi vna foret, Matthiolus Kali nomine propoſuit. Kali geniculatum, C. B. Aduer. Lugd. Cam. Taber. Salicornia, Dod. gal. & fol. cui & Kali articulatum. Salicornia ſiue Kali geniculatum vermiculatum, Lob. icon. Alcali aliud, Geſ. hor. Alkali, Lon. qui Matthiolum imitatur. Cali tertium: Salſicornia, Cam. ad Matth. qui quatuor habet differentias, quæ tamen parui ſunt momenti, (ipſomet monente) & autumni tempore rubent. Kalli primum, Kellu Aegyptijs, Alpin. Salſolæ genus aliud, Cæſalpino. Hoc habetur & rubrum & viride. XI. Kali maius cochleato ſemine, C. B. Kali magnum ſedi medij folio, ſemine cochleato, Aduerſ. Soda, Lob. icon. Kali magnum Lob. obſer. Penæ Lugd. cui & Kali Dalechampij. Salſolæ genus Iſgarum vulgo, Cæſal. Kali cochleatum maius Camerario.

*VIII. ATRIPLEX SYLueſtris lappulas habens.*



Κράμβη. **BRASSICA.** CAP. CXIII.

BRaſsica ſatiua aluo idonea eſt, ſi modò leuiter feruefacta edatur: nam percocta aluum ſiſtit, ſed multò magis bis cocta, aut quæ in lixiuio coquitur: ſtomachum autem malè habet, acrior eſt æſtiua. In Ægypto propter amaritudinem non eſtur. Cæcutientibus, & tremulis eſſe prodeſt. Summo cibo ſumpta crapulã diſcutit, & vini noxam reſtinguit. Melior ſtomacho cyma, ſed acrior, & ad ciendũ vrinam validior: ea condita ſtomacho inimica eſt, aluum conturbat. Crudus ſuccus cum nitro, & iri deuoratus, aluum emollit: cum vino quoque epotus, viperarum morſibus auxiliatur: cum fœnigræci farina, & aceto, podagris, & articulorum vitijs illinitur: prodeſt & ſordidis vlceribus, & vetuſtis illitus: caput purgat naribus infuſus: menſes extrahit, cum loliacea farina inditus. Folia per ſeſe illita, aut cum polenta trita, conferunt inflammationibus, tumoribusque: epinyctidas, ignem ſacrum, lepraſque ſanant: carbunculos ex ſale rumpunt: fluentes capillos retinent. Cocta addito melle aduerſus depaſcentia ulcera, gangrænaſque valent. Lienoſiſque ex aceto cruda proſunt. Manſa deuorato ſucco, retuſam vocem inſtaurant. Decoctum eius potu, aluum, & menſes ciet. Flos poſt conceptionem in peſſo ſubditus, partum abortu vitiat. Semen eius, præſertim quæ in Ægypto naſcitur, potum tineas repellit. In antidota theriaca additur: faciei cutem lentigineſque expurgat. Virentes cauliculi cum radice cremati, & adipe porci vetuſto excepti, diuturnos laterum dolores mitigant.

I. BRASSICA LAEVIS. II. BRASSICA CRISPA.





## Κράμβη ἀγρία. BRASSICA SYLVESTRIS. CAP. CXIV.

SYlueſtris Braſsica, maritimis præruptisque locis, magna ex parte gignitur: ſatiuæ ſimilis, ſed candidior, hirſutiorque, amara. Cuius cyma in lixiuio cocta, ori non inſuauis. Folia illitu vulnera conglutinant, & inflammationes, tumoresque diſcutiunt.

## Κράμβη θαλασσία. BRASSICA MARINA. CAP. CXV.

a Μεῦ λευκὸν ὀπὸν. i. albũ liquorem b Cat. λιπαρὰ τὴν σύςασιν. i. pinguis conſiſtẽtia, ſed de herba nõ de ſucco ſcribit Dioſcorid.

MArina Braſſica à ſatiua prorſus abhorret, quód folia ferat rotundæ ariſtolochiæ, longa, tenuia: ſingula á ramulis rubentibus exeunt, ſingulari, vt hedera, pediculo. a Albo ſucco prædita eſt, ſed pauco, ſalſo guſtu, & aliquantum amaro, b pingui concretu. Herba in totum ſtomacho inimica, acris: vehementiſſimè aluum ciet in cibo cocta. Coquitur propter acrimoniam cum pingui carne.

Braſsicæ ſatiuæ genera.

*SAtiua Braſsica, Theophraſto, & Plinio auctoribus, in multiplici recenſetur genere. Id quod & horti in Italia atteſtãtur: nam in ijs multiplex & varia creſcit Braſsica. Braſsica læuis, folio exit grandi, ima parte vtrinque diſſecto, per ambitum fimbriato, læui, pinguique: caule breui, firmo, ſubalbicante, alba intus medulla. Flores edit melinos, & ſemen rapi ſimile, ac ſimilibus quoque ſiliquis incluſis, ſubrufo colore, & ſubamarum, ſeritur paßim in hortis. Cato braſsica tria fecit faſtigia. Vnam grandibus, latisque folijs, caule magno, tonſilli cymarum luxuria. Alteram criſpo folio, quam ab apij ſimilitudine apianam vocant. Tertiam propriè vocatam cramben, minutis caulibus, tenerioribus folijs, læuem, teneram, tenui ſucco, acerrimam quidem omnium, & magis medicamentoſam. Verùm Plinius lib. 19. cap. 8. Braſsicæ (vt diximus) complures enumerauit ſpecies. Inter quas eam Sabellicã appellari tradidit, quæ caule exit firmo, nodoſo, latis & criſpis admodum folijs, & quæ in medio ſunt criſpioribus, lactucæ modo in ſe concluditur, intus albicans: tenera, ſubdulcis, in cibis grata & quæ hac ætate omnium præſtantißima habetur. Ait enim, Sabellicæ vſque in admirationem criſpa ſunt folia, quorum craßitudo caulem extenuat, ſed dulcißima perhibetur ex omnibus. Eſt & capitata conglomeratis vndique in orbem folijs, Plinio lacuturris appellata, qui loco citato ſic inquit: Nupèr ſubiere lacuturres ex conualle Aricina, vbi quondam fuit lacus turrisque, quæ remanet, capite prægrandes, folio innumeri: alij in orbem porrecti, alij in latitudinem toroſi. Nec plus capitis vlli poſt tritianum, cui pedale aliquando conſpicitur: & cyma nullis ſerior. Quæ omnia noſtratibus braßicis capitatis, quæ vulgò Capucci dicuntur, pulchrè reſpondent. Folia fert primum ampla, ſubrotunda, à pedamento in gyrum ſeſe fundentia, quæ deinde in orbem capitatum, ac ſolidum conglomerantur, qui in aliquibus rufeſcit, in quibuſdam albicat, in nonnullis vireſcit. Seritur in Germania in campis: in Italia verò in hortis. Viribus ab alijs Braßicis non differt, niſi quod in cibis nocentior habeatur. Eſt inſuper ex ijs, quæ noſtris Italiæ hortis proueniunt, alia quædam, cuius caulis rapi in morem extuberat, manditurque ſubinde medulla, pingui iure incocta raporum modo. Huius non reperio meminiſſe Plinium, nec eo vetuſtiores alios, qui de hortorum ſationibus ſcripſere: ſicuti nec illius, quæ folijs admodum per ambitum laciniatis, minutimq; interciſſis aſſurgit. Pernicialia porrò Braßicis omnibus cum vitibus odia ſeruantur, vitemq; viuam oleris huius odore fugari Theophraſtus, & Plinius affirmãt, aßitamq; ad olus diffugere Varro tradidit. Quo argumento vſus Androcides, Braßicam contra temulentiam pollere credidit. Sed cur crapulam ſedet, id cauſæ reddidit in problematibus Ariſtoteles, quod ſcilicet dulcem nimirum ſuccum, abſtergentemq; contineat. Sylueſtris in maritimis noſtris Senenſibus Ãrgẽtario promontorio, alijsq; tum*

Sabellica.

Capitata ſeu lacuturris.

Caulorapũ.

Braſsica folijs laciniatis.

Braſsicæ ſylueſtris conſi.

III. BRASSICA CAPITATA. *IV. BRASSICA GONGYLODES.*





*V. BRASSICA CAVLIFLORA.*



tum Tyrrheni, tũ Adriatici litoribus frequens naſcitur. Hanc non longè à Terracina vrbe, via qua itur Neapolim, plurimam vidimus, foliis domeſticæ ſimilibus, ſed hyoſcyami modo hirſutis, amaro ac inſuaui guſtu. Ex ſemine Braſsicæ veteris (vt Plinius eſt auctor lib. 19. cap. 10.) rapæ fiunt, atque inuicem. Braſsicæ ſemen craſsiuſculè contuſum, & carnium iure feruefactum, potumq́; vnà cum ipſo iure; colico dolore laborãtes præſentaneo remedio iuuat. Braſsica tormina diſcutit, ſi biſcocta edatur, addito cumini ſemine, ſale, & oleo, & hordeaceæ farinæ polline, præſertim ſi ſine pane deuoretur. Idem facit ius decocta cũ vetere gallo. Prodeſt idẽ ius iocinoroſis, lienoſis, & renũ calculo laborantibus. Prodeſt percocta tabidis, ſi frequẽter edatur. Succus ex melle coctus, viſum clarificat, angulis tantũ oculorũ illitus: datur ſuccus vtiliter potandus aduerſus fungorũ venena. Cocta, & longo pipere aſperſa, vnaq́; cũ iure ſumpta, nutricibus lactis vbertatẽ præbet. Caulium medulla ex cremore amygdalino decocta, & cũ melle in eclegmate parata, datur lambenda magna vtilitate anheloſis: in ſũma, Braſsica eſt ad omnia vtilis, id quod antiquitus Chryſippus medicus teſtatus eſt, ſi quidem is de Braſsica integrum volumen ſcripſit, per ſingula membra hominis digeſtum: Quamobrem haud nobis mirum videri debet, ſi DC. annis antiquitus Romani, expulſis medicis, ſola Braſsica ſibi ad omnes morbos medicinam fecerunt. Braſsica ſatiua, & eſculenta, vt memoriæ prodidit Gal. lib. 7. ſimpl. med. deſiccandi vim habet tum eſa, tum foris impoſita, non tamen etiam admodum acrem. Alioqui & vlcera glutinat, & maligna vlcera ſanat: præterea phlegmonas iam induratas, ac egrè ſolubiles, & id genus quoque eryſipelata. Eadem facultate epinyctidas, & herpetes ſanat. Habet quiddam etiam in ſe abſterſorium, quo le[illegible] curat. Porrò ſemen eius potum lumbricos interficit, maximè braſsicæ Aegyptiæ, quanto ea ſcilicet temperatura ſiccior eſt. Sanè amaræ qualitatis particeps ſemen eſt, ſicut videlicet omnia alia medicamenta, quæ ad lumbricos idonea ſunt. Secundum eandem facultatem ephelidas, & lentes, & quæcunque alia modicam abſterſionem poſtulant, adiuuat. Caules braſsicæ combuſti, cineres efficiunt admodum deſiccantes, vt videlicet adurentem vim participẽt: [illegible] ratione ij veterem adipem commiſcentes, ad inueteratos laterum dolores, & ſi quid eius fuerit generis, adhibent: nam

Semiinis vires. Braſsicæ vires Matthiolo.

Braſsicæ vires ex Gal.

*valenter digerens medicamentum efficitur. Braſsica verò agreſtis quodammodo calidior, ſiccioŕq; domeſtica eſt, ceu & propemodum omnia agreſtia ſui generis, domeſticis ſecundum vtramque hanc facultatem valentiora ſunt. Quamobrem neque intra corpus citra noxam ſumitur, vt quæ longius ab humana receſſerit temperatura. Eadem de cauſa, & guſtantibus amarior eſt quam domeſtica: quanquam domeſtica quoque ſubamarum quiddam & acre contineat: ſed vtramq; habet agreſtis validam: quare etiam extergit, & digerit quàm domeſtica valentius. Marina autem braſsica ſuprà quã quòd ventrem deiiciat, vtpote ſubſalſa, & ſubamara guſtu, fuerit ſanè etiam ad externos corporis vſus, & ad omnia ea, ad quæ tales qualitates accommodantur, idonea. Et lib. 2. de alim. fac. Braſsica quoque, inquit, à multis vt obſonium eſitur, medici autem, vt deſiccante medicamento, ea vtuntur. Diximus de hac quædam cùm de facultatib. medic. ageremus, tum etiam in libro ſuperiore: quæ nunc ſummatim perſtringemus. Ergo braſsicæ ſuccus purgandi vim quandã obtinet: contra ſolidum eius corpus ſiccitatis ratione cohibere magis, quam incitare deiectionem poteſt. Proinde cum expellere alui excrementa propoſitum erit, aheno, in quo elixa vnà cum aqua fuit, propius admoto, ipſam eximere confeſtim, vaſculoq́; in quo paratur, oleum cum garo iniicere oportebit: ſi ſalem pro garo ſumas, nihil refert. At humentem aluum ſiccare volentes, cũ mediocriter bulliſſe videbitur, priore aqua effuſa, repentè aliam calentem iniicimus: ac ita rurſus in ea diſcoquimus, vſque dum tenera flaccidaque euaſerit: quod non facimus, cùm ventris ſubducendi gratia ſumitur: hactenus Gal. Cæterùm licet*

VII. BRASSICA MARINA.



*VIII. BRASSICA MARITIMA maior.*



Braſsicæ marinæ conſid. *Dioſcorides prodiderit marinam braſsicam folia ferre rotunda ariſtolochiæ, longa, ac tenuia, ea tamen non ab re ab omnibus eſſe cẽſetur, quam vulgus officinarum Soldanellam appellat. Quippe quæ in maritimis naſcatur, foliis lacteo ſucco madeat, ramulis conſtet rubentibus, è quibus prodeunt ipſa folia, hederæ modo, quæ guſtu ſalſa, & amara, & quadantenus*

Locus Dioſc. ſuſpectus. *acria ſentiuntur. Flores fert læuis ſmilacis vulgaris haud abſimiles, calathi effigiem referentes. Quamobrem Dioſc. codicem hoc in loco, ſicut & in aliis permultis, mendi ſuſpicione non vacare putamus. Facilè enim eueniſſe crediderim librariorum incuria, vt folia μακρὰ, id eſt, longa, pro μικρὰ, id eſt, parua, hoc loco ſucceſſerint: & certè facilis fuit vnius literæ lapſus. Siquidem Soldanella vocata omnibus notis marinam braſsicam repræſentat, exceptis foliis, quæ ſunt ariſtolochiæ rotunda*

Ruellii error. *minora. Ruellius vir doctiſsimus, etſi in hoc nobiſcum cæteriſq; conſentiat, quod marina braſsica hæc ſit herba, quæ vulgò Soldana, & Soldanella dicitur, nulla etiam (vt inquit) reclamante nota: in eo tamen manifeſtè aberraſſe deprehenditur,*

Syluatici error. *quod Soldanæ folia ariſtolochiæ longæ, atque etiam prælonga reddiderit. Errat præterea in hac planta Matthæus Syluaticus pandectarum auctor, quòd crediderit Arabum Chachile Soldanellam eſſe. Cuius error apertè conuincitur ipſius Serapionis teſtimonio: quippe qui Chachile ſuum Vſneæ ſimile fecerit, folioq́; non ariſtolochiam, ſed naſturtium imitari tradiderit. Marinam braſsicam in litoribus Venetis, Aquileienſibus, ac Tergeſtinis, vbi copioſa naſcitur, nos ſæpius vidimus, ac legimus. Præſtat eius decoctum, potum cum rhabarbaro, ad ducendas hydropicorum aquas: idem facit foliorum ſiccorum*

Nomina. *puluis, addito Rhabarbaro & cubebis, pluries ex vino potus.* Κράμβη *ita Græcis, Braſsica Latinis appellatur: Mauritanis, Corumb, ſiue Karumb: Italis, Cauolo, & Verza: Germanis,* Kől: *Hiſp. Colhes, & Couues: Gallis, Choulx. Braſsica læuis, Græcis* Κράμβη λεία: *Italis, Cauolo liſcio, ſiue Verza liſcia: Germanis,* Kől: *Gallis, Choulx verds, aut Choils. Braſsica criſpa, ſeu Sabellica, Græcis,* κράμβη οὖλος: *Italis, Cauolo creſpo, ſeu Verza creſpa. Braſsica capitata, Græcis,* Κράμβη κεφαλώδης: *Italis, Cauolo capuccio: Germanis,* Kapſtraut: *Gallis, Choulx cabutz. Braſsica marina, Græcis,* Κράμβη θαλασσία: *Italis & Officinis, Soldanella: Gallis, Choulx de mer.*

Braſſica quæ ἀπὸ τοῦ βράζειν à vorando dicta videtur: κράμβη quaſi κοράμβλη quòd pupillas oculorum lædat. Theoph. ῥάφανος. Cuius genera plura 7. hiſt. 4. & Plin. lib. 19. cap. 8. Cumanam, Aricinam, Pompeianam, Sabellicam.

Sabellicam, Lacuturrẽ recenſuit. At li. 20. c. 9. ex Grǫcorũ ſententia tres ſpecies enumerat, Criſpam, quæ Selinada à ſimilitudine foliorum Apii: alteram Leam latis foliis, quę caulodes: tertiam propriè Cramben appellatam. Plures agnoſcimus differentias & quidem pro foliorum colore, criſpitudine, denſitate, aliiſque qualitatibus. Aliis enim color viridis, aliis candicans, aliis purpuraſcens. Criſpitudo & læuitas tam in candida, quàm in viridi, quam nigram vocant, reperitur. Summa genera ſunt, ſatiua & ſylueſtris: ſatiua alba & rubra, horumque ſpecies vigintiſex in Phytopinace enumerauimus. I. Braſſica alba vel viridis: Theophraſto, læuis & caulodis Plinio. C.B. Braſſica, Brunf. Braſſicæ ſatiuæ maioris ſpecies altera, Trago. Braſſica læuis, Matth. Caſt. Cæſ. Braſſica candida, Geſ. hor. Braſſica lata alba, Lon. Braſſica vulgaris ſatiua, Lob. Dod. fol. Braſſica alba vulgaris, Lob. Braſſica prima, Tab. II. Braſſica Criſpa, fortè Sabellica Plinii, C.B. Braſſica Criſpa, Matth. Geſn. hor. Lac. Braſſica alba criſpa, Lugd. Braſſica patula criſpa Sabauda æſtiua, Lob. Braſſica Sabauda, Dod. Braſſica Sabauda criſpa, Tab. In hac magnam colorum varietatem obſeruimus, eſt niuea tota: eſt quæ candidiſſima, verùm circumferentia, quæ criſpitudinem efficit, viridi: eſt quæ roſea, quę purpurea, quoad neruos diſcurrentes per folium, at criſpitudine viridi: eſt & ſulphurei coloris magis minuſve intenſi. III. Braſſica capitata, hæc alba habetur & quidem capite vel globoſo, vel oblongo, non penitus clauſo: pluribus item capitibus conglobatis: habetur & rubra. IV. Braſſica GONGYLODES, Rapitius colis Catoni fortè: quæ ex albarum genere eſt. C. B. Hæc ſtatim à radice caulem emittit, qui proximè radicibus infra folia craſſeſcit, & ſtrumoſus factus in mediocris rapi magnitudinem modò rotundam, modò oblongam extuberat. Ex quo prodeunt caules, ſic & folia læui braſſicæ æmula, quæ aliquando profundis laciniis criſpantur: flores veluti aliæ profert, ſic & ſemina, quæ tamen apud nos rarò ad frugem perueniunt, ſed ex calidioribus regionibus pro ſatione inferuntur. Amat ſolum pingue, benè ſtercoratum & ſubactum. Dicitur Braſſicę albæ quarta ſpecies & Rapocaulis, Dod. gal. Caulorapum. Scalig. Lob. obſ. appen. Cam. ad Matth. & Tab. Braſſica thyrſuta, Geſ. hor. Braſſica caule rapum gerens, Dod. fol. Rapa Braſſica peregrina, Lob. icon. Braſſica cuius caulis in caput extuberat. Cæſal. Braſſica raposa, Lugd. Braſſica rapicaulis, Cam. V. Braſſicam CAVLIFLORAM ſeu Pompeianam Plinii cum hortis inſtructioribus ſit communis, adiecimus. Hæc breuiſſimo eſt caule, foliis paucis, latis, laciniatis albam referentibus, ex quorum medio caules albidi, craſſi, molles, & pingues, aſparagorum inſtar cõpacti, exeunt, qui ſi rectè coquantur, ori gratiſſimi: & ſi hyemem ſuperârint, vernali tempore altiores facti, flores & ſemina inſtar vulgaris Braſſicę proferunt. Dicitur Braſſica Pompeiana, aut Cypria, Dodo gal. Lugd. Braſſica florida botrytis, Lob. Braſſica cauliflora, Dod. fol. Cam. ad Matth. Braſſica prolifera florida, Tab. Braſſicæ capitatæ tertium genus, Cæſ. VI. Braſſica SPINOSA C.B. Ramum hunc adpictum

*VI. BRASSICA SPINOSA.*



*IX. SOLDANELLA ALPINA.*



ex Bembiano horto Patauio accepimus, & totam plantam exſpectamus vniuerſali noſtræ hiſtoriæ cum deſcriptione addendam. VII. Braſſica maritima ſeu Soldanella officinarum, C.B. Braſſica marina, Matth. Dod. gal. Cord. in Dioſc. & hiſt. Geſ. hor. Lac. Caſt. Lug. Cam. Soldanella, Geſ. hor. Lob. Lon. Tab. Cæſalpino. VIII. Braſſica maritima maior C.B. Braſſicæ marinæ genus, Rauwolff. & ex eo Lugd. in append. Elegantem hancce Conuoluuli marini nomine, Neapoli à præſtanti Imperato accepimus, verum & virentem in horto D. Zuingeri vidimus: hæc cum folia quædam habeat laciniata, quædam parte ſuperiore ſinuata, quædam non, placuit eius figuram proponere: eius deſcriptionem vniuerſalis hiſtoria exhibebit. IX. Soldanellæ nomen inuitat & alteram alpinam ob elegantiam adponendam. Hæc ex radice craſſiuſcula oblonga, à qua multæ fibræ candicantes ex vno veluti capite dependent,

folium

folium emittit, ſæpè vnum aut alterum, aliquando plura, rotunda, craſſa, ſupernè viridia, infernè dilutè virentia, ſapore ſubadſtringente & amaro nonnihil, & ingrato: cauliculo dodrantali læui, nudo, gracili, ſubrubro à radice prodeunte (qui communiter vnicus, rarius geminus,) flores inſident bini, terni, alioquin plures, cæruleo colore nunc ſaturatiore, nunc dilutiore (rarius niuei) inſignes, deorſum propédentes, campanulæ formam repræſentantes, multipliciter diſſecti: quibus ſingulis ſuccedit capitulum oblógum, durum, membraneum, in filamẽtum finiens, quod ſemen paruum durum cõtinet. In Alpibus Heluetiorum & Iuræ, Auſtriæ quin & Styriæ, Baldoq; monte prouenit, Iulio & Auguſto florens. Cuius & aliud genus eſt folio minus rotundo, breuioreq; pediculo. Soldanellam putant dictam à ſimilitudine cum Officinarum Soldanella, quid ſi ab effectu, cum polleat vi vulnera glutinandi, & ad cicatricem perducẽdi nomen habeat? Vocamus Soldanellam alpinam folio rotundo: Soldanella montana, Adu. Lob. Soldanella alpina, Cluſ. Pann. Cam. ad Matth. Lunaria alia minor cærulea, Dalechampii. Aſclepias quibuſdam Lugdunenſi.

## Τεῦτλον. BETA. CAP. CXVI.

Beta duorum generum eſt: è quibus nigra coquitur cum lenticula, vt ventrem ſiſtat: quod magis radice eius præſtatur. Candida aluo vtilis eſt. Vtraque tamen propter nitroſum humorem, quem habet in ſe, noxii ſucci eſt. Vnde ſuccus earum, cum melle naribus inditus, caput purgat: aurium doloribus auxiliatur. Decoctum radicis, & foliorum, furfures lendeſq; deterget: perniones fotu mitigat. Crudis foliis vitiligines, nitro antea perfrictas: alopeciarum inanitates, ſcalpello prius exaſperatas: atque depaſcentia vlcera, illini prodeſt. Eruptionibus papularum, igni ſacro, ambuſtiſq; cocta medetur.

I BETA ALBA.



II. BETA NIGRA.



Betæ conſid. & genera.

*Beta tam candida, quàm nigra in Italiæ hortis frequentiſſima naſcitur. Alba foliis prouenit cæteris grandioribus, atriplicis aut hortenſis rumicis ferè ſimilibus, per ambitum leuiter fimbriatis: caulem gerit bicubitalem, ſtriatumq; flores exiguos ſublutei coloris: ſemen copioſum, inæqualiter rotundum, ac ſubaſperum: radice alba, raphani modo lõga, ac etiam tenera.* NIGRA, *foliis, caule, floribus, ſemine, ac radicibus prouenit albæ ſimilibus, paulò tamen minoribus & nigricãtibus foliis.*

Beta rubra radice.

*In Germania tamen habetur &* RVBRA, *non modo foliis, cæteris anguſtioribus, durioribus, ſed etiam radice, quæ illi raporum oblongorum magnitudine extuberat: colore adeò rufeſcente, vt eius ſuccus viuum ſanguinem referat, adnatis circumquaq; prodeuntibus: caule verò, pariter rubente, ſemine cæteris ſimile. Nõ adeò multum differt ſuis in qualitatibus, ac viribus à cæteris generibus. Hanc Germani hyeme in aqua, aut cineribus calentibus obrutam coquunt, ſubinde corticibus exuunt, incidunt, & in acetariis aſperſo pipere concinnant ad eſum. Carotæ vulgò vocatæ modo. Sed, & illis dulcior eſt, & guſtui gratior: adhæc eas quoque parumper elixant, & deinde tranſuerſim in particulas ſecant, & fictili vaſe cum aceto & ſale recondunt, addito ruſticano Raphano, quem illi* Kren *vocant, minutim conciſo. His veſcũtur deinde cum aſſis carnibus. Transferunt à ſatione omnia genera, cum folia quinque eruperint: verùm lætiora, ampliora, & grandiora euadunt, ſi radices recenti fimo bubulo liniantur, & deinde transferantur.*

Betæ facult. ex Gal.

*Betæ facultates adnotauit Gal. lib. 8. ſimp. med. ſic inquiens: Beta nitroſæ facultatis particeps eſt, quæ tum digerit, tum extergit, & per nares purgat. Cæterùm cocta nitroſitatem omnem exuit, fitq; facultatis phlegmonis aduerſæ, leuiter digerẽtis. Porrò ad detergendum, digerendumq; validior*

*eſt beta*

*nam nigra adiunctum habet adſtrictionis quippiam, & magis in radice, quàm in aliis partibus. Et lib. 2. de alim. facult. inquit: Betæ abſterſorius ineſſe ſuccus conſpicitur, adeò vt aluum ad excretionem extimulet, & nonnunquam ſtomachum demordeat, præſertim iis, quibus natura ſenſu exactiore præditus eſt: ob idq́ largius commanſa, ſtomachum infeſtat. Huius, ceu aliorum olerũ, exigua eſt alimonia. Iecoris obſtructionibus, quàm malua, aptius accommodatur: magis autem vbi cũ ſinapi eſtur, aut aceto. Lienoſos item ſimiliter manducata mirificè iuuat. Iure enim quis ipſam medicamentum potius, quàm alimentum dixerit, vbi hoc modo manditur: hæc. Gal. Inueniri ſylueſtrẽ Betam tradidit Plin. lib. 20. c.* Beta ſylueſtr. Plinio. *1. eamq́ vocari Limoniũ, quod deſcribitur à Dioſc. lib. 4. à Gal. verò li. 7. ſimpl. med. Cuius ſententiæ refragatur Gal. li. 2. de alim. fac. cùm inquit: Equidẽ non ſatiuam ſolùm maluam, ſed agreſtem quãdam etiam eſſe perhibuimus, quemadmodum & lactucam. at agreſtis Beta nulla eſt, niſi vtique quis lapathum ita nominare velit. At Aſinus quidam Galenum* Galenus à calumnia defenditur. *lacerare, non erubuit, vt Plinium ſeruaſſe videretur, qui aliorum fidem ſequutus, in quàm pluribus deceptus eſt. Candida beta, Plinio loco nuper citato auctore, cocta, & cum allio crudo ſumpta, alui tineas enecat. Succus à fæcibus expurgatus (vt* Betæ vires ex Plinio. *ipſe ſæpius periculum feci) clyſteribus infuſus, ad indurata alui euocanda excremẽta mirum in modum pollet, præſertimq́ vbi lenientia clyſmata nihil profecerint. Albæ radix deraſa, & melle, ſaleq́ illita, ſuppoſitaq́, aluum exonerat. Nigra autẽ in aqua decocta, & illita, pruritum extinguit. Succus ex ea expreſſus, valet tam potus, quàm illitus ad ſerpentium venenoſorum morſus. Candida beta cocta, & cum allio crudo deuorata, ventris tineas abigit. Olus Græcè τεῦλον, Latinè Beta vocatur: Arabicè, Decka, & Celb: Italicè, Bietola: Germanicè,* Mangolt, & Pieſſen: *Hiſpanicè, Aſelgas: Gallicè, Porrée.* Nomina. *Beta alba, Græcis τεῦτλον λευκόν. Beta nigra, Græcis τεῦτλον μέλαινον: Italis, Bietola nera: Ger.* Schwartz Mangold/& Pieſſen: *Gallis, Ioatre, reparée ſiue porrée. Beta rubra, Græcis, τεῦτλον ἐρυθρόν: Italis, Bietola roſſa: Ger.* Rot Mangold.

III. BETA RVBRA.



*IV. BETA CRETICA.*



Beta, quoniam figuram literæ β dum ſemine turget, referre videatur, nomen habet. Theop. 7. hiſt. 4. candidam habet & nigrã quæ Sicula dicatur (vnde Sicla practicis) & 6. hiſt. 3. & ſylueſtris meminit. Quatuor præcipuas hortenſis agnoſcimus differentias: Prima vulgaris, quæ nigra, folio breuiore & viridiore: ſecunda, quæ alba, candicantibus foliis, iiſq; multò longioribus & amplioribus: tertia quæ rubra, radice rubra & magna: quarta quę lutea, radice buxea, caulibus buxeis, foliis virentibus: quibus addimus & Creticam. I. Beta alba, Matth. Geſ. hor. Lon. Lob. icõ. Caſt. Cam. Beta candida, Trag. Fuch. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. Lac. Lug. Beta altera, Cæſ. Beta, Brunf. & Tab. II. Beta rubra vulgaris C.B. Beta rubra, Brunf. Trag. Dod. fol. Lon. Beta rubra vulgatior, Lob. & Lug. Beta nigra, Matth. Fuch. Dod. gal. Geſ. hor. Lac. Caſt. Lugd. III. Beta rubra radice craſſa C.B. Beta rubra, Matth. Lob. Caſt. Lugd. Geſn. hor. cui & Seutloſtaphilinum: Beta nigra Romana, Dod. gal. Beta rubra Romana, Dod. fol. Beta nigra Latinis, Cor. in Dioſc. Rapũ ſatiuum rubrũ, Fuch. Rapa rubra Betæ ſpecies, Geſ. hor. IV. BETA CRETICA ſemine aculeato: elegans eſt hæc, & à nobis primò propoſita: ex radice enim tereti, breui, plures prodeunt caules cubitales per terram ſparſi, rotundi, ſtriati, ad radicem hirſuti, cani, in ramulos effuſi: foliis paucioribus, betæ nigræ ſimilibus, ſed minoribus: floribus ex flauo vireſcentibus: ſeminibus ſtatim ad radicem multis, & hinc inde per caulem aſperis extuberantiis donatis, in tres aculeos abeuntibus, in latera recuruatis, vel ſi mauis ſiliquam appelles, in ſua enim cauitate granum vnum continet, ad formam ſeminis Adonidis, ſubrotundum, quod in apicem abit, duplici membrana tectũ, interiore rufeſcente, quæ proximè medullam albam farinaceam cingit: exteriore minus ruffa, non proximè granum cingente. Hanc florentẽ principio menſis Iulii, & Auguſti fine ſemine prægnantem, iamq; aridam in horto Doct. Zwingeri legimus. Beta Cretica.

Ἀνδράχνη

## Ἀνδράχνη PORTVLACA. CAP. CXVII.

PORtulacæ vis adſtringit: capitis doloribus, inflammationibus oculorum, cæteriſque, cum polenta imponitur: ardoribus ſtomachi, ſacro igni, veſicæ doloribus, auxilio eſt: commanducata dentium ſtupores ſedat: ſtomachi, & inteſtinorum æſtuationem, fluxioneſque mulcet: renes, & veſicam adiuuat, etiam ſi eroſionem ſentiant: Veneris impetus exoluit. Succus epotus ſimili effectu prodeſt, in febribus valens. Contra teretes ventris tineas, cruentam excreationem, dyſenteriam, hæmorrhoidas, & profluuia ſanguinis, percocta efficax eſt: item contra ſepis morſus. Ocularibus medicamentis vtiliſſimè commiſcetur: interaneis fluxione laborantibus, atque vuluarum eroſionibus, infunditur: contra dolores, quos æſtus excitauit, caput ex roſaceo, & oleo fouetur: eruptiones papularum in capite, cum vino emẽdat: vulneribus, quæ ad ſyderationem ſpectant, ex polenta illinitur.

I. PORTVLACA DOMEST.



II. PORTVLACA SYLVESTR.



Portulacæ genera duo.

*POrtulaca omnibus vulgariſſima eſt. Duo eius habentur genera. Vnum ſatiuum, cui folia inſunt latiora, pinguia, fabaria vulgò vocata modo craſſa, ſplendentia, & à tergo candicantia, guſtu inſipido, quadam cum auſtera aciditate: caulem edit craſſum, glabrum, erectum, ſubpuniceo colore, atque pinguem: ſemine nigro, exiguo, in herbaceis calyculis incluſo: radice multifida. Quæ autem ſponte naſcitur in hortis, vineis, campis, & aliis locis, prouenit caulibus rotundis, lentis, pinguibus, rufeſcentibus, humi ſeſe diffundentibus. Folia gerit alteri ſimilia, ſed multò minora, & oblongiora, numeroſioraque, cætera conſimilia ſunt. Manditur cruda ad oris vlcera, & commotos dentes. Folia linguæ ſubdita, bibendi deſiderium reſtinguunt. Alterum verò ſylueſtre humi repens, minoribus, tenuioribus, ac crebrioribus foliis.* Portulacæ meminit Gal. lib. 6. *ſimpl. med. vbi ita ſcribit: Portulaca frigida, & aquea temperamento eſt, paucæ cuiuſdam particeps auſteritatis, proinde fluxiones repellit, & maximè bilioſas, & calidas, cum eo, quòd eas mutet, & in qualitate alteret, magnopere refrigerans. Et fuerit ſanè in refrigerandi quidem facultate tertij exceſſus à temperatis, ac mediis: in humectandi verò ſecundi. Hac ratione & æſtuantes, vt ſi quid aliud, adiuuat, tum ventris oſculo impoſita, tum totis hypochondriis, potiſſimum in febribus hecticis. Præterea dentium ſtuporem ſanat, nempe qui ab acidorum ſuccorum contactu, aſperè exiccati fuerant, leniens, atq; replens, vtpote cùm viſcoſam habeat humiditatem: ſimiliter verò & ſuccus eius. Itaque non foris modò impoſitus, ſed epotus quoq; refrigerat. Hoc ſanè & toti herbæ comeſæ accidit. Quoniam autem ſubadſtringit, vtiliter dyſentericis editur, & muliebri profluuio, & ſanguinis reiectionibus. Sed ad hæc quidem multò eſt, quàm herba, ſuccus ipſius efficacior.* Et lib. 2. *de alim. fac. Portulaca (inquit) quidam vt cibo vtuntur: ſed imbecillem præbet alimoniam, eamq; humidam, frigidam, & glutinoſam. Vt medicamentum autem, dentium ſtupori medetur, ob lentorem ſuum morſus expertem: de ea diffuſius in opere de facilè parabilibus ſumus locuti. Hæc ipſa, vt tradidit* Plinius *libr. & cap. 20. emplaſtri modo imponitur vmbilico prociduo. Sanat & mammarum, & podagræ inflammationes, cum melle aut cimolia creta. Prodeſt in vniuerſum omnibus calidis affectibus. Portulaca ſylueſtris qualitate & viribus non differt à domeſtica, niſi quòd adſtringenti vi paulo ſit potentior, atque etiam nonnihil minus humectat. Ruricolæ integras plantas elixant, & deinde in ſole ſiccant, & ad hyemales cibos aſſeruant. Huius herbæ nomen Græcum eſt* ἀνδράχνη: *Latinum, Portulaca: Arabicum, Bakleancha, ſeu Bachele albanica: Italicum, Portulaca, Procacchia, & Porcellana: Germanicum,* Burtzelkraut / *&* Portzelkraut: *Hiſpanicum, Verdolagas, & Baldroegras: Gallicum, Pourcelaine, Pourpier, & Pourchaille. Portulaca ſylueſtris: Græcè,* ἀνδράχνη ἀγρία: *Italis, Prochacchia, & Porcelana ſaluatica, & patimente graſſola.*

Portulacæ vires ex Gal.

Plinius.

Nomina.

Portulacam

Portulacam cum Peplio herba diuerſiſſima Plin. lib. & cap. 20. confundit, quin & vires ſylueſtris cum ſatiuæ viribus: quod ex eo factum, quòd aliqui Peplion agreſtem portulacam vocarint. I. Portulaca latifolia ſeu ſatiua. C.B. Portulaca hortenſis, Trag. Fuch. Dod. gal. Portulaca maior hortenſis, Geſn. hor. Portulaca domeſtica, Matth. Lob. Caſt. Tab. Portulaca ſatiua, Cord. hiſt. Dod. fol. Lugd. Portulaca, Cord. in Dioſc. Portulaca latioribus foliis, Cæſalp. Portulaca maior, Cam. II. Portulaca anguſtifolia ſeu ſylueſtris C.B. Portulaca, Lac. Portulaca ſylueſtris, Trag. Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Lob. Caſt Lugd. Portulaca ſpontè naſcens, Cord. hiſt. Portulaca minor, Geſ. hor. Cam. Portulaca aruenſis, Tab. Portulaca anguſtioribus foliis, Cæſal. Cephæa herba, Cord. in Dioſc. Cepæa Lonic. quoad deſcriptionem.

## ἀσπάραγος. ASPARAGVS. CAP. CXVIII.

Corruda, ſiue a ſylueſtris aſparagus, vulgaris eſt notitiæ. Huius caliculi in cibo cocti, ventrem emolliunt, vrinam cient. Radicis decoctum contra vrinæ difficultatem, regium morbum, renum vitia, & coxendicum cruciatus, in potu proficit: cum vino autem, phalangiorum morſibus auxiliatur. Si decocti ſuccus ſuper dente contineatur, eius dolori medetur. Semen potum ad eadem valet. Canes, vt aiunt, ſi decoctum bibant, emoriuntur. Aſparagum etiam naſci prodiderunt, arietis cornibus contuſis, atque defoſſis: quod, quantum equidem ſentio, planè à veritate abhorret. † Altilis autem aſparagus, multis ramis fruticat, foliis fœniculi, longis, numeroſis: radice rotunda, grandi, ſpongiam habente. Huius teneri cauliculi triti in vino albo, renum dolores ſedant. Aſſus autem, coctuſve, vrinæ ſtillicidium, difficultatemque, ac dyſenterias mitigat. Radix cum vino, aut aceto cocta, luxatos artus mulcet. Decocta cum ficis, aut ciceribus, ſumpta, regium morbum ſanat: coxendicis cruciatus, ſtranguriamq; leuat. Alligata radix, aut hauſtum eius decoctum, conceptum adimit, & ſterilitatem adfert.

a Catac. πετραῖος. i. petræus.

I. ASPARAGVS.



II. ASPARAGVS SYLVEST.



*Aſparagus duplex habetur, altilis, & ſpontè proueniens. Huius tria viſuntur genera, nempe Paluſtre Græcis ἑλειος vocatum, montanum, & petræum, Corruda propriè dictum. Altilis paſſim in hortis ſeritur, cæteriſq; notior eſt, quàm vt debeat explicari. Thyrſum is primùm ſiue germen è radicibus mittit, tenerum, cacumine craſſiore, in acutum deſinente, Orobanche modo, qui tandem auctus in ramos ſeſe explicat, in quibus folia ſunt capillacea, fœniculo breuiora, tenuioraq; Florem edit exiguum, quo flacceſcente, baccæ ſubſequuntur, primùm virides, & deinde rufeſcentes. Radice nititur circa caulem ſpongioſa, à qua numeroſæ oriuntur fibræ ellebori modo, albicantes, craſſioreſq;, vt in Ruſco. Mõtanus [qui in montibus] & Paluſtris [qui in paludibus prouenit] facie vix ab altili differunt. Horum omnium cauliculi, qui in cibis paſſim expetuntur prima germinatione, dulces ſunt, & guſtui grati. Corruda verò contrà, ſiquidem ij tenuiores & amariuſculi ſunt, & nullam ferè in cibis gratiam habent. Naſcitur Corruda ſiue petræus ſiccis & ſaxoſis locis, & præſertim in ſepibus, & frutetis, caule lignoſo poſtquam adoleuit flexiliq;, albicante, foliis exiguis, præduris, & aculeatis. Naſcentur altiles Aſparagi totius anni decurſu, ſi vbi fructum legeris, radices, quæ ſummo ceſpite vagantur, circumfoderis, ac aperueris. Seruntur etiã ad eſum, nã non ingratus ſunt cibus, ſiue in acetarijs, ſiue dum caule ſcũt, aſperſo modico ſale, recẽtiq; butyro, cum pipere deuorentur. Meminit horum Gal. lib. 6. ſimpl. med. ſic inquiens: Aſparagus petræus, aut myacanthinus abſtergendi vim habet, idq; citra manifeſtam aut caliditatem, aut frigiditatẽ. Hinc renes, ac iecur infarctu liberat, & maximè herbæ*

Aſparagi cõſideratio, & genera.

Montanus & paluſtris.

Corruda.

Aſparagorũ facultates ex Gal.



*ipſius*

*III. ASPARAGVS SYLVEST. aculeatus.*



*ipſius radices, & ſemen. Quin & dentium dolores ſanat ſiccitatis nomine, quam vel maximè dentes requirunt. Et libr. 2. de alim. facult. Inſuper (inquit) aſparagorum alius regius in hortis naſcens, alius ἕλειος: id eſt, paluſtris appellatur, ceu alius ab iis, qui à bryonia oritur. Omnes autem ſtomacho vtiles ſunt, vrinam cient, & parum præbent nutrimenti. Si tamen ij probè concoquantur, olerum aſparagis magis alunt, nimirum quantò illis ſunt ſicciores: hæc Galenus.*

Ex Plinio, & Auicenna.

*Aſparagi in cibo ſumpti, vt ſcribit Plinius lib. 20. cap. 10. oculis claritatem afferunt: pectoris, & ſpinæ doloribus proſunt. Venerem ſtimulant, & ventrem leniter molliunt. Aſparago trito cum oleo perunctos, pungi ab apibus negant: hactenus Plinius. Cæterũ, vt memoriæ prodidit Auicenna Fen vltima libri quarti, Aſparagi in cibis ſuaui odore corpus totum commendant: verùm vrinam fœtidam trahunt. Paluſtris & Mõtanus eadem omnia poſſunt, quæ altilis, nec imbecilliores, nec valentiores vires habent. Cæterùm Corruda, ob manifeſtam, quam poſſidet amaritudinem, longè magis aperit, prouocat, & abſtergit, id quod manifeſtè patet ex fœtida quam ciet vrina.*

Nomina.

*Græcis ἀσπάραγος, Latinis Aſparagus nominatur: Mauritanis, Halion, ſiue Helium: Italis, Aſparago: Germanis, Spargen: Hiſpanis, Eſparagos: Gallis, Eſparge. Aſparagus ſylueſtris, Græcis, ἀσπάραγος ἄγριος: Italis, Aſparago ſaluatico.*

*† Licet in Græcis non planè conſtet, hic altilis, vel ſatiui aſparagi mentionem fieri: tamen non video, quomodo hæc ad ſylueſtrem quoque referri poſſint, vt aliqui referenda cenſent. Cùm enim hunc notum eſſe antea dixiſſet Dioſcorides, non aliam, vt ſolet, eius ſubieciſſet deſcriptionem. Quo fit, vt hæc potius ad ſatiuum referenda putemus, vel ſaltem mendum ſubeſſe ſuſpicemur.*

I. Aſparagus, Brunf. Trag. Matth. Fuch. Dod. gal. Cord. in Dioſc. & hiſt. Lon. Caſt. Aſparagus hortenſis, Dod. fol. Cam. Aſparagus ſatiuus, Lac. Lugd. Aſparagus altilis, Fuch. Tab. Aſparagus maior, Geſ. hor. Aſparagus domeſticus vulgaris, Lob. II. Aſparagus ſylu. tenuiſſimo folio C.B. Aſparagus ſylu. Matth. Caſt. Lugd. Aſparagus tertius ſatiuo ſimilis, Palatium leporis vulgo, Cæſ. His addere poſſumus Aſparagum marinum, ſeu Corrudam marinam Monſpeliacam. III. Aſparagus ſylu. aculeatus C.B. Aſparagus montanus ſeu Corruda, Matth. Aſparagus ſylueſtris, Geſ. hor. ap. Lac. Dod. fol. Corruda, Dod. gal. Cord. hiſt. Lugd. Corruda prior, Cluſ. Hiſp. Corruda Penæ, Lug. Lob. icon. Aſparagus petræus, Cæſalp. Tab. Huius tres ſpecies obſeruantur.

## Ἀρνόγλωσσον. PLANTAGO. CAP. CXIX.

a Orib. ſic habet. Ἀρνόγλωσσον, οἱ δὲ ἑπτάπλευρον, οἱ δὲ πολύνευρον, δίττον δέ ἐστι τὸ μὲν μικρὸν τὸ δὲ μέγα. i. Plantago, quam alii heptaneuron alii polyneurõ vocãt, duum eſt generum, aliud paruũ, aliud magnũ. b Ori. habet μακρότερα. i. longiora.

DVO [a] Plantaginis genera. Minor folia habet anguſtiora, [b] minora, molliora, læuiora, & tenuiora: cauliculo anguloſo, in terram inclinato: floribus pallidis: ſemine ſummis caulibus emicante. Altera maior, lætior virentiorq́; latis conſtans foliis, oleracei generis: cuius cauſis cubiti altitudinem petit, anguloſus, ſubruber, à medio ad verticem tenui ſemine circundatus: radicibus nititur teneris, hirſutis, candidis, digitum craſſitudine æquantibus. Naſcitur in lacunoſis, ſepibus, & locis humidis. Multò vtilior magna eſt. Vim habent folia exiccatoriam, conſtringentem: quare omnibus malignis vlceribus, & fluxioni opportunis, atque elephanticis, ſordidiſq; illita proſunt: profluuia ſanguinis, vlcera quæ ſerpũt, epinyctidas, carbunculos, nomaſq; cohibent: vetera vlcera, & inæqualia cicatrice obducunt: chironia ſanãt: ſinus conglutinant: morſibus canis, ambuſtis igni, inflammationibus, panis, parotidibus, ſtrumis, ægylopiis, illita, cum ſale proſunt. Coctum cum aceto & ſale olus, dyſentericis, cœliaciſque ſumptum ſubuenit. Datur & in locum betæ cum lenticula coctum, & ad aquam intercutem, cui leucophlegmatiæ nomen eſt, datur & herba decocta poſt aridas epulas, ſic vt media antecedat: comitialibus, & ſuſpirioſis data proficit. Foliorum ſuccus, colluta ſubinde oris vlcera, purgat: cum cimolia, aut ceruſa igni ſacro medetur: fiſtulis infuſus prodeſt: lippitudinibus, & aurium doloribus idẽ ſuccus inſtillatur: additur quoque in oculorum collyria: gingiuis cruore ſuffuſis, & ſanguinis reiectionibus, potu confert: clyſtere dyſentericis infunditur: contra tabem datur in potu: aduerſus ſtrangulationes vuluæ, in vellere ſubiicitur, etiam ſi vulua fluxione laboret. Semen ex vino potum alui fluxiones, & ſanguinis excreationes ſiſtit. Decocta radix, & mãducatu, & collutione, dentium dolores ſedat: eadem cum foliis, vlceribus renum, & veſicæ in paſſo datur. Ferunt tres radices, cum tribus vini cyathis, & pari aquæ modo, tertianis auxiliari: & quatuor, quartanis. Sunt qui radicis geſtamine, diſcutiendis ſtrumis vtantur.

Plantaginis conſideratio & genera.

*QVanquam à Dioſcoride, Plinio, Apuleio, aliiſq́; omnibus antiquis authoribus, duo tantùm Plantaginis genera recenſentur, maius nimirum, & minus, eam tamen, quam vulgus, quòd lanceæ cuſpidis formam referat, Lanceolam appellat, eſſe tertiam quandam plantaginis ſpeciem, nemo eſt qui ambigat. Hetruſcis plantago Centinerbia vulgo vocatur, corrupto à Quinqueneruia vocabulo. Maior eò quòd eius folia, quæ latiora ſunt, fibris ſeptem & quandoque pluribus tanquam neruis ſecundum longitudinem excurrentibus diſtinguuntur, Septineruia appellatur. Media, quoniam in eius foliis quinque apparent coſtæ, Quinqueneruia dicitur. Folia habet anguſtiora, minora, molliora, læuiora & tenuiora: cauliculo eſt anguloſo, in terram inclinato, floribus ſpicatis, pallidis, piloſiſq́; ſemine ſummis caulibus emicante: radicibus multifidis,*

*tenuibus*

I. PLANTAGO MAIOR.



*II. PLANTAGO ROSEA.*



III. PLANTAGO MEDIA.



*tenuibus, albicantibusq́; Naſcitur & hæc perinde ac altera plurimum humectis & vliginoſis locis, in hortis, & ſecus vias. Minima verò, quòd eius folia, quæ leuiter hirſuta ſunt, tres tantùm habeant neruos, Trineruia dici poteſt. Longa, folia gerit longa, cuſpidis lanceæ modo, vnde illi nomen; ſtriata, neruoſaq́; humi accubantia: caules, flores, ſemina, ac etiam radices mediæ plantaginis omnino ſimilia. Naſcitur locis incultis, ac ferè vbique. Quam vero recentiores* AQVATICAM *vocant, folio eſt cæteris craßiore, carnoßiore, robuſtioreq́; ac leniore, ex lata origine in acutum deſinente, lanceæ cuſpidis modo, caulem gerit cubito longiorem, ramoſum, floſculis candidis vbique refertum. Radicibus nititur numeroſis, albicantibus, vt in Ellebore. Naſcitur tantum in aquoſis, & paluſtribus. Maioris, & minoris ſemen tritum, ouoq́; exceptũ, & calenti tegula inaſſatum, dyſentericos iuuat, frequenter deuoratum. Recentia folia trita, & illita, lichenis auxiliantur: quinetiam vitia ſedis omnia curant, nempe ficus, rimas, condylomata, hæmorrhoidas, procidentiasq́; Illinuntur quoque vtiliter primo impetu rubenti podagræ. Medentur omnibus digitorum vitiis. Luxatis, cùm dolores, tum tumores tollunt folia tuſa, & ſale modico illita: contuſis, verberatis, & ab alto deuolutis, non ſolùm illita, ſed deuorata proſunt. Succus ex roſaceo fronti adhibitus, capitis dolores à calida cauſa prouenientes mulcet. Datur quoque magno iuuamento ad cruenta ſputa, addito Armenio bolo, aut hæmatite lapide. Idem cum millefolij ſucco miſtus, cruentam vrinam reddentibus mirificè medetur potus, & præſertim addita philonij perſicè drachma. Illinitur quoque rectè eryſipelis, addito aceto, & ſolani, ſediq́; ſucco. Stillatitia plantaginis aqua, cum æquali acerrimi aceti portione, ſanguinem è naribus fluentem cohibet, ſi linteola in ea madefacta applicentur pedum plantis, manuum volis, & inciuori. Longa non differt facultatibus & viribus ab aliis generibus, niſi quod minus humidas qualitates habet. Quoad Aquaticam cum neminem antiquorum habeam, neque apud Græcos, neque apud Mauritanos, aut Latinos, qui huius plantæ meminerit, nec de eius viribus aliquid ſcriptum reliquerit, nihil ſanè habeo, quod de eius viribus tutò in medium afferre poßim. Non deſunt, qui hanc plantam Damaſonium, ſiue Aliſma eſſe autument: atqui pro-*

Plantaginis aquaticæ mentio.

Plantaginis facult. Matt.

Sii vires ex Galeno.

Nomina.

*illi eſt, quàm legitimo Sio. Sij meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Sium quantum guſtu odoratum eſt, tantum etiam excalfacientis facultatis eſt particeps. Digerit autem, & vrinam mouet, & calculos renum frangit, & menſes euocat. Quod Græci σίον, Latini quoque Sium vocant: Mauritani, Rorcathalmi, & Inbamehanella, ſeu Hamehanella: Itali, Sio, & Gorgoleſtro: Germani, Waſſermerck: Hiſpani, Rabacas: Galli, Berle. Sium vulgare, Italis Sio falſo.*

Sium ἀπὸ τ̃ σείειν, quia in aquis vacillando ſuccutiatur à præterlabentibus aquis: vel potius ab excutiendis calculis. Apium paluſtre foliis oblongis ſerratis. C.B. Sion odoratum, Trag. Sium verum, Matth. Lug. Thal. Sii primum genus quod Lauer vulgò dicitur, Fuch. Apium paluſtre, Fuch. Lon. Lug. Lauer & Sion Crateuę, Dod. gal. Sium, Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Dod. fol. Sion ſiue Lauer Dioſcoridis Oluſatri folio, ſiue Paſtinaca aquatica, Lob. icon. Sium Crateuæ maius, Lugd. Sium maius latifolium, Tab. Creſcione vulgo, Elioſelinum Dioſc. Theoph. Plinio, & Sium Galeni Cæſalp. Hoc variat ratione latitudinis foliorum.
II. Sium vulgare, Matth. Lugd. Sium, Lac. Caſt Sion. Matthioli & Italorum, Lob. Vella Galeni, Anguillaræ.

## Σισύμβριον. SISYMBRIVM. CAP. CXXI.

a Orib. μέγαν. i. magnũ ſed ſylueſtre non legit.
b εὐώδες. i. odoratum leg. Orib.

SIſymbrium (alii ſerpyllum a ſylueſtre vocant) in ſolo inculto naſcitur, menthæ hortenſis ſimilitudine, b odoratius, latiore folio. Inſeritur coronis. Calfaciendi vim habet: contra ſtillicidia vrinæ, calculoſq; ſemen ex vino bibitur: tormina, & ſingultus ſedat. Folia in capitis dolore, fronti, aut temporibus illinuntur. Item contra veſparum, apumque ictus. Vomitiones potu cohibet. Alterum ſiſymbrii genus, alii Cardaminam, alii Sion appellant. Ea herba riguis gaudet, & eiſdem in locis, quibus Siõ, prouenit: cuę ideo nonnullis Cardamina nominatur, quòd guſtu cardamum, id eſt naſturtium repręſentet. Folia primùm rotunda prodeunt, adulta crucæ modo finduntur. Id excalfacit, vrinas mouet: crudum eſtur. Purgat lentigines, cutiſque vitia in facie, noctibus impoſitum matutiniſque detractum.

I. SISYMBRIVM HORTENSE. II. SISYMBRIVM SYLVESTRE.





Siſymbrii cõſideratio.

*TAmetſi prodiderit Dioſcorides Siſymbrium in ſolo inculto naſci, Theoph. tamen lib. 6. cap. 7. de plantarum hiſtoria, & lib. 5. cap. 8. de earum cauſis, ſatiuum etiamnum Siſymbrium in hortis reperiri poſteritatis memoriæ commendauit. Quod ſanè eam herbam eſſe crediderim, quæ hodie in omnibus ferè hortis prouenit, quam noſtrates officinæ Balſamitam, vulgus verò mentham Romanam, vel criſpam appellat. Quippe quòd hæc proferat folia circinata, & vulgaris menthæ latiora rotundioraq;, criſpa tamen: caulem edit quadrangulum, rubentem virentemq;, & flores ſpicatos: & odore, guſtuq; mentha longè acrior ſentitur. Cuius rei illud etiam, præter aſsignatas notas, manifeſtum indicium facit, quòd Balſamita hæc facilè in mentham degeneret, niſi diligens admodum adhibeatur cultura. Quod libro de plantarum cauſis paulò ante citato, apertè teſtatur Theoph. his verbis: Siſymbrij mutatio in mentham, velut prædictis oppoſita ſcilicet eſt, cùm ex neglectu eueniat. Fit enim cùm quis non excolit, neque curam ſolitam adhibet, vt radices amplius deducantur, quàm in partem vi tota conuerſa, debilior pars ſuperna conſiſtit, odoriſq; ſui vehementiam amittit, quaſi ex ambobus illis, germine*

Siſymbrii in mentham mutatio.

atque

atque odore ſimilitudo proueniat. Quippe acritudine exoleſcente, reliquus odor, quia mollis quidem remiſſusque eſt, proxime ad mentham accedit. Quamobrem transferre ſæpenumero iubent, ne iſtud eueniat. Hæc Siſymbrij cauſa eſt: hactenus Theophraſtus. Sed equidem non putauerim Dioſcoridis Siſymbrium ſponte in incultis naſcens, cum Theophraſti Siſymbrio communem, quin potius alterũ ab altero longè diſsidere crediderim. Syluestre enim in Ananienſi agro in incultis natũ compluribus locis vidimus, ac legimus, nullis deficiẽtibus notis illi à Dioſc. tributis, caule quadrãgulari, radicibus lõgè vagãtib. ramulis, villoſis, quod mihi quidẽ ſatiuo effigie planè reclamare viſum eſt. Huc alia accedit ratio, qua facilè probari poteſt, ſyluestre Siſymbrium à ſatiuo plurimùm differre. Quandoquidem ſi idem eſſent, cum Siſymbrium culturæ negligentia in menthã degeneret, fieri quidem non poſſet, vt ſyluestre aliter vſquã inueniretur, quàm in menthã permutatũ, cùm nulla hominum cultura naſcatur: quo poſtmodum fieret, vt locus, in quo Siſymbrium primò adoleuiſſet, breui temporis tractu vbiq; mentha ſcateret, quod tamen nuſquam hactenus factum reperi. Cæterùm Braſauolus, cùm hæc fortaſſe non perpendiſſet, credidit Balſamitam, quam ipſe Florentinam mentham appellat, tam ſatiuum, quàm ſyluestre Siſymbrium indifferenter explere poſſe. Qui præterea fatetur ſe vidiſſe (quòd potius eum oculos feſelliſſe putauerim) Balſamitam deſciuiſſe in calaminthum, Plinium quidem, non Theophraſtum ſecutus: ſiquidem Theophraſtus in mentham, non in calaminthum Siſymbrium deſciſcere prodidit. Plinij verò codices nonnulli libro 19. c. 10 ſcriptum quidem habent, quòd Siſymbrium in calaminthum degeneret, quam lectionem accepit Braſauolus: ſed ea lectio deprauata cenſetur. Idcirco factum eſt, vt ij, qui Plinium caſtigarunt, eam reſtituerint, quòd compertum habuerint Plinium ex Theophraſto hiſtoriam ſumpſiſſe. Itaque iam eius loci vera, & legitima lectio eſt, vt in caſtigatis codicibus legitur, quòd Siſymbrium in mentham deſciſcat, non in calaminthum. Siſymbrium verò, quod (vt Dioſcorides inquit) aliqui Cardaminam, alij Sium appellant, ea nimirum her-

Syluestre. Braſauoli error. Siſymbrium aquaticum.

III. SISYMBRIVM AQUATICUM.



IV. SISYMBRIVM AQVATICUM ALTERUM.



ba eſt, quam vulgò noſtri Creſcione appellant, acri ſapore prædita, de qua etiam diximus in præcedenti capite, de Sio diſſerentes. Siquidem ea in fontium riuis diſcurrentibus comite Sio naſcitur, folijs primo exortu rotũdis: cùm verò adoleuerint, erucæ modo diſſectis: odore, ac ſapore ſatiuo naſturtio proximis. Meminit huius Plinius libro 20. cap. 22. quamuis libro 19. cap 8. aliud Siſymbrij genus commemoret his verbis: Siſymbrium ſimili modo ſeritur: lætiſsimum naſcitur in puteorum parietibus, & circa piſcinas, & ſtagna. Hinc quidam exiſtimarunt, Pliniũ de vulgari menthaſtro, quod in aquoſis paſſim prouenit, diſſeruiſſe. Siſymbrium tam hortenſe, quod tenuium eſt partium, excalfaciens, & exiccans in fine ſecundi ordinis, aut in principio tertij: attenuat, digerit, reſoluit, aperit, incidit, prouocat, quàm ſponte proueniens, & flatus, & lumbricos pellit, cùm herba ipſa in puluerem trita, tum eius decoctum potum: valet ad vteri inflationes, ſi vnà cum parthenio in calenti tegula calefactum, & odorato meraco aſperſum, imo ventri applicetur: valentius quoque vterinis doloribus à partu ſubuenit, ſi vnà cum parthenio, artemiſia & anthemidis floribus, tenuiter conciſa, tribus, aut quatuor ouis excipiatur, & deinde in patella, cum oleo lilino ad ignem fiat placenta, & calida applicetur ventri, ſuper ipſo vmbilico. Illinitur tam recens, quàm ſiccum calefactum, & vino cretico aſperſum, cœliacis & ad ventriculi dolores a flatu prouenientes. Succus teſtibus illitus nocturnas pollutiones cohibet. Cæterùm aquaticum Siſymbrium cum raphano omni, & petroſelini radicibus, ſectum & ex albo meraco, & butyro calefactum, & calidum pubi adhibitum, vrinas remorantes educit ac trahit. Succus ex aceto illinitur ſyncipiti vtiliter veternoſis. Eſt & alterum eiuſdem generis, ſed folijs & caulibus longè minoribus, ramulis numeroſis, in cacumine tantùm comantibus, in quibus floſculi exeunt puſilli, tenues, albicantes. Hoc autem non ſolùm in aquoſis, & riguis prouenit, ſed in hortis & ſecus itinera, acuto ſapore. Imbecillius eſt altero, namq; minus excalfacit & ſiccat: vbi verò alterum nõ ſit ad manus, hoc vti præſtabit. Siſymbrij vtriuſq; mentionẽ fecit Gal. li. 8. de ſimplic. medicamen. facultate,

Creſcione. Siſymbrij vires Matth. Siſymbrij vtriuſq; vires ex Galeno.

*cultate, ſic inquiens: Siſymbrium tenuium partium, digerentis, excalfacientis, & exiccantis facultatis eſt, & temperamento in tertio ordine. Sed & ſemen eius tenuium partium eſt, & calidum. Quocirca ipſum quidam cum vino exhibent ſingultientibus, & tormina patientibus. Siſymbrium verò, quod quidam Cardaminam vocant, quandoquidem cardamo, hoc eſt, naſturtio ſimile quiddam guſtu præfert, cùm ſiccum eſt, tertij eſt ordinis excalfacientium, & deſiccantium: cùm humidum, & viride, ſecundi.* Nomina. *Vt Græci σισύμβριον, ita etiam Latini Siſymbrium dicunt: Arabes, Siſnabarion, ſeu Siſnasbar: Siſymbrium ſatiuum, ſiue hortenſe, Græcis σισύμβριον ἥμερος: Italis, Siſembro domeſtico, Balſamita, ſeu Mentha creſpa: Germanis* Katzenbalſam: *Quòd verò σισύμβριον ἕτερον Græcis, Siſymbrium alterum Latinis appellatur: Siſymbrium aquaticum: Officinis, & Barbaris Senetion. Italis Siſembro aquatico, & Creſcione: Germanis,* Brunnkreſſen / vnd Waſſerkreſſen: *Hiſpanis, Berroes, & Agriois: Gallis, Creſſon.*

Mentha rotundifolia, criſpa. ſpicata C.B. Siſymbrium hortenſe, Matth. Lac. Caſt. Lugd. Mentha hortenſis altera ſiue criſpa, Geſ. hor. Siſymbria mentha agreſtis, Lob. II. Mentha rotundifolia paluſtris, videtur Siſymbrium Dioſcoridis. C.B. Mentha rubea, Brunf. Balſamina agreſtis & Nepeta tertia, Trag. Siſymbrium Fuch. Dod. gal. & fol. Cam. Siſymbrium ſylueſtre, Matth. Lugd. Siſymbrij primi ſpecies prima, Cor. in Dioſ. Siſymbrium agreſte aquaticum, Geſ. hor. Mentha aquatica & ſylu. altera, Lonic. Mentha paluſtris, Cam. hort. Aquatica ſiue Siſymbria, mentha rubra folio & flore nigræ menthæ, Lob. Siſymbrium primum Thal. Mentha ſylueſtris prima & Siſymbrium terreſtre Dioſc. & Theoph. Cæſalp. Calamintha aquatica, Taber. Variat folijs aliquando maioribus, aliquando minoribus: aliquando tota rubet: habetur magis (vt pictura oſtendit) minuſque hirſuta. III. Naſturtium aquaticum primum. C. B. Naſturtium aquaticum, Trago. Lonicero Dodonęo fol. cui & Sion Crateuæ: Siſymbrium aquaticum, Matthiolo Caſt. Cæſalpino, Siſymbrium Cardamine, Fuchſio, Lugdunenſi. Cluſ. Pann. Siſymbrium alterum Dioſcoridis Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Thal. Siſymbrium tertium, Lacu. Siſymbrium aquaticum primum, Tab. Sion Crateuæ erucæfolium, Lob. Variat hęc prout humidioribus, aridioribusue locis enaſcitur: illud folijs ferè Terebinthini magnitudine: hoc triplo minoribus quamuis viribus nō diſcrepent: ſic & tenuioribus folijs & ſimplicioribus cauliculis locis ſiccis reperitur. Alterum etiam eſt Naſturtium aquaticum quod amarum eſt, & vltra cubiti altitudinem aſſurgit, folijs magis acuminatis, de quo & Thalius in ſua Harcynia. IV. Naſturtium pratenſe vulgatius. C.B. Flos cuculi, Brunf. Dod. fol. Naſturtium pratenſe vel tertium, in quod aquaticum non rarò degenerat Trag. Naſturtium agreſte & Hiberis, Fuch. Naſturtium ſyl. Lonic. Siſymbrium aquaticum alterum Matth. Tab. Siſymbrium Cardamine, Dod. gal. Lac. Siſymbrio aquatico non abſimilis, Cæſalp. Cardamine altera, ſiue Siſymbrium Cardamine ſecundum. Lob. Lepidium minus, Cord in Dioſc. Iberis & Naſturtium pratenſe, Geſ. hort. Siſymbrium Cardamine ſecundum Matthioli. Siſymbrium Cardamine tertium Dodonęi. Cardamine altera Lobelij, Lugd. qui huius tres icones proponit, licet vnius ſint plantæ. Iberis ſeu Cardamantice naſturtij folio, Thal. Flos aliquando totus albus, communiter leuiter purpuraſcit: rarius flore pleno reperitur. V. Naſturtium minimum ſiliqua longa. C.B. Hoc ex radice tenui, fibroſa, caules rarius palmares, ſed minores, tenues, ſtriatos èmittit, circa quos folia oblongis pediculis donata, pleraque tripartitò diuiſa, quædam tamen in partes quinque

*V. NASTVRTIVM AQUATICUM minimum.*



*VI. COCHLEARIA FOlio ſubrotundo.*



vel Rheſedæ vulgaris modo diuiduntur. Flores obtinet albos, tenues, in ſummo comantes, quibus ſuccedit ſiliquæ lōgæ, anguſtæ, exiguo & ſubacri ſemine refertæ. Variat ratione loci, in aquaticis namq; planis mauis, in vinetis riguis Wilenſibus miliari Baſilea, lōge minus reperitur, cuiuſmodi & Patauij obſeruauimus. Prouenit etiam in alpibus locis humidis. Dicitur Cardamine quarta Dalechampio, Siſymbriū aquaticum minus, Cam. apud Matth. VI. Cochlearia folio ſubrotundo, ſic á foliorū forma dicta, quæ & forma & ſapore Naſturtijs & Thlaſpi affinis eſt. Cochlearia, Dod. gal. & fol. Lugd. Cam. ad Matth. Telephium, Lac. Britannica Plinij, Cochlearia vulgo, Geſ. hor. Cochlearia Batava, Lob. Ex radice tenui, fibroſa, alba & guſtu acri, folia pediculis oblongis inſidentia prodeunt complura, lata, craſſa, ſplendentia, concaua, inſtar cochlearis minimè profundi, quorum prima rotunda ſunt, reliqua oblongantur, & nonnunquam anguloſa exiſtunt. Ex horum medio caules terni, quaterni, dodrantales, paucis folijs, quæ caulem amplexantur cincti, qui in alios cauliculos brachiantur, quibus ſecundum longitudinem flores candidi quatuor foliolis conſtantes, quatuorque exiguis filamentis donati adnaſcuntur: quibus ſuccedunt capſulæ interſtitio membranoſo tenui, in apicem deſinente diuiſæ, vtrinque ſemeñ exiguum, ruffum, continentes. Hæc licet ſponte in maritimis Germaniæ inferioris, Holandiæ & Friſiæ, & circa Hamburgum locis paluſtribus proueniat, in ſuperiori tamen Germania tantum in hortis viſitur: altero à ſatione anno, Aprili & Maio florens, ſemen Iunio maturans. Calida & ſicca vt Naſturtium, cuius peculiaris in ſcorbuto vſus, vel in acetarijs, vel cocta cum lacte aut vino, & continuè bibita.

## Κρίθμον. CRITHMVM. CAP. CXXII.

CRithmum, ſeu, vt aliqui, Crithamon, fruticoſa, & vndique folioſa herbula eſt, cubiti altitudinem ferè petens. Naſcitur in maritimis, & petroſis: folijs pinguibus, numeroſis, albicantibus, veluti portulacæ, [a] latioribus, ſalſo guſtu: flores [b] candidi ſunt: & ſemen, ceu roſmarini, odoratum, molle, rotundum, quod ſiccatum rumpitur: habet intus tritici modo nucleum: radices digiti craſsitudine, tres, aut quatuor, grati odoris, & iucundi. Radix, ſemen, & folia incocta vino, potu vrinæ difficultati, & regio morbo auxiliantur: menſes cient. Estur crudum, coctumue in olere: ſeruatur etiam in muria.

a Cat. παχυτέροις. i. craſſioribus.
b μηλινά. i. lutei. Orib.

CRITHMVM I.



CRITHMVM II.



QVatuor habentur genera, quorum tria Marina ſunt, & quartum Terreſtre. Naſcitur Crithmum non modò in omnibus Tyrrheni promontorijs, ſcopulis, ac rupibus, præſertim Argentario monte in maritimis noſtris Senenſibus, & vniuerſo circum Italiam litore, ſed etiam in Adriatico ſinu, vbi ſcopuloſa, & prærupta ſuperſtant litora: quemadmodum nobis contigit videre eo tractu per quem à Timauo fonte Tergeſtum nauigatur: namq; inibi illa ſcopuloſa litora crithmo referta ſunt. Crithmum Romæ, & in vniuerſa ferè Hetruria Fœniculum marinum dicitur: etſi in alijs quam plurimis Italiæ locis, vbi à maritimis in hortos, ac viridarijs translatum vireſcit, herbam ſancti Petri appellitet vulgus. Quo nominis argumento non deſunt, qui exiſtiment, plantam hanc legitimum eſſe Empetron libro 4. à Dioſcoride deſcriptum inter ſimplicia medicamenta, quæ deiectoria pollent facultate. Inter hos inuenio Pandulphum Collinutium in defenſionibus Plinij contra Leonicenum, qui Empetron corrupto vocabulo Sanpetram herbam vocari putat, nulla habita facultatis, nominiſq; ratione. Cuius ſententia maximè refragatur experientia, quòd Crithmum quanquam abunde, copioſeq; ingeſtum

Crithmi conſideratio.

Fœniculum marinum.

Quorundam lapſus, Empetron cenſentium Herbam S. Petri.

*ſtum, nec pituitam, nec bilem, nec aquam intercutem trahit, quemadmodum Empetro reddidit Dioſcorides: quiſ propterea illud inter ea, quæ aluum deijciunt, medicamenta locauit. Quomodo autem Empetron quis idem cum herba ſancti Petri rectè dixerit, ſi empetron nullis alijs à Dioſcoride repræſentatur notis, quàm quòd naſcatur in montibus, & maritimo, ſalſo & amaro ſapore? Verùm enimuero non modò putandum, ſed etiam pro certo, meo quidem iudicio, affirmandum erit, herbam hanc Crithmum eſſe. Quippe quòd ea notis omnibus, quæ radicibus, folijs, caulibus, ac ſeminibus, & vniuerſæ denique plantæ tribuit Dioſcorides, Crithmum planè referat.*

Crithami alia genera.

*Cæterùm maritimi crithami duo alia habentur genera. Primum, à præclariſſimo viro Iacobo Antonio Cortuſo mihi miſſum, vulgari ferè ſimile eſt, niſi quòd folijs eſt anguſtioribus, & in cacumine mucronatis, atque pungentibus, ſalſo, amariuſculo & acuto ſapore: caulibus verò prægnantioribus, ſuccoſioribus, vegetioribusque, in quorum cacumine ramuli exeunt bini, terni quaterniuè, ſuas ſinguli vmbellas proferentes, albis floſculis refertas, è quibus ſemen oritur fœniculo quadantenus ſimile, cui radicem quoque ſimilem profert. Iisdem procacibus locis in maris litoribus.*

Crithmum alterum.

*Alterum planta eſt fruticoſa, ab vna radice plures emittit caules rectos, circa quos totos folia habentur, per interualla tamen plura ex vna origine gregatim prodeuntia, longiuſcula, craſſa, & ſalſo etiam guſtu, ſub horum exortu peculiare quoddam erumpit folium, cæteris duplò longius, è quo propè caulis cauitatem pediculus exit, è quo ſex, ſeptemue folia breuiora produntur, vt ex appicta eius imagine quiſpiam videre poterit. Flores fert in cacumine orbiculatos, villoſosq;, colore pallido: Radice nititur longa, tereti, non ſine alijs adnatis. Naſcitur in litore maris, locis planis non diſsitis.*

CRITHMVM. III.



CRITHMVM. IV.



*Non deſunt quoq; qui hanc Empetron faciant, ſed ego ijs haud ſubſcribere auſim, cum plura ſint, quæ reclament. Hæc enim nuſquam in montibus oritur, nec pota ventrem exoluit. Eſt & altera planta, quæ non ſolum odore, ſaporeq; guſtu ſalſuginoſo atq; amariuſculo Crithamum refert, ſed quadantenus ſua ipſius facie.*

Crithamum terreſtre.

*Hanc nos terreſtre Crithamum, his de cauſis appellare voluimus. Naſcitur hæc in Bohemia copioſa, præſertim in agro Pragẽſi, non ſolum inter ſegetes, ſed in agrorum marginib. & ſecus vias, ac etiam alijs in regionibus folijs, longis, anguſtis, firmis, ternis ex vno pediculo, ipſoq; longo prodeuntibus vtrinq; denticulatis, falcis frumentariæ modo: cæterùm quæ in caulium ſummis partibus habentur, minora, breuioraque ſunt. Caulem gerit ramoſum, alis concauum geniculatumq;, in cuius ſummitate ramuli exeunt diuulſi, in quibus floridæ, albicantesq; ſunt vmbellæ, in quib. poſtremò ſemen oritur paruum, oblongum, acre, & odoratum. Radice nititur ſylueſtri paſtinacæ haud abſimili, minore tamen: ſapore in primis dulci, ſed ſi diutius mandatur, acri, & odorato.*

Crithmi vires ex Gal.

*Crithami vires recenſuit Gal. lib. 6. ſimp. medic. his verbis: Crethmum guſtantibus ſalſum quodammodo eſt, cum paucula amaritate, quamobrem vis eius eſt exiccatoria, & abſterſoria: vtraq; tamen imbecillior in eo eſt, quàm in amaris. Crithmum ſecundum, ea omnia præſtare poteſt, quæ primum Crithmi genus, niſi quòd vim aliquam inciſiuam habere videtur. At tertium ea omnia poteſt, quibus pollere cætera genera diximus. Quartum aperit, digerit, excalfacit, ſiccat & mediocriter inciſit.*

Nomina.

*Κρίθμον Græci, Crithmũ item & Crithamũ Latini vocant: Itali, Crithmo, Finocchio marino, & herba di ſan Pietro: Germani,* Bacilen / vnd Meerfenchel: *Hiſpani, Perexil de la mar, & Vnhas de agnula yerua: Gallis, Baſsille, & Fenoil marin.*

Crithmum duplex in ſecunda editione propoſuit, at ſequẽtibus editionibus ſecũdum & quartum adiecit. I. Crithmum ſeu Fœniculum marinum C.B. Batis hortenſis, Plinio: Cretamum marinum, Croyſantio. Crithmum primum, Matth. Crithmum Matth. edit. 2. Dod. gal. Cord in Dioſc. Lac. Caſt. Lugd. Tab. Crethamum marinum. Cord. hiſt. Crithmus marinus, Creta vel Salſa marina, & Batis, Geſ. hort. Crithmum marinum, Dodo. fol. Fœniculum marinum, Empetrum Rondeletio, ſeu Calcifraga, Lobelo Baticula quaſi parua Batis vulgó, Cæſalpino Creta marina, Lonicero. II. Crithmum ſecundum, Matthiolo, Camerario. Crithmum ſpinoſum, Dodonęo folio Tab. Paſtinaca marina, Lobelo, Lugdunenſi: qui altera

tam habet figuram nomine Tribuli marini quorundam. III. Crithmum marinum Aſteris flore C.B. Crithmi marini ſpecies, Matth. editio ſecunda. Crithmum tertium, Matth. Lugd. (qui & Matth. & Dod. figuram habet) Cam. Grithmum Chryſanthemum, & Aſter atticus marinus quibuſdam, Dod. fol. Littoreum Chryſanthemum, Lob. Crythmus ſecundus, Tab. IV. Crythmum quartum, Matth. Caſtrenſ. Tab. Cam. qui an τριονύλις ſit Tralliani dubitat: Crythamus agreſtis, Trago. Eryngium montanum recentiorum, alterum Lob. Eryngium quartum, Dod. fol. Ammi quorundam Dalechampij, Lugdunenſi.

## CORONOPVS. CAP. CXXIII.

Κορωνόπους.

Coronopus oblonga herbula eſt, per terram ſtrata, fiſsis folijs: coquitur in olere. Radicem habet tenuem, adſtringentem, qui in cibo cœliacis facit. Prouenit in aggeribus, & locis incultis, & ſecus vias.

I. CORONOPVS.



II. CORONOP. SIVE SERpentina.



*Varias, ac diuerſas reperio eorum fuiſſe ſententias, qui non parum laboris, ac ſtudij impenderunt, vt plantarum hiſtoriam à mendis omnibus expurgatam, priſtinæ ac propriæ redderent integritati, in inueſtigando, quænam inter tot plantas legitimè Coronopus dici poßit. Quorum vnus extitit Nicolaus Leonicenus, vir quidem ingenio, & doctrina præclarus, qui longa verborum ſerie hac de re ſcripſit, concluſitque tandem, Coronopum eam herbam eſſe, quam ipſe vernacula ſua lingua Capriola, nos verò noſtra Sanguinella appellamus, quòd eam pueri æſtate naribus indant, vt inde ſanguinem eliciant. Verum cùm eius ſententiam minimè probandam exiſtimauerit Manardus Ferrarienſis, hac in re magis Dioſcoridi addictus, quàm Plinij, ac Theophraſti placitis, qui Coronopum inter aculeata recenſent, his magis adſtipulandum eſſe indicauit, qui voluere Coronopum Dioſcoridi eam eſſe herbam, quæ vulgò dicitur Herba ſtella, omnibus Italiæ hortis vulgaris, ac admodum frequentem ſponte etiam in aggeribus, locis incultis, & ſecus vias naſcens, quòd in acetarijs paßim vſurpetur, quàm ijs, qui Capriolam, ſiue Sanguinellam dictam Coronopum eſſe cenſent. Quandoquidem hæc nuſquam, quod ſciam, in cibus ſumitur, ſed in brutorum tantum venit pabulum. Nec deſunt præterea, qui firmiter aſſeuerent, quòd quæ inter plãtas vulgò nõnullis Pes coruinus vocatur, aliquibus verò Pes gallinaceus, qua vtũtur nonnunquã medici ad exulcerandas corporis particulas, vbi id expoſtulet neceßitas, legitimus ſit Coronopus. Inter quos non modò deprehenſi ſunt commentatores Auicennæ, quos nullam rei herbariæ peritiam habuiſſe conſtat, ſed & recentiorum quidam, præſertim ex eorum numero, qui de ſtirpium hiſtoria, & facultatibus ſcripſere commentarios: Namq; Ottho ille Germanus cognomine Brunfelſius, tametſi non ignoraret, eos à probatißimis viris refelli, qui in hanc venerunt ſententiam: tamen (quæ multorum eſt pertinacia) maluit cum rei herbariæ imperitis errare, quàm cum doctis, & peritis rectè ſentire. Quippe Pes coruinus vulgò vocatus (vt in ſequentibus ſuo loco diſſeremus) Coronopus non eſt, ſed proculdubio Ranunculus, qui Græcis βατράχιον appellatur, cuius variæ Dioſcoridi produntur ſpecies: inter quas vulgaris Pes coruinus ſuam retinet ſedem. Quod autem Leoniceni Capriola Coronopus ſit Dioſcoridis, ego quidem cum Manardo nunquam affirmauerim. Nam etſi gerat hæc herba in ſui culmi faſtigio quinque veluti graciles ſpicas, quæ cùm manibus dilatãtur, cornicis, vel alterius volucris formam pedis repræſentant: cùm tamen (vt etiam Manardus inquit) in hominum cibum non expetatur, folio exeat nullis inciſuris diſſecto, non ſeratur in hortis, & arida tanquam fœnum aſſurgat, nullo pacto aſſerendum cenſeo Capriolam eſſe Coronopum. Cæterùm ſi modo quis in eo Plinium ſequi velit, quòd dixerit libro vigeſimo primo cap. 16. (quod tamen ex Theophraſto ſumpſit) aculeatarum caules aliquarum per terram ſerpere, vt eius, quã Coronopum vocant, fruſtrà, meo quidem indicio*

Coronopi conſideratio.

Capriola; Coronopus Leoniceno.

Herba ſtella.

Quorundam opinio damnata.

Brunfelſius taxatur.

Leoniceni opinio reprobata.

indicio, probare contendet Sanguinellam, ſiue Capriolam eſſe Coronopum, quòd eius caulis culmi modo geniculis interſectus, humi minimè repat, ſed rectus in altum aſſurgat, & culmorum in morem ſpicas ferat. Verum eos non aberraſſe putauerim, qui dixerint Capriolam hanc aculeatum eſſe gramen, cuius meminit Plinius lib. 24. cap. 19. his verbis: Sunt qui & aculeatum gramen vocant trium generum, cum in cacumine aculei ſunt plurimùm quini, dactylon vocant. Hos conuolutos naribus inſerunt, extrahuntque ſanguinis ciendi gratia. Neque vſquam, quod equidem legerim, expreßit Plinius (vt Ruellius teſtari videtur) gramē hoc aculeatum eſſe coronopum. Illud præterea animaduertere oportet, quòd Dioſcorides non ſcribit Coronopum aculeatam plantam eſſe, neque eum inter aculeatas libro tertio recenſuit, ſed hic inter olera, quæ in ciborum vſum veniunt. Quamuis contrarium fecerit Theophraſtus, quod fortaſſe ad foliorum formam alluſerit, quæ laciniarum tenuitate coronopo aculeata videntur, cùm tamen pungere non valeant, vt cum acanthinis fortaſſe luſit Dioſcorides. Quare facilè adducor, vt credam, Coronopum tam Theophraſto, quàm Dioſcoridi idem eſſe. Ideoque Plinius libro 21. Theophraſtum ſecutus, Coronopum aculeatum facit: libro verò 22. Dioſcoridem fortaſſe imitatus, aculeorum nuſquam meminit. Sed & illud ſilendum non duximus, quòd ex illo graminis genere, quo pueri ludentes ſanguinem e naribus eliciunt, Sclaui Carniolæ incolæ, item Goritienſes ſemen colligunt, deglubuntque in pilis, & milij, vel panici modo carnium iure decoquunt, granulis oblonginſculis panico minoribus, guſtui non ingratis, adeò vt Germani Himmeltaw vocent, hoc eſt, cæleſtem mannam. Huius plantam (cuius inferius libro quarto inter gramina mentionem faciemus) Sclaui cornicis pedem appellant. Quo fit, vt quaſi certò crediderim, quòd Leonicenus ab ijs fortaſſe doctus, putauerit hanc plantam eſſe Dioſcoridis Coronopum. Qui cùm Coronopum ſcribat ſpinis nullis rigere, ſerique in hortis in ciborum vſum, eos nihil fallere exiſtimauerim, qui nobiſcum ſenſerint eam plantam legitimum eſſe Coronopum, quæ vulgò nobis Herba ſtella vocatur.

Gramen aculeatum Plinij.

Coronopi hiſtoria.

Nempe nullam hactenus plantam vidi, quæ perinde ac illa adamuſſim Coronopum referat. Coronopus itaq; folia fert longa, anguſta, per interualla corniculata, humi accubantia, & in ſtellæ modum radiantia, caulem, ſpicam, florem, & ſemen gerit per omnia plantagini ſimilia, adeò vt nulla ferè accedat notarum differentia, radice nititur vnica tantum, numeroſis tamen adnatis capillamentis, foliorum ſapor plantaginis omnino eſt: quo fit, vt crediderim Coronopum eiuſdem eſſe generis. Inuenitur quoque Coronopus ſponte naſcens diluto extenuatoque ſolo in comitatu Goritienſi, non longè à Sontij fluminis ripis, & alijs etiam in agris & in loco, qui dicitur in collibus. Folia fert tenuiora, capillaceaque, rariuſcule corniculata, humi accubantia: caulibus, ſpicis, floribus, ſemine, hortenſi ſimilibus, ſed longè tenuioribus. Eam inibi vulgò Serpentinam appellant, quòd eius radix in vino pota viperarum, aliorumque venenoſorum animalium morſibus maximè aduerſetur, ſitque præcipuum remedium, ita vt ipſa ſola (quod equidem experientia compertum habeo) liberet demorſos. Præſtat eam quoque ad hydropem, quam Anaſarcam vocant, epoto apozemate pluribus diebus, in quo radix conferbuerit. Sunt qui hanc Holoſtium eſſe cenſeant, quorum non poſſum non probare ſententiam, vt libro quarto fuſius diſſeram. Coronopi vires paucis perſtrinxit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Coronopodis radix cœliacis prodeſſe creditur manducata. Eius nomen Græcum κορωνόπȣ, item & Latinum Coronopus: Italicum, Coronopo, & Herba ſtella: Germanicum, Krăenfüß: Hiſpanicum, Guiabelha: Gallicum, Capriole. Gallis, Corn de Cerf, ſiue Sanguinaire. Coronopus ſyluestris, Italis, Herba ſtella ſaluatica, at peculiariter Goritienſibus, Serpentina vocatur.

Coronopi Sylueſtris mentio & vires.

Coronopi vires ex Gal.

Nomina.

I. SONCHVS ASPERA.



Coronopus ſeu pes cornicis à foliorum forma Gaza apud Theophraſtum 7. hiſt. 9. Silaginem vertit. I. Coronopus hortenſis. C.B. Coronopus, Trag. Matt. Fuch. Lac. Lon. Lob. obſer. Lugd. Cæſalp. Tab. Pſeudocoronopus, Dod. gal. Coronopus ſatiua, Cord. hiſt. Caſt. Cam. Coronopus vera, Geſ. hor. cui & ſtella herba: Herba ſtella ſiue cornu Ceruinum. Dod. fol. Cornu Ceruinum, Lob. icon. Huius habetur ſyluestris ſpecies folijs hirſutioribus, & ad Erucæ ſimilitudinem laciniatis. II. Holoſteum ſtrictiſsimo folio maius C.B. Coronopus ſyluestris, Matth. edit. ſecūda & in icon. Lob. icon. Caſt. Lugd. Tab. Coronopus ſiue Serpentina, Matth. Coronopi ſyluestris ſpecies, Geſ. hor. Serpentina, Matth. Ital. Lob. obſer. Dod. fol. Coronopus montanus, Cæſalp. Plantago marina, Camerario.

## Σόγχος. SONCHVS. CAP. [illegible]V.

SOnchi duo genera. Syluestrior quidam eſt, & magis ſpinis horret. Alter teneritate quadam molleſcit, cibis expetitus. Caule conſtat anguloſo, † inani, interdum rubente: folijs in ambitu per interualla diſſectis. Vtriuſque vis refrigerat, modicè adſtringit: vnde æſtuanti ſtomacho, & inflammationibus illiti proſunt. Succus eorum ſtomachi roſiones ſorbitione mitigat: lac elicit: in vellere appoſitus, ſedis, ac vuluæ collectionibus opitulatur. Tam herba, quám radix illita, vibrantis à ſcorpione ictibus ſubuenit. Alter Sonchus tenerior, arboris inſtar eſt, latis conſtans folijs: caulem in ramos exeuntem folia diſtinguunt, ſed ad eadem pollet.

Sonchi cōſid. & genera duo.

SOnchus in Hetruria, vbi Latinum nomen adhuc perdurat, Cicerbita vulgò vocatur. Viſuntur in hortis, campis, & vineis, agris incultis & ſecus itinera, duo ſonchi genera, alterum aſperum, alterum laue. Folia vtraque ſonchus profert cichorij modo laciniata, quæ quidem in aſpero criſpa, aſpera, & pungentia, ſubrubentiaque habentur: in laui verò leuia, & ſpinis nullis rigentia. Huius duo habentur genera, quæ tantū folijs aliquatenus differunt, nempe eorum alterum latioribus habe-

II. SONCHVS LAEVIS.



III. SONCHVS LAEVIS ALTERA.



* IV. SONCHVS LAEVIS cæruleus.*



*habetur folijs, minus quoq; laciniatis, at etiam magis extenſis. Omnibus caulis eſt cubitalis, intus vacuus, mollis, fragilis, lacte prægnans, & plerumq; rufeſcens. Flores gerit in caulium ſummitate melinos, ſenetioni haud abſimiles, qui deinde in pappos euaneſcunt. Sed tertium illud genus, de quo in fine capitis diſſeruit Dioſcorides, non ſolùm non inuenitur in Italia, vbi non recordor me hactenus vidiſſe plantam, quæ Sonchum arboreſcentem referat, ſed neq; etiam de eo quicquam, quod equidem legerim, memoriæ prodiderunt Theophraſtus, & Plinius. Soncho noſtri Itali vtuntur hyeme in acetarijs, præſertimq; eius radicibus, quæ cùm teneræ ſint, manſuq; dulces, frequẽter menſis expetuntur. In vino decoctus ſtomachi fluxionibus medetur. Lacteus liquor à caule emanans, datur potandus ægrè ſpirantibus, & aſthmaticis. Idem auribus inſtillatus dolorem tollit, & præſertim in malicorio cum oleo decoctus. Stranguriam quoq; ſanat cyathi menſura vnciæ pondere potus. Commanducata folia oris graueolentiam tollunt. Sonchus læuis non differt à primo genere, ſiccis in facultatibus. Sonchi vires nobis deſcripſit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Sonchus vbi adoleuerit, ex ſpinoſis plantis eſt, cæterum viridis etiamnum, & tener eſtur, perinde vt cætera olera ſylueſtria. Temperamentum eius quodammodò miſtum eſt: conſtat enim ex aquea, terreaq; eſſentia, vtraq; leuiter frigida. Nam & adſtrictionis cuiuſdam eſt particeps: & ſiue cataplaſmatis in morem illinatur, ſiue edatur, manifeſtò refrigerat: poſtea verò quàm planè reſiccatus fuerit, terreſtre eius temperamentum redditur, modicam habens caliditatem. Σόγχος ſic Græcè, vt etiam Latinè Sonchus appellatur: Italicè, Soncho, Cicerbita ſeu Creſpine: Germanicè,* Wilderhaſenkol/Genßdiſtel: *Hiſpanicè, Serraya, & Seralba: Galicè, Latteron, & Palais au lieure. Sonchus læuis, Italis, Cicerbita gentile.*

Sonchi vires Matthiolo.

Sonchi vires ex Gal.

Nomina.

*† Hæc dictio κενός, quæ vacuum, & inanem ſignificat, hîc non legitur in vulgatis Græcis. Sed tamen eam habent vetuſti codices, quibus etiam adſtipulatur Oribaſius. Ergo non erit, vt aliqui putant, ex Plinio duntaxat repoſita.*

Sonchus ἀπὸ τοῦ σῶον χέειν, quod ſalubrem fundat ſuccum, qui roſiones ſtomachi lenit, caule nam-

que diſſecto, copioſus ſuccus lacteus defluit. Diuidimus in aſperum & læuem: vtrumq; in laciniatum, & non laciniatum. I. Sonchus aſper lacinioſus. C.B. Sonchus aſpera, Matth. (ſed in iconibus figura transpoſita) Geſ. hor. Lac. Caſt. Lugd. Tab. cui & Cicerbita aſpera, Endiuia ſylueſtris, Lonicero. II. Sonchus læuis lacinioſus primus. C. B. Intybus ſylueſtris ſeu erratica altera, Trag. Sonchus læuis, Matth. Geſ. hor. Caſt. Dod. fol. Thal. Sonchus non aſpera, Fuch. Sonchus tenerior non aſpera & lactuca leporina Apuleij Dod. gal. Sonchus læuis vulgaris, folijs lacinioſis dentis leonis, Lob. Sõchus læuis laciniatis folijs, & Sonchus læuis & Andryala minor Dalechampii, Lugd. qui tres habet icones. Sonchus lenis aut læuis, Cord. hiſt. Sonchus in collibus vmbroſis, Cæſ. Sonchus læuis alter flore luteo, Tab. Flore eſt luteo: aliquando & niueo reperitur. III. Sonchus læuis alter vel lactuca murorum lutea. C. B. Intybus ſylueſtris tertius, Trago. Lactuca ſylueſtris luteo flore, Geſ. hor. cui & Sonchus arboreſcens Dioſcoridis & Sonchi genus læue dicitur. Lactuca ſylueſtris cuius Galentus meminit, Anguil. Lactuca montana, Cæſalp. Sonchus alter folio profundis laciniis ſinuato hederaceo. Lob. Sonchus tyluaticus quartus, Tab. Videtur eſſe Sonchus læuis altera Matthioli, Caſtoris, & Lugdunenſis. IV. Sonchus læuis laciniatus cæruleus. C. B. Ex radice craſſa, oblonga & obliqua candicante, dura & veluti internodiis diſtincta, ob multas veterũ caulium extuberantias, circumquaq; fibroſa, quibus tenaciſsimè terræ adhæret, caules exurgunt cubitales & altiores, rubicundi, rotundi, hirſuti, ſtriati, fiſtuloſi: quos cingunt folia lata profundè laciniata, per ambitum dentata, in mucronẽ deſinentia, latiore pediculo caulẽ complectentia, ſubtus leuiter incana, lacteſcentia: in ſummo caule flores complures, purpuraſcentibus & ſubhirſutis pediculis inſidentes, Cichorei forma plurimis foliolis laciniatis, à cæruleo ad purpureum inclinantibus, aliquando elegantiſsimè cæruleis, qui in pappos cum ſemine exiguo cinereo euaneſcunt. Hic in Alſatiæ montibus altiſsimis, Iulio & Auguſto floret, ſemenq; profert. Dicitur Sonchus læuis flore ceruleo, Cluſ. Pan. Sonchus flore cæruleo & Sonchocichorium, Cam. ad Matth. Sonchus læuis quartus flore cæruleo, Tab. Intybus πλατύφυλλος Harcynica, Thalyo.

## Σέρις. SERIS, SIVE INTYBVS. CAP. CXXV.

SEris duum generum eſt. Altera ſylueſtris, quæ picris & cichorion vocatur. Altera ſatiua, latioribus foliis conſtat, ſtomacho quàm hortenſis vtilior. Quæ iterum in duas ſpecies digeritur, vna folio latiore prodit, lactucarum ſimillima: altera anguſtiore eſt folio, & guſtu amara. Vtraque refrigerat, & adſtringit ſtomacho vtiliſsima: aluum ſiſtit cocta, ſi cum aceto adſumatur. Sylneſtres ſtomacho meliores: quandoquidem æſtuantem ipſum, & quem imbecillitas vexet, cibo leniunt. Cardiacis per ſe, aut cum polenta, vtiliter illinuntur: podagris, & oculorum inflammationibus auxilio ſunt. Herba cum radice illita, percuſſis à ſcorpione ſubuenit: igni ſacro cum polenta medetur. Succus cum ceruſa, & aceto, valet ad illitus eorum, quæ refrigerationem deſiderant.

I. INTVBVS MAIOR.



II. INTVBVS MINOR.



*QVoniam in Græcis vulgatis codicibus initium iſtius capitis & in verbis nonnullis, & in Seridis generibus deprauatum, & confuſum legitur; ideo ex libro Oribaſij ſimplicibus dicato, atq; etiam ex antiquiſſimis Dioſcoridis codicibus manuſcriptis, illud legitimè, & ordinatè legendum putamus, hoc modo.* Σέρις ἀγρία, καὶ κηπευτή. ὧν ἡ μὲν ἀγρία δισσή, ἡ μὲν γὰρ πικρὶς, ἡ καὶ κιχώριον καλεῖται, ἡ δὲ ἥμερος πλατυφυλλοτέρα, καὶ εὐστομωτέρα τῆς κηπευτῆς. τῆς δὲ κηπευτῆς δισσὸν εἶδος, ἡ μὲν γάρ ἐστι θριδακωδεστέρα, καὶ πλατύφυλλος, ἡ δὲ στενόφυλλος, καὶ ἔμπικρος: *id eſt Seris ſyluestris, & hortenſis. Syluestris quidē duplex: altera picris, quæ & cichoriō vocatur: altera ſatiua latioribus folijs, & ori gratior, quàm hortenſis. Hortenſis verò duplex genus: vna folio latiore, lactucæ ſimilior: altera folio anguſtiore, & guſtu amara. Huic lectioni maximè adſtipulatur Serapio, quippe qui ex Dioſcoride tot habeat ſyluestris Seridis ſpecies, quot domeſticæ. Id quod etiam ex vſu clariſſimè patet, cùm tam ſatiua, quàm ſua ſponte naſcens Seris quotidie ſit præ manibus, & ſumatur in cibis. Satiua quidem vbiq; ferè in Italia in hortis colitur. Maior prouenit folio erraticæ ampliore, læuioreq;, lactucæ ſimili, ab hortenſi anguſtifolia Seride non longè diſſimilis, caule bicubitali, brachiato: floribus cæruleis, Cichorei ſimilibus, ſemine paruo, oblongoq;. Vnica nititur radice, ipſaq; villoſa, quin & ori erratica gratior. At intubus minor, folia gerit alterius longiora, anguſtiora, humi accubantia: caulibus eſt tenuioribus: radice verò, floribus & ſemine maiori per omnia ſimilibus, nihilq; differt ſuis in facultatibus à maiore. [Quinetiam ſyluestris duæ ſpecies, quarum alteram Scariolam minorem, ſiue Cichorium ſatiuum: alteram quidem ſyluestre Cichorium & picrin ab amaritudine vocant. Satiua folijs exit latioribus ſyluestri, minori ſatiuoq; Intubo minoribus, anguſtioribus tamen atq; breuioribus, minusq; per ambitum laciniatis, ſed caule & flore ſimilibus. Radicem habet pedali longitudine, alba intus pulpa, teneram & ſubamaram. Seritur paſſim in hortis. Syluestris verò Intubus] quæ ſpontè prouenit [in agris incultis, in pratis, & ſecus itinera] paſſim ferme vireſcit, folijs in ambitu longè magis laciniatis, [ſonchi aſperæ modo inciſis, & in ſummitate ſagittæ inſtar acuminatis: rubea per medium excurrente coſta, amaro ſapore: caulis eſt illi durus atque lignoſus, flores à cæteris generibus haud abſimiles, quemadmodum & ſemen. Radice nititur domeſticæ duriore, amarioreq;. Tireſia cæciores ſunt, qui Hieracium, & ſyluestrem lactucam, Intubum ſyluestrem faciunt.] Sunt qui pro certo habeant, Scariolam à domeſtica latifolia Seride nihil differre, quod ita eſſe comprobet Serapionis ſcriptura. Alij Scariolam vocant alteram domeſticæ ſpeciem, quæ anguſtiore eſt folio, & guſtu amarior. Sed animaduertendum eſt, Scariolam in Serapione, Serapionis non eſſe, ſed interpretis, cui nulla, mea quidem ſententia, in hoc fuerit adhibenda fides. Quippe cùm ſciuerit is Scariolam corruptà à barbaris voce, nil aliud ſignificare, quàm Seriolam, Serimq; non aliud eſſe Græcis, quàm Latinis Intybum, huius genus latifolium (perperàm tamen) Scariolam appellauit. Qua in re eorum equidem ſententiam magis laudauerim, qui anguſtifoliam Serim, quòd latifolia ſit minor, Scariolam, ſeu potius Seriolam, ac ſi paruam Serim dixeris, vocant: tametſi in ſyluestrium quoq; genere, ea etiam Seriola dici poſſit, quæ paſſim in hortis colitur, quòd domeſticæ Seriolæ non longè ſit abſimilis. Omnes itaq; in Italia vulgaris ſunt notitiæ, quòd noſtratibus menſis frequentiſſimè in acetarijs apponantur. Quamobrem olitores has hyeme terra & ſabulo in hortis obruunt, quoniam hoc artificio mirùm in modum albeſcunt, & tenerrima euadunt, & in totam aſſeruantur hyemem, artem hanc a natura edocti, quod viderint ſæpius in campeſtribus Cichorium aquarum inundationibus terra, vel arena obrutum & tenerrimum, & candidiſſimum reddi, exuta omni ex parte amaritudine. Eſt quoq; tertium* INTYBI HORTENSIS *genus, amplo, folioſoq; ceſpite proueniens, folijs magnis, ſed vbiq; in ambitu criſpis ac fimbriatis, caule cæteris maiore, craſſiore tenerioreq;, in acetarijs expetitum: reliqua cum cæteris paria ſunt. Seritur in hortis ab olitoribus, quod admodum in acetarijs in cœnis placeat. Verùm quamuis aſſerat Dioſcorides ſyluestrem In-*

Seridis ſiue Intybi con.

Dioſc. locus reſtitutus.

Scariola quæ ſit.

Intubi criſpæ mentio.

III. INTVBVS CRISPA.



IV. CICHORIVM DOMESTICVM.





tybum

V. CICHORIVM SYLVESTRE.



VII. DENS LEONIS.



VIII. CICHORIVM CONſtantinop.



*tybum, quemadmodum: & ſatiuum duorum tantùm eſſe generum, Chondrillam tamen, cuius hiſtoriam ipſe ſub duplici ſpecie ſequenti capite deſcribit, inter Cichorij genera eſſe reponendam, nemo eſt qui ambigat. Quemadmodum & tertiam illam, quæ Theophraſto lib. 7. cap. 11. de plantarum hiſtoria Aphaca vocatur. Hæc enim illi inguſtabilis, & amara eſt: feſtinanter hæc floret, ſed celeriter flos ſeneſcit, atq; in pappos euaneſcit: tum alius iterum prouenit, atq; iterum alius, idq; tota hyeme, vereq; toto vſq; ad æſtatem factitatur. Fos melini ſpeciem gerit: hac ille.*

**Aphaca intubi ſyluestris ſpecies.**

**Dens Leonis ſeu Ambubeia.**

*Huic per omnia in vniuerſum reſpondet, quæ nonnullis* DENS LEONIS, *alijs Dens caninus, quibuſdã Caput monachi, aliquibus Roſtrum porcinum, plerisq; verò Ambubeia vocatur. Tametſi Plinio Cichorium ipſum propriè Ambugia, vel Ambubeia dicatur. E terra prodit hæc herba, in ipſo ſtatim veris initio, folijs cichoraceis, frequenter laciniatis, in ſagittæ modum deſinentibus, humiq; accubantibus: caule palmari, rotundo, glabro, ſubrubente, intus concauo, lacteo ſucco prægnante. Flore luteo, folioſo, quo decidente ſubcreſcit papposum caput, & admirabile naturæ ludentis opus, quod tandem ſpirante vento efflatur in auras. Radicem habet Cichorio proximam, lacteo ſucco plenam, ſed longè amariorem. Prouenit in hortis, in campis, prope ſepes & in ruinoſis ædificiorum muris, quin etiam in vineis, pratis & viridarijs: adſtringit, roborat atq; abſtergit, magis quàm vtrunque Cichorium.*

Ambubeiæ vires Matth.

*Cocta ſtomachum diſſolutum adſtringit, cruda verò aluum ſiſtit: eadem dyſentericis auxiliatur, ſed magis cum lente decocta; ſuccus potus prodeſt quibus genitura effluit. In aceto decocta vrinæ tormina diſcutit. Vniuerſæ plantæ decoctum potum auxiliatur regio morbo laborantibus. Tradunt Magi ſucco totius cum oleo perunctis fauorem conciliari, eosq; facilius impetrare quæ volunt. Sed profectò maxima eſt ſeplaſiariorum multorum negligentia, atq; ignauia, qui cum in hortis numeroſiſſimum, præſtantiſſimumq; habeant Intybum, & in campeſtribus Cichorium vtiq; frequentiſſimum, harum plantarum loco modò hieracium, modò ſylueſtrem lactucam ſuo lacte refertam ſubiciunt, atq; ex ijs aquam quam nomen de Endiuia mentiri faciunt, ſuis plumbeis eliciunt organis, quod maximè deteſtandum eſt: nam etſi hieracio ſylueſtrique lactucæ vis frigida inſit, tamen præterquàm quòd nullam cum vitio tacinore habeant conuenientiam, lac, quo eo potiſſimum tempore turgent, quibuſdam ſuis partibus calorificum adeò eſt, vt linguam*

Seplaſiariorũ negligentia Hieracium pro Endiuia ſumentium.

## IX. ZACINTHA, SIVE CICH. Verruc.



## X. CYANVS MAIOR.



## CYANVS MINOR.



*linguam exurat, ac vellicet: quibuſdam verò adeò ſomnificum, vt non deſint, teſte infrà Dioſcoride, qui illud meconio permiſceant. Eſt & alia Cichoracei generis planta, quā quidam Zacintham vocauere, nobis autem ab effectu* CICHORIVM VERRVCARIVM *appellare libuit. Radice hac nititur rapunculi figura, ſubnigricanti colore, adnatis circumquaq; capillaceis fibris. Folia habet Cichorij, verùm paulo aſperiora ac minus laciniata. Caules edit cubitales, & quandoq; maiores, tenues, aſperiuſculoſq;, in quorum ſummitatibus flores oriuntur aurei, cichoracea ſpecie, quibus flacceſcentibus ſemen remanet ſubnigrum, capituli inſtar, circumquaq; ſecundum longitudinem ſecti ſtriatiuè, melopeponis modo. Prouenit in campeſtribus; & à nonnullis quoq; ſeritur in hortis & fictilibus, in medicum vſum. Mira huius plantæ facultas eſt ad tollendas verrucas. Siquidem ſcimus nos nonnullos quorum manus verrucis admodum numeroſis ſcatebant, ſanatos eſſe, deuoratis in acetario ſemel tantùm huiuſce Cichoraceæ plantæ folijs. Idem præſtat eius ſemen, tribus diebus drachmæ pondere à cœna deuoratum, dum ſe cubitum recipiunt verrucoſi. Hoc velim acceptum referant rei plantariæ ſtudioſi Franciſco Calzolario Pharmacopæo Veronenſi, qui plantam ad me vnà cum facultatibus miſit. Cæterùm aliud* CICHORII *genus*, CONSTANTINOPOLI *allatum, miſit ad me Vienna, Clariſs. Augerius de Busbecke Flander: Folia per omnia cichorio ſylueſtri ſimilia ſunt: caules edit glabros, tenues, in quorū ſummitate flos emicat aureus, numeroſis folijs ſtipatus, qui tandē in pappos euaneſcit, radicibus numeroſis Aſphodeli modo dependentibus, ſiliquarum ferè raphani figura. Cuius imaginem, ob rei nouitatem, hic appingi curauimus. Naſcitur, vt audio, in pratis & herboſis locis. Etſi hactenus huiuſce plantæ facultates nemo mihi aperuit, crediderim tamen à cæteris Cichoraceis, ſuis in facultatibus ipſā minime diſſentire. Sunt præterea qui Intybaceo generi herbā adſcribant, quæ à flore cyaneo* CYANVS *Plinio dicitur aliquibus verò vulgò Battiſecula, vel Battiſuocere, nobis autem fior Campeſe, quòd in campis inter ſegetes, Maio & Iunio menſibus numeroſus proueniat, expetitur hîc maximè ruſticanis puellis, ſuis contexendis coronis, quibus per æſtatem ca-*

Cichorij verrucarii mentio & vires.

Verrucariæ facultas.

Cichor. Conſtantinop.

Cyani mentio ex Plin.

## * CYANVS MINOR FLORE multiplici.*



Cianus duplex.

put & tempora cingunt. Sed quibus notis, quibuſuè rationibus inter Intybacea annumerari poſsit, quid dicam, non habeo. Duum eſt generum, maius, & minus. Hoc frequentius in campis habetur, folio longo, piloſo, albicante, barbulis quibuſdam diſſecto. Caules edit plures, bicubitales, lanuginoſoſq́; atq; folijs minoribus refertos, floribus in cacumine cæruleis, in ambitu crenatis, ſquaroſo è calyce prodeuntib. Radice nititur vnica ſed fibroſa. Maius latioribus prouenit folijs, albioribus, piloſioribus, & nulla in parte diuiſis, vt in lychnide. Vegetiores quoq; habet caules, albicantioresq́;, breuiores tamen, & flores longe maiores & patentiores quam minor. Florum color cyaneus, cæruleusuè ſpectatur, folioſus, & in criſtæ modum extremis oris laciniatus, calyculis, è quibus prodit ſquamoſis ac ſubaſperis. Naſcitur in montibus frequentius, quam in campeſtribus. Huiuſce vim nullus antiquorũ, quod ſciuerim, ſcriptis mandauit: quanquam Placentinus, quod affirmauerint aliqui cyanum peſtilentibus morbis propria dote aduerſari, ſuo de Cichorea ſerapio, quod ad Peſtilentes febres maximè commendauit, Cyanum etiam inſeruit.

Cyani utriuſque vires Matthiolo.

Maioris puluis datur vtiliter ab alto deuolutis & ſanguinem reijcientibus, ex aqua plantaginis, aut portulacæ, aut maioris ſymphyti, aut equiſeti: ſuccus illitus recentia vulnera glutinat, & oris vlcera ſanat. Minor ea omnia præſtare poteſt etiam valentius, quæ de maiore dicta ſunt: peculiariter tamen huiuſce folia, ſiue ſemen, ex vino decocta, & hauſta, auxiliantur à Scorpione, phalangioq; ictu: quin etiam omnibus venenis reſiſtunt. Præſtat quoq; tota planta ad peſtilentiales & pernecabiles febres. Succus illitus oculorum inflammationes tollit.

Intybi & Cichorii vires ex Galeno.

Intybi & Cichorij vires recenſuit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Intybus clare eſt ſubamarum, & magis quod agreſte eſt, quod ob id ipſum picrida, hoc eſt amaram, quidam nuncupant, quidam verò Cichorium appellant. Eſt autem ea ſiccæ, frigidæq́; temperaturæ, vtrumq; ſecundo exceſſu. Porrò domeſtica magis etiam quam agreſtis refrigerat. Sed & humiditatis multa admiſtio ſiccitatem extinguit: verùm vtraq; adſtringentis qualitatis eſt particeps, velut & chondrilla: nã & ipſa eſt ſeridis, ſeu intybi ſpecies. Et libro 8. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos: Cichorium, inquit, & Seris cibarij generis exiſtunt: apud nos namq; rurales ambo hæc edunt & cruda, & cocta. Facultas horum olerum ſubfrigida eſt & ſubmara, ac moderatè adſtringens: & propter has qualitates, optima pharmaca calidis intemperaturis ipſius hepatis exiſtunt. Vltra hoc enim, quod moderatè refrigerant, amplius & robur viſceri addunt per adſtrictoriam facultatem: inſuperq; commiſuras oſculorum venarum in ſima viſceris parte ad eas, quæ in gibba ſunt, extergent. Neque verò frigidas intemperies magnopere lædunt, quemadmodùm quæ frigidam humiditatem abſque adſtrictione, aut amaritudine poſsident, facere ſolent. Iuuare etiam viſcus talium olerum ſubſtantia poteſt, etiam ſi citra ſeroſorum, aut aliorum humorum vitiationem intemperies fiat per ſe, & cum humiditatis cuiuſcunq; complexu: ex miſtura enim mellis humiditatem per vrinam educunt. Quapropter etiam ſi ſiccatu tuſa, quis potioni inſpergat, itidem iuuant. Quin & decoctorum decoctum potatum multum commodi affert. Si verò non calida aliqua intemperies infeſtet, aut ſi obturatio quædam ſit circa viſcus, magnopere auxiliantur ex vino albo tenui potata, cum his quæ vrinam ciunt. Vtilis autem non ſolùm ſuccus ipſorum eſt tum recens, tum exiccatus, ſed & ipſa olera exiccata, tuſaq́;, ac trita potui inſperſa, & eorum decoctum in potu acceptum, auxiliantur. Cichorium domeſticum, eadem omnia poteſt, quæ domeſtica intubus, ea tamen ſiccior eſt, & magis extergens. Sylueſtre iiſdem pollet viribus, quibus cætera genera pollere diximus. Verum cum plus amaritudinis habeat, magis quoq; abſtergit.

Nomina.

Planta, quæ σέρις Græcis, Intybus ſatiuus Latinis dicitur: Mauritianis, Dumbebe, Aundebe, ſeu Endeba: Italis Endiuia: Germanis Endiuien: Hiſpanis Endiuia: Gallis Endiuie. Intubus minor, Græcis, Σέρις μικρὰ: Italis Endiuia minore: Officinis Scariola domeſtica, Intubus criſpa. Italis, Endiuia Creſpa. Quæ verò Σέρις ἀγρία ἥμερος Græcis, Intubus ſylueſtris & Cichorium domeſticum Latinè: Hetruſcis, Torna ſole: Italis cæteris, Cichoria domeſtica: Germanis Wegweis & Wegwurtz: Hiſpanis Almerones & Cichoria: Gallis Cichoree. Officinis, Scariola minor. Sylueſtris intubus, Græcis Κιχόριον ἀγρία: Italis Cichoria ſaluatica: Germanis Wild Wegwurtz. Dens leonis, Græcis præſertimq́; Theophraſto Ἀφάκη: Italis Dente di Cane & Piſcia al letto: Germanis Pfaffenblat & Münchskopff: Officinis, Taraxecon, & Caput monachi, ac nonnullis roſtrum porcinum & Ambubeia. Cyanus maior, Græcis Κύανος: Italis fior Campeſe, fior Aliſo, & Battiſuocera: Germanis Kornblum: Officina Batiſecula.

I. Endiuia vulgaris latifolia. C. B. Seris domeſtica latifolia Dioſcoridis: Intubum & Seris hyberna Plinij: an Hypochœris apud Theophraſtum, quam vocem Gaza Porcelliam redddidit. Intubus maior, Matth. Intybum ſatiuum latifolium, Fuch. Dod. gal. Lob. ob. Lugd. Intybum ſatiuum, Cord. in Dioſc. Dod. fol. Intybum latifolium Italicum, Cichorium ſatiuum, Endiuia, Seris. Geſ. hor. Intybus hortenſis, Lac. Intybus ſatiua maior, Caſt. Tab. cui & Cichorium domeſticum. Seris ſiue intybum ſatiuum latifolium. Endiuia & Scariola, Lob. icon. Endiuia vulgo Cæſalp. Endiuia hortenſis. Cam. Floribus eſt cæruleis rarius candidis. II. Endiuia anguſtifolia C. B. Intubus minor Matth. Intybum ſatiuum anguſtifolium, Fuch. Dod. gal. Lugd. qui iconem habet & Matthioli & Fuchſij. Intybus hortenſis alter, Lacu. Intybum anguſtifoliũ quod Scariola aliquibus. Geſ. hor. Intybum minus album. Tab. Cichorium ſatiuum, Cord. hiſt. Cichoriũ anguſtifoliũ. Lonic. Floribus eſt cœruleis, aliquando albis. III. Endiuia criſpa. C B. Intubus criſpa Matth. Tab. Intubũ criſpũ, Lacu. Endiuia Romana criſpa, Cam. IV. Cichoriũ ſatiuũ C. B. Lob. icon Tab.

Tab. Cichoria ſatiua. Trag. Cichoriũ domeſticũ, Matt. Caſt. Cichoriũ ſatiuũ latifoliũ, Lon. Cichoriũ hedypnois Lac. Cichorium latioris folii. Dod. fol. Seris ſatiua, Lob. ob. Intubũ ſylueſtre latifoliũ, Lug. Flore albo & cœruleo variat. V. Cichoriũ officinarum ſeu Picris, ob inſignem amaritudinem. C.B. Solſequium, Brunf. & Cichorea. Cichorea cœrulea, Trag. Cichorium ſylueſtre, Matth. Caſt. Dod. fol. Cichorium agreſte, Lonic. Cichorium Lacu. Cord. hiſt. Tab. cui & Intybus erratica. Cicorium, Cæſalp. Intybum ſylueſtre, Fuch. Dod. gal. Cord. in Dioſc. cui & Ambubeia officinarum. Intybum agreſte, Geſ. hor. Intubum ſylueſtre anguſtifolium, Lugd. cui & Hypochœris Dalechampii, duas habet icones. Seris ſylueſtris, Lob. ob. Seris picris, Sylueſtre cichorium, Lob. icon. Flore eſt cœruleo, candido, roſeo: aliquando ipſius caulis quatuor digitorum latus eſt, quod etiam in Anchuſa, Echio & Beta obſeruauimus. VI. Cichorium spinosvm, planta eſt ſeſquipalmum non ſuperans: ex radice enim oblonga, albida, mediocriter craſſa, caulem emittit durum, lignoſum, qui mox in multos ramos latè ſe diffundentes, virides, ſtriatos brachiatur, qui omnes in oblongas quaſi ſpinas ſeu cornua finiunt: folia plura circa radicem per terram ſparguntur, eleganter virentia, & Cichorii vulgaris modo in plures lacinias, ſed ſubrotundas diuiſa, in caulibus verò rara obſeruantur, eaq; oblonga, anguſta, nec laciniata, quæ amara quidem ſunt, ſed non lacteſcunt, & citò etiam pereunt, etiam reliquis plantæ partibus eleganter virentibus. Flores plures ſparſim proueniunt in ramorum maximè alis, foliolis herbaceis ſuſtentati, qui vulgaribus forma ſimiles, ſed longè minores, cœrulei coloris, ex ſenis ſeptenisve laciniatis foliis compoſiti, in quorum medio apices aliquot obſeruantur: his ſuccedit ſemen, vulgari ſimile, ſimiliq; techæ incluſum. Iulio & Auguſto floret. Hoc Chondrillæ ſpinoſæ primum, dein Cichorii ſpinoſi nomine Doctor Doldius Noriberga miſit: verùm in horto D. Zuingeri hoc anno legimus, & cum hactenus à nemine fuerit deſcripta, eius iconem etiam, vt Dominus Saltzmannus Medicinæ Candidatus eleganter expreſſit, addere placuit. VII. Dens Leonis latiore folio. C.B. Dens leonis, Brunf. Matth. Dod. fol. Taber. cui & Roſtrum porcinum. Dens Leonis vulgi: officinis Taraxacon, Corona & Caput monachi, Lob. Hieracium maius, Trago, Hieracium paruum, Cord. in Dioſc. Hieracium minus, Geſ. hor. Hedypnois maior, Fuchſ. Hedypnois Dalechampii, Lug. Chondrilla altera, Dod. gal. Chondrilla Galeni, Anguill. Taraxacon minus, Lonic. Aphaca, Cæſalp. Habetur maior, media & minor. VIII. Dens Leonis bulboſus C.B. Cichorium Conſtantinopolitanum, Matth. Caſt. Lugd. Dens Leonis Monſpelienſium, Lob. ob. Dod. fol. Dens leonis altera, Tab. Chondrilla altera Dioſcoridis, Lob. icon. IX. Chondrilla verrucaria C. B. Zacintha ſiue Cichorium verrucarium Matth. Caſt. Lug. Cichorium verrucarium Matth. Ital. Cam. Verrucaria, Seridis ſpecies, Geſ. hor. Chondrillæ ſpecies in ruderibus, Cæſalp. X. Cyanus montanus latifolius, vel Verbaſculũ Cyanoides C.B. Verbaſculum, Trago. Cyanus maior, Matth. Dod. gal. & fol. Lob. Caſt. Lugd. Came. Cyanus flore grandi, Cæſalp. Cyanus ſylueſtris, Lonic. Cyanus montanus, Geſ. hor. (cui & ſyluaticus) Tab. Flore eſt cœruleo, aliquando vmbilico purpureo: rarius flore albo inuenias. XI. Cyanus ſegetum cœruleus. C. B. Lychnis agria & flos frumenti, Brunf. Leucoion cœruleum Dioſcoridis, Hermolao: Baptiſecula, Trago, Cyanus minor, Matth. Caſt. Lugd. Cam. Cyanus, Fuchſ. Dod. gal. Lonic. Cæſalp. Cyanus ſylueſtris, Fuchſ. icon. Cyanus vulgaris, Lob. Cyanus flos, Dod. fol. Cyanus cœruleus aruenſis, Tab. Thal. Papauer heracleum Dioſcoridis & Theophraſti, Columnæ. Flos communiter cœruleus, rariùs albus: ſi verò in hortos transferatur & colatur, non ſolum erit cœruleus, ſed purpureus, remiſſo vel intenſo colore, violaceus item & varius: & rurſus flos ſimplex vel plenus.

*CICHORIVM SPINOSVM.*



Χονδρίλλη. CHONDRILLA. CAP. CXXVI.

Chondrilla, quam aliqui cichorion, alii Serin appellant, caulem, flores & folia habet cichorio ſimilia: qua ex cauſa nonnulli ſylueſtris intybi ſpeciem eſſe pronunciarunt, verùm tenuior tota eſt. In cuius ramulis, gummi maſtiches ſimillimum, magnitudine fabæ inueniri ſolet: quod cum myrrha tritum & linteo appoſitum, inſtar oliuæ, fœminarum menſes trahit. Tuſa cum radicibus herba, adiecto melle, diuiditur in paſtillos: qui nitro admiſti vitiligines emaculant. Gummi inordinatos pilos replicat. Quod item tenera radix efficit, ſi intincta ſucco acus, pilis admoueatur: contra viperas in vino pota proficit. Succus decoctæ in vino, aut per ſeſe potus, aluum ſiſtit. Aliud habetur Chondrillæ genus, folium ferens oblongum, circumroſum, humi ſparſum: caulem ſucco madentem lacteo: radice tenui a rotunda, læui, vegeta, flaueſcente, ſuccoſa. Cuius & caulis, & folia concoquendi vim habent. Succus incommodos palpebrarum pilos reflectit. Naſcitur in lætis & cultis.

a Ori. ἐπ᾽ ἄκρῳ κορυφὴν ἔχουσα. i. in ſummo verticẽ habens.

*Nimirum ſylueſtris Cichorij ſpecies Chondrilla eſt: gracilioribus tamen folijs, caule, floribus ac ſemine. Frequentiſſima hæc non modo in Hetruria, ſed etiam in vniuerſa Italia incultis locis, ſcrobium aggeribus & ſecus vias, atque etiam* in pratis

Chondrillæ vtriuſq; conſideratio.

I. CHONDRILLA.



II. CHONDRILLA.



*in pratis vireſcere, ac ſuo tempore floreſcere conſpicitur: quæ radice nititur Cichorio breuiore, & lacteo ſucco prægnante: nec minus etiam, quàm cichorium in acetarijs recipitur, quamuis amarior ſit. Viſitur & alterum genus huic non longe diſſimile, folijs tamen non ita in ambitum laciniatis, nec adeò in mucronem deſinentibus. Hæc à lactis vbertate, quo in omni parte, præſertimq́ꝫ radice redundat, à noſtris vulgò Lattaiuola vocatur. Rura eam ſuis acetarijs pro cichorio indifferenter admiſcent.* Chondrillæ vires ex Gal. *Chondrillæ vires ſcripſit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi ſimul de intybo & cichorio diſſeruit, nihilq́ꝫ ei peculiare reddidit, præterquam quòd intybi ſit ſpecies. Veruntamen libro 2. de facultatibus alimentorum non ſanè intybo, nec cichorio, ſed lactucæ Chondrillam ſimilem fecit.* Nomina. *Huic nomen Græcum χονδρίλλη: Latinum pariter & Italicum, Chondrilla, & Terracrepola: Arabicum Candarel, Cadaron ſeu Amiron: Hiſpanicum Leitugas & Lechugas dentre los planos: Gallicum Lettron.*

I. CVCVRBITA OBLONGA.



Chondrilla, quibuſdam propter formam, ſeridis agreſtis ſpecies, an fortè apud Theophraſtum 7. hiſt. 9. & 11. ἀπάτη, Fraus vt Gaza vertit. I. Chondrilla prior, Matth. Caſt. Lugd. Chondrilla altera, Lacu. II. Chondrylla cœrulea latifolia C.B. Chondrilla ſecunda, Matth. Caſt. Condrilla prima, Lacu. Chondrylla latifolia cœrulea, Tabernæmontano.

## Κολόκυνθα. CVCVRBITA. CAP. CXXVII.

CVcurbita eſui apta. Cruda, trita illitu tumores & abſceſſus mitigat. Ramenta eius infantibus, contra capitis ardorem, quam ſyriaſin vocant, in ſyncipite illinuntur: oculorum inflammationes, podagraſq; refrigerant. Succus è ramentis tuſis per ſe, aut cum roſaceo infuſus aurium doloribus auxiliatur: aduſtiones cutis in ardenti febre illitu adiuuat. Totius feruefactæ & expreſſæ ſuccus, cum melle exiguo & nitro potus, aluum leniter reſoluit. Vinum in cucurbitam recentē excauatam, infuſum, ſi miſtum ſub diuo teneatur, potum aluum læuigabit.

Cucurbitæ conſideratio, & genera tria. *CVcurbita ſatiua quæ per æſtatem in cibum frequentiſſimè vario ſumitur apparatu, in triplici cenſetur genere. nempe*

II. CVCVRBITA LAGE- naria.

III. CVCVRBITA MAIOR ſeſſilis.





IV. CVCVRBITA INDICA.



*nempe longa, rotunda & ſeßilis. Sed quanquam Cucurbitæ inter ſe forma diſsimiles habeantur, non tamen propterea viribus & natura ſibi inuicem repugnant. Siquidem (vt Columella tradit, & Plinius refert lib. 19. cap. 5.) forma varia in cucurbitis arte, & mangonio fieri facilè poteſt. Nam ſemina: quæ proxima collo fuerint, proceras pariunt: item ab imis, ſed nõ comparandas ſupradictis, quæ in medio, rotundas: quæ in lateribus, craſſas, breuiores ac ſeßiles, aptiſsimas quidem ad recipiendum tum vinum, tum oleum, tum alios quoslibet liquores, vrceorum, & cadorum vice. Si verò cordi ſit, vt fiant corpore vaſtiores, de media cucurbitæ parte ſemen inuerſo ſeratur cacumine. Sed diligenter cuſtodiendum eſt, ne eo mulieres accedant: namq; earum contactu facilè elangueſcunt incrementa virentiũ: tantoq; magis, ſi eis fluxerint menſes: tunc enim ſolo oculorũ intuitu tenellos enecant fœtus. Quæ autem ad ſemina ſeruantur, è primo ſeligantur prouentu, pendeantq; in ſua vite ad hyemem vſq;: deinde ſublatæ inſolentur, aut ponantur in fumo, donec penitus ſicceſcant: aliter facilè earum ſemina, aſcita putredine, depereunt. Amant Cucurbitæ mirum in modum aquas: nam ſi propè in patens vaſculum aqua ſubijciatur, à quinq; vel ſex digitorum interuallo, ante poſterum diem adrepentes cognoſcentur deſcendiſſe. Sine ſemine naſcentur, ſi per triduum antea, ſpargenda ſemina oleo ſeſamino macerentur. Hederaceis vireſcit cucurbita folijs, ſed amplis admodum & ſubcandicantibus: flagellis ſarmentoſis, angulofis & humi repentibus. Verùm vbi adminiculum nacta fuerit, illud facilè comprehendit clauiculis, quibus arbores & pergulas ſcandit, ijsq; ſeſe implicat. Flores illi albi grandioresq;, & in ſtellæ ferè modum diuiſi, verùm perpauci frugiferi. Noſcuntur hi facile, conceptu ſub ipſis extuberante. Fructus edit magnos, qui quidem in vno genere longi, in altero rotundi, & in altero ſeßiles viſuntur: verum omnes in magnam extuberãt molem. Seruntur paſſim in hortis, & circa ſepimenta. Sunt & alia Cucurbitarum varia genera Italiæ peregrina, quæ diu per hyemem recentes ſeruari poſſunt. Ferunt has ab occidentalibus Indijs in Italiam veniſſe: vnde Indicæ à pluribus vocitantur. Sed tam diu Italico ſolo proueniunt. Harum varia habentur genera, magnitudine, facie & colore differentia, referunt tamen omnes Melopeponum effigiem. Sed aliæ magnæ, imò maximæ, ventricoſæq;, aliæ paruæ, aliæ mediocres, & aliæ oblongæ, aliæ rotundæ, vario colore, quæ quidem omnibus notiores ſunt, quàm à me deſcribi debeant. Creſcunt folijs noſtratibus longè maiori-*

Cucurbitæ hiſtoria.

Cucurbitę Indicæ mentio.

*maioribus, ſirmioribusq; aſperis & rigenti pediculo adnexis, vitiginea facie. Sarmenta illi craſſa, anguloſa, aſpera hirſutaq;. Ea humi repunt, longo admodum tractu, atq; etiam ſcandunt, & pergulas & attegias opacant. Flores magni, liliq fere effigie, aureo colore. Fructus decerpuntur Autumno, & aſſeruantur hyeme tota in culinis. Semen in ventre condunt magnum, amygdalini nuclei figura, in quo nucleus concluditur dulcis & ſuauis. Sapor ijs ſubdulcis, non vt noſtratibus vt adeo inſipidus: verùm guſtui inſuaues ſunt, niſi præcipuis condimentis ſaturentur. Vulgarium cucurbitarum folia recentia iumentis illita affrictaq; muſcas abigunt. Eadem mammis puerperarum adhibita, lac ſiccant. Oleum quod e cucurbitarum floribus paratur, ijs in eo diutius inſolatis, renum calores inunctum extinguit, & capitis dolorem ex calida cauſa ortum decentem & præſertim febrientibus. Aridæ cinis ambuſtæ, & pudendorum vlcera ſanat. Eſtur paſſim æſtate in cibis cum iuſculis elixa, tum quoq; in oleo aut butyro frixa, farina prius circumlita & acerbæ vuæ ſucco aſperſa. Cucurbitæ facultates ſcriptas reliquit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum his verbis: Cucurbita humidæ frigidæq; temperaturæ eſt, vtraq; qualitate ſecundi ordinis. Quocirca ramentorum eius ſuccus ad aurium dolores cum phlegmone iunctos, cum roſaceo vtentibus vtilis eſt. Sic tota quoq; illita calidas phlegmonas mediocriter refrigerat. Comeſta autem humida eſt, & ſitim propellens. Et libro 2. de alimentorum facultatibus: Cucurbita, inquit, cruda cibo inſuauis eſt, ſtomacho pernicioſa, & concoctu planè inexpugnabilis: adeò vt ſi quis alterius cibi inopia ingerere eam compellatur, ceu quidam iam auſus eſt, pondus cum algore ventriculo incumbere ſit ſenſurus, ſtomachumq; euertet, & ad vomitum concitabit, quo ſolo ab vrgentibus ſymptomatibus poterit vindicari. Hanc igitur, aliaq; ex fugacibus complura, aut mox quam elixata eſt, aut frictam in ſartagine, aut aſſam omnes homines eſſe conſueuerunt. Cucurbita verò, de qua dicere cœpimus, elixa nullam euidentem ſaporis qualitatem habet: niſi quis eum quoq; ſaporem nominare velit, qui neq; acris neq; ſalſus eſt, nec acerbus, nec amarus, nec id genus quippiam manifeſte repræſentat, veluti nec ipſa aqua. At huiuſmodi cuncta communi nomine omnes ἀποια, id eſt, qualitatis expertia vocitare ſolent (Latini fatua aut inſipida dicunt) quoquo modo nos quoq; clarioris doctrinæ gratia appellabimus. Talis ergo cùm ſit cucurbita, non immeritò varios apparandi modos admittit, vtpote quæ in medio omnis exceſſus conſtituta eſt, ob idq; ad quemuis exceſſum ex æquo duci poteſt. Proinde cucurbita, quantum in ſe eſt, humidum frigidumq; corpori alimentum præbet, omnium humidorum ciborum ratione: qui ſcilicet citra adſtrictionem tales ſunt. Nec ſanè infeliciter concoquitur, modò non anteuertat corruptio. Nam ea illi ſolet nonnunquam accidere, cum aut vitioſè fuerit præparata, aut prauos humores in ventriculo aceruatos offenderit. Eſt aliquando ob nimiam in eo moram: quod alijs quoq; omnibus fugacibus, quæ humido ſunt temperamento, euenire ſolet. Nam in ventriculo corrumpuntur & ipſi, ni celeri deſcenſu id mali effugiant. Quemadmodum ergo cucurbita pura, & vt in ſe ipſa eſt, ſuccum in totum corpus alendi gratia digeſtum, expertem qualitatis guſtabilis obtinet: ita cum alicui vehementem habenti facultatem fuerit iuncta, facilè illi adſimilatur: vt ſi cum ſinapi ſumatur, ſuccus ex vtroq; in membra diffuſus, acris efficietur cum manifeſta caliditate. Eadem ratione ſi cum ſalſo quopiam eſitetur, ceu nonnulli in patinis cum ſalſamento inſtruunt, ſalſum in corpore humorem generabit. Eſt porrò ſic apparata cibus longè ſuauiſſimus, ſi ſalſamentum ex ponticis illis fuerit, quæ μύλλαι appellantur. Quòd ſi cum malis cotoneis elixa, decenterq; condita fuerit, ſuccum auſterum in diſtributione habebit præpollentem. Aſſa autem, vel in ſartagine frixa, vt propriæ permultum humiditatis deponit, ita reliqua eius pars nullam ſibi valentem vim adſciſcit, vti nec cum in iure ſimplici paratur. Cæterùm ob aqueam qualitatem ſibi innatam, non immeritò origano iungi gaudet. Quæcunq; enim talia ſunt, acribus aut acidis, auſterisve aut ſalſis permiſceri ſaporibus poſtulant, ſi quis & cum voluptate ea ſumere, & nauſeam cupiat euitare. Cucurbitæ Indicæ cum ſubdulci ſint ſapore, crediderim primo exceſſu refrigerare, & humectare ſecundo. Cucurbita Latinis dicta, Græcis κολόκυνθα ἐδώδιμος appellatur: Arabibus Haraha, Hara ſeu Carha: Italis Zucca: Germanis Kürbs: Hiſpanis Calabazza: Gallis Courge, Courle ſiue Cauſſe. Cucurbita Indica, Italis Zucche Indiane, oltramarine.*

Cucurbitæ vires Matth. — Cucurbitæ facult. ex Gal. — Nomina.

Cucurbita à concuruatu dicta, quòd facilè, ſi quid obſtiterit, quò minus extendatur, incurueſcat. I. Cucurbita oblonga flore albo folio molli. C.B. Cucurbita fructu longo, Trag. Cucurbita oblonga, Fuch. Cucurbita anguina & oblonga, Dod. gal. Cucurbita longo fructu, Cord. in Dioſc. Cucurbita cameraria, Cord. in hiſt. Cucurbita ſiue Zuccha omnium maxima anguina, Lob. Cucurbita longior, Dod. fol. Cucurbita longa, Tab. Caſt. Cam. Cucurbita cameraria longa Lugd. Cucurbita ſatiua longa, Cæſ. II. Cucurbita lagenaria flore albo, folio molli C.B. Cucurbita, Brunf. Cucurbita minor, Fuch. Dod. gal. Cucurbita plebeia, Cord. hiſt. Cucurbita lagenaria, Lob. Caſt. Cucurbita lagenaria minor, Tab. Cucurbita prior, Dod. fol. Cucurbita cameraria minor, Lugd. III. Cucurbita maior ſeſſilis flore albo C.B. Cucurbita cuius fructus in orbem collectus intumeſcit, Trag. Cucurbita maior, Fuch. Cucurbita cameraria maior, Dod. Gal. Lugd. Cucurbita lato & ſeſſili fructu, Cord. in Dioſc. Cucurbita latior, Dod. fol. Zuccha maior rotunda, Cord. hiſt. Cucurbita rotunda, Caſt. Cæſalp. Cucurbita lagenaria maior, Taber. Matthiolus vna figura omnes expreſſit, Cucurbitæ titulo, in longam, rotundam & ſeſſilem diſtinguēs, quem ſecutus eſt Lacuna & Caſt. IV. Cucurbita maior rotunda, flore luteo, folioq; aſpero. C.B. Cucurbita Indica, Matt. Caſt. Tab. Cucurbita, Zucca marina Italis, Geſ. hor. Cucurbita rotunda, Cæſal. Cucurbita Indica rotunda, Lug. Cucumis ſeu Zucco marinus, Trag. Cucumer marinus, Fuchſ. Lon. Pepones rotundi, Dod. gal. Pepo rotundus minor, Dod. fol. Varia huius ſunt genera, quæ magnitudine variant, earum namq; quoddam genus, quod vix vtriſq; vlnis complecti poteſt: colore etiam differunt, ſunt croceo, luteo, citrino.

## Σίκυς ἥμερος. CVCVMER SATIVVS. CAP. CXXVIII.

SAtiuus Cucumis aluo & ſtomacho perquam vtilis habetur: refrigerat, qui corruptionem non ſentit: veſicæ prodeſt: olfactu reuocat, quos animus liquerit. Semen modicè vrinam mouet: cum lacte aut paſſo, veſicæ exulcerationibus ſubuenit. Illita cum vino folia, morſus canum ſanant: & epinyctidas, cum melle. Peponis caro in cibis vrinam cit: inflammationes oculorum illita ſedat. Ramenta eius contra adustionem infantium, quam ſyriaſin vocant, ſyncipiti imponuntur: fronti admota oculorum fluxiones auertunt. Succus cum ſemine, adiecta farina ſiccatus in ſole cogitur in ſmegmata, quæ faciem repurgant & nitorem afferunt. Radix ſicca & ex hydromelite pota, drachmæ pondere, vomitionem mouet. Si quiſquam moderatè ſecundum cœnam vomere cupiat, geminis obolis ſit contentus. Sanat quoq; illita cum melle, vlcera concreta in modum faui, quæ ceria vocant.

I. CVCV-

I. CVCVMERES.



II. CVCVMERES LONGI.



QVanquam Græci (vt Galenus eſt auctor lib. 2. de alimentorum facultatibus) omnia tam Cucumerum quàm Melo-
peponum genera Pepona nominant, peculiariter tamen σίκυος nomine, quo præſens caput inſcribitur à Dioſco- Cucumeris
ride & Galeno 2. libro de alimentorum facultatibus, ſtatim poſt Pepones & Melopepones, id tantùm omnes ferè conſideratio.
comprehendi volunt, quod Latinis Cucumis appellatur. Verùm non ob id planè decerni poteſt, an hic reddat Dioſcorides
noſtratis Hetruſci Cucumeris vires, qui alijs Italiæ populis Anguria vulgò nuncupatur, an alterius, qui propriè Inſubribus, An de Citru-
& Venetis Cucumis dicitur, Hetruſcis verò Citrulus, omnibus notiſſimus. Planta eſt ſarmentoſa, humi repens, folijs vitigi- lo, an de An-
neis, aſperis ſcabriſq́; flagellis pariter ſcabris atq; rigentibus: flores edit melinos, fructu ſub ipſis extuberante, qui tandem in guria, intelli-
longum protenſus citrei mali modo viridi primum fit colore, & dum matureſcit, flauo cortice verrucis ſcatente: ſeritur gen. Dioſc.
paſſim ab olitoribus in hortis. Siquidem non ex Dioſcoride modò, ſed nec ex alijs veteribus hactenus quenquam reperi, qui
Cucumis Græcis propriè σίκυς appellatus, notis vllis repræſentet. Sed quòd Græci σίκυος vocabulo noſtratem Citrulum &
Inſubrium Cucumerem ſignificent, facilè conijci poteſt ex ipſo Dioſcoride: quippe qui lib. 4. Cucumerem ſylueſtrem aſſe-
rat fructu ſolo, quem oblongis glandibus non diſſimilem parit, a ſatiuo diſſidere, cùm aliàs folijs, floribus, ac ſarmentis ſati-
uum prorſus referat. Verùm cùm huic ille per omnia reſpondeat, quem nos Citrulum, alij verò Cucumerem dicunt, non
poſſum non liberè pronunciare, Dioſcoridem hic Citruli nobis vocati, non autē Anguriæ vires deſcripſiſſe. Quamobrem hac Braſauolus
in hiſtoria apertè hallucinari Braſauolū putamus, quòd procul dubio exiſtimauerit, veteres Græcos, præſertimq́; Dioſcori- reprehendi-
dem, σίκυος appellatione Anguriam, vel Hetruſcorum Cucumim repræſentaſſe. Quandoquidem aſſignatis iam rationibus tur.
accedit & Plinij auctoritas, qui lib. 19. cap. 5. Cucumeres, ait, in Italia virides, & quàm minimi: in prouincijs quàm ma- Plinius de
ximi, & citrini aut nigri. Placent copioſiſſimi Aphricæ, grandiſſimi Mœſiæ. Viuunt hauſti in ſtomacho in poſterum diem. Cucume.
Quod proprium eſt citruli nobis vocati, non autē anguriæ vulgò Inſubribus appellatæ. Anguriæ enim in Italia in magnam
extuberant molem: & cum aqueæ ſint ſubſtantiæ ac prædulces, quæ maturitatem ſenſere, ingeſtæ facilè à ventriculo labun-
tur, quod noſtratibus citrulis, & Inſubrium cucumeribus non euenit. Nam cum glutinoſo, frigidoq́; ſucco referti ſint, ob
idq́; concoctu perquam contumaces habeantur, non niſi poſt longum tempus à ventriculo deſcendunt. Ad hæc (vt citato loco
ſubdit Plinius) Cucumeres, in fiſtula flore demiſſo, mira longitudine creſcunt. Atq; ijdem in tantum odere oleum, vt ſi è vi-
te pendentibus vas olei ſubijciatur, adeò refugiunt, vt in hamum curuentur: quod angurijs, quæ ſphericam formam refe-
runt, minimè euenire poſſe comperio. Videmus prætereà Citrulos noſtrates adhuc florentes in fiſtulas coniectos mira longi-
tudine creuiſſe. E quorum ſemine qui poſtmodum orti ſunt, eandem retinuerant formam, adeò vt in vite pendentes angui-
um modo contorti viderentur. Non enim differunt tota ſua facie altero niſi in fructu, qui longus eſt, & ſerpentis modo cur-
uus, ſtrijs per longitudinem protenſis. Seruntur in hortis & præſertim in Apulia. Seruantur Cucumeres, (vt Plinius auctor
eſt) vſq; ad alios penè prouentus: & id quidem non ſolum muria fit, ſed & ſcrobe opaco in loco arena ſubſtrato, fœnoq́; ſicco
operto, ac deinde terra obrutos: ita .n. virides ſeruari tradunt. Hyemē odere omnes, & frigora: die ſexto vel ſeptimo à ſatio-
ne prodeunt. Tenerrimi autē ac iucundiſſimi fient, ſi ſemen ante ſationē lacte fuerit maceratum. Qui verò præcoces habere
volunt, confecta bruma, ſtercoratam terrā in cophinis habeant, ibiq́; ſemen condant, & modicū præbeant humorem: deinde
cùm enata ſemina fuerint, tepidis dieb. & inſolatis, iuxta ædificia ſub dio ponāt, & omni à vento protegāt. Cæterū frigorib.
ac tempeſtatib. ſub tectū referant, idq́; tādiu faciāt, quouſq; æquinoctiū vernū conficiatur, & nulla amplius reliqua ſit pru-
inæ ſuſpicio. Poſtea totos cophinos dimittant in terrā, ſic .n. præcoces fructus habebūt. Recens cucumis in tenues particulas ſe-
ctus & impoſitus, quaſcunq; inflāmationes ſedat, quinetiā in ardentib. febrib. ariditatē linguæ aufert, ſi frequēter in ore reti- Cucumeris
neatur. Quid aūt veterib. fuerint, quidve nobis ſint Pepones ac Melopepones, nō equidē facilè auſim decernere: etſi nō deſint, vires.
qui di-

Peponum & Melopeponum confid.

qui dicant Melopepones Galeno lib. 2. de alimentorum facultatibus, communes noſtros Melones eſſe: Pepones verò, quos in eo genere Veneti corrupta inde voce vulgo Pipone vocant. Verùm enimuero cum aſſerat Galenus, quòd pars intima carnis ſemen incluſum tangens, cum in Peponibus edendo non ſit, in Melopeponibus paſſim ab hominibus manditur, mihi animum adeo dubium reddit, vt aliquid in hac re certi ſtatuere nequeam, neq; inuenire poſſim, quid Pepones & Melopepones Galeno extiterint. Quippe quoniam vtriuſq; generis, tam ſcilicet Peponum, quàm Melopeponum carnea pars ſemen continens eſitur, & non eſitur, prout fructus ipſi plus, minuſve maturitatis fuerint adepti: nam vtriſq;, cum vltimam ſenſerint maturitatem, id ſupremæ carnis vna cum ſeminibus in medium fructus concidit, quod cum euanidum, & inſuaue reperiatur, nuſquam comeditur. Quod tamen vtriuſq; minus maturis, non euenit: eaq; propter extractis prius ſeminibus eſtur tota eorum caro. Hæc igitur tametſi me (vt dixi) dubium reddant, inclinat tamen animus ad credendum, per Melopepones Galenum noſtrates Melones intellexiſſe, ſi modò ipſe eorum vnquam habuit notitiam. Dixi ſententiam meam, quam ijs ruminandam relinquo, qui Vipereo ore non ſunt. Siquidem nihil tam dulce, tam ſuaue, tam bonum, tamq; proficuum reperitur, quod venenatis labijs non amareſcat. Cæterùm quid per Pepones intellexerit, nihil prorſus (vt ingenue fatear) quod proferam, hactenus habeo. Veruntamen cum illis mihi non facilè conuenit, qui Venetas Piponas dictas Galeno Pepones eſſe exiſtimant. Minus adhuc illis aſſentior, qui Pepones Angurias eſſe dicunt. Namq; Serapio cùm primùm ex Galeni auctoritate de Peponibus & Melopeponibus diſſeruiſſet, dein peculiare de Anguria caput fecit, quàm Arabica lingua Dullaha nuncupauit. In cuius reddendis viribus nullum affert Græcorum teſtimonium, ſed tantùm ſuæ gentis auctoritatibus innititur. Hinc facilè adducor, vt credam Angurias veteribus Græcis penitus ignotas fuiſſe.

Melopepones Galeno noſtri Melones.

## III. MELOPEPONES.



Fuchſii error, Cucumer. Angurias credentis.

Eas equidem nunquam vidiſſe, vel non cognouiſſe demonſtrat Fuchſius medicus clariſſimus, quippe qui ſuis de ſtirpium hiſtoria commentarijs non ſine magno errore putat cucumeres, quos Citrulos Hetruſci nominant, angurias eſſe. Nam etſi Hetruria angurias vocitet cucumeres, non tamen contrà cucumeres vulgares vocat angurias, vt perperam, meo quidem iudicio, Fuchſius & intellexiſſe, & ſcriptis mandaſſe videtur. Sed ad noſtros PEPONES iam venio, qui tametſi notiores ſint, quàm à me explicari poſſint, non ob id tamen eorum hiſtoriam mihi haud deſcribendā putaui.

Peponum hiſtoria.

Serpit itaq; melopeponum, aut peponum planta (liceat nobis eos quouis modo appellare) longis ac viticuloſis ſarmentis cucumeris modo, folio vitigineo, minoribus tamen inciſuris, ſcabris hirſutiſq;, floribus luteis, fructu grandi, humani capitis inſtar, & ſæpe longè maiori, cortice cartilagineo. Non omnibus idem eſt color: Namq; alij herbaceo ſunt colore, alij pallido, nonnulli flauo, quidam albo, pleriq; cinereo. Sunt qui tota cute textura quadam reticulari, magno naturæ artificio proueniant. Striati ferè ſunt omnes, prominentibus circumquaq; ſecundum longitudinem toris, in vertice & vmbilico coeuntibus. Interna pulpa guſtui ſuauis, verſicolor tamen: in altero enim genere rubet, in altero albicat, aut ex albo ruſeſcit. Qui præſtant (plurimi ſunt, qui nulla commendantur gratia) præter odoris iucunditatem, dulces & ſuaues ſunt: ſemen in ventre gerunt copioſum, oblongum, albo contectum putamine, in quo dulcis concluditur nucleus. Gaudent læto & aprico ſolo, ac etiam libertate, qua poſſint vltro vagari. Seruntur in hortis & agris. Rigari volunt, vbi pluuiæ defecerint: vbi vero fructus cōcoqui cœperunt, pluuiæ ijs aduerſiſſimæ ſunt, ijs enim triſtantur, & ignaui, inſipidi & ingrati redduntur. Atqui mirum ſanè eſt, vt inter complures, qui ex eadem proueniunt planta, pauci præſtent, cæteris inſuauibus redditis. Bonitatis indicium præbent, qui odoratiores habentur, quibuſq; craſſior fuerit pediculus, quin etiam ponderoſitas præſtantiæ argumentum eſt. Sunt qui roſarum, qui moſchi odorem ſpirent, olitorum mangonio, ſeminibus ea parte, qua germinant, parumper apertis, & in roſacea ſtillatitia aqua maceratis, quæ moſchum exceperit. Eſt & genus, quod tota ferè hyeme aſſeruatur, poſtquam decerptum eſt, flauo colore, hos Hetruſci Melle-ſaccarove condiunt, citriorum pomorum more. Vertere quoq; mulieres melopepones in ſuum vſum, formæ concinnandæ gratia.

Fucus ex peponib. ad decorandas fœminas.

Iis itaq; in particulas ſectis, Ari & bryoniæ radices addunt, quinetiam limonium ſuccum, conijciuntq; in alembicum: deinde caprilli lactis id addunt, quod hæc omnia ſuperet, & in aqua feruentis balnei diſtillant, & aqua, quæ fluxerit, faciem concinnant.

Peponum vires.

Semen in medicamentis ſuum quoq; habet vſum. Cremor enim ipſius lacteus febrientibus vtiliter propinatur ex hordeacea ptiſana: ſiquidem non ſolùm refrigerat, ſitimq; extinguit, ſed oppilationes tum iocinoris, tum vaſorum expedit & vrinam prouocat. Datur item tuſſientibus, tabidis & maraſmo affectis, ac etiam in vrinæ ardoribus, additis veſicariæ paſtillis, aut dulcis radicis ſucco, mumiæ momento & gummi Arabici, & tragacanthæ nonnihil: valentius tamen proficit, ſi accedat ſeminum papaueris cremor, & baccarum Halicacabi, & maluæ decoctum. Sed de peponibus & melopeponibus noſtris hactenus. Reliquum nunc eſt, vt de Anguria quam Dullaha appellat Serapio, quoq; diſſeramus.

Anguriæ mētio & hiſt.

Eſt itaq; ANGVRIA planta, folia ferens colocynthidis medicamentoſæ, maiora tamen, aſpera & per ambitum diuiſa: caulem ſarmentoſum, humi repentem, vt cucumis & pepo. Florem edit aureum, fructum magnitudine mirum in modum extuberantem, ponderoſum, ſubrotundumq;: Cortice læui, herbaceo colore, maculoſo tamen & ea parte, qua humi iacet, albicante, carne intus humida, aquoſa, in quibuſdam prædulci, in nonnullis autem ſubacida, inſipidave ſitiq; extinguendæ perquam idonea. Semen concludit latum, peponum duplo maius, cucurbitæ paulo minus, cortice ſolidiori & nucleo grandiore. Eſt quoq; ſeminis in colore differentia, quod vni nigrum, alteri rubrum innaſcatur. Seritur in hortis & viridarijs ac etiam in agris. Decerpitur fructus, & diu quoq; aſſeruatur in horreis. Tritici enim aceruis inſidens, non ſolùm à putredine tuetur, ſed coquitur, ſi immaturus decerpatur. Frigidus eſt, & humidus, ordine ſecundo, ſiti arcendæ aptiſſimus. Quo fit, vt Itali ardente

## IV. ANGVRIAE.



dente Syrio eius pulpa interna ſe refocillent. Confert adurentibus febribus, & linguæ ariditati quàm maximè. Acutos humores vincit, & ijs præſertim auxiliatur febrientibus, qui humorum malignitate magis, quàm abundãtia ſcatent. Siquidem Anguria (vt Serapioni placet) aluum in principio fortiter non citat: ideoq; illis conuenit, qui tenuis & imbecillis ſunt temperamenti, macri & exangues: etenim ijs alterantibus magis opus eſt, quàm ducentibus humores, verùm quamuis id effici poßit acidis medicamentis, inſipida tamen, quæ nonnullam dulcedinem habent (vt Anguria) hiſce in caſibus longè magis conueniunt. Impoßibile enim eſt, quin acida, & quæ cum ipſo aceto parantur medicamenta, incidant & attenuẽt. Id quod imbecillia corpora, macra & exanguia, haud quaquam ſuſtinere queunt, quod eiuſmodi acidæ potiones maciem augeant, & ventriculum lædant. Atqui etiam vbi quiſpiam acida adſtringentia propinauerit, impoßibile quidem videtur, vt non obſtructiones augeantur, ſi eæ in iocinore & eius meatibus extiterint. Etenim acida & adſtringentia medicamenta exiccant, & nihil prorſus humectant. Porrò inſipida & quæ craſſæ ſunt ſubſtantiæ, quibus aliqua (vt in Anguria) dulcedo inſit, ſuo quidem temperamento humectant ac ſimul refrigerant, generantq; in ipſo iocinore ſanguinem aquoſum, qui flauæ bilis feruorem & malitiam coercet, tam in iocinore, quàm in venis. In calidis regionibus Anguria ſuauior prouenit, ideoq; circa Romam, in Campania, Apulia, Calabria & Sicilia, præſtantiores habentur, & mole vaſtiores. Cucumeris vires memoriæ prodidit Galenus *Cucumeris vires ex Gal.* lib. 8. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Cucumis eſculentus maturus quidem tenuioris eſſentiæ eſt: qui verò immaturus eſt, craßioris. Sed & abſtergendi & incidendi facultate participant: quare & vrinã mouent, & corpus ſplendidum reddunt: ac magis quoq; ſi quis ſemine arefacto, contuſoq; atq; cribrato, vice pulueris abſterſorij vtatur. Superat in eo humida, frigidaq; temperies, non tamen magnopere, ſed quaſi in ſecundo cenſetur ordine. Attamen ſi quis aut ſemen, aut radicem arefaciat, haud etiam humidæ fuerit naturæ, ſed iam deſiccantis, idq; in primo quodãmodo ordine, aut etiam in ſecundo incipiente. Eſt & in iſtis maior abſtergendi facultas, quàm in fructus ipſius carne. Et lib. 2. de alimentorum facultatibus idem de Cucumeribus ita ſcribit: Vrinam quidem & ipſi, quemadmodum pepones, cient, ſed minus quàm illi, quòd ipſorum ſubſtantia minus eſt humida: ideoq; non facilè, vt illi, in ventriculo corrumpuntur. Ergo quibus cucumeres bene concoquere datum eſt, dum in hoc fiſi, intrepide, affatimq; ijs ſe explent, longi temporis tractu, gelidũ & vtcunq; craſſum humorem in venis aceruari contingit, qui per eam, qua venæ funguntur, concoctionem, haud facilè in probum ſanguinem poteſt conuerti. Proinde omnibus praui ſucci edulijs, quãtumuis probè à nonnullis conficiantur, abſtinere in totum conſuluerim. Clam enim ſenſimq; poſt longum tempus prauus in venis ſuccus ex ipſis ſuggeritur atq; accumulatur: qui vel leuicula putredinis arrepta occaſione, febres ſæuißimas, & mirè contumaces excitabit. Et paulò antea de Peponibus ſcribens: Vniuerſa (inquit) peponum natura frigidior cum larga humiditate exiſtit: habent & quandam abſtergendi vim: *Peponum vires ex Gal.* ideoq; vrinam cient, & deorſum expeditius, quàm cucurbita & melopepones rapiuntur. Quod porrò abſtergant, diſcere licet ſordidam cutem defricando. Quamobrem etiam maculas calore ſolis factas, & lentes faciem occupantes, atq; in ſuperficie alphos extergere poſſunt. Sed ſemen, quod in eorum veluti carne continetur, ad hoc efficacius, adeò vt renibus etiam calculo infeſtatis ſit accommodatum. Gignit pepo in corpore vitioſum humorem, potißimum quando non probè concoctus fuerit. Tum verò morbum etiam, qui cholera dicitur, inducere conſueuit. Etenim priuſquam ad corruptionem peruenit, vomitioni quoq; idoneus eſt: largiuſq; ingeſtus, niſi quis aliquid eorum, quæ probi ſunt ſucci, ſupermandat, omnino vomitum concitabit. Et de Melopeponibus agens: Melopepones (ait) & minus humidi quàm pepones ſunt, nec adeò praui ſucci: *Melopeponum facultas ex Galeno.* minus item vrinam prouocant, tardiuſq; deorſum deſcendunt. Ad vomitum verò excitandum, non eandem vim peponibus obtinent, ſicut nec celeriter adeo vt illi in ventriculo corrumpuntur, cum prauus humor in eo collectus fuerit, aut alia quæpiam corruptionis cauſa ipſum prehenderit. Cæterùm tametſi in iuuando ſtomacho autumnalibus fructibus longè ſunt inferiores, haudquaquam tamen ei, vt pepones, officiunt. Hæc ille. Cæterùm prætermitendum mihi non duxi, quin legentes admoneam, eſſe impoſtorem, qui me redarguat, quòd ſcripſerim, hoc nomen σίκυος cucumerem tantùm deſignare, quòd reuera id generale ſit nomen omnium horariorum fructuum, videlicet peponum, melonum, cucumerum, anguriarum, & cæterorum generis eiuſdem. Vtq; hæc comprobare videatur, Galenum adducit libro ſecundo περὶ τροφῶν δυνάμεως, quippe qui ſcribat, negare medicos nonnullos, fructum, qui pepon dicitur, ſimpliciter appellandum πέπονα, ſed cum additione σικυοπέπονα, id eſt peponem cucumeralem, ac ſi πέπων ex genere τῶν σικύων eſſet. Id quod minimè Galenus affirmauit, ſed potius reprobauit his verbis: Medici quidam non ſimpliciter nominare voluerunt peponas, ſed totum id σικυοπέπονα nominare oportere contenderunt. Nos verò in præſenti ſermone de eiuſmodi non laboramus, vt quæ ad medicinam nihil conferant: multò enim ſatius eſt, rem dilucide interpretari, quàm huiuſmodi anxia diſquiſitione doctrinam obſcurare. Tum porrò clarißimè explicabimus, cum vocabula vulgò maximè vſitata eligentes, ipſorum ſignificationem ſeruauerimus: hæc ille. Quibus palam eſt, nebulonis ipſius impoſturam, ſibi longè magis aduerſari quàm mihi: nunquam enim negaui, nomen σίκυος ad illa omnia generaliter referri poſſe, ſed dixi peculiariter Dioſcoridi vulgarem tantùm cucumerem deſignare, quemadmodum quoq; Galeno, apud quem nuſquam me legiſſe memini, nomen σίκυος aliud deſignare quàm cucumerem. Ideoq; de cucumeris alimento ſcripturus eodem libro, poſtquam de Peponibus & Melopeponibus egit, περὶ σικύου id eſt de cucumere, quos alio nomine appellare non potuit, peculiare caput inſtituit. Id quod etiam fecit lib. 8. de ſimp. medic. facultatibus vbi de domeſtico, & ſylueſtri cucumere egit. Σίκυος ἥμερος Græca voce, Cucumer ſatiuus Latina vocatur: Arabi- *Nomina.*

*ca Caathe ſeu Chethete: Italica Cocomero, Hetruſcis Cedruolo: Germanica* Cucumern: *Hiſpanica, Cogombro: Gallis Cocombre. Cucumis longus, Italis Cocomero ſerpentino: Hetruſcis, Cedruolo longo. At* πέπων *Græcis, Pepon item Latinis appellatur: Mauritanis Batheca ſeu Bathiecha: Italis Mellone, Hetruſcis, Pepone: Germanis* Pfeben vnd Melonen: *Hiſpanis Melon: Gallis Melons. Anguria ita & Latinè nominatur: Arabicè Dullaha: Italicè Anguria: Hetruſcis Cocomero: Germanicè* Gurcken: *Hiſpanice Cogombro: Gallicè Cocombres.*

Cucumis, Varroni à curuore, quaſi Curuimer dicitur: cuius genera duo notauit Theophraſtus. 1. hiſt. 18. ſatiuum & ſylueſtre: huius verò tria, Laconicum, Scytalicum & Bœoticum: quem ſequitur Plinius lib. 19. cap. 5. I. Cucumis ſatiuus vulgaris. C.B. Fuch. Cucumis ſatiuus, Brunf. Matth. in icon. Dod. gal. (cui & Melopepon Galeni) Lon. Lugd. Caſt. Cucumis, Trag. Tab. Cucumis vulgaris, Dod. fol. Cucumeres, Matth. Lacu. Cucumer ſatiuus, Cord. in Dioſc. Cucumeres ſatiui & eſculenti, Lob. Citreolus vulgo, Cæſalp. Fructus maturus habetur ſubluteus, totus etiam albus: totus viridis. Variat magnitudine quoque & forma. II. Cucumis flexuoſus, C.B. Cucumeres longi, Matth. Cucumis anguinus, Lacu. Lugd. & Taber. Cucumis anguinus flexuoſus, Lob. Cucumis longus, Matth. 4. Lug. qui duas habet figuras. Cucumis oblongus, Dod. fol. Cucumis ſatiuus ſecundus, Caſt. Citreolus alter, Cæſalp. Huius ſpecies habetur fructu cubitali. III. Melo vulgaris C.B. Melo. Brunf. Trag. Matth. ital. & edit. 2. Tab. Dodo. fol. cui & Melopepo vulgi. Pepo, Matth. in icon. Caſto. Lugd. Pepones, Fuchſ. Melopepones, Matth. Geſ. hort. Lac. Lon. Lugd. Melocucumis veterum, Cord. hiſt. Cucumis Galeni & antiquorum, Dod. gal. Melo vulgi Lob. Cæſalp. Magna eſt fructus varietas, vt qui oblongus, modice rotundus vel depreſſus: quandoque maior, quandoque minor: cortex aſper, rugoſus, tuberoſus, aliis læuis: viridis, cinereus, pallidus, varius, pulpa aliis ruffa, candida virenſque, quibuſdam ſuauior, quibuſdam moſchi odore: ſunt æſtiui, hyberni: Americi Italis Zatte dicti: Neapolitani gymnoſpermi dicti: ſunt denique & piloſi. Sed genera hæc Cucumerum, Melonum, Melopeponum, Peponum & Anguriarum, ordine in Phytopinace recenſuimus, quæ omnia hic non repetimus, cum potiſſimum earum plantarum mentionem faciamus, quæ in Italia nunc obſeruari poſſunt, de Germanicis namque Gallicisque plantis plurimis, hactenus non deſcriptis, vt & de aliis, ex profeſſo in Hiſtoria acturi. IV. Anguriæ voce primus Aëtius vſus videtur, cum aliàs Citrullus à Citreo colore dicatur: & ad Peponem Dioſcoridis, Galeni & Plinii referri poſſit. Anguria Citrullus dicta C.B. Citrullus, Trago Geſ. hor. Lon. Taber. Anguria, Matth. Lac. Caſt. Dod. fol. Lugd. Cam. Cucumis Citrullus Fuchſ. Geſ. hor. Dod. gal. & fol. Cucumer vulgo, Cæſalp. Citrullus officinarum, Lob. Variat fructus, colore corticis, pulpæ & ſeminis: rarius ſine ſemine reperitur.

## θρίδαξ. LACTVCA. CAP. CXXIX.

LActucæ ſatiuæ, quibus natura refrigeratrix ineſt, ſtomacho gratæ habentur, ſomnum conciliant, aluum emolliunt, lac euocant: verùm decoctæ magis alunt. Stomachicis illotas eſſe prodeſt. Epotum ſemen, aſſiduas libidinum imaginationes in ſomno compeſcit, & veneri refragatur. Ipſæ verò frequentiores in cibo, claritati oculorum officiunt: inflammationibus & ignibus ſacris opitulantur. Muria condiuntur. Cum in caulem exierunt, vim quandam nanciſcuntur ſucco, aut lacti ſylueſtris lactucæ ſimilem.

## θρίδαξ ἀγρία. LACTVCA SYLVESTRIS. CAP. CXXX.

a Catac. κατὰ πᾶσαν ſcilicet δύναμιν. i. ſecundum omnem facultatem. Meū & Drag. κατὰ πᾶσαν. i. ſecundum omnem.

SYlueſtris lactuca ſatiuæ ſimilis eſt, ſed longior caulis & candidiora folia, graciliora & aſperiora. Amaro guſtu eſt & viribus a aliquantum papaueri ſimilis: vnde lacteum eius ſuccum aliqui meconio permiſcuerunt. Aquam per aluum elicit, potus in aceto mulſo ſuccus ad duos obulos: argema, caliginemque repurgat: contra aduſtiones efficaciter illinitur, cum lacte mulierum. In ſumma ſomnum allicit, doloris leuamentum præſtat, menſes trahit: contra ſcorpionum & phalangiorum ictus bibitur. Semen non aliter quàm ſatiuæ libidinum imaginationes in ſomno amolitur, ac venerem arcet. Succus ad eadem valet, ſed viribus infirmior. Reponitur in fictili nouo lac eius, antea, vt in aliis liquaminibus moris eſt, inſolatum.

Lactucę conſideratio.

*LActuca ſatiua herbarum ferè omnium vulgò notiſſima eſt. Cuius etſi plura ac diuerſa in Italia reperiantur genera, vt in hortis & olitorijs foris æſtate tota conſpici poteſt, non ob id tamen exiſtimandum eſt, quòd ea viribus & facultatibus inter ſe differant: quanquam non negauerim ego, alteram alteri in cibis præſtare. Eam ſiquidem, quæ conglobatur in orbem folijs criſpa, teneraq́ue inuenitur, quis neget maiorem cum palato inire gratiam, quàm quæ dura, patula ac lacteſcens habetur? Eſt etiam quam à lato caule laticaulem, & à rotundo rotundicaulem, & quam ſeſſilem, quòd humi procumbat, appellauerint Græci. Nos verò in capitatam, rotundam & criſpam diuidimus. Differunt etiam foliorum colore, nam alia ſaturatè viridis eſt, alia ſubuiridis, alia ſubcandicans, & quæ cruentis maculis ſit reſperſa, quam è Cypro allatam ferunt. Criſpa folijs exit criſpis, Intybo maiori ſimilibus & per ambitum laciniatis. Rotunda in orbem ſpargitur, rotundioribus folijs, tenerioribusq́ue vnà ſeſe ſtipantibus. At capitata ſeu ſeſſilis, folijs parum à rotunda differt, ſed in globum folia circumuoluuntur, & extuberant braſſicæ capitatæ modo. Eſt & quartum quoddam genus, cui in cibis prima laus, Romanum vulgò vocatum, folijs maioribus, pinguiorib. viridioribusq́ue: id in ouatum caput extuberat, vbi in cacumine ligetur, & cæteris tenerius albiusq́ue euadit, & præſertim ſi terra circumducatur ad cacumen vſq́ue. Tenereſcit enim hoc mangonio mirum in modum, & candidius & palato gratius redditur. Caulem edunt omnes albicantem, lacte prægnantem, & in ſummo brachiatum, folijs plenum, in acutum tendentibus, quæ ſeneſcentes amarorem contrahunt. Flores in ramuſculorum cacuminibus prodeunt lutei, qui tractu temporis pappoſi effecti, in auram reſoluuntur: ſemen omnibus oblongum in acutum deſinens, colore non ſolùm albo, ſed etiam nigro. Naſcitur quarto aut quinto die à ſatione, & adulta tranſpo-*

Laticaulis & rotūdicaulis.

Lactucæ genera.

Lactuca Romana.

I. LACTVCA CRISPA.



*II. LACTVCA CRISPA non capitata.*



III. LACTVCA FLOreſcens.



*IV. LACTVCA FOliis Endiuiæ.*



*tranſponitur. Seritur paſsim ab olitoribus & ab alijs quibuſcunq; in hortis. Lactuca floreſcentis folia, quæ ad terram ſunt, exoleta pauciorá; ſpectantur, caulis illi brachiatus, paruis foliolis, ipſisq; acuminatis refertus: floribus melinis non magnis qui in pappos euaneſcunt. Scatent ea horti ferè vniuerſi in fine Aeſtatis. Olim lactuca vltimis apponebatur menſis, ideoq; inquit Martialis ille Epigrammaticus:*

*Claudere quæ cænas lactuca ſolebat auorum,*
*Dic mihi cur noſtras inchoet illa dapes?*

Lactucæ vires Matth.

*Lactucæ ſuccus ex roſaceo fronti & temporibus illitus, non ſolùm febrientibus ſomnum conciliat, verum etiam capitis dolorem mulcet. Gargarizatur idem vtiliter ex punici mali ſucco, ad columellæ inflammationem. Teſticulis illitus nocturnas pollutiones compeſcit, & ſeminis profluuium, & præſertim addito caphuræ momēto, ſed Venerem reſtinguit. Idem præſtat epotum ſemen, è papauerini ſeminis cremore hauſtum, nec minus vrinæ ardoribus opitulatur. Cauendus autem lactucarum vſus ſuſpirioſis, ſanguinem excreantibus, pituitoſiſq́; ſed ijs maximè, qui procreandis liberis dant operam.*

LACTVCA SYLVESTRIS.



Lactuca ſylueſtris.

*Lactuca floreſcens, amaro percipitur guſtu: quam ob cauſam abſtergendi facultate non vacat, & præſertim lacteus eius ſuccus. Lacteus caulium liquor oculorum argemas & maculas delet, & vitia cutis emendat. Sylueſtris in campeſtribus & incultis locis naſcens, facilè dignoſcitur, quòd caule, floribus, ſemine & folio ſatiuam iam flores, & ſemina proferentem æmuletur: veruntamen guſtu amara eſt, & lacte copioſiore referta. Folio exit oblongo, hieracij maioris modo per ambitum laciniato, candidiore, graciliore, aſperioreq́; quàm domeſticæ, quin etiam aculeato, poſtquam caulem ediderit, amaro guſtu. Caulem mittit floreſcenti domeſticæ quadantenus ſimilem, & flores pariter ſimiles. Abſtergit eius lacteus ſuccus, & ſomnum conciliat, ſoporiferus etiam eſt, prouocat & deijcit. Non deſunt Pharmacopæi, qui ſylueſtri lactuca aquas per alembicum parant, quam deinde pro Intubi aqua vendunt, decepti ſuperiorum myropolarum inſcitia. Meminit huius Theophraſtus libr. 7. cap. 6. de plant. hiſt. ſic inquiens: Sylueſtris lactuca folio breuior quàm ſatiua eſt, idq́; conſummatum aculeatur, & caule ſimili modo breuiore perſpicitur, ſuccum acrem ac medicatum habet. Naſcitur in aruis. Lac eius extrahunt per meſſem tritici, & purgare aquam intercutem dicunt, & caliginem arcere ab oculis, & argemam auferre cum lacte mulieris.*

Lactucę vires ex Galeno.

*Satiua (vt memoriæ ſcriptum reliquit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum) humidum eſt, frigidumq́; olus, non tamen extremè (ſiquidem edendo non foret) verùm maximè ſecundum aquæ, vt ſic dicam fontanæ frigiditatem: proinde ad calidas phlegmonas accommodum eſt, & ad parua & leuia eryſipelata: non tamen maioribus ſatisfacere idonea eſt. Eſt etiam edulium ſitim arcens. At ſemen potu genituræ profluuium cohibet: quamobrem etiam ijs, qui libidinoſis ſomnijs vexantur, datur. Sic & agreſtis lactucæ ſemen. Cum quoq; colligitur ſuccus, argema & caliginem expurgans ad ambuſtiones etiam cum lacte mulierum inungitur. Et lib. 2. de alimentorum facult: Pleriq; medicorum (inquit) reliquis omnibus hoc olus, ceu ficus autumnalibus fructibus, prætulerunt. Nam inter ipſa aliud melioris ſucci non inuenias. Quod verò nonnulli vitio verterunt, id in præcipuam ei laudem cedit: & ſi ita ſe re vera haberet, non modo nulli olerum, ſed ne optimi quidem ſucci, ac maximi nutrimenti edulijs eſſet ſecundum, nempe ſanguinem aiunt lactucam generare: quidam non ſimpliciter ſanguinem dicunt, ſed multum addunt, multum ſanguinem lactucam generare affirmantes. Verùm ij tametſi prudentius obijciant, longius tamen alijs à vero abſunt: quanquam hoc ipſum, puta multum ſanguinem procreare, non eſt quòd meritò quis damnet. Conſtat enim huiuſmodi edulium laudatiſſimi ſucci cenſendum eſſe, quod plurimum quidem ſanguinis, aliorum verò ſuccorum nullum producere ſit comparatum. Si verò, quia permultum è lactuca ſanguinis cōgeratur, idcirco damnandam eam cenſeant, facillimè huic malo occurri poteſt: quippe cùm veſcentibus, & liberalius exercen, & ea parcius vti integrum eſt. Hæc ergo aduerſus eos, qui olus hoc non rectè vituperant, dixiſſe ſufficiat. Illud porro noviſſe conuenit, omnibus alijs oleribus pauciſſimum ſanguinem, & vitioſum generantibus, ex ſola lactuca non multum quidem, nec vitioſum, haud tamen omni ex parte laudabilem gigni. Vt plurimùm quidē cruda ipſa veſcuntur. Aeſtate autem, cùm ſo in ſemen iam proruptura eſt, in aqua dulci præcoquentes, cum oleo, garo & aceto aſſumunt, aut cum aliquo ex condimentis obſonijsve, præſertim ijs, quæ caſeo conſtant. Pleriq; etiam anteaquam excauleſcat, in aqua elixa vtuntur: vti ego item facio, ex quo dentes mihi deteriores eſſe cœperunt. Nam amicus quidam meus cùm olere hoc à longo tempore me vt familiari cibo vſum fuiſſe ſciret, videretq́; poſt mandi à me citra magnam moleſtiam non poſſe, coctura rationem indicauit. Etenim in iuuentute, quoniam aſſiduo os ventriculi bile efferueſcebat, æſtus moderandi gratia lactucis vtebar: cùm autem ad prouectam ætatem perueniſſem, olus hoc contra quam in iuuentute, ſomnum iam ſtudio & induſtria accerſenti mihi auxilio fuit. Quippe qui etiamnum iuuenis lucubrandi gratia vigilijs dedita opera me aſſuefeceram, declinante iam ætate, ipſa ex ſe inſomni, grauius hoc incommodo moleſtabar. Aduerſus quod vnicum mihi præſentiſſimum remedium lactuca veſpere commanducata ſemper fuit.*

Nomina.

*Lactuca ſic Latinis: θρίδαξ Græcis appellatur: Mauritanis Cherbas ſeu Chas: Italis Lattuca: Germanis* Lactuck*: Hiſpanis, Lechuga aut Alfalſa: Gallis Laictue. Lactuca floreſcens, Italis Lactuca fiorita. Lactuca ſylueſtris, Græcis θρίδαξ ἀγρία: Italis Lactuca ſaluatica.*

Lactucam (quod copia lactis exuperet & lac augeat) ſic dictā, diuidimus in ſatiuā & ſylueſtrem. Satiuam in criſpam, rotundā, capitatam, Romanā & Cypriam, quæ foliorum & forma & colore, vt & ſeminis candidi & nigri variant. I. Lactuca criſpa, quæ capitata & non capitata eſt, illa eſt Lactuca criſpa Matth. Lac. Lactuca ſatiua maior quæ in caput coit, Trago, Lactuca capitata Lob. ob. Dod. fol. Caſt. Tab. Geſ. hor. Lactuca capitata, Cæſalp. Lactuca ſeſſilis, Lonic. Lactuca ſatiua ſeſſilis, Lob. icon. Lactuca 3. & laconica Plinii, Dodo. gal. Lactuca rotunda, Lugdun. Quæ verò non capitata. II. Dicitur Lactuca criſpa Trag. Dodo. gal. & fol. Lugdun. Caſt. Taber. Lactuca ſatiua criſpa, Fuchſ. Lactuca criſpa non capitata.

tura, Lob.icon. Lactuca folio criſpo, Cæſalpino. III. Lactuca ſatiua, Dod. gal. & fol. Lugd. Cord. in Dioſco. Lactuca floreſcens, Matth. Lacu. Lactuca ſatiua folio ſcariolæ, Lob. Lactuca, Geſ. hor. Cæſal. Cam. Taber. IV. Lactuca foliis Endiuiæ, C.B. Lactuca ſecunda, Trag. Lactucæ quartum genus, Matth. Lactuca Intybacea, Taber. Hæc etiam criſpatur. V. Lactuca ſylueſtris coſta ſpinoſa. C.B. Endiuia, Brunſ. Lactuca ſylueſtris prior, Trag. Lactuca ſylueſtris, Matth. Fuchſ. Dod. gal. & fol. Lacu. Lon. Caſt. Cæſ. Thal. Lactuca agreſtis, falsò Endiuia, Italis Serriola, aliis Scariola, Cord. in Dioſc. & hiſt. Endiuia vulgatior officinarum, Lob.ob. Seris domeſtica, lactucina Dioſcoridis, Lob.icon.

## Γιγγίδιον. GINGIDIVM. CAP. CXXXI.

Gingidium, aliqui lepidion, in Syria & Cilicia plurimum naſcitur. Herbula eſt ſylueſtri paſtinacæ ſimilis, tenuior & † amarior: a radice parua, candicante, ſubamara. Olus hoc crudum, coctum, conditumve eſtur, magna ſtomachi vtilitate: vrinam cit. Decoctum ex vino potum veſicæ prodeſt.

† Antiquus codex. μικρότερον. i. minor. a Meũ & Dra. ῥίζαν πικρὰν. i. radicem amaram. Cat. ῥίζιον πικρίζον. i. radicem paruam amaram.

Gingidii conſideratio.

*Non potui vnquam eorum ſubſcribere opinionibus, qui plantam Cerofolium vulgò vocatam, Gingidium eſſe cenſent, vt in alijs commentarijs noſtris antea editis diſſeruimus.* * *Huiuſce ſententiæ eſſe comperiuntur Ruellius & Fuchſius, viri clariſſimi (licet ille non planè adſtipuletur) nec non recentiorum alij, qui ſtirpium cognitionem profitentur, in hoc conſentiunt, quod Gingidium ea ſit herba, quam nos vulgò Cerofolio vocamus, illi verò Chærefolium. Veruntamen cum hæc radice nitatur, quæ nihil amara ſentitur, ſed potius acris, & odorata, quemadmodum & folia, idcirco eorum opinionem non equidem (vt dicam quod ſentio) probandam putauerim. Quinimo crediderim, vel Gingidium hactenus in Italia non eſſe repertum, vel inibi non facilè oriri: præſertim cum Dioſcorides & Plinius aſſerere videantur, peculiare olus eſſe Gingidium tam Syriæ quàm Ciliciæ hortis.* * *Quare & Fuchſii & Ruellij ſententiam improbauimus. Nunc autem certò primùm animaduerto, me hac in re haud eſſe hallucinatum, habita & inſpecta legitimi Gingidij planta, quam è Syria allatam mihi miſit Iacobus Antonius Cortuſus, Patritius Patauinus, vir vt omni humanitate clarus, ita rei plantariæ indagator accerrimus, vnà cum altera planta peregrina, quam ipſe Viſnaga vulgò vocari ſignificauit: cuius hic quoq; imaginem expreſſimus. Eſt itaq;* GINGIDIVM *paſtinacæ ſylueſtri haud abſimile, amarius tamen, caule ramoſo, rotundo, ſeſquipedali, ſtriato, ſubnigricante, geniculatoq;, vmbella in cacumine alba, minoribus circumquaq; comantibus folijs: ipſisq; laciniatis: è floribus ſemen prodit, quo matureſcente, vmbellæ in ſeſe contrahuntur, vt in Paſtinaca, & tactu glutinoſæ ſentiuntur. Radicem habet candicantem, palmari longitudine, ſubamaro ſapore. Copioſum in Syria prouenit, vnde in Italiam aduectum ſemen iam in hortis ſeritur. Non deſunt, qui velint* VISNAGAM, *vel ipſum legitimum eſſe Gingi-*

Gingidii hiſt.

Viſnagæ mentio.

I. GINGIDIVM.



II. VISNAGA.



*dium, vel eius alterum genus, quòd folia quadantenus magis Paſtinacam referre videantur. Sed mihi non arridet eorum opinio, quòd planta ſit paſtinaca longè maior, & grandes robuſtasque faciat vmbellas, adeò vt feſtucæ ſiue pediculi, qui illam conficiunt, pro dentiſcalpijs iam multis in vſum venerint. Ego quidem ipſam potius maiorem paſtinacam vocarem ſylueſtrem, ſiquidem non ſolum notis omnibus paſtinacam refert: nam caulium craſſitudine, longitudineq;: quin etiam vmbellæ magnitudine, vulgarem ſylueſtrem paſtinacam ſuperat, ſed etiam viribus. Naſcitur copioſa in Syria: etiam nunc ſeritur in hortis in Italia. Cæterùm vt de planta, quam vulgò Cerofolio vocant, aliquid dicamus, cum & ipſa in ci-*

Paſtinaca maior ſylueſtris.

## III. CEROFOLIVM.



*borum vſum veniat, & ſuas quoq; habeat in medicina vires, ita q; hic de ea diſſeremus. Eſt* CEROFOLIVM *planta nemini non nota, paſsim in hortis naſcens, fragilis ac tenera, ſenis ab vno pediculo emergentibus folijs, vulgaris petroſelini modo, per ambitum inciſis: caulibus ſeſquicubitalibus, pinguibus, ſubrubeſcentibus, inanibus, geniculatis: vmbellam in ſummo caule gerit albis floſculis ornatam, è quibus tenuia rectaq; oriuntur cornicula, in racemi ferè modum, plura ex vno pediculo prodeuntia, piloſa, rufeſcentiaq;, & in cacumine aculeata, in quibus ſemen longiuſculum concluditur, pullo colore. Radix illi breuis, in plures diuaricata fibras. Tota planta dulcis eſt & odorata, acriuſculo quodam accedente ſapore, vix ferè ſenſibili: quo fit, vt alijs oleribus addita, ea guſtui gratiora reddat. Eſitur cruda in acetarijs, vnà cum alijs plantis ad hoc idoneis, ac etiam cocta cum beta, alijsq; oleribus. Qui hanc Myrrhim eſſe autumant, non diligenter eius notas expenderunt.*

Cherophylli Pliniani mentio.

*Cerephylli meminit Plinius lib. 19. cap. 8. ſic inquiens: Rurſus alio comitatu æquinoctio Autumni ſeruntur coriandrum, anethum, atriplex, malua, lapathum, cerephyllon, quod pæderota Græci vocant: & acerrimum ſapore, ignei effectus, ſaluberrimum corpori. Verum Plinij cerephyllon cerofolium noſtrum eſſe non poteſt, quod hoc noſtris hortis familiare, tam vehementi acredine non ſit præditum. Nec crediderim illud idem eſſe eidem Plinio ſecundum acanthi genus, quòd is lib. & cap. 22. pariter Pæderotam vocari ſcribit, cùm Acanthus omni prorſus acredine vacet: niſi fortaſſe ſit planta,*

Pœderos Pauſaniæ.

*Pauſaniæ libro ſecundo veteris Græciæ Pœderos appellata his verbis: Naſcitur Pœderos herba intra ſeptum aprico loco, neq; alibi vſpiam prouenit, ne in ipſa quidem Sycionia: folia ei minora fagi, ilicis maiora. Forma eadem ferè cùm quercus folio, altera pars ſubnigra, alba altera, neq; omnino diſsimilis color ei, qui in albæ populi folijs cernitur. Atqui vix crediderim hanc plantam, ob magnam eius raritatem, eſſe Plinij cherophilliũ, quod paſsim in hortis habebatur.*

Gingidii vires ex Gal.

*Meminit Gingidij Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum his verbis: Gingidium ſicut guſtu amaritudinem & adſtrictionem præfert, ſic temperamento quoq; ipſo caliditatem & frigiditatem. Secundum verò vtramq; qualitatem deſiccatorium eſt. Sed enim ſtomacho amicum, vtpote non paruam obtinens adſtrictionem. Quamobrem non admodum conſpicuam caliditatem poſsidet: ſecundo autem receſſu deſiccat. Et lib. 2. de alimentorum facultatibus ſic inquit: Plurimum in Syria Gingidium naſcitur: eſiturq; ſimiliter ac Scandix apud nos. Stomacho mirè vtile ſiue crudum, ſiue elixum libeat ſumere: longioris autem decoctionis impatiens eſt. Nonnulli ipſum cum oleo & garo mandunt: alij vinum etiam, aut acetũ adijciunt, ac multò magis ita ſtomachum iuuat. Cum aceto ſumptum faſtidioſos ad cibum inuitat. Perſpicuum verò eſt, quòd hæc herba medicamentum potius eſt quàm alimentum: quippe quæ adſtrictionis & amaritudinis non obſcuræ nec exiguæ particeps eſt: hæc Galenus. Ex quibus facilè comprobari poteſt, Chærefolium non eſſe Gingidium, quòd in ipſo eæ amaroris & adſtrictionis qualitates guſtu haud manifeſtè deprehendantur.*

Nomina.

*Quod Græci γιγγίδιον, Latini ſimiliter Gingidium vocant: Itali Gingidio: At Cerofolium, χαιρέφυλλον: Italis Cerefoglio: Germanis* Körffel vnd Kerbelkraut: *Gallis Cerfueil.*

Gingidium foliis Cherefolii. C.B. Gingidium, Matth. Caſt. Lugd. Gingidium Dioſcoridis primum, Taber. II. Gingidiũ vmbella oblonga. C.B. Viſnaga, Matt. Lob. Lug. (qui duas habet icones.) Caſt. cui & Paſtinaca ſylueſtris maior. Gingidiũ, Viſnaga, Dod. gal. Gingidiũ Anguil. Gingidium Syriacũ olus, Cord. hiſt. Gingidiũ alterum, Dod. fol. Gingidium ſiue Biſnaga, Cluſ. hiſp. Gingidium tertium, Taber. Cumini ſatiui alterum genus, Cæſalp. III. Chærophyllum Columellæ, an Anthriſcus Plinii & Enthuſicũ Theophraſti, C.B. Cherefolium, Brunf. Dod. fol. Chærefolium ſatiuum, Trag. Cerofolium, Matth. Lugd. Cerefolium, Dod. gal. Lob. icon. Cæſalp. Lonic. Tab. Cam. Cerifolium, Geſ. hor. Gingidium Ruellio, Fuchſ. Lacu. Gingidii ſpecies, Lob. obſ. Oreoſelinum, Anguillaræ.

## Σκάνδιξ. SCANDIX. CAP. CXXXII.

SCandix, ſylueſtre olus eſt, amarum, ſubacre: quod crudum coctumve manditur: ſtomacho & ventri vtile. Decoctum in potu, veſicæ, renibus & iecinori confert.

Scandicis conſideratio.

*QVanquam Scandix antiquis rei herbariæ ſcriptoribus ſtirps fuit notiſsima, vt quæ ab ijs in frequenti ciborum vſu haberetur alijs admiſta oleribus: cùm tamen hactenus eorum repererim neminem, cui fides ſit adhibenda, qui Scandicem notis aliquibus, vel lineamentis deſcripſerit, neſciuerim profectò quonam pacto, quave ratione affirmari poſsit, & in Italia Scandicem naſci, & pariter dignoſci à compluribus.*

Hermolaus.

*Cæterùm ſcribit Hermolaus vir doctiſsimus, & in ſtirpium hiſtoria omnium ſuæ ætatis facilè primus, ſe vidiſſe Scandicem in exemplari Græco Dioſcoridis appictam folijs fœniculo proximis, floribus luteis ſiue albis, corniculis caule ſummo emergentibus. Hanc ipſam nos quoque ſæpius vidimus Maio & Iunio menſibus inter ſegetes, præſertimq; in agrorum marginibus. Sed quamuis tradiderit Hermolaus eam fœniculi folijs aſſurgere: mihi tamen magis fumariam, & quadantenus anthemidem referre videtur quàm fœniculum.*

Scandicis hiſtoria.

*Flores gerit hæc chærefolio proximos albicanteſq;, è quibus tandem prodeunt cornicula tenuia, longiuſcula, recta, acuminata, acubus, quæ in geranio emicant, non diſsimilia, quemadmodum & in chærefolio viſuntur.*

*licet*

I. PECTEN VENERIS. * II. SCANDIX ITALICA. *





licet huic longè tenuiora, & fragiliora innaſcantur. Quo fit vt rectè intuentibus ſpecie tantùm, non autem genere differre hæ plantæ haud dubiè appareant: id quod etiam indicat eorum ſapor. Quamobrem qui chærefolium ſcripſerunt eſſe gingidium, id non ſine ratione fecerunt. Cùm enim certò crederent, hanc de qua in præſentia diſſerimus, plantam legitimam eſſe Scandicē, facilè etiam hinc perſuaderi potuerunt, vt aſſererent chærefolium eſſe gingidium: quoniam Dioſcorides conſueuit ſtirpes per cognationes deſcribere. Quapropter in eorum ſanè irem ſententiam, ſi hæc, quam Scandicem putant, tantum acrimoniæ & amaroris guſtantibus relinqueret, quantum in Scandice veteres inueniri prodiderunt. Verùm cùm eas non obſcuras quidem qualitates, quas veteres veræ ſcandici aſſignant, in hac, vt ita dicam, noua Scandice nunquam ego repererim, ſicuti nec in chærefolio, quæ veteribus gingidio tribuuntur, cogor omnino eorum ſententiæ refragari, & ab ipſis diſſentire. Quapropter niſi regionis, & climatis ratione, & locorum mutatione eueniat, vt hæ ſtirpes omnem tum acrimoniam, tum amarorem exuerint, non facilè quidem adduci potero, vt credam harum alteram gingidium, alteram verò ſcandicem eſſe. Neque ab hac mea me deterret opinione Hermolaus, quòd viderit is Scandicem hanc in Græco Dioſcoridis codice appictam: quippe cùm inter omnes rei herbariæ ſcriptores nullus, quod equidem ſciam, reperiatur, qui per notas aliquas Scandicem deſcripſerit, neſciuerim ego quanam hiſtoria, & ratione fretus aliquis vnquam illam pictura expreſſerit, niſi fortaſſe Dioſcorides ipſe manu propria eo in libro ipſam appinxerit. Plinius Scandicem anthriſco ſimilem reddidit. Sed cùm ignotum per ignotius deſcripſerit, nihil nobis luminis his in tenebris affert. *Plinii Scandix.* Scandicem commemorat Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum his verbis: Scandix ex agreſtium olerum genere eſt, ſubacre, & amarum, adeò vt in ſiccando, & excalfaciendo ſecundi ſit ordinis intenſi. Vrinam valenter ciet, & viſcera obſtructione liberat, ex dictis qualitatibus conſtans: Hæc Galenus. *Scandicis vires ex Gal.* Ex quibus manifeſtè colligi poteſt, plantam, quam pro Scandice accepit Hermolaus, quamquè pro eadem pleriq; recentium herbariorum hodie oſtendunt, nullo pacto legitimam eſſe Scandicem. Quandoquidem ea non tantam acrimoniam, nec amaritudinem guſtui repræſentat, vt dici poſſit primum caliditatis & ſiccatis gradum excedere. Cæterùm ſi vlla eſt planta, cui hæc comparari poſſit, eam adamuſſim mihi quidem referre videtur, quam Plinius lib. 24. cap. 19. à pectinum ſimilitudine, VENERIS pecten appellat. Siquidem hæc radice nititur candida, cauliculis ſemipede maioribus: folijs ſylueſtris paſtinacæ, vel ferè anthemidis proximis, exilibus: floribus albis, tenuibus, emicantibus ſummatim ab eodem capitello, compluribus acuminatis roſtellis inter ſe diſiunctis, quæ pectines planè referunt, quibus linum mulieres concinnant, ſiue pectunt. *Pecten Veneris & eius hiſtoria.* Quæ certè omnia reperiuntur in hac vulgari Scandice. Huius radix cum malua tuſa, corpori infixa extrahit. Eadem cum herba, & floribus in patella calefacta ex albo meraco, & butyro, vna cum hortenſis Petroſelini folijs, pubiq; adhibita, remorantem vrinam, pueris præſertim prouocat. Quæ herba σκανδιξ Græcè, Latinè Scandix ſimiliter nominatur: Italicè Scandice, Pecten veneris, Italis, Pectine de Venere: Germanis Wild Moren. *Nomina.*

Scandicis licet differentias aliquot notauerimus, tamen hoc loco, ad Matthioli Scandicem, alias duas à nemine deſcriptas nec pictas, ex Phytopinace exhibemus. I. Scandix ſemine roſtrato vulgaris C. B. Pecten Veneris, Matth. Geſ. hor. Lugd. Cam. Caſt. Scandix Dod. gal. & fol. Lacu. Geſ. hor. Cord. in Dioſcoridem, (cui & Latinorum acicula) Tab. Cæſalp. Cam. Veneris pecten Plinij, Lob. Acus paſtoris vulgaris, Cluſio Pannonicarum. II. Scandix ſemine roſtrato Italica: palmaris eſt, radice parua, alba, fibroſa, ex qua cauliculi terni quaternique procumbentes prodeunt, circa quos folia Scandici vulgari ſimilia, ſed tenuiora: vmbellæ minores, floribus albis ſuccedunt ſemina oblonga, acubus ſimilia, non tot vt in priori, vbi communiter octo obſeruantur, ſed bina, terna quaternaue, & illa hæc longitudine media ſuperant. Semen Neapoli Norinbergam vnde à Doctore Doldio

* III. SCANDIX CRETICA. *



accepimus, miſſum fuit. III. Scandix Cretica, ex radice vulgari ſimili, caulis cubitalis, anguloſus, ſtriatus, ſubhirſutus exurgit, qui in plures brachiatur, ad cuius exortum folia pediculis oblongis donata, ſubrotunda per ora obliquè diſſecta, obſcurè virentia, leuiter hirſuta, prodeunt quæ verò caulem cingunt, & ſuperiora ſunt, forma Scandicis vulgaris diſſecta: vmbellæ paruæ ſparſæ floribus albis, eorum autem foliolis, quam in vulgari latioribus, quibus ſuccedit ſemen roſtratum, decem, duodecim & pluribus roſtris ſimul iunctis, quorum cuilibet apices duo quaſi aculei rigidi præfiguntur.

## Καυκαλίς. CAP. CXXXIII. CAVCALIS.

CAucalis, quam alii ſylueſtre daucum vocant, cauliculo eſt dodrantali, aut maiore, ſubhirſuto: foliis apio ſimilibus, a fœniculi modo per extrema multifidis, hiſpidiſq́;: candida in cacumine vmbella, ſuauiter olente. Crudum, coctumve olerum modo eſtur: vrinam mouet.

a Cat. μαραθρῳ ὅμοια, λεπτοσχιδῆ i. fœniculo ſimilia, cum tenuibus inciſuris.

Caucalidis conſideratio.

*VIſitur Caucalis in Hetruriæ campeſtribus, inculto præſertim ſolo, vt & Ananienſi tractu in Tridentino agro, nullis reclamantibus notis. Rura noſtra hanc Petroſello ſaluatico vulgò appellant. Quippe quod folia, quæ per ima prope radicem exeunt, apium quadántenus effigie referant, quod vulgò Petroſello dicunt: etſi quæ ſuperiore parte prodeunt, per ambitum ſint fœniculi modo capillamentis diuiſa. Caulem mittit paſtinacæ: in cuius cacumine vmbellam gerit floribus candicantē, odoratam, dauco non abſimilem. Semen odoratum radice paſtinacæ. Quapropter Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, ita de ea ſcriptum reliquit: Caucalidem quidam daucum ſylueſtrem nuncupant: eſt enim ei adſimili guſtu ſimul ac viribus. Nam excalfacit vt ille, & deſiccat, vrinam ciet, & muria ad repoſitionem conditur: Hæc ille.* Aperit, prouocat, abſtergit, attenuatq́;. *At nos dicimus, longè pluribus caucalim pollere viribus, ſiquidem cordi vtilis eſt. Epotus ſuccus calculos, & arenas pellit, & iecinoris, lienis, renumq́; pituitas extenuat. Semen potum oculorum aciem acuit, &*

Caucalidis vires ex Gal.

Caucalidis vires Matth.

I. CAVCALIS.



*II. CAVCALIS NODOSO Echinato ſemine.



*men.es feminarum adiuuat. Datur viris contra ſeminis profluuia, vna cum aſpleno, & viticis ſemine. Steriles prolificas facit aſsidue ex vino potum: præſtat aduerſus Trigonis, Draconis, & ſcorpionis marinorum ictus, vulneri illitum. Herba tota ex aceto manſa, & vomitione reddita, ventrem purgat. appetitũ langueſcentem excitat, & nauſeæ faſtidia diſcutit, mamboluos iuuat, tum herba ipſa in cibis deuorata, tum ſuccus potus, tum ſemen quemadmodum totius plantæ decoctum. proinde datur vtiliter quartanarijs, & ſcabioſis, quinetiam morbo gallico affectis. Vt Græcis καυκαλὶς, ita etiam Latinis Caucalis, appellatur: Italis, Caucalide, Petroſello ſaluatico: Gallis Perſil ſauuage.* Nomina.

Caucalidis diuerſas proponit Matthiolus figuras, aliam ſimilem ei, quam pro Viſnaga poſuit: aliam in maioribus iconibus, hanc nimirum quam caucalidem latifoliam alteram ſemine aſpero nominamus; eſtq; caucalis flore rubro, folio latiore Lob. Caucalis Matthioli Lugd. Caucalis ſecunda Taber. fortè Daucoides maius Cordi & Thalii. II. Caucalidem & alteram lubet addere quam nemo ante deſcripſit, (de reliquis ſpeciebus quinq; ſuo loco) Hæc ex radice oblonga, tenui, alba, caules emittit binos ternosue, qui in alios brachiantur, rotundos, ſtriatos, aſperos: quorum alii ſemipalmares, incurui, alii bipalmares erecti prodeunt: hos folia paſtinacæ ſylueſtris æmula, at breuiora & pauciora, multoq; tenuius diuiſa, aſpera, ex virore nigricantia, ad ſingula penè internodia, oblongis pediculis donata cingunt: floſculi exigui ex quinque foliolis compoſiti ſubrubentes, vel pallidi, aliquando albi breuiſſimis pediculis inſident: quibus ſuccedunt parua capitula echinata & conglobata, in quorum ſingulo vnicum ſemen. Hanc Iulio menſe anno 1578, in horto Patauino collegimus, & Caucalidem ſemine ad caulium nodos echinato nominauimus: miſſa etiam ad nos fuit, Lappulæ caninæ Cortuſi nomine.

## Εὔζωμον. ERVCA. CAP. CXXXIIII.

CRuda eruca venerem largiore cibo concitat. Semen eius idem præſtat, vrinam cit. Concoctioni prodeſt, aluo per quàm accommodata. Semine ad condimenta vtuntur: quod, vti in longum tempus aſſeruetur, adiecto lacte, aut aceto, digerunt in paſtillos. Gignitur etiamnum ſylueſtris eruca, maximè in Iberia, quæ occidentem ſpectat, cuius ſemine pro ſinapi incolæ vtuntur. Vrinam vehementius pellit, & multò ſatiua acrior.

I. ERVCA SATIVA. II. ERVCA SYLVESTRIS.





*VVlgaris admodum planta eſt Eruca tam ſatiua, quam ſponte naſcens, quòd frequentiſſimè in cœnis acetarijs inſeratur. Satiua folijs exit longis profundè, ſed rarioribus inciſuris, laciniatis, Siſymbrij aquatici modo, ſapore acri, & amariuſculo: caule ſeſquipedali, floribus in cacumine albicantibus, ſemine in tenuibus corniculis concluſo, vt in Irione. Radix illi eſt alba, tenuis, acri ſapore. Seritur paſſim copioſa in hortis. Erratica arido ſolo gaudet, adeò vt in muris quoque naſcatur, folijs domeſticæ anguſtioribus, ac frequentius laciniatis, guſtu acriori, ſapidioriq́; caulibus numeroſis, floribus luteis, corniculis in vniuerſa ferè planta copioſis, ſurſum ſpectantibus, ſemine ſinapi ſimile, acri & amariuſculo. Cocta Eruca infantium tuſsi medetur, addito ſaccharo. Tradidere quidam (ſuperſtitioſum tamen mihi eſt) tria ſylueſtris erucæ folia ſiniſtra manu decerpta illicoq́; deuorata, Ictericos ſanare. Sylueſtris magis excalfacit, ſiccat, attenuat, aperit, incidit, extrahit,*

Erucæ conſi. & genera.

Erucæ vires Matthiolo.

*trahit, extergit, prouocat, quàm ſatiua. Excalfacit olus (vt teſtatur Galenus libro 2. de alimentorum facultatibus) perquàm manifeſtè, adeò vt non facile ſolum absq; iunctis lactucæ folijs edatur: nam ita immodico calori par frigus admiſtum exceſſum temperat. Quinetiam genitale ſemen augere creditur, & in venerem ſtimulos addere: Caput etiam magis dolere afficiet, ſi ſolum edatur. Semen (vt ſcribunt antiquorum nonnulli) muris aranei morſibus medetur: ventris tineas enecat, lienemq; extenuat: tritum, & cum felle bubulo miſtum, nigras vlcerum cicatrices ad candorem reducit. Cum melle verò perunctum, vitia cutis in facie emendat, & lentigines emaculat. Herba, quæ Græcis εὔζωμον, Latinis Eruca vocatur,*
Nomina. *Mauritanis, Iergir, Ergit, ſeu Gargir: Italis, Ruchetta, & Rucola: Germanis, Weiſz Senff: Hiſpanis Oruga & Aruga: Gallis, Roquette. Eruca ſylueſtris, Græcis εὔζωμον ἄγριον: Italis Rochetta gentile, & Rucola ſaluatica: Germanis Wild Weiſz Senff: Gallis petite Roquette & Roquette ſauuage.*

Eruca quòd vellicando linguam quaſi erodat, Græcis εὔζωμον, ob ſuauitatem, quæ ei in condiendis obſonijs ineſt, vt habetur apud Plinium lib. 20. cap. 13. I. Eruca latifolia alba ſeu ſatiua Dioſcoridis C. B. Eruca Brunf. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Caſt. Eruca ſiue Rucula marina maior, Trag. Eruca ſatiua. Matth. Lac. Lob. Dod. fol. Lugd. Eruca ſylu. Lon. Fuch. cum & Sinapis alterum genus. Erucula maior, Cord. in hiſt. Sinapi ſylueſtre, Dod. gal Eruca folio latiore, Cæſalp. Eruca maior, Cam. II. Eruca maior ſylueſtris C. B. Eruca ſylueſtris, Matth. Lob. Dod. fol. Caſt. Taber. III. ERVCA PALVSTRIS cærulea, ex radice oblonga, tenui leuiter fibroſa, ex ruffo albicante, caules plures palmares, ſeſquipalmares aliquando, ſtriatos, hirſutos emittit, ad quorum exortum folia per terram ſparſa, quæ Erucæ vulgaris modo ſinuoſa ſunt & quaſi circumroſa, hirſuta, aſpera, ſed longè breuiora, multoq; anguſtiora: in caule verò qui ramulis aliquot brachiatur, folia pauciora, minus ſinuata, & inferioribus aliquando latiora ſed breuiora, quædam etiam anguſta & integra: ramulorum extremis floſculi eleganter cærulei, interdum dilutè cærulei, ex quatuor foliolis conſtantes inſident, paruis ex iis filamẽtis prodeuntibus: his ſuccedunt ſiliquæ oblongæ, tenues & breues, quibus ſemen ſubruffum, minutum & acre includitur. Toto ferè anno floret. Prouenit apud nos locis arenoſis & quidem iis quæ Birſa alluit: quibusdam etiam locis in muris prouenit: non longe á Bar in monte S. Otiliæ prouenire Doctor Nicolaus Agerius retulit, vbi violam petræam vocitent. De ſylueſtri minore & paluſtri lutea, vt & ea quæ echinata eſt ſiliqua, & denique marina dicetur ſuo loco.

* III. ERVCA CAERVLEA. *



## Ὤκιμον. OCIMVM. CAP. CXXXV.

OCimum vulgò cognitum. Id copioſiore cibo oculorum aciem hebetat, aluum mollit, ſpiritum mouet, vrinam pellit, lac euocat, ægrè tamen conficitur. Illitum cum polline polentæ, aceto, & roſaceo, pulmonum inflammationibus auxilo eſt. Draconis marini, & ſcorpionis ictibus per ſe prodeſt: & cum vino Chio, oculorum doloribus. Succus viſus caliginem
a Meum abſtergit: deſtillationes exiccat. Semen potum conuenit a attram bilem gignentibus, difficili vrinæ, inflaμελαγχολῶσι i. inſanientibus. tisquè: naribus hauſtum, ſubinde mouet ſternutamenta, quod idem herba efficit: ſed oculos premi neceſſum eſt, cùm ſternutamentum vrget. Sunt qui in cibis abdicandum cenſeant, quandoquidem manducatum, & in ſole poſitum vermiculos creat. Aphri autem adiiciunt, ſi feriantur à ſcorpione, qui ocimum ederint, nullo conflictari dolore.

Ocimi conſi. *OCimum quemadmodum odoratiſſimum, ita & omnibus notiſſimum eſt. Namque perraræ ſunt vbique ædium feneſtræ, perraraq; cœnacula, ac viridaria, quæ Ocimo non redoleant, vtpote quod frequens ſeratur, & foueatur in figulinis vaſis.*
Ocimi genera tria. *In Italia hoc æuo Ocimi tria habentur genera. Quorum primum quod maius vocant, folijs aſſurgit amaranto longè maioribus, latis, longis, ac craſſis, citreæ malo ſimilibus, floribus ſpicatis, albo colore, è quibus ſemen gignitur ſubnigricans. Tota planta ſuauiter ſpirat. Secundum folijs exit, ac ramulis, dicto ſimilibus ſed duplo longè minoribus, cuius duæ habentur ſpecies, odore tantum differentes, alterum odore plebeij ocimi, alterum citrei mali adeo ſimile, vt ferè nulla ſit odoris differentia.*
Ocimum citratum. *Proinde hoc citratum vocauere Arabes, quo modo ipſum quoq; Meſues nominat. Tertium, quòd folijs conſtet minutis atque anguſtis, ſitq; cæteris odore fragrantius, Italis vulgò apellatur Baſilico gentile, Mauritanis Ocimum garyophyllatum nuncupatur. Horum omnium meminit Serapio, vocauitq; medium hic à Dioſcoride deſcriptum, Ocimum non garyophyllatum: Garyophyllatum verò, quod cæteris tum minutius, tum odoratius habetur. Deinum Citratum à Citreo odore alterum, vt omnibus palam fiet, qui Serapionis monumenta perlegerint de Ocimi*
Monachorũ iactantia circa ocimum garyophil. *differentis. Idcirco videant quaſo patres illi reuerendi, qui in Meſuem commentarios ſcripſere, quo iure quaue ratione in electuario de gemmis ſe iactent Ocimum garyophyllatum hac tempeſtate primos adinueniſſe, cùm hoc Serapion ſolus*

I. OCIMVM MAIVS.



II. OCIMVM MEDIVM.



III. OCIMVM GARYO-
phyllatum.



*lÿs exeat paruis, & caule quadrangulari: monachis verò folÿs melissophyllo maioribus, per ambitum ſerratis, & caule minimè anguloſo, Qua in re eos, pace ſua, apertè hallucinatos putauerim. Nec equidem credendum arbitror, quòd de alio ocimi genere intellexerit Meſues, quàm de tertio illo genere in delitÿs habito, de quo diximus. Nam cum cæteris odoris fragrantia longè præſtet, nulli dubium eſt, quin in roborandis cordis ipſius viribus cæteris ſit longè aptius, atq; etiam præſtantius, vt quod in electuarium de gemmis addatur ad cordis affectus: ideoq; datur vtiliter oderandum ex aceto, in animi deliquio. Scribit Braſauolus ſuo de ſimplicium examine Romæ primùm excuſo libro, tantam de Ocimi viribus inter Plinium, & Dioſcoridem eſſe controuerſiã, vt alterum ipſorum erraſſe dicendum ſit. Quippe ex Aphris tradit Dioſcorides, quòd ſi à Scorpione feriantur, qui ocimum ederint, nullo dolore afficiuntur. Contrà verò Plinius, qui libro 20. capite 12. ſi eo die, inquit, feriatur quiſpiam à ſcorpione, quo ederit ocimum, ſeruari non poſſe. Qua in re lectionis impatiens deprehenditur Braſauolus: quandoquidem ſi eo loco Plinium de Ocimo differentem, patienter perlegiſſet, cognouiſſet vtiq; quàm rectè Plinius ipſe hanc dirimat controuerſiam, vſq; reſpondeat, qui ocimum accuſant, cùm inquit: Ocimum quoq; Chryſippus acriter increpuit, inutile eſſe dicens ſtomacho, vrinæ, & oculorum claritati. Præterea inſaniam facere, & lethargos, & iecinoris vitia. Ideoq; ca-*

Braſauoli lapſus in prima editione.

*præ id aſpernari, hominibus quoq; fugiendum cenſet. Adÿciunt quidam tritum ſi operiatur lapide, ſcorpionem gignere.*
*Commanducatum, & in ſole poſitum vermes afferre. Aphri verò, ſi eo die feriatur quiſpiam à ſcorpione, quo ederit oci-*
*mum, ſeruari non poſſe. Secuta ætas alacriter ocimum defendit: nam id eſſe capras, nec minus quàm mentham, & rutam*
*ſcorpionum terreſtrium ictibus, marinorumq; venenis mederi ex vino, addito aceto exiguo. Vſu quoq; compertum deficien-*
*tibus ex aceto odoratu ſalutare eſſe. Item lethargicis, & inflammatis refrigerationi. Illitum capitis doloribus cum roſaceo,*
*aut myrteo, aut aceto. Item oculorum epiphoris, impoſitum ex vino: ſtomacho quoq; eſſe vtile: hæc Plinius. Ex quibus cla-*
*riſsime patet, Plinium eorum placitis refragari, qui tam acriter ocimum damnarunt. Degenerat quandoq; ocimum in ſer-*
*pyllum, vt auctor eſt Theophraſtus libro 5. capite 8. de plantarum cauſis, vbi ſic inquit: Ocimum autem, quod loco ſoli ex-*
*poſito ſitum eſt, tranſit in ſerpyllum, quia vehementer ſiccatur. Folio namq; minus, odoreq; vehementius redditur, quippe*
*cùm alimenti quoq; minus habeant, quæ ſicca ſunt. Sed huiuſmodi mutationes ita euenire putandum, vt aliquid ſimilitu-*
*dinis faciant, non vt omnino ſpeciem exprimant alienam: hactenus Theophraſtus. Cæterùm Auicenna libro de viribus cor-*
*dis à Dioſcoride diſſentire videtur. Nam ocimum, ſcribit, ſanguinem turbidum, & melancholicum generat,*
*quoniam ſuperflua humiditas, quæ eſt in ipſo, parit inflationem in venis. Nec aliter videtur ſenſiſſe Galenus, qui libro*
*8. ſimpli-*

Ocimi degeneratio in ſerpyllum.

Ocimi vires ex Auic. & Gal.

8. ſimplicium medicamentorum de ocimo ita ſcriptum reliquit: Ocimum ex ſecundo eſt ordine calfacientium: habet ... recrementitiam humiditatem: proinde nec commodum eſt, quod in corpus ſumatur. Cæterùm foris illitum, ad ... & concoquendum vtile eſt. Idem libro 2. de alimentorum facultatibus, cùm inquit: Ocimo etiam pleriq; vt obſonio vtuntur, ex oleo, & garo eſitantes: vitioſi autem eſt ſucci. Admentiuntur ob hoc quidam dicentes, ſi tritum ... ditum operiatur, celerrimè intra paucos dies Scorpiones gignere, præſertim vbi quis quotidie ollam ad ſolem calfecerit: ſed hoc ſanè à vero abeſt. Id porrò verè de eo dixeris, olus eſſe praui ſucci, ſtomacho noxium, & concoctu difficile. Sed illud in ocimo non ignorandum puto, quòd ocymum per y ab ocimo per i maximè differre deprehenditur probatiſsimorum auctorum teſtimonio. Siquidem apud antiquos Ocymum erat pabuli genus, dictum vel quòd citò proueniret: vel primum inter cætera pabuli genera è terra erumperet: vel quòd iumentis citaret aluum, ſic appellatum ab Græca voce ὠκὺς, quæ Latinè valet citò. Ocimum verò herba eſt illa odorata, de qua ſuprà diſputauimus, ſic nominatum ab ὄζω verbo Græco, quod redolere ſignificat. Vnde rectius fortè per ζ quàm per c ſcribendum eſſet. Cæterùm ocymum antiquis quibusdam boum pabulum erat ex ſecta viridi ſegete, priusquàm indureſcerent culmi: vel ex ſeminibus pluribus ſimul in agro ſatis, nempe è fabarum modijs decem, viciæ duobus, & eruiliæ tantundem vnà in iugero ſatis, & ante maturitatem reciſis. Catoni tamen è vicia, fœno græco, faba, eruoq; in vnum commiſtis, & exinde ſatis ocymum eſt. Quo fit, vt putauerim ocymum antiquis, non modò herbaceam, viridemq; fuiſſe ſegetem, è pluribus ſeminibus vnà in agro ſatis in primum iumentorum pabulum; ſed etiam ex vno tantùm cerealium genere, nempe hordeo, auena, vicia, eruo, alijsq; his cognatis, quòd eiuſmodi pabulo verno tempore, non modò alantur boues, ac etiam equi, ſed etiam repurgentur. Id quod noſtra quoq; ætate fit pluribus in locis in Italia, præſertim cum hordeo, eruo & vicia. Nec placet eorum ſententia, qui ſibi nulla, vt arbitror, ratione, nec auctoritate perſuadent, Ocymum plantam eſſe ſui proprij generis, quòd è veteribus nullum hactenus inuenerim (quantum equidem vidi & legi) qui ocymi herbæ hiſtoriam literis memoriæq; mandauerit: ſed comperi quidem, quòd vocabulum hoc non magis vni, quàm alteri conueniat: quandoquidem vnicuiq; pabuli generi, quod primo ſtatim vere citò proueniat, accommodari poteſt. Quare planè explodenda videtur Adami Loniceri opinio, & Tragi, quod non ſine errore ridendo frumentum Turcicum, ſiue, vt alijs placet, Saracenicum, quod Tridentina rura vulgò appellant Formentone, & Foroiulienſia à pullo ſeminis colore Saracino, ocymum eſſe firmiter exiſtiment. Quin etiam ij turpiter aberraſſe deprehenduntur, quòd huic plantæ, quæ ſuum Ocymum eſt, omnes odorati ocymi facultates reddiderint. Nec alia ratione moti frumentum Saracenicum ocymum eſſe cenſent, quam quòd ſatum tertia à ſatu die erumpat. Verum ocymum non ea de cauſa nomen hoc (mea quidem ſententia) ſibi comparauit, ſed quòd citius cæteris pabulorum generibus vere primo adoleſcat: nam innumera eſſent ocymi genera, ſi id omne, quod ſtatim ferè à ſatu oritur, ocymum vocari debeat. Quod ὤκιμον (vt antè dictum eſt) Græci, ocimum item Latini appellant: Mauritani, Berendaros, & Bedarog: Itali, Baſilico: Germani Baſilien vnd Baſilgram: Hiſpani, Albahaca: Galli Baſilich. Ocimum alterum ſiue medicum, Græcis ὤκιμον ἕτερον: Italis Baſilico mezzano. Ocimum minus ſiue tertium, Græcis ὤκιμον μικρότατον: Italis Baſilico gentile.

Ocymi ab Ocimo differentia.

Ocymum antiquorum quid.

Ocymum non eſt planta.

Loniceri & Tragi error circa Ocymũ.

Nomina.

## *IV. OCIMVM LATIFOLIVM Criſpum.*



Ocymum quod à celeritate proueniendi dictum cenſetur, βασιλικὸν, id eſt, regale recentioribus Græcis varia habet genera, magnitudine, odore & colore variantia. I. Ocymum gariophyllatum maius C. B. Baſilica maior, Trago, Baſilicum maius, Lon. Ocimum maius, Matth. Fuchſ. Dod. gal. Caſt. Cam. Ocimum nigrum, Cord. hiſt. Ocimum maximum citratum, Geſ. hor. Ocymum maximum caryophyllatum & Citratũ Lob. Ocimum tertium maximum, Dod. fol. Ocimum citratum, Cæſalp. Ocimum magnum, Tab. II. Ocimum vulgatius. C. B. Ocimum, Brunf. Dod. fol. Baſilica minor & Baccharis germanica, Trag. Ocimum medium, Matth. Caſt. Lugd. Cam. Ocimum mediocre Fuch. Ocimum medium vulgatius, Lob. Ocimum tertium & medium, Cæſalp. III. Ocimum minimum C. B. Ocimum gariophyllatum, Matth. Cord. hiſt. Lugd. qui duas habet icones, Ocimum minus, Matth. in icon. Dod. fol. Cord. in Dioſc. cui & garyophyllatum & Tab. Ocimum paruum, Lac. Geſ. hor. Ocimum minimum garyophyllatũ Lob. Baſilicum minus, Caſt. Ocimum alterum tenuifolium, Cæſalp. IV. Ocimum latifolium, maculatum vel criſpum, elegantiſsimum hoc Ocimum à nemine pictum adijcere placuit, quod ex radice parua eaq; fibroſa, caulem emittit cubito minorem, ſubrubentem, ſtriatum, raris pilis ijsq; breuibus veſtitum, qui ad quodlibet ferè internodium in breues ramulos brachiatur. Folia obtinet duorum digitorum lata, & amplius, oblonga, læuia, rotunda, quorum quædam modicè ſerrata, quædam profundè ſecta in lacinias quæ criſpantur, maculata ex rubro nigricantia, vel ſubcærulea & maculata, longis pediculis rubentibus donata. Flores aliorum ſimiles & ex candido rubeſcentes obtinet, ſemenq; pauló maius, nigrum ex rotunditate oblongatum, foliaceis capſulis incluſum. Tota planta odore eſt Ocimi vulgaris, Auguſto & citius florens in olla aluimus. Ex India in Hiſpaniam, & inde in Italiam & Germaniam ſemen tranſmiſſum. Dicitur ocimum latifolium Cæſalpino: Baſilicum Indicum, vel potius Hiſpanicum Camerario in ſuo horto: Ocimum S. Mauritianum, Iohanni Bauhino, in libello de plantis à diuis denominatis.

## OROBANCHE. CAP. CXXXVI.

Ὀροβάγχη.



ORobanche a cauliculus eſt ſeſquipedalis, & interdum maior, ſubruber, hirſutus, tener, ſine folio, pinguis: flore ſubalbido, aut in luteum vergente: radice digiti craſſitudine, & cum ariditate flacceſcit caulis, fiſtuloſa. Hanc inter quædam legumina naſci conſtat, & ea ſtrangulare: vnde orobanche ſibi cognomentum vſurpauit. Eſtur, vt olus, cruda, & in patinis, aſparagi modo, decocta. Legumentis addita, concoctionem accelerare creditur.

a Omnia exempla. καυλίον ἐςὶν ὑπέρυθρον ὡς διαπιθαμιαῖον, ἐνίοτε δὲ καὶ μεῖζον, φύλλοις ὑπολίπαρον, ἔνδασυ, τρυφέρον. i. Cauliculus eſt ſubruber, ad duos dodrantes altus, aliquando etiam maior, foliis ſubpinguibus hirſutus, tener.

*ORobanchen, quæ omnibus notis legitima Dioſcoridis reſpondet, vidimus primùm in Ananienſi agro ſupra Tridentum, ac deinde vbique ferè in Italia naſci comperimus, in campis non modò inter omnia leguminum genera, ſed & inter ſegetes cannabim, linum, in pratis & in vijs ſecus agrorum ſepes. Cæterùm etſi ſcriptis mandauerit Theophraſtus lib. 8. de hiſtoria, & 5. de cauſis plantarum, Orobanchem eruum necare amplexu, complexuq́; ſuo; ea tamen, quæ hîc à Dioſcoride repræſentatur, & à Plinio lib. 22. cap. vltimo, nullo ſanè complexu, ſed ſua tantùm præſentia, legumina, ſegetes, cannabim, & linum interimit, quæ prope ipſam oriuntur. Quam ob cauſam Ananienſes, quòd vicinas ſtrangulet, ac deuoret plantas, Herba lupa vulgò orobanchen appellant. Proſilit hæc (vt inquit Dioſcorides) nullis vnquam folijs, ſed vno tantùm aſſurgit cauliculo, aſparagi inſtar, colore ſubrubro, hirſuto, molli, pinguiq́;, & qui ſeſquipedalem non excedat longitudinem. Flos è quibuſdam pateſcit globulis in cacumine congeſtis, ſubalbidus. Radix digitali viſitur craßitudine, fungoſa, ac fragilis. Hæc planta nonnullis etiam vulgò Coda di leone appellatur, alijs verò Herba tora vocatur, quòd vaccæ ea deguſtata (vt paſtores facto periculo teſtantur) ſtatim taurum adeant. Sunt & qui (ut loco citato ſcribit Plinius) Cynomorion eã appellent, a ſimilitudine canini genitalis. Ex quibus omnibus non temerè dicendum exiſtimauerim, vel Theophraſtum (pace ſua) hac in re deceptum eſſe, vel aliam à Dioſcoride, & Plinio orobanchem concepiſſe. Orobanche vt Galenus eſt auctor libro 8. de facultate ſimplicium medicamentorum, eſt ſiccæ, frigidæq́; temperatura in primo ordine. Huius plantæ nomen Græcum eſt, ὀροβάγχη, quemadmodum & Latinum Orobanche, nec non Erui angina: Italicum, Orobanche. Officinis Cauda Leonis.*

Orobanches conſideratio. Orobanche Theoph. alia. Herba lupa. Herba Tora. Orobanches facul. ex Gal. Nomina.

Orobanche non ramoſa elatior C.B. Orobanche, Matth. Cord. in Dioſc. Lac. Lon. Caſt. Cæſal. Orobanche maior, Cluſ. Pan. Limodorum ſiue Orobanche, Dod. fol. Orobanche vera, Geſ. hor. Orobanche ſecunda, Tabernæmontano.

## BARBVLA HIRCI. CAP. CXXXVII.

Τραγοπώγων

BArbula hirci, quæ ab aliis Come vocatur, breui eſt caule: foliis croci: radice longa, dulci: magno ſuper caulem calyce: è cuius ſummo ſemen nigrum dependet, vnde nomen inditum eſt. Herba eſui apta eſt.

*HIrci Barbula, quam Hetruria vulgò appellat Saſſefrica, vulgaris admodum eſt notitiæ. Radix, quòd guſtu dulcis iucundaq́; ſit, eſtur hyeme frequenter in acetarijs. Duum eſt generum, alterum flore aureo, alterum purpuraſcente. Primum genus, folijs exit croci, latioribus tamen ac longioribus: flore aureo, roſtro porcino vocato non abſimili, maiore tamen, qui calyce continetur. Is ſereno cælo fathiſcit, nubiloſo verò contrahitur, occluditurq́; calyce, quemadmodũ & chamæleonis echinus. E concluſo calycis vertice barba dependet incana, prolixaq́;, vnde nomen accepit, vt Theophraſtus prodidit lib. & cap. 7. de plantarum hiſtoria. E floribus papposum oritur caput, in quo ſemen continetur oblongum. Radice nititur longa, alba, dulci iucundaq́;. Prouenit copioſa in pratis, ac etiam ſaxoſis locis. Sed certè neſciuerim ego, qua ratione ductus negauerit Hermolaus, hanc Theophraſto, & Dioſcoridi legitimam Hirci barbulam eſſe, cùm illa pulchrè, huius notis reſpondeat. Radix excalfacit, ac etiam primo ordine humectat. Glutinat hæc recentia vulnera, ſi foliorum ſuccus, vel eius ſtillatitia aqua ſplenijs, & attritis linteolis ſuperponatur. Aliud quoq; Tragopogoni habetur genus, quod à foliorum colore, purpureum vocant. Prodit hoc folijs alteri ſimilibus, ſed à radice numeroſioribus, viridioribus, latioribus, robuſtioribus, caule quoq; ſimili, geniculato, conſpicuis propè genicula alis, è quibus rami prodeunt. Flores edit in cacumine purpureos, ſed altero minores, radiantibus circumquaq; calycis apicibus, in ſtellæ ferè modum. Radice nititur quoq; grandiore, longioreq́;, quinetiam robuſtiore, duriore, & lacteo ſucco referta, non quidem vt in altera, dulci, ſed adſtringente & amariuſculo. Radicis lacteus ſuccus adſtringit, cohibet, firmat, & modicè abſtergit: eſui tamen inidonea eſt. Tragopogono congener videtur quoq; planta SCVRZONERA ſiue SCORZONERA Hiſpanis vocata, quòd à Vipera demorſis, quam ij Scurzo vocant, præſentaneo remedio auxilietur. Hæc noua eſt planta, nec puto eſſe quenquam, qui de ea ante nos ſcripſerit. Inuenta eſt primùm Sorzonera in Catalonia Hiſpaniæ, à quodam ſeruo Aphro, à Ceruero Leridano Viro nobili, pretio empto. Nam cum quidam meſſores in agro à viperis demorderentur, hic qui in Aphrica plantam hanc nouerat, propinato eiuſdem radicis ſucco, incolumes ſeruabat omnes, quotquot demorſi fuerant, ſed nemini plantam oſtendebat, ne lucro defraudaretur. Quo poſtea factum eſt, vt vafriores quidam obſeruantes à longinquo tra-*

Barbulę hirci conſideratio. Hermolai error. Tragopogõ purpurei mentio. Scurzoneræ mentio.

I. TRAGOPOGON SIVE Barba Hirci.



II. TRAGOPOGON ALterum.



IV. SCORZONERA HIſpanica.



V. SCORZONERA BOhemica.



*ctum, à quo Aſerille plantam deferebat, illuc conceſſerint, plantamq; conſequuti ſint, inuentis reſciſſæ nuper herbæ reliquijs. Ea itaque effoſſa, factoque ipſius periculo, diuulgata res eſt, & S*CVRZONERAM *id eſt* VIPERINAM *eam appellauerunt. Hanc primum miſit ad me ſiccam* Clariſſimus *Reginæ Romanorũ medicus,* Ioannes Odoricus Melchiorius Tridentinus. *At paulò poſt viridẽ, viuentemq; eandem vidimus, ad Cæſarem Ferdi. ex Hiſpanijs allatam, ob rei raritatẽ.*

Cæteris

*Cæterum non multò poſt tempore, copioſam quoq; in Bohemia naſci compertum eſt, clariſſimi Doctoris Riberæ, eiuſdem Cæſaris medici diligentia in monte quodam ſyluoſo, vliginoſoq; non longè à Poggebrot, dum Cæſarem ſequeretur ad venationes. Folia fundit hæc planta ſpithamæ longitudine, ſucciſæ vocatæ æmula, ſed longiora, Tragopogono longè latiora & quæ ſolo propinquiora ſunt, fibrata, longo preſſoq; pediculo a radice prodeuntia, humiq; accubantia, quorum nonnulla per ambitũ leniter ſinuata ſpectantur. Caulem edit ſeſquidodrantalem, & ſæpe maiorem, rotundum, geniculatum, in quo folia anguſtiora, breuioraq; ſpectantur. Flores profert aureos, Tragopogono adeò æmulos, cui & tota planta (vt prædiximus) cóngener eſſe videtur, vt alterum ab altero, paucis admodum notis dignoſci poßit. Hi flacceſcentes in papposum mutantur orbem, in quo ſemen continetur album, longum, Tragopogono ſimile. Radix illi ſubeſt ſeſquidodrantalis, pollicari craſſitudine, raris adnatis fibris, cortice ſubnigricante, vegeta, tenera, fractu facilis, ſuccoſa, alba intus pulpa, lacteo ſucco prægnans, dulcis, & guſtatu iucunda. Naſcitur in ſyluis, & vliginoſis locis, ac etiam alibi. Floret æſtate vnà cum Tragopogono. Nos hic eius imagines appingi curauimus, quarum quæ radice breuior, craßiorq; habetur, & folijs eſt amplioribus ex Hiſpania allata eſt, altera verò in Bohemia prouenit. Foliorum aut radicum ſuccus datur præſentaneo remedio potantibus, aduerſus viperarum, cæterorumq; venenatorum animaliũ ictus, quin etiam ad quoſcunque peſtiferos morbos. Deuorata* Scorzoneræ
*radix recens, ſicca, aut ſacharo condita quotidie, peſtilentialia contagia arcet, & venenis quibuscunque reſiſtit. Datur* vires Matth.
*eadem aut eius ſuccus, vtiliter quoq; comitialibus: item cardiacis, vertiginoſis, & animi deliquijs, cordis pulſu, tremoreuè obnoxijs. Enimuero commanducata per ſe r[illegible]dix, triſtitiam diſcutit, hilaritatemq; conciliat. Quin etiam lacteus radicis ſuccus oculorum aciem acuit, nubeculas delet. In ſumma, tota planta magni eſt ad omnia vſus.* Τραγοπώγον *ita Græcis,* Nomina.
*Latinis verò Barbula hirci vocatur: Italis, Barba di becco & Hetruſcis Saſſefrica: Germanis* Bocksbart vnd Gauchbrot: *Hiſpanis, Barbe de cabron: Gallis Barbe de bouc. Barbula hirci altera, Græcis* Τραγοπώγον ἕτερον: *Italis Barba di becco porporea. Scorzonera, ſiue Scarzonera, ſeu Viperina: Italis Scorzonera.*

Tragopogon pratenſe luteum. C. B. Barbula hirci, Trago, Matth. in icon. Lacu. Caſt. Tragopogon, Matth. Geſ. hor. Dod. fol. Fuch. Lonic. Cæſalp. Tragopogon luteum, Lob. Tab. Thal. Barba hirci, Dod. gal. Lugd. Cam. Hirci barba, Cord. in Dioſc. & hiſt. II. Tragopogon cæruleum, C. B. Tragopogon alterum, Matth. Lugd. Tragopogon puniceo flore, Geſ. hor. Tragopogon ſylu. flore purpureo, Cæſalp. Tragopogon, Dod. fol. Lob. Barbula hirci altera, Matth. in icon. Caſt. Barbula hirci purpurocærulæa, Tab. Barba hirci flore purpureo, Cam. Eſt flore cæruleo, purpurocæruleo: rarius albo. III. Tragopogon LACINIATVM luteum, C. B. Ex radice longa tereti, digitum craſſa, foris nigricante, intus alba & lacteſcente, folia prodeunt plura per terram ſparſa viridia, læuia, inferne albicantia: quorum prima graminea ſunt, ſubſequentia verò inſtar Coronopi laciniata exiſtunt, & horum aliqua licet laciniata ſint, Crocii tamen foliis neutiquam latiora, aliqua verò lata exiſtunt. Caulem obtinet ſeſquipedalem & altiorem, aſperum, ſtriatum, & cauum, in paucos ramos diuiſum, qui calyces ſuſtinent ſtriatos, quibus flores lutei manè patentes, dein ſe claudentes inſiti: his ſuccedunt ſemina minora quàm in vulgari, ſtriata, non autem aſpera: quæ recluſa ſimul ſphæricam formam oſtendentes, vento ſpirante in pappos auolant. Maio menſe & Iunio floret. Prouenit in hortis quibuſdam ſemine ex Italia allato: in Patauinis & Bononienſibus montibus, vt auctor eſt Anguillara (cui Acorus Theophraſti dicitur) reperitur: in Apulia frequens quoq;, vt Fabius Columna refert, qui Tragopogon laciniatis foliis nominat. IV. Scorzonera latifolia Hiſpanica. C. B. Scorzonera Hiſpanica, Matth. Caſt. Cluſ. pan. Tab. Lugd. Scorſonera ſiue Viperaria, Lob. Scorzonera Lonic. Dod. fol. Cæſal. Thal. Cam. Tragopogon peregrinus vel Hiſpanicus, Geſ. hor. Hæc floribus eſt ſimplicibus & plenis. V. Scorzonera latifolia Germanica. C. B. Scorzonera Bohemica, Matth. Lob. Lugd. Scorſonera maior vel Pannonica prima, Cluſ. Pan. Scorzonera Germanica prima, Tab. Variæ ſunt Scorzoneræ ſpecies, ratione florum, foliorum, & ſaporis variantes: eſt latifolia & anguſtifolia: latifolia flore eſt luteo, ſed radice vel ſubdulci, vel amara. Anguſtifolia etiam duplex, altera lutea, radice dulciuſcula aut amara: altera flore ex rubro ſubcæſio, foliis anguſtioribus, radice amariuſcula.

* III. TRAGOPOGON LAciniatum. *



Ὀρνιθόγαλος. ORNITHOGALVM. CAP. CXXXVIII.

ORnithogalum cauliculus eſt tener, candicans, tenuis, ſeſquipedalis, tribus aut quatuor in cacumine mollibus agnatis: à quibus flores prodeunt foris herbacei, & cùm hiantes ſe pandunt, lactei viſuntur: inter quos diſſectum, cachryos modo, capitulum emicat. Coquitur cum pane, vt melanthium. Radix bulboſa, cruda, & cocta manditur.

*ORnithogalum adeò inter ſegetes frequens oritur, vt ſi Maio menſe in aruis requiratur, perpenſis prius notis illi à Dioſcoride attributis, facile ab omnibus inueniatur. Ruellius in Gallia ornithogalum copioſum naſci ſcribit, pueris non* Ornithogali conſideratio.

I. ORNITHOGALVM I.



II. ORNITHOGALVM II.



IIII. TRASI.



incognitum, qui propter aſtantes, cùm ab agricolis aratro terra proſcinditur, aut in latiores porcas ſulcatur, Ornithogali radices vomere erutas colligũt: & cùm ſint caſtaneis ſuauiores, iis & crudis, & in cineribus incoctis veſcuntur, odore iucundiſſimo os mirum in modum commendante. Radices in orbem ferè collectæ ſunt: cortice pullo: candidiſſima intus carne, perquam odorata: vere, vel æſtate cũ fronde virent, hyeme vel autumno cùm exarantur agri, radicitus velluntur. Diu ſeruari poſſunt, & vbi annonæ premit inopia, plebis ruſticæ famem & ieiunia, caſtanearum more ſatiant. Mirè ſuibus expetuntur, qui roſtro ſcrobiculos excauant, & harum capti dulcedine, gregatim ad has eliciendas, radicitusq; vellendas aduolant. Duas ORNITHOGALI plantas expreſſimus, quòd duo eius genera cenſeamus. Ornithogalum alterum, caulem promit tenuem, folia croci æmula, quæ ab imo ad ſummum caulem circumueſtiunt. Flores in ſummitate albicantes in quinque diuiſos apices, qui dum patescunt, ſtellæ faciem referunt. Radice regitur bulboſa, alba, alteri ferè per omnia ſimilis. Cæterum cùm ornithogali radices ſuauitatis ſuæ præſtantia, in mentem mihi reuocauerint illas, quæ in agro Veronenſi, vbi tantùm, neque alibi, quod ſciam, naſcuntur in Italia, vulgò vocantur TRASI, ſaporis dulcedine, caſtaneis proximè accedentes, recentioribusq; quibusdam in medicamentis eadẽ expetantur, eas hic recenſere nõ ab re fore duximus.

*Traſi hiſtoria.*

Sunt igitur TRASI bulboſæ radiculæ, fabarũ magnitudine, oblongæ; & cum ſiccantur, rugoſæ. Harũ planta quæ vere & æſtate germinat, folio exit longo, in mucronẽ exeũte, Cyperi modo, quẽ quidẽ planta tota plurimum æmulatur. Caules enim edit cubitales, et anguloſos, in quorũ cacumine folia exiliora ſtellarũ modo radiant, inter quæ flores exeunt ſpicati, ſubfulueſcentesq;. Radices habet numeroſas, tenues, à quibus globuli dependẽt bulboſi, oblongi, fabarum quantitate, ac etiam grandiores, colore ſubrufeſcente, alba dulciq; intus medulla, caſtanearum ſapore, ſcabro putamine. Harum plantam miſit ad me Franciſcus Calzolarius Veronenſis. Siquidem Traſi (quòd ſciam) non proueniunt ſponte in Italia, niſi in agro Veronenſi.

*Traſorum vires Matth.*

Harum cremore pectoris, & laterũ vitia expurgant, quo fit, vt tuſſientibus opẽ non modicã præſtent: tunduntur enim radices macerantur q;

carnium

*ternis in iure, deinde per linteolum exprimitur cremor: quem etiam venereis potionibus miſcent recentiorum nonnulli. Præſtat idem cremor bibitus ad vrinæ ardores, & præſertim ſi Melopeponum, cucurbitarũ & cucumerum ſemen addatur: valet item potus ad dyſentericos, ſiquidem humorum acrimoniam retundit, & præſertim vbi ex aqua paretur in qua candens ferrum extinctum fuerit. Veronenſes pro bellarijs vtuntur. Manduntur vnà cum cortice, qui, quòd ſit aſper ac ſiccus, expuitur, exucto cremore. Sunt radices hæ, vt experientia compertum eſt, & ex dulcedine conijci poteſt, in calfacientium, & humectantium genere, ſed flatus quodammodo gignunt (leniunt, læuigant, emolliunt.) Quod ὀρνιθόγαλον Græci, Latini pariter Ornithogalum nominant: Itali Ornithogalo, Galli Churles. Ornithogalum alterum, Græcis Ορνιθόγαλον ἕτερον: Itali Ornithogalo ſecundo. Traſi ita Veronenſibus appellati, Venetis Dolzolmi & Traſi dicuntur.*

Ornithogalum propter lacteum florum colorem, ſimilem ei, qui in ouis gallinarum eſt, quod aliqui Bulbinam Theophraſti 7. hiſt. 13. & Athenæi cenſent. I. Ornithogalum primum, Matth. Lacun. Lonic. Lugd. II. Ornithogalum album minus C. B. Ornithogalum 2. Matth. Caſt. Lugd. Ornithogalum, Dod. gal. Geſ. hor. Cæſ. Lob. icon. Lugd. Ornithogalum candidum vulgare, Lob. obſ. Ornithogalum candido flore, Cord. in Dioſc. Ornithogalum alterum minus, Cam. Bulbus leucanthemus minor. Dod. fol. Lugd. Bulbus ſolſequius, Taber. III. Ornithogalum maius SPICATVM, ex radice bulboſa, oblonga, cæpæ ſimili, magna ſatis & candida, cui ſæpè plures bulbi iunguntur, caulis vnus, rotundus, cubitalis, & aliquando altior, nudus exſurgit: folia enim ſtrata infimã eius partem cingunt ſena vel octona, etiam pauciora, cubitali longitudine & digiti latitudine, modò anguſtiora, modò latiora (vt Lugdunenſis hiſtoria duabus figuris oſtendit) tenuia: caulis etiam à medio in ſummum vſque pluribus floribus ornatur, qui veluti ſpicam conſtituunt, hi oblongis pediculis inſident ex ſex foliolis compoſiti, foris herbacei, intus lactei coloris, Phalangii flores referentes, in quorũ medio lutei apices conſpiciuntur: quibus ſuccedunt ſiliquæ triangulares, ſemina nigra phalangii inſtar continentes. In Gallia Narbonenſi circa Monſpeliũ in agris frumentaceis prouenit: ſed & in aſperis & petroſis aliqui notarunt. Sunt qui Ornithogalum Dioſcoridis cenſeant: alii an Scilla Epimenidia apud Theophraſtum 7. hiſt. 11. de qua Plinius lib. 19. cap. 5. Epimenidii nomine, ſit dubitant. Moly deſcriptio apud Dioſcoridem conuenire videtur. Dicitur Ornithogalum ſpicatum, Lob. Ornithogalum Narbonenſe, Dod. fol. & Lugd. cui & Ornithogalum magnum Myconii. Ornithogalum maius Monſpeliacum, Cluſ. Pan. Ornithogalum alterum, Camer. apud Matth. Bulbus ornithogalo ſimilis, Cæſalpino. IV. Cyperus eſculenta radice rotunda: Theophraſtus 6. de cauſis plantarum 16. Cyperi meminit, cuius radices ſunt dulces, & cibo idoneæ, quod huic noſtræ conuenit aliis videtur eiuſdem 4. hiſt. 10. Malinathalla, & Plinii lib. 21. cap. 15. & 29. Anthalium: Auctori libri de Plantis Ariſtotelis lib. 1. cap. 5. Margaritæ Aegyptiæ, Traſi, Matth. Caſt. Cæſ. Lugd. Traſi Veronenſium, vel eſculenti Cyperi, Lob. Dulcichinum. Geſ. hor. (cui & Schænocaryon) Dod. fol. Cyperus dulcis Tab. Cam. cui & Granum azelon Arabum: Malinathalle Theophraſti, Columnæ.

* III. ORNITHOGALVM maius Spicatum. *



## TVBERA. CAP. CXXXIX.

TVbera rotundæ radices ſunt, ſine caule, ſine foliis, flaueſcentes, vere fodiuntur. Cruda & cocta eduntur.

*TVbera, quæ occulta quadam facultate terra in ſe parit, & conglobat, numeroſa in Hetruria à ruſticis effodiuntur,* Tuberum conſideratio. *quòd magnatibus maximè expetantur in cœnis. Duo eorum in Romano agro habentur genera: quorum alteri candida, pulla verò alteri pulpa ſubeſt. Rimoſus vtriuſque cortex, ac niger. Eſt & tertium genus in Ananienſi, & Tridentino tractu proueniens, læui cortice, colore ſubrufo, cæteris longe minus, inſipidum, & guſtu iniucundo. Tuberum meminit Plinius lib. 19. cap. 2. ſic inquiens: Et quoniam à miraculis rerum cœpimus, ſequemur eorum ordinem, in quibus vel maximum eſt aliquid naſci, aut viuere ſine vlla radice.* Plinius de Tuber. *Tubera vocantur hæc, vndique terra circumdata, nullisq; fibris nixa, aut ſaltem capillamentis, nec vtique extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas vrgente, neque ipſa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, vt planè nec terram eſſe poſſimus dicere, neque aliud, quàm terræ callum. Siccis hæc ferè & ſabuloſis locis, frutetoſisq; naſcuntur. Excedunt ſæpe magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere. Duo eorum genera, arenoſa dentibus inimica, & altera ſyncera. Diſtinguũtur & colore rufo nigroq; & intus candido. Laudatiſſima quæ Aphricæ creſcunt. An ne vitium id terræ? neque enim aliud intelligi poteſt: malum ne id ea protinus globetur magnitudine, qua futurum eſt, & viuat ne, aut non, haud facilè arbitror intelligi poſſe. Putreſcendi enim ratio communis eſt ijs cum ligno. Lartio Licinio prætorio viro iura reddenti in Hiſpania Carthagine paucis his annis ſcimus accidiſſe, mordenti* Hiſtoria ex Plinio.

TVBERA.



Tuberum vires ex Gal.

Ex Auicenna. Nomina.

tuber, vt deprehenſus intus denarius primos dentes inflecteret. Quo manifeſtum erit terræ naturam in ſe globari. Quod certum eſt ex ijs, quæ naſcuntur, & ſeri non poſſunt. Et lib. eodem cap. 3. De tuberibus (inquit) hæc traduntur peculiariter. Cùm fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tunc naſci, & maximè è tonitribus, nec vltra annum durare, tenerrima autem verno eſſe. Quibusdam locis accepta ntur riguis, & ſeruntur, ſicut Mytilenis. Negant naſci, niſi exundatione fluminum inuecto ſemine ab Tiaris: eſt autem is locus, in quo plurima naſcuntur. Sunt & in fungorum genere a Græcis dicti pezicæ, qui ſine radice, aut pediculo naſcuntur. Hactenus de Tuberibus Plinius. Tubera (vt memoriæ prodidit Gal. lib. 2. de alim. fac.) radicibus, aut bulbis ſunt annumeranda, vt quæ nullam euidentem habent qualitatem. Qui ergo his vtuntur, ad excipienda condimenta, tanquam materiam habent, ceu alia qualitatis expertia, & innoxia, gustuq; aquoſa ſunt. Quibus omnibus commune eſt, vt alimentum nulla inſigni facultate conſtans, corpori præbeant, ſed frigidiuſculum duntaxat, craſſitudine tale, quale id ipſum eſt, quod ingeſtum fuerit: ex tuberibus quidem craſſius, ex cucurbita liquidius & tenuius. In alijs eadem eſt proportio. Sed longè aliter de his ſcripſit Auicenna, cum inquit: Tubera terrena magis, quàm aquea ſunt, omniq; prorſus ſapore expertia. Atrabiliares & craſſos gignunt humores, magis quàm cætera ciborum genera. Quo fit, vt frequenter deuorati apoplexiam, & paralyſim concitent. Ad hæc concoctu contumacia ſunt, & ventriculum aggrauant. Quæ Græcè ὕδνα, Tubera Latinè dicuntur: Arabicè Ramech, Alchamech, Tamer, & Kema: Italicè Tartuffi: & Tartufole Germanicè Hirſchbrunſt: Hiſpanicè Turmas de tierra: Gallicè Truffles ſiue Truſſes.

Σμίλαξ κηπαία.

## SMILAX HORTENSIS. CAP. CXL.

a Orib. ὑποπόρφυρα. i. ſubpurpureus.

HOrtenſis Smilax frutex eſt, cuius ſemen à nonnullis lobia vocatur. Folia habet hederæ, molliora tamen, tenues caules, & capreolos vicinis fruticibus circumvolutos: qui tantum adoleſcunt, vt topiarias ſcenas repræſentare videantur: ſiliquas fœnigræci profert, longiores, toroſiores: in quibus ſemina renum ſimilia, ſed inæquali colore, recluduntur: quæ quadam ex parte a fulueſcunt. Siliqua concocta, cum ſemine in oleribus aſparagi modo eſtur. Vrinam ciet, & tumultuoſa ſomna facit.

Smilacis hortenſis cõſideratio. Manardi error.

HOrtenſis Smilax (vt ſuprà nobis dictum eſt in Phaſeolis, ſub quorum appellatione falsò credidit Manardus de eruilia ſcripſiſſe Dioſcoridem) nil aliud, mea quidem ſententia, eſſe poteſt, quàm ea Phaſeolorum genera, varijs coloribus depicta, quæ vulgò Italis dicuntur Fagiuoli Turcheſchi. Siquidē præter id, quod (candidi) rubentes, (nonnulli melini, plerique diuerſis, varijsq; maculis infecti) verſicolores, & (vt Dioſcorides inquit) renum figura cernantur, folijs exeunt hederaceis, caule tenui, è quo capreoli prodeunt, quorum reptatu non modò palos, & arbores ſmilacis aſperæ modo ſcandunt, ac vinciunt: ſed in hortis attegias, pergulas, teſtudines, ſcenas, & tentoria inumbrant, & opacant. Horum planta tota ferè facie vulgaribus Phaſiolis perſimilis viſitur, peculiariter autem differt in ſiliquarum & ſeminum magnitudine, quæ omnia in hortenſibus maiora, latioraq; ſpectantur, differunt etiam caule. Seritur paſſim in hortis & viridarijs. Hos Galenus lib. 1. de alim. fac. ex auctoritate Theophraſti Dolichos appellat, ſic inquiens. Dolichus adacto longo palo conſurgit, & fructum gerit: ſin hoc adminiculo careat, vitioſus fit, & rubigine tentatur. Quod quotidie viſitur, in hoc Phaſeolorum genere: quippe quòd nullo ſuſtentaculo in altum euecti, humi repunt, & contracto tractu temporis humore, ſitu ac rubigine depereunt. At vbi longiſſimo inhæſerint pedamento, breui temporis ſpatio, ad culmen vſq; illi ſe circumuoluunt. Quo fit, vt longè aberraſſe Manardum exiſtimē, quòd aſſerat libro primo epiſt. 3. Dolichos nil aliud eſſe Galeno, quàm Eruiliam, quæ Italorum nonnullis vulgò appellatur Rouiglione, alijs verò Arabeia, cùm tamen Galenus, itemq; Paulus, Eruiliam appellitent Ochrum. Nec nobis obſtat, quòd Eruilia (vt ipſe aſſerit) rubiginem contrahat, cùm adminiculis caret, quibus à terra ſubleuetur, quodq; huiuſce tantùm leguminis ſiliquæ vnà cum ſemine comedantur, vt Gal. lib. 2. de alim. facul. præfatione, & Paulus Dolichos mandi teſtantur. Nam etſi aliquando Eruiliæ ſecti arborū rami apponantur, vt illos implicent, nunquam tamen longiſſimi adfiguntur pali, quod ea minimè illos ſcandere valeat, verſicolorum Phaſiolorum modo. Adhæc Eruilia quæ humi ſerpat, rubigine minimè deperit, vt Tridentinus ager vbique teſtare poteſt, quippe quòd ibi frequentiſſima ſeratur, dimittaturq; nullo propè fixo pedamento humi accumbere. Nec obſtat prætereà (vt ipſe Manardus ſcribit) quòd ſola Eruilia inter legumina cum ſiliquis comedatur. Nam quamuis decocta vnà cum ſiliquis menſis apponatur, nunquam tamen aliquem me vidiſſe fateri poſſum, qui ſiliquas ſimul cum granis deuorauerit: eſt enim eruiliæ inuolucrum ſuibus potius, quàm hominibus in cibum exhibendum. Vnde equidem omnes, quod viderim, Eruiliam mandentes, ſemina dentibus extrahunt, & membranoſas, exhauſtasq; ſiliquas dentium attritui prorſus repugnantes, in patinis ſuibus relinquunt. Secus autem cum huiuſmodi Phaſiolorum corniculis euenit: quandoquidem cùm tenella adoleſcunt, anteaquam conſeneſcant, aqua prius elixa, non modò in acetarijs integra, nullisq; abiectis putaminibus aſſumuntur in cibum, ſed butyro vel oleo frixa addito gingibere, & omphacio iucundiſſimè deuorantur. Aluum emolliunt & pectus dilatant, ſemina in cibum ſumpta magis inflant, & ventriculo laborem faciunt, quàm vulgaris Phaſioli, copioſiusq; ſemen generant, & venerem ſtimulant, præſertim quæ cum longo pipere, galanga, & ſacchare aſperguntur, quod quidem longè valentius præſtant.

Dolichos Galeni.

Manardi error, Dolichos Eruiliam eſſe volentis.

Phaſeolorum coctura.

SMILAX HORTENSIS.



*ſtant, ſi ex lacte bubulo pingui elixentur. Hinc itaque fit, vt certò potius credam, hoc phaſiolorum genus dolichos eſſe, quàm eruiliam Manardo vocatam. Illud inſuper hac in re ſentit Manardus, quòd Dioſcorides Phaſeolorum appellatione, de quibus ſupra mentionem fecit, non quidem communes ac triuiales, ſed Eruiliam ſignificauerit: Smilacis verò hortenſis nomine, de qua hic ſermo, vulgares illos phaſeolos repræſentauerit. Qui (vt ſuam tueatur ſententiam) conſentaneum minimè videri inquit, quòd duobus diuerſis capitibus eodem libro de Phaſeolis ſcripſerit Dioſcorides. Sed haudquaquam à ratione & veritate eum alienum exiſtimarem, qui reſponderit, primùm tractaſſe Dioſcoridem de vulgaribus & candidis Phaſeolis, qui paſſim in campis aliorum leguminum more ſeminantur, vbi de omni ſegete, & leguminibus diſſeruit. Deinde verò de verſicoloribus, qui in hortis & viridarijs ad opera topiaria explenda ſeruntur, inter ea, quæ in hortis & viridarijs coluntur. Quamobrem vt hortenſes à campeſtribus ſecerneret, inquit: Hortenſis Smilax frutex eſt, &c. Quod manifeſtè declarat, eum hic de hortenſibus, illic verò de ijs, quæ in campis proueniunt, intellexiſſe, atq; eos ita ſeiunxiſſe. Qua in re non potui non quandoq; admirari Manardum, medicum alioquin ingenio & doctrina inſignem, quod tam facilè adductus eſſet, vt aſſeueraret dolichos eſſe eruiliam, cùm eum legiſſe exiſtimandum ſit, Galeno & Paulo eruiliam ochrum vocari. Planta, quæ σμίλαξ κηπαία Græcis: Smilax hortenſis Latinis appellatur: Arabibus, Lubia: Italis, Smilace de gli horti, & Fagiuolo Turcheſco: Germanis Welſch Bonen: Hiſpanis Feyones: Gallis, Faſeolos de Turquie & Faies peinctes.* Nomina.

Smilax hortenſis, quod Smilacis modo arbores conſcendat, δολιχὸς Hippocrati, aliis λόβος, aliis φασίολος. Smilax hortenſis, Brunſ. Trag. Fuch. Matt. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lacu. Caſt. Lug. Tab. Cam. Phaſelus Brunſ. Cæſal. Phaſeolus, Dod. gal. Cord. in hiſt. Geſ. hor. Cluſ. Pann. Phaſeolus vulgaris, Lob. Dolichos. Anguillaræ, Dod. fol. Lacu. Plurima nunc habentur Phaſeolorum genera: eſt namque vulgaris, ſunt Braſſiliani, Indici, Americani, & horum omnium plurimæ differentiæ: etenim in vulgari obſeruare licet diuerſitatem in floris colore, qui vel niueus, vel flaueſcens, vel purpureus ſiue amethiſtinus: in fructu maior coloris varietas, ſunt niuei, flaui, ex flauo obſoleti, purpurei, rubri, latericei ferè coloris, amethiſtini, cœrulei, nigri: vel albi nigris venis & lituris diſtincti, ſic & carnei & etiam cinerei ſimilibus venis notati. Sed de his & aliis ſuo loco plenius.

*MEDICA DIOSCORIDIS.*



Μηδική. MEDICA. CAP. CXLI.

MEdica, cum recenter prodiit, foliis & caule trifolio pratenſi ſimilis eſt: procedens verò folia contrahit, caules edens trifolii, & ſiliquas corniculorum modo intortas, in quibus ſemen lentis magnitudine dependet. Id ſiccatum, iucundi ſaporis gratia, conditaneo ſali admiſcetur. Viride, quibus refrigeratione opus eſt, illitu ſuffragatur. Herba tota pro gramine vtuntur, qui pecora alunt.

*MEdicam inde nominationem inueniſſe certum eſt, quòd primùm, Plinio lib. 18. cap. 16. auctore, ex Media in Italiam aduecta fuerit. Verùm etſi hæc quondam in vniuerſa Italia ſereretur ad pecorum pabulum, & omnibus ferè cognoſceretur, iam tamen pauci ſanè reperiuntur, qui Medicam viderint, ne dum ſerant: quanquam non deſunt, qui eam ſe conſecutos exiſtiment. Non defuerunt, qui mihi varias plantas pro Medica oſtenderent. At quoniam paucis admodum notis medicam referebant, non libuit vllam Medicæ imaginem hic exprimere. * Et cum ab amicis hoc anno ſemen acceppiſſem, illudque magna cum diligentia terræ mandaſſem, accidit ſolo forſitan repugnante, vt nulla exorta ſit planta. * Hæc (vt Plinius tradit loco citato, & antiquo-* Medicæ conſideratio.

*rum plerią; teſtantur) vno tantùm ſatu plus tricenis annis perdurat. Eadem (vt quidam referunt) abundat Hiſpania, vbi magna admodum cura colitur ad iumentorum & pecudum pabulum: eamą; Alfalfa vocant, nomine ab Arabicis corrupte mutuato. Nam (vt lib. 2. cap. de Cot inquit Auicenna) vocatur etiamnum Aphris Alfaſaſat. Naſcitur & in Gallia, ſi Ruellio credimus, ibią; maius trifolium appellatur.* Nomina. *Medica ſic Latinis & Italis, vt Græcis μηδικὴ nominatur: Mauritanis (vt modò dictum eſt) Cot & Alfaſaſat: Hiſpanis Alfalſe, Eruaye & Alfalfa: Gallis ſaint Foin vel grand Treſfle.*

Medicæ nunc apud Italos & Gallos vſitatæ figuram (cùm Matthiolus non habeat) addere voluimus, hæcq; dicitur Medica, Dodo. gal. & fol. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lacu. Caſt. Cam. Cæſal. Medica ſatiua, Lugd. Fœnum Burgundiacum, Lob. cuius hæc eſto deſcriptio, cum Medica Dioſcoridis conueniens. Ex radice longa, tenui, lignoſa, complures cauliculi cubitales, rotũdi, virentes, infirmi, vt plurimum procumbentes prodeunt, circa quos folia trifoliorum forma, initio latiora, dein minora, oblonga, per ambitum ſerrata: flores Trifoliorum forma in foliorum alis quaſi in ſpicam exeunt, colore cœrulei: quibus ſuccedunt ſiliquæ cochlearum ſimilitudine, ſed anguſtiores, vt cornu arietis intortæ, in duas treſve ſpiras contractæ, quæ ſemen minutum, oblongum & flaueſcens continent. Variat floribus cœruleis, violaceis, ex cœruleo purpureis, ſubnigris, mixtis & etiam luteis in Hiſpaniæ ſylueſtribus, vt & Galliæ Narbonenſis reperitur. Apud Hiſpanos fœni gratia in agris ſeritur, & ſingulis æſtiuis menſibus demeti ſolet, ſiquidem multos annos radice viuat.

## Ἀφάκη. APHACA. CAP. CXLII.

a Me. θάμνος ἐστί. i. frutex eſt.

APhaca [a] in aruis naſcitur, altior lente, tenuibus foliis: ſiliquas lenticula maiores fert, in quibus terna, quaternave ſemina nigra lente minora, continentur, quæ adſtringendi vim habent: quare torrefacta, ſtomachi, aluiq; fluxiones ſiſtunt, ſi freſa lentis more decoquantur.

Aphacæ conſideratio.

*NOn ſolùm in vniuerſis Italiæ locis Aphaca ſponte naſcitur inter ſegetes, ſed & à multis in campis ſeritur leguminum & erui modo, ad columbarum ſaginam. Folio germinat viciæ maiore, craſſioreą;, quadrangulari caule, flore ſubrubeo, ſiliquis inde dependentibus piſorum inſtar, breuioribus tamen, ſed lenticulæ maioribus, in quibus includitur ſemen, viciæ quadantenus maius. Goritienſi agro frequentiſsima naſcitur inter ſegetes, & prope ſepes.* Quorundam lapſus, Aphacam cum Vicia confundentium. *Quo fit, vt maximè aberrent, qui cenſent Aphacam nihil à Vicia differre, quæ inter ſegetes vbią; copioſè prouenit, & ſeritur quoą; ad columbarum, aliarumą; volucrum ſaginam. Quippe quòd hæc minori ſit folio, Aphacæ anguſtiori, in acutum deſinente: tenuiori caule: bicubitali, qui clauiculis è ramuſculorum ſummitatibus prodeuntibus, ſegetibus ſeſe implicat, flore in purpuram rubeſcente, ſiliquis longioribus, gracilioribus ac rotundioribus, nigro ſemine ſtipatis, Orobi magnitudine.* Galenus de Aphaca & Vicia. *Eaą; propter de Aphaca & Vicia differens Galenus lib. 1. de alimentorum facultatibus, ita ſcribit: Aphacæ & Viciæ ſeminum figura non rotunda*

I. APHACA.



II. VICIA.



*eſt, veluti fabarum, ſed aliquantò latiuſcula, ſimiliter lenti. Hæc quoą; cum ſua planta, & valuulis integra ruſtici reponunt, vt brutis pecudibus pabulo ſint. Per famem tamen quoſdam noui, qui hæc quoą; comederint, potiſsimùm vere cùm etiamnum virent, quemadmodum fabas, & cicera eſitare conſueuerunt. Semina autem hæc non ſolùm inſuauia ſunt, ſed concoctu*

*concoctu etiam difficilia, & aluum retinentia. Perſpicuum ergo eſt, cùm huiuſmodi naturam obtineant, alimoniam quoq; quæ ex ipſis in corpus permanat, improbi craſsiq; ſucci eſſe, idoneam ad humoris melancholici generationem: hactenus Galenus. Aphacæ ſemen, viciæ modo amarum eſt, & terrenæ eſſentiæ, ideoq; abſterſoriæ eſt facultatis, adſtringendi quoq; vim habet. Vicia excalfacit, & ſiccat, mundat, abſtergit & adſtringit. Viribus non differt ab Aphaca. Sed non deſunt, qui ſcribant, Aphacæ & Viciæ farinam, vrinas ciere, tabidosq; iuuare, vbi ex ptiſana frequenter ſumatur. Illinitur quoq; vtiliter vino ſubacta, ad ſerpentium, hominum, canum, cæterorumq; quadrupedum morſus: melle excepta, & illita lentigines, varos & cætera cutis vitia delet. Cæterùm illud animaduertendum eſt, quòd Theophraſtus lib.7.cap.7.& 11.de plantarum hiſtoria Aphacam inter intybacea, vel cichorij genera connumerat. Quare mirandum non eſt, ſi etiam in alijs quibuſdam a Dioſcoride diſcrepet, quemadmodum in coronopo, orobanche, ac alijs nonnullis oſtendimus. Nec mirum etiam Plinium hac in hiſtoria variaſſe: nam lib.27.cap.5. Dioſcoridis Aphacam ad verbum retulit: libro verò 21. Theophraſtum ſecutus, eam inter cichoracea repoſuit. Quæ Græcis ἀφάκη: Latinis item Aphaca & Aphace nuncupatur: Arabibus Apaki, Afaki ſiue Albikia: Italis Aphaca: Germanis* Wilde Wicken vnd Vogels Wicken: *Gallis Veſſe ſauuage. Vicia Græcis βίκιον: Italis Veccia: Germanis* Wicken: *Gallis Veſſe.*

Aphacæ vires.

Aphaca intybi genus.

Nomina.

Vicia à vinciendo Varroni, quòd capreolis ſe vincire ſoleat: hæc ſatiua eſt & ſylueſtris, vel anguſtiore vel latiore folio: & horum rurſus differentiæ. I. Vicia latiore folio. C.B. Aphaca, Matth. Aphace, Fuch. Vicia maior ſylu: Trag. Vicia, Dod. gal. & fol. Lacu. Geſ.hor. Lob. Vicia ſylu. Lon. Vicia vera, Lug. Cracca maior, Tab. II. Vicia anguſtiore folio C.B. Eruum, Brunf. Vicia maior & Orobus, Trag. Vicia, Matth. Cord. in Dioſc. Fuchſ. Lon. Vicia vulgaris ſatiua, Cluſ. Pan. Aphaca vera, Lugd. Arachus Dod. gal. Craccæ primum genus, Dod. folio.

## Πράσον κεφαλωτόν. PORRVM CAPITATVM. CAP. CXLIII.

Capitatum porrum inflationem facit, noxium ſuccum creat, tumultuoſum ſomnium parit, vrinam ciet, aluo accommodatur, extenuat, oculorum aciem hebetat, menſes pellit: ſed lædit exulceratam veſicam renesq;: cum ptiſana verò coctum, eſu pectoris vitia extrahit. Coma eius in aqua maris, & aceto cocta, in deſeſſionibus ad præcluſiones vuluæ, & duritias, vtilis habetur. Porrum bis aqua mutata coctum, tum frigida maceratum, dulceſcit & multò minus inflat. Semen acrius eſt, & quandam adſtrictoriam vim habet: quare ſuccus cum aceto, addito thure aut manna, ſanguinis profluuia ſiſtit, maximè ſi naribus erumpat. Venerem ſtimulat: contra omnia thoracis vitia, a tabemq; pro delinctu efficax eſt: arteriam eſu purgat: ſed ſi aſſiduè eſtur, viſus obſcuritatem inducit: ſtomacho aduerſatur. Succus ex melle potus aut illitus, contra beſtiarum morſus auxilio eſt. Ipſum quoq; cum aceto aut thuris polline, lacte aut roſaceo, vtiliter aurium doloribus, & ſonitui inſtillatur. Varos tollunt folia illita cum rhoe, qua ad obſonia vtuntur: epynictidi medentur: cruſtas ex ſale illita rumpunt. Veteres ſanguinis reiectiones cohibent, ſeminis drachmæ binæ, cum æquali baccarum myrti pondere potæ.

a Omnia exé. καὶ πρὸς τὰ ἐν θώρακι πάντα σὺν μέλιτι ἀντὶ ἐκλεικτοῦ ποιεῖ καὶ πρὸς φθίσεις βρωθὲν, καθαίρει δὲ καὶ τὴν ἀρτηρίαν. i. & ad omnia thoracis vitia cum melle pro eclegmate vſurpatur. Facit etiã ad phthiſim comeſtum, ſed & arteriam purgat.

PORRVM SECTILE.



Allium ... ſectile ...

C.B. 72

PORRVM COMMVNE.



C.B. 72

Porrum

Porri conſid. PORRUM, quod copioſum quadrageſimalis noſtri ieiunij tempore plerunq; in foris olitorijs vnà cum oleribus venale copioſumq; reperitur, omnibus notiſsimum eſt. Cæterùm etſi magnopere laborent hortorum cultores, vt eorum porri, longi, craſsi, candidi ac teneri euadant, neſciunt tamen eos capitatos efficere: quamuis ij apud veteres in frequentiſsimo vſu fuiſſent, quòd longis, qui propriè ſectiui appellantur, ſapidiores, guſtuiq; gratiores haberentur. De his igitur tanquam præſtantioribus ſcripſit Dioſcorides, non tamen quòd à ſectiuis genere differrent, è quibus mangonio capitati fiunt, tegula in tranſplantatione ſuppoſita, inciſis prius ante medullam folijs, ne adolendi facultas in ſublime feratur, nec ad radices, ſed in ipſo capite conſideat: vel ſarculo conuelluntur radices, vt delumbatæ alant, neq; diſtrahant, vt ſcriptum reliquit Plinius lib. 19. cap. 6. Quæ quidem Columellæ accepta referre debemus: Quippe qui lib. 11. de re ruſtica cap. vltimo: Porrum, inquit, ſi ſectiuum facere velis, denſius ſatum præceperunt priores relinqui, & ita cum increuerit, ſecari: ſed nos docuit vſus longe melius fieri, ſi differas, & eodem more quo capitatum modicis ſpatijs, id eſt, inter quaternos digitos depangas, & cum conualuerit deſeces. In eo autem quod magni capitis efficere voles, ſeruandum ſit, vt antequam translatum deponas omnes radiculas amputes, & fibrarum ſummas partes intondeas: tum teſtulæ vel conchulæ quaſi ſedes, in ſingulis ſubiectæ ſeminibus adobruuntur, vt fiant capita latioris incrementi. Cultus autem porri capitati aſsidua ſarritio, & ſtercoratio eſt, nec alius tamen ſectiui, niſi quòd toties rigari & ſtercorari, ſarririq; debent, quoties demetitur: hæc ille. Eſt Porrum capitatum, folijs allio ſimilibus, latioribus tamen, ac longioribus, carinatis, & in acumen deſinentibus. Ceruix illi longa bulboſaq;, candicans, craſsiori ſummitate: radicibus multis ijsq; tenuibus capillata, & numeroſis tunicis circumpacta: binum in caulem proſilit, cæpæ modo, longum cauumq;, floribus in cacumine in orbem conglomeratis: ſemine nigro, cæpaceo non abſimili. Seritur in hortis. Illinuntur decocta folia ad tumentes, dolorificasq; hæmorrhoidas, magno ſanè auxilio. Folia melle ſubacta illinuntur vtiliter ad phalangiorum & cæterorum venenoſorum ictus: caput cum ceruice coctum, & ex melle delinctum, præſtat ad omnia tracheæ arteriæ, & pectoris vitia. Sumitur ſub cineribus toſtum, ad fungorũ venena. Crapulam & ebrietates diſcutit. Semen ex paſſo potum, vrinæ difficultates ſoluit. Porrum non tranſplantatum cum terrenis vermibus, in oleo decoctum ad tertias, contumacia aurium vlcera ſanat, ſi quotidie oleũ in aures infundatur. Porri facultates recenſuit Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus, vbi ſimul etiam de allio, & cæpis agens, ſic inquit: Harum plantarum radicibus percrebrò veſcuntur homines, rarius caule folijsq;, acri admodum facultate præditis pro radicum portione. Corpus excalfaciunt, & craſſos in eo humores extenuant, glutinoſosq; incidunt. Bis tamen aut ter in aqua decocta, acrimonia ſpoliatur, quanquam ne ſic quidem vim perdunt extenuandi. Verùm facultatem quandam obſcuriſsimam alendi corporis exinde acquirunt, cuius antea, quàm decoquerentur, nihil prorſus obtinebant. Cæterùm allium non modò vt obſonium, verùm etiam vt medicamentum ſanitati accommodum, quòd obſtructa ſoluere & diſcutere poſsit, vſurpatur. Aliquamdiu elixum, vſq; dum acritudinem abijciat, viribus quidem ſuis imbecillius fit, ſed ſucci prauitatem non amplius ſeruat, quemadmodum nec porri, nec cæpæ, cùm bis fuerint decocta. Porrum SECTILE non differt à capitato, niſi quod capite ſit tenuiore ac etiam ceruice. Ea omnia præſtare valet, quibus capitatum pollere diximus. Πράσον κεφαλωτὸν id vocant Græci, quod Latini Porrum capitatum: Arabes Curat ſeu Kurat: Itali Porro Capitato: Germani Lauch: Hiſpani Puerro: Galli Porreau. Porrum ſectile, Græcis πράσον τμητὸν, Italis Porro minore.

Capitatum porrum.

Sectiuũ porrum ex Columella vt faciendum.

Porri deſcrip.

Porri facult. Matthiolo.

Porri facult. ex Galeno.

## Ἀμπελόπρασον. AMPELOPRASVM. CAP. CXLIIII.

AMpelopraſum ſtomacho magis quàm porrum aduerſatur: plus autem excalfacit, vrinam & menſes vehementius ciet. Id contra ſerpentium morſus eſſe conuenit.

I. AMPELOPRASVM.



* II. AMPELOPRASVM proliferum. *



Prouenit

*Prouenit agreſte porrum plerunq; in vineis, vnde à natalibus ἀμπελόπρασον quaſi vineale porrum, Græcis appellatur. Naſcitur hoc in vniuerſa Hetruria non ſolum in vinetis, ſed etiam frequens admodum ſecus ſepes in agrorum marginibus, & in amœnis collium locis. Rura noſtra ipſum vulgari ſermone appellant Porrandello. Porri faciem repræſentat, ſed ſtirpis cruce capiteq; longè minoribus, & ad mandendum durius acriusq;. Eſtur à ruſticis, & agricolis in acetarijs crudum, recentis allij vice: quanquam manſu durius ſit, guſtu acrius, & concoctu difficilius. Eſt præterea Ampeloprasum (vt lib. 6. ſimplicium medicamentorum prodidit Galenus) acrius & ſiccius domeſtico, ſicut agreſtia omnia reliqua domeſticis: ac proinde ſtomacho, quàm illud nocentius: ſed & craſſos, ac lentos humores potentius incidit, valentiusq; infarcta organa obſtructione liberat. Hac quoq; ratione vrinas, & menſes ſæpe prouocauit, vbi à craſsis & lentis retinebantur humoribus. Adeò vero eſt calidum, vt illitum cataplaſmatis modo exulceret. Dictum eſt autem antè, quod quæ eum in modum ſunt calida, extremi ſint ordinis: hactenus Galenus. Cæterùm illud ſilentio haud diſsimulandum puto, quod Galenus minus fortaſſe recte id tribuerit Ampeloprasо, quod nominis ſignificationi reclamat, & potius ſcorodopraso competere videtur, cum loco citato inquit: Si inter allium & porrum medium quiddam concipias, facultatem ampeloprasi inueneris. Quandoquidem ſcorodopraſum, teſte infra Dioſcoride, vt allij & porri vires, ita & nomen ſibi vendicauit: ampeloprasum verò dictum eſt, quod in vinetis naſcatur. Id quod ipſemet Galenus confirmat libro 8. ſimplicium medicamentorum his verbis. Scorodopraſon ſicut guſtu, & odore mediam allij & porri qualitatem poſsidet, ita et vires. Et lib. 2. de alimentorum facultatibus: Ampeloprasi (inquit) à porro tanta eſt differentia, quanta in alijs congeneribus plantis inter ſylueſtria & ſatiua inuenitur. Sunt qui hoc in totum ſequentem annum reponant, aceto condientes, haud aliter quàm cepas, eaq; ex parte cibo commodius, & prauo minus ſucco obnoxium efficitur. Quod ἀμπελόπρασον Græci, Latini Porrum agreſte, & Ampeloprasum dicunt: Mauritani Nabati: Itali Porro ſaluatico & Porrandello: Germani Wildlauch: Hiſpani Ayos & Puerros de las vinhas: Galli Porree de chien, ſiue Porreau ſauuage.*

Agreſtis porri conſid.

Ampeloprasi vires ex Gal.

Nom[illegible]

Ampelopraſum PROLIFERVM, ex radice rotúda candicante oblongis fibris capillata, caulis exurgit cubito minor, viridis, rotundus, læuis baccis, in quo quaterna plerunq; folia oblonga, angu[illegible] ſummitati caput inſidet, duabus membranis laxis in oblongam caudam ambeuntibus obuolutu[illegible] bus apertis in medio quaſi bulbi ſimul congeſti conſpiciuntur, vnde flores purpuraſcentes, ex [illegible] pediculis dependentes prodeunt: quibus ſuccedunt quaſi cornicula ſemen nigrum continentia. [illegible] plures differentiæ, de quibus in hiſtoria noſtra. Hoc Ampeloprasi Matthioli nomine Camerarius in ſua editione exhibuit, & Ampelopraſum proliferum Lobelo dicitur: cui ſimile Allium, ſiue Moly montanum ſecundum gramineo folio, Cluſ. Pan. & Bulbi ſylueſtris ſpecies prima apud Cæſalpinum.

## Κρόμμυον CAEPA. CAP. CXLV.

CÆpa longa acrior eſt, quám rotunda, item flaua quàm candida, & ſicca quám viridis, & cruda quàm coctæ, aut ſale condita. Omnes tamen mordent, flatus gignunt, appetentiam inuitant, ſitim mouent & extenuant, faſtidium pariunt & expurgant, aluo vtiles ſunt. Eæ detractis purgamentis in oleum coniectæ, hæmorrhoidas, reliquoſque excretionum exitus reſerant, ſubditæ pro balanis. Succus cum

CAEPA CAPITATA.



Allium Cepa, L.

CAEPA SECTILIS.



melle illitus, oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis, & incipientibus ſuffuſionibus auxiliatur: anginæ eodem perunguntur: ſuppreſſos menſes pellit: caput purgat, naribus infuſus: canis morſibus cum aceto, ruta & melle illinitur: cum aceto autem perunctas in ſole vitiligines ſanat: & cum pari ſpodio, ſcabras lippitudines ſedat, varos cum ſale reprimit: contra calceamentorum attritus, cum gallinaceo adipe vtilis eſt: citæ aluo prodeſt: in auribus ſonitum, ac grauitatem emendat: ad purulentas aures, & eliciendam earundem aquam, valet: alopeciæ earum ſucco perfricantur, qui celerius quàm alcyonium pilos euocat. a Largiore cibo cæpa capitis dolores ciet, coctaq; vehementius vrinam pellit: eos lethargicos efficit, qui valetudinibus aduerſis, ea etiam cocta, plus æquo veſcantur: elixa & cum paſſis vuis & fico illita, tubercula concoquit & celerrimè rumpit.

a Meũ & Dra ἔστι δὲ καὶ κεφαλαλγὴς, πλεονασθεῖσα δ᾽ ἐν νόσοις ληθάργους ποιεῖ, ἑψηθεῖσα δὲ οὐρητικώτερον γίνεται. i. capitis dolorem inducit, ſi verò vberius edatur in morbis lethargos facit, cocta verò magis diuretica euadit. Gal. verò ſic ἔστι δὲ κεφαλαλγὲς πλεῖον βρωθεῖν, ἑψηθὲν δὲ οὐρητικώτερον γίνεται, πλέον δ᾽ ἐσθιόμενον ἐν νόσοις ληθαργικοὺς ποιεῖ. i. capitis dolorem inducit largius comeſta. Cocta verò magis vrinam mouet. Vberius verò comeſta in morbis lethargicos facit.

Cæparum hiſtor ex Theophraſto.

*CAeparum plura diuerſaq; Theophraſto notantur genera lib. 7. cap. 4. de plantarum hiſtoria, vbi ſic habet: Differunt & cæpæ & allia genere. Sed Cæparum genera plura, vt quæ à locis nomina accepere: Sardiæ, Cnidiæ, Samothraciæ: item Setaniæ & Fiſſiles, & Aſcaloniæ. Ex his Setaniæ minimæ, ſed largè dulces. Fiſſiles verò & aſcaloniæ, tum cultu, tum natura inter ſe differunt. Fiſſilem etenim hyeme ſua cum coma, inertem relinquũt, vere externa folia detrahunt, & reliqua colunt: detractis his folijs, altero germinant, ſimulq; inferius finditur, vnde fiſſiles appellatæ ſunt. Quidam vel omnibus detrahenda folia cenſent, vt vim ſuam imo contineant, neq; effuſæ ſemineſcant. Aſcaloniarum peculiaris quædam natura notata eſt: etenim ſolæ fiſſiles, & quaſi ſteriles, ab radice conſiſtunt, nec ea parte creſcere ac proficere poſſunt. Quamobrem non eas deponunt, ſed ſemine ſerunt: deinde circa ver, cum germinatum ſit, transferunt. Perficiuntur adeò celeriter, vt cum cæteris, aut etiam prius euelli poſſint. Plus temporis dimiſſæ in terra, putreſcunt. Plantatæ caulem edunt, ſemenq; tantummodo fundunt: tum exinaniuntur atq; inareſcunt. Harum igitur talis natura eſt. Differunt & colore nonnullæ: etenim apud Iſum cætera quidem candidis ſimiles conſtant, ſed colore candidæ admodum proueniunt, Sardinianuq; ſimiliter ferre affirmant. Cretenſium peculiaris maximè natura notatur, ſed Aſcalonijs quodammodo proxima, ni fortè vel eadem dici debeat. Eſt enim in Creta genus quoddam, quod ſemine quidem ſatum in radice craſſatur: depoſitum verò, in caulem ſemenq; totum funditur: ſine capite, ſaporeq; dulce eſt. Id enim quaſi è contrario cæteris habet: omnes namq; depoſitæ melius, celeriusq; perficiuntur. Omnes poſt arcturum proueniunt, tepido adhuc ſolo, vt depoſitas imbres occupent. Seruntur & toto capite, & circumciſo, ſed germinationes haud ſimiles fieri ſolent. Parte namq; inferiore capa naſcuntur, ſuperiore herba tantùm erumpit: ſectæ verò in rectum, germinare omnino nequeunt. Gethyum dictum ſine capite eſt, & quaſi longa ceruice conſiſtens: ob id germinatio tota in fronde, ſæpiusq; retondetur, vt porrum: qua de cauſa ſemine ſeritur id, nec deponitur. Cæpas hiſce ferè differentijs diſcernere licet: hactenus Theophraſtus. Naſcuntur Cæpæ in vniuerſa Italia frequentiſſimæ, quæ etiam inibi multiplici ſignantur genere, vt refert Plinius lib. 19. cap. 6. & vt nos quotidie videmus. Cæpæ folijs proueniunt longis, fiſtulatis, teretibus & acuminatis. Caule verò cubitali maioriq; tubæ faciem præſeferente, inani ac fragili, in cuius ſummitate flores exeunt in globum ſeſe ſtipantes, è quibus ſemen oritur nigrum, porraceo ſimile. Radice nititur bulboſa, ſeſſili, rapi rotundi inſtar, & inferiori parte fibrata: ſed etiam in his notantur differentiæ.*

Gethyum.

CAEPA FISSILIS.



CAEPA ASCALONICA.



Quando-

*Quandoquidem forma aliæ maiores, aliæ minores, quædam longæ, quædam rotundæ, quædam vero ſeſſiles proueniunt. Siue colore rubentes, & ſubrubentes aliæ, quædam virides, & candidæ nonnullæ. Quin & ſapore vel acerrimæ, vel mediocri acrimonia prædita ſunt, aut nihil penitus acres inueniuntur. Omnium maximæ ſunt, quæ Caieta Romam importantur. Hæ tametſi ad ſummum rubeſcant, ac craßioribus tunicis compactæ ſint, leuiuſcula tamen acrimonia pollent, manſuque tenerrimæ comperiuntur: ob idq; in cibis cæteras antecellunt. In Hetruria eæ minus acres notantur, quæ magis rubent: contra vero albæ, quippe quæ omnium ibi acerrimæ proueniant. Quam ob cauſam ad medicamenta potius, quam ad cibos ſeruantur: quanquam ſecus fortaſſe in Græcia eueniat, quòd flauas candidis acriores eſſe memoret Dioſcorides. Cæpa* SECTILIS, *folijs exit, caule, flòribus & ſemine, vulgaris cæpæ ſimilibus, ſed longè minoribus, tenuioribusq;. Bulbis vero ac ceruice, oblongis, tenuibus & minimè capitatis: ob idq; germinatio tota in folijs, ſæpiusq; retondetur, vt porrum. Seritur in hortis ad obſonia, & condimenta paranda. Iiſdem pollet facultatibus, quibus vulgaris cæpa dotatur. Cæpa* FISSILIS, *facie tota Aſcaloniam refert, niſi quod omnibus ſuis partibus maior ſpectatur. Bulbi plures ab vna tantum radicum coma oriuntur, longa tenuiq; ceruice nitentes, Aſcaloniæ modo, ſed acredine differentes. Habentur paßim in hortis, in Hetruria. Ea omnia poſſunt, quæ & cætera genera. Connumerantur etiamnum inter cæparum genera (vt locis ſupra citatis Theophraſtus & Plinius teſtantur) quæ* ASCALONIÆ *ab Aſcalone Iudææ oppido appellantur, & quæ his ſimiles ſunt Theophraſto ſectiles nominatæ, nobis verò in Hetruria vulgò Cipolle maligie.* ASCALONIA, *folijs prouenit tenuibus, longis, teretibus, fiſtuloſis, in acutum deſinentibus, ceruice pariter tenui, bulbis numeroſis, ab imo radicum ceſpite prodeuntib. paulò nucis auellanæ maioribus, parui fici faciem repræſentantibus, ſapore admodum acri, haud tamen ingrato. Seruntur Aſcaloniæ cæpæ in hortis ad ciborum condimenta. Excalfaciunt & ſiccant: incidunt, aperiunt, prouocant, deijciunt. Non ſolum ea omnia præſtare poſſunt, quæ cætera cæparum genera, ſed cibi appetentiam faciunt: vermes inteſtinorum necant, & caput non adeò lædunt. Datur Cæpa vtiliter deuoranda, elixa, aut ſub prunis toſta, cum ſaccharo, anheloſis, aſthmaticis, & tußientibus, addito butyri momento. Excauatur alba ea parte, qua ſunt radices, & præſtanti repletur Theriaca, citrei mali ſucco ſubacta: & deinde occluſo foramine, ſub calidis cineribus coquitur, donec probè fuerit macerata: deinde premitur & excipitur cremor, ijs ſanè perutilis, qui peſtilentia laborant, ſed illico ſudare oportet affectos. Excauatur item, & cumini puluere repleta coquitur, & exprimitur eodem modo, inſtillaturq; vtiliter ſuccus ad aurium ſurditatem. Craſſior Cæpe ſquama ſub feruenti cinere toſta, antiquum capitis dolorem ſedat, vbi fruſtulum eius calidum in dolentis lateris aurem introducatur, ſuper aſperſo roſaceo & laurino oleo, ſuccidaq; addita lana, quæ totam operiat aurem. Cæpæ ſuccus cum acerrimo aceto miſtus, ſanguinem è naribus manantem ſiſtit, ijs immiſſus. Cæpa (vt memoriæ prodidit Gal. libr. 7. ſimp. med.) ex quarto eſt ordine excalfacientium: eſſentia autem eius potius craſſarum eſt partium. Vnde etiam hæmorrhoidas aperit tum appoſita, tum cum aceto iniuncta. In ſole alphos abſtergit, tum alopecijs attrita pilos alcyonio citius reſtituit. Porrò ſi ſuccum eius exprimas, quod reliquum eſt, admodum terreæ ſubſtantiæ eſt, eiusq; calidæ: at ſuccus aqueæ, aereæq; caliditatis. Hic igitur ijs, qui ſuffuſi ſunt, aut aciem oculorum obtuſam præ craßitudine humorum obtinent, inunctus prodeſt. Ex huius temperatura tota cæpa flatuoſa eſt manducata. Itaq; quæ temperatura ſunt ſicciore, minus flatuum generant: hæc Galenus. Quod autem Cæpæ corporibus præbeant alimentum, ſuprà in porri mentione retulimus ex ipſo Galeno, qui de ijs ſimul diſſeruit. lib. 2. de alim facult.* Κρόμμυον *Græcè, Cæpa & Cæpe Latine vocatur: Arabicè Baſil ſeu Baſſal: Italicè Cipolla. Germanicè* Zwibel: *Hiſpanicè Cebolha: Gallicè Fiboule & Oignons. Cæpa ſectilis, Græcis* κρόμμυον τμητὸν: *Italis Cipolle ſettiuole. Cæpa fißilis, Græcis* κρόμμυον σχιστὸν: *Hetruſcis Cipolle malige. Cæpa Aſcalonia, Græcis* κρόμμυον ἀσκαλώνιον: *Italis Scalogna.*

Cæparum variæ ſpecies.

Aſcaloniæ.

Cæparum vires Matth.

Cæparum vires ex Gal.

Nomina.

Σκόροδον. **ALLIVM. CAP. CXLVI.**

ALlium quoddam ſatiuum atq; hortenſe habetur, quod in Ægypto, ſingulari vt porrum capite conſtat, [dulce, in purpureum vergens, paruum: reliqua verò magna & candida,] ex pluribus coagmentantur nucleis, quos aglithas, id eſt ſpicas, Græci nominant. Aliud eſt ſylueſtre, quod ophioſcorodon: id eſt anguinum, vocant. Vis allii acris eſt: excalfacit, mordet, excernit, aluum turbat, inflationes facit, ſtomachum exiccat, ſitim gignit, flatum permouet, ſummam corporis cutim exulcerat: aciem oculorum eſu hebetat. a [Eoſdem effectus præbet anguinum, quod & elaphoſcorodon dicitur] latas ventris tineas in cibo ſumptum abigit, vrinas detrahit: contra viperarum ictus, & priuatim hæmorrhoi, prodeſt, ita vt non aliud magis, ſi cum vino iugiter aſſumatur, aut tritum in eodem ebibatur: contra rabioſorum morſus, & illitu & cibo valet. Magnæ & allio vtilitates contra aquarum mutationes: vocem clarificat: veterem tuſſim crudum coctumve lenit: potum autem cum origani decocto, pediculos & lentes enecat: cremati cinis illitus ſugillationibus cum melle, & alopeciis cum nardino vnguine, medetur: eruptiones papularum cum oleo & ſale ſanat: vitiligines, lichenas, lentigines, vlcera capitis manantia, lepras & furfures, cum melle eximit: cum thure & teda decoctum dentium dolorem leuat, ſi in ore contineatur: contra venenatos muris aranei morſus, cum ficulneis frondibus & cumino illinitur. Feruefactæ comæ eius, fœminarum deſeſſionibus additum, menſes & ſecundos partus extrahit. Allium eiuſdem gratia ſuffitur. Factum ex eo & nigra oliua intritum, quod myttoton vocant, eſu cit vrinam, ora venarum patefacit, hydropicis vtile.

Concluſa ita legit Oriba. λευκὸν καὶ λεπτὸν. i. cãdido ac tenui.

a Catacuz. Ἐλαφοσκόροδον οἱ δὲ ἀγελειοσκόροδον. Ῥωμαῖοι ἄλλιυμ κερβίνυμ, φύεται ἐν ὀρεινοῖς καὶ τραχέσι χαρίοις ἐμφερὲς τῷ ὀφιοσκορόδῳ, δύναμιν δὲ ἔχει δριμεῖαν, θερμαντικὴν, δηκτικὴν, φυσώδη, κοιλίας ταρακτικὴν ξηραντικὴν στομάχου, καὶ ποιητικὴν δίψης. i. Elaphoſcorodon, quod & ſylueſtre ſcorodum. Romanis allium ceruinum. Naſcitur in montanis & aſperis collibus. Simile eſt ophioſcorodo. Vim autem habet acrem, excalfacientem, mordacem, flatuoſam, aluum turbandi, ſtomachum ſiccandi & ſitim faciendi.

*ALlium vulgaris eſt notitiæ. Duum eſt generum: Satiuum & ſylueſtre. Huius plura ſunt genera, nempe Ophioſcorodon, Elaphoſcorodon: vrſinum & Anguinum alterum.* SATIVVM, *folijs prouenit porro ſimilibus, minoribus tamen, ceruice longa, capite bulboſo, quod pluribus coagmentatur nucleis ſiue ſpicis, ſapore acri, ſed ori non ingrato. In hortis & campis ſeritur. Cæterum quanquam ſcribit Dioſcorides Allium, quod non cohærentibus nucleis ſiue ſpicis, ſed ſingulari & ſolido capite conſtat, in Aegypto naſci: eiuſmodi tamen & in Hetruria, & in compluribus alijs Italiæ locis prouenit, ibiq; Allium mas appellatur. Allij meminit Theophraſtus lib. 7. cap. 4. de plant. hiſtor. ſic inquiens: Allium ante ſolſtitia, aut paulo poſt ſolſtitia ſeritur nucleatim diuiſum. Diſcrimen eorum, quod aliud præcox: aliud ſerotinum: eſt enim genus quoddam eiuſmodi, vt ſexaginta diebus perfici poßit. Differunt præterea magnitudine ſingulari. Cyprium vocatum ma-*

Allii conſideratio.

Allii deſcriptio ex Theophraſto.

I. ELAPHOSCOR. OPHIOSC. & Allium domeſticum.



II. ALLIVM ANGVINVM.



III. ALLIVM VRSINVM.



xime tale eſt, quod non decoquunt, ſed in intritis vtuntur: & cum tunditur, mirũ quàm ſpuma increſcat. Quin & illud differentiam facit, quòd quædam non nucleis coagmentantur. Dulcedo autem, & odor & craßitudo, eorumq́; cauſa, tempore, cultuq́; penè videntur contingere, vt etiam aliorum. Perfici etiam ſemine poteſt, ſed tardè: primo etenim anno caput accipit porri, ſequente diſcerni in nucleos incipit, tertio redditur perfectum, nec quicquam deterius, ſed etiam quidam vel depoſito melius id exiſtimant. Radicis autem Allij, aut cæpæ haud ſimilis ortus fieri ſolet: allij namq́; cum nucleus extumuerit, tota intorquetur: & hinc aucta in nucleos rurſus diſcernitur, atq́; ex vno plura efficiuntur, dum caput conſummatur. At Cæpe continuo ab radice aliud, atq́; aliud obducit; vt & bulbus, & Scylla, & eiuſmodi omnia. Etenim allia & cæpæ, ſi non euellantur, plura indies fiunt. Super fiſtula quoq́;, & allium capitari poſſe, & cæpã affirmant: hactenus Theophraſtus de allio domeſtico. SYLVESTRE verò, quod Græci ὀφιοσκόροδον, id eſt, anguinum allium vocant, vbiq́;, in montib. præſertim, & collibus naſcitur, ſingulari capite conſtat, nullis diuiſum nucleis, ſatiuo longè minus, ſed odore & ſapore illi perſimile: folijs anguſtioribus, gracili caule: in cuius cacumine flos emicat, ex rubeo purpuraſcens, à quo nigrum gignitur ſemẽ. Simile huic habetur, quod ἐλαφοσκόροδον (Græci vocant, id eſt, ceruinum Allium) appellatur. Quare vtrunq́; vnà cum domeſtico, quod medium locum tenet, hic appingi curauimus. Atqui cum ophioſcorodon aliquando in montibus legerem vnà cum alijs herbarijs, nobis occaſionem præbuit loquendi de errore deteſtando, in quo turpiter verſati ſunt Arabes, & eos ſecuti: quòd pro ſcordio herba, quæ triſſaginem folijs æmulatur, de qua Andromachus, & Galenus intellexerunt, allium ſylueſtre in paſtillos theriacos addiderint, & in illius locum ſuffecerint, non minus vocabulorum vicinitate, quam imperitia decepti, vt ſequenti libro in ſcordij mentione (Deo fauente) latius explicabimus. Verò illud hic ſilentio non diſſimulandum duxi, ne fortè ſeplaſiarijs imponat, quòd Braſauolus apertè falli deprehenditur libro ſuo de ſimpliciũ examine Romæ prius excuſo, vbi ſylueſtre allium ampelopraſon ſiue ſcorodopraſon à rei medicæ auctoribus appellari ſcribit. Qua in re non vno tantum, meo quidem iudicio, ſed duplici, pace eius dixerim, notatur errore. Primum quòd exiſtimauerit, allium ſylueſtre ſcorodopraſum vel ampelopraſum eſſe. Deinde quòd certò crediderit, cu-

Allium ſylueſtre.

Arabũ lapſus.

Braſauolĩ error.

*rit. ampeloprasum, & ſcorodopraſum vnam & eandem plantam eſſe. Hi Braſauoli errores manifeſtè redarguuntur Dioſcoridis au.toritate. Siquidem is non ſolùm eas plantas nominibus, ſed etiam capitibus & facultatibus diſtinxit: quem etiam ſecutus eſt Galenus, licèt, vt in ampelopraſo diximus, huic tribuerit, quod ſcorodopraſo tribuendum erat. In his igitur* Galenus. *palam ſit, allium ſylueſtre ophioſcorodum appellari: ſylueſtre porrum, quòd in vineis proueniat, ampelopraſon: tertium verò, quod promiſcuus allij, & porri facultates obtineat, ſcorodopraſum. Quare mirari ſubit Braſauolum virum alioqui doctiſſimum, quomodo is, qui ſimplicium medicamentorum examen conſcripſit, hæc in Dioſcoride & Galeno non viderit, vel non animaduerterit. Cæterùm plantam, quam hic nouam expreſſimus,* ANGVINVM *quoque allium appellare libuit,* Allium Anguinum. *quòd radix non ſolùm genuino allij ſapore, odoreq́; ſit prædita, verùm etiam, quòd folia nigris ſint maculis conſperſa. Folia profert lilio conuallio ferè ſimilia, anguſtiora tamen, & nigris maculis reſperſa: quinetiam caulis iiſdem inficitur notis, Dracunculi maioris modo, quo factum eſt, vt à nobis allium Anguinum fuerit appellatum. Ceruice nititur longa: radice bulboſa, inuolucris, vt in croco circumtecta, numeroſis inferna parte fibris, vulgaris allij odore, ſaporeq́; prædita. Excalfacit & ſiccat perinde ac Allium agreſte, & ſuis in facultatibus illi per omnia ſimile exiſtit. Nunc primùm à me inuentum eſt, dum ſuperiori anno* M. D. LXIII. *montes qui Bohemiam à Sileſia diſterminant, in quibus Albis fluuius originem ducit, peragrarem. Addidimus &* VRSINI *allij quoq; imaginem, ſed cùm de viribus hactenus nihil certi exploratiq́; habeamus, non eſt vt latius de eo ſermonem faciamus. Folijs exit latis, minoris plantaginis ferè æqualibus, frequenter ſtriatis,* Allii Vrſinì mentio. *caulibus anguloſis, in quorum ſummitate flores ſunt in vmbellæ ferè modum ſe diffundentes. Radice nititur bulboſa, ſpicataq; lilij albi modo, dependentibus ima ſede capillamentis. Naſcitur in collibus, in ſyluis, & aliquando inter ſegetes. Ea omnia præſtare poſſe creditur, quæ cæteris agreſtium alliorum generibus aſſignantur. Allium (vt Galenus inquit libr. 8. de ſimplicium medicamentorum facultatibus:) deſiccat & excalfacit exceſſu quarto, quin etiam digerit, obſtructiones aperit.* Allii ex Gal. facultas. *Σκόροδον Græci, Latini Allium dicunt: Arabes Chaum, Catrin & Thum: Itali Aglio: Germani* Knoblauch*: Hiſpani Aios: Galli Ail & Aux. Allium anguinum: Italis Aglio ſerpentino. Allium vrſinum: Italis Aglio de gli Orſi: Germanis* Bär vnd Hunds Knoblauch. Nomina.

Allium, ab halante graui odore, ab Ægyptiis vnà cum Cepis, pro numine habitũ, Plinio lib. 19. cap. 6. authore, & Plutarcho, qui 4. in Heſiodum commentario, cur coluerint oſtendit: cuius nouendecim ſpecies in Phytopinace noſtro recenſuimus: hac prima figura tres proponũtur, Elaphoſcorodon, Ophioſcorodon & Allium domeſticum, cuius genus quoddam capitibus ingentibus ex Africa adfertur: eſt & quoddam Amphicarpum, quod & radicum nucleis ſeritur, & ſeminibus, quæ nucleos ſimilitudine referunt. Quod vero Elaphoſcorodon appellatur, dicitur Allium Caninum, Trago, Allium ſylueſtre, Fuchſ. Geſ. hor. Thal. Cæſalp. Caſt. Allium ſylueſtre tenuifolium, Lob. & Dodo. fol. Ampelopraſſon, Cord. in Dioſc. Loni. Allium tenuifolium, Cam. Ipſius vero Matthioli Ophioſcorodon, Allium bicorne vocamus: Allium caninum alterum, Trag. Allium ſylueſtre alterum Fuch. Allium ſylueſtre maius, Dodo. gal. Scorodopraſon Lonic. II. Allium anguinum Matth. Lug. Allium ſerpentinum, Caſt. Lob. cui & ophioſcorodon. Allium alpinum, Geſ. hor. Tab. Cam. Victorialis longa, Geſ. hor. Cluſ. Pan. Hoc foliis eſt oblongis, anguſtioribus: eſt rotundis latioribus: illud fœmina, hoc mas cenſetur. III. Allium vrſinũ Matt. Fuch. Dod. gal. Lob. obſ. Caſt. Cluſ. Pan. Cæſalp. Thal. Cam. Lugd. Allium vrſinum latifolium, Lob. icon Lugd. Allium ſylueſtre, Brunſ. Trag. Cord. in Dioſ. Allium ſylueſtre bifolium, Arctoſcorodon, Geſ. hor. Allium ſylu. latioris folii, Dod. folio.

## SCORODOPRASVM. CAP. CXLVII.



SCorodopraſum magnitudine porrum æquat, qualitatum porri & allii particeps. Vnde promiſcuas ſibi vires ex vtroq; vendicauit, effectus allii & porri præbens: inefficacius tamen coctum, porri modo, dulceſcit, & in olerum vicem tranſit.

*QVoniam antiquorum nullus, præter Dioſcoridem, Galenum & Paulum, Scorodopraſi meminit, propterea* Scorodopraſi conſid. *exiſtimat Marcellus arte & cultorum mangonio ex, allio & porro in vnum ſub terra colligatis, non autem natura, ſcorodopraſum prouenire. Sed hac in re Marcellum, pace ſua dixerim,* Marcelli err. *cæcutiſſe illud manifeſto indicio eſt, quòd compertum ſit, legitimum Scorodopraſum natura, non mangonio factum, in compluribus Italiæ locis ſponte ſua naſci, in pratorum agrorumque marginibus, & propter ſepes: ac inde poſtea translatum, in hortis & viridarijs depoſitum vireſcere, ita vt intuentibus legitimum ſe oſtendat, & Marcelli errorem prodat. Creſcit id porraceis folijs, quæ digitis attritæ ita allium & porrum ſimul reſipiunt, vt illorum etiam effectus præbeant, quemadmodum rectè prodidit Dioſcorides, & Galenus atteſtatur libro octauo ſimplicium medicamentorum, his paucis: Scorodopraſum ſicut guſtu & odore mediam allij &* Scorodopraſi vires ex Gal. *porri qualitatem poſſidet; ita & vires. Id Græcè Σκοροδόπρασον, Latine ſimiliter Scorodopraſum appellatur: Italicè Scorodopraſo: Germanice,* Aber Knoblauch*: Gallicè Ail porreau.* Nomina.

## Σίναπι SINAPI. CAP. CXLVIII.

a Meũ & Cat. ἐκλεγου μὴ ἢ καὶ ξηρὸν, ἢ καὶ ἀπύῤῥον. elige quod non obaridũ eſt & fuluum.

SInapi hortenſe, aliqui napi vocant. a Eligi debet adultum, valde rufum, non magnopere ſiccum: ſed quod fractum internè vireſcat, & veluti quodam ſucco madeat, cæſium colore: ſiquidem recens id genus, tempeſtiuum habetur. Ad calfaciendum, extenuandum, extrahendum, efficax eſt. Ad eliciendam capitis pituitam manditur: contra præduros tonſillarum tumores, ac veterem calloſamque arteriæ ſcabritiem, ſuccus ex aqua & melle conuenienter gargarizatur: ſternutamenta ciet, tritum & naribus admotum: comitialibus quoq; auxiliatur: fœminas vulue ſtrangulatu oppreſſas excitat: lethargicis, deraſo capite, illinitur. Cum ficis admiſtum, donec rubeſcat locus, & ad coxendicum cruciatus impoſitum, ad lienes & omne genus doloris confert, cum permutandæ valetudinis cauſa ex alto vitia extrahenda ſunt: alopecias illitum medetur: faciem purgat: ſugillata cum melle, adipe aut cerato rapit: feræ impetigines, & lepræ, eo cum aceto perunguntur: contra febrium circuitus aridum bibitur, aut potui, polentæ modo inſpargitur extrahentibus emplaſtris, ſcabiemque extenuantibus vtiliter admiſceri ſolet: tritum grauitati aurium, & ſonitui cum fico impoſitum prodeſt. Succus ad hebetudines oculorum, & genarum ſcabritias magna vtilitate cum melle illinitur. Expreſſus recenti ſemine ſuccus in ſole ſiccatur.

SINAPI. I.



Siuapi conſi. ex Plinio.

*SInapi, Plinio libr. 19. cap. 8. auctore, trium eſt generum. Quorum vnum gracili aſſurgit folio: alterum rapitiam frondem exprimit: tertium erucæ folio laciniatur. Hæc omnia Sinapis genera obſeruantur in Italia: illud ſiquidem, quod tum folio, tum etiam ſemine tenui naſcitur, erraticum eſt. Folia habet tenuiora, plura ex vno ramuſculo prodeuntia: caulem rectum, firmum, aſperum, ſcabrum, hirſutumq́; à medio ramoſum: corniculis numeroſis atque hirſutis. Naſcitur locis incultis, in campeſtribus, & inter rudera. Ea omnia præſtare poteſt ſemen, quæ ſatiuo ſinapi aſſignantur. Quod vero rapi fronde conſtat, cæteris maius, hortenſe eſt, caulem mittit vegetum, ſubhirſutum, à quo ramuſculi ſuperiori parte exeſcunt, in quibus ſemen ſubrufum in corniculis prouenit, acri-*

SINAPI. II.



SINAPI. III.



*imo ſapore, ac etiam olfactu infeſtum. Seritur in hortis paſſim ab olitoribus, eiusq; in officinis vſus. Tertium deinde & ipſum ſatiuum eſt, ſemine albo, minusq; acri. Folijs exit ſylueſtri erucæ ſimilibus, frequenter laciniatis, ramis tenuibus, in eorum ſummitate exeuntibus, in quibus vtrinque ſiliquulæ ſpectantur, albo intus ſemine, non adeò, vt in alijs generibus acri: quare non adeò vt illa excalfacit & ſiccat. Itaq; etſi ad omnia vtile habeatur, ad quæ cætera genera, imbecillius tamen eſt. Tritum hoc, muſtoq; recenti commiſtum, diutius eius dulcedinem tuetur, atq; eam deficere prohibet, quod ebullitionem reprimat. Eaq; propter qui ex Tridentino agro in Germaniam muſtum comportant, hoc Sinapis genere cadis impoſito, dulcedinem muſti conſeruant. Seminis farina illinitur aceto ſubacta, ad ſerpentium & ſcorpionum ictus, pota autem ſuccurrit fungorum venenis. Manditur ſemen contra dentium dolores: datur quoq; vtiliter ſuſpirioſis & aſthmaticis: ſenſus purgat: menſtrua & vrinam ciet. Illinitur etiam hydropicis ex pueri impubis vrina. Sordities corporis omnes expurgat: & cuti natiuum conciliat nitorem, ſi cum ea aqua ſubacta fricentur eæ corporis partes, quæ extergendæ ſunt. Fit ex ea intinctus, quem Sinapiſmum vocant, quo velut irritamento langueſcens ventriculus ad appetendum cibum excitatur. Eo enim velut igniculo, moroſius palatum titillante, vorandi conciliatur auiditas, ſed huius vis confeſtim in ſublime fertur, nec aliud magis in nares & cerebrum penetrat. Sinapis temperamentum tantummodo expreſſit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Sinapi calfacit, & deſiccat quarto ordine. Huic nomen Græcum σίνηπι ἢ νάπυ: Latinum quoq; Sinapi & Sinapis: Arabicum, Cardel aut Chardel: Italicum Senape: Germanicum Senff: Hiſpanicum Moſtaza: Gallicum Seneue. Sinapi alterum, Græcis σίνηπι ἕτερον: Italis Senape ſiue Senauro ſaluatico. Sinapi tertium, Italis Senape bianca ſiue Rocchetta: Gallis Moſtarde blanche & douce.*

Sinapis vires ex Matth.

Sinapiſmus.

Sinapis vires ex Gal.

Nomina.

Sinapi παρὰ τὸ σίνεσθαι τοὺς ὦπας, oculos enim lædit, cuius ſeptem ſpecies in Phytopinace propoſuimus. I. Sinapi rapi folio, luteo ſemine, & Sinapi alterum Plinii. C. B. Sinapi primum, Matth. Lacu. Cæſalp. Sinapi, Matth. in icon. Geſ. hor. Caſt. Sinapi ſecunda ſpecies, Dod. gal. Sinapi ſatiuum prius, Dod. fol. Sinapi hortenſe luteum, Lonic. Sinapi hortenſe, Cord. in Dioſc. Lugdun. Sinapi ſatiuum Erucæ aut rapi folio, Lob. II. Sinapi apii folio, & Sinapi gracile Plinio. C. B. Sinapi, Brunf. Sinapi luteum ſatiuum alterum, Trago. Sinapi alterum, Matth. Lacu. Cæſalp. Sinapi primum, Caſt. Sinapi hortenſe, Fuchſ. Dodo. gal. Sinapi ſatiuum, Lugd. Sinapi ſatiuum alterum, Dodo. fol. Sinapi ſyl. luteum, Lonic. Sinapi agreſte apii aut potius laueris folio, Lob. Hoc ſemine eſt vel ſubruffo, vel albo. III. Sinapi Erucæ folio. C.B. Eruca ſiue Rucula marina minor, & Sinapi nouum, Trag. Sinapi tertium, Matth. Caſt. Cæſ. Sinapi ſylueſtre, Dod. fol. Lugd. Sinapi ſylueſtre minus, Burſæ paſtoris folio, Lob. Eruca, Dodo. gal. Eruca ſatiua, Fuch. Eruca ſylu. Geſ. hor. Eruca aquatica, Lonic. Luteo & albo flore eſt. Elegans eſt etiam Sinapi paruum, ſiliqua aſpera, cuius deſcriptionem in Phytopinace dedimus.

## Κάρδαμον. NASTVRTIVM. CAP. CXLIX.

NAſturtium optimum conſtat eſſe Babylonicum. Omnium ſemen eſt acre: excalfacit, ſtomacho aduerſatur, aluum turbat, tincas excutit, lienem imminuit, partus exanimat, menſes cit, venerem ſti-

I. NASTVRTIVM.



* II. NASTVRTIVM CRIſpum latifolium. *



mulat, ſinapis & erucæ ſimile intelligitur: lepras & impetigines abſtergit. Illitum cum melle lienem extenuat, fauos expurgat: pulmonum vitia extrahit, ſorbitionibus incoctum: ſerpentium venenis potum reſiſtit, atq; eas ſuffitu fugat: capillorum defluuia cohibet: carbunculos ad ſuppurationem perducit & rumpit: coxendicibus cum polenta commodè ex aceto illinitur: tumores, collectionesq; diſcutit: excitat furunculos illitum cum muria. Herbæ ad omnia eadem effectus, licet minor.

* III. NASTVR. CRISPVM Anguſtifolium. *



Naſturtii cõſideratio.

*Naſturtium hortis familiaris & frequens herba eſt, tenuibus folijs paruis, laciniatis: caule tenui, ſeſquipedali: flore albo: ſemine in rubeum nigricante, folliculis rotundis ac preſsis contento, thlaſpi modo, acri ſapore. Seritur paſsim in hortis, & vſurpatur ad ciborum condimenta & intinctus, & venit quoq; alijs cum herbis in acetarijs.*

Plinius notatur.

*Plinius author eſt libro 20. cap. 13. album & nigrum reperiri. Verùm cum Naſturtium Venerem inhibere ſcribit, vel codicem eo in loco deprauatum, vel Plinium ipſum Naſturtij naturam non rectè nouiſſe, & ideo in hoc deceptum eſſe crediderim, quòd experimento, & Dioſcoridi repugnet.*

Naſturtii vires Matth.

*Excalfacit, attenuat, mundat, aperit, extrahit, reſoluit & incidit. Animum exacuere veſcentibus traditur, vnde animi torpore affectos ad naſturtium deuorandum adhortatur adagium. Succus dentium dolorem mulcet, ſi calidus in aurē dolentis lateris fuerit inſtillatus. Semen denariorum decem pondo ex aqua potum bilem ſubducit, capitis vitia purgat, viſumq; clarificat.*

Naſturtii vires ex Gal.

*Naſturtij ſemen (vt libro 8. de ſimplicium medicamentorum facultate memoriæ prodidit Galenus) adurentis facultatis particeps eſt, ſicut ſinapi. Proinde coxendicis, & capitis dolores atq; adeò quodcunq; aliud rubrificationem poſtulat, eo perinde atq; ſinapi excalfaciunt. Miſcetur quoq; remedijs, quæ exhibētur aſthmaticis, tanquam ſcilicet id, quod craſſos ſuccos valenter incidere valeat: velut & ſinapi. Nam omnia ei ſimile eſt. Porrò & herba arefacta ſimilem ſemini vim poſsidet. Humida verò adhuc, & viridis propter aquex humiditatis admiſtionem, multò ſemine inferior eſt: adeoq; ſic mordacitas eius moderata eſt, vt cum pane ea vti liceat, ceu obſonio.*

Nomina.

*Κάρδαμον Græcis: Naſturtium Latinis vocatur: Mauritanis Norf alchef ſeu Narf: Italis Naſturtio & Agretto: Germanis* Kreſſen vnd Gartenkreß: *Hiſpanis Naſturcyo & Malpica: Gallis Creſſon de tardin & Naſitort.*

* IV. NASTVRTIVM LAtifolium. *



Naſturtium à narium tormento Plinio libr. 19. cap. 8. quod diuidimus in hortenſe, pratenſe, aquaticum & montanum: hic de hortenſi, quod triplex, latifolium, commune & minus. I. Naſturtium hortenſe commune, ſeu Naſturtium album Plinii. C.B. Naſturtium, Brunf. Matth. Anguill. Cord. in Dioſc. Lon. Lac. Dod. gal. Lob. obſ. Cæſ. Caſt. Taber. Cam. Naſturtium hortenſe, Trago, Fuchſ. Dodo. fol. Lob. icon. Lugd. Naſturtium maius album, Geſ. hor. Variat, aliud enim eſt foliis ſimplicibus, quod læue & albius: vel ſubhirſutum, minuſque album: aliud foliis valdè diuiſis, hocque maius & minus: illud criſpum & non criſpum. Quod criſpum eſt, vel II. latifolium eſt, vel III. anguſtifolium, vt ex figuris adpoſitis colligere eſt, nec alia deſcriptione indiget. Vtrumq; copioſe vidimus in horto Abbatiæ S. Fridolini in Seckingen, cum Reuerendiſs. Princip. D. Iacobeæ à Sultzbach eius cænobii Abatiſſæ, valetudinis cauſa adeſſemus, & quidem ſemine ex Turgauia allato. IV. Naſturtium hortenſe LATIFOLIVM ex radice oblonga, tenui, leuiter fibroſa, caulem emittit cubitalem, rotundum, qui in alios brachiatur: folia ad radicem plura, longis pediculis donata, quæ nec diuiſa, nec laciniata, ſed longa, integra, obſcurè ſerrata: quæ verò in caule obſeruantur quemadmodum & flores & techæ, vulgari Naſturtio reſpondent: ſic & color & ſapor idem. A fratre D. Iohanne Bauhino, Ill. Ducis VVirtenbergici Archiatro, primò accepimus.

Olim

## THLASPI. CAP. CL.

THlaſpi herbula eſt anguſtis foliis, digitali longitudine, in terram verſis, ſubpinguibus, incacumine diuiſis, binum dodrantũ cauliculo, tenui, non ſine adnaſcentibus ramis: fructu circa ipſum totum, ab extremo in latus ſe pandente: ſemine naſturtii, incluſo vaſis lenticulæ effigie, niſi quòd infringitur, vn-

I. THLASPI. I.



* II. THLASPI VVLGATVM ferrato folio. *



III. THLASPI. II.



IV. THLASPI III.



a Me. ἐπὶ θριγχῶν, καὶ τειχῶν. i. in ſepibus & parietibus. Dra. τριγχοῖς, καὶ τάφροις i. in ſepibus, & ſepulchris.

de nomen accepit, flos albicat. Naſcitur in ſemitis, a & ſepibus, foſsisque. Semen aſperi guſtus excalfaciens: bilem vtrinque extrahit, potum acetabuli menſura: prodeſt iſchiadicis infuſum: ſanguinem pota educit, internas ſuppurationes rumpit: menſes ciet, ſed partus enecat. Alterum thlaſpi tradit Crateuas, quod aliqui Perſicon ſinapi vocant, latis foliis, radicibus magnis: vtile iſchiadicorum infuſioni.

Thlaſpi conſideratio.

*Tametſi Thlaſpi, cuius hic imaginem habemus, caule iam edito, folijs non ſit in cacumine diuiſis, cùm tamen cæteras habeat notas, quas ſuo Thlaſpi inſcripſit Dioſcorides, nihil impedit, quin credam id eſſe legitimum, & præſertim cùm iam obſeruauerim, antea quam cauleſcat, ipſo ineunte Vere, hoc Thlaſpi folia fundere, humi accubantia, quæ virum que circa cacumen diuiſa ſunt, ſed hæc adeò fugacia ſunt, vt paulò poſt conflacceſcant, & pereant. Quæ autem in caule habentur, ſunt quidem, vt Dioſcorides inquit, anguſta, ſubpinguia, & digitali longitudine: caule deinde eſt tenui, duorum dodrantum longitudine, non ſine adnatis ramulis, in quibus fructus circa ipſos totos ſpectantur, nempe folliculi compreſſi, lenti, aut diſco ſimiles, in quibus ſemen concluditur, naſturtio ſimile, acuto ſapore. Naſcitur in ſemitis, ſepibus & foſſis, quin etiam inter rudera, & in vetuſtis ædificiorum muris & tectis. Ideoq; manifeſtò hallucinatur nouus quidam ſtirpium cenſor, qui hoc Thlaſpi Crateuæ, non Dioſcoridis eſſe contendit. Error patet quòd Dioſcorides Crateuæ Thlaſpim ſcri-*

Cuiusdam error.

### * V. THLASPI SAXATILE minori folio. *



### VI. THLASPI IIII.



*bat folijs eſſe latis, & radicibus magnis, quibus qui non videt carere hoc noſtrum, is prorſus cæcutire dici poteſt. Atqui ſi planta eſt, quæ nobis nota ſit, quæq; Crateuæ Thlaſpim referre poſsit, eam ipſam ego putarem eſſe, quam ſuperius ſtatim poſt raphanum appinximus, & Vulgarem Raphanum & Ruſticanum appellauimus. Siquidem hæc lata folia habet, & radices magnas, & ad Iſchiadicos herba vtilis eſt. Cæterùm planta quam* THLASPI ALTERVM *vocauimus, quòd eius ſemen Thlaſpis haud abſimile videatur, folijs exit alteri maioribus, latioribusq; prope caulem diuiſis, & per ambitum ſerratis: caule firmo ramoſoq;: ſiliquis latioribus in cacumine diuiſis preſsiſq;, in quibus ſemen minutum continetur, aureo colore. Naſcitur in agrorum marginibus & inter ſegetes. At* TERTIVM *folijs prouenit à radice numeroſis, oblongis, ſubalbicantibusque, minime guſtatu acutis, caulibus & ramis tenuibus, tenuibusq; folliculis circumquaque ſtipatis, in quibus ſemen Thlaſpi ſimile, acerrimi guſtus: naſcitur in agro Pragenſi, locis ſaxoſis & aſperis. Floret medio Vere, & Iunio menſe fert ſemen, acuto ſapore.* QVARTVM *folia profert longa, anguſta, raraq;: caulem ramoſum, & folliculos in vmbella congeſtos, in quibus ſemen. Naſcitur in incultis locis & in collibus. Verùm non deſunt, qui exiſtimauerint, Thlaſpi, & Burſam paſtoris vulgò dictam, vnam & eandem eſſe plantam, cùm tamen huiuſce Burſæ paſtoris folia, quæ per ambitum ſinuatim laciniata viſuntur, ſemenq; his, quæ de Thlaſpi memoriæ prodidere Dioſcorides, & Galenus, minimè conueniãt, eorum ſententia prorſus explodenda videtur. Cæterùm legitimum reperiri in Italia certum eſt: ſiquidem eo maximè abundat, & Goritienſis ager, & Gradiſcæ mœnia, ea parte qua Sontius alluit. Naſcitur frequentiſsimum, & acerrimum in Pago ſancti Petri non longè à Goritia, alijſq; circumſtantibus locis, ſemine perquam acri, in folliculis incluſo, in cacumine diuiſis, lenticulæ effigie, ſuperna parte preſsis, vt Dioſcorides inquit. Semen Thlaſpi excalfacit, exiccat, attenuat, vrit, extrahit, prouocat, expurgat & incidit, perinde ac Naſturtij ſemen. Alterius ſemen minus mordet, minusq; longè calfacit & ſiccat, atq; etiam cætera minus præſtat, quàm alterius. Tertium id quod alia genera præſtat, ſed non adeò vehementer. Quarti ſemen cum acerrimo habeatur ſapore, pariter calfacit, & ſiccat, & ea omnia præſtare poteſt, quæ primi generis Thlaſpi adſcribuntur. Meminit Thlaſpi Galenus lib. 6. ſimpliciũ medicamẽtorũ, ſic inquiens: Thlaſpi ſemen habet, & ipſũ facultatẽ acrẽ, adeò vt internos abſceſſus potũ diſrumpat. Menſes ciet, & fœtus enecat, per ſedẽ infuſu Sanguinolentia euacuans, iſchiadib. prodeſt. Eſt enim alioqui tũ supernè, tũ infernè bilioſorũ humorũ euacuatoriũ, acetabuli menſura potum*

Thlaſpi alterum.

Thlaſpi vires ex Gal.

VIII. BVRSA PASTORIS.



*potum. Et libro primo de antidotis: Vtuntur Thlaſpi (inquit) quod è Creta aſſertur, quodq; vbique naſcitur, colore inter luteum, & flauum medium, figura rotundum, exiguum adeò vt multoties grano milij cedat. Melius eſt autem è Cappadocia comportatum thlaſpi imponamus. Hoc ad nigredinem inclinat: figuram non exactè rotundam habet, & antedictum magnitudine permultùm ſuperat, atque ab vno latere paruam quandam, veluti compreſſionem præ ſe fert; vnde & nomen obtinuit. Prouenit autem vt hoc, ita & illud in Cappadocia quàm plurimùm. Ideoq; non abſolutè quod inde adſportatur, optimum cenſendum eſt, ſed quod peculiariter in Sauro naſcitur, nec Cretico, nec paſſim naſcenti ſimile: hæc de Thlaſpi Galenus. Ex quibus ſatis conſtat, Italicum thlaſpi illi, quod Cappadocia profert, non eſſe viribus comparandum. Reliquum eſt, vt de* BVRSA PASTORIS, *cuius ſuperius meminimus, aliquid in medium afferamus. Caules edit teretes, ſeſquidodrantales ramis tenuibus in ſummitate emergentibus, folia eius prima verbenacæ proxima ſpectantur, ſed quæ in caule ſunt Thlaſpi æmula ſunt: radicem habet tenuem candidamque: flores edit in ſummis ramulis albos, è quibus preſſæ oriuntur ſiliquæ, cordis ferè imaginem referentes, ſemine intus paruo ac minuto.* Naſcitur *fere vbique, præſertimque ſecus vias, in antiquis ædificiorum parietibus, in hortis & vineis, & inter rudera. Sed cùm veteres nihil de hac poſteritatis memoriæ mandauerint, ea tantùm recenſebo, quæ a recentoribus de eius viribus adnotata inuenio, cùm planta ipſa omnibus vulgò notiſſima ſit. Eſt igitur Burſa paſtoris ex refrigerantium, exiccantium, & adſtringentium genere. Quapropter prodeſt attrita, & emplaſtri more impoſita inflammationibus, & ſacris ignibus. Decoquitur pluuiali aqua cum plantagine, & Armenio luto, bibiturq; eius decoctum ad inteſtinorum difficultatem, & ad cruentas excreationes. Herbæ ſuccus recentia vulnera glutinat, & auribus purulentis infuſus medetur. Siſtit menſium abundantiam, ſi eius, & perſicariæ decocto inſideant mulieres, eſturq; ad idem, & contra denique omnes ſanguinis fluxiones efficax eſt, tam deuorata quàm admota, tenui pulticula circumlita, & in oleo frixa, additur in emplaſtris, quæ ad capitis vulnera componuntur, & in vnguentis compluribus. In calceis coniecta, & nudis pedibus preſſa, auriginem tollit. Quæ herba θλάσπι Græcis, Thlaſpi quoq; Latinis dicitur: Barbaris Naſturtium tectorum: Italis Thlaſpi: Germanis Beſenkraut: Hiſpanis, Paniqueſo de florblanquio. Gallis, Seneue Sauuage. Thlaſpi ſecundum ſiue alterum, Græcis Θλάσπι ἕτερον: Italis Thlaſpi maggiore. Burſa paſtoris, Italis & officinis eodem nomine appellatur, quin etiam Sanguinaria aliquibus, nonnullis Herba cancri, & aliis Criſpula quoque vocatur: Germanis Seckelkraut vnd Teſchel kraut: Gallis Bourſe a paſteur.*

Burſæ paſtoris vires Matthioli.

Nomina.

*† Hoc loco Ruellius legiſſe videtur φακοειδὲς, quòd verterit lenticulæ effigie: nec temere, quòd Thlaſpi ſemen illi pulchrè reſpondeat. Verùm vulgati Græci codices habent δισκοειδὲς, hoc eſt, diſci figura.*

Thlaſpi à fructus forma nomen accepit, qui velut infractus & contuſus eſt, cuius genera viginti nouem in Phytopinace recenſuimus. I. Thlaſpi folio acuto C. B. Thlaſpi primum, Matth. Lugd. Thlaſpi vulgariſsimum Vaccariæ folio; Lob. Thlaſpi alterum, Dod. fol. II. Thlaſpi vulgatum ſerrato folio: hoc nobis vulgare eſt & dicitur Thlaſpi, & vulgare Thlaſpidion, Trag. Thlaſpi latifolium, Fuch. Thlaſpi minus latifolium. Lonic. Thlaſpi alterum, Dod. gal. Thlaſpi ſecundum, Tab. vtrum hanc exprimere voluent Matth. & Lob. ſubdubitamus, ſiquidem ſimilem primæ nec dum videre licuit. III. Thlaſpi ſiliquis latis C. B. Naſturtium quartum, Trag. Thlaſpi ſecundum, Matth. Lugd. Thlaſpi primum, Dod. gal. Lugd. Thlaſpi Drabæ folio, Lob. obſ. Thlaſpi Dioſcoridis Drabæ & Chamelinæ folio, Lob. icon. Thlaſpi latius, Dod. fol. Thlaſpi maius, Tab. Thlaſpi platycarpon, Cam. hor. Thlaſpi Cæſal. IIII. Thlaſpi ſaxatile, C. B. Thlaſpi tertium Matthioli, Lugd. Thalio: vt in noſtris montoſis prouenit, delineari curauimus. V. Thlaſpi ſaxatile minori folio, à radice craſſa è rupium fiſſuris prodeunte, caules exſurgunt ſeſquipalmares, etiam breuiores, tenues, qui aliquando in ſummo in ramulos brachiantur: folia ad radicem plura, breuia, oblonga, acuta & leuiter crenata, quæ in caule pauca ſunt & anguſtiora: in ramorum ſummitate floſculi albicantes, quibus ſuccedunt folliculi copioſi, oblongis pedicellis inſidentes, tenues, ex rotunditate oblongi, membranoſo ſepto diſtincti, ſemen minutum, flauum, acre continentes. Prouenit in noſtro monte Waſſerfall: Sic & in Heluetiorum & Rhætorum alpibus. Dicitur Thlaſpi tertium Saxatile, Camerario in editione ſui Matthioli. VI. Thlaſpi vmbellatum Creticum, C. B. Thlaſpi quartum, Matth. Lugd. Arabis ſiue Draba, Dod. gal. Geſ. hor. Lugd. Draba ſiue Arabis, Dod. fol. Thlaſpi Creticum, Geſ. hor. Tab. Cam. Cluſ. Pan. Cæſ. Thlaſpi Candiæ vmbellatum Iberidis folio, Lob. In hac figura folia inferiora Iberidi ſimilia, ſunt à pictore omiſſa: flore eſt communiter purpureo, aliquando albo, luteo nondum vidimus. VII. Thlaſpi villoſum: Ex radice tenui oblonga albicante, caulis pedalis, vnicus rotundus; villoſus ſeu hirſutus exit, ad cuius exortum folia octo vel decem humi ſtrata, longis pediculis donata, cuſpide orbiculata, hirſuta: quæ verò caulem cingunt, longè breuiora ſunt, pediculis carentia, latioreq; baſi ipſum amplectentia, horumq; quædam leuiter crenata: flores obtinet albos quatuor foliolis compoſitos, quibus ſuccedunt ſiliquæ ſatis magnæ, hirſutæ, compreſſæ, ſuperiore parte fiſſæ, ex quarum medio apex prodit: vtriculis duobus donantur, in quibus granula aliquot ruffeſcentia, acri ſapore prædita continentur. Hoc anno 1577. legimus (licet & Monſpeſſuli ſponte proueniat) in Patauino horto

Thlaſpi

* VII. THLASPI VILLOSVM.*



Thlaſpi piloſi nomine: verùm cum hirſutie caneſca villoſum appellare lubet. Huius ſemine olim in Italia pro veri Thlaſpeos ſemine vſus fuit, ſic dictante Nobiliſs. Iacobo Antonio Cortuſo, Patr. Patauino, hortiq; Medici ibidem nunc præfecto. VIII. Burſa Paſtoris maior, folio ſinuato C. B. Burſa paſtoris maior Brunf. Trag. Geſ. hor. (cui & Thlaſpi fatuum) Taber. Burſa paſtoris, Matth. Cord. in Dioſc. Lac. Lob. Cæſ. Thal. Caſt. Lugd. Paſtoria Burſa, Fuch. Dod. gal. & folio Sunt & Burſæ aliquot ſpecies, vt in Phytopinace monuimus.

## Ἀραβὶς, ἢ Δράβη. ARABIS, SIVE DRABA. CAP. CLI.

DRaba herba ad cubiti altitudinem aſſurgit, tenues ſpargens ramos, & ex vtroque latere folia, ceu lepidii, ſed molliora, & candidiora. In cacumine verò ſambuci vmbellam gerit, candidos flores habentem. Herba hæc cum ptiſana coquitur in Cappadocia maximè. Semen aridum pro pipere obſoniis admiſcetur.

Drabæ conſideratio.

*DRabæ caput multis ſanè argumentis conſpicuum eſt, eſſe Dioſcoridi adulterinum. Nam ſi primùm plantæ nomenclationem expendamus, illam quidem facilè conijciemus, (vt Marcellus rectè animaduertit) nec Græcam eſſe, nec Latinam appellationem.* Draba Dioſc. adulterina. *Deinde cùm nec apud Galenum, Oribaſium, Paulum, Aetium, alioſq; Græcos authores, quicquam de Arabi, Drabaúe ſcriptum reperiatur, hinc facilè conijci poteſt, Drabam Dioſcoridi eſſe adulterinam. Ad hæc illud quoq; rem ſic ſe habere, maximè arguit, & ab aliquo Dioſcoridi additam eſſe Drabam, quod bis in Græco exemplari manu ſcripto in ſecundo hoc libro habeatur, tum vt hîc ſtatim poſt Thlaſpi, tum etiam poſt Glaſtum, ad libri calcem intruſa: ſed iſtic Arabis appellatur, & aliâs iſtic de ipſa traditur, etiam iiſdem verbis, vt nec de nomine, nec de re ſatis conſtet, maximè cùm apud nullum alium ſcriptorem, neque Drabæ, neque Arabis mentio fiat. Cæterùm quocunque modo res ſe habeat, mihi dubitandum haud quaquam fuerit, quin planta, cuius hîc imaginem expreſſimus, legitima genuinaq; ſit Draba hoc in loco addita.* Draba Serapioni. *Drabam Serapio Naſturtij generibus adiecit, & eam Naſturtium*

I. ARABIS, SIVE DRABA.



*II. DRABA LVTEA.*



*brientale nominat, quod inſignis eius acrimoniæ indicium eſt: & quoniam in noſtrate leuiuſcula ſentitur acrimonia, idcirco an hæc, quæ in Italia naſcitur, Serapionis ſaltem ſit Draba, ego profectò affirmare non auſim: niſi fortè id Drabæ accidat pro regionum diuerſitate, quemadmodum Aro euenire inferius dicetur ex Galeni auctoritate.*

*Herba, quæ ἀραβὶς & δράβη Græcè: Arabis item, & Draba Latinè pariter & Italicè appellatur: Barbaricè, Naſturtium Orientale: Gallicè Draue.* Nomina.

Draba prima vmbellata C. B. Arabis ſiue Draba. Matth. Lob. (cui & Naſturtium Babylonicum) Lugd. Arabis, Lacu. Lon. Arabis verior, Cam. Draba Dioſc. Cæſ. Caſt. Draba vulgaris prima, Cluſ. Pan. II. Draba lutea longiſsimis ſiliquis C. B. Ex radice longa, dura, albida, acri, caules bicubitales & altiores, graciles, rotundi, ſtriati exurgunt, qui ſupra medium in plures ramulos, leuiter villoſos brachiantur, quorum ſummitatibus floſculi ſine ordine, nec in vmbella, copioſi, lutei, ex quatuor foliolis compoſiti inſident, quibus ſuccedunt ſiliquæ oblongæ, ſtrictiſsimæ, ſemen tenue, flaueſcens & acre continentes. Folia verò oblonga, breuibus pediculis donata, acuminata, per oras crenata, rarius laciniata, & leuiſsimè villoſa ſunt. Hanc Tubingæ collegimus ad Necarim, quamuis & Heidelbergæ reperiatur, & Burmi in Rhætia ſponte proueniat: Cl. Camerarius primus in ſuo Matthiolo, Arabis quorundam nomine pinxit.

## Ἐρύσιμον. IRIO. CAP. CLII.

ERyſimon, Latini Irionem vocant, iuxta vrbes, rudera, hortosq; naſcitur: foliis erucæ ſylueſtris: cauliculis in lori modum lentis, & obſequioſis: floribus luteis: ſiliquis in cacumine gracilibus, vt fœno græco corniculatis: ſemine naſturtii, exiguo, vrentis guſtus. Contra thoracis fluxiones efficax eſt, & ſi a purulenta extuſsiuntur: regio morbo, & coxendicibus prodeſt: contra venena in delinctu cum melle datur. Illinitur ex aqua aut melle vtiliter b cæcis carcinomatis, parotidibus, c duritiis mammarum, & teſtium inflammationib. In totum extenuat, & excalfacit. Mitius multò ad clyſteres fiet, ſi aqua madeſcat, atque torreatur, vel linteo illigatum, d pinſita farina oblitum peraſſetur.

a Drag. ἐμπύυς, βῆχαι id eſt, ſuppuratis, tuſſi. Meum ἴκτερον, ἰσχιάδας, ἐκλειχόμενον σὺν μέλιτι. πίνεται καὶ πρὸς τὰ θανάσιμα φάρμακα. i. ictetum, coxendicum dolores delincta cum melle. Bibuntur etiam aduerſus lethalia medicamenta. b. Drag. μικρὰ. id eſt parua. c Meum. κρυπτὰ. id eſt, Cæca. d. Catacuz. διδύμων καὶ μαστῶν φλεγμόνας. i. teſtium & mãmarum inflammationes. c. Meum. ςέατος. i. farina ſubacta.

I. IRIO.



II. IRIO ALTERA.



*QVanquam Theophraſtus, & antiquorum alii Eryſimon inter cerealia commemorant, & ſeſamo ſimile faciant: quod tamen a Dioſcoride repræſentatur, folijs erucæ æmulis, tanquam ab illo admodum diſsimile, hic inter acerrimas plantas, non inter frumentacea, vbi de ſeſamo diſſeruit, ab eo repoſitum eſt. Eaq; propter facilè dici poteſt, Eryſimon aliud deſignare Theophraſto, aliud verò Dioſcoridi: Ideoq; Plinius vtriſq; in Eryſimi hiſtoria adſtipulari videtur. Namq; lib. 18. c. 7. [illegible] Theophraſtum ſecutus, ipſum frugibus adſcribit, ſeſamoq; ſimile facit. Et lib. 22. cap. 25. Dioſcoridem imitatus, folijs erucæ paulò anguſtioribus, & ſemine Naſturtij Eryſimum eſſe prodidit. Hoc idem palàm eſt feciſſe Galenũ: quippe qui*

Eryſimi, ſeu Irionis conſi. Eryſimum Theoph. aliud à Dioſc.

*lib.*

*lib. 6. ſimplicium medicamentorum Eryſimum plantis comparauit, quæ acrimonia prædita ſunt, vti naſturtium & ſinapi. Et libr. 1. de alimentorum facultatibus ipſum inter fruges retulit, quæ in cibum veniunt, vnà cum ſeſamo, ſic loquiens: Vt porrò milio panicũ adſimile eſt quodammodo, ſed ad omnia deterius, ita & Seſamo Eryſimũ corporis ſubſtantia non nihil affine: ſed manſum inſuauius eſt, & tenuioris alimenti, adeò quod in omnibus illo deterius exiſtit. Cæterùm Ruellius, quòd dixerit Plinius Eryſimum, & Seſamum rubentibus prouenire folijs, item ipſis virentibus nullum animal veſci, illud frugis genus autumat Eryſimum eſſe, quod vulgò Tridentina rura appellant Formentone, Forojulienſes verò, quòd pullo ſit colore, nominant Saracino. Verùm hac in re Ruellius deceptus deprehenditur, quòd nullis notis reſpondeat hoc Eryſimo, quod Theophraſto, & Plinio deſcribitur: quandoquidem, quod vulgò appellatur Formentone, caule tantum rubet, non folijs, à nulloq́ pecude reſpuitur, ſed ab omnibus auidiſſimè depaſcitur, nec vlla ex parte Seſamum æmulatur. Porrò ſciendum eſt, Dioſcoridis Eryſimum non eſſe ſylueſtrem erucam illam, quam nos nobilem appellamus, vt credit Hermolaus, itemq́ Ruellius ipſum ſecutus, ſed ſtirpem ab ea diuerſam.* IRIONIS *itaque duo videntur genera, foliorum magnitudine differentia vt ex iconibus videre eſt. Illud autẽ magis Dioſcoridi genuinũ eſſe cenſeo, cuius folia minora, & cornicula paulò vegetiora ſpectantur.* IRIO ALTER, *folia mittit hortenſis Erucæ, caules lentes, flexileſq́, ramis in ſummitate tenuibus, rotundis, acutis, tenuibuſq́ corniculis vndique ſtipatis ſurſum ſpectantibus, in quibus ſemen concluditur minutum, flauo colore. Prouenit vt alter iuxta urbes, rudera, hortoſque. Idem præſtat eius ſemen, quod alteri quoque adſcribitur, peculiariter autem ſeſquidrachmæ pondere, ex ouo ſorbili deuoratum tribus continuis diebus, ſeminis profluuium cohibet, & ex vino renum calculos pellit. Verùm non ob id negauerim, aliud quoque Irionis eſſe genus, cùm omnibus Irionis fere notis ſit præditum: etſi ſcio non defuturos canes, qui me allatrabunt. Id Græcis* ἐρύσιμον *dicitur, quod Latinis ſimiliter Eryſimum & Irio: Italis Eriſimo & Irione: Germanis* Hederich vnd Wilder Senff: *Hiſpanis Rinchaon: Gallis, Velar, ou de la tortelle. Irio alter vulgaris, Italis Irio, ouero Eriſimo commune.*

Ruellii & Hermolai lapſus.

Irionis genera duo.

Nomina.

Irionis nomine, Matthiolum Rapiſtrum proponere, ſunt qui ſtatuant, verùm ex verbis, quæ ex ſecunda commentariorum editione adiecimus, colligere eſt eum intellexiſſe eam, quam vocamus I. Eryſimum ſiue Irio vulgatum. Hierobotane fœmina Brunf. Verbena fæmina, Trag. Verbena recta ſiue mas Fuch. Lugd. Sinapi alterum genus ſylueſtre, Fuch. icon. Cleome, Anguil. Eryſimon Dioſcoridis, Dod. gal. Geſ. hor. Tab. Irio Dioſcoridis, Cord. in Dioſc. Irio, Lacu. Caſt. Lugd. Lonic. cui & Verbena fæmina: Irio ſiue Eryſimum Dioſcoridis, Dod. fol. Lob. Cæſalp. II. Eryſimum plurimis corniculis iunctis C. B. Irio altera, Matth. Lugd. Cam. Irio alter vulgaris, Matth. in icon. Eryſimum alterum Matthioli, Lob. Pſeudobunium, Anguil. Dentilaria alia, Geſ. hor. Videtur hiſtoria Lugdunenſis, Saxifragiæ Romanæ nomine hanc proponere. III. Eryſimo ſimilis hirſuta C. B. Ex radice oblonga, alba, lignoſa & fibroſa caulis modò vnus, modò plures cubitales, ſubrubentes aliquando, ſtriati, hirſuti, qui aliquando in ſummo in minimos brachiantur, quibus ſecundum longitudinem plures flores albi, quadrifolii, pedicellis inſidentes, qui in ſiliquas oblongas ſtrictas abeunt, quæ ſemen minutum continent. Folia plura ad radicem humi ſtrata, communiter ſine pediculis oblonga, aſpera, hiſpida, ſubalbicantia, per ambitum crenata, aliquando laciniata, quæ verò in caule, ſine ordine diſpoſita, latiore baſi eum cingunt. Provenit locis ſaxoſis, ruderibus, muris, vt hic Baſileæ ad mœnia (primo vere florens) ad arcem Münchenſtein copioſè, Monſpeſſuli in ruderibus vmbroſis, vbi minor omnibus ſui partibus. Patauii etiam, vbi cum ante annos nouendecim D. Guilandino oſtendiſſemus, Driophanon Plinii, Drabam alteram & Thlapſi ſpeciem, nominabat: at Nobiliſſ. Cortuſo Eryſimum tertium dicebatur. Ioh. Bauhino Illuſtriſſ. Ducis VVirtenbergici Archiatro, Barbarea muralis.

* III. ERYSIMO SIMILIS Hirſuta. *



Πέπερι. PIPER. CAP. CLIII.

Quæ in piperis capite cõcluſa ſunt non habet Oribaſius.

PIper [in India naſci, breui arbore traditur: quæ] inter initia prælongũ fructum, veluti ſiliquam, promit, quod longum piper eſt: habet intus aliquid tenui milio ſimile, quod tandem in perfectum piper euadit. Id autem ſuis temporibus dehiſcens, pandenſq́; ſeſe, racemos emittit, grana ferentes, qualia videmus. Ea acerba candidum piper faciunt, aptum ocularibus remediis, antidotis, & medicaminibus, quæ contra venenata parantur. [theriaca vocant. Longum verò vehementius mordet: & quoniam priuſquam ematureſcat, decerptum eſt, & ſubamarum relinquitur, antidotis, & theriacis medicaminibus expetitum.] Nigrum verò, vtpote quod tempeſtiua maturitate collectum ſit, odoratum eſſe conſtat, candido ſuauius, acrius, [& ori gratius, nec non ad condimenta vtilius] ſed candidum, & adhuc in acerbum vergens, antedictis infirmius eſt. Eligi oportet grauiſſimum, plenum, nigrum, ſine multis rugis, recens, ac minimè furfuroſum. Inueniuntur etiamnum in genere nigri ſemina nutrimento defecta, caſſa, inania, minimiq́; ponderis

ponderis, quod vocant braſma. Vis omnium excalfacit, vrinam ciet, concoquit, extrahit, diſcutit, abſtergit caliginem, quæ oculis obuerſatur. Piper febrium horroribus circuitu repetentibus, ſiue potu, ſiue illitu ſubuenit: ſerpentium morſibus auxiliatur: partus extrahit: conceptum adimere creditur, ſtatim à concubitu ſuppoſitum: tuſſi, omnibusq; pectoris vitiis, ſiue eclegmate, ſiue potu ſuccurrit: anginæ eo & melle conuenienter perunguntur: potum cum recentibus lauri foliis, tormina diſcutit: cum vua paſſa manducatum pituitam à capite elicit: valetudinem tuetur, dolores finit, appetentiam mouet, concoctionem adiuuat, ad intinctus eſculentorum additum: ſtrumas cum pice diſcutit, vitiligines ex nitro emaculat. Fictili nouo, †vt aiunt, motum torretur. Non eſt huius arboris radix gingiber, vt aliqui exiſtimauere, ſicuti paulò poſt oſtendemus. Namque piperis radix coſto ſimilis eſt, ora guſtantiũ accendit, ſaliuam ciet. Hæc lienem reprimit, cum aceto illita, aut pota: caput etiam purgat, manducata cum ſemine pedicularis herbæ, quam ſtaphidem agriam vocant.

I. PIPER.



* II. MACROPIPER. *




*Lvſitani nauigationibus ſuis hoc æuo confectis per Oceanum Atlanticum verſus auſtrum primò, & hinc deinde in Orientem ad Calecut, Taprobanam aliasq; Indici pelagi inſulas: item Hiſpani liburnicis vecti ad occidentales Indias, Peru, atq; alias complures regiones, quæ antiquos Geographos penitus latuerunt, non modò Pipere, & huiuſmodi odoratis ſimplicibus vniuerſam repleuerunt Europam, ſed & ſtirpium hiſtorias, à quibus oriuntur, poſteritatis memoriæ prodiderunt. Quod poſtea fecit, vt nobis planè ignoraſſe videantur Theophraſtus, Dioſcorides & Plinius, aut ob regionum diſtantiam (indigenam potius in hoc fidem ſecuti, quàm quòd fortè ea viderint, quæ de pipere ſcriptis tradiderunt) aut ob aliam quamuis cauſam plantæ illius formam, ac notas, quæ piper in India gignit, ac quonam modo piperis planta ſuum edat fructum, an ſcilicet racematim, an corymborum modo, an in ſiliquis incluſum, an bacciferarum arborum more. Siquidem Plinius libro 12. cap. 7. ita ſcribit: Arbores quæ paßim piper gignunt, iuniperis noſtris ſunt ſimiles, quanquam in fronte Caucaſi ſolibus oppoſita gigni tantùm eas aliqui tradidere. Semina à Iunipero diſtant paruulis ſiliquis, quales in Phaſeolis videmus. Hæ priuſquàm dehiſcant, decerptæ, toſtæq; ſole faciunt, quod vocatur piper longum: paulatim verò dehiſcentes per maturitatem oſtendunt candidum piper, quod deinde toſtum ſolibus, colore rugisq; mutatur: hæc Plinius. Quibus à Dioſcoride non longè dißidere videretur, niſi piperis plantam ſimilem iunipero reddidiſſet: namque Dioſcorides nullis eam notis repræſentauit, neq; alicui ſimilem fecit. Theophraſtus præterea quanquam ſcriptum reliquit lib. 9. cap. 22. de plant. hiſtor. Piperis duo eſſe genera, vnum rotundum, alterum oblongum, eius tamen arboris effigiem ſilentio præteriit. At hi, qui ſuis liburnicis immenſa traiecerunt maria, propriasq; perluſtrarunt regiones, vbi piperis vtriuſque plantæ innumeræ vireſcunt, nigrum, ac rotundum gigni narrant à quibusdam infirmis viticulis vicinas arbores altiore complexu ſcandentibus, ad faſtigium vſque, acutæ clematidi non dißimilibus, folio tamen malum Aſſyrium æmulantibus, ſed minori, guſtu aliquantulum acri, quin & racematim proferri vuarum labruſcæ modo, ſed minorem, confertius tamen perpetuò virentem, donec ſiccetur, & plenam maturitatem conſequatur, deinde menſe Octobri per maturitatem decerpi, & ſub feruenti ſole tegetibus palmeis expanſum torreri, quouſque nigreſcat, & rugoſum euadat: quod tridui ſpatio plerunque fit: radice nititur puſilla. Huic nigri piperis plantæ perſimilis omnino eſt, quæ piper album gignit. Piperis prouentus maximus habetur in Malauar locis maritimis, quæ à Comorin ad Cananor vſque pertingunt: quinetiam in Malache maritimis, & in inſulis, quæ circa Iauam ſunt: vnde per mare Erythronæum ad nos comportatur. Longum autem, vt iidem teſtantur, aliæ ferunt arbores, eſtq; velut nucamentum quoddam, exilibus granulis ſquamatim compactum, quod velut iulus in pontica*

Piperis & plantæ eius hiſt.

Plinii lapſus.

Piperis duo genera Theophraſti.

Piperis hiſt.

nuce, cui pulchrè adſtipulatur, vermiculoſa facie dependet: piperato guſtu: nunquam tamen in album, vel nigrum piper coaleſcit. Galenus indigenam fidem, & Dioſcoridem ſecutus, eandem plantam tam rotundum, quàm longum piper credidit. Sed deluſi ſunt, ſiquidem alia valdè diuerſa planta Piper longum mittit, quod in Begala naſcitur. Piperis fruticem vidimus nos Neapoli, qui Luſitanorum deſcriptioni maximè reſpondere viſus eſt, quòd viticuloſo caule eſſet clematidis acuta modo. Sed & aliam arbuſculam vidi Venetijs, quæ prorſus illius plantæ faciem exprimit, quam vulgus Ribem appellat, cuius baccæ, quæ quoque racematim cohærent, ita bellè piper imitantur, vt ſi acriores ſeſe declaraſſent, ego quidem a pipere genuino nihil diſtare putaſſem. Viret hæc in horto clariſſimi medici Maphei à Mapheo, in quo plurima ſimplicia notatu digna viſuntur. Quo fit, vt mirum non ſit, ſi in piperis hiſtoria variant auctores. Quandoquidem cùm varia in Italia piperiferæ habeantur arbuſculæ, facilè credendum eſt, varietatis longè maioris eas in India reperiri. Cæterùm piperis planta, cuius hic imaginem appinximus, nuſquam viua, aut ſicca à me viſa eſt, ſed ita Pragæ Bohemorum eam mihi delineabat Luſitanus quidam miles, qui Indicas perluſtrauerat oras. Verùm integros nigri piperis racemos Verona ad me miſit Franciſcus Calzolarius Pharmacopæus haud indoctus. Porrò & aliud piperis genus habetur, quod AETHIOPICVM, ſiue piper nigrorum vocat Serapio. Hoc in ſiliquis nigris racematim prouenit, piſorum, aut phaſeolorum modo, granis pipere nigro paulò minoribus: & pertinaciter ſiliquis inhærentibus: vtuntur hoc Aethiopes ad dentium dolores. Naſcitur in Aethiopia, vnde nomen inuenit apud Arabes. Affertur ex Alexandria Aegypti cum alijs aromatis. Excalfacit, & eſiccat vehementer, attenuat, incidit, prouocat, aperit, digerit, reſoluit. Non deſunt, qui huius hiſtoriã ignorantes, quam deſcribit Serapio cap: 337. de grano Zelm, illud perperam Carpeſium eſſe putent: quorum opinionem haud probandam conuicimus in noſtrarum epiſtolarum volumine, ad Ioannem Heſſum, medicum Norinbergenſem ſcribentes. Addunt quoque piperis generibus corniculatum illud piper, quod vulgò INDICVM appellant, aut vt alij volunt Siliquaſtrum, quòd acerrimi ſit guſtus. Ea planta itaq; prouenit folijs hortenſis ſolani maioribus longioribusq;, caule cubitali, ac etiã lõgiore, viridi, ramis compluribus brachiato, geniculatoq;: floribus candicantibus,

Piperis plantæ in Italia.

Piperis Aethiopici mentio.

Quorundam op. exploſa. Piperis corniculati mẽtio.

III. PIPER AETHIOPIVM.



IV. PIPER INDICVM.



* V. PIPERIS INDICI VARIETAS.



*è quibus vaginæ oriuntur corniculorum ſpeciem referentes, herbaceo primùm colore, & deinde coralliorũ modo rubeſcente, à pediculo dependens, guſtu acerrimo, adeò vt piper omne ſua ſuperet acredine. In his ſemen concluditur minutum, colore ſubalbicante, eiuſdem protinus guſtus. Seritur in hortis & fictilibus. Huius plura habentur genera: Nam aliud pumilius tota planta prouenit, & corniculis longè minoribus, aliud verò rotundis ferè ſiliquis. Sed omnibus eadem eſt acredinis vehementia. Excalfaciunt & ſiccant omnia exceſſu quarto. Ideoq; valenter vrunt, & exulcerant corpus. Recentia cornicula tuſa & illita Iſchiadicos iuuant, ſiquidem locum exurunt. Non deſunt doctiſſimi viri, qui hoc piperis genus Cardamomum faciunt, manifeſto tamen errore. Piperis meminit Gal. lib. 8. ſimp. med. ſic inquiens: Piperis radix vires coſto ſimiles potiſſimum obtinet.* Piperis vires ex Galeno. *Porrò fructus eius nuper quidem admodum germinantis, longum piper eſt: quare etiam maturo humidius eſt: humiditatis eius indicium eſt, quòd facilè repoſitum perforetur, ac non protinus mordicet, ſed poſt paulò incipiat, verum pluſculum duret. Porrò fructus, qui velut omphax eſt, piper album eſt, nigro quidem acrius. Nam illud iam quaſi ſuperaſſatum eſt, & ſuperexiccatum. Verùm vtrunque valenter tum excalfacit, tum deſiccat. Integra grana quinque numero quotidie deuorata, iis auxiliantur, qui ventriculi dolore, tum ex flatu, tum cruditatibus exorto, laborant. Cæterùm quoniam Dioſcorides inter ſimplicia de* CARYOPHYLLIS, *quæ mihi piper in mentem redegit, nihil poſteritatis memoriæ mandauit, cùm ex eiſdem afferantur regionibus, ſintq; in præcipuo medicorum vſu, adeò præſtantiſſimum, odoratiſſimumq; medicamentum ſilentio non diſſimulandum duxi.* Caryophyllorum hiſt. *Prouenit igitur Caryophyllorum arbor in orientali plaga, quibuſdam Indici pelagi inſulis, non longè à Badan. Huius caudex buxo ſimillimus eſt, eademq; materies. Folia verò cinnami vulgaris inſtar habet, ſed rotundiora: fructu eſt paruo, ex atro rufeſcente, in claui modum capitato, exertis in aduerſum quatuor denticulis, ſeſe ſtellatim decuſſantibus, prominulo apice, quadrati alueoli ſinu medio vmbilicatim prodeunte. Arbor quæ Caryophyllos profert, lauri faciem refert, foliis tamen anguſtioribus, ſalicis, aut perſicæ mali ſimilibus, in ſummo per ambitum ſinuatis, multis prædita ramis, floribus numeroſis inprimis candidis, deinde vireſcentibus, poſtremò verò rufeſcentibus, vſque adeò odoratis, vt reliquos flores odoris ſuauitate ſuperent: è quibus Caryophylli proueniunt, qui nil aliud ſunt, quàm rudimentum fructus. Flores enim qui quaternis foliolis conſtant, huic fructus rudimento inſidet, fibris numeroſis refertus, perinde ferè ac Myrti flores. Proueniunt Caryophylli in extremis ramulis, Myrti modo. Adhæc pediculi quibus Caryophylli nituntur ii ſunt, qui officinis vulgari idiomate appellantur Fuſti. Naſcitur autẽ arbor ipſa ſponte ex decidentibus Caryophyllis. Adoleſcit intra octennium, perduratq; in centeſimum annum vſque. Naſcitur magno prouentu tantum in Moluccis inſulis. Nam quamuis in Zeilan & nonnullis aliis Indiæ locis proueniat arbor, nuſquam tamen fructum edit præterquam in Moluccis. Cultores arundinibus flagellant arborem, conſtrato prius circumquaque tegetibus palmeis ſolo. Caryophylli meminit Plinius libro 12. cap. 7. his verbis: Eſt etiamnum in India piperis grani ſimile, quod vocant Caryophyllon, & grandius, fragiliusq;. Tradunt in Indico luco id gigni. Aduehitur odoris gratia.* Caryophyl. Plinii. *Horum nuſquam inuenio mentionem feciſſe Galenum: tametſi Serapio ex Galeni auctoritate plura de Caryophyllis tradiderit ſuo de ſimplicium medicamentorum volumine. Quamobrem crediderim aut Galeni librum, in quo de Caryophyllis diſſeruit, periiſſe, aut Pauli potius, quàm Galeni teſtimonio de his ſcripſiſſe Serapionem. Nam de Caryophyllis prius Paulus iiſdem, quibus poſtea Serapio, verbis tractauit, lib. 7. vbi hæc habet: Caryophyllon, quaſi dicas nucifolium, non eam habet ſubſtantiam, quæ nomine prædicitur, ſed ex India veluti flores cuiuſdam arboris feſtucacei, & nigri ſunt, longitudine ferè digitali, odorati, acres, ſubamari, calidi, & ſicci in tertio propemodum ordine: qui multiplicis vſus ſunt, tum ad obſonia, tum ad alia multa medicamenta. Caryophylli, vt ſcribit Serapio, iocinori, ſtomacho, & cordi auxiliantur: Concoctionem adiuuant, & alui fluxiones cohibent. Quinetiam eorum puluis quatuor drachmarum pondere cum lacte ſumptus, venereas vires adauget.* Caryophyllorum vires ex Paulo.

## VI. CARYOPHYLLI AROMATICI.



 Exacuunt

*Exacuunt præterea, Auicenna auctore, oculorum viſum, & eorum nubeculas, argemaſq́; exterunt. Atque hactenus de hiſtoria & viribus Caryophylli ſeminis Aromatici.* CARYOPHYLLORVM *plantæ ramuſculum, Caryophyllus* [Caryophyllorum vires Matth.] *onuſtum, cuius hic imaginem damus, miſit ad me Franciſcus Calzolarius Veronenſis. Excalfaciunt, ſiccant Caryophylli & extenuant ordine tertio, odorati, acres, ſubamari, non ſine leuicula adſtrictione. Itaque roborant, & aperiunt ſimul, attenuant, digerunt, inciduntq́; In cibis deuorati, ventriculi, iocinoris, cordis, & capitis affectibus auxiliantur. In puluerem hauſti ex vino, aut malorum cydoniorum ſucco, vomitiones cohibent, cœliacos iuuant, nauſeam remouent, & cibi appetentiam reuocant, roborantq́; cùm ventriculum, tum etiam caput. Afferunt & iocinori præſidium: namque vbi refrigeratum fuerit bellè excalfaciunt. Ideoque hydropicis, & præſertim anaſarca affectis, vtiliter propinantur. Olfactu reuocant animi deliquijs laborantes, manſiq́; anhelitum commendant. Conferunt comitialibus, reſolutis, conuulſis, ſtupidis, & veternoſis: concoctiones adiuuant, & alui fluores torrefacti cohibent: illinuntur quoque perquàm vtiliter cum maſtiche, Rhoe, corallis, & punici floribus, ad ventriculi morbos, & præſertim hos, quibus adſtrictione opus eſt. Hauſti quatuor drachmarum pondere ex bubulo, caprilloue lacte, venerem excitant. Exacuunt præterea oculorum aciem, & caligines tollunt, quin etiam nubeculas, & argemas, in tenuiſſimum puluerem triti, & oculis inditi. Iidem tam deuorati, quam ſuffiti, valent, aduerſus peſtilentem contagionem: ſuffiuntur vtiliter capitis fluxione obnoxij, & qui narium obſtructione laborant, fumo naribus excepto. Adduntur in Antidotis, & in ſuccis, qui ventriculo, & capiti roborando parantur. Cæterùm quoniam in Caryophylli nomen incidimus, hic non prorſus intactos relinquemus flores illos, qui ab odore ſimiliter* [Caryophylli flores, & eius mentio.] CARYOPHYLLI, *& Garofoli vulgò vocantur. Hi quidem non fuerunt, quod ego ſciam, à veteribus cogniti, etſi nobis hodie ſunt adeò celebres, vulgares æquè ac iucundi, vt nullus iam ſit hortus, nullæ ædium ferè feneſtræ, quæ hiſce floribus non ornentur.*

VII. CARYOPHYLLI DOmeſtici.



VIII. CARYOPHYLLI SYLueſtres.



*Seruntur à mulieribus, coluntur q́; in fictilibus, aut capſulis ligneis tranſpoſiti, ſæpiusq́; irrigati Horum plantam recentiores nonnulli Vetonicum Coronarium appellant. ſed quo authore, hactenus compertum non habeo. Verùm ne videar eorum* [Vetonicorũ florum deſcriptio.] *inuenta negligere, liceat etiam mihi eadem vti nomenclatione.* VETONICVM *itaq́; coronarium, quod caryophyllum appellamus, folijs eſt longis, Tragopogoni modo, breuioribus tamen, carnoſioribus, ac pinguioribus, incuruis, & in acutum deſinentibus. Cauliculos edit numeroſos, rotundos, geniculatos, læues, cubitales, tribus, quatuorúe in ſummitate aductis, in quorum cacumine teres, longiuſculusq́; calyx ſpectatur, ſuperiore parte ſerræ modo denticulatus, è quo flos ſpecioſiſſimus oritur, Caryophyllorum odoratu, vnde illi nomen. Varia ſunt horum florum genera, colore & foliorum ſtipatu differentia. Alij enim maiores ſunt, alij minores. Variat in floribus color: quandoquidem alii coccineo colore rutilant, alij ſaturata purpura nitent, alij candido, alij carneo colore gaudent. Sunt & verſicolores nonnulli, albo rubroq́; colore mixtim reſperſi, ſed mangonio parati, ſeminibus diuerſorum generum ſimul conſtrictis. Stipantur ferè omnes in omni genere, numeroſa foliorum ſerie, perinde ac roſæ, cum quibus de pulchritudine, odoris præſtantia, & colorum varietate ad victoriam vſque certant. Ideoq́; mirum, nullam apud antiquos horum extare memoriam. Habetur eadem planta etiam ſponte naſcens* [Caryophylli syluest.] *[locis incultis & aridis atque ſaxoſis. Foliis, caulibus, floribusq́; exeunt altilibus ſimilibus, ſed longè minoribus tenuioribusq́;] altera floribus rutilis, altera candidis, vtraque tamen gracilior, flore paruo, haud folioſo, & nullo caryophyllorum odore. Naſcuntur locis incultis, & aridis. Calida, ſiccaq́; pollere facultate altile Vetonicum inditio eſſe poteſt odoris fragrantia, & ſaporis amarulentia quadam. Flores, & præſertim purpureorum, præſtant ad omnes cordis affectus, nempe* [Vetonicorũ florum vires Matthiolo.] *ad animi deliquia, & cordis ipſius tremorẽ: præſtant item ad vertigines, apoplexiã, epilepſiã, paralyſim, & conuulſiones ex Betonicæ, aut amaraci decocto poti. Aſſeruantur ſaccharo, perinde ac roſæ, vtiles admodum nõ ſolùm ad prædicta omnia, ſed ad cuncta venena, et venenoſorũ animaliũ ictus. Dantur ad inteſtinorũ animalia necãda, et aduerſus peſtilentiæ contagia.*

*Veto-*

*Valentius tamen id facit ſuccus ex vniuerſa planta expreſſus. Namque is hauſtus, quatuor vnciarum pondere, vbi morbus inueſcit, liberat. Syluestrium radices, trium drachmarum pondere hauſtæ ex meraco, à vipera demorſos ſanant. † It ex deletum floribus acetum, iis in eo inſolatis, quo naribus illito reuocantur animi deliquio conſternati. Idem quoq; vtile eſt peſtilenti auræ arcendæ, vbi eo quotidie nares, arteriæ, & manus irrorentur. Syluestres præſtant quoque ad ea omnia, ad quæ altiles præſtare diximus, verùm longe remiſſius operantur. Quod Græci* πέπερι*, id Piper Latini vocant: Mauritani, Fulfel, ſeu Fulful: Itali Pepe & Peuero: Germani Pfeffer: Hiſpani Pimienta: Galli Poyure. Piper Aethiopicum, ſiue nigrorum, Italis Pepe de Ethiopia. Indicum Piper ſiue Siliquaſtrum, Italis Pepe cornuto, aut Pepe de India: Germanis Indianiſch Pfeffer: Gallis Poyure de Inde. Quod verò Græcis* καρυόφυλλον*, Latinis pariter Caryophyllum appellatur: Mauritanis, Perſis, Turcis, Indis, Calafur, Carunfel ſeu Charunful: Barbaris Gariofilus: Italis Garofono: Germanis Nägelin: Hiſpanis clauos de è ſpecia, ſiue Clauellos: Gallis Girophles. Caryophylli flores domeſtici, nonnullis Vetonicum. Italis Garofoni & Garofoli: Germanis Graſsblum, ſiue Näglinblum: Gallis Oeilletz ſiue Giros fleurs. Caryophylli ſylueſtres, Italis Garofani & Garofoli ſaluatichi: Germanis Donder Näglin: Gallis Armoiries & Oeilletz ſauuage.* Nomina.

*† Ex Græcis vulgatis codicibus aliqui hoc in loco ſcriptum habent* ὡς φάσιν*, quod ſonat, vt dicunt: alij verò* ὡς φακὴς*, id eſt, vt lenticula. Vnde etiam ex interpretibus alij hanc, alij illam ſecuti ſunt lectionem. Oribaſius verò nec hoc, nec illud legit: qui præterea alia multa & hic, & alibi non deſcribit, quæ fortaſſe non temerè quis illegitima iudicare poſſit.*

Piper veteribus triplex, longum, album & nigrum, quæ tria genera adhuc in Officinis nomine Macropiperis, Leucopiperis, & Melanopiperis habentur. Seritur autem Piper ad radices arboris, quò ſeſe conuoluendo ſcandere poſsit, foliis raris, mali Aſſyrii effigie, ſed minoribus, acutis, virentibus, guſtu calidis. Fructus vuarum modo racematim cohæret, ſemper virens donec maturitatem conſequatur & ſiccetur, quod circa medium Ianuarii in Malauar euenit: radix puſilla. Eſt autem inter eam plantam quæ nigrum fert, & quæ candidum, tam exigua differentia, vt à nemine, quàm ab incolis dignoſci poſsit: eo modo quo vitis, quæ vuam fert nigram, ab ea quæ albam. Sunt autem candidi plantæ rariores in certis Malauar & Malucæ locis naſcentes, vbi eo magnates, quemadmodum nos ſale, vtuntur. Quæ verò longum Piper profert, longè alia eſt planta, nil cum his ſimilitudinis habens, in Bengala proueniens plus quàm quingentarum leucarum ſpatio à Malauar, vbi candidum & nigrum prouenit, diſtans: quàm rectè ergo longum nigro, aut albo ſubſtituitur? His generibus adduntur Aethiopicum, Caudatum, Canarinum: habet & Alpinus peculiare piper longum, quod Feluel tauil nominat, herba iunci foliis craſsioribus, è quibus ſectis ſuccus flauus, acris, magis quàm piper exurens, emanat. I. Piper Matth. Lugd. Lon. non nouimus. II. Piper longum, Cord. in Dioſc. & hiſt. Caſt. (cui aliud Orientale ex Bengala, aliud Occidentale, in Cartagena & nouo orbe) Piper, Cluſ. ad Monar. Piper longum Monardi Lob. Piper longum Americum, Lugd. Piperis longi genus in India Occidentali, Cæſal. Additur huic figuræ & vna piperis rotundi. III. Piper Aethiopicum, Matth. Lob. (cui & Amomum officinarum quarundam) Caſt. Lugd. Tab. Carpeſium, Cord. hiſt. IV. Capſicum, fortè quod ſemen comeſtum mordeat, καψικὸν Actuario dicitur: Zinziber Caninum Auicennæ: Siliquaſtrum Plinio lib. 19. ca. 12. cuius aliquot differentiæ in fructu, ratione formæ & coloris: color is aliis in initio niger, aliis viridis, in maturitate autem aut croceus, aut rubicundus. Figura aliis longa, eaq; vel craſſa, vel gracilis & incuruata: aliis breuis, eaq; lata cordata: vel rotũda cerasi forma: denique & piloſo caule. Binæ figuræ adpoſitæ, altera Capſici ſiliquis oblongis, quod dicitur Piper Indicum, Matth. Caſt. Cæſalp. Cam. Piperitis, Cord. in Dioſc. Siliquaſtrum longis ſiliquis, Trag. Capſicum oblongius, Fuch. Dod. gal. & fol. Lugd. Siliquaſtrum, Fuch. Lacu. Lon. Tab. Capſicum Actuarii, Lob. V. Altera figura oblongum recuruis ſiliquis, latum, cordatum & rotundum exprimit. VI. Caryophyllorum aromaticorum, cum diuerſa ſit hiſtoria, duas figuras adpoſuimus, alteram quæ Matthioli, eſt foliis Cinnamomi rotundioribus: alteram laurinis foliis: ſiquidem arbor ſit lauri forma & magnitudine, foliis laurinis, ſed anguſtioribus, Salicis aut Perſicæ folio ſimilibus, oblongioribus tamen pediculis donatis, multis ramis prædita, copioſo flore, quaternis foliolis conſtante, fibroſo, Myrti floris inſtar, extremis ramulis inſidente odoratiſsimo, candido, dein vireſcente, poſtremùm rufeſcente: qui induratus eſt Caryophyllum ipſum, (vel potius Caryophyllum, rudimentum eſt fructus, quemadmodum in malis, pyris, atque punicis videre eſt) clauum vocant, quòd in modum claui ſit capitatus, exertis in aduerſum quatuor denticulis, ſeſe ſtellatim decuſſantibus. Caryophylli à ſeptembri ad Februarium vſque decuſſi, biduum aut triduum ſiccantur, dein aſſeruantur: qui verò in arbore remanent, craſsiores fiunt, neque ab aliis, niſi vetuſtate differunt, ſub quorum cortice ſemen continetur: ex decidentibus arbor ipſa ſponte in Maluccis (vbi ſolùm fructifera gignitur) prouenit. An Carpeſium Quinto medico? Arbor ipſa Caryophyllon Aeginetæ & Sethi, Charumfal Arabibus dicitur. Fructus qui adfertur, cum immaturus ſit & minor, quàm in arbore remanente, idcirco Caryophyllus immaturus aut minor, Cord. in hiſt. Florem Caryophyllorum Cluſius in Corol. ad Dodonæũ gallicæ editionis vocauit, aliis Caryophylli & Caryophylli aromatici. Maiores verò, qui ſecundæ figuræ adpicti, Nicolao Anthophylli dicuntur, vt & Lob. Lon. Cæſal. Tab. ſed impropriè, contrarium enim dicere deberent, cum hic maturus ſit fructus, quare Caryophyllum maturum ſeu maiorem, Cordus in ſua hiſtoria nominauit. Meminit Garzias in inſula, cui D. Laurentio nomen, fructum eſſe Auellanæ magnitudine cum ſuo putamine, qui Caryophyllos redoleat. VII. Caryophyllus flos à Caryophyllorum aromaticorum odore nomen habet, licet ſint alii odoratiores mangonio, alii minus, alii etiam inodori: ſic in Chinarum regione, licet etiam naſcantur, nequaquam tamen odoris ſuauitate commendantur, vt ii, qui apud nos habentur. Veteribus florem hunc indictum plerique credunt: quid ſi dicamus Betonicam alteram eſſe, quæ inter notha apud Dioſcoridem reperitur: etſi ſint qui minus rectè Iphium Theophraſti, cuius 6. hiſtoriæ 2. & 7. hiſt. 12. meminit, cenſeant: aliis Herba tunica eſt: aliis Cantabrica Plinii lib. 25. cap. 8. Summa genera duo facimus; flores ſunt altiles & ſylueſtres. Altilis ſpecies multæ, magnitudine, colore & foliorum numero differentes. Flores namque aut maiores: & vel maioribus, vel minoribus foliolis conſtantes. Sunt colore aut niuei, aut diluta purpura candicantes, aut croceo rutilantes, aut verſicolo- Piperis deſcriptio. Longum Piper.

res: vt candidi & crocei, candidi & rubei, candidi rubris punctulis aſperſi. Rubentes, aut violaceo admixto purpurei, aut rubei lacteis notis aſperſis, ſicq; guttati, aut roſæ ſylueſtris colore. Sic ex vno caule duo florum genera, partim candidi, rubriſq; maculis aſperſi, partim crocei, ſæpe etiam vno pediculo duorum coloris flores videas: aliquando vnus ex alio medius excreſcere videtur: ſic in vna planta flores trium generum: in ſumma, mangonio & arte varietas magna fit in his floribus. Sylueſtrium quoque magna varietas exiſtit, & in magnitudine, & coloris & floris figura, & calycis varietate, plerique tamen ſimplici ſunt flore: quæ ratio vt ſupra quadraginta ſpecies in Phytopinace noſtro recenſuerimus. Verum Caryophyllus altilis, dicitur Garyophyllea, Trag. Caryophylli domeſtici, Matth. Cam. Flos garyophyllorum, Lonic. Flos garyofilus, quem alii Violam Damaſcenam vocant, Cæſal. Caryophylleus flos maior, Dod. fol. Caryophyllus multiplex, Lob. Tab. Betonica, Geſ. hor. Betonica altilis, Fuch. Vetonica altilis, Dod. gal. Betonica coronaria, Lac. Cantabrica Turnero. VIII. Caryophyllum ſylueſtrem videtur Galenus agnouiſſe, & 5. de tuenda ſanit. Sarxiphagon appellaſſe: nam & ſylueſtris noſtra calculum frangit & educit, quod Galenus de Ceſtri ſeu Betonica in Gallia proueniente teſtatur. Fortè & Theophraſtus 6. hiſt. 1. & 6. per Iouis florem inter coronarios ſuffrutices minutis conditum foliis, cuius flos, ſine odore, tantùm in coronarum vſu, ſylueſtrem caryophylleum intellexit. Hoc verò loco qui proponitur, Caryophyllus ſylueſtris eſt vulgaris flore ſimplici, qui licet communiter ſit inodorus, aliquando tamen odorus eſt, flore purpureo frequenter, rarius albo: Tonitruum flos, Brunf. Garyophyllea ſylueſtris, Trago. Caryophylli ſylueſtres Matth. Caſt. Lugd. Cam. Betonica ſylueſtris prima, Fuch. Vetonica, Dod. gal. Armerius flos primus, Dod. fol. Armeria ſiue Caryophyllus minor ſylueſtris, Lob. Lugd. Flos Caryofilus, ſylueſtris, Cæſal. Tunica ſylueſtris, Lon. Caroyphyllus montanus, Tab. Caryophyllea ſylueſtris, Thalyo.

## Ζιγγίβερ. GINGIBER. CAP. CLIIII.

GIngiber ſui generis planta eſt, in Troglodytica Arabia magna ex parte naſcens. Qua virente ad multa, perinde atque nos ruta, vtuntur, & primis potibus, & eduliis admiſcent. Huius radices, cyperi modo, paruæ ſunt, candicantes, & odoratæ, atque piper ſapore imitantur. Eligi debent, quæ teredines non nouerunt. A multis tamen ob id condiuntur, quòd celeriter cariem ſentiant: & fictilibus in Italiam aſportantur. Gingiber cibo conueniens eſt, & cum condimento aſſumitur. Excalfactoriam vim, & concoquentem habet: aluum leniter emollit: ſtomacho vtilis eſt: efficax aduerſus ea, quæ oculis caliginem offundunt: in antidota addi ſolet: In ſumma piperis viribus reſpondet.

### *I. ZINGIBER ET EIVS ſiliqua.



*GIngiber (vt referunt Luſitani, qui plurimum ſe vidiſſe fatentur in India) radix eſt, quæ geniculatis repit internodijs, folijs arundinaceis, quæ bis terúe in anno reuiuiſcunt, ac reuireſcunt, ſed quæ in cacumine faſtigiantur, graminis amplitudinem non excedere aiunt, nec quicquam in ea regione frequentius inueniri. Subdunt nonnihil ſubeſſe diſcriminis in ſapore cùm præcox eruitur. Opportunum demetendi tempus, cùm folia inaruerint, alioquin & teredini obnoxiũ eſt, & carie tentatur. Eruiturq́; nonnunquam eius radix libræ pondo, ſed nõ omnibus eadem eſt amplitudo. Plus in profundum non agitur, quàm ad ternos, quaternoſuè palmos. Cum eruitur, radicis internodium in ſcrobe foſſores relinquunt, terramq́; illi aggerunt, ceu eius radicis ſemen, proximo anno eruturi fructum, id eſt, regerminatas radices. Aduehitur Gingiber in Italiam copioſum ex Calecut magno Indiæ emporio, atque ex Troglodytica Arabia non ſolum tractu temporis exiccatum, ſed & ſaccharo recentiſsimum aſſeruatum, vel quodam mellis genere, quod quibuſdam è ſiliquis exprimunt. Id ſanè longè magis Veneto præſtat: cùm hoc officinarũ mangonio ex aridis fiat radicibus, longo temporis tractu modò acerrimo lixiuio, calce, quernoq́; cinere parato: modò muria, modò dulci aqua maceratis, & edomitis, quibus non modo odor eo perditur ac euaneſcit, ſed & ſapor, & acrimonia ſubtrahitur. Illud verò cùm ſtatim è terra effoſſum nullo ferè maceratione condiatur, vires & facultates non exuit, ſed eas ſeruat. Quanquam Braſauolus non rectè, meo quidem iudicio, velle videatur, quod Venetijs mangonizatum Gingiber guſtantibus plus acrimoniæ relinquat, quàm illud, quod recentiſsimum in Indiæ ſiliquarum melle, aut ſaccharo conditum aſſeruatur, & cum alijs aromatum generibus ad nos conuehitur. Quod quantum à veritate & ratione diſſonet, ij iudicare poterunt, qui diu in myropolijs verſati, rem omninò exploratam habent. Gingiberis vires memoriæ prodidit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Gingiberis radix vtilis eſt, quam vtique ex Barbaria ad nos conuehunt. Excalfacit potenter, ſed non primo ſtatim occurſu, velut piper: vnde ſanè & minus eſſe ſubtilium partium, quam piper, exiſtimandum: ſiquidem in tenues ſolueretur partes, & celerrimè actu, vt illud, fieret calidum. Apparet enim illaborata, & craſsior adhuc quædam ei ineſſe ſubſtantia, nec ea ſicca & terreſtris, ſed humida potius atque aquea. Quo fit, vt facilè perforetur, cum ſcilicet recrementitia inſit humiditas. Neque enim quicquam eorum, quæ aut planè ſicca ſunt, aut humida, ſed elaboratam, & familiarem continentia humiditatem, huic vitio obnoxia ſunt. Idem vſu venit piperi longo. Atque hinc eſt, quòd diutius perſeuerat, quæ proficiſcitur à gingibere, aut pipere longo caliditas, quàm quæ ab albo, aut nigro. Nã ſicut ab aridis calamis flamma ſimul celerrimè accẽditur, et vndequaq; diſpergitur*

Braſauoli error.

Gingiberis vires ex Gal.

*tur: eundem in modum, quæ à ſiccis poteſtate medicamentis editur caliditas. At quæ prodit ab humidioribus, ceu ligna ſunt viridia, & tardius accenditur & durat diutius. Ex quo fit, vt vtriuſq; medicamenti diuerſus ſit vſus. Siquidē vbi totū corpus celeriter excalfacere conſiliū eſt, ea tunc exhibenda ſunt, quæ & celeriter à caloris noſtri contactu incaleſcant, & celeriter quocunq; ferantur. Verùm vbi partem quamuis refrigeratam recalfacere ſtudemus, contrà agendum, nimirum quæ tarde caleſcentia plurimo tempore perdurent, ea offeruntur. Cæterùm licet gingiber, & piper album hac ratione à nigro pipere differant: non magna tamen eſt differentia. At naſturtium, napi, thapſia & agreſtium columbarum ſtercus, maiori tempore perfectè accenduntur, & plurimo tempore perdurant: hactenus Galenus. Faciem Gingiberis repræſentat radix illa,*

## *II. ZEDOARIA LONGA & rotunda. *



*quam Mauritani, & officinæ* ZEDOARIAM *appellant, odoratior tamen, amariuſcula, neq; adeò vt gingiber acris.* Zedoariæ hiſtor. & vires. *Huius nuſquam, quod ſciam, meminere veteres Græci, etſi recentiores ab Arabicis edocti, nempe Aetius & Actuarius, eam ſuis medicamentorum compoſitionibus admiſceant. Zedoaria (vt cap. 172. teſtis eſt Serapio) conuehitur è Sinarum regione, vltra extremas Indiæ oras.* Serapio. *Et ſunt radices rotundæ, cum facie, tum magnitudine Ariſtolochiæ rotundæ ſimiles, colore autem, & ſapore Zingiberi æmulantur. Excalfacit Zedoaria, & ſiccat ordine ſecundo, flatus diſcutit, & propria quadam facultate impinguat. Poſt ſumpta graue virus animæ, quod allium, cæpa vel vinum excitauit, abigit. Venenoſorum animalium morſibus opitulatur, alui fluxiones ſiſtit, vteri abſceſſus reſoluit, vomitiones reprimit & coli cruciatus tollit: hæc Serapio. Cuius quidam authoritate freti, cum Zedoariam, quæ paſſim in myropolijs habetur, radices eſſe longas inſpiciant, minimè conſentiunt legitimam has Serapionis eſſe Zedoariam, ſed genuinum eſſe Coſtum affirmant. Verùm ſi rotundas Zedoariæ radices inſpicerent,* Zedoariæ rotundę mentio. *quæ apud me ſunt à Franciſco Calzolario Veronenſi mihi dono datæ, Ariſtolochiæ faciem referentes, & ſoliditate pares, nihil mihi verendum eſt, quin illi ſuam immutarent ſententiam, ſiquidem viderent rotundam Zedoariam eiuſdem eſſe ſaporis, coloris odoriſq; quibus longa referta eſt, & nihil niſi forma ab ea differre aſſerere cogerentur. Quinetiam proculdubio faterentur (vt ego quoq; exiſtimo, imò potius non dubito) duo haberi Zedoariæ genera, perinde ac Ariſtolochiæ, nempe rotundum alterum, alterum longum. Atqui reuera, non parua oritur mihi ſuſpicio an Auicennæ, & Serapionis Zedoaria eadem ſint radices, cum ſcribat Auicenna præſtantiorem Zedoariam apud Napellum naſci, & ipſius eſſe Theriacam. Id quod me adducit ad credendum eam eſſe Auicennæ Zedoariam, quam quidam Antoram (ego Antitoram) appellant, quod hæc, omnium conſenſu, vnà cum Napello naſcatur, & eius ſit antidotum.* Zedoaria Auicēnæ quæ. *Toram enim vulgus Napellum appellat: & Antitoram vel Antoram Auicennæ Zedoariam, quòd contra Toram præſentaneum ſit auxilium. Deinde opinionem auget, quòd videam Auicennam Serapionis Zedoariam, & eiuſdem vires deſcribere ſub capite & nomine Zurumbeti, vt latius in Epiſtolis noſtris ſcripſimus ad Gulielmum Quacelbenum. Non deſunt, qui crediderint, quòd* ARNABO*, de quo ſcribit Paulus, & Mauritanorum Zedoaria vnum & idem referant medicamentum.* Arnabo & Zurumbet hiſt. *Verùm Serapionis teſtimonio cap. 271. Arnabo apud Græcos nihil aliud deſignat, quam Zurumbet apud Arabes: quippe quòd hoc loco de Zurumbet eadem ſcribat Serapio, quæ de Arnabo ante ipſum adnotauit Paulus. Eſt autem Arnabo, vt ex Serapionis authoritate memoriæ prodidit Iſach, arbor procera, in oriente proueniens: folijs longis, colore viridi, in luteum langueſcente, ſalicis modo, ſicuti & ramorum cortex. Infrugifera eſt, citreum odorem ſpirans. Quibus facilè patet, Arnabo non modò Zedoariam non eſſe: ſed nec in Europam ad nos aduehi. Quo fit, vt Cordus aberraſſe deprehendatur: quippe qui Zurumbet Zedoariæ genus exiſtimet.* Cordi Fuchſii & Brunfelſii error. *Hanc fortaſſe ſecutus Fuchſius medicus doctiſſimus, in libro de compoſitione medicamentorum, quem locupletatum nuper edidit, non ſine magno errore putat Zurumbet & Zedoariam idem eſſe. Qui non minus in Arnabo quoq; erraſſe cognoſcitur, quòd velit Doronicum orientale id eſſe, quod Paulo Arnabo: atqui res hæc aliter ſe habet, vt ex antè dictis ſatis colligi poteſt. Hallucinatur etiam hac in re Brunfelſius: quòd is ſcripſerit ſuo de medicis vocabulis Onomaſtico, quòd Arnabo vnguentum eſt odoriferum. Verùm eius lapſus non aliam cauſam fuiſſe arbitror, quàm quòd oſcitanter Paulum legerit: nam Paulus apertiſſimè aſſerit, Arnabo vnguentis expeti, quòd ſuauiter oleat, non autem vnguentum eſſe, vt Brunfelſius ſomniaſſe videtur. Id ζιγγίβερ, ζιγίβερι καὶ γιγγίβερι Græcè, quod item Latinè Zingiber & Gingiber nominatur: Arabicè Lengibel ſeu Zingibel: Italicè Gengeuo: Germanicè Ingber: Hiſpanicè Gengiure: Gallicè Gingambre.* Nomina. *Quod verò ζέδαρ, ζάδουρ καὶ ζάδερα poſterioribus Græcis, Zadura & Zedoaria Latinis pariter & Italis appellatur: Germanis Zittwen: Gallis Cretonart.*

Zingiber & Zimpiber Plinii, Officinis Gingiber dicitur, quod alii harundinis, alii Iridis folia habere referunt: alii Cypero cognatum volunt: cuius radices colore variant, ſunt albæ, ſunt rubræ: illæ ſæpius creta, hæ verò rubrica exterius infectæ ſunt, vt magis à teredinibus præſeruentur, cui candidiores & molliores magis obnoxiæ: quamuis Ludouicus Romanus teſtetur in terra omnifariam rubra naſci. II. Zedoaria quæ in Calecut Gingiber Sylueſtre dicitur, á quibuſdam veterum Arnabo & Arabum Zurumbet cenſetur: at Garzias ſcribit Arnabo Pauli arborem eſſe proceram, ſuauem odorem ſpirantem: Zerumba verò, graminaceam eſſe plantam. Verum ad Coſtum Syriacum Dioſcoridis referendam cenſemus. Hæc longa & rotunda inuenitur, communiter tamen in Officinis longa habetur: alii vnam tantùm radicem, alii differentes ſtatuunt, illam longam, hanc rotundam, vel tuberoſam nominantes. Sic & hæc quæ tuberoſa eſt, foris nigricans reperitur, & Zerumbet Serapionis cenſetur Cluſio in notis ad Garziam.

## Ὑδροπέπερι. HYDROPIPER. CAP. CLV.

† Solidũ non leg. Orib.
† δριμύτερα i acriora, Or.

HYdropiper apud aquas naſcitur, quæ ſtagnant, aut pigro lapſu repunt. Caulem edit geniculatũ, † ſolidum, multis alis concauum: folia menthæ, maiora, molliora, candidioraq́; † guſtu piperis, acri, citra tamen vllam odoris gratiam: fructum acrem, in ſurculis paruis, prope folia racematim cohærentem. Folia cum ſemine illita, tumores vetereſq́; duritias diſcutiunt, ſugillata delent: quæ poſtquam inaruerunt tuſa pro pipere in obſoniis admiſcentur. Radix parua, nullius in medicina vſus.

I. HYDROPIPER SIVE Perſicaria.



II. PERSICARIA ALtera.



Hydropiperis conſid.

*TAmetſi pro virili parte contendat Ruellius, vt non minus doctis, quàm elegantiſsimis verbis comprobet, eam non ſpernendam ſtirpem, quam vulgus officinarum Eupatorium appellat, legitimum eſſe Hydropiper: is tamen hac in re apertè hallucinari deprehenditur, quamuis alioqui fuerit non modò in medica materia peritus, ſed & Latinis & Græcis literis apprimè doctus. Siquidem Dioſcoridi Hydropiper folia edit menthæ maiora, molliora, candidioraq́; guſtu piperis, acri, citra tamen vllam odoris gratiam: non autem amaro ſapore, vt Ruellius ait, Dioſcoridis verba peruertens, quò facili... ſuam aſtruat ſententiam. Vulgare verò Eupatorium folijs creſcit cãnabinis, duris, hirſutis, amaro guſtu, non quidem acri vt piperis: quinetiam adeò odoratis, vt hac de cauſa herbam eſſe viribus inſignem, quãuis ab antiquis ſilentio prætermiſſam, ſemper exiſtimauerim, cum tamen odoris fragrantiam in hydropipere reperiri neget Dioſcorides. Præterea hydropiperi caulis ineſt geniculatus, ſolidus, à foliorum & adnatorum exortu alis plurimis concauum: ſemine etiamnum acri, in ramuſculis prope folia racematim cohærente: Pſeudoeupatorio verò caulis eſt procerus, minimè geniculatus, in cuius ramis nullum apud frondes racematim cohæret ſemen: ſed in cacumine flores gerit ſubrubentes, qui diuiſi muſcarij facie, ſylueſtris origani modo, per maturitatem in pappos euaneſcunt: è quibus ſemen prodit amarum totius plantæ ſapore: quanquam eſſe hoc acrimonia præditum non rectè Ruellius aſſeueret. Qui quoniam vulgare Eupatorium plerunq; in aquoſis oriri conſpexerit, id omnino legitimum eſſe Hydropiper pro certo aſſerere non dubitauit, nulla prorſus habita ratione, an aliæ inter ſe reſponderent notæ. Quamobrem, vt ex dictis rationibus clariſſimè patet, Ruellius hac in re non ita maturè mihi videtur ſenſiſſe, vt eius clara doctrina, ingenijq; præſtantia expoſcere videbatur. Quandoquidem cum vulgare hoc Eupatorium primo ſtatim occurſu guſtui amarorem relinquat haudquaquam obſcurum, facilè hinc indicium conſequi potuiſſet, hoc non eſſe hydropiper, quo vnà cum ſale in ciborum cõdimentis piperis vice priſca ætas vtebatur: nam quæ amara ſunt, preterquã quòd piperis vicem explere minimè valent in cibis addita, ab omnibus reſpuuntur tanquam naturæ inimica. Hydropiper duum eſt generum, alterum minus, alterum maius: item alterum acri admodum ſapore, alterum verò omnis acredinis expers, & aſpero tantum adſtringentiq; guſtu præditum. Cæterùm ſi in Italia Hydropiper naſcitur, illa meo quidem iudicio eſt perſicariæ (vt vocant) ſpecies, quæ in alterius diſcrimen, cui folia inſunt pullo colore emaculata, nullis ſimilibus inficitur notis, ſed folio tantùm viridi adoleſcit. Quippe quæ folijs proueniat oblongis, menthæ maioribus, mollioribus ac candidioribus: caule admodum geniculato duroq;, alis concauo: e cuius adnatis ruſum ſemen racematim prodit, acri admodum guſtu, ita vt linguam vehementer vellicet. Illud inſuper hanc opinionem corroborat, quòd propè ſtagnãtes aquas hæc planta plerunq; vireſcat, vbi eam Dioſcorides naſci teſtatur. Manebo itaq; hac in ſententia, etiam latrantibus Sycophantis, quouſq; nouus quiſpiam appareat Dioſcorides, qui aliud afferat nobis Hydropiper, quod ſua è ſede hinc abigat perſicariam. Sternitur commode hæc recens, viriduſq; in thalamis, pulicib. necandis, & poſtera die eijcitur. Suillæ carnes ſalſæ, circumducta herba præſeruantur a tarmis & vermibus. Ideoq; præſtat ſuccus ad vermiculoſas aures. Cæterùm altera, quæ eadem eſt facie, niſi*

Ruell. lapſus, Pſeudoeupatorium Hydropiper ſtatuentis.

Quæ Perſicaria ſit Hydropiper.

Perſicariæ vires Matth.

*quod maioribus eſt, maculoſis prouenit folijs, caule vegetiore, humi accubante & racemis grandioribus: viribus eſt longè minoribus, nam cum guſtantibus nihil prorſus acredinis reſipiat, ſed aſpero, & adſtringenti ſapore prædita ſit, excalfacere perinde ac altera haudquaquam poteſt, ſed potius refrigerare ac ſiccare. Naſcitur hæc non ſolum humecto ſolo, ſed etiam in ſicco, in agrorum marginibus, & ſecus itinera. Meminit Hydropiperis Gal. lib. 8. ſimp. med. ſic inquiens: Hydropiper a locis, in quibus naſcitur, & à ſimilitudine, quæ illi cum pipere in guſtu eſt, nomen ſortitum eſt. Cæterùm calidum eſt, ſed non tantum, vt piper. Attamen herba ipſa etiamnum viridis cum ſemine, cataplasmatis in modum impoſita, ſugillata & tumores induratos digerit. Herba, quæ Græcis ὑδροπέπερι Latinis ſimiliter Hydropiper vocatur: Italis, Hidropipe & Pepe acquatico, & Perſicaria: Germanis* Waſſerpfeffer vnd Muckenkraut: *Hiſpanicè Hierua pexiguera ſeu Manchas: Gallis Curage. Perſicaria altera, Italis Perſicaria maggiore.*

Hydropiperis vires ex Galeno.

Nomina.

Hydropiper ſeu Piper aquaticum, vel Perſicaria à forma foliorum. Eſt autem Perſicaria alia acris, alia mitis: & quæ mitis eſt, alia maculoſa, alia non maculoſa. I. Perſicaria vrens ſeu Hydropiper. C.B. Pulicaria maſcula, Brunf. Hydropiper, Matth. Fuch. Dod. gal. Cord. in Dioſ. Lac. Caſt. Lug. Cæſ. Hydropiper. Dod. fol. Lob. icon. Perſicariæ primum genus, Trago: Perſicaria mas. Lon. Perſicaria vrens, Lob. Perſicaria mordax, Thal. Perſicaria, Tab. II. Perſicaria mitis maculoſa. C.B. Lob. icon. Perſicaria fœmina, Brunf. Lon. Perſicaria altera, Matth. Trag. Perſicaria. Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lug. Caſt. Perſicaria maculata, Thal. Cratæogonum, Lacu. Perſicaria prima Cæſ. Hæc quibuſdam Lappathum quoddam: aliis Plumbago Plinii: aliis eiuſdem lib. 25. cap. 3. Britannica, & apud Dioſcoridem Brittannica ſeu Bretanica, quæ & Betonica, quod caput à recentioribus, tanquam ſpurium eſt deletum.

## Πταρμική. PTARMICA. CAP. CLVI.

PTarmica exiguus frutex eſt, ſurculos habens paruos, multos, † & rotundos, abrotono non diſſimiles: & circa eos folia oleæ, longa, multa: & in cacumine capitulum, vti anthemidis, paruum, rotundum, quod ſuo acri odore ſternutamentum excitat: vnde nomen accepit. Folia cum floribus illita, ſugillationes rapiunt. Flores ſternutamenta efficaciſſimè mouent. Naſcitur in montibus & petroſis.

† Or. λεπτοὺς i. tenues.

I. PTARMICA.



II. PTARMICA ALTERA.



*PTarmica in Bohemia paſſim in hortis ſeritur, è montib. in quibus naſcitur, illuc translata. Hanc, quòd acri ſit ſapore, quidam Pyrethrum vocant. Surculos habet tenues, ſeſquidodrantales, rotundos, & circa eos folia oblonga, oleaginea, copioſaq́; & per ambitum ſerrata, flores in cacumine Anthemidis figura, minores tamen, ſed dilutiore vmbilico, qui ſuo acri odore ſternutamenta mouet, vnde illi nomen. Naſcitur ſua ſponte in montibus, ſaxoſis locis. Aperit Ptarmica, diſcutit, prouocat, attenuat & incidit. Siccæ puluis naribus inditus ſternutamenta mouet. Manſa radix dentiũ dolores mulcet, & pituitã detrahit. Folia cum florib. illita, ſuggillationes rapiunt. Eſt quoq; alia* PLANTA, *quã Ptarmicã appellare libuit, quod caulib. tenuibus proueniat, folijs oleæ, & florib. & capitulis, quæ narib. immiſſa, ſternutamẽta cieant.* * *Ptarmica in Hetruria frequẽtiſſima prouenit: naſcitur & in Tridẽtino agro, præſertim Ananienſi tractu, ſurculis frequentib. paruis, rotundis, abrotano nõ diſſimilibus: è quib. plurima prodeũt folia incana, oleæ modo oblõga: vnde & Oliuella multis vulgò nominatur. Gerit in ſurculorũ cacuminib. capitulũ, Chamæmeli deflorẽtis modo: cui quemadmodũ & herbæ, vis quædã adeò acris ineſt, vt olfactu ſtatim ſternutamẽta excitet. Rura noſtra ex Ptarmica ſcopas, quib. pauimẽta verruntur, conficiunt, nec in*

Ptarmicæ hiſtoria.

Ptarmicæ vires ex Gal. — Nomina.

*nec in alium colliguni vſum.* * *Verum hæc Dioſcoridis Ptarmica non eſt. Huiuſce meminit Galenus lib. 8. ſimpl. med. his verbis: Ptarmicæ flores ciendæ ſternutationis vim obtinent: eſt enim temperies eius calida & ſicca, viridis etiamnum ordine ſecundo, ſiccatæ tertio. Eius nomen Græcum πταρμικὴ, Latinum item Ptarmica & Sternutamentaria: Italicũ Ptarmica.*

Dracunculus aquaticus ſerrato folio. C.B. Pyrethrum, Brunſ. quoad iconem. Tanacetum album acutum, Trag. Tab. Pyrethrum ſylueſtre, Dod.gal. Cord.in Dioſc. Ptarmice, Fuch. Lon. Ptarmica, Matt. Geſ.hor. Lob.icon. Caſt. Lug. Cam. Ptarmica ſylueſtris germanica, Thal. Ptarmica folio Taraconis, Lob. obſ. Ptarmica quibuſdam putata, Cæſ. Draco ſylu. Dod.fol. Geſ.hor. cui & Tarchon aquaticum. II. Ilicea oleæ folio altera. C.B. Ptarmica altera, Matth. Lugd. Ptarmica, Lac. Ptarmica Auſtriaca, Cluſ. Pan. Lob. Cam. Matthiolus editione ſecunda hanc, & non priorem proponit, quare verba eius aſteriſcis incluſa inſerere lubuit.

## Στρούθιον. RADICVLA SEV LANARIA HERBA. CAP. CLVII.

STruthium herba vulgò nota: qua purgandis lanis vtuntur, qui eas eluunt. Huius radix eſt acris, vrinam ciet: prodeſt tuſſi, iocineroſis, orthopnœæ ex melle ſumpta, cochlearis menſura: aluum ſoluit. Eadem cum panace & capparis radice, calculos frangit, & cum vrina exturbat: duritiem lienis abſumit: menſes impoſita trahit: partus efficaciter enecat. Cum polenta autem, & aceto illita, lepras tollit: tubercula diſcutit, cum farina hordeacea, & vino decocta. Miſcetur & malagmatis, & ocularibus collyriis, claritatis cauſa. Sternutamenta mouet: per os purgat, trita cum melle, & naribus infuſa.

I. PSEVDOSTRVTHIVM.



* II. SAPONARIA. *



Struthii conſideratio.

*STruthion ſeu Radicula, adeò olim vulgaris notitiæ fuit, quòd purgandis lanis ea vterentur, vt Dioſcorides eam notis illis repræſentare ſuperuacaneum duxerit. Sed cum tractu temporis huius exoleuerit vſus, eius quoq; notitia ſimul abolita videtur. Quo fit, vt arduum ſit nobis nunc dijudicare, quænam planta Italis Struthion iure dici poſſit. Mauritaniæ & officinis Condiſi ea nominatur, quam illi frequenter medicamentis admiſcent, quibus naribus inditis ſternutamenta cient. Nec propterea vſquam in officinis reperitur, quamuis medicorum compoſitionibus ſæpius inferatur. Quamobrem aſſerere non auſim, an Struthion naſcatur in Italia: quippe quòd hactenus ipſum non modò non viderim, ſed neminem, qui ſe illud cognoſceret & oſtenderet, adinuenerim. Theophraſtus inter folio aculeatas ſtruthium habet lib. 6. ca. 3. de plantarum hiſtoria. Plinius verò lib. 19. cap. 3. his verbis ſtruthium deſcribit: At quæ vocatur Radicula, lauandis demum lanis ſuccum habet: mirum quantum conferens candori mollitiæq;. Aeque naſcitur ſatiua vbiq;, ſed ſponte præcipua in Aſia, Syriaq; ſaxoſis, & aſperis locis. Trans Euphratem tamen laudatiſsima, caule ferulaceo, tenui, & ipſo cibis indigenarum expetito & tingenti quicquid ſit, cum quo decoquatur: folio oleæ, ſtruthion Græci vocant. Floret æſtate, grata aſpectu, verùm ſine odore, ſpinoſa & caule lanuginoſo. Semen ei nullum: radix magna, quæ conciditur ad quem dictum eſt, vſum.*

Struthium Plinii.

Pſeudoſtruthii conſid.

*Non deſunt, qui ſtruthium plantam eſſe velint, cuius hic quoq; imaginem dedimus, eamq; pſeudoſtruthium appellauimus. ſed cum aculeata planta non ſit, ferulaceum caulem non gerat, nec lanuginoſum, nec ſemen ſpicatum proferat, neq; admodum craſſa ſcatur radice, nec adeò ſit acris, vt excalfacere & ſiccare poſſit ordine quarto, iis qui hac ducuntur opinione, haud ſubſcribere*

repe-

*re poſſum. Pſeudoſtruthium folia profert longa, ſubpinguia, caules multiplices folioſosq́;, in quorum ſummitate ſpicati prodeunt flores. Radice nititur candida, longa, digitali craßitudine, & raphani modo acri. Naſcitur incultis locis, ſecus itinera, & in agrorum marginibus. Radix excalfacit & ſiccat ordine tertio. Incidit, attenuat, reſoluit, aperit, digerit. Sunt etiam, qui eam præferant contra venenoſorum animalium ictus, non modo vulneri admotam, ſed etiã in potu ſumptam. Quinetiam aduerſus peſtilentiæ contagia. Struthij vires adnotauit Gal. lib 8. ſimp. med. ſic inquiens: Struthij radice potiſſimum vtimur, vtpote guſtu acri, & calida ſiccaq́; temperamento, ex quarto quodammodo ordine. Sed & abſtergit & irritat: proinde quoq́; ſternutationem prouocat, ceu cætera omnia, quæ calida ſunt temperie & guſtu acria. Ex his omnibus palam fit Fuchſium virum alioqui doctiſsimum, in hoc erraſſe, quòd in ſuis de ſtirpium hiſtoria clariſsimis commentarijs, plantam vulgò Saponariam vocatam legitimum Struthium eſſe cenſeat, eamq́; pro Struthio depingat. Hæc enim folio plantaginis exit, non oleæ: læui non aculeato: caule geniculato, non lanuginoſo: guſtu potius inſipido eſt, quàm adeò acri, vt quartum excalfacientium ordinem attingat. Quæ herba ϛρέθιον Græcè: Struthium, Radicula & herba lanaria Latinè dicitur: Arabicè Condes, Chundes ſeu Kunder, Barbarè Condiſi: Italicè Radicetta & Herba lanaria: Gallis Herbe aux foullons. Pſeudoſtruthium, quidam Theriacariam vocant.*

Struthii vires ex Gal.

Fuch. lapſus, Saponariam Struthiũ ſtatuentis.

Nomina.

I. Quam pro Pſeudoſtruthio propoſuit, Plinius lib. 33. cap. 5. Luteam: Vitruuius 7. Architecturæ 14. Luteum: Virgilius Egloga 4. Lutum appellat: ſunt qui Reſedam Plinii: alii Myagron, ſeu Melampyron Dioſcoridis velint, Luteola herba C.B. Anthirrinum, Trag. Lugd. Pſeudoſtruthium, Matth. Caſt. Struthium, Lac. Lugd. Herba lutea, Dod. gal. Lugd. qui tres habet figuras. Lutea vel Luteum, Geſ. hor. Cam. Luteola, Lob. Lutum herba, Dod. fol. Guadarella vulgo, Cæſ. Catanance, Lonic. Tab. II. Saponaria læus, quòd ſaponis vicem præbeat ad purgandos pannos: Saponaria, Trago, Matth. Geſ. hor. Lac. Lob. Dod. fol. Cæſ. Tab. Cam. Saponaria maior, Lugd. Struthium, Fuch. Lonic. Lugd. qui duas habet icones, Thalio. Flore eſt dilutè purpureo, aliquando roſeo, nonnunquam candido.

## Κυκλάμινος. CYCLAMINVS. CAP. CLVIII.

CYclaminus folia habet hederæ, purpurea, varia, in quibus ſupra infraq; albicant maculæ: caule nudo, quaternos digitos æquante: floribus in eo purpureis, roſarum effigie: radice nigra, & aliquantum lata, vt rapum videri poſſit. Quæ cum hydromelite pota, pituitam, aquamq; detrahit: menſes potu, appoſituve ciet. Tradunt, ſi prægnãs radicem tranſgrediatur, abortum fieri, partum appenſa accelerat: contra venena, præſertim leporis marini, ex vino bibitur: illita contra ſerpentium ictus remedio eſt: immiſta vino inebriat: regium morbum diſcutit, tribus drachmis pota, cum paſſo, aut diluto mulſo. Sed oportet eum qui ebibit, multis veſtibus contectum, loco calido, & á perfrictionibus tuto, recumbere, quò facilius exudet: eiecti autem ſudores fellei colore inueniuntur. Succus eius ad purgandum caput, naribus infunditur: ad deiicienda quoq; alui excrementa, in vellere ſedi ſubiicitur: illito vmbilico, & a imo ventre coxarum tenus, aluum emollit, & abortum efficit: ſuffuſionibus, & retuſæ oculorum aciei, oblitus cum melle ſuccus prodeſt: medicamentis abortum inferentib. admiſcetur. Succus cum aceto illitus, prociduã ſedem reſtituit. Exprimitur tuſa radice ſuccus, & ad mellis craſſitudinem decoquitur. Radix cutẽ purgat, eruptiones papularũ reprimit: vulneribus ex aceto per ſe, aut cum melle medetur, lienem b abſumit, vitia cutis in facie, & alopecias emendat. Eius decocto luxata, podagras & capitis vlcuſcula, pernionesq; foueri congruũ eſt: ipſaq; in oleo vetere feruefacta, illito oleo vlcera ad cicatricem perducit. Cauata radix oleo expletur, & cinere feruenti imponitur, adiecto interdum Tyrrhenicæ ceræ momento, vt ſtrigmenti craſſitudinem vnguentum contrahat, cumprimis vtile pernionibus. Radix, ſcillæ modo, conciſa reponitur, Narrãt ad amatoria aſſumi cõtuſam, & in paſtillos diuiſam. Naſcitur in vmbroſis, maximè ſub arboribus.

a Meum ὑπογαϛρίε. i. imo vẽtre. Cat. ὑπογαϛρίε. i. circa vmbilicum.

b Meum & Cat. addunt καὶ ἀπλασσομένη. i. impoſita.

## Ἑτέρα κυκλάμινος. ALTERA CYCLAMINVS. CAP. CLIX.

EST & altera cyclaminus, quam ciſſanthemon, aut ciſſophyllon vocant: foliis hederæ, ſed minoribus: geniculatis caulibus, craſſisq;, circa vicinas arbores, capreolorum modo ſe voluentibus: flore candido, odorato: a acinis hederæ mollibus, lenti guſtus, aliquantulum acris: radice ſuperuacua. Naſcitur in aſperis. Huius acini, drachmæ vnius pondere poti, cum vini albi cyathis duobus, quadraginta diebus, lienem per vrinam, & aluum abſumunt: ad orthopnœam bibitur: reliquias à partu purgat.

a Meũ & Cat. καρπὸς δὲ ὡς ῥᾶγες ϛαφυλῆς ὅμοιος κισσῷ i. Fructus eſt velut vuæ acini, ſimilis hederę.

*TAmetſi Cyclaminus prima, quæ vulgò Panis porcinus dicitur, planta ſit vulgaris notitiæ, ſecundam tamen hucuſque mihi videre non licuit in Italia: quanquam aſſerit Ruellius, hanc illam eſſe ſtirpem, quam herbariorum & officinarum vulgus Sigillum ſanctæ Mariæ vocat. Et cum plures ſint herbæ, quæ ab imperitis eo nomine appellantur, polygonatum ſcilicet, Serapionis ſecacul, & tertia, quæ hydropiperi ſimilis eſt: harum Ruellius nullam eſſe Cyclaminum putat, ſed aliam ab his longè diuerſam, cuius facies, vt ipſe delineat, nil aliud repræſentare videtur, quàm vitem nigram à Dioſcoride lib. 4. deſcriptam, quam nos in Hetruria vulgò vocamus Tamaro. Hanc ſcribit ipſe Sigilli ſanctæ Mariæ nomen ſibi aſciuiſſe, quòd eam Mauritani Bothomarien nominent. Qua in re Ruellius, eius pace dixerim, apertè fallitur: quandoquidem tota Mauritanorum familia primum tantùm genus, non autem alteram Cyclaminum Bothomarien nuncupat. Non defuerunt, qui varias ad nos cyclamini alterius plantas miſerint cenſendas: ſed cum pluribus cyclaminis ipſius deſtituerẽtur notis, eas omnes me neglexiſſe, ingenuè fateor. Cyclamini primi generis duæ (vt Meſues auctor eſt) reperiuntur ſpecies, maior & minor. Hæc radice prouenit parua nucis auellanæ, cicerumq́; magnitudine. Illa verò magna conſtat radice, ſeſſili aliquantum, lata, in rapi modum extuberante, pullo colore: quæ (vt diximus) vulgaris admodum eſt, & paſsim in ſyluis & vmbroſis naſcens, maximè ſub arborib. & in frutetis, ſecus itinera. Minorẽ vidi ego in agro ſolùm Tridentino in vallis Ananiæ montib. vbi copioſa naſcitur. Cyclaminus (vt idẽ Meſues memoriæ prodidit) tam hauſta quã clyſtere infuſa, pituitã viſcoſam mirificè detrahit. Coli cruciatus tollit à pituita progenitos, aut ab induratis excremẽtis. Succus in errhinis additur ad expurgãdum cerebrũ, quod diuturnos finiat capitis dolores, frigidisq́; cõueniat hemicranijs. Itẽ reſolutis opitulatur, ac omnib. cerebri, et neruorũ affectib. a frigiditate, puenientib. Aqua diſtillata è cyclamini radicib. ſi narib. ſurſũ trahatur, fluentẽ inde ſanguinẽ mirũ in modũ ſiſtit. Eadẽ pota ſex vnciarũ põdere, addita ſelectiß. ſacchari ũcia, manãtẽ è pectore, aut vẽtriculo aut iecinore ſangui-*

Cyclamini conſid.

Ruell. lapſus.

Sigillum S. Mariæ.

Bothomariẽ Mauritan.

Cyclamini genera ex Meſ.

Cyclamini vires ex Meſ.

Cyclamini vires Matth.

## I. CYCLAMINVS.



*ſanguinem mirificè cohibet: & fracta ibi vaſa conglutinat, id quod nos atteſtamur. Succus cum oxymelite ſumptus duarum drachmarum pondere, aluum exoluit, & iecoris lienisq; obſtructiones aperit, quo fit, vt hydropicos & ictericos iuuet. Sed is propinandus non eſt, niſi addita Maſtiche, aut myriſtica nuce, aut Rhabarbari ſcrupulo: namq; hæc eius vehementiam minuunt. Contuſæ radices recentes illinuntur vtiliter ſcirrhoſis, duriſq; tumoribus & ſtrumis. Additur quoq; radicis ſuccus in vnguentis, quæ ad ſplenis tumorem, duritiemq; parantur: plures enim lienoſi hoc medicamento ſanati ſunt, qui pluribus antea vſi, ſanari nequiuerunt. Idem magno quoque auxilio additur in clyſteria iis, qui coli dolore, & cæterorum inteſtinorum torminibus vexantur. Affricta recens radix, aut ſuccus ex lana impoſitus, hæmorrhoidas eiicit. Sanant radices aurium ſonos, & ſurditatem, ſi conciſæ, in roſaceo, amygdalino, chamæmaliq; oleo, & vini modico conferueant, & deinde oleum guttatim in aures fundatur, & excoctæ radices calidæ auribus applicentur, veſperi cum ſe cubitum recipiunt affecti: verùm hoc pluries repetendum eſt, radicibus mane ſublatis, auribusq; calido vino ablutis. Idem quoq; præſtant, ſi cum perſicorum, amararumq; amygdalarum aliquot contundantur, & deinde in aqua vitæ macerentur diebus tribus, ſiquidem expreſſus inde cremor, auribus inditus, mirificè auxiliatur, ſi vna, aut altera eiuſdem gutta inſtilletur eodem tempore: Succus abdomini illitus, ventrem ſubducit. Illita radix ſerpentum ictibus medetur. Succus cum æquali mellis portione, in ore detentus, linguæ, gingiuarum, cæterarumq; circumſtantium partium vitia ſanat, & dentium dolores mulcet. Gargarizatur ſuccus, addita plantaginis aqua, ad omnes faucium morbos. Cyclamini meminit Gal. lib. 7. ſimp. medic. vbi ita ſcribit: Cyclaminus varias vires obtinet: nam & abſtergit, & incidit, & ora venarum aperit, & attrahit & digerit. Clarum verò id eſt ex particularibus operibus. Adeò vehemens eius facultas eſt, vt abdomine illito, ventrem ſubducat, & fœtum interimat.* Cyclamini vires ex Gal.

Nomina. Κυκλάμινος *herba ſic Græcis, Latinis quoq; Cyclaminus, & Rapum terræ vocatur: Mauritanis Buchormarien, Buthermarien ſeu Bothormarie: Barbaris officinis Cyclamen, Panis porcinus, & Arthanita: Italis Ciclamino & Pan Porcino: Germanis* Schweinbrodt/Erdapffel. *Hiſpanis Pan de puerco: Gallis Cyclamen ſeu pain de pourceau.*

Cyclaminis differentias octo agnoſcimus, hic verò duas proponimus. I. Cyclamen orbiculato folio, infernè purpuraſcente. C.B. Cyclaminus minor & Vmbilicus terræ, Trag. Cyclaminus, Matth. Dod. gal. Cord. in Dioſc. & hiſt. Geſ. hor. Lacu. Lon. Cæſ. Caſt. Cyclaminus rotunda, Fuch. Cyclamen folio hederaceo rotundiore, Lob. obſ. Cyclamen vulgare, Lob. icon. Cyclaminus orbicularis rotundifolius, Dod. fol. Cyclaminus æſtiuus vulgaris, Cam. Cyclamen, Tab. Flore eſt nunc dilutius, nunc ſaturatius purpuraſcente: rarius albo: rariſſimè luteo. II. Cyclamen radice oblonga C.B. Figura hæc vitæ Geinena Doctore Caſparo VVolphio ad calcem addita, cui titulus Cyclaminus μακρόρριζος: meminit in hortis Germaniæ nomine Cyclamini radice oblonga, malo in fine adnixo, & Camerarius ſuo Matthiolo, nomine Cyclamini longius radicati adiecit. Hæc enim inferna quidem radicis parte mali inſtar rotunda eſt, vnde plures fibroſæ radices hinc inde ſparguntur, ſed mox in cubitalem longitudinem prolongatur, digitalem craſſitiem non ſuperante: ſubinde tamen in nodos, ex quibus vtrinque fibræ prodeunt, extuberat, foliis eſt ſubrotundis vt in vulgari, maculoſis: floribus ſimilibus coloſſinis, quibus decidentibus capitulum ſubſequitur oblongum, in mucronem deſinens, quod ſe cum pediculo in ſpiras conuoluit, in quo ſemen mediocris magnitudinis continetur.

## * II. CYCLAMEN RADICE OBLONGA. *



## DRACVNCVLVS MAIOR. CAP. CLX.

Δρακοντία μεγάλη.

DRacunculus maior in vmbroſis circum ſepta gignitur. Caulem habet rectum, læuem, duum cubitorum, baculi craſſitudine, verſicoloribus draconum maculis, purpureis tamen euincentibus: folia rumicis, ſibi inuicem implicita. Fructum ſummo caule facit, racemoſum, coloris primum cineracei, mox per maturitatem in crocum & purpuram vergentem

generis: radicem prægrandem, rotundam, candidam, cortice tenui veſtitam. Colligitur, dum matureſcit, & ſuccus exprimitur ſiccaturq; in vmbra. Radix quoq; meſſibus effoditur, elotaq; particulatim conciditur, & funiculo transfixa ſiccatur in vmbra. Vis ei calfaciendi cum diluta vini potione. Crudam, coctamve cum melle delingi prodeſt contra orthopnœas, rupta, conuulſa, tuſſim & deſtillationes: pota cum vino venerem ſtimulat: vlcera, quæ cacoëthe vocantur, atq; phagedænica expurgat, præſertim cum vite albæ: ex ea, & melle collyria ad fiſtulas, & partus euocandos componuntur: ad vitiligines cum melle, efficaciter illinitur: polypos & carcinomata abſumit. Succus ad oculorum medicamenta, item contra nubeculas, caliginem, albugineſq; effectum præbet. Herbæ, radicisq; odor teneros conceptus abortu vitiat: item ſi triginta grana eius in poſca bibantur. Sunt, qui eius ſuccum cum oleo, aurium dolorib. infudere: quinetiam folia, vtpote quæ adſtringant, vulneribus recentibus impoſuere, & cocta in vino pernionibus. Qui folia manibus affricuerit, aut radicem exemerit, poſſe à vipera feriri inficiantur.

## Δρακοντία μικρά. DRACVNCVLVS MINOR. CAP. CLXI.

DRacunculus minor folio conſtat hederaceo, magno, candidis notis inſigni: caule recto, bicubitali, verſicolore, maculis reſperſo purpureis, ita vt anguē planè referat, baculi craſſitudine: fructus ſummo caule racematim cohæret, colore primùm herbaceo, & cum ematuruit, croceo, guſtu feruens, mordaxq;: radice aliquantulum rotunda, bulboſa, aro non abſimili, tenui obducta cortice. a Naſcitur in ſepibus vmbroſis. Seminis ſuccus cum oleo inſtillatus, aurium dolorem mitigat: naribus etiam ex lana impoſitus, polypum abſumit: carcinomata illitu ſiſtit: triginta eius grana, ſi in poſca bibantur, abortus inferunt. Odorem aiunt, poſtea quàm flaccidi flores emarcuerunt, conceptus adhuc teneros enecare. Radix excalfacit: orthopnœis, ruptis, vulſis, tuſſi, deſtillationib. auxiliatur: humores pectoris excreatu faciles reddit, ſiue cocta toſtaq; cum melle, aut per ſeſe edatur, ſiue farina eius ex melle delingatur: vrinā pellit, venerem excitat, cum vino pota: phagedænas vlcerum, & quæ cacoethe vocantur, trita cum melle, & bryonia alba expurgat, & ad cicatricem perducit: collyria ex ipſa ad fiſtulas, & eiiciendos partus fieri ſolent: qui radice ſua manus perfricuerunt, á viperis feriri negantur: illita ex aceto vitiligines emaculat. Folia recentibus vulneribus linamentorum vice, conuenienter imponuntur: decocta in vino pernionibus appoſuiſſe prodeſt. Caſeus foliis inuolutus, à putredine defenditur. Succus radicis ad nubeculas, albugines & oculorum caligines conuenit. Radix cocta, crudave ad ſanorum vſus, pro olere recipitur. In Gymneſiis inſulis quæ Baleares vocātur, coctā radicem cum melle multo, in cōuiuiis placentarū loco offerunt. Radix meſſibus effoditur, lotaq; fruſtatim conciditur, & lino traiecta, ſiccatur in vmbra, & ita reconditur.

a Meum φύεται ἐν συσκίοις φραγμοῖς καὶ αἱμασιαῖς. i. Naſcitur in vmbroſis circa ſepes & macerias.

I. DRACVNCVLVS maior.



II. DRACVNCVLVS minor.



LIcet in vetuſtis quibuſdam Dioſcoridis codicibus maioris minoriſq; Dracunculi hiſtoria ſpeciatim diuiſis capitibus adnotata reperiatur: attamen cum altera ab altera parum diſsidere videatur, cumq; etiam Galenus, Paulus & Serapio, qui in ſimplicium materia Dioſcoridem ad vnguem ſecuti ſunt; eiusq; dicta bona fide retulerunt, vnius tantum Dracunculi meminerint: non ab re credidere recentiorum nonnulli, horū alterum ex alterius auctoris officina prodiiſſe, & alicuius

Dracunculorum conſid.

## III. DRACVNCVLVS AQVAticus.

Dracunculus maior.

Dracunculus alter.



Dracunculi ſpecies ex Plinio.

curioſitate hic hiſtoria Dioſcoridis accreuiſſe. Quamobrem ego quoq́ cogor eiſdem adductus rationibus, aliquatenus in eorum ire ſententiam: quanquam ingenuè fateri poſſum, me vtrumq́ Dracunculum Tridenti ac Venetijs vidiſſe. alterum quidẽ, qui maior eſt, Ari ſiue Rumicis folijs, ſibi inuicem implicitis, caule bicubitali, baculi craſſitudine, verſicolore, maculis in purpuram nigricantibus reſperſo, adeò vt angui ſimilis videatur: alterum verò, qui & minor, & omnibus vulgaris eſt, folijs hederaceis, albis quibuſdam maculis conſperſis: caule ac fructu maiori ſimilibus. Quippe quòd longam ex ſe vaginam emittat externa parte herbaceam, interna verò nigricanti purpura infectam, è cuius medio corniculum prodit purpuraſcens, à quo demũ racemoſum oritur ſemen (vt Dioſcorides inquit) cinereo primùm colore, per maturitatem verò aureo ruſeſcente, feruenti ac mordaci guſtu. Radice nititur rotunda, bulboſa, acri, tenui libro obducta. Quinetiam in ceteris totius plantæ notis, à maioris Dracunculi hiſtoria nihil ferè differre conſpicitur. Quapropter etſi prædictæ recentiorũ ſententiæ non auſim refragari, quòd rationibus ſatis euidentibus nitatur, & doctiſſimorum conſenſu confirmetur: cum tamen ſæpius maiorem & minorem Dracunculum viderim, nõ prorſus alienum eſſe mecũ quandoq́ cogitaui, ſi quis ſuſpicetur duo, vt ſunt Dracunculi genera, a Dioſcoride ſui, è ſimplici etiam hiſtoria repræſentata. Hanc quoq́ illi ſuſpicionem augere poterit Plinius, qui non tantùm duas, ſed quatuor enumerat Dracunculi ſpecies lib. 24. ca. 16. ſic inquiens: Id autem quod Græci Dracontion vocant, triplici effigie mihi demonſtratum eſt, folijs betæ, nõ ſine thyrſo, flore purpureo: hoc eſt ſimile Aro. Alij radice longa, veluti ſignata, articulóſq́ monſtrauere, tribus omnino cauliculis. Tertia demonſtratio fuit folio maiore, quàm cornus, radice arundinacea, totidem (vt affirmabant) geniculata nodis, quot haberet annos, totidemq́ eſſe folia. Quarti verò generis meminit ipſe in ſequentibus lib. 25. cap. 2. cum inquit: Eadem Luſitaniæ prouincia cognoui in agro hoſpitis nuper ibi repertum Dracunculum appellatum, caule pollicari craſſitudine, verſicoloribus viperarum maculis, quem ferebant contra omnium morſus eſſe remediũ. Alij ſunt, quos in priori volumine eiuſdem nominis diximus: ſed huic alia figura. Aliudq́ miraculum exeuntis è terra ad primas ſerpentium vernationes bipedali ferè altitudine, rurſumq́ cum iiſdem in terram ſe condentis: nec omnino occultato eo apparet ſerpens: hæc Plinius. Huc etiam accedat Theophraſti auctoritas, qui lib. 7. cap. 11. de plant. hiſt. Secundum Dracunculi genus inter Ari genera conſtituit, his verbis: Dracunculi autem radix (ſunt enim qui genus quoddam Ari Dracunculũ appellent, quòd eius caulis varietatem habeat quandam) cibo inepta penitus eſt, & medicis tantùm commoda. Ex his igitur, & Plinij verbis perſpicuum omnibus fieri puto, plura eſſe Dracontij ſiue Dracunculi genera, vt etiam Venetijs oculata fide cõprobari poteſt in horto Clariſſimi medici Maphei à Mapheo, vbi præter Arum duo virent æſtate Dracunculi genera.

Theophraſtus de Dracunculo.

Dracunculi vires Matth.

Radicis farina duarum drachmarũ pondere ex melle ſumpta, pituitam tam craſſam, quàm tenuem, per inferna ducit, & renes expedit, & præſertim ex vuarũ paſſarum cremore, & maſtiches momento ſumpta. Recens radix feruenti cinere toſta & illita, dolorificas & tumentes hæmorrhoides curat. Reſoluit illita ſcirrhoſos tumores, ſtrumas & chæradas, & lienis duritiem emollit. Eadem abſterguntur cutis maculæ quæcunq́. Cum melle & caprino ſimo illinitur vtiliter podagricis, neruorumq́ contuſionib. Suppoſita menſes remorantes trahit.

Dracunculi vires ex Gal.

Dracunculus, vt Galenus teſtatum reliquit lib. 6. ſimpl. medic. quiddam Aro perſimile obtinet, tum folijs, tum radice: cæterum illo tum acrius eſt, tum amarius: ac proinde calfactorium magis, & tenuioribus partibus. Habet etiam leuem quandam adſtrictionem, quæ quandoquidem cum prædictis duabus qualitatibus, acri ſcilicet & amara, coniuncta eſt, medicamentum factum eſt vtiq́ maximè efficax. Nam radix viſcera omnia expurgat, craſſos potiſſimum, & lentos ſuccos extenuans: optimumq́ remedium eſt contumacium vlcerum, quæ κακοήθη nuncupant: hæc Galenus.

Meſues.

Cæterùm de Dracunculo differens Meſues inter cætera ſimplicia medicamenta, quæ deiectoria vi pollent, ſcripſit, eo hauſto deijci è corpore pituitam. Qua in re à Manardo acriter reprehenditur: quippe quòd vbi dixerit Galenus, ac etiam Paulus ipſum ſecutus, Dracunculum omnia corporis viſcera expurgare, non quòd deijciat, id agere intelligunt, ſed quòd obſtructiones aperiat, craſſam pituitam attenuet, & vaſa detergat.

Dracunculus tertius Plinii.

Eſt & aliud DRACVNCVLI genus, quod quidem tertium apud Plinium, cum Fuchſio viro doctiſſimo eſſe putamus. Siquidem illi folia ſunt Corni arboris ferè ſimilia, & radix arundinacea, geniculata, longa & Ari modo feruens. Inſuper ex geniculis ipſis multiplices oriuntur fibræ, quibus pertinaciter humi inhæret. A radice folia prodeunt oblonga, Ariſari alterius æmula, è quorum exortu alia exurgunt folia, longis pediculis nitentia, quæ vt diximus, Corni arboris folia referũt, ſed ijs grandiora, tenuioraq́ habentur, è quorũ nonnullis, quæ concluſa ſunt, vt etiam in imagine videri apertiſſimè poteſt, fructus racematim enaſcitur, baccis per maturitatẽ ruſeſcentibus, in quib. ſemen eſt nigrum, paruum & oblongum, craſſo quodã ſucco circundatam. Naſcitur montanis locis, ſed humectis & vliginoſis. Hanc in Morauia primùm legimus, dum illac iter faceremus.

Qualitas.

Deguſtata radix primo ſtatim occurſu inſipida deprehẽditur, at paulò pòſt linguam, fauceſq́ adeò vellicat, vt omnes illæ partes tenuiſſimis pungi aculeis videantur. Itaq́ valenter excalfacit & ſiccat: quin etiã adurit vlceratq́. Ideoq́ rarefacit & incidit quæ in corpore craſſa, lentaq́ ſunt excremẽta, perinde ac Dracunculi alij & Arum, quare ab ijs viribus non differt, ſed facultate imbecilliore habetur.

Dracunculus hortenſis.

Ab omnibus his forma maximè differt HORTENSIS Dracunculus, quo in acetarijs veſcimur, vtimurq́ ad intinctus acerrimo guſtu: Caules fundit numeroſos, tenues, in quib. folia oblõga [lini modo] radicibus [cohæret] humi repentib. graminis modo, florib. puſillis, albicãtib. racemoſis, ſemine ſuperuacuo. Seritur in hortis ferè omnib. Sunt qui aſſerãt hanc plantã cultorũ mangonio facititiã eſſe, & nõ ſui natura prouenire, eam ſiquidẽ naſci putãt lini ſemine excauatis cepis impoſito, ac deinde terra recõdito: ſed hos falſo credidiſſe.

IV. DRACONCELLVS.



V. OPHIOGLOSSON.

* Ophio. abortus. *



*crediderim, quod facto periculo, operam quidã perdiderint. Huius nec Græci, nec etiã Mauritani, q̃ ſciam, meminere. Verùm perpenſa eius acrimonia, qua maximè linguã vellicat, eorũ eſſe medicamẽtorum, quæ valentiſſimè excalfaciunt atq; ſiccant, facilè conijci poteſt. Incidit, digerit, aperit & prouocat: manſa pituitam ciet: dentium dolores mulcet: concoctionem adiuuat & vrinas mouet. Eſtur paſſim in acetarijs vnà cum lactucis, alijſq; oleribus. Habetur præterea & alia herba, quam inter Dracunculi ſpecies quidam recenſent, quòd* LINGVA *Serpentina nonnullis dicatur, etſi non deſint, qui Lucciolam & Argentinam ipſam appellitent. Naſcitur hæc in pratis, ſed ocyſſimè deperditur. Proſilit enim menſe Maio, ſed cum tenerrima ſit, pauco poſt tempore euanida flacceſcit, ac ſubinde nuſquam apparet. Mittit vnum tantùm folium, pingue, plantagini aquaticæ vocatæ haud diſſimile, nulla per medium excurrente coſta, è cuius inferiore ſinu cauliculus exit, pallidam ſerpentis lingulam in cacumine gerens: vnde Græcorum voce Ophioglosſi nomen inuenit. Exiccat citra inſignem caliditatem. Præſtat hæc maximè ad recentia vulnera glutinanda: quo fit, vt eam quidam mirificè extollant ad enterocelas. Maceratur in oleo, quo diutius inſolato vtuntur chirurgi ad prædicta felici (vt aiunt) ſucceſſu. Datur potanda ex aqua Equiſeti, ad inteſtinorum, & thoracis vulnera, & cæterarum intrinſecarum corporis partium. Ideoq; auxiliatur ſanguinem reijcientibus: bibitur aduerſus alba fœminarum profluuiã, ex aqua foliorum quercus. Vinum auſterum, in quo tota planta incocta fuerit, ſi cum eo oculi abluantur, lachrymas cohibet: illinitur recens, ſiccaue ad vulnerum inflammationes, ex gallinaceo adipe. Omphacinum oleum, in quo copioſa folia diu fuerint macerata inſolataq;, addita lachryma abiegna, aptiſſimum fit medicamentum vulneribus recentibus glutinandis.* Δρακόντιον *quod Græci vocant, Latinis Dracunculus appellatur: Arabibus Luf & Alluff: Italis Dragontea: Germanis* Natterwurtz: *Hiſpanis Taragontia: Gallis Serpentine. Dracunculus minor, Græcis* Δρακοντία μικρά: *Italis Dragontea & Serpentaria minore: Germanis* Klein Natterwurtz: *Gallis Petite Serpentaire. Dracũculus aquaticus, Italis Serpentaria acquatica: Germanis* Waſſer Natterwurtz. *Dracunculus hortenſis, Italis Dragoncello & Dragone: Gallis Targon. Ophioglosſum, Græcis* ὀφιόγλωσσον: *Italis Lingua ſerpentina, Argentina ſiue herba Lucciola: Germanis* Natterzünglin: *Gallis Herbe ſans chouſture, ſiue Langue de ſerpent.*

Lingua Serpentina ſiue Ophioglosſon.

Ophioglosſi vires.

Nomina.

Dracunculus triplex proponitur. I. Dracunculus biſtortæ folio. C. B. Dracunculus maior, Matth. Caſt. Dracunculus Matth. Dod. Gal. Dracunculus maior Matth. Dod. fol. Serpentaria maior Matth. Lug. Dracuntium maius, Tab. Hoc an in rerum natura ſit, Dodonæus dubitat: Aduerſaria inueniri negant: hactenus eum non vidimus, quare nil aſtruere licet, at omnes rei herbariæ ſtudioſos publici boni cauſſa rogamus, vt ſi eum vel habeant vel inueniant, nobis eius cópiam faciant. II. Dracunculus polyphyllos, qui Dioſcoridis maior videtur & Plinii. C. B. Dracuntium maius, Brunf. Dod. fol. Dracunculus maior, Trag. Fuch. Dod. gal. Cord. in Dioſ. Lacu. Lon. Cam. Dracunculus minor, Matt. Caſt. Dracunculus polyphyllos & Luph criſpum, Cord. hiſt. Dracunculus, Geſ. hor. Cæſ. Anguina Dracontia & Serpentina Colubrina, Lob. Dracũculus ſiue Serpẽtaria maior, & Serpentaria minor, Matt. Lug. qui duas habet figuras. III. Dracunculus paluſtris arundinacea radice C. B. Hydropiper rubrum, Fuch. & Dracunculus Plinii tertius, eidem in icon. Aron paluſtre, Geſ. hor. Dracunculus paluſtris, Dod. gal. Cord. hiſt. Lug. Dracunculus paluſtris minor, Lon. Dracuntium paluſtre, Tab. Dracunculus aquaticus, Matt. Caſt. Dod. fol. Cam. Aquatica anguina ſiue Dracunculus, Lob. Dracontii genus apud Plinium, Cæſ. IV. Dracunculus hortenſis integro folio C. B. Draco à Ruellio primò deſcriptus, Dod. gal. Dragoncellus, Matth. Dracunculus hortenſis eidẽ in icon. Caſt. Tab. Draco hortenſis, Geſ. hor. Lug. (cui & Chryſocome Dioſcoridis Dalechampio) Cam. Draco, aut potius Tarchon Simeoni Sethi, Lob. Tarchon Auicennæ & Sethi, Geſ. hor. Dragone vulgò,

Cæſalpino. V. Serpentaria ſecunda, Brunf. Ophiogloſſum, Trag. Fuchſ. Matth. Dod. fol. & gal. Lon. Caſt. Lug. (cui & Ceratia Plinii & Dracunculi ſpecies) Tab. Cam. Thal. Lob. cui & Eneaphyllum, Lingua ſerpentina, Matth. Italico. Caſt. Cæſ. Lingua vulneraria Cord. hiſt. Lancea Chriſti & aliis Luceola, Geſ. hor. Figura quidem Matthioli ſolum Ophiogloſſum non ramoſum exprimit, hæc verò & non ramoſum ſeu vulgatum, & ramoſum & abortiuum exhibet.

## Ἄρον. ARVM. CAP. CLXII.

a Oia exem. μικρότερα δὲ καὶ ἀσπιλότερα. i. minora tamen & minus maculoſa.
Ca. ἀσπιλότα. i. immaculata.

ARon, apud Syros Lupha vocitatum, folia emittit Dracunculi, ſed a longiora, & paucioribus diſtincta maculis: caulem ſubpurpureum, dodrantalem, piſtilli ſpecie, à quo croceum ſemen exit: radice dracunculi alba: quæ decocta eſtur, vtpote cùm minus acris ſit. Folia ad eſum condiuntur, & arida per ſe, decocta manduntur. Radix, ſemen & folia dracunculi vires habent. Priuatim radix ex fimo bubulo podagris illinitur, & dracunculi more reponitur. In totum, ob mitiorem eius acrimoniam, in cibum expetitur.

I. ARVM.



II. ARVM MINVS.



Ari conſid.

*ARum in Hetruria, item in agro Goritienſi, frequentiſſimum prouenit, in campeſtribus, in vineis, in ſcrobium marginibus, & paſſim in ſemitis propter ſepes, præſertimq; in maritimis noſtris Senenſibus, vbi vulgò ipſum vocant Gigaro ad Iarum alludentes: quo modo officinis Arum corrupto vocabulo appellari ſolet.*

Ari deſcript.

*Arum folia habet Hederacea, cordis ferè effigie, Dracunculi maiora, minimè diſſecta, & albis reſperſa maculis, quæ hyeme virent, & æſtate ſiccantur. Caulem edit palmarem, è cuius faſtigio erumpit inuolucrum ſpithamæ ferè longitudine, in acutum deſinens, quod fructũ complectitur, & fouet. Eo deinde fatiſcente, ſolida piſtilli facies aureo colore emergit, & anfractu penitus patẽte, crocea ſemina ſpectantur, quæ in coronæ modum concinnè contexta, infimam eius ſedem ambiunt. Hæc non longo temporis tractu viridia fiunt, & per maturitatẽ rufa, baccarũ ſpeciem præ ſe ferentia, vinoſaq;, ambiũt ipſa caulem, ſeſe inuicẽ ſtipantia, frumẽti Indici modo. Radice nititur alba, bulboſa, oblonga, permultis ſtipata fibris, ellebori modo, guſtu perquã acri. Naſcitur in cãpeſtrib. in vineis, & ſecus itinera & ſepes. In Bohemia quoq; in montibus quibuſdam copioſum admodum prouenit, ſed Italico longè minus, folijsq; tenuioribus, & minori quoq; radice, adeò vt ego hoc Arum minus appellare conſueuerim.*

Ari ſpecies altera.

*Cæterùm* ARI *alteram ſpeciem, cuius hic imaginẽ expreſſimus, miſit ad me Franciſcus Calzolarius pharmacopæus Veronenſis, rei plantariæ indagator, è monte Baldo allatum. Huic folia inſunt ſagittæ ſpeciem repræſentantia, & caulis rectus, glaber, dodrantalis, valde perſpicuus, rubentium baccarum botrum in cacumine habens, confertum, & in acutum deſinentem. Radicibus nititur numeroſis, tenuibus, circumquaq; ſe diffundentibus, è quibus bulboſi quidam globuli, fabarũ quantitate dependent, alba intus pulpa, & perquam acerrimi guſtus. Excalfacit & ſiccat ordine quarto. Ideoq; vrit, attenuat, incidit & abſtergit. His nõ deſunt, qui vtantur ad arcendos à ſuis menſis paraſitos, & voraces lurcones, earum puluerẽ delicatis epulis admiſcentes: nam vbi fauces occupauerit, tã fixo & contumaci ardore afficit, ne poſthac quicquã vorare queant, niſi bubulo caprillove lacte diutius gargarizato, aut recẽti butyro ſẽſim deglutito.*

Ari vires Matth.

*Abſtergit Arũ, attenuat, aperit, incidit & ſuccat. Decocta radix melle excepta, medetur pectoris morbis omnib. pituitoſis: expectorat. n. valentiſſimè craſſas lentaſq; excreationes: ideoq; aſthmaticos maximè iuuat. Datur elixa, vel feruentib. cinerib. toſta, vtiliter tuſſiẽtibus, ex amygdalino oleo. Id q; bellè quoq; præſtat lac potũ, in quo radix ipſa fuerit incocta. Illinitur eadẽ, aqua prius elixa, epiphoris, ſugillatis, inflammatiſq; tonſillis, fabacea farina addita, & defruto ſubacta. Subigitur quoq; oleo, & tumentib. hæmorrhoidibus commode illinitur.*

III. BONVS HENRICVS.



illinitur: Radicis ſuccus exedentia & contumacia vlcera curat, quemadmodũ & narium polypum folia ambuſta ſanant. Im-Semen tritum vel baccarum ſuccus roſaceo commiſtus, aurium ponuntur eadem vtiliter podagricis, calenti fimo bubulo illita. doloribus auxiliatur. Dantur vtiliter ſeminis drachmæ duæ ad menſes educendos, & ſecundas pellendas ex vino. Cæterùm cum Arum in mentem mihi iam reuocet plantam, à quibuſdam Serpentariam, Colubrinamq́; vocatam, quamque Germani BONVM HENRICVM appellant, libuit eius hiſtoriam, & vires huic orationi attexere, quòd folijs Arum quadantenus referat, quæ longis pediculis nitentia profert. Hæc caules plures edit, ipſosq́; folioſos, in quorum faſtigijs herbacei, racemoſiq́; viſuntur flores, & deinde ſemen. Planta candicat tota, perinde ac ſi tenuiſſimo farinæ polline conſperſa eſſet: quin etiam adeò læuis tactu habetur, vt vnguine aliquo illita videatur, vnde illi nomẽ apud Germanos Schmerbel. Radice nititur vegeta, craſſa, in plures diuaricata partes, croceo colore, acuti lapathi modo, cuius ſpeciem eſſe cenſemus. Naſcitur ferè vbiq; in pagorum plateis, in ruderibus & areis. Planta eſt calidi & ſicci temperamenti, aperit, abſtergit, reſoluit & digerit. Radicis ſuccus illitus ſcabiem tollit, & cutis maculas extergit, præſertim ſi cum aceto miſceatur. Quidam eam quoq; præferunt aduerſus venenoſorum animalium morſus. Noſtrates mulieres ex Ari radicibus ſtillatitias aquas ad fucum parant, quas ad faciem erugandam illuſtrandamq́; magnis laudibus efferunt. Id quod etiam efficaciter præſtat inſolatus radicum ſuccus, ceruſſæ ſpeciem referens, quem Gerſa vulgò nominant, is ſiquidem mirum in modum carni ſplendorem, & candorem conciliat. Ari vires memoriæ prodidit Galenus libr. 11. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcribit: Arum terrena eſſentia conſtat, ſed calida: proinde extergendi vim poſſidet, verùm nõ valentem, ſicut Dracontium. Eſt itaq; in exiccando, & calefaciẽdo primi ordinis. Radices eius maximè ſunt vtiles: ſiquidem comeſæ craſſitiem humorũ mediocriter incidunt, adeò vt & excreationib. ex pectore idoneæ ſint, ſed magis tamen aptũ eſt Dracontium. Neſcio ſanè qua ratione ſcripſerit Galenus, Arum, quo deguſtato os totum exuritur, & acerrimum ſentitur, calidum ſiccumq́; ordine tantum primo haberi. Et lib. 2. de alimentorum facult. ſic inquit: Ari radix rapi modo manditur. In quibuſdam autem regionibus acrior quodammodo naſcitur, vt Dracontio ferè ſimilis ſit. Dum rectè parare voles, prioris decoctionis aqua effuſa, repente in alteram calidam inijcere conuenit. Cyrenis contra, quàm in noſtra regione, Arum ſe habet: nam illic minimum medicamentoſi, minimumq; acrimoniæ poſſidet, adeò vt vel rapis ſit vtilius. Idcirco radicem quoq; in Italiam comportant, vt quæ abſq; vt putreſcat aut regerminet, longo tempore perdurare poſſit. Herba, quam Græci ἄρον, & Latini ſimiliter Arum dicunt, Mauritanis Iarus & Sara: Syris Lupha vocatur: Barbaris, Aron, Barba Aaron, Dragontea minor, & Serpentaria minor: Italis Aro & Gigaro: Germanis Klein Natterwurtz: Hiſpanis Taro: Gallis Vid de chien. Arum minus, Græcis ἄρον μικρὸν: Italis Gigaro minore. Bonus Henricus, Italis Herba infarinata: German. Schmerbel oder Gut Henrich.

Boni Henrici hiſtor.

Boni Henrici vires Matth.

Ari vires ex Gal.

Nomina.

Arum Plinius lib. 19. cap. 5. inter bulbi genera recenſet: at lib. 24. cap. 16. maris & fœminæ meminit: & à quibuſdam radicem Aron, caulem verò Dracuntium appellari monet. Aliquot differentias notauimus, aliud folio maiore & acutiore, aliud rotundiore, aliud duriore per totam æſtatem virente. Sic eius quod maximo eſt folio, venæ omnes albicant, apud Italos frequens: aliquando maculis albis eſt conſperſum. Reperitur in Helueticis montibus quod nigricantibus lituris, aliquando purpureis ſignatur: quod verò apud nos vulgatiſſimum, nullis maculis notatur. Sic & piſtillus alteri purpureus, alteri ex albo luteus. III. Lapathum vnctuoſum C.B. Bonus Henricus, Brunſ. Trag. Matth. Tab. Rumicis tertium genus, Fuch. Rumicis ſecundum genus, Turnero: Totabona, Dodo. gal. & fol. (cui & Chryſolachanon) Lob. Thal. Lapathi ſylueſtris ſecundum genus, Lugd. Atriplex canina, Lonicero.

## Ἀρίσαρον. ARISARVM. CAP. CLXIII.

ARiſarum exigua herbula eſt: cuius radix oleæ magnitudinem implet, longè maioris quàm Aron acrimoniæ. Vnde illitu nomas ſiſtit. Fiunt collyria ex ea, ad fiſtulas efficacia. Illitu radicis, genitale animalis cuiuſcunq; in perniciem agitur.

ARiſaron, Plinio lib. 24. cap. 16. auctore, in Aegypto naſcitur, ſimilis Aro, minor tamen, minoribusq; folijs, & vtiq; radice, quæ tamen oliuæ grandis magnitudinem implet. Huius duo hodie ab herbarijs oſtenduntur genera: quorum poſtremum ad me primùm miſit Aloiſius Anguillarius Romanus, horti Patauini præfectus, diligentiſſimus rei herbariæ inquiſitor, qui præterea teſtatus eſt, Ariſarum plurimum naſci in agro Romano, non longè ab vrbe: Cui folia Aro ſimilia ſunt, à Luca Ghino viro optimo accepimus. Vtriuſq; picturam exhibere libuit, non quod vtrumq; probemus (alterum enim non verum putamus) ſed vt de ijs aliorum etiam ſit iudicium. Primum folijs prouenit Ari, longè tamen minoribus: cauliculum edit tenuem, in cuius ſummitate vaginula quædam oritur, altera parte diuiſa, è qua ligula tenuis, exigui germinis modo ſeſe exerit, pallido colore. Radix illi oliuæ inſtar magna, oblonga, candicans, adnatis pluribus vbiq; emergentibus. Naſcitur in collibus & campeſtribus. ALTERVM folia mittit longa, anguſta, longis pediculis nitentia: radicem bulboſam, iuglandis magnitudine, numeroſis vbiq; adnatis fibris, guſtu etiã acri. Excalfacit radix, ſiccat, incidit, abſtergit, digerit & aperit. Meminit Ariſari Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum his paucis: Ariſarum multò

Ariſari hiſtoria.

Ariſari vires ex Galeno.

I. ARISARVM.



II. ARISARVM ALTERVM.



Nomina. *minus eſt Aro. Radicem habet oliuæ magnitudine. Eſt autem multò ipſo acrius. Vt Græcis ἀείσαρον, ita etiam Ariſarum Latinis, & Ariſaro Italis nominatur. Ariſarum alterum, ſiue Pſeudoariſarum: Italis Ariſaro falſo.*

I. Ariſarum Matth. Dod.gal. Geſ.hor. Ariſarum primum, Lonic. Lug. Dracunculus minor, Geſ.app. Lacu. Dracunculus alter ſeu henicophyllos, Cord. hiſto. Arum maius Veronenſe perperam Ariſarum, Lob. Ariſarum latifolium Matthioli, Tab. II. Ariſarum anguſtifolium (quod Dioſcoridis eſſe videtur) C.B. Dod.fol. Cluſ.hiſp. Tab. Lob. Ariſarum tenuifolium, Cam. Ariſarum alterum, Matth. Dod.gal. Lug. Lonic. Ariſarum, Geſ.hor. Lacu. Cæſ. Pſeudoariſarum, Caſtori.

## Ἀσφόδελος. HASTVLA REGIA. CAP. CLXIIII.

HAſtula regia vulgaris notitię eſt: foliis maioris porri: caule læui, ferente in cacumine florem, quẽ anthericon appellant: radices ſubiacent oblongæ, rotundæ, glandibus ſimiles, guſtu acres. Quæ excalfaciunt: vrinas & menſes epotæ ciunt: lateris doloribus, ruptis, conuulſis, & tuſſibus drachmæ pondere potę ex vino medentur. Ea verò vomitiones adiuuat, ludicri tali magnitudine commanducata: à ſerpente demorſis datur aptiſſimè trium drachmarum pondere, verùm foliis, floribus & radice ex vino morſus illinire oportet: item vlcera ſordida & depaſcentia: mammarum quoq;, & teſtium inflammationes, tubercula, furunculoſq;: decoctis in fæce vini bulbis, recentibus inflammationibus ex polenta auxiliatur. Radicis ſuccus adiecto vetere vino dulci, myrrha & croco decoquitur, fitq; perquã vtile oculis medicamentum: ad purulentas aures per ſe, & cum thure, melle, vino & myrrha tritus, prodeſt: in contrariam aurem infuſus, dentium dolorem mitigat. Cinis è radice illitus, alopecias ad pilum reducit: oleum in excauatis radicibus igni decoctum, illitu exulceratis pernionibus, & ambuſtis igni, conducit: & ſurditati inſtillatum in aurem auxiliatur. Candidam vitiliginem, linteo antea perfrictam in ſole, illita radix emendat. Semen, floreſq; in vino poti, ſcolopendræ & ſcorpionum venenis, mirum in modum reſiſtunt: aluum purgant.

Aſphodeli hiſtoria. Aſphodeli melino flore. Anthericum, flos Aſphodeli.

*HAſtula regia, quæ Græcis dicitur Ἀσφόδελος, panta eſt à radicibus folioſa, folijs porraceis longioribus, anguſtioribuſq;, carina adeò perminente, vt triquetra videantur. Caulem edit cubitalem, & quandoq; maiorem, inſigni læuitate: Flores in cacumine albicantes, (eſt etiam qui melinos faciat) numeroſos, in ſtellæ modum ſeſe pandentes, è quibus baccæ proueniunt ſubrotũdæ, herbacei coloris, in qub. triquetrũ cõcluditur ſemen nigro colore. Particulatim floret, vt Scilla, ab imo incipiens, verbaſci quoq; modo: Radicibus nititur numeroſis, nigricantib. bulboſis, oblõgis, ſubuireſcẽte intus pulpa indicis longitudine, & inferna ſede craſſiorib. prominẽte infima parte tenui cauda, ſuccoſis, acri & amaro guſtu. Naſcitur in montib. pingui ſolo. Plãta eſt ſpectatu iucunda, cũ integra effoditur, ob ingentẽ bulborũ numerũ, qui ſæpe centenariũ excedant, quanquã citato loco dicit Plinius, Aſphodeli radicẽ alijs numeroſiorẽ eſſe, vt quæ octuaginta ſimul aceruatu ſæpe bulbis reperiatur. Atqui Gal. 2. de alim. facu. vna tantũ bulboſa radice magnitudine, figura, amarore ſcillæ radici quodammodo ſimili, Aſphodelum conſtare legitur. Huius caulem (vt Plinius eſt auctor lib. 21. cap. 17. Theoph. & ferè Græci omnes) cubitalẽ, & ſæpe duum cubitorũ, antheriũ vocauere: radicem verò, id eſt, bulbos, aſphodelon. Latini autẽ illud albucũ, & aſphodelum haſtulam regiam dixere. Cæterùm Aſphodeli florẽ rectè Dioſcorides è Nicandro poëta Medico vetuſtiſſimo appellat*

I. HASTVLA REG. SIVE Aſphod.

* II. ASPHODELVS luteus. *





pellari ἀνθερικὸν ſcribit contra Theophraſtum, Plinium, & alios Græcos, qui caulem ita nominari volunt. Verba autem è Theriaca Nicandri hæc ſunt, quib. & caulem & ſemen deſcribit dum plantã ad ſerpentiũ, & ſcorpionẽ ictus valere dicit:

Ἄγρει δ' ἀσφοδέλοιο διαβέος ἄλλοτε ῥίζαν,
Ἄλλοτε, καὶ καυλεῖον ὑπέρτερον ἀνθερίκοιο.
Πολλάκι δ' αὖ καὶ σπέρμα τὸ λοβοῖς ἀμφρὶς ἀέξει.

Vermes Albucum creat (vt Theophr. ait qui in volucres beſtiolas floſculorum ſpecie degenerant: ij tandem cùm flacceſcens maruerit ſcapus, eroſo conceptaculo prouolant. Mandebatur antiquitus, Heſiodo teſte, huiusce plantæ tum caulis in cinere toſtus, tum bulbus cum ſemine, oleo, & ſale addito: quin etiam cum ficis, mira voluptate. Illinuntur vtiliter aſphodeli radices, ex aceto decoctæ, lichenoſis ſcabioſisq́;. Eædem cum hyoſcyamo feruefactæ, & pice liquida exceptæ, alarum virus, tædiane emendant. Criſpantur quoq; capilli, deraſo capiti affricta ſæpe radice. Ea epota, ſcripſere quidam excitari venereos impetus. Iuuat eadem felle ſuffuſos quin etiam aqua intercute affectos, ex vino pota. Decocta & illita parotidas ſanat. Eximuntur renum lapilli, ſi eiuſdem ex vino decoctum ſumatur in potu. Sanat illita iumentorum ſcabiem, & vlcera ad pilum reducit. Meminit earum quoq; Gal. lib. 6. ſimp. med. ſic inquiens: Aſphodeli radix vtilis eſt, ſicut ari, aſari, & dracontij, nempe extergentis, & diſcutientis facultatis. Vſtæ autem cinis calidior, & exiccantior, ſubtiliorq́; ac digerere potentior efficitur, ac proinde & alopecias ſanat: hæc Galenus. Cæterùm aſphodeli radix mirificè commendatur Aetio lib. 1. ad ciendos menſes, his verbis: Aſphodeli radix in vino albo vetere decocta, & vino calido meraco cyathi menſura hauſto, menſes ſuppreſſos celerrimè ciet. Planta quæ ἀσφόδελος Græcè, Haſtula regia Latinè vocatur: Arabicè, Cheunce, Bhunte, Biruach, Abg ſeu Arxeras: Italice Aſphodelo, Amphodillo & Haſtula regia: Germanicè **Goldwurtz vnd Heidniſch**: Hiſpanicè Gamones, Gamonites: Gallicè Afrodile.

Aſphodeli vires ex Gal

Nomina

Aſphodelus ſiue haſtula regia, quòd dum floret, effigiem ſceptri regii referat: meminit Matthiolus ferre flores albicantes, eſſe, quæ & melinos faciat, quare duæ figuræ adpoſitæ, cùm non ſolùm floris ratione differant, ſed totius plantæ magnitudine, cum albæ, radices ſint craſsiores, folia latiora: luteæ verò, & radices, quæ tenuiores luteæ ſunt vt & flores, folia anguſtiora, qua de re ſuo loco. I. Aſphodelus albus non ramoſus, C. B. Haſtula regia, Matth. Geſ. hor. Lac. Lugd. Aſphodelus Lonic. Caſt. Geſ. Cæſ. Aſphodelus mas, Dod. gal. Aſphodelus albus, Geſ. hor. Dod. fol. Cluſ. Hiſp. Tab. Cam. Aſphodelus maior albus, Lob. II. Aſphodelus luteo flore & radice, C. B. & Camer. Haſtula regia apud Tragum: Haſtula regia minor, Caſt. Aſphodelus luteus Geſ. hor. Tab. Cæſ. Dod. fol. Lugd. Aſphodelus luteus minor, Lob. Lugd. (qui duas habet figuras) Tab. Iphyon Theophraſti, Angillaræ.

βολβὸς ἐδώδιμος. BVLBVS ESCVLENTVS CAP. CLXV.

Eſculentus bulbus vulgò cognitus, à nobis eſtur. Stomacho, & aluo vtilis rufus, & qui ex Aphrica defertur. Amarus verò, & ſcilinus ſtomacho aptior eſt, & concoctionem adiuuat. Bulbi omnes acrimoniam habent, excalfaciunt, venerem ſtimulant, linguam tonſillasq; exaſperant, multũ alimenti præbent, carnes creant, inflationem pariunt: luxatis, fractis, articulorum doloribus efficaciter illinuntur: ſpicula extrahunt: gangrænas, & podagras ex melle, aut per ſeſe hydropicorum tumores, & canum mor-

morſus cum melle, & piperis polline illiti cohibent: ſudores compeſcunt: ſtomachi dolores mitigant: furfures, & vlcera, quæ in capite manant, cum toſto nitro abſtergunt: ſugillata varosq; per ſe, aut ex ou luteo, & lentigines cum melle, vel aceto emendant: fractis auriculis, vnguibusq; ex polenta medentur. Iidem calidis cineribus torrefacti, tollunt ficus: item cum cinere è mænarum capitibus, impoſiti. Cremati verò, & cùm alcyonio miſti, vitia cutis in facie, atrasq; cicatrices, in ſole illiti emaculant: faciunt ad rupta, ſi cum aceto cocti edantur. Sed copioſore eorum cibo abſtinendum, quoniam neruos tentant.

## Βολβὸς ἐμετικός. BVLBVS VOMITORIVS. CAP. CLXVI.

a Cat. φλοιὸς μέγας: i. cortice magno.

BVlbus, quem vomitorium vocant, folia habet lentiora multò, & longiora, quàm bulbus eſculentus: radicem ſimilem, cortice a nigro. Ea radix manſa, aut decoctum eius potum veſicæ malis medetur: vomitiones mouet.

Bulborum conſideratio.

BVLBVS VOMITORIVS.



BVlborum genera, eſculentum & vomitorium, antiquis vulgò notiſſima fuiſſe ex eo maximè conſtat, quòd eorum faciem non repræſentauerit Dioſcorides. Nobis verò Bulbi eam ob cauſam, vel quòd iamdiu exoleuerint, hodie omnibus tum medicis, tum herbarijs adeò incogniti ſunt, vt neminem hactenus inuenerim, qui eos legitimè demonſtret: Legitimos inquam, quod non deſint, qui v inter cæteros Aeſculapij videantur, BVLBOS quoſdã oſtentant, quos vomitorios, & eſculentos faciunt, ſua tantum opinione freti. Verùm ego non ita facilè adduci poſſum ad credendum, niſi collatis plantarum notis. At cùm Dioſcorides hoſce bulbos nullis deſcripſerit lineamentis, non poſſum illorum acquieſcere perſuaſionibus, & ſi non deſint Sycophantæ, qui me inſcitiæ accuſarint, quòd has dixerim me non cognoſcere plantas, quorum qui volunt doctrinam ſequi, conſultius fortaſſe fecerint, ſi hoſce labores noſtros haud quaquam legere decreuerint. Siquidem ego candidis lectoribus, non autem naſutis, hæc paraui monumenta. Veteribus autẽ fuerunt in frequentiſſimo ciborum vſu: his præſertim admiſti, quæ veneris conciliandæ gratia parabantur, vtpote qui venerem ſtimulent. Quod autem ad id experti, & commendati fuerint, Martialis apertè teſtatus eſt in xenijs ſuis, dum cecinit:

> Cùm ſit anus coniunx, cùm ſint tibi mortua membra,
> Nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.

Multorum error.

Cæterùm non defuere, qui crediderint Bulbum eſculentum eſſe Aſcalonium cepe, aut fiſſile illud cæparum genus, quod Hetruſcis vulgo vocatur Cepolla maligia. Sed horũ error manifeſtè deprehenditur ex Theophraſto, qui Aſcalonium, fiſſileq; cepe inter cæparum genera lib. 7. cap. 4. de plantarum hiſtoria recenſuit, non autem inter Bulbos, de quibus ſpeciatim diſſerit lib. 7. cap. 13. Bulborum meminit Gal. lib. 6. ſimpl. medicamentorum ſic ſcribens: Bulbus eſculentus frigidior, & craſſior eſt, lentumq; ſuccum procreat. Nam & coctu difficilis eſt, & flatuoſus, & venerem prouocans. Attamen illitus ob amaritatem ſimul & adſtrictionem, abſtergit ſimul & glutinat, & nimirum exiccat. Eſt enim oſtenſum, amaritudinem in extergentibus eſſe ſubſtantijs, adſtrictionem verò in glutinantibus. At ſiccitas vtramque conſequitur. Bulbus autem vomitorius multò eſt calidioris temperaturæ, quàm prædictus Bulbus. Et lib. 2. de alimentorum facultatibus, ſic de bulbis ſcribit: Bulbi genere cum prædictis conueniunt. Nam horum quoque radix direptis folijs manditur: in vere interdum ipſe etiam coliculus. Amaram auſteramq; vim, euidenter Bulbi in ſe habent: quamobrẽ elangueſcentis ſtomachi aliquatenus excitant auiditatem. At verò neq; ijs aduerſantur, quibus è thorace atque pulmone pus conuenit expuere: quanquam craſſiore, ac glutinoſiore ſunt corporis ſubſtantia. Etenim amaritudo craſſitudini reluctatur, lenta, craſſaq; nata incidere, quemadmodum in commentarijs de medicamentis prodidimus. Quapropter bis elixi vberius quidem alent, ſed excreare volentibus aduerſabuntur, vt pote omni amaritudine exuti. Tum verò ex aceto, oleo, garoq; miſtis, eſitare ſatius fuerit: nam ita magis profectò oblectabunt, ac nutrient, minusq; inflabunt, ac facilius concoquentur.

Bulborum vires ex Gal.

Nomina.

Βολβὸς quæ Græcis ἐδώδιμος Latinis Bulbus eſculentus cognominatur: Mauritanis Baſar Alzer: Italis Bulbo che ſi mangia. Qui verò Græcis Βολβὸς ἐμετικὸς Latinis Bulbus vomitorius dicitur: Mauritanis Zir: Italis Bulbo vomitorio, Cipollo canina.

Hyacinthus racemoſus moſchatus C. B. Bulbus vomitorius, Matth. Caſt. Lugd. Muſcari, Cluſ. hiſt. Hiſp. & Pann. Dipcadi Chalcedonicum, Lob. Lugd. (duas enim habet figuras) Hyacinthus ſpurius recentiorum alter. Dod. fol. Hyacinthus botryoides Chalcedonicus moſchatus, Tab. Flos interdum initio purpuraſcens, aut viridis: dein ex purpura virens, aut ex virore albicans, vel nigricans, dein pallidus eſt & luteo odoratiſsimo flore

## Σκίλλα. SCILLA. CAP. CLXVII.

SCilla vim acrem atque ſruentem habet: aſſatam ad multa vtiliorem eſſe conſtat. Polline ad cruſtam ſubacto, aut luto oblita in clibanum conijcitur, aut carbonibus obruitur, donec obducens cruſta ſufficien-

ſecienter intoſta fuerit: qua exempta, ſi non emolleſcat, altero polline ſimili, aut luto circumlinitur, & eadem quæ prius, fiunt: nam quæ ita non aſſatur, interaneis maximè noxia eſt, torretur item in olla, indito operculo, quæ in furnum demittatur, ſumi etiam ſolet quod maximè eſt medium, direptis viuotenus tunicis. quod fruſtatim conſectum coquitur, mutata ſæpius aqua, donec ipſa nec amaritudinem, nec acrimoniam habeat: traiectaq; lino fruſta ſiccantur in vmbra, ita vt ne vlla quidem parte ſe contingant. His Scillæ ſegminibus ad oleum, vinum, aut acetum ſcillinum vtimur. Ad rimas pedum, interna pars crudæ Scillæ in oleo feruefacta, aut cum reſina liquefacta, imponitur: decocta in aceto demorſis à vipera cataplaſma eſt. Ad ſingulas aſſæ partes adiectis octonis toſti ſalis, cochlear vnum, aut alterum damus ieiunis, ad emolliendam aluum: in potu autem, & odoratis medicaminibus, & quibus vrinam ciere volumus, hydropicisq;, & ſtomachicis, quibus innatat cibus, regio morbo, torminibus, in tuſsi vetere, ſuſpirioſis, & ore reiicientibus, tres obolos in delinctu ex melle ſumpſiſſe ſatis eſt. Coquitur cum melle, & eſtur eorundem gratia, maximè vt concoctionem adiuuet, ſtrigmenta per aluum extrahit. Cocta & ſimili ſumpta modo, eoſdem præbet effectus: ſed cauendus Scillæ vſus his, qui inteſtinum ſentiunt vlcus: ad penſiles verrucas, & perniones, toſta efficaciter illinitur. Tritum ſemen, & in carica, aut melle deuoratum, aluum emollit. Scilla tota in limine ianuæ ſuſpenſa, mali medicamenti noxam arcet.

## Παγκράτιον. PANCRATIVM. CAP. CLXVIII.

PAncratium, quod aliqui Scillam appellant, radice eſt magni bulbi, ſubrufo colore, aut ſubpurpureo guſtu amaro ac feruente: foliis lilii, ſed longioribus. Scillæ vires, & præparationem habet, eodemq; pondere in morbis efficaciter aſſumitur: cui tamen mitior, quàm Scillæ facultas ineſt. Radicis ſuccus cum erui farina digeritur in paſtillos, qui hydropicis, ſpleniciſq; cũ hydromelite, commodiſsimè dantur.

I. SCILLA.



* II. SCILLA HISPANICA.



*SVperioribus annis credidimus, Scillas, quarum in Italia omnibus, tum medicis, tum ſeplaſtariis communis eſt vſus legitimas eſſe: in hanc autem opinionem veneram pluribus coniecturis ac rationibus fretus. In primis enim Plinium inueneram lib. 19. cap. 5. Scillæ maiorem quam cæteris bulbaceis radicibus amplitudinem reddidiſſe: quarè cum ſæpe vidiſſem ex iis Scillis, quibus paſſim vtimur, nonnullas ad tantam magnitudinem creuiſſe, vt ferè caput hominis æquarent, non poteram non exiſtimare illas eſſe veras. Deinde legeram apud Theoph. lib. 7. c. 12. de plant. hiſtoria, Scillã prius caulem floresq; gignere, quam folia. Id quod in noſtratibus cùm manifeſtè deprehendatur, mihi quidem non videbatur eſſe diſcedendũ a vulgari opinione. Adde quòd ſæpenumero quaſdam Scillas vidi paruas, pyro paulo maiores, has equidẽ putabã Pancratium eſſe: illas verò communis vſus, Scillas, idq; eo magis, quòd Dioſcorides tribuit Pancratio radicẽ magno bulbo ſimile: horũ autẽ radix mediocris potius, quàm eximiæ craſsitudinis cenſetur. Verùm cùm poſtea aliquantò accuratius harum plantarũ hiſtoriã expendiſſẽ, inueni Aloes folium, Dioſcoridis & Plinii teſtimonio, Scillæ ſimilitudinẽ habere. Quod nimirũ refragatur Scillæ communis vſus, vt quæ folia ferat non aloe, ſed lilio proxima: inter quæ non parua quidẽ intercedit differentia. Quinetiã legi in Theoph. & Plin. quod Scilla floret ter in anno: hoc item (quantũ videre potui) non euenit noſtris vulgaribus Scillis. Sed ne veritati fortaſſe detrahã, omnino id affirmare non auſim. Hinc itaq; iure quondã factũ eſt, vt de Scilla non vlterius vulgarem illam tenuerim, ſed in dubiam venerim ſententiam, an ſcilicet Scillæ communis vſus legitimæ ſint, & dici mereantur: aut aliæ reperiantur, quæ foliis aloe ſimilibus proueniant. Cæterùm dum adhuc in re dubia verſarer, a quibuſdam medicis Hiſpanis accepi in Hiſpaniæ maritimis Scillas innumeras oriri noſtratibus duplò maiores, foliis aloen æmulantibus, ſed minus craſſis: quæ amaritudine, acrimonia, ac virium præſtantia communes noſtras Scillas longè vincunt.*

Scillæ, & Pãcratii conſid.

Scilla Hiſpanica.

* SCILLA MAIOR RADICE RUBRA.*



*vincunt. Scilla bulbo nititur ingenti, ſubrubro, radicibus imæ na ſede numeroſis, ſquamis craßis, lento ſucco prægnantibus, acri & amaro, folia mittit aloes ſimilia, caulem ſeſquicubitalem, læuem, & flores in ſummitate ſubpurpureos. Iam ergo non dubitauerim, (ſi vera ij retulerunt) aſſerere prædictas Hiſpaniæ Scillas veras eſſe, noſtrates verò legitimum eſſe Pancratium Dioſcoridis: huic enim pulchrè reſpondent folia, quæ lilij ſunt, verùm longiora. Nec obſtat, meo quidem iudicio, quòd Dioſcorides ſcripſerit, Pancratium radicem eſſe magno bulbo ſimilem: namq; bulbus hoc loco genus, non ſpeciem denotat. Atque adeo hinc fortaſſe ſit, vt Scillæ quarum eſt communis vſus, non ea præſtent efficaciter, quæ legitimæ pollicentur: quòd Pancratium (vt Dioſcorides teſtatur) mitior, quàm Scillæ facultas ſit. Dixi ſententiam meam, quamuis ſciam non deeſſe naſutos, qui noſtram hanc impugnant ſententiam. Atqui mihi magis expedit, Dioſcoridis & Plinij nitidißimis niti teſtimoniis, quam horum fucatis acquieſcere nugis.*

Scillæ præparatio.

*Quidam ætatis noſtræ medici in cerebri, & neruorum frigidis affectibus, Scillam crudam ab inuolucris repurgatam minutim ſecant, & cum melle plurimo in vas vitreum conijciunt, inſolantq; per æſtatem, ardente præſertim ſirio: demum percolato melle vtuntur ad comitiales, & alias cerebri ægritudines, à frigiditate excitatas. Sed alia longè diuerſa fuit Galeni ad hos vſus ſcillæ parandæ ratio. Quippe qui conſciſſam Scillam nunquam melle commiſtam expoſuit inſolandam, ſed vt ab ea ſuccum ſole colliquatum in diebus canicularibus eximeret in fictile, vel vitreum vas, in quo primum mel fuiſſet, diſſectam ſcillam immittebat: deinde tantiſper inſolabat, donec ſolaribus radijs ipſa liqueſceret. Ex quo palam fit, quòd plerique à Galeni inſtituto prorſus aberrant, vt qui ſcillinum mel conficiant ſcillæ liquoris vice. Scillinum quoque acetum admirabilis eſt ad multa facultatis: ſi quis enim quotidie parum ebiberit, illi quidem faucium oriſq; partes nunquam malè valebunt: os ventriculi benè valebit: facilè ſpiritũ ducet: oculi acutißimè cernent: flatus nullus in ventre excitabitur, & benè ſpirans, beneq; coloratus deget: hoc aceto qui vtitur, cibum bellè conficiet, etiamſi licentioſius edat: nihil ſuperuacui in corpore reſidebit, non flatus, non bilis, non cruditas, non ſtercus, non vrina, aluus lubrica omninò erit. Morbo comitiali diuturno efficaciter proficit, incipientem verò ac nouum perfectè diſcutit: ad podagras præterea, & cæteros articulorum morbos, & ad iecoris, lieniſq; duritas efficaciter facit.*

Scillæ vires ex Galeno.

*Scilla (vt memoriæ ſcriptum reliquit Galenus libro octauo ſimp. med.) admodum incidentem facultatem obtinet, non tamen admodum calidam. Sed ſecundum hoc eam quiſpiam ſecundi ordinis cenſeat excalfacientium. Præſtat autem aut aſſam, aut elixam ſumere: ſic enim virium eius vehementia exoluitur.*

Nomina.

*Nomen illi Græcum eſt σκίλλα, Latinum item Scilla: Arabicum, Haſpel, Hauſel, Aſchil, ſeu Alaſchil: Italicum, Scilla: Germanicum* Meer Zwibel: *Hiſpanicum, Cebolla albatrana: Gallicum, Stipoulle, Charpentaire & Oignon marin.*

Scillæ tria genera apud Plinium lib. 19. cap. 5. maſcula albis foliis, fæmina nigris: & tertium cibis gratum Epimenidium: figuram addimus duplicem, primam Matthioli: alteram Cluſii, partim quia Matthiolus Hiſpanicæ meminit, partim quia Cluſius author eſt, hactenus neminem veram figuram dediſſe: his adiecimus Pancratii figuram, cum Dioſcorides de Pancratio diſtinctim à Scilla egerit. I. Scilla maior radice alba. C. B. Squilla, Brunſ. Scilla ſeu Cepa maris, Trag. Scilla, Matth. Fuch. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lugd. Scilla communis, Dod. gal. Scilla maior, Caſtori. II. Scilla Hiſpanica, Cluſ. Hiſp. Caſt. Lugd. Scylla, Lonic. Cæſ. Scilla ſiue Cæpa marina, Lob. Scilla, Dod. fol. Hæc ex radice craſſa, alba, multis tunicis, lento humore intercedente, munita, multiſque fibris capillata, caulis cubitalis, rectus, foliis nudus, floribus plurimis, Ornithogalo ſpicato ſimilibus, candidis & ſtellatis ornatus: quibus ſuccedunt ſiliquæ triangulares compreſſæ, ſemen nigrum planumquè continentes. Folia verò ex radice ad caulis exortum prodeunt vtrinque quina aut ſena, lata, virida, denſa in humum reclinata & carinata. Floret Auguſto & Septembri: Octobri ſemen matureſcit: folia, caule exſiccato Nouembri & Decembri, prodeunt apud Hiſpanos & Luſitanos, apud quos copioſè prouenit: III. Scilla maior radice rubra. C. B. Hæc radice eſt maiore, extimis tunicis rubentibus, foliis latioribus, longioribus & carinatis: quod copioſè in mediterraneis Hiſpaniæ, Cluſius obſeruauit, vbi pro præſentaneo veneno habetur. Pancratium, Cluſ. Hiſp. Dod. fol. Lugd. Taber. Scilla rubentibus radicis tunicis, folio aloes carinato, Lobelo.

## Κάππαρις. CAPPARIS. CAP. CLXIX.

CApparis aculeatus frutex eſt, qui in terra ſtratus magis in orbem euagatur. Spinas, vt rubus, habet in hami modum aduncas: folia mali cotoneæ, rotunda: fructum oleæ ſimilem, qui cùm dehiſcens panditur, florem candidum promit: quo excuſſo, nonnihil glandis oblongæ figura inuenitur, quod apertum grana acinis punicorum ſimilia oſtendit, parua, rubicunda: radices lignoſas ſpargit, grandes numeroſaſquè. Tenui plerunq; ſolo, aſperiſquè locis, in inſulis, & iuxta rudera naſcitur. Caulis, & fructus, cibi gratia condiuntur: aluum turbat, ſtomacho aduerſatur, ſitim gignit: cocta tamen ſtomacho, quàm cruda vtilior eſt. Fructus drachmis duabus in vino potus, quadraginta diebus, lienem abſumit, & vrinam cruen-

cruentumq; excrementum emittit: bibitur vtiliſsime in coxarum doloribus, & neruorum reſolutione, item ruptis & conuulſis: menſes ciet, caput purgat. Dentium dolorem ſedat ſemen ex aceto decoctum, colluto inde ore. Aridus radicis cortex ad eadem proficit: vlcera omnia vetera, & ſordida, & quæ occalluerunt, expurgat: lienoſis cum farina hordei illinitur: dente demorſa, dolori eius auxiliatur: cum aceto trita vitiligines albas abſterget. Radix foliaq; intrita, ſtrumas, ac duritias diſcutiunt. Aurium vermiculos infuſus ſuccus enecat. Aphrica, & præſertim Marmarica capparis, vehementer inflat. Apula vomitus facit: & quæ à Lybico, & quæ rubro mari, defertur, mirum in modum acris eſt: ſiquidem in ore puſtulas excitat, gingiuasq; oſſe tenus exeſt, quare in cibis non ab re damnatur.

### I. CAPPARIS.



### * II. CAPPARIS ACVMInato folio.



*Capparis frutex eſt in Italia vulgaris ſatis notitiæ. Floribus enim, & fructibus muria aſſeruatis frequentiſsimè in cibis vtimur. Ex iis ſuauiores, & qui cum palato maiorem ineant gratiam, ſunt recentes acerrimo aſſeruati aceto, quod plerique faciunt in Hetruria. Præſtantiſsimæ cappares ex Alexandria Aegypti Venetias aduehuntur. Eſt & in Apulia Capparum prouentus, vnde etiam plurimæ deferuntur, verùm longè deteriores his, quæ ex Aegyptò importantur. Vomitiones Cappares haud quaquam cient, vt Dioſcorides inquit: niſi fortaſſe hac facultate ſint præditæ, dum recentes, ac virides comeduntur, anteaquam muriam experiantur, & deinde elixentur. Proueniunt etiam Romæ in collapſis ædificiorum parietibus, ruderibusquè, præſertim circa Pacis templum, itemq; Senis, quæ quidem Apulis saporis præſtantia minimè cedunt. In cultis naſci Cappares negat Theophraſtus lib. 6. cap. 5. de plantarum hiſtoria. Seruntur tamen hac ætate, coluntur q; perinde ac ſegetes, & legumina, quemadmodum & Plinii tempore, qui ſerendi rationem lib. 19. cap. 8. his verbis explicauit: Quippe cùm Capparis quoque ſeratur, ſiccis maximè, area in defoſſu cauata, ripiſq; vndique circumſtructis lapide, alias euagatur per agros, & cogit ſolum ſterileſcere. Floret æſtate, viret vſq; ad Vergiliarum occaſum. Sabuloſis familiariſsimum. Capparis vires reddidit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Capparis radicis cortex vincentem habet qualitatem amaram, proximam acrem, deinde acerbam. Ex quo liquet, quòd diuerſis pugnantibusq; conſtet facultatibus, quippe abſtergere, purgare, incidere poteſt amaritudine: excalfacere, incidere, digerere acrimonia: porrò contrahere, denſare, conſtringere acerbitate. Idcirco lienes induratos, ſi quid aliud, hoc medicamentum iuuare valet, tam foris idoneis illinendis remediis admiſtum, tum intrò in corpus aſſumptum: ſiue decoctum in aceto, aut oxymelite, & id genus, ſiue aridum contuſum, illiſq; permiſtum. Quippe cùm apertè craſſos, lentosq; humores hoc pacto ſumptũ euacuet, nec eos tantùm per vrinas, ſed & per ventrẽ: ſæpe etiã ſanguinolentos defert, vnde & lienes adiuti ſunt, & coxarũ dolores. Quinetiã mẽſes promouet, & ex capite purgat, detrahitq;, auxiliaturq; ruptis, atq; conuulſis. Cæterùm cuinã ipſum potioni, in quoque affectuum miſceri conueniat, non eſt præſentis inſtituti perſequi. Porrò radicis eius cortex vlceribus malignis cataplaſmatis modo impoſitus, non malum eſt remedium, vt qui illa extergere valeat, nec ſegniter deſiccare. Præterea dentium labores prædictarum qualitatum ratione adiuuat, interim cum aceto coctus, interim cum vino, ſæpe etiam ſolus dentibus manſus, ac morſus. Ex dictis ergo clarum eſt, incidendi quandam ei facultatem ineſſe, itemq; extergendi, digerendi, contrahendi. Vitiligines ſiquidem cum aceto detrahit, et chœradas, & duros tumores digerit, idoneis ad ea medicamentis miſtus. Radicis cortici, fructus proportione virium reſpondet, niſi quòd ad omnia ſit imbecillior. Imò & folia, & caules eius, ſimilem vim obtinent: meminiquè me foliis quandoq; paucis diebus duritiem chœradis naturam referentem diſcuſsiſſe. Sed admiſcemus ſcilicet illis quippiam, quod eorum virium obtundat vehementiam. Nec mirum eſt, quòd aurium vermes ſuccus amaritate occidat ſua. Porrò Capparis, quæ in admodum feruentibus regionibus prouenit, vt quam fert Arabia, multò eſt noſtrate acrior, adeò vt plurimum etiam habeat facultatis adurentis.*

Capparum conſideratio.

Capparum ſatio.

Capparis vires ex Gal.

Et lib. 2. de alim.

*de alim. fac. ſic de Cappare ſcribit : In Cypro Capparis plurima prouenit. Facultas eius tenuium admodum eſt partium: proinde minimum alimenti in corpus eorum, qui ipſa veſcuntur, diſtribuit: quemadmodum & alia omnia, quæ tenuium conſtant partibus. Vtimur autem fructu huius plantæ magis, vt medicamento, quàm vt alimento. Importatur ad nos etiam ſale conſperſus, quia ſolus aſſeruatus putreſcit. Clarum ergo eſt, quòd capparis adhuc viridis, antequam ſale condiatur, plus habet nutrimenti: nam ex ſalitura permultũ eius amittit, niq; ſal abluatur, prorſus haud quicquam nutriet: aluum tamen ſubducet. Verùm ablutus, & demaceratus, donec omnem ſalis naturam exuat, vt minimi ſanè alimenti cibus eſt, ita [illegible]onium, & medicamentum, cùm ad excitandum proſtratum appetitum, tum ad deradendam, deijciendamq; pituitam ventri adhæreſcentem accommodatum erit, ac denique ad lienis, iecoriſq; amoliendas obſtructiones. Verùm in hos vſus cum oxymelite, aut oxelæo ante alias omnes dapes ſumi oportet. Tenellis porrò capparis germinibus homines, vt terebinthi turionibus, veſcuntur: cùmq; adhuc virent, in oxalme, & aceto, non ſecus atque hos reponunt. Planta, quæ κάππαρις Græcè, Capparis ſimiliter Latinè dicitur: Arabicè, Cappar & Kappar: Italicè Capparo: Germanicè Kappern: Hiſpanicè Alcaparras: Gallicè Caprez.*

Nomina.

## * III. CAPPARIS LEGVMINOSA. *



Capparis duplex eſt, rotundo & acuminato folio, vt ex vtraque figura clarum ſit: verùm eam, quæ rotundo folio eſt Matthiolus expreſsit. I. Capparis, Trag. Matth. Cord. in Dioſc. Dod. gal. Geſ. hor. Lon. Lac. Caſt. Lugd. Capparis retuſo folio, Lob. Capparis Italica, Cæſal. Capparis ſecunda, Tab. II. Capparis, Dod. fol. Capparis folio acuto, Lob. Lugd. Capparis aliud genus, Cæſ. Capparis prima, Tab. III. His adiecimus Capparim leguminoſam, plantam aſpectu pulchram & eleganter virentem, quæ ex radice oblonga, lignoſa, ramos emittit cubitales & altiores, teretes, læues, ſtriatos, qui in alios brachiãtur, circa quos folia lata oblonga, craſsiuſcula, capparis æmula, ab vno pediculo ſtriato ſemper bina, vt in Faba, ſaturato colore virentia. Flores ſummis cauliculis inſident, qui priuſquam dehiſcant, rudimentorum capparis florum ſimilitudinem referunt, foris herbidi, expanſi verò foris candidi, intus rubei, è quorum medio ſtamina plura, oblonga, crocea, educuntur: quibus ſuccedunt ſiliquæ oblongæ, anguloſæ, ſeſaminis ſimiles, quaternæ veluti ex thecis compoſitæ, in quibus ſingulis ſemina continentur plura, lata, compreſſa, ex rotunditate in acumen deſinentia. In horto Petri Quith Pharmacopæi Lutetiani, ante annos octodecim collegimus: in ruderibus tamen Romanis ſpontè prouenit. Vocatur Capparis leguminoſa ſiue Fabago Belgarũ & Peplios Petri Quith, Lob. Capparis Fabago, Dodonæo: Fabago Belgarũ Lugdunenſi: Capparis ſylueſtris ſiue Fabaginea, Camer. ad Matthiolum, Morgſani Syrorum, Rauwolffio & Lugdun. in appendice. Apud Auicennam eſſe Ardifrigi & Andiriam apud Rhaſin, ex deſcriptione & facultatibus ſuſpicantur: vſus enim ipſius apud Syrios contra vermes, cum tota planta ſit amara, grauiſq; odoris.

## Λεπίδιον. LEPIDIVM. CAP. CLXX.

LEpidium, aliqui gingidium vocant, herbula vulgò nota, muria cũ lacte ſeruatur. Vis foliorum acris & exulcerans, quapropter iſchiadicis trita, præſentiſsimum eſt auxilium, ſi cum helenii radice, quarta parte horæ, illinatur: lienoſis ſimili modo prodeſt, lepras eximit. Radix appenſa collo, dolore dentium liberare exiſtimatur.

Lepidii conſideratio.

*CVm ſatis ſuperq; à nobis oſtenſum ſit in primi libri calce, in Iberidis commentatione, Iberidem nihil à Lepidio differre, ſuperuacaneum eſſet, hîc ea repetere, quæ ad Lepidij hiſtoriam explicandam loco citato diffuſius adduximus. Siquidem eo quiſq; facilè accedere poteſt, qui ea, quæ ibi diximus, ſcire deſiderat. Folia gerit Naſturtij, vere virentiora: caulem cubitalem, aut minorem, florem album tenuemq;, ſemen circum ſummos tenueſq; cauliculos in ſiliquis Naſturtij æmulis, ſed minoribus, minuto intus ſemine. Radicem albam, acri ſapore. Naſcitur locis incultis, ſaxoſis: in templorum areis atq; Sepulchris (Damocrati) ſecus itinera in ruderibus & agrorum extremitatibus. Excalfacit & ſiccat magis quam naſturtium, extrahit, attrahit, incidit, attenuat, aperit, digerit & vrit. Veruntamen haud ſilentio inuoluendum duxi, quod Plinius in Lepidij hiſtoria prorſus à Dioſcoride diſſentire deprehenditur. Quippe qui ſcripſerit lib. 19. c. 8. Lepidium cubitali longitudine aſſurgere, folijs laurinis, non autem Naſturtij, vt Dioſcorides inquit. Quod ſanè nobis inſinuare videtur, Plinij Lepidium eam eſſe Iberidis ſpeciem, quam ſcribit Paulus lib. 3. de coxendicum dolore agens, folia lauri præferre. Hæc enim (vt libro ſuperiore diximus) ea facilè fuerit, quam vulgus herbariorum ideo Piperitim nominat, quod acerrimo guſtu, linguam mirum in modum vellicet. Cæterum non poſſum non admirari, quòd tam facilè crediderint Hermolaus, Manardus, ac Ruellius illos ſecuti, Lepidium eam plantam eſſe, quæ vulgò in Italia appellatur Raphano. Nam cum hæc folijs ſit helenio paulò minoribus & verbaſco maioribus, nullo pacto Dioſcoridis Lepidium referre poteſt, vt quæ tenuis admodum ſit herba. Nec item Plinio adſtipulari videntur, qui Lepidium prodidit laurinis folijs exire in cubitalem altitudinem: niſi fortaſſe ij Clariſsimi viri noſtratem Piperitim, quæ procul dubio Plinianum refert Lepidium, Raphanum vocauerint.* L E P I D I V M *Pauli, caulibus cubitalibus fruticat ſubalbicantibus: folijs lauri,*

Lepidium Plinii.

Lapſus Hermolai, Manardi & Ruellii.

*folijs*

**I. IBERIS, SIVE LEPIDIUM.**



**II. LEPIDIVM, PIPERITIS.**



**RANVNCVLVS I.**



*maioribus tamen, robuſtis, floribus in cacumine ſpicatis, tenuibus ac albicantibus. Radice alba acerrimi guſtus, perinde ac folia, quæ dentibus attrita os vniuerſum accendunt. Seritur in hortis, ac etiam quibuſdam in locis ſponte naſcitur. Excalfacit & ſiccat vehementer, ac ea omnia poteſt quæ Lepidium primum: cæterùm longè valentius operatur. Quòd λεπίδιον Græci, Lepidium quoque Latini vocant: Mauritani, Seitaragi, Hauſaub, Aſceitaragi ſeu Scitharegi: Itali, Lepidio: Germani,* Gauchblum vnd Wilderkreß: *Galli, Paſſeraige ſauuage, & Naſitort ſauuage: Hiſp. Naſturtio monteſino. Lepidium Paulo Æginetæ, & Plinio: poſterioribus Græcis λεπίδιον: Italis, Piperite & Peperella: Gallis Paſſerage, ſiue Poyuree: Germanis,* Pfefferkraut. Nomina.

I. Iberis folio Naſturtij C. B. Iberidis figura bis à Matthiolo poſita, primùm quidem ad calcem libri primi, dein hoc loco: verùm cúm diuerſas icones habeat, aliã inter minores, qualis eſt ea quam li. 1. inuenies: aliam folijs Naſturtij inter maiores icones, idcircò talem in hunc locũ reiecimus. II. Lepidiũ latifoliũ, quòd λεπίδας ſeu ſquammas & maculas faciei deleat. C. B. Piperitis, Brunf. Dod. gal. Lon. Lepidiũ ſiue Piperitis Trag. Matt. Cam. Lepidium Æginetę & Plinij, Matth. in icon. Lug. Lepidium maius, Cor. in Dioſc. Lepidium ſiue Hiberis maior, Cord. hiſt. Lepidium magnum, Fuch. icon. Lepidium Plinij, Cam. Dod. fol. Lepidium Æginetæ, Geſ. hort. Tab. Raphanus ſylueſtris officinarum, Lobelo.

## Βατράχιον. RANVNCVLVS. CAP. CLXXI.

COmplura Ranunculi genera, vis tamen omnibus vna acris, & vehementer exulcerans. Nam vnum coriandri folijs conſtat, latioribus, ſubalbidis, pinguibus, flore luteo, interdum purpureo: caule gracili, cubitum alto: radice alba, exigua, amaraque, multis capillamentis, hellebori modo, fibrata: naſcitur in [a] limitibus humidis. † Alterũ lanuginoſius, longiori caule, pluribus foliorũ inciſuris, plurimum in Sardinia

a Meũ. παρὰ ῥείθροις. i. iuxta fluenta.
† Ori. γονατῶδες ἕτερον. i. geniculoſius.

b Cat. χλοωρότερον, i. viridius.

Sardinia prouenſens, quàm acerrimum, quod ſylueſtre apium appellant. Tertium minimum, odore graui, flore aureo. Quartum huic ſimile, flore b lacteo. Folia, flores & cauliculi recentes illitu exulcerant, & cruſtas non ſine dolore gignunt: quare vngues ſcabros extricant, ſcabiem eximunt, ſtigmata delent: formicantes verrucas, & penſiles, alopeciasq; paulisper illita tollunt. Tepente decocta perniones fouentur. Sicca radix tritaq;, ſternutamenta ciet, naribus admota: dentiũ doloré appenſa leuat, ipſos tamé frangit.

RANVNCVLVS II.



RANVNCVLVS III.



RANVNCVL. IV.



* RANVNCVL. IV. FLORE PLENO. *



RANVNCVLVS V.



RANVNCVLVS VI.



R*Anunculū, qui Græcis* βάτραχιον *dicitur, vulgus herbariorum in Italia, & alibi etiam Pedem corui, & Pedem galli,*
*quamuis perperam, vocant, vt ſuperius quoque in coronopi mentione diximus. Planta eſt vulgò nota, pluribus tamen* Ranunculi conſideratio.
*& diuerſis generibus diſtincta. [TERTIVS minoribus prouenit folijs, floribus melinis: ſed tota planta grauem ſpirat odo-*
*rem. QVARTVS non eſt abſimilis tertio, folia tamen magis diuiſa ſunt: florem edit lactei candoris: radices numeroſas fi-*
*broſasq́;] Et quamuis quatuor tantùm generum meminerit Dioſcorides, vnum genus eſt, quod nobis QVINTO loco aſſi-* Ranunculus quintus.
*gnabitur, quod quidem folia mittit ſecundo ferè ſimilia [atque etiam hirtiora] ſed cui inter complures, quibus niti-*
*tur, [ellebori modo] radices albas, tuberoſa quædam pendeat, veluti ex funiculo, radix nucis iuglandis magnitudine, rapi*
*modo albicans, acris tamen & exulcerans, qua per hyemem, areſcentibus iam folijs, vtuntur quidam, vbi exulcerandi ſit*
*opus. Naſcitur locis incultis & ſecus itinera. Excalfacit & ſiccat ordine quarto, vlcerat, extrahit, incidit, digerit. Radix re-*
*cens tuſa & admota, veſicas excitat: quare Iſchiadicis vtiliter illinitur. SEXTVS folia mittit Anemonis primi ſimilia:*
*caules cubitales, ſtriatos, flores in ſummitate magnos, aureo colore: radices numeroſas, fibroſasq́;. Naſcitur in riguis, & hu-*
*mectis locis. Cæteris minus eſt acris, quare minus excalfacit & ſiccat. Illud porrò genus lanuginoſius, vel, vt Plinius ait, fo-*
*lioſius, copioſiſſimum in Sardinia naſcens pluribus foliorum inciſuris, altiore caule, acerrimo guſtu, pleriq; ideo Apium riſus*
*nominant, quòd quibuſdam memoriæ proditum ſit, eos tanquam præ lætitia ridentes interire, qui ipſum comederint. Sed*
*rem ſe aliter habere crediderim, & alijs potius aſtipulandum eſſe. Siquidem Pauſanias auctor eſt, herbam hanc, ſi edulio*
*fuerit veſcentibus neruos contrahere, rictuq; ora diducere, ita vt qui mortem oppetunt, velut ridentium facie intereant.*
*Quod & Saluſtius confirmat, qui huius venenatæ herbæ meminit, ſic inquiens: In Sardinia quædam herba naſcitur, quæ*
*Sardoa dicitur, agreſti apio ſimilis. Hæc ora hominum & rictus dolore contrahit, & quaſi ridentes interimit. Ideoq; Dio-*
*ſcorides libro 6. Sardoniam ranunculi genus eſſe teſtatur, quæ veſcentibus mentem adimat, & quadam neruorum diſten-*
*tione dehiſcere in rictus ora cogat, ita vt imaginem ridentium præbeat: ob id Sardonius riſus in adagium ceſſit. Cæterum*
*quam magno in errore verſentur, qui exiſtimant Ranunculum eſſe Coronopum, ſuperius in Coronopi commentatione la-* Quorundam error.
*tius explicauimus. Ranunculi meminit Gal. lib. 6 ſimpl. medic. vbi ita ſcriptum reliquit: Batrachium, id eſt, Ranunculus,*
*quatuor habet ſpeciatim differentias. Omnia verò vehementer acrem facultatem poſſident, adeò vt cum dolore exulce-*
*rent. Hac itaque ratione, ſi moderatè vtare, pſoras & lepras excoriant, & vngues leproſos diuellunt, & ſtigmata diſcutiūt* Ranunculi vires ex Gal.
*& acrochordonas, & myrmecias detrahunt. Quin & alopecias iuuant, pauco tempore admota: nam ſi diutius inhæreant,*
*non excoriatur ſolùm ipſa cutis, ſed & in cruſtam vritur. Atque igitur hæc omnia caulis & foliorum ſunt opera, ſi impo-*
*nas virentia. Porrò radix areſacta ſternutatorium eſt medicamentum, ſimiliter alijs omnibus quæ valenter deſiccant. Sed*
*& detium dolores iuuat, vt & frangat eos valenti ſcilicet exiccatione: & vt ſemel dicam, calida & ſicca valde eſt tum ra-*
*dix, tum vniuerſa adeò herba.* βάτραχιον *ita Græcis, Latinis verò Ranunculus appellatur: Italis, Ranunculo, & Pie coruino:*
*Germanis,* Hanenfuſs: *Hiſpanis, Hierua belida: Gallis Bacins. At Ranunculus quintus, Italis, Pie di Gallo: Germanus,* Nomina.
Drüſswurtz: *Gallis, Pie pou.*

Ranunculus, quòd limitibus humidis, opacisq; marginibus ranarum more lætetur: aut quia inter eius frutices ranæ frequenter inueniantur. Huius quadraginta quatuor ſpecies Phytopinax exhibet. I. Ranunculus paluſtris rotundifolius, læuis. C.B. Apium aquaticum, Trag. Apiaſtrum, Cor. in Dioſc. Ranunculus primus, Matth. Geſ. hor. Lac. Caſt. Lugd. Ranunculus tertius, Lonic. Ranunculus aquaticus, Fuch. in icon. Ranunculus paluſtris, Dod. gal. Cord. hiſt. Lugd. Tab. Thal. Ranunculus paluſtris rotundiore folio, Lob. Ranunculus paluſtris folio Apij Cam. II. Ranunculus paluſtris lanuginoſus C. B. Ranunculus ſecundus, Matth. Lugd. Ranunculi altera ſpecies, Sardinia Herba, Cord. hiſt. Ranunculus lanuginoſus alter, Cæſ.

differt à primo quòd lanuginoſus ſit. IV. Ranunculus montanus albus, ſimplici flore. C.B. Ranunculus quartus, Matth. Lacu. Geſ. hort. Ranunculus albus maior. Geſ. hor. Ranunculus albus flore ſimplici, Lob. Aconitum batrachoides, Aduerſ. & Lob. icon. Ranunculus flore albo, Dod. fol. Ranunculus albus, Tab. Ranunculus montanus albus & Ranunculus externus quartus, Lugd. Ranunculus montanus tertius, Cæſal. Ranunculus leucanthemos folio Aconiti, Cam. In hortis habetur flore pleno. V. Ranunculus bulboſus radice rotunda. C.B. Crus galli & Coronopus paruus, Brunf. Ranunculus exiguus & ſceleratiſsimus, Trag. Ranuncul: quintus, Lac. Matth. Lug. Batrachion Apuleij, Dod. gal. Ranunculus minor, Fuch. Cord. hiſt. Tab. Ranunculus bulboſus. Lob. Thal. Ranunculus tuberoſus, Dod. fol. Lugd. qui duas habet figuras: Ranunculus lanuginoſus primus, Cæſ. Ranunculus flammula dictus, Verticillum Apuleij, Geſ. hor. Ranunculus radice bulboſa flore ſimplici, Camer. In ſylueſtribus enim flore eſt ſimplici, in hortos translatus, non modò flores multiplicat, ſed ex vno & alterum promit. Reperitur etiam locis arenoſis & ſaxoſis ita paruus, vt vix trium vnciarum ſit. VI. Ranunculus montanus globoſo flore. C.B. Ranunculus ſextus, Matth. Lugd. Aconitum tertium eidem, Anemone montana quædam, Geſ. hort. Trollius flos, Geſ. in fracto. Cluſ. Panno. Ranunculus montanus alpinus glomeratus, Lob. Ranunculus flore globoſo, Dod. fol. Lugd. qui duas habet icones. Ranunculus montanus alter, Cæſ. Ranunculus globoſus ſiue montanus, Cam. Ranunculus alpinus luteus Tabernæmontano.

## Ἀνεμώνη. ANEMONE. CAP. CLXXII.

DVo Anemones genera, vnum ſylueſtre, alterum in cultis naſcens. Cuius multæ ſpecies: vna phœniceum florem profert: altera candicantem, aut lacteum, aut purpureum. Harum folia coriandro ſimilia a cæterúm ſciſſa tenuius in terram inclinantur: caules lanuginoſi, tenues, in quibus flores, vt papaueris, & in medio capitula nigra, aut cærulea: radix oleæ magnitudine, aut amplius paulò grandeſcit, ac veluti geniculis quibuſdã cingitur. Sylueſtri amplitudo prorſus maior, latioraq; folia, & duriora: oblõgius caput, flore puniceo: tenuibus, & b multis radicũ capillamẽtis. Acrior eſt, quæ nigra habet folia. Vis vtriuſq; acris: ea de cauſa ſuccus naribus infuſus purgat caput. Commanducata radix pituitam trahit: decocta in paſſo, & illita, medetur oculorum inflammationibus: cicatrices eorundem, & hebetudines emendat: ſordida vlcera abſtergit. Folia & caules, ſi cum ptiſana decocti edantur, copiam lactis præbent: menſtrua ciunt, vellere apponta: illita quoq; lepras eximunt. Sunt qui errore ducti argemonem nominari eupatorium putent: quoniam à ſylueſtri Anemone, argemonem, & papauer, quod rhœada appellant (de quo inter papaueris genera referemus) c propter colorum cognationem in floribus diſtinguere non poſſunt. Verúm papauer, & argemone colore minus ſaturato ſpectantur, & vtraq; tardius floret. Quinetiam argemone croceum ſuccum, guſtu admodum acrem, reddit: rhœas veró candidiorem & acrem. Inſuper anemoni, & rhœadi capitula ſylueſtris papaueris ſimilia inſunt, ſed in anemone ſupernè craſsiuſculum, in rhœade ſubanguſtius. Anemones genera ſuccum remittunt, nec calyces habent, ſed quaſi aſparagi cacumen. In aruis illa ſæpius enaſcuntur.

a Meũ, & Ca. λεπτοσχιδέστερα δὲ πρὸς τῇ γῇ. i. tenuioribus inciſuris ad terram.
b Omnia exempl. vnico verbo. i. καὶ πλείω. i. & pluribus.
c Omnia ex empl. διὰ τὸ τῶν ἀνθῶν ὁμόχρων φοινικῶν. id eſt ob florũ purpureum ſimilem colorem.

ANEMONE I.



ANEMONE II.



Anemonis conſid.

ANemonis nos quinq; obſeruauimus genera: Primũ folio prouenit coriandro ſimili, ſed frequentioribus inciſuris, caulib. lanuginoſis, tenuib. ſtriatis, in quib. tenuiora per interualla ſunt folia: florib. ſylueſtris papaueris magnitudine, ſerè circiter

ANEMONE III.



ANEMONE IV.



ANEMONE V.



circùm diſtinctis folijs purpuraſcentibus, capitulo vmbilicotenus emergente, nigro colore, nigrisq; capillamentis ſtipato, perinde ac in papauere. Radix illi oleæ magnitudine, ſubrotũda, fibrataque, & ſapore acri (oritur in aruis & alijs cultis locis.) SECVNDVM folijs aſſurgit maioribus, & frequentius laciniatis, cynoctoni Aconiti modo, caulib. alteri ſimilibus, ſed aliquãto craſſioribus, inanibus, & in rectum ſpectantibus, quibus flores inſunt, in ſummitate dilutiore purpura niteſcẽtes, capitulo circumquaque comato, perinde ac alterum. Radicẽ habet breuem, rapunculi ferè figura, fibris adnatis multis: acri etiam guſtu. Naſcitur locis cultis, & præſertim in aruis. Nihil ſuis in facultatibus à priore differt. TERTIVM folijs creſcit Ranunculo primo æmulis, caulibus tenuibus, ſeſquipalmaribus, rotundis, in quorum cacumine flores exeunt albi, quinque tantùm foliis diſtincti, roſarum magnitudine, & nonnunquam tenui quadam purpura reſperſi, inferiore præſertim ſede: radicem habet fibratam ac tenuem: naſcuntur in collibus. Tota planta cæteris mitior eſt quare minus excalfacit & ſiccat. Habentur quoque Anemonis genera alia duo, quorum hic quoq; imagines damus, folijs laciniatis, & floribus in altero purpureis, in altero aureis. QVARTA, folia profert frequenter laciniata, caulẽ ramoſũ, flores in ſummitate purpureos, radicẽ globoſã & paruam, fibris numeroſis ſtipatã, prouenit cultis locis. QVINTA, parum differt à quarta, minoribus tamẽ eſt folijs, tenuioribusque: floribus aureis, radice parua, fabæ magnitudine. Oritur cultis locis & in aruis. Omnia genera Maio menſe florent. Non deſunt tamen, qui credant, Anemonem, & ſylueſtre papauer idem eſſe: ſin minus, ſaltem eiuſdem eſſe generis. Sed ij, mea quidem ſententia, falluntur, & prorſus aberrant à Dioſcoridis propoſito. Quandoquidẽ ſi hoc idem ſenſiſſet Dioſcorides, alterum ab altero diuerſis capitibus non diſtinxiſſet, neq; vt legitur in huius capitis calce, differre Anemonem à ſylueſtri papauere tradidiſſet. Tametſi exiſtimet Braſauolus, Dioſcoridis Anemonem id omnino eſſe ſylueſtris papaueris genus, quod flore prodit cæteris rubentiore: minimè aduertens, quod ſi huius cauliculi franguntur, ſtatim lac ipſum diſtillant. Quin nec illud quidem animaduertiſſe videtur, quòd hoc longa conſtet radice, non autem oliuæ modo rotunda: capitulumq; ferat

Secundum.

Tertium.

Quartum & quintum.

Braſauoli error.

*VI. ANEMONES FLORES varii.*



VII. PVLSATILLA.



*VIII. PVLSA. RVBRA.
IX. PVL. LVTEA.*



Fuch. lapſus.

papaueris, non aſparagorum cacuminibus ſimile. Fuchſius præterea in eo libello, in quo tantùm ſtirpium imagines expreſsit, Anemones purpureæ loco, illam depingit herbam, quæ pleriſque PVLSATILLA cognominatur, etſi nullam, quantum equidem ſentio, habeat cum Anemone cognationem: illa namq; cùm primùm erumpit, folia mittit incana & admodum hirſuta, minutimq; laciniata, quæ ſapore ſunt perquàm acri, adeò vt non minus exulcerent, quàm ranunculus, & flammula vulgò dicta.

Pulſatillæ hiſtoria.

Flos, qui in ſtellæ modum, ſimiliter hirſutus, ineunte vere dehiſcit, anteaquàm folia erumpant, nigricanti ſplendet purpura: è cuius medio quidam aurei floſculi emicant, eos admodum æmulantes, qui roſis innaſcuntur: in quorum vmbilico floccus quidã purpureus viſitur, ſericinum referens opus. Exteriori verò parte in ipſius caulis rotundi, tenuis atq; incani cacumine, circa floris baſim, villoſus alter circumquaque ſe pandit floccus, colore cinereo, ſericino ſtamini mollitia ac leuore minimè cedens. Semen capilloſo, incanoq; capitulo, iuglãdis ferè magnitudine, continetur. Radix illi ſubeſt pedali longitudine, exeſa, nigri chamæleonis modo: cui ſapor quidem ſubdulcis, non autem acris, veluti folijs, & caulibus. Prouenit locis incultis, aridis, & ſaxoſis.

Pulſatillæ vires Matth.

Folia caules, & flores cum acerrimo ſint guſtu, excalfaciunt & ſiccant ordine quarto: incidunt, attenuãt, attrahunt, digerunt, expurgant & exulcerant. Radix verò cùm ſubdulcis ſit, non longè aberit à temperatis. Sunt qui hanc miris laudibus efferant contra peſtilentiam & ad hauſta venena, itemq; contra omnium venenoſorum tum morſus, tum ictus: quamobrem in antidotis additur. Scribit Ruellius Anemonẽ in Gallia copioſam naſci, eandemque eſſe plantam, quam herbarij Herbam venti vocant: verùm ſi herba venti Helxine fuerit, vel Solidago minor, vt Simon Ianuẽſis interpretatur, aberraſſe Ruellius manifeſtè deprehẽditur. Sin aliter, quid dicam neſcio, cùm me omninò lateat, quid Ruellius per Herbam venti intelligere voluerit. Meminit Anemones Gal. lib. 6. ſimpl. medic. vbi ita ſcribit: Anemona omnis acrem, extergendi, attrahendi, & ora vaſorum reſerandi facultatem obtinẽt. Itaq; radix commanſa pituitam euocat: & ſuccus ex naribus purgat, & oculorum cicatrices extenuat. Inſuper ſordida vlcerum anemonæ expurgant, & lepras detrahunt, menſesq; appoſita eliciunt, & lac trahunt.

Ruell. lapſus.

Nomina.

Vt Græcis ἀνεμώνη, ita Latinis pariter & Italis, Anemone vocatur. Arabibus, Iackaik alnahamen, ſeu Sakaik [illegible]beamen, ſeu Mamiræ: Gallis Paſſefleur: Pulſatilla, Italis Pulſatilla. Germanis Küchenſchell oder Hockenkraut.

Anemo-

Anemone dicta à vento, quòd flos nunquam ſe aperiat, niſi vento flante, Plinio lib. 21. cap. 23. vnde & Herba venti quibuſdam, cuius plures ſpecies: Matthiolus quinq; propoſuit, cuius figuras mutare noluimus. I. Anemone prima, Matth. & Lugd. II. Anemone ſecunda, Matth. & Lugd. III. Anemone alba radice fibroſa. C.B. Anemone tertia, Matth. Caſt. Lugd. Anemone alpina, Geſ. in fracto, Anemone tertia Matth. flore albo, Lob. Anemone Pann. Dod. fol. Anemone ſylu. prima Ranunculi folio, Cluſ. Pan. Anemone maior alba, Tab. Anemone flore candido, Thal. Aconito cognata videtur, Geſ. hor. Ranunculi vndecima ſpecies, Cord. hiſt. IV. Anemone prima Matth. edit. ſecũda. Anemone quarta eidem in aliis edit. Caſt. Lugd. Anemone, Lac. Anemone ramoſa purpurea Tab. V. Anemone altera Matth. edit. ſecunda: Anemone quinta eidẽ in aliis edi. Caſt. Lug. Anemone altera, Lac. Anemone hortenſis, Trag. Anemone ramoſa lutea, Tab. VI. Figura hæc Anemones diuerſos flores exprimit: 1. enim flore eſt purpureo, venis ſubrubris variegato: 2. colore eſt cæruleo: 3. coccineo colore: 4. flore eſt pleno dilutè purpuraſcente: 5. aureus eſt: & deniq; 6. candido medio, luteo & elegantiſſimo flore eſt. VII. Pulſatilla dicitur quod ſeminum tremuli pappi leuiſſimo flatu huc atq; illuc agitetur: Anemone eſt altera Plinii, quæ Limonia dicitur li. 21. c. 11. Kuchenſchell, Brunf. Herba venti, Trag. Lon. Anemone ſylu. Fuch. Herba Sardoa, Dod. gal. Ranũculi decima ſpecies vel leptophyllon comatum, Cord. hiſt. Pulſatilla, Matt. Dod. fol. Caſt. Cæſ. Lug. Cam. Pulſatilla vulgaris, Lob. Cluſ. Pan. Anemone videri poteſt Pulſatilla dicta, Geſn. hor. & Anemone montana, & Ranunculi Dioſc. ſecunda ſpecies, eidem: Pulſatilla prima Tab. Samolus Plinii Dalechãpio: plures huius ſunt differentiæ & in colore floris & foliorum forma. VIII. Pulſatilla rubra, non adeò altè excreſcit, folioq; eſt minutius inciſo: flore minore ex longioribus & anguſtioribus foliis, iiſq; rubris cõpoſito: aliquando & niueo flore reperitur. Hæc Pulſatilla rubra Lob. & Lugd. dicitur. IX. Pulſatilla lutea, vulgari ſimilis, foliis tamen minus laciniatis: flores ſummis cauliculis inſident lutei, Maii medio florẽtes, quibus ſuccedunt capitula, pappoſum, barbatumq; ſemen continentia. In monte Heluetiorum Gothardo, & in montibus Taurinenſium prouenit. Dicitur Pulſatilla flore luteo, Geſ. hor. Dod. fol. Lugd. & Pulſatilla lutea Camerario in editione Matthioli.

## Ἀργεμώνη. ARGEMONE. CAP. CLXXIII.

ARgemone in totum ſylueſtri papaueri ſimilis eſt. Folia habet anemones, diuiſa: florem puniceum, caput in cauliculo papaueris rhœadis, oblongius, & ſummis partibus latum: radicem rotũdam: ſuccum croci colore, acrem dimittit. Argema, & nubeculas expurgat. Folia illitu inflammationes compeſcunt.

*EXtant nonnulli Dioſcoridis codices, in quibus duo Argemones genera diuerſis capitibus legũtur, nonnulli verò hoc tantum habent, quod nos legitimum eſſe credimus, non diſſentientes à compluribus doctiſſimis viris, qui alterum huc illegitimè acceſſiſſe cenſent: præſertim cùm Galenus, & Paulus illius nuſquam meminerint. Veruntamen, vt ſatisfactum omnibus ſit, alterius quoq; Argemones hiſtoriam hic adiiciendam duximus, quæ ſic habet. Argemone altera foliis ſylueſtri papaueri ſimilis eſt. Vis ei ineſt, ſi recens trita imponatur, interciſiones ſanare, & oculorum inflammationes mitigare. Pota cum aqua, dyſentericis auxiliatur, vulnera conglutinat, & inflammationibus vtilis eſt. Conuulſis, & vellicantibus impoſita medetur: contra ſerpentium morſus vtiliter cum vino bibitur. Prouenit argemone frequentiſſima in Hetruria, præſertim in agro noſtro Senenſi, ſicut & in quibuſdam locis vallis Ananiæ Tridentini tractus, quæ nullis, quantum equidem iudico, notis Dioſcoridis deſcriptioni refragatur. Legitimam argemonem etſi antea in valle Anania naſci putabamus, ſit tamen nunc, vt notis ipſius diligentius conſideratis, plura in ea planta deſiderari animaduertam, quæ legitimæ argemonæ inſunt. Quare eius imaginem hic ponere non libuit. Genuinam ego hactenus conſequi non potui. Sed Pli. lib. 25. c. 9. Argemones tria fieri genera memorat, idq; demum probari, cuius radix thus redoleat. Quamobrem in maximo errore fuiſſe deprehenduntur veteres noſtri tum medici, tum ſeplaſiarij, quòd Eupatorium Argemones vice acceperint, ſub Agrimoniæ nomine, de qua lib. 4. ſuo loco, Deo duce, latius diſſeremus. Argemones vires ſanè quàm paucis perſtrinxit Gal. lib. 6. ſimp. med. ſic inquiens: Et huius herbæ facultas abſterſoria eſt, & digerens. Ea quæ Græcè ἀργεμώνη, Argemone item Latinè, atque Italicè dicitur.*

Argemones conſid.

Caput ſecundũ Argemones adulterinum.

Veterum noſtrorũ error.

Argemones vires ex Gal.

Nomina.

## Ἀναγαλλὶς. ANAGALLIS. CAP. CLXXIIII.

DVo ſunt Anagallidis genera, quæ tantum flore diſtãt: nàm quæ cæruleo flore eſt, fœmina dicitur: mas quæ phœniceo. Frutices ſunt parui, in terra iacentes: foliis in quadrangulo caule puſillis, ſubrotundis, ad helxinæ folia accedentibus: ſemine rotundo. Vtraque mitigandi vim habet, inflammationem arcet, adactos corpori aculeos extrahit, nomas cohibet. Succus earum gargarizatus, capitis pituitam purgat: & naribus infuſus, dolorem dẽtium lenit, ſi in aduerſam narem iniiciatur: argema cum melle Attico emendat: retuſæ oculorum aciei auxiliatur: contra viperarum morſus, iecinoris, & renum vitia, ſi ex vino bibatur, prodeſt. Tradunt eam, quæ cæruleum edit florem, prociduam ſedem reprimere: quæ verò phœniceum, illitu euocare. † a

† a Addit Cat. καὶ κρατεύας ῥιζότομος εἰς τὸ αὐτὸ ταῦτα φησὶν ἀπαραλλάκτως. i. Et Crateuas herbarius eadẽ de eius natura prodidit.

*ANagallis tam mas, quàm fœmina, quæ officinis vulgò Morſus gallinæ dicitur, notiſſima eſt. Naſcitur cultis & incultis locis: & ſæpè in hortis, ac læto ſolo. Cæterùm planè, meo quidem iudicio, hallucinantur, qui Anagallidem eam eſſe plantam putant, quæ in Hetruria vernaculo nomine Centone vocatur, Inſubribus verò Pauarina. Nam hæc florem fert candidum & caulem rotundum: Anagallidum verò alteri flos eſt cæruleus, alteri puniceus, & quadrangulus vtriſque caulis. Anagallidum vires recenſuit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Anagallis vtraque tam ea, quæ cæruleum habet florem, quàm ea, quæ purpureum, admodum extergentis ſunt facultatis. Habent verò quendam etiam calorem attractorium, ita vt & infixos corpori aculeos extrahant. Succus earum ex naribus purgat eadem de cauſa: In ſumma autem deſiccandi vim habent citra mordicationem: quamobrem & vulnera glutinant, & putrida adiuuant: hæc Galenus. Verùm cùm Morſus gallinæ eam ſtirpem in mentem mihi reuocauerit, quam vulgus herbariorum MORSVM diaboli, alij Succiſam appellant, cumque putem me quàm plurimis*

Anagallidis conſid.

Centone.

Anagallidum vires ex Gal.

Morſus diaboli hiſtoria, & vires.

I. ANAGALLIS MAS.



II. ANAGALLIS FOEMINA.



V. SVCCISA, SIVE MORSVS diaboli.



*fortaſſe rem gratam facturum, ſi his noſtris commentariis ipſam quoque inſeram, hic locus viſus eſt, vbi commodè de ea aliquid dicam. Morſus igitur diaboli herba eſt locis incultis proueniens, ſaltibus, ac etiam interdum pratis, & dumetis. Foliis conſtat plantagini anguſtifoliæ, quam vulgò lãceolam vocant, ſimilibus, læuioribus tamen, & quæ circa caules, qui ad binûm cubitorum longitudinem aſſurgunt, exeant breuiora, anguſtiora, leniterq; per ambitum laciniata. Floret æſtate, ſcabioſæ vocatæ modo.*

Opinio ſuperſtitioſa.

*Multifidas habet radices, nigricantes, ellebori modo ſucciſas, & circumroſas: vnde ſuperſtitioſum nomen inuenit. Siquidem ſcripſerunt nonnulli ſuperſtitionibus dediti, quos credulum vulgus ſequitur, cacodæmona tantæ efficaciæ radicem inuidere hominibus, atque hac de cauſa, vbi ſuccreuerit, ſtatim eam vndiquaq; dentibus ſuccidere, & circumrodere: tanta eſt hominum ſuperſtitio.*

Succiſæ vires.

*Herba hæc ſi viridis cruda, tritaque carbunculis peſtiferis imponatur, præſentaneo remedio (vt aiunt) eos ſanat, aut ſi vinum, in quo decocta fuerit, bibatur. Radix per ſe eſtur, aut eius decocti vinum vtiliter bibitur, non modò ad vteri dolores ac ulcendos: ſed etiam ad peſtilentem auram arcẽdam. Guſtu admodum amara eſt: ex quo perſpicuum eſſe poteſt eam eſſe calidæ & ſiccæ facultatis. Siccatæ puluerem præbent pleriq; ad alui tineas necandas, ac eadem ſugillata illitu emendant.*

Nomina.

*Herba, quæ ἀναγαλλὶς, Græcè, Anagallis quoque Latinè vocatur: Italicè, Anagallide: Germanicè,* Gauch heyl: *Hiſpanicè, Muruges: Gallicè, Morgelline, & Mourõ. Succiſa, officinis, Morſus diaboli: Italis, Morſo di diauolo: Germanis,* Teuffels abbiß.

Anagallidem diuidimus in aruenſem & aquaticam: aruenſis phænicea eſt, cærulea, lutea: aquaticæ etiam aliquot differentiæ occurrunt. I. Anagallis phæniceo flore C.B. & Cam. Anagallis mas, Brunf. Trag. Fuch. Dod. gal. & fol. Matth. Lac. (cui & Corallium Pauli) Lon. Caſt. Lug. Anagallis phænicea mas, Lob. Anagallis punicea, Cæſ. Anagallis, Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Anagallis terreſtris mas, Thal. Anagallis phœnicea, Tab. Corcorus Theophraſti, Anguil. II. Anagallis cæruleo flore C. B. & Cam. Anagallis fœmina,

fœmina, Brunſ. Trag. Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Lac. Lon. Caſt. Lugd. Anagallis fœmina cærulea, Lob. Anagallis cærulea, Cæſ. Tab. Anagallis terreſtris fœmina, Thal. III. Anagallis aquatica: ea à nobis addita, quæ maximè vulgata. Hæc ex radice cádida, longa, repente, à qua plures tenues fibræ deorſum mittuntur, caules complures rotundi, pingues, & in alas diuiſi attolluntur, quos folia craſſa, læuia, lata, ſubnigra, leuiter per ambitum ſerrata, cingunt: è quorum ſinubus cauliculi exurgunt, circa quorum ſumma flores cœrulei quadrifolii Anagallidis fœminæ floribus minores obſeruãtur: his ſuccedunt capſulæ paruæ, quibus ſemen minutum incluſum eſt. Hæc maiore & minore eſt folio, rurſus quælibet folio vel ſubrotundo, vel oblongo. In paluſtribus, circa fontes, ac riuorum margines reperiuntur. Dicitur Sion Brũſ. Sion non odoratum, Trag Geſ. hor. Sii alterum genus, Fuch. Cepæa & Beccabũga, Dod. gal. Sium maius, Lon Anagallis aquatica Lob. Dod. fol. Cæſ. Cam. Lugd. Tab. Thal. Calida eſt planta Naſturtio aquatico ferè ſimilis, quæ vt illud editur, & ipſius contra Scorbutum vſus, minus tamen Naſturtio potens; vrinam mouet, calculos frangit, menſes promouet, & fœtus mortuos propellit: Tumoribus etiam cum butyro toſta & aceto impoſita, prodeſt. IV. Anagallis aquatica folio rotundo non crenato: Hæc cum circa

*III. ANAGALLIS AQVATICA.*



*IV. ANAGALLIS AQVAtica folio rotundo.*



thermas Aponitanas frequens ſit, eius & deſcriptionem & iconem adiecimus, ex radice parua, multis fibris compacta, cauliculus palmaris & ſeſquipalmaris, anguloſus, læuis, viridis, in ſummo diuiſus exurgit: folia ad radicem plura oblonga, ſubrotunda, quæ caulem alternatim poſita, ſaturato colore virentia, cingunt: floſculi albi ſinguli ſingulis pedicellis inſidentes, ex pericarpiis virentibus prodeunt, quibus ſuccedunt exigui folliculi pericarpiis iiſdem concluſi, in quibus copioſum minutiſſimũ nigrumq; ſemen continetur. Prouenit locis vdis humidiſq; (ſed rarior inuentu) circa ſcaturiginem Thermarum Aponenſium, & etiam Monſpelii obſeruauimus: reperitur etiam circa Antuerpiam. Dicitur Anagallis aquatica altera Lob. in ſuis obſeruationibus (quem ſequitur hiſt. Lugd.) in icon. verò eſt tertia. Modò Aliſmatis, modo Cochleariæ ſpeciem, Guilandinus nobis nominauit, quibuſdam Samolus Plinii videtur. V. Succiſa ſeu morſus Diaboli, Matt. Dod. fol. Iacea nigra, Brunſ. Morſus diaboli, eidem, Trag. Dod. gal. Lon. Lob. Lug. Tab. Cam. Succiſa, Fuch. Caſt. Scabioſa folio integro, Cæſ. Pycnocomon, Columnæ. Hæc communiter glabra eſt, alia eſt hirſuta: glabra, alia maior, alia minor: maior alia & communiter foliis integris, alia foliis diſſectis. Flos cæruleus, aliquando purpureus, incarnatus, rariùs albus.

## Κισσός. HEDERA. CAP. CLXXV.

HEdera differẽtias multas in ſpecie ſortitur, ſummas autem genere tres. Nam quædam candida eſt, altera nigra, tertia helix. Cãdida fructum fert candidum: nigra nigrũ, aut croci æmulum, quãm vulgus Dionyſiã vocat. Helix fructum nõ gignit, a ſed tenues habet viticulas, & folia parua, anguloſa, & † rubra. Hedera omnis acris eſt, & adſtringens, neruos tentat. Flos trium digitorũ carptu, facit ad dyſentericos, in vino bis die potus: ambuſtis cũ cerato tritus illinitur. Recentia folia ex aceto cocta, aut cruda cum pane detrita, lienes ſanant. Foliorum, & corymborum ſuccus, cũ irino vnguento, melle, aut nitro, naribus infunditur: & cõtra veteres capitis dolores, caput eo cũ aceto, & roſaceo perfundi vtile eſt: purulẽtis aurib. aut do-

a Meum καὶ λευκὰ ἔχει κλήματα. i. & alba habet ſtramenta.

aut dolentibus, cum oleo medetur. Nigrę hederæ ſuccus, aut epoti corymbi, corpus infirmant, mentemque turbant largiùs ſumpti. Acini quinque triti, calfactique in punici mali cortice cum roſaceo, ſi inſtillentur à contraria aure, dolorem dentium mitigant. Denigrant capillum illiti corymbi. Folia in vino decocta illinuntur omnium vlcerum generi, etiam ſi cacoethe ſint: vitia cutis in facie, & ambuſta ſanant, vt antea diximus, decocta. Mouent menſes triti, & ſubditi corymbi: iidem poti, poſt purgationes fœminarum, drachmæ pondere, concipiendi ſpem adimunt. Pediculus foliorum melle irrigatus, ac vuluæ inditus, menſtrua, & partus extrahit. Inſtillatus ſuccus putrida tædia narium, graueolentiaque emendat, & ſanitati reſtituit. Lachryma hederæ pſilothrum eſt: illitu pediculos enecat. Succus radicum in aceto potus, contra phalangia prodeſt.

I. HEDERA ARBOREA.



II. HEDERA HELIX.



Hederæ conſideratio, & genera.

*Hedera, cuius hic tria tantùm ſumma genera fecit Dioſcorides, etſi plures eius in ſpecie differentias eſſe teſtetur, planta eſt vulgaris notitiæ. Verùm ſi quis Hederæ plura genera noſſe deſiderat, non fortaſſe Plinio contentus, licet de ipſis abundè diſſeruerit lib. 16. cap. 34. legat Theoph. lib. 3. cap. 18. de plant. hiſtoria, vbi hederæ ſigillatim ſpecies diligentiſſimè perſequitur, & de ijs copioſiſſimè pertractat: vel potius ipſum audiat, nam hæc, quæ ſequuntur, ipſi ad verbum acceptaferimus, qui loco citato ſic habet: Hedera quoque multigena eſt: quædam enim humi repens, quædam ſe in excelſum attollens: & excelſarum genera plura, ſed trina ſumma pateſcunt, candida, nigra, tertiaq; helix, id eſt clauicula. Horum item ſpecies plures: quippe alia fructu tantùm candida, alia etiam foliis: rurſus fructum tantùm candidum ferentium, alia maiuſculum, denſum, & velut in globum circumactum fructum profert, quam corymbiam quidam vocarunt, Athenienſes acharnicam riguam eam appellant: alia minorem, ſparſioremq;, modo nigræ. Habet nigra differentias, ſed non hunc in modum conſpicuas.*

Helix.

*Sed helix differentiis maximis diſcernitur: etenim foliis plurimùm diſtat, cùm paruitate, tum quòd angulata, concinnioraq; ſint: cùm hedera rotundiora, ſimplicioraq; habeat. Diſtant etiam internodiorum longitudine, atq; etiam ſterilitate, quoniam fructum quædam non ferant: quòd non in hederam transfigurentur, vt quidam volunt: at verò ſi omnes hedereſcant, vt aliis placet, ætatis certè, diſpoſitioniſq;, non generis erit diſcrimen, quemadmodum pyri ad pyraſtrum. Tamen eius quoque folium multum ab hedera diſtat: verùm id rarum, & in paucis euenit, vt vetuſtate permutetur, ceu in populo alba, & crotone.*

Helicis plura genera.

*Ergo helicis plura genera, ſed quæ conſpectiora, ſummaq; occurrant, tria ſunt. Herbacea, quæ plurima eſt: ſecunda candida: tertia verſicolor, quam Thraciam quidam appellant. Et harum quæq; diſtare videtur, quippe herbacea quædam folio tenuiori, oblongiori, atq; etiam denſiori: quædam minus hæc omnia habens. Et in verſicoloris genere, alia folio ampliori, alia minori, macularumq; habitu diuerſa: pari modo & magnitudine, coloreq; diſtant. Auctu perfacilis herbacea, inq; plurimum venit. Manifeſtam eſſe quæ hedereſcat, affirmant, non tantùm foliis, quæ maiora, latioraq; habet, verùm etiam germinibus: protinus enim erecta gerit, non inflexa gracilitate, & longitudine. Herbacea verò craſſiora, breuioraq;. Ac hedera, vt ſemen proferre incepit, germen ſublime, rectumq; edit. Eſt quidem vniuerſa hedera radice numeroſa, denſa, flexuoſa, craſſa, ſurculoſa, nec nimis alta, ſed præcipuè nigra, & inter candidas, quæ aſperrima, immitiſſimaq; habetur, quamobrē eius amplexus arbores omnes infeſtat, omnes enim necat, & exiccat, ablato alimento. Craſſatur hæc maiorem in modum, atque arboreſcit in tantum, vt per ſe ipſa hederæ arbor fiat. Attamen ex maiore parte ſemper ſuper aliud vitam degere ſolet, atque (vt ita dixerim) amplexicaulis eſt, ita pro ſua natura, vel quiddam eiuſmodi illico gerit. Nam è germinibus radiculas aſſiduè inter folia mittit, quibus arboribus, muriſq; obrepit, quaſi de induſtria à*

natura

natura exhibitis: atque ita humorem auferens, exhaurienſq́, areſacit. Et ſi inferius ſuccidatur, nihilominus viuere, durareq́ poteſt. Habet vel aliud diſcrimen non mediocre in fructu: nam alius dulcis, alius vehementer amarus, tam in candida, quam in nigra. Indicium, quòd alium aues mandunt, alium minimè attingunt: hedera ita ſe habet. Hactenus Theophraſtus de hederæ generibus. Cæterùm tametſi tot Hederæ genera Theophraſto deſcribantur, duæ tamen Hederæ ſunt nobis præcipuæ, nempe maior, & minor. MAIOR itaq́, quam arboream vocamus, non ſolùm in ſyluis excelſas arbores ſcandit, ſtrangulatq́, ſuo arcto brachiorum complexu, ſed etiam antiqua ædificia, vrbium mœnia, ſepulchraq́, adeò occupat, vt tandem ea omnia diruat, & vna cum iis collabatur. Eadem in primis folio prouenit pyri modo, oblongo, quod tamen tractu temporis triquetrum efficitur. Id quoque læue, craſſumq́ eſt, & longo nixum pediculo, ſapore miſto, nam & acredinis, & amaritudinis, & acerbitatis eſt particeps. Florere incipit ad finem Autumni, floribus muſcoſis, colore pallido, è quibus hyeme ineunte eduntur corymbi, baccis liguſtrinis grandiores, quæ antè maturitatem vireſcunt, & deinde nigrum colorem contrahunt menſe Ianuario. MINOR ſterilis eſt, Helix vocata. Hæc rarò arbores ſcandit, ſed aut humi repit, aut ſaxa, macerias, ſepes, & aggeres occupat, folio ſemper triquetro, ac maculoſo: ſarmentis albicantibus, lignoſis, fructu nullo, neque flore: vtraq́, perpetua fronde virent. Serpentibus gratiſſima eſt Hedera, quòd in ea hyeme deliteſcant, eius ſeſe calore fouentes. Foliorum ſuccus ex vino auſtero potus lienoſos ſanat. Decoquuntur ex oleo, & aceto ſeptem hederæ folia, totidemque nucum perſicorum nuclei, à cortice delibrati, teruntúrq́ deinde, & temporibus, & fronti illinuntur, contra capitis dolores à frigore prouenientes. Qui ſcrobiculas cauterio paratas gerunt in cruribus, aliiſve corporis partibus (fontanellas vulgo vocant) folia hederæ ſuperponunt, magna ſanè vtilitate, non ſolùm, quòd illuc fluentem humorem alliciant, extrahantq́, ſed quod etiam roborent. Mulieres conſutis hederæ foliis pileos parant, & papuloſis infantium capitibus imponũt, ſic enim curant illos, virus extrahentes. Lachryma, quæ ex caudice diſtillat, illita lendes, & pediculos necat. Minor poteſt omnia, quæ maior, ſed inefficacior tamen eſt. Eſt & herba, quam vulgus HEDERAM TERRESTREM vocat.

Maior.

Minor.

Hederæ vires Matthiolo.

Hederæ terreſtris mentio.

III. HEDERA TERRESTRIS.



*IV. HEDERA TERRESTRIS montana.*



Hæc itaque longo reptatu humotenus ſeſe diffundit, quadratis funiculis, è quibus folia emergunt rotunda, criſpa, & per ambitum ſerrata, floribus ſubpurpureis, puſillis, in caulibus è foliorum exortu, Aprili menſe prodeuntibus. Radicibus nititur tenuibus, quæ è caulium geniculis prodeunt, & eos humi reptantes connectunt. Naſcitur in opacis, circa ſemitas, vrbiũ muros, & etiam in hortis. Amaro guſtu tota planta eſt, ideoq́ abſtergere, attenuare, aperireq́ facilè poterit. Vulneratis viſceribus auxiliari in potionibus pleriq́ cenſent, id propriæ facultati aſcribentes. Huic ii addere ſolent Rubiæ, & albi Dictamni radices, quinetiam Betonicam, Piloſellam, Pimpinellam, Sanguiſorbam, Pentaphyllum, Biſtortam, Stellariam, Equiſetum, Virgam auream, Tormentillam, & Braſſicam rubram, & ex his omnibus in albo vino decoctis potiones parant, adduntq́ rhodomellis, quod ſufficit, ad potum dulcedine conciliandum. Huiuſce medicamenti, internè vulneratis exhibere ſolent quotidie ternas vncias, magno quandoq́ auxilio. Succus cum ærugine miſtus, inſtillatur vtiliter cuniculoſis vlceribus. Fit è terreſtri hedera oleum, foliis recentibus in eo maceratis, diuque æſtate inſolatis, admirabilis ſanè facultatis ad colicos affectus, & cæteros inteſtinorum cruciatus, cum potum, tum clyſmate infuſum. Hedera (vt auctor eſt Galenus libro ſeptimo ſimplicium medicamentorum) ex contrariis compoſita eſt facultatibus: habet enim quiddam adſtringentis ſubſtantiæ, quam terrenam, & frigidam eſſe oſtendimus: habetque etiam nonnihil acris, quam calidam eſſe vel guſtus comprobat. Nec deeſt tertia: aqueam namque ſubſtantiam quandam tepidam obtinet, certè ſi viridis ſit. Siquidem dum areſcit, hæc prima exhalet neceſſe eſt, manetque quæ terrea eſt, & frigida, adſtringens, & ea quæ calida,

Hed. terreſt. vires.

Oleum è terreſtri hedera.

Hederæ facultates ex Gal.

Nomina. *quæ calida, & acris. Hedera, quæ ita Latinis, Græci* κισσὸς *nominatur: Mauritanis, Cuſſus: Italis, Hedera ſeu Lella: Germanis, Mawer/ſiue Ephewbaum/Ephew ſiue Epich: Hiſpanis, Edera, Era: Gallis, Lierre. Hedera minor, Græcis* κισσὸς *Italis, Hedera minore. Hedera terreſtris, Græcis,* κισσὸς χερσαῖος: *Italis, Hedera terreſtris.*

*† Non ab re quidem ſuſpicandum eſt (vt doctiſsimè adnotauit Marcellus) huic loco in Dioſcoride mendum ſubeſſe, & quòd non* ἐρυθρὰ, *hoc eſt, rubra, vt habent vulgati codices, legendum ſit, ſed* ἐρυθυμότερα, *id eſt concinniora. Nam præter alias rationes, huic lectioni adſtipulatur Theoph. qui libr. 3. cap. 18. de plantarum hiſtoria eo nomine hederæ helicem folia depingit.*

Hedera triplex hic proponitur. I. Hedera arborea, Matth. Geſ. hor. Lugd. Tab. Hedera, Brũf. Trag. Cord. in Dioſc. Dod. fol. Caſt. Cæſ. Hedera nigra, Fuch. Dod. gal. Lac. Lon. Hedera corymboſa, Lob. Tab. Hederę ſpecies ſecunda ſeu nigra, ſiue Dionyſia, aut corymbifera, Thal. Huius folia quò magis arboreſcit eò magis rotundantur, exceptis iis, quæ in ſummo ſunt, baccas nigras habet & luteas. II. Hedera maior ſterilis C. B. Hedera helix, Brunſ. Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Lac. Lugd. Cæſ. Lon. Tab. Cam. Helix ſiue prouoluta ſterilis hedera, Lob. Hederæ arboreæ ſylueſtre genus, Geſ. hor. Hederę ſpecies tertia helix vocata, Thal. Hedera minor, Caſt. Hæc an diuerſa ſit ab arborea ambigit Theoph. Plinius concedit: alii non concedunt, cùm fieri poſſit vt alicubi non arboreſcat, ob imperfectionem, non ſpeciei, ſed indiuidui. III. Hedera terreſtris vulgaris, hæc Chamæciſſus Dioſc. fortè, ſi in deſcriptione pro μακροτέρα legatur μικροτέρα: apud Plinium Hedera ſe non attollens à terra. Elatine, Brunſ. Hedera terreſtris eidem, Matth. Caſt. Dod. fol. Tab. Thal. Lug. cui & Malcociſſus: Chamæciſſus, Fuch. Dod. gal. Lon. Cam. Chamæclema Cord. hiſt. Humilis hedera, Lob. Maior eſt, eſt & minor elegantior cauliculis erectioribus, breuioribus, vt & foliis, floribus magis cæruleis, quæ locis humidioribus circa arbores antiquas reperitur. IV. Hedera terreſtris montana, quæ priore viticulos breuiores habet, ſed hirſutiores, foliis maioribus, floribus item, qui purpuraſcunt, quæ in montoſis Thuringiæ prouenit, & valentior ea, quæ in planis colligitur, vt D. Camerarius in ſuo Matthiolo monet, Hederæ terreſtris ſpeciem montanam vocitans.

## Χελιδόνιον μέγα. CHELIDONIVM MAIVS. CAP. CLXXVI.

CHelidonium maius, caule eſt gracili, cubitali, aut altiore, agnatis foliolis: foliis ranunculi, mollioribus tamen, & colore a cæſiis: flore violæ albæ, ſecundum ſingula folia prodeunte. In eo ſuccus croceus, mordax, acris, & aliquantulum ſubamarus, grauiter olens. Radix ſupernè ſingularis, infernè in multa cro-

a Omnia exemplaria ὑπόγλαυκα. i ſubglauca.

I. CHELIDONIVM MAIVS.



*II. CHELIDONIVM MAIVS alterum.*



cea capillamenta fibratur. Siliqua, ceu corniculati papaueris, tenuis, in metæ figuram longa, in qua ſemen papauere maius recluditur. Succus in æreo vaſe, cum melle pruni decoctus, oculis claritatem adfert. Foliis, caule, radice, ſuccus exprimitur ineunte æſtate, & ſiccatus in vmbra digeritur in paſtillos. Radix cum aniſo, & vino albo pota, medetur regio morbo, & vlceribus quæ ſerpunt: impoſita cum vino, aut mandu-

caia.

*ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Chelidonium minus, cùm acrius ſit maiore, celeriter illitum cutem exulcerat, vnguesq; ſcabros eijcit. Succus eius per nares purgat, vtpote admodum acer. Itaque hæc herba quarti ordinis fuerit abſoluti tam, idq; tum in calfaciendo, tum in ſiccando. Herba hæc Græcis* χελιδόνιον μικρὸν *dicitur: Latinis, Chelidonium minus: Mauritanis, Memicen, & Chilodomon. Italis, Celidonia minore, & Fauoſcello: Germanis,* Feigwartzen/ Blatter Kraut/ Pfaffenhödlin/ & Meyenkraut: *Hiſpanis, Scrofularia menor: Gallis, Couillons de preſtres, & petite Eſclere.* Nomina.

I. GARYOPHYLLVS INDICVS maior.



Chelidonium minus noſtrum, cum Dioſcoridis per omnia conuenit, excepta vi acri, an fortè ratione ſoli hoc contingat? Strumen Plinio lib. 25. cap. 13. Chelidonia rotundifolia C. B. Ficaria & Scrophularia minor, Brunf. Chelidonium minus, Trag. Matt. Fuch. Dod. gal. & fol. Cord. in hiſt. & Dioſcor. (cui & Amellus Vergilii) Geſ. hor. Lac. Lon. Caſt. Tha. Lug. Tab. Malacociſſus minor, Fuch. in icon. Fauagello vulgò, Ceſal. Teſticulus Sacerdotis, Syluatico. Huius folia aliquando purpurea macula notantur: flore eſt ſimplici, rarius pleno.

## OTHONNA.
### CAP. CLXXVIII.

OThonnam aliqui maioris chelidoniæ ſuccum eſſe aiunt: quidam glaucii: alii ſuccum floribus corniculati papaueris expreſſum. Alii permiſtos cæruleæ anagallidis, hyoſcyami, & papaueris ſuccos eſſe contendunt. Alii Troglodyticæ cuiuſdam herbæ ſuccum, quę Othonna vocatur: naſcique eam in eo Arabiæ tractu, qui ad Ægyptum ſpectat. Othonna foliis erucæ, a perforatis cribri modo, & veluti à tinea deroſis, ſqualore obſitis, paucis: flore croci, latifolio: quare quidã Anemones ſpeciem eſſe putauerunt. Extractus ſuccus oculorum medicamentis adiicitur, vbi expurgare eſt opus: mordet enim & abſterget omnem caliginem, quæ oculis offunditur. Tradunt humorem quendam ex herba emanare, qui elutos, ſemotis calculis, in paſtillos ad eadem di-

a Omnia ex: πολύτρητα ὥσπερ σητόκοπα, ψαφαρά, ὀλιγόφυλλα. i. multis foraminibus, veluti à vermibus perforata, friabilia & pauca. Sed Ca. habet. ὀλιγόχυλα: i. pauci ſucci.

II. GARYOPHYLLVS INDIcus minor.



*III. GARYOPHYLLVS INdicus minor flore ſimplici.





geritur.

gerітur. Aliqui tamen affirmant, lapidem eſſe Ægyptium, in Thebaide naſcentem, exigua magnitudine, æreo colore, guſtu cum feruore quodam, & adſtrictione, mordaci.

*OThonnam Dioſcoridi fuiſſe incognitam, illud nobis manifeſto argumento eſſe poteſt, quòd nihil ex ſe de ea conſcribat, ſed omnia alijs accepta referat, ex quorum tantum opinione famaque hæc de Othonna memoriæ prodidit. Quare mirari non licet, ſi noſtra quoque ætate Othonna minimè cognoſcatur. Non deſunt tamen rei herbariæ periti, qui eam plantam Othonnam eſſe cenſeant, quam Indicos Caryophyllos vocat vulgus: quibus ego quoque ſubſcriberem, ſi hæc planta erucæ folijs creſceret, iiſque paucis, cribri modo perforatis, & friabilibus. Verum cùm folioſa ſit planta, & non paucis folijs referta, quæ Tanacetum potius, quàm Erucam referunt, eaq; cribri modo perforata, aut tanquam à vermibus eroſa non ſint, nec friabilia, non video ſanè, cur in horum ſententiam concedere queam. Nihil enim me mouet ad probandam horum opinionem floris color, & latifolia imago, alijs reclamantibus notis, cum numeroſa ſint plantarum genera, quæ croceis, & latis proueniunt floribus. Ego quidem, ſi mihi decernendi facultas daretur, in Chryſanthemi genere hanc plantam reponerem, quod tamen alijs, me peritioribus, decernendum relinquo. Cæterùm vt omnibus ſatisfactum eſſe intelligam, duas huiuſce Indicæ plantæ imagines hic addi curaui. Eſt itaq; hæc planta fruticoſa, caulibus bicubitalibus, & quandoque maioribus, ſtriatis, rectis, ſubrufeſcentibus, è quibus multifida prodeunt folia, & numeroſa, Tanaceti æmula, ſed maiora, & magis diuiſa: radix illi eſt breuis, ſed numeroſa, nec altè deſcendens. Tria huiuſce plantæ obſeruauimus genera, floribus tantùm differẽtia. Namq; genus eſt cæteris procerius, quod flores profert aureos, magnos, numeroſis admodum ſtipatos folijs, odore minus quàm in altero graueolenti. ALIVD floribus ſpectatur minoribus, bino, ternoq; eorundem ordine concinnatis, floridis in medio capillamentis, vt in Roſa: huius flores colore quidem & facie differunt. Ii enim ex aureo in purpureum colorem inclinant, ſubnigricantq; folijs craſſiuſculis, nitentibuſq;, aſpectu admodum iucundo, adeò vt ex holoſerico, quod Velutum vocamus, à natura facti videantur, ſed odore ſunt graui, & qui caput feriat. Poſtremum autem, quod prædictis eſt minus, nihil à præſcripto differt, niſi quòd non tam altè adoleſcit, & flores habet ſimplici tantùm foliorum coronamento, ſed cæteris minores. Cætera ſimilia ſunt. Prodeunt omnes è calyce oblongo, toroſoq;, Lychnidis coronariæ ferè ſimili, longis pediculis nitentes. Semen inde fit oblongum, tenue, ac nigrum. Seruntur in hortis, viſuntur paſſim ſuper feneſtras in fictilibus & arculis, ſpectaculi gratia. Excalfacit & ſiccat, quo fit, vt ea quoq; in medicum vſum trahi poſſit, vbi abſtergere, & aperire ſit opus, minor tamen valentius quàm maior. Hanc cùm admiſceat Paulus ſuis medicamentis, aſſerit quibuſdam in locis maioris chelidonij ſuccum eſſe, eorum fortaſſe opinionem ſecutus, qui ita ſcripſerunt, vt refert Dioſcorides. Eius nomen Græcum ὀθόννα Latinum item, & Italum Othonna. Caryophyllus Indicus, Italis, Garofano Indiano.*

Nomina.

Caryophyllos Indicos Matthioli, aliqui Othonnam Dioſcoridis, & Plinii, alii Argemonem Dioſc. alii Lycoperſicum Gal. alii Caltham Plinii, quam grauis odoris dicit: alii Petilium florem eiuſdem cẽſent. Hi variant magnitudine, florendi tempore: flore item ſimplici, rarius multiplici: colore rubri, crocei, mellei & albi. Tunetanum vel Africanum dicitur, eò quòd primùm hic flos in Germaniam fuerit illatus, quãdo Carolus V. Imperator, apud Tunetum victoria potitus eſt. I. Tanacetum Africanum maius flore pleno. C.B. Garyophyllus Indicus maior, Matth. Lugd. Caltha Africana fruticoſa flore multiplici, Geſn. hor. Flos Africanus maior, Dod. gal. & fol. Tab. Othonna maior polyanthos, Lobel. Flos Indicus maior flore pleno, Cam. Flos ſeu Caryophyllus Indicus, Caſt. Flos Indię, Ceſ. II. Tanacerum Africanum minus flore ſimplici. C.B. Garyophylli Indici, Trag. Tagetos Indica, Fuch. & Lugd. Flos Indianus ſeu Viola flammea, Fuch. in ico. Flos Africanus minor, Dod. gal. Flos Africanus, Dod. fol. Lob. Flos Indianus, Lon. Caltha Africana minor flore ſimplici, Geſ. hor. Caryophyllus Indicus minor Matth, Caſt. Lugd. Othonna, Lac. Tanacetũ Peruuianũ, Cord. hiſt. & Roſæ Indianæ aliis. Flos Indiæ alter minor, Cæſal. Flos Africanus minor flore ſimplici, Tab. Flos Indicus minor flore ſimplici, Cam. Sunt qui primum, Othonnam Dioſ. & Plinii: hoc verò Argemonem Dioſcor. & Argemona Plinii ſtatuant. III. Tanacetũ Africanũ minus flore pleno. C.B. Matthiolus vna figura minorem vtrumq; expreſſit. Hic dicitur flos Africanus minor multiflorus, Tab. Flos Indicus minor flore pleno, Camerario.

I. AVRICVLA MVRIS.



Μυὸς ὦτα

## AVRICVLA MVRIS. CAP. CLXXIX.

MVris auricula, quam myoſotida vocant, herba eſt caulibus pluribus ab vna radice, aliquatenus ab imo rubentibus, & concauis: folijs anguſtis, [a] oblongis, dorſo acuto, elato, nigricantibus, per interualla aſſiduè geminatis, atque in mucronem deſinentibus, & tenuibus cauliculis ex alarum ſinu prodeuntibus: floſculo, vt anagallidis, cæruleo: radix digitali craſſitudine, multis capillamẽtis fibrata. [b] Radix illita ægilopia ſanat. Sunt qui Alſinem, muris auriculam vocitant.

[a] Meum, add. λεπτὰ μικρά. i. tenuia parua.

[b] Meum add. καθόλου δ' ἐστὶ ὁμοία τῇ σκολοπενδρίῳ λειοτέρα δὲ καὶ ἐλάσσων. i. In vniuerſum ſimilis eſt ſcolopendrio, ſed læuior, & minor.

Auriculę muris conſid.

*REperiuntur quidam Dioſcoridis codices, qui hoc loco Alſinem habent, quæ libro quarto poſt helxinem deſcribitur, quòd & ipſa nonnullis Muris auricula appelletur. Quam forſitan nominis cognatione adducti, poſteriorum quidam, ex quarto Dioſcoridis volumine in hunc locum ipſam tranſtulere, vbi ſuo generi,*

*generis, vel potius nominis alteram repræſentauit Dioſc. Sed quoniam ipſa Dioſcor. ſcribendi ſeries clariſsimè demonſtrat, alſinem ſtatim poſt helxinem ſequi debere, quòd ei adeò ſimilis ſit, vt tradat Dioſc. eandem fuiſſe cum helxine, niſi humilior eſſet, idcirco lib. 4. de ea nobis dicendum erit, quòd inibi eius legitimam ſedem eſſe exiſtimemus. Cæterùm hæc, de qua hic mentio eſt, paſsim menſe Maio floribus ornata viſitur, nimirũ in pratis, in cãpis, in hortis, ſecus vias, & vbiq; ferè locorum. Huiuſce vires paucis perſtrinxit Gal. li. 7. ſimpl. med. ſic inquiens: Auricula muris deſiccat ordine ſecundo: cæterũ nullã euidẽtem caliditatem poſsidet. Ea Græcè μυὸς ὠτίον vocatur: Latinè Auricula muris: Italicè, Orecchia di topo: Germ.* Waldt Mangolt mit blawen Bluomen: *Hiſpan. Orcya de raton yerua: Gallicè, Oreille de ratte.* Nomina.

*II. ECHIVM SCORPIOIDES paluſtre.*



I. Auricula muris, Matth. Dod. gal. Lac. Caſt. Lugd. niſi ſit Myoſotis ſcorpioides (cuius figurã adiũxim⁹) Lob. minus rectè expreſſa, quid ſit ignoramus. II. Echium SCORPIOIDES paluſtre, ex radice repente fibroſa, caules exſurgũt, aliquando reclinati, aliquãdo erecti, rotũdi, leuiter hirſuti, etiam glabri, ſeſquipalmares, etiam minores, &ad ripas aliquando bicubitales, qui in ſummo in duos treſve interdũ ramulos, nudos, recuruos brachiantur: folia cingunt oblonga, ſubrotunda & pinguiuſcula: ſummis ramulis flores inſidẽt ex quinq; foliolis compoſiti, communiter dilutè cærulei, aliquando cãdidi, quibus paruæ ſuccedunt techæ, pedicellis tenuiſſimis inſidentes, quibus ſemen minutum albicans incluſum. Aquoſis tantum locis naſcitur: tota æſtate floret, aliis ab radice cauliculis ſubinde enaſcẽtibus Dicitur Cynogloſſa minor, Brunf. Euphraſia cęrulea, Trag. Tab. Echiũ paluſtre Cord. Thal. Scorpioides cæruleũ vel paluſtre, Geſ. hor. Leontopodium Lon. & Lugd. Myoſotis Scorpioides partim repens, partim erecta, Lobel. Heliotropium minus primum, Cæſ. Huius duæ ſpecies: altera paluſtris maiore flore & penè glabra: altera in agris minore flore & hirſuta.

## Ἰσάτις. GLASTVM. CAP. CLXXX.

SAtiuum Glaſtum, quo infectores lanarum vtuntur, folium habet plantagini ſimile, verùm pin-

I. ISATIS DOMESTICA.



II. ISATIS SYLVESTRIS.



guius, nigriuſque: cuius caulis duum cubitorum altitudinem excedit. Illita folia tumores omnes diſcutiunt, cruenta vulnera glutinant, ſanguinis profluuia ſiſtunt: ignem ſacrum, phagedænas, putreſcentia vlcera, & quæ ſerpunt, ſanant. Syluestre glaſtum ſatiuo ſimile eſt. Folia fert maiora, lactucaceis proxima: caules tenuiores, multifidos, quadantenus rubentes: in quorum cacumine folliculi multi dependent, quandam linguarum effigiem referentes: in quibus ſemen flore tenui, luteo. Eadem, quæ & ſuprà dicta, præſtat: potu, & illitu lienoſis auxiliatur.

Iſatidis, ſeu Glaſti conſi.

*Iſatis ſatiua, quam in Hetruria vulgò Guado appellamus, tingendis lanis, fullonibus & infectoribus maximè expetitur, quòd lanarum infectus, quibus cum admiſcetur, firmet, & nunquam deperdi patiatur. Huiuſce maximus habetur prouentus in Vmbria circa Noceram, vbi oppidum eſt Guadum ideò appellatum, quòd ibi Iſatis frequentiſſima ſeratur. Syluestris naſcitur in campeſtribus, incultis locis, & in paſcuis. Glaſtum ſylueſtre, Plinio inter ſylueſtres lactucas recenſetur libro 20. cap. 7. quippe quòd illi non ſit abſimile. Fit ex Iſatide cæruleus ille color pictoribus expetitus, quem Indicum vocant, de quo diffuſius lib. 5. ſuo loco diſſeremus. Meminit vtriuſq; Iſatidis Gal. lib. 6. ſimpl. med. ſic inquiens: Iſatis ſatiua, qua vtuntur tinctores, facultatis eſt valenter exiccantis, nondum tamen mordentis: eſt enim ſimul amara, atque adſtringens. At Iſatis ſylueſtris manifeſtè iam acre quiddam tum guſtu, tum actione præfert. Proinde quàm ſatiua valentius deſiccans, valentius etiam humida putredinibus obſiſtit. Planta Græcis Ἰσάτις ἥμερος, Latinis, Glaſtum ſatiuum nominatur: Italis, Guado domeſtico. Quæ verò Græcis ἰσάτις ἀγρία, Latinis Glaſtum ſylueſtre, & Italis, Guado ſaluatico: Germanis, Wilde Weid: Gallis, Paſtel ſauuage appellatur. Vtrumque Glaſtum vocant Mauritani, Dili, Dileg, Veſme, Chate, Chatu, ſeu Alchat, Adlen, aut Adhlen, & Nil: Germani, Weid: Hiſpani, Paſtel: Galli, Gueda, ſeu Paſtel de Languedoc.*

Lactuca ſyl. Plin.

Iſatidum vires ex Gal.

Nomina.

Iſatis duplex: ſatiua, quę Lactucę quartum genus Plinio: Sylueſtris, Lactucę tertium genus eidem, cùm enim animaduertiſſet Dioſc. Iſatidis ſylueſtris folia lactucacea dixiſſe, cum Lactucis miſcuit. I. Iſatis ſatiua, Trag. Fuch. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. (cui & Luteum Vitruuii) Geſ. hor. Lac. Lon. Lugd. Iſatis domeſtica, Matth. Caſt. Glaſtum ſatiuum, Lob: Cam. Glaſtum, Cæſal. II. Iſatis ſylueſtris, Trag. Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Lac. Lon. Geſ. hor. Caſt. Tab. Lugd. Iſatis agreſtis, Cord. in Dioſc. Glaſtum ſiue Iſatis ſylueſtris, Lob. Cam. Habetur & Iſatis Indica, Anil & Nil Garziæ (vbi Cluſius in notis addit cum Iſatide conuenire) à Coſtæ, Cam. qui ex hoc Indicum in Ægypto fieri ſcribit.

## Τηλέφιον. TELEPHIVM. CAP. CLXXXI.

† Meum ςενὰ λεπτὰ. i. anguſti, tenues.

TElephium herba portulacæ ſimilis, & caule, & foliis: alas binas in ſingulis foliorum geniculis annectit: ramuli à radice † ſeni, ſeptenive prodeunt, foliis referti cæruleis, craſſis, lentis, carnoſis: flore lu-

I. FABARIA.



* II. TELEPHIVM PVRPVREVM. *



teo, aut candido. Naſcitur in cultis, & maximè inter vites tempore verno. Folia ſenis horis illita albam vitiliginem ſanant: ſed poſtea hordeacea farina illini debet. Perunctam ex aceto etiam in ſole vitiliginem tollunt: ſed vbi inaruerunt, abſterguntur.

Quanquam

*QVanquam non deſunt rei herbariæ periti, qui exiſtiment, Telephium eam eſſe ſtirpem, quam quidam Fabariam, alij Fabam pinguem ſeu craſſam, quidam verò Fabam inuerſam appellant, cùm tamen nulla reperiatur qualitate prædita, qua abſterſoriæ, ſiccantiſq; facultatis particeps dici poßit, vt Galenus Telephium eſſe teſtatur, foliaque proferat portulaca longè maiora, eorum ſanè ſententiæ plane adſtipulari non auſim: tametſi ea compluribus notis Telephium referre videatur. Telephij vires memoriæ prodidit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, vt ita ſcribit: Telephium exiccandi, & detergendi facultate eſt, non tamen inſigniter calida: verùm in hoc forſan quiſpiam ipſum primi eſſe ordinis cenſeat. Deſiccat tamen ſecundo ordine intenſo, aut certè principio tertij: proinde ad putrida vlcera conuenit, & leucas & alphos cum aceto ſanat: hactenus Galenus. Cæterùm illas quidem Telephij qualitates haud reperies in Fabaria noſtrate, etſi hæc (vt paulò antè diximus) notis pluribus proximè Telephij hiſtoriam accedat, vt eius pictura, quam hic damus, apertè ſatis demonſtrat. At ſi facultates tantùm obſtant, quò minus ea planta Telephium eſſe, & dici mereatur, in hoc illa ratio non parum ponderis habitura eſt, qua ſuperius oſtendimus, verum Chelidonium minus herbam illam eſſe, quam in eius mentione depictam exhibuimus. Nam ſi Arum, teſte Galeno, iis caret facultatibus in Italia, quibus in Græcia præditum eſt, nil mirum videri debet, quòd & aliæ plantæ cum ſolo vires mutauerint ſuas, vt illi plantæ, & huic Fabariæ dictæ facilè eueniſſe ſuſpicandum eſt. Velim tamen in his, vt in alijs quoque dubijs plantis, ſuum cuique eſſe iudicium. Herba, quæ τηλέφιον Græcè, Telephium item Latinè dicitur. Italis: Faua graſſa: Gallis, Repriſe, Ioubarbe des vignes: Germanis:* Wundtkraut.

Telephij cõſideratio.

Telephij vires ex Gal.

Fabaria. Nomina.

Telephium hoc cenſetur (quod tamen minimè eſt, deficientibus foliorum alis, ſed Scorpioides Matthioli, Telephium Dioſcoridis eſt) vulgò Fabaria, à foliorum cum faba ſimilitudine: dicitur Scrophularia media, Brunf. Fabaria, Matth. Lugd. Telephium ſiue fabaria, Matth. in iconibus, Caſt. Telephium album, Fuch. Acetabulum alterum album, Fuch. in icon. Acetabulum alterum, Cord. in Dioſc. Craſſula maior, Dod. gal. Cæſalp. (qui Cotyledon alterum Dioſcoridis cenſet) Thal. Anacampſeros, Geſ. hort. Faba inuerſa, Geſ. hort. Lob. icon. Telephium, Geſ. hort. Lob. obſ. Tab. Cam. II. Addidimus & Telephium purpureum, quòd parum à primo diſcrepat, cauliculis tenerioribus, magiſq; rubentibus, folijs magis crenatis, floribus purpureis, radice minore: quæ frequens eſt ad Rheni littora hic Baſileę. Dicitur Scrophularia ſeu Portulaca maior, Trag. Telephium purpuraſcens Fuch. Lugd. qui duas habet figuras. Telephium purpureum Tab. Cam. Acetabulum alterum purpureum, Fuch. icon. Fabaria, Lonic. Craſſula montana, Cæſalp. Telephium vel Craſſula purpureo flore Camerario ad Matthiolum.

*LIBRI SECVNDI FINIS.*

# PETRI ANDREAE MATTHIOLI, MEDICI Senenſis Commentarij,

## IN LIB. TERTIVM PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE MEDICA MATERIA.

SVperioribus, chariſſime Aree, commentariis, tradidimus de aromatibus, vnguentis, oleis, arboribus, earum fructibus, & lachrymis: item de animalibus, cerealibus, oleraceis, & herbis acrimonia præditis. In hoc autem tertio radices, ſuccos, ſemina, herbas, & quæ vernacula, & inter ſe cognata cenſentur, quæq; pluribus ſcatent remediis, proſequemur.

### Ἀγαρικόν. AGARICVM. CAP. I.

aMeũ ὃ συμ-ὺ τίω ἐπι-φάνειαν ὥσπερ τὸ σίλφιον, ἀραιὰ δέ ἐςι ὅλη. i. nõ ita denſa ſuperficie, ſicuti ſilphium, nam tota rara eſt.
Cõcluſa non legit Orib.
b Meũ & Cat. ἐπὶ δένδρων. i. ſuper arboribus.
Idem leg. Oribaſius.
c Meum μετὰ κρόμματος. i. cũ diluta vini potione.
d Meum non legit, mirè.

AGaricum radix fertur laſerpitij ſimilis, a ſed facie ſumma ſolutior, & rariore fungoſoq; tota contextu. Duo eius genera: fœmina, quæ præfertur, rectis intus venarum diſcurſibus conſtat: mas rotundus eſt, & vndique compactior. Vtrique guſtus in initio dulcis, mo) ex diſtributione in amaritudinem tranſit. [ Gignitur in Sarmatiæ regione, quæ Agaria dicitur. Sunt qui radicẽ eſſe plãtę affirmẽt: alij vt fungos naſci in arborum caudicibus, quadam putredine.] Gignitur in Galatia Aſiæ, & Cilicia b in Cedris, ſed friabile, & infirmum. Adſtringendi, calfaciendiq; naturam habet, efficax eſt contra tormina, cruditates, & rupta: prodeſt itidem contuſis, & ab alto deuolutis. Datur duobus obolis in vino mulſo febrim non ſentientibus: febriculoſis verò in aqua mulſa: arquatis quoque, ſuſpiriosis, iocineris, renumque vitio laborantibus, dyſentericis. Item ſi vrina ægrè reddatur, ſi vuluæ ſtrangulatus vrgeat, ſi pallor membra decoloret, drachma vna dari ſolet: ſi tabes infeſtat, ex paſſo: ſi.lien negotium exhibet, ex aceto mulſo: ſi diſſolutio ſtomachi eſt, ita vt cibi tenax non ſit, manditur, & ſine vlla humo:is ſorbitione deuoratur: ſimili modo acida ructantibus propinatur: ſanguinis reiectiones ſiſtit, tribus obolis ex aqua ſumptum. Facit ad coxendicum, & articulorũ dolores, & cõitiales morbos, ſi cũ aceto mulſo, pari pondere aſſumatur: menſes ciet fœminis, quas inflatio vuluæ vexat, vtiliter æquali modo datur: horrores ſoluit, datũ ante febriũ acceſsiones: aluum purgat, drachma vna, aut altera, ſi cum aqua mulſa bibatur: venenorum antidotum eſt denarij inſtar, cum c diluta potione ſumptum: ſi ſerpentes ictum vibrarunt, morſumque ſubfixerunt, tribus obolis ex vino potum, d mirè auxiliatur. In ſumma, internis omnibus vitijs conuenit, pro viribus, & ætate datum, nunc ex aqua, nunc ex vino: ijs ex aceto mulſo, alijs ex aqua mulſa.

Agarici conſideratio.

*AGaricũ cuius duo habentur genera: mas alterũ alterum fœmina, fungus eſt in arboribus naſcens. Plura de eo diximus li. 1. in laricis arboris hiſtoria. Præſtantiſſimũ habetur in Tridentinis montibus, vbi ſæpiſſimè proprijs manibus illud diuulſimus, adacta ſecuricula. Cæterùm tametſi Plinius libro 16. cap. 8. omnes glandiferas arbores Agaricum ferre tradat, in Tridentinis tamen ſyluis, ac etiam in reliquis Italiæ locis, quod equidem viderim, ſoli tantùm larici innaſcitur. In Cedro Agaricum gigni, tum in Aſia Galatia, tum in Cilicia ſcribit Dioſcorides, nulla eius mentione facta, quòd in larice ipſa aut glandiferis (vt Plinius inquit) arboribus proueniat. Fuchſius in libro de compoſitione medicamentorum, quem nuper editum excudit, Agaricum ex Sarmatia per Illyriam Venetias afferri tradit, & ex Galatia, & Cilicia Alexandriam, & ab Alexandria Venetias: eo fortaſſe argumento ductus, quòd Dioſcorides autor ſit agaricum naſci in Sarmatia regione, in Galatia Aſiæ, & Cilicia. Verùm iampridem deſijt ex illis locis importari, vt teſtantur mercatores & pharmacopei. Equidem compertum habeo, omne ferè agaricum, quod Venetijs venditur, partim deferri ex Tridentinis montibus, in quibus ſunt ſyluæ laricibus refertæ, partim ex Vulturenæ agro, & alijs finitimis Rhetorum Vindelicorumq; locis, partim ex Norico tractu: neque certè vnquam, dum ego Venetijs agerem, intelligere potui, quòd agaricum aliunde conueheretur. Quare adducor, vt putem, Fuchſium in hoc planè deceptum eſſe: Agarici meminit Galenus ſub quodam radicis genere libro 6. de ſimplicium medicamentorum facultate, vbi ſic inquit: Agarici radix, hoc eſt, quæ trunco innaſcitur, primo quidem guſtu dulcis, ſed paulò poſt ſubamara apparet, & acrimoniæ quandam ſpeciem temporis ſpatio inducit, leuiculaq; adſtrictionis eſt, & conſiſtentia laxa. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, ſi quidem quæ ſuperioribus commentarijs dicta ſunt meminerimus, quòd medicamentum hoc compoſitum eſt ex ſubſtantia aërea, & terrea à caliditate extenuata: porrò minimum habet ſubſtantiæ aqueæ. Hac ratione, & digerendi, & calfaciendi vim habet, & craſſitudinem incidendi, tum infarctus viſcerum expurgandi. Proinde regio morbo laborantes ſanat, eos vtique, qui ſic ab infarctu iecoris laborant. Iuuat & morbo*

Fuch. lapſus.

Agarici vires ex Gal.

comitiali

AGARICVM.



*comitiali obnoxios eadem facultate, tum rigores per circuitum recurrentes ex craßis, aut viſcoſis humoribus natos ſanat. Iuuat & morſos a beſtijs frigore lædentibus, aut compunctos, tum foris in affecta parte impoſitum, tum intrò in corpus ſumptum pondere drachmæ vnius cum vino diluto. Eſt & purgatorium. Et li. primo de antidotis idem Galenus inquit: Agaricum fraudem nullam admittit: optimum eſt leuißimum: denſum verò, & graue, & lignoſum deterrimum: quod autem inter hæc medium eſt, quantum ſignis, tantùm & viribus ab vtriſque diſtabit: hactenus Galenus. De viribus Agarici Meſues quoque ſcripſit, ſic inquiens: Agaricum deijcit vtranque bilem, ac etiam pituitam ipſam: craſſos, lentos, putreſcentesq́; humores expellit. Eius propria facultas eſt cerebrum, omniumq́; ſenſuum organa, ac muſculos expurgare: excrementa, quæ ſpinali medullæ pariter & neruis inhæſerint, educere: pulmonem, ac pectus à lentis ac putreſcentibus humoribus detergere: ac deinde ventriculum, iecur, lienem, renes, & in mulieribus vterum mundare. Præter hæc ſoluit Agaricum compaginum omnium contumacem materiam. Quapropter non mirum videtur, vocaſſe Democritum agaricum familiarem medicinam, cùm ad omnes corporis partes conformitatem habeat. Nam non imbecilles poßidet vires ad pleroſque tum capitis, tum cerebri, tum eiuſdem membranarum morbos: nempe diuturnum dolorem, comitialem morbum, apoplexiam, vertigines, maniam, atram bilem, & cerebri inflammationes. Eſt etiam morborum omnium, quorum cauſa fuit obſtructio, medicina admodum ſingularis: quo fit, vt regio morbo affectis, aqua intercute laborantibus, ac liene vexatis leuamentum præſtet. Vrinam quoque pellit, ac menſes commodè ciet. Coloris nitorem Agarici vſus toti corpori commendat. Ventris tineas tum necat, tum deijcit. Coxendicum doloribus conuenit, & diuturnas febres diſcutit. Non deſunt quoque, qui Agarico pro ſapone vtantur, dum caput lauant, eum conferre putantes ad frigidos capitis morbos.* Ex Meſue.

*Quod Græci ἀγαρικὸν Latini quoque Agaricum dicunt: Mauritani, Garichum, ſeu Garicum: Itali, Agarico & Fongo di Larice: Germani,* Dannenſchwam*: Hiſpani, Agarico: Galli, Agaric: Bohemi: Agaryka: Poloni Modrzeuuiouua.* Nomina.

AGARICVS inter fungos referendus eſt: verùm alius arboreus, alius ſaxatilis dicitur: de ſaxatili, qui Fungus petræus, & Lac Lunæ dicitur, cuius in lactantibus ad lactis auctionem vſus eſt, hic non agitur. Sed de Arboreo, qui duplex, & ratione ſexus. mas & fæmina: & ratione coloris, candidus & niger. Probatur quod candidiſsimum & leue: quod verò graue, nigricans, pernicioſum fugiendum: quin & quod corroſum & quod prope caudicem eſt. Iuſtum pondus infuſi eſt à drachmis duabus, ad drachmas quinq́;: in puluerem redacti, à drachma vna ad duas.

Ῥᾶ RHAPONTICVM. CAP. II.

RHa, aliqui rheum, Latini rhaponticum vocant, prouenit in ijs, quæ ſupra Boſphorum ſunt, regionibus, ex quibus affertur. Radix nigra, centaurio magno ſimilis, ſed minor, a & rufior, fungoſa, aliquãtum læuis, ſine odore. Optimum habetur, quod teredines non ſenſit, ſi guſtatu b cum remiſſa adſtrictione lenteſcat, manducatumq́; colorẽ reddat pallidum, aut ad crocũ inclinantem. Id epotum facit ad inflationes, ſtomachi imbecillitatem, & omne genus dolores, ad conuulſa, rupta: lienoſos, hepaticos, tormina, & renum, veſicæ, & pectoris vitia, aduerſus intenta præcordia. & vuluæ mala, coxendicum dolores, ſanguinis excreationes, ſuſpiria, ſingultus, dyſenterias, & cœliacorum affectus, contra febrium circuitus, & venenatorum morſus. Datur in ſingulis valetudinibus eodem, quo agaricum pondere, & cum eiſdem liquoribus: ſi febri careant in mulſo: ſin aliter ex aqua mulſa: ſi tabem experiuntur, ex paſſo: ſi lienis exercet, in aceto mulſo: ſi diſſolutio eſt ſtomachi, id eſt, cum cibi tenax non eſt, manditur, & ſine ſorbitione vlla deuoratur. Liuentia, lichenasq́; tollit, cum aceto illitum. Inflammationes omnes veteres ex aqua oblitũ diſsipat. Summa eius vis adſtringens, cum aliquanto calore.

a Mss. ἐνερευθέστερα. i. rubicũdior. Sed Cat. ἐπυρευθέστερα. i. rutilantior.
b Orib. habet μάλιστα. i. maximè.

RHaponticum officinæ Rheuponticum vocant. *Quod nomen ſibi aſciuiſſe videtur à Rha fluuio regionem quandam Ponto conterminam præterluente, in cuius fluminis ripis numeroſum naſcitur. Cuius rei teſtis eſt Ammianus Marcellinus lib. 12. ſuarum hiſtoriarum vbi ſic ſcribit: Tanais, qui inter Caucaſias oriens rupes per ſinuoſos labitur circumflexus, Aſiamq́; ab Europa diſterminans, in ſtagnis Mæoticis deliteſcit. Huic Rha vicinus eſt amnis, in cuius ſupercilijs vegetabilis quædam eiuſdem nominis gignitur radix, ad multiplices medelarum vſus proficiens: hæc Ammianus. Legitimum paucis abhinc annis ad nos aduehi cœpit. Nam multo antea tempore Rhapontici vice maioris centaurij radix in medicinæ vſum irrepſerat. Qua etiam noſtra ætate non deſunt, qui Rhapontici loco vtantur, recentiorum inuenta reſpuentes, cùm hactenus legitimum Rhaponticum neq́; nouerint, neq́; viderint: tanta eſt quorundam pertinacia. Credidere ad hæc peritißimorum medicorum quidam, præterito nuper æuo, Rhabarbarum à Rhapontico Dioſcoridis nullo diſcrimine differre. Quippe quoniam eorum temporũ curriculo legitimum Rhaponticum Italia non viderat. Quod cùm paucos poſt annos ad nos eſſet allatum, non defuere qui priorem reuocauerint ſententiam. Id quod maximè palàm facit Manardus Ferrarienſis in ſuis epiſtolis. Quandoquidem is libro quinto epiſtola 2. firma hac, & ſtabili ducebatur opinione, vulgare noſtri vſus Rhabarbarum, &*

Rhapontici conſid.
Quorundam error Centaurij maioris radice pro Rhapontico vtentium.
Rhabarbarũ an idem cum Rhapontico.
Monardi opinio.

I. *RHAPONTICVM FOLIO Helenij incano.*



II. *RHA DIOSCORIdis.*



rum, & Dioſcoridis Rhaponticum & idem eſſe, & nihil inter ſe cognatione differre. Veruntamen cùm poſtea legitimum conſpexiſſet Rhaponticum è Moſchouia allatum, quod Dioſcoridis hiſtoriam notis omnibus referret, nouam ſtatim induit opinionem, & priorem, quam habuit, reuocauit, vltima quinti libri epiſtola ad Leonicenum ſcribens. Rhaponticum primùm vidi ego Venetijs in officina ad medici inſignium, è Conſtantinopoli allatum, ac deinde alijs pluribus in locis etiam ex Alexandria conuectum, quod nullis reclamantibus notis, verũ antiquorũ Rhaponticum refert. Inuehitur Auerroes li. 5. ſuarum collectanearũ, tum in Galenũ tum in reliquos, qui dixerunt Rhabarbarum facultate tantùm adſtringenti pollere, quod purgatoriam, quæ illi ineſt, facultatẽ minimè compererint: cùm tamẽ Auerroes ipſe ſit maximopere carpendus, quod neq; Gal. neq; cæteri ſeniores Rhabarbari noſtri vſus vſquam meminerint, nec quicquam de eo poſteritatis memoriæ prodiderint, tametſi de Rhapontico à Dioſcor. deſcripto plura tradiderint, inter cuius facultates nulla penitus, quæ purgando ſit, inueniri poteſt. Rhapontici meminere, ſub Rhabarbari tamen titulo, niſi interpretis (vt ferè ſuſpicor) ſit lapſus, cùm Serapio, tum etiam Auicenna: quandoquidem non plures ſuo Rhabarbaro aſſignauere facultates, quàm qui eos præceſſerunt, Rhapontico aſſignauerint. Quippe quod eorum neuter ſcripſerit, ſuum Rhabarbarum deiectoria facultate pollere. Id quod verum indicium præbet, ſcripſiſſe hos de Rhapontico, non autem de Rhabarbaro. Quo fit, vt non ab re putandum ſit, id eueniſſe interpretum ignorantia Rhaponticum in Rhabarbarum permutantium. Cognouit tamen legitimum (ni fallor) ætatis noſtræ Rhabarbarum Paulus Aegineta, cùm ipſius meminerit libr. 7. cap. 11. in quibusdam medicamentis aduerſus podagras, quorum cognomina ſunt Diacorallion, compoſitio Agapeti, & compoſitio Atactos. Verùm non præterea credidit ipſe, Rhaponticum à ſe Rhabarbaro differre. Cuius rei auctoris fidem manifeſtam facit lib. 1. cap. 43. vbi ſcribit, quòd deuorata terebinthina reſina oliuæ quantitate dormituris aluum leniter mollit, & quòd id præſtatur efficacius, ſi Rheipontici momentum admiſceatur. Ex quibus palàm fit, per Rhaponticum Paulo Rhabarbarum deſignari, quòd fortaſſe inter hæc exiſtimauerit nullam intercedere cognationis differentiam, quemadmodum credidere recentiorum quidam, de quibus paulò antè diximus. Paulo enim ſi Rheipontici, & Rheibarbari aliqua interceſſiſſet differentia, vbi peculiariter de ſimplicibus medicamentis agit, de vtrorumq; facultate ſpeciatim ſcripſiſſet. Sed cùm ibi tantùm Pontici meminerit, indicium haud dubium eſt, illi Barbari, & Pontici nullam fuiſſe differentiã. Cæterùm Ruellius eos acriter reprehendit, qui inter Rhaponticũ, & Rhabarbarum noſtrum diſcrimen faciunt, cùm ſua ferat opinio, alterum ab altero minimè diſſidere: atque ſi qua differentia reperiatur, eam non aliunde prouenire, quàm regionum, vbi gignitur, diuerſitate, clementia, vel inclementia cæli. Neque alia ratione aſſerit, Ponticum nullo odore commendari, quàm aquilonarium regionum, in quibus oritur, immani frigiditate: cùm tamen Pontica regio non vſque adeò ſit frigida, vt Ruellij ſententia admitti debeat, ſed vt potius tanquam inanis reprobanda videatur. Quandoquidem ſequeretur, quòd cætera ſtirpium genera, quæ tam in Oriente, quàm in Meridie odoris fragrantia commendantur, in aquilonari plaga, & in ipſa Ponti regione penitus inodoræ reperirentur. Quod tamen falſum eſſe ſemper crediderim: nam quamuis ſtirpes omnes, quæ in aquilonaribus regionibus oriuntur (de his, quæ natura odoratiores habentur, intelligo) ex climatum, & aeris algore, ſint odore ac cæteris qualitatibus imbecilliores, non ob id tamen harum qualitatũ adeò expertes deprehenduntur, vt diſcerni nequeant: quin & in quemlibet vſum, vbi ſcilicet conferant, non recipiantur ſuis in regionibus. Quippe ſi ob frigoris, ac regionum inclementiam ſuas innatas qualitates penitus exuerent, adeò vt ſola tantùm forma remaneret, propriam omnino peruerterent ſpeciem. Quod tamen nulla ratione, nec authoritate probatur. Siquidem compertum iam pridem apud nos eſt, quòd quanquam Celtica nardus, quæ à quibuſdam Carinthiæ,

& Styriæ

Vana Auerroiſ calumnia contra Gal.

Rhapontici ſub Rhabarbaro meminere Serapio & Auicen.

Aegineta Rhabarbarũ agnouit.

Rhapontici, & Rhabarbari diſcrimen nõ eſſe ſtatuit Ruellius malè.

& Styriæ alpibus nobis affertur, à quibus penè quatuor, vel quinque totius anni menſibus, nix colliquata labitur: itemq; aceri radix, quæ noſtro æuo ex Sarmatia Europæ, glacie, & niuib. maiore anni parte ſemper obducta, aduehitur in calami odorati vſum, odore tam valido, nareſq; feriente fragrare non deprehenduntur, quemadmodum Celtica illa nardus, quæ ex Liguria, & Iſtria defertur, & acorum, quod ex Ponto, Syria, & Aegypto petitur, nō tamen ob hoc euenit vnquam, quin ſuis proprijs ac naturalibus fragrent odoribus. Quo fit, vt infirma admodum, quantum equidem conijcio, ſit Ruellij ſententia. Quare hinc nobis concludere liceat, Rhaponticum odoris expers non eſſe, aeris, ſoli, & regionis algore, ſed quòd alia à Rhabarbarico vel Indico ſit planta. Declarant præter hæc, Rhabarbarum à Rhapontico plurimùm diſtare purgatoria vis, quam natura ipſa Rhabarbaro largita eſt, odor nares feriens, compacta ſimul ſubſtantia, aureus color, ariditas, amaritudo, quæ guſtu percipitur, & ponderis grauitas. Quandoquidem Rhaponticum nullo odore commendatur, minimè deiectionem molitur, cum potius adſtringat: non eſt amarum, ſed ſubacre: non aridum, ſed lentum: non compactum, ſed rarum: non ponderoſum, ſed admodum leue. Quibus rationibus fretus non temere aſſerendum putauerim, Ruellium hac in re magnopere hallucinatum fuiſſe, præſertimq; cùm dicat, nullo alio diſcrimine Rhabarbarum a Rhapontico differre, quam odore tantùm.

Ruellij, & aliquorū error.

Vanum quippe videtur argumentari, Rhabarbarum, & Rhaponticum vnam & eandem eſſe radicem, quòd forma, colore, ac ſpecie nihil inter ſe diſtare oculorum ſenſibus appareant, cùm tam in facultatibus, quàm qualitatibus, maximè inter ſe differant. In ſimili errore verſantur etiam ij (ſunt enim qui ita ſentiant) qui ſibi falso perſuadent, abietis lachrymam a larigna nihil diſsidere, & vnam ac eandem lachrymam eſſe, eo quòd in colore, in ſubſtantia, ac in cæteris notis, in quibus perpendendis oculi tantùm iudices ſunt, adeò perſimiles videantur, vt viſibili facultate altera ab altera diſcerni non poſsit. Verum ſi quis rem cæteris ſenſibus experiri aggrediatur, diſcriminis certior fiet: namque olfactu odoris fragrantiam haud inſuauē, guſtu verò amarorem in abietis lachryma comperiet, quibus larigna caret. Et quiſnam iuniperi reſinam a lentiſcina ſecerneret, niſi rei ipſius incorruptus iudex fuerit guſtus. Quis a Strobilina reſina, & à quibuſdam gummi globulis thus ipſum agnoſceret, niſi adulterium tum igne, tum guſtu deprehēderetur: Tanta præterea intercedit ſimilitudo inter piſtacium, & vnguentariam glandem, vt niſi hæc amaritudinem guſtui relinqueret, illud verò dulcedinem, difficillimum ſanè fuerit alterum ab altera diſtinguere. Quid porrò inter ſe ſimilius reperitur, quàm caſsia, & cinnamomum, etſi hæc omnino ſpecie non conueniant? Hinc facilè adductus ſum, vt nullius momenti eorum argumenta ſemper exiſtimauerim, qui res ſecundum quaſdam tantùm qualitates dijudicant, quibus ètiam ſæpe decipiuntur, vt ij, qui hac leui ratione ducti Rhabarbarum, & Rhaponticum idem eſſe contendunt.

Rhapontici vires ex Gal.

Meminit Rhapontici Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, vbi de eius viribus ita ſcriptum reliquit: Rheum, quidam ipſum Rha nuncupant, miſtam habet tum temperaturam, tum facultatem. Habet enim quiddam terreſtre frigidum, ceu indicio eſt adſtrictio, & adiuncta eſt quædam illi caliditas: ſiquidem ſi pluſculum mandatur, ſubacre conſpicitur. Quinetiam aereæ cuiuſdam ſubſtantiæ ſubtilis eſt particeps, quod indicat tum laxitas, tum leuitas: verùm non minimè & opera. Ob id enim licet adſtringens, tamen non tantùm conuulſis, ſed & ruptis, & orthopnœæ prodeſt. Sic quoque liuentia, & lichenas ſanat cum aceto illitum. Porrò quod adſtrictionis opera haud inſtrenua ſunt, hinc diſcere liceat, quòd ſanguinem expuentibus, cœliacis, & dyſentericis conferat: nec enim reluctatur terreſtri frigido tenue aereum, imo eò quòd deducat, & in altum perducat valentioris effectus cauſa exiſtit. Et in libro de antidotis primo: In Rheo, inquit, quoque fraus committitur: nam quibus in locis naſcitur, ſimulatque euulſum eſt, ipſum elixant, quò ſuccum remittant, ac tam ſuccum, vt ſyncerum, & aquæ impermiſtum, quàm Rheum exiccatum, vt non elixum ad nos poſtea mittunt. Idcirco ſcire oportet adulteratum dignoſcere, quod facillimè ab his deprehenditur, qui Rheum ſua ſponte naſcens viderunt: hactenus Galenus. Cæterùm adulterium, quod in Rheo fieri prodidit Galenus, id (vt paulò poſt dicturi ſumus) de Rhabarbaro tradidit Meſues.

Rhei tria genera Meſue.

Cui tria Rhei conſtituuntur genera, nempe Turcicum, Barbarum, & Indicum, quod & Sceniticum vocat, omnia à regionibus, à quibus conuehuntur, cognominata, vel in quibus proueniunt.

Rhei Turcici nomēclatio.

Quippe Turcicum nil aliud illi deſignatur, quàm Ponticum, vel quòd è Ponto ad Turcas vicinos deferatur, vel quod ab ijs ſaltuoſis conuallibus, in quibus vltra Tanain fluuium priores Turcæ, Pomponij Melæ, & Plinij teſtimonio, venationibus fere vixere tantùm, iampridem in Pontum fuerit delatum. Siquidem ab his non longè diſtat Rha fluuius, circa quem Rha, quod Ponticum poſteri vocauere, probatiſsimorum auctorum teſtimonio, oriri certò ſcimus, fluminis illius nomine pariter appellatum. Quo fit, vt hac in re non dubitauerim erraſſe etiam Meſuem: quippe qui inter Rhei genera alium ducentia Ponticum admiſcuerit à cæteris tum ſpecie, tum facultate diuerſum, quamuis fortaſſe rectius id Turcicum appellauerit quàm Ponticum. Porrò Indicum ab India dictum, vbi frequentiſsimum prouenit, nemo eſt qui ambigat.

Rhei Indici nominatio.

Sed quànam ratione Sceniticum, & Indicum idem eſſe dixerit Meſues, hactenus compertum non habeo: niſi fortaſſe Sinicum rectius legendum fuerit, quòd à Sinis extremæ Indiæ populis (vt arbitror) deferatur, cùm plura quoque aromatum genera ea regio mittat. Id quod manifeſtè idem declarat Meſues: quippe qui Scenicum, vel Sceniticum Indum eſſe affirmat. Scenitæ enim (vt infrà dicemus) Indiæ populi non ſunt, ſed potiùs Sini, à quibus Sinicum vt vulgata habet lectio, mea quidem ſententia, vocari debet. Sunt tamen qui velint Scenicum nec Indicum eſſe, nec a Sinarum regione oriundum, quòd a Mauritanis non Sinicum, ſed Scenicum dicatur.

Ada. Lonicerus reprehenditur.

Quamobrem eorum quidam, vt Adamus Lonicerus, in Arabia hoc naſci cenſet, & à Scenitis illius regionis populis Scenicum, ſiue Sceniticum vocari putat. Fuchſius verò Meſuis opinionem ſecutus, nullam inter Indicum, & Scenicum facit differentiam: quippe qui ſcripſerit libro primo de compoſitione medicamentorum, Rheum Indicum eſſe vocatum, quòd ex India, aut locis Indiæ proximis, nempe à Scenitis populis, vt auctor eſt Stephanus de vrbibus Perſidis, deferatur. Verùm cùm Scenitæ deſertæ Arabiæ populi omni aromatum genere ſint deſtituti, cumq; aſſerat Meſues Sceniticum rheum, & Indicum idem eſſe, cadit, peritq; Loniceri opinio.

Fuchſij opin. non accepta.

Velim tamen ſi poſſem Fuchſij ſententiam probare. Verùm cùm Scenitæ etiam Straboni populi ſint è Parthorum collegio Arlæ, & Martyanæ mōtes incolentes, diſtentque ab Indiæ finibus milliaribus pluſquam mille & quingentis, neſcio profectò, quonam modo Indicum rheum à Scenitis Parthorum populis Sceniticum dici poſsit: quo fit vt etiam Fuchſij opinionem longius ſuſtinere nequeam.

Rhei barbarici nomenclatura.

Ad hæc de Barbarici nomenclatura varia admodum eſt recentiorum medicorum ſententia. Quandoquidem ſunt qui velint ſic dictū à Barbaria Aphricæ prouincia, ſic vulgariter appellata, vbi olim Carthago clariſsima habuit ſedem. Horum opinionem ſequitur Fuchſius, quòd ſcripſerit lib. 1. de compoſitione medicamentorum, id verum fuiſſe Rha barbaricum, quod ſuperioribus annis ſecum adduxere milites, qui cum Carolo Imperatore Tunetum expugnauere. Alij Barbaricum vocari credunt, quòd à Barbari Indiæ ciuitate, quæ intra Indi fluuij fauces eſt ſita, deuehi cenſent, rati Indicum, & Barbaricum idem eſſe. Alij autem à Barbaria Erythræi pelagi inſula, ſic appellatum exiſtimant, quòd Indiæ naues, ac liburnica aromata deferentes magnum ſuæ mercis, ibi iampridem habuerint emporium, à quo per Arabicum ſinum, traiecto prius anguſto mari de Mecha, aromatum omne genus in Aegyptum per alias deferebatur nationes. Sed aliter ſe habet opinio noſtra: quippe quòd

ſemper

Rhabarbarũ ex Troglodytica regione deferri probatur.

ſemper exiſtimauerim, Rhabarbarum ex Troglodytica Aethiopiæ regione ad nos deferri, & ibi etiam oriri, quòd ea regio Barbarica antiquis fuerit appellata. Siquidem inueni Galenum ſcripſiſſe tum lib. 6. de ſimplicium medicamentorum facultat. tum lib. 4. cap. 6. de tuenda ſanitate, Gingiber ex Barbaria ad nos conuehi: quod tamen Dioſcorides ſuperiore libro, & Plinius libr. 12. cap. 7. à Troglodytis deferri, & in eorum regione naſci tradunt. Quinetiam reperio, glandem vnguentariam, quam Galenus ex Barbarica regione adferri ſcribit, Dioſcoridem libro ſequenti in Aethiopia, vbi eſt Troglodytica regio, & Plinium libro 12. cap. 21. Troglodytis naſci poſteritatis memoriæ prodidiſſe. Ex quibus ſanè liquidò conſtare puto, Troglodyticam regionem, & Barbaricam antiquis vnam & eandem fuiſſe. Huc præterea accedit alia Plinij auctoritas, qui libro iam bis citato, cap. 19. vbi raritatis cinnamomi cauſam reddit, id accidiſſe ſcribit, incenſis ſyluis Barbarorum ira. Nam cùm ipſo inibi teſte, oriatur cinnamomum in Aethiopia Troglodytis connubio permiſta, non alias vtiq; gentes Barbaras appellaſſe credimus, quàm Troglodytas. Quamobrem & myrrham Troglodyticam appellauit Barbaram cap. 16. eiuſdem voluminis. Nec ab re quidem Galeno, & Plinio Troglodytæ Barbari ſpeciatim dicuntur, cùm ſcripſerit Pomponius Mela grauiſſimus auctor libro primo de ſitu orbis, eos magis ſtridere, quàm loqui, ſpecus tantùm ſubire, & ali ſerpentium carnibus. Quæ ſanè omnia ita in mea me firmant opinione, vt certò credam, Rheum illud verè eſſe Barbaricum, quod ex Troglodytica aſſeratur regione. Sententiam noſtram magis adhuc confirmare videtur Strabo, quòd libro 15. ſuæ Geographiæ apertè teſtetur, ea omnia in aromatum, & plantarum genere oriri in Arabia, & Aethiopia, quæ in India auſtrali proueniunt, quòd hæ regiones ſolæ perſimiles ſunt. Non placet igitur, vt dicam liberè quod ſentio, Fuchſij opinio ob prædictas tum auctoritates, tum etiam quoniam apud nullum vſquam legerim ex ea Aphricæ parte, quæ vulgò dicitur Barbaria, Rhaliquod afferri, quod ibi prouenerit. Quin nec aliorum ſententias comprobauerim, quoniam nec illud, quod à Barbari Indiæ

III. RHABARBARVM.



*IV. RHABARBARI RAdix.*



ciuitate, nec illud, quod à Barbaria Erythræi pelagi inſula aduehitur, rectè Barbarum dici poteſt, cùm ex India vtrunque petatur, & quod nullus extet auctor, qui à Barbari ciuitate Rhabarbarum ſcribat ſuam duxiſſe originem. Quare illud legitimum eſſe Rhabarbarum mea demum firma ſententia eſt, quod ex Troglodytica Aethiopiæ regione fuerit aduectum. Quod facilè fortaſſe Veneti, qui quotannis in Alexandriam nauigant, ſeligere poſſent ab Indico: quod certò ſciam, multa aromatum genera præter Indica eò ex Aethiopia, ex felici Arabia per Carouanas (vt vocant) comportari. Porrò non ſolum in præſcriptis locis Rhabarbaricum prouenit, ſed etiam copioſiſſimum habetur in locis quibuſdam, magno Regi Chan, Cataij Domino, ſubiectis. Regionis (vt illi vocant) Succuir, ſi Perſis negociatoribus, qui illuc vadunt, eſt adhibenda fides. Dicunt enim prouinciam hanc adeò Rhabarbaro abundare, vt inde per vniuerſum deferatur orbem. Optimum naſci aiunt

Rhabarbari hiſtoria.

non lõgè ab huiuſce regionis Metropoli, , quæ SVCCVIR, quemadmodum plaga tota appellatur, quibuſdam in montibus, ipſiſq; eminentibus ac ſaxoſis, vbi plurimi ſcaturiunt fontes, & ſyluæ habentur diuerſarũ arborum generibus refertæ. Terram aiunt ibi eſſe rubram, lutoſamq;, tum propter pluuias multas, tum etiam propter fontium riuulos, qui locum irrigant, & madefaciunt. In his itaq; montibus Rhabarbarũ prouenit (vt illi narrãt) caule ab radice breui, ſed craſſo, haud ſpithama lõgiore, è quo circũquaq; folia copioſa proueniunt, binũ dodrantũ longitudine, ex anguſta origine in latũ deſinentia, & deorſum ſpectãtia, vt ex appicta hic imagine apparet. Serrata illi folia nõ ſunt, ſed lanugine quadã piloſa circũquaq; obducta. Hæc dũ adoleſcũt, viridia ſunt, atqui cõſeneſcẽtia lutea fiunt, & in humũ concidunt: è medio foliorũ ſtipatu cauliculus ſurgens

*germẽ ex craßiori caule prodit, in cuius ſummitate flores exeũt purpureis violis haud valde diſsimiles, colore cæruleo ſubalbicãte, odore acuto ſimul & graui, adeò, vt olfactu diſpliceat. Radices bipalmarẽ longitudinẽ ſuperãt, colore exterius ex rufo nigricante, verùm non omnibus plantis æqualis habetur radicis craßitudo. Nã aliæ craßiores, aliæ tenuiores, vt in cæteris etiam plantis plerunq; fit. Veruntamen, quæ ad ſummam craßitudinem adoleuerunt, humani cruris molem æquare ſolent: fibris vbique radix referta eſt, quibus in humum defixis, alimentum capeßit. Interna pulpa aureo colore nitet, rubris quamplurimis intercurſantibus venis. Succo madet copioſo tum croceo, tum purpureo, qui ſuo lentore facilè manus implicat, & colore inficit, dum radices repurgantur, & ſecantur in partes: nam ſimulac fuerint effoſſæ, rizotomi eas repurgant, & ſecant. Cæterùm haud ſtatim à ſectione traiectas filo ſuſpendunt, ne ſuccus guttatim ſtillans deperdatur. Quare ſeriatim particulas ſuper aſſeribus collocant, vertuntq;, ac inuertunt, quotidie pluries: hoc enim modo incraſſatus ſuccus non deperditur, ſed in ſua ſeruatur radice. Quatriduo deinde tranſacto, particulas funiculo traijciunt, & ſuſpendunt in vmbra, locis apertis, quò tamẽ ſolis radij accedere nequeant. Siccantur enim hoc modo ventorũ flatibus, in libero aere, duorũ menſium ſpatio, & deinde negotiatoribus venduntur. Effodiuntur radices ineunte vere, in ipſa prima foliorum germinatione. Vbi autem æſtate radices erutæ fuerint, folioſa exiſtente planta, tanquam euanidæ croceo illo ſucco carent, quo fit, vt viribus infirmiores habeantur. Recentes veneunt vili admodum pretio: ſiquidem plenus currus tribus, aut quatuor argenti drachmis emitur. Quamobrem, niſi plurimi accederent negotiatores, qui Rhabarbarum peterent, illud haud vnquam incolæ effoderent in proprium medicamentorum vſum. Sunt qui putent nuſquam, præterquam in hac regione, naſci Rhabarbarum, quòd Indi, & qui Chinam inhabitant Regionem, eò illud emptum accedant. Sed an id verum ſit, cur comprobem non habeo, præſertim cum Rhabarbarum, quod Alexandriam Aegypti comportatur, non ſolùm ex India, ſed ex Aethiopia, & alia fortaſſe Aphricæ plaga deferatur. Cæterùm ijs in locis, qui circa Cataium ſunt, haud vnquam Rhabarbaro in medicamentis vtuntur, ſed tantùm ad ſua ſuffienda Idola, ſuis thymiamatis admiſcent. Recens adeò amarum eſſe aiunt, vt vix deguſtari poßit. Cæterùm antequàm de Rhabarbari viribus agamus, illud in primis ignorandum non eſt, quòd falſa, ac vana ſit vulgarium, & aliorum quorumlibet opinio, qui ſibi firmiter perſuadent, Rhabarbarum violentum admodum eſſe medicamentum, & quòd propterea à medicis non exhibeatur, niſi in deploratis ferè morborum affectibus. Siquidem (vt inferius clariſsimè patebit) illud haud dubiè tutò & pueris, & vtero gerentibus mulieribus omni tempore, & ætate exhiberi poteſt. Atqui in eiuſmodi hominum mentibus inualuit hæc inanis opinio: quoniam elapſis temporibus tanta Barbaricæ huius radicis extitit penuria (æquali enim cum auro pondere vendebatur) vt ad pretij magnitudinem euitandam, eam tunc non dediſſent medici, niſi vbi morbos vel mortis periculo, vel diuturnis languoribus non vacare, certis ſignis conieciſſent. Quo factum ſuit, vt paßim hac reprobanda opinione ducerentur homines ad credendum, quòd in morbis curandis valentißimum, imo violentißimum omnium medicamentorum eſſet Rhabarbarum.*

*Opinio falſa eorum qui Rhabarbarũ violẽtum dicunt.*

*Huius vires cæteris diligentius, latiusq; deſcripſit Meſues ſic inquiens: Rhabarbarum innocens, clemens, & excellens eſt medicamentum, multas dotes medicamento purgante maximè expetitas complexum. Præcellit in omni genere Indicum, quod recens ſit, colore ſubnigro rufeſcente, ponderoſum, quamuis ſua ſubſtantia rarum, & quòd cum frangitur, rufo, & glauco colore alternante ſpectatur: item quod manſum croceo inficit colore.*

*Rhabarbari vires ex Meſ.*

*Adulteratur autem, quod omnino te animaduertere cautius oportet, hoc modo. Accipiunt impoſtores Rhabarbari multum, totumq; aqua macerant quinque diebus, exemptum deinde ſiccant, ſubtractaq; vi, & quaſi anima vendunt. Aquam verò, qua maduit, igne, vel ſole ſimiliter ſiccant, & in paſtillos conformant ad regales vſus. Fraus cognoſcitur, quòd ſyncerum non vehementer adſtringat, ſubſtantia rarius ſit, & colore croceo inficiat. Adulteratum verò contrà ſe habet. Nam coloris interni varietatem amiſit, & ſubnigricat.*

*Adulteratum Rhabarbarũ noſcendum.*

*Calefacit, ac ſiccat ſecundo ordine, etſi nonnulli primo tantùm dicant. Conſtat tum aqueis, tum terreis qualitatibus, quæ adſtringentem ei facultatem tribuunt, & eius ſubſtantiam conſeruant. Eſt & aereis raritatem ſubſtantiæ conferentibus particeps. Nec igneis quidem expers eſt, a quibus amaritudinem, concurrẽtibus etiam terreis qualitatibus, acquirit. Ac ipſa terreſtris qualitas in imo deliteſcit: ignea verò in ſublime fertur: quo fit, vt eius diuidantur qualitates cùm aqua, aut vino perfunditur. Operatur autem in obſtructionum affectibus igneis tantùm facultatibus: terreis verò, vbi adſtrictione ſit opus. Omni penitus noxa vacat, daturq; omni tempore, & ætate, adeò vt pueris ætate tenellis, & prægnantibus facilè exhiberi poßit. Auget Rhabarbari vires caprinum ſerum, vel ſi maceretur intubi, vel apij, aut plantaginis decocto. Nulli memoriæ excidat quin ſemper Indicæ nardi tantillum ipſi commiſceatur, cùm maximopere conferat. Addendum etiam ſemper erit vini albi odorati modicum, præſertimq; vbi ad obſtructiones reſerandas paratur: illud præterea memoriæ retinendum eſt, quòd ſcilicet in adulterato nulla deiectoria reperitur facultas.*

*Vires Rhabar. vt augendæ.*

*Synceri macerati expreßio probè conuenit, vbi tantùm abſterſione, ac infarctus liberatione ſit opus. Quòd ſi poſt haſce functiones, viſcera adſtrictione roborante eguerint, ipſum quidem in puluerem contritum exhibendum fuerit. At illud quod igne torreſcit, vehementer operatur, ac vehementius comburitur. Purum, ſelectum, ac ſubſtantia compactum, abſque iactura in tenuem puluerem conteri poteſt. Rarum verò, ac laxum minimè, quoniam ex vehementi, ac longiori contritione facilè euaneſcit, ac deperditur. Reſoluitur item eius vis, cùm aqua, vel vino decoquitur. Deijcit Rhabarbarum non modò bilem, ſed etiam pituitam ipſam. Eiq; propria facultas ineſt cùm abſtergendi, tum etiam roborandi tam ventriculum, quàm iecur, & eorum compũctiones amouendi. Clarificat Rhabarbarum ſanguinem, obſtructiones aperit, ac omnes pariter affectus ſanat, quos generant obſtructiones: nempe aquam intercutem, regium morbum, lienis craßitiem, ac diuturnas febres. Sanguinem reijcientibus, ac eius à qualibet parte manationibus, qualitate ac facultate ſubſtantiæ prodeſt. Datur etiam ab alto deuolutis, ruptis, & tam internè, quàm externè fractis maximo iuuamento, præſertimq; ſi vino auſtero drachmæ pondere commiſceatur, addito ſyncera mumiæ momento, ac etiam erythrodani radicis tantundem. Singultientibus opitulatur, dyſenteriam cohibet, præſertim quod igne ſit torrefactum, addito tamen adſtringente vino, & plantaginis ſucco. Vindicatur à carie, & teredine annis tribus, vel quatuor. Verùm ſi cera oblinatur, vel in melle reponatur, vel pſyllij ſemine, vel milio ſepeliatur, diutius integrum, & ſyncerum ſeruari poterit. Eſt & aliud Rhabarbarum, imò potius pſeudo Rhabarbarum, quod quidam Monachorum Rhabarbarum vocant. Verùm huic genuini Rhabarbari vires non ſunt.*

*Pſeudorhabarbarum.*

*Eſt enim (vt mea fert opinio) genuinum Dioſc. Hippolapathum, vt ſuperius ſuo loco latius explicauimus. Non deſunt tamen qui huius decoctum, aut dilutum ad exoluendum aluum propinent, ſed quo id fiat ſucceſſu ipſi dicant. Præſtat tamen radix contrita ex vino albo meraco pota ad expediendos obſtructos renes, & ad calculum pellendum: quin etiam diebus quadraginta pota contra canis rabidi morſum, ac etiam ſimul vulneri illita. Radix, quæ ῥᾶ, & ῥῆον Græcis: Raponticum Latinis appellatur: Arabibus, Raued, ſeu Rauend: Italis, Rhapontico. At Rhabarbarum, Italis Reobarbaro.*

*Nomina.*

Rha ſiue Rheum antiquorum, quod Rhaponticum Latini vocant, ex Rumicis ſeu Lapathi genere eſſe volunt, eò quod Heſiodi commentator Lapathi radicem Rheum appellari ſcribat. Cum quo aliqui

idem ſtatuunt ipſum Rhabarbarum, ſecuti Arabes: vt qui Rhapontico vim purgatricem tribuant, quæ & Rhabarbaro ineſt: hoc ſi ſit, tum officinarum Rhaponticum, tanquam facultate hac carens, adulterinum erit: quare non deſunt, qui Centaurij maioris radicem, quæ craſſior, multoq; maior eſt, pro Rhapontico, quæ minor & tenuior, exhibeāt. Sic Cordus Rhabarbarum noſtrum idem genere cum Dioſcoridis Rhapontico voluit, quod tantúm loco differat. Alij verò Rhabarbarum à Rhapontico diuerſum ſtatuunt: & ſanè videtur Dioſcorides ſuo Rha non Rhabarbarum officinarum, cuius Meſues meminit, ſed Rhaponticam, cuius iconem adiecimus, intelligere. Aſt de his in hiſtoria. I. Rhaponticum folio Helenij incano, C.B. Rha, Rhecoma, & Rhacoma Plinij, Dodo.gal. Rhaponticum (nil aliud quàm Rhabarbari ſpecies) Lacu. Caſt. Rha, Dodo.fol. Rha capitatum folio Enulæ centaurei maioris facie, Lob. Rha capitatum Helenij folio, Lugd. Rheum antiquis appellatum, ex Lapathi genere videtur, Cæſal. Rhaponticum quartum, Taber. II. Rha & Rheum Dioſcoridis, C. B. Ponticum Rha antiquorum, Aduer. Rhaponticum antiquorum, Lob.icon. Rhaponticum verum officinarum Taber. III. Rhabarbarum à Matthiolo pictum quem imitatus eſt Tabernæmontanus, hactenus non vidimus: meminit & Alpinus libro de plantis Ægyptiacis, Rhabarbari quod folijs ſit Rumicis latioribus, craſſioribus, lanugine alba obſitis. IV. Adiecimus figurā radicis cuius vſus eſt, quod Rhabar. nomine Lob. in icon. ſuis & ſub Rhabarbaro 3. Tab. propoſuit.

## Γεντιανή. GENTIANA. CAP. III.

GEntianæ inuentio prima aſsignatur Gentio Illyriorum regi, à quo cognomentum habuit. Folijs partim proximè radicem, iuglandi, plantaginiue ſimilibus, ſubrubris: partim á medio caule, & præſertim iuxta cacumen, paulum diſſectis, caule cauo, & læui, digiti craſsitudine, geniculato, & ex interuallis maioribus foliato, binûm cubitorum altitudine: ſemine in calicibus lato, leui, glumoſo, ſatis ad ſphondilij ſemē accedente: radice longę ariſtolochiæ, longa, craſſa, amara. Naſcitur in ſublimibus montiu iugis, vmbroſis locis, aquoſiſq;. Vis radicis excalfactoria, & adſtringens: cōtra morſus ſerpentium, duabus drachmis, cum pipere, ruta, & vino pota auxiliatur. Extracti ſucci drachma, laterum doloribus, & ex ſublimi deturbatis, ruptis, & conuulſis prodeſt: hepaticis, & ſtomachicis, pota cū aqua ſubuenit radix collyrij modo ſubdita, partus eijcit: impoſita, vt lycium: vulneraria eſt, & vlcerum cuniculatim depaſcentium medela. Succus præcipuè eodem effectu prodeſt: oculis inflammatione laborantibus illinitur: pro meconio collyrijs acribus immiſcetur. Radix vitiliginem abſterget. Succi extrahendi ratio hæc eſt. Contuſa radix quinq; diebus aqua maceratur: poſtea in eadem tantiſper decoquitur, dum extent radices: & vbi refrixit aqua, linteo excolatur: mox diſcoquitur, dum mellis craſſitudo fiat, fictiliq; reconditur.

I. GENTIANA MAIOR.



II. *GENTIANA MAIOR, Purpurea.*



Gentianę cō-ſideratio. *GEntiana planta eſt vulgaris notitiæ, trium eſt generum: maior, minor, minima. Maior frequentiſsima excelſis Tridentinis montibus prouenit, præſertimq́; in Ananijs, eorundem montium pratis ac paſcuis, in quorum cacuminibus ſæpius eius effodi radices brachiali craßitudine, & bicubitali longitudine. Hanc a Gentio Illyriorum rege inuentam, vnde illi nomē, non modò Dioſc. ſed aliorū etiam veterū monumenta teſtantur. Plinio li. 25. ca. 7. ea eſt omniū præſtantiſsima, quæ in* Gentianę vi-res ex Gal. *Illyrico naſcitur, vbi fortaſſe primùm inuēta eſt. Gentianæ vires paucis admodū perſtrinxit Gal. li. 6. ſimpl. medic. ſic inquiens: Herba Gentianæ radix valde efficax eſt, vbi extenuatione, purgatione, abſterſione, obſtructionum liberatione opus ſit: nec mirum,*

III. GENTIANA MINOR.



IV. GENTIANA MINIMA.



*miriū, ſi hæc poßit, cùm impenſè ſit amara. Hæc (vt Auicenna ait) excalfacit ordine tertio, ſiccatq́; ſecundo: Vrinam, & men-* Aquæ gētianæ facultas Matthiolo.
*ſes ciet, & aduerſus ſcorpionum ictus cæteris antidotis præſtat. Eius aqua, præſertim quæ vaſe duplici balnei vapore vitreis*
*organis elicitur, febres (vt ego ſæpius expertus ſum) ab infarctu tum viſcerum, tum vaſorum excitatas, mirificè pellit. Alui*
*tineas necat, maculasq́; in facie qualeſcunque detergit, ſi ea frequentius maculæ abluantur. Eſt prætereà quædam vulgaris*
*etiam planta, aliquibus* CRVCIATA *dicta, quæ non paruam cum Gentiana cognationem habere videtur: quandoquidem* Cruciatæ cōſideratio.
*& notis, & facultatibus illi plurimùm reſpondeat. Vnde eos non longè aberrare crediderim, qui hanc Gentianam mino-*
*rem appellauerint. Hæc in incultis præcipuè locis naſcitur, ſecus itinera in montibus, caule rotundo, dodrantali, ac et-*
*iam maiore, in cacumine ruſeſcente, paribus ferè interuallis ab imo ad ſummum geniculis interſecto: è quorum*
*ſingulis alis bina prodeunt folia ſubpinguia, longa, vulgaris dictæ Saponariæ æmula, & Gentianæ foliolis in ſum-*
*mitate erumpentibus ſimilia. Flores, qui purpureo colore nitent, in ſummo circum caulem in orbem exeunt. Radix illi al-*
*ba, longa, amariſsimo guſtu, locis pluribus ab vtroque latere crucis inſtar perforata: vnde illi Cruciatæ nomen indiderunt.*
*Sunt etiam in hoc genere duæ aliæ plantæ: ſed minor radicibus prouenit numeroſis, tenuibus, albicantibus, perquam ama-*
*ris, caulibus lentis, humi plerunq́; accubantibus: floribus ex cæruleo purpuraſcentibus, cruciatæ maioribus: & prædictæ radi-*
*ces recentioribus magnis laudibus efferuntur contra peſtilentiam, & venenoſorum animalium ictus in antidotis addita.*
*Cæterum ego quidem illud experientia compertum habeo, quòd radice tuſa, & ventri emplaſtri modo impoſita, vermes te-*
*retes qui in inteſtinis fuerint, proculdubio necantur: & vlceratæ ſtrumæ ſanantur, ſi ijs eodē modo contuſa, quæ nuper effoſ-* Cruciatæ vires Matth.
*ſa ſit, vel ſicca, & in puluerem contrita adhibeatur: cum melle autem illitus, cutis vitia quæcunq́;, & maculas abſtergit. In*
*ſumma non deſunt, qui aſſerant, has ea omnia præſtare poſſe, quæ Gentiana, quod ex prædictis facilè probari poteſt. Ana-*
*nienſa rura hoc genus vltimum vulgò vocant* PETTIMBORSA. *Ex quo quis conijciat, ſi lubet, hanc illis indigenis, corru-*
*pta Italica voce Metti in borſa, ideo Pettimborſa nominari, quòd tot viribus commendetur, vt perinde ac gemma, crume-* Pettimborſa. Metti in borſa.
*nis aſſeruari mereatur: aut quòd tantùm viribus excellat, vt medici ea vtentes ingentem argenti, & auri copiam crumenis*
*ſint repoſituri. Naſcitur in collibus, locis incultis, & in campeſtribus.* Γεντιανὴ *planta ſic Græcis, Gentiana ſimiliter Lati-*
*nis vocatur: Mauritanis, Gentiana, Genthiana baſilica, ſeu Baſateca: Italis Gentiana: Germanis,* Entzianwurtz: *Hiſpanis,*
*Gentiana: Gallis, Gentiane, Bohemis Horec: Polonis Gonyczka. Gentiana minor, Græcis* Γεντιανὴ μικρὰ *ſiue* σταυρότιπος:
*Italis Gentiana minore: Officinis, Cruciata, Germanis,* Creutzwurtz. Sperenſtich/oder Madelgeer. *Gentiana minima, I-* Nomina.
*talis Gentianella & Pettimborſa, Germanis* Lungenblum.

Gentiana duplex eſt, alia radice perenni, alia fugaci: vtraq; plures differentias obtinet. Illa licet ſingulis
annis flores ſeminaq; proferat, non tamen interit, ſed ſubſequenti anno ex eadem radice germina pro-
trudit: hæc verò ſemine diſperſo hyeme interit, & ex ſemine renaſcitur. Etſi octodecim differentias nota-
uerimus, hic tamē de quinq; differentijs erit ſermo. I. Gentiana maior lutea. C.B. Gentiana, Brunf. Cor. in
Dioſc. & hiſt. Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lac. Lonic. Cæſal. Lugd. Gentiana maior, Matth. Geſ. hor. app.
Lob. Caſt. Gentiana maior flore luteo, Cam. Gentianæ prima ſpecies: Trago. Aloë gallica, Apuleio. Hæc
communiter flore eſt luteo: eſt & pallido punctis diſtincto: ſic & cæruleo flore. II. Gentiana maior purpu-
rea, C.B. Ex radice duos pedes longa, aliquando brachiali craſsitudine, in ſummo diuiſa caules, aliquando
terni, quaterni, quini, & etiam ſeni prodeunt, quos cingunt folia vulgaribus æmula, ſed acuminatiora,
flores gerit puniceos ſeu purpureos, rarius albos: in reliquis cum priori conuenit, vt & loco natali: vehe-
mentius tamen priore purgare creditur. Dicitur Gentiana punicea, Geſ. in Fracto. Gentiana maior flore
purpureo & prima, Cluſ. hiſt. Pann. Gentiana purpureis floribus, Lob. in obſ. Gentiana maior alia, Cam.

ad Matth. III. Gentiana cruciata, C.B. & Geſ.hor. Herba fullonum, Brunf. Cruciata, Trag. Fuch. (cui & Gentianæ ſpecies) Geſ.hor. Dod.gal. (cui & Chiliodynamis) & fol. Lac. Lon. Lug. Gentiana minor, Matt. Caſt. Lob. Taber. Gentiana tertia, Cluſ.hiſt. Pann. Gentiana media, Cam. Cruciata Gentianella, Th.i. Vincetoxicum alterum, Cæſalp. Variat hæc quód altera ſit procumbens & minor: altera erecta & maior: flores alterius magis cærulei: & illarum altera radicibus non perforatis, ita vt tres huius differentias conſtituere liceat. Subiungit huic Matthiolus duas adhuc ſpecies: maiorem & minorem, illam pingit, hãc v. deſcribit, vtraque eodem tempore reperitur, maior quidem in humidis pratis, at minor in ericetis & montoſis locis. IV. Gentiana paluſtris, C.B. Gentiana minima, Matth. Caſt. quoad deſcriptionem, non iconem. Calathiana viola in pratis vdis, Dod.gal. Calathiana viola autumnalis prima, Geſ. hor. Viola Calathiana ſecunda, Thal. Cruciata ſiue Gentiana minima Lugd. Campanula pratenſis eidem. Gentiana angustifolia vel quarta, Cluſ.hiſt. Pann. Pneumonanthe humentibus ericetis prouenıens, Lob. Pneumonanthe, Taber. Hæc variat colore floris cæruleo, violaceo, purpureo. V. Gentiana anguſtifolia autumnalis, C.B. Gentiana minor, Matt. quoad deſcriptionem. Pneumonanthe, Cord. in hiſt. quoad deſcriptioné, Lob. Pulmonis floſculi, Geſ.hort. Calathiana viola autumnalis minor, Geſ. hort. Calathiana viola, Dod. in 8. Lug. Viola Calathiana ſiue autumnalis, Thal. Campanula autumnalis, Dodonæo folio. Gentiana anguſtifolia ſecunda, Cluſ.hiſt. Pann. Flore eſt cæruleo dilutiore: eſt & nigro, rarius albo.

## Ἀριστολόχια. ARISTOLOCHIA. CAP. IV.

ARiſtolochia nomen ex eo ſibi adoptauit, quòd exiſtimetur optime puerperis opitulari. Tria eius genera traduntur. Rotunda, quæ fœmina vocatur, folijs hederaceis, præſtanti odore cum acrimonia, mollibus, ſubrotundis, multis ab vna radice germinibus, prælongisq; palmitibus: floribus candidis, pilei ſimilitudine, in quibus quod rubrum eſt, grauiter olet. Longa maſcula appellatur, nonnullis dactylitis: longiora quàm rotunda folio: tenuibus ramulis, dodrantalibus: flore purpureo, grauiter olente, qui marceſcens in pyri ſimilitudinem turbinatur. Radix rotundæ in orbem conglobata, rapi modo: longæ verò digiti craſsitudinem, & dodrantis longitudinem implet, nonnunquam paulò maiorem. a Ambæ colore intus buxeo, guſtu amaro, & graui. Eſt etiamnũ tertia longa, quæ Clematitis vocatur, ramulos habens tenues, refertos folijs ſubrotundis, minori ſemperuiuo ſimilibus: flores rutæ: radices b longiores, tenues, craſſo cortice, odoratoq; veſtitas, priuatim vnguentorum ſpiſſamentis conuenientes. Rotunda cæteris venenis reſiſtit. Longa verò aduerſus angues, & venena, drachmæ pondere ex vino bibitur, & illinitur. Pota cum pipere, & myrrha menſes, partus, & omnia vuluarum onera eijcit: eadem efficit ſubdita in peſſo. Rotunda ad eadem pollet: inſuper ſingultibus, ſuſpirijs, horroribus, lieni, conuulſis, laterum doloribus, pota cum aqua, ſingulariter auxiliatur. Aculeos & ſpicula extrahit: oſsium ſquamas illitu adimit: vlcera putrida exeſt, & ſordida expurgat: caua cum iri, & melle explet: gingiuas, & dentes extergit. Clematitis ad eadem pollere creditur: viribus tamen inferior eſt.

a Cat. & Meũ ἀμφότερα δὲ τὰ πολλὰ πυξοειδῆς ἔνδοθεν. i. ambæ autẽ plerunq; buxeo intus ſunt colore.

b Orib. μακροτάτας. i. longiſsimas.

I. ARISTOLOCHIA LONGA.



II. *ARISTOLOCHIA longa vera.*



Ariſtolochiæ conſid.

A*Riſtolochiæ, quam officinæ Ariſtologiam vocant, tria ſtatuuntur genera, nempe rotunda, longa, & clematitis. Hæc rara admodum, & paucis nota: illa verò omnibus ferè rei herbariæ ſtudioſis notiſſima. Quæ rotunda vocatur, etſi non vbiq; in Italia proueniat, tamẽ in Apulia mõte Gargano & agro Goritienſi plurima, pulcherrimaq; naſcitur præſtãti odore.*

Longa

*Longa vera prouenit in Italia: ſed tantum in Apulia & Calabria. Vtraque flores edit in toto ferè caule, oblongos, & ex paruo capitulo in auriculæ modum deſinentes, graueolentes, ſubluteo colore, & internè quadantenus ex atro purpuraſcentes, e quibus oriuntur fructus, qui in longa pyri imaginem referunt, ſuntq; iuglandibus longè maiores: in rotunda verò rotundiores, pauloq; minores ſpectãtur. Qua in re nõ potui non maximè Pliniũ admirari, quòd lib. 25. c. 8. vtrãq; ferre baccu las paruas veluti cappares tradiderit, niſi quis illud dixerit quòd Plinio cõtigerit Ariſtolochiæ vtriuſq; fructus vidiſſe, priuſquã ad ſummũ adoleuiſſent. Sed certè is eodẽ in loco excuſari, meo iudicio, nõ poteſt, quin manifeſtè hallucinatus, & Græci ſermonis non admodum peritus deprehendatur, cùm Ariſtolochiæ nomen dediſſe grauidas tradat. Quandoquidem non ab vtero gerentibus mulieribus, ſed à puerperis Ariſtolochia (vt Dioſcorides ſcribit) id nominis ſibi comparauit. Cuius rei non modo indicium præbet nomen ipſum ἀριςολοχία, quod nil aliud denotat, quàm optima puerperis, non (vt Plinius inquit) grauidis: ſed etiam ipſius facultas, quæ ad remorantes à partu ſecundas, menſeſq; ciendos magnopere commendatur.*

Plinij, & Leoniceni lapſus.

*Quapropter fuerit hæc prægnantibus proculdubio exitiale potius, quàm ſalubre medicamentum, cùm ea ſanè omnia, quæ ſecundas, & menſes educunt, fœtum etiam trahant, & quandoque interficiant, præſertim cùm fuerint amara Ariſtolochiæ modo. Nec minus præterea Leonicenum virum alioqui noſtræ ætatis doctiſſimum, ſatis admirari poſſum, quòd dum nimio fortaſſe aliorum errata corrigendi ſtudio, vel auiditate ductus, de cyclamino, & Ariſtolochys Plinium accuſat, in eandem, in quã Plinius foueam ceciderit, aſſerens cum Plinio Ariſtolochiam à prægnantibus ſibi nomen adinueniſſe. Quod ne ſine auctore pronunciaſſe videretur, Dioſcoridem quidem adducit, ſed eius hiſtoriam, quantum equidem ſentio, corrumpit, ac peruertit.*

Leonicenus arguitur circa nomen Ariſtol.

Opinio quorundã reprobata.

*Sunt è recentioribus Cordus, Adamus Lonicerus, & monachi illi, qui in Meſuem commentaria edidere, qui ſibi certò perſuadent, eam eſſe Dioſcoridi Ariſtolochiam clematitim, quæ officinis omnibus paſſim longa cognominatur: argumento, quòd hæc radices proferat admodum longas: & ſarmentorum modo prætenues. Quin & vt ſuam tueantur, ac magis roborent ſententiam, hoc in loco Dioſcoridis codicem omnino deprauatum eſſe contendunt: & vbi vulgata lectio habet, κλωνία ἔχωσα λεπτὰ, φύλλοις ὑποςρογγύλοις, ἀειζώῳ μικρῷ ἐοικόσι, hoc eſt ad verbum, ramulos habens tenues, folijs ſubrotundis, ſemperviuo paruo ſimilibus: non ἀειζώου μικροῦ, ſed ἀσάρου μικροῦ, quòd aſaro paruo ſimilia ſint folia, legendum eſſe cenſent. Horum ſanè ſententiam nunquam probare potui, neque probandam arbitror, pluribus cùm rationibus, tum auctoritatibus adductus: quandoquidem Oribaſij lectio aliter non habet, quàm communis hæc Dioſcoridis, nec aliter legunt Serapio, & Auicenna. Id quod manifeſtè oſtendit, hoc in loco Dioſcoridi nullam ſubeſſe mendam. Adde, quòd cùm vnum tantum Dioſcoridi ſit aſarum, nec minori aſari is vſquam, quod legatur, meminerit, abſurdum ſanè videretur, quòd minori aſaro Ariſtolochiam clematitim comparaſſet. Accedit & alia ratio, quòd cùm vulgaris Ariſtolochia longa ratæ flores non edat, & folia Aſari longè maiora, clematitis eſſe non poteſt. Præterea ſi Dioſcoridis lectionem accuratius perpendamus, nil aliud eſſe videtur longa officinarum, quàm longa Dioſcoridis: aut fortaſſe eius ſpecies, cuius nulla, quod extet, ab antiquis facta ſit mentio. Quippe quòd proferat hæc folia longiora, latioraq; quàm rotunda: ramulos dodrantales: florem grauiter olentem, qui fructum edat pyri modò turbinatum. Nam quòd fructum ferat clematitis non ſcribit Dioſcorides: nec folia longa, lataq; vulgaris habet Ariſtolochia, ſed ſubrotunda, & minori ſemperuiuo ſimilia. At ſi contra dixerit quiſpiam, longam vulgarem Dioſcoridis longam non eſſe, quoniam flos illi purpureus non ſit, ſed melinus, & radix non palmaris, nec digiti craſſitudine, ſed longior admodum, & longè tenuior. Huic facilè reſponderi poterit, id locorum regionumq; varietate euenire poſſe, & quòd natura cum florum coloribus in quàmplurimis ludat: quòdq; vidimus etiam nos Ariſtolochiæ longæ plantam à Calabris allatam, radice (vt in theriacis ſcribit Nicander) cubitali longitudine, pollicari craſſitudine: cui folia erant, quæ à noſtrate longa nullo diſcrimine differebant. At hæc Clamatidis radix Dioſcoridi, & Plinio craſſo contegitur*

III. ARISTOLOCHIA longa.



*IV. ARISTO. PISTOlochia.*



cortice: quod tamen in longa officinarum, noſtrateq́; non viſitur, cùm tenui cortice perpetuò veſtiatur, odore potius graui quàm odorato. Quamobrem inclinare nunquam potuit animus, vt crederem, Ariſtolochiam longam, cuius hic effigiem ap-

Piſtolochia.

pinximus, eſſe clematitim. Sed potius eo deductus ſum, vt ſuſpicarer hanc fortaſſe eſſe Piſtolochiam ſic Plinio vocatam, quod & ipſa puerperis commendetur. Nam præterquàm quòd hæc illi quarto Ariſtolochiæ generi aſſignetur, tenuior eſt, quam clematitis, denſis radicis capillamentis, iunci plenioris craſſitudine. Illud mihi ſuſpicionem auxit, quòd viderim etiam præter hanc aliam, quæ radice palmari, & craſſitudine digitali conſtabat: ſed in omnibus alijs partibus alteri adeò perſimilis, vt nullam inter eas intercedere differentiam compererim. Sunt præterea recentiorum quidam rei herbariæ & ſtudioſi, &

Alia opinio refutata.

periti, quibus perſuaſum eſt, non tamen ſine aliqua ratione, quòd Ariſtolochiæ longæ præter clematitim duo habeãtur genera: quarum altera ſit radice (vt Dioſcorides inquit) digiti craſſitudine, & dodrantis longitudine: altera verò tenui ac longiore, quæ (vt aiunt) ab Andromacho & Gal. lib. I. de antidotis ἀριστολοχία λεπτὴ, hoc eſt Ariſtolochia tenuis appellatur: quin & hanc affirmant eam longam eſſe, cuius hic imaginem exhibuimus, cuiusq́; paſſim eſt vſus. Quo fit, vt pro certo exiſtiment hanc eſſe eam Ariſtolochiam, quæ in Andromachi theriacam addi debeat, Andromachi iunioris, & Damocratis teſtimonio innixi, quòd ij in theriaces compoſitione huiuſce tenuis tantùm meminerint. Id quod (vt dicunt) præ ſe ferre videtur, alterum etiamnum ipſius Ariſtolochiæ longæ genus eſſe præter clematitim, radice conſtans tenuiore ac longiore. Hoc autem comprobatum fuiſſe putant à Galeno lib. ante citato, vbi docens quomodo nonnulla, quæ ab Andromacho ſeniore obſcurè tradita ſunt, explicari debeant, ita ſcribit: Si quid adhuc aliud ſupereſt, quod minus dilucide ſit ab Andromacho ſeniori elegiacis verſibus dictum, planum fiet theriacam legentibus ab eius folio ſoluta oratione deſcriptam. Quod enim ille Cecropium mel obſcurius appellat, id Atticum apertè nominat. Cẽtaurium ille nulla adhibita diſtinctione in carmine pro-

Ariſtolochia triplex Gal.

nunciat, hic verò in proſa tenue apponit, eò quòd aliud quoq; centaurium extet craſſum appellatum. Idem & in ariſtolochia fecit, cùm præter tenuem ariſtolochiam, alia quoq́; reperiatur, quæ craſſam radicem habeat, & rurſus tertia, quæ rotundam: hactenus Galenus. Quibus nimirum verbis illi credunt ſuam ſatis firmaſſe ſententiam. Sed ego quidem aliter ſen-

Ariſtolochia tenuis eſt clematitis.

tio, vt qui putem, Ariſtolochiam tenuem non aliud Andromacho & Galeno fuiſſe, quàm clematitim cognominatam. Etenim vt omittam, quòd Dioſcorides & Galenus non plura, quantum inuenerim, quàm tria Ariſtolochiæ genera commemorant, nempe rotundam, longam, & clematitim: clematitis priuatim à Dioſcoride Ariſtolochiæ longæ ſubſcribitur, & quodammodo eius ſpecies conſtituitur, ramulis tenuibus, radicibus etiam tenuibus ac longioribus. Vt hinc facilè nobis liceat conijcere, Andromachum & Galenum non aliud ſupradicto loco per tenuem Ariſtolochiam intellexiſſe, quam clematitim. Adde quòd ſi ad omnium qualitates, & facultates ſpectes, ſanè clematitis dignior eſt, quæ in theriacam recipiatur. Hæc enim radicem habet, Dioſcoride teſte, cortice odorato veſtitam, vnguentorum ſpiſſamentis conuenientem. Plinius deinde lib. 25. cap. 8. clematitim cæteris prætulit ijs verbis: Tertium longiſſimæ tenuitatis, vitis nouellæ, cui ſit præcipua vis, quæ clematitis vocatur, ab alijs Cretica. Et paulò poſt idem ait: Odor omnium medicatus, ſed oblonga radice tenuiorique gratior: hæc illę. Quibus vtiq; adſtipulari videtur etiam Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, vbi de Ariſtolochiarum viribus diſſeruit, vt infra patebit in earum commentatione. Quare non eſt, meo quidem iudicio, aſſerendum, quod Ariſtolochia

Ariſtolochia tenuis Galeni quartum genus non eſt.

λεπτὴ Andromacho & Galeno ſit aliquod quartum Ariſtolochiæ genus ita vocatum: quandoquidem λεπτὴ hic nullum facit per ſe genus: neq; ſolùm tenuem indicat, ſed etiam minorem: atq́; certè in longarum genere huiuſmodi eſt clematitis. Cæterùm ſi Ariſtolochia Græcis λεπτὴ nominata, eſſet aliud genus per ſe, neceſſariò ſtatuendum foret eſſe tertium quoque centaurij genus præter magnum & minus, quod peculiariter Græcis λεπτὸν vocatur. Sed hoc dupliciter falſum eſſe conuincitur. Primò quòd apud Dioſcoridem, Galenum, aliosq́; antiquiores, qui de plantarum hiſtoria ac viribus ſcripſerunt, nuſquam plura, quod equidem legerim, quàm duo centaurij genera ſcripta reperiantur, ſcilicet maius & minus. Secundo quod conſtet, Plinio lib. 25. cap. 6. centaurium cognomine leptum nullum per ſe genus eſſe, ſed ea appellatione illud tantùm centaurium deſcribi, quod à Dioſcoride & Galeno minus appellatur: quinetiam idem de huius cẽtaurij viribus ea omnia tradidit, quæ illi centaurio minori reddiderunt. Sed quid tot verbis opus erat, quibus noſtram tueremur, & aliorum refelleremus ſententiam? cùm huic difficultati ſatis ferè facere poſſint verba ipſius Dioſcoridis, quib. Ariſtolochiæ clematitidis radices expreſſit in hunc modum: ῥίζας μακροτέρας (μακροτάτας, quod eſt, longiſſimas legit Oribaſius) λεπτάς. id eſt, radices longiores, tenues. Vt vel ex his intelligi poſſit, haud abſurdum eſſe, quòd aliquis Ariſtolochiam clematitim etiam tenuem nominet, quemadmodum ab Andromacho ſeniori, & iuniori vocatam fuiſſe exiſtimamus. Ex his itaq; omnibus colligendum eſſe arbitror, quòd Ariſtolochia tenuis dicta ab Andromacho, non ſit genus diſtinctum ab alijs, ſed eadem cum clematitide & quod ſub Ariſtolochiæ tenuis nomine clematitim intellexerint Androma. & Gal.. Erit igitur, mea quidẽ ſentẽtia, Ariſtolochia clematitis, vtpote tenuior, odoratior, & præſtãtior, in theriaca compoſ. addẽda: non autẽ illa lõga, quã hic depictã dedimus. Quæ tamẽ à nobis, fortè rectius, Plinij Piſtolochia cẽſetur, vt ſupra dictũ eſt: aut certè aliud Ariſtolochiæ genus

Fuch. opinio reiecta in Piſtolochia.

veteribus incognitum. Veruntamen Fuchſi. ſuis de plan. hiſt. commentarijs, aliam plantam Piſtolochiã putat: quæ tamen (eius pace dixerim) à Plinij Piſtolochia prorſus abhorret. Eſt enim Piſtolochia Fuchſio mollis in vniuerſum planta, quæ vere primo vnà cum Chelidonio exoritur, & Maio, vel ad ſummum Iunio contabeſcit. Creſcit hæc tenellis, ſubalbidisq; folijs, coriandro, vel ranunculo primi generis proximis: radice tuberoſa, inferiori parte ſeſſili, ſuperiori verò monticuli inſtar elata, intus vbiq; concaua, nigro exterius cortice, buxea interius pulpa, odore Ariſtolochiæ, & guſtu amara. Quapropter Germanis hæc, quòd vera Ariſtolochia rotunda ſint deſtituti, eius vicem infeliciter explet. Non tamen ob id cenſendum eſt hãc eſſe Piſtolochiam, quæ à Plinio deſcribitur. Siquidẽ hæc illi tuberoſa, & inani radice non cõſtat: ſed clematitide tenuior eſt, denſis (vt dictum eſt) radicis capillamentis, iunci plenioris craſſitudine. Sed rectius, veriusq; quantum equidem ſentio, dici

Fumaria altera Plinij.

poſſet, hanc plantam eſſe Plinio fumariæ alterum genus, quod ab eo li. 25. ca. 13. ijs depingitur verbis: Alia eſt Capnos fruticoſa, prætenera, folijs coriandri, cineracei coloris, flore purpureo: naſcitur in hortis, & ſegetib. De hac etiã Aetium locutum fuiſſe exiſtimauerim lib. 10. cap. 11. in curatione obſtructi iecinoris, vbi chelidonij Capni meminit, eo quòd (vt diximus) vnà cum chelidonio primùm erumpat hirundinum aduentu, vt li. 4. latius diſſeremus, vbi cõſulto fumariæ hiſtoria tractabitur. Porrò quod huius plãtæ radix Ariſtolochiæ rotundæ vicẽ ſupplere poſſit, atq; in huius penuria illã vti liceat, adnotatũ reliquit Fuch in li. de cõpon. medic. quẽ nuper locupletatũ edidit, in theriaca diateſſarõ. Attamẽ ſi Gal. ſequi volumus, pro Ariſtolochia rotunda longã ſubſtituemus. Ariſtolochiæ genera memoriæ prodidit Gal. li. 6. ſimp. med. vbi eorũ vires explicauit ijs ver-

Ariſtolochiæ vires ex Gal.

bis: Ariſtolochiæ radix ad medicationes vtiliſſima eſt amara & ſubacris. Sed ex illis omniũ ſubtiliſſima eſt rotũda, ad omnia efficacior. Aliarũ verò duarũ, quæ Clematitis appellatur, fragrãtior eſt. Itaq; ea ad vnguẽta vtũtur vnguẽtarii: ſed ad ſanationes infirmior. At lõga minus quidẽ tenuitatis obtinet, quàm rotũda, ſed nec ipſa inefficax eſt: verũ abſtergẽdi, atq; excalfaciẽdi potentiã poſſidet, minus quidẽ quàm rotũda abſtergit, ac digerit, ſed nõ minus calfacit, imò forſan plus quoq;. Itaq; in quibus vſus eſt modicæ abſterſionis, cõmodior eſt longa, puta in carniũ exulcerationib. & fomẽtationib. vteri. At in quibus ad-

*craſſum humorem validius extenuare oportet, illic vſus eſt rotundæ. Proinde dolores ab infarctu, aut craßitie crudorum flatuum natos magis curat rotunda, & ſpicula extrahit, & putredines ſanat, & ſordida vlcera repurgat, ac dentes, gingiuasq; candidas efficit. Auxilio eſt & aſthmaticis, ſingultientibus, comitialibus, podagricis, ſi cum aqua bibatur: tum ruptis, & conuulſis, vt ſi quod aliud medicamentum, idonea eſt: hactenus Gal. Ariſtolochiæ vim purgatoriam ineſſe (quod tamen ſilentio præterierunt Dioſc. & Gal.) author eſt Meſues, qui ita ſcribit: Ariſtolochiæ radix pituitoſos per inferna ducit humores, atque etiam, vt nonnulli aſſerunt, bilioſos. Pulmonem, ac pectoris particulas ab humorum lentore, ac putredine efficaciter mundat: cuius rei indicium eſt, quòd aſthmaticis maximum adferat iuuamentum. Quæ Græcè ἀριςολοχία: Ariſtolochia quoque Latinè dicitur: Arabicè, Zaraund, Maſinocra, ſeu Zaraued: Italicè, Ariſtologia: Germanicè,* Oſterlucey: *Hiſpanicè, Aſtronomia: Gallicè, Foterlle, aut de la Saraſine: Bohemicè, Podrazec: Polonicè, Kokornak dl'ugij. Ariſtolochia longa. Græcis ἀριςολοχία ςρογγύλη: Italis, Ariſtologia longa.*

Vires ex Meſue.

Nomina.

Ariſtolochiam à muliere inuentam ſcripſiſſe Ariſt. Nicandri ſcholiaſtes tradit, ſiquidē partus dolorib. opituletur. Hæc rotunda eſt, longa, clematitis, & piſtolochia. I. Ariſtolochia rotunda flore ex purpureo nigro. C.B. Ariſtolochia rotūda, Matt. Dod.gal. (cui & fœmina) & fol. Cord. in Dioſc. Geſ.hor. Lob. Caſt. Cluſ.hiſt.Hiſp. Lugd. Ariſtol. rotunda vera, Trag. Lon. Cam. Ariſtol. prima, Cæſ. Ariſtol. fœmina ſiue rotūda, Lugd. Hæc flore eſt ex purpureo nigro: habetur & altera flore ex albo purpuraſcente, ſed & foliis & fructu à priori differens, cuius plures ſpecies inueniri auctor eſt Anguillara opin. duodecima. II. Ariſtol. longa vera, C.B. & Cam. Ariſtol. longa, Matth. quoad deſcriptionem, non iconē. Geſ.hor. Dod.gal. & fol. Cord. in Dioſc. Aduer. Lob. Cluſ.hiſt.Hiſp. Cam. in Matth. Lugd. Ariſtol. altera radice pollicis craſſitudine, Cæſ. Huius duas ſpecies Cluſ.hiſt.Hiſp. propoſuit. III. Ariſtol. clematitis prima, C.B. & Cluſ. hiſt. Hiſ. Ariſtol. Brūf. Ariſtol. longa, Trag. Matth. quoad icon. Fuch. Lon. Caſt. (cui & mas & dactylites) Lug. offic. Ariſtol. longa vulgaris vel maior, Cam. in Matth. Ariſtol. longa altera, quæ clematitis veteribus. Cord. in Dioſc. Ariſtol. clematitis, Dod.gal. Geſ.hor. Lob. Tab. Ariſtol. Sarracenica, Dod. fol. Lugd. Ariſtol. altera radice tenui, Cęſ. Hæc ex radice longiuſcula, mediocris craſſitudinis, flaua buxei coloris, odorata, amara, ſerpente & multipliciter ſeſe propagante, caules emittit cubitales & altiores, & nonnunquā rectè aſſurgentes, circa quos folia ampla, venoſa, hederæ aut aſari forma, lōgioribus pediculis quā in reliquis ſpeciebus donata: flores ſunt oblōgi cōcaui, vna parte prominentes, ſublutei, quib. ſuccedunt fructus turbinati pyrorū inſtar, qui ſemina triangularia lata mēbranis interſepta cōtinent. Paſſim in Germania, vt in vineis Alſatiæ, Belgio, nec nō & in Italia & alibi reperitur: in hortos ſemel tranſlata, vix extirpari poteſt, cum ex quantulacunq; radiculę parte germen emittat. Inſigniter amara & calida nō minus quàm lōga, cuius ſuccedaneū abſq; errore eſſe poteſt: & potentia reliquis ſimilis. Hæc quoq; duplex monente Cluſ. aliiſque. IV. Ariſtol. piſtolochia dicta, C.B. Hæc ex radicibus copioſis tenuibus, iunci plenioris craſſitudine, buxei coloris tā in obliquū quā rectū ſparſis, cauliculos emittit pedales, anguloſos, ſtriatos, ramoſos, quib. folia lata hederacea nigra, rugoſa, & aliquātulum in ambitu ſinuoſa, partim nullis, partim breuiſſimis petiolis annectuntur: flos rotundæ ſimilis, minor tamē & nigrior, interdū ex herbido luteus: fructus ſuccedūt rotūdis ſimiles, ac minores, qui dū maturuere ea parte qua pediculo adhærent, dehiſcunt, quibus ſemen fuſci incluſum. Prouenit ſpōte in Narbonenſis Galliæ oliuetis, & petroſis Hiſpanię. Excalfacit & ſiccat, minus tamen cæteris intenſè. Plinius cōmendat in conuulſis, cōtuſis ex alto præcipitatis, ſi radix ex aqua bibatur. Semen etiam in pleuriticis cōmendatur. Dicitur Plinio Piſtolochia, quā πολύῤῥιζον à numeroſis radicis capillamētis cognominari li.25.c.8. ſcribit. Piſtoloc. Dod.gal. & fol. Geſ.hor. Cluſ.hiſt.Hiſp. Cam. ad Matth. Lugd. Caſt. Ariſtolochia Polyrrhizon, Aduer. Lob. Ariſtol. altera quæ plures ſpargit radices. Cæſ.

## γλυκύῤῥιζα. DVLCIS RADIX. CAP. V.

DVlcis radix plurima gignitur in Cappadocia, & Ponto. Fruticoſa eſt, ramis binûm cubitorum altitudine aſſurgentibus: foliis lentiſci, denſis, pinguibus, tactuq; gummoſis: flore hyacinthi: fructu pilularum platani magnitudinis, aſperiore, qui ſiliquas lentium modo habet a rufas, & paruas: radicibus longis, vt gentianæ, b coloris buxei, ſubacerbis, & dulcibus: quæ denſantur in ſuccum, lycii exemplo. Is in arteriæ ſcabritia efficax habetur: verùm oportet, vt linguæ ſubditus eliqueſcat: c æſtuanti ſtomacho, thoraci, ac iocinori conuenit: ſanat veſicæ ſcabiem, & renum dolores, cum paſſo potus: idem eliquatus ſitim ſedat: vulneribus illitus accommodatur: commanducatus ſtomacho prodeſt. Recentis radicis decoctum ad eadem conuenit. Eiuſdem farina pterygiis commodiſſimè inſpargitur.

a Meum πυῤῥὰς μακρὰς. i. fuluas, lōgas.
b Ca. πυῤῥοειδῆς. i. fuluo colore.
c Meum add. μέσον ἢ θερμῆ ἢ ψυχρᾶ. i. medium autem inter caliditatem.

*DVlcis radix quam Græci Glycyrrhizam, & officinæ Græcum nomen corrumpentes, vel potius Barbaros ſecutæ, Liquiritiam vocant, & Hetruſci vulgo Regolitia, planta eſt paucis non cognita. Sed reuera duûm eſt generum. Namque altera frugifera eſt, altera ſterilis. Abundat hac Apulia, præſertim Gargano monte, vnde quotannis ſuccus in paſtillos condenſatus ad nos conuehitur, & radicum quàm plurimum. Viſitur etiamnum in viridariis pluribus locis in Italia, non modo ad ſpectaculum ſata: ſed & ad medicamentorum vſum. Siquidem radix recenter effoſſa, ſicca longè magis præſtat & efficacior in medicamentis habetur. Cæterùm frugifera, quam hic deſcribit Dioſcorides, copioſa in Germania naſcitur in Bambergico agro, non longè à Norimberga, ac etiam (vt audio) nonnullis aliis quibuſdam locis. Hæc itaq; fructum profert (vt Dioſcorides inquit) pilularum platani magnitudine, & quandoque maiorem, aſperioremq;, hirſutum, valuulis lentium modo puſillis vbique ſtipatum ipſiſq; hirſutis, & tenuibus obductis aculeis, colore in atrum flaueſcente. Hāc primùm ad me miſit Ioannes Heſſus, Medicus Norimbergenſis, vir quidem rei plantariæ haud imperitus: nam antea nuſquam à me viſa eſt. Sed non poſſum non valde admirari Plinium, quòd Glycyrrhizam inter aculeatas numerauerit plantas lib. 22. c. 9. ſic inquiens: Glycyrrhiza ſine dubio inter aculeatas eſt, foliis echinatis, pinguibus, tactuq; gummoſis. Et libro 21. cap. 15. dum catalogo quodam aculeatas commemorat ſtirpes: Spinoſarum, inquit, multæ ſpecies. In totum ſpinoſa eſt aſparagus, ſcorpio, nullum enim folium habet. Quædam ſpinoſa foliata, vt carduus, eryngion, glycyrrhiza, & vrtica. Iis enim omnibus foliis ineſt aculeata mordacitas: hæc ille. Quo fit, vt ſine controuerſia dici poßit, Plin. Glycyrrhizam minimè nouiſſe, cùm certè nuſquam gentiū, quod equidem ſciam, aculeatis foliis proueniat, ſed (vt Dioſc. ſcribit) lentiſci æmulis, denſis, pinguibus, tactuq; gummoſis. Cuius erroris cauſa illud facilè eſſe potuit, quòd ſui potius Græci codicis fidem ſecutus fuerit, quàm rei veritatē, in quo fortaſſe facili, lubricoq; librariorū non aduertentiū lapſu ἐχίνῳ pro σχίνῳ ſcriptum legebatur, vel quòd Græcæ linguæ non exactè peritus vocabulorū, vocumq; ſimilitudine deceptus (vt alibi quandoq; demonſtrauimus) Plinius*

Dulcis radicis conſid.

Plinii lapſus aculeatam dicentis Glycyrrhizam.



in hoc

I. GLYCYRRHIZA.



II. GLYCYRRHIZA ALTERA.



*in hoc errauerit. Nam huiuſcemodi opinio adeò firmiter veritati coharet, vt facilè ij quoq; deprehendi poſſint à veritate deſciſcere, qui credant Glycyrrhizam olim ſpinis fuiſſe præditam, ſed mangonio longi cultus edomito rigore ſpinarum aculeos amiſiſſe, & tandem mitigatam eſſe: cùm ea etiam, quæ hoc æuo ſponte per ſe naſcitur, nullibi aculeata ſpectetur.*

Scythica Theoph.

*Dulcis hæc radix à Theoph. lib. 11. c. 13. Scythica appellatur, eo quòd Scythæ hac contenti abſq; alio aliment. præſidio decem, duodecimóq; dies degant. Nam (vt idem teſtatur) circa Mæotim paludem plurima naſcitur.*

Glycyrrhizæ vires Matth.

*Abſtergit, mundat, læuigat, mulcetq; dulcis radix humorum acrimoniam: quare ardoribus vrinæ mirificè auxiliatur. Manſa radix, & præſertim quæ recenter fuerit effoſſa, non ſolùm ſitim, ſed etiam famem ſedat, ſeruatq; vires diebus pluribus, idem facit concretus ſuccus, in ore retentus, quouſq; eliqueſcat. Pectus & pulmones iuuat, ideoq; datur vtiliter ſuſpirioſis, phthiſicis, tuſſientibus, & pleuriticis.*

Glycyrrhizæ vires ex Gal.

*Glycyrrhizæ meminit Gal. lib. 6. ſimpl. med. ſic inquiens: Huius fruticis radicum ſuccus in primis vtilis eſt, ſimiliter vt etiam radices dulcis, cum leui quadã adſtrictione. Proinde aſperitates lenire poteſt, nec modò in arteria, verùm etiam veſica ſcabra, idq; temperaturæ mediocritate. Quocirca fuerit ſanè natura eius familiaris noſtræ temperaturæ: nam tale monſtratum eſt eſſe id quod dulce eſt. Sed cùm adſtrictio quædam adiuncta ſit, vniuerſum eius temperamentum, quantum ex caliditate, & adſtrictione eſt, tepidæ potiſſimùm caliditatis fuerit, quàm proximè accedens ad ſymmetrum, ſiue temperatum. Porrò quoniam temperie quoq; humidum eſt, quod modicè dulce eſt, iure ſanè etiam ſitim extinguens medicamentum eſt, nimirum modicè humidum ſimul & humana natura frigidius. Refert Dioſc. radicem ſiccam ad læuorem redactam, pterygiorum illitu idoneum eſſe remedium.*

Nomina.

*Γλυκύῤῥιζα ſic Græcis dicta, Latinis Glycyrrhiza, & Dulcis radix appellatur: Arabibus, Sus: Italis, Regolitia: Germanis, Leckritz, ſiue Sueßholtz: Hiſpanis, Regaliza: Gallis, Recliſſe, ſeu Reygaliſſe: Bohemis, Lekorice: Polonis, Lachryjcya.*

Glycyrrhiza duplex habetur & quidem vtraq; fructifera, altera quidem fructu aſpero, ex plurimis ſiliquis cõglobatis, vt auctor eſt Dioſc. quæ Italica eſt: altera ſiliquoſa quæ vulgatior eſt. I. Glycyrrhiza ſiliquis echinatis, C.B. Dulcis radix, Matth. in cõpen. Glycyrrhiza, Matth. in magnis figuris. Lac. Cęſ. Glycyrrhiza cum fructu, Matth. edit. penul. Glycyrrhiza vera Dioſc. Dod. gal. & fol. Glycyrrhiza Italica, Geſ. hor. Glycyrrhiza echinata Dioſc. Lob. Lug. (qui duas habet figuras, alterã ſubrotundis, alterã oblongis foliis) Tab. II. Glycyrrhiza ſiliquoſa, C.B. & Lob. Liquiricia, Brunf. Dulcis radix, Trag. Geſ. hor. Glycyrrhiza, Brunf. in 4. Fuch. Cordo in Dioſ. & hiſt. Geſ. hor. Lon. Glycyrrhiza Germanica, Dod. gal. Glycyrrhiza vulgaris, Dod. fol. Cam. in Matth. Glycyrrhiza lęuis, Lac. Glycyrrhiza altera, Matth. edit. pen. Glycyrrhiza nõ echinata, Lugd. Glycyrrhiza noſtras, Cam. cuius cum non detur à Matth. deſcriptio, talis eſto: Hæc ſuffruticem æmulatur, & ex radicibus ſarmentoſis prælõgis, tenuibus, foris nigricantibus intus buxei coloris, ſub terra latè per trãſuerſum, & obliquũ repẽtibus, dulci ſucco præditis, virgæ exſurgunt bicubitales & altiores, lignoſæ, teneriores tamen quã in præcedenti, rotundæ, ſtriatæ, circa quas folia oblõga alata, ex multis ſibi inuicẽ oppoſitis collecta, glutinoſa, maiora & virentia quã in priore: flores in ſummitate velut in ſpicã, vt in Vicia, digeſti, exigui, purpuraſcentes: quibus ſuccedunt ſiliquæ nõ in orbiculũ collectæ, nec aſperæ aut hirſutæ, ſed ſingulæ ſingulis pediculis adhærentes, aliquanto ſpacio à ſe inuicẽ diſtantes, læues & Lentiũ ſiliquis ſimiles, quibus ſemina parua incluſa. Hæc cũ rarius floreat, idcircò ſterilis quibuſdã, ſed malè cenſetur. Copioſa hæc in agro Bampergenſi, in hortis etiam Germaniæ & Belgii colitur. Tẽperatè calida & humida eſt, magis tamen recens, quàm arida humectat: cortex cũ amarus ſit, idcircò abraditur. Quæ Dioſc. & Gal. ſuæ tribuunt, hęc etiam pręſtat & efficacius. Ad omnes thoracis morbos vtilis eſt, leniendo, maturando, expectorando: in vniuerſum omnibus malis ab acribus, ſalſis, & mordacibus humoribus enatis, occurrit.

Κενταύρ

## Κενταύειον μέγα. CENTAVRIVM MAGNVM. CAP. VI.

CEntaurium magnum folia habet iuglandis, oblonga, viridi braſſicarum colore, ſerrata in ambitu: caulem, ceu rumicis, binûm, aut ternûm cubitorum, multis ab radice adnatis, in quibus capita, ceu papauerum, in rotunditate oblonga. Flos cæruleus: ſemē cnico ſimile, ceu laneis quibuſdam inuolutum. Radix craſſa, grauis, ſolida, tripedalis, ſucco prægnans, cum adſtrictione aliqua, & dulcedine acris, & rubeſcens. a Amat ſolum pingue, & apricum, ac ſyluas, & colles. Copioſiſſima eſt in Lycia, & Peloponneſo, in Arcadia, Helide, & Meſſenia, pluribuſq; locis circa Pholoen, Lyciam, & Smyrnam. Radix conuenit ruptis, conuulſis, pleuriticis, ſpirandi difficultati, veteri tuſſi: ſanguinem expuentibus, drachmis duabus trita datur, ſi febris ſit, in aqua, cæteris in vino: item ad tormina, & vuluæ dolores. Ramenta eius in collyrii formam vuluæ ſubdita, menſes, atque partus extrahunt. Succus eadem præſtat. Vulneribus prodeſt: nam recens tuſa, aut arida ante madefacta, ea glutinat, & coniungit. Carnes coaleſcunt, ſi tuſa ſimul decoquatur. In Lycia ſuccum exprimunt, quo pro lycio vtuntur.

a Addit Cat. ὁμοίως ὃ καὶ ὁ χυλὸς ἐρυθρός. i. ſimiliter autem & ſuccus rubēs. Et idem habet Meum.

### CENTAVRIVM MAGNVM.



*CEntaurium magnum (vt in Rhapontico ſuperius diximus) nil aliud, mea quidem ſententia eſt, quàm illa inſignis admodum radix, quam præterita nuper ætas Rhapōticum eſſe credidit: quamq́; etiam hoc tempore eodem nomine quidam appellant, qui cum imperitis ſuperioris ætatis errare malunt, quàm cum peritis recentioribus vera cognoſcere ſimpl. med. Cęterùm contendat licet Muſa Ferrarienſis medicus clariſſimus, radicem, qua Rhapontici loco plerunq; officinæ vtuntur, Centaurij magni radicē non eſſe, is tamen hac in re decipi (pace eius dixerim) manifeſtè deprehenditur, cùm ea radix, quæ vulgaribus Rhapontici vicem explet, omnibus ſanè notis Centaurium magnum repræſentet. Quippe quòd craſſa ſit, grauis, compacta, tripedalis, & rubeo ſucco prægnās qui guſtui non modò quadantenus ſit acris, ſed etiam cum aliqua adſtrictione dulcis, quinetiam (vt nos quoque obſeruauimus) ſtriata, & funiculi modo contorta. Adde quòd & folia, caulis, capitula, flores, & ſemina illi prorſus ſint eadem, quibus conſtare Centaurium magnum Dioſc. & Gal. memoriæ prodidere. Ea, quæ hodie ad nos conuehitur, Gargano præclariſſimo Apuliæ monte numeroſa naſcitur: quin & in aliis Italiæ locis, nempe in Veronenſi agro, Baldo monte, quem Benaci alluit vnda, ſed infirma radice, ſi ad Apulam compares. Non deſunt præterea hac tempeſtate rei herbariæ ignari nebulones, qui bonis quibuſdam ſeplaſiariis perſuadere conētur, eam plantam eſſe Centaurium magnum, quæ in aquoſis prouenit, caule quadrato, bicubitali: foliis ſalicis modò longis: flore rubenti, ſpicato, quam quidam pro Lyſimachia accipiūt. Neque alio, quod ſciam, argumento nituntur, quàm quòd hæc planta flore ſit rubro, & caule quadrangulari, quemadmodum & Centaurium minus. Sed quantum iſti hallucinētur, quantaq́; in erroris caligine verſentur, ij quidem iudicēt, qui in ſtirpium hiſtoria multum ſtudij, & temporis conſumpſerunt. Porrò vtriuſque Centaurij vno tantùm capite mentionem facit Meſues: ſed adeò alterum cum altero miſcet, ac confundit, vt mirandum non ſit, ſi à nonnullis ætatis noſtræ diligentiſſimis rei herbariæ inquiſitoribus acriter fuerit accuſatus, etſi nouus quidam Meſuis ipſius commentator friuolis ſatu argumentis, horum doctiſſimorum virorum cenſuris reſragari nitatur, in tam aperto illius errore. Quin etiam Auicenna, qui cum illo pariter errat, & cum vtriſq; Serapio. Siquidem is ſcripſit ex auctoritate Aben Meſuai, Centaurij magni radicem lentam trahere pituitam ſimul & bilem, & coxendicum doloribus opitulari: quæ tamen facultates Centaurij maioris non ſunt, ſed minoris, vt ſequenti capite explicabimus. Cæterum neque Plinius ab errore vindicari poteſt, qui tametſi in Centaurij magni hiſtoria lib. 25. cap. 6. in omnibus ferè Dioſcoridi ſubſcribat, in facultatibus tamen erraſſe videtur, quòd Centaurio maiori amaritudinem cum quâdam dulcedine tribuerit: cùm amaritudo non in maiori, ſed in minori tantùm deprehendatur. Datur Centaurij magni radix vtiliter Hydropicis, Ictericis, & Iocinoroſis, tum vino macerata, tum in puluerem pota. Radicis recentis ſuccus vnciæ pondere hauſtus, ac etiam vulneri illitus, auxiliatur à ſerpente demorſis. Centaurij magni meminit Galenus libro 7. ſimpl. medic. de eius viribus ijs differens verbis: Centaurij magni radix ſicut guſtu contrarias qualitates, ita in vſu contrarios effectus demonſtrat. Guſtu itaque acris ſimul adſtringenſq; apparet cum leuicula quadam dulcedine. At in actionibus acrimonia quidem caliditatis opera oſtentat, menſes prouocans, & fœtum mortuum euellens, vinumque corrumpens, atque eijciens. Adſtrictio verò, opera craſſæ, terrenæque frigiditatis, cùm vulnera glutinet, & ſanguinem reiicientibus proſit. Exhibentur autem eius drachmæ duæ, febrientibus quidem cum aqua, febri verò liberis cum vino. Porrò ſecundum omnium ſimul qualitatum actionem, ruptis, conuulſis, dyſpnœæ, ſiue ſpirandi difficultati, tum inueteratæ tuſſi conuenit. Nec enim in talibus euacuare ſolùm quod præter naturam eſt, oportet, ſed partem quoque euacuatam roborare, ac confirmare. Vacuationi itaque accommoda eſt acrimonia, vtique cùm non ſola ſit, ac pura, ſed aut dulcedini iuncta, aut certè non prorſum amaritudini: ſiquidem vehementiam tunc, atq; violentiam, miſta illi temperata quadam ſubſtantia, cuiuſmodi eſt dulcis, non obtinebit. Porrò ad ea, quæ euacuata ſunt, roboranda, contrahendaq; adſtrictione eſt opus. Eadem quæ radix, & ſuccus ipſius efficit: vtun-*

Centaurii magni cōſid.

Braſauoli lapſus Rhapōticum offici. Centaurium magnum eſſe negantis.

Quorundam hallucinatio Lyſimachiā Centaurium magnum ſtatuentium.

Arabum lapſus dum vtrumq; Centaurium confundunt.

Plinii error.

Cētaurii magni vires Matth.

Centaurii magni vires ex Gal.

Nomina.

*cit: vtunturq́; eo medicamento quidam vice lycij. Græci* κενταύρειον μέγα *id vocant, quod Latini Centaurium magnum: Mauritani, Chanturion kibir, Sacurion habre, ſeu Canthurium: Itali, Centaurea maggiore: Germani, non ſine errore, Reupontick: vt etiam Hiſpani, Ruipontico: & Galli, Rhepontico.*

Centaurium duplex eſt: maius & minus: Maius, de quo nunc, triplex, vel eſt folio in plures partes diuiſo rigidoq́;, flore ex cæruleo purpuraſcente: vel laciniato nec rigido, luteoq; flore: vel denique folio non diſſecto, floreq; cæruleo. I. Cētaurium maius folio in plures partes diuiſo, quod communiter officinis eſt Rhaponticum, C.B. Rhapontica quæ hodie, Centaurea maior cenſetur, Trag. Cent. magnum, Matth. Dod. gal. & fol. Caſt. Cent. maius Cor. in Dioſc. & hiſt. Lac. Lon. Lob. Lug. Tab. Cam. cui & Rhapōticum vulgare. Centaurium vulgare maius, Cluſ. hiſt. Hiſp. Cent. maius alterum, Geſ. hor. Cent. maior, Cæſalp.

## Κενταύρειον μικρόν. CENTAVRIVM MINVS. CAP. VII.

Concluſa nō legit Meum.

a Meū. & Ca. ἀφεψηθεῖσα δὲ πινομένη i. decocta verò & pota.

CEntaurium minus, limneſion aliqui vocauere, [quoniam rigua amet loca.] Herba origano, aut hyperico ſimilis, caule anguloſo, palmam excedente: flore lychnidis, è puniceo in purpuram vergente, foliis rutæ, prælongis, & paruis: fructu tritico ſimili: radice puſilla, læui, & ſuperuacua, quæ guſtanti amaritudinem adfert. Herba recens tuſa ſuo illitu vulnera conglutinat: vetera vlcera purgat, & cicatrice obducit. Bilē, craſſoſq; humores per aluum exigit, a ſi decocta deuoretur. Ius decocti iſchiadicis conuenientiſſimè infunditur: trahit enim ſanguinem, & dolorem leuat. Succus oculorum medicamentis perquàm vtilis: ſiquidem cum melle caliginē oculorum expurgat: in vellere appoſitus, menſes, & partus extrahit: epotus peculiariter neruorum vitiis ſuccurrit. Succi extrahendi ratio. Legitur herba ſemine prægnans, & diebus quinq; madefacta, decoquitur, donec ſuperemineat aquæ: mox vbi refrixit, linteolo exprimitur, & eiecta herba, iterum decoquitur, vſq; dum mellis craſſitudinem habeat. Nonnulli eam recentem, grauidamq́; contundunt, atq; ſuccum fictili non picato exprimunt, & in ſole, lignea rude aſſiduè mouentes, inſpiſſant, quòd ſi quid concretum faucibus vaſis adhæreſcat, deradunt, reliquoq́; humori permiſcent, noctu diligenter operiunt: namq; ros nocturnus liquores coaleſcere nō ſinit: Quę autem ſiccis radicibus aut herbis, liquamenta exprimuntur, decocta (vt in gentianæ mentione retulimus) præparantur. Sed quę ex corticibus humidis, aut contuſis herbis factitantur, in ſole, vti antè dictum eſt, coguntur. Sic è thapſia, ſic è mandragora, reliquiſq; ſimilibus ſuccus: b [ſic ex acerbis vuis melligo elicitur.] Lycium tamen, & abſinthium, hypociſtis, & conſimilia decocta, eo quo diximus modo, coguntur.

b Cat. nō habet concluſa. Meum autē habet tantū ὀμφάκη.

I. CENTAVRIVM MINVS.



*II. CENTAVRIVM MINVS ſpicatum.*



Centaurii minoris conſid.

CEntaurium minus nullis ferè non cognitum, in pratis, paſcuis & campeſtribus naſcens: in Hetruria vulgò Biondella nuncupatur: quoniam abſtergendis, dealbandiſq́; mulierum capillis ex lixiuio plurimùm præſtat. Quod paſsim in officinis habetur, verum, & legitimum Centaurium minus eſſe, omnibus, vt arbitror, exploratius eſt, quā vt à nobis oſtedi debeat: quippe quòd nullis in vniuerſum notis Centaurij minoris hiſtoriæ refragetur. Amara admodū eſt, nō radice ſolùm, ſed etiā tota ſui ipſius plāta, adeò vt quidā Fel terræ eā appellauerint. Gal. ob ingentes, miraſq́; eius facultates, de ipſius viribus integrū librū conſcripſit, Papiæq́; dicauit. Detrahit hoc bilē, & pituitam, qua ſanè facultate Centauriū maius planè carere deprehenditur. Datur foliorū & florū eius decoctum vtiliter potādum tertianariis, quòd bilem per inferna deijciat, quo factum eſt, vt quidam hanc febrifugam vocauerint. Idem, ac pariter ſuccus, iocinoris, ac lienis obſtructiones, & duritiES tollit. Alui tineas pellit, ex melle drachmæ pondere potus, tum vmbilico illitus. Herbæ comaque decoctum, Lentigines, varos,

Fel terræ.

Vires Matth.

Febrifuga.

*varos, alphos, & cæteras cutis infectiones exterit, infectis particulis adhibitũ. Inſtillatur ſuccus vermiculoſis auribus, quinetiam illinitur contra papulas, & manantia capitis vlcera. Quo fit, vt non parum aberrauerint inter Mauritanos Meſues, Auicenna, & Serapio, quòd Centaurÿ minoris vires cum maiori turpiter confuderint. Gal præter ea, quæ de Cētaurio minori ad Papiam ſcripſit, eius quoq; meminit lib. 7. ſimpl. med. ſic inquiens: Cētaurÿ minoris radix prorſus ineſſicax eſt. Sed ramuli eius, & potiſſimùm folia, quæ illi inhærent, & flores, vtiliſſima ſunt. Vincit in eis qualitas amara, paululũ habens & adſtrictionis, atque ob eiuſmodi temperamentum admodum exiccatorium eſt medicamen, expers mordacitatis. Porrò quòd omnia talia vtiliora ſint, ſuprà commonui, & nunc nihilo ſecius tamen nos repetere tēpeſtiuum eſt, omnes eius particulatim actiones memorantes. Vulnera itaque magna herbæ ipſius recentis illitu glutinantur: & vetuſta, quæq; ægrè ad cicatricem perduci queunt vlcera, cicatrice eodem modo vtētibus obducuntur. Areſacta verò glutinatorÿs, & deſiccatorÿs miſcetur facultatibus, iis videlicet, quæ ſinus, & fiſtulas ſanare ſunt natæ, vetereſq; duritias emollire, tum vlcerum maligna, quæ cacoethe vocantur, ſanare. Miſcetur etiam iis, quæ rheumaticis affectibus medentur: in quibus ea medicamenta optima ſunt, quæ vehementer deſiccantia, cum quadam adſtrictione nullã habent mordacitatem. Decoctũ herbæ quidam iſchiadicis infundunt, ceu bilioſa, & craſſa ducens: nam & talia purgat: quanquam cùm adeò vehementer operabitur, vt cruenta euacuet, tunc plus proderit. Succus porrò eius, cũ adſimilis ſit facultatis, hoc eſt exſiccatoriæ & abſterſoriæ, cætera iam dicta pulchrè efficere poteſt: & cum melle oculis illinitur, menſeſq;, & fœtũ appoſitus euocat. Sunt qui ipſum præbeant & ÿs, quibus nerui affecti ſunt, vt qui euacuet, & deſiccet innoxiè quæ impleta ſunt. Quippe cùm iecinoris quoque obſtructiones optimè expediat, bonũq; ſit lieni indurato remedium, foris impoſitũ, nec ſecius, ſi quis bibere ſuſtineat. Κενταύρειον μικρὸν ſic Græcè, Latinè verò Centaurium minus dicitur: Arabicè, Chanturion ſege, & ſegir, ſeu Katarion ſages: Ital. Centaurea minore: Germ. Tauſent gulden kraut Fieber kraut/ Erdtgall ſeu Biber kraut: Hiſp. Fel de tierra: Gallicè, Centauree, aut Fiel de terre, Centauree poulet: Bohemicè, Zemezluc menſſy: Polonicè, Centurzya: Ruthenicè, Nerycynik.*

Cētaurii minoris vires ex Gal.

Nomina.

Centaurium minus, Theoph. 9. hiſt. 4. Panax λεπτόφυλλον ſeu tenuifolium, & Plin. li. 25. c. 6. Cētaurium alterũ cognomine λεπτὸν, quod aliqui Libadion vocant, quoniã ſecũdum fontes naſcatur: Gallis Exacon ἀπὸ τοῦ ἀκεῖσθαι à medendo, dicitur. Hoc triplex eſt, vel vmbellatum, hocq; vel colore puniceo, vel albo: vel ſpicatũ: vel perfoliatũ luteũ, hocq; vel ramoſum vel nõ ramoſũ. I. Cent. minus, C.B. Trag. Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. Lac. Caſt. Cam. Lug. Tab. Thal. Cent. minus, Lon. Cent. paruum, Lob. Cẽtauria & Centaurea minor, Brũf. Centaurea vulgò & Biondella vulgò, quia ad capillum ruffo colore tingendum mulieres vtuntur, Cæſ. Hoc ratione ſoli variat, vt & Theophr. 4. hiſt. 5. meminit: ſi namq; in humidis proueniat, altius excreſcit, & quidem aliquando in bicubitalem altitudinẽ: ſi in aridis, vix duos aut tres tranſuerſos digitos adęquat. Flore eſt communiter in purpura rubente: aliquando albo, rarius ferrugineo. II. Centaurium minus ſpicatum album, C.B. Ex radice parua fibroſa, caulis exurgit vnicus, qui mox in duos palmares & ſeſquipalmares, ſtriatos, hiq; in alios brachiantur: folia parua pediculis carentia, quorum prima lata, ſubrotunda, ſuperiora anguſta, acuminata: flores ab imo ſurſum per caulẽ ſparſi, ſinguli ex vna vt plurimum caulis parte ſibi inuicem ſuccedentes, qui ex calyculis folioſis prodeunt oblõgi, albi, ea forma qua non patentes in figura exprimuntur, ſiquidem patentes ſculptor non rectè expreſſerit: quibus ſuccedunt ſiliquæ, vt in vulgari, ſemen minutũ continentes. In Italiæ montibus Euganeis, & etiam in Gallia Narbonenſi circa Monſpelium prouenit. III. Centaureum luteum perfoliatũ, C.B. Herba eſt centaurii minoris magnitudine, quæ ex radice candida & tenui caulem rotundum emittit, rectum,

*III. CENTAVRIVM LVTEVM perfoliatum.*



*IV. CENTAVRIVM LVTEVM non perfoliatum.*



pedalem

pedalem,geniculatũ,qui mox in alios brachiatur,quem ex ſingulis nodis cingũt folia, Centaurii minoris latiora, bina ſemper inter ſe oppoſita,& per longa interualla cohærentia,vt caulis per ipſum mediũ tranſire videatur, colore ex viridi & cæruleo albicãte:quæ verò per terram ſparſa ſunt,ſaponariæ foliis æmula ſunt,ſed minora & candicantia:ramulorũ ſummis flores Hyperico ſimiles, quorũ ſinguli cõmuniter octo foliis cõſtant,aliquando pallidè,aliquando intensè lutei & planè aurei,vel crocei inſident:quibus vaſcula rotunda centaureæ vulgaris maiora ſuccedunt,minuta ſemina nigra cõtinentia. Duplex eſt, alterũ anguſtioribus & nõ perfoliatis,alterũ latiorib. multò, & caulẽ ambientib. foliis, in ſummo tantùm ramoſum: ſic quod nõ ramoſum eſt à præcedẽti in eo differt, quod in ſummo faſtigio florẽ ſingularẽ chryſanthemo ſimilẽ ſuſtineat, vt apud Lugd.ſub centaureo luteo altero habetur. Prouenit apud nos in pratis humidioribus Michelfeldenſibus autumno florens, in aſcenſu montis ad S.Chriſtianã, ſic in collibus circa Tigurum, in agro etiã Bononienſi & Mõſpelienſi, in pratis vdis verſus Latte & Lupum mõtem obſeruauimus: notarunt & alii in Hiſpania & Anglia. Minus amara, quã vulgaris ſiet, quare caloris nõnihil poſſidet & ad vulnera cõmendatur:at efficacius purgationes moliri creditur. Hoc quibuſdam cenſetur Achilleon vera apud Plin.li.25.c.5.cuius ſub Centaureo floribus citreis pallidis Meſues 2. purgantiũ 10.meminit. Dicitur perfoliata Achillea, Geſ.hor. Centaurium luteum, Aduer. Cluſ.hiſt. Hiſp. Centaurium florib. luteis ſiue citreis pallidis Meſuei, Lob. Centauriũ luteum perfoliatum vel diaphyllon, Cam.ad Matth. Centaurium luteũ prius Lug. Achilleos, Cẽtaurea maior vulgo, Cæſ. Cent. minus luteo flore perfoliatũ, Tab. cuius figura nõ reſpõdet, perfoliatum montanum luteum quibuſdam. IV. Centaureum luteum nõ perfoliatũ.

## Χαμαιλέων λευκός. CHAMÆLEON ALBVS. CAP. VIII.

CHamæleon albus, Ixia ideo aliquibus vocatur, quòd quibuſdam in locis viſcum circa radices eius inueniatur: quo pro maſtiche vtũtur mulieres. Folia habet Silybo, aut Scolymo ſimilia, aſperiora, acutiora, nigroq; chamæleone validiora. Caulem non promit, verùm ex medio ſpinas, echini marini, aut cinaræ modo erigit. Flores purpureos, veluti papporum lanugines emittit: ſemen cnico ſimile: radicem in lætis collibus craſſam, in montoſis verò graciliorem, in profundo albam, aliquatenus aromaticam, graui odore, dulcem. Quę pota acetabuli mẽſura, latas interaneorum tineas pellit: bibitur autem in vino auſtero cum origani ferueſacti ſucco. Hydropicis commodiſſimè drachma in vino datur, etenim eos extenuat. Contra difficultatem vrinę decoctum propinatur. Hauſta in vino, ſerpentium venenis reſiſtit: occidit canes, & ſues: mures item necat, ſubacta cum polenta, aut aqua, & oleo madefacta.

## Χαμαιλέων μέλας. CHAMÆLEON NIGER. CAP. IX.

a Orib. ὃν ἔνιοι ὑλοφὸν ἢ ἰξίαν ἢ κυνόμαχον, ἢ ζείμονδες ἐκάλεσαν. i. quẽ aliqui vlophon, ſiue Ixiam, ſiue cynomachum appellant.

CHamæleon niger a foliis Scolymo ſimilis eſſet, niſi minora, tenuioraq; ac rubro diſtincta viderẽtur. Caulem emittit dodrantalem, craſſitudine digitali, ſubrubrum: & in vmbella flores ſpinoſos, tenues hyacinthi æmulos, verſicolores: radice craſſa, nigra, denſa, interdum exeſa, quæ diſſecta flaueſcit, & commanducata mordet: prouenit in campeſtribus, ſiccis, & cliuoſis tractibus, & maritimis. Radix trita, addito atramenti ſutorii exiguo, cedrino oleo, & axungia, ſcabiem abigit: eadem, cùm ſibi ſulphur, & bitumen aſciuit, & cocta in aceto illinitur, impetigines abſterget. Decoctum collutione, dentium dolorem mitigat: cum pari pipere, & cera oblita radix, dolenti denti auxiliatur. Radicę conciſa, & in aceto decocta dentes fouentur: eos quoque frangit, ſi ſcriptorio ſtylo feruens admoueatur: vitia cutis in facie vitiliginesq;

I. CHAMAELEON ALBVS.



II. CHAMAELEON NIGER.



cum

cum ſulphure emendat, erodentibus medicamentis admiſcetur: phagedænas tetraque vlcera illitu ſanat. Quare chamæleon vocetur, à varietate foliorum euenit: mutant enim cum terra colorem: hic viridia, b illic albicantia, alicubi cœrulea, nonnuſquam rubra inueniuntur.

*b Orib. add. [illegible]. i. ſiue fulua.*

*Chamæleontis vtriuſque conſideratio.*

*Chamæleon albus tam ab Hetruſcis, quàm cæteris ferè Italiæ incolis vulgò Carlina vocatur, quòd credat vulgus (vt facilè ſolet) herbam hanc magno olim Carolo regi ad fugandam ſui exercitus peſtem ab angelo demonſtratam fuiſſe, tanquam antidotum omnium præſtantiſſimum. Quo argumento freti vulgares quàm plurimi, ad arcendam peſtilentiam huiuſce plantæ radices miris magniſq; laudibus commendant, ſi quotidie drachma deuoretur. Nec quidem ab re: quandò enim pota radix (vt Dioſcorides & Gal. teſtantur) latas interaneorum tineas interimat, & ſerpẽtium venenis reſiſtat, mirum vtique non fuerit, quòd eadem in peſtilentia opem ferre valeat. Falluntur nimirum, qui putant, ſtirpem illam pternici non abſimilem (noſtri eam Carcioſo vulgò appellant) aculeis horrentem, cuius flore coaguli vice Hetruria vtitur, album eſſe Chamæleonem. Nam eorum error ex eo maximè diluitur, quòd hæc contra Chamæleonis albi deſcriptionem, in longo admodum caule echinatos ſuos proferat fructus. Porrò Chamæleonem album nunquam Fuchſium (pace viri alioqui eruditiſſimi dixerim) vidiſſe exiſtimauerim: quòd libro ſuo de plantarum hiſtoria primùm ſcribat, nullum hunc edere caulem, ſubinde huius fortè oblitus, eodem in loco eundem procero ſatis caule depingat. Quin nec nigrum idem nouiſſe videtur, cùm depictus ab eo, quem tamen planè non probat, nullis notis legitimo, meo quidem iudicio, reſpondeat. Naſcitur niger in Tridentino agro, Ananienſibus admodum frequens tum montibus, tum collibus, nullis reclamantibus notis. Qua in re hallucinantur monachi reuerendi, qui Meſuem commentati ſunt, cùm certò ſibi perſuadeant, Carlinam (vt eorum vtar diſtinctione) caulem proferentem, eiuſdem eſſe ſpinam albam, quam Græci ἄκανθα λευκὴν dicunt, Mauritani verò Bedeguar: itẽ Carlinam alteram caule viduam, eſſe ſpinam Arabicã, ab Aphris Suchaa vocatam. Quippe cùm ſpina alba (vt Dioſc. eſt author) bicubitali ſit caule, ipſoq; albicante, vnde fortaſſe nomen traxit, & inani, flore verò purpureo niteſcat: Carlina verò hæc caule ſit dodrante paulò maiore, pleno, non inani: ſubrubro, non albicante, floribus hyacinthi æmulis: nulla ratione dici poſſe putauerim, Carlinã hanc eſſe ſpinam albam, ſed potius rufam. Cùm nec similiter monachi vnquam probare poſſint, Carlinam alterã caule vacantẽ Arabicam eſſe ſpinam: quòd nuſquã Dioſc. ſcripſiſſe inuenerim, ſpinã Arab. caule vacare, ſed ſpinæ albæ potius eſſe perſimilẽ. Ex quo rectè (vt arbitror) cõcludi poteſt, quòd cùm ſpina alba procul dubio caulem edat, eũdẽ quoq; Arabica promat. Sũt etiã qui velint, Carlinã caulẽ gerentẽ nihil differre ab altera quæ caulẽ nõ fert, niſi ſexu, nempe quòd altera mas, altera verò fœmina fortaſſe fuerit: negãtq; omnino has plãtas eſſe Chamæleones, illamq; præſertim nigrũ Chamæleonẽ eſſe nolunt, quæ caulẽ rufum gerit. Hocq; argumẽto nitũtur, quòd ſcripſerit Gal. lib. 8. ſimpl. med. Chamæleontis nigri radicem lethale quiddam obtinere: eamq; ob cauſam in extrinſecis tãtùm venire medicamentis. Sed cùm raphani vice à compluribus copioſè cum acetariis edatur, nullo penitus incommodo, nec eſſe hanc nigrum Chamæleonem, nec eius ſpeciem probãt. Quibus facilè reſponderi poteſt, quòd in Graiia, fortaſſe in Ponto, aliiſq; conterminis regionibus Chamæleontis nigri radix ſit venenoſa, & in Italia ſalubris, exuta ob cæli huius clemẽtiam lethali facultate, quemadmodũ & Perſea, quæ tametſi Perſis ſemper fuerit lethifera, Aegyptiis tamen innocua facta eſt, ſoli & cæli bonitate. Arum præterea Cyrenis adeò mite eſt, vt rapi modo in ciborum vſum veniat, cùm tamen in Græcia & Italia adeò acerrimum ſit, vt nec coctum, nec crudum edi poſſit. Quin & ſcorpiones in aliquibus terrarum orbis partibus ictos interficiunt: in aliquibus verò, vt in Tridentino tractu, nullum ictu venenum relinquunt: quo etiam in loco nigrũ veratrum nulla deiectoria vi pollet. Id quod in Colchico Ephemero quoque videmus, quòd eo pro Hermodactylo innocuè (quanquam temerè) vtantur Medici. Cæterùm illud præter dicta me maximè ad credendum inducit, Carlinam caulem fundentem eſſe CHAMAELEONEM NIGRVM, quòd hæc planta omnibus in vniuerſum notis nigrum Chamæleonẽ referat. Quandoquidẽ foliis conſtat ſcolymo minorib. tenuioribuſq;, ſubrubra per mediũ excurrente coſta: caule itẽ dodrantali, craſſitudine digitali, ſubrubro, floribus in vmbella ſpinoſis, tenuibus, hyacinthino colore verſicoloribus: radice craſſa, exterius nigra, denſa, & aliquando corroſa, quæ fracta intus flaueſcit, & commanducata mordet: fate ır tamen hanc vmbellam non ferre, (vt Dioſco. inquit) ſed echinatum capitulum, perinde ac album Chamæleonem. Verùm hoc non me omnino à mea dimouet opinione, quòd Dioſcoridem videam in quàmplurimis locis impropriis vti vocabulis. *In qua certè delineatione hæ plantæ ita ad[illegible]ſim conueniunt, vt nemo, niſi ſenſibus, & ingenio obtuſus fuerit, Carlinam, quæ caulem mittit, Chamæleonem nigi...n eſſe non videat, & perſpicuè intelligat. Id quod equidem certior ob diligentiorem inquiſitionem factus, hoc tempore aſſerere non dubitaui, licet alias aliter ſenſerim. Hacq; in ſententia permanere decreui, donec aliquis rei herbariæ diligẽtiſſimus æquè & doctiſſimus indagator, alios à Carlinis Chamæleones oſtendat in Italia, qui rectius ſuis notis Dioſco. hiſtoriam repræſentent: tunc enim in hoc, vt in aliis quoque, non grauabor mutare ſententiam.* Addimus tamen aliam CHAMAELEONIS NIGRI imaginem, quæ mihi à Doctiſſimo viro Bartholomeo Maranta, Neapoli tranſmiſſa eſt: quæ tametſi vmbellas hyacinthinis floribus ſcatentes proferat, cùm tamen folia rubris maculis varia non ſint, in caule nulla prorſus rubedò ſpectetur, manſa Radix acredinis tantillum haud reſipiat, exeſa non ſit, non flaueſcat, nec caules digitali craſſitudine videantur, cur legitimum Chamæl. nigrum hanc plantam eſſe affirmẽ non habeo. Sed de his diffuſius li. 4. noſtrarum Epiſtolarum diſſeruimus, ad Marantam reſpondentes. Dixi ſententiam meam, quam iis cenſendam relinquo, qui rei plantariæ maio-

*Quorundam error.*

*Monachorũ opin. exploſa; quæ fuit Carlinam eſſe Acantaleucẽ.*

III. CHAMÆLEON NIGER ALTER.



*Quorundam opinio reprobata.*

*Chamæleonis nigri deſcriptio.*

*Chamæleon niger alter.*

Arabum turpis error dum Chamæleam cum Chamęleonte confundunt.

Chamęleonũ hiſt. ex Theophraſto.

rem, quàm ego peritiam habent. Caterùm hic non reſpondebo ſycophanta cuiuſdam calumniis, in Chamaleonte aduerſum me promulgatis, cum libro 6. id mihi faciendum propoſuerim, vbi de Ixia inter venena ſcribit Dioſcorides. Ibi enim huiuſce ſophiſtæ, & rei plantariæ pſeudoindagatoris malitiam, vecordiam, & apertam temeritatem fuſius aperiam. Explodendi ſunt Arabicæ factionis ſcriptores, vt qui non ſine deteſtando errore, Græcorum vocabulorum vicinitate decepti, Chamæleam, quam ſua lingua Mezerion appellant, cum Chamæleone confundant. Nam Auicenna de Mezerio diſſerens libro & tractatu 2. cap. 464. circa finem, ſuum errorem prodidit iis verbis: Mezerion bibitur cum vino ad morſum vermium venenoſorum, & eſt propriè nigrum, venenum mortiferum. Et quando miſcetur cum Sauic, & coniungitur cum aqua & oleo, interficit mures, & canes, & porcos: hæc ille. In quibus duplici notatur errore: primò quòd Mezerio eas tribuerit vires, quas albo Chamæleoni reddidit Dioſcorides: deinde quòd nigrum, non vtique album ea præſtare crediderit contra Dioſcoridis ſententiam. Meminit vtriuſque Chamæleonis Theophraſtus lib. 9. cap. 13. de plantarum hiſtoria, vbi ſic habet. Chamæleonum, vnus candidus, alter niger. Vires autem radicum inter ſe diſtant, & ipſæ etiam radices ſpecie differunt. Candidi enim candida eſt, & dulcis, & craſſa, & grauiter olens. Vtilis traditur ad fluxiones, cũ conſecta orbiculatim modo raphani decoctum eſt, iunco transfixa in ſeriem. Valet & ad interaneorum animalia lata, cùm paſſa vua comeſa acetabuli menſura è vino bibitur auſtero. Occidit & canes, & ſues: canes in farina hordeacea ſubacta cum aqua & oleo: ſues cum braſſica. Et ſi hominem ægreſcentem experiri volueris, an viuere poſſit, lauandum ea radice triduo iubent. Hoc enim ſi tolerauerit, moriturum nequaquam exiſtimant. Naſcitur æquè omnibus locis folio ſcolymo ſimili, verùm ampliori, & terræ proximo: capite magno, acano ſimili: vnde quidam acanum eum vocarunt. Niger folio conſtat adſimili, præterquàm quòd minori, leuiorique. Tota autem herba vmbraculi ſpeciem repræſentat: radice craſſa, & nigra extrinſecus, ſubflaua intrinſecus nititur. Loca gelida, humidaque amat. Leprã, & vitiliginẽ abolet trita cum aceto, & ramentis illita: necnon & canes occidere poteſt: hactenus Theophraſtus. Illud inſuper non ignorandum eſt, viſcum ſcilicet, quod Ixiam appellant, in Chamæleonis albi radice naſcens, venenum eſſe mortiferum, cùm tamen modica tantùm quantitate ſumptum ſomnolentos vigilantes reddat. Quamobrem Cretenſes mulieres ſuarum lucubrationum gratia, ne ſomnum ineant in opere, ex eo tãtillum, aut modicum à cœna nullo incommodo aſſumunt. Huius pleriſque locis meminit Plinius, & de eo nuſquam non intellexit, vbi contra ſumptum viſcum aliquod remedium protulit.

Nomina.

Χαμαιλέων λευκὸς ſic Græcè: Latinè verò Chamæleon albus appellatur: Mauritanis, Chemeleon leute, ſeu Chamalium: Italis, Carlina, & Chameleone bianco: Hiſpanis, Cardo pinto: Gallis, Carline, ſiue Chameleon blanc: Bohemis, Pupauua byla. At planta quæ Χαμαιλέων μέλας Græcis, Chamæleon niger Latinis vocatur: Arabibus, Chemeleon melamos: Italis, Chameleone nero: Germanis, Eberwurtz: Hiſpanis, Cardo pinto: Gallis, Chardonette: Bohemis, Pupauua cerna.

Chamæleõ à foliorũ varietate dicitur, vt ex Plinio colligere eſt, qui monet cũ terra colores mutare, hic niger, illic viridis, alibi cyaneus, alibi croceus, atque aliis coloribus videtur. Huius differẽtiæ ſunt aliquot ratione magnitudinis, colore floris, itẽ ratione caulis, quo aliæ carent, aliæ habent. Dioſc. album & nigrũ; Matth. verò hũc etiam duplicẽ proponit. I. Chamæleon albus acaulis, C.B. Ixia & Chamæl. albus Theophraſti (Vernilaginem Gaza vertit) & Plinij. Chamæleon albus, Matth. Cor. in Dioſ. Lac. Lob. Caſt. Lug. Spina Arabica, Dod. gal. Carlina humilis, Dod. 8. Carlina altera, Dod. fol. Carlina minor, Cluſ. hiſt. Pann. Carlina herbariorum, Lob. obſ. Carlino vulgi, Cæſ. Carlina ſeſſili flore ἄκαυλος, Cam. Cardopatium flore albo caule nullo, Geſ. hor. Silybus, vulgò Carlina, Geſ. Fracto. Helxine Pliniana, Anguill. Variat hæc quod altera ſit flore albo amplo, interdum ſine caule, nonnunquam caule pedali: altera minor, flore purpuraſcente & ſine caule. II. Chamæleon albus caule donatus, C.B. Eberwurtz, id eſt, Apri radix & Cardopatis, Brunf. Chamæl. niger vulgaris, Trag. Chamæl. niger alter, Matth. Lugd. Chamæl. niger, Lac. Chamæl. albus, Fuch. Lob. Chamęl. Lon. Leucacantha, Dod. gal. Carlina ſeu Leucacantha, Dod. fol. Carlina alia caule cubitali, Cam. Cardopatium flore albo caulem habens, Geſ. hor. Carlina maior, Cluſ. hiſt. Pan. Crocodilium, Lugd. flore eſt albicante, rariſſimè rubente. Hæc non videtur à præcedẽte differre, niſi quod caulem proferat. Hanc ex ſecunda & tertia Matth. edit. vbi tantùm hæ duæ habentur, in ſuum reſtituimus locum, vt cuius figura in quinque poſtremis edit. vt & ſuo in Comp. ſub Chamæleone nigro altero Chalcographorum iniuria, ſit poſita. III. Chamæleon niger alter, Matth. Chamæleon niger Dioſcoridis Maranthæ, Lob. Cam. Chamæleon niger Cortuſi, Dod. fol. Chamæleon niger Dioſcoridis, Anguill. & Caſt. Chamæleon niger verus Dalechampij, Lugd. Crocodilium, Tabernæmontano.

## Κροκοδείλιον. CROCODILIVM. CAP. X.

a πλευρομδὶν. ita Meum. i. lota. at Cat. ποτομδὶν. i. pota.

CRocodilion chamæleontis nigri figuram habet. Naſcitur in ſyluoſis, radice lõga, leui, aliquantulum lata, odore, vt naſturtij acuto. Feruefacta in aqua, & a pota radix, ſanguinem copioſum per nares pellit: datur lienoſis, eos euidenter adiuuans. Semen ei rotundum ineſt, duplex vti ſcutum: quod ſuapte vi vrinam ciet.

Crocodilij conſideratio. Opi. exploſa.

SVnt qui velint, Carlinam vulgò vocatam, eam inquam, quæ caulem profert, legitimum eſſe Crocodilium. Sed eorum opinio mihi quidem nullo modo ſatisfacere poteſt. Siquidem (vt præcedenti capite retulimus) Carlina, quæ caulem emittit, adeò omnibus in vniuerſum notis chamæleonem nigrum repræſentat, vt vix vnquam perſuaderi poſſim eam eſſe Crocodilium: præſertim cùm facto periculo iis ſanè viribus careat, quibus Crocodilium præſtare ſcribunt, nempe quòd radicis decoctum potum ſanguinem per nares copioſum trahat. Adde quòd Crocodilio radix ſit longa, leuis, aliquantulum lata, & odore, vt naſturtij, acuto. Illi verò Carlinæ generi craſſa, nigra, denſa, exeſaque: non autem lata, nec leuis, nec naſturtij odorem ſpirans.

Eryngium marinum nõ eſſe Crocodilium.

Non deſunt alij, qui Eryngium marinum Crocodilium exiſtiment. Verùm cùm illud in litoribus maris naſcatur, chamæleoni nigro ſit abſimile, nec ſanguinẽ è naribus eliciat: Crocodilium verò proueniat in ſyluoſis, compluribus aliis reclamantibus notis, iis etiam haudquaquam adſtipulari poſſum. O quàm magni facerent Medici Crocodilium, ſi in Italia naſceretur, vbi tamen hactenus ipſum videre non licuit, cùm eius radicis decoctum tanta ſit facultate præditum, vt potu tantùm ſanguinem copioſum per nares pellat.

Plin. de Crocod.

Crocodilij meminit Plinius lib. 27. cap. 8. non tamen plura tradidit, quàm Dioſcorides à quo illa omnia accepiſſe videtur: quanquam in hoc ab eo diſſentit, quòd Crocodilium in ſabuletis naſci prodiderit, cùm tamen in ſyluoſis naſci ſcribat Dioſcorides.

Crocodilij vires ex Gal.

Huius facultates li. 7. ſimplicium medicamentorum memoria prodidit Gal. ſic inquiens. Crocodilij ſemen acre eſt, atque odoratum, vrinam, menſeſque ciens. Itaque facultatẽ habuerit calidam,

*calidam, digerentem, & exiccantem. Succus tum caulis, tum ſeminis, vt quæ ſimilis ſint facultatis, nephriticos adiuuant. Radix pectoris excreationibus valenter conducit, minus quidem quàm ſemen acris, non tamen minus amara. Trahit verò etiam per nares ſanguinem. Quod κροκοδείλιον Græci, Latini quoque Crocodilium dicunt: Itali, Crocodilio.* Nomina.

## Δίψακος. DIPSACVS, SIVE LABRVM VENERIS. CAP. XI.

I. LABRVM VENERIS.



DIpſacus aculeatarum generis eſt. Caulem habet altum, ſpinis horridum: foliis lactucæ, ſpinoſis, binis, genicula ſingula complectentibus, prælongis, ceu quaſdam bullas intus & extra aculeatas, in dorſi medio habentibus, concauo alarum ſinu, in quo imber, aut ros aſſeruetur: vnde dipſaci, quaſi ſitientis, nomen traxit. In cacumine caulis, ſingula ſurculis capitula inſunt, oblõga, a echinata ſpinis: quæ arefacta, candida ſpectantur, diſſectaq; medulla tenus, vermiculos oſtendunt. Sanat rimas ſedis fiſtulaſque, ſi tuſa, & decocta in vino radix, vſq; dum ſit craſſitudo ceræ, immittatur. Medicamentum ærea pyxide recondẽdum. Aiunt formicationibus, verruciſq; penſilibus remedio eſſe. Vermiculi capitulorum in folliculo alligati, collo aut brachio appenſi, produntur quartanis febribus remedio eſſe.

a Μεῶν ἐοικεῖα ἐχίνῳ ὑπομήκη ἀκανθώδεσι. i. ſimilia erinaceo ſublonga ſpinoſa.

Dipſaci conſideratio.

*DIpſacus, quem Latini Labrum Veneris vocant, in Italia vulgaris eſt plãta, iјs præcipuè locis, vbi lanificia exercentur. Siquidem echinato eius capitulo mangones rudem adhuc pannum pectunt, expoliunt, detractiſq; floccis concinnant. In Hetruria Dipſacum vulgò appellant Cardo da cardare, Foroiulienſes verò Garzo. Seritur is hodie in campis in compluribus Italiæ locis, præſertimq; in agro Bononienſi, ſingulari à cultoribus adhibita diligentia: quinetiam ſpontè naſcitur nonnullis in regionibus. Sed & ſylueſtris quoque ſponte in campeſtribus, in agrorum, & ſcrobium aggeribus, in viis iuxta ſepes frequentiſsimus naſcitur, nullis prorſus repugnantibus notis quas illi reddidit Dioſcorides. Facie à priori parum admodum differt, ſylueſtrius tamen eſt & ſpinis lõgè horridius: Echinata capitula ſetis quoq; compluribus ſcatent, aculeis non adeò firmis, atq; aduncis, vt in altero genere. Non differt ſuis omnibus in facultatibus ab altero. Inuenitur*

II. LABRVM VENERIS ALTERVM.



III. VIRGA PASTORIS.



*autumni tempore (vt experientia quemq; docere poteſt) in eius capitulo iam exareſacto, medullituſq; diſſecto vermiculus ille, quem collo adalligatum quartanis febribus remedio eſſe produnt, piſcatoribus hamo aſſigendus maximè expetitur: etſi Marcellus Dioſc. interpres, & commentator, vermiculum hunc nunquam ſibi compertum fuiſſe ſcribat. Dipſacus officinis & herbariorum vulgo Virga Paſtoris maior nominatur. Quippe minorem etiam illius æmulam oſtendunt: quāquam non adeò ſtriato caule, ac ſpinis horrido cōſtet, folijs item infirmioribus ſit, & capitibus multò minoribus, vt quæ oliuæ magnitudinem non excedant. Sunt autem huius capitula tenuibus capillis referta, ita vt ſericis viridi colore infectis floccis ſimilia videantur. Prouenit vmbroſis & vliginoſis locis. Non crēdiderim ego hanc plantam à veneris labro admodum diſtare, imbecillioris tamen eſſe facultatis haud negauerim. Cæterùm animaduertendum eſt, neutrum Dipſaci genus, quod tum Serapioni, tum Auicennæ deſcribitur, eſſe Virgam paſtoris. Quandoquidem iis, quantum ex eorum ſcriptis colligere potui, Paſtoris virgam nil aliud eſſe putauerim, quam polygonum, cuius tū fœminæ, quam maris hiſtoriam lib. 4. tradidit Dioſc. Quapropter illud mihi ſemper perſuaſum velim, quòd non à Mauritanis Dipſaco Virgæ paſtoris nomen inditum ſit, ſed à ſeplaſiariis ijs, qui ſuis potius pandectis, quàm cæteris caſtigatiſsimis, & probatiſsimis ſcriptorum monumentis, fidem præſtare conſueuerunt. Namque Matthæus ille Syluaticus pandectarum auctor, Dipſacum Virgam paſtoris appellat: qui deinde in grauiorem errorem lapſus, Dipſacum ipſum cum polygono turpiter confundit, vtpote qui illud aſſequi non potuerit, quòd Arabum Paſtoris virga, eſſet Dioſcoridis polygonum, non autem Dipſacus: qui quidem tantùm a polygono differt, quantum lepores ab vrſis. Dipſaci meminit Gal. lib. 6. ſimpl. med. his paucis: Dipſaci ſpinæ radix ſecundo ordine exiccatoria eſt, habetq; nōnihil abſterſorium. Planta quæ Græcis Δίψακος, Latinis Labrum Veneris nominatur: Mauritanis, Dibſacos: Italis, Cardo da panni, & Diſſaco: Germanis,* Kartendiſtel, Karten Kraut, Buebenſtrel & Weber Kartten: *Hiſpanis, Cardencha, Cardo penteador: Gallis, Cardō à carder, & Verge à bergier: Bohemis, Stietk: Polonis, Sſczotki. Labrum veneris alterum iiſdem appellatur nominibus, quibus primum appellari diximus. At Virga paſtoris: Italis, Verga di paſtore, & Diſſaco minore.*

Virga paſtoris duplex.

Syluatici hallucinatio.

Dipſaci vires ex Galeno.

Nomina.

Dipſacus nomen à contrario inuenit, quoniam concauo alarum ſinu, rorē vel imbrē recipiat, quo velut ad abigendas ſitis iniurias abutitur. Hic ſatiuus eſt & ſylueſtris: eſt & folio in lacinias diuiſo: in quā claſſem referenda & Virga paſtoris. I. Dipſacus ſatiuus albo flore. C.B. Carduus fullonius ſatiuus, Trag. Labrū Veneris. Matth. Cord. in Dioſc. Caſt. Cæſ. Dipſacus albus, Fuch. Dipſacus ſatiuus, Dod. gal. & fol. Cor. in hiſt. Geſ. hor. Dipſacus, Lug. Card. fullonū, Lob. Galedragon Xenocratis, Anguillaræ. II. Dipſacus ſylu. purpureo flore. C.B. Carduus fullonū, Brūf. Carduus fullonis erraticus, Trag. Labrū Veneris alterū Matt. Labrū Veneris ſylueſt. Caſt. Labrū Veneris, Cor. in Dioſ. Lob. Labrū Veneris floſculis purpureis Cæſ. Dipſacus, Brunf. Lac. Lon. Tab. Dipſacus purpureus, Fuch. Dipſacus ſylu. Dod. gal. & fol. Cord. in hiſt. Geſn. hor. Thal. Dipſacus ſat. alter & Dipſacus ſylu. maior, Lugd. Molybdena Plinii, Dalechāpio in Plin. III. Dipſacus ſylu. minor, C.B. Cardui fullonii tertium genus, Trag. Virga paſtoris, Matth. Lob. Cam. cui & Dipſacus fatuus: Dipſacus tertius, Dod. gal. & fol. cui & Galedragon Plinii. Dipſaci ſpecies minor, Geſn. hor. Dipſacus ſylueſtris minor & Plumbago Plinii quibuſdam, Lugd. Dipſacus minor, Thalyo.

## Ἄκανθα λευκή. SPINA ALBA. CAP. XII.

SPina alba naſcitur in montibus, & ſyluoſis. Folia fert albi chamæleonis, anguſtiora, candidiora, aliquātum hiſpida, & aculeata: caulem ſupra bina cubita altum, pollicari, aut ampliore craſſitudine, albi-

I. SPINA ALBA.



II. SPINA ALBA ALTERA.



cantem, intus cauum: in cacumine capitulum ineſt ſpinoſum, echini marini æmulum, ſed minus, & oblongum: flores purpurei, in quibus ſemen, ceu cnicum, ſed rotundius. Huius radix pota, cœliacis, ſtomachicis, & iis, qui cruenta extuſſiunt, efficax eſt: vrinam cit: tumoribus illinitur. Decocto eius dentes in dolore collui prodeſt. Epotum ſemen conuulſis infantibus, & à ſerpente demorſis auxiliatur. Geſtatum pro amuleto ſerpentes abigere traditur.

Spinæ albæ conſid.

*Spinam albam ſeplaſiarij Arabas (vt plerunque ſolent) imitati, Bedeguar appellant. Sed non parua inter hos, & medicos oritur contentio, quænam in aculeatarum genere, quas plurimas genuit natura, Spina alba legitimè, notis omnibus adſtipulantibus, appellari poßit. Verùm etſi tantam litem tranſigere nequeant, interim tamen pro Spina alba alij alias herbas oſtentant, & quiſque ſuam veram exiſtimat. Quandoquidem ſunt eorum complures, qui ſibi certò perſuadent, Spinam albam eam aculeatam herbam eſſe, quam aliqui Carduum benedictum vocant, alij verò vulgò herba Turca. Sunt alij, qui Carlinam vocatam, id eſt album chamæleonem, Spinam albam eſſe contendant. Inter quos inuenio Monachos qui in Meſuem ſcripſerunt, quorum ſententiam, ſuperius in chamæleontis vtriuſque mentione, vt falſam reprobauimus. Sunt præterea, qui Spinam albam eſſe velint echinatum Carduum illum, & ſpinis rigentem, qui Hetruſcis in lacte cogendo coaguli vicem explet. Non deſunt inſuper qui vnam, vel alteram ſylueſtrem, ac ſpinis horrentem plantam, pro Spina alba nullo diſcrimine accipiant. Quo fit, vt omnes ij nullo veritatis lumine ducti, in huiuſmodi tenebris oberrent. Errat, meo quidem iudicio, hac in re Leonardus Fuchſius: quippe qui vltimo ſuorum paradoxorum capite, Spinam albam eam aculeatam herbam appellat, quæ omnium in vniuerſum aculeatarum plãtarum generum ampliſsimis cõſtat foliis, latè humi ſe ſpargentibus, ac crebris, albiſq; ſeu lacteis tota conſperſa maculis. Vnde apud quoſdam Lactariæ herbæ nomen adinuenit, etſi à quamplurimis, præſertim mulierculis, Carduus diuæ Mariæ dicatur. Hallucinatur inquã, pace eius dixerim, eo quòd non animaduerterit, hanc foliis albi chamæleonis triplo, quadruploq; maioribus in campeſtri planitie naſci, vt noſtra teſtatur Hetruria, vbi paßim ferè frequens naſcitur, non autem in montibus, ac ſyluis, vbi Spina alba Dioſcoridis teſtimonio prouenit. Legitimam Spinam albam, cuius hic primo loco imaginem expreßimus, miſit ad me Patauio Iacobus Antonius Cortuſus, rei plantariæ admodum ſtudioſus, quæ notis omnibus genuinam repræſentat. Siquidem foliis eſt albo chamæleonti ſimilibus, anguſtioribus tamen, ac candidioribus, ſubhirſutis, ſpinis rigentibus: caule verò bicubitali, pollicari, vel ampliore craßitudine, ſubalbo, & inani: in cuius cacumine echinus ſubalbidus inſidet, ſed minor, & oblongior, purpureis intus floribus, & ſemine cnico ſimili. Huic planè deſcriptioni, quæ etiam Dioſcoridis eſt, adſtipulantur frequentiſsimæ plantæ quæ ſuis echinis, ac ſpinis rigentes, in excelſioribus Ananiæ vallis montibus lariceis, abiegnis, & piceis ſyluis refertis, Iulio menſe viſuntur. Quapropter, vt quæ ad eos pertinent, rectè agant ſeplaſiarij, videant, ſciantq; non in planitie, & conuallibus Spinam albam prouenire, ſed in montibus: quorum ſi quandoq; tum cacumina, tum ſyluas adire non grauabuntur, procul dubio non magno etiam labore ipſam nanciſcentur. Hæc enim non modò ſeplaſiariis maximè cõducet, vt legitimam Spinam albam ſuis comp. med. immiſceant: verùm & eorum errorem deprehendent (in hoc etiam Ruellius verſatur) qui ſibi perſuadent, Spinam albam illud eſſe cardui genus, quòd à Tuſcis, eò quòd (vt paulò ante diximus) coaguli vicem præſtet, vulgò vocatur Preſura, quodq; nos Scolimum eſſe putamus. Eſt & ALTERA ACVLEATA plãta, cuius hic quoque imago ſecundo loco viſitur, quam quidam Spinam albam eſſe cenſent, ſed plura in hac deſiderantur. Error autem iis facilè deprehendetur, ſi illud adnotare voluerint, quòd aculeata hæc planta in hortis paßim ſeratur, foliis albo chamæleõti longè maioribus: & capitula ferat, quæ marinum echinum non parum excedant. Commiſcuit Meſues ſpinam albam, ac etiam Arabicam, quarum alteram ſuo idiomate Bedeguar, alteram verò Succhaa appellauit, ſyrupo de eupatorio vocato, quẽ miris laudibus extulit ad diuturnas febres finiendas, ad eas præſertim, quibus naturalia viſcera, nempe vẽtriculus & iecur imbecillia ſint reddita, & vbi à ſua naturali temperie receſſerint. Cuius tamen ſententiæ non parum refragatur Muſa Ferrarienſis: quippe qui longo ſermone contendat, nec Arabicam, nec albam ſpinam huic ſyrupo admiſcendam eſſe, quòd vtraq; adſtrictoria vi polleat, quæ (vt ipſe ait) ſyrupi huius intentionibus admodũ repugnat, cùm ad diuturnas obſtructiones tantum reſerandas, ſemper huius apud medicos fuerit vſus. Qua in re non ſolùm oſtendit Muſa auctoris mentẽ non percepiſſe, ſed nec etiam in hoc (pace viri alioqui clariſsimi dixerim) exactam curãdorum morborum rationem calluiſſe. Nam cùm Meſues ſyrupum hunc compoſuiſſet ad illas curandas febres, quibus naturalia viſcera imbecillia ſunt reddita, optima componendi methodo tam Spinam albam, quàm Arabicam illi inſeruit, vtpote quæ adſtrictoria vi, qua pollent, languida illa ac infirma membra, plurimùm roborarent: quibus incommodis ſolent periti, ac docti medici iis medicamentis occurrere, quæ odore, fragrantia, adſtrictoria facultate commendantur. Hinc itaq; facilè intelligi poſſe crediderim, quàm abſurda, explodendaq; ſit hæc Muſæ ſententia. Quin nec illud conſilium eius ſeplaſiariis accipiendum putauerim, quòd ſpinæ albæ, & Arabicæ loco, filiculæ radicem, ac ſabinæ folia huic ſyrupo ſubſtituere poßint, & debeant, vt magis atque magis tum vaſa, tum viſcera laxet. Quippe quòd ſi tantũ laxandi, ac reſerãdi facultate hoc medicamentum debuiſſet eſſe præditum, non modò harum ſpinarum radicibus carere debebat, ſed etiam roſis, lentiſcina reſina, Indica nardo, & malabathro expoliari: cùm tamen hæc omnia maturè, diligenterq; examinata, non ſine methodo, vt quæ robur his viſceribus allatura ſint, ab ipſo Meſue huic ſyrupo fuerint admiſta, ne ſcilicet natura diuturna febre imbecillis facta, & à relaxantibus, ac admodum reſerantibus medicamentis vexata, totam humorum molem alui profluuio, ob contentricis facultatis amiſſum robur, tanquam viribus omnibus deſtituta, ad mortem vſque demitteret. Meminit Spinæ albæ Gal. lib. 6. ſimpl. medic. ſic inquiens: Spinæ albæ radix deſiccatoria eſt, & modicè adſtringens. Quamobrem & cœliacos, & ſtomachicos iuuat, & ſanguinis reiectiones cohibet, & œdemata illita contrahit, ac dentibus dolentibus prodeſt, ſi decocto eius colluantur. Semen tenuis eſſentiæ & calidæ facultatis eſt. Itaque potum iis, qui conuelluntur, conuenit. Quæ planta Ἄκανθα λευκὴ Græcè, Spina alba Latinè dicitur: Arabicè, Bedeguard: Italicè, Spina bianca.*

Monachorũ error.

Fuch. lapſus circa Spinam albam.

Carduus D. Mariæ.

Spina alba legitima.

Quorundam error.

Spina alba altera.

Braſauoli calumnia contra Meſuem depulſa.

Spinæ albæ vires ex Gal.

Nomina.

Circa Spinam albam non leuis cõtrouerſia, alibi tractanda. I. quę hic primo loco poſita in primis non habetur editionibus, at in duabus, vbi maiores figuræ, Spina alba altera dicitur: in Italica edit. titulus eſt, Spina alba & nigra: in compendio prætermiſſa, quare nomine Spinæ albæ alterius Matth. Lugd. hiſtoria pinxit, Spinam albam Penæ, pronunciando. II. Quæ verò Spina alba altera Matthiolo nominatur, in primis editionibus, vt & compendio, pro Spina alba pingitur: editione verò Italica, Spina alba quorundã nominatur: dicitur Chamæleõ verus, Trag. Chamæleon niger, Fuch. fol. Spina incognita, eidem in icon. Spina peregrina, Dod. gal. Carduus Sphærocephalus, Cord. hiſt. Dodo. fol. Tab. Crocodilium, Lac. an & Cord. in Dioſc. Echinopus aliquibus, Spina alba, Geſ. hor. Spina alba putata, Camer. ad Matth. Chalceios Theop. & Plinii, Lug. Tetralix ſpinoſa, eidẽ. Crocodilium Fuch. & Cordi, Lob. in obſer. Ritro ſeu Rutro

Theoph. Lob. icon. Huius & alteram ſpeciem Cam. addit ſuo Matthiolo, quæ à præcedenti potiſſimum floris colore, qui cæruleus eſt differt, & quod illo humilior, foliaque candidiora & anguſtiora habeat.

## Ἄκανθα ἀραβική. SPINA ARABICA. CAP. XIII.

a πρὸς ῥοῦν γυναικεῖον.

ARabicam ſpinam natura albæ ſpinę ſimilē eſſę conſtat. Ipſa ſiquidem ſtringit. Ad ſanguinis reiectiones, a menſium abundantiam, cæteraſq; fluxiones radix etiamnum valet. Prouenit in aſperis.

* SPINA ARABICA.*



Spinam Arabicā non eſſe Acaciam.

*ERraſſe eos nimirum crediderim, qui ſibi perſuaſerunt, Arabicam ſpinam, cuius hic meminit Dioſc. eam aculeatam Arabiæ eſſe arborem, quam Acaciam vocant. Cuius erroris illud in primis indicium eſt, quòd nuſquã cōſueuerit Dioſcorides alicuius ſtirpis hiſtoriam diuerſis capitibus repetere, nec etiam arbores herbis commiſcere. Nam cùm lōga hiſtoria Acaciam arborem, quæ etiam Aegyptia ſpina vocatur, primo libro inter arbores deſcripſerit, abſurdũ quidem videretur, ſi eandem præter morem hic inter aculeatas herbas repeteret. Ad hoc indicium & illa ratio accedit, quòd ſi ſeorſum harum plantarum hiſtoriam tradidit Dioſc. diuerſas quoque plantas eſſe neceſſe eſt.*

Ruellii hallucinatio.

*Quamobrem non parum Ruellius hallucinatus deprehenditur, quòd non animaduerterit, in ſua huiuſce Arabicæ ſpinæ mentione, Dioſcor. hoc loco aculeatam quandã Arabicam herbam, albæ ſpinæ in vniuerſum æmulam intellexiſſe, non autem (vt ipſe putat) Acaciam nuncupatam. Qua in re non ſatis virum hunc admirari poſſum, quippe qui nō modò & Græcis & Latinis literis ſit habitus peritiſſimus, ac inter eos, qui hac noſtra ætate de ſtirpium hiſtoria ſcripſere, facilè princeps, ſed qui etiã Plinij hiſtoriæ fuerit ſtudioſiſſimus: quem tamē ſi accuratius perlegiſſet, ac ſequi voluiſſet, nunquam arbitror in eum errorem incidiſſet.*

Plinius de Spina Arabica.

*Quandoquidem Plin. lib. 24. ca. 12. alteram ab altera ſeparauit, & primò huius, de qua agimus, mentionem faciens, ſic inquit: Spinæ Arabicæ laudes, in odorum loco diximus: & ipſa ſtillat, ſtringitq; diſtillationes omnes, & ſanguinis excreationes, menſiumq; abundantiam, etiamnum radice valentior. Quæ à Dioſcoride verbotenus tranſtuliſſe perſpicuum eſt. Mox meminit Arabicæ alterius ſpinæ, quæ in arborem aſſurgit, his verbis: Eſt & Acacia ſpina. Fit in Aegypto alba, nigraq; arbore, item viridi, ſed longè melior eſt prioribus. Eiuſdem meminit etiam lib. 13. ca. 9. poſtquàm Perſeæ arboris materiem miris laudibus commẽdauit, vbi hæc habet: Nec minus Aegyptia ſpina celebratur in eadem gente, duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat: candida verò facilè putreſcit. Quibus ex locis palàm eſt, non crediſſe Plinium, vnam tantùm Arabicam, vel Aegyptiam eſſe ſpinam, quamuis Ruellius non ita rem acceperit. Qui item Gal. ſententiam hac in re non animaduertiſſe videtur: ſiquidem Gal. lib. 6. ſimpl. med. ita ſcribit:*

Spinę Arabicæ vires ex Galeno.

*Spinæ Arabicæ radix profluuium muliebre iuuat, & alia quæcunque, quibus auxilio eſt quæ apud nos naſcitur ſpina: ſed efficacius tamen omnia iuuãt tum radix, tum fructus ipſius. Hic verò & columellæ prodeſt, & iis, quæ in ſede inflata ſunt: tũ vlcera ad cicatricem ducit, mediocrem habens, & non moleſtam adſtrictionem: hæc Galenus. Qui vt has plantas diuerſas habuit, ita etiam ſeorſum de earum viribus diſſeruit.*

Nomina.

*Plãta ἄκανθα ἀραβικὴ Græcis dicta, Spina Arabica Latinis pariter & Italis appellatur: Mauritanis, Suchaha.*

I. CARDVVS ACVLEATVS.



Quam pro ſpina Arabica figuram adiecimus, Spinam Arabicam Dioſc. & Plinii cenſet Cæſ. at Aduerſaria & Lob. Carduum tomentoſum nominant: Suchaha Arabum, Guilandino dicebatur, de qua in hiſtoria.

## Σκόλυμος. CARDVVS. CAP. XIIII.

† Orib. μεταξὺ χαμαιλέοντος καὶ τῆς λευκῆς ἀκάνθης. i. inter chamęleonē, & albam ſpinam.

a Cat. μικρὸν. i. paruum, ſed mendosè vt puto.

b Cat. λευκὴ. i. alba.

CArduus, Græci ſcolymon vocant, † folia chamæleonis habet, & albæ ſpinæ, nigriora, & craſſiora: caulem a longum edit, folioſum, capite ſpinoſo: radice b nigra, & craſſa. Quæ illita graueolentiam alarum, totiuſq; corporis emendat: item ſi decocta in vino bibatur: copioſam autem vrinam, fœtidamq; expellit. Herba cùm recens tenereſcit, in olera, aſparagi modo, tranſit.

Etſi

Etſi vnius tantùm Cardui breuiter etiam hoc loco meminerit Dioſcorides, Theophraſto tamen, Plinio, ac alijs probatis auctoribus, plura Cardui genera traduntur. Verùm vt primùm de his, qui natura cultrice ſponte proueniunt, ſermo fiat, ſcire ſanè conuenit, quòd eorum diuerſa ſunt genera: quorum tamen nomina propria, quòd ſciam, non habentur. Atqui Plinio lib. 20. ca. 23. duo tantum eorum genera produntur: vnum fruticoſius ſtatim a terra: alterum verò vnicaule, & craſſius. Satiuorum autem, qui tum in hortis, tum in agris ſeruntur, multiplex eſt genus. Horum principem locum tenent, quæ Hetruſcis vulgò vocantur Cardoni. Namque ij diligenti cultura adeò teneri, fragiles, albique euadunt, vt magno quidem apparatu, ſecundis cœnis pro bellarijs cum ſale, & pipere expetantur. Quo argumento ductus, equidem putauerim de his verba feciſſe Theophraſtum libro 6. cap. 4. de plantarum hiſtoria, cùm ita ſcribit: Quæ autem Cactus nuncupata eſt, in Sicilia tantùm naſcitur, Græcia nuſquam habetur ſui generis planta: hæc enim ſtatim ab radice caules repentes in terram mittit, folio lato, atque ſpinoſo: caules hos Cactos appellant, deſquamati cibo idonei ſunt, paulò amaricantes: & reſeruare hos aqua ſalſa conditos conſueuerunt: hæc Theophraſtus. Noſtrates, quibus vbique nunc Hetruria ſcatet, eò ex Neapoli allati fuerunt, Neapolim verò (vt audio) ex Sicilia. Quapropter noſtri cum hoc Theophraſti genere maximè conuenire videntur, quòd ſcripſerit, Cactum Siciliæ peculiarem eſſe plantam. Carduus ACVLEATVS folia gerit non aculeato magis diuiſa, magiſque laciniata, tenuibus circumdata ſpinis, caulem quoque alteri ſimilem, ſtriatum, ſubalbicantem, in cuius ſummitate echinatum, aculeatumque extuberat caput, flore hyacinthino: ſemine Cnici minore. Radice nititur craſſa, firma, non inſuaui. Colitur in hortis ad menſarum bellaria. Idem præſtare poteſt, quod alter. Continentur præterea in Carduorum genere etiam ij, quos in Italia Hetruſcum vulgus appellat Carcioffi, alijs verò inibi Archiocchi dicuntur, quorum item meminit Theophraſtus eodem loco, cùm ſubdit: alium verò caulem erectum producit, quem pternicem vocant. Is quoque cibis aptus excreſcit, ſed reſeruari non patitur: fructus in quo ſemen, echinata ſpecie eſt. Verùm exemptis lanuginoſis ſeminibus, is quoque veſcendus relinquitur, & cerebro palmæ ſimilis eſt: hactenus Theophraſtus. Qui pro palmæ cerebro illud, quantum equidem reor intelligit, quod Galenus encephalon pluribus in locis appellari tradidit, & quod nunc corrupta voce Neapolitanis, & Siculis vulgo vocatur Ceſaglione, de quo libro primo in Bdellij mentione abundè diſſeruimus. Carduorum autem, quos vulgò Carcioffi vocari diximus, nobis plura ſunt genera, varia capitis forma diſtincta. Siquidem proferunt omnes echinata capitula, ſed aliqui ſpinis ſurſum reſpicientibus conſtãt, alij verò ad terram verſis, nonnulli etiam tam in folijs, quàm in fructu aculeis vacant, ob idque cæteris in cibis præſtant. Sunt præterea in hoc poſtremo genere, quibus echini in longum faſtigientur, quibus verò in globum extuberent, dehiſcentibus in altero ſquamatim ſpicis, in altero iiſdem ſquamis, veluti corticoſis vnguibus in vnum compactis, & coagmentatis, nucis pineæ inſtar. Spinis carebunt, vt hortorum cultores teſtantur, Carduorum capitula, ſi priuſquàm ſeratur ſemen, acuminata eius latera retundantur. Sine aculeis etiam naſcuntur, ſi delibratis lactucæ radicibus, & diſſectis ſemina integra condantur. Vnde illud facilè potuit factum eſſe, vt ij, qui aculeis non rigent, humano culto mitiores euaſerint, cùm natura Carduorum omne genus ſpinis vacare nequeat. Carduus

Carduorum cõſideratio, & genera.

Cardoni.

Cactos Theophraſti.

Cardui carcioffi.

Palmæ Cerebrum quid.

Carcioffi genera.

II. CARDVVS NON ACVLEATVS.



III. CARDVVS VVLGA.



qui ACVLEIS caret, folia promit grandia per ambitum laciniata, auerſa parte ſubalbicantia, numeroſaque: caulem edit longum, folioſum, capite echinato, ſine aculeis tamen: & quadantenus pini cono ſimile. Seritur paſſim in hortis & viridarijs. Radicum decoctum potum hydropicos, & ictericos ſanat. Echini nondum floreſcentis pulpa, è carnium iure decocta, pro bellarijs vtimur, vna cùm ſale & pipere, & qui veneri indulgent, galangam quoque addunt. Itali rarò decoquunt, ſed echinata capita cruda cum ſale vorant. Cardui meminit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum: nec tamen plura de eius viribus tradidit, quàm fecerit Dioſc. Sed de temperamento diſſerens, ei caliditatis ſecundũ ordinẽ completum, aut tertium incipientem, ſiccitatis verò ſecundum aſſignauit. Et libro 2. de alimentorum facultatibus, Carduum Cinaram appellauit,

Cardui vires ex Gal.

Nomina.

*pellauit, ac alimentum, quod corpori præbet, meritò damnauit, quòd melancholicum ſuccum generet.* Σκόλυμος *ea planta eſt Græcis, quæ Latinis Carduus, Cinara, & Strobilus nominatur: Arabibus, Raxos, Harxos, ſiue Sacolomas: Italis, Carde, Carcioffo: & Archichiocco: Germanis,* Strobildorn *: Hiſpanis, Cardo de comer, ſeu Cardos: Gallis, Artichault, & Carcophe. Carduus aculeatus, Græcis* Σκόλυμος ἀκανθώδης*: Italis, Cardo & Carcioſo Spinoſo.*

Scolymus ſatiuus eſt & ſylueſtris: Satiuus duplex, aculeatus & non aculeatus, & rurſus capitis figura nunc oblonga, nunc rotunda, hæcq; maximum, mediocre & paruum, cuius ſquamæ in aculeum deſinunt breuem, nunc robuſtum, nunc infirmum, nunc propè nullum: quorum color nunc ſubrubens, nunc viridis. Dicitur Carduus Plinio, Cinara Galeno & Columellæ. I. Scolymus aculeatus, C.B. Tab. Scolymus, Trag. Fuch. Cord. in Dioſc. & hiſt. (cui & Carduus ſatiuus) Lob. (cui & Cactos Theophraſti) Cam. Carduus aculeatus, Matth. Carduus Lacu. Carduus hortenſis ſpinoſus, Geſ. hor. Caſt. Carduus Scolymus, Lon. Carduus altilis, Lug. Cactus, Matthioli eidem. Cynaræ aliud genus, Dod. gal. Cinara, Dod. fol. à Cinere, vt habet Columella, quo ſtercorari amat. Cardones Cæſalpino. II. Scolymus non aculeatus, C.B. Tab. Cardui alterum genus ſine aculeis, Trag. Carduus non aculeatus, Matth. Carduus aut Scolymus non aculeatus, Lonic. Carduus hortenſis non ſpinoſus, Caſt. Carduus hortenſis, Scolymus Cactus, vel Cinara vulgo Artiſchau, folijs ſine ſpinis, Geſ. hort. Carduus ſatiuus, Cæſal. Cinara, Dod. gal. Lac. Cinara non aculeata, Lug. ſæpè ex vno ſemine vtraq; prouenit, vt ſpeciatim aculeata ex ſemine non aculeati: quamuis & maiore & minore habeatur ſemine. III. Carduus vulgaris Matth. quem in compendio omiſit Lugd. Carduus vulgatiſsimus viarum, & Onopyxos Guilandino, Lob. Carduus ſylueſtris alter, Dod. fol. cui & Scolymus Plinij, Scolymus ſylueſtris, Cam. ad Matth. Heracantha Tabernæmontano.

## Ποτήριον. POTERIVM. CAP. XV.

a Meũ θαμνίσκος ἐστὶ μέγας. ita habet meum. Sed Catac. θάμνος μέγας.

b Orib. ἀμμώδεσι. i. arenoſis.

POterium, Iones neurada vocant, a largè fruticat, cortice obductum tenui, ſpinis horridum, lanugine ſpiſſa, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, tragacanthę proximis: folijs paruis, rotundis: flore exiguo, candidi coloris: ſemine nullius vſus, ſed guſtu acuto, & odorato. Naſcitur in b aquoſis, & collibus. Radices demittit binûm ternûmue cubitorum, neruoſas, & firmas: quæ proximè terram reciſæ, dant ſuccum gummi ſimilem. Tuſæ, præciſis neruis, & vulneribus glutinandis illinuntur. Decoctum quoque eius neruorum affectibus prodeſt

POTERIVM.



Poterij conſi.

*POterium adeò Tragacanthæ proximum habetur, vt illi omnibus ſuis notis congener eſſe videatur. Peculiariter autem ſupremos ramos habet in vertice extuberantes, & tenui lanugine obductos, quod in Tragacantha non viſitur. Plantam itaque quam hic pro Poterio appinximus, miſit ad me Conſtantinopoli Clariſſimus Augerius de Busbecke Cæſaris Ferdinandi Orator apud Solimanum Turcarum imperatorem. Sed hic nobis admodum mirari ſubit Ianum Cornarium, virum alioqui ætatis noſtræ inſignem, quòd prunum ſylueſtrem Poterium eſſe crediderit. Quæ certè ſententia, vt eſt meo iudicio abſurda, ita non immeritò à Fuchſio medico clariſſimo refellitur. De Poterio ſcripſit Galenus libro octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, his verbis: Neuras, quidam Poterium vocat. Deſiccandi abſque morſu facultatem poſſidet, adeò vt & neruos inciſos glutinare credatur. Radices eius potiſſimum ſunt eiuſmodi: quin & decoctum earum quidam exhibent ijs, quibus affecti ſunt nerui. id Græci* ποτήριον, *quod item Poterium Latini vocant. Itali, Poterio.*

Cornarij opinio falſa Prunum ſylueſtrē Poteriũ credentis.

Poterij vires ex Gal.

Nomina.

Poterium Matth. Caſt. Lugd. Tab. videtur eadem cum ea quam Cluſius hiſtoria Hiſp. pro Tragacantha altera propoſuit, & an Poterium ſit dubitat, quem ſequutus Lob. & Lugd. Tragacantham alteram, ſiue Poterium Cluſij nominant, & Tragacanthæ ſecundæ nomine Tabernæmontanus exhibet, ſub quo nomine & Bellonius lib. 1. obſer. 17. referre videtur.

## Ἀκάνθιον. ACANTHIVM. CAP. XVI.

ACanthium albæ ſpinæ ſimile, folijs aculeatis per extremitates, † & lanugine araneoſa obductis, ex qua collecta, & neta, veſtes bombicinis ſimiles texit. Folia, vel radices ad remedia opiſthotoni bibuntur.

Acanthii cõſideratio.

*SI planta in Italia naſcitur, quæ legitimum Acanthium repræſentet, hæc profecto, cuius hic imaginem expreſſimus, Acanthium mihi rectè repræſentare videtur. Siquidē folijs eſt & albæ ſpinæ per extremitates aculeatis, & araneoſa lanugine obductis. Id quod non nobis tantùm opinionem auxit, ſed alijs quoq; rei plantariæ ſtudioſis. Naſcitur in montibus & locis in-*

## ACANTHIVM.



*cis incultis. Verſantur magno in errore qui pro Acanthio quandã Cardui mõtani ſpeciem, echino lanugine quadam obducto, demonſtrant. Nam præterquàm quòd hæc folia habeat nulla lanugine velata, nullo pacto quæ echinatum capitulũ circũueſtit, depecti, vel neri poteſt, vtpote quæ tenuiſsima ſit, ſine villis, fragilis, ac omnis lentoris expers.*

*Quod Græci ἀκάνθιον, Latini ſimiliter Acanthium, & Itali Acanthio dicunt.* Nomina.

*† Verba illa de lanugine non leguntur in vulgatis Græcis Dioſcoridis exemplaribus: quæ tamen hic deſiderari oſtendit abruptus auctoris ſermo. Vnde ea non temerè ex Plinio adiecerunt interpretes, eius tantùm, vt puto, auctoritate freti. Nos verò eò audacius illa addenda putamus, quòd ea legantur in Oribaſij codice manu ſcripto, in quo ex probatiſsimo Dioſcoridis libro ita tranſcripta inueniuntur, καθ᾽ ἃ ἀραχνοειδὴς ἐςὶ χνοῦς, quæ ad verbum ſonant: circa quæ araneoſa eſt lanugo. Id quod meum quoque exemplar manu ſcriptum habet, vt ex appoſita in margine patet.*

Spina alba ſylueſtris, C.B. Fuch. Lon. Spina alba tertia, Trag. Spina alba, Cornaro. Acanthium Matth. Dogal. & fol. Lob. Caſt. Lugd. Cam. cui & Onopordon alterum. Acanthium vulgare, Taber. Silybum ſiue Leucacantha Loniceri, eidem. Carduus ſylueſtris, polyacantha Theophraſti, Cæſal. an Onopordon Athenæi, Anguillaræ. Flore albo & purpureo variat.

## I. ACANTHVS.



Ἄκανθος. ACANTHVS.
CAP. XVII.

Acanthus, † Romani pæderotam vocant, naſcitur in hortis, petroſis, & riguis. Folia habet multò lactucaceis latiora, & longiora, erucę diuiſura, nigricantia, a pinguia, læuia, caulem binum cubitorum, digitali craſsitudine, læuem, prope verticem ex interuallis circundatum foliolis, b ceu nucamenta quædam oblonga referentibus, ſpinoſis, è quibus flos prodit albus: ſemen oblongum, luteum: caput thyrſi ſpecie: radicibus nititur longis, mucoſis, rubris, & glutinoſis. Quæ vſtis igni, & luxatis artubus illitæ ſubueniunt: potæ vrinam ciunt, ſed aluum cohibent: ruptis, cõuulſis, tabem ſentientibus, mirè proſunt. Naſcitur & ſylueſtris Acanthus ſcolymo ſimilis, aculeatus, breuior quàm ſatiuus, & is qui in hortis prouenit. Cuius radix ad eadem ad quæ ſuperior efficax.

† Ori. ἢ μελάμφυλλος ἢ παίδερος. i. vel melaphyllos, vel pæderos.

a Meum λιπαρά, λεῖα. i. pinguia lęuia ſed Ca. λιπαρὰ λίαν. i. pinguia valde.

b Meũ, & Ca. διονεὶ κιτ[ι]αρίοις ὑπομήκεσιν, ὑακινθώδεσιν ἐξ ὧν τὸ ἄνθος. i. velut pileolis oblõgis, hyacinthinis, ex quibus flos. Acanthi [illegible]

*Credunt omnes ferè huiuſce temporis rei herbariæ ſtudioſi, Acanthum eam eſſe plantam, quæ nobis vulgò vocatur Branca orſina: quorum ſententiæ nec prorſus refragari, nec planè adſtipulari poſſum. Nam etſi in eorũ opinionem multis adducar rationibus, non ſolùm quòd ij magnæ ſint apud me auctoritatis, ſed etiam quòd ipſe viderim hanc, quæ Branca vrſina dicitur, folijs lactucæ latioribus, longioribusq́; , erucæ modo laciniatis, nigricantibus, ac molli quodam læuore pinguibus: caule item læui, bicubitali, pollicari craßitudine, per interualla ſub ipſum vſque verticem foliolis quibuſdam oblongis, veluti nucamentis, circumdato: è quibus flos prodit candidus, & inde ſemen oblongum luteumque: atque etiam radice eadem conſtet, qua Acanthus: aliqua tamen relinquitur dubitatio, an Branca vrſina legitimus ſit Acanthus, cùm foliola, quæ nucamenti inſtar illius caulem cingunt, nullis ſpinis horrida conſpiciantur, plantaque ipſa videatur topiarijs operibus inepta: ad quæ Acanthus olim (vt Plinius libro & cap. 22. auctor eſt) conueniens habebatur: ac etiam ea hodie ab omnibus ferè negligatur, & veluti ignobilis planta, in perpaucis tum hortis, tum viridarijs ſeratur, cùm apud antiquos Acanthus celebris, & in magno honore habitus ſit, ac plurimis laudibus fuerit decantatus. Neque illud ſuſpicionem noſtram diluit, quòd dixerint aliqui Acanthina folia, quæ in quibuſdam Italiæ locis marmoreis columnis, præſertimq́; Corinthias imitantibus, inſculpta reperiuntur, nulla prorſus linea à Branca vrſina*

Branca vrſina an legitimus Acanthus.

*vrſinæ folijs differre. Siquidem contra ijs quiſpiam facilè reſpondere poſſet, quòd etſi vtraq́; eandem retineant formam, non ob id tamen neceſſariò vnam, & eandem ſpeciem repræſentant. Quare quemadmodum dubium eſt aſſerere, Brancam vrſinam ab Acantho non differre: ita idem negare vitium eſſe videtur. Cæterùm ad hanc tollendam dubitationem illud non parum, meo iudicio, facit, quòd ijſdem facultatibus Branca vrſina prædita ſit quibus pollere Acanthum Dioſcorides, & Galenus memoriæ prodiderunt. Illud inſuper addiderim, quòd etſi dicat Dioſcorides, oriri Acanthum caule foliolis ſpinoſis, ceu vacamentis, prope verticem vſque ex interuallis circumueſtito, poteſt tamen intelligi, quòd non re vera foliola illa aculeis horreant, ſed quòd adeò acuminata erumpant, vt ſanè ſpinis perſimilia videantur. Quinetiam cùm Plinius duo Acanthi genera faciat, libro & capite vigeſimo ſecundo, alterum criſpum aculeatumq́;, alterum læue, quod aliqui pæderotam vocant, alij melamphyllum, mirum non eſſe debet, ſi acanthus, qui in noſtris habetur viridarijs, nullis rigeat aculeis. Id quod facilè credi poteſt, cùm cæteris omnibus notis Branca Vrſina Acantho à Dioſcoride repræſentato adamuſsim reſpondeat. Neque impedit, quòd loco citato aſſerat Plinius, Acanthum in hortis crepidines marginum, aſſurgentumq́; puluinorum toros veſtire. Quamuis enim necti haud facilè ex ſe valeat, tamen tum caulis, tum folia ob eorum mollitiem, lentoremq́; adeò flecti queunt, vt vimineo aliquo nexu topiario operi etiam non incommodè aptari poſsint. His itaque rationibus innixus, eos equidem non aberraſſe exiſtimo, qui Acanthum, & Brancam vrſinam, vnam & eandem plantam eſſe ſcriptis tradiderunt. Reperitur & ſylueſtris Acanthus, carduo (vt Dioſcorides inquit) ſimilis, ſpinoſus, folijs tamē domeſtico anguſtioribus. Quocirca non ab re Plinius quoque duo Acanthi genera conſtituit. Cæterùm quoniam ſcribit Dioſcorides Acanthum Romanis pæderotam vocari, prætermittere ſanè non potui quin lectorem admonerem apud Græcos pæderotam aliam quoque eſſe plantam, vt teſtatur Pauſanias libro ſecundo deſcriptionis veteris Græciæ, vbi ſic habet: Naſcitur Pæderos herba intra ſeptum Veneris, apricо loco, neque alibi vſpiam prouenit, ne in ipſa quidem Sycionia. Folia ei minora fagi, ilicis maiora, forma eadem ferè cum quercus folio, altera pars ſubnigra, alba altera, neque omnino diſsimilis color ei, qui in albæ populi folijs cernitur. Acanthi meminit Galenus libro. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Acanthos, alij quidem Melamphyllum nominant, alij verò Pæderota. Folia quidem mediocriter digerentem facultatem obtinent. At radix exiccatoria eſt, & leuiter inciſoria, & tenuium partium. Planta, quæ Græcè ἄκανθος, Latinè ſimiliter Acanthus nominatur: Italicè, Acantho, & Branca orſina: Germanicè, Bårenklaw: Hiſpanicè Yerua giguante, & Branqua vrſina: Gallicè, Branque vrſine. Quæ verò Græcis ἄκανθα ἀγρία, Latinis Acanthus ſylueſtris vocatur: Italis, Acantho ſaluatico.*

## II. *ACANTHVS SYLVEſtris ſpinoſus.*



Acanthi duo genera Plini.

Acanthus ſyl. Spinoſus.

Pæderos Pauſan.

Acanthi facultas ex Gal. Nomina.

Acanthus ſiue Acantha, Branca vrſina officinis dicitur, à ſimilitudine, quam eius folia cum anterioribus vrſorum pedibus habeat. Hæc duplex, folio non ſpinoſo & ſpinoſo. I. Acanthus ſatiua læuis, C.B. Acantha inter herbas Theophraſto, vbi Spinam Gaza vertit: Acanthus mollis, Virgilio. Acanthus verus, ſeu Branca vrſina Italica vera, Trago. Acanthus, Matth. Cord. in Dioſc. Lacu. Anguil. Lon. Caſt. Cæſal. Acanthus vera, Fuch. Cam. Acanthus ſatiuus, Dod. gal. & fol. Geſ. hort. Lob. Lugd. Taber. II. Acanthus ſylueſtris ſpinoſus, C.B. cuius obiter hoc loci Matthiolus meminit, Acanthus ſylueſtris Scolymo ſimilis aculeatus Dioſcoridis, Lob. obſ. Acanthus ſylueſtris, Dod. fol. (cui propriè ἄκανθα Spina dici poteſt) an & Anguil.? Branca vrſina aculeata Lugd. Chamæleonta Monſpelienſium, Lob. in iconibus. Hic caule floribus, & colore & forma, tum & ſemine ſatiuum refert, niſi quòd ſit humilior: folia ampla quidem ſed ſatiuis anguſtiora, multis inciſuris laciniata, frequentius duris ſpinis circa margines horrentia. Circa Monſpelium obſeruauimus: ſunt qui in quibuſdam maritimis Italiæ prouenire teſtentur.

† Lēticulæ nō leg. Orib.

a ἰσώδη Ca. 1. ſubolētibus.

## Ἀνωνὶς, ἢ ὀνωνίς. ANONIS, SIVE ONONIS. CAP. XVIII.

† Ori. ἀηδῶς. i. iniucundis

† Ori. add. ϛερεὰν. i. ſolidam.

b Meū. non habet neque Cat.

c Meum. non habet neque Cat.

ANonis, quam aliqui ononida appellant, ramos habet fruticoſos, dodrantales, aut maiores, frequentibus geniculis cinctos, cauis alarum multis, capitibus rotundis: folijs † lenticulæ, tenuibus, puſillis, ad rutæ, aut pratenſis loti folia accedentibus, ſubhirſutis, a odoratis, non † iniucundè olentibus. Muria conditur, antequàm ſpinoſa fiat, cibis gratiſsima. Rami acutioribus ſpinis, & veluti ſpiculis firmioribus horrent. Radicē mittit † candidam, quæ excalfacit, b & extenuat: huius cortex ex vino potus vrinam ciet, calculos comminuit, margines vlcerum erodit. Radix cum decoquitur in poſca, dolorem dentium collutione mitigat. c Decoctum eius potu hæmorrhoidas ſanare creditur.

Anonidis cōſideratio.

Reſta bouis.

*NAſcitur Anonis in pratis, cultis, atque etiam incultis locis, arido præſertim ſolo: folijs tenuibus lentis modo, puſillis, quæ ad rutæ, vel pratenſis loti effigiem proximè accedunt, ac cæteras omnes notas refert, quibus à Dioſcoride depingitur. Ruſticis ob id notiſsima eſt, quòd non modò ſuo ramorum, ac radicum implexu, aratra inuitis bubulcis in medijs agrorum ſulcis ſæpius remoretur, vnde Reſta bouis compluribus nominatur: ſed quòd etiam meſſoribus, & fœniſecis ſpinis ſuis acutis*

admodum

I. ONONIS.



*II. ANONIS NON SPINOSA PVRpurea.*



*admodum ſit infeſta. Nam etſi prædura, calloſaq́; ſit eorum cutis, eam tamen ſuis perforat aculeis, quibus quaſi ſpiculis, cùm maturuerit, horrida conſpicitur. Inſubres hanc vulgò Bonaga vocant. Cæterùm quamuis floris eius nihil meminerit Dioſcorides: conſtat tamen flore pleruńq; purpureo ſubalbicante, interdum tamen aureo. Sed hæc quibuſdam in locis aculeis vacat flore melino, quanquam in aculeata purpureus flos perpetuò ſpectetur. Eandem floribus albis vidimus nos parumper extra Pragam, via qua itur ad Diuam Margaritam. Meminit Anonidis, ononidis nomine, Theophraſtus li. 6. ca. 5. de plantarum hiſtoria, ſic ſcribens: Ononis ramis aculeigera eſt, anno tantùm perdurans, folio rutæ ſimilis, ſed per totum caulem appoſito, vt veluti coronam ex interuallis tota ſpecies repræſentet. Florem minutulum, & in ſiliqua non vndiq; ſeptum edit. Naſcitur glutinoſo lætoq́; ſolo, & præcipuè in ſegetibus, atq́; cultis, quæ de cauſa agricolis inimica exit. Viuax admodum eſt: cùm enim altam nacta tellurem fuerit, protinus ſua infima pellit: & ſingulis annis, ſurculis in latus emiſſis, rurſus poſtero anno deorſum verſus pellere ſolita eſt. Ideoq́; effodienda tota, extirpandaq́; penitus eſt. Incipit germinare æſtate, perficiturq́; autumno: hactenus Theophraſtus. Huius quoq; mentionem fecit Plinius li. 27. cap. 4. vbi ſic inquit: Anonim, quidam ononidam malunt vocare, ramoſam ſimilem fœno Græco, niſi fruticoſior, hirſutiorq; eſſet, odore iucundo: poſt ver ſpinoſa: hæc Plinius. Qui tamen hac in re erraſſe deprehenditur: ſiquidem non poſt ver Anonis ſpinoſa redditur, ſed (vt Theophraſtus author eſt) in autumno. Id quod etiam experimento comprobatur. Anonidis radix vim maximam præſtat ad renum calculos comminuendos, expellendoſq́; obſtructis præſertim vrinæ meatibus: quod multorum teſtimonio compertum eſt, qui calculo affecti, vbi tantùm radicis corticum puluerem ex vino diutius bibiſſent, priſtinam ſanitatem recuperarunt. Noui ego quendā, qui huiuſce radicis puluere duntaxat pluribus menſibus ſumpto, carnoſum ramicē abſumpſit & ſanatus eſt: licet à medicis nullo alio medicamento, quam ſola ſectione vſtioneq; hunc curari poſſe antea ſtatutum eſſet. Eroduntur radicis puluere calloſi ac indurati vlcerum margines. Decoquitur eadem ex poſca vtiliter ad dentium dolores, mulcet enim hos, vbi iure os colluatur, & præſertim vbi pituita redūdet. Sunt qui putent ſanari hæmorrhoidas epoto tantùm radicum decocto. Cæterùm id, vt mihi compertum eſt, præſtat potum ſummopere ad Iocinoris, & vaſorum infarctus. Fit è radicibus aqua, quæ potata non ſolùm calculoſos expedit renes: & vrinam prouocat, ſed etiam veſicam, & eius ceruicem glutinoſis excrementis obſeſſam expedit. Sumuntur Corticum recentium radicum libræ quatuor: hæ minutim conciſæ, in vini Cretici libris octo macerantur, deinde vitreo alembico in aqua calentis balnei collocato, elicitur aqua, quæ in præſcriptis affectibus plurimū præſtat, pota ſemilibræ pondere. Anonidis vires deſcripſit Gal. li. 8 ſimpl. med. ſic inquiens: Ononis radicem habet tertio quadantenus ordine excalfacientem. Cortex eius maximè eſt vtilis, habens quippiam & abſterſorium, & inciſorium. Proinde non tantùm vrinas prouocat, ſed & lapides cōfringit. Eadē facultate & cruſtas citò detrahit. Vtūtur porrò ea quoq; & ad dentiū dolores, in oxycrato decoquentes, & collui decocto iubentes. Huic plantæ nomen Græcum eſt* ἀνωνὶς, & ὀνωνὶς, *Latinum item Anonis, & Ononis: Italicum, Anonide. Germanicum,* Hauwhechell vnd Stallkraut: *Hiſpanicum, Gatilhos, & Gathinar: Gallicum, Bugraues, & Burgrundes: Bohemicum Gebhice: Polonicum Tglica, ſiue liſtogon.*

Bonaga.

Anonidis hiſtor. ex Theophraſt.

Plinij lapſus.

Anonidis vires Matth.

Aquæ Anonidis vires.

Anonidis vires ex Gal.

Nomina.

Anonis Dioſcoridi & Plinio á non iuuando, ſiquidem aratoribus impedimento ſit, vnde Remora aratri, at Theophraſto & Galeno Ononis, quòd aſinos ad illam ſeſe terentes iuuet. Hanc diſtinguimus in ſpinoſam & non ſpinoſam: ſpinoſam in purpuream, eamque maiorem & minorem, luteam, albam: non ſpinoſam verò in purpuream & luteam. I. Anonis ſpinoſa purpurea, C.B. Reſta bouis, Trag. Lonic. Anonis ſiue Ononis, Matth. Lac. Tab. Anonis, Fuchſ. Dod. gal. & fol. Caſt. Ononis, Geſ. hor. Cord. in Dioſ. Anguil. Lob. Cæſal. Thal. Lugd. Ægipyros Crateuæ, Anguillatæ. II. Anonis non ſpinoſa purpurea, C.B. Tab. Ononis perpetuò læuis, Geſ. hor. Anonis non ſpinoſa ſiue mitior prima, Cluſ. Pann. cui & trifolium

fœti-

fœtidum. Anonis ſiue Ononis ſine ſpinis, Camerario. III. Anonis non ſpinoſa lutea, C. B. Hæc ex radice parua, lignoſa & fibroſa, caules emittit pedales & altiores, ramoſos, geniculatos, hiſpidos, vnctuoſos, quos folia multa lata baſi alternatim amplectuntur, plerumque quina, interdum etiam terna ex eodem pediculo prodeuntia, quæ molliora & lõgiora, quàm vulgaris, in ſummo obtuſa & crenata, ſalſuginoſa. Flores in ſummis cauliculis breuiore ſpica naſcuntur, luteopallidi, leguminum ſpecie quibus ſuccedunt ſiliquæ oblongæ hirſutæ in capreolum finientes, quibus ſemẽ pullo colore includitur. Tota planta lento & vnctuoſo humore obſita eſt, non tamen adeò grauiter odorato, ita vt attrectanti quaſi manus viſco retineantur, & vbi ſpontè naſcitur candidior, quàm ſi in hortis colatur. Hanc paſſim circa Monſpelium ad agrorum margines, & inter ſegetes obſeruauimus: in Hiſpania & Luſitania quoque reperitur. Dicitur Natrix Plinij herbariorum, Lobel. cui & Melilotus ſylueſtris pinguis Pennæi. Ononis lutea montana, Cam. ad Matth. Ononis lutea non ſpinoſa, Lugd. Anonis mitior flore luteo, Cluſ. hiſt. Pann. qui Hiſpanis Ciceris genus exiſtimari ſcribit.

* ANONIS NON SPINOſa lutea. *



## Λευκάκανθα. LEVCACANTHA. CAP. XIX.

LEucacantha, prædita eſt radice cyperi, a valida, & amara. Quę manducata dolorem dentium ſedat: veteri laterum dolori, atque iſchiadicis prodeſt, decocto cyathis tribus ex vino poto. Eadem ruptis, & conuulſis medetur. Radicis epotus ſuccus eoſdem præbet effectus.

a Meum πικρὰν ἰσχυρῶς, i. amaram valde.

Leucacanthæ conſideratio.

*IN manifeſto errore verſantur, qui ſentiunt, Leucacantham, hoc eſt albam ſpinam, de cuius hiſtoria, & viribus hoc capite tractatur, ab Acantha leuce, id eſt, ſpina alba, de qua paulò ſuperius diſſeruimus, nullo pacto differre. Qua in ſententia, vel potius errore, fuere nonnulli ex recentioribus, alioqui rei herbariæ periti. In quorum etiam numero Ruellium fuiſſe ex eo maximè deprehenditur, quòd cùm debuiſſet, more ſuo, poſt Anonidis tractationem, cuius titulo ſpinam albam quoque adiunxerat, quam tamen albam nominaſſe rectius fortè erat, eiuſdem albæ ſpinæ hiſtoriam referre, ex induſtria eam ſilentio præterijt. Nam cùm exiſtimaſſet, alteram ab altera non diſtingui, non opus eſſe iudicauit, earum hiſtoriã in Alba ſpina repetere, quam antea in ſpinæ albæ mentione tradiderat. Quo tamen in loco ab errore vindicari non poteſt: quippe quoniam poſtquam ſpinæ albæ, quam Mauritani Bedeguar appellant, meminerit, alteram eius nominis ſpinam ſubdidit: quæ cùm in arbuſtum vndiq; aculeis armatum aſſurgat, ſepibus extruendis ruſticis noſtratibus maximè expetitur. Non tamen ob id declarat ipſe hanc eſſe Leucacantham: ſed lubrico quodam lapſu, quaſi ſui ipſius, & cuius ſpinæ albæ mentionem fecerit, oblitus, in capitis calce aculeatæ illius arbuſculæ radicibus, quæ (ni fallor) candida eſt Dioſcoridis rhamnus, omnes tribuit facultates, quibus legitima ſpina alba à Dioſcoride commẽdatur. Qui quidem Ruellij error omnibus euidentior eſt, quàm vt pluribus refelli poſtulet. Quòd autem differant inter ſe Acantha leuce, & Leucacantha, non modò Dioſcorides inter cæteros ſimplicium medicamentorum ſcriptores facilè princeps oſtẽdit: ſed Galenus etiam, & Paulus, qui præterquàm quòd alteram ab altera diuerſis capitibus diſtinxerunt, earum ſingulam differentibus facultatibus præditam eſſe tradiderũt. Quorum ſententiæ ſubſcribit Plinius: nam de Acantha leuce diſſerens lib. 24. ca. 12. ſic inquit: Spinæ albæ ſemen contra ſcorpiones auxiliatur. Corona ex ea impoſita capitis dolores minuit. Sed vires longè alias ab his Leucacãthæ idem retulit li. 22. c. 16. vbi ſic habet. Leucacantham alij phyllon, alij iſchiada, alij polygonaton appellant, radice cyperi, quæ commanducata dentium dolorem ſedat: Item laterum, & lumborum (vt Hiceſius tradit) ſemine poto drachmis octo, aut ſucco. Eadem ruptis, conuulſisq; medetur: hac Plinius. Quæ quidem vidiſſe debuerat Ruellius, alioqui Plinianæ hiſtoriæ ſtudioſiſſimus: aut certè Hermolao doctiſſimo viro credidiſſe, à quo (etſi nunquam illum citet) integra quandoq; capita, imò (pace eius dixerim) integrum ferè ſurripuit opus, ita vt in omnibus illud ſuum feciſſe videatur. Siquidem Hermolaus, cùm in Leucacãtha, tum alias ſæpenumero commonuit in ſuo Corollario, hanc ab acantha leuce differre. Porrò illud etiam nobis ſilentio non diſſimulandum, vt ingenuè quod ſentimus de ſimplicibus dicamus, quòd Leucacantha herba eſt, non autem arbuſcula ſepibus conficiendis idonea, vt falsò, mea quidem ſententia, Muſa Braſauolus ſuo de ſyrupis libello in eupatorij ſyrupo exiſtimat. Nam hoc loco de herbis tantùm, & non de arbuſculis ſcribit Dioſcorides: qui nimirum in ſtirpium hiſtoria peritiſſimus, arbuſculam illam ſuprà libro primo inter Rhamni genera deſcripſit, & ſub candido, vt puto complexus eſt. Cæterùm cum nec Dioſcorides, nec Plinius tradant, quibus folijs, quo caule, flore, ac ſemine Leucacantha proueniat, difficilè quidem fuerit inter tot aculeatarum ſtirpium genera, vnam ſecernere, quæ verè Leucacantham repræſentet: tametſi damnandus vſquequaque non eſſet, qui dixerit Leucacantham eſſe fortaſſe aculeatum illum Carduum, de quo in Acantha leuce diximus, cuius folia albis quibuſdam maculis depinguntur, vnde illi nomen apud Italos eſt lacteus carduus, & apud alias nationes Mariæ carduus. Nam præterquã quòd coniectura quadã dici poſſet, eã à maculis illis albicantibus ſibi Leucacanthæ nomen adinueniſſe, radicis etiã ipſius tũ durities, tũ amaritudo, etſi forma cyperinas nõ æmuletur, cõſentire videtur. Sed hoc potius diſputandi, quã aſſerendi gratia proponimus: cùm adhuc haud vlla nobis comperta ſit plãta, quæ legitimã Leucacantham repræſentet. Cæterùm cũ hac CARDVVM, quem quidã Diuæ Mariæ, alij Lactariũ ab albis maculis vocant, in mentẽ renouarit, non ab re ſanè eſſe iudicauimus, ſi eius hiſtoriã, & vires hic explicabimus. Eſt itaq; Carduus hic, quẽ ego potius Aſininum vocarem quid*

Ruel. lapſus, dum Leucacantham idẽ cum Acãtha leuce ſtatuit.

Leucacanthę vires ex Plin.

Ruellius Hermolao ſua ſurripuit.

Braſauoli error.

Carduus Mariæ.

Carduus diuę Mariæ deſcribitur.

CARDVVS LACTEVS.



*quòd eius pabulo Aſini delectentur, planta folia fundens magna, pinguia, per ambitũ laciniata, & acutis tenuibusq; aculeis circumquaque ſtipata, quin etiam lacteis plurimis reſperſa maculis. Caulem profert bicubitalem, tricubitalemque, rotundum, ſpinis horrentem, brachiatumque, echinatis aculeatisq; in ſummitate capitulis, quæ Aeſtate media florent cinaræ modo, floribus purpureis ac capillaceis, ſemine cardui ſimili cnici minore, papposa lanugine ſcatente. Radice nititur valida altè deſcendente, amaro ſapore. Naſcitur ſpontè in campeſtribus, incultis locis ſecus itinera, agrorum marginibus, & à quibuſdam quoque in hortis ſeritur. Radix excalfacit, abſtergit,* Cardui lactei vires Matth. *aperit, prouocat, & attenuat. Radicis decoctum datur vtiliter potandum ad Iocinoris, & vaſorum obſtructiones & remorantes vrinas: quare confert hydropicis, ictericis, ac nephriticis. Idem ducit menſes, tam potum, quàm in deſeſſionibus adhibitum. Sunt qui radicis ſiccæ puluerem addito fœniculi ſemine, & longi piperis momento, ex ptiſana propinent nutricibus, lacti augendo. Stillatitia foliorum aqua vtuntur nonnulli ad lateris dolores, cui alij vt valentius agat, ſeminis ſemidrachmam adijciunt. Leucacanthæ vires paucis perſtrinxit Gale-* Leucacanthę vires ex Gal. *nus libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Leucacanthon, quidam autem polygonaton, alij iſchiada nuncupãt. Huius amara radix eſt, ac proinde incidit, & exiccat in tertio ordine: in calfaciendo autem ex primo eſt ordine.* Λευκάκανθα Nomina. *quæ Græcis, Alba ſpina Latinis appellatur: Italis: Bianca ſpina. Carduus verò Mariæ, & Carduus lactarius, Italis appellatur Scardaccio del latte, & Scardaccio bianco: Cardo del latte. Germanis* Mariendiſtel: vnſer Frawendiſtel: *Gallis, Cardon de noſtre Dame. Bohemis, Oſtropes: Polonis, Oſtiropeſt.*

Carduus Mariæ, aliquibus Silybum veterum, alijs Leucacantha, alijs Leucographis Plinij, alijs Carduus Galaxias, eiuſdem. Videtur Theophraſtus Acani nomine intellexiſſe, vnde reliqua Carduorum genera Acanacea dicta videntur. Dicitur Carduus albus, Brunf. Chamæleion, eidem in 4. Carduus Mariæ, Trag. Fuch. in icon. Geſ. hor. Caſt. Lon. Cam. Carduus Marianus, Cord in Dioſc. Tabe. Carduus lacteus, Matth. Lugd. Leucographys Plinij, eidem. Carduus leucographus, Dod. fol. Cardui ſylueſtris aliud genus, Cæſal. Spina alba hortenſis, Fuch. fol. Spina alba, Dod. gal. Lac. Leucacantha, eidem & Cornaro. Silybum, Lob. ſic & Anguillara ſuſpicatur. Huius eſt & altera ſpecies ex Syria allata à Rauvvolffio, & á Camerario, Carduus lacteus Syriacus dictus.

TRAGACANTHA.



Τραγάκανθα.

## TRAGACANTHA. CAP. XX.

TRagacanthæ radix lata, & lignoſa, ſummo ceſpite nititur: vnde ſurculos humiles, † robuſtos, latiſsimè fundit: in quibus minuta folia, multa, nonnunquam tenuia exoriuntur: quæ ſub ſe ſpinas albas, rectas, & firmas occulunt. Eſt etiamnum tragacantha lachryma, quæ vulnerata radice manans, concreuit. Præſtat pellucens, gracilis, a læuis, ſyncera, & ſubdulcis. Cutis ſpiracula, vt gummi, obſtruit. Huius increbuit vſus ad oculorum medicamenta: ad tuſsim, exaſperatas fauces, retuſas voces, cæteraſq; deſtillationes, cum melle in delinctu: ſubdita quoque linguæ liqueſcit. In paſſo madefacta, drachmæ pondere bibitur, contra renum dolorem, & veſicæ roſiones, miſto cornu cerui vſto, & eloto, aut ſciſsi aluminis momẽto.

† Ori. addi. πυκνοὶ. i. frequentes.

a Cat. λευκὴ. i. alba.

*TRagacanthæ plantam, à qua effigiem, quam hic exhibemus, deprompſimus, iampridem ad nos miſit quidam rei herbariæ ſtudioſus, qui illam attulerat ex Apulia Gargano monte. Ea certè eſt, quæ nullis prorſus notis à Dioſcoridis hiſtoria diſſentiat, vt ex eius pictura omnibus liquidò conſtare poteſt. Cæterùm lachryma è vulnerata radice manans, quam ſeplaſiarij vulgò vocant Gomma draganti, paſſim in officinis concreta viſitur, è Creta, Aſia, & Græcia aduecta. At non modò hæc (vt Dioſcorides inquit) è vulnerata prius radice manat, ſed etiam ſpontè (vt Theophraſtus eſt author) ab ea ſciſſo in latere cortice diſtillat. Sed hanc, qua vtimur, Monachi illi reuerendi, qui in Meſuem commentarios ediderunt, veram eſſe*

Tragacanthę confid.

Monachorũ erratum.

Tragacanthæ lachrymam negant, quòd legitima linguæ ſubdita facilè, Dioſcoridis teſtimonio, colliqueſcat: hæc verò nunquam, cum linguæ ſuppoſita adeò lenta, tenaxq́; euadat, admiſta ſaliua, vt nullo ferè temporis tractu diſſolui liquariq́; poſſit. Qua quidē in re ij (pace eorum dixerim) toto cœlo aberrant, vt qui Dioſcoridis ſententiam perperā acceperint. Siquidem Dioſcorides non de ſola lachryma linguæ ſubdita, ſed in eclegmate cum melle conformata, illud fieri ſcribit, cùm inquit: Vſus eius ad oculorum medicamenta, ad tuſſes, exaſperatas fauces, retuſas voces, cæteraſq́; deſtillationes, cum melle in delinctu: liqueſcitq́; ſubiecta linguæ: hæc Dioſcorides. Ex quibus palam eſt voluiſſe Dioſcoridem Tragacanthæ lachrymam non ſolam, & per ſe tantùm, ſed in eclegmate cum melle paratam linguæ eſſe ſubijciendam, vt clariſſimorum medicorum inſtitutione fieri adſolet cum bechicis catapotijs, & diatragacanthæ trochiſcis, quibus ipſa commiſcetur. Quippe cùm oporteat medicamenta, quibus aſpera arteria, pulmo, ac pectus vniuerſum expurgari debent, quadam temporis diuturnitate ore retenta, vel linguæ ſubdita, ſenſim leniterq́; liqueſcere, vt commodè in tracheam percolentur arteriam, voluit hic Dioſcorides eclegmatis vſum recta methodo deſcribere. Nam ſi huiuſmodi medicamenta deuorarentur, nihil prorſus proficerent, cùm ita non in pectus & pulmones deferantur, ſed in ventriculum. Huic & alia accedit ratio, quòd ſi intellexiſſet Dioſcorides lachrymam per ſe tantùm linguæ ſubmitendam, ſubiunxiſſet quidem, vt ſui moris eſt, quibus in morbis id factitandum eſſet: quandoquidem planè abſurdum videretur ſcribere, quòd aliquod gummi linguæ ſubijciatur, paulatimq́; liqueſcere cogatur, ac deinde ſilentio inuoluere, quibus in morbis id faciendum. His itaque rationibus non modò rectè, meo quidem iudicio, intelligi poteſt voluiſſe Dioſcoridem eclegma, quòd Tragacanthæ lachrymam acceperit, linguæ ſubijciendum eſſe, non ipſam tantùm lachrymam, ſed etiam Monachos in hoc, vt aliàs ſæpe deceptos eſſe. In collyrijs oculorum addita Tragacāthæ lachryma non ſolùm humorum acrimoniam in oculos deſluentium retundit, ſed oculos quoque roborat, & lōgè magis adſtringit, quàm ſarcocolla. Quinetiam lacte macerata, & illita, oculorum vngues, & palpebrarum puſtulas, pruritum, & ſcabiem ſanat. Valet ad pulmonum, pectoris & tracheæ arteriæ morbos, & medetur eorum vlceribus. In ſumma præſtat Tragacanthæ lachryma ad defluxiones omnes, in fauces, guttur, & pectus permeantes, & tuſſim excitantes, & præſertim in confectionibus addita, quæ linguæ ſubijciuntur. Datur vtiliter exulceratis renibus. Auxiliatur quoque dyſentericis, quæ toſta fuerit, tum ex vino cydoniorum pota, tum clyſmate infuſa. In ſumma vbi læuigare, obtundere, & reprimere opus eſt, præſtantiſſimum ſemper fuerit medicamentum. Tragacanthæ vires ſcriptas reliquit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, his paucis verbis: Tragacantha ſimilem gummi vim obtinet, emplaſticam quandam, & acrimoniam hebetiorem (legunt aliqui, quæ acrimoniam obtundit.) Et ſanè ſimiliter illi deſiccat. Τραγάκανθα ſic Græcè, vt etiam Latinè, & Italicè Tragacātha vocatur: Arabicè, Chitira, Itica, Chatech, Alcuted, ſeu Alchathad: German. Dragant: Hiſpanicè, Alquetira.

Tragacāthæ vires Matth.

Tragacāthæ vires ex Gal.

Nomina.

Tragacanthæ vocem Gaza apud Theophraſtum Hirci ſpinam reddidit: ipſa planta nominatur Tragacantha, Matth. Geſ. hort. Cluſ. in Cord. ad Dod. gallicum, Dod. fol. Lac. Lob. Caſt. Lugd. Cæſal. Tragacanthum, Cord. in hiſt. Lon. Tragacantha prima, Tabernæmontano. Ex radicibus colligitur lachryma ſeu gummi, officinis gummi Dragaganthi nominatum, glutinoſum, quod per cribrum aut rarum linteum exprimitur, candidum, pellucidum, nitidum, licet & flaueſcens, ſubruffum reperiatur. Subſtantia eſt glutinoſa quæ difficulter teritur, & aquam qua diſſoluitur, in denſam mucilaginem inſtar glutinis conuertit. Eligendum candidiſſimum, parum translucens & cuius minima portio maximam aquæ copiam coagulet. Ex Aſia adfertur.

*I. CARDVVS STELLATVS.*



## Ἠρύγγιον. ERYNGIVM. CAP. XXI.

ERyngion aculeatarum generis, cuius folia in principio ſale condita, in cibos recipiuntur. Lata autem ſunt, & extremo ambitu aſpera, guſtu aromatica: ſed vbi adoleuerunt, circa complures caulium eminētias in ſpinas aculeantur: in quorum ſummitatibus globoſa capitula, durarū, acutiſsimarumq́; ſpinarū ambitu a ſtellatim circumuallantur, quorum colos aliàs viridis aliàs albus, interdū cœruleus inuenitur. b Radix oblonga, lata, foris nigra, internè candida, pollicis craſſitudine, odorata. Naſcitur in aſperis, & campeſtribus. Vim habet calfactoriam. Pota menſes, & vrinas pellit: tormina, inflationesq́; diſcutit: contra iocinerum vitia, ſerpentium morſus, & hauſta venena, cum vino prodeſt: bibitur aduerſus plurima, cum ſeminis paſtinacæ drachma vna: appenſa, illitaue, tubercula diſcutere proditur. Pota cum hydromelite radix, opiſthotonicis, & comitialibus medetur.

a ὥσπερ ἀστὴρ. i. inſtar ſtellæ ita meum. ſed Cat. add. σφόδρα i. valde.

b Meum, & Cat. εὐώδης καὶ ἀρωματίζουσα. i. odorata, & aromatica.

Eryngij cōſideratio.

Cacatreppola.

Eryng. Dioſ.

Eryngium marinum.

LOngè quidem aberrant ſeplaſiarij Senēſes in Eryngij cognitione, vtpote qui pro Eryngij radicibus aſſumant aculeatæ cuiuſdam ſtirpis radices, quam Cacatreppola vulgò vocant. Hinc error omnibus facilè deprehenditur, quòd nulla penitus illius plantæ nota eryngio reſpondeat. Legitimum Eryngium: quod, meo iudicio, Dioſcoridis deſcriptioni nihil refragetur, & cuius hic imaginem appinximus, frequens inuenitur in compluribus Italiæ locis, nullis reclamātibus notis. Eſt & Eryngiū marinum, quo Veneta litora vndiq́; referta ſpectantur. Aſſurgit hoc folijs altero latioribus, circinato ambitu ſpinoſis: & cæſio reſperſis colore. Caulem carnoſiorem, craſſiorem atq́; ſtriatum habent: capitulis cæruleis maioribusq́;, radicibus longioribus tenerioribus molliorib usq́;, digitali craſſitudine, ſaccharo aſſeruandis longè magis idoneis, quàm alterius. Radix minus ſiccat quàm altera, ſed eaſdem poſſidet vires. Huius tametſi non meminerit Dioſcorides, Plinius tamen lib. 22. cap. 7 vtriuſq́; hiſtoriam tradidit. Quo fit, vt eorum ſententiam minimè probauerim,

qui Eryn-

II. ERYNGIVM MONTANVM.



III. ERYNGIVM MARINUM.



IV. ERYNGIVM PLANVM.



*qui Eryngium marinum Crocodilium eſſe exiſtimant, vt in crocodilij mentione ſuperius diximus. Sunt & qui credant, Eryngium Mauritanis à Secacul non differre. Veruntamen ij quoq; hallucinantur. Nam cum Serapio in capite de Secacul, neque Dioſcoridem, neque Galenum citet, quos maximè in ſimplicium hiſtoria ſequitur, quorumq; dicta bona fide refert, ſed tantùm ſuæ gentis auctoribus nitatur, clariſſimum præbet indicium, Secacul diuerſum fuiſſe, & plantam Græcis incognitam. Siquidem ſi pro eryngio Secacul ſcripſiſſet Serapio, ei ſanè non fuiſſet opus, paulò inferius de eryngio tractare ex Dioſcoridis, & Galeni ſententia, magno virium & notarum diſcrimine. Re autem vera Secacul radix eſt Indica. Hoc enim teſtatur Auicenna lib. quinto, vbi ſic habet: Secacul ſunt radices Zingiberi ſimiles, quæ conuehuntur ex India, & fit ex eis, cùm ſunt recentes, conditum in loco ſuo: apud nos autem humectantur inprimis in aqua calida. Quæ etiam ad vnguem Serapioni, de eo pariter ſcribuntur, vbi de pluribus ſaccharo, & melle aſſeruandis egit. Quamobrem non parum falluntur, qui Secacul ab eryngio ſecernere neſcientes, Eryngij radices tum ſaccharo, tum melle aſſeruatas venereis infeliciter commiſcent auxilijs, vt qui ederint, fortiores, ſalacioresq; reddantur. Quippe hac facultate Eryngium præſtare nuſquam hactenus apud Dioſcoridem, & Galenum mihi reperire licuit, qua tamen pollere Secacul memoriæ prodiderunt Arabes. Cæterùm animaduertendum eſt Serapionẽ Aſtera Atticum, ſiue Bubonium cum eryngio confudiſſe, ſtellarum ſimilitudine deceptum, quæ cæruleo colore ſe inuicem æmulantur: etſi quæ Bubonio inſunt, nullis aculeis horreant. Eryngij radicum decoctum expedit iocinoris, & lienis infarctus, ideoq; ictericos, & hydropicos iuuat. Epota radix valet aduerſus rubetas, toxica, & aconita, ex ranarum comeſtibilium iure pota, vel ex anſerino, vbi ranæ non ſint ad manus: eadem datur vtiliter potanda contra cordis affectus, ex bugloſſi, aut meliſſophylli decocto. Præſtat quoque ad ſtranguriam, obſtructos renes, & vuluarum præcluſiones. Illita ex melle infixa corpori extrahit. Quinetiam ſtrumas, parotidas, & panos diſcutit. Præſumpta crapulam arcet, & aluum ſiſtit. Fit è teneris Eryngij folijs ſtillatitia aqua, ijs quàm maximè vtilis, qui morbo gallico affecti vlceribus affliguntur, ſi quotidie ea vtantur in potu, nam mirificè iecur iuuat. Valet eadem ad expugnandas quotidianas, & quartanas*

Quorundam error.

Secacul hiſt. Matth.

Eryngij vires ex Gal.

*febres. Eryngium planum ſiue læue folijs exit latis, oblongis, minimè laciniatis, in ambitu tamen ſerratis, caulibus compluribus, ramoſis: paruis in ſummitate capitulis, ipſisq́; ſubaſperis. Radice vegeta cæteris craſſiore. Prouenit in Auſtria in Viennenſi agro, campeſtribus locis. Radix minus quam cætera præſcripta ſiccat, minusq́; ad omnia præſtat. Meminit Eryngij Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Eryngium caliditate quidem aut parum, aut nihil, quæ temperata ſunt, ſuperat. Siccitatem verò in tenui eſſentia conſiſtentem non paruam obtinet. Eius nomen Græcum ἠρύγγιον, Latinum item Eryngium: Italicum, Eringio, & Iringo: Germanicum,* Brachendiſtel/Manſztrew: *Hiſpanicum, Cardo corredor: Gallicum, Panicault: Bohemicum, Mancha, aut Muzska vuijra: Polonicum, Mikolarek. Eryngium marinum, Italis Iringio marino. Eryngium planum, ſiue læue: Italis, Iringio liſcio, & Iringo ſenza ſpine.*

Nomina.

Eryngij differentiæ plures notantur: eſt enim marinum: eſt campeſtre, hocq; folio vel ſpinoſo, vt vulgatum & pumilum, vel plano & læui: eſt alpinum, hocq; folijs vel planis, vel campeſtri ſimilibus, quod Eryngium eſt capitulis cæruleis Dioſcoridi: his addunt aliqui & Crithmi ſpeciem & Carduum ſtellatum, cuius figurã adiecimus, cum ipſius in principio capitis, vt & capite de Tribulo, fiat à Matthiolo mentio. I. Carduus ſtellatus, C.B. Dod. gal. & fo. Geſ. hor. Lob. (cui & Spina alba vera Rondeletij) Cam. cui & Stellaria Augenij. Eryngium, Brunf. Eryngiũ 2. Trag. Lon. Cacatreppola (quaſi Cacotribulus, id eſt infeſtus tribulus) vulgò, Matth. Cæſal. cui Stæbe & Phleus Theophraſti. Polyacantha, Cord. in hiſt. Myacanthos Theophraſti, Lugd. Spina ſtella, Tab. Hippophæſtum vel Hippophaës Dioſcoridis, Columnæ. Variat colore florum, fert communiter ſubrubentes, habet & candidos. II. Eryngium campeſtre vulgare, C.B. Eryngium primũ, Trag. Lon. Eryngiũ, Fuc. Eryngiũ vulgare, Dod. gal. Cam. Eryngiũ campeſtre Dod. fol. Caſt. Eryngium montanum, Matth. Lugd. Eryngium mediterraneum, Geſ. hort. Eryngium campeſtre mediterraneum, Lob. Eryngium, Cord. in Dioſ. Lacu. Cæſal. Taber. Erynge, Eryngion & Centumcapita, Plinio. III. Eryngium maritimum quod cum Acano Plinij lib. 22. cap. 9. non malè conuenit, C.B. Dicitur Eryngium marinum, Matth. Dod. gal. & fol. Lob. (cui & Drypis Theophraſti quorundam) Caſt. Cæſa. (cui & Crocodiliũ Dioſ. & Plinij) Cam. Lug. cui & Eryngiũ folio Apij in litoribus maris Plinij. Eryngium maritimũ, Geſ. hor. Glycyrrhiza ſpinoſa & Glycyrrhiza Crateuæ Lacunæ. IV. Eryngiũ alpinum planũ capite dipſaci, quem Carduũ nobilem Bernenſes, in quorũ alpibus frequens, vocitant. C.B. Eryngiũ planum, Matth. (in cuius figura capita Dipſaci requiro) Dod. fol. Caſt. Lug. Eryngiũ aliud montanũ Dalechampij, eidem, quã & ſub Spina alba, ſed figura vitioſa, poſuiſſe videtur. Eryngium alpinũ, Geſ. hor. Eryngiũ magnis latisq; capitulis, Eidem in ap. Eryngium montanum tenuifolium, ambitu profundè ſinuatũ, Lob. obſer. Alpinum cæruleum Geneuenſe, Lob. icon. Eryngium alpinum cæruleum, Tab. Eryngium capite Dipſaci, Cam. Herba peregrina folijs acanthi, & Acanthus ſylueſtris Dioſcoridi, Cæſalpino.

## ἀλόη. ALOE. CAP. XXII.

a Meũ, & Ca. παρ' ἑκάτερα ᾗ τὰ μέρη ἔχει ἐκπλαγίων ἀκάνθια ἀραιῶς ἐξέχοντα, κολοβά. i. ab vtraq; parte hẽt ex obliquo ſpinas rarius emicãtes, mutilas.
b Meum, & Cat. interponunt χερ.
c Meũ. καθαρωτέρας. i. purioris.
d Deeſt in meo & Cat.
e Cat. addit. λιπαρά. i. pinguis.
f Cat. δυσκάθεκτον. i. retẽtu difficilis.
g Deeſt in Ca.
h Meũ σὺν γλυκεῖ οἴνῳ. i. cum dulci vino.
i Meũ ὑπώπια. i. ſuggillata.
k Meũ μίγνυται. i. miſcetur.

ALoes folium ſcillæ ſimilitudinem habet, craſſum, pingue, modicè latum, rotundum, retrorſus pandum: folia gerit curta, a quæ vtrinque ex obliquo longioribus interuallis ſtriantur, & in ſpinulas deſinunt. Caulis emittitur non diſsimilis antherico: flos albus: fructus haſtulæ regiæ cognatus; graui tota eſt odore, & guſtu amariſsima: radice vna, ceu palo, in terram depacta. Plurima præpinguisq; in India gignitur, ex qua coactus ſuccus adfertur. Naſcitur etiam in Aſia, & Arabia b in locis quibusdam maritimis: & in inſulis (vt in Andro) non valde ſucco extrahendo idonea, ſed ad glutinanda vulnera ſanè quàm vtilis, ſi detrita illinatur. Duo ſucci genera: quoddam arenoſum, quod ſedimentum c puriſsimæ eſſe videtur: alterum ad iecinoris imaginem vergit. Eligi debet d boni odoris, e ſyncera, quæ nihil doli ſenſit, nitida, calculorum expers, rufi coloris, friabilis, ac iecinoris modo coacta, facilè liqueſcens, eximiæ amaritudinis. Improbatur nigra, & f fractu contumax. Gummi eam adulterant: quod deprehenditur guſtu, amaritudine, & valido odore: eoque argumento, quòd digitis friata non ad minima vſque fruſta reſoluitur: nec deſunt, qui acaciam immiſceant. Natura eius eſt ſpiſſare, exiccare, g ſomnum allicere, & corpora denſare, aluum reſoluere. Stomachum repurgat binûm cochlearium menſura, in aqua frigida, aut egelida pota: ſanguinis reiectiones ſiſtit: regium morbum purgat, tribus obolis ex aqua, aut drachmæ pondere in potu: deuorata cum reſina, aut cum aqua, vel melle cocto ſumpta, aluum ſoluit: purgationis perfectæ cauſa tribus drachmis ſumitur: alijs purgatorijs medicaminibus admiſta, præſtat vt minus ſtomachum infeſtent: ſicca glutinandis vulneribus inſpargitur: vlcera ad cicatricem perducit, cohibetq;. Eadem peculiariter exulceratis genitalibus medetur, & diſrupta puerorum præputia iungit, condylomata, rimasque ſedis h ex paſſo ſanat, hæmorrhoidum abundantiam, & ſanguinis eruptiones ſiſtit: pterygia ad cicatricem ducit: liuores, & i inſignita ex melle tollit. Priuatim ſcabras lippitudines, pruriginesque angulorum permulcet: dolorẽ capitis ſedat, tẽporibus & fronti illita, ex aceto & roſaceo capillũ fluentẽ continet cũ vino: tonſillis, gingiuis, & omnibus oris vlceribus, cum melle & vino proficit. Oculorum medicamentis k torretur in munda, & candenti teſta, pennaque ſubinde verſatur, vt poſsit æqualiter torreri. Lauatur, vt quod ſit arenoſiſſimum, tanquam inutile ſubſidat, & læue, ac pinguiſsimum aſſumatur.

Aloes conſi.

*NOn dubium eſt quin ea legitima ſit Aloe, qua paſsim officinæ vtuntur. Nam electiſsima ac puriſsima (adulterata enim quandoque etiam inuenitur) omnes præſtat tum notas, tum vires, quæ ſynceriſsimæ à Dioſcoride aſsignantur. Aloe, ætate noſtra in quam plurimis Italiæ locis viреſcere cõſpicitur, præſertim Romæ & Neapoli, vbi ſuper ædium feneſtris, ac atrijs in fictilibus vaſis terra plenis alitur ac fouetur, ad ſpectaculum potius, quàm ad medicum vſum. Floribus non modò albicantibus, vt Dioſcorides inquit, ſed etiam purpuraſcentibus. Inuehuntur acerrimè in Meſuem Manardus Ferrarienſis, & Fuchſ. ipſũ ſecutus, quòd affirmauerit ille, Aloen per os ſumptam venarũ oſcula adeò reſerare, vt inde poſtea ſanguis facilè exiliat, cùm id (vt ipſi aiunt,) tum Dioſc. tum Galeni placitis maximè repugnet. Verùm quàm longè ij, quorum pace dictum ſit, à veritate deſciuerint, non multo quidẽ labore demonſtrare poſſem, ni præter inſtitutũ noſtrum id eſſe cenſerem, niq; compertum haberem, illis prius rectè, meo iudicio, reſponſum fuiſſe à Iaco. Syluio clariſsimo ætatis noſtræ medico in Meſuem*

Meſues à calumnia vindicatus.

I. ALOE MVCRONATO FOLIO.



II. ALOE.



ſuem ſcribentem, & à Gratianopolitano quodam, qui tam probatiſſimis rationibus Meſuem tuentur, vt non amplius Manardo, ac Fuchſio hic eum lacerandi locum relictum eſſe putem. Aloes meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic habet: Hæc herba non admodum apud nos prouenit, & quæ naſcitur in magna Syria, aquoſior eſt, & facultatis imbecillioris: attamen vſque adeò deſiccare poteſt, vt vulnera conglutinet. At in regionibus calidioribus, qualis eſt Caleſyria, & Arabia, multò eſt melior. Optima autem Indica, cuius liquor eſt, id quod ad nos importatur, medicamentum Aloe cognominatum, ad plurimas res, propter ſiccitatem mordicationis expertem, vtile. Eſt autem non ſimplicis naturæ, ſed vt indicio eſt guſtus, adſtringit ſimul, & amara eſt: adſtringit quidem mediocriter, ſed vehementer amara eſt. Subducit & ventrem, vtputa ex numero medicamentorum, quæ Græci ab excernendo ſtercore vocant ἐκκοπρωτικά. Itaque ex dictis patet (ſiquidem memoria tenemus, quæ in quarto lib. ſunt demonſtrata) quòd tertij ſit ordinis exiccantium, calfacientium autem aut primi intenſi, aut ſecundi exoluti. Sed & ipſius facultatis miſturam atteſtantur particularia eius opera: nam & vtile ſtomacho medicamen eſt, vt ſi quid aliud: & ſinus glutinat. Sanat & vlcera, quæ ægrè ad cicatricem duci poſſunt, & maximè, quæ in ano ſunt, & pudendo. Iuuat & eorum inflammationes aqua ſubacta, & vulnera eundem ad modum glutinat. Congruit ſimiliter vtenti & ad inflammationes in ore, ac naribus, & oculis. In ſumma, repellere, & digerere ſimul poteſt, cum hoc, vt paulùm extergat, quantum videlicet vlceribus puris non ſit moleſtum. Præterea idem Galenus lib. 8. de compoſitione medicament. ſecund. loc. in hicræ mentione, de Aloe ita ſcriptum reliquit: Atqui ipſam aloen Andromachus quidem lotam, ex alijs autem aliqui etiam ſic, aliqui verò illotam adijciunt. Verùm iam noſſe operæpretium eſt, ad ventris ſubductionē illotam aloen aptiorem eſſe, multum verò de medicamentaria vi deponere lotam, quam etiam febricitantibus dare aliquis audeat, ſi nō vehemens, ſed valde debilis ſit febris. Quidam verò etiam ex illota aloe pharmacum multis ſic febricitantibus exhibuerunt, deinde cùm nihil manifeſtè læſiſſent, in alijs rurſus maximum experti ſunt nocumentum. Infeſtiſſima eſt enim aloe, etiam lota, his qui citra vitiatos humores ex intemperie calida & ſicca affliguntur. Proximam ab his læſionem percipiunt, qui ſiccam intemperiem habent, etiam cum frigiditate coniunctam, & in vniuerſum qui ex ſola qualitate particulam aliquam læſam habent. Etenim in humoribus intemperaturæ, pharmacis ipſas euacuantibus egent: quæ verò abſque his conſiſtunt, penitus in tabem deueniunt ex pharmaci huius ex aloe conſtantis vſu. Itaque vbi humiditas vitiata tunicas ventris exporrigat, aloe picra vtilis eſt, expurgans humiditatem. Omnino autem ſic affectis acceſſio nauſeæ plus aut minus adeſt. Euacuatio igitur affligentis humoris per ſolam aloen contingit, quæ purgatoriam vim non fortem habet, ſed vt ea, quæ circa aluum ſunt, quæ etiam contingit, purgare poſſit. Et ſi aliquando ampliori pondere exbibeatur, vſque ad locos circa hepar conſcendit, non tamē totius corporis purgatoria aloe exiſtit. Cæterùm ex his quæ ei admiſcentur, maſtiche vt ſtomacho commoda & odora, & quæ medicamētariam aloes vim frangere queat, admiſcetur. Cinnamomum verò eadem gratia, & præterea quòd tenuiſſimarum partium eſt, vt aperire ventris meatus poſſit, extergereq; ac attenuare, ſi quid viſcoſum aut craſſum in humoribus feratur. Craſſos enim humores ob purgatoriæ facultatis imbecillitatem, aloe trahere non poteſt. Quapropter biliosarum ventris affectionum optimum pharmacum eſt, adeò vt in vno die ſæpe multos ſtomachicos creditos perſanet. Iuuat autem & hos, & alios omnes affectus ex vitiatis humoribus ortos, cinnamomum admiſtum, vtpote quod alterantem habet facultatem vitioſarum qualitatum in id quod ſecundum naturam habet. Hactenus de aloe ex Galeno locis citatis. Deijcit Aloe (vt Meſues auctor eſt) non modò bilem, ſed & pituitam ipſam. Caput ventriculumq; mundat, quorum etiam cruciatibus maximè ſuccurrit. Inflammato, æſtuantiq; bilis redundantia ventriculo auxilio eſt. Quotidianus eius vſus à mortiferis morbis tuetur. Vindicat à putredine, addita myrrha, non modò vi-

Aloes vires ex Gal.

Ex Meſue.

*uentiū, ſed etiam defunctorū corpora. Cum draconis ſanguine, & myrrha vlcera cōtumacia ſanat, quod ſine morſu aliquo exiccare poſſit. Senſus omnes, intellectumq́; acuit, iecur ab infarctu purgat, & regio morbo medetur. Hemorrhoidibus tamen, ac cæteris ſedis inflammationibus nocet: quamobrem ijs ab eius aſſumptione abſtinendum eſt, qui aliquam in illis partibus noxam patiuntur: hæc Meſues. Cæterùm necat Aloe ventris ex lacte, vel melle ſumpta: aut vmbilico tenus appoſita, bubalo felle, & aceto ſubacta.*

Nomina. *Planta, quæ Græcis ἀλόη, Latinis etiam Aloe vocatur: Mauritanis, Saber, Paber, ſiue Sabar: Italis, Aloe: Germanis,* Aleppatic oder bitter Aloes: *Hiſpanis, Hierua baboſa: Aloes, ſeu Perroquet: Bohemis, Aloe.*

Aloë triplex habetur, eſt mucronato folio, ſucco dulci, quæ cùm iam vulgata ſit, ipſius iconem adiecimus: eſt altera ſucco amaro: eſt tertia paluſtris. I. Aloë mucronato folio, C.B. Lob. Aloë, Acoſtæ. Aloë, ex America, Dod. fol. Aloë Ameriacana, Clul. hiſt. Hiſpan. Caſt. Lugd. Aloë America, Cam. ad Matth. Tab. Aloë ſpinoſa, Cam. Aloë alterum genus, Cæſal. Valentinis Fil y agulla, id eſt filum & acus. II. Aloë ſucco amaro, C.B. Aloë, Trag. Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. (cui & Sedum amarum Columellæ) Geſ. hort. Anguil. Lon. Lac. Caſt. Lugd. Lob. Cæſalp. Aloë ſemperuiua Indica quibuſdam, Cord. in Dioſc. Aloë, amphibion etiam dicitur, Cord hiſt. Aloë communis ex Hiſpania, Cam. Semperuiuum marinum in inſulis Stœchadibus, Quiquerano. Huius denſatus Succus Aloë etiam dicitur: cuius tres habentur differentiæ ex eadem planta. Optima ſuccocitrina, quæ puriſſima, fulua aut ruffa, aut pellucida: amara, adſtringens aromatica, odore graui & aromatico. Altera Hepatica quod hepatis modo ſit concreta, ſubruffa minus pellucida, illa denſior & aridior, amarior, magis adſtringens, grauiorisque odoris. Tertia Caballina, ponderoſiſſima, denſiſſima, nigra, terra areniſq; plena: amariſſima & guſtu horribili viruſq; olēs, veterinarijs relinquenda. Eligenda pinguiſſima, puriſſima, hyeme friabilis, æſtate molliuſcula, in manibus lenteſcens, ſordibus carens, aromaticam amaritudinem reſipiens, odore ſomnum concilians. Affertur pellibus infuſum ex India atq; Arabia, per Syriam & Ægyptum: verum etiam in maritimis Apuliæ & Hiſpaniæ, ſed faciendo ſucco inutilis, prouenit. Aſt nunc Americana quæ ex Mexico adfertur, in Germaniæ hortis vulgatior eſt.

## Ἀψίνθιον. ABSINTHIVM. CAP. XXIII.

ABſinthium, aliqui bathypicron, herba vulgó cognita. Præſtantius in Ponto, a & Cappadocia, in monte Tauro naſcitur. Vim habet calfaciendi, & adſtringendi. Bilem expurgat, quæ & ſtomacho, & ventri inhæſit: vrinam cit, & crapulam præſumptam arcet, ad inflationes ventris, & ſtomachi dolores prodeſt, cum ſeſeli, b & nardo Gallico potum: faſtidia diſcutit, & arquatos ſanat madefacti dilutum, aut decocti ius, quotidie tribus cyathis hauſtum: menſes cit potum, aut cum melle appoſitum. Contra fungorum ſtrangulationes conuenienter ex aceto bibitur: aduerſatur ixiæ venenis cum vino: item cicutæ, & muris aranei morſibus, & draconi marino. Anginæ eo cum melle, & nitro perunguntur, & epinyctides ex aqua.

a Cat. addit. καὶ γαλατίᾳ

b ἢ, ita Meū & Cat.

I. ABSINTHIVM.



*II. ABSIN. PONTICVM Montanum. *



Adſe

Ad ſugillata, & oculorum caligines, ex melle illinitur: item auribus, ſi manat ſanies. Dentium, auriumque dolores decoctum vaporis ſuffitu compeſcit. Decoctum in paſſo dolentibus oculis oblinitur: item præcordiis, & iecinori, tritum cum cerato cyprino: ſtomacho quoque longa valetudine laboranti cum roſaceo: cum ficis autem, aceto, & loliacea farina, aquę inter cutem, lienoſiſq; ſubuenit. Vinum ex eo fit, quod abſinthiteu vocant, præſertim in Propontide, & Thracia, quo ad antè dicta vtuntur, cum febri carent: alioquin in æſtate propinãt, & acceptam huic vino incolumitatem referunt. Inſparſum arcis abſinthium, veſtes ab erodentium iniuria vindicat: culices ex oleo perunctum abigit, & à corpore arcet: atramentum librarium diluto eius temperatum, literas à murium eroſione tuetur. Exiſtimatur liquamentum eoſdem præſtare effectus: attamen potionibus improbatur, quoniam ſtomachum malè habet, & capitis ciet dolorem. Sunt qui cocta amurca, liquamentum adulterant.

## Ἀψίνθιον θαλάσσιον ABSINTHIVM MARINVM. CAP. XXIV.

†[ ABſinthium marinum, quod aliqui Seriphium vocant, ] copioſiſſimum in Tauro mõte, iuxta Cappadociã, & in Taphoriſi Ægypti gignitur: quo Iſiaci pro oliuę ramo vtuntur. Herba eſt tenuis, abrotoni parui ſimilitudine, referta minutulis ſeminibꝰ, ſubamara, ſtomacho inimica. Ea grauiter olet, & cũ quadam calfactione adſtringit. Per ſeſe, aut cum oryza cocta, interaneorum a animalia, tereteſq; tineas, adiecto melle enecat: aluum b læuigat: cum edulio autem, vel lenticula decocta, eadem præſtare poteſt. Pecora maximè pingueſcunt hoc pabulo. c Tertium genus abſinthio aſſignatur, quo Gallia alpibus finitima ſcatet: id patrio nomine Santonicum vocant, regionis, in qua naſcitur, cognomento, abſinthio non diſſimile: verùm ſubamarum eſt, non adeò ſeminis fœcundum: eadem quæ Seriphium poteſt.

† Orib. legit tantum. Σερίφιος.
a Meum ἀσκαρίδας καὶ ἕλμινθας στρογγύλας. i. aſcaridas & lumbricos rotundos.
b Meũ add. κούφως. i. leuiter.
c Cat. addit. ἐν Καππαδοκίᾳ.

III. ABSINTHIVM PONTICVM.



IV. ABSINTHIVM MARINVM.



*ABſinthij genera tria hic à Dioſcoride traduntur, nempe vulgare noſtrum, marinum, quod Seriphium vocant, & Santonicum, quo Gallia alpibus finitima abundat. Vulgare caule exit ramoſo, foliis incanis, multipliciter ſectis, Artemiſiæ modo, floribus aureis, paruis: ſemine rotundo, racematim cohærente. Radicem habet diuulſam, ſed firmam, & lignoſam. Atqui Abſinthium, quod in Ponto naſcitur, cæteris præſtare ad iecinoris, & ventriculi inflammationes libro 11. capite 16. Methodi medendi prodidit Galenus, ſic ſcribens: Cùm autem duplex in omni Abſinthio facultas, & qualitas ſit, veluti in libris de medicamentis eſt traditum, vtiq; in Pontico adſtringendi qualitas non parua eſt. In reliquis omnibus amara quidem qualitas eſt vehementiſſima, adſtrictio verò (quam ſaltem guſtu agnoſcas) aut planè obſcura, aut prorſus nulla ſentitur. Proinde Ponticum ad iecinoris, & ventris phlegmonas eligi præſtat. Porrò id eſt tum folio, tum flore longè quàm cætera abſinthia minore. Odor quoque huic non modò non inſuauis, verùm etiam aromatum quid præferens: reliquis omnib. eſt fœdus. Quare hæc fugere cõueniet, & Põtico ſemper vti: hæc Gal. Abſinthium autẽ huiuſmodi, quod cæteris præſtantius ſit, non ſolũ in Ponto naſcitur, verũ etiam in Hungaria, Tranſyluania, & Bohemia. Huic omnibus planè notis cũ eo conuenit, quod Gal. delineauit. Etenim id folio, caule, flore, ac ſemine conſtat longè, quã cõmune noſtrũ Abſinthium, minoribus. Saporẽ habet amariuſculũ, cui non parua adſtringendi vis coniuncta eſt. Odorẽ etiam ſpirat (vt Gal. teſtatur)*

Abſinthii genera tria.

Meſues Ponticum Romanum vocat.

## *V. ABSINT. MARITIMVM foliis laciniatis.*



*non inſuauem, ita vt odorati non parum reſipiat. Meſues, vt Syluius doctiſſimè adnotauit, neſcio tamen qua ratione ductus, Põticum, Romanum appellat. Monachi verò, qui in Meſuem commentarios ſcripſerunt, putant magno quidem errore, id Meſuei Romanum abſinthium eſſe, quod non modò in agro Romano, ſed etiam in vniuerſa Italia prouenit. Plinius li. 27. ca. 7. Ponticum ſcribit multò Italico amarius eſſe: in quo ſanè Galeni ſententiæ & refragatur, & errat. Ponticum abſinthium efficacẽ vim obtinet ad aquam intercutem, vt mihi iam ſæpius experimento compertum eſt. Equidem quoſdam noui hydropicos quaſi deploratos, qui ex longo eſu comarum eius, quæ ſaccharo adſeruatæ fuerant, ſanitati reſtituti ſunt. Parandi ratio hæc eſt: Sumito floreſcentium iam comarum recentium abſinthij Pontici libram vnam: ſacchari albiſſimi libras tres. Comas illas demptis caulibus, & pediculis tundito in mortario lapideo: deinde iis optimè tuſis ſaccharum in puluerem tritum adijcito: rurſus omnia ſimul tãtiſper tundito, donec in vnum corpus redigantur: mox ad vſum recondito. Ex abſinthio ita parato, affecto prius purgato, datur quotidie ſemuncia tribus horis ante cibum. Sunt porrò qui putent ſemen illud, quod officinæ SANCTVM cognominant, quodq́; ſaccharo circundatum contectumq́; necandis interaneorum vermibus præbent, Abſinthij marini eſſe ſemẽ, ſed ij planè decipiuntur. Siquidem legitimam ſeminis huiuſce plantam integram miſit ad me Patauio Iacobus Antonius Cortuſus, quæ a marino abſinthio longè diſtat, vt ex eius imagine patet. Planta eſt admodum fruticoſa, caulibus & ramis numeroſis referta, ſemine minuto, oblongeq́; racematim prodeunte, amarіuſculo guſtu, odoreq́; non inſuaui. Affertur ex Alexãdria Aegypti, ac aliis meridionalibus locis. Cæterùm procul dubio hallucinari deprehendantur qui Canabel Serapionis ſemen ſanctum interpretantur, cùm longè admodum hæc inter ſe differant. Quippe Serapioni nil aliud eſſe Canabel conſtat, quàm terra tenuiſſimo ſabulo perſimilis: quæ (vt ipſe ait) vnà cum pluuia è cælo decidit, cuius non modò apud Arabes ad interaneorum tineas necandas: verùm & ad fictilia fracta cõglutinanda increbuit vſus. Abſinthium marinum, ſiue Seriphium, in quàmplurimis tam Tyrrheni, quàm Adriatici pelagi litoribus prouenit, præſertimq́; Aquileienſibus, & Tergeſtinis. Sed Fuchſium ſuſpicor illud non cognouiſſe: ſiquidem quod in ſuis clariſſimis commentarijs magno volumini appictum ſpectatur, abſinthium marinum nõ eſt. Quod cùm fortaſſe & ipſe animaduertiſſet, in paruo ſimplicium libello ſententiam mutauit. Veruntamen non prius ab hoc errore ſeſe vindicauit, quàm in alium inciderit: quippe quòd eandem plantam pro ſylueſtri naſturtio perperam, meo iudicio, depinxerit. MARINVM itaq; abſinthiũ cùm primùm è terra erumpit, folio eſt abſinthio ſimili, craſſiore tamen. Sed poſtquàm adoleuerit, & caules ediderit, mutatis in longum foliolis, iiſq́; præſertim quæ vbiq́; caulem ambiunt, abrotanũ æmulatur, non tamen foliis eſt adeò paruis. Semen profert exiguum, copioſumq́;, abrotoni modo inter folia erumpens, atque in ſummitate caulis ferè racemoſum, vt hæc pictura eius demonſtrat, amari, & adſtringentis guſtus. Aliam Abſinthij marini plantam à noſtrate longè diuerſam ex Aegypto allatam, quam AEGYPTIVM SERIPHIVM vocari libuit, & cuius imaginem hic expreſſimus, nunc primum conſecutus ſum à Iacobo Antonio Cortuſo præſcripto: pumila eſt planta, in Aegypto proueniens: folijs minutis, abrotoni fœminæ ferè ſimilibus: ſurculis compluribus gracilibus, breuibus ac folioſis, minuto ſemine, guſtu amaro, non tamen vehementer. Iis omnibus præditum eſt facultatibus, quibus & Italicum, è qua colligi quoque SEMEN SANCTVM quidam volunt, etſi quid certi de re hac affirmem non habeam: quidam abrotonum marẽ eſſe volunt, ſed fortaſſe melius fœminam appellaſſent. Volunt patres illi reuerendi, qui in Meſuem commẽtati ſunt, tantùm ſuperficietenus Abſinthium vulgare amareſcere, imis verò partibus dulceſcere, ob idq́; guſtus gratum eſſe. Vnde etiam aquam, quæ ab eo ignium vi diſtillat, dulcem potius, quàm amaram ſentiri contendunt. Quæ in re ij parum rem naturalem callere deprehenduntur: nam quòd Abſinthij ſtillatitia aqua ſit dulcis, non ex eo fit (quantum equidem ſentio) quod Abſinthium ipſum*

Plinii error.

Pontici vires.

Semen ſanctum Abſin. marini nõ eſt.

Canabel Serapionis mẽtio.

Fuchſius notatur.

## VI. ABSINTHIVM SERIPHIVM, ſiue Seriphium Ægypt.



Marini abſinthii hiſtoria.

Seriphium Aegyptium.

Aqua Abſin. cur dulcis.

VII. SEMEN SANCTVM, ſiue Semenzina.



*ipſum conſtet extima parte amarum, medullitus verò dulce, ſed quoniam cum exteriores illæ partes, quibus amaror ineſt, admodum ſint tenues, ac in vaporem facilè reſolubiles, ignis calore tenuiores factæ, nõ magno quidem labore reſoluuntur: euenitq́; ob hoc, vt ſtillatitia, quæ inde fluit aqua, omnis ſit amaritudinis expers. Præterea dulcedo, quæ in ipſa inuenitur, non ab intimis Abſinthij partibus emanat, ſed eam tantùm à plumbeis inſtrumentis, quibus conficitur (vt diuturna docet experientia) prouenire comperimus. Nam ipſius dulcedinis qualitas non modò in Abſinthij ſtillatitia aqua ſentitur, ſed etiam in quauis alia, quæ ex herbis temperamento calidis extrahatur. Siquidem cùm plumbeum inſtrumentum huiuſcemodi herbarum vaporibus tum actu, tum potentia excalfacientibus, terrena quadam ſubſtantia ſuperficietenus inficiatur, quæ actutum in dulciſsimam veluti ceruſſam conuertitur, non mirum quidem videtur, ſi aquæ inde manantes aſcititia dulcedine imbutæ, guſtu dulces percipiantur. Quod quidem iis non euenit abſinthij ſtillatitiis aquis, quæ duplici vaſe vitreis organis, calentis aquæ balneo conficiuntur: nam hæ ſufficienter amareſcere cognoſcuntur, nec tantillũ quidem dulcedinis guſtantibus præbent. Euenit ſanè hoc, quoniam balneum ſuæ ipſius aquæ humiditate, partes tenuiores illas retinet, conſeruat, ac cohibet. Quo fit, vt nõ adeò in vaporem vertãtur, quemadmodum cum illis fieri ſolet, quæ carbonum, & lignorum violento igne in auram euaneſcere coguntur. Dulcedine præterea carent, eo quòd à vitreis organis quibus eliciuntur, nullam aſcititiam qualitatem recipiant. Quare ſatius, mea quidem ſententia, eſſet, vt otium, quod ſupereſt, conſumerent monachi in re chriſtiana, & medici in re medica, & ſinguli de arte ſua bene mereri diſcerent: vel ſaltem quiſque quam rectè inſtituit, vitam ſequeretur. Abſinthij meminit Galenus lib. 6. ſimpl. medicamentorum ſic inquiens:* Abſinthii vires ex Gal.

*Abſinthium adſtrictoriam, & amaram, & acrem ſimul qualitatem poſsidet, excalfaciens pariter, & extergens, & roborans & deſiccans. Proinde bilioſos ventris humores per egeſtionem infernam propellit, ac per vrinas euacuat. Magis autem quod in venis eſt bilioſum, per vrinas expurgat. Ob hæc contentam in vẽtre pituitam, oblatum nihil adiuuat. Sic neq; ſi in*

*IIX. ABSINTHIVM SERIphium Gallicum.*



*IX. ABSINTHIVM SERIphium latifolium.*



thorace,

*thorace, aut pulmone contineatur: nam adſtringens in eo facultas, quàm amara, valentior eſt. Porrò quòd inſit quoque acrimonia, idcirco maiori portione calidum eſt, quàm frigidum. At ſi opus eſt generatim comprehenſam eius temperiem ſecundum primas circumſcribere facultates (etſi anomœomeres & diſſimilare ſit) calidum ipſum dixerim primi exceſſus, ſiccum tertij. Succus autem eius longè quàm herba ipſa, calidior eſt. Sed cùm de abſinthio marino, ſiue Seripho ageret lib. 8. ſimp. med. Seriphum, inquit, ſpecie, & guſtu abſinthio ſimile eſt. Id quod de Santonico ſcripſit Dioſc. cùm tradiderit magis cum Abrotono conuenire Seriphium, quàm cum abſinthio. Quamobrem relinquitur ſuſpicio, quòd aut Dioſcoridis, aut Galeni ſcriptura ſit hoc loco librariorum incuria deprauata.* Nomina. *Herba, quæ Græcis ἀψίνθιον, Latinis itē Abſinthium appellatur: Arabibus, Aſſinthium: Italis, Aſſenzo: Germanis,* Wermut/Elz *: Hiſpanis, Aſentios, Aloſna: Gallis, Aluyne, & Abſince: Bohemis, Pelymenk: Polonis, Pyolyn. Abſinthium Ponticum, Græcis, Αψίνθιον πόντικον: Italis, Aſſenzo Pontico. Abſinthium marinum, ſiue Seriphium: Græcis, Αψίνθιον θαλάσσιον, Italis, Aſſenzo marino: Aquileienſibus, Santonic. Semen ſanctum: Italis, Seme ſanto & ſemenzina.*

Abſinthium quaſi ἀπίνθιον Comicis, quaſi impotabile, propter inſignem amarorem, ὀυχ ἀντικῆς διὰ πικρότητα. Etſi Theoph. tantùm Abſinthii in Ponto prouenientis 9. hiſt. 18. meminerit, eius tamē viginti differentias in Phytopinace recenſuimus, de quibus in hiſtoria: in præſens tantùm de iis, quas Matth. & Cam. in ſua edit. exhibuere. I. Abſinthium Ponticum, ſeu Romanũ officinarum, ſeu Dioſc. C.B. Abſinthium, Brunf. Trag. Matth. Cor. in Dioſc. & hiſt. Lon. Cæſ. Abſint. vulgare, Fuch. Geſ. app. Lac. Lob. Lug. Caſt. Tab. Abſinthium commune Geſ. hor. (cui & Romanum) Cam. Abſinth. Santonicum, Dod. gal. Rocardi. Abſinth. Ponticum Ruellii & Trincauellæ, Abſinth. latifolium Dod. fol. Abſinth. noſtrũ ruſticum, Thalyo. Abſinth. ruſticum, Apuleio. Abſinth. maius & vulgare, Cluſ. hiſt. Pan. Abſinth. commune latifolium amariſſimum. Ioh. Bauhino. II. Abſinthium ponticum montanũ, C.B. Abſinth. commune minus, Geſ. hor. Abſinth. montanum, Cam. ad Matth. Abſinth. mõtanum ſeu Romanũ, Tabernęmontano. Hoc vulgari ſimile, niſi quòd exiliora omnia, & amaritudo ſapore & odore gratior, in altis montibus proueniens. III. Abſinth. ponticum tenuifolium incanum, C.B. Abrotanum minus, Trag. Abrotanũ fœmina, Fuch. fol. Lugd. Geſ. hor. cui Abſinthii potius genus, Abrotanũ albũ, Cord. in Dioſc. Abſinth. Ponticum, Fuch. in icon. Matth. Dod. gal. Lac. Lugd. Tab. Abſinth. ponticum vulgare, Cluſ. hiſt. Pan. Abſinth. Santonicum, Ruellio & Cæſ. Abſinth. Galatium Sardonium Dioſc. Lob. Abſinth. tenuifolium, Dod. fol. Abſinth. Romanum Meſue, Turnero. Abſinth. Romanum vulgo, Thalyo. Hoc duum eſt generum, alterum incanum, alterum cauliculis purpuraſcentibus, foliis ſupina parte viridioribus: mediæ inter Abſinth. & Abrotanum naturæ videtur. IV. Abſinthium maritimũ lauendulæ folio, C.B. Abſinth. marinum, Matt. Cæſal. Lugd. Abſinth. Seriphium, Lac. Abſinth. anguſtifolium, Dod. fol. Lugd. Abſinth. latifolium marinum, Cam. Artemiſia marina, Lob. Tab. V. Abſinth. maritimum foliis laciniatis, C.B. Artemiſiæ marinę folia inciſa, Lob. Abſinthii anguſtifolii ramulus foliis ſciſſis, Dod. fol. Abſinth. marinũ Patauinum, Cluſ. hiſt. Pan. Artemiſia marina Lob. Lugd. Hoc à priore tantùm foliis in lacinias diuiſis variat, quod potiſſimùm contingit, ſi ex maritimis locis in hortos transferatur, quemadmodum in horto Medico Patauino notauimus. VI. Abſinth. capilli veneris folio, C.B. Abſinth. Seriphium Ægyptium, Matth. Lug. Abſinthium peregrinum ſiue Ægyptium Aduerſ. Lob. Abſinthium Ægyptium Lob. Tab. VII. Abſinthium Seriphium Alexandrinum, C.B. Semen ſanctum, Matth. Lob. Lug. Sementina, Dod. fol. Tab. Santonicũ Lon. Abſinthium marinum & ſeriphiũ, pharmacopæis Alexandrinum ſemen, quibuſdam ſanctum ſemen & Zinę ſemen, Cord. in Dioſc. & hiſt. ſemē Zedoariæ, Aduerſ. Abrotanum mas, Anguillaræ, ſeminis huius contra lumbricos vſus, eligēdum magnum non puluerulentum & odoratiſſimum: ex Ægypto ad nos adfertur. VIII. Abſinth. Seriphium Gallicum, C.B. Abſinthio pontico ſimile eſt, at foliis maioribus, lanugine albis: floſculis croceo rubore variegatis, quibus ſemen minutum, amarum, acre, ſuccedit. Planta amara eſt, odorata, in maritimis Maſſilienſibus proueniens quod etiam in litore Veneto notauimus. Seriphium vulgare, perperā Dioſc. Lob. in icon. at Camer. in ſuo Matth. Abſinth. Seriphium vulgò dictum nominat. IX. Abſinth. Seriphium latifolium, C.B. Santonici ſpecies maiuſcula & longiuſculis foliis, Cam. in Matth. & Lob. in ſuis obſeruationibus, Abſinth. Xantonicum vulgare.

I. ABROTONVM MAS.



## Ἀβρότονον. ABROTONVM. CAP. XXV.

ABrotonum duorum eſt generum. Fœmina quadam arboris ſpecie fruticans, candicat, circũ ramulos foliis ſeriphi modo, minutim inciſis: floribus referta eſt, comantibus in ſummo, fulgore auri, corymbis. Quod per æſtatem prodiit, ſuauiter olet, cum grauitate quadam, & amaro guſtu. Id genus Siculum eſſe conſtat. Alterum mas vocatur, ſarmentoſum, a gracilibus ramulis vti abſinthium. Plurimum in Cappadocia gignitur, & Galatia Aſiatica, atque in Syriæ Hierapoli. Vtriuſque ſemen crudum tritum,

a Meũ & Ca. λεπτόκαρπον. i. gracili ſemine. ſed Orib. λεπτόφυλλον legit. i. tenuibus foliis.

trinum, & ferueſactum ex aqua, in potu auxiliatur orthopnoicis, conuulſis, ruptis, coxēdicibus, vrinæ anguſtiis, menſibus ſuppreſſis, aut remorantibus. In vino potum exitialium venenorum antidotū eſt: horroribus ex oleo illinitur. Serpentes & ſubſtratu, & nidore fugat: contra ictus eorum cum vino potum prodeſt, priuatim efficax contra ſcorpionum, & phalangiorum venena. Oculorum inflammationibus commode illinitur cum cotoneo cocto, aut pane tritum cum farina hordeacea, decoctumq́ue tubercula diſcutit. Irini compoſitionibus admiſcetur.

ABrotonum mas planta eſt vulgaris notitiæ. Cuius duo obſeruauimus genera, hortenſe, & per ſe in campeſtribus naſcens, tenuioribus folijs, & minutiore ſemine. Mas ſarmentoſa eſt planta, caulibus gracilibus veluti abſinthium. Folia habet tenuia, numeroſa, longiuſculaq́, odore graui, ſed medicato. Flores mittit exiguos, ſemē minutum, rotundum, copioſumq́, ramulos ferè totos comprehendens. Quod verò fœmineo generi adſcribitur, non omnibus notum eſt: non ideò, quòd & ipſum frequentiſſimum non ſeratur in hortis, ſed quòd à paucis pro Abrotono fœmina cognoſcatur. Quandoquidem id alij Cypreſſum, alij Santolinam vulgò appellant, alij verò marinum eſſe abſinthium exiſtimant. Sed ij profectò falluntur: quippe Santolina vulgò vocata, nil ſanè aliud eſt, quàm Abrotonum fœmina. Quòd primùm (vt Dioſcor. inquit) arboris ſpeciem quandam repræſentet, vnde & à quamplurimis Cypreſſus vulgò dicta eſt. Deinde quòd candicantibus conſtet folijs, circum ramulos minutim inciſis, floribus aureis, orbiculatis, caulem ſummum, æſtatis & autumni tempore, corymborum modo comātibus. Poſtremò quòd in vniuerſum ſuauiter oleat cum grauitate quadam, & amaro guſtu. Ex hac equidem delineatione adducor, vt decernere non dubitem, hanc plantam, quam vulgus Cypreſſum, ſiue Santolinam appellat, eſſe Abrotonum fœminā. Hinc itaq́ Fuchſium alioqui rei herbariæ gnarum, erraſſe crediderim, quòd pro fœminei generis Abrotono plantam ſubiecerit ab eo longè diuerſam. Qui etſi Santolinam ſeorſum poſtea depinxit, non tamen eam Abrotoni fœminæ nomine agnouit, ſed herbariorū, vt arbitror, vulgum ſecutus, eam Chamæcypariſſum, hoc eſt, pumilam cypreſſum nuncupauit, eiuſq́ nullam à Græcis factam fuiſſe mentionem falſò credidit. Cæterùm quòd Goritienſes Abrotonum marem Veronicam appellent, ea ſanè planta mihi in mentem venit, quæ recentiorum quibuſdam VERONICA vocatur, magnis (vt aiunt) inſignita viribus. Hæc duûm eſt generum. Mas, quæ humi repit, caule eſt dodrantali aut minore, rubeſcente, lanuginoſoq́: folijs oblongis, nigricantibus, hirſutis, & in ambitu ſerratis. Flores edit purpureos circa ſummum caulem emicantes, & ſemen in ſiliquis, loculi formam referentibus. Radice nititur tenui, quæ in plures diuaricatur partes. Naſcitur locis incultis. Fœmina caule exit lanuginoſo, folijs rotundioribus, minimè laciniatis, ſubpinguibus. Flores profert in luteo purpuraſcentes: ſemē in vaſculis rotundis incluſum: radicē verò maris æmulam. Naſcitur in locis aſperis & incultis: floret Iunio menſe. Guſtu quidē adſtringens, & amara eſt: vnde conijcere licet, eā eſſe tū excalfaciendi, tū ſiccādi vi præditā. VERONICA MAS ad omnia efficacior eſt. Medetur cruentis vulneribus, ac diuturnis vlceribus. Sunt, qui

Abrotonum duplex.

Abrot. fœminæ deſcript.

Fuchſii error.

Chamęcypariſſus.

Veronica.

Veronica duplex.

Fœmina.

Veronicæ vires.

II. ABROTONVM FOEMINA.



III. VERONICA MAS.



dicant quendā Francorū regē elephantiaſi laborantem, à venatore ſuo hac tantū herba fuiſſe ſanatū. Tumores præterea in vniuerſum diſcutit, præcipuè qui in ceruice emergunt. Nec deſunt, qui illā ſummis laudibus efferant ad peſtiferas febres, & ad peſtilentia affectos, quibus propinari præcipiunt ſiccæ puluerem, drachmarū duarum pondere, vna cum theriacæ drachma, in vino meraco: cum hoc tamen, vt illico ſudent affecti. Eadem datur potanda ex ſua ipſius ſtillatitia aqua vtiliter contra tuſſim, & vitia omnia tum pectoris, tum pulmonis, nam & tabidos, & ſuppuratos iuuat. Aperit quoque iocinoris, & lienis oppilationes, vterum, renes & veſicā expurgat. Sed vt noſtrum ſequamur inſtitutū, iam Abrotono medicinæ

reddenda

*IV. VERONICA MAS ſupina.*



V. VERONICA FOEMINA.



Abrotoni vires ex Gal.

*reddendæ ſunt ex Gal. qui li. 6. ſimpl. med. ita de eius viribus poſteritatis memoriæ ſcriptum reliquit: Abrotonum calidum, & ſiccum facultate, in tertio ordine ſeu receſſu poſt media ſitum eſt. Inueniemus autem eius temperamentum nõ minimè quidem & ex guſtu ducta cõiectura, vtpote cùm ſit admodum amarum. Porrò ſaporem eiuſmodi, cùm terrenæ ſit eſſentiæ, à largo calore extenuatum oſtendimus. Itaque non inſtrenuè & excalfacit, & deſiccat. Nam ſiue comam cum floribus (reliqua enim eius palea inutilis eſt) contuſam vlceri puro illinas, mordax, & irritans videbitur: ſiue eo in oleo macerato, caput, aut ventrem perfundere voles, admodum calefacere reperies. Quin & ſi qui per circuitum rigoribus capiuntur, eos ante inuaſionem rigorum hoc voles confricare, minus vtique rigore concutientur: imò & ſenſus quidem protinus vbi admotum fuerit, ipſum calfacere percipit. Porrò quòd lumbricos interimat, par eſt, nimirùm cùm ſit amarum. Scies autem protinus, quòd & digerendi, & incidendi quandam vim habeat: ſed & quòd magis quàm Abſinthio id ipſi neceſſariò inſit, in promptu erit colligere. Primùm quidem ex guſtu: pauciſſimæ ſiquidem acerbitatis particeps Abrotonum eſt, non paucæ verò Abſinthium. Deinde ex eo quòd inimicum ſit ſtomacho Abrotonum, velut etiam Seriphium: gratum verò & amicum Abſinthium. Siquidem de iſtis ſuprà oſtenſum eſt, quòd amarum ipſum per ſe omnifariam infenſum ſit ſtomacho: auſterum verò, aut acerbum, aut in ſumma adſtringens ſtomacho vtile & amicum. Porrò vbi qualitates hæ inuicem permiſtæ fuerint, quæ vehementior fuerit, ea vtique vicerit. Cæterùm Abrotonum vſtum, calidum & ſiccum facultate eſt, magis adhuc quàm cucurbita ſicca vſta, & anethi radix. Illa enim vlceribus humidis ſimul & citra phlegmonem callo induratis conueniunt: ac proinde maximè vlceribus, quæ in pudendorum præputiis ſunt, competere videntur. At cinis Abrotoni vlceribus omnibus mordax eſt: ac idcirco cum oleo tenuium partium, cicino ſcilicet, aut raphanino, aut ſicyonio, aut veteri, & maximè Sabino, ad alopecias accommodatur. Barbam quoq; ſegnius tardiuſq; enaſcentem cum aliquo dictorum oleorum elicit: ſed nec minus illis, lentiſcino maceratum. Quippe pro eo quòd tenuium eſt partium, rarefaciendi vim obtinet, & mordax eſt, & calidum: quas vtique maximè eius facultates nouiſſe oportet, nec quicquam præterea particulare in hoc tractatu requirere. Hactenus Gal.* 

Abrot. fœm. vires.

*Atqui nobis quoque dicendum eſt, quòd Abrotoni fœminæ folia ſicca, & in puluerem trita dantur perquàm vtiliter ex aqua partheniȷ ſemidrachmæ pondere ad ſiſtenda alba fœminarum profluuia, ſi continuis decem diebus, aut pluribus ſumantur à ieiunis: & deinde interpolatis diebus.* 

Nomina.

*Id Græci ἀβρότονον dicunt, quod etiam Latini Abrotonum: Mauritani, Catſum, Keſum, ſeu Gaiſſum: Itali, Abrotono: Germani,* Stabwortz, Schoßwortz / *&* Gertwurtz: *Hiſpani, Abrotono, & Hierua lombriguera: Galli, Auron, Auronne, & Garderobbe: Bohemi, Brotan: Poloni, BoZedrzeuuko. Cæterùm Abrotonum fœminam vocant Itali Santolina: Germani,* Cypreſſen: *Bohemi, Cipreſſen: Poloni Cypriis: Galli, Cypres de iardin. Veronica ita Germanorum officinis vocata, Italis, Veronica: Germanis,* Ehrenpreiß, *aut* Grundheyl. *At Veronica fœmina: Italis, Veronica femina: Germanis,* Ehrenpreiß Weiblein.

Abrotanum διὰ τὸ πρὸς ὄψιν ἁβρὸν, καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι: ἄλλως ἐκ καὶ διὰ τὸ δυσπνοῦν εἶναι, vt Nicandri teſtatur interpres, quòd conſpectu tenerum, molle, & delicatum appareat: aut quòd grauem acremque & difficilem halitum ſpiret. Aliud mas, cuius quinque differentias: aliud fœmina, cuius octo differentias notauimus. I. Abrotanum mas anguſtifolium maius, C.B. Abrotanum mas, Brunf. Matth. Lac. Lobel. Dodon. gal. & fol. Lugd. Taber. Cam. Cæſalp. Caſt. Abrotanum nigrum ſeu mas, Cord. in Dioſc. & hiſtoria. II. Abrotanum fœmina Dioſcoridis, C.B. Abrotanum fœmina, Brunf. Matt. Lob. Caſt. Lug. Cam. Tab. Chamæcypariſſus & nobilis Chamæpytis, Trag. Chamæcypariſſus, Fuch. Dod. gal. Ericio Cord. Lon. Cor. in Dioſc. Geſhor. Centonia, eidem, Cupreſſus herba, Cord. in Dioſc. Santolina, Anguil. Sãtonicũ minus. Cord.

Cord. hiſt. Santolina altera, Dod. fol. Sanctolina, Cæſal. cui Abrotanum Theophraſti, & Abrotanum campeſtre Plinii. Criſpula Alexandrina, Herba Cancri, Syluatico. Hæc variat foliis magis minusvè denticulatis, craſsioribus, tenuioribus: candidioribus, viridioribus: flore maiore & minore: odore iucundiore, minus iucundo & vnctuoſo, quare quinque differentias Dodonæus propoſuit. III. Veronica mas erecta C. B. Veronica mas. Matt. Caſt. Lug. Veronica recta mas, Lob. Veronica vulgaris recta maior, Cluſ. hiſt. Pan. Veronica aſſurgens, Dod. fol. Hæc duplex, maior, quæ latiore folio & longiore ſpica: minor, quæ anguſtiore folio & breuiore ſpica. IV. Veronica mas ſupina, C. B. Teucrium, Trago. Veronica mas, Fuch. Lon. Tha. Lugd. Veronica vulgò dicta, Geſ. hor. Betonica Pauli, Dod. gal. Veronica maior ſeptentrionalium, Lob. obſ. Veronica vera & maior, Lob. icon. Veronica mas ſerpens, Dod. fol. Veronica maior, Cam. Veronica, Tab. Auricula muris tertia, ad Myoſotidem Dioſcoridis referenda, Cæſalpino. Cum hæc officinis Germaniæ ſit vulgaris, & viribus illa præferenda ſit, eius iconem adiicere lubuit. V. Elatine folio ſubrotundo, C. B Veronica fæmina, Fuch. Matth. Geſ. hor. (cui toto genere à Veronica differre videtur) Lonic. Caſt. Lugd. Cæſal. Dod. fol. Cam. Elatine Dioſcoridis, Lob. Elatine prima; Taber. Elatine altera folio rotundo, Thalyo. Verbaſculum quorundam, Lugdunenſi.

## Ὕσσωπος. HYSSOPVM. CAP. XXVI.

HYſſopum, herba nulli non cognita, duum generum eſt, montanum, & hortenſe. Optimum eſt Cilicium. Vim habet extenuandi, & calfaciendi. Decoctum cum ficis, aqua melle & ruta, potumq́; peripneumonicis, diuturnæ tuſſi, ſuſpirioſis, deſtillationibus, & orthopnoicis auxiliatur: tineas enecat. Idem facit, ſi cum melle delingatur, craſſum humorem per aluum extrahit, decoctum ex aceto mulſo epotum. Ad ſubducendam aluum cum ficis viridibus detritis manditur: vehementiusq́; addita iri, cardamomo, aut irione, deiicit: colorem in corpore fouet. Lieni, & aquæ inter cutem, cum fico nitroq́;, inflammationibus quoque ex vino illinitur: cum feruente aqua impoſitum ſugillata diſcutit: cum decocto ficorum, optimè anginis gargarizatur. Decoctum cum aceto dentium dolorem in collutione ſedat: inflationes auricularum vaporis ſuffitu diſcutit.

I. HYSSOPVM.



*II. HYS. CAERVlea folio diſſecto.*

*III. HYS. ALBO vel rubro flore.*



*NOn modò ſunt, qui dubitent, an vulgare Hyſſopum legitimum appellari poſſit, ſed & qui certò credant, id ipſum cum Dioſcoridis Hyſſopo nullam habere cognationē. Horum opinionem ſequuntur monachi illi, qui in Meuſem commentarios ediderunt, argumento quòd ſcripſerit Dioſcorides (vt Marcellus interpretatur) Origanum Heracleoticum folio eſſe hyſſopi, non tamen habere vmbellam hyſſopi modo rotæ figura in orbem circumactam, ſed multifidam, & veluti diuiſam. Quæ quidem nota non viſitur in noſtrate Hyſſopo, vt quod flores ſpicatos proferat, non autem digeſtos in vmbellam rotæ modò circumactam. Quo fit, vt non ab re illi dubitauerint, an vulgare Hyſſopum legitimum ſit: hi verò crediderint, eo omnino nos eſſe deſtitutos. Cæterùm mihi iam compertum eſſe puto, hos omnes in dubio, & errore verſari, peruerſa Marcelli interpretatione deceptos, quandoquidem ſe aliter habet vulgata Dioſcoridis lectio (cui etiam Oribaſius, & vetuſti quidam Græci codices adſtipulantur) quàm verterit Marcellus: ita enim Græcè legitur:* Ὀρίγανος ἡρακλεωτική, οἱ δὲ κονίλην καλοῦσιν, φύλλον ἔχει ἐμφερὲς ὑσσώπῳ. σκιάδιον δὲ οὐ τροχοειδὲς ἀλλ᾽ ὥσπερ διῃρημένον *id eſt. Origanum Hera-* Hyſſopi conſideratio. Opinio reprobata.

Hyſſopum vulgatum eſſe legitimū. cleoticum, quod alij Cunilam vocant, folium habet hyſſopo ſimile: vmbellam autem non in rotæ ſpeciem orbiculatam, ſed veluti multifidam: hæc Dioſcorides. Ex quibus palam eſt, non comparaſſe Dioſcoridem origani flores ipſius hyſſopi floribus vt perperam Marcellus vertit, cùm abſolute dixerit, nulla facta cum Hyſſopo comparatione, Origano vmbellam eſſe non in rotæ modum orbiculatam, ſed veluti multifidam. Illud inſuper hac in re non paruam ambigendi anſam præbuit, quod Dioſcorides lib. 4 in Chryſocomes capite prodidit, cum inquit: Chryſocome palmi altitudine fruticat, comam habens ſpecie corymborum, hyſſopo ſimilem. Veruntamen ſi quis præſtanti iudicio Dioſcoridis verba accuratè perpenderit, illa ſane nihil eorum ſententia refragari comperiet, qui Hyſſopum, quo paſſim vtimur, legitimum eſſe contendunt. Siquidem in plantis coma, probatiſſimorum auctorum teſtimonio, non ſolum de floribus, & corymbis intelligitur, ſed etiam de folijs, & ramuſculis, dummodo hæc hilari quadam venuſtate plantam totam, vel ſumma eius exornent. Vnde rectè Plinius lib. 12. c. 25. balſamo folium proximum rutæ, perpetua coma reddidit. Item Virgilius lib. 4. Georgicorum perpulchrè cecinit.

Coma in plātis quid.

Ille comam mollis iam tum tondebat acanthi.

Ex his perſpicuum fieri arbitror, Chryſocomen coma, hoc eſt folijs, & ramuſculis hyſſopo eſſe ſimilem, non autem ipſis corymbis, quibus fortaſſe in vniuerſum ſcatet. Quamobrem hîc nullus, quantum equidem ſentio, relinquitur amplius dubitandi locus. Sed quòd Hyſſopum communis vſus, verum legitimumq; ſit, nobis manifeſte demonſtrat Symphytum petræum à me (vt ſpero) proximis annis repertum, quòd folia, vulgari hyſſopo ſimilia proferat. Nam cùm ſcribat Dioſcorides, Symphytum petræum folio eſſe origani, Origanum verò folia habere hyſſopi clariſſimum præbet argumentum, quod hyſſopum, quo paſſim vtimur, ſit verum. Quinetiam cùm idem auctor tradiderit, Hyſſopum duorum eſſe generum, nempe montanum & hortenſe, & vtrunq; genus in noſtrate paſſim habeatur omnibus notis ſimile, non modo opinionem auget, hoc legitimum eſſe Hyſſopum, ſed omnem quoq; litem dirimit. Huc præterea alia accedit ratio, quòd cùm Dioſcorides congeneres, vel ſimiles plantas ſeriatim coniunctèq; deſcribere conſueuerit, ſtatimq; poſt hyſſopum ſtœchadem repræſentauerit, quæ folio, & ſpicato flore hyſſopum noſtrum admodum æmulatur, oſtendit quidem hallucinari eos, qui hyſſopum hoc non legitimum eſſe hactenus iuerunt infitias. Adde etiam quòd idem (vt experientia comprobat) ijs omnibus polleat viribus, quas illi reddidit Dioſcorides. Poſtremò cum idem ſcribat Dioſcorides, Hyſſopum nulli non cognitum eſſe, miror ſanè, cur quidam, qui vulgare noſtrum illegitimum faciunt, legitimum non afferant in medium, & præſertim cum non ſolùm in hortis Dioſcoridi habeatur, ſed etiam in montibus. Dixi ſententiam meam, a qua ne minimo quidem vnguere cedam, quouſq; qui nobis refragantur, vtrunq; afferant Hyſſopum, quibus vmbellæ inſint. Hyſſopum montanum in comitatu Goritienſi Saluatino monte frequentiſſimum naſcitur, facie, floribus, & coma hortenſi non abſimile, (niſi quod hirſutius ſylueſtriusq; apparet) rudioribus folijs & aſperioribus, & guſtu amarioribus, nec vſq; adeò acribus. Miteſcit tamen, ſi tranſplantetur in hortu, ſitq; hortenſi ſimile, exuta ſylueſtri natura. Itaq; dicimus nos Hyſſopum plantam vulgaris eſſe notitiæ, haberiq; vbiq; ferè ad manus, non ſolum hortenſe, ſed etiam montanum. Item fruticem eſſe ſurculis pluribus ab vna radice prodeuntibus, lignoſis, ſeſquipedalibus: foliis in vniuerſo caule oblongi, circumquaq; per interualla prodeuntibus, duriuſculis, odoratis, & guſtatu feruidis, amariuſculiſq;. Flores illi ſunt in caulium ſummitatibus ſpicatis, cærulei coloris. Radix multifida & lignoſa. Tenuium eſt partium, ideoq; incidit, attenuat, aperit, & abſtergit. Aduerſatur ſerpentium ictibus, ſi cum ſale, & cumino tritum ex melle vulneri illinatur: ex oleo inunctum pediculos necat, & capitis pruriginem tollit. Iuuat comitiales, quoquo modo ijs præbeatur, ſed valentius id efficit, in catapotijs hoc modo paratis. Sumuntur hyſſopi, marrubij, & Caſtorei, ſingulorum ſemidrachma, radicis Pæoniæ drachmæ duæ, aſſæ fœtidæ ſcrupulus: teruntur deinde omnia, & cum ſucco eiuſdem hyſſopi formantur catapotia ſeptem, è quorum numero vna tantùm datur quolibet veſperi, cùm ſe dormitum recipit affectus. Hyſſopi paucis meminit, Gal. lib. 8. ſim. medicam. ſic inquiens:

Hyſſopum montanum.

Hyſſopi hiſt. Matth.

Hyſſopi vires Matth.

Hyſſopi vires ex Galeno, & Meſue.

## IV. GRATIOLA.



Hyſſopum deſiccat, & excalfacit ordine tertio: ſed & tenuium eſt partium. Hyſſopi quoque vires, deſcripſit Meſues, ita adiens ſum ſcribens. Hyſſopum hortenſe pituitam facilè deijcit, quamuis dixerint aliqui, quòd & atram bilem educit addito ſepius ſale, aut Indo. At ipſum pituitam purgare manifeſto experimento conſtat, præſertim quæ in pectore, ac pulmone continetur. Facit Hyſſopum ad pituitoſos tum cerebri, tum neruorum affectus: quòd non modò mundet, ſed quòd etiam roboret. Quin & pectus, & pulmonem detergit, præſertim ſenibus, quorum pectus lenta, craſſaq; pituita refertum eſt: quo fit, vt aſthmaticis, & tuſſientibus opituletur. Diſcutit hyſſopi vſus contumaces inflationes, cibi appetentiam inuitat, menſes & vrinam cit, & febrium humores excutit: viſum acuit. Melle commiſtum interaneorū tineas necat, nitri tamen addito momento. Oleum quod tum folijs, tum floribus paratur neruos, algore affectos inunctum ſanat, & roborat. Poteſt eadem & montanum atq; etiam hæc omnia efficacius præſtat: hactenus Meſues. Cæterùm nonnulli crediderunt herbam illā, quæ vulgo ab aliquibus GRATIOLA vocatur, ab alijs Gratia dei, a quibuſdam etiā, vt à Foroiulienſibus, Stanca cauallo, quòd equi eius pabulo mirè defatigentur, eſſe Hyſſopū illud montanū, de quo Meſues in ſuis ſcriptis mentionem fecit. Sed ij, omniū ferè iudicio, euidentius hallucinati ſunt, quàm vt pluribus demonſtrare ſit opus. Quoniam verò in Gratiolæ herbæ ſic dictæ ſermonem incidimus, hic locus poſtulat, vt de ea aliquid dicamus. Naſcitur hæc in locis humidis, præcipuè in pratis vliginoſis, prouenit etiam in paluſtribus. Herba eſt, quæ dodrantalē altitudinē excedit, caule quadrangulari, folijs hyſſopi latioribus, et lōgioribus, florē fert in purpura albicantē, inter folia erumpentē quæ caulē ambiunt. Guſtu herba hæc amariſſima eſt, quo etiā quadātenus adſtringēs ſentitur. Excalfacit, ſiccat, incidit, attenuat, aperit, deijcit, abſtergit, vulnera glutinat, aluum vehementer purgat,

Gratiolæ hiſt. & vires.

*tam recens quàm ſicca ſumpta, bilem pituitamq; trahit. Vulneribus celeriter medetur, trita & ſuperpoſita. Qui hanc plantam Meſues Eupatorium eſſe contendunt, omnino cæcutiunt. Herba ὑσσωπος Græcis dicta, Latinis Hyſſopum appellatur: Arabibus, Cyſe, Iuſa, ſeu Iabes: Italis Hyſſopo: Germanis* Kirchen Hyſop vnd Kloſter Hyſop: *Hiſpanis, Hyſſopo bierua, & Hiſſopilho bierua: Gallis, Hiſſope: Bohemis Hyſſopo: Polonis Izop.*

Hyſſopum Græcorum, ſi caput Dioſcoridis de Origano Heracleotico & Oniti, caput item de Chryſocome conſulamus, longè diuerſum eſſe ab Officinarum Hyſſopo, clarum cuilibet fiet, vt in hiſtoria noſtra exponemus: etenim Officinarum Hyſſopus ad Symphytum petræum Dioſcoridis referendus videtur: cuius aliquot notauimus differentias. I. Hyſſopus vulgaris cærulea, C. B. Hyſſopus, Brunf. Trag. Lacu. Lonic. Cord. in Dioſc. Taber. Cam. Hyſſopum, Matth. Caſt. Hyſſopus hortenſis, Fuch. Hyſſopus communis, Dod. gal. Hyſſopus vulgaris, Geſ. hor. Dod. fol. Hyſſopum vulgò dictus, Cæſal. Hyſſopus ſatiua, Cord. in hiſt. Hyſſopus ſatiuus vulgaris, Lugd. Hyſſopus Arabum, Meſue & officinarum, Lob. Communiter ex vna parte floret, aliquando vtrinque florifera: aliquando ſpica breui & rotunda: habetur quæ odore moſchi à vulgata differt. II. Hyſſopus cærulea folio diſſecto, aliàs à vulgari non diſcrepans, quare tantum ramum exprimi voluimus. III. Hyſſopus albo vel rubro flore, C. B. Cam. Hyſſopus albis floribus & Arabum flore rubro. Lob. Lug. Hyſſopus Arabum, Taber. Rubra flores vno tantum ordine ſæpius digeſtos habet, aliquando & vtrinque. IV. Gratiola centauroides, C. B. Gratiola Matth. Dod. gal. (cui Centaurii minoris ſpecies videtur) & fol. Lob. Caſt. Lugd. Gratia Dei, Lacu. Anguil. cuius ſemen vult Arabibus Gilbenech dici: Gratia Dei altera, Cæſal. Limneſion ſeu Centauroides, Cord. in hiſt. Papauer ſpumeum Dioſcoridis eſſe, ſuſpicatur Anguillara. Eupatorium Meſue, ex Cordi ſententia. Geſn. de hortis. Variat flore, qui purpuraſcens, albus, rarius luteus: aliquando integris foliis, aliquádo & frequentius crenatis. V. Gratiola minor, ex radice aliquando craſſiore, aliquando tenuiore ac fibroſa albida, caules exurgunt erecti, aliquando plures, vt fruticoſa ſit, aliquando vnicus ſubruffus, rotundus, ſtriatus, cubitalis, quem cingunt folia Polygoni maſculæ (aliis Hyſſopi) æmula, alternatim diſpoſita, pallidè virentia, pediculis carentia: ex quorum alis ſinguli flores ex oblongis calyculis prodeunt quadrifolii, eleganter cærulei, quibus ſuccedunt vaſcula oblonga, ſemina minuta ſubfuſca continentia. Hæc omnis odoris expers eſt, & penè inſipida, licet aliqui nitroſum, alii ſubdulcé in ea ſaporem notarint. Hæc variat foliis, eſt enim altera latioribus, quæ altius exſurgit, altera anguſtioribus & oblongis, quæ vix palmaris. Iunio Menſe florent. Naſcitur locis humidis, aliquando & vliginoſis, quam legimus primùm in Patauinis paludibus, vbi latioribus eſt foliis, & ad portam S. Iuſtinæ: dein circa Monſpelium in riuulis, vbi Angallidem aquaticam uocant: tum in Alſatia non longe Mulhuſio, locis vdis: quæ verò anguſtioribus eſt foliis Monſpeſſuli etiam prouenit ad Gramuntium lucum. In Haſsia ſunt qui notarint, & Halimum aquaticum vocant: ſic & in Franconia Camerarius, cui Hyſſopoides: Ioh. Bauhino, Hyſſopifolia: Geſn. in libello de collect. ſtirpium Gratiola minor: Cordo in obſer. Graſe Poley dicitur.

*V. GRATIOLA MINOR.*



Στοιχάς. **STOECHAS.** **CAP. XXVII.**

STœchas, iuxta Galliam in inſulis eiusdem nominis è regione Maſsiliæ gignitur: vnde cognomentum accepit. Herba tenuibus ſurculis, coma thymi, longiore folio, ſubamara guſtu, & a aliquantùm acris: cuius decoctum, hyſſopi modo, ad pectoris vitia efficax eſt. Antidotis vtiliter miſcetur. b [Viſcera omnia, & vniuerſum animantis habitum extenuat, confirmat, & ab obſtructionibus & farctu liberat].

*STœchadem officinarum vulgus Sticados appellat. Naſcitur hæc non modò in Gallia (vt Dioſcorides ſcribit) ex aduerſo Maſſiliæ in inſulis, quas Stœchadas vocant; ſed & in Arabia, vnde cum aliis mercimoniis, quæ ex Alexandria aduebuntur, Venetias comportatur. Quapropter tam à medicis, quàm à ſeplaſiariis, indito ab Arabia cognomento, hodie Arabica nuncupatur: etſi Maſſilienſis pelagi ſtœchas plerunq; Arabicæ vicem expleat. Prouenit præterea in nonnullis Italiæ locis, verùm ea cæteris in Italia præſtat, quæ ex Gargano Apuliæ monte aduehitur: quanquam omnium probatiſſima eſt peregrina, quæ ex Arabia defertur, hanc deinde ſequitur, quæ in Stœchadibus inſulis naſcitur, à quibus primùm nomen adinuenit. Eſt itaq; ſtœchas Lauendulæ nõ abſimilis, foliis oblongis, craſſis incaniſq; aceruatim in vniuerſo caule exeuntibus caulibus pluribus ab vna radice prodeuntibus, lignoſis: Flores edit Thymi modo ſubcæruleis in ſpicatis, oblongiſq; capitulis, in quibus ſemen oritur melyſſophylli non abſimile. Radix eſt illi lignoſa, ac multifida. De Stœchade vires ſcripſit Galenus lib. 8. ſimp. med. vbi ſic inquit: Stœchadis guſtu quidem qualitas amara eſt, & mediocriter ſubadſtringens. Cæterùm temperies compoſita, nempe ex terrena eſſentia frigida exigua, vnde ſanè adſtringit: & ex attenuata altera terrena copioſiore, à qua vtiq; amara eſt. Ob vtrorumq; verò conuenientiam & coitum, obſtructione liberare, extenuare, extergere, roborareq; tum viſcera omnia, tum totius corporis habitum eſt nata. Supra namq; oſtenſum eſt, quod quæ ex eiuſmodi eſ-*

a Meum. ποσῶς ὑπόπικρος i. quodã modo ſubamara.

b Concluſa in meo exemplari, & Catacuzeni deſunt.

Stœchadis conſideratio.

Stœch. deſcriptio.

Stœchadis vires ex Gal.

STOECHAS.



Meſu. de Stœch.

*ſentijs conſtant medicamina, dictos effectus reddere poſſint. Huius quoque meminit Meſues, ita de eius viribus differens. Stœchas deycit tum pituitam, tum atram bilem: cerebrum, neruos, ac ſenſuum omnium organa mundat, ac roborat. Prodeſt contra frigidos morbos qualeſcunque ſint, ideoque comitialibus conueniens remedium habetur, addita ſcilla, aut eius aceto. Balnea, fomenta, ac laconica, quæ ex ipſius tum decocto, tum vapore fiunt, occluſos narium meatus aperiunt: neruorum, & compaginum cruciatus mitigant: ac interna viſcera frigido humore affecta roborant. Abſtinendum tamen ab ea bilioſis eſt, præſertim ſi eorum ventriculus ſit bile refertus: nam eos maxime turbat, nauſeam commouet, ſitim accendit, & calore quodam moleſtiſſimo vniuerſum afficit corpus.*

Nomina.

*Quæ planta Græcè στοιχάς, Latinè item Stœchas nominatur: Arabicè Aſtechodos, Aſtuhorados ſiue Aſtuchudes: Italicè Stechade, ſeu Steca: Germanicè Stichas Kraut: Hiſpanicè Cantueſſo: Gallicè Stechados: Bohemice Stechas.*

Stœchas duplex eſt Officinis, Arabica, de qua nunc, & Citrina. Arabica ea eſt, quam Dioſcorides hic propoſuit, quæ à loco natali Stœchas dicitur: ſunt qui rectius ſtachyn, quaſi ſpicam dici velint. Hæc habetur foliis integris, quæ vulgaris eſt, altera ſerratis & criſpis, eſt & tertia cuius cauliculi foliis nudi ſunt. Dicitur Stæchas purpurea. C. B. Stæchas, Trag. Matth. Lac. Dod. fol. Lon. Lob. Caſt. Lugd. Stichas, Fuch. Dod. gal. Stichas Arabica, Cord. in Dioſc. & hiſt. Stæchas vel Stychas, Geſ. hor. Stæchas prima, Cluſ. hiſt. Hiſp. Stæchas Arabica, Cam. Spica Italica ſylueſtris, Cæſalp. Quæ ex Arabia adfertur, denſioribus eſt ramulis, quàm ſit Gallica vel Italica.

## ὀρίγανος. ORIGANVM. CAP. XXVIII.

a Cat. τριχοειδής.

ORiganum Heracleoticum, quod & cunilam vocant, folium habet hyſſopo non diſſimile: a vmbellam autem non in rotæ ſpeciem orbiculatam, ſed veluti multifidam: ſemine in ſummis virgis haud quaquam denſo. Excalfacit: vnde decoctum cum vino potum demorſis à ſerpente conuenit: qui autem cicutam, aut meconion hauſerunt, iis ex paſſo: ſi verò gypſum, aut ephemeron, ex aceto mulſo propinatur: ruptis, conuulſis, hydropicis cum fico eſui datur. Aridum acetabuli menſura potum in aqua mulſa, atros humores per aluum extrahit: menſes ciet, & tuſſi cum melle linctum medetur. Ad prurigimem, pſoras, regiumquè morbum, decocti ius in balneis prodeſt. Succus virentis, tonſillas, vuam, & oris vlcera ſanat, & per nares ex oleo irino infuſum trahit: aurium dolores cum lacte mulcet. Conficitur ex eo & cæpis, & rhoe, quo ad obſonia vtuntur, vomitorium medicamentum, his omnibus in cupreo vaſe per dies bis vicenos inſolatis, dum caniculæ ſydus flagrat. Herbæ autem ſubſtratu ſerpentes fugantur. Quæ Onitis appellatur candidiore eſt folio, & hyſſopo ſimilior. Semen veluti coniunctos corymbos habet. Vis ei origani Heracleotici, ſed multò inefficacior. Sylueſtre origanū, aliqui Panaces Heraclion, alii Cunilam vocant, ex quibus eſt Nicander Colophonius. Foliis eſt origani: ramulis tenuibus, b dodrantem altis: in quibus c[ vmbellæ anethi inſunt] flores candidi, radix tenuis, ſuperuacua. Peculiariter percuſſis à ſerpente folia, & flores ex vino poti auxiliantur.

b Cat. θαμνώδη i. fruticantibus.
c Deeſt in meo & Cat.

## Τραγορίγανος. TRAGORIGANVM. CAP. XXIX.

a Meum θαμνίσκος i exiguus frutex. ſed Ca. habet θάμνος ſimpliciter.

TRagoriganum a tenuis frutex eſt, ſylueſtri ſerpillo aut origano ſimilis, folio, & ramulis. Quibuſdam in locis lætius, virentiusquè inuenitur, & latioribus foliis, ſatis glutinoſum. Alterum exilibus ſurculis ac tenuibus foliis, quod aliqui praſium vocauere. Optimum eſt Cilicium, & Cretenſe, & Smyrnæum, & in Chio, Cooquè proueniens. Omnia excalfaciunt, vrinam cient, aluo accommodantur. Decocto poto bilem deiiciunt, lienoſis ex aceto bibere prodeſt: contra pota ixiæ venena in vino bibuntur: menſes trahunt: peripneumonicis, tuſſientibus ex melle, in eclegmate dantur. Grata, ac mitis eorum potio eſt: quare cibum faſtidientibus, & ſtomacho acida ructanti, imbecilloquè præbetur: item ſi à maritima iactatione nauſea, & æſtus præcordiorum excitetur. Tumores verò cum polenta illita diſcutiunt.*

* ποιεῖ δὲ τὰ αὐτὰ ἅπερ καὶ ἡ ὀρίγανος, καὶ ταύτης γὰρ αἱ ῥίζαι πινόμεναι, καὶ εἰς ἐγκάθισμα κατεψόμεναι ποιοῦσι πρὸς χρονίαν ἐμμύνων κατοχὴν, καὶ πρὸς θηριοδήκτους, καὶ πρὸς δηλητήριον, καὶ πρὸς βῆχα χρονίαν, καὶ κνησμὸν καὶ ψώραν. i. faciunt hæc eadem quæ & Origanus. Nam radices ipſius decoctæ pro potu, aut inſeſſionibus faciunt ad diuturnum ſoporem, & ad morſus viperarum & venena, & ad tuſſim antiquam, & pruritum & ſcabiem.

Origani hiſtoria varia.

*VAria ac confuſa eſt apud antiquos rei herbariæ authores Origani hiſtoria. Quandoquidem Theophraſtus lib. 6. c. 2. de plantarum hiſtoria duo tantum conſtituit Origani genera, nigrum ſterile, & candidum fructuoſum. Plinius verò lib. 20. c. 17. poſt Onitidis origani, & Tragorigani mentionem, Heraclium origanum ſubiunxit, quod tria habere genera prodidit. Vnū nigrius, latioribus folijs, glutinoſū. Alterum exilioribus, mollibusque, ſampſucho non diſſimile, quod aliqui praſion vocauere. Tertium inter hæc mediū, minus quàm cætera efficax. In quibus verbis Plinius deprehenditur, non ſine errore*

Tragori.

*Tragoriganum cum Origani generibus confudiſſe, quod Heraclij nomine, quod conſtat Origani genus eſſe, duas illas Tragorigani ſpecies, quæ à Dioſcoride redduntur, huius ferè imitatione expreſſerit: licet tertium quoq; addiderit ex alio forte authore, niſi dixerimus, quod & hanc pro aliquo Origani genere ſumpſerit, & ſimul confuderit. Sed dimiſſis alio-*

Plinii lapſus, Tragoriganũ cum Origano confundentis.

I. ORIGANVM HERAcleoticum.



II. ORIGANVM onitis.



* III. ORIGANVM ONItis folio ſubrotundo. *



* IV. ORIGANVM VVLgare. *



 rum

V. TRAGORIGANVM.



Braſauoli opinio reiecta.

rum placitis, & Dioſcoridem, quem nobis ducem, & auctorem propoſuimus, duntaxat ſecuti, dicimus tam Heracleoticum, quam Onitim appellatum Origanum, aut in Italia non oriri, aut mihi hactenus, quod ſciam, a nemine fuiſſe repertum. Et ſi Braſauolus Ferrarienſis medicus noſtræ ætatis clariſsimus aſſerere videatur, Heracleoticum illud herbæ genus eſſe, quod in Italia paſsim naſcitur, quodq; perperam Origanum vulgo ab omnibus vocitatur. Verum huic (pace eius dixerim) nunquam aſſentiri potui: quin potius eam plantam ſylueſtris Origani genus eſſe ſemper exiſtimaui, quòd ſua ſponte in campeſtribus, aſperis, cliuoſisq; locis & montibus proueniat, quod folia mittit amaraci maiora, ſubhirſutaq;, caules complures piloſos, flores in ſummitate purpureos in vmbellæ multifidæ modum, radice ſumma tellure vagante, purpuraſcenti admodum rutila. Nam quamuis a Dioſcoride vna tantùm ſylueſtris origani ſpecies deſcribatur, floribus candidis, nil tamen obſtat, quin in alijs quoq; à Græcia regionibus vna, vel altera eius ſpecies floribus differens gigni poßit. Atqui ſi qui tam pertinaces ſint, vt nolint illud ſylueſtre appellare, poterunt, ſi velint, item pſeudoriganum nuncupare. Siccum origanum, quod Venetias

Origanum ex Creta.

è Creta, vbi prouenit, vt & in Cypro & alijs Aegæi maris inſulis (quemadmodum & Onitis) aduehunt, flore eſt albo, acerrimo guſtu, fragrantiq; odore. Quo fit, vt hoc eſſe putem ſylueſtre Dioſcoridis origanum, (quanquam apud pleroſq; Heracleotici, vel alterius nomen ſibi falsò vendicet) non ſolùm quòd floribus ſit candicantibus, ſed etiam quòd guſtatu linguam admodum vellicet. Siquidem hinc facilè conijci poteſt, ſylueſtre origanum cæteris (vt Galenus teſtatur) eſſe valentius. Heracleoticum origanum, itemq; Onitim miſit ad me primùm clariſſimus medicus Lucas Ghinus (quæ mihi ſunt eius non ſolùm præſtantis doctrinæ, ſed etiam ingenui, ac liberalis animi certa ac firma indicia) vtrumq; è Creta (vt ad me ſcripſit) allatum. Quæ duo Origani genera quòd ſatis Dioſcoridis hiſtoriæ reſpondeant, hic pictura exprimenda duximus.

Tragoriganum.

Tragoriganum verò (ita hanc plantam mihi appellandam propoſui) cuius etiam plantam pictam exhibemus, frequens naſcitur in Foroiulienſi agro, folijs ſerpilli æmulis, ſed guſtu pulegij. Vnde non abre ſtatim poſt ipſum pulegij meminit Dioſcorides. De omni tam Origani, quam Tragorigani genere differens Galenus lib. 8.

Origani vires ex Gal.

ſimplicium medicamentorum, ſic inquit: Origanus Heracleotica quidem efficacior eſt onitide: ſed agreſtis, quam quidam Panaces Heraclium, alij Conylā cognominant, valentior vtraq; eſt. Omnes verò incidendi, extenuandi, excalfaciendiq; facultatem poßident: hæcq; tertio exceſſu obtinet. Porrò ea, quam Tragoriganum appellitant, aſſumſit etiam adſtrictoriu quippiam: hæc Galenus. Ex cuius doctrina patet, rectè cum ijs agi, qui ſylueſtre ex Creta petitum ſuis medicamentis inſerunt. Origanum vulgare, excalfacit quidem, quod guſtu ſubacris ſentiatur, & ſiccat quoq; ſimiliter, ſed haud ſtrenue. Aperit, digerit, incidit & reſoluit, ſed longè mitius quàm præſcripta Origani genera.

Nomina.

Planta Græcis ὀρίγανος, Latinis pariter Origanum vocatur: Mauritanis, Fandenigi, Fudenegi, ſeu Faudénegi: Italis Origano: Germanis Wolgemut / Rote Doſten vnnd Coſtentz: Hiſpanis Oreganos: Gallis Origan, aut Mariolaine baſtarde: Bohemis Dobramiſt: Polonis Czyrwenal ebcothka. Origanum vulgare vel potius Pſeudoriganum: Italis Origano noſtrano. Germanis Wolgemut.

Origanum dicitur διὰ τὸ χαίρειν ὄρεσιν, vt Euſtachius habet, aliis παρὰ τὸ ὁρᾶν ϗ γανῦν, quia viſus claritati conducit. I. Origanum Heracleoticum, C. B. Matth. Dod. gal. & fol. Lac. Geſ. hor. Lob. Caſt. Lugd. Tab. Cam. Origanum peregrinum primum, vel Origanum ſextum, Trag. Origanum alterum, Cæſalp. cui & Cunila Gallicana Plinii. II. Origanum Onitis, Matth. Lac. Lonic. Geſ. hor. Caſt. Lugd. III. Origanum Onitis folio ſubrotundo, C. B. Hoc caule purpuraſcente, & foliis ſubrotundis hirſutis cum Origano vulgari conuenit, at ſpicis ſuis oblongis & elegantiſsimis Onitidi ſimile, quæ purpureæ ſunt, ſemen puſillum, ruffum, vt reliqua Origani genera continentes. Hoc Monſpelio vbi prouenit, à Doctore Ioh. Henrico Cherlero accepimus, cuius figuram primus Camerarius in ſuo Matthiolo, Origani Monſpelienſis nomine exhibuit. IV. Origanum ſylueſtre, C. B. Fuch. Dod. gal. & fol. Lacu. Geſ. hor. Caſt. Taber. Cam. qui ad Heracleoticum Dioſc. refert: Origanus ſylueſtris, Cord. in Dioſc. Origanum, Brunf. Origanum vulgare, Trag. Matt. Lon. Geſ. hor. Thal. Origanum vulgare ſylueſtre, Lugd. Agrioriganum ſiue Onitis maior, Lob. Origanum Italicum, Cæſal. cui & Tragoriganum Dioſcoridis, Cunila eſt bubula Plinio. V. Tragoriganum Matth. Lac. Caſt. Lugd. Tragoriganum primum, Tabernæmontano.

## Γλήχων. PVLEGIVM. CAP. XXX.

PVlegium herba vulgaris notitiæ. Extenuat, calfacit, decoquit: potum menſtrua, ſecundas, ac partus eijcit. Pulmonis vitia ex melle, & aloe potum extrahit, & conuulſis auxiliatur: nauſeas, ſtomachique eroſiones ex poſca permulcet: atram bilem per aluum exigit. Bibitur in vino vtiliſsimè contra ſerpentium morſus: defectos animo recreat, cum aceto naribus obiectum: gingiuas arefacti cinere, corroborat. Illitum cum pollenta inflammationes omnes ſedat: podagris per ſe ſubuenit, impoſitum vſque dum rubeſcat locus: cum cerato varos extinguit: lienoſis cum ſale vtiliter illinitur. Decoctum eius ablutas prurigines mitigat: conuerſas vuluas corrigit: contra inflationes, duritiasquè vuluæ in deſeſſio-

ſeſſiones conuenienter adiicitur. Vocant aliqui blechona, quoniam dum floret guſtatum à pecoribus, balatum concitat. a

a χλωρὰ δὲ τριβομένη

καὶ μετ' ὄξους καταπλαττομένη, θερμαίνει καὶ ἐρυθραίνει, καὶ τὰ ἕλκη ῥυπαρὰ ἀνακαθαίρει, καὶ μὴν πέπτει. ἡ αὐτὴ τὰ ὑπώπια ἐξαλείφει, ὅτι αἷμα ἀνακαλεῖται. Ὀσφραίνεται δὲ ἐν ταῖς ἐκλύσεσι καὶ λιποθυμίαις, τὴν ἐφήλιν αἴρει, κοπτομένη καὶ ἐπιτιθεμένη. ἁρμόζει εἰς ὀδοντάλγημα, μετὰ οἴνου καὶ μέλιτος καὶ ἁλῶν ἑψομένη, ἢ μετὰ οἴνου καὶ μέλιτος μόνου, ἢ μετὰ οἴνου καὶ ἁλῶν ἴσων ἐν κεραμείῳ ἀγγείῳ θερμαινομένη. πίνεται κατὰ πρὸς τὸν λαγωὸν θαλάσσιον, καὶ ἄλλα δηλητήρια. Ψώραν ἀποσμήχει πινομένη καὶ προσειβομένη. Κονία δὲ τῆς ξηρᾶς ἐπιπάσσεται μετὰ τὸ βαλανεῖον πρὸς ψυχρὰ τῶν ἄρθρων ἄλγεα, χρὴ δὲ στεῖρον σπάργανον συστέλλειν, ἐφ' ᾧ τῇ δέρμῃ σύμφυσαι, ὅτι οὐ μόνον τὰ ἄλγεα πραΰνει, ἀλλὰ καὶ ψυχθὲν μέρος θερμαίνει: Id eſt, viridis autem contrita herba, & ex aceto impoſita, & calefacit, & ruborem excitat, & tetra expurgat vlcera, quinetiam & concoquit. Eadem ſugillata emaculat, quòd ſanguinem ad cutem trahat. Datur olfacienda contra animi diſſolutiones, & apothymias: maculas quoq; a ſole contractas delet contrita & illita. Præſtat eadem ad dentium dolores ex vino, melle, & ſale decocta, ſiue ex vino & melle ſolo, ſiue ex vino, & pari ſale in fictili feruefacta. Præbetur våliter quoq; potanda & aduerſus marinum leporem, & ad alia quoq; venena. Lepras tum pota, tum affricta exterit. Siccæ farina inſpergitur à balneo ad frigidos articulorum cruciatus, ſed arcta faſcia ligranda eſt, vt cum perbellè hæreat. Siquidem hoc modo non ſolùm dolores ſedat, ſed etiam refrigeratam particulam excalfacit. Hæc omnia addit Catacuzeni exemplar.

*Pulegium herba eſt humi repens, ſerpylli modo, caulibus dodrantalibus, gracilibus: folijs amaraci æmulis, paulò tamen maioribus. Flores in toto caule per interualla, prope foliorum exortum enaſcuntur colore in purpuram langueſcente. Radix illi gracilis, & capilloſa, quæq; humi ſerpat. Naſcitur humecto, & vliginoſo ſolo. Tota planta odorata eſt, & guſtu acris, non ſine quadam amaritudine. Verùm etſi dubitauerint recentiorum quidam, an vulgare Pulegium legitimum ſit,* Pulegii conſideratio.

I. PVLEGIVM.



* II. PVLEGIVM ANGVſtifolium. *



*quòd ob eius vulgarem notitiam, nullis foliorum, florumq; notis eius faciem deſcripſerit Dioſcorides, non deſunt tamen rei herbariæ periti, qui velint Pulegium vulgaris vſus, Dioſcoridis aliorumq; antiquorum eſſe Pulegium. Hocq; argumento nituntur, quòd non modo experientia compertum ſit, vulgare Pulegium omnibus iis viribus eſſe præditum, quas ſuo tribuit Dioſcorides: ſed quòd etiam Plinianæ hiſtoriæ maximè reſpondeat. Plinio ſiquidem libro 20. cap. 14. duo Pulegii produntur genera: fœmina, cui purpureus flos: mas, cui albus. Horum vtrunq; fert ſolum Italicum, vtrunq; in Hetruria præſtantiſsimum gignitur. Quapropter eos apertè hallucinari crediderim, qui Pulegium communis vſus vnam, vel alteram calaminthæ ſpeciem eſſe contendunt. Quippe quòd certò putem (vt infra ſuo loco dicetur) omnia calaminthæ genera, quorum meminit Dioſcorides, à nobis iamdiu fuiſſe reperta. Quin & illud Pulegium noſtrum legitimum eſſe oſtendit, quòd folio ſit Cretenſi dictamno ſimile, cui folia pulegio ſimilia reddidit Theophraſtus, item Dioſcorides, qui tamen illa maiora fecit. Germanicæ mulieres Pulegium in hortis ſerunt, ac etiam in figulinis vaſis fouent diligenti admodum cultura, ſuis affectibus eo conſulentes. Violatius tota coma conſpicitur, & ſecundo calaminthæ generi (hanc enim illi aſsimilauit Dioſcorides) folio ſimile, accerrimo guſtu, quadantenus amaro. Quamobrem rectè quidem Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, de Pulegio diſſerens, ita ſcriptum reliquit: Pulegium cum acre, & ſubamarum ſit, valde tum excalfacit, tum extenuat. Porrò quòd excalfaciat, abunde magnum eſt ſignum, quòd illitum rubrificat, & quòd ſi quis diutius toleret, exulcerat quoq; Quòd verò extenuet ſatis indicat, cùm humida, craſſa & lenta ex thorace & pulmone*

Pulegii duo genera Plin.

Quorundam error.

Pulegii vires ex Gal.

*excreatu facilia faciat, menſesq́; moueat. Hæc Gal. quibus addimus nos, pulegij decoctum vrinas ciere, fœtum & ſecundas trahere, ictericos, hydropicosq́; iuuare, omnibus capitis & neruorum affectibus, a frigiditate prognatis ſuccurrere, viſum acuere.* Nomina. *Γλήχων herba ſic Græcis, Pulegium Latinis dicitur: Mauritanis Alnam, Alnegem ſeu Aluegen: Italis Pulegio: Germanis* Poley vnd Hertz Poley: *Hiſpanis Poleo: Gallis Pulege & Pouliot: Bohemis Poleg: Polonis Poleij.*

Pulegium duplex eſt, latifolium & anguſtifolium. I. Pulegium latifolium, C. B. Pulegium, Brunſ. Trag. Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. & hiſt. Lon. Caſt. Cæſ. Cam. Pulegium fœmina, Fuch. in icon. Pulegium aquaticum, Geſ. hor. Pulegium regium, Lug. Pulegium regium vulgatum, Lob. II. Pulegium anguſtifolium, C. B. Pulegium ceruinum Geſ. hor. Cam. Lugd. Pulegium alterum foliis oblongis, Dod. fol. Pulegium anguſtifolium ſiue Ceruinum Monſpelienſium odoratius, Aduerſ. & Lob. Pulegium Maſſilioticum, Tabernæmontano.

## Δίκταμνος. DICTAMNVM. CAP. XXXI.

a Cat. addit. δηκτικὴν. id eſt mordax.

DIctamnum, aliquibus ſylueſtre pulegium vocatur. Cretenſis herba eſt acris, a leuis, pulegio ſimilis, ſed maioribus foliis, quæ tomento quodam, ſpiſſaq; lanugine pubeſcunt. Florem nullum, aut ſemen profert. Præſtat omnia, quæ ſatiuum pulegium, ſed efficacius multò: nam non potum modò, ſed appoſitum quoq; aut ſuffitum, defunctos partus eiicit. Produnt in Creta capras ſagittis percuſſas, huius herbæ paſtu eas excutere. Purgandi vim habet ſuccus illitus, aut cum polenta tritus. Herba impactos pedib. reliquove corpori aculeos, illitu refigit: ad lienis dolorem efficax habetur: ſiquidem ipſum imminuit. Metunt æſtate & autumno. Radix eius guſtu calfacit: partus accelerat. Succus cum vino potus, contra ſerpentium morſus præſidio eſt. Tanta herbæ facultas eſt, vt olfacta abigat beſtias, quæ venenato ictu ſæuiant, appenſaq; contactu exanimet. Vulneribus ferro illatis, & venenatis morſibus infuſus ſuccus, præſentaneo eſt remedio, ſi etiam ab inſtillatione ſtatim in potu aſſumatur.

## Ψευδοδίκταμνος. PSEVDODICTAMNVM. CAP. XXXII.

QVod Pſeudodictamnum vocant, multis in terris naſcitur, antè dicto ſimile: ſed minus, quàm illud acre. Eoſdem effectus præbet, ſed inefficacius multò.

## Δίκταμνος ἕτερος. DICTAMNVM ALTERVM. CAP. XXXIII.

a Ca. ὁρμίνῳ ἀγρίῳ. i. ſylueſtri Hormino.

DEfertur à Creta alterum dictamni genus, foliis ſiſymbrii, ramis maioribus: in quibus flores ſylueſtris a origani, nigri, molles. Odor foliorum inter ſiſymbrium & ſaluiam, iucundiſſimus. Efficax ad eadem, ſed minus nares ferit. Miſcetur emplaſtris & medicaminibus, quæ aduerſus ſerpentium iniurias confinguntur, theriaca vocant.

I. DICTAMNVM CRETENSE.



II. PSEVDODICTAMNVM.



**Dictamni ſid. & hiſto. ex Theoph.**

Dictamnum legitimum ac probatiſſimum in Creta inſula tantùm gignitur: neq; tamen inibi paſſim, ſed in anguſto loco duntaxat prouenit, vt author eſt Theophraſtus, qui lib. 9. cap. 26. de plantarum hiſtoria Dictamnum poſteritati memoriæ prodidit, his verbis: Dictamnum Cretæ inſulæ proprium eſt, vi mirabile, & ad plura perutile, ſed ad partum mulierum potiſſimum pollet. Folio pulegio ſimili conſtat, nec ſapore abſimile eſt: ramulis tenuioribus conditur. Vſus foliorum, non ramorum, nec fructus eſt: valent enim ad multa, & præcipuè ad difficiles partus mulierum, vt dictũ eſt: aut enim facile poſſe parere faciunt, aut certè dolores penitus ſedant. Dantur bibenda ex aqua. Rara hæc herba: locus enim, qui fert, exiguus admodum eſt, eumq; capræ depaſcunt capeſſendæ cauſa voluptatis. Quod etiã de telis fertur, verum eſſe aſſirmant: capras enim ſagitta transfixas Dictamno deuorato telum eijcere. Dictamnum tale eſt, viresq; eiuſmodi poſſidet.

**Falſum Dictamnum.**

Falſum Dictamnum folio quidem ſimili conſtat, ſed ramulis minus, & viribus longe inferius: quanquã enim eiſdem in rebus proſit, tamen multò deterius, atq; debilius. Vis Dictamni in ore percipi continuò poteſt: excalfacit enim paulò vehementer. Manipulos in ferula, aut canna intercludere ſolent, ne expiret: eſt enim imbecillius, cum expirauerit. Non deſunt, qui naturam Dictamni, & falſi Dictamni eandem eſſe exiſtiment, ſed quòd locis lætioribus exeat, degenerare, falſumq; cognominari, ſicuti etiam alijs pluribus euenit, vt viribus deterioribus ex loco reddantur. Dictamnum enim aſperum ſolum vehementer amare inquiunt.

**Dictamnum alterum.**

Eſt etiam aliud Dictamnum veluti æquiuocè appellatum: nec enim ſpeciẽ, nec vim habet candem, quippe quod folio ſimili Siſymbrio conſtet, & ramis condatur maioribus. Vſus item & vis nõ eiſdem conueniunt. Hoc igitur (vt dictum eſt) mirum, ſimulq; proprium Cretæ inſulæ dicitur: hæc Theophraſtus: Cæterùm ætati quoq; noſtræ Dictamni rationem aliquam reddamus, vt in omnibus fere plantis facere conſueuimus, nõ diu quidem eſt, quod ex Creta inſula Venetias legitimum Dictamnum adferri cœptum eſt. Siquidem Manardus Ferrarienſis, vir non ſolùm ingenio & doctrina celebris, ſed etiam ſimplicium medicamentorum acerrimus indagator, lib. 6. epiſt. 3. inquit: Dictamno, niſi eam rurſus Venus ab Ida ſylua deportet, omnino deficimus. Sed certè (vt ingenue fatear) neſcio, qua auctoritate vel ratione ſcripſerit Dioſcorides, Cretenſe Dictamnum nec florem, nec ſemen proferre, cum id, quod e Creta ad nos aduehitur, vnà cum floribus deferatur, nullis præterea deficientibus notis, quæ in legitimo requiruntur: niſi dicamus hunc locum deprauatum eſſe, vt ſanè ſuſpicor.

**Dictamnum fert flores.**

Quod autem fructum ferat Cretenſe Dictamnum, & ex conſequenti etiam florem, videtur ſupra declaraſſe Theophraſtus, cum dixit: Vſus eſt foliorum, non ramorum, nec fructus. Atqui id ipſum non obſcurè à Damocrate explicatum eſt, vt in Galeno legitur lib. 5. de comp. med. per genera, cap. 10. in emplaſtro ex Dictamno, quod acceptum refert Damocrati. Hic nimirum Dictamno Cretico florem aſſignauit in illis Græcis verſibus, quos ſolutis verbis ſic vertimus. His quoq; omnibus addito Dictamni herbæ læuis ſiccæ florem habentis drachmas viginti. Hoc idem etiam credimus Virgilium carminibus expreſſiſſe lib. 12. ſuæ Aeneidos, vbi ita cecinit:

III. DICTAMNVM ALBVM.



*Hic Venus indigno nati concuſſa dolore,*
*Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,*
*Puberibus caulem folijs, & flore comantem*
*Purpureo: non illa feris incognita capris*
*Gramina, cum tergo volucres hæſere ſagittæ.*

**Plinius notatur.**

Plinio Dictamnum non modò flore, & fructu caret, ſed etiam caule, quod tamen experentia, & antè dictorũ teſtimonio planè falſum eſſe deprehenditur. Naſcitur in Creta exoluto ſolo.

**Pſeudodictamnum.**

Pſeudodictamnũ porrò hodie paucis (vt arbitror) notũ. Piſis hoc tempore ad me miſit clariſſimus Medicus Lucas Ghinus, caule dodrantali, lanuginoſo, albicanteq;: cui folia e caulibus erumpunt ex interuallis bina ſubrotunda, Dictamni tomento pubeſcentia: è quorum omniũ exortu flores purpurei prodeũt, marrubij vel melyſſophyll modo verticillati, ſapore pulegij, minus tamen acri.

**Vulgare dictamnum, & eius hiſtoria Matthiolo.**

Vulgare autẽ Dictamnũ ALBVM vulgò cognominatũ, nullã cum Cretenſi cognationẽ habet. Siquidẽ planta eſt inſignis, & gratiſſimo ſanè aſpectu, ſpectataq; pulchritudinis, folijs fraxino adeò ſimilibus vt à quibuſdã χαμαιμελία, id eſt infima fraxinus, ſit appellata. Caulẽ gerit bicubitalẽ, rotũdum, in cuius cacumine flores ſunt Citrei mali nõ abſimiles, odore quadã cum graueolentia acuto, non tamen iniucundo, ex purpura albicantes, vt in malua. Radice nititur diuaricata, & quandoq; ſingulari, albicante, craſſa pulpæ ſubſtantia, & tenui intus matrice, amara, & dum recens eſt, hircum olente, minimi digiti craſſitudine. Flores in quinquetras ſiliquas abeũt, ſcabro exterius cortice, in quib. ſemen. Naſcitur in collib. cliuoſis, & ſaxoſis, excalfacit & ſiccat.

**Vires.**

Radix, cuius eſt vſus, attenuat, aperit, prouocat & abſtergit. Additur vtiliter in antidotis, quæ aduerſus venena, & venenoſorũ animaliũ ictus parantur. Necat interaneorũ vermes, drachmæ põdere hauſta. Datur contra frigidos vteri morbos. Nam & menſes, & ſecundas, & emortuũ fœtũ educit, tum ſuppoſita, aut cũ pulegio ſuffita, tum ex vino meraco pota duarum drachmarũ pondere. Valet quoq; ad alui torſiones, & ad eijciendos renũ calculos, eodem pondere. Additur vtiliter in potionib. internorũ vulnerum. Quidam ea vſi ſunt ẽt ad Gallicũ morbum, drachmã quotidie præbentes ex Guaiaci ligni decocto, nõ ſine magno ægrotantiũ commodo: datur quoq; comitialib. & in alijs frigidis cerebri affectib. Præſtat contra peſtilentiæ contagia, quocunq; modo ſumatur: in ſumma ad multa vtilis eſt radix. Siliquæ & flores tactu pruritum faciunt: & in calidiorib. regionibus cutẽ exulcerant.

**Dictamni vires ex Gal.**

Dictamni, ac falſi Dictamni vires tradidit Galenus lib. 6. ſimp. med. ſic inquiens: Dictamnum tenuiore eſſentia conſtat, quàm pulegium: cætera illi ſimile. At quod vocant Pſeudodictamnum ad omnia imbecillius Dictamno eſt.

**Nomina.**

Quæ herba Græcè δίκταμνος, Latinèquoq; Dictamnũ appellatur: Arabicè Meſcatremſir, Anegẽ Arabaſiue Bari: Italicè Dittamo di Candia: Germanicè Wilder Poley: Hiſpanicè Ditamo & Ditamo real: Bohemice Diptã anebo Treuudauua. Quod verò Græci ψευδοδίκταμνον, Latini itẽ Pſeudodictamnũ, & falſum Dictamnũ dicunt:

*dicunt: Itali Falſo Dittamo. Cæterùm vulgare dictamnum appellant Itali, Dittamo bianco: Germani* Gemeiner Diptam: *Galli Diptam baſtard: Bohemi Treuudauua faleſſna: Poloni Dyptam trzomdanla. Qui album Dictamnum, Dioſcoridis Tragium eſſe contendunt, delirio procul dubio afficiuntur.*

*† Hic locus illi prorſus eſt ſimilis, qui in vulgatis Dioſcoridis exemplaribus legitur libro primo in capite Nardi montani, idcirco in hoc ſimiliter, atq; in illo adnotauimus, mendum ſubeſſe arbitramur. Ergo communis quoq; erit vtriuſq; loci ratio, qua vterq; ſuæ, vt ſpero, integritati reſtituatur. Et quoniam ſuperuacuum eſſet ea referre, quæ alibi a nobis dicta ſunt, nunc dicam tantùm quomodo hic legendum cenſeam. Vulgata & ea quidem deprauata lectio, quam ſecuti ſunt interpretes, habet* οὔτε δ᾽ ἄνθος, οὔτε καρπὸν φέρει. *At illa, quam nos veram putamus, erit* οὔτε δ᾽ ἄνθος, οὔτε καρπὸς συμφέρει, *quæ verba ita Latinè reddemus: Neq; verò flos, neq; ſemen confert. Ex hac caſtigatione illud facilè fiet, quòd Dioſcorides auctor grauiſſimus non ſolùm erroris ſuſpicione non condemnabitur, ſed etiam maximè commendabitur, quòd ea ſcriptis tradiderit, quæ cum alijs veteribus conueniunt.*

Dictamnum, ἀπὸ τοῦ τίκτειν, eò quòd vt Dioſcorides, ὀξυτόκον ἐστί. I. Dictamnus Creticus ſeu Cretenſis, C.B. Trag. Dod. gal. Lon. Cam. Cæſal. Dictamnum Cretenſe, Matth. Dictamnus, Brunf. Lacu. Dictamnum, Lob. Dictamnum verum, Dod. fol. Lug. Dictamnus vera, Cord. in Dioſc. Geſ. hor. II. Pſeudodictamnus verticillatus, C.B. Pſeudodictamnum, Matth. Dod. gal. & fol. Lacu. Caſt. Lug. Cam. cui χαλαμινθεία hodie in Græcia. Pſeudodictamnum floribus verticillatis, Lob. Pro Pſeudodictamno ex Creta allata, Cæſ. Hic duplex, inodorus & odoratus. III. Dictamnum album, Matt. Cæſal. Caſt. Cam. Dictamnus putatus, Brunf. Dictamnus noſtra, Cord. in Dioſc. Dictamnus vulgaris, Trag. Geſ. hor. Pœonia maſcula, eidem. Dictamnus officinarum, Lon. Tragium, Dodo. gal. Geſ. hor. Chamæmelia, id eſt Pumila fraxinus, eidem. Fraxinella, Cord. hiſt. Lob. Cluſ. hiſt. Pan. Lug. Taber. Huius duo genera aliud humilius, breuiore ſpica, floribus & foliis dilutioribus: aliud elatius, oblongiore ſpica & ſaturatiore, foliis nigrioribus.

## Ἐλελίσφακον. SALVIA. CAP. XXXIIII.

SAluia ſiue Elelisphacon, frutex eſt ramoſus, longus, virgas habēs quadrangulas, & canas, folia malicotonei effigie, [a] ſed longiora, aſperiora, craſſiora, & quæ ſenſim attritarum quaſi veſtium ſcabritiem referant, hirſuta, ſubalbida, [b] perquam iucundo odore, ſed graui: ſemen ſummis in caulibus ſylueſtri hormino ſimile gerit. In aſperis naſcitur. Menſes cit, & vrinas decoctum foliorū, ramorumq; potum, & partus extrahit, & paſtinacæ marinæ ictibus auxiliatur. Capillos denigrat, [c] vulnerum ſanguinem cohibet, tetra vlcera purgat. Teſtium pruritus ſedant rami foliaq;, ſi eorum decocto cum vino foueantur.

a Meum ἐπιμηκέστερα δὲ καὶ σμικρότερα καὶ τραχέα λελυθότως ὥσπερ τὰ ἀνατετριμμένα τῶν ἱματίων. id eſt, longiora autem & minora, & aſpera, tactū fallentia, vt veſtium (vt ita dicam) attritiones.

b Catac. εὐώδη ὡμβρομα τῇ γεύσει.

c Catac. τραυματικὴ καὶ ἴσχαιμος. i. vulneribus conducit, & ſanguinem ſiſtit.

I. SALVIA MAIOR.



II. SALVIA MINOR ſiue Sphacelus.



Saluia hortēſis & ſylu.

*ADeò eſt vulgaris notitiæ Saluia hortenſis, vt nulli prorſus reperiantur horti, in quibus hodie frequens paſſim non ſpectetur. Eſt etiam præter hanc Saluia ſylueſtris, quæ in campeſtribus aſperis, incultis, & montibus prouenit, folijs domeſticæ ſimilibus, candidioribus tamen, & hirſutioribus. Quo fit, vt longè aberrent, qui pro ſylueſtri Saluia, agreſtem Verminum vſurpant, quam ſeplaſiarij Centrū galli, & Gallitricū etiā appellant. Verùm animaduertēdum eſt, quod illa, quam ſylue*

III. SALVIA BACCIFERA.



*ſylueſtrem appello, ea ſanè non eſt, quæ in Hiſpaniæ campeſtribus, & aſperis locis, ac in Maßilienſi agro vnà cum noſtrate nardo, & lauendula frequentißima naſcitur. Quandoquidem hæc non ſylueſtris Saluia eſt, ſed ea ipſa, quam domeſticam vocant: nam quæ in hortis habetur alia non eſt, quàm campeſtris in hortos translata. Ideoq; non ſcribit Dioſcorides, Saluiam in hortis naſci, ſed in aſperis tantùm locis. Cæterùm Theophraſto duæ Saluiæ produntur genera lib. 6. cap. 2. de plantarum hiſtoria vbi ſic inquit: Sphacelus & Saluia inter ſeſe diſtant, quaſi alterum vrbanum, alterum genus ſylueſtre dixeris. Sphacelo folium læuius, contractius, minusq; ſqualens: Saluiæ ſcabrius: hæc ille. Porro genera hæc Saluiæ, quæ a Theophraſto redduntur, in Italia quoq; in hortis quàm plurimis inueniuntur: in eaq; ſum ſententia, vt exiſtimem ſphacelum marem eſſe, Saluiam verò fœminam. Sphacelo id peculiare quoq; natura dedit, vt auriculatis, poſtrema parte, conſtaret folijs, id quod nuſquam in Saluia mihi videre licuit. In Creta, ac etiam in quibuſdam Apuliæ & Calabriæ locis, Saluia in cacumine gignit tubercula quædam gallarum inſtar, ſubalbida: quorum alias mihi copiam fecit Ioannes Baptiſta Rhamnuſius Illuſt. Senatus Veneti Secretarius, vir moribus ac doctrina præclarus: is enim (quæ ſua eſt humanitas) cum ea ex Creta ſibi allata eſſent, mihi videnda tradidit. Saluiam Græci Eleliſphacon vocant. Vnde factum eſſe puto, vt Plinius libro 22. cap. 25. vocabulorum cognatione deceptus, quòd Græcis lens phacos appelletur, crediderit magno errore Eleliſphacon lentis ſpeciem eſſe. Præſtat Saluia mirum in modum ad omnes capitis affectus frigidos ac pituitoſos, & omnibus articulorum doloribus, tam in potionibus, quàm in fomentis. Quamobrem comitiales, veternoſos, ſtupidos reſolutosq; iuuat: quinetiam valet ad pituitoſas defluxiones, & ad pectoris vitia. Suffita arida Saluiæ folia vteri profluuia ſiſtunt. Commodè ab vtero gerentibus deuoratur Saluia, quæ abortire ex leui cauſa ſolet, conceptũ enim continet & viuificat. Valent ad omnia prædicta Saluiæ flores ſaccharo aſſeruati. In ſumma vbi excalfacere, ſiccare & adſtringere opus ſit, fuerit ſemper Saluia commodum admodum medicamentum. Saluia, Galeno lib. 6. ſimplicium medicamentorum teſte, temperamento eſt euidenter excalfaciente, ac leuiter adſtringente. De eius viribus copioſius diſſeruit Aetius, ſic ſcribens: Saluia manifeſtè calefacit, & leniter adſtringit. Tradunt quidam, ſuffitam ſaluam menſes immoderatè fluentes, & omninò muliebre profluuium compeſcere. Agrippa ſacram herbam vocauit, quam pregnantes mulieres, ſi fluidæ laxæq; fuerint, vtilißimè comedere prodidit: continet enim conceptum, vitalemq; reddit. Ac ſi ſucci huius heminam cum modico ſale, quarto à ſecubitu die mulier potauerit, deinde viro miſceatur, procul dubio concipiet. Aiunt in Copto Aegypti poſt ſæuas peſtilentias, ab his qui ſuperfuerunt, ad eum ſuccum bibendum mulieres coactas fuiſſe plurimosq; inde productos fœtus. Dato inquit Orpheus, ſanguinem expuentibus ſucci Saluiæ cyathos duos, ieiunis cum melle bibendos, & ſanguis illico cohibebitur. Tabidis pilulæ in hunc modum parantur. Sumito ſpicæ nardi, gingiberis, ſing. drachmas duas: ſeminis Saluiæ aſſati, triti & cribrati drachmas octo: piperis longi drach. duodecim, & cum ſucco Saluiæ pilulas conficito, & mane ieiunus drachmam vnam exhibeto, eodemq; modo in veſpere, ac poſtea aquæ puræ quippiam propinato. Saluia Latinis dicta, Græcis Ἐλελίσφακος nominatur: Mauritanis Aeluſfacos: Italis Saluia: Germanis Salben: Hiſpanis Saluia & Salua: Gallis Saulges: Bohemis Sſaluuieg: Polonis Szalvuea. Saluia minor, Græcis Σφάκελος: Italis Saluia minore.*

Saluiæ hiſt. ex Theophr.

Saluia ex Creta.

Plinii lapſus.

Saluiæ vires Matth.

Galenus.

Ex Aetio.

Sacra herba.

Pilul. pro tabidis.

Nomina.

Saluiæ vnius meminit Dioſcorides, at recentioribus plures ſunt differentiæ, de quibus ſuo loco. I. Saluia maior, C.B. Matt. Fuch. Dod. gal. & fol. Lacu. Lob. Tab. Lug. Saluia latifolia, Brunf. Trag. Geſ. hor. Lon. Cam. Saluia domeſtica, Caſt. Cæſ. cui & Lentis ſylueſtri: alterũ genus foliis cotonei mali ſed minoribus, Plinii. Hæc foliis vel albis, vel ipſorũ pediculis ac neruis rubentibus: florib. eſt cœruleis, rarius candidis. Saluia minor, C.B. Matth. Fuch. Dodo. gal. & fol. Lacu. Lob. Tab. Saluia minoribus foliis, Cord. in Dioſc. Saluia Brunf. Saluia anguſtifolia, Trag. Saluia nobilis cognominata ſiue aurita, Geſ. hor. Saluia tenuifolia auriculata, Cam. Saluia acuta: Lon. Sphacelus verus Theophraſti, Lug. Saluiæ alterũ genus, Cæſ. cui Lentis ſylueſtris ſpecies folio minore Plinii. Saluia ſylueſtris, quæ Sphacelus, Caſtori, foliis eſt aliquando pinnatis, aliquando non, floribus aliquando albis, rarius luteis. III. Saluia baccifera, C.B. Huius etiã Matthiolus meminit. Hæc multò cæteris lanuginoſior & candidior, foliis craſſioribus modò integris, modò pinnatis, cuius ramis globuli adnaſcuntur Gallarum magnitudine & forma, quibus Cretenſes cum pane veſci ſolent. Saluia baccifera ſiue baccata Cretenſis, Adu. Saluia Baccifera Cretenſis, Lob. Lug. Cam. ad Matth. Saluia in Creta, Dod. fol. & Tabernæmontano.

## Ἡδύοσμος. MENTHA. CAP. XXXV.

MEntha cognita herba eſt. Calfaciendi, adſtringendi atq; exiccandi vim habet. Siſtit ſanguinem, poto ex aceto ſucco: tineas in ventre teretes enecat: venerem ſtimulat. Singultus, vomitiones, choleraſq; ſedant terni ramuli cum acidi granati ſucco poti. Suppurationes diſcutit, ſi cum polenta illinatur. Impoſita fronti capitis dolores mulcet: mammas ſi tendantur, aut lacte turgeant, compeſcit: cum ſale canum morſibus illinitur: aurium doloribus cum aqua mulſa ſubuenit: vuluæ ante coitum admota conceptioni reſiſtit: linguæ ſcabritiem confricta læuigat. Lac coire, denſariq; in caſeum non

non patitur, ſi a folia potionibus lactis immergantur. In ſumma ſtomacho vtilis eſt, & in condimentis peculiarem gratiam habet.* Sylueſtris mentha, Latini menthaſtrum vocant, hirſutiore eſt folio, & prorſus maiore, quàm ſiſymbrii, grauiore odore, quare minus ad ſanorum vſus expetitur.

a Meum κλωνεια. i. ramuli.

I. MENTHA. I.



II. MENTHA ALTERA.



* III. MENTHA CRISPA verticillata. *



Menthæ cõſideratio.

*MEntha cùm hortenſis, tum etiam ſylueſtris, quam Hetruſci noſtri Latinum nomen retinentes vulgò Menthaſtro appellant, adeò omnibus vulgaris, notaq́; eſt, vt ſine vitio eius delineationem ſilentio prætermitti poſſe putauerim. Et quamuis plures, quã hic ſcribat Dioſcorides, in hortis ſint Menthæ ſpecies (vna enim breuioribus & criſpioribus conſtat foliis, alia rubenti caule & flore, alia verò albicante) huiuſmodi tamen ſpecierum differentiæ non ſunt, meo iudicio plurimi faciendæ. Mentha ſatiua duum generum eſt, alterum maius, alterum minus. Maior planta eſt odorata, foliis ſaluiæ minoribus, per ambitum denticulatis, caulibus numeroſis. floribus in ſummitate ſpicatis, ſubpurpureis piloſiſq́;. Altera foliis exit breuioribus anguſtioribusq́;: caulibus rubentibus, floribus quoq́; rubentioribus, eximio odore. Viuax Mentha admodum eſt: nam in hortis ſemel tantùm ſata, tam reſtibili fertilitate durat, vt vix in poſterum extirpari poßit, quin renaſcatur. Aqua ſtillatitia & tota Menthæ planta, puerperarum mammis cum linteolis admota, illita recens, lactis concretionẽ inhibet: animum olfactũ excitat: cum amylo & aqua pota, cœliacos iuuat: vlcera manantia infantium capitibus mirè ſanat. Singultus & vomitiones ſiſtit, è mali punici vino pota. Illinitur temporibus, in frigido capitis dolore. Impetigines illita prohibet. Aqua ſtillatitia è tota Menthæ planta vitreo alembico in feruentis aquæ balneo parata, ſi vnciarum quatuor pondere ebibatur, ſiſtit ſanguinem (quod mirum fortaſſe multis videbitur) è naribus profluentem. Venereis voluptatibus Mentha commendata eſt: etſi Plinius non ſine errore lib. 20. cap. 14. planè contrarium ſcriptis tradiderit. Huius Menthæ facultatis cauſam ſcitè reddidit Galenus lib. 6. ſimp. med. vbi de ea iis diſſerit verbis: Hedioſmos, alij verò Minthen odoratam nuncupant. Eſt enim & alia quædam Minthe non odorata, quam Calaminthen vocant. Vtraq́; guſtu acris, & facultate calida eſt, ex tertio ordine excalfacientium.*

Menthæ vires Matth.

Menthæ vires ex Gal.

Inſi-

*Infirmior tamen eſt mentha odorata, quàm calamintha, & minus excalfacit. Vt enim in vniuerſum dicam, hæc ceu ſylueſtris quædam eſt, illa ceu domeſtica. Quamobrem ſanè ob eam, quæ ex cultu accedit, humiditatem, mediocriter item ad venerem excitat. Id quod omnibus commune eſt, quæ humiditatem ſemicoctam, & flatuoſam continent. Ob talem ipſius herbæ temperaturam in abſceſſibus ea quidem cum polenta miſta vtuntur. Id quod in Calamintha facere nequeas, propterea quòd valentius cùm excalfaciat, tum deſiccet, quàm id genus poſcant. Habet verò etiam quiddam amarum in ſe, & acerbum: & amaro quidem lumbricos interficit: acerbitate verò ſi cum oxycrato bibatur, recentes ſanguinis reiectiones reprimit. Subſtantia eſt, vt ſi qua alia herba, tenuium partium: hæc Galenus. Verùm animaduertendum eſt, hoc loco Galenum per ſylueſtrem Mentham non intellexiſſe legitimam Calaminthiam, quòd is de odorata Calamintha (vt ſequenti capite dicturi ſumus) initio ſeptimi libri de ſimplicium medicamentorum facultatibus copioſè tractauerit. Ex quo facilè cōijcere licet, Galenum in hoc non ſuam, & veram appellationem retuliſſe, ſed aliorum, & fortè Græci vulgi, qui ſylueſtrem Mentham Calaminthæ nomine appellare conſueuerit: id quod etiam Galeni locutio confirmare videtur.* MENTHASTRVM *folia profert Menthæ longè maiora, hirſutiora ac candidiora: caules cubitales & flores ſpicatos, colore ſubpurpureo, tenuibus vndequaq; pilis: bene quoq; olet. Naſcitur plerunq; vliginoſo loco, & prope riuos aquarum. Excalfacit, attenuat, adſtringit, incidit, aperit & ſuas quoq; peculiares vires obtinet. Siquidem potum fœminas à partu purgat. Datur enim decoctum vtiliter potandum anheloſis, & ægrè ſpirantibus, quin etiam mulcendis torminibus, quæ à flatu oriuntur. Subſtratum vel accenſum ſerpentes fugat. Inſtillatur ſuccus verminoſis auribus. Idem tum potus tum teſtibus illitus, nocturnas pollutiones prohibet: auxiliatur potus, morbo regio affectis. Strumoſos illitu iuuat, ventris tineas pellit ex aceto potus. Folia tam pota, quàm illita præſtant aduerſus venenoſorum animalium ictus. Cæterùm eſt & herba paſſim in hortis creſcens, folio ſaluiæ longiore, latioreq;, betonicæ æmulo, circumquaq; ſerrato, in viridi albicāte: caulibus cubitalibus, & aliquando maioribus: in quorum cacumine flores exeunt corymbacei, colore melino, tanaceti modo. Planta in vniuerſum amara eſt, non tamen vehementer ſubadſtringens, & grauiter odorata. Goritienſibus hæc vulgò vocatur* MENTHA *græca: in Hetruria verò Saluia romana, quòd potius folijs ſaluiam referat, quàm Mentham: quin & herbam diuæ Mariæ*

Mentha ſyl. Galeni quid.

Menthaſtri vires.

Menthę Grææ hiſtoria.

Saluia romana.

### IV. MENTHASTRVM.



### V. MENTHA GRAECA.



*nominant. Sunt etiam, qui Laſſulatam appellent: ſed vnde apud hos id ſibi nomen aſciuerit, neſcio: ipſi dicant. Porrò Valerius Cordus in ſuo diſpenſatorio, in vnguento Marciati magno, duas profert Menthas, nempe criſpam & Saracenicam: pro Saracenica autem Menthā hanc, de qua præſens mentio, imponendam eſſe cenſet. Sed quoniam id nulla comprobat authoritate vel ratione, eius quidē ſententiæ adſtipulari non tutum eſſe arbitror: præſertim cum Nicolaus nuper à Fuchſio Latinus factus, nullam huiuſce Saracenicæ menthæ mentionem faciat, ſed rubeæ & agreſtis tantùm. Id quod facilè nobis indicat, vt liberè dicamus, Cordi diſpenſatorium quàm plurimis ſcatere mendis, quippe quòd non omnes medicamentorum deſcriptiones ex bonorum authorū fonte hauſerit Plantam hanc (vt ipſe ſcribit) Germani vocant* vnſer Frawen Müntz, *id eſt, Mentham ſanctæ Mariæ. Verùm Fuchſius aliam eodem nomine ab hac longè diuerſam oſtendit. Qui verò horum errauerit, in hoc Germanicæ linguæ peritiores iudices erunt: quanquam ſi Hetruſcis Germanica, vel Germanicis Hetruſca nomina reſpondent, Cordo potius (quantum ad vocabulum ſpectat) quàm Fuchſio acceſſerim, quòd vt modò diximus, herbam diuæ Mariæ eam vocent in Hetruria. Tota planta excalfacit, ſiccat, aperit, attenuat, roborat, abſtergit & prouocat, auxiliatur vterinis affectibus. Medetur hydropicis, & præſertim anaſarca laborantibus. Siquidem frigefactum iecur excalfacit, & vaſorum obſtructiones aperit. Illinitur ex oleo Irino aut Nardino lienoſis, & ex vino feruefacto vrinam ægrè reddentibus. Lentigines, alphos, & alia cutis vitia emaculat, illitus noctibus ſuccus. Folia adduntur in placentis, & ita eduntur à mulieribus, vteri affectibus obnoxijs. Sunt etiam qui eadem tenui pulticula illita frigant in patellis in oleo aut butyro, & in cibis ijs vtantur. Huius epotus ſuccus alui tineas, & lumbricos enecat: frigido vtero ſubuenit. Ventriculum*

Val. Cordus arguitur.

Menthæ grę cæ vires Matthiolo.

Nomina.

*roborat, tam hauſtus, quàm illitus, & vomitiones compeſcit. Tota planta tam ſubſtratu, quàm ſuffitu ſerpentes fugat, & eorum venenis reſiſtit: quin & infarctus expedit, & capiti robur addit. Ea Græcis ἡδύοσμος, Latinis pariter & Italis Mentha vocatur: Arabibus Nahanaha: Germanis Müntz: Hiſpanis Hierua buena & Ortelana: Gallis Mente: Bohemis Mata: Polonis Mietka. Mentha verò Græca: Italis vocatur Mentha Græca, Saluia Romana, & herba Santa Maria, nonnullis Aſſulata: Germanis Vnſer Frawen Müntz: Bohemis Kzecka Mata: Polonis MarZea Mietka: Gallis Grand Coq. Menthaſtrum autem ſiue Mentha ſylueſtris Græcis ἡδύοσμος ἄγριος, Italis Mentaſtro: Germanis Wild Müntz: Bohemis Plana Mata: Gallis Mente Cheualine: Polonis Kobyla Mietka.*

Mentha, veteribus μίνθη Plinio auctore dicebatur, at ob odoris ſuauitatem poſtmodum ἡδύοσμος dicta: verùm recentiores & Menthæ & Menthaſtri multas veteribus indictas nouerunt differentias, vt in Phytopinace monuimus, propoſitis Menthæ ſeptendecim & Calaminthæ ſex differentiis. I. Mentha anguſtifolia ſpicata, C.B. Mentha Brunf. Mentha prima, Matth. Mentha hortenſis prima, Geſ.hor. Mentha ſatiua tertia, Fuch.Dod.gal. Mentha tertia, Dod.fol. Mentha Romana officinarum ſiue præſtantior anguſtifolia, Lob. Mentha hortenſis oblongo folio, Cæſ. Mentha ſatiua, Caſt.Lug. Mentha odorata anguſtifolia, Cam. Mentha acuta, Tab. Hæc aliquando anguſtiſſimo & acutiſſimo reperitur folio. II. Mentha altera, Matth. Mentha ſatiua 2. Lacu. Mentha minor, Ceſ.ori. III. Mentha criſpa verticillata, C.B. Mentha ſatiua prima, Fuch.Dod.gal. Lacu. Mentha prima, Dod. fol. Mentha vulgata ſerpens rotundiore folio, Pulegii flore coronato. Lob. obſ. Cruciata Mentha, Lob.icon. Mentha ſatiua criſpa. Lugdu. IV. Mentha ſylueſtris longiore folio, C.B. Mentha equina, Brunf. Menthaſtrum, Trag.Matt.Fuch. Dod.gal. & fol.Cord.hiſt.Lacu.Lob.Caſt. Menthaſtrum vulgare, Lugd. Mentha ſylueſtris, Geſ.hor.Lon. Mentha ſylueſtris altera, Cæſ. cui Calamintha Galeni. Variat foliis longioribus & nigrioribus, minuſve incanis. V. Mentha corymbifera, C.B. Balſamita, Brunf. Aliſma, Trag. Balſamita maior, Dod.gal.& fol.Lac. Mentha Græca, Matth. Geſ.hor. Mentha corymbifera maior, Cord.in hiſto. Mentha Romana, Lacu. Mentha Saracenica, Erico Cordo, Val.Cordo in Dioſc. (qui Chryſocome cognatam ſtatuit) Lonic.Cam. Coſtus hortenſis. Geſ.hor.Lug. Cam. Coſtus hortorum, Lob. Herba S. Mariæ, Cæſalp. cui Melilotus Dioſcoridis, Plinii & Auicennæ.

Καλαμίνθη. **CALAMINTHA.** **CAP. XXXVI.**

EX Calaminthæ generibus quædam montibus familiaris, folia ocimi habens, incana: ſurculos & caules anguloſos, purpureum florem. Altera pulegio ſimilis eſt, ſed maior: quam ſylueſtre pulegium nonnulli eo appellarunt, quòd odore ipſum æmuletur: Nepetã Latini vocitant. Tertia menthaſtro cognata eſt foliis oblongioribus, caule & ramis maioribus, quàm ſuperiora, ſed viribus inefficacior. Omnium folia guſtu impensè feruentia & acria: radix ſuperuacua. Naſcitur in campeſtrib. aſperis & aquoſis. Potu aut illitu demorſis à ſerpente opitulatur. Decoctum potu menſes, & vrinas expellit: ruptis, conuulſis, orthopnœæ, torminibus, choleris, horroribusq; auxiliatur: regium morbum expurgat. Præſumpta in vino venenis reſiſtit: tineas, cæteraq; interaneorum animalia cum ſale, & melle pota, enecat: nec ſecus cocta, crudave, ſi teratur. Elephanticos eſitata adiuuat, ſi poſtea ſerum lactis ebibatur. Folia detrita, ſi in vellere ſubiiciantur, menſes extrahunt, & partus enecant: accenſa, aut [illegible], ſerpentes fugant: nigris cicatricibus candorem reddunt, in vino cocta & illita: ſugillata tollit. [illegible] Calamintha iſchiadis imponitur, vt ex alto humorem [illegible], ſummam cutem exurens. Vermes nec[illegible] auribus inſtillatus.

## I. CALAMINTHA.



Thymus calamintha

Calaminthæ conſideratio.

*CAlamintha [illegible] Calamentum dicitur, cuius tres numerantur ſpecies. Sed eius frequentior eſt vſus, quæ Latinis Nepeta vocitatur, ſecũdo loco hic à Dioſcoride tradita. Nomen hæc apud Hetruſcos in hunc vſq; diem retinet: ſiquidẽ noſtrates eam, corrupto tamen nomine, vulgò appellant Nipotella.*

Nipotella.

*Naſcitur hæc in inculto ſolo in apricis ſecus itinera, & ſepes, quin etiã in collibus, foliis [pulegio maioribus] ſubrotũdis, hirſutis, & per ambitum [leuiter ſerratis] laciniatis: caulib. cubitalibus, anguloſis, [folioſisq;] & hirſutis. Flores edit paruos, purpuraſcentes, qui à medio caule vſq; ad ſummum verticillatim erumpunt, vt in pulegio, at in cacumine copioſiores habentur: radices tenues, & numeroſas multifidasq;.*

Braſauoli error.

*Cæterùm hac in re Braſauolus (pace eius dixerim) apertè hallucinari deprehenditur, quòd pro certo exiſtimet Calaminthiam ſecundo loco à Dioſcoride deſcriptam illam herbam eſſe, quam, eò quòd catti magna eius capiantur voluptate, Gattariam quidam vulgo nominant.*

Gattariæ mẽtio.

*Error hinc manifeſtè proditur, quod GATTARIA, cuius hic imaginem damus, ſit herba foliis vrticæ, aut apiaſtro ſimilibus, quæ quantum à pulegii foliis diſſideat, non modò cæteris notis, verùm etiam odore, in quo Braſauolus nititur, ii dijudicent, qui has differẽtias rectius norunt. Sunt tamen e vulgaribus, qui Gattariam etiam Nepetam appellent, quorum nomenclaturam magis fortaſſe ſecutus Braſauolus, quam plantæ ipſius notas, hallucinatus deprehenditur. Nepeta itaq; [illegible] vnquam, mea opinione, fuerit, quam vulgaris Calamintha, qua officinæ vtuntur, quamq; nos vul-*

### * II. CALAMINTHA MAGNO FLORE. *



### III. CALAMINTHA MONTANA.



### IV. CALAMINTHA AQUATICA.



nos vulgò vocamus Nipotella: quandoquidem vulgaris vſus Calamintha, non modo folijs pulegium æmulatur, ſed etiam ſapore, & odoris fragrantia. Quo fit, vt mirum non ſit, ſi Dioſcoridis teſtimonio, à quibuſdam ſylueſtre pulegium vocata fuerit: non enim odore tantùm (vt Braſauolus velle videtur) Nepeta pulegium imitatur, ſed & folijs & caule. Quamobrem dicamus licet, nullo pacto exiſtimandum eſſe, Gattariam herbam eſſe Nepetam ſecundam Calaminthæ ſpeciem. Neq; etiam putandum, eandem tertiam eſſe, quemadmodum falsò credidit Ruellius: Quippe quoniam fecerit hanc Dioſcorides Menthaſtro ſimilem, no autem melyſſophyllo, aut vrticæ, quas (vt paulò antè diximus) Gattaria repræſentat. Quapropter non modò ea de cauſa eius ſententiam explodendam putauerim, ſed etiam quòd ſæpius ipſe in locis aquoſis, campeſtribus & aſperis repererim tertiam Calaminthæ ſpeciem, menthaſtri æmulam, ſubalbidioribus tamen, oblongioribus hirſutisq; folijs, caule & ramis maioribus, quàm ſuperior, ac guſtu acriori. Non ſecus & montana mihi frequens olim occurrebat in excelſis vallis Ananiæ montibus, folijs albicantibus, ocimi ſimilibus, ſurculo & caule anguloſo quadrangulo, & flore in purpura rufeſcente. Quanquam in hoc errore, mea quidem ſententia, verſantur Monachi illi reuerendi, qui in Meſuem commentarios ediderunt, vt aſſerere non dubitent, montanam hanc Calamintham legitimam eſſe Nepetam. Sed ad GATTARIAM venio. Ea enim planta eſt vulgaris notitiæ. Folia fert melyſſophylli, aut vrticæ, ſed minora & ſubcandicantia. Caulem edit bicubitalem, quadratum, numeroſis ramis, quadrangulis & inanis. Flores edit albos, orbiculatim emergentes, ſed qui in ſummis caulibus habentur, ſpicæ figuram referunt. Radices habet multifidas & fibroſas. Odor vniuerſæ plantæ acutus, caput feriens, quinetiam feruidus ſapor cum amaritudine haud obſcura. Naſcitur in campeſtribus agrorum aggeribus, ſecus vias, & vliginoſo ſolo. Excalfacit & ſiccat, Calaminthæ modo, adeò, vt ea vti poſſint medici Calaminthæ vice, vbi illa non ſit ad manus. Peculiariter autem valet Gattaria ad omnes capitis, pectoris, ventriculi, & vteri morbos, à pituitoſis excrementis, aut flatu genitos. Ideò auxiliatur diutino capitis dolore affectis, vertiginoſis, veternoſis, ſtupidis, reſolutis, conuulſis, comitialibusq;, quinetiam anheloſis, aſthmaticis & ſuſpirioſis. Medetur item

Ruell. erratũ.

Calamintha aquatica & montana.

Monachorũ lapſus.

Gattariæ hiſtor.

Gattariæ vires Matth.

V. HERBA GATTARIA.



*ventriculi torſionibus, à flatu prouenientibus. Tota planta menſes elicit, tam pota, quam in deſeſsionibus addita. Herbe vſus ſteriles prolificas facit, vbi ſterilitas à frigida, humidaq; cauſa proueniat, namq; valenter vterum calefacit. Succus naribus infuſus pituitam valenter eijcit, & viſum acuit. In ſumma vbi valenter excalfacere opus ſit, Gattaria plurimum præſtat.*

Calaminthæ vires ex Gal.

*Calaminthæ meminit Galenus libr. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic de eius viribus diſſerens: Calamintha eſſentia eſt tenui, & calida, ſiccaq́; temperie, ex tertio quodammodo ordine vtraq; qualitate. Horum manifeſta ſunt indicia, partim guſtu apparentia, partim experientia cognita. Guſtu ſiquidem acris, & palàm calida eſt, ac paulum omnino ſubamari habet. Periclitantibus autem, & corpori admouentibus extrinſecus impoſita, primùm quidem valde excalfacit & mordicat, cutemq́; laniat, poſtremò etiam vlcus efficit. In corpus autem intrò aſſumpta, tum ipſa per ſeſe ſicca, tum etiam cum melicrato, perſpicuè calfacit, & ſudores ciet, omneq́; corpus tum digerit, tum exiccat. Ea ratione ducti quidam ipſam contra rigores per circuitum repetentes adhibuerunt, foris quidem oleo incoctam toti corpori inungentes cum frictione non ſegni, intrò verò aſſumentes, ſicuti eſt dictum. Quinetiam & coxendicibus eam quidam in ægritudinibus iſchiadicis, tanquam ſtrenuum remedium illinunt. Trahit enim quæ in profundo hærent ad ſuperficiem externam, totumq́; adeò articulum excalfacit, cutemq́; non obſcurè adurit, menſesq́; tum epota, tum appoſita admodum efficaciter prouocat. Bonum etiam elephanticorum remedium, non eò tantùm quòd ſtrenuè tenues humores digerat, verùm etiam quia extenuet, & incidat valenter craſſos, quales ſunt qui hunc morbum procreāt. Sic & cicatricibus atris candorem reddit, & ſugillata digerit. Sed in talibus in vino coctam cataplaſmatis modo imponere viridem magis, quàm ſiccam præſtat. Quippe areſacta vehementior redditur, & ad vrendũ promptior. Porrò talis cùm ſit, ad venenatarum beſtiarum morſus aſſumitur, velut etiam cauteria, & quæcunq; medicamenta calida ſunt, & acria, tenuiumq́; partium, quæq́; facile ex alto ad ſeſe circumiacentem omnem qualitatem poſſunt attrahere. Cæterùm quæ illi ineſt amaritas, planè exigua eſt: verùm ad quædam ita efficaciter agit, vt quæ valentiſsima eſt, nimirum, cùm coniuncta ſit vehementi calori cum tenui eſſentia. Quare & aſcaridas, & lumbricos ſuccus eius aut infuſus, aut epotus enecat. Eadem ratione aurium vermes, aut ſi alicubi in corporis parte ſinuoſa, aut implicata, quæ putredine tentetur, talis prouenerit affectus. Sic & conceptum ſeu pota, ſeu admota interimit & eijcit. Igitur incidendi quidem ei vis adeſt, propter calorem eius, tenuitatem & amaritudinem: abſtergendi verò propter vnicam amaritudinem. Itaq; aſthmaticis ob omnia antè dicta prodeſt: ictericis verò, ſiue regio morbo laborantibus potiſsimum ob amaritudinem, ſicut alia ferè omnia amara, vtpote abſtergentia, & expurgantia in iecinore prouenientes obſtructiones. Ad omnia iam dicta efficacior eſt montana.*

Nomina.

Καλαμίνθη *herba ſic Græcè, vt etiam Calamintha Latinè dicitur: Arabicè Calamentum: Italicè Calaminta & Calamento: Germanicè* Wilder Poley: *Hiſpanicè la Neuada: Gallicè Poulliot ſauuage: Bohemicè Marulka Polnij. Calamintha montana, Græcis* Καλαμίνθη ὀρεινή: *Italis Calamento ſiue Nipotella montana: Officinis, Calamenthum montanum. At Calamintha aquatica: Græcis* καλαμίνθη ἔνυδρος: *Italis Calamento aquatico. Quam verò Gattariam vocant: Italis herba Gatta: Germanis* Katzenkrut: *Bohemis Kocurnijk: Gallicè herbe de Chat.*

I. Calamintha (quaſi bona & vtilis mentha) vulgaris officinarum, C.B. Calamintha, Matth. Dod. gal. Caſt. Calamintha altera, Lacu. Calamintha montana, Geſ. hor. Dod. fol. Lug. Calamintha montana vulgaris, Lob. Tab. Calamintha vulgaris, Cam. Nepeta montana, Cord. in Dioſc. II. Calamintha magno flore, an prima Dioſcoridis? C.B. Calamintha montana præſtantior, Lob. Lug. Tab. Calamintha montana, Cam. Calamenthum montanum, Cæſalpino. Hæc ex radice caules emittit cubitales quadratos, quos ambiunt folia vulgari latiora, profundius crenata, hirſuta: flores quauis Calamintha maiores, forma reſpondentes, purpureos, ſemen paruum: gratior eſt totius plantæ quàm aliarum odor, guſtu & olfactu ſuauiter acri. In montibus Patauinis legimus, in agri etiam Narbonenſis ſaxoſis & vmbroſis reperitur. III. Calamintha pulegii odore, fortè ſecunda Dioſcoridis, C.B. Calamintha montana, Matth. Lacu. Calamintha Italica pulegii odore, Geſ. hor. Calamintha ſecunda Dioſcoridis, Lugd. & Cam. cui & Nepetella. Calamintha altera odore graui Pulegii, foliis maculoſis, Lob. cui Nepeta Dioſcoridis & Lugd. Calamenthum quod vulgò Nepita, Cæſalp. Calamentha aruenſis ſecunda, Taber. Pulegium ſylueſtre ſiue Calamintha altera, Dod. fol. Nepeta agreſtis, Cord. in Dioſ. IV. Calamintha aruenſis verticillata, hirſuta, C.B. Menthaſtrum, Brunſ. Nepeta agreſtis vel quarta, Trag. Mentha aquatica exigua, eidem. Nepeta, Lon. Calaminthæ alterum genus, Fuch. Dod. gal. Calamintha aquatica, Matth. Lob. Lugd. Polycnemum, eidem. Calamintha aruenſis, Geſ. hor. Tab. V. Mentha Cataria, quòd ea feles delectentur, C.B. Nepeta vulgaris, Trag. Herba Gattaria, Matth. Caſt. Gattaria vulgò appellata, Cæſalp. Gattaria herba, Dod. fol. Herba felis, Lugd. Calaminthæ ſpecies, Geſ. hor. Calaminthæ primum genus, Fuch. Calaminthæ tertium genus, Dod. gal. Calamintha montana, Lon. Calamintha 3. Thal. Balſamita maior, Lac. Nepeta agreſtis fruticoſa, Cord. in Dioſ. Nepeta Germanica, Cam. Mētha Cataria, Lob. Mentha felina, Tab. Sunt qui Calaminthham tertiam Dioſcoridis velint: alii Nepetam veterum: alii Meliſſæ ſpeciem: alii inter Calaminthham & Meliſſam mediam faciunt.

θύμ

θύμος. THYMVM. CAP. XXXVII.

THymum ab omnibus cognoſcitur, ſurculoſus frutex, exilibus foliis, multis, & anguſtis circumdatus, capitulis in cacumine, flore purpuraſcente refertis. Gracili ſolo, & petroſo a prouenit. Vim habet hanc, vt cum ſale, & aceto potum, pituitam per aluum detrahat. Decocti ius prodeſt orthopnoicis, & anhelatoribus: tineas ventris exigit: menſes, partus, & ſecundas pellit: vrinas ciet. Cum melle in eclegmate faciles facit excreationes: recentes tumores diſcutit, cum aceto illitum: concretum ſanguinem diſſoluit: verrucas thymi colorem reddentes, penſileſq; tollit. Iſchiadicis cum vino, & polenta impoſitum ſubuenit: hebetibus oculis in cibo prodeſt. Perquàm vtile pro condimento, duntaxat ad vſus eorum, qui recte valent.

a Meũ addit. μάλιςα, i. maximè.

I. THYMVM.



* II. THYMVM VVLGAre tenuiore folio.*



*THymum duorum generum eſſe teſtatum reliquit Theophraſtus lib 6. cap. 2. de plantarum hiſtoria, vbi de eo diſſeruit his verbis: Quin & Thymum candidum, nigrumq; reddunt. Serò id admodum floret: nam circa æſtiuum ſolſtitiũ incipit. Mel apes hinc capiunt, & hoc augurio apiarij conſtare affirmãt, an probè melletur, nec ne. Etenim ſi aliter defloruerit, mellatio minus probè ſuccedit. Deſtruitur, peritq; flos, ſi imber inceſſerit. Semen fœcundum ſatureiæ, atq; etiã magis origani manifeſtò ſentitur: thymi verò nullũ oſtendi poteſt, ſed floribus quodã permiſcetur modo. Flores etenim ſerunt, itaq; oritur thymum: Hactenus Theoph. Cæterum nunc Thymum in Italia notiſſimum eſt. Præſtat autem quod ex Apulia fertur: quanquã laudatiſſimũ eſt, q̃ è Creta inſula, aliiſq; nonnullis Græciæ locis aduehitur. Vnius tantùm thymi, minoris videlicet, meminit hic Dioſcorides. Verùm cum is lib. 4. in epithymi hiſtoria, Epithymum florẽ eſſe ſcribat è thymo duriore, ſatureiæ ſimili, haud dubiè oſtendit ſe non ſecus ac Theophraſtum, duo thymi genera obſeruaſſe. Vnum quod mittit ſurculos complures exilibus folijs, anguſtis & numeroſis circumdatos: in quorum cacumine ſunt capitula flore purpureo referta. Alterum verò lignoſius, fruticoſius, ac durius, ſatureiæ ſimile. Thymo hoc duriore paſſim ferè ſcatet Goritienſis ager, eius præcipuè colles: in eoq; (vt libro quarto ſuo loco dicetur) legitimũ Epithymũ oritur. Manat ex eo oleum aurei coloris, quod vna cum aqua elicitur, dum per calentis aquæ balneum herba recens viridiſq; diſtillatur. Hoc Citreum malum reſipit, & guſtu acutiſſimum eſt, & ad ea omnia vtile, quæ vehementer excalfieri poſtulant. Thymi meminit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, vbi de eius viribus ita ſcribit: Thymum incidit, & calfacit manifeſtè: ob id & vrinam & menſes ciet, fœtum euellit, & viſcera potum expurgat: educendis ex thorace, & pulmone confert. Itaque in excalfaciendo, & exſiccando in tertio ordine ſtatuendum eſt. Præter has autem à Galeno deſcriptas, alias quoque Thymo vires reddidit Aëtius ſermone primo, ſic inquiens: Hæc verò experimentis de Thymo comperta ſunt: dato ieiunis articulari morbo laborantibus, Thymi aridi minutiſſimi drachmas quatuor cum oxymelitis cyatho. Bilem enim, reliquoſq; humores, atque acrem ſaniem euacuat: facit & ad veſicæ affectus. Ventre autem inflato, vbi ſcilicet intumeſcere cœperit, drachmam vnam dato ieiunis cum cochleari aquæ mulſæ. At lumborum coxendicumq; dolorem, laterisq; & thoracis, ac hypochondriorum ſuſpenſiones ac inflationes, pondere trium drachmarum cum oxymelite temperato menſura cochlearij ieiuno exhibeto. Similiter etiam & melancholicis, & mente turbatis, timoreq; detentis drachmas tres cum oxymelitis temperati cochleari præbeto. Dato item ieiunis, & ante cœnam aduerſus lippitudinem, & vehementem oculorum dolorem. Præterea contra podagram,*

Thymi hiſt. ex Theoph.

Thymum ex Creta.

Thymi genera duo.

Thymum durius.

Thymi vires ex Galeno & Aetio.

*gram, etiam quæ motum omnino interceperit, cum vino vtiliſſimè propinatur. Poſtremò ad tumefactos teſtes ieiunis trium drachmarum pondere exhibeatur. Verum ab atro thymo abſtinere oportet: corrumpit enim temperamentum, bilemq. gignit. Eligendum quod purpureo flore eſt, præſtantius tamen quod album illum habet. Planta, quæ Græcis* θύμος, *Latinis item thymus, & thymum appellatur: Mauritanis, Haſce: Italis, Thymo: Germanis* Römiſcher Quendel vnd Welſcher Quendel: *Hiſpanis Tomilho ſalſero: Gallis Thym, ſeu Mariolaine d' Angleterre: Bohemis Thym: Polonis Dziecielina.*

Nomina.

Thymum ἀπὸ τῆς θυῆς, quòd eo veteres primum vſi ſint in ſacris, quæ accenſo igne fiebant. Quatuor agnoſcuntur differentiæ, ſiquidem vulgaris thymus duplex habeatur, tenuiore & latiore folio, tertium capitatum, & denique latifoliũ quoddam Lobelus in editione Belgica proponit, quod nec dum vidimus. I. Thymus capitatus, qui Dioſcoridis, C. B. Cord. hiſt. Thymum, Matth. Lac. Lob. Thymum Creticum, Dod. gal. Cord. in Dioſc. Cæſ. Lugd. Thymum cephaloton, Dod. fol. Thymum legitimum, Cluſ. hiſt. Hiſp. Thymus verus capitatus, Cam. Thymus ſecundus, Alpino. II. Thymus vulgaris tenuiore folio, C. B. Thymus, Brunf. Trag. Fuch. Lon. Cord. in Dioſc. Thymum durius, Dod. gal. Thymus vulgaris, Geſ. hor. Pepolina Cæſalpino.

## θύμβρα. SATVREIA. CAP. XXXVIII.

SAtureia triuialis notitiæ eſt. Gignitur in aſperis locis, & tenui ſolo, thymo ſimilis, minor tamen, & tenerior: defert ſpicam florum plenam, coloris herbacei. Eadem poteſt quæ thymum, ſi modo conſimili ſumptitetur. Aptus ſanis vſus. Eſt etiamnum quædam ſatiua, ſylueſtri prorſus minor, quæ propter mitiorem acrimoniam commodius in cibos recepta eſt.

I. SATVREIA DIOSCOR.



II. SATVREIA ALTERA.



Thymi conſideratio.

*THymbra duum eſt generum. Ea autem, quæ à Dioſcoride deſcribitur, thymo ſimilis eſt, minor tamen, & tenerior. Spicam defert florum plenam, coloris herbacei. Gignitur in aſperis locis, & tenui ſolo. His notis maximè ea adſtipulatur, cuius hìc imaginem appinximus. Siquidem hæc folijs, ac cauliculis thymum adeò repræſentat, vt non deſint, qui eam pro thymo recipiant. Præterea thymo gracilior, longeq; tenuior eſt, verùm capitula thymi modo non profert. Siquidem cauliculi in ſpicatos proceſſus deſinunt, in quibus flores emicant parui, ſubpurpureo colore. Quinetiam (vt Dioſcorides inquit) non ſolùm ſponte naſcens habetur, ſed etiam domeſtica, ſatiuaquè. Altera (ſi* THYMBRA *tamen, aut Satureia rectè appellari poſſit) maior fruticoſiorq; prouenit, & in hortis frequentior, ramis multis in orbem circumquaq; ſe diffundentibus, rotundis, atque lignoſis. Folia profert Thymo maiora, ſubaſpera, durioraq;, quæ circa ſurculos plura ſimul per interualla erumpunt, è quorum exortu ſpicati quidam proceſſus, foliolis quibusdam cæteris longè minoribus ſtipati prodeunt: in quibus flores naſcuntur parui, ex purpura albicantes. Radice nititur lignoſa, multiplicíq;. Hæc non ſolùm ſeritur in hortis ſed etiam, vt altera ſponte prouenit, in apricis collibus, & in torrentium alueis, fruticoſior tamen, durior ac aſperior. Thymo ſuis in qualitatibus ſimilis eſt, proinde excalfacit, attenuat, incidit, digerit & aperit, viribus ab altera non differt, Thymi enim facultatibus omnibus referta eſt. Hanc eam ego eſſe cenſeo, cuius poſt Thymbram meminit Columella libro nono capite quarto de re Ruſtica, de apibus agens his verbis: Eadem regio fœcunda ſit fruticis exigui, & maximè thymi, aut origani, tum etiam Thymbræ, vel noſtratis cunilæ, quam ſatureiam Ruſtici vocant.*

Satureiæ hiſt.

Satureia Columellæ.

*Siquidem*

*Siquidem nos in Hetruria corrupta à Cunila appellatione, eandem appellamus Coniella: in alijs tamen pleriſq; Italiæ locis, quòd à Satureia vocem corrumpere maluerint, appellatur vulgò Sauoreggia. Non deſunt etiam inibi, qui ab acrimonia, quam piperis ferè modo guſtu repræſentat, eam vulgò Peuerella, quaſi Piperellam nominent. Cæterùm quòd in ſimplicium cenſu vſquam Thymbræ meminerit Galenus, nondum compertum habeo. Paulus verò eius mentionem fecit libr. 7. vbi de vtraq; ſpecie ijs paucis diſſerit. Thymbra ſyluestris eadem quæ thymum præſtat. Hortenſis autem altera quidem imbecillior eſt, ſed ad ciborum vſum gratior & accommodatior. Quæ herba θύμβρα Græcè, Thymbra, Cunila & Satureia Latinè vocatur: Arabicè Sabater ſeu Sabatar: Italicè Thimbra, Coniella, Sauoreggia & Peuerella: Germanicè* Kunel / Zwibel-Yſop vnd Saturey: *Hiſpanicè Segurelhà: Gallicè Sauoreie, Sarriette & Satrea: Bohemicè Saturege: Polonicè Combr.*

Piperella.

Thymbræ vires ex Paulo.

Nomina.

Satureia (quæ θύμβρον Theophraſto fortè ἀπὸ τοῦ θύειν ob fragrantiam) quibuſdam à ſaturando dicta, quod cibis loco condimenti addatur. I. Satureia Dioſcoridis, Matth. Caſt. Lug. qui vult notas omnes Dioſcorideas huic plantæ conuenire, licèt Aduerſaria Polium fœminam recentiorum Matthioli figura exprimi velint. II. Satureia hortenſis, Cunila ſatiua Plinio, C.B. Hyſſopus agreſtis, Brunf. Satureia, Trago (cui & hortenſis Hyſſopus) Cord. in hiſt. (cui & Thymbra ſatiua) Lac. Lon. Lob. Dod. fol. Cæſal. Tab. Cam. Satureia ſatiua, Fuch. Satureia hortenſis, Geſ. hor. Lob. in icon. Satureia vulgaris, Dod. gal. Satureia altera, Matth. Satureia ſylueſtris altera, Caſt. Satureia vulgaris hortenſis, Lugd. Thymbra vera, Geſ. hort: Thymbra ſatiua Satureia, Cord. in Dioſcoridem. Caule & folijs aliquando cœruleis reperitur.

## Ἕρπυλλος. SERPYLLVM. CAP. XXXIX.

SErpyllum duorum generum eſt. Hortenſe odore ſampſuchum imitatur, atque in coronas addi ſolet, cui a ſerpendo nomen inditum eſt: quoniam ſi qua eius particula terram attingat, inibi radices demittet. Folia & ramulos origani habet, ſed candidiores, in macerijs multò procerius aſſurgit. Sylueſtre, zigis appellatum, [non ſerpit, ſed in altitudinem increſcit,] ramulos edens tenues, ſurculoſos, folijs refertos longioribus, quàm rutæ & durioribus, a anguſtis. Flores iucundè olent, guſtanti acres. b Radicis nullus vſus. Naſcitur in petris, ſatiuo efficacius, atq; magis excalfaciens, & ad medendi vſum aptius. Menſes trahit, & vrinam potu ciet: torminibus, ruptis, vulſis & iecinoris inflammationibus auxiliatur: & aduerſus ſerpentes potu, illituve prodeſt: capitis dolores mulcet coctum, adiecto roſaceo & madefactum in aceto: maximè verò phreneticis & lethargicis conuenit. Cruentos vomitus ſedat ſuccus, drachmis quatuor ex aceto potus.

Concluſa nõ legit Orib.
a Me. & Cat. ὑπόστενα. i. ſubanguſta.
b Cat. addit. δήκτικον. i. mordacem.

I. SERPYLLVM.



II. SERPYLLVM Alterum.



SErpyllum hortenſe in Hetruria haud negligitur, ſed in hortis ſeritur, & magna admodum diligentia colitur, quod etiam inibi (vt Dioſcorides inquit) in coronamenta additur. Sylueſtre duorum eſt generum: vnum flore candido, odore citrei mali: quod latius prouenit, humi repens, læuioribus folijs in gyrum ſeſe vnà cum ramuſculis diffundentibus: alterum verò flore purpureo, guſtu perquàm acri, ſatureiæ ſimili. Vtrunque copioſiſſimè naſcitur apud Goritienſes Saluatino monte, quo mihi hactenus latius nuſquam videre contigit, nec item odoratius. Serpyllum à Theophraſto, cui hortenſe nihil aliud eſſe cenſeo, quàm ſylueſtre in hortis ſatum, deſcribitur libro ſexto, capitulo ſeptimo, de plantarum hiſto-

Serpylli conſideratio.

Serpylli hiſt. ex Theophr.

*hiſtoria, vbi de eo diſſerit ijs verbis.* S E R P Y L L I *ſylueſtre etiam genus eſt, quod deferentes ex montibus ſerunt, vt apud Sycionem fieri ſolet, atq; etiam Athenis ex monte Hymetto: apud alios verò, vt in Thracia, montes, & plana omnia Serpyllo ſcatent. Peculiaris huic auctio germinum: quippe cum in quantumuis longitudinis procedere valeat, nactum ſcilicet adminiculum, aut iuxta ſepes aliquas ſatum. Genera vrbana reddere non eſt, vt retulimus: ferocia eſſe affirmant. Hoc enim in montibus, tum ſatureiatum quoddam, atq; vehementiſſimum: tum gratum odore, molliusq; comperiri. Tempus ſerendi plurimum autumnus: hoc enim primum ſerere nimirum properant: hactenus Theophraſtus. Ex cuius etiam verbis ſatis perſpicuè colligi poteſt, duo eſſe ſylueſtris Serpylli genera. Quare etſi palàm vnius tantùm generis mentionem fecerit* Dioſcorides duorum meminit. *Dioſcorides, duorum tamen obſcurè meminiſſe potuit, cum inquit: Sylueſtre, zigis appellatum, non ſerpit, ſed in altitudinem aſſurgit. Nam ſi vnum tantùm ſylueſtris Serpylli genus Dioſcoridi notum fuiſſet, ei ſanè neceſſarium non erat addere zigis cognomen differentiæ cauſa. Satiuum radicibus quidem ſerpit, ſed ramulis attollitur, amaraci modo, quemadmodum ſylueſtris altera ſpecies, quæ malum citreum olet. Proinde ſcite Plinius lib. 20. cap. 22. ita de eo memoriæ prodidit. Serpyllum à ſerpendo putant dictum, quod in ſylueſtri euenit, in petris maximè. Satiuum non ſerpit, ſed ad palmi altitudinem increſcit.* Serpylli vires ex Gal. *Serpylli vires paucis perſtrinxit Galenus libr. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Serpyllum vſq; adeò excalfacit, vt & menſes, & vrinas moueat: eſt autem & guſtu admodum acre. Excalfacit, exſiccat, digerit, incidit & aperit, omnia genera paribus pollent facultatibus, verùm tamen ſylueſtre ad omnia valentius habetur. Eius nomen Græcum* Nomina. *ἕρπυλος, Latinum Serpyllum: Arabicum Hemen: Italicum Serpillo: Germanicum* Quendel vnd Hüner Köl: *Hiſpanicum Serpollio & Serpam: Gallicum Serpoulet: Bohemis Materij danſka. Serpyllum alterum & Serpyllum ſylueſtre Græcis ἕρπυλος ἄγριος: Italis Serpollo ſeu Serpillo ſaluatico.*

Serpyllum differentias varias, & ratione odoris, qui pro diuerſitate locorum & cœli odorem mutat: & ratione coloris florum, foliorum item glabritiem & hirſutiem, eorundem rotunditatem & anguſtiam, obtinet, hic de duabus tantum. I. Serpyllum ſatiuum, C.B. Serpyllum Matth. II. Serpyllum vulgare minus, C.B. Serpyllum Brunſ. Trag. Fuch. Lon. Lob. Cæſ. Thal. Serpyllum alterum, Matth. Serpyllum vulgare, Dod gal. & fol. Serpyllum ſylueſtre, Cordo in Dioſcoridem Matth. in compen. Serpyllum ſylueſtre alterum, Caſt. Serpyllum minus, Tabernæmontano.

## Σάμψυχον. SAMPSVCHVM. CAP. XL.

SAmpſucum in Cypro & Cyziceno laudatiſſimum. Secundum ſibi locum vendicauit Ægyptium, Amaracum gens Sicula & Cyzicena appellat. Herba eſt ramoſa, per terram repens: folijs eius calaminthæ, quæ tenui folio conſtat, hirſutis & rotundis, ſuauiſſimum odorem ſpirat: ideo coronis inſeritur. Vis eius excalfaciens. Succus decocti potus, conuenit incipientib. hydropicis, & ijs quos vrinæ difficultas, aut tormina excruciant. Illita ex melle arida folia ſugillata tollunt: menſes ſubdita in peſſo trahunt: cõtra ſcorpionis ictum ex aceto & ſale illinuntur: luxatis, tumoribuſq; cerato excepta, imponuntur: aduerſus oculorũ inflãmationes, cum polline polẽtæ illini prodeſt. Acopis, malagmatiſq; calfaciẽdi gratia cõmiſcetur.

I. AMARACVS.



II. AMARACVS SIVE MAIOrana tenuifolia.



Sampſuchi conſideratio. C*Vm ſuperius libro primo in Sampſuchini vnguenti commentatione, Sampſuchum & Amaracum idem eſſe latius oſtenderim, etſi Galenus & Paulus diuerſis capitibus Sampſuchi, & Amaraci meminerint, eadem hic repetere ſupervacaneum*

*vacaneum duxi: quòd ea huc facilè transferre poſsint ij, qui rem hanc ſe aliter fortaſſe habere exiſtimant. Sampſuchum in Italia Hetruſcis vulgò appellatur Perſa, quod fortè illis e Perſia fuerit allatum: cæteris verò inibi Maiorana, nomine à Latinis mutuato. Herba hæc tantam cum mulieribus iniuit gratiam ſui odoris iucunditate, vt nullæ ferè reperiantur, quæ ſiue in hortis, aut fictilibus vaſis Amaracum non ſerant, vel plantas non transferant, ac diligenti admodum cultura foueant. Quo fit, vt putauerim ego, ex eo Maioranæ ſibi nomẽ adinueniſſe, quòd maiori cura, ac diligentia ſeratur, colaturq́; quam cæteræ plantæ. Neq; id ea ſolùm ratione, quòd, vt paulò antè diximus, odore perquàm iucundo commendetur, ſed quod etiam perpetua vireat coma. Duum eſt generum, maius quod vulgò cognitum eſt: & minus, quod tenuifolium cognominatur. Eſt itaq; herba* AMARACVS *ramoſa, ſurculis tenuibus, obſequioſis, folijs oblongis, incanis, piloſisq́; quæ cauliculos circumquaq; ambiunt. Flores edit in ſummis caulibus numeroſos, ſpicatos herbaceo colore, compactili ſquamarum congerie oblongos, origani æmulos, è quibus paruum oritur ſemen. Radicem habet lignoſam, multiplicem & ſuperuacuam. Seritur ſemine, ſurculo, ac etiam viui radice. Planta eſt odorata tota, & in medicamentis admodum vtilis.* Amaraci hiſt. *Digerit, attenuat, aperit, & roborat. Præſtat ad omnes frigidos capitis, & neruorum affectus, tam illita, quàm pota: quinetiam ad aurium dolores, grauedines & ſonitus, vbi herbæ ſuccus fuerit inſtillatus. Idem naribus infuſus pituitam à capite trahit, & cerebrum abſtergit, & roborat: colluitur ex eo vtiliter os in linguæ reſolutione, addito pyrethri, & longi piperis decocto, aut acori, aut origani. Valet herba aut eius decoctum ad omnia pectoris vitia, quæ anhelandi difficultatem impediunt. Stomacho vtilis eſt tam exterius illita, quàm interius ſumpta. Eadem iocinoroſos & lienoſos iuuat. Namq; non ſolum eorum infarctus expedit, ſed etiam viſcera ipſa roborat ac firmat. Confert ad frigidos vteri affectus omnes, & ad flatus.* Amaraci vires. *Habetur aliud quoq;* AMARACI *genus* TENVIFOLIVM, *quod nos vulgò vocamus Perſa gentile. Id enim folijs floribus, cauliculisq; altero longè tenuius eſt, & odore præſtantius. Hoc non deſunt, qui putent legitimum eſſe marum. Colitur à mulieribus Italis in fictilibus, & in hortis. Ea omnia præſtare poteſt, de quibus in altero diximus genere.* Amaracus tenuifolia. *Sampſuchi meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorũ, ſic inquiens: Sampſuchum tenuiũ partium, & digerentis eſt facultatis: leuiat enim, & excalfacit ordine tertio.* Sampſuchi vires ex Gal. *Id Græcis* σάμψυχον, *&* ἀμαράκον, *Latinis quoq́; Sampſuchum, Amaracus, & Maiorana vocatur: Arabibus Merzenius ſeu Morſangius: Italis & officinis Maiorana: Hetruſcis Perſa: Germanis* Meyeron/ Maioran/ vnd Meyram *: Hiſpanis Moiorana: Gallis Marone & Mariolaine: Bohemis Maiorana: Polonis Maeram. Amaracus tenuifolia, Græcis* Σάμψυχον, ϗ ἀμάρακον λεπτόφυλλον*: Italis Maiorana gentile: Hetruſcis, Perſa gentile.* Nomina.

Maioranam à Græco Μάρον deduci volunt ii, qui Maioranam noſtram ad Marum veterum reducunt. I. Maiorana vulgaris, C. B. Maiorana, Brunf. Dod. gal. & fol. (cui & Marum) Cæſalp. Maiorana ſylu. Loni. Maiorana maior, Tab. Amaracus, Matth. Fuch. Lugd. Amaracus maior, Caſt. Amaracus vulgatior, Lob. in icon. Sampſuchus ſiue Amaracus, Latinis Maiorana, Cord. in Dioſ. & hiſt. Sampſuchus, Lac. Lob. obſ. II. Maiorana nobilis, C B. Maiorana ſatiua, Trag. Lon. Maiorana tenuior, Dod. fol. Maiorana tenuifolia, Taber. Amaracus ſiue Maiorana tenui folia, Matth. Caſt. Lugd. Amaracus tenuior, Lob. Amaracus tenuifolia vrbana, Cam. Amaracus & Sampſuchum, Geſ. hor.

Μελίλωτον.

## MELILOTVS, SIVE SERTVLA CAMPANA. CAP. XLI.

SErtula campana, laudatiſsima in Attica, & Cyzico, & Chalcedone nata: cuius color vicinus eſt croco, boni odoris. Naſcitur & in Campania circa Nolam, a colore in luteum langueſcente, odore infirmo.

a Meũ habet. πηλίζων. Sed Ca. μηλίζων.

I. MELILOTVS, SIVE SERtula Campana.



* II. MELILOTVS ITALICA folliculis rotundis. *



Vim

Vim habet adſtrictoriam. Inflammationem omnem emollit, præſertim, quæ in oculis, vulua, ſede, aut teſtibus erumpat, ſi ex paſſo cocta illinatur: interdum autem addito oui luteo aſſato, aut fœnigræci farina, lini ſemine, aut polline, aut capitulis papaueris, intybove. Recentes meliceridas per ſe cum aqua, & vlcera manantia in capite illita cum creta Chia, vino, aut galla ſanat: ſtomachi dolores, & cruda, & cocta cum aliquo ex antè dictis leuat: doloribus aurium mitigandis cruda ex paſſo inſtillatur: in aceto, aut roſaceo madefacta, capitis dolorem lenit.

Meliloti conſideratio.

*PRobatiſſima, legitimaq́; Melilotus non modò in pluribus Campaniæ locis, ſed etiam Gargano Apuliæ monte prouenit. Cuius ſemen in tenuibus corniculis incluſum nuper Venetias afferri cœpit. Quo factum eſt, vt iam cognouerint medici vulgaris vſus Melilotum illegitimam eſſe.* Plinius de Meliloto. *Meliloti meminit Plinius lib. 21. cap. 9. vbi ita ſcriptum reliquit: Ergo in coronamenta folio venere apiaſtrum, meliloton, quod Sertulam campanam vocamus. Eſt enim in Campania Italiæ laudatiſſima, Græcis in Sunio, mox Chalcidica & Cretica, vbicunque verò aſperis & ſylueſtribus nata. Coronas ex hac antiquitus factitatas, indicio eſt nomen Sertulæ, quod occupauit. Odor eius croco vicinus eſt, & flos. Ipſa cana placet, maximè folijs breuiſſimis, atq; pinguiſſimis.* Meliloti hiſt. *Eſt itaq; legitima Melilotus planta cubitali altitudine, ſtatim à radice fruticoſa, ramis exilibus, folijs trifolio proximis, ex anguſta origine in latum ſe diffundentibus, & longo appenſis pediculo, floribus melinis, paruis, ſiliquis repandis, numeroſis, pluribus ex vno ramuſculo dependentibus, in quibus ſemen concluditur minutum ſubrufum, odoris non ingrati, cuius eſt vſus. Radix illi inutilis, & ſuperuacua:* Melil. vires ex Galeno. *Excalfacit ordine primo, adeo vt parum abſit à temperamento. Ideoq́; leniter reſoluit, digerit, atq; mollit, & dolores quoſcunq; ſedat. Melilotum, vt Galenus memoriæ prodidit lib. 6. ſimplicium medicamentorum, miſtæ facultatis eſt: habet enim quiddam adſtringens, ſed & digerit, & concoquit: copioſior enim in eo eſt ſubſtantia calida, quàm frigida: hactenus Galenus. Cæterùm neminem inuenio è Græcis auctoribus, qui explicauerit, quæ meliloti pars in vſum medicinæ recipiatur, an folia, aut radices, an caulis, an flores, aut cornicula, aut ſemen.* Serapionis deſcriptio. *Quod tamen docuerunt Mauritani, præſertim Serapio, qui ex auctoritate Iſaac Eben amaram de Meliloto ſcribit in hunc ſenſum: Melilotus herba eſt, quæ folia fert rotunda, viridia: ramulos emittit admodum exiles, in quibus folia rara. Semen gerit in ſiliquis tenuibus, ac rotundis: quæ grana includunt pauca, glauci coloris, rotunda, infra ſinapis magnitudinem. Porrò in meliloto vſum ſibi vendicarunt ſiliquæ & ſemina, quæ in eis continentur. Quibus facilè quiſpiam conijciet, haud eſſe mirum, ſi emplaſtrum, quod de meliloto appellant, ſæpe medicos fallat, cum in id legitimi meliloti ſeminis farina nunquam veniat. Cum veræ legitimæq́; Meliloti ſemen cuius vſus eſſe debet, ad nos non deferatur: nonnulli ſylueſtris loti flores, quidam cuiuſdam aurei trifolij ipſius vice vſurpant, ſed neuter tamen Meliloti vim poſſidet.* Nomina. Μελίλωτος *ita Græcè dicitur, vt Latinè Melilotus & Sertula campana: Arabicè Alchil elmelib: Italicè Meliloto: Hiſpanicè Corona de rei.*

Melilotum hanc, Trifolium odoratum corniculis reflexis nominamus. Melilotus, Sertula campana & Corona regia, Lob. obſ. Melilotus Syriaca odora, Lob. in icon. Sertula Campana, Caſtori. II. Huic adiecimus & alteram ſpeciem, quæ frequenter in hortis colitur, & Trifolium Italicum folliculis rotundis nobis, at Camerario, qui primus eam propoſuit, Melilotus Italica dicitur. Hæc ex radice fibroſa caules emittit plures, cubitales, ſtriatos, qui in alios brachiantur, circa quos folia tripartita, ſubrotunda, leuiter crenata, in breue filamentū abeuntia, longis pediculis donata: in ſummis cauliculis flores meliloti copioſi, quaſi in ſpica alternatim diſpoſiti, lutei: quibus ſuccedunt folliculi, vel vaſcula rotunda, rugoſa cute obducta, in quorum aliquibus bina, in pleriſq; vnicum granum continetur. Hoc primum Loti veſicariæ nomine, à Doctore Oſwaldo Northuſa accepimus, dein in hortis plurimis obſeruauimus, quod in Marſis ad lacum propè oppidum Celanum (monente D. Camerario) creſcit, vbi incolæ Malatro corrupto nomine, & in agro Romano ad antiquorum imitationem, Coronellam appellant.

## Μάρον. MARVM. CAP. XLII.

a Orib. εὐώδης. odorato.

MArum herba cognita vulgò ſurculoſa, flore origani, foliis multò candidioribus, flore a odoratiore. Vim habet ſiſymbrio conſimilem: ſubſtringit enim, & modicè calfacit. Qua de cauſa illitu ſerpentia vlcera ſiſtit, & in calidas illitiones additur. Iuxta Magneſiam, & Tralleis copioſiſsima gignitur.

Mari mentio ex Galeno.

*ETſi Galenus inter ſimplicia medicamenta nuſquam, quod equidem inuenerim, Mari meminerit, libro tamen primo de Antidotis in Hedychroi compoſitione eius mentionem fecit, cum ita ſcribit: Aliæ Hedychroi deſcriptiones reperiuntur, quæ neque Amaracum, neq; Marum prorſus habent: quædam alterutrum tantum continent. Neq; enim duo hæc omnes noſcunt vnguentarij, eò quod herbas ſolùm è Creta aduectas emant, vnà cum ſeminibus atq; ſuccis. Ego verò & eaſdem herbas ſcio in Aſia naſci, ac in alijs quidem regionibus raras eſſe, in Cyzico autem frequentes. In Italia quoq;, vt & alias quaſdam herbas, ita & Amaracum vidi, quæ odore multum à Maro ſuperatur. Marum enim valdè redolet, putaretq́; aliquis ſola nominis appellatione ductus, vnguentum Amaracinum, quod in Cyzico faciunt, Amaraci plurimum capere, ſicq́; forſitan ab antiquis vnguentum conficiebatur, ſed nunc ſolùm Marum imponunt. Hanc herbam aliquoties cùm ipſe deguſtaſſem, ac eam amaram quidem plurimum, acrem verò parum deprehendiſſem, hortatus ſum quendam eorum, qui Amaracinum conficere ſolent, vt Amaraci tantum compoſitioni immitterent, quantum & Mari. Ac mihi viſum eſt id vnguentum minus quidem odoratum, nihil autem viribus inferius. hæc Galeni verba. Ex quibus palàm eſt, Marum ab Amaraco viribus & facie parum admodum diſſidere, etſi tum amarius ſit Marum, tum etiam odore fragrantius. Quapropter non planè eorum ſententiam explodendam putarem, qui Marum Amaracum illam eſſe arbitrantur, quæ maiorem ſpirat odorem, maioremq́; amaritudinem, guſtu præfert: quæq́; folijs viret minuſculis, candidioribus, & tenuioribus: vnde non immeritò à noſtris in Hetruria vulgò cognominatur Perſa gentile. Sampſuchum enim, ſiue Amaracum, inibi Perſa vulgò vocari ſuperius indicauimus. Cuius illud genus, quod folijs conſtat pinguioribus, latioribus, viridioribus, guſtuq́; acrioribus, minus tamen amaris, legitima omnibus Amaracus eſſe cenſetur. Illorum inquam ſententiæ ferme adſtipularer, niſi eidem aduerſari Galenus inueniretur: quippe qui hoc loco citato teſtatus ſit, ſe in Italia Amaracum vidiſſe, nulla quòd inibi Marum viderit, facta mentione, ſed tantùm quòd hoc in alijs ab Aſia regionibus rarum oriatur.*

MARVM.



*oriatur. Hinc itaq; facilè adducor, vt exiſtimem Marum non naſci in Italia. Auget nobis opinionē Plinius, qui quaſi Galeno ſubſcriberet, Marum duxit eſſe rarum inuentu, & Italiæ peregrinum: quare ipſam collocauit libro 12. capite 24. inter ea duntaxat odoramentorum genera, quæ ab externis regionibus in Italiam conuehebantur, ſic inquiens: In Aegypto naſcitur & Maron peius quàm Lydium, maioribus folijs, ac varijs: illa breuia, ac minuta, & odorata, hæc Plinius. Cæterùm non ob id eos errare crediderim, qui graciliorem amaracum Mari loco ſubſtituunt. Quandoquidem teſtatur Galenus, quòd vnguentum illud, in quo Amaracum pro Maro admiſceri iuſsit, etſi minus quidem odoratum videretur, non tamen viribus inefficacius erat. Cæterùm plantam, quam hic excudi curauimus, miſit ad me Patauio Iacobus Antonius Cortuſus, vir quidem rei plantariæ admodum ſtudioſus, & iudicio, & animi integritate præditus. Nam cum legitimum marum ea mihi repræſentare omnibus ane notis videatur. Marum ipſam mihi propoſui appellandam, ſiquidem folijs eſt origano candidioribus, odoratis, & guſtu acutis amariuſculisq;, ramis tenuibus, lignoſis, & floribus ſubpurpureis; odore eximio fragrantibus. Planta eſt peregrina, quæ in Italia non prouenit, niſi aliunde tranſlata. Quod Græci μάρον, id Latini pariter Marum nominant; Itali Maro.*

Marũ Italiæ peregrinum.

Marum propoſitum, Tragoriganum latifolium nominamus, ad differentiam anguſtifolii, cuius triplex differentia. Marum dicitur, Matth. Lugd. Tab. Marum Cortuſi, Caſt. Tragoriganum alterum, Dod. Gal. Geſ. hor. Lob. Tragoriganum, Dod. fol. Lugdun. Helenium Crateuæ Anguillara nominabat.

## Ἄκινος. ACINVS. CAP. XLIII.

ACinos, aut aconos á Græcis dicitur, tenui, ſiccoq; ramulo herba, ocimo ſimilis, odorata, ſed hirſutior: qua coronæ factitantur, à nonnullis olitoribus colitur. Menſes, & aluum pota ſiſtit. Illita panos ignemq; ſacrum ſanat.

I. ACINVS.



* II. ACINVS COLVMNAE. *



Qua-

De Acino opinio quorundam explosa.

*QVanquam ſunt aliqui, qui Acinum eam ocimi ſpeciem eſſe exiſtimant, quæ anguſtioribus conſtat folijs, quæq́ incundum efflat odorem, cuius gratia, atq; etiam vmbræ gratiæ virentis æſtiuo tempore paſsim in figulinis vaſis ſouetur extra feneſtras ædium, & in atrijs, quam nos ob eius gracilitatem vulgò vocamus Baſilico gentile: horum tamen opinioni apertiſsimè refragatur Plinius lib. 21. cap. 15 vbi Acinum ſcribit nunquam florere. Id quod minori ocimo non euenit: ſiquidem hoc æſtate, & autumno floret, floribusq́ ornatur albis, ac odoratis. Illud præterea illis etiam reclamat, quod idem Plinius ſcriptum reliquit lib. 21. cap. 27. cùm ait: Acinon & coronarum cauſa, & ciborum Aegyptij ſerunt, eademq́ erat, quæ ocimum, niſi hirſutior ramis, ac folijs eſſet & admodum odorata. Ex his Plinij verbis abunde palàm fieri poteſt, Acinum non eſſe ocimum tenuifolium, cùm hoc nec folia, nec caulem hirſuta proferat.* Manardi opinio non accepta. *Cæterùm Manardus Ferrarienſis vir acri ingenio, & præſtanti doctrina, nil aliud Acinum putauit eſſe, quam herbam quandam, quæ incultis prouenit locis, ſed præcipue in agrorum, & viarum aggeribus, ocimo hirſutior, ac ſatis ſuauiter olens: quæ quòd ocimum admodum æmuletur, à quibuſdam ſylueſtre Ocimum appellatur.* Ocimum ſyl. *Quibus ſanè notis alias adductus ſum, vt Manardo prorſus aſsentiendum putauerim. Sed cum poſtea animaduerterim, herbam hanc flores emittere contra Plinij auctoritatem, nunc cogor mutare ſententiam. Nec me pœnitet, quòd noſtra, aut aliorum diligentia futurum ſperem, vt de hac, & de alijs rebus dubijs quandoq; certiora proferantur. Atqui obſtantibus his, volui tamen plantam quam Manardus Acinum eſſe exiſtimauit, hic etiam appingi, vt aliorum poſsit eſſe iudicium.* Nomina. *Herba quæ Græcis ἄκινος, Latinis item Acinus appellatur.*

I. Acini loco adpicta (& in hiſtoria Lugdunenſi propoſita) quid ſit controuertitur, aliis Calamenthum inodorũ viarum vbique frequens exiſtimantibus: aliis videtur Calaminthæ montanæ magno flore reſpondere: quòd ſi verba diligentius conſideres, Ocimaſtrum Fuchſii, quod ſub pſeudoclinopodio infra poſuit, illũ exprimere voluiſſe facilè percipies, quare ipſius figuram mutare, vel omittere noluimus. II. Adiecimus & alterã Neapolitanis frequentem, & à Fabio Columna in ſuo Phytobaſano propoſitam. Hæc ex radice fibroſa, caulem hirſutum & aſperiuſculum, qui mox in alios brachiatur, emittit, circa quẽ folia Ocimo maiori ſimilia, ſed tenuiora oblongioraquè, per ambitum ſerrata, hirſuta, longis pediculis donata: flores copioſi purpuraſcentes, ocimi forma, quibus ſuccedunt vaſcula ſemen nigricans ſubrotundum continentia. Hanc ſiccam vnà cum ſeminibus Neapole ad nos miſit D. Ferrandus Imperatus, præſtantiſsimus Pharmacopæus, quam quotannis olitores verno tempore apud ipſos ſerunt, Vrtichellam appellantes, eo quod Vrticæ hirſutiem quodammodo referat.

## Βάκχαρις. BACCHARIS. CAP. XLIIII.

a Meũ addit λιπαρὰ. i. pingui.
b Meum, & Cat. ὑγρὰ. i. humectum.

BAccharis herba fruticoſa, quæ in coronas additur, cuius folia aſpera ſunt, media violæ, & verbaſci magnitudine: caulis anguloſus, cubiti altitudinem petens, aliquantulum aſper, non ſine appendicibus adnatis: flore purpureo, ſubalbicante, odorato: [a] radicibus veratro nigro ſimilibus, quibus odor ineſt cinnamomo proximus. Aſperum [b] ſqualidumq; ſolum amat. Radix in aqua decocta ruptis, vulſis, ex alto præcipitatis, ſpirandi difficultati, ſalutaris: item diuturnæ tuſsi, & vrinæ difficili, menſes pellit: contra ſerpentium morſus vtiliſsimè datur in vino. Recens radix appoſita partum extrahit. Puerperis eius decoctum in deſeſsionibus prodeſt. In diapaſmata vtiliter inſeritur iucundi odoris gratia. Folia, vt potè quæ adſtringant, capitis doloribus illitu proſunt: oculorum inflammationibus, mammis tumentibus à partu, ægilopiis incipientibus, ignibusq; ſacris auxiliantur. Odor ſomnum gignit.

BACCHARIS.



Bacchatis conſideratio.

*DVm eã de Bachari ſententiam, quam ſuperioribus annis lingua Italica expreſſeram, nunc demum his noſtris Latinis commentarijs repetitam, excudendam tradidiſſem, confeſſus ingenuè me nuſquam hactenus veram Baccharim reperiſſe, aut ab alijs repertam vidiſſe: accidit interea temporis, vt eam ad me Roma miſerit Andreas Lacuna Secobienſis, medicus hac noſtra ætate clariſsimus.* And. Lacunæ literæ. *Cuius literas hic referre libet, quòd eæ ſint, quæ mihi maximum faciant argumentum humanitatis & beneuolentiæ ſuæ, atq; etiam rei fidem addant. Literæ autem eius ſunt ita ad me ſcriptæ. Etſi nos eidem, cui tu, negotio illuſtrandi, locupletandiq́ Dioſcoridem nauemus aſsiduam operam, ob idq; nobis ex vſu hanc ad rem extorquere, facultates alienas potius, quàm diſsipare noſtras: volumus tamen tibi & amico, & de materia medica quàm optimè merito communicare veram Dioſcoridis Baccharim, quam haud ita pridem in hiſce Romanis agris reperimus, quò poſsis illam ad viuam formam expreſſam, in vſum humanæ ſalutis inſerere tuis luculentiſsimis commentarijs, quos iam (vt fama eſt) primùm Latinè ſcriptos edere inſtituis. Eam itaq; chartæ alligatam ad te mitto, adeò per omnia reſpondentem deſcriptioni Dioſcoridis vt in ipſa nulla nota poſsit deſiderari. Quippe folia eius ſunt aſpera, media violæ & verbaſci magnitudine: caulis anguloſus, cubiti altitudinem petens, aliquantulum aſper: radices nigro veratro ſimiles, quæ odore, & ſapore imitantur exquiſitiſsimum cynnamomum. Porrò flores, quos per inclementiam temporis nunc mittere ad te non licet, in nonnullis locis purpurei, in alijs lutei viſuntur: ita vt huius ſtirpis eſſe duæ ſpecies videantur, vel ſi meminerit vnius tantùm Dioſcorides. Poſtremò huius plantæ vires, & facultates ſunt omnino eadem, quas ſuæ Bacchari diuus tribuit Dioſcorides.*

*His*

Hic amicus literis ſuis finem impoſuit. Sed certè illud mihi permirum acceßit, quod eadem die, & ferè hora, qua Baccharim Romæ accepi, eandem Arimino ad me miſit Iulius Moderatus diligentißimus pharmacopola, herbarumq; ſtudioſus: ut quod apertè teſtatur hortus eius apud herbarios Italiæ non vulgaris, vt qui ſit varijs ac nobilibus plantis refertus. Hanc ſanè comperi nullu prorſus reclamantibus notis, Dioſcoridis Baccharim repræſentare. Nam præterquàm quòd conſtaret, vt illa, folijs aſperis, magnitudinem inter violam & verbaſcum referentibus, caule anguloſo, cubitali altitudine, aliquantulum aſpero, habebat etiam in caule ſua adnata folia non colicolos. Hinc obiter ſuſpicor legendum eſſe παραφυλλάδας, non παραφυάδας, vt vulgati Græci codices habent: quandoquidem illi lectioni adſtipulatur etiam Oribaſij manu ſcriptus codex. Præterea flores, quibus illa carebat, huic in purpura candicabant, odorati. Eius deniq; radices erant veratro nigro ſimiles, & odore cinnamomo proximæ. Huius igitur plantæ delineatione, quæ ad amußim hiſtoriæ Dioſcoridis reſpondet, ut eius quoq; effigies, quam pictam damus, affabrè demonſtrat, facilè adducor, vt affirmare non dubitem, hanc eſſe veram & legitimam baccharim. Cæterùm Leonicenus, & Braſauolus ipſum ſecutus, eam plantam magno errore putarunt Baccharim eſſe, quam quidam Sclaream, nonnulli verò Matriſaluiam appellant. Sed cùm huius radices non ſint veratro nigro ſimiles, neque minimum quidem odore cinnamomum imitentur, planè eorum ſententia improbanda videtur: præſertim quòd veram Baccharim eam eſſe cenſeamus, de qua ſuperius diſſeruimus.

*Leoniceni & Braſauoli opinio reprobata.*

Sed non deſunt recentiores, qui contendunt Baccharim Dioſcoridi accreuiſſe, caputq; hoc adulterinum eſſe, vt noui aliquid afferre videantur. Siquidem inter hos Anguillarius non paucis contendit argumentis, Baccharis caput haud eſſe Dioſcoridis legitimum, ſed ea omnia quæ de Bacchari in eo authore ſcripta ſunt, ex capite de Aſaro eſſe deprompta.

*Anguillarii opinio reprobata.*

Quod vt in primis probare videatur, Baccharem inquit, Græcum non eſſe nomen, ſed Latinum, cùm nemo extet inter Græcos authores, qui vel ante Dioſcoridem, vel eius tempore vel paulo poſt claruerunt, qui Baccharis vſquam meminerit, vt videre eſt apud Galenum & Aëtium. Nec his deinde obſtare inquit, quòd Athenæus inter vnguenta Baccharis mentionem fecerit, quippe quod illi Baccharis vnguentum deſignet, non plantam: ſed quàm magno ducatur errore Anguillarius, quamq; diligenter legerit autores, aut rectè eorum ſcripta intellexerit, ille iam audiet. Siquidem non deſunt Græci authores, ipſiq; antiquißimi, qui ante Dioſcoridem Baccharis meminere.

*Baccharis antiquißimi meminere.*

Plinius enim teſtis eſt lib. 21. cap. 6. de Bacchari ſcripſiſſe Ariſtophanem priſcæ Comœdiæ autorem, ob idq; falsò quibuſdam Baccharim Barbaricam appellari, quòd à Græcis ſibi nomen inuenerit. Deinde negligenter ſatis Anguillarium legiſſe Athenæum, ex hoc clarißimè patet, quòd is non ſolùm Baccharis vnguenti, ſed Baccharis quoq; plantæ vel eius radicis meminerit his verbis. Eſt vnguentum quod Baccharis à comicis nominatur. Ac nonnunquam Baccharis non eſt vnguentum. Aeſchylus. n. in Amymone ſeparatè & diſtinctè: Ego, inquit, Bacchares tuas & vnguenta: & Symonides vnguentis vnctus ſum, ac Bacchari. Ariſtophanes in Cerealia celebrantibus, O Iupiter (inquit) venerande, quo pacto nepharium ſcrinium continuo lotum, vnguenti ac Baccharis odorem emiſit? Quibus palam eſt, non ſolùm eo vnguento ad odoramenta vſos eſſe antiquos Græcos, ſed etiam ipſa quoque Bacchare, & eius radicibus.

*Baccharis & herba & vnguentum apud Athenæum.*

Sed concedamus Anguillario nuſquam de Bacchari herba locutum eſſe Athenæum, ne tam citò erubeſcat. Vnde tandem dicet denominatum vnguentum illud? An negabit à Bacchare, cuius radices exceperat? Neget vel affirmet, comprehenſus eſt. Etenim vbi negarit, Plinius eius retundet arrogantiam, quippe qui Ariſtophanis teſtimonio ſcribit ex Baccharis radicibus vnguenta fieri ſolita apud antiquos. Si verò affirmarit, iam ſuam ipſius faſſus fuerit ignorantiam. Baccharis vnguentum à Bachare antiquis denominari teſtatur Fauorinus his verbis. Βάκκαρις μύρον ποιὸν ἀπὸ βοτάνης ὁμώνυμον, ἔςι δὲ καὶ ξηρὸν διάπασμα τὸ ἀπὸ τῆς ῥίζης. Quibus non modò palam eſt Baccharim antiquis vnguentum deſignare, ſed etiam puluerem ex Baccharis radicibus paratum corpori inſpergendum, de quo apud Athenæum ſcripſere Aeſchylus, Symonides & Ariſtophanes: vſa enim antiquitas Diapaſmatibus, ideſt, puluerum ſiccis aſperginibus, non ſolùm ad odoramenta, ſed etiam corporibus fouendis, ſiccandis, laxandis, adſtringendis, molliendis, ac durandis, varijs è plantis paratis pro vtentium ratione. Præterea ad ea, quæ dicit, vt autorum teſtimonia effugiat, quæ illi mentem interturbant, quòd in Oribaſii, & Pauli libris Baccharis caput ſit additum à quibuſdam, eo argumento, quòd Paulus tantùm ſcribat de ijs ſimplicibus medicamentis, de quibus ſcribit Galenus, qui nuſquam de Bacchare meminit: & idem fecerit Oribaſius: illi reſpondendum eſt, quòd negligenter ſatis legerit de plantis apud Paulū. Quippe quòd is non ſolùm ex Galeno, ſed ex Dioſcoride tranſcribat. Agallochi enim Narcaphthi, Cancami, Fraxini, Othonnæ, Acanthij, Botryos, Geranij, Aethiopidis, Epipactidis, Apios, Alypi, Cinocrambe, Heliotropij, & aliorum quorundam non meminit vſquam Galenus, quorum tamen omnium ex Dioſcoride meminit Paulus, quemadmodum & Baccharis: quo fit, vt infirmum admodum ſit Anguillarij argumentum tam de Paulo quàm de Oribaſio, qui plantarum hiſtorias non ex Gal. ſed ex Dioſcoride tranſcribant. Ad hæc quantum valeat in cenſendis Aſaro & Bacchare Anguillarij iudicium, conijciet facilè quiſpiam, qui eius annotauerit verba, dum vltimo loco vt probet Baccharis caput ab Aſaro eſſe reſciſſum, dicit id facilè deprehendi poſſe, vbi quiſpiam Baccharis & Aſari caput ſimul contulerit. Sed faciamus periculum: Aſarum folio eſt hederæ minore, læuioreq;: Baccharis verò inter Violam & Verbaſcum medio, & tactu aſpero. Flores Aſaro ſunt Cytini aut Hyoſcyami figura, ac purpurei: Bacchari in purpura albicantes. Cauliculos habet Aſarum plures, aſperos, ac lentos, quibus ſingulis folia appenſa ſunt: Baccharis verò vnum tantùm caulem edit cubitalem, anguloſum, aliquantulum aſperum, non ſine adnatis multis. Item radices Aſaro inſunt geniculatæ, tenues, obliquæ, gramini non dißimiles, longè tamen graciliores odoratæ, & vt Plinius inquit, & experientia comprobat, Nardum redolentes: Bacchari autem radices inſunt nigro Veratro ſimiles, quibus odor ineſt gratißimus, Cinnamomo proximus. Poſtremò Aſarum in vmbroſis montibus prouenit: Baccharis in aſperis & ſiccis. Quibus palam eſt nil minus haſce plantas ſibi repugnare, quàm ſibi ipſi repugnet Anguillarius, dum illud Crateuæ fragmentum in medium affert, quo probare contendit Baccharis caput in Dioſcoride ex Aſari capite eſſe reſciſſum. Siquidem cùm in eo legatur. Βοτάνη εὐώδης, ςεφανωματικὴ, καυλία γωνιοειδῆ. φύλλα δασέα. ἄνθη δὲ πορφυρᾶ, εὐώδης ῥίζα, ὁμοία τῇ τοῦ ἐλλεβόρου, ἐοικυῖα τῇ ὀσμῇ κινναμώμῳ: id eſt: Herba odorata, cauliculi geniculis intercepti, flores autem purpurei, odorata radix, ſimilis radici Ellebori nigri, odore Cinnamomo accedens. Tyreſia cæcior fuerit, qui non viderit fragmentum eſſe Baccharis, non Aſari, vt ſibi perſuadet Anguillarius. Quippe quòd Aſarum Plinii teſtimonio, ita vocatum eſt, quòd in coronis non veniat, quodq; eius cauliculi geniculati non ſint, ſed tantùm radices, quæ graminis ſunt non Ellebori, nec Cinnamomi odore refertæ, ſed Nardi, & ideo Nardum ruſticum nonnullis appellatum: quodq; non in ſiccis & aſperis naſcatur locis, ſed in vmbroſis ac opacis montibus. Hæc ſi diligentius perpendiſſet Anguillarius, non ita fortaſſe inconſideratè contra ſui ipſius ſententiam fragmentum illud Crateuæ attuliſſet in medium, vt potius fortaſſe videretur tam præcioſa habere fragmenta, quam quòd curæ illi fuerit, ſolidè de Medica materia diſſerere. Probatur præterea, Baccharis caput Aſari non eſſe membrum, non ſolùm ex Oribaſio, qui perquàm fideliter ex Dioſcoride tranſcribit, ſed etiam ex Serapione. Siquidem ij in Aſaro ne verbum quidem habent, quòd in Baccharis capite reperiri poßit, ſed id tantùm, quod paßim legitur, in Ruellij ac Cornarij Dioſcoride, qui

*cum hac animaduertiſſent, quæ in Aſari capite adulterina inuenerunt, non ſine ratione amputarunt. Quibus patet ... modo Aſari caput integrum haberi, ſed quòd hæc verba* πεπιωδης ςεφανωματικη *Dioſcoridi ſint adulterina, quemad- modum alia quam plura quæ in capitum ferè omnium principio olim habebantur. Poſtremò dicimus eandem plantam eſ- ſe Baccharim, apud Græcos, quam apud Latinos. Nam ſi quiſpiam conferat vires, quas fragmentum Crateuæ illud, & ipſe Dioſcorides Bacchari tribuerunt, cum iis quarum de ſua Bacchari meminit Plinius, is ſane illico deprehendet, quam aper- te cæcutiat Anguillarius. Baccharem ſimilem Combreto idem reddidit Plinius, vbi inquit: Similimum ei Combre- tum appellatum: foliorum exilitate vſq; in fila attenuata, & procerius quàm Bacchar. Quæ verba haud rectè int... lexe- runt, qui pro Combreto quandam oſtendunt plantam, foliis ſtamineis, veluti filamenta quædam duum trium ve ſpitha- marum longitudine protenſa. Siquidem Plinii verba eiuſmodi foliorum faciem haudquaquam deſcribunt, ſed quod ... ſubſtantia Combreti folia adeò ſint exilia, id eſt, tenuia, vt texturæ filamenta omnino appareant. Nam exilia ... po- ponit Plinius in Epiſtolis, & Cicero ſecundo de diuinatione: quo fit, vt nil aliud in ea comparatione ſibi velit Plinius, quā quòd Baccharis folia ſint Combreto ſolidiora, pleniora ac robuſtiora: illa verò vt diximus, non quidem in ſtamineu ... protenſa, ſed Baccharis modo lata: quamuis adeò tenuia vt omnis ferè earum appareat textura duntaxat.*

Combreti Pliniani mentio.

Baccharim quam à Lacuna acceptam proponit, ſunt qui Verbaſcum odoratum, cui interdum flo- res lutei, interdum purpurei, cenſeant: & ſanè cum Verbaſco, quod pro tertio poſuit, multum conuenit: verùm exiſtimamus eam figuram competere Conyzæ maiori à Matthiolo propoſitæ. Matthiolum imita- ti Lacuna, Lon. Caſt. & Tabernæmontanus, eandem figuram pro Bacchari exhibent.

## Πήγανον. RVTA. CAP. XLV.

Concluſa nō legit Orib.
† Orib non habet.

RVta montana, [ ſylueſtriſq; ſatiua, ] & hortenſi acrior eſt, & in cibis damnata: ſatiua verò quæ ſub fi- cu arbore enaſcitur, magis in cibos admittitur. Vtraque vrit, calfacit, exulcerat, vrinam ciet, men- ſtrua pellit, † [ aluum ſiſtit ] potu, ciboue. Lethalium medicamentorum antidotum eſt, ſi ſemen ex vino acetabuli menſura ebibatur. Folia per ſe præſumpta, aut cum nucibus iuglandibus, aridiſq; ficis, ineffica- ces venenorum vires reddunt: contra ſerpentes ſimili modo ſumere conuenit. Genituram cibo, potune extinguit, cum anetho ſicco decocta, tormina ſedat. Facit ad pectoris, laterumq; dolores, difficultatem ſpirandi, tuſſes, pulmonis inflammationem, coxendicum, articulorumq; cruciatus, & horrores febrium circuitu repetentes, pota, vt antè dictum eſt. Item ad inflationes coli, vuluæ, rectiq; inteſtini cum oleo de- cocta & infuſa. † [ Fœminas vuluæ ſtrangulatu liberat, ſi à genitali ſedetenus cum melle ſubiciatur. ] Fer- uefacta ex oleo, & pota, ventris tineas excutit: articulariis doloribus ex melle, aquæ inter cutem cum ficis illinitur: eiſdem in potu auxiliatur, decocta in vino ad dimidias partes, & oblita. Cruda, conditaq; cibo, viſus aciem excitat: dolores oculorum illita cum polenta lenit: doloribus capitis cum roſaceo & aceto il- lita auxiliatur: profluentem naribus ſanguinem ſiſtit trita & indita. Teſtium inflammationibus cum lau- reis foliis impoſita, & eruptionibus papularum cum a myrto, & cerato prodeſt: cum pipere autem, vino, & nitro affricta, albi vitiligini medetur: cum eiſdem illita formicationes tollit, & verrucas, quæ thymi florem repræſentant: contra impetigines cum alumine, & melle vtiliſsimè imponitur. Succus in mali punici calyce calfactus, dolori aurium efficaciter infunditur. Idem oculis, qui hebetudinem ſenſere, cum fœniculi ſucco, ac melle inunctus opitulatur. Ignem ſacrum, vlcera quæ ſerpunt, aut in capite manant,

† Orib. non legit.

a Meum σὺν μυρσίνῃ κηρωτῇ. i. cum Myrteo cerato.

I. RVTA.



II. RVTA SYLVESTRIS.



cum

cum aceto roſaceo, & ceruſſa illitus perſanat: manſa alliorum, cæparumq; acrimoniam domat. Montana ſi copioſius eſtur, interficit. Dum florem promit, & ad murias colligitur, cutem inflat, & rubore quodam inficit, cum pruritu ac vehementi inflammatione: oportet itaq; eam vnctis antea manibus & facie colligere. Tradunt ſuccum gallinaceis pullis inſparſum, feles arcere. Adijciunt eam, quæ in Macedonia circa Haliacmon amnem prodeat, comedentes interimere. Montoſus autem is locus, b viperis ſcatet. Semen eius potum contra inteſtina vitia efficax eſt. In antidota commodè additur. Contra incontinentiam vrinæ toſtum ſemen ſeptenis diebus potui datur. Radix huius montanum moly vocatur. Syluestris ruta ſatiuæ ſimilis eſt. Prodeſt comitialibus & coxendicum doloribus: menſtrua mouet: partus enecat. Acrior eſt viribus, quám hortenſis & validior. Syluestris, vtpote noxia, cibis abdicatur.

b Oribaſius ὀφέων πλείστων. i. pluribus ſerpentibus.

## * III. RVTA SYLVESTRIS tenuifolia. *



*Rvta vtraq; planta eſt vulgaris notitiæ, tam ſatiua inquam, quam ſylueſtris. Non tamen velim de illa ſylueſtri intelligas, de qua capite proximo diſſerendum eſt, ſed de ea tantùm, cuius meminit Dioſcorides in præſenti capite, quamq; in eius calce ſatiuæ ſimilem fecit: ſiquidem hæc ab illa plurimum differt. Naſcitur hæc ſylueſtris Ruta in Goritienſi agro copioſiſſima, adeò vt qui circumſtant montes, ea vbiq; ſcateant, præſertimq; Saluatinus mons, qui eadem fermè veſtitur. Facie hæc hortenſi perquàm ſimilis eſt, folijs, caulibus, ramis, floribus & capitulis, graciliori tamen folio, caudice verò craſſiori, lignoſo ac firmo, & guſtu acriori amarioriq;. Id quod Monachorum in Meſuem ſcribentium (pace tamen eorum dixerim) ineptijs prorſus refragatur: quippe qui aſſerant nullam ferè eſſe differentiam inter hanc, & androſamū ſiue hypericum, vt quæ in alterius locum ſubſtitui poſſint. Qua in re manifeſtè deprehenditur magna eorum inſcitia: quandoquidem hi (vt equidem arbitror) in triplici verſantur errore. Primùm quòd exiſtimauerint, turpi nimirum lapſu, ſylueſtrem Rutam ab androſamo & hyperico non diſſidere. Deinde quòd putauerint hallucinati etiam, androſæmum, & hypericum vnum & idem eſſe, cum tamen Dioſcorides de his ſeorſum, tanquam de differentibus plantis tradiderit. Huc tertius accedit error, & is quidem, mea ſententia, deteſtādus, quòd prodiderint, hanc ſylueſtris Rutæ hiſtoriam bis à Dioſcoride deſcriptam reperiri, magnamq; habere cum hyperico cognationem. Quod potius ſomniaſſe, quàm libero ſenſuum iudicio ſcripſiſſe videntur Monachi, cum non huius Rutæ caput ſit illud, in cuius fronte in quibuſdam codicibus, ijſq; non probatis, illa legantur, quæ doctiſſimorum teſtimonio hic aſcititia, hyperici autem propria cenſentur: ſed quod proximè ſequitur, in quo alterius ſylueſtris Rutæ, quam alij Moly, alij* HARMALAM, *alij verò Beſaſan appellant, tractatur hiſtoria. Quare caueant pharmacopolæ, qui fortaſſe horum patrum ſcripta ſequuntur, ne vnà cæcutientes ſæpe ducantur in varios errorum labyrinthos.* RVTA *planta eſt perpetuò virens folijs craſſiuſculis, ſubpinguibus, pluribus ab vno pediculo exeuntibus, & ex anguſto exortu in latū ſe diffundentibus, colore ſaturatè viridi. Ramos mittit copioſos ſurculoſosq;, & flores in ſummitate luteos, Hyperici haud abſimiles, è quibus capitula oriuntur, quadruplici apice diuiſa, in quibus puſillum continetur ſemen nigro colore: radix illi lignoſa, multiplexq;, acris eſt & amara, ſed acrior & amarior montana. Seritur in hortis, apricis gaudet & ſiccis, terraq; maximè lateritia. Attenuat Ruta, incidit, digerit, reſoluit, prouocat & flatus potenter pellit. Seritur Ruta (vt author eſt Plinius lib. 19. cap. 8.) fauonio & ab æquinoctio autumni. Odit hyemem & humorem, ac ſimum. Apricis gaudet & ſiccis, terraq; maximè lateritia: cinere vult nutriri, hic & ſemini miſcetur, vt careat erucis. Sub fici vmbra libentius acquieſcit: cuius rei cauſam ſuis in problematis reddidit Ariſtoteles. Muſtela cum ſerpente dimicatura, in murium venatu Rutam prius edendo ſe munit, gnara hanc contra venena pollere. Vtuntur & ipſa hoc noſtro tempore ad cacodæmones depellendos, fortaſſe quòd contra faſcinationes eam commendauerit Ariſtoteles in problematis. Planta Rutæ mirabilis magnitudinis viſa eſt (Flauio Ioſepho auctore) Macherunti, quod olim fuit munitiſſimum Iudææ oppidum. Is enim lib. 7. cap. 25. de bello Iudaico ita ſcriptum reliquit. Erat autem in ipſa regia Ruta mirabilis magnitudinis, à nulla enim ficu vel celſitudine, vel magnitudine vincebatur. Ferebant autem eam ex Herodis temporibus perſeueraſſe: manſiſſetq; vlterius profectò, ſed à Iudæis, qui locum ceperunt, exciſa eſt. Rutæ ſylueſtris & ſatiuæ, meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Ruta agreſtis ex quarto eſt ordine excalfacientium: domeſtica verò ex tertio. Eſt autem non ſolùm guſtu acri, ſed & amaro. Ex quo etiam ſanè digerere, atq; incidere craſſos, lentoſq; humores poteſt. Ob eandem vim & vrinas mouet. Quin & tenuium eſt partium, flatuſq; extinguit. Quarè ad inflationes competit, ac veneris appetitum cohibet, digeritq; atq; exiccat ſtrenuè. Eſt enim eorum ex numero medicamentorum, quæ valenter deſiccant. Porrò quod ſuperius Moly & Beſaſan nominari diximus, & ipſum vtiq; fuerit ruta ſylueſtris. Πήγανον Græcis herba eſt, quæ Latinis pariter & Italis Ruta nominatur: Mauritanis Sadeb ſeu Sedab: Germanis Raut vnd Weinraut: Hiſpanis Arruda: Gallis Rue: Bohemis Rauta: Polonis Ruta. Ruta ſylueſtris, Græcis πήγανον ἄγριον: Italis Ruta ſaluatica.*

Rutæ conſid.

Monachorū hallucinatio.

Rutæ hiſt.

Rutæ vires Matthiolo.

Ioſephus de Ruta.

Rutæ vires ex Galeno.

Nomina.

Ruta ſatiua eſt vel latifolia vel tenuifolia: eſt ſylueſtris, hæcq; vel ſatiuæ ſimilis, quæ rurſus aut maioribus aut minoribus eſt folijs, aut diſſimilis, de qua capite ſequenti. I. Ruta hortenſis altera, C. B. Ruta hortenſis minor, Trag. Ruta, Matth. Anguil. Lac. Caſt. Ruta ſatiua tenuifolia, Cord. in hiſt. Ruta hortenſis nobilitate præſtans, Geſ. hor. Ruta tenuifolia, Tab. Quæ verò ab alijs pro Ruta proponitur, Ruta eſt

 horten-

hortenſis latifolia. Cultura tres, imò & quatuor cubitos ſuperat, & arbuſculæ ſimilem, in Illuſtriſſ. Ducis VVirtenbergici horto Stutgardiæ vidimus. II. Ruta ſylueſtris latifolia, C.B. Ruta ſylueſtris, Math. Dodgal. Lonic. Aduerſ. Ruta ſylueſtris prima, Lac. Caſt. Ruta ſylueſtris maioribus folijs, Geſ. hor. Ruta ſylueſtris montana, Lob. Ruta montana. Tab. III. Ruta ſylueſtris tenuifolia, C. B. Cam. Lugd. Ruta ſylueſtris minoribus folijs, Geſ. hor. Ruta ſylueſtris Lob. Ruta ſylueſtris minima, Dod. fol. Ruta ſylueſtris minor, Tab. Ruta montana, Cluſ. hiſt. Hiſp. cui fortè Ruta mas Pythagoræ apud Plinium. Peganion Narbonenſium, ſiue Rutula, Aduerſarijs.

## Πήγανον ἄγριον. RVTA SYLVESTRIS. CAP. XLVI.

† Orib. addit γενόμενον. i. naſcitur.

a Cat. addit. ἱκανῶς. i. potenter.

VOcant etiamnum ſylueſtrem Rutam, quod † in Cappadocia & Galatia Aſiæ finitima moly dicitur. Frutex eſt, qui ab vna radice multos emittit cauliculos: folijs multò, quàm alterius rutæ longioribus tenerioribuſq;, odore graui, flore candido: capitulis in cacumine paulò maioribus, quàm ſatiuæ rutæ, quæ tribus maximè partibus conſtant: in quibus triangulum ſemen, ſubrufum, guſtu a amarum recluditur, cuius eſt vſus. Semen autumno matureſcit, quod cum melle, vino, croco & fœniculi ſucco, ac gallinaceo felle, teritur contra retuſam oculorum aciem. Sunt qui eam harmalam vocent, Syri beſaſan: qui Cappadociam incolunt, moly, quoniam quandam cum moly ſeruet ſimilitudinem: radice nigra, flore candido. In collibus & læto ſolo prouenit.

RVTA SYLVESTRIS HARmala.



Rutæ ſylueſtris, alterius conſideratio.

INueniuntur ex Græcis codicibus Dioſcoridis, item ex Latinis illorum fidem ad vnguem ſecutis, qui vel maximo librariorum lapſu, vel potius eorum temeritate, qui nimis ſcioli videri volunt, plura de hac altera ſylueſtri Ruta in capitis fronte ſcripta oſtendunt, quæ doctiſſimorum quorumq; conſenſu adiectitia ſunt, & hyperico legitimè debentur. Hac deprauata, imò addititia lectione decepti quidam, rerum literarumq; parum gnari, turpiter aberrarunt, certò credentes ſylueſtrem hanc Rutam ab hyperico nihil differre. Quorum error ſimul deprehenſus eſt, atq; Dioſcoridis lectio reſtituta à peritiſſimis viris, qui rei diſcrimen exactiſſimè nouerunt, & vetuſtiſſima Græca exemplaria conſuluerunt, in quibus nihil tale offenderunt: quemadmodum neq; id ſeſe offert lectitandum in Oribaſii codice manu ſcripto, herbarum deſcriptiones Dioſcoridis acceptas referente. Quo fit, vt nullus amplius ſuperſit ambigendi locus, quin ea aſcititia ſint, & ex hyperico, cuius propria ſunt, hic perperàm repetita. Sed hæc iam miſſa faciamus & conſtituamus duplicem eſſe ſylueſtris Rutæ ſpeciem: vnam domeſticæ ſimilem, de qua diximus in præcedenti capite: alteram verò, de qua nunc agimus, quam quidam Harmalam vocant. Hanc (vt ingenuè fatear) in Italia ſponte natam non vidi. Verùm eius imaginem, quam hic appingi curauimus, miſit ad me Conſtantinopoli Guilielmus Quacelbenus Cæſaris Ferdinandi Oratoris medicus. Eſt itaq; HARMALA frutex, qui ab radice plures emittit caules: folijs multò quàm alterius Rutæ longioribus tenuioribuſq;, odore graui, floribus candidis, è quibus capitula in caulium ſummitate oriuntur ſatiuæ rutæ maiora, tenuibus quibuſdam foliolis & acutis circumquaq; ſtipata, in quibus triangulum occluditur ſemen, ſubrufo colore & amaro guſtu, cuius eſt vſus. Aphri corrupta à Græcis appellatione Harmel pro Harmala dicunt. Verùm enimuero grauiſſimo errore ducuntur ſeplaſiarij, qui Luminis apothecariorum ſcripta ſecuti, huius Rutæ ſiue Harmel loco, fœtidis & aggregatiuis dictis catapotijs, alijſq; compoſitis medicamentis cicutæ ſemen admiſcent. Quod non ſolùm ſuis tum qualitatibus, tum facultatibus Harmalæ omnino repugnat, ſed etiam venenum lethale exiſtit. Errandi cauſam præbuit Quiricus Auguſtus Tortonenſis: quandoquidem is vbi in conficiendis fœtidis catapotijs, quid ſit Harmel explanare contendit, ait Syluatici Pandectarum auctoris teſtimonio, quòd quotieſcunq; reperitur Harmel cum aſpiratione, nil aliud apud Arabes deſignat, quàm ſemen cicutæ: ſine verò afflatu, Rutæ ſylueſtris ſemen. Quod euidens ac execrandum eſt mendacium: ſiquidem Harmel tam afflatum, quàm nudè ſcriptum Mauritanis perpetuò agreſtem Rutam ſignificat, vt Serapionis & Auicennæ auctoritate facilè probari poteſt ſuis in libris, in quibus ſimplicium hiſtorias, & facultates poſteritatis memoriæ prodiderunt. Nam quæ illi de Harmel ſcripſerunt, Dioſcoridi & Galeno Rutam hanc deſcribentibus prorſus adſtipulantur. Cæterùm Auicenna ipſius Harmel etiam meminit lib. quarto ſui Canonis, vbi viperarum morſus curationem tradens, ſic inquit. Ruta ſylueſtris (& non eſt albarmel, ſecundum quòd exiſtimauerunt quidam, imò eſt ſpecies rutæ ipſius) confert morſibus viperarum: hæc ille. Sed ne forte quis Auicennam non rectè intelligens, in his verbis decipiatur, vt ſuis in Parodoxis Fuchſium, in Auicennam acriter agentem, deceptum fuiſſe deprehendimus, vt qui illum, vt puto, minus intellexerit, ſciendum profectò eſt (quemadmodum etiam antea aliquoties retulimus, & nunc, quoniam ad rem faciat, idipſum repetere non alienum erit) quòd non eiuſdem vtiq; generis eſt ſylueſtris Ruta, de qua vnà cum domeſtica ſuperius tradidit Dioſcorides, & hæc, quam Græcorum quidam Harmalam, Mauritani verò Harmel ſiue Alharmel appellant. Ex hac omnibus perſpicua Rutæ ſylueſtris diſtinctione, quantum equidem reor, liquidò patebit, Auicennam haudquaquam erraſſe, vt errorem immeritò illi iniungit Fuchſius. Quippe cum inquit Auicenna, Ruta ſylueſtris (& non eſt alharmel, ſecundum quòd exiſtimauerunt quidam, imò eſt ſpecies Rutæ ipſius)

Harmalæ hiſtoria.

Seplaſiariorũ grauis error, circa Cicutã.

Fuchſii lapſus & Auicennæ defenſio.

ipſius) confert morſibus viperarum, ijs verbis declarat ſe illam hic ſyluestrem Rutam intelligere, quæ domeſticam æmulatur: non autem illam, de qua hoc loco diſſerit Dioſcorides, quamq́ſuæ Arabicæ familiæ auctores Harmel, ſiue Alharmel vocant. Eius tamen loco citato, paulò antè meminerat, ſic inquiens: Et alharmel eſt de medicinis liberantibus. Vbi per Alharmel eam ſanè Rutam ſyluestrem intelligit, de qua præſens ſermo eſt: ob cuius differentiam, poſtea alterius rutæ ſylueſtris mentionem faciens, ſubiungit illa verba, quæ iam bis citauimus. Vt hinc palàm faceret, ſe non modò de alio ſylueſtris Rutæ genere intellexiſſe, ſed etiam occurriſſe, ne quis, ſi ſine diſtinctione locutus eſſet, ſe idem fruſtrà repetijſſe calumnietur. Porrò non deſunt qui ſuſtinere contendant, Harmel eſſe Cicutam, Auerroem in medium adducentes, quem libro quinto ſuarum collectanearum ita ſcriptum reliquiſſe volunt. Harmel, id eſt Cicuta, calida eſt, & ſicca in tertio gradu, incidit craſſos humores, & prouocat vrinam & menſes, & valet dolori ſcapularum, & purgat phlegma. Hac iſti nituntur auctoritate. Quibus ita facilè reſponderi poteſt, quòd cum Cicutæ hoc loco eas Auerroes tribuat facultates, quas etiam Harmalæ, nomine tamen Moly, reddidit Galenus, manifeſtè deprehenditur Auerrois codex librariorum incuria fuiſſe deprauatus. Neque difficilis lapſus fuit, quòd ij vocum ſimilitudine decepti Cicutam pro Ruta legerint ac ſcripſerint. Adde etiam illud (hoc enim medicorum neminem latet) quòd tantum abeſt, vt Cicuta tertium caliditatis gradum obtineat, cui illam aſſignat deprauata Auerrois lectio, vt ne primum quidem attingat, cum Dioſcoridis, & Galeni teſtimonio, in quarto frigiditatis ordine collocetur: ob idq́ eam lethale venenum eſſe affirment. Quaproptér quàm peſſimè agatur ab ijs, qui Cicutæ formidandum ſemen iis compoſitis medicamentis addunt, quorum vſus eſt ad deijciendos, incidendos, extenuandosq́ lentos humores, ij dijudicent, qui veritatis ſtudio dediti huiuſmodi cauillationes, quæ ſæpe hominibus perniciem pariunt, tollerare non poſſunt. Rutæ huiuſce ſemen datur ad purgandum bilem atram magno auxilio, paraturq́ potandum hoc modo. Conijciuntur in mortarium ſeminis grana 15. prius clariſſima aqua ablutis, & deinde ligneo piſtillo teruntur, affunduntúrq́ aquæ fontanæ vnciæ quatuor, eodemq́ piſtillo aliquantiſper miſcentur: demum linteolo percolatur cremor, cui adduntur mellis optimi vnciæ tres, & olei Seſamini, aut amygdalini vnciæ duæ, & id omne propinatur Melancholicis. Facit enim copioſas vomitiones. Nec eſt hoc medicamento aliud valentius ad Comitiales. Scribunt Arabes huius rutæ ſemine inebriari homines, adeò vt ſubinde diutius dormiant. Id quod maximè confert in eo Melancholiæ genere, quod ij heros appellant. Rutam hanc ſyluestrem appellat Galenus Moly, libro 7. ſimplicium medicamentorum, vbi de ea diſſerit his verbis: Moly, hoc quidam vocant peganon agrion, hoc eſt, Rutam ſyluestrem, nonnulli harmolam; Syri beſaſan, ſicut Cappadoces moly, quia radicem habet nigram, & florem lacteum. Vis eius tenuium eſt partium, & calida tertio abſceſſu: vnde craſſos humores ſecat, ac digerit, & vrinam mouet: hæc Galenus de altero Rutæ ſylueſtris genere. Cui conſtat & primũ ſylueſtri Rutæ genus perpulchrè reſpondere. Ex quo crediderim, quòd ſine vllo errore ſeplaſiarij alteram alterius loco ſubijcere poſſint, quoties Arabum harmel in ſuis compoſitis medicamentis admiſcendum reperiunt. Eſt & alia Rutæ ſpecies, quæ recentioribus quibusdam CAPRARIA cognominatur, quibuſdam verò Galega dicitur, noſtrates eam vulgò appellant Lauaneſe. Paſſim hæc ſecus itinera in ſcrobium aggeribus, humentibusq́ locis & læto ſolo prouenit, caule ſeſquicubitali, & aliquando maiore, ramoſo, in quo folia vtrinque emergunt ab vno pediculo dena aut vndena, oblonga, ac ſubpinguia. Flores in ſummitate profert ex candido purpuraſcentes, è quibus ſiliquæ oriuntur, ſemen continentes. Vis illi maxima contra peſtilentiam, namque plurimos huiuſce plantæ vſu præſeruatos ſcimus. Quidam ad hoc quotidie crudam in acetarijs vorant, alij olerum modo coctam ex carnium iure ſumunt, nonnulli ſuccum extrahunt, & ex vino hauriunt. Quinetiam valet non ſolùm aduerſus lethalia medicamenta, verùm etiam contra ferarum omnium, quæ dentibus aut aculeo venenum emittunt, tum morſus, tum ictus: in quem vſum herbam vel eius ſuccum bibendum præbent, ac etiam emplaſtri modo vulneratis partibus imponunt. Laudant aliqui ſuccum ſeſquiunciæ pondere hauſtum pueris comitiali morbo vexatis. Epotus recentis herbæ ſuccus datur vtiliter cochlearis menſura ad necandos inteſtinorum vermes. Idem præſtat herba ipſa in patella calefacta ex oleo amygdalarum amararum, & è lini ſemine, ventri adalligata. Eiuſdem ſuccus datur in principio peſtilentiæ affectis, aut eius decoctum ex aceto factum, addita Theriaca, & Armenio bolo. Verùm à potu ſubinde ſudare affectum oportet. Idem præſtat ad peſtilentes febres, in quibus exanthemata, ſiue maculæ cutaneæ quas petechias vocant, emerſerint, & præſertim epoto herbæ decocto ex aqua vnà cum Tormentillæ radice, Cardui benedicti foliis & Armenio bolo. Quas quidem facultates illi ineſſe cenſeo, ſua ipſius ſpeciali dote. Cæterùm apertiſſimè falluntur, qui putant Rutam hanc Caprariam dictam Polemoniam eſſe, vt latius lib. 4. ſuo loco dicemus. Quæ planta πήγανον ἄγριον, καὶ ἅρμολα Græcè: Ruta ſylueſtris altera Latinè dicitur: Arabicè Harmel: Italicè Ruta ſaluatica ſeconda. At Galega ſiue Ruta Capraria, Hetruſcis Lauaneſe.

Quorundam error, & locus Auerrois reſtitutus.

Rutæ ſylueſtris alterius vires ex Gal.

Rutæ caprariæ mentio, & vires.

Nomina.

Ruta ſylueſtris magno flore, C. B. Ruta ſylueſtris Harmola, Matth. Ruta ſylueſtris altera, Caſt. Cam. Ruta harmola, Lugd. Ruta ſylueſtris, Cord in Dioſc. Anguil. Geſ. hor. Harmel, Geſ. hor. Harmel Conſtantinopolitanum, Cæſal. Harmala, Dod. fol. Cluſ. hiſt. Hiſp. Tab. cui & Moly Galeni. Harmala Syriaca, Lobelo. De Galega ſeu Ruta capraria, vide cap. 136. libri quarti.

## Μῶλυ. MOLY. CAP. XLVII.

Moly folia habet graminis, latiora, humi ſparſa: florem albæ violæ ſimilem, ſed minorem, magnitudine violæ purpureæ æmulum, lactei coloris: caulem candidum, quaternûm cubitorum: in cuius cacumine ineſt aliquid, quod allii ſpeciem referat. Radix parua, bulboſa, quæ mirum in modum valet ad vuluæ apertiones, ſi trita cum irino vnguento, in peſſo ſubiiciatur.

Moly, vt ſcriptum reliquit Theophraſtus lib. 9. cap. 15. de plantarum hiſtoria, apud Pheneum exit, atque apud Cyllenam eſſe (quemadmodum Homerus dixit) affirmant: radice rotunda, non abſimili cæpæ, folio ſcillæ. Vſum eius contra veneficia ſumma, non tamen effodi difficulter, vt ait Homerus. Moly quoque meminit Plinius lib. 25. cap. 4. ita ſcribens. Laudatiſſima herbarum eſt, Homero teſte, quam vocari à dijs putant Moly. Aſt inuentionem eius Mercurio aſſignat, contraq́ ſumma veneficia demonſtrat. Naſci eam hodie circa Pheneum, & in Cillene Arcadiæ tradunt, ſpecie illa Homerica radice rotunda nigraq́, magnitudine cæpæ, folio ſcillæ: effodi autem difficulter. Græci authores folium eius luteum pinxere, eum Homerus candidum ſcripſerit. Inueni è peritis herbarum medicis; qui & in Italia naſci eam dicerent, afferriq́ Campania mihi aliquot diebus effoſſam inter difficultates ſaxeas, radicis triginta pedes longæ, ac ne ſic quidẽ ſolidæ, ſed abruptæ: hæc Plinius. Ex cuius ſanè verbis facilè cognoſci poteſt, Moly ab eo ſecundo loco redditum, quod in Cam-

Moly hiſt. ex Theoph. & Plin.

*pania effoſſum, & ſibi allatum ſcribit, ab illo plurimùm diſsidere, quod Homerus & Dioſcorides notis non planè conſentientibus repræſentarunt. Moly cui Dioſcoridis delineatio reſpondeat, miſit ad me Patauio vir optimus, & omni humanitate præditus, Iacobus Antonius Cortuſus, cuius imaginem hic appingi curauimus. Cæterùm herbam Moly Dioſcoridi appellatam, eandem nimirum eſſe putauerim cum illa, quæ Gal. lib. 7. ſimplicium medicamentorum Myle vocatur, cum inquit: Myles radix paruo bulbo ſimilis eſt, facultatis contrahentis: nam cum farina ærina, (hoc eſt lolij) appoſita, apertam vuluam ſanare ſcribit Dioſcorides. His verbis Galenus non ſolùm quidem Mylen ſuam Dioſcoridis Moly acceptam refert, ſed etiam nos commonet mendi cuiuſdam, quod hucuſque latuit in codicibus Græcis Dioſcoridis. Quippe quòd vbi in huius capitis calce legitur μετὰ ἰρίνου μύρου, quod eſt, cum irino vnguento, Galeni teſtimonio, legendũ ſit μετὰ αἰρίνου ἀλεύρου, id eſt, cum farina loliacea. Et certè in id vitium facilè librarij quadam ſcripturarum vicinitate labi potuerunt. Sed addamus rationem, qua vulgaris lectio deprauata manifeſtè deprehendetur. Nam ſi vnguentum irinum efficaciter aperit, non video quid Moly radix cum eo præſtare poſſit πρὸς ὑςέρας ἀναςομώσεις, hoc eſt, ad vuluæ apertiones. Sic enim ex Græco rectius reddendum puto, quàm ad aperiendas vuluas, vt verterunt Marcellus & Ruellius, qui tamen ſecus facere non poterant, ſi vnguenti irini rationem habere volebant. Id μῶλυ Græci dicunt, quod Latini item Moly.*

Moly vires ex Galeno.

Dioſcoridis locus caſtigatus.

MOLY.



Nomina.

Moly ἀπὸ τῦ μωλύειν τὰς νόσυς, ab amoliendis morbis dictum. Vnius licet meminerit Dioſcorides, plures tamen poſteriores agnouere differentias, de quibus in hiſtoria. Moly minus, C. B. Moly Matth. Lon. Caſt. Lugd. Moly Dioſcorideum putatum, Lob. Moly Dioſcoridis, Cluſ. hiſt. Hiſp. Cam. Moly anguſtifolium, Dod. fol Allium vrſinum alterum, Cæſalpino.

## Πάναχες ἡράκλειον. PANACES HERACLEVM. CAP. XLVIII.

I. PANACES HERACLEVM.



PAnaces nonnullis Heracleum dicitur: ex quo opopanax colligi ſolet. Plurimum in Bœotia, & in a Phocide Arcadiæ naſcitur: ibiq; compendii, & quæſtus, qui ex eo liquore factitatur, gratia, ſtudioſè colitur. Foliis eſt aſperis, in terra iacentibus, herbacei coloris, multum ad ficulnea accedentibus, in ambitu quinquepartitò diuiſis: caule, vt ferulæ, altiſsimo, qui lanugine quadam b incaneſcit, foliis etiam minutioribus obſitus: muſcariis, ceu anethi, in cacumine: flore luteo, & ſemine odorato, feruenteq;. Radices habet multas ab origine vna, candidas, graueolentes, craſsi corticis, & ſubamari guſtus. Naſcitur in Cyrene Libyæ & Macedonia. Excipitur ſuccus inciſa radice, recenti caulium pullulatu. Ea candidum ſuccum emittit, qui ſiccatus in ſumma cute croceum colorem contrahit. Effluentem autem ſuccum excipiunt, foliis excauato ſolo ſtratis, quæ ſiccata tolluntur. Simili modo caule meſsibus inciſo, profluentem ſuccum eximunt. Meliores ex radicibus, albæ, rigentes, diſtentæq;, ſiccæ, quæ cariẽ non ſentiant, aromaticæ, feruentes guſtu. Fructus ex media ferula cibo idoneus eſt: ſed ex agnatis ſtolonibus, ab vſu cibario abhorret. Maximè in hoc ſucci genere probatur, c quàm amariſsimus, internè albus, aut ſubfuluus, foris ad croci colorem inclinans, læuis, pinguis, friabilis, tener, ſtatim in aqua eliqueſcens, graui odore. Niger improbatur, ac mollis. Adulteratur ammoniaco, aut cera. Sed ſynceri experimentum eſt, ſi digitis in aqua friatus reſoluatur, & lacteſcat. Excalfacit, mollit, extenuat: horroribus febriũ, circuitibuſq;, vulſis, ruptis, laterum dolori, torminibus, ſtillicido vrinæ conuenit. Contra veſicæ ſcabiem ex aqua mulſa, aut vino bibitur: menſes trahit, fœtum enecat. Inflationes, quæ vuluam malè habent, duritiaſq;, ex melle dilutus, diſcutit: iſchiadicis illinitur acopis

a Meum, & Cat. ἐν ψωφῖδι. i. & in Pſophide.

b Meum λεπτὸν. i. tenui. Idē legit Orib.

c Orib. πικρότερος. i. amarior.

acopis, & capitis medicaminibus admiſcetur: carbunculos rumpit. Podagricis, cum vua paſſa illitus ſubuenit: dolore dentium liberat, cauis inditus: oculorum aciem illitu excitat. Ex eo, & pice optimum fit emplaſtrum contra beſtiarum morſus, quæ in rabiem efferantur. Radix in ramenta conſciſſa, vuluæ admota, partus extrahit: ad vetera vlcera efficax eſt: nudata oſſa corpore operit, ſi trita cum melle illinatur. Semen cum abſinthio ſumptum, menſes pellit: cum ariſtolochia prodeſt aduerſus animalia, quæ venenum eiaculantur: & contra vuluæ ſtrangulatus in vino bibitur.

## Πάναξες ἀσκλήπιον. PANACES ASCLEPIVM. CAP. XLIX.

PAnaces † Aſclepij caulem à ſolo emittit tenuem, cubitalem, geniculatum: circa quem folia funduntur fœniculo ſimilia, maiora tamen & hirſutiora, † odorata: in cacumine vmbella, vbi flores emicant aurei, acris guſtus & odorati: radix a parua eſt & tenuis. Auxiliarem vim habent b flores & ſemina, contra vlcera, phagedænas & tubercula, ſi trita cum melle imponantur: aduerſus ſerpentes ex vino bibuntur, & cum oleo illinuntur. Aliqui panaces ſylueſtre origanum vocant, alij cunilam de qua in origani mentione diximus.

† Ori. Ἀσκλήπιον καὶ χειρώνειον. i. Aſclepium & Chironium.
† Or. δυσώδη..i. malè olentia.

a Meum πικρά. id eſt, amara. b Meum ἔνθετον τὸ ἄνωθεν. i. auxiliarem deſuper.

## Πάναξες χειρώνιον. PANACES CHIRONIVM. CAP. L.

PAnaces a Chironium in Pelio monte maximè prouenit, folium eius amaraco ſimile: flos aureus radix b parua, quæ non altè demittitur, guſtu acris. Pota radix ſerpentium veneno reſiſtit. Illita coma, eadem præſtat.

a Ca. λεπτὸν δὲ χειρώνιον i. exile, quod & Chironiū.
b Me. & Cat. λεπτὴν. i. tenuis.

Panacis conſideratio.

*PAnaces Heracleum in Apulia frequens naſcitur, quemadmodum in Apennini iugis, & in Argentario promontorio in noſtris maritimis Senenſibus. Habetur & in quamplurimis Italiæ viridarijs, vbi ſumma diligentia colitur ab his, qui ſimplicium medicamentorum ſtudioſi, ad ſuum alicruinq́; commodum innumera plantarum genera ſuis in hortis ac viridarijs ſerunt ac colunt. Verùm non ob id affirmauerim, eius lachrymam, quam officinæ Opopanacum vocant, excipi in Italia. Nam quæ Venetijs venalis reperitur, ex Alexandria Aegypti conuehitur. Legitima nō deſit, etſi adulteratæ frequētior ſit vſus apud eos, qui ex quauis herba manipulos colligunt. In Panacis hiſtoria apertiſſimè aberrauit Meſues: quippe qui initio capitis omnia eius genera confundat. Quod omnib. iam notius eſt, quā vt à nobis oſtendi debeat. Panaces* ASCLEPIVM

Meſue lapſus.

II. PANACES ASCLEPIVM.



* III. PANACES ASCLEpium alterum. *



*nuper vidimus, eiusq́; effigiē hic appinximus. Sed* CHIRONIVM *non prouenit, quod ſciam, in Italia. Quanquā nō deſunt, qui pro Chironio panace oſtendant plantā, quæ foliū habet oblongum, hyſſopi ferè modo, cōcomitantib. minoribus foliolis cumulatim prodeuntib. florem pentaphylli, ſed maiorem, aureo tamen colore: ſurculos mittit ab radice numeroſos, tènues lignoſosq́;: radicē item lignoſam, ruſeſcentē, guſtu adſtringentē minimè acrem. Hæc quibuſdam recentioribus herbarijs Flos ſolis appellatur. Verùm quod Dioſcorides panaci Chironio tribuerit folia amaraco ſimilia, Aſclepij vires habeat & excalfaciat, & radicē guſtu acrem, non video quomodo ingenuè poſſim eorū ſententiæ ſubſcribere.* FLOS *itaq;* SOLIS *mihi*

Floris Solis mentio.

IV. FLOS SOLIS, SEV PAnaces chironium.



* V. PANACES CHIRONium minus. *



*quidem omnino è ſymphytorum genere eſſe videtur, quum facilè vulnera glutinet & ſanguinem manantem ſiſtat. Verùm non hæc ſolùm præſtat, ſed oris & pudendorum vlcera ſanat, vbi in vino decoquatur, & eo ſubinde vlcera abluantur. Datur quoq; potandus ad cruenta ſputa, & ad dyſenteriam vnà cum radicibus contritus, quinetiam ad menſium abundantiam. In ſumma vbi agglutinare, cohibere & roborare opus ſit, ea omnia perinde præſtat, ac cætera ſymphytorum genera. Panacis genera ab inuentoribus cognominari tradunt, nempe Aſclepium ab Aeſculapio, Chironium à Chirone, & Heracleum ab Hercule: quare & Herculeum à pleriſq; eſt appellatum, cuius tantũ lachryma hoc tempore officinæ vtuntur. Semen enim ac radix, etſi in pluribus valeant affectibus, ad nos tamen, quod viderim, non adferuntur. In quorum defectu optimi chirurgi, cùm denudata oſſa carne explere volunt, radicum ſegmenta, quæ lachrymæ compacta reperiuntur, quæ illa ſint, non paruò labore ſeligunt, & ad hunc vſum in puluerem redigunt. Panacis vires deſcripſit Gal. lib. 8. ſimp. medic. his verbis: Panaces Heraclium, inquit, ex hoc fit vocatus Opopanax, radicibus eius, & caulibus exciſis. Porrò opopanax ipſe longè eſt ad plurimos vſus aptiſſimus, vtpote excalfaciens, emolliens & digerens: ponatq; ipſum quiſpiam in calfaciendo tertij ordinis, in deſiccando verò ſecundi. Cortex radicis exiccatorium ſimul, & excalfactorium eſt medicamentum: ſed minus quàm ſuccus: quin & nonnullam habet abſtergendi facultatem. Quare eo quoq; vtimur & ad oſſa denudata, & ad vlcera maligna & contumacia. Sufficienter enim talia carnem procreant, ſcilicet abſtergendo ſimul, & deſiccando, nec ita magnopere excalfaciendo: quæ omnia ad carnem generandam neceſſaria ſunt, velut in libris de curandi ratione oſtendimus. Fructus calidus & ipſe eſt, ac menſibus mouendis medicamen accommodum. Cæterùm neſcio, quo pacto nunc ferè omnes ex more non panaces, ſed panaca herbam hanc vocitent. Panaces autem Aſclepium minus eſt calidum ſupradicto panace: quamobrem eo, & floribus eius, & ſemine melli miſtis ad vlcera, phymata, & phagedænas vtuntur. Panaces verò Chironium & ipſum ſimilem prædicto facultatem poſſidet: hæc Galenus. Porrò deijcit Panacis lachryma (vt author eſt Meſues) à remotis corporis partibus, præſertimq; ab articulorum compaginibus, lentam, craſſam, contumacemq; pituitam. Cerebrum & neruos expurgat, præcipuè cum frigidis torquentur morbis.* Πανάκες ἡράκλειον *ſic Græcis, vt etiam Latinis Panaces Heracleum nominatur: Arabibus Steuſir, Ieuſir ſiue Giauſir: Italis Panace Heracleo. Huius gummi Græcis* ὀποπάναξ *dicitur: Latinis item Opopanax: Officinis Opopanacum: Italis Opopanaco: Hiſpanis Opopanaque.* Πανάκες *verò* ἀσκλήπειον *ſic Græcè vocatur, vt Latinè ſimiliter Panaces Aſclepium: Arabicè Panax Aſchilibet: Italicè Panace Aſclepio.* Πανάκες *denique* χειρώνιον *ita Græcis, Latinis pariter Panaces Chironium appellatur. Mauritanis Panax carmon: Italis Panace Chironio.*

Opopanax.

Panacis vires ex Gal.

Panacis vires ex Meſue.

Nomina.

Panax, quaſi πᾶσιν ἄκος, omnibus remedium adferens, quaſi omnia ſanans: cuius genera quatuor Theophraſto 9. hiſt. 10. Syrium, Chironium, folio ſimile Rumici: Æſculapium folio Thapſiæ. Herculanũ folio magno & amplo, vt quoquo verſus tres palmos perficiat. I. Panax Sphondilij folio quod Heracleũ, C. B. Panaces Heracleũ, Matt. Lac. Geſ. hor. Cluſ. in Corollario ad Dod. edit. Gallicã. Dod. fol. cui & Sphondyliũ alterum. Panax Heracleũ, Lob. Lug. Cam. Panax Herculeũ, Cord. in Dioſ. Geſ. hor. ap. Cæſ. Tab. qui primũ facit. Huius plantæ dẽſata lachryma ſeu liquor, Opopanax ſiue Opopanacũ dicitur, qui guttis pilo maiorib. ęqualibuſve cõglomeratur in maſſas foris croceos, vel in puniceo colore ruffas, intus cãdidas aut flaueſcẽtes. Subſtãtia eſt pingui, ſapore amaro, tenui liguſtico vehemẽtiori: odore graui: Eligendũ q; foris croceũ, intus candidũ, pingue, odoratiſſimũ, maioribus grumis cõſtans, purum. Purgantur aũt à ſurculis hoc pacto, mediocriter contritum linteo includitur, in fictili ſuſpenditur, ſuperinfunditur quantum ſatis fuerit.

fuerit vini, aceti, aut aquæ: dein paulatim ſupra fornacem cálefiat: in linteo liquatum exprimito ſicque ſurculi in linteolo remanebunt: Alia ratione etiam purgatur, cùm nodus ita ſuſpenditur, vt humorem non tangat, ſed vt feruentis tantum humoris vapor per linteum penetrans liquorem emolliat, donec exprimi queat, quod calente adhuc eo fieri neceſſe eſt. Affertur ex Africa, Aegypto & minori Aſia, monente Cordo. II. Panaces Aſclepium Matth. & Lugdunenſi, hanc enim à ſequenti differentem facimus, cùm vtramque in horto Patauino collegerimus, & inter noſtras reſeruemus. III. Libanotis ferulæ folio ſemine plano, C.B. Pãnax Aſclepium, Aduer. Lob. Cæſal. Panaces Aſclepium, Cam. in ſuo Matth. Caſt. Tab. Panaces Aſclepium vt exiſtimatur, Dod. fol. Libanotis altera ſemine lato, Camerario. IV. Panaces Chironium, Matth. Caſt. Lugd. Hyſſopus campeſtris, Trag. Hyſſopus montanus ſiue ſylueſtris, Lon. Helianthemum, Cord. in hiſt. Lob. Thal. Helianthemum vulgo dictum, Cluſ. hiſt. Hiſp. Helianthemum Plinii, Cluſ. hiſt. Pan. Helianthemum Germanicum, Tab. Flos ſolis, Dod. fol. Lob. Cam. Caſt. Gratia Dei, Geſ. hor. Chironia, Cæſal. Alii ad Panacem, alii ad Symphytum, alii ad Ciſtum, & rectius referunt. Hoc variat cultura, magnitudine, foliis item latioribus, anguſtioribus, floribus maioribus, minoribus, albis, pallidis, aureis. V. Panax Chironium minus Camer. in ſuo Matth. Ciſtus humilis ſecundus, Cluſ. hiſt. Hiſp. Lob. Helianthemum peregrinum anguſtifolium, Tabernæmontano, magnitudine ſoli & foliorum anguſtia à priori diſtat.

## LIGVSTICVM. CAP. LI.

Liguſticum, [quod alii panaceam, alii panaces vocant,] plurimum in Liguria naſcitur, [in monte Apennino Alpibus contermino: vnde nomen traxit.] Panaces incolæ non ab re appellant, quoniam & radice, & caule Heracleotico panaci ſimile ſit, & viribus eiſdem præditum. Gignitur in altiſsimis, aſperisq; montibus, ac vmbroſis, maximè a iuxta fluenta. Cauliculum fert anethi, geniculatum, tenuem, & in circuitu folia Sertulæ campanæ, molliora, odorata, prope verticem graciliora, & longè magis diuiſa: in cacumine muſcarium, in quo ſemen dependet nigrum, ſolidum, & oblongum, fœniculo proximum guſtanti acre, & aroma olens: radix candida, Heracleotici panacis ſimilis, odorata. Radicis ſeminisq; vis excalfactoria, concoquens. Prodeſt ad inteſtinos dolores, tumores, concoctiones: itẽ ad inflationes, præſertim quibus ſtomachus turgeat: & contra ſerpentium ictus: vrinas, & menſes potu trahit. Eoſdem præſtat effectus appoſita radix. Semen cum radice oxyporis, & medicamentis decoquentibus admiſcetur: b ori per quam vtile, quare pro pipere vtuntur eo indigenæ ad obſonia. Adulteratur ſemine quodam ſimili: quod facilè guſtu diſcernitur c amarũ enim eſt. Alii ſemen fœniculi, aut ſeſelis admiſcentes, liguſticum dolo vitiant.

Concluſa nõ legit Orib.

a Meum παρὰ τοῖς διώρυξι. i. circa ſcrobes.

b Cat. εὐςόμαχον. i. gratum ſtomacho.

c Orib. πικρότατον. i. amariſſimũ.

I. LIGVSTICVM.



II. LIGVSTICVM ALTERVM.



Fallontur apertè, vt mea quidem fert opinio, qui herbam vulgò hodie Leuiſticum nominatam, quam legitimum Hipposelinum cenſemus, putant eſſe Liguſticum hic à Dioſcoride repræſentatum, quod Galenus vnius literæ mutatione Libyſticum appellauit. Siquidẽ hoc caule aſſurgit tenui, & folijs Sertulæ campanæ ſimilibus. Illud verò caule profert altũ, craſſum, concauũ, & geniculatum: folia apii paluſtris æmula, maiora tamen, ac et craſſiora. Cæterùm quamuis legitim[illegible]

Liguſtici conſideratio.

at ve-

*ac verum Liguſticum in Liguria, cuius Genua Metropolis eſt, vnde etiam nomen inuenit, frequentiſſimum proueniat, ſitq; inibi adeò vulgaris notitiæ, vt eius ſemine paſſim vtantur incolæ in ciborum condimentis, non ob id tamen per cætera Italiæ loca hactenus, quod ſciam, deferri cœpit. Plantas autem has duas, quarum hic imagines appingi curauimus, miſerunt ad me amici qui rem herbariam iam profitentur. Verùm prior Liguſticum magis quàm poſtrema referre videtur: ſed velim, vt ſit quoque aliorum iudicium, quamobrem ambas excudi curaui. Liguſticum alterum, caule exit ferulaceo, alis frequentibus, è quibus rami diſparibus exeunt interuallis: folijs quinq; ex vno petiolo prodeuntibus, per ambitum ſerratis: muſcarijs fœniculi ſimilibus: ſemine quoque ſimili, ſed longiore craſſioreq;. Radice nititur vegetiore, exterius ſubnigra, acuto ſimul & ſubamaro guſtu, odoris non iniucundi. Gignitur in altis montibus, apricis tractibus.* Libyſtici vires ex Gal. *Galenus de Libyſtico diſſerens libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic breuiter inquit. Libyſtici radix, & ſemen ex genere excalfacientium ſunt, adeò vt menſes cieant, & vrinas prouocent, flatusq; diſcutiant.* Nomina. *Quod Græci λιγυστικὸν Latini ſimiliter Liguſticum, & Libyſticum dicunt: Itali Liguſtico.*

Liguſticum primo loco poſitum, Siler montanum vocamus cum Trago. Lob. Dod. fol. Liguſticum verum, Dod. gal. Geſ. hor. Taber. Liguſticum, Matth. Lac. Caſt. Lugd. Seſeli Maſsilienſe, Cord. in Dioſc. Seſeli Italicum, Caſt. Ser montanum, Cæſalp. Hoc quibuſdam videtur apud Dioſcoridem Liguſticum, aliis Seſeli Maſsilienſe, aliis eiuſdem Peloponenſe: quod ſemine variat. II. Liguſticum alterum Matth. & Caſtori. Libanotis Theophraſti maior, Lugd. Angelicæ alicuius ſylueſtris figuram proponi cenſemus: alii Libanotidem Theophraſti maiorem ſtatuunt.

## Σταφυλῖνος. PASTINACA. CAP. LII.

PAſtinaca ſylueſtris folia gingidii habet, latiora, ſubamara: caulem rectum, ſcabrum: vmbellam ſimilem anethi: in qua flores inſunt candidi, & in medio purpureum quiddam, fermè croceum, radix digiti craſsitudine, dodrantalis, odorata, quæ cocta manditur. Semen potum, vel impoſitum, menſtrua mouet. Iis conuenit in potione, quos vrinæ difficultas torquet, aut lateralis dolor excruciat, aut ſi aqua cutem ſubiit: ſerpentium morſibus, ictibusq; prodeſt, præſumentes id, nulla affici iniuria à ſerpentibus traduntur: conceptus adiuuat. Radix vrinam pellit, venerem ſtimulat, partus appoſita eiicit. Folia trita & cum melle impoſita, phagedænas vlcerum purgant. Satiua ad eadem pollet, inefficacior tamen & cibo aptior.

I. PASTINACA DOMEſtica.



II. PASTINACA SYLueſtris.



Paſtinacæ conſideratio. *VVlgares admodum ſunt in Italia tam ſatiuæ, quàm ſylueſtris Paſtinacæ radices, vt quæ paſſim quadrageſimalis ieiunii tempore non ingratè in ciborum vſum recipiantur. Cæterùm quoniam fortaſsis in Gallia non ſeruntur in hortis,* Ruell. erratũ. *Ruellius manifeſto errore putauit Carotas nobis vulgò vocatas, quas coctas, ſale, oleo, & aceto additis, hyeme vſurpamus in acetarijs, ſatiuas eſſe paſtinacas. Vt hinc maximè admirari ſubeat Ruellium, virum alioqui doctiſſimum, ſiquidem hactenus*

buſtenus neminem inueni è rei herbariæ ſcriptoribus tam Græcæ quàm Arabicæ familiæ, qui memoriæ prodiderit, Paſtinacam ſatiuam radice niti adeò rufa, vt ſanguineo ſucco madeat, qualis Carotæ dictæ ineſſe deprehenditur. Satiua in Italia frequentiſſima ſeritur ab olitoribus in hortis. Caule exit craſſo, ſtriato, folijs Elaphoboſci maioribus, pluribus vtrinq; ex vno pediculo prodeuntibus terebinthi modo, ſubaſperis, & per ambitum denticulatis, vmbellas magnas in ſummitate gerit, floribus melinis, ſemine fœniculi maiore, acuto & amariuſculo guſtu odoratuq;. Radicem habet craſſam, teneram, albam odoratamq;, non ſine adnatis. Erratica verò nonnunquam in campis ac incultis, & collibus amœnis, ſua ſponte naſcitur. Paſt. erratica. Vtraq; albicantibus conſtat radicibus, quæ in locis quam plurimis coctæ manduntur: namq; eæ in quadrageſimo præſertim ieiunio cum farina, & oleo friguntur, & ita ſæpe, vbi deſunt piſces, eorum vicem ſupplent: licet pro ieiunantium inſtituto, eſſent potius eorum cibis abdicandæ: Venerem enim non obſcure ſtimulant. Falluntur præterea, qui Dauci loco, agreſtis Paſtinacæ ſemen accipiunt, illius ſcilicet, in cuius florentis vmbellæ medio exiguum quid purpurei emicat, cuius ſemen piloſum, acre & odoratum. Quorundam error. Aliud enim eſt à Paſtinaca erratica Daucus, vt paulò inferius ſuo loco dicetur, vbi eius tres ſpecies à Dioſcoride redduntur. Nam quamuis tam ex illius, quam Galeni ſententia libris tum de ſimplicium medicamentorum, tum de alimentorum facultatibus, Daucus à ſylueſtri Paſtinaca parum, vel potius nihil viribus differat, ob idq; alterum alterius vice in medicinæ vſu capi poſſit, non tamen rectè dici poteſt, Daucum erraticam eſſe Paſtinacam. Atqui cum paſtinaca Carotam, ita vulgò appellatam, in mentem mihi redegerit, prætermittere ſanè non potui, quin de eius hiſtoria, & facultatibus verba facerem. Carotæ hiſt. Quam ob rem dicimus CAROTÆ duas paſſim haberi ſpecies. Alteram quidem cui radices inſunt ſanguinis modo purpureæ ac cruentæ, craſſitudine hortenſis paſtinacæ, alteram verò quæ ſuas profert ſubflauo colore, alba, napi ferè ſimilis, ſapore ſubdulci, odore non inſuaui. Vtraq; autem folia, caules, vmbellas, flores & ſemen profert ſylueſtris paſtinacæ per omnia ſimilia. Seruntur ab olitoribus paſſim in hortis in ciborum vſum. Purpureæ radices prius elixæ, in ciborum vſum veniunt in acetarijs tãtum. At quidem ſubflauæ ex iure pinguium carnium rapi modo elixæ. Matricem intus non habent, ſed in vniuerſum carnoſæ ſunt, perinde ac rapum & napus. Vtriuſq; radices in cibis placent, quòd cum ſubdulci ſapore nonnihil amariuſculi habeant ita ſuauiter contemperatum, vt non paruam cum palato ineant gratiam. Cæterum (quantum mea fert opinio) carotæ in paſtinacæ genere recenſeri poſſunt, quamuis cum nulla ſint acredine præditæ, nõ ita valenter aperiunt, nec adeò ſunt odoratæ. Ob id eas in principio ſecundi ordinis excalfacere crediderim: at in ſiccitate & humiditate à ſymmetria minimè recedere. Minus nutriunt, quàm rapum, nec ita facilè concoquuntur, cum ſint ſubſtantia duriore. Quo fit, vt mirum non ſit, ſi gignant & ipſæ flatus in ventriculo, & in inteſtinis, & mali ſint ſucci, quanquàm non vt probati ſucci cibus, ſed potius vt medicamentũ vrinam ducant. Porrò volunt nonnulli recentiores materiæ medicæ profeſſores, vt aliquid fortaſſe noui in mediũ attuliſſe videantur, purpuream Carotam legitimum Mauritanorum eſſe Behen rubrum, & albam ſeu ſubflauam, album. Carota purpurea, Behen rubrum quibuſdam. Verùm dum Serapionis, Auicennæq; verba de Behen differentium diligenter mihi examinanda propono, nõ poſſum vllo pacto in eorũ concedere ſententiam. Namq; ſcribit Serapio, Behen radices proferre minoris paſtinacæ ſimiles, Serapio de Behen. contortas, odoratas, & manſu lentas, & in Armenia naſci. Et Auicenna lib. 2 radicum lignoſa fruſta Behen eſſe ait, in ſe contracta, & ſiccitate exoleta, quibus vis inſit excalfaciendi & ſiccandi ordine ſecundo: Et libro de viribus cordis: Behen (inquit) radices ſunt habentes rugas, & lineationes cum lubricitate, tenuitate & apertione. Cæterùm ego quidem in primis non video Carotas noſtrates radices eſſe tenues, perinde ac ſylueſtris, vel minoris paſtinacæ: nec manſu lentas, nec cõtortas, nec inſigniter odoratas. Quin etiam nec ex Armenia ad nos comportari, ſed paſſim noſtris in hortis ſeri ac venales haberi. Deinde eorum ſententiæ apertiſſimè refragatur Auicenna, quippe quòd carotæ radix nec rugoſa, nec ſtriata, nec contracta, nec lignoſa, nec adſtringens habeatur. Quanquã enim radix hæc longo ſiccatur tempore, non inſignem duritiẽ contrahit: præterea cum parum alimenti præbeant carotæ radices, non video quomodo homines ipſis veſcentes, pingues reddere poſſint, & in ijs, per conſequens ſemen gignere copioſum, vt de Behen ſcribunt Mauritani. Hæc itaq; cum eorũ opinioni repugnent, non permittam eorum Carotas meo plantari in viridario, præſertimq; cum Behen albi radicem ad manus habeam, Conſtantinopoli à Guilielmo Quaccelbeno eruditiſſimo Medico mihi miſſam, quæ notis omnibus cum Arabum deſcriptionibus conuenit. Paſtinacæ meminit Galen. lib. 8. ſimp. med. ſic inquiens: Paſtinaca ſatiua imbecillior: Agreſtis ad omnia potentior eſt. Paſtinacæ vires ex Gal. Vrinas mouet, & menſes prouocat cum herba quidem tota, tum maximè ſemen ac radix. Habet porrò etiam abſterſorium in ſe quippiam, quamobrẽ vlcera phagedænica quidam folijs eius viridibus cum melle, quò pura reddant, illinunt. Nomina. Planta quæ Græcè σταφυλῖνος, Latinè pariter & Italicè Paſtinaca domeſtica vocatur: Arabicè Iezar, Gezar ſeu Giezar: Germanicè Paſtenen vnd Paſtinachen: Hiſpanicè Canaoria blanqua: Gallicè Paſtenades: Bohemicè Paſſtnark: & ita quoq; Polonicè. Paſtinaca ſylueſtris Græcis σταφυλῖνος ἄγριος: Ital. Paſtinaca ſaluatica. Carota Ital. Carota & Carotola.



III. CAROTA.

Paſtinaca à paſcendo dicta, duplex eſt, latifolia & tenuifolia, vtraq; & ſatiua & ſylueſtris. I: Paſtinaca ſatiua latifolia, C.B. Dodo. fol. Paſtinaca ſatiua, Trag. Lacu. quoad iconem. Cam. Paſtinaca ſatiua vulgi, Lugd. Paſtinaca domeſtica, Matth. Caſt. Paſtinaca domeſtica vulgi, Lobel. Paſtinaca vulgi, Dodo. gal. Geſ. hor. Cæſ. Siſarum ſatiuum magnum, Fuchſ. Siſer Dioſcoridis, Columnæ. Elaphoboſcum ſatiuum, Tab. Hanc alij ad Dioſc. Siſer, alij ad Paſtinacam, alij ad Elaphoboſcum eiuſdem, & Daucum Theophraſti refe-

refe runt. II. Paſtinaca tenuifolia ſylueſtris, C.B. & Dod. fol. Paſtinaca ſylueſtris, Matth. Lac. Lon. Caſt. Paſti naca erratica, Fuchſ. Cord. in Dioſc. Tab. Germanica ſylueſtris Paſtinaca Dioſcoridis, Lob. in icon. Paſti naca quarta Plinij, Cam. Staphylinus ſylueſtris, Trag. Dod. gal. Cæſal. Dauci tertium genus, Dodo. gal. Daucus officinarum. III. Paſtinaca tenuifolia ſatiua, radice atrorubente, C. B. Staphylinus tertius, Trag. Staphylinus niger, Dodo. gal. Paſtinaca ſatiua altera, Fuchſ. Paſtinaca ſatiua atrorubens, Lob. cui & Daucus niger Theophraſti, Paſtinaca ſatiua rubens, Dod. fol. Tab. Paſtinaca radicib. purpureis, Geſ. hor. Carota, Matth. Cæſal. Caſt. Cam. Carota Matthioli altera, Lugd. Ben rubrum, Anguillaræ.

I. SESELI MASSILIENSE.



## Σέσελι. SESELI. CAP. LIII.

SEſeli Maſſilienſe folia fœniculi habet, craſſiora: caulem vegetiorem: vmbellam anethi, in qua ſemen oblongum, angulofum, deguſtanti † ſtatim acre: radix longa eſt, iucundi odoris. Semen & radix excalfaciendi vim habent. Potu ſtranguriæ & orthopnœæ medentur: ſuffocationibus mulierum, comitialibuſque proſunt: menſes & partus trahunt: ad omnia interna mala pollent: tuſſim veterem ſanant. Semen cum vino potum, concoquit, & tormina diſcutit: epialis febribus vtile: contra perfrictiones in itineribus, cum pipere & vino bibitur. Capris, cæteriſq; pecudibus datur in potu, quó facilius ſuos fœtus enitantur. Æthiopicum ſeſeli, folia habet hederæ, minora & ad periclymeni modum oblonga: frutex [a] nigricat, palmitibus in bina cubita extenſis: ramis [b] ſeſquipedalibus: capitulo anethi: ſemine in tritici morem denſo, nigro, amaro, Maſſilienſi odoratiore & acriore, multum ſuaui. Peloponnenſe folia habet cicutæ latiora & craſſiora: caulem ſupra Maſſilienſis magnitudinem, ferulaceum: & latam in cacumine vmbellam, in qua ſemen latius, odoratum & carnoſius pendet. Eiſdem viribus præditum eſt. Naſcitur in aſperis, riguis & collibus: [c] inuenitur etiamnum in inſulis.

† Statim non legit Cat.

a Meū & Cat. θάμνος δὲ μέγας. i. frutex verò magnus eſt.
b Meum σπιθαμιαῖοι. i. ſpithamæ longitudine.
c Me. φύεται καὶ ἐν τῇ ἴδῃ. i. naſcitur in Ida.

* II. SESELI MASSILIENSE nonnullorum. *



III. SESELI AETHIOPICVM.



SESELI AETHIOPICVM alterum.



V. SESELI PELOPONneſe.



Τορδύλιον. CRETICVM SESELI. CAP. LIIII.

TOrdylium, quod aliqui Creticum Seſeli vocant, iuxta Ciliciam in Amano monte naſcitur, herbula ſurculoſa: ſemine duplici, rotundo, ſcutulorum effigie, odorato, ſubacri. Contra vrinæ difficultatem

* VI. SESELI CRETICVM maius. *



* VII. SESELI CRETIcum minus. *





bibitur

bibitur:potu cit menſes. Succo ſeminis, cauliſq; virentis, ternis obolis ex paſſo decem diebus hauſto, renes ſanantur. Efficax eſt radix ad ciendas pectoris excreationes, in delinctum cum melle.

Seſelis conſi. *SEſeli Arabibus Siſaleos dicitur. Officinæ verò id Siler montanum appellant. Legitimum Seſeli Maßilienſe in omnibus ferè Tridentinis montibus legitur. Sed maximè animaduertendum eſt, quod quanquam in quibuſdam Italiæ pharmacopolijs verum ſit reperire Seſeli: in quam plurimis tamen quoddam ſemen Seſelis vicem explens venditur, quod nulli prorſus Seſeli a Dioſcoride deſcripto reſpondet: quippe quod amaritudine tantùm ſit præditũ, & olfactui cimicũ fætorem repræ-* Seſel. Aethio. *ſentet. Porrò Seſeli Aethiopici duas hic imagines damus: vtraq; enim verũ repræſentare videtur, quemadmodũ & Peloponnenſe legitimũ refert. Cæterùm aliquando credidimus, Tordyliũ ſiue Creticum Seſeli in quodã noſtro hortulo natũ eſſe, quod eius ſemen (ita.n. aiebant) e Patauino ſimpliciũ viridario allatum, terræ cõmiſiſſem. Verùm cùm poſtea accuratius eius ſpeciem contẽplatus eſſem, itemq; ſaporem examinaſſem, id à legitimo longè admodũ diſsidere cognoui. Seſelis monſtratio prima aßignatur ceruis fœminis. Siquidem tradit Ariſtot. lib. 8. ca. 5. de hiſt. animal. ceruas ſtatim a partu Seſelim herbã pete-* Seſelis vires ex Galeno. *re, & cum eam ederint, ad prolẽ redire. Seſeli omne genus in vniuerſum memoriæ prodidit Galen. lib. 8. ſimp. med. vbi ita ſcribit: Seſeli & radix, atq; ẽt ſemen vſq; adeò excalfacit, vt admodum vrinam mouere queat. Sed & medicamentum eſt te-* Nomina. *nuiũ partium, vt & comitiali morbo, & orthopnϾ competat. Quæ herba Græcis σέσελι, Latinis vt etiã Italis Seſeli nuncupatur: Arabib. Siſalios: Bar. Siſileos: Officinis Siler montanum: Germ.* Steinbrech: *Gallis Ser montain: Polon. Oleſſnek.*

Seſeli plures differentias habet, hoc tamen loco ſeptem figuras adpoſuimus. I. Seſeli Maſſilienſe ferulæ facie, C.B. & Lob. in obſ. Seſeli Maſſilienſe, Matt. Lac. Geſ. hor. Lon. Caſt. Lug. Seſeli Maſſilioticum, Tab. Seſeli Maſſilienſe nuperorum, Lob. in iconibus. Sunt qui velint Matth. figurã Siler montanũ officinarum exprimere, quibus non aſſentimur. II. Adiecit Camerarius ſuo Matthiolo alterũ Seſeli Maſſilienſe nõnullorum nomine, plantã ſanè ſubcandidam, ramoſam, palmarem, aliquando ſeſquipalmarem, quæ ex radice alba, fœniculi effigie, longiſſ. digitali etiam craſſitie, nonnunquã ſatis aromatica, altè humi depacta, caulem emittit ferulaceum ſtriatum, qui mox in alios reflexos & rigidos brachiatur. Foliis eſt paucis, cinereis, firmis, exilibus, minutim inciſis. Vmbellas habet copioſas, albas, rarius ſubpurpuraſcẽtes, cuius flores ſinguli quinis foliolis componũtur: ſuccedit his ſemen oblongũ, apii forma, acre, calidum. Hoc in agro Narbonenſi, & in aſperis agri Monſpelienſis legimus. Maſſilia quoq; accepimus, vbi in vſum Seſelios in Theriaces confectione ceſſit, ſunt qui propè colles oppidi Montisfiaſcon inter Senam & Romã obſeruarint. Dicitur Seſeli Maſſilienſe folio fœniculi craſſiore, Aduerſ. Lob. Seſeli Maſſilienſe fortè, Clu. hiſt. Hiſp. Seſeli Maſſilienſe, Dod. fol. Lug. Cæſ. Fœniculũ tortuoſum, Lug. ita.n. à Gallis herbariis vocatur. III. Libanotis latifolia altera, C.B. Seſeli Æthiopicũ, Matt. Fuch. Geſ. hor. Lac. Lon. Cluſ. Pan. Lug. Cam. Seſeli primum, Trag. Seſeli Æthiopicũ herba, Dod. fol. Dauci alterũ genus Fuch. in fol. & Lug. Libanotis Theophraſti, Dod. gal. Lob. Thal. Libanotis alba Dod. Geſ. hor. Libanotis tertia Dodo. Lugd. Libanotis Theoph. alba ſecunda, Tab. Huius habetur & altera ſpecies in Baldo latiorib. nigrioribus magiſq; inciſis foliis. IV. Seſeli Æthiopicũ alterum, Matt. Geſ. hor. Dod. in iconibus. Seſeli Æthiopicum, Lob. Caſt. Tab. Seſeli Æthiopicũ verum, Lug. Cam. Herba quæ pro Seſeli Æthiopico oſtenditur, Cæſ. V. Cicutaria latifolia, C.B. & Lob. Cicutaria, Caſt. Cicutaria altera latifolia fœtidiſſima, Lug. Cicutaria fœtida, Taber. Seſeli Pelopõnenſe, Matt. Geſ. hor. Lac. Lug. Lon. Caſt. VI. Cum cõmentator Tordylii meminerit, deſcriptionẽ cum Icone adiicere placuit. Hoc ex radice fibroſa, caules emittit cubitales & altiores, hirſutos, rigidos, aſperos, qui in alios brachiãtur: foliis ad paſtinacã accedentibus, acuminatis, ſerratis, ad pediculu reflexis, hirſutis, aſperis, quæ in cacumine tenuius diuiduntur: vmbellas fert candidas, ſubpurpureas, quib. ſuccedunt ſemina copioſa, compreſſa, rotunda circulo candido, aut denticulato inſtar clypeoli, ornata, ac geminis valuulis vt Ferulæ conflata. Hoc in Euganeis montibus propè Patauium, in ruderibus & ſepibus Romanis, in pratis Latrenſibus Monſpelienſis agri reperitur. Vocamus Seſeli Creticum maius, cum Lobelo in iconibus & Camerario: Tordylium ſiue Seſeli Creticum maius, Lob. Lugd. Seſeli Creticũ ſecundum, Tab. Pimpinellæ Romanæ alterum genus, Cæſ. VII. Ex radice tenui & inutili, caules cubito breuiores, tenues, hirſuti prodeunt: foliis Cerefolii in pediculo paucis, rotundis, ambitu crenatis, candicantibus, hirſutis: flores & ſemina, quæ odorata ac nonnihil acria, Myrrhidis guſtu, ſuperiori ſimilia, odoris infirmi, ſaporis non ingrati: quare ipſius inter olera apud Romanos vſus, in quorum ſuburbiis copioſe naſcitur, vt & inter ſegetes & ſecus vias, paſſim in Gallia Narbonenſi. Dicitur nobis cum Camerario, Seſeli Creticum minus: Tordylium, Dod. gal. Geſ. hor. Lob. obſ. Lug. Seſeli Creticum, Lacu. Lob. icon. Dod. fol. Caſt. Taber. Seſeli Cretici ſpecies Elaphoboſco ſimilis, Anguill. cui & Ordilion Nicandri. Pimpinella Romana vulgo, Cæſalp. Caucalis Bellonii in iconibus, cui & Caſcaliſtra Turcarum, & Geſnero de hortis Germaniæ.

* SISON. *



Sison amomum
Steinb.

## Σίσων. SISON. CAP. LV.

SIſon exiguum ſemen eſt, in Syria natum, apio ſimile, oblõgum, nigrũ, feruentis naturæ. Contra lienis vitia

vitia bibitur: vrinæ difficultatem potu emendat, remoratos menſes citat. Eo in condimentis, cum cucurbita, & aceto indigenæ vtuntur. In cacumine granula multa gerit.

*Siſon, vt hic Dioſcorides teſtatum reliquit, ſemen eſt in Syria proueniens, nobiſq́; incognitum: quandoquidem plantam qua illud profert, apud vllum authorem ſuis notis deſcriptam non inuenio: nec ſemen ipſum, quod equidem ſciam, ad nos è Syria defertur. Quapropter illius patriæ gentibus relinquendam duximus, vbi eius notitia, & ſeminis vſus. Nam præterquam quòd difficile ſit, etiam periculoſum iudico, de rebus peregrinis, quarum delineationes latent, aliquam proferre ſententiam. Id σίσων Græcè dicitur, quod Latinè quoq; Siſon.* Siſon ſemen incognitum.

ANISVM.



Siſon à Dioſcoride propoſitum hac figura exhiberi credimus, cum notæ propoſitæ correſpondeat, cuius ſeminis in Officinis noſtris pro Amomo vſus eſt: quare dicitur Amomum Germanicum, Trago, Petroſelinum Macedonicum, Fuch. Lon. Dod. gal. & fol. Ammi paruum, Geſ. hor. Siſon. Lug. Cam. Tab.

## Ἄνισον. ANISVM. CAP. LVI.

ANiſum in ſumma excalfacit, exiccat. a oris halitum iucundiorem facit, doloris leuamentũ præſtat. Vrinam ciet, diſcutiendi vim habet, hydropicis potũ ſitim extinguit. Animalium venenis aduerſatur: valet ad inflationes: aluum, & alba fœminarum profluuia ſiſtit: lac ad mãmas elicit: venerẽ ſtimulat: dolores capitis leuat, ſuffitũ naribus: cũ roſaceo tritũ, inſtillatumq; fractis aurib. medetur. Melius ſemper recens, plenum, nõ furfuroſum, odore præſtans. Inter prima laudatum eſt Creticum, proximo loco Ægyptium.

a Meum εὔπνυς. i. facilem ſpirationem reddens.

*ANiſum vulgaris omnibus ferè notitiæ planta eſt, ſeritur enim in campis, hortis & viridarijs, folijs ferè Apij, minus tamen diuiſis, præter ea quæ in caulium ſummitatibus habentur. Caulem edit rotundum, cubitalem, multis brachiatum ramis: vmbellam candidam, mellis odore: ſemen oblongum, iucundi odoris, ſapore ſanè miſto ex dulci acriq́;, ac etiam amariuſculo, ad multa vtile. Siquidem, aperit, concoquit, digerit, incidit, prouocat, & flatus pellit. Oris anhelitũ commendat. Inſpergitur panibus odoris ſaporiſq́; gratia. Datur toſtum cum mentha ad cœliacos affectus. Singultum ſedat tam hauſtum, quàm olfactum. Somnum cõciliat, & calculos pellit. Cæterùm vt noſtrũ ſequamur inſtitutum, nõ ſunt à nobis ſilentio prætereunda, quæ de eius viribus ſcriptis tradidit Gal. lib. 6. ſimp. medic. vbi ſic inquit: Aniſi ſemen maximè vtile eſt, acre, ſubamarum, vt propè ad vrentium accedat caliditatem. Eſt autem & in ſiccando tertij ordinis, ſicut & in calfaciendo. Proinde & vrinam ciet & digerit, atq; etiam ventris inflationes ſedat. Planta, quæ Græcis ἄνισον Latinis item Aniſum appellatur: Mauritanis Aneiſum ſeu Anexiſſum: Italis Aniſo: Germanis* Aniß vnd Eniß: *Hiſpanis Matahalua & Yerua dulce: Gallis Anis.*

Aniſi conſideratio, & vires ex Gal.

Nomina.

Aniſum quod aliis Anicetum, id eſt omnibus aliis medicamentis præcellens, ab herbariis cõmuni cõſenſu Aniſum dicitur, ſolo Euſtachio Rœſelin Abſinthium dulce nominatur.

CARVM.



## Κάρος. CARVM. CAP. LVII.

CArum, ſemen eſt vulgaris notitiæ. Excalfacit: vrinam concitat, ſtomacho vtilis, os commendat, concoctionem adiuuat. Vtiliter miſcetur antidotis & oxyporis: aniſi vicem præbet. Radix cocta, paſtinacæ modo, manditur.

*CArum officinis vulgò Carui dicitur, ſemen omnibus notiſſimum. Planta naſcitur in pratis & collibus, præſer-* Cari conſid.

tum in montibus & conuallibus, Paſtinacæ ſylueſtris non abſimilis, caulibus ab vna radice pluribus, quadrangulis, cubitalibus: vmbella floribus candidis referta, ſemine aniſo longiore, anguloſo, ſubnigricante. Radice longa, ſapore amariuſculo ſimul & acri. Semen præcipuum habet in medicina vſum. Id enim aperit, incidit, digerit, concoquit, prouocat & diſſoluit. Auxiliatur frigidis vteri affectibus, confert ad omnes frigidos capitis morbos, viſum acuit. Herba pro olere comeditur. Eſtur radix cocta perinde ac Paſtinaca. Seminis farina admiſcetur cataplaſmatis, quæ ad ſugillata parantur, magno iuuamento. Integrum ſemen paſſim Germani pani ſuo ſubigunt, ciborumq; condimentis indunt, quemadmodum nos aniſum & fœniculum. Sed maximè, meo quidem iudicio, redarguendi ſunt Monachi illi, qui in Meſuem commentarios ediderunt: quippe qui non ſine magno, & aperto errore crediderint, Carũ ſemen eſſe rubentis illius radicis, quæ vulgò Carota vocatur. Quandoquidem Carotarum ſemini nulla Cari qualitas ineſt: id enim adeò acre non eſt, vt tertio calfacientiũ ac exiccãtium ordini adſcribi poſſit. Quod tamen de Caro teſtatur Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic ſcribens: Cari ſemen calfacit, & exiccat tertio quodammodo ordine, moderatè acrem qualitatem poſſidens. Itaq; & flatus extinguit, & vrinas ciet, non ſemen tantùm, ſed & planta. Cuius nomen Græcum eſt κάρος: Latinum Carum: Arabicum Caruia, Karauia ſeu Karui: Italicum Caro & Caruo: Germanicum Matkümich vnd Kimm: Hiſpanicum Alcarauea: Gallicum Carui.

Monachorũ error Carui ſemen Carotaru ſtatuẽt.

Cari vires ex Galeno.

Nomina.

Cuminum pratenſe ſeu Carum, á Caria regione in qua laudatiſſimum naſcitur, κάρειον Aëtio: καρόβαδιον, Simeoni Sethi libello de Alimentis. Caros, Brunf. Trag. Dod. gal. Carus, Geſ. hor. Carum, Lacu. Cord. in Dioſc. & hiſt. Dod. fol. Lob. Caſt. Lug. Tab. Cam. Careum Fuch. qui ſecutus eſt Plinium. Carui, Lon. Cæſ. Thal. Huius inter Staphilinos Athæneus meminiſſe videtur: hoc cultura vegetius & foliis & ſemine redditur.

## Ἄνηθον. ANETHVM. CAP. LVIII.

ARidi Anethi comæ, ſeminiſq; decoctum, potu lac euocat: inflationes & tormina ſedat: aluum, vomitionesq; ſiſtit: vrinas ciet, ſingultus lenit: oculorum aciem hebetat, genituram reſtinguit, aſſiduè potum. Decoctum eius fœminis vuluæ malo opportunis, ad deſeſſiones vtile. Condylomata illitus ſeminis cremati cinis tollit.

Anethi conſideratio.

ANETHVM.



ANethum hortis omnibus frequentiſſimum, omni adeò ex parte fœniculum æmulatur, vt ſæpius colligentes fallat, niſi guſtum conſulant: conſurgit enim caulibus ſeſquicubitalibus ramoſis, foliis capillorum ſpeciẽ referentibus, floribus luteis, ſemine, & vmbella fœniculi, radice neq; adeò longa, neq; multis ſubnixa fibris: ſeritur in hortis in condimentorum & in medicum quoq; vſum. Cæterùm Anethum, vt author eſt Galenus lib. 6. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, adeò excalfacit, vt habendum ſit aut ſecundi ordinis intenſi, aut tertij remiſſi. Exiccantium verò ordinis eſt ſecundi incipientis, aut primi finientis. Itaq; meritò in oleo decoctum digerit, dolorem ſedat, ſomnum conciliat, & crudos, & incoctos humores concoquit. Fit enim ex eo oleum, cuius propinqua ſit temperies prouentibus, & concoquentibus vocatis medicamentis: niſi quatenus paulò illis tum calidius, tum tenuiorum partium eſt, ac proinde digerendi facultate præditum. Vſtum autem tertij ordinis tum excalfacientium, tum deſiccantium fit: & propterea vlcerib. nimis humidis, mollibusq; prodeſt, potiſſimũ iis, quæ in pudendis conſiſtunt. At quæ in præputio ſunt inueterata, ea probè cicatrice includit. Cæterùm viride humidius eſt, & minus calidum: itaq; magis quàm ſiccum concoquit, & ſomnum conciliat, ſed minus digerit. Idcirco mihi videntur veteres in conuiuiis vſi eſſe coronis ex eo concinnatis. Planta, quæ Græcis ἄνηθον, Latinis item Anethum appellatur: Mauritanis Xebet, Iebet ſiue Sebet: Italis Anetho: Germanis Dyllen vnd Hochkraut: Hiſpanis Eneldo: Gallis Anet.

Anethi vires ex Galeno.

Nomina.

Anethum παρὰ τὸ ἄνευ θεῖν, quod citó creſcat, dicitur, quo nomine omnes herbarii donarunt, cuius ſylueſtre quoddam genus, quod grandius ſatiuo, foliis fœniculi, odore Anethi, vmbellis amplioribus, flore luteo, ſemine exiguo, fermè vt Ammios ſubacri, radice parua & lignoſa, in Sicilia proueniens, nobis adhuc ignotum, Cæſalpinus refert.

## Κύμινον ἥμερον. CVMINVM SATIVVM. CAP. LIX.

CVminum ſatiuum † ori gratum eſt, ſed multò magis Æthiopicum, quod Hippocrates regium appellauit. Secundum locum tenet Ægyptium, reliqua ſequuntur. Prouenit in Galatia, in Aſia, Cilicia & Terentia, & pleriſq; aliis tractibus. Excalfacit, adſtringit, exiccat: ad tormina, inflationesq; conuenit, coctum, & cum oleo inditum, aut a cum hordeacea farina illitum: orthopnoicis datur in poſca: demorſis a ſerpente, in vino: teſtium collectionibus auxiliatur, impoſitum cum vua paſſa, aut lolii farina, ceratove: menſium abundantiam inhibet. Contritum autem in aceto, & naribus obiectum, ſanguinis profluuia ſiſtit. Colorem bibentium, aut perunctorum mutat in pallorem.

† Ori. εὐςόμαχον. i. ſtomacho vtile.

a Meũ σὼ ὠμηλύσει. i. cum cruda hordeacea farina.

Κύμινον

Κύμινον ἄγριον.

## CVMINVM SYLVESTRE. CAP. LX.

SYlueſtre Cuminum, plurimum, efficaciusq; in Lycia & Galatia Aſiæ, atq; Carthagine Hiſpaniæ gignitur: frutice paruo, dodrantali caule ac tenui: quaternis aut quinis foliis, tenuibus, veluti ſerratis, & gingidii diuiſura. In cacumine capitula quina, aut ſena habet, mollia, rotunda: in quibus eſt ſemen aceroſum guſtu ſatiuo acriore: naſcitur in collibus. Bibitur ſemen ex aqua, aduerſus tormina, inflationesq;: item contra venenatas beſtias ex vino. Singultus ex aceto ſedat: ſtomacho vtile, quem humor vexat. Sugillata tollit, ſi manducatum cum melle, & vua paſſa illinatur: teſtium inflammationibus, adiectis eiſdem, illitum medetur. Eſt & aliud ſylueſtris Cumini genus, ſatiuo non diſſimile, quod à ſingulis floribus elata promit cornicula, in quibus ſemen eſt melanthio ſimile. Quod potum omnium ſerpentium morſibus præſidio eſt. Calculoſis & iis, qui vrinæ ſtillicidio vexantur, aut concretum ſanguinem cum lotio reddunt, auxiliatur: ſed apii ſemen feruefactum poſtea bibendum eſt.

I. CONSOLIDA REGALIS.



III. CVMINVM SATIVVM.



*SAtiuum Cuminum omnibus notum eſt. Quamobrem longiori ſermone eius hiſtoriam proſequi non operæ pretium duximus.* SYLVESTRE *verò quod tam primo, quàm ſecundo generi à Dioſcoride aſsignatur, etſi antehac me illud nuſquam vidiſſe ſcripſerim, factum eſt tamen, opera & liberalitate Iacobi Antonij Cortuſi, rei herbariæ indagatoris acerrimi, vt in noſtro hoc hortulo id nunc primum vireſcat & floreat, in ſtudioſorum omnium vſum, quorum iuuandorum gratia hos labores inſumpſimus. Nibil enim in hac planta deſiderari poteſt, quod Dioſcoridis deſcriptioni non reſpondeat. Quo fit, vt etiam fateri poſsim, me vtrunq; cognoſcere, cum vtriuſq; planta legitimum notis omnibus referat. * Quod verò ſecundo adſcribitur generi, ſi in Italia gignitur, id equidem cum Ruellio & Geſnero, viris doctiſsimis, eam plantam eſſe putauerim, quam Germani vulgò* Ritterſporen, *hoc eſt, Equitis calcar, & Conſolidam regalem vocant. * Itaq; affirmabo poſthac nunquam Conſolidam Regalem vulgò vocatam, Cuminum eſſe ſylueſtre alterum, vt mihi antea perſuadebam.*

Cumini conſideratio.

*Cæterùm cùm de hac planta hic mentio facta ſit, mihi quidem haud prætermittendum putaui, quin hoc in loco eius hiſtoriam, & vires deſcriberem. Oritur ergo illa in agris inter ſegetes. Caulem profert ſimplicem, ramulis multis, tenuibus, longis, diuiſis, ſylueſtris nigellæ modo. Flores edit purpureos, nigræ violæ æmulos, ex quorũ altera parte prodeunt cornicula ſurſum ſpectantia, quæ veterum calcaris formam exprimere videntur: vnde & illi nomen à Germanis inditum. Semen fert melanthio ſimile, in paruis corniculis ſiliquiſve concluſum. Vt ex hac deſcriptione exiſtimem, vix aliam reperiri poſſe plantam, quæ magis, quàm hac, poſtremum Cumini genus referat.*

Conſolidæ Regalis mentio.

*Cæterùm Monachi illi reuerendi, qui in Meſuem ſcripſere, flaui coloris Melanthium, quod officinæ Nigellam citrinam vocant, primum ſylueſtris Cumini genus eſſe contendunt. Sed ij, mea quidem ſententia, in magno & aperto errore verſantur. Nam, vt vnuſquiſq; ſana mentis per ſe cognoſcere poteſt, Nigella citrina ſic ſeplaſiarijs vocata, nil aliud vnquam fuerit, quam flaui coloris Melanthium: cùm omnibus palàm ſit, non in alio Nigellam hanc, & Melanthium inter ſe ſpecie differre, quam in ſeminis colore: cætera namq; in forma, magnitudine, ſapore, ac omni deniq; facultate illis maximè conſentiunt. Sed quid multa? nonne hoc idem in papauerum ſemine quotidie comperimus? in quibus tamen varius ſeminis color non prohibet, quin omnia ſint papauera. Id quod etiam perſpicuum eſt in hyoſcyamo, lactuca, & alijs pluribus plantis: quarum ſemina etſi alba & nigra inueniantur, non tamen aliud ab illis plantæ genus conſtituunt. Hinc fit, vt in huiuſce ſylueſtris Cumini hiſtoria patres illi, & qui eos ſequuntur, planè hallucinari deprehendantur. Quippe primi generis ſylueſtris Cumini ſemen in capitulis mollibus, ac rotundis acero-*

Monachorũ error, Melanthium flauũ Cuminũ ſyl. ſtatuentium.

IV. CVMINVM SYLVEſtre. I.



V. CVMINVM SYLVEſtre. II.



*ſum gignitur, fortaſſe (vt opinor) vulgaris pimpinellæ modo, non autem in capitulis melanthij inſtar, durum, ſolidum, fractuq́; contumax, quod in pimpinella vulgò vocata non viſitur.* Cum.ſat.hiſt. S ATIVVM *folijs ferè fœniculum, ſed rarioribus repræſentat: vnico, aut altero exit caule, pluribus adnatis ramuſculis: floret in vmbella, veluti fœniculum, in qua copioſum profert ſemen ſubflauum: cum grauedine quadã odoratum, fœniculi maius: radix ei albicans eſt, ſummo ceſpite repens. Tractu gaudet calido & putreſcibili: quamobrem frequentiſſimum in maritimis naſcitur.* Cumini vires *Cumino frequenter vtuntur in cibis, & eo ſæpe ſuffiuntur, qui facies ſuas exterminant, vt ſanctitatem, & corporis macerationem admentiantur. Præſtat tamen ad fœminarum conceptum, ſi vuluis indatur. Auxiliatur oculorum epiphoris, per ſe recens admotum, & eorundem tumoribus cum melle. Datur quoq́; ictericis vtiliter illico à balneo, & ex dulci vino vrinæ ardoribus laborantibus, calculos eijcit, vulnera recentia glutinat, & vlcera ſanat.* Cumini vires ex Galeno. *Cymini vires ſcriptas reliquit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Cymini ſemine potiſſimùm vtimur, quemadmodum aniſi, ligustici, cari & petroſelini. Eſt autem & facultatis excalfacientis, ſicut illorum vnumquodq́;, tum vrinam mouentis, & flatum diſcutientis: ex tertio ordine excalfacientium.* Nomina. *Κύμινον ἥμερον quod Græcis, Cyminum & Cuminum ſatiuum Latinis dicitur: Italis Cumino domeſtico: Arabibus Camum ſeu Kemum: Germanis* Kümmel: *Hiſpanis Comino: Gallis Comin. Quod verò Græci κύμινον ἄγριον Latini Cuminum ſylueſtre nominant: Italis Comino ſeu Cimino ſaluatico. Conſolida regalis: Italis Conſolida reale, ſeu Sperone da caualiere: Germanis* Ritterſporen: *Gallis Pie d' Allouette ſeu conſolide royalle.*

Capite hoc de Cumino, Conſolidæ etiam regalis hiſtoria proponitur, ſiquidem cenſuerit ſecunda editione ſuorum Commentariorum, eſſe Cuminum ſylueſtre ſecundum, quam opinionẽ licet penultima editione improbarit, in Felicis tamen Valgriſii editione, quæ anno 1583. Venetiis prodiit, rurſus verba ſecundæ editionis (quod in ea editione frequenter fit) repetuntur, cuius nomine & ea verba textui addere voluimus. Veteres ſub Hyacintho Conſolidam regalem recenſuiſſe videntur (quod Cæſalpinus aſtruit) ſiquidem Plinius lib. 21. cap. 11. diſcurrentes notas, figuras. A. I. Græcorum exprimentes intelledicat: quod in Conſolidæ hortenſis floribus conſpicitur, in quibus folium quoddam implicatum in albo characteres habens occultatos, ex virgulis cœruleis duas literas. A. I. aut tres A. I. A. exprimentes. Huius Dioſcorides infra cap. 70. meminiſſe videtur: ita vt Conſolida regalis hortenſis δελφίνιον ſit Dioſcoridis, ſi modò vox δελφινοειδῆ ad flores referatur. Conſolida verò regalis ſegetum, eiuſdem alterum Delphinium ſeu Romanorum buccinum. Variat floris colore albo, incarnato, purpureo, cœruleo, variegato ex albo & cœruleo: item magnitudine & foliorum textura, habetur namq; non tantum ſimplici, ſed & pleno flore. I. Cuminum ſylueſtre alterum Matth. editione ſecunda & vltima, Lac. Lugd. Conſolida regalis Matth. Conſolida regia ſiue Calcaris flos, Lob. Conſolida regalis flore cœruleo maiore, Cam. Conſolida regalis ſatiua, Tab. Delphinium, Dod. gal. Delphinium quartum & maius, Geſ. hor. Flos regius, Dod. fol. Flos quidàm vulgo Fior capuccio, Cæſal. cui Hyacinthus poetarum eſt. Quæ verò in ſylueſtribus prouenit, dicitur Conſolida regalis, Brunf. Geſ. hor. Lac. Lon. Caſt. Thal. Conſolida regia, Trag. Fuch. in iconibus, Conſolida regalis aruenſis, Tab. Conſolida regalis flore cœruleo minore, Cam. Segetum Conſolida regia ſtrigoſior tota, Lob. Buccinum & Delphinium alterum, Dodo. gal. Delphinium ſylueſtre, Geſ. hor. Flos regius ſecundus vel ſylueſtris, Dod. fol. Chamæmelum eranthemum, Fuch. in folio. Anthemis Eranthemos.

* II. CONSOLIDA REGAlis peregrina, paruo flore.*



themos, Lugd. II. Conſolida regalis peregrina paruo flore, C. B. Ex radice fibroſa caulis exſurgit cubitalis, rotundus, ſtriatus, leuiſsima hirſutie albicans, qui in ramos brachiatur: folia cingunt tripartito primum diuiſa, quæ ruſſus ad formam foliorum Ranunculi aruenſis echinati diuiduntur, ac in ſummo caule pauciora, quarum quædam tripartita, quædam integra. Flores ſunt ſubcœrulei, corniculo donati, Conſolidæ regalis ſegetum ſimiles, aut minores: quibus ſuccedũt ſiliquæ oblongæ, paruæ, ſemen paruum continentes. Hanc Delphinii Dioſcoridis nomine ab Imper. o Ferrando, Neapolitano Pharmacopæo inſigni accepimus, quam etiam virentem in horto D. Zuingeri Philoſophi & Medici noſtratis, legimus. III. Cuminum fæniculi folio, C. B. Cuminum ſatiuum, Brunf. Trag. Matth. Cord. in hiſt. Lac. Caſt. Lugd. Cuminum, Lon. Cuminum Dioſcoridis, Lob. Cyminum ſatiuum, Tab. Cam. Cyminum Romanum, Cord. in Dioſc. Cuminum vulgò, quod Cyminum ſylueſtre primum eſt apud Dioſcoridem, Cæſalpino. Cumini genera duo è Melita afferuntur, alterum acrimoniæ vehementioris, ſubnigrum, quod Cuminum acre vocant: alterum candicans, guſtus lenioris, ſubdulce, quod Cuminum dulce appellant, & ab Hippocrate regium vocatur, ea diuerſitate, quæ in fæniculo dulci ſatiuo & acri ſylueſtri ſpectatur. IV. Cuminum ſylueſtre capitulis globoſis, C. B. Cuminum ſylueſtre primum, Matth. Caſt. Lugd. Cuminum ſylueſtre, Lob. Dod. fol. Cyminum ſylueſtre ſiue erraticum, Tab. Cyminum ſylueſtre globoſum, Camerario. V. Hypecoum, C. B. Geſ. hor. Cluſ. hiſt. Hiſp. Dod. fol. Cuminum ſylueſtre alterum Matth. Caſt. Lugd. Tab. Cam. Cuminum ſylueſtre alterum Dioſcoridi Italorum, Lob. Cuminum ſylueſtre alterum ſiliquoſum, Lob. in icon. Hoc cum Cumino nil ſimilitudinis, quare Papaueri corniculato ſubiiciendum cenſemus.

a Me. & Cat.

ἔνιοι καὶ τοῦτο αἰθιοπικὸν, οἱ δὲ βασιλικὸν καλοῦσι, ἔνιοι δὲ ἑτέρας φύσεως τὸ αἰθιοπικὸν ἔφασαν εἶναι, καὶ ἑτέρας τὸ ἄμμι. i. quidam Aethiopicũ quidam Regium vocãt. Alii alterius naturæ Aethiopicum eſſe dixerunt & alterius Ammi.

## Ἄμμι. AMMI. CAP. LXI.

AMmi a Aethiopicum cuminum appellant. Plerique hoc natura diuerſum eſſe ab illo exiſtimant. Vulgò notum eſt, ſemen exile, multò minus cumino, origanum reſipiens. Eligendum eſt purum, minimè furfuroſum. Vis ei excalfactoria, feruens, & exiccans. Facit ad tormina, vrinæ difficultatem, ſerpentium ictus, cum vino potum: menſtrua ciet. Miſcetur derodentibus cantharidum medicamentis, quæ ecdoria vocant, vt inde exortis vrinæ difficultatibus reſiſtat. Sugillata cum melle tollit: colorem potu, aut illitu mutat in pallorem. Suffitum cum vua paſſa, aut reſina vuluas purgat.

Ammios cõſideratio.

*QVanquam varia, ac diuerſa ſemina viderim, quæ legitimum Ammi mentiantur, nullum tamen ex iis hactenus mihi ſeſe obtulit, quod animum ad credendum alliceret, verum Ammi ex Alexandria Aegypti ad nos deferri. Quod Ameos nomine in officinis paſsim habetur, cùm probatiſsimum, Plinio teſte, cumino ſit candidius, id nigricat, adeoq; vulgaris petroſelini ſemen æmulatur, vt viſu ab eo dignoſci minimè poſsit, ſed in hoc guſtum conſulere oportet. Nam cùm haud leuiter ſit acre, facultatis diſcrimen guſtu facile deprehenditur. Præterea cùm hoc nullum origanum ſaporem guſtui repræſentet, quem tamen referre verum Ammi Dioſcorides eſt auctor, adhuc clarius ſit, id non eſſe legitimum. Veruntamen contrarium ſenſiſſe videtur Ruellius: quippe qui minus fortaſſe accuratè ea examinauerit, quæ de Ammi, Hippocratis teſtimonio, ſcriptis tradidit Plinius, ei alioqui familiariſsimus, lib. 20. cap. 15. cùm inquit: Eſt cumino ſimillimum quod Græci vocant Ammi, quidam verò Aethiopicum Cuminum id eſſe exiſtimant. Hippocrates regium appellat, videlicet quia efficacius in Aegypto iudicauit. Pleriq; alterius naturæ in totum putant, quoniam ſit exilius, & candidius. Similis autem & huic vſus: nam & panibus Alexandrinis ſubigit, & cum alimentis interponitur: hæc Plinius. Cæterum non equidem negauerim, Ammi in Italia naſci, etſi in officinis hactenus verũ non reperiatur. Siquidem Aloyſius Anguillarius Romanus in herbarum cognitione diu verſatus, ex Patauio, vbi horti publici curam gerit, nuper ad me miſit legitimum Ammi, nulla prorſus reclamante nota. Caulem emittit fæniculaceum, foliis agreſtis paſtinacæ, ſemine in vmbellis exili & cumino minutiore, Origanum reſipiente, odoratum & acutum. Naſcitur in monte Gargano, quod Italum eſt: quod verò peregrinum ex Alexandria apportatur, Arabicum eſt. Verùm enimuero huic ſanè illud non adſtipulari certum eſt, quo magno, vt arbitror, errore ducti Monachi illi, qui in Meſuem commentarios ediderunt, ſe vſos fuiſſe aſſeuerant: nam præter rationes error ſatis ex ſuis ſcriptis exploditur, vt pote qui ſuum Ammi nullo origani ſapore commendari fateantur. Ammi legitimi ſemen, quod ex Alexandria affertur, mirificè præſtat ad mulierum ſterilitatem. Nam compertum eſt huius tantum ſeminis auxilio, plures poliſicas effectas. Siquidem ſi propinetur manè drachmæ pondere ex vino meraco, aut carnium iure in tenuem puluerem contritũ, alternis diebus, tribus horis ante cibum, futuram pollicetur prolem, ſed oportet maritum cum vxore rem habere iis tantum diebus in quibus illa ſemen non ebiberit. Quod tamen diutius ſumi non debet, quàm quatuor, aut quinq; diebus, eſt enim ad ſterilitatem præſtantiſsimum auxilium, & pluries expertũ. Herba quam vocant Ammi, ſemen, vt Galenus teſtatum reliquit lib. 6. ſimplicium medicamentorum, maximè eſt vtile. Facultatis eſt excalfactoriæ, &*

Ruel. lapſus.

Monachorũ error.

Ammios vires ex Gal.

I. AMMI. | * AMMI PARVVM FOLIis fœniculi.*





Nomina. deſiccatoriæ, tenuiumq́ partium: ſed & guſtu ſubamarum eſt, & acre. Et clarum eſt, quod & digerat & vrinam moueat. Fuerit autem in calfaciendo, deſiccandoq́ ex ordine tertio intenſo. Planta, quæ Græcè ἄμμι, Latinè item Ammi vocatur: Arabicè Nanochach, Anazue, Nanachua ſeu Nanachue: Italicè Ammi, vt etiam Hiſpanicè: Germanicè Amey.

Ammi triplex habetur, maius, alterum ſemine apii, & tertium foliis fœniculi. I. Ammi ſemine apii, C. B. Ammi, Matth. Anguil. Lac. Caſt. Cam. Lugd. Ammi maioribus & ſerratis foliis, Geſ. hor. Ammi Creticum aromaticum, Lob. Ammium tertium Creticum, Tab. Cuminum ſatiuum, Cæſalpini fortè. II. Ammi paruum foliis fœniculi, C. B. Ammi paruum, Dod. gal. Ammi verum, Geſ. hor. Ammi perpuſillum, Lob. & Lugd. Ammi alterum paruum, vel tenuifolium minus, Dod. fol. Ammiũ primum Alexandrinum, Tab. Ammi, Cæſal. Ammi ſimile Anguillaræ. Herba eſt exigua, ex radice parua aliquot cauliculos tenues breuesq; emittens: circa quos folia Nigellæ oblonga, tenuiſsima, capillorum inſtar diſſecta & ſenſim magis attenuata: vmbellas habet paruas, cãdidas, exiguis floſculis quadrifoliis, quibus ſuccedit ſemen minutiſsimum, acre & ſuaue. Ex Alexandria Ægypti in Italiam allatum, nunc in hortis & Italiæ (apud quos & in Ilua prouenit) & Germaniæ facilè prouenit, quod pro Siſone aliqui habent.

Κόριον, ἢ κορίαννον. **CORIANDRVM.** CAP. LVII.

CORiandrum, aut Coriannũ vulgaris eſt notitiæ: vim refrigeratoriam habens. Quare illitum cum pane, aut polenta, ignibus ſacris, & vlceribus, quæ ſerpunt, medetur. Epinyctidas cum melle, vel vua paſſa, teſtium inflammationes, carbunculosq; ſanat: cum faba freſa, ſtrumas, & tubercula diſcutit. Tineas interaneorum expellit ſemen, cum paſſo modicè potum, & genituram adauget: largiùs tamen ſumptum, mentem non ſine periculo mouet: quare continuo, & copioſore vſu abſtinendum. Succus cum ceruſſa, ſpumáve argenti, nec non aceto, & roſaceo illitus, ardentes ſummæ cutis inflammationes emendat.

Coriandr. cõſideratio. *COriandrum omnibus notiſsimum, exili prouenit caule, ſeſquicubitali longitudine, ramis numeroſis, folijs infernè Adiantho [Parthenio] proximis, ſed quæ in caulibus habentur, & tenuiora ſunt, & magis diuiſa: flores in caulium ſummitatibus albicant, è quibus racematim ſemen oritur rotundum ac ſtriatum. Tota planta vireſcens grauiter ſpirat, cimicum odore, at ſemen ſiccum, exuta graueolentia, odoratum euadit, & ad multa vtile. Naſcitur ſponte in campis & inter ſegetes, ſeriturq́ in campis & hortis. Cæterùm in Coriandri facultate indaganda adeò Galenus productus eſt, vt longum ſermonem faceret contra Dioſcoridis ſententiam lib. 7. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcribit:* Coriandri facult. ex Galẽ. *Coriannon, ſiue Corion, aut vtcunque vocare lubet. Vetuſtiores Græci Coriannon nominant: at recentiores medici omnes Corion appellitant, ſicut & Dioſcorides, refrigeratoriam eſſe herbam dictitans, ſed perperam. Siquidem ex contrarijs facultatibus componitur, plurimum habens eſſentiæ amaræ, quam oſtendimus eſſe tenuium partium, & terrenam. Nec parum etiam aqueæ humiditatis obtinet, quæ tepentis eſt facultatis: habet autem & adſtrictionis pauxillum. Ex quibus omnibus variè quidem agit ea quæ ſcribit Dioſcorides, & non tantum ex refrigeratione. Cæterùm ego cuiusq́ particulatim actionis cauſam enarrabo, tametſi propoſitum fuerat, mei vnius duntaxat hoc in libro ſententiam expromere. Sed fortè nihil obſtabit*

CORIANDRVM.



bit: imò ſi verum fatendum eſt, proderit nonnihil, ſuperiores methodos, quæ ad hunc modum in paucis medicamentis ſunt dictæ, hic repetere. Primùm ergò non Dioſcorides tantum, ſed & alij complures medicorum, indeterminatè de morbis pronunciant, ſicut ſanè hac quoque tempeſtate non paucos inuenias medicos vel inſignes, præter alia, hac in re maximè hallucinantes. Interdum enim atra, liuida, frigidaq; reddita parte, quæ eryſipelas habuit, nec amplius refrigerantia poſcente medicamēta, ceu antea, ſed ea quæ infixum parti præter naturam humorem euacuent, ij tamen refrigerare perſeuerant. Aliquando autem ad digerentia quidem tranſeunt: cæterùm eryſipelas ſanare dicunt. Et ſanè ſcribunt, incipientibus etiamnum, & creſcentibus eryſipelatis, alia eſſe medicamenta, alia verò iam declinantibus, ac flacceſcentibus. Sed ita res non habet. Neque enim eryſipelas etiam vocari debet, poſteaquàm inflammatio eius, & feruor, ac bilioſum illud abierint: neque quæ facultate ſunt frigida, neque quæ huiuſmodi affectus ſanant, remedio eſſe putandum eſt: ſed velut ſi vel in initio protinus aut percuſſis, aut alia de cauſa quauis tumor in parte quapiam aut liuidus, aut niger extiterit, eum eſſe frigidum affectū exiſtimabis, & quæ digerant excalfaciantq; medicamenta poſcere. Ad eundem modum, ſi calida affectio in frigidam reciderit, negligenda quidem prior eſt, ſed ſecunda alia appellanda nomine: aut ſi diſplicet nominis mutatio, ſaltem ſicut quidam alia ſcribunt principij, alia declinationis remedia, haud frigida eſſe autumantes declinationis remedia, concedendum ſanè eſt, ſi cui ita placet, vt talis affectio etiam eryſipelas vocetur: ſed eam etiam calidam dicere, vbi iam refrigerata eſt, id verò neutiquam concedendum. Itaque ne quod tunc ei auxilio eſt, refrigeratorium eſſe credamus, ſicut Dioſcorides Coriandrum, quod vt ipſe inquit, cum pane, aut polenta illitum, eryſipelas curet. Nam quod exquiſitum eſt eryſipelas, quod vtique inflammatum eſt, & flauum, haud vnquam ſanare poterat cum pane Coriandrum, ſed illud quod iam refrigeratum eſt. Proinde nos ſuperioribus voluminibus, cùm determinata ac definita experientia, cuiuſque medicamenti facultatem explorandam cenſuimus, quàm maximè fieri poſſet, ſimpliciſſimum eligi affectum conſuluimus. At plerique medici, neque quod vel plurimi morborū protinus ab initio compoſiti inuadant, norunt, neque quòd alius affectus ſit eryſipelas exactum, alius verò is, qui vocatur ab omnibus nobis vſitatè, vt à veteribus quoque, phlegmone: alij autem inter hos medij plurimi, partim, vt ſic dicam, eryſipelata phlegmonode, partim phlegmonæ eryſipelatodes. Ac inuenias nonnunquam vbi neutrum vincat, ſed ad vnguem paria ſint. Quinetiam nonnunquam œdematodes eſſe eryſipelas conſpicitur, ſicut aliud ſchirrhodes, vt compoſitorum morborum non paruus aceruetur numerus. De quibus copioſius, cùm alibi diſſeruimus, tum in libris de curandi ratione. Dicetur autem & nunc quoad ſaltem eorum meminiſſe neceſſe eſt, quòd exactū eryſipelas haud unquam ab antè dicto cataplaſmate curari poſſit. Voco autem exactum, cùm à bilioſa fluxione pars impleta fuerit. Porrò quòd longè à refrigeratione abſit Coriandrum, vel ex ijs, quæ ipſe ſcribit Dioſcorides, diſcere licet. Nam ſtrumas, inquit, tum lomento diſſoluit. Quod verò nullum refrigerantium medicamentorum idoneum ſit diſſoluendis ſtrumis, vel ipſum Dioſcoridem non dubitaturum arbitror: quippe qui ſexcenta ſcripſerit medicamenta ſtrumas ſanare potentia, quæ omnia tum temperie calida, tum actionibus digerentia eſſe confeſſus eſt. Hactenus Galenus à Dioſcoride in Coriandri facultate diſſentiens. Porrò verò hac in re Galeno maximè refragatur Auicenna, qui in ipſum apertè inuehitur lib. 2. cap. 144. ſic inquiens: Scripſit Galenus Coriandrum eſſe compoſitum ex diuerſis facultatibus, etſi terrea facultas in eo cæteris excellat, ſimul cum aquea quadam tepida, & adſtrictoria pauca. Verùm, vt ego conijcio, aqueitas, quæ in ipſo reperitur, abſq; dubio frigida, non quidem tepida exiſtit: niſi ei forſan admiſceatur aliquid excalfacientis ſubſtantiæ, quæ ſui tenuitate velociter in auram euaneſcat. Quapropter dixit Hunaym, remouet Galenus frigiditatem à Coriandro, & Dioſcoridi repugnat. At ego quidem aliter ſentio, cùm frigidæ eius ſubſtantiæ meminerint Archigenes, Rufus & aliorum poſteriorum nonnulli. Frigidum igitur eſt Coriandrum natura in fine primi, & vſq; ad principium ſecundi, & ſiccum in ſecundo: quanquam, ſententia mea, & ſiccum eſt, & ad caliditatem aliquo modo vergit. Sed Galenus ipſe ſentit, Coriandrum eſſe ex omni parte calidum. Id quod fortaſſe eueniſſe putandum ex ea caliditatis particula, quæ dum bibitur, aut comeditur, ab ipſo diſperditur. Aliter nec neceſſarium foret, ſi homines ſua frigiditate interficeret, vt in multa exhiberetur quantitate. Illud præterea ſubdidit Galenus, ſi Coriandrum ſtrumas diſſoluit, quonam igitur pacto frigidum erit? Cui facilè reſponderi poteſt, id agere Coriandrum ſua quadam occulta facultate, ac forma: aut quod reperiatur in eo aliqua tenuis facultas, quæ in profundum penetrare poſſit, frigida ſubſtantia exterius relicta, ſed cùm bibitur caliditas illa reſoluitur: quo fit, vt ſola frigida remaneat, & in corporibus agat. Hæc Auicenna in Coriandro Galeni dicta refellens. Quæ etſi aliquid in ſe rationis, ac veritatis habere videantur, tamen cùm omnibus compertum putem, Galeno neminem adhuc parem extitiſſe, qui diligentius ſtirpium tum naturas tum facultates inueſtigauerit, partim ſaporis guſtu, partim odoris olfactu, partim ſubſtantia, & coloribus, partim deniq; ex longa experientia profundiſſimæ philoſophiæ coniuncta, operæpretium eſt eius potius acquieſcere ſententiæ, quàm reliquorum omnium. Veruntamen Braſauolus in hoc maluit fortaſſe cum Auicenna errare, quàm cum Galeno rectè ſentire. Qui præterea cùm neſciuerit, Coriandrum in Hetruria paſſim in pratis, & campeſtribus ſua ſponte naſci, aſſerit in ſuo ſimplicium volumine, ſatiuum tantùm reperiri Coriandrum. Cæterùm quòd hoc in capite Dioſcorides auctor ſit, Coriandrum ſumptum mentem non ſine periculo commouere, quòdq; alij tum ex Græcis, tum ex Mauritanis memoriæ prodiderint, eiuſdē ſuccū potum, interimere, ideo factum eſt, vt multi, quorum ego ſententiā antehac ſecutus ſum, coriandri vſum prorſus damnauerint. Sed id nunc certè mihi videtur iniuſtè factum. Siquidē Coriandrū mentē non commouet, niſi largius & im-

Coriandri facultas ex Auicenna.

Braſauoli error.

Coriandri ſeminis vſus.

*& immoderatè ſumatur. Quid quæſo mirum erit de coriandro copioſius ſumpto, ſi vinum etiam, cuius tamen eſt vſus quotidianus, liberalius epotum, dolores, morbos graues, ſtrangulatus, & mortem deniq; inferat? quod ſi moderatè bibatur, præter alias vtilitates, quas humano corpori præbet, ventriculum roborat, concoctiones adiuuat, excrementoſa pellit, cor exhilarat, intellectum acuit, ſpiritus claros reddit & viuificat. Quare non equidem video, quid obſtet, quò minus ſimili ratione credamus, tantum abeſſe, vt Coriandri ſemen noceat, vt etiam maximè proſit, ſi tamen parcè & modicè ſumatur. Quippe ab eius vſu moderato non abhorruiſſe Galenum puto: nam lib. 8. cap. 4. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ex Archigene refert, ructu acido affectis coriandrum cochlearij menſura exhibendum eſſe. Galeno autem* Sethi de Coriandro. *apertiſſimè adſtipulatur è recentioribus Græcus Symeon Sethi, vt pote qui in coriandri mentione ſcribat, id ſtomacho bonum eſſe, & eundem corroborare: cibum in ventriculo retinere, donec probè concoquatur. Quæ auctorem hunc de temperato coriandri vſu tradidiſſe, nulli dubium eſt. Ex his igitur facilè colligamus licet, quòd non ſit admittenda, ſed potius explodenda illorum recentiorum opinio, qui Coriandri vſum omnino fugiendum eſſe cenſent: nos enim iam non omnem eius vſum, ſed immoderatum tantum vitandum eſſe exiſtimamus. Semen tritum & recentibus carnibus aſperſum prohibet ne putreſcant tam citò, quàm ſolent, æſtatis tempore. Ex aqua autem potum cœliacos iuuat, & alui fluxiones cohibet.* Nomina. *Attamen ſemen in ciborum, aut medicamentorum vſum nunquam admitti debet, niſi prius triduo aceto fuerit maceratum. Id Græcis* κόριον *&* κορίαννον *appellatur: Latinis Coriandrum: Mauritanis, Rusbor, Rasbera, Kuzibara: Italis Coriandro: Germanis* Coriander vnd Coliander: *Hiſpanis Culantro & Ciliandro. Gallis Coriandre.*

Coriandrum dictum aliqui putant, quod folia eius & caules cimices redoleant: eſt maius vulgatum, eſt minus teſticulatum, eſt & ſylueſtre, in Hiſpania nuper repertum, licet Plinius lib. 20. c. 20. inter ſylueſtria non inueniri ſcribat, attamē Nicandri ſcholiaſtes duo genera propoſuit, alterū ſatiuum, alterum ſylueſtre. Coriandrum maius, C. B. Coriandrum ab omnibus herbariis appellatur, cui ſanè in calidioribus regionibus ſemina maiora ſunt, & in viridariis Alexandriæ vbiq; prouenit & Cusbara nominant.

## Ἱεράκιον. HIERACIVM. CAP. LXIII.

a Meum ὑπόκενον i. ſubcauum. Hieracium magnum caulem emittit aſperum, ſubrubrum ſpinoſum, a cauum: folia ex interuallis rariuſcule diuiſa, ſimilia ſoncho per ambitum: luteos flores, in oblongis capitulis. Vim refrigerandi habet, & modicè ſubſtringendi: vnde illitum, ſtomacho æſtuanti, inflammationibusq; prodeſt. Succus eroſionem ſtomachi ſorbitione mitigat. Herba cum radice illita, vibratis à ſcorpione ictibus auxiliatur. Hieracium paruum, folia ex intervallis habet, diuiſa in ambitu: cauliculos teneros virentes: in quibus lutei flores orbem circinantes, emicant. Vim ſuam ad eam, ad quæ ſuperior impendit.

I. HIERACIVM MAIVS.



II. HIERACIVM MINVS.



Hieracii cõſideratio, & vires ex Plinio. *Hieracium maius, frequentiſſimum vbiq; in Italia, in campeſtribus & collibus incultis locis, & aliquando inter ſegetes naſcitur, Soncho aut ſylueſtri lactucæ non admodum diſſimile. Minus autem cichorium ferè refert, ſed aſperiora ei folia ſunt, cauliculi tenues, virentes, ſubaſperi: in quorum cacumine flores vtriq; aurei, cichoreæ figura. qui tandem pappoſi effecti in auram euolant. Maius radice nititur vnica, recta, lactucæ, aut ſonchi modo. Minus verò multiplici, tenuiq;*

vtrique

*vtrique ſuccus lacteus, ſapore amaro acriq; cum cauleſcunt. Horum autẽ non reperio Galenum mentionem feciſſe, nec etiam Paulum, in libris de ſimp. medicamen. facultatibus. Meminit tamen eorum Plinius lib. 20. cap. 7. inter lactucarum agreſtium genera, ſic inquiens: Sunt, qui herbam Hieraciam vocent, quoniam accipitres ſcalpendo eam, ſuccoq; oculos tingendo, obſcuritatem cùm ſenſere, diſcutiant. Succus omnibus candidus, viribus quoq; papaueri ſimilis. Carpitur per meſſes inciſo caule. Conditur in fictili nouo ad multa præclarus. Sanat omnia oculorum vitia cum lacte mulierum. Arcet nubeculas, cicatrices, aduſtionesq; omnes, præcipuè caligines. Imponitur etiam oculis cum lana contra epiphoras. Idem ſuccus aluum purgat, in poſca potus ad duos obolos. Serpentium ictibus medetur in vino potus. Et folia toſta, thirſiq; triti ex aceto bibuntur. Vulneri illinuntur maximè contra ſcorpionum ictus. Verùm contra phalangia commiſto vino ex aceto. Alÿs quoq; venenis reſiſtunt, exceptis quæ ſtrangulando necant, aut ÿs quæ veſicæ nocent, item pſimmythio excepto. Imponuntur & ventri ex melle, atq; aceto ad detrahenda vitia alui. Vrinæ difficultates ſuccus emendat. Crateuas eum & hydropicis obolis duobus in aceto, & cyatho vini dare iubet. Peculiares earum vires partim iam dictæ ſunt, ſomnum faciendi veneremq; inhibendi, æſtum refrigerandi, ſtomachum purgandi, ſanguinem augendi. Nunc non paucæ reſtant, quoniam inflationes diſcutiunt, ructus lenes faciunt, concoctiones adiuuant: cruditatem ipſæ nequaquam faciunt. Nec vlla res in cibis auiditatem incitat, inhibetq; eadẽ in cauſa alter vtrinq; modus eſt: Sic & aluum copioſiores ſoluunt, modicæ ſiſtunt, lentitiam pituitæ digerunt, atq;, vt aliqui tradiderunt, ſenſus purgant. Stomachi diſſoluti vtiliſſimè adiuuantur, in eo vſu, & oxypori obolis aſperitatem addito dulci ad intinctum aceti temperantes. Si craſſior pituita ſit, ſcillite, aut vino abſinthite: ſi & tuſſis ſentiatur, hyſſopite admiſto. Dantur cœliacis cum intubo erratico, & ad duritiam præcordiorum. Dantur & melancholicis candidæ copioſiores, & ad veſicæ vitia. Praxagoras & dyſentericis dedit. Ambuſtis quoque proſunt recentibus, priuſquàm puſtulæ fiant cum ſale illitæ. Vlcera etiam quæ ſerpunt, coercent, initio, cum aphronitro: mox in vino tritæ igni ſacro illinuntur. Conuulſa, & luxata caulibus tritis, cum polenta ex aqua frigida leniunt: eruptiones papularũ ex vino, & polenta. In cholera quoque coctas patellis dederunt: ad quod vtiliſſimæ, quam maximè caule, ſed amaræ. Quidam lacte infundunt. Deferuefacti ÿ caules & ſtomacho vtiliſſimi traduntur. Has omnes Plinius tam Hieracÿs, quam ſylueſtribus lactucis vires contribuit. Quod Græci ἱεράκιον, Latini ſimiliter Hieracium vocant: Itali Hieracio.* Nomina

*III. HIERACIVM SILIQVA falcata.*



Hieracium magnum & paruum propoſuit Dioſcorides, adiecimus & falcatum, cum apud Italos frequens ſit, licet viginti duas Hieracii differentias in Phytopinace propoſuerimus, plures tamẽ in hiſtoria noſtra vniuerſali exhibituri. I. Hieracium maius, Matth. Fuch. Dod. gal. Lac. Lob. Caſt. Tab. Hieracium magnum, Cæſalp. Hieracium minus Dalechampii, Lugd. Taraxacon maius, Lonicero. II. Hieracium minus, Matth. Trag. Fuch. Lac. Geſ. hor. Tab. cui & Lactuca leporina. Hieracium minus alterum, Dod. gal. Hieracium minus præmorſa radice, Lob. Hieracium quartum, Dod. fol. Hieracium quintum eidem. Morſus Diaboli3. Trag. Lagopus eidem. Picris Dalechampii, Lugd. Apargia Dalechampii, eidem. Sonchus Lonicero. III. Hieracium ſiliqua falcata, C. B. Hieracium Narbonenſe falcata ſiliqua, Lob. obſ. & Lugd. Hieracium Monſpeliacum & Narbonenſe, Tab. an Ragadiolus alter, Cæſalp. Ex radice tenui fibroſa caules plures exurgunt, ſtriati, ad radicem nonnihil aſperi in multos cauliculos diuiſi, foliis oblongis parum laciniatis, hirſutie leui aſperis: floribus luteis Lampſanæ ſimilibus: quibus ſuccedũt ſiliquæ falcatæ calendulæ forma, ſæpius octo, in morem pedis alaudæ, aut alicuius ſtellæ diſpoſitæ, quibus ſemen includitur. Hoc in Agro Patauino prope Arque, vbi Petrarcha ſepultus, primum legimus, dein in Monſpelienſi agro inter ſegetes, & ad margines agrorum Boutonetto finitimis copioſè vidimus.

## Σέλινον. APIVM. CAP. LXIIII.

HOrtenſis apii herba ad eadem, ad quæ coriandrum conuenit. Inflammationibus oculorum cum pane, aut a polenta illinitur: æſtuantem ſtomachũ mulcet: mammarum b duritiam ex lacte concreto contractam reprimit. Vrinam ciet, ſiue crudum, ſiue coctum edatur. Decoctum eius radicisq; potum, venenorum noxæ reſiſtit, cùm vomitiones excitet: aluum cohibet. Semen vehementius vrinam pellit: contra ſerpentium venena, aut epotam argenti ſpumam auxiliatur: inflationes diſcutit. Admiſcetur medicamentis, quæ dolorum leuamenta præſtant, theriacis quoq;, ac tuſſi remediis. Eleoſelinum in c humidis naſcitur, ſatiuo d grandius, & ad eadem efficax. Oreoſelinũ caule eſt dodrantem alto, ab radice tenui exeunte: per cuius ambitum rami, & capitula cicutæ, multò tamen tenuiora: ſemine cumini oblongo, acri & odorato, tenui. Naſcitur in petroſis & montibus. Vrinã ciet, ſemine ac radice in vino potis: mẽſes trahit, antidotis, nec nõ medicamẽtis vrinã cientibus, & excalfactoriis inſeritur. Nec hallucinari nos oportet exiſtimãtes oreoſelinũ eſſe, ꝙ in ſaxis prouenit: aliud enim eſt petroſelinũ. Petroſelinũ in Macedonia

a. Meum παιπάλης ἀλφίτου. i. cum polentæ polline. b. Meum μαςοὺς χονδριῶντας. i. mammas grumeſcentes. c. ἐφύδροις. i. aquoſis. d. Orib. add. ὀλίγῳ. i. paulò.

donia prouenit, in præruptis locis, ſemine ammii odoratiore, ſapore acri, aroma olente. Vrinam ciet, ac menſtrua: contra ſtomachi, & coli inflationes, & tormina prodeſt. Laterum, renum, & veſicæ doloribus in potu ſubuenit. Admiſcetur Antidotis vrinam cientibus. Hippoſelinum Latini oluſatrum appellant, aliqui Smyrnion, quamuis aliud ſit, quod propriè Smyrnion dicitur, vt paulò pòſt referemus. Eſt autem maius, & ſatiuo apio candidius: caule alto, cauo, molli, habente veluti lineas: foliis latioribus, in puniceum vergentibus: coma roriſmarini, florũ plena: dependentibus in cacumine corymbis antequam e Cat. [illegible] ſtomachograta. defloreſcat. Ea ſemine turget nigro, oblongo, acri, ſolido, aromatico. Radix dimittitur tenuis, odorata, candida, [illegible] quæ os commendat. In vmbroſis, & paluſtribus enaſcitur: olerum generis, vt apium. Radix cruda, coctaue eſtur. Folia cum caulibus decocta manduntur, & per ſe aut cum piſcibus præparantur, crudaq; muria condiuntur. Vim hanc habet, vt poto ſemine ex mulſo vino menſes cieat: algentes calfacit potu, aut illitu: vrinæ ſtillicidio auxiliantur. Radix eoſdem præſtat effectus.

I. APIVM HORTENSE.



* II. APIVM CRISPVM. *



Apii hortenſis conſid. PVtant dubio procul omnes ferè ætatis noſtræ medici, iiq; præſertim, qui diu verſati ſunt in ſimplicium medicamentorum inquiſitione, quiq; multum laboris ac ſtudij impenderunt, vt hanc medicinæ partem penè abolitam reſtituerent, nil aliud apud antiquos ſatiuum fuiſſe apium, quàm vulgare noſtrum Petroſelinum, hodie hortis omnibus frequentiſſimum. [Exit folijs Coriandri æmulis, compluribus ex vno ramulo prodeuntibus, per ambitum frequenter laciniatis, ſed quæ in caule ſunt mutata forma, longa anguſtaq; ſpectantur. Flores habet exiguos candicantes, & ſemen Aniſo ſimile. Radice nititur digitali, dodrantali longitudine, albicante, dura intus matrice, rarò diuaricata, quæ carnium iuribus paſſim incoquitur. Folia conciſa, & cum vino & oleo de ſcorpionibus in patella feruefacta, pubiq; calida admota, remorantem vrinam cient] Quorum equidem ſententiam nunquam auſim improbare, cùm noſtrum hoc notis omnibus ſit præditum, quibus conſtare Apium veteres tradidere. Plinius ſiquidem lib. 20. cap. 11. naturalis hiſtoriæ ita ſcribit: Apio gratia vulgò eſt: namq; rami largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Hoc etiamnum confirmare videtur Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus, cùm inquit: Apium inter cætera familiariſſimum eſt, & ori ſtomachoq; gratiſſimum. Quæ ſanè omnia in vulgari noſtro Petroſelino cernuntur: quippe quod nobis omnium olerum familiariſſimum in ciborum condimentis perpetuò habeatur. Plinius de Apio. Cæterùm quamuis id varios noſtrarum menſarum cibos frequentiſſimè commendet, ſcripſere tamen tum Chryſippus, tum etiam Dionyſius (vt Plinius author eſt) Apium ad cibos non admittendũ, imò omnino nefas, nam id defunctorũ epulis feralibus dicatũ. Ipſius quoq; viſus claritati inimicum. Caule fœminæ vermiculos gigni: ideoq; eos, qui ederint, ſterileſcere mares, fœminaſq;. In puerperijs verò ab eo cibo comitiales fieri, qui vbera hauriunt: innocentiorem tamen eſſe marem. Eaq; cauſa eſt, ne inter nefaſtos frutices damnetur: hæc Plinius. Quare mirum non fuerit, ſi recentiores quoq; Apio comitialibus interdixerunt. Cum igitur his tum rationibus, tum auctoritatibus, notis præterea ſuffragantibus, conſtet vulgare Petroſelinum legitimum eſſe apium, putandum quidem fuerit, quin potius aſſirmandum, id quod officinis omnibus ſatiui Apij vicem explet, nil aliud eſſe, quam Paludapium, ſiue Eleoſelini conſideratio. Apium paluſtre, Eleoſelinum Dioſcoridi vocatum. Quandoquidem hoc in humentibus, paluſtribus, & vliginoſis locis naſcitur, ſeritur quoq; in hortis. Folia gerit hortenſis maiora ſolidioraq;, caulem quoq; vegetiorem, odore etiam acutiore, gratioreuè, & qui caput feriat. Radice tamen, floribus & ſemine ferè ſimilibus, caule, & folijs ſatiuo maioribus, rarioribusq;

beq; : exq; propter Theophraſtus lib. 7. cap. 6. de plantarum hiſtoria, de eo diſſerit his verbis: Paludapium, quod apud aquæ ductus, & in paludibus prouenit, folio raro, nec hirſuto conſiſtit, ſed ſimile quodammodo Apio eſt, odore, ſapore, figuraq;. Hoc Columellæ lib. 11. cap. 3. de re Ruſtica non aquaticum apium, ſed apium ſimpliciter appellatur: vbi ſic legitur. Apium Columellæ.

IIII. APIVM PALVSTRE.



V. PETROSELINVM MACEdonicum.



Apium quoq; plantis ſerere, nec minus ſemine, ſed præcipuè aqua lætatur, & ideò ſecundum fontem commodiſſimè ponitur, quod ſi quis id velit latifolij facere, quantum ſeminis poſſint tres digiti comprehendere, raro linteolo inliget, & ita in areolas diſpoſitum religet: vel ſi criſpæ frondis, ſemen eius inditum pilæ, & ſaligno palo pinſitum expoliatumq; ſimiliter in linteolis ligatum obruet. Poteſt etiã circa hanc operam fieri criſpum, ſi cum eſt natum incrementum eius ſuperuoluto cylindro coerceatur, hæc ille. A quo nonnulli hortorum cultores edocti, aquaticum apium criſpum hoc quoq; tempore faciunt, habentq́; ſpectaculi gratia in hortis. Apium aquat. criſpũ. Cæterùm Ruellio haud mihi ſubſcribendum eſt, quippe qui plantam nobis Italis Macerone vulgò appellatam, Paludapium eſſe putat. Ruellii opin. non accepta. Quippe (vt paulò poſt, atq; etiam in proxima Smirnij commentatione dicetur) non parua ſanè inter vocatum Maceronem, Eleoſelinum, & Hipposelinum intercedit differentia. Apij porrò in montibus naſcentis, Oreoſelini conſid. quod ideo Græcis Oreoſelinum dicitur, nulla à Dioſcoride redditur foliorum delineatio, niſi in eo ſcriptura fuerit deprauata, vt fermè ſuſpicor. Verùm Theophraſtus, & Plinius Oreoſelinum deſcripſerunt folijs cicutæ, radice tenui, & ſemine vnus, alter verò caule anethi, minutiore tamen. Vnde factum eſt, vt nonnulli crediderint Theophraſtum hoc in loco deprauatum eſſe, & quòd vbi in Græcis codicibus legitur κ) τὰ φύλλα ἔχει κωνείῳ ἐμφερῆ, id eſt, folia habet cicutæ ſimilia, legendum ſit, κεφάλια ἔχει μηκωνείῳ ἐμφερῆ, hoc eſt, capitula habet papaueri ſimilia. In quam opinionem hos facilè potuit adduxiſſe vulgata Græca Dioſcoridis lectio, in qua nimirum capitulorum papaueris, non autem foliorum cicutæ mentio eſt. Veruntamen ego potius (vt modò dixi) Dioſcoridis lectionem vitiatam putauerim, quàm Theophraſti, licet contrà ſenſerit Hermolaus. Nam præterquàm quòd Theophraſto ſuſcribat Plinius, eſt Oribaſij codex, in quo non μηκωνείῳ, ſed κωνείῳ legitur. Præterea ipſe ſæpenumero vidi Apiũ in montibus naſcens, quod à Theophraſti & Plinij pictura nullis prorſus notis diſſidet. Prouenit enim folijs cicutæ, radice tenui, & ſemine in vmbella anethi modo: quæ omnia Apij generi maximè adſtipulantur. Illud inſuper addiderim, quòd Apij longè magis proprium eſt folijs conſurgere cicutæ modo per ambitum laciniatis, ſemine in vmbella anethi inſtar, quam capitulis papaueri ſimilibus incluſo. MACEDONICVM autem PETROSELINVM, etſi antehac in Petroſelinũ Macedon. Italia haud cognitum fuit, factum eſt tamen quorundam diligentia, vt petito è Macedonio ſemine, iam quibuſdam noſtris habeatur in hortis. Huius copiã primùm mihi fecit Iacobus Antonius Cortuſus Patritius Patauinus, cuius liberalitate complures cùm peregrinas, tũ raras ſum conſequutus plantas. Exit itaq; Macedonicum petroſelinum, folijs vulgari, ſiue aquatico apio ſimilibus, ſed minoribus, caule craſſo, ramoſo, frequentibus alarum cauitatibus, floribus albis, ſemine hortenſi petroſelino [ammi] haud abſimile, odorato, ſapore acri & amareſcente, aroma olente. Quamobrem aberrant toto cælo, qui vulgare noſtrum petroſelinum, nihil à Macedonio differre contendunt, ſua tantum authoritate, ne dicam temeritate nixi. Quod verò Hippoſelinum vocatur, ſi quod LEVISTICVM vulgo vocant, non eſt, plantam ſanè non habeo, quæ legitimum referat. Hippoſelinũ Leuiſticum. Si enim foliorum, caulium ramorum cæterarumq; partium magnitudinem, proceritatemq; reſpicimus, etſi Dioſcoridi Hippoſelinum legitimum non ſit, quòd coma, & ſemine illi non reſpondeat, cùm tamen cæteris ſelinis grandius ſit, & tota facie ſimile, nemo nobis ſuccenſere debet, ſi hanc plantam Hippoſelinum appellauimus. Caulibus exit craſſis, bicubitalibus fruticoſiſq;, ramis multis, multiſq; alarum cauitatibus, folijs paluſtris apij, ſed longè maioribus, muſcarijs in cacumine grandioribus, albis refertis floribus, ſemine oblongo fœniculi maiore, tota planta grauiter olet. Seritur in hortis. Excalfacit & ſiccat ordine tertio, quo fit vt aperire, incidere, digerere & prouocare valenter poſſit: perinde ac cætera ſelinorũ genera. Ea omnia

## V LEVISTICVM VVLGARE.



Libanotis fructifera. Theoph. Marcelli, & Braſa. lapſus.

præſtare valet, quæ de paluſtri apio dicta ſunt: ſed eo imbecillius eſt: verùm ne mordicus opinionem hanc retinere videar, libenter in eorum concedam ſententiam, qui aliter cenſent, ea exceptione tamen, vt interim hæc planta mihi tantum Hipposelini vicem præſtet. Sunt qui hanc Laſerpitium, quiq; fructiferam Theophraſti libanotidem eſſe contendant, ſed plures ſunt notæ, (quantum video) quæ horum opinionibus refragantur. Braſauolus Ferrarienſis herbam Maceronem vulgò vocatam falſò Hypposelinum exiſtimat, à peruerſa fortaſſe Marcelli interpretatione deceptus, qui præter Dioſcoridis ſententiam, Hipposelino radicem intus candidam, foris verò nigram reddidit, cùm tamen in Græcis Dioſcoridis exemplaribus nulla nigredinis fiat mentio. Quo quidem argumento Maceronem Hipposelinum non eſſe, ſatis ſuperq; comprobatur, præſertim cùm hæc coloris radicum oppoſita qualitate inter ſe diſcrepent. Huius Marcelli lapſus illud cauſam fuiſſe arbitror, quòd legerit apud Theophraſtum, naſci Hipposelinum folijs paludapio proximis: caule magno, ac hirſuto: radice raphani modo craſſa, ſed nigra, nigroq; etiam ſemine, magnitudine eruo ampliore. Qua fortaſſe authoritate fretus Marcellus, nigram Hipposelino radicem ineſſe addidit in Dioſcoride. Sed animaduertendum eſt Theophraſtum eo loco non deſcripſiſſe Dioſcoridis Hipposelinum, cùm alterum ab altero pluribus differat notis, ſed Smyrnium potius. Id quod ex eo conijci poteſt, quòd Dioſcorides, itemq; Galenus aſſerant, nonnullos inueniri qui Hipposelinum à Smyrnio non ſeparent. Quibus verbis nil mirum inter eos, qui ita ſentirent, Theophraſtum quoq; ab illis comprehenſum fuiſſe.

Fuch. error Leuiſticum Smyrnium cenſent.

Cæterùm hac in re etiam Fuchſius, cuius tamen pace dixerim, apertè hallucinatur: quippe qui legitimum Hipposelinum Leuiſticum vulgò vocatum, ſmyrniũ loco in ſuis clariſſimis de ſtirpium hiſtoria commentarijs depinxerit. Idem præterea erraſſe deprehenditur in libro de compoſitione medicamentorum, quem nuper auctum edidit. Nam etſi primum rectè ſcribat, illud quo officinæ hodie pro apio hortenſi vtuntur, non eſſe niſi eleoſelinum, id eſt apium paluſtre, tamen poſtea perperam (meo quidem iudicio) ſcriptis tradidit, petroſelini ſemen ſeplaſijs apij ſemen vocari, atq; in eius locum vſurpari. Etenim Eleoſelini ſemine, non petroſelini, apij ſeminis loco vtuntur omnes fere pharmacopæi, idq; etiam apij ſemen nuncupant.

Apii generũ vires ex Gal.

Apij meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorium, ſic inquiens: Apium vſq; adeò calidum eſt, vt & vrinas, & menſes cieat. Flatus quoq; diſcutit, & magis ſemen, quàm herba ipſa. Sed & oreoſelini, & hipposelini ſimilis vis eſt: verùm hipposelinon imbecillius eſt, oreoſelinum valentius. Eodem quoq; libro ſuperius tamen, de Petroſelino diſſeruit his verbis: Petroſelini ſemen maximè vſui eſt, cùm tota etiam herba vnà cum radice ſimilem, ſed imbecilliorem facultatem ſortiatur. Eſt autem vt guſtu acri cum amaritudine, ſic & in operibus calidum, vnà cum incidendi effectu. Hinc menſes, & vrinas largè prouocat: flatus quoq; diſcutit. Fuerit itaq; & ipſum tertij ordinis tum excalfacientium, tum deſiccantium. Sed de Petroſelino Macedonico fuſius diſſerens libro primo de antidotis, ita ſcribit: Quod ad Petroſelinum attinet, laudatiſſimum Macedonicum eſt omnibus cognitum: quod Eſtreaticum etiam quidam appellant, à loco in quo naſcitur, nomen imponentes. Verùm exiguum eſt prorſus, quòd ibi prouenit, cùm & præruptus, & anguſtus is locus ſit. Eſtreaticum itaq; Macedonicum hoc, quod à Macedonibus in omnes gentes affertur, paucum & ipſum in Macedonum terra gignitur. Sed idem in petroſelino Macedonico accidit, quod in Attico melle, & vino Falerno contingit. Mercatores ſiquidem in omnem ferme orbis terram, vt mel Atticum, vinum Falernum, ſic Petroſelinum Macedonicum aduehunt, cum tamen in Macedonia petroſelini tantum non oriatur, quantum gentibus omnibus ſatis eſſe queat. Verùm in Epiro petroſelinum plurimum gignitur, quemadmodum in Cycladibus inſulis mel: atque vt mel ex inſulis Athenas affertur: ſic petroſelinum ex Epiro prius in Macedoniam comportatur, plurimumq;, & propè totum in Theſſalonicam: inde verò tanquam Macedonicum exportatur. Idem in vino Falerno contingit: nam cùm in exiguo quodam Italiæ agro Falernum proueniat, complura alia vina in Falerni ſpeciem à vini magiſtris concinnantur, quæ perinde atq; Falernina, in omnes prouincias Romano imperio ſubiectas importantur. Tibi verò ſi petroſelinum Eſtreaticum quandoq; deerit, ne peiorem exiſtimes theriacam futuram, ſi alium impoſueris. Non enim ſi mortiferis venenis, ſi venenatorum morſibus aliud ab Eſtreatico petroſelinum minus congruit, propterea reliquis etiam morbis, vt torminibus, ventriculo debili, aqua inter cutem, & id genus alijs, ſegnius opitulatur, quos in primis ſanare theriaca non promittit. Adhæc Eſtreaticum petroſelinum theriacam planè amariorem facit, præſertim cùm recens adhuc imponitur: differt enim ab alijs petroſelinis, quòd vt acerrimum, ita quoq; amariſſimum eſt.

Nomina.

Σέλινον κηπαῖον id Græci, quod Latini Apium hortenſe, nominant: Mauritani, Charſi, Charſi ſeu Chares: Itali, Apio domeſtico, & Petroſello & Petroſemolo: Germani Peterſilien vnd Peterlin: Hiſpani Perexil: Galli Perſil de iardin. Id verò ἐλεοσέλινον Græci dicunt, quod Latinè Apium paluſtre, & Paludapium: Mauritani, Aſilis: Itali Apio paluſtre, Apio aquatico: Germani Epffich vnd Eppich: Hiſpani Perexil dagoa, & Apio: Galli Perſil del eau. Quod autem ὀρεοσέλινον Græci, Apium montanum Latini vocant: Mauritani, Acraſelinum: Itali Apio montano: Hiſpani Perexil monteſino: Galli, Perſil des montaignes. Πετροσέλινον deinde id Græcis dicitur, quod item Latinis Petroſelinum, & Italis, Petroſelino. Poſtremò ἱπποσέλινον id Græcè vocatur, quod etiam Latinè Hipposelinum: Arabicè, Salis: Italicè Hipposelino: Germanicè Liebſtöckel: Gallicè Ache, & Ache large.

I. Apium hortenſe ſeu Petroſelinum vulgi, C.B. Petroſelinum, Brunf. (cui & Apium hortulanum) Trag. Cord. in Dioſc. Petroſelinũ ſylueſtre ſiue apium montanum, Fuch. in icon. Oreoſelinum, eidem in fol. Petroſelinum vulgare, Anguil. Lon. Apium hortenſe, Matt. Lac. Dod. gal. & fol. Lob. Caſt. Lug. Apium commune vel mas Plinii, Geſ. hor. Apiũ domeſticũ, Cæſalp. Apium ſatiuũ, Taber. II. Apiũ Criſpũ, quod à ſuperiore

* III. APIVM HORTENSE maximum. *



à ſuperiore foliorũ criſpatis oris & minutioribus inciſuris diſtat. III. Apium hortenſe maximum, C. B. Ex radice oblonga albida, & pro magnitudine plantæ, tenui, folia prodeunt pediculis palmaribus & ſeſquipalmaribus, ſtriatis, pallidè virentibus, tripartitò primum diuiſa, quorum quodlibet rurſus tripartitur, ipſæq; particulæ triplo quadruploue quàm in Petroſelino vulgò dicto maiores per ambitum inciſæ, pallidè virentes: inter hæc caulis exſurgit cubitalis & ſeſquicubitalis, tenuis, ſtriatus, in cuius ſummitate folia oblonga, anguſta, minimè inciſa. Vmbellam habet paruam, albam, exiguis floſculis refertam, quibus ſuccedunt ſemina Petroſelini forma, ſed duplo triploue maiora, guſtu nonnihil aromatico donata. Nomine Apii Anglicani primum apud nos ſatum. An fortè de hoc Anguillara, opinione ſeptima, dum de Selino agit, quod in vniuerſa Græcia, potiſsimum in Chio & Creta, pro Selino habeatur, intelligendus? IV. Apium paluſtre, C. B. Matt. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Caſt. Lugd. Apium, Brunf. Fuch. in folio. Lon. Apium vulgare, Trag. Apium agreſte, Cord in hiſt. Eleoſelinum, Fuch. in icon. Dod gal. & fol. Lob. Tab. Apii aliud genus, Cæſalp. cui apium latiore folio, caule verſicolore Theophraſti. V. Petroſelinum Macedonicum, C. B. Matth. Lob. Dod. fol. Caſt. Lugd. Tab. Cam. Apii alterum genus peregrinum, vel Apium Latifolium, Cæſalp. VI. Leuiſticum vulgare (an Libanotis fertilis Theophraſti?) C. B. Matth. Dod. fol. Cæſalp. Leuiſticus, Brunf. Liguſticum eidem. Geſ. hor. Lon. Tab. Liguſticum ſatiuum, Trag. Cord. in hiſt. Libyſticum vulgare, Fuch. in Icon. Liguſticum vulgare, Dod gal. Cam. Leuiſticum & Germanicum Laſerpitium, Lob. Smyrnium, Fuch. in fol. Lac. Hippoſelinum, Matth. Lugd. Leuiſtici loco habita herba Anguillaræ.

## Σμύρνιον SMYRNIVM. CAP. LXV.

SMyrnion, quod in Cilicia petroſelinum vocant, plurimum in Amano monte gignitur. Caulem habet apii & ſtolones multos: folia latiora, ſubpinguia, ad terram infracta, robuſta a odore medicato, cum quadam acrimonia iucunda, colore in luteum langueſcente: capitibus caulium orbiculatis vt anethi: ſemine braſsicæ, rotundo, nigro, acri myrrhæ ſapore, ita vt alterum alterius loco cedat. Radix quoque odorata, guſtu acri, fauces mordet, b ſuccoſa, mollis. Cortex eius foris niger, intus viridis aut ſubalbidus. Naſcitur in ſaxoſis, & collibus, c atq; ſqualidis, & limitibus terrenis. Vis radicis, herbæ, & ſeminis excalfacere. Foliis muria maceratis ad obſonia vtuntur: aluum ſiſtunt. Radicem contra ſerpentium ictus bibere conuenit: tuſſes, & orthopnœas mitigat: vrinæ difficultati medetur. Illita recentes tumores, collectiones, duritiasq; diſcutit, vulnera ad cicatricem perducit: partus abortu vitiat, ſi feruefacta ſubiiciatur. Semen lienis, renum, & veſicæ vitiis prodeſt: menſes, & ſecundas pellit: commodè datur iſchiadicis in vino: inflationes ſtomachi lenit: ſudores ciet, & ructus. Peculiariter datur hydropicis in potu, & contra febrium circuitus.

a Drag. εὐώδη σὺν δριμύτητι, φαρμακώδη τε καὶ ὑπομηλίζοντα. i. odorata cum acrimonia, medicataq; & colore ſubmelino.

b Meum πολύχυλα. i. multi ſucci.

c Me. & Dra. καὶ ἐνίκμοις καὶ γωνίαις χερσευούσαις. i. humectis, & angulis incultis.

Smyrnii conſideratio.

*SI Smyrnij ſingulæ notæ, quæ illi à Dioſcoride tribuuntur, rectè diligenterq; expendantur, facilè quidem perſpici poterit, Smyrnium ei herbæ ſimillimum eſſe quæ à noſtris in Hetruria vulgò vocatur Macerone. Siquidem hanc naſci clarum eſt caule apij, ſtolonibus multis referto: folijs latioribus, ſuppinguibus, robuſtis, ad terram verſis, odore medicato, cum quadam acrimonia iucundis, colore in luteum langueſcente. Præterea in caulium cacuminibus vmbellam gerit anethi modo: ſemine braßicæ maiore, oblongo tamen, nigro, acri, odore myrrham referente. Radice denique nititur odorata, acri, fauces mordente, ſuccoſa, ac molli, quæ exteriore cortice nigricat, interiore verò parte ex albo vireſcit. Quas quidem notas ferè omnes conſtat Smyrnio Dioſcoridem reddidiſſe. Verùm quiſpiam, cui fortè hæc noſtra ſententia minus arrideat, obtrudet nobis ſemen, vt quod Maceroni noſtro non inſit rotundum, braßicæ modo. Huic illud reſponſum volumus, quòd cum cæteræ in vniuerſum notæ illi reſpondeant, facilè in ſeminis delineatione mendum ſubeſſe poteſt. Vel quòd non in rotunditate, ſed in alio vni cum altero ſemine intercedat ſimilitudo. Porrò quamuis memoriæ non prodiderit Dioſcorides, quòd Smyrnium ſeratur in hortis, in quibus hodie noſtrum illud ſeritur, ſed quod ſponte in Amano Ciliciæ monte gignatur, tum etiam in collibus incultis, ac ſaxoſis locis, Plinij tamen ætate paßim in hortis ſerebatur. Id quod ipſe Plinius manifeſtè demonſtrat lib. 19. cap. vltimo, vbi Smyrnium inter hortenſia referens, inquit: Et Smyrnium olus iiſdem locis ſeritur, myrrhamq; radice reſipit. Idem quoq; teſtatur Galenus, quòd ipſum inter olera connumeret lib. 2. de alim. facultatibus, & de eo ſcribat in hunc modum: Smyrnium non eſt inſuaue: ideoq; Romæ plurimum venit. Multò autem acrius eſt & calidius, quàm apium: quin & odorati quidpiam habet. Quapropter efficacius vrinam ciet, quàm apium, hippoſelinum, & ſion: & mulieribus menſes mouet. Veris tempore caulem producit, qui crudus edendo eſt, haud aliter quàm folia, quæ ſola per hyemem merant plantæ, nondum caulem habenti, ſicut neque tum apium habet. Poſtea verò caule accedente, tota planta iucundior redditur, ſiue quis crudam ipſam, ſiue coctam mandat, ſiue ex oleo, & garo, ſiue vinum, ſiue acetum velit adijcere. Nonnulli cum aceto, & garo tantùm edunt, veluti apium: alij verò paulum olei ijs adijciunt: hæc Galenus. Ex cuius ſanè verbis liquidò apparet, Smyrnium veteribus etiam inter olera fuiſſe receptum. Galeno nimirum adſtipulantur ea,*

Plinii Smyrnium.

Galenus.

quæ de Smyrnio mihi retulerunt Siculi: namq; ij affirmant, plantam Maceronem appellatam paſſim coli in ſuis hortis, atque eam veris tempore (vt etiam Galenus perhibet) caulem tenerrimum emittere, qui non ſolum edendo ſit, ſed gratiam quoq; ineat cum ore, præſertim ſi cum ſale & pipere cinaræ modo comedatur. His itaq; fortaſſe, vel etiam validioribus rationibus adductus Manardus Ferrarienſis, vir quidem ingenio & doctrina celebris, Smyrniũ eſſe noſtrum dictum Maceronem, conſtanter aſſeruit. Quo ſit vt minus dubitem, Ruellij opinionem improbandam eſſe, quòd ſuſpicetur (vt proxima commentatione diximus) Maceronem eſſe paludapium: Smyrniũ verò eam eſſe ſtirpem certò putet, quam in Gallijs vocant vulgò Leuecchia. Eſt & alia planta, quã in CRETA SMYRNIVM vocari dicunt. Fert hæc folia noſtrate Smyrnio craſ-

Ruell. opinio improbanda.

Smyrnii Cretici hiſtoria.

I. SMYRNIVM.



II. SMYRNIVM CRETICVM.



ſiora, quina ab vno pediculo dependentia, & per ambitum ſerrata, quin etiam in altera parte ab exortu mutila. Longè autẽ diuerſa ſpectantur, quæ in caule ſunt. Ea enim rotunda ſpectantur, & caule & ramis, in quibus naſcuntur, perfoliatæ vocatæ modo tranſfiguntur, nullis ab ambitu denticulis. Caulem edit firmum, ſtriatum, & ſubter folia geniculatum, è quo in latere, vbi folia perforantur, ramuli exeunt è ſingulo foliorum ſinu, ſtrijs in longum protenſis. Vmbellam in caulium ramorumq; ſummitatibus gerit racematim diſſectã, floribus albicantibus, ſemine haud braſsicæ ſimili, ſed rotundo, anguloſo, & in acutum deſinente. Colore ex flauo nigricante, ſapore acuto & amarituſculo, pediculis longis ſtriatiſq;. Radicem recentem videre non licuit, ſed qui plantam miſerunt, eam Smyrnio noſtro ferè ſimilem faciunt, non modò facie, ſed etiam ſapore, odore ac viribus. Naſcitur in Creta inſula, & ſeritur nunc in Italia. Verùm enimuero (quantum ego iudicare poſſum) Smyrnium noſtrum magis admodum ad Smyrnij hiſtoriã accedit, quæ à Dioſcoride deſcribitur. Smyrnij tum hiſtoriam tum facultates deſcripſit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Smyrnium quidam Hipposelinum agreſte cognominant. Ex eodem genere & ipſum cum apio eſt, & petroſelino: fueritq; apio quidem validius, petroſelino autem imbecillius. Menſes itaque, & vrinas mouet, calidum ſiccumq; tertio ordine. Cilices petroſelinum nominant, quod in Amano monte naſcitur. Eſt quidem, & ipſum Smyrnium; minus verò petroſelino & Smyrnio acre, proinde & vlceribus imponi poteſt, quia videlicet ſine moleſtia deſiccat, ſed & digerere, quæ indurata ſunt, valet. Reliqua vis eius apio, & petroſelino ſimilis eſt. Quocirca & ſemine eius vtimur ad menſes, vrinas, & aſthmata, ſiue anhelationes: hactenus Gal. Cæterùm non deſunt ex recentioribus, qui contendant, plantam Imperatoriam vulgò vocatam legitimum eſſe Smyrnium, argumento quòd eius radices exterius nigricent, interius verò vireſcant. Verùm ij ex eo apertè decepti deprehenduntur, quod non animaduerterint an hæ plantæ cæteris inter ſe notis conueniant. Sed poſteaquàm de Imperatoria herba incidit mentio, ob ſui nominis maieſtatem, viriumq; præſtantiam, prætereundum ſanè non duximus, quin hic eius tum hiſtoriam, tum facultates ediſſeramus. Præſtantiſsima igitur IMPERATORIA in Ananienſibus montibus ſupra Tridentum frequentiſsima naſcitur, folijs ſphondylio minoribus, ſolo accubantibus, robuſtis, hirſutis, ac aſperis: caule bicubitali, purpuraſcente, rotundo, hirſutoq;: in cuius cacumine vmbella floribus candidis ornatur: è quibus poſtea ſemen prodit ſeſelis modo acutum, pariterq; odoratum. Radix ineſt ei non longa, mediocriter craſſa, rugoſa, dura, lignoſaq;: quæ foris nigra eſt, intus verò ſubviridis. Ea guſtu admodum acris deprehenditur, ac mordax, ſubamara & odorata. Ex quo non temerè aliquis conijcere poteſt, Imperatoriæ radicem excalfacere tertio exceſſu completo, vel quarto inchoante: ſiccare verò ſecundo. Incidit, trahit, aperit, digerit, attenuat, prouocat, reſoluit, venena diſsipat, Zedoariæq; facultatibus pollet. Diſcutit hæc mirificè tum ventriculi, tum inteſtinorum, tum etiam vteri flatus. Quapropter coli cruciatibus, ac ventriculi torminibus maximè vtilis eſt. Cit item menſes, atque vrinam. Fouentur eius decocto vtiliter in dolore dentes, præſertim ſi in vino auſtero radix decoquatur. Eadem ex vino pota vteri ſtrangulationibus prodeſt: conceptum adiu-

Smyrnii vires ex Gal.

Quorundam hallucinatio.

Imperatoriæ plantæ deſcriptio, & vires.

III. IMPERATORIA.



* IV. IMPERATORIA Alpina. *



*adiuuat, quem frigiditas intercipit: concoctionem roborat. Commanſa eſt veluti præſtantiſsimus apophlegmatiſmus, vt quæ efficaciter cerebri pituitam expurget. In puluerem contrita, vinoq́; ex ſaluiæ decocto ſubinde pota, frigidis occurrit morbis. Quamobrem reſolutis, comitialibus, veternoſis, conuulſis, auxilio eſt. Aiunt nonnulli quartana eos ſanari, qui pulueris cochlearij dimidium, hora vna ante acceſsionem, ex mero biberint. Oris halitum commendat, & omnes roborat ſenſus. Epidemijs morbis, venenis ferè omnibus, ac venenoſorum animalium, tum morſibus, tum ictibus opem præſtat. Aſthmaticos, ſeu anhelosos iuuat, obſtructiones aperit, aqua intercute laborantes ſanat, itemq́; liene affectos. In ſumma excalfacit vniuerſas corporis partes, quas frigus occuparit. Vt hinc palàm fiat, herbam hanc non immeritò ſibi Imperatoriæ nomē aſciuiſſe, cùm tot tantisq́; viribus prædita ſit. Σμύρνιον id Græci, quod Latini item Smyrnium, & Oluſatrum, nominant: Mauritani, Seniruion: Itali Smirnio & Macerone: Hiſpani Apio Macedonico. Gallis Maceron. At Imperatoria, Italis quoq́; Germanis, Meiſterwurtz: Officinis Germanorum, Magiſtrantia. Gallis Otruche, ſeu Imperatoire.*

I. Hippoſelinum vel Smyrnium vulgatum, C.B. Petroſelinum Alexandrinum, Trag. Hippoſelinum, Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lac. Cord. in hiſt. Lob. Tab. Smirnium. Matth. Geſ. hor. Caſt. Cam. Olus atrum, Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lon. Cæſ. Hippoſelinum Theophraſti, Macerone aut Alexandrinum vulgo, Anguillaræ. II. Smyrnium verum peregrinum, C.B. Smyrnium Creticum, Matth. Caſt. Lugd. Cam. Smyrnium Dod: gal. Geſ. ap. Lob. Tab. Smyrnium verum, Geſ. hor. Lugd. Smyrnium Amani montis, Dod. fol. Oluſatri alterum genus peregrinum, Cæſalpino. III. Imperatoria, quæ mediæ naturæ inter Laſerpitium & Panaces eſt, dicitur Aſtrantia, Brunf. Geſ. hor. Dod. fol. Magiſtrantia, Cam. Imperatoria, Matth. Lac. Geſ. hor. Lob. Caſt. Lugd. Tab. Smyrnium hortenſe, Trago. Laſerpitium germanicum. Fuch. Oſtrutium, Dod gal. Lon. Struthion, Cord. in hiſt. Herba Rena, Cæſalp. Liguſticum, Anguillaræ. IV. Imperatoriam hanc alpinam D. Camerario acceptam referimus, de qua hæc habet in ſuo Matthiolo. Minor eſt quàm præcedens omnibus ſuis partibus, nam & anguſtiora folia & pedicellos teneriores profert, ex radice non abſimili noſtræ Imperatoriæ & æquali etiam, guſtu acriori & magis vrente. Prouenit in alpibus apud Heluetios. Calida eſt & ſicca, vt vulgaris Imperatoria, qua ſuperior eſſe facultatibus omnibus videtur, & ad agendum promptior. Vtuntur hac planta ad quartanas, partus eruendos, & cerebrum expurgandum, flatus diſcutiendos, colicosq; dolores ſedandos, id quod vulgaris noſtra quoque præſtare poteſt.

Ἐλαφοβόσκον. ELAPHOBOSCVM. CAP. LXVI.

ELaphoboſco fœniculaceus caulis eſt, aut roſmarino ſimilis, geniculatus, foliis duum digitorum latitudine, vt terebinthi, prælongis, aliquantū aſperis, circumfractis. Adnata multa habet, ferentia vmbellas anethi ſimiles, & ſemina eiuſdem: florem ſubluteum, radice ternûm digitorum longitudinis, & a craſsitudinis vnius, candida, dulci, eſui apta. Caulis tener pro olere manditur. Contra ſerpentium ictus datur ſemen in vino. Fama autem eſt, hoc pabulo ceruas ſerpentium morſibus reſiſtere.

a Meum πάχος δὲ ἡ πλάτος i. craſsitudine verò ſeu latitudine.

*QVanquam aliqui profitentur, ſe Elaphoboſcum in Italia inueniſſe, atque etiam quibuſdam in hortis oſtendere: herba tamen, quam pro eo demonſtrant, folia profert inciſuris multis diuiſa, leuiaq́;. Adeò vt hinc perſpicuè intelligi poſsit, eam legitimo Elaphoboſco plurimum diſsidere, ſi Dioſcoridi magis, quàm Plinio fides eſt adhibenda. Plinius ſiquidem libro, & cap. 22. Elaphoboſcum folijs ſmyrnij, & ſemine corymbaceo depinxit his verbis:. Elaphoboſcum ferulaceum eſt, geniculatum, digiti craſsitudine: ſemine corymbis dependentibus ſimili effigie, ſed non amaris: foliis oluſatri, & hoc laudatum* Elaphoboſci conſid.

Bbb 3 *in cibis*

Ruellii opin. ſuſpecta.

Gratia Dei.

### ELAPHOBOSCVM.



*in cibis: hæc Plinius. In quibus verbis, quòd explanè à Dioſcoride diſſentiant, Manardus Ferrarienſis Plinij codicem deprauatum eſſe exiſtimat. Cæterùm Ruellius tradit Elaphoboſcum legitimum paucis hodie cognoſci, etſi frequens vbiq; reperiatur, illudq; eſſe cenſet, quod vulgo officinis ſimul & herbarijs Gratia Dei nominatur, è qua ſui nominis vnguentum conficiunt. Sed hanc Ruellij ſententiam non admittendam, quin potius explodendam putauerim, ſi per Gratiam Dei eam plantam intelligit, de qua nos ſuperius diſſeruimus in hyſſopi commentatione, & qua Officinæ vtuntur. Quippe quòd hæc caule, & folijs hyſſopo ſit perſimilis, non autem fœniculo, ac terebintho. Quamobrem aut aliam in Gallia plantã eſſe eodem nomine appellatam, aut Ruellium omnino deceptum exiſtimauerim. Ipſe equidem herbam quandam ſæpius vidi, tum in Tridentino, tum in Gorittienſi agro, cuius etiam hîc picturam damus, quæ ita notis omnibus Elaphoboſco reſpondet, vt non poterit animus non inclinari ad credendum; hanc aut legitimum eſſe Elaphoboſcum, aut plantam illi ſimilem. Paucas admodum Elaphoboſci facultates perſtrinxit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Elaphoboſcus facultatis eſt calidæ, & tenuium partium, ac proinde exiccatoriæ, ſecundo maximè exceſſuum ordine. Eius nomen Græcum eſt ἐλαφοβόσκον Latinum ſimiliter Elaphoboſcum, & cerui ocellum: Italicum Elaphoboſcò.*

Elaphoboſci facul. ex Gal.

Nomina.

Elaphoboſcum hoc, & Lacuna & Caſtor propoſuere: cuius & Tabernæmontanus nomine Elaphoboſci Matthioli meminit: Paſtinacam erraticam, quæ Baccia dicitur, eſſe ſuſpicantur.

### Μάραθρον. FOENICVLVM CAP. LXVII.

FOeniculum, ſi herba edatur, aut ſemen cum ptiſſana bibatur, mammas lacte replet. Comæ decoctum in renum doloribus ſubditum proficit, quippe quod vrinam excitet: contra ſerpentium ictus in vino conuenienter bibitur: menſes ciet: in febribus nauſeam, & ſtomachi feruorẽ ex aqua frigida potum ſedat. Contritæ radices, & cum melle illitæ, morſibus canum medentur. Succus caule, & foliis exprimitur, & in ſole ſiccatus, in medicamenta adiicitur, quæ ad excitandam oculorum aciẽ commodè temperantur. Extrahitur ſuccus ad eadem valens, etiam ſemine viridi, a ramuliſq; & radicibus prima germinatione inciſis. In Iberia, quæ ad occidentem ſpectat, ſuccum reddit gummi ſimilem. Caulem medium, dum herba floret, ruſtici demetunt, igniq; admouent, quo facilius vi caloris exudans, gummi remittat: quod efficacius ſucco eſt, ad medicamenta oculorum.

### FOENICVLVM.



a Meũ. & Cat. ϗ φύλλοις. i. & foliis.

### Ἱππομάραθρον. FOENICVLVM ERRATICVM. CAP. LXVIII.

ESt & ſylueſtre fœniculum, magnum: fert autem ſemen cachryi ſimile. Cuius radix iucundè olet, potaq; ſtranguriæ medetur: menſes impoſita ciet. Ventrem ſiſtit, radice, aut ſemine poto: contra ſerpentium morſus auxiliatur, calculos comminuit, regium morbum expurgat. Lactis abundantiam facit, decoctum foliorum hauſtum fœminas à partu purgat. Traditur aliud hippomarathri genus, longo, exili, & anguſto folio: ſemine coriandri, rotundo, acri, odorato. Excalfaciendi naturam habet, & viribus fœniculo reſpondet, ſed ad omnia infirmius.

Fœniculi cõſideratio.

*FOeniculum tam erraticum, quàm ſatiuum omnibus in Hetruria notum eſt. Seritur domeſticum Februario menſe vere ineunte, locis apricis, & modicè ſaxoſis: quippe quod non minus in ciborum condimentis guſtui acuta quadam dulcedine placeat, quàm vtilè ſit in medicamentis. Caulem edit anethi, ſed craßiorem, nec proceriorem, ſtriatum, geniculatumquè, folijs numeroſis, capillaceis, cauis alarum multis. Vmbellis cacumina occupantibus, anethi æmulis, melinis floribus, & ſemine oblongo, guſtu acuto, quadam cum leniuſcula amaritudine, odorato. In quodam verò genere hortis*

*Italicis*

*Italicis familiare, ſemen dulce percipitur, & craßiori quoq; mole ſpectatur. Radice nititur longa, digitali craßitudine, acuto ac amariuſculo ſapore, cum dulcedine quadam. Fœniculi meminit Plin. lib. 20. cap. 23. ſic inquiens: Fœniculum nobilitauere ſerpentes, guſtatu ſenectam exuendo, oculorumq; aciem ſucco eius reficiendo. Vnde intellectum eſt, hominum quoq; caliginem præcipuè eo releuari. Colligitur hoc caule turgeſcente. In ſole ſiccatur, inungiturq; ex melle. Vbiq; hoc eſt: laudatißimum tamen in Iberia è lachrymis fit, & ex ſemine recenti. Fit etiam è radicibus prima germinatione inciſis. Eſt & in hoc genere ſylueſtre, quod alij Hippomarathron, alij Myrſineum vocant, folijs maioribus, guſtu acriore, procerius, brachiali craßitudine, radice candida: naſcitur in calidis, ſed ſaxoſis. Diocles & aliud Hippomarathri genus tradit, longo & anguſto folio, ſemine coriandri. Hæc Plinius, qui ea ferè omnia à Dioſcoride mutuatus eſſe videtur. Porrò alterum ſylueſtris Fœniculi genus, cuius ſemen coriandri effigiem refert, à nemine hactenus, quod ſciam, in Italia cognoſcitur & oſtenditur. Agreſtis fœniculi radicem ſerpentium morſus ſanare ſcribit Dioſcorides à Nicandro edoctus, quippe qui in Theriacis vbi hanc plantam ἱππεῖον μάραθρον vocat, ita habet:*

Plinius.

Fœnic. ſyl.

Ἠὲ καὶ ἱππείου μαράθρου πολυαυρέα ῥίζαν.

*Fœniculum, vt memoriæ prodidit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, tam valenter excalfacit, vt ex tertio ordine excalfacientium cenſeri poßit. Deſiccat verò non æquè, ſed ipſum quiſpiam in hoc primi eſſe ordinis poſuerit, proinde lac procreat: quod ſi admodum deſiccaret, non ſanè generaret. Suffuſis eadem ratione auxiliatur. Vrinas menſeſq; ciet. Eſt & alterum Fœniculum ſylueſtre, quod præ magnitudine Hippomarathrum nuncupant, cuius radix ac ſemen amplius quàm domeſtici, deſiccandi vim obtinet, quocirca ventrem quoq; eo nomine ſiſtere videtur. Nec ſanè manifeſta illis ineſt adſtrictio. Huius non radix modò, ſed & multò magis ſemen cachryi adſimile eſt: poteſtq; & calculos frangere, & auriginoſos ſanare, menſeſq; mouere, & vrinam excitare: non tamen lac congerere, ſicut illud ſuperius. Aliud eſt Hippomarathrum, cuius ſeme rotundum eſt & acre, ſimile ſemini coriandri, facultate quidem Hippomarathro ſimile, ſed debilius. Planta Græcis μάραθρον, Latinis Fœniculum appellatur: Arabibus Raienigi: Italis Finocchio: Germanis Fenchel: Hiſpanis Hinoio & Funcho: Gallis Fenoil.*

Fœniculi vires ex Gal.

Nomina.

Fœniculum, quod ſatum cum magno fœnore ſemen reddat, ſatiuum eſt & ſylueſtre: Satiuum variat quòd aliud magis (caule breuiore, ſemine maiore albido, verumq; fœniculum creditur) aliud minus (vt vulgatum noſtrum, quibuſdam Hippomarathrum) dulceſcit: ſæpius tamen hortenſe ſecundo anno in ſylueſtre tranſit, quod in incultis montoſis ſemine exiliori, radice craſſiore naſcitur. Satiuum, Fœniculi nomen apud Herbarios retinuit.

## Δαῦκος. DAVCVM. CAP. LXIX.

Daucum aliqui Daucium vocant. Creticum folijs fœniculo ſimile, minoribus & tenuioribus: caule dodrantali, vmbella coriandri, flore albo: ſemine acri, candido, hirſuto, a ſuauiſſimi odoris in mandendo. Radix digitali craſſitudine, & dodrantis longitudine adoleſcit. In ſaxoſis naſcitur, & locis ſole illuſtratis. Aliud eius genus, ſylueſtri apio ſimile, acre, odoratum, aroma olens, feruentis guſtus. Probatiſſimum Creticum. Tertium aſſignatur genus folijs coriandri, floribus albis, b capite & ſemine

a Meũ. ἐν τῷ διαμασᾶσθαι καὶ εὐώδης. i. in manducando, odoratum. at Ca. δριμὺς ἐν τῷ διαμασᾶσθαι καὶ εὐώδης. i. acre in manducando & odoratum.

b Meum σπέρμα καὶ κεφάλιον ὅμοιον ἀνήθῳ ἐφ' ᾧ σκιάδιον. i. ſemen & caput anetho ſimile, in quo ſit vmbella.

I. DAVCVM. I.



* II. DAVCVS SECVNDVS Dioſcoridis. *



 anethi,

anethi, muſcario paſtinacæ: ſemine oblongo, ceu cumini, acri. Omnium ſemen excalfacit: potum vrinam, menſes & partus extrahit: torminibus liberat: veterem tuſſim mitigat: phalangiorum morſibus potum in vino, auxiliatur: tumores illitu diſcutit. Seminis duntaxat in aliis generibus inualuit vſus: in Cretico etiam radicis, quæ maximè contra venenatorum iniuriam in vino bibitur.

## III. DAVCVM. II.



Dauci conſideratio.

*TAmetſi nonnulli inueniantur plantarum exploratores, qui Daucum ab erratica paſtinaca nihil prorſus differre contendant, affirmantes, hoc idem ſenſiſſe Galenum, & poſt ipſum Paulum, ij tamen, quantum equidem ſentio, manifeſtè falli deprehenduntur. Nam etſi rectè dici poßit, Daucum eſſe ſylueſtris paſtinacæ genus: non ob id tamen illa, meo iudicio, fuerit vnquam ſylueſtris paſtinaca, cuius paulò ſuperius meminit Dioſcorides. Quandoquidem ſi vnam & eandem plantam eſſe Daucum, & agreſtem paſtinacam credidiſſet Dioſcorides, de ijs ſanè ſeorſum non diſſeruiſſet, neq; alterum ab altera proprijs capitibus diſiunxiſſet. Cæterùm cùm non deſint, quibus videatur Galenus inter has plantas nullam facere differentiam, videndum eſt, an ita ſe res habeat. Mihi quidem inter eas diſcrimen fieri voluiſſe Galenum, illud maximum argumentum eſt, quòd Dioſcoridem ſecutus, & ipſe varias vtriſq; tribuerit vires, eaſq; diuerſis locis deſcripſerit. Dauci ſiquidem lib. 6. Paſtinacæ verò libr. 8. mentionem fecit in ſimplicium cenſu. Hinc itaq; fit vt apertè conijciam, Galenum inter illa diſcrimen nouiſſe: atq; eos decipi, qui in hoc Marcellum, & Ruellium ſecuti, contrarium aſſerunt. Quorum præterea ſententiam, ipſius Galeni teſtimonio, facilè explodi poſſe putauerim, nec ſolùm quòd diuerſis capitibus vtriuſq; vires ſpeciatim tractauerit, ſed quia libr. 6. ſimplicium medicamentorum, Daucum non eſſe paſtinacam clariſſimè oſtēdit, cùm inquit: Daucus, quem quidam ſtaphylinum nominant, agreſtis quidem domeſtico minus eſt eſui idoneus. In quibus ſanè verbis Galenus perſpicuè ſatis declarare videtur, Daucum non ſibi, ſed alijs paſtinacam agreſtem appellari.*

Daucus & Paſtinaca agreſtis non idem eſſe oſtenditur.

Dauci tria genera.

*Quamobrem cum Dioſcoride non modò dixerim, ſed etiam affirmauerim tria Dauci genera inueniri, quorum illud Italis frequentius eſt, quod ſylueſtrem paſtinacam æmulatur. Hoc enim in Senenſi agro, præſertim in maritimis, frequentiſſimum naſcitur. Creticum autem legitimum ex Creta tantùm afferri exiſtimauerim. Porrò Daucus, qui coriandri folijs prouenit, & ſemine cumino ſimili, in quàm plurimis nō tantum Italiæ locis ſed etiā Germaniæ Bohemiæq; reperitur. Huius planta in herbario noſtro Germanico chalcographorū negligentia, dum ego Praga, graſſante Peſtilentia abeſſem, ſecundum Peucedani genus repræſentat: quod omnino præter meam ſententiam accidit.*

Dauci vires ex Galeno.

*Dauci vires tradidit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamētorum ſuprà citato, vbi ita ſcribit: Daucus, quem quidam ſtaphylinum nuncupant, agreſtis quidem domeſtico minus eſt eſui idoneus, cæterùm in omnibus vehementior. At domeſticus comeſtibilis quidem, ſed imbecillior. Acrem & calefaciendi facultatem obtinet, ac proinde etiam extenuandi. Certè radix præter iam comprehenſa flatuoſum quiddam obtinet, ac venereum. Semen autem domeſtici quidem & ipſum quandam ad venerem ſtimulandi potentiam poßidet. Agreſtis verò planè flatu caret, quod ἄφυσοι vocant: ac proinde vrinam menſeſq; ciet. Atq; hactenus de facultatibus Dauci Galenus. Qui ſubinde de ſemine eiuſdem ſcripſit, eiq; ſeorſum vires ſuas reddidit his verbis: Dauci herbæ ſemen excalfaciendi vehementer facultatem habet, vt inter prima efficax ſit tum vrinæ mouendæ medicamen, tum menſibus prouocandis. Multum etiam digerere per halitum poteſt, foris impoſitum. Ipſa verò herba ſimilem quidem vim obtinet, tamen ſemine infirmiorem, nimirum ob aqueæ humiditatis miſturam: quanquam vtiq; & ipſa calida ſit temperie.*

Nomina.

*Δαῦκος ita Græcis, vt etiam Daucus Latinis appellatur: Mauritanis Ducu, GeZar ſeu Ciezar: Italis Dauco: Germanis* Berwurtz*: Hiſpanis Dauco Cretico: Gallis Carote ſauuages. Daucum alterum Græcis δαῦκον ἕτερον: Italis Dauco d' altra ſpecie.*

Dauci differentias nouem in Phytopinace propoſuimus, de quibus in hiſtoria. I. Daucus folio fœniculi, C.B. Daucum primum, Matth. Lug. Daucus Creticus, Caſt. Tab. Cæſ. Daucus Cretenſis verus Dioſcoridis, Lob. II. Aduerſaria non ſolùm ex Creta legitimum adferri ſtatuunt, ſed & alpes Germaniæ, Genuenſium colles, & Geneuenſium circa Iuram rupes, hoc Cretico abundare, vnde Lugd. & ad alia emporia deferatur, placuit tamen Dauci huius, quem non ſolùm in alpibus Heluetiorum, ſed & in Baldo legimus, figuram, etiam á Camerario propoſitam, adiicere, quem Daucum montanum vmbella candida nominamus, & Daucum ſecundū Dioſcoridis cenſemus: Daucus Creticus, Geſ. hor. Cam. in ſuo Matt. Cluſ. hiſt. Pan. Daucum montanum, Cæſalpino dicitur. III. Daucus montanus apii folio maior, C.B. Daucum alterum, Matth. Lug. Daucus ſecundus Selinoides, Lob. Dauci tertium genus, Fuch. fol. Dauci ſecundum genus, Trag. Seſeli ſecundum, eidem. Seſeli Peloponeſiacum, Fuch. in icon. Geſ. hor. Cam. Seſeli Pannonicum ſecundum, Cluſ. hiſt. Pan. Libanotidis alterū genus, Dod. gal. Lug. Libanotis nigra, Geſ. hor. Thal. Libanotis Theophraſti nigra, Tab. Elaphoboſcum nigrum, Lon. an Polychreſton Cordo in hiſtoria?

## Δελφίνιον. DELPHINIVM. CAP. LXX.

DElphinium ſurculos emittit à radice vna ſeſquipedales aut maiores: à quibus folia exeunt parua, tenuia, diuiſa, prælonga, quæ delphinorum effigiem repræſentant: vnde tractum nomen eſt. Flos violæ albæ

læ albæ non diſſimilis, purpureus: & ſemen in ſiliquis, milio proximum: quo non aliud vtilius bibi poteſt, ab ſcorpione percuſſis. Aiunt enim obiecta herba ſcorpiones reſolui, atq; a ignauos torpeſcere: ſemota verò ea, ſeſe recolligere. Prouenit in aſperis & apricis. Alterum eſt Delphinium, quod Romani buccinum vocant, ſuperiori ſimile, ſed foliis & ramis longè gracilius. Viribus eiſdem pollet, ſed non ita efficacibus.

a Meum ἀ-[illegible] ναρκώδεις γίνεσθαι. i. inefficaces, & ſtupidos fieri.

I. SENA.



* II. SENA ACVTIORIBVS foliis ſeu Alexandrina. *



QVanquam ſcribit Ruellius, herbam in Gallia naſci, cui rura nullum adhuc nomen impoſuerunt, quæ omnibus prorſus notis Delphinio reſpondet: in Italia tamen nemo hactenus, quòd ſciam, legitimum oſtendit. Ex quo tantum abeſt vt putauerim vnquam, illud Ruellij verum ac legitimum fuiſſe Delphinium, vt etiam ſim plerunq; ſuſpicatus, hoc Delphinij caput in Dioſcoride ſpurium ac aſcititium eſſe. Nec temerè, vt arbitror: nam ſuſpicio inde ortum ſuum habuit, quòd Delphinium nuſquam, quantum equidem legerim, deſcribatur à Galeno & Paulo. Cæterùm non deſunt qui velint, eam plantã Delphinium eſſe, quam Germani vulgo vocant Ritterſporn, id eſt, Equitis calcar: herbariorum verò vulgus Conſolidam regalem: quam nos inter ſylueſtris Cumini genera ſuperius retulimus. Verùm cùm hæc folia non ferat Delphinorum effigie, nec flores albæ violæ æmulos, horum ſententiam cur probem, non habeo. Fuchſius ætatis noſtræ medicus præſtanti eruditione & rerum peritia, antedictorum opinionem ſequitur in libro de componendorum medicamentorum ratione. Sed ipſe quoq; (ſi rectè ſentio) vnà cum illis in errore verſatur: quandoquidem non ſolùm (vt diximus) nuſquam, quod ego inuenerim, Delphinij meminerunt illi præſtantiſſimi medicinæ authores, quos nominaui, qui tamen ſimplicia ex Dioſcoride tranſſcribunt, & mutuantur: ſed neq; etiam eius caput legitur in antiquiſſimo Dioſcoridis codice Longobardis literis ſcripto, cuius ſæpe fidem citat & probat Marcellus Virgilius, vt mihi licuit videre in eo, cuius copiam mihi fecit Viennæ clariſſ. Iuriſconſ. Ioannes Albertus Vuidmanſtadius Auſtriæ orientalis cancellarius. Quod certè manifeſto ſatis argumento eſſe poteſt, Delphinij hiſtoriam planè fabuloſam eſſe, vel ſaltem Dioſcoridi adſcriptam & illegitimam. Non defuere præterea, qui Senam Mauritanis vocatam, ſiliquarum conuexitate freti, Delphinium eſſe crediderint. Quorum grauis error ita euidens eſt, vt iam ab omnibus explodatur. Idq; non iniuria, quòd in Delphinio (demus eius caput legitimum eſſe) folia, non ſiliquæ quæ delphinorum formam repræſentent, requirantur: foliaq; ſint tenuia, longa, diuiſa: flores verò purpurei & tota deniq; Delphinij facies ea depingatur, quæ cum Sena quàm maximè pugnet, vt mox patebit. Nam quoniam Delphinij occaſione in Senæ ſermonem incidimus, cum huius nuſquam, quod inuenerim, meminerit Dioſcorides, Galenus, Paulus, & veterum Græcorum alij, ſitq́; in repurgandis humoribus non modò innoxium, ſed etiam ſummè vtile medicamentum, hunc locum nõ tranſeundum duximus, quin de Sena diſſeramus, eiusq; hiſtoriam, & vires cùm ex alijs, tum ex eo quod nobis compertum eſt, deſcribamus. Conſtat itaq; SENA, Mauritano nomine dicta, folijs glycyrrhizæ proximis, craſſis, ſuppinguibus, fabarum recentium ſapore: caule cubitali, à quo ramuli exeunt in lori modum flexiles. Flores ei emicant aurei, veluti braſſicæ, purpureis intercurſantibus venulis: quibus ſuccedunt folliculi falcati, adeoq; natura compreſſi, vt ſuperior membrana inferiori cohæreat: in quibus ſemen continetur in nigro ſubuireſcens, vuarum vinaceis vſq; adeò ſimile, vt non facilè primo oculorum intuitu alterum ab altero diſcernatur. Folliculi è ramuſculis prominent, tenui pediculo appenſi: quo fit, vt matureſcentes, paruo ventorum flatu facilè diſcutiantur. Planta eſt frigoris impatiens, ob idq; ſeri vult Maio, nec vltra autumnum perdurat. Siquidem (vt pluries expertus ſum) prius ſata, facilè frigore deperditur, ſerius verò hyemem ſimiliter non tolerat. Meminit Senæ Serapio in ſuo de ſimplicium medicamentorum volumine, vbi ſic habet

Delphinii conſideratio.

Conſolida regalis non eſt Delphinium.

Senam non eſſe Delphinium.

Senæ delineatio.

Serapio de Sena.

habet ex auctoritate Abohaniſa. Sena aſſeruatur ſicca, ſiliquas lunatas, & oblongas profert, in quibus ſemina in ordinem digeſta clauduntur. Siliquæ tenui pediculo pendent, ob idq; facile ventorum impetu deturbantur: caducas opiliones colligunt: hæc Serapio. Cuius poſtremis verbis fortaſſe deceptus Ruellius, Senam eam eſſe arborem exiſtimauit, quam Theophraſtus libr. 3. cap. 17. de plantarum hiſtoria Coluteam appellat: quandoquidem hæc antiquus paſtoribus fuit ſaginandis ouibus expetita. Vnde facile Ruellius, qui nunquam forſitan in Hetruria fuerat, vbi paſſim legitima Sena ſeritur, præſertim in Florentino agro, magno errore putauit, Senam non herbam eſſe, ſed arborem Coluteam vocatam, ratus eaſdem plantas eſſe. Sed eius error hinc præterea apertiſſimè diluitur, quòd Colutea ſiliquas proferat colore in purpuram primum vergentes, mox albicantes, flatu turgentes, quæ ſi premantur, crepitum magnum edunt: ſemine intus paruo, rotundo, lentis effigie. Sena verò ſiliquatur folliculis lunatis, qui nullo ſpiritu tumido diſtenduntur, quibus ſemen includitur vinaceorum inſtar. Adde etiam, quòd Colutea arbor ſit multis perdurans annis, Sena verò non niſi paucis menſibus viuat. Quo fit,

Ruellii hallucinatio Coluteam Senam cenſentis.

## III. COLVTEA.



vt iam omnibus palàm ſit, Ruellium hac in re manifeſtè cæcutiuiſſe, & inter Senam, & Coluteam non paruam intercedere differentiam. Et quamuis aſſerat Fuchſius in ſuis de plantarum hiſtoria commentarijs, has plantas facultate inter ſe minimè differre: eũ tamen in errore verſari putauerim, quòd certò ſciam Coluteæ ſemen potum non minus, quàm geniſtæ vomitiones ciere: & aluum quoq; citat, non ſine incommodo tamen, quanquam pecudibus nil tale efficiat. COLVTEA, vt de ea quoq; hic aliquid dicamus, Theophraſto auctore loco paulò ante citato, Liparæ propria traditur, arbor magnitudine præſtans, fructum in ſiliqua ferens, magnitudine lentis, quo oues mirum in modum pingueſcunt. Naſcitur ſemine, & fimo præcipuè ouillo. Tempus ſerendi cùm Arcturus occidit. Serendum ſemine præmadefacto, cùm iam in aqua pullulare inceperit. Folium habet non abſimile fœno græco. Germinat primò vnicaulis triennio maximè: ſpargitur deinde in ramos, quartoq; anno arboreſcit: hæc Theophraſtus. Ex quibus ſanè verbis liquidò apparet, quàm maximè à Colutea differat Sena. Fuchſius & medicinæ, & Græci ſermonis peritiſſimus, plantam hanc non Colyteam, ſed Coluteam à ſuo ſe errore vindicans, appellandam cenſuit: & rectè quidem, meo iudicio: nam Colytea longè alia eſt ab illa, Theophraſto teſte loco modò citato: vbi eam ijs depingit verbis: Arbor circa Idam proueniens, quam COLYTEAM vocant, genus aliud eſt. Eſt autem fruticoſa, ramoſa, aloſa, inuentu rara, non crebra: folio laurino, lauri latifoliæ, ſed rotundiori, ampliorięq;, vt vel vlmeo ſimile appareat, oblongius tamen, colore parte altera herbido, tergo autem albido, neruoſoq;: cortice non læui, ſed quaſi vitigineo: radicibus per ſumma gracilibus, & ſolutis, verùm vibratis, & admodum flauis. Fructu, floreq; carere putatur. Ex his Theophraſti verbis perſpicuum eſt, Colyteam à Colutea plurimùm differre.

Fuchſii circa Coluteę vires error.

Coluteæ ex Theophraſto hiſtoria.

Colytea Theophr. à Colutea differt.

Quæ tamen etſi Theophraſti æuo Liparæ peculiaris fuerit, hoc tamen tempore pluribus in locis ſponte natam vidimus præſertimq; in Tridentino agro apud Ananios, vbi ego primùm eam quàm plurimis oſtendi. Sed vt eò vnde digreſſa eſt, iam noſtra redeat oratio, credidit Meſues Senæ folliculos in deijcienda aluo folijs longè præſtantiores eſſe. Huic vero reclamat non ſolùm Manardus Ferrarienſis vir doctiſſimus, ſed etiam diuturna medicorum experientia: etſi Braſauolus, qui Meſuem tueri videtur, contrarium putet. Cæterùm ne quis ex altercationibus confundatur, dicam ingenuè quid hac in re ſentio, nec quicquam ab eo recedam, quod experimento pluries comprobaui. Sciendum igitur eſt, Senæ folliculos, qui ſiccati aſſeruantur, duum eſſe generum: alterum per ſe caducum, & in planta arefactum, à quo ſemen eximunt, nigrum, & prorſus euanidum: alterum verò, quod ante maturitatem demetitur, craſſum, ponderoſum, ſucco prægnans, & tegetibus expanſum in vmbra ſiccatur, ſed hoc venundatur rarum: cui ſanè, vt iam millies periculum fecimus, non minor deiectoria vis ineſt, quàm folijs. Primum verò genus, quo Venetijs omnes ferè officinæ ſcatent, non modò minorem huiuſmodi vim habet, ſed propè nullam: vt hinc planè colligere liceat, Meſuem hic non eſſe ſine limitatione damnandum: quandoquidem is, vt arbitror, de folliculis decerptis intelligat, non autem de caducis, quibus tantùm vtuntur ij, qui Meſui falsò reclamant. In quorum numero ego quoq; quandoq; fui, verùm cùm poſtea integrum Senæ campum ſeuiſſem, vt folliculos decerptos virentes, & ſucco prægnantes, mox ſiccatos experirer, rem aliter facto periculo ſe habere facilè comperi. Quare noſtro exemplo, qui folliculis vti voluerint, Senam ſerant, vt folliculos optimos habeant, vel ſaltem probatiſſimos emant, ſi tamen eiuſmodi reperiri poterunt: ſin minus, folijs tutius, & efficacius vtantur. Obeſt Sena (vt idem Meſues inquit) nonnihil ventriculo: quamobrem vt hæc tollatur noxa, & eius roboretur facultas, gingiber addendum præcipit: quin & ea, quæ cor, & ventriculum corroborant. Veruntamen non deſunt, qui hanc reprobent ſententiam: quòd deguſtatis Senæ folijs, aliquid adſtrictionis, nonnihil ſiccitatis, atq; etiam tantillum amaritudinis perceperint, quæ omnia potius Senam roborare ventriculum indicant, quàm ipſum perturbare, ac imbecillum reddere. In quorum ſententiam ego quoq; pedibus eo, nam etſi quibuſdam, præſertimq; mulieribus, quandoq; contingat, vt epoto Senæ diluto, eorum inteſtina torminibus vexentur, id nunquam ex Senæ facultate prouenire exiſtimaui, ſed ex craſſis, pituitoſiſq; excrementis, ab hoc pharmaco eò impulſis, quæ ſua craſſitie inteſtinorum meatus adeò replent, vt in eis non paruam extenſionem faciant, dum viam ad exitũ quærunt. Neq; tamen me vnquam aliquem inueniſſe memini, qui diceret ſe epota Sena, ventriculi dolore laboraſſe. Proinde Actuarius, qui ſolus, quantum extat, inter Græcos Senæ vires deſcripſit, Senam citra noxam bilem, & pituitã deijcere memoriæ mandauit. Id quod non ſine erubeſcentia ſilere coëgit quendam Philippum de Set medicum, qui (ni fallor) vt ſuam potius tueretur ſententiam, quam veritatem, pharmacum quoddã improbauerat ex Senæ diluto, rhabarbaro, atq; agarico conflatũ, quod

Meſuis & Braſauoli lapſus.

Senæ folliculi virentes purgant.

Senæ dilutũ cur tormina ſequantur.

cuidam

*cuidam Illuſtriſ. ac Reuerendiſ. Cardinalis Tridentini nepoti in quadam quotidiana febre dederat clariſsimus medicus Andreas Gallus Tridentinus. Is autem pharmacum illud damnandum eſſe cenſebat, quoniam Senæ dilutum, agaricumq́; excipiebat, argumẽto quòd hæc duo (vt ipſe aſſerebat) maximè ventriculum læderent, immemor, ne dicam ignarus, quantum præſtãtiæ, ac virium agarico tribuerint in febrib. diuturnis finiendis, à pituitæ præſertim infarctu exortis, Dioſcorides Galenus & Meſues, quantisq́; laudibus Senam extulerit Actuarius. Cæterùm è Sena, ea magis præſtat, quæ ex Alexandria Aegypti, vel ex Syria affertur, quamuis è noſtrate adhuc in agro virente, & roſarum diluto ego quotannis Syrupum parare conſueuerim, qui tutò largeq́; omnes purgat humores. Daturq́; commodè prægnantibus, & pueris, & cuiuſcunq; ætatis hominibus. Dilutum tamen magis præſtat, quàm decoctum, quòd nulla ex parte exhalet: cuius vnciæ quinq; vel ſex aluum modeſtiſſimè, & ſine moleſtia ſoluunt. Quod tutò dari poſsit prægnantibus, & pueris, experientia docuit, cui ſubſcribit Actuarius, qui Senam citra noxam purgare tradidit. Redditur medicamentũ hoc in deijcienda aluo præſtantius, atq; valentius, ſi caſsiæ nigræ aut mannæ, aut rhabarbaro, aut roſarum diluto, aut rhodopharmaco, quod officinæ Syrupum roſatum ſolutiuum vocant, commiſceatur, aut ſi maceretur Sena caprino ſero. Præſtantiſsimum dilutũ hoc modo paratur. Sumuntur foliorum electiſsimæ Senæ drachmæ ſex, gingiberis, aut cinnamomi contriti drachma vna, florum bugloſsi drachmæ duæ: miſcenturq́; omnia, & fictili vitro circumlito, ſiue ſtanneo vaſe anguſti orificij excipiuntur, & affuſis feruentis aquæ, aut ſeri caprini vncijs decem, vaſis oſculum adeò occluditur, vt nullus penitus ſpirandi pateat exitus. His peractis puluinari plumis anſerinis farcto, igniq́; calefacto vas inuoluitur, reponiturq́; in arca, vbi pernoctare ſinitur. Sic enim conſeruato calore dilutum omnem facultatem in ſe recipit. Sunt præterea, qui vindemiæ tempore Senæ folia in muſtum conijciant, vinum inde conficientes, quod alui deiectoriam vim obtinet ad multa vtile. Eſt enim domeſticum valde medicamentum. Educit Sena per inferna (vt Meſues teſtatur) bilem tum atram, tum flauam, & (vt Actuarius ait) non bilem tantùm, ſed ẽt pituitam: quod ſanè experientia comprobatur. Mundat Sena cerebrum, cor, iecur, lienem, pulmonẽ & omnes corporis ſenſus, confertq; omnibus eorum incommodis. Viſcerum obſtructiones aperit, auget iuuentutem, ſeniumq́; retardat, & animi hilaritatem affert. Folia in capitis perfuſionibus vtiliter decoquuntur, præſertim addita anthemide. Roborat enim hoc modo cerebrum, neruos, oculorũ aciem, & auditoriam facultatem. Optima demum in vniuerſum eſt medicina morbis omnibus diuturnis & melancholicis. Quamobrem Serapio, Sena, inquit, mirificè prodeſt delirio, amentiæ, ſciſſuris totius corporis, reſolutioni neruorum, phthiriaſi, cephalalgiæ, ſcabiei, puſtulis, pruritui & epilepſiæ. Cor etiam roborat, ſi tamen ijs potiſsimum commiſceatur medicamentis, quæ ipſum maximè confirmant, veluti viola.*

Senæ & eius diluti vires.

Diluti præparatio.

Senæ vires ex Meſ. & Sera.

*Planta, quæ Græcis δελφίνιον, Latinis quoq; Delphinium appellatur: Italis Delfinio. Quæ verò poſterioribus Græcis σῆνα, Latinis item Sena vocatur: Arabibus Sene: Italis Sena: Germanis* Senet: *Hiſpanis Sen de Alexandria: Gallis Sene de Leuant. At Collutea Græcis κολλουτέα: Italis Collutea.*

Nomina.

* IV. COLVTEA SILIquoſa. *



Cum Delphinio magnam eſſe ſimilitudinem Conſolidæ regali, capite de Cumino oſtenſum, nunc de Sena, quæ veteribus Græcis indicta videtur, cuius inventio Arabibus debetur, quam Meſues ſatiuam & ſylueſtrem fecit. Duplex habetur: altera, acutioribus anguſtioribuſq; foliis quæ ex Alexandria Ægypti adfertur: altera, quæ latioribus rotundioribuſque eſt foliis, in Italia frequens, quæ vilior eſt & Orientali longè inefficacior. I. Sena rotundifolia, C.B. Sena, Matth. Lac. Dod. quoad iconem, Fuch. Cord. in hiſt. Lon. Lob. Caſt. Sena cõmunis & vilior, Geſ. hor. Sena herba noſtras, Cæſal. Sena Italica, Cam. Tab. II. Sena acutioribus foliis, C.B. Sena Alexandrina, Tra. Geſ. hor. Cam. Sena Orientalis, Cæſ. Cam. Sena, Do. quoad deſcriptionem. III. Colutea Corniculata, C. B. Colutea Theophraſti, Trag. Dod. gal. (cui & Cytiſus Latinorum) Geſ. hor. Lob. Colutea, Matth. Fuch. Lac. Lon. Dod. fol. Caſt. Tab. Colutea veſicaria, Lug. (cui & Liparea Theophraſti) Cam. Emeri alterum genus, Cæſ. IV. Coluteæ ſiliquoſæ, licet quatuor ſint ſpecies, de vulgatiore hoc loco. Frutex hic ex radice buxea lõgè lateq; diſperſa, ſaporis amarodulcis, caules plures bicubitales, cortice modò ſubalbido, modò viridi tectos, graciles, lignoſos, in plures ramos diuiſos emittit, circa quos folia in vno pediculo ſeptem aut nouem coniugatim diſpoſita, virentia, læuia, ſubrotunda, guſtus ingrati & amari: flores lutei Geniſtæ figura, longis pediculis propendentes, quibus ſuccedunt ſiliquæ oblongæ, tenues, articulatæ ſcorpioidi ſimiles, ſemina oblonga, ruffa, ſingula in ſingulis articulis continentes. In montibus noſtris vt Muteto obſeruauimus: apud Gallos locis nemoroſis inter buxos, ſic & in Valena ſylua agri Monpelienſis & cis Lanum prope fluminum crepitudines. Dicitur Colutea ſcorpioides, Aduerſ. Lob. Cam. in Matthiolum Lugd. Colutea ſcorpioides prima, Cluſ. hiſt. Pan. Tab. Emerus Cæſalpino.

## Πύρεθρον. PYRETHRVM. CAP. LXXI.

PYrethrum Romani ſaliuarem vocant. Folia, caulemq; emittit, vt daucum ſylueſtre, & fœniculum: vmbellamq; Anethi, circinatæ rotunditatis, radix longa eſt, pollicis craſſitudine, guſtu feruidiſſimo. Pituitam elicit: ideo in dolore dentium, decocta in aceto colluto inde ore, auxiliatur: manſa pituitam extrahit.

trahit. Sudores ciet, perunćto ex oleo corpore: diuturnis horroribus efficax: contra perfrictiones membrorum, reſolutionesq; eximiè conducit.

I. PYRETHRVM VERVM. II. PYRETHRVM ALTERVM.





Pyrethri conſideratio.

*PYrethri radix officinis omnibus nota, in frequentiq; vſu habetur, præſertim in dentium cruciatibus. Eius autem planta non omnibus nota eſt, quòd rara fortaſſe apud nos proueniat. Nos plantam cuius hic imaginem expreſſimus, non ſine labore conſequuti ſumus. Atqui aliud etiam eſt Pyrethrum, vulgaris notitiæ planta, quod vmbellas non gerit, ſed flores Anthemidis maiores: Folia fert Libanotidis ſeu Anthemidis craſſiora, caulem ramoſum, folioſumq;, florem maioris Bellidis grandiorem, colore intus aureo & per ambitum candido: radicem pollice craſſiorem, multifidamq; & acutam, alterius ferè Pyrethri modo, adeò vt iam mihi perſuaſum habeam plura Pyrethri genera haberi: non deſunt etiam rei herbariæ indagatores, qui nouum quoddam Pyrethrum oſtendant, paſſim fere in pratis, ac incultis naſcens, folijs hortenſi paſtinacæ proximis. Cuius radix etſi primo ſtatim guſtu acris non ſentiatur, poſtea tamen cùm diutius manditur, tum linguam, tum fauces ſua feruenti acrimonia mordet, ac quodammodo incendit. Sed tamen huius acrimonia non eſt (niſi fallatur guſtus) cum legitimi Pyrethri ſapore comparanda: quippe, qui & amarior, & multò acrior, & feruentior percipiatur. Quod autem ſecundo loco appinximus, primùm vidimus in Bauſano Tyrolenſium Emporio, in hortulo quodam Blaſij Sbaicher Medici, & rei herbariæ ſtudioſiſſimi. Cæterùm copioſiſſimum deinde in Bohemia reperimus, vbi non ſolùm in hortis paſſim ſeritur, ſed ſpontè quoq; in montibus prouenit.*

Pyrethrum in pratis.

Pyrethri vires ex Galeno.

*Pyrethri meminit Galenus lib. 8. ſimpl. med. vbi eius vires ijs deſcripſit verbis: Pyrethri radice potiſſimè vtimur, cauſticam, vrentemve facultatem obtinente: quæ vtiq; etiam dentium refrigeratorum dolores lenit: & ad rigores ante periodum cum oleo confricatur. Ad hæc ſtupidos quoq;, quos* ναρκώδεις *vocant, & reſolutos adiuuat. Alterius radix vrentis eſt facultatis, quadam cum leuicula amaritudine. Ideoq; fuerit ex quarto excalfacientium ordine. Etſi viribus videatur altero infirmioribus, poteſt tamen eius vicem commodè explere.* Πύρεθρον *ſic Græcè, Latinè verò Pyrethrum & Saliuaris herba vocatur: Arabicè Macharçaraha ſeu Hacharcarha: Italicè Piretro: Germanicè* Bertram: *Hiſpanicè Pelitre: Gallicè Pyrethre. Pyrethrum alterum, ſeu Pſeudopyrethrum: Italis Piretro ſecundo, ſiue Piretro falſo.*

Nomina.

Pyrethrum, ab igne nomen habet, ob radicis eius feruorem igneum. I. Pyrethrum vmbella candida, C.B. Pyrethrum verum Matth. Lugd. Pyrethrum alterum, Lob. Caſt. Pyrethrum Dioſcoridis primum Cam. Pyrethrum fortè Cæſ. Pyrethrum primum, Taber. II. Pyrethrum flore Bellidis, C.B. Pyrethrum, Brunf. Trag. Fuch. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lac. Pyrethrum alterum, Matt. Lug. Tab. Cæſ. Cam. Pyrethrum officinarum, Lob. Pyrethrum maius, Lonicero.

## Λιβανῶτις. ROSMARINVM. CAP. LXXII.

a Meū κάγχρυ. i. cachrys.

DVo Roſmarini genera. Vnum fœcundum, frugiferumq;, cuius ſemen a cachrys vocatur. Folia fœniculi habet, craſſiora & latiora, in rotæ ſpeciem, humi ſparſa, iucunde olentia: caulem cubitali altitudine, aut maiorem, multis concauum alis: in cacumine vmbellam, in qua ſemen copioſum, candidum, ſphondylio ſimile, rotundum, anguloſum, acre, reſinaceum; quod in mandendo linguam exurit: radix

thus

thus redolet, candida, prægrandis. Eſt & alterum omnino conſimile, ſemen ferens latum, nigrum, vti ſphondylion, odoratum, minimè exurens: radice foris nigra, intus ſi frangatur, alba. Verùm id quod ſterile dicitur, illorum planè ſimilitudinem refert: ſed neq; caulem, neq; florem, neq; ſemen promit. Naſcitur in ſaxoſis & aſperis. Trita omnium herba communiter hæmorrhoidum profluuia ſiſtit: ſedis inflammationes, & condylomata mitigat: concoquit ſtrumas & abſceſſus, qui ad maturationem ægrè perducuntur. Siccæ radices cum melle vlcera purgant: torminibus medentur cum vino potæ, b & contra ſerpentium morſus conueniunt: menſes & vrinas cient: veteres tumores illitu diſcutiunt. Tam radicis, quàm herbæ ſuccus, adiecto melle, illitus oculorum aciem exacuit. Potum ſemen ad eadem pollet: ſi comitiale malum ſentiatur, aut vetus pectoris vitium, auxilio eſt: regio morbo laborantibus cum vino, & pipere datur: ſudores mouet, cum oleo perunctum: ruptis & conuulſis prodeſt: podagris, cum loliacea farina, & aceto tritum, illinitur: purgat vitiligines, addito aceto quàm acerrimo. Semine in potionibus vtendum, eius quidem quod cachryn non ferat: quippe illud ſua acrimonia arteriam exaſperat. Roſmarinum cum erica naſci, foliis lactucæ ſylueſtris amaræ aſperiorib. candidioribuſq;, radice breui, Theophraſtus author eſt: potuq; idipſum alterutra parte purgare. Cachrys vim habet excalfaciendi, & vehementer exiccandi: quare abſtergentibus medicamentis inſeritur: contra oculorum fluxiones capiti illinitur, ita vt tertio die ſoluatur.

b Me. κὴ θηριοδήκτοις ἁρμόζει σὺν οἴνῳ πινόμενα, i. & cõmorſis à beſtiis venenatis proſunt cũ vino potæ.

λιβανωτὶς στεφανωματικὴ.

## ROSMARINVM CORONARIVM. CAP. LXXIII.

ROſmarinum, quo coronarii vtuntur, ramos mittit tenues, & circa eos folia a [minuta, denſa] longa, exilia, ſubter incana, ſupernè virentia, grauiter odorata. Excalfactoria vi præditum eſt. Regium ſanat morbum, ſi decoctum in aqua, ante exercitationes bibatur: & vbi laborans exercitationi ſe crediderit, in balnea deſcendat, & merum potet. Acopis, gleucinoq; vnguento admiſceri ſolet.

a Me. λεπτὰ i. tenuia Ori. aũt nõ legit, minuta dẽſa.

I. LIBANOTIS SEV ROSMArinum.



II. ROSMARINVM CORONarium.



*PRimum ac ſummum Libanotidis ſiue Roſmarini genus, quod mas appellant, ſub duplici differentia à Dioſcoride repræſentatum, aliquoties vidi Venetÿs in horto amœniſſimo Maphœi medici excellentiſſimi, nullis ſanè deficientibus notis, quas illi Dioſcorides aſſignauit. Idem quoq; frequens ſatis naſcitur in agro Goritienſi ſupra Salicanum in monte Gargaro, in via qua ad ædem diuæ Virgini ſacram aſcenditur. Verùm alterum genus, quod fœminam dicunt, hactenus in Italia nuſquam mihi videre licuit, tametſi id inibi naſci non negauerim. Sed certè Cordum in ſuo diſpenſatorio hallucinatum crediderim: quippe qui exiſtimauerit ſylueſtrem Angelicam eſſe Libanotim. Cæterum variat, mea quidẽ ſententia, in Roriſmarini deſcriptione Theophraſtus, qui lib. 9. cap. 12. de plantarum hiſtoria, de Roſmarinis hæc poſteritatis memoriæ prodidit. Roſmarini genera, inquit duo, alterum ſterile, alterum fertile: & alterũ tam fructu, quàm folio vtile, alterum tantùm radice. Fructus cachrys vocatur. Fertile folium habet paluſtri apio ſimile, ſed multò maius: caulem ad magnitudinem cubiti, aut maiorem: radicem magnam, craſſam, candidam, & veluti thus redolentem: fructum candidum, ſcabrum, oblongum. Naſcitur potiſſimùm ſolo ſqualido atq; ſaxoſo. Radix medicamento vlcerum vtilis, & menſibus pota in vino nigro auſtero. Fructus ad vrinæ ſtillicidia, & aures, & argemam, & ad oculorum morbum lippitudinem nuncupatum, &*

Roſmarinorum conſid.

Cordus notatur.

Roſmarini hiſt. ex Theophraſto.

*lactis vbertatem mulieribus facit. Sterile illud folio lactucæ amaræ conſtat; ſed ſcabriori candidiorique, radice breui. Naſcitur id quoque prædicto ſolo (alias, vt Hermolaus legendum cenſet, & hic a Dioſcoride commonemur, vbi erica) lætiſsimum. Radix partim ſuperius, partim inferius purgat. Quod enim germen verſus conſiſtit, ſuperius purgat: quod terram verſus, inferius. Prohibet & veſtibus interpoſita vermiculos noxios. Colligitur per meſſem tritici: hæc Theophraſtus. Porro Coro-*

Roſmarinũ coronarium. *narium Roſmarinum, noſtrum nimirum vulgare eſt, quod in hortis & vineis paſsim habetur. Id in frequentiori vſu eſt. ſiquidem non ſolùm in medicamentis eſt vtile, ſed etiam in culinis ad ciborum condimenta concinnanda. In Prouincia Narbonenſis Galliæ, adeò copioſum ſponte prouenit, vt illud perinde, ac alia ligna vrant. Tantæ enim craſsitudinis caudice prouenit, vt ex eo cum citharæ, tum menſæ parentur. Apud Italos hortorum parietes ornat, & eorundem areas circumueſtit. Floret non ſolùm vere ſed etiam Autumno, floribus odoratis, in purpura albicantibus. Hallucinantur recentiores quidam,*

Roſmarinũ non eſſe Cneoron. *qui Cneoron, Roſmarinum Coronariũ eſſe contendunt.* Roſmarini vires Matth. *Excalfacit, attenuat, digerit, reſoluit, aperit, roborat, mordicat, abſtergit. Præſtat ad frigidos ventriculi affectus, ad cœliacas paſsiones, & vomitum cibi, ſi cum pane deuoretur, aut bibatur in puluerem contritum ex meraco. Prodeſt & lienoſis & iocinoroſis, nam non ſolùm excalfacit, extenuat, & obſtructiones reſerat, ſed ſua adſtringendi vi, etiam roborat. Valet ad capitis fluxiones, & ad eius frigidos morbos omnes, nempe ad comitiales, ſtupidos, veternoſos reſolutosque. Additur vtiliter in capitis lotionibus, quinetiam in articulorum fomentis. Cohibet alba vteri profluuia, ſi diutius quotidie ſumatur. Viſum acuit, ſi toto tempore, quo floret, quiſpiam ieiunus flores vna cum circumſtantibus folijs cum pane & ſale quotidie vorauerit. Manſum oris halitum commendat. Siſtit dentium, & gingiuarum fluxiones in aceto, & vino auſtero feruefactum, vbi hoc decocto calido os colluatur. Sicci farina, recentia vulnera glutinat, verum operæpretium eſt ea prius vino in quo ipſum fuerit coctum, abluere, & deinde farinam inſpergere. Parantur è virgis dentiſcalpia, & carbones ad picturas delineandas. Flores ſaccharo aſſeruati valent ad omnia prædicta, peculiariter autem ad frigidos cordis affectus, ad pectoris vitia, & ad arcenda peſtilentiæ contagia. Præſtat etiam admodum in obſoniorum vſu.*

Roſmarinũ ſylueſtre. *Naſcitur in Bohemia & Polonia vliginoſis locis, planta, quam* SYLVESTRE ROSMARINVM *ap-*

III. ROSMARINVM SYLueſtre.



* IV. ROSMARINVM SYLVEſtre minus. *



*pellare libuit, quod Roſmarini coronarij faciem quadantenus repræſentet. Creſcit hæc planta cubitali altitudine, fruticoſa, virgis tenuibus, lignoſis, materie fragili, rufeſcentib. minij ferè colore. Folia in his erumpunt numeroſa, Roſmarini coronarij æmula, prona parte viridia, tranſuerſis vtrinque lineis diſpari ordine ductis obſignata, ſupina verò rubeſcẽtia, & rubro appenſa pediculo. In ſurculorũ ſummitatib. corymbacea coma viſitur rubro colore, e qua flores pandũtur ſublutei. Radice nititur infirma & ſuperuacua. Planta eſt odorata, ſiquidem folia, & flores citreũ malum olent, quinetiã guſtu aromatis nõnihil reſipiunt, adſtrictione quadã relicta. Præfertur hæc planta Bohemis cõtra tineas & blattas, quæ veſtes lacerãt, quare ijs eam interponũt. Atqui mea quidẽ ſententia, ad ea omnia efficax eſt, ad quæ Roſmarinũ Coronariũ præſtare diximus, preterquã ad ciborũ condimenta. Sunt, qui hanc plantã Dioſcoridis Ericam eſſe contendunt, ſed hallucinantur, cum nullã cum*

Roſmarini vires ex Gal. *Myrica cognationẽ habeat. Libanotidis ſiue Roſmarini tum hiſtoriam, tum facultates deſcripſit Galen. lib. 7. ſimp. med. ſic inquiens: Libanotides tres ſunt, vna ſterilis, duæ fructum ferentes: omnes verò eiuſdem facultatis, emollientis & digerentis. Succus tum radicis, tum herbæ, miſtus melli, obtuſam oculorũ aciem ab humorũ craſsitudine curat. Porrò eius Libanotidis, quæ ad coronas eſt vtilis, quã Romani Roſmarinũ nuncupant, decoctũ, regio morbo laborãtes potũ adiuuat. Omnes n. Libanotides abſtergẽtis, & incidentis facultatis participes ſunt, hæc Galen.* Cachrys quid. *Cæterũ Cachrys nõ modò Roſmarini ſemen ſignificat, ſed etiam quorundam arborũ nucamenta, vel potius excrementa, quòd nec fructus, nec flores propriè dici poſsint: quæ tamen ante fructus erumpunt & decidunt, qualia viſuntur in corylo, cui ſunt longo piperi ſimilia, item in nuce ac quercu.*

Niſi

*Niſi inter hæc veteres Græcos auctores aliquam nouiſſe differentiam ſit iudicandum, quòd apud pleroſq; non cachrys ſed canchrys, pro Roſmarini ſemine ſcriptum reperiatur, quas tamen voces hactenus à recentioribus confundi inuenio. Planta, quæ λιβανωτὶς Græcis: Libanotis & Roſmarinum Latinis dicitur: Mauritanis Xaier almeriem, Alpiralſach & Cachola: Italis Roſmarino. Quæ verò λιβανωτὶς ςεφανωματικὴ Græcè, Roſmarinum coronarium Latinè vocatur: Arabicè Elkialgeber: Italicè Roſmarino coronario: Hetruſcis Ramerino: Germanicè Roſmarin: Hiſpanicè Romero: Gallicè Roſmarin.* Nomina.

Libanotis ab odore thuris nomen habet. I. Libanotis ferulæ folio ſemine craſſo, C.B. Libanotis ſeu Roſmarinum, Matth. Lac. Roſmarinum primum, Caſt. Libanotis prima, Dodo. fol. Libanotis candida, Cæſalp. Libanotis prior vel Cachryfera, Cam. Cachrys verior, Libanotis Galeni, Lob. Lugd. II. Roſmarinus hortenſis, C.B. Roſmarinus, Brunf. Trag. Fuch. Lon. Roſmarinum coronarium, Matt. Dod. gal. Lac. Lob. Caſt. Lug. Cæſ. Cam. Roſmarinus Coronaria, Dod. fol. Roſmarinus minor ſeu tenuifolius, Cord. in hiſt. Libanotis coronaria, Cor. in Dioſ. Geſ. hor. Cneoron nigrum Theophraſti, Anguillaræ. Hic & latiore (qui in ſylueſtribus Galliæ, vt Monſpelii prouenit) & anguſtiore folio, qui in hortis colitur. III. Roſmarinum ſylueſtre, Matth. Caſt. Lug. Chamæpeuce, Cord. in Dioſc. & hiſt. Cam. Lug. Ledũ Sileſiacum, Cluſ. hiſt. Pan. Tab. Ledum foliis Roſmarini alterum, Lob. IV. Roſmarinum ſylueſtre minus, Camerarius ſuo Matthiolo iunxit, qui priori multò minor & tenerior, lignoſis tenuibuſq; virgis, palmi altitudinẽ vix ſuperans: foliis eſt acuminatioribus, infernè cæſiis: ſurculorum ſummitatibus floſculi inſident rubelli, quibus ſemen priori ſimile ſuccedit. Hoc in Boruſſiæ ſyluis vmbroſis, vliginoſo ſolo prope priorem prouenire, Camerarius teſtatur.

## Σφονδύλιον. SPHONDYLIVM. CAP. LXXIIII.

Sphondylium folia quadantenus Platani, & Panacis habet: caules fœniculaceos, cubitali altitudine, aut amplius aſſurgentes: in quorum cacumine ſemen duplex, ſeſeli ſimile, ſed latius, candidius, & magis paleaceum, grauis odoris: flores eius albi, aut pallentes: radice raphani, candida. Naſcitur in paluſtribus & aquoſis. Potum ſemen a pituitam per aluum extrahit: medetur iocineris vitiis, regio morbo, comitialibus, orthopnoicis, vuluarum ſtrangulationi: veternoſos ſuffitu reuocat. Cum oleo commodè infunditur capitibus phreneticorum & lethargicorum, item capitis doloribus: cum ruta illitum, ſerpentia vlcera cohibet. Datur radix contra regium morbum, & iocineris vitia: circumraſa eadem, & iniecta callos fiſtularum derodit. Recentis floris ſuccus exulceratis auribus purulentiſq; accommodatur, qui cæterorum ſuccorum more exprimi, dein recondi ſolet.

a Meum φλεγματαγωγὸς. i. pituitam educens.

SPHONDYLIVM.



*Rara admodum ſunt prata, vligine madentia, quæ inter alias complures herbas, innumeras quoq; Sphondylij plantas non habeant: eaq; præcipuè, quæ in montibus potius, quàm in planitie virent. In his ſanè Sphondylium copioſum naſcitur, folio platani, aut panacis, caule fœniculi, cubitalem longitudinem excedente: in cuius cacumine vmbella inſidet, albis floribus referta: è quibus ſemen prodit, ſeſeli non abſimile, latius tamen ac ſquamoſum, ſapore iniucundo, vt quod cimices fermè reſipiat. Radicem profert albam, raphani æmulam, guſtu non ingrato. Huius ſemine vtuntur quidam ſeſelis vice, quòd alterum alterius effectus præſtare exiſtiment. Succus incidit, digerit & aperit: idem capiti inunctus, criſpos capillos facit. Porrò Fuchſius non videtur ſatis Sphondylium nouiſſe, quod ipſum vnà cum Acantho depingat, vocetq; Acanthum Germanicam. Cui facilè impoſuerunt officinæ Germaniæ, quæ foliorum ſimilitudine deceptæ, pro Branca vrſina Sphondylium vſurpant. Sphondylij facultates memoriæ prodidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Sphondylij fructus acris, & ſecantis eſt facultatis. Itaque ad aſthma, & comitialem morbum aptum eſt medicamentum: prodeſt & regio morbo. Et radix nimirum adſimilis facultatis, ad eadem accommodatur. Sed & inſuper fiſtularum callos tollit: cæterùm imponere eam oportet circumraſam. Porrò floris etiam ſuccus ad diuturniora aurium vlcera conueniens reponitur. Quod Græci σφονδύλιον Latini ſimiliter Sphondylium vocant: Itali Sfondilio.*

Sphondylii conſid.

Fuch. error, Acanthum vocantis.

Sphondylii vires ex Gal.

Nomina.

Sphondilium duplex habetur, hirſutum hoc loco poſitũ, & glabrum, de quo in hiſtoria vniuerſali noſtra. Sphondiliũ hirſutum, C.B. Branca vrſina, Brunf. Trag. Cord. in Dioſc. (cui & Bupleuron Nicandri) Thal. Branca vrſina Germanica, Dod gal. Acanthus Germanica, Fuch. fol. Sphondylium, Matth. Lon. Lac. Geſ. hor. Caſt. Tab. Cæſ. Spondylium, Lob. Dod. fol. Lugdunenſi.

## Νάρθηξ. FERVLA. CAP. LXXV.

E Viridi Ferula medulla pota vtilis eſt ad cruentas excreationes, cœliacoſq;: contra viperarum morſus in vino datur: erumpentem naribus ſanguinem indita ſiſtit. Semen potum torminoſis auxiliatur: ſudo-

ſudores ciet, vncto ex oleo corpore. Caules ſi edantur, capitis dolores faciunt: muria condiuntur. Ferula itaq; caulem profert ternûm ſæpe cubitorum: folia fœniculi, longè aſperiora & latiora, quæ ab imo caule vulnerata ſagapenum efficitur.

Ferulæ hiſt.

## FERVLA.



Ferulæ hiſto. ex Theoph.

*Ferula æſtuoſis naſcitur locis: ideoq; nil mirum, quòd Apulia Ferularum ſit maximè ferax. Quinetiam frequens prouenit in Romano agro Tyrrheni maris contermino, præſertim apud Centumcellas, & in vniuerſis Hetruriæ maritimis. E quibus prima tantùm germinatione corculum quoddam paſtores eximunt, oui luteum induratum referens, quod ſub cineribus aſſatum, prius tamen charta, aut linteo madefactis conuolutum, mox pipere & ſale conſperſum, non modò guſtui gratiſsimus eſt cibus; ſed etiam ad excitandam venerem valentiſsimus. De ferulis latius diſſeruit Theophraſtus lib. 6. cap. 2. de plant. hiſt. vbi ita ſcribit: Ferulaceum genus in plures ſpargitur ſpecies. Sed primùm de eo, quod commune omnium conſtat, dicendum eſt, ſcilicet de Ferula atq; Ferulagine: ſeu idem genus ambabus, differens magnitudine tantùm, ſeu etiam alterum ſit, vt nonnulli putarunt. Ergo natura earum, quæ conſpici poßit, conſimilis certè ſentitur, præterquam ratione magnitudinis. Ferula enim grandis admodum ſurgit, Ferulago autem humilis, ſed vnicaules ambæ, & geniculatæ ſunt. Folia & cauliculi quidam geniculis erumpunt, ac alternatim exeunt folia: alternatim inquam, quòd non ex eadem parte geniculorum, ſed permutatim, caulem magna ex parte amplexa, ſicuti arundinea proueniunt: niſi quod deflexæ hæc magis, mollitiæ magnitudiniſq; cauſa. Folium enim grande, molle, multifidum, vt capillamenti modo ferè inſpectetur: maxima, quæ terræ proxima ſunt, & reliqua ſubinde ad portionem. Flos melinus: ſemen obſcurum, anetho ſimile, ſed maius. Finditur cacumine, & in ſtipites quoſdam haud magnos diſpergitur: quibus flos, ſemenq; inſidet, nec flore fructuve laterales caules carent, ſed anethi modo ferunt. Annuo caule conſtat, & germinatio in vere primùm foliorum, tum caulis, vt etiam in cæteris fieri ſolet. Radice altè deſcendit, eademq; ſingulari innititur: talis Ferula eſt: hæc Theophraſtus.*

Ferulago.

Mira Ferularum natura.

*Porrò Ferulæ (vt Plinius eſt author lib. 24. cap. 1.) aſinis gratiſsimæ ſunt in pabulo, cæteris verò iumentis præſentaneo veneno: qua de cauſa id animal Libero patri aßignatur, cui & ferula. Natura Ferularum (vt idem Plinius lib. 20. cap. 23. teſtatur) murænis infeſtiſsima eſt: tactæ ſiquidem ea moriuntur. In inſula quadam ex fortunatis nomine Morion, ferulas in arborum amplitudinem grandeſcere, ſcripſere quidam. Apuli lignorum vice, quibus maximè carent, ferulis ad ignem vtuntur. Quòd Dioſcorides ſcribit è viridi ferula medullam viperarum morſibus opitulari ex vino potam, à Nicandro deprompſit. Is enim ita in Theriacis habet:*

Ferulæ vires ex Gal.

Καὶ χλοερῦ νάρθηκος ἀπαίμεσον ἢ ὀλόφας.

Nomina.

*Ferulæ meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Ferulæ ſemen excalfacit & attenuat. At interna eius pars recentis adhuc, quod medullam vocant, adſtringentem qualitatem participat. Cuius nomine ſanguinem ſpuentibus, & cœliacis conuenit.* Νάρθηξ *Græcis ea planta vocatur, quæ Latinis Ferula: Italis Ferola: Hiſpanis Cananheia.*

Ferula fœmina Plinii, C.B. Ferula, Matth. Lac. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lon. Lob. Dod. fol. Caſt. Lug. Tab. Cam. Ferula mas, Cæſ. Libanotis prima Dioſcoridis ferulacea, Geſ. hortis.

## Πευκέδανος. PEVCEDANVM. CAP. LXXVII.

PEucedanum caulem emittit tenuem, gracilentum, fœniculo ſimilem: comam habet ſtatim ab terra copioſam, ſpiſſamq;: flore luteo: radice nigra, craſſa, graui odore, ſuccoſa: gignitur in montibus opacis. Tenera radix cultello conciditur, profluensq; è plaga ſuccus vmbræ mandatur: in ſole ſiquidem confeſtim euaneſcit. Colligitur capite prius, & naribus roſaceo perfuſis, ne capitis dolor premat, & vertigo ſentiatur. † Aſſatione radix inutilis fit. a Tam lac quàm ſuccus, radice & caulibus extrahi ſolet, ſicuti è mandragora: verùm inefficacior ſucco lacryma habetur, & velocius expirat. Interdum etiam concreta inuenitur lacryma, thuris ſimilitudine, caulibus radicibuſq; adhærens. Præfertur ſuccus è Sardinia & Samothrace colore b rufo, odore graui, feruens guſtu. Ex aceto & roſaceo illitum Peucedanum prodeſt lethargicis, phreneticis, vertiginoſis, comitialibus & longis capitis doloribus, reſolutis, iſchiadicis, conuulſis: omnibus in vniuerſum vitiis neruorum, ex oleo & aceto illitum, prodeſt. Eius olfactu reſpirant vuluæ ſtrangulatus, & veternoſi reuocantur. Incenſum ſerpentes abigit. Aurium doloribus conuenienter ex roſaceo inſtillatur: cauernis dentium inditum, mitigat dolorem: contra tuſſim efficaciſſimè ex ouo aſſumitur: ſuſpiriis, torminibus & inflationibus ſubuenit. Ventrem leniter emollit, lienem abſumit, difficiles partus mirè adiuuat. Facit ad veſicæ cruciatus, & renum diſtentiones potum: vuluam aperit. Radix ad eadem vtilis eſt, ſed inefficacior: eius decoctum bibitur. Farina eius, ſordida vlcera purgat, & vetera cicatrice obducit: ſquamas oſſium extrahit. In cerata & calfacientia malagmata additur. Radix eligi debet recens, quæ cariem non ſenſerit, firma, odoris plena. Succus ad potiones amaris amygdalis, aut ruta, aut pane calido, aut anetho reſoluitur.

† Orib. ὀπιαθεῖσα. i. ſuccatione (vt ita dicã.) a Mc. ὀπίζονται ᾗ οἱ καυλοὶ καὶ χυλίζεται ἡ ῥίζα ὡς μανδραγόρας, ἧττον ᾗ ἐνεργεῖ τῦ χυλῦ ὁ ὀπὸς καὶ τάχιον ἐκπνεῖ. i. colligitur item ſuccus, & liquor è caulibus, & radice ſicut ex mandragora expreſſus, & hoc expreſſo ſucco minus efficax eſt ille, qui ex inciſa radice manat, & citius expirat.

b Meum ἔγκιρρος. i. fuluus.

## PEVCEDANVM.



Peucedani conſideratio.

QVoniam nullis prorſus foliorum, ac ſeminis, & paucis admodum floris notis Peucedanum repræſentauit Dioſcorides, vtpote plantam, quæ omnibus fortaſſe ſuo tempore notior erat, quàm vt longiorem deſcriptionem poſtularet: idcirco nobis quidem perdifficile eſſe iudico, decernere quodnam genus herbæ hodie in medium afferri poßit, quæ legitimum Peucedanum referat: præſertim cum Theophraſtus, Plinius, Apuleius, ac antiquorum alij, qui ſimplicium hiſtorias deſcripſerunt, plura, quod legerim, de Peucedano memoriæ non prodiderint. Veruntamen cum ſcribat Dioſcorides, Peucedanum naſci coma, ſtatim à terra copioſa ac ſpiſſa, hinc planè coniectandum videtur, Dioſcoridem ipſum innuere, quòd Peucedanum conſtet multis folijs, capillaribus, tenuibus ac longis, fœniculi aut anethi effigie. Huic coniecturæ illud ẽt accedit, ꝙ cum Peucedanũ, Dioſc. teſtimonio, florẽ proferat melinũ ſiue luteum, non temerè credendũ arbitror, hunc non in alio, quã in vmbella ſuſtineri, cum omnes ferulaceæ ſtirpes, et quæ fœniculo & anetho ſimiles habẽtur, cuiuſmodi ſunt quæ hoc in loco à Dioſc. recẽſentur, vmbellas in cauliũ cacuminib. gignere conſpiciantur, è quibus ſemen prodit fœniculi modo. Quod ſi ita ſe res habet (vt equidẽ exiſtimo) aſſerere nõ dubitauerim, me ſæpenumero Peucedanũ vidiſſe in Ananienſibus montib. vbi huiuſmodi plantæ frequẽtiſſimæ proueniunt, quæ non ſolum prædictis notis Peucedano adſtipulantur, ſed ẽt radice, quam habent nigram, craſſam, ſucci plenam grauiterq; olentem. In hac itaq; ſententia perſiſtam, vt hanc herbam, quam etiam pictam damus, verum Peucedanum putem, donec aliam nactus ero, quæ certioribus notis illud exprimat.

Peucedanum officinarum adulterinũ.

Cæterùm radices, quibus pro Peucedani radicibus vulgò officinæ vtuntur, legitimas ementiuntur: nam præter id quòd exteriore parte non nigricent, nulla graueolentia, nullaq; acri facultate ſunt præditæ. Cuius verò plantæ hæ ſint radices, ego quidem proferre non poſſum: eas ſiquidem hactenus non niſi ſiccas, & ſine caule, ac folijs mihi videre licuit. Prætulit Dioſcorides Sardonium Peucedanum, quod non magno quidem negotio ad nos aduehi poſſet, cum frequens, nec longa ſit mercatoribus in Sardiniam nauigatio. Vnde ſeplaſiarijs, ſi rerum legitimarum ſtudio caperentur, facile Peucedani radices conueherentur.

Peucedani vires ex Gal.

Peucedani meminit Galenus lib. 8. ſimp. med. vbi de eius viribus diſſerit in hunc modum: Peucedani radice quidem maximè, ſed tamen etiam ſucco, & liquore vtimur. Sunt autem hæc omnia eiuſdem ſpeciei facultatis: ſed valentior ſuccus, admodum excalfaciens & digerens. Quare affectibus omnibus circa neruos conſiſtentibus conuenire creditur, tũm morbis in pulmone, & thorace ex craßitudine & viſcoſitate humorum prouenientibus. Atq; intrò quidem in corpus ſumptus, ſed tamen etiam olfactu prodeſt. Porrò quòd incidat & extenuet, ſæpe etiam dentium perforatorum dolores cauitati impoſitus protinus ſedauit, quia videlicet tenuium eſt partiũ & excalfactorius. Quinetiam lienes induratos iuuat, nempe incidendo, digerendo atq; extenuando craſſos humores. Sed & radice ad hæc vti licebit, quæ & ſquamas celerrimè ab oßibus detrahit, quia videlicet validè deſiccat, minus tamen quàm ſuccus excalfaciens. Et vlceribus malignis remedium eſt optimum arida illita: ipſa enim expurgat, carnem gignit, & ad cicatricem perducit. Excalfacit quidem ordine ſecundo iam completo: deſiccat verò tertio iam incipiente.

Nomina.

Planta, quæ πευκέδανος Græcè, Peucedanum Latinè dicitur: Arabicè Harbatum: Italicè Peucedano.

Peucedanum à pinu nomen habere videtur, ſiquidem folia cum pini foliis ſimilitudinem quandam habeant, vnde & Pinaſtellum aliqui vocant. Habetur Italicum, quod maius, latioribus longioribuſque foliis: habetur Germanicum, anguſtioribus foliis: hocq; maius & minus. Peucedanum maius Italicum, C.B. Lob. Lugd. Peucedanum, Matth. Lac. Caſt. Lugd. Cæſ. Peucedanum Italicum, Tab. Peucedanum foliis longioribus, Dod. in folio.

## Μελάνθιον. GITH SEV MELANTHIVM. CAP. LXXVIII.

GIth a exilibus ſurculis fruticat, ſæpe binos dodrantes excedens: foliis, vt Senecionis minutis, ſed multò tenuioribus: capitulo in cacumine tenui, paruo, ceu papaueris, oblongo, intercurſantibus intus membranis: quibus ſemen includitur nigrum, acre, odoratum, quod panibus inſpargitur. Capitis doloribus illitum fronti, ſubuenit: diſcutit recentes oculorum ſuffuſiones, tritum ex irino, & infuſum naribus: tollit lepras, lentigines, duritias tumoreſq; vetuſtos, cum aceto illitum: circumſcarificatos clauos excutit, cum vetere b vrina impoſitum. Dentium doloribus, cum aceto & teda decoctum, & collutum prodeſt: teretes ventris tineas expellit, perunсto ex aqua vmbilico: deſtillatione laborantes adiuuat, tritum in linteo & olfactum. Vrinam & menſtrua ciet, multis diebus ſumptum, & lac extrahit: difficultatem ſpirandi cum vino potum, leuat: phalangiorum morſibus ex aqua, drachmæ pondere hauſtum auxiliatur. Incenſo ſerpentes fugantur. Tradunt largius epotum necare.

a Μεῦ θαμνίσκος ἐστὶ, λεπτόκαρπος διασπίθαμος ἢ καὶ μείζων. i. frutex paruus eſt, exilib. ramulis duorũ palmorũ altitudinis, aut etiam maior.

b Μεῦ οἴνῳ. i. cum vino.

Melanthii conſid.

GIth, quod Græci Melanthium appellant, officinis Nigella vocatur. Duum Melanthium eſt generum, ſatiuum & ſponte naſcens. Satiuum exilibus ſurculis exit, cubitalibus, folio ſenecionis æmulo, magis tamen diuiſo, floribus in cacumine cæruleis, & in ſtellæ modum radiantibus, è quibus capitula oriuntur parua, oblonga, pluribus coronata apicibus, in-

I. MELANTHIVM SAtiuum.



II. MELANTHIVM SYLueſtre.



III. MELANTHIVM SYLueſtre. II.



ternam capitis partem reſpicientibus, intercurſantibus intus membranis vt in papaueris capitibus. Semen in his continetur paruum, nigrum, & quandoq; ſubflauum, odore eximio, ac amariuſculo ſapore, ſimul & acuto. Seritur in hortis. SYLVESTRE duum eſt generum, vtrumq; folijs ſatiuo tenuioribus, multifidis & capillaceis, quinetiam caulibus ferè ſimilibus, quemadmodum & floribus. Verùm capitulis differunt: ſiquidē alterū capitula gerit ſatiuo maiora et facie haud longè diſsimilia: ſemine intus nigro, acuto, amariuſculo & odorato. Alterum verò longiora in quinq; ſexve diuaricata cornibus. Naſcitur vtraq; in campeſtribus, in incultis præſertim agris. Semen excalfacit, incidit, aperit, attenuat, extergit. Ad omnia efficax habetur perinde ac ſatiuum. Itaq; errant toto cælo, qui inter Melanthij ſylueſtris genera, Gittonem vulgò vocatum annumerant. Quod cum ante nos probe animaduertiſſent Hermolaus & Ruellius, aſſeruerunt omnino hallucinari eos, qui putant eam ſtirpem legitimum Melanthium eſſe, quæ inter ſegetes in aruis paſsim naſcitur, folijs ferè porri: [Caulem edit bicubitalem, piloſum, in quo vtrinq; per interualla bina exeunt folia oblonga hirſutaq;: in cacumine flores exeunt purpurei roſeiq;: ſemen in calycibus oblongis conditur, nigrum Melanthio ſimile, ſed amarum, nulloq; odore præditum]. Et rectè, mea quidem ſententia, iudicarunt: ſiquidem herba illa cum Dioſcoridis hiſtoria quàm maximè pugnat, vtpote quæ folijs, caule ac floribus, nulla ex parte Melanthium referat, ſicuti neq; etiam ſemine: quod etſi nigrum Melanthij modo gignatur, non tamen guſtui aliud repræſentat, quàm amaritudinem ſimul & aſperitatē. Hinc itaq; perſpicuum eſſe pōt, Braſauolum, alioqui medicū clariſsimum, in ſuo ſimplicium volumine Romæ excuſo, manifeſtè cæcutiuiſſe: quippe qui affirmare non dubitauerit, illud verum legitimumq; eſſe Melanthium, quod in ſegetibus paſsim ſuæ ſponte naſci ſuperius diximus, quodq; vulgò Gittone à Ferrarienſibus appellari ſcribit. Cuius error non ſolùm prædictis rationibus, ſed ea quoque herbæ appellatione facilè deprehenditur, quod etiam ij, qui ita eam appellant, illegitimum eſſe Melanthium exiſtiment. Quandoquidem nil aliud Italis hoc nomen Gittone denotare videatur, quam ſpurium Gith, quòd ideò Githago, & Pſeudomelanthium vocari poteſt: quemadmodum & id, quod ruta Tridentina appellant former-

Melan. ſylueſtre duplex.

Error credere Gittonē eſſe Melanthium ſylueſt.

Pſeudomelāthii deſcript.

Braſauoli erratum Gittone legitimū eſſe Melant.

Githago.

*formentone, nil aliud ſignificat, quam ſpuriam tritici ſpeciem. Quod cum poſtea ipſe Braſauolus animaduerteret, noſtra fortaſſe, aut aliorum commentarijs admonitus, ſuam reuocauit ſententiam: quare poſthac Braſauoli quoq; ſententiæ damnandi erunt, qui in hac perſiſtunt opinione. Iam igitur conſtituamus licet domeſticum verumq; Gith in hortis, & viridarijs ſatum prouenire, in quibus frequentiſſimum ſeritur in Germania. Syluestre verò in campeſtribus incultis locis. Ex quo quidem planè colligere poſſumus,* PSEVDOMELANTHIVM *ſponte inter ſegetes naſcens, quod vocant vulgò Gittone, cuius hic effigiem damus, nullo modo ſylueſtre Melanthium eſſe. Non deſunt quoq;, qui velint hanc plantam ſylueſtrem lychnidem coronariã eſſe, quibus, cum ego vtramq; nouerim, ſubſcribere nequeo. Sed longè minus id fuerit Lolium, vt apertiſſime hallucinatus credidit Fuchſius, cuius error à nobis exploſus eſt lib. ſecundo in lolij mentione. Porrò & illud ſemen odoratum, ſubrubrumq;, quod aliqui pro minori Cardamomo perperam vſurpant, ſeplaſiarijs Nigella citrina vocatum, Melanthij genus eſt: quippe ipſa ſeminis forma, odor, ac ſapor nihil prorſus à Melanthio diſcrepant. Verùm ſi modò in aliquo diſsident, color eſt, qui in altero niger, in altero verò ſubflauus conſpicitur. Quo fit (quod etiam ſuperius de Cumino differentes diximus) vt magno in errore verſentur Monachi illi, qui in Meſuem commentarios edidere, quòd præter rationẽ aſſerere ſint auſi, Nigellã ſubflauã, nil aliud eſſe quã Cuminum ſylueſtre primo generi à Dioſcoride aſſignatum.*

Pſeudomelanthium.

Fuch. error

Pſeudom. Lolium ſtatuentis.

Cardamomi minoris nominis vſurp.

Monachorũ error.

V. PSEVDOMELANTHIVM



* IV. NIGELLA CRETICA. *



*Porrò [Pſeudomelanthium excalfacit, attenuat, aperit, abſtergit & reſoluit] ſemen in farinam tritum, & ex melle illitum, lentigines, alphos & maculas cutis quaſcunque delet, & ventris animalia pellit, tam potum, quàm ex bubulo felle, & aceto ventri illitum. Vrinam ciet & menſes. Melanthij meminit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Melanthium excalfacit, atq; deſiccat tertio ordine. Videtur etiam tenuium eſſe partium: vnde etiam deſtillationes ſanat, calidum in linteo admotum, atq; aſſiduò olfactum. Quin etiam ſi intrò in corpus ſumatur, vel maximè flatus extinguit. Hinc conſtat eſſentia ipſum eſſe ſubtilis, & ad vnguem à caliditate elaboratæ, propterea ſanè etiam amarum eſt. Oſtenſum verò in quarto horum voluminum eſt, quòd cùm ad extremam tenuitatem, atque elaborationem terrena pertingit ſubſtantia, amara proueniat qualitas. Itaque mirũ non eſt, ſi lumbricos interimat non eſum modò, ſed etiam foris ventri impoſitum. Siquidem & id præſtare poſſe ſaporem amarum monſtratum eſt. Neq; ſanè etiam mirandum, ſi lepras, clauos, myrmecias eijciat, ei præſertim, qui in ſuperioribus libris comprehenſorum haud eſt immemor. Sic verò etiam orthopnœam iuuat, et menſes prouocat, qui vtique ob craſſitiem, aut viſcoſitatẽ humorum retenti fuerint. In ſumma, vbi inciſione, exterſione, deſiccatione, excalfactione eſt opus, præſtantiſſimum id remedium eſt.*

Melanthii vires ex Gal.

*Μελάνθιον ſic Græci, Melanthium quoq; & Gith Latini dicunt: Mauritani Xamin, Sunis, ſeu Sunici: Itali Melanthio: ſeu Niella: Germani* Schwartz Römiſch / vnd Schwartz Coriander: *Hiſpani Neguilla & Alipiure: Galli Barbue poyurette, Pourelle, & Nielle.*

Nomina.

Melanthium, quod Melanſpermum Hippocrati, à nigro ſeminis colore, Latinis Nigella: alia ſatiua eſt, alia ſylueſtris: ſatiua vel ſimplici & quidem magno, vel paruo flore, vel pleno flore: ſemine item nigro, ſubflauo, luteo. I. Nigella flore minore ſimplici, C.B. Nigella hortenſis, Trago. Nigella ſatiua, Lon. Nigella, Cord. in hiſt. Geſ. hor. Nigella altera, Cæſalp. Melanthium ſatiuum, Matth. Dod. gal. Lac. Caſt. Tab. Lugd. Melanthium primum, Fuch. icon. Melanthium, Dod. fol. Lob. cui & Nigella Romana odora: Gith Anguillaræ. Hoc ſemine eſt nigro, pallidè flaueſcente, luteo, rarius candido. II. Nigella flore maiore ſimplici, C.B. Nigella Damaſcena, Trag. Cord. in hiſt. Geſ. hor. Nigella hortenſis altera, Fuch. in fol. Nigella ſatiua ſecunda, Lon. Nigella, Cord. in Dioſc. Melanthium ſylueſtre, Matth. Lac. Lob. Lug. Melanthium alterum Damaſcenum, Fuch. in. icon. Melanthium Damaſcenum, Dod. gal. & fol. Cam. Melanthium agreſte Tabernæmontano. III. Nigella aruenſis, C.B. Nigella ſylueſtris, Trago, Lonic. Geſnero. hor. Camerario Nigella Cornuta, Cordo in hiſtoria. Nigella

vulgò dicta, Cæſ. Melanthium ſylueſtre alterum, Matth. Lugd. Melanthium ſylueſtre, Fuch. in folio Dod. galli. & fol. Caſt. Melanthium ſylueſtre alterum, capitulis reflexis Aquilegiæ, Lob. Melanthium agreſte alterum, Tab. Cuminum ſylueſtre alterum, Fuch: in icon. Cord. in Dioſc. IV. Nigella Cretica C. B. Hæc ex radice tenui, longiuſcula, parum fibroſa, caulem emittit cubito minorem, ſtriatum, viridem, glabrum, procumbentem, in alios brachiatum: folia circa radicem per terram ſparſa, alterius nigellæ modo in lacinias diuiſa, quæ verò in caulis ſummo, oblonga, tripartito diuiſa vt in Naſturtio, latiora & longiora reliquis Nigellis, ex virore nigricantia: flos vnicus cuilibet cauliculo inſidet, ſubcæruleus, ex quinque foliolis compoſitus, forma Nigellæ aruenſi, quo tamen multò minor, reſpondens: cornicula ſuccedunt quina ſena ſimul iuncta, quæ in longa cornicula inſtar cornuum hirci intorta finiunt: ſemen minutum nigricans. Huius ſemen ex Creta primò allatum, & à Doctore Leonhardo Doldio vnà cum planta tranſmiſſum. V. Lychnis ſegetum maior. C. B. Nigella, Brunſ. Githago, Trag. Pſeudomelanthium, Matth. Lac. Lon. Lob. Caſt: Lugd. Thal. Lolium recentiorum, Fuch. Cord in Dioſc. Anthemon, Dod. gal. Anthemum folioſum Theophraſti, Ruell. Nigellaſtrum Dod. fol. Lychnis alia inter triticum, Cæſ. Lychnis aruenſis Tabernæmontano.

† Orib. μάσπερον.
† Orib. add. φυλλῶδες καλεῖται μαγύδαρις. i. folioſo quod magydaris vocatur.
a Meum βάμματα. i. intinctus.
b Meum ὑπέρυθρος. i. ſubrufum.
c Me. & Dra. λυσσοδήκτων δὲ ὠφελεῖ ἐπιτιθέμενος τοῖς τραύμασι. i. in rabidi canis morſu iuuat vulneribus impoſitus.
d Meum προκαταχαραχθέντων. i. prius ſcarificatis.
e. Meum. σαρκώματα. i. excreſcentem carnem.
f. Meũ addit. ἐπὶ ἡμέρας τινάς. i. per aliquot dies.
g. ἢ μέλιτι ἢ ὕδατι. i. aut melle, aut aqua.

## Σίλφιον. LASERPITIVM. CAP. LXXVIII.

LAſerpitium in Syria, Armenia, Media & Lybia naſcitur: caule ferulaceo, quem † maſpetum vocant: foliis apio ſimilibus, lato ſemine. † Radix excalfacit, in cibis ægrè concoquitur, veſicæ noxia. Sugillatis illita cum oleo, & ſtrumis, ac tuberculis cum cerato medetur: iſchiadicis conuenit cum irino, aut cyprino cerato: excreſcentibus circa ſedem tollendis illinitur, cum putamine mali punici & aceto decocta. Venenis pota reſiſtit: os commendat, a cibis, aut ſali permiſta. Laſer è radice, atque caule ſcarificatis colligitur. Præfertur autem b rufum, tranſlucens, myrrhæ æmulum, non porraceum, odore valens, ſuaui guſtu, quod dilutum facilè albeſcit. Cyrenaicum ſi quis deguſtauerit, humorem toto corpore ciet: blandiſsimo odore, adeò vt ne os quidem guſtanti niſi paululum ſpiret. Medicum, & Syriacum minus viribus valent, & magis viroſum reddunt odorem. Laſer omne antequàm ſicceſcat, adulteratur ſagapeno, aut fabæ lomento, quod maleficium deprehenditur, guſtu, odore, viſu, & dilutione. Caulem aliqui ſilphion, radicem magudarin, & folia maſpeton vocauere. Efficaciſsimum laſer, mox folia, poſtremò caulis. Acrem vim habet, inflationes facit: perunctas cum aceto, pipere, & vino alopecias ſanat: oculorum aciem exacuit: & incipientes ſuffuſiones, illitum cum melle, diſsipat: cauernis dentium in dolore inditur, aut cum thure in linteo circumligatur, aut cum hyſſopo, & ficis coctis in poſca, os colluitur: iis prodeſt, quos c beſtia in rabiem efferata momorderit, vulneribus immiſſum. Valet aduerſus venena telorum, & animalia omnia, quæ virus eiaculantur, potum, aut illitum: ſcorpionum plagis oleo dilutum circumlinitur: gangrænis d præcoercitis immittitur: & cum ruta, nitro, & melle, vel per ſe carbunculis. Clauos, calloſq; prius circumraſos vellit, cerato, aut aridorum ficuum carne præmollitum. Recentes lichenas ex aceto ſanat: & e excreſcentia in carne, polypoſq;, ſi aliquot diebus cum atramento ſutorio, aut ærugine illinatur: f extuberantia cum forfice extrahit. Veteribus faucium ſcabritiis opitulatur: grauem, ſubitoq; irraucescenté vocem, dilutum aqua, ſorbitione confeſtim expedit: vuam illitum cum melle reprimit: anginis ex aqua mulſa vtiliſsimè gargarizatur. Veſcentes lætiore colore mangonizat: tuſsi commodè in ſorbili ouo datur, & pleuriticis in ſorbitionibus: in fellis ſuffuſione, & aqua inter cutem, cum aridis ficis. Horrores diſcutit cum vino, pipere, & thure potum: neruorum contractionibus, opiſthotonicisq; datur oboli pondere deuorandum: hærentes gulæ hirudines gargarizatum cum aceto decutit. Ad lac intus coagulatum bibitur: comitialibus ex aceto mulſo proficit: menſes ciet, cum pipere, & myrrha potum: cœliacos adiuuat, in acino vuæ ſumptum: cum lixiuio autem potui datum, repentè conuulſis, ruptisq; prodeſt, ad potiones reſoluitur amygdalis amaris, aut ruta, aut calido pane. g Foliorum ſucco eadem præſtantur, ſed multò ineſſicacius. Cum aceto mulſo manditur, ad expediendam arteriam, maximè cum vox retunditur. Eo cum lactucis vtuntur, exitq; in vicem erucæ. Fertur & altera Magudaris in Lybia naſci, radix laſerpitio ſimilis, ſed minus craſſa, acris, & fungoſa, ex qua non profluit ſuccus. Eiuſdem cum laſerpitio facultatis.

Laſerpitium ſeu Laſer non eſſe Belzoinum.

*CRedidimus iamdudum Laſerpitij lacrymam nihil aliud eſſe, quàm illud iucundi ac ſuauis odoris gummi, quod pharmacopœis atq; vnguentariis Belzoinum nominatur. Neq; certè hactenus præter rationem in ea perſtitimus opinione: nam cùm id mihi deprehenderetur odoratum, rufum foris, intus candidum, tranſlucens, & quod dilutum albeſceret, non poteram non adduci, vt crederem hoc eſſe legitimum Laſer. Huc illud quoq; accedebat, quòd complures etiam viri docti & rei medicæ ſtudioſi, qui idem mecum ſentiebant. Verùm cùm poſtea cœpiſſem Laſerpitij ac Laſeris hiſtoriam diligentius examinare, atq; plura ex Strabone, Theophraſto, Dioſcoride, Galeno, & Plinio collegiſſem, quæ priori noſtræ opinioni apertè aduerſari videbantur, facilè in aliam deductus ſum ſententiam: etenim ſic animum induxi meum, vt malim veritati cedere, quàm pertinaciter (quod multi faciunt) falſa tueri. Strabo itaq; libro vltimo Geographiæ teſtatur, Silphium ſuo vſq; tempore Cyrenis defeciſſe his verbis. Cyrenis finitima eſt regio, quæ Silphium gignit, & Cyrenaicum ſuccum, quem Silphium poſterius effert. Id propemodum defecit, cùm aliquando barbari odio quodam ingruiſſent, ac radices eius penè omnes eruiſſent: Fuerunt hi Nomades viri: hæc ille. At Plinius Cyrenaici ſucci defectum non in barbaros vt Strabo, ſed in publicanos quoſdam refert lib. 19. cap. 3. vbi de eo ita ſcribit: Ab his proximum dicetur auctoritate clariſſimum Laſerpitium, quod Græci ſilphion vocant, in Cyrenaica prouincia repertum: cuius ſuccum vocant Laſer, magnificum in vſu, medicamentisq;, & ad pondus argentei denarij penſum. Multis iam annis in ea terra non inuenitur, quoniam publicani, qui paſcua conducunt, maius ita lucrum ſentientes depopulantur pecorum pabulo. Vnus autem caulis noſtra repertus memoria, Neroni principi miſſus eſt: hactenus Plinius. Huic verò cum Theophraſto fermè conuenit, quòd hic ſcribat pecus ſilphio purgari, pingueſcereq; vehementer, & carnes mirabilem in modum ſuaues reddi. Cùm igitur Strabonis & Plinij teſtimonio conſtet, Silphium Cyrenis eorum vſq; ætate defeciſſe, neq; ibi inueniri, nil mirum videri debet, ſi noſtra etiam tempeſtate defecerit, atq; nullum iam ad nos aduehatur, quod legitimum dici poſſit. Quare id gummi, quod ſeplaſiæ Belzoinum dicunt, meo quidem iudicio, verum ſilphij liquorem mentietur potius quàm ſit. Sed his illud quoq; addamus,*

Strabo de Silphio.

Cyrenaicus ſuccus Plini.

tum, quod Strabo auctor eſt, Silphium adeò Cyrenenſibus olim cuſtodibus fuiſſe aſſeruatum, vt inde aliò deferri non potuiſſet, niſi clam à mercatoribus qui vinum aſportabant. Plinius item Silphium ad pondus argenti pendi ſolitum tradit: quin & tanti factum fuiſſe à Cæſare, vt illud inter aurum argentumq; protulerit ex ærario. Ex quibus omnibus haud infirmum argumentũ ſumi poteſt, quod Belzoinum noſtrũ non ſit Silphij liquor, quandoquidẽ id quotidie copioſum importatur non ſolùm in Italiam, ſed in vniuerſam ferè Europam. Ad hæc cùm Dioſcorides Cyrenaico ſucco vim acrem tribuat, atq; Galenus eundem & calidiſſimum, & maximè tenuium partium faciat, non equidem video, quomodo vulgare Belzoinum poſſit legitimum Laſer exprimere: quoniam illud nullam prorſus guſtantibus acrimoniam relinquit. Præterea validi cortices, qui plerunq; Belzoino implicati reperiuntur, arguunt id arboris magnæ potius, quàm ferulaceæ plantæ lacrimam eſſe. Quod etiam nuper retulit mihi quidam medicus Cyprius, qui Belzoinum noſtrum in Cypro ex arbore ſatis procera manare affirmauit: vbi tamen Silphium naſci qui memoriæ prodiderit, hactenus inueni neminem, quemadmodum neque in Ionia, neque in Peloponneſo id gigni, ſed prope Cyrenas tantùm, literis mandauit Hippocrates. Atqui illud nobis obijciet aliquis, quòd Laſerpitium non modo in Cyrenenſium agro quondam prouenerit, ſed etiam (vt ſcribunt Theophraſtus, Dioſcorides & Plinius) in Perſide, Media, Syria, & Parnaſo monte: & quòd ob id ad nos aduehi poſſit. Nos huic ita facile reſpondebimus, quod Silphij illius liquor ad nos adferatur quidem, ſed qui fœtidus ſit, viroſiq; odoris: atq; eum eſſe dixerim, quem officinæ medicorum aſſam fœtidam vocant. Namq; Laſer (vt Dioſcorides teſtatur) Medicum, & Syriacum minus viribus valet, & magis viroſum reddit odorem: quin etiam, eodem teſte, Laſer omne antequàm ſicceſcat, adulteratur ſagapeno, aut fabæ lomento, id quod poſt ipſum ſcriptis tradidit Plinius libro ſuperius citato. Quocirca mihi quidem videtur non temere colligendum eſſe, quod præſtantiſſimum Laſer, quale Cyrenaicum habebatur, à nobis omnino deſideretur. Cæterùm quid veteribus fuerit gummi illud elegantiſſimum, quod Belzoinũ apellant, mihi hactenus incompertum eſt. In qua certè re non poſſum eorum opinioni ſubſcribere, qui id putant eſſe probatiſſimam myrrham.

Belzoinum non eſſe Myrrham.

Hæc ſiquidem quæ optima ſit (vt Dioſcorides inquit) præter alias notas eſſe debet vndiq; concolor, quæ confracta venas vnguium modo candidas & læues oſtendat, minutis glebis, amara & acris, quas tamen notas in Belzoino haudquaquam reperies. Nam etſi vndiq; maculis conſpergatur, tamen fractas amygdalas repræſentat magis, quàm vnguium quorumuis imaginem. Quin & maculæ illæ tam interiores, quàm exteriores partes obſident, adeò vt Belzoini gleba nihil aliud referat, quàm delibratarum amygdalarum aceruum, copioſo melle exceptum. Adde inſuper, quòd nuſquam, quantum equidem inuenerim, memoriæ proditum eſt, myrrham in Cypro & Syria ſuis è plantis emanaſſe, ſed in Arabia duntaxat (vt perhibent Theophraſtus, Dioſcorides, & Plinius) ijs in ſyluis, in quibus thus etiam prouenit: quanquam Plinius myrrham quandam ex India adferri tradit, quæ omnibus myrrhæ generibus deterior eſt. Sed quoniam non iniucundam, quamuis longam, de Laſerpitio hiſtoriam tradidit Theophraſtus libro 6. cap. 3. de plantarum hiſtoria, ideo eius verba hîc ſubijciam. De Laſerpitio, inquit, nunc indicandum eſt. Laſerpitio radix multa, craſſaq́;: caulis quantus ferulæ, & craſſitudine ferè proximus: folium, quod maſpetum vocant, apio ſimile eſt: ſemen latum, foliaceum, quale quod folium appellatur: caulis annuus, ſicut ferulæ.

Laſerpitii hiſtor. ex Theophraſto.

Ergo vere ineunte maſpetum hoc exit, & pecus eo purgatur, pingueſcitq́; vehementer, & carnes mirabilem in modum ſuaues redduntur. Poſthac caulem edit hominum cibo idoneum omnibus modis, elixum, aſſumq́;: corpora eo quoq; purgari ferunt, quadraginta diebus. Succus capitur duplex, alter ex caule, alter ex radice: qua de cauſa alterum ſcaparium, alterum radicarium vocant. Radix nigro cortice tegitur, eumq; detrahere ſolent. Sunt veluti certæ menſuræ cædendæ radicis, quibus quantum conferre putetur ad futuram cæſuram reſeruantes, reliquum abſcindunt. Nec enim deuiè, neq; plus conſtituto cædere licet, corrumpitur enim, putreſcitq́;, ſi diu manſit. Præparant id, conficiuntq́; in Pyreæum portum aduectum hoc modo. Cum in vaſis coniecerint, farinamq; admiſcuerint, quatiunt longo ſpatio temporis: hinc etiam colorem capeſſit, & conditum iam incorruptum perdurat. Præparatio, cæſuraq; ita ſe habet. Locum Aphricæ amplum occupat, ampliorem quàm quatuor ſtadiorum millia in hortis Heſperidum ferunt. Sed maiorem partem colligi apud Syrtes. Peculiare huius culta fugere loca proditur: quamobrem, ſi colatur miteſcatq́; ſolum, deuiat, atq; omnino degenerat, vtpote natura culturæ aſpernans, ferocitatiſq; conſtans vernaculum. Cyrenenſes annis ſeptem prius, quàm ipſi vrbem habitarent, Laſerpitium extitiſſe affirmant. Habitant verò annos maximè trecentos vſq; ad Simonidæ Athenis magiſtratum: illi ſic referunt. Alij radicem Laſerpitij cubitalem fieri tradunt, aut paulò maiorem: hanc in medio extuberare in caput, quod ſublime penitus extat, vt ſere ſuper terram eſſe appareat. Vnde primùm quod lac appellant, erumpit: dein caulis aſſurgit, ex quo magydaris, & quod folium dicitur, exeunt. Folium id ſemen eſt, quod cùm auſter ingenuè poſt caniculam flauerit, diſcutitur: atq; ita Laſerpitiũ naſcitur, eodemq́; anno radix conſummatur, & caulis. Sed hoc haud quicquam peculiare notetur: nam alijs quoq; idem tribuitur, ni dixeris, quod diſcuſſum id protinus naſci poteſt, ortum peculiarem ſortiri, ſupra dictiſq́; propterea diuerſum accipi poſſe. Ad hæc circumfodiendum id annuum cenſent. Nam ſi relinquatur ſemen omne, caulemq; totũ proferri, & deteriora tam hæc, quàm radicẽ reddi exiſtimant: defoſſa autẽ fieri meliora, ſcilicet ſolo ſubacto, beneq; gluto. Sed huius contrarium illi volunt, qui culta recuſare id inquiunt. Mandi quoq; radices in aceto recens deciſas referunt. Folium colore aurum æmulatur. Contrarium etiam, quòd pecora folio eſitato purgari minimè indicant. Nam & vere, & hyeme, pecus ad montem dimitti affirmant: cibus non ſolùm hoc, ſed etiam altero quodam abrotono ſimili adminiſtratur. Vim ambo calfactoriam ſortiri planè videntur, & purgare quidem nequaquam valere: exiccare autem & concoquere vnicè poſſe. Quod ſi qua pecus ægreſcens, aut aliàs minus bene ſe habens ingreſſa ſit, mox eam ſanari, aut emori aiunt, ſed magna ex parte poſſe ſeruari. Hæc igitur vtro tandem ſint modo, quærendum. Quod verò Magydarim vocant, nimirum à Laſerpitio differt: tenerius enim, minuſq́; vehemens, & ſine Laſere eſt, nec non & aſpectu manifeſta experto homini conſtat. Naſcitur in Syria: nam apud Cyrenam, & monte Parnaſo largè prouenire eandem affirmant. Sed quidam Laſerpitium id appellant. An culta id quoq;, modo Laſerpitij fugiat, quærendum. Quin & ſi quid ſimile, aut proximum habeat, ad folij, cauliſq́; rationem, & ſi quam vllo pacto emittat lacrymam, id inueſtigandum. Ergo naturam ferulaceam, hiſce contemplari oportet: hæc Theophraſtus. Meminit Galenus Laſerpitij lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Laſerpitij ſuccus calidiſſimus eſt. Verùm enimuero & folia, & caulis, & radix ſat ſtrenuè excalfaciunt.

Laſerpitii vires ex Gal.

Sed omnia flatulentæ magis eſſentiæ ſunt, ac proinde concoctu difficilia. Foris tamen impoſita corpori efficaciora, & omnium potiſſimùm ſuccus, admodum trahentem facultatem poſſidens. Attamen & excreſcentias amoliendi, & liquandi vim quandam, propter prædictam eius temperiem obtinet. Laſeris quoque mentionem fecit idèm Galenus libro citato, ſed antea ſeorſum, & ſub abſoluto ὀπιοῦ, hoc eſt, ſucci titulo, ita ſcribens: Opus, ſiue ſuccus Cyrenaicus quidem omnium & calidiſſimus, & maximè tenuium partium eſt: ac proinde omnium maximè diſcutit: quanquam ſanè & reliqui admodum calidi ſunt, & ſpirituoſi: ſiquidem plurima eorum pars eſſentiæ aereæ eſt, & igneæ. Porrò complures habentur ſucci: quauis namque radice inciſa, aut caule, quod ex ſectione craſſum,

ac len-

*ac lentum effluit, ſuccus eſt. Cæterùm ſpecialius, & velut per excellentiam quandam Cyrenaicum ita nuncupant, & Medicum, & Syriacum. Planta quæ Græcis σίλφιον, Latinis Laſerpitium appellatur: Mauritanis Sylſion: Italis Laſerpitio. Eius caulis μάσπετον Græcis dicitur: Arabibus Maſcaſtes. Folia verò quandoq; μάσπετα Græcè dicuntur: Arabice, Amuden & Maſcaſten. Liquor ſeu Lacryma Græcis λάσερος, Latinis Laſer nominatur. Radix μαγύδαρις Græcis vocatur,*

Nomina.

## * LASERPITIVM GALLICVM. *



Laſerpitium ferulaceæ herbæ denſatus liquor eſt, & multis Aſſà, detorto ex Laſere vocabulo, cenſetur: & quidem aliis Aſſà dulcis officinarum, quæ & Benzoinum dicitur: aliis verò Aſſa fœtida cenſetur: Alii verò Benzoinum arboris lachrymam, quod trium ſit generum cenſent, quæ & Græcis & Arabibus fuerit indicta: alii Benzoinum Myrrham volunt, ſed de his in noſtris in Dioſcoridem prælectionibus. Nunc de Laſerpitio, quam Maſsilia habemus, cuiusquè figuram adiecimus. Ex radice magna Ferulam ſuperante, cortice cinereo tecta, ſubſtantia alba, ſucco prægnante, pingui & odora, caules ferulæ craſsitie & altitudine exurgunt, circa quos folia Apii paluſtris æmula, ſed craſsiora, rigidiora, nigrioraq́;, aliquando profundius laciniata, vt ex adiecto ramulo (quem ex noſtra depingi curauimus) colligere eſt: Vmbellæ magnæ Anethi latitudine: ſemen latum foliaceũ, odoratum, buxei coloris. Hæc è regione Maſsiliæ ad inſulas ſtæchadas peruenit, vt Aduerſaria teſtantur. Appellamus Laſerpitium gallicum: Laſerpitium, Silphium, Aduerſ. Lob. Lugd. Laſerpitium Maſſilioticum, Tabernæmontano.

## Σαγάπηνον SAGAPENVM. CAP. LXXIX.

Agapenũ ferulaceæ herbæ ſuccus eſt. Quæ in Media naſcitur. Optimum eſt translucens, fuluo forinſecus colore, & intus albo, neſcio quid inter laſer, & galbanum redolens: guſtu acri. Prodeſt laterum, & pectoris doloribus, tuſsibus vetuſtis, conuulſis & ruptis: a craſſam pulmonis pituitam expurgat. Datur comitialibus, opiſthotonicis, lienoſis: item contra neruorum reſolutionem, perfrictiones, & febrium circuitus in potu. In vnguenta probè admittitur: menſes pellit, ſed fœtum exanimat, cum hydromelite potum. Prodeſt ex vino hauſtum, ſerpentium ictibus: olfactum ex aceto vuluarum ſtrangulatus excitat: oculorum cicatrices, offuſam caliginem, hebetudines, ſuffuſioneſq́; detergit. Reſoluitur vt Laſer, ruta, aqua, & amaris amygdalis, aut melle, aut calido pane.

a παχὺ τὰ ἐν πνεύμονι. i. craſſa in pulmone hærentia.

Sagapeni cõſideratio.

*Agapenum officinæ interpolato vocabulo Serapinum appellant. Cæterùm etſi eius adulterati frequentior, & communis ferè ſit vſus: tamen Venetijs præſtantiſſimũ quoq; venditur, idq́; illi præcipuè comparant Seplaſiarij, qui honorem diuitijs anteponunt. Ferulaceas plantas, è quibus ſagapeni lacryma emanat, etiam in Apulia naſci auctor eſt Muſa Ferrarienſis: id quod equidem hactenus compertum non habeo. Ex orientalibus ſiquidem regionibus allatum, vt conſtat, cæteris præſtat. Arabicæ familiæ auctores inter deiectoria medicamenta Sagapenum referunt: quanquam ea Sagapeni facultas, quantum extat, à Græcis ſilentio prætermiſſa eſt. Sagapenum itaq; (vt Meſues tradit) craſſos, lentosq́; humores deijcit, craſſamq́; pituitam, & aquam intercutem educit. Porrò facultate quidem propria cerebrum mundificat, ac neruos, craſſaq; de his excrementa detrahit. Confert item eorum morbis frigidis, nempe doloribus capitis diuturnis, hemicranijs, comitialibus, vertigini, paralyſi, oriſq́; diſtentioni. Pectus valentiſſimè expurgat, eiuſq́; ac etiam lateris dolores tollit, præſertim ſi bibatur ex helenij, aut rutæ decocto. Foris emplaſtri modo impoſitum, aut intus aſſumptum tuſsi diuturna vexatis, ac difficulter ſpirantibus, opem maximam fert. Aqua intercute laborantibus ſingulare remedium eſt, ſi tamen flauis myrobalanis duplicato pondere additis exhibeatur. Diſcutit compaginum duritiam, emplaſtri modo impoſitum, addito aceto, & capparum ſucco. Rutæ ſucco, & auium rapacium felle diutius maceratum, & in collyrijs additum, oculorum caligines diſijcit, aquamq́; in eo defluentem cohibet. Palpebrarum item hordeolos vocatos ſanat, ſi cum aceto ſuperponatur. Articulorum compaginibus quomodo libet admotum, dolores eorum mirificè ſedat: quippe quoniam valentiſſimè humorum lentores in his cruciatus excitantes radicitus euellit, etiam ſi in coxendicum aliarumq́; partium remotis, profundisq́; locis delitescant. Potum, aut clyſteribus inditum coli doloribus à frigiditate, ac flatibus prouenientibus maximè auxiliatur. Menſes cit, ſed fœtum interficit, tam hauſtum, quàm ſuppoſitum: contra vteri dolores, ſtrangulatusq́; prodeſt. Ventriculo tamen officit, verùm noxa corrigitur lentiſcina reſina, & Indica nardo. Sagapeni meminit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, vbi de eius viribus diſſerit ijs verbis: Sagapenum liquor eſt calidus, & tenuium partium, ſicut & alij liquores. Sed & abſterſionem quandam poſſidet, qua oculorum cicatrices expurgat, atq; extenuat. Quin & ſuffuſionibus, & hebetudinibus oculorum, quæ ob humorum proueniunt craſſitiem, non malum eſt medicamentum. Porrò planta ipſa, ex qua prouenit, ferulæ aſſimilis, imbecilla & inutilis eſt. Sane ipſa primùm Sagapenum apellatur: at liquor eius abuſiuè hoc nomen obtinet, ceu alia quoq; multa ex nominis defectu per abuſum nuncupamus. Perfectius namq; foret ipſum cognominare non Sagapenum, ſed Sagapeni ſuccum. Sagapeni plantam, etſi viderim appictam, & quodam in libro impreſſam, non libuit tamen eam hic excudere, quod neſciam an Mercator ille Perſa, cui acceptam illam referunt, vera vel fabulo-*

Sagap. in Apulia.

Sagapeni vires ex Meſue.

Sagapeni vires ex Gal.

*fabuloſa narrauerit. σαγάπηνον Græcis dicitur, quod Latinis etiam Sagapenum: Arabibus Sachabenigi ſiue Sechbenegi: Seplaſiarijs pariter & Hiſpanis Serapino: Italis Sagapeno.* Nomina.

Sagapenum commendatur, quod pellucidum, foris ruffum, intus cum frangitur candicantibus aut flauis guttis compactum, inter digitos ſi tractetur lenteſcit, medium inter Aſſam fœtidam & Galbanum odorem emittens: quod ad liquida medicamenta aqua aut aceto, aut vino ſupra prunas incoctum, vt Aſſa reſoluitur.

## Εὐφόρβιον. EVPHORBIVM. CAP. LXXX.

EVphorbium Lybica arbor eſt, ferulæ ſpeciem habens, quæ in Tmolo iuxta Mauritaniam inuenitur. Ea acerrimo ſucco turget. Cuius eximium feruorem expaueſcentes incolæ, ouillos ventres elutos arbori circumligant, & eminus caulem contis incidunt, confeſtimq; è plaga, perinde atque vaſe quodam in ventriculos copioſus lactis humor effluit, præter id quod humi ſparſum, vulnus eiaculatur. Duo ſucci genera: vnum orobi magnitudine, ſarcocollæ modo emicat: alterum in ventriculis concreſcit, atq; vitreum ſpectatur. Eligendum eſt tranſlucens, & acre. Euphorbium adulteratur ſarcocollæ, & glutini miſtione. Sed difficile quidem exprimentum: quippe cùm leui guſtu, os accenſum diu detineat, adeò vt quicquid ori obiiciatur, planè Euphorbium reſipiat. Eius inuentio tempore Iubæ regis Libiæ cognita extitit. Succus illitu ſuffuſiones diſcutit: potus, tota die exurit: quare melle collyriisq; pro acrimoniæ ratione admiſceri debet. Coxarum doloribus prodeſt in odorifera potione hauſtus, ſquamas oſſium eadem die eximit: verùm eo vtentes, neceſſe eſt linamentis, aut ceratis communire corpus, quo oſſa conueſtiuntur. Aliqui memoriæ prodiderunt, percuſſos á ſerpente nihil moleſtiæ paſſuros, ſi inciſa oſſetenus capitis cute, intritus ſuccus infundatur, vulnusq; poſtea conſuatur.

* EVPHORBII TENELLA planta. *



* ANTEVPHORBIVM. *



*NOn equidem dubitandum cenſeo, quin illud legitimum ſit Euphorbium, quo paſsim officinæ vtuntur, cum tam guſtu, quàm olfactu acerrimum deprehendatur: ob cuius violentiſsimam acrimoniam nunquam, niſi inuito animo, à ſeplaſiarijs tunditur. Quandoquidem tametſi ſibi nares, & os omni prorſus ingenio, goſsipio, & linteis aqua roſarum madefactis muniant, tanta tamen eſt acrimoniæ vis tenuiſsima, vt omnibus vnà cum aere penetratis munimentis, in eorum tandem perueniat nares, vbi moleſtiſsimum excitat ardorem, qui non facilè tollitur: quanquam etiam medicamentis admodum refrigerantibus ſuccurratur. Quo fit, vt ſolertiſsimi pharmacopolæ baiulis, ac alijs victum quærentibus hominibus id muneris obeundum tradant: interim tamen certò ſciunt, non abſque conuicijs, & maledictis opus hoc ab illis peragi poſſe. Quamobrem mirum ſanè non fuerit, ſi qui ab arbore recentem colligunt, eximium acrimoniæ feruorem expaueſcentes, e longinquo corticē feriant.* Euphorbii conſideratio.

*Hanc plantā (vt Plinius quoq; teſtis eſt) adinuenit primùm Iuba Lybiæ Rex in monte Atlante vltra Herculis colūnas, apellauitq; Euphorbiū medici ſui nomine, & fratris Muſæ, à quo diuus Auguſtus fuit conſeruatus. Euphorbij plantā nunquā mihi videre licuit, ſunt tamē qui illā pingant, & à Saraceno acceptā ſcribāt: cui crederem fortaſſe, ſi plantā viuā oſtenderet, in qua Euphorbij nonnihil ineſſet. Euphorbio deiectoria ineſt facultas, cuius nuſquam, quod equidem inueneri m, meminere Dioſcorides, & Galenus: tametſi eam minimè ſilentio inuoluerint Aetius, & Actuari-* Euphorbii inuentio & nomen.

Euphorbii vires ex Aetio & Actuario. Ex Paulo. Ex Meſue.

*Actuarius, qui concordes de eo his verbis diſſeruerunt: Euphorbium non modò pituitam trahit, ſed etiam aquam, hancq; validius educit. Eſt autem acerrimum omnium, quæ ego nouerim, ardentiſſimumq́; propterea colicis, & ventrem frigidiorem habentibus datur, cæteros vehementer conturbat: ſitim maximè ciet: Nonnihil ex odoratis ſeminib. ei eſt commiſcendum. Modus triobolaris, ex aqua mulſa. Præſtat tamen cum melle cocto ipſum in catapotia redigere. Id quod etiam Paulus annotauit libro ſeptimo, vbi inter ea Euphorbium recenſuit, quæ aquam & pituitam deijciunt. Verùm in ſimplicium cenſu Dioſcoridem Galenumq́; ſecutus, de hac deiectoria facultate ipſe quoq; nihil memoriæ prodidit. Cæterùm inter Arabes Meſues fuſius Euphorbij vires tradidit in ſoluentium medicinarum mentione, vbi ita, ad ſenſum ſaltem ſcribit. Euphorbium gummi eſt, quod vſqueadeò excalfacit extenuatq́;, vt in hoc cætera gummi genera præcellat. Excalfacit enim ordine quarto: quo fit, vt exulceret, ruborem inflammationemq́; inferat, penetret, & violenter abſtergat: Euphorbium noxium admodum eſt medicamentum, ita vt non ſine labore, animi defectu, ac ſudore frigido aluum deijciat. Iocinori ob id, ventriculoq́; ſua ingenti acrimonia magnam infert noxam. Quapropter exhiberi minimè debet, niſi prius ijs commiſceatur medicamentis, quæ acerrimam eius vim retundere valeant. Extrahit potum à profundis corporis partibus tum craſſam, tum lentam pituitam, mundatq́; compaginum cauitates à craſſis contumacibusve excrementis, qua in re omnium valentiſſimum eſt medicamentum. Neruos expurgat ab infarctis iamdiu humoribus. Proficit ad hæc reſolutis, conuulſis, ſtupidis, tremulis, orisq́; diſtentionibus, & cæteris neruorum morbis à frigore obortis, ſi ex leucoij oleo lauigatum exterius inungatur. Iocineri lieniq́; inunctum, mirificè eorum dolores tollit à frigore, & flatu prouenientes. Sternutamenta valentiſſimè cit. Occipiti autem confricatum, veternoſos obliuioſosq́; iuuat. Aquam inter cutem facillimè extrahit duorum obolorum pondere potum. Sed drachmarum trium pondere hauſtum, (vt Serapio & Auicenna ſcriptum reliquerunt) potantem interficit, trium dierum ſpatio eroſis ab eo inteſtinis, & ventriculo.*

Euphor. quã do vtendum. Ex Galeno.

*Euphorbium, teſte Meſue, quatuor edurat annis: neque eo prius vtendum eſt, quàm annum integrum conſenuerit, namq; recens ob ingentem acrimoniam reprobatur. Seruatur commodè milio aut fabis, aut lentibus ſepultum. Euphorbij facultates paucis perſtrinxit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Euphorbium cauſticæ ſiue vrentis, & tenuium partium facultatis eſt, alijs ſuccis ſimiliter. Et lib. 2. de compoſitione medicamentorum localium, cap. 3. tradens curam hemicraniæ, idem de Euphorbio ita ſcribit: Porrò de Euphorbij facultate iam mihi relatum eſt, quòd citò exoluatur, quare in eiuſmodi pharmaca non vetus conijcere oportet. Dictum etiam recens albidius eſſe: quod verò inueteratum eſt, flauioris aut pallidioris coloris reddi.*

Nomina.

*Planta, quæ Græcis εὐφόρβιον, Latinis item Euphorbium nominatur, quemadmodum ſuccus eius: Mauritanis Euforbium ſeu Farbium. Italis Euforbio: Hiſpanis Alforuiam, Alforfion & Euforuio: Gallis Euphorbe.*

Euphorbii tenellam plantam ex Dodonæo effigiatam adiecimus: folia illi ſunt oblonga, craſſa, virentia, rotunda, ac tereti figura, anguloſa Cucumerem referentia, quæ angulis & eminentiorib. & albicantibus ſpinis duplici ferè ordine donantur: ex quibus vulneratis, liquor acris & mordax, facileq; concreſcens effluit: fructum parit in trifido folliculo, ternis vtriculis coniunctum: ſemina vtriculis ſingula clauduntur, colore foris flaua, intus candida ac pinguia, guſtu liquorem æmulantia, Cordo monente. Folium terræ commiſſum, inſtar Opontiæ, ſeu Ficus Indicæ, in plura multiplicatur, & radicẽ in obliquos ramulos diuaricatam demittit. Huius figuram Euphorbii nomine, Dod. fol. Lob. Lug. Tab. & Lonicerus propoſuere. Eligere oportet grumos puros pellucidos, candidos aut flauos: quibus verò plantæ aculei permixti, reprobantur. Adfertur ex Africa ſyncerum, rariſſimè adulteratum, gummi aut Sarcocolla, aut Tithymallorum liquore. Aduerſus Euphorbii acrimoniam remedio fertur eſſe herba, quæ ex radice craſſa, multis propaginibus donata, cauliculos complures emittit, rotundos, virentes, circa quos folia portulacæ, quæ ſucco lento & refrigerante turgent, Euphorbii ardorem retundente, quare ab effectu & contrariis facultatibus Anteuphorbii nomen accepit, vt videre eſt apud Dod. fol. Lob. Lug. & Tabernæmontanum: malè enim apud Caſtorem Durantem pro Euphorbio poſitum.

## Χαλβάνη. GALBANVM. CAP. LXXXI.

GAlbanum ſuccus eſt naſcentis in Syria ferulæ, quod nonnulli metopium vocant. Maximè laudatur cartilaginoſum, merum, thuris effigiem præbens, pingue, minimè lignoſum, retinens nonnihil adiecti ſeminis & ferulæ, graui odore, neq; valde humidum, neq; nimis aridum. Adulteratur faba freſa, reſina & ammoniaco. Galbanum excalfacit, vrit, extrahit, diſcutit: menſes ac partus trahit appoſitu vel ſuffitu. Lentigines aceto & nitro perunctas tollit. Deuoratur ad tuſſim veterem, difficultatem ſpirandi, ſuſpiria, rupta, conuulſa. Aduerſatur toxicis, potum cum vino & myrrha: ſimili modo ſumptum mortuos partus extrahit. Imponitur lateris doloribus & furunculis: comitiales & vuluæ ſtrangulatus, & vertiginoſos olfactu ſuſcitat. Si vratur, fugat nidore ſerpentes, & perunctos feriri non patitur. a Serpentes cum oleo, & ſphondylio circumpoſitum necat: dentium dolorem oblitum, aut cauernis inditum, mitigat: vrinæ difficili prodeſſe exiſtimatur. Reſoluitur ad potiones amaris amygdalis, aqua aut ruta, aut calido pane, mulſave: aliàs meconio, ære vſto, aut felle liquido. Si purgare Galbanum voles, in feruentem aquam demittito: namq; cùm liquefactum fuerit, eius ſordes fluitabunt: quas hoc modo facilè ſeparabis. Mundo linteo, raroq; alligatum in fictili, aut ærea pyxide ita pendeat, vt imum vaſis ne tangat, opertoq; vaſe in feruidam aquam demittito: ſic enim ſyncerum, veluti per colum eliqueſcet, & lignoſum in linteo remanebit.

a Meum τὰ ἑρπετὰ. i. ſerpentia.

Galbani conſideratio. Galbani vires ex Gal.

*QVamuis legitimum optimumq́; Galbanum in pluribus Italiæ locis, præſertimq́; Venetijs venale reperiatur, id tamen quo paſſim officinæ vtuntur, nihil, vel ſanè parum Galbanum refert, quod in laudatiſſimi genere à Dioſcoride repræſentatur. Siquidem illud non modò ab impoſtoribus adulteratum eſt, ſed etiam lignorum ferularumq́; ramentis, lapidibus ac alijs compluribus recrementis vitiatum. Quærant itaq; probi ſeplaſiarij, quod optimum eſt: alij verò, qui parſimoniæ, ne dicam auaritiæ ſtudent magis, quàm honori, vt qui probatiſſimum vix vunquam aſſequi poſſint, id ſaltem, quod impurum eſt, purgare deberent à Dioſcoride edocti: quippe quòd ea ratione facilè ab aduentitijs ſordibus expurgari poſſit. Galbani vires tradidit Galenus libr. 8. ſimpl. medic. ſic inquiens: Galbanum ſuccus eſt plantæ ferulaceæ, molliendi & digerendi*

*vendivi. Fueritq́; ſanè ex tertio ordine excalfacientium incipiente, aut ſecundo completo: in deſiccando verò ex ſecundo incipiente. Id Græcè γαλβάνη. Latinè Chalbanum & Galbanum appellatur: Arabicè Chene & Bezard: Italicè pariter & Hiſpanicè Galbano.*

Nomina.

Galbanum liquor eſt, grumis flauis aut candicantibus compactus, ſubſtantia molli, pingui, digitis adhærente, ſapore amariuſculo, odore graui. Eligendum purum, pingue, cum accenditur flammam nutriens, mediocriter viſcoſum, colore flauum, tale enim recens eſt.

## Ἀμμωνιακόν. AMMONIACVM. CAP. LXXXII.

AMmoniacum ferulæ ſuccus eſt, quam iuxta Cyrenen Aphrica gignit: cuius fruticem cum radice agaſyllim vocant. Probatur bene coloratum, ligni, & calculorum expers, a thuris ſimilitudine, minutis glebis, denſum, ſyncerum, nulla ſorde ſpurcatum, caſtoreum odore imitans, guſtu amarum. Hoc genus thrauſam, id eſt friaturam appellant, quod verò terram, & calculos collegit, b phryama. Gignitur in Aphrica iuxta Ammonis oraculum, ſuccum ſtillante ferulacea arbore. Mollit, extrahit, calfacit, tubercula, duritiasq́; diſcutit, potum aluum ſoluit, partus extrahit: lienem conſumit, drachmæ pondere hauſtum: articulorum, coxendicumq́; doloribus liberat: Auxilio eſt anhelatoribus, orthopnoicis, comitialibus: item quibus humor in pectore coit, ſi cum melle delingatur, aut cum ptiſſanæ ſucco ſorbeatur. Cruentam vrinam pellit, albugines oculorum abſtergit, genarum ſcabritiam abſumit: tritum autem cum aceto & impoſitum, iocineris lienisq́; duritias ſedat: diſcutit tophos, qui in artubus concalluerunt, cum melle, aut cum pice illitum. Laſsitudines, & coxendicum dolores eo perungi vtile eſt, cum nitro, & cyprino oleo, vice acopi.

a Meum λιβανωτίζον τοῖς χόνδροις καὶ ἄλιθες. i. granum thuris referens non lapidoſum.
b Meum φύραμα. i. mixturam.

*AMmoniaci lacrymam officinæ, mutata vna litera, Armoniacum vocant: cuius tamen ſynceriſsima parum ad nos conuehunt, qui ex Alexandria Aegypti cum mercimonijs Venetias redeunt. Quandoquidem rariſsimum Ammoniacum viſitur, quod ſuis minutis glebis thus referat. Nam omne ferè, quo officinæ vtuntur, piceæ reſinæ modo in maſſam compactum cernitur, impurum, ac quam plurimis impoſtorum adulterijs vitiatum. Vt hinc facilè dici poſſe putauerim, hoc vel illegitimum, vel ſaltem deterius eſſe, idq́; fortaſſe, quod Dioſcoridi phryama nuncupatur. Cuius etiam meminit Plinius lib. 12. cap. 23. vbi de Ammoniaco ita ſcribit. Ergo Aethiopiæ ſubiecta Aphrica Ammoniaci lacrymã ſtillat in arenis ſuis. Inde etiam nomen ab Ammonis oraculo, iuxta quod gignitur arbor, quam Metopion vocant, reſinæ modo, aut gummi. Genera eius duo, thrauſton maſculi thuris ſimilitudine, quod maximè probatur: alterum pingue, & reſinoſum, quod phryama appellant: hæc Plinius. Cæterùm Ammoniaco vſi ſunt antiqui (vt Paulus eſt author) in ſacrificiorum odoramentis, ac ſuffimentis. In quem ſanè vſum illud ab ijs receptum fuiſſe conijciendum eſt, quod electiſsimum, & thuri perſimile extitit. Huius rei illud maximo eſt argumento, quod ab ipſo Paulo, itemq́; Aëtio in ſuis medicamentis Ammoniacum thymiama, hoc eſt, ſuffimentum cognominatur, quaſi Ammoniacum præſtantiſsimum ita intelligere voluerint. Ammoniaci meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Ammoniacum liquor eſt ferulæ cuiuſdam. Hoc habet emolliendi facultatem intenſam, adeò vt & articulorum tophos diſſoluat, & lienes induratos ſanet, & chœradas diſcutiat. Quod Græci ἀμμωνιακὸν, Latini item Ammoniacum dicunt: Mauritani Raxach, ſiue Aſſach: Itali Ammoniaco & Armoniaco: Hiſpani Aguaxaque, & Armoniaque.*

Ammoniaci conſideratio.
Ex Plinio.
Ammoniaci vires ex Gal.
Nomina.

Ammoniacũ ſeu gutta Hammoniaca, denſis ſolidisq́; grumis in maſſas, Thuris non diſsimilibus, compactum eſt, coloris ruffi, aut in fuſco flaui, intus candidi, nitidum, ſplendens, Galbanum odore referens, amarum. Eligendum ſyncerum, purum, maioribus grumis, foris flauis intus candidis, & manu tractatum cum lentore molleſcens, accenſum in plures ſplendidas micas diſsiliens.

## Σαρκοκόλλα. SARCOCOLLA. CAP. LXXXIII.

SArcocolla lacryma eſt arboris in Perſide naſcentis, a pollini thuris ſimilis, b rufa, guſtu amara. Vulnera glutinat, oculorum fluxiones inhibet: emplaſtris inſeritur. Adulteratur admiſto gummi.

a Meum ἀλιβάνωτου μικρῷ. i. thuri paruo.
b Meum ὑπόκιῤῥον. i. ſubrufa.

*LAcrymam hanc Sarcocollam dixere Græci, quoniam ſicuti glutinum lignum, ita hæc ſauciatam, exulceratamue corporis carnem agglutinet. Quæ autem ad nos aduehitur, non omnis legitima eſt: quippe quòd ea plerunque (vt de alijs quoque pluribus lacrymis, reſinis, & liquoribus fieri ſuperius diximus) gummi, & alterius generis lacrymis adulterata deferatur, & talis in officinis inueniatur. Verùm fraus guſtu facilè deprehenditur: quandoquidem quæ amara non eſt, adulterium ſenſit. Plin. lib. 13. cap. 11. albam cæteris prætulit, ſic inquiens: Fit & ex Sarcocolla (ita vocatur arbor) gummi vtiliſsimum pictoribus, ac medicis, ſimile pollini thuris: & ideo candidum, quàm rufum melius. Et lib. 24. cap. 14. idem ita ſcribit. Sunt qui & Sarcocollam ſpinæ lacrymam putent, pollini thuris ſimilem, cum quadam acrimonia dulcem. Cum vino tuſa ſiſtit fluxiones, illinitur infantibus. Vetuſtate & hæc maximè nigreſcit: melior quò candidior: hæc Plinius. Qui tamen in Sarcocollæ hiſtoria à Dioſcoride, & Galeno maximè diſſentit, cùm hi Sarcocollam guſtantibus amaritudinem relinquere aſſerant, ille verò contra dulcedinem. Vidi Sarcocollæ arboris imaginem ab Andrea Marino medico inſigni appictam in eo Meſuis libello, qui de aluum ducentibus medicamentis inſcribitur. Eam cur probem, aut improbem ſanè non habeo, cùm mihi non abs re ſit ambigendum an Mercator ille Perſa hiſtoriam aut fabulam attulerit. Sarcocolla Mauritanis pituitoſas cruditates, ac craſſos, & glutinoſos deijcit humores, præſertim qui in compaginum, & coxendicum cauitatibus deliteſcunt. Cerebrum mundat, item neruos, & pulmones: proinde tuſsientibus, & difficulter ſpirantibus auxiliatur. Eſt etiam ex medicamentis, quæ ſenes iuuant, præcipuè pituitoſos. Calueſcunt tamen, qui frequentius ea vtuntur. Præſtat mirum in modum ad oculorum albugines, nubeculas, cicatrices, & id genus impedimenta, ſi in cratere vitreo aſinino lacte maceretur quinque diebus, interea tamen nouum lac quotidie eſt infundendum, priore effuſo. Vulneraria præterea penicilla hydromelite prius madefacta, ac inde Sarcocollæ puluere circumlita auribus exulceratis vti-*

Sarcocollæ conſid.
Ex Plinio.
Sarcocollæ vires ex Arabibus.

*liter imponuntur. Cruentis vulneribus, ac diuturnis vlceribus mirificè medetur, quippe quæ proprio ſuo munere ea à ſordibus mundet, carne repleat, cicatriceq́ obducat. Aluum tardè deijcit, perturbatq́ eos, quorum ventriculus bile redundat, quare cauendum eſt, ne ijs exhibeatur. Roboratur eius deiectoria facultas, gingibere, & cardamomo additis. Hæc ex Arabibus deprompſimus, quæ ſanè tam antiquis, quàm recentioribus incognita fuerunt, vtpote qui ea nuſquam, quod equidem legerim, ſcriptis tradiderunt.*

Ex Galeno.

*Sarcocollæ vires retulit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcriptum reliquit. Sarcocolla lacryma eſt arboris perſicæ, miſtam vim habet ex emplaſtica quadam ſubſtantia, & paucula amara. Itaque citra morſum deſiccat, ac proinde glutinare vulnera valet.*

Nomina.

*Lacryma quæ σαρκοκόλλα Græcis, Sarcocolla item Latinis, & Italis appellatur: Arabibus Anſarot, Anazaron, ſeu Auzurut: Hiſpanis Lancarotes: Gallis Sarcocolle.*

Sarcocolla lachryma eſt ruffa aut candicans, minutis veluti friatis grumis conſtans, amara, acris, nauſeam, cum deglutitur prouocans, glutinoſa, in aqueo humore diſſolubilis. Eligendum rarum veluti ſpumoſum, candidum (ruffum enim inueteraſcentis indicium eſt) amariſsimum, glutinoſum.

## Γλαύκιον. GLAVCIVM. CAP. LXXXIIII.

GLaucium ſuccus eſt herbæ, quæ ad Hierapolim Syriæ naſcitur, foliis ferè corniculati papaueris, pinguioribus tamen, in terram ſparſis, odoris tetri, guſtus amari: tota croceo ſucco madet. Folia in olla fictili, ſemifrigidis clibanis calfaciunt indigenæ, vſq; dum flacceſcant: deinde contuſis ſuccum exprimunt. Cuius eſt vſus ad oculorum medicamenta, vtpote cum inter initia refrigeret.

Glaucii conſideratio.

*GLaucium medicorum, & officinarum vulgo, qui barbarorum, & Arabum nomina vſurpare ſolet, Serapionis, & Auicennæ modo, Memithe dicitur. Id autem, quo paßim ſeplaſiarij vtuntur, meo quidem iudicio, verum ſyncerumq́ Glaucium eſt: quippe quod omnibus ferè notis, & facultatibus legitimo reſpondeat. Præter id enim, quòd facto periculo, oculorum vitijs opitulatur, forinſecus rufeſcit, intus verò croceo colore ſpectatur, & guſtu amaro ſentitur cum quadam graueolentia: tametſi pharmacopolas nonnullos quandoque deprehenderim, qui è maioris chelidonij ſucco Glaucium conficiunt.*

Memithe.

*Sed animaduertendum eſt, quòd in Serapionis codice, præter proprium Memithæ caput, quod Dioſcoridis eſt Glaucium, legitur etiam in capite de Curcuma (niſi fortaſſe interpretis fuerit lapſus) Chelidonium minus vocari Memithe. Quòd in Serapione vel interpretis, vel alterius culpa, mendum ſubſit, inde mihi quidem orta eſt ſuſpicio maxima, quòd Dioſcorides, cuius verba ad vnguem refert Serapio, Glaucij non meminerit in Chelidonijs.*

Glaucium ex Chelidonia.

*Quo factum eſt, vt illi Seplaſiarii deprauata Serapionis lectione decepti, in hunc & alterum errorẽ inciderint: quod non ſolùm ex chelidonijs ſuum Glaucium eliciant, ſed etiam maius chelidonium minoris loco ſumant, quandoquidem illud ſuccum croceum mittat Glaucio ſimilem.*

Glaucii vires ex Galeno.

*Glaucij facultates memoriæ prodidit Galenus lib. 6. ſimp. med. ſic inquiens: Glaucium adſtringit cum quodam faſtidio. Tum adeò manifeſtè refrigerat, vt ſolùm ſæpe eryſipelata, vtique ſi valentia non fuerint, curare poßit. Miſtura eius compoſita eſt ex aquea terreaq́ ſubſtantia, vtraque ſanè frigida, verùm non ſummè, ſed ceu aqua fontana.*

Nomina.

*Γλαύκιον ſic Græcè, vt etiam Glaucium Latinè dicitur: Arabicè Memithe.*

## Κόλλα. GLVTINVM. CAP. LXXXV.

GLutinum, quod xylocollam, alii taurocollam vocant, præſtantiſsimum Rhodiacum, quod ex bubulis coriis conficitur. Id candidum eſt, & translucens. Nigrum verò minus probatur. Reſolutum in aceto impetigines, lepraſq; cutis delet: ambuſtis igni ex aqua calida dilutum, illitumque puſtulas erumpere non patitur. Vulneribus prodeſt melle, cum aceto madefactum.

## Ἰχθυόκολλα. PISCIVM GLVTINVM. CAP. LXXXVI.

PIſcium gluten, venter eſt piſcis cetacei. Præſtat candicans, natione Ponticum, ſubaſperum, minimè ſcabrum, & quod celerrimè liqueſcit. Vtile emplaſtris capitis, & leprarum medicaminibus, & tetanothris, quæ cutem faciei erugant, & extendunt.

Glutini conſideratio.

*NEmo eſt, qui taurinum, & piſcium Glutinum non cognoſcat: quare hac in re, non pluribus verbis opus eſt. Verùm ſciendum, quòd Glutinum taurinum hac ætate non modò è taurinis corijs conficitur, ſed ex omnium quadrupedum pellibus.*

Gluten librariorum.

*Huius neque alterius non reperio meminiſſe Galenum in ſimplicium cenſu: quanquam inibi lib. 7. illius glutinis librarij mentionem fecerit, quod ex polline farinæ, & muria paratur, ſic ſcribens: Gluten, quod ad libros præparant ex ſimilagine, & garo, emplaſticæ concoctoriæq́ facultatis eſt, quibuſcunq́ ipſum partibus illinas. Cæterùm illud gluten, quod è piſcibus fit, inter cætera ſimplicia Paulus quidẽ retulit, ſed ea tantùm ferè de eo ſcribit, quæ Dioſcoridi accepta referri poſſunt.*

Nomina.

*Id græci κόλλα, ξυλοκόλλα, & ταυροκόλλα vocatur, quod Latinis Gluten & Glutinum: Italis Colla di carniccio: Hiſpanis Colla & Grudel. Quæ verò Græcè ἰχθυόκολλα Piſcium Glutinum Latinè dicitur: Italicè quemadmodum & Hiſpanicè, Colla di peſce. Arabicè vtrumque gluten Zire, ſeu Gara nominatur: Germanicè Leim: Gallicè Colla.*

## Ἰξὸς. VISCVM. CAP. LXXXVII.

a Meum ὑπόξανθος. i. ſubflauum.
b Meum ἐπιτείνει τὴν δύναμιν αὐτῶν. i. vires ipſorũ intendit. Idẽ habet.

VIſcum optimum recens, intus porraceum, extra a fuluum, quod aſperi nihil, aut furfuroſi conceperit. Fit † acinis in quercu naſcentibus, buxeo fruticis folio. Contuſum acinum lauant, & poſtea in aqua decoquunt. Sunt qui commanducando ipſum efficiant. Gignitur quoque in malo, pyro, & pleriſq; aliis arboribus: quinetiam inuenitur in quorundam fruticum radicibus. Emollit, diſcutit, extrahit, parotidas, tubercula, cæteraſq; collectiones ad maturitatem perducit, cum reſina & pari cera miſtum: epinyctidas in ſplenio ſanat: vetera vlcera, abſceſſuſq; quos cacoethes vocant, ex thure mollit. Lienem cum calce, gagate, aut Aſio lapide coctum, & impoſitum abſumit: cum ſandaracha, aut auripigmento illitum, vngues extrahit: miſtum cum calce, & vini fæce, b ſuam vim intendit.

## VISCVM.



## * VISCVM POLYCOCcon Camerarii. *



Viſci conſid.

*VIſcum planta eſt breuis, ramuſculis in crucis modum prodeuntibus, folijs binis in ramuſculorum ſummitatibus vtrinq; emergentibus, oblongis linguarum inſtar, craſsis, ſolidisq; colore ſubmelino. Baccas fert copioſas, piſorum magnitudine, albicantes, tenui tunica obductas, ſubſtantia intus tenaci, glutinoſaq; ac molli, in qua ſemen eſt paruum. Viſcum fit pluribus ac diuerſis modis: verùm omnium præſtantiſsimum eſt, quod è granis in quercu naſcentibus conficitur. Huius præter id, quod inualidum in pyris, malisq; naſcitur, ingens in Hetruia prouentus. Siquidem inibi non modo in quercu laudatiſsimum prouenit, ſed etiam in cerro, ilice, & caſtanea, in noſtris præſertim maritimis Senenſibus, vbi vaſtiſsimè aſſurgunt ſyluæ, quæ non paruo pretio ijs locantur, qui viſcum efficiunt. Scandunt autem illi arbores immenſas, non ſine magno vitæ ſuo periculo, ſæpiusq; funibus adalligati id muneris in aëre pendentes obeunt. Grana, quæ legerunt, in aqua decoquunt, donec diſrumpantur: poſtea contundunt, & tamdiu lauant in aqua, quouſq; furfuracea excrementa eximant. Refert Plinius, naſci Viſcum in quercu tantùm, robore, ilice, ſylueſtri pruno, terebintho, pinu, & abiete. At in Hetruria gignitur etiam in caſtanea, quod optimum eſt, malo, ac pyro, non tantùm ſylueſtri, ſed etiam domeſtica, quamuis penitus inutile. Viſci maxima Hetruſcis vtilitas eſt: nam præter eius vſum in aucupijs, quibus mirum in modum delectantur ob ingentem turdorum copiam, qui autumni tempore, in ſyluis quibuſdam ex iuniperis arte conſtructis, eo capiuntur, id etiam in primis vtile eſt vitibus muniendis, ne prima germinatione ab erucis, quibus omnia ſcatent, gemmæ deuorentur. Siquidem agricolæ viſco vites omnes circumdant, quo poſtea erodentes vermiculi, qui tam præſtantiſsimo latici inſidiantur, è terra ſurſum petentes, meritò implicantur. Quòd cum perſpexiſſet natura omnium rerum parens, viſci multum Hetruriæ largita eſt, ne hanc ob peſtem vino deſtitueretur. Viſci fructu veſcuntur turdi, præcipuè magni, quos noſtri vulgò turdellas appellant. Quorum ſtercore viſci ſeminepleno inſiciuntur & ſeruntur arbores, in quibus pernoctant, & victitant: è quo tandem ſemine naſcitur planta, quæ viſcum creat. Vnde ſcitè à Plauto dictum eſt: Turdus exitium ſibi cacat. Cæterùm per ſe non eſt arbor, ſed in arboribus viuit, fronde plerumque perpetua. Id quod etiam teſtatur Virgilius lib. 6. Aenidis cùm inquit.*

Viſci confectio.

Viſci vtilitas in Hetruria.

Viſci generatio.

Viſcum arbor non eſt.

*Quale ſolet ſyluis brumali frigore Viſcum*
*Fronde virere noua, quod non ſua ſeminat arbos.*

Ex Plinio.

*Proinde Plinius lib. 16. ca. vltimo ita ſcriptum reliquit: Quædam enim in terra gigni non poſſunt, & in arboribus naſcuntur. Namq; cùm ſuam ſedem non habeant, in aliena viuunt, ſicut Viſcum. Omnino enim ſatum nullo modo naſcitur, nec niſi per aluum auium redditum, maximè palumbis & turdis. Hæc eſt natura, vt niſi maturatum in ventre auiū non proueniat: hæc Plinius. Quæ ante ipſum memoriæ prodidit Theophraſtus lib. 2. cap. 23. de plantarum cauſis, vnde illa mutuatus eſt Plinius. Porrò id, quod in pinu, & abiete naſcitur, quod (vt Plinius inquit) Stelin Eubœa dicit, Hiphear Arcadia, frequentiſsimum in Tridentino agro in vallis Ananiæ ſyluis conſpicitur, vbi ingens turdellarum copia victitat. Sed hoc ad aucupia prorſus inutile eſt: decoctum enim, & deinde elotum omnem amittit lentorem. Quod autem in pinu, abiete, amygdalo, malo, pyroq; prouenit, perpetua fronde viret. Id verò contrà, quod quercui, robori & caſtaneæ innaſcitur, vt pote cui appetente hyeme omnia folia decidant. Huius rei cauſam reddere tentauit Theophraſtus loco paulò ante citato, cùm ita ſcribit: Viſcum aliud folio eſſe perpetuo, aliud deciduo, haud quaquam abſurdum eſt. Siquidem aliud virentibus ſemper arboribus, aliud frondem amittentibus inſidet: fit enim, vt his careat alimento, in illis habeat, quantum abunde ſit. Cauſa enim perpetuæ, deciduæve frondis hæc eſt, quemadmodum diximus: hactenus Theophraſtus. Verùm enimuero hæc*

Theophraſti ſententia nō accepta.

*Theophr. ſententia non omni ex parte probanda videtur: quippe quoniã vniuerſũ Viſcũ, quod in Amygdalo, pyro, maloq́; in Italia prouenit, tam æſtate, quam hyeme fronde perpetua viret, cùm tamẽ hæ arbores hyeme frondibus deſtituantur. Quo fit, vt aliunde huius rei cauſam petendã exiſtimem. Fit præterea Viſcũ auiculis tantum capiendis commendatum, in Syria ex myxis, quæ Aphris Sebeſtena dicuntur, vt libro primo in prunorum mentione de iis differentes retulimus. Vtuntur hoc Inſubres ſuis in aucupiis, quòd arboreo viſco careant, illudq́; è Venetiis deferunt, quo primum ex Damaſco Syriæ aduehitur, vnde Damaſcenum vocatur: ſed id querno bonitate cedit. Fit quoq́; Viſcum è quarundam arborum radicibus, agrifolii præſertim, & viburni, quarum etiam arborum hiſtoriam libro primo paliuri & rhois commentariis inſeruimus. Qui autem ex huiuſmodi arboribus viſcum conficiunt, cortices radicum ſumunt, effoſſaq́; ſcrobe inter ſuarum arborum frondes humido ſolo ſepeliunt, ibiq́; tanto tempore dimittunt, quoad computreſcant: mox eximunt, & tamdiu in pila contundunt, donec lentorem concipiant: deinde aqua calida lauant, & manibus commiſcent. Hac etiam ratione quibuſdam in locis fit ex ibiſci radicibus. Sunt qui querni viſci lignum in tenuiſsimum puluerem redigant, & comitialibus hauriendum præbeant: quo tantùm medicamento multos fuiſſe ſanatos pro certo affirmant. Atqui operæpretium eſt, vt eo ita vtantur comitiales quotidie in quadrageſimum diem vſq́;, & caueant ne lignum ab arbore reſciſſum terram contingat. Idem collo, aut brachio pro amuleto ſuſpenſum, cum ſuo cortice, grauidarum conceptum adiuuat. Sed noui ego complures, morbi & medicamenti prorſus ignaros, qui ligni loco viſcum ipſum in catapotiis deuorandum dederunt. Viſcum quod in Pyro ſylueſtri naſcitur, contractione membrorum laborantibus maximo eſſe auxilio ſcimus: contunditur id vna cum foliis & ramis, & cum pinguedine capi recenti. Viſci meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, vbi de eius viribus diſſerit iis verbis: Viſcum ex plurima aerea, & aquea calida, pauciſsima terrena ſubſtantia conſtat. Nam acrimonia in eo amaritudinem excellit. Itaq́; etiam affectus ſubſtantiæ reſpondent. Siquidem valenter ex alto humores extrahit, nec eos tantum tenues, ſed & craſsiores, eoſq́; diffundit, ac digerit. Eſt autem ex eorum genere, quæ non protinus poſt primam appoſitionem excalfaciunt, ſed quæ tempus requirunt, velut thapſia. Sed & ſupra commonuimus, ineſſe calidis facultate medicamentis, vbi largum continent humorem recrementitium. Nomen illi Græcum, ἰξὸς, Latinum Viſcum: Arabicum Dabach, ſeu Dibach: Italicum Viſchio & Pania: Germanicum* Vogelleim oder Miſtel: *Hiſpanicum Viſco: Gallicum Guy.*

Viſcum Damaſcenum.

Viſcum ex radicibus.

Viſci querni vires.

Quorundam error.

Viſci pyri ſylueſtris vires.

Viſci vires ex Galeno.

Nomina.

*† Nulla hîc in Græcis codicibus fit acinorum mentio, ſed hæc tantum leguntur: γίνεται ἐκ τινὸς καρποῦ περιφεροῦς. hoc eſt, fit ex quodam fructu rotundo. Cui etiam lectioni adſtipulatur Serapio. Sed interpres videtur ſecutus Plinium qui lib. 16. cap. vltimo, ſic inquit: Viſcum fit ex acinis, qui colliguntur meſsium tempore immaturi.*

Viſcum polycoccon, Camerarius propoſuit in ſua editione Matthioli, quod à vulgari differt baccarum racematim cohærentium copia, in reliquis cum vulgari Viſco conueniens: quod rarum & in Heluetia repertum.

## Ἀπαρίνη. APARINE. CAP. LXXXVIII.

a ἐκ μέσου ὡς ὀμφαλὸς. i. è medio velut vmbilicus, ita Meum.
b Meum μετὰ οἴνου i. cum vino.
Aparines conſideratio.
Speronella.

APARINE ramis multis, & paruis fruticat, aſperis, quadrangulis, per interualla orbiculato foliorum ambitu, vt in rubia: flos albus: ſemen durum, rotundum, concauum a album, vmbilici figura, aſperitate veſtium tenaci. Ea paſtores coli vice vtuntur ad eximendos è lacte pilos. Seminis cauliũ, ac foliorũ ſuccus, potu b contra viperarum, phalangiorumque morſus auxiliatur: infuſu aurium dolori medetur. Herba cum axungia trita, ſtrumas diſcutit.

APARINE.



*APARINE nuſquam non prouenit, ſed præſertim (vt Theophraſtus inquit) inter lentes, in agris, ſecus itinera & propè ſepes. Itali hanc vulgò vocant Speronella, quòd folia circa caulem ad calcarium ſtimuli modum, aſteriſci inſtar proferat. Tactu hæc aſperrima eſt, quapropter cùm adoleuerit, attingentium veſtibus pertinaciter hæret. Huius ſuccum magnifaciunt quidam ad recentia vulnera glutinanda, & ad papillarum rimas. Stillatitia eius aqua datur vtiliter potanda dyſentericis. Siccæ farina vulnera glutinat, & vlcera ſanat. Aparines meminit Galenus lib. 6. ſimp. med. vbi ſic breuiter inquit: Aparine, quidam philanthropon, alii omphacocarpum cognominant, modicè extergit & deſiccat: habetq́; nonnihil ſubtilium partium. Herba hæc Græcis ἀπαρίνη vocatur: Latinis ſimiliter, Aparine: Italis Aparine & Speronella: Germanis* Kleblraut: *Hiſpanis Preſera: Gallis Grateron.*

Aparine vires ex Gal.

Nomina.

Aparine quomodo primò prodeat, figura noſtra expreſsimus, floribus tamen variat, etſi namq; ſit albis ex Baldo, tamen purpuraſcentibus habemus. Dicitur φιλεταίριον Hippocrati: aſpera Lappago ſiue Aſperugo (ab aſperioribus foliis) Plinio: Lappã Gaza apud Theophraſtum vertit: Aparine, Brunſ. Trag. Matth. Fuch. Dod. gal. & Cord. in Dioſc. Lon. Anguil. Lac. Lob. Caſt: Lugd. Cæſ. Aparine aſpera, Thalyo.

## Ἄλυσσον. ALYSSVM. CAP. LXXXIX.

ALYSSON exiguus frutex eſt, vnicaulis, ſubaſper, rotundis foliis: fructu dupliciũ ſcutorum effigie, in quo eſt ſemẽ quadantenus latũ. In montibus, & aſperis locis

locis emicat. Eius decoctum ſingultus, ſine febri, potu diſcutit: idem efficit, ſi quis eam aut teneat, aut odoretur: cum melle trita vitia cutis in facie, & lentigines emendat. Contuſa in edulio rabiei canis mederi putatur: domibus appenſa ſalutaris eſſe creditur, & hominibus, atque brutis faſcini amuletum. Purpureo linteo circumligata, pecorum morbos abigit.

## ALYSSVM.



*ALyſſi varia eſt apud authores hiſtoria. Nam ſi Plinio eſt adhibenda fides, Alyſſum ea planè fuerit herba, quam Rubiam minorem vocamus, quæ quidem, præterquam quod folia ferat longè minora, prorſus Rubiæ ſimilis conſtat. Quòd autem Plinio hæc Alyſſon ſit, eius verba declarant lib. 24. cap. 11. vbi de erythrodano ita ſcribit: Erythrodanus, quam aliqui ereuthodanum vocant, nos Rubiam, qua tinguntur lanæ, pelleſq; perſiciuntur, in medicina vrinam ciet. Morbum regium ſanat ex aqua mulſa: & lichenas, ex aceto illita: & iſchiadicos, & paralyticos, ita vt bibentes lauentur quotidie. Radix, ſemenq; trahunt menſes, aluum ſiſtunt, & collectiones diſcutiunt. Contra ſerpentes rami cum folijs imponuntur. Folia & capillum tingunt. Inuenio apud quoſdam morbum regium ſanari hoc frutice, etiam ſi adalligatus ſpectetur tantùm. Diſtat ab eo, qui Alyſſon vocatur, folijs tantùm & ramis minoribus. Quippe nomen accepit, quòd à cane emorſos rabiem ſentire non patitur, potus ex aceto, adalligatuſq;: hactenus Plinius. Quem facilè quis ſuſpicari poſſet, Dioſcoridis Alyſſum reddidiſſe, eo ductus argumento, quòd is ſtatim poſt Aparinem, quam rubiæ ſimilem fecit, Alyſſum deſcripſerit: niſi omnibus ferè notis hoc a rubia minore differre perſpicuum eſſet. Siquidem Dioſcoridi, alyſſum folijs eſt rotundis, fructu duplicium ſcutorum effigie, in quo ſemen quadantenus latum: in montibus, & aſperis locis naſcitur: quæ ſanè omnia in minori Rubia deſiderantur. Quòd præterea Dioſcoridi, vt Plinio, Rubia minor non ſit Alyſſum, ex eo apertè cognoſcitur, quòd is infra de maiori, & minori Rubia eodem capite tractauerit, id quod minimè quidem feciſſet, ſi nullam indicaſſet inter minorem rubiam, & Alyſſum intercedere differentiam. Quare vel Plinium hac in re hallucinatum, vel diuerſum à Dioſcoride Alyſſum accepiſſe crediderim. Porrò magis adhuc Alyſſi hiſtoriam ea confundere mihi videntur, quæ de eo poſteritatis memoriæ prodidit Aëtius, cùm inquit: Alyſſum eam herbam eſſe aiunt, quam Heracleam ſideritim vocant, quæ propter vias vbiq; naſcitur, purpureo flore, folijs craſſioribus. Nomen traxit, quòd à cane rabido emorſis mirum in modum opituletur. His verbis Aëtius non ſolùm non referre Dioſcoridis Alyſſum deprehenditur, ſed neque etiam ſatis exprimere, quam ſideritim pro Alyſſo intelligat. Nam cum tres ſint ſiderites a Dioſcoride monſtratæ, quarum duæ, prima ſcilicet, & vltima, heracleæ vocantur, non equidem ſcire poſſum, an primam, vel vltimam in ſuum Alyſſum receperit Aëtius. Huic poſtremò, vt alijs quoq;, non conſentiunt quæ de Alyſſo retulit Galenus lib 2. de antidotis, vbi nonnulla Aſclepiadis medicamenta ad rabidi canis morſus commemorat. Alyſſum, inquit, herba eſt marrubio adſimilis, aſperior tamen & magis aculeata circa orbiculos, florem ad cæruleum vergentem profert. Hanc ſub caniculæ æſtu colligere oportet: exiccata contundi, cribari, & ſeruari debet, ne diffletur. Ex his Galeni verbis palam eſt, Alyſſum ab eo ex Aſclepiade deſcriptum, potius primam, quàm vltimam ſideritim referre. Cùm igitur varia admodum ſit de Alyſſo authorum ſententia, cumq; eius hiſtoria tam varia, incertaq; habeatur, difficile quidem fuerit aſſerere, quænam planta Alyſſum legitimè vocari poſſit. Non deſunt ſanè nobis aliquot plantæ, quæ pro Alyſſo ad nos à rei herbariæ peritis tranſmiſſæ ſunt, verùm cùm earum nulla legitimum mihi Alyſſum referat, eas potius ſupprimendas, quàm hic appingendas exiſtimaui. Ruellius tamen eam plantam, quam herbarij (vt ipſe ait) ſylueſtrem cannabim vocant, putat eſſe Dioſcoridis Alyſſum, vel ad ipſum propius accedere. Quod, ne ſemper aliorum errata corrigere videar, ijs diiudicandum relinquo, qui in ſimplicium et hiſtoria mediocriter verſati, hæc & maiora diiudicare poſſunt. Cæterùm Alyſſum à Galeno ex Aſclepiade repræſentatũ, in Italia prouenire non equidẽ inficior, neq; illud ſimiliter, cuius meminit Aëtius. Sed quod horum in vſu medico probandum, vel reprobandum ſit, non facilè decernere auſim, quanquam à Galeno nunquam diſcedendum putauerim. Qui præterea Alyſſi facultates tradidit lib. 6. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Nuncupata eſt hæc herba Alyſſon, quod mirificè iuuet demorſos à cane rabido. Sed & rabienti quoque data, ſæpe in totum ſanauit: atq; hoc ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine efficit. Dictumq; prius eſt talem facultatem ex ſola percipi experientia, & planè nulla conſtare methodo. Quod ſi quis ad multa experiatur cognoſcet facultatem habere mediocriter ſiccificam, & digerentem, cum hoc, vt abſterſorium nonnihil etiam obtineat. Hac ratione & vitiliginem, & maculas faciei à ſole prognatas expurgat. Herba, quæ ἄλυσσον, Græcè Alyſſum quoque Latinè dicitur: Italice Aliſſo.*

Alyſſi conſi.

Alyſſon Plinii eſt Rubia minor.

Alyſſum Aetii eſt Sideritis.

Alyſſum Galeni.

Alyſſum Ruellii eſt Cannabis ſyl.

Alyſſi vires ex Gal.

Nomina.

Alyſſon à Matthiolo & Anguillara propoſitum, Thlaſpios generibus adnumerandum, quare Thlaſpi Græcum propinquius fortè Dioſcoridis, polygonati folio, aut Oleæ, Lentis ſemine, Lobelo dicitur, ac Tabernæmontano Thlaſpi Græcum polygonati folio. Verùm cum hoc neutiquam confundendum Thlaſpi Narbonenſe centunculi folio apud Lobelum.

## Ἀσκληπιάς. ASCLEPIAS. CAP. XC.

ASclepias, ramos emittit longos: folia hederæ, a longa, radices numeroſas, tenues, odoratas: floris viris

a Longa, Ori. non leg.

rus graue, ſemen ſecuridacæ: naſcitur in montibus. Radices ex vino potæ torminibus auxiliantur, & contra ſerpentium ictus. Folia aduerſus vuluæ, mammarumq́; vlcera, quæ cacoethe vocant, illinuntur.

Hedera terreſtris non eſt Aſclepias.

*Falluntur, mea quidem ſententia, qui Aſclepiadis vice, quam in montibus naſci tradidit Dioſcorides, nec non etiam Plinius, eam herbam accipiunt, quam vulgares quidam chirurgici Hederam terreſtrem nominant: quæ plerunque ſecus vias naſcitur, & perpetuò humi ſerpit folijs rotundis, aſperis, per ambitum quadantenus ſerratis, longo tenuiq́; funiculo appenſis: floribus exiguis, in purpura albicantibus: radicibus tenuiſsimis. Siquidem præterquam quòd Dioſcorides ſcriptum non reliquit Aſclepiada in vijs publicis naſci, nuſquam etiam, quod legerim, prodidit eandem tam longo repere tractu & folia rotunda proferre. Nec minus etiam, vt equidem arbitror, hallucinantur ij (pace tamen Fuchſij eruditiſsimi*

Fuch. error.

*Vincetoxicum Aſclep. cenſentis, dixerim, quem conſtat ex ſuis commentarijs hanc habuiſſe ſententiam) qui putant Aſclepiada eam eſſe plantam, quam vulgus herbariorum Vincetoxicum vocat. Quandoquidem huius cum folia, tum radices nullo odore commendantur: flores virus aliquod non redolent: ſemen non eſt ſecuridacæ ſimile. Adde etiam quod ex Oribaſij lectione Aſclepias non profert folia longa: cui ſubſcripſit Marcellus interpres, fretus fortaſſe, vt ſolet, probatiſsimis exemplaribus. Præterea antiquiſsimus codex manu ſcriptus, de radicibus non legit* πολλὰς, *hoc eſt, multas, ſed tantum* λεπτὰς, εὐώδεις *id eſt, tenues, odoratas.*

Vincetoſsici hiſt. Matth.

*Cæterùm* VINCETOSSICVM *prouenit folijs laurinis, ſed in cacumine acutioribus, firmis ac læuibus, caulibus pluribus, lętis, viridibuſq́; circa quos folia per interualla vtrinq; bina ſpectantur. Flores edit tenues*

I. VINCETOXICVM.



* II. ASCLEPIAS NIGRO flore.*



*ex pallido albeſcẽtes, è quibus acutæ tenueſq́; proueniunt ſiliquæ, candida intus lanugine, & ſemine, vt in Nerio. Radicibus nititur numeroſis, in girum ſe circumquaq; fundentibus, tenuibus, longis, albicantibus, haud odoratis, & manſu ſubdulcibus, quadam cum leuicula acredine, quarum eſt vſus. Naſcitur in incultis locis, ſecus itinera, in montibus, collibus, & ſaxoſis, & aridis locis. Radices excalfaciunt, & ſiccant ordine primo, digerunt, aperiunt, & reſoluunt.*

Vincetoſsici vires Matth.

*Vis eis magna ex totius ſimilitudine ſubſtantiæ aduerſus omnia venena, vnde illi nomen. Quare dantur magno auxilio potandæ ad venenoſorum animalium ictus. Demorſis quoque à ſerpentibus & cane rabido vtiliter præbentur diebus 40. continuis ſeſquidrachmæ pondere, ex cardui benedicti decocto. Bibuntur quoq; quotidie ex vino aduerſus peſtilentiæ cõtagia. Dantur eædem vtiliter ex oxalidis, aut bugloſsi aqua ad omnes cordis affectus drachmæ pondere, vnà cum citrei mali ſemine. Eædem ex vino meraco potæ, tormina mulcent. Earundem ex vino albo decoctum ſelibræ pondere potum diebus pluribus, hydropicos iuuat: verùm ſtatim à potu ſudor prouocandus eſt. Auxiliatur idem ictericis, namq; cutis nitorem præſtat, vrinam prouocat, & tuſsi, & pectoris vitijs opitulatur. Dantur tritæ radices vnà cum Pæoniæ ſemine comitialibus, & Melancholicis cum ocimi ſemine, aut cum citri cortice, aut cum margaritis. Præſtant potæ additis dictamni albi radicibus ad interaneorum vermes. Adduntur vtiliter in deſeſsionibus, quæ fiunt ad mulcendos vteri dolores, & ad menſes ciendos. Non deſunt, qui Vincetoſſici radices laudibus efferant ad fractos, & ab alto deuolutos, vbi dentur potandæ ex vino aut Symphyti maioris decocto. Sunt & qui illam humi repentem herbam, de qua antea diximus, pluribus celebrent facultatibus, præſertim ad thoracis, & inteſtinorum vulnera: quamobrem potiones ex ea magna opinione factitant, & ſuccum eius in vnguentis admiſcent: namq; vulneraria eſt, & glutinatoria. Præterea oleum quod infuſis maceratiſq; in eo folijs, ac diutius inſolatis paratur, præſtat plurimum potum ad colicos dolores: namq; præſentaneo auxilio eos iuuat qui hoc morbo laborant. Aſclepiadis meminit quidem Galenus lib 6. ſimplicium medicamentorum, ſed nihil de eius viribus differens, ſic tantùm inquit: In tertio*

Dioſc.

*Dioſcorides de hac herba conſcripſit: at nos eius nondum periculum fecimus. Ea Græcè ἀσκληπιὰς, vt etiam Latinè Aſclepias nominatur: Italicè, Aſclepiade.* Nomina.

Aſclepias noſtrum, Apocyno cognata herba videtur, & νικυθόξικον ſeu Vincetoxicum vulgó dicitur, quod duplex, albo (quod vulgatum) nigroq; flore. I. Aſclepias albo flore, CB. Hirundinaria, Brunf. Trag. Geſ.hor. Lon. Vincetoxicum, Matt. Dod. fol. Lug. Caſt. Hederalis, Ruellio, Aſclepias, Fuch. Dod. gal. Cor. in Dioſ. & hiſt. Geſ.hor. Lacun. Lob. Cæſ. Taber. Cam. II. Aſclepias nigro flore, C.B. Vincetoxici altera ſpecies, Dod. fol. Aſclepias altera flore nigro, Lob. Aſclepias nigra, Cluſ. hiſt. Hiſp. Lugd. Aſclepias tertia flore nigro, Tab. Apocynum, Columnæ: alii tamen Periplocam minorem vocitant.

## Ἀτρακτυλίς. ATRACTYLIS. CAP. XCI.

ATractylis, † ſpina eſt cnico ſimilis, folia multò a longiora ferens in ſummis virgis, magna parte nuda, [aſperaq; ] qua fœminæ pro fuſis vtuntur, b capitula in cacumine ſpinis horrent, flos luteus, quibuſdam in locis purpureus inuenitur: radix tenuis, ſuperuacua. Coma, ſemen & folia cum pipere & vino teruntur vtiliſſimè contra ſcorpionum ictus. Percuſſos tradunt, quamdiu ea teneatur herba, nullum experiri dolorem, ipſumq; depoſita ſtatim recrudeſcere.

† Orib add. ἢ κνίκου ἀγρίου. i. vel Cnycus ſyl. a Orib.
μικρότερα. i. minora. Cõcl. non habet exemp.
b Or. κόμην i. coma.

I. ATRACTYLIS.



*ERrant haud dubiè, vt mea quidem fert opinio, Ruellius & Hermolaus: quippe qui exiſtimauerint Atractylida eſſe Cnicum ſylueſtrem, cuius primo loco meminit Theophraſtus lib. 6. cap. 4. de plantarum hiſtoria. Siquidem magnam ego inter ſylueſtrem Cnicum, & Atractylida inuenio apud Theophraſtum eſſe differentiam. Quod vt omnib. perſpicuum eſſe poßit, ijs præſertim, qui aliter ſentiunt, hic Theophraſti verba de Cnico, Acarna & Atractylide ſubijciam. Cnicum, inquit: ſylueſtri vrbanoq; diſcernitur. Sylueſtris genera duo notantur: alterum vrbano admodum ſimile, recticaulius tamen: quamobrem eo mulierum priſcarum nonnullæ pro colu vtebantur: fructum nigrum, maiuſculum amarumq; parit. Alterum genus denſum conſtat, caulesq; ſoncheos profert, quodammodo humicaule fit: nam propter foliorum mollitiam declinatur, procumbitq; ad arua: fructum amarum, frequentem, barbæq; modo hirſutum gignit. Sunt ambo ſemineſa, verùm ſylueſtre copioſius fert. Eius peculiare præ alijs ſylueſtribus eſt, quòd illa duriora ſpinoſioraq; vrbanis proueniunt: hoc autem mollius ac læuius conſtat. Acarna quoad ſimplici ratione exprimi licet, aſpectu Cnico vrbano ſimilis eſt, colore flauicans, ſucco pinguis. Fuſus agreſtis (ſic enim Atractylida Latini nominarunt) his candidior eſt: habetq; peculiare, quod in folijs euenit: decerpta enim, carniq; allata, ſuccum ſanguineum effundunt: qua de cauſa φόνος, id eſt cruor à quibuſdam ſpina hæc eſt nominata: grauis etiam odore, cruoremq; repræſentans. Serò perſicit fructum, autumno enim & quidem in totum (vt ſummatim proponam) vniuerſa ſpinaceorum natura fructus ſerotina exiſtit: hæc Theophraſtus. Ex quibus verbis facilè cognoſci poteſt, in Atractylidis hiſtoria apertè aberraſſe Ruellium, cùm in tertio ſuo de natura ſtirpiũ libro aſſerit, Fuſum agreſtem, hoc eſt Atractylida, nil aliud eſſe Theophraſto, quàm primum Cnici ſylueſtris genus, vtpote qui non animaduerterit, quòd Atractylis Theophraſto alia eſt, à Cnico ſylueſtri planta, quanquam illi fortaſſe non abſimilis, & cui ea tantùm inſit proprietas, vt è folijs ſuccum ſanguineum fundat, id quod nullo Cnici generi tribuitur. Errandi ei occaſionem, meo quidem iudicio, præbuit Plinius, quod lib. 21. cap. 15. ſylueſtrem Cnicum à quibuſdam Atractylida vocari tradiderit. Vbi poſtquam commemoraſſet nonnullas ſpinoſas plantas, quibus Aegyptij in cibis vtuntur, de Cnico tandem in hunc modum diſſeruit. Multas præterea, inquit: ignobiles habent plantas. Sed màxime celebrant Cnicon Italiæ ignotam, ipſis autem oleo, non cibo gratam. Hoc faciunt ex ſemine eius. Differentia prima ſylueſtris & ſatiuæ. Sylueſtrium duæ ſpecies, vna mitior eſt, ſimili caule, tamen rigido, exilis. Itaq; & pro colu antiquæ mulieres vtebantur, quã quidam Atractylida vocant. Semen eius candidum, & grande, amarum. Altera hirſutior, toroſiore caule, & qui penè humi ſerpat, minuto ſemine: hæc Plinij verba: Quæ etſi quidem certam fidem faciant, primum ſylueſtris Cnici genus à quibuſdam Atractylida fuiſſe vocatum, non tamen propterea affirmant, Atractylim eſſe Cnicum ſylueſtrem. Atractylidis deinceps ſpeciatim meminit ipſe Plinius cap. 16. eiuſdem libri, cum inquit: Acarna colore tantùm rufo (à ſcolymo ſcilicet) diſtinguitur, & pinguiore ſucco. Idem erat Atractylis quoque, niſi candidior eſſet, & niſi ſanguineum ſuccum funderet: qua de cauſa phonos vocatur à quibuſdam. Odore etiam grauis, ſerò matureſcente ſemine, nec ante autumnum, quanquam id de omnibus ſpinoſis dici poßit: hactenus Plinius. Ex ijs igitur omnibus meritò colligendum eſſe putauerim, legitimam Atractylidem nullum eſſe ſylueſtris Cnici genus, ſed aliam per ſe plantam, nempe illam, qua pro fuſis priſcæ vtebàntur mulieres. Quod ſane animaduertens Theodorus ſui Græci idiomatis peritißimus, in Theophraſti verſione, Atractylida fuſum agreſtem interpretatur, non autem colum, vt primum agreſtis Cnici genus vertendo, ex antiquo ad colos vſu, id Colum agreſtè rectè cognominari poſſe mõſtrauit. Qua in re is planè declaraſſe videtur, priſcas mulieres agreſti Cnico coli vice fuiſſe vſas, fuſorum verò loco ipſa tantùm Atractyli. Cæterùm ſunt, qui plantam cuius hic nos imaginem expreßimus, Atractylem eſſe exiſtiment, quorum ego probarem opinionem, ſi folia ſanguineum ſuccũ funderent, & caules rectiores eſſent: ſit itaq; de ea aliorum quoq; iudicium. Credidit Ruellius alteram Cnici ſylueſtris ſpeciem eam nimirum eſſe ſtirpem, quã herbariorum vulgus Carduum benedictum, vel ſanctum appellat. Quam profecto opinionem haudquaquã improbandã puto,*

Atractylidis conſid. Ruell. & Hermolai error, Atracty. Cnicum ſyl. eſſe credentium.
Cnicus Theophraſt.
Acarna Theophraſt.
Atractylis Theoph.
Cnicus Plin.
Atractylis Plinii.
Colus agreſtis.
Cnici ſyl. altera ſpecies, Card bened.

quandoquidem Carduus benedictus vocatus ſolo procumbit, denſa foliorum coma, & quodammodo humicaulis cernitur: quinetiam fructum gignit amarum, barbæq; modo hirſutum: & caules profert ſonchi modo rubentes. Vt ex ijs notis accuratius expenſis, quibus prorſus conuenit Carduo benedicto cum altero Cnici ſylueſtris genere, nil mirum ſi cogar mutare ſententiam, & hoc quod aliàs negaueram, nunc planè aſſerere non dubitem. Sed certè Ruellium mirari ſubit, quod tam facilè aſſeruerit Carduum benedictum vocatum ſanguinem ex ſe fundere. Nam etſi ego millies periculum fecerim, nunquam tamen euulſo folio, vel ramulo ſanguinem è vulnere profluere comperi. Præterea ſi concedamus, quòd Ruellius vera referat, id maximè ipſius repugnabit ſententiæ, cùm tam Theophraſto, quàm Plinio nullũ Cnici genus ſanguinẽ fundat, quoniam id Atractylidis eſt proprium. Hinc itaq; palàm fieri arbitror, Ruellium, alioqui doctiſsimum, turpiter confudiſſe Atractylidis hiſtoriam. Quippe ſi, vt ſuam tueretur ſentẽtiam, aſſerere voluiſſet Atractylida eſſe primum ſylueſtris Cnici genus, illud quidem ſuccum fundere ſanguinis inſtar ſcribere debuiſſet, non autem hoc, quod Carduum benedictum eſſe cenſemus. Neque etiam mihi, vt liberè liceat quod quiſq; ſentit dicere, placet Fuchſij opinio, qui libro primo de compoſitione medicamentorũ & in ſuis de plantarũ hiſtoria commentarijs, Carduum benedictum vulgò nominatum Atractylidem hirſutiorem eſſe exiſtimat: hirſutiorem dixi, quoniam is duas eſſe cõſtituit Atractylidis ſpecies, nempe mitiorẽ alteram, alteram hirſutiorem: tametſi tum Dioſcoridi, tum Theophraſto Atractylis vnum duntaxat ſit genus, quod, quantũ reor, Carduus benedictus non eſt. Siquidẽ hic nec ſanguineũ ſuccum fundit, nec in imis virgis vnquã viſitur nudus: quinimò virgas non profert, ſed caules lentos, quibus humi ferè reptat, vel potius ſolo procumbit. Sed poſtquam in hac noſtra Atractylidis, & Cnicorum ſylueſtrium diſquiſitione, ſermo incidit de Carduo benedicto, non ab re hic de miris eius atq; excellentibus dotib. nobis differendum eſt.

*Ruell. lapſus.*

*Fuchſii opin. reprobata.*

## II. CARDVVS BENEDICTVS.



*Cardui bene. dicti deſcrip.*

Eſt igitur CARDVVS benedictus ita vulgò nuncupatus, planta nullis hoc tempore non cognita. Caulibus eſt rotundis, flexilibus, lentis, piloſis, humi accubantibus, folijs longis, vtrinq; laciniatis, hirſutis, & cum adoleuerint per ambitum aculeatis. Capitula habet in caulium ſummis partib. longis, ac pungentibus aculeis rigentia, & folijs circumquaq; ſtipata. E quibus melinus flos emicat, papposo intus ſemine cinaræ ſimili & albicante. Radice nititur alba multifidaq;.

*Vires.*

Tota planta vehementer amara eſt, ideoq; excalfacit, ſiccat, aperit, abſtergit & digerit, ſed ad multa vtilis. Seritur paſsim in hortis, ſapore admodum amaro, quòd terreis conſtet partibus calore quodam attenuatis. Magni nominis, magnæq; exiſtimationis planta eſt non modò apud Italos, ſed etiam apud exteras nationes, præſertim contra peſtilentiam: item aduerſus venena lethalia, tam interius ſumpta, quàm venenoſorũ animalium ictibus, aut morſib. impoſita. Sanantur hac herba quartana laborantes, aut alijs febribus detenti, quarum acceſsiones cum frigore adueniunt. Id enim præſtatur hauſto eius decocto, aut ſtillatitia aqua, aut pulueris drachma pota. Præſtant eadem comitialibus infantibus eodem modo bibita. Herbæ decoctum ex vino ſumptum ilium, & renum dolores mulcet, & cætera ventris tormina ſedat: ſudorem cit, alui tineas necat, & vteri vitijs auxiliatur. Herba ipſa tam recens quàm ſicca & pota, & exterius admota, contumacia vlcera, & quæ cacoëthe vocantur, ſanat, cuteq; obducit: quamobrem decoctis miſcetur, quæ è ligno Guaiaco, ex vino & aqua ijs parantur, quos lues Gallica corripuit.

*Nomina.*

Planta, quæ Græcis ἀτράκτυλις, Latinis item Atractylis, & Fuſus agreſtis appellatur: Italis Atrattile, & Cartamo ſaluatico. Carduus benedictus: Italis Cardo benedetto, Cardo ſanto, ſiue herba Turca.

Atractylis flore eſt luteo, quandoq; purpureo, vtramq; caulibus rectis, non reflexis, aſſurgere obſeruauimus. I. Atractylis lutea, C.B. Atractylis Matt. Dod. gal. & fol. Lac. Lob. Caſt. Lug. Tab. Cam. II. Carduus benedictus, Brunf. Trag. Matth. Lacu. Geſ. hor. Lob. Dod. fol. Caſt. Lugd. Tab. Cam. Atractylis hirſutior, Fuch. Dod. gal. Acanthion, Cord. in Dioſc. (cui & Cnicus ſylueſtris alter Theophraſti) Lon. Cnicus ſupinus, Cord. in hiſt. Carduus ſanctus Cæſalpino.

## Πολύκνημον. POLYCNEMVM. CAP. XCII.

*a Or. καρπὸν i. ſemine.*

POlycnemon, frutex eſt ſurculoſus, foliis origani: a caule, vt pulegii, geniculis multis intercepto, ſine vmbella, tenui tamen in cacumine corymbo, boni odoris & acris. Vulneribus agglutinandis recens, aut aridum, cum aqua efficaciter illinitur: ſed quinto die ſolui debet: ad vrinæ ſtillicidia, ruptaque cum vino bibitur.

*Polycnemi conſid.*

POlycnemum hactenus, quòd ego quidem ipſum cognouerim, non reperi, neq; vidi in Italia. Cæterùm etſi inibi nonnullæ inueniantur, atq; etiam à quibuſdam pro eo oſtendantur plantæ, quæ aliquibus notis Polycnemum quadantenus referre videntur, cùm tamen plura etiam ijs deſint, quæ in Polycnemo requiruntur, quàm vt pro vero probari poſsint, non equidem quicquam in hoc certi ſtatuere auſim. Vnde ſatius ipſum inter alias ignotas plantas collocandum eſſe dixerim, donec aliud certius compertum fuerit.

*Vires ex Gal.*

Sed ſi quis interim Polycnemi vires ex Galeno quoq; ſcire deſiderat, is lib. 8. ſimp. med. illas ita paucis retulit: Polycnemon deſiccat, & excalfacit ſecundo exceſſu. Itaq; & ob id vulnera glutinat.

*Nomina.*

Huic plantæ nomen Græcum πολύκνημον: Latinum ſimiliter Polycnemum: Italicum Policnemo.

Κατ-

## Κλινοπόδιον. CLINOPODIVM. CAP. XCIII.

CLinopodion frutex eſt foliis ſerpyllo ſimilis, ſurculoſus, duum dodrantum altitudine. Naſcitur in a petroſis. Flores, marrubii modo, ex interuallis diſtincti ſpeciem lecti pedum præbent. Bibitur herba, & ſucci eius decoctum, ad conuulſa, rupta, ſtrangurias, ſerpentium ictus: menſes & partus pellit: & penſiles verrucas, quas acrochordonas vocant, eiicit, aliquot diebus potum. Aluum ſiſtit decoctum ad tertias potumq́; , ſi febrim ſentiunt, ex aqua, alioquin ex vino.

a Meum ἐν πέτραις. i. in petroſis.

I. CLINOPODIVM VVLGARE.



I. PSEVDOCLINOPODIVM.



*DVæ ſunt plantæ, quæ à quibuſdam rei herbariæ indagatoribus, pro Clinopodio oſtenduntur. Prima folijs exit ſerpyllo haud abſimilibus, latioribus tamen, caulibus quadrangulis, tenuibus & hirſutis: floribus purpureis: caules verticillatim ambientes. Altera folijs eſt ſerpylli modo oblongis, in cacumine mucronatis, & in ambitu ſerratis, floribus inter folia ſubpurpureis, balauſtij effigie, caulibus exilibus, anguloſis, è quibus folia per interualla exeũt vtrinq; bina, ſapor illi acutus. Naſcitur in campeſtribus inculto ſolo, & ſaxoſis locis. At illa longè magis, quàm hæc (quantum mea fert opinio) Clinopodium refert, tum quòd folia magis ſerpyllum referant, tum quòd flores, qui in ſummis caulib. ſunt, lecticæ pedis baſim quadantenus referre videantur. Id quod maximè me adduxit ad credendum, hanc plantam legitimum eſſe clinopodium, verùm degustata tractu temporis herba, non quidem ab re mihi à ſententia recedendum fuit. Siquidem cum à Galeno ſcriptum eſſe animaduerterim, Clinopodium adeò tenuium eſſe partium, vt ex tertio excalfacientiũ ſiccantiumq́; ordine habeatur, ac operæpretium eſſe haud me lateat, vt quæ in huius cenſu ſunt plantæ, aut guſtu acres, aut admodum amara percipiantur, cumq́; neutra qualitas in hac, aut illa planta cuius imagines dedimus, reperiatur, non auſim primam, nec alteram legitimum facere Clinopodium, ſed potius alteram ſtatim ſequentẽ, cui præter acredinem & odoris fragrantiam, cæteræ adſtipulantur notæ. Cum non dubitem, quin hæc planta legitimi Clinopodij faciem referat, fateri ac affirmare cogor eã ijs viribus eſſe præditam, de quibus diximus de Clinopodij virib. Nec tamen ob id prætermittere volui, quin in ſtudioſorum gratiam ea hic excuderentur. Huius meminit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Clinopodium excalfaciendi vim obtinet, ſed nondũ adurendi: eſt verò etiã eſſentia tenuiũ partium: ponatq́; ipſum quiſpiam in tertio ordine tum excalfacientiũ, tum reſiccantiũ. Κλινοπόδιον ſic Græcè, vt Lat. pariter Clinopodiũ vocatur: Italicè Clinopodio.*

Clinopodii conſideratio. Clinopodii facultates ex Galeno. Nomina.

Clinopodium ſic dictum, quòd orbiculato florum ambitu ſpeciem pedum lecti præbeat. I. Clinopodium Origano ſimile, C.B. Origanum quartum, Trag. Origanum verticillatum, Tha. Clinopodiũ vulgare, Matt. Clinopodiũ, Lac. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Caſt. Cluſ. hiſt. Pan. Tab. Clinopodiũ maius, Cam. Clinopodium prius, Lugd. Pulegium montanũ & Origanum ſylueſtre, Lonic. Acinos & Betonica Pauli quorundam, Lob. Acinos ſiue Clinopodiũ ſylueſtre, Lug. Herba Origano vulgari ſimilis, Cæſ. Alterum eſt altius maiore folio, alterum humilius minore folio, floribus purpuraſcentibus, rarius albis. II. Clinopodium ſiue Ocimum ſylueſtre, C.B. Baſilicum tertium, Trag. Pſeudoclinopodium, Matth. cui & Clinopodium alterum in Iconibus, & Lugd. Clinopodium Anguill. Clinopodiũ vulgare, Lob. Clinopodium ſecundũ, Tab. Clinopodium Dioſc. & Plinii Cæſ. Clinopodium maius & minus Thal. Ocimaſtrũ Fuchſ. fol. & Lugd. Acinos Fuch. in Iconi. Dodo. gal. Lac. Ocimum ſylueſtre, Dod. fol. Ocimum paruum, Lon.

Cala-

Calamenthum montanum, Trag.edit.Lat.Pulegium petræum, Geſ.hor.Calamintha quædam Ocimi ferè foliis. Cord.in Dioſc. Variat foliis latioribus.anguſtioribus,iiſq; hirſutiſſimis,aliquando penè læuibus, quæ res facit, vt Clinopodium alterum Matthioli diſſimile videatur: floribus etiam albis reperitur.

## Λεοντοπέταλον. LEONTOPETALVM. CAP. XCIIII.

LEONTOPETALVM.



a Cat. non habet.
b Meū. καθάπερ κονδύλε τινὰ..i. velut nodos quoſdam.

LEontopetalon caulem emittit dodrantalem, aut altiorem, plurimis alis concauum, & in cacumine ſemina parua duo, aut tria, in ſiliquis, ciceris modo: flores anemonæ ſimiles, puniceі coloris: folia braſſicæ, ſed papaueris diuiſura: radicibus nigris, a rapæ ſimilibus, b ſtrumoſis. Naſcitur in aruis & ſegetibus. Radix auxiliatur ſerpentium ictibus, ex vino pota, nec alia res celerius dolorem finit: miſcetur iſchiadicorum clyſteribus.

Leontopetali conſid.

*LEontopetalum, eiuſq; nigram extuberantemq; radicem, rapi inſtar magnitudine, non modò Venetijs, & Patauij in quibuſdam hortis vidimus, verùm etiam in Hetruriæ aruis, alijsq; Italiæ locis. Naſcitur frequens in Apulia.*

Ex Plinio.

*Leontopetali meminit Plinius lib. 27. cap. 11. vbi ipſum ijs depingit verbis: Leontopetalon, alij Rhapeion vocãt, folio braſſicæ, caule ſemipedali, alæ multæ, ſemen in cacumine in ſiliquis ciceris modo, radix rapæ ſimilis, grandis, nigra: naſcitur in aruis.*

Leõtopetali vires ex Gal.

*Leontopetali facultates paucis perſtrinxit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit: Leontopetali radice maximè vtimur. Digerendi facultatem, & exiccandi excalfaciendiq; in tertio ordine poßidet.*

Nomina.

*Λεοντοπέταλον quod Græci, Leontopetalum quoq; Latini dicunt: Leontopetalo Itali.*

Leontopetalon id eſt leoninum folium, floribus puniceis dixit Dioſcorides, luteis ſolùm obſeruauimus, quod Anemonem olim vocatũ fuiſſe, teſtis eſt Geſnerus, libro de hortis Germaniæ. Leontopetalon Matth. Geſ.hor. Lac. Anguil. Lon. Lob. Dod. ſol. Caſt. Lugd. Cæſ. & Camerario.

I. TEVCRIVM.



## Τεύκριον. TEVCRIVM. CAP. XCV.

a Orib. Λυκία. i. Lycia.

TEucrion, ſiue, vt aliis placet, Teucris, herba eſt virgæ referens effigiem, triſſaginis ſimilitudine, tenuifolio, non multùm à cicere alieno. Hæc in a Cilicia iuxta Gẽtiadem, Ciſſademq; vbertim prouenit. Recens cum pota, aut aridæ feruefactæ eius potu lienem potenter abſumit. Lienoſis cum aceto, & ficis illinitur: itẽ ſerpentiũ morſib. ex aceto ſolo ſine ficis.

Teucrii conſideratio.

*HErba quædam naſcitur pluribus in locis, folijs quidem ciceris, ſed caule, & facie triſſagini adeò ſimilis, vt ſæpe extempore viſu oculos decipiat. Hanc eſſe verum Teucrium mecum ſemper exſtimaui, (ſi Teucrium noſtris in regionibus naſcitur) quòd eam ibi planè notis reſpondere videatur, quas Dioſcorides Teucrio reddidit. Qui tametſi ſcribat vbertim naſci Teucrium in Cilicia iuxta Gentiadem & Ciſſadem, id tamen nihil impedit, quin etiam alibi prouenire queat. Siquidem folijs exit ciceri non abſimilibus, tenuibus & caulibus & facie Triſſaginis ſpectatur.*

Teucriũ duplex Plinio.

*Plinio duo Teucrij produntur genera lib 25. cap. 5. vbi ita ſcriptum reliquit: Inuenit & Teucer eadem ætate Teucrion, quam quidã hermion vocant, ſpargentem iuncos tenues, folia parua aſperis naſcentem, auſtero ſapore, nunquam florentem, neq; ſemen gignit. Medetur lienibus, conſtatq; ſic inuentam Cum exta ſuper eam proiecta eſſent, fertur adhæſiſſe lieni, eumq; exinaniſſe: ob id à*

Splenion.

*quibuſdam ſplenion vocatur. Narrant ſues, qui radicem eius edunt, ſine ſplene inueniri. Quidam ramis hyſſopi plantam, ſurculoſam, folio fabæ, eodem nomine appellant. Et colligi florentem adhuc iubent, adeò florere non dubitant, maximeq; ex Cilicijs, & Piſidiæ montibus laudant: hæc Plinius. Ceterùm non deſunt, qui putent alterum Plinio Teucrium eam eſſe plantam, quæ Italis vulgari ſermone vocatur Faua graſſa, quam-*

II. TEVCRIVM ALTERVM.



*ſa, quanquam hanc alij falsò, vt opinor, Telephium eſſe contendunt. Teucrij vires deſcripſit Galenus libr. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Teucrium incidentis, & tenuium partium facultatis eſt: quare lienes ſanat. Ponatq́; ipſum quiſpiam in tertio exiccantium, ſecundo verò excalfacientium ordine. Hanc herbam Græci τεύκριον, Latini item Teucrium nominant: Itali Teucrio.* Teucrii vires ex Gal. Nomina.

I. Teucrium, Matthiolo (verùm in penultima editione figura poſita ſub Teucrio altero, vt & ap. Lug.) Fuch. Dod. gal. Cord. in Dioſc. Lac. Lon. Lob. Cæſal. Caſt. Teucrium verum, Geſ. hor. Teucrium vulgare, Cam. Teucrium primum, Tab. Chamædrys altera ſiue aſſurgens, Dod. fol. II. Chamædrys ſpuria maior, C.B. Chamædrys altera, Trag. Chamædrys vulgaris mas, Fuch. & Lugd. Chamædrys ſylueſtris, Dodo. fol. Pſeudochamędrys, Geſ. hor. Teucrium alterũ, Matt. Tab. Teucriũ primum, Lugd. Hierabotane fœmina, Dod. gal. & Lug. Veronica ſupina facie Teucrij pratenſis, Lob. Auricula muris quinta, Cæſalpino.

## Χαμαίδρυς. TRISSAGO. CAP. XCVI.

CHamædrys Græcis, alijs Chamædrops, Latinis triſſago dicitur. Sunt qui eam Teucrion appellauere, propter eam quam cum teucrio ſeruat ſimilitudinem. Naſcitur in petroſis & aſperis. Frutex eſt dodrantalis, folia habens exigua, amara, effigie & diuiſura quercus: flore paruo, a penè purpureo. Carpitur ſemine prægnans. Recens in aqua decocta, potu tuſſibus, b indurato lieni, vrinæ difficultati, incipientibus hydropicis, auxiliatur: cit menſes, partus extrahit: lienem ex aceto pota conſumit: aduerſus ſerpentium venena ex vino, potu illituq; efficaciſſima. Trita digeritur in paſtillos, ad ſupradicta: purgat vetera vlcera, cum melle: cum oleo illita, caliginem oculorum diſcutit: natura eius eſt calfacere.

a Ori. ὑπόπυῤῥον. i. ſubrufum.
b Meũ addit σπάσμασι. i. conuulſionibus.

I. TRISSAGO SIVE CHAmædrys.



II. CHAMAEDRYS ALTERA.



*CHamædrys herba eſt vulgaris notitiæ. In Hetruria, Senenſibus præſertim, vulgò appellatur Querciuola. Quo nomine Græcos imitati videntur, quib. nil aliud per Chamædryn ſignificatur, quàm humilis & terreſtris quercus. Inſubribus* Chamędryos conſideratio.

*vulgò*

Febrifuga. *vulgò Calamandrina vocatur. Alijs herba febrium, vel Febrifuga dicitur, eo quòd epoto eius decocto diebus aliquot tertianas fuget & finiat. Magnifaciunt Chamædryn Hetruſci, quòd (vt affirmant ij, qui rem hanc experimento comprobarunt)*

Chamædrys vires Matth. *ieiunis acetarij modo ſumpta, peſtilentiam arceat, nõ minus quàm ſcordium planta ei cognata. Præſtat quoq; Chamædrys ad frigidos omnes cerebri morbos, nempe ad diuturnos capitis dolores, ad comitiales, veternoſos melancholicos, ſtupidos, conuulſos ac reſolutos. Semen drachmæ pondere potum bilem per vrinas ducit, ideoq; conuenienter datur potandum ictericis: inſtillatur foliorum ſuccus ad vermiculoſas aures. Datur idem aduerſus inteſtinorum vermes: id quod etiam vinum præſtat bibitum, in quo floreſcens herba die & nocte fuerit macerata.*

Chamædrys quadruplex Fuchſ. *Cæterùm quamuis Dioſcorides, aliiq; veteres vnius tantùm, quod extet, Chamædryos meminerint, tamen Fuchſius quatuor eius genera depinxit.*

Triſſago Theophr. *De Chamædry ſiue Triſſagine diſſeruit Theophraſtus lib. 9. cap. 10. de plantarum hiſtoria, vbi ita ſcriptum reliquit: Triſſaginis folia ad rupta & vulnera, in oleo trita valent, & ad depaſcentia vlcera. Semen bilem extrahit, & oculis quoq; beneficium eſt. Folium ad albugines tritum, in oleo prodeſt. Habet hæc herba folia quercus: & ſtatura vix palmum excedit: & odorata atq; ſuauis eſt. Sed partes quidem omnes herbæ eiuſdem minimè ad idem vtiles fore, haudquicquam abſurdum fortaſſe appareat. Radicis verò eiuſdem partem vnam ſuperius, alteram inferius purgare mirabilius ſit, vt thapſiæ & iſchiadis, quam alij Apion appellant: hæc Theophraſtus. Quibus mirum nulli eſſe debet, quòd Chamædrys tertiana correptos liberet: ſiquidem ea, Theophraſto authore, bilem deijcit.*

Chamædrys altera, & eius hiſt. Matth. *Eſt & altera* CHAMÆDRYS, *folijs quercus effigie, ſed magis quàm in præſcripta laciniatis tenuibusq;, ſubnigricantibus, numeroſioribus & denſioribus. Caules edit quadrangulos, tenues, lignoſos, ſeſquidodrantales, ramis, ſurculisq; plurimis refertos, in quibus floſculi purpurei per interualla, inter folia rutilant, & caules ipſos ambiunt, alterius Chamædrys modo: Radicem habet multifidam albicantemq;. Eſt autem planta aſpectu iucundo & eleganti: Amara tamen eſt, ſed odore non iniucundo, reſinam olente.*

Tragus notatur. *Quo factum eſſe puto, vt Tragus Dioſcoridis Chamæpityn hanc plantam eſſe exiſtimauerit, ſed an rectè ſenſerit notabunt rei plantariæ periti. Mihi autem Chamædrys altera perpetuò fuerit, cum folia quercus, non pini gerat: & cum altera Chamedry cognationem habeat, non ſolum folijs, caulibus & floribus, ſed ſapore quoq; & facultatibus. Cum adeò amara non ſit vt altera, ea quidem minus calida, ſiccaq; fuerit, itaq; ad omnia munia imbecillior, non tamen multò.*

Chamędryos vires ex Gal. *Triſſaginis vires memoriæ prodidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Chamædrys vincentem habet qualitatem amaram, & eſt quodammodo acris. Quocirca meritò lienem colliquat, & vrinas ac menſes prouocat, craſſitudinem humorum incidit, & viſcerum obſtructiones expurgat. Ponatq; eam quiſpiam in tertio ordine excalfacientium & deſiccantium: plus tamen deſiccat quàm calfacit.*

Nomina. *Hæc planta χαμαίδρυς Græcè vocatur: Latinè Chamædrys & Triſſago: Arabicè Damederios, Chamadrius ſeu Kemadrius: Hetruſcis Chamedrio & Querciuola: Italis cæteris Calamandrina: Germanicè* Gamanderle vnd Bathengel: *Hiſpanicè Chamedryos: Gallicè Germandree. Chamædrys altera, Italis Calamandrina ſeconda, & Querciuola ſeconda.*

## * III. CHAMAEDRYS SPInoſa. *



Chamædryos differentias duodecim in Phytopinace recenſuimus, quam veró hic primo loco poſuimus, Chamædrym maiorem repentem cum Dodonæo, vocamus: Chamædrys vera, Trag. Triſſago ſiue Chamædrys, Matt. Triſſago, Lac. Caſt. Chamædrys maior, Cluſ. hiſt. Pan. Chamædrys, Angui. Lug. Lob. cui & Quercula minor, & Tab. II. Botrys Chamædryoides, C. B. Chamęcypariſſus agreſtis, Trag. cui & Sideritis Crateuæ: Chamædrys altera, Matth. Caſto. Thal. Lug. Chamædrys vera fœmina, Fuch. Chamædrys fœmina quibuſdam, Dod. gal. Lugd. Cam. Chamædrys laciniatis folijs, Lobel. Chamæpitys altera, Dod. fol. Chamæpitys altera fortè Dioſcoridis, Cæſ. Chamæpitys tertia, Clu. hiſt. Pan. Trixago vera, Lon. Iua muſcata Tab. III. Chamædrys ſpinoſa: Planta eſt palmaris & ſeſquipalmaris, hirſuta, cauliculis quadratis, lanuginoſis, multis geniculis donatis, virgultis hincinde ſparſis, folijs oblongis, ſubrotundis leuiter ſerratis, ſummis tamen integris: flores Chamædryos ex flauo ruffeſcentes, ſingulis ferè geniculis iuxta folia adponũtur, calyculis lanuginoſis donati, quibus aculei bini, aliquando plures, modò breuiores, modò longiores iunguntur: aliquando ex geniculis vnicum virgultú prodit, cuius ſummitati ſpina inſidet: ſemen rotundum, ſubnigrum, calyculis incluſum. Ex horto Bembiano, Patauio accepimus.

## Λευκὰς. LEVCAS. CAP. XCVII.

LEucas montana, latioribus, quàm vrbana folijs, ſemine acriore, amariore, ori ingrato: efficacior, tamen quàm ſatiua habetur. Vtraq; ex vino contra animalium venena, præcipuè marinorum, opitulatur.

Leucadis conſideratio. *TAmetſi Hermolaus & Ruellius contendant ſcriptis teſtatum relinquere, herbam quandam in vinetis naſcentem, mercuriali congenerẽ, eſſe Leucada: ego tamen eam mercuriali conſimilem facere profectò non auſim, cum nullum hactenus ex rei herbariæ authoribus inuenerim, qui eius faciem repræſentet, pluraq; de eius notis tradat, quã fuerit Dioſcorides: qui certè, quantũ extat, nullis prorſus notis ipſam deſcripſit. Cæterùm rectè, meo quidem iudicio, putat Marcellus Florentinus huic Leucadis capiti decurtatum eſſe principium. Id quod nobis indicare videtur ipſius Dioſcoridis ſermo: nam cum ſtatim ab ipſo capitis initio montanam Leucada vrbanæ comparauerit, nimirũ oſtendit, à ſe prius vrbanã fuiſſe deſcriptam.*

Neq;

*Neque hac de cauſa tantùm adducor, vt Marcello adſtipuler, ſed quia etiam ſe habuiſſe teſtatur Latinum Dioſcoridis codicem vetuſtiſſimum, in quo initium huius capitis ita legebatur: Leucæ duo ſunt genera, vna eſt montana, & altera hortiua. Montana latiore quàm ſatiua folio eſt, &c. Quæ omnia maximo ſunt argumento, quod hoc in loco Dioſcoridis codices ſint deprauati, quodq́; in ijs plura adhuc deſiderentur, quæ faciunt ad perfectam huius plantæ hiſtoriam. Λευκὰς, herba ſic Græcis, Leucas item Latinis appellatur.*

Leucas duplex.

Nomina.

Λυχνὶς. LYCHNIS. CAP. XCVIII.

LYchnis coronaria, flore eſt albæ violæ ſimili, ſed purpureo, quo corollæ factitantur. a [Contra ſcorpionum ictus ſemen in vino potum auxiliatur.] Lychnis ſylueſtris, omnia vrbanæ ſimilis. Bilem per aluum detrahit, ſemine duabus drachmis poto: ictis à ſcorpione ſubuenit. Aiunt huius herbæ appoſitu ſcorpiones torpeſcere, & inertes prorſus reddi.

a Concluſa meum non habet.

LYCHNIS.



*QVanquam non facilè eſt hac ætate plantas in Italia oſtendere, quæ legitimè referant vtranq́; Lychnidẽ, hortenſem ſcilicet, & ſylueſtrem, cùm earum folia, & caules tã à Dioſcoride, quàm ab aliis rei herbariæ ſcriptoribus, quod inuenerim, nullis prorſus repræſentẽtur notis, vtpote plantarum, quæ fortaſſe olim omnibus erant notiſſimæ ob frequentem earum vſum, tum ad lucernarũ lumina, tum etiam ad coronas contexendas: attamen in Tridentino, & Goritienſi agro planta quædam in hortis, ac fictilibus ſeritur, coronis nectendis accommodata, quam equidem non dubitauerim pro legitima Lychnide in medium afferre. Siquidẽ flore exit purpureo, albæ violæ ſimili: foliis lõgis, tomentoſis, albicãtibuſq́; caule lanuginoſo, incano, cubito maiore, in cuius cacumine flos emicat, vt dixi, purpureus, inodorus tamẽ. Quòd præterea plãta hæc vera ſit Lychnis coronaria, illud mihi fidẽ auget, facitq́; vt in hoc nihil ferè addubitem, quòd alteram eiuſdem generis frequentiſſimam apud Ananienſes ſylueſtrem repererim, illi ſatiuæ adeò per omnia ſimilem, vt cùm natalis duntaxat diſcrimen intercedat, hæc meritò Lychnis ſylueſtris appellari queat. Sunt qui Pſeudomelanthium in ſegetibus naſcens, ſylueſtrem Lychnidem faciant. Atqui cum Dioſcorides agreſtem Lychnidem vrbanæ per omnia ſimilem eſſe ſcribat, eamq́; ſæpius viderim in inculto ſolo, non poſſum horum placitis ſubſcribere. His accedunt tomentoſa earum folia, quæ ad lucernarum vſum pro ellychnio commodè vſurpari poſſunt: vnde apud veteres Lychnidis ſibi nomen aſciuit: quippe lucerna Græcis λύχνον dicitur, quemadmodum & ἐλλύχνιον funiculus, qui è goſſipio nobis hoc æuo paratur, lucerniſq́; inſeritur ad lumen edendum, flammamque nutriendam. Quare cùm goſſipio, vt puto, carerent antiqui, tomẽtoſis herbarum quarundam foliis ad hoc munus obeundum vtebantur, nempe lychnidis, verbaſci, aliarumq́; nonnullis. Illud deniq́; addiderim, vt noſtra melius firmetur opinio, quòd flos plantarum, quas Lychnides eſſe opinor, mirum in modum ruralibus, vrbaniſq́; virginibus expetitur ad coronas factitãdas: qua in re priſcam imitantur ætatem. Cæterùm Plinius lib. 21. cap. 4. Lychnidem inter roſas retulit, ſic inquiens: Eſt & roſa, quæ Græca appellatur à noſtris, à Græcis verò Lychnis, non niſi in humidis locis proueniens, nec vnquam excedens quinque folia, violæ magnitudine, odore nullo. Lichnidis coronariæ ſemen, vt Galenus eſt author lib. 7. ſimplicium medicamentorum, calidum eſt ſecundo quodammodo ordine, aut iam etiam tertio: ſiccum ſanè eodem quoq; modo. Quæ herba Græcis Λυχνὶς: Lychnis quoque Latinis dicitur: Italis, Lychnide coronaria.*

Lychnidis conſideratio.

Lychnis ſylu.

Roſa græca Plinii.

Lychnidis vires ex Gal.

Nomina.

Lychnis (cuius triginta tres ſpecies in Phytopinace recenſuimus) dicitur quaſi Lucernula, hæcque Lychnis eſt coronaria Dioſcoridis, & Theoph. Pliniiq; Lychnis, non autem Iouis flos Theophraſti, neque Verbaſci ſpecies. Dicitur Roſa mariana ſatiua, Trag. Lychnis, Matt. Lac. Lychnis ſatiua, Dod. gal. Geſ. hor. Lychnis coronaria, Lon. Lob. Dod. fol. Lugd. Cæſ. Flos Iouis noſter, Geſ. hor. Flamma vel flammula Iouis quibuſdam, eidem. Verbaſcum coronarium, Cordo in Dioſc. Hæc flore eſt ſimplici & pleno: illa intensè vel dilutè rubro, albo: hæc verò rubro.

Κρίνον. LILIVM. CAP. XCIX.

LIlia coronamentis ſe dedunt, Liria à quibuſdam vocata. E quibus vnguentum temperatur, quod aliqui lirinum, alii ſuſinum appellant, neruos, & priuatim vuluæ duritias emolliens. Folia herbæ illita, contra ſerpentium ictus auxiliantur: feruefacta ambuſtis proficiunt: aceto condita vulneribus opitulantur. Succus adiecto melle, aut aceto in æreo vaſe coquitur a conuenienti medicamento vetuſtati vlcerum, & ad recentia vulnera. Inaſſata radix, & ex roſaceo trita, igni ambuſta ſanat, vuluam emollit, menſes ciet, vlcera cicatrice obducit. Cum melle detrita neruis præciſis, luxatiſq; medetur: vitiligines, furfures, & lepras emendat: vlceraq; in capite manantia expurgat: abſtergit faciem, & erugat: teritur in aceto cum hyoſcyami foliis, & farina tritici mulcendis teſtium inflammationibus. Semen potum morſibus ſerpentium aduerſatur.

a ὑγρὸν γίνεται φάρμακον. i. liquidũ fit medicamentum, ita meum.

aduerſatur. Ignibus ſacris ſemen, & folia cum vino illinuntur. Tradunt & purpurea eſſe lilia. In Syria actem, & Piſidia Pamphiliæ efficaciſſima vnguenti naſcuntur.

I. LILIVM.



II. MARTAGON.



Liliorũ conſideratio.

Lilium omnibus notum, folia fert longa, nunquam non virentia, læuia, pinguia, Pancratio ſimilia. Caulẽ profert bicubitalem, rotundum, rectum, læuem, pinguem, firmum, foliis ab imo ad ſummum circumueſtitum: è cuius cacumine terni, quaternive ramuli exeunt, è quibus oblonga prodeunt capitula, herbaceo colore, quæ tractu temporis lilia fiunt eximij candoris, calathi figura, extrinſecus ſtriata, reſupinis per ambitum labris. Luteis aliquot, ex calathi fundo vt in croco ſurſum ſpectantibus apicibus, puluerulentis, & linguæ effigiem imitantibus, alterius quàm flos odoris, è quorum medio longum producitur germẽ, rotundo in cacumine capitulo, herbacei coloris. Radice nititur bulboſa, albicante, compactili ſquamarum ſerie ſurſum ſpectantium. Huius ſquammatiles bulbi craſſiuſculi ſunt, & lento ſucco prægnantes. Seruntur lilia diſſectis bulbis Martio menſe paſſim in hortis & viridariis. Florent æſtate circa ſolſtitia.

Liliorum hiſtoria ex Pli.

Alba lilia vt purpurea fiant docuit Plinius lib. 25. c. 5. his verbis: Lilium roſæ nobilitate proximum eſt, & quadam cognatione vnguenti oleiq́; quod lirinon appellatur. Et impoſitum etiam maximè roſas decet, medio prouentu earum incipiens. Nec vlli florum excelſitas maior, interdum cubitorum trium, languido ſemper collo, & non ſufficiente capitis oneri. Candor eius eximius, foliis foris ſtriatis, & ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſeſe laxantibus, effigie calathi, reſupinis per ambitum labris, tenuiq́; filo, & ſemine ſtantibus in medio crocis. Ita odor, colorq́; duplex, vt alius calycis, alius staminis: differentia anguſta. In vnguenti verò, oleiq́; vſu folia non ſpernuntur. Eſt flos non diſſimilis illi in herba, quam conuoluulum vocant, naſcens per frutecta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantùm referens, ac veluti naturæ rudimentum lilia facere condiſcentis. Alba lilia iiſdem omnibus modis ſeruntur, quibus roſa: & hoc amplius lachryma ſua, vt hippoſelinum: nihilq́; eſt fœcundius, vna radice quinquagenos ſæpe emittente bulbos. Eſt & rubens lilium, quod Græci crinon vocant. Alij florẽ eius cynorrhodon. Laudatiſſimum in Antiochia, & Laodicea Syriæ, mox in Phaſelide, quartum locum obtinet in Italia naſcens. Sunt & purpurea lilia aliquando gemino caule, carnoſiore tantùm radice, maioriſq́; bulbi, ſed vnius. Narciſſum vocant. Huius alterum genus, flore candido, calyce purpureo. Differentia à liliis eſt & hæc, quòd narciſſis folia in radice ſunt, probatiſſimis in Lyciæ mõtibus. Tertio generi cætera eadem. Calyx herbaceus: omnes ſerotini: poſt arcturum enim florẽt, ac per æquinoctium autumnum. Inuenta eſt & in his ratio inſerendi, monſtrificis hominum ingeniis. Colliguntur namq; menſe Iulio ſcapi areſcentes, liliaq́; ſuſpenduntur in fumo. Dein mundantibus ſe nodulis, in fæce nigri vini vel Græci menſe Martio macerãtur, vt colorem accipiant, atqui ita in ſcrobiculis ſeruntur, heminis fæcis circumfuſis. Sic fiunt purpurea lilia, mirumq́; ita tingi aliquid, vt naſcatur infectum: hæc Plinius.

Lilia vt totũ annũ vireant.

Lilia (vt Anatolius teſtatum reliquit) totum annum viridia durabũt, ſi cùm occluſa ſilent, necdum patentia dehiſcunt, decerpta, nouis fictilibus non picatis indito diligenter operculo recondantur: ſic enim clauſa perpetuum annum vegeta manebunt. Sed vt intermedio tempore ad vſum promuntur, ſtatim ad ſolem producta, cùm ſenſerint eius calorem, aperta panduntur. Porrò vt viciſſim, & variis temporibus flores pariant lilia, bulbi ita ſeruntur, vt aliqui duodecim digitorum altitudine obruant, alij octo tantùm, alij quatuor dũtaxat profunditate mergãtur: ſic diuerſis diebus dabunt lilia, quod & in aliis floribus fieri pollicetur.

Martagon, & eius delineatio.

Cæterũ & illud inter lilia meritò annumerari poteſt, quod MARTAGON chymiſtæ appellãt. Hoc enim radice, etſi croceo colore infecta ſit, à lilio candido nõ diſſidet, ſicuti nec caule. Foliis vulgarem ſaponariam imitatur, quæ in ſtella, vel roſæ modum intercedẽte ſpatio orbiculariter caulem ambiunt

*ambiunt: in cuius cacumine tenui pediculo appenſi flores emicant liliorum effigie, minores tamen: quorum folia etiam reflexa cernuntur, colore purpureo, punctis quibuſdam rubentibus reſperſa, & ipſi odorati ſunt, aſpectuq; iucundi. Prouenit in montibus & cliuoſis locis. Radix ad ea omnia commoda eſt, ad quæ Lilij. Lilij genus hoc in ſuis de ſtirpium hiſtoria commentarijs Fuchſius aſphodelum fœminam putauerat eſſe, pro eoq; depinxerat. Sed quia ſui erroris conſcius factus, hanc ipſe ſuam mutauit ſententiam, nõ eſt cur iam nos eam pluribus refellamus. Cæterùm, vt de liliorum facultatibus nos quoq; diſſeramus, hæc quæ ſequuntur, habeto. Elixa radix vetere axungia excepta, & illita, pedum clauos euellit, ſed ante triduum remoueri non debet. Eadem ex adipe, & oleo adhibita, defluxos pilos replicat, cum mulſo autem pota ſanguinem extra vaſa concretum per aluum eijcit, ſuppurationes molitur, & concoquit, & duritias quaſcunq; emollit. Stillatitia florum aqua datur vtiliter potanda ægrè parturientibus, & ad pellendas ſecũdas, additis croco, & caſia odorata. Oleum quod è floribus paratur, vteri duritias commodiſſimè emollit, valet ad omnes frigidos neruorum morbos, nempe ad conuulſiones, & reſolutiones. Præſtat item ad emollienda articulorum impedimenta: & ſcirrhoſos quoſcunque tumores. Illinitur quoq; maximo iuuamento puerperis vteri dolore lanquentibus, addito oleo è lini ſemine, & præſertim vbi ſuccida lana ijs calidis imbuta, ventri ſuperponatur. Additur in cliſmatibus, vbi induratas fæces emollire ſit opus: Lilia quæ diu in oleo macerata fuerint, illita, prius calefacta, calida apoſtem. ita citra dolorem maturant, ac digerunt, & peculiariter ea, quæ in articulis ſunt. Liliorum facultates poſteritatis memoriæ prodidit Gal. lib. 7. ſimp. med. ſic inquiens. Lilij flos temperaturam miſtam obtinet, partim ex tenui, partim ex terrena eſſentia, ex qua vtiq; in guſtu amaritudinem habet, partim ex aquea, eaque temperata. Itaque etiam quod ex eo conficitur oleum, & vnguentum, citra morſum digerendi, ſimulq; emolliendi facultatem obtinet: vnde fit, vt vteri duritiebus ſit aptiſſimum. Porrò radix, foliaq; per ſe trita deſiccant, & abſtergunt, & digerunt moderatè. Proinde quoque ambuſtis competunt: ſiquidem hæc quoque moderatè deſiccantem, extergentemque facultatẽ poſtulant. Radicem ergo toſtam, ac deinde cum roſaceo contritam ambuſtis, quoad obducatur cicatrix, imponunt: quippe cùm alioqui & aliorum vlcerum omnium bonum ſit inducendæ cicatrici remedium. Quinetiam vteros emollit, menſeſq; prouocat. Folia verò præcoquentes, & ipſa ad obductam vſq; cicatricem imponunt, non in ambuſtionibus duntaxat, ſed aliis quoque vulneribus. Sed ſunt etiam, qui aceto ea condientes ad vulnera ſuo tempore vtantur. Plus tamen ineſt abſtergentis facultatis in radice, quàm in foliis: quanquam tamen nec in ea ipſa multum inſit, ſicut prædiximus, nam primi ordinis abſtergẽtium eſt medicaminum. Itaq; cùm aut vitiligines, aut pſoram, aut lepram, aut achoras, aut aliquid id genus extergere volumus, commiſcemus illi aliquid aliorum medicamentorum validius extergentium, cuiuſmodi eſt mel. Cæterùm ſi id moderatè illi, ac conuenienter admiſceatur, & ad neruorum diuiſiones competit, & ad alia vniuerſa, quæ valenter exiccari poſtulant, abſq; morſu. Impoſuimus verò etiam quandoque & foliorum ſuccum cum aceto, & melle coctũ. Quintuplus autem erat ſuccus ad vtrunq; atque inſigne medicamen fuit ad omnia ea, quæ exiccari poſtulãt abſq; morſu, ceu vulnera omnia ingentia, & maximè quæ in capitibus muſculorum eueniunt, & quæcunq; vlcera humida flaccidáue, & diuturna ſunt, quæq; ægrè ad cicatricem perducuntur. Sed hæc iam ad medicamentorum componendorum inſtitutum attinent, à quo quantum licet abſtinere in præſentia adnitor: cæterùm rerum ipſarum natura ſæpenumero vt attingam adigit, celeriter verò relinquenda ſunt, atque ad propoſitum reuertendum. Planta, quam Græci κρίνον, & λείριον dicunt, Lilium Latinis nominatur: Mauritanis, Suſen: Italis, Giglio: Germanis, Lilgen & Gilgen: Hiſpanis, Azucena, & Lirio blanco: Gallis, Lis. Martagum chymiſtis, Italis, Martagon & Giglio ſaluatico.*

Liliorum facultates Matthiolo.

Liliorum vires ex Gal.

Nomina.

Lilium bulboſum eſt & non bulboſum: bulboſum vel vno bulbo, vt Lilium album, Martagon &c. vel pluribus Aſphodeli bulbis, vt Lilium luteum, & rubrum. Non bulboſum, vt lilium cõuallium. I. Lilium album vulgare, quod Dioſc. Theoph. & Plinii Lilium, C.B. Lilium, Brunf. Matth. Dod. gal. Cord. in Dioſc. Lac. Cæſ. Caſt. Lilium album, Trag. Fuch. Geſ. hor. Anguill. Tab. Cam. Lilium cãdidum, Lob. Dod. fol. Lilium ſiue roſa Iunonis, Apuleio. II. Lilium montanũ minus, C.B. Affodillus, Brunf. Hyacinthus poëtarum, Trag. Martagon, Matth. Lac. Lugd. Caſt. Aſphodelus fœmina, Fuch. fol. Lilium purpureum, Eidem in icon. Geſ. hor. Lilium ſylu. Cord. in Dioſc. Dod. fol. Cluſ. hiſt. Pan. Lilium ſylueſtre purpureum, Cæſ. Thal. Lilium montanum, Lob. Hemerocallis, Dod. gal. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lonicero.

BALLOTE.



Βαλλωτὴ. BALLOTE. CAP. C.

BAlloten, nomine alio nigrum marrubium vocãt. Caules edit quadrangulos, nigros, ſubhirſutos, complures ex vna radice: a foliis maioribus, quàm marrubii, hiſpidis, per interualla in caule diſpoſitis, ſubrotundis, † graueolentibus, apiaſtro proximis: vnde aliqui apiaſtrum eam vocauerunt: candidi flores vniuerſi verticillato ambitu caulem coronant. Vis eius efficax aduerſus canis morſus, foliis ex ſale illitis. Feruenti cinere flacceſcunt folia, vt condylomata reprimãt: purgant & ſordida vlcera cum melle.

a Me. φύλλα ἢ πρασίῳ ὅμοια μείζονα ἢ καὶ ϛρογγυλότερα. i. folia marrubio ſimilia, ſed maiora & rotundiora.

*BAllote, ſiue Marrubium nigrum, quod etiam ob odoris grauitatem à quibuſdam Marrubium fœtidum cognominatur, frequens in agrorum marginibus naſcitur, & paſſim ſecus vias. Eſt autem hoc apiaſtro adeò ſimile, quòd facilè legentes falleret, niſi nares conſulerentur: ita enim ſua gra-*

Ballotes conſideratio.

*uolentia citò innoteſcit. In Italia nullis non cognitum eſt, appellaturq́; ab aliquibus Marrubiaſtrum, ab alijs Marrubium ſpurium. Huius meminit Paulus (etſi vires eius ſilentio præterierit Galenus) libro 7. ſic inquiens: Ballote, quod alij marrubium nigrum dicunt, acris eſt, & abſterſoria facultatis. Illitum cum ſale canum morſibus medetur.* Ballotes vires ex Paulo. *Huic plantæ nomen Græcum* Βαλλωτὴ, *&* μέλαν πράσιον: *Latinum, Marrubium nigrum, & Marrubiaſtrum: Italicum, Marrobiaſtro, & Marrobio baſtardo: Germanicum,* Schwartz Andorn: *Hiſpanicum, Marroio negro: Gallicum, Marrubin noir.* Nomina.

† *In Oribaſii codice manu ſcripto hic interiectum legitur verbum* μέλανα, *quod folia quoque Ballote nigra reddit. Nec temerè fortaſſis illud quis adiiciendum putabit, quòd pulchrè alteri eius nomini conueniat: quodq́; ipſius meminerit Plinius libro 27. cap. 8. cùm inquit: Ballote foliis eſt marrubij maioribus, & nigrioribus.*

Marrubium nigrum duplex eſt, vulgare & peregrinum: hocq; vel rotundifolium, vel longifolium. Marrubium nigrum fœtidum, C.B. Ballote, Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Lac. Cordo in Dioſc. Lob. Lug. Cæſ. Caſt. Marrubium maius, Trag. Marrubium nigrum, Geſ. hor. Lon. Thal. Marrubiaſtrum Tabern.

## Μελισσόφυλλον. APIASTRVM. CAP. CI.

MEliſſophyllon, ſiue melittæna, id eſt, apiaſtrum, id ſibi nomen vſurpauit, quoniam apes ipſa herba delectantur. Cauliculi, & folia ballotæ, de qua paulò antè diximus, ſimilia eſſent, niſi maiora, tenuioraque, nec ita hirſuta ſpectarentur: citreum malum olent. Folia cum vino pota, aut illita proſunt contra ictus phalangiorum ſcorpionumq́;. item aduerſus canis morſum. Decocto eorundem gratia, foueri prodeſt: deſeſſionibus fœminarum ad ciendos menſes conuenit: dentes eodem in dolore colluuntur: dyſentericis infunditur. Fungorum ſtrangulationibus folia, addito nitro, potu auxiliantur: torminibus, & orthopnoicis delinctu. Illita cum ſale ſtrumas diſcutiunt, vlcera purgant, articularios dolores illita ſedant.

I. APIASTRVM, SIVE Meliſſa.



II. MELISSA CONSTANtinopolitana.



Apiaſtri conſideratio. MElißophyllon, *quod Latinis Apiaſtrum, & Citrago dicitur, Hetruſci ab odore citri vulgò vocant Cedronella, itemq; Meliſſa, ſicut etiam Inſubres. At permulta profectò Dioſcorides à Nicandro poeta deſcripſit: vt etiam hic in Meliſſophyllo palam eſt, in ipſius capitis principio. Nicander enim eadem habet in Theriacis, his verſibus.*

Τὴν ἤτοι μελίφυλλον ἐπικλείουσι βοτῆρες
Οἱ δὲ μελίκταιναν· τῆς γὰρ περὶ φύλλα μέλισσαι
Ὀδμῇ θελγόμεναι μέλιτος ῥοιζηδὸν ἵενται.

*Idem paulò poſt hanc plantam* μελισσοβότον *vocat, dum ricini corticem cum ea temperari iubet.*

Λάζεο δ' ἔγχλοα φλοιὸν ἐλαιήεντα κρότωνος
Συμμίσγειν πετάλοισι μελισσοβότοιο δασείης.

*Herba eſt vulgaris æquè notitia Meliſſophyllũ atq; odorata. Seritur paßim in hortis, ac etiam ſponte per ſe naſcitur in collibus &*

Meliſſophylli duo genera.

Apiaſtri vires ex Arabibus.

Auicenna de Meliſſoph.

*bus & montibus. Duo eius habentur genera, vnum ſatiuum, alterum ſylueſtre. Fuchſius tamē Meliſſophyllum in tria genera digeſſit lib. illo de comp. med. quem nuper auctum excudit. Sed cur is duo prima genera, quæ (vt ſcribit) grauiter odorata ſunt, & cimices verius quàm citrum redolent, inter meliſſophylli genera connumerauerit, ego neſcio, ipſe dicat. Mihi quidem (vt dicam ingenuè quod ſentio) planè abſurdum videtur, quod meliſſophyllum odore ſuo aliud referat, quàm citreum malum, cuius tantùm odorem ſpirare Dioſc. memoriæ prodidit. Meliſſophyllum, ad cuius facultates iam noſtra progreditur oratio, in cordis affectibus Mauritani miris laudibus efferunt, tametſi id Græci, quod extet, ſilentio prætierunt. Proinde hæc Serapio retulit: Meliſſopylli, inquit, proprium eſt animum hilarem reddere: humenti, ac frigido ventriculo auxiliari, concoctionem adiuuare, cerebri obſtructiones reſerare, deficientem animum reuocare, cordis imbecillitatem roborare, eamq́ præſertim, qua ſomnus frequentius nocte intercipi ſolet, quin & eius pulſum reprimere, animi ſolicitudines fugare; ac ſolicitas imaginationes tollere, quæ tum ab atra bile, tum ab exuſta pituita gignuntur. His præterea facultatibus pollere Meliſſophyllon, comprobatur Auicennæ quoq; teſtimonio, qui libro medicinis, quæ cordi conueniunt, dicato, ita de eo ſcribit: Meliſſophyllum excalfacit, ſiccatq́; ordine ſecundo. Cor exhilarat, vitaleſq; facultates roborat, odoris fragrantia, saporis auſteritate, partiumq́; tenuitate. Quibus facultatibus cæteris etiam viſceribus competit. Vires deiectorias poſſi-*

*III. MELISSA MOLVCANA fœtida.



IV. MELISSA MOLDAVICA.



Meliſſophyllum Conſtātinop.

Molucha.

Meliſſophyllum alterum.

Ex Galeno.

Nomina.

*det, nec adeò imbecilles, quin atrabiliarios vapores à ſpiritibus, & à ſanguine, qui cordi, & arteriis ineſt, educere queat: quod in cæteris corporis partibus, ac etiam in toto corpore efficere nequit. Cæterùm ſuperioribus annis plantam conſpeximus Pragæ, in horto Inuictiſsimi Cæſaris Ferdinandi, è Conſtantinopoli allatam, quam Melyſſophyllum Conſtātinopolitanum appellare libuit, quòd folia Meliſſophyllo ſimilia proferat: verùm haud quaquam citreum pomum olētia. Eſt etiam amara tota, & magnæ (vt aiunt) facultatis aduerſus venena, & ad cordis affectus. Hanc folijs admodum aculeatis, miſit nuper ad me Clariſsimus Medicus Alphonſus Pantius Ferrarienſis, quam antea nuſquam videram. Sunt qui hanc plātam Molucham appellent, quod à Moluchis Inſulis allatam putent. Vtraq́; folio eſt Meliſſophylli quadantenus ſimili, breuiore tamen, & minus denticulato, ſed in altero genere circūquaq́; aculeato, amaro ſapore, nec vllo citrei mali odore: profert calyces quoſdam tintinnabuli effigie herbaceo colore, in quibus ſemen oritur. Aperit, attenuat, excalfacit, abſtergit, venenis reſiſtit, & animalium venenoſorum ictibus mirificè auxiliatur, tum pota, tū quoque illita. Ictericos iuuat, interaneorum animalia necat. Datur vtiliter ſuccus peſtilentibus febribus affectis. Eſt & Meliſſophyllum alterum quod caules edit bicubitales, quadrangulos, ſubrufeſcentes, ramoſoſq́;: folia in ramis ipſis vrticæ figura: ſed longè minora: flores in ſummitate purpureos, ſaluiæ æmulos, verticillatimq́; inter folia emergentes. Tota planta citrei mali odore quàm belle ſpirat. Radice nititur vnica, ſed fibrata. Seritur in hortis. Sed cuius hic imaginem damus ex Moldauia mihi allata, vbi ſpontè per ſe prouenit. quæ iiſdem viribus pollet quibus & vulgare noſtrum meliſſophyllum. Excalfacit, ſiccatq́; ordine ſecundo, aperit, attenuat & incidit. Meliſſophylli meminit Gal. lib. 7. ſimpl. med. his verbis: Meliſſophyllum marrubio ſimile eſt facultate, ſed plurimum ab eo vincitur: quamobrem nec vtitur eo quiſpiam. Superuacaneum ſiquidem foret præſente marrubio, cuius tantus eſt vbique terrarum prouentus, velle vti meliſſophyllo. Cæterùm ſi cui fortè ad manum quandoq́; marrubium non fuerit, illo vti licebit ad eadem, modò quantò ab hoc exuperetur, cognitum habuerit: hæc Gal. Apiaſtrū, Plinio lib. 20. c. 11. authore in confeſſa damnatione eſt venenatum in Sardinia. Sed vereor, ne Plinius hic, vt in aliis nonnullis, deceptus ſit, & ne Sardoniam herbam, quam quidam apium riſus vocant, pro Apiaſtro acceperit. Ea planta Græcis μελισσόφυλλον dicitur, quæ Latinis Meliſſophyllum, ſiue meliterna, aut Apiaſtrum: Arabibus, Bederangie, Bedarungi, Cederenzegum, Turungen, ſeu*

*Trungian, & Marmacor: Italis, Meliſſa, & Cedronella, & Aranciata: Germanis,* Meliſſen/ & Binenkraut: *Hiſpanis, Torongil, & Hierua cidrera: Gallus, Meliſſe, & Pom cirade. Moluca, Meliſſa moluca, ſiue Conſtantinopolitana. Italis Meliſſa Conſtantinopolitana. Meliſſa Moldauica: Italis, Cedronella di Moldauia.*

Meliſſa, ab apibus, quæ μελίσσαι dicuntur, nomen habet, & quod ea delectentur apes Apiaſtrum dicitur. I. Meliſſa hortenſis, C.B. Lon. Apiaſtrum, Matth. Cord. in Dioſc. Lac. Lob. Meliſſa, Brunf. Dod. fol. Anguil. Ceſ. Cam. Meliſſa domeſtica, Trag. Meliſſa vulgaris, Dod. gal. Geſ. hor. Cluſ. hiſt. Pan. Meliſſophyllum, Brunf. Matth. Caſt. Lug. Tab. Meliſſoph. vulgare vel adulterinum, Fuch. Citrago, Geſ. hor. II. Meliſſa Moluccana odorata, C.B. Meliſſa Conſtantinopolitana, Matth. Molucca eidem in compen. Cam. Lug. cui & Meliſſa Turcica: Molucca Syriaca, Aduerſ. Molucca læuis, Dod. fol. Moluccha prima, Caſt. Cæſal. Meliſſophyllum Conſtantinopolitanum, Lug. Cardiaca Syriaca, Tab. Cardiaca melica ſiue Moluca Syriaca minus aſpera, Lob. Hæc dicitur minus aſpera reſpectu ſequentis, neutra enim aculeis caret. III. Meliſſa Molucana fœtida, C.B. Moluca aſpera, Aduerſ. Lob. (cui & Maſeluc Turcarũ) Cam. Melica ſiue Moluca aſperior Syriaca, Lob. in icon. Molucca ſpinoſa, Dod. fol. & Lugd. Moluca vel Meliſſa Conſtantinopolitana ſecunda, Caſt. Moluccha altera Alyſſo Galeni congener, Cæſal. Cardiaca Syriaca aſpera, Tabernæmontano. IV. Meliſſa peregrina Moldauica, C.B. Meliſſa Moldauica, Matth. Caſt. Lugd. Meliſſa, vel Cedronella, id eſt Citrago Turcica, Geſ. hor. Meliſſa Turcica, Cam. Tab. Lug. Meliſſophyllon Turcicum Lob. Meliſſæ genus peregrinum ex Oriente, Cæſal. Variat magnitudine & paruitate, flore cæruleo, purpurocæruleo, & albo.

## Πράσιον. MARRVBIVM. CAP. CII.

MArrubium, frutex eſt ab a radice ramoſus, candicans, ſubhirſutus, quadrangularibus ramis: folium pollicem æquat, ſubrotundum, hiſpidum, rugoſum, guſtu amaro: ſemen in caulibus, & ex interuallis: flores verticillato ambitu, aſperi. Naſcitur propter ædificia, ruinas, & rudera. b Huius folia ſicca cum ſemine decocta in aqua, aut viridium ſuccus datur cum melle ſuſpirioſis, tuſſientibus, & ad tabitudinem redactis. Craſſam è pectore pituitam cum ſicca Iri eiicit: mulieribus à partu non purgatis datur, vt menſtrua, & ſecundas extrahat: item in difficili partu, & his qui venena hauſerunt, aut à ſerpentibus demorſi ſunt: veſicam, reneſq; lædit. Folia cum melle illinuntur ſordidis vlceribus purgandis: pterygia, nomaſque ſiſtunt: laterum dolores mitigant: Succus foliis contuſis expreſſus, & ſole coactus, ad eadem pollet: cum vino, & melle illitus oculorum claritatem adiuuat: naribus regium morbum expurgat: aurium doloribus conuenienter inſtillatur per ſe, aut cum roſaceo.

a Meum. ἀπὸ μιᾶς ῥίζης. i. ab vna radice

b Meum. φύεται περὶ τὰ οἰκόπεδα, καὶ ἐρείπια. i. Naſcitur circa areas domorũ, & rudera.

Marrubii cõſideratio.

Theophraſto duo genera.

MARRVBIVM.



MArrubium vulgaris eſt planta, notiorque omnibus, quàm vt pluribus indicanda ſit. Eius duo genera conſtituit Theoph. lib. 6. cap. 2. de plant. hiſt. vbi ita ſcribit: Sunt & Marrubij duo genera. Aliud enim folio herbido, ſerratiori, inciſuriſq; profundioribus, & proinde conſpectioribus diſcreto conſtat, quo vnguentarij vti, ad nonnulla conſueuere. Alterum rotundius, ſqualenſq; vehementer, ſicut ſphaceli, inciſuras habens obſcuriores, minuſq; ſerratum: hæc Theoph. Ex quibus vtiq; conſtare poteſt, Theop. alterum marrubium non aliud eſſe, quàm Dioſcor. Balloten. Marrubij decoctum datur commodè iocinoroſis, & aqua intercute laborãtibus: eo quoque, aut foliorum puluere, necantur interaneorum vermes. Recentia folia cum veteri axungia trita & illita, canum morſus perſanant, & mammarum tumores reſoluunt. Lichenas purgant, ſanantq; ex aceto illita. Decoquuntur Marrubij binæ vnciæ, vnà cum bugloſſi, helenij, & eupatorij radicum ſeſquidrachma, Rhabarbari drachma, & agallochi pari pondere, ex vini albi generoſi libris tribus, ad tertias vſque, fitq; hoc modo medicamentum præſtantiſſimum adictericitiam, à vaſorum obſtructione prouenientem, vbi diebus decem continuis huiuſce medicamenti binas vncias in diluculo potauerint affecti, admiſto tantillo ſacchari, quod dulcorem addat: verùm ſi febris adſit, ea omnia aqua incoquenda ſunt. Quod aũt marrubij virides rami in vino decocti iis dari poſſint, qui à ſerpentibus demorſi ſunt, teſtatur etiam Nicander in Theriacis, & admirandum effectum etiam alium ei ſubiicit, à nemine hactenus animaduerſum, dum præſium mammas pecoris ἀστόργου lacte replere ait, his verſibus.

Ἠ' μὲν δ' πρασίοιο χλοανθέος ἔρνεα κόψας
Χραισμήσαις ὀφίεσσι πιὼν ἀργῆτι σὺν οἴνῳ
Ἥ τε καὶ ἀστόργοιο κατείρυσεν οὔθατα μόσχον
Πρωτογόνου, στέρφει δὲ περισφαρασεῦσα γαλάκτι.

Marrubii vires Matth.

Marrubii vires ex Gal.

*Marrubij vires tradidit Gal. lib. 8. ſimpl. med. ſic inquiens: Marrubium vt guſtu amarum eſt, ita ſi quis vtatur, conſentientem huic ſapori actionem poßidet, iecur, ac lienem obſtructione liberans, & thoracem, pulmonemq; expurgans, ac menſes promouens. Sed & illitum detergit, ac digerit. Ponatque ipſum quiſpiam in caliditate quidem ſecundi ordinis iam completi: in ſiccitate verò tertij medij, aut completi. Succo eius cum melle ad viſus acumen vtuntur. Quinetiam & per nares*

*morbum*

*morbum regium purgant, & ad aurium dolores inueteratos adhibent, in quibus ſanè obſtructiones diſijcere, meatumq; ipſum, & ramos membranarum expurgare eſt vſus. Id Græci πράσιον, quod Latini Marrubium nominant: Mauritani, Faraſio ſiue Faraſium: Itali, Marrobio: Germani,* Andorn, vnd Lungenkraut: *Hiſpani, Maruuio: Galli, Marrubin.* Nomina.

Marrubium album duplex eſt, vulgare & peregrinum: hocq; vel latifolium, vel anguſtifolium. Marrubium album vulgare, C.B. Marrubium, Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Lacun. Cord. in Dioſcor. Lon. Caſt. Cæſ. Marrubium fæmina, Brunf. Marrubium candidum, Trag. Marrubium album, Geſ. hort. Lob. Lugd. Marrubium ſiue Praſium album, Taber. Praſium Anguillaræ.

## Σταχυς STACHYS. CAP. CIII.

STachys, frutex eſt marrubio ſimilis, ſed longior, folia ferens numeroſa, hirſuta, rara, prædura, cana, odoris iucundi: & complures virgas ab vna radice exeuntes, marrubio candidiores. Naſcitur in montibus, & aſperis. Vim habet excalfactoriam, & acrem. a Foliorum decoctum potu pellit menſtrua, & ſecundas.

a Meum interſerit hic ὅθεν. vndc.

I. STACHYS. II. PSEVDOSTACHYS.





*NIhil mihi verendum eſt, quin planta, cuius hic imaginem appinximus, legitima, genuinaq; ſit ſtachys. Eſt enim frutex Marrubio non abſimilis, ſed longioribus folijs, numeroſis, hirſutis, raris, incanis, præduris, & odoris non iniucundi: quinetiam complures ex vna radice caules Marrubio candidiores profert. Flores ſpicatos, ſubpurpureosq;, quo factum eſt vt plantam, quam antea Stachym legitimam eſſe putabam, Pſeudoſtachym nunc appellauerim, quæ frequentiſſima in Italia naſcitur: aſſurgit virgis compluribus, anguloſis, ab vna tantum radice exeuntibus, hirſutis, oblongis, præduris, odorisque iucundi. Flores gerit in purpura albicantes, qui per interualla verticillato ambitu caulem circumdant marrubij modo. Siquidem non video quomodo Sphacelus eſſe poßit, vt quidam ſomniauit impudens Archirizotomus. Nam (vt Theophraſtus eſt author) ſphacelus, quam ego minorem ſaluiam appello, folium gerit vrbana ſaluia contractius, minusq; ſqualens: ſed contrario modo ſe habent Pſeudoſtachyos folia, cum ſaluiæ ſint duplo, triploue latiora, ac etiam longiora, quinetiam multò ſquallidiora. Plinius libro 24. cap. 15. Stachyn porri ſimilitudinem habere tradidit, Græcarum vocum affinitate deceptus, praſon pro praſion legens. Siquidem πράσον porrum ſignificat, πράσιον verò marrubium, cui Stachys eſt ſimilis. Stachyos meminit Gal. lib. 8. ſimpl. med. ſic inquiens: Stachys frutex eſt marrubio ſimilis, guſtu acri, & amaro: tertij eſt ordinis excalfacientium. Quamobrē rationabiliter non ſolùm menſes mouet, ſed & abortum affert, & ſecundas eijcit. Στάχυς vt Græcè, ita etiam Stachys Latinè vocatur: Italicè, Stachi: Gallicè, Sauge molle.*

Stachyos cōſideratio. Plinii lapſus. Stachyos vires ex Gal. Nomina.

Stachys habetur Germanica, Italica, Luſitanica, Cretica & paluſtris fœtida. I. Stachys minor Italica, C.B. Stachys, Matth. Geſ. hort. Dod. fol. Lugd. Tab. Stachys minor, Cam. Stachys ſpuria Flandrorum, Lob. in obſ. Stachys Lychnitis, Lob. in icon. ſaluia ſylueſtris tertia, Cæſalpino. II. Stachys maior Germanica, C.B. Marrubium agreſte & Gallitricum agreſte, Trag. Marrubium montanum alterū, Thal. Pſeudoſtachys, Matth. Lugd. Stachys, Fuch. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. & hiſt. Lac. Lon. Caſt. Lugd. Tab. Stachys Germanica, Geſ. hor. ap. Stachys Dioſcoridis, Lob. Stachys maior, Cam. Saluia ſylueſtris, Cæſalpino.

†Ori.le. ἐντ...ι. interiore.
a Meū φύεται ἐν παλισκίοις καὶ παραδείσοις. i. naſcitur in vmbroſis locis & hortis.

## φυλλίτις PHYLLITIS. CAP. CIV.

PHyllitis folia promit rumici ſimilia, longiora, & viridiora, ſena, aut ſeptena, recta, quæ parte† anteriore læuia cernuntur, à tergo autem penſiles quaſi vermiculos tenues oſtendunt. a In vmbroſis, & opacis hortorum locis emicat: guſtu acerbo. Neque caulem, neque florem, neque ſemen profert. Folia in vino pota ſerpentium morſibus aduerſantur: quadrupedibus per os infuſa auxilio ſunt: & ſi dyſenteria, aut reſoluta aluus exercet, potui datur.

Phyllitidis conſideratio.
Scolopendrium quid.

PHYLLITIS.



*QVi notas omnes, quæ Phyllitidi à Dioſcoride tribuũtur, diligentiſſime expendere voluerit, haud difficilè quidem fateri cogetur, Phyllitim eſſe eam herbam, quam aliqui Linguam ceruinam, nonnulli verò Scolopendriam perperam appellant: Perperam dico, quòd legitimum Scolopendrium (vt infra ſuo loco dicetur) illa nimirum ſit herba, quæ Græcis Aſplenos, Mauritanis verò Ceterach dicitur. Quod autẽ ita ſe res habeat, hinc in primis ad credendum impellor, quòd vmbroſis, opacis, humentibusque locis proueniat: quodq́; folijs ſit rumice maioribus, longioribus, ac viridioribus, rectis, anteriore parte læuibus, à tergo autem eminentijs quibuſdam tranſuerſim per interualla ſignatis, ſubrubentibus, quæ (vt Dioſcorides inquit) penſiles vermiculos referunt. Opinionem deinde auget acerbus ſapor, qui guſtu percipitur. Huc poſtremò accedit, quòd caule, flore, & ſemine vacet: tametſi non deſint, qui credant, eius ſemen è penſilibus illis vermiculis prodire. Neque illud ſententiæ noſtræ quicquam obſtare crediderim, quòd huius herbæ complures reperiantur plantæ, quæ præter Dioſcoridis auctoritatem, vel quinquaginta emittant folia. Quippe (vt experientia compertum habeo) effodientibus nobis è terra hanc herbam nunquam ab vna tantùm radice tot folia erumpere viſa ſunt, ſed à quam plurimis ſe ſimul tangentibus, ita tamen vt vna ab altera ſeparari poſſet. Vnde facilè cognoui, quòd ſi ſingulæ radices abinuicem diſtinctæ conſiderentur, non pluribus, quàm ſenis, aut ſeptenis folijs refertæ inueniuntur. His itaque rationibus, mea quidem ſententia, hac in re planè hallucinati deprehenduntur Manardus, Leonicenus, Ruellius, & Fuchſius, omnes alioqui clariſſimi nominis viri, quòd tam facilè crediderint, Linguam ceruinam vocatam Phyllitim nequaquam referre, ſed Hemionitim. Nam etſi Hemionitis caule, flore, & ſemine vidua ſit, non tamen folijs conſtat rumicis, ſed dracunculi, curuis, nouæ lunæ inſtar. Illud inſuper addiderim, quòd iam reperta ſit Hemionitis, quæ omnibus prorſus notis legitimam refert. Sed ijs fortaſſe errandi occaſionem præbuit vulgi opinio, qui Linguam ceruinam non magno quidem negotio ad omnes lienis affectus aſſumere ſuadet, quod tamen Hemionitidis eſt proprium. Cuius forte vulgi opinionem ij potius ſecuti, quàm quòd Phyllitidis lineamenta, notasq́; diligentius perpenderint, in hunc facilè lapſum inciderunt. Atqui non ob id negauerim ego, Phyllitim lienoſis auxiliari, cum id vulgari experimento conſtet. Non deſunt quoque, qui Phyllitidis ſtillatitia aqua vtantur ad cordis affectus, atque in animi deliquijs & contra ſingultum. Eandem gargarizandam quoque præbent ad prolapſam columellam, refrigeratq́; iocinoris, & ventriculi ardores ſiccorum foliorum farina, ex earundem aqua excepta, & illita. Eadem quoque aqua os abluendum præcipiunt ad palati deſquamationes, & cruentas gingiuas. Phillitidis meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Phyllitis cùm qualitatis ſit acerbæ, nõ abſurdè diarrhœas, ſiue profluuia, & dyſenterias pota iuuat. Planta quæ φυλλῖτις Græcis, Phyllitis item Latinis appellatur: Italis, Lengua ceruina ac pariter Phillite: Officinis falſo Scolopendria. Germanis, Hirtzʒungen: Hiſpanis, Lengoa ceruina: Gallis, Lang de cerf.*

Manardi, Leonic. Ruellij, & Fuch. lapſus.
Phyllitidis vires.
Phyllitidis vires ex Gal.
Nomina.

Lingua ceruina officinarum, C.B. Phyllitis (quaſi folioſam dicas) Matth. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. (qui idem cum Hemonitide dicit) & hiſt. Angu. Geſ. hor. Lac. Lob. Lug. Caſt. Tha. Phyllitis vulgaris, Cam. Scolopendria, Brunf. Scolopendria vulgaris, Trag. Hemionitis, Fuch. Lingua ceruina, Lon. Cæſalpino. Habetur latifolia & anguſtifolia, ſæpè namque in fontibus exigua reperitur: Latifolia rurſus vel integro vel multifido laciniatoue folio, ſed rarius reperitur.

## Φαλάγγιον. PHALANGIVM. CAP. CV.

a Mentum hic addit. ὕστερον γὰρ συνέλκεται. i. poſtea enim cõtrahitur.

PHalangium, à quibuſdam phalangites, ab alijs leucacantha vocatur. Ramuli ſunt ei duo, aut tres, pleruſque, in diuerſa tendentes: flos candidus, lilio ſimilis, multas inciſuras habens: ſemine nigro, † lato, ad lenticulæ dimidiatæ figuram, multó tenuiore, radice parua, tenui, herbacei coloris, dum à terra eruitur. a prouenit in collibus. Huius folia, ſemen, flos cum vino pota, auxiliantur contra ſcorpionum, phalangiorumque ictus: tormina quoque diſcutiunt.

Phalangij cõſideratio.

*EAlem ferè, quæ hic de Phalangio poſteritatis memoriæ prodidit Dioſcorides, retulit Plinius libro vigeſimoſeptimo, capite duodecimo, vbi ita ſcribit: Phalangites à quibuſdam phalangion vocatur, ab alijs leucanthemon, vel, vt in quibuſdam exemplaribus inuenio, leucacantha. Ramuli ſunt ei nunquam pauciores duobus, in diuerſa tendentes. Flos candidus, lilio*

I. PHALANGIVM. *II. PHALANGIVM RAmoſum maius.*





*lilio rubro ſimilis: ſemine nigro, lato, ad lenticulæ dimidiæ figuram, multò tenuiore: radice herbacei coloris. Huius folio, vel flore, vel ſemine auxiliantur contra ſcorpionum, phalangiorumque, & ſerpentium ictus: item contra tormina: Hæc Plinius: quæ omnia ferè, ſi conferantur, Dioſcoridi accepta referri poterunt. Folliculi in quibus ſemen concluditur, phalangij formam referunt, vnde illi nomen. Prouenit in montibus. Phalangij vires tradidit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Phalangites ſic appellata eſt, quòd morſis à phalangijs auxilietur. Eſt etiam facultatis tenuium partium, deſiccantis: quamobrem & tormina patientibus ſuccurrit. Quod φαλάγγιον Græci, Phalangium quoque Latini dicunt: Phalangio, Itali.*

Phalangij vires ex Gal.

Nomina.

*† Si quis Græca Dioſcoridis exemplaria conſulat, hic non πλατὺ, hoc eſt latum, ſed παχὺ quod eſt craſſum, ſcriptum reperiet. Quòd ſi præterea ea legat, quæ ex Plinio in commentario retulimus, deprehendet Ruellium in vertendo ſecutum fuiſſe Plinium, ex eoq; vocem illam reddidiſſe.*

Phalangium aliud ramoſum eſt, aliud non ramoſum: illud vel maius, vel minus. Non ramoſum, aliud magno, aliud paruo flore eſt. I. Phalangium magno flore, C.B. Phalangium, Matth. Caſt. Taber. Lugd. Phalangium Dalechampij, eidem. Phalangium maius, Geſ. hort. Sunt qui Lilia parua vocitent. II. Phalangiun ramoſum maius, C.B. Moly Plinij, Dod. gal. Geſ. hor. Phalangium ramoſum, Lob. Dod. fo. Lug. Tab. Phalangium, Cæſ. Camer. apud Matth. Phalangium Cord. in Dioſc. Geſ. hor.

Τρίφυλλον. **TRIFOLIVM.** CAP. CVI.

TRifolium, Græci triphyllon, alij oxytriphyllon, alij menyanthes, alij aſphaltion, vocant. Frutex † ſupra cubiti altitudinem attollitur, virgas habens tenues, iunceas, & nigras, vnde ramulares enaſcuntur appendiculæ, in quibus terna ſingulis germinationibus exeunt folia, loto arbori ſimilia: ijs recenter enatis rutæ odor ineſt, vbi autem adoleuerunt, bitumen olent. Florem edit purpureum; ſemen quadantenus latum, ſubhirſutum, a ex altera extremitate exertum, antennæ modo corniculum gerẽs: radix tenuis, longa, b valida. Semẽ, & folia in aqua pota pleuriticis, vrinæ difficultati, comitialibus, & ijs qui aquæ inter cutem principia ſentiunt, fœminis quoque vuluæ vitijs opportunis, auxiliantur: menſes ciunt: ternæ drachmæ è ſemine dari debent, è folijs verò quaternæ. Contra ſerpẽtium ictus trita folia, & ex aceto mulſo pota, præſidio ſunt. Tradunt aliqui, totius fruticis, radicis, foliorumq; decoctum fotu dolores eorum finire, quos ſerpentes percuſſerint: qua autem aqua ſanatus quis fuerit, ſi ea quiſpiam alius foueatur, qui vlcus habuerit, perinde afficitur, vt à ſerpente demorſus. Quidam terna folia, aut ſemina in tertianis, cum vino potui dedere, & in quartanis quaterna, vt quæ febrium circuitus diſcuterent. Radix antidotis inſeritur.

† Ori. leg. πήχεως ἢ καὶ μεῖζον. i. cubiti altitudinis vel etiam maioris.

a Meū. ἐκ τοῦ ἑτέρου πέρατος ὥσπερ κεραίαν ἔχον. i. ex altera extremitate velut corniculum habens.

b Catac. pro iſto habet. ἰσχυρὰ στερεά. i. robuſta, ſolida, idem le. Orib.

*TAmetſi plura in Italia paſſim in pratis, ac viridarijs Trifolij inueniantur genera, omnibus planè nota: non tamen de his tradidit hoc capite Dioſcorides, ſed de eo tantùm genere, quod à bituminis odore Aſphaltitis dicitur, de quo etiam ſcribit Galenus. Verùm non ob id putandum, Trifolium pratenſe omne genus Dioſcoridi fuiſſe ignotum:*

Trifolij conſideratio.

*ſiquidem*

Lotus ſylu.

Trifoliũ triplex Plinij.

Trifoliũ acucutum Scribonij.

## I. TRIFOLIVM ASPHALtite.



*ſiquidem eius meminit libro quarto in ſylueſtris loti capite, dum ita ſcribit: Sylueſtris lotus plurimũ in Lybia gignitur, caule bicubitali, & ſæpe maiore, alis multis, folijs trifolij pratenſis. Ex quibus vtique Dioſcoridis verbis liquet, eos maximè hallucinari, qui recenter contendunt Trifolium pratenſe eſſe lotum ſylueſtrem, vel vrbanam. Plinius libro vigeſimoprimo capite nono, de tribus trifolij generibus diſſeruit in hunc modum: Folio coronat & trifolium. Tria eius genera: menyanthes vocant Græci, alij aſphaltion, maiore folio, quo vtuntur coronarij. Alterum acuto, oxytriphyllon cognominatum. Tertium ex omnibus minutiſsimum. hactenus Plinius. Trifolij acuti meminit quoque Scribonius Largus, qui ita ſcriptum reliquit: Trifolium acutum, quod oxytriphyllon appellant, naſcitur in Sicilia plurimum: nam in Italiæ regionibus nuſquam eam vidi herbam, niſi in Luna portu, cum in Britanniam peterem cum Claudio Cæſare. Eſt autẽ folijs, & ſpecie communi trifolio ſimilis, niſi quod pleniora ſunt folia, & quaſi lanuginem quandam ſuper ſe habent, & in extrema parte velut eminentem aculeum. Sed frutex huius duum pedum, interdum altior conſpicitur, & odorem grauem emittit, quorum nihil circa pratenſe trifolium inuenitur: hæc ille. Vt autem Scribonius Largus ætate Galeno ſuperior, hæc prodidit, ita quoque Nicander medicus & poëta, tum Scribonio, tum ipſo Dioſcoride vetuſtior, elegantiſsimo Carmine Trifolium celebrauit aſphaltium. Idque μινυανθὲς, neque, vt vulgatum habet Dioſcoridis, & Plinij exemplar μηνυανθὲς appellari ait, comam alere loto arbori ſimilem, cui rutæ (ῥυτῆς aliàs πηγάνυ Græcis vocatæ) odor inſit, atque vbi adoleuerit, grauem bituminis odorem mittere. Verſus Nicandri & ob ſummam antiquitatem, & propter admirandam vetuſtatem ſuſpiciendi, ſunt eiuſmodi.*

Ναὶ μὴν καὶ τριόφυλλον ὀπάζεο κνώψιν ἀρωγὴν
Η᾿ έπου ἐν τρήχοντι πάγῳ ἢ δ' ἀποσφάγι ῥῶσσιν.
Τὴν ἤτοι μινυανθὲς, οἱ δὲ τριπέτηλον ἐνίσπει.
Καὶ τὴν μὲν λωτῷ ῥυτῇ γε μὲν εἴκελον ὀδμὴν
Η῎τοι ὅτ' ἄνθεα πάντα καὶ ἐκ πέταλα ποικίλα τεύχει
Ο῟ιον τ' ἀσφάλτου ἀπερεύγεται ἔνθα κολούσας
Σπέρματ' ὅσον κύμβοιο τραπεζήεντος ἑλέσθαι
Καρδόπῳ ἐντρίψας πιέειν ὀφίεσσιν ἀρωγήν.

## II. TRIFOLIVM ACEtoſum.



## III. TRIFOLIVM ACEtoſum Luteum.



Eſt

IV. TRIFOLIVM PRATENſe.



V. TRIFOLIVM PRATENſe alterum.



Trifoliũ acetoſum.

*Eſt & aliud trifolij genus ſapore acetoſo, quod quibuſdam Panis cuculis, nonnullis verò Alleluya vocatur. Nos autem cum Plinio Oxyn appellandum cenſemus, ſiue trifolium acetoſum. Opacis plurimum prouenit locis, propter ſepes & itinera. Cauliculis exit pluribus ab vna radice ſurgentibus, puſillis, rotundis ac tenuibus, quorum ſingulus terna in ſummitate ſunt folia cordis figura, & in pediculum fungi modo plerunque reflexa, mollia, acido guſtu, flores edit albicantes, in quinque diuiſos apices, ſtellæ figura: Atqui ij peculiares cauliculos habent, ſinguliq; ſingulo cauliculo nituntur. Radicem habet ſubruſam, ſquammis contectam, quæ nucamenti ſpeciem referunt. Tota planta refrigerat oxalidis modo, proinde deuorata ſitim extinguit, & ventriculi ardores extinguit. Iecur refrigerat & cor corroborat.*

Trifolij acetoſi vires Mathiolo.

*Stillatitia eius aqua datur vtiliter potanda acuta peſtilentique febre laborantibus: atqui longè magis præſtat ſuccus ex ſaccharo potus. Illinitur idem per ſe Eryſipelatis, & inflammatis locis, colluiturq; ex eo os, vbi lingua, palatum faucesue calida fluxione laborent. In ſumma ad ea omnia cenſetur vtilis Oxys, quibus oxalis auxiliari queat.*

Oxys Plin.

*Plinius (vt quidam putant) hoc oxyn nominat lib. 27. cap. 12. vbi ſic inquit: Oxys folia terna habet. Datur ad ſtomachum diſſolutum. Edunt & qui enterocelen habent. Nec plura de hac herba Plinius. Cæterùm Trifolium pratenſe in Italia trium eſt generum, foliorum & florum diuerſitate differentium.*

Trifolii pratenſis genera tria.

*Primum folijs exit ſubrotundis, & amplis: maculoſis, longo pediculo nitentibus, obſequioſo, flexilique: floribus in capitulis ſubpurpureis, aut albicantibus, in cauliculorum ſummitatibus emicantibus. Naſcitur in pratis & herboſo ſolo. Sunt qui Trifolij pratenſis ſuccum miris laudibus efferant ad oculorum nubeculas, vulnera & cicatrices. Vniuerſæ florentis plantæ decoctum potum, alba vteri profluuia cohibet. Semen & flores ex aqua decocti, & ex oleo admoti, duros emolliunt abſceſſus. Secundum cauliculis aſſurgit lentis, obſequioſisq;, folijs in vnoquoq; pediculo ternis, varia tamen facie perinde ac bituminoſum: namq; quædam quæ ad radicem ſunt Acetoſi trifolij modo quod Oxym vocatur, trina ex vnico pediculo emergunt, cordis faciem quadantenus imitantur, cætera verò longa ſunt & in cacumine acuminata, vt in Aſphaltite: flores in capitulis ſunt illi purpurei in flocci modum. Prouenit ſpontè in pratis & viridarijs & herboſis locis. Idem præſtare poteſt quod alterum. Tertium vt primum circinatis, ſed breuioribus. Diſtant & florum colore, quòd in vno flores albicent, in altero rubeſcant, in tertio lutei ſpectentur. Pratenſe trifolium tempeſtates prænunciat. nam (vt Plin. eſt author) inhorreſcit, & folia contra tempeſtatem ſubrigit. Habetur præterea herba, de qua ideo hic inter trifolij genera differendum duximus, quòd folio exeat triplici cornu diuiſo: vnde etiam apud quoſdam herbarios ſibi Trinitatis nomen comparauit.*

Trinitatis herbæ mẽtio.

*Hæc itaq; herba TRINITAS vulgò vocata, in locis prouenit vliginoſis, & inter fruteta: gaudet enim opacis. Folia fert triquetra, hederæ minoris magnitudine, longis pediculis appenſa, quæ auerſa parte cyclamini modo ſubpurpuraſcunt, ſuperiore verò albis quibuſdam maculis reſperguntur. Caules habet tenues, in cacumine primo ſtatim vere flos emicat cæruleus in ſtellæ modum, è quo capitulum oritur echinata quadantenus ſpecie, in quo ſemen oblongum ſubcæruleo colore. Radicibus nititur numeroſis, tenuibus, ſubrubentibusq;.*

Hepatica quorundam.

*Sunt qui hanc plantam Hepaticam vocant, quòd (vt illi putãt) iocinoroſos iuuet. Huiuſce meminiſſe Græcos, nec pariter Mauritanos, hactenus compertum non habeo. Probatur maximè recentioribus medicis ad vulnera glutinanda, tam exterius illita, quàm interius ſumpta, quinetiam & ad enterocelas mirificè præſtat: in quem vſum puluerem dimidij cochlearis menſura ex vino auſtero diebus pluribus continuis propinant. Tota planta decoquitur in vino auſtero, ad colummella, fauciumq; inflammationes. Sed vt ad trifoliũ noſtra redeat oratio, eos in apertiſsimo errore verſari exiſtimauerim, qui Andacocã Aphris vocatã, ad quamuis trifolij ſpeciem referunt.*

Andacoca quid.

*Quandoquidẽ Andacoca (vt teſtatur Serapio) nil aliud eſt, quám Dioſcoridis Aegyptia lotus. E cuius ſemine, quod papauerum modo capitibus quibuſdam includitur, Arabes ſibi oleum conficiunt, quod miris laudibus efferunt in neruorum morbis, præſertimq; tremoribus: illudq; oleum de Andacoca appellant.*

*VI. TRIFOLIVM PRAT. Luteum.*



VII. TRINITAS.



pellant. Id enim non deſunt, qui credant è vulgaris trifolij ſemine fieri: ſed quàm apertè decipiantur, vel ipſi videant, vel alij iudicent. Trifolium ſcriptis tradidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Triphyllum, quidā aſphaltion, quidam oxyphyllon, nonnulli minyanthes, ſunt & qui cnicium vocitent. Prima quidem tria ab accidentibus fruticis, reliqua duo nomina haud ſcio vnde. Vis plantæ eſt calida, & ſicca vt bitumen, cui odore eſt ſimilis vtrinque tertio ordine. Proinde potæ laterum dolores ab obſtructione natos iuuat, & vrinam menſesq; prouocat: hæc Galenus. Sed animaduertendum eſt, an Galenus ipſe in Trifolij facultatibus rectè perceperit Dioſcoridis ſententiam. Quippe is in libro de theriaca ad Piſonem, vbi plurium medicamentorum facit mentionem, quibus contrariæ inſunt facultates, hæc de eo memoriæ prodidit. Trifolium herba, quæ hyacintho ſimilis eſt, cum vere parturit, & ſemen agreſti cnico perſimile obtinet, decocta admodum, deinde morſibus aranei, vel viperæ quoque ex aquæ fotu adhibita ipſis medetur, & dolores ſtatim ſedat. Sin autem in alio non commorſo ſanum locum eodem fotu circundederis, ſimilem ſenſum, ſimileſque dolores ijs, quos morſus inuehit, omnes efficit. Vt re vera miraculo dignum opus eſſe videatur, videlicet herbam & morſum ſanare, & ferarum modo ſanam partem prauè afficere: hactenus Galenus.

Galeni ſentētia damnata.

Verùm id, ſi Dioſcoridis verba rectè expendantur, nullo miraculo fieri facilè conſtabit, ſed potius ſecundum ipſius naturæ ordinem. Siquidem (vt Dioſcorides ſcribit) non omne trifolij decoctum illud efficere poteſt, ſed tantùm id, cuius fotu quiſpiam à ferarum morſibus liber euaſerit, ſi eo alterius locus vlcere affectus perfundatur Id quod apertè Dioſcoridis verba declarant, cùm inquit: Tradunt aliqui totius fruticis, radicis, foliorumq; decoctum fotu dolores eorum finire, quos ſerpentes percuſſerint. Qua autem aqua ſanatus qui fuerit, ſi ea quiſpiam alius foueatur, qui vlcus habuerit, perinde afficitur, vt à ſerpēte demorſus. Ex ijs Dioſcoridis verbis clarū fieri puto, hanc rem in ſe nihil admirationis habere. Nam cùm trifolij ipſius decoctum, quo demorſi fouentur, venenum à vulnere extrahat, eiq; permiſceatur, haud dubiè id venenoſum redditur. Quamobrem minimè quidem mirum videri debet, ſi idem decoctum, quo quiſpiam non demorſus foueatur, vbi perfuſæ partes aliquo vlcere laborauerint, veneno per vlceris poros ingrediente, ac ſanguini ſe commiſcēte, ea omnia excitet mala, quibus demorſi vexantur: idem enim venenū cùm ſit, eoſdem quoq; præbeat effectus neceſſe eſt. Vnde liquidò colligi poteſt, quòd virus à Trifolij decocto euocatum, nō autem Trifolium, ſit illud, quod ſimilem ſenſum, ſimileſq; dolores faciat. Quod autem venenū exuctum á ferarum morſibus, vlceratis particulis contactum necem afferre poßit, complures tam Græci, quàm Arabes authores, manifeſtè demonſtrant. Quandoquidem ſcribentes ore demorſos ſugere præſtantißimum eſſe remedium, ſeriò nos admonent, ne id ore vlceribus affecto fiat: quoniā ſi venenum illud vlcus inficeret, ſugentem in mortis diſcrimen duceret. Hæc itaque ſunt, quæ me maximè mouent, vt credam Galenum hac in re Dioſcoridis mentem non accepiſſe, atque etiam ſi licet dicere, cæcutiuiſſe.

Galeni lib. ad Piſonem ſpurius.

Caterùm non deſunt, qui velint, vt Galenum tueantur, librum de theriaca ad Piſonem non eſſe legitimum, idq; pluribus rationibus comprobant. Quibus an aſſentiendum ſit, iudicent ij, qui Græcam Galeni phraſim profitentur, quiq; eius volumina diutius euoluerunt. Ego certè, vt dicam quod ſentio, non poſſum illis ſubſcribere, qui librum illum ſpurium eſſe cenſent. Inter quos hic mihi honoris gratia nominandus venit, Iulius Alexandrinus Tridentinus, vir quidem ſingularis ingenij & eruditionis, ac propterea maximæ exiſtimationis medicus apud Cæſarem Ferdinandum Rom. Imp. Huius ergo viri iudicium, vt quod multis & ijs quidem firmis argumentis nitatur, & laudamus libenter, & probamus. Cæterùm, cum ſcribat Dioſcorides trifolium aſphaltites folia ferre loto arbori ſimilia, non deſunt, qui putent arborem lotum folia ferre ordine, & numero ternario, ſed procul dubio hallucinātur, cùm nullus extet author, qui lotum arborem ſcribat terna ſimul edere folia, ſiquidem cùm Theophraſtus, tum

*ſtu, tum Plinius folia illi ineſſe Ilicis haud diſsimilia ſcribunt. Quare cenſendum eſt Dioſcoridem trifolij huiuſce folia loti arboris comparaſſe folijs, non quòd terna folia loto, perinde ac trifolio, ex vno pediculo exeant, ſed quòd vnumquodq; per ſe trifolij aſphaltitis folium, loti arboris folium referat.* Τρίφυλλον *Græci vocant, quod Latini Trifolium: Itali, Trifoglio bituminoſo. Trifolium pratenſe: Italis, Trifoglio. Germani,* Woyſſenklee *: Hiſpani, Treuol. Trifolium pratenſe alterum, Italis Trifoglio indifferenter dicitur. At Trifolium acetoſum, Græcis:* Τρίφυλλον ὄξις *: Barbaris, Alleluia, ſiue Luiola, ſiue Panis cuculi: Italis, Trifoglio acetoſo: Trinitas, Italis, Herba trinità.* Nomina.

Trifolium ſic dictum, quòd ſingulis germinationibus terna exeant folia, cuius differentias vltra ſeptuaginta in vniuerſali noſtra hiſtoria vnà cum iconibus proponemus, hoc loco nouem tantùm ſpecies ob oculos ponuntur, quorum. I. Primum Trifolium eſt bitumen redolens, quod Trifolium Aſphaltite, Matth. Lac. Lugd. Trifolium aſphalteum, Lob. Trifolium, Dod. gal. Cord. in Dioſc. Geſ. hort. Lon. Trifolium bituminoſum, Dod. fol. Caſt. Cæſal. Tab. Cam. Oxytriphyllum, Geſ. hor. Folia quę ante caules prodeunt, rotūda ſunt, vt figuræ Matthioli minores oſtendunt, cum verò cauleſcit & adulta eſt, acuminata redduntur, quare neutiquā binæ figuræ proponendæ, vt fecit herbarij Lugdunenſis auctor, alterum rotundis, alterum longioribus folijs nominans, idcirco vna figura exprimere voluimus. II. Trifolium acetoſum vulgare. C. B. Trifolium acetoſum, Brunf. Matth. Dod. fol. Caſt. Lugd. Thal. Oxytriphyllon, Trag. Lac. Oxys, Fuch. Dod. gal. Cord. in hiſt. Tab. Oxys Pliniana, Geſ. hor. Lob. Oxys flore lacteo, Cam. Aleluia, Lac. Lon. Panis cuculi, Brunfelſio. Hæc flore habetur albo, nonnunquam venis purpuraſcentibus diſtincto & fœmina cēſetur: eſt & toto purpureo, rarior inuentu, mas exiſtimatur. III. Trifolium acetoſum corniculatum, C. B. Oxys, flore luteo, Cluſ. hiſt. Hiſp. Cam. Tab. Oxys lutea Corniculata, Lob. Lugd. Oxys, Cæſal. Oxys ſiue trifolium acetoſum floribus luteis, Dod. fol. Trifolium acetoſum flore luteo, Caſtori. Hæc differt à priori quòd ſerpat, folijs ſit hirſutioribus breuiori pediculo annexis, floſculis flauis, quibus ſuccedunt cornicula ſeu ſiliquę, ſurſum ſpectantes, oblongæ, craſſiuſculæ, folioſæ ex quinque loculis conſtitutæ, quæ vbi ad maturitatem peruenere læuiſsimo, attactu ſemina flaua & aſpera è lateribus exſpuunt, oſculis quàm primum conniuentibus, vt non appareat ſiliquas diſſilijſſe. IIII. Trifolium pratenſe purpureum, C. B. Trag. Fuch. Trifolium pratenſe, Matth. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lac. Lob. Caſt. Lugd. Tab. Cam. Cæſal. Trifolium pratenſe vulgare, Thal. V. Trifolium pratenſe album, C. B. Fuch. Dod. gal. Tab. Trifolium album, Brunf. Trifolium pratenſe alterum, Matth. Trag. Lac. Lugd. Trifolium vulgare albo flore, Geſ. hor. Trifolium acutum, Lon. VI. Trifolium pratenſe luteum capitulo breuiore, C. B. Melilotum minus, Brunf. Meliloti exiguæ ſpecies prima, Trag. Lotus ſylueſtris minor, Dod. gal. & Lugd. Lotus ſylueſtris, Lon. Trifolium pratenſe tertium, Matth. Caſt. Trifolium pratenſe luteum, Fuch. & Lugd. Cam. Trifolium agrarium, Dod. fol. Trifolium aruenſe, Tab. Trifolium luteum primum, Thal. Trifolij genus Medicæ ſimile, Geſ. de hortis. VII. Trifolium hepaticum, C. B. & Cam. Trifolium aureum, Brunſchvvig. Lon. Dod. fol. Trifolium magnum ſeu aureum, Trag. Hepatica, Brunf. Dod. gal. Hepatica aurea, eidem, Geſ. hort. Thal. Tab. Hepaticum trifolium, Lob. Trinitas, Matth. Geſ. hort. Caſt. (cui & Trifolium aureum magnum) Cæſal. Herba Trinitatis, Lugd. Epimedium, Cordo. in Dioſc. & hiſt. Folijs aliquando maioribus, magis minusve hirſutis, aliquando maculatis: floribus eſt cæruleis, violaceis, purpureis, rubris, albis: rarius flore pleno. VIII. Trifolium peltatum Creticum, C. B. Ex radice tenui, oblonga, fibroſa, cauliculi

*VIII. TRIFOLIVM PELtatum Creticum.*



*IX. TRIFOLIVM SPInoſum Creticum.*



 exſur-

exſurgunt palmo minores, nudi, folia parua tripartito diuiſa, parum crenata, oblongis pediculis d[illegible] cauliculorum ſummis floſculi quaterni, quiniue, ordine ſuccedentes, forma ornithopodij, luteopa[illegible] inſident: quibus ſuccedunt ſiliquę latæ, planæ, membraneæ, quaſi ſemicirculares in filamētum abeūtes, [illegible]num vel alterum paruum compreſſum ſemen continentes: quæ dum molles ſunt, dulciſsimæ, e[illegible]aptæ, at vbi indurtuerint amariſsimæ. Hoc ruſticis Cretenſibus μαϰσυϱίαν dici auctor eſt D. Honorius Belli Vicentinus, qui aliquot nunc annis in Creta medicinam exercet, qui Trifolij Cretici odorati nomine tranſmiſit. IX. Trifolium ſpinoſum Creticum, C. B. Ex radice parua caules ſeſquipalmares angulo[illegible], inclinati, in alios brachiati, prodeunt: ramulos cingunt folia pediculis inhærentia, quorum quod libet conſtat tribus foliolis oblongis, acuminatis, in minimam ſpinam abeuntibus: ad ramulorum diuiſionem ſupra infraq; ſpinæ paruæ aduncæ: vnde flos campanulæ aruenſi ſimilis pediculo breui inſidēs. prodit, ex quinq; foliolis cæruleis compoſitus, quos folioſa viridia excipiunt, in florum medio apices aliquot lutei: ſuccedunt ſiliquæ triangulares compreſſæ, ſemen ruffum compreſſum continentes. Iulij principio floruit, apud Iohannem Bauhinum fratrem Montembelgardi, cui ſemen Orbilochorto nomine miſſum prius acceperamus à Laurentio Roſenavv nomine Trifolij ſpinoſi ſemper virentis Ciſti flore.

## Πόλιον POLIVM. CAP CVII.

† Orib. leg. λεπτόφυλλον. i. tenuifolio. a Me. πολιὰν τρίχα. i. cano capillo.

DVo genera polij. Montanum, cui teuthrio nomen eſt, & cuius eſt vſus: † tenuis frutex eſt, candidus dodrantalis, ſemine refertus: capitulo in cacumine quandam corymborum ſpeciem præ ſe ferente, paruo, a cano hominis capillo ſimili, grauiter olente, non ſine quadam ſuauitate. Alterum fruticoſius, non vſque adeò valens odore, & viribus infirmius. Potum feruefacti ius auxiliatur ſerpentium ictibus, hydropicis, morbo regio: & lienoſis ex aceto: ſtomachum male habet, caput doloribus afficit: aluum, & menſes ciet: ſubſtratum, ſuffitumve ſerpentes abigit: illitum vulnera conglutinat.

I. POLIVM.



II. POLIVM ALTERVM.



Polij cōſideratio.

*Polium Montanum planta eſt candicans, folijs oblongis, per ambitum ſerratis, & per interualla caulem ab imo ad ſummum veſtientibus, pluribus minoribus inter maiora ſubnaſcentibus. Caules habet copioſos, rectos, rotundos, lignoſos, albicantes, & qui in cacumine capitula edunt, florida, candicantia, thymi figura. Tota planta odorata eſt, odore tamen acuto, & ſubgraui.*

Polium alterum & eius hiſtoria.

*Eſt & alterum quod herbariorum quidam Iuam muſcatam vocant. Id ego inter polij genera recenſendum volui, quod capitulis, folijs, caulibus, odore, facultateque, polium referat. Atqui non ob id affirmauerim, hanc plantam eſſe ſecundum polij genus à Dioſcoride deſcriptum. Siquidem altero fruticoſius non eſt, nec minus odore, & viribus præſtans. Prouenit hæc planta in collibus, aridis præſertim locis, folioſa, humi procumbens, folijs coronarij roriſmarini minoribus, duriuſculis, auerſa parte incanis: cauliculos gerit tenues, rotundos, ſubalbicantes, flexiles: capitulis in cacumine albicantibus, alterius polij capitulis haud longè diſsimilibus. Radice nititur ſimili. Tota planta bene olet, & minus quam alterius, nares ferit. Cæterùm vtrunque polium notum eſt, & copioſum in Italia cùm montibus tum etiam collibus prouenit.*

Poliū Plinij.

*Polij meminit Plinius libro 21. cap. 7. vbi ita ſcriptum reliquit: Apud Græcos Polion herba inclyta Muſæi, & Heſiodi laudibus, ad omnia vtilem prædicantium, ſuperque cætera ad famam etiam dignitatis: prorſuſque miram, ſi modo (vt tradunt) folia eius mane candida, meridie purpurea, ſole occidente cærulea aſpiciuntur. Duo genera eius, campeſtre maius, ſylueſtre quod minus eſt: quidam teuthrion vocant: folia canis hominis ſimilia, à radice protinus, nunquam palmo altiora*

*altiora: hæc Plinius, quorum plura à Theophraſto mutuatus eſt. Cæterùm in ijs Plinius apertè hallucinatus deprehenditur, quod turpiter Polium cum tripolio confuderit, cuius hiſtoriam libro quarto pertractat Dioſcorides. Siquidem Tripolij proprium eſt, non autem Polij, teſte Dioſcoride, vt colores ter in die mutet: neque id quidem à Dioſcoride, vt a Plinio, folijs, ſed floribus adſcribitur. Præterea capitulum Polio ineſſe cano hominis capillo ſimile ſcribit Dioſcorides, non autem folia, vt ipſe Plinius tradit. Cæterùm polio vis ineſt reſerandi, incidendi, attenuandi & abſtergendi. Adalligatur fronti contra oculorum ſuffuſiones, protinus vbi inuentum ſit, nec alia herba magis conuenit. Polij vires memoriæ prodidit Gal. lib. 8. ſimplic. med. ita ſic inquit: Polium amarum eſt guſtantibus, & modice acre. Itaque viſcera omnia obſtructione liberat: vrinamq; & menſes ciet. Ac viride etiamnum magna vulnera glutinat, maxime ſpecies eius fruticoſa. Aridum cùm fuerit maligna vlcera ſanat illitum, & magis hoc præſtat quod minus eſt. Polium minus quo etiam vtimur ad antidota, & acrius, & amarius eſt quam maius, adeo vt ex tertio ſit ordine deſiccantium, ex ſecũdo autem completo excalfacientum. Planta Græcis πόλιον, Latinis item Polium appellatur: Mauritanis, Cahade, Iahade, ſeu Giade: Italis, Polio. Gallis, Iue muſcate. At Polium alterum, Græcis πόλιον ἕτερον: Italis, Polio ſecondo: Herbarijs nonnullis Iua muſcata.*

Plinij lapſus.

Polij vires ex Galeno.

Nomina.

Polium dictum propter canitiem, quæ in folijs ſecundum Plinium, in capitulis ſecundũ Dioſcoridem apparet. I. Polium maritimum erectum, C.B. Polium primum, Matth. (in maioribus figuris, in minoribus enim tranſpoſitæ ſunt figuræ & pro altero poſitum) Dod. fol. Cluſ. hiſt. Hiſp. Polium, Lac. Lugd. Cam. Polium montanum, Lonicero. Hoc diſtinguimus in rectum, quod in littore Mediterranei maris Mõſpeſſuli, in quo & Epipolium obſeruauimus: & in ſupinum, quod in littore Adriatici maris apud Venetos legimus. II. Polium Lauendulæ folio, C. B. Polium alterum, Matth. (in maioribus, non autem minoribus figuris) Lacu. Lugd. Polium alterum Lauendulæ folio, Cam. Polium recentiorum fæmina. Lauendulæ folio, Lob. Polium Germanicum, Geſ. hor. ap. Polium campeſtre, Lon. Tabernæmontano.

## Σκόρδιον. SCORDIVM. CAP. CVIII.

Scordium in montibus, & paluſtribus naſcitur, folijs triſſaginis, maioribus, nõ ſic in ambitu diuiſis, aliquantum allia redolentibus, guſtu amaris, & adſtringentibus, quadrangulis caulibus: ſubrubro flore. Herba vim excalfactoriam habet: vrinam cit. Cocta recens, aridaue cum vino, [a] aduerſus venenatos ſerpentium morſus bibitur: ad ſtomachi quoque roſiones, dyſenteriam, & vrinæ difficultatem, binis drachmis cum hydromelite, craſſamen purulentum pectore expellit. Facit aridæ farina ad veterem tuſſim, rupta, conuulſa, ſi cum naſturtio, melle, & reſina miſceatur in eclegmate. Inflammata modicè præcordia, cerato excepta, recreat: cum aceto acri, aut aqua, podagris conuenienter illinitur: menſes impoſita mouet, vulnera conglutinat, vetera vlcera purgat, & ex melle ad cicatricem perducit. Sicca [b] excreſcentias in carne cohibet. [c] Succus ad eadem vitia bibitur. Inter prima efficax Ponticum natione, Creticumque.

a Meũ πρὸς ἑρπετῶν δήγματα καὶ θανάσιμα. i. cõtra ſerpentiũ morſus, & læthalia.

b Cat. ὑποσαρκώματα. ſupercreſcentem carnem.

c Meũ χύλισμα. i. ſuccus expreſſus.

I. SCORDIVM.



II. ALLIARIA.



*Scordium non ita pridem inueniri, & cognoſci cœpit in Italia. Siquidem præterita nuper ætate omnes tum medici, tum ſeplaſiarij Mauritanorum monumentis decepti, ſylueſtri tantùm allio, quod à Dioſcoride ophioſcorodon vocatur, pro legitimo Scordio vtebantur. Neque ijs ſolùm rerum imperitia, ſed etiam vocabulorum vicinitas impoſuerat, vt qui Scordium a Scorodo, quod Græcis allium ſignificat, diſtinguere neſciuerint, pro vnoque acceperint. Sed illis potiſſimum errandi occaſionem dederat Auicenna, vel eius interpres, quod in alteram theriacæ compoſitionem Scordium, in alteram verò ſylueſtre al-*

Scordij conſideratio.

Errores interpretis Auicennæ.

*ſtre allium addiderit. Quod cùm vidiſſent ſuperioris ætatis medici nonnulli, rei & prioris vocis ignari, hanc ex altera expoſuerunt, & Auicennam in hac re ſui ipſius interpretem fecerunt. Vnde adducti ſunt, vt certo crediderint, ſylueſtre allium & Scordium nihil inter ſe differre, atque vnam, & eandem plantam eſſe. Quo poſtmodum factum eſt, quod ſylueſtre allium apud omnes in Scordij locum illegitimè ſucceſſerit. Verùm enimuero in hunc nunquam fortaſſe incidiſſent errorem, ſi Dioſcoridis & Galeni ſcripta diligenter perlegiſſent. Porrò verum legitimumque Scordium, triſſagini adeo ſimile, vt Triſſago paluſtris meritò dici queat, humentibus ac paluſtribus locis proueniens, allij odore præditum, recentiorum diligentia iam omnibus magis innotuit, quàm vt ſit à nobis longiori hiſtoria repræſentandum. Prætulit Galenus lib. 1. de antidotis Scordium, quod ex Creta aduehitur ijs verbis: Scordium optimum ex Creta defertur: quanquam non ſit improbandum quod in alijs quoque nationibus reperitur. Scriptum autem eſt, à quibuſdam viris grauiſſimis, cùm in bello interemptorum cadauera multos dies inſepulta iacuiſſent, quæcunque ſupra Scordium fortè fortuna ceciderant, multò minus alijs computruiſſe, ea præſertim ex parte qua herbam contigerant. Ob quam rem ſanè omnibus perſuaſum eſt, tam putreſcentibus animalium venenis, quàm medicamentorum deleterijs Scordium aduerſari. Præterea Scordij meminit idem Gal. li. 8. ſimpl. medic. vbi de eius viribus ita ſcribit: Scordium ex multiformibus id tum ſaporibus, tum facultatibus conſtat: nam & amarum quid obtinet, & acerbum, & acre, & maximè ſcorodo, hoc eſt, allio adſimilis eius eſt acrimonia: vnde ſane, mea ſententia, nomenclaturam ſortitum eſt. Expurgat igitur, ſimulq; excalfacit viſcera, tum menſes, vrinamq; mouet. Præterea conuulſa, ruptaq;, & laterum dolores ab obſtructione & frigore natos, ſanat epotum. Denique viride quidem illitum magna vulnera conglutinat: ſed ſordida purgat, & maligna ad cicatricem perducit, illitum aridum: hactenus Galenus. Cæterum herba quædam iuxta ſepes, & in agrorum marginibus naſcitur, quæ & odore, & ſapore ita abunde allium refert, vt non temerè vulgò ALLIARIS ſiue Alliaria vocitetur. Huius folia cùm primùm erumpunt, ferè rotunda ſpectantur violæ ſimilitudine: poſtquam verò adoleuerint, per ambitum in ſerræ modum laciniata viſuntur, vt quadantenus melyſſophylli effigiem repræſentent, læuiora tamen ſunt, nec adeò rugoſa, & prope caulem latiora: quæ digitorum attritu guſtatuq; allij odorem, & ſaporem reddunt. Caulem profert bicubitalem, rotundumq;: flores albos, & ſemen nigrum, minutumq;, irionis modo tenuibus ſiliquis incluſum. Radix, quæ longuſcula eſt, eundem cum folijs odorem retinet. Vis plantæ huic calfactoria & deſiccatoria, verùm non adeò vehemens eſt, vt in allio: aperit, incidit, digerit, prouocat. Attamen hinc certo colligi poteſt, quòd ea craſſos humores extenuare, & lentos incidere valeat. Semen emplaſtri modo impoſitum, vuluæque admotum, mulieres vteri ſtrangulatu oppreſſas liberat, & excitat. Quæ planta σκόρδιον Græcè, Scordium ſimiliter, & Triſſago paluſtris Latinè vocatur: Arabicè, Scordeon, ſeu Scordeum: Italicè, Scordio: Germanicè* Waſſerbattenig vnd Knoblauchſtraut: *Hiſpanicè, Scordio: Gallicè, Chamaraz. Alliaria, Italis Alliaria: Germanis,* Knoblochſtraut: *Gallis, Alliaire.*

Triſſago paluſtris.

Scordiũ Creticũ optimũ.

Scordii vires ex Gal.

Alliariæ herbæ mentio.

Scordium quòd aliquantum Allium redoleat Dioſcoridi: at Galeno propter acrimoniam Allio adſimilem, nomen habere videtur: quibuſdam, Crateua autore μιθριδάτιον ab inuentore dicitur. Præfert Dioſcorides cum Galeno Creticum, quod ſanè à communi (circa Montembelgardum frequens) variat, non ſolùm magnitudine, ſed maximè lanugine frequenti. I. Scordium Trago. Matth. (cui & Triſſago paluſtris) Fuch. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſ. Lac. Lob. Caſt. Lon. Tab. Cæſ. Lugd. Cam. Scordium verum, Geſ. hor. Scordium primum, Anguillaræ. II. Alliaria, dicta quód folia digitis comminuta Allium, ſeu porrum ſectiuum cum naſturtio redoleant: quod quibuſdam Thlaſpidium ſecundum Crateuæ cenſetur: alijs Alectorolophos Plinij libro 25. cap. 5. Alliaria, Trag. (cui & Thlaſpidium cornutum) Matth. Fuchſ. Dod. gal. & fol. (cui & pes aſininus) Lac. Lo. Lob. Caſt. Lugd. Cæſalp. Tab. Thal. Cam. Alliaſtrum vel Alliaris, Geſ. hor. Rima maria, Anguillaræ.

I. TVSSILAGO.



Βήχιον.

## TVSSILAGO. CAP. CIX.

TVſsilagini folia ſunt maiuſcula, quàm hederæ, ſex aut ſeptem à radice, ſubalbida à terra, ſupernè virentia, in plures angulos exeuntia. Caulis palmum altus: flos a luteus, vere prodit, quo vná cum caule confeſtim exuitur: inde nonnulli his vacare exiſtimarunt. Radix tenuis eſt, † & ſuperuacua: b naſcitur in amœnis, & riguis. Folia ex melle trita igni ſacro, & omnibus inflammationibus illitu medentur. Arida ſuffitu, ita vt fumus per infundibulum hianti ore rapiatur, hos ſanant qui c ſicca tuſsi, atque orthopnœa infeſtantur: pectoris vomicas rumpũt. Eundem effectũ præbet ſuffita radix: decocta in hydromelite, & pota, emortuos partus eijcit.

a Μεῦ ὠχρὸν i. pallidus.
b Meũ, & Catacuz. φύεται περὶ λιβάδας καὶ ἐνύδρους τόπους. i. naſcitur circa riuos, & aquoſos, locos.
c Meũ ὑποξηρᾷ. i. ſubſicca tuſsi.

Tuſſilaginis conſid.

Plinius Tuſſ. ſine flore ſcribit.

*TRia Bechij numerantur genera, quamuis Dioſcoridi vnum tantùm ſit genus. Tuſsilago Hetruſcis vulgò dicitur Farfara, & Farfarella, nomine à Romanis fortaſſe deducto: hanc enim ab ijs Farfariam vocatam fuiſſe teſtantur nomina Dioſcoridi falsò adſcripta Officinæ hos vel illos ſecutæ eam Farfaram appellant, nec non etiam Vngulam caballinam. Herba eſt vulgaris notitiæ. Caule, & flore exit adeò fugaciſsimis, vt Plinius, qui eorum tam ſubitam iacturam non animaduerterat, deceptus, Tuſsilaginem ſine caule, & ſine flore naſci memoriæ prodiderit: cum tamen ea vere primo & caulem, & florem proferat, ſed qui enati breui admodum tempore decidunt.*

qui

quæ non niſi etiam à peritis, vel ab iis, qui tunc ſeſe fortè fortuna tulerint obuiam, conſpici poßint, eoq; magis, quòd iidem caules & flos prodeant, priuſquam folia emicent. Quare ſcitè ſcripſit Dioſcorides, Tußilaginem confeſtim exui tum flore, tum caule: atque inde nonnullos his vacare exiſtimaſſe. Sed certè vel hæc non legit, vel illa nō obſeruauit Plinius, quod Tußilaginem aperto errore & caule, & flore viduam fecerit. Is Plinij error deprehenditur lib. 26. cap. 6. vbi ipſe de Tußilagine diſſerit iis verbis: Tußim ſedat Bechion quæ & Tußilago dicitur. Duo eius genera. Syluestris vbi naſcitur, ſubeſſe aquas credunt: & hoc habent ſignum aquileges. Folia ſunt maiuſcula, quàm hederæ, quinq; aut ſeptem, ſubalbida a terra, supernè pallida: ſine caule, ſine flore, ſine ſemine: radice tenui. Quidam eandem eſſe bechion, quam alio nomine chamæleucen putant. Huius arida cum radice fumus per arundinem hauſtus, aut deuoratus, veterem tußim ſanare dicitur: ſed in ſingulos hauſtus paſſum guſtandum eſt. Altera à quibuſdam ſaluia appellatur. ſimilis verbaſco: hæc Plinius. Verùm altera Tußilago, cum nulla ſit mentio à Dioſcoride, vtpote qui vno tantum eius genere contentus fuerit, mihi hactenus incomperta eſt: niſi ea fortaſſe ſit, quam aliqui herbariorum Centrum galli vocant. Porro naſcitur in Tußilaginis radice quædam ſubalbida lanugo, quæ a radicum ſegmentis prius repurgata, & deinde linteolis inuoluta, & in lixiuio parum decocta, addito ſalis nitri aliquantulo, ac demum ſole ſiccata, omnium optimus eſt fomes ad ignem è ſilice excuſſum excipiendum. Quippe adeò ignis eſt rapax, vt ſtatim primo tantùm chalybis concuſſu accendatur. Cæterùm ego plantam, quam omnes ferè, qui herbaria ſcripſerunt, perperam Petaſitem vocant, MAIOREM eſſe TVSSILAGINEM non ambigo. Namque creſcit hæc humectis, & vliginoſis locis, & præſertim propè riuos aquarum, perinde ac altera Tußilago, Caulem edit quoque, antequam folia emergant, in ipſo Veris principio, concauum, dodrantalem, pinguem, purpuraſcentem, paruis oblongiſque circundatum folijs, in cuius cacumine flores exeunt ſpicati, ex purpura albicantes, qui vnà cum caule paulò poſt flacceſcentes

Plinio Tußilago duplex.

Fomes ignis ex tuſsilag.

Tuſsilaginis maioris hiſt.

II. TVSSILAGO MAIOR.



*III. PETASITES FLORE candido.*



contabeſcunt, & in pappos diſsiliunt. Eodem ferè tempore folia è terra emergunt altera parte incana, quæ anteaquàm adoleſcant, Tußilagini anteſcriptæ ſimilia ſpectantur: atqui poſt hæc in tantam creſcunt amplitudinē, vt perſonatæ folia amplitudine ſuperent. Horū ſingula pediculo nituntur purpureo, alba lanugine obducto, qui a radice prouenit. Radicē edit longam brachij quandoq; humani craßitudine, intus candidā, materie fungoſa, amara, atq; odorata. Hanc plantā, qui putant Petaſitē eſſe, proculdubio hallucinantur, quòd Petaſites pediculū proferat cubito maiorē, craßitudine pollicis, à quo prægrãde foliū ceu fungus è ſuo medio pediculo dependeat, id quod in maiori Tußilagine haudquaquã viſitur, cùm eius foliū non in medio, vt fungus pediculū habeat, ſed perinde ac Tußilago in folij latere, quod ad radicem ſpectat. Ad hæc alia quoq; habetur planta, quæ nō ab re inter Tußilagines annumerari poteſt. Hæc folijs exit nigræ populi amplioribus ad tußilaginis figurã inclinantibus, ſed non tot prominentibus in circuitu angulis, nec à terra tam ſaturatè albicantibus. Caulem edit ſeſquidodrantalem, a quo plures oriuntur rami, in quorum ſummitate flores exeunt aurei, magni, roſarum figura. Radicem habet albam, & ſubamaram. Floret vere, Aprili præſertim menſe & Maio quoque. Naſcitur circa riuos aquarum, in conuallibus & pratis vliginoſis. Non deſunt qui hanc Caltham eſſe contendunt, quorum ſententiam non probamus. Verùm qui cenſent hanc Plinij eſſe chamæleucen, Faranum, FARFVGIVM ve cuius ipſe meminit libro 24. cap. 15. eos haud quaquam hallucinari putauerim, & huius eundem meminiſſe quoque crediderim loco ſuperius citato, vbi de Tußilagine diſſeruit. Nam cum inquit, poſtquam de Tußilagine egit: Quidam eandem eſſe Bechion, & alio nomine chamæleucem putant: iis ſanè verbis facilè quiſpiam coniectari poterit, non defuiſſe Plinij tempore, qui hanc plantam inter tußilaginis genera reponerent,

Petaſites quid.

Tuſsilago tertia, & eius hiſtor.

Chamæleuce ſeu Farfagiũ Plinii.

IV. TVSSILAGO SIVE Farfugium.



*V. CALTHA PALVSTRIS flore pleno.*



*rent, quòd ambas viribus pares noſcerent. Nam Plinio Chamæleuce, ſiue Farfugium veterem tuſſim perbellè curat, ſi radix cupreſſi carbonibus impoſitæ fumus per infundibulum imbibatur. Vbi vulgaris, ac vera Tuſſilago non fuerit ad manum, Farfugium eius loco bellè ſubſtitui poteſt: nam ijs ferè viribus præſtat. Maioris tuſſilaginis radix excalfacit, & attenuat, incidit, quinetiam abſtergit, vt eius euidens indicat amaritudo. Conſtat autem multorum quoque experimentis, præſtare hanc contra peſtilentiam, & peſtilentes febres, vbi in puluerem contrita radix duarum drachmarum pondere ex vino propinetur, & deinde ſudare cogantur ægri: quamobrem Germanis peſtilentiæ radix appellatur. Præſtat eadem ad vteri præfocationes, & cruciatus, eodem modo ſumpta. Propinatur item veterinarijs, & paſtoribus, contra quadrupedum vermes, ſed peculiariter equis qui anhelandi difficultate laborant. Reliqua cum Tuſſilagine communia habet.*

Tuſsilag. maioris vires.

Tuſsilaginis vires ex Gal.

*Tuſſilaginis facultates poſteritatis memoriæ tradidit Galenus li. 6. ſimpl. medic. ſic inquiens: Bechium ideo ſic nuncupatum eſt, quod βῆχα, hoc eſt, tuſſes, & orthopnœas iuuare creditum ſit, ſi quis videlicet folia arida ſumens, aut radicem in prunis accẽdens, aſcendentem inde fumum inſpiratu attrahat. Eſt autem modicè acris, vt ſine moleſtia noxave omnes thoracis abſceſſus credita ſit rumpere. Sanè folia virentia partes cruda inflammatione obſeſſas illitu extrinſecus adiuuant, propter aqueæ humiditatis admiſtionem: qua omnia viridia, teneraq; participant, alia plus, alia minus. Nam ſicca Bechij folia acriora ſunt, quam vt partibus inflammatione laborantibus conueniant.*

Nomina.

*Quæ planta βήχιον Græcis, Tuſſilago Latinis vocatur. Officinis Farfara, & Vngula caballina. Italis, Farfara, Farfarella, & Vnghia di cauallo: Germanis, Roßhueb / vnd Brandlattich. Hiſpanis, Vnha de aſno, Gallis, Pas de aſne, ſiue Tacconnet. Tuſſilago maior Græcis βήχιον μέγα: Italis, Farfara maggiore. Germanis, Peſtilenzwurtz. At Tuſſilago altera, ſiue Farfugium, aut Farranum, aut Chameleuce: Italis, Farfagio.*

† *Nulli dubium eſt, quin hoc loco in Dioſcoride mendum ſubſit. Quomodo enim radicem Tuſſilaginis ἄχρηστον hoc eſt, inutilem rectè vocauerit Dioſcorides, ſi paulò poſt ei nonnullos vſus tribuit? Errorem hunc à nemine interpretum, quod ſciam animaduerſum, vidit Manardus, vidit item Fuchſius, ſed vterque tamen locum inemendatum reliquit. Equidem, vt dicam quod ſentio, verbum illud vt adſcititium delẽdum eſſe puto, Oribaſij teſtimonio nixus, in cuius codice manu ſcripto illa dictio non legitur.*

Tuſsilago, quòd tuſsi medatur. I. Tuſsilago vulgaris, C.B. Cluſ. hiſt. Pann. Cam. Vngula Caballina (cui & Perſonatia) Brunſ. Trag. Tuſsilago, Matth. Fuch. Cord. in Dioſc. Geſ. hort. Lac. Anguill. Lon. Lob. Caſt. Lugd. Cæſal. (cui & Chameleuce Plinij) Thal. Bechion, Dod. gal. & fol. Cord. in hiſt. Nenufatum terreſtre Arabum. Rarius reperias folia cum floribus, communiter enim flores cum caulibus, anteaquã folia prodeant, pereunt. II. Petaſites à forma folij, quod πεταςῶδες galeri modo amplum, Petaſitidem Dioſcoridis, & Chamæleucen Plinij exiſtimamus. Petaſites flore punicante, C.B. & Thalyo, Petaſites (cui & Coſti genus, & Galerita) Trago. Fuch. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. & hiſt. Geſ. hor. Ang. Lon. Lacu. Lob. Cluſ. hiſt. Pan. Lugd. Tab. Cæſ. Cam. Tuſſilago maior, Matth. & Caſtori: Perſolata Plinij, Dalechampio. Diſtinguuntur floris colore & odore, quæ punicante & odorato mas, quæ candido & inodoro fœmina creditur: verùm Lugdunenſis candidi quoque odorati meminit. III. Petaſites flore candido, C.B. & Thalyo, non ſolùm colore differt à ſuperiore, ſed folijs maioribus, Tuſſilagini æmulis, floribus item minoribus: Petaſites: flore albo, Cam. in ſuo Matth. Petaſites fœmina flore candido, Eidem

in horto. IV. Caltha paluſtris ſimplici flore, C.B. Caltha Vergilii, Trag. Caltha paluſtris, Dod. in icon. & fol. Geſ. hor. Lob. Lugd. Tuſſilago altera, ſiue farfugium, Matth. Farfugium, Caſt. Chamæleuce, Anguill. Chelidonia paluſtris, Cord. in hiſt. Dotterblumen, Dod. gal. Epimedium, Dod. in octauo. Chryſanthemū, Lon. Malacociſſus maior dicebatur Fuchſio. Amellus Vergilii ſeu Butomon Conſtantini, Thalyo: Populago, Tab. Flore ſimplici in ſyluestribus, pleno in hortis Germaniæ habetur: in Anglia verò & plenis & odoratis ſponte prouenire volunt. V. Caltha paluſtris flore pleno, C.B. & Cam. Caltha paluſtris floribus dentis, Geſ. hor. Populago multiflora Tabernæmontano.

## Ἀρτεμισία. ARTEMISIA. CAP. CX.

ARtemiſia magna ex parte in maritimis naſcitur a abſinthii modo fruticoſa, maioribus, & pinguioribus folijs, b ramiſq;. Huius quidem genera duo. Vnum lætius, habitiuſque, foliis, virgiſq; latioribus. Alterum tenuius, flore paruo, tenui, candido, graueolente: æſtate floret. Sunt qui in mediterraneis vnicaulis nomine appellent c tenuem herbulam, ſimplici caule, & d minuto, floribus ſcatente tenuibus, flauo colore: hæc iucundiorem, quàm præcedens efflat odorem. Vtraque excalfacit, extenuat: feruefactæ conuenienter in muliebres deſeſſus adiiciuntur, ad detrahendos menſes, partus ſecundaſq;: item ad præcluſiones vuluæ & eiuſdem inflammationes: calculos comminuunt, remoratam vrinam cient: menſes pellunt pubi illitæ. Succus vuluę inditus ex myrrha eadem, quę inſeſſio trahit. Coma tribus drachmis eorundem educendorum gratia bibitur.

a Me. [illegible] ἀψινθίῳ. i. herba fruticoſa, adſimilis abſinthio.
b Deeſt in meo exempl.
c Me. λεπτόκαρφον. i. tenui ſemine.
d Me. σφόδρα μικρὸν. i. valde paruum.

## Ἀρτεμισία λεπτόφυλλος. ARTEMISIA TENVIFOLIA. CAP. CXI.

ARtemiſia tenuifolia in ſepibus, & cultis iuxta aquarum ductus naſcitur. Eius flores, & folia contrita ſampſuchi odorem reddunt. Si quis ſtomacho laborans, herbam cum amygdalino oleo bene cōtundat in malagmatis lentorem, & ſtomacho imponat, ſanitati reſtituetur. Qui neruorum quoque dolore cruciatur, ſi ſuccum eius cum oleo roſaceo miſcens illinat, ſanatur.

ARTEMISIA.



TRia à Dioſcoride recenſentur Artemiſiæ genera. Verùm priora nullis inter ſe notis certant, niſi quòd in vniuerſum altera maior eſt: altera verò minor, quæ priuatim florem gerit candidum, paruum, tenuem, ac grauiter olentem. Quæ autem tertio generi aſcribitur, herbula eſt ſimplici, tenuiq; caule, floribus plurimis referto, flauo colore. Id quod etiam confirmat Plinius lib. 25. cap. 7. ſic inquiens: Artemiſia abſinthij modo fruticoſa eſt, maioribus folijs pinguibuſq;. Ipſius duo genera: altera latioribus folijs: altera tenuioribus, & non niſi in maritimis naſcens. Sunt qui in mediterraneis eodem nomine appellent herbam ſimplici caule, minimis folijs: flores copioſi erumpentes, cùm vua matureſcit, odore non iniucundo, quam quidam botryn, alij ambroſiam vocant. Talis in Cappadocia naſcitur: hæc Plinius. Qui tametſi in prioribus Artemiſiæ generibus, nihil à Dioſcoride diſſentiat, diſsidet tamen, & errat in tertio, quòd in eius locum ambroſiam ſequēti capite ab ipſo Dioſcoride deſcriptam ſubiecerit, crediderítq; deceptus hic ambroſiam, & tertium Artemiſiæ genus, vnam & eandem eſſe plantam. Cęterùm prima duo Artemiſiæ genera Hetruſcis frequentiſsima ſunt, neque in alio inter ſe diſtant, quàm quòd in maiori omnes partes maiores ſpectētur, in minori verò minores: aliàs facie, & forma ſimilia conſtāt, quinetiam idem ſapor, & odor, eademq; facultas vtriq; ineſt. Quare equidem neſcio, qua ratione ductus Braſauolus Ferrarienſis in ſuo ſimplicium examine pro certo crediderit, eam herbam minorem eſſe Artemiſiam, quæ in Hetruriæ officinis Matricaria, & vulgò mulieribus Amarella vocatur. Sed eò magis virum hunc alioqui celebrem admirari ſubit, quòd ſcriptis tradiderit duas alias eſſe Ferrariæ Artemiſiæ ſpecies, nullis prorſus notis diſtinctas, præterquam quòd alteri vnus tantùm ſit ramus, alteri vero plures. Eius verba ſubijcere lubet. Non dubito, inquit, vt nonnulli fecere, eam quæ apud nos corrupto vocabulo Arcemiſe dicitur, ac ſi Artemiſia dictum ſit, veram Artemiſiam eſſe, quæ folia abſinthio ſimilia habet, vt Dioſcorides inquit, & eius duo genera facit, Monoclonon, & Polyclonon, id eſt vnum ramum, & plures ramos habentem. Ambas ſpecies Ferrarienſe vulgus nouit, ſi aptè diſtinguere ſciret, quoniam & ipſis indiſcriminatim vtitur. Quam nos Matricariam, & Marellam vocamus, Artemiſiæ ſpecies eſt, illa ſcilicet, quæ malè olet. Nec obſtat, quòd Ferraria duæ ſpecies Artemiſiæ ſint per vnum, & plures ramos diſtinctæ, quoniam & hæc in ſpecie eſt, quæ plures habet ramos: hæc Braſauolus. In quibus ſanè verbis eius plura, meo iudicio, deprehenduntur errata. Quorum primum illud eſt, quod non ſcripſerit Dioſcorides, alteram primi generis Artemiſiam multiplici conſtare caule: alteram verò ſimplici tantùm conſurgere, vt Braſauolus ſuo modo interpretari videtur. Sed author is duntaxat tradidit (vt etiam Plinius refert) quòd aliquis reperiuntur, qui in mediterraneis vnicaulis nomine appellent tenuem herbulam, ſimplici caule, & minuto, floribus ſcatente tenuibus, flauo colore. Verùm hæc tertio Artemiſiæ generi aſsignantur, nō autem ſecundo, vel primo, vt Braſauolus exiſtimat. Altero deinde errore notatur, quòd aſſerat Matricariam, ſiue Marellam, quam legitimum Dioſcoridis

Artemiſiæ conſideratio.
Artem. duo genera Plin.
Plinii lapſus.
Braſauolus arguitur.
Plura Braſauoli errata.

*parthenium cenſemus, eſſe graueolentem Artemiſiam. Quandoquidem minor illa, quæ Dioſcoridi ſecundo loco redditur, grauiter olens, non quidem florem profert in medio luteum, & per ambitum albis foliolis cinctum, Matricariæ vel Amarellæ modo: ſed candidum, paruum, ac tenuem. Tertius his accedit error, quòd non aſſentire videatur, duo illa Artemiſiæ genera, quæ Ferrariæ perſimilia habentur, ea eſſe, quæ a Dioſcoride primo loco repræſentata ſunt, magnitudine tantum, ac paruitate differentia. Sed cùm porrò ſeipſum hac in re deceptum deprehendiſſet Braſauolus (vt legitur in ſuo vltimo volumine Venetiis impreſſo) dum longa oratione contendit, Amarellam ſeu Matricariam inter Artemiſiæ genera reponendam eſſe, Cotulam verò fœtidam Ferrarienſibus Bruſciaculo vulgò vocatam, eſſe legitimum parthenium, adeò ſeipſum (pace eius dixerim) & ſua ſcripta confundit, vt nullo pacto (dicam liberè quod ſentio, alijs tamen iudicandum relinquo) quid is tandem decernat, percipi poſſit. Nam cùm aſſerit Amarellæ, ſiue Matricariæ ſuccum vnciarum quatuor pondere hauſtum, vtramque bilem, ac pituitam deijcere, apertè quidem fatetur hanc eſſe Parthenium, cui priuatim ea vis ineſt. Attamen paulò poſt eorum forte oblitus, argumentis quibuſdam ſatis, mea quidem ſententia, leuibus, contrà aſſeuerat, nil aliud eſſe Parthenium, quam ſuum Bruſaculum. Ruellius præterea quamuis in primis Artemiſiæ generibus plane Dioſcoridi ſubſcribat, in tertio tamen hallucinatus deprehenditur, quòd tertij generis Artemiſiam eam eſſe putet, quam alij Athanaſiam, alij Tanacetum appellant. Siquidem Tanacetum noſtrum ſtolonibus compluribus ab vna tantùm radice proſilit, craſſis, altis, ac firmis: folijs longis, amplis, crebris diuiſuris diſſectis: floribus luteis, in cauliũ cacumine gregatim emicantibus. Porrò Artemiſia, quæ tertio adſcribitur generi, tenuis herbula eſt, vno duntaxat caule, ipſoq́; minuto conſurgens. Hanc equidem (vt ingenue fatear) hactenus in Italia non inueni, neque ab aliquo inuentam vidi. Quin potius eam inuẽtu difficillimam duxerim: quippe cùm tam Dioſcorides, quàm Plinius ſatis obſcurè, perplexeq́; de ea ſcripſerint, & caulis, foliorum, florum, ſeminis, & radicis notas ſilentio inuoluerint, non modò difficillimum videtur, ſed vix etiam fieri poſſe putauerim, vt quis vnquam hanc Artemiſiam legitimè demonſtret. Neque tamen in hoc audiendus eſt Plinius, qui (vt ſuprà diximus) hanc eſſe Ambroſiam falsò memoriæ prodidit. Nam præterquam quòd rationi conſentaneum non eſt, quod Dioſcorides duobus tam propinquis capitibus vnius & eiuſdem plantæ hiſtoriam tractauerit, euidentiſſimum eſt, Ambroſiam ſequenti capite deſcriptam, huius tertiæ Artemiſiæ deſcriptioni haudquaquam reſpondere. Ad hæc non in minori, quam Braſauolus, & Ruellius, verſantur errore Monachi illi reuerendi, qui in Meſuem commentati ſunt, quippe qui & hunc & illũ ſecuti, duplici hallucinatione ſcriptis tradiderint, Matricariam vulgò vocatam omnino eſſe minorem Artemiſiam, Tanacetum verò eam, quæ vnicaulis dicitur. In horum denique opinionibus, vel potius erroribus, ipſe quoque Fuchſius implicatur, vir alioqui ingenio, & eruditione præclarus, adeò vt etiam nemini dubitandum eſſe cenſeat in ſuis de ſtirpium hiſtoria cõmentarijs, quin Matricaria ſit alterum Artemiſiæ genus, Tanacetum verò tertium: qua in re is fortaſſe fuit, qui maluerit cum alijs errare, quàm ſolus rectè ſentire. Cæterùm facilè credidere nonnulli diligentiſſimi ſimplicium medicamentorum inquiſitores, ac etiam Dioſcoridis ſtudioſi, qui ſanè nulli vnquam labori pepercerunt, vt hanc medicinæ partem ſuperiori ætati obſcuram, noſtræ illuſtrem redderent, tertium Artemiſiæ genus in Dioſcoride aſcititium eſſe, quòd in huius capitis initio non tria, ſed duo tantùm eſſe Artemiſiæ genera ſcribat Dioſcorides. Quòd præterea reperiantur huius auctoris codices antiquiſſimi, in quibus illa de tertio Artemiſiæ genere non leguntur: quemadmodum etiam in noſtro ex impreſſis libro, in quem caſtigationes ex vetuſtorum exemplarium manuſcriptorum Dioſcoridis, & Oribaſii collatione excerptas collegimus: quas acceptas refero Gabrieli Falloppio Mutinenſi, medico clariſſimo, nunc Patauij ſumma cum omnium laude, & admiratione, corporis humani, & rei medicæ materiam profitenti. Cui certè ob eius ſingularem in me amorem ac liberalitatem, atque etiam in omnes humanitatem, me plus debere ſcio, quàm aut re, aut verbis reſpondere poſſim. Cùm itaque (vt eò redeam, vnde obiter digreſſus ſum) in Dioſcoride ſuſpecta ſit tertia Artemiſia, nil mirum videri debet, ſi in eius hiſtoria cæcutiuit Plinius. Neque item mirandum eſt, ſi eius non meminerunt Galenus, & Paulus: qui tamen alioqui in ſimplicium cenſu Dioſcoridis ſcripta bona fide referre ſolent. Non deſunt inſuper doctiſſimi viri, & in plantarum hiſtoria diutius verſati, qui Artemiſiæ tenuifoliæ caput Dioſcoridi accreuiſſe, atque adulterinum eſſe cenſeant, hoc ducti argumento, quòd cùm ſuperiore capite de omni Artemiſiæ genere diſſeruiſſet Dioſcorides, abſurdum quippe eſſet, quòd ſeorſum Artemiſiæ genus aliud ſubiungeret. Addunt etiam, quòd huius Artemiſiæ inter ſimplicia nuſquam meminerint Paulus, Oribaſius & Serapio: qui tamen (vt paulò antè dixi) illa ex Dioſcoride tranſcribunt. Horum ſententiam etſi planè probandam exiſtimem, cùm tamen vulgati Græci codices hoc loco Artemiſiæ tenuifoliæ caput habeant, illudq́; à quibuſdam reddatur, nobis quoque adijciendum, eiuſq́; aliquam ſaltem mentionem faciendam duxi: præſertim quòd non deſint, qui id Artemiſiæ genus inueniri tradant. Siquidem Ruellius eſt auctor, ipſum in Gallia naſci circa riuulos, aggereſq́;, item in frumentaceis agris, atque inibi vulgò diui Ioannis herbam nominari. Verùm cùm difficillimum eſſe putem, vt hæc planta ab aliquo cognoſcatur, & legitimè demonſtretur, quòd nullis prorſus notis depingatur, neſcio equidem quomodo Ruellio viro alioqui fide digno, in hoc quis rectè adſtipulari debeat, aut meritò poſſit. Cæterùm vulgaris Artemiſia paſſim vbique prouenit, caulibus pluribus, rectis, ſeſquicubitalibus, rubentibus, rotundis, ſtriatiſq́;. Folia gerit abſinthio latiora, pinguiora, ſupina parte candicantia, ſed quæ in caule ſunt longè minora ſpectantur. Flores copioſiſſimi in caulium ramuſculis racematim exeunt, parui, piloſi, odorati, albicanteſq́;, è quibus minutum oritur ſemen. Radicem habet lignoſam, multifidamq́;, minimi digiti craſſitudine. Tota planta odore ſpirat haud ingrato. Ideoq́; non deſunt, qui placentis eam commiſceant. Eſt & altera vno tantùm caule conſtans, alteri per omnia ſimilis, præterquàm quòd omnibus ſuis partibus priori humilior, tenuiorq́; ſpectatur, quam minorem Artemiſiam appellamus. Vtriuſque recentia folia cum oleo Irino, myrrha, & ficubus trita, vtiliter mulieribus ſupponuntur ad vterinas affectiones: ſiquidem & menſes, & ſecundas euocant. Earundem radix pota adeò vterum expurgat, vt enectos quoque partus extrahat. Illinitur cum axungia ſtrumis, quæ circa ceruicem, & gulam oriuntur. Quinetiam ad ceruicis dolores efficax eſt: atqui valentius id præſtat, ſi cum belli herba in pratis naſcente imponatur. Bibitur vtiliter foliorum ſuccus, aut ipſa herba recens aduerſus epotum opium. Aridorũ foliorum farina trium drachmarum pondere ex vino pota, medicamentum eſt optimum ad coxendicum dolorem: Adalligatam Artemiſiam (vt quidam putant) qui defert viator, negant idem laſſitudinem ſentire. Suſpenſam autem ſuper limine domus veneficas prohibere incantationes. Duûm tantùm generum Artemiſiam fecit, eorumq́; vires reddidit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Duplex quidem eſt herba Artemiſia. Vtraq́; excalfacit, & modicè deſiccat: & ſunt, quòd ad calfactionem attinet, exceſſus ſecundi: quòd verò ad reſiccationem, aut primi intenſi, aut ſecundi incipientis. Sunt autem & mediocrium partium. Itaq́; ad renum calculos mediocriter commoda ſunt, & ad fomentationes vteri. Herba, quæ ἀρτεμισία Græcis, Artemiſia item Latinis, pariter & Italis dicitur: Germ.* Beyfuſs/ & Sant Johanns Gurtel: *Hiſpanis, Artemiſia: Gallis, Armoiſe.*

Ruellii hallucinatio Tanacetum Artemiſiam ſtatuentis.

Monachorũ & Fuchſii error, Matricariam Artemiſiam ſtatuentium.

Artemiſia tenuifolia Dioſcoridi adulterina.

S. Iohannis herba.

Artemiſię hiſtoria.

Artemiſia altera.

Artem. vires.

Artemiſiæ vires ex Gal.

Nomina.

Artemiſia

Artemiſia, ab Artemiſia Mauſoli Cariæ Regis vxore dicta, cum antea παρθενὶς, id eſt, virginalis diceretur, quare Apuleio etiam παρθένιον, quę colore caulis & floris variat: in altera enim caulis cum flore rubēt, quæ etiam præfertur: in altera, caulis viridis, aut ſubpallēs, flore flauo, cuius nomine aliqui inutiliter duas figuras proponunt. Dicitur Artemiſia vulgaris maior, C.B. Artemiſia & Parthenii octaua ſpecies, Brunf. Artemiſia, Trag. (alia purpureo, alia viridi caule) Matth. Lac. Lob. (cui & Mater herbarum Caſt. qui ſecutus Matthiolum maiorem facit & minorem, quæ vnum caulem proferat, in reliquis cum maiore, niſi quod omnia ſint minora, conueniat) Cam. Artemiſia latifolia, Fuch. & Lon. qui eam quæ caule eſt albo, tenuifoliam nominat: Artemiſia latioris folii, Dod. fol. Artemiſia communis rubra & alba, Dod. gal. Artemiſia rubente & candicante caule, Cor. in Dioſc. Artemiſia maior caulibus purpureis & ſpadiceis, Cor. in hiſt. Artemiſia frutice candido, alia rubicundo, Geſ. hor. Artemiſia prima vulgaris, Lugd. Artemiſia rubra & alba, Tab. Artemiſia vulgaris candida & rubra, Thalyo. Sub Artemiſiæ radice pridie feſti S. Iohannis in ipſa meridie, ſunt qui carbones colligant (quos vidimus) verùm prius & poſterius multos aut minutiſſimos reperiri aiunt, quos Epilepſiæ amuletum faciunt.

## Ἀμβροσία. AMBROSIA. CAP. CXII.

AMbroſia puſillus frutex eſt, ramoſus, trium palmorum altitudine: foliis rutę, circa imum caulem exiguis: cauliculi ſeminibus, perinde quaſi racemulis grauidi, qui nunquam florem pariunt, odore vinoſo, ſuaui: radice tenui, ſeſquipedali. Coronantur ea Cappadoces. Vis eius reprimere, ac repellere, & illita adſtringere humores, qui in aliquam partem incumbunt.

I. AMBROSIA.



II. AMBROSIA ALTERA.



Ambroſiæ conſideratio.

*ETſi planta, quam hic primo ſtatim loco appinximus, genuinam referat ambroſiam, adeò vt nihil in ea deſiderari poſſit, non dicam tamen alteram, quam antea pro Ambroſia oſtendimus, Ambroſiam, aut plantam illi congenerem non eſſe, cum & ipſa notis ferè omnibus Ambroſiam referat. Quamobrem, haud fortaſſe aberraret, qui dixerit, alteram marem eſſe, alteram fœminam: aut omnino congeneres eſſe plantas. Illam miſit ad me Patauio Iacobus Antonius Cortuſus rei plantariæ acerrimus indagator. Prouenit in montibus & collibus, amœnis locis. Hanc ego mihi comparaui.* 

Ambroſia altera.

*Etſi in noſtris illis commentariis, quos primùm ſuperioribus annis Italica lingua conſcriptos edideram, ingenuè confeſſus eſſem, me nunquam vidiſſe Ambroſiam in Italia, poſtea tamen ea variis in locis ſe mihi obtulit inſpiciendam, præſertimque ſecus mœnia arcis Vipaci (locus enim is diſtat à Goritia circiter viginti millia paſſuum) inter duriſſimos lapides orta. Cui cùm inibi extempore obuiam factus eſſem, eamque conſpexiſſem, botryos modo, racemoſo ſemine refertam, ſtatim inclinauit animus, vt certò ducerem hanc eſſe Ambroſiam. Ea quamuis à Dioſcoride, & Galeno non aliis repræſentetur viribus, quàm vt reprimere, repellere, & illitu adſtringere valeat humores, qui in aliquam partem decumbunt, dixere tamen non poetæ ſolùm, ſed plantarum quoque ſcriptores non contemnendi, nulla alia de cauſa præſtantiſſimam hanc plantam a veteribus Ambroſiam fuiſſe vocatam, quàm quòd ſuo in cibis vſu longæuos faciat homines, quemadmodum ambroſiam illam, quæ Deorum fertur cibus, Deos immortales, perpetuoſque conſeruare fabulantur.*

Ex Plinio.

*Ambroſiæ meminit Plinius libro 27. capit. 4. vbi eam iis verbis depinxit: Ambroſia vagino-*

*gi nominis eſt, & circa alias herbas fluctuans, fruticem vnum habens denſum, ramoſum, tenuem, trium ferè palmorum, tertia parte radice breuiore, folijs rutæ circa imum caulem. In ramulis ſemen eſt vuis dependentibus, odore vinoſo, quare botrys à quibuſdam vocatur, ab alijs artemiſia. Coronantur illa Cappadoces. Vſus eius ad ea, quæ diſcuti opus ſit, ſcribit Plinius. Ambroſiæ quoque facultates, ſed quàm breuiſſime, tradidit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Ambroſia cataplaſmate impoſita vim habet adſtringentem, ac repellentem. Ea vt Græcè Ἀμβροσία, ita etiam Latinè, & Italicè, Ambroſia nominatur.*

Ambroſiæ vires ex Gal. Nomina.

Ambroſia veteribus Græcis τὸ τῶν θεῶν βρῶμα, id eſt Deorum cibus, dicitur. **I. Ambroſia ſylueſtris, C. B.** Ambroſia, Matth. Ambroſia ſpontanea ſtrigoſior, Lob. Ambroſia prima, Lug. Pſeudoambroſia Cam. ad Matth. cui & Naſturtium verrucarium: Coronopus Ruellii, Dod. gal. Geſ. hor. Lugd. Coronopus repens Ruellii, Lob. Lac. Coronopus repens, Lugd. Tab. Cornu cerui alterum repens, Dod. fol. Caraca Cæſalpino. II. Quæ pro Ambroſia altera hoc loci ponitur, in ſecunda editione Matthioli pro Ambroſia ponitur: vocamus Abrotanum campeſtre tenuifolium. Ambroſia altera, Matth. Lugd. Cam. Ambroſia, Lac. Lon. Caſt. Ambroſia tenuifolia, Lob. Abrotanum campeſtre, Trag. (cui & ſylueſtre) Tab. Artemiſia leptophyllos Geſn. hor. Artemiſia tenuifolia Dod. fol. Thal. Artemiſia tenuifolia 2. Cluſ. hiſt. Hiſp. Artemiſia tertia Dioſcoridis leptophyllos, Aduerſ. Lob. Artemiſia tertia leptophyllos, Lugd. Hæc variat cauliculis albicantibus & rubentibus.

## Βότρυς. BOTRYS. CAP. CXIII.



a Meū. διακεχυμένη, πολλὰς ἔχουσα μασχάλας. i. diffuſa, multas habēs alas.
b φύεται δὲ μάλιστα περὶ χαράδρας καὶ χειμάῤῥους. i. Naſcitur vt plurimum circa foſſas, & torrentes.
c Meum add. σὺν οἴνῳ. i. cum vino.

Botrys fruticoſa herba eſt, lutea tota, & a in multas alas ſparſa: ſemen circa totos ramulos prouenit: folia cichorio ſimilia: tota ſuauem odorē ſpirat, quare veſtimentis interponitur. b Inuenitur in torrentium ripis, & conuallibus. Pota c orthopnœas mulcet. Hanc Cappadoces Ambroſiam vocant, alij Artemiſiam.

Botryos conſideratio.

*Legitima, & vera Botrys ſabuloſis & aridis gaudet, quin & glareoſis fluuiorum alueis. Ideoq; Tridenti frequentiſſima naſcitur ſecus Ferſinam, & Laniſium rapidiſſimos torrentes, & in alijs quàm plurimis locis. Goritiæ mulieres Botryn in hortis ſerunt, quòd eam vteri affectibus opitulari exiſtiment. Fruticat hæc folijs cichorij, laciniatis, ſinuoſiſque quercuum foliorum ſimilitudine: ramis numeroſis, tenuibus, ſemine copioſiſſimo, racemoſoq; refertis. Planta tota rufeſcit & ſucco quodam reſinoſo madet, adeò vt comprehenſa reſinæ modo manibus hæreat. Odorem quidem acrem ſpirat, & qui nares graueolentia quodāmodo feriat, ſed tamen ſuauitatem retinet. Plinius videtur ex Dioſcoride Botryn reddidiſſe lib. 27. cap. 8. vbi eam in hunc modum deſcripſit: Botrys fruticoſa herba eſt, luteis ramulis: ſemen circa totam naſcitur. folia cichorio ſimilia. Inuenitur in torrentium ripis. Medetur orthopnoicis: hactenus Plinius. Botrys itaque excalfacit, & ſiccat, attenuat, incidit, abſtergit, expurgat, & aperit, & craſſa excrementa expectorat. Præſtat eadem ad omnes pectoris, & thoracis affectus pituitoſos, quinimmo & ſuppuratos adiuuat, quinetiam aſthmaticos, & ſuſpirioſos, tum herba ipſa ex decocto dulcis radicis pota, tum ipſius herbæ tātùm decoctum pluribus diebus hauſtum, addito violaceo melle, aut ſaccharo. Purulenta expuentibus mirificè auxiliatur: id quod ego atteſtari poſſum. Herba ipſa recens facit quoque ad vteri dolores, ſi in calenti tegula Cretico vino irrorata calefiat, & ventri imponatur. Ideoq; eadem vnà cum parthenio, & anthemidis floribus puerperarum à partu cruciatibus auxiliatur, vbi ſimul omnia conciſa in oleo lilino in patella parumper coquantur, & deinde ouis gallinaceis excipiantur, & ſimul miſceantur, coquanturq; quouſq; placentæ formam referant, & calida ventri ſuperponantur. Eſt enim hoc præſentaneum auxilium. Suffiuntur eiuſdem herbæ vapore vtiliter fœminæ ad menſes ciendos, & emortuos fœtus eijciendos. Herba ipſa arida veſtibus interpoſita non ſolùm eas à tineis & blattis tuetur, ſed odoratas quoque reddit. Cæterùm huius herbæ, quod equidem legerim, non meminit Galenus in ſimplicium medicamentorum cenſu. Eius tamen facultates ex Dioſcoride retulit Plinius lib. 7. vbi ſic inquit: Botrys, quam aliqui Ambroſiam, alij Artemiſiam vocant, plāta eſt admodum odorata. Hæc cum vino pota nō niſi recta ceruice ſpirantibus, quos orthopnoicos appellant, auxiliatur. Ea Græcis βότρυς, Latinis item Botrys dicitur: Italis, Botri: Germanis, Trauben kraut, & Krotten kraut: Gallis, Pijment, Migraine, Millegraine, ſeu Patience.*

Botryos vires Matth.

Botryos vires ex Paulo. Nomina.

Botrys, quod racematim ſemen ramulis adnaſcatur: quam cum Artemiſia lib. 25. cap. 7. Plinius confundit. Botrys ambroſioides, C. B. Botrys, Trago, Matt. Fuch. Dod. gal. & fol. Lac. Cord. hiſt. Geſ. hor. Lon. Lob. Caſt. Lugd. Cæſ. Tab. Cam. Botrys altera Ambroſiæ ſpecies, cuius ſemen Amomum Officinarum quibuſdam, Cordo in Dioſcoridem.

## Γεράνιον GERANIVM. CAP. CXIIII.

GEranium folijs anemones, diuiſuris longioribus: radice ª ſubrotũda, cum eſtur dulci. Quæ drachmæ pondere in vino pota vuluæ inflationes diſcutit. ᵇ Geranium alterum caulibus ᶜ minutis, & piloſis, ſeſquipedalibus: folijs maluæ, in ſummis alis ſurſum ſpectantia gruum capitula inſunt, cum ſuis roſtris, aut canini dentes. Nullius in medicina vſus.

ª Me. & Orl. σρογγύλη. i. otunda.
b Μεῦ καλῦται ἢ ὑπ' ἐνίων καὶ ἕτερον γεράνιον. i. appellatur & alterum Geranium.
c Μεῦ λεπτά. i. tenuia.

I. GERANIVM PRIMVM.



*SEx Geranij genera nobis reperta ſunt, vt inferius patebit. Duo tantum genera à Dioſcoride traduntur. Verùm Latini, Plinio authore, tertium genus addere videntur, quòd alterum quidem eorum à Græcorum deſcriptione differat. Id quod ipſe Plinius apertè teſtatur lib. 26. cap. 11. vbi de Geraniis diſſerit ijs verbis: Geranion aliqui myrrhim, alij mirthida appellant. Similis eſt cicutæ, folijs minutioribus, & caule breuiori, rotundo, ſaporis, & odoris iucundi. Noſtri ſic eam tradunt. Græci folijs candidioribus, paulò quàm maluæ minoribus: caulibus tenuioribus, piloſis, ramoſam ex interuallis, binûm palmorum, & in ijs folijs, inter quæ in cacuminibus capitula ſunt gruum. Alterum genus folijs anemones, diuiſuris longioribus: radice mali modo rotunda, dulci: hæc Plinius. Ex quibus facilè colligi poteſt, tria eſſe Geranij genera, Romanis vnum, Græcis verò duo: quæ omnia paſſim ferè viſuntur in campeſtribus, ſecus vias, & iuxta ſepes. Porrò non deſunt, qui putent eam herbam, quam ſcribit Plinius Geranium à Latinis vocari, à Dioſcoridis myrrhide non differre. Ipſe tamen non dubitandum exiſtimo, quin hæc illa ſit herba, quam quidam Roſtrum tum gruis, tum ciconiæ appellant, quidam verò Acum muſcatam, eo quòd (vt Plinius inquit) odorem iucundum ſpiret. Namque aſſurgit hæc folijs cicutæ, minoribus tamen diuiſuris: caule breui, ac rotundo: ſemine gruum capitulis contento, à quibus Geranij nomen omnibus inditum eſt. Cæterùm Geranium, quod Dioſcoridi ſecundo loco proditur, caulibus minutis, piloſis, ſeſquipedalibus, folijs maluæ, in ſummis alis gruum capitula gerens ſurſum ſpectantia cum ſuis roſtris, nunquam du-*

Geranii conſideratio ex Plinio.

Geranium Plinii ſeu Acus muſcata.

*II. GERANIVM TVBEROſum maius.*



III. GERANIVM II.



*bitauerim*

IV. GERANIVM III.



*V. GERANIVM CICVTÆ folio.*



*VI. GERANIVM CICVTÆ folio ſupinum.*



bitauerim eam eſſe herbam, quæ Pes columbinus vulgò nominatur, quòd nullis prorſus reclamantibus notis hæc illi reſpondeat. Alterum verò, primo ſcilicet loco deſcriptum, & in Ananiæ vallis agro, & vbique ferè locorum paſſim prouenit, folijs anemones modo laciniatis: floribus in purpura albicantibus, è quibus gruum capitula prodeunt: radice alba, ferè rotunda, ac dulci.

Geranium alterum.

Quapropter Ruellium hallucinatum crediderim, quòd Acum muſcatam dictã, quam ipſe herbarios etiam Acum paſtoris appellari ait, primi generis Geranium Dioſcoridi eſſe opinetur. Quandoquidem Acus muſcata radice non nititur rotunda, ac dulci, nec folijs viſitur Anemones similis: ſed eam planè repræſentat, quam Plinij teſtimonio, Latini Geranium vocant.

Ruellii erratum.

Præterea aduerſus Hermolaum eos reprehendit Ruellius, qui putant ſecundum Dioſcoridis Geranium eam eſſe herbam, quam quidam à rubro foliorum colore Rubertam appellant. Sed ipſe mihi magis reprehendendus videtur, quòd crediderit Rubertam eſſe legitimam Myrrhim. De Ruberta autem, vt dicam quod ſentio, eam quidem illud Geranij genus eſſe arbitror, quod Plinius ad Latinos retulit, cum ipſa tota illi ſit ſimilis, odorem iucundum reddat, flores proferat ſubpurpureos, & gruinis capitulis ſcateat, reliquorũ Geraniorum more. Verùm hanc non ita myrrhidem referre comperio, vt Ruellius exiſtimat. Siquidem Myrrhim folijs admodum rubentibus, & gruino capite naſci, nec Dioſcorides, nec alij quod legerim, memoriæ prodiderunt. Myrrhis enim folio eſt cicutæ: radice rotunda, molli, cibis non inſuaui: at his omnibus Ruberta caret, vt libro quarto clarius patebit.

Ruberta.

Hermolai lapſus, Geraniũ Myrrhim cenſentis.

Porro tamen Hermolaus ab errore, quantum reor, vindicari non poteſt, quòd ſcripſerit, Geranium id eſſe Latinis, quod Dioſcoridi Myrrhis, Plinij fortaſſe lectione deceptus, qui loco ſupra citato Latinis vocatum Geranium à quibuſdam Myrrhim appellari ſcriptum reliquit, quanquam legitimæ Myrrhidis hiſtoriam tradidit lib. 24. cap. 16. Nec ſanè mirum eſt, Plinium ſcripſiſſe Geranium aliquibus vocari Myrrhim, cùm etiam è Græcis fuerint, qui Geranium, quod ſecundo generi adſcribitur, Myrrhim appellauerint, vt videre eſt in ijs Dioſcoridis exemplaribus, in quibus cuiuſque capituli initio innumera plantarum nomina leguntur.

Braſauoli error negantis Pedem Columbinũ eſſe Geranium.

Fallitur quoque hac in hiſtoria Braſauolus, aſſerens nullo modo ijs eſſe adſtipulandum, qui Pedem columbinum vocatum Geranium eſſe contendunt, quòd Geranium foliis exeat maioribus anemones inciſuris. Sed is, meo quidem iudicio, ignoraſſe videtur, quod ſecundum Geranij genus, non autem primo generi à Dioſcoride aſſignatum, eſt illud, quod Pes columbinus cenſetur. Vel fortaſſe dum hæc ſcriberet, alterum Geranij genus non animaduertit in Dioſcoride,

quod tunc

quod tum lectionis impatiens, totum illius caput non perlegerit. Aliam ab his Geranij plantam vidimus in pluribus hortis, ac vidimus ſatam, foliis rotundis, ſecundi Geranij modo per ambitum laciniatis, maluam magnitudine æquantibus, ſiliqua gruinis capitulis ſimili. Hanc Herbariorum nonnulli Momordicam nuncupant, quemadmodum & Balſaminam, alij eodem nomine vocant: eamq́; cæteris præferunt in potionibus ad interna vulnera glutinanda. Hæc, mea quidem ſententia, magis reſpondet alteri Dioſcoridis Geranio, vt quæ foliis ad maluam propius accedat: quare & hanc magis eandem eſſe cũ illo putauerim. Veruntamen haud eam inficias quin Pes columbinus dictus idem ſit Geranium: ſed eum quis rectius fortè Geranium minus dixerit.

Momordica.

Geranii primi Dioſc. hiſtoria.

Primum itaque Geranium Dioſcoridi deſcriptum, folia gerit anemones, longioribus tamen diuiſuris, in vnoquoque folio ſenis. Caulem mittit ab ipſa radice rectum, tenuem, geniculatumq́;. Flores e geniculis in caule prodeunt punicei vnà cum foliis, roſarum ſylueſtrium ferè figura, ſed longè minores, & quinque tãtùm folijs reſecti: è quibus roſtelli oriuntur inferna parte lunati. Radice nititur rotunda, nuce pontica maiore, ſubnigricante, & dulci ſapore prædita. Naſcitur in incultis locis: copioſum in Dalmatia prouenit, nam inde allatam plantam ad me miſit Vlyxes Aldrouãdus Medicus apprimè eruditus & Medicæ materiæ indagator non poſtremus.

Geranii ſecũdi hiſtor.

Secundum foliis eſt maluæ minoribus: pediculis tenuibus, longis, & ſubrubentibus appenſis: caulibus gracilibus, flexilibus ac rotundis: floribus puniceis, e quibus acuminati apices oriuntur, gruinis capitibus ſimiles. Radicem habet tenuem, palmarem & filoſam. Naſcitur ſecus itinera, locis incultis, & etiam in hortis.

Geranium tertium.

Tertium cuius meminit Plinius, foliis viret Cicutæ minoribus, ſeu Myrrhidis proximis, minus tamen laciniatis, humi accubantibus, quæ ſeneſcentia rubeſcunt. Caules habet breues, rotũdos, piloſos, rubenteſq́;: in quorũ ſummitatibus flores ſpectãtur purpurei, punicei, parui, ſtellæ figura, è quibus acuti oriũtur apices gruinis roſtris ſimiles, ſurſum ſpectantibus capitulis balauſtij effigie. Radice nititur candida tereti ac dulci, vegetiori quàm altera. Naſcitur in ruderibus, circa ſepes, ſecus itinera, & ſaxoſo & extenuato ſolo.

Geranium quartum.

Cæterùm præter hæc alia tria ſunt quoque Geranij genera, quorum primum quod copioſum in pratis in Germania & Bohemia prouenit, foliis habetur cæteris grandioribus, ranunculi æmulis, octonis circumquaq́; diuiſuris, numeroſis, humi accubantibus, prælongis ac firmioribus pediculis nitẽtibus: caules edit pinguiuſculos, & articulatos, ramis copioſis, in quorum cacuminibus flores emicant cæterorum maiores, in gyrum ſeſe pandentes roſarum modo, colore cæruleo ad purpuram violaceam inclinante. Quibus decidentibus, gruina, vt in cæteris, prodeunt capita, maiora quàm in cæteris generibus, prono in ſummitate roſtro, triplici apice, in coronæ modum reſciſſo. Radicem quoque cæteris longiorem habet, craſſiorem, robuſtioremq́;, multifidam, colore ruſeſcente, & lignoſa intus matrice. Vulneraria eſt herba, & præſertim radix tam in potionibus addita, quàm exterius admota.

Geranium quintum.

Secundum folia gerit pentaphylli modo diuiſa, magis tamen per ambitum laciniata, ſubhirſuta, & prælongis pediculis, ipſiſq́; piloſis nitentia. Caules habet palmares, tenues, lanuginoſos. Flores ex purpura ruſeſcentes, è quibus paruæ acutæq́; oriuntur ſiliquulæ, hirſutæ ac ſubaſperæ, in quibus ſemen cõcluditur. Radicem habet palmarem, ſed tenuem. Naſcitur arido ſolo. Germanorum medici hanc tritam recentemq́; peculiariter commendant ad Eryſipelas, ad inflammationes mammillarum, & oris, & pudendorum vlcera.

Geranium ſextum.

Tertium, quod ad me Verona miſit Franciſcus Calzolarius, folia profert Althææ proxima: caules plures lentos, geniculatos, hirſutos: flores paruos rubentes, balauſtij ſiue Cytini figura: è quibus gruina prodeunt capita, roſtro vt in cæte-

VII. GERANIVM IV.



VIII. GERANIVM V.



ris acuminato. Radix illi eſt ſeſquidodrantalis, digiti craſſitudine, quæ humotenus rubeſcit. Naſcitur in montibus, & præſertim in Baldo monte in agro Veronenſi. Viribus præſtat vulnerariis, & ijs omnibus, quibus & cætera genera.

Geranii vires ex Plin.

Primi Geranij radix (vt Plinius eſt author) reficientibus ſe ab imbecillitate vtiliſſima eſt. Radix drachmæ pondere in vino pota, vuluæ inflationes diſcutit. Bibitur contra phthiſim drachma in vini cyathis tribus, bis die: item contra inflationes: quæ & cruda idem præſtat. Succus radicis auribus medetur. Opiſthotonicis ſemen drachmis quatuor cum pipere, & myrrha potum auxiliatur.

IX. GERANIVM VI.



*liatur. Secũdum verò Geranium etſi nullius eſſe in medicina vſus ſcriptis tradiderit Dioſc. non deſunt tamen hodie herbarij, [chirurgi] qui in internis vulneribus glutinãdis, & fiſtulis ſanandis ipſum in potionibus ſumptum mirificè cõmendent: quinetiam radicibus & foliis ad recentia vulnera & vlcera ſananda vtantur. Fotu quoque vſurpantur ad articulorum dolores. Sed equidem vereor, ne hi decipiantur, Serapionis interpretem ſecuti, qui Amomum Pedem columbinum appellauit: quippe quoniam propria ſit Amomi facultas internis corporum vulneribus mederi. Tertium iiſdem cum ſecũdo genere viribus pollet. Geranij non reperio meminiſſe Galenum in ſimpl. med. libris. Eius quidem meminit Paulus, ſed ea tantùm de Geranijs poſteritatũ memoriæ mandauit, quæ ex ipſo Dioſcoride ſumpſit.*

Nomina. *Quod Græci γεράνιον, Latini ſimiliter Geranium vocant: Itali, Geranio: Germani, Storcken ſchnabel: Hiſpani, Pico de cinguenha: Galli, Bec de cigoigne, bec de Grue, aut Herbe Robert.*

Geranium à gruini capitis imagine in ſummo eius cacumine viſenda, nomen habet: recentioribus à Ciconiæ roſtri effigie, Roſtrũ Ciconiæ, dicitur. Prima & ſecũda figura eſt Geranii bulboſi, ſed prima id proponit, vt Matthiolus, Caſtor, Lug. Geranii primi & Taber. Geranii bulboſi nomine expreſſere: altera verior eſt. II. Geranium tuberoſum maius, C.B. & Cam. Geranium ſubrotunda radice Dioſc. Geſ. hor. Geranium bulboſum, Lob. Geranium tuberoſum, Dod. fol. Lug. Tab. III. Geranium folio maluæ ſeu alterum Dioſcor. C.B. Geranium ſecundum, Brunf. Matt. in poſterioribus edit. in prioribus tertium eſt, Lon. Caſt. Thal. Geranium alterũ, Trag. Fuch. Dod. gal. Lac. Lug. Geranii ſpecies vulgaris, Geſ. hor. Pes colũbinus, Lob. Cæſ. Geranium columbinũ, Tab. Geranium maluaceum ſiue Balſaminũ, Cam. Hoc maius eſt, foliis mollioribus: eſt minus, foliis aſperioribus fiſſuris modò profundioribus modò breuioribus. IV. Geranium Robertianum primũ, C.B. Geranium tertium, Brunf. Matth Fuch. Lac. Lon. Geranium Robertianum, Lob. Dod. fol. Tab. Cam. Geranium ſecundum Dioſcoridis, Lugd. Herba Roberti, eidem. Rubertiana vulgo, Cæſ. Sideritis tertia, Dod. gal. Geſ. hor. cui & Gratia Dei. V. Geranium Cicutæ folio, C.B. Geranium tertium, Matth. in maioribus figuris, at in prima ſecundaq; editione, pro primo ponitur. Geranium primũ & maius, Lac. Geranium ſupinum maius: Cord. hiſt. Geranium primum, Fuch. & Dod. gal. Geranium ſupinũm, Dod. fol. Geranium myrrhinum, Tab. Geranium tertium Plinii, Lugd. Geranium σκανδικόφυλλον Thal. Myrrhida Plinii, roſtrum Ciconiæ, Lob. Acus muſcata vulgò, Cæſ. Hoc enim habetur inodorum & odorum. VI. Geranium Cicutæ folio ſupinum, C.B. Huius iconem adpoſuimus, quia pro Geranio tertio Cam. in ſuo Matthiolo poſuit: Geranium 4. Brũf. Geranium minus, Trag. Tab. cui & aruenſe. Geranium ſeptimum ſiue gruinum. Dod. fol. Geranium ſupinum paruum, Cam. Myrrhida Plinii & Roſtrum Ciconiæ inodorum, vulgatum, Lob. icon. Matthiolus in magnis figuris videtur propoſuiſſe. VII. Geranium Batrachiodes, C.B. Geranium quartum, Matth. Trag. Caſt. Lugd. Geranium quintum, Fuch. Lac. Lon. Geranium batrachioides, Dodo. gal. & fol. Lob. Lug. Thal. Cam. Geranium ſanguinarium, Tab. Balſamina vulgo, Geranium Balſaminum, Cæſalpino. VIII. Geranium Robertianum ſecundum, C.B. Geranium quintum Matthiol. Geranium quartum Fuchſ. Lacun. Geranium gruinale, Dodo. gal. Geranii Robertiani alia ſpecies, Aduerſ. Gruinalis, Lug. Geranium Violaceum, Tabernæmontano. IX. Geranium folio altheæ, C.B. Geranium ſextum Matth. Caſt. Lugd. Geranium malacoides, Lob. Geranium althæodes, Cam. Geranium Monſpelianum, Tab. Geranium à Calceolario Matthiolo miſſum, Dod. fol. Pes columbinus tertius, Cæſalpin. Hoc ad ſecundum Dioſcoridis referendum, de quo Plinius ſub Geranio foliis candidioribus maluæ.

## Γναφάλιον. GNAPHALIVM. CAP. CXV.

GNaphalii foliis albis, mollibuſque aliqui pro tomento vtuntur. Bibuntur efficaciter folia in vino auſtero ad dyſenteriam.

Gnaphalii conſideratio. Ex Plinio. *GNaphalij hiſtoriam adeò paucis perſtrinxit Dioſcorides, vt nobis non modò difficilè, ſed etiam impoßibile videatur, vt quiſquam coniicere, ac decernere poßit, quænam planta ſit, quæ verum Gnaphalium repræſentet: præſertim cum antiquorum hactenus repererim neminem, qui Gnaphalij faciem longiori hiſtoria expreſſerit. Etenim Plinius eadem, quæ Dioſcorides, breuitate vſus, Gnaphalij notas reddidit libr. 27. capit. 10. Gnaphalium planta eſt incana tota, tomentoſaq; caulibus compluribus fruticans, circa quos totos folia inſunt craßiuſcula, oblonga, lanuginoſa, ac mollia: quæ verò in caulium ſummitate ſpectantur, in roſæ modum orbiculata ſunt. Radicem habet multifidam ac lignoſam. Prouenit raris in locis in Italia, & gaudet apricis & ſiticuloſis. Ad diarrhœam & cœliacas paßiones folia bibuntur. Proſunt quoque enterocelis in puluerem hauſta. Fuchſius tamen in ſuis de ſtirpium hiſtoria commentariis herbam quandam*

bam quandam pro Gnaphalio oſtendit, quam ideo fortaſſe Gnaphalium exiſtimauit, quòd incana, tomentoſaq́ conſpicatur. Sed mihi plane eam Fuchſius pro Gnaphalio depinxiſſe videtur, quam Plinius lib. 24. cap. 19. Herbam impiam vocari tradit: quæ meritò IMPIA Plinij dici poſſet, quòd eius è veteribus nemo, quantum equidem legerim, præter ipſum meminerit. De qua is diſſerens loco modo citato, eam ijs notis, & viribus deſcripſit. Herba impia vocatur incana, roriſmarini aſpectu, thyrſi modo veſtita, atque capitata. Inde alij ramuli aſſurgunt, ſua capitella gerentes. Ob id impiam appellauere, quoniam liberi ſuper parentem excellant. Alij potius ita appellatam, quòd nullum animal eam attingat, exiſtimauere. Hæc inter duos lapides trita feruet, præcipuo aduerſus anginas ſucco, lacte & vino admiſto. Mirumq́ traditur, nunquam ab eo morbo tentari, qui guſtauerint. Itaq́ & ſuibus dari, quiq́ id medicamentum noluerint haurire, eo morbo interire. Sunt qui & in auium nidis inſeri aliquid ex ea putent, atque ita nō ſtrangulari pullos auidius deuorātes: hactenus de Impia Plinius. Cæterùm quoniam Gnaphalium ob eius tomentum, illud candidiſſimum vellus, quod vulgò nos appellamus Bambagia, & alij Cotone, Latini verò XYLON, & Goſſipium, mihi in mentem redegit, à veteribus Græcis nuſquam, — Impia herba Plinii. — Xyli hiſtoria, & vires.

I. GNAPHALIVM.



*II. GNAPHALIVM VVLGARE.*



quod ſciam, deſcriptum: niſi aſſerere velimus ἐριοφόρον de qua Theophraſtus egit libro 4. cap. 9. eſſe Xylon: ideo hic de eius hiſtoria, ac viribus latius diſſerendum duxi, quàm fecerim in lini mentione, vbi eius quoque memini. De hoc itaq́ Plin. li. 19. ca. 1. ſic loquitur. Superior, inquit, pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Goſſipion vocant, plures Xylon, & ideo lina inde facta xylina. Paruulus eſt, ſimilemq́ barbatæ nuci defert fructum: cuius ex interiore bombice lanugo netur. Nec vlla ſunt ei in candore, mollitiáve præferenda. Veſtes inde ſacerdotibus Aegypti gratiſſimæ: hæc Plinius. Hac ætate Xylon ſeritur etiam in Cypro, Creta, & Sicilia inſulis, vbi copioſiſſimum prouenit: quin & in Apulia, aliiſq́ regionibus calidioribus naſcitur. Huius lanugo manifeſtè excalfacit, ac ſiccat: quæ ſi comburatur, mirum in modum manantem e vulneribus ſanguinem ſiſtit: eadem accenſa, & naribus ſuffita, vteri ſtrangulatus auertit. Seminis medulla quæ excalfacit & humectat, tuſſi & difficulter ſpirantibus auxiliatur: genitale ſemē procreat, proinde venerem ſtimulat. Oleum ex ea exprimitur, quo tum lentigines in facie, alphi tum etiam cæteræ cutis maculæ in facie optimè delentur, & palpebrarum aſperitates leniuntur. Sed vt iam Gnaphalio ſuas ex Galeno reddamus vires, eas ipſe libro 6. ſimpl. med. his verbis retulit: Gnaphalium ideò ſic nominatum eſt, quòd folijs eius mollibus ἀντὶ γναφάλων, hoc eſt, pro tomentis vtantur. Sunt autem candida, & mediocriter adſtringunt: ac proinde quidam id exhibent, ex auſterorum vinorum quopiam, dyſentericis. Herba Græcis γναφάλιον, Latinis etiam Gnaphalium appellatur: Italis, Gnafalio. — Ex Plinio. — Xyli vires Matth. — Gnaphalii vires ex Gal. — Nomina.

Gnaphalium dictum, quòd foliis ἀντὶ γναφάλυ pro tomento, vtantur. I. Gnaphalium maritimum, C.B. Gnaphalium, Matth. Lug. Gnaphalium marinum, Geſ. hor. Aduer. (cui & Cotonaria vulgi, ſiue Bōbax humilis) Lob. Dod. fol. Tab. Cam. Gnaphalium marinum tomentoſum, Lugd. Meminit Matth. Gnaphalii Fuchſii, quare & figuram eius adiecimus. Nec hoc, nec ſubſequens Matth. in prima ſecundaq; edit. habet: at in maioribus figuris vtramq; expreſſit, in poſtrema ab ipſo data edit. & in ſuo cōpendio: vulgaris figuram non habet. II. Gnaphalium vulgare, C.B. Matth. in maioribus figuris, Lob. Lugd. Tab. Thal. Impia herba Plinii, Matth. in Commentariis, Geſ. hor. Gnaphalium Fuch. Geſ. hor. Lac. Caſt. Heliochryſos ſylueſtr. Trag. Filago, Dod. gal. & fol. Tomentum, Cor. in hiſt. (cui & Centunculus) Lon. Herba impia vocatur Incana, Cæſ. III. Gnaphalium latifolium peregrinum, C.B. Ex radice prodeunt caules plures, verſus terrā primū reflexi, cubitales, etiā breuiores, ſtriati, lanugine obducti (quod ſculptor & in caule & foliis omiſit) circa quos folia oblōga anguſta ſalicis forma, ſupernè ex viridi nigricātia, prona parte incana

 in cir-

### *III. GNAPHALIVM LATIfolium peregrinum.*



in circumferentia lanuginoſa: ramuli ſinguli in ſummo brachiantur, & veluti comam florum geſtāt: flores globoſi, ex ſingulis pediculis dependent, qui ex pluribus foliolis argenteis ſibi inuicem incumbentibus conſtant, quæ cōmuniter ita reflectuntur, vt in medio ſtaminula plura ſubflaueſcentia, lanugine intermixta inſtar pappi contenta, quæ facilè in auras auolant, conſpiciātur, vt figura exprimitur, in qua tamen ſtaminula ſculptor non expreſſit. Ex nouo orbe delatum ſcribit Cluſius, cui Gnaphalium Americanum & Ἀργυροκόμη dicitur: quod in horto Illuſtriſſimi Ducis wirtembergici, quē ipſius Archiater Ioh. Bauhinus frater meus, Montembelgardi colit, legimus. Xyli figura in editionibus pleriſq; & libro 2. ca. de Lino & hoc loco habetur: verùm ſufficiat ſemel poſuiſſe, ſupra capite de Lino.

### Τύφη. TYPHA. CAP. CXVI.

Typha folium edit cyperidi ſimile: caulē albium, læuem, æquabilem: florem in cacumine ambiētem, denſum, qui in pappos ſoluitur, quod paniculam aliqui nominant. Huius herbæ flos ſuillo adipe eloto exceptus ambuſtis medetur. Gignitur in paluſtribus, & aquis ſtagnantibus.

Typhæ conſideratio.

*Typha planta eſt in Italia vulgaris, notiorq́; omnibus quàm vt eius effigies explicari debeat. Ea in paludibus, ſtagnis, & lacubus frequentiſſima prouenit, ita vt raræ admodum ſint ſtagnantes aquæ, quæ Typha non ſcateant. Claua, quam in læuiſſimo caule gerit, à noſtris Hetruſcis Mazza ſorda vulgò dicitur, quòd eius lanugo, ſi in aures decidat, ſurditatem afferat.*

Typhæ vſus.

*Expetuntur clauarum pappi infimæ gentis hominibus plumarum vice ad grabatos farciendos. Foliorum verò vſus ad conueſtienda vitrea vaſa, & ad muliebres cathedras texendas: quin & ad tegetes parandas. Typhæ pappi, additis betonicæ foliis, & gladioli, ac hippogloſſi radicibus, omnibus in puluerem tenuiſſimum redactis, & aſſatu ouorum luteis exceptis, vtūtur quidam feliciter ad enterocelas. Id autem medicamentum exhibent quotidie ieiunis drachmæ pōdere triginta dierum ſpatio: coq́; non modo pueros, adoleſcenteſq́; ſanari pollicentur, ſed etiam iuuenes iam ætate conſiſtentes: ſi tamen interim præſtanti ligatura, ac emplaſtris glutinantibus ima pubis pars probè muniatur.*

Typha Theophraſt.

*Typhæ meminiſſe Galenum in ſimp. med. cenſu, non inuenio. Eius tamen meminit Theoph. lib. 1. ca. 13. de plant. hiſt. vbi inter enodes paluſtrium locorum plantas Typham quoque recenſuit.*

Nomina.

*Ei nomen Græcum eſt τύφη: Latinum item Typha: Italicum, Mazza ſorda: Germanicum,* Moſſkolben/ *&* Narrenkolben: *Hiſpanicum, Bohordo, & Iunco amacoracado: Gallicum, Macha, & Maſſe de ionc.*

TYPHA.



Typha duplex, aquatica & cerealis: aquatica, maior, media, & minor. Typha paluſtris maior, C.B. Typha, Matth. Fuch. Lac. Lon. Lob. Caſt. Typha aquatica, Trag. Lug. Typha paluſtris, Dod. gal. & fol. Cor. in Dioſc. Cæſ. Tabernæmontano.

### Κιρκαία. CIRCÆA. CAP. CXVII.

Circæa, quam & Dircæam aliqui vocant, foliis eſt hortenſis ſolani, agnatis crebris: flore nigro, puſillo, copioſo: ſemine milii, naſcente in quibuſdam veluti corniculis: a dodrantali radice, triplici fermè, aut quadruplici, candida, b odorata, excalfaciente. Naſcitur in apricis, c ſaxis, & vento perflatis. Radicis tuſæ pondo quatuor, in ſextariis tribus vini dulcis per diem, & noctem macerantur, potúque triduò vuluas expurgant. Semen in ſorbitionibus datum lacte mammas nutricum explet.

a Mat. ῥίζαι σπιθαμιαίας γ΄. ἢ δ΄. i. radices palmi lōgitudine tres aut quatuor.
b Deeſt in meo exempl.
c μάλιστα ἐν πετρώδεσι. i. maximè in petroſis.

Circææ conſideratio.

*Haud equidem auſim affirmare, an Circæa hodie inueniri poſſit in Italia: quāuis ea antiquis fortaſſe notiſſima fuerit. Siquidem nulla hactenus ſe mihi obtulit planta, neque alys, quod ſciam, quæ Circæam repræſentaret. Cæterū credidere*

*dere nonnulli hanc ſibi Circææ nomen comparaſſe, quòd Circe venefica in ſuis ea vteretur veneficiis, vel quòd fortaſsis eius fuerit inuentrix, à Sole patre plantarum omnium genitore edocta. Quod etſi nonnullis veriſimile putetur: cùm tamen à nemine Circæam his pollere viribus proditum ſit, aliunde potius id nominis ſibi vendicaſſe exiſtimandum. Meminit Circææ Plinius lib. 27. ca. 8. vbi eam his notis, ac viribus depinxit. Circæa ſtrychno (hoc eſt, ſolano) ſatiuo ſimilis eſt: flore nigro, puſillo: paruo ſemine, vt milij, naſcente in quibuſdam corniculis: radice ſemipedali, triplici ferme, aut quadruplici, alba, odorata, guſtus calidi. Naſcitur in apricis ſaxis. Diluitur in vino, bibiturq; ad dolorem vuluæ, & vitia. Macerari oportet in ſextariis tribus quadrantem radicis tuſæ per noctem, & diem. Trahit eadem potio ſecundas. Semine lac minuit in vino, aut mulſa aqua pota. Hæc Plinius, qui illa omnia ferè ab ipſo Dioſcoride mutuatus eſt. Etſi ab eo in hoc magno, vt puto, errore diſſentiat, quod Circææ ſemen in vino, aut mulſa aqua potum lac minuere tradat, cùm potius, teſte Dioſcoride, ipſum eliciat. Qua in re Plinius non modo Dioſcoridi refragatur, ſed ipſi quoque Galeno: qui de Circææ viribus differens libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquit: Circæa herba radicem ſcribit Dioſcorides ex vino dulci potam ſecundas expurgare. Eſt enim boni odoris, & excalfactoria. Semen autem eius in ſorbitione exhibitum, ad lactis generationem conducit. Quæ Græcè κιρκαία, Latinè ſimiliter Circæa, & Italicè, Circea vocatur.*

Plinii Circæa. Plinii lapſus. Circææ vires ex Galeno. Nomina.

I. FILIPENDVLA.



## Οἰνάνθη. OENANTHE. CAP. CXVIII.

OEnanthe folia habet paſtinacæ: florem candidum: caulem craſſum, palmi altitudine: ſemen atriplicis: radicem magnam, in multa rotunda capitula extuberantem: naſcitur in petris. Huius ſemen, caulis, & folia cum mulſo vino pota, ſecundas eiiciunt. Radix è vino vrinæ ſtillicidio conuenit.

*OEnanthem, cuius hic Dioſcorides meminit, Theoph. lib. 6. cap. 7. de plant. hiſt. & Plin. libro 21. cap. 24. putant, Fuchſius, & recentiorum herbariorũ pleriq; eam eſſe herbam,* Oenanthes conſideratio.

II. OENANTHE I.



III. OENANTHE II.



**Filipendula.**

*quæ hodie paſſim* FILIPENDVLA *vocatur. Foliis eſt numeroſis ab vno pediculo vtrinq; ſeriatim dependentibus, pimpinellæ ſiue ſanguiſorbæ modo, magis tamen ſeſe ſtipantibus, oblongis & per ambitum denticulatis, caulibus ſeſquicubitalibus: in quorum faſtigio flores ſunt albi, in vmbellæ ferè ſpeciem cohærentes, atque odorati. Radices habet multifidas, funiculi modo exiles, ſed globulis numeroſis refertas, perinde ac in pæonia fœmina, ſed longè minoribus, oblongis & rariuſculis. Naſcitur in pratis & herboſis locis. Radix pota vrinæ remoratui, eiuſq; ſtillicidio auxiliatur: item renũ tum calculis, tum doloribus. Eadem ſtomachi inflationes diſcutit. Medetur ſuſpirioſis & ægrè ſpirantibus, omnibuſq; in vniuerſum morbis, quos pituita excitauerit. Radicum ſiccarum puluis, vtiliter inſpergitur comitialium cibis. Quorum certe ſententiæ quamuis virorum magnæ apud me auctoritatis, nunquam potui ſubſcribere, quòd Filipendula hæc magna nuſquam, quod inuenerim, radice nitatur, quæ rotundis extuberet capitibus: quòd ſemen non ferat atriplicis: quòd denique non in petris, ſed in pratis, & lato vbique ſolo proueniat. Quibus ſane rationibus non potui non adduci, vt apud Dioſcoridem aliam omnino à Filipendula Oenanthen ſemper eſſe crediderim. Cæterùm tria Oenanthes genera, quæ poſt Filipendulam hic expreſſimus,*

**Oenanthes tria genera à Cortuſo.**

*miſit ad me Patauio Iacobus Antonius Cortuſus Patricius Patauinus, vir vt rei plantariæ admodum peritus, ita ingenua liberalitate præditus. Quorum ſecundum foliis eſt pyrethri aut paſtinacæ ſylueſtris non abſimilibus, caule fœniculaceo, qui vmbellas in ſummitate gerat, è ramis dependentes. Radicibus per omnia filipendulæ ſimilibus. Prouenit in collibus, & locis à Sole illuſtratis. Creditur iiſdem eſſe viribus, quibus filipendulam præſtare diximus. Oenanthe tertium, folia promit Gingidij, caulem fœniculatum, ſtriatumq;, è cuius ramis vmbellæ oriuntur candidæ. Radicibus numeroſis filipendulæ ſimilibus ſed vegetioribus globulis. Naſcitur in amœnis tractibus, & in montibus. Nihil differt ſuis in viribus a præſcriptis. Oenanthe quartum, herba eſt humi ſerpens, foliis tertij ferè ſimilibus, exilioribus tamen, & magis laciniatis, caule ſinuoſo, ſtriatoq;. Capitulis in ſummitate hirſutis, in quibus ſemen. Radices mittit plures, rapunculi ferè effigie, non ſolum in vna caulis parte, ſed etiam in ramis, qui humi ſerpentes, radices quoque faciunt. Naſcitur in incultis locis. Etſi nihil certi de eius viribus nobis conſtet, putamus tamen à cæteris Filipendulis nõ multum differre. Vltimum hoc accepi a Clariſſimo Medico Bernardino*

**Oenanthe quarta à Triueſano.**

*Teruiſano, qui nunc ſimplicium medicamentorum facultatem, & vniuerſam materiam medicam, magna cum laude, in famoſiſſima Patauina Academia publicè profitetur. Quod autem tuberoſa eſt radice, pluribus ſane notis genuinam Dioſcoridis Oenanthem referre videtur: quod ſi huic caules ineſſent craſſi, aſſererem profectò legitimum eſſe Oenanthem. Cætera verò cum radicibus nituntur Filipendulæ ſimilibus, quinetiam vmbellis, non paruam cum ea habere cognationem oſtendunt. Nec interim alicui mirum eſſe debet, quòd cunctas has ſpecies ſub Oenanthes nomine appingi curauimus,*

IV. OENANTHE III.



V. OENANTHE IIII.



*ſiquidem id temere à nobis factum non eſt. Nam tametſi legitimi Oenanthes ſpecies non ſint, cùm hactenus fuerit nemo, qui has plantas proprio appellauerit nomine: non præter rationem eſſe exiſtimaui, ſi ſub Oenanthes nomenclatione, nunc primum prodirent in lucem, ad rei plantariæ ſtudioſorum commodum. Oenanthes vires, quas deſcripſerit Galenus in ſimpl. cenſu, non licuit mihi reperire. Cæterùm Filipendulam non vulgaribus pollere viribus teſtantur recentiores. Ea enim*

**Filipendulæ vires.**

*vrinæ remoratui, eiuſq; ſtillicidio auxiliatur: item renum tum calculis, tum doloribus. Eadem ſtomachi inflationes diſcutit. Medetur ſuſpirioſis, & anhelantibus, omnibuſq; in vniuerſum morbis, quos cauſa frigida excitauerit. Prodeſt comitialibus inſperſo cibis radicum puluere.*

**Nomina.**

*Planta, quæ Græcis* Οἰνάνθη, *Latinis etiam Oenanthe appellatur: Italis, Enanthe.*

Oenanthe quaſi flos vinoſus, quòd odore & quadantenus colore non ſit viti diſſimilis, in quã claſſem Filipendula refertur, ſic dicta à numeroſis illis & rotundis in radice capitibus, quæ quaſi ex filo pendere videntur.

[...]dentur. I. Filipendula vulgaris. C.B. Filipendula. Matth. Trag. Dod. gal. & fol. Cord. in hiſt. Geſ. hort. Lon. Caſt. Thal. Tab. (cui & Saxifraga rubra) Cæſal. Lugd. Oenanthe. Fuch. Cord. in Dioſc. Lac. Lob. II. Bulbocaſtanum (quod figura radicis bulbos, ſapore guſtuq; Caſtaneas ſcitè exprimat) apij folio, C.B. Oenanthe primum, Matth. Caſt. Lugd. Bunium. Dod. gal. Lac. Geſ. hort. Bulbocaſtanum, Geſ. hor. Dod. fol. Taber. Caſt. Cam. Bulbocaſtanum mas Tralliani, Lug. Bulbocaſtanum grandius, Eidem. Nucula terreſtris ſeptentrionalium, Lob. Ornithogali ſpecies, Lon. Pancaſeolus vulgo, Cæſal. III. Oenanthe apij folio, C.B. Oenanthe ſecundum, Matth. Lugd. Oenanthe anguſtifolia, Lob. Filipendula, Caſt. Filipendula tenuifolia, Tab. IV. Oenanthe Chærephylli folijs, C.B. Oenanthe tertium, Matth. Lugd. Oenanthe Cicutæ facie, Lob. Oenanthe alia Pene Lugd. Filipendulæ altera ſpecies, Geſ. hort. Filipendula tertia & Oenanthe Seſeophyllos, Tab. V. Oenanthe aquatica, C.B. Oenanthe quartum, Matth. Lugd. Oenanthe aquatica, Lob. Filipendula aquatica, Tab. Lauer minus, Dod. gal. Iuncus odoratus aquatilis, Dod. fol. Sium, ſiue Lauer minus Dodonæi, Lugd. Siſer paluſtre eidem. an Petroſelinum ſylueſtre, Cæſalpino? Hæc in hortis adoleſcat & folia terræ proxima Chærefolio ſimilia acquirit, vt figura Matthioli exprimit.

## Κόνυζα. CONYZA. CAP. CXIX.

Conyzæ duo genera: quæ parua vocatur, odore præſtantior eſt: maior verò frutice altior, & folijs latioribus, graui odore. Vtriuſque folia oliuæ ſimilia, hirſuta, pinguia: in maiore caulis binûm cubitorum altitudine attollitur, in minore pedem æquat: flos fragilis, lutei coloris, a qui in pappum abit: radices ſuperuacuæ. Suffitu, ſubſtratuque frutex totus ſerpentes fugat, culices abigit, & pulices necat. Folia conuenienter illinuntur ſerpentium plagis, & tuberculis, ac vulneribus. Flores, & folia cum vino ad menſes, partusque eijciendos bibuntur: item contra vrinæ ſtillicidia, arquatum morbum, & tormina: comitiales pota ex aceto adiuuant. Decoctum in deſeſſionibus medetur vuluæ malis. Impoſitus ſuccus abortum facit. Herba ex oleo efficaciter horroribus oblinitur. Capitis dolores tenuis illita ſanat. Eſt & tertiū Conyzæ genus, caule craſsiore, ac molliore: folijs mediæ inter maiorem, & minorem amplitudinis: minimè pinguis, multò tamen grauioris odoris, & iniucundioris, ſed inefficacior. Prouenit locis humentibus.

a Meū addit. ὑπόπικρον. i. ſubamarus.

I. CONYZA MAIOR.



II. CONYZA MINOR.



*Conyza omne genus non in Hetruria ſolùm, ſed alibi quoque paſſim ferè prouenit, nullis prorſus reclamantibus notis, quæ earum ſingulis a Dioſcoride tribuuntur. Conyza maior vulgò Pulicaria dicitur, quia ſubſtrata (vt Dioſcorides inquit) pulices necat. Qua fortaſſe ratione adductus Theodorus in Theophraſto, Conyzam Pulicariam interpretatur. Meminit autem Conyzæ Theoph. lib. 6. cap. 2. de plant. hiſt. vbi de eius generibus differit his verbis: Conyza maſcula, & fœmina conſtat. Diſtant quemadmodum cætera, quæ ſic diſcerni deſiderant. Fœmina enim tenuiori veſtitur folio, & compreſſior eſt, atque in totum minor. Mas amplior, craſſiorq; caule, atque ramoſior, & folium amplius pinguiusq; habens, necnon & flore ſplẽdidior eſt. Ambo frucitiſera ſunt, in totum ſerotina germine, floreq; conſtant: quippe cùm circa arcturum, & poſt arcturum incipiant. Mari grauior odor: fœmina acrior, ideoq; contra beſtiarum morſus commodior eſt: hæc Theophraſtus de duplici tantùm Conyzæ genere. Conyza maior naſcitur in campeſtribus, in collibus & amænis locis. Conyza minor folijs prouenit alterius anguſtioribus, frutice breuiore, pedali longitudine & odore quidem præſtantiori:*

Conyzæ conſideratio.

Conyza duplex Theophraſto.

III. CONYZA MEDIA.



*cætera verò maiori ſimilia habet. Prouenit ſecus itinera, in campeſtribus, & in amœnis. Cæterùm tertia eius ſpecies, cuius à Dioſcoride ſit mentio, inter marem & fœminam media eſt. Naſcitur hæc in Ananiæ vallis agro, & in Goritienſi comitatu copioſiſsima, quinetiam in Bohemia, Germaniaque humentibus præſertim locis, & ſecus vias, vbi ex agrorum marginibus aqueus humor ſtillicidio quodam in proximos defluit canales. Hæc autem peculiariter dyſentericos iuuat, ſi ſiccæ farina drach.* [duæ] *pondere quotidie ſumatur ex vino rubro auſtero.* Conyzæ vires ex Gal. *Conyzæ vires poſteritatis memoriæ prodidit Galenus lib. 7. ſimpl. medic. ſic inquiens: Conyza & maior, & minor adſimilis ſunt tum temperaturæ, tum facultatis: guſtui amaræ, & acres apparent. Excalfaciuntq́; admodum luculenter, ſiue quis folia læuigata cum teneris ramulis (eſt enim fruticoſa planta) parti cuipiam illinat, ſiue vbi in oleo coxerit, eo vtatur. Siquidem concuſsiones, ſiue rigores per circuitum redeuntes, tale ſanare oleum videtur. Flores quoque eorum adſimilis ſunt facultatis. Itaque quidam, & ipſos cum folijs tritos in vino bibendos exhibent ad menſes fortiter ducendos, ciendumq́; fœtum. Eſt & tertium Conyzæ genus, in locis humidioribus proueniens, vtriſq́; illis tum graueolentius, tum imbecillius. Sed prima memoratæ tertij ſunt ordinis in excalfaciendo, & exiccando.* Nomina. *Κονύζα ſic Græcè, vt etiam Conyza Latinè dicitur: Italicè Conyza, & Pulicaria: Germanicè,* Groſſe Müntz vnd Dürrwurtz: *Hiſpanicè, Attadegua: Gallis, Herba aux puces.*

Conyza, fortè dicta, quod *κώνωπας* ſeu Culices, ſuo lentore capiat, Gaza Pulicariam vertit. I. Conyza maior vulg. C.B. Conyza maior, Matt. Tra. Do. ga. Geſ. hot. La. Lõ. Clu. hiſt. Hiſp. Caſt. Lug. Conyza helenitis, Cord. in hiſt. Tha. Conyza maior altera, Do. fo. Baccharis Lõ. Ta. Baccharis Mõſpelienſiũ, Geſ. hor. Lob. Lug. Cam. Hanc cenſemus prius à Matthiolo pro Bacchari exhibitam. II. Conyza minor flore globoſo, C.B. Conyza minor, Trago, Matth. Dod. gal. Lac. Lon. (cui Conyza fœmina) Caſt. Lugd. Tab. Conyza minima, Lob. Dod. fol. Lugd. Thal. Pſyllij nomine poſita apud Cordum in ſuâ hiſtoria, vbi tamen Pſyllium deſcribit. III. Conyza media aſteris flore, ſeu Cunilæ tertium genus, Cunilago, C. B. Conyza media, Matth. Dod. gal. & fr. Lacu. Lon. Lob. Lugd. Conyza tertia, Caſt. Cluſ. hiſt. Pann. Conyza Cord. in Dioſc. Tab. Conyzæ ſpecies tertia aquatica, Geſ. hort. Conyza aquatica, Thal. Calaminthæ tertium genus, Fuch. Mentha lutea, Lon. Aſteractico ſimilis iuxta ſcrobes, Cæſa. Hæc duplex, altera folijs latioribus & integris: altera ſtrictioribus & in ambitu crenatis.

I. HEMEROCALLIS.



## Ἡμεροκαλλὶς. HEMEROCALLIS. CAP. CXX.

HEmerocallis folium & caulem habet lilij, herbacei coloris vt porrum: flores in caule per ſingulos exortus, terni aut quaterni erumpunt, lilij diuiſura, quoties dehiſcere cœperunt, colore perquàm pallido: radix magna eſt, atque bulboſa. Quæ pota, aut cum melle & lana in peſſo appoſita, aquam educit, & ſanguinem. Folia trita mammarum inflammationes à partu contractas, oculorumq́; collectiones mitigant. Radix, & folia igni ambuſtis vtiliſsimè illinuntur.

Hemerocallis conſid. *HEmerocallis nuſquam non prouenit in Italia, quandoquidem circa meſſem in aruis inter ſegetes, in campeſtribus, iter vepres in pratis, in montibus, & in vallibus aureo colore emicat. Vulgus Lilium ſylueſtre nominat. Radice nititur bulboſa, hortenſi Lilio perſimili, ſed colore diuerſa. Flores, cùm ſuo tempore dehiſcunt, colore perquàm pallido (vt Dioſcorides ait) conſpiciuntur, adeò vt fulgentis auri modo rutilent.* Hemerocallis alterũ genus. *Hemerocallis genus & illud eſſe non diffiteor, quod ego inueni in montibus Iapidiæ: id namque facie alterum æmulatur, ſed radicem habet, quæ pluribus & paruis coagmentatur bulbis: quinetiam flores profert aliam ſortitos diuiſuram, Martagi modo repandos, prioris Hemerocallis colore, vt eius effigies, quam hic adiecimus, apertè demonſtrat. Eadem præſtare poſſunt, tum radix, tum folia, quæ prior. Hinc itaque eorum error, vt arbitror, euidentiſſime depre-*

### II. HEMEROCALLIS altera.



### III. LILIVM CONVALlium.



*mè deprehenditur, qui Lilium conuallium vulgò dictum Hemerocallim eſſe exiſtimant. Namque illud folijs conſtat ferè plant.:gnis, tenuioribus tamen, leuioribus minusq́ ſtriatis: cauliculis iunceis, triangulis, tenuibus, ac mollibus, obſequioſisq́, in quibus cacumen verſus plures prodeunt flores albicantes, balauſtij, aut arbuti effigie, odore eximio & perquàm iucundo, e quibus baccæ enaſcuntur virides, quæ per maturitatem Iunio & Iulio menſe rubræ. Radices demittit laxas, longas, fibris, capillamentisque refertas, nullis adiacentibus bulbis. Naſcitur in montibus & in eorum conuallibus.* Lilij conuallij deſcrip. *Hemerocallis vero, Dioſcoride teſte, folia & caulem profert lilio ſimilia: flores colore admodum pallido: radicem magnam, bulboſamque. Quæ ſanè notæ, ſi diligenter conferantur, manifeſtiſſimè indicabunt, eos hallucinari, qui Lilium conuallium Hemerocallim eſſe contendunt.* Non eſt Hemerocallis. *Lilij Conuallij magnus apud Germanos in medicamentis eſt vſus (abundat enim eo maximè Germania) ad varios corporis morbos. Flores excalfaciunt, attenuant, digerunt, prouocant. Aiunt eo roborari cor, cerebrum, & omnes principes facultates. Idcirco reſolutis, comitialibus, conuulſis, vertiginoſis, veternoſisque, animi deliquio correptis, & cordis pulſatione concuſſis, ipſum exhibent. Quin & ictis, ſeu commorſis à venenoſis animalibus præbent. Item ægre parturientibus ſtillatitiam florum aquam vtiliter potandam cenſent: oculorumq́ inflammationibus maximo eſſe auxilio prædicant.* Lilij cōuallij vires. *Conficiunt autem ex floribus per æſtatem ſiccatis vinum vindemiarum tempore, ipſos calcatis vuis admiſcentes, quo poſtea vtuntur ad prædicta. Sunt & qui recentes flores vetere vino macerent, & in vitreo vaſe diu inſolent, admiſtis lauendulæ vocatæ & roris marini floribus, additisq́ odoramentis nonnullis: deinde ex ijs ſtillatitiam aquam in calentis aquæ balneo vitreis organis eliciunt, eamq́ aureis argenteisq́ vaſculis reponunt. Hanc aquam auream appellant, qua vtuntur ad omnes prædictos corporis affectus. Quinimò eam iamiam animam expirantis ori inſerunt, rati ex eius aſſumptione homines morientes in vita retineri poſſe per pluſculum temporis ſpatium.* Aqua aurea. *Sed quàm vana iſti ferantur opinione, mihi quidem ſæpenumero experimento deprehenſum eſt. Quod etſi ijs quoq́ irritum comperiatur, ea tamen eſt huiuſce aquæ apud omnes authoritas, vt plerique ab eius exhibitione abſtinere nequeant, etiam in morbis calidiſſimis. Cæterùm non ſine errore Fuchſius, vir alioqui doctiſſimus, putat Lilium conuallium eſſe Ephemerum, de quo Dioſcorides agit libro ſequenti. Sed quàm is aperte decipiatur, nos ſuo loco dicemus: qui Ephemerum alterum faciunt ijs mens ſana non eſt. Hemerocallis meminit Gal. lib. 6. ſimp. medic ſic inquiens: Hemerocalles radicem habet lilij radici ſimilem, non figura tantùm, ſed & viribus. Prodeſt non ſecus atque illa, igni ambuſtis: quippe quæ leuiter digerentem facultatem habeat, & cum hoc repulſorium quiddam.* Hemerocallis vires ex Galeno. *Quæ Græcis ἡμεροκαλλὶς, Latinis quoque Hemerocallis, & Lilium ſylueſtre vocatur: Italis, Hemerocalle, & Giglio ſaluatico: Germanis,* Heydniſch Lilien: *Hiſpanis, Lirio amarilho: Gallis, Lis iaulne. Hemerocallis altera, Italis, Giglio ſaluatico ſecondo. Lilium conuallium, Italis, Lilio conuallio: Germanis,* Meyenblumlin: *Gallis, Muguet.* Nomina.

I. Lilium Croceum maius, rubens Plinij, fortè Hemerocallis Dioſcoridis, C.B. Lilium rubens, Brunf. Fuch. in icon. Geſ. hor. Lilium rubum, Trag. Dod. gal. (cui & Hyacinthus Ouidij) Lilium croceum, Fuch. fol Lon. Lilium croceum maius, Tab. Lilium purpureum maius, Lob. (cui & Bulbus cruentus Hippocratis, Dod. fol Lug. Cam. Lilium ſylueſtre croceo flore, Cæſal. Lilium purpureum ſiue rubrum maius non bulbiferum, Cluſ. hiſt. Pann. Hemerocallis, Matth. Lacu. Geſ. hor. Caſt. Lugd. Martagon Chymiſtarum, Lob. in icon. Martagon, Geſ. hort. Caſt. II. Martagon purpuroſanguineum polyanthos, C.B. Hemerocallis altera, Matth. Lugd. Hemerocallis Chalcedonica purpuroſanguinea polyanthos, Lob. Lilium rubens vel cro-

vel croceum montanum, Geſ.hor. Lilium ſylueſtre alterum, Dod.fol. Hemerocallis Chalcedonica Cam. Lilium rubrum Zuſiniare polyanthon Cluſ. hiſt. Pannonica. III. Lilium conuallium á natali ſolo nomen habet, Oenantha videtur apud Theophraſtum, hoc flore eſt albo, vel rubente: illud maiore, vel minore, quod frequentiſsimum. Lilium conuallis vel ſylueſtre Lilium, Brunf. Lilium conuallium, Trag. Matth. Lac. Geſ.hor. Dod.fol. Lob. Caſt. Geſ. Lugd. Tab. Cam. Ephemerum non lethale, Fuch. Lilium vernum Theophraſti, Dod.gal. & Lob. Callionymus & Chamæcitimus, Geſ.hor. Cacalia, Lonicero.

## Λευκόϊον. LEVCOIVM, SIVE ALBA VIOLA. CAP. CXXI.

LEucoion vulgaris eſt notitiæ, ſed in floribus differentia quædã: namq; aut cœrulei, aut albi, aut purpurei, aut lutei inueniuntur. Luteũ verò præcipui in medicina vſus. Huius aridi flores ferue facti in deſeſſionibus, valent contra vuluæ inflammationes, & menſtrua expellunt: ſanant oris vlcera, cũ melle: cum cerato, rimas ſedis. Semen duum drachmarum pondere ex vino potum, aut cum melle inditum, menſes, ſecundas, & partus extrahit. Radices cum aceto illitæ, lienem reprimunt, & podagricos iuuant.a.

a Caruca. Nomina. λευκόϊον θαλάσσιον, οἱ δὲ ἴον θαλάσσιον, ῥωμαῖοι βιόλα μαρίνα. δύναμιν ἔχει καὶ αὐτὸ τὴν αὐτὴν τῷ πρὸ αὐτοῦ λευκοΐον. i. Leucoium marinũ, alii violam marinã. Romanis viola marina vim habet eãdem etiã ipſum cũ priore leucoio.

I. LEVCOIVM ALBVM, & Purpureum.



II. LEVCOIVM AVREVM.



*Leucoii conſideratio.* LEucoion etſi Latinis albam tantum violam ipſo nomine ſignificat: tamen à rei herbariæ authoribus & pro cæteris violarum generibus, luteo ſcilicet, purpureo, cœruleoq; colore diſtinctis, ſæpe vſurpari ſolet. Id hodie officinis, atque etiam *Cheiri.* medicis iis, qui Arabum factionem ſequuntur, horum voce Cheiri nuncupantur. Leucoium omne ferè genus in Italia in hortis, ac viridariis, in ædium feneſtris, parietibuſque frequentiſsimum viſitur: vbi illud in ſigulinis, ac ligneis vaſis mulieres ſtudioſè colunt, ac fouent. Namque eius flores cùm coloris varietate, tum odoris ſuauitate tantam cum oculis, & naribus ineunt gratiam, vt in coronamenta frequentiſsimè addantur. Porrò non temerè omne ferè genus Leucoij in Italia naſci modò diximus: quandoquidem cœruleum inibi, quod ſciam, non prouenit. *Dioſcoridis locus ſuſpectus.* Quamobrem Marcello Dioſcoridis interpreti ſubſcribendum puto, qui Leucoium cœruleum hoc loco accreuiſſe ſuſpicatur, vetuſtiſsimi Latini Dioſcoridis, Longobardis literis ſcripti, teſtimonio nixus, in quo nullum planè de cœruleo Leucoij colore verbum legebatur. Suſpicionem hanc augent, itaq; eſſe comprobant Oribaſius, & Serapio, quos item id verbum hoc loco non habere comperio in ſimplicium cenſu, cùm aliqui reliqua Dioſcoridis referant. *Leucoij hiſt.* Proſiliunt omnia genera cubitali altitudine ramoſa, caule braſsicæ exiliore, ſed foliorum facie variant. Siquidem tametſi omnibus folia ſint oblonga, id tamen, quod luteis exit floribus, foliis eſt longioribus numeroſioribus, viridioribus, & magis in acutum deſinentibus: cætera verò, nempe album & purpureum, folia gerunt breuiora, latiora, & non vt in luteo mucronata: quinetiam supernè infernéq; caneſcentia. Cæterùm ex Leucoio, ſiue ex albis violæ floribus, vtpote qui cæteros odore præcellant, Perſæ odoratum illud vnguentum parant: quod Iaſminum appellant, vt primo libro in ipſius Iaſmini vnguenti mentione oſtendimus, vbi eorum ſententiam refutauimus, qui è floribus *Leucoij vires ex Gal.* Gelſimini vulgò vocati id fieri contendunt. Leucoij vires tradidit Galenus libro ſeptimo ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Leucoij frutex vniuerſus extergentem facultatem poſsidet, ac tenuium partium eſt: plus tamen flores, & inter hos qui ſunt ſicciores, magis etiam quàm virides, adeò vt & oculorum cicatrices craſſas extenuent. Tum menſes quoq; detractum eorum mouet, & ſecundas fœtumq; emortuum elicit: & ſi bibatur, fœtum viuum perimens, & abigens eſt medicamentum

*mentum: eſt enim id, vt ſi quod aliud, amarum. Quòd ſi quis virium eius vehementiam multa aqua admiſta retundat, ac mitiget, aut certè id genus aliquo, habebit & ad phlegmonem bonum medicamentum. Sic decoctum eius ſi non merum fuerit, veteri phlegmonas identidem perfuſum ſanat, potiſsimum quæ diutino tempore ad ſcirrhi modum induruere. Sic contritum vlcera ægrè ad cicatricem peruenientia curat. Sunt verò etiam, qui cum melle ad oris vlcera adhibeant. Semen cum eiuſdem ſit facultatis, aptiſsimum eſt duarum drachmarum menſura potum: tum menſibus ciendis appoſitum cum melle, conuenire creditur, fœtumque viuentem interficere, ac mortuum eiicere. Radices ſimilis quoque facultatis, niſi quatenus craſsioris ſunt eſſentiæ, & magis terrenæ, cum aceto lienes induratos ſanant. Nonnulli verò & phlegmonas in articulis induratas iis curant. Leucoium aureum præſtat ea omnia, quæ cætera genera, ſed longè valentius. Ideoque præcipui eſt in medicina vſus. Id λευκόιον Græcis dicitur, quod Latinis Viola alba (quanquam eo nomine Græci & luteam, & purpuream violam comprehẽdunt:) Mauritanis, Keiri, Cheiri, ſiue Alcheiri: Italis, Viola bianca: gialla & pauonazza: Germanis, Gelb Violen vnd Weiß Veil: Hiſpanis, Violetas amarilhas, & Violetas blanquas: Gallis, Violettes, & Giroflees. Violiers rouges, blancq, iaulnes.*

Nomina.

Leucoium, id eſt, viola alba, potius foliorum, quám florum ratione: aliud enim eſt folijs candidioribus & mollioribus, quod Candidũ a foliorũ colore dicitur, habetur enim maius & minus & quidẽ floribus candidis, cinereis, puniceis, variegatis: aliud folio planè viridi, quale eſt luteum dictum, quod ſimplici eòque maiore, vel minore eſt flore: aut pleno eſt. I. Leucoium folio incano maius, C. B. Viola purpurea, cærulea, roſea, candida Trag. Viola matronalis alba, purpurea, punicea, Fuch. qui tres diſtinctas figuras habet. Viola alba & purpurea, Lob. icon. Leucoion, Dod. gal. Leucoium album & purpureum, Matth. Lugd. Leucoium album, purpureum, violaceum, Tab. Leucoium candidum maius, Dod. fol. Leucoia propriè dicta, Geſ. hor. Leucoium album hortenſe, Cam. Viola alba, quæ & matronalis, Cæſalpino. Folijs eſt integris, aliquãdo etiam ſinuatis: ſic & floris folia, aliquãdo in lacinias diuidũtur. II. Leucoiũ luteũ folijs viridibus, C. B. Leucoium, Brunf. Lacu. Cord. in Dioſ. Caſt. Leucoium aureum, Matth. Lugd. Leucoium luteum, Fuch. in icon. Dod. fol. Lob. Viola lutea, Trag. Fuch. in fol. Dod. gal. Cæſal. Keiri, Geſ. hor. Cheiri, Lon. Viola petræa lutea, Tabernæmontano.

## Κραταιόγονον. CRATAEOGONVM. CAP. CXXII.

CRatæogonum, ſiue, vt alijs placet, cratœonon, folijs melampyro ſimile eſt, multis calamis ex vna radice emicantibus, multorumq; geniculorum: ſemine milij. Naſcitur in opacis, & frutetoſis parte plurima: ſummopere acre. Traditum eſt à quibuſdam, hoc ſi bibat ieiuno ore, ter die poſt menſes purgatos, tribus obolis, in cyathis aquæ duobus mulier, ante conceptũ quadraginta diebus: & vir modo conſimili, totidem diebus ante coitum hauriat, virilis ſexus partum futurum.

*QVamuis putent nonnulli Cratæogonum eſſe quandam Perſicariæ vocatæ ſpeciem, ego tamen eorum ſententiæ non auſim ſubſcribere, quòd Perſicariæ nullis ferè notis Cratæogonum æmulari mihi videatur. Neq; vero aliam herbam, quæ Cratæogoni effigiem repræſentaret, hactenus reperi, aut repertam vidi in Italia, vbi tamen ipſũ naſci non negauerim. Sed certè id inuentu difficile ſuſpicor, quoniam eius deſcriptio, quemadmodum & ſequentis, ab omnibus, qui extant, rei herbariæ authoribus, obſcura ſatis & confuſa traditur. Κραταιόγονον ſic Græcè, vt Cratæogonum item Latinè vocatur: Crateogono, Italicè.*

Cratæogoni conſid.

Nomina.

## Φύλλον. PHYLLON. CAP. CXXIII.

PHyllum, quod elæophyllon vocatur, in ſaxoſis naſcitur: duum generum eſt. Quod autem thelygonum appellant, prouenit muſci modo, folio oleæ, ſed colore magis herbaceo: caule tenui, breui: radice exili: florem album profert: ſemen papaueris, maiuſculum. Sed arrhenogonũ cætera huic ſimile, ſolo fructu diſtat: habet enim racemoſum quiddam deflorentibus oleis non diſsimile. Arrhenogonon potu, maſculi ſexus facere partus, vt thelygonon fœminei, proditur: horum Crateuas author eſt. Sed huiuſmodi hiſtoriatenus mihi produxiſſe viſum eſt.

*ALiter ſanè mihi perſuadere non poſſum, (vt etiam ſibi perſuadet Marcellus Vergilius) quàm in hoc Phylli capite ſubeſſe mendam, peruerſamq; eſſe lectionem ſcriptorum (ni fallor) negligentia, præſertimq; in his verbis.* τὸ μὲν θηλυγόνον λεγόμενον ὥσπερεὶ βρύον ἔχον χλωρότερον ἐλαίας τὸ φύλλον. *Siquidem* ὥσπερεὶ βρύον *nulla ratione hoc in loco cõuenire videtur, cùm olearum folia, nullam cum muſci capillamentis conformitatem habeant. Videtur præterea nobis non parum aſtipulari Theophraſtus: quippe qui de Phyllo ſcribens libr. 9 capite 19. de plant. hiſtor. ita ſcriptum reliquit. Theligoni ſi fructus ſimilis eſt muſcoſis oleæ floribus, pallidior tamen. Quo fit, vt mihi perſuadeam in Dioſcoride eſſe legendum:* φύλλον οἱ δὲ ἐλαιόφυλλον καλοῦσι, φύεται ἐν πέτραις, τὸ μὲν θηλυγόνον οὗ ὁ καρπὸς κατάπερ ἐλαίας βρύα ἀνθῶν ὠχρότερος δέ, ἔχον χλωρότερον ἐλαίας τὸ φύλλον. *Hoc eſt Phyllum quod Elæophyllum vocant, naſcitur ſaxoſis locis Thelygonum fructum edit olearum floribus ſimilem, pallidiorem tamen: folia verò olearum viridiora. Quod verò Phyllo folia inſint olearum ſimilia, videtur dubio procul affirmare Dioſcorides cùm inquit:* φύλλον οἱ δὲ ἐλαιόφυλλον καλοῦσι. *Quo fit, vt aſſerere iam non verear plantam, cuius hic appicta eſt imago, à nobiliſsimo Iacobo Antonio Cortuſo, materiæ medicæ peritiſsimo mihi miſſam, legitimum eſſe phyllum Thelygonum, omnibus aſtipulantibus notis. Ruellius legitimum phyllum eam putat eſſe plantam, quam maiorem Perſicariam vulgò vocant, ſed mea quidem ſententia fallitur. Cùm Perſicaria locis humentibus, vliginoſisque proueniat: Phyllum verò ſiccis, aridis, & petroſis vt Dioſcorides teſtatur. Qui tamen, ſi eius verba accuratè expendantur, nullam huius herbæ cognitionem habuiſſe deprehenditur, niſi eam quam ex Crateuæ herbarij hiſtoria habere potuit, vnde fortè ea omnia ſumpſit. Quo fit, vt mirari non liceat ſi nobis quoque Phyllum cognitu ſit difficile, quin & flores minimè reſpondent. Phylli (quod viderim legerimque) non meminit Galenus, nec Paulus, nec Oribaſius. Quod quidem ſane arguit, aut quòd in eorum Dioſcoridis exemplaribus hoc phylli caput non legeretur, aut quòd fortaſſe putarunt phyllum eſſe Dioſcoridi adulterinum, imò ipſis fuiſſe incognitum. Caterùm non deſunt qui velint*

Phylli conſideratio.

Phyllõ Theophraſt.

Phyllon Ruellij eſt Perſicaria.

*Phyllum*

***I. PHYLLVM TESTICVLATVM.*** | **II. PHYLLVM.**





*Phyllum à Linozoſti, hoc eſt Mercuriali, non differre, quòd pluribus tum notis, tum facultatibus ſibi inuicem reſpondeant. Verùm quod cum iis non pòſſim liberè conſentire, hæc me maximè animo ſuſpenſum detinent, quoniam Mercurialis folia habet ocimi, helxinæ cognata, non autem oliuæ: florem herbaceum non album: quòd præterea Mercurialis naſcatur paſsim in hortis & vineis, non in ſaxoſis tantum: quòd de his denique ſeorſum diuerſisq; capitibus ſcripſerint Dioſcorides & Plinius, vtpote de rebus inter ſe differentibus. Equidem hoc anno plantam inueni inter ſaxa in Saluatino monte non longe à Goritia, folio mercuriali craſſiore, breuiore, aliquantulum in ambitu ſerrato: ſemine iam deflorentis oliuæ ſimili. Quibus vtique notis ea mihi viſa eſt ſatis Arrhenogono ſuffragari. Sed an verum fuerit Arrhenogonum pro certo affirmare non auſim: quo factum eſt, vt hic imaginem pingendam neglexerim. Phylli meminit Theophraſtus lib. 9. cap. 19. de plantarum hiſtoria, vbi ita ſcriptum reliquit: Quædam ad procreandum marem aut fœminam valere traduntur. Quamobrem Phyllon tum arrhenogonum, hoc eſt, marificum, tum thelygonō, id eſt ſœminificum vocāt. Ambo inter ſe ſimilia ſunt & ocimi ſpeciem referunt. Fructus thelygoni modo muſci oleaginei, verùm pallidiori, arrhenogoni verò ſicut oliua, cum primum ex muſcoſo flore emergit, geminus modo teſticuli hominis: hæc Theophraſtus. Ex cuius nimirum verbis colligi poteſt, Dioſcoridis codicem hoc in loco deprauatum eſſe: quandoquidem Theophraſto theligonum non naſcitur muſci modo, neque folium habet oleæ viridius, vt in Dioſcoride ſcriptum legitur: ſed fructum quidem fert in modum muſci oleæ, pallidiorem tamen. Quæ certè thelygoni notarum diuerſitas facit, vt planè ſuſpicer in Dioſcoridis potius, quàm in Theophraſti verbis mendam aliquod ſubeſſe. Atque adeò ſit, vt quaſi non dubitem aſſerere eam plantam, quam ego reperi (vt ante dixi) in Saluatino monte, verum Arrhenogonum eſſe: non ſolùm quòd deſcriptioni pulchrè reſpondeat, ſed etiam quòd in notis ferè non diſſentiant auctores illi grauiſsimi.*

Nomina. *Herba, quæ Græcis φύλλον, Latinis & Phyllum, & Folium appellatur: Italis, Phillo, & Folio.*

Phyllon, aliud mas, aliud fœmina: at Matthiolus ſua figura fœminam exprimere videtur, quare vtrumque figuram adpoſuimus. I. Phyllon teſticulatum, C.B. Phyllon Arrhenogonon, Aduerſ. Lob. icon. Lugd. Phyllon marificum Cluſ. hiſt. Hiſp. Tab. Phyllum mas, Lob. & Dod. fol. Caſt. II. Phyllon ſpicatum, C.B. Phyllon, Matth. Geſ. hor. Phyllon theligonon, Adu. Lob. Dod. fol. Lugd. Phyllum fœminificum, Cluſ. hiſt. Hiſp. Tab. Phyllum fæmina Caſtori.

## Ὄρχις. TESTICVLVS. CAP. CXXIV.

TEſticulus, quem Græci cynoſorchin vocant, folijs circa caulem, & ima eius parte in terra ſtratis, oleæ molli ſimilibus, longioribus, anguſtioribus, læuibus: caule dodrantali: floribus purpureis: radice bulboſa, oblonga, oliuæ modo anguſta, duplici ordine: ſuperiore, quæ plenior eſt: inferiore, quæ mollior, ac rugoſior. Eduntur radices coctæ, vt bulbi. Ex quibus ſi maiorem edant viri, mares generari dicuntur: ſi minorem fœminæ, alterum ſexum. Addunt, in Theſſalia mollem mulieres in lacte caprino bibere, ad ſtimulandos coitus: aridam verò ad inhibendos, & alterum alterius potu reſolui. Naſcitur in petroſis, & ſabuletis.

Ὄρχις ἕτερος

I. TESTICVLVS I.



II. TESTICVLVS II.



III. TESTICVLVS III.



IV. TESTIC. IV. IN maioribus figuris.



Ὄρχις ἕτερος. TESTICVLVS ALTER. CAP. CXXV.

TEſticulus alter a alio nomine Serapias, Andrea authore vocatur: quoniam radix ad multa vtilis ſit. Folijs eſt porri, latioribus, oblongis, pinguibus, ex alarum ſinu inflexis: caule palmeo: floribus pene purpu-

a ἂ δὲ καὶ σεραπίδα [illegible] ἔνιοι ὡς καὶ Ἀνδρέας. i. quem & Serapiadem vocant [illegible], velut etiam Andreas, [illegible] [illegible]bet meum.

V. TESTICVLVS V. IN maioribus figuris.



VI. TESTICVLVS IV.



VII. TESTICVLVS V.



purpureis: radice teſticulis ſimili. Quæ illita tumores diſcutit, vlcera purgat, & ſerpere eadem non patitur: abolet fiſtulas, & illitu inflammationes lenit. Aridæ radices nomas inhibent: ſanantque putredines, & oris vlcera cacoethe: aluum ſiſtunt è vino potæ. De hac, eadem quæ de teſticulo canis, produntur.

Σατύριον. SATYRIVM. CAP. CXXVI.

† Ori. add. ὡς τὸ πολὺ. i. vt plurimum

a Pro iſta periodo meũ tãtũ habet. καὶ συνουσίαν φασὶ παρορμᾶν. i. & coitũ dicũt incitare.

SAtyrium aliqui trifolium vocant, quoniam tria † fert folia, ad terram infracta, rumici, aut lilio ſimilia, minora tamen, ac rubra: caulem cubitalem, nudum: florem lilij effigie, candidum: radicem bulboſam, mali magnitudine, fuluam, intus vt ouum candidam, guſtanti dulcem, & ori non ingratam. Quam in vino nigro auſtero bibere conuenit, contra opiſthotonum. a Vtendum ea dum concumbendi inceſsit cupiditas: ſiquidem ea proniores ad venerem fieri affirmant.

Σατύριον ἐρυθρόνιον. SATYRIVM ERYTHRONIVM. CAP. CXXVII.

a ῥωμαλέον. i robuſto, ita Cat.

b Orib. leg. [illegible]. i. deſ[illegible]

EſT & alterum Satyrium erythronium, ſiue erythraicon, id eſt rubrum, ſemine lini, maiore, a duro, leui, ſplendente: quod fertur non ſecus atque ſcincus libidinem excitare. Cortice radicis gracili b rufo, intus autem album includitur, ſapore dulci, non ingrato ori. In montoſis, & apricis enaſcitur. Venerem, vt produnt, ſi omnino manu teneatur radix ſtimulat: eoque magis, ſi bibatur in vino.

Satyrij, & Teſticuli confuſionum error.

*ERrant, mea quidem ſententia, omnes ferè huius ætatis medici, ac ſeplaſiarij: quippe quòd Canis teſticulis legitimi Satyrij vice paſsim in medicamentis vtantur. Nam hæ plantæ (ſi Dioſcoridi credimus) notis, ac facie maxime inter ſe conſtant, quamuis viribus, & facultate non longè diſsimiles. Teſticulorum enim radices, præter id quod animalium teſtes repræſentant, oblongæ ſunt, binæ vtrinque pendentes: ſuperior tamen altera, quæ plenior eſt: inferior altera, quæ mollior & rugoſior.*

VIII. SATYRIVM PRIMVM.



IX. SATYR. ERYTHRONIVM.



X. PALMA CHRISTI maiori.



*rugoſior. Satyrij verò radix bulboſa, maliq́ modo extuberans deſcribitur, colore exterius fulua, interius vt ouum candida, guſtanti dulcis, & ori non ingrata: cui per omnia ferè ſimilis eſt alterius Satyrij radix, quod Erythronium appellatur. Ceterùm verum Satyrium, vt ingenuè fatear, hactenus in Italia videre mihi non licuit. Atqui Erythronij vocati radicem mali effigie, cortice tenui, & rufo, candida intus pulpa, ſapore dulci, oriq́ non ingrato, Damaſco Syriæ miſit ad me Cechinus Martinellus Rauennas, Pharmacopœus præſtantiſsimus, & rei herbariæ admodum ſtudioſus: in montoſis & apricis naſcitur, cuius imaginem hic excudi curauimus, vt diſcant, qui Orchim Satyrium eſſe contendunt, quantum à ſcopo aberrauerint. Teſticulorum itaque plura habentur genera folijs & floribus differentia, vt ex appictis hic imaginibus, quis facilè diſcernere poterit: quæ in pratis montium collibus, & herboſis paſcuis naſcuntur. Vires vniformes habent. Teſticuli ſpecies quinta, folia gerit plantagini proxima, supernè ſtriata, caulem dodrantalem, glabrum leuemque: flores ſpicatos, tum candidos, tum quandoque purpureos: radices (vt cæteri) duas oleæ magnitudine. Prouenit in montibus herboſo ſolo. Ea omnia poteſt, quæ cætera genera. Quibus & illud addendum eſſe exiſtimauerim, cuius radix humanæ manus ſimilitudinem refert. Vulgus prædicta radicis figura id Palmam* CHRISTI *appellat. Auicenna haſce radices* Digitos *citrinos nuncupat, etſi eos digitos citrinos eſſe perperam, nullaq́, quod in libro ſuo legerim, ratione ducti negent Monachi illi, qui in Meſuem commentarios ediderunt. Huius duo in Ananiæ vallis montibus habentur genera. Vnum maius, quod folia allio latiora, nigris reſperſa maculis, caulem rotundum, læuem: florem ſpicatum, varium, in purpura albicantem, odore non ingrato: radices duas, quæ ſanè teſticulos caninos referrent, niſi ramis quibuſdam quaſi digitis, humanam manum exprimere viderentur. Alterum minus, quod folijs conſtat croci: caule dodrantali, iunceo, læuiq́: in cuius cacumine flos emicat purpureus, amaranthi æmulus, ſaturatiori tamen purpura ſplendens, qui recens odorem quam ſuauiſsimum reddit. Huius exiccati floris puluis ex aqua ignitum chalybem experta, epotus (vt perhibent ij, qui ita eſſe experimento comprobarunt, dyſentericis maximè prodeſt. Idem aquam præſtare aiunt, quæ per vitrea organa ex ijs elicitur. Radices huic ſimiles, ſed quæ alteri magnitudine cedunt. Excalfaciunt vtræque (vt author eſt A-*

Satyrium Erythronium.

Palmæ Chriſti conſid.

*XI. SATYRIVM BASILIcum pratenſe maculatum.*



XII. PALMA CHRISTI minor.



uicenna) ſiccantq́; ſecundo receſſu, craſſa corporis excrementa pellunt, faciemq́; detergunt. Dantur maniacis magno iuuamento: quin & in neruorum affectibus. Seminis puluis drachmæ pondere ex vino potus, comitialibus ſubuenit. Item radicu decoctum vino diutius commiſtum, quod bibendum paratur tam in prandio, quam in cœna. Radices Nicolai Florentini teſtimonio, febrem quartanam fugant: is namque earum tantùm vſu Biliotum quendam curatum retulit. Fuchſius Palmam Chriſti non rectè, pace eius dixerim, inter Satyrij genera depinxit: ſiquidem ea potius, meo iudicio, inter Canis teſticulos erat repræſentanda. Quinetiam in eo mihi planè erraſſe videtur, quòd Satyrium triphyllon, perinde atque canis teſticulos, cum duabus radicibus pictura expreſſerit contra Dioſcoridis delineationem, qui vnam tantum radicem Satyrio mali magnitudine reddidit. Niſi fortaſſe is potius fuerit pictoris lapſus. Hallucinantur præterea vnà cum Meſue Patres illi reuerēdi, qui in eius antidotarium commentati ſunt: quippe qui malè ſibi perſuaſerint, tot eſſe Satyrio radices, quot Canis teſticulis. Verùm ij Dioſcoridem conſulant, & hinc quàm apertè decipiantur, intelligent. Sed his facilè errandi occaſionem potuit dediſſe Plin. quem lib. 26. cap. 10. Orchin, id eſt, teſticulum, cum ſatyrio turpiter confudiſſe conſtat. Cæterum quoniam legitimo Satyrio deficimus, officinæ ac medici eius vice Teſticuli radices ſuppeditant, infelici tamen, nec pari ſucceſſu. Nam etſi ad prolem gignendam teſticuli radices prætulerit Dioſcorides, quòd maior à viro deuorata maſculum gignat, minor verò à fœmina fœminam: deturq́; mollis fœminis bibenda in lacte caprino ad ſtimulandam venerem, arida verò ad inhibendam, non tamen ob id vnquam comperi quenquam, qui ex earum largiore eſu referret, ſe magis ad venerem fuiſſe excitatum, quam eſſet priuſquàm eas comediſſet. Sed id fortè fortuna illis accidit, quòd vtraſque ſimul radices ederint medicorum imperitia, quo factum ſit, vt altera alterius vim deſtruxerit, cùm alteri vis inſit, vt venerem ſtimulet, alteri verò vt eandem inhibeat. Id quòd fortaſſe ijs non eueniret, ſi legitimum haberemus Satyrium: vel ſi herba inueniri poſſet, quæ homines ſalaciſſimos reddit, cuius Theophraſtus meminit libro 9. ca. 22. de plantarum hiſtoria, vbi ita ſcribit: Ad rem autem venercam mirum in modum herba pollebat, quam Indus attulerat. Non enim ſolùm edentibus, ſed etiam tangentibus tantùm genitalibus vim dixere vehementem adeò fieri, vt quoties vellent, coire valerent. Et quidem qui vſi fuerunt, duodecies egiſſe dixerunt. Indum autem ipſum, qui vel magno atque robuſto corpore erat, ſeptuageſies aliquando coiuiſſe fatentem licuit audire: verùm emiſſionem ſeminis guttatim fuiſſe, demumque in ſanguinem deueniſſe. Mulieribus verò vehementem etiam citari libidinem, cùm eo medicamine vſæ fuerint, dicebatur: hactenus Theophraſtus. Canini teſticuli vires poſteritatis memoriæ mandauit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Orchis nuncupatur & Cynos orchis eadem herba. Radici eius bulboſæ ac geminæ, vis ineſt humida, & calida, ac guſtantibus dulcior apparet. Cæterùm maior radix multam videtur habere humiditatem excrementitiam, & flatuoſam: quapropter epota venerem excitat. Altera verò, minor videlicet, contrà admodum elaborata eſt, ita vt eius temperamentum ad calidius, & ſiccius vergat. Vnde hæc radix non modò non ſtimulat ad coitum, ſed etiam planè contrà cohibet, ac reprimit. Eduntur toſtæ bulborum more. Orchis verò, quem & Serapiada nuncupant, ſicciorem facultatem obtinet, quàm vt primi ordinis haberi mereatur: quocirca ad venerem non ſimiliter accommodus eſt. Oedemata illitus diſcutit, & vlcera ſordida purgat, & herpetes ſanat. Siccatus multò etiam magis deſiccat, adeò vt & putreſcentia, contumaciaq́; vlcera ſanet. Habet etiam quippiam ſubadſtringens, ac proinde ventrem ex vino potus ſiſtit. Meminit item Satyrij Gal. eodē libro. Satyrium, inquit, aut Triphyllum humidum, & calidum temperatura eſt: quamobrem guſtu quoq́; apparet dulce. Attamen recrementitiam, & flatuoſam humiditatem poſſidet: quocirca ad venerem incitat. Hæc verò & herbæ ipſius radix præſtare poteſt. Porrò, vt quidam ſcribunt, ex vino nigro auſtero potum ſanat opiſthotonon. Planta, quæ Græcis ὄρχις, & κυνὸς ὄρχις & σαρανόγονον, Latinis Teſticulus, & Teſticulus

canis

Fuch. errata.

Monachorū lapſus.

Herbæ venereæ Theoph. mentio.

Canis teſticuli vires ex Galeno.

Satyrij vires ex Gal.

Nomina.

*canis nominatur: Arabibus, Chaſi alkeb: ſeu Chaſi alchelb: Italis, Teſticulo di cane: Officinis, Teſticuli vulpis, Germanis, Knabenkraut: Hiſpanis, Coyon de perro: Gallis, Coullion de chien. Quæ verò planta σατύριον Græcè Satyrium quoque Latinè dicitur: Arabicè, Gaſi alchaleb, Chaſi altraleb, ſiue Tatarich: Italicè, Satirio, & Satirione: Germanicè, Stendelwurtz: Hiſpanicè, Satyrion, & Supinos de Rapoſa: Gallicè, Satirion. Palma Chriſti maior: Italis, Palma di Chriſto maggiore. Palma Chriſti minore: Italis, Palma di Chriſto minore.*

Magna eſt Orchidum & Satyriorum ſylua, in hiſtoria explicanda, monuiſſe in præſens ſufficiat hanc eſſe poſteriorum inter ea diſtinctionem (licet contra veterum placita) vt Orchidis, ſeu Cynoſorchidis, vel Teſticuli nomen, tribuant ijs, quę radices habent rotundas, Teſticulorum inſtar geminas, rarius enim ternas iunctas videas: Satyrion is verò, vel Palmæ, quæ radices habẽt manus effigies aliquo modo exprimentes. I. Teſticulus primus, Matth. ſed in eius Compendio quartus: Cynoſorchis maior primus, Taber. II. Orchis apem referens, C.B. Teſticulus ſecundus, Matth. Lac. Lugd. Satyrium, Brunf. Orchis ſexta & Satyrium alterum Dioſcoridis, Trag. Triorchis fœmina, Fuch. Lon. Tab. Orchis ſerapias fœmina, Dodo. gal. Orchis ſerapias ſecundus minor, Dod. fol. Lugd. Orchis melittias ſiue apis cadauerulum exprimens, Lob. Orchis melittias, Lugd. Tab. Orchis ſiue teſticulus minor violaceis floribus, Cord. in hiſto. Teſticulus figura & colore apem flori inſidentem æmulante Cæſalpino. III. Teſticulus morionis fœmina, C.B. Dodo. fol. Lugd. Teſticulus tertius, Matth. in minoribus figuris, at in maioribus hunc cum præcedenti ſub teſticuli ſecunda ſpecie poſuit: Cynoſorchis, Brunf. Cynoſorchis morio fœmina, Lob. Lug. Cynoſorchis morio alter, Tab. Teſticulo alteri adiungit Lacuna, an Orchis fæmina maior vel anguſtifolia, Fuchſio & Orcheos tertium genus, Dod. gal. Satyriumque primum Dioſcoridis, Trago. IV. & V. Has duas figuras in maioribus iconibus Matthiolus habet, quibus Teſticuli ſpeciẽ tertiam inſcripſit, quem ſequitur Lugdunenſis hiſtoria. Verum. IV. dicitur Triorchis maior mas, Tabe. & Triorchis maior mas, Tab. & Triorchis Trifolia, Eidem: at V. Teſticulus eſt decimuſtertius Tabernæmontano. VI. Teſticulus morionis mas folijs maculatis, C.B. Teſticulus quartus, Matthiolo: at in Compendio ſub primo poſitus, vt & á Lacuna & Caſtore, Satyrion mas. Brunf. Cynoſorchis mas noſtra Trag. Orchis mas anguſtifolia, Fuch. Orchios ſecundum genus, Dod. gal. Thal. Cynoſorchis morio, Lobe. Teſticulus morionis mas, Dod. fol. Lugdu. Orchis mas minor, Lon. Cynoſorchis morio mas, Tab. VII. Teſticulus quintus Matthiolo. IIX. Satyrium primum, Matth. Lugd. Satyrium trifolium, Caſtori. IX. Satyrium Erythronium, Matth. Lugd. Caſtori: de vtroque quid ſit ambigitur, nec in prima, ſecundaue editione proponuntur: ſic & in maioribus figuris primò excuſis Satyrium Erythronium non habetur. X. Satyrium baſilicum anguſtifolium, C. B. Palma Chriſti maior, Matth. Palma Chriſti alia, Cord. in hiſt. Palma Chriſti fæmina, Taber. Satyrium baſilicum mas, Lon. Satyrium baſilicum mas tenuifolium maius, Thal. Satyrium baſilicum maius, Lugd. Verum Matthiolus figurâ quidem hanc expreſſit, at deſcriptio conuenit ſequenti figuræ vndecimæ, quam eius nomine adpoſuimus. XI. Satyrium baſilicum pratenſe maculoſum, C.B. Orchis fæmina altera, Trag. Satyrion baſilicum fœmina, Dod. gal. & fol. Lonic. Satyrium baſilicum mas alterum, Fuch. Satyrium baſilicum, Lac. Serapias fæmina pratenſis Lob. Lugd. Palma Chriſti, Cord. in hiſto. Cæſalp. Palma Chriſti minor, Caſt. quoad iconem. Palma Chriſti maculata, Taber. Satyrium fœmina, Thalyo. XII. Satyrium Baſilicum anguſtifolium alpinum, C. B. Palma Chriſti minor, Matth. Lugd. Caſt. quoad deſcriptionem: Satyrium baſilicum alpinum, Geſ. hor. Orchis ſerapias minima alpina, Cam Satyrium baſilicum mas tenuifolium minus, Thalyo. Satyriũ baſilicũ minus, Dod. fol. Palma Chriſti minor fæmina, Tabernæmontano.

## Ὅρμινον. HORMINVM. CAP. CXXVIII.

Horminum ſatiuum herba eſt folijs marrubio ſimilis: caule ſemicubitali, quadrangulo, circa quem eminentiæ ſiliquis ſimiles prodeunt, quæ ad radicem ſpectant, in quibus diuerſum ſemen recluditur. Siquidem in ſylueſtri rotundum, fuſcumq; inuenitur: in altero nigrum, & oblongum, cuius eſt vſus. Ad venerem ſtimulandam, cum vino bibi volunt. Purgat cum melle argemas, albugineſque: illitum ex aqua tumores diſcutit: eo etiam extrahuntur aculei ex corpore. Idem effectus eſt illitæ herbæ. Sylueſtre magis viribus pollet: quare vnguentis, præſertim gleucino, permiſcetur.

*Ruellius, & hunc, vt arbitror, ſecutus Fuchſius, in ſuis quiſque de ſtirpium hiſtoria commentarijs, certò credunt Horminum ſatiuum eam perquàm odoratam herbam eſſe, quæ vulgò aliquibus Sclarea, quibuſdam Matriſaluia, & nonnullis Herba ſancti Ioannis appellatur. Sed certè horum, licet doctiſſimorum virorum, ſententiam vt minus probem, multa mihi occurrunt. Primum quòd contra Hormini deſcriptionem illæ plantæ conſtent caule plerunque bicubitali, folijs marrubio quàm longè maioribus, & calyculis, in quibus ſemen recluditur, ſurſum ſpectantibus. Deinde quòd in Sclarea ipſa rotundum ſemen inueniatur, non autem oblongum. Illud præterea addiderim, quòd Dioſcorides nunquam, meo iudicio, Hormini odorem prætermiſiſſet, ſi ei Sclarea dicta Horminum ſatiuum fuiſſet, vt illi exiſtimant: ea enim adeò odorata eſt, vt eius odor inſignis ſine vitio præteriri non poſſit. Huc denique illud accedat, & eos planè, vt puto, refellet, qui ſecus opinantur, quòd plantam, cuius hic effigiem damus, Piſis ad me Miſit Lucas Ghinus medicus clariſſimus, & rei herbariæ peritiſſimus, quæ ad amuſſim Horminum ſatiuum repræſentat, vt pictura affabrè demonſtrat. Ea enim folijs eſt Marrubio ſimilibus, ſed maioribus, & aſperiuſculis: caulibus ſemicubitalibus, quadrangulis: floribus in caule ſecundum folia per interualla prodeuntibus purpureo colore: quibus decidentibus, eminentiæ, ſiliquis ſimiles prodeunt, quæ ad radicem ſpectant. Flores edit in caule ſecundum folia per interualla prodeuntes, purpureo colore, in quibus nigrum, & oblongum recluditur ſemen. Cæterùm* SILVESTRE *folio eſt ſaluiæ ferè ſimili, caule ſeſquipedali, aſpero, quadrangulo, leuiter hirſuto, ſtriatoq́; flore ſaluiæ, colore purpuraſcente, ſiliquulis pluribus in humum reflexis, in quibus ſemen rotundum, fuſco colore, Gallitrico paſſim vocato haud longè abſimile. Prouenit in campeſtribus, in pratis, ſecus itinera & herboſis locis. Eadem omnia præſtat, quæ de domeſtico ſcribuntur. Sclarea autem folijs exit Hormino quadruplo maioribus, ac latioribus, ſubaſperis, criſpis, humi accubantibus: caule ſeſquicubitali, & quandoque maiore, hirſuto, firmo, quadranguloq́; à cuius medio plures oriuntur rami, in quibus ſpicati exeunt flores ex purpura albicantes, odore eximio præditi & quadam cum grauitate iucundo: ex his receptacula*

Hormini conſideratio.

Ruel. & Fuchſij opi. reprobata.

Hormini ſatiui deſcriptio.

Hormini ſylueſtris hiſtoria Matth.

Sclareæ hiſt. Matth.

I. HORMINVM DOMESTICVM.



II. HORMINVM SYLVE.



IV. SCLAREA.



*oriuntur, in quibus nigrum, pellucidum, ac rotundum includitur ſemen. Radicibus nititur multifidis, ſubnigricantibus. Seritur in hortis, & viridarijs. Excalfacit, attenuat, diſcutit,*

Sclareæ vires Matth.

*aperit, reſoluit. Hanc etſi Dioſcoridis Horminum non ſit, ego tamen Horminum maius, aut odoratum Horminum appellauerim. Huius folia ex aceto impoſita, panos per ſe, vel cum melle diſcutiunt: item furunculos priuſquàm caput faciant, vel acuminentur. Italæ mulieres odorati Hormini ſeminis granum oculis caligantibus imponunt, nec ex oculo auferunt, niſi caligine ſoluta.*

Horminum Plinij.

*Hormini vtriuſque meminit Plinius lib. [illegible] cap. vltimo vbi in eum errorem lapſus deprehenditur, in quem & in ſtachy eundem incidiſſe ſuperius oſtendimus. Nam vbi Horminum folijs marrubio ſimilibus depinxiſſe opus erat, ei folia porri tradidit, nimirum Græcorum nominum vicinitate deceptus: πράσιον enim marrubium ſignificat, πράσον vero porrum, quod Plinius legiſſe videtur.*

Horminum frugis genus.

*Eſt & Hormini genus à Theophraſto, Galeno, & Plinio inter fruges annumeratum: quod (vt Galenus author eſt libro 1. de alimentorum facultatibus) inter eryſimum, & cuminum mediam naturam obtinet. Cæterùm Hormini, de quo hic nobis eſt ſermo, meminiſſe Galenum in libris ſimplicium medicamentorum, non reperio: quamuis eius mentionem fecerit Paulus, qui tamen illa tantùm refert, quæ à Dioſcoride mutuatus eſt.*

Nomina.

*Græci eam plantam ὅρμινον vocant, vt etiam Horminum Latini: Itali, Hormino. Horminium ſylueſtre, Græcis ὅρμινον ἄγριον: Italis, Horminio ſaluatico. At Sclarea, Italis, Sclarea, Scarleggia, & herba di ſan Giouanni: quibuſdam Matriſaluia: Germanis,* Scharlach: *Gallis, Orual, ſeu Toutebonne.*

Horminum, quòd impetu in Venerem agat, & [illegible] ſtimulet, cuius plures ſunt differentiæ: hic de ſatiuo, ſylueſtri & Syriaco. I. Horminum ſatiuum, C.B. Dod. gal. Cam. Cæſ. Horminum domeſticum, Matth. Horminum, Lacu. Lob. Dod. fol. Lugd. Caſt. Tab. Orminum verum quorundam, Geſ. hor. Orminum minus, Lonicero. II. Horminum ſylueſtre saluifolium, C.B. Horminum ſylueſtre, Matth. Caſt. Lugd. Cæſ. Hormini ſylueſtris tertij altera ſpecies, Cluſ. hiſt. Pann. Orvala altera, Dod. fol. Verbaſcum ſaluifolium, Lob. in iconibus. III. Horminum Syriacum. Planta eſt Sclareæ forma, caulibus cubito altioribus, anguloſis, læuiſſimè hirſutis, in alas diuiſis, foliis inferioribus palmum longis, latis, ſubaſperis, ſinuoſis: ſuperioribus anguſtis, oblongis leuioribus: flores, forma florum Sclareæ,

alti

III. HORMINVM SYRIACVM. *



albæ: ſemen paruum & compreſſum rubris coſtis donatum, cinereum, nigris lineis ſine ordine conſperſum, inodoru, quod ſub lingua vt Ocymi ſemen lenteſcit, in vaſculis concluditur. Huius ſemen Biſarmar nomine, D. Bernhardus Paludanus, dum Patauium ex Syria rediiſſet, exhibuit. Sunt qui Aman vocitét, at Cam. in ſuo horto Biſermas nominat. IV. Horminum Sclarea dictum, fortè Tuſſilago altera Plinij, & ſi ſeminis formam vſumq; perpédas, Alectorolophos Plinij ſtatuere poteris, C.B. Sclarea, Matt. Caſt. Cam. Taber. Cæſalp. cui & Scopa regia Plinij & Baccharis Dioſco. Scarlea, Lobel. (cui & Centrum galli) Cluſ. hiſt. Pan. Gallitricũ ſatiuum, Trag. Gallitricum, Dod. gal. Lugd. Horminum, Geſner. hor. Orminum ſatiuum, Fuch. Cord. in Dioſc. Orminum maius, Geſ. hor. ap. Lon. Oruala, Dodo. fol. Caſt. Scordium alterum Plinij, Dalechampio in Plinium.

## Ἡδύσαρον. HEDYSARVM. CAP. CXXIX.

HEdyſaron, quòd vnguentarij pelecinum, id eſt, ſecuridacam vocant, frutex eſt, foliis ciceris: ſemen rufum in ſiliquis fert, corniculorum modo aduncis, quod ancipitem ſecurim æmulatur, vnde nomen accepit: amarum guſtu. Stomacho vtile in potu. Additur in antidota. Cum melle ante coitum ſubditum, concipiendi ſpem adimit. Naſcitur in ſegetibus, & hordeis.

*QVanquam Securidaca inter triticum & hordeum quandoque proueniat, frequentior tamen inter aphacam naſci cernitur. id quod etiam teſtatur Theophr. lib. & cap. 8. de plant. hiſt. vbi Securidacam in aphacis gigni, eaq; aphacen* (Hedyſari conſideratio.) *te … tradidit. Plinius ſimilitudine vocabulorum deceptus lib. 18. c. 17. Securidaca lentem complexu ſtrangulari ſcribit. In* (Plinij lapſus.) *… deprehenditur, quòd phacon pro aphace legerit, & verterit: nam Græcis lens φακὸς vocatur, non ἀφάκη quæ … genus eſt. Sed & quoque Plinio refragatur Theophraſtus, qui loco citato aracum, nõ autem ſecuridacam lenti innaſci,* (Securidacæ maioris hiſt.) *& … tradidit. Duo Hedyſari ſiue Pelecini habentur genera, etſi Dioſcorides vnius tantùm meminit, alterum, quod maius, alterum, quod minus appellauerim. Maius folijs exit ciceri proximis, vndecim ex vno proceſſu erumpentibus.*

I. SECVRIDACA MAIOR.



II. SECVRIDACA MINOR.



*Cauliculos edit tenues lentoſq́ʒ, floribus diluto purpuræ colore ruſeſcentibus, vt in piſo, ſed minoribus. Siliquas habet corniculatas, quadantenus falcatas, preſſas, adunco cacumine, in quibus ruſum concluditur ſemen ancipitis ſecuris effigie, vnde illi nomen, amari ſaporis. Radice nititur vnica, albaq́ʒ, non ſine adnatis fibris.* Securid. minoris deſcrip. *Minus maiori ferè ſimile eſt, niſi quòd folia minora ſpectantur, numeroſiora, & in cacumine retuſa. Quinetiam, & caules, & rami, & cæteræ quotquot ſunt partes minores habentur. Flores edit alteri haud abſimiles, ſed puſillos, ex quibus cornicula oriuntur rotunda, incurua, & acuminato cacumine, quæ per maturitatem ruſeſcunt, in quibus ſemen continetur alteri ſimile, ſed minus, ac tenuius. Radice nititur gracili, alba, longa, & altè deſcendente. Naſcitur & ipſa inter ſegetes in agris. Ea omnia, quæ maiori adſcribũtur, ea quoque in minori reperiuntur.* Securidacæ vires Matth. *Bibitur vtriuſq́ʒ ſemen contra venenoſorum animalium morſum. Eiuſdem farina, vulnera & putrida vlcera abſtergit, quemadmodum & lentigines, & alphos, & cutis maculas omnes, vbi frequenter melle optimo excepta illinatur. Pectus quoque expurgat à craſſis, pituitoſiſq́ʒ excrementis ex melle, aut defruto delincta. Necat eadem inteſtinorum vermes ex dulci lixiuio pota, aut ex vino, aut ex humano lacte, addito croci momento.* Hedyſari vires ex Gal. *Hedyſari meminit Gal. lib. 6. ſimpl. med. ſic inquiens. Hedyſarum, aut pelecinum. Huius fruticis ſemen colore ruſum eſt, vtrinque anceps, vti ſecures. Amarum, & ſubacerbum apparet: quamobrem potum gratum eſt ſtomacho, & viſcerum obſtructiones expurgat. Idem præſtant totius fruticis ramuli.* Nomina. *Planta quæ Græcis ἡδύσαρον, Latinis Hediſarum, & Securidaca nominatur: Vnguentarii, Pelecinum: Italis ſimiliter Hediſaro, & Securidaca.*

I. Securidaca ſiliqua oblonga, C.B. Securidaca maior, Matth. Caſt. Cam. Securidaca ſecunda, Dod. gal. Securidaca, Geſ. hor. Hedyſarum, Geſ. hor. Lac. Lob. Lon. Cæſ. Hedyſarum maius, Lug. Cam. Hedyſarum primum, Dod. fol. Lugd. Hedyſarum legitimum, Cluſ. hiſt. Pan. Pelecinus, Geſ. hor. II. Securidaca ſiliqua falcata, C.B. Securidaca minor, Matth. Lob. Caſt. Cam. Hedyſarum alterum, Dod. gal. & fol. Lugd. Hedyſarum minus, Lugd. Cam. an Securidacæ ſimilis Cæſalpino?

## Ὄνοσμα. ONOSMA. CAP. CXXX.

Onoſma oblonga folia habet, ad ſimilitudinem anchuſæ, longitudine quatuor digitorum, & vnius latitudine, mollia, in terra iacentia, ſine caule, ſine ſemine, ſine flore: radice nititur oblonga, tenui, infirma, rubeſcente: gignitur in aſperis. Folia in vino pota, partus extrahunt. Prægnans, ſi eam ſupergrediatur, abortum facere dicitur.

ONOSMA.



Onoſmatis conſideratio. *Planta quædam ex collibus, quos variis herbis refertos circa Goritiam natura collocauit, in aſperis nata iampridem ad me allata eſt, quæ folia habet minoris anchuſæ: radices verò eius ita rubeſcunt, vt quaſi rubiæ videantur. Ex iis notis, quæ quidem pulchrè Onoſmati reſpondent, non potui non adduci, vt eam verum Onoſma putarem. Vnde etiam eius picturam addendam diligenter curaui, vt de ea aliorum quoque ſit iudicium. Sed certè, vt verum fatear, mihi adhuc incompertum eſt, an hæc caulem, flores & ſemen proferat: ſiquidem eam hactenus non niſi caule, & reliquis viduam videre mihi licuit.* Onoſmatis vires ex Gal. *Onoſmatis vires tradidit Galenus lib. 8. ſimp. med. ſic inquiens. Onoſma, vel oſmas, vel phlonitis, vehementis, ex acri, & amara conſtat ſubſtantia: proinde quoque creditur fœtus necare, & eijcere, foliis eius in vino potis.* Nomina. *Vt Græcè ὄνοσμα, ita etiam Latinè, pariter & Italicè, Onoſma vocatur.*

Onoſma Matthioli, cuius & figura & nomen reſeruarunt Lacuna, Caſtor, Lonicerus, Lugdunenſis hiſtoria, & Tabernæmontanus: eſſe autem Lycopſi cognatam & in Anchuſis habendam, ex figura colligi poſſe credimus.

## Νυμφαία. NYMPHÆA. CAP. CXXXI.

Nymphæa naſcitur in paludibus, & ſtagnantibus aquis, foliis fabæ Ægyptiæ, minoribus, & lõgioribus, aliis in ſumma aqua, aliis demerſis, pluribus ex radice eadem prodeuntibus: flore lilio ſimili, albo, & in medio crocos habente: cùm defloruerit, vt rotundum malum, aut papaueris caput, extuberat: a nigro ſemine denſo, & lato, lenti guſtus. Caulis eſt læuis, niger, minimè craſſus, Ægyptiæ fabæ cognatus: radix nigra, b ſcabra, clauæ ſimilis, quæ autumno ſecatur. Sicca cum vino pota cœliacis, dyſentericiſque auxiliatur, & lienem abſumit. Radix ſtomachi, ac veſicæ doloribus illinitur: vitiligines ex aqua emendat: impoſita cum pice, alopeciis medetur: eadem contra veneris inſomnia bibitur: ſiquidem ea prorſus adimit: pota aſſiduè aliquot diebus, genitale infirmat. Idem ſemen potum efficit. Nymphææ nomen ſibi vendicaſſe videtur, quoniam aquoſa amet. Plurima inuenitur in c Elide, in Anygro amne, & in Bœotiæ Aliarto.

a Cat. leg. πικρὸς. i. amaro. b Orib. leg. παχεῖα. i. craſſa. c Ori. leg. κιλικία. i. Cilicia.

Νυμφαία ἑτέρα.

## NYMPHÆA ALTERA. CAP. CXXXII.

EST & altera nymphæa, [cuius flos blephara dicitur,] folijs antedictæ: radice alba, ſcabra: flore luteo nitente, roſæ ſimili. Huius ſemen, & radix contra fœminarum profluuia efficaciter ex vino nigro bibuntur. Naſcitur in Theſſalia, amne Peneo.

... quam Nymphonam vocāt, cuius flos Nuphar dicitur.

I. NYMPHÆA ALBA.



II. NYMPHÆA LVTEA.



NYmphæa vtraque ſeplaſiarijs Mauritano nomine Nenuphar appellatur. Naſcitur vbique frequentiſſima in paludi-
bus, lacubus, & aquis ſtagnantibus. Vnde non mirum, ſi ea ſit vulgaris admodum planta, & omnibus notior, quam
vt indicari deceat. Veruntamen Fuchſius in libro illo de compoſitione medicamentorum, quem nuper auctum edidit, putat
alias eſſe Græcorum Nymphæas, alias Arabum, vt eius verba, quæ hic ſubijciam, aperte ſatis declarant. Nymphæa, inquit,
ſeplaſiis Nenupharis. Facultatis tamen florum eius Dioſcorides & Galenus non meminerunt. De illorum itaque ſententia
ſemine potius, & radice medicis vtendum erit, quæ, vt ijdem teſtantur, refrigerandi & exiccandi poteſtatem obtinent. A-
rabes contra floribus eſſe vtendum præcipiunt, illiſq; refrigerandi in tertio, in ſecundo autem humectandi vim tribuunt.
Atque hos quidem flores quarta ſpecies Nenupharis producit: quandoquidem illi præter binas, quas Græci commemorant,
duas alias recenſent. Vt hinc conſtet, eam Nymphæam, cuius flores humectare Arabes memoriæ prodiderunt, hodie eſſe o-
mnibus incognitam. Quapropter toto cœlo errant noſtri temporis medici, quòd ſuis Nymphæis, quæ ſunt Græcorum, hu-
mectandi etiam facultatem aſſignant, ita Arabum ſcripta ſæpenumero errandi occaſionem medicis præbent. Et mirum
plane eſt, Serapionem etiam inter Nymphæas numerare, quam calidam eſſe & tenuium partium ſcribit. Adeò nihil eſt in
vniuerſa Arabum doctrina certum, ac ſolidum: hactenus Fuchſius. Huius equidem viri alioqui eruditi iudicio tantū abeſt
vt hac in re ſubſcribere velim, vt potius cogar ipſum refellere, atque Arabum doctrinam tueri: vtpote qui Græcorum ſcri-
pta bona fide referant, atque ijs etiam addant ſi quid boni habent ſua induſtria & experientia compertum. Id quod vel hic
fiet perſpicuum omnibus, qui æquo animo rem iudicabunt. Quòd igitur Arabum nymphææ, etſi eas humectare tradant, v-
bi de earum floribus mentionem faciunt, eædem ſint cum nymphæis Græcorum, qui vim illam intactam reliquerunt, faci-
le probari poteſt Serapionis, ac Auicennæ teſtimonio. Hi namque, vt omittam quòd omnia ferè ex Dioſcoride tranſcribunt,
non ſolùm vtuntur floribus, vbi humectandum ſit, ſed etiam ſemine & radice, vbi adſtringere & refrigerare ſit opus. Ne-
que mirum certè, quòd Arabes ſuis Nymphæis frigidum & humidum temperamentum adſcribant, quando ſic illis,
vt etiam nobis, experimento compertum eſt, illarum flores humectare & refrigerare. Paratur enim è floribus o-
leum ipſis in eo inſolatis, quo vtuntur medici vbi refrigerare ac humectare ſit opus. Soporiferi enim quidpiam illi
ineſt, folia recentia renibus admota, ſeminis profluuia ſiſtunt. Atque adeò hoc mihi non videtur Græcorum ſen-
tentiæ aduerſari: quippe Græci ſcribunt nymphæas exiccandi quidem & refrigerandi vim habere, ſed de ſemine &
radice intelligunt. Arabes verò nymphæis humectandi & refrigerandi facultatem tribuunt, quam tamen flores ſortitos
eſſe volunt, vt clariſſimè ſcribit Auicenna. Illud addam, quod nihil prorſus ſit alienum à ratione, vt vna eademque planta
ſuum variet temperamentū, pro diuerſa vniuſcuiuſq; partis natura. Huius rei Gal. teſtis eſſe poteſt in mādragoræ mētione,
vbi ſcriptam reliquit eam radice refrigerare & exiccare, fructu verò refrigerare & humectare. Quare, meo quidem iudicio,
Arabes erunt in hoc laudandi potius, quàm odioſe (quod videtur facere Fuchſius) exprobrādi: vt qui non ſine magna mor-
talium vtilitate Nymphææ flores in vſum medicū aſſeruerint: quod à veteribus Græcis, quātū nobis conſtat, prætermiſſum
eſt. Porrò veriſimile nō eſt, quòd Arabes ignorauerint, quæ in nymphæis fuerint ſeminis & radicis facultates. Nā ſi Auicēna
exiſtimaſſet

Nymphææ conſideratio.

Fuch. opinio reprobata, qui alias Græcorum, alias Arabū Nymphæas ſtatuit.

III. NYMPHÆA PARVA.



exiſtimaſſet earum ſemen & radicem eiuſdem eſſe cum floribus temperamenti, illis vtique non fuiſſet vſus ad dyſentericos, ad veneris inſomnia, ad muliebre profluuium, & alios morbos, qui frigida ſiccaq́; requirunt medicamenta. Sed illud nobis obijcietur, vt contendant non eas eſſe Arabum, quæ Græcorum nymphæas, quòd Serapio ex auctoritate Abaſaris inter nymphæas recenſeat plantã, quæ tenuium partium eſt, & calidam naturam habet. Nos id nihil eſſe dicimus, neque hoc nobis ita vt Fuchſio, mirum videtur. Vt autem nõ miremur Arabibus traditam eſſe nymphæam, cui vis inſit calida, facit tertij ſempervivi exemplum in Dioſcoride: etenim is tertium ſedi genus depinxit, eiq́; vim excalfactoriam, acrem & exulcerantem reddidit: tametſi reliqua duo Sedi genera eidem Dioſcoridi refrigerent, atq; iiſdem Galenus tertiam refrigerandi ſedem aſſignet. Cæterùm in quibuſdam Bohemiæ lacubus NYMPHAEA PARVA naſcitur, folio quidem nymphææ, ſed braſſica marina paulò maiore: flore candido: capitibus exiguis, vt in cappari: ſemine intus papaueris magnitudine. Hanc tamen plantam hactenus, quod meminerim, mihi non licuit alibi videre, quàm in Bohemia, nec in aqua, ſed in lacubus & paludibus circa eorum litora.

*Nymphæa minor & eius hiſt. Matth.*

Imbecillioribus longè viribus eſt quàm cætera de quibus diximus. Nymphææ facultates retulit Gal. lib. 8. ſimpl. med. his verbis: Nymphæa tum radix, tum ſemen deſiccandi vim habet citra morſum. Itaque ventris profluuia cohibet, ſemenq́; ſiue per inſomnia, ſiue alio pacto immodicè profluens retinet. Iuuat porrò etiam dyſentericos. Cæterùm Nymphæa, quæ candidam radicem habet, potentioris eſt facultatis, vt & muliebri profluuio medeatur. Verũ & hæc, & ea quoq́; quæ atrã habet radicẽ, ex vino nigro auſtero bibitur. Porrò vero nullam etiam abſtergendi vim obtinent, ita vt & alphos ſanent, & alopecias. Ad alphos verò macerantur aqua, ad alopecias pice liquida. Sed ad hæc aptior eſt ea, cuius radix nigra eſt, ſicut ad alia, cuius alba.

*Vires ex Gal.*

*Nomina.*

Νυμφαία Græcis, Nymphæa item Latinis appellatur: Mauritanis, Nilofar, Ninofar, ſeu Nilufar: Barbaris, Nenufar: Italis, Nimphea: Germ. Weiß Seebluemen & Haarwurtz: Hiſpanis, Eſcudetes del rio. & Higos del rio: Gallis, Blanc d'eau, Lunet d'eau, & Lis d'eſtang. Nymphæa altera, Græcis, Νυμφαία ἑτέρα: Italis, Nimphea gialla. At Nymphæa parua, Græcis, Νυμφαία μικρά: Italis, Nimphea piccola.

Nymphæa maior eſt, eaq; albo, vel luteo flore: eſt & minor, eaq; luteo, eoq; vel magno, vel paruo flore: aut albo quæ triplex, cùm & morſum ranæ Nymphæam minorem faciamus. I. Nymphæa alba flore maiore, C.B. Nenuphar album, Brunf. Nymphæa, eidem Cor. in Dioſc. Nymphæa alba, Matt. Anguil. Cor. hiſt. Lac. Lob. Lon. Tab. Thal. Dod. gal. & fol. Nymphæa candida, Trag. Fuch. Cæſ. Nymphæa maior alba, Lugd. Caſt. Lotus Ægyptia, Alpino. II. Nymphæa lutea maior, C.B. Lug. Nenuphar luteum, Brũf. Nymphæa lutea, Matt. Trag. Fuch. Dod. gal. & fol. Lob. Lon. Tab. Thal. Nymphæa Citrina, Cord. in hiſt. Nymphæa altera, Cord. in Dioſc. Cæſ. Nymphæa flore luteo, Anguil. Caſt. III. Nymphæa alba minor, C.B. & Tab. Nymphæa parua, Matth. Lugdunenſis Matthioli figuram habet, ſed Nymphæam alteram luteam minorem vocat.

## Ἀνδρόσακες. ANDROSACES. CAP. CXXXIII.

*† Me. exemp. ita legit. Ἀνδρόσακες γίνεται ἐν Συρίᾳ ἐν παραλίοις τόποις, πόα ἐστὶ λευκὴ λεπτόκαρφος, πικρά, ἄφυλλος θυλλάκιον ἔχει τῆς κεφαλῆς ἔχουσα. i. Androſaces naſcitur in Syria in maritimis locis. Eſt autem herba alba, tenuib. virgultis, amara, ſine foliis, folliculũ in capite habens.*

ANdroſaces herba eſt amara, † tenues ſpargens iuncos, ſine foliis, folliculos in capitulis habẽs, in quibus ſemen continetur. Gignitur in Syriæ maritimis. Ea drachmis duabus in vino pota, copioſam hydropicis vrinam ciet. Idem effectus eſt ſemini poto, & herbæ decocto: podagris vtiliter illinitur.

*Androſaces conſideratio.*

ANdroſaces ex Syria, quod ſciam, non defertur in Italiam. Verùm, quia eam herbam inibi etiam naſci poſſe nihil prohibeat, quoddam plantæ genus nuper inuentum eſt in Hetruriæ maritimis, cuius hic picturam ideò exhibere libuit, quòd id à quibuſdã Androſaces exiſtimetur. Id ipſum ad me miſit hoc anno Piſis Lucas Ghinus medicus clariſſimus, & rei herbariæ peritiſſimus: à quo (ſi is illi opinioni ſubſcriberet, & Androſaces in Italia naſceretur) non mihi ex eo diſſentiendum eſſet, quòd præter alias notas hæc planta (vt Oribaſius ex Dioſcoride tranſcribens habet) tota candida ſpectatur. Cæterùm aliam quoque plantam ex Syriæ maritimis allatam ab hac longè diuerſam, miſit ad me ſub Androſaces nomine Iacobus Antonius Cortuſus patritius Patauinus, cuius quoque hic imaginem excudi curauimus, vt de ea quoque aliorum ſit iudicium.

*Androſace altera.*

Sunt qui putent hanc plantam Androſacem legitimam eſſe: verum cum folia in ſummitate gerat, non poſſum ego facilè eorum ſubſcribere placitis. Androſacis meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit: Androſaces humida, & acris herba eſt. Poteſt autem reſiccata, exhibitaq́; tum ipſa, tum fructus eius magnopere vrinam mouere, & nimirum diſcutere, & deſiccare.

*Androſacis vires ex Gal.*

*Nomina.*

Hæc planta vt Græcis ἀνδρόσακες, ita Latinis Androſaces dicitur: Italis, Androſace.

† In vulgatis exemplaribus hoc loco ſcriptum reperitur λεπτὴ, hoc eſt tenuis: quam vocem, vt ſuperuacaneam, omiſit Ruellius. In Oribaſio verò λευκὴ, id eſt, alba legitur: & hanc ex aliquo fortè antiquo codice vertit Marcellus. Cæterùm non deſunt, qui, vbi paulò poſt ἄφυλλος, hoc eſt, ſine foliis legitur, ἔμφυλλος, hoc eſt, cum foliis legendum putent.

I. ANDROSACES. II. ANDROSACES ALTERA.





Androſace duplex eſt, alia foliis carens folliculos habẽs, quæ vel petræ innaſcitur, vt nobis ante viginti annos Cl. Vlyſſes Aldroãdus Bononiæ exhibuit: vel Chamæconchæ, vt ante annos nouemdecim, cùm Monſpelio Frontignanum naui veheremur, ad montem Cetium ſtudioſos herbarum inquirendarum cauſa deducturi, ſtagnis innatantem copioſè vidimus & legimus. Dicitur Androſaces, Matth. Lac. Caſt. Lon Lugd. Androſaces Cotyledon folioſum marinum, Aduerſ. Lob. Androſace Matth. primum. Taber. Fungus marinus minimus, Cæſ. Vmbilicus marinus Monſpelienſibus. II. Androſaces altera, Matth. Lugd. Cluſ. hiſt. Pan. Tab. Cam. Morſus gallinæ vel Alſines ſpecies, non ex Syria, ſed quadam antiqua macerie, Aduerſariis: verùm Aduerſaria falluntur, cùm hanc elegantem plantulam ante vigintiduos annos in horto noſtro coluerimus, cuius elegans apud Cluſium deſcriptio & apud Camerarium figura, cùm in hac folia minus rectè ſint expreſſa, quæ plantagini anguſtifoliæ æmula, & in ambitu dentata ſunt: qua de re plenius in hiſtoria.

## Ἄσπληνον ASPLENVM. CAP. CXXXIIII.

ASplenum aliqui ſcolopendrion vocant, alii ſplenion, alij hemionium: foliis eſt multis, ſcolopendræ animali ſimilibus, ab radice vna prodeuntibus. Naſcitur in parietibus, ſaxiſque ſiliceis, & opacis: nec caulem, nec florem, nec ſemen habet. Folia polypodij modo diuiduntur, ſubter flaueſcentia hirſutaque, supernè viridia. Vim hanc habent folia in aceto ferueſacta, vt per dies quadraginta pota lienem abſumãt; quibus etiam contritis lienem ex vino illini oportet: ſtrãguriæ, & regio morbo prodeſt, ſingultum ſedat, calculos in veſica comminuit. Conceptum adimere creditur, per ſeſe, aut cum muli liene appenſa. Tradunt noctu, ſilente luna, huius rei gratia effodiendam.

*ASplenum, ſiue Scolopendrium tam à medicis, quàm pharmacopolis, qui planè Mauritanorum ſcripta ſequuntur, Cetrach barbara voce vocatur. Nec diu eſt, quòd nouere rei herbariæ periti Arabum Ceterach eſſe legitimum Scolopendrium. Quandoquidem antea vniuerſa herbariorum ſchola Aſpleni loco phyllitim, quàm etiam vulgò Linguam ceruinam appellant, ſuis immiſcebant medicamẽtis. Verùm enimuero quanquam hoc adeò clarum eſt, vt nullus amplius dubitandi locus relinquatur: adhuc tamẽ inueniuntur è veteribus noſtris ſeplaſiariis, qui vt ſuam potius pertinaciam, quàm veritatem ipſam tueantur, nullo pacto ſibi perſuaſum eſſe volunt, phyllitim non eſſe legitimum Scolopendrium: eo tantùm argumento pertinaciter innixi, quòd ſui maiores phyllitim Scolopendram appellauerint, quodq́; eam ſpleni ſemper maximè profuiſſe experimento cognouerint. Quæ tamen in re prorſus aberrant, vt ex Aſplenij notis facilè ab omnibus intelligi poteſt: ex quibus apertiſſimè cognoſcitur, nil aliud eſſe Aſplenum, quàm ipſum Cetrach vocatum. Nec deſunt prætereà, qui obnixè contendant, Cetrach non eſſe Aſplenum, quòd ſcripſerit Dioſcorides naſci Aſplenum folijs polypodij, ſiue filiculæ, quibus tamen ipſius Cetrach folia non vndequaque reſpondere videntur. Verùm ſi ij, qui ita obijciunt, eam vidiſſent filiculam, quæ in montibus prouenit in itinere, quo Goritia per montes in Carniolam itur, folijs anguſtioribus, & admodum virentibus, iis in poſterum, quantum equidem reor, omnis dubitãdi occaſio ſublata eſſet. Siquidem filicula hæc folio exit Ceteracho perquàm ſimili, quanquam paulò ampliore. Tantaq́; eſt ſimilitudo, vt mihi primùm hanc herbam inſpicienti ea fermè viſa ſit verum Aſplenum: quæ tamen effoſſa radice ſtatim pro filicula agnoſcitur. Præſtãtiſſimum aſplenum in Creta naſcitur, vbi repertum Vitruuius affirmat circa Potereum amnem, qui duas vrbes Gnoſon, & Cortynam interlabitur: parte quæ ad Cortynam ſpectat, pecoribus ſine liene inuentis, quia herbam hanc roderent: altera verò parte, quæ ad Gnoſon eſt, lienem habentibus, quia ibi herba illa non appareat. Cæterùm aureus puluis, qui in Aſpleno auerſa foliorum parte inuenitur, drachmæ pondere vnà cum albi ſuccini farina ſemidrachma, ex ſucco portulacæ potus, aut plantaginis, gonorrhæa laborantes mirificè iuuat. Herbæ autem totius decoctum datur vtiliter potandum ad omnes melancholicos affectus, & ad eos præſertim, qui Gallica lue affecti ſunt. Aſpleni vires paucis perſtrinxit Galenus libro ſexto ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Aſplenum tenuium quidem partium, non tamen calida herba eſt. Hæc vtique ratione & lapides frangit, & lienes liquat: hæc Galenus. Cæterùm ſunt qui exiſtiment Aſplenum, & Scolopendrium Græcis non idem, ſed diuerſas omnino plantas repræſentare, Galeni authoritate freti. Quippe qui libro quinto cap. 7. ſim-*

plicium

Aſpleni conſideratio Ceterach.

Ceterach nõ eſt Aſplenum quib.

Aureus pulu. Aſpleni & vires.

Aſpleni vires ex Gal.

Aſplenum & Scolopen. quibus [illegible] ta.

ASPLENVM.



*plicium medicamentorum de his differens, quæ obſtructo lieni conferunt, Scolopendrium ab Aſpleno ſegregaſſe manifeſtè videatur, cum inquit: Maiores lienis obſtructiones vehementiora deſiderant medicamenta, nempe capparis corticem, tamaricis radices, ſcolopendrium, & ſcillam, & eam, quæ ab ipſum nomine repræſentat, aſplenos appellata. Hæc certè veram differentiam fieri apertè declarant. Sed, meo quidem iudicio, credendum eſſe ſuſpicor, quòd hoc in loco præter Galeni ſententiam accreuerit Scolopendrium, deprauataq; in eo ſit ſcriptura vel librariorum incuria, vel nimia alicuius ſcioli diligentia: quòd in ſequentibus libris, in quibus de ſimplicium omnium, quorũ cognitionem habuit, facultatibus ſigillatim differit Galenus, nuſquam, quod inuenerim, Scolopẽdrij meminerit, ſed tantum Aſpleni, cuius etiam vires (vt ſupra retulimus) ſane quam paucis perſtrinxit. Aut rectius fortè crediderim, quòd eo in loco per Scolopẽdrium, vel per aſplenum hemionitim intellexerit Galenus, de qua in ſequenti commentatione dicemus: quandoquidem hemionitis (vt ipſe Galenus ſcribit lib. 9. c. 2. de comp. medic. ſecundum locos, vbi ea pharmaca ab Andromacho conſcripta recenſet, quæ equis ſpleniticis ſiue lienoſis opem ferunt) ab aliquibus ex antiquis Aſplenum, ab alijs Scolopendrium appellata eſt. Quare non eſſet mirum, ſi loco prædicto Galenus accepiſſet aſplenum pro hemionitide: præſertim quòd hæc herba quoq; eam vim ſortita eſt, qua lienem abſumere poteſt. Illa planta, quæ Græcis ἄσπληνον, Latinis quoque Aſplenum, & Scolopendrium appellatur: Mauritanis, Scolofendrion, ſeu Sculuſendrum: Officinis, Cetrach: Italis, Aſpleno, Scolopendria, & Herba inderata: Hiſpanis, Doradilha: Gallis, Ceterach.*

Nomina.

Aſplenon, quod ſplenem iuuet, dicitur: Scolopẽdria vera. Trag. Lon. Aſplenum, Matth. Dodo. gal. & fol. Lac. Lobel. Caſt. Lugd. Cam. Aſplenion Cord. in Dioſc. Aſplenus, Geſ. hor. Scolopendrium, Cord. in hiſt. Anguil. Ceterach, Geſ. hor. Cæſalpino.

## Ἡμιονῖτις. HEMIONITIS. CAP. CXXXV.



HEmionitis quam aliqui ſplenion vocãt, folium emittit Dracũculi, lunatum: radicibus cohæret multis, tenuibus: nunquam flores, neq; ſemen, neq; caulem gignit: in petroſis naſcitur, auſtero ſapore. Ea ex aceto pota lienem abſumit.

Hemionitidis confid.

*FAlluntur procul dubio (vt in Phyllitidis commentatione ſuperius diximus) Leonicenus, Ruellius, & Manardus: quippe qui ſibi certò perſuaſerint, Hemionitida eam eſſe plãtam, quam ſeplaſiariorum vulgus Linguam ceruinam, perperamq; Scolopendriam nominat. Sed quoniam in prædicto loco hos viros alioqui doctiſſimos, & Fuchſium pariter eos ſecutum errare, euidentiſſimis, vt puto, argumentis oſtendimus: idcirco ſuperuacaneum eſſe duximus hic eadem repetere, præſertim quòd neminem futurum ſperem, qui eo ſe conferre grauetur, ſi cupiat noſtras contra viros tam celebres rationes audire. Porrò non modò iam nobis compertum eſt veram Hemionitim, quæ à Dioſcoridis hiſtoria nihil prorſus diſſidet, Romæ naſci in quibuſdam ruderibus, ædificiorumque ruinis prope magnum Amphitheatrum, vnde quidam rei herbariæ ſtudioſi eam in ſuos tranſtulerunt hortos: ſed nos quoq; hoc anno eam accepimus ab Aloyſio Anguillario, qui Hemionitidis plantam, cuius picturam damus, ad nos Patauio miſit. Equidem credidimus iamdudum vnà cum Hermolao, & Ruellio Teucrium, & hemionitim vnã tantùm Plinio plantam eſſe, deprauatis eius exemplaribus decepti, quæ lib. 25. c. 5. ita ſcriptum habebant: Inuenit & Teucer eadem ætate teucrion, quam quidam hemionion vocant. Veruntamen cùm poſtea tractu temporis Plinij codex mendis quàm plurimis expurgatus ad manus eſſet, nõ hemionion legendũ fuiſſe comperi, ſed hermion. Quo factum eſt, vt omnino fuerim coactus in hoc mutare ſententiam, contraq; aſſerere Teucrium a Plinio deſcriptum à Dioſcoridis teucrio nullis notis differre. Cæterùm inter hemionium, & Aſplenum Plinio nulla intercedit differentia, quòd ſcripſerit lib. 27. cap. 5. Aſplenum ſunt, qui he-*

Hemionium & Aſplenum Plinio idem.

qui hemionium vocant. Sed equidem vereor, ne & ipſe in errore verſetur: quandoquidem Dioſcorides non modò vtriuſq; bifariam diuerſis capitibus deſcripſit, ſed etiam aſplenum nuſquam, quod ſciam, hemionitim appellari ait: tametſi contrà Hemionitim non aſplenum, ſed ſplenion a quibuſdam vocari tradiderit. Sed poſteaquam Hemionitidis lunata folia mihi ad memoriam reuocarunt herbam illam, quæ à chymiſtis LVNARIA minor, & ab aliis ob ſemen racemoſum Lunaria botrytis cognominatur, cùm & ipſa miris in medicamentis polleat viribus, nõ prætereundum duxi, quin hîc de ea aliquid diſſererem. Hæc itaque breuis eſt planta, dodrantali ferè altitudine. Caule conſtat ſimplici, dodrantali, rotundo, lento, ac gracili: e cuius medio in latus exit ramuſculus, coſtæ effigie, cui folia ſunt vtrinque ſeptem aut plura annexa, lunata, craſſa firmaq;, braſſicæ marinæ modo. Flores profert in ſummitate caulis, oxalidis minoris inſtar: ſemine ruſo, rotundo, minutoque, in vuæ modum racematim cohærente. Naſcitur in altis montibus herboſo loco. Vis totius plantæ mirè efficax vulneribus recentibus glutinandis, itemq; pota intrinſecis, atque illita extrinſecus corporis fracturis ſanandis: quare miris celebratur laudibus ad puerorum enterocelas. Datur vtiliter commodeq; dyſentericis, planta tota in puluerem contrita ex vino auſtero pota. Albas vteri fluxiones ſupprimit, quemadmodum & rubentes. Ferunt equos, qui in montibus herbas depaſcuntur, vbi hæc copioſè prouenit, auulſis ab ea clauis, ſuos ferreos calceatus amittere, & ob id vulgò à nonnullis Sferracauallo appellari. Sed perperam, meo quidem iudicio, quòd alia ſit planta, quæ vel ab ipſo effectu legitimè ſic fuerit appellata, vel quod ſemen proferat ferreis equorum calceis ſimile. Verum, cùm à chymicis hæc planta inter Lunariæ genera recenſeatur, adeò, vt quidam eam ipſam Lunariam maiorem appellent: prætertre quidem non potui, quin de ea quoque hîc verba facerem. Eſt itaque planta, quam nos SFERRA CAVALLO appellamus, herba in altis montibus proueniens, fo-

Lunariæ minoris deſcriptio, & vires.

Sferra cauallo.

II. LVNARIA MINOR.



*III. LVNARIA MINOR RAMOSA.*



liis minori Securidacæ proximis, puſillis, cordiſq; faciem referentibus, incurua ſecundum longitudinem excurrente linea, pluribus vtrinque è longo pediculo emergentibus ſiliquis, oblongis, preſſis, numeroſis, altera parte incuruis inciſuris diuiſis & foraminum rotundorum ſpeciem referentibus, prominente vtrinque foraminum orificio, adeò vt non parum opificij in hiſce fabricandis natura adhibuiſſe videatur: caules habet anguloſos, ſtriatoſq;, ramulis compluribus refertos, ſed flores hactenus mihi videre non licuit. Semen è ſiliquis prodit lunatum, bicorne, vnde illi Lunariæ nomen apud chymiſtas, qui eam magnis efferunt præconiis ad argentum conficiendum, hac tantum ex argento viuo argentum purum fieri fabulantur, ſed quàm ſuis opinionibus deludantur ij, ſæpe ſuo magno dãno experiuntur. Radice nititur gracili quatuor digitorum longitudine. Hanc ego plantam Securidacam montanam appello, cum non paruam videatur habere cum minori ſecuridaca cognationem, cum facie, tum viribus. Quod autem equi, qui diu hanc plantam virentẽ calcauerint, ferreis calceatibus protinus exuantur, quid certi afferam non habeo. Verùm cũ ſcribat Plinius lib. 10. c. 18. Picum martium adactos cauernis eorum cuneos a paſtoribus, admota quadam herba extrahere: & Trebius antiquiſſimus author illi ſubſcribat, cogor quidem ijs haud omnino refragari, qui huic plantæ id virium tribuunt. Nullum quod ſciam habet in medicina vſum, quamuis non deſint herbarij, qui eam potionibus vulnerum addãt. Eſt & alia herba, quam aliqui ſimiliter Lunariam minorem nominant, quæ in ſcrobium ripis, & aggeribus vligine madentibus, ſecus vias plerunq; naſcitur. Serpit hæc humi iunceis cauliculis, cubito longioribus, clematidi illi ſimilibus, quæ Vinca peruinca vulgò vocatur, in quibus à radice ad ſummum ex vtroque latere breuibus interſtitiis folia exeunt craſſiuſcula, rotunda, paruorum nummorum ſpeciem referentia: vnde à nonnullis Nummularia dicta eſt. Sunt qui exiſtiment, hãc eſſe Elatinem. Verùm quia Nummulariæ dicta folia piloſa non ſunt, ſed leuia: quia præterea non naſcitur in ſegetibus & cultis, ſed in ſcrobium aggeribus & vliginoſis locis, ideò ijs non poſſum adſtipulari. Hæc quoque glutinandi, & cohibendi facultate prædita eſt. Sed iam, vt noſtri moris eſt, Hemionitidi ſua reddantur vires ex Gal. qui eas retulit lib. 6. ſimplicium medicamentorum, his paucis verbis: Hemionitis ſimul & ad-

Lunaria minor alia.

Hemionitidis vires ex Gal.

Nomina.

IV. SFERRA CAVALLO.



*ſtrictionem & amaritudinem poſſidet: quamobrē cum aceto pota lienoſis auxilio eſt. Ea vt Græcis ἡμιονῖτις, ita etiam Hemionitis Latinis, & Hemionite Italis vocatur. Lunaria minor, ſiue Lunaria Botrytis: Italis, Lunaria del grappolo.*

I. Hemionitis, Matth. Anguil. Dod. gal. & fol. Lac. Lon. Geſ. hor. Cæſ. Hemionitis ſiue ſterilis, Lob. Hemionios Theoph. vbi Gaza Mulam vertit. Sunt qui dubitant, an hæc à Lingua ceruina vulgò dicta ſpecie differat, ſiquidem ei valdè ſimilis ſit. II. Lunaria minor racemoſa, quę Lunaria dicitur à foliorum forma ſubrotunda & lunata, quæ totidem cenſentur, quot Lunæ dies, quæq; cum Luna augeantur & decreſcant. Lunaria, Trag. Dod. fol. Lunaria minor, Matt. Fuchſ. Dod. gal. Geſ. hor. Lon. Lugd. Cluſ. hiſt. Pan. Cæſ. Lunaria racemoſa, Lob. Lunaria minor botryitis, Thal. Lunaria petræa, Geſner. de Lunariis. Lunaria maior, Caſt. Epimedium Dioſc. Fabio Columnæ. III. Lunaria minor ramoſa, C. B. Hanc D. Cam. in ſuo Matt. propoſuit, quæ pluribus eſt foliis, pluribus racemulis, quæq; in Anglia reperta, cui Lunariæ rarior ſpecies dicitur. Hãc vel ſimilem expreſſit Thalyus in ſua Harcynia, cui dicitur Lunaria botryitis πολύφυλλα. IV. Ferrum equinum, Geſ. hor. Lob. Dod. fol. Sferra Cauallo, Matth. Geſ. hor. app. Sferra Cauallo Italicũ, Cam. Solea equina, ſiue Securidaca montana, Lugd. Securidaca minor, Caſt. Medicæ ſpecies, Geſn. hort. Securidacæ ſpecies, Cæſ. Hedyſarum ſiue ferrum equinum, Tabernæmontano.

## Ἀνθυλλίς. ANTHYLLIS. CAP. CXXXVI.

ANthyllis duplex eſt: quædam enim lenti ſimillima, foliis mollibus, rectis ramulis, palmi altitudine: radice parua, tenui. Naſcitur in ſalſis terris, & à ſole illuſtratis a, non inſulſo guſtu. Altera eſt foliis, ramuliſq; aiugæ ſimilis, hirſutioribus tamen, [breuioribus, & aſperioribus] flore purpureo, odoris admodum grauis: radice cichorij. Pota drachmis quatuor, vrinæ difficultati, renibuſq; plurimùm prodeſt. Tritæ, vuluæ pituitas emolliunt, cum roſaceo, & lacte impoſitæ vulneribus medentur. Quæ autem aiugæ ſimilitudinem refert, præter alia pota cum aceto mulſo, comitiales ſanat.

a ὑφαλμος. i. ſubſalſus. ita meum. Orib. non legit concluſa.

Anthyllidis conſideratio.

*PRimam, aut alteram Anthyllida, quæ Dioſcoridis hiſtoriæ reſpõdeat, non equidem hactenus in Italia reperi, aut repertam vidi: quanquam non negauerim, quin ea inibi proueniat. Ruellius hanc poſteritati Salſolam vocatam fuiſſe tradit, quòd ex ea ſalem fieri memoriæ proditum ſit. Fuchſius verò in libro de comp. med. quem locupletatum nuper excudit, putat eam herbam, quæ Kali Mauritanis dicitur, de qua nos diſſeruimus libro ſuperiore in Atriplicis commentatione, Anthyllidem eſſe: nam vbi Aluminum genera expendit, in fine fermè ſic inquit: Alumen, quod Catinæ appellant, ex herba combuſta conficitur, Cali Mauritanis dicta, Græcis Anthyllide & Trago. Sed, meo quidem iudicio, in hoc apertè hallucinatur Fuchſius vnà cum Amato Luſitano, à quo illum hanc vanam opinionem accepiſſe facilè ſuſpicor. In primis namq; non video ego, quomodo fieri poſſit, vt Cali Mauritanorum duas poſſit legitimè Græcorum plantas repræſentare, Anthyllida & Tragum, quæ quidem genere, forma, notis ac viribus inter ſe maxime differunt, vt in ea Apologia, quam in illũ Luſitanum ſcripſimus, latius oſtẽdimus. Deinde nobis planè ſubit mirari Fuchſium, virum alioqui doctiſſimum & in re medica adeo clarum, vt primas ferat in Germania, quod Luſitani illius ineptias tam religioſè ſit ſecutus, vt hic contentus protuliſſe Anthyllidem eſſe herbam Cali, neglexerit præterea Anthyllidis genera, quæ Dioſcoridi duo ſunt, expendere: atque genus explicare, quod Cali eſſe putabat. At reuera Cali (quantum ego ſentio) nec primam, nec alteram Anthyllidem exprimit, neque etiam Tragum. Etenim hoc ſine foliis naſcitur, ſed eorum vicem explent aculei, adeò vt tota planta ſpinis horrida ſpectetur. Illa verò Anthyllis, quam primo generi adſcribit Dioſc. lenti ſimillima eſt. Porrò alterum eius genus (teſte Dioſc.) foliis ramuliſq; aiugam æmulatur, hirſutioribus tamen, breuioribus & aſperioribus: flore purpureo, odoris admodum grauis. Quæ nimirum notæ in herba Cali, guſtanti ſalſa prorſus deſiderantur. Vtriuſque Anthyllidis meminit Gal. lib. 6. ſimpl. medic. ſic inquiens. Anthyllis duplex eſt, ſed vtraque modicè deſiccat, vt & vlcera glutinat. Cæterùm altera, ea ſcilicet quæ Chamæpityi adſimilis eſt, quadantenus ſubtiliorum eſt partium, quàm altera, adeò vt & comitialibus competat. Quin & ipſa magis quam altera extergere poteſt. Quæ herba Græcè ἀνθυλλὶς, Anthyllis itẽ Latinè, & Anthillide Italicè nominatur.*

Fuchſii opin. damnata, dũ Kali Anthyllidem cenſet.

Anthyllidis vires ex Gal.

Nomina.

## Ἄνθεμις. ANTHEMIS. CAP. CXXXVII.

ANthemidis genera tria tantùm flore diſtantia: rami dodrantales, fruticoſi, alis multis concaui: tenuibus foliolis, paruis, numeroſis, rotundis capitulis: † floribus in medio aureis, forinſecus orbiculato ambitu candidis, melinis, aut purpureis, magnitudine foliorum rutæ. Naſcitur in aſperis & iuxta ſemitas: colligitur vere. Vim habent radices, flores, & herba excalfaciendi, extenuandique. Potu, & inſeſſione, pellunt menſtrua, partus, vrinam, calculoſque: aduerſus inflationes, & ilei tormenta bibuntur: bilem ſuffuſam expurgant: iocinerum vitia ſanant. Decocto earum veſicæ fouentur. Ex omnibus his generibus ad calculos efficaciſſima eſt, quæ florem purpureum habet a, cuius amplitudo maiuſcula eſt. Hanc propriè heranthemon vocant. Ea cui leucanthemo nomẽ eſt, itẽ quæ chryſanthemon dicitur, vehementius

† Orib. legit. τρίπηχον. i. tricubitali.

Meum exẽp. ἔνδοθεν μὲν λευκὸν καὶ χρυσίζον ἀνθύλλιον ἔχοντα, ἔξωθεν δὲ περικείται κυκλοτερῶς λευκά, ἢ πορφυρέα. i. intrinſecus quidem albũ, & aurei coloris florem habet, extrinſecus verò per ambitũ albos aut melinos, aut purpureos.

a Meum. ὥσπερ τοῖς ὅλοις ἐστὶ μεῖζον. i. quod & per omnia maius eſt,

I. ANTHEMIS, SIVE CHAMÆM.



tius vrinam ciunt. Ægylopiis illitæ medentur: commanducatæ vlcerum eruptiones in ore ſanant. Nonnulli in clyſteribus ex oleo vtuntur, terunturq́; in farinam, ad abigendos febrium circuitus. Flores, & folia recondi debent, & priuatim tuſa, in paſtillos digeri: radix quoque ſiccari, dumq́; ingruit neceſſitas, binæ partes herbæ dari, modò floris aut radicis pars vna, modò contra floris partes duæ, & herbę vna, permutatim duplicato pondere, alternis diebus, bibere autem oportet in vino mulſo diluto.

*ANthemis, quæ & Chamæmelō ab odore mali Græcis dicta eſt, officinis, & vulgò corrupta voce Chamomilla vocatur. Verùm quamuis tres Anthemidis ſpecies florum colore tantùm differentes, memoriæ prodiderit Dioſcorides, eamq́; cæteris ad calculos præſtare tradiderit, cui flores in medio aurei, per ambitum verò purpurei buboníj modò inſunt: pharmacopolæ tamen in Italia illam duntaxat ſibi comparant, quæ floribus conſtat intus aureis, foris foliis albicantibus circumſeptis: quòd hæc cæteris frequentior, copioſiorq́; inter ſegetes in campis proueniat, oleatq́; ſuauiter. Quandoquidem cætera eius genera, à paucis ſane cognita, in raris Italiæ locis reperiuntur. Sunt qui putent plantam, quam quidam Vergilij* ADONIDEM *eſſe cenſent, purpureum Dioſcoridis eſſe Anthemidem, ſed re vera hallucinantur, quòd huiuſce Anthemidis genus, Dioſco. teſte, flores proferat in medio aureos, & forinſecus orbiculato ambitu purpureos, vt in [Amello] Belli quadam videmus, à quibus maximè differunt vulgaris Adonidis flores, qui papauerorum ſylueſtrium flores æmulantur. Cæterùm Anthemis cuius vulgaris eſt vſus, caules edit cubitales, foliis eſt paruis, capillaribus, tenuibus, ac numeroſis: flores fert in caulium, ramorumq́; ſummitatibus Parthenio, quod Matricariam vocāt, ſimiles. Radicibus nititur tenuibus, nec altè deſcendentibus. Tanta eſt Anthemidis cum* COTVLA *fœtida ſimilitudo, vt nullo ferè oculorum intuitu, ſed olfactu tantùm altera ab altera dignoſci queat. Namq́; altera, nēpe Anthemis perquā bellè ac ſuauiter olet, altera verò fœtet, & adeo acris eſt, vt cutim exulceret adalligata. Quo fit vt qui in campis aluum exonerant, & deinde hac herba ſedem abſtergunt, paulò poſt intolerabili vexentur ardore. Cæterùm Anthemidis decoctum potum lateris dolores ſanat. Idem præſtat*

Anthemidis conſideratio.

Adonidis mentio.

Cotula fœtida.

Anthemidis vires.

*II. CHAMÆMELVM NOBILE flore multiplici.*



*III. CHAMÆMELVM FOETIDUM, ſeu Cotula.*



IV. ADONIS.



Anthemidis vires ex Gal.

*aqua è floribus diſtillata. Anthemidis flores abſque foliis decerpti, tuſiq́; in mortario, & ex oleo in paſtillos conformati, ſi ex eodem oleo diſſoluantur iiſq́; febrientes à vertice capitis uſque ad pedes illinantur, moxq́; ſtragulis, vt ſudent, integantur, quaſcunque febres ſanant, ſi ſudor copioſius fluxerit. Ita enim ſcriptum reliquit Nichesſor Aegyptius. Anthemidis meminit Gal. li. 3. ſimp. med. ſic ſcribens. Chamæmelũ tenuitate quidem roſæ perſimile eſt, calore verò ad olei facultates magis accedens, animali tũ familiares, tum tẽperatas. Quapropter laſſitudinib. vt ſi quid aliud cõfert, doloreſq́; ſedat, mitigat q; Præterea tẽſa remittit, & laxat, quæq́; mediocriter dura ſunt emollit, quæque conſtipata rarefacit. Ad hæc febres, quæ citra viſceris alicuius inflãmationes infeſtant, diſcutit, ac diſſoluit, ac præſertim quæ ex humorib. bilioſis, aut cutis denſitate proueniunt. Qua de re & ab Aegyptiorum ſapientibus Soli cõſecratũ eſt, febriumq́; omnium remedium putatur. Verum hac quidem in re à veritate aberrant: ſolas enim, quas dixi febres ſanare poteſt, eaſq́; quæ iam concoctæ ſunt. Iuuat tamen pulchrè reliquas etiam omnes, quæ melancholicæ ſunt, aut pituitoſæ, aut ex viſcerum inflammatione prognatæ. Nam & harum remedium Chamæmelum vel ſtrenuiſſimum eſt, vbi iam concoctis adhibetur: quapropter, & hypochondriis, vt ſi quid aliud, gratum exiſtit. Meminit etiamnum libro 6. eorundem ſimpl. med. ſic inquiens. Dictum quidem in 3. libro de hac herba copioſius eſt, diceturq́; nunc ſummatim, quod calefacit, & deſiccat in primo ordine. Eſt & tenuium partium, ac proinde digerendi, rarefaciendi, & laxandi facultatem obtinet. Planta, quæ Græcis ἀνθεμὶς, & χαμαίμηλον, Latinis pariter Anthemis, & Chamæmelum appellatur: Arabibus, Debonigi, ſeu Babunegi: Italis, Camamilla: Germanis, Camillen: Hiſpanis Manzanilla: Gallis, Camemina, & Camomille.*

Nomina.

Chamæmelum aliud odoratũ, quod vel gratum, idq́; flore ſimplici, quod vulgatum, vel peregrinũ: aut flore pleno eſt: vel ingratum ſpirat odorẽ. Aliud inodorũ Cotula, & quidẽ aruenſe, marinum, & alpinum. I. Chamæmelũ vulgare, quod Leucanthemũ Dioſc. C.B. Chamæmelũ tertia Parthenij ſpecies Brunſ. Anthemis ſiue Chamæmilla, Matth. Cor. in Dioſc. Chamæm. Lac. Caſt. Cæſ. Tab. Thal. Chamomilla tertia, Trag. Chamæm. leucanthemum, Fuch. Geſ. hor. Chamæm. ſylu. Dod. gal. Lugd. Chamæm. vulgare, Dod. fol. Geſ. hor. ap. Chamomilla vulgaris, Lon. Chamæmalũ verũ, Geſ. hor. Chamæm. aruenſe, Cam. Anthemis vulgatior, Lob. II. Chamæm. nobile flore multiplici, C. B. Anglorũ niueum Leucanthemum flore multiplici, Aduerſ. Lob. Anthemis leucanthemos niuea Anglorũ flore multiplici, Lugd. Chamæm. leucanthemum odoratũ multiplex, Dod fol. Chamæm. Romanũ flore multiplici, Cam. in Matth. Tab. Chamæm. flore pleno, Cam. Hoc tenerioribus eſt cauliculis humi ſparſis, foliolis breuioribus, florib. ex plurimis foliolis denſè cõpactis: tota plãta cæteris ſuauius olet, quare & facultatibus ſuperat: ſunt qui ex plãtę ſucco, floribus & vino albo, Syrupum ad icterũ & hydropẽ ſplenis vitio cauſatum, conficiant. Circa Aurelias Galliarum ſpontè quidẽ prouenit, alibi in hortis cultioribus reperitur. III. Chamæm. fœtidũ, C.B. Cotula fœtida, quarta ſpecies Parthenij, Brunſ. Camomilla ſecunda & ſylu. Trag. Cotula fœtida, Matth. Dod. gal. Geſ. hor. Lob. Lac. Lon. Caſt. Lug. (cui & Parthenium leptophyllon Hippocratis) Cam. Parthenium, Fuch. Cotula alba, Dod. fol. Cotula, Tab. Cota vulgo in Hetruria, Cæſ. cui & Buphthalmon Dioſc. Gal. & Plinij, Buphthalmum minus, Cord. in Dioſc. Chamæm. album ſeu fœtidum, Thalyo. IV. Adonis hortenſis eſt & ſylu. hæc flore vel maiore vel minore, hæcq́; rurſus rubro, pallido, luteo, in medio nigricante, rarius albo. Adonis flore minore, C.B. Anemone agreſtis, Trag. Anemone, Cor. in Dioſ. Anemone tenuifolia, Cord. in hiſt. Adonis, Matth. Lugd. Flos Adonis, Lob. Adonidis flos, Cam. Chamæmelum Eranthemum, Dod. gal. Geſ. hor. Eranthemum, Dod. gal. & fol. Chamæmelum rubrum, Geſn. hor. Anthemis Eranthemos, Lug. Chamæmelum cuius folia florem cingentia ſunt purpurei coloris, Caſt. Chamæmelum purpureum, Tab. Aculeata, Lon. Ranunculus aruenſis floribus rubicundis, Cæſalpino.

## Παρθένιον. PARTHENIVM. CAP. CXXXVIII.

PArthenium, aliqui amaracon vocant, foliis eſt coriandri, tenuibus: flore per ambitum albo, intus melino, odore ſubuiroſo, ſapore amaro. Siccatum, cum aceto mulſo, aut ſale potum, non ſecus atque epithymum, & bilem, & pituitam detrahit: ſuſpirioſis prodeſt, & melancholicis. Herba ſine flore à calculoſis, & anhelatoribus magna vtilitate bibitur. Valet decoctum ad inſidendum in duritia vuluarum, & inflammationibus. Illinitur ſacro igni, & collectionibus cum flore.

Parthenij conſideratio.

*SEritur Parthenium in Italia in hortis ferè omnibus, neque modò in iis ſatum, ſed in aliis quoque locis ſponte prouenit. Folio eſt coriandri, amaro ſapore, odore graui: floribus per ambitum albis, intus melinis. Hetruſci Matricariam, & ab amaro ſapore, Amarellam vocant. Cæterùm hallucinantur, mea quidem ſententia, in Parthenij hiſtoria Braſauolus, & Fuchſius, viri alioqui doctiſſimi: quin & Monachi illi reuerendi, qui in Meſuem commentarios ediderunt, quòd concordes ſibi perſuaſerint (vt ſuperius in Artemiſiæ commentario, eorum errorem explodendo, diximus, Matricariam, ſiue Amarellam vulgò vocatam, eſſe illud Artemiſiæ genus, quod ſecundo loco à Dioſcoride repræſentatur: vtpote qui non rectè expenderint hanc eſſe legitimum Parthenium. Porrò contendunt Braſauolus, & Fuchſius eam omnino plantarum*

Matricariam non eſſe Artemiſiam cõtra Braſau. Fuch. & Monach.

verum

I. PARTHENIVM, SEV MATRIC. II. TANACETVM.





*verum referre Parthenium, quam herbariorum vulgus Cotulam fœtidam appellat. Sed quàm iſti clariſſimi medici magno in errore verſentur, iudicent ij, qui probè ſciunt Cotulam fœtidam folio eſſe fœniculi, aut anthemidis potius, quàm coriādri: neque ſapore vſqueadeò amaro, vt in Parthenio requiritur, ſed acutiſſimo, & exulcerandi vi prædito, id quod nuſquā Parthenio tribuit Dioſcorides, neque Galenus. Sunt præterea antiquorum nonnulli, qui Helxinem quoque Parthenium vocauere, illam ſcilicet, quæ in parietibus naſcitur detergendis vitreis vaſis aptiſſima, vt Galenus ipſe teſtatur lib. 6. ſimpl. med. & Plin. lib. 22. cap. 17. naturalis hiſtoriæ. Nec deſunt etiam, qui velint mas Parthenium appellare Athanaſiā, quam & TANACETVM vocant ſeplaſiarij, cuius etiam ſuperius de Artemiſia differentes mentionem fecimus, & hic modò effigiem damus. Quorum equidem ſententiam magis probandam cenſerem, quàm eorum, qui tertium Artemiſiæ genus Tanacetum eſſe contendunt. Foliis eſt maioris millefolij æmulis, aliquantò tamen maioribus, amaro ſapore, & odore graui, caulibus bicubitalibus, floribus melinis, aureis globulis ſimilibus, vmbellatim quadantenus micantibus. Radice nititur vnica compluribus adnatis fibris. Prouenit in hortis, ac etiam alibi ſponte per ſe naſcitur. Excalfacit, exiccat, abſtergit, aperit, flatus pellit. Vtuntur Tanaceto recentiores ad ventriculi, vteri & alui flatus diſcutiendos, item ad lumbricos ex ventre pellendos. Vtuntur & ad frangendos renum calculos, & ad ciendam vrinam & menſes: obſtructiones viſcerum aperit. Sed id viris magis, quàm mulieribus commendant: contrà verò Matricariam dictam fœminis tantùm exhibendam præcipiunt. Parthenij in ſimpl. med. cenſu Galenum meminiſſe non reperio. Excalfacit, ſiccat, aperit, abſtergit, prouocat, reſoluit, flatus pellit. Epotus ſuccus drachmæ pōdere cum ſaccharo ventris tineas perimit: illitus impetigines, alphos, & lentigines emaculat. Peculiariter autem auxiliatur omnibus vteri affectibus, quos flatus, aut pituitoſus humor excitauerit: menſes ciet, & ſecundas: calefit recens ſuper tegula, & irrorata vino veteri illinitur cōtra vteri dolores. Eius nomē Græcum eſt παρθένιον, Latinum ſimiliter Parthenium: Officinis, Matricaria. Arabicum, Achuen, Vchuen, Achuan, ſiue Alachuam: Italicum, Parthenio, Matricaria, & Amarella: Germanicum,* Mutter Kraut / *&* Mettram: *Gallicum, Matricaire. Tanacetum ſiue Athanaſia: Italis, Tanaceto ſiue Daneda.*

Helxine, Parthenium.

Tanacetum, & eius medicinæ.

Nomina.

Parthenium quaſi virginalis, quòd morbis mulierū vterinis medeatur, vnde vulgò Matricaria dicitur. Hęc foliis eſt latioribus, & anguſtioribus: illa vel odorata, vel inodora: odora vel ſimplici, vel pleno flore: inodora, peregrina eſt & altera alpina. I. Matricaria vulgaris, C.B. Cam. Matricaria, prima Parthenij ſpecies, Brunf. Parthenium, Matth. Cord. in Dioſc. & hiſt. Dod. gal. Geſ. hor. Lac. Caſt. Thal. Amaracus Galeni, Ericio Cord. Matricaria, Trag. Dod. fol. Lon. Cæſ. Lugd. Matricaria noſtras, Lob. Artemiſia tenuifolia Fuch. fol. Tab. Artemiſiæ ramoſæ altera ſpecies, Fuch. in icon. II. Tanacetum fortè à Tannaco, quo nomine Partheniū appellatum fuiſſe teſtatur Plinius. Hoc odorum eſt, vel inodorū: odorū, aut maius, quod folius eſt vel planis, floreq; aut luteo, aut albo, vel criſpis: aut minus, hocq; vel cāpeſtre, vel alpinum: inodorum, flore minore, vel maiore. Tanacetum vulgare, quod Parthenium microphyllon Hippocratis videtur, C.B. Tanacetum, Brunf. Matth. Cord. in hiſt. Geſ. hor. Lon. Dod. fol. Lob. in obſ. Caſt. Cæſ. Tanacetum vulgare luteum, Trag. Tanacetum maius, Dod. gal. Tanacetum citrinum, Thal. Tanacetum millefolij folus, Lob. in icon. Athanaſia, Lugd. Athanaſia vulgaris, Lac. Artemiſia tenuifolia, Fuch. in icon. Artemiſia monoclonos, eidem in fol. Artemiſia Dioſcoridis, Tabernæmontano.

## Βούφθαλμον. BVPHTHALMVM. CAP. CXXXIX.

BVphthalmon, quidam cachlam vocant, caules emittit tenues, molleſque: folia fœniculi: luteum florem, anthemide maiorem, oculi ſimilitudine, vnde nomen traxit. Circa oppida naſcitur, & in campe-

ſtribus. Flores cum cerato triti, tumores, duritiaſque diſcutiunt. Aiunt epotam poſt exitum à balneis, regio morbo correptis, colorem tractu temporis reddere.

I. BVPHTHALMVM. *II. BVPHTHALMVM ALTERVM*





Buphthalmi conſideratio.

*NOn parum profectò inter ſe variant de Buphthalmo recentiorum ſententiæ, vt herbam, quæ ipſum legitimè repræſentet decernant, & oſtendant. Nam aliqui putant, herbam quandam cubito altiorem, in pratis & agrorum marginibus naſcentem, quæ (vt equidem opinor) Bellis maior eſt, folio nonnihil in ambitu ſerrato, flore intus melino, extra verò candidiſſimis foliolis vndique circundato, anthemide maiore, eſſe legitimum Buphthalmum. Alij verò, quibus adſtipulatur Fuchſius, aliam ab hac herbam verum Buphthalmum eſſe contendunt, vulgaris anthemidis cognatam, quam officinæ Cotulam non fœtidam vocant. Sed cur horum ſententias comprobem, ſanè non habeo: quippe quamuis Cotula non fœtida dicta foliorum facie quadantenus Buphthalmum referat, flores tamen in medio melini, & in ambitu anthemidis modo candidi, Dioſcoridis picturæ non vtique reſpondent. Quemadmodum & hinc perſpicuum eſt alteram plantam, cuius primo loco meminimus, non eſſe Buphthalmum. Siquidem cùm diligentiſſimè ſcripſerit Dioſcorides vulgaris anthemidis, tum etiam parthenij flores intus aureo micare colore, per ambitum verò candido, dubitandum quidem non eſt, quin & eadem fuerit vſus diligentia in deſcribendo Buphthalmi flore, quem tamen luteum in vniuerſum facit, non autem in ambitu candidum, qualis in vulgari parthenio conſpicitur. Cùm itaque Buphthalmum luteo planè flore præditum eſſe debeat, haud dubiè errant, meo quidem iudicio, qui pro Buphthalmo prædictas, aut ſimiles plãtas accipiunt. Cæterùm legitimum, ni fallor, Buphthalmum ad me attulit hoc anno Patauio Ioannes Odoricus Melchiorius Tridentinus, iuuenis ſpectatæ in philoſophia ac medicina eruditionis, mihiq; perinde ac filius chariſſimus, quod in nullis prorſus notis a Dioſcoridis deſcriptione diſſidet, vt eius effigies, quam hic damus, abundè demonſtrat.*

Cotula non fœtida nõ eſt Buphthalmum.

Buphthalmi vires ex Gal.

*Buphthalmi vires retulit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum iis verbis: Buphthalmum, inquit, ſic appellatum eſt à floribus, qui figura quidem boum oculis videãtur adſimiles, colore autem anthemidis floribus ſimillimi ſunt, ſed multò illis tum maiores, tum acriores. Proinde & vehementius diſcutiunt, adeò vt duritias ſanent cerato miſti: hæc Galenus. Vbi ne quid nobis obſtet, animaduertendum eſt, quod Galenus, qui Buphthalmi flores anthemidis floribus ſimillimos reddit, de ea tantùm anthemide intelligit, quæ luteos flores profert. Sed quoniam de Buphthalmi flore differenti mihi* BELLIS *ſic à Plinio vocata occurrit, cuius etiam initio commentarij memini, non alienum eſſe duxi, hoc in loco eius hiſtoriam, & vires recenſere.*

Bellidis hiſtoria.

Maior.

*Bellis igitur quanquam plura ſint genera, tria tamen communiter numerantur, nempe maius, medium, & minus. Maius folia gerit ex anguſta origine in latum ambitum finientia, ſubrotũda, craſſiuſcula, & circumquaq; quercus modo ſerrata, humi circa radicẽ in rotæ modũ accubantia. Quæ autem in caulibus habentur anguſtiora, oblonga magis ſunt ſenecionis modo, caules emittit ab vna radice plures, cubitales, teretes, robuſtoſq;, è quorum ſummis partibus flores exeunt Anthemide, aut Parthenio maiores, qui æſtate ferè tota perdurant, colore intus aureo, & per ambitum candido. Radix illi eſt multifida, haud valde deſcendens. Naſcitur in paſcuis, pratis, ſecus itinera, & in agrorum marginibus.*

Media.

*Alterum autem, quod medium appellamus, plerumque in pratis & paſcuis prouenit, foliis alterius minoribus, nec adeò per ambitum inciſis, minimè ſinuatis, in terra iacentibus. Cauliculos edit tenues, flexiles, rotundos, palmari longitudine: radicem altero tenuiorem, ſed multifidam: flores mittit maiori per omnia ſimiles, ſed longè minores.*

Minor.

*Minus quod in hortis & fictilibus ſeritur, variis ſpectatur generibus, quæ florum varietate dignoſcuntur. Nam tametſi folia in omni ferè genere habeantur longiuſcula,*

in cau-

III. BELLIS MAIOR.



*IV. BELLIS ALPINA.*



V. BELLIS MEDIA.



*in cacumine ſubrotunda, craßiuſcula, ſolo procumbentia, & in rotæ modum radiantia, atque per ambitum ſenſim ſerrata. flores tamen coloribus, & foliorum numero inter ſe variant. Siquidem in vno genere centrotenus aurei, & per ambitum rubentibus foliolis ſtipati cernuntur: in altero verò ex candido rufeſcentibus, aut verſicoloribus numeroſioribusq́. Sunt etiam qui intus rubri ſint, & in ambitu albi, quinetiam qui vbiq́ foliolis exilibus admodum verſicoloribus adeò ſtipati habeantur, vt ſericinos floccos penè referant. Omnes hoc tempore in coronamenta venere. Nam ob cauliculorum mollitiem, & colorum præſtantiam, texendis coronis aptißimi ſunt. Florent anno ferè toto ſi cultorum diligentia non deſit. Facultas omnibus eadem: nam (vt recentiores perhibent) valent flores in ſtrumis, & capitis fracturis: quinetiam in vulneribus thoracis, quæ in pectoris cauitatem vſq́ penetrarunt, in quem vſum Bellim potionibus inſerunt. Sunt & qui Bellidis omnia genera laudent ad iſchiada, & paralyſin. Sanant commanſa folia cùm oris, tum linguæ exulceratas puſtulas: eadem tuſa genitalium inflammationes extinguunt, ac etiam reſoluunt. Herba ipſa recens in acetarijs ex oleo & aceto deuorata, aluum adſtrictam lenit: id quod etiam præſtat ex iure pinguium carnium decocta & vnà cum iure ſumpta.* Βούφθαλμον *ſic Græcè* Nomina. *Latinè verò Buphthalmum, & Oculus bouis dicitur: Arabicè, Bihar: Italicè, Buphthalmo, & Occhio di bue: Germanis,* Rindsaug: *Gallis, Oiel de Beuf. Bellis maior, Italis primo fiore maggiore, & fior di primauera, nonnullis Primula veris maior, dicitur. Bellis minor, Italis primo fiore minore, fior di prima vera: Germanis,* Maßlieben: *Gallis Marguerites, ſeu Raſquette. Bellis minima, Italis, Margarite: & fiori di prima vera gentili.*

Bellidis vires.

Buphthalmum, quòd flore ſimilis ſit boum oculis. I. Buphthalmum Dioſcoridis, C. B. Buphthalmum, Matth. Trag. Lac. Geſner. hort. Lobel. Lugd. Caſt. Tab. Buphthalmum vulgare, Cluſ. hiſto. Pan. Chamæmelum Chryſanthemum, Fuchſ. Cotula lutea, Dodo. gal. & fol. Cotula non fœtida, Lonicero Chryſanthemum, Cordo in Dioſcorid. Geſner. hort. After atticus, Cord. in hiſto. quo ad iconem, quam tamen ipſe non appoſuit. II. Buphthalmi nomine hoc videtur Camerarius in ſuo Matthiolo propoſuiſſe.

VI. BELLIS MINOR.



VII. BELLIS MINIMA.



VIII. BELLIS MINIMA.



poſuiſſe. Buphthalmi altera ſpecies, Geſ. hor. Buphthalmum alterum folio & facie Cotulę fœtidæ, Aduerſ. Lob. Buphthalmum alterũ Penæ, Lug. Buphthalmum Narbonenſe, Cluſ. hiſt. Pan. Buphthalmũ verum, Tab. Chryſanthemum primum Cæſa. Nunc de Bellide. Bellidem licet aliqui velint apud Theophraſtũ eſſe Anthemidis foliacei ſpeciem, cẽſemus tamen Græcis indictam, & á Plinio primum propoſitam, quæ ſylueſtris eſt & ſatiua: illa maior, media, & minor: maior alba, vel lutea: alba pratenſis, ſimplici, rariſs. pleno flore, & alpina, hæcque maior vel minor: lutea, folijs vel profundè inciſis, eaque maior & minor, vel ſubrotundis. Sylueſtris minor alba, vel mixta, vel cœrulęa, hocq; vel fruteſcẽs vel nõ: hæcq; caule nudo vel folioſo. Satiua veró minor eſt pleno flore, eoq; maiore vel minore, albo, rubro niueo: huius generis eſt & prolifera ſuaue rubẽs, rarius viridis. III. Bellis ſylu. caule folioſo maior, C.B. Oculus bouis vel vaccinus, Brũf. Bellis maior, Matt. Trag. Fuch. in fol. Dod. gal. & fol. Lacu. Lob. (cui & Conſolida media vulnerariorum.) Caſt. Lugd. Cæſal. Cam. Bellis maior ſylueſtris, Fuchſ. in icon. Geſ. hor. Bellium maius Tab. Buphthalmum maius, Lonicero. IV. Bellis alpina maior, C. B. Hæc ex radice ſerpente, lignoſa, nigricante, & ab vna parte fibras ſpargẽre, caulem emittit vnicum, cubitalem altitudinem excedentem, rotundum, ſtriatum, ad radicẽ leuiter hirſutum, circa quem folia pediculis carentia, quinque vel ſex tranſuerſorum digitorum longa, anguſta, rigida, ex rotunditate acuminata, per circumferentiam crenata, nullo ordine diſpoſita: in caulis ſummo, flos vnicus, medio luteus, quem plurima folia alba cingunt, totusq; flos priori multò maior eſt. Hæc in Baldo, monte Veronenſi prouenit: à qua diuerſa quæ in Euganeis prouenit. V. Bellis ſylueſtris media caule carens, C. B. Bellis media, Matth. Cluſ. hiſt. Pan. Lugd. Tab. Cam. Bellis ſylueſtris media, Geſ. hort. Dod. fol. Bellis maior ſylueſtris, Lob. Bellis minor, Caſt. VI. Bellis ſylueſtris minor, C.B. Geſ. hort. Lugd. Solidago, Brunf. Primula veris, eidem. Cæſal. Bellis minor, Matth. Bellis minor ſylueſtris, Fuch. Dod. gal. & Tab. VII. Bellis hortenſis flore pleno

C.B.Pri-

C.B.Primula Veris Trag.Geſ.hort.Cæſ.Bellis minor, Matth.Cam.Lugd. Bellis minima Matth. in Compendio.Caſt.Bellis minor hortenſis Fuch.Dod.gal.Lac.Geſ.hort. Taber.Bellis hortenſis Dodo.fol.Bellis hortenſis multiplici flore, Lob.VIII.Hanc etiam ſub Bellide minima habet Matthiolus, quam Bellidem minorem hortenſem Tabernæmontanus nominat.

## Γλυκυσίδη. PÆONIA. CAP. CXL.

PÆonia, ſiue glycyſide, Græcis aliquibus pétorobon dicitur, ſunt qui Idæos dactylos radicem pœoniam vocant. Caulis altitudine ſeſquipedis adoleſcit, comitantibus multis ſtolonibus. Huius duo genera: mas folia iuglandis habet: in fœmina verò ſmyrnij more diuiduntur. Summo caule ſiliquas emittit amygdalis ſimiles: in quibus, cúm dehiſcunt, multa grana, exigua, rubra, acinis punicorum ſimilia inueniuntur, & in medio nigra, purpurea quinque aut ſex. Radix maris digitali craſsitudine, & palmi longitudine, guſtu adſtringens, alba: fœminæ radicibus ceu glandes circiter ſeptem aut octo inhærent, vt in haſtula regia. Fœminis à partu non purgatis ſicca radix datur: ciet menſes amygdalæ magnitudine pota: ſic ventris doloribus cum vino pota auxiliatur: valet contra regium morbum, & renum, ac veſicæ dolores: decocta in vino a aluum ſiſtit. Rubra grana rubentes menſes ſiſtunt, decem vel duodecim pota in vino auſtero, & nigro: ſtomachicis, & eroſionibus ea eſſe prodeſt: á pueris pota initia calculorum eximunt. Grana nigra auxiliantur ſuppreſsionibus nocturnis, vuluæ ſtrangulationibus, & matricis doloribus, quindecim numero pota, in aqua mulſa, aut vino. Naſcitur in altiſsimis montibus, & præruptis.

a Catecuz. addit. καὶ πινομένη.i.& pota.

I. PEONIA MAS.



II. PAEONIA FOEMINA.



PAeonia fœmina planta eſt vulgaris notitiæ: mas verò contrà, quòd paucis in Italia locis proueniat. Hanc Piſis ad me Goritiam miſit hoc anno Lucas Ghinus Forocornelienſis, vir & doctrina, & rei medicæ cognitione præclarus: ſed & eam antea è Germania allatam vidimus. Pæoniæ hiſtoriam, & vires deſcripſit Plinius lib. 27. cap. 10. his verbis. Glycyſide, quam aliqui Pæoniam aut pentorobon vocant, caulem habet duum cubitorum comitantibus duobus, aut tribus, ſubrutilum, cute lauri, folia qualia Iſatis pinguiora, rotundioraq́; ac minora. Semen in ſiliquis, aliud grano rubente, aliud nigro. Duo autem genera ſunt. Fœmina exiſtimatur, cuius radicibus ceu balani longiores circiter octo aut ſex adhærent. Mas plures habet, quoniam non vna radice nixus eſt, palmi altitudine candidaq́; ea guſtu adſtringit. Fæminæ folia Myrrham redolent, & denſiora ſunt: naſcuntur in ſyluis. Tradunt noctu effodiendas, quoniam pico martio impetu in oculis faciente, interdiu periculoſum ſit. Radix verò cum effodiatur, periculum eſſe, ne ſedes procidant. Magna id vanitate ad oſtentationem rei fictum arbitror. Hæc Plin. in quibus à Dioſcoride diſſentit, quòd mari plures ſcripſerit eſſe radices quám fæminæ, quo fit vt ſuſpicer Plinij lectionē vitio haud carere. Pæoniæ vires poſteritatis memoriæ tradidit Gal. li. 6. ſimpl. med. vbi ita ſcriptū reliquit. Glycyſida, quā pentorobon, & pæoniā nuncupant, radicē habet leuiter adſtringentē cum quadā dulcedine: etſi pluſculū dentib. mandas, acrimoniā item quampiā ſubamarā ſubeſſe percipies. Proinde mēſes ciet ex melicrato amygdalæ pota quātitate. Sanè tūdere eā oportet, ac cribrare, & ſic inſpergere. Expurgat porrò etiā iecur obſtructū, & renes. Sed hæc efficere nata eſt, quæ acris, ſubamara eſt: quæ verò quiddā etiā adſtrictoriū obtinet, ventris fluxiones ſiſtere poteſt. Verum eā tunc in auſterorū vinorū quopiā decoctā bibere cōuenit. Eſt autē facultate omnino reſiccatoria vehementer, ita vt nō deſperauerim eam etiā adalligatā ꝙ meritò creditum eſt, puerorum epilepſias ſanare. Equidē vidi puellum quandoq; octo totis mēſibus morbo comitiali liberum, ex eo quo geſtabat radicem tēpore: vbi verò fortè fortuna quod a collo ſuſpenſum erat decidiſſet, pro-

Pæoniæ conſideratio.
Ex Plinio.
Pæoniæ vires ex Gal.
Galeni hiſto.

* III. PAEONIA FOEMINA flore pleno. *



*ſet, protinus morbo correptus eſt: rurſusq́; ſuſpenſo in locum illius alio, inculpatè poſtea ſe habuit. Porrò viſum eſt nobis ſatius eſſe denuò id collo detrahere, certioris experientiæ gratia. Id cùm feciſſem, ac puer iterũ eſſet cõuulſus, magnam recentis radicis partem ex collo eius ſuſpendimus: ac deinceps prorſum ſanus effectus eſt puer, nec poſtea conuulſus eſt. Rationabile itaque erat, aut partes quaſpiam à radice defluentes, ac deinde per inſpirationem attractas, ita affectos locos curare, aut aerem à radice aſſiduè mutari, & alterari. Nam hoc pacto ſuccus Cyrenaicus columellam phlegmone affectam iuuat, & melanthium frictum palam deſtillationes & grauedines deſiccat, ſi quis id in calidum linteum rarum liget, aſſidueq́; calorem ex eo per inſpirationem, quæ per nares fit, attrahat. Quinetiam ſi compluribus linis, & maximè marinæ purpuræ, collo viperæ iniectis, illis viperam præfoces, eaque poſtea cuiuſpiam collo obuincias, mirificè profuerit tum tonſillis, tum omnibus ijs, quæ in collo expullulant. Sed de talibus priuatim aliquando fortè conſcribam. Nunc verò ſciendum eſt Pæoniæ temperamentum tenuium eſſe partium & exiccatorium, haud tamen inſigniter calidum, ſed aut ſymmetrum aut paulò calidius. Hæc Galenus. Quibus patet pæoniæ radicem collo ſuſpenſam, non quidem deuoratam, puerorum epilepſiam curare, quanquam plurimi ſint medici, qui eam ad comitiales potandam præbeant. Cæterùm hoc uno Galeni de ſuſpenſa pæonia teſtimonium plurimos fefellit medicos: quo fit vt mihi dubitandum ſit an Pæonia vulgaris ea ſit, de qua ſcribit Galenus.* Pæoniæ vires Matthiolo. *Præſtat Pæoniæ noſtræ ſemen ad amiſſam loquelam, ſi eius triginta grana à cortice repurgata, & in puluerem contrita ex vino propinentur. Valent eadem, ac pariter radices ad ſerpentiũ morſus, nõ ſolùm pota ſed etiam impoſita. Nõ deſunt mulierculæ, quæ, perforata pæoniæ ſemina, & filo traiecta coralliorum modo ſuis infantibus & pueris collo circumligent, quòd putent hoc amuleto Epilepſiam arceri.* Nomina. *Hæc planta Græcis γλυκυσίδη, & παιονία, Latinis item Pæonia nuncupatur: Arabibus, Feonia: Italis, Peonia: Germanis,* Peonien: *Hiſpanis, Roſa del monte, & Roſa albardeira: Gallis, Penoeſne, & Pinoine.*

Pæonia authoris nomen retinet, quæ à Pæone medico inuenta creditur, quæ in marem & fœminam diuiditur: mas folio eſt nigricante, ſplendido: fœmina variat, eſt folio vtrinque virente & glabro, calyce hirſuto, flore vel ſimplici eoq; purpureo, vel nigricante, vel pleno: altera folijs infernè albicantibus, nonnihil hirſutis, calyce hirſuto, flore vel purpuraſcente, vel albo, vel pallido: alia folijs ſupernè virentibus, glabris, infernè nonnihil virentibus, calyce glabro: alia folijs infernè albicantibus, hirſutis, calyce glabro: eſt denique pumila folijs in lacinias diſſectis pluribus, floreque minore. I. Pæonia folio nigricante ſplendido, ſiue mas, C.B. Pæonia nobilior, Trag. Pæonia mas, Matth. Cord. in Dioſc. Geſ. hort. appe. Lob. Dod. fol. Caſt. Cæſal. Taber. Lugdun. Pæonia mas folio nucis, Geſ. hort. II. Pæonia fœmina. Matth. Lacun. Caſt. Cam. Pæonia fœmina prior, Dodo. fol. Lugdun. Pæonia promiſcua ſeu neutra, Lobel. Pæonia altera vel fœmina Dioſcoridis, Cæſalpino. III. Pæonia fœmina flore pleno, C. B. Pæonia fœmina multiplici flore, Geſ. hort. Dod. fol. Pæonia fœmina Polyanthos, Lob. Lugd. Tab. Pæonia flore pleno, Lonic. Pæonia πολυφυλλάνθης Cluſ. hiſt. Pann. Pæonia Polyanthos, Camerario.

## λιθόσπερμον. LITHOSPERMVM. CAP. CXLI.

Lithoſpermon à ſeminis duritia nomen accepit. Folijs eſt oleæ longioribus, & latioribus, mollioribus, iacent humi, quæ ab radice exiliunt: ramulis rectis, tenuibus, firmis, craſſitudine acuti iunci, lignoſis, in quorum cacumine bifidi exortus cauliculorum ſpeciem exhibent: folijs longis, inter quæ paruum ſemen, rotundum, erui magnitudine, duritia lapidea. Naſcitur in aſperis, & editis locis. Vim hanc habet, vt ſemine cùm vino albo poto calculos frangat, pellatque vrinam.

Lithoſpermi conſid. *Lithoſpermon hodie ſeplaſiarij, & omnes ferè medici Barbaros ſecuti Milium ſolis nominant. Licet rectius fortaſſe Mauritanorum quoque imitatione ab illis Milium Soler vocaretur. Quandoquidem hæc plãta (vt ſcribit Serapio teſtimonio Aben Iuliel) frequens naſcitur in montibus Soler: vnde illi aptius fortè à loco, quàm à ſole cognomentum imponeretur.* Genera duo. *Huius milij, vtcunque cognominetur, duo oſtenduntur genera: maius, quod legitimum eſt Lithoſpermon, quo ue Hetruria ſatis referta eſt: prouenit ex oluto ſolo, & propè ſepes. Minus, quod longè frequentius vbiq́; in Italia gignitur arido & ſabuloſo loco. Hoc humi minimè repit, ſed arbuſculæ ferè inſtar ſurſum caules plures mittit brachiatos rotundosq́;, lignoſos, firmos, ſeſquipedales, in quibus folia ſunt vt in maiori oblõga, minora, & firmiora, è quorũ exitu ſemẽ oritur candidũ, pellucidũ margaritarũ modo, oblongũ tamen, & facie, & quantitate milio ſimile, quo factum eſt, vt Milium Soler appellari cœperit: ſed lapidea ferè duritia. Radices habes tenues, numeroſasque.* Fuchſ. error. *Cæterùm Fuchſium, Lithoſpermum Dioſcoridis omnibus propè nunc compertum, non cognouiſſe arbitror, quòd in ſuis clariſſimus de ſtirpium hiſtoria commentarijs pro vero Lithoſpermo, illud quod officinis Milium ſolis minus appellatur, depinxerit. Idẽ nihil minus deinde mihi quidem videtur erraſſe* Lithoſper. harundinaceũ. *in libro de compoſitione medicamentorum, quem nuper auctum edidit: vbi ſcriptis tradidit Lithoſpermi genus eſſe plantam illam harundinaceã, ex cuius ſeminibus quæ nos Lachrymas vocamus, fiunt orbiculi quib. filo traiectis vtũtur mulieres ad ſuas pre-*

I. LITHOSPERMVM MAIVS. II. LITHOSPER. MINVS.





* III. LITHOSPER. HArundinaceum. *



*ſuas preces numerandas. Hanc autem opinionem quoniam confutauimus in Apologia, quam aduerſus Amatum Luſitanum, quem fortè ſecutus eſt Fuchſius, ſcripſimus, hic vt ſatis alibi exploſam relinquimus. Lithoſpermon, vt herbam ſumma admiratione dignam, eleganter deſcripſit Plinius lib. 27. ca. 11. cuius hic verba ſubijciam. Inter omnes herbas, inquit, Lithoſpermo nihil eſt mirabilius. Aliqui egonychon vocant, alij dioſpyron, alij heracleon. Herba quincuncialis ferè, folijs duplo maioribus, quàm rutæ, ramulis ſurculoſis, craſſitudine iunci. Gerit iuxta folia ſingulas veluti barbulas, & earum in cacuminibus lapillos candore, & rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia verò lapidea. Ipſi, qua pediculis adhæreant, cauernulas habent, & intus ſemen. Naſcitur & in Italia, ſed laudatiſſimum in Creta. Nec quicquam inter herbas maiore quidem miraculo conſpexi. Tantus eſt decor, velut aurificum arte alternis inter folia candicantibus margaritis, tam exquiſita difficultas lapidis ex herba naſcentis. Iacere atque humi ſerpere authores tradunt. Ego vulſam, non hærentem vidi: hactenus Plinius.*

*Lithoſpermi hiſt. ex Plin.*

*Datur vtriuſque ſemen potandam vtiliter diebus pluribus ſeſquidrachmæ pondere, addita aſpleni ſemidrachma, & ſuccini ſcrupulis duobus, ex ſucco plantaginis, aut portulacæ, aut lactucæ ad gonorrhæā cohibendum. Dantur quoque magno ſanè auxilio minoris lithoſpermi ſeminis drachmæ duæ ex lacte muliebri potandæ ægre parturientibus fœminis Namque hoc tantùm medicamento quàm plures in partu laborantes adiutæ ſunt. Lithoſpermum in ſimplicium medicamentorum libris Galenum meminiſſe non inuenio.*

*Lithoſp. vires*

*Quod Græci λιθόσπερμον, Latini quoq; Lithoſpermum vocant: Mauritani, Kulb, Culb, Calt, ſeu Calab: Itali, Lithoſpermo, & Milium ſolis: Germani,* Meerhirß vnnd Steinſamen: *Galli, Gremil, & Herbe aux perles. Lithoſpermū minus, officinis, Milium ſolis: Græcis λιθόσπερμον μικρὸν: Italis, Litoſpermo minore, Miglio ſaluatico, ſeu Milium ſolis: Germanis,* Klein Meerhirſchen oder Steinſamen.

*Nomina.*

Lithoſpermum maius eſt, minus, & minimum: illud, vel folijs oleæ, vel arundinaceis: minus vel latifolium, vel anguſtifolium: minimum paſſerina dictum, quod vel Germanicum, vel Monſpeliacum. I. Lithoſpermum maius Matth. Lacun. Caſt. Lugdunenſi. II. Lithoſpermum maius erectum, C.B. Milium ſolis ſatiuum, Trag. Lithoſpermum minus, Matth. Dodonæo gal. Geſnero de hort. Lacun. Lob.

Lob.Caſtor.Lugd.Lithoſpermum,Fuchſ.fol.Cord.in Dioſ.& hiſt.Lonic.Lugd. Lithoſpermum ſatiuum Fuchſ.icon.Lithoſpermum legitimum, Cluſ. hiſto. Pann. Lithoſpermum alterum fruticoſum, Thal. Lithoſpermum aruenſe, Tab. Lithoſpermum vulgare minus, Cam.Saxifraga tertia,Brunf. III. Lithoſpermum harundinaceum, C.B. (an Dioſcoridis & Plinij) Lugd.Lithoſpermum maius, Trag. Geſ.hor. Arundo lithoſpermos, & Lachryma Chriſti, Trag. Geſ. hort. Lithoſpermum fruticoſum, Eidem.Lachryma, Matth.Cæſal.Lachryma Iobi,Cluſ.hiſt.Hiſp. Dod. fol. Lob. Caſt. Cam. Lachryma Iodoci, Geſ.hort.app.

*IV. LITHOSPERMVM frutescens anguſtifolium.*



*V. LITHOSPER. ARVENSE radice rubra.*



IV. Lithoſpermum frutescens anguſto folio, C. B. Hoc radice eſt craſſa,lignoſa repente, ruffo & rugoſo cortice tecta,à qua ſtatim rami palmares, rarius ſeſquipalmares, lignoſi,craſſi, qui mox in alios lignoſos brachiantur,qui rigidi,fragiles,& hirſutie aſperi:quos folia dura hiſpida,oblonga,anguſta inordinatè diſpoſita cingunt,per quæ neruus medius elatus fertur: flores ramulorum ſummis inſident,aliquando inter folia & cauliculos,ex pediculis hirſutis prodeunt,oblongi,anguſti,eleganter cœrulei, albi,aliquando rubentes:quibus ſuccedunt ſemina,communiter bina iuncta,oblonga,acuminata,alba& dura: Monſpeſſuli prouenit. V. Lithoſpermum aruenſe radice rubra, C. B.Lithoſpermum ſylueſtre, Trag.Fuchſ.Dodo.gal.Cam in Matthiolo.Lithoſpermum tertium,Dod.fol.Lithoſpermum nigrum, Lugd. Anchuſa degener facie milij ſolis,Lob.Anchuſa tertia Lithoſpermo ſimilis, Cæſal. Anchuſa aruenſis minor facie milij ſolis, Tab.Hoc ex radice rubente ſuccoſa,caules cubitales aſperos emittit, qui in alios tenues & aſperos brachiantur:folia habet ſubnigra Milij ſolis,ſed minora,nec ita dura,at aſpera,inordinatè diſpoſita: flores ramulorum ſummis albi,parui,milij ſolis forma,quinquefolij, inſident: quibus ſuccedunt ſemina nigra, terna vel quaterna in pericarpio iuncta,forma ſeminum Echij aut Bugloſſę.In agris inter ſegetes frequēs.

Concluſa nō legit Orib.
a Orib. legit. ἰσχυρότερα.i validiores.
b Orib. addit τῇ γεύσει καὶ τὰ φύλλα δὲ ὅμοια τοῖς τῆς ζέας.i.guſtu. & folia etiam fert zeæ ſimilia.

## Φάλαρις. PHALARIS. CAP. CXLII.

PHalaris cauliculos emittit zeæ culmis ſimiles,á minutis,ac nullius vſus radicibus, multos,[duûm palmorum]geniculis cinctos a graciliores tamen,ac dulces b:ſemen candidum,oblongum, milij magnitudine. Tunditur & in aqua aut vino ſuccus ad veſicæ cruciatus vtiliſſime bibitur.Semen cochlearis menſura potum,ad eadem efficax eſt.

Phalaridis cōſideratio.
Phalaridis vires ex Gal.
Ex Plinio.
Nomina.

*PHalarim genuinam referre hanc plantam,cuius hic imaginem excudi curauimus,quin credam nihil eſt quod prohibeat.Si quidem calamos emittit zeæ ſemen in ſpicatis capitibus ijſque oblongis,candidum oblongum milio ſimile. Quin etiam radicibus nititur minutis, & ſuperuacuis. Phalaridis meminit Galenus libro octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus his verbis. Phalaridis herba tum ſemen, tum ſuccus, tum folia potu auxiliari creduntur veſicæ doloribus ceu in ſe habeant quidpiam tenuium partium,& calidum. Scripſit de eadem & Plinius libro 27.cap.12.ſic inquiens: Phalaris thyrſum habet longum,tenuem ceu calamum,in ſummo florem inclinatum,ſemē ſimile ſeſamæ:Et hoc calculos frangit,potum ex vino,vel aceto,& melle,& lacte.Idem & vitia veſicæ ſanat.Hæc ille.Phalaris,Græcis, φάλαρις,Italis Falari.*

Phalaris,Matth.Dod.gal.& fol.Cord.in Dioſcorid.& hiſt.Geſ.hort.Lac.Lonic.Lobel.Caſt.Lugdu.Cæſ.Tab.(cui & Gramen Canarienſe) Camerario.

Ἐρυθρόδανον.

### PHALARIS.



### Ἐρυθρόδανον. RVBIA. CAP. CXLIII.

ERythrodanum radix rubra eſt, qua tinguntur lanæ. Vna ſpōtè prouenit: altera ſeritur, vt in [ Thebana Galliæ. ] & Rauenna Italiæ: [ in Caria ] inter oleas, & in aruis, ſolo creditur. Hanc non ſine quæſtu ſerunt: namque maximum ex ea ſentiunt prouentum. Aſperi caules, & quadranguli, longi, aparinæ non diſſimiles, robuſtiores, & multò prorſus maiores: folijs per interualla circum articulos, ſtellatim decuſſatis. Semen eius rotundum, inter initia viride, mox rubrum, poſtea cum ematuruit, nigrum: radix tenuis, longa, rubra. Vrinam ciet: qua de cauſa regio morbo opitulatur, pota cum aqua mulſa: item iſchiadicis, & reſolutis. Craſſam, copioſamque vrinam pellit, nonnunquam & ſanguinem: bibentes tamen quotidie lauari oportet, [ & excrementorum quæ redduntur differentiam ſpectare. ] Aduerſus ſerpentium morſus, ramulos cum folijs vino bibere prodeſt. Semen ex aceto potum, lienem abſumit. Impoſita radix trahit partus, menſes, ſecundasque, albæ vitiligini illita ex aceto medetur.

Meum nō legit concluſa.

Concluſa in meo exēplari deſunt.

*RVbia, quam Græci Erythrodanum dicunt, duum eſt generum, alterum Agreſte, & ſpontè naſcens: ſylueſtribus locis, ſecus itinera, in frutetis & propter ſepes. Caules & folia minora longè ſpectantur quàm domeſtica & minus quoque aſpera. Radix etiam illi eſt non adeò rufa, multifida tenuisque. Eius vires longè imbecilliores ſunt quàm domeſticæ. Alterum domeſticum folijs maioribus, & longioribus, craſsioribusque caulibus. Hetruſcis Rubia nullis non cognita: vbi domeſtica etiam ſpontè naſcitur circa itinera, ſepes & frutera. Seritur quibuſdam in locis in campis, neque medicis ſolùm, ac ſeplaſiarijs cognoſcitur: ſed etiam mulierculis, ac ruſticis, ijs præſertim, qui in locis habitant, vbi lanificio opera impenditur: quandoquidem inficiendis tingendisque lanis aptiſsima eſt. Quapropter ruſtici, & agreſtes mulieres, quòd lanarum infectores Rubiæ quotannis plurimum emant, huius*

Rubia duplex

### I. RVBIA SATIVA.



### II. RVBIA SYLVESTRIS.



*radices effodiunt, & vendunt, vndè tantùm quæſtus faciunt, vt ſibi ſuiſq; victum ſuppeditent. Mittit hanc abunde Hetraria, præcipuè Senenſis ager. Expetuntur folia noſtratibus mulieribus, quod aſperrima ſint, ad ſtannea vaſa detergenda: ſiquidem mirum dictu quàm pulcherrimè niteſcant, quæ Rubiam fuerint experta. De ea autem differens Plinius li. 19. ca. 3.*

Rubia Plinii. *In primis, inquit, Rubia tingendis lanis, & corijs neceſſaria. Laudatiſſima Italica, & maximè ſuburbana, & omnes penè prouinciæ ſcatent ea. Spontè prouenit, ſeriturq; ſimilitudine eruiliæ: Verùm ſpinoſus ei caulis, geniculatuſq; hic eſt, quinu circa articulos in orbe folijs. Semen eius rubrum eſt. Inuenio apud quoſdam morbum regium ſanari hoc frutice, etiam ſi adalligatus ſpectetur tantùm.*

Rubiæ vires ex Galeno. *Rubiæ meminit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic ſcribit: Eſt autem Rubia tinctorum radix acerba, & guſtu amara. Itaque quæcunq; agere dictum eſt ſuperiore libro, vbi in vnum eiuſmodi coiuerint facultates, ea omnia in hac radice luculenter conſpicies. Quippe cùm & lienem, & iecur expurget, & vrinas craſſas, multaſq;, ac nonnunquam etiam ſanguinolentas vacuet. Quin & mẽſes ciet, ac mediocriter quæ extersionem poſtulant, extergit: proinde vitiligines albas cum aceto illita iuuat: ſunt qui eam iſchiadicis, hoc eſt, coxendicum doloribus afflictis, & reſolutis, in potu cum melicrato exhibeant.*

Nomina. *Id ἐρυθρόδανον Græcè dicitur, quod Erythrodanum, & Rubia Latinè: Paue, Fue alſabagin, Arabicè: Erythrodano, & Robia, Italicè: Ferberrot, Germanicè. Ruina, Hiſpanicè: Garance, Gallicè. Rubia ſyluestris, Græcis ἐρυθρόδανον ἄγριον: Italis, Robia ſaluatica.*

Rubia alia ſatiua eſt, alia ſylueſtris: hæcq; maior, vel minor: maior, vel campeſtris, vel maritima: hæcque vel ſpicata, vel non ſpicata: minor, vel montana, vel aruenſis. I. Rubia ſatiua, Brunf. Matth. Trag. Fuc. Dod. gal. Geſ. hort. Lac. Lon. Caſt. Lugd. Rubia & Rubea tinctorum. Cord. in Dioſc. Cæſal. Rubia maior: Lob. Erythrodanum, Geſ. hor. Cam. Thapſia Aſclepiadis, Anguillarę. II. Rubia ſylueſtris, Brunf. Matth. Fuchſ. Dod. gal. Geſ. hor. Lac. Lob. Lon. Caſt. Tab. Lugd. Cam. Rubia erratica, Trag. Mollugo prima, Dodo. fol. Lappago Plinij & Aparine læuis Cæſalpino. III. Rubia maritima, C. B. Rubia marina Narbonenſium, Aduerſ. Lob. Rubia marina, Cluſ. hiſt. Hiſp. Dod. fol. Tab. Erythrodanum marinum, Lugd. Crucialis maritima, Cæſalpino. Ex radice pedem longa, craſſa, dura, arida, rubra, Anchuſæ colore, caules quadranguli palmares, geniculati, lignoſi, inclinati prodeunt, ad quorum genicula folia vt plurimum quaterna, albicãtia, mucronata, rigidiuſcula, ſtellę modo adnaſcuntur, quorum medio minora folia conglomerata inſident, ex quorum medio floſculi oblongi, ex herbido lutei, aut pallidi prodeunt. In litore Veneto, & ad litus maris Mediterranei, non longè Monſpelio, collegimus.

* III. RVBIA MARITIMA. *



Cõcluſa Cat. exemplar nõ habet, ſed meũ habet, & pro ſitiẽtibus leg. ἐνίκμοις i. humectis.

## Λογχῖτις. LONCHITIS. CAP. CXLIIII.

LOnchitis folia habet porri, latiora rubẽtia, plurima, ad radicẽ circũfracta, veluti in terrã procumbentia, pauca in caule: in quo flores, ceu galericuli, hiantibus comicis perſonis ſimiles, nigri, & è rictu albam exerentes velut linguam, quæ ad labrum inferius ſpectet: ſemen inuolucris clauſum lanceæ ſimile, triangulum: vnde ſibi cognomentum arrogauit: radix dauci. [Naſcitur in ſitientibus & aſperis.] Radix ex vino pota vrinam ciet.

## Λογχῖτις ἑτέρα. LONCHITIS ALTERA. CAP. CXLV.

ALtera eſt Lonchitis, quam aliqui aſperam lonchitin dicunt: folia ſcolopendrij emittit, ſed aſperiora, maioraque ac multò magis diuiſa. Vulneribus mirum in modum prodeſt, in eiſq; inflammationes excitari non patitur. Pota ex aceto lienem abſumit.

Lonchitis cõſideratio. *ETſi in compluribus Italiæ, ac Germaniæ montibus, alijſque aſperis, & aridis locis, diu multumque perquiſiuerim primum Lonchitidis genus, ipſum tamen hactenus mihi non licuit reperire, neque etiam ab alijs inuentum videre.*

Lonch. aſpera maior. *Cæterùm aſpera lonchitis, de qua cum Bartholomæo à Maranta Venuſino iam dudum mihi longa fuit contentio, folio eſt Scolopendrij proximo, longiore tamẽ, ac magis diuiſo, & ad polypodij faciẽ potius accedente, ſpithamæ longitudine, vtrinq; diſparibus inciſuris diſſecto, tenuibus, aculeatiſq; denticulis ſerrato & vbique aſpero, vnde illi nomen. Caulem nullum profert, neque flores, neque ſemen, quemadmodum polypodium & aſplenum, quorum imaginem refert. Radice nititur multiplici, tenui, ſubrubicante perinde ac in Phylliti. In Italia quibuſdam tantùm naſcitur locis ijſq; humectis, opacis ac vliginoſis: ſed alibi nuſquam à me viſa eſt.*

Lonchit. duo genera. *Duo eius vidimus genera. Maius q; ad me primũ miſit vir clariſſimus Lucas Ghinus: & minus, quod mitiora, tenuiora, anguſtioraque folia promit, & magis Polypodio ſimilia, hirſuta & aſpera. Naſcitur in opacis, & frutetis, vliginoſo ſolo, quod à Iacobo Antonio Cortuſo Patauino ſum conſequutus, in quo nihil deſiderari poteſt.*

Pſeudolonchitis. *Eſt quoque altera planta, quam Maranta aſperam Lonchitim eſſe legitimam contendebat, quam nos PSEVDOLONCHITIM vocamus, cùm iam Marantæ ipſius ſententia opinioue à nobis adeò firmis rationibus ſit exploſa, vt nihil prorſus illi ſit argumenti reliquum, quo ſe tueri poſſit. Qui rem omnem audire cupiunt legant Epiſtolas noſtras medicinales.*

Lonchi. Plin. *De prima Lonchitide diſſeruit Plinius libro 25. cap. 11. vbi ſic inquit: Lonchitis non, vt pleriq; exiſtimarunt, eadem eſt, quæ xyphion, aut phaſga-*

I. LONCHI. ASPERA MAIOR.



II. LONCHI. ASPERA MINOR.



III. PSEVDOLONCH. ASPERA.



*phaſganion, quanquam cuſpidi ſimilis ſemine. Habet enim folia porri rubentia ad radicem, & plura quàm in caule, capitula perſonis comicis ſimilia, paruam exerentibus linguam, radicibus prælongis: naſcitur in ſitientibus. Hactenus Plinius, qui horum pleraque à Dioſcoride mutuatus eſt. Lonchitidis vtriuſque meminit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, vbi de earum viribus ita ſcribit: Lonchitis, eius videlicet, quæ ſemen habet triangulare, figura lanceæ ſimile, radix potiſſimum quodammodo ſimilis eſt radici dauci: proinde vrinam ciet. Porrò eius, quæ ſcolopendriæ ſimilia habet folia, ea ad glutinanda vulnera idonea ſunt viridia: ſed ſicca cum aceto pota, lienes induratos ſanant. λογχῖτις τραχεῖα vt Græcis, ita etiam Lonchitis aſpera Latinis, & Lonchite aſpera Italis vocatur. Pſeudolonchitis aſpera, Italis, Lonchite aſpera falſa.* Lonchitidis vires ex Gal.

I. Lonchitis aſpera maior, Matth. Cam. Ludgun. Lonchitis altera, Cord. in Dioſcorid. Geſnerus hort. appen. Lacun. Lon. Caſt. Lonchitis altera mas, Tab. II. Lonchitis aſpera minor, Matth. Lugdun. Cam. Aſplenum ſylueſtre, Trag. Lug. Lonchitis aſpera Dod. gal. & fol. Lugd. Thal. Lonchitis altera Dioſcoridis, Geſner. in Fracto, Lob. Lonchitis altera fæmina, Tabe. Scolopendrium maius Lonic. Struthiopteris, Cord. in hiſt. quo ad iconem additam, vbi tamen Cordus longè aliam intelligit. III. Pſeudolonchitis aſpera, Matt. Lug. Lonchitis Maranthæ & Ceterach ramoſum quorundam, Lob. Lonchitis aſpera Iluenſis, Lugd. Lonchitis adulterina, Tab. Ceterach genus in Ilua naſcens. Cæſ. Filiculæ genus quæ Lonchitis altera Maranthæ, Cluſio hiſt. Pannonica.

Ἀλθαία.

## ALTHÆA. CAP. CXLVI.

ALthæa, quam alij Ibiſcum vocant, in ſylueſtrium maluarũ genere eſt, cui folia vt cyclamino rotunda, lanugine caneſcunt: flore roſaceo† bicubitali caule: radice lenta, intus alba. Althæa appellatur, quòd inter primas ſit vtilis, & pluribus polleat remedijs. Decocta enim in vino aut aqua mulſa, & per ſe cũ imponitur tuſa, efficax eſt cõtra vulnera: itẽ ad ſtrumas, parotidas, abſceſſus, mammarũ inflãmationes, fracta ſedis, inflationes, neruorũ rigores: ſiquidẽ diſcutit, & excoquit: rumpit, & ad cicatricem perducit. Cocta, vt dictum eſt, adiecto ſuillo adipe, aut anſerino, terebinthinaue, vt malagmatis lentor fiat, facit ad vuluę in- Meum verò exemplar leg. πηχαῖον. i. cubitalem.

flammationes, præcluſionesq;, in peſſis ſubdita. Decoctum eodem fungitur munere: onera vuluæ, reliquiasq; à partu extrahit. Decoctæ radicis ſuccus ex vino potus, ſuccurrit vrinæ difficultati, calculoſorum cruditatibus, dyſentericis, iſchiadicis, tremulis, ruptis: dentiũ mulcet dolorem, cum aceto decocta, colluto inde ore. Viride ſemen ſiccumq; tritum vitiligines in ſole cum aceto perunctas emendat. Eodem cum oleo & aceto peruncti, à venenatis nõ feriuntur: valet contra dyſenteriam & ſanguinis reiectiones, aluiq; profluuium. In poſca aut vino decoctum, bibitur contra omnes veſparum, apum, ſimiliumque aculeatos ictus. Folia cum olei momento, morſibus, & igni ambuſtis illinuntur. Conſtat aquam, trita radice addita, ſub diuo addenſari.

I. ALTHAEA.



II. ALTH. ALTE. SIVE ABVTIL. AVIC.



Althææ conſideratio.

*Althæa à Latinis poſſet Medica ſimpliciter dici, quoniam ab ἀλθαίνω, quod Græcis mederi ſignificat, etymon habere videtur. Quocirca meritò ſcriptum reliquit Dioſcorides, Althæam id nomen traxiſſe à multitudine remediorum, & frequenti eius vſu. Ea vulgaris herba eſt, nulliſq; non cognita. Naſcitur in campeſtribus, humecto ſolo. Latini hanc Ibiſcum nominant. Italis verò, corrupta à Latinis appellatione, & præpoſita malua, quòd cum ea quãdam habeat cognationem, compoſito nomine Maluauiſco vulgó vocatur. Althæam memoriæ prodidit Theophraſtus lib. 9. cap. 19. de plantarum hiſtoria, vbi de ea differit ijs verbis.* Maluauiſcũ. Ex Theophr. *Et radicem Ibiſci aquam poſſe addenſare aiunt, ſi tritam inieceris, ſub diuoq; humorem poſueris. Conſtat Ibiſcus folio maluæ maiori, piloſioriq;: caule molli: flore luteo: radice neruoſa, alba: fructu maluæ: caulis quoq; guſtu maluam reddit: Vſus eius ad rupta, & tuſſes è vino dulci, & ad vlcera in oleo. Aliam quandam ſi carnibus concoquas, in idem aggregare, ac veluti cõglutinare poſſe affirmant: alias vim attractoriam poſſidere, modo magnetis lapidis, atq; ſuccini: hæc in inanimatis: hactenus Theophraſtus. At ego flore luteo me nunquam Althæam vidiſſe recordor. Roſeo flore facit eam Dioſcorides, verum coloris non meminit. Eſt & planta, quam quidam Althæam alteram Theophraſti, quidam verò ABVTILON Auicēnæ eſſe cenſent.* Abutilon mentio. *Folia habet cucurbitæ, minora, tactu læuia, ſed tenuiſſima obducta lanugine, caulem edit ſeſquicubitalem, & aliquando maiorem: flores in toto caule aureos, è quibus ſemen oritur nigrum. Radice nititur longa fibroſaq;. Naſcitur in campeſtribus, ac etiam ſpontè in hortis. Atqui nos neq; his, neq; illis ſubſcribimus, cum neq; vni, neq; alteri (quantum mea fert opinio) correſpondeat. Verùm non ob id prætermittere libuit, quin eius hic imaginem adderemus, vt etiam aliorum iudicium eſſe poſſit, & vt eius quoq; innoteſcat facultas. Siquidem experimento conſtat ſemine epoto ſeſquidrachmæ pondere ex vino, calculos in renibus frangi educiq;, arenas pelli, vrinas eijci, & dolores finiri. Meminit Ibiſci Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, vbi eius vires ita deſcripſit.* Althææ vires ex Galeno. *Ebiſcus, ſiue althæa (eſt autē malua agreſtis) facultatem habet digerendi, laxandi, phlegmone leuandi, mitigandi, concoquendi difficilia coctu tubercula. Radix porrò eius, & ſemen cætera quidem ſimiliter agunt, vt herba viridis, ſed tenuiorum partium, magiſq; exiccatoriam, ad hæc magis extersoriam quàm illa facultatem oſtendunt, vt & vitiligines detergant, & ſemen renum calculos confringat. Radicis verò decoctum dyſenteriæ, alui profluuio, & ſanguinis reiectini vtile eſt, nempe cùm adſtringentem quandam facultatem poſſideat.* Nomina. *Planta quæ Græcis ἀλθαία, ἰβίσκος & ἐβίσκος, Latinis Althæa, Ibiſcus, ſeu Ebiſcus nominatur: Mauritanis, Chatmi, Chathmi, ſiue Chathmie, & Roſa zaueni: Italis, Maluauiſco. Germanis, Ibiſch vnnd Heylwurtz: Hiſpanis, Hierua canamera, & Marmaie: Gallis, Guimauues. Althæa altera, quibuſdam Abutilon vocatur: Italis, Maluauiſcho baſtardo.*

I. Althæa, Matth. Brunf. Trag. Fuch. Dodo. gal. & fol. Cord. in Dioſ. Geſ. hort. (cui & Ibiſcus) Lacun. Lon. Lob. (cui & Anadendromalache Galeni) Caſt. Lug. Tab. cui & Biſmalua. Althęa ſeu Malua paluſtris, Cor. in hiſt. Althæa vulgaris, Clu. hiſt. Pan. Thal. Cam. Maluæ agreſtis genus, Geſ. hor. Malua ſyl. prima. & Viſmalua, quaſi malua viſcida, Cæſalp. II. Althæa Theophraſti flore luteo, C.B. Althæa altera, Matth. Lugd.

Lugdu. Ibiſcus Theophraſti, Dod. gal. Althæa luteis floribus, Lob. Albutilon Auicennæ, Geſ. hort. Abutilon, Anguil. Dod. fol. Cam. Abutilum, Caſt. Malua Theophraſti, Geſ. hort. Tab. Althæa Theophraſti, Geſ. hot. Cæſal. Lugdunenſi.

Ἀλκέα. **ALCEA.** CAP. CXLVII.

ALcea ſylueſtrium maluarum generi aſsignatur: folia habet diuiſa, verbenacæ proxima: caules tres aut quatuor, cortice cannabino veſtitos, florem roſæ, paruum: radices albas, latas, quinque aut ſex cùm plurimùm cubitales. Quæ cum vino, aut aqua potæ, dyſentericis, ruptisque medentur.

ALCEA.



Alceæ conſideratio.

*ALceam hodie paſſim ferè in Italia aliqui Biſmaluam, alij Maluam ſylueſtrem, nonnulli etiam Maluauiſcum agreſte nominant. Herba eſt caule, floribus, ac ſemine hortenſi [ſylueſtri] maluæ perquàm ſimilis, ſed folijs longiori inciſura laciniatis, ranunculi modo. Caules edit tres, aut quatuor, cannabino cortice veſtitos: flores maluæ, tum facie, tum colore ſimiles, pauloq́; maiores, quemadmodum & ſemen. Radicem longam, latam, albam ac multifidam, maluæ ſimilem, ſed lignoſa intus matrice. Naſcitur in incultis, campeſtribus, & agrorum ſcrobiumq́; marginibus, iuxta ſepes, vias, ac ſemitas. Alceæ radicibus non deſunt, qui althææ loco vtantur, cùm huius copiam non habeant, ad tumores tum ſoluendos, tum emolliendos. Alceæ hiſtoriam ſcribit Plinius libro 27. cap. 4. in qua adeò cùm Dioſcoride concordat, vt ex eo hiſtoriam totam tranſcripſiſſe videatur: Peculiariter autem Alceam prætulit ad ſpaſticos, tremulos, & Opiſthotonos, vbi eius radix ex mulſa propinetur: quinetiam impoſitam ad collectiones diſcutiendas commendauit. Porrò Alceæ peculiari capite meminiſſe Galenum non reperio, niſi hanc ſylueſtrem maluam appellauerit, dum maluæ facultates lib 7. ſimplicium medicamentorum deſcribit, his verbis. Malua ſylueſtris quidem digerentis paululùm, & emollientis leuiter eſt facultatis. Hortenſis verò quantò plus habet aqueæ humiditatis, tantò facultate imbecillior. Fructus eius tantò validior eſt, quantò & ſiccior: hæc Galenus. Cæterùm Paulus ſeorſum Alceam retulit lib. 7. vbi ſic inquit. Alcea ſylueſtris maluæ genus eſt. In vino pota dyſenteriæ, & eroſionibus medetur, potiſſimum eius radix. Huic herbæ nomen Græcum, ἀλκέα: Latinum, Alcea: Barbaris, Bismalua: Italicum, Biſmalua, Malua ſaluatica, Maluauiſco ſaluatico, & Buon viſcho: Germanicum, Sigmarß Kraut: Hiſpanicum, Malua de Vngria, & Malua monteſina: Gallicum Bimauue.*

Ex Plinio.

Alceę vires ex Paulo.

Nomina.

Alcea fortè dicta ab auxilio, vel remedio: Alcea vulgaris maior, C.B. Alcea, Brunf. (cui & herba Simeonis) Matth. Trag. Fuch. (cui & Maluæ roſeæ ſylueſtre genus) Dod. gal. Cord. in Dioſc. Geſ. hort. Lac. Lon. Caſt. Lugd. Cæſal. Tab. Alcea vulgaris, Lob. Dodo. fol. Lugd. Cam. Maluæ agreſtis genus, Geſ. de hortis.

Κάνναβις. **CANNABIS.** CAP. CXLVIII.

CAnnabis ſatiua, planta magni in vita vſus, ad robuſtiſsimos funes factitandos: folijs fraxini, graui odore: caulibus proceris, inanibus: ſemine rotundo: quod largiore cibo genituram extinguit. Succus ex ea recente conuenienter aurium doloribus inſtillatur. Sylueſtris cannabis, virgas fert altheæ ſimiles, minores, nigriores, & aſperiores, cubiti altitudinem æquantes: folio ſatiuæ, nigriore, & aſperiore. flore lychnidis, ſubrubro: ſemine, & radice althææ. Decocta radix, illitu inflammationes mulcet, tumores diſcutit, tofos articulorum diſsipat. Huius cortex torquendis funibus accommodatus.

Cannabis cõſideratio.

*CAnnabis ſatiua planta eſt adeò vulgaris notitiæ apud omnes Europæ nationes, vt omnino ſuperuacuum ſit eius faciem verbis repræſentare. Quæ etſi vulgaris admodum ſit planta, eſt tamen magni in hominum vita vſus, non ſolùm ad robuſtiſſimos funes parandos, quibus in fabricis magnis ad ſuſtinenda, trahendaq́; ingentia pondera, & nauigia regenda vtimur, ſed etiam ad lintea conflanda, è quibus infima plebecula indumenta, aliaque multa ſibi parat. Inuiſa tamen furibus & latronibus, quod cannabis tanta aduerſus eos ſit facultas, vt non ſolùm huic plantæ adalligati ſua ipſorum malefacta detegant, & ore proprio patefaciant, ſed quòd etiam ſubinde ſinanche cannabina affecti, ſuffocentur penduli. Ea ſimplici adoleſcit caule, ſed in marem & fœminam diſtinguitur. Mas plures è caule fundit ramos, arbuſculæ ſpeciem referens, adeò vt non deſint, qui è ſtipite carbones faciant, ad bombardarum puluerem parandum. Fœmina longè tenuiores caules edit, nullis ramis brachiatos, nulloque ſemine prolificat: folia vtriſque fraxini, ſed minora, & graciliora, ſenſimque ſerrata, atque in mari maiora ſpectantur, & nigriora, quina, ſenaue ex vno pediculo prodeuntia. Radice nititur vnica ſed multifida & fibroſa. Semen tantùm in mari gignitur, rotundum, cinereo colore, cuius medulla dulcis eſt, & alba. Sylueſtrem autem, quanquam à multis in Italia prouenire dicatur, paucos tamen eſſe puto, qui legitimam oſtendant. Mihi certè hactenus legitimam videre non licuit. Cæterùm ſatiuæ ſemen in cibis ſumptum planè contrarium efficit in gallinis, & in nobis: ſiquidem largius commanducatum nobis genituram extinguit, gallinas verò ouiferaciores reddit. Experientia enim compertum habeo, gallinas, quæ hyeme, quo tempore algoris ſæuitia rarò oua parere ſolent, Cannabis ſemine veſcuntur, numeroſiore ouorum partu gaudere: id quod frequenti cantu ſuo declarant. Illud præterea mihi non abſit indictum, quòd Cãnabis recentis decoctũ, expreſſa deinde fortiter herba, terreſtrium lumbricorũ cauernulis inſperſum, ſtatim eos euocat. Quod piſcatoribus acceptum referendum eſt, qui hoc ingenio vermiculos capiunt ſuis hamis infigẽdos. Ve-*

Cannabis mas & fœmina.

Cannabis vires ex Matth.

CANNABIS.



*rùm non modò terrenos vermes euocat Cannabis decoctum, & ſuccus eius expreſſus, ſed etiam (vt Plinius lib. 20. cap. 23. author eſt) vermiculos, & quodcunq; animal in aurem intrauerit, eÿcit. Hinc itaq; quiſpiam conÿcere poteſt, eius facultatem ad interaneorum vermes haud imbecillem fore. Cannabis decoctum auxiliatur ſolutæ iumentorum aluo, quòd coagulandi vim habeat. Quinimo non deſunt, qui foliorum puluerem dyſentericis propinent. Radix in aqua decocta & illita, contractos articulos emollit, item podagras & ſimiles articulorum impetus. Ambuſtis quoq; recens* [illegible] *illinitur, ſed ſæpius amouenda, & iterum admouenda eſt, ne exiccetur. Id præſtabit commodius, ſi recens in mortario tundatur cum recenti butyro, & ſubinde applicetur. Equorum tineas, quæ intra ſedem hærent, ſuccus, aut decoctum infuſum eÿcit.*

Cannabis vires ex Gal.

*Cannabis meminit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Cannabis ſemen flatus diſcutit, adeoq; deſiccat, vt ſi pluſculum edatur* [illegible] *genituram exiccet. Sunt qui ex eo viridi ſuccum expr*[illegible]*entes ad aurium dolores ab obſtructione, vt mihi videtur, natos vtantur. Et libro primo de alimentorum facultatibus, idem de Cannabi ita ſcribit. Non quemadmodum planta ipſa cannabis vitici quodammodo eſt ſimilis, ita ſemen ſemini facultate eſt ſimile: ſed plurimùm ab eo diſſidet vt quod concoctu eſt difficile, ſtomachoq; ac capiti noceat, prauiq; ſit ſucci. Sunt tamē qui eo quoq; frixo cum alÿs tragematibus veſcantur.*

Tragema quid.

*Tragemata autem voco ea, quæ poſt cœnam, voluptatis inter bibendum excitandæ gratia manduntur. Multum autem calefacit: ideoq; ſumptum paulò largius caput ferit, vaporem ſurſum ad ipſum mittens, calidum ſimul ac medicamentoſum: hæc Galenus.*

Mulierum error.

*Ex quibus liquidò apparet, quàm grauiter errent mulieres, & præſertim in Germania, quæ pueris comitiali morbo laborantibus Cannabini ſeminis decoctum exhibent, quo tantùm abeſt vt morbum curent, vt etiam eius augendi occaſionem præbeant.*

Nomina.

*Quæ planta κάνναβις Græcè, Cannabis item Latinè dicitur: Arabicè, Scebedenegi, & Canab: Italicè, Canape: Germanicè,* Zamer Hanff*: Hiſpanicè, Canhamo: Gallicè, Chanure.*

Cannabis ſatiua eſt & ſylueſtris: ſatiua, mas, & fæmina. Cannabis, Brunf. Matth. Lacun. Lon. Lob. Caſt. Cæſal. Tab. Cannabis maior, Trag. Cannabis ſatiua, Fuchſ. Cord. in Dioſc. Cannabis mas, Dodo. gal. Lugd. Cannabis ſecunda, Dod. in folio.

## Ἀνάγυρις. ANAGYRIS. CAP. CXLIX.

ANagyris frutex eſt arboris inſtar, perquàm grauis odore: folijs viticis, virgisque: flore braſſicæ: ſemen in corniculis non breuibus gignit, ſubrotundum, firmum, verſicolori facie, ſimile renibus, quod dureſcit vua matureſcente. Tenera folia trita tumores illitu reprimunt: ſi partus hęreat & ſecundæ, menſesque morentur, drachmæ pondere bibuntur in paſſo: ſic & ſuſpirioſis dantur, & contra capitis dolores in vino: difficulter parientibus adalligantur, ita vt á partu ſtatim auferantur. Radicis cortex concoquendis, diſcutiendisque adhibetur. Semen commanducatum vomitiones vehementer ciet.

Anagyris conſideratio.

*QVamuis veteres vnius tantùm Anagyris meminerint, duo tamen in Italia viſuntur genera. Maius in Apulia frequentiſſimum naſcitur, & eo Campaniæ tractu, quo Terracina itur Fundum ad Tyrrheni litus: folÿs vitici proximis, flore braſſicæ racemoſo: fructu hortenſi ſmilaci ſimili, amplioribus tamen & breuioribus pauló, ſiliquis incluſo, colore purpuraſcente, vſque adeo duro, vt aqua macerato, ſua in pertinaci duritie conſiſtat. Minus, quod rura Tridentina vulgò vocant Eghelo, Maio & Iunio menſibus grato in montibus ſpectaculo floret.*

Eghelo.

*Folia prodeunt ex vno pediculo terna, oblonga, in cacumine mucronata, viridia, læuiaq; trifolÿ latiora. Micat aureo flore, alteri omnino ſimili, racematim dependente, odore tamen ingrato. Hinc cornicula prodeunt geniſtæ æmula: in quibus ſemen continetur eiuſdem geniſtæ magnitudine, ſed oblongum, phaſeoli modo, colore ſubnigro. Quod comedentes quandoque ignari paſtores, veluti legumina, crebris adeò vomitionibus afficiuntur, vt nonnunquam viderim ego quoſdam, qui ſanguinem vſque euomuerunt. Materies ligni duriſſima, quæ guaiaci modo exterius lutea eſt, interius verò nigra. Incorrupta diu durat: proinde vinitores ex Anagyri palos factitant ſuſtinendis vitibus aptiſſimos, hosque cæteris præferunt ex alÿs arboribus factis. Quin & ſagittarÿ ex ea validiſſimos arcus conficiunt. Hæc planta oritur in ſyluis montium, ſcatet vallis Anania, ac vniuerſus Tridentinus ager.*

Geſneri opinio reprobata.

*Cæterùm non deſunt e recentioribus herbarÿs haud obſcuri nominis (quorum opinionem tuetur Conradus Geſnerus Tigurinus vir magnæ lectionis in ſuo libro animalibus dicato) qui putant, ac potius pro certo affirmant, alterum Anagyris genus, quod in montibus Tridentinis vulgari ſermone Eghelo appellari ſupra diximus, eam ſine controuerſia arborem eſſe, quam Plin. libro 16. capite 18. Laburnum vocat, vbi ita ſcribit. Aquas odere cupreſſi, iuglandes, caſtaneæ, laburnum.*

Laburni mentio.

*Alpina & hæc arbor, nec vulgò nota: dura ac candida materie: cuius florem cubitalem longitudine apes non attingunt. Ex ÿs Plinÿ verbis abundè, ni fallor, cognoſcitur, quòd vt falſa, reprobanda ſit illorum opinio. Siquidem Laburni materies à Plinio candida deſcribitur: non contrà medullitus nigra, corticetenus lutea, in modum Guaiaci, qualis Egheli vocatæ materies planè cernitur. Præterea Eghelus arbor eſt omnibus ferè cognita, quòd frequentiſſima in ſyluis reperiatur: non ea quidem vulgò incognita, vt de Laburno refert Plinius. Ad hæc Egheli flores, qui in arbore racemorum inſtar pendent, palmi longitudinem non excedunt: quos tamen Laburno Plinius cubitales reddidit. Illud inſuper experientia compertum habeo (etſi contrarium aſſerat Geſnerus) quòd a-*

I. ANAGYRIS.



II. ANAGYRIS ALTERA.



*quòd Apes Egheli flores attingunt, nec eos aſpernantur. Hæc nimirum ſunt, quæ, meo quidem iudicio, refragantur tum Geſnero, tum omnibus iis, qui cum eo hac in re ſentiunt: quinetiam oſtendunt, quam magna ſit differentia inter Laburnum & Eghelum. Hanc tamen plantã idem Geſnerus montani cytiſi genus eſſe cenſet, argumento quòd folia ferat terna veluti* Geſnerus arguitur. *cytiſus, quodq́; cytiſi modo ſit apibus ingrata. Sed is (pace viri eruditi dixerim) in hoc maximè hallucinatus deprehẽditur, Marci Varronis, Columellæ, & Plinij teſtimonio: vt qui inter cætera ſeri iubeant iuxta aluearia cytiſum, quòd huius flore magnopere delectentur & alliciantur apes. Hoc ſimiliter teſtatur Galenus lib. 1. de antidotis, vbi cytiſi hiſtoriam & vires deſcribit. Et miror certè, Geſnerum illa non vidiſſe, quæ tamen debuerat, ſi omnes, qui extant in Europa, libros perlegit, vt perlegiſſe conijcitur ex Bibliotheca, quam edidit. Quare equidem non poſſum non in ea perſtare ſententia, quam iampridẽ habui de planta Eghelo vocata, cùm nulla ſit firma ratio, quæ me cogat illorũ ſubſcribere iudicio, qui eam Laburnum Plinij eſſe exiſtimant. Quantũ igitur ego ſentio, Eghelus erit Anagyris minor, aut Anagyris montana, ſi ita nobis liceat eam nominare.* Anagyris minor. *Namque non ſolùm folijs, floribus, corniculis, ſemine & omnibus denique notis Anagyrim prorſus æmulatur, vt eius effigies, quam hic damus, pulchrè demonſtrat: ſed etiam viribus & odore, vtpote qui in tota planta teter & grauis admodum ſentiatur. Anagyris vires memoriæ prodidit Gal. lib. 6. ſimpl. med. his verbis. Anagyrus frutex eſt grauiter olens, & acriter digerentis, excalfacientiſq́; facultatis.* Anagyris vires ex Gal. *Sed folia etiamnum virentia, cùm propter humiditatis admiſtionẽ minus ſint acria, idcirco tumentia reprimunt. At ſiccata incidentis ſunt exiccantiſq́; valenter facultatis. Similem ferè facultatẽ habet radicis eius cortex. Semen autem magis ſubtilium eſt partium: ſed & vomitum prouocat. Planta quæ ἀνάγυρις Græcis, Anagyris etiam Latinis dicitur: Anagiri, & Faua inuerſa, Italis.* Nomina. *Anagyris altera ſiue minor, Græcis ἀνάγυρις ἑτέρα: Italis, Anagyri minore.*

I. Anagyris folio fœtido, C.B. Geſ. hor. Anagyris prima, Matth. Tab. Cam. Anagyris maior, eid. edit. Italica. Anagyris, Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. & hiſt. Lon. Cæſ. Lugd. cui & Nautea Plauti propter fœtidũ odorẽ. Anagyris vera, Cluſ. hiſt. Hiſp. Anagyris fœtida arboreſcẽs, Lob. II. Anagyris altera, Matt. Lac. Tab. Cam. Anagyris minor Matt. edit. Italica: Anagyris, Geſ. hor. Faba inuerſa, Trag. Lon. Laburnũ, Dod. gal. Cæſal. cui & Alpina arbor quæ aquas odit Plinij. Laburnum alterum, Lugd. Eghelo, Dod. fol. Anagyris minus fœtens, vel Laburnum, Lob. Aburnium Plinij, Anguillaræ.

## Κηπαία. CEPÆA. CAP. CL.

CEpæa portulacæ ſimilis eſt, ſed nigriora habet folia, & radicem tenuem. Folia in vino pota vrinæ ſtillicidio, & veſicæ ſcabie laborantibus opitulantur: maximè id præſtat, ſi cum decocto radicum aſparagi eius, quem myacanthon, hoc eſt, corrudam vocant, bibatur.

*CEpæam, quam antea in noſtris commentariis Italica lingua conſcriptis, ingenuè confeſſus eram me nondũ comperiſſe, aut ab aliis compertam vidiſſe, hoc tempore Venetiis ad me miſit Ioannes Odoricus Melchiorius Tridentinus medicus pro ætate ſua non imperitus, reiq́; herbariæ non ignarus, mei adeò ſtudioſus, vt ſi aliud non eſſet, hoc nomine tantùm mihi plurimùm diligendus ſit, atque etiam in filium habendus.* Cepææ conſideratio. *Naſcitur in incultis locis. Ad Cepæam hanc redeo. Ea ſanè mihi viſa eſt ita ad amuſſim Dioſc. deſcriptioni reſpondere (id quod eius pictura, quam hic damus, graphicè oſtendit) vt non dubitandum putem, quin hæc ſit vera ac legitima Cepæa. Huius quod equidem legerim, Gal. non meminit in ſimpl. cenſu. Veruntamen Paulus eius mentionem fecit li. 7. inter ſimplicia, vbi eam retulit his verbis. Cepæa portulacæ ſimilis eſt. Folia* Cepææ vires ex Paulo. *ipſius cõtra veſicæ ſcabies vtiliter bibuntur. Radix cum aſparago, quem myacanthinum, hoc eſt, Corrudã appellant, pota,*

Nomina.

CEPÆA.



*vrinæ ſtillicidia, quæ ex obſtructione fiunt, abigit.* Κεπαία *Græcis, ita Cepæa Latinis, & Cepea Italis appellatur.*

Cepæa, Matth. Lac. Lon. quoad iconem, Lob. Caſt. Cæſalp. Lugd. Tabernæmontano.

Ἄλισμα. ALISMA. CAP. CLI.

ALiſma, alij Damaſonion appellant: folia ei plantaginis, niſi anguſtiora eſſent, † lacinioſa, conuexaq; in terram: caule ſimplici, tenui, cubito altiore: capitibus thyrſi: flore tenui, candido, [palleſcente: radicibus tenuibus, vt veratri nigri, acrib⁹, odoratis, modice pinguibus:] aquoſos amat tractus. Radix, ſi drachma vna, aut altera bibatur, his cõuenit a, qui leporem marinum deuorarũt, aut à rubetis ranis demorſi ſunt, aut opium hauſerunt: torminibus, atque dyſenteriæ, per ſe, aut cum pari modo b ſeminis dauci, potui datur, conuulſis, & contra vitia vuluæ prodeſt. Herba ſiſtit aluum, menſtrua pellit, tumores illita mitigat.

Coclusa meũ exemplar nõ habet, nec Oriba. legit. a πρὸς τοῖς λαγωὸν βεβρωκόσι καὶ τοῖς φρύνῳ. i. his qui leporem vorarunt, vel ranam rubetam.

b Meũ. σὺν ἴσῳ δαύκῳ. i. cum pari dauco.

Aliſmatis conſideratio.

Plantago aquatica.

*QVanquam affirmat Ruellius, cui etiam Fuchſius ſubſcribere videtur, Aliſma ſibi cognitum eſſe, vocariq; à nonnullis Paſtoralem fiſtulam, à quibuſdam verò Plantaginem aquaticam, tamen plantago hæc, quam etiam aliqui Barbam ſyluanam appellant, nullis notis cum Aliſmate conuenire deprehenditur. Siquidem Aliſma folia fert plantagini ſimilia, ſed anguſtiora, & in terram reflexa: caulem mittit ſimplicẽ, ac tenuem. Plantago autem aquatica foliis prodit plantagine maioribus, lancearum cuſpidum inſtar acuminatis, ſurſumq; ſpectantibus: multiplici caule, adnatis pluribus referto. Cum itaq; ex iis notis collatis cõſtet, Aliſma, & Barbam ſyluanam inter ſe plurimum differre, non temerè facere videor, quòd illorum ſententiæ non auſim adſtipulari. Porrò plantam, quam hic pro Aliſmate depingi curauimus, mihi primùm Pragæ oſtendit Adamus Leonorus, iuuenis ſpectatæ doctrinæ, & rei herbariæ ſtudioſus. Quòd enim hæc pluribus, ni fallor, notis Aliſma repræſentet, meritò fit, vt iam non dubitem affirmare eam eſſe legitimum Aliſma aut genus Aliſmatis: quare non piguit eius effigiem exhibere, vt aliorum quoque de ea ſit iudicium: præſtat ea ad omnia, ad quæ valere Aliſma tradidit Dioſcor. quo fit vt hæc planta Aliſma mihi perpetuò expleat, quouſq; alia mihi ſeſe offerat, quæ certioribus notis Damaſonium (ita enim quibuſdam Aliſma vocatur) referat. Ceterùm duo Aliſmatis genera Plinius conſtituit li. 25. c. 10. vbi de vtroq; differit his verbis. Aliſma inquit, alij damaſonion, alij lyron appellant: folia ei plantaginis, niſi anguſtiora eſſent. & magis lacinioſa, conuexaq; in terram, alias etiam venoſa ſimiliter: caule ſimplici, & tenui, cubitali: capite thyrſi: radicibus denſis, tenuibus, vt veratri nigri, acribus, odoratis, pinguibus: naſcitur in aquoſis. Alterum genus eiuſdem in ſyluis, nigrius, maioribus foliis: hæc Plinius. Aliſma memoriæ prodidit Gal. libro 6. ſimpl. med. ſic de eius viribus differẽs. Damaſonium, aut Aliſma. De hac herba in 3. lib. tradidit Dioſco. quòd radix eius epota dyſenterias ſanet, & aluum ſiſtat, atq; œdemata mitiget. Sed nos ea quidem experti non ſumus. Quòd autem conſtitutos in renibus calculos, aqua, in qua decocta fuerit, pota comminuat, ceſu experti ſumus. Ex quo liquet, quòd abſterſoriam quandam facultatem obtinet. Huius herbæ nomen Græcum ἄλισμα: Latinum pariter & Italicum, Aliſma.*

ALISMA.



Aliſma duplex Plinij.

Aliſmatis vires ex Gal.

Nomina.

*† Hæc vox non legitur in Græcis codicibus, neque ab Oribaſio refertur, neque etiam à Marcello vertitur. Vnde planè ſuſpicor, quod Ruellius ita verbum hoc ex Plinio adiecit, vt reliqua etiam ex eodem reddidit.*

Aliſmatis hæc figura à Matthioli diſcrepat ſolum fibris foliorum, quas ipſius ſculptor omiſit, vt qui vnam tantum medium folium percurrentem pinxerit: noſtra foliis & caule eſt hirſutis (quod in hac figura ſculptor neglexit) foliaque plurimis neruis donantur, flores item lutei ſunt. Variæ huius figuræ apud authores, etenim hiſtoriæ Lugd. author, quatuor figuras vnius Aliſmatis propoſuit ſub diuerſis nominibus ſuo more, puta Damaſonij Matth. Ptarmicæ montanæ, Nardi Celtici alterius Penæ & Chryſanthemi latifolij. Dicitur hoc Aliſma folio hirſuto, C.B. Aliſma, Mat. Caſt. Cam. Aliſma alpinũ, Geſ. hor. Thal. Caltha alpina Geſ. hor. Tab. Nardus Celtica altera & Plantago Alpina, Lob. Chryſanthemum latifolium, Dod. ...

O'reſp...

## Ὀνοβρυχίς. ONOBRYCHIS. CAP. CLII.

ONobrychis folia habet lentis, longiora paulò: caulem dodrantalem: florem puniceum; radicem paruam: naſcitur in vliginoſis, & incultis. Herba ſuapte vi, ſi trita illinatur, tubercula diſſipat: cum vino pota, ſtrangurias ſanat: illita ex oleo, ſudores mouet.

*NAſcitur Onobrychis, Plinio lib. 23. c. 16. authore, circa fontes. Folia habet lentis, paulò longiora: florem rubentem: radicem exiguam, & gracilem. Sunt qui Onobrychin velint eam eſſe herbam, quam aliqui Rutam caprariam, alij Galegam vocant: nos vero vulgò Lauaneſe. Verùm hæc notis, quæ Onobrychi tribuuntur, haudquaquam reſpondere deprehenditur: quippe quæ folia ferat lentis quadruplo maiora, caulem plerunque bicubitalem, flores purpureos, & radicem non paruam. Vt hinc mihi plane videatur, quòd illorum opinioni nemo rectè poſſit, aut debeat adſtipulari. Onobrychidis vires tradidit Gal. lib. 8. ſimpl. med. ſic inquiens. Onobrychis rareſaciendi, digerendiq; vim obtinet: proinde folia eius viridis etiamnum illita ad morem cataplaſmatis tubercula diſcutiunt: areſacta verò, ſi cum vino bibantur, ſtrangurias ſanant. Quinetiam ſudores elicit cum oleo inuncta. Quæ ὀνοβρυχὶς Græcè, Onobrychis item Latinè, & Onobrichi Italicè vocatur.* Onobrychis conſideratio. Onobrychis vires ex Gal. Nomina.

## Ὑπερικὸν. HYPERICVM. CAP. CLIII.

HYpericum alij androſemon, alij corion, alij chamępityn appellant, quoniam ſemen odore a reſinam imitatur: ſurculaceo frutice, dodrantali, rubeſcente: folio rutæ: flore luteo, †leucoio ſimili (qui digitis attritus ſanguineum ſuccum remittit, qua ex cauſa androſæmon cognominatur:) ſubhirſuta ſiliqua, & in rotundo oblōga, hordei magnitudine: ſemine intus nigro, reſinoſi odoris: gignitur in locis incultis, & aſperis. Vrinam cit, menſtrua pellit appoſitum, tertianis, quartaniſque cum vino potum liberat. Semen quadraginta diebus hauſtum, iſchiadicis medetur. Folia cum ſemine illita, ambuſta ſanant. a Me. exemp. πιτύιν ῥητίνη i. pineæ reſinæ. Oribaſius nō legit cōcluſa.

## Ἄσκυρον. ASCYRVM. CAP. CLIIII.

ASeyron, ſiue aſcyroides, hyperici genus eſt, magnitudine diſtans, fruticoſius, maiores habens ramos, ſurculoſiores, rubenteſque: folia tenuia: flores luteos, & fructum reſinoſum, hyperico nō abſimilem cuius attritu digiti ferè cruentantur, qua de cauſa androſæmon vocauere. Vſus ſeminis ad iſchiadicos, potum in hydromelitis ſextario: nam bilioſa recrementa ampliſſimè detrahit: ſed aſſiduè dare oportet, donec ſanitati reſtituantur. Illinitur & ambuſtis efficaciter.

## Ἀνδρόσαιμον. ANDROSÆMON. CAP. CLV.

ANdroſæmon ab hyperico, aſcyroque differt, quòd fruticet ramulis ſurculoſis, ac tenuibus: † rubentibus virgis, & foliis rutæ, triplo (aut quadruplo) maioribus, quæ trita vinoſo ſucco manant: complures alas habet in cacumine, vtrinque expanſas, pinnataſque: circa quas flores puſilli, lutei: & in calyculis ſemen papaueris nigri, inſigne lineis. Huius comæ tritæ reſinoſum odorem reddunt. Semen tritum drachmis duabus potum, bilioſa alui excremēta pellit: iſchiadicis maximè medetur: ſed à purgatione aquam exorbere oportet. Herba ambuſtis illita medetur, & ſanguinem cohibet. † πεφοινιγμένοις ῥαβδίοις i. virgis puniceis coloris. ita leg. meū. Meum concluſa non habet.

I. HYPERICVM.



II. ASCYRVM.



## Κόρις. CORIS. CAP. CLVI.

COris, quod aliqui hypericon vocant, frutex eſt folio ericæ, rubro, pinguiore, ac minore, non altior dodran-

a εὔοσμος. i. ori gratus: ita meum.

b Hæc omnia in meo exemplari non habentur.

dodrante a, ſuauis, odoratus, acris. Potum ſemen menſes trahit, & vrinas: contra phalangiorum morſus, iſchiadicos, & opiſthotonicos ex vino potum auxilio eſt: horroribus ex pipere, ſed opiſthotonicis ex oleo aptiſſimè illinitur b. [Radix vino decocta potaque, defectis opem ferre creditur: ſed laborantem inter potandum quàm optimè cooperiri licet: ſiquidem corpus totum deſudabit, ex qua re priſtinam agilitatem recuperabit.]

Hyperici, & congenerum conſideratio.

*HYpericum, Aſcyrum, & Androſæmum, eiuſdem planè generis plantæ (vt Dioſcorides inquit) eſſe videntur. Verùm in earum caulibus, & foliis aliqua notatur differentia: nam hæc folia habet rubentiora, illa viridiora, vni maiora ſunt, alteri minora. Similis diſcriminis ratio in caulibus. Omnes hæ congeneres plantæ hodie ab omnibus vulgo cognoſcuntur: eæ namque Iunio, & Iulio menſibus, diuerſis in locis aureis floribus ornatæ conſpiciuntur, iis ad amuſſim diſtinctæ et præditæ notis, quæ ſingulis à Dioſcoride tribuuntur.*

Coris.

*Cæterùm quæ Coris vocatur, nõ ita Hypericum refert: quemadmodum Androſæmum, & Aſcyrum: quippe quæ non altior dodrantali altitudine aſſurgat: foliis ericæ, minoribus tamen, & ſubpinguibus: caulibus ruſeſcentibus, odore ſuaui, ac grato. Flores habet hyperici æmulos, luteo colore, ſed minores. Hæc ad me plures allata eſt à noſtris herbariis: naſcitur frequentiſsima in Italia, arido ſolo in collibus atque montibus. Aperit, excalfacit, extenuat, digerit, expurgat.*

Hypericum.

*Hypericum à perforatis foliis à noſtris vulgò Perforata vocatur: folia enim innumeris ſcatent foraminibus, iiſque adeò minutis, vt viſum effugiant, niſi ipſa folia ſole obiecta inſpiciãtur: id quod ſilentio videtur inuoluiſſe Dioſcorides: quinetiam Plinius, alioqui rerum omnium diligentiſsimus indagator.*

Plinij lapſus.

*Qui tamen hac in hiſtoria haud dubiè falli deprehenditur, quod ſcripſerit libro 26. cap. 8. Hypericum naſci ſemine in ſiliqua, nigro, matureſcente cum hordeo. Siquidem Dioſcorides non tradit Hypericum cum hordeo matureſcere, ſed contineri eius nigrum ſemen ſiliqua ſubhirſuta, & in rotundo oblonga, hordei magnitudine. Conſtat præterea annua experientia matureſcere hordeum plerunque abeunte Maio: verũ Hyperici ſemen non perficitur, niſi Iulio, & Auguſto menſibus.*

Braſauoli error, hyperico album florẽ tribuentis.

*In hac quoque Hyperici hiſtoria errat Braſauolus Medicus licet clariſſimus, quòd velit Hypericum ex Dioſcoridis auctoritate florem album habere: eamque ob cauſam, id quod circumfertur, cùm flore ſit melino, illegitimum eſſe putat: imò non aliud, quàm Rutam ſylueſtrem, pro qua pharmacopolam ſecum colloquentem, id ipſum aſſeruare admonet. Neque in his vno tantùm, ſed, quantum ſentio, duplici notatur errore. Primùm quod Hypericum non album, ſed luteum florem ferre ſcribat Dioſcorides contra Braſauoli ſententiam, cùm ſic in eo legatur* ἄνθος ἔχον μήλινον *hoc eſt, florem habens luteum: non autem album inquit, vt perperàm Marcellus Florentinus interpretatur, cuius fortaſſe falſa interpretatione Braſauolus ſeductus eſt. Deinde quòd legitimum Hypericum pro ſylueſtri ruta ſeruandum cenſuerit, cùm tamen in calce ferè ſui voluminis prioris ſententiæ oblitus, dum olei ex Hyperico parandi ſeniori myropolæ rationem explicat, communis vſus Hypericum Aſcyrum eſſe declarat.*

Monachorũ hallucinatio.

*Nec ſecus quàm Braſauolus hallucinantur, pace eorum dixerim, Monachi illi reuerendi, qui in Meſuem commentaria ediderunt, quòd non rectè cum illo ſentiant, Hypericum, quo vtimur, primum eſſe ſylueſtris rutæ genus. Quorum ſententia cùm fuerit à nobis ſuperius in rutæ mentione rationibus & authoritatibus abundè exploſa, & improbata, ſuperuacuum eſſet idem nunc repetere: eò enim accedet, qui plura horum errata cognoſcere volet.*

Hyperici vires.

*Hyperico vis ineſt reſerandi, reſoluendi, agglutinandi, atque etiam cohibendi. Epotum ſemen ex vino calculos eiicit, & venenis aduerſatur quinetiam venenoſorum morſibus reſiſtit, tum idem potum tum herba ipſa deuorata, hauſtave, tum morſibus illita. Aqua ſtillatitia floreſcentis iam herbæ, maximè quibuſdam præfertur, ſi potetur, comitialibus, & reſolutis. Datur ſeminis farina commodè ex polygoni ſucco ad ſanguinis reiectiones. Idem aluum exonerat. Ineſt floribus, & ſemini mira facultas ad vulnera omnia ſananda, præter ea quæ in capite ſunt. Ideoq; oleum, in quo diu flores atque ſemine prægnan-*

III. ANDROSÆMVM.



*IV. ANDROSÆMVM FOETIDVM.*



res fla-

V. CORIS.



*tes ſiliquæ maceratæ fuerint, diuq́ue inſolatæ, mirificè recentia vulnera ſanat. Sed per quam bellè id efficit, ſi cum laricea, aut abiegna lachrymæ oleo miſceatur. Idem per ſe ventri illitum, dyſentericos iuuat: potum verò cochlearis menſura lumbricos necat. Scripſere quidam Hypericum adeò odiſſe dæmones, vt eius ſuffitu ſtatim auolent: quare quibuſdam fuga dæmonum vocari cœpit. Hyperici vires memoriæ prodidit Gal. li. 8. ſimpl. med. ſic inquiens. Hypericum calefacit, & deſiccat, tenuiſque ſubſtantiæ eſt, adeò vt & menſes, & vrinas prouocet. Sed ad hæc totus ſumendus eſt fructus, non tantùm ſemen. Porrò cum foliis illitus viridis ad cicatricem ducit cùm alia, tum etiam ambuſta. Cæterùm ſi ſicca contuſa inſpergas, ſanabis humida & putredinoſa vlcera. Sunt & qui iſchiadicis bibendum exhibeant. Idem lib. 6. de Androſæmo ita ſcribit. Androſæmum planta fruticoſa, natura duplex: vnum enim Aſcyron, & Aſcyroides nuncupatum eſt, ſpecies hyperici. Alterùm verò à quibuſdam Dionyſias appellatur. Eſt autem ſemen eorum purgatorium. Foliorum verò facultas modicè extergens & deſiccãs, vt & ambuſta ſanare credantur. Cæterùm in vino auſtero decocta, vinum ipſum magnorum vulnerum glutinatorium efficiunt. Sed quod de Cori mentionem fecerit Galenus in ſimp. medic. cenſu, mihi incompertum eſt. Planta, quæ Græcis ὑπερικὸν, Latinis ſimiliter Hypericum nominatur: Mauritanis, Reioſficon, ſeu Reioſaricon: Italis, Hiperico, & Perforata: ſeu Herba di S. Giouanni: Germanis,* Sant Johanns Kraut: *Hiſpanis, Coraioncillo: Gallis, Millepertuis, & Trucheran. Quam verò Græci ἄσκυρον, Latini quoque Aſcyrum dicunt: Arabes, Asbirach: Itali, Aſciro. Quæ deinde Græcis ἀνδρόσαιμον, Androſæmon item Latinis appellatur: Arabibus, Androſeman, Androſion, ſiue Andreſagian: Italis, Androſemo. Quæ denique κόρις Græcè, Coris etiã Latinè & Cori Ital. vocatur.*

Hyperici vires ex Gal.

Nomina.

*† Quoniam hoc loco in vulgatis exemplaribus Græcis nulla fit albæ violæ mentio, idcirco ſunt qui illorum teſtimonio freti, verbum illud auferant ex interpretibus. Sed quomodo id rectè factum ſit, non video: ſiquidem in Oribaſio legitur, ἄνθος ἔχον μήλινον λευκοΐῳ ὅμοιον, hoc eſt, florem habens luteum leucoio ſimilem. Adde etiam, quòd Hypericum ita adamuſſim floris colore luteum violam repræſentat, vt nihil melius. Nos autem vſi ſumus voce Græca, ne ex albo, quòd fortè Marcello impoſuit, aliqua poſſit oriri difficultas. † Quæ hic ſequuntur, in Græcis codicibus impreſſis non hoc loco, ſed in fine inter notha, & Dioſcoridi falsò adſcripta leguntur, vt quæ adſcititia ſint habita. Nos verò illa huc admiſimus Ruellij, vt fecimus, interpretationem ſecuti: nec non etiam fidem codicis manuſcripti.*

I. Hypericum vulgare, C. B. Hypericum, Matth. Brunſ. Fuch. Lac. Lon. Lob. Caſt. Lugd. Cæſ. Tab. (cui & fuga dæmonũ) Cam. Herba perforata, Trag. Aſcyrum, Dod. gal. Cord. in Dioſc. II. Hypericum Aſcyrum dictum trifolium, C. B. Aſcyrum Matth. (ſed in compendio & penult. edit. Androſæmon, quia figuræ tranſpoſitæ) Fuch. Lac. Lon. Lob. Dod. fol. Caſt. Lugd. Cæſ. Cam. Aſcyroides, Geſ. hor. Hypericum, Dod. gal. Hypericum in dumetis naſcens ſecundum, Trag. III. Hypericum Androſæmum dictum, C. B. Androſæmum, Matth. (in compendio & penult. edit. Aſcyrum, figuræ enim tranſpoſitæ) Fuch. Cord. in Dioſc. Lac. Lob. Caſt. Lugd. Thal. Androſæmum quibuſdam, Geſ. hor. Hypericum in dumetis primum, Trag. Ruta [illegible] Hypericoides, Dod. fol. an Aſcyri ſpecies ramoſa, Cæſ. IV. Androſæmum fœtidum, C. B. Tragium Creticum, Bellonij Androſæmum minus ſiue anguſtifolium, & Androſemum fruticoſum ex Ilua, Camer. V. Coris lutea maior, C. B. Coris Matth. Geſ. hor. Lac. Lon. Lob. Caſt. Lug. Cæſ. Tab. Camerario.

## Χαμαιπίτυς. AIVGA. CAP. CLVII.

Aiuga herba in terra repens, ſubcurua: foliis ſemperuiui minoris, multò tenuioribus, hirſutis, & pinguioribus, circum ramos frequentibus, odore pinus: flore tenuj, luteo, vel candido, radicibus cichorij. Folia ſeptem diebus in vino pota regio morbo medentur: & quadraginta diebus ex hydromelite, iſchiadicos ſanant. Dantur peculiariter vrinæ difficultatibus, iecinoris, & renum vitiis, torminoſis proſunt. Ea apud Heracleam Ponticam, perinde atque antidoto, contra aconitũ vtuntur, bibentes decoctum. Ad antedicta illinitur, cum polenta iure decocti ſubacta. Trita in farinam, & cum fico in pilulis ſumpta, aluum emollit: excepta melle, cum æris ſquama, & reſina deiicit: appoſita ex melle, vuluæ vitia extrahit: mãmarum duritias diſcutit: vulnera glutinat: vlcera quæ ſerpunt, cum melle illita, cohibet. Alterum eſt genus aiugæ, cubitalibus ramis, in anchoræ ſpeciem incuruatis, prætenuibus: coma ſupradictæ, flore candido, ſemine nigro: hęc etiam pinum redolet. Tertia mas nominatur, paruula, foliis exilibus, albis, ſcabris: caule aſpero, candidos luteis floſculis, ſemine iuxta alas: reſipit & hęc pinum. Hę duę vim ſuperioris obtinent, ſed non vſqueadeò efficacem.

*Aiugam quam Græci Chamæpityn vocant, quoniam foliis, & odore pinum refert, herbariorum vulgus Iuam arthriticam appellat, quòd iſchiadicis, & aliis articulorũ doloribus opem ferat non obſcuram. Vulgaris eſt notitiæ Aiuga, quæ primo generi adſcribitur. Siquidem planta eſt per terram repens, foliis oblõgis, anguſtis, roſmarino coronario proximis, minoribus tamen, mollioribus, & hirſuta canitie ſubalbicantibus, circa ramulos totos, qui tenues, & obſequioſi ſpectantur, ſeſe ſtipantibus, odore pinum, quemadmodum & facie referentibus, vnde illi Pinus infimæ nomen. Flores edit aureo colore fulgẽtes in vniuerſo ferè caule, ſed tenues, & exiguos. Radicibus nititur palmaribus, pluribus adnatis fibris. Naſcitur tenui, ac arenoſo ſolo, incultis præſertim locis, & in aruis nulla ſatione virentibus: ſapore eſt amaro, non ſine acredine quadam, quæ tamen ab amaritudine ſuperatur. Ideoq́ue excalfacit, incidit, extenuat, abſtergit, & expurgat. Verùm poſtrema, quam ſæpius etiam vidimus, non adeò omnibus eſt nota: quemadmodum nec media, quam hactenus mihi quidem videre non licuit. Cæterũ in aperto errore verſabatur Germanus ille pharmacopola, qui Braſauolum docuit Aiugã Germanica lingua vocari* Vergiſs mein nicht. *Quandoquidem herba huius nominis mihi cum Germanis iamdiu verſanti notiſſima eſt: quæ tamen nulla prorſus ex parte quamuis Aiugam repræſentat. Herba tota vnà cum floribus, & radicibus in puluerẽ contrita, ſi diebus 40. ſumatur & reſina terebinthina, ſiue laricea quaternis drachmis, iſchiadicos ſanat. Eadẽ recẽs in aceto decocta,*

Aiugæ conſideratio.

Cuiuſdã Germani error.

Chamępityos vires.

*& pota*

I. CHAMÆPITYS.



II. AIVGA, SIVE CHAMÆ. ALT.



*III. CHAMÆPITYS MONSpeliaca foliis ſerratis.*



& pota emortuos fœtus extrahit, vniuerſæ plantæ decoctũ facit ad omnes cerebri, neruorũ, & articulorum affectus à pituita prouenientes, ſi plurib. propinetur diebus ex Rhodomelle, & oxymelite. Nã & comitiales, & reſolutos, & podagricos iuuat. Fit è floribus & ſaccharo medic. (officinæ conſeruam vocant) ad paralyticos, quo qui vtũtur cũ veſperi ſe dormitũ recipiunt, reualeſcũt. Atqui ad hoc ſumuntur quotidie huiuſce medicamenti drachmæ duæ ex acori radicibus decoctæ, & florum ſaluiæ binis ſcrupulis. Parantur è chamæpity catapotia ad idem perquàm vtilia, hoc modo. Sumito chamæpitys, Betonicæ, Stœchadis, florũ roriſmarini, cuiuſq; drachmã: turpeti ſeſquidrachmam, agarici drachmas duas, Colocynthidis ſemidrachmã, Zingiberis, ſalis foſſilis, cuiuſque grana decẽ: Rhabarbarici ſeſquidrachmã, ſpicæ Indicæ grana ſeptẽ, pulueris hieræ ſimp. ſemunciã, diacridij drachmam vnam: Excipe chamæpitys ſucco omnia in mortario, & in maſſam redigito, è qua catapotia conformato: ex qualibet drachma nouem: e quibus ſi quotidie tria ſumuntur à paralyticis cũ ſe dormitũ recipiunt, præſentaneũ ferè ſentient auxiliũ. Chamæpityos meminit Gal. lib. 8. ſimpl. med. vbi de eius viribus ita ſcriptũ reliquit. Chamæpitys guſtu quidẽ amarũ ſaporẽ acri validiorẽ obtinet. Effectu verò expurgat, abſtergitq; viſcera plus quã calefacit. Proinde regio morbo laborãtibus, & omnino quibus facilè iecur obſtruitur, bonũ eſt medicamentũ. Quin & mẽſes ducit tũ pota, tũ appoſita cũ melle. Sed & vrinæ mouẽdæ aptũ eſt medicamen. Sunt aũt qui etiam eã exhibent decoctã in melicrato iis, qui coxẽdicis dolorib. torquentur. Herba porrò ipſa viridis vulnera magna cõglutinat & vlcera putreſcentia ſanat. Præterea mãmarum durities diſcutit. Eſt. n. in ſiccando ordinis tertij, in calfaciendo verò ſecundi. Quæ herba Græcis χαμαιπίτυς, Latinis Chamæpitys. Aiuga, & Abiga nuncupatur: Maurit, Hameſitheos, ſeu Chamaſithius: Italis, Chamepitio, & Iua: Ger. Jelenger ie lieber: Hiſp. Pinilho, & Yua artetica: Gal. Iue muſcate, aut arthetique. Chamæp. ſiue Aiuga altera: Italis, Iua ſaluatica.

Pilulæ è Chamæpityde.

Chamæpityos vires ex Gal.

Nomina.

I. Chamæpitys prima, Matth. Lac. Dod. gal. & fol. Cord. in hiſt. Lugd. Chamæpitys altera, Lon. Chamæp. tertia, Trago Fuch. Chamæp. vera, Cord. in Dioſc Chamæp. Geſ. hor. Cæſ. Chamæp. maior, Abiga & Iua arthritica, Tab. Aiuga, Caſt. Aiuga ſiue Chamæ mas Dioſ. Lob. Iua, Geſ. hor II. Aiuga ſiue Chamæp. altera Matt. Chamæp. tertia eid in Ital. cõmen: Dod. gal. & fol. Lac. Lugd. Chamæp. prima, Fuch. Lon Lob. Alij hirſutis, alij glabris foliis pingunt, quare noſtra verũq; exprimit, niſi ſit Anthylloides, Thal quid ſit ignoramus. III. Chamæp Mõſpel. foliis ſerratis, C. B. Chamęp ſpecies Monſpeli. Geſ. hor. Anthyllis Chamępityides minor, Aduer. Lob. Anthyllis altera, Clus. hiſt Hiſp Caſt. Anthyllis ſecunda herbariorũ. Lugd. Chamæp. ſpuria prior, Dod. fol. Chamæp altera, & maior, Cæſ. Iua Moſchata Monſpel. Tab Ex radice lignoſa, craſſa... albida, amara, plures prodeunt caules tenues, ſarmẽtoſi, duri, humi procũbentes, incani, hirſuti, quos cingũt folia copioſa, oblonga, hirſuta, externo ambitu ſerrata, guſtu feruente, odore graui: flores purpurei Chamæpitydis forma in ſingulis alis, quibus ſuccedunt in ſingulis calyculis quaterna ſemina ſimul iuncta, oblongiuſcula, cinerea. Naſcitur circa Mõſpel... ruderibus, ad Caſtelneuf collegimus, ſic & in oliuetis, & aridis agrorũ marginibus Narbonæ ac Gallo prouinci...

PETRI

# PETRI ANDREAE MATTHIOLI, MEDICI Senenſis Commentarij,

## IN LIB. QVARTVM PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE MEDICA MATERIA.

TRibus antè libris, amantiſſime Aree, tradidimus odoramenta, olea, arbores, vnguenta, animalia frumenta, olera, radices, ſuccos, herbas ſeminaq́; In hoc autem quarto diſſeremus de radicibus, & eis, quæ reſtant, herbis.

### Κέϛρον. BETONICA. CAP. I.

CESTRON pſychotrophon vocitatur, quoniam frigidis locis inueniatur. Latini Betonicam appellant. Herba eſt caulem ferens tenuem, cubiti altitudine, aut maiorem, quadratum: folia quercus, mollia, longa, in ambitu diuiſa, odorata, prope radicem maiora: in ſummis caulibus ſemen, veluti ſatureiæ, ſpicatum eſt. Decerpta huius folia ſiccantur, plurimos ad vſus. Radicibus nititur, vt veratri, tenuibus, quæ ex hydromelite in potu, pituitoſam vomitionem euocant. Folia dari debent ruptis, conuulſis, mulieribus vuluæ malo opportunis, & ad laxandos vteri ſtrangulatus, denarij pondere cum hydromelite: tres in vini ſextario drachmæ contra ſerpentium morſus ebibuntur. Herba magna vtilitate illatis à ſerpente vulneribus illinitur: aduerſus etiam venena drachma ex vino pota conuenit: præſumpta ea, ſi venenum hauriatur, nihil nocebit: vrinam ciet, aluum ſubducit. Medetur comitialibus, & inſanis pota ex aqua: & iecinoris, lienisque vitijs drachmæ pondere [a] in aceto mulſo: concoctionem adiuuat, ſi quis fabæ magnitudine ſecundum cœnam cum melle cocto deuorauerit, modo conſimili acida ructantib. propinatur: ſtomachicis eam manducare, & ſuccum deuorare prodeſt, ſi poſtea dilutum vinum ſorbeatur. Datur ſanguinem excreantibus, tribus obolis cum diluti vini cyathonichiadicis, renum & veſicæ doloribus ex aqua: aquæ inter cutem binis drachmis ex hydromelite, ſi febricitāt, ſin aliter ex [b] mulſo: regio morbo laborantes recreat: menſes pellit drachmæ pondere cum vino pota: aluum purgant drachmæ quatuor potæ in hydromelitis decem cyathis: facit cum melle ad tabem, & purulentam excreationem. Folia ſicca, tritaque fictili vaſe reconduntur.

[a] μετὰ ὄξεος καὶ μέλιτος. i. cum aceto, & melle, ita meum. Catecuz. autem legit vt Ruellius.

[b] Meũ οἰνομέλιτι. i. vino mulſo.

*BEtonica herba eſt nullis non cognita, naſcens in pratis, & montibus, & in paſcuis & innumeris prædita viribus. Vnde Itali, cum aliquem laudibus familiariter extollere volunt, vulgari prouerbio dicunt: Tu hai piu virtu, che non ha la Betonica, id eſt, Tu pluribus præditus es virtutibus, quam Betonica. Scripſit de Betonicæ viribus proprium libellum Antonius Muſa, clariſſimus Auguſti Cæſaris medicus, in quo hæc de ea memoriæ prodidit. Herba Betonica naſcitur in pratis, & montibus mundis, & opacis, circa frutices. Animas hominum, & corpora cuſtodit: & nocturnas ambulationes a maleficijs & periculis. Loca quinetiam ſacra, & buſta a viſibus metuendis tuetur, ac defendit: & in omni denique res ſancta eſt. Ceſtron vocatur, & pſychotrophon, ſiquidem frigidis reperitur in locis, radicibus tenuibus, thyrſo pariter tenui, cubiti altitudinem excedente, quadrangulo. Folia profert quercus, odorata: ſemen in ſummitate thyrſi ſpicato, thymbræ modo. Pollet vniuerſa planta dotibus fere innumeris, quandoquidem tuſa capitisque vulneribus illita, ea mira celeritate conglutinat. Præſtat id tamen efficacius, ſi tertia quoque die iterum, atque iterum imponatur. Aiunt præterea tam valentioris eſſe facultatis, vt oſſa quoque fracta extrahat. Radicum ex aqua decoctum ad tertias fotu oculorum doloribus medetur: quod item præſtant contrita folia, & fronti ſuperimpoſita. Succus a folijs per ſe tritis expreſſus, aut prius aqua maceratis, aurium dolores mulcet, ſi tamen addito roſaceo in aures egelidus inſtilletur. Idem drachmæ pondere hauſtus in aquæ calidæ cyathis quatuor, ſanguinem illum per inferna trahit, cuius redundantia caligines oculis offundit: quo fit, vt etiam viſum acuant comeſta folia. Eadem cum ſalis momento contuſa, naribusq́; immiſſa ſanguinem inde fluentem ſiſtit. Betonicæ decoctum ex vetere vino, aut ex aceto dentium dolores finit, ſi eo os ſæpius colluatur. Herba ipſa ex tepenti aqua pota, ſuſpirioſis & anheloſis maxime proficit. Folia melle excepta tabidos iuuant, præſertim qui purulenta extuſſiunt. Eadem tribus continuis diebus deuorata drachmarum quatuor pondere, aut ex frigidæ aquæ cyathis quatuor ebibita, ventriculi dolores mulcet: ie-*

Betonicæ cōſideratio.

Vires ex Antonio Muſa.

I. BETONICA. *II. BETONICA FLORE ALBO.*





III. SERRATVLA.



*tinoris verò, ſi ex calida hauriatur. Ex vino decocta lienis vitijs medetur. Sanat & renum vitia ex mulſo bibita, duarum drachmarum pondere: ex vino autem veteri trium drachmarum pōdere, additis piperis granis ſeptem & viginti, ad laterũ lumborumq́ dolores vtiliſſimè bibitur. In duobus aquæ calidæ cyathis ſumpta, alui & inteſtinorum tormina remouet, ſi tamen à crudis non fiant ſuccis. Foliorum quatuor drachmis in aqua mulſa cyathis octo epotis, commodè citatur aluus: ſanãturq́ qui ex vino ſumptis coli inflãmatione vexati. Betonica in eclegmate ex melle ſumpta nouem diebus, tuſſim ſedat. Pota in aquæ calidæ cyathis quatuor duarum drachmarum pondere, addita plantaginis drachma, febres quotidianas expellit; quod tamen in acceſſionibus tantùm fieri debet. Idem præſtat etiam in tertianis, ſi cum pari pulegio aſſumatur. Sanat ipſo quoque ordine etiam quartanas in tribus aquæ calidæ cyathis hauſta, trium drachmarum pondere: addita mellis vncia, calculi frangũtur. Betonica ex tepenti aqua feliciter bibitur hydropicis. Pariendi celeritatem affert, vteriq́ cruciatus à frigiditate conceptos mulcet, ſi ex calida aqua, aut mulſo duarum drachmarum pondere propinetur. Contrita folia & illita, præciſos glutinant neruos, & reſolutos iuuant. Eadem trium drachmarum pondere ex caprillo lacte ſumpta tribus diebus, ſanguinem ore reiectum cohibent, & ex pari vini veteris menſura, medentur ruptis, & ab alto deuolutis. Præſumpta ebrietatem arcet. Ex vino frequenter hauſta, ictericos ſanat: & ſuillo adipe admiſta, carbunculos curat. Potu ex aceto mulſo vnius drachmæ pondere, viatoribus longo itinere defatigatis vires mirificè reficit. Faſtidia abſtergit, & ſtomachicos recreat. Aduerſatur venenis, & ſerpentum, & venenoſorum rabidorumq́ quorumcunque animalium morſibus, non modò intus ſumpta, ſed etiam extrà emplaſtri modo impoſita. Cuniculoſa, ſinuoſaq́ ſanat vlcera cum ſale indita. Ex vino hauſta menſes ciet. Potu dolores podagricos lenit, præſertim radicum decoctum potum: idemq́ præſtant contrita folia impoſita. Cæterùm ſunt qui Betonicam à ſerratis circumquaq́ folijs ſerratulam vocant. Sed*

Serratula.

*SERRATVLA cuius hic imaginem appinximus, quæque copioſa in Bohemia naſcitur in ſyluis, & pratis longe alia habetur.*

*betum. Siquidem hæc caule conſtat purpuraſcente, tenui, & in multos ramulos diuiſo: Folia gerit anteaquam cauleſcat Betonicæ ſimilia, toto ambitu tenuiter ſerrata, ſed vbi caulem protulit, eadem faciem immutant. Nam exortis profundioribus inciſuris, maioris Phu ſimilia fere redduntur: quæ verò in caule ſunt, minora multò, & breuiora ſpectantur. Flores edit in ramuſculorum ſummis partibus, è capitulis quibuſdam, purpureos. Radice nititur multifida, Phu minoris modo fibrata. Herba eſt infectoria, pannis colorandis expetita. Datur vtiliter potanda ex albo meraco conuulſis, ruptis & ab alto deuolutis: diſſoluit enim potenter ſanguinem, qui extra vaſa concreuit. In vino decocta, ac deinde illita, vlcera mirificè mundat, & carne replet, & ad cicatricem perducit. Hæmorrhoidum quoque dolores mulcet fotu adhibita. Folia, & radix ſimul contuſa, & emplaſtri modo impoſita, enterocelas ſanare creduntur. Betonicæ vires memoriæ prodidit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Ceſtron, aut Pſychotrophon, Romanè verò Betonica, vim habet incidendi, vt guſtus indicat. Amarior enim eſt, & ſubacris ipſa herba: id quod & particulatim edita actio oſtendit. Nam conſiſtentes in renibus calculos diuidit, & pulmonem, & thoracem, & iecur expurgat abſtergitq́ue, menſes quoque ciet, & comitialibus prodeſt, tum rupta, conuulſaq́ue curat, & omnibus beſtiarum morſibus vlceri illita auxiliatur. Poſtremò acidum ructantibus, & iſchiadicis bibita, auxilio eſt. Planta, quæ κέςρον, & ψυχότροφον Græcis, Betonica, & Vetonica Latinis dicitur: Arabibus, Chaſtara: Italis, Betonica: Germanis,* Betonien: *Hiſpanis, Bretonica: Gallis, Betoeſne: & Betoine. Serratula, Italis Serratola.*

Serratulæ vires.

Betonicæ vires ex Gal.

Nomina.

Betonica, quæ Græcis κέςρον à remediorum copia & varietate dicitur, Plinio Vettonica, quam in Italia Serratulam vocari auctor eſt, duplex eſt, altera purpureo flore, quæ vulgatior eſt, altera candidis floribus, quæ rarior & non ſolum floris colore ab altera variat, ſed & multò altera hiſpidior, minoribusq́; folijs, vt ex adiecta figura colligere eſt. Purpurea duum quoque generum, altera breuiore ſpica, altera longiore & molliore, quæ altius excreſcit & ſerius floret, vtraque tamen eodem loco prouenit. I. Betonica purpurea, Trag. Fuch. Betonica, Brunf. Matth. Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lacu. Lon. Lob. Caſt. Lugd. Cæſal. Thal. Tab. Betonica purpureo flore, Cluſ. hiſt. Pan. Vetonica, Cord in Dioſ. & hiſt. II. Betonica alba Brunf. Taber. Betonica candida, Trag. Betonica floribus candidis. Lob. obſer. Betonica flore albo, Dod. gal. & fol. Cluſ. hiſt. Pann. Cam. Vetonica alba, Cordo in hiſtoria. III. Serratula, á folijs minutim circumquaque ſerratis, nomen habet: dicitur Serratula, Matth. Dod. fol. Lob. Caſt. Lugd. Cam. Serratula tinctoria, Taber. Tinctorius flos ſecundus, Trago, vt Kyberus vertit, Tragus namq́; Schartam nominat Cerretta, Cæſal. Centauroides, aut Centaurium maius ſylueſtre Germanicum, Thalyo: an Solidago Saracenica quarta, Lonicero. Huius ratione foliorum quatuor differentiæ: prima folijs omnibus per circumferentiam ſerratis, inciſura carentibus: altera folijs ad radicem quidem tantum ſerratis, at reliquis profundè inciſis ceu in lacinias diuiſis: tertia folia habet vtrinque diuiſa: quarta, primum folium ad radicem per circumferentiam ſerratum habet, reliqua veró omnia diſſecta.

## Βρεταννική. BRITANICA. CAP. II.

BRitanica, aut Vetonica, folia habet ſylueſtris lapathi, ſed nigriora, & piloſiora, guſtu adſtringentia: radicem tenuem, & breuem: caulem paruum emittit. Folijs exprimitur ſuccus, qui igni aut ſole cogitur. Vim habet adſtringentem, priuatim depaſcentibus oris, & tonſillarum vlceribus accommodatam. Valet etiam ad reliqua, quibus adſtrictione eſt opus.

*QVanquam tradit Ruellius Britanicam eſſe plantam Italiæ cognitam, atque ibi vulgò appellari Piatamano, mihi tamen hactenus non ſolùm nomen illud incompertum eſt, ſed nullam etiam inuenire obtigit, qui Britanicam oſtenderet. Hanc autem ſcriptis celebrauit Plinius libro 25. cap. 3. hiſce verbis: In Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota dentes intra biennium deciderent, compagesq́; in genibus ſoluerentur. Stomacacem medici vocabant, & ſceletyrben ea mala. Reperta auxilio eſt herba, quæ vocatur Britanica, non neruis modò & oris malis ſalutaris: ſed contra anginas quoque & ſerpentes. Folia habet oblonga, nigra: radicem etiam nigram. Flos ei, qui ( vt certò proditur ) collectus priuſquàm tonitrua audiantur, & deuoratus ſecuros in totum reddit homines. Friſij, quà caſtra erant, noſtris demonſtrauere illam: hæc Plinius. Cæterùm non deſunt, qui Britanicam cenſeant eam eſſe ſtirpem, quam herbariorum vulgus ideo* BISTORTAM *appellat, quòd radice contorta nitatur, ſed eorum planè error facilè deprehenditur. Quandoquidem etſi Biſtorta rumicis conſtet folijs, non tamen ea nigra ſunt, neque piloſa quinimo læuia apparent, supernè ruſeſcentia, & à terra quadantenus cæſia. Ad hæc Britanicæ radix ſubeſt tenuis, breuisq́;: Biſtorta verò craſſa, ſerpentis iacentis modo contracta, & intorta. Cæterùm vt Biſtortæ integram enarrem hiſtoriam, naſcitur hæc in altis montibus, folijs primo ſtatim exortu in acutum deſinentibus, colore ſubrufo, quæ vbi adoleuerint, rumicis folia referunt, ſed læuia ſunt, inferna parte ſubpurpurea & per ambitum ſinuata. Caulem edit rotundum, tenuem, cubitalem, in quo folia longè minora ſpectantur. Flos in caulis ſummitate prodit ſpicatus, ruber aut ſubpurpureus, è quo ſemen oritur oxalidis proximum. Radice nititur arundinacea facie, ſed ſuccoſa, ſerpentis modo contorta, cortice obducta ſubrubra intus pulpa, adſtringentis ſaporis. Copioſiſſima oritur in altis montibus & paſcuis prouenit in Bohemia, ijs præſertim montibus, qui regionem hanc, à Sileſia diuidunt, & ex quibus Albis fluuius ſuam ducit originem. Sed præterea non deſunt etiam qui Tormentillam ſic officinis, & vulgò vocatam, Biſtortæ generi adſcribant, quòd non facie, ſed fortaſſe viribus illi reſpondeat: quæ quoniam hic nobis occurrit, & quàm plurimis effertur laudibus, ideó hic locus expoſcere viſus eſt, vt de ea aliquid diſſeramus. Eſt itaque* TORMENTILLA *folio pentaphylli minore, ſeptenis inciſuris diuiſo: radice breui, nodoſa, cōpacta, rubeo colore, ſapore adſtringēti: cauliculis tenuibus, ſubrubētibus: flore melino, adeò vt in pētaphylli genere ſit reponenda. Sunt qui à ſeptenis foliorum diuiſuris Heptaphyllon hanc vocent. Herbarij compertum habent, hanc ijſdem pollere facultatibus, quibus Biſtorta prædita eſt. Quamobrem vtraque refrigerant, exſiccant, cohibent, roborant, abortum prohibent bibitæ, ac ventri pubi renibusque ex aceto illitæ: vrinæ incontinentiam ſupprimunt, cum ſucco plantaginis potæ: ſiſtunt menſes, ſi in earum decocto ad vmbilicum vſque conſederint fœminæ. Idem præſtant (de radicibus tamen intellige) ſi tritæ, & ex melle atque ſpica ſubactæ, ventri ac pubi illinantur. Sanguinem è vulneribus manantem cohibent, ſuperaſper-*

Britanicæ cōſideratio.

Ex Plinio cōtra ſtomacacen.

Biſtortæ mentio.

Tormentillæ hiſtoria.

Tormentillæ & Biſtortæ vires.

I. BISTORTA.



II. *BISTORTA MINOR.*



III. TORMENTILLA.



*ſo earum puluere. Qui item ex punicorum malorum vino potus bilioſas coercet vomitiones, & ſi ouorum albo exceptus ſuper fictili tegula inaſſetur, mox comedatur. Aqua, quæ ex his duplici organo elicitur, ſiue è radicibus decoctum, venenis omnibus remedio eſt. Ex quo tantùm apud nonnullos Tormentillæ inualuit vſus, vt ex eius radicibus etiam medicamẽta componant aduerſus peſtilentiam, & ad peſtilentes febres, & præſertim vbi exanthematũ notæ emerſerint. Datur quoq; earundem radicum tũ puluis, tum decoctũ vtiliter potandum pueris, qui vermibus laborant. Vtræque tum cæteras alui fluxiones, tum dyſenteriam ſanant, & vulnera glutinant, præſertim quæ inteſtinis, & visceribus fuerint illata, non modò ipſis vulneribus illitæ, ſed & in potionibus hauſtæ. Rebellia contumaciaq; vlcera curant & ea ſiſtunt, quæ ſerpendo corpora erodunt. Radicum puluis ſanguinis reiectiones prohibet. Idem ex ſymphyti maioris aqua potus, iuuat confractos, & ab alto deuolutos: ſiquidem non ſolùm intrinſecas fracturas ſanat, ſed etiam ſanguinem extra vaſa concretum diſcutit. Cauis dentium inditus cum aluminis, & pyrethri momẽto, non modò dolorem ſedat, ſed fluxiones eò decurrentes cohibet. Peculiariter autem valent Biſtortæ radices ad omnes venenoſorũ ſerpentium ictus & morſus, è vino ſumptæ vnde Colubrina quibuſdam dicta eſt.*

Britanicæ vires ex Gal.

*Sed vt iam ad Britanicæ vires redeamus, eas ſcriptis tradidit Gal. li. 6. ſim. med. vbi ſic inquit: Britanicæ herbæ folia adſtringentia ſunt, & vulnerum glutinatoria, ſimilia folijs ſyluestrium lapathorum, niſi quatenus atriora ſunt, magisq; hirta. Sed & expreſſus ex illis ſuccus perinde natus eſt adſtringere: itaq; coctum quidam reponunt, tanquam inter ſtomatica medicamenta efficaciſſimum. Videtur enim ſanare iam etiam putreſcentia: hactenus Gal. Cæterùm non eſt ſilentio prætereundum, quòd Dioſcoridis codices inueniuntur, in quibus poſt Britanicã alterũ per ſe de Betonica caput legitur. Quod, quoniã pluribus indicijs in Dioſcoride aſcititium eſſe conſtat, atq; in hunc authorem ex libello Antonij Muſæ Auguſti Cæſaris medici fuiſſe translatum, idcirco nos illud abdicauimus, neque alia commentatione idem dignum cenſuimus.*

Nomina.

*Quæ planta Græce βρεταννική, Britannica Latinè pariter & Italicè appellatur. Biſtorta ſeu Colubrina, Italis Biſtorta: Germanis, Natterwurtz at Tormentilla, Italis, Tormentilla: Græcis, Ἑπτάφυλλον: Germanis Tormentill: Gallis, Tormentille.*

Biſtorta quòd radice in ſe contorta conſtet, cuius Plinius inter Dracontia meminiſſe videtur, eiuſdemque forte Molybdæna: duplex eſt, maior & minor: illa radice magis minusue intorta, folijs in altera rugoſioribus & maioribus, in altera leuibus & minoribus: minor ſimiliter duplex. I. Biſtorta mas, Brunf. Biſtorta minor, Dod. gal. Lacu. Tab. Biſtorta, Lonic. Colubrina minor, Brunf. Trag. Serpentaria mas, Fuchſio. II. Biſtorta minor, Camerario in ſuo Matthiolo & Thalyo: Limonij ſpecies minor, Geſ. de hortis. Hæc priore multò minor eſt, cuius folia ſubrotunda per marginem veluti ſerrata & punctis diſtincta: quæ in altioribus tantum Heluetiorum montibus & Iura prouenit. III. Tormentilla, quod tormentum dentium ſedet, quam alij Pētaphyllis, alij Biſtortis, alij Chryſogono Dioſcoridis, adnumerant: duplex eſt, altera communis, quæ aliquando quina, non ſeptem folia obtinent: alia alpina, radice vulgari maiore, rubicundiore & odoratiore. Tormentilla, Matth. Brunf. Trag. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. & hiſt. (cui & Pentaphyllum rectum) Lacu. Lon. Lob. Caſto. Cæſal. Lug. Thalio, Taber. cui & Conſolida rubra, Heptaphyllum, Fuchſio, Geſ. de hortis libro.

## Λυσιμάχιον. LYSIMACHIA. CAP. III.

Lyſimachia, quam aliqui lytron appellant, caules emittit cubitales, altioresue, fruticoſos, tenues: prodeuntibus geniculatim folijs tenuibus, ſalicis figura, guſtu adſtringentibus a flore rufo, aut aureo, gignitur b in aquoſis, & paluſtribus. Foliorum ſuccus adſtringente ſua vi, ſanguinis reiectionem ſupprimit: dyſentericis potui datur, aut infunditur: menſium abundantiam ſiſtit, in peſſo: ſanguinis profluuio ſubuenit, ſi nares ea herba obturentur: c vulnerum cruorem cohibet. Acerrimum nidorem ſuffita reddit: qua de cauſa ſerpentes fugat, & muſcas interficit.

a πυῤῥόν. i. fuluus.
b παρὰ τὰ ὕδατα. i. iuxta aquas.
c ἔστι δὲ καὶ τραυματικὴ καὶ ἴσχαιμος. i. eſt & vulneraria, & ſanguinē ſiſtens.

I. LYSIMACHIA.



II. LYSIMACHIA ALTERA.



*Lyſimachia á Lyſimacho rege inuentore nomen accepit, vt Plinius eſt author libro 25. cap. 7. vbi de ea ita ſcriptum reliquit: Inuenit Lyſimachus herbam Lyſimachiam, quæ ab eo nomen retinet, celebrata Eraſiſtrato. Folia habet ſalicis, viridia: florem purpureum: fruticoſa eſt; ramulis erectis, odore graui: gignitur in aquoſis. Vis eius tanta eſt, vt iumentis diſcordantibus iugo impoſita aſperitatem cohibeat: hæc Plinius. Ruellius Lyſimachiam eam herbam putat eſſe, cuius eſt vſus apud infectores ad inficiendos viridi colore pannos: vbi enim hos glaſto tinxere, eam ſuperinducentes viridem colorem efficiunt. Hanc Hetruſci, qui lanificio dant operam, vulgò appellant Cerretta, ſiue Braglia: Foroiulienſes verò Coſaria. Sed hac in re Ruellius, meo quidem iudicio, apertè fallitur: ſiquidem Cerretta, quam ipſe ruſticis Corneolam vocari ait, caules profert, & folia lino maiora, non autem ſalicis: florem luteum, ſemen folliculis geniſtæ effigie incluſum: naſcitur in pratis, nullaq́; eſt, quod guſtu perceperim, adſtrictione prædita. Non deſunt præterea alij, qui pro Lyſimachia aliam plantam oſtendant, quæ quadrato, recto, bicubitaliq́, exit caule, folijs ſalicis, flore in purpuram rubeſcente ſpicato: Naſcitur prope fluentes aquarum riuos & vliginoſis locis. Adſtringit, refrigerat, cohibet, & omnia poteſt quæ & altera, quæ etſi Dioſcorides Lyſimachiam non referat, eam tamen Lyſimachiam alteram appellare libuit. Lyſimachiam legitimam, ni fallor, Roma ad me Goritiam miſit Vincentius Cantonus conciuis meus, medicus eruditus, & rei herbariæ ſtudioſus: quæ mihi planè ſingulis notis, quas Dioſcorides Lyſimachiæ tribuit, videtur adſtipulari. Sed eādem poſthac inuenimus nos in Bohemia copioſam, & circa Pragam, prope Multauiam fluuium, & in alijs quoq́; locis. Cæterùm quamuis Ruellius in mentione Lyſimachiæ exiſtimauerit*

Lyſimachiæ conſid.

Ruellij erratum.

Lyſimachia altera.

Vincentius Cantonus.

Ruellij altius lapſus.

*(vt ſupra diximus) Corneolam eſſe veram Lyſimachiam, in fine tamen eiuſdem capitis quandam aliam herbam à ruſticis ſibi demonſtratam fuiſſe teſtatur, ad fugandã peſtilentiam efficaciſſimam, buboni tantum adalligatam, quam etiam pro Lyſimachia aſſeruit. Ex quo palam eſt, Ruellium duas pro Lyſimachia plantas deſignaſſe, ea fortaſſe ratione adductus, quod Dioſcorides flore ruſo, aut aureo conſtare Lyſimachiam memoriæ tradiderit. Lyſimachiæ meminit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, vbi de eius viribus in hunc modum diſſeruit. Lyſimachios ſuperantem habet qualitatem adſtrictoriam, per quam & vulnera glutinat, erumpentemq́; ex naribus ſanguinem emplaſtri modo illita compeſcit: quin & reliquas ſanguinis eruptiones ſiſtere poteſt cùm ipſa, tum ſuccus eius multò magis. Pota dyſenterias, ſanguinis reiectiones, ac muliebre profluuium ſanat. Huic herbæ nomen Græcum eſt λυσιμάχιον, Latinum, & Italicum Lyſimachia. Germanis Weiderich.*

Lyſimachiæ vires ex Gal.

Nomina.

Lyſimachiæ, quæ & Salicaria à foliorum ſimilitudine dicitur, quatuordecim differentias notauimus: alia eſt ſpicata, & quidem purpurea, vel cærulea: alia ſiliquoſa, hæcq; hirſuta, vel glabra, illa vel magno, vel paruo flore: at glabra maior, minor, & anguſtifolia: eſt non ſiliquoſa rubra, lutea, maior & minor, & etiam floribus globoſis: quibus addimus Chamænerion latifolium & anguſtifolium, hocq; vel in planis, vel Alpibus proueniens. I. Lyſimachia lutea maior vel Dioſcoridis, C. B. Lyſimachia, Matth. Trago, Lacu. Lon. Cæſal. Lugd. Lyſimachia lutea, Fuch. Turn. Lob. Taber. Lyſimachium luteum, Geſ. hor. Thal. Lyſimachia flore luteo, Anguil. Lyſimachia flore luteo minore, Cam. Lyſimachia vera, Cord. in Dioſc. Lyſimachia falſa, Caſtori: Lyſimachium verum, Dod. gal. ſeu legitimum, Dod. fol. Salicaria, Geſ. hort. cui & Virga aurea quorundam. Variat folijs nunc ternis, nunc quaternis, & etiam binis ex ſingulis nodis prodeuntibus. II. Lyſimachia ſpicata purpurea, C. B. Lyſimachia altera, Matth. (ſed in hac figura folia plus iuſto longa) Lacu. Lugd. Lyſimachium purpureum, Geſ. hor. Lyſimachium purpureum alterum, Dod. gal. Lyſimachia tertia purpurea, Lob. Tab. Caſt. Lyſimachia flore purpureo, Anguil. Cæſal. Cam. Lyſimachia tertia, Turn. Pſeudolyſimachium purpureum alterum, Dod. fol. Solidaginis Sarracenicæ alia ſpecies, Trago.

## Πολύγονον. SANGVINARIA. CAP. IV.

POlygonum mas ramos habet teneros, & exiles, copioſos, geniculis cinctos, qui per terram, vt gramen repunt, folia rutæ, ſed † molliora, longioraq;: ſemine ſub omnibus folijs turgeſcente: vnde marem appellari volunt: flos ei candidus, aut puniceus a. Vis epoti ſucci eſt, ſpiſſare, ac refrigerare: prodeſt cruentæ excreationi, choleræ, alui fluxionibus, & vrinę ſtillicidio: nam vrinam apertè ciet. Cum vino potus, contra ſerpentium morſus auxiliatur b: datur in febribus per horam ante ſignificationes: fœminarum profluuia impoſitu ſiſtit. Idem ſuccus aurium doloribus, ijsdemque purulentis inſtillatur. Facit eximiè ad genitalium vlcera, cum vino adiecto melle decoctus. Stomachi feruori, ſanguinis reiectionibus, vlceribus quæ ſerpunt, ignibus ſacris, collectionibus, tumoribus, & recentibus vulneribus folia illinuntur. Sanguinaria fœmina c fruticat vno caule, arundini teneræ ſimili, denſis geniculis, & in ſe tubarum modo farctis: articulos in orbem cingunt apices, foliolis piceæ ſimiles: radicis nullus vſus: naſcitur in riguis. Huic quoque ſpiſſandi, refrigerandique natura ad eadem valens, ſed inefficacior.

a Meu Δύναμιν δὲ ἔχει συπτικὴν καὶ ψυκτικήν: ὁ δὲ χυλὸς πινόμενος ἁρμόζει αἱμοπτοϊκοῖς. i. vim adſtringentẽ habet, & refrigerantẽ: ſuccus verò potus auxiliatur ſanguinem ſpuentibus. Cæte. autem cum Ruellio concordat.

b καὶ πρὸ ... πρὸ μιᾶς ὥρας τῆς ἐπισημασίας λαμβανόμενος. i. & contra periodos vna hora ante acceſsionẽ ſumptus: ita Meu & Cat.

c θαμνίσκος ἐστὶ μονόκαυλος, τρυφερὸς, μαλακώδης. i. Frutex eſt paruus, vnicaulis tener, ſubmollis, ita Meum

I. POLYGONVM MAS. II. POLYGONVM FOEMINA.





Polyg-

III. POLYGONVM MINVS.



POlygonon mas, quod ab Italis vulgo vocatur Corrigiola, & Centinodia, in campis, ædificiorum areis, & vijs publicis frequens vbique naſcitur. Fœmina vero, quæ non adeò frequens eſt, & copioſa, in riguis humentibuſq; locis inuenitur. Mari polygono Proſerpinacæ nomen tribuit Apuleius, quòd humi cauliculis repat. Eſt & planta, quam POLYGONON minus appellare libuit. Ea enim ramulos edit humi repentes, tenues, geniculatoſq;, folijs exiguis, oblongis, ſemine pumilo, rotundo, minuto, albicante, racemoſoq;, ac adeò copioſo, vt vniuerſa planta ſemine referta conſpiciatur: quo fit vt a quibuſdam mille grana vocitetur. Naſcitur arido ſolo & in ſiccis torrentium alueis. Sunt etiam qui ab effectu hanc ipſam Herniolam vocant, quod ad enterocelas præſtantiſſimum ſit auxilium in potionibus ſumpta. Audio à viris fide dignis cũ hac tantum herba, a Gabriele Falloppio Mutinenſe, plures inteſtinorum ramice laborantes eſſe ſanatos. Vis illi eſt conglutinãdi, ſiccandi, refrigerandi. Vniuerſæ plantæ puluis ex vino hauſtus, non ſolùm ſuppreſſam cit vrinam, ſed & renum calculos comminuit, ac pellit, vbi diutius ſumatur. Quinetiam, vt quidam affirmant, veſicæ quoq; lapides atterit, & paulatim eijcit: vbi diutius quotidie eius puluerem è vino bibant affecti drachmæ vnius pondere. Naſcitur locis aridis, ſabuloſis, & incultis. Polygoni meminit Galenus libro 8. ſimplicium medic. vbi eius vires reddidit his verbis: Polygonum, inquit, vti adſtrictionem quandam obtinet, ita ſanè vincit in eo aqueum frigidum, vt videlicet ſecundi ſit ordinis medicamentorum refrigerantium, aut etiam quodammodo in initio tertij. Proinde ſanè quibus ſtomachus feruet æſtu, foris frigidum illitum prodeſt: velut etiam eryſipelata, & calidas phlegmonas iuuat. Porrò tale cùm ſit, & fluxiones repercutit, & hac ratione videtur eſſe exiccatorium. Quare cùm herpetum tum vlcerum, aliorumq; bonum eſt remedium: efficaciſſimum autem inflammatione & fluxione laborantium partium. Eſt & cruentorum vulnerum glutinatorium. Sed & aurium vlceribus prodeſt: & ſi vel plurimum inſit puris, hoc tamen etiam deſiccat. Eaſdem ob facultates & profluuium muliebre ſiſtit, & dyſenteriam & ſanguinis reiectiones, & vndecunque aliunde immoderatiores impetus. Refert Dioſcorides, quod & vrinam prouocet exhibitum ſtillicidio ſeu ſtranguria affectis: non tamen affectum exactè diſcriminat, in quo ipſum dari expediat. Porrò mas ad omnia dicta, quam fœmina, validioris eſt effectus. Herba, quæ Græcis πολύγονον ἄῤῥεν, Latinis Polygonum mas vocatur: Arabibus, Baſiʃalra'agi: Italis, Polygono maſchio, & Coreggiola: Germanis, Weggraß: Hiſpanis, Corriola: Gallis, Coreggiole. Quæ verò Græcè πολύγονον θῆλυ, Latinè, Polygonum fœmina dicitur: Italis, Poligono & Coreggiola fœmina: Germanis, Kanten kraut: Gallis, Fin aquatic. Polygonum minus, Græcis Πολύγονον μικρὸν: nonnullis Millegrana, quibuſdam Herniola: Italis, Corregiola minore.

Polygoni cõſideratio.

Proſerpinaca Polygonon minus, & eius hiſt. & vires.

Millegrana. Herniola.

Polygoni vires ex Gal.

Nomina.

*IV. POLYGONVM MARITImum latifolium.*



*V. POLYGONVM POLONIcum cocciferum.*



† *Impreßi codices Græci tum Venetiis, tum Baſileæ hic malè habent ἐπιεικέςερα, hoc eſt, mitiora, cùm legẽdum ſit μηκέςερα, id eſt, longiora. Hoc præterea loco in iis addendum eſt μαλακώτερα, hoc eſt, molliora. Huic, & alteri lectioni adſtipulatur Oribaſius, quem ſecuti videntur interpretes.*

Polygonum, quod à multitudine ſeminis, aut dẽſitate fruticis dictum vult Plinius, ſed potius à copioſis geniculis, & à Scribonio Calligonon nominatum, duplex eſt, maius & minus: illud vel vulgare, quod latifolium candidis aut rubentibus floribus varians, & anguſtifolium: hocq; aut repens, quod vel oblongo, vel breui folio, aut fruticãs, vel maritimũ, quod latifolium & anguſtifolium: vel cocciferũ. Minor etiã ſuas differẽtias habet, eſt vulgatũ, vel repens, vel erectũ: eſt peregrinũ, foliolis vel maioris, vel ſerpylli, vel deniq; minimis, Herniaria dicta, cuius differentia in hirſutie & foliorum glabritie. I. Polygonum latifolium vel mas Dioſc. & Plinii, C.B. Centũnodia, Brunf. Polygonũ mas, Matt. Fuch. Dod. gal. & fol. Anguil. Geſ. hor. Caſt. Lugd. Thal. Polygonum maſculũ, Trag. Lac. Polygonum, Lob. Cæſ. Polygonum primum, Turn. Polygonum mas vulgare & Sanguinaria, Lob. in ico. Polygonum maius. Lõ. Tab. cui & Corrigiola: Polygonũ vulgare Cam. II. Equiſetum aquaticũ breuioribus ſetis, C.B. Polygonũ fœmina, Matt. Dod. gal. & fol. Anguil. Geſ. hor. Caſt. Lugd. Tab. Polygonũ fœmina ſemine vidua, Lob. in icon. Polygonũ fœmina Thal. Sanguinalis fœmina, Cordo in Dioſc. an Limnopeuce, Cordo in ſua hiſt. III. Polygonũ minus ſeu Millegrana maior, C.B. Polygonũ minus, Matth. Caſt. Polygoni genus herniaria vulgo, Cluſ. hiſt. Pan. Empetron, Trag. Lon. Millegrana, Cord. in hiſt. Herba Cancri minor, eius ſcholiaſti: Epipactis, Anguil. Herba Turca, Aduerſ. Lob. Cæſ. Herniaria, Geſ. hor. Lug. Thal. Tab. Cam. Huius aliquot ſpecies notauimus, aliã foliis ſubrotundis, glabris, aliam hirſutis, aliam foliis anguſtiſſimis, albicãtibus, viticulis copioſis repentibus. IV. Polyg. maritimũ latifoliũ. Hoc vulgo breuius, craſſius, totũ candidũ & humi ſtratũ ex cuius radice nigra, craſſa, palmari, cõtorta & lignoſa, viticuli ſubrubẽtes prodeũt, internodiis diſtincti, ſquammulis tenuiſſimis albidis donati, folia habet dẽſa viridia, quibus foliola cãdida, glabra, lucida ſecũdum nodos adponuntur: floſculi ruffeſcentes, aliquando albi, quadrifolii, quibus ſuccedit ſemẽ nigrum triangulum, thecis foliaceis candidis incluſum. Hoc in Adriatici maris littore circa Venetias legimus: verùm longe maius & ſpecioſius toto maris Mediterranei tractu in Gallia Narbonenſi, ad Cetium mõtem obſeruauimus. Salſo & adſtringente guſtu eſt. Dicitur Polygonum marinum maximum. Aduerſ. & Lob. in icõ. Polygonum marinum, Lob. Cam. in Matth. Polygonum marinum prius Dalechãpii, Lug. Polygonum tertium in maritimis naſcens, Cæſ. V. Polygonum Polonicum cocciferum. Hoc ex radice minore, cauliculos emittit breuiores, nodoſos, albentes, circa quos folia tenuiſſima, mucronata: floſculi candidi, inter ſquammas vireſcentes in cauliculorum ſummis. Ad huius radices, Coccum elegantiſſimo rubore commendatum naſcitur, quod in arenoſis Poloniȩ locis reperitur: de quo primus, D. Camerarius in ſuo Matt. Polygoni Cocciferi nomine, quod Polonis Koſmatzek dicatur.

## Πολυγόνατον. POLYGONATVM. CAP. V.



Polygonatum naſcitur in montibus, frutice cubito altiore, foliis lauri, latioribus, & læuioribus, ſapore mali cotonei, aut punici, cum quadam adſtrictione. Flores per ſingulos foliorum exortus promit candidos, foliis numeroſiores, incepta à radice ſupputatione. Radicem habet albam, mollem, longam, crebrò geniculatam a, denſam, graueolentem, digitum craſſitudine æquantem. Quæ vulneribus efficaciter illinitur: quinetiam maculas in facie delet.

a Meum. δασέαν. i. hirſutam.

Polygonati conſideratio, & hiſt.

*Polygonatum Hetruſcis vulgò Fraßinella nominatur. Alij verò Italiæ populi quaſi a Græcis docti, id Ginochiatto vulgari ſermone appellare didicerunt, ac ſi geniculatam radicem dicerent. Eſt itaque Polygonatum planta caule cubitali, & quandoq; maiore, rotundo, ac læui: circa quem folia exeunt lauri effigie, ſed latiora, numeroſis ſecundum longitudinem venis, firma, diſpari exortu prodeuntia, ſapore quadantenus adſtringente. Flores edit candidos à quacunque foliorum cauitate in vniuerſo caule emergentes, & ternos ex vno pediculo dependentes. Floribus excußis, baccæ exoriuntur piſi magnitudine, ex nigro ſubvireſcentes, & quandoque rufeſcentes. Radice nititur candida, arundinacea, tenera, ſumma tellure vagante, longa, crebris geniculis articulata, digiti craßitudine, denſa, & odore quadantenus graui. Naſcitur in montibus, & collibus. Mulieres è polygonati radicibus aquam ſtillatitiam ſtudioſè conficiunt, qua ad faciem detergendam, poliendamq; pro fuco vtuntur. Sunt præterea, qui Polygonatum ſigillum ſanctæ Mariæ, & qui ſigillum Salomonis vocitent: verùm ipſe quidem harum nomenclaturarum cauſam adhuc aſſequi non potui. Nec deſunt etiam, qui aſſerant, veluti Manardus Ferrarienſis, eam plantam Polygonatum eſſe, quam nomine Secacul deſcribũt Mauritani. Sed ij haud dubiè, meo iudicio, falluntur: ſiquidem Piſi folia, vt Secacul Polygonatum non habet, nec flores purpuraſcentes violæ maiores, albicanteſq;. Præterea Secacul Serapioni radicibus nititur pollicis craßitudine, & indicis longitudine. Contra*

Aq. Polygonati.

Sigillum Salomonis.

Manardi erratum Polygon. Secacul ſtatuentis.

Fito

*verò Polygonatum, quòd multò longioribus ſit radicibus. Adhæc (vt teſtatur Meſues, ac etiam Serapio, vbi de Secacul ſaccharo, vel melle aſſeruando ſcribunt) eius radices cinereo exterius ſunt colore, ſolida intus matrice, atque neruoſa, quæ omnia in Polygonati radice deſiderantur: quippe candida hæc eſt, & nulla intus matrice. Re autem vera Secacul radix eſt Indica. Hoc enim apertiſſimè teſtatur Auicenna libro 5. vbi ſic habet: Secacul ſunt radices Zingiberi ſimiles, quæ conuehuntur ex India, & fit ex eis cum ſunt recentes conditum in loco ſuo, apud nos autem humectantur in primis in aqua calida. Id quod etiam ſcribit Serapio, vbi de pluribus ſaccharo, aut melle aſſeruandis egit. Nec vſquam Polygonatum, & Secacul eiſdem viribus pollere conſtat inter authores: quandoquidem illud Græci commendant ad vulnera, & ad maculas in facie delendas. Hoc autem Arabibus laudatur ad prolifici ſeminis vbertatem, & ad venerem conciliandam. Qua in re nonnulli falſa Manardi opinione ducti, ſe deluſos inuenerunt, qui Polygonati radices ſaccharo conditas ad venerem excitandam auidiſſime deuorarunt, nullo tamen rei ſucceſſu: Atqui conferunt tamen, (vt quidam volunt) & experientia comprobat, ad albas vteri fluxiones, ſi diu iis vtantur fœminæ eo morbo laborantes. De Polygonati viribus diſſeruit Galenus lib. 8. ſimpl. med. hunc in modum: Polygonatum miſtam habet tum facultatem, tum qualitatem: habet enim adſtrictionis pariter & acrimoniæ, & amaritudinis quippiam, & indicibilis cuiuſdam inſuauitatis. Quocirca nec admodum eſt vſui, ſed tantùm quòd radicem eius quidam vulneribus illinunt. Sunt etiam qui næuos maculaſq; in facie illo detergũt. Hæc planta vt Græcè πολυγόνατον, ita etiam Latinè Polygonatum nominatur: Italicè, Fraſsinella, & Gineſtretto: Germanicè, Weißwurtz: Hiſpanicè, Fraſſinella: Gallicè, Geneſculiere.*

Secacul quid. Polygonati vires ex Gal. Nomina.

Polygonatum à radice geniculata dictum, vulgò Sigillum Salomonis à veſtigiis ſigilli impreſſionem in radice referentibus, duplex eſt, latifolium & anguſtifolium: illud & longioribus, & breuioribus, & latioribus, & anguſtioribus foliis, flore maiore, minore, odoro & inodoro: floribus ſingulis, vel pluribus: baccis maioribus, minoribus, rubentibus, purpureis, nigris: eſt deniq; & ramoſum. Sic & anguſtifolium duplex eſt, non ramoſum, quod vulgatius, & ramoſum. Polygonatũ latifolium vulgare, C.B. Polygonatum, Matth. Angul. Lac. Lob. Cordo in Dioſc. & hiſtoria (cius Scholiaſti Polygonatum curuũ dicitur) Turn. Geſ. hor. Dod. fol. Caſt. Polygonatum latifolium, Fuch. Dod. gal. Tab. Polygonatum maius, Lonic. Lugd. Thalio: Polygonatum vulgare, Cluſ. hiſt. Pann. Cam. Sigillum Salomonis, Brunf. Geſ. hor. Sigillum Salomonis latifolium, Trag. Secacul Arabum, Manardo: Fraſſinella vulgo, Cæſ. Vulgares herbarii Germanici cum Dictamno & Elleboro albo confundunt.

## Κλημάτις. CLEMATIS. CAP. VI.

CLematis humi ſerpit: læto, pinguiq; ſolo prouenit, viticulas ſpargens a craſſitudine iunci, exiguas: b folia lauri figura & colore, ſed multò minora. Ea cum caulibus in vino pota alui profluuia, & dyſenterias ſedant: ſubdita in peſſo cum lacte, & roſaceo, aut cyprino, cruciatibus vuluæ medentur: dolores dentium commanducata finit: impoſita ſerpentium morſibus iuuamentum præſtat. Fertur etiam contra aſpidum ictus ex aceto pota opitulari. Gignitur in terrenis.

a Catecuz. ὀλιγοσχοίνῳ. i. inſtar iunci. b φύλλον μικρὸν δάφνῃ ἐμφερές. i. folium paruum lauro ſimile: ita Meum.

I. CLEMATIS PRIMA.



*II. CLEMATIS DAPHNOIdes flore pleno.*



Κλημάτις

## Κληματὶς ἑτέρα. CLEMATIS ALTERA. CAP. VII.

EST & altera Clematis, quæ viticuloſum emittit ramulum, rubeſcentem, lentum: folium guſtu admodum acre ac exulcerans: repit per arbores, vt Smilax. Semen tritum pituitam, bilemq́; detrahit, in aqua aut hydromelite potum. Folia eius illita, lepras purgant. Cum lepidio conditur ad cibos.

III. CLEMATIS ALTERA.



Clematis prima.

*CLematis, quæ primo loco deſcribitur, aliquibus Vinca peruinca dicitur, nobis vulgò appellatur Prouenca, cuius fronde mulieres pueris ac puellis, virginibus, funeſtas texunt corollas. In hac enim nullam reperi notam, quæ Clematidi primi generis reclamare videatur. Siquidem viticulas mittit iunci modo tenues, lentas, flexileſq́; iunco tamen exiliores, læues, & quæ humi iaceant: in his folia exeunt per interualla pari vtrinque exortu, oliuæ modo oblonga, lauri minora, robuſta, colore ſaturatè viridi, è quorum origine primo ſtatim vere flores emicant cærulei, aſpectu pulcherrimo, quinis diſtincti foliis, ex oblongo viridiq́; calyculo ſeſe pandentes, & longis nitentes pediculis. Radices habet numeroſas, graciles, albicantes, humiq́; repentes. Viret perpetuò & nunquam folijs exuta ſpectatur.*

Clematidis vires Matth.

*Refrigerat, ſiccat, roborat, cohibet. Hæc fœmoribus adalligata [viridia folia], menſium abundantiam cohibent, & abortum prohibent, & conceptus adiuuant: Capiti recens ſuperpoſita, & collo, gulæq́; circumducta, ſanguinem è naribus manantem ſiſtunt. Additur quoque vtiliter vulnerariis emplaſtris, & potionibus.*

Quorundam error Vincam Chamædaphnem ſtat.

*Quamobrem eorum ſententiam explodendam putauerim, qui noſtratem Peruincam chamædaphnem eſſe ſibi perſuadent, quam vulgò Laureolam appellamus. Nam hæc virgas emittit cubitales, ſingulari ſtipite à radice exeuntes, rectas, tenues, læueſq́;: ſemen rotundum, rubens, inter folia reſidens, quæ facie laurina æmulantur.*

Clematis altera.

*Porrò Clematis, quam ſecundo loco reddidit Dioſcorides, nimirùm à prima quàm maximè diſſidet. Illa enim vt diximus, frigida, ſiccaq́; exiſtit, & adſtringētis omnino facultatis: hæc verò adeò calida acriſq́; habetur, vt admota facilè exulceret. Ipſa itaq́; ab radice viticulas emittit prælōgas, lētas, rubeſcētes, quibus lupuli vocati modo, aut hortēſis ſmilacis, ſepes, & arbores ſcandat, & clauiculis vinciat. E viticulis*

IV. CLEMATIS TERTIA.



V. FLAMMVLA.



*folia*

*folia prodeunt hederacea, è lateribus vna plerunq;, aut quãdoq; duobus inciſuris diſſecta. Flores edit purpureos, alterius lõge maiores, ſed quatuor tantũ foliis conſtantes, in crucis modum protenſis, è quibus ſemen naſcitur acerrimum, & feruentiſſimi guſtus. Radicem habet craſſam, quæ paulo poſt in numeroſas diuaricatur fibras, ſapore pariter acri. Oritur in ſyluis, & in ſputetis, dumetiſq;. Eſt & alterum huius genus, quod nos VITALBAM vocamus in Hetruria. Quandoquidem Vitalba hæc viticulis exit rubentibus, ac lentis, folijs alteri quadantenus ſimilibus, etſi per ambitum magis laciniatis, acri guſtu, & exulcerandi facultate præditis, ſed floribus longè diuerſis. Siquidem hæc flores profert in racemi modum, albos, odoratos, & Myrti adeò ſimiles, vt differentiæ ferè nihil agnoſcas. Quibus decidentibus capillacea, incanaq; oritur coma, quæ tãdem ventorum flatibus excuſſa, nudum relinquit fructum, triangulari ferè figura, ſimulq; compactum, ſubnigro colore, acerrimi omnino ſaporis. Naſcitur paſsim in ſepibus, & in ſyluis arboribus ſe circumuoluens, & per eas repens: viribus iiſdẽ præſtat, quibus & ſuperior. Quo fit, vt mihi haud dubitandum ſit quin vitalba nobis vocata alterius clematidis ſit ſpecies, vel potius ipſa eadem clematis. Fuchſius tamen medicus doctiſſimus noſtratem Vitalbam, vitem nigram eſſe exiſtimat. Sed errat, mea quidem ſententia, vt infrà ſuo loco dicemus. Cæterùm herba, quam quidam FLAMMVLAM dicunt, foliis, floribus, ac ſemine nihil ab hac clematide differt, quemadmodum nec acerrimo guſtu. Attamen neque ſepibus circumuoluitur, neque arbores ſcandit, cùm recticaulis aſſurgat. Plures autem hæc ex ſe mittit caules bicubitales, ſubrubentes, & in his folia ſmilacis, quibus intolerabilis ineſt acrimonia, vnde Flammulæ ſibi nomen aſciuit. Naſcitur in campis, collibus & frutetis. Ex hac ego ſæpius aquam elicui, demiſſo vitreo organo in calentis aquæ balneo: quæ eadem, qua herba ipſa, pollebat acrimonia. Hanc compertum eſt efficaciſſimam eſſe in morbis frigidiſſimis. Flammula (vt Platearius eſt author) excalfacit, ſiccatq; ordine tertio. Sed quòd ſemicontuſa impoſita carnem non ſecus exulceret, ac ignis, calidam ordine quarto rectius crediderim. Sunt qui Flammulam quartanarijs edendam parum ante acceſsionem præbeant, magno (vt ferunt) iuuamento. Iſchiadicos iuuat impoſita. Alij eius oleum commendant iſchiadicis, articulorum iliumq; doloribus, vrinæ anguſtijs, & renum calculis, in quibus morbis aut calidum illud inungunt, aut clyſteribus infundunt. Id autem præparant hoc modo. Flammulæ folia tenuiſſimè conciſa in roſaceum imponunt, quod vitreum vas exceperit, ac inde per æſtatem inſolãt obturato vaſe. Datur etiam in cibis hiſce morbis affectis, trium drachmarum pondere. Sed vt iam ad Clematidum vires reuertamur, ea de his ſubijciam, quæ Galenus libro 7. ſimpl. med. adnotata reliquit. Clematidis folia, inquit, acrem & adurentem ſiue cauſticam facultatem obtinent, adeò vt & lepras excorient. Fuerit itaque in quarti ordinis excalfacientium initio. Vocatur autem clematis & daphnoides, quod quidam myrſinoides, alij polygonoides appellitãt. Cæterùm id nec exulceratorium eſt, nec acre, ſicut quod antè dictum eſt, immò profluuijs, & dyſentericis cum vino potum prodeſt, dentiumque dolores manſum mitigat: tum vteri quoque doloribus in peſſo admotum, vſui eſt, tantùm abeſt, vt perinde vrat, ac vlceret, ceu illud ſuperius. Sed ſumme nobis ſuſpiciendus Pamphilus ille, ſicuti in reliquis nugatur de iis, quæ nunquam vidit, alteri ea mandans ſic hæc ambo in vnum confudit. At Dioſcorides vtriuſq; in quarto meminit, & eius quæ ſimpliciter vocatur Clematoides, idq; in fine libri, & alterius, ſed in principio. Quamobrem neceſſe non eſt, me etiam deſcribere ſpecies ambas, ſicut nec in aliis feci: hæc Galenus de vtraque Clematide. Ex quibus palàm eſt exulcerantis Clematidis caput ab aliquo curioſo ex huius quarti libri calce, vbi commodè inter aluum deijcientia medicamenta ſibi locum adinuenerat, exemptum fuiſſe, & hic alteri Clematidi adiunctum, ob eam quam inuicem habent nominis conuenientiam. Prima Clematis Græcis κληματὶς δαφνοειδὴς appellatur: Latinis, Clematis, & Vinca peruinca: Italis, Clematide prima, & Prouenca: Germanis,* Singrien: *Hiſpanis, Peruinqua: Gallis, Lyſeron. Secunda verò κληματὶς ἑτέρα Græcè: Clematis altera Latinè:* Lynen *Germanicè vocatur. Italis, Vitalba porporea, At Clematis tertia, Italis, Vitalba. Flammula, nonnullis Flammula Iouis: Italis, Flammola.*

Clematis tertia quæ Vitalba.

Fuch. error.

Flammulę hiſtor. & vires.

Clematidum vires ex Gal.

Nomina.

Clematis quaſi Sarmentaria, quòd flagella vitigineis flagellis ſimilia emittat, arboreſq; ſcandat, quod nomen plurimis tribui poteſt. Verùm alia humi ſerpit, alia arbores ſcandit, eſt denique mediæ naturæ: de quibus omnibus in noſtra hiſtoria vniuerſali. I. Clematis daphnoides minor, fortè Ægyptiaca Plinio C. B. Clematis prima, Matth. Clematis prima Dioſcoridis, Anguilla. Clematis prima minor, Caſt. Clematis, Cord. in Dioſc. Lac. Turn. Clematis daphnoides, Fuch. Dod. gal. & fol. Lob. (qui an Centunculus Plinii ſit dubitat) Thal. Tab. Cam. Clematis Ægyptia ſylueſt. Geſ. hor. Vinca peruinca, Brunf. Geſ. hor. Lon. Lugd. Peruinca, Trago: Prouinca vulgo, Cæl. Chamædaphne altera, Brunf. edit. germanica. Floribus eſt cæruleis, candidis, rubris. II. Clematis daphnoides flore pleno: à præcedenti tantùm flore differt, qui duplicata foliorũ textura peramœna conſtat, & coloris eſt purpurorubentis, ex ſarmentis terra coopertis propagatur, cum ſemine careat. In Germaniæ hortis habetur ex Auſtria. Dicitur Daphnoides polyflora, Lob. Clematis flore multiplici, Cam. in Matth. Clematis maior flore duplicato, Lugd. Clematis purpurea Auſtriaca flore pleno, Cam. in ſuo horto. III. Clematis cærulea repens, C. B. Clematis altera, Matt. (in cuius compendio figura tranſpoſita, & ſub clematide tertia habetur) Dod. fol. Cam. Clematidis alterius altera ſpecies, Dodo. gal. Clematis ſecunda flore purpureo, Caſt. Clematis peregrina cærulea & purpurea, Lob. Tab. Pothos cæruleus, Lugd. Flammula, Cæſal. Variat flore ſimplici, & pleno: colore eſt non ſolùm cæruleo, ſed etiam purpureo. IV. Clematis ſylueſtris latifolia ad Atragene Theop. referenda, C. B. Clematis tertia, Matth. Caſt. Thal. Clematis altera, Lac. Clematis altera prima, Cord. in Dioſc. Clematis ſiue vitis ſylueſtris, Cluſ. hiſt. Panno. Vitis ſylueſtris, Trag. Vitis ſylueſtris cauſtica, Geſn. hor cui & Viburnum quorundam: Vitis nigra, Fuch. Turn. Lon. Vitis nigra ſecunda, Tab. Vitalba, Dod. gal. & fol. Cæſ. Viorna, Ruellio & Lobelo. V. Flammula erecta, C. B. & Cam. Flammula, Matth. Cluſ. hiſt. Pann. Lugd. Flammula altera, Dod. fol. Flammula frutex, Cordo in Dioſcor. Flammula altera ſurrecta, Lob. Flammula Iouis, Tab. Clematis altera, Turnero.

## Πολεμώνιον. POLEMONIA. CAP. VIII.

Polemonia, alii philetæriam, Cappadoces chiliodynamin appellant, ramis exilibus, vtrinque pinnatis: foliis paulò quàm rutæ maioribus, ac longioribus, calaminthæ, aut ſanguinariæ proximis: quibus in ſummis velut corymbi dependent, nigro ſemine: radice cubitali, albicante, radiculæ ſimili: naſcitur in montoſis, & aſperis. Bibitur in vino radix contra ſerpentes, & dyſenteriam: & ex aqua aduerſus vrinæ difficultatem, & coxendicum cruciatus: datur ex aceto drachmæ pondere lienoſis. Eadem ſcorpionis plagæ alligatur.

alligatur. Tradunt eum, qui radicem guſtauerit, à ſcorpione non feriri: eumq́; , ſi ictus ſit, nihil moleſti paſſurum. Dentium dolorem manſa mitigat.

Polemoniæ conſid.

*Q*Vanquam ego plantam pluries vidi in altioribus, aſperioribuſq́; vallis Ananiæ montibus, *tenui & quadrangulari caule, vtrinque pinnato: foliis effigie Nepetæ, corymbis quadantenus depēdentibus, nigro ſemine refertis, radice prælonga, albicante, * quæ Polemoniam quadantenus præ ſe ferebat, cùm tamen corymborum notæ & alia quædã Polemoniæ non eſſent, eius hic imaginem apponere non libuit. Cæterum Braſauolus Ferrarienſis eã cenſet eſſe Polemoniũ, quam noſtrum Hetruriæ vulgus appellat Lauaneſe: alij verò Galegam, alij Rutam caprariam nominant. Quandoquidem hæc omnibus fere notis fœnum græcum refert, in cuius ramorum ſummitatibus cornicula dependent, in quibus ſemen recluditur ſubrubeum, non autem corymbi. Radix illi ineſt breuis. Naſcitur læto ſolo, & plerunq́; in ſcrobium marginibus, aliiſq́; vliginoſis locis: non autem in montibus aſperis, vbi naſci Polemoniam tradidit Dioſcorides. Verum Fuchſius libro 1. de comp. med. eam Polemoniam putat eſſe, quam officinæ Ben album vocant. Sed ab eo planè diſſentio, quòd hoc ramulis non ſit vtrinque pinnatis: quòd corymbos nullos proferat, ſed ſiliquam, vel calycem ocimoidis modo: quod denique non ſolum in montibus, & aſperis proueniat, ſed vbique, præſertim in pratis. De Polemonio differens Gal. lib. 8. de ſimpl. medic. facult. ſic inquit: Polemonium quidam philetærium, quidam (velut Cappadoces) chiliodinamon: tenuium partium eſt, & deſiccandi vim obtinet. Quamobrem quidam radicem eius cum vino ad iſchiadicos, dyſenteriam, lienemq́; induratum potui exhibet.

Fuchſii opin. Ben albũ eſſe Polemoniũ.

Polemonii vires ex Gal.

Nomina.

πολεμώνιον ſit Græcis, vt etiam Latinis Polemonium, & Polemonia nominatur.

Σύμφυτον. SYMPHYTVM. CAP. IX.

*S*Ymphyton petræon naſcitur in petris a, ramis tenuibus, paruis, origano ſimilibus: capitulis, & † foliis thymi: lignoſum totum, odoratum, guſtu dulce, † ſaliuam ciens: longa radice b, ſubrufa, digitali craſſitudine. Decoctum in aqua mulſa & potum, pulmonis vitia purgat: ſanguinẽ reiicientibus, & renum malis ex aqua datur: ad dyſenteriam, rubraq́; fœminarum profluuia in vino decoctũ: ad conuulſa verò & rupta, ex aceto mulſo bibitur. Quin & commanducatum ſitim ſedat, faucibus aſperis ſubuenit, vulnera recẽtia, enterocelaſq; conglutinat, & illitu cohibet. Carnes autem cum ſymphyto decoctæ coaleſcunt. Eſt & alterum ſymphyton, quod aliqui pecton vocant: id caulem emittit bicubitalem, aut maiorem c, craſſum, leuem, anguloſum, vt ſonchi inanem: circa quem breui interuacante ſpatio, folia exeunt anguſta, bugloſſo proxima, oblonga, hirſuta: d caule ſecundum angulos quoſdam ſtriato, foliis tenuibus, ex alarũ ſinu prodeuntibus: in quibus flores lutei, & circa caulem velut verbaſci ſemina emicant. Tam caulis, quàm folia aſpera lanugine horrent, tactuq́; pruritum concitant. Radices demittuntur foris nigræ, intus candidæ, viſcoſæ: quarum eſt vſus. Tritæ, & potæ cruentis excreationibus, ruptiſq; proficiunt: recentia vulnera illitæ conglutinant: carnes quoque ſi concoquantur, cogunt additæ. Inflammationibus præſertim ſedis, cum ſenecionis foliis, vtiliter illinuntur.

a Me. κλωνία ᾗ ἔχει ἐμφερῆ, λεπτόφυλλα, κεφάλλω ὡς θύμα. i. Ramulos verò habet origano ſimiles, tenuia folia, & capitulũ velut thymus. ſed Cat. cum Ruellio concordat.
b Meũ. ὑπόπορφυρον. i. ſubpurpureã.
c Meũ addit. δασεῖα. i. dēſum.
d Meũ. & Cat. ἔχει ᾗ τοῦ καὶ τὰς γωνίας ὁ καυλὸς ἐξοχάς τινὰς παρακειμένας. i. habet verò & caulis eminentias quaſdam iuxta angulos adhærentes.

I. SYMPHYTVM PETRÆVM.



*II. CORIS CÆRVLEA maritima.*



Symphytum petræum.

*Q*Vamuis in noſtris commentariis, quos multò ante tempore Italicè conſcriptos edidimus, ingenuè cõfeſſus eſſem me non antea adinueniſſe ſymphytum primi generis petræon cognominatum: id tamen poſtea reperi menſe Septembri ſuis floribus emicans, longè à Goritia circiter viginti millia paſſuum, in latere magni mõtis Vipaci, paulò ſupra arcem, ac deinde in aliis ipſius montis partibus, aliiſq́; Iapidiæ locis, præſertim eo tractu, qui vulgò Sclauis dicitur Gabernich, quin & in monte illo eiuſdem tractus, quem vocant Sancti Vrbani, nullis prorſus deficientibus notis quæ illi à Dioſc. tribuũtur.

Eſt pro-

*Eſt profectò planta, præſertim vbi floruerit, viſu iucundiſſima, ita vt maxima cum voluptate ad ſe videndum viatorum oculos alliciat, argumento quidem quòd etiam viribus polleat inſignibus. Porrò Symphytum alterum, quod ſecundo loco reddidit Dioſc. nulli dubium eſt, quin ea ſit herba, quæ hodie paſſim* CONSOLIDA MAIOR *nominatur, quã etiam nonnulli herbariorũ Alũ falsò appellant. Quippe quòd eius notæ ſingulæ Dioſc. hiſtoriæ ad vnguem hærere deprehẽdantur.* Symphytum alterum.

III. SYMPH. MAIVS, SIVE Conſolida maior.



*IV. SYMPH. MAIVS TVBEroſa radice.*



V. CONSOLIDA MEDIA.



*VI. CONSOLIDA MEDIA cærulea alpina.*



Hæc frequentiſsima naſcitur in pratis, floribus non modò luteis, vt Dioſc. inquit, ſed & candidis & purpureis, eadem ſed facie, ac forma. Cæterùm hallucinantur, meo quidem iudicio, qui Symphytum petræum putant eam eſſe plantam nobis non cognitam, quam officinæ CONSOLIDAM, & Solidaginem minorem vocant. Siquidem eam nihil prorſus Symphyti petræi notis reſpondere, omnibus rei herbariæ etiam mediocriter gnaris euidentius eſt, quam vt à me indicari debeat. Neque etiam ſtatuendum cenſeo idem Symphytum eſſe eam aliam herbam, cuius folia auerſa parte purpuraſcunt, quæ in herbariis vulgò CONSOLIDA media nuncupatur, ab aliquibus verò Laurentina, & à Senenſibus Morandola. Verùm poſteaquam in harum plantarum ſermonem incidimus, earum quoque hic attexere hiſtorias voluimus. SOLIDAGO itaque minor, quam Germani Prunellam vocant, caulibus exit quadrangulis, hirſutis, ſpithamæ longitudine: folijs menthæ proximis, ac etiam ſubaſperis. Flores gerit in caulium, ramuſculorumq; faſtigiis ſpicatos, purpuraſcentes, & quandoque candidos. Radix illi ineſt multifide capillata, vt in plantagine. Prouenit in montibus, collibus, & ferè vbique. Cæterùm quæ media SOLIDAGO à Rizotomis appellatur, rectius fortaſſe Prunella à Germanis dici potuiſſet à foliorũ colore. Siquidem folia, quæ minori latiora & molliora ſunt, auerſa parte cyclaminis modo purpurea ſpectantur. Caulem edit pedali longitudine, piloſum, quadrangulum, inanemq;. Flores mittit cæruleos, qui partim inter folia, quæ caulem ambiunt, partim in cacumine ſpicata congerie prodeunt. Radix illi eſt vt alteri multifida, haud altè deſcendens. Naſcitur in hortis, & vineis, aliiſq; in locis. Harum modò dictarum ſtirpium, etſi nuſquam, quod hactenus inuenerim, meminerint Græci, aut Mauritani, ea tamen mirũ in modũ prodeſſe exiſtimantur diſruptis, fractiſq; internis & externis corporis partibus. Idem vtiliter dãtur foliorũ ſucci potandi ab alto deuolutis, ac etiã iis, qui interna, inteſtinave vulnera acceperint: nãq; illa ſiue vel exterius, vel interius illata, mirificè ſanant. Tradidere nonnulli, qui rerũ experimenta profitentur, Conſolidam mediam vocatã potu ſanguinis grumos in ventriculo, vel in alia corporis parte concretos diſiicere, & diſſoluere. Illita verò folia, vel eorũ ſuccũ efficax medicamentũ eſſe prædicant vlceribus omnibus in ore manantibus, exedentibuſq;, ac etiam teſtiũ, pudendorũq; virilium, & muliebriũ. His omnibus facultatibus ea quoq; prædita eſt, quã Solidaginẽ minorẽ vocant, vt quidam exiſtimant. Etenim vbi vulnera glutinare, adſtringere, & reprimere ſit opus, minorẽ vſurpãt, quam etiã altera longè præſtantiorẽ eſſe ſæpenumero cõpertum eſt. Recenſetur præterea Germanis inter Symphyti genera quædã ipſis vulgaris herba, quam SANICVLAM appellant. Exit hæc foliis pentaphylli maioribus: radice candida, tã miro naturæ ipſius artificio nodulis, ac laciniis quibuſdam elaborata, vt non parum admirentur, qui tantum naturæ opus diligẽter intuentur, atq; examinãt. Naſcitur in mõtibus, ſyluoſis locis. Radix glutinat, cohibet, roborat. His vtuntur in potionibus ad enterocelas, quotidie drachmæ põdere ex vino auſtero diebus 40. continuis: præſtat quoque & ad interna vulnera, præſertim ad ea, quæ thoracis cauitatẽ penetrauerint, tũ etiã inteſtinorũ, ex aqua equiſeti eodẽ pondere ſũpta. Hanc quidã Dentariã minorem vocãt quòd radices dentiũ ſpeciẽ quandã repræſentent. Cæterũ alia quoq; planta eſt, quæ quibuſdã DENTARIA MAIOR appellatur, nonnullis vero ἀφυλλος, quòd ſine foliis proueniat. Naſcitur hæc in opacis ſyluis, aut aliis vmbroſis locis. Germinat primo ſtatim vere. Quippe caules profert dodrãtales, teneros, fragiles, ſucculentos, Orobãchæ æmulos, in quo à medio ad ſummũ flores exeunt in purpura albicãtes, & hirſuti, foliolis eiuſdẽ ferè coloris in latere cõcomitantib. è florib. calyculi oriuntur, in quibus paruũ cõcluditur ſemen, papaueris modo. Radice nititur albicãte, magna, ſuccoſa, fragili, cõpactili ſquamarũ cõgerie, miro ſanè naturæ artificio elaborata: guſtu eſt acerbo, amaritudine quadã concomitante. Adſtringit, refrigerat, & abſtergit: deuorata verò ſoporẽ facit. Plura inſuper Saniculæ oſtendũtur genera, quorũ vnum, quod aliquibus herbariis AVRICVLA vrſi nominatur, folia fert plãtaginis magnitudine, ſed craſſiora, veluti fabariæ vulgò vocatæ, laciniis [illegible] magno artificio factis à natura, colore in albũ flaueſcẽte, caulẽ edit & flores primulæ veris vocatæ per omnia ſimiles, odore eximij. Radice nititur multifida, albicãte, Ellebori modo fibrata. Naſcitur in altis & ſaxoſis montibus, inter ingẽtia ſaxa.

Quorundam errores.

Solidaginis minoris, & mediæ vires.

Conſolida minor.

Conſol. med. Prunella.

Saniculę vnũ genus.

Saniculæ vires Matthio.

Dentaria minor.

Dentaria maior.

Saniculæ aliud genus.

Auricula vrſi.

Saniculæ alterius vires.

VII. CONSOLIDA MINOR.



VIII. DENTARIA MINOR.



Id genus copioſè naſcitur in agro Goritienſi monte Saluatino. Refrigerat, ſiccat, glutinat, cohibet. Potam herbam cum radicibus cæteris præferunt ad enterocelas, & thoracis vulnera, ſi quotidie in potu ſumatur: quin & ad alia vulnera, tam intus ſumptum in potionibus, tum herba ipſa deuorata, quàm exterius illitum. Folia recentia vnà cum radice tuſa, atque ſuppoſita, non ſolum menſium abundantiam cohibent, ſed vuluam mirum in modum concludunt. His aliam denique annumerant Solidaginem, quam vulgus medicorum Conſolidam regalem, & ipſi ſua vulgari lingua Ritterſporn vocant, quod ſonat nobis Sperone da cauilliere, & Latinis equitis calcar. Huic ſunt caules cubiti altitudine: folia oblonga, tenuia: flores planè purpurei, magnitudine violæ: è quorum baſi corniculum eminet, antiqui calcaris effigie, vnde illi à Germanis inditum eſt nomen. Laudantur flores ad rubentes, & inflammatos oculos triti, & aqua roſacea illiti. Herba auxiliatur ardoribus, tuſsi, inflammationibus, venenis, vomitionibus, bilioſis affectibus, ſuppreſſæ vrinæ, calculoſis, iſchiadicisq́ue: quin & aluum citat. Verùm hoc Solidaginis genus magis, quantum equidem reor, Cuminum ſylueſtre, quod à Dioſcoride ſecundo loco deſcribitur, repræſentat, quàm aliam quamuis plantam, vt ſuperius in Cumini commẽtatione diximus. Meminit vtriusq́ue Symphyti Gal. lib. 8. de ſimpl. med. facult. vbi ita ſcriptum reliquit: Symphytum petræum ex contrarijs conſtat viribus: habet enim incidendi vim quampiam, qua collectum in thorace, & pulmone pus expurgare poteſt. Habet etiam quandam contrahendi vim, qua eiectionibus ſanguinis auxiliatur: & tertia ad eas ineſt humiditas quędã nõ immodicè calida, per quam guſtantibus dulce apparet, & odoratu iucundum. Commanducatũ ſitim extinguit, & arteriæ aſperitates ſanat.

Solidago regalis.

Solidaginis regalis vires Matthiolo.

Symphyti vtriusque vires ex Gal.

IX. DENTARIA MAIOR.



X. SANICVLA SIVE AVRICVLA vrſi.



Porrò ſecundum omnium dictarum virium miſtionem, ſimul digerere abundè poteſt, ſimulq́ue corpora contrahere, & conſtringere: proinde enterocelis imponitur, & ad cõuulſa, & rupta cum oxymelite bibitur. Porrò qui ipſum in vino decoctum ad dyſenteriam, & rubrum profluuium exhibent, vtuntur tanquam deſiccante, & contrahente. Qui verò ad nephritin renumve dolorem, tanquam expurgante, & incidente. Symphytum verò alterum, puta magnum, ſimilem dicto vim habet: non tamen guſtantibus dulce eſt, nec odorantibus odoratum, ſed his ſanè à modò ſcripto diuerſum eſt. Cæterùm quatenus viſcoſitatem quandam, & mordacitatem obtinet, Scillæ ſimile eſt. Vtuntur eo ad omnia, ad quæ iam dicto: oſsiũ fracturas ſanant radices, ſi contritæ imponantur, & ſtricta faſcia ligentur. Quod σύμφυτον πετραῖον Græci, pariter Latini Symphytũ petræum, & Itali Simphito petreo vocant. Quod verò σύμφυτον ἕτερον Græci, Symphytum alterum Latini appellãt: Ital. Cõſolida maggiore: Ger. Wallwurtz, ſiue Schwartzwurtz: Hiſp. Suelda maiore, & cõſuelda maior: Galli, Oreille d'aſne. Cõſolida minor: Italis, Conſolida minore: Ger. Brunellen. Conſolida media, Hetruſcis, Morandola, ſeu vt aliis, Conſolida Mezzana, ſiue Herba Laurentiana. At Dentaria minor, ſiue Sannicula quinquefolia, Italis, Dentaria minore: Germanis, Berg Sanickel. Dentaria maior, Græcis Ἄφυλλος, quod ſine foliis proueniat. Auricula vrſi, ſiue Sannicula altera. Italis, Orecchia de Orſo. † Ne quis commoueatur, quòd nos hic folia adiecimus præter Ruellij, & Marcelli interpretationem. Id enim ea ratione fecimus, quoniam in Aldino codice hoc loco φύλλα, hoc eſt, folia habetur. Tum verò quia folia thymi pulchrè illi herbæ quadrant, quam verùm Symphytum petræum cenſemus.

† Illud præterea hoc in loco adnotandum eſt, quòd vbi communis lectio habet πτύελον προκλητικὸν, hoc eſt ſaliuam prouocans, in Oribaſio legitur ϛυπτικόν, quod eſt adſtringens, quam lectionem magis probamus.

Symphytum à glutinandi facultate dictum, vnde & Conſolida, duũ generũ Dioſc. I. Symphytum petræum à Matth. propoſitum, etiam nomine & icone propoſuere Lac. Lon. Lug. & Tab. quod non agnouimus priuſquã Doctor Nicolaus Agerius Argentinẽſis, in ſtudio hoc inſigniter verſatus, apud Goritiẽſes collectam à ſe moneret: quare minimè cum Coride cærulea maritima confundendum, quod dubitãter in noſtro Phytopinace ſuſpicati ſumus: manifeſta tamen, vt monuimus, obueniente differentia in ſapore,

pore, ſiquidem Coris amara ſit & non adſtringens: Symphytũ verò hoc dulce & adſtringens eſſe, guſtus teſtatur. II. Coris cærulea maritima, herba eſt fruticoſa, ex radice pro magnitudine plantæ craſſa, longa, palmari, rubra, ſucco purpureo, quo aliquando panni infici ſolent, ſcatẽte: ramulos plures palmares, partim erectos, partim repẽtes, firmos, rotundos emittit, quos folia ericæ maioris craſſiuſcula, amariuſcula, plerũq; inordinata, dẽſè cingũt: in ramulorũ ſũmis quaſi ſpicæ calyculis quinq; partitis, ſingulis maculis nigris notatis, plenę: è quibus flores quatuor foliolis bifidis, quorũ duo ſuperiora maiuſcula ſunt, cõſtantes, prodeunt, purpurocærulei, rarius purpurei, amariſſimi & elegãtiſſimi & quaſi perpetui coloris, vt in planta etiã ante 20. annos ſiccata, vegetus color appareat. Succedũt in calyliculis nõnihil aculeatis, ſemina rotunda, pulla, tenuiſſimis glumis inuoluta. Hanc florentẽ, Maio menſe frequentẽ circa Monſpeliũ, & ad radices mõtis Cetii, & in maritimis, ramulis in arena latitantibus, legimus: & Martio menſe Cluſ. in Hiſp. obſeruauit. Coridis à Dioſc. & Plinio propoſiti notas plures habet. Coris Monſpeliaca, Aduer. Lob. Tab. Cam. Coris quorundã, Cluſ. hiſt. Hiſp. III. Symph. ſeu Cõſolida maior, C.B. Symph. maius, Matth. Cord. in hiſt. Caſt. Tab. Cam. Symph. magnũ, Fuch. Dod. gal. & fol. Lugd. Symphyt. alterum, Lac. Cor. in Dioſc. Symph. Lon. Turn. Symph. Alum ſeu Alus, Lob. Conſ. maior, Brunf. Trag. Cam. Thal. Conſolida vulgo, Cæſ. IV. Symph. maius tuberoſa radice, C.B. Foliis & caule prædictæ ſimilis, ſed minoribus, flore luteo, radice ſerpente & nodis quibuſdã extuberãtibus inæqualibus: in hortis Martio florens ſpõte prouenit: in hac figura hirſuties neglecta eſt. Symph. tuberoſum, Lob. Dod. fol. Cluſ. hiſt. Pann. Lug. Symph. radice tuberoſa, Cam. in Matth. Symph. maius flore ſubluteo tuberoſa radice, Eidem in horto. Conſ. altera minor, Cæſ. Conſ. tuberoſa vel nodoſa, Cam. V. Conſolida media cærulea pratenſis, fortè Chamæciſſos ſpicata Plinii, C.B. Conſ. media, Matth. Brunf. Fuch. Caſt. Thal. Cam. Tab. Bugula, Dod. gal. & fol. Lob. Cluſ. hiſt. Pann. Lugd. Prunella cærulea vel prior, Trag. Prunella, Lon. & Symph. mediũ. Chamæciſſus quorũdam, Lug. Chamæciſſi alterũ genus, Cæſ. Artetica Pãdect. Anguillaræ. VI. Conſ. media cærulea alpina. Ex radice fibroſa caulis cubitalis, quadratus, ſtriatus, leuiter hirſutus, inanis exurgit, quẽ folia oblõgis pediculis donata, anguſta, trium vnciarũ longa, per ambitũ inciſa, leuiter hirſuta, cingũt: flores galericulati, cærulei, è quorũ medio filamenta quædã prodeunt, in cacumine quaſi ſpica congeſti ſunt. In mõte Baldo prouenit. VII. Brunella (quòd malo caſtrenſi die Breune medeatur) maior folio nõ diſſecto, C.B. Conſ. minor, Matth. Caſt. Conſ. minima, Cam. Brunella, Brunf. Dod. gal. & fol. Lob. Prunella vulgaris, Trag. Thal. Prunella, Fuch. Lugd. Cæſ. Tab. Cam. Symph. petræum, Lob. in icon. VIII. Dentaria Pentaphyllos, eſt enim & heptaphyllos, & triphyllos, & baccifera, C.B. Dentaria minor, Matth. Lug. Dentaria Matth. Pentaphyllos, Cluſ. hiſt. Pann. Dent. altera, Tab. cui & Dent. corallina altera. Dentellaria rubra, Lugd. Dent. minor altera forte, Cæſ. Viola Dentaria prima, Dod. fol. Coralloides, Cord. in hiſt. Thal. cui & Rhizocorallum. Saxifraga mõtana quinis foliis, Geſ. hor. Sanicula alba, eidẽ, & Pulmonaria quorundã: Nemoralis alpina herbariorũ Alabaſtrites, Lob. in icon. IX. Dentaria ſquãmata, C.B. Dent. maior, Matth. Lob. Lug. Cam. Dentaria Matth. Tab. cui & Crocodilea. Dent. abſq; foliis, Caſt. Dent. ἄφυλλος prima, Cluſ. hiſt. Pan. Anblatũ, Cord. in hiſt. Dod. fol. Thal. Squãmatia, Lon. Arachnida, Cæſ. X. Sanicula (à ſanandis vulneribus) alpina lutea, C.B. Sanicula ſiue Auricula vrſi, Matthiol. Auricula vrſi ſiue Sanicula altera, eidem in compendio & Caſtor. Auricula vrſi Dodon. fol. Auricula vrſi prima, Cluſ. hiſtor. Pannonic. Auricula vrſi ſeu Lupi, Cæſ. Auricula vrſi floribus luteis, Tab. Cam. Lunaria arthritica, Geſ. de Lunariis, in fracto & horto. Arthriticæ genus alpinum, eidem & Primula veris quorundam, Paralytica alpina Sanicula, Lob. qui Britannicam Anguillaræ ſtatuit: Aliſma ſeu Damaſonium Dioſcoridis, Columnæ.

## Ὁλόστιον. HOLOSTIVM. CAP. X.

HOloſtion quadrantalis herba eſt, puſilla, tribusquatuorve digitis ſupereminens extra terram: foliis, viticuliſq; coronopo, aut gramini proximis, guſtu adſtringentibus: radice alba, prætenui vſq; in capillamenti ſpeciem, longitudine quatuor digitorum: naſcitur in collibus terrenis. Vſus eius ad rupta in vino pota: nam & carnes coguntur decoctionibus addita.

Holoſtij conſideratio.

*TAmetſi, cùm antea legitimum holoſtium nuſquam vidiſſem, inclinabat animus ad credendum, holoſtium eam eſſe plantam Serpentinam Goritienſibus appellatam, de qua ſuperius lib. 2. in Coronopi mẽtione meminimus, *quod mirũ in modũ ſerpentium morſibus opituletur. Hæc ſiquidẽ herba eſt exigua, humi procũbens, quæ foliis, cauliculiſq; coronopi modo exit, guſtu adſtringentibus: radice tenui, lignoſaq;. Naſcitur ipſa quoq; in collibus, ac etiam ſabuloſis locis. Ex hu vtique quiſpiam facilè poſſet hanc herbulã pro Holoſtio habere: quamuis hoc ego pro certo affirmare non auſim*, attamen verũ holoſtium, cuius hic imaginem expreſſimus, miſit hoc anno mihi videndum excellentiſſ. medicus Alphonſus Pantius Ferrarienſis, quo poſtea factum eſt, vt à priori deſiſterem ſententia. Recenſetur Holoſtium inter Symphyti genera. Sed hallucinantur haud dubiè qui credũt eam herbã eſſe Holoſtium quam* PILOSELLAM *vocãt. Siquidẽ tametſi hæc frequẽs naſcatur in collibus, facie tamen à Coronopo & notis omnibus diſtat. Humi hæc perpetuò decumbit, radiantibus circumquaque foliis, iiſq;, oblõgis, incanis vbiq; pilis obductis. Caules quibus humi repit, funiculi faciem repræſentant. Sunt enim flexiles, tenues, teretes, & vbique hirſuta canitie ſcatentes. Ii dum humi repunt, radices ex ſe mittunt, è quibus nouellæ propagantur plantæ. Flores illi ſunt aurei, ſtipato foliorum ordine, qui matureſcentes in papposam lanuginem euolant: Radicibus nititur numeroſis, tenuibus, ſed humi pertinaciter inhærentibus. Naſcitur extenuato, & arido ſolo, & præſertim in collibus. Amarũ lac ſecta planta mittit: id quod extenuãtis atq; abſtergentis indiciũ eſt facultatis. Tota Piloſellæ plãta vehemẽter adſtringit, glutinat, cohibet, refrigerat, ſiccat: quapropter huius rei non ignari paſtores maximè cauent, ne ouium greges in illis paſcuis immorentur, vbi huiuſce plurimũ gignitur: quandoquidẽ depaſcentes oues tanta alui adſtrictione afficiuntur, vt inde facilè emoriantur. Hinc didicerunt medici, eã mederi dyſentericis, & vteri profluuijs: quin & ex vino auſtero potã vulnera glutinare, tã ſcilicet exterius, quàm interius, illatã, cœliaciſq; magno eſſe auxilio, & biliosis vomitionibus: cruentis itẽ ſputis, enterocelis, & omnibus in vniuerſum fracturis opẽ ferre, ſed præcipuè caluariæ. Non deſunt etiam à recentioribus qui eam maximè commendent ad Iocinoris & ſplenis affectus, nẽpe ad regium morbũ, incipientem hydropem, & lienis tumores, quòd viſcera hæc roboret. Additur quoq; vtiliter in potionibus intrinſecorũ vulnerum, & in vulnerariis emplaſtris, atq; vnguentis: foliorũ ſuccus non ſolũ recentia vulnera glutinat, ſed vlcera quoq;, contumacia, phagedenaſque ſanat: & præſertim oris, & pudendorũ. Cæterũ vt ad Holoſtium noſtra redeat oratio, ingenuè fateor, nullã hactenus plan-*

Quorundam error.

Piloſellæ deſcriptio, & vires Matthio.

tam ſo

I. HOLOSTIVM.



*II. HOLOSTIVM HIRSVTVM albicans maius.*



*tam ſe mihi obtuliſſe, quæ magis Holeſtium referat, quàm ea, quæ Serpētina, vt diximus, à Goritienſibus vulgò vocatur. Holeſtium (vt author eſt Gal. lib. 7. ſimpl. med.) deſiccandi vim habet cum adſtrictione: quamobrem ipſum ad rupta potui exhibent.* Holoſtii vires ex Gal. *Quod Græci Ὀλέστιον, Latini item Holeſtiū & Holoſtium dicũt: Itali, Holeſtio. Piloſella, Italis, Peloſella: Ger.* Meußohr: *Gallis, Piloſelle, ſeu Oreille de Rat.* Nomina.

Holoſteum ſine duritie eſt herba ex aduerſo à Græcis appellata, Plinio auctore: cuius plures differentias ſuo loco exhibebimus: quod hoc loco à Matth. proponitur, Graminei eſt generis, quod aliquando ramis eſt in terram reclinatis, aliquando verò erectis: quod Gramen ἐπιγονατόκαυλον vocamus: Holoſtium Matt. Lob. Lug. Gramen iunceum, bufonium, Tab. II. Adiecimus & Holoſtei figuram cùm in edit. Cam. Holoſtii quorundam nomine ſimile habeatur. Poſſet ad Plantagines referri. Ex radice longa, tenui, lignoſa,

III. PILOSELLA.



*IV. PILOSELLA MAIOR REpens, minus hirſuta.*



 quaterni,

quaterni, quini, caules nudi palmares exeunt, circa quos folia crebra per terrã ſparſa, anguſta, plantaginis anguſtifoliæ minora, trium quatuorve vnciarũ longa, incana, lanuginoſa, ſubadſtringentis guſtus: floſculi quadrifolii (ex quorũ medio filamenta aliquot prodeunt) ex herbaceo candicãtes coronopo ſimiles, ſeſe mutuò contingentes, quaſi in ſpica ſummitatẽ cauliculorum ornantes: quibus ſuccedunt theculæ ſemen plantaginis ſimile continentes. Hoc in aridis collibus Salmanticæ vicinis Maio florens Cluſ. legit: quod enim Monſpeſſuli legimus, minus eſt prędicto. Vocatur Holoſteũ hirſutũ albicãs maius, C.B. Holoſteum Salmanticũ prius, Cluſ. hiſt. Hiſp. Lob. cui maius dicitur: Holoſtiũ Salmãticenſe, Lugd. Cam. Holoſteum maius, Tab. Plãtago anguſtifolia albida, Dod. in fol. III. Piloſella à copioſis quibus veſtitur pilis, nomen ſortita eſt: eſt maior & minor, quæ ad Gnaphaliũ refertur: maior repens eſt & erecta: illa hirſuta, vel penè glabra: erecta, vel vulgaris vix hirſuta, vel Syriaca hirſutiſſimis foliis. Piloſella maior repens hirſuta, C.B. Piloſella, Matt. Lac. Lob. Caſt. Tab. Piloſella maior, Fuch. Dod. gal. & fol. Lug. Piloſella media, Thal. Auricula muris, Brũf. Auricula muris minor, Trag. Lon. Auricula muris alia, Intybi minima ſpecies eſt, Cor. in Dioſc. Piloſella vulgo, Cæſal. IV. Piloſella maior repens minus hirſuta, C.B. Huius folia & supernè & infernè læuia, glabra & virentia ſunt, ad quarum latera leniſſimi pili, cauliculus vnus aut alter rectus, palmaris, nudus, aut nullis, aut raris pilis donatus: modò vnũ maiorem, modò binos ternoſve minores flores luteos ſuſtinens: cæteri cauliculi vt in præcedẽti repẽt, à radice ruffeſcẽte fibroſa prodeuntes. In herboſis aggeribus prouenit. Dicitur Auricula muris minor ſecunda, Trag. Piloſella maior, Cam. in Matthiolo.

## ΣΤΟΙΒΗ. STOEBE. CAP. XI.

STœbe vulgaris eſt notitiæ. Cuius ſemen, & folia ſtringunt: quapropter decoctum dyſentericis infunditur: auribus quoque purulentis inſtillatur. Illita folia oculis ab ictu cruentis proſunt, & erumpentis ſanguinis impetus cohibent.

I. SCABIOSA MAIOR.



II. SCABIOSA MINOR.



Stœbes conſideratio. *STœben Dioſcoridis tẽpore omnibus vulgò cognitam fuiſſe, illud maximo argumento eſt, quòd eam nullis prorſus notis repræſentauerit. Hinc certè nobis faceſſitur negotium, quò minus ſcire poſſumus quænam ſit illa inter tot plantas, cuius nomina, & facult. ignorantur. Plin. lib. 21. c. 15. Stœben inter aculeatas herbas retulit (id quod à Theoph. li. 6. c. 4. de plãt. hiſt. mutuatus eſt) ſic inquiens: Quædam ſunt herbæ, quæ ſpinas in folio habent, & in caule, vt phleos, quod aliqui Stœben appellauere. Idem lib. 22. c. 11. Stœbe, inquit, quam aliqui phleon vocant, decocta in vino præcipuè auribus purulẽtis medetur: itẽ oculis ictu cruentatis: hæmorrhoidi quoq;, & dyſenteriæ infuſa: hæc Plin. Ex quibus equidem verbis planè aſſerere auſim, Phleon, & Stœben eandem plantam eſſe. Hanc in Orchomeno lacu naſci ſemine placẽtaceo, & molli, colore rubro, ... author eſt Theoph. lib. 4. c. 11. de plant. hiſt.* Matthæi Syluatici error. *Hinc itaque Matthæi Syluatici error manifeſtè deprehenditur, qui in ſuis pandectis Stœben eam herbam interpretatur, quam vulgus Scabioſam nominat: cuius, quod ſciam, nec Græci, nec Mauritani meminerunt. Quanquam non deſunt, qui Scabioſam eam eſſe cõtendant, quæ ab Aëtio vocatur Pſora: quam tamen is nomine tantùm expreſſit, nulla adiecta deſcriptione, ex qua aliquid certi conſtitui poſſit. Cæterùm Scabioſam vocatã non eſſe Stœben manifeſtò demõſtrant, quæ ſtatim ex eius deſcriptione ſequẽtur notæ.* Scabioſa. *SCABIOSA itaq; duas habet ſpecies, nempe Maiorẽ, & minorẽ, cuius plurimus eſt vſus.* Scab. minoris deſcript. *Creſcit hæc folijs circa radicem per ambitũ laciniatis, humi accubantibus, ſubalbicantibuſq;, oblõgis & ſubhirſutis: verũ, quæ in caule ſunt, frequentioribus, tenuioribuſq; inciſuris diuiduntur: caulem mittit tenuem, rectũ, teretemq;, in quo rami oriuntur: flores habet folioſos, cærulei coloris, aut pallidos, qui tractu temporis defloreſcentes, capitulum relinquunt ſubuiride, rotundis ocellis refertum, colore pauonum pennas imitante, tanto ſane na-*

tura

*turæ artificio, vt diligenter rem intuentes in admirationem trahat. Radix eſt illi palmaris, ac fibroſa ſubcandicansq́; Naſcitur in agris non cultis, ſecus itinera, & in collibus terrenis, ſapore eſt amaro. Cæterùm quam maiorem nos Scabioſam vocamus, primo ſtatim exortu folia profert longa, nullis in ambitu lacinijs, atqui quæ his ſuccedunt Phu minoris modo diſſecta cernuntur. quæ verò in caule, & ramis ſunt, longè minora habentur, & magis laciniata. Caules gerit æſtate ſeſquicubitales, teretes, ſtriatos, incanosque, qui circa cacumen ſuos fundunt ramos, in quorum faſtigijs capitula oriuntur in acutum deſinentia, compactili ſquamarum ordine contecta cyani modo, è quibus flores prodeunt ferè etiam ſimiles ſed [ex purpura ſubrubentes] ruſeſcentes. Hos denique ſequitur ſemen paruum, & ſubnigrum, lychnidis coronariæ ſimile. Radice nititur pollicari craßitudine & ſæpe maiore, brachiataq́;, ſapore ſubdulci, paſtinacæ proximo. Naſcitur inter fruges, & in campis non cultis, argilloſo præſertim ſolo. Quæ quidem notæ maxime arguunt magnam inter Scabioſam, & Stœben intercedere differentiam. Siquidem Stœbe folia fert aculeata, & in lacubus, ſtagnis, paludibus, alijsq́; locis aquoſis naſcitur. Vnde Ariſtophanes comicus rectè in comœdia ranas inter ſe loquentes adducit, quæ admodum lætabantur, quòd totam conſumpſiſſent diem inter cyperum & phleum ſaltantes. Cæterum vt de Scabioſæ quoque viribus agamus, ſciendum eſt, quòd vtraque excalfacit, extenuat, abſtergit, aperit, digerit. Ideoque præſtant ad expediendos pulmones & pectus à craßis, & pituitoſis excrementis, cum ipſa herba in puluere pota, tum ſuccus cum melle delinctus, tum eius decoctum diebus pluribus hauſtum. Valet quoque mirum in modum aduerſus ſcabiem, vnde illi nomen: in quem vſum non modò eius decoctum quotidie potandum præcipiunt, ſed & herbæ ipſius ſucco, per ſe aut in vnguentis addito, ſcabioſa corpora illinunt. Prodeſt omnibus pectoris vitijs, & reſpirationi inſeruientibus organis: quippe quæ & eorum inflammationes purulentas diſijciat, & omnia pectoris excrementa expurget. Folia cruda contuſa, Anthracibus, ſiue Carbunculis peſtiferis vtiliter illinũtur: adeò vt illita bos lethales abſceſſus trium horarum ſpatio prorſus abolere exiſtimetur. Datur vtiliter Scabioſæ ſuccus quatuor vnciarum pondere, cum theriacæ drachma, peſtilentia affectis, prima ſtatim die, verùm ſubinde ſudorem in lecto prouocare oportet, & iterum, atq́; iterum medicamentum repetere. Id quod & præſtat plurimum ad venenoſorum ſerpentium morſus, quemadmodum & herba ipſa contuſa, recensq́; impoſita. Illitus Scabioſæ ſuccus cum chriſocollæ farina, & caphuræ momento, lentigines, varos & cæteras cutis infectiones abſtergit, & oculorum albugines per ſe, & cum ſucco fœniculi tollit. Peculiariter autem valent maioris Scabioſæ radices ad lichenoſos, etiamſi morbus à Gallica lue prouenerit. Siquidem earum decoctum ſex vnciarum pondere quadraginta diebus potum, vt ego mihi teſtis eſſe poſſum, præſtantißimum expertißimumq́; eſt ad hoc medicamentum. Idem præſtat earundem radicum puluis quotidie drachmæ pondere ex ſero hauſtus. Sed iam ad Stœbes vires redeamus, de quibus Galenus li. 7 ſimp. med. diſſeruit his verbis: Stœbes fructus, & folia maximo ſunt vſui, adſtringendi vim habentia mordacitatis expertem. Sed & deſiccant euidenter in tertio ferè ordine incipiente. Quamobrem decoctum eorum dyſentericis inijcitur, & auribus pure fluentibus, tum vulnera magna conglutinat. Euidentius hæc præſtat cum vino atro auſtero: valenter enim deſiccat omnes præter naturam humiditates. Præterea folia viridia, ſi illinantur, vim habent erumpentis ſanguinis ſupprimendi: denique & oculorum ex ictu ſuffuſiones illita iuuant. Quæ planta ςοιβὴ Græcis, ſimiliter Stœbe Latinis, & Stebe Italis appellatur. Scabioſa, Italis, Scabbioſa: Germanis,* **Apoſtemenkraut.** *Gallis Scabieuſe. At Scabioſa minor, Græcis Ψόρα: Italis, Scabioſa minore: Germanis,* **Apoſtemenkraut.**

Scabioſæ maioris deſcrip.

Scabioſæ vires.

Scabioſæ maioris vires.

Stœbes vires ex Gal.

Nomina.

*III. SCABIOSA OFFICInarum.*



*IV. SCABIOSA ARGENtea anguſtifolia.*



Scabioſa, alijs à ſcabro herbæ habitu, quod vulgatæ conuenit: alijs quòd ſcabiei medeatur, vltra viginti differentias obtinet, de quibus in hiſtoria: hic quinq; proponuntur. I. Scabioſa maior ſquammatis capitulis. C.B. Scabioſa maior, Matth. Lug. Cam. Scabioſa quinta, Trago. Scabioſa montana calidarum regioni, Lob. & Lug. Scabioſa maior flore purpureo, Tab. Cyanus ſylueſtris maior aruẽſis Thalyo. II. Scabioſa

* V. IACEA INCANA Laciniata. *



capitulo globoſo maior, C. B. Scabioſa minor, Matth. Lob. (cui & Columbaria) Caſt. Lugd. Scabioſa minor læuis, Geſ. hor. Scabioſa quinta & ſexta, Trago. Scabioſa media, Dodo. Scabioſa folijs bellidis ſyluestris maioris, maior Thalyo: Scabioſa vigeſima quæ pro fœmina habetur, Tabernæmontano. Phyteuma Dioſcoridis, Columnæ. III. Scabioſa officinarum, quæ hirſutiſſima eſt, cum adeo ſit vulgata & notiſſima, omnibus in pratis & etiam inter ſegetes proueniens, iconem addere placuit, quam folijs modò tenuius, modò profundius laciniatis, floris etiam colore variat. Dicitur Scabioſæ primum genus, Trago: Scabioſa vulgaris Fuch. Scabioſa communis, Dodo. gal. Scabioſa, Lacu. quoad deſcriptionem, Lonic. Scabioſa maior, Caſt. Taber. Scabioſa altera campeſtris, ſiue ſegetum & ſatorum, Lobe. in ico. Scabioſa aruenſis ſiue ſegetalis, Taber. Scabioſa folio ſciſſo, Cæſalpino. IV. Scabioſa argentea anguſtifolia. Ex radice lignoſa, caules bini, terni, ſeſquipalmares, rotundi, parum reflexi, prodeunt: circa radicem folia quatuor & quinque vnciarum longa, anguſta, graminea, albicantia, inordinatè diſpoſita, in ſuperna caulis parte nulla: caulis vnicum diſcum orbiculatum planum ſuſtinet, qui plures floſculos cæruleos vel pallidos ſimulq; farctos, vnà cum ſtaminibus ex membraneis calyculis prodeuntes continet. In monte Sumano prope Vincentiam prouenit. V. Iacea incana laciniata, C. B. Hæc ex radice craſſa, lignoſa, caulem profert palmarem anguloſum, incanum, nudum: folia habet multa ad radicem per terram ſparſa, lata, Stæbes inſtar laciniata, molli lanugine incana: flos vnus vel alter, Iaceæ vulgari ſimilis, ex capitulo ſquarroſo prodiens, caulis ſummitate inſidet. In montibus propè Capuam prouenit.

Κλύμενον. **CLYMENVM.** **CAP. XII.**

ἀεοικότα ἴριδι καὶ πολύποδος πλεκτάναις. i. ſimilibus iridi & polypodū cirris, ita Meū & Catec.

CLymenum caulem fert fabæ, quadratum: folia plantaginis: folliculis ſupra caulem ſeſe inflexis, a vt in polyporum cirris. Probatiſsimum eſt è montibus. E frutice toto cum radice ſuccus exprimitur: qui ad ſanguinis reiectiones, in potu efficax eſt: cœliacos, rubraq; fœminarum profluuia, refrigerando infrænat: ſanguinem naribus erumpentem ſupprimit. Trita folia, aut ſiliquæ recentibus vulneribus impoſitæ, ea ad cicatricem perducunt.

CLYMENVM.



Clymeni conſideratio.

Ruellij, & Plinij lapſus.

*SI caules itemq́; folliculi herbæ, quã Saponaria vulgò vocant, Clymeni delineationi reſponderent, quemadmodum folia illi quadrare videntur, quippe quæ plantaginis prorſus referant imaginem, cum Ruellio vtique ſentirem, fatererq́; Saponariam legitimum eſſe Clymenon. At certè neq; caulis, quem rotundum profert, & per interualla geniculatum, neque flores illi quicquam adſtipulari deprehenduntur. Quamobrem quænam herba Clymenum in Italia hodie referat, hactenus non ſatis compertum habeo. Verùm his non obſtantibus plantam hic addere volui, alijs quoque contemplandam: nam cum caulem habeat fabæ non abſimilem, folia plantaginis æmula, & folliculos ſupra caulem in ſeſe inflexos, incuruosq́;, belle ſatis Clymenum imitari videtur. Hanc mihi dono dedit Iacobus Antonius Cortuſus, nobilis Patauinus, cui id acceptũ referre debent omnes rei herbariæ ſtudioſi. Hanc (vt Plinius memoriæ prodidit libro 25. cap. 7.) inuenit rex Clymenus, vnde & nomen herbæ. Quo in loco idem Plinius clymeno perperam illa omnia reddidit, quæ Dioſcorides periclymeno aſsignauit. Huius nuſquam, quod inuenerim, meminit Galenus, ſicut nec poſt ipſum Paulus. Planta hæc κλύμενον Græcè, quemadmodum & Latinè Clymenum dicitur: Italis, Climeno.*

Nomina.

Clymenum Matthioli Caſtori, quo ad deſcriptionem, & Cluſ. hiſt. Panri. Lathyrum maiorem flore purpureo, ſeu Cicerculam Latinorum vocamus. Lathyrus ſylueſtris ſiue Cicercula, Dod. fol. Lathyrus ſatiuus latifolius

folius, Lugd. Lathyrus ſylueſtris latifolius, Camer. Lathyrus ſylueſtris maior, Thal. Lathyris latiore folio, Lobel. Cicercula, Cæſalpino.

## Περικλύμενον PERICLYMENON. CAP. XIII.

PEriclymenon ſimplex fruticat, ex interuallis parua folia habens, ipſum amplectentia, ſubcandida, hederacea: inter folia ſurculi exeunt, in quibus baccæ hederæ ſimiles: flos fabæ, candidus, aliquantum rotundus & quaſi in folium procumbens, ſemen durum & quod difficilè euellatur: radice rotunda, craſſa. Naſcitur in aruis ac ſepibus, conuoluens ſe adminiculis propter aſsidentibus. Semen eius poſt quàm maturuit collectum, & in vmbra ſiccatum, ſi drachmæ pondere detur in vino, quadragenis diebus, lienem abſumit, laſsitudinem diſcutit: ſed vrinam ciet, ſtatim à ſexto die cruentam: orthopnœæ, & ſingultui prodeſt partū accelerat. Folia ſunt eiſdem viribus prædita: quæ tricéis ſeptenis diebus epota, ſterilitaté facere produntur: perunctis ex oleo, febriū algores abigunt.

I. PERICLYMENVM. II. *PERICLYMENVM Germanicum.*





SVnt qui Periclymenum perperam Caprifolium appellent: officinæ Matriſyluam vocant. nos verò quod propinquas vinciat plantas, vulgo appellamus Vincibosco. Cæterum id potiſsimum nos ad credendum impellit, vulgatam Matriſyluam eſſe Periclymenon, quod non ſolum omnes huiuſce ætatis rei herbariæ peritiſsimos in hanc ſentētiam deueniſſe compererim, ſed quòd etiam ex notis, quas illi reddidit Dioſcorides, ita eſſe cognouerim. Quandoquidem Matriſylua vnico tantùm cauiculo fruticat, qui ex interuallis gemina tantùm folia mittit, ipſum anplectentia, ſubcandida, hederaceaq́. Flos ei fabæ non diſsimilis, candidus cùm adoleuerit, in folium procumbens. Semen hederaceum, prædurum, & quod difficilè euellitur, in ſurculis quibuſdam connexum, qui inter folia erumpunt. Conſtat præterea eius caulem, qui ab radice ſimplex aſſurgit, arbuſculis & fruticibus mirè ſeſe conuoluere, vbi in ſæpibus, & frutetis naſcitur, adeò vt ſæpe tam pertinaciter inhæreat, ligetque adminicula, vt in ea manifeſtum imprimat veſtigium: vnde à nobis meritò Vincibosco dicitur. Porrò planè, mea quidē ſententia, hallucinantur, qui Caprifolium, & Matriſyluam ſeu Periclymenum idem eſſe exiſtimant: in quorum numero eſſe deprehenduntur Ruellius, & Fuchſius. In hunc autem lapſum hos fortaſſe deduxit Matthæus Syluaticus pandectarum author. Siquidem is ſuum Caprifolium Matriſyluam nominat, cùm tamen, vt ſubinde legitur, nil aliud Syluatico Caprifolium fuerit, quàm Dioſcoridi pyxacantha, ſeu lycium, non autem periclymenum, de quo ſeorſum ſub titulo Matriſylua Syluaticus ipſe diſſeruit. Quod fortè non animaduertētes ij, Caprifolium, & Periclymenū idem eſſe putarunt. Cæterum Matriſylua in eorum vnguentorum vſum venit, quæ ad capitis vulnera parantur: namq́; hac in re efficaciſsimum eſt medicamentū: quāuis è veteribus neminem hactenus inuenerim, qui Periclymenon ea vi pollere, memoriæ prodiderit. Hanc etiam herbam commendauit Ioan. de Vigo clariſs. chirurgus, ad crurum vlcera, quòd eam ad hoc (vt ipſe inquit) vtilē eſſe tradiderit Gal. lib. 8. ſimp. medic. Veruntamen id non legitur in meo Galeno: nam loco citato Galenus de Periclymeno ita ſcriptum reliquit: Periclymeni tum fructus vtilis eſt, tum folia, adeò vehementer incidentis, ſimul & excalfacientis facultatis, vt ſi pluſculum bibantur, vrinam ſanguinolentam efficiant: principio quidem vrinam tantùm mouent, porrò foris cum oleo illita excalfaciunt. Iuuant & lienoſos, & difficulter ſpirantes. Competens potionis menſura eſt, drachmæ vnius pondus cum vino. Porro deſiccat quoq́; ſemen. Et quidam aiunt, ſi copioſius bibatur, ſterilitatem omnino bibentibus afferre. Sed & ſunt qui certum dierum numerum ad talem potionem præfiniunt, vt Dioſcorides, qui ſeptem & triginta eos tradi refert. Hic etiam vrinam cruentam reddi à ſexto die memorat. Planta, quæ Græcis περικλύμενον, Latinis quoq́; Periclymenum dicitur: Italis, Matriſelua: Germanis, Geißblatt: Hiſpanis, Madreſylua: Gallis Vincibosse.

Periclymeni conſid.

Caprifolium & Periclymenū differunt.

Periclymeni vires ex Gal.

Nomina.

Periclymenum, quod ſe adminiculis conuoluat, triplex eſt: perfoliatum, non perfoliatum, & humile. I. Periclymenum perfoliatũ, C.B. Lugd. Tab. Cam. cui & Italicum. Periclimenũ, Matt. Lac. Caſt. Periclymenum alterum, Dod. gal. Periclymenum perfoliatũ calidarum regionum, Lob. Caprifolium Italicum, Dod. fol. Vinciboſcum vulgo, Cyclaminus altera Dioſc. Cæſ. II. Periclymenum Germanicum adponimus, cùm ipſius apud eos vſus ſit. Caprifolium, Brunf. Geſ. hor. Lon. Caprifolium Germanicum, Dod. fol. Periclymenos vel Periclymenum, Trag. Fuch. Dod. gal. (cui & Lilium inter ſpinas & Mater ſylua, Cordo in Dioſc. (cuius Scholiaſtes addit Cyclaminum alterum, Vitim ſylueſtrem & Periclymenum apud Dioſc. idem eſſe) Turn. Geſ. hor. Thal. Cam. Tab. Periclymenon non perfoliatum, Lob. Lugdunenſi.

## Τρίβολος. TRIBVLVS. CAP. XIIII.

TRibuli genus vnum terreſtre, foliis ad effigiem portulacæ, tenuioribus: viticulis † in terra ſtratis, ſpinis ſecundum folia rigidis, præduris: iuxta amnes, & rudera naſcitur. Eſt & alterum genus, aquis familiare, quod in fluminibus natum comam exerit, aculeos condens: foliis latis, & pediculo longo, caule parte ſumma, quàm ima craſſiori: adiunt ei & capillamenta quędam ſpicacea: ſemen durum, ab altero nõ abhorrens. Vterq; refrigerantis, & inſpiſſantis eſt naturæ: ideo inflammationes omnes cataplaſmate adiuuat: vlcera in ore erumpentia, putredines, gingiuas, tonſillaſq; perſanat. Succus ex his colligitur ad oculorum medicinas. Semen dum recens bibitur, calculoſis iuuamentum affert. Drachma terreſtris tribuli pota, illitave, ictos à vipera recreat: contra venena cum vno aptiſſimè bibitur: decoctum eius ſparſum pulices necat. Thraces qui ad Strymona amnem habitant virenti tribulo equos ſaginant: & è dulci ſemine, & eſculento panem, quo veſcuntur, faciunt.

I. TRIBVLVS TERRESTRIS.



II. TRIBVLVS AQVATICVS.



Tribuli conſideratio.

ETſi vnum duntaxat Tribuli terreſtris genus deſcripſerit Dioſc. duo tamen genera à Theoph. redduntur lib. 6. ca. 5. de plant. hiſtor. his verbis: Tribulo peculiare eſt, vt fructum gerat aculeatum. Eius duo ſunt genera: vni folium eſt ciceris, alteri aculeatum. Vtrunque terreſtre, & ſurculoſum ſerius germinat, cui in foliis ſunt aculei, magiſq; hoc apud ſepta villarum erumpit. Semen præcoci ſeſamæ figura cernitur alteri, hoc eſt ſerotino, rotũdum, nigrum, ſiliquis incluſum. Hęc duo

Tribulus ter.

terreſtris genera Theoph. Tribulum, cui folia portulacæ Dioſcorides aſſignauit, memini me vidiſſe Venetiis in maris littore prope diui Nicolai ſacellum. At hunc, cuius hic figuram exprompſimus, Piſis miſit ad me Lucas Ghinus Forocornelienſis,

Ruell. error, Cacatreppolam Tribulum faciẽtis.

medicus rei herbariæ peritiſſimus. Ruellius Tribulum aculeatum Theophraſti eam plantam eſſe arbitratur, quam Hetruſci vulgò vocant Cacatreppola, ea fortaſſe ratione ductus, quòd prope torrentium, & fluminum ripas proueniat. Verùm cum lateat nos foliorum effigies, quæ à Theophr. illi tribulo non redditur, atque etiam conſtet hanc plantam ſurculos non mittere, neq; ſiliquam ferre, in qua intus claudatur ſemẽ, cogor omnino à Ruellio diſſentire. Noſtrates ſeplaſiarij huius radices melle, & ſaccharo condiunt, eryngij eas eſſe exiſtimantes. Quæ in re haud dubiè illi falluntur, vt ſuperiori libro in eryngio oſtendimus. Sed ad Tribulos redeamus. Aquaticum genus in pleriſq; Italiæ fluminibus, & lacubus prouenit, præſertim in agro Mantuano, & Ferrarienſi: neque ſolùm in dulcibus aquis gignitur, ſed etiam in mari. Hos tribulos Venetiis in foro vendunt, quos marinos appellant, vt qui in lacunis illis vicinis enati inueniantur. Foliis hic prouenit latis, ſubrotũdis, craſſis, & auerſa parte maculoſis, neruoſiſq;, & per ambitum ſerratis, prælongis, & craſſis pediculis nitẽtibus: caulem edit craſſum pinguemq;, ſed in ſummitate longè vegetiorem, quàm ab radice. Radix illi longa, comantibus ſpicaceis capillamentis. Fructum profert nigrum caſtaneæ magnitudine, triplici armatum mucrone, vnde illi nomen, cortice membranoſo, &

Tribuli aquatici hiſtoria Matthiolo.

alba

albicans inteſtus medulla, guſtu caſtaneis haud abſimili, vulgus aquaticas caſtaneas vocat, & non ſecus ac caſtaneis eo in cibis vtitur. Quinetiam quibuſdam in locis, e ſiccis tribulis in farinam redactis, per annonæ inopiam agreſtis plebecula panes parare ſolet, perinde ac ex caſtaneis parantur ab alijs. Sunt etiam qui eoſdem tribulos ſub cineribus aſſatos, pro bellarijs edant. Ex iis porro qui peregre proficiſcuntur, verticillos faciunt, quibus ſuas preces enumerant, collóq; geſtant, vt maiorem præ ſe ferant religionem, ne dicam hypocriſim. Tribuli vtriusque facultates perſtrinxit Galenus lib. 7. ſimplicium medicam. vbi ſic inquit: Tribulus ex humida eſſentia modicè frigida, & ſicca non mediocriter & ipſa frigida componitur. In terreſtri tamen ſuperat terreum frigidum, quod & adſtringens oſtendimus: in aquatico verò aqueum. Propter vtrunq; itaq; & contra phlegmonarum generationes, & omnino contra omnes influxus congruunt. Porro terreſtris fructus cùm tenuium ſit partium, potus lapides in renibus comminuit. Τρίβολος χερσαῖος ſic Græcis, Tribulus terreſtris Latinis dicitur: Italis, Tribolo terreſtre: Germanis, Wegdiſtelen: Gallis, Saligotz terreſtres. Τρίβολος ἔνυδρος Græcè, Tribulus aquaticus Latinè vocatur: Italicè, Tribolo aquatico: Germanicè Waſſernüß: Arabicè ſimpliciter tribulus Haſach, ſeu Haſek appellatur: Hiſpanicè, Abroyos, & Abrolhos: Gallicè, Caſtaignes d'Eau, Eſcarbotz.

Tribuli vires ex Gal.

Nomina.

† Hoc in loco ita equidem legunt vulgata Græca exemplaria, ſed Orib. lib. 12. itemq; vetuſtus Dioſc. codex habent μακρά, qua voce Tribulum terreſtrem viticulis longis repræſentant. Id quod etiam ſatis plantæ pictura demonſtrat.

Tribulus, à triplici cuſpide in fructu, aquaticæ maximè conſpicuo, alius terreſtris, alius aquaticus. I. Tribulus terreſtris folio Ciceris Theophraſti, C.B. Tribulus terreſtris, Matth. Lacu. Cord. in Dioſc. Geſ. hort. Lobel. Turn. Cluſ. hiſto. Hiſpa. Dod. fol. Caſtor. Lugd. Cæſal. Camerario. II. Tribulus aquaticus maior, C.B. & Cluſ. hiſt. Panno. Tribulus aquaticus, Matth. Trag. Turn. Dod. gal. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lac. Lob. Lonic. Caſtor. Lugd. Cæſal. Tribulus aquatilis Dod. fol. Tribulus Lacuſtris, Cord. in hiſtoria.

## Σαξίφραγον. SAXIFRAGA. CAP. XV.

Saxiphragon aliqui ſaxiphragon alij empetron, Romani ſaxifragam vocãt: frutex eſt ſurculoſus, in petris, & aſperis locis naſcens, epithymo ſimilis. Coctus in vino, mox potus, febricitantibus opitulatur: ſtranguriæ prodeſt, ſingultum ſedat, calculos veſicæ frangit, & vrinam ciet.

I. SAXIFR. VERA DIOS.



II. SAXIFR. ALTERIVS SPECIEI.



Licet omnibus huius ætatis rei herbariæ peritis ſatis ſuperq; perſuaſum eſſe non ignorem, hoc Saxifragiæ caput Dioſcoridi illegitimum eſſe, quod Latina nomenclatura contra ſcriptoris morẽ Græcè proferatur: tamen cùm in omnibus ferè Græcis exemplaribus habeatur, nihil ſane vetat, quin & nos credamus hoc Saxifragiæ caput Dioſc. eſſe legitimum. Sed fecit deprauata huiuſce loci lectio, vt non ſolùm ego, ſed alij quoq; dubitarint quænam planta legitimum Dioſcoridis Saxiphragon rectè referre poſſit, quæ epithymi faciem imitaretur. Verùm cum poſtea reperti ſint antiqui Dioſcoridis codices, qui non ἐπιθύμῳ, ſed θύμῳ inſcriptum habent, non magno ſanè labore Saxifraga reperta eſt, cuius hic primo loco imaginem damus. Ea enim frutex eſt ſurculoſus, in petris & aſperis locis prouenies, adeò thymo ſimilis, vt niſi guſtatu ferè ab eo dignoſci nequeat. Habetur & aliud genus quod folia in cauliculis per interualla gerit, parua, longiuſcula, anguſtaq; vtrinq; ſingula cunilæ æmula, concomitantibus alijs longè minoribus, quæ cateruatim eadem ex origine prodeunt: in cacumine tamen numeroſiora ſunt, & anguſtioribus interuallis diſtincta. Flores edit in ſummis caulibus purpureos, odoris non iniucundi. Hanc dum Romæ iuuenis agerem, memini me legiſſe ſub capitolino monte, non longè à Templo D. Mariæ virginis, quod Itali appellant La cõſolatione, ſuper lapidibus quibuſdam magnis, qui è regione habentur. Duxerat me ad hunc locũ Medicus quidam, qui Saxifragam hanc amico cuidam meo iam ſeneſcenti aduerſus renum calculum commẽdauerat, vt vbi ille hac herba vti vellet, locum ipſum ſcirem, vbi reperiri poſſit. Sed ego tum temporis nihil de materia medica fueram ſollicitus. Eſt tamen poſthac ſuperiori anno ad me tranſmiſſa à Franciſco Partino Roboretano, Cæſaris Maximiliani ſecundi Archiatro: quin

Saxifragæ cõſideratio.

Saxifraga altera:

ſro: quinetiam ab alijs quoque amicis. Cit vrinam, calculos in renibus frangit & eijcit, viſum acuit, ſi edatur. Huius meminit Galenus libro, & cap. 5. de ſanitate tuenda ſic inquiens: Iis verò, qui calculo laborant, etiam aliquid Betonicæ: & Cæpen quod in Gallis naſcitur, eſt admiſcendum. Vocant autem herbam eam Saxifragon. Hæc ille: a quo ſuam quoque Betonicam Saxifragam deſumpſit Paulus. Atqui præter hanc tria alia Saxifragæ genera nouimus, quæ frangendis, educendisq; renum calculis, plurimum præſtare videntur. Primum illud eſt, quod nos antea Dioſcoridis Saxifragam eſſe ſuſpicati.

III. *SATVREIA MONTANA.*



IV. SAXIFRAGIA III.



V. SAXIFRAGIA IV.



VI. SAXIFRAGIA MAGNA.



mur. Na-

*mat. Naſcitur hæc in magnis, ac duriſſimis lapidib. in Hetruria plurib. locis, aut ſicco, & admodũ extenuato ſolo, folijs capillaceis (epithymo nõ diſsimilibus, præſertim Argẽtario promõtorio in maritimis noſtris. Inuenitur quinetiã in agro Goritiẽſi, quibuſdã ſaxis enaſcens, iuxta Sontij fluminis ripã, qua Salcano rure itur Canalũ. Sed aliquis fortaſſe obijciet hanc plantam nõ eſſe legitimũ Saxiphragon hoc loco deſcriptũ: quòd ea nullis ferè notis epithymum repræſentet. Neque id quidem temerè obijcetur: etenim nõ video ego, quomodo Saxiphragon rectè epithymo aſſimilari poſsit, quòd illud frutex ſit ſurculoſus, hoc autem tantum abſit à frutice ſurculoſo, vt videatur potius eſſe quoddam capillamentum. Idcirco facilè adductus ſum, vt ſuſpicer codicem hoc in loco deprauatum eſſe: aut Saxiphragon frutex erit, qui folijs duntaxat epithymum æmuletur, vt illa folia ſatis oſtendunt, quæ in hac planta, cuius imaginem hic expreſſimus, capillorum inſtar tenuiſſima conſpiciuntur) fœniculi modo, ſed longioribus, tenuioribus, & rarioribus. Caule pariter prodit fœniculaceo, ſed tenui, ac pumilo, vmbella in ſummitate emergente: ſemine vulgaris petroſelini æmulo, ſed longiuſculo, & odorato. Radice albicante, paſtinacæ ſapore. Tota planta ſubacris eſt, & ſubdulcis. Excalfacit, attenuat, aperit, prouocat, abſtergit. Tota planta ſubacris eſt & ſubdulcis. Radix vrinam ciet, & menſes quouis modo ſumpta: viſum acuit & obſtructiones iecoris reſerat. Secundum genus folijs eſt vulgaris terreſtris hederæ, minoribus tamen, & circumquaq; laciniatis, humi accubantibus. Caulem profert tenuem, rotundum, rectum, piloſum, cubito minorem, à quo rari oriuntur ramuli, in quorum ſummis partibus flores panduntur candidi, ocimoidis æmuli: hi paulò poſt flacceſcentes, nullum poſt ſe relinquunt ſemen. Radix illi eſt tenuis, in pluribus diuaricata capillamentis: inter quas granula quædam rotunda, coriandri ſeminis magnitudine habentur, & ipſa quidem amara, albicantia & purpuraſcentia. Hæc non deſunt, qui credant huiuſce plantæ eſſe ſemen, tum quòd planta nullum in caulibus ſemen gerat, tum quòd ſata radicum grana perinde ac ſemen naſcantur. Mira ſanè plantæ natura, quòd ſemen in radicibus gerat. Excalfacit, extenuat, aperit, abſtergit, & expellit. Herba, & radicis decoctum ex vino albo meraco paratum, renum calculos frangit, & educit, veſicam abſtergit, & vrinam prouocat: efficacius tamen ſi ex eodem decocto radicis granoſa farina drachmæ pondere propinetur. Quinetiam datur eadem farina per ſe ex vino duarum drachmarum menſura. Atqui felicius hæc potio ſumitur, dum affecti in labro balneo ſe fouent. Reperitur hæc herba deſinente iam vere, aut æſtate inchoante, & præſertim menſe Maio, arido, & exoluto ſolo inter ſaxa, aut ſabuloſo tractu. Tertium autem, quod ego cum à forma, tum ab effectu SAXIFRAGVM maius appello, mihi miſſum eſt Verona à Franciſco Calzolario Pharmacopæo, & rei herbariæ ſtudioſiſſimo. Id in Monte, quem Baldum vocant, naſci, & ex viuo, ac duriſſimo lapide prodire ſcribit, & antiquis vrbium mœnijs. Frutex eſt caule lignoſo, contorto, digiti craſſitudine, duris, denſis, ac rimoſis ſurculis, ipſisq; tenuibus ſtipato, ſubalbicante exterius libro: folia fert exigua, oblonga, in acutum deſinentia: floſculos edit albos, & calyculos pallidos, ocimoidis modo, ore circumquaq; ſerrato, in coronæ modum, ſed admodum puſillos, in quibus ſemen continetur rubrum, papauerino minus. Radix in petris adeò pertinaciter concluditur, vt euelli nequeat niſi mucronatis ferramentis. Mirificè tota planta calculos comminuit & expellit. Miris laudibus hanc plantam mihi commendauit Calzolarius ad calculos renum educendos, & vt re ipſa id mihi quoque conſtaret, miſit is ad me numeroſos calculos, quorum plures fabæ magnitudinem ſuperabant, qui huiuſce plantæ potu eiecti ſunt ex vno tantùm ciue Veronenſe, Hieronymo de Tortis nomine, quos adhuc apud me ad ſpectaculum ſeruo. Cæterùm id magis me in admirationem ducit, quòd aliquot inter hos ſpectentur, qui è veſica potius, quàm è renibus expulſi videantur. Herba ipſa iam apud me copioſa eſt: verùm hactenus nullum eius periculum feci. Cæterùm ſunt & alia herbarum genera, quæ ſub Saxifragæ nomenclatione vulgaribus demonſtrantur, nempe Trichomanes, Adiantum, Aſplenum, Filipẽdula, Maſſilienſe ſeſeli, Pimpinella quæ hircum redolet, & aliæ plures herbæ: quæ ideo Saxifragæ nomine inſigniuntur, quòd omnes vrinam cieant, & calculos frangant pellantq;. Planta quæ Græcis σαξίφραγον, Latinis Saxifraga, & Italis Saſſifragia nominatur. Germanis, Steinbrech: Gallis, Perce pierre. † Qui poſtremo impreſſi ſunt Græci Dioſcoridis codices, non hic, ſed in fine ſeparatim ſcriptum habent hoc caput de Saxifraga, inter ea relatum, quæ in hoc authore adſcititia cenſentur. Hoc dictum ſit, vt omnibus conſtet, illud non ſolùm Latinè, ſed etiam Græcè ſcriptum reperiri.*

Saxifraga quarta. Saxifraga maior. Plantæ Saxifragæ dictæ. Nomina.

Saxifragiæ nomen diuerſis plantis ab effectu conuenit, hoc loco quinque ſpecies Matthiolus propoſuit. I. Satureia ſpicata, quæ duplex eſt in Italia, foliorum latitudine ſolùm differens: Iuliana etenim, quæ primo loco pro Saxifragia poſita, anguſtiſsimis eſt folijs: altera verò quæ Romæ & Neapoli in tectis & parietibus prouenit, latioribus eſt folijs: quam forſan pro ſecunda propoſuit Matthiolus; cui Camerarius in ſuo Matthiolo Satureiam duriorem ſubſtituit. Dicitur prima, Saxifragia vera Dioſcoridis, Matthiolo & Lugd. quo ad iconem. Saxifragia prima, Caſtori. Thymbra S. Iuliani, ſiue Satureia vera, Aduerſ. Lob. Thymbra vera, Lugd. Taber. II. Saxifragia alterius ſpeciei, Matth. Saxifragia altera, Caſtor. Lugdunenſ. Saxifragia Matthioli, Tabernæ. III. Satureia montana, C. B. Thymbra Dodonæo gallico & folio Cordi in Dioſc. & hiſt. (cui & ſylueſtris Satureia) Taber. Lugd. Thymbra agreſtis, Geſ. hor. Satureia ſiue Thymbra altera, Lob. in icon. Satureia altera, Lacu. Satureia durior, Lugd. Satureia hortenſis, Lob. Cæſal. Saxifraga ſecunda, Camerario in ſuo Matthiolo. Hæc à radice lignoſa plurimos ramos tenues folioſos emittit, folia duriora quàm Satureiæ vulgaris & minora, aliquando tamen latiora, aliquando anguſtiora, pro ratione loci natalitij, flores habet albos Satureiæ: totaq; plãta Satureia viridior. Prouenit in montibus Italiæ, non longè etiam Monſpelio: Hyſſopum verum Guilandinus nominabat in horto Patauino natam. IV. Peucedanum minus. C. B. Saxifragia tertia, Matth. Lugd. Caſtor. Saxifragum, Lacu. Peucedanum Pannonicum, Cluſ. hiſt. Pann. V. Saxifraga rotundifolia alba, C. B. Saxifragia quarta, Matth. Caſtor. Saxifragia maior, Brunfel. (& Saxifragia) Fuchſ. Lacu. Saxifraga alba, Trag. Fuchſ. in icon. Dodo. gal. & fol. Geſ. hort. Lugd. Thal. Tab. Cam. Saxifraga alba Chelidonides, Lobel. Saxifraga, Lonic. Thelygono affinis herba, Cæſalpino. Hæc præter granula quæ ad radicem plurima, quibus propagatur, etiam ſemen minutum copioſum in vaſculis oblongis continet. VI. Caryophyllus Saxifragus, C. B. Saxifragia magna, Matth. Lobel. Lugd. Camer. Saxifragia quinta, Caſtori.

## Λειμώνιον. LIMONIVM. CAP. XVI.

Limonion folia habet betæ, tenuiora, & longiora, decem, & ſæpe plura: caulem tenuem, rectum, lilio æqualem, ſeminibus rubris ſcatentem, quæ guſtata adſtringunt. Semen tritum, & ex vino acetabuli menſura potum, dyſentericis, cæliacisque prodeſt: rubra fœminarum profluuia ſiſtit. Naſcitur in pratis, & paluſtribus.

I. LIMONIVM.



II. LIMONIVM ALTERVM.



III. PYROLA.



Limonij conſideratio.
Behen rubrū offic.

PRouenit Limonium, nullis prorſus reclamantibus notis, cū innumeris ferè plātis, in paludibus quæ Timaui fontibus irrigantur, ac etiam Tergeſtino tractu. Hāc autem plantam ſeplaſiæ falsò Behen rubrum appellant, quam ſi quis diligenter expenderit, eam ni fallor, inueniet omnibus notis Limonio adſtipulari: vnde cogetur fateri, aut hanc verum Limonium eſſe, aut ſaltem eius genus. Siquidem herba eſt (vt imagines duæ, quas hic damus, apertè demonſtrāt) folijs betæ tenuioribus & longioribus, decem, & ſæpe pluribus: caulibus item tenuibus, in quibus ſemen rubrum, quod guſtatum adſtringit: Radix eſt illi vegeta, rubraque. Præterea in pratis, præſertim vliginoſis, & paluſtribus prouenit. Addam etiam quòd experimento compertum eſt, Behen hoc adulterinum præditum eſſe facultatibus & viribus, quas Limonio tribuerunt Dioſcorides & Galenus. Quare non temere me facturum putaui, ſi pro vero Limonio hic eas plantas depictas exhiberem, quæ in officinis Behen rubri nomen perperam acceperunt: quòd mihi iam perſuaſum ſit (vt in glandis vnguentariæ commentatione dicetur) eas planè Behen illud ementiri, de quo à Mauritanis mentio facta eſt. Plinius libro 20. cap. 8. Limonium ſyluestrem betam vocari tradit. Sed huic, vt in Beta notauimus, refragatur Galenus libro ſecundo de alimentorum facultatibus, vbi ſe nullam vnquam ſyluestrem betam nouiſſe ſcribit: niſi quis pro ea rumicem accipiat. Atque adeò hinc colligamus licet, Limonium eſſe per ſe genus betæ, cui tametſi caulis notæ, quæ in Ben rubro vulgari habentur, non omnino aſtipulentur, cùm tamen cætera Limonio belle correſpondeāt, & vires eadem ſint, manebo ego in ſententia, quouſq; nouus aliquis appareat rei plantariæ indagator, qui aliam nobis plantam demonſtret, quæ legitimum Limonium Dioſcoridis notis omnibus magis præ ſe ferat. Interim autem

Pyrolæ hiſto. Matthiolo.

in eorum ſententiam haud concedam, qui PYROLAM herbam, quam Germani vocant Wintergrün, Limonium genuinum faciunt. Quippe folia pyri modo ſubrotunda, vnde illi nomen, paruaque, & natale ſolum non concedunt Pyrolam eſſe Limonium: Siquidem oritur hæc haud humectis, aut paluſtribus locis, ſed in montibus, vmbroſis, & in ſyluis, folio pyri minore, robuſto, & perpetuò vireſcente, caule ſpithamæ longitudine, tenui teretique, in quo per interualla flores ſpectantur candidi, ſtellæ figura, capillamentis numeroſis è medio emergentibus, vt in roſa. Radicem-

*ce nititur ſubalbicante, haud altè deſcendente. Vis illi eſt exiccare, adſtringere, & agglutinare: quo fit, vt ad vulnera glutinanda plurimum præſtet vſum apud Germanos. Namque nõ ſolum illita folia, aut eorum ſuccus vnguentis vulnerarijs additus, aut per ſeſe recentia vulnera ſanant, ſed etiam eorum decoctum ex vino potum, ea quoque curat, quæ in thoracis cauitatem, in viſcera, aut inteſtina penetrarint, quare additur commodiſsime vulnerarijs potionibus. Mira ſane vis eſt in huiuſmodi potionibus. Parantur enim non ex hac ſola planta, ſed ex multis alijs ex vino, & aqua ſimul decoctis, nempe ex Pyrola ipſa, Alchimilla, Betonica, Fragaria, Equiſeto, Agrimonia, Caryophyllata, Tormentilla, Vinca peruinca, Pimpinella, quam Sanguiſorbam vocant, Piloſella, Virga aurea, & Symphyti maioris & Rubiæ radicibus. Eiuſmodi enim potionibus vidi ego cùm Thoracis, tum inteſtinorum vulnera ſanari, quæ lethalia, & nullo prorſus auxilio curari poſſe cenſebãtur: quo fit vt hæc chirurgis grata eſſe debeant. Limonij vires memoriæ prodidit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Limonij ſemen vtpote auſterum, cœliacis, dyſentericis, & ſanguinem ſpuentibus cum vino exhibent. Iuuat & ad profluuium muliebre. Satis autem eſt acetabuli menſura. Quod Græci λειμώνιον, Latini item Limonium dicunt: Itali, Limonio: Officinæ falsò Behen rubrum. At Pyrola, Italis, Pirola, Germanis Wintergrün.*

Pyrolæ vires Matthiolo.

Vulneraria potio mirifica.

Limonij vires ex Gal.

Nomina.

Limonium, quod ἐν λειμῶσι in pratis proueniat, eſt maius, minus & laciniato folio. I. Limonium maius, C. B. Limonium, Matth. Lacu. (cui & Been rubrum) Caſtor. (cui & Caprinella) Lugd. Cæſal. Limonium primum, Taber. Camer. Been rubrum, Limonio ſeu Biſtortæ cognata, Geſ. hor. Valerianæ rubtæ ſimilis. Dod. fol. II. Limonium alterum Matthioli quid ſit ignoramus, cum ſequuntur Lugdun. & Tabernæmontanus & nomen & figuram reſeruantes. III. Pyrola vulgata rotundifolia, C. B. Pyrola, Matth. Brunf. Dod. gal. & fol. Cord. in Dioſc. (cui & Beta ſylueſtris) Geſ. hort. Lon. Lobel. Caſtor. Lugd. Cæſalp. Tab. Pyrola vulgaris, Cluſ. hiſt. Pann. Pyrola minor, Thal. Limonium ſylueſtre, Trago, Limonium, Fuchſ. Turn. Lonicero. Altera eſt amplo & molli, altera minore & duriore folio.

## Λαγώπους. LAGOPVS. CAP. XVII.

Lagopus herba ſiſtit aluum in vino pota: aut in febri, ex aqua. Eadem inguini alligatur in inflammatione. Naſcitur in † ſegetibus.

† Meũ & Cà ἐν πρασιαῖς i. in areolis.

*Sanè tam paucis Lagopum perſtrinxit Dioſcorides, vtpote qui ne vllam quidem eius imaginis notam deſignauit, vt arduum æquè atq; difficilè ſit aſſerere, quinam ſtatuendus ſit in tam ingenti plantarum multitudine, quarum nulla apud homines extat cognitio. Cæterùm Matthæus Syluaticus parum rectè, meo quidem iudicio, tradidit Lagopum eam eſſe herbam, quam herbariorum vulgus Caryophyllatam appellat: quandoquidem hæc non gignitur in ſegetibus, ſed in montibus, & in vijs iuxta ſepta, quòd mirùm in modum ſepibus opacari gaudeat. De hac veteres, quod ſciam, nihil memoriæ prodiderunt. Niſi fortaſſe fuerit Geum à Plinio deſcriptum lib. 26. cap. 7. cui radiculas reddidit tenues, nigras, & benè olentes. Porrò CARYOPHYLLATA planta non eſt vulgaris, neq; viribus inefficax, argumento quòd eius radices manifeſtũ caryophylli ſpirent odorem: vnde illi nomẽ. Ea folia fundit ſubaſpera, hirſuta, tripartita, duobus etiam longè minoribus eodem in pediculo auricularum inſtar poſteriori parte adnatis, omnibus tamen per ambitum laciniatis: caule eſt ramoſo, rotũdo, haud craſſo, ſeſquicubitali, geniculato, ſubaſperoq; floribus aureis pentaphylli æmulis, villoſis ſuccedentibus inde capitulis, in quibus ſemen continetur. Radicibus nititur copioſis, tenuibus, ſubrufis, Caryophyllorum odorem ſpirantibus. Naſcitur ſecus vias circa agrorum, & hortorum ſepimenta, & opacis potius locis, quàm à ſole illuſtratis. Radix, cuius eſt vſus, excalfacit &*

Lagopi conſideratio.

Syluatici opinio exploſa.

I. CARYOPHYLLATA.



II. CARYOPHYL. MONTANA.



Caryophyllatæ vires.

*Caryophyllata montana.* ſiccat, aperit, & roborat. Eſt & alterum CARYOPHYLLATAE genus montanum, quod à me repertum eſt in Bohemia in monte quodam Bohemis Corconos appellato, ex quo Albis fluuius ſuam ducit originem. Folia hoc gerit alterius maiora, criſpiora, hirſutioraq́; plura ab vna radice prodeuntia, longisq́; pediculis inhærentia, tactu ſubaſpera, & circumquaque lacinata, & humi procumbentia. Caules edit tenues, haud vt in communi brachiatos, in quibus parua, ſed rara folia ſpectantur. In caulium ſummitatibus vnicus tantum flos emicat, viſu iucundus, & triplo ferè maior quam in vulgari: aureus illi color eſt, qui tandem flaceſcens, pinnatum efficit orbem, magno naturæ opificio. Radice nititur ſpithamæ longitudine, & minimi digiti craſſitudine, ſed haud in altera fibrata, rufo colore, odore Caryophyllorum, & guſtu adſtringenti. Præſtat et longe valentioribus facultatibus, quam vulgaris. Sed de Caryophyllatis hactenus. Quarum gratiſſimus odor aliam mihi

*Cortuſa herba.* plantam reuocauit in mentem non minoribus fortaſſe viribus inſignitam, CORTVSAM hanc appellare libuit, quod à

*III. CARYOPHY. AQVATICA.*



IV. CORTVSA.



CORTVSO viro optimo primùm hæc planta reperta ſit. Prouenit hæc folijs ferè vitigineis, ſed longè minoribus, ſubrotundis atq́; ſubaſperis, adſtringenti quadantenus ſapore, & longis nitentibus pediculis. Caules edit tenues, rectos, glabrosq́; folijs nullis refertos, ſed qui in cacumine magno naturæ artificio flores gerant, extima parte purpureos, intima verò aureo fulgore ſplendentes, aureisq́; ſtaminibus intus refertis: radicibus nititur numeroſis, tenuibus, ac prolixis. Eſt etiam quæ violaceos, & quæ candidos flores gerat, ſed prima frequentior. Naſcitur locis vmbroſis nunquam á ſole illuſtratis, cretaceo, & albicante ſolo. Nuſquam hæc planta ab eius inuentore CORTVSO viſa eſt, præter quàm in agro Vicentino, in eo tantùm tractu, quem vulgò appellant Valle ſtagna. Tota planta dum recens eſt gratiſſimo ſpirat odore, melleis fauis ferè ſimili, ſed longè admodum gratiori, ac vehemẽtiori: ſed in ſicca odor, qui ſubtilium eſt partium, euaneſcit.

*Cortuſæ vires.* Expertũ eſt valere hanc plantam ad mulcendum neruorum & articulorum cruciatus à quacunq́; cauſa exortos. Nam ipſius floribus in Amygdalino oleo recenter preſſo, & roſaceo, quod completum vocant, pari pondere commiſtis, diu inſolatis, fit ad hoc medicamentum præſtantiſſimum, vbi egelidum illinatur. Nec ambigo quin tota cuiuſque Caryophyllatæ (vt ad eas redeat oratio) planta adſtringere ac roborare, & vulnera, vlceraq́; ſanare valeat. Ea recentiores vtuntur pota ad thoracis interna vulnera. Quin & eius ſuccum admiſta ærugine, cuniculoſis, contumacibusq́; vlceribus vtiliter inijciunt. Eadem olfactu vitales ſpiritus recreat, & frigidum roborat cerebrum. Earundem puluis epotus prodeſt cœliacis, dyſentericis, fœminarum profluuijs, & cruenta exſpuentibus. Tam intus ſumpta quam foris illita enterocelis auxilio eſt. Temperamentum ei excalfaciens, & exiccans, vt manifeſto ſunt indicio eius radices: quippe quæ guſtu odorata, adſtringentesq́; deprehendantur. Quibus qualitatibus non modò

*Lagopi hiſtoria & vires.* attenuare, diſcutere, & adſtringere valent, ſed etiam roborare. Sed, vt ad noſtrum inſtitutum reuertamur, Germanorum vulgus Lagopum appellat herbam, quæ folia habet trifolio ſimilia, oblonga: caulem tenuem, rotundum, hirſutumq́; ſemen in paniculis paruis muſcoſis, lanuginoſisq́; & tactu mollibus, perinde ac leporini pedes, cui non obſcura adſtringendi vis ineſt. Naſcitur hæc quidem in ſegetibus, verùm an ea legitima ſit Lagopus non auſim affirmare: nullus enim, quod ſciam, Lagopi faciem repræſentauit. Dantur Lagopi huiuſce folia, quinetiam paniculæ, & ſemen in farinam trita, contra dyſenteriam, & cæteras alui fluxiones, contra bilioſas reiectiones & cœliacos affectus ex vino auſtero, aut ſucco Punici mali. Vniuerſæ plantæ decoctum, additis maluæ folijs è dulci vino paratum, datur vtiliter ad veſicæ morbos, & præſertim ad vrinæ ardores. Semen auxiliatur cruenta expuentibus, paniculárum cinis illitus hæmorrhoidas fluentes ſiſtit. Sunt qui lagopi paniculis vtantur ad abſtergendam dyſentericorum ſedem, putantes inde fluxionem cohiberi.

*Lagopi vires ex Gal.* Lagopi vires ſcriptas reliquit Galenus lib. 7. ſimplic. medic. his pauciſſimis verbis: Lagopus facultatis eſt deſiccantis, adeò vt fluxus alui probè exiccet.

*Nomina.* Huius plantæ nomen Græcum λαγώπους, pariter & Latinum Lagopus, ſiue Pes Leporinus: Italis, Lagopo, ſeu Pie di Lepre. Caryophyllata, Italis, Garofanata: Germanis, Benedicten Wurtz: Gallis, Benoiſte, Galliot, ſeu Reſiſte. At Caryophyllata montana, Italis Garofonata ſaluatica.

Caryo-

V. LAGOPVS SIVE PES Leporis.



Caryophyllata ab odore radicis, quem Vernali tempore ſpirat. I. Caryophyllata vulgaris, Geum Plinij fortè & Argemonia thus redolens, C.B. Caryophyllata, Matth. Fuch. Dod. fol. Geſ. hor. Lacu. ( cui & Chryſogonum ) Caſtor. Lugd. Thal. Taber. Caryophyllata vulgaris, Lobel. Cluſ. hiſt. Pann. Camer. Caryophyllata, Brunfel. ( cui & herba benedicta ) Trag. ( cui & Nardus ruſtica & Sanamunda ) Dod. gal. Lonic. Benedicta, Geſ. hort. cui & Geum vrbanum: Geum, Turn. Gariofilato vulgo, Cæſalpino. II. Caryophyllata alpina lutea, C.B. Caryophyllata mõtana, Matth. Dodo. fol. Lugd. Taber. Caryophyllata montana ſecunda, Cluſ. hiſt. Pann. Caryophyllata maior rotundifolia Lobel. Caryophyllata alpina, Cam. Gariofilatæ alterum genus montanum, Cæſ. Geum alpinum & quartum, Geſ. de hortis. III. Caryophyllata aquatica, C. B. & Camer. in ſuo Matthiolo. Caryophyllata montana tertia, vel Geum aquaticum Geſneri, Cluſio hiſto. Pannonica. Hæc radicem habet dodrantalem, fibroſam, digiti craſsitudine, purpuraſcentem, amariuſculam, vix odoram: caules ſeſquipalmares, leuiter hirſutos: circa quos folia vulgaris Caryophyllatæ: flores in ſummo caule ex pediculis dependentes reflexi, campanæ figura, pallidi, ſubpurpurei, qui aliquando foliorum textura multiplici elegantes, magis rubentes, aliquando ſanguinei, quibus quina aut ſena folia herbacea, ſubijciũtur: his ſuccedũt capitula, villoſo quàm in vulgari maiora, ſemen continentia. Locis humidis prouenit. IV. Sanicula montana Cortuſa dicta, quod nomen propter authorem, qui etiam ad nos plantam miſit, reſeruare placuit, C.B. Cortuſa, Matth. Caſtor. Lugd. Camer. Caryophyllata Veronenſium flore Saniculæ vrſinæ, Lobel. Sanicula montana altera, Cluſ. hiſt. Pann. Sanicula alpina, Taber. V. Trifolium ſpicatum humile, Lagopyron Hippocrati, C. B. Lagopus (ſiue pes leporis) Matth. Trag. ( cui & Lotus campeſtris ) Fuc. Turn. Dod. gal. (& Trifolium humile) & fol. Lacu. (cui & Trinitas) Lon Lobel. Lagopus maior, Cæſ. Lagopus minor, Camer. Lagopus vulgaris, Lug. Thal. Lagopodium, Taber. Leporinus pes, trifolij ſpecies Cordo in Dioſcoridem.

MEDIVM SIVE VIOLA Mariana.



Campanula medium

Μήδιον. MEDIVM. CAP. XVIII.

MEdion a in ſaxis, & opacis naſcitur, folia habet iridis: caulem tricubitalem, & in eo florem grandem, purpureum, rotundum: ſemine cnici, minuto: radicem dodrantalem, craſsitudine baculi, guſtu acerbo. Quæ trita in farinam, & ex melle decocta, rubros menſes fœminarum ſiſtit, eclegmate per aliquot dies ſumpto. Semen in vino potum, menſtrua pellit.

a Vtrunque exem. ἐν πετρώδεσι. in petroſis.

*MEdion in Media duntaxat naſci quibuſdam proditum eſt: quòd ſi ita ſe res haberet, mirum profectò non eſſet, ſi non proueniret in Italia. Sunt qui eius folia intubo ſimilia faciant, non autem iridi, vt communis habet lectio, quibus etiam Oribaſius adſtipulatur. Et certè facilis potuit eſſe librariorum lapſus, vt qui vocabulorum affinitate decepti* ἴριδι *pro* σέριδι *in Dioſcoride ſcripſerint. Hac itaque Oribaſij authoritate fretus, plantæ imaginem hic appingi curaui, quæ bellè ſatis* MEDIVM *repræſentare videtur. Siquidem non ſolùm aridis, ſaxoſis, & opacis naſcitur locis ( vt vir optimus Iacobus Antonius Cortuſus teſtatur, qui ad me hanc plantam miſit ) ſed folio eſt intubi, caule procero, floribus grandibus, & ſemine paruo, Cnici haud abſimili. Medij facultates tradidit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Medij radicem contra atque ſemen ipſum, temperatam eſſe contingit: nam illa quidem auſtera eſt, & fluxiones cohibet cùm alias, tum profluuium muliebre quod vocant. At ſemẽ tantùm abeſt, vt tale quid efficiat, vt etiã menſes cieat, vtpote quod tenuium partium, & incidentis eſt facultatis. Vt Græci hanc plantam* μήδιον, *ita etiam Latini Medium vocant: Italis, Medio, nonnullis Viola mariana.*

Medij conſideratio.

Dioſ. locus reſtitutus.

Medij vires ex Gal.

Nomina.

Viola mariana, C.B. Medium ſiue Viola mariana, Matth. Viola mariana, Dod. gal. & fol. Caſt. (… & Rapum ſylueſtre Dioſcoridis) Geſ. hort. Lobel. Taber. Rapi ſylueſtris genus maximum, Geſ. hort. … Medion. Rapunculi alterum genus grandius, Cæſalpino. Flore eſt albo, cæruleo: habetur & pleno … laciniatis folijs peregrina.

## Ἐπιμήδιον. EPIMEDIVM. CAP. XIX.

EPimedium, caulis non eſt magnus, hederæ folijs, denis atque duodenis, neque florem, neq; fructum ferens: radice tenui, nigra, graui odore, guſtu fatuo: naſcitur in humidis. Folia cum oleo trita, impoſito cataplaſmate, mammas increſcere non ſinunt. Radix conceptum adimit. Folia trita quinis drachmis post menſtruas purgationes, quinque diebus in vino pota, præſtant mulieribus, ne concipiant.

Epimedij cõſideratio. Trinitas non eſt Epimedium.

*QVi Epimedium in Italia, quantum mihi perquirere licuit, hoc tempore cognoſcat, demonſtretq́, hactenus reperi neminem. Quare putauerim alijs in regionibus hanc plantam prouenire: vel ſi fortaſſe naſcatur in Italia, nondum ad noſtram perueniſſe cognitionem. Non tamen nos fugit medicum eſſe in Italia materiam medicam profitentem, cuius nunc nomen libet ſilentio diſsimulare, qui Epimedium eam plantam eſſe cenſet, quæ à triquetra foliorum figura quibuſdam recentioribus Trinitas appellatur, idq́; illis conſtanter affirmat, & perſuadet, qui maiorem forſan ei fidem præſtant, quam ipſi Dioſcoridi. Sed quòd is aperte hallucinetur, etſi vnicuique mediocriter etiam in re herbaria verſato perſpicuum eſſe poſsit, pro alijs tamen iam nobis oſtendendum eſt. Quod facilè conſtabit, ſi expendatur vtriuſq; plantæ deſcriptio: ſiquidem Epimedium, Dioſcoridis teſtimonio, caulis eſt non magnus: folia habet hederæ ſimilia, dena aut duodena. Trinitas vero nullo conſtat caule, ſed folijs tantùm modò vicenis, modò tricenis, modo quadragenis, pluribusq́; à radice cyclamini modo exeuntibus. Præterea Trinitas primo ſtatim vere florem edit cæruleum, mox ſemen. Epimedium verò, Dioſcoride authore, neque florem, neq; ſemen profert. Adde quòd Trinitas radice nititur multifida, odore non ingrato, & ſapore adſtringente. Radix verò Epimedij tenuis deſcribitur, graui odore, & inſipido ac fatuo guſtu: ex quibus omnibus, ni fallor, harum plantarum diſcrimen luce clariùs oſtenditur, & medici illius opinio vana apertiſsimè exploditur.*

Epimedij vires ex Gal.

*Cæterùm Plinius libro 27. cap. 9. Epimedij hiſtoriam ad verbum fermè à Dioſcoride mutuatus eſt: cui item Galenus ſuam acceptam referre poteſt lib. 6. ſimplicium medicamentorum vbi ita ſcribit: Epimedij vis eſt moderatè refrigeratoria cum aquea humiditate: quare nullam habet inſignem qualitatem. Mammas cataplaſmate impoſitum rectas ſeruare poteſt. Aiunt verò epotum concipiendi facultatem adimere.*

Nomina.

*Planta, quam Græci ἐπιμήδιον, Latinis ſimiliter Epimedium appellatur.*

* EPIMEDIVM. *



Epimedij nomine oſtendunt alij Trifolium arboreũ, alij Lunariam racemoſam: Patauini eam cuius figuram adpoſuimus, pro Epimedio exhibent, notis omnibus apud Dioſcoridem conuenientibus, licet florem & fructum ferre neget, quod etiã de Dictamno & alijs pronunciauit, in quibus contrarium obſeruatur. Hoc radice ruffeſcente, fibroſa, multas propagines in obliquum ſpargẽte, grauis odoris, ex quo communiter caulis vnicus, teres, dodrantalis exurgit, qui vt plurimum, in ternos pediculos teretes, tenues, albidos, diuiditur: ſingulis ſectionibus in ſummis quaſi alis, in terna, rarius quatuor folia deſinentibus, quæ Hederę figura, lata, acuminata, in ambitu quaſi aculeis exornata, leuia, dilutè virentia, auerſa parte albicantia, duriuſcula, odore ingrato, ſapore fatuo & ſubadſtringente. Floſculos habet perelegantes, quadrifolios & quadrangulos, ſingulos ſingulis pedicellis inſidentes, marginibus rubentibus, interioribus luteis, medijs apicibus virentibus: at auerſa parte rubent, & ſtrijs candidis rectis diſcurrentibus variegantur: his ſuccedunt thecæ teneræ, ſiliquis ſimiles, ſemen continentes oblongum quaſi ſemilunatum & ſubruffum. At flores vnà cum ſeminibus (communiter) folijs prodeuntibus vel ijs auctis, decidũt: ſic vt ne veſtigium eorum appareat. In Euganeis montibus circa Patauiũ, circa Bononiam, & in horto Patauino legimus: circa Vincentiam, locis vmbroſis vdis (vbi Lunaria nominatur) in Liguriæ montibus & in Illyria obſeruatur. Epimedium primus nominauit Anguillara, quem imitati ſunt Aduerſaria (quę an Epimetrõ Plinij ſit dubitant) Lob. Dod. fol. Lug. Taber. Camerarius. In montibus Liguriæ planta proueniens, dicitur Cæſalpino.

## Ξίφιον. GLADIOLVS. CAP. XX.

XIphion, alij phaſganon, alij machæronion, Romani Gladiolum vocãt: nomen inde accepit, quod folium gladij præbeat ſpeciem. Iridi ſimile erat, niſi minus, & anguſtius videretur, & gladij modo mucronatum, neruoſumque. In caulem exit cubitalem † in quo purpurei flores, in ordinem digeſti, interſe diſtant: rotundo ſemine: radicibus geminis, vna paruorum bulborum modo, ſuper alteram inſidente, quarum inferior gracilis eſt, ſuperna vberior: naſcitur in aruis. Superior cum thure illita, admiſto vino, ſpicula & aculeos e corpore extrahit: panos cum Lolij farina, & hydromelite diſcutit: qua de re huiuſmodi em-

† Ori. add. ὀπου μεστόν. i. ſucco plenũ.

di emplaſtris inſeri ſolet: menſes impoſita trahit. Superiori radice ex vino pota, venerem ſtimulari, & inferiore ſumpta ſterileſcere tradunt. Superiorem quoque vtiliter infantium enterocelis, cum aqua potui dari præcipiunt.

## I. GLADIOLVS.



## *II. ARVNDO IND. LATIFOLIA.*



*Naſcitur Gladiolus, quem Græci xiphion vocant, frequens in Hetruria, & in comitatu Goritienſi in pratis, & in aruis inter ſegetes: vnde Segetalis pleriſq; dicitur: huius flores noſtri vulgo appellant Monacuccie. Folia ei iridis, breuiora tamen, & anguſtiora, lineis neruorum modo ſtriata, mucronataq;. Caule attollitur cubitali, læui, ſuccoſo: in quo flores emicant purpurei, paribus inter ſe ſpatijs diſtantes, qui etiam iridis flores forma effigieq; plurimùm æmulātur, quanquam Gladiolo minores ſunt, & vno tantùm colore conſtant: prodit ex his ſemen (vt Dioſcorides inquit) rotundum. Radicibus cohæret geminis, bulboſis, rotundis preſſiſq; verticillorum modo, vna ſuper alteram inſidente, albicantibus, bulboſiſq;. Hæ obteguntur capillaceo inuolucro, in nigrum purpuraſcente, veluti croci radices. Cæterùm quamuis tradiderit Dioſcorides, quod ſuperior radix magnitudine inferiorem ſuperet, plerunque tamen contrarium viſitur. Plinius porrò hac in hiſtoria à Dioſcoride diſſentit: ſiquidē Gladiolum, quem in aruis naſci ſcribit Dioſcorides, in paluſtribus is & aquoſis inueniri exiſtimat. Ex quo facile crediderim, Plinio illum vocari Gladiolum, quem paſſim officinæ Acorum nominant. Gladioli meminit Galenus li. 8. ſimpl. med. vbi ſic inquit: Xiphij radix, & maximè altera, quæ ſuperior eſt, attrahentem, digerentem, & exiccantem ſcilicet facultatem etiam poſſidet. Hæc planta ξίφιον Græcè vocatur: Latinè Gladiolus: Arabicè, Kaſiſlon: Italicè, Gladiolo: Senenſibus, Monacuccie: Germanicè,* Schwertel: *Gallicè, Glais, & Glayeul.*

Gladioli hiſtoria.
Plinius à Dioſcoride diſſentiens.
Gladioli vires ex Gal.
Nomina.

Gladiolus duplex eſt, alter vtrinq; floridus, Italicus: qui alibi procerior, alibi breuior: alter ab vna parte caulis flores digeſtos habet, qui Gallicus & Germanicus: vterq; flore variat rubro, incarnato, rarius albo.
I. Gladiolus vtrinq; floridus, C.B. Gladiolus, Matth. Dod. gal. (cui & Lingua ceruina Apuleii) Lac. Caſt. Lugd. Cæſ. Gladiolus Italicus binis florum ordinibus cinctus, Lob. Gladiolus vtrinq; floriferus, Dod. fol. Gladiolus Italicus, Tab. Gladiolus verus, Geſ. hor. cui & Victorialis rotunda: Xyphium, Geſ. hor. Cam.
II. Arundo Indica latifolia. Ex radice nodoſa in capita rotunda protuberante, & craſſioribus fibris ſtipata, caulis primum vnus, deinde plures prodeant, digiti minoris craſſitie, recti, arūdinacei, læues, herbacei, nodoſi: circa quos multa folia Hellebori albi modo ampla, neruoſa & firma, tenuia tamen in mucronem collecta & ex herbaceo pallida, circa caulem conuoluta, quæ cum primò erumpunt, chartacea cornicula referunt, quod & in Elleboro albo conſpicitur: ſapore primùm herbaceo, dein nonnihil acri: extremo cauli flores minij colore nitentes, ſinguli capitulo hirſuto inſident, Gladioli figura, ex pluribus oblongis foliis compoſiti, qui nondū aperti cancrorum forpiculas & forma & colore (vnde quibuſdā Flos cancri) referunt: quibus delapſis capitula augentur, & quaſi triangula redduntur, aſpera, parui cucumeris figura, ſemen piſorum magnitudine & forma, nigrum, macula fuſca notatum, continētia. Ex India Occidua ſeu America ſemen primum in Luſitaniam (in quorum monaſteriis frequens ſub ſtillicidiis ad muros ſeritur) delatum, inde in alias regiones, ita vt apud Germanos, Gallos, Italos & Anglos paſſim ab rei herbariæ ſtudioſis elegantiæ gratia in penſilibus Adonidis hortis colatur. Apud nos non ſemper floret, nec ad frugem peruenit, niſi hortulanorum diligentia in fictilibus hyeme aſſeruetur, ſerò enim germinat. Dicitur Canna vel Arundo, quia caulis veluti arundineus eſt. Canna Indica, Geſnero de hortis German. Cluſ. hiſtor. Hiſpan. Camerar. cui & Xyphium Indicum. Canna Indiæ, Cæſalp. Arundo

Indica florida, Aduer. Lob. cui & Cannacorus. quorundam. Arundo Indica latifolia ſiue florida, Tab. Papyrus, Caſtori: Gladiolus Indicus Cam. in ſuo Matthiolo. Huius foliis Gummi Elemmi inuolutum adfertur: ex ſemine, Hiſpani & Luſitani ſphærulas precatorias conficiunt, quare à numerando, Cuentas dicūt. Germanis Indianiſch Bluomenrohr dici poterit.

## Σπαργάνιον. SPARGANIVM. CAP. XXI.

a Meum πλ-κλινές-ερα. i. magis inclinata.



Sparganion, aliqui xiphidion vocant: folia habet gladioli, ſed arctiora, & in terram magis a procumbentia: in ſummo caule veluti pilulæ prominent, in quibus ſemen. Contra ſerpentis venena radix cum vino datur.

Sparganii conſideratio.

Ruellius malè Spatulam, Sparganium credit.

Syluatici erratum.

Sparganii facult. ex Gal.

Nomina.

*Exiſtimat Ruellius eam plantam eſſe Sparganium, quæ in aquoſis locis prouenit, quam herbariorū vulgus Spatulam fœtidam appellat. Verùm hæc, vt in proxima commentatione dicetur, nihil aliud eſt, quàm Dioſcoridis xyris. Quare mihi planè refellenda videtur in hoc Ruellij opinio. Siquidem herba hæc, quam ideo Spatulam fœtidam cognominant, quòd grauem exhalet odorem, folia quidem habet gladioli, ſed latiora, longioraq́ue, minimè in terram procumbentia. Adde etiam quòd illa in ſummo caule nō pilulas, quæ ſemen contineant, ſed folliculos, aut ſiliquas profert. Syluaticus Spatulam fœtidam deſcribens, eius hiſtoriam Paulo Aeginetæ perperàm acceptam refert: id enim ipſe in Paulo nuſquā potui reperire: ſed ad Sparganium noſtra redeat oratio. Dubitamus nos, an planta quam hic pro Spargania expreſſimus, quamq́ue ferè omnes, qui hoc æuo de re plantaria ſcripſerunt, Sparganium faciunt, legitimum genuinumq́ue Sparganium ſit. Siquidem hæc folia xyphio latiora gerit, non quidem arctiora, eaq́ue ſurſum ſpectantia, non humi procumbentia: quo fit vt ego facilè crediderim vix plantam hanc Sparganium dici poſſe. Naſcitur ad montium radices, humecto ſolo, & circa ſcrobes. Sanè quàm paucis de Sparganio diſſeruit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Sparganium & ipſum deſiccantis eſt facultatis. Nomen Græcum habet planta hæc Σπαργάνιον: Latinum item, Sparganium: Arabicum, Sæfarberamon: Italicum, Spargania.*

Sparganium, quaſi faſciola, quod foliis eius pro faſciis vterentur, duplex eſt, ramoſum, & non ramoſum. Sparganium ramoſum, C.B. Sparganium, Matt. Trag. Cordo in Dioſcor. Lacu. Turn. Lobel. Caſtor. Taber. Camer. Cæſal. Butomon, Dodo. gal. Platanaria, Dod. fol. Thal. Carex, Loni. Phleos fœmina, herbario Lugdunenſi.

XYRIS.



## Ξυρίς. XYRIS. CAP. XXII.

Xyris folia habet iridis, latiora & in cacumine mucronata: quorum medio caulis erumpit, ſatis craſſus, cubitalis, ex quo ſiliquæ triangulares dependent: in quibus purpureus flos, in medio puniceus: ſemen in folliculis, ſimile † fabis, rotūdum, rubrum, acre: radix longa, geniculata, rufa. Contra capitis vulnera, fractaq; efficax eſt: aculeos, & ſpicula omnia, citra moleſtiam extrahit, adiecta floris æris tertia parte, & radicis centaurii, ac mellis quinta: tumoribus, & collectionibus illita cum aceto medetur. Radix ex paſſo bibitur, ad conuulſa, rupta, coxendicum dolores, ſtrangurias, & alui profluuia. Semen tribus obolis potum, vrinam vehementius impellit: & cum aceto, lienem abſumit.

† Orib. ὀρόβοις. i. eruis.

Xyridis conſideratio.

*Xyris pluribus locis prouenit in Italia, præſertim in Hetruria, in aquoſis & humectis locis. Nam etſi non deſint, qui plantam quæ hic nobis Xyridem exprimit, legitimam eſſe negent, quòd radice non conſtet longa, rufa, geniculata, ſed multifida, graciliq́ue, nos tamen non ob id, cū cæteris notis cum*

Dioſcoridis

*Dioſcoridis Xyride conueniat, eam legitimam faciemus, ſiquidem variare radices in plantis facillimum pro diuerſo ſoli & regionum ſtatu. Auxit quoque quandam ſuſpitionem ipſum quoque ſemen, quod rotundum cum ſit, fabis haud ſimile eſt. ſed ſuſpitionem hanc auxit Oribaſius, qui ὀροβοειδὲς legit, id eſt orobo ſimile. Quo argumento fretus, cum xyridis ſemen vt cuique eſt facienti palam fit, odore fabaceo habeatur, Dioſcoridi legendum eſſe puto: Semen in folliculis eſt fabaceo odore. Eam vulgus Spatulam fœtidam appellat, quod eius folia, ſi manibus atterantur, grauem & ingratum reddant odorem. Sunt qui huiuſce ſucco vtantur ad ſcabiem, vitiliginem, & lichenas. Hanc memoriæ prodidit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, vbi de eius viribus ita diſſerit: Xyris tenuium partium, attractoriæ, digerendi, ac nimirum etiam deſiccandi eſt facultatis, cum radix, tum multo etiam magis eius fructus: qui quidem & vrinam ciet, & lienes induratos ſanare poteſt.*

Locus Dioſc. reſtitutus ex Oribaſio.

Xyris vires ex Gal.

*Planta Græcis ξυρὶς, Latinis quoque Xyris dicitur: Arabibus, Caſoras: vulgò, Spatula fœtida: Germanis,* Wandtleußkraut: *Hiſpanis, Lirio ſpadanal: Gallis, Glaieul ſauuage.*

Nomina.

Xyris, ob folii ſimilitudinem, quaſi raſorium cultrum diceres, duplex eſt: alia vulgaris, alia maritima. Xyris dicitur Matthiolo, Dodo. gal. Cordo in Dioſcor. & hiſtor. Turn. Lacun. Geſner. hor. Lobel. (cui & Iris agria Theophraſti) Caſtor. Lugdun. Camer. Spatula fœtida, Trag. (cui & Gladiolus Italicus) Fuchſ. Spatula fœtida. Geſn. hor. Dodon. fol. Cluſ. hiſt. Hiſpan. Lonic. Taber. Camer. Cæſalpino. Huius radices pro ratione ætatis variant, dum enim adhuc iuuenca eſt, radicem habet fibroſam: adultior reddita, craſſiam, vt noſtra figura exprimit.

## Ἄγχουσα. ANCHVSA. CAP. XXIII.

ANchuſa, quæ alio nomine calyx, aut onoclea appellatur, folia habet lactucæ, a in acumen faſtigiata, hirſuta, aſpera, nigra, multa, ab radice quoquouerſum humi ſparſa, ſpinis horrida: radici craſſitudo digitalis, quæ æſtate prouenit, & manus inficit ſanguineo colore: læto ſolo naſcitur. Radix adſtringit: ad ambuſta, & vetera vlcera, b ex oleo & cera efficax eſt: igni ſacro cum polenta medetur: lepris, & vitiliginibus illinitur, ex aceto: partus extrahit, vuluæ indita. Eius decoctum renum vitiis, lieni, & bile ſuffuſis datur: & ſi febris ſit, ex aqua mulſa. Siſtunt aluum folia in vino pota. Radice pigmentarii vtuntur ad vnguentorum ſpiſſamenta. Eſt & altera, quam alii alcibiadion, aut onochiles appellarunt. Hæc à priore diſtat, quòd minora habeat folia, ſed ſimili modo aſpera: ramulos exiles, in quibus flos purpureus c in puniceum vergens conſpicitur: radices habet rubras, prælongas, quæ meſſibus ſanguineum ſuccum fundunt: d in ſabuloſis naſcitur. Vis ei foliiſque ineſt, quæ contra virus cùm reliquorum ſerpentium, tum maxime viperarum auxilietur, ſiue cibo, ſiue potu, ſiue alligatu: nam ſi quiſquam mandens, in ſerpentis os inſpuat, eum necabit. Eſt & alia huic haud diſſimilis, ſemine puniceo, minore. Cuius ſemen manducatum, ſi in ſerpentis fauces inſpuitur, eum interficiet. Radix acetabuli menſura cum hyſſopo, & naſturtio pota, latas ventris tineas excutit.

a Me. & Cat. ἢ ὀξυφυλλῳ ἐμφερῆ ... i. acutifoliæ ſimilia.

b διαφερόμενα κηρῷ ... i. cocta cum cera, & oleo, ita habet Meum.

c Orib. ἢ φοινικοῦν, i. vel puniceum.

d Orib. ... i. ... 

### ANCHVSA I.



### ANCHVSA II.



Tria

Anchuſarum conſid.

TRia ſunt Anchuſæ genera, quæ hic à Dioſcoride ſcribuntur: quanquam Plinio libr. 22. cap. 20. quartum quoque generi additur, quod pſeudoanchuſam ob id appellatam ait, quoniam primo aliarum generi quadantenus ſimilis eſt, hirſutior tamen hæc, lanuginoſior, & minus pinguis, folijs tenuioribus, & languidioribus. Sed hanc nuſquam equidem vidi, cùm tamen alias omnes locis compluribus in Italia inueniſſe me certò ſciam. Anchuſæ omne genus, in toto fere caule purpureos explicat flores à vulgari bugloſſo non longè diſsimiles, quamuis Anchuſis magis ſubrubentes, magiſq; expanſi ſpectentur.

Anchuſarum vires ex Gal.

ANCHVSA III.



Galenus inter Anchuſas Lycopſim quoque recenſet lib. 6. ſimpl. medic. vbi ita ſcriptum reliquit: Anchuſæ quadruplex ſpecies eſt. Quarum Onoclea quidē radicem habet admodum refrigerantem, & deſiccantem, tum adſtringentem, & ſubamaram, tum quæ ſufficiat extenuandis, & extergendis humoribus bilioſis, corporibuſq; condenſandis. Cæterùm folia habet imbecilliora quidem radice, adſtringunt tamē & ipſa, & deſiccāt. Porrò Lycopſis cognominata refrigerat, & deſiccat, magiſq; radix eius, quā Onoclea adſtringit. At Onochelos calidior eſt, & magis medicata: nam pluſculum habet & guſtu ipſo protinus acrimoniæ. Hac verò etiam calidior eſt parua, quæ & amarior, & magis etiam medicata eſt. Anchuſæ non omnes eaſdem vires obtinent. Nam Onoclea quam vocāt, radicem habet ſimul adſtringentem, & ſubamaram, corporibus condenſandis, & modicè extenuandis idoneam: tum abſtergēdis quoq;, & abluendis bilioſis, & ſalſis ſuccis: dictum enim ſuprà eſt, quòd qualitas acerba miſta amaritudini ea præſtare queat. Sic ſanè regio morbo, & lienoſis, & renum affectibus eſt vtilis. Sed & refrigerare idonea eſt: & ſanè cum polenta illita iuuat eryſipelata, & abſtergit non modò epota, ſed & foris impoſita. Proinde vitiligines, & lepras ſanat cum aceto. At radicis quidem hæc opera ſunt, & operum facultates, quas diximus. At folia ipſius herbæ radice quidē ſunt imbecilliora, non tamen aliena ſunt à reſiccatione, & adſtrictione. Itaque etiam profluuium ſanant pota cum vino. Et quæ Lycopſis nominatur eodem modo eryſipelatis congruit, & radicem habet quàm onoclea magis adſtringentem. At Onochili, & Alcibiadij cognominatæ vis magis eſt medicata. Nam & guſtu protinus maiorem habet acrimoniam, & eos qui à viperis morſi ſunt, admodum iuuat tum illita, tum ſuſpenſa, tum eſa. Reliqua verò, nempe quarta, quæ parua eſt, & ferè nomine caret ex illis ſola, Alcibiadio quidem perſimilis eſt: verùm & amarior, & magis medicamentoſa: ac proinde ad latos lumbricos idonea oxybaphi menſura cum hyſſopo, & naſturtio epota.

Nomina.

Quæ ἄγχουσα Græcè, Latinè pariter & Italicè Anchuſa vocatur: Germanicè, Rot Ochſenzung: Hiſpanicè, Soagem: Gallicè, Orchanette.

Anchuſa à florido radicis colore dicta, eius enim ſucco ſanguineo manus inficiūtur, quo ſanè ab Echio Bugloſſo & Lycopſide diſtinguuntur. I. Anchuſa prima, Matth. Lac. Caſt. Lugd. Bugloſſa rubra, Lon. II. Anchuſa puniceis floribus, C.B. Anchuſa ſecunda, Matth. Lac. Lugd. Bugloſſa rubea ſecunda, Lon. videtur Anchuſa parua Aduerſariorum, & Lobeli. III. Anchuſa maior lutea, C.B. Anchuſa tertia, Matth. Lac. Lugd. Cam. Anchuſa, Geſ. hor. Anchuſæ prima ſpecies, fortè Cordo in Dioſc. Anchuſa lutea, Aduer. Lob. Lug Bugloſſa rubra tertia, Lon. Anchuſa quarta ſiue Pſeudoanchuſa, Dod. fol. Anchuſa flore ex albido, Cluſ. hiſt. Pannonica. Floris enim color modò luteus, modò albus, modò ex albo palleſcens.

## Λύκοψις. LYCOPSIS. CAP. XXIIII.

Concluſa nō legit Orib.

LYcopſis, quæ & anchuſa à nonnullis vocatur, foliis eſt lactucæ, longioribus, aſperioribus, [latioribuſque,] craſſis, ad radicis caput recidentibus: caule longo, recto, ſcabro, hirſutis adnatis multis, cubitalibus: flore in iis paruo, purpuraſcente: radice rubra, & adſtringente: naſcitur in campeſtribus. Cum oleo radix illita, vulneribus medetur: & cum farina hordeacea, ignibus ſacris: ſudores peruncta mouet, adiecto oleo.

Lycopſis conſideratio.

Opinio reprobata.

EGo quoque vnà cum Ruellio, & Fuchſio viris doctiſsimis, crederem Lycopſin eam eſſe plantam, quam officinæ legitimi Cynogloſsi vice paſsim vſurpant, vocantq; Cynogloſſam, ſi tamen hæc radice rubra, non autem candida niteretur: ſi foliis vireſceret aſperis, non autem læuibus, ad terram recidentibus, non ſurſum ſpectantibus: ſi caule aſſurgeret ſcabro, non molli: ſi denique Plinius huic ſententiæ non prorſus refragaretur. Porrò cùm Plinium videam libro 27. cap. 11. de Lycopſi ſeorſum tractaſſe, & ſimiliter de hoc Cynogloſsi genere priuatim ſcripſiſſe lib. 25. ca. 8. cogor omnino, vt ingenuè dicam, ab illis diſſentire. Potius enim adducor, vt credam, Lycopſin herbam eſſe anchuſæ non abſimilem: quam ideò non temerè Galenus, & Aëtius eum ſecutus in anchuſarum genere retulerunt, vt ſuperiori commentatione diximus. Lycopſin, quam ego legitimam eſſe exiſtimo, vidi ſæpius in campeſtribus, ſitientibus, aridiſq; locis enatam, anchuſæ adeò ſimilem, vt vix ab ea diſcerni poſsit. Cæterùm quoniam in huius libri quarti progreſſu, Deo iuuante, nobis de Cynogloſſo differendum eſt ſuo proprio capite, idcirco diſputatio quodnam verum ſit Cynogloſſum, & nunquid illud eſſe poſsit, quo officinæ vulgò vtuntur, in illud tempus commodiùs differetur: Lycopſis, vt Plinius eſt author loco citato, foliis eſt longioribus, quàm lactucæ, craſſiori-

*aſfloribuſque: caule longo, hirſutis adnatis multis, cubitalibus: flore paruo purpureo: naſcitur in campeſtribus. Hæc herba Græcis λύκοψις, Latinis item Lycopſis, & Italis Lycopſide appellatur.* Nomina.

## Ἔχιον. ECHIVM. CAP. XXV.

Echion folia habet prælonga, aſpera, aliquantulum tenuia, Anchuſę proxima, minora tamen, ſubtuſa, & pinguia, ſpinulis tenuibus horridula: cauliculos exiles, numeroſos: minutaque vtroque latere folia expanſa, pinnataque, nigra, in ſummo caule proportione minora: flores ſecundum folia purpureos, in quibus ſemina capiti viperarum ſimilia inſunt: radix nigricat, digito tenuior. Quæ non percuſſis modò à ſerpentibus ex vino prodeſt: ſed eos qui antea biberint, feriri non patitur. Folia & ſemen idem præſtant munus. Lumborum dolores ſedat: in vino, aut ſorbitione ſumpta, † lac extrahit.

† Me. & Cæ. ἢ ῥοφήματος λαμβανόμενα. tātum habent.

I. ECHIVM.



*II. EHCIVM FLORE ALBO.*



*Echion a viperis omninò nomen adinuenit (vipera enim Græcis ἔχις dicitur) vel quòd ſemen proferat capitibus viperinus ſimile, vel quòd viperarum morſibus præſtantiſſimum ſit medicamentum. Hanc herbam ab Alcibio quodam fuiſſe inuentam author eſt Nicander in theriacis, & proinde à poſteris cognomine Alcibiacum appellatum. Is enim dum ſecus aream dormiret, a vipera in extremo inguine ictus eſt: excitatuſq; a ſomno, ex hac herba ſuccum commanducando palato & dentibus expreſſit, hauſitq; in corpus. Manſæ verò herbæ reliquum vulneri ſuperimpoſuit contra dolorem, quo medicamento liber euaſit. Vnde poſtea Echio nomen inditum eſt Alcibion, ab eo qui primus oſtenderat, quantum viribus polleret contra viperarum ictus. Numenius ſcriptor grauiſſimus duo Echij genera inueniri ſcriptum reliquit, quorum alterum Ocimoides appellari inquit, quod folia ocimo ſimilia habeat, alterum vero, quod folio eſt ſpinis horrido, priuatim Echion nominari. Id ſanè quod in theriacis ante ipſum ſcripſerat Nicander. Quibus videtur etiam Dioſcorides adſtipulari, quippe qui Echio ſtatim ſubiecerit Ocimaſtrum. His quoque ſubſcribit Plinius libro 25. cap. 9. ſic inquiens: Echios duûm eſt generum: altera folijs coronata, pulegio ſimilis: altera lanugine diſtinguitur ſpinoſa, cui & capitula viperæ ſimilia ſunt. Sed tamen ignoraſſe Plinium Alcibion, & Echium idem eſſe, ſatis manifeſtum eſt: ſiquidem is libr. 27. cap. 5. Alcibios, inquit, qualis eſſet herba, apud authores non comperi. Ex cuius verbis illud facile colligi poteſt, quòd ſcilicet Plinius non ſatis accuratè Nicandrum legerit. Cæterum non parua admiratio eum capiet, qui in Echio diligenter opus prudentiſſimæ naturæ perſpexerit, nempe quod ipſum genuit viperinis capitulis, vt ita apud homines, quorum potiſſimùm curam gerit, teſtatum relinqueret, eam herbam præſtantiſſimam eſſe ad huiuſcemodi lethalium ferarum morſus. Echium, quòd vbique fere proueniat, ſecus itinera, in agrorum marginibus, & ſicco, inculto & exoluto ſolo, aridis præſertim locis, ſæpe in Hetruria, in agro Tridentino, & Goritienſi vidimus, ſemenq; eius viperinum decerpſimus ad antidota. Herba eſt anchuſæ, quæ ſecundo loco Dioſcoridi redditur, non abſimilis. Vocant quidam ſylueſtre Bugloſſum. Flores profert hæc in rubeum purpuraſcentes inter minuta folia a medio caule ad ſummum: e quibus ſemen prodit nigrum, hirſutis, ſpinoſiſq; inuolucris inciſum, viperarum capitibus ſimile. Non inuenio Galenum vllam Echij mētionem feciſſe in libris, quos de ſimplicium medicamentorum facultatibus edidit. Paulus tamen eius vires deſcribit Dioſcoridem ſecutus lib. 7. vbi hæc refert: Echion, alij Doriada, nonnulli Alcibiadion vocant. Spinoſa herba eſt, quæ non modò a ſerpente commorſis cum vino pota auxiliatur, ſed præſumentes quoque ex ictu nihil moleſtum pati ſinit.*

Echii cognominatio. Plinii lapſus. Echii deſcript. Echii vires ex Paulo.

Quod

Nomina. *Quod ἔχιον Græci, Latini quoq; Echium dicunt: Itali, Echio: Germani,* Wild Ochſenzung: *Hiſpani, Yerua de la biuora: Galli, Bugloſſe ſauuage, vel, Langue de Bouc.*

Echii aliquot ſunt differentię, hic de vulgari. I. Echium vulgare, C.B. Echium, Matth. Geſ.hor. Lac. Dod.fol. Caſt. Lugd. Echium ſiue Alcibiacum, Dod.gal. Echium floribus purpurantibus rubellis, Lobel. Lycopſis, Cor. in Dioſc. Bugloſſum ſylueſtre, Lon. Anchuſa ſylu. Thal. Anchuſa maior, Cæſ. II. Echium flore albo Cam. in ſuo Matthiolo proponit, quod præcedente maius eſt & aſperius, & in multos ramos brachiatum: in montoſis arenoſis Germaniæ, & in horto Patauino legimus.

## ὠκιμοειδὲς. OCIMASTRVM. CAP. XXVI.

OCimoides, Latini Ocimaſtrum vocant, folia fert ocimi, & ramos dodrantales, hirſutos: ſiliquas hyoſcyamo ſimiles, ſemine, vt Gith, nigro prægnãtes. Vim habet ſemen in vino potum, qua viperarum, cæterorumq; ſerpentium morſibus medeatur. Datur iſchiadicis, cum melle, vino, myrrha, & pipere. Radice nititur tenui, & ſuperuacua.

I. OCIMASTRVM, SIVE Ocimoides.



*II. LYCHNIS SYL. alba multiflora.*



Ocimaſtri conſideratio. *OCimaſtrum, ſiue ſylueſtre Ocimum idipſum nobis appellare liceat, paſſim copioſè naſcitur in Italia, præſertim inter ſegetes, prope ſepta, & in agrorum marginibus, foliis ſanè ſatiuo ſimilibus: ramulis hirſutis, quadratis, dodrantali, vel cubitali longitudine: in quorum ſummo flores emicant candidi, quandoq; verò purpurei, id quod ſilentio præteriit Dioſcorides: è quibus vaſcula erumpunt hyoſcyami figura, capaci ventre, arctis faucibus, per ambitum denticulatis, viperinis capitibus ſimilia: in quibus ſemen includitur nigrum, melãthio fermè ſimile. Hæc vaſcula ita à natura facta pueri noſtrates colligunt, vbi exaruerint: ſiquidem cum ſemen exciderit, ij intus ſufflantes acutiſſima edant ſibila: ſic enim natura pueris interdum ludendi præbuit inſtrumenta. Meminit huius Nicander in theriacis inter echij genera, ſic inquiens: Echij genera duo. alterum ſpinoſo folio, anchuſæ ſimile: alterũ minoribus foliis, & purpureo flore, aſpero lanuginoſoq; caule, capitulis viperarum figura.* Ocimaſtri vires ex Gal. *Ocimaſtri vires tradidit Galenus in calce libri 8. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit: Ocimoides quidam Philitarium cognominant. Radix ſuperuacanea eſt. At ſemen tenuium partium, & deſiccantis citra mordacitatem facultatis eſt.* Nomina. *Herba Græcis ὠκιμοειδὲς, Latinis, Ocimoides, & Ocimaſtrum appellatur: Italis, Baſilico ſeluatico: Hiſpanis, Albahaqua monteſina: Gallis, Baſilic ſauuage.*

I. Lychnis ſylueſtris alba, quæ Saponaria hirſuta Italis, C.B. Ocimaſtrum ſiue Ocimoides, Matth. Lon. Taber. Ocimoides. Geſ.hor. Lac. Caſt. Cam. Ocimoides maius, Lugd. Cæſa. Roſæ marianæ ſimilis quinta, Trag. Lychnis ſylueſtris alba, Dod.gal. Geſ.hor. Cam. Baſilicum ſylueſtre, Caſtori. II. Lychnis ſylueſt. alba multiflora, C.B. Lychnis ſylueſtris flore multiplici, Dod.fol. Lychnis albus ſylueſtris, Lob. in icon. Ocimaſtrum multiflorum, Tab. ab altera non differt præterquam floribus, qui multiplici foliorum textura conſtant.

ERINVS.

Ἔρινος. ERINVS. CAP. XXVII.

ERinus naſcitur apud fontes & fluuios, folijs ocimi, ſed minoribus, parte ſuperna diuiſis: ſurculis quinis, ſenisve, dodrantalibus: flore candido: ſemine nigro & acerbo: folia & caules a lacteo ſucco turgent. Semen drachmis duabus in quatuor mellis cyathis oblitum, oculorum fluxiones cohibet. Succus cum ſulphure, & nitro inſtillatus, aurium dolores ſedat.

a Caetera. [illegible] i. caulis & folia ſucco referta ſunt.

ERINVS.



*ETſi nonnulli Dioſcoridis codices habeantur, in quibus non legitur Erinum aliquo lacteo ſucco turgere, non deſunt tamen & in quibus planè oppoſitum ſcriptum inueniatur, quorum lectio mihi magis probanda videtur non infirmis, vt arbitror, nixus rationibus. Quippe quòd herbam hanc apud aquarum riuulos viderim, legerimq́ lacteo ſucco manantem, adeò vt eo manus inficeret. Quòd praeterea Plinio reddatur Erinus herba lactaria, ſeu lacte madens libr. 23. cap. 7. vbi de ea haec memoriae prodidit: Herba inquit, quam Graeci Erinon vocant, reddenda eſt in hoc loco propter gentilitatem. Palmo alta eſt, cauliculis quinis, ferè ocimi ſimilitudine, flos candidus: ſemen nigrum, paruum, quod tritũ cum melle Attico oculorum epiphoris medetur. Manat lacte multo & dulci. Herba perquàm vtilis aurium dolori, nitri exiguo addito. Folia reſiſtunt venenis: haec Plinius. Caeterùm Erini facultatis aduerſus venena non meminit Dioſcorides, quanquam Nicandro, vt quae ad id praeſtet, addatur in antidotis. Galenus hanc herbam non Erinum, ſed Echinon appellat: neq́ id ſanè mirum eſt, quandoquidem in vetuſtis aliquot Dioſcoridis codicibus Echinos legitur. De qua diſſerens ipſe Galenus libr. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquit: Echini herbae ſemen acerbum eſt: ac proinde repellentis, & exiccatoriae facultatis. Vtuntur eo ad oculorum, & narium fluxiones. Quae herba Graecè ἔρινος, Latinè Erinum & Ocimum aquaticum nominatur: Italicè Erino: Hiſpanicè Baſilgo delhagoa.*

Erini conſid. — ErinusPlinii. — Erini vires ex Galeno. — Nomina.

Erinus ſeu Ocimum aquaticum Matthioli, quem ſecutus Lacuna, Caſtor, Lonicerus & Lugdunenſis: quid ſit ignoramus: cum Guilandinum in eam rem conſuleremus, oſtendit nobis eam quam Hieracij Sabaudi nomine Lobelus propoſuit, ſed multò latioribus folijs erat.

I. GRAMEN.



Triticum repens

Ἄγρωστις. GRAMEN. CAP. XXVIII.

GRamen geniculatis ſerpit ramulis, à quibus radices ſpargit dulces, articulis praecinctas: folia acuminata, dura, & vt arundinis paruae lata, eaq; iumenta & boues paſcunt. Trita radix illitu vulnera conglutinat. Decoctum eius in potu, torminibus medetur, & vrinę difficultatibus: calculoſa etiam veſicae excrementa comminuit. Eſt & arundinaceum gramen, priore multò maius, quod iumenta necare traditur, praeſertim in Babylone: idq; iuxta vias naſcitur. Quod in Parnaſo monte gignitur, denſius fruticat: folijs hederaceis: flore odorato, candido: ſemine paruo, non inutili: radicibus quinis aut ſenis, digitali a craſſitudine, candidis, mollibus, & admodum dulcibus. Succus ſi in vino cum melle pari, & myrrhae dimidio decoquatur, adijcianturq; piperis, & thuris tertiae portiones, probatiſſimum erit oculorum medicamentum: id in aerea pyxide reconditur. Decoctũ radicis idem, quod herba praeſtat. Semen vehementius vrinam impellit: aluum vomitionesq; ſiſtit. Natum in Cilicia gramen, quod incolae Cinnam appellant, boues inflammat b ſi eo virenti ſaepe paſcantur.

a Meũ. γλυκείας ἰσχυρας i. dulces, validas. b ὑγρὰ βρωθεῖσα ἐμπίπρησι τοὺς βόας. i. humidũ in pabulo ſumptũ inflammat boues.

*PLura ac varia ſunt Graminis genera: ſiquidem praeter haec tria, quorum meminit Dioſcorides, alia quoq́ tria aculeati generis Plinio redduntur lib. 24. cap. 19. naturalis hiſtoriae, his verbis: Gramen ipſum, inquit, eſt inter herbas vulgatiſſimũ: geniculatis ſerpit internodijs, crebroq́ ab ijs, & ex cacumine nouas radices ſpargit. Folia eius in reliquo orbe in exilitatem faſtigiantur. In Parnaſo tantùm hederacea ſpecie denſius,*

Graminis hiſtoria ex Plin.

II. GRAMEN MANNAE.



III. GRAMEN ALTERVM.



* IV. CARYOPHYLLO ARVENſi Glabro ſimilis, ſed minor. *



Graminis vires ex Plin.

*denſius, quàm vſquam fruticante: flore odorato, candidoq́ue. Iumentis herba non alia gratior ſiue viridis, ſiue in fœno ſiccata. Tunditur aſperſa aqua. Succum quoq; eius in Parnaſo excipi tradunt propter vbertatem: dulcis enim hic eſt. In vicem eius in reliqua parte terrarum ſuccedit decoctum ad vulnera conglutinanda. Quod & ipſa herba tuſa præſtat illita, quæ tueturq́ue, & ab inflammationibus placat. Decocto adijcitur vinum ac mel, ab aliquibus & thuris, & piperis myrrhæq́ue, tertiæ portiones: rurſusq́; coquitur in æreo vaſe, ad dentium dolores & epiphoras. Radix decocta in vino torminibus medetur, & vrinæ difficultatibus, vlceribus veſicæ: calculos frangit. Semen vehementius vrinam impellit: aluum, vomitioneſq́; ſiſtit, priuatim autem draconum morſibus auxiliatur. Quod è graminum genere ſeptem internodia habet, efficaciſſimè capiti contra dolores adalligatur. Sunt qui & aculeatum gramen vocant trium generum, cum in cacumen aculei ſunt plurimùm quini, dactylon vocant. Hos conuolutos naribus inſerunt, extrahuntq́; ſanguinis ciendi gratia. Alterò quod eſt Aizoo ſimile, ad paronychia & pterygia vnguium, & cum caro vnguibus excreuerit, vtuntur cum axungia. Tertium genus, quod tenuius eſt, naſcitur in parietibus & tegulis. Huic cauſtica vis eſt. Siſtit vlcera, quæ ſerpunt. Gramen capiti circundatum, ſanguinis è naribus fluxiones ſiſtit: hæc Plinius de graminibus. Cæterùm hinc omnibus planè perſpicuum eſſe puto, Gramen, quod in Babylone, non gigni in Italia: quanquàm illud primum ac vulgatũ genus nobis paſſim in campis & incultis locis frequentiſſimum naſcatur. Neq; illud quoq; omnibus non cognitum & vulgare eſt, quod folijs ac radicibus extat alterius tenuioribus, caule geniculato prælongo, cui in cacumine caulium quini ſunt aculei, veluti digiti, quos pueri narib. inſerunt extrahuntq́; vt ſanguinem eliciant. Hanc herbam Hetruſci ab effectu vulgò appellant Sanguinella, alij Capriola. De qua latius in Coronopo diximus, vbi Leoniceni & Ruellij ſententiã reprobauimus, qui hanc & Coronopum Dioſc. vnam & eandẽ herbã eſſe aſſeruerunt. Verùm de Coronopo ſeparatim diſſeruit Plinius lib. 22. cap. 19. ſuæ naturalis hiſtoriæ. Poſtremã hanc in aliquib. Germaniæ locis ſeri ac coli in campis audio, nõ minori cura, quam cætera frugũ & leguminũ genera. Siquidẽ eius ſemine quod* MANNAM *appellant,*

Sanguinella.

Manna graminis.

*frequen-*

V. GRAMEN PARNASI.



* VI. MONOPHYLLON. *



VII. GRAMEN ACVLEATVM.



frequenter veſcuntur in cibis, quòd in iure pinguium carnium decoctum, non minorem cum palato ineat gratiam, quàm oriza, cui ego facilè præpoſuerim: eſt enim ſemen panico, milioq́ longè minus, album orizæ ferè modo: ſed in pila ipſum quoq́ tundere oportet, vt à ſuo reſiliat putamine. Semen oryzæ qualitates habet, quare mediocriter vētrem adſtringit. Semen ex pingui iure decoctum & illitum, mammarum duritias reſoluit. In cibis mediocriter alit. Eſt & alterum Gramen, quod floridum appellari poteſt, folijs & caulibus cæteris ſimilibus: floribus in ſummitatibus ſtellarum inſtar radiātibus candidisq́. Radice tenui minimè geniculata. Cæterùm GRAMEN quod in Parnaſo prouenit, ego Iacobo Antonio Cortuſo viro optimo acceptum refero, nam antea à me viſum non eſt. Gramen aculeatum folia, caules, radices primi graminis modo profert: in caulibus tamen ſingulis è folijs aculei peculiariter exeunt, triplici apice conſtantes, ac ſuis nixi pediculis, tribulorum terreſtrium inſtar. Prouenit inter rudera & in muris vetuſtate collapſis. Vires eaſdem habet, quibus pollet primum graminis genus. Sed iam Graminibus ſuas reddamus vires ex Galeno, qui de ijs agens lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ita ſcriptum reliquit: Graminis radix mediocriter frigida eſt & ſicca, mordacitatem quandam exiguam, & partium tenuitatem obtinens. At herba ipſa primo quidem exceſſu refrigerat, in humiditate verò, & ſiccitate moderata. Porrò ſemen alibi quidem imbecillum eſt, in Parnaſo verò deſiccatorium & tenuium partium & ſubacerbum. Gramen eſculentam habet radicem, vbi mollis fuerit, dulcem quidem inſtar aquæ, ſed acre quiddam exiguum, & ſubacerbum obtinentem. Hæc herba planè aquea guſtantibus eſt. Ex quibus apertum eſt, radicem modicè eſſe tum frigidam, tum ſiccam: ac proinde cruenta vlcera glutinare. At ipſa herba illita, non vehementer refrigerat, in medio conſtituta humiditatis & ſiccitatis. Porrò mordacitas & tenuitas, quæ radici ineſt, exigua eſt quidem, ſed interdum tamen lapides frangere aſſolet, ſi quis eam decoctam ebibat. At ſemen alterius quidem imbecillum eſt, eius verò quæ in Parnaſo naſcitur, vrinam ciet: & fluxus ventris & ſtomachi reſiccat: vis enim eius eſt exiccatoria, tenuium partium, & ſubacerba. Herba, quæ Græcis ἄγρωστις, Latinis Gramen appellatur:

Graminis vires ex Gal.

Nomina

*Arabibus Vagem, Negen ſeu Negien, Thel, Kel & Negil: Italis Gramigna: Germanis* Graſʒ: *Hiſpanis Grama & Gramenha; Gallis Dent de chien.*

Gramen à gradiendo dictum, infinitas differentias obtinet: in Phytopinace noſtro, etſi centum & viginti duas differentias propoſuerimus, plures tamen adhuc vniuerſalis hiſtoria noſtra exhibebit. I. Gramen pannicula criſpa, C.B. Gramen, Matth. Gramen vulgare, Lug. Gramen minimum Xerampelinum, Aduer. & Lob. Matthioli figuræ adiecimus panniculam adultam, quo glumorum criſpitudo rectius conſpiceretur. II. Gramen dactylon eſculentum, C.B. Gramen mannæ, Matth. Caſt. Tab. Camer. Gramen mannæ primum, Dod. fol. Lugd. Gramen mannæ eſculentum, Lob. Sanguinella, Matth. editione Italica. Capriola ac Sanguinaria, Ruellio. Coronopus Dioſcoridis, Lonicero. Gramen album ſeu hirſutum aliquibus Dens Canis, Geſ. hor. cui & Manna Polonorum: Gramen aculeatum Plinij primum, Thal. Graminis quoddam genus, quod in Germania ſeminis gratia ſeritur, Cæſalp. III. Caryophyllus aruenſis glaber flore maiore, C.B. Gramen alterum, Matth. Gramen, Fuchſ. Lac. Gramen à Fuchſio exhibitum, Geſ. hor. Gramen leucanthemum, Dodo. fol. Lugd. Thal. Gramen floridum maius, Tab. Gramen floridum, Cam. in Matth. Euphraſia gramen, Trag. Euphraſia maior, Lonic. Crateogonum, Dod. gal. Holoſteum Ruellij Lobel. Centunculus montanus, Cæſalpino. IV. Caryophyllo aruenſi glabro ſimilis, ſed minor, C.B. Hoc exigua eſt capillacea radice, ex qua cauliculus vnus vel alter tenuis, plus minus palmaris prodit qui mox in paruos ramulos brachiatur, qui copioſiſſimos & minutiſſimos floſculos albos, ſingulos ſingulis ramulis capillaribus inſidentes, ſuſtinent: folia habet pauca, oblonga, anguſta, alternatim ex geniculo prodeuntia. In montibus Euganeis prouenit. V. Gramen Parnaſi Matthioli, cuius figuram referunt Caſtor, Lugdunenſis, Tabernæmontanus, nil aliud eſt quàm Monophyllum malè pictum, quare altera Monophylli figura adpoſita. VI. Monophyllon, eò quod cum primo prodit vnico ſit folio, cum caulem acquirit gemino eſt, & vltra vnius anni ætatem, vt & cum baccas profert: rarius ternis folijs reperias. Vnifolium, Brunfel. Dod. gal. & fol. (cui & fortè Cyclaminos tertia Plinij.) Lugd. Caſt. Camer. Tab. Monophyllum, Lob. Thal. Henophyllum, Geſ. de hor. Cotyledon ſylueſtre, Trag. Cyclaminum vnico folio, Dalechampij in Dioſc. Bifolium primum, Lonicero. VII. Gramen aculeatum Matthioli, Caſtori, Lugdu. Hoc cum malè ab his pingeretur, veram eius figuram proponere voluimus, ex integra planta, quam Doctor Io. Neudorffer Noribergenſis Arimini collectam, vnà cum alijs obtulit.

## Σιδηρῖτις. SIDERITIS. CAP. XXIX.

a ἐν ὑποπέτροις χωρίοις i. in ſubpetroſis locis, ita omnia exemplaria.

a Meum φύλλα δ' ἐπὶ μόσχων μακρῶν, ὅμοια τοῖς τῆς πτερίδος, ἀκροσχιδῆ πολλὰ ἑκατέρωθεν. i. folia in pediculis lõgis, ſimilia folijs filicis, in ſũmo vtrinq; inciſuris diuiſa.

SIderitin aliqui Heracleam vocant: folia habet marrubij, ſed longiora, ſatis ad frondem quercus, aut ſaluiæ accedentia, minora tamen & aſpera: caules edit quadratos, dodrantem altos, aut etiam maiores, non iniucundi guſtus, aliquantumq; ſubadſtringentis: in quibus per interſtitia orbiculatæ vertebræ, vt in marrubio ſpectantur: & ſemen in eis nigrum: naſcitur in a petroſis. Illita folia, ſuapte vi vulnera ſine inflammationis periculo iungunt.

## Σιδηρῖτις ἑτέρα. SIDERITIS ALTERA. CAP. XXX.

a Me. τείχοις. i. parietibus.

† Or. μικρά. i. paruis.

b Vtrunque exẽp. καὶ ταύτης ἡ δύναμις ἐπιτιθεμένη, κολλητικὴ ἐναίμων καὶ νεοτρώτων. i. & huius vis eſt, vt impoſita, glutinet vulnera recẽtia & cruẽta.

ALtera Sideritis binûm cubitorum ramulis, exilibus a folio filicis, numeroſo, vtrinq; per oras diuiſo, pediculo longo, prodeuntibus è ſummo alarum ſinu ſurculis, longis, tenuibus: capitulo in cacumine orbiculato, aſpero: in quo ſemen continetur, quám betæ rotundius aliquantò ac durius. Huius vis foliorumq; ad vulnera præcipua eſt.

## Σιδηρῖτις τρίτη. SIDERITIS TERTIA. CAP. XXXI.

SIderitin aliam eſſe tradunt, quam Crateuas Heracleam vocat, in a macerijs & vineis naſcentem: folijs, ab vna radice multis, coriandro ſimilibus, † circa coliculos dodrantales, læues, teneros, ſubcandidos atq; ſubrubicundos: flore puniceo paruo, guſtanti amaro & lento. b Huius ea vis eſt, vt quamuis recepti vulneri impoſita, ſanguinem ſupprimat.

Sideritis conſideratio & genera.

*TRia Sideritis genera præter Achilleam, de qua ſequenti capite dicetur, hic à Dioſcoride repræſentari conſtat. Quorum etſi illam, quæ ſecundo loco deſcribitur, antea in noſtris Italicis commentarijs me nunquam inueniſſe ac vidiſſe tradiderim, eam tamen hoc anno Piſis ad me miſit Lucas Ghinus Forocornelienſis, vir rei medicæ peritiſſimus. Reliqua verò genera iamdiu nouiſſe nos putamus, quòd ea omnibus notis ſuam quæq; hiſtoriam ſequi deprehenderimus. Cæterùm nemini mirum ſit, quòd tam varia effigie primæ Sideritidis folia reddiderit Dioſcorides, vt qui ea modò marrubij, modò quercus, modò ſaluiæ figura depingat. Quippe eorum longitudo ſaluiæ accepta referatur oportet: ſcabrities deinde ſuperficietenus, ac ſubalbidus color tum eidem ſaluiæ, tum marrubio: quercui poſtremò, quæ in ambitu eſt diuiſura. Talis profectò mihi eſſe videtur, quam nos primo ſtatim loco expreſſimus. Quippe omnibus notis primam refert Sideritim, nec aliud quidpiam obſtare videtur, quàm quod ea frequentius naſcatur humidis quàm ſiccis locis, quanquam ſæpe eandem virentem in locis quoq; ſiccis inuenimus. Id itaq; tantùm in cauſa eſt, vt hanc non auſim omnino legitimam facere Sideritim, & præſertim cum aliam nunc repererim plantam in Viennenſi agro, ac in alijs Auſtriæ locis, arido in ſolo, quæ Sideritim primam perbellè refert.*

Siderit. ſecundæ deſcript.

*Exit enim hæc quadrato caule, ipſoq; dodrantali aut maiori, ramoſoq;: folijs Marrubio longioribus, & ad ſaluiæ faciem accedentibus, criſpis & albicantibus, & per ambitum laciniatis: ſapore haud ingrato: Floribus verticillatim in caule & ramis prodeuntibus, Marrubij modo, vt ex appicta hic imagine, quis certior fieri poterit. Eadem illi ſunt vires quas primo Sideritis generi tribuit Dioſcorides & Galenus. Sed ea mihi quidem nihil prorſus primæ Sideriti adſtipulari videtur, cuius imaginem expreſſit Fuchſius in ſuo de ſtirpium hiſtoria commentario. Siquidem perſpicuum eſt, quod eius*

Fuchſij Sideritis.

*pictura*

I. SIDERITIS I. HERACLEA.



II. SIDERITIS. II.



* III. SIDERITIS VVLGA-ris hirſuta. *



IV. SIDERITIS. III.



*pictura non ſolùm non præ ſe fert folia, & caules, quæ Sideritim veram referant: ſed etiam flores eius ſpicati in c[illegible]ine, non in caulibus inter folia marrubij modo, planè veræ Sideriti refragari conſpiciuntur. Ruellius porrò Sideritim hanc nonnullis herbam Iudaicam appellari tradit. Verum ſi is Iudaicam illam intelligit, cuius lib. 2. meminit Auicenna, nullo modo er-* Herba Iudaica.

V. SIDERITIS IIII.



VI. VIRGA AVREA.



* VII. VIRGA AVREA LATIfolia ſerrata. *



Auicen. herba Iudaica.

*do erroris culpa vacare poteſt. Nam Auicennæ Iudaica herba nil ſanè aliud deſignat, quàm eruum. Sunt tamen aliqui, qui herbam Iudaicam, itemq; Paganam eam nominant, quæ herbarijs & medicis quibuſdam* VIRGA *aurea dicitur, caule rubente, bicubitali, læui, folijs oliuæ latioribus, circum minutiſsimè ſerratis, in ſuperficie læuibus: floribus in ſummitate caulium ſpicatis, colore aureo, flores ij, vbi maturuerint, flaueſcentes in pappos abeunt. Naſcitur in collibus, in agrorum marginibus & vineis. Subamara eſt, abſterſoriæ facultatis ac glutinatoriæ. Hanc chirurgi in Germania, alijs quibuſdam additis, ijs fæliciter potandam exhibent, quibus intrinſecus inflicta ſunt vulnera & ad fiſtulas. Quinetiam eam in vnguenta, quæ ad id conficiuntur, vtiliter addunt: nam vt ipſi referunt, glutinandis vulneribus tam intrò in corpus ſumpta, quàm exterius illita, efficax admodum eſt medicamentum. Extulit hanc Arnaldus inter recentiores clariſsimus author: ad vrinam ciendam comminuendosq; calculos: quod tamen apud alium ſcriptorem hactenus mihi non licuit reperire. Pota hæc alui fluxiones cohibet, id quod etiam præſtat clyſteribus infuſa. Eius decocto ſanantur fotu oris vlcera, firmanturq; dentes. Idem gargarizatu anginam, & columellæ inflammationem arcet, & faucium morbis medetur. Veruntamen hæc, vt ad inſtitutum noſtrum redeamus, non erit Sideritis primi generis, vt fortaſſe Ruellius exiſtimauit. Sunt quoq; qui Italicam Pimpinellam tertiam faciant Sideritim, quibus ego haud adſtipulari poſſum: quippe quòd illi folia coriandri non ſint, nec eadem circa caules oriantur, ſed pinnata, è longo vtrinq; pediculo exeant. Item quod caules præduros gerat, non teneros, ac etiam quòd flores, capitulaq; nec amaro, nec lento guſtu habeantur, ſed adſtringenti & auſtero. Sideritidis vires memoriæ prodidit Galenus libr. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcriptum reliquit: Sideritis habet quidem etiam abſtergendi quandam facultatem: ſed plurima eius pars humida eſt, & mediocriter frigida: paucula verò ineſt adſtrictio: quare phlegmonem ſedat & glutinat. Hæc Galenus, de vna tantum Sideritide ſcribens. Sed cum ex tribus meminerit, non facile eſt decernere.* Σιδηρῖτις *ſic Græcè, vt etiam Sideritis Latinè vocatur: Arabicè Sidrahur. Italicè Siderite.*

Virgæ aureæ facies & vires.

Pimpinel. Italica.

Sideritidis vires ex Gal.

Nomina.

Sideritis (à ferro dicta ob vim vulnera glutinantem) triplex Dioſcoridi. Plinius ſub Achillea ſex ſpecies recenſuit: plures agnoſcimus differentias. I. Marrubium paluſtre, C. B. Sideritis prima, Matth. Lac. Caſt. Lugdun. Cam. Sideritis prima ſecundum Matthiolum, Geſ. hor. cui & Lancea Chriſti aliquorum: Sideritis ſecunda, Lonic. Marrubium aquaticum Trago, Dod. fol. Lob. Lugd. Thal. Marrubium paluſtre, Dod. gal. Lon. Verbenæ alterum genus, Cæſalp. Hoc in paluſtribus prouenit, at Dioſcorides ſuam ſideritidem in petroſis naſci docet. Huius in Auſtria altera eſt ſpecies, quæ altius multò exſurgit, folia habet magis inciſa & aſpera, hirſutiora, ac odoratiora, quam à Doctore Nicolao Agerio Argentinenſe, materiæ Medicæ ſtudioſiſsimo & doctiſsimo, vnà cum aliis accepimus, vt plenius in noſtra hiſtoria. II. Sideritis ſecunda Matthioli & Caſtori, videtur ex Cannabinis ſpuriis eſſe: verùm cum Sideritide, aruenſi glabra flore pallido tantum ſimilitudinis habet, ita vt eam eſſe alicui facile conceſſerim. III. Sideritis vulgaris hirſuta, C.B. hanc adiecimus cum eam Camerarius in ſuo Matthiolo ſecundam cenſeat, & eſt Sideritis prima, Fuch. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Turn. Lug. Heraclea, Cord. in hiſt. Sideritis quarta, Lon. Sideritis ſiue Ferruminatrix. Aduer. & Lob. Sideritis vulgaris, Cam. Tetrahit & Herba Iudaica, Lugdunenſi. IV. Sideritis tertia. Matthioli Camer. Lugdu. Caſtor. Sideritis altera, Lac. Taber. Sideritis prima. Lonicero. Videri poſſet propter folia inferiora Tanacetum inodorum eſſe, at Ruta canina Lobeli hac figura proponitur, ſed pictoris incuria minus rectè expreſſa, quæ licet apud nos prouenıat, nuper tamen à Nobiliſsimo Cortuſo Sideritidis tertiæ nomine accepimus. dicitur Galeopſis tertia, Dod. gal. Ruta canina, Lugd. Taber. Scrofulariæ ſimilis planta maior, & Sideritis ſecunda Dioſcoridis, Cæſalpino. V. Sideritis quarta, Matth. Lugd. Sideritis tertia, Caſt. Taber. Hac figura videtur voluiſſe Geranium aliquod exprimere quoad folia, maximè cum Geranium Ropertianũ Sideritidis nomine donetur: at flores non Geranio ſed Alchimillæ conueniunt. VI. Virga aurea, quæ & Solidago, ſeu Conſolida à viribus nominatur, alia eſt latifolia, alia anguſtifolia, ſerrata & non ſerrata, Matthiolus ſuam foliis dicit ſerratis, at pingit non ſerratis, quare vtramque adpoſuimus. Virga aurea non ſerrata, C. B. Virga aurea, Matth. (quo ad iconem) Dod. gal. & fol. Lon. Caſt. Lugd. Virga aurea foliis non ſerratis, Cam. in Matth. Aurea virga Villanouani, Lob. Virgæ aureæ alterum genus, Cæſal. Virga aurea Broccenburgenſis Thal. Symphytum petræum tertium, Taber. Leucographis Plinii, Anguillaræ. VII. Virga aurea latifolia ſerrata, C. B. Virga aurea, Matth. quod ad deſcriptionem. Cam. in Matth. Cæſal. Thal. Virga aurea altera ſerrato folio, Lobel. Virga aurea margine crenato, Dod. fol. Virga aurea ſerratis foliis Taber. Virga aurea altera, Lugdunenſi.

## Ἀχίλλειος. ACHILLEA. CAP. XXXII.

ACHILLEA, quibuſdam Achillea ſideritis, dodrantales, aut maiores gerit ſcapos a, fuſorum effigie minutuli, foliis circundatos, ex obliquo crebras inciſuras habentibus, coriandri ſimilitudine, † ſubfuluo colore, lentis odore multo, non inſuaui, verùm medicato: vmbella in cacumine rotunda: floribus candidis, purpureis, & aurum æmulantibus prouenit læto ſolo. Trita coma ſanguinolenta glutinat, & ab inflammationum periculo tuetur: erumpentem ſanguinem inhibet, & cruenta vuluæ profluuia in vellere. Decocto quoque inſident fœminæ fluxione vuluæ laborantes: ad dyſenteriam bibitur. b

a Meum ἀτακτοειδῆ i. inordinatos.

†Orib. addit. ὑπόπικρα. i. ſubamaris.

b Cat. add. καὶ Κρατεύας εἰς τὸ αὐτὸ προειρημένα πάντα, καὶ ὠμὴ κοπεῖσα μετὰ ἀξουγγίου παλαιοῦ τὰ παλαιὰ τῶν ἑλκῶν, καὶ δυσεπούλωτα θεραπεύει. ξηρὰ δὲ κοπεῖσα καὶ μέλιτι μιγνεῖσα ἐστὶν ἀνακαθαρτική. i. Et Crateuas affirmat hæc omnia, quodq; tota contuſa cum axungia veteri, antiqua vlcera, quæ difficulter cicatricem admittunt, ſanat, quodq; arida contuſa, & cum melle miſta vlcera purgat.

ACHILLEA.



Achilleæ cõſideratio.

*QVi vulgaris vſus Milleſolium Achilleam eſſe exiſtimant, haud dubiè, mea quidem ſententia, decipiuntur. Siquidem id (vt infra latius dicemus de Stratiote milleſolio differentes) folia non profert crebris ex obliquo ſectionibus, coriandri ſimilitudine, ſed auicularum pennas æmulantia. Porrò tametſi conſtet, Milleſolium vmbella coronari modò alba, modò purpurea, modò aurea; non tamen propterea colligendum eſt Milleſolium, & Achilleam vnam & eandem herbam eſſe. Quandoquidem non putauerim ego fuiſſe Dioſcoridis inſtitutum (vt Ruellio placet) quòd hæc Achillea vmbellam ferat candidam, illa verò purpuream, alia denique auream: ſed quòd omnibus in vniuerſum Achilleæ plantis eadem inſit vmbella, quæ tantùm prædictis coloribus diſtincta ſpectetur. Naſcitur in Hetruria planta, naſcitur in Goritienſi agro, ſcapis ferè cubitalibus: foliis coriandri proximis, odore quadantenus grati, non tamen ingrato: vmbella in cacumine rotunda, amplaque, colore in purpura candicante, punctis quibuſdam aureis depicta, quam ſemper putaui eſſe legitimam Achilleam. Atque in hac perſiſtam ſententia, donec quis certiorem plantam protulerit: quòd hæc mihi planè omnibus notis Achilleam Dioſcoridis repræſentare videatur. Cæterùm in hunc fortè errorem, vt crederent noſtrum milleſolium eſſe Achilleam, illos deduxit Plinius, qui lib. 25. capite 5. Achilleam Latinis milleſolium vocari tradidit. Veruntamen is, quantum videre eſt, eo in loco non Achilleam hanc deſcribit, ſed eam omnino plantam, quam Dioſcorides myriophyl-*

Multorum error.

*lum appellat. Quare paulò pòſt hæc verba ſubiunxit. Sed alij inquit, fatentur veram Achilleam eſſe ſcapo cæruleo, pedali, ſine ramis, ex omni parte ſingulis folijs rotundis eleganter veſtitam. Ex quibus verbis liquidò apparet dubitaſſe Plinium, qualis legitima eſſet Achillea: & ideo ita indeterminatè locutum fuiſſe, vt nihil in eo perpetuum ſtatui poſſit. Serapio, authoritate Conſtantini, Achilleam, quòd (vt ipſe ait, licet falsò) rubeum ſuccum fundat, Sanguinem Draconis appellat: ſed fortaſſe hic interpretis lapſus ſuus factus eſt. Siquidem ſuccum rubeum fundere Achilleam non tradidit Dioſcorides: neque etiam (vt omnes compertum habent) lacryma, quam officinæ Sanguinem Draconis appellant, herbæ ſuccus eſt, ſed Arabicæ cuiuſdam magnæ arboris gummi, vel, vt aliqui volunt, draconis animalis eſt ſanguis ab elephante colliſi. Cuius loco illius plurimum vendunt impoſtores, quem hirci ſanguine cum reſina quauis, ſorbis ſiccis, alijſq; nonnullis adulterant, & in rotundas placentas conformant. Achilleæ meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic de eius viribus ſcribens. Quidam etiam vocant Achilleam ſideritim, quæ propoſitæ quidem, quod ad iam dictæ attinet, viribus non eſt diſſimilibus: cæterùm adſtrictione exuperat: quare ad ſanguinis eruptiones, dyſenterias, & muliebre profluuium congruit. Planta Græcis ἀχίλλειος, Latinis pariter & Italis Achillea vocatur: Arabibus Sichritis & Egilos: eius verò ſuccus Demalochotten.*

Sanguis draconis.

Achilleæ vires ex Gal.

Nomina.

Achillea, Matth. Cord. in Dioſc. & hiſt. Lacu. Taber. Thal. Caſtor. Cæſal. Achillea ſideritis, Lugd. Millefolium nobile & ſtratiotes vera, Tra. Geſ. hor. cui & Stratiotes: Tanacetum minus, Dod. gal. & fol. Lob. Lugd. Stratiotes millefolium Matthiolo in tertia & etiam poſtrema editione. Scopa regia Plinii, Dalechampio in Plinium.

## Βάτος. RVBVS. CAP. XXXIII.

I. RVBVS.



RVbus notitiæ vulgaris. Vim habet ſiccandi, & adſtringendi: capillum tingit. Ramorum decoctum, potu aluum ſiſtit, & fœminarum profluuia: præſteris morſui accommodatiſſimum. Gingiuas firmant, & oris vitiis medentur folia commanducata: cohibent vlcera quæ ſerpunt: vlceribus in capite manantibus, oculiſq; procidentibus, remedio ſunt: condylomatis, & hæmorrhoidibus folia illinuntur: cardiacis, & ſtomachi doloribus, trita conuenienter imponuntur. Caules cum foliis tunduntur, exprimiturq; ſuccus, mox ſole cogitur, ſingulari remedio contra omnia, quæ modò dicta ſunt. Mori in rubo naſcentis, quàm optimè maturi ſuccus, ad oris medicamenta conuenit. Siſtitur aluus a præmaturi cibo, nec non flore in vino poto.

a Meum μέσος πέπειρος. i. media maturitate.

## Βάτος ἰδαία. RVBVS IDAEVS. CAP. XXXIIII.

IDæus Rubus appellatus eſt, quoniam copioſus in Ida prouenit. Eſt autem longè tenerior priore, ac minoribus ſpinis horrens: quanquam & ſine ſpinis inueniatur. Inſuper eadem præſtat, quæ ſupra dictus. Cæterùm flos cum melle oculorum collectionibus illinitur: ignem ſacrum extinguit, ſtomachiciſq; ex aqua bibendus datur.

Ruborum conſideratio.

*RVbi vulgaris plantæ, plura apud nos reperiuntur genera: quod etiam teſtatum reliquit Theophraſtus libro 3. cap. 18. de plantarum hiſtoria. Alius namq; arboris inſtar craſſeſcens, in altum attollitur: alius ſepibus frutetiſq; implicatur: alius humi ſerpit, radicaturq; graminis modo, quem ideo humirubum appellant: alius deniq; alijs modis in ſyluis, & montibus vagatur. Cæterùm qui paſſim in ſepibus, dumetis & frutetis naſcitur rubus, virgas edit quadrangulas, ſubrubentes, obſequioſas, aduncis, minantibuſq; aculeis vbique refertas. E ramis pediculi prodeunt aculeati, è quibus terna dependent folia, aſpera, & in acutum deſinentia, fragariæ herbæ haud diſſimilia: prominente altera parte dorſo, aduncis & minoribus ſpinis armato: flores profert in ramuſculorum ſummis partibus racemoſos, albicanteſq;, è quibus mora oriuntur. Radix illi eſt longa, & longo tractu repens, graminis modo. At* IDAEVS RVBVS, *etſi ab Ida monte denominari cœperit, quòd ibi copioſiſſimus fortaſſe habeatur, naſcitur tamen in alijs etiam montibus. Nam in Bohemia non ſolùm habetur in montibus vbi ſponte eum frequentiſſimum adeo reperies, vt montes quidam eo ſolo ſylueſcant, ſed etiam in hortis translatum videas. Eſt itaq; altero longè elegantior. Siquidem latiora, molliorаq; profert folia, virgas rotundas, fragiles: ſpinis nullis, aut omnino raris. Flores edit albos vulgaris rubi æmulos, quemadmodum & fructus, qui facie rubi mora imitatur: intercedente tamen coloris ac ſaporis differentia. Quippe is tenerior eſt: ſapore ſubdulci pariter ac ſubadſtringenti, & quadam cum inſipiditate iucundus. Color quoq; illi eſt perpetuò rubicundus, nunquam nigreſcens, & in ſuperficie ſubalbicans, ac ſi eſſet rore frigido perfuſus. Ananienſes, & Tridentini hos fructus Ampomele vulgò vocant, iiſque fragorum vice veſcuntur. His autem fructibus Vrſi maximè delectantur, qui hac de cauſa, eo potiſſimum tempore, quo matureſcunt, à venatoribus captantur. Sunt & paſtorum cibus, qui in montibus ouium caprarumq; greges cuſtodiunt. Fuchſius rubi mora (vt libro primo in liguſtri mentione diximus) vaccinia eſſe putat. Sed quare ab eo diſſentiam, ibidem diffuſius oſtendi, quòd ſcilicet vaccinia flores, non fructus eſſe exiſtimem. Rubi vires deſcripſit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Rubi folia, germina*

Rubus Idæus.

Rubi Idæi hiſto. Matthio.

Ampomelæ.

*flos,*

II. RVBVS IDAEVS.



HELXINE CISSAMPELOS.



*flos, fructus, & radix qualitate adſtringente participant, eaq́; non obſcura. Sed hoc inter ſe differunt, quòd folia, mollia potiſsimum & recens nata, plurimum in ſe habent ſubſtantiæ aqueæ, parum verò adſtrictionis: eadem ratione & germina. Itaque ſi mandantur, aphthas, & alia oris vlcera ſanant: quin & alia vulnera glutinare valent. Eſt enim eorum temperies, & ex terrea frigida eſſentia, & aquea tepida. At fructus ſi quidem maturus fuerit, non parum habet ſucci calidi temperati, qui dulcis eſt, vti monſtrauimus. Proinde ob hoc, & propter modicam adſtrictionem, eſui non inſuauis eſt, at immaturus à frigida ſubſtantia terrea vincitur & propterea acerbus eſt, & valde exiccatorius. Et ſane vterq́; ſiccatus reconditur, validius quàm recens deſiccans. Sed & flos eandem fructui immaturo facultatem poſsidet: vtraque ad dyſenterias, & ventris profluuium, tum robur deperditum, & ſanguinis expuitiones idonea remedia. Porrò radix præter adſtrictionem non paucam in ſe habet ſubſtantiam tenuem, propter quam & lapides renum comminuit. Hæc planta Græcis βάτος appellatur: Latinis Rubus: Mauritanis Buleich, ſeu Haleich: Italis Rouo: Germanis* Bramen oder Cratz: *Hiſpanis Craza: Gallis Ronce. Eius verò fructus Græcè βατίνα & βατινία dicuntur: Latinè Mora rubi: Italicè More di rouo: Germanicè* Brambeer vnd Kratzbeer: *Rubus Idæus Græcis βάτος ἰδαία: Italis Rouo montano.* Nomina.

Rubi variæ ſunt ſpecies, aliæ enim in altum creſcũt, aliæ humiles ſunt, aliæ ſe arboribus circumuoluunt, aliæ per terram repunt. I. Rubus vulgaris, C. B. Geſ. hor. Thal. Rubus, Matth. Brunſ. Fuch. Turn. Dod. gal. & fol. Lac. Lob. Anguil. Lon. Caſt. Lugd. Cæſal. Rubus grandis, Trag. Rubus primus, Cordo in Dioſc. Rubus aruenſis, Tab. II. Rubus Idæus, Spinoſus eſt & non ſpinoſus, fructu item rubro & candido. Rubus Idæus ſpinoſus, C. B. Lugd. Rubus Idæus, Matt. Trag. Cor. in Dioſ. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Anguil. Lob. Tur. Lon. Rubus Idæus maior, Lacunæ, quoad deſcriptionem. Rubus tertius Cæſalpino.

## ἑλξίνη. HELXINE. CAP. XXXV.

HElxine cognomento ciſſampelos, foliis eſt hederæ: minoribus: ramulis [a] exilibus, quibus cõplectitur quodcunque contigerit adminiculum. Naſcitur in ſepibus, vinetis, & ſegetibus. Foliorum ſuccus potu deiicit aluum.

[a] Meum μακρὰ. i. longa atque eodem modo habet Cæteraz. ſub nomine ἑλξίνη.

*NVlli certè dubium eſſe putauerim, quin Helxine cognomine Ciſſampelos, quaſi hederaceam vitem dixeris ſpecies ſit Conuoluuli. Sed quæ ea ſit, non facilè explicari poteſt. Verum cum eam reddiderit Dioſcorides, folijs hederæ ſimilibus, minoribus tamen: ramulis exiguis, quibus quodcunque contigerit, complectatur: Flores edens albos, cui tamen purpura perfuſos, calathi figura, è quibus ſemen oritur nigrum, naſcaturq́; in ſepibus, vineis & ſegetibus, ſatis mihi declaraſſe videtur, eam eſſe Helxinen, quæ quidem in aruis tum ſegetes ipſas, tum linum, tum legumina omnia irretit ac vincit, & in vinetis, palis & vitibus circumuoluitur. Hanc Hetruſcum vulgus ſuo idiomate nominat Vilucchio minore, Tridentinis verò Minutola dicitur. Quanquam non deſunt, qui putent Helxinem eam eſſe herbam, quæ crebra reuolutione ſepta, & vicinos implicat frutices, flores illos candidos æſtate oſtentans, quos noſtri vulgò appellant Campanelle. Hanc Plinius conuoluulũ vocat lib. 21. cap. 5. vbi eam his verbis depingit. Eſt, inquit, flos non diſsimilis lilio in herba, quem conuoluulum vocant, naſcens per fruteta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac veluti naturæ rudimentum lilia facere condiſcentis. Sunt qui aberrantes, hanc herbam, & eius florem liguſtrum vocent: in qua appellatione deceptus fuit Seruius grammaticus. Hunc errorem exploſimus libro primo, vbi veri Liguſtri mentionem fecimus. Helxinen perpaucis perſtrinxit Galenus libro ſexto ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Helxine, quæ & Ciſſampelos nuncupatur, digerendi facultatem habet. Ea Græce nomi-*

Helxinis conſideratio.

Quorundam opinio.

Helxinis vires ex Gal.

Nomina. *co nomine ἑλξίνη κισσάμπελος: Latino item Helxine ciſſampelos: Arabico, Acſin: Italico Vilucchio minore: Germanus Mittelwind: Hiſpanico Campanela yerua.*

Conuoluulus minor aruenſis, C. B. Helxine Ciſſampelos, Matth. Fuch. Caſt. Lugd. Cam. Helxine hederacea, Lac. Helxine ſpecies altera, Geſ. de hor. Helxine in ſegetibus, Cord. in Dioſc. Smilax læuis alba minor, Dod. gal. Smilax læuis minor, Dod. fol. Volubilis minor, Trag. Lon. Thal. Volubilis aruenſis, Tab. Conuoluulus, Turn. Conuoluulus maior, Geſ. de hor. Cæſ. Conuoluulus minor purpureus, Lob. Scammonium primum Plinii, Anguil. Cammerario.

## Ἐλατίνη. ELATINE. CAP. XXXVI.

ELatine folia habet helxinæ ſimilia, minora, rotundiora, piloſa: tenuibus, & dodrantalibus ramulis, quinis, ſenisve, à radice folioſis, guſtu adſtringentibus: naſcitur in ſegetibus, & cultis. Oculorum fluxionibus, & inflammationibus auxiliatur, foliis cum polenta tritis & impoſitis. Eadem cocta ſorbitionis vſu a dyſenteriam ſiſtit.

a Meum κοιλίαν χ. i. ventrem, &

I. ELATINE.



II. NVMMVLARIA.



Elatines conſideratio. *SVnt qui velint Elatinen eam eſſe plantam, quam quidam Nummulariam vocant. Alij verò non hanc volunt, ſed eam quam nos vulgò vocamus Sorbaſtrella, Officinæ Pimpinellam, & alij quidem Sanguiſorbam dicunt. Sed mihi quidem, vt dicam quod ſentio, neutrorum placet opinio. Siquidem nummularia inprimis non fert folia piloſa, neque in ſegetibus, neque incultis prouenit, ſed plerumque in ſcrobium marginibus, præſertim vligine madentibus. Deinde Pimpinella vocata ramulis exit longè pluribus, quàm ſenis in terram procumbentibus, & folia habet vndique in ambitu laciniata, aſteriſci modo.* Rapiſtrum. *Ruellius porrò Elatinen in Gallia vulgò Rapiſtrum vocari ait, eoq́; vt rapo ſylueſtri in vernis acetarijs rura vti. Verùm ſi rapiſtrum id Hetruſcis eſt, quod Gallis, certò ſcio, Elatinen eſſe non poſſe. Quæ tamen quod naſcatur in Italia, nec negare quidem, nec affirmare auſim, cum hactenus plantam non viderim, quæ illam legitimè referat. Atqui veram elatinen, cuius hic imaginem damus, miſit ad me Patauio Iacobus Antonius Cortuſus, cui nihil deeſt quod deſiderari poßit.* Elatines vires ex Gal. *Galenus de Elatine quàm breuiſsimè diſſeruit libro 6. ſimplic. medic. ſic inquiens: Elatine modicè tum refrigerat tum adſtringit.* NVMMVLARIA*, ſerpit humi iunceis cauliculis, cubito longioribus, in quibus à radice ad ſummum breuibus interſtitijs vtrinque folia exeunt craßiuſcula, rotunda paruorum nummorum inſtar, vnde illi nomen: flores fert aureos ac ſpecioſos. Naſcitur in ſcrobium ripis, & vliginoſis aggeribus ſecus vias. Glutinandi, cohibendiq́; facultate prædita eſt. Herba ipſa illita, recentia vulnera glutinat. Idem præſtat eorum ſuccus. Præcipua autem vis eius eſt, ad puerorum enterocelas, cum illita, tum in puluerem hauſta.* Nomina. *Numularia ſiue Lunaria minor: Italis Lunaria minore. Huic nomen Græcum eſt ἐλατίνη: Latinum ſimiliter Elatine: Arabicum Athin.*

Elatine duplex eſt, rotundo, & acuminato, de quo nunc, folio, hæcque in agris hirſutior, in hortis glabrior. I. Elatine, Matth. Caſt. Lug. Thal. Cam. Elatine altera, Dod. fol. Lob. in icon. Tab. II. Nummularia duplex eſt, vulgaris, quæ luteo flore eſt & ratione loci, maiori vel minori eſt folio: altera verò parua

paruo purpureo flore, de qua in Hiſtoria vniuerſali. Dicitur Nummularia, Matthiolo (cui & Lunaria minor Trag. Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Anguil. Lobel. Caſt. Lugd. Cam. Cæſal. Thal. Serpentaria tertia, Bruntel. Centimorbia, Geſ. hor. Hirundinaria minor, Tab. cui & Nummularia minor.

## Εὐπατώριον. EVPATORIVM. CAP. XXXVII.

EVpatorium fruticoſa herba eſt, vnicum efferens caulem, lignoſum, nigricantem, rectum, tenuem, hirſutum, cubitalem, interdum ampliorem: foliis per interualla quinquefolii, aut cannabis potius ſimilibus, quinquepartitò, aut amplius diuiſis, nigricantibus & ipſis per ambitum ſerratis: ſemen medio caule erumpit, piloſum deorſum ſpectans, quod ſiccatum veſtibus inhæret. Contrita huius folia, & cum ſuillo adipe impoſita, vlceribus, quæ ægrè cicatricem trahunt, medentur. Herba, aut ſemen in vino potum, dyſenteria, iecinoris vitiis, & ſerpentium ictibus liberat. Nec deſunt, qui aberrantes argemonem hanc appellarint, cùm tamen longè alia ſit, vti expoſuimus.

I. EVPATORIVM.



II. EVPATORIVM VVLgare.



*SVmunt nonnulli, immo vniuerſa ferè ſeplaſiariorum turba, legitimi Eupatorij vice quandã aſpectu inſignem plantam, quæ plerunque in vliginoſis locis, & in ſcrobium marginibus enaſcitur, tricubitali longitudine, folijs cannabinis æmulis, minoribus tamen, ſubalbidis, hirſutis, & amaro guſtu, & odore medicato, haud inſuaui, caule ſubrubeo, rotundo. Huic flores in ſummitatibus in vmbellam exeunt, non tamen ſimul cohærentem, ſed diuulſam, origani vulgaris modo, colore in purpuram albicante, qui matureſcentes in pappos abeunt. Radix quæ in plures diuaricatur partes, illi inutilis eſt, nulliusq; in medicina vſus. Et quanquam ij ſciunt, legitimum Græcorum Eupatorium eam eſſe plantam, quæ vulgò Agrimonia vocatur, eorum fortè imitatione, qui Dioſcoridis ætate eandem perperàm Argemonem appellabant: cùm tamen animis imbibitos iamdiu errores reijcere nequeant, vel potius nolint, difficilè quidem adduci patiuntur, vt vulgarem Agrimoniam Græcorum medicamentis, quæ Eupatorium excipiunt, admiſceant. Non tamen hæc propterea dicimus, quòd omni ex parte illius Eupatorij vſum damnemus. Palàm etenim eſt, vt ex foliorum amaritudine, & odoris præſtantia, quo huius Eupatorij tota redolet planta, percipi poteſt, id & obſtructiones aperire, & craſſos, lentosq; humores mirificè incidere poſſe: quinetiam alia plura auxilia præſtare, vt paulò inferius explicabimus. Veruntamen nunquam eò deueniam, vt aſſeuerem hoc apud Græcos legitimi Eupatorij nomen ſibi aſciuiſſe: tantum illud abeſt, vt etiam à nullo, quantum equidem inuenerim, veterum ſub alio nomine poſteritatis memoriæ proditum ſit. Ruellius tamen neſcio qua ratione ductus, in ſuis de natura ſtirpium commentarijs non ſine magno errore ſibi perſuaſit, vulgare hoc Eupatorium dubio procul hydropiper eſſe à Dioſcoride libro ſecundo deſcriptum. Sed nos ibi in noſtra hydropiperis commentatione Ruellij errorem latius explicuimus, quàm vt quicquam ſuperſit addendum.* EVPATORIVM *à Dioſcoride deſcriptum, flores gerit ſtellatos, aureos, radicem lignoſam, ſubrufam pentaphylli modo. Naſcitur ſecus ſepes itineraq; in agrorum marginibus, & incultis locis. Cæterùm Meſues quoque habet ſuum peculiare Eupatorium, quod vt ex eius deſcriptione apparet à prædictis longè diuerſum eſt. Id namque plures ab radice emittit caules: folijs minori centaurio ſimilibus: per ambitum laciniatis: floribus aureis, in vmbellam cohærentibus, helichryſi modo. Hoc noſtratibus Senenſibus vulgò vocatur*

Eupatorij conſideratio.

Agrimonia eſt Eupatorium.

Hydropiper.

Eupator. Meſues.

vocatur herba Giulia. Huius comam mulieres per noctem vino albo macerant, ac ſubinde dilutum pueris potandum præbent dimidij cyathi menſura ad necandos vermes admirabili ſucceſſu. Naſcitur hæc in campeſtribus: atq; vt mea fert opinio, ea eſt planta, quæ Dioſcoridi Ageratum dicitur: quippe quæ omnibus notis illi reſpondeat, etſi non deſint qui a nobis diſſentiant: quorum vnus eſt Andreas Marinus, qui in Meſuis libellum de ſimplicibus medicamentis aluum exonerantibus quaſdam nouas edidit annotationes. Verùm an is recte Ageratum examinauerit, inferius ſuo loco narrandum relinquimus, vbi de Agerato diſſeremus. Atqui interim admonendi ſunt lectores, vt imaginem quam is pro Meſuis Eupatorio ex commentarijs noſtris in ſuum transplantauit Meſuem, diligenter intueantur, quod ſi fecerint illico ſane agnoſcent, quam ipſe in ſimplicium medicamentorum cenſu ſe exercuerit: ſiquidem is non Meſuis Eupatorium illuc ex Dioſcoride noſtro tranſtulit, quod nos in Agerato primo loco appinximus, quodq; herbam Iuliam a noſtris appellari diximus: ſed alteram quandam plantam facie, ſapore, odoreq; ab ipſa Iulia herba, ſiue Meſuis Eupatorio valde diuerſam, quam nos Ageratum alterum nominauimus. Itaque ſæpe fit, vt dum alios erroris arguere nitimur, nos ipſos longè magis redarguendos in medium offeramus. Hinc itaque addiſcant Mauritanorum ſequaces, cùm tres habeantur plantæ nomine Eupatorij, in medicamentis à Meſue relictis ſuum interponere Eupatorium: in Auicennæ remedijs ſuo item vti: & in Græcorum compoſitiones Agrimoniam vulgò vocatam addere. Sed animaduertant velim, ne in hoc Valerij Cordi diſpenſatorium ſequantur, quod perperàm, meo quidem iudicio, ſcribat in confectione pilularum aggregantium, quin & in ſyrupo de Eupatorio, proprius Meſuis Eupatorio admiſcendam eſſe Gratiolam. Siquidem hæc præterquàm quòd aluum magno incommodo deijcit, nullis etiam planè notis, ac reliquis facultatibus illud repræſentare deprehenditur. Nempe ſua deiectoria vi, qua magno cum impetu ventrem ſoluit, iecur imbecillum, atque infirmum reddit. Cordum ſecutus videtur Fuchſius, in libro de compoſitione medicamentorum, quem poſtremò auctum edidit, vbi in antidoto è Lacca magna, illud Eupatorium vſurpandum eſſe tradit, quod à Meſue deſcribitur, & Græcis Ageratum, Italis verò Gratia Dei nominatur. Quare in re illud de his duobus viris (pace eorum dixerim) dici poſſet, quod eſt in communi prouerbio: Cæcus cæcum ducit & ambo in foueam cadunt.

Cordi & Fuchſii error.

Vulgaris Eupatorii vires.

Cæterùm, vt ad vulgare Eupatorium redeam, viribus ſanè pollet id non negligendis. Namque excalfacit, ſiccat, extenuat, abſtergit, incidit, & aperit, & ſubtilium eſt partium. Exprimitur è contuſis recentibus folijs ſuccus, & inſolatus cogitur in paſtillos, quorum in medicamentis eſt vſus. Præſtat foliorum Eupatorij vulgaris decoctum, aut epotus ſuccus iecinoris doloribus, & cæteris eiuſdem affectibus ab obſtructione prouenientibus, quo fit, vt perquam commode propinetur hydropicis, malo habitu, ictero, & vaſorum infarctu laborantibus: quinetiam contra ſplenis tumores, & obſtructiones. Datur quoque ſuccus ad ventriculi apoſtemata, à frigiditate prognata: in quo caſu conuenit etiam herba exterius illita. Foliorum decoctum auxiliatur diuturnis, & præſertim pituitoſis febribus, ab obſtructione prouenientibus. Idem vrinas & menſes pellit, & ſcabiem, & pruritum ſanat ſi cum fumaria fuerit decoctum è caprino ſero, ſed ſuccus fortior eſt. Is enim potus incipienti Elephantiaſi medetur. Flores illiti vulnera recentia, & vlcera ſanant. Fugantur venenata animalia herbæ ſiccæ ſuffitu. Dicunt obſeruatum eſſe à venatoribus, Ceruos telis vulneratos, deuorata hac planta procul dubio ſanari. Datur eadem vtiliter pecoribus tuſſientibus, & anhelosis equis, quorum etiam dolores finit. Succus binûm obolorum pondere in catapotijs deuoratus inteſtinorum vermes necat. Idem recenter expreſſus illinitur commodè ex aceto, & ſale aduerſus ſcabiem.

III. POTENTILLA.



Eupatorii vires ex Gal.

Eupatorij meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcribit: Eupatorium herba tenuium partium, incidendi extergendiq; facultatem citra manifeſtam caliditatem obtinet: quocirca obſtructiones iecinoris expurgat. Ineſt ei & adſtrictio medica, propter quã robur viſceri addit: hactenus Galenus: Ex vino albo decoctum paratum, cum ſaccharo ſex vnciarũ pondere tribus diebus potum, mirificè ſtranguriam ſanat, & vrinas pellit. Additur herba in potionibus, quæ ad intrinſeca parantur vulnera.

Potentillę deſcriptio & vires.

Eſt & herba Agrimoniæ non diſsimilis, quæ nonnullis POTENTILLA vocatur, tametſi hirſutioribus ſit folijs, ſupernè virentibus, infernè verò albicantibus. Cauliculos profert, qui humi repunt, Piloſellæ vocatæ modo: aureis floribus ornatur, ſingulari pediculo pendentibus, ranunculo hortenſi æmulis. Radice nititur exterius purpuraſcente, interius verò candicante, auſtero guſtu & adſtringenti. Naſcitur in vliginoſis locis, & propter ſemitas. Vniuerſa hæc planta refrigerat, adſtrictoria & exiccatoria facultate pollet, repellit, roborat. Idcirco mulierum profluuia, dyſenterias cohibet, & cæteras alui fluxiones. Id quod & præſtare dicitur ſi recens in calceis, nudis pedibus ſupponatur. Datur quoque vtiliter potanda ſanguinem reijcientibus. Herbæ decoctum ex vino paratum, præſtat potum ad inteſtinorum tormina, & dorſi dolores. Siccæ farina, ex ſua ipſius aqua ſtillatitia pota, albas vteri fluxiones cohibet, ſed valentius addito Corallio, & eboris ramentis. Sunt qui eam ad enterocelas & bubonoceles præferant, tum in cibis, tum in potionibus. Namque belle vulnera conglutinat, & vlcera ſanat, & præſertim quæ pudenda inuaſere, & oris partes erodunt. Firmat commotos dentes, & laxas cohibet gingiuas, vbi in aceto decoquatur, & eo os ſæpe colluatur: item dentium dolores mulcet. Prolapſam columellam reſtituit, addito aluminis momento. Mirum dictu, quòd pedum plantis, manuumq; volis admota febrium quarumcunq; calores remittit:

Nomina.

Herba, quæ Græcis εὐπατόριον & ἡπατώριον, Latinis item Eupatorium & Hepatorium appellatur: Arabibus Caſat, Ciſit, ſeu Gaſet: Italis & Officinis Agrimonia: Germanis Odermeng: Hiſpanis Agramonia: Gallis Aigremoine. Eupatorium vulgare, & Officinis, Eupatorium Auicennæ: Italis Eupatorio: Germanis Kunigundekraut: At Potentilla quibuſdam Anſerina: Italis Potentilla: Germanis Grenſing: Gallis Agrimoine ſauuage.

Eupatorium

Eupatorium quibuſdam ab Eupatore rege, aliis ἡπατώριον ſeu ἡπατῖτις Oribaſio, quód Hepati medeatur. I. Eupatorium veterum Agrimonia dicta, quod inodorum eſt & odoratum. C. B. Eupatorium, Matth. Brunfel. Fuchſ. Turn. Dod. gal. Cord. in Dioſc. & hiſt. Geſ. hor. Lacu. Taber. Thal. Caſtor. Eupatorium vulgare, Trag. Eupatorium Græcorum, Lob. Eupatorium verum, Lugdu. Eupatorium Auicennæ, Angui. Agrimonia, Brunf. Dodo. fol. Cæſal. Lonicero. II. Eupatorium cannabinum, C. B. Eupatorium vulgare, Matth. Turn. Caſtor. Lugdu. Eupatorium Auicennæ, Lacu. Lonic. Camer. Cæſal. Eupatorium adulterinum ſeu aquaticum, Fuchſ. Pſeudohepatorium mas, Dod. gal. Thal. Vulgare Hepatorium. Dodo. fol. Herba S. Kunigundis, Trag. Taber. Trifolium ceruinum aquaticũ, Geſ. hor. Terzola Sardi, Cannabina aquatica ſeu Eupatorium mas, Lobelo. III. Potentilla, ab eximiis viribus dicta, aliis Argentina, à foliorum ſplendore argenteo. Potentilla, Matth. Brunf. (cui & Tanacetum agreſte) Fuchſ. (& Agrimonia ſylueſtris quibuſdam) Lon. Caſtor. Lugd. Thal. Cæſal. Anſerina: Trag. Taber. Argentina, Dodo. gal. & fol. Lobel. Argemone altera, Fuchſ. in icon. Geſ. hortis.

## Πεντάφυλλον. QVINQVEFOLIVM. CAP. XXXVIII.

QVinquefolium ramulos fert feſtucarum ſimilitudine, tenues, dodrantales, in quibus ſemen: folia menthæ, quina ſingulis pediculis, raró plura, in ambitu ſerrata: florem ex candido palleſcentem: auri æmulum. Naſcitur in riguis, & aquariis ductibus. Subrubram habet radicem, oblongam, veratro nigro craſſiorem: plurimis pollet remediis. Ius radicis decoctæ ad tertias, ſi in ore contineatur dentium dolores ſedat: putrida oris vlcera, collutione ſiſtit: arteriæ ſcabritias gargarizatu lævigat: contra alui profluuia, & dyſenterias auxiliatur: item articulorum, coxendicumq; cruciatibus potum. Cocta in aceto, & illita ſerpentia vlcera cohibet: ſtrumas, tumores, duritias, abſceſſus a, & collectiones diſcutit: ignes ſacros, b redunias, condylomata, pſoraſq; ſanat. Teneræ radicis ſuccus, contra iecinoris, pulmonumq; vitia prodeſt: item aduerſum venena. Cum hydromelite autem, vel diluto vino, & piperis exiguo, bibuntur folia contra febrium circuitus, in quartana quidem, quaternùm ramulorum folia: in tertiana veró, ternùm: in quotidiana, vnius. Ea quoq; folia tricenis pota diebus, comitialibus proſunt. Foliorum ſuccus tribus cyathis aliquot dies potus, celerrimè regio morbo medetur. Illita cum melle & ſale, tam vulneribus, quam fiſtulis remedio ſunt: enterocelicis auxilium præſtant. Quinquefolium ſanguinis profluuia & potu, & illitu ſiſtit. Ad expiationes, caſtimonias, & incantamenta inciditur.

a Me. & Cat. ἀπυρεσίας i. arteriarum apertiones. b Cat. ἀποσύρματα κ. πτερύγια τὰ ἐνδακτύλοις i. deſquamationes, & pterygia in digitus.

I. QVINQVEFOLIVM.



II. PENTAPHYLLVM album.



TAmetſi vnius tantùm Pentaphylli, ſiue Quinquefolij meminerit Dioſcorides, nos tamen quatuor eius genera vidimus in Italia. Quorum vtiq; primum à Dioſcoridis hiſtoria nihil prorſus diſſentit. Secundum à primo differt, quod folijs ſit albicantibus, hirſutis, & flore candido. Tertium folio erumpit paruo, ſubalbido, per terram repit. Vltimum veró folia fert vitiginea, in partes quinque diuiſa, quod aliqui DIAPENSIAM, alij Saniculam appellant. Huic in cauliculorum qui rotundi, graciles, obſequioſi, ſummitatibus, & adnatorum faſtigiis, capitula prodeunt ſubalbida, facie fragis ſimilia. Radicibus conſtat numeroſis gracilibuſq;. Naſcitur in montibus & ſyluoſis collibus. Primum prouenit in riguis, & ſcrobi-

Quinquefolii genera.

Diapenſiæ deſcriptio, & vires.

### * III. QVINQVEFOLIVM erectum, incanum.*



### * IV. QVINQVEF. PALVſtre rubrum.*



### V. DIAPENSIA.



*um marginibus, cauliculis tenuibus, floribus aureis, è quibus ſubinde ſemen oritur. Pediculos è ſe mittit, & in ſingulis quina folia oblonga, menthæ ferè æmula, in ambitu tamen magis ſerrata. Radix illi ſubrubens apparet, quod quamuis negat Braſauolus, id tamen alijs, vt mihi eam effodienti, verum eſſe deprehendetur. Hæc in plures radiculas diuiditur, elleboro nigro craßiores.* SECVNDVM *ſeu album, folijs eſt incanis, hirſutis, per ambitum ſenſim denticulatis, quinis ex vnoquoq; pediculo dependentibus cauliculis mollibus, obſequioſisq; flore candido, radice ſquamoſa, agnatis ex obliquo prodeuntibus. Naſcitur in ſaxis ingentibus, & ſaxoſis locis. Hinc autem mirari ſubit Manardum Ferrarienſem virum alioqui huius noſtræ ætatis ingenio, & doctrina inſignem: quippe qui tam facilè ſibi perſuaſerit, id legitimum eſſe Quinquefolium, quod Græci heptaphyllon, officinæ verò herbariorumq; vulgus Tormentillam dicunt. Siquidem hæc ſeptem ex vno tantùm cauliculo profert folia: Pentaphyllum vero quinque, vnde & illi nomen. Hoc radices elleboro ſimiles habet, craſsiores tamen, oblongas: illa vero admodum breues, ſtrumoſas, ſimulq; in vnum compactas globum. Gignitur hæc plerunque in incultis, ſiticuloſisq; locis, in altis præſertim montibus: illud verò in campeſtribus, & prope aquæ ductus, & in riguis. Quæ ſanè omnia apertè declarant, hac in re Manardum cæcutiuiſſe. Cæterùm non poſſum non mirari ſcripſiſſe Plinium lib. 15. capite 9. Quinquefolium nulli eſſe ignotum, cùm etiam fraga gignendo commendetur: Quippe id perpetuo eſſe falſum, ipſamet quinquefolij planta apertiſſime teſtatur. etſi aſſerat Braſauolus, cui nos minimè ſubſcribimus, in Veronenſi agro naſci Fragariam, cui quinque vnicuique pediculo inſunt folia, & quæ fraga gignit, in cibis gratiſſima, putetq; de hac intellexiſſe Plinium, quòd à Verona, vt ipſe inquit, fuerit oriundus, verùm non ob hoc ambos arguere deſinam, donec offeratur mihi pentaphylli planta, quæ fraga proferat.*

Manardi erratum.

Diapenſiæ vſus.

*Cæterùm de quarta Quinquefolij ſpecie, quã Diapenſiam vocari diximus. Refrigerat & ſiccat, cohibet, reprimit, glutinat & roborat. Germaniæ chirurgi maximè vtuntur ad intrinſeca vulnera, enterocelas, & fiſtulas, eius puluerem, vel*

decoctum

VII. FRAGARIA.



* VIII. FRAGARIA FRVctu albo. *



IX. EVPHRAGIA.



*decoctum vniuerſæ plantæ potui exhibentes. Idem quoq; præſtat foliorum & radicum farina. Quinetiam ad morbos omnes, vbi adſtringenti, ſolidantiq; medicamine ſit opus. Eſt tamen non ignorandum, hoc non eſſe Saniculam illam, quæ etiámnum quinis exoritur folijs, radice alba, miro naturæ artificio laciniata, de qua ſuperius in ſymphyti mentione diſſeruimus: ſed aliud longè differens. Quinquefolij vires retulit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Pentaphylli radix, inquit, deſiccat vehementer, minimùm verò acris eſt. Quare in multo eſt vſu, velut alia quoq; omnia, quæ cum ſint tenuium partium, citra morſum deſiccant. Eſt enim hæc radix deſiccatoria ex tertio quodammodo ordine, minimum habens euidentis caliditatis: hæc Galenus. Quinquefolium album adſtringit, ſiccat, roborat, repellit: radix ſubtilium eſt partiũ. Ea omnia præſtare poteſt quæ alterum, quo tamen adſtringentior eſt. Cæterùm quoniam Pentaphyllum Fraga nobis in mentem redegit, cùm ea ſint tam cibis, quàm medicamentis idonea, ideò & res, & locus mihi expetere videtur, vt hîc tum plantæ, tum fructus eius vires perſtringamus.* FRAGARIA *itaq; planta eſt nemini ferè non cognita, adeò vt hoc nomine ſuperuacuum putem, eius faciem repræſentare. Planta eſt humi repens, foliis pentaphylli maioribus, ternis ex vno pediculo prodeuntibus, & per ambitum ſerratis: floribus candidis, rubi æmulis, è quibus fraga oriuntur: cauliculos habet tenues, hirſutos, obſequioſosq;: radices habet numeroſas & tenues, adſtringentis guſtus. Proueniunt in montibus, collibus, ſyluis, ſecus itinera, & prope ſepes. Refrigerat ordine primo, ſiccatq; ſecundo. Folia, & radix vulnera, & vlcera ſanant: muliebres fluxus, & dyſenterias cohibent, vrinam cient, & lieni conferunt. Herbæ, & radicum decoctum potum, auxiliatur iecinoris inflammationibus, mundatq; renes, & veſicam. Idem ore contentum, collutionisq; modo agitatum, gingiuas roborat, dentes commotos firmat, & deſtillationes ſiſtit. At Fraga præter id quod guſtui æſtate in cibis arrideant, biloſis æſtuantibusq; ventriculis proſunt, ſiticuloſisq; ſitim ſedant. Vinum, quod ex iis elicitur, vlcuſculis, quæ in facie à caliditate proueniunt, mirificè medetur: itemq; varos, & oculorum nubeculas, calidasq; deſluxiones impoſitum tollit. Neq; etiam hîc ſilentio diſsimulanda videtur* EVPHRAGIA, *quam nobis Fraga nunc ob vocabulorum vicinitatem ad memoriam reuocarunt, cum & ipſa miris ad oculorum morbos viribus predita ſit: etſi à*

Quinquefolii vires ex Gal.

Fragariæ & fragorum vires.

Euphragiæ delineatio & vires.

*veteribus Græcis nuſquam, quod legerim, deſcripta reperiatur. Eſt itaq; Euphragia tenuis planta, quæ ad palmi altitudinem aſſurgit: folijs minutis, criſpis, per ambitum ſerratis, guſtu adſtringentibus, paululumq; amaris: caule exit tenui, rubentiq;: flore inter purpuram & aurum albicante, quem emittit abeunte æſtate: naſcitur in pratis & in ſyluis. Præſtat hæc quocunque modo ſumatur tam in cibis, quàm in medicamentis recens, vel exiccata ad omnia impedimenta, quæ oculorum claritati officiunt, præſertim cum in cibis aut potu diutius ſumitur. Fit ex ea vinum vindemiarum tempore,* Vinum Euphragiatum. *& muſto macerata, de quo Arnaldus in hunc modum diſſeruit: Euphragiæ vinum, inquit, fit ad oculos, ponendo herbam in muſto donec fiat vinum. Cuius vſu oculi ſenum reiuueneſcunt, & aufert impedimentum eorum, & defectum viſus in quocunq; cuiuſvis ætatis homine, præſertim vbi pinguedo, & pituita redundent. Et eſt qui permanſit nihil videns per longum tempus, & infra annum eius vſu reſtitutus eſt ad viſum. Ipſa enim herba calida eſt, & ſicca magis, abſtergit & cohibet: & habet hoc à proprietate, quod quandò puluis eius comeditur cum ouorum vitellis, idem mirifice præſtat, vel quando puluis idem recipitur cum vino. Et ſuperſunt teſtes fide digni, qui fecerunt in ſe ipſis, & qui non poterant legere ſine ocularijs, & legerunt poſtmodum absque ipſis, etiam literam ſubtiliorem. Et vſus vini Euphragiati non habet parem proficiendo viſui. Si autem vinum eſſet nimis forte, temperetur cum aqua fœniculi: & ſi opus eſt, addatur zuccharum neceſſarium. Hæc Arnaldus in libro de vinis. Herba πεντάφυλλον Græcè, Quinquefolium Latinè dicitur: Italice Cinquefoglio: Germanicè* Weis fünff Finger kraut: *Hiſpanicè Cinco en rama: Gallicè Quintefueille.* Nomina. *Quinquefolium album, Græcis πεντάφυλλον λευκόν: Italis Cinquefoglio bianco. At Diapenſia ſiue Sanicula, Italis, Cinquefoglio maggiore: ſic Fragaria, Italis Fragolaria. Fraga verò, Italis Fragole & Frage: Germanis* Erdbeer. *Sic Euſragia, Italis Eufragia: Germanis* Augentroſt: *Gallis Euſraiſe.*

Quinquefolium, quòd quina ſint ſingulis pediculis folia: quindecim ſpecies nouimus, hic quatuor proponuntur. I. Quinquefolium maius repens, C. B. Quinquefolium, Matth. Cord in Dioſc. Lacu. Cæſal. Pentaphyllon minus, Brunf. Geſ. hor. Pentaphyllon vulgare, Trag. Pentaphyllon luteum maius, Dod.gal. Pentaphyllon primũ, Lon. Pentaphyllon Dioſc. Tab. Pentaphyllon maius flore ſubluteo, Lob. Pentaphyllon fragariæ cognata, Geſ. hor. Pentaphyllũ repens, Cam. Quinquefolium luteũ maius, Fuchſ. Lug. Quinquefoliũ ſecundum, Turnero. II. Quinquefolium albũ maius, C.B. Pentaphyllũ album, Matt. Dod.gal. Pentaphyllon verũ ac nobile, Trag. Pentaphyllũ, Geſ.hor. Pentaphyllon maius flore albo, Lob. in icon. Pentaphyllon albo flore, Camer. Quinquefolium maius candidum, Fuchſ. Quinquefolium primum, Turn. Cluſ. hiſt. Panno. Quinquefolium album, Matth. in comp. Lugd. Quinquefolium ſyluaticum, Taber. III. Quinquefolium erectum incanum, C. B. Hoc à Matthiolo inter figuras maiores nomine Pentaphylli albi, ſed ſine deſcriptione, proponitur. Quod ex radice obſcurè rubra, oblonga, altè deſcendente, adſtringente, vnum alterumvè caulem ſeſquipalmarem erectum, rotundũ, infernè ruſo cortice tectũ, supernè albicantem, in alios brachiatum profert, quem folia anguſtiora, minora, profundioribus inciſuris diuiſa, ſupernè ex virore nigricantia, auerſa parte incana, cingunt: flores quinquefolii, quorum medium aliquot ſtamina lutea occupant, cauliculorum ſummis & quidem pedicellis incanis, ſinguli ex ſingulis calycibus prodeuntes, lutei, parui, inſident, quibus delapſis, ſemen minutum fuſcum, in fragi rudimentum congeſtum, ſuccedit. Spontè apud nos locis aſperis circa vias & ad agrorum ſcrobes, locisq; arenoſis prouenit. Dicitur Pentaphyllum exiguum alterum, Tra. Pentaphyllum tertiũ, Lonic. Pentaphyllum rectum minus, Camer. Pentaphyllum canum, Thal. Quinquefolium minus, Fuc. in icon. & Turn. Quinquefolium luteum minus, Lugd. Quinquefolium minus, Fuch & Camer. in Matt. Quinquefolium petræum maius, Taber. IV. Quinquefolium paluſtre rubrum, cum ſuo Matthiolo addiderit Camerarius, de eo paucis. Hoc radice eſt nigricãte, longa, geniculata, à qua ſarmenta longa, gracilia, ſtriata, per terram ſparguntur, in quibus ramuli dodrantales, glabri, reclinati, pentaphyllo ſimiles: folia oblongis pediculis donata quina, ſeptena vni pediculo inhærentia, ſupernè viridia, auerſa parte in cinereo candicantia: flores profert in caulium faſtigio, vt plurimum geminos, in quinque aut ſex folia diuiſos, obſcurè rubentes, eiuſdem coloris ſtaminibus in medio paruum capitulũ cingentibus, quod paulatim augetur, donec in capitulum durum frago ſimile, ſed obſcurius rubens, nulloq; intus ſucco, ſeminibus farctum, excreſcit. Naſcitur vliginoſis locis, in ſcrobibus & iuxta ſtagnantes aquas, medio vere & poſt florens. Tota planta aſtringentis eſt facultatis. Dicitur Pentaphyllon rubrum, Dod. gal. Lugd. Pentaphyllum paluſtre, Cord in hiſt. (& eius Scholiaſti Heptaphyllum Plinii fragiferum) Thal. Camer. Pentaphyllum rubrum paluſtre, Lobel. in icon. Quinquefolium paluſtre, Geſ. hor. Camer. in Matth. Taber. Quinquefolium quartum, Dod. fol. Quinquefolium rubrum, Lugd. Heptaphyllon Cordi Camer. Quinquefolium paluſtre fragiferum vel Heptaphyllum Porphyrantemon, Camerario in ſuo Matthiolo. V. Sanicula á ſanandis vulneribus dicta, dicitur Diapenſia, Matth. Brunf. Caſtor. cui & pentaphylli quarta ſpecies, Sanicula, Brunf. Trag. Dod. gal. & fol. Lacu. Geſ. hor. Lonic. Lobel. Cæſal. Thal. Cam. Tabet. cui & Conſolida quinquefolia. Sanicula mas, Fuch. Lugd. Sideritis tertia Dioſcoridis, Fabio Columnæ. VI. Sanicula montana rotundifolia maior, habetur enim & minor & altera longifolia, C. B. Ex radice craſsiuſcula, minimum digitum ſæpè longa, ſubruffa, multis fibris candicantibus donata, caulis exurgit pedalis & altior, viridis, hirſutus, cui folia ſubſunt circinatæ ferè rotunditatis, oblongis pediculis piloſis inhærentia, per ambitum crenata, ſupernè viridia, prona parte exalbida & valde hirſuta, quæ tamen cultura penè euaneſcit: quæ in caule ſuperioribus reſpondent: ſummi caules in plures ramulos brachiantur, ſingulisq; ramulis terni aut quaterni inſident floſculi albi, quinquefolii punctis ſanguineis notati, Oxyacanthæ odore, ſtaminibus pluribus medium florem occupantibus: ſuccedunt capitula ſaxifragiæ albæ ſimilia, ſemen minutum & nigrum continentia. Iunio floret, at in hortis maturius. In montibus Rheticis legimus, & in Fracto locis vmbroſis & humidioribus. Sic & in omnib. Pannoniæ alpibus. Adſtringit & ferè inſipida. Monet Camer. in ſuo Matth. ex prona parte folii cutem decorticari, & illud vulneribus imponi: elici etiam aquã ex planta minutim conciſa ad vulnera glutinanda, aut flores in puluerem redigi: itemq; folia & vlceribus vulneribuſq; inſpergi. Dicitur Sanicula alpina alia, Geſ. hor. Sanicula montana prima, Cluſ. hiſt. Panno. Sanicula alpina ſiue guttata quibuſdam. Italis vmbilicus Veneris. Septentrionalium aliis Hepatica montana: Valeſiis l'herbe ſante Condria, vel ſans Contura: Germa-

*** VI. SANICVLA MONTANA rotundifolia minor. ***



PHOENIX.



Lolium perenne

Germanis Wild Schelkraut/oder Weiſs Sanickel/ Camerario in ſuo Matthiolo. Garyophillata ſiue Geum alpinum recentiorum folio hederaceo, Adu. Lob. in icon. Caryophyllata ſiue Geum Alpinum, Lugd. Cotyledon tertium Dalechampii, eidem, VII. Fragaria, ab odore fragrante, quem mora ipſius ſpirant: mora terreſtria dicta Seruio. Dicitur Fragaria, Matth. Brunf. Trag. Fuchſ. Turn. Dod. gal. & fol. Lonic. Lobel. Caſtor. Lugd. Cæſal. Thal. Fragula, Cord. in hiſt. Fragum & Trifolium fragiferũ, Tab. Sunt ſyluestria, hortenſia: variant fructu maiore & minore, rotundiore, longiore: colore rubra, alba, media, ſanguinei coloris. VIII. Fragaria fructu albo, C. B. Priori minor eſt planta, magiſq; cana, fructu aliquando toto candido, minus granoſo, dulci, aliquando parte ſuperiore rubicundiore. Hanc in hortis tantùm notauimus. Dicitur Fraga candida, Trag. Fraga alba, Camer. in Matth. Fragum album, Tabernæmon. IX. Euphraſia εὐφροσύνη dicta, eò quòd oculos eorum caliginem diſcutiendo, delectet. Euphraſia Officinarum, C. B. Euphragia, Matt. Caſtor., Thal. Euphragia alba, Brunf. Eufragia vulgo, Cæſal. Euphraſia Auguſtinenſium, Trag. Euphraſia, Fuch. Lacu. Lonic. Lobel. cui & Euphroſyne & Ocularis. Euphraſia. Dod. gal. & fol. Lugd. Taber. Alia ramoſa, alia non: flore ex luteo albido, aliquando ex cæruleo purpuraſcente.

## Φοίνιξ. PHOENIX. CAP. XXXIX.

PHœnix folia habet hordei, ſed breuiora, & anguſtiora: ſpicam lolio ſimilem: calamos digitorum ſenum, radici aduolutos: ſeptenas octonasve ſpicas. In aruis, tectiſq; recenter illitis naſcitur. Harum virium compos, vt in vino auſtero pota alui profluuium, & emanantem vulua ſanguinem ſiſtat, vrinæ impetus infrenet. Sunt qui adalligatam in puniceo vellere, & ſuſpenſam ſanguinem ſupprimere prodant.

*PHœnix Hetruſcis ſylueſtre Lolium dicitur, quod ſpicas proferat lolio ſimiles. Naſcitur frequens in vicis ſecus vias in agrorum marginibus, & in templorum plateis: quæ quidem nulla prorſus repugnante nota Dioſcoridis deſcriptioni adſtipulari deprehenditur. Plinius lib. 22. cap. 25. Phœniceam herbam ita à Græcis appellatam, à Latinis lolium murinum vocari ait, quod fortaſſe mures derodent ſpicas illius, quæ in ædificiorum tectis prouenit. Hæc frequentiſſima viſitur Goritiæ in cœmiterio diui Franciſci, & Venetijs in litore maris prope ſacellum diui Nicolai. In ſumma eius vber vbiq; prouentus. Huic herbæ nomen Græcum φοίνιξ, Latinum ſimiliter Phœnix, Lolium murinum, & Hordeum murinum: Italicum Giglio ſaluatico: Germanis* Waldt Rohr/oder Wintzenhelmer: *Gallis Taraye ſauuage.* Phœnicis conſideratio. Nomina.

Phœnix (à phœniceo colore) Dioſcoridis, ſeu Lolium ſpica breuiore, Herba Phænicea Græcis, & Hordeum murinum Plinii, C. B. Phœnix, Matth. Turn. Dodo. gal. & fol. Cordo in Dioſc. Lac. Lon. Lob. Caſtor. Lugd. Thal. Cæſal. Lolii quartum genus, Trago: Hordeum murinum, Lobel. in icon. (cui & Lolium rubrum) Taber. & Lolium ſylueſtre.

## IDAEA RADIX. CAP. XL.

IDææ radici folia ſunt ea, quæ ruſco: adhærent iis veluti exigui capreoli, è quibus flos. Radix ſpiſſandi naturam habet, his conueniens, quibus adſtrictione opus eſt. Pota, citam aluum, menſeſq;, & omnem abundantiam ſanguinis ſiſtit.

Idææ radicis conſideratio. IDæa radix hodie, quod ſciam, ad nos non conuehitur: nec quenquam hactenus reperi, qui ſcribat, vbi hæc planta prouen- niat: etſi cognomine natale eius ſolum facilè indicari videatur, quòd ſcilicet in Ida monte, qui ad Troadem ſpectat, naſcatur: vel in eo eiuſdem nominis, qui in Creta habetur, vt etiam Idæo rubo euenire ſuperius dictum eſt. Idææ radicis vires ex Gal. Huius vires tradidit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Idæa radix guſtu admodum acerba eſt: ac ſi periculum facias, eandem vim præferet, nimirum ſanguinis profluuia, alui fluxus, dyſenterias, profluuium mulierum, & quæcunq; eius ſunt generis tum pota, tum foris impoſita curans. Nomina. Ea vt Græcis Ἰδαία ῥίζα, ita etiam Latinis Idæa radix vocatur: Italis, Radice Idæa.

## Ῥοδία ῥίζα. RHODIA RADIX. CAP. XLI.



GIgnitur Rhodia radix in Macedonia, coſto ſimilis, leuior, inæquabilis: quæ contrita roſas redolet. Vtiliſsima capitis doloribus, ſi madefacta fronti, & temporibus cum roſaceo momento imponatur.

Rhodiæ radicis conſid. RHodia radix planta eſt non omnibus planè vulgaris, & cognita in Italia: etſi ea facilè in Apennino, & Gargano montibus naſci, & inueniri poßit. Quæ in noſtro horto Goritiæ viret, iamdiu eam Gratzio Styriæ oppido Petrus Salicetus medicus clarißimus, & in ſimplicium facultate non imperitus, ad nos primùm videndam miſit: quam tamen poſtea frequentißimam reperi in monte magno ſupra Vipacum, qui circiter viginti millia paſſuum à Goritia diſtat. Cæterùm quoniam paucis ſanè notis eam perſtrinxit Dioſcorides, vt ab omnibus facilius & cognoſci, & reperiri poßit, nos non temerè facturos duximus, ſi eius hiſtoriam hic diffuſius tradamus. Rhodiæ rad. deſcriptio. Radix itaq; Rhodia caules emittit rotundos, quadantenus concauos, cubitales, à quibus circumquaque folia prodeunt longiuſcula, in acutum deſinentia, portulacæ, aut minoris ſedi inſtar pinguia, minutimq; per ambitum ſerrata. In caulium cacumine vmbellam profert, viridem tithymali cypariſsij modo, ſed quæ, vbi defloruerit, rubeſcat. Radix ei inæqualis, ſtrumoſa, craſſa, qualis pſeudocoſto, quod ex Gargano Monte aduehitur, læui cortice obducta quæ recens eſt, exterius ſplendeſcens, & intus ſubalbida: quæ verò ſicca eſt, læuis percipitur, intus ſubſtantia rubens, & foris ſquamoſa. Manſa hæc recens, aut trita odore mirum in modum roſas refert: vnde meritò ei Rhodia nomen. Præterea omnium radicum viuacißima eſt: quippe quæ è terra effoſſa, niſi locis perquàm ſiccis reponatur, poſt multos menſes rurſus plantata ſtatim repullulat. Naſcitur in altißimis montium rupibus ſaxoſis, præruptisq; locis, vbi vix tantum terræ tantùm habet, vt illi inhærere poßit. Valet hæc ad capitis dolores à quacunq; cauſa prouenientes, ſi recens confracta, & roſacea aqua perfuſa, vbi calidus ſit affectus: aut cum amaraci aqua, ſi frigidus ſit morbus, fronti temporibusq; illinatur. Cerebrum roborat odoris iucunditate, conuenitq; (vt diximus) omni capitis dolori, vtpote quæ temperatis ſit qualitatibus prædita: id quod indicat roſaceus eius odor, quo mirificè redolet. Rhodiæ radicis vires ex Galeno. Rhodiæ radicis meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic de eius viribus ſcribens: Rhodia radix ea videlicet, quæ in Macedonia naſcitur, tenuium partium, & diſcutientis eſt facultatis. In calfaciendo verò ſecundi receſſus cenſenda eſt, aut certè tertij incipientis. Nomina. Hæc planta Græcè ῥοδία ῥίζα Latinè Rhodia radix nominatur: Italicè, Radice Rhodia: Germanicè Roſenwurtz.

Rhodia radix, Matth. Trag. Fuch. Dod. gal. & fol. Cord in hiſt. Lacu. Geſ. hor. Lobel. Cluſ. hiſt. Panno. Lugd. Camer. Radix Rhodia, Caſtor. Geſ. hor. appen. Roſea radix, Fuchſ. in icon. Lonic. Tab. Verùm non ſolùm radix contrita roſas ſpirat, ſed & flores odorati, qui rubentes quadrifolii, ſingulis in acumen deſinentibus, intusq; pallidi ſunt.

## Ἵππουρις. EQVISETVM. CAP. XLII.

a Cat. καυλοὶ i. caules. At meum cum Ruellio concordat. b Vtrunque exemplar ςερεὰ i. ſolidos.

EQuiſetum in riguis, & ſcrobibus naſcitur [a] cauliculi prodeunt inanes, geniculati, in ſe farcti, rubeſcentes, leniter ſcabri [b] & iuncea circa eos folia, crebra, exilia. In ſublime attollitur, vicinos arborum caudices ſcandens, obuolutumq; dependet, comis multis, nigris, vt equorum cauda: radix lignoſa, dura. Vis herbæ ſpiſſare, quare ſanguinem naribus erumpentē ſuccus ipſe ſiſtit: prodeſt dyſentericis in vino potus: vrinam cit. Sanguinolenta vulnera glutinantur, tritis foliis, & illitis. Radix cum sua herba tuſsim, orthopnœam, ruptaquè adiuuat. Foliis in aqua potis, diſſectiones veſicæ, & inteſtinorum, enterocelæq; in vnum coaleſcere, cogiq; feruntur. Alterum Equiſetum caulis eſt rectus, cubito maior, inanis: comis per interualla breuioribus, candidioribus, & mollioribus. Id cum aceto tritum, vulneribus remedio eſt, eademq; fungitur facultate.

Equiſetum

I. EQVISETVM I.



II. EQVISETVM II.



III. EQVISETVM III.



IIII. EQVISETVM IV.



*Equiſeti conſideratio.*

E*Quiſetum, officinis & herbarijs pleriſq́; verbum Græcum reddentibus* **Cauda equina** *nominatur. Cuius tametſi Dioſcoridi duo tantùm deſcribantur genera, nos tamen quatuor hactenus obſeruauimus, quarum omnium hic expreſſimus imagines. Primum autem Caudam equi omnes ferè appellant, quòd facie equorũ caudas referat, vnde & Græcis Hippuris dicta eſt. Profert hæc, cùm primùm è terra erumpit, quoddam tenerrimum germen oblongum, iuglandium iulo non*

Ppp 4 abſimile.

*abſimile, ſubnigricanti colore: & deinde caules inanes geniculati, ſubrubeſcentes, leniter ſcabri: iuncea circa eos coma aſpera, exilis, ſetarum inſtar, adeò vt equorum inſtar caudæ appareat. Radicem lignoſam, duram. Naſcitur humectis & aquoſis locis, in riguis & ſcrobibus. Hoc quod rura noſtra vulgo vocant Paltruſalo, in cibumq; aſſumunt, ieiunij quadrageſimalis tempore. Etenim illud prius elixant, mox farina circumſpergunt, & oleo in ſartagine frigunt, manduntq; pro piſcium vice. Ex quo cibo aluus quandoq; eorum adeo conſtringitur & conſtipatur, vt in coli cruciatum facile incurrant. Sunt qui primum hoc Equiſeti germen ſiccum aſſeruent per annum, quo ſubinde æſtate vtantur ad dyſenteriam. Quippe quod aqua calida nocte maceratum eo modo decoquunt, quo dictum eſt, & in cibum magno ſucceſſu exhibent. Vtrunq; Dioſcoridis E-*

Fuchſ. lapſus. *quiſetum eleganti admodum pictura expreſſit Fuchſius in ſuis magnis de ſtirpium hiſtoria commentarijs. Sed neſcio qua poſtea ratione ductus is in primo libro, in quem plantarum imagines duntaxat depingi, & imprimi curauit, primi generis Equiſetum pro Polygono fœmina aperto lapſu reddiderit. Equiſetum tertium caulé edit geniculatum ſtriatumq;, inanem fragilem, à quo complures oriuntur rami: & ipſi quoq; geniculati ac aſperi, nulla circumſtante coma. Prouenit & hoc paluſtri ſolo. Iiſdem cum alijs pollet viribus. Equiſetum quartum, recto prouenit caule, firmiore, minuſq; geniculato, a quo rami procedunt, iunceis quaſi proceſſibus ſtipati, iiſq; aſperis, geniculatis, tenuibus. Prouenit iiſdem in locis, & eaſdem vires habet.*

Equiſeti vires Matth. *Expetitur Equiſetum mulieribus ad ſtannea vaſa detergenda illuſtrandaq;, nec non etiam materiarijs fabris, ijs præſertim qui torno opera ſua conficiunt. Siquidem huius herbæ aſperitate illæ ſuis vaſis ſplendorem nitoremq; conciliant, iſti verò ſimiliter ſuorum operum ruditatem expoliunt. Omnium decoctum aut ſtillatitia aqua, pota vlceribus renum ac veſicæ mirifice medetur.*

Equiſeti vires ex Gal. *Equiſeti meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, vbi eius vires retulit his verbis: Hippuris, inquit: adſtringentem cum amaritudine facultatem poſſidet, ac proinde valenter ſimulq; citra mordacitatem exiccantem. Itaq; vulnera maxima cataplaſmate impoſita conglutinat, etiamſi præſectos eſſe neruos contingat: præterea vocatas enterocelas glutinat. Cæterùm ad ſanguinis reiectionem, ad profluuium muliebre, potiſſimùm rubrum, ad dyſenterias, & ad alios ventris fluxus generoſum eſt remedium herba ipſa aut ex aqua, aut ex vino pota. Sunt qui de ea ſcriptū reliquerunt, quòd nonnunquam etiam veſicæ, ac tenuium inteſtinorum vulnera ſuccus ipſius ſanauerit. Prodeſt etiā profluuio ſanguinis ex naribus, tum fluxui obnoxijs in ventre affectibus, ex auſterorum vinorum quopiam potus: ac ſi febricitent, ex aqua.*

Nomina. *Quæ planta Græcis ἵππουρις, Latinis, Equiſetum appellatur: Arabibus Dhenben alchail, Dhenb alchail ſiue Daneb alchail: Italis Coda di cauallo: Officinis cauda equina: Germanis Roßſchwantz: Hiſpanis Coda de mula & Rabo de mula: Gallis Queue de cheual & Prela. Equiſetum alterum, Græcis ἵππουρις ἑτέρα: Italis Coda di cauallo minore.*

Equiſeti nouem agnoſcimus differentias. I. Equiſetum aquaticum longioribus ſetis, C.B. Equiſetum primum, Matth. Lacu. Caſt. Lugd. Equiſetum ſecundum, Tab. Equiſetum maius cum aſparagis nouellis, Lob. Equiſetum, vulgo Aſprella, Cæſ. Hippuris maior Brunf. Dod. fol. Hippuris. Lob. in iconibus. Hippuris Dioſcoridis, cauda equina, Tab. in icon. Caucon Plinii, Anguillaræ. II. Equiſetum pratenſe longiſſimis ſetis, C.B. Equiſetum ſecundum, Matth. Lac. Equiſetum longius, Fuchſ. Equiſetum, Cordo in Dioſc. Equiſetum minus, Dod. gal. Equiſetum alterum, Lugd. Cæſ. Equiſetum paluſtre maius, Tab. Cauda equina, Brunf. Hippuris maior altera, Trag. Hippuris maior vel prima Lonic. Hippuris fontalis, Lob. Hippuris minor, Dod. fol. Thal. Polygonum fœmina, Fuch. in iconibus. III. Equiſetum iunceum ramoſum, foliis nudum, C.B. Equiſetum tertium, Matth. Lugd. Hippuris minor, Lob. Dod. in folio. qui cum præcedenti iungit: cum equiſeto iunceo Tragi quod ramoſum non eſt, idem eſſe nequit. IV. Equiſetum quartum, Matth. Lugd. Videtur Matthiolus voluiſſe Vuam marinam Monſpelienſium exprimere, cuius geminam figuram adpoſuimus. V. Vua marina maior, aut Tragum Dioſcoridis. Radice eſt, aliquot pedes longa, latè ſerpente, dura, lignoſa: ramulis ab eadem radice prodeuntibus, frequētibus, ſarmentoſis, gracilibus, iuncum referētibus, pedalibus & nigricantibus, cuius virgulæ in ionceas cuſpides abeuntes, multis internodiis diſtinguuntur: quibus dum adhuc tenellæ ſunt, ad quodlibet internodium duo foliola puſilla, quæ in adulta planta non obſeruantur, adpoſita: flores pallidi, herbidi, minuti, conferti inſtar florum corni, ſecundum internodia ſiti, quibus ſuccedunt copioſi fructus rubentes, ex granulis ternis aut quaternis, tritico paribus, exigui mori effigie, ſurculenti, acidi, eſui grati, vrinam mouentes: hi granum vnum aut alterum duriuſculum triquetrum, vtrinq; acuminatum, foris nigrum, intus album medulloſum & perquàm adſtringens, continent. Maio floret & Auguſto fructus matureſcit Monſpeſſuli inter ſtagnum Volcarum, & mare mediterraneum, & ad montis Cetii radices copioſiſſimè, vbi piſcatoribus Raſins de mar, hoc eſt, Vua marina vocatur. Hanc alii Bellonium ſecuti ad Androſacen: alii ad Croton Nicandri: alii ad Polygonum quartum Plinii, vel eiuſdem Ephedram referunt. Dicitur Croton Nicandri, Anguillaræ. Racemoſa Equiſeti facie planta, Aduerſariis. Vua marina Monſpelienſium, Lobelo in iconibus: Polygonum quartum minus, Cluſio, hiſtoria Hiſpanica: Polygonum mari-

* V. VVA MARINA MINOR.



marinum ſecundum, Tabernæmontano: Tragus ſiue Scorpio maritimus, Lugdunenſi. Tragos, Cæſalpino libro ſexto & Camerario in horto.

## Κόκκος βαφική. COCCVM INFECTORIVM. CAP. XLIII.

COccum, quo infectores vtuntur, frutex eſt ſurculoſus, paruus, cui grana ceu lentes adhærent, quæ electa congeruntur. Optimum gignitur in Galatia & Armenia: deinde Aſia & Cilicia: vltimum ex omnibus Hiſpanicum. Vis huic ſpiſſandi: vulneribus, neruisq; præciſis, conuenienter ex aceto tritum illinitur. Naſcitur quoq; in Cilicia è quercubus, cochlearum exilium ſimilitudine, quod illius regionis mulieres ore legunt, & coccum vocitant.

I. COCCVM INFECTOrium.



*II. ILEX COCCIFERA.*



*ETſi Coccum ſeu granum tinctorium ſeplaſiarijs, & infectoribus notiſſimum ſit, quòd & medicamentis admiſceatur, & eo plurima tum ſericea, tum lanea ſtamina inſici ſoleant, neſcio tamen an eius arbuſcula in Italia proueniat. Frutex eſt ſurculoſus, folijs oblongis per ambitū aculeatis aquifolij modo, ſed longe minoribus, baccis rotundis, inanibus, puniceo colore. Nos autem eam, cuius picturam damus, vidimus ex Byzantio allatam. Porrò Coccum tinctorium communis vſus, conſtat rotunda inaniq; bacca, quæ nullam profectò lentis faciem refert, vt Dioſcorides aſſerit. Vt hinc planè conijcere liceat, Coccum hoc diuerſorum eſſe generum, noſtrumq; facile illud eſſe, quod Plinius in Attica & Aphrica prouenire tradit. Scolecion illeò vocatum, quoniam ex eius medulla tenues exoriuntur vermiculi: argumento, quòd hoc inane intus deprehendatur.* 

Cocci infectorii con...

*Huius puluere non infeliciter vtuntur mulieres Italicæ ad fœtum roborandum & prohibendum aborſum, ipſum grauidis in ouo ſorbili propinantes, pauco addito thure, vel maſtiche. Quod in quercubus naſcitur coccum (vt Dioſcorides in Cilicia naſci ſcribit) copioſum quoq; in Bohemia prouenit. Primum quod à me viſum eſt, truncum ferè totum occupabat non infimæ quercus, non longè à Poggibrot in Leporario quod Parcum ferarum vocant Cæſaris Ferdinandi, ac deinde in alijs etiam locis, ſed cum ab incolis non agnoſcatur, quotannis perditur. Atqui in Polonia vbi etiam copioſum prouenit, non deſunt, qui illud diligenter legant.*

Cocci infectorii vires Matthiolo.

Coccum in Quercu.

*Cæterùm contendunt Monachi illi reuerendi, qui in Meſuem commentarios ediderunt, aliud eſſe Coccum, aliud verò Chermeſinum vulgò vocatum, quo ſerica ſtamina roſeo colore inficiuntur. Etenim aſſerunt ij legitimum chermeſinum è quibuſdam fieri granulis, quæ vt plurimum vulgari Pimpinellæ radicibus adhærentia reperiuntur, vocariq; hæc propriè Mauritanis Chermes: & hinc iſti deinde colligunt, minimè credendum eſſe, quòd Græcorum Coccum vulgò grana tinctorum nuncupatum, ſit Mauritanorum chermes: quandoquidem magna omnino inter colorem coccineum, & chermeſinum intercedat differentia. Sed hos patres hallucinari (pace tamen eorum dixerim) ex eo equidem euidentiſſimum fieri arbitror, quòd hactenus neminem Arabicæ ſectæ inuenerim, qui eorum adſtipuletur ſententiæ. Siquidem Serapio per chermes nil aliud intelligit, quàm Coccum tinctorium à Græcis appellatum, cum de Chermes agens ea ſanè omnia in eius hiſtoriam referat, quæ Dioſcorides ſuo Cocco tribuit. Quàpropter ſcirem libentiſſimè qua ratione, quave authoritate nixi ij reuerendi Monachi in hanc vanam, & erroneā deuenerint opinionem.*

Monachorū opi. exploſa.

*Verùm non ob id negauerim ego noſtrum Chermeſinum à Cocco minimè differre, quòd certò ſciam, aliud eſſe Coccum, aliud Chermeſinū, vnde & infectores differentiæ cauſa Coccum Granam nuncupant, Chermeſinum verò, quod è pimpinellæ radicib. decerpitur: ſed negauerim quidem Mauritanorum chermes noſtri vſus chermeſinū eſſe, quòd nil aliud Chermes eſſe putem,*

Coccum infectorium à chermeſino differre.

quàm

*quàm Coccum, cuius hic meminit Dioſcorides. Chermeſinum nouum iampridem conuehitur in Italiam ex Hiſpania e occidentali India importatum, quod cum copioſiſſimum afferatur, Chermeſina ſtamina nunc vileſcere cœperunt. Cochinilla Grani infectorij vires deſcripſit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Granum tinctorium adſtrictiuam tem, ſimulq́ amaram facultatem poßidet: vtraq; ſine morſu deſiccat, proinde ad ingentia vulnera congruit, præterea neruorum. Sed tunc ipſum quidam cum aceto terunt, alij cum oxymelite. Quæ κόκκος βαφικὴ Græcè, Latinè pariter Coccos baphica, & Granum infectorium nominatur: Arabicè Charmen, Kermes ſeu Chermes: Italicè Grana de tintori: Germanicè* **Scharlachbeer**: *Hiſpanicè Grana para tennir, & Grana en grano: Gallicè Vermillon.*

Grani tinctorij vires ex Gal.

Nomina.

Cocci infectoriæ duæ figuræ adpoſitæ, quarum prima ad imitationem Matthioli & Lacunæ expta: altera verò præter veram foliorum formam, & glandes & baccas exhibet, ſiquidem ferat glandes I..ginis ſimiles, capulis aſperiorib. quæ in autumno proueniunt. Et quemadmodum Gallæ in Quercubus ſic & in Ilicis huius & foliis & ad ramos notantur grana rubra, modò rotunda, modó oblonga, Piſorum communium quantitate, intus alba, guſtus ſubacidi, in quibus tandem vermiculi naſcuntur. Aliquando & aliud excrementum vt in Ilice maiore ſic & in hac obſeruatur, leuiter ramis adhæreſcens, rotundum, nigrum, ſplendens, durum, liquorem album cum vermibus continens, quod tandem exſiccatur. Hæc arbuſcula dicitur Ilex foliis aculeatis, Trag. Ilicis genus in qua Coccus baphica, Bellonio. Ilex Coccigera, Cluſ. hiſt. Hiſp. Ilex minor Coccigera, Dod. fol. Ilex aquifolia Plinii, Lug. Ilex Coccifera, Cam. in Matth. Tab. Ilex Plinii, Cæſal. Coccus infectoria. Lob. Coccus tinctoria, Tab. Granum tinctorium, Lonic. quod baccis tribuendum, non arbuſculæ: quæ grana Quiſquilia Plinius nominauit, Coccus baphica & Grana infectoria, Matth. edit. Italica: Coccus infectorius & Kermes Arabum, Cordo in Dioſc. Granum & Coccus baphica, Anguil. Granum tinctorium, Lon. Cæſalpino.

## Τράγιον. TRAGIVM. CAP. XLIIII.

Concluſa nō legit Meum, neq; Catec.

TRagium naſcitur in Creta tantùm inſula, lentiſco ſemine, folio & ramis ſimile, ſingulis tamen minoribus: ſuccus ei [lacteus,] gummi non diſſimilis. Semen, folia, lacrymaq; illitu ſpicula è corpore eiiciunt: omnia quoq; corpori impacta, euocant: pota ſtranguriæ medentur, calculos veſicæ frangunt, menſes trahunt: modus in ſumptione eſt, drachma vna. Fama eſt ſylueſtres capras ſagittis confoſſas, eius herbæ pabulo ſpicula excutere.

## Τράγιον ἕτερον. TRAGIVM ALTERVM. CAP. XLV.

EST & alterum Tragium, quod tragoceros aliqui vocant: folia ſcolopendrii habet, & radicem ſylueſtris raphani, tenuem, candidam. Quam crudam vel coctam eſſe dyſentericis prodeſt. Folia autumno hirci virus olent: exinde ſibi tragii nomen adoptauit. Prouenit in montibus & præcipitiis.

Tragii conſideratio.

*TRagium, quod in Creta tantùm naſci tradit Dioſcorides, quodq́ in vniuerſum lentiſco ſimile facit, Plinius lib. 13. ca. 21. ipſum fruticem terebintho ſimilem reddidit, & lib. 27. cap. vltimo, idem iunipero aßimilauit. Id quod dubio procul oſtendit, Tragium hoc omnino illi fuiſſe ignotum: & quod tantum id de eo memoriæ prodiderit, quod ab alijs authoribus non minus fortaſſe hac in re cæcutientibus mutuatus eſt. Hoc ætate noſtra non defertur, quod ſciam in Italiam, quo fit, vt id mihi hactenus, ſicut & cæteris herbarum ſtudioſis, vt ferme ſuſpicor, ſit in Italia incognitum. Quamobrem minimè audiendi ſunt impoſtores quidam, qui cõtendant Dictamnum album ita vocatum, vulgaris notitiæ plantam, non in Creta tantùm, ſed vbiq; ferè naſcens, legitimum eſſe Tragium, de qua re nouus quidam Pſeudorizotomos contra me ſcribere, & erroris me arguere non erubuit. Verùm mihi ſat eſſe crediderim ad huius expugnandam temeritatem, teſtes habere Dioſcoridem, Galenum, Oribaſium, Paulum, Plinium, quippe qui vno ſimul conſenſu ſcribant, nuſquam naſci Tragium præterquam in Creta. Sed proh hominis ſtupiditatem atq; amentiam! Ipſe enim cum ſtupidus ſit totus, hos grauiſſimos autores ſtupidos ſibi ſimiles fuiſſe cenſet. Sed an quis tam excors fuerit, qui putet, ſi his clariſſimis ſcriptoribus Dictamnum album, quo ſcatet vniuerſa ferè tellus & vulgaris vbiq; eſt planta, fuiſſet Tragium, ſcripſiſſe vnquam eos non naſci id niſi in Creta? nemo profectò, præter hunc, & qui eum ſubduxit ſycophantam. Atqui cum videat Dioſcoridis lectionem ſibi repugnare, quod habeat τὰ φύλλα σχίνῳ ὅμοια, καὶ τὰς ῥάβδους καὶ τὸν καρπὸν, μικρότερα δὲ πάντα: id eſt folia, & virgas & fructum lentiſco ſimilia habet, ſed minora omnia: videatq́ Dictamnũ album folia gerere lentiſco longè maiora, mendum Dioſcoridi ſubeſſe admonet, & vult legendum eſſe μακρότερα non μικρότερα: ac vt ſtolidam ſuam fulciat opinionem, perditiſſimum ſeductorem ſuum in teſtimonium citat, quippe qui Conſtantinopoli Dioſcoridis exemplar antiquiſſimum legiſſe ſe teſtatur, apud Hammonem quendam Iudæum (miror ſane cur non dixerit apud Hammonis oraculum) in quo μακρότερα legitur. O ſtultiſſima euaſio, & prorſus exibilanda. An non ſuo ipſius ſe iugulauit gladio? Nunquid non videt miſer, quod vbi μακρότερα δὲ πάντα legerit, Dictamnum album ſeſquipedalem herbam non folijs ſolùm ſed virgis ſeu ramis, & fructu quoq; lentiſco arbore non infima, maiorem facit? Id quod falſiſſimum eſſe non ſolùm perpetuò teſtabuntur rei plantariæ ſtudioſi, ſed etiam rudes quicunq; ruſtici, qui ambas haſce nouerint plantas. An non diſtat tantum Dictamnum hoc à lentiſco, quantum chamædrys à quercu, quantum chamæpitys à pinu? quo ergo pacto virgarum, ramorumq; magnitudine lentiſcum ſuperabit? O diuinum ingenium ad inſidias parandas. Cæterum quid de fructu vobis videbitur, qui rem plantariam excolitis? Nunquid vidiſtis, obſecro, in Italia, in Chio, in Creta, aut alicubi terrarum, lentiſcum perinde ac Dictamnum album quinquetras proferre ſiliquas, & ſemen in illis cõcluſum, an botros racemosve baccis ruſeſcentibus ſtipatos, è quibus Lentiſcinum oleum premitur? Nunquid (inquam) differunt apud vos botry racemive à ſiliquis? Forſice hic opus eſt, ne in poſterum tam inſidioſis linguis medica corrumpatur materia. Quod autem ſecundo loco à Dioſcoride repræſentatum eſt, id potius herbam eſſe crediderim, quàm arbuſculam, cùm eius radix tam cruda quàm cocta in cibum veniat, ſitq́ ſylueſtri raphano proxima. Veruntamen nondum reperi qui plantam mihi demonſtraret folijs ſcolopendrio ſimilibus, quæ hirci virus oleant. Ex quo adducor, vt ab ijs planè diſſentiam, qui putant Tragiũ hoc eam eſſe plantam, quam quidam Pimpinellam, quidam verò ab odore Saxifragiam hircinam appellant. Quandoquidem huic ſcolopendrij folia non inſunt, nullaq;*

Dictamnum album non eſſe Tragiũ.

Forſice opus eſſe ad impoſtorum linguas.

Tragium 2. Dioſcor.

Pimpinella nõ eſt Tragiũ

I. PIMPINELLA SAXI-fraga.



* II. PIMPINELLA MI-nor. *



III. PIMPINELLA SIVE SAN-guiſorba maior.



nulluſq́; eius ad dyſentericos vſus, tametſi ad ciendam vrinam, expediendoſq́; viſcerum infarctus plurimùm præſtet. Huius PIMPINELLÆ duo habentur genera, maius & minus. Maior radice nititur longa: folijs, quæ ad radicem ſunt circumquaque ſolo procumbentibus (pluribus ex vno pediculo vtrinque emergentibus) diſſectis, per ambitumque ſerratis: caule quadrangulari: floribus, in vmbellam cohærentibus, tenuibus, albicantibusque. (Radix illi longa, digitali craſſitudine, acri ſapore) MINOR caule exit rubenti: folijs minoribus, minus diſſectis, minutiuſq́; ſerratis, (ac tenuiore etiã radice, ſaporis eiuſdem) vtraq́; tamen hircum redolet. (Naſcitur in montibus, collibus & incultis locis.) Radix in qua vis tota conſiſtit, excalfacit ſiccatq́; ordine ſecundo completo, aut ſanè tertio incipiente. (Aperit, prouocat, attenuat, digerit, incidit. Sed maior acrior eſt atq́; valentior. Vtriuſq́; radix) præſtat ad renum & veſicæ morbos, quorum calculus eſt cauſa. Ob id enim calculos in renib. genitos frangit & eijcit, & vrinam remoratam pellit. Prodeſt expreſſus è radicibus ſuccus ex vino hauſtus, deleterijs medicamentis & venenoſorum animalium morſibus. Qua ratione non deſunt, qui ad peſtilentiam radicem hanc miris laudibus efferant. Eſt & alia PIMPINELLA, quæ à noſtris vulgò SOLBASTRELLA nominatur. (Duum eſt generũ: minor & maior. Minor folijs prouenit ab vna radice numeroſis, compluribus ab vno tenui pediculo vtrinq́; prodeuntibus, ſubrotundis, puſillis, vbique in ambitu crenatis, firmis, humi in orbem accubantibus, adſtringente guſtu: cauliculos edit plures, tenues, ſubrubentes, rotundos, dodrantales atque maiores: in quorum ſummitatibus capitula exeunt ſquamoſa, ſubpuniceo colore: in quibus ſemen. Radice nititur lignoſa ſubrufeſcente, adſtringentis guſtus. Naſcitur in agris non cultis, in collibus, & ſeritur in hortis,) nullis non cognita, vtpote quæ acetarijs frequentiſſimè inſeratur. Verum hæc ab antedictis longe diſtat viribus, etſi foliorum facie ſatis inter ſe conueniant. Siquidem vltima hæc guſtata non

Pimpinellæ genera & vires.

Pimpinellæ vulgaris quæ Solbaſtrella conſid.

IV. PIMPINELLA SIVE SANguiſorba minor.



Pimpinel. vulg. non eſt Elatine.

Tragi vires ex Gal.

Nomina.

*non leuiter adſtringens percipitur, & manſa lentoris copiam præbet, glutinat, ſiccat, reſoluit & cohibet. Vnde facilè coniicitur, eam eſſe adſtrictoriæ facultatis. Hinc itaq; fit, vt puta muliebre profluuium, rubrum albumq; efficaciſſimè ſiſtat: dyſenteriam, & cæteros alui fluxus cohibeat: quin & bilioſas vomitiões reprimat, [ſanguinis reiectiones ſiſtit]. Herba ipſa vulnera, & vlcera ſanat: miſceturq; vnguentis, quæ tum ad capitis vulnera, tum ad carcinomata parantur. Natat ſæpè in poculis vino repletis, quòd gratiam quandam, iucunditatemq; potantibus afferat. Hanc Matthæus Curtius clariſſimus ætatis noſtræ medicus, contagioſis, peſtilentibusq; febribus maximè commendauit. Sunt qui eam Elatinen eſſe putent. Sed ij, meo quidem iudicio, aberrant, vt ſupra etiam in ſua mentione docuimus. Cæterùm duûm Pimpinella hæc eſt generum. Maior in Bohemia in pratis, paſcuis & inculto ſolo plurima naſcitur, folijs, ramis, caulibus, capitulis & radicibus alterius longè maioribus, folia longiora latioraq; profert: caules proceriores, & capitula craſſiora oblongioraq;. Sed eadem vtriq; facultas. Tragij meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi hæc de eius viribus tradit. Tragi, inquit: folia, ſemen & lachryma, trahentis digerentisq; ſunt facultatis. Eſt verò & tenuiũ partium, & facultate in principio tertij ordinis calida. Corpori infixa extrahit, lapides frangit, menſes mouet drachmæ pondere potum. Porrò in Creta ſola naſcitur tragion lentiſco ſimile. Cæterùm alterum Tragium hoc minus, cuius folia ſcolopẽdrio ſimilia ſunt, viſitur quidem multis in locis: ſed non parum habet facultatis adſtringentis, vt & ad fluxionum affectus conueniat. Vtraq; planta Græcis τράγιον, quemadmodum & Latinis Tragium appellatur. Pimpinella ſeu Saxifraga hircina: Italis Saſſifragia di becco: Germanis Bibernel. At Pimpinella Sanguiſorba: Italis Pimpinella ſeu Sorbaſtrella: Germanis Hergotts Bärtlin: Gallis Pimpenelle. Pimpinella ſeu Sanguiſorba maior, Italis Pimpinella ſeu Sorbaſtrella maggiore.*

I. Pimpinella maior vmbella candida, C.B. Pimpinella ſaxifraga, Matth. Pimpinella ſaxifraga maior, Lugd. Camer. Pimpinella Brunf. Sardo, Lonic. Cordo in Dioſc. cui & Daucus veterum & Paſtinaca Gallica Plinii. Pimpinella maior, Trag. Fuchſ. Turn. Geſ. hor. Lobel. Pimpinella noſtras communis maior, Thal. Bipennula, Lacu. Petrafindula, Ianuenſi. Saxifraga maior, Dod. gal. Saxifraga magna, Dod. fol. Saxifraga vulgaris maior, Cluſ. hiſto. Pan. Saxifraga hircina maior, Geſ. hor. Caſt. Cam. Saxifragia prima, Cæſ. Tragoſelinum maius, Taber. Variat in foliorum colore & laciniis: ad huius radices in quibuſdam locis grana notantur, quorum medulla in colorem rubeum mutatur, cuius vſus ad tincturam Carmeſini Lacuna monente, in quibus & vermiculi Coſtæo auctore, naſcuntur, quare Coccus radicum dici poterit. II. Pimpinella minor, C.B. & Cam. in Matth. Hæc radice tenuiore, prolixiore, acriore á maiori differt: caule, foliis & florib. magnitudine tantùm ab illa recedit, aliquando varia eſt foliorum diuiſio, ſic interdum Carui inſtar minutiſſimè laciniantur: floſculi quandoq; rubeſcunt vt & cauliculi cum neruis, ſemen Ammi minus refert. Frequens apud nos ad vrbis mœnia, locis enim arenoſis & petroſis gaudet. Dicitur Daucus Selinoides, Cordo in hiſto. Dauci tertium genus, Lugd. Saxifraga hircina minor, Geſ. hor. Camer. Saxifraga minor, Dodo. gal. Saxifraga prima, Dodo. fol. Saxifraga ſecunda, Cæſal. Saxifraga vulgaris minor, Cluſ. hiſt. Pan. Bipinella, Lob. Pimpinella ſaxifraga minor, Lugd. Cam. Pimpinella noſtras communis minor, Thal. Tragoſelinum minus, Tab. Tragium, Columnæ. III. Pimpinella ſeu Sanguiſorba maior, Matth. Lugd. Caſt. Cam. Pimpinella maior, Dod. gal. Pimpinellæ Italicæ ſecundum genus, Trag. Pimpinella Italica maior, Thal. Pimpinella ſylueſtris, Dod. fol. Sanguiſorba maior, Fuchſ. Tab. Sanguiſorba altera maior, Lob. IV. Pimpinella ſiue Sanguiſorba minor, Matth. Caſt. Pimpinella minor, Dodo. gal. Lug. Pimpinellæ Italicæ primum genus, Trag. Pimpinella Italica, Lonic. Pimpinella Italica minor, Thal. Pimpinella minor ſylueſtris, Geſ. hor. Pimpinella ſanguiſorba, Dod. fol. Pimpinella, Lob. Cæſal. Sanguiſorba minor, Fuchſ. Cord. in hiſt. Tab. cui & Sorbaria minor: Sideritis ſecunda, Anguillaræ. Hæc hirſuta eſt, at hortenſis glabra, quod cultu euenire poteſt.

a Meũ & Cat. θαμνίσκος κείμενος ἐπὶ γῆς ἐπιμήκης οὐ μέγας σπιθαμῆς ἢ μείζων. φύλλα δὲ οὐκ ἔχει. i. Frutex paruus, hærens humi, oblongus, non magnus: ſpithamæ altitudine, aut maior; folia verò non habet.

b Vtrumque exẽp. τούτου ὁ καρπὸς ὡς ῥάγες δέκα. i. ipſius fructus nempe baccę decem.

Τράγος.

## TRAGVM. CAP. XLVI.

ESt etiam herba tragos, quam aliqui ſcorpion, aut traganon vocant: maximè in maritimis naſcens, a palmum alta, aut amplior, fruticoſa, humilis, oblonga, ſine foliis: puſillis circa ramos acinis, rufis, multis, magnitudine tritici, acuto cacumine, guſtu multùm adſtringente. b Racemorum acini decem ex vino poti, cœliacis, & fœminis fluxione vuluæ laborantibus, auxiliãtur. Tunduntur á pleriſq;, & in paſtillos digeſti aſſeruantur: quibus vtuntur, cum opus eſt.

Tragi conſi.

*TRagum aliquibus Scorpion vocari non modò tradidit Dioſcorides, ſed etiam Plinius libr. 27. cap. vltimo, his verbis: Eſt & herba Tragos quam aliqui Scorpion vocant, ſemipede alta, fruticoſa, ſine folijs: puſillis racemis, rubentibus, grano*

TRAGVM.



*grano tritici, acuto cacumine, & ipſa in maritimis naſcens. Et lib. 21. ca. 15. Spinoſarum, inquit, multæ ſpecies. In totum ſpinoſa eſt aſparagus, ſcorpio: nullum enim folium habet. Id quod ante ipſum poſteritatis memoriæ prodiderat Theophraſtus lib. 6. cap. 1. de hiſtoria plantarum, cum inquit: Aculeatorũ alia ex toto aculei ſunt, ceu corruda, & ſcorpius, hæc enim nullum præter aculeum folium gerunt. Hinc itaq; omnibus abundè conſtare arbitror, herbam, cuius hic effigiem damus, legitimum eſſe Tragum: etſi non deſint, qui aliter ſentiant, quos omnino nihili facio, quòd ſciam hos eſſe longè magis addictos euertendæ, quàm reſtituendæ veritati. Siquidem in hac planta nihil deſiderari poteſt quod Trago non conueniat. Eſt enim frutex paruus, humi procumbens, ſpithamæ altitudine, in maritimis naſcens, ſine folijs, puſillis circa ramos acinis, rufis, multis, acuto cacumine, vel potius vt Plinius inquit, ac etiam Theophr. planta eſt ſpinoſa tota. Ea ſiquidem in Tergeſtino littore prouenit, & ad Argentarium promontorium in Hetruria, nulla prorſus reclamante nota ex ijs, quas rei herbariæ authores Trago reddiderunt. Huius tamen nuſquam, quod inuenerim, meminit Galen. in ſimpl. med. cenſu. Herba hæc τράγος καὶ σκόρπιος Græcè dicitur: Latinè item Tragus & Scorpio: Italis Trago.* Nomina.

Quæ pro Trago proponitur á Matthiolo, Kali ſpinoſum nobis dicitur: at in figura folia minus rectè expreſſa: hæc quidem foliis eſt aliquando longioribus (vt figura Lobeli & Lugdunenſis, Tragi Matthioli nomine, exprimit) aliquando breuiorib. latioribus item & anguſtioribus variat, quemadmodum in littore Veneto obſeruauimus: Drypis nomine, & quidem alia figura, expreſſit Tabernæmontanus. Tragum Dioſcoridis ſupra tertio ab hoc capite poſuimus.

Σχοῖνος. IVNCVS. CAP. XLVII.

IVnci duo genera: vnum læuis nominati: alterum acuti, qui in mucronem faſtigiatur. Cuius etiam duo aſſignantur genera: Vnum ſterile: reliquum fert ſemen nigrum, rotundum, & craſſiore conſtat cala-

I. IVNCVS.



II. IVNCVS FLORIDVS.



mo,carnoſioreq;. Tertius eſt iuncus, qui vocatur Oloſchœnos, prioribus carnoſior aſperiorq; [illegible] lem ſupradicto fructum in cacumine parit. Semen vtriuſq; toſtum, ex diluto vino potum, ſiſtit [illegible] rubra fœminarum profluuia: vrinam cit, capitisq; dolores facit. Quæ proxima ſunt radici [illegible] conuenienter illinuntur aduerſus phalangiorum morſus. Æthiopici iunci ſemine ſomnus allicitur: ſed modus in potione ſeruandus eſt, ne ſopor fiat.

Iunci conſideratio, & vires ex Gal.

*IVncus caule eſt læui, viridi, in cacumine aculeato, alba intus medulla. Semen gerit in ſuperiore caulis parte, è latere prodiens racemoſum, ſubrubrum, adſtringentis guſtus. Alter conſimilis eſt. Sed ſine ſemine prouenit, & tenuioribus [illegible] mis. Omne genus vulgaris eſt notitiæ, quandoquidem propter ſtagnantes aquas, cum in mari, tum in fluminibus, lacubus, paludibus, ac cæteris aquoſis locis, omnes eius reperiuntur ſpecies. Naſcitur in Bohemia iuncus circa aquas, qui folijs exit [illegible] vno ceſpite numeroſis cyperi ſimilibus, ſurſum ſpectantibus, caulibus pluribus, læuibus, iunci modo glabris, in quorum cacumine flores emicant ſpecioſi, ſubpurpurei, è quibus ſemen gignitur, quem à floribus ſpecioſis, quos edit, nos floridum iuncum vocare voluimus, eiuſdem cum alijs facultatis. Creditur ea omnia præſtare poſſe, quæ cætera præſtant genera. Iuncorum meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi de ijs ita ſcriptum reliquit: Schœnos [illegible], hoc eſt, iuncus [illegible] læuis, quædam oxyſchœnos, alia oligoſchœnos, nuncupatur. Gracilior duriorq́; oxyſchœnos, craſsior laxiorq́; oligoſchœnos. Fructus oligoſchœni ſomnum affert. At oxyſchœni duæ ſunt ſpecies: altera ſterilis, cuius quidem in medicina nullus vſus eſt, altera verò ſemen fert, cuius etiam ſemen ſomnum conciliat, ſed minus quàm oligoſchœni: quanquam tamen hoc capite [illegible] tentet. Vtrumq; ſi frictum cum vino bibatur, ventris fluxus deſiccat, & muliebre profluuium rubrum ſiſtit. Ex quibus [illegible] rum eſt, quòd compoſita eorum temperies eſt ex terrena videlicet eſſentia leuiter frigida, & aquea leuiter calida: vt & in[illegible] ferna deſiccare poſsint, & ſenſim frigidos ad caput vapores ſubmittere, quibus ſomnolentos efficiant.*

Nomina.

*Σχοῖνος ſic Græcis, Iuncus verò Latinis vocatur: Arabibus Dis: Italis Giunco: Germanis* Bintzenſchmelen: *Hiſpanis Iunco: Gallis Ionc. Iuncus floridus, Italis Giunco florido.*

Iuncus alius odoratus, qui aliquando ramoſus reperitur, de quo libro primo, alius inodorus, hicq; acutus vel læuis: vtriuſq; rurſus generis habentur differentiæ. Figura primo loco poſita, Iuncum acutum duplicem exhibet, pannicula ſparſa & non ſparſa. II. Iuncus floridus Matth. Caſtor. Lugd. Calamogroſtis altera, Trag: Sparganium, Dod. gal. Gladiolus, Cord. in Dioſ. Gladiolus paluſtris, Cordo in hiſt. cuius Scholiaſti Gladiolus Theophraſti videtur: Gladiolus aquatilis, Dod. fol. Iuncus Cyperoides floridus paludoſus, Lob. Iuncus Cyperinus floridus, Tab. Butomus Theophraſti Cæſalpino.

## Λειχήν. LICHEN. CAP. XLVIII.

LIchen, qui ſaxis eſt familiaris, aliquibus Bryon appellatur, aſperginoſis petris adhæret, vt muſcus. Is illitus ſanguinis profluuia ſiſtit, inflammationes arcet, impetigini medetur. Iuuat regio morbo compreptos, cum melle illitus: oris & linguæ defluxiones inhibet.

Lichenis cõſideratio.

I. LICHEN.



*LIchen procul dubio ea eſt planta, quam officinæ, & herbarij hodie Hepaticam vocant. Hanc autem Græci Lichena appellarunt, quòd Lichenas ſerpentis morbi genus, impoſita ſiſtat & ſanet. Lichen in aſperginoſis, & rorulentis prouenit locis, nudis petris adhærens, muſci modo. Folio conſtat ſuppingui, aſpero, robuſto, cartilagineo, prope radicẽ anguſto, in latum ſe pandente, nullis adnixis pediculis, in cacumine triplici vel quadruplici lacinio interſecti, radicibus numeroſis perquàm exiguis aduerſa foliorum parte emergentibus. Prodeunt à radice cauliculi tenues, quibus capitula inſunt parua, floribus paruis, ſtellarum effigie.*

Lichenis genera ex Plin.

*Lichenis Plinio lib. 26. cap. 4. duo produntur genera, quæ his verbis depingit: Lichen, inquit, herba omnibus his præfertur: vnde nomen inuenit. Naſcitur in ſaxoſis, folio vno ab radice lato: caule vno, paruo, longis folijs dependentibus. Hæc delet & ſtigmata: teritur cum melle. Eſt aliud genus Lichenis petris tantùm adhærens, vt muſcus, qui & ipſe illinitur. Hic & ſanguinem ſiſtit vulneribus inſtillatus, & collectiones illitus. Morbũ quoq; regium cum melle ſanat ore illito & lingua. Qui ita curantur, aqua ſalſa lauari iubentur, vngi oleo amygdalino; hortenſibus abſtinere: hæc Plinius.*

Pulmonariæ depictio & vires.

*Cæterùm eſt herba Licheni non longè diſsimilis, quæ in quercuum aliarumq́; ſylueſtrium annoſarum arborum caudicibus naſcitur, in denſis & opacis præſertim ſyluis: hæc tamen maiora latioraq́; fundit folia, varijs modis per ambitum laciniata, ac ſi à vermibus eroſa fuerint, aridior, & ambitu latior, ſuperiore parte vireſcens, inferiore verò palleſcens, maculis quibuſdam ſubalbicantibus referta, adeò vt formã pulmonis referat: vnde pleriſq;* PVLMONARIA *dicta eſt. Adſtringit, ſiccat, abſtergit, vulnera glutinat. Vtuntur hac nonnulli magis fortaſſe nomine, quàm ipſis viribus freti, ad tabem, pectoris & pulmonum vlcera & cruenta ſputa. Nec deſunt, qui laudibus eam efferant ad vulnera ſananda, ad pudendorum vlcera, & ad vtrumq; muliebre*

II. PVLMONARIA. III. PVLMONARIA ALTERA.





*liebre profluuium, cui mirificè mederi aiunt. Quin & eam dyſentericis exhibent, & billioſa euomentibus. Sunt quoq; qui ea vtātur ad ſuſpirioſos, anhelatores & Aſthmaticos, cum glycyrrhizæ ſucco, hyſſopo, elenij radice, & ſcillino oxymelle: valet eadem ad ouium, & cæterorum quadrupedum tuſſim & reſpirandi difficultatem. Quamobrem paſtores eam in primis tundentes, mane morboſis ouibus cum ſale propinant. Eſt & alia herba, quæ etiam Pulmonaria vulgò nominatur, ab illa tamen maximè differens, in opacis locis proueniens, prope vliginoſas ſepes, folio bugloſſi, Boraginis quadãtenus æmulo, non tamen criſpo, nec hiſpido, oblongo, aſpero, hirſuto, albis maculis (ſuperna parte) circumſperſo (Boraginis ſapore) Caulem gerit hæc ineunte vere (angulosũm atq; tenerum) in cuius (adnatorum) cacumine flores erumpunt purpurei, perinde ac in vulgari Cynogloſſo. Cohibet, conſolidat, ſiccat, abſtergit. Huic plantæ rei herbariæ periti non contemnendas vires tribuunt, ad pulmonis vlcera ſananda, tum cæteras infectiones. Qua in re, itemq; in ſanguinis reiectione mirabili ſucceſſu ſe eam exhibuiſſe mihi ſæpius retulit Iulianus à Maroſtica Teruiſienſis medicus peritiſſimus: decoquitur enim ad medias, daturq; decoctum potandum addito ſaccharo: vel ſuccus ex folijs expreſſus ſerapij modo cum ſaccharo paratus, maiori ſucceſſu præſtat. Præſtant hæc omnia herba ipſa, & flores, quoquo modo à tabe affectis ſumantur decocta. Lichenis meminit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Lichen, qui in petris naſcitur, eſt velut muſcus quidem, ſed rectè ex plantarum genere cenſeri poteſt. Sic autem nominatus videtur, quòd lichenas ſeu impetigines curet. Extergentem, ac modicè refrigerantem facultatem habet, vtranq; verò reſiccantem. Abſtergentem quidem, atq; exiccantem à petra obtinet, refrigerantem verò ab humore aqueo: naſcitur enim in humidis, & grauiter olentibus ſaxis. Porrò quod ex talibus ſubſtantijs componitur, aduerſum eſſe inflammationi nihil mirum eſt. Cæterùm an ſanguinis profluuia ſiſtat, vt refert Dioſcorides, id neutiquam dicere queo. Quod Græcis λειχὴν, Latinis item Lichen dicitur: Arabibus ArZezalſacher: Italis Lichene ſeu Epatica: Officinis Hepatica: Germanis* Stein Leberkraut vnd Brunnen Leberkraut: *Hiſpanis Epatica & Figadella: Gallis Hepatique & Porcorau. At pulmonaria, Italis Polmonaria: Germanis* Lungenkraut: *Gallis Herbe aux pulmons.*

Pulmonaria alia.

Lichenis vires ex Gal.

Nomina.

I. Lichen, Matth. Fuchſ. Turn. Dodo. gal. & fol. Cordo in Dioſcor. Lacun. Lobel. Thal. Cæſal. Hepatica, Brunf. Lonic. Hepatica prima, Taber. Iecoraria ſeu Hepatica fontana, Trago. II. Pulmonaria Matth. Trag. Fuchſ. Dodo. gal. & fol. Lacu. Geſ. hor. Lonic. Taber. Thal. Pulmonaria prima, Caſtor. Muſcus pulmonarius, Lobel. Pulmonaria fungoſa, Lugdun. Lichenis genus, Cæſalpino. III. Pulmonaria latifolia maculoſa, C. B. Pulmonaria altera, Matth. Caſtor. Pulmonaria, Dodo. gal. Thal. Cæſalp. cui & Callæ alterum genus Plinii. Pulmonaria maculoſa, Lobel. Taber. Camer. Pulmonaria maior, Lugdun. Pulmonaria Plinii, Geſ. hor. Symphytum maculoſum Dodonæo hiſtoria Latina in folio.

## Παρωνυχία. PARONYCHIA. CAP. XLIX.

PAronychia exiguus frutex, in petris naſcens, peplo ſimilis, minor longitudine, maioribus foliis. Illita paronychiis, atq; fauis remedio eſt.

PARONYCHIA.



PARONYCHIA ALTERA.



Paronychiæ conſid.

*Paronychia, cuius hic primo loco imaginem damus, non modò in ſaxis gignitur: ſed etiam in veterum ædificiorum parietibus, folijs adeò rutæ ſimilibus, vt non deſint qui eandem parietariam, ſiue muralem rutam appellent: verùm cum Dioſcorides Pepli folijs naſci paronychiam ſcribat, non deſunt naſuti, qui ſententiam hanc noſtram impugnent. Atqui ego horum vitilitigatorum calumnias ridere ſoleo, quòd ſciam Peplum Dioſcoridis teſtimonio, folijs rutæ paulò latioribus prouenire. Itaq; potius ijdem accuſandi ſunt, qui hanc plantam alterum Theophraſti Adiantum faciunt, nempe quod album ipſe appellauit. Siquidem is nullam inter nigrum, & album Adiantum interponit differentiam niſi coloris tantùm, quum huius caule niger, in illius verò albus appareat. Folia in Adianto coriandrina eſſe debent, & quæ in aqua nunquam madeſcant. At Paronychiæ noſtræ folia ſunt rutæ, nec aquam reſpuunt. Præterea cauliculi ſunt illi virides, non albicantes, nec ſetis ſuillis ſimiles, quinetiam nec pellucidi. Nec vnquam locis humidis aſperginoſisq; prouenit, in quibus Adiantum maximè naſcitur, Theophraſti ipſius teſtimonio: ſed in aridis & ſiccis, cuiuſmodi ſaxa ſunt, & parietes: quo fit vt hallucinentur, qui hac ducuntur opinione, & dum me erroris coarguunt, ipſi longè magis ſeſe damnandos offerunt. Quanquam non deſunt, qui hanc plantam vnà mecum Paronychiam faciunt, quum tamen ſint qui reclament, ne diſſenſio vlterius protrahatur, non Dioſcoridis, ſed noſtram Paronychiam eam eſſe volumus. Naſcitur frequens in Italia, quam Paronychiam nobis appellare libuit, ſed copioſiſsimam vidimus in ingenti ſylua, qua iter ijs eſt, qui Goritia diſcedentes Labacum Carniolæ metropolim petunt, vbi in ingentibus ſaxis, ſpretis algoribus, perpetuò vireſcit. Caterùm hæc vrinam ciet, & arenulas, & renum calculos pellit, vnde inter ſaxifragorum genera quibuſdam reponitur. Peculiariter autem præſtare hanc compertum eſt ad puerorum enterocelas. Scimus enim nonnullos eſſe ſanatos, hauſto tantum huiuſce plantæ puluere, continuis quadraginta diebus, quibus manifeſtè collapſa inteſtina in ſcrotum cernebantur. Eſt & Alia planta cuius quoq; nos hic imaginem appinximus, quam quidam legitimam Dioſcoridis Paronychiam faciunt. Horum ego ſententiam nec probare, nec improbare auſim: ſit itaq; de ea aliorum quoq; iudicium. Habet hæc folia Peplo longiora, flores paruos, copioſos, racematim cohærentes, albo colore. Sed qui Paronychiam florere ſcribant hactenus non legimus: quinetiam mihi incompertum eſt an in petris oriatur. Meminit Paronychiæ Galenus libr. 8 ſimplicium medicamentorum, ita de ea ſcribens: Paronychia ab effectu nominata eſt: ſanat enim paronychias, & vt refert Dioſcorides, fauos quoq;. Vis eius eſt tenuium partium, & exiccatoria morſu vacans: talia enim ſint oportet, quæ Paronychias ſanant. Porrò ſatis conſtat tale eſſe idoneum ad digerendos affectus omnes, qui digeri poſtulant. Siquidem eiuſmodi ſunt, quæ cùm ex tertio ſint ordine excalfacientium, & deſiccantium, velut & hoc, eſſentia inſuper tenuium partium ſunt. Planta Græcis παρωνυχία, partter Latinis & Italis Paronychia nominatur.*

Adiantum album Theop. non eſt Paronychia.

Paronychiæ vires.

Paronychia altera.

Paronychiæ vires ex Gal.

Nomina.

I. Paronychia, Matth. Lacun. Capillus Veneris, Brunf. Trag. Saxifraga minor ſecunda, Brunf. edit. poſtr. Saxifragum ſeu Empetrum, Fuchſ. in icon. Ruta muraria, Dodo. gal. & fol. Geſn. hort. Adiantum candidum, Cordo in Dioſcor. & hiſtor. Thal. Adiantum album, Lonic. Tabernæmon Camer. Adiantum nigrum, Geſn. hort. Cæſalpino. Saluia vita, Lobel. & Lugdunenſi. II. Anthyllis maritima Alſinefolia, C. B. Paronychia altera, Matthiol. Lugdunen. Paronychia Matthioli, Taber. Paronychia Dioſcoridis, Anguil. Gramen ſecundum Plinii, eidem. Marina incana Alſinefolia Narbonenſis, Aduerſ. Anthyllis marina incana Alſinefolia, Lobelo in icon. Lugdun. Centumgrana vulgò, Cæſalpino.

Χρυσοκόμη. CHRYSOCOME. CAP. L.

CHryſocome palmi altitudine fruticat: coma ſpecie corymborum, hyſſopo ſimili: radice hirſuta, veratri nigri modo, tenui, cyperum æquante: guſtu non iniucundo, ex dulci auſtero: in petroſis, opacisq; naſcitur. Radix excalfacit & adſtringit: his conueniens, quos iecur, aut pulmonis inflammatio malè habet: contra purgationes vuluæ, decocta cum hydromelite aſſumitur.

*QVi Chryſocomen in Italia mihi oſtenderet, hactenus reperi neminem. Quamobrem in eo naturæ viridario, plantis compluribus nobis incognitis referto, quod tantum in ſui ipſius vſum colit natura, ne omnibus exuta medicamentis, ſuis etiam languoribus mederi nequeat, eam & vireſcere, & floreſcere omittamus, donec nobis, aut alijs compertam in cōmunem quoq; cognitionem, & vſum prodere contingat. Interim tamen, vt noſtrum inſtitutū ſequamur, vires eius ex Galeno ſubijciam: quas ipſe lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ijs verbis deſcripſit: Chryſocome vocatur & chryſites. Radix vincentes acrem ſimul, & adſtringentem qualitates habet: quare neq; multi vſus eſt. Vſui tamen eſt decocta in melicrato in peripneumonijs, & morbis hepaticis. Sed & menſtruæ purgationis prouocandæ vim quandam obtinet.* Χρυσοκόμη *ſic Græcè, vt etiam Chryſocome Latinè dicitur.*

Chryſocomes conſid.

Chryſocomes vires ex Gal.

Nomina.

Χρυσόγονον. CHRYSOGONVM. CAP. LI.

CHryſogonum densè fruticat, quernis foliis, flore coronarii verbaſci: radix vt rapum extuberat, intus ruberrima, foris nigra. Quæ trita cum aceto, atq; impoſita, muris aranei morſibus auxiliatur.

*CHryſogonum, niſi aliunde in Italiam deferatur, inter plantas, quæ minimè cognoſcuntur, & ipſum perpetuò recenſendum eſſe putauerim: vel nobis in abditiſſimis naturæ hortis, vbi deliteſcit, inueſtigandum erit. Siquidem hactenus mihi neq; inuenire, neq; ab alijs compertū videre licuit in Italia. Quod* χρυσόγονον *Græci, Latini quoq; Chryſogonū dicunt.* Nomina.

Ἑλίχρυσον. HELICHRYSVM. CAP. LII.

HElichryſon, quidam Chryſanthemon, nonnulli & id Amaranthon vocant, quo deorum ſimulacra coronant. Ramulum habet candidum, virentem, rectum, firmum: folia intercedentibus ſpatiis anguſta, abrotono ſimilia: comam aureæ lucis, in orbem: vmbella rotunda, veluti ſiccis corymbis dependentibus: radice tenui. Naſcitur in aſperis, & torrentium a alueis. Contra ſerpentium ictus, coxendicum dolores, vrinæ ſtillicidia, ruptaq;, coma è vino pota opitulatur: ciet menſes. Sanguinem concretum ventris ac veſicæ abſumit, pota cum mulſo: ieiunis, trium obolorum pondere, ſiſtit deſtillationes, data in vino albo diluto. Veſtibus inſeritur, vt eas ab erodentium iniuriis tueatur.

a Meū & Cat. χαραδρώδεσι τόποις. i. torrentium locis.

I. HELICHRYSVM.



II. HELICHRYSVM ITAlicum.



III. HELICHRYSVM CRE-ticum.



IV. STOECHAS CITRINA.



Helichryſi conſideratio.

* V. HELICHRYSON ORIentale. *



*Helichryſon copioſè prouenit in Hetruria in pratis, gracili ſolo, incultisq́ue locis, ſiticuloſis collibus, nec non etiam in fluminum alueis. Caule conſtat recto, æquali ac ligno ſo, cubitalem longitudinem non excedente: folijs per interualla emergentibus, abrotoni æmulis: comantibus in cacumine floribus, aureo colore fulgentibus, & in orbem vmbellæ modo cohærentibus, corymbacea facie, veluti myriophylli, vel agerati: qui exiccati aureum colorem diutius retinent. Proinde commodè hyeme, quòd eo tempore flores deficiant, puellæ ſiccum Helichryſum coronamentis ſuis inſerunt, quemadmodum & Amaranthum purpureum, quod noſtris Hetruſcis vulgò dicitur Fior velluto.* Fuch. error. *Helichryſum depinxit Fuchſius in ſuis de ſtirpium hiſtoria commentarijs, folio echij aculeato & floribus buphthalmi. Qua in pictura ipſum deceptum ſuſpicor, quòd ea Helichryſo minimè reſpondere deprehendatur. Helichryſi meminit Plinius lib. 21. cap. 25. vbi de eo diſſeritur his verbis: Heliochryſum, inquit, quod alij Chryſanthemon vocant, ramulos habet candidos: folia ſubalbida, abrotono ſimilia: ad ſolis repercuſſum aureæ lucis in orbem veluti corymbis dependentibus, qui nunquam marceſcunt: qua de cauſa deos coronant illo. Quod diligẽtiſſimè obſeruauit Ptolemæus rex Aegypti. Naſcitur in frutetis.* Helichryſum alterum. *Eſt & alia planta, in Italia quoq; naſcens, quam nobis* HELICHRYSVM *alterum Italicum vocare libuit, quòd plurimum in Italia proueniat, quòd folia illi quoq; ſint anguſta, & aurei in ſummitate flores, & ijſdem ſit facultatibus præditum quibus & præcedens. At* HELICHRYSVM CRETICVM *planta eſt exilis, folijs longis, anguſtis, hirſutis ſtriatisq́ue, caulibus anguloſis, vmbella in ſummitate aurea, diuulſaq;, radice tenui ac ſuperuacua. Naſcitur in Creta inſula. Ea omnia hæc quoq; quæ ſupradicta, præſtare poſſe creditur. Sed hallucinantur, qui plantam, quam quidam* STOECHADA CITRINAM *vocant, legitimũ Dioſcoridis Helichryſum eſſe cenſent.* Stœchadis citrinæ vocatæ deſcriptio. *Siquidem folia illi tenuia Abrotani modo non ſunt, ſed longa, albicantia & hirſuta. Caules palmares, aut maiores, lanuginoſi & incani, in quorum ſummitatibus flores ſunt aureo colore fulgentes, globoſi, odorati, in vmbellæ diuulſæ modum ſeſe pandentes. Radice nititur breui & ſubnigra. Naſcitur locis incultis, & in paſcuis: excalfacit & ſiccat, aperit & abſtergit, vt amariuſculus indicat ſapor: quinetiam nec adſtringenti facultate vacat. Decocti flores, aut ex vino macerati, iocinoru obſtru-*

*obſtructiones aperiunt: proinde datur vtiliter eorum decoctum, aut dilutum regio morbo, aut malo habitu affectis. Idem potum inteſtinorum vermes necat. Medetur tota planta omnibus cerebri morbis à frigido prouenientibus, nempe pituitoſis, vertiginibus, diuturnis doloribus, comitialibus, reſolutis, & id genus alijs, ſiue eius decoctum ſumatur in potu, ſiue herba in puluerem trita cum rhodomelle bibatur, aut oxymelite. In lixiuio addita non ſolum præſcriptis morbis fert auxilium, vt eo caput abluatur, ſed furfures quoq; abſtergit, & pediculos necat. Datur cum herba ipſa, tum eius decoctum, ad renum obſtructiones: ſiquidem renes expurgat, & vrinam pellit. Adduntur flores in fomentis, quæ ad vteri morbos frigidos, & obſtructiones parantur. Helichryſi ſub Amaranthi nomine mentionem fecit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum. ſic inquiens: Amaranthum facultatis eſt incidentis, & extenuantis. Coma igitur eius menſes cum vino pota educit: & grumos ſanguinis liquare creditur, non ſolum in ventriculo, ſed & in veſica: ſed tunc potius cum mulſo bibenda. Et omnes præterea fluxiones pota deſiccat, ſtomacho infeſta. hæc Galenus. Cæterum cùm Helichryſum tam Dioſcoridi, quàm Galeno Amaranthum dicatur, opportuna nobis ſeſe offert occaſio, vt hic* AMARANTHI *purpurei, quod, vt paulo ante di-*

Stœchad. cit. vires.

Helichryſi vires ex Gal.

Amaranthi purpurei conſideratio.

VI. AMARANTHVS.



* VII. AMARANTHVS pannicula incurua. *



*ximus, à noſtris vulgò vocatur Fior vellato, hiſtoriam, & vires tradamus, præſertim quòd puellis gratiſſimum ſit hyeme in ſuis texendis corollis, vtpote quod tam recens, quàm ſiccum, purpureum ac flammeum colorem diutius conſeruet. Hoc itaque folia profert ocimi maiora: caulem craſſum, pinguem, ſubrubentẽ, ſtriatum: florem ſpicatum, admodum purpureum: qui quamquam diu ſiccatus (vt ſuprà dictum eſt) aſſeruatur, haud quaquam tamen ſuum deperdit colorem. Amaranthum hoc, quantum equidem reor, memoriæ prodidit Plinius lib. 21 cap. 8. cum ſic inquit: Amarantho non dubiè vincimur. Eſt autem ſpica purpurea, verius quam flos aliquis, & ipſe ſine odore. Mirumq; in eo gaudere decerpi, & lætius renaſci. Prouenit Auguſto menſe: durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus aſſeruatur. Mirumq; poſtquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiſcit, & hybernas coronas facit. Summa eius natura in nomine eſt appellato, quoniam non marceſcit: hactenus de Amarantho Plinius. Huic facultas ineſt (vt recentiorum quorundam fert opinio) frigida & ſicca, repellit, cohibet: proinde flos eius potus cæliacos, & dyſentericos iuuat. Menſium abundantiam cohibet, & alias ventris fluxiones. Quinetiam cruenta expuentibus prodeſt, præſertim ſi in pulmone, vel pectore, vas aliquod fractum fuerit. Planta, quæ Græcis ἑλίχρυσον & ἡλιόχρυσον, Latinis pariter Helichryſum & Heliochryſum appellatur: Italis, Helichryſo. Stœchas citrina Italis, Amarantho giallo. At Amaranthus, Græcis Ἀμάραντος: Italis Amarantho, ſeu fior velluto: Germanis* Sammet Blum: *Gallis Paſſe velours.*

Amar. purp. vires.

Nomina.

Helichryſon quaſi aureum colorem habens, quare Gaza apud Theophraſtum Aureliam reddidit. I. Elichryſon foliis Abrotani, C. B. Helichryſum, Matt. Caſtor. Helichryſum Creticum. Matth. in compendio, ſed figura tranſpoſita eſt. Helichryſus verus, Geſ. hor. Helichryſum ſecundum, Taber. Elichryſon. Lacu. Cluſ. hiſt. Hiſpa. Dod. fol. Lugd. Camer. Elichryſon ſiue aureus flos, Lobel. Millefolium luteum tomentoſum vocamus id quod dicitur Helichryſum Italicum, Matthiolo & Lugdunenſi, Cam. Stratiotes millefolia, Dod. gal. Stratiotes lutea, Cluſ. hiſt. Hiſpa. Lug. Millefolium luteo flore, Geſ. hor. Cam. Millefolium luteum, Lobelo. Tabernæ. Helyochryſum ſecundum, eidem. Millefolium minus ſiue Stratiotes Chilliophyllus, Dodo. folio. Ad Achilleam Dioſcoridis, quam flore luteo eſſe dicit, forte referri poſſet. III. Elichryſon foliis Stæchadis citrinæ anguſtioribus, C. B. Helichryſum Creticum, Matthiolo & Lugdunenſi. IIII. Elichryſon ſeu Stœchas citrina anguſtifolia, C. B. Stœchas

citrina, Matth. Geſ. hor. Dod. fol. Lacu. Caſtor. Lugdu. Amaranthus & Heliochryſis prima, Trag. Li-nearia lutea, eidem. Amaranthus luteus, Fuch. Lacu. Lonic. Amaranthus citrinus, Turn. Helichry-Cord. in Dioſc. Cæſal. Ageratum, Dod. gal. Chryſocome, Lobel. Taber. Coma aurea, Lob. in icon. Elichryſon orientale: Caule eſt prædicto lanuginoſiore (in vtraque ſculptor lanuginem omiſit, craſsioribus, in caulis ſummitate quaſi in vmbella, octo & nouem cauliculi, vnciales incani, quibus ſin-gulis flos vnicus, rotundus, rarius oblongus, quaſi ex plurimis ſquamis compoſitus, quintuplo præ-maior, flauus, ſplendensq́;. An hæc ſit Chryſocome Dioſcoridis & Plinii, cui & Chryſitis: noſtræ enim co-rymbi fulgore auri ſplendent. VI. Amaranthus (eò quod huius flos non marceſcat) pannicula ſparſa, C. B. Amaranthus purpureus, Cord. in Dioſc. Lac. Lonic. Dod. fol. Lobel. Amaranthus primus, Caſtor. Amaranthus Plinii maior, Geſ. hor. Amaranthus, Cæſalp. Amaranthus purpureus maior, Taber. Ama-ranthus ſaturatiùs purpureus, Camerario. VII. Amaranthus pannicula incurua, C. B. Huius panniculæ in ſummo latiores, compreſſæ, hilariore aſpectu, reticulares, criſtas imitantes: folia quàm priori longi-ora, maculis rubentibus ſæpe aſperſis: ſemen puſillum atrorubens & ſplendens. Amaranthus purpu-reus ſecundus, Dod. gal. Amaranthus holoſericeis, ſanguineis, reticulatis floribus, Lobel. Amaran-thus holoſericeus, Lugdunenſis. Amaranthus Criſtatus, Germanis Hanen Kamm Camerario in ſuo Matthiolo.

## Χρυσάνθεμον. CHRYSANTHEMVM. CAP. LIII.

CHryſanthemon aut caltha, nonnullis buphthalmos, herba eſt tenera, fruticoſa, læues proferens caules, & multifida folia: flores ſupra modum ſplendentes, luteos, orbem oculi imitantes, vnde buphthalmi nomen traxit: propter oppida naſcitur: cuius caules oleris vice manduntur. Flores cum ce-rato triti, ſteatomata diſcutere produntur. Regio morbo correptis, colorem bonum breui reddunt, ſi ſequente longo balnei vſu, poſt exitum ebibantur.

CHRYSANTHEMVM.



*QVanquam non deſunt, qui crediderint Buphthalmum & Chryſanthemum vnam & eandem plantam eſſe, quòd paribus notis inter ſe certare videantur: tamen ſi particulares quædam notæ in vtriſq; diligenter expendantur, facilè inter has plantas diſcrimen aliquod notari deprehendetur. Quod cùm optimè ſciret Dioſcorides, diuerſis libris, diuerſisq́; capitibus de his ſpeciatim diſſeruit. Quod vtique minimè feciſſet, ſi compertum habuiſſet, nullam inter ea intercedere differentiam. Quæ tamen hinc cognoſci poteſt, primùm quòd Buphthalmo folia inſint fœniculo ſimilia, quæ planè capillaria conſtant: Chryſanthemo verò tenera, multifida, minutimq́; per ambitum laciniata. Deinde Chryſanthemi caules in cibis mandi aliorum olerum modo, ſcribit Dioſcorides: id quod de Buphthalmo agens ſilentio preterijt. Præterea flores Buphthalmo reddidit anthemidi ſimiles: Chryſanthemo verò luteos, & vehementer ſplendentes. Cæterùm de horum viribus differens, Buphthalmi flores, cum cerato tritos, tumores, duritiasq́; diſcutere tradidit in vniuerſum, & affirmatiuè locutus. Verùm poſtea de Chryſanthemo ſcribens, huius flores, inquit, ſteatomata diſcutere produntur, particulariter & dubiè locutus. Hæc ſanè harum plantarum manifeſta diſcrimina faciunt, vt credam, quod aliquis antiquorum curioſus, nimisq́; ſciolus, Buphthalmum & Chryſanthemum vnam tantũ referre plantam fortè exiſtimans, omnia in Chryſanthemo adiecerit, & confuderit quæ libro tertio de Buphthalmo memoriæ prodidit Dioſcorides: quemadmodum imprudenter de Ruta & Hyperico, Aſaro & Bacchari ab alijs factum eſſe in præcedentibus oſtendimus. Hoc itaq; argumento fretus, crediderim ego hoc modo Chryſanthemi caput eſſe legendum.*

Chryſanthemi caput reſtitutum.

*Chryſanthemon herba eſt tenera, fruticoſa, læues proferens caules, & folia multifida: flores luteos, admodum ſplendentes. Eius caules manduntur olerum modo. Flores cum cerato triti ſteatomata diſcutere produntur. Hinc itaque, ſic Chryſanthemi capite reſtituto, facilè patebit, quantum aberrauerint ij qui Chryſanthemum cum Buphthalmo confuderunt. Chryſanthemon, cui nulla prorſus ex modò traditis reclamet nota, frequentiſſimum prouenit in Senenſi agro, prope Montem nigrum, oppidum ita appellatum. Quin etiam copioſiſſimũ in Bohemia, Morauia & Auſtria in campis prouenit: cuius folijs infima plebecula in Hetruria pro olere veſcitur. Buphthalmum verò etſi antea à me non viſum, in noſtris commentarijs Italica lingua conſcriptis confeſſus eſſem, ad nos tamen hoc anno verum Patauio allatum eſſe ſuperius in ſua mentione indicauimus: quod etiam poſtea accepimus Piſis à Luca Ghino medico clariſſimo, & rei herbariæ peritiſſimo, omnibus prorſus adſtipulantibus notis, quæ illi tribuuntur. Quo factum eſt, vt certius auſim affirmare Chryſanthemi hiſtoriam auctam, deprauatamq́; eſſe in Dioſcoride.*

Fuch. error circa Chryſanth.

*Credidit Leonardus Fuchſius in ſuo de plantarum hiſtoria commentario, Chryſanthemum illud eſſe Ranunculi genus, quod folio apij, luteis floribus, in pratis plurimum naſcitur. Quæ in opinione quantum, pace eius dixerim, hallucinetur, euidentius omnibus eſſe puto, quàm vt à nobis oſtendi debeat. Chryſanthemi meminiſſe Galenum in libris de ſimplici-*

*ſimplicium medicamentorum facultatibus, hactenus incompertum habeo. Eius nomen Græcum eſt χρυσάνθεμον: Latinum uero Chryſanthemum: Ialicum Chryſanthemo.*

Nomina.

* II. BELLIS LVTEA maior.*



* III. BELLIS LVTEA minor.*



Chryſanthemum (ſeu aureus flos) foliis matricariæ, C. B. Chryſanthemum Matthioli, Lac. Lug. Taber. Huius elegans ſpecies in hortis noſtris, floribus partim candidis, partim luteis, nulloq; alio diſcrimine, cuius Geſnerus libro de hortis nomine Buphthalmi alterius meminit. II. Bellis lutea foliis profundè inciſis maior, C. B. Bellis maior lutea, Trago. Chryſanthemum, Dod. gal. & fol. Caſtor. Chryſanthemum ſegetum, Lob. Chryſanthemum aruenſe, Taber. Chryſanthemi ſpecies quarta, Cæſalp. Hoc adiecimus eò quod herbarii Lugdunenſis auctor eandem cum Matthioli Chryſanthemo ſtatuat, qua in re lapſus, cum non parua inter vtramque differentia intercedat. Hæc enim radice eſt fibroſa, ex qua caules aliquot ſeſquicubitales, teneri, glabri, virentes, rotundi & ramoſi prodeunt: circa quos folia oblonga ſemunciam lata, in plures partes laciniata & ſciſſa, pallida & tenera: in ſummo flores, Belli ſylueſtri maiori ſimiles, non modò diſco lutei, ſed & folia quæ orbiculatim circumpoſita & crenata ſunt, auri fulgore ſplendent, odore non inſuaui: ſemen in diſci medio continetur, oblongum, flaueſcens, carinatum. Variat folio: in altera magis virente & plus diuiſo: in altera folio magis cæruleo & minus diſſecto. Eſt & altera foliis ſubrotundis tantum à præcedenti varians, de qua in hiſtoria noſtra. In Germaniæ quibuſdam locis inter auenam & triticum prouenit, in Italiæ hortis notauimus. III. Bellis lutea minor à præcedenti magnitudine potiſsimum differt, cuius ſemen amariſsimum, licet in flore & folio nulla, aut minima ſit amaritudo, monente Do. Camerario in ſuo Matthiolo, cui Chryſanthemum minus, & Germanorum **Klein Goldblum** dicitur.

Α᾿γήρατον. AGERATVM. CAP. LIIII.

AGeraton a fruticoſa herba eſt b, palmari longitudine aſſurgens, ſimplex, humilis, Origano maximè ſimilis: vmbellam gerit, in qua c flos bullis aureis emicat, helichryſo minor. Nomen ei inditum eſt, quoniam diutiſsimè flos in ſua coloris ſpecie conſeruetur. Vis decocti feruens, huius vſtæ nidor vrinam cit, & vuluæ duritias emollit.

a Meum & Drag. θάμνος i. Frutex.
b. Orib. διασπιθαμος. i. duum palmorum.
c ἄνθος πομφολυγῶδες χρυσοειδές. i. flos bullis aureis ſimilis.

*NAſcitur Ageratum paßim in vniuerſa Hetruria, in inculto ſolo & in paſcuis. folijs origano proximis: floribus aureis, in vmbella emicantibus, helichryſi modo. Hanc herbam Meſues Eupatorium exiſtimat, vt ſuperius in Eupatorij commentatione abundè diximus. Ea à noſtris Senenſibus vulgò appellatur herba Giulia. Sententiæ huic noſtræ refragatur Andreas Marinus Medicus ætatis noſtræ non poſtremus, in ſuis in Meſuem annotationibus, his verbis, vbi in Eupatorij caput commentatus eſt. Cæterùm hanc ipſam herbam (Eupatorium ſcilicet, aut Iuliam intelligens) Dioſcoridis Ageratum eſſe vix adducor vt credā. Nam inſignē amaritudinē, quæ cuiuis vel imperito herbario, prima occurrit, nullo modo Dioſcorides, alioqui diligentiſsimus, tacuiſſet, quæ tamē in hac planta adeò inſignis eſt, vt ob hanc ipſam maximè, præ cæteris notis, ad Eupatoriū Meſue ſit referēda. Folia præterea nō ſunt origano, ſed centaurio potius minori ſimilia, quæ folia quantū inter ſe differant, omnes norunt. Ad hæc vrinā ciere, vuluæq; duritias mollire Ageraton, Dioſcorides eſt autor, quorū effectuum ne*

Agerati conſideratio.

Andreæ Marini opinio.

*meminit*

I. AGERATVM.



II. AGERATVM ALTERVM.



meminit quidem Meſues, qui ab eodem Dioſcoride multa diligenter ſumpſit. Huc accedit, quòd Ageraton, Galeno authore, vim habet digerendi, & quadantenus Phlegmone liberandi, quod tamen Meſues non ſcripſit: adde, ſi placet, quòd nullum caloris, aut ſiccitatis gradum ei Galenus adſcribit, cùm Meſues calidum in primo, ſiccum in ſecundo conſtituat. Quæ res tanti fuere apud me momenti, vt ab eruditiſsimi Matthioli ſententia, quamuis inuitum, me recedere coegerint: Interim dum ab eo meliora ſuper eo capite, vt ſpero edentur, quod vt facilius facere poſsit, aliam herbam hîc pingi iuſsimus, quam Petrus Antonius Michaelius Patritius Venetus, harum rerum diligentiſsimus indagator, pro agerato habet: cuius profectò opinioni non poſſum non aſſentiri, cùm videam notas omnes Agerati huic plantæ mirum in modum conuenire. Siquid tamen vel Matthiolus ipſe, vel alij præſtantes in re herbaria viri, aduerſus eam opinionem habuerint, lubens eorum iudicium, & cenſuram ſubibo. Hæc ille. Quibus an rectè Ageratum examinauerit, & an eius Argumenta, quibus contra me vtitur, firma ne an infirma habeantur, ex his quæ nunc dicturus ſum, ij facilè intelligent, qui materiam Medicam tenent.

Marini opinio refutatur.

Quod itaq; Dioſcorides amaritudinis in Agerato non meminerit, cùm ea tàm euidens in hac planta guſtantibus ſeſe offerat, id ne tantillũ quidẽ me à mea dimouet opinione, cùm illi plurimæ deſcribantur plantæ, quæ inſigniter amaræ deguſtantur, & nihil tamen in ijs deſcribendis, amaritudinis meminit. Amara ſanè ſunt Scylla, Cyclaminus, eſculentus Bulbus, Abſinthium, Ruta, Harmala, Hieracium, Senecio, Fumaria, Conyza, Bryonia, Eruum, Capparis planta, Hedera, Marum, Polium, Chamæpitys, Verbenaca, Betonica, Papaueris cum folia, tum capita, Opium, & alia quidem nonnulla, de quarum tamen amaritudine nihil memoriæ prodidit Dioſcorides: quo fit, vt nihil prorſus Marini argumento dimouear, ſi etiam in Agerato amaritudinis notam ſilentio inuoluit. Folia præterea, inquit ille, non ſunt Origano, ſed Centaurio potius minori ſimilia, quæ folia quantum inter ſe differant, omnes norunt. Hæc ſi quis cribrauerit verba, facile hîc Marinum haud diligenter duas haſce plantas examinaſſe, aut inſpexiſſe iudicabit. Minoris enim Centaurij folia, & onitis origani, parum admodum facie inter ſe differunt. Itaq; rectè dixiſſet is differentiam hanc nouiſſe omnes, ſi ſe excepiſſet. Deinde quòd ſuum Eupatorium vrinam ciere non ſcripſerit Meſues, id ab eo fortaſſe prætermiſſum cenſemus, quod hanc plantam ignorauerit eſſe Dioſcoridis Ageratum. Verùm cum Eupatorium ſcribat calidum eſſe in primo gradu, & ſiccum in ſecundo, quinetiam compoſitũ ex ſubſtantia calida, ſubtili, quis vnquã medicorũ negabit Eupatoriũ hoc haud vrinam ciere? & idem quoque muliebrium locorũ duritias emollire? Nam & Iris, & Agreſtis cucumis, quæ quoq; calidiora ſunt, & ſicciora, id efficaciter præſtant. Ad hæc quòd Meſues ſuo Eupatorio vim digerendi, & quadantenus Phlegmone liberandi non reddiderit, cùm tamen Galenus Ageratum hiſce facultatibus refertum eſſe ſcribat, repeto Dioſcoridis Ageratum haud vnquàm nouiſſe Meſuem, ſuum eſſe Eupatorium. Siquidem nihil vetat quin id Eupatorium præſtare poſsit, cùm ipſe aſſerat Meſues, quod ſubtiliatiuum eſt & reſolutiuum, conueniens ſine attractione. Poſtremo quòd Galenus Agerato nullum caloris aut ſiccitatis gradum adſcripſerit, vt Eupatorio adſcribit Meſues, nihil prorſus momenti hoc argumento habet. Galenus enim non ſemper ſimplicium medicamentorum qualitates (plures Galeni poſſem adducere locos) per gradus explicat, & præſertim vbi breuitati ſtudet. Sed quis adeò Medicæ materiæ tam rudis, tamq; ignarus fuerit, qui non putet nouiſſe Galenum, caloris & ſiccitatis haud expers eſſe Ageratum, cùm ſcribat eſſe illi digerendi poteſtatem? Siquidem facultas hæc fieri nequit niſi a calidis & ſiccis temperamentis. Id quod Dioſcorides non prætermiſit, cum ait Δύναμιν δ' ἔχει ἀφέψημα αὐτοῦ πυρωτικήν. id eſt vim habet decoctum ipſius feruidam. Hæc itaq; cùm Marini argumenta infirma admodum reddant, manebo ego in ſententia: & præſertim cum Iuliam herbam videam cum folia tum

Herba Iulia.

caules edere origano haud diſsimiles, quin etiam vmbellam aureis bullis micantem Helichryſi modo, cuius aureus color

ſi a

*ſicca quoq; planta diutiſsimè conſeruatur, vnde (vt rectè Dioſcorides inquit) Agerati ſibi nomen adinuenit. Nam hac tantùm nota quiſpiam iam certior fieri poterit, vnam & eandem eſſe plantam Ageratum & Meſue Eupatorium. Cæterùm non poſſum non mirari Marini ingeniũ, qui, vt facilius (vt ipſe inquit) meliora ſuper Agerati capite ſcribere poßim, plantã à ſe pictam mihi offert, quam à Petro Antonio Michaelio Patritio Veneto pro Agerato haberi ait, cùm ea Agerato adeo habeatur diſsimilis, vt nihil diſsimilius eſſe poſsit. Siquidẽ hæc origani nullas omnino notas habet, & vmbellas quoq; nullas, ſed floſculos racematim cohærentes balauſtiorum effigie. In ſumma vbi plantam totam expenderis, nihil prorſus reperies, quod minimam Agerati particulam referat. Ago tamen Marino gratias, quòd eum non dubitem hanc mihi obtuliſſe plantam, quòd putauerit eam legitimum eſſe Ageratum, magis fortaſſe (vt video) aliorum opinioni addictus, quàm explorandis Agerati notis. Verùm ego ingeneroſum mihi eſſe putarem, ex commentario tantùm fieri Nauclerus, vt rectè Galenus admonet libro primo de alimentorum facultatibus in ipſius præfationis calce. At ſanè hæc inuitus admodum ſcripſi, quòd tanta ſit plantæ illius cum Agerato diſparitas, vt in ea cenſenda opus mihi non fuiſſet tantam facere temporis iacturam. Atqui Marini verba hucuſque me protraxerunt, quippe qui ſcribat, ſi quid contra eius opinionem habuero, ſe lubens iudicium & cenſuram meam ſubiturum. Quæ verba (vt ſua eſt humanitas) ad reſpondendum me impulerunt. Medicam materiam non aſſequuntur, qui negant Eupatorium Meſue, non eſſe Dioſcoridis Ageratum. Agerati vires paucis perſtrinxit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Ageratum digerit, & inflammationes leuiter quodammodo reſoluit. Horum dilutum ex albo meraco paratum puerorum vermes necat duarum vnciarum pondere potum. Excalfacit ordine primo, & ſiccat ſecundo, bilem & pituitam facilè purgat, tenuat, incidit, terget, expurgat, putredinem prohibet: reſoluit ſine attractione, obſtructiones reſerat, & earum affectus ſanat, diuturnis febribus mirificè medetur. Adſtringit, quare ventriculum, iecur & cætera viſcera roborat: cum ſero lactis efficacius purgat. Quæ herba ἀγήρατον Græcè, Ageratum quoq; Latinè dicitur: Italicè Herba Giulia.*

Agerati vires ex Gal.

Nomina.

Ageratum (quaſi ſenectutis expers) foliis ſerratis, C. B. Ageratum, Matth. Lacu. Caſtor. Lugdu. Taber. Camer. Ageratum ſeptentrionalium, Lobel. Eupatorium Meſuæ, Trag. Geſ. hor. Lonic. Balſamita minor, Dod. gal. & fol. Mentha Corymbifera minor, Cord. in hiſt. Camphorata, Cæſalpino. II. Ageratum alterum Matthiolus in maioribus figuris duplex propoſuit, vt figura hac exprimitur: aſt in minoribus, ſolùm id quod foliis eſt non ſerratis: in ſuo compendio neutrum poſuit. Sic Lobelus vtrumque habet, quod ſerratis eſt foliis, Agerati floribus candidis nomine (quod Ageratum tertium minus Taber.) alterum veró Ageratum minus nominat: Tabernæmontanus, Ageratum ſecundum candidum: ſic Lugdunenſi, ſecundum & tertium. At Camerarius in ſuo Matthiolo, Ageratum minus propoſuit, quod ſponte in Hetruria prouenit, multò priore minus, foliiſq; minus crenatis eſt, quod diſtinguit ab ea agerati ſpecie, quæ prorſus candidas vmbellas gerit & cæteris eſt rarior.

## Περιστερεών. VERBENACA. CAP. LV.

PEriſtereon, ſiue verbenaca, naſcitur in aquoſis. Nomen ex eo duxiſſe videtur, quòd columbæ circa hanc perquàm libenter verſari ſoleant. Dodrantis altitudine, & interdum amplius adoleſcit. Folia è caule prodeunt inciſa, & ſubalbida: ea ſingulari ramo, radiceq; ſola conſtare ſæpius invenitur. Folia cum ſuilla adipe recenti, aut roſaceo impoſita, vuluarum dolores finire putantur: ignem ſacrum illita ex aceto reprimunt: putrida vlcera cohibent: vulnera glutinant, veteraq; ex melle ad cicatricem perducunt.

## Ἱερὰ βοτάνη. †SACRA HERBA. CAP. LVI.

SAcra herba, quæ & periſtereon a nominatur, ramulos emittit cubitales, aut maiuſculos, anguloſos: in quibus ex interuallis folia quercus, ſed minora, anguſtioraq;, eiſdem diuiſuris, in ambitu, colore aliquatenus cæſio: radix longa, tenuis: flores purpurei, graciles. Folia cum radice in vino pota, illitáve adverſus ſerpentes pollent: eadem drachmæ pondere cum thuris obolis tribus in vini veteris hemina, quadragenis diebus, ieiuno ore, contra regium morbum bibuntur: veteres tumores, & inflammationes mitigant: ſordida vlcera purgant. Tota in vino decocta, tonſillarum cruſtas abrumpit: oris nomas gargarizatu cohibet. Aiunt ſi aqua ſpargatur triclinium, qua maduerit, lætiores conuictus fieri. Datur potandum in tertianis febribus tertium à terra geniculum, cum foliis circumdantibus: quartanis quartum. Sacram vocant herbam, quoniam multum ad amuleta b, expiationesque commendetur.

† Antiquus manuſcriptus codex περὶ ὑπτίου περιστερεῶνος i. De ſupina Verbenaca.
a Idem ὕπτιον. i. ſupina.
b Meum. περιάμματα. i. luſtrationes.

*VErbenacæ duæ habentur ſpecies, recta, & quam ſupinam vocant. Hanc eam eſſe volunt, quæ Ἱερὰ βοτάνη, illam quæ περιστερεὼν Dioſcoridi dicitur. Recta hæc dicta eſt, quòd ſingulari caule, ipſoq; dodrantali ſine ramis aſſurgat. Supina altera, quòd caules, & ramos non ita rectos erigat, ſed circumquaq; diffundat, cuiuſmodi eſt vulgaris Verbenaca, quæ legitima Ἱερὰ βοτάνη mihi perpetuò fuerit. Cæterùm quam περιστερεὼν nuncupant, vnico tantùm caule, & vnica radice conſtantem (ſi vera fateri debeo) ea à me nuſquam viſa eſt, quæ notis omnibus legitimam referat, etſi non deſint qui velint verbenacam hanc eam eſſe plantam, quam nos de Siderite ſuperius agentes, primo ibi loco pinximus. Verùm cum videam hanc plantam ab vna radice plures edere caules, ipſosq; non dodrantales, ſed ſeſquicubitales, folia haud ſubalbicantia, & flores in caule verticillatim prodeuntes, vt in Marrubio, ac nulla in parte aliquid gerere, quod cum vulgari Verbenaca cognationem præ ſe ferat, ego quidem ad credendum adduci nequeo, hanc herbam eſſe Verbenacam, περιστερεὼν dictam; obſeruaui ego ſæpe, vbi vulgaris Verbenacæ plurimum prouenit, eſſe quaſdam ipſius plantas, quæ caules rectos edant, quaſdam verò quæ humi ferè procumbant: quo factum eſt, vt ſuſpicarer, hinc fortaſſe harum differentiam ſumpſiſſe eos, qui rectam Verbenacã, & ſupinam faciunt. Mouit me ad hoc Plinius, qui paruã inter has intercedere differentiã ſcribit: Verùm id mihi nunquam certum ſtatuere volui. Videant & examinent quoq; alij differentiam hanc, & eorum ſit quoq; iudiciũ. Hinc fit, vt in ſuo inſigni de ſtirpium hiſtoria commentario Fuchſium apertè erraſſe exiſtimem: quippe qui diſcriminis cauſa Verbenacæ rectæ florem luteum tribuat. Quod tamen in Dioſcoride mihi nunquam licuit invenire: quemadmodum*

Verbenacæ conſideratio.

Sideritis prima malè quibuſd. Verbenaca.

Fuch. error in Verbena...

*neque*

## I. VERBENACA.



*Plin. de verbenaca.*

*neq; in Plinio, qui vtramq; Verbenacæ ſpeciem lib. 25. cap. 9. his verbis deſcripſit: Nulla tamen Romana nobilitatis plus habet quàm hierabotane, aliqui periſtereon, noſtri verbenacam vocant. Hæc eſt, quam legatos ferre ad hoſtes indicauimus. Hac Iouis menſa verritur, domus purgantur, luſtranturq;. Genera eius duo ſunt: folioſa, quam fœminam putant: mas rarioribus folijs. Ramuli vtriuſq; plures, tenues, cubitales, anguloſi. Folia minora, quàm quercus, anguſtioraq; diuiſuris maioribus: flos glaucus: radix longa, tenuis. Naſcitur vbiq; in planis aquoſis. Quidam non diſtinguunt, ſed vnum omnino genus faciunt, quoniam vtraq; eoſdem effectus habeat. Vtraq; ſortiuntur Galli, & præcinunt reſponſa. Sed magi vtique circa hanc inſaniunt. Hac perunctos impetrare quæ velint exiſtimant, febres abigere, amicitias conciliare, nulliq; non morbo mederi. Colligi circa canis ortum debere, ita vt ne luna, aut ſol conſpiciatur, fauis ante, & melle terræ ad piamentum datis. Circumſcriptam ferro effodi ſiniſtra manu, & in ſublime tolli: ſiccari in vmbra ſeparatim, folia, caulem, radicem: hæc Plinius. Ex quibus verbis vt arbitror, facilè deprehendi poteſt error Fuchſij, Brunfelſium fortè ſecuti, quòd in ſuis de plantarum hiſtoria commentarijs primò editis, pro Verbenaca femina eam plantam depinxerit, quæ à Dioſcoride, cæteriſq; antiquis ſcriptoribus Erigeron ſiue Senecio nuncupatur, tametſi mutata ſententia libro primo de compoſitione medicamentorum in vltima methodo, rectam verbenacam perperàm, meo iudicio, alteram ſinapi ſpeciem eſſe contendat. Naſcitur ſecus vias in ciuitatibus, & oppidis, & in plateis. Inſigniter eſt amara: quare excalfacit & ſiccat: abſtergit, aperit. Cæterùm haud neſcius Galenus nullum, vel paruum inter vtraſq; verbenacas diſcrimen eſſe, breuiter de earum viribus, ſub vna tantum ſpecie diſſeruit libro. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic loquiens: Verbenaca ideo periſtereon appellata eſt, quòd in ea periſteræ, hoc eſt, columbæ verſentur. Vim habet adeo deſiccantem, vt vulnera conglutinet. Et libro ſecundo de compoſitione pharmacorum ſecundum locos, de antiquo capitis dolore ſcribens, ſic inquit: Omnium porrò longè maximè diſcutit, & perfectè corroborat verbenaca recta, maximè viridis: non & arida cum radicibus, & ſimul cum ſerpyllo, oleo incocta. Conijcienda etiam ad ea crocodiliadis maxima iuxta aquas naſcentis radix. Quin & ipſam per ſe verbenacam, ſi oleo incoxeris, caputq; inde rigaueris, omni capitis dolori antiquo ex frigiditate, aut ex craſſis humoribus oborto medeberis.* Primum *Verbenacæ genus Græcis* περιστερεών, & περιστερεὼν ὀρθὸς *vocatur: Latinis Verbenaca recta. Alterum verò genus Græcis* ἱερὰ βοτάνη, & περιστερεὼν ὕπτιος *appellatur: Latinis verbenaca ſupina. In vniuerſum Italis Verminacola, Berbena, & Berbenaca nominatur: Germanis* Eiſen Kraut.

*Brunfelſius male Erigeron pro verbena ponit.*

*Verbenacæ vires ex Gal.*

*Nomina.*

## * II. VERBENA NODIflora. *



Verbenam duplicem propoſuimus, vulgatam & nodifloram, á nemine prius deſcriptam. I. Verbena communis, C. B. Verbenaca, Matth. Lacu. Cæſ. Verbenaca vulgaris, Lug. Hierobotane mas, Brunf. Sacra herba, Turn. Verbena maſcula, Brunf. Verbena recta, Trag. Verbenaca recta, Dod. gal. & fol. Lug. Taber. Verbenaca ſupina, Fuch. Cordo in Dioſcor. Verbena fœmina, Cæſalp. Camer. Verbena, Geſ. hor. Lon. II. Verbena nodiflora. Ex radice tenui, fibroſa, caulis ſeſquipalmaris, tenuis, quadratus exſurgit, & folia obtinet vngue non multum longiora, quæ in ramulis breuiora, oblonga, per extremum crenata, per geniculos bina, inter quæ pediculi, duos tresvè tranſuerſos digitos longi, nudi, quibus ſingulis ſingula capitula ſubrotunda, ad formam capitulorum Ranunculi inſident, ex quibus floſculi vulgaris Verbenæ ſimiles, prodeunt. Ea ſicca ad nos ab Imperato inſigni Pharmacopæo Neapolitano Italiæ miſſa, quam deſcripſimus & delineari curauimus.

## Ἀστράγαλος. ASTRAGALVS. CAP. LVII.

AStragalus paruus eſt à terra frutex, foliis, & ramis ciceri ſimilis: flore purpureo, paruo: radice rotunda, raphani modo grandi, quæ adnatas appendices firmas habet, nigras, a præduras, veluti cornua

inter

inter ſe implicatas, guſtu adſtringentes. Naſcitur in ventoſis, opacis, & in niualibus. Eo b Memphis Arcadia ſcatet. Aluum ſiſtit radix in vino pota: vrinam mouet: vetuſtis vlceribus ſicca efficaciter inſpergitur: ſanguinem ſupprimit: ægrè propter duritiam tunditur. b Phœneas, ut Oribaſius.

* ASTRAGALVS *frequens naſcitur in agro Tridentino, in vallis Ananiæ montibus, folio ciceris maiore, floribus purpureis: radice raphani æmula, adnatis appendicibus firmis, nigris, præduris, inter ſe implicatis, & guſtu adſtringentibus.** Aſtragali cōſideratio.

ASTRAGALVS.



*Aſtragali plantã, quã in commentarijs noſtris antea editis appingi curauimus, cùm diligentius à nobis inſpecta ſit, & quædam in ea deſiderari videantur, quæ Aſtragali propria ſunt, non libuit hic eam recudere. Aſtragalus alter à Plinio, quàm à Dioſcoride deſcribitur. Plinius ſiquidem libro 26. cap. 8. Aſtragalum his notis repræſentauit: Aſtragalus, inquit, folia habet longa, inciſuris multis, obliqua, circa radices: caules tres, aut quatuor: florem hyacinthi: radices villoſas, implicatas, rubras, præduras. Naſcitur in petroſis, apricis, & iiſdem niualibus, ſicut Pheneo Arcadiæ. Meminit Aſtragali Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcriptum reliquit: Aſtragalus frutex eſt exiguus, radices habens adſtrictorias, quamobrem etiam in numero eſt non inſtrenuè exiccantium. Nam vlcera vetera cicatrice obducit, & aluum fluxu tentatam ſiſtit, ſi quis in vino decoctam radicem bibat. Plurimus huius fruticis prouentus eſt in Pheneo Arcadia. Is Græco nomine ἀςράγαλος dicitur: Latino ſimiliter Aſtragalus: Italico Aſtragalo.* Aſtragali vires ex Gal.

Aſtragali figuram ex ſecunda Commentariorum editione adiecimus, ſiquidem & Lugdunenſis hiſtoria eam exhibeat, ſed qualis ſit planta ignorare nos fatemur, etſi non deſint qui eiuſdem Pſeudo apios eſſe cenſeant.

## HYACINTHVS. CAP. LVIII.

Ὑάκινθος.

HYacinthus folia habet bulbi: dodrantalem caulem, læuem, minimo digito tenuiorem, herbacei coloris: comam procumbentem florum purpureorum plenam, incuruam: radicem quoque bulbaceam. Quæ, vt creditur, pueris cum vino albo illita, pubertatem coercet, & non patitur erumpere: ſiſtit aluum pota, & vrinam impellit: phalangiorum morſibus auxiliatur. Semen adſtringentius eſt, theriacis expetitum: regium morbum emendat cum vino potum.

HYACINTHVS.



HYACINTHVS ORIENTALIS.



Hyacinthi conſid.

## HYACINTHVS ORIENtalis alter.



Hyacinthus orientalis.

Hyacinthi vires ex Gal.

## *IV. HYACINTHVS TRIpolitanus.*



*HYacinthus in vniuerſum in campeſtribus fere vbiq; inter ſegetes, & in ſyluis prouenit. Nobis duo obſeruata ſunt genera, vulgare alterũ, alterũ Orientale: quę duplex eſt; folijs, & radicibus bulbaceis, caule dodrantali, viridi, tenui, leuiq;: floret cum violis circa finem Martij, & Aprilis initium: florentem emittit comam, ab ipſo caulis medio vſq; ad ſummum purpureis circumdatum floribus qui maturescentes ad terram incuruantur, perdurantq; diu antequam contabeſcant. Hetruſcis noſtris Hyacinthi vulgò vocantur Cipolle canine. Flores primo ſtatim exortu noſtrates pueri colligunt ob purpurei coloris præſtantiam. Aliud* HYACINTHI *genus, quod* ORIENTALE *appellare placuit, miſit ad me Iacobus Antonius Cortuſus, rei herbariæ ſtudioſiſſimus, quod ſibi miſſum ex Orientalibus regionibus fatebatur: vnde nos illi Orientalis nomenclationem addidimus. Folijs exit lilij, minoribus, anguſtioribus, ſurſum ſpectantibus, pinguioribus, & in acutum deſinentibus: caule craſſo, in quo flores exeunt cærulei, lilij figura, ſed parui. Radix illi bulboſa, ſquamoſaq;. Seritur in hortis, & colitur in fictilibus vaſis. Eſt & alter folijs latioribus, pinguioribus, & in ſummitate retuſis: cætera cæteris perquam ſimilia ſunt. Hyacinthi vires memoriæ prodidit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Hyacinthi radix bulboſa eſt, ordinis primi in deſiccando: ſecundi verò completi, aut certe tertij incipientis in refrigerando. Itaque pueros diutiſsime ſeruare impuberes illita cum vino creditur. Semen leuiter extergit, & adſtringit: quamobrem & ipſum regio morbo laborantibus exhibetur in vino, ordine quidem tertio quadantenus deſiccans, cæterùm in medio conſiſtens caliditatis, ac frigiditatis. Planta Græcis ὑάκινθος, Latinis item Hyacinthus appellatur: Italis Hiacintho: Germanis* Mertzen Blumen: *Hiſpanis Mayos flores: Gallis Vaciet. Hyacinthus orientalis, Italis Hiacintho orientale.*

Hyacinthi ſpecies viginti octo in Phytopinace noſtro exhibuimus, hoc loco tria propoſuit Matthiolus. I. Hyacinthus racemoſus maior, fortè Bulbine Plinii, C. B. Hyacinthus, Matth. Lacu. Hyacinthus quartus & maior, Trag. Hyacinthus cæruleus maior mas, Fuch. Hyacinthus maximus, Tur. Hyacinthus magnus, Lonic. Hyacinthus ſylueſtris, Cord. in hiſt. Hyacinthus comoſus ſpurius tertius, Dod. fol. Hyacinthus comoſus maior, Lobel. Lugd. Cluſ. hiſto. Panno. Cam. Hyacinthus maior. Lugd. Tab. Hyacinthus noſtras, Caſtor. Bulbi eſculenti genus, Dod. gal. Lugd. Bulbus ſylueſtris, Cæſalpino. Pancratium, Geſ. hortis. II. Hyacinthus caule Serpentanæ inſtar maculoſo, C. B. Hyacinthus orientalis, Matth. Geſ. hor. Caſtor. Hyacinthus orientalis Græcus, Lob. Lugd. Hyacinthus orientalis minor, Dod. fol. Hyacinthus orientalis cæruleus, Taber. Hyacinthus Conſtantinopolitanus, Camer. Hyacinthus Cæſal. III. Hyacinthus orientalis maximus, C. B. Hyacinthus orientalis alter, Matth. (ſed figuræ tranſpoſitæ erant figuraq; mutila) Lugd. Hyacinthus orientalis maior, Dod. fol. Hyacinthus orientalis maior polyanthos, Lob. Lugd. Tab. IV. A Camerario in ſuo Matthiolo primo fuit Hyacinthi Tripolitani nomine propoſitus, qui ex radice bulboſa mediocri caulem profert gracilem, oblongis anguſtiſsimiſq; foliis, flore cæruleo, phalangiiq; forma, ex ſex foliolis compoſito, è quorum medio ſtamınula aliquot prodeunt.

## *Μήκων ῥοιάς.* PAPAVER ERRATICVM. CAP. LIX.

PApauer erraticum, quod Rhœada vocant, vere quidem in aruis cum hordeo naſcitur: flore protinus deciduo, vnde & nomen apud Græcos accepit. Folia erucæ, aut origano, aut cichorio, aut thymo ſimilia ſpectantur, ſed longiora, diuiſa, ſcabra: iunceus ei caulis, rectus, cubitalis, aſper: flos ſylueſtris anemo-

anemones, puniceus, interdum albus: oblongum caput, ſed quàm anemones minus: ſemen rufum: radix longa, ſubalbida, minoris digiti craſsitudine, guſtu amara. Huius capita quinque, aut ſex in vini cyathis tribus ad dimidias decocta, potui dabis, quibus ſomnus accerſendus eſt. Semina acetabuli menſura ex aqua mulſa pota, aluum leniter emolliunt: ad idem præſtandum mellitis placentulis, & dulciariis libis admiſcentur. Folia cum calycibus illita, inflammationes ſanant: eorundem fotu, & perfuſione ſomnus allicitur.

## Μήκων ἥμερος. PAPAVER SATIVVM. CAP. LX.

E Satiui papaueris genere, quod hortenſe eſt, ſemen in panem denſatur, qui ſanis in vſu ſit: eo etiam ex melle pro ſeſama vtuntur: thylacitin vocant. Capitulum habet a longum, & ſemen candidum. Syluestre verò caput habet inſidens, demiſſumq́;, & nigrum ſemen: quod pithitis nominatur: nonnullis tamen & ipſum rhœas dicitur, quoniam eius ſcapo lacteus ſuccus emanat. Tertium magis ſyluestre, & ad medicinas valentius, multò his longius, productiore capitulo. Omnium in commune natura refrigeratrix: quare ſi capita ipſa, & folia decoquantur in aqua, ſomnum fotu conciliabunt. Bibitur decoctum contra vigilias. Calyces cum polenta triti, & cataplaſmatis admiſti, ignibus ſacris, & inflammationibus proſunt. Tunduntur quoque virides, & digeruntur in paſtillos, qui ſiccati ad vſum reconduntur. Capita quoque per ſe in aqua coquuntur ad dimidias, iterumq; adiecto melle, dum humor coëat in eclegmatis lentorem. Id medicamentum in tuſsi, arteriæ fluxionibus, & cœliacorum affectu, doloris leuamentum præbet: efficacius tamen redditur, addito hypociſtidis ſucco, & acacia. Papaueris nigri ſemen tritum cum vino bibitur, contra citam aluum, & fœminarum profluuia: in peruigiliis fronti, temporibusq́; illinitur ex aqua. Opium eius magis refrigerat, inſpiſſat, ſiccatq;. Sumptum erui magnitudine, dolorem finit, concoquit, & ſomnum allicit: tuſsi, atque cœliacorum valetudini auxiliatur: verùm ſi copioſius hauriatur, nocet, cùm lethargicos efficiens interimat. Ad dolores capitis cum roſaceo perfuſum, efficax eſt: aurium dolori cum amygdalino, myrrha, & croco inſtillatur: inflammationibus oculorum cum torrefacto oui luteo proficit: igni ſacro, & vulneribus cum aceto: podagris, cum lacte mulieris, & croco: ſomnum accerſit ſubditum ſedi pro balano. Optimum habetur graue, & denſum, guſtu amarũ, odoratu ſoporiferum, quod facilè aqua diluitur, læue, candidum, neque aſperum, neq; grumoſum, quod inter colandum non vt cera coëat, & in ſole diffundatur: dein admotum lucernis, non atra luceat flamma: extinctum denique odoris vim conſeruet. Sed opion glaucio, gummi, aut ſyluestris lactucæ ſucco adulterant. Verùm glaucio fucatum, in dilutione croci colorem reddit: lactucaceo ſucco fictum, exiliter ſpirat, & aſperius ſpectatur: gummi vitiatum ſplendeſcit, & infirmum eſt. Nec deſunt, qui eò dementiæ deuenerint, vt adipem ei admiſcerent. Fictili nouo torretur ad oculorum medicamenta, dum mollius, atque rufius appareat. Diagoras, vt Eraſiſtratus autor eſt, vſum eius damnauit, oculorum lippitudinibus, & aurium vitiis infundi vetans, quoniam viſus aciem hebetaret, & ſoporem gigneret. Addidit Andreas, illitos eo pro-

a Meum. ἐπιμηκὲς. i. oblongum.

Opium.

I. PAPAVER ERRATICVM.



II. PAPAVER SATIVVM.



tinus excæcari, ſi non adulteraretur. Mneſidemus vſum duntaxat olfactandi probauit, quoniam ad conciliandum ſomnũ conueniret: alioqui nobis vt noxio interdicit. Quæ commentitia eſſe experimento deprehenduntur: ſiquidem effectus, virium huiuſce medicamenti fidem faciunt. Quare non alienum fuerit ſcriptis mandare, quonã modo is excipiatur ſuccus. Aliqui capita ipſa, & folia tundũt, & prelo exprimunt, terenteſq; in mortario digerunt in paſtillos: id meconiũ vocatur, multùm opio ignauius. Porrò opii faciundi ratio hæc eſt. Cùm ros in eo exaruerit, cultro decuſſatim in ſtellas, ne penitus adigatur, ex obliquo in rectum ſummam cutem incidere oportet, lacrymã exeuntem digito in concham abſtergere: nec multò pòſt redire, vt concreta inueniatur: etenim quæ tum, aut poſtero die etiam offenditur, in vetere pila teri debet, & in paſtillos cogi: cùm tamen inciditur, retrocedendum eſt, ne veſtibus ſuccus deradatur.

## * III. PAPAVER POLYanthos. *



Papaueris erratici conſid.

SPectantur Maio menſe Papauera erratica rubentibus floribus nitentia, in aliquibus campeſtribus locis, inter ſegetes adeò numeroſa, vt deceptis oculis, campi videantur coccineis velaminibus veſtiti. Horum flores non deſunt qui aſſument lateris dolori, qui Græcis πλευρῖτις dicitur, mirificè mederi: in quem vſum eos ſiccatos in puluerem redigunt, & in potu ex aqua dulci exhibent. Ab hoc experimento nonnulli medicorum edocti, ex ipſorum florum recentium ſucco ter, aut quater iterato diluto, ſerapiũ conficiunt: quo poſtmodum magno, ac proſpero ſucceſſu in pleuriticis vtuntur. Tridentina rura Papaueris erratici folia prima ſtatim germinatione olerum modo decoquunt, ſumuntq́; in cibum, caſeo & butyro admiſtis. Nec mirum ſanè, cùm etiam Theophraſti ætate (vt ipſe ſcriptum reliquit lib. 9. cap. 13. de plantarum hiſtoria) eadem ſumerentur in cibis. Loco enim citato ita de eo ſcribit Theophraſtus: Papauer erraticum vocatum non abſimile intubo erratico conſtat: quare in vſum venit cibarium. Naſcitur in aruis potiſsimùm inter hordea. Florem rufum producit: caput pollicaris vnguis magnitudine. Legitur ante hordei meſſem, atque viridius etiam: purgat infernè: hæc Theophraſtus. Sed iam de papauere ſatiuo, ſiue domeſtico nobis differendum eſt.

Papaueris ſatiui conſid.

Videtur Dioſcorides cum ſatiuo duo ſylueſtris Papaueris genera tradidiſſe, & hoc nomine hæc ab illo diſtinxiſſe. Qua in re animaduertendum eſt, ne aliquis fortaſſe decipiatur, quod omnes hæ papauerum ſpecies ab agricolis ſerantur. Verùm illud duntaxat, mea quidem ſententia, hortenſe appellauit Dioſcorides, quòd albo conſtat ſemine, quoniam hoc frequentius in viridarijs, & hortis propè ædes ſeritur. Cætera verò ſylueſtria nominauit, non quòd ſponte, & per ſe naſcantur (ſeruntur enim omnia) ſed quòd aſperiora, hirſutioraq́; proueniant tum caule, tum capitibus, tum etiam folijs: quòd præterea nigrum, aſperumq́; proferant ſemen: quòd denique ſerantur in campeſtribus, ſegetum & leguminum modo. Rem autem ſe ita habere teſtari videtur Plinius lib. 19. cap. 8. cùm ſic inquit: Papaueris ſatiui tria genera. Candidum, cuius ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos edebatur. Hoc & panis ruſtici cruſtæ inſpergitur adfuſo ouo inhærens, vbi inferiorem cruſtam apio gitq́; cereali ſapore condiunt. Alterum genus Papaueris nigrum, cuius ſcapo inciſo lacteus ſuccus exprimitur. Tertium genus Rhœam vocant Græci, id noſtri erraticum dicunt. Sponte quidem, ſed in aruis cum hordeo maximè naſcitur: hactenus Plinius.

Papaueris ſatiui tria genera Plinio.

Papauere candido paſsim abundat Hetruria. Vtriſq; verò nigris ſcatet vniuerſa Inſubrium tellus, ſed præcipuè apud gentes, quæ Tridentinas incolunt valles, vbi Papauera hæc copioſè ſeruntur in campis, & inter legumina, præſertim inter fabas. Ibi ſiquidem eius ſemine veſcuntur homines, immiſto placentulis, quas ex paſta folioſa multiplici inuolucro conficiunt. Comedunt illi quidẽ haſce placentas ad ſaturitatem vſque: non ob id tamen vnquam (quod mirum alicui fortaſſe videbitur) diuturniore ſomno capiuntur, neque veternoſi fiunt. Quin nec illi etiam, qui Stiriam, ſuperioremq́; Auſtriam incolunt, in veternum incurrunt: etſi oleum è nigri Papaueris ſemine expreſſum in cibis continuè aſſumant, oliuarum olei vice. Ea demum experientia fecit, vt intrepidè quandoque auſus ſim Papaueris ſeminis cremorem hordei decocto expreſſum in ardentiſsimis febribus ad ſitim extinguendam ſomnumq́; conciliandum etiam largius exhibere. Hinc præterea factum eſt, vt cum metum excuſſerim, & depoſuerim, quem mihi olim præceptorum meorum graues admonitiones incuſſerant, & ingeſſerant.

Papaueris ſucci ſiue Opii facultas.

Cæterùm ex inciſis Papauerum capitibus opos, ſiue ſuccus manat, qui in Opium vocatum addenſatur, vt ſcite docuit Dioſcorides. Et quamuis Opium quarto exceſſu frigidum ſtatuatur, tamen ſi ex ſapore, & effectu rerum temperamenta, & qualitates cognoſcuntur, opium noſtri vſus (quantum equidem deprehendere potui) non modò guſtu amarum percipitur, ſed etiam acre, adeò vt paululum in ore detentum linguam, & palatum exulceret. Vnde haud dubiè colligi poſſe putauerim, calidiſsimas illi ineſſe qualitates. Cuius rei fidem augere poteſt, quæ ex eo prodit odoris grauitas. Veruntamen ne impudentis, atque arrogantis nomen ſubeam, quòd in hoc omnium ferè medicorum ſententiam deſtruere velim, eorum iudicio rem hanc æſtimandam relinquam, qui ante nos opij tum qualitates, tum facultates diligentiſsimè expenderunt. Sed fortè ea acris, amaraq́; facultas in opium facilè inuehitur ex glaucij adulteratione, quod illi ſæpius admiſcent, vt Dioſcorides adnotauit. Illudq́; argumento eſſe poteſt, quòd aqua colliquatum croceum colorem reddat. Adde quòd opium, quod hodie ad nos comebitur, non eſt illud verum & legitimum è lacryma, quæ ex inciſo papaueris capite exierit, concretum, ſed potius hoc è foliorum, & capitum contritorum ſucco confectum eſt: idq́; meconium vocatum erit, opio longè deterius. Papauerum vires memoriæ prodidit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Papauer alterum Rhœas nuncupatur, quod

*tur. quòd ſcilicet celeriter flos eius defluat. Alterum domeſticum, quandoquidem colitur. Quin & alteræ duæ ſunt præter hæ ſpecies ſylueſtris papaueris: alterum velut incidentem calycem ſuſtinens: alterum longiorem quàm illud calycem obtinens, totum autem procerius, ac ſqualidius. Ab hoc ſuccus defluit, atque hinc eſt, quod hanc ſpeciem quidam Rhœada nominent. Porro omnium facultas refrigeratoria eſt. Cæterùm ſatiui ſemen, quod & thylacite cognominant, mediocriter ſomnum conciliat, viſu candidum: proinde pani ipſum inſpergunt, ac melle maceratum edunt. At eius, quod primo loco recenſuimus, cuius florem celeriter decidere poſuimus, validius ſemen refrigerat, ita vt nequaquam eo quis innoxiè ſolo vti poſſit, ſicut ſatiuo ſiue domeſtico melli admiſcens. Admodum verò, ſi ita ſumptum ſit, ſomnum conciliat. Cæterùm puſillum eius inſpergunt ijs, qui ex melle conficiuntur bellarijs, atque placentis, panibusq́. Porrò tertio loco dicti ſemen atrum etiam medicamentoſum eſt, admodum refrigerans. At quod quarto loco poſitum eſt, omniũ eſt medicatiſſimum, tum in ſemine, tum in calyculis, tum in folijs, tum in ſucco. Valide enim refrigerat, ad ſtuporem vſque, & mortem perducens: quare medici quò probe eo vtantur medicamentis miſcentes, frigiditatis vehementiam retundunt. Eſt enim ex quarto, & vltimo refrigerantium ordine. Porrò quo pacto maximè ex methodo miſtionem facere oporteat, non eſt præſentis tractationis proprium. Et libro 2. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, de dolore capitis agens citra manifeſtas cauſas oborto, ita de opio diſſerit. Raro, inquit, cogimur pharmacis ex opio vti, cùm videlicet præ doloris vehementia homo de vita periclitatur. Quanquam & tunc ſolidæ partes ex eius vſu offendantur, adeò vt poſt hac correctione opus habeant. Sic & ex opio collyria multis detrimento fuerunt, adeò vt debilem oculum reddiderint, & viſus hebetudinem, amblyopiam Græcis appellatam, induxerint: velut etiam auditus grauitatem inducunt quæcunque ad vehementem aurium dolorem ex papaueris ſucco ſunt compoſita. Idem Galenus lib. 3. eiusdem tractatus, de aurium inflammationibus agens, ſic inquit: Pharmaca ex papaueris ſucco omnia ſenſum ſtupefaciunt: & ob id ſanè neceſſariò cogimur ipſis vti vbi nullum aliud mitigatiuũ opem tulit: hæc Galenus. Ex quibus ſanè omnibus admoniti eſſe debent medici, ne temerè aut inconſultè ad vſum opij ſe conferant. Sed ratio, qua id corrigendum, adminiſtrandumq́ ſit, ex ipſo Galeno colligi poteſt, libro 8. de compoſitione pharmacorum ſecundum locos, vbi ita ſcriptum reliquit. Calefacientia miſcentur, quæ refrigerantium ſtupefactionem deducere poſſunt, cùm illa ipſa per ſe tardi tranſitus exiſtant. Hæc igitur, vbi quis inaudiuerit, quantitatem conſideret ſimplicium pharmacorum, quæ in compoſitiones miſcentur. Ex hac enim ſciet num magis, an minus efficere poſſit compoſitum pharmacum, ea quæ promittit. Si namque refrigerantia plura apparuerint, ſenſum affectorum magis obtundit, & quantum caloris in ipſa particula fuerit, etiam hunc extinguit. Vbi verò calfacientia fuerint aucta, minus quidem hæc efficiet ipſum pharmacum, innocentius autem reddetur. Noſſe enim oportet, corpora viuentium mortificationi ſimile quippiam perpeti ab omnium ex opio, hyoſcyamo, & mandragora compoſitorum pharmacorum vſu: nimirum cauſis dolorem infligentibus inſenſibilibus factis, & multi ſanè qui aſſiduè talia accipiunt, ad immedicabilem frigiditatem particulas perducunt. Papauer erraticum ſic Latinis, μήκων ῥοιὰς Græcis appellatur: Italis Papauero ſaluatico: Germanis* **Klapperroſen**: *Hiſpanis Amapollia, & Papoulla: Gallis Coquelourdeis, Pauot ſauuage, ſiue Conſanons. Papauer verò ſatiuum Latinè dictũ, μήκων ἥμερος Græcè vocatur: Arabicè Thaxthax, Thaytha, ſeu Chaſchas: Italicè Papauero domeſtico: Germanicè* **Magſamen**: *Hiſpanicè Dormidera: Gallicè Pauot blanc, ſeu Pauot priuè. Quod denique Græci ὄπιον & μηκώνειον, Latini item Opium & Meconium dicunt: Mauritani, Aſiun: Itali Opio.*

Opium vt adminiſtrandum.

Nomina.

Papauer ſatiuum eſt & ſylueſtre: floris & ſeminis colore, & florum textura multiplices differentiæ. I. Papauer erraticum maius, C. B. Papauer erraticum, Matth. Brunſ. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Lac. Lon. Caſt. Thal. Cæſalp. Taber. cui & rubeum & floridum: Papauer erraticum primum, Fuch. Lugd. Papauer Rhœas alterum, Dod. gal. Papauer rubrum, Brunſ. Papauer Rhæas, Lobel. Cam. Argemone vulgaris Trago. Rarius pleno flore, item & albo inter ſegetes apud nos Doctor Iacobus Cargillus Scotus lectum, exhibuit. II. Papauer hortenſe flore & ſemine albo, quod ſatiuum Dioſcoridi & album Plinio, C. B. Papauer ſatiuum, Matth. Dod. gal. Lugd. Taber. Papauer, Brunſ. Lon. Papauer album, Trag. Dod. fol. Papauer ſatiuum, Dod. gal. Papauer album ſatiuum, Geſ. hor. Lob. Caſt. Papauer ſatiuum thylacite, Cord. in Dioſc. Papauer candidum, Cæſalp. Papauer pithitis, Lacunæ. III. Papauer Polyanthos, C. B. Papauer multiplici flore, Cam. in ſuo Matthiolo. Papauer album & nigrum Polyanthum, Lob. á vulgari ſolùm multiplici textura foliorum in flore variat: Variorũ item colorum, purpurei, ſaturatè rubri, violacei, albi mixti: ſic & folia in floribus aliquando fimbriata, quædam integra obſeruantur.

## *Μήκων κερατίτης.* PAPAVER CORNICVLATVM. CAP. LXI.

PApauer ceratites, id eſt, corniculatum, folia habet candida, hirſuta, verbaſco ſimilia, in ambitu ſylueſtris papaueris more ſerrata: caule non diſſimili: flore pallido: calyculo fæni græci, in corniculorum modum inflexo, vnde nomen mutuatur: ſemine papaueris, puſillo, nigroq́;: radice per ſumma ceſpitum, nigra, craſſa: naſcitur in maritimis, & aſperis. Radici ea vis ineſt, vt in aqua decocta ad dimidias, coxendicum, & iecinoris affectus potu ſanet: prodeſt his, qui craſſa quædam, & arenoſa cum lotio reddunt. Aluum leniter purgat ſemen, acetabulo in aqua mulſa poto. Cruſtas emarginant, illita ex oleo folia floresq́;: argema in nubeculas iumentorum, perunctas abſtergunt. Sunt qui glaucium hoc papaueris genere factitari exiſtimarunt, falſi quodam foliorum cognatione.

a Meum ῥίζα δὲ λεπτή. i. radice, tenui. ita Meum.
b Meum, & Orib. καὶ ξηρανθὲς ἀποτίθεται. i. & exiccatum reponitur.

## *Μήκων ἀφρώδης.* PAPAVER SPVMEVM. CAP. LXII.

ALiud Papaueris genus aphrodes, id eſt, ſpumeum vocatur, ab aliis heracleum, caule dodrantali: foliis admodum paruis, radiculæ ſimilibus: fructu inter ea candido: nam herbula alba eſt, & ſpumea tota [a]: radice in ſummo ceſpite. Legitur æſtate ſemen, cùm integrè adoleuit [b], deciditq́; exiccatum. Datum acetabuli menſura in aqua mulſa, vomitione expurgat: priuatim huiuſmodi purgatio, comitialibus prodeſt.

*PApauer Corniculatum in maritimis noſtris Senenſibus Craſſetano, & Orbetellano agro, & circa Herculis portum Argentario promontorio, itemq́ in Adriatici maris litore non longè à Timauo fonte, & Tergeſto ſaxoſo litoris tractu, vbi*

Papaueris corniculati conſideratio.

 *ſæpius*

# I. PAPAVER CORNICVLATUM.



Papauer corniculatum rubrum.

Papauer ſpumeum.

Plinii lapſus.

*ſæpius ipſum legimus frequentiſsimum prouenit: quanquam etiam in alijs Italiæ locis naſcitur, ſed quod potiſsimum in hortis, & viridarijs ad publicum omnium commodum, & ſpectaculum fuerit ſatum. Quod in præſcriptis locis naſcitur florem aureum profert, ſiue (vt Dioſcorides inquit) pallidum. Sed alterum quoque habetur genus, folijs minus aſperis, ac minoribus, quod florem rubeum edit. Hoc in Morauia & Bohemia, in campeſtribus copioſum vidimus. Corniculati Papaueris meminit Theophraſtus lib. 9. cap. 14. de plantarum hiſtoria, ſic inquiens: Papaueris quoq; ſylueſtris genera plura notantur: quoddam enim corniculare appellatum: quoddam autem nigrum eſt, folio conſtans verbaſci nigri, ſed minore nigro: cauli altitudo cubitalis: radix breuis, per ſummaque ca... ſpitum: fructus inflexi, vt cornicula figurantur. Legitur circa meſſes. Aluum purgare poteſt: folium albuginem oculorum aufert: naſcitur iuxta mare, ſaxoſis locis: hæc ille. Crediderunt nonnulli Glaucium, quod Mauritanis memithe vocant, fieri è corniculati Papaueris ſucco. Verùm ij (vt Dioſcorides eſt author) procul dubio decipiuntur. Cæterùm Papauer ſpumeum, quod aliqui heracleum vocant, nondum mihi compertum eſt, neque etiam hactenus aliquem reperi, qui illud legitimum oſtenderet. Quo fit, vt ipſum quoque inter tot alias nobis incognitas plantas relinquere malim, quam aliquid incertum proferre, vt quidam faciunt. Veruntamen non mihi videtur ſilentio prætereundus fatalis ferè Plinij lapſus in Papaueris ſpumei mentione lib. 20. cap. 19. Quippe qui huius papaueris folia ſpeciem paſſerum auium repræſentare tradiderit, deceptus nimirum duplici eiuſdẽ nominis Græci ſignificatione: ϛρέθιον enim Græcis non modò paſſerem auiculam ſignificat, ſed & plantam eam, quã Latini radiculam, ſiue lanariam herbam appellant: cui quidem Dioſcorides, non autẽ auiculis, quas paſſeres Latini dicũt, Papaueris ſpumei folia ſimilia reddidit. Quemadmodum & Theophraſtus, qui de eo loco citato ita ſcriptum reliquit. Papauer heracleon nuncupatum folio conſtat ſtruthij, hoc eſt radiculæ, qua linteis candorem conciliant, radice candida, in ſumma terra eunte: fructu albo. Huius radix purgare ſuperius nata eſt. Non deſunt, qui contra comitiales ea vtuntur in vino mulſo. hæc Theophraſtus.*

Papaueris corniculati vires ex Gal.

*Papaueris corniculati meminit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, de eius viribus in hunc modum diſſerens. Papauer corniculatum nominatũ quidem eſt à ſemine leuem inuerſionem habente, veluti & fœnum græcum. ... bouis cornu videntur eſſe ſimile. Vocatur porrò à quibuſdam paralium, quandoquidem vt plurimum iuxta mare naſcitur. Vim habet incidendi, & abſtergendi. Itaque radix herbæ in aqua decocta, ad dimidium, hepaticos affectus adiuuat. Porrò folia, & flores ſordida admodum, & maligna vlcera iuuant. Sed ab his abſtinere oportet, vlceribus iam expurgatis: adeò enim abſtergere valent, vt & pura quoque carnem nonnihil eliquent. Hoc virium robore non ſordem duntaxat, ſed & cruſtam vlceribus detrahit. Papauer verò Herculeum, quod & aphrodes, hoc eſt, ſpumeum vocatur, eo quòd totum ſit candidum, & ſpumoſum, exile eſt. Semen habet pituitam expurgans.*

Nomina.

*Μήκων κερατῖτις id Græcis vocatur, quod Latinis Papauer corniculatum: Arabibus Almacharam: Italis Papauero cornuto: Germanis* Gelb Oelmagen Mön vnd Gelb Oelmagſamen: *Hiſpanis Dormidera marina: Gallis Pauot Cornu. Id verò μήκων ἀφρώδης Græcè dicitur, quod Latinè Papauer ſpumeum: Arabicè Dabre, & Zebeolij: Italicè Papauero ſpumeo.*

# *II. PAPAVER SPINOSVM.*



I. Papauer Corniculatum luteũ, habetur enim violaceum, item phæniceum, hirſuto, vel glabro folio. Papauer Corniculatum, Matt. Lac. Caſt. Cæſal. Papauer ſylueſtre corniculatum, Trag. Papauer corniculatum luteum, Fuch. Turn. Papauer corniculatum maius, Dod. fol. Papauer cornutum, Dod. gal. Cord. in Dioſc. & hiſt. Geſ. hor. Lon. Lug. Tab. Cam. II. Papauer ſpinoſum elegantiſsimum: hoc papauer, cum nemo eius meminiſſet, in Phytopinace ante ſesquiannum deſcripſimus, iam cum ipſius genuina effigie addere placuit. Ex radice tenui, oblonga, fibroſa, caulis ſeſquipalmaris, rotundus, ſtriatus, minimis aculeis armatus, mollis, alba medulla plenus exſurgit, qui

qui in ſummo in alas brachiatur, Foliis eſt glaucis, papaueris Corniculati inſtar laciniatis, non hirſutis, ſed mollibus & nitidis, trium quatuorve vnciarum longis, per margines flaueſcentibus aculeis armatis, aliquibus etiam ipſi neruo parte auerſa, minoribus tamen, adpoſitis: parte ſuperna nerui quaſi leui puluere obſiti albicant: hæc ex leui vulnere ſubcroceum ſuccum fundunt. Flos in caulis ſummitate quinquefolius luteus, cui ſuccedit capitulum oblongum, quinquangulum ſpinis flauis horridum, ſemina plura nigra ſextuplo aliorum maiora, rotunda in apicem deſinentia elegantiſſimè ſtriata, continens. Ex Anglia primùm ſemen allatum, quod vna cum planta, Figo del inferno, id eſt, Fici infernalis nomine, Doctor Doldius Norinberga primùm miſit: quo nomine ante paucos dies etiam Nobiliſs. Cortuſus Patauio tranſmiſit: in hortis noſtris habuimus. Notæ aliquot à Dioſcoride Glauio tributæ, huic etiam conueniunt.

## Ὑπήκοον. HYPECOVM. CAP. LXIII.

HYpecoon, aliqui Hypopheon vocant: naſcitur in ſegetibus aruiſq;, folijs rutæ, exilibus ramis. Natura eadem, quæ papaueris ſucco.

HYPECOVM.



*HYpecoum ijs facilè ſeſe offeret, qui inter ſegetes, & legumina ipſum perquirere non grauabuntur. Hoc pro ſylueſtri ruta olim Petrus Spezzalancia Cleſij vallis Ananiæ oppiduli pharmacopola compater meus, mihi oſtendere ſolebat. Quandoquidem id prouenit in aruis, folijs rutæ paulò maioribus, ſi ſingulatim expendantur: caulibus exiguis, mollibus, hirſutis: in quibus ſunt flores, qui in luteum palleſcunt, etſi prope calycem purpurei ſpectentur: in horum medio flocculus erumpit colore aurum æmulans, viſu iucundus. Floribus ſuccedunt capitula, tenui inuolucro contecta: in quibus ſemen clauditur nigrum, tactu aſperum, pſeudomelanthio proximum. Cæterum ſcio non deeſſe naſutos, qui iam diu plantam hanc noſtram impugnant, dicuntq; folia illi non eſſe rutæ, ſed potius Alceæ. Atqui ſi ſingulatim examinentur, ij facilè cognoſcent, à ruta parum admodum diſtare. Adhæc ſi vires expendantur, nihil ſanè obſtabit, quin ea in hac planta reperiantur, quæ in ipſo quoq; ſunt papauere. Quo fit, vt horum ſuſurronum bombo nihil à priori mea ſententia dimouear, quouſq; aliam plantam, quæ magis facie & viribus Hypecoon referat, in medium afferant. Nullam hactenus plantam mihi videre licuit quæ magis Hypecoum referat: tametſi id mihi per omnia nō ſatisfacit. Meminit huius Galen. lib. 8. ſimplicium medicamentorum, his paucis verbis: Hypecoon, inquit, refrigerandi vim habet, ex tertio ferè refrigerantium ordine, adeò vt parum abſit à papauere. Quod Græci ὑπήκοον, Latini quoq; Hypecoum vocant: Itali Hipecoo.*

Hypecoi cōſideratio.

Hypecoi vires ex Gal.

Nomina.

Alcea veſicaria, C.B. Hypecoum, Matt. Lac. Caſt. Lugd. Cæſal. Hypecoum alterum ſpurium, Geſ. hor. Alcea Veneta, Trag. Dod. gal. Lugd. Alcea peregrina Geſ. hor. Taber. Alcea Bononienſis, Geſ. hort. appen. Alcea peregrina, ſoliſequia, Lobel. Alcea veſicaria, Dodo. fol. Malua Veneta, Geſ. hort. Lonic. Herba Vngarica, eidem.

## Ὑοσκύαμος. HYOSCYAMVS SIVE APOLLINARIS. CAP. LXIIII.

HYoſcyamus frutex eſt caules emittens a craſſos: folia lata, oblonga, diuiſa, nigra, hirſuta: flores è latere caulis, ordine prodeunt, tanquam punicorum cytini, ſcutulis ſepti ſeminum plenis, vt papaueris. Tres eius differentiæ. Vna ſemine nigro, floribus pene purpureis, ſmilacis folijs, cytinis præduris & ſpinoſis. Alterius ſemen ſubflauum vt irionis: flores lutei, folia & ſiliquæ b ſimpliciores, ambo inſaniam gignunt, & ſoporem, ideo in communi vſu damnantur. Tertium genus, vt quod mitiſſimum eſſet, medici recepere: pingue, lanuginoſum, molle, candidi floris ſeminiſq;, in maritimis ruderibuſq; naſcens: c cuius occaſio ſi non adſit, rufum vſurpari oportet: niger, vt deterrimus, improbatur. Recenti ſemine, caulibus folijsq; tuſis ſuccus in ſole exprimitur, & exiccato humore, vſus ad annum vſq; protogatur: nam facilè corruptionem ſentit. Extrahitur etiam ex ſicco ſemine ſeparatim in aqua calida tuſo & expreſſo. Liquamentum autem ſucco lacteo præſtantius eſt, & magis dolores finit. Contuſa herba recens, addita d trimeſtri farina, digeritur in paſtillos & reconditur. Liquamentum primum, & quod à ſicco ſemine exemptum eſt, collyrijs, quæ doloris ſenſum auferunt, commodiſſimè inſeri ſolent: contra acutas calidaſq; fluxiones, dolores aurium: atque vuluæ mala proſunt: cum farina autem, aut polenta, oculorum, pedum cæterarumq; partium inflammationes placant. Semen eadem præbet: tuſſi, deſtillationibus, oculorum fluxioni, & doloribus efficax: contra menſium abundantiam, & erumpentem aliunde ſanguinem, oboli pondere cum papaueris ſemine, & aqua mulſa bibitur: podagris ſubuenit: teſtibus inflatis, mammiſq; tumentibus à partu, tritum ex vino illinitur. Alijs quoq; cataplaſmatis, quæ doloris leuamentum præſtant, admiſceri ſolet. Folia omnibus medicamentis dolorem ſedantibus, per ſeſe, & ex polenta vtiliſſimè imponuntur: recentia ad mitigandos omne genus dolores oblinuntur: cum vino terna, quaterna ve pota ſanant

a Orib. addit. πόλλες. i. multos. Et ita quoque meum.
b Orib. ἁπαλώτεροι. i. teneriores.
c Orib. addit. χρυστέον οὖν τῷ λευκῷ. i. cādido itaq; vtendum eſt.
d Meum σὺν ἀνίσῳ ἀλεύρῳ καὶ πηγάνῳ. i. cum frumēti homi farina & ruta.

ſanant algidas febres, quas epialos vocant. Cocta olerum modo folia, ſi acetabuli menſura manduntur, mediocrem inſaniam gignunt: idem efficere tradunt, ſi colo vlcus ſentiente, infundantur. Radice in aceto decocta, dentes in dolore colluuntur.

I. HYOSCYAMVS.



II. HYOSCYAMVS ALBVS.



IV. HYOSCYAMVS TERTIUS.



Hyoſcyami conſid.

*HYoſcyamus ( vt Dioſcoridi placet ) tres habet differentias. Prima, nigrum fert ſemen: ſecunda, ſubflauum: tertia album, quæ omnia vt ſemine differunt, ita & floribus. Siquidem in prima purpurei, in altera lutei, in poſtrema verò candidi ſpectantur. At hyoſcyamum purpureo flore refertum nuſquam hactenus videre licuit. Cætera verò genera & vidimus, & ſæpè legimus.*

Hyoſcyami lutei deſcriptio.

*Quæ flore luteo, & ſubflauo ſemine prouenit, vbiq; ferè locorum naſcitur, locis incultis, ſecus itinera, & in agrorum limitibus, folio braßicæ, lato, venoſo, pingui, nigricante, oblongo, in acutum deſinente & ſecto, Acanthi modo, circumquaq; ambitu hirſuto; ſed tactu molli. Caules habet teneros, teretes, piloſos, pingues, ſubalbicantes, à quibus à medio rami prodeunt numeroſi, in quibus flores in altera tantùm parte è latere prodeunt. Hos calyces quidam ſequuntur Punicorum Cytinis ſimiles, ſerrato, ac pungenti acumine ocimoidis ferè modo, in quibus ſemen concluditur, rotundis quibuſdam ſcutulis, caliculos occludentibus. Nam ijs maturitate excluſis, protinus ſemen decidit. Radice nititur ſpithamæ longitudine, alba, molli, ſuccoſaq;. Tota planta grauiter olet, adeò vt olfactu mentem afficiat.*

Hyoſcyami albi delineatio.

*Quæ autẽ alba vocatur, folijs creſcit alterius ferè ſimilibus, ſed ſubrotundis, pinguiorib. mollioribus, hirſutiorib. rarioribus & albicantib. Flores profert alteri ſimiles, ſed candidos, aut ſubpallidos, ſubluteos, è quib. eodẽ ordine quo in cæteris Cytini oriuntur, ſed rariores & clementiores, in quibus albũ concluditur ſemen. Naſcitur ſpontè & ſeritur in hortis.*

Hyoſcyamus tertius.

*Non deſunt qui nouã quandam in Italiam attulerunt plantam, ſpectatu ſanè pulcherrimam, quam inter Hyoſcyami genera connumerant. Caules edit hæc ſeſquicubitales, rotundos, tenui obductos lanugine ramoſoſque, folijs amplis, pinguibus, tenui pilo refertis, mollibus, ſolani ſoporiferi ſpeciem quadantenus referentibus, odore etiam graui. Flores edit pallidos, luteos*

Hyoſcya-

*Hyoſcyami æmulos, è quibus capitula ſubrotunda oriuntur, quæ nonnullam Hyoſcyami ſpeciem præ ſe ferunt. Nam & ſimilibus ferè ſcutulis concluduntur, coronato circumquaq; orificio, & ſemine intus ſubflauo colore. Radice nititur alba, ſpithamæ longitudine, numeroſis vbiq; fibris, & digiti craſſitudine. Hanc iam pridem ex Italia ad me tranſmiſit in Bohemiam, Iacobus Antonius Cortuſus: ſeritur in hortis. Hyoſcyami meminit Scribonius Largus, inquiens: Altercum, quod Græci Hyoſcyamus vocatur, qui biberint, capitis grauitate, & venarum diſtentione laborant, mentéq; abalienantur cum quadam verborum altercatione: vnde & nomen apud Latinos. Hoc idem equidem teſtari poſſum, quòd viderim in Ananiæ vallis montibus pueros, qui Hyoſcyami ſemen comederant, adeò deſipientes factos, vt parentes, & vicini eos crederent à cacodæmonibus vexatos eſſe. Hinc eſt, quòd eius regionis incolæ Hyoſcyamum vulgari ſermone appellant Diſturbio, vt quod mentem maximè turbet. Aues, quæ huius herbæ ſemen ederint, præcipuè quæ in gallinaceo habentur genere, non multo poſt tempore pereunt, quemadmodum & piſces. Hyoſcyamus videtur Græcis dicta, quaſi faba ſuilla: propterea quòd (vt Ælianus inquit) huius herbæ paſtu reſoluantur, & conuellantur apri. Sed remediū nouere: aquas enim ſtatim adeunt, & cancros venantur, atq; ita protinus ſaluti reſtituuntur.* Hyoſcyamus cur altercum dicatur *Hyoſcyami vires recenſuit Galenus lib. 8. ſimp. med. his verbis: Hyoſcyamus, cui ſemen atrum eſt, inſaniam, ac ſoporem affert. Huic autem is, cui ſemen mediocriter flauum eſt, propinquam facultatem obtinet. Veriùm vtriq; fugiendi ſunt, vt inutiles, & venenoſi ſeu deleterij. Cæterùm cuius ſemen, ac flos candidus eſt, ad ſanationes vel maximè idoneus eſt, ex tertio quodammodo ordine refrigerantium. Porrò flos eius quidem, cui ſemen eſt nigrum, mediocriter purpureus eſt: eius verò, cui eſt ſubflauum, leuiter mali colorem refert. hæc Galenus. Hyoſcyamus tertius, refrigerat ordine tertio completo: ſoporem inducit, adeò vt ea ſit ei natura, quæ cæteris Hyoſcyamis. Cæterùm, vt ad Hyoſcyami hiſtoriam noſtra reuertatur oratio, mihi quidem non videtur prætermittenda ſuſpicio, quæ eſt, quòd in huius capitis initio, vbi de floribus fit mentio, mendum aliquod ſubſit. Ea namq; inibi floribus tribuuntur, quæ ſiliquis legitimè debentur. Etenim ſiliquæ ſunt, quæ ſcutulis conteguntur, atq; ſemen intus continent, non autem flores. Auget hanc nobis ſuſpicionem Serapio: quippe qui illud de fructibus Hyoſcyami Dioſcoridi acceptum referat, quod hic de floribus ſcriptum legitur. Quare non temere, meo iudicio, conycere poſſumus, hunc locum in Dioſcoride deprauatum, aut mutilatum eſſe.* Hyoſcyami vires ex Gal. *Planta, quæ Græcis* [illegible], *Latinis appellatur Hyoſcyamus, Apollinaris herba, Altercum: Arabibus Bengi: Italis Iuſquiamo: Germanis* Billſomen vnd Bilſen: *Hiſpanis Velenho: Gallis Iuſquiame & Hanebane. At Hyoſcyamus albus Græcis* [illegible]*: Italis Iuſquiamo bianco. Sic Hyoſcyamus tertius, ſeu potius quartus, Italis Iuſquiamo nuouo ſeu Iuſquiamo maggiore.* Nomina.

Hyoſcyamus, id eſt, faba ſuilla, quòd eius paſtu reſoluantur apri, vt Aelianus prodidit, præſenti mortis periculo, niſi copioſa aqua ſtatim ſe foris & intus polluerint. I. Hyoſcyamus vulgaris, vel niger, C.B. Hyoſcyamus, Matth. Brunſ. Turn. Lac. Lug. Cæſ. Hyoſcyamus ſecundus Galeni, Trago: Hyoſcyamus flauus Fuch. Hyoſcyamus niger, Dod. gal. & fol. Lon. Lob. Caſt. Hyoſcyamus vulgaris, Geſ. hor. Thal. Hyoſcyamus primus. Tab. Appollinaris. Altercum, Symphoniaca, Cord. in Dioſ. II. Hyoſcyamus albus maior, (habetur enim & minor) vel tertius Dioſcoridis, & quartus Plinii, C.B. Hyoſcyamus albus, Matth. Turn. Dod. gal. & fol. Geſ. hort. Lon. Lob. Caſt. Cam. Hyoſcyamus candidus, Trag. Hyoſcyamus ſecundus, Tab. Apollinaris tertia, Cord. in Dioſcor. III. Hyoſcyamus Creticus luteus. C.B. planta eſt pulcherrima, folia

* III. HYOSCYAMVS CRETICUS LUTEUS. *



* V. NICOTIANA MAIOR LATIFOLIA. *



habens

habens lata, ſubrotunda, ſinuata & circumroſa, non vt in vulgari laciniata, ſed hyoſcyami albi minoris folijs multum ſimilia, hirſuta, longis pediculis hirſutis, ex caule robuſto, rotundo, hirſuto prodeūtia. Flores habet in ſummitate ex calyce hirſuto prodeuntes, oblongos, Lamii meliſſophylli ſeu Nicotianæ forma luteos, ex quorum medio ſtamina quædam prodeunt, quibus delapſis ipſorum calyces oblongi hirſuti in quinq; apices abeuntes indurantur, ſemenq; minutum ſubruffum continent. IV. Nicotiana minor ſeu Hyoſcyamus luteus, C.B. Hyoſcyamus tertius, Matth. Lugd. Hyoſcyamus niger, eidem in Ital. Caſtor. Lugd. Hyoſcyamus luteus, Dod. gal. & fol. Lonic. Geſ. hor. Cam. Hyoſcyamus dubius luteolus Solanifolius, Lob. Hyoſcyamus Peruuianus, Taber. Priapæia, Geſ. hort. Tarnabone congener, Cæſalp. V. Nicotiana maior latifolia (habetur enim & anguſtifolia & etiam minima) ex radicibus albis in multos ramos fiſſis, caul[illegible]urgit ad trium & plurium cubitorum altitudinem, viridis, villoſus, ramis brachiatus: folia habet ampla, nonnunquā ſinuata, latiore baſi caulem amplectentia (rarius exiguo è pediculo prominentia) ſenſim in mucronem ſe colligentia, pinguia, dilutè virentia, molli lanugine pubeſcentia: flores in ſummo caule oblongi, concaui, patentes, pentagoni, dilutiore purpura rubentes & ad marginem albicantes: quibus ſuccedunt vaſcula oblonga acuminata, interſtitio diuiſa, minutiſſimo pullo ſemine referta. Huius ſemen ex Occidentali India, apud quos locis humidis & vmbroſis leuiq; ſolo prouenit, primum in Europam allatum, vbi in hortis autumno ſatum feliciter ſequenti anno adoleſcit. Americanis Petum, vt habet Theuetus: Picielt, Monardi: Petebecenus, Ouiedo: Tabacum, ab eius nominis Inſula dicitur. Hyoſcyami tertia ſpecies, Geſ. hor. Hyoſcyamus Peruuianus, Dodo. fol. Camer. in Matth. Tabacum, Monardi, Tabacum latifolium, Cam. cui & vulgò Vulneraria planta Indica, Sana ſancta Indorū, Aduerſariis & Lob. Nicociana & Herba Reginæ, Lugd. Nicotiana maior, Tab. Nicoſiana, Lon. Tornabona, Cæſalp. Herba S. Crucis, Caſtori, Hiſpanis Petun & Tabaco: Gallis Herbe de la Roine mere, Germanis Indianiſch Wundtkraut. Diuerſis facultatibus prædita eſt, calidam eſſe foliorum acrimonia oſtendit, quæ & ſaliuam elicit: narcoticam autem & ſtupefacientem vim ei ineſſe, mentis perturbatio, quæ ex fumo attracto cauſatur, declarat: foliorum item applicatio podagricorum cruciatibus medendo, matricis tormina diſcutiendo, ſucci deniq; collutio diros dentium dolores tollendo etiam declarat. Ad infinitos morbos commendatur, cuius nomine peculiarem de hac planta libellum Ægidius Euerardus, Herbam Panaceam nominans, ſcripſit: plurima de eius viribus etiam Carolus Stephanus in ſuo de Agricultura libro. Sunt qui Syrupum ex hac tuſſientibus & Aſthmaticis vtilem conficiant. Vnguentum paratur ad vlcera, ſcabiem & ſcrophulas præſtantiſſimum: Exemplum ℞. Foliorum Nicotianæ libram vnam, Axungiæ porci recentis libram ſemis. Herba trita in vino rubro per noctem maceretur: manè lento igne cum axungia ad vini conſumptionem bulliat: cola exprimendo: colato adde ſucci Nicotianæ quartarium vnum, Reſinæ abiegnæ vncias duas: coquantur ad ſucci conſumptionē, addendo circa finem radicis Ariſtolochiæ rotundæ pulueriſatæ vnciam vnam, ceræ nouæ quantum ſufficit, fiat vnguentum.

## Ψύλλιον. PSYLLIVM. CAP. LXV.

a Meum χορτώδης. i. fœni modo ſurculoſa.

PSyllion foliis eſt coronopo non diſſimilibus, hirſutis, longioribus: a ſarmentoſa fœni modo in totum herbula, ramis dodrantalibus: coma à medio caule exoritur, duobus tribusve conuolutis in cacumine capitulis: in his ſemine duro, nigro, pulicum ſimili, vnde & nomen: in aruis & incultis naſcitur. Vis ei ad refrigerandum, inſpiſſandum, & molliendum conueniens: articulorum morbis, parotidibus, tuberculis, tumoribus, luxatis, illitum auxiliatur: imponitur in dolore capitis, cum roſaceo, aqua aut aceto: enterocelis infantium, & prominenti vmbilico, illitum ex aceto medetur: teritur acetabuli menſura, & in aquæ ſextario madefactum, vbi concreuit aqua, illinitur: ſiquidem vehementer refrigerat, & in feruentem aquam deiectum calorem reprimit: contra ignes ſacros efficax eſt. Fama eſt, ſi virens domum importetur, non ſinere in ea pulices gigni. Cum adipe tuſum ſordida vlcera, & quæ cacoethe vocantur, expurgat. Succus vermiculoſis auribus, aut fluxione laborantibus, ex melle prodeſt.

Pſyllii conſi. & genera.

*PSyllium, quod & Pulicariā herbam nuncupant, duplici recenſetur genere, foliorū capitulorumq; differentia. Alterū folijs eſt incanis, longis, hirſutis, coronopo æmulis, nō tamē corniculatis. Ramos gerit numeroſos, dodrātales, rotūdos, graciles & folioſos, humotenus potius quā in altum ſeſe diffundentes, in quorū cacuminib. capitula oriuntur, compactili ſquamarū cōgerie à natura fabricata, vt in ſcabioſa, & longis pediculis nitentia. Floſculos edit puſillos, prætenues, lanuginoſos, pilorū ſpeciē referentes, albo colore, plantaginis anguſtifoliæ modo. Semen puſillum ꝙ nigrum, pellucidumq; habetur, pulicū effigie, in ipſis capitulis continetur. Radice nititur ſubalbicante, dodrantali, numeroſis ſtipata fibris. Naſcitur locis incultis, & à multis quoq; ſeritur. Alterum longè ſarmentoſius eſt, & numeroſioribus refertum folijs, longioribus, anguſtioribus denſioribusq;, piloſis pariter, atq; incanis, & inter ſe complicatis: capitula illi ſunt alteri ſimilia, ſed minora paulò, & numeroſiora, in quibus ſemen progignitur alteri ſimile. Radicem habet multifidam, & numeroſis ſcatentem fibris. Naſcitur in campeſtribus, ſed in maritimis frequentius. Seplaſiæ ſemen recondunt ad glutinoſos liquores conficiendos, quibus in infrigidandis inflammationibus, prohibendisq; calidis defluxionibus, & ad extinguendam ſitim, læuigandamq; linguam, & faucium ſcabritiem, in ardentiſſimis febribus vtuntur medici: quinetiam ad aluum emolliendam.*

Pſyllii vires ex Meſue.

*Pſyllij vires retulit Meſues inter ea medicamenta, quæ deiectoria vi pollent, vbi hæc ad ſenſum ſaltem habet. Pſyllium de his eſt, quæ temperamentum immutant, & quæ emolliendo aluum citant. Huius ſeminis tria habentur genera, candicans, ſubflauum, & ad purpuram vergens. Præſtantius perfectè maturum, ponderoſum, & quod in aquam demiſſum ſtatim imum petit. Contrarijs conſtat cum viribus, tum ſubſtantijs: ea ſiquidem, quæ in medulla continetur, calida eſt, & ſicca ordine quarto, admodum acris, incidens, exulcerans, ſeptica, & deleteriæ facultatis. Quæ verò in cortice reſidet, teſte Rufo, infrigidat, humectatq; tertio exceſſu. Infunditur Pſyllij ſemen in aqua fontana frigida, agitaturq; rudicula tamdiu, quoūſq; aqua lentorem contrahat, percolaturq; deinde a ſeminibus, & admiſcetur oleo, aut ſyrupo violaceo: hoc enim modo Pſyllium potu aluum mirificè emollit, & deijcit. Verùm ſi frixum prius ſemen roſaceo admiſtum eodem modo agitetur,*

tunc

I. PSYLLIVM. II. PSYLLIVM ALTERVM.





*tunc ſumptum dyſentericis remedio eſt, & cæteris alui fluoribus, præſertimq́; iis, qui deiectorio medicamento exuperante hauſto ſuperueniunt, ſed præcipue acri, quale eſt ſcammonium. Cæterùm maximè animaduertendum eſt, ne Pſylly ſemen (id quod tamen deteſtantur recentiorum quidam) tuſum in puluerem potandum exhibeatur. Quippe quod, attrita medullari ſubſtantia, ventriculum, & inteſtina exulcerat: iecur & ſanguinem inflammat, & omnia deniq; viſcera lædit. Integri ſeminis dilutum eo modo, quo diximus paratum, bilem deijcit: eaq́; propter ardentiſsimis febribus, intolerabili ſiti, inflammatis valde ſpiritibus, & faucium & pectoris aſperitatibus mirificè medetur. In aceto diu agitatum inflammatione, igni ſacro, & herpete laborantibus auxiliatur, exterius illitum: priuatim prodeſt capite dolentibus fronti impoſitum, ſi tamen dolor à cauſa calida fuerit excitatus. Hæc ex Meſue decerpſimus. Pſylly vires paucis perſtrinxit Galenus* Pſyllii vires ex Gal.
*lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Pſylly ſemen admodum vtile eſt, ex ſecundo refrigerantium ordine: in deſiccando verò & humectando medium quodammodo eſt, & ſymmetrum. Herba* ψύλλιον, *Pſyllium item Latinè dicitur: Arabicè Bazara chathona, ſeu Bezer cothume: Italicè Pſillio: Germanicè* Pſillienkraut: *Hiſpanicè Zargatona: Gallice Herbe a pulces.* Nomina

Pſyllium duplex eſt, maius quod duplex (alterum enim, ramoſius) & minus Gotne dictum in Phytopinace (cum nemo prius propoſuerit) deſcriptum & pictum. I. Pſyllium alterum, C.B. Pſyllium, Matt. Trag. Fuchſ. Turn. Dodo. gal. & fol. Cordo in Dioſc. & hiſto. Geſ. hort. Lob. Caſtor. Lugd. Tab. Pſyllium minus, Cæſal. Cynops Theophraſti. Geſ. hort. Pulicaris herba, Lob. in Iconibus. II. Pſyllium maius, C.B. & Cæſalpino. Pſyllium alterum, Matth. Caſtor. Lugd. Taber. Pſyllium Plinianum fortè radice perenni ſupinum Lobelo.

## Στρύχνος κηπαῖος. SOLANVM HORTENSE. CAP. LXVI.

HOrtenſe Solanum frutex eſt cibis idoneus, exilis, puſillus, multis concauus alis: folio nigro, maiorè quàm ocimi, & latiore: fructu rotundo, viridi, qui poſt maturitatem nigricat aut fulueſcit: herba innocentis guſtus. Natura ei refrigerãdi: quare folia vlceribus quæ ſerpunt, & ignibus ſacris conuenienter cum polline polentæ illinuntur: ægilopia, capitiſq; dolores, trita & impoſita per ſe ſanant: æſtuanti ſtomacho auxiliantur: parotidas cum ſale detrita illitu diſcutiunt. Valet ſuccus eius aduerſus ignem ſacrum atq; vlcera quæ ſerpunt, cum ceruſſa, roſaceo & argenti ſpuma: ad ægilopas cum pane: infantium aduſtioni, quam ſyriaſin vocant, cum roſaceo perfuſus proficit: in collyriis, aquæ vel oui vicem exhibet, contra acutas fluxiones illitus: aurium dolori inſtillatus prodeſt: menſium abundantiam ſiſtit in vellere ſubditus. Succus fuluo gallinarum cortalium fimo ſubactus, & linteo appoſitus, ægilopiis præſentaneo eſt remedio.

## Στρύχνος ἁλικάκαβος. SOLANVM HALICACABVM. CAP. LXVII.

EST & aliud Solanum, quod peculiari nomine Halicacabon aut Phyſalida, id eſt veſicariam vocant, foliis antedicto ſimilibus, verùm latioribus: cuius caules, poſteaquam adoleuerunt, prona terram ſpe-

ram ſpectant: folliculis orbiculatis, veſiculis ſimilibus: in quibus ſemen continet fuluum, rotundum, lęue, acinorum vuę figura: quo coronarii vtuntur, corollis intexentes. Vim vſumq; hortenſis Solani habet: verùm cibis nequaquam expetitur. Regium morbum purgat, ſemine poto, & vrinam pellit. Ex vtraq; herba ſuccus extrahitur, qui ſiccatus in vmbra reconditur, ad eadem valens.

I. SOLANVM HORTENSE.



II. SOLANVM HALICAcabum.



## Στρύχνος ὑπνωτικός. SOLANVM SOMNIFERVM. CAP. LXVIII.

SOlanum ſomniferum, aliqui etiam Halicacabon appellant, fruticat multis ramis, denſis, caudicoſis, fractu contumacibus, pinguium foliorum, cotoneæq; mali ſimilium plenis: flore grandi, rubro: fructu in folliculis crocato: radice grandi, ſubrubro cortice veſtita: naſcitur in ſaxis, non procul á mari. Radicis cortex in vino drachmæ pondere potus, ſomnificam vim habet, opio mitiorem. Semen vehementer vrinam cit. Corymbi duodecim hydropicis dantur. ſi quid numero adiiciatur, alienationem mentis faciunt. Remedio eſt aqua copioſa mulſa, potui data. † Succus paſtillis inſeritur, & medicamentis, quæ doloris leuamentum præbent: decoctus in vino, ſi in ore contineatur, dentium doloribus auxiliatur. Radicis ſuccus, cum melle illitus, oculorum hebetudines tollit.

† Με. φλοιὸς i. cortex.

## Στρύχνος μανικός. SOLANVM FVRIOSVM. CAP. LXIX.

SOlanum manicon, aliqui perſion, alii thryon appellauere. Huic folium erucæ ſimile, maius aliquanto, ſatis acantho, quam pæderota vocant, accedens: caules à radice proceros emittit decem aut duodecim, vlnæ altitudine adoleſcentes: caput in cacumine oliuæ figura, ſed vt platani pilulæ hirſutius, verùm maius latiusq;: florem nigrum: poſtquàm eo exuitur, racemus exit rotundus, niger, denis aut duodenis acinis conſtans, ſimilibus hederæ corymbis, vt vuæ mollibus: radice firmatur candida, craſſa, caua, cubitali: gignitur in montibus vento perflatis & plataneatis. Radix drachmæ vnius pondere pota ex vino, facit ſpecies vanas, imaginationesq; non iniucundas obuerſari: ſed duplicatus hic modus, ad tres vſq; dies mentis alienationem affert: quadruplicatus interimit. Remedio eſt aqua mulſa copioſiùs pota, & vomitione reiecta.

Solani generum conſid.

*E Quatuor Solani generibus, quæ hic à Dioſcoride deſcribuntur, etſi in commentarijs, quos antea Italico ſermone conſcripſi, me duo tantùm genera nouiſſe prodiderim, hortenſe ſcilicet, & quod aliqui Halicacabum, alij Veſicariam vocant: hoc tamen anno tertium, quod Somniferum appellant, Piſis ad nos miſit vir rei medicæ eruditione clarus Lucas Ghinus Forocornelienſis: idq; mihi planè omnibus notis legitimo reſpondere videtur. Verùm quartum Solani genus, quod Manicum cognominant, hactenus me non vidiſſe fateor.* HORTENSE *apud veteres conceſſit in ciborum vſum, & proinde habitum eſt: folijs exit Ocimo maioribus, Veſicariæ æmulis, ſed anguſtioribus nigrioribusq;, mollioribus & oblongis. Plures circumquaq; fundit ramos, non ſine alarum cauitatibus, floribus albis, & in medio luteis, ſtellæ figura. Baccas edit rotundas, racematim dependentes, vinoſo ſucco prægnantes, iuniperinis haud minores, orobi quantitate, in quibus album minutumq; ſemen continetur. Variat in ijs color: ſiquidem in hac planta nigræ, in illa luteæ, in altera ſubuirides habentur.*

Hortenſis Solani deſcriptio.

*Radix*

III. VESICARIA REPENS.



IV. SOLANVM SOMNIferum.



V. SOLANVM SOMNIferum.



*Radix illi eſt alba, pluribus diuaricata fibris. Naſcitur in hortis & viridarijs, ſecus publica itinera, & præſertim propter ſepes, & ædificiorum muros. Præſtat cùm foliorum, tum baccarum ſuccus addito roſaceo, & aceti momento, aduerſus capitis dolores à caliditate exortos: quinetiam phreniticos iuuat, vbi illitis in eo linteolis ex aceto & roſaceo ſyncipiti ſuperponatur. Illinitur fronti eodem modo ad calidas oculorum fluxiones. Gargarizatur quoq; vtiliter cum aceto ad faucium, & columellæ inflammationes, & additur conuenienter in vnguentis & emplaſtris, quorum ad vlcera contumacia eſt vſus: cibis idoneum eſt. In ſumma vbi refrigerare, exiccare, cohibereq́; opus eſt, hortenſe Solanum mirificè conuenit.* Hortenſis Solani vires Matthiolo.

*Quod autem* HALICACABVM *ſiue Veſicariam vocant, quodq́; Arabes & officinæ Alkekengi nuncupant, folijs eſt hortenſi ſimilibus, ſed latioribus firmioribusq́;, ſubaſperis, nec adeò, vt in illo nigricantibus. Caulibus lentis, qui vbi adoleuerint, facilè ſeſe in humum proſternunt. Flores illi ſunt candidi, hortenſis modo: è quibus veſicæ oriuntur iuglandium magnitudine, & quandoq; maiores, turbinata facie. Hæ octonis compaginantur coſtis, æqualibus inter ſe ſpatijs diſtantibus. Recenter editæ virides ſunt, ſed per maturitatem ruſeſcunt, baccis intus vinoſis, quæ ſingulæ, ſingulis inhærent ima folliculi parte, rubicũdæ vuæ acino [ruſci baccis] ſimilis, ſapore auſtero ſimul & amaro, ac numeroſo, minutoq́; intus ſemine, ipſoq; albicante. Naſcitur propter vliginoſas ſepes & locis vmbroſis.* Solani Halicacabi delineatio.

*Baccarum vis eſt præſtantiſſima non ſolùm ad renum vitia & ad ciendam vrinam, ſed ad eius quoq; ardorem mulcendum. Siquidem earum ſuccus ex papaueris albi cremore, aut ſeminum melopeponum, aut cucurbitæ cucumerisve, aut ex maluæ decocto, aut hordeacea ptiſſana potus mirificè vrinæ ardoribus auxiliatur. Aſpidibus adeò aduerſiſſimum eſt Halicacabum, vt admota propius eius radice, ſopore inexpugnabili ij necentur. Baccæ muſto dilutæ imponuntur efficaciter incipientibus oculorum carbunculis. Calcantur eadem in tina vna cum maturis vuis, & diebus aliquot ſimul efferueſcere ſinuntur, fitq́; inde vinum calculoſis admodum vtile. Siquidem arenas mirifice pellit, & renes mundat vnciarum quatuor pondere potum.* Solani Halicacabi vires.

*Eſt & aliud* VESICARIÆ *genus, ab hoc tamen valdè diuerſum, quod hac tempeſtate ſeritur in hortis ac fictilibus, ſcenas, attegias, pergulas, & feneſtras in=* Veſicariæ repẽtis delin.

*ſtras inumbrat, & topiario opere contexit & opacat. Conſtat hæc folijs oblongis per ambitum laciniatis: floribus ex candido luteſcentibus, aut ſimpliciter candidis, e quibus veſicæ prodeunt virides, ſubrotundæ, ſenis ſecundum longitudinem diuiſuris, ſemine intus pullo erui magnitudine, aut paulo maiore, in cuius latere veluti humani cordis effigies viſitur, atque candido colore, nec ſine cauſa id a natura factum credimus, quòd fortaſſe huiuſce nota nos doceat, ad cordis affectus id præſtare, quemadmodum & in Echio herba contra viperarum morſus celeberrima, ſemen viperinis capitibus ſimile procreauit.* Soporiferi Solani hiſtoria. *Cæterùm* SOMNIFICVM, *ſiue Soporiferum Solanum numeroſis fruticat ramis, denſis, ſurculoſis, & contumacibus: folijs multis, ſubpinguibus, cotoneæ mali haud abſimilibus: floribus ſubrubentibus: caules per interualla verticilli in modum ambientibus, fructu crocato baccæ figura, in folliculis hirſutis deliteſcente. Radice nititur longa vegetaque, brachiali quandoque craſſitudine, cortice ſubrubenti circumueſtita. Naſcitur maritimo tractu, locis plerunque ſaxoſis, adeo vt mihi dubitandum non ſit, quin planta, quæ hic ſoporiferum Solanum repræſentat, legitima dici poſſit, cum omnibus ſanè notis hoc Solani genus referat: etſi non deſint naſuti, & qui aliorum laboribus inuident, ac inſidiantur, qui friuolis, inanibusque argumentis eam oppugnent, quorum latratibus iam aures noſtræ obſurdeſcunt.* Solani ſomnifici alterum genus. *Eſt & alia* SOMNIFICI *Solani ſpecies cuius hic quoque imaginem expreſsimus: folijs anguſtioribus, venoſis, in humum ſpectantibus, caule anguloſo: floribus tintinnabuli figura, ſubpurpuraſcentibus, & in ambitu denticulatis, & è longo pediculo dependentibus: ex quibus baccæ proueniunt nigræ, aut ex nigro purpuraſcentes, vinoſæ, minuto ſemine refertæ, quemadmodum & reliquæ Solanorum baccæ: hæc viridi quodam tegumento ad medium vſque occultatur, cuius orificium in coronæ modum denticulatum deſinit. Radicem habet grandem, ſtrumoſam, teneram, albicantem: Maio floret, & Iunio fert fructum. Naſcitur in agro Goritienſi Saluatino monte inter ſaxa, vnde aliquot nobiſcum tulimus plantas. Vires alteri ſimiles habet, ſed procul dubio imbecilliores.* Herba Bella donna ſiue Solanu maius. *Cæterùm errant, mea quidem ſententia, qui eam plantam, quam herbariorum vulgus Solatrum maius nominat, Veneti verò vulgò Herba bella donna, Solanum ſomnificum Dioſcoridis eſſe exiſtimant. Siquidem id fructum non profert in folliculis croceum, tametſi eius baccæ largius ſumptæ interficiant. Vnde quamuis hæ plantæ viribus conuenire poſſint, facie tamen inter ſe maxime diſtant.* Fuchſ error circa Solanũ maius. *Horum ſententiæ adſtipulatus eſt Fuchſius, in ſuo magno de ſtirpium hiſtoria commentario. Sed cum in hoc ſe manifeſtè erraſſe deprehendiſſet, in ſuo poſtea paruo plantarum libro, hanc herbam in Mandragoras repoſuit, eamque Mandragoræ ſpeciem voluit eſſe, quam Dioſcorides Morion vocari tradit, lapſus iterum, ſic, de vno in alterum errorem. Mandragora ſiquidem nomine Morion, folia fert Mandragoræ mari ſimilia, dodrantali longitudine, terræ procumbentia, circa radicis ſummum. Id quod manifeſtum præbet indicium, hanc perpetuò caule viduam eſſe, quemadmodum cætera Mandragoræ genera: nam pediculi, quibus Mandragoræ fructus ſuſtinentur, caules dici non poſſunt. Hinc itaque fit, vt plantam hanc, quæ vulgò Bella donna vocatur, in nullo Mandragoræ genere legitime reſerendam putem: cum hæc folia emittat hortenſi Solano maiora, palmi menſuram nunquam excedentia, minimè candicantia, nec humi ſtrata, ſed in caulibus exeuntia, adnatis plurimis refertis bicubitalibus, & ligni modo prædurus. Quinimmo crediderim ego, hanc eſſe Solani quintam ſpeciem, antiquis ſcriptoribus incompertam. Nam, quantum equidem longa experientia comperi, varia ac diuerſa Solani reperiuntur genera.* Solani maioris delineatio *Prouenit hæc planta, quam ego Solanum maius appello, in montium ſyluis, ſaxoſis, & ſeritur in hortis, folijs hortenſi Solano maioribus: caudice bicubitali tricubitalique, & quandoque maiore, ſubrutilo colore, ramis numeroſis, alis multis concauis, in quibus flores oriuntur longi, luteæ digitali vocatæ ámuli, prolixo pediculo & campanulæ inſtar concaui, colore ex pallido purpuraſcente, capillaceis intus ſtaminibus. His flacceſcentibus, baccæ ſuboriuntur ſingulatim e ſuo pediculo dependentes, diſſectio breuique calyculo ſuperiori parte comprehenſæ. Hæ matureſcentes nigricant, acini vuæ magnitudine, pellucida exterius cute. Eædem vinoſo ſucco refertæ ſunt, ac pariter numeroſo atque minuto ſemine. Radicem fundit lõgam, craſſamque albicantem, & ſucci plenam. Plantata ſemel, Vere appetente, quotannis ex eadem radice repullulat, ſemperque auctior prouenit viribus.* Solani maioris vires. *Refrigerat ordine tertio, & ſiccat ſecundo. Manico correſpondet Solano, ſed facie ab eodem plurimum differt. Nam baccæ quatuor aut ſex ipſæ deuoratæ ſumentes dementant, & in furorem agunt, adeò vt dæmoniaci facti videantur. Inducunt tamen plures ſumentes quandoque in veternum: nam & pueros quoſdam ex harum baccarum eſu mortuos ſcimus, qui diſcriminis ignari eas vuæ vice deuorarunt.* Solanũm maius non eſſe Mandragorã Theophr. *Non deſunt quoque, qui hanc plantam Theophraſti Mandragoram eſſe velint. Verùm & ipſi hallucinantur, quòd is eius hiſtoriam minimè deſcribat, ſed tantùm de fructu meminerit, qui non ſolùm in hac planta φαιὸς καὶ οἰνώδης reperitur, ſed in alijs quàm pluribus. Sed hi (quantùm video) ex vnguibus leonem deſcribere volunt, cum & Vrſi, & Tigres exungues non habeantur. Sunt qui hanc plantam iam in vſum medicum (vt audio) trahant. Siquidem, vt quidam promittunt experimentatores, aqua a tota planta diſtillata, pota duorum, aut ad ſummum trium cochleariorum menſura, internas viſcerum inflammationes extinguit, nullo corporis incommodo, ſed (vt illi aiunt) a copioſiore potu abſtinendum. Idem præſtat exterius admota ad eryſipelas, ſacros ignes, & alios calidos affectus. Contuſa folia & illita, oculorum palpebrarumque phlegmonas leniunt. Siccæ radicis mira vis: nam ſi ſemidrachma pondere craſſiuſcule trita ea maceretur in vino horis ad ſummum ſeptem, ac inde percolatum vinum quis deguſtauerit ieiunus, fiet vt is nullo pacto edere poſſit, niſi epoto paulo poſt aceto. Hoc enim Antidoto fames ſtatim excluditur, redditque*

VI. SOLANVM MAIVS SIVE herba Bella donna.



*atq; qui ſumpſit ad cibum. Iocus eſt magnus, vbi quis guloſis paraſitis hoc appoſuerit vinum, cum menſis optimis cibis refertis aſſidentes, nihil prorſus cibi ingerere queant. Id quod Franciſco Calceolario Veronenſi acceptum refero, vtpote qui primus hoc vniuſce plantæ ſecretum propalauit. Somnifici & manici Solani meminit Theophraſtus lib. 9. cap. 12. de plantarum hiſtoria, ſic inquiens: Solanorum genera duo. Alterum ſomnificum, radice rubra, ſanguinis modo, ſed candida cum ſiccescit: fructu cocco rubriore: folio tithymalo ſimili, aut malo dulci, ſed piloſo, & parte ima magno. Huius corticem radicis tundentes admodum, & in vino meraculo madefacientes dant, atq; ita dormire faciunt. Naſcitur in rupibus & faucibus, atq; ſepulchris. Alterum genus inſanire facit: id alij Bryoron vocant, alij Periſſon. Conſtat radice candida, & longa ad cubitum atq; caua. Dabitur eius radicis drachmæ pondus, ſi vt quis ludat, ſeq; pulcherrimum putet, placuerit: at ſi magis inſaniat vir, drachmis duabus opus eſt: ſin autem nunquam inſania ſolui malueris, tres dabis: & quatuor ſi interimendum ſit. Habet folium erucæ proximum, maius tamen: caulem longitudine ferè quatuor cubitorum: caput gethyi, ſed maius atq; piloſius, nec fructui platani abſimile conſtat. Solani ſingulis generibus vires reddidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcriptum reliquit: Solanum eſculentum, quod in hortis naſcitur, notum eſt omnibus, vtunturq; ad omnia ea, quæ refrigerari, & adſtringi poſtulant: poteſt enim hæc duo ordine ſecundo. Cæterorum verò non eſculentorum vnum quidem nuncupatur Halicacabum, fructum habens ruſum, acino vuæ tum figura, tum magnitudine adſimilem: quo etiam ad coronas vtuntur. Alterum autem fruticoſum ὑπνωτικὸν, hoc eſt ſomnificum: & tertium eſt præter hæc, quod μανικὸν, id eſt, furioſum appellitant. Halicacabum igitur in foliorum facultate hortenſi ſolano ſimile eſt, fructum habens ciendæ vrinæ idoneum: proinde multis compoſitis facultatibus, quæ ad iecur, ad veſicam, & renes accommodantur, miſcetur. Solani verò ſomnifici cortex radicis, ſi cum vino bibatur, ſomnum accerſit drachmæ pondere ſumptus. Sed & ad cætera quoq; papaueris ſucco perſimilis eſt: niſi quòd eouſq; imbecillior eſt, vt ipſe tertij habeatur ordinis refrigerantium, cum hic in quarto ſit conſtitutus. Huius Solani ſemen vrinam ciendi vim habet. Verùm ſi plus duodecim corymbis hauſeris, dementiam furiamve adſciſcet. Porrò quod reliquum eſt ex dictis Solanis ad medicationes, quæ intrò in corpus adhibentur, inutile eſt. Nam ſi quatuor eius drachmæ ſumptæ fuerint, mortem inferent: ſi pauciores inſaniam. Vna certè innoxie ſumitur: cæterùm nec ipſa vtile quid obtinet. Verùm ſi foris corpori emplaſtri modo illinatur, vlcera maligna, & depaſcentia curat. Sed ad talia radicis cortex optimus eſt, deſiccans ſecundo ordine iam completo, & tertio incipiente: refrigerans verò ſecundo incipiente. Illud Solani genus, quod Græcis ςρύχνος κηπαῖος, Latinis Solanum hortenſe nominatur: Arabibus Hamebathanaleb, Hameb alchabarch ſiue Hanab althaleb: Italis Solatro hortolano, ſeu Herba morella: Germanis* Nachtſchadt: *Hiſpanis Yerua mora: Gallis Morelle. Quod verò Solanum Græcè ἁλικάκαβος καὶ φυσαλὶς: Latinè Halicacabus & Veſicaria appellatur: Arabicè Kekengi, Alkekengi ſiue Kekenegi: Italicè Alcachengi, Halicacabo: Germanicè* Judenkirſchen: *Hiſpanicè Bexiga de perro: Gallicè Beguenaudes. At Veſicaria ſiue Halicacabum repens, Italis Vilucchio foreſtiero. Quod deinde Græcis ςρύχνος ὑπνωτικὸς, Latinis Solanum ſomniferum dicitur: Italis Solatro ſonniſero. Quod deniq; Græcè ςρύχνος μανικὸς, Latinè Solanum furioſum vocatur: Italicè Solatro furioſo. Sic Solanum ſomniferum alterum: Italis Solatro ſonniſero minore. Verum Solanum maius dicitur Italis Solatro maggiore, ſiue Herba bella donna.*

Solani Somnifici Maniaci hiſt. ex Theophraſt.

**Solanorum vires ex Gal.**

Nomina.

Solani viginti differentiæ habentur, de quibus in hiſtoria Vniuerſali. I. Solanum officinarum, C.B. Solanum hortenſe, Matth. Fuchſ. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lacu. Lob. Caſt. Lugd. Thal. Cam. Solanum, Brunſ. Lon. Solatrum vulgare, Trag. Solanum nigrum & puniceum, Cordo in hiſto. Solanum quod edendo eſt, Cordo in Dioſc. Solanum ſatiuum, Tab. Solanum hortenſe circeæ aut phaſeoli folio, Lobelo in icon. Solatrum minus, Cæſalpino. Variat foliis magis minuſq; laciniatis, acinis fuſcis, puniceis, luteis. II. Solanum Veſicarium, C.B. Geſ. hor. Solanum halicacabum, Matth. Trag. Lacu. Lob. Lugd. Saxifraga rubra, Brunſ. Halicacabum vulgare, Fuchſ. Turn. Halicacabus, Cordo in hiſto. Geſ. hort. Caſtor. Camer. Veſicaria, Cordo in hiſto. Geſ. hort. Cæſal. Veſicaria vulgaris, Dodo. gal. Alkakengi, Lonicero. III. Veſicaria repens, Matth. Veſicaria nigra, Trag. Veſicaria peregrina, Dodo. gal. Veſicaria altera, Caſtor. Halicacabum peregrinum, Fuchſ. Geſ. hort. Dodo. fol. Lonic. Lugdun. Taber. Camer. Dorycnium, Cordo in Dioſc. & hiſto. Geſ. hort. Caput monachi, eidem. Solanum peregrinum, Lacu. Piſum Cordatum, Lob. Faba inuerſa, Cæſalpino. IV. Solanum ſomniferum verticillatum, C.B. Solanum ſomniferum, Matth. Geſ. hor. Lacu. Cluſ. hiſt. Hiſpa. Dod. fol. Caſt. Cæſ. Lug. Cam. Solanum ſomniferum Hyoſcyami lutei foliis Lobelo in iconibus. V. Solanum ſomniferum alterum, Matth. Geſ. hort. Caſtor. Lugd. Solanum ſomniferum, Lonic. Solani lethalis aliud genus, Dod. folio. An non idem cum ſequenti? VI. Solanum maius ſiue herba bella donna, Matth. Solanum hortenſe nigrum, Trag. Solanum ſomniferum, Fuch. Turn. Lob. Lug. Solanum lethale, Dod. fol. Solani genus ſyluaticum, Geſ. hort. Solanū maius, Cam. Caſt. Solanum ſylueſtre, Thal. Solatrum maius, Cæſal. Mandragora morion, Fuch. in icon. Mandragoras Theophraſti, Dod. gal. Anguillaræ, Mandragoræ genus, Geſ. hor. Mandragoræ tertia ſpecies, Cord. in Dioſ. Morion, Lon. Bella donna, Cluſio hiſt. Pannonica. VII. Solanum tuberoſum eſculentum, hactenus á nemine propoſitum, in Phytopinace ante ſeſquiannum exhibuimus, cuius hic figuram damus. Stirps eſt caule ſeſquicubitali, aliquando bicubitali, ſubrotundo, ſtriato, aliquantum foliato, leuiter hirſuto, viridi, ſucci pleno, brachiato, nonnunquam in viri altitudinem exurgente & valdè ramoſo: foliis primis ad radicem prodeuntibus Barbareæ ſimilibus, cæteris palmum longis, pallidè virentibus, ſubhirſutis, in ſex, octo, plures & pauciores partes, ex vna coſta dependentibus (quibus vnum ſemper numerum claudens additur) diuiſis, ex rotunditate oblongis integris, quibus duo ſextuplo minora interijciuntur. Flores ramulorum ſummis inſident, alii clauſi, terni quaternive aperti, Malorum inſanorum forma magni, ex cœruleo purpuraſcentes, calathi inſtar diuiſi, quinquanguli, lineis ſubflauis per longum diſcurrentibus, ex quorum medio ſtaminula communiter quatuor ruffeſcentia prodeunt. Hos excipiunt fructus rotundi, plures ſimùl quaſi ex racemo dependentes, longis pediculis vt in Solano vulgari donatis, quorum aliqui nucis magnitudine, alij auellanæ, alij minores, immaturi atrovirentes, maturi atrorubentes, rarius ſtriati: medulla intus albicans, ſeminibus paruis, planis, rotundis, Solani ſomniferi ſecundi forma fuſcis, conferta. Radix eſt tuberoſa, aliquando pugni magnitudine, aliquando palmum longa, aliquando minima ſucculenta, cute fuſca aut atrorubente tecta, cuius medulla albicat: ad caulis exortum prodeunt radices fibroſæ plures, oblongæ, albicantes, quæ per terram ſparguntur, ex quibus primo vere alij caules exurgunt, aliæque tuberoſæ radices adnaſcuntur: quemadmodum ele-

* VII. SOLANVM TVBEroſum eſculentum. *



* SOLANI TVBEROSI RAdix & fructus. *



ganter hac figura noua germina exprimuntur: antèquam notior eſſet, hyberno tempore radices eximebantur, ne putreſcerent, vernaliq; tempore rurſus terræ committebantur, aſt nunc non item, ſiquidem tot ſe tuberibus propaget, ita vt ad vnam plantam hyberno tempore erutam vltra quadraginta tubera notarim, quamuis etiam ex ramis reclinatis terra tectis, Burgundi propagare ſoleant, quò plura tubera acquirant, cum apud ipſos, vt & Gallos, in cibos veniant: aliquando enim Tuberum modo ſub cineribus aſſant, & cum pipere (aliàs palato, meo enim fatuus videtur guſtus, vix arrideret) comedunt: alij verò aſſata in taleolos diſſecant, & ius pingue cum pipere affundunt, ad Venerem excitandam, ſemenq; augendum commendantes: alii & tabidis vtiles volunt. Italis Tartuffoli (quo nomine & tubera nominare ſolent) Germanis Grübling Baum, id eſt Tuberum arbor dicitur. Solanum vocamus propter formam aliquam foliorum, cum Malis aureis: florum cum Malis inſanis: fructuum, cum baccis Solani vulgaris: ſeminum, cum Solanis penè omnibus: deniq; propter totius plantæ odorem, quem cum Solanis communem habet. Vulgò Pappar Hiſpanorum, vel Indorum dicitur. Nobiliſſimus Iacobus Antonius Cortuſus patricius Patauinus, Pycnocomen Dioſcoridis cenſet, motus exemplari Dioſcorideo manuſcripto, cui ſimilis figura adpicta, quod Clariſſimus Pinellus nobilis Vincentinus, Pataui in ſua Bibliotheca habet: & ſane foliorum & radicum Pycnocomi Dioſcoridis notæ, huic Solano conueniunt, floris verò & ſeminis non item. Ex Inſula Verginea primum allata in Angliam, inde in Galliam, aliaſque regiones.

## Δορύκνιον. DORYCNIVM. CAP. LXX.

a Μεῦ ἐπ' ἄκρϐ δ' ὥσ-περ θυλάκια ὥσπερ ἐρεβίνθου, ἐν οἷς σπέρματα στρογγύλα. i. in ſummitate verò habet denſos folliculos, velut ciceris, in quibus ſemina rotunda

DOrycnion Crateuas Halicacabon, aut Caleam vocat: frutex oleæ nuper prodeunti ſimilis. Naſcitur in petris non procul à mari, ramis cubito minoribus: foliis oleæ ſimilibus colore, minuſculis, firmioribus, præter modum ſcabris: flore candido, a ſiliquis in cacumine ceu ciceris, denſis, rotundis: quinis intus aut ſenis ſeminibus, exigui erui magnitudine, læuibus, firmis, verſicoloribus, radix ad digiti craſſitudinem, & cubiti longitudinem adoleſcit. Id ſomniferum eſſe conſtat. Copioſius hauſtum mortem adfert. Nec defuere qui dicerent, ſemen in amatoria expeti.

Dorycnii cōſideratio.

*DOrycnium, Crateuæ teſtimonio, inter ſaxa in maritimis naſcitur, folijs cum forma, tum etiam colore oliuæ proximis. Verùm mihi hactenus non contigit ipſum inuenire, aut inuentum videre: quamuis in eo quoque inquirendo multum laboris inſumpſerim. Non defuerunt tamen amici qui plantas mihi miſerunt, quas ij Dorycnium faciebant: Verùm cum ea non ſatis mihi fecerint, hic illas appingere non libuit. Cæterùm hallucinantur, meo quidem iudicio, qui putant Dorycnium eſſe eam Veſicariam, quæ ſemine eſt rotundo, albo, macula cordis effigie inſignito: cuius hiſtoriam inter Solani genera præcedenti capite retulimus. Siquidem hæc Dorycnio omnibus ferè notis repugnare deprehenditur.*

Dorycnii vires ex Gal.

*Dorycnij meminit Galenus lib.6. ſimp. med. vbi de eius viribus ita ſcribit. Dorycnium temperamento papaueri ſimile eſt, & Mandragoræ, & ijs quæ ſic refrigerandi vim habent: excellit aquea frigiditate admodum efficaci. Quamobrem modicum quidem ſoporem conciliat: largius verò ſumptum interimit.*

Nomina.

*Id* δορύκνιον *Græci, quod Dorycnium quoq; Latini vocant.*

Mand-

Μανδραγόρας.

## MANDRAGORAS. CAP. LXXI.

MAndragoram, aliqui Antimelum, alii Circæam vocant, quoniam videatur radix ad amatoria conducere. Duo eius genera: niger, quæ fœmina exiſtimatur, tridacias appellatus, anguſtioribus folijs ac minoribus quàm lactucæ, viroſis ac graueolentibus, in terra ſparſis: mala gerit a ſorbis ſimilia, pallida odorata, in quibus ſemen veluti pyrorum: radicibus inhæret benè magnis, binis, ternisve, inter ſe conuolutis, nigris foris, intus albis, craſſo cortice veſtitis: caulem non fert. Alter candidus, qui mas dicitur nonnullis Morion vocitatur: huius folia magna, alba, lata, læuia vt betæ: mala quàm alterius duplo maiora, colore in crocum inclinante, iucundè cum grauitate quadam olentia, quorum pomorum cibo aliquantum opiliones ſoporantur: radix alterius ſimilis, maior & candidior, orbata & hæc caule. Succus fit è cortice recentis radicis tuſo, & prelis ſubiecto: qui inſolatus, vbi concreuerit, fictili reconditur. Malis quoq; ſuccus depromitur, ſed aliquantò ignauior. Delibratur radix, & traiectus lino cortex, ad vſum ſuſpenditur. Aliqui radices in vino ad tertias coquunt, & defœcatum ius ſeruant, cyathoq; vno vtuntur in peruigilijs & doloribus, & ante ſectiones vſtioneſque, ne ſentiantur. Succus duobus obolis ex mulſo potus, vt veratrum, per vomitiones bilem atram, pituitamque extrahit: verùm potu largiore vita adimitur. Medicamentis ocularibus, & his quæ dolores finiunt, peſſis quoque emollientibus, admiſcetur: ſemioboli pondere inditus, per ſe menſes, & partus expellit: ſubditus ſedi pro balano, ſomnificus eſt. Radix ebur emollire fertur quæ ſenis horis cum eo decocta ſit: & ad accipiendam quam effingere optaueris formam, ipſum facile præſtat. Folia recentia conuenienter oculorum inflammationibus, & collectionibus, quas vlcera citarunt, cum polenta illinuntur: duritias omnes, ſuppurationes, ſtrumas & tubercula diſcutiunt: ſtigmata ſine exulceratione delent, ſi quinis ſenisve diebus ſenſim perfricentur: folia ſeruantur in murijs eoſdem ad vſus. Trita radix ignibus ſacris ex aceto, & ſerpentium ictibus ex melle, aut oleo medetur: ſtrumas atque tubercula cum aqua diſſipat: articulorum cruciatus, cum polenta ſedat. Fit citra coctionem vinum è cortice radicis, ad hunc modum. Ternæ minæ in vini dulcis metretam conijciuntur. Dantur ex eo terni cyathi, ijs qui ſecari, aut amburi debent, vt antè dictum eſt: ſiquidem nullo tunc afficiuntur dolore, ſed veterno quodam preſſi torpeſcunt. Mala ſoporem afferunt olfactu, & etiam ſi mandantur: item expreſſus ex eis ſuccus, nimio tamen odore percuſſi, obmuteſcunt. Semen malorum potum vuluas purgat: appoſitumq; cum ſulphure ignem non experto, rubra fœminarum profluuia ſiſtit. Scarificata, punctiſq; multifariam aperta radice erumpens lacryma, cauo vaſe recipitur. Liquamentum autem ſucco lacteo præſtantius eſt, ſed non vbiq;, vt experientia docet, radices lacteum ſuccum delacrymant. Alium tradunt eſſe mandragoram, nomine Morion, in opacis iuxta ſpecus enatum: foliis albi mandragoræ minoribus, albis, dodrantalibus, radicem ambientibus: quæ mollis eſt, & cãdida, paulò maior palmo, pollicemq; craſſitudine æquat. Tradunt eam in pane, offa, obſoniove drachmæ pondere deuoratam, vſum rationis intercipere: obdormiſcit enim homo, eo ferè quo comederit habitu, ſenſus impos, ternis quaternisve, ex quo data eſt, horis. Hac medici vtuntur cum ſcindendi, vrendive neceſſitas adeſt. Antidotum eſſe volunt radicem, cum manico ſolano potum.

a Orib. ὠαῖς. i. ouis.

I. MANDRAGORA MAS & Fœmina.




*MAndragoræ vtrumq; genus frequens naſcitur in compluribus Italiæ locis, præſertim in Apulia Gargano monte, vnde radicum cortices, & poma herbarij quotannis ad nos conuehunt. Habentur & in viridarijs ſpectaculi gratia: etenim Neapoli, Romæ, & Venetijs vtramq; Mandragoram in hortis & vaſis fictilibus ſatam vidimus. Sed profectò vanum ac fabuloſum eſt, quòd Mandragoræ radices ferant, quæ humanam effigiem repræſentent, vt ignarum vulgus, & ſimplices mulierculæ certò credũt & affirmant. Quibus ẽt perſuaſum eſt, eas effodi haudquaquã poſſe, niſi cum magno vitæ periculo, cane qui effodiat, radicib. adalligato, & auribus pice obturatis, ne radicis clamorem audiant effodientes, quòd audita voce periclitentur pereantq; foſſores. Quippe radices illæ, quæ humanam formam referunt, quas impoſtores ac nebulones quidam venales circumferunt, infœcundas mulieres decepturi, factitiæ ſunt ex hærundinum, bryoniæ, aliarumq; plantarum radicibus. Sculpunt enim in his adhuc virentibus tam virorum, quàm mulierum formas, infixis hordei, & milij granis, ijs in locis, vbi pilos exoriri volunt: deindè facta ſcrobe tamdiu tenui ſabulo obruunt, quouſq; grana illa radices emittant: id quod fiet viginti ad ſummum dierum ſpatio. Eruunt eas demum, & adnatas è granis radices acutiſſimo cultello ſcindunt, aptantq; ita vt capillos, barbam, & cæteros corporis pilos referant. Huius ſanè rei certam fidem facere poſſum, quòd cum Romæ eſſem, impoſtorem quendam circumforaneum lue Gallica correptum nobis curare contigit, qui præter alias innumeras impoſturas, quibus circumuentis hominibus multam pecuniam extorquent, docuit & artem, qua factitias ſibi comparabat Mandragoras, quarum complures mihi demonſtrauit, aſſerens vnam tantùm interdum diuitibus vendidiſſe quinq; & viginti, nonnunquam etiam triginta aureis. Quamobrem nos, qui omnium vtilitati &*

Mandragorę vtriuſq; conſideratio.

Mandragorę humana forma, factitiæ. Quorundam impoſtura.

ſaluti quantum poſſumus conſulimus, hæc ſilentio haudquaquam inuoluenda duximus, vt palam omnibus fiat, quibus fallacijs ac fraudibus maximo cum detrimento, & vitæ ſæpe diſcrimine, homines ab his impoſtoribus & nebulonibus decipiantur. Qui vt antiquorum quoq; authoritate ſuas impoſturas adſtruant, prædicant Pythagoram vocaſſe Mandragoram Anthropomorphon, quòd eam humanam formam reddere voluerit. Verum ſciendum eſt, non ſine ratione Mandragoram ita à Pythagora dictam fuiſſe: quippe quòd in vniuerſum omnes ferè Mandragoræ radices à medio ad imum biſurcatæ proueniant, adeò vt crura hominum modo habere videantur. Quapropter ſi eo effodiantur tempore, quo fructum gerunt, qui mali inſtar ſuper folia ad terram procumbentia breui pediculo appenſus, parum à radice diſtat, hominis, cui brachia deſint, effigiem quadantenus repræſentant. Hanc quidem rem nulli, quod ſciam, vel pauci ſunt, qui rectè acceperint. Quin potius pleriq; huius ſententiæ ignari adducti ſunt, vt Pythagoræ, & Columellæ id maximè vitio verterint, vt qui eos de Mandragora fabulatos eſſe crediderint. Sed vt ad fabulam illam redeamus, quæ periculum denunciat ignaris radices Mandragoræ effodere volentibus, ijs cane qui effodiat, non adalligato, ea mihi quidem deſumpta videtur à Flauio Ioſepho: qui etſi de alio radicis genere ſcribat, ea tamen potuerunt facilè ab impoſtoribus in Mandragoræ radices transferri. Quod vt omnes clariùs intelligant, hic Ioſephi verba ſubijciam, quæ lib. 7. cap. 25. de bello Iudaico ita ſcripta ſunt: Valle, inquit, qua ciuitas à parte Septentrionali cingitur, quidam locus Baaras appellatur, vbi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem adſimilis eſt colore, circa veſperam verò veluti iubar fulgurans. Accedentibus eamq; euellere cupientibus facilis non eſt, ſed tamdiu refugit, nec prius manet, quàm ſi quis vrinam muliebrem, vel menſtruum ſanguinem ſuper eam fuderit. Quinetiam tunc ſi quis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi fortè illam ipſam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoq; modo ſine periculo, qui talis eſt. Totam eam circumfodiunt, ita vt minimum ex radice terra ſit conditum: deinde ab ea religant canem, illoq; ſequi eum à quo religatus eſt cupiente, radix quidem facilè euellitur, canis verò continuò moritur, tanquam eius vice, à quo tollenda erat, traditus: nullus enim poſtea accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter vnam vim capi eam operæpretium eſt. Nam quæ vocantur dæmonia, peſſimorum hominum ſpiritus, viuis immerſa eosq; necantia, quibus ſubuentum non fuerit, hæc citò, etiamſi tantummodo admoueatur ægrotantibus, abigit: hactenus Ioſephus. Ex cuius vtiq; verbis omnibus perſpicuum eſſe poteſt, quòd hinc impoſtores occaſionem acceperint, qua poſtea vanam ac falſam de Mandragoræ radicibus commenti ſunt hiſtoriam. Cæterùm tertium Mandragoræ genus, quod Dioſcorides Morion appellari tradit, in opacis iuxta ſpecus prouenjens, qui mihi oſtenderet in Italia hactenus reperi neminem. Braſauolus itemq; Fuchſius Hermolaum immeritò, meo quidem iudicio, damnant, quòd virum hunc in ea ſententia fuiſſe velint, vt putauerit mala illa, quæ Inſubribus MELONGENA vulgò vocantur, noſtris verò Hetruſcis Petranciani, eſſe huius tertiæ Mandragoræ fructus. Sed quòd hæc non fuerit certa ac firma Hermolai ſententia, eius verba abundè teſtari poterunt, quæ in ſuis corollarijs de Morio ita ſcripta inuenio. De Morio, inquit, Mandragora nihil habeo quod addi poſſit ijs, quæ à Dioſcoride notantur. Sed quoniam mala terreſtria & canina Mandragoræ fructus appellantur, in mentem ſubeunt, quæ vulgo Melongena vocitamus, hoc eſt, vt ipſe puto, mala inſana: de quibus nihil veterib. ſcriptum fuiſſe iam deſino mirari, quòd multa huiuſmodi reperio, ſicut herclè multa quondam fuere, quæ modò vel ignorantur, vel certè non habentur. Mala ergo inſana è frutice vulgari ſunt, paſſim naſcente, vt melones & cucurbitæ: pari quoq; cultu, folijs propè ficulneis: flore oblongo, ſpecioſo, candido. Manditur vulgò pomum ex oleo, ſale, pipere, fungorum modo coctum. Hæc ad verbum Hermolaus. Ex quibus equidem omnibus palàm fieri arbitror, quòd perperam tum Braſauolus, tum Fuchſius hac in re Barbarum inſimulauerint. Cæterùm nos Mala inſana è planta ortu obſeruauimus, cui folia inſunt ſtramoniæ, aut maioris Solani, haud abſimilia, ſubaſpera tamen, hirſuta & per ambitum ſenſim ſinuata: caule vnico, ſemicubitali, ramoſo, tereti, firmo, ſubpurpureo, & perinde ac folia hirſuto. Flores edit albicantes aut ſubpurpureos, in ſtellæ modum radiantes, è quibus oblongi oriuntur fructus cucumeris magnitudine, colore in candido purpuraſcente, virentesve, & læuiſſimo contecti cortice, ſuccoſa albicanteq; intus pulpa: ſemine numeroſo, paruo, ſiliquaſtri æmulo. Radice nititur multifida, haud altè deſcendente: ſeritur in hortis & viridarijs, & vaſis fictilibus primo ſtatim appetente vere: floret Aeſtate, & Autumno fert fructum. Planta eſt frigoris, & algoris impatiens, quo fit vt in Germania & Bohemia vbi Aeſtas frigiduſcula fuerit, rarò fructum ad maturitatem perducat. In Italia, vbi Mala inſana copioſa proueniunt, frequenter in cibum veniunt. Elixa enim à cortice mundant, & in particulas diſſecant, & deinde farina aſperſa, in oleo aut butyro feruenti in patellis frigunt, & menſis apponunt, ſale & pipere condientes: ſunt enim guſtui non ingrata. Sunt è noſtratibus, qui Malis inſanis veſcantur ad venerem excitandam: quod fortè ideò præſtant, quoniam flatus gignunt, concoctuq; contumacia exiſtunt. Verùm cum frequentius manduntur (vt teſtis eſt Auicenna) bilioſos generant humores. Quinetiam pariunt viſcerum obſtructiones, carcinomata, elephantiaſin, capitis dolores, triſtitiam, & iecinoris & lienis infarctus: vnde poſtea diuturnæ proueniunt febres, & habitus malus. Hinc itaq; fit, vt Auerroem mirari ſubeat, quòd libro 5. collectaneorum, mala inſana commendauerit ſuo quodam modo parata. Iam & aliud horum genus importari cœpit, preſſum, orbiculatorum malorum modo, melopeponum more ſectum, colore primum viridi, deinde vbi maturitatem ſenſerit, in quibuſdam plantis aureum, in quibuſdam verò rubeum viſitur, ideoq; vulgò appellantur POMI d'oro, hoc eſt, mala aurea. Eduntur & hæc quemadmodum illa, ſed nauſeam & vomitum ſæpe mouent. Man-

Anthropomorphon Pythagoræ.

Baaras admirabilis facultatis planta.

Mandragora Morion vocata.

Hermolai tutela.

Mala vulgò Melongena.

## II. MELONGENA.



Hermolaus Barbarus defenditur.

Mal. inſan. deſcriptio.

Malorum inſanorũ vires.

Mala aurea.

dragora

III. SOLANVM POMIFErum, fructu rotundo, molli. *



*gora vires deſcripſit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Mandragora vincentem habet facultatem refrigeratoriam, adeò, vt tertij ſit ordinis refrigerantium. Veruntamen & caliditatis cuiuſdam particeps eſt, & in pomis humiditatis: proinde ſoporem conciliandi vim ea habent. Radicis cortex, cum ſit valentiſsimus, non tantum refrigerat, sed & deſiccat: reliquum quod intus eſt, imbecillum exiſtit. Hæc planta quæ Græcis μανδραγόρας, Latinis item Mandragoras appellatur: Arabibus, Iabora, ſeu Iabrohach: Italis Mandragora: Germanis* Alraun: *Hiſpanis Mandracola: Gallis Mandragore, & Mandegloyre. At Melogena, ſeu Mala inſana, Italis Petronciani ſeu Melanzane.*

Mandragoræ vires ex Gal.

Nomina.

Mandragora duplex eſt, alia flore minore & quidē mas & fæmina: alia maiore cæruleo, cuius figurā in hiſtoria noſtra dabimus. I. Mandragora fructu rotundo mas & candida, quæ verò fructu Pyri, fæmina & nigra herbariis dicitur. II. Solanum pomiferum fructu oblongo, C. B. Melongena, Matth. Cordo. in hiſt. Camer. Caſtor. Lugd. Melangena vel Melantzana, Lobel. Mala inſana, Trag. Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Latu. Lonic. Tabernæ. Pomum amoris aliquibus, Geſ. hor. Solanum pomiferum, eidem. Solanum hortenſe & Pyra inſana, Cæſalpino. Variat floris colore, fructus item colore & figurâ. III. Solanum pomiferum fructu rotundo molli, C. B. Poma amoris, Dod. gal. Lob. Lugd. Cam. in Matth. Taber. Pomum aureum, Geſ. hor. Aurea mala, Dod. fol. Caſt. Mala inſana, Cæſalpino. Solani pomiferi genus aliud, Geſ. hor. Lycoperſicum Galeni & Poma Peruuiana, Anguil. aliis Glaucium Dioſcoridis: fructus aureus, ruber, rarius albus.

## Ἀκόνιτον. ACONITVM. CAP. LXXII.

Aconitū aliqui pardalianches, alii cammoron, alii thelyphonon, alii myoctonon, alii theriophonon vocant. Folia habet cyclamini, aut cucumeris, tria aut quatuor, minora, & † ſubhirſuta: caulem palmo altum: radix ſcorpii caudam æmulatur, & alabaſtri modo ſplendet. Torpeſcunt, vt fama eſt, ſcorpiones adnota radice, ſtupentq; qui rurſum ellebori contactu, excitantur. Oculorum medicamentis leuandi doloris gratia adiicitur. Enecat pantheras, ſues, lupos, & feras omnes, in carnibus obiectum.

† Meum ὑποτραχέα. i. ſubaſpera.

## Ἀκόνιτον ἕτερον. ACONITVM ALTERVM. CAP. LXXIII.

EſSt & alterum Aconitum, quod aliqui cynoctonon, alii lycoctonon appellant. Huius genera ſunt tria: vnum, quo vtuntur venatores: alia duo in vſum ſuum vertere medici: è quibus tertium, quod Ponticum nominatur, plurimum in Italia, montibus Iuſtinis exilit, à priore diſtans, quoniam folia faciat effigie platani, crebriore diuiſura, longiora, & multò nigriora: caulem filicis pediculo ſimilem, nudum, cubitali altitudine, aut ampliorem: ſemen in ſiliquis oblongis recondit: radices in modum ſquillæ marinæ cirrorum nigreſcunt. Quibus ad venationem Luporum vtuntur: inſertæ ſiquidem crudis carnibus, & deuoratæ lupos enecant.

*DVo Dioſcoridi produntur Aconiti genera, quanquam poſtremum triplici diſtinguit differentia. Primum, quod Pardos enecet, Pardalianchen: alterum verò, quod canes, luposq; conficiat, Cynoctonon, Lycoctononq; vocari ait. Hoc (vt diximus) in tria genera diſtribuit: veruntamen poſtremum tantùm deſcribens, duorum priorum hiſtoriam, & vires ſilentio præterijt. Quo fit, vt Hermolai, & Marcelli ſententiam probandam putem: qui non temerè quidem ſuſpicantur, in altero capite plura deſiderari, quibus & priorum hiſtoria, & quonam pacto tum medici, tum venatores ijs antiquitus vterentur, palàm fieret. Huius diminutæ lectionis illud non parum ſuſpicionem auget, quòd in tertio genere, quod Ponticum appellauit, nihil ſit ab ipſo Dioſcoride prætermiſſum: ex quo quis fortè conijcere poteſt, in cæteris quoq; eum quicquam non prætermiſiſſe. Tertium hoc genus paſſim in Italia omnibus ferè montibus naſcitur, folijs quæ platanum quadantenus æmulantur, magis tamen per ambitum ſerratis, albis quibuſdam maculis reſperſis: caule filicis, bicubitali: floribus ſubluteis, acutis galericulis facie ſimilibus: è quibus ſiliquæ prodeunt, ſemen continentes: radice multiplici, ac nigra. Habetur & aliud genus iiſdem ferè folijs, & caule, floribus tamen melinis, ranunculo non diſſimilibus, longè tamen maioribus, adeò vt ſylueſtres roſas hic æquet amplitudine. Quanquam Geſnerus in ſuo magno libro de animalibus inſcripto (in quem is mihi quidem videtur, vt multa vera doctè, ita non pauca etiam falſa at vana ineptè congeſſiſſe) negat inueniri Aconitum, cuius flores lutei ſint, atque roſas æmulentur: vt qui ſibi fortaſſe perſuaſerit*

Aconiti genera, & conſid.

Dioſcoridis lectio diminuta.

Dioſcoridis locus ſuſpectus.

Geſnerus deceptus reprehenditur.

Sſſ omnia

I. ACONITVM PARDAL.
Dioſc.



Luparia.
Vulparia.

[illegible] historia.

Medici clari qui Aconitũ pardaliãches apud Matthiolũ viderunt.

*omnia naturæ opera ſe nouiſſe & vidiſſe. Attamen in hac pace eius dixerim, decipitur: ſiquidẽ plures extant montes, qui cùm hoc Aconiti genere ſcateant, nos hîc vera ſcripſiſſe. Generum contrà veritati refragari, poſteris omnibus teſtarum relinquent. Sunt qui hoc Aconitum ab effectu Lupariam vocent: at rura Tridentina, in quorum montibus copiosè prouenit, ipſum paſsim vulpariam nominant, vtpote quod præter lupos, vulpes etiam interimat. Quin & canes occidit, & feles & mures, & omnia denique animalia, quæ ſuo exortu tanquam cæca producuntur. Primum genus thelyphonon appellatum, quo venatores pantheras, & pardos interficiunt, vidimus legimusq́; nos tantùm in Ananienſibus montibus, in Tridentino agro, locis ferè inacceſsis, & præruptis. Planta eſt admodum rara, & à paucis alijs fortaſſe viſa, quàm ab ijs quibus à me eius videndi copia facta eſt. Nam plurimi ſunt rei plantariæ ſtudioſi, & clariſsimi viri, qui eam viderunt, & palpauerunt, quiq; hoc perpetuò teſtabuntur: è quorum numero ſunt Cæſaris Ferdinandi, & Romanorum Regis Maximiliani Medici omnes, nempe vir Clariſsimus Iulius Alexandrinus Tridentinus, Stephanus Laureus Belga, Doctor Ribera Hiſpanus, Ioannes Crato Vratislauienſis, Franciſcus Parthinus Roboretanus, & Ioannes Odoricus Melchorius Tridentinus, & alij quàm plures Medicinæ Doctores rei herbariæ haud ignari, non Itali ſolùm, ſed Bohemi, Poloni, Ger-*

II. ACONITVM PARDAL.
Plinii.



III. ACONITVM PARD.
Theophr.



*mani, Boruſsi, Vngari, Galli & Hiſpani, & quotquot ferè ſequuntur Cæſaream aulam, Regum, & principum oratores, ac multi quoq; peregrini, rei plantariæ, & bonarum artium ſtudioſi, qui hâc per Bohemiam iter facientes, me (quæ eorum eſt humanitas) inuiſere ſolent. Quibus omnibus dicere ſoleo. Palpate, & videte, quoniam Matthiolus fabulas non deſcribit. Hanc plantam ego theſauri loco iam mihi aſſeruo aduerſus vitilitigatorum calumnias, & omnibus, & ſingulis demonſtrandam, tam amicis, quàm inimicis: his quidem, vt inſpecta veritate ad mentem redeant: illis, vt de Matthioli integritate vbiq; teſtari poſsint. Eſt itaq;* Aconitvm Pardalianches, *cuius hic primo loco imaginem expreſsimus, planta in nudis, & arduis montium ſummitatibus cautibusq́; proueniens, vmbroſis tantùm locis: folijs cucumeri proximis, ſed maioribus, ad ſummum quatuor ijsq́; ſubhirſutis: caulem edit, quem ego caducum vidi, palmarem, pariter hirſutum, quemadmodũ & foliorũ pediculos. Florem videre non licuit, verum (ſi me mea non fallit opinio) Doronici æmulum illum eſſe exiſtimo [Chryſanthemi ſimilibus, ſed minoribus.] Radicem edit alabaſtri modo ſplendentem, dum recens eſt, digitali craſsitudine, ex lata origine in acutum deſinentem, incuruam, geniculatam, & tota facie ſcorpij caudam æmulantem, vt ex hac imagine quam ex viua planta pinxit Vuolfgangus Meierpeck, è Friburga Miſniæ oriundus quiſpiam*

Aconiti pardalianches delineatio.

qu: bus certior fieri poterit. Refert enim hæc omnibus ſuis notis adamuſſim Dioſcoridis Aconitum pardalianches. Eſt & alterum Aconiti huiuſce genus, radice fere ſimili, ſed ſuperiori parte vtrinq; brachiata, alba, ſplendente, geniculata, & ima parte Scorpionum caudam referente, minime tamen incurua: folijs præſcripto ſimilibus, ſed paulò rotundioribus, & minus hirſutis, caule & floribus Doronico ſimilibus. Naſcitur in altiſſimis montium præruptis, & fere inacceſſibilibus locis. Pares ſunt et qualitates & vires cum præſcripto. Hoc genus PLINII ACONITVM eſſe cenſeo. Quippe, is marino Cammaro ſui Aconiti radicem ſimilem reddidit, cuius effigiem hæc haud parum imitatur. Huic tertium accedit, quod omnino Theophraſti THELIPHONVM facio. Siquidem hoc non ſolùm habet radicem ſcorpionem integrum præſefe-

Plinii aconitum pardalianches
Thelyphonũ Theophraſti.

IV. ACONITVM PARDALIANCHES minus, quod falsò Doronicum vocant.



V. ACONITVM II.



rẽtem, ſed folia Cyclamini haud diſſimilia, radicis fibras geniculatas, graminis modo, & eiuſdem quoq; more ſeſe propaginantes, & alios quoq; ſcorpiones effigiantes, è quibus poſtea & folia & germina erumpunt. At caules & flores nihil ferè ab altero differre videntur, ſunt enim aurei omnes, chryſanthemi modo. Naſcitur in altiſſimis montibus, præſcriptis locis. Ea omnia poteſt, quæ de cæteris ſcripta ſunt. Duo hæc Aconiti genera miſit ad me ex ſuo viridario vir inſignis Iacobus Antonius Cortuſus Patritius Patauinus, acerrimus plantarum indagator, vna cum Doronicorum vulgarium planta: illéq; me primùm admonuit, Doronicũ inter Aconita eſſe recenſendum, quod certò ſciret, facto à ſe pluries periculo, extingui facilè canes, qui horum radices deuorârunt. Vix ego id credere poteram, ſed interim datis cuidam meo cani vulgarium Doronicorum quaternis drachmis, crudis carnibus occultatis, is poſt ſeptimam horam obijt. Sed id mirum profectò mihi fuit, quod ipſemet canis toto illo tempore, quo ſuperuixit, alacer, lætus, ac hilaris ſe ſemper habuit, nihilq; ſymptomatis paſſus eſt: immo, quod maius dici poteſt, quadam cum domeſtica canicula pluries Venerem exercuit, & cænantibus nobis auidiſſime comedit. Quo factum eſt, vt ego profectò crederem, me hoc facto periculo fruſtratum iri. Atqui paulò poſt præter omnium noſtrùm ſententiam, is repente admodum, ac ſi morbo comitiali percuſſus eſſet, totus in terram cecidit, vbi horrendo ſpaſmo correptus, ſpumanti ore paulò poſt conuulſus interijt. CORTVSO itaq; nobiliſſimo, hoc ampliſſimum munus futura poſteritas acceptum referat, ipſumq; nouum vitæ noſtræ cuſtodem appellitet. Huic Nymphæ violas, & lilia fundant: hunc ſuauiſſimis veſtiant roſis, & bacchare cingant. Ac interim deſinant Medici, quibus hominum vita cordi eſt, exitioſo & pernecabili Doronico vti. Expellant & illum Pharmacopæi ſuis è Myropolijs, & interdicant pij, & optimi principes, qui Rempublicam gubernant, ne poſthac venenum hoc præſentiſſimum væneat. O quàm miſera fuit eorum conditio, qui ſuperiori ætate nos præceſſerunt, quorum ferè nemo ſimplicia medicamenta rectè nouit, quiq; ſæpe venenoſis auxilijs vſi ſunt, vbi ſaluberrimis antidotis vti putarant, vt quam pluribus in locis horum noſtrorum commentariorum docuimus. Erit itaque Doronicum poſthac Dæmonicum, non Doronicum appellandum, quod Diabolus in huius locum thelyphoni genus hoc intruſerit. Hinc autem fit, vt ego errorem quoque meum iam agnoſcam, quòd noluerim Marantæ concedere, Doronicum vulgaris vſus eſſe Aconitũ pardaliancheñ, cùm viderẽ id innocuè ſumi in medicamentis ab hominibus: verùm non ob id fieri puto, quòd canibus ſit venenũ, homini vero ſalubre medicamẽtũ, vt quidã mihi reſpondent, quibus cùm de huiuſce Doronici exitiali facultate ſum locutus, ſed quòd non tanta quantitas propinetur à Medicis quæ homines necare valeat, aut quod rarò exhiberi ſoleat abſq; alijs antidotis, quæ veneno[illegible] vim diſſipant, & extinguunt. Qui enim aliter ſibi perſuadet, rẽ ita eſſe intelligẽt, vbi à nobiliſſimo Cortuſo impetrare [illegible]oterunt, vt is quaſdã Geſneri literas ſibi legẽdas concedat: ſiquidẽ ijs apertiſſimè fatetur, cũ hæc fabuloſa putaret, et Doronicos voraſſet in ſe ipſo facto periculo, incidiſſet profectò in magnũ vitæ diſcrimẽ, niſi ſudatorijs Laconicis, et antidotis nõnullis ſibi opẽ tuliſſet. Nã quæ canes occidũt et lupos, facilè adducor

Doronicum vulgare de genere aconitorum.
Hiſtoria.

vt cre-

VI. ACONITVM III.



*VII. ACONITVM VNIfolium.*



VIII. ACONITVM IIII.



*vt credam, eadem homines quoq; necare, vel (ſi non necent) plurimùm lædere, vt de vomica nuce ego fateri poſſum: quippe qui ſciam hac tantùm mulierem iam ſeneſcentem eſſe extinctam, quæ caſeum è quo ſibi cibum parauerat, ſuper inſtrumento ferreo ad hoc parato attriuerat, ſuper quo eius filius ſuperioribus diebus nuces vomicas aliquot in particulas confecerat, quibuſdam necandis canibus, qui eum noctè oblatrabant. At Aconitum Pardalianches minus, quod officinis falsò Doronicum, folia, caules & flores gerit, cæterorum generum ſimiles, radicem quæ graminis modo ſerpit, & quæ hinc inde numeroſa edit tubercula ſcorpionum effigiem præ ſe ferentia, candida, tenera ac dulcia. Naſcitur & hoc in altiſsimis montibus, vbi ſylueſtres capreæ inhabitãt. Cæterum*

Aconiti ſpecies ſex.

*ſunt nobis ſex aliæ Aconiti ſpecies, de quibus qui meminerit, habeo neminem. Harum imagines, quas hic appingi curauimus, miſit ad me Hieronymus Donzellinus medicus inſignis, qui tamen Dominico Monteſoro Veronenſi Medico præclariſsimo has acceptas referebat, atq; etiam Franciſco Calceolario qui primus eas in Monte Baldo in Veronenſi agro adinuenit. Horum hiſtorias hic deſcribere operæpretium non duximus, quòd appictæ hic imagines, eas ad viuum repræſentent. De floribus tantùm dicam, qui in quarto, & vno aurei ſunt, in reliquis verò purpurei. Primi generis Aconiti, quod thelyphonum vocant, meminit Theophraſtus libro 9. cap. 19. de plantarum hiſtoria, vbi ita ſcribit: Thelyphonum, quod alij ſcorpionem appellant, quia radicem ſcorpioni ſimilem habet, admotum, ſcorpionem occidere traduntur: & eum reuiuiſcere poſſe, ſi elleboro candido linatur. Enecat idem & oues, & boues, & iumenta, & ad ſummum omnes quadrupedes eodem die, ſi genitalibus folium, vel radicula imponatur. Proficit potum contra ſcorpionum ictum. Folium*

Thelyphoni hiſtoria ex Theophr.

*habet cyclamino ſimile: radicem, vt dictum eſt, ſcorpionis effigie. Naſcitur graminis modo, & geniculis conſtat: loca amat vmbroſa. Quod ſi vera ſint, quæ de ſcorpione narrantur, iam & reliqua eiuſmodi haud quaquam incredibilia, & fabuloſa dici debent. Hæc Theophraſtus de thelyphono, qui alteriùs quoq; Aconiti mentionem fecit cap. 16. eiuſdem voluminis, ſic inquiens: Aconitum naſcitur in Creta, atq; Zazintho, ſed plurimum, optimumq; in Heraclia Ponti. Conſtat id folio intubi.*

IX. ACONITVM V.



X. ACONITVM VI.



XI. ACONITVM VII.



intubaceo, radice tum ſpecie, tum colore nuci proxima: vim illam mortiferam in hac eſſe, folium, & fructum nihil nocere affirmãt. Fructus herbæ eſt non humilis materiæ: herba caulis breuis eſt, & nihil ſuperuacui habens, ſed frumento ſimilis: ſemen non ſpiceum. Naſcitur vbique, & non in Aconis ſolum, a quibus habet appellationem, is autem vicus eſt Periandinorum. Amat autem loca potiſsimùm ſaxoſa. Paſcitur eo neq; pecus, neq; vllum animal. Præparari ad afficiendum modo quodam enarrant, noſſe quenquam: quamobrem Medicos, quoniam componere neſciant, pro putrefactorio vti. Hæc ille de ſecundo Aconiti genere, quod duorum alterum Dioſcoridi eſſe poteſt, & illud fortaſſe, quod (vt ipſe inquit) in vſum ſuum vertere medici. Sed & de tertio Aconiti genere diſſeruiſſe Theophraſtum equidem crediderim, cum eodem loco paulo poſt hæc verba ſubdit: Aliud quoq; venenum vim diurnariam enecandi ſortiens compertum affirmant: eſſe namque radiculam quandam, quæ eodem die poſsit occidere: folium hanc habere Ellebori, notamq; omnibus eſſe: hactenus Theophraſtus. In quo nihil moueor, quod huic Aconito, quod tertium ſuſpicor, veratri folia tribuerit: nam & Dioſcorides nigro veratro folia platani reddidit, quemadmodum etiam tertio Aconitorum generi. Scripſit de Aconito pardalianche diligentiſsimè etiam Plinius libro vigeſimo ſeptimo, capite ſecundo, ſic inquiens: Sed antiquorum curam diligentiamq; quis poſsit ſatis venerari, cum conſtet omnium venenorum ocyſsimum eſſe Aconitum, & tactis quoq; genitalibus fœminei ſexus animalium, eodem die inferre mortem? Hoc fuit venenum, quo interemptas dormientes à Calphurno Beſtia vxores M. Cæcilius accuſator obiecit. Hinc illa atrox peroratio, eius in digito mortuas. Fabulæ narrauere è ſpumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule, ideoquè apud Heracleam Ponticam, vbi monſtratur is ad inferos aditus, gigni. Hoc quoque tamen in vſus humanæ ſalutis vertere, ſcorpionum ictibus aduerſari, experiendo datum in vino calido. Ea eſt natura, vt hominem occidat, niſi inuenerit, quod in homine perimat. Cum eo ſolo colluctatur velut pari intus inuento. Sola hæc pugna eſt, cum venenum in viſceribus reperit: mirumquè exitialia per ſe ambo cum ſint, duo venena in homine commoriuntur,

Aconiti pardalianches conſideratio ex Plinio.

vt homo

XII. ACONITVM VIII.



XIII. ACONITVM IX.



XIV. PSEVDOACONITVM pardalianches.



Pſeudoaconitum pardalianches.

*vt homo ſuperſit. Immo verò etiam ferarum remedia antiqui prodiderunt, demonſtrando quomodo venenata quoque ipſa ſanarentur. Torpeſcunt ſcorpiones Aconiti tactu, ſtupent-q́ pallentes, & vinci ſe confitentur. Auxiliatur eis elleborum album tactu reſoluente, ceditq́ Aconitum duobus malis, ſuis & omnium. Quod ſi quis illa fortè ab homine excogitari potuiſſe credit, ingratè deorum munera intelligit. Tanguntur carnes Aconito, necantq́ guſtatu pantheras, niſi hoc fieret, repleturas illos ſitus. Ob id quidam pardalianches appellauere. At illas ſtatim liberari morte excrementorum hominis guſtatu, demonſtratum. Quod certè caſu repertum quis dubitet? & quoties fiat etiam nunc, vt nouum naſci, quoniam ferus ratio, & vſus inter ſe tradi non poßit. Folia habet Cyclamini aut cucumeris, non plura quatuor, ab radice leniter hirſuta. Radicem modicam Cammaro ſimilem marino. Quare quidam Cammaron appellauere, alij Thelyphonon, ex qua ſupra diximus cauſa. Radix incuruatur paulùm ſcorpionum modo, quare & ſcorpion aliqui appellauere: nec defuere, qui Myoctonon appellare vellent, quoniam procul & è longinquo odore mures necat. Naſcitur in nudis cautibus, quas Aconas nominant, & ideo Aconitum aliqui dixere, nullo iuxta, ne puluere quidem nutriente. Alij quoniam vis eadem in morte eſſet, quæ cotis ad ferri aciem deterendam, ſtatimq́ admota velociter ſentiretur. Hæc de Aconito pardalianche Plinius. Hallucinantur itaq́, qui putant plantam quandam, binis tantùm folijs, ipſisq́ rotundis, firmis, & per ambitum crenatis, à medio caule exortis, floribus melinis in caulium ſummitatibus, & radicibus aſphodeli modo numeroſis, ſed quam longè minoribus, guſtu acerrimis ac lethiferis refertã, quàm nos hîc etiam appingi curauimus aliorum quoq́ iudicio expendendã, Aconitum eſſe Pardalianchen, quam nos Pſeudoaconitum Pardalianchen appellamus. Siquidem quanto in*

Fuch. error.

*errore ij verſentur in Aconiti huiuſce cenſura, ipſimet iam agnoſcere potuerunt, cùm tot illius imagines hic a nobis editas pacatis oculis inſpexerint. Nec in minori verſari errore Fuchſium deprehendimus: quippe qui in ſuis de plantarum hiſtoria Commentarijs, Aconitum pardalianchen eam plantam eſſe cenſet, quam herbariorum vulgus* HERBAM PARIS, *appellat:*

* XV. THORA MINOR.*



XVI. HERBA PARIS.



Herbæ Paris delineatio.

appellat: ſiquidem hæc vno tantùm conſtat caule, rotundo, duorum palmorum altitudine: è cuius medio quatuor erumpunt folia, eodem ambitu, crucis inſtar patentia, ſanguineæ virgæ ſimilima: alia præterea quatuor eodem modo prodeunt, prope caulis ſummitatem, ſed hæc minima ſunt, acuta & longiuſcula: in quorum medio purpureus, vinoſusq; extat globulus vnicus, acino vuæ ſimilis, in quo ſemen concluditur album, minutum, copioſumq;, halicacabi modo. Radix, quæ illi ſubeſt tenuis, in capillares ferè particulas diſſecta, palleſcit, nulla ſcorpionis caudæ effigie, nec alabaſtri modo aliqua ex parte nitet, vt primum Aconiti genus à Dioſcoride repræſentatur: cuius folia (vt etiam Plinius lib. 27. cap. 4. eſt author) præter id quòd cyclamino, aut cucumeri ſimilia ſunt, nunquam, quod viderim, in caulis medio ſuam habent originem, ſed ſtatim ab ipſa radice exeunt hirſuta, humiq; recumbentia. Semen huic nullum, quod ſciam, à rei herbariæ ſcriptoribus redditur. Sed ex herbæ Paridis acino ſemen colligitur, cui non modò nulla deleteria vis ineſt, ſed etiam contra veneficia præſtantiſſimum eſt medicamentum. Noui enim ego quoſdam, inquit ille qui pandectas auctas edidit, quorum aliqui morborum diuturnitate, alij vero veneficijs ſemiſtulti facti erant, hoc tantùm Paridis herbæ ſemine ad vigeſimum vſque diem in puluerem hauſto drachmæ pondere, priſtinæ ſanitati omnino reſtitutos eſſe: id quod ego quoq; fateri poſſum. Baccæ antidotis admiſcentur, quæ contra deleteria pharmaca parantur. Herba recens tuſa & illita, genitalium tumores & inflammationes ſanat, ac pariter oculorũ phlegmõas: paronychijs quoq; medetur. Herba cũ baccis refrigerat & ſiccat. Prouenit in montibus, in conuallibus, & frutetis. Porrò idem Fuchſius in ſuis paradoxis nil aliud Aconitum eſſe putat Mauritanis, & præſertim Auicennæ, quàm Napellum. Qua in re rurſus, meo quidem iudicio, fallitur: quippe tametſi non negauerim Napellũ eſſe è genere Aconitorum, quorum numeroſæ ſunt ſpecies, vt ex appictis hic imaginibus videri poteſt; reperio tamen Auicennam de vtroq; Aconiti genere ſcriptitaſſe, & alterũ appellaſſe ſtrangulatorẽ Adib, alterũ verò ſtrangulorẽ le pardi, quæ nomina eadẽ ſunt, quæ apud Græcos lycoctonos, et pardaliãches: atq; eundẽ prius magna differẽtia ſpeciatim de Napello egiſſe conſtat. Cæterùm cum nobis de Napello nunc ſermo ſit, eius etiã hîc hiſtoriam, & vires attexere voluimus. Eſt itaque

Napelli delineatio.

NAPELLVS planta folijs quinis ex vnius pediculi apice prodeuntibus, pentaphylli modo, ijsq; anteriori parte diuiſis, & auerſa ſubalbicantibus: caulem edit bicubitalem, ſubrubentem, fragilem, ſtriatumq;, in cuius faſtigio flores exeunt ſpicati, colore purpureo, hormini ſylueſtris modo, qui anteaquam dehiſcãt mortui ferè hominis caluariam repræſentant: at iam patefacti lamij flores æmulantur. Hos ſequuntur corniculatæ ſiliquulæ, ſurſum ſpectantes, ternæ ex vno tantùm pediculo exorientes, in quibus ſemen concluditur nigrum, ac minutum. Radice nititur turbinata, vulgaris rapunculi modo, ſubnigricanteq;, a qua numeroſæ oriuntur fibræ adeò inuicem contextæ, vt retis ſpeciem referant. Naſcitur in montibus, & in conuallibus. Excalfacit & ſiccat ordine quarto ipſi Auicennæ. Tota planta pernecabilis admodum eſt. Sed radix cæteris

Vires.

partibus atrocior, adeò vt manu aliquandiu retenta, quouſq; concaleſcat, tenentem perimat. Quinetiam paſtores necatos ſcimus, qui aſſandis auiculis, Napelli caule pro veru temerè vſi ſunt. Napelli vis in necandis hominibus adeò immanis, ſæuaq; exiſtit, vt nullis ferè antidotis occurri poſſit, niſi quàm primùm, & ſtatim ſuccurratur, quod tamen Aconitum ſumentibus non euenit.

Hiſtoria.

Huius immanitatem vidimus nos Romæ anno à Chriſto nato 1 5 2 4. menſe Nouembri in Capitolio, Clementis 7. Pont. max. anno primo. Nam cum decreuiſſet experiri olei cuiuſdam præſtantiſſimi vires, quod Gregorius Carauita Bononienſis Chirurgus tunc præceptor meus, contra deleteria medicamenta, & venenoſorum animalium quorumcunque morſus parauerat, iuſſit Pontifex venenum dari duobus latronibus, quos leges damnauerant, quo ſuorum facinorum pœnas luerent, laqueo vitam finire, vt in ijs olei huius experimentum fieret. Horum alterum, qui plurimum Napelli ſumpſerat, dulciarijs panibus commiſtum, pontificij medici ſtatim oleo inungendum præbent, qui poſt terti-

 um di-

## XVII. NAPELLVS.



um diem ſæpius oleo perunctus euaſit incolumis; quanquam non ſine magna formidabilium ſymptomatum acceſſione. Alterum verò, cui longè minus venenati panis exhibuerant, oleo inungi vetant, vt aſſumpti veneni effectum, ſentientiaq; cernerent. Id quod illis rei exitus facilè comprobauit. quandoquidem paucis pòſt horis obijt infelix, ijs omnibus innumeris modis, cruciatibus, & ſymptomatibus correptus, quæ ab epoto Napello prouenire ſcribit Auicenna. Vidimus & etiam

Hiſtoria altera.

Pragæ Metropoli Regni Bohemiæ, anno M. D. LXI. Menſe decembri in Latrone quodam ſuſpendio damnato, cui Napelli radix à carnifice data eſt drachmæ pondere rhodoſacharo excepta, Cæſareis Medicis præſentibus, vt antidoti famoſi cuiuſdam vires explorarentur, an contra Napellum id præſtaret, quod antea in altero damnato, qui Arſenici drachmas duas ebibit, efficaciſſimè præſtiterat. Lubens itaq; voràuit ille lethiferum Napelli pharmacum, vtpote qui nonſolùm ſibi conducibilius cenſebat, veneno in carcere necari, quàm laqueo publicè in patibulo ſuſpendi, ſed quod etiam ſperaret ſe à nobis ſeruari poſſe. Interim tranſacta iam ſeſquialtera hora, cùm nihil ſymptomatis appareret, verebamur omnes, ne fortaſſe in Bohemia aliqua regionis cauſa, Napellus venenoſus naſceretur, aut quòd ipſa radix ſucco deſtituta, ob editos iam caules, flores & ſemen, nihil operaretur. Quo factum eſt, vt alterum illi pharmacum propinatum ſit, ex eiuſdem Napelli caule, folijs, floribus, & ſemine paratum. At ibidem duabus adhuc horis nobis omnibus permanentibus, miſero illi mali prorſus nihil acceſſit. Reducitur ille ad carceres, abeunt cæteri, & mihi ſoli totum committitur negotium. Hora tranſacta carceris cuſtos me admonet, illum iam ægrotare. Ego ſtatim adſum, audioq; ipſum de vniuerſi corporis laſſitudine vlceroſa, imbecillitate magna, & cordis grauedine conqueri: tunc itaq; quamuis audacter ſatis loqueretur, nullo ſanè mentis incommodo, & viuidis me intueretur oculis, cùm tamen frontem inſpicerem frigido ſudore madentem, & arterias iam ferè obdormiſcere, antidotum propinari iubeo, quo epoto illico inuerſis oculis, atq; ore in latus distracto, capiteq; in ſcapulas rigente, ingenti admodum animi deliquio correptus eſt. Itaq; totus collapſus decidiſſet in terram, niſi à carceris cuſtode retentus eſſet. Iubeo interim cum vino irrorari faciem, & anterioribus capillis excuti. Quo ingenio ſtatim reuixit, emiſſis interim per ſedem excrementis. Poſthac iubeo illum iacere ſuper ſtraminibus ibi ad hoc paratis, vt quid inde ſequeretur, animaduerterem. Ille verò de frigore conquerens, paulò poſt putrida, bilioſa, & liuida quædam vomitione reiecit, qua ſe non parum adiutum fatebatur. Interim ſe ad ſiniſtrum conuertit latus, ac ſi dormire vellet. Prohibeo ne dormiat. Dum hæc aguntur, nullo alio exorto ſymptomate, tandem obmutuit, & obijt ſimul, liuida facta facie ac ſi laqueo ſuſpenſus. Cæterum longè aliter ſe habuerunt ſymptomata in altero pariter ad furcam damnato, cui

Hiſtoria tertia.

data fuit eiuſdem Napelli drachma, vt de lapide, quem Bezoar appellant Arabes, periculum fieret, an huiuſce veneni immanitatem expugnare poſſet. Agebat latro annum circiter 27. qui epoto lethali pharmaco, piperis omnino ſaporem illi ineſſe dicebat. Hora ſubinde peracta, cum vomere cæpiſſet, lapidis illius grana ſeptem ex albo meraco data ſunt. Verùm ab ebibito antidoto, varijs, & acerbiſſimis ſymptomatibus exagitatus eſt. Euomuit enim frequenter bilioſa, porraceo colore. Quendam quoque ueluti globum, circa vmbilicum ſe ſentire dicebat, qui inde ſuperna petens, in ſupremam & poſtremam capitis partem frigidam auram quandam diffundebat. Acceſſit paulò poſt ſtupor quidam paralyſi haud abſimilis, qui ſiniſtri lateris brachium, & crus occupauit, adeò vt vix ſummam manum mouere potuerit, motu iam in cæteris partibus extincto. Interim non multo poſt tempore hæc morbi vis ſiniſtra corporis parte incolumi relicta, in dextram repente ſe contulit, eandemq; ſimili modo occupauit. Vagum profectò ſymptoma hoc fuit, nam cùm dextrum brachiũ is atollere potuit, ſiniſtrum non potuit, & econtra. Tandem vtrumque eleuauit. Aiebat quoq; vniuerſas corporis venas frigeſcere. Non defuerunt vertigines, quas ſequutæ ſunt cerebri commotiones adeò feruentes, vt aquæ in caldario bullienti ſimiles eſſe diceret. Acceſſit quoq; oris, & oculorum conuulſio, atque acutiſſimus mandibularum dolor. Quare ſæpe manibus affectas illas partes perſtringebat, veritus ne exciderent. Forinſecus turgentes oculi, liuida facies & nigra labia cernebantur, quinetiam ventris tumor videri poterat, perinde ac hominis aqua intercute laborantis. Varia admodum extitit arteriarum pulſatio, & varia quoq; mentis perturbatio, pro ſymptomatum recurrentium acerbitate. Nam iam prorſus de vita deſperare, mox in ſpem ſe erigere videbatur, modò rationis compos, modò delirans, nunc ploranti, nunc cantanti ſimilis. Aquam frigidam dari ſibi potandam magnopere appetebat, vt ea ſubito ſe liberatum iri confideret. Toto hoc tempore ſe ter excæcatum, terq; in mortis agone colluctatum affirmabat, lingua tamen perpetuò conſtitit, nullo vnquam ſymptomate affecta, ſiquidem nunquàm intumuit, nunquàm is balbutire auditus eſt. Cæterùm ſeptima poſt ebibitum Napellum hora, veneni tandem vi ab Antidoto extincta, omnia euanuere ſymptomata: arteriæ ad rectam rediere normam, naturalis reuixit color, & breui quoq; virium conſtitit robur. Atque in hunc modum miſer ille, magno conflictu, atque certamine periculum ſuperauit. Id quod manifeſtò fatetur, de Napelli immanitate Auicennã non ſcripſiſſe fabulas, quem tamen inſectans Fuch-

Auicenna defenditur à Fuchſii calũnia.

ſius loco ſuperius citato, Leoniceni teſtimonio nixus, in eum acerrimè inuehitur, nec ſanè eum, vt noſtri recentiores, principem, ſed tyrannũ, & homicidam nuncupat, eosq; pariter deteſtatur, qui eius ſectantur doctrinam: quippe quòd Auicenna ſcripſerit (vt ipſe inquit) Napellum pernicioſum eſſe venenum: mox ſubdiderit, quòd linitum, & bibitum deleat albaras, cutanei morbi genus. Qua in re non poſſum non admirari Fuchſium, virum alioqui ingenio & eruditione clarum, quem etiam hoc nomine plurimùm diligo, quòd in tam celebrem & antiquum ſcriptorem paulò acrius & immodeſtius egerit.

Hominum

*Hominum enim eruditorum partes eſſe ſemper exiſtimaui, etſi ego eas vſquequaque ſeruare non potuerim, vt non vanis contentionibus, neque conuicijs aliorum ſcripta refellant, ſed rationibus, ijsq́; probatiſsimis, præſertim cùm eos accuſant, qui multis ante ſeculis è vita deceſſerunt, nec amplius à calumnijs ſe tueri poſſunt. Qui præterea conſiderare deberent, an in quo aliquem reprehendunt, in eo proprius ſit authoris lapſus, aut interpretis, aut librarij, antequam vllum iurgijs potius, quam rationibus inuadant. Quippe relictis tam Mauritanorum, quam Græcorum ſectis, quarum vni magis quam alteri addictus eſſe nolo, mihi quidē non videtur exiſtimandum, quòd Auicenna vir ſane ſingulari doctrina, & admirabili ingenio ab omnibus recentioribus noſtris maxime commendatus, eodem in loco ſibi omnino contraria ſcripſerit in veneno tam ſæuo, cui exitiales formidandasq́; vires tribuit. Cuius rei firmiſsimum præbet indicium ſcriptura Auicennæ ab Andrea Bellunenſi caſtigata, in qua nuſquam legitur Napellum bibitum albaras delere, ſed quòd hoc efficit quædam eius confectio in potu ſumpta. Verba enim Auicennæ ſecundum caſtigationem Bellunenſis ita ſonant. Napellus delet albaras linitum, ſicut & confectio eius dicta alberzacali in potu ſumpta. Ex quibus verbis plura mihi ſeſe offerunt conijcienda, vt tuear Auicennam, aut quod confectio illa tam exiguam Napelli partem excipiat, aut ea quam recipit, adeò antidotis correcta ſit, vt non ſolum necem non inferre poſsit, ſed ne tantillum quidem obeſſe. Aut quòd Napellus in illam additus, is fortè eſt, quem Auicenna appellat Napellum Moyſi, aliqui vero Antoram: quandoquidem hæc planta antidotum ſit admodum efficax contra Napelli venenum, præſertim quòd dicat Auicenna, ineſſe ſimiliter huic plantæ vim ad albaras, & lepras: aut in eadē confectione fortaſſe mus ille interponitur, qui Napelli radicibus victitat, à nobis pluries inuentus in Ananienſibus montibus, quod etiam mus iſte Napellus Moyſi ab Auicenna dicatur, quoniam ijſdem contra Napelli venenum polleat viribus, quibus & eiuſdem nominis planta. Hæc fortaſsis fuſius, quàm decebat, perſecuti ſumus. Sed tamen eo conſilio id libenter fecimus, primum vt quantum per nos fieri poſſet, Auicenna à calumnia vindicaretur. Deinde vt ingenue dicerem quod de ijs omnibus ſentio, qui optimos etiam quoſque authores, præſertim Arabas, lacerant ac diſcerpunt, quorum pleriſque magna eſt habenda gratia: tantum abeſt vt eos odio perpetuo proſequi debeant. Verùm cur id faciant, non video, niſi quòd tutum ſit in mortuos inuehi, quando hodie pauci ſint, qui eos tueri velint. Cæterùm exiſtimarunt Manardus Ferrarienſis, & Leonicenus, quòd Napellus, & Toxicum Græcis vocatum inter ſe non differant. Sed quantum & iſti viri grauiſsimi aberrauerint, inferius libro ſexto in toxici mentione latius oſtendemus. Sed de Napello hactenus, qui cùm Antoram quæ cum illo connaſcitur, in mentem mihi redegerit, non prætermittendum eſſe exiſtimaui, quin de ea hic quoq́; diſſererem. Eſt itaque planta, quam* ANTORAM, *vel vt melius fortaſſe, Antitoram vocant, quæ (vt referunt rei plantariæ*

Napellus Moyſis.

Napellus & Toxicum differunt.

Antorę mentio & vires.

XIIX. ANTORA.



* XIX. ANTORAE RAdices variæ. *



*indagatores) vnà cum Napello creſcit, vel propè ipſius plantas prouenit, in Liguriæ, & Galliæ Ciſalpinæ montibus, vnde ad nos affertur, magnarum contra venena virium. Caulem edit ſeſquipalmarem, & quandoque cubitalem, rotundum, firmumq́; in quo multifida ac tenuia, diſparibus interuallis, oriuntur folia numeroſa, in latus ſeſe diffundantia. Flores edit ſummo caule numeroſos, purpureos, Napelli æmulos, ſed paulò minores. Radices duas ſolidas oblongas, turbinatas oliuæ quantitate, ac ſæpe maiores, cortice ſubnigricanti, ſed alba intus carne, Nardi montanæ modo. Hanc putauerim ego eſſe Auicennæ Zedoariam, quod ſcribat hanc cum Napello creſcere, & quòd radices ſunt, ſiue portiones ſimiles Ariſtolochiæ. In quam ſententiam duxit me Gulielmus Quacelbenus Belga, medicus inſignis, & rei plantariæ ſtudioſus, qui ſuperioribus annis anteaquam moreretur, miſit ad me Conſtantinopoli Antoræ radices aliquot, quas mercatores à quibus emerat magno ſatis pretio, zedoariam appellabant. Quæ ſi non ſunt, alterius quidem plantæ radices eſſe non poterunt quam eius,*

Zedoaria Auicennæ.

Zedoaria & Napellus Moyſi apud Auicen. idẽ.

*de qua ſub Napelli Moyſi nomine meminit Auicenna, cum ſcribat is Napellum Moyſi etiam cum Napello creſcere, & eius maiorem eſſe theriacam. Ideoq; haud eos malè ſentire crediderim, qui Zedoariam, & Napellum Moyſi, idem eſſe Auicennæ cenſent. Præſtant Antoræ radices, non ſolùm ad epotum Napellum, ſed & cætera quæcunq; venena, quin etiam aduerſus viperarum & reliquorum venenoſorum morſum. Ligures (vt audio) Antoræ radicibus feliciſſimè vtuntur, ad inteſtinorum vermes. Propinātur quoq; commodiſſimè ad tormina, & cæteros inteſtinorum cruciatus. Dantur quoque vtiliter aduerſus peſtilentiam, & omnes internos dolores. Auxiliantur omnibus cordis affectibus, nec minus præſtare dicuntur in febribus peſtilentibus, cum quibus exanthemata lentium figura exoriuntur. Et cum legitimo Doronico careamus, eius loco perquàm bellè ſupponi poſſunt. Aconitorum vires tradidit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum vbi ita ſcriptum reliquit: Aconitum pardalianches putrefaciendi facultatem obtinet, & lethale eſt. Itaq; in cibo potuq; fugiendum: attamen ad putrefaciendum externas corporis partes, aut circa ſedem idoneum eſt. Herbæ verò radix ad hæc vtilis eſt. Quod autem Lycoctonon vocatur, ſimilem alteri facultatem habet, ſed peculiariter lupos, ſicut illud pardos interficere conſueuit. Hactenus Galenus. Aconiti primum genus Græcè vocatur* ἀκόνιτον παρδαλιάγχες ἢ θηλύφθορον: *Latinè, Aconitum interficiens pardos ac pantheras: Italicè, Aconito Pardalianche: Germanicè* Wolffsbeer vnnd Dollwurtz: *Hiſpanicè Centelha: Gallicè Herba de la tora. Alterum verò genus Græci* ἀκόνιτον κυνόκτονον *dicunt: Latini, Aconitum Cynoctonum & Lycoctonum: Itali Aconito cynoctono: Germani* Wolffswurtz: *Hiſpani Yerua mata louo, & Yerua de balheſteros: Galli Patelouine. Verùm Herba Paris, quibuſdam vua verſa, ſiue vua Lupina: Italis Herba Paris: Germanis* Wolffsbeer oder Sternkraut: *Gallis Raiſin de Renard. At Napellus, Italis Napello: Chymiſtis Herba tora.*

Aconiti vires ex Gal.

Nomina.

## APPENDIX.

Contradi Geſneri calumnia retunditur.

CONRADVS *Geſnerus hac ætate eruditione, ac copia rerum clariſſimus medicus, ſuo quem de raris & admirandis herbis appellauit, libello, de primo Dioſcoridis Aconito diſſerens, quod ipſe vulgus ſequutus Toram appellat, non ſolùm imaginem noſtram in huius capitis initio appictam pluribus impugnare nititur, ſed (vt arbitror) inuidorum potius quorundam ſuaſionibus, quàm ſui ipſius genio excitatus, eò immodeſtiæ iniuriæq; perueniſſe demonſtrat, quò haudquaquam decere crediderim honeſtos quoſq; viros deflectere. Quamobrem non poſſum non admirari, Geſnerum, quem hactenus modeſtiſſimè de omnibus ſcripſiſſe conſtat, nunc primum longè aliter ſe gerere, præſertim cum certò ſciat, ſe tam plura magna edidiſſe volumina, quæ cenſuris innumeris non vacabunt. Ecquid profectò turpius, deteſtabiliuſq; Geſnero euenire potuit, quàm infidelitatis illum arguere hominem, cuius autoritas, integritaſq; tanta iamdudum fuit apud ipſum, vt innumeris ferè locis in libris de animalium hiſtoria, alijſq; voluminibus, non ſolum illum laudauerit, probauerit, ac etiam obſeruauerit, ſed illius ſcriptis inuentiſq; pro ſui commodo vſus ſit, ac multa illi accepta referre poſſit? Etenim non abeſt ſuſpicio, quin eius ſinceritatem vafer quiſpiam labefactauerit maleuolus (nam & alios ſynceros ac probos viros ab ipſo deceptos ſcimus) quo poſtea factum ſit, vt dum is immeritò noſtram accuſat imaginem, aliam ipſe im medium afferat, quæ (pace eius dixerim) meritò damnari poſſit, quum plantam quam ipſe pro primi generis Aconito pingit, de quo Dioſcorides, & antiquorum alij meminere, nullis prorſus notis legitimum illud Aconitum referat: adeò vt à genuino non minus differre videatur, quàm coruus à cygno. Nam vbi hirſuta folia? vbi Cucumeris aut Cyclaminus facies? vbi plura quàm vnum tantum folium? vbi radix caudæ ſcorpionis æmula? vbi (Dij boni) alabaſtri ſplendor? Nullum penitus talium notarum apparet veſtigium. Quamobrem plurimum mirari ſubit, quod quaſi faſcinatus maluerit Geſnerus imperitiſſimi olitoris, cuius baliſtæ ſe telum effecit, contra nos probare ſententiam, quàm Theophraſtum, Dioſcoridem, Plinium, Oribaſium, & alios quotquot ſunt clariſſimi nominis autores, admittere. Adhæc non video, cur ea ratione adducatur Geſnerus, vt non putet imaginem noſtram niſi fictitiam, quòd ſcilicet mnis artificioſa ſit radix, & quòd abſq; vllis videatur fibris, quum aliarum etiam plantarum habeantur radices omnino glabræ, artificio editæ longè maiori, vt in Dentaria vocata, & in eo Saniculæ genere, quod album Germani vocant, cuius ſuperius inter ſymphyta meminimus, videri poteſt. Sed dicat Geſnerus, obſecro, quotnam in ſuis de animalibus libris fictitias appinxit imagines? longum ſanè eſſet recenſere. Recenſebo fortaſſe aliàs. Quippe nil minus ferendum, quàm rationem ab altero repoſcere eum, qui ſua reddere non poſſit.*

Geſneri lapſus.

Geſnerus notatur.

*Sunt enim in promptu doctiſſimi viri, & in plantarum hiſtoria, ac facultate exercitatiſſimi, qui rerum veritatem optimè norunt, quorum nomina, etſi copioſum non efficiant numerum, ſatius mihi fuerit ijs commendari labores noſtros, quam à cæteris improbari. Equidem Geſnero alioqui viro doctiſſimo noſtri Aconiti ſtirpem mittere poſſem, nec me tæderet ad montes illos me iterum recipere, licet magna intercedat itineris diſtantia. Atqui quum plantam non requirat, ſed duorum aut trium eruditorum teſtimonia, hæc ſemper in promptu erunt.*

Matthioli teſtimonium aduerſus Geſnerum.

*Viuit Georgius Liberalis pictor, qui plantam delineauit: Viuit Petrus Spezzalancia, qui eam effodit: Viuit Franciſcus Melchiorius medicus Tridentinus, qui nobiſcum ierat: Viuo ego (Dij boni) qui adhuc fidei aliquid præſtare poſſum, & montes viuunt & extant, qui tales nobis alunt plantas. Mirum ſanè, quòd tam iam moroſi ſint homines, vt nil aliud extare terris, mari busq; cenſeant, quàm quod ipſi tantum viderint. Verum enimverò non poſſum ſatis explorare Geſneri mentem, quippe qui hæc & alia nonnulla aduerſum me prius ſcripſerit, & nunc primùm nos honeſtè, benigneq; defenderit, aduerſus Guilandinum quendam Boruſſum, qui ad ipſum epiſtolam quandam ſcribens de Bulbo Caſtaneo, Traſis, Moly, alijſquè nonnullis barbara quadam inuidia ſauciatus citra cauſam omnem ac rationem, temulenti hominis inſtar, acrius, immodeſtiuſq;, quin etiam iniquius quàm par fuerat, in nos inuehitur. Sed licet etiam nobis, obſecro, parumper vnà cum Geſnero, quem tamen ſuis maledictis fautorem ſperabat, tam impudentis hominis rabiem repellere. Nam quis hoc pati poſſit? Quis non modeſtiæ fines prætergrediatur, vbi tantum contumelijs, calumnijs & impoſturis fuerit laceſſitus? Nihil eſt, quod bono doctoquè viro grauius, moleſtiusquè contingat, quàm ſi ſenſerit labores ſuos ab imperitiſſimis hominibus rabidis morſibus carpi, & præter æquum impugnari. Id quod ſi aut noſtro tantum æuo, aut mihi ſoli euenire perſpectum haberem, dolerem quidem primùm horum temporum nequitiam, inde verò fortunam meam deplorarem. Verùm quum id omni tempore fuiſſe commune animaduertam, eamquè fuiſſe ſemper bonorum, doctorumquè virorum conditionem non ignorem, vt inuidorum tela euitare, rabiemquè effugere neutiquam poſſint.*

Melchioris Guilandini exploſa temeritas.

*poſſint. facilè æquo animo patior quorundam audaciam, inſignemq́; temeritatem. Inter quos nulli mihi ſecundus videtur Boruſſus ille, quem potius (vt ita dicam) Maraſſum vocauerim. Quid? Mihi blatero inuidiam parere credit, quòd me herbariorum Deum appellat? An neſcit rabula, non aliam ob cauſam labores noſtros in omnium ferè ſtudioſorum manibus florere, & legi, laudari, foueriq; ab omnibus, quàm quòd ij de re herbaria benè meritum me iudicent? quin etiam ob id mihi tantas agant habeantq; gratias, quantas mihi vix meritus eſſe videor. Atqui is, tametſi ſtultiſſimus ſit, in hoc tamen (me hercule) ſapere videtur, quòd corium illud ſuum tanti faciat, vt Matthioli pelli anteferendum iudicet, quod ſibi aliquando ex vſu fore putat. Seruet ille ſuum corium diligenter inunctum, & magno exiſtimet pretio. Quippe niſi proprio fuerit adiutus corio, parum aberit, quin liuoris intumeſcentia rumpatur medius. At videant candidi pij lectores, qua hypocriſi inceperit in nos inuehi Guilandinus, quùm primùm inquit: Non is ſum, qui cauillis, & impoſturis inanem gloriolam aucupari velim. Mentiri neſcio, nec ſi ſcirem, velim, quùm tamen nil magis profiteatur, quàm calumnijs, maledictis, & impoſturis ſynceritatem, & modeſtiam noſtram impugnare, & id me ſcripſiſſe aſſerat, quod nuſquam in noſtris legitur commentarijs. Sed neſcio quomodo turpiora ſint vitia, quàm quæ virtutum ſpecie celantur. Porro ſi quandoque fortaſſe nonnullas bonas horas male conſumpſero, vt huic impudentiſſimo conuiciatori reſpondeam (id enim non hic expoſtulat locus, ne huius ſutilitate, & friuolis ineptijs noſtra defœdentur commentaria) rogatos velim ſtudioſos omnes, ne id à me factum putent, vt aliquam mihi exinde laudem requiram, quæ nulla mihi tam diu eſſe poteſt, quam diu cum homine tam impudenti negotium eſt, qui tanquam lutulentus ſus cum quouis volutari cupit: ſed ſi quam ille maledicendo voluptatem accepit, eam malè audiendo amittat, cæteriquè eius ſimillimi apertè omnes intelligant, plus eſſe bonis eruditiſquè viris ſe defendendo præſidij, quàm varijs obtrectatoribus in calumniando fraudis.*

Aconitum duplex eſt, aliud folio Cucumeris, quod Pardalianches, aliud foliis Platani inſtar diuiſis, quod Lycoctonum: vtriuſq; plures ſunt differentiæ. I. Aconitum Pardalianches primo loco poſitum, multi, præſertim Geſnerus in Libello de Lunariis, falſum & commentitium exiſtimant: at Lugdunenſis herbarij autor in appendice ſuæ hiſtoriæ, plantam integram à Treuirenſi ſeplaſiario ſe nactum teſtatur, in cuius horto plantæ iam aliquot annis viuant, & in Allobrogibus naſci: qui figuram huic ſimilem habet, ſed ramulum floribus onuſtum adpingit. Dicitur Aconitum pardalianches, Matth. Dodo. gal. Lugd. Taber. Aconitum primum, Lac. Caſt. Aconitum Matthioli an in rerum natura dubitamus, Geſnero de hortis. Placuit ex ſecunda Matthioli editione appendicem, quā capiti de Aconito ſubiunxit, huic etiam editioni inſerere, cum ſuam contra Geſnerum conetur ſententiam tueri. II. Aconitum Pardalianches Plinii, Matth. Dod. gal. Lugd. Taber. Aconitum pardalianches alterum, Dod. fol. Doronicum brachiata radice, Lob. Lugd. III. Aconitum Pardalianches Theophraſti, Matth. Lugd. Aconitum Pardalianches Matthioli, Taber. IV. Doronicum radice Scorpii, C. B. Aconitum Pardalianches minus, Matth. Lugd. Caſt. Aconitum pardalianches primum, Dod. fol. Doronici tertii varietas, Lobel. Doronicum latifolium, Cluſ. hiſt. Panno. Doronicum, Cord. in hiſt. Geſ. hor. Lonic. Cæſalpinus. Doronicum primum, Taber. Doronicum minus, Cam. Doronicum Romanum, Geſ. hor. Cluſio in Corollario Dodonæi Gallicè á ſe redditi Lugdu. Doronicum Scorpioides, Geſnero in libello de Aconitis. Triplicem hanc Aconiti Pardalianchis differentiam, triplicem eſſe Doronici varietatem, non ſine cauſa ſuſpicari licet: & quod ſecundo loco poſitum, videtur eſſe Doronicum, quod apud Heluetios prouenit, & ipſius radices ante octodecim annos in Pharmacopolio Iohannis Haintzmanni, Graffoy nomine accepimus, ex cuius horto dum hoc ſcriberemus, plantā cum floribus mutuauimus, de qua plenius in hiſtoria noſtra vniuerſali. V. Aconitum lycoctonum luteum, C. B. Thal. Camer. Aconitum ſecundum, Matth. Cord. in Dioſc. Lacu. Aconitum Lycoctonum, Fuch. Lonic. Aconitum Lycoctonum luteum maius, Dod. fol. Lugd. Lycoctonum ponticum, Dod. gal. Aconitum Lycoctonum ſecundum, Lugd. Aconitum luteum, Geſ. in fracto, Taber. Aconitum luteum ponticum, Lobel. Aconiti ſecundi vel Lycoctoni ſpecies prima, Geſ. hor. Luparia, Trago. Napelli primum genus, Cæſalpino. Flores huic purpureos Matthiolus, at Camerarius in ſua Matthioli epitome, luridos aut luteos palleſcentes, tribuit. VI. Aconitum tertium, Matthio. Lacun. Thal.Ybernæ. Aconitum Lycoctonum tertium, Lugdu. nil aliud eſt, quám Ranunculi ſpecies, quem ſuprà ſextum fecit. VII. Quod ſeptimo loco poſuimus, in Aconiti tertii locum Camerarius in ſuo Matthiolo ſubſtituit, Aconitum etiam hyemale nominans, quod lubet Aconitum vnifolium luteum bulboſum nominare, quod fortè Theophraſti Aconitum eſt. Hoc ex radice candida, ex pluribus tuberculis Anemones inſtar compoſita, & quaſi geniculis articulata, quæ acris & feruens, nullos quidem cauliculos, ſed plures pediculos palmares nudos & tenues emittit, quorum ſummo foliū rotundum, circumſcriptione quidem vnicum, ſed in plures partes Geranii Columbini, aut Napelli figura, in profundiores, minuſque profundas lacinias diuiſum: foliorum ſingulorum medio flos vnicus luteus, Ranunculi æmulus ſex foliis compoſitus, inſidet, ex cuius medio apices plures ſinguli minutum capitulum ſubflauum ſuſtinentes, emicant: quòd ſi flos maior longiorué ſit, obſcurè flaueſcit, ſi minor, ſaturatiùs flauet. Huic ſuccedunt ſiliquæ quaternæ & etiam ſenæ, pediculis inſidentes, ſurſum erectæ, Hellebori nigri tenuiores, quibus ſemen rotundum, compreſſum, ruffeſcens, incluſum. Hoc alii in collibus agri Fæſulani, nos veró in Euganeis iuxta Patauium Aprili florens, & in noſtris hortis Ianuarii fine, legimus. Dicitur Bulboſus vnifolius aut bifolius batrachioides, Elleboracea herbula, Aduerſariis. Aconitum hyemale Belgarum, & Ranunculus monophyllos, ſiue Anemone Bononienſis, Lob. Camer. Aconitum Lycoctonum luteum minus, Dod. fol. Lug. Aconitum aliud Dalechampii, Lugd. Bulbus paruus vnifolius Penæ, Lugdunenſis hiſtoriæ auctori, qui huius plantæ tres figuras propoſuit quod illi vſitatum, ita vt ex eo opere (ferè dixiſſem farragine) & quidem ſine ipſius damno vltra trecentas figuras, bis terué, & quidem ſub diuerſis nominibus poſitas, auferre poſſis. Aconitum hyemale Cam. in ſuo Matthiolo. Elleborina Cæſalpino. VIII. Aconitum quartum, Matth. Lacu. Lugd. an fortè Aconitum Lycoctonum flore Delphinii cæruleo (quod Lobelus & Dodonæus propoſuere) exprimere voluit? Floribus aureis magnis Matthiolus, cæruleis caudatis Camerarius in Epitome Matthioli dicit.

IX. Aconitum quintum, Matth. & Lugd. cui ex Matthioli ſententia, flores inſunt purpurei, at Camerario in Epitome crocei, addens folia vitigineis aut ficulneis accedere magnitudine ac figura ſeu diuiſione, quæ maculis albis & liueſcentibus venis deformentur, radice nigricante, cuius magna copia in monte Baldo inueniatur. Videtur Ranunculus montanus albus, ſimplici flore, quem idem Matthiolus pro quarto Ranunculo poſuit, exprimi. X. Aconitum ſextum, Matth. Lugd. Taber. quod floribus ſplendet purpureis Matthiolo: verum Camerarii in Matthio. hæc ſunt: Napello ſimili folio ſed multò maiore conſpicitur, & albis quibuſdam ſeu pallidis liueſcente venulis, floris figura ad Lupariam noſtram accedit, colore palleſcente luteovè. XI. Aconitum ſeptimum, Matth. & Lugd. An Aconitum Lycoctonum quartum, Cluſii hiſtoria Pannonica? XII. Aconitum octauum, Matth. Lugdu. hoc floribus nitet purpuraſcentibus Matthiolo: at Camerario in Matthiolum, floribus prouenit rufeſcentibus, folio ferè vitigineo, radice quadruplici ab vno capite craſſo. Quid ſi Matthiolus, id quod á Lobelo, Dodonæo & Lugdunenſi pro Aconito Lycoctono cæruleo paruo, & á Cluſio hiſt. Panno. & Camerario Thoræ Italicæ nomine exprimitur, intellexiſſet? XIII. Aconitum nonum Matthiolo & Lugdunenſi: floribus aureis Matthiolo, Luteis Camerario in Matth. qui hæc addit: radice duplici diuaricata ſuſtinetur, minora & graciliora, quàm alii Napelli folia & magis diſſecta promit: quod Antoram fortè aliquis non malè exiſtimaret, niſi maior & longior, vt videtur, hæc eſſet. XIV. Thora maior, C. B. Pſeudoaconitum Pardalianches, Matth. Aconitum primum Dioſcoridis, Geſ. hor. Cyclaminus tertia Plinii & Limeum eiuſdem. Geſ. Libello de Aconitis. Phthora Valdenſium, Aduer. Lobel. in icon. Thora Valdenſis, Dod. fol. Lugd. Cluſ. hiſto. Pan. Camer. Tab. Tora maior & Toxicum Valdenſium, Cam. in ſuo Matthiolo. XV. Thora minor, quæ minoribus foliis conſtat circinatis, aſperis, non hirſutis, per ambitum crenatis, ad plurimum tribus, ſæpius verò ſingulari folio: floribus luteis ſed minoribus forma vt & ſeminibus, Ranunculo ſimilibus: radicibus pluribus coniunctis aſphodeli inſtar ex vno capite prodeuntibus, albis, quibus ſæpe appendix longiuſcula ſcorpii caudæ æmula, qua ſe forſan propagare ſolet, additur. Aconitum primum minus, Geſ. hor. Tora minor, Geſ. Lobel. de Aconitis, Camer. in Matth. Thora montis Baldi & Thora Sabaudica, Tabernæmontano. XVI. Solanum quadrifolium bacciferum, C. B. Herba Paris, Matth. Dod. gal. & fol. Lugdu. Caſt. Thal. Cæſal. Paris herba, Lonic. Camer. Αστρ ſed non Atticus & Vua lupina, Trag. Aconitum Pardalianches, Fuch. Taber. Aconitum ſeu pardalianches monococcum, Cordo. in hiſt. Aconitum pardalianches thelyphonon, myophonon Theophraſti, Cord. in Dioſc. Aconitum ſalutiferum, Taber. Solanum tetraphyllum, Geſ. hor. Lobel. Solanum ſyluaticum, Geſ. hor. appen. Foliis communiter quatuor, vno aliquando, & etiam tribus cum primum prodit, quinque & ſex reperitur. XVII. Aconitum cæruleum ſeu Napellus, C. B. Napellus, Matth. Geſ. hor. Lonic. Caſtor. (cui & herba Tora) Dod. fol. (cui & Toxicum) Lug. Camer. Napellus verus cæruleus, Lobel. Napellus maior, Taber. Napellus reticulatus & Napellus Auicennæ, Cæſal. Eiſenhütlin / Brunf. Trag. Lycoctonum cæruleum, Cucubus ſiue Cappa monachi, Dod. gal. Lycoctonum ſatiuum tricarpum, Cord. in hiſt. Aconiti ſecundi vel Lycoctoni ſpecies altera, Geſ. hort. Aconitum cæruleum, Thalyo. Flore communiter cæruleo, rarius roſeo, rariſsimè albo reperitur. XVIII. Aconitum ſalutiferum ſeu Anthora, quaſi ἀντιφθορά, quod Thoræ alexipharmacum ſit. C. B. Zedoaria & Napellus Moyſis Auicennæ, cui & Algieduar. Antora, Matth. Geſ. hor. Caſto. Cæſalp. Cam. Anthora, Dodo. fol. Lobel. Lon. Taber. Lugdu. quam herbam Colicis doloribus vtilem indigenæ Allobrogum vocant: Aconitum ſalutiferum & Antitora, Geſnero de hortis Germaniæ. XIX. Hoc cum ludat radicum forma, earum varietatem, D. Camerarium imitati, figura expreſsimus: aliæ enim ſingularem & quaſi bulboſam radicem obtinent: aliæ geminis, vel oblongis, vel turbinatis, cohærent: nonnunquam ſcorpionem aliquantum referunt: ſed & triplices inueniuntur.

CICVTA.



## Κώνειον. CICVTA. CAP. LXXIIII.

Cicuta caulem edit geniculatum, vt fœniculi, grandem: folia ferulæ, anguſtiora, graui odoratu: rami, mox vmbellæ in ſummo prodeunt: flores quoque albicantes, & ſemen aniſo candidius: radice non alta, concaua. Cicutæ lethale venenum ineſt, ſuaque vi refrigeratoria necat. Remedio eſt vini meraculi potus. Succus exprimitur contuſis cacuminibus, priuſquàm ſemina, & comæ ſicceſcant, qui ſole denſatur in paſtillos. Multus ad medendi rationem vſus eſt aridi: commodè miſcetur collyriis, quæ leuandi doloris gratia temperantur: ignes ſacros, & vlcera quæ ſerpunt, illitu reſtinguit. Herba cum coma trita, & teſtibus circumlita, libidinum imaginationes in ſomno compeſcit, ſed genitale reſoluit: lac puerperarum mammis appoſita extinguit

extinguit: in virginitate mammas coercet, & increſcere non patitur, pueris præſtat, vt eorum teſticuli eorum non ſentientes intabeſcant. a Efficaciſſima vis Creticæ, Megarenſi, mox Atticæ, & in Chio, & Cilicia naſcenti.

a Catecui. ἐνεργέστατον δέ ἐστι τὸ Κρητικὸν καὶ τὸ ἐν τῇ Ἀσίᾳ γενόμενον, καὶ τὸ μεγαρικὸν, καὶ τὸ Ἀττικὸν καὶ Χῖον. a. efficaciſſima eſt Cretẽſis, & quæ in Aſia naſcitur, & Megarica, Attica & Choa.

*Cicuta vulgaris notitiæ eſt planta, vtpote quæ plerunq; prope vrbium, & oppidorum mœnia, & ſecus itinera prouenit. Serulæ aſſimilis, odore tamen admodum graui. Maxima vis Cicutæ, vt Plinius refert, quæ naſcitur in terra Parthorum: mox Laconicæ, Creticæ, Aſiaticæ. In Græcia vero Megaricæ, deinde Atticæ. Cæterum in Italia conſtat Cicutam non adeo exitialem eſſe. Nam in Hetruria ſi aſini depaſcantur, profundiſſimo ſomno, & torpore capiuntur, ita vt non tantum ſtupidi, ſed plane mortui videantur. Id quod aliquando ruſticos huius rei ignaros fefellit: nam dum aſinis, quos mortuos credebant, pellem ad vſum detraherent, accidit mirum, quod in medio fere operis aſini experrecti ſunt, non ſine magno excoriantium terrore, atq; ingenti ſpectantium riſu. Cicutæ breuiter meminit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, vbi tantum omnibus notum eſſe ſcribit, quòd ea extremè refrigerantis ſit facultatis. Et in libro quòd animi mores corporis temperaturam ſequantur, Cicutæ potu illam ſieri amentiam tradidit, quam a Cicuta ipſa Græci conion appellant. Hoc nobis contigit videre, vt latius libro ſexto explicabimus, in quibuſdam, qui imprudenter Cicutæ radices paſtinacæ vice decoctas comederant. Planta, quæ Græcis κώνειον, Latinis atq; etiam Italis Cicuta vocatur: Arabibus Sucaram: Germanis* Zigerkraut, Schirling vnd Wüttercich. *Hiſpanis Ceguda: Gallis Cigue, Cocue & Segue.*

Cicutę cõſid. Cicutæ vires ex Gal. Nomina.

Cicuta maior, cuius caulem viridem à plerisq; edi, ſcribit Plinius lib. 25. cap. 13. verùm qui ſapiunt ab huius eſu, Socrateo exemplo edocti, abſtineant. C. B. Cicuta, Matth. Trag. Fuchſ. Turn. Cordo in Dioſcor. Dodo. gal. & fol. Lacu. Lon. Lob. Caſtor. Lugdun. Cæſalp. Taber. Cicuta maior, Cordo in hiſto. Cam. Cicuta vera, Geſ. hort. Thal.

Σμῖλαξ. **TAXVS. CAP. LXXV.**

SMilax à Græcis, Taxus à Latinis appellatur, arbor abietis magnitudine, & foliorum eiuſdem figura, in Italia, & Narbonenſi Gallia Hiſpaniæ contermina naſcens. Auiculæ quæ Italicæ Taxi baccas deuorant, denigrantur: & qui ederint eaſdem homines, alui profluuio corripiuntur. Narbonæ tam præſentis eſt veneni, vt ſi qui dormiant ſub ea, aut in eius vmbra ſubſideant: lædantur, & ſæpenumero moriantur: quare de Taxo hæc traduntur, vt ab ea caueamus.

TAXVS.



* TAXVS GLANDIFERA. *



*NAſcitur Taxus frequens in Ananiæ vallis montibus, ſaxoſis ac præruptis locis, inter abietes & piceas, quibus folio, ac forma non longè diſsimilis viſitur: quanquam hæc illarum proceritatem non niſi rariſsimè æquet. Baccas fert rubentes, aquifolij modo, dulces vinoſasq;: quas quandoq; mandentes tum paſtores, tum qui in ſyluis arbores cedunt, ſtatim in febres incidunt, & dyſenterici fiunt, ſanguine & ſpiritibus inde admodum inflammatis. Ligni materies, quòd rufeſcat quàm plurimis intercurſantibus venis, incorruptaq; ſit, lignarijs fabris maximè expetitur, & plurimi ſit, præſertim concinnandis menſis & haſtis, arcubus telisq; conficiendis. Quamobrẽ Germani huius arboris aſſeres ad ſua conſtruenda hypo-*

Taxi conſid.

*cauſta non exigua ſibi comparant pecunia.* Taxi historia ex Theophr. *Taxi meminit Theophraſtus lib. 3. cap. 10. de plantarum hiſtoria, ſic inquiens: Taxus quoq; genere ſimplex, procera, auctu inſignis ſimiliſq; abieti, niſi quòd non pariter excelſa, magiſq; alis ſinuata eſt: folio quoq; Abieti ſimilis, ſed pinguior molliorq; ligno. Quæ in Arcadia naſcitur, nigro ligno, aut puniceo conſtat. quæ autem in Ida, flauo admodum, & cedro ſimili: propter quod vendentes fraudare dicuntur, tanquam cedrum venundent. Totum enim cor eſſe, cortice detracto: corticem ſimilem cedro habere tum ſcabritia, tum colore: radices breues, graciles, per ſummaq; ceſpitum: rara hæc circa Idam. At in Macedonia Arcadiaq;, vel fructum abundè proferre, rotundum, faba paulò maiorem: colore rufum tactuq; mollem. Aiunt, quòd ſi iumenta folia comederint, emoriuntur: ſi ruminantia, nihil patiuntur. Fructus & ab aliquibus hominibus manditur, ſuauiſq; eſt, atq; innoxius: hactenus Theophraſtus. Cuius ſententiæ illud obſtare videtur, quòd noſtra Taxus fructum ferat non innoxium, vt ipſe ait, ſed noxium, vt ſupra diximus.*

Ex Plinio. *Taxi Plinius quoq; meminit lib. 16. cap. 10. vbi de ea ita ſcribit: Abieti & piceæ ſimilis etiamnum aſpectu eſt Taxus, minus virens graciliſq; & triſtis, ac dira, nullo ſucco, ex omnibus ſola baccifera. Mas noxio fructu: lethale quippe baccis, in Hiſpania præcipuè, venenum ineſt. Vaſa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia factis mortifera fuiſſe compertum eſt. Hanc Seſtius ſmilacem à Græcis vocari dixit: & eſſe in Arcadia tam præſentis veneni, vt ſi qui dormiant ſub ea, cibumve capiant, moriantur. Sunt qui & taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tinguntur. Repertum innoxiam fieri, ſi in ipſam arborem clauus æreus adigatur: hæc Plinius. Foliorum fumo mures necantur. Boues foliorum paſtu necantur. Taxi præterea nocumenta tradidit Dioſcorides libro ſexto, vbi de noxijs medicamentis pertractat, quò cum peruentum fuerit, de ijs diffuſis nobis differendum erit.* Taxi vires ex Gal. *Taxi vires quàm paucis reddidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Smilax, aut Taxus arbor eſt venenoſæ facultatis.* Nomina. *Huic arbori nomen Græcum eſt σμῖλαξ: Latinum Taxus: Italicum Taſſo ſeu Naſſo: Germanicum* Eiben Baum*: Hiſpanicum Texo: Gallicum If.*

Taxi figuram Matthiolus propoſuit, quæ ſolùm baccas cum foliis exprimit: at Lobelus & flores adpinxit, eo modo quo figura noſtra prima oſtendet. Verùm lubuit & alteram figuram addere, quæ & flores & glandes exhiberet vnà cum nucamentis. Elapſo etenim anno Nobiliſſimus Iacobus Antonius Cortuſus, Taxi ramum glandibus onuſtum tranſmiſit: qui ſcribit ſe præcedentis anni Octobri & Nouembri menſibus in montibus circa Vincentiam qui Tridentum ſpectant, legiſſe: quod ſane dignum obſeruatu, cùm nec ab antiquis, nec á recentioribus, quod quidem legerimus, quicquam de Taxo glandifera memoriæ ſit proditum, meritó ergo hæc de glandibus obſeruatio Nobiliſſimo Cortuſo debetur. Dicitur Smilax Dioſcoridi & Galeno: Milos, Theophraſto: Smilos, Nicandro: Taxus, Plinio & Matt. Dod. gal. & fol. Turn. Cordo in Dioſcor. Geſ. hort. Lacu. Lon. Lob. Caſt. Lug. Thal. Cam. Cæſal. Milax arbor, Cordo in Dioſcoridem.

## Α᾽πόκυνον. APOCYNVM. CAP. LXXVI.

APocynon ſiue Cynocrambe, Braſſica canina, frutex eſt longis viticulis conſtans, malè olentibus, lentis, vitiliumq; modo obſequioſis, fractu ferè inuictis: folio hederæ, molliore tamen, & per extremū acutiore, lento, graui odore: id luteo ſucco turget. a Siliquæ ceu fabarum, folliculari ſpecie, digiti lon-

a Meum κάρπος δὲ ὡς λοβὸς κυάμου. i. fructus verò velut ſiliqua, fabæ.

I. APOCYNVM.



II. APOCYNVM REPENS.



gitudine protenduntur: ſemine intus duro, paruo, nigro. Folia cum adipe in panes coacta, canes, lupos, vulpes & pantheras enecant in cibo data, & protinus eorum coxendices reſoluunt.

*Apocynum, quod & Braßicam caninam appellant, etſi iamdiu mihi quidem incognita fuerit, adeò vt inter alias incompertas ſtirpes in ampliſſimo naturæ viridario poſteris reliquerim explorandam, hoc tamen anno è Piſis medicus eruditione & in re herbaria clarus, Lucas Ghinus Forocornelienſis duas ad me miſit plantas, quarum vna per omnia Dioſcoridis Apocynon repræſentat. Scribit enim vir ille, duas à quodam nobili amico ſiliquas dono accepiſſe è Syria allatas, quarum alteri inſcriptum erat Periploca repens: alteri verò Periploca non repens, fortaſſe quòd ita Syri eas plantas nominent. Subdit præterea, has ſiliquas rhododendri ſiliquis admodum fuiſſe ſimiles: inter quas tamē hæc erat differentia, quòd repentis Periploca ſiliqua ea ſanè longitudine conſtabat, qua & rhododendri, gracilior tamen erat: alterius verò breuior. E longiori ſata plantam prouenisſe ait, quæ non modò humi repit, ſed & arbores quantumuis proceras ſcandit: è breuiori verò aliam, quæ notis omnibus Apocynon refert. Vtraq; porrò non minus lacte turget, vt ſcribit, quàm tithymali omne genus: verùm id repenti omnino album ineſſe: non repenti verò ſubcroceum. Eſt etiam in ſiliquis differentia. Siquidem etſi hæ in vtraq; rhododendri perquam ſimiles ſunt, in non repenti tamen ſimplices, acutiores, ac recta ex vno pediculo proueniunt: in repenti verò, quæ folia promit alterius longiora, caules, ſeu potius viticulas obſequioſas & fractu contumaces, lentaq; binæ, ex vno pediculo in origine coniunctæ prodeunt, & in ſeſe inuicem inflexæ, nec adeò, vt illæ in acutum deſinentes. Prouenit repens in Apulia & Calabria copioſe. Creditur iiſdem pollere viribus, quibus & alterum. Dioſcorides Apocyno ſiliquas facit fabæ ſimiles, quod in his quæ hic imaginem expreßimus, maximè repugnare videtur. Nam inter harum, & fabarum ſiliquas non parua intercedit differentia. Verùm cum ſcribat Plinius Apocynum ſemen (ſiliquam intelligo) ferre autum, & videam ſtatim poſt Apocyni caput de Rhododendro, illi ſiliquis ſimili, ſcripſiſſe Dioſcoridem, non poſſum mihi non perſuadere, haſce plantas legitimum eſſe Apocynum. Itaq; in hac mea perſiſtam opinione, donec aliam videro plantam quæ clarioribus notis Apocynum referat. Interim ſiquis in cenſendis plantis tam moroſus reperiatur, vt has Apocynos facere nolit, poterit is id tamen condonare, vt liceat nobis (vt Ghinus ille optimus faciebat) eaſdem Periplocas appellare. Apocyni vires memoriæ prodidit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Apocynum aut Cynocrambe: Vocant autem quidam eam Cynomorum, quandoquidem canes celerrime interimit, ſicut Lycoctonon lupos. Eſt autem hominibus venenum, herba multùm grauiter olens: proinde omnino calida eſt non inſtrenuè, non tamen proportione deſiccat. Itaq; illita admodum digerentis eſt facultatis. Quæ planta Ἀπόκυνον Græcè, Apocynum item & Braßica canina Latinè dicitur: Italicè Apocino ſiue Periploca. At Apocynum repens, Italis Apocino ſerpeggiante.*

Apocyni cōſideratio. Apocynum duplex. Apocyni vires ex Gal. Nomina.

I. Apocynum folio ſubrotundo, C.B. Apocynum, Matt. Anguil. Lac. Caſt. Lug. Apocynum primum, Cluſ. hiſt. Hiſp. Apocynum ſiue Periploca Greca, foliis latioribus hederacis, Lob. Amphocynum hodie in Græcia, Geſ. hor. Cynocrambe, Lon. Periploca non repens, Cæſ. II. Apocynum repens purpuraſcēte flore (quoddam enim albo flore folioq; anguſtiſſimo Alpinus proponit) C.B. Apocynum repens, Matth. Lug. Cam. Apocynum ſecundum, Cluſ. hiſt. Hiſpa. Periploca Nerei folio, Anguil. Periploca altera, Dod. folio. Periploca ſerpens anguſtiore folio, Lobel. Periploca, Cæſalpino.

Νήριον ἢ Ῥοδόδενδρον.

## NERIVM SIVE RHODODENDRVM. CAP. LXXVII.

NERIVM SIVE RHODOdendrum.



Nerium oleander

Erion aliqui Rhododaphnen, alii Rhododendron vocant: frutex eſt vulgaris notitiæ, longioribus quàm amygdala foliis craſſioribuſq;: flore in roſam conformato: [a] fructu amygdalæ ſimili, corniculato, qui patefactus quandam lanoſam naturam oſtendit, [b] ſpinarum pappos repræſentantem: radice longa, acuta, lignoſa, guſtanti ſalſa: naſcitur in amœnis, maritimis, & ſecus amnes. Flores & folia mulis, canibus, aſinis & quadrupedum plurimis venena ſunt: hominibus verò contra ſerpentiū morſus præſidia, è vino pota, eò magis ruta addita. Imbecillæ etiam animantes, vt pecus & capræ, ſi aquam bibant, in qua folia ea maduerint, moriuntur.

a Catecuz. καρπὸν δὲ φέρει κεράτιον. i. fructū fert vel cornu. b Meum ἀκανθίνοις πάπποις. i. Acanthinis pappis.

*Nerium, quod flores roſarum effigie proferat, laurinisq; folijs conſtet, Græcorum quidam Rhododendron, alij Rhododaphnen appellant: Italis Oleandro vulgò dicitur. Vidimus nos hoc primùm ad Benaci ripas, & in Argentario promontorio in maritimis noſtris. Planta eſt lauri facie, ſpectabilis, & viſu non iniucunda, præſertim cum roſeis emicat floribus. Horum ſimilitudine deceptus quondam fuit Lucius Apuleius ſub aſini metamorphoſi, dum roſas quæreret, quarum paſtu in priſtinam formam reſtituendus erat. Nam cum procul vidiſſet Nerium ſuis floribus refertum, ratus eos eſſe veras roſas, eò aperto ore accurrit tanta auiditate, vt parum defuerit, quin eas primo occurſu imprudens deuorarit. Verùm is, vt qui in plantarum hiſtoria, & viribus earum indagandis diligentißimus author extitit, non immemor Nerij flores depaſtos aſinis venenum præſentaneum eſſe, ita deceptus labra ſubmouit, demißiſq; ad terram aurib. abijt. Nerij vires deſcripſit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum,*

Nerii conſid. Nerii vires ex Gal.

*torum, ſic inquiens: Nerium, vt Rhododaphne notus omnibus eſt frutex. Foris quidem corpori illitus, diſcutiendi vim obtinet. Intrò autem in corpus aſſumptus, pernicioſus ac venenoſus non tantùm hominibus eſt, ſed plerisq; etiam pecudibus, tradit Galenus. Quæ maximè repugnant Dioſcoridis & Plinij placitis: quippe qui Nerium potum commendauerint hominibus contra ſerpentium venenoſorum morſus. Niſi dicere velimus, quòd Nerium ſumptum ſecundum Galenum ſit hominibus non demorſis pernicioſum: ſecundum verò Dioſcoridem idem ijs remedio ſit, quos ſerpentes momorderint. Idq; ea ratione fiat, qua & cantharides (vt inquit Auicenna) à cane rabido demorſis medentur, & euphorbium à ſcorpionibus ictis, & alia deniq; lethalia medicamenta alijs item venenis aduerſantur, vt inferius libro ſexto latius dicetur. Siquidem mihi non videtur veriſimile, quòd præter rationem id prodiderit Dioſcorides, in ſimplicium materia omnium facile princeps.*

Conciliatio Dioſcoridis cum Gal.

Nomina.

*ῥοδοδάφνη καὶ ῥοδόδενδρον ſic Græcè planta dicitur, quæ Latinus pariter Nerium, Rhododaphne & Rhododendrum: Italis Oleandro: Germanis Oleander: Hiſpanis Adelfa & Eloendro: Gallis Roſagine ſeu Roſage, Oleandre.*

Nerium Matth. Trag. Fuchſ. Turn. Dodo. gal. Cordo in Dioſc. Geſ. hort. Lacun. Lon. Lob. Lugd. Caſtor. Camer. Taber. Neris, Nicandro: Oleander, Anguil. Lob. icon. cui & Laurus roſea: Rhododendron, Geſ. hort. Dodo. fol. Rhododaphne, Geſ. hort. Cæſalp. Roſa laurea, Apuleio. Vulgò flore eſt rubeſcente, habetur & albo.

† Orib habet tantum βλαπτικὰς. i. noxios.

† Orib conclusa vno tãtum verbo explicauit. ἐδώδιμοι. i. eſculenti.

a Meum καὶ χολέραν ἐπάγοντες. i. & cholerã ſurſum ac deorſum ducunt.

† Or. ἐλαίῳ. i. olei.

## Μυκῆτες. FVNGI. CAP. LXXVIII.

FVngorum differentia duplex: aut enim manduntur, aut perniciales ſunt. Multis de cauſis venenoſi gignuntur, vbi videlicet clauus ferreus, in quo ſit rubigo, aut panni marcor adfuerit: aut ſi iuxta ſerpentis cauernam, arboresve, † quę priuatim pariunt noxios fructus, erumpant. Continent qui tales ſunt, neſcio quod ſtrigmentum concretamq; pituitam, terraq; eruti, quàm celerrimè computreſcunt, atque marcore vitiantur. † [ Sed qui veneno imbuti non ſunt ], ſuauem in iuribus gratiam habent, largius tamen ſumpti nocent, & ægrius concocti ſtrangulant, a aut choleram morbum citant. Remedio eſt † nitri potus, aut lixiuium cum acida muria, aut ferueſactæ ſatureiæ, aut origani iuſculum: debellantur etiam gallinacei fimi potu ex aceto, aut eiuſdem delinctu cum melle multo. Corpus alunt, ſed ægrè diſſoluuntur, cum magna ex parte integri ipſi cum recrementis alui deijciantur.

Fungorũ genera & cõſid.

FVNGI.



*TAmetſi duo tantùm Fungorum genera hic videatur recenſere Dioſcorides, ad Fungos duntaxat innoxios, & perniciales reſpiciens: tamẽ, vt omnib. palàm eſt, plura ac diuerſa eorũ, quæ in cibis expetũtur, diſcrimina notantur. Horũ inter omnes Italiæ regiões feraciſſima eſt Hetruria, vbi illi Fungi cæteros antecellunt, qui vulgò dicuntur Prignoli, qui ſiquidem ſingulis annis primis Aprilis imbribus erumpunt, neque ſolùm odorem eximium ſpirant, guſtuiq; gratiſſimi ſunt: ſed etiam omnino innocui habentur. Secundum verò locum apud noſtros Hetruſcos tenent ij, qui vulgò Porcini, hoc eſt, ſuilli, nuncupantur: quippe qui prius elixi, ac demum farina circumliti, & oleo vel butyro frixi, magnam cum palato ineant gratiam. Verùm hi non adeò tuti ſunt, quòd in ſuo genere pernicioſi plures, quàm in alijs reperiantur. Cæterùm periculoſi ac malefici à peritis & oculatis viris facilè dignoſcuntur, cùm à terra & cortice purgantur, inciduntur q; decoquendi. Nam cultello diſſecti illico (vt Plinius inquit) dilutus eis aduenit rubor, rancidus ſubinde aſpectus, liuidus intus color, rimoſa ſtria, pallidum per ambitum labrum: poſtremò accedit nigredo, & ita protinus computreſcunt. Quamobrem rectè ſcribit Auicenna lib. 4. fen 6. eos nocentiores eſſe, qui nigri, vel virides, vel in nigro purpuraſcentes viſuntur. Proinde amens quidem, & planè ſtupidus, & ſtipes fuerit is, qui tam repentinas mutationes viderit, & non cognouerit his notis eorum virus patefieri. Sed accidit plerunq;, vt illos potiſſimũ Fungi interimant, aut ſaltem in magnum diſcrimen adducant, qui eos ſuper ferrea craticula, aut prunis calentibusq; cineribus aſſatos deuorant. Hoc enim modo decocti, cum integeolis non ſecentur, non tam facilè cognoſci poſſunt, vt ij qui diſſecti parantur. Ad hæc non ſemper officiunt Fungi, quòd per ſe lethiferi ſint, ſed quòd copioſius, quàm par ſit, ingerantur. Quandoquidem cum lenti admodum, craſſiſſimiq; ſucci exiſtant, arteriarum oſcula vſq; adeò obſtruunt, vt concluſis intus ſpiritibus ſuffocent. Quod cum probe norint agreſtes in Hetruria mulieres, rariſſime Fungos mandunt, niſi allio & pipere adiectis. Aſſeruantur Fungi muria, præſertim qui vulgò Porcini dicuntur: namq; hoc modo parati innocentiores redduntur amiſſo lentore. Præter hæc multa alia Fungorum genera apud nos inueniuntur, vt ij qui nobis vulgò appellantur Prataioli, Turini, Boleti, Orcelle, Cardarelle, Manine, Ordinali, Parigioli, Veſcie di lupo, & complura alia, quæ, cum nihil vel parum ad rem faciant, ſilentio inuoluenda duximus, vt enim varia ſpectantur facie, ac colore, ita hominibus maxime noti ſunt fungi, plurimi tamen galeri modo formantur, palmari ac etiam minori pediculo nitentes, vario ſuperius inferiusq; colore. Naſcuntur quidam in pratis, plerią; in paſcuis, nonnulli in ſyluis, quidam in frutetis. Cæterùm Fungi non tantum humi proueniunt, ſed & in arborum caudicib. qui omniferè periculo vacant (dummodo non ſint arbores noxiæ) quòd*

Fungi malefici vt dignoſcendi.

Fungorum alia genera.

*quod e cortice proſiliant, cui nec ferrum, nec tabefactus pannus, nec ſerpentis cadauer ſubeſſe poteſt. Ex hoc genere quidam, præter agaricum, laricibus innaſcuntur in Anaunienſibus montibus triginta librarum pondere, aureo colore, per ambitum diſſecti, in cibis gratiſſimi, nullo amarore præditi, licèt agaricus ab eadem arbore productus ſit amariſſimus. Hic certè mirari ſubit, quòd tanta hominibus inſeritur gulæ libido, luxus & incontinentia, vt adeò inconſultò, auideq; Fungis veſcantur, in quibus ſæpius immatura mors delitеſcit. Tanta hodie interceſſit gratia Fungis cum menſis in Italia, vbi eorum frequentiſſimus eſt vſus, vt Neapoli inuenti ſint lapides, qui defoſſi, & in cellis vinarijs tranſlati, terra aliquantulum operti, & ſubinde tepida aqua inſperſi, intra quatriduum Fungos non ingratos procreant. Hos & Romæ & Neapoli vidimus, vbi magna ſeruantur diligentia, nempe quorum merito quolibet tempore Fungos edant. Sunt & lucernarum Fungi, qui in ellychnio fiunt præſertim cùm aer humorem contraxerit, & ad pluuiam præparatur. Fungus itaq; lucernarum, meo quidem iudicio, fuerit is carbonis globulus, qui Fungi faciem repræſentans, in ellychnij extremitate concreſcit, & flammæ lumen obumbrat. Neq; enim in hoc ſubſcribam Cornario, viro alioqui ingenio & doctrina celebri, qui in commentarijs, quos in tertium Galeni librum de compoſitione medicamentorum ſecundum locos edidit, cenſet Fungum illum eſſe ellychnium lucernarum ex quodam fungi genere factum, quod facie (vt ipſe inquit) marinas æmulatur ſpongias. Siquidem apud veteres nuſquam me legiſſe memini, è fungis ellychnia fieri: cum tamen legerim apud Virgilium & Plinium, cum fungi generantur in lucernis, futuræ pluuiæ eſſe præſagium. Namq; Virgilius libro primo Georgicorum, vbi futuræ pluuiæ ſigna recenſet, id apertiſſimè teſtatur, ijs carminibus:*

Fungus triginta librarum.
Fungi arte vt fiant.
Fungi lucernarum.
Cornarii opinio exploſa.

*Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce:*
*Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.*
*Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ*
*Neſciuere hyemem, teſta cum ardente viderent*
*Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.*

*Eorum porrò generationis cauſam ſcitè quidem reddidit Seruius Grammaticus in commento hiſce verbis: Nam (vt inquit Plinius) cum aer humidus eſſe cœperit, fauilla, quæ cum fumo ſolet egredi, prohibita aeris craſſitate in lucernis reſidet, & quaſdam velut fungorum imitatur imagines: hæc ille. Sed præterea ipſe Plinius Virgilio, & nobis quoq; adſtipulatur libr. 18 cap. vltimo, cum ita ſcribit: Palladi namq; ignes, murmurante ſq; tempeſtatum nuncij ſentiuntur: pluuiæ etiam, ſi in lucernis fungi: hactenus Plinius. Ex quibus omnibus luce clarius fieri puto, hac in re Cornarium cæcutiuiſſe. Fungi præterea apud Hippocratem & Galenum lib & comm. 3. de morbis vulgaribus, ſunt excreſcentiæ, quæ quandoq; in palpebris, quandoq; in pudendis enaſcuntur. Quin & Fungi dicuntur à Galeno libro primo de locis affectis, adnaſcentiæ capitis, vbi hoc fracto, menynx, quæ eſt membrana cerebrum cuſtodiens, fuerit affecta. Nec alia ſanè de cauſa hos affectus μύκητας, id eſt fungos, vocari crediderim, quàm quod fungorum imaginem referant: quemadmodum & ij qui in lucernis concreſcunt. Fungorum vires memoriæ prodidit Galenus libro octauo ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Fungus frigida humidaque admodum planta eſt: quamobrem etiam proximè ad deleteriam, enecantemve facultatem accedit: & ſanè inter eos ſunt qui interficiant, potiſſimùm qui ex natura miſtam habent qualitatem putredinoſam. Et libro ſecundo de alimentorum facultatibus, idem de fungis ita diſſerit: Inter fungos Boleti, ſi bellè in aqua elixi fuerint, propè accedunt ad cibos inſipidos. Non tamen ſic ſolis ipſis vulgò vtuntur, ſed adparant variè & condiunt, vt alia omnia, quæ nulla inſigni qualitate ſunt prædita. Alimentum autem ex ipſis eſt pituitoſum, & frigidum videlicet, prauiq; eſt ſucci, ſi quis ipſis largius vtatur. Omnium igitur fungorum ij minimum ſunt noxij. Secundi autem poſt hos ſunt Amanitæ. Reliquos verò tutius eſt omnino ne attingere quidem: multi enim ex ipſorum eſu interierunt. Equidem noui quendam, cui poſt Boletorum non ſatis elixorum (qui innocentiſſimi eſſe putantur) vſum largiorem, os ventriculi preſſum ac grauatum, coarctatumq; fuit, difficilemq; habuit reſpirationem, & in animi deliquium incidit, ſudoremq; frigidum ſudauit, ac demum ſeruari ægrè, ſumptis ijs quæ humores craſſos incidunt, potuit: cuius generis eſt oxymeli ipſum per ſe, & cum hyſſopo, & origano ipſi mediocriter incoctis. Is enim tum hæc ſumpſit, tum nitri ſpumam ipſis inſperſam: poſt quæ fungos, quos comederat, vomuit, qui iam quodammodo in ſuccum pituitoſum frigidumq;, admodum ac craſſum erant mutati. Μυκῆτες qui Græcis, Fungi Latinis appellantur: Arabibus Hatar ſeu Father: Italis Fonghi: Germanis* Pfifferling vnd Reyßken: *Hiſpanis Hongos, Cogomelos & Cylherquas: Gallis Campignon, & Potyron & Moucerons.*

Fungi corporis affectus.
Fungorum vires ex Gal.
Nomina.

Fungorum differentiæ plurimę ſunt, in vniuerſali noſtra hiſtoria explicandæ, hoc loco vulgatiſſimi & qui eſculenti ſunt, proponuntur, qui dicuntur Fungi, Matth. Lacu. Lonic. Caſtor. Dodo. fol. Lugdun. Cæſalp. Fungi vulgatiſſimi eſculenti, Lob. in icon. Amanitæ vel Boleti, vel Fungus ſecundus, Trago: Fungi primi, Cordo in Dioſc. Fungi boliti, Tabernæmontano.

## Κολχικόν. COLCHICVM. CAP. LXXIX.

COlchicon, aliqui Ephemeron, ſunt qui agreſtem bulbum vocant. Autumni exitu florem edit croci, a candicantem: b ab eo tempore folia bulbi, ſed pinguiora: caulem palmo altum, ferentem rufum ſemen: radicem foris è nigra rufeſcentem, quæ delibrata, candida & mollis ſpectatur, lacteo ſucco madet, atq; guſtatu dulcis inuenitur: bulbus eius c mediam habet rimam fiſſuramq;, qua flos erumpit: plurimum in Meſſenia, & Colchis enaſcitur. Ea comeſa, fungorum more, ſtrangulando enecat. Hanc autem depinximus, ne á quoquam imprudenter pro bulbo deuoretur: mirum enim in modum ſaporis voluptate imperitos allicit. Remedio ſunt eadem, quæ fungis: bubulum etiam lac potum auxiliatur: itaq; cum adfuerit, non aliud deſideratur auxilium.

a Meum ὑπόλευκον. i. ſubalbicantē.
b Meum ὕστερον δὲ. i. poſtea verò.
c Meũ διαφυὴν μέσην. i. diſcrimen in medio.

## Ἐφήμερον. EPHEMERVM. CAP. LXXX.

EPhemeron, aliqui ſylueſtrem irin appellant. Folia habet lilii, ſed tenuiora: caulem parem: florem candidum, amarum: ſemen molle: radicem vnam, digitali craſſitudine, longam, adſtringentem, odoratam: naſcitur in ſyluis & opacis. Huius radix dentibus præcipua, ſi decocto colluantur. Folia in vino cocta, diſcutiunt tumores & tubercula, quæ nihil adhuc humidi contraxerunt.

I. COLCHICVM.



II. COLCHICVM ALTERVM Orientale.



III. HERMODACTYLVS verus.



Colchici & Ephemeri conſideratio.

EPhemeri duo genera conſtituiſſe videtur Dioſcorides: vnum, quod Colchicon, & agreſtem bulbum: alterum, quod Irin ſylueſtrem cognominant. Quod primo loco deſcribitur, vſq; adeò pernicioſum affirmant, vt vno die ſumptum interficiat: vnde illi Ephemeri nomen. Ea autem ratione illud ſe depinxiſſe tradit Dioſcorides, ne ab aliquo imprudenter bulbi vice deuoretur: mirum enim, inquit, quantum ſaporis voluptate imperitos alliciat. Verùm cum hoc diuinum Dioſcoridis inſtitutum non animaduerterint, vel fortè neglexerint Mauritani, & eos ſecuti medici ſuperioribus noſtræ ætatis, non modò ſeipſos, & ſequaces miſerè deceperunt, ſed & cæteris omnibus errandi ansam facilè præbuerunt.

Mauritanorũ & ſequacium error.

Siquidem Colchicum ephemerum deleterium medicamentum, ſi eius notæ diligentiſsimè expendantur, nil aliud, meo quidem iudicio, repræſentare deprehenderetur quàm candidum illum bulbum, quem vulgò officinæ Mauritanos ſecutæ falsò Hermodactylum appellant. Sed quantum deteſtandus ſit error is, & abolenda praua ac pernicioſa hæc conſuetudo, quantumve diſcriminis, & incommodi noſtris corporibus hinc immineat, æſtimabunt ij, qui rectè diligenterq; ea perpenderint, quæ non ſolùm Dioſcorides & Galenus, ſed & Paulus & Nicander, & Plinius de Colchico Ephemero poſteritatis memoriæ prodiderunt: quippe qui affirmauerint, id deuoratum eadem die homines interimere. Quem effectum etſi hac tempeſtate ab hoc manifeſtè præſtari non conſtet experimento in his, qui ipſum in medicamentis aſſumunt, id tamen non alia de cauſa fieri putauerim, quàm quòd fortaſſe in Italia, vt in Colchide, mortiferum non proueniat: aut quòd ea, quæ ſumitur quantitas, exigua ſit, neq; ad perdendum ſufficiens. Sed non propterea dubitandum eſt, quin hoc ſumentibus grauia & pernicioſa incommoda inferre valeat.

Serapionis lapſus.

Erroris occaſionem dediſſe videtur Serapio, vtpote qui confusè vno tantùm capite de vtroq; Ephemero, & de Hermodactylo ſcripſerit, nomine duntaxat Hermodactyli omnibus inſcripto, immemor, vel potius ignarus, apud Græcos, à quibus tamen quicquid ferè boni habet, mutuatus eſt, eas plantas inter ſe maximè differre. Quod autem in hoc deceptus Serapio has herbas turpiter confuderit, fidem manifeſtam facit Paulus Aegineta, qui lib. 7. de Ephemeris, & de Hermodactylo ſeparatim, tanquam de diuerſis diſſeruit. & primùm de

nium de Hermodactylo, ſic inquiens: Hermodactyli radix & per ſe, & ipſius decoctum vim habet purgandi: priuatim articularibus, in quas humores defluũt, exhibetur: verum ſtomacho nimis quàm aduerſatur. Mox paulo inferius, ſex tantum interiectis capitibus, de Ephemero ita ſcribit: Ephemeron non venenum illud, ſed quod Iris ſyluatica nominatur, miſtæ poteſtatis eſt, & repellentis & digerentis per halitum. hactenus Paulus. Ex quibus ſane palam fit, non modò Hermodactylum cum Colchico nullam habere cognationem, ſed etiam hac in re planè hallucinatum fuiſſe Serapionem, quem ſecuti cæteri Mauritani, qui poſt ipſum libros conſcripſerunt, atq; etiam ex noſtris pleriq;, qui ſuperiore ætate claruerunt, vt cæci cæcos ſequentes omnes in hanc erroris foueam inciderunt, & poſteros hucuſq; in hunc peſſimum & deteſtandum vſum pertraxerunt. Iam itaq; reſipiſcant tum medici, tum ſeplaſiarij, qui Colchicum ſuis medicamentis & catapotijs inſerunt, & ipſum tan[illegible] opium caueant, vtpote quod, omnium probatiſſimorum authorum teſtimonio, mortiferum ſit medicamentum. Colchicum alterum orientale, minoribus exit folijs, anguſtioribus & magis acuminatis, caule rotundo, flore grandiore, radice bulboſa euidenter fiſſa, & lacteo ſucco prægnante.* Quæ autem radix nobis hodie Hermodactylus dici poſſit, [illegible] quidem fuerit decernere, quòd ex probatis rei herbariæ ſcriptoribus hactenus neminem inuenerim, qui notis illis eius tradiderit hiſtoriam. Veruntamen ſi ex vocabuli etymo coniicere licet, nil aliud ſignificare videtur, quam digitum Hermi aut Hermetis. Vnde factum eſt, vt aliquando cogitauerim, an illa bulbacea radix, quæ manus humanæ formam refert, quamq; vulgo Chriſti palmam appellant, ad Hermodactylum accedere poſſet, quòd bulbacea ſit, quemadmodum & Colchicum, quodq; ſumpta non modò vomitiones, ſed & aluum cieat, vt teſtis eſt Nicolaus Florentinus, qui hac radice plurimis [illegible] vomitionibus Bibotum quendam quartanarium curauit. Hæc in medium proferre libuit, non quod ita eſſe certò aſſerere auſim, ſed vt rei herbariæ ſtudioſis res hæc melius æſtimanda proponeretur.* Quæ autem radix nobis hodie Hermodactylus dici poſſit, etſi in commentarijs noſtris antea editis, decernere nequiuimus, nunc tamen veram Hermodactyli plantam, cuius hic imaginem expreſſimus, & vidimus, & conſequuti ſumus, eximia admodum liberalitate clariſſimi viri Augerij de Busbeke Flandri, qui illam Conſtantinopoli ſecum attulit, vbi continuo ſeptennio apud Solimanum Turcarum Imperatorem, Ferdinandi Cæſaris Oratorem egit. Illi itaq; hanc plantam acceptam refero, quemadmodum & alias peregrinas complures, raras, nouas, pretioſas, & viſu pulcherrimas, quæ quinquagenarium numerum exceſſerunt. Quod autem credam hanc ſtirpem legitimum eſſe Hermodactylum, duo potiſſimum mihi ſe offerunt argumenta: quòd intelligam Conſtantinopoli eandem Hermodactylum appellari, quodq; radices digiti ſpeciem referant, in quibus vnguium quoq; imago ſpectari poteſt. Folia profert prælonga, binum dodrantum longitudine, & fortaſſe longiora, porri aut haſtulæ regiæ quadantenus ſimilia, ſed longè anguſtiora. Breuiora verò ſunt, quæ circa radicem diffunduntur. Radices habet quatuor ex vna & eadem baſi emergentes, digitorum (vt diximus) figura, colore ex pallido ruſeſcente, albis in ſummitate vnguibus, nullis circa ſe fibris. Nam quæ ſpectantur fibræ, circa radicum præſcriptarum originem ſuperiori parte capillaceæ ſeſe fundunt. Caulis e medio proſilit tenuis, herbacea tunica circumueſtitus, in cuius ſummitate oblongum prominet capitulum (florem videre non licuit) pyri figura, Ephemeri Colchici ferè modo, minus tamen. Quo factum eſſe puto, vt Colchicum in Hermodactyli locum ſucceſſerit impoſtorum dolis. Oritur in Orientalibus regionibus, & in Arabia. Differt ab hac quam quidam in Italia Hermodactylum eſſe cenſent, quamq; nos Pſeudohermodactylum appellamus. Folia habet aquaticæ plantaginis, minora tamen infirmioraq;, longo pediculo nitentia: caulem tenuem, ſingularem, in cuius ſummo flos

Hermodacty li coniectura.

Hermodacty li veri deſcrip.

Pſeudohermodactylus.

IV. PSEVDOHERMODActylus.



* V. DENS CANIS PRImus. *



V uu emicat

emicat albus, ſtellæ figura. Radices habet binas, bulboſas, candidas, teneras. Prouenit in frutetis, & propter ſ[illegible] & ſepes. Sunt, qui radices probent ad ea omnia, ad quæ legitimus Hermodactylus conferre poteſt. Nos verò horum ſententiam nec probamus, nec improbamus, cum nullam certam de eo habeamus experientiam. Nec illud ſane hoc loco prætereundum duxi, quòd Hermodactyli Actuario & Nicolao Myrepſico, qui albi & rubri Hermodactyli meminere, nil aliud repræſentant, quàm Behen album, & rubeum Mauritanis appellatum. Siquidem ex deſcriptione aureæ Alexandrinæ apud Nicolaum & Diamoſchi antidoti apud Actuarium id liquidò conſtat. Sed non ob id dicendum eſt, Hermodactylum Pauli & Serapionis idem cum illis eſſe: his namq; alterius generis radix eſt, quæ vim habet deiectoriam ad articulorum deſ[illegible]

Fuchſius deceptus.

præcipuam. Fuchſius in libro de compoſitione medicamentorum, quem non pridem locupletatum edidit, Hermodactylum Pauli deſcribens, inquit: Vnus habet radicem albam, craſſam ac modicè duram: atq; is eſt, qui in hodiernum diem nomen Hermodactyli in officinis medicorum retinet. A Paulo quoq; Hermodactylus appellatur. Ex ijs nimirum verbis Fuchſius ſibi perſuaſiſſe videtur, Hermodactylum communis vſus eundem eſſe cum Pauli Hermodactylo: cum tamen omnib. ferè conſtet, illum non aliud eſſe quàm Colchicum. Quocirca nulli equidem dubium eſſe puto, quin Fuchſius hac in re deceptus ſit, niſi ſeplaſiæ Tubingenſes pro Hermodactylo aliam vſurpent radicem ab ea, quam hactenus in reliquis Germaniæ pharmacopolijs vſurpari vidimus. Cæterùm Ephemerum, quod ſylueſtrem Irin appellant, in Ananienſibus montibus tam in pra-

* VI. HERMODACTYLI Officinarum radices. *



VII. EPHEMERVM.



tis, quàm in ſyluis copioſè naſcitur, vbi indigenis vocatur vulgò Giglio matto, hoc eſt, Lilium ſtultum. Huic certè niſi me ſo-fallit iudicium, omnes prorſus notæ conueniunt, quæ alteri Ephemero à Dioſcoride tribuuntur. Hinc itaq; fit, vt in hoc Fu-

Fuch. erratũ, lilium conuallium Ephemerum vocantis.

chſius apertè erraſſe deprehendatur, qui plantam vulgò Lilium conuallium vocatam, Ephemerum alterum, & non lethale eſſe contendit. Quandoquidem illud folia lilio latiora, non autem anguſtiora, & diſſimilia profert: caulem non lilij modo, ſed gracilem, & ſtaminis inſtar tenuem: radicem item exilem, quæ capillaribus diuiditur fibris, tantum abeſt, vt digiti craſſitudinem æquet, qualis in Ephemero requiritur. Præterea neminem adhuc reperi, qui tradat Ephemerum flores ferre ſuauiter olentes: cum tamen Lilij conuallij dicti flores adeo iucundum ſpirent odorem, vt eius gratia ab omnibus maximè expetantur: id quod nunquam ſilentio prætereuſſet Dioſcorides in re herbaria grauiſſimus author, præſertim quòd ea nota fuiſſet Ephemero inſignis & notabilis. Ex his igitur colligendum eſſe putauerim, non ſolùm Fuchſium in aperto errore verſari, ſed reliquos etiam, qui Lilium conuallium vocatum Ephemerum eſſe contendunt. Sed ad Colchicum reuertamur. Floret hoc autumni tempore, floribus croco æmulis, nullis tamen emiſſis folijs, niſi appetente vere, quo tempore ſubrubeum gignit ſemen, quibuſdam folliculis incluſum, iuglandium ſimilitudine. Verùm hoc tempore radix ei dulcis non eſt, quemadmodum in autumno, ſed lacte prægnans, & amara inuenitur. Quare hic cogimur dicere & fateri, quòd hoc non obſeruauerit Dioſcorides, vel ſaltem, quòd indictum id omiſerit. Plantam, quam hic excudi curauimus, quamque Colchicum Conſtantinopolitanum vocauimus, miſit ad me vir clariſſimus Augerius de Busbeke, qui eam Bizantio ſecum detulit Viennam: libuit itaque hanc appellari Colchicum, quòd bulboſam radicem habeat manifeſtè

Monachorũ hallucinatio, qui Colchicũ & Hermoda. idẽ faciunt.

ſtè ſciſſura diuiſam: folia vulgaris Colchici, & flores etiam ferè ſimiles. Porrò in communem illam hallucinationem antè exploſam deducti ſunt & Patres illi reuerendi, qui in Meſuem commentarios ediderunt: quippe qui nullam faciant differentiam inter Colchicum & Hermodactylum, idque apertè aſſerunt. Quorum etiam auctoritate ſeti pharmacopolæ adduci poſſunt, vt cum maximo humanæ vitæ detrimento Colchicum catapotijs immiſceant. Quare

caueant

*caueant meo conſilio ſeplaſiarij, neq; facilè fidant iis, quos magis decet libros ſacros, quam medicos euoluere, vt animalibus potius quam hominibus mederi ſciant. Cæterum Colchici floribus, vt audio, vtuntur [illegible] vino immiſcent, eoq; poto adeò ſtupidi redduntur, vt in ecſtaſin abeant. Vtriuſq; Ephemeri meminit Galenus lib. 6. ſimp. med. ſic inquiens: Ephemerum non illud lethale ſeu deleterium, quod & Colchicon vocant, ſed alterum, quod & Irin agreſtem cognominant, & folia, & caulem lilio ſimilem obtinet: radicem oblongam, non rotundam ceu Colchicum, [illegible] autem adſtringens, & boni odoris. Ex quibus palàm fit, quod mixtæ ſit facultatis, [illegible] & halitu digerentis. Teſtificantur verò id opera, quæ particulatim edit. Siquidem non inefficaciter radix eius in dentium doloribus colluitur: & folia tuberculorum tum augmento, tum vigori congruunt. Oportet autem ea in vino decocta, priuſquam pus moueas, illinere. Planta, quæ Græcis κολχικὸν, Latinis Colchicum ſiue Ephemerum, & [illegible] vocatur: Officinis falſo Hermodactylus: Arabibus Surugen: Italis Colchico & Zaffarano ſaluatico: Germanis* Zeitloſz vnd Wildſaffranblum: *Gallis Mort au chin, chien & chiennee. Quam verò Græci ἐφήμερον, Latini item Ephemerum dicunt, & aliqui ſylueſtrem Irim appellant: Italis Ephemero, Giglio matto: Gallis Flambe blanche ſauuage. At quæ recentioribus Græcis [illegible], Latinis quoq; Hermodactylus appellatur: Italis Hermodattilo: Mauritanis, Surugen vel Surengiam, ita tamen vt hanc cum colchico apertè confundant.*

Ephemeri vires ex Gal.

Nomina.

Colchicum à loco natali dictum, plurium eſt ſpecierum, vt ſuo oſtendetur loco. I. Colchicum commune. C.B. Colchicum Matth. Trag. Fuchſ. Turn. Dodo. gal. & fol. Lacu. Geſ. hort. (cui & Hermodactylus Arabum) Cordo in Dioſc. (cui & officinarum Hermodactylus) Lon. Caſtor. Thal. Colchicum ſiue Strangulatorium & Ephemerum Crocifolium, Lob. Colchicum maſculinum & fœmininum, Tab. Colchicum nigrum Cord. in hiſt. Primula veris, Brunfel. Ephemerum, Geſ. hort. Caſtor. quoad iconem. Hermodactylus vulg. ſeu Hermodactylus rotundus niger Meſuei. Cæſalpino. Flore eſt purpureo, raro albo. radix ſiccata alteri nigra, alteri inalbicans, alteri candidiſſima, alteri ſubrubens: Sic ei quod flore albo eſt radix ſiccata alteri inalbicat, alteri candidiſſima videtur, nulla alia differentia obueniente. II. Colchicum Alexandrinum. C.B. Colchicum alterum Orientale, Matth. Lugdu. Colchicum Syriacum Alexandrinum. Lob. Colchicum Syriacum Alexandrinum Orientale, Tabernæmontano. III. Iris radice ex multis tuberculis compoſita, C.B. Hermodactylus verus, Matth. Lugd. Taber. Hermodactylus, Matt. in Compen. Camer. Iris tuberoſa, Dod. fol. Lugd. Lob. cui & Lonchitis prima Dioſcoridis ſecundum Aldroandum. Lonchitis maior, Caſt. Satyrium, Cæſalpino. IV. Pſeudohermodactylus, Matt. hunc imitati ſunt Lugdunenſis & Tabernæmontanus: at videntur nil aliud exprimere, quàm Dentem caninũ, cuius figuram adpoſuimus: etſi enim binæ iungantur radices, hactenus tamen ſingulas in ſingulis plantis notauimus. Dens caninus primus, C.B. Hermodactylus Meſue, Geſ. hort. Satyrium erythronium, Lob. Tab. Satyrium rubrum, Lugd. Satyrium trifolium ſiue album, eidem. Satyrium Dalechampii, eidem. Dens Caninus, Dod. fol. Cæſal. (cui & Mithridation primum Crateuæ apud Plinium) Cam. Dentale primum, Cluſio hiſto. Pannonica. Variat colore floris candido, purpuraſcente, aut vtroq; colore mixto: folia aliquando maculata, communiter bina, nonnunquam terna: Italicus ſpecioſiora habet folia quàm Sabaudicus. VI. Hermodactyli officinarum radices, C.B. Hermodactyli non venenati officinarum, Lob. in icon. Hermodactylus officinarum, Taber. Hermodactylus orientalis, Cæſalpino. Hæ radices albæ, ruffæ & nigræ reperiuntur, ſed eligendæ, quæ foris & intus veræ albæ ſint, craſſæ modiceq; duræ: de quibus Meſues Hermodactyli candidi, craſſi & pleni nomine: at Serapio ſub Hermodactylo albo, & Paulus Ægineta ſub Hermodactylo, explicarunt. VII. Ephemerum, Matth. Lacu. Taber. Ephemerum non lethale, Lugdunenſi: Lobelus plantam quandam proponit Ephemeri Matthioli nomine, minimè Matthioli figuræ conuenientem: vtramq; necdum vidimus.

HELXINE.



## Ἑλξίνη. HELXINE. CAP. LXXXI.

HElxine naſcitur in parietinis, ſepibus & maceriis: folia ei mercurialis inſunt, hirſuta: cauliculi ſubrubentes, & circa eos veluti ſemina aſpera, adhærentia veſtibus. Folia refrigerandi, ſpiſſandiq; naturam habent: qua ex cauſa ſanant illitu ſacros ignes, aduſta, condylomata, panos incipientes, tumores, inflammationeſq;. Succus eius cum ceruſſa, ignibus ſacris & vlceribus quæ ſerpunt, commodè illinitur: imponiturque podagris cum hircino adipe, aut cerato cyprino: veterem tuſſim emendat, inſtar cyathi hauſtus: tonſillis inflammationem ſentientibus vtiliter & gargarizatur, & oblinitur: aurium dolorem cum roſaceo, inſtillatus leuat.

[illegible]

*HElxinen, quæ hic à Dioſcoride deſcribitur, officinarum vulgus Parietariam appellat, quòd in ædificiorum parietibus, ſepibus & maceriis, arido ſolo naſcatur. Alij, quòd detergẽdis vitreis poculis ſit aptiſſima, Vitreolam nominant.*

Helxines conſideratio.

*Helxine Plinij.* *Hæc planta omnibus notiſsima eſt, quare ſuperuacaneum eſſet, eam longiore hiſtoria repræſentare. Verùm alia ab hac, & longe diuerſa eſt Helxine, quam Plinius lib. 21. cap. 16. inter aculeata retulit, & depinxit his verbis: Helxine rara viſu eſt, neq; in omnibus terris eſt: radice folioſa, ex qua media veluti malum extuberat, contectum ſua fronde. Huius vertex ſummus lachrymam continet, iucundi ſaporis, acanthicen maſtichen appellatam: hæc Plinius.* *Helxines vires Matth.* *Helxinæ vis eſt magna ad vulnera recentia ſananda. Siquidem ſi recens ſemicontuſa vulneri adalligetur, & tertia die ſoluatur, non erit opus alio vt medicamento. Eiuſdem ſuccus deſiccatus potus trium vnciarum pondere cum ſaccharo, remorantem ſuppreſſamq; vrinam mirum in modum prouocat, adeò, vt miraculum videatur, & renes abſtergit. Eadem ſuper tegula ignita calefacta, vinoq; cretico irrorata, & pubi illita, calculoſis, & vrinæ malo affectis mirifice auxiliatur. Additur in clyſteribus vtiliter, qui ad ventris & vteri dolores parantur. Succus in ore detentus dentium dolores mulcet. Stillatitia eius aqua faciem abſtergit, & claritatē addit.* *Helxines vires ex Gal.* *Helxines vires tradidit Galen. lib. 6. ſimp. med. ſic inquiens: Helxinem aliqui Perdiciū nominant, alij Partheniū, alij Sideritin, ſunt qui Heracleā appellitent. Cæterum vis ei ineſt abſtergendi & leuiter conſtringendi cum humiditate ſubfrigida. Quamobrē phlegmonas omnes in initio & augmento ſanat vſq; ad ſtatum, & maximè ſi calida fuerint. Quinetiā incipientib. phygethlis cataplaſmatis ritu illinitur. Succus quoq; eius cum roſaceo ad auriū dolores phlegmonoſos, mediocriter profuerit. Gargarizandum item nonnulli exhibent ad pariſthmia. Sunt verò etiam ex medicis quidam, qui ijs, qui diutina tuſsi vexantur, illam exhibuerint. Certe euidens extergendi experimentum præbet, & in vaſis vitreis.* *Nomina.* *Herba, quæ Græcis ἑλξίνη καὶ περδίκιον, Latinis item Helxine appellatur: Italis ac vulgo Parietaria & Vitriola: Germanis* Tag vnd Nacht: *Hiſpanis Yerua del muro: Gallis Paritoire vel Parietaire.*

Parietaria, ἑλξίνη ab aſpero ſemine dicitur. Helxine, Matt. Brunf. Anguil. Fuchſ. Dod. gal. Geſ. hor. Lacu. Lob. Caſtor. Lugdu. Cæſalp. Camer. Helxine altera & muralium, Cordo in Dioſcor. Parietaria, Brunf. (cui & ſeptima Parthenii ſpecies) Trag. Turn. Cordo in hiſto. Dodo. fol. Taber. Herba muralis, Celſo. Helxine & Perdicium Galeno & Plinio. Huius maior & minor ſpecies eſt: cui fluuiatilem maiorem & minorem Thalyus addit.

## Ἀλσίνη. ALSINE. CAP. LXXXII.

ALſinem, aliqui Anthyllion, nonnulli myos ota vocant, quoniam muſculorum aures folia imitantur. Lucis, opaciſq; gaudet, vnde Alſine dicta eſt. † [Hæc erat eadem, quæ helxine, niſi humilior eſſet, & foliis longioribus], nec hirſuta: cum teritur, odorem cucumis reddit. Vim refrigerandi adſtringendiq; obtinet: oculorum inflammationibus cum polenta illinitur. Succus aurium doloribus infunditur: quin & emendat omnia quæ helxine, id eſt, muralis herba.

† Orib. ita legit concluſa. ἔχει παρομοία ἑλξίνη φύλλα ταπεινότερα δὲ καὶ μακρότερα. i. habet adſimilia helxine folia, humiliora tamen & longiora.

I. ALSINE.



* II. ALSINE ALTISSIMA. *



*Alſines conſideratio.* ALſine ea nimirum herba eſt molliuſcula, quæ Hetruſcis Centone, alijs verò Pauarina, alijs Pizzagallina, alijs Centonice vulgo appellatur. Et quamuis Dioſcorides vnam tantùm Alſinem repræſentauerit, plura tamen eius reperiuntur genera, quæ in maiora & minora diuidi poſſunt. Porrò habentur quædam Dioſcoridis exemplaria, in quibus caput hoc legitur in calce libri ſecundi ſtatim poſt Muris auriculæ mentionē. Sed nos, vt eo in loco latius diximus, hanc ſuā veram ac germa-

*germanam ſedem eſſe cenſemus: ex oleo chamæmelino ferueſacta illinitur vtiliter ventri contra tormina, & vteri dolores. Alſines meminit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, ita de eius viribus ſcribens: Alſine aut Myos ota ſimilem proximæ facultatem obtinet, nempe refrigerantem & humectantem: eſt enim eſſentiæ aqueæ frigidæ: quare & citra adſtrictionem refrigerat. Quocirca ad feruentes phlegmonas, & mediocria eryſipelata competit. Hæc ἄλσινη Græci, vt etiam Alſine Latini dicitur: Italice Centone & Pauarina: Germanice* Hünerdarm vnd Vogelkraut: *Gallice Mouron.*

Alſines viꝛes ex Gal. — Nomina.

Alſines vnius licet Dioſcorides & Plinius meminerit, attamen differentias viginti quatuor in noſtrò Phytopinace propoſuimus. I. Alſine media, C. B. & Dod. gal. Tab. Alſine Matth. Lac. Geſ.hort. (cui & morſus gallinæ fœmina, læuis & alba) Lon. Lob. Caſtor. Lugdu. Alſine maior, Fuchſ. Alſines primum genus, eidem in iconibus. Alſine minor, Dod. fol. Alſine minor recentiorum, Lob. in icon. Morſus gallinæ primum genus, Trag. Hippia minor, Cord. in hiſtoria. II. Alſine altiſſima, C. B. Ex fibroſa radice plures caules bicubitales, ſæpe etiam humanam altitudinem æquantes, ſi ſuſtentacula quibus niti queant, conſequantur, exurgunt: quos folia ampliora longioraq; quàm in præcedenti, cingunt: flores candidi ſtellati ex quorum medio ſtamina ruffa emergunt, oblongis cauliculis inſident: quibus vaſcula oblonga, ſemen minutum luteum continentia, ſuccedunt, frequens eſt in frutetis, locis humidioribus. Dicitur Alſine maior, Dodo. gal. & fol. Lugd. Camer. in ſuo Matthiolo, Taber. Alſine maxima, Lobelo in iconibus. Alſine media, dici poterit aquatica, Thal. Morſus gallinæ maius, Brunf. Morſus Gallinæ ſecundum genus, Trago. Centunculus viticulis cubitalibus, Cæſalpino. An Alſine genuina Dioſcoridis, & Centunculus Plinii?

## Φακὸς ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων. LENS PALVSTRIS. CAP. LXXXIII.

Lens paluſtris inuenitur in aqua non fluente, muſcus lenticulæ ſimilis, refrigeratoriæ naturæ. Propter quod conuenienter collectionibus, igni ſacro, & podagris illinitur per ſe, & cum polenta: glutinat & procidentia puerorum interanea.

I. LENS PALVSTRIS.



II. LENS PALVSTRIS altera.



*Paluſtris lens, quam officinæ, & herbariorum vulgus Lenticulariam appellant, notior omnibus eſt, quàm vt pluribus deſcribi mereatur. Ea plerunq; ſtagnantibus aquis innatat, iiſq; præſertim, quæ vrbes & oppida cingunt. Folio creſcit rotundo minuto, lenticulæ ſimili, paruo ac tenui inhærens capillamento. Hæc ſi, vt quandoq; fieri ſolet, aquarum inundationibus vel reſidentibus aquis in fluentes transferatur, ſimul ac littoribus inhæſerit, mirum in modum propagatur. Nam ſubnatis quibuſdam capillamentis, quæ radicis vices præſtare videntur, ſeſe terræ committit, & ſubinde adoleſcens, tandem creſcit in plantam aquatico ſiſymbrio haud abſimilem. Id quod naturæ operum indagatores non ſine admiratione obſeruarunt. Magnifaciunt quidam pumilæ huiuſce plantulæ ſtillatitiam aquam, ad internas viſcerum inflammationes, & ad peſtilentes febres. Quinetiam eandem præferunt ad oculorum ruborem, & palpebrarum phlegmonas, & ad mammarum, & teſticulorum collectiones, anteaquam augeantur: namq; illita non obſcure fluentes humores repellit. Herba ipſa recens ex aquis allata & fronti adhibita, capitis dolores mulcet, vbi a calore prouenerint. Veſcuntur ea anſeres & anates magna*

Lentis paluſtris conſid. — Lentis paluſtris tranſmutatio. — Lentis paluſtris vires.

Lens paluſtris altera.

*voluptate, ac pariter gallinæ, vbi ex aquis exempta, furfuribus admiſceatur. Eſt & ALIA planta in paluſtribus, lacubus & cæteris ſtagnantibus aquis quoq; naſcens, quam paluſtrem quoq; lentem appellare libuit, à ſeminis figura. Hæc caulem gerit aquæ repentem, angulosum, à quo per interualla plura cateruatim oriuntur folia, longis ac tenuibus pediculis annexa, quæ quaterna, crucis in modum ſeſe pandunt, rotundo cacumine. Semen profert in racemi modum in ipſo caule, intra foliorum pediculos, lentium ferè effigie, non tamen adeò, vt in lente compreſſum, ſubnigrum & longiuſculis pediculis appenſum, denſum durumq;. Ego hanc plantam acceptam refero Iacobo Antonio Cortuſo. Nihil habeo, de qualitatibus & viribus, quod probare poſſim, non tamen ambigo, quin ſit frigidæ humidæq; temperaturæ. Lentis paluſtris non niſi temperamentum prodidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit: Lenticula paluſtris humidæ frigidæq; temperaturæ eſt, vtrinq; ex ſecundo quodammodo ordine. Quæ lens paluſtris Latinis: φακὸς ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων Græcis vocatur: Arabibus Tabaleb ſeu Thaleb: Italis Lente de paludi: Lente acquatica & Lenticularia: Germanis Waſſer linſen: Hiſpanis Lenteya dellagoa: Gallis Lentille de mer. At lens paluſtris altera, Italis Lente paluſtre del ſeme.*

Facultas ex Galeno.

Nomina.

* III. LENS PALVSTRIS tertia. *



Lentem paluſtrem triplicem exhibemus. I. Lens paluſtris, Matth. Anguil. Dod. gal. Turn. Lacu. Cordo in Dioſc. Lonic. Lobel. Caſtor. Lugdun. Lens lacuſtris, Dodo. fol. Lenticula aquæ, Brunf. Lenticula aquatica, Thal. Lenticula paluſtris, Trago. Tabern. Cæſalpino. II. Lens paluſtris quadrifolia (quamuis ſex foliis in Suntgouiæ ſtagno reperimus) C. B. Lens paluſtris altera, Matth. Lugdu. Lens paluſtris, Caſtor. Lenticulæ alterum genus, Cæſalp. Lenticula paluſtris ſecunda, Tabern. Lemma Theophraſti, Lugdunenſi. III. Lens paluſtris tertia, cum in Italiæ foſſis frequens ſit, & à nemine picta, ipſius hiconem (meliorem ea quam in Phytopinace exhibuimus) cum deſcriptione addere placuit. Hæc foliis eſt copioſis ſubrotundis, cõiugatim in ramulis digeſtis, eleganter virentibus, punctis minutiſſimis ſupernè notatis, quibus infernè copioſæ lenticulæ adhærent, quæ aliquando ſingulæ, aliquando ternæ & quaternæ, rugoſo & tenui cortice donatæ, quæ ſemen copioſiſſimum minutiſſimum & flaueſcens continent: ab ipſis ramulis filamenta radices conſtituentia, deorſum ſpectant: ſapore eſt aqueo. Aquis ſupernatat vt in foſſis Patauinis videre eſt: meminit Cæſalpinus hanc fluitare & cum aqua incidere Piſis in Auxeri fluuio, qui aquas thermales ex monte Sancti Iuliani recipit, qui Stratiotem aquaticam eſſe apud Dioſcoridem, cenſet.

## Ἀείζωον μέγα. SEDVM MAIVS. CAP. LXXXIIII.

SEmperuiuum magnum ideo nominatur, quoniam perpetuo folia vireant: cuius caules cubiti altitudinem implent, interdum excedunt, pingues, craſſitudine pollicari, virentes, characiæ tithymali modo inſecti: folia pinguia, carnoſa, longitudine pollicari, in cacumine linguæ ſimilia, alia in terram conuexa, alia in capite ſtantia inuicem, ita vt ambitu effigiem imitentur oculi: naſcitur in montibus, & teſtaceis: ſupra domicilia etiam ſeritur. Eius vis refrigerare & adſtringere. Medentur igni ſacro, nomis, vlceribus quæ ſerpunt, oculorum inflammationibus, ambuſtis igni, podagris per ſe, & cum polenta illita folia. Succus capiti in doloribus, cum polenta, aut roſaceo perfunditur: datur in potu contra phalangiorum ictus, dyſenteriam aluique profluuia: teretes tineas potus in vino excutit: ſubditus in vellere, mulierum abundantiam ſiſtit. Succus a oculorum lippitudinibus: ſanguinis vitio conceptis, inungitur.

a Meum legit tantum. ἐπὶ τῶν ὀφθαλμιώντων. i. in oculorum lippitudine vt Catecuz. ὀφθαλμῶν ὑφαίμων. i. oculorũ ſuffuſione. Neuter autem legit ſanguinis vitio conceptis.

## Ἀείζωον μικρόν. SEDVM MINVS. CAP. LXXXV.

SEmperuiuum paruum in petris, parietinis & maceriis, necnon a ſcrobibus opacis naſcitur, caulibus ab vna radice multis, tenuibus, crebrò foliatis: exilibus foliis, b rotundis, pinguibus, mucronatis: caule á medio emicante, palmum alto, vmbellam, herbidoſq; flores, c & tenues gerente. Folia eiſdem cum priore viribus prædita ſunt.

a Cat. addit. ἐν τάφοις. i. in ſepulchris. b Cat. legit. μακρά. i. longa. c Or. πολλά i. multos.

## Ἀειζώου εἶδος τρίτον. SEDI GENVS TERTIVM. CAP. LXXXVI.

TErtium videtur Semperuiui genus, quám aliqui Andrachnen agriam, aut Telephion vocauerunt, Romani illecebram, puſillis craſſioribuſq; foliis, hirſutis, portulacæ proximis: naſcitur in ſaxis. Vis ei excalfactoria, acris, exulcerans: illita cum axungia ſtrumas diſcutit.

Sedi genera & conſid.

*EX tribus Sedi, ſiue Semperuiui generibus, quæ hoc loco à Dioſcoride pinguntur, primum & alterum omnibus nota ſunt. Vtrunq; officinæ Semperuiuum appellant, addita maiorũ & minorũ differentia: quamuis non deſint, qui minus Ve-*

I. SEMPERVIVVM maius.



III. SEMPERVIVVM minus, mas.



II. SEMPERVIVVM MInus fæmina.



IV. SEMPERVIVVM MInimum.



*nus Vermicularem, Craſſulamq́ herbam vocent. Minoris duo viſuntur genera. Alterum, cuius Dioſcorides meminit, folijs craßioribus, longioribus, rarioribusq́, facie nucleus pineus a putaminibus repurgatis ſimilibus, vnde quibuſdam vulgo etiam Pignola dicitur. Caules fert tenues, pluresq́: in quorum cacumine flores exeunt herbacei, ſeu ſubcandidi, vmbellæ diuulſæ modo. Alterum folijs breuioribus, anguſtioribus copioſioribusq́: floribus melinis, eodem ordine prodeuntibus. Hoc marem, illud fœminam recentiorum quidam exiſtimant. At tertium, quod mihi iamdiu incompertum extitit, cum vſq́ adeo excalfaciat, vt carnem exulceret impoſitum, à cæteris longè facultatibus diſsidet. Huius varia in Dioſcoridis codicibus legitur hiſtoria: cæterùm nos Aldinum exemplar ſecuti, hinc ea abdicauimus, quæ adulterina cenſentur. Nec defuit qui crediderint, tertium hoc Dioſcoridi eſſe ſpurium, quòd duorum tantùm meminerit Galenus. Veruntamen è Piſis hoc anno tertium Sedi genus, guſtu ſanè acerrimo, adeò vt linguam exulceret, ad me miſit Lucas Ghinus Forocornelienſis medicus rei herbariæ peritiſsimus qui illi plantæ hæc verba ſubiecerat, quæ hic referam eius humanitate fretus. Viſitur, inquit, in viridario Illuſt. Ducis Florentiæ quoddā tenuißimi Sedi genus, guſtu nihilò minus acri, quàm ranūculi omne genus quod etiam in antiquis ædificiorū parietibus, & ſaxorū rimis prouenire conſpexi. Hoc, meo iudicio, tertiū eſt Sedū. Sed cùm* Sedum acerrimum.

*Dioſcoridis verba hoc loco obſcura ſanè, & intellectu difficilia habeantur, iamdiu vnà cum alijs pleriſq; qui hac ſimplicium facultate maximè delectantur, plurimum laboris impendi, vt tertium Sedum conſequi poſſem, cui folia ineſſent hirſuta, & facie portulacæ ſimilia. Cæterùm cum poſtea attentius, diligentiusq; Dioſcoridis verba perpenderem, ſic Latinè ſonare videntur: Eſt & tertium ſedi genus, quod portulacæ reſpectu, folia edit pinguioria, denſioraq; &c. Quibus cum hunc dederim ſenſum, qui, mea ſententia, propriam Dioſcoridis mentem explicat, tertium hoc ſedum facile mihi ſeſe obtulit cognoſcendum, vt omnibus quoq; id ipſum euenire haud quaquam dubitauerim, qui Græcam dictionem δασέα denſa non hirſuta expoſuerint, interpretatiq; fuerint πρὸς τὰ τῆς ἀνδράχνης ad folia portulacæ collata. Nam huiuſce tertij ſedi folia, portulacæ folijs comparata, ijs denſiora, craßioraq; facilè cernuntur. Hactenus amicus ille. Cuius certè ſententiæ non poſſum non adſtipulari, quippe quæ doctißimis rationibus nitatur, & ipſe ſit apud me grauis teſtis. Semperuiui mentionem fecit Theophraſtus lib. 17. cap. 9. de plantarum hiſtoria, ſic inquiens. Semperuiuo datum à natura eſt, quòd humidum viridéq; ſemper durare valeat. Folio carnoſo, læui atq; oblongo id conſtat. Planis parietinis naſcitur, nec non & in tegulis, cùm terræ confluuium quoddam arenaceum factum eſt: hæc Theophraſtus. Cæterùm duas* ARBORESCENTIS SEMPERVIVI *plantas, quarum imagines hîc appingi curauimus, alteram, quæ maior & fruticoſior eſt, Clariſſimo viro*

V. SEMPERVIVVM ARBOreſcens.



VI. SEMP. ARBOREſcens alterum.



*Augerio de Busbeke Flandro, qui eam Conſtantinopoli ſecū adduxit, cuius patet forma, ex hic appicta imagine: alterā verò Iacobo Antonio Cortuſo, viro optimo atq; doctißimo, cui Corcyra allata eſt, acceptas refero.* Sedi vires ex Galeno. *Sedi vires deſcripſit Gal. lib. 6. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Ἀείζωον vtrunq;, tum maius, tum minus, deſiccat quidem leuiter, quandoquidem & mediocriter adſtringit, omnis alterius vehementis qualitatis expers, quare in eo plus cæteris abundat eſſentia aquea. Cæterùm non mediocriter refrigerat: eſt enim ex tertio ordine, & receſſu refrigerantium. Hinc etiam ad eryſipelata & herpetas, & phlegmonas à fluxione natas accommodatur.* Nomina. *Semperuiuum ſiue Sedum maius quod Latini vocant, Græci ἀείζωον μέγα: Mauritani, Beiahalalen, ſeu Hai alhalez: Itali Semperuiuo maggiore: Germani* Groſʒ Hauſʒwurtʒ: *Hiſpani Semperuiua & yerua puntera: Galli Ioubarbe. Quod verò Græci ἀείζωον μικρὸν, Latini Semperuiuum, ſiue Sedum minus dicunt: Itali Semperuiuo minore: Germani* Klein Hauſʒwurtʒ: *Galli Ioubarbe petite. Quod deniq; Græcis ἀείζωον εἶδος τρίτον Latinis Semperuiuum minimum Semperuiui ſiue ſedi genus tertium appellatur: Arabibus, Alſebram, Hadrachabara & Tilafon: Italis, Semperuiuo terzo: Herba graſſella ſiue Semperuiuo minuto. At ſemperuiuum arboreſcens: Italis Semperuiuo arboreo.*

Etſi Semperuiui ſpecies viginti quinque in Phytopinace recenſuerimus, plures tamen in hiſtoria vniuerſali noſtra enarrabimus. I. Semperuiuum maius vulgare, C. B. Semperuiuum maius, Matt. Brunf. Dod. gal. Cæſ. Lob. in icon. cui & Sedum maius crenatum Myrtifolium. Semperuiuum, Geſ. hor. Lon. Caſtor. Semperuiuum maius alterum ſiue Iouis barba, Dod. fol. Aizoon ſiue Semperuiuum maius. Lob. Camerar. Thal. Aizoon ſeu Sedum floſculis purpureis, Trago. Aizoon maius, Lugdu. Sedum maius Fuch. Turn. Cordo. in Dioſcor. (cui & Vitalis maior) Lacu. Taber. Sedum ſeu Superuiuum vulgare maius, Geſ. hort. Vmbilicus Veneris alter, Anguil cui & Onobletum Hippocratis. Hoc quidam Cotyledonis ſpeciem faciunt: at Ἀείzoon magnum Dioſcoridis, & Aizoon Theophraſti & Plinii. & Ζωσθαλμος Apuleii cenſemus. II. Sedum minus teretifolium album, C. B. Semperuiuum minus fœmina, Matthioli. Semperuium fœmina, Brunfelſio: Semperuiuum minus album, eidem. Semperuiuum minus alterum

alterum, Dodonæo folio. Semperuiuum minus. Anguillaræ, Caſtori. Semperuiuum quartum. Lonicero. Sedum minus primum, Trago. Sedum minus fœmina, Fuchſio. Sedum minus Lacunæ. Sedum minus alterum, Geſ. hor. Sedum fœmina, Turnero. Craſſula minor, Dodonæo gal. Vermicularis [illegible] illecebra maior, Lob. Lugd. Vermicularis flore albo, Camer. Aizoon minus fœmina, Lug. Tragi herba, Cor. in Dioſcoridem. III. Sedum minus acuto folio, flore luteo ſeu Sedum minus Dioſcoridis, C. B. Semperuiuum minus mas, Matth. in Commentariis non addita figura. Semperuiuum minus. Dod. gal. Seperuiuum minus primum, Dod. fol. Sedum minus mas, Fuch. Sedum minus, Turn. Sedum minus hæmatoides, Taber. Aizoum hæmatoides. Lob in icon. Aizoon minus. Lugdunenſi. IV. Sedum [illegible] acre, ſeu Sedi tertium genus Dioſcoridis. C. B. Semperuiuum minimum, Matth. Lob. Caſt. Cæſ. Semperuiuum minus flore luteo. Brunſ. cui & mas. Semperuiuum ſecundum, Lonic. Sedi minoris tertia ſpecies & Vermicularis, Trago. Sedi tertium genus, Fuch. Lacu. Turn. Sedum tertium Dioſcoridis ſucco acri & erodente, Geſ. hor. cui & Telephium dictum. Sedum minimum, Taber. Aizoi minoris ſpecies altera, Cord. in Dioſcoridē. Aizoon minus acre, eidem in hiſto. Aizoum minus alterum feruidi guſtus. Thal. Aizoon minimum repens, Lugd. Illecebra. Dod. gal. & fol. Gramen tertium Plinii Anguillaræ, cui & Semperuiuum tertium. Hoc duplex habetur, aliud guſtatum paulò poſt fauces exurit: aliud verò penè inſipidum eſt. V. Semperuiuum arboreſcens, Matth. Caſtor. Semperuiuum maius, Anguil. Semperuiuum ſiue Sedum arboreſcens maius. Dod. fol. Semperuiui maioris alterum genus, Cæſal. Sedum maius verum, Geſ. hor. Sedum maius, Cluſ. hiſto. Hiſpa. Sedum arboreſcens maius Græcum, Lobel. Aizoon arboreſcens, Lugd. Camerario. VI. Semperuiuum arboreſcens alterum, Matth. Caſtor. & Lugd. hoc an à priori diuerſum ſit dubitamus.

## Κοτυληδών. VMBILICVS VENERIS. CAP. LXXXVII.

COtyledon, ſiue Vmbilicus Veneris, folio eſt in acetabuli formam tornato, [a] ineuidenter concauo, breui [in medio] cauliculo, in quo ſemen ineſt: radice oliuæ modo rotunda. [b] Succus cum vino circumlitus inſtillatusve, contecta genitalia nudat: inflammationibus, ſacris ignibus, ſtrumis, pernionibus, illitu auxiliatur: ſtomachi ardorem refrigerat. Folia cum radice comeſa, calculos frangunt, vrinam cient: hydropicis ex melle dantur. Herba vtuntur ad amatoria.

[a] λεληθότως: i. latenter cauum. Concluſa nō legit Orib.
[b] ταύτης καὶ τῶν φύλλων ὁ χυλός. i. huius & foliorū ſuccus.

## Κοτυληδών ἕτερος. VMBILICVS VENERIS ALTER. CAP. LXXXVIII.

EST & alterum Vmbilici Veneris genus, cymbalion aliqui vocant, pinguibus foliis, latioribus, ligularum modo, dentis circa radicem, medium oculi ambitum deſcribentibus, vt in maiore ſemperuiuo, adſtringentis guſtus: cauliculo tenui, in quo flores, & ſemina hyperici: radice maiuſcula. Facit eadem, quæ Semperuiuum.

I. VMBILICVS VENERIS.



II. VMBILICVS VENERIS alter.



Vmbilici Veneris vtriuſq; conſideratio.

VMbilicus veneris, quem primo generi aſsignant, frequens naſcitur in vniuerſa ferè Hetruria, ſaxis, & vetuſtæ [illegible] orum parietibus. Huius folia, quod fictilium operculis ſimilia ſint, vulgò Senenſes appellant Copertoiole. [illegible] verò eius genus à quibuſdam Cymbalion vocatum, vidimus primum in Foroiulienſium ciuitate Auſtriæ, in horto [illegible] dam excellentiſsimi medici Iuliani à Maroſtica Teruiſienſis. Hanc porrò plantam in pluribus montibus ſaxis & [illegible] hærentem inuenimus. Cui, meo quidem iudicio, omnes prorſus conueniunt notæ, quæ alteri vmbilico Veneris tribuuntur. Cæterùm apud Inſubres officinæ legitimæ Cotyledonis, ſiue vmbilici Veneris loco herbam quandam in antiquis, [illegible] ſisq; ædificiorum parietinis, & macerijs & ſaxis naſcentem vſurpant, quæ ex ijs eminet, & comæ modo dependet [illegible] lis numeroſis, tenuibus, funiculi inſtar prælongis, lentis, è quibus folia prodeunt hederacea, pinguia, longis tenuibus pediculis nitentia, floſculis paruis, luteſcentibus, qui è tenuiſsimis quoq; pediculis emergentes, claniculorum modo [illegible] implicant. Facultatis eſt humidæ, frigidæq;, cum adſtrictione quadam. Hanc fortè quod CYMBALARIA vulgò [illegible]

Officinarum error

Cymbalariæ mentio.

III. VMBILICVS VENERIS alter.



IV. CYMBALARIA.



cetur, putant à Cymbalio corruptè nomen traxiſſe, & ideo verum Veneris vmbilicum eſſe. Non deſunt tamen rei herbariæ periti, qui ijs pollere facultatibus hanc herbam velint, quibus & Cotyledonem, quorum opinioni ego haud refragaturus. Atqui valere eam ad alba vteri profluuia certò ſcimus, vbi herba ipſa recens pluries in acetarijs deuoretur, (vt Itali ſolent in ipſius cœnæ principio. Fuchſius quoque in hac re hallucinatus deprehenditur, quòd in paruo ſuo libro, in quo plantarum duntaxat imagines expreſsit, pro vtroq; Vmbilico Veneris eas nimirum plantas depinxerit, quæ nonnullis vulgo Fabaria & Fabæ craſſæ appellantur: quas tamen prius in ſuo de ſtirpium hiſtoria commentario pro Telephio oſtenderat. Verum tam prima, quam altera eius opinio, vt dicam quod ſentio, mihi plane reprobanda videtur. Quemadmodum & tertia eiuſdem de eadem ſententia, quam non ita pridem protulit in eo libro de compoſitione medicamentorum, quem poſtremò auctum excudit. Ibi enim putat Fuchſius, Acetabulum alterum, ſiue alterum Vmbilici Veneris genus, eſſe Fabariam, quam vulgus & ſeplaſiæ Craſſulam maiorem nominant. Sed quod is in magno verſetur errore, manifeſtum fit ſtatim ex Dioſcoride. Quippe qui Cymbalio, ſeu alteri Veneris Vmbilico, folia reddiderit denſa circa radicem, quæ medium [illegible] ambitum deſcribant, vt in maiore ſemperuiuo: cauliculum verò tenuem, in quo flores & ſemina hyperici. Quæ tamen [illegible] ta in Fabaria, aut Craſſula maiore deſiderantur. Siquidem hæc folijs conſtat hortenſis portulacæ maioribus, quæ cum ſemperuiuo nullam habent fere ſimilitudinem, nec oculi formam deſcribunt: caulem præterea emittit craſſum & [illegible] mum: radicibus deniq; nititur pluribus, aſphodeli proximis. Vmbilici Veneris meminit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Cotyledon facultatis miſtæ eſt, nempe humidæ ſubfrigidæ, & cuiuſdam obſcurè aſtringentis, & cum ea leuiter amaræ: vnde refrigerat, repercutit, abſtergit, & diſcutit. Itaq; phlegmonas eryſipelatodes & eryſipelas phlegmonode curat: & maximè ſtomachi ardore æſtuantis admodum vtile eſt epiplaſma. Putantur folia cum radice manducata calculos confringere, & vrinam mouere. Κοτυληδὼν ſit Græce, Latine vero Acetabulum, & Vmbilicus Veneris nominatur. Italice Ombilico di venere: Hiſpanice Scudetes: Gallice Eſcudes. Quæ verò Κοτυληδὼν ἑτέρα Græcis, Vmbilicus Veneris & Acetabulum alterum Latinis appellatur.

Fuchſii hallucinatio.

Vmbilici Veneris vires ex Gal.

Nomina.

Cotyledon à figura folii nomen accepit. I. Cotyledon maior, C. B. Vmbilicus Veneris, Matth. Lac. Turn. Lob. in icon. Caſt. Tab. Cæſal. Lug. Vmbilicus Veneris maior Lonic. Vmbilici Veneris prima ſpecies, Anguil. Cotyledon vera, Dod. gal. Cotyledon, Lob. Dod. fol. Cluſ. hiſt. Hiſp. Herba Coten-

dieza

dicum nonnullis, Scatum cæli, Manlio. II. Cotyledon media foliis ſubrotundis, C. B. Vmbilicus Veneris alter, Matth. in prima editione, & iis quæ minores figuras habent, Lacu. Cotyledon altera Dodo. Gallico & folio quo ad iconem, tertia quo ad deſcriptionem. Cotyledon altera Matthioli, Cluſ. hiſto. Panno. Lugdu. III. Cotyledon media foliis oblongis ſerratis, C. B. Vmbilicus Veneris alter, Matthiolo in maioribus iconibus quo ad folia, caules enim & flores adpoſiti, ſunt præcedentis plantæ, Vmbilicus Veneris minor, Lon. Taber. cui & Palmaria. Cotyledon minus Sedi folio, Lob. Cotyledon minus montanum Sedi folio, eidem in icon. Aizoum ſerratum. Cord. in hiſt. & Thal. cui & Craſſula ſerrata: Phyllum theligonum Dalechampii. Lugd. Phyllon primum, Cæſalpino. IV. Cymbalaria, Matt. Caſt. Lugd. Cam. Cæſal. Cymbalaria vulgaris, Lac. Cymbalaria Italica folio hederaceo, Lob. Capnos prima Plinii, Hermolao: Vmbilicus Veneris officinarum, Lon.

## Ἀκαλύφη. VRTICA. CAP. LXXXIX.

DVo vrticæ genera. Altera ſylueſtrior, aſperior: latioribus, nigrioribusq; foliis: ſemine lini, ſed minore. Altera non æquè aſpera, [a] minuto ſemine: Folia vtriuſq; illita, canis morſibus addito ſale, medentur: gangrænas, carcinomata, ſordida vlcera, & quæ cacoethe vocantur, item luxata, panos, tubercula, parotidas, ſuppurationesq; ſanant: lienoſis cum cerato imponuntur: faciunt ad profluuia narium cum ſucco trita, & naribus indita: menſes ciunt eadem detrita cum myrrha, & impoſita: procidentes vuluas recentia contactu reſilire cogunt. Semen potum ex paſſo venerem ſtimulat, & vuluæ ora patefacit: cum melle delinctum orthopnϾ lateris, & pulmonum inflammationibus prodeſt: thoracem expurgat: erodentibus medicamentis admiſcetur. Cocta cum conchis folia aluum emolliunt, vrinas mouent, inflationes diſcutiunt: decocta cum ptiſana, vitia pectoris extrahunt: mulierum menſes euocant, cum myrrhæ modico pota. Inflammatione turgentem vuam, gargarizatus ſuccus reprimit.

a Meum. λεπτόκαρπον: i. tenuiore ſemine.

I. VRTICA. I.



II. VRTICA. II.



VRticæ adeò vulgaris notitiæ eſt, vt non modò interdiu, ſed etiam noctu in tenebris ſolo tactu ab omnibus faciliimè cognoſcatur. Proinde operæpretium non eſt, vt hic pluribus eius faciem depingamus. Veruntamen ignorandum non eſt, quod etſi duo Dioſcoridi tantum Vrticæ aſsignentur genera, tria tamen in Italia reperiuntur. Prima aſperior, altera non æque aſpera, & tertia omnium minima. Prima caule eſt rotundo, aſpero, hiſpidoq;, ac pungenti: pilulas in caule gerit hirſutas, ac vrentes, in quibus ſemen gignitur. Prouenit calidis tractibus, aridis & incultis locis. Altera folijs prouenit, alterius ſimilibus, verùm non æquè aſperis: ſemen profert racemoſum ac minutum: caulem quadrangulum, aſperumq;, tactu acuto, ac pungente. Naſcitur vbiq;. Iiſdem cum altera eſt facultatibus: atqui peculiariter ſeminis puluis, ſanguinem e cerebri membranis manantem ſupprimit. Siquidem præter Vrticas à Dioſcoride traditas, alia eſt, quam aliqui ſylueſtrem appellant, cæteris acrior, & mordacior, folia profert cæteris ſimilia, ſed longè minora, acutiora, vrentioraq;: caule dodrantali, hiſpidiore, ac vrente, denſioribus folijs, & in ambitu ſerratis. Naſcitur ſecus ædificiorum muros, in hortis, ac fere vbiq;, omnibus eſt hæc nota. Vrticæ vires memoriæ prodidit Gal. lib. 6. ſimp. med. vbi ſic inquit: Vrtica, & huius herbæ tum ſemen, tũ folia (nã hæc potiſſimùm in vſũ veniunt) digerentis ſunt facultatis, adeò vt et phymata, et parotidas ſanent.

Vrticæ conſi.

Vrticæ vires ex Gal.

Sed &

III. VRTICA. III. IV. CARDIACA.





*Sed & quiddam flatuoſum obtinent, quo & Venerem extimulant, & maximè vbi cum muſto ſemen bibitur. Porrò quòd non vehementer calfaciat, ſed admodum tenuium ſit partium, teſtimonio eſt craſſorum, viſcoſorumq́ humorum ex pecto-re, pulmoneq́ eductio, tum quòd partes, quas contigerit pruriant. Cæterùm flatuoſum eius, cuius particeps eſſe dicta eſt, dum concoquitur, naſcitur: non enim actu flatuoſa eſt, ſed poteſtate. Ventrem autem modicè ſubducit duntaxat abſtergen-do, ac veluti titillando, non purgando. Et gangrænoſa, & cancroſa, & in totum quæ exiccari citra mordicationem poſtu-lant, ea conuenienter ſanat: nimirum cùm ſubtilium ſit partium, & temperaturæ ſiccæ, non tamen tantùm habens ca-ditatis, vt iam mordicet. Et lib. 2. de alimentorum facultatibus, idem de vrtica ita ſcribit: Vrtica, herbarum agreſtium vna etiam hæc eſt, tenuium vim partium obtinens. Iure itaq; nemo ipſa vt alimento vtitur, niſi maxima prematur fame. Vtile autem eſt obſonium ac medicamentum, quod aluum deijcit: hactenus de vrtica Galenus. Sed quoniam herba illa*

Cardiacę hiſtoria, & vires

*quam hodie herbarij* CARDIACAM *nominant, nunc ob cognationem, quam cum Vrtica habere videtur, mihi in mentem venit, ideo non alienũ puto, quòd hic de ea quoq; aliquid diſſeramus. Hæc itaq; vrticæ proxima eſt, tametſi fo-quæ prope terram prodeunt, rotundioribus conſtet, ranunculi modo per ambitum laciniatis. Ei caulis eſt quadrangu-ramis copioſis pariter quadratis, in quo bina vtrinque folia paribus interuallis, ab imo ad ſummum exeunt, oblonga, vr-ticæ ſimilia, ſed minora, & per ambitum ſerratiora. Flores, qui in purpura albicant, vrticæ fœtidæ, de qua ſequenti ca-pite dicturi ſumus, non diſſimiles profert, minores tamen: qui verticillato ambitu marrubij modo caulem circumdant in ipſo foliorum exortu. Radix in rubro palleſcit, alijs pluribus paruis radicibus adnatis. Prouenit vbiq; in ruderibus iuxta ſe-mitas, circa ſepes, & poſt vrbium mœnia. Guſtu vſque adeò amareſcit, vt facilè exiſtimari poſſit ad ſecundum excalfacien-tium ordinem, & ad tertium ſiccantium accedere. Præſtat hæc, vt recentiores quidam tradunt, ad cordis affectus. vnde etiam apud vulgares nomen accepit. Medetur item conuulſis, ac reſolutis. Obſtructiones aperit, quas cauſa frigida induxe-rit: vrinam ciet, & menſes. Pectus à pituita detergit, & lumbricos necat. Cæterùm in puluerem folia contrita, & dome-ſtici cochlearis menſura ex vino hauſta, difficilè parientibus mirum in modum opitulantur. Vrtica ſic Latinis dicta ἀκα-*

Nomina.

*λύφη Græcis nominatur: Arabibus, Huniure, Vraithlatum & Angiara: Italis, Ortica: Germanis* Neſſel*: Hiſpanis Or-tigà: Gallis Ortie. Vrtica altera, Græcis* Ἀκαλύφη ἑτέρα*: Italis Ortica vulgare. At Vrtica tertia, Græcis* ἀκαλύφη τρίτη *Italis Ortica minore. Sic Cardiaca, Germanis* Hertzgeſpann*: Gallis Gripaume, ſeu Cheneuſe.*

Vrtica ab vrendo dicta, quòd pruritum & puſtulas igni ſimiles acutiſsimis ſuis aculeis pungendo excitet. Sunt autem duplices, pungentes & non pungentes: pungens maior, minor, & tertia pilulas ha-bens: non pungens alia fætida, alia non fætida: & hæ aut maculatæ, vel punctis aſperſis, vel lineis folium diuidentibus: aut non maculatæ, flore albo, luteo, purpureo. Vrtica pilulas rotundas ferens, vel prima Dioſcoridis, C. B. Vrtica prima, Matth. Lac. Caſt. Lugd. Cæſal. Vrtica Romana, Trago. Fuch. Turn. Lonic. Lob. (cui & Vrtica ſylueſtris ſemine Lini, in Iconibus) Cam. Taber. Vrtica vera, Fuch. in icon. Vrtica ſylueſtris, Dod. gal. Vrtica maſcula vel Romana, Geſ. hor. Vrtica vrens prior, Dod. fol. II. Vrti-ca vrens maxima, vel ſecunda Dioſcoridis, C. B. Vrtica ſecunda, Matt. Lac. Lug. Caſt. Cæſal. Vrtica ma-ior. Brunf. Fuch. Turn. Dod. gal. (cui & Vrtica fæmina & communis) Lonic. Thal. Taber. Vrtica ſyl-ueſtris aſperior, Lobel. Vrtica ſyl. maior, Geſ. hor. Vrtica vulgaris vrens, Trag. Vrtica vrens altera, Dod. fol. Vrtica Cordo in Dioſcoridem. III. Vrtica vrens minor, Cania fortè Plinii, C. B. Vrtica tertia Matth.

Matth. Lac. Lugd. Caſt. Vrtica maior, Trag. Vrtica minor, Brunf. Fuch. Turn. Dod. gal. Cord. in hiſto. Lon. Taber. Vrtica minor acrior, Lob. Vrtica vrens minima, Dod: fol. Vrtica exigua, Cæſalpino. IV. Marrubium Cardiaca dictum, fortè primum Theophraſti, C. B. Cardiaca, Matth. Fuch. (cui & Lycopſis, Dod. gal. (cui & Sideritis prima) & fol. Lac. Lon. Lob. Caſt. Lug. Cæſ. (cui & Alyſſum Galeni & Aetii) Thal. Tab. Marrubium mas, Brunf.

## Γαλίοψις. GALIOPSIS. CAP. XC.

GAliopſis, frutex in totum caulem, & folia habet vrticæ, læuiora, & a quæ grauem odorem trita reddant: flore purpureo, tenui: naſcitur circa ſepes, ædificiorum areas, & ſemitas vbique. Folia, caules, ſemen, ſuccuſq́; duritias, & carcinomata diſſipant: ſtrumas, panes, & parotidas diſcutiunt. Oportet bis die tepidum ex aceto cataplaſma imponere, & eius decocto fouere: ad putreſcentia, gangrænas, & nomas, cum ſale efficaciter illinuntur.

a Méum ἱκανῶς δασεῖα. i. vehementer denſa.

I. GALIOPSIS.



II. SCROPHVLARIA.



GAliopſin, eam equidem plantam crediderim eſſe, quam nos in Italia Vrticam fœtidam appellamus, quæ vbique ferè prouenit, in ædificiorum areis, in plateis, iuxta ſemitas, & circa hortorum ſepes, odore ingrato: vnde & fœtidæ cognomen adinuenit. Quandoquidem hæc folijs, & caule conſtat vrticæ ſimilibus, tactu tamen non mordentibus: floribus item purpureis, tenuibusq́; Hinc itaque fit, vt ij, mea quidem ſententia, in errore verſentur, qui putant Galiopſin eſſe herbam illam vulgarem, quæ officinis, & herbariorum vulgo Scrophularia maior, Millemorbia, Ferraria, atque etiam Caſtrangula dicitur: hoc fortaſſe argumento nixi, quòd ea flores edat, quæ galeæ ſimilitudinem referunt. Sed eorum error ex eo, vt arbitror, apertè diluitur, quòd Scrophularia maior dicta folia non proferat vrticæ admodum æmula, nec ea graui odore prædita ſentiantur. Adde quòd huic radix ſubſit magna, alba, vndique ſtrumoſa, vnde fortè Scrophulariæ nomen traxit, adeò notatu digna, vt non videatur veriſimile, quod eius faciem non depictam relinquiſſet Dioſcorides, quando ſenſiſſet hanc herbam eſſe Galiopſin. Caules ab vna radice Scrofularia mittit plures, ſeſquicubitales, anguloſos, ſubrufeſcentes, in quibus folia inſunt nigricantia, robuſta, ad vrticæ faciem accedentia, per ambitum leuiter denticulata. Flores mittit in caulium ramorumq́; ſummitatibus puſillos, purpureoſq́; galeæ faciem referentes, & ſemen in capitulo, vt in lino, & lactaria herba, rotundo, acuto ſumma parte apice. Radicem habet magnam, albicantem, ſtrumoſam. Huc etiam illud accedit, quòd illa vt plurimùm in ſcrobium marginibus, & riguis, & vliginoſis locis naſcitur, non autem (vt Dioſcorides inquit) circa ſepes, & in ædificiorum areis. In hac ſententia fuiſſe inuenio Fuchſium, qui à galea, cuius effigiem Scrophulariæ flores repræſentant, hanc ſibi nomen aſciuiſſe exiſtimat. Id quod mihi planè non videtur eſſe rationi conſentaneum, quòd non ſit ex more Græcorum, veterum præſertim, apud quos nulla verborum inopia fuit, vt ex Latinis, & Græcis dictionibus plantarum, & aliarum rerum nomina componant: Galeam enim Græcum nomen non eſſe conſtat. Ex his igitur adducor, vt in hoc neque Fuchſio, neque alijs adſtipulari poſſim, quorum potius ſententiam ex ſuprà dictis reprobandam eſſe cenſeo. Cæcutiant ad ſummum vſque, qui Scrofulariam, Dioſcoridis Ocimaſtrum faciunt. Eſt prætere a alia planta Vrticæ fœtidæ non abſimilis, quæ à lacteis maculis ſingula folia in longum procurrentibus Vrtica lactea à noſtris Senenſibus vulgo cognominatur, quam rectius fortè quis Galiopſin dixerit, ſi à γάλα, quod vocabulum Græcis lac ſignificat

Galiopſis conſideratio.

Scrophularia maior non eſt Galiopſis.

Scrophulariæ deſcriptio.

Fuch. erratũ.

Vrtica lactea.

*ſignificat Galiopſin dictam eſſe ſtatuat. Quòd autem res hæc ita eſſe poſſit, ex Dioſcoridis ordine coniectura quadam colligi poſſet, nam quod ſtatim poſt Galiopſin Galion deſcripſerit, cui ex eo nomen inditum eſſe tradidit, quòd in cogendo lacte coaguli vicem expleat, videtur innuiſſe, inter vtrumque magnam eſſe nominis cognationem. Hanc itaq; legitimam Galiopſin quaſi affirmare non dubitarem, niſi Plinius lib. 22. cap. 14. eam Lamium appellari prodidiſſet, laudibusq; extuliſſet album, quod habet in medio folio, ad ſacros ignes, & foliorum reliquum cum vniuerſa planta, addita mica ſalis, ad contuſa, incuſſaq;, ad ambuſta, ſtrumas, tumores, podagras & vulnera. Quibus ſanè Plinij placitis decernere cogimur, primam, quam Vrticam fœtidam diximus, eſſe Galiopſin: alteram vero Plinij Lamium. Sed ſi ſuſtinere velimus hanc ſecundam eſſe veram Galiopſin, dicere nobis liceat, Plinium non cognouiſſe Galiopſin: neque id fortaſſe temere dixerimus, quòd in multis alijs Plinius euidenter erraſſe deprehendatur. Cæterùm quamuis ex rationibus ſuperius adductis perſpicuum,*

**Lamium Plinii.**

**Scrophulariæ vires.**

*ni fallor, factum ſit, SCROPHVLARIAM non eſſe Galiopſin, ea tamen viribus pollet non contemnendis. Deſiccat, extenuat, diſcutit, abſtergit: eſt enim guſtu amara & ſubtilium eſt partium: eius radix recens, ſtrumas, & hæmorrhoidas ſanat: in quem vſum radix effoditur autumnali tempore, & repurgata tunditur cum recenti butyro, operculatoq; fictili in vliginoſo loco reponitur, vbi dimittitur per quindecim dies. Deinde lento igne butyrum illud liqueſit, & percolatum aſſeruatur, quo prædicti morbi vtiliſſimè illinuntur. Idem illitum ſcabiem ſanat: Aqua è radicibus deſtillata, faciei ruborem illita tollit. Siccæ radicis puluis impoſitus hæmorrhoidas ſiccat. Idem drachmæ pondere potus, lumbricos ventris pellit.*

**Nomina.**

*Planta, quæ Græcis γαλίοψις, Latine item Galiopſis, Vrtica labeo & Vrtica fœtida nominatur: Italicè Ortica fetida ſeu Ortica morta Hiſpanicè Ortiga Muerta: Germanicè* Welſch Neſſel. *At Scrofularia, Millemorbia, Ferraria ſiue Caſtrangula: Italis Scrofolaria: Germanis* Braunwurtz*: Gallis Grande Scrofaire.*

Lamium purpureum fœtidum, ſeu Galiopſis Dioſcoridis, C. B. Galiopſis, Matth. Trag. Lac. Lugd. Thal. Vrtica labeo, Brunf. Vrtica iners, Dod. fol. Lac. Fuch. Turn. Dod. gal. Lamium ſiue Archangelica, Lob. Meminit Matthiolus Vrticæ lacteæ, quam Lamium maculatum vocamus, quam Mizatcilam (id eſt, Lienarem, quia lienoſis egregie opituletur) vocat Cæſalpinus, & Leucos à Dioſcoride dici ſuſpicatur: Vrtica fatua λευκόσπερμος Thalyo dicitur: at Solinandro, Lienaria. II. Scrophularia nodoſa fœtida, C. B. Scrophularia, Matth. Lac. Dod. fol. Caſt. Scrophularia maior, Brunf. Geſ. hor. Turn. Lob. Lon. Lugd. (cui & Chryſippea Plinii quorundam) Thal. Cam. Cæſalpino. Taber. cui & Caſtrangula Ocimaſtrum alterum, Trago. Galeopſis, Fuch. Dod. gal. Galeopſis minor, Fuch. in icon. Clymenum mas, Geſ. hor. III. Scrophularia paluſtris: hæc radicibus eſt fibroſis (apud nos tuberculis caret) ex qua caulis ex-

* III. SCROPHVLARIA paluſtris. *



* IV. SCROPHVLARIA flore luteo. *



urgit à priori magnitudine diſcrepans & colore, qui caule & foliis prorſus viridis eſt: foliis, floribus & ſemine, priori ſimilis. In noſtris paluſtribus, ſed minimè fœtens, prouenit. Meminit Dodonæus editione Gallica & Latina, Scrophulariæ alterius, quæ radice ſit fibroſa. Dicitur Scrophularia fæmina, & Germanis Weiſſe Nachtſchat, Camerario in ſuo Matthiolo, quam dicit vlcera curare & contuſa, ſi manè & ſerò continuis diebus in foco calefacta & contrita imponatur: idem morum ſuccum, ſi cum melle decoquatur, melius præſtare. IV. Scrophularia flore luteo. Hæc ex radice fibroſa ſcrophulis carẽte, caules plures emittit cubito altiores, quadrangulos, ſubrubentes, leuiter hirſutos, vacuos: folia habet viridia, hirſuta,

la

lata, ſubrotunda, per margines crenata, longiſsimis pediculis donata, duplo quàm in vulgari latiora: ad quemlibet geniculum, ad foliorum pediculos, ab imo ferè ad ſummum pediculi oblongi nudi prodeunt, copioſos flores quaſi conglobatos, luteos, forma vulgari ſimiles ſuſtinentes, quibus ſuccedunt capitula ſubrotunda, quàm in vulgari maiora, acuminata, cuius acumini filamentum inſtar capreoli inſidet, quibus ſemen nigrum includitur. Hanc à nemine deſcriptam à Doctore Doldio Norinberga primum ſiccam accepimus, dein in horto Doctoris Zuingeri obſeruauimus ſæpius.

## Γάλιον. GALION. CAP. XCI.

GAlion nomen ex eo traxit, quód in contrahendo lacte, coaguli vicem impleat: ramulum, foliumq; habet aparinæ ſimilimum, rectum: florem in cacumine luteum, tenuem, denſum, copioſum, odoratum. Flos igni ambuſtis illinitur, & ſanguinis profluuia ſiſtit. Cerato roſaceo galion admiſcetur, inſolatum vſque dum albeſcat, & ſic laſsitudines reficit. Radix venerem concitat. Naſcitur in paluſtribus.

GALION.



Galii conſid.

*GAlium vbique copioſè naſcitur prope ſepes, & ſecus vias, folijs aparinæ minoribus: flore tenui, ſpicato, partim luteo, partim albo. Verùm non propterea omnibus nota eſt vis, quam coagulandi lactis habet: nam ſi ea paſtoribus innotuiſſet, non minus apud eos huius herbæ inualuiſſet vſus, quàm cinaræ apud Hetruſcos: qui eius flore, vt dulcior ſuauiorq; caſeus euadat, tum ouillum, tum etiam caprinum lac cogunt, ac ſpiſſant.* Galii vires ex Galeno. *Galio vires reddidit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Galium inde adeò nomen ſortitum eſt ſuum, quòd lac coagulet. Adſimile autem eſt aparinæ, facultatem obtinens exiccatoriam, & ſubacrem. Flos eius ſanguinis profluuijs competere videtur, & combuſtis mederi. Eſt autem boni odoris & caloris lutei.* Nomina. *Huius herba nomen Græcum Γάλιον: Latinum Galium: Italicum Galio: Germanicum* Vnſer Frawen Wegſtro/ Megerkraut: *Hiſpanicum Coaia leche yerua: Gallicum Petit muguet.*

Galium aliud aruenſe, quod vel luteum vel album: aliud paluſtre: nunc flore rubro & tenuiſsimo folio habetur. Vulgatum dicitur Gallium Matth. Lac. Caſt. Galſium, Fuch. Dod. gal. & fol. Lon. Gallii primum genus, Trag. Lon. Galium luteum, Lob. Lugd. Thal. Galion luteo flore, Cord. in Dioſ. Cæſ.

## Ἠριγέρων. SENECIO. CAP. XCII.

SEnecio cauliculo eſt cubitali, ſubrubro: foliis a continuis, per extremitates erucæ modo diuiſis, ſed minoribus multò: luteis floribus, qui celeriter diſſecti vaneſcunt in pappos. Nomen verò ſibi vendicauit, quoniam flores capillorum ritu caneſcant: radice ſuperuacua. Naſcitur maximè in b maceriis, & circum oppida. Folia cum floribus refrigerant: quare illita cum vini modico, vel per ſeſe, teſtium & ſedis inflammationes ſanant: quin & ex manna thuris medentur, cùm reliquis vulneribus, tum iis quæ nerui acceperunt. Illiti per ſe cum aceto pappi, idem munus præſtant: verùm recentes epoti, ſtrangulant. Totus caulis, ſi coctus in paſſo potui detur, ſtomachi dolores à bili contractos perſanat.

a Meum ἡσυχῆ. i. ſenſim.
b Cat. ἐπὶ τοιχῶν. i. in parietibus.

Senecionis conſideratio.

*SEnecio, quæ Græcè Erigeron dicitur, aliquibus vulgò Cardoncello, alijs verò ſpellicciosa vocatur. Planta eſt vulgaris notitiæ. Cauliculis exit (vt Dioſcorides inquit) ſubrubentibus: folijs laciniatis, erucæ æmulis, minoribus tamen, & aſperioribus: floribus luteis, qui dehiſcentes in pappos abeunt. Naſcitur paſſim, adeò vt etiam ſuper vrbium mœnia, & in parietinis proueniat: vireſcit anno toto, & quolibet ferè menſe floret. Ideoq; non deſunt, qui hanc quoque vocent noſtro Idiomate, Fiore d' ogni meſe. Hanc herbam Otho Brunfelſius eſſe Verbenacam ſupinam, magno & aperto errore exiſtimauit.* Brunfelſii error. *Videtur etiam Senecionis eſſe genus herba, quam Germani* DIVI IACOBI FLOREM *appellant.* Floris Diui Iacobi mẽtiò *Namque & ipſa folia fert Erucæ ſylueſtris æmula, per ambitum laciniata, nigricantia, amaro ſapore, quæ anteaquam caulem edant humi procumbunt: caulis illi eſt ſeſquicubitalis Artemiſiæ ſimilis, à medio ramoſus ſurculoſusq;. Flos in ſummitate aureus Buphthalmo minor, qui tandem flacceſcens in papposam euolat lanuginem. Radice nititur breui & fibrata. Floret Iulio & Auguſto. Naſcitur in campeſtribus inculto ſolo. Sunt qui ſcribant Senecionem præſtare plurimũ ad alba vteri profluuia, ſi in acetarijs deuoretur, at nos his haud facilè ſubſcribimus, cum ſciamus hanc herbam remoratos ciere mẽſes, epoto foliorum ſucco totius plantæ decocto: cum enim euidenter ſit amara, vt ſiccet, abſtergat, aperiatq; neceſſe eſt. Sic & Senecio maior excalfacit, ſiccat, aperit, abſtergit, digerit, & reliquas Senecionis minoris vires obtinet.* Senecionis facultas ex Gal. *Senecionis quàm breuem mentionem fecit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, eius tantùm facultatem referens his verbis: Erigeron, ſiue Senecio facultatem miſtam obtinet, ſimul refrigeratoriam, & modicè digerentem.* Nomina. *Herba hæc Græcis ἠριγέρων dicitur: Latinis Erigerum & Senecio: Italis Cardoncello ſeu Spellicciosa: Germanis* Creutz Wurtz: *Hiſpanis Bon varon: Gallis Seneſſon. At Senecio maior, Italis Cardoncello ſeu Spellicciosa maggiore: Germanorum officinis, Flos S. Iacobi: vulgari verò ſermone* S. Jacobs Blum.

I. SENECIO.



II. SENECIO MA. SIVE Flos S. Iacobi.



Senecio minor. C. B. Senecio, Matth. Lac. Fuch. Turn. Cord. in Dioſc. Geſ. hor. Loni. Anguil. Lob. Cæſ. Lugd. Tab. Senetio vulgaris, Trag. Senecio minor, Caſt. Erygeron, Thal. Erygeron ſecundum. Dod. gal. Erygeron minus, Dod. fol. Verbena fœmina, Brunfelſo, qui in poſtrema editione ſe errasse fatetur. II. Iacobea vulgaris, C. B. Senecio maior, Matth. Caſt. Lugd. Herba S. Iacobi, Fuch. Cæſ. Flos S. Iacobi, Brunf. Trag. Lon. Herba Iacobæa, Tab. Iacobæa, Dod. gal. & fol. Iacobæa Senetio, Lob. Artemiſia polyclonos, ſeu Flos Iacobæus, Thal.

## Θάλικτρον. THALICTRVM CAP. XCIII.

THalictron folia coriandri habet, pinguiora paulò: caulem rutæ craſsitudine, in quo folia. Quæ trita illitu antiqua vlcera ad cicatricem perducunt. Naſcitur maximè in campeſtribus.

Thalictri cõſideratio.

*THalictron, ſi Ruellio credimus, herbarij in Gallia Argentinam appellant, quòd argenteo micet coloratu, cæteris notis Thalictri picturæ adſtipulantibus. Hæc (vt ipſe ſcribit) inuenitur vbique, ſæpe in campeſtribus, & macerijs. Verùm cùm mihi hactenus non contigerit eam herbam videre, idcirco Ruellij ſententiam non auſim probare, neque etiam refellere. Thalictron Thalietron nominat Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, vbi de eius viribus in hunc modum diſſerit. Thalietrum folia habet coriandro ſimilia, caulem craſsitudine rutæ. Vis ei ineſt exiccatoria citra morſum: itaq; vlcera inueterata ad cicatricem perducit. Quod Græci θάλικτρον, Latini item Thalictrum & Thalietrum apellant.*

Thalictri vires ex Gal. Nomina.

## Βρύον θαλάσσιον. MVSCVS MARINVS. CAP. XCIIII.

MArinus muſcus naſcitur in ſcopulis teſtaceiſq;, haud procul à mari, gracilis, capillaceus, caulis expers. Præcipua ei ſpiſſandi vis, & collectiones cohibendi, & podagras, quas refrigerare opus ſit.

Muſci marini conſideratio. Corallia.

*MVſcus marinus duum eſt generum: Dioſcoridis alterum, alterum verò Plinii. Non poſſum eorum non probare ſententiam, qui dicunt Muſcum marinum eam capillaceam eſſe plantam, quam officinæ corallinam appellant. Muſcus hic gracilis capillaceusquè prouenit, caulis expers, colore cum ſiccatur ſubrufeſcente, ſalſo ſapore, odore concharum marinarum ſimili. Hanc circumforanei in puluerem contritam in plateis venditant ad puerorum vermes necandos, mirisquè laudibus efferunt. Qua in re nimirum cæteris præſtat medicamentis: ſiquidem non modò interficit lumbricos, ſed eos quoque eadem die expellit, magna ſæpe cum aſtantium admiratione, quòd quandoque viſus ſit puer, qui ex aſſumpta huius pulueris drachma centum vermes excreuerit, potiſſimum ſi detur ex paſſo, aut cum Aegyptiæ ſiliquæ pulpa. Crediderim itaque Corallinam hanc eſſe muſcum marinum, quòd certò ſciam, eam ab ijs reperiri, qui corallia expiſcantur, corallijs, ſicuti et ſcopulis, & piſcium teſtis inhærentẽ, eo ſanè modo, quo arboreus muſcus arboribus ipſis innaſcitur. Is vtiq; cæteris præfertur, qui corallijs adnaſcitur, vnde ei nomen. Probatur ſecundo loco, qui ſaxis adhæret, colore rubicundo: cinereus verò improbatur. Sed marinum muſcum hac pollere facultate non nouere veteres: quandoquidẽ nuſquam*

I. MVSCVS MARI. SIVE Corallina.



II. MVSCVS MARINVS alter vel Plinii.



*nuſquam apud ipſos legerim marino muſco interaneorum vermes necari. Muſci marini hiſtoriam ( longè tamen ab ea diuerſam, quam paucis perſtrinxit Dioſcorides) proſecutus eſt Plinius libro 27. cap. 8. his verbis: Bryon marina herba ſine dubitatione lactucæ folijs ſimilis, rugoſa veluti contracta, ſine caule ab ima radice exeuntibus folijs. Naſcitur in ſcopulis maximè, teſtis que terra comprehenſis. Præcipua ſiccandi ei ſpiſſandiq; vis, & collectiones omnes inflammationesq; cohibendi, præcipuè podagræ, & quicquid refrigerare opus ſit: hæc Plinius. Cuius Muſci imaginem hanc omnino eſſe cenſemus, quam hic excudi curauimus: nam omnibus notis illi perbellè reſpondet. Viuam plantam conchæ cuiuſdam teſtæ inhærentem, miſit ad me Patauio Iacobus Antonius Cortuſus. Cæterùm Marinus muſcus iam mihi in mentem redegit plantam( ſi tamen plantam appellare licet) muſco haud multò abſimilem, in fluminibus, & alijs dulcibus aquis naſcentem, viridi colore, & ſerici staminis fere modo villoſam, quæ Plinio lib. 27. cap. 8. circa finem conferua appellatur: nobis verò in Hetruria vulgo Lima. Hæc cum Plinii teſtimonio ad oſsium fracturas præſtantiſsimum ſit medicamentum, prætermittere quidem non potui quin hic de ea Plinii verba adderem. Ille enim ita de Conferua meminit. Peculiaris eſt alpinis maximè fluminibus Conferua appellata a ferruminando, ſpongia aquarum dulcium verius, quàm muſcus aut herba villoſæ denſitatis, atque fiſtuloſæ. Curatum ea ſcio, omnibus ferè oſsibus confractis, prolapſum ex arbore albo putatorem, circumdata vniuerſo corpori, quam ſuam inſpergentibus quoties inareſceret, raroq; nec niſi deficientem herbam mutationis cauſa reſoluentibus conualuiſſe vix credibili celeritate. Cæterùm Muſci marini meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Muſcus marinus compoſitus eſt ex terrena, & aquea eſſentia, vtraq; frigida. Siquidem & guſtum adſtringit, & calidis quibusvis illitus, ea euidenter refrigerat & adiuuat. Poſſe quidē marinum muſcum, qui recens fuerit, refrigerare, facile cum Galeno & Dioſcoride concedam: quòd verò ſiccus id efficere poſsit, quod guſtu ſalſo ſentiatur, non ita facilè mihi concedendum videtur. Id Græcis βρύον θαλάσσιον quod Latinis Muſcus marinus vocatur: Tahaleb ſiue Thabel Arabibus, quibus tamen muſcus is cum lente paluſtri, confunditur: Italis ac Officinis, Corallina: Germanis* Meermieſʒ oder Meermöſʒ: *Hiſpanis Malhorquiana yerua: Gallis Coralline.*

Muſcus marinus Plinii.

Conferuæ mentio & vires ex Plinio.

Muſci marini vires ex Gal.

Nomina.

Muſci marini plures differentiæ proponuntur in hiſtoria noſtra, hic de duobus. I. Muſcus Marinus ſiue Corallina, Matth. Dod. gal. Lac. Cord. in Dioſc. Lugd. Tab. Muſcus marinus primus, Dod. fol. Muſcus marinus herbaceus mollior, Cæſal. Corallina, Lon. Lob. Lemnio. Fucus Capillaceus, Lugd. II. Lactuca maritima, C. B. Muſcus marinus alter, Matth. Caſt. Muſcus marinus Theophraſti, Dod. gal. Muſcus marinus Plinii, Lugd. Fucus marinus prior, Dod. fol. Fucus ſiue Alga Intybacea, Lugd. Bryon Thalaſsion, Turn. Bryon lactucæ foliis Plinii, Lob. Bryon Theophraſti, Cæſalpino.

## φῦκος θαλάσσιος. FVCVS MARINVS. CAP. XCV.

EPhuci marini generibus, quoddam latum, & alterum a ſublongius, & rubens: tertium b candidum, naſcens in Creta, floridum valdè quod nulla corruptionis labe polluitur. Omnia vim habent refrigeratoriam non podagræ modò, ſed etiam inflammationibus, in cataplaſmatis efficaciter vtilem: verùm iis vti humidis conuenit priuſquam exareſcant. Nicander puniceum aduerſus ſerpentes dedit. Hoc fuco quidam putant mulieres ſuum colorem mentiri, cùm tamen ſit radicula eiuſdem nominis, qua ſe ſe fucant.

a Orib. ἐπιμήκης. i. oblongum. b Orib. οὖλος. i. criſpum. c Orib. στυπτικόν. i. adſtringentem.

*DE fuco marino locutus eſt Plinius libro 13. cap. 23. vbi ita ſcriptum reliquit. Naſcuntur in mari frutices arboresq;, minores in noſtro. Rubrum enim, & totius orientis Oceanus refertus eſt ſyluis. Non habet lingua alia nomen quod Græci vocant phycos, quoniam alga herbarum magis vocabulum intelligitur: hic autem eſt frutex. Et lib. 26. cap. 10.*

Fuci marini hiſt. ex Plin.

*Tria inquit, Phyci thalaſſij, id eſt, Fuci marini genera, latum, & alterum longius, quadantenus rubens: tertium criſpis folijs, quo in Creta veſtes tinguntur: hactenus Plinius. Cæterum cum Fuci genera mihi plane incomperta ſint, quid dicam non habeo. Non tamen deeſt ſuſpicio, quin Fucus marinus, ſi Alga non eſt, in eius ſaltem genere recenſeri poſſit & debeat: nam Theodorus in Theophraſto non aliter Fucum marinum interpretatur, quam Algæ nomine. Adde quod & Plinius alijs in locis Fucum marinum, Algam maris aliquando vocauit, vt etiam adnotauit Marcellus. Sed non ob hoc exiſtimauerim, Fucum marinum eam vulgarem eſſe Algam, in qua Veneti vaſa vitrea recondunt, ne inter vehendum colliдantur & confringantur. Quod præterea Fucus marinus Alga eſſe poßit, illud argumento ſit, quòd nullum aliud, quod ſciam, apud Latinos nomen inuenerit. Algæ ſpecies eſt quæ & vlua dicitur, hoc tantùm inter ſe differentes, quòd hæc paluſtris, lacuſtris, fluuiatiliſq; ſit: illa verò tantùm in mari proueniat. Quod diſcrimen illo vulgari verſiculo indicatur.*

Alga Veneta.

# * ALGA VENETA. *



Vlua.

*Alga venit pelago, ſed naſcitur vlua palude.*

*Vnde etiam Virgilius libro ſexto Aeneidis ita cecinit.*

*Tandem trans fluuium incolumes, vatemq; virumq;*
*Informi limo, glaucaq; exponit in vlua.*

*Et libro ſecundo eiuſdem.*

*Limoſoq; lacu per noctem obſcurus in vlua*
*Delitui.*

Fuci marini vires ex Gal.

*Fuci marini mentionem fecit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Phycos humens etiamnum, & vires ex mari exemptus deſiccat, & refrigerat ordine ſecundo: habet enim quiddam modicè acerbum.*

Nomina.

*Nominatur Græcis φύκος θαλάσσιος: Latinis Phucus ſeu Fucus marinus: Italis Phuco marino.*

Algæ Venetæ cùm mentio fiat in Commentariis, idcirco eius figuram addere placuit, quam Algam marinam, Lobelus: Fucum marinum, Lacuna: Fucum marinum alterum, Dod. hiſtoria Latina, Fucum ſiue Algam marinā gramineam, Lugdunenſis: & Algam, Cæſalpinus, Monſpelienſium vulgus paleam marinam, vocat. Videtur apud Dioſcoridem ſub Fuco ſecundo, apud Theophraſtum ſub primo exprimi.

# I. POTAMOGETON.



## Ποταμόγειτον. POTAMOGETON. CAP. XCVI.

Potamogeton, folium fert betæ ſimile, hirſutum, paululum ſupereminens extra aquam. Refrigerat & inſpiſſat: pruriginibus vtile, & contra veterum vlcerum nomas. Nomen ex eo inditum eſt, quòd paluſtribus & aquoſis enaſcatur.

Potamogetonis conſid. Sagittæ vtriuſq; conſid.

*Potamogeton lacubus & paludibus innaſci amat, vbi folijs betæ proximis, ſuper aquam expanſis in compluribus locis emicare inuenitur. Hanc herbam nos ſæpe vidimus & legimus, priuatim in lacubus quibusdam in Ananienſi agro, quam ibi vnà cum nymphæa aquis ſupernatantem deprehendimus. Facit Potamogeti mentio vt Sagittam quoque ob foliorum formam Plinio vocatam, in mentem redegerim, quod ipſa in fluminibus naſcatur, & ſtagnātibus quoq; aquis. Hæc ita duum eſt generum. Maior & Minor. Huius folium ſagittæ cuſpidis figuram ad amuſsim refert, supernè in vnum apicem, infernè in duos deſinens. Pediculo nititur triquetro, ſpongioſo, intus cauo, ſeſquicubitali & quandoque maiore, aut minore, pro aquarum profunditate, in quibus viuit. Caulem gerit rectum, læuem, rotundum, vacuum, ſuperius in ramulos diuiſum, in quibus flores exeunt albi, ſinguli tribus foliolis conſtantes, hærentq; in pedunculis pari exortu à caule prodeuntibus. Ex his tandem capitula naſcuntur ſubpurpurea hirſuta, nucis Ponticæ magnitudine, in quibus minutū concluditur ſemen, rotundo intus globulo inhærens. Radicem habet albam, multifidam, & fibroſam Plantagini aquaticæ ſimilem, cuius cognationis ego ſagittam facio. Maior minori per omnia reſpondet, ſed omnia maiora in ea ſpectantur. Folia quoq; non adeò in acuminatum faſtigium deſinunt. Naſcitur vtraq; in aquis cùm ſtagnantibus, tum decurrentibus copioſa in Eu-*

II. SAGITTA MAIOR.



III. SAGITTA MINOR.



*in Bohemia, cum in Muldaua flumine, tum in alijs plerisq; locis. Temperamento ambæ ſunt frigido & humido: & ijſdē cum plantagine aquatica viribus pollent. Potamogeton, vt teſtatur Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, adſtringit &* Potamogetō vires ex Gal. *refrigerat ſimiliter polygono, ſed eſſentia eius craſsior quam polygonon eſt. Huic herbæ nomen Græcum ποταμογείτων, Latinum ſimiliter Potamogetum: Italis Potamogeto: Germanis Seehalten Kraut/vnd Sam Kraut: Gallis Herbe des eſtagnes. At Sagitta, Græcis πιςάρα: Italis Saetta.* Nomina.

MILLEFOLIVM AQVAticum.



Potamogeton latifolium aliud, aliud tenuifolium: latifolium aliud rotundis, aliud oblongis folijs eſt, hocq; vel craſſis ſalignis, vel tenuibus & ſplendentibus, & hoc vel planis vel criſpis. I. Hic proponitur Potamogeton rotundifoliū, quod Dioſcoridis eſt: & dicitur Potamogeton, Matth. Trag. Fuchſ. Lac. Dod. gal. Lonic. Caſtor. Taber. Potamogetoni ſimilis rotundiore folio, Cordo in Dioſcoridem. II. Sagitta aquatica maior, C.B. Sagitta maior, Matth. Dodo. fol. Caſtor. Tab. Piſtana Magonis, ſiue Sagittaria aquatica Plinij, Lob. Phleos mas latifolia, Lugdun. Barba ſyluana recentioribus medicis, Cæſal. III. Sagitta aquatica minor, C.B. Sagitta minor, Matth. Dod. fol. Caſt. Lob. Lug. Tab. Sagittaria minor, Lob. in icon. Sagitta & Sagittalis, Cordo in hiſtoria.

## Στρατιώτης. STRATIOTES. CAP. XCVII.

Stratiotes in aquis naſcens, ijſdem ſupernatat, & ſine radice viuit: vnde cognomentum traxit. Herba ſemperuiuo ſimilis, ni maiora haberet folia. Quæ refrigerant: ſanguinem, qui defluit à renibus, pota ſiſtunt: vulnera, quæ inflammationem minantur, intumeſcere non ſinunt: ignibus ſacris, & tumoribus ex aceto illinuntur.

*Non eſt profecto quod miremur, ſi Stratiotes in Italia non prouenit. Quandoquidem ea, vt lib. 24. cap. 18. Plinius*

*nius teſtatum reliquit, eſt in Aegypto tantùm, & inundatione Nili naſcitur, aizoo ſimilis, ni maiora haberet folia. Ce-terùm plantam quandam miſit ad me Piſis Lucas Ghinus Medicus clariſſimus in aquis naſcentem, quam ille aquaticum Millefolium appellabat. Hanc ego aquaticæ Stratiotes genus aliquod eſſe puto. Eſto tamen aliorum quoq; iudicium ex imagine, quam hic appingi curauimus. Folijs eſt coriandri, ſed tenuioribus, caulibus tribus aut quatuor, anguloſis, in quibus per interualla puſilla habentur folia, auicularum pennis ſimilia: in cacumine ſingulis caulibus bina exeunt vmbellæ, ſubpurpuraſcentibus floribus. Vocatur Græcis ςρατιώτης ἐνυδρος: Latinis Stratiotes aquaticus. Millefolium aquaticum. Italis Millefoglio aquatico.*

Nomina.

* II. EQVISETVM OLIdum. *



I. Millefolium aquaticum à Matthiolo propoſitum, & á Lugdunenſis herbarij auctore, ſub Stratiote millefolio aquatico Matthioli enarratum, hactenus non vidimus. Aſt ne duæ diuerſæ vna figura iunctæ ad Commentatorem ſint miſſæ, veremur: Siquidem caules optimè reſpōdeant (ſi vmbellas adimas) Equiſeti ſpeciei, cuius iconē adiunximus. I I. Quod albicat omnibus ſui partibus, odoris ſulphurei & lutoſi, caulib. pluribus, longis, rotundis, oblique ſtriatis fragilibus, qui in plures cauliculos brachiantur, folijs aliquot ſimùl ad geniculum iunctis, breuibus aliquot apicibus tanquam particulis donatis: quæ ſi ſicca ſint leuiſſimo digitorum contritu in puluerem comminuuntur. Naſcitur in aquis, præcipuè cœnoſis, communiter in ijs demerſum, rarius erectum: quod in foſſis Thermarum Aponenſium notauimus, & non longè Lucerna Heluetiorum. An floreat ignoramus: nec de ea quicquam hactenus apud auctores legimus, quod propter grauem odorem, Equiſetum olidum vocamus.

Conclu[illegible] in meo deſunt.

I. M[illegible]LLEFOLIVM MAIVS.



Στρατιώτης χιλιόφυλλος. STRATIOTES MILLEFOLIVM. CAP. XCVIII.

STratiotes millefolium exiguus frutex, palmi altitudine, aut amplius aſſurgit: folijs auium pulli pennas imitantibus, breui admodum diſſectoq; foliorum exortu. Folia ſylueſtre cuminum ſimulant, præſertim breuitate, [atq; ſcabritia] breuiora paulò: denſiore vmbella & pleniora. Surculos in cacumine gerit exiguos, & capitula in modum anethi: flores paruos & candidos. Naſcitur in aſperis agris, præcipuè circa ſemitas. Eximij vſus ad vlcera vetera recentiaq;, profluentem ſanguinem & fiſtulas.

Stratiotæ millefoliæ conſideratio.

*STratiotes in hunc vſq; diem Millefolij cognomen retinet. Planta eſt officinis notiſſima, in incultis proueniens, in pratis, & circa ſemitas, lignoſis caulibus, dodrante maioribus pluribus ab vna radice prodeuntibus, quibus folia inſunt auium nouellarum pennis ſimilia, ſylueſtriq; cumino æmula. Flores eius denſiore vmbella ſuſtinentur, candidi, etſi nonnunquam in purpura rubeſcant. Ex his vtiq; notis palam eſt, communis vſus Millefolium nil aliud dici poſſe, quàm Stratioten, de quo hic agitur: non autem, vt Braſauolus exiſtimat, Myriophyllum infra à Dioſcoride deſcriptum. Siquidem Myriophyllum caulis eſt tener, ſingularis, vnica nixus radice: folijs plurimis, læuibus, fœniculo ſimilibus. Quæ ſanè omnia, ni fallor, apertiſſimè oſtendunt, Braſauolum hac in re hallucinatum eſſe. Millefolij genus quoddam naſcitur in Goritienſi agro Saluatino monte prope ſacellum diuæ Mariæ virginis, eo tantùm ſaxoſo tractu, quo ad Sontium fluuium deſcenditur. Id quoniam aliud præſtat magnitudine, vt eius effigies, quam hic damus, apertè oſtendit, ideò nobis iure liceat ipſum nominare Millefolium maius. Folia profert minoris ſimilia, ſed maiora, Tanaceto quadantenus proxima, caules quoq; maiores, ſubhirſutos atq; grandiores vmbellas: floribus in purpura albicantibus, odore medicato. Præſtat eadem quæ minus. Datur vtiliter millefolij ſuccus ad ſanguinis reiectiones. Idem præſtat ſicci farina ex Symphyti maioris, aut plantaginis aquis*

Braſauoli opinio non eſt accepta.

Millefolium maius.

II. MILLEFOLIVM MINVS.



*qua pota. Eadem naribus indita, fluentem inde ſanguinem compeſcit. Dyſentericis vtiliter infunditur, vnà cum ſui ipſius ſucco. Herba recens tuſa & ſuppoſita, pubiq́ illita, menſibus profluuia compeſcit. Millefolium cui candida ineſt vmbella, vna cum floribus tuſa, & cum ſua ipſius aqua, aut caprino lacte pota, gonorrheam in viris, in fœminis alba vteri excrementa tollit. Atqui id valentius præſtat, vbi cum corallio, ſuccino albo, & eboris ſcobe propinetur. Præſtat mirum in modum Millefolij, & foliorum & florum farina ad ſanguinis mictum, vbi vnciæ pondere vnà cum Armeniæ terra drachma, ex vaccino lacte propinetur ieiunis diebus tribus continuus. Commanducata folia, & præſertim recentia, dentium dolores mulcent. Idem facit commanducata radix, & diu ſub dente dolente retenta. Datur herbæ decoctum cum labruſcæ floribus vtiliter potandum contra vomitum. Stratioten hunc, & ſuperiorem perſtrinxit Galenus libr. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi de vtriuſq́ viribus ita diſſerit. Stratiotes aquaticus quidem humida & frigida facultate eſt: terreſtris verò nonnihil habet adſtrictionis: proinde ſanè & vlcera glutinare poteſt, & vlceribus eſſe vtilis. Sunt qui eo & ad ſanguinis eruptiones vtantur, & ad fiſtulas. Herba, quæ Græcis* στρατιώτης χιλιόφυλλος, *Latinis Stratiotes millefolium appellatur: Italis Stratiote millefoglio: Germanis* Garben: *Hiſpanis Milhoyas yerua: Gallis Mille fueille.* * *Cumin vel Anet ſauuage.* * *At Millefolium maius Græcis* στρατιώτης χιλιόφυλλος μέγα: *Italis Millefoglio maggiore.*

Stratiotæ vires ex Gal.

Nomina.

I. Millefolium vulgare album, C.B. Millefolium maius, Matth. Millefolium album, Brunf. Camer. Millefolium vulgare, Trago, Geſ. hort. Millefolium Stratiotes, Cord. in Dioſ. Millefolium terreſtre maius, Tab. Millefolium terreſtre vulgare, Lob. in icon. Millefolium ſiue Achillea. Dodo. fol. Millefolium maius, Cæſalpino. Stratiotes millefolium, Fuchſ. Lac. Caſt. Stratiotes millefolia maior, Lugd. Militaris, Lob. Achillea, Dod. gal. Lonicero. II. Millefolium vulgare purpureum minus, C.B. Millefolium minus, Matth. Millefolium vulgare, Trag. Millefolium, Lonic. Millefolium purpurei floris, Dodo. fol. Millefolium terreſtre purpureis floribus, Lob. Millefolium purpureum, Taber. Millefolium paruum, Cæſal. Stratiotes terreſtris minor, Cordo in hiſt. Stratiotes millefolia minor, Lugdunenſi.

Φλόμος. VERBASCVM. CAP. XCIX.

VErbaſcum differentias ſummas habet duas, hoc nigrum, illud album: in quo mas & fœmina intelligitur. Fœminæ igitur folia ſunt braſſicæ, piloſiora multò & latiora, [a] candida: caulis albus, cubitalis aut amplior, ſubhirſutus: flores albi, aut [b] ex luteo palleſcentes: ſemen nigrum: radix longa, guſtu acerba, craſſitudine digiti: naſcitur in campeſtribus. Verbaſcum, qui mas appellatur, oblongius, albis folijs, & anguſtioribus, tenuiori caule. Sed nigrum prorſus albo ſimile eſſet, niſi nigriore latioreq; conſtaret folio. Syluestre [folia] fert [ſaluiæ]: altas virgas & lignoſas [c], & circa eas ramulos [d] quales marrubium: flores luteos, auri æmulos. Sunt & phlomides duæ, hirſutæ, rotundis folijs, humiles. Tertia lychnitis appellatur, ab alijs autem thryallis, folijs ternis aut quaternis, vel paulò pluribus, hirſutis, craſſis, pinguibuſq; : apta ad lucernarum lumina. Radix priorum duarum adſtringit: quare quod magnitudine ludicrum talum æquet, in alui profluuio, conuenienter ex vino datur. Decoctum ruptis, conuulſis, fractis, antiquæ tuſſi auxiliatur: dentium dolorem collutione mitigat. Verbaſcum, cui flos aureus, capillos tingit; & quocunque abijciatur, blattas in ſe contrahit. Cocta in aqua folia aduerſus tumores, & oculorum inflammationes illinuntur: ſyderatis vlceribus ex vino & melle, cum aceto autem vulneribus medentur: contra ſcorpionum ictus ſunt auxilio. Sylueſtris folia ambuſtis igni ſunt cataplaſmata. Aiunt in folijs eius, quam fœminam dicimus, aridos ficus omnino non putreſcere.

a Orib. λευκότερα. i. candidiora.
b Orib. ὑπόχλωρα. i ſubuiridia. Orib. ... git conclu...
c Or. φύλλα ἐλελισφάκῳ ὅμοια ἔχει δὲ ... i. folia ſaluiæ ſimilia ...
d Or. ... i. quemadmodum.

*PLura Verbaſci numerantur genera, vt ex appictis iconibus palàm fiet. Prima verbaſci genera, domeſtica ſcilicet duo, nulli non cognita ſunt. Verbaſcum mas ſiue ſecundum, oblongius eſt, albis folijs, anguſtioribuſq́; tenuiore caule. Floribus in cacumine minoribus, pallido collore. Radice minori minuſq́ carnoſa. Naſcitur in campeſtribus, exoluto ſolo. Iiſdem viribus præditum eſt, quibus & fœmina. At Verbaſcum tertium, folia profert nigriora, oblongiora, ſaluiæ ferè modo aſpera, ſed latiora: caulibus rotundis, robuſtis, tenuioribus floribus in cacumine ſpicatis, aureo colore. Prouenit & hoc quoq́ in campeſtribus: eaſdem cum alijs habens vires. Verùm ſylueſtre, quod folijs ſaluiæ ſimilibus, aureiſq́ floribus prouenit, non omnibus ſanè notum exiſtimo. Viret tamen hodie Patauij in nobiliſſimo ſimplicium horto, quem ad commune ſtudioſorũ commodum Illuſtriſſimus Venetorũ Senatus conſtrui curauit. Naſcitur in campeſtribus & apricis montibus. Quin nec fortaſſe Lichnitim, cuius etiam figuram hic damus, nouere multi, quòd folijs eſt hirſutis, craſſis, tomentoſis pinguibuſq́ atq́ idoneis ad lucernarũ lumina: florib. numeroſis & ramuſculis eminentioribus, prodeuntib. aureo colore. Eſt Verbaſci quoq́ genus, cuius folia corniculati pauperis faciẽ exprimũt, per ambitũ ſinuata. Ideoq́ nil mirũ ſi Dioſc. eiuſmodi papaueris folia Verbaſci folijs cõparauerit. Reliqua verò, qui mihi demõſtrauerit in Italia, hactenus reperi neminẽ. Et quãuis ſint, qui putent, vt Ruel. Fuch. & recentiorũ alijs placet, eas vulgaris notitiæ plantas, quæ quibuſdã Brachæ cuculi, officinis Primulæ veris, Germ. claues S. Petri, nõnullis verò herbæ paralyſis appellãtur, eſſe Dioſ. Phlomides, quæ hirſutis rotũdiſq́ folijs, humiles proſiliunt: eorũ*

Verbaſci genera & conſ...

Ruellii & Fuchſij opin reprobata.
Herba paralyſis.

tamen

I. VERBASCVM I.



II. VERBASCVM II.



III. VERBASCVM III.



IV. VERBASCVM IIII. SIue ſylueſtre.



*tamen ſententiæ, licet eruditorum virorum, haudquaquam adſtipulari poſſum. Siquidem plantis iis folia non inſunt hirſuta, nec etiam rotunda, ſed alteri læuia, alteri verò criſpa, lactucæ aut dipſaci modo. Adde quòd florum, quos hæc Phu-dum genera proferant, nuſquam, quod ſciam, meminit Dioſcorides, neq; è veteribus alius, qui Verbaſci genera recenſeat*

*Id quod*

V. VERBASCVM LYCHNITE.



VI. VERBASCVM ALIVD.



VII. PRIMVLA VERIS.



* VIII. VERBASCVLVM HORtenſe multiplex. *



*Id quod in herba paralyſi, meo quidem iudicio, ſilentio inuoluendum non fuerat, cum hæc omnium prima ſuis aureis floribus emicet, verq́; nouum pronunciet: vnde illi officinæ nomē impoſuerunt. Duum eſt generū, alterum odoratum, alterū inodoratū. Prima folia profert lactucæ quadantenus ſimilia, oblonga, rugoſa, Labri veneris ferè modo humi iacentia, è querū medio*

*medio cauliculus exit dodrantalis atq; incanus, è cuius faſtigijs flores exeunt complures lutei, per ambitum ſimbriati coloratiq;, vt in vrſi auricula, quam & radice quoq; imitatur. Prouenit ſecus vias, propter ſepes, & in pratis. Altera folia profert latiora, & in cacumine rotundiora, humi pariter accubantia, criſpa rugoſaq;, ac magis tenera: caule verò floribus ac radicibus, ab altera non differt. Naſcitur iiſdem in locis, & frequenter in ſyluis herboſis. Eaſdem, quas prior poſſidet vires, imbecilliores tamen. His recentiores vim efficacem tribuunt ad articulorum dolores. Radicis earum decoctum ad renum, & veſicæ calculos commendant. Succum quoq; tum potum, tum exterius illitum, fractis luxatiſq; oſſibus vtilem eſſe tradunt. Cæterùm præſtat earundem decoctum additis ſaluia & amaraco, aduerſus frigidos neruorum, & cerebri morbos. Quare commodiſſimè datur potandum reſolutis, ac iis, qui membrorum tremore, ſtuporeuè laborant. Stillatitia florentis iam herbæ aqua datur vtiliter potanda in animi deliquiis, & vbi corpus imbecillitate virium affectum ſit. Nam (vt loquiunt experimentatores) mirificè cor confortat ac roborat. Flores illinuntur vtiliter aduerſus ſcorpionum, & phalangiorum ictus. Siquidem facilè tumores diſſoluunt. Herba ipſa, aut flores, aut radices tuſæ & illitæ, vulnera ſanant. Stillatitia aqua, quæ à tota fluxerit planta, fronti illita, capitis dolores mulcet. Mulieres, quæ fuco delectantur, flores in albo mero macerantes, vnà cum polygonati radicibus, ſtillatitiam ad alembicum conficiunt aquam, qua deinde à lecto reſurgentes faciem lauant, eiq; nitorem conciliant: vbi autem rugas tollere ſtudent, ſtillatitiam limonum aquam admiſcent. Sed ad legitima verbaſci genera redeamus. Hæc omnia in vniuerſum, ſed fœmina magis, vt plurimis factis periculis conſtat, omnibus ferè ſedis morbis mirificè ſubueniunt: adſtringunt enim & exiccant. Quamobrem ſeminis & florum puluis, additu chamæmeli floribus, & laricis reſina, procidentem ſedem ſuffitu cohibet, & tenaſmum, præcipuè dyſentericis, tollit. Verbaſci fœminæ folia inter lapides contuſa, ſi equi claudicantis ex clauorum noxa vngui prius excauato imponantur, mirum dictu quàm breui tempore is liber euadat. Radicis eiuſdem ſuccus, anteaquam caulem proferat, duarum drachmarum pondere ex Cretico vino hauſtus, in ipſa acceſſionis hora (vt Arnaldus refert) quartanam fugat, cum hoc tamen, quod tribus aut quatuor iteratis vicibus hauriatur. Succus tam florum, quàm foliorum aſperis verrucis illitus, eas facile delet, etſi leuibus nihil proficiat. Idem facit ſicca radicis farina confricata. Dantur flores commodiſſimè in puluerem triti, contra tormina ventris, & colicam. Gargarizatur vtiliter radicum decoctum contra tonſillarum inflammationes. Folia tuſa & cineribus calefacta, ſanant panos, quos bubones vocant, emplaſtri modo impoſita.*

Herbæ paralyſis vires Matthiolo.

Verbaſci vires Matth.

IX. PRIMVLA VERIS altera.



X. BLATTARIA.



*Tanta vis verbaſco ineſt, vt iumentis non tuſſientibus modò, ſed ilia quoq; trahentibus, auxilietur potu. Semen ex vino decoctum & contuſum impoſitumq;, luxatis medetur, dolorem & tumorem auferens. Folia conferunt ſtrumoſis, ſi ex aceto imponantur. Semine ac foliis in vino decoctis, ac ſubinde tritis & impoſitis, omnia infixa corpori extrahunt. Folia & ſummitates in aqua decoctæ, & illitæ podagricis auxiliantur, ſed eius Verbaſci ea eſſe oportet, quod minoribus creſcit foliis. Stil[illegible]tam aqua oculis iniecta, diſtillationes cohibet: aufert eadem illita faciei ruborem, quam Mauritani Guttam roſaceam vocant, & præſertim addito caphuræ momento. Illinitur eadem ad Eryſipelas, & ignis combuſtiones, ſerpigines, vitiligines, impetigines & cæteras cutis infectiones. Verbaſci flores vnà cum oui vitello, & mica panis, & porri foliis illiti, perbellè præſtant ad cohibendas tumentes, dolorificaſq; hæmorrhoidas. Idem præſtant eiuſdem folia ſuffita, ex molari lapide aucto. Eſt & herba ſimilis Verbaſco, quæ* BLATTARIA *Plinio nominatur lib. 25. cap. 9. vbi eam iis verbis depingit. Eſt ſimilis Verbaſco herba, quæ ſæpe fallit pro ea capta, foliis minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hæc abiecta blattas in ſe contrahit, ideoq; Romæ Blattariam vocant: hæc Plinius. Eundem verò effectum Dioſcorides illi Verbaſci generi aſſignauit, quod floribus aureis deſcripſit. Quæ certè res facit, vt credam, quòd non aberrarent ii, qui ſibi animum inducerent,*

Gutta roſacea.

Blattariæ hiſtor. & vires.

blatta-

*Blattariam Plinij, & Verbaſcum illud Dioſcoridis, cui flores inſunt aurei, vnam & eandem plantam eſſe. Porrò Blattaria paßim fere naſcitur in campeſtribus: folijs oblongis, per ambitum ſerratis: floribus tertium Verbaſci genus maximè æmulantibus, quibus decidentibus circa caulem folliculi exoriuntur parui, lini inſtar, duriores tamen, ac læuiores, in quibus ſemen continetur. De hac herba plures, quod inuenerim, facultates nõ produntur. Sed cum ea guſtu amara deprehẽdatur, hinc certo colligere licet, quòd eadem excalfaciens ſit & ſiccãs, & aperire & abſtergere poßit. Verbaſci genera, & vires memoria tradidit Galenus libro octauo, ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcribit: Verbaſcum, quoddam folijs album eſt, quoddam verò nigrum. Et albi aliud quidem mas eſt, cuius folia anguſtiora, aliud fœmina, cuius maiora. Eſt præterea aliud Verbaſcum ſylueſtre cognominatum, quod floribus conſtat aureis, & luteis. Sed & præter has ſpecies alia eſt, quam propriè phlomida, & thryallida nominant. Priorum itaque duarum radix guſtu acerba eſt, & fluxionis affectibus prodeſt: ſed & ad dentium dolorem eam quidam colluunt. Attamen folia digerendi vim habent: ſic & aliarum folia, & maxime eius, quæ aureos flores obtinet: quæ etiam capillos rufant. Omniũ enim folia deſiccandi, & digerendi moderatè vim poßident. Quæ planta Græcè φλόμος, Verbaſcum Latine dicitur: Officinis, Taſſus barbatus, Italis, Verbaſco, & vulgò Taſſo barbaſſo: Germ. Wullkraut: Hiſpanis, Verbaſco: Gallis, Bouillon. At Verbaſcum mas ſiue ſecundum, Græcis φλόμος ἄῤῥην λευκὸς: Italis, Taſſo barbaſſo maſchio. Sic Verbaſcum tertium, Græcis, φλόμος ἄῤῥην μέλαινα: Italis, Taſſo barbaſſo minore. Verùm Verbaſcum ſylueſtre, Græcis φλόμος ἀγρία: Italis, Taſſo barbaſſo ſaluatico. Sic Primula veris, nonnullis Brache cuculi: quibuſdam Herba paralyſis: Italis, Fior di prima vera: Germanis, Schluſſel Blumen: Gallis, Primeuere, ſeu Brayes de Cocu. Iiſdem nominibus appellatur & altera. Tandem Blattaria, Dioſcoridi, Verbaſcum aurei floris: Italis, Blattaria.*

Verbaſci genera, & vires ex Gal.

Nomina.

Verbaſcum, φλόμος dictum, à φλέγω vro, quaſi φλόγος flamma, quia hac herba pro ellychniis vtuntur. Sic Verbaſcula ſeu Primulæ veris φλομίδες Dioſcoridis cenſentur, alii Dodecatheon Plinii volunt. Fabius Columna, Aliſmatis ſecundum genus apud Plinium facit: cuius vt & Verbaſci plurimæ differentiæ.

I. Verbaſcum mas latifolium luteo flore, C.B. Verbaſcum primum, Matthiol. Cæſalpin. Lugdunenſi. Verbaſcum candidum mas, Lacun. Lonice. Verbaſcum, Cordo in Dioſc. Caſtor. Verbaſcum mas, Lobel. Taber. Verbaſcum aut phlomos vulgaris mas Dioſcoridis, Thapſus barbatus officinarum, Lob. in icon. Verbaſcum latius, Dod. fol. Verbaſcum album mas ſeu Candela regia, Thalyo. II. Verbaſcum mas anguſtioribus foliis, floribus pallidis, C.B. Verbaſcum ſecundum, Matth. Lacun. Caſtor. Lugdunen. Verbaſcum mas, Matth. in Epit. Verbaſcum ſylueſtre maius, Lonicero. III. Verbaſcum nigrum flore ex luteo purpuraſcente, C.B. Verbaſcum tertium, Matth. Lac. Caſt. Lugdu. Verbaſcum nigrum, Trag. Dod. gal. & fol. Tab. Verbaſcum nigrum Dioſcoridis, Lobel. in icon. Verbaſcum nigrum ſalui folium purpureo flore, Lobel. Verbaſcum ſylueſtre, Fuchſ. Turn. Geſner. hor. Verbaſcum ſylueſtre minus, Lonic. Verbaſcum nigrum latifolium, Thalyo. IV. Verbaſcum latis ſaluiæ foliis, C.B. Verbaſcum quartum ſiue ſylueſtre, Matth. Lugd. Verbaſcum ſylu. Matthiolo in epit. Lac. Geſ. hor. Cluſ. hiſt. Hiſp. Caſt. Verbaſcum ſylu. alterum, Dod. fol. Verbaſcum ſaluifolium fruticoſum luteo flore, Lobel. Verbaſcum ſylueſtre foliis Saluiæ, Cam. Verbaſcum quartum Matthioli, Lob. in icon. Verbaſcum ſeptimum, Cæſalpino. V. Verbaſcum Lychnites flore albo paruo, C.B. Verbaſcum Lychnite, Matth. Lacu. Tab. Verbaſcum primum, Brunſ. Verbaſcum candidum fœmina, Fuch. Geſ. hor. Verbaſcum album fœmina albo flore, Dodon. gal. Lugd. Verbaſcum fœmina, Lob. Lugd. Verbaſci tertii altera ſpecies, Caſt. Verbaſcum quartum, Cæſalp. Phlomos mas alter, Lob. in icon. Phlomis Lychnitis, Lugdunenſi. VI. Verbaſcum folio papaueris corniculati, C.B. Verbaſcum aliud, Matth. Verbaſcum ſylu. tertium, Dod. fol. Verbaſcum laciniatum, Lugdun. Verbaſcum intubaceum, Tab. Verbaſcum foliis papaueris cornuti, Camerario. VII. Verbaſculum pratenſe odoratum, C.B. Primula veris, Matth. Loni. Tab. Primula veris prior, Lugdun. Primula pratenſis. Lob. Primula veris hortenſis, Thal. Herba Paralyſis, Brunſ. Trag. Caſt. Cluſ. hiſt. Panno. Herba Paralyſis altera, Cæſalpin. Verbaſcum odoratum, Fuchſ. Dod. gal. Verbaſculum quorundam, Geſn. hort. Arthritica eidem. Arthritica ſimplici luteo flore, Camerar. Alyſma pratorum, Columnæ. IIX. Verbaſculum hortenſe multiplex, C.B. Arthriticæ genus daſypodium ſeu Denſifolium, Geſn. hort. Arthritica pleno flore, Cam. Primula hortenſis Anglica, Lob. Lugdun. Primulæ veris flos multiplex, Dodon. fol. Primula veris multiflora, Tabernæmontano. IX. Verbaſculum pratenſe inodorum, C.B. Primula veris altera, Matth. Lugd. Primula veris ſylueſtris, Thal. Primula ſylu. tertia, Tabern. Herba Paralyſis alba, Brunſ. Herba Paralyſis ſylu. Trago: Verbaſculum non odoratum Fuchſio: Verbaſculum album, Dod. gal. Arthritica ſimplici pallido flore, Camerario. X. Blattaria lutea (eſt enim & alba, viridis purpurea, & maximo flore.) folio laciniato, C.B. Blattaria Matth. Trag. Fuch. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lon. Lob. Caſt. Lugd. Blattaria flore citrino, Geſ. hor. Blattaria lutea, Cam. Verbaſcum Leptophyllum, Cordo in hiſtor. Verbaſcum nonum, Cæſalpino.

## Αἰθιοπὶς. ÆTHIOPIS. CAP. C.

AEthiopis folia habet verbaſco ſimilia a, perquàm hirſuta, denſaque, in orbem circa radicem imam redacta: caulem quadrangulum, † ſcabrum, ſimilem apiaſtro, aut arctio, multis concauum alis: ſemen erui magnitudine, geminum, in vno conceptaculo: radices ab eodem ceſpite numeroſas, longas, b plenas, glutinoſas guſtu: quæ ſiccæ nigreſcunt, duranturque, vt cornua poſſint videri. Plurima naſcitur in Ida c monte Troadis, & in Meſſenia. Auxiliatur [purulentis excreationibus,] iſchiadicis, pleuriticis, arteriæ ſcabritiis, decocta radix, & pota: quin & cum melle, eclegmatis vicem præbet.

a Meum. δασέα κ λεῖα. i. hirſuta, denſa.

b Meum, & Cat. παχείας i. craſſas.

c Meum & Cat. nõ legit monte Troadis.

Me. pro concluſis αἵματος πτύσει. i. ſanguinis ſputo, vt Cat. legit αἷμα ἀποπτύουσι. i. ſanguinem excreantibus.

*TAmetſi iampridem exiſtimauerim, Aethiopidem herbam in Aethiopia, & Ida Troadis tantùm naſci, quòd eam inibi plurimam gigni teſtentur Dioſcorides, & Plinius: hoc tamen anno legitima, ni fallor, Aethiopis ad me allata eſt Patauio ab erudito iuuene medico Ioanne Odorico Melchiorio Tridentino, quam, nulla prorſus reclamante nota, Aethiopidem referre deprehendi, vt eius pictura, quam hic damus, pulchrè demonſtrat. Aethiopidis non reperio meminiſſe Galenum in ſimplicium medicamentorum cenſu: quanquam eam memoriæ prodidit Paulus lib. 7. vbi non plures de hac herba vires tradit, quàm quæ Dioſcoridi acceptæ referri poſſunt, cùm ita ſcribat: Aethiopis ſimilia verbaſco habet folia. Radicis decoctum potum auxiliatur iſchiadicis, pleuriticis, & ſanguinem reijcientibus: arteriæ etiam aſperitates cum melle lenit.*

Aethiopidis conſideratio.

Aethiopidis vires ex Paul.

Tjj Vt Græcis

Nomina.

## ÆTHIOPIS.



*Vt Græcis hæc planta αἰθιοπίς, ita etiam Latinis Aethiopis nominatur: Italis, Etiope & Etiopide.*

*†Hoc loco in vulgatis Græcis codicibus legitur παχύν, hoc eſt, craſſum. Quam vocem interpres Plinium fortè, vt ſoles, ſecutus omiſit. Sed cur nos eam non adiecerimus, fecit Orib. quem in hoc Plinio adſtipulari inuenimus.*

Æthiopidem foliis ſinuoſis, & in profundas lacinias diuiſis (cuius figura in vniuerſali hiſtoria) obſeruauimus. Dicitur Æthiopis, Matth. Geſ. hor. Dod. gal. & fol. Lac. Lon. Lob. Caſt. Lugd. Tab. Cæſalp. Æthiopis phlomitis, Lob. in iconibus.

## Ἄρκτιον. ARCTION. CAP. CI.

ARction, aliqui potius Arcturon vocant, ſimilis eſt verbaſco foliis, niſi quòd hirſutiora, & rotũdiora ſunt: caule longo, molli: ſemine cumini, paruo: radice tenera, alba, dulcique. Decocta cum ſemine radix in vino, dentium dolorem mulcet, ſi contineatur ore decoctum: ambuſta, pernioneſq; fouentur eodem: bibitur aduerſus coxendicum dolores, & ſtranguriam è vino.

Arctii cõſid. Ruelli error.

*CRedidit Ruellius, Arction eam eſſe plantã, quæ & ſecus vias, & in ſcrobiũ marginibus naſcitur, quamq; officinarum vulgus Lappã minorem appellat. Sed Ruellius in hoc haud dubiè, meo quidem iudicio, fallitur, neque audiendus eſt. Siquidem, vt diligenter notas expendentibus perſpicuum fiet, Lappa minor aliud profectò non eſt, quam Xanthium inferius à Dioſcoride repræſentatum. Etenim Lappa minor folio verbaſci, eoq; hirſutiore non viſitur: neque caulem profert longum, & mollem: qui nec ſemen cumino ſimile, neque radicem teneram, ac dulcem. Ex quibus ſanè notis repugnantibus Ruellij opinio euidentiſſimè refellitur. Nullam equidem hactenus herbam reperi, ac vidi, quæ Arctium legitimè referat. Huius meminit Galenus libro 6. ſimplic. medic. vbi de eo ita ſcriptum reliquit: Arction illud, quod verbaſco eſt ſimile, radice tenera, candida, dulci: caule oblongo, & molli: ſemine cymino ſimili, facultatis eſt admodum tenuium partium, & ob id exiccantis, extergentiſq;, tamen modicè. Quamobrem radix, ac ſemen eius cocta cum vino, quadantenus dolores dentium mitigant. Porrò ambuſta, & chimethla, non horum modò decoctum perfuſum, ſed & caules teneriores ſanare poſſunt. Quod ἄρκτιον Græci, Arctium quoque Latini dicunt: Itali, Arctio.*

Arctii vires ex Gal.

## I. PERSONATA, SIVE Lappa maior.

Nomina.



a Meũ. & Cat. δασεῖα. i. hirſuta.

## Ἄρκειον. PERSONATA. CAP. CII.

PErſonata folia habet cucurbitæ, maiora tamen, a hirſutiora, nigriora, & craſſiora: caulem albicantem, quanquam & interdum vidua caule reperiatur: radice intus candida, foris nigra. Hęs drachmę vnius pondere pota cum pineis nucibus, purulenta, & cruenta extuſſientibus auxiliatur: trita dolores à cõtorſionibus artuũm contractos, illitu ſedat. Folia vtiliter antiquis vlceribus illinuntur.

Perſonatæ conſideratio.

*TAmetſi de vna tantùm Perſonata meminerit Dioſcorides, nos tamen duo in Bohemia obſeruauimus genera, Echinatorum tantùm capitum facie differentia. Siquidem in altero maiora, duriora, & rigidioribus aſperioribuſq; aculeis ſpectantur: in altero verò minora, molliora, & mitioribus aculeis, alba quadam lanugine circumquaque obductis extant. Maior folia habet cucurbita maiora, nigriora, hirſutiora, craſſioraque: caulem craſſum anguloſum, albicantem, ſeſquicubitalem, atque ramoſum: fructu copioſo, echinato, non magno, aculeis repandis, veſtibus pertinaciter ſeſe innectentibus ac inhærentibus. Floribus purpureis, ſemine cnici minore. Radice longa, vegeta, intus candida, foris nigra. Naſcitur paſſim in agrorum marginibus, ſecus itinera*

& ſecù

*& ferè vbique.* ALTERA *folijs exit minoribus paulò, caule ramoſo: capitulis pariter echinatis, ſed minoribus, alba lanugine obductis: mitioribus aculeis: flore capillaceo, purpuraſcente: ſemine alteri ſimile. Naſcitur vbi & prior: & eadem cum illa præſtat. Hanc eam ſane eſſe crediderim quam Plinius libro 25. cap. 9. non Perſonatam, ſed Perſolatam vocat his verbis: Perſolatam, quam nemo ignorat, Græci verò Arcion vocant, folia habet maiora etiam cucurbitis, & hirſutiora, nigrioraque, & craſſiora: radicem albam, & grandem. Hæc Plinius. Ex cuius notis facile cognoſci poteſt, Plinium hic ſecundum Perſonatæ genus deſcripſiſſe. Nam de altera Perſonata ſcripſerat quoque eodem capite & libro, ſic inquiens: Perſonatam quidam Arcion vocant, cuius folio nullum eſt latius, grandes lappas ferentem. Ex quibus Plinij verbis planum fit, illi perſonatam deſignare, quæ maioribus cum folijs, tum lappis, ſiue Echinis habetur. Perſolatam vero quæ minoribus eſt lappis ſiue echinatis capitulis. Quo fit, vt maxime redarguendum putem Leonicenum, vtpote qui Plinium in hoc perperam damnauerit, aſſerens non niſi vnum Perſonatæ genus reperiri.* Plinii tutela. *Cæterum Braſauolus in ſuo ſimplicium examine, Lappam credidit eſſe Dioſcoridis Aparinen, in hoc euidentius hallucinatus, quàm vt eius error explodi debeat, vt etiam ij diiudicare poterunt, qui in re herbaria etiam mediocriter verſati fuerint.* Braſauoli hallucinatio. *Cæterùm cum Perſolata in mentem mihi redegerit plantam, quam quidam Perfoliatam vocant, prætermittere quidem non potui, quin de ea hic mentionem facerem. Eſt itaque* PERFOLIATA *planta, quæ folia profert pinguia, ſubrotunda, ſed in acutũ deſinentia, piſi fere modo, venis pluribus craſſiuſ-* Perfoliatæ mentio & vires.

II. PERSON. SIVE LAPPA MAI. ALT.



III. PERFOLIATA.



*culis ſecundum lõgitudinem protenſis. Hæc priuſquam caulem edat, humi procumbit. Caulis ſubinde erumpit gracilis, glaber, rotundus, atque etiam ramoſus. Folia quæ in caule ſunt, & in ramis, ab ijs magno naturæ artificio vmbilicotenus perforata ſunt. Quo fit vt ego Perforatam potius, quàm perfoliatam appellandam hanc plantam eſſe cenſeam. Flores gerit aureos, è capitulis quibuſdam procedentes, & in ſtellæ modum radiantes, folioſos, odore non ingrato: ſemen nigrum, pellucidum, pſyllij ſemine maius. Radice nititur vnica, ſed fibroſa. Naſcitur in vineis, aruis, inter ſegetes, in pratis, & agrorum limitibus. Floret æſtate. Guſtu eſt ſubamaro, & adſtringenti. Datur herba ipſa in vino decocta, aut in puluerem trita ad internas affectiones & ad rupta. Ideoq; bibitur vtiliter ad vmbilici eminentiam, & ad Enterocelas. Strumas etiam reſoluit, & curat, ſi emplaſtri modo imponatur. Illinitur quoque vtiliter ad omnes inflammationes. De Perſonata ſub alterius Arctij nomine diſſeruit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Alterum verò Arctium, quod Proſopida vocant, cuiuſq; folia cucurbitæ ſimillima ſunt, niſi quatenus tum maiora, tum duriora, diſcutit ſimul & deſiccat, ſed & adſtringit mediocriter. Quamobrem folia eius veteribus vlceribus mederi poſſunt. Semẽ potum calculoſis auxiliatur: idem facit radicis decoctum infuſum.* Perſonatæ vires ex Gal. *Quæ planta Græcis ἄρκτειον, Latinis Perſonata vocatur: officinis, Bardana: Italis, Lappola maggiore: Germanis,* Groß Kletten: *Hiſpanis, Bardana, & Pagamacera major: Gallis, Gloteron, & Bardana. At Perſonata altera: Plinio, Perſolata: Italis, Lappola. Sic Perfoliata: Italis, Perfogliata: Germanis,* Durchwachs. Nomina.

Arction ab Arcio Dioſcorides diſtinguit, illud Lappa maior eſt montana, hoc Lappa maior vulgata. I. Lappa maior vulgata, Arcion Dioſcoridis, C.B. Perſonata ſeu Lappa maior, Matth. Lugd. Lob. Perſonata, Lac. (cui & Bardana maior) Lon. Caſt. Perſonatia Fuch. Lappa maior, Brunf. Trag. Turn. Cæſal. Arcium, Dod. gal. Cord. in Dioſcor. Arctium, Thalyo. II. Lappa maior montana, Arction Dioſcoridis, quæ eadem cum ea quam Lappam maiorem lanuginoſis capitulis in Phytopinace nominauimus, C.B. Perſonata ſiue Lappa maior altera, Matth. Lugd. Arction montanum & Lappa minor Galeni, Lob. Arctium, Cæſalp. Bardana ſiue Lappa maior, Dod. hiſt. latina in folio. III. Perfoliatæ, quam aliqui Cotyledonem Dioſc. ſuſpicantur, ſeptem ſpecies in Phytopinace fecimus: hæc quæ vulgaris eſt, dicitur Per-

foliata, Matth. Brunſ. Cord. in hiſt. Geſ. hort. Dod. fol. Lon. Caſt. Lugd. Tab. Perfoliatum Fuch. Dodo. gal. Perfoliata maior, Trag. Cam. Perfoliata vera, Thal. Perfoliatum vulgatius flore luteo, folio vmbilicato, Lob. Cacalia, Lac. Seſeli Æthiopicum Dioſcoridis, Cæſalpino.

## Πετασίτες. PETASITES. CAP. CIII.

a Meũ. ἐφ᾽ οὗ φύλλον πετασῶδες μέγας προσκείμενον ὥσπερ μύκης. i. in quo folium inſtar galeri magnum, incumbens veluti fungus.

PEtaſites pediculus eſt cubito maior, craſſitudine pollicis [a] à quo prægrande folium, galeri modo amplum, ceu fungus dependet. Cõtra phagedænas, & vlcera quę cacoethe vocantur, efficaciter illinitur.

Petaſitis conſideratio.

Ruellii, & Fuchſii opinio.

*QVanquam ſcribit Ruellius, naſci Petaſiten in Gallia, non tamen video, quomodo quis rectè eius ſententiæ ſubſcribere poſſit ac debeat. Quandoquidem maiorem Tuſſilaginem, de qua libro tertio diſſeruimus, pro Petaſite ſumpſiſſe videtur, quam etiam ipſum fortè ſecutus Fuchſius pro eadem depinxit. Sed quoniam Petaſites pediculum fundit cubito proceriorem, à quo amplum folium, galeri figura, tanquam fungus dependet: cui folium huius Tuſſilaginis minimè reſpondere deprehenditur, hinc fit, vt horum alioqui doctiſſimorum virorum ſententiam improbandam exiſtimem, vt libro tertio noſtrarum Epiſtolarum ad Hieronymum Heroldum Norimbergenſem Medicum ſcribentes, fuſius declarauimus. Nobis hactenus veram Petaſiten non licuit inuenire. Atque adeò mea ſententia eſt, quòd hæc non naſcatur in Italia, argumento, quòd tam grande folium tamdiu nunquam latere potuiſſet. Petaſitis vires paucis reddidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Petaſites ex tertio eſt ordine deſiccantium. Quamobrem ad maligna, quæ cacoethe vocantur, & phagedænica vlcera, ea vtuntur. Non ſecus Latinis Petaſites, ac Græcis πετασίτης, nominatur.*

Petaſitis vires ex Gal.

Nomina.

## Ἐπιπακτίς. EPIPACTIS. CAP. CIIII.

a Meũ. ταμνίσκος μικρός. i. frutex paruus.

EPipactis ab aliis elleborine, a parua herba, exiguis foliis. Iocineris vitiis vtilis, & contra venena pota.

I. EPIPACTIS.



*II. ELLEBORINE.*



Epipactidis conſideratio.

*EPipactida adeò paucis perſtrinxerunt Dioſcorides, ac cæteri, qui ante & poſt ipſum de plantarum hiſtoria ſcripſerũt, vt difficilè admodum ſit decernere, quænam planta ſit hæc in Italia, vbi fortaſſe ea non prouenit. Nam, vt Plinius lib. 13. ca. 20. commemorat, Epipactis in Aſia, & Græcia naſcitur. Verùm enimuero ſi Epipactis Elleborine ex eo dicta eſt, quòd cum Elleboro nigro ſimilitudinem habeat, ea quidem nobis Epipactis erit, quæ naſcitur in Goritienſi agro, quamq́ Epipactida appellare libuit, non quod ipſam Dioſcoridis Elleborinem eſſe cenſeamus, ſed quod Elleborum nigrum quadantenus repræſentet folijs, floribus, atque etiam radicibus. Epipactidis inter ſimplicia, quod inuenerim, non meminit Galenus. Sed Paulus idem, quod Dioſcorides, de eius viribus tradidit. Hæc ἐπιπακτὶς Græcè dicitur: Latinè item Epipactis, & Elleborine.*

Nomina.

I. Helleborine Saniculæ facie, C.B. Epipactis Matt. Lac. Elleb. Matt. in Epito. Lugd. Tab. Alpina Elleborine Saniculæ, & Ellebori nigri facie, Lob. Hæc nobis nondũ cõſpecta. D. Cam. eius loco Elleb. vulgò dictã ſubſtituit: ex cuius radice fibroſa & albicante, caulis penè cubitalis exurgit, quẽ complectũtur folia Ellebori

Ellebori albi ſimilia, lata, acuminata, venis ſtriata: caulis ſummo flores ordine digeſti foliacei, Orchidum formæ, oblõgo calcari donati, albicantes, medio prominente ſubluteo: ex quorum ternis foliolis oriuntur oblongæ & ſtriatæ ſiliquę, ſemine minutiſſimo inſtar ſcobis refertæ. Prouenit locis vmbroſis, montoſis & paludoſis. Plures differentias & ratione foliorum, & ratione tam formę quàm coloris florum, notauimus. Dicitur Helleborine & Epipactis. Dod. gal. & fol. Lob. Helleborine prima, Tab. Elleborine recentiorum prima. Cluſ. hiſt. Pann. Elleborine. Lugd. Cam. in ſuo Matth. Satyrium octauum, Trag. Damaſonium tenuifolium, Cordo in hiſto. Sigillum S. Mariæ primum, Cæſalpino.

## Καπνός. FVMARIA. CAP. CV.

FVmaria fruticoſa a herbula eſt, prætenera, coriandro ſimilis, folijs candidioribus, vndique numeroſis, cineracei coloris: flore purpureo. Huius ſuccus acris eſt: claritatem facit oculis, delacrymationemque, vnde nomen traxit. Illitus cum gummi, euulſas palpebras renaſci prohibet. Commanducata herba b bilioſam vrinam trahit.

a Meum. βο-τάνη. i. herba. b Meũ addit. ὁ ἐν τῷ κριθαῖς φυόμενος. i. in hordeo naſcens.

I. FVMARIA.



II. FVMARIA ALTERA.



FVmaria, herba vulgaris admodum notitiæ, quæ in hortis, vineis & campis naſcitur, officinis paſſim vocatur **Fumus terræ**. Fumariæ verò nomen ſibi aſciuit, quod eius ſucco oculis immiſſo, quibus mirificè claritatem conciliat, lacrymas, quemadmodum & fumus, cieat. Debet hæc Mauritanis longè magis, quam Græcis, quòd illi eam pluribus cõmendauerint viribus, nec eis quidem contemnendis, vt Serapionem, Auicennam, & Meſuem legentibus facile patebit. Fumariæ Plinio duo traduntur genera lib. 25. cap. 13. vbi ita ſcriptum reliquit: Capnos prima, quã pedes gallinaceos vocant, naſcens in parietinis, & ſepibus, ramis tenuiſſimis, ſparſiſq;, flore purpureo, viridis, ſucco caliginem diſcutit: itaque in medicamenta oculorum additur. Similis & nomine, & effectu alia eſt Capnos fruticoſa, prætenera, folijs coriandri, cineracei coloris, flore purpureo. Naſcitur in hortis, & ſegetibus hordeaceis. Claritatem facit inũcta oculis, delacrymationemq́;, ceu fumus, vnde nomen accepit: eadem euulſas palpebras renaſci prohibet: hæc Plinius. Cæterùm quænam altera ſit Capnos, quæ etiam ab Aetio deſcribitur, ſuperius lib. 3. de Ariſtolochia, & Piſtolochia differentes latius explicauimus. Eò igitur illos remittamus, qui plura de altero Fumariæ genere ſcire deſiderant. Hic ſatis nobis ſit eius tantùm imaginem exhibere, Fumariæ alterius nomine inſcriptam, atque eius notas, quas loco citato retulimus, omittamus, ne idem fruſtra repetere videamur. Porrò in nothis, & Dioſcoridi adſcriptis ſimpl. nomenclaturis, reperio Capnon quibuſdam Corydalion appellari. Vnde factum eſt, vt crediderim de Capno intellexiſſe Gal. lib. 11. ſimp. med. vbi de Galerita ſcribẽs, quæ Græcis corydos dicitur, Corydalios herbæ meminit, ſic inquiens: Adieci hæc ſermoni, quòd vellem clare hoc animal, nempe galeritam, manifeſtare, quos ferat in capite pilos crectos: quandoquidem expertus ſum eius aduerſus colicos vtilitatem, velimq́; qui ipſum nõ norunt, ijs bene mõſtratum. Nam & ipſa CORYDALIS appellata herba colicis conuenit. Et hoc quoq; tibi obiter ſit notatum: hactenus Gal. Verum an de vulgari capno intellexerit is, an de aliqua altera eius ſpecie, ego quidem haud decernere auſim. Nam de Capno ſcribens lib. 7. de ſimpl. med. fac. nullam prorſus aduerſus colicos affectus illi facultatem tribuit. Quo fit, vt non parua mihi oriatur ſuſpicio aliam capni ſpeciem Gal. CORIDALIM deſignare. Quare nõ mihi diſplicet quorundam opinio, qui plantam, quam hic ſub Corydalis nomenclatione appingi curauimus, quamq́; Split nonnulli vocant, quòd maiori Capno hanc congenerem eſſe videam: quodq́; eandem colicos iuuare ſciam, legitimam Galeni Corydalim faciunt. His accedit floſculorum facies, quæ Corydali auiculæ ferè ſimilis eſt. Creſcit hæc planta folijs coriandri æmulis, ſed minoribus tenuioribuſq́;, caulibus exilibus, ramoſis, folioſiſq́;: floribus in ſummitate auicularum ſpeciem referentibus: radicibus numeroſis, te-

Fumariæ cõſideratio.

Fumariæ genera ex Plin.

Corydalis deſcrip. Split.

III. FVMARIA CORYDALIS.



*Fumariæ vires ex Meſue.*

nuibus, prælongis, ac ſubalbicātibus. Prouenit in collibus [illegible] tis & agris. Præſtat vniuerſa planta ad colicos dolores, ſiue [illegible] cens deuoretur, ſiue ſicca in puluere ſumatur ex vino [illegible] bus diebus. Sed iam ad Fumariæ vires redeamus, quas primū ex Meſue ſic ad ſenſum referam. Fumaria inter mitiora, innocentioraq́ue recenſetur medicamenta, quibus deiectoria vis ineſt: verùm nimia huius herbæ copia facit, vt eius quoque auctoritas & pretium plurimùm diminuatur. Hæc non modò aluum ſoluit, ſed & viſcera roborat, contrahitq́ue diſſectis eorum villos. Omni prorſus noxa caret: quo fit, vt [illegible] bus nullum inferat incommodum. Roboratur deiectoria eius facultas, quòd non admodum ſit valentior, additu myrobalanis, ſena, caprino ſero, infectorio cocco, aut vuis paſsis. Præſtat quæ virentior, foliis extenſis, non ſanè criſpis, & quæ [illegible] laceo ſit flore. Colligi debet verno tempore, & ex eo ſuccus exprimi. Sunt qui hanc in vniuerſum temperamento frigidam dixerint. Sed aberrarunt, quoniam in ipſa foliorum ſuperficie reperitur & caliditas, quæ tamen eius frigiditatem non ſuperat. Siccat præterea ordine ſecundo, ſed ſemen calidum eſt. Deprehenditur ſanè eius caliditas ex amaritudine, & acredinis parte quadam modica, quæ guſtu percipiūtur. Quapropter attenuat, penetrat, obſtructiones aperit, ac deiectoria eſt facultatis. Sicuti frigiditatis, & acerbæ qualitatis adminiculo cohibet, aggregat, & roborat. Aluum facilè deiicit, bilem trahit, & aduſtos humores. Eius vis non modò ad hepar, [illegible] & ad venas diffunditur. Quamobrem ſanguinem expurgat, omnibusq́ue incommodis medetur à bile, aut exuſtis humoribus prouenientibus. Proinde elephantiaſi medetur, aduerſus carcinomata efficax eſt, lichenas, & alia cutis vitia [illegible] emendat: quin & omnibus morbis auxiliatur, qui ex [illegible] rum infarctu originem ducūt. Roborat Fumaria ventriculum, iecur, & cætera interna viſcera, bilioſasq́ue finit febres, quemadmodum & eas, quæ ex vaſorum obſtructione excitantur.

*Fumariæ vires ex Gal.*

Fumariæ meminit Galenus lib. 7. ſimpl. medic. vbi de eius viribus differit his verbis: Capnos, hoc eſt Fumaria, acris ſimul, & amaræ qualitatis eſt particeps, nec tamen planè expers eſt acerbæ. Quamobrem vrinam bilioſam multam prouocat, ſanatq́ue iecinoris obſtructiones, & debilitates. Succus eius oculorum aciem acuit, non paulum trahens lachrymarum, velut ipſe fumus: nam hinc ei appellatio indita. Plebeius quidam ea vti ſolebat ad ſtomachum roborandum, vnaq́ue ventrem lubricandum. Siquidem herbam primùm deſiccatam condebat: porrò cum vti volebat, ſubductionis quidem gratia, melicrato inſpergebat: at roborare volens ſtomachum, vino nimirum diluto. Fumariæ alterius radix amara eſt, & ea omnia poteſt vna cum herba, quæ altera Fumaria. Radix ex vino pota venenis, & peſtilentiæ medetur: ſudorem & vrinam ciet, & ictericos iuuat: ſemen bibitur ad diuturna alui profluuia. Radicis farina, manantia quælibet vlcera exiccat & mundat.

*Nomina.*

Herba, quæ Græcis καπνὸς, Latinis quoque Capnos & Fumaria nominatur: Arabibus, Scehiterig, ſiue Sabeteregi: Officinis medicorum, Fumus terræ: Italis, Fumaria, & Fumoterra: Germanis, Erdtrauch: Hiſpanis, Palomilha: Gallis, Fumeterre. At Fumaria altera, Græcis, καπνὸς ἑτέρα: Italis, Fumoſterno maggiore: Germanis, Holwurtz. Sic Corydalis, Græcis, κορύδαλις: quibuſdam Split: Italis, Coridala.

Fumaria non bulboſa & bulboſa proponitur. I. Fumaria officinarum & Dioſc. C.B. Fumaria Matt. Trag. Fuch. Lac. Cordo in Dioſc. Geſ. hor. Lon. Dod. fol. Lug. Cæſ. Tab. Fumaria maior, Caſt. Fumus terræ, Brunf. Cam. Thal. Capnos, Turn. Dod. gal. Anguil. Lob. II. Fumaria bulboſa maior radice caua, C.B. Fumaria altera, Matth. Caſt. Fumaria bulboſa, Lug. Tab. Capnos phragmitis, Turn. Capnos Chelidonia, Lon. Chelidonia phragmitis altera, Cor. in hiſt. Chelidonia Capnitis quorundam, Thal. Ariſtol. rotūda Brunf. Ariſtol. rotunda vulgaris, Trag. (cui & Hyacynthus tertius) Fuch. in ico. Geſ. hor. Cam. Piſtolochia Fuch. Radix caua maior, Dod. gal. & fol. Caſt. Radix caua herbariorum, Lob. Cluſ. hiſt. Pan. Leontopetalo alterum, Cæſ. Hæc duplex eſt, altera radice caua, altera ſolida, nunquam eodem loco reperias: notanda etiam differentia manifeſta in foliis: folia etenim, quæ flores intercedunt, in ea quæ radice caua eſt, integra ſunt, at in altera quæ radice ſolida verticillata, diuiſa ſunt: nil dicimus de diuerſitate colorū in floribus radicis cauæ, hæc fuſiſſimè in vniuerſali hiſt. pertractaturi. III. Fumaria lutea (rarius enim alba) C.B. Fumaria corydalis, Matth. Fumaria mōtana, Geſ. hor. Tab. Fumaria phragmitis altera, Geſ. hor. Fum. lutea mōtana, Lob. (cui & Chelidonium capnites Aetij) Lugd. Corydalis, Caſt. Cam. Split vulgo, Cam. Cæſalpino.

## Λωτὸς ἥμερος. LOTVS VRBANA. CAP. CVI.

LOtum vrbanam alij trifolium vocant: naſcitur in hortis. Extractus ſuccus addito melle, oculorum argema, nubeculas, [a] cæteraſq; caligines diſcutit.

*a Meum. καὶ λευκώματα. i. & albugines.*

## Λωτὸς ἄγριος. LOTVS SYLVESTRIS. CAP. CVII.

SYlueſtris Lotus, quam trifolium minus appellant, plurimum in Lybia gignitur, caule bicubitali, & ſæpe maiore, alis multis: foliis trifolij pratenſis: ſemine fœni græci, multò minora, guſtu medicato. Vim calfaciendi, & leniter adſtringendi obtinet: vitia cutis in facie, maculaſq; cum melle peruncta expurgat. Trita per ſeſe, aut cum maluæ ſemine, in vino aut paſſo, bibitur aptiſſimè contra dolores, qui veſicam malè habent.

Naſc

I. LOTVS VRBANA.



II. LOTVS SYLVESTRIS.



Loti vtriuſq; conſid. Geſneri, & aliorum opin. reprobata.

NVlla certè hactenus nobis ſeſe obtulit herba, cui meritò ſubſcribi poſſit, hæc eſt vera ac legitima Lotus ſatiua. Cæterùm non deſunt è recentioribus, quorum opinionem tuetur Geſnerus vir doctiſsimus, in ſuo libro animalibus dicato, qui putant, Lotum ſatiuam eſſe Trifolium illud, quod in pratis paßim atque alibi etiam prouenit: eo fortaſſe argumento adducti, quòd Dioſcorides ſcripſerit, Lotum tam vrbanam, quàm ſylueſtrem ab aliquibus trifolium appellari. Sed quod errent ij, qui ita ſentiunt, ex eo manifeſtè cognoſcitur, quod à Dioſcoride Loto ſylueſtri folia trifolij pratenſis tribuantur. Nam ſi Dioſcoridi Lotus ſatiua fuiſſet trifolium pratenſe, is nimirum ſcriptis tradidiſſet, eam in pratis naſci, non in hortis: atque ſatis illi fuiſſet Lotum ſylueſtrẽ ſatiuæ ſimilẽ reddere, omiſſa trifolij pratenſis mentione. Hinc ergo colligendum arbitror, Lotũ eſſe plantam aliam à Trifolio: eosque in errore verſari, qui ſecus opinantur. Sunt porro alij, qui exiſtimant, eam plantam eſſe Lotum vrbanam, quam vulgares herbarij, & officinæ Melilotũ falsò appellãt, vtpote quæ folij conſtet trifolij effigie, naſcaturque non in pratis tantum, ſed etiam in viridarijs ac hortis. Verum horum ſententiam cur plane probem, aut refellam, nihil equidem habeo, cùm ij ſua potius opinione duci, quàm rationibus aut auctoritatibus niti videantur. Ego vero Vrbanam lotum eam trifolij odoratam plantam eſſe cenſeo, quam antea Cytiſum faciebamus, quaque Romæ vulgò Tribolo dicitur, & alibi in Italia Trifoglio cauallino, quod eius pabulo maximè delectentur equi. Siquidem hæc omnino Trifolij genus eſt, odore ſanè eximio ac ſuaui. Quo fit, vt vnguentarij, & qui odoratis aquis conficiendis dant operam, ex hac quoque planta ſtillatitiam conficiant aquam. Atqui non ſolùm adducor ad credendum, hanc herbam eſſe Lotum vrbanam, quòd folia gerat trifolij adeo ſimilia, vt Trifolium quoque dicatur, ſed quod ſciam, eius ſucco oculorum nubeculas deleri. Lotus vrbana caules edit bicubitales, ac etiam maiores, rectos, firmos, ramoſos, & in his folia trifolij pratẽſis æmula, leuiter per ambitum denticulata, beneq; olentia: flores edit racemoſos, tenues paruosq;, luteo colore, aut albo, odoratosq;. Naſcitur in hortis, pratis, agris & vbique fere locorum. Germani huiuſce flores colligunt, & pro meliloto paßim vtuntur, quemadmodũ & Bohemi conſultius fortaſſe, quam Itali. SYLVESTRIS verò Lotus, quam copioſam in Lybia gigni tradidit Dioſcorides, an naſcatur in Italia, non auſim affirmare, quòd non meminerim ibi eam me vſquam vidiſſe. Verùm in Bohemia copioſa admodum prouenit, folijs Trifolij pratenſis: caule cubitali & ſæpè maiori, ramoſo, alis multis: floribus in capitulis cæruleis: ſemine fœnogræci: ſed paruo, & odorato. Loti vtriuſque vires reddidit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Lotus domeſtica, quam quidam triphyllon, hoc eſt, trifolium nominant, vt mediocriter concoquendi vim poßidet, ſic etiam exiccandi: in caliditatis, frigiditatisq; coniugatione media quodammodo eſt, & temperata. Lotus autem agreſtis plurima in Lybia prouenit. Semen eius ſecundi eſt ordinis excalfacientium, habetq; nonnihil abſterſorium. Λωτὸς quæ Græcè ἥμερος, Latinè Lotus vrbana cognominatur: Italicè, Loto domeſtico, Tribolo, ſeu Trifoglio cauallino. Quæ verò λωτὸς ἄγριος Græcis, Lotus ſylueſtris Latinis vocatur: Italis, Loto ſaluatico. Arabes vtrunque cum Aegyptio etiam indifferenter vocant Handachocha, Garch, & Thuſ.

Melilotus Germanorũ. Lotus ſyl.

Loti vtriuſq; vires ex Gal.

I. Trifolium odoratum ſeu Melilotus officinarum, C.B. Lotus vrbana. Matth. Lotus ſatiua Caſtor. Camer. Lotus ſatiua altera, Lugd. Lotus ſylueſtris. Fuchſ. in icon. Cæſalpino Taber. Loti ſiue Trifolij ſpecies, Cordo in Dioſcorid. Melilotum, Lacu. cui & Saxifraga altera. Melilotum maius, Brunf. Melilotus maior vulgaris, Trag. Melilotus vera, Geſ. hort. Taber. Melilotus Germanica, Dod gal. Lob. Camer. Melilotus vulgaris, Lugd. Melilotus alba & lutea, Loni. Trifolium odoratum, Dod. fol. Thal. Saxifraga lutea, Fuch. II. Trifolium odoratum alterum, vel Lotus hortenſis, C. B. Lotus ſylueſtris, Matthiolo Caſtori.

Lotus ſatiua, Fuchſ. in icon. Cord. in Dioſc. & hiſto. (cui & Andacocha Arabum) Dod. gal. Geſ. hort. Cæ. Lotus vrbana, Turn. Lacu. Lotus ſylueſtris altera, Lugd. Lotus hortorum odora, Lobel. Trifolium Dioſc. Trago: Trifolium odoratum, Fuchſio, Turn. Lonic. Trifolium odoratum alterum, Dod. fol. Lugd. Trifolium Caballinum Geſnero de hortis Germaniæ.

## Κύτισος. CYTISVS. CAP. CVIII.



CYtiſus frutex eſt albus in totum, vt rhamnus, ramos ſpargens cubitales, & maiores: in quibus folia fœni græci, aut loti trifoliæ, minora, dorſo medio prominente. Ea digitis trita erucam olent, guſtataq; cicer recens ſapiunt. Folia refrigerant: tumores inter initia diſcutiunt, ſi cum pane trita illinantur: decoctum potu vrinam ciet. Nonnulli, quòd apes alliciat, prope aluearia ſerunt.

Cytiſi conſideratio.

*CRedidimus iamdudum Cytiſum, ſi tamen is in Italia proueniret, non aliam eſſe plantam, quam eam Trifolij odorati ſpeciem, quæ Romanis vulgò appellatur Tribolo, a-lijs verò Trifoglio cauallino, hoc eſt, Trifolium equinum, eo quòd equis gratiſſimum ſit pabulum, cùm nulla ſane mihi occurreret planta, quæ magis notis omnibus Cytiſum præ ſe ferre videretur. In hanc opinionem me primum deduxerat Plinius, quòd ſcripſerit, iumenta deguſtato Cytiſo hordeum ſpernere. Nam cùm certò ſcirem, equos adeò huius Trifolij genere auidos eſſe, vt eo magis delectentur, quàm hordeo, auena, & reliquis frugibus, idcirco videbar non temere adduci, vt crederem, hanc ſtirpem legitimum eſſe Cytiſum, præſertim cum pluribus conſtet notis, quæ Cytiſo reſpondent. Huc præterea alia accedebat ratio, quòd cum Dioſcoridem viderem in Cytiſo inter herbas, non autem inter frutices, & arbores inſerere, non aliud quidem mihi perſuadere poteram, quam quòd Cytiſus eſſet herba potius, quàm arbor: præcipuè cum palàm ſit, iumenta herbas, & fœnum potius depaſci, quàm arborum frondem. Siquidem eruo, & medica herbis antiquitas armenta & pecora alebat ac ſaginabat. His itaq; rationibus fretus (tunc enim plura neglexeram inueſtigare) adductus eram, vt exiſtimarem, illud Trifolij genus odoratum, quod poſtea Lotum eſſe vrbanam agnouimus, omnino eſſe Cytiſum. Verùm enimuero cùm poſtea rem hanc accuratius rectiusque expendiſſem, me in errore verſari deprehendi. Proinde in præſentia non grauabor priorem mutare ſententiam, conſtanterq; affirmare, aliam ab illa planta Cytiſum eſſe: nec tamen*

Cytiſus frutex eſt, non herba.

*quidem herbam, ſed fruticem, qui cultura arboreſcat. Non enim is ſum, qui opinionis alicuius ſuſtinendæ gratia adeo pertinax eſſe velim, vt falſum magis, quàm verum tueri contendam. Sed quòd iure putem in aliam me deueniſſe ſententiam, facit inprimis Galenus libro primo de antidotis, vbi Cytiſum fruticem eſſe myrti magnitudine ſcribit, his verbis: In Myſia quoque, qua parte noſtræ prouinciæ finitima eſt, tractus occurrit, quem Britton nominant, in quo mel Attico perſimile magna cum admiratione conſpexi. Extabat enim ibi quoque collis quidam non magnus, ſaxeus totus, thymo, & origano refertus: alibi locus erat Cytiſo plenus. Apes plurimum mellis ex Cytiſi floribus excerpere ſcriptores vno ore tradunt. Frutex verò planta Cytiſus eſt, eam altitudinem attingens, ad quam myrti creſcunt: hæc Galenus. Eſt deinde Plinius, quem Galeno ſubſcripſiſſe inuenio libro 12. ca. 3. cùm inquit: Alterum eſt ebeni genus fruticoſum, Cytiſi modo & tota India diſperſum. Et libro 16. cap. 38. vbi inter arbores Cytiſum enumerat, ſcribens: Tota oſſea eſt, ilex, cornus, robur, Cytiſus, morus, ebenus, [illegible]tus, & quæ ſine medulla eſſe diximus. Sed hæc prius á Theophraſto ſcripta ſunt lib. 5. cap. 4. de plantarum hiſtoria, his verbis: Ergo grauiſſima, ſpiſſiſſimaq; Buxus tota. Ebenus ſua tantum medulla, in qua & coloris nigredo conſtat. Neutra in aqua fluitat. Ex reliquis celti primatus indubiè datur. Spiſſa & roboris medulla, quod atrum cognominant, atq; etiam magis Cytiſi,*

Cytiſus arbor Straboni.

*quippe cum hæc proxima ad Ebenum accedere videatur. Conſtat præter id Cytiſum eſſe arborem Strabonis teſtimonio. Ipſe enim de Balſamo ſcribens lib. 16. ſuæ Geographiæ: Balſamum inquit, arbor eſt odorata, & fruticoſa, Cytiſo, & Terebintho ſimilis. Accedit his etiam Columella, qui idem teſtari videtur in calce libri 5. vbi cùm longius de Cytiſo diſſeruiſſet, demum inquit: Hactenus de arboribus præcepiſſe abundè eſt. Horum itaque probatorum authorum teſtimonio planum fieri arbitror Cytiſum arboreſcentem eſſe fruticem myrti modo, vt Galenus ſcriptum reliquit. Porrò Cytiſi plantam cuius imaginem hic excudi curauimus, mi[…] mihi dono Iacobus Antonius Cortuſus, patritius Patauinus. Eam quidem legitimam referre Cytiſum omnibus ſuis notis conſpicuum eſt. Nam non ſolùm ipſius folia, & totius plantæ color Cytiſum referunt, ſed & ipſa ligni materies, quæ nigra eſt, & Ebeni modo firmiſſima. Naſcitur (vt audio) copioſa in Regno Neapolitano, ac etiam fortaſſe alibi in Italia, quanquam à me nuſquam viſa ſit antea. Cæterùm non deſunt, qui ſibi perſuadeant, atq; etiam ſcriptis tradant (vt Geſnerus in libro magno, quem de quadrupedibus edidit) ſe Cytiſum vidiſſe, legiſſeque in Italia in ſyluis, aliiſque ſylueſtribus locis, qui per ſe tãtùm proueniat. Sed equidem dubitauerim, ne & ipſi decipiantur: quandoquidem q, quantum ex eorum ſcriptis colligi poteſt, Coluteam ſic Theophraſto vocatam ſumunt pro Cytiſo. Neq; propterea illud dixerim, quòd putem cytiſum ſua ſponte nõ prouenire, cùm teſte Columella li. 9. ca. 4. de re ruſtica, duplex ſit Cytiſus, vna ſatiua, & altera*

Cytiſi hiſtor. ex Col.

*ſuæ ſpontis: ſed quod ſcribat Plinius, raram eſſe in Italia. De ſatiua autem Cytiſo diligentiſſimè ſcripſit idem Columella li. 5. de re ruſtica, capite vltimo, cuius hic verba ſubijciam. Cytiſum, inquit, in agro eſſe quàm plurimum maximè refert, quòd gallinis, apibus, capris, bubus quoque, & omni generi pecudum vtiliſſimus eſt, quòd ex eo citò pingueſcit, & lactis plurimum*

præbet

*præbet ouibus: tum etiam quòd octo menſibus viridi eo pabulo vti, & poſtea arido poſsis. Præterea in quolibet agro, quamuis macerrimo, celeriter comprehendit: omnem iniuriam ſine noxa patitur. Mulieres quidem ſi lactis inopia premuntur, Cytiſum aridum in aqua macerari oportet, & cùm tota nocte permaduerit, poſtero die expreſsi ſucci ternas heminas permiſceri modico vino, atque ita potandum dari ſic & ipſæ valebunt, & pueri abundantia lactis confirmabuntur. Satio autem Cytiſi, vel autumno circa idus Octobris, vel vere fieri poteſt. Cum terram bene ſubegeris, areolas facito, ibique velut ocymi ſemen Cytiſi autumno ſerito. Plantas deinde vere diſponito, ita vt inter ſe quoque verſus quatuor pedum ſpatia diſtent. Si ſemen non habueris, cacumina Cytiſorum vere deponito, & ſtercoratam terram circumaggerato. Si pluuia non inceſſerit, rigato quindecim proximis diebus, ſimul atque nouam frondem agere cœperit, ſarrito, & poſt triennium deinde cædito, & pecori præbeto. Equo abunde eſt viridis pondo 15 bubus pondo vicena, cæterisque pecoribus proportione virium. Poteſt etiam ante Septembrem ſatis commode ramis Cytiſus ſeri, quoniam facile comprehendit, & iniuriam ſuſtinet. Aridum ſi dabis, parcius præbeto, quoniam vires maiores habet, priusque aqua macerato, & exemptum paleis permiſceto. Cytiſum cum aridum facere voles, circa menſem Septembrem, vbi ſemen eius grandeſcere incipiet, cædito, paucisque horis, dum flaceſcat, in ſole habeto: deinde in vmbra exiccato, & ita incondito: hactenus Columella. Plinius quoque Cytiſi hiſtoriam copioſe proſequitur libro 13. cap. 24. vbi hæc habet. Frutex eſt & Cytiſus ab Ariſtomacho Athenienſi miris laudibus prædicatus pabulo ouium, aridus verò etiam ſuum: ſpondetque iugero eius annua H-S. M.M. vel mediocri ſolo redditus Vtilitas quæ eruo, ſed ocior ſatietas, per quam modico pingueſcente quadrupede, ita vt iumenta hordeum ſpernant. Non ex alio pabulo lactis maior copia, aut melior ſuper omnia pecorum medicina a morbis omni vſu præſtante. Quin & nutricibus in defectu lactis aridum, atque in aqua decoctum, potui cum vino dari iubet, & firmiores celſioresque infantes fore. Viridem etiam gallinis, aut ſi aruerit madefactum. Apes quoque nunquam defore, Cytiſi pabulo contingente, promittunt Democritus, & Ariſtomachus. Nec aliud minoris impendij eſt. Seritur cum hordeo, aut vere ſemine vt porrum, vel caule autumno ante brumam. Si ſemine madidum, & ſi deſint imbres, ſatum ſpargitur. Plantæ cubitales ſeruntur ſcrobe pedali. Seritur poſt æquinoctia tenero frutice: perficitur triennio: demetitur verno æquinoctio, cùm florere deſijt, vel pueri, vel anus viliſsima opera. Canus aſpectu, breuiterq; ſi quis exprimere ſimilitudinem velit, anguſtioris trifolij frutex. Datur animalibus poſt biduum ſemper, hieme verò quòd inaruit, madidum. Satiant equos denæ libræ, & portione minora animalia: obiterque inter ordines allium & cæpe ſeri fertile eſt. Inuentus hic frutex in Cythno inſula, inde tranſlatus eſt in omnes Cycladas, mox in vrbes Græcas magno caſei prouentu Propter quod maxime miror rarum eſſe in Italia. Non æſtuum, non frigorum, non grandinum, aut niuis iniuriam expaueſcit: hæc Plinius. Ex quibus hic certè ſubit nobis mirari Geſnerum, virum alioqui eruditione clarum, quòd in ſuo magno libro de quadrupedibus, vbi probare contendit arborem, quam rura Tridentina Eghelum vocant (nos eam Anagyris generi adſcripſimus) eſſe Laburnum, ſcribat ex authoritate Democriti Cytiſum apibus aduerſari. Qua in re is mihi quidem videtur (pace eius dixerim) non fuiſſe memor illorum verborum, quibus paulo ante aſſeruerat eiuſdem Democriti teſtimonio, apes nunquam defore, Cytiſi pabulo contingente. Id quod nos quoque ex Plinio paulò ſuprà retulimus. Cæterùm de Trifolio illo odorato, cuius initio huius commentationis, atq; etiam Fuchſ. libro 3. in Trifolijs mentionem fecimus, neque Dioſcorides, neq; Galenus, quod ſciam, quicquam memoriæ prodiderunt. Non deſunt, qui Trifolium odoratum quod omnino vrbanum lotum repræſentat, velint eſſe Theophraſto plantam Mel frugum appellatam, quam ipſe inter loti genera recenſet lib. 7. cap. 14 de plantarum hiſtoria, vbi ſic inquit: Quædam enim formis pluribus conſtant, quanquam nomen vnum ſortiantur, vt ita fermè æquiuoca ſint, ceu lotus: Huius enim genera plura redundant, folio, caule, flore, fructuq; diſcreta. Inter quæ vel illud redditur, quod Mel frugum appellatur, diuerſum tum viribus in vſu cibario, tum quòd non eadem loca deſideret: hæc Theophraſtus. Quæ ſanè illorum ſententiam mihi probare non videntur, quòd Trifolium odoratum minime in cibis veniat, & ijsdem in locis naſcatur, in quibus lotorum omne genus vireſcere conſpicitur. Atqui Plinio lib. 22 cap. vltimo, nil aliud eſt Mel frugum, Dioclis teſtimonio, quam Panicum. Cytiſi vires Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, reddidit his paucis verbis: Cytiſi folia digerendi facultatem obtinent aquæ temperatæ miſtam, ſicut & maluæ folia. Planta vt Græcè κύτισος, ita etiam Cytiſus Latine, & Citiſo Italicè dicitur.*

Cytiſi hiſt. ex Plinio.

Geſneri lapſus.

Cytiſi vires ex Gal.

Nomina.

Cytiſus à Cithno inſula, in qua inuentus, auctore Plinio dicitur: qui hic proponitur quibuſdam Cytiſus cenſetur, alij Medicæ ſpeciem faciunt. Dicitur Cytiſus, Matth. Lugdu. Cytiſus Italicus, Geſ. hort. Cytiſus Maranthæ & Matthioli, Lob. Cytiſus vt exiſtimatur, Dodo. fol. Cytiſus in agro Neapolitano, Cæſal. Cytiſus tertius cornutus, Taber. Cytiſus Galeni, Camer. Verúm Cytiſi nomine plures oſtenduntur plantæ, de quibus in ſecunda parte noſtræ vniuerſalis hiſtoriæ, Deo iuuante, dicturi ſumus.

## Λωτὸς αἰγύπτιος. LOTVS ÆGYPTIA. CAP. CIX.

Est & in Ægypto lotus, quæ in campis flumine inundatis prouenit, caule fabæ: flore paruo, candido, lilio ſimili, quem tradunt occidente ſole comprimi occludique, ad ortum autem aperiri: adduntque, caput ipſum veſpera aquis condi, & ad exortum ſolis emergere. Caput quale papaueris, maximum: & intus grana, ceu milij, quæ Aegyptij exiccant, & in panes cogunt. Radicem lotos hæc habet, mali cotonei ſimilitudine, quæ cruda coctaq; manditur: decoctaq; lutei oui qualitatem exhibet.

*Longam ſatis hiſtoriam de Loto Aegyptia poſteritatis memoriæ tradidit Theophraſtus libro 4. cap. 10. de plantarum hiſtoria, cuius hic verba referam. Qui Lotus, inquit, vocitatur, planis parte maxima prouenit, cùm rura inundantur. Huic natura caulis ſimilis fabæ, & fructus eodem modo, verùm minores, gracilioresq;. Naſcitur fructus in capite, modo quo in faba: flos candidus, lilijs foliorum anguſtia proximus: multi ac denſi promiſcui exeunt. Sole occidente ſe comprimunt, caputq; integunt, ad ortum aperiuntur, & ſuper aquam aſſurgunt: idq; facit, dum caput perficiatur, floresq; defluant. Capitis magnitudo quanta papaueris maximi, & percingitur inciſuris nō alio modo, quàm papauer: niſi quòd in his fructus frequentior habetur, qui milio nō abſimilis eſt. In Euphrate caput floresq; mergi referūt, atq; deſcendere vſq; in medias noctes, tantumq; abire in altum, vt ne demiſſa quidē manu capere ſit, diluculo deinde redire, & ad diē magis: ſole oriēte iam extra vndas emergere, florēq; patefacere: quo patefacto amplius inſurgere, vt planè ab aqua abſit altè. Aegyptij capita ipſa aceruis putrefaciūt, cūq; tegumēta putruerint, in flumine lauādo ſeparant fructū, & ſiccantes, pinſentesq; panē faciunt, eoq; cibo vtun-*

Loti Aegyptiæ hiſto. ex Theophraſt.

*bo vtũtur. Radix loti Corſiõ appellata, rotũda eſt, cotonei mali amplitudine, cortice nigro, quali nux caſtanea tegitur. Corpus internũ candidũ: elixum, aſſumq́ in ſpecimen albuminis vertitur, gratũ cibis: manditur etiã crudũ, ſed gratius decoctũ ſeu aqua, ſeu pruna. Hactenus de Loto Aegyptia Theophraſtus.* Album Handachocha. *Cæterùm hanc, & ſupradictas Loti ſpecies Serapio ſua lingua Handachocham indifferenter nominat. E cuius ſemine oleum exprimitur, Mauritanis ad articulorum dolores expertum. Neq; enim fit Handachochæ oleum ex vulgaris trifolij ſemine, vt quidam aberrantes exiſtimant, ſed ex omnium Lotorum ſemine, & ex eo tantùm trifolio, quod aſphaltiten Græci vocant.* Lotus Aegyptia ex Gal. *Loti Aegyptiæ breuiter meminit Galenus inter alias lotus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Loti Aegyptiæ ſemen in panes quidem cogitur.* Nomina. *Planta λωτὸς αἰγύπτιος Græcè, Lotus Aegyptia, Latinè: Handachocha, Arabicè: & Loto d' Egitto Italicè appellatur.*

## Μυριοφύλλον. MYRIOPHYLLVM CAP. CX.

a Μεῦ. καύλισκος. i. cauliculus
b Μεῦ δια-πυκνος. i. denſus.

MYriophyllum, ſiue millefolium, [a] caulis eſt tener, ſingularis, vnica nixus radice: plurimis folijs, læuibus, fœniculo ſimilibus, vnde nomen accepit. Caulis flaueſcit, [b] varius, ac veluti ex induſtria delineatus: naſcitur in paluſtribus. Vulnera recentia ab inflammatione vindicat, ſi vel viride, vel ſiccum ex aceto oblinatur: præcipitatis in potu cum aqua, & ſale datur.

I. MYRIOPHYLLON.



II. MYRIOPHYL. ALTERVM



Myriophylli conſid.

*ETſi nõ deſunt, qui velint Myriophyllum, vt ſuperius in Stratiotis millefolij commentatione diximus, eſſe vulgare Millefolium, quo omnes paßim vtuntur in Italia, tamen cùm hoc plurimis caulibus à radice proſiliat, folijs conſtet à fœniculo diuerſis, naſcaturq́ in pratis & incultis, non autem in paludibus, hinc ſatis perſpicuum fieri puto, hos qui ita ſentiunt, in errore verſari. Equidem legitimum Myriophyllum me inueniſſe, & ſæpe vidiſſe crediderim in vallis Ananiæ paluſtribus, vnico tantum caule, tenero, vnica nixo radice, innumeris foliolis læuibus referto, capilliceis fœniculi modo, odore non ingrato, caulis flaueſcit varius, ac veluti ex induſtria deliniatus. Huius plantæ hic picturam damus, aliamq́ appinximus ad nos Piſis miſſam ab eruditißimo viro Luca Ghino. Si quis hanc Myriophylli plantam nouerit, is facile Myriophyllum Dioſcoridis eſſe conſentiet: & præſertim cum in paluſtribus naſcatur.* Myriophylli vires ex Gal. *Myriophylli vires paucis perſtrinxit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Myriophyllum vſque adeò deſiccatoriæ eſt facultatis, vt vulnera glutinet. Vulnera recentia ab inflammatione vindicat, ſi vel viride, vel ſiccum, ex aceto oblinatur: præcipitatis in potu cum aqua & ſale datur.* Nomina. *Quod Græci μυριόφυλλον, Latini item Myriophyllum, & Millefolium aquaticum vocant: Itali, Myriophyllo.*

I. Millefolium aquaticum vmbellatum, C.B. Myriophyllum, Matth. Lacu. Caſtor. Myriophyllum aut Maratriphyllum paluſtre, Lobel. Myriophyllum prius, Lugdu. Millefolium, Cord. in Dioſc. Lonic. Millefolium aquatile, Dodo. fol. Fœniculum aquaticum primum, Tabernæmontano. II. Millefolium aquaticum, ſeu Viola aquatica latiore folio, C.B. Myriophyllum alterum, Matth. Lugd. Myriophyllum aliud, Lacu. Stratiotes fluuiatilis, Geſ. hor. Viola aquatilis, Dod. gal. & fol. Fœniculum aquaticum ſecundum Tabernæmontano. Ilis addamus duas adhuc ſpecies hactenus à nemine depictas. III. Millefolium aquaticum pennatum ſpicatum vocamus, quod ex radicibus fibroſis, tenuibus, ramos emittit plures cubitales, cauos ſtriatos & ramoſos, aquæ innatantes: ex quolibet geniculo folia terna vel quaterna, adeò tenuiter inciſa vt pennam & forma & tenuitate æmulentur, colore ex viridi fuſco prodeunt. Cauliculorum ſummitates

* III. MILLEFOLIVM AQVAticum pennatum, ſpicatum.*



*IV. MILLEFOLIVM AQVAticum cornutum.*



tates ſemipalmares, aliquando palmares ex aqua recti extollũtur Iunio & Iulio menſib. ſpicã purpuraſcẽtẽ ſuſtinentes, quæ expanditur in floſculos copioſos vltra viginti ſimul iunctos, Anethi ſemen nõ magnitudine ſed forma referẽtes. pallidè luteos, quib. ſuccedũt capitula quædã nigra & prædura, ac plerũq; quaterna aut quina, etiã plura, rotatim cauliculorũ faſtigia quæ ſuper aquã eminent, ambientia, quibus ſingulis exigua cauitas ſemẽ cõtinens ineſt. Hoc in piſcinis prouenit, quod in foſſa arcis Weckẽthal in Alſatia, Nobiliſsimi D. Wolffgangi Waldneri à Freundſtein, primũ obſeruauimus. Hoc videtur Tragus Algę tertiæ vel Algæ Vergilij nomine exprimere voluiſſe. IV. Millefolium aquaticum cornutum. Hoc vt prius aquis innatat caulibus cubitalibus, tenuibus admodum, ramoſis, fragilibus, denſè geniculatis, quos folia ambiunt tenuia, capillata, quorum inferiora, cornua ceruina æmulantur & exſiccata rigeſcunt, ſuperiora verò tenuiora, tenuiusq; diuiſa: ex ipſis geniculis pediculi trium quatuorue vnciarum prodeunt, ſinguli ſingulos flores paruos albicantes quadrifolios ſuſtinentes: quibus ſuccedit capitulum paruum, Ranunculi forma, ex quinis ſenisue granulis virentibus compoſitum. In riuulis circa Hiltelingam non longe Baſilea obſeruauimus primúm: dein in foſsis horti Montembelgardiaci.

## Μύῤῥις. MYRRHIS. CAP. CXI.

MYrrhis ſimillima eſt cicutæ, caule, folijsque: radix ei oblonga, mollis, rotunda, odorata, cibo non inſuauis. Quæ pota in vino, phalangiorum morſibus auxiliatur: cit menſtrua A & partus ſecundos, purgatque à puerperio fœminas: ſubuenit & phthiſicis cocta in ſorbitione. Aiunt quoque eandem bis die terue potam ex vino, in peſtilentia ſalutarem eſſe, & ne morbi contagia ſentiantur, obſtare.

A Meũ λόχεια. i. quæ à partu ſequi debent.

*Gignitur in quàm plurimis Italiæ locis planta quædam cicutæ faciem repræſentans, minor tamen, minimeque graueolens, Cicutaria nonnullis vocata, quam quidam cenſent legitimam eſſe Myrrhim. Sunt deinde, qui pro Myrrhide Angelicam vulgò appellatam accipiant. Alij verò, vt Manardus, illud oleris genus intelligunt, quod Chærefolium vocant. Verũtamen hoc, meo iudicio, nullis notis Myrrhida refert, cum caulis Cicutæ non ſit, nec radicis vſus ſed foliorum, ſicuti nec illa: tametſi huius radix à recentioribus in peſtilentia miris laudibus commendetur. Quòd autem Angelica non ſit Myrrhis, ex eo euidentiſsimum eſſe arbitror, quòd et folia ſint ſatiuæ paſtinacæ ſimilia, nõ quidem multifida, veluti cicutæ. Cæterùm ſi Myrrhis in Italia prouenit, nulla ſanè mihi hactenus ſeſe obtulit planta, quæ magis illi reſpondeat, quàm hæc, cuius hic effigiem pictam exhibemus, quæ quidẽ longè ab Angelica differt. Sed quoniã ANGELICAE mentio incidit, ne tam præſtantiſsimã plantã ſilentio prætereamus, hic fuſius de ea nobis differendũ eſt. Hæc itaq; planta cubitalẽ excedit altitudinẽ, caule geniculato, inani, multis alarum cauis referto: folia profert oblonga, per ambitum ſerrata, in nigrũ vireſcentia: flores albos, in vmbellam cohærentes: è quibus ſemen prodit tenue, lentium modo compreſſum. Radix ei ſubeſt craſſa raphani modo,*

Myrrhidis cõſideratio.

Angelicæ hiſtor. & vires.

quæ in

I. MYRRHIS.



qua in plures diuaricatur ramos, guſtu acris, & ſuauiter odorata. Huius plura ſunt genera. Namque alia ſatiua, alia domeſtica, alia ſylueſtris, alia in aquoſis prouenientes. Satiua paſſim ſeritur in Miſnia & Saxonia & alijs fortaſſe Germaniæ locis, in campis, coliturque diligenter, quod inde non mediocrem recipiant prouentum. Eruitur tertio à ſatu anno. Radices habet nigras, atque fibratas, odore adeò eximio, vt merito Angelicæ nomen ſibi comparauerit. Domeſtica ita vocata, ſponte per ſe naſcitur iiſdem in montibus, in quibus ſylueſtris. Sed folijs, caule, vmbella ſemine & radice longe grandior eſt. Radix illi eſt ſuccoſa, ſubalbicans, acris, & ſuauiter odorata.

Angelica ſylueſtris.

SYLVESTRIS autem pumilior eſt omnibus ſuis partibus, ſed viribus omnium præſtantiſſima. Radice nititur pollicis craſſitudine, & ſæpe maiore, ſucco flaueſcente referta, guſtu acerrimo, & qui lachrymas ciet, & odore præſtanti. Naſcitur plurima in altiſſimis montibus, in pratis & paſcuis, amœnis locis. AQVATICA cæteris grandior eſt, ſed viribus imbecillioribus.

Angelicæ vires Matth.

Excalfacit, pariterque deſiccat ordine ſecundo completo, aut tertio incipiente. Proinde aperit, attenuat, & diſcutit, penetrat, incidit & flatus pellit. Venenis mirifice aduerſatur: quare peſtilentiam arcet hauſta, aut frequenter commanſa. Ipſa per ſe ſumpta pituitoſos, lentoſque humores digerit & cruditate concoquit. Idem præſtat & radicis decoctum, quod etiam celerius ex frigore tuſſientibus auxiliatur: expectorat enim efficaciter craſſam lentamque pituitam. Sanantur eodem ex aqua, aut vino interna viſcerum vitia, concretusque ſanguis diſſoluitur, & roboratur ventriculus. Radix in puluerem trita animi deliquijs, & cæteris cordis affectibus opem vnicè præſtat. Valet ad rabioſorum, & venenoſorum morſus, exterius cum ruta impoſita, & intrò in corpus aſſumpta. Hinc fit, vt recentiores quidam magna opinione hanc ſuis inſerant antidotis. Datur radicis ſemidrachma vnà cum Theriacæ drachma è ſua ipſius aqua, iis qui peſte laborant, & deinde ſudare coguntur, repetiturque eodem modo poſt ſeptem horas. Aliqui enim hoc tātùm antidoto ſanati ſunt. Manſa radix, & dentium cauis impoſita, eorum dolorem ſedat, quinetiam anhelitum adeò commendat, vt præſumpta alij odorem occultare facilè poſſit. At ſylueſtris cum acerrimi ſit guſtus, longè valētius, quàm domeſtica excalfacit, & ſiccat. Quare ad quarti ordinis principium accedit. Omnia præſtare poteſt, quæ domeſtica, ſed longè valentius: cæterùm non adeo copioſius ea vti præſtabit, quòd nimis corpus accendat: manſa enim os, linguam, & fauces maximè vrit, atq; inflammat.

Myrrhidis vires ex Gal.

Myrrhidi iam ſuas reddamus vires ex Galeno, qui eas lib. 7. ſimp medic. his verbis deſcripſit. Myrrhis, quidam myrrham vocant

II. ANGELICA SATIVA. III. ANGELICA SYLVESTRIS.





manant

*minant. Radicem habet odoris iucundi, & dulcem, quæ menſes mouet, & ea quæ in thorace, ac pulmone ſunt, expurgat. Itaque ex ſecundo ordine fuerit excalfacientium, adiuncta quadam partium tenuitate. Μυῤῥὶς ita Græcis, Myrrhis quoque Latinis dicitur: Italis, Mirrhide. At Angelica, Italis, Angelica: Germanis, Angelick: Gallis Angelique. Sic Angelica ſylueſtris Italis, Angelica ſaluatica: Germanis, Wilde Angelick: Gallis, Angelique ſauuage.* Nomina.

I. Myrrhis maior, C.B. Myrrhis, Matth. Cord. in Dioſ. Geſ. hort. Lac. Dod. fol. Lob. Caſtor. Lugd. Myrrhis vera, Aduerſ. Cerefolium Hiſpanicum, Tab. An Seſeli Pelopenenſe, Anguil. II. Angelica ab immenſa contra venena facultate, ſatiua. Matth. Brunf. Lacu. Geſ. hort. Lob. Caſtor. Taber. Angelica ſatiua, Trago Fuch. Dod. gal. Lon. Lugd. Cæſal. Angelica maior, Dod. fol. Angelica odorata, Camer. Laſerpitium, Lacu. Laſerpitium gallicum, Geſ. hort. Smyrnium, Cord. in Dioſcoridem. Huius pro Coſto in Theriacæ confectione vſus eſſe poteſt, ſi Angelicæ radicis duplum ſumatur. Noſtra craſsiore eſt radice, quare facile, in ea genitis vermibus corrumpitur: at Bohemica radice eſt minore & nigricante, quare diutius reſeruari poteſt. III. Angelica ſylueſtris maior, C.B. Angelica ſylueſtris, Matth. Trag. Fuchſ. Dod. gal. & fol. Lob. Lonic. Lugd. Thal. Taber. Angelica ſylueſtris montana, Camerario. Angelicam in libris Galeno attributis vtriq; conuenire poſſe, cenſet Anguillara.

Μύαγρος. **MYAGRVM. CAP. CXII.**

MYagron, aliqui melampyron vocant, herba eſt ſurculacea: folijs rubiæ, pallidis, tripedanea: ſemen a oleoſum, fœno græco ſimile. Quod contuſum igni torrēt, perunctisque virgis ad lucernarum lumina vtuntur. Hoc pingui, ſcabritias corporis læuigari, atque expoliri conſtat. a Meum λιπαρὸν. i. pingue.

**I. MYAGRVM SATIVVM. II. PSEVDOMYAGRVM.**





*SCribit Ruellius Myagrum frequentiſsimum naſci in Gallia, eiusq; ſemine agros bene ſubactos perinde quaſi napis ſeri: quin & ſuæ ſpontis inter ſegetes inueniri. Ex ſemine autem oleum exprimi ait, quo non ad lumina tantùm lucernarum, ſed ad ciborum quoque condimenta pauperes vtuntur. Addit id à ſuis Camelinam, aut Camaminam vocari. Sed ipſe non equidem Ruellio auſim ſubſcribere: quandoquidem non pudeat fateri me hactenus Myagrum non vidiſſe in Italia, quod Dioſcoridis delineationi reſpondeat. Cæterùm eos haud dubie falli crediderim, qui putant, vulgare illud aurei coloris ſemen, quod aliqui Drodam, Drodellam alij, nonnulli verò Dorellam dicunt, legitimum referre Myagrum. Siquidem hoc folijs rubiam non æmulatur, ſed ſylueſtrem erucam, vt quæ laciniata ſpectentur: nec ſemen profert fœno græco ſimile, ſed papaueris modo exile. Non deſunt præterea, qui plantam, quam Pſeudomyagrum appellauimus, legitimum eſſe contendunt. Caulem edit cubitalem, ramoſum: & folia quæ in eis ſunt, glaſti, aut thlaſpi quadantenus ſimilia: floribus in ſummitate albis tenuibusque: ſemine paruo, dulci. Verùm cùm & hæc rubiæ folia non gerat, ſed glaſti potius, & ſemen illi ſit naſturtij, non fœnigræci, non poſſum in eorum ire ſententiam. Naſcitur hæc paſsim in campis inter linum, & ſegetes, cuius ſemen auidiſsimè auiculis expetitur, eſt enim dulce, & guſtui admodum gratum. Modicè excalfacit, atq; humectat. Accedit omnino ad Seſami vires ſemen: paratur pariter ex eo oleum, aſsimilis facultatis. Myagri ſemen, vt teſtatum reliquit Galenus lib. 7. ſimplic. medicamentorum, pingue eſt. Quare ſi tundatur, oleoſum, quid effundit, quod emplaſticam vim obtinet. Herba, quæ Græcis Μύαγρος, Latinis pariter Myagrū appellatur: Italis, Miagro. At Pſeudomyagrum, Italis, Miagro falſo.*

Myagri conſideratio. Quorundam error. Dorella. Pſeudomyagrum. Myagri vires ex Gal. Nomina.

Cum hoc capite Matthiolus meminerit Dorellæ, quæ folijs ſit Erucæ, & Pſeudomyagri, quod folijs

 eſt Gla-

* III. MYAGRVM MONOſpermon. *



eſt Glaſti, vtramque figuram adponere viſum eſt. I. Myagrum ſatiuum, C. B. Dorella, Matth. in Commentarijs, Cæſal. Myagrum, Dodo. gal. Lob. Lugd. Myagrum Dioſcoridis, Anguil. Myagrum primum, Taber. Cameline Myagrum Lobel. in icon. Camelina ſiue Myagrion, Dodo. fol. Pſeudomyagrum, Camerario in ſuo Matthiolo. II. Myagrum ſylueſtre Glaſti folio, C.B. Pſeudomyagrum, Matth. Lugd. Seſamum Lacu. Lonic. Seſama Trago. Linaria quarta, Eidẽ. Sunt qui ſatu tantúm à ſuperiore differre vel..., verúm cúm illud folijs ſit ſinuatis & aliquando laciniatis, hoc verò integris glaſti folijs, differentes ho...mus His addere lubet III. Myagrum quoddam hactenus à nemine deſcriptum, quod monoſpermon appellamus. Caule eſt cubitali altiore etiam, recto rotundo, ſtriato, cauo, variè & inęqualiter brachiato: folijs vulgari viridioribus, latioribus (quorum prima Cichorij ſatiui modo laciniata) linea alba diuiſis, minus Myagri hortenſis acuminatis, latiori baſi caulem amplexantibus: floribus luteis quibus accedunt vtri-culi duri, oblongi, peræ ſimiles, ſuperne in duas exuberantias deſinentes, quorum medio apex durus inſidet: in cuius vtriculi medio cauitas vnica, ſemen vnicum (vnde nomen) ruffum, oblongum continens. Hoc primum in horto Illuſtriſ. Principis D. Friderici Ducis Wirtenbergici &c. Domini noſtri Clementiſſimi, quem Iohannes Bauhinus eius Celſitudinis Archiater colit, Bricourrues nomine legimus. Ex Enganeis etiam accepimus.

## Ὀνάγρα. ONAGRA. CAP. CXIII.

ONagra, ſiue œnothera, aut onuris frutex eſt arboris inſtar, prægrandis, amygdalino folio, ſed latiore, lilio non diſsimili: flore roſaceo, magno a radice candida, longa cum ſiccata eſt vinum olente: naſcitur in montibus. Aqua, in qua radix maduerit, in potu data, feras mitigat, & cicures facit: illitu quoque b tetra vlcera mulcet.

a Meũ, & Camικρὰ i. parua.
b Meũ θηριώδη. i. maligna.
Onagrę conſideratio,

*ONAGRA.*



TAmetſi memoriæ prodiderit Theophraſtus libro 9. capi. 21. de plantarum hiſtoria, Oenotheræ radicem è vino potam mitiores mores conciliare, nullum tamen, qui eam mihi oſtenderet, hactenus licuit reperire, quamuis ad mitigandam omnium animalium feritatem, ne dum hominum quorundam, eſſet optimum vtiliſsimumq́; remedium. Cæterùm ad me ſcripſit clariſsimus medicus Lucas Ghinus Forocornelienſis, ſæpius ex Apenino in viridarium ſuum tranſtuliſſe plantam homine proceriorem: folijs amygdalæ, maioribus tamen: flore rhododendri: ſemine perquàm minuto, exilibus teretibusq́; ſiliquis contento, molli ac candida lanugine obuoluto: radice ſubalbida, longa, ſubter humum repente. Quæ ſanè omni ex parte Onagram referre videtur, etſi ipſe quoque pro certo non auſit aſſerere, hanc legitimam eſſe Onagram, ſi cùm hactenus experientia compertum non habeat, an huius radix ſicca vinum redoleat, mitigetque feras aqua, in qua maduerit, pota, vt Dioſcorides teſtatur. Onagræ meminit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit. Onagron, aut onothera, aut onothuris, huius radix areſacta vinoſum quiddam redolet: ſed & vini maximè facultatis eſt. Quæ ὀνάγρα Græcè, Onagra item, ſiue Onagra Latinè dicitur.

Onagræ vires ex Gal.
Nomina.

Etſi huius figuram Matthiolus non exhibuerit, attamen cúm eam ex Ghini ſententia deſcribat, Iconem proponere conſultũ duximus, quam ad Lyſimachias referendam cenſemus. Dicitur Lyſimachia Chamænerion dicta latifolia, C. B. Onagra Ghini, vt habet Matthiolus, Lugd. Cæſal. Chamænerion & Epilobium, Geſ. ad Cordum, Thal. Antoniana ſiue S. Antonij herba maxima, Geſ. hort. Lyſimachia vulgo altera, Camerario. Hæc latiore eſt folio, flore cæruleo, rarius albo: eſt & anguſtiore, & quidem vel in arenoſis proueniens, vel in alpibus.

Κίρσιον. CIRSIVM. CAP. CXIV.



CIrſium, a caulis eſt tener, duorum cubitorũ, b triangulo ſimilis: ab imo foliola, roſæ ſpeciem referentia, anguli ſpinoſi, per interualla molles: folia bugloſſi ſimilia, longiora, ſubcandida, modicè hirſuta, partibus extremis aculeata: cacumen caulis orbiculatum, hiſpidum: in quo capitula in ſummo purpurea, quæ ſoluuntur in lanugines. Radicem huius loco laboranti adalligatam, dolores varicum ſedare Andreas ſcripſit.

a Meũ. καυλίον. i. cauliculus.
b Meum & Ca. τρίγωνος. i. triãgularis.

*CRedidere recentiores quàm plurimi rei herbariæ periti, nil aliud eſſe Cirſium quàm vulgare Bugloſſum. Sed mihi planè hæc ſententia, pace eorum dixerim, refellenda potius, quam probanda videtur: quòd Bugloſſo caulis triangulus non inſit, ſed rotũdus: quòd ab imo foliola per ambitũ aculeata roſæ ſpeciem non referant, ſed longa, & continua prodeant: quòd denique Bugloſſo flores non euaneſcant in pappos, ſed langueſcentes integri decidant, relicto in folliculis ſemine. Plantam, quam proculdubio Cirſium referre putamus, nuper Piſis ad me miſit, Clariſſimus medicus Lucas Ghinus, cuius etiam hic figuram damus. Naſcitur, vt ipſe ſcribit, in vliginoſis locis. Ea meo quidem iudicio, Cirſio maximè adſtipulari deprehenditur. Cirſij nuſquã, quod legerim, in ſimpli. meminerũt cenſu Gal. & Paulus. Id aquè κίρσιον Græca voce, atque Latina Cirſium appellatur. Italis Cirſio.*

Cirſij conſid.
Nomina.

Cirſium, Matth. Lobel. Lacu. Geſ. hor. Caſt. Lug. Cirſium ſecundum, Dod. fol. Cirſium agri Piſani, Cæſ. quod Cirſis montani ſecundi nomine Cluſius hiſtoria Pannonica deſcribere videtur.

Ἀστὴρ ἀττικός. ASTER ATTICVS. CAP. CXV.

ASter Atticus a cauliculus lignoſus, florem in cacumine habens purpureum luteumue, per ambitum diuiſum, anthemidis modo, capitulum, foliolis ſtellæ modo radiatis: quæ autem caulem ambiunt folia, oblonga ſunt, ac hirſuta. Feruenti ſtomacho, oculorum inflammationibus, procidaæ ſedi, ac b inguinibus illitu auxiliatur. Tradunt c purpureum florem, ſi ex aqua bibatur, anginis, & pueris comitiale malum ſentientibus, opitulari. Inguinum inflammationi recentem illinire conuenit. Si aridus flos ſiniſtra dolentis manu decerpatur, & inguinibus adligetur, dolore liberat.

I. ASTER ATTICVS ſiue Amellus.



a Ori. οἱ βουβώνιον. i. aliquibus bubonium.
b Meũ καὶ βουβῶνας. i. inguinũ tumores.
c τὸ πορφυρίζον τῦ ἄνθυς. ita habẽt Meum & Cat. i. purpureum in flore.

*ASter Atticus, qui & Bubonion, hoc eſt noſtris Inguinalis, dicitur, ſibi Attici nomen aſciuit, quòd in Athenienſi agro frequentior, quàm alibi proueniat. Bubonion verò, & Inguinalis dicta eſt herba, quòd Bubonum, ſiue inguinum præcipuum ſit remedium. Aſteris porrò appellationem accepit, quoniam eius capitula, in quibus flores chamæmali inſtar emicant per ambitum diuiſa foliolis ſtellæ modo radiata ſpectantur. Cæterùm non deſunt, qui noſtram ſententiam impugnent, quòd crediderim ego Aſterem Atticum eam eſſe plãtam floribus vmbilicotenus melinis, & in ambitu purpureis, quamq; etiã Vergilianum Amellum eſſe cenſemus. Atqui nos non ita facilè à noſtra diſcedimus opinione, quòd & meum, & Catecuzeni exemplar legant, τὸ πορφυρίζον τῦ ἄνθυς i. purpureum in flore: quæ verba manifeſtò arguunt in Aſteris Attici flore duplicem haberi colorem: quo fit, vt putem in capitis principio, vbi flos deſcribitur, non ἢ μήλινον, ſed καὶ μήλινον. i. ἄνθος πορφυρεῦ καὶ μήλινον, hoc eſt florem purpureum & melinum. Sed eſto etiam aliorum iudicium. Verùm non ob id tam mordicus meam tenebo opinionem, quin velim etiam aliam hic plantam oſtendere, quam quidam rei plantariæ ſtudioſi Aſterem Atticum faciunt, ſed examinent quoque ipſi antiquam, quam nos addimus, lectionem. Huius plantam miſit ad me primùm Ioannes*

Aſteris Attici conſid.
Amellus Vergilij.
Aſter Atticus alter.

### *II. ASTER ATTICVS CAEruleus alpinus.*



### III. ASTER ATTICVS alter.



Crato Vratiſlanienſis, Ferdinandi Cæſaris Medicus, & vir quidem ſingulari doctrina præditus, quæ quoniam florem ſtellæ modo radiantem, licet tantùm melinum profert, meritò quidem Aſteris nomen illi imponendum eſt. Viſitur facies, ex icone ſuæ ipſius plantæ: nos tamen eam delineandam eſſe duximus, vt etiam aliorum poſſit eſſe iudicium: cæterum nos priorem omnino probamus, et præſertim cum in huius flore nihil purpurei habeatur. Hanc Serapio (vt libro tertio in Eryngij mentione prodidimus) cum Eryngio confudiſſe deprehenditur, florum ſimilitudine falſus, qui in vtraque planta ſtellæ figuram præ ſe ferunt. Cæterùm non eſt prætereundum, quòd nonnulli Dioſcoridis codices repeniuntur, in quibus hoc capite plura leguntur, quám ſupra ſint reddita: quæ quoniam a doctiſsimis viris Dioſcoridi accreuiſſe comperta ſunt, ideo nos quoque ea vtpote adiectitia omiſimus. Quod autem adſcititia ſint, teſtimonio eſſe poſſunt Galenus, Oribaſius, Paulus, & Serapio, in quorum libris illa, quæ redundant, nuſquam leguntur, etſi reliqua, vt ſolent, bona fide referant. In cuiuſdam tamen Apule libello de plantarum hiſtoria & viribus ſcripto, nonnulla habentur capite de Aſtere Attico, quæ inde facile, quòd fere eadem eſſe videantur, huc adiecta ſunt: ſic enim verba illa ſonant. Stellarum radij noctibus collucent: quare qui naturam ſtirpis ignorant, inane ſimulacrum ſe videre putant. Reperitur à paſtoribus pecudum. De Amello autem, quem nos Aſterem Atticum appellabamus, & non temere quidem, ob nonnullas notas, quæ illi cum Attica Stella communes ſunt, cecinit Vergilius libro quarto Georgicorum his luculentiſsimis carminibus:

Serapionis erratum Aſterem cum Eryngio confundentis.

Amellus Virgilij.

*Eſt etiam flos in pratis, cui nomen Amello*
*Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba:*
*Namque vno ingentem tollit de ceſpite ſyluam.*
*Aureus ipſe, ſed in foliis, quæ plurima circùm*
*Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.*
*Sæpe deûm nexis ornatæ torquibus aræ.*
*Aſper in ore ſapor: tonſis in vallibus illum*
*Paſtores, & curua legunt prope flumina Mellæ.*

Verùm nòn poſſum non mirari ſtupidum cuiuſdam blateronis ingenium, qui Vergilij Amellum eam plantam eſſe cenſeat, quam omnibus in confeſſo eſt eſſe Chelidonium minus. Ita enim ſæpe ſit, vt qui alios ſuggillare ſatagunt, ij præ inuidia adeo cæcutitant, vt non ſolum in tenebris oberrent, ſed excordes quoque fiant. Vergilius enim Amelli florem deſcripturus inquit: Eſt etiam flos in pratis, cui nomen Amello Fecere agricolæ: & deinde ſubiunxit: Aureus ipſe, ſed in folijs, quæ plurima circum Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ. De folijs intelligens ipſius floris, quæ ipſum ambiunt, quæque colore nigram imitantur violam & rectè quidem, ſublucet inquit Vergilius purpura, quòd color ille purpureus, qui in illis ſpectatur folialis, non ita ſplendidus ſit, vt in ipſa cernitur viola, ſed longè dilutior: quo fit vt is omnino cæcutiat, qui de plantæ ipſius folijs Vergilium intellexiſſe cenſeat. Sed purpureus color in chelidonij minoris flore omnino deſideratur. Præterea chelidonium minus humi perpetuo repit, nec ſe vnquam in altum extollit: atqui aliter quidem ſe habet Amellus. Namque is, vno ingentem tollit de ceſpite ſyluam. Adde quod Chelidonium illud Verno tantùm tẽpore prouenit, & deperit. Amelli verò flos Vergilio, in fine æſtatis, aut ſub Autumni principium apparet: cum dicat: tonſis in vallibus illum Paſtores & curua legunt prope flumina Mellæ. Id eſt, legunt Paſtores Amelli florem in vallibus & pratis iam falce detonſis. Itaque fit vt iam ex Medicea fiam Vergilij interpres. Eſt itaque Amellus herba, quæ caules ab radice mittit rectos, ſolidos, ac lignoſos, colore ſubcolutæ te. E quibus circa cacumen ramuli oriuntur tenues, in quorum ſummitate flores ſpectantur in ſtellæ modum radiantes, vt in An-

Chelidon. minus non eſſe Amellum.

Amelli hiſto. Matthiolo.

***IV. ASTER LVTEO FLORE.*** **V. STELLARIA.**





*in Anthemide, aut Belli. ſed in medio lutei, comantibus circumquaque foliolis diluta purpura nitentibus. Folia profert oblonga, acuminata oliuæ figura, minora tamen, aſpera, hirſuta, nigricantia, aſpero ac ſubamaro ſapore: quæ autem caulem circumueſtiunt, longè minora ſpectantur. Radicem habet multifidam, odore non ingrato, & caryophyllorum quid reſipiens. Floret in principio Autumni, aut in æſtatis calce, Auguſto, & Septembri. Flores tandem flacceſcunt, & in pappos diſſiliunt: ſemine paruo, oblongo, Intubo haud longe abſimili. Naſcitur in aſperis, incultis, collibus & conuallibus. Aſteris Attici recens herba (vt Crateuas tradit) cū axungiæ ſenio tuſa rabioſi canis morſibus vtiliter imponitur. Turgentia guttura diſcutit, & incenſa ſerpentes fugat. Huius meminit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, vbi eius vires retulit his verbis. Aſter Atticus, alij bubonium vocant, non ob id tantum quòd illitum, ſed etiam quòd ſuſpenſum bubonas ſanare creditur. Habet quiddã etiam digerens, habet verò non minimè & refrigerans quiddam, ac reprimens, adeò vt miſtæ ſit facultatis, vti roſa: verùm id non adſtringit: hactenus Galenus. Sed quoniam Attica ſtella mihi in mentem redegit Stellariam recentioribus vulgò vocatam, cùm & ipſa viribus non vulgaribus ſit prædita, eam minimè ſilentio diſsimulandam duximus.*

Aſteris Attici vires ex Gal.

*Eſt igitur STELLARIA, quam alij Pedem leonis, alij Alchimillam vocant, planta, quæ vt plurimùm in montibus prouenit, præſertim in pratis & paſcuis: folijs maluæ fermè ſimilibus, durioribus tamen, & criſpioribus, angulis octo diſtinctis, prominentioribus, & per ambitum ſerratis, adeò vt latius aperta ſtellæ formam referant. Caulis ei tenuis, ſemicubitalis, lanuginoſus, à quo plures exeunt ramuli, in quorum ſummo flores emicant ſubpallidi, tenues, ſtellarum effigie. Radice nititur quæ craſsitudine digitum æquat, & longitudine palmum excedit, ſapore adſtringenti. Erumpit hæc Maio menſe, Iunio verò floret.*

Stellariæ hiſtoria.

*Exiccat, cohibet, atq; conglutinat. Efficax eſt pota ſanandis non ſolùm internis viſcerum vulneribus, ſed & ſinuoſis vlceribus: quinetiam extrinſeca vulnera glutinat. Expetitur Germanis chirurgis, miriſq; laudibus celebratur: quippe qui eam felici ſucceſſu vulnerarijs potionibus admiſceant. Aridæ puluis in ſui ipſius decocto, aut cum aqua eius ſtillatitia ſumptus, enterocelis medetur. Datur idem puluis ex vino, aut iure cochlearis menſura, quindecim aut viginti diebus, mulieribus, quibus adempta ſit concipiendi facultas à nimia vteri humiditate, quæ iniectum ſemen contineri prohibet & ſteriles fœcundas reddit. Stillatitia eius aqua pota, tum etiam in vuluam indita, alba mulierum profluuia mirificè ſiſtit: adeò vt eius quoque diutina iniectione, corruptæ ab incorruptis vix dignoſci poſsint, reſtrictis mirum in modum fœmineis locis: quod tum celerius, tum efficacius præſtatur, ſi in eius decocto inſideant. Quin & laxas procidenteſque mulierum mammas contrahit, & duras ſolidaſque efficit, ſi lintea in eius decocto, aut ſtillatitia aqua intincta mammis ſæpius imponantur, diutiuſque importentur, præſertim hypociſtide, equiſeto, ſtypteria, ſiccisque roſis admiſtis.*

Stellariæ vires Matth.

*Planta, quæ Græcis ἀστὴρ ἀττικὸς: Latinis item Aſter Atticus ſiue Bubonium nominatur: Arabibus, Aſtaraticon: Italis, Aſter Attico: Germanis, Sternkraut: Gallis, Aſpergoutte mineur. Petite eſpargoutte, ſeu petit Mugue. Virgilio, Amellus. At Stellaria, ſiue Pes leonis, ſiue Alchimilla: Italis, Stellaria: Germanis, Synnauw: Gallis, Pie de Lyon.*

Nomina.

I. Aſter cœruleus vulgaris, C.B. Aſter Atticus ſiue Amellus, Matth. Lacu. Caſtor. Lugd. Aſter Atticus, Fuchſ. Dodo. gal. Cord. in Dioſc. & hiſto. Geſ. hort. Lonic. Lugdu. Aſter Atticus purpureus, Fuchſ. in icon. Aſter Atticus flore cœruleo, Camer. Thal. Aſter atticus primus, Dodo. fol. Aſter Atticus Fuchſij latifolius, Cluſ. hiſt. Pann. Tinctorius flos primus, Trag. Quædam in montibus, ad Anthyllidem ſecundam referenda, Cæſalpino. II. Aſterem hunc Atticum cœruleum alpinum, Cam. in ſuo Matthiolo habet, qui priore minor eſt & floribus cœruleis, folijs item non diſſimilibus, qui licet radice ſe propaget, pappoſa

tamen ſemina quoque gignit, & interdum ad radicem globuli tumentes villoſi, foliolis adnaſcuntur. III. Aſter luteus foliolis ad florem rigidis, C.B. Aſter Atticus alter, Matth. Lugdun. Aſter Atticus verus, Geſ. hort. Aſter Atticus ſeu Bubonium, id eſt, Inguinaria, Lobel. Aſter Atticus flore luteo, Cluſ. hiſto. Hiſpa. Aſter Atticus luteus latifolius, Camer. Aſter atticus Maſſilioticus, Taber. Aſter Atticus, Cæſalpino. Aſter luteus alter, Lugd. Oculus Chriſti, Eidem. IV. Aſter luteo flore, alijs Conyzæ ſpecies, Camerano in Matthiolũ, cuius hæc eſt deſcriptio. Caules profert mediocres per quædam interualla radicis repentis & ſe propagantis, ab inferiore parte demiſſis fibris rectis, quæ aliquantulum odoratæ ſunt, ſapore aromatico modicè ad cinnamomi ſaporem accedente, ſubacri. In ſummis caulibus duos vel tres ramulos habet, quibus flores lutei diſco in medio apicibus conferto inſident, qui tandem in pappos abeunt. Folia per caules alterna hirſuta, nullo pediculo duabus quaſi alis eaſdem amplectuntur. Naſcitur in ſaltibus. Hactenus Camerarius: Sed de hoc in hiſtoria noſtra plenius. V. Pes leonis, à foliorum forma, vulgò Alchimilla, quod Alchimiſtarum præconijs ſit celebrata: (in hac figura ſculptor hirſutiẽ neglexit.) C.B. Stellaria, Matth. Caſtor. Lugd. Stella herba Italis quibuſdam, Geſ. hort. Pes leonis, Brunf. (cui & Leontopodium) Fuchſ. Lon. Alchimilla, Trag. Lon. Dod. gal. & fol. Lob. Cæſ. Tabe. Alchimilla vulgaris, Cam. Droſera ſeu Droſium, Cord. in Dioſcoridem. VI. Heptaphyllum alpinum ſericeum, quod Stellarię argenteę nomine Camerarius ſuo Matthiolo adfecit. Ex radice dodrantali, craſſiuſcula, nigricante, ramuli bini aut terni, teretes, firmi, pedales, geniculati exeunt, ex quibus folia, maximè ex radice, longiſſimis pediculis donata, prodeunt: vt plurimùm in ſeptem (interdum quinque & nouem) partes ad pediculum diuiſa, ſtellæ modo diſpoſita, supernè viridia, & auerſa parte argenteis pilis nitentia, extrema foliorum parte (quod ſculptor omiſit) crenata: flores ramulorum extremis numeroſi, muſcarij ritu conglomerati, parui, ſtellati & cãdidi, inſident: quibus ſemen minutum, ex luteo viridi vaginulis incluſum ſuccedit. In Heluetiorum (vt monte Fracto) Allobrogum, & Rhætorum alpibus, locis herbidis & pratis prouenit. Aſtringentis eſt ſaporis, Pedi leonis & ſapore & viribus ſimile: quare Alpini huius radicẽ tritam & potam ad vndecunq; manantem ſanguinem commendant, imò de collo ſuſpenſam narium hæmorrhagiam cohibere narrant. Sic & ſiccatam radicem tuſam iuſculis dyſentericorum inſpergunt. Dicitur Argentaria, Herba ſtella, ſiue Pedis leonis ſpecies, Geſ. in Fracto. Argentaria petrea. Eidem lib. de hor. Argẽtea heptaphyllos montana, Camerario Heptaphyllon, Cluſ. hiſt. Hiſp. Pentaphyllũ alpinum petroſum & minimum, Lob. in ico. Quinq; folium alpinum, Tab. Alchimillæ alterum genus, Cæſ. Tormentilla candida, Lugd. Germanis, Berg Synnauw, Stein Synnauw.

* VI. HEPTAPHYLLON alpinum ſericeum. *



ISOPYRVM.



Ἰσόπυρον. ISOPYRVM. CAP. CXVI.

ISopyron aliqui phaſiolon ob ſimilitudinẽ vocant, quoniam folium, quod eſt aniſo ſimile, in pampinos torquetur: capitula ſunt in ſummo caule tenuia plena ſeminis, melanthij guſtum imitantis. Contra tuſſim, & cętera pectoris vitia, ſemen ex aqua mulſa bibitur: hepaticis, & ſanguinem excreantibus vtile.

*ETſi aliàs ſcripſi haud mihi contigiſſe antea verum Iſopyrum inuenire, poſtea tamen factum eſt, vt eius plantam cuius hic imaginem damus, ab amicis optimis ſim conſecutus. Naſcitur in campis, & apricis collibus. Ea enim Iſopyrum (meo quidem iudicio) per omnia refert. Quod Græci ἰσόπυρον, Latini etiam Iſopyrum vocant.*

Nomina.

Iſopyrum quid ſit, ambigitur. Fabius etenim Columna Aquilegiam eſſe ſtatuit: trifolium paluſtre, cenſuit

cenſuit Dod. hiſt. Gallica. At quam Matth. hoc loco expreſſit, non videtur aliud eſſe quàm Melanthium ſylueſtris nomine ſuperius propoſitum: ab eo tantum foliis inferioribus Aniſum referentibus, differens. Hunc imitati ſunt, Caſtor, Durantes, herbarij Lugdunenſis author, & Tabernæmontanus.

## Ἴον πορφυροῦν. VIOLA PVRPVREA. CAP. CXVII.



Viola purpurea folium habet hedera minus, tenuius, ac nigrius, nec multò diſſimile: cauliculus à radice medius prodit, in quo floſculus ſuauiſſimè olens, purpureus: opacis, & aſperis naſcitur. Refrigerandi naturam habet. Folia per ſe, & ex polenta illinuntur aptiſſimè ſtomacho æſtuanti, & oculorum inflammationibus, ſedique procidenti.

*Svnt in Violarum genere non modò purpureæ, ſed etiam candidæ, frigidis & vliginoſis locis naſcentes, prorſus tamen inodoræ, de quibus nihil, quod extet, memoriæ prodidit Dioſcorides. Hæ numeroſæ proueniunt in Ananienſi agro ſupra Tridentum, vbi menſe Aprili adeò copioſè florent, vt ſi longè proſpiciantur, oculos fallant, & extenſa lintea videantur. Sunt & aliæ, quæ aureo ſunt colore, adeò in colorandis floribus occupatur natura. Eſt & genus, Oeniponti primùm mihi viſum, cuius purpurei flores numeroſis ſtipantur foliolis, odore omnium iucundiſſimo. ARBORESCENTEM autem VIOLAM è Baldo monte in agro Veronenſi allatam, odore perquàm iucundo, mihi dono miſit Franciſcus Calzolarius pharmacopœus Veronenſis, cuius flores illis perſimiles ferè habentur, qui in Regali conſolida viſuntur. Creſcit hæc duorum cubitorum altitudine, pluribus ab vna radice ſublatis caulibus, in quibus folia violæ purpureæ anguſtiora, per ambitum denticulata, atque paribus interuallis diſtincta: flores edit purpureos. Alij præterea flores per æſtatem Maio, & Iunio menſibus viſuntur tribus referti coloribus, ſupernè purpurei, in medio candidi, inferius verò lutei, forma purpureas violas referentes, aſpectu gratiſſimo, cùm tamen nullo & ipſi commendentur odore. Prodeunt hi ex quadam planta, cui primo exortu folia inſunt rotunda, per ambitum ſerrata, quæ tamen per incrementum in longitudinem deſciſcunt. Conſtat hæc caulibus triangularibus, quadantenus ſtriatis, & intus concauis, quibus paribus inter-*

Violæ purpureæ conſideratio.

Viol. purpur. multipl.

Violæ arboreſcentis mentio.

*II. VIOLA MARTIA MVLTIplici flore.*



III. VIOLA ARBORESCENS.



IV. IACEA SIVE FLOS TRINIT.



V. IACEA ALTERA.



Iacea.

vallis genicula ſupereminent, è quorum concauo ramuſculi exoriuntur, quibus flores dependent. Naſcitur in campis, & paſſim ſeritur in hortis, & viridariis. Vocant hanc nonnulli IACEAM, alij verò HERBAM TRINITATIS, à triplici florum colore. Verùm an hæc illa ſit Iacea, quam in inteſtinorum ramices magnifaciunt recentiorum quidam, nondum ſatis compertum habeo. Quanquam nō deſunt, qui affirment, hanc eſſe de qua modò ſermo eſt, eamq́ symphyti facultatibus pollere: quemadmodum etiam ſunt, qui eandem ægrè ſpirantibus, & pulmonum inflammationibus, non obſcurè opem ferre tradant: quin & ſcabiem ſanare, & cæteracutis vitia delere. Huius duo obſeruauimus genera, alterum maius, alterū minus. Atqui [creſcit hæc minoribus ac breuioribus foliis:] in minore flores & minores habentur, & duobus tantùm coloribus micantes, nempe cæruleo, ac candido, aut luteo & albicante. Naſcitur pariter iiſdem in locis, & ſeritur in hortis. Præferuntur ambæ ad puerorum tormina, & præſertim ſtillatitia earum aqua pota. Herba tota illita, aut in pabulo data, ſanat ſues angina laborantes. Violarum purpurearum facultates exquiſitè deſcripſit Meſues inter ſimplicia ſoluentia, vnde hæc decerpſimus. Violæ temperatum, conueniensq́ue ſunt medicamentum, quo immutantur malæ humorum qualitates, & natura eorum ſoluitur. Præferuntur quæ primo vere florent, ſolis ardorem, qui vim reſoluit, minimè expertæ, nec imbribus dilutæ. Violæ refrigerant, & humectant ordine primo, cùm tamen ſiccæ minus refrigerent, & minus humectent. Recentibus quædam ineſt humiditas, quæ obtundit caliditatem, à qua potior eſt vis. Quapropter ſiccata humiditate, quæ in ſuperficie continetur, guſtu amaritudo deprehenditur, quæ à calido prouenit, qui prius ſub humido deliteſcebat. Quo fit, vt exiccatæ magis calidæ, minuſq́ humidæ habentur. Humiditas, quæ ſuperflua recentibus ineſt, aluum emolliendo ciet: verùm areſactæ, deiectoriæ ſunt facultatis, nō quod emolliant, ſed quod diſſoluant. Violæ in ſumma ſoporiferæ ſunt, refrigerant, calidos dolores mulcent, inflammationes extinguunt, leniunt, & ſoluunt. Earum ſuccus, & ſyrupus ex eo factus ventrem leniunt. Macerātur in aceto, quòd valentur ardentiſſimis conferant febribus. Fit ex violis oleum, iis in eo diutius maceratis: cæteris tamen præſtat, quod ex immaturis oliuis, aut ex dulcibus amygdalis exprimitur. Violæ bilem educunt, eiuſq́ feruorem mitigant. Conferunt capitis doloribus, quos caliditas excitauerit: ſomnum conciliant: pectoris, & aſperæ arteriæ ſcabritiem leniunt, medenturque anginis & columellæ vitiis: præcipuo autem auxilio ſunt pectoris, & lateris inflammationibus: ſitimq́ arcent. At quæ ſiccæ ſunt, iecoris obſtructiones reſerant, inflammationes diſcutiunt, & morbo regio laborantibus opitulantur. Hactenus de Violis Meſues. Parant hac ætate è violarum recentium diluto, quo pluries violæ fuerint maceratæ, deiectorium Syrupum, quemadmodum & ex roſis roſaceum, quo deiiciendæ alui gratia recentiores medici in pleuritide vtuntur, vncias quaternas, vel quinas exhibentes. Violarum vires tradidit Galenus libro 6. ſimplic. medicamentorum, ſic inquiens: Violæ folia aqueam & ſubfrigidam ſubſtantiam ſuperantem poſſident: proinde tum per ſe, tum cum polenta illita calidas phlegmonas mitigant. Imponuntur & ori ventriculi æſtuanti, & oculis: hæc Galenus. Ex quibus abundè palàm eſt non nouiſſe Galenum, ſicuti & cæteros veteres, Violas deiectoria facultate citra noxam præditas eſſe. Viola nigra, & Viola purpurea ſic Latinis dicta, Græcis ἴον μέλαν, & ἴον πορφυροῦν vocatur: Arabib. Seneffigi, Sonofrigis ſiue Beneſefegi: Italis, Viola porporea, & Viola mammola: Ger. Mertzen Violen: Hiſpanis, Violeta: Gallis, Violettes, Violes de Mars, & Careſme. At Viola arboreſcens: Italis, Viola arborea. Sic Iaccea ſeu Herba Trinitatis: Italis, Iaccea, ſeu Minuti penſieri: Germanis, Freiſamkraut: Gallis, Penſées, aut Menues penſees. At Iaccea, ſiue herba Trinitatis altera: Italis, Iaccea, ſeu Minuti penſieri minori.

Iacea altera.

Violarum vires ex Meſue.

Syrupus violaceus.

Violarum vires ex Gal.

Nomina.

Viola, quaſi vitula, Græcis ἴον, ab Io Puella in vaccam à Ioue conuerſam, dicta cenſetur: genera plura ſunt, quæ non ſolùm odore florum, ſed & forma & florum textura differunt. I. Viola Martia purpurea, odora, ſimplex, C.B. Viola purpurea, Matth. Fuch. Caſt. Lugd. Cæſ. Viola ſatiua, Brunf. Viola nigra, Dod. gal. & fol. Cor. in Dioſc. Viola Martia odorata nigra, Trag. Viola Martia purpurea Tab. Viola, Gein. hort.

hor. Lon. Viola martia præcox purpurea, Lobel. in icon. II. Viola martia multiplici flore: hæc floribus numeroſis foliolis conſtantibus a priori differt, quæ mangonio maiore etiam redditur flore: quare Coſtæus in Meſuem meminit dictæ quę Byzantii colitur martiæ ſimilis, ſed flore infinitis foliolis conſtructo, & Roſam Damaſcenam æquante, magnitudine & odore etiam noſtrates ſuperante. Et noſtra colore variat. Viola nigra flore pleno, Dod. gal. Viola daſypodion, rectius daſyphyllum, Geſ. hor. Viola purpurea flore pleno, Caſt. Viola flore multiplici, Dod. fol. Viola martia purpurea, flore multiplici, Lob. Tab. Viola cærulea floribus numeroſis foliis conſtantibus, Caſ. III. Viola Martia erecta, C.B. Viola arboreſcẽs, Matth. Caſt. Cam. Viola fruticoſa, Geſ. hor. Mater violarũ Dalechampii, Lug. Viola martia elatior, Cluſ. hiſt. Pann. IV. Viola tricolor hortenſis. φλὸξ Theop. C.B. Iacea ſiue flos Trinitatis, Matth. Iacea maior, Caſt. Herba Trinitatis. Brunf. Trag. Fuchſ. Dod. gal. Lon. Geſ. hort. Viola tricolor, Dod. fol. Violæ nigræ perſimilis flos, Geſ. hor. Viola flammea, eidem. (& Antora quorundam) Cæſal. Lugd. Viola flammea colorea, Lob. Viola Trinitatis, Tab. Viola multicolor, Cã. Viola tricolor ſeu ſepticolor. Thal. Flos & magnitudine & colore variat. V. Viola bicolor arvenſis, C.B. Iacea altera, Matth. Iacea minor, Caſt. Herba Trinitatis ſylueſtris, Trag. Violæ nigræ perſimilis arueniſ minor, Geſ. hor. Viola ſylueſtris, Lob. in icon. Viola flammea minor, Lugd. Viola trinitatis minor, Tabernæmontano.

## Κακαλία. CACALIA. CAP. CXVIII.

CAcalia, quæ leontice vocatur, folia fert magna, albáq́; quibus medius caulis emicat, rectus, albus: florem ferens robori, aut oleę ſimilem: naſcitur in montibus. Radix in vino madefacta, vt tragacantha, delinctu aut manducatu per ſe tuſſibus, ſcabritiis arteriæ medetur. Grana, quæ poſt excuſſum florem innaſcuntur, trita & cum cerato illita, faciem erugant, & cutem extendunt.

* CACALIA. *



*CAcalia, Plinio lib. 25. capit. 11. authore, vocatur ſemen margaritis minutis ſimile, dependens inter folia grandia. in montibus ferè: ita Plinius. Sed non propterea mihi hactenus contigit Cacaliam reperire in Italia, etſi eam diu quæſiuerim in montibus. Cæterùm herbam Cacaliæ ſimilem teſtatur ſe plurics vidiſſe in Apennini Alpibus Lucas Ghinus Forocorneilienſis medicus, rei herbariæ diligentiſsimus inquiſitor: folio tuſsilaginis maiore tamen, auerſa parte candidiore, minusq́; per ambitum anguloſiore: caule palmi altitudine, recto, ſubcandido: in cuius cacumine flores exeunt paniculæ faciem referentes, muſcoſi, oliuæ inſtar. Hanc ipſe Cacaliam ſuſpicatur. Equidem huius viri iudicio facilè auſim ſubſcribere, quòd is in ſimplicium cognitione diligenter verſatus ſit, atque inter Italos in ea maximè præſtet.* Cacaliæ conſideratio. *Cacaliam cancanon vocauit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum,* Cacaliæ vires ex Gal. *vbi eius vires reddidit his verbis: Cancani radix facultatem habet mordacitatis expertem, & modice exiccantem: eſſentiam craſſam, & emplaſticam. Quapropter macerata vino, ſicut tragacantha, & lincta, arteriæ aſperitates ſanat: nec minus, ſi quis eam commandat. Succus eius defluens prodeſt arteriæ, ſimiliter vt glycyrrhiza. Κακαλία ita Græcè, vt etiam Cacalia Latinè dicitur.* Nomina.

Cacalia duplex eſt, hirſuta & glabra: hirſuta alia tomentoſa, alia ſolùm leuiter hirſuta: huius cùm deſcriptio ſit propoſita, eius etiam figurã adpoſuimus, quæ Cacalia Ghini dicitur, & à Matthiolo & à Ioh. du Choul in deſcriptione Pilati Lugdunenſis. Cacalia prima & Cacalia vulgaris incano folio, Cluſ. hiſt. Panno. Cacalia, Cæſalpino.

## Βούνιον. BVNIVM. CAP. CXIX.

BVnion caulem edit quadrãgulum, procerum, digiti craſſitudine: in quo ramuli minutis foliis, ac floribus ſcatent: folia proxime radicem, apio ſimilia, longè tenuiora, coriandrinis proxima: flores anethi: ſemen odoratum, hyoſcyamo minus. Vrinam ciet, excalfacit, ſecundas euocat: lieni, veſicæ, renibus vtile. Tam humidi, quàm ſicci, expreſſiq; ſucci caulibus, foliis, radicibuſq;, vſus inualuit ex aqua mulſa.

## Ψευδοβούνιον. PSEVDOBVNIVM. CAP. CXX.

PSeudobunion palmi altitudine fruticat in Creta, folia, ramuloſq; napi ferens, acri guſtu. Tormina, atque ſtranguriam, laterumq; dolores ſanant quaterni rami eius poti in aqua: illiti quoq; cum ſale, & vino tepentes, ſtrumas diſcutiunt.

*BVnium, quod noſtri Napum ſylueſtrem vocant, Plinius videtur poſteritatis memoriæ prodidiſſe lib. 20. c. 4. vbi de napo ita ſcriptum reliquit. Naporum duas differentias & in medicina Græci ſeruant. Anguloſis foliorũ caulib. florentis, & quod* Bunii conſid

*& quod Bunion vocant, purgationibus fœminarum, & veſicæ, & vrinæ vtile decoctum, potum ex aqua mulſa, vel ſucci drachma. Semen dyſentericis toſtum, tritumq; in aqua calida è cyathis quatuor: ſed vrinam inhibet, ſi non lini ſemen vna bibatur. Alterum genus Buniada appellant, & raphano, & rapo ſimile. Seminis præclari contra venena: ob id & in antidotis vtuntur illo: hæc Plinius. Ex cuius ſanè verbis palàm fieri arbitror, eam nobis plantam eſſe Bunium, quæ Napum ſyluestrem rura in Hetruria appellant. Naſcitur hæc inculto ſolo, frigido præcipuè tractu. Verùm Pſeudobunium, quod Græci vocant, nondum mihi in Italia compertum eſt. Quod nulli mirum videri debet: nam quòd planta hæc fruticet in Creta, vt Dioſcorides teſtatur, videtur potius Cretenſium propria, quàm aliarum gentium. Bunium, vt Plinius tradit, antidotis admiſcetur: quare & in ipſa Andromachi theriaca Bunium expetitur. Vtriuſque vires ſanè paucis tradidit Galenus libr. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Bunium, alij arcticon, adeò excalfacit, vt & vrinam moueat, & menſes promoueat. Sed & Pſeudobunium adſimilis illi caliditatis eſt. Quod Græci βούνιον, Latini ſimiliter Bunium vocant: Itali, Napone ſaluatico. Quod verò illi ψευδοβούνιον, hi Pſeudobunium, & Bunio falſo.*

Bunii vires ex Gal.

Nomina.

## Χαμαικισσός. CHAMÆCISSVS. CAP. CXXI.

CHamæciſſos folio eſt hederæ, tenuiore, longiore, ramulis à radice quinis ſeniſve, dodrantalibus, foliosis: flore violæ albæ ſimili, candidiore, ac tenuiore, guſtu ſupra modum amaro: radice tenui, candida, inutili: naſcitur in cultis. Bibunt conuenientiſſimè iſchiadici folia, tribus obolis in aquæ cyathis tribus, tricenis, quadrageniſve diebus: eodem pota modo, ſenis aut ſeptenis diebus, regium morbum purgant.

Chamæciſſi conſideratio.

*CRedidit Leonardus Fuchſius, in ſuo de ſtirpium hiſtoria commentario, nihil differre Chamæciſſum ab ea vulgaris notitiæ planta, quam vt ſuperius libro tertio in Aſclepiadis mentione diximus, herbariorum vulgus Hederā terreſtrem nominat. Sed cur eius ſententiam comprobem, ſanè non habeo. Siquidem vulgaris hedera terreſtris folio conſtat rotundo quadantenus ſerrato: caulibus, vel potius funiculis vitilium modo longis, humi longo tractu repentibus. Chamæciſſus vero Dioſcoridi foliis eſt hederæ, tenuioribus, longioribus: ramulis à radice quinis ſeniſve, dodrantalibus, folioſiſq;. Adde quod Chamæciſſi flores violæ albæ ſimiles facit Dioſcorides, ac etiam candidiores. Sed terreſtris hedera florem profert puſillum, ſubcandido purpuraſcentem. Quibus vtique rationibus ducor, vt putem, hanc herbam non eſſe Chamæciſſum, quòd nota inter ſe plurimùm pugnare deprehendantur. His etiam accedit, quòd Chamæciſſos (ſi Plinio credimus lib. 24. cap. 15.) ſpica eſt tritici modo: & cùm floret, exiſtimari poteſt alba viola. Ruellius hanc in Gallia naſci ſcribit. Sed eam aliam eſſe à Chamæciſſo hic repræſentato perſpicuum eſt: ea enim, quæ Plinius refert, à Dioſcoride diſſentiunt, quem nullam ſpicarum mentionem feciſſe conſtat. Equidem, vt ingenuè fatear, nullam hactenus in Italia herbam comperi, quam legitimum eſſe Chamæciſſum auſim affirmare. De viribus Chamæciſſi breuiter diſſeruit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit: Chamæciſſi flos, cum ſit admodum amarus, iecur obſtructione liberat. Sunt & qui iſchiadicis ipſum exhibeant. Hæc planta vt Græcis χαμαίκισσος, ita etiam Latinis Chamæciſſus nuncupatur.*

Chamæciſſi vires ex Gal.

Nomina.

## Χαμαιλεύκη. CHAMÆLEVCE. CAP. CXXII.

CHamæleuce lumborum doloribus propitia eſt: herba virens, incuruis foliis ſurculiſque: flore roſaceo.

Chamæleuces conſid.

*SAnè quàm paucis Chamæleuces hiſtoriam perſtrinxit Dioſcorides, quare difficillimè quidem decerni poteſt, quenam in vniuerſo plantarum genere Chamæleucen referat. Cæterùm hic ſilentio non diſsimulandum puto, quòd non deſunt codices (vt Marcellus & Ruellius Dioſcoridis interpretes aiunt) in quibus non χαμαιλεύκη, ſed χαμαιπεύκη legitur. Alteram quidem lectionem nos quoque magis probamus, tum quòd in nothis Dioſcoridis nomenclaturis Chamæleuce nil aliud ſit quam tuſſilago, quemadmodum & apud Plinium lib. 24. ca. 15. vbi eam Farranum ſiue Farfugium vocari tradidit: tum etiam quòd eodem loco Plinius idem ferè ſcripſerit de chamæpeuce, quod de chamæleuce in hoc capite ſcriptum reperitur. Quod haud dubiè oſtendit, huius capitis initio mendum ſubeſſe. Et certè facilis ac lubricus potuit eſſe librariorum lapſus, vt qui vnius tantum literæ mutatione χαμαιλεύκη, pro χαμαιπεύκη ſcripſerint. Porrò Plinius chamæpeucen foliis laricis ſimilem reddidit: mihi tamen ea videtur potius piceæ foliis aſsimilanda, ſi in compoſito plantæ nomine volumus rectè poſterioris vocis ſignificatum ſpectare: nam picea πεύκη, larix verò λάριξ item Græce dicitur. Chamæleuce, vt author eſt Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, calida eſt facultatis tertio quodammodo ordine, ſiccæ primo. Ea Græcè χαμαιλεύκη, Latinè item Chamæleuce, & Chamæpeuce vocatur.*

Chamæleuces vires ex Gal.

Nomina.

## Βούγλωσσον. BVGLOSSVM, LINGVA BVBVLA. CAP. CXXIII.

BVgloſſum naſcitur in campeſtribus, & ſabuloſis. Iulio menſe colligitur. Aiunt eam, quæ tres thyrſos emittit, cum ſemine & radice tritam potamq́ue, contra tertianos horrores prodeſſe: quæ quatuor, ad quartanos: ea in vino decoquitur. Herbam abſceſſibus vtilem eſſe volunt. Verbaſco ſimile eſt, folium in terra ſparſum, nigrius, [a] aſperum, bubulas imitans linguas. Quod in vinum deiectum, animi voluptates auget.

[a] Cat. τραχύτερον, καὶ ἀκανθώδες καὶ μικρότερον. i. aſperius, & ſpinoſum, & minus.

Bugloſſi conſideratio.

*QVi diligenter Bugloſſi hiſtoriam expendunt, omnes herbam Borraginem vulgò vocatam, in hortis, aliiſq; locis naſcentem, potius legitimum eſſe Bugloſſum cenſent, quam illam, quæ Bugloſſa vulgò nominatur, cuius in officinis communis eſt vſus. Quorum equidem iudicio non dubitauerim ſubſcribere, ſiquidem Borrago dicta foliis eſt in vniuerſum verbaſco ſimilibus, nigrioribus tamen, & aſperioribus: quibus etiam hæc ſymphytum alterum æmulatur, quod folia bugloſſo proxima ferre ſuperius prodidit Dioſcorides. Adde præterea, quòd folia Borraginis in terram procumbunt, & bubulas linguas tum forma, tum aſperitate imitantur. Contrà quæ Bugloſſi nomen ſibi falsò vendicauit, folia habet longa, echio ſimilia, nō vſque adeò lata, vt bubulas referant linguas, minuſq; humi depreſſa, quæ potius è toto ferme ceſpite ſurſum aſpiciunt,*

tiunt. nec aliqua ex parte verbaſcum, aut ſymphytum alterum repræſentant. Non ob id tamen negare auſim, quin vulgare Bugloſſum in campeſtribus naſcens, iiſdem cum Borragine polleat viribus: quandoquidem eadem vtriuſque aſperitas, itemq; ſapor guſtui manifeſtum præbent eiuſdem facultatis indicium. Atque facile non multum diſſidere ea inuenias, ſi illud genus ſpectes, quod hodie in hortis ſeritur ex Hiſpaniis allatum: hoc enim etſi verbaſcum adeo adamuſſim non repræſentet, quemadmodum Borrago, foliorum tamen effigie bubulas linguas maxime imitatur. Sed quoquomodo hæc ſe res habeat, concedam facile Borraginem, & vulgarem Bugloſſum & ſpecie & forma inter ſe differre: attamen crediderim alterius vires proxime accedere, & ſi non eædem vtriſque, ſimillimas tamen ineſſe. Cæterùm non deſunt, qui his rationibus neglectis aſſerant vulgare Bugloſſum Echij omnino genus eſſe, quòd illud omnibus notis referre putent. Alij verò ſunt, qui idem Bugloſſum Cirſium exiſtimant. Verum nos aliud à vulgari Bugloſſo & Echium & Cirſium eſſe cenſemus, vt abundè

Bugloſ. Hiſpanicum.

I. BVGLOS. SIVE BORRAGO. II. BVGLOSSVM VVLGARE.





ſuis locis docuimus. Quòd inſuper Borrago facilè ſit legitimum Bugloſſum, Auicennæ teſtimonio comprobari poteſt, qui libro ſecundo ſui canonis ita ſcribit. Lingua bouis eſt herba latis, habens folia ſicut almara, & ad tactum aſpera, & rami etiam aſperi, ſicut pedes locuſtarum. Oportet autē, vt illa adminiſtretur, quæ eſt in Coraſceni, craſſa habens folia, ſuper quorum faciem ſunt puncta, quæ ſunt radices ſpinarum, & pilorum exeuntium ab ea. Quibus notis adeò euidenter noſtram Borraginem expreſſit Auicenna, vt nemo non intelligat, hanc eſſe Linguam bubulam. Eam præter morem deſcripſit Auicenna, quòd ſuo quoque tempore non deeſſent, qui veri Bugloſſi loco aliam quandam ſubſtituerent plantam, vt apertè eius verba declarant, dum ſubdit: Quæ autem in hac terra reperitur, & qua vtuntur Medici, plurimum eius eſt genus almaræ, & non eſt lingua bouis, & neque confert, vt iuuamentum illius eſt: hactenus Auicenna. His omnibus illud denique accedit, quod apud Apuleium in eo libello, qui de herbarum medicaminibus inſcribitur, inuenio Bugloſſum Lucanis Corraginem nuncupari prioris tantùm literæ mutatione, quòd cordis affectibus quàm maximè opituletur. Quæ ſanè omnia, ni fallor, clariſſimè oſtendunt, Borraginem eſſe verum ac legitimum Bugloſſum. Prouenit itaque Borrago foliis latis, atq; oblongis, aſperis: eminentibus vbique bullis, tenuiſſimis armatis aculeis, qui totam plantam hirſutam, ac rigidam reddunt aculeato vndecunque ambitu: caule exit cubitali, & quandoque maiore, pingui, concauo, aculeis vbique ſcatente, & ramis multis brachiato: floribus in ſtellæ modum radiantibus, cæruleo colore, & quandoque candido: nigro è medio prominente apice. Semine nigro, ſtriatoq;. Hæc planta plurimum per ſeſe in hortis naſcitur, adeò vt inde haud facilè extirpari poſſit. Radicem habet albam, teneram, pollicari craſſitudine, guſtu ſubdulci ac lento. Cæterùm vulgare bugloſſum folio eſt Borragine longiore, ſymphyti maioris modo, hirſuto, aſpero, hiſpidoq; minutiſſimis aculeis ſcatente: caule ſeſquicubitali, rotundo, robuſtoq;, hiſpidoq;, ac pungente, è quo rami exeunt complures ſurſum ſpectantes. Flores edit purpureos Borragine minores, è quibus nigrū oritur ſemē. Radix illi eſt Borragini per omnia ferè ſimilis, craſſior & carnoſior, lētore quodā prædita, ſed craſſiori pinguioriq; libro. Huius tria obſeruauimus genera. Hortēſe latioribus ac lōgiorib. foliis, [quod maius & minus eſt. Minor folia oblōga profert, ſed longè anguſtiora, breuioraq; hirſuta, ſed aculeis vacātia, cætera ſimilia ſunt. Serūtur paſſim in hortis,] ac ſylueſtris duplex genus. Cuius alterū foliis altero latioribus, & florib. purpureis ſpectatur: alterū verò anguſtioribus, & floribus nigricātibus. Foliis creſcit breuioribus, incanis, minimè aculeatis, caule craſſo, piloſoq; ac ſubaſpero: florib. cæteris generib. ſimilibus, ſed nigris. Radice digitali craſſitudine, lenta ac dulci. Extat & aliud ſylueſtris genus hortenſi minori per omnia ſimile, ſed in omnibus agreſtius. Naſcūtur in cāpeſtribus. Viribus iiſdē pollent, quib. ambæ hortenſiū ſpecies.

Bugloſſi deſcriptio Auic.

Corrago Apuleio.

Borraginis deſcrip.

Bugloſſi vulgaris deſcrip. & genera.

Bugloſſum ſylue.

Borag. & Bugloſſ. vires.

III. BVGLOSSVM ALTERVM flore nigro.



*Borragini atq; etiam vulgari Bugloſſo herba & radici vis ſanè magna ineſt, quinetiã & floribus ad animi deliquium, & cæteros cordis affectus, & melancholicos morbos: & præſertim earundem decoctum ex vino, ac etiam ex aqua peracetum. Trita vulgaris Bugloſſi radix ex aceto illita triſtus dichmã tinuis ſcabioſos iuuat. Præſtat vtriuſque plantæ ſuccus hauſtus ad epota venena, & venenoſorum animalium morſum. Stillatitia earum aqua deliriis, quæ cum febre fiunt, mirifice auxiliatur, quinetiam oculorum inflammationes mulcet tam interius, quàm exterius impoſita. De cuius viribus diſſerens Galenus libro 7. ſimplicium medicamẽtorum, ſic inquit. Bugloſſum, humida calidaq; temperiei eſt. Itaque vinis iniectum, lætitiæ ac hilaritatis cauſa eſſe creditum eſt. Sed & iis, qui ob faucium aſperitatem tuſſiunt, coctum in melicrato conuenit.*

Bugloſſi vires ex Gal.

Nomina.

*Herba, quæ Græcis Βύγλωσσον, Latinis item Bugloſſum ſiue Borrago & Lingua Bubula nominatur: Arabibus, Liſen althaur, ſeu Leſan althaur: Italis, Borragine: Germanis, Burretſch: Hiſpanis, Borraia, & Borraienes: Gallis, Borrache. At Bugloſſum vulgare, Italis, Bugloſſa: Germanis, Ochſenzung: Gallis, Bugloſe. Sic Bugloſſum alterum ſylueſtre flore nigro: Italis, Bugloſſa ſaluatica del fior negro.*

Bugloſſum aliud ſatiuum, aliud ſylueſtre: ſatiuum aliud latifolium, hocq; vel vulgatum, cæruleo, albo, roſeo flore: vel peregrinum, quod vel ſemper virente folio, vel luteo flore: & aliud anguſtifolium, quod ſinuato eſt folio, vel non ſinuato, hocque maius & minus. At ſylueſtre maius & minus eſt, hocq; duplex. I. Bugloſſa latifolia, Borrago dicta, C.B. Bugloſſum ſiue Borrago, Matth. Lacun. Caſt. Bugloſſum, Fuchſ. Turn. Bugloſſum verum, Dod. gal. Cordo in Dioſcorid. Bugloſſa vrbana, Cordo in hiſtor. Bugloſſum latifolium, Lobel. Borrago, Brunf. Trago. Fuchſ. in icon. Geſ. hor. Lon. Dodo. fol. Lugd. Cæſalp. Taber. Camerario. II. Bugloſſum anguſtifolium maius, C.B. Bugloſſum vulgare, Matth. Lac. Caſtor. Lugdun. Bugloſſum anguſtifolium, Lobel. Bugloſſa, Brunf. Cæſalp. Bugloſſa Italica, Trago, Lonic. Bugloſſa latifolia, Cordo in hiſto. Bugloſſa vulgaris, Dod. fol. Tab. Bugloſſus Italica vel Gallica maior, Geſ. hor. Echium, Cordo in Dioſc. Echium Italicum ſpinoſum, Fuch. in iconibus. Cirſium Italicum, eidem. Anchuſa, Turnero. III. Bugloſſum ſylueſtre maius nigrum, C.B. Bugloſſum alterum flore nigro, Matthiol. Bugloſſum ſylueſtre maius, Caſtor. Bugloſſum ſylueſtre, Lugd. Bugloſſa ſylueſtris nigra, Thalyo.

I. CYNOGLOSSVM.



## Κυνόγλωσσον. CYNOGLOSSVM. CAP. CXXIIII.

CYnogloſſum folia latifoliæ plãtaginis habet, arctiora, minora, lanuginoſa: caule vacat, & humi ſternitur: prouenit in ſabuletis. Folia cum ſuillo adipe vetere, medentur morſibus canum, alopeciis, & ambuſtis. Emollit aluum, decoctùm herbæ ex vino potum.

Cynogloſſi conſideratio.

Cynogloſſ vulg.

*LEgitimum Cynogloſſum, quod, Dioſcoride teſte, neque caulem, neque flores, neque ſemen gignit, pluries non modo vidimus, ſed etiam legimus Romæ poſt Adriani molem in ſabuloſis quibuſdam locis enatum. Hoc à vulgari Cynogloſſo, quo paſſim officinæ vtuntur, perquàm longè diſtat: quippe quòd in radiantis ſolis morem folia fert, ſubpinguia, tenui lanugine albicantia, humi ſtrata, & caule perpetuo viduum eſt. Illa verò planta, quæ Cynogloſſi vſum omnibus præſtat, folia edit lata longaque hortenſis ac maioris Bugloſſi modo, numeroſa ab vna radice prodeuntia tactu ſubaſpera ac piloſa, plurimos emittit caules, cubito ſæpius longiores, teretes, robuſtos ac pariter ſubaſperos & à medio ramoſos, adnatis in cacumine ramis: quibus flores inſunt purpurei, echio ſimiles, è quibus deinde quædam paruæ prodeunt lappæ, aculeo quodam a medio prominente non ſine magno naturæ artificio factæ, quæ matureſcentes contactu veſtibus pertinaciter adhærent. Naſcitur paſſim, ferè vbique, ſecus vias, & in agrorum marginibus. Meminit Cynogloſſi Plinius lib. 25. cap. 8. his verbis. Iungitur & Cynogloſſos caninas imitans linguas, topiariis operibus gratiſſima.*

*Atque*

*Aiuntq́; quæ tres thyrſos ſeminis emittat, eius radicem potam ex aqua ad tertianas prodeſſe: quæ quatuor, ad quartanas. Eſt & alia ſimilis ei, quæ ferat lappas minutas: hæc Plinius. Ex quibus ſatis perſpicuum eſſe puto, quòd neutrum Cynogloſſi genus à Plinio traditum, Dioſcoridis Cynogloſſo reſpondet. Siquidem primum Plinio caules vel thyrſos edit adeò flexiles vt ijs topiarijs operibus maximè conueniant. Dioſcoridi verò planta eſt ſine caule, quæ humi ſternitur: vt hinc apertiſſimè conſtet, hac operi topiario, vt aliquid cõteſtat vel contexat, prorſus ineptam eſſe. Adde quòd Dioſcoridi Cynogloſſum medetur canum morſibus, alopeciis, & ambuſtis: quinetiam aluum emollit. Plinio autem ad tertianas tantùm, & quartanas prodeſt. Id quod de Bugloſſo intelligitur, vt ſuperiori capite teſtatur Dioſcorides. Hinc itaque palàm fieri arbitror, Bugloſſi hiſtoriam & vires, cum Cynogloſſo turpiter confudiſſe Plinium. Cuius certè lapſum non animaduerterunt recentiorum nonnulli, qui Plinij auctoritate freti contra Dioſcoridis grauem ſententiam probare contendunt, Cynogloſſum caules, flores, & ſemen proferre. Quod autem ſecundo loco à Plinio deſcribitur, lappas minutas ferens, nil aliud, meo quidem iudicio, fuerit, quàm vulgare Cynogloſſum omnibus notum. Quo fit, vt omnino erraſſe exiſtimem Ruellium, & Fuchſium viros alioqui doctiſſimos: quippe qui crediderint, vulgarem Cynogloſſam eſſe Lycopſin, vt etiam ſupra ſuo loco monuimus: neque enim hos animaduertiſſe video de hac cum alio Cynogloſſo ſcripſiſſe Plinium, ac deinde ſpeciatim de Lycopſi lib. 27. cap. 11. Vulgare Cynogloſſum manifeſtò refrigerat, & ſiccat: folia recentia illita vulnerum inflãmationes, ac etiam alias quaſcunq; mirum in modum ſanãt, & artẽt. Cynogloſſi in libris de ſimpl. med. facul. nuſquam reperio meminiſſe Galenum. Id Græcis κυνόγλωσσον, Latinis Cynogloſſum & Lingua canina vocatur: Italis Cinogloſſa & Lengua di cane: Germanis, Hundßzung.*

Plinii lapſus.

Ruel. & Fuch. error Cynogloſſum vulgare, Lycopſin ſtatuentium.

Nomina.

II. CYNOGLO. VVLGARE FLORID.



Cynogloſſum aliud eſt ſemper virens, aliud incanum: aliud medium, quod montanum eſt, maius & minus: incanum maximum, maius, medium, minus & repens. I. Cynogloſſum, Matth. Lugd. Cynogloſſa vera, eidem editione Italica: quod anne à ſequenti differt? II. Cynogloſſum maius ſyluestre, C.B. Cynogloſſum vulgare, Matth. Lob. Caſt. Lugd. Thal. Cynogloſſus vulgaris, Geſ. hor. Cynogloſſum Lon. Dod. fol. Tab. Cynogloſſa, Cæſ. Cynogloſſa maior, Brunf. Cordo in Dioſc. Lycopſis, Lacunæ.

PHYTEVMA.



## φύτευμα. PHYTEVMA. CAP. CXXV.

PHyteuma folia habet Struthij, minora: copioſum ſemen, perforatum: radicem paruam, tenuẽ, per ſumma terræ nitentem. Quam ad amatoria conuenire, nonnulli ſcriptum reliquerunt.

*CVm ſit vſus Phyteumatis ad amatoria dũtaxat, exemplo Plinij ductus, plura hic de eo referre ſuperuacuum habeo. Mihi quidẽ hactenus herba hæc incomperta eſt. Quare eam relinquamus in hortis Veneris, quos ipſa ad delicias & amatoria tantùm colit, donec quis Deæ chariſſimus hanc herbam edoctus, eam nobis quoque indicare poſſit. Verùm non ob id prætermittam commemorare, non deeſſe rei herbariæ ſtudioſos, qui plantam, cuius hic imaginem damus,* PHYTEVMA *eſſe cenſeant, quòd perforatum gerat capitulum & folia ſtruthij modo oblonga: ſed eſto etiam aliorum iudicium. Naſcitur in montibus & alijs quoque locis. Huius, tanquam ſuperuacuæ & inutilis herbæ, Galenus & Paulus nuſquam, quod legerim, inter ſimplicia meminerunt. φύτευμα vt Græce, ita etiam Phyteuma Latinè dicitur: Italis, Phiteuma.*

Phyteumatis conſideratio.

Nomina.

Phyteumatis nomine alij Reſedæ ſpeciem, alij Antirrhini: Matthiolus, Campanulam proponit, in cuius figura flores deſiderantur, & ſolùm Capitula, quæ floribus ſuccedunt, pinguntur. Hæc ergo Phyteuma dicitur Matthiol. Cæſalpin. hoc nomine, & Lugdunenſis pinxit. Campanula cærulea ſatiua,

Dod.gal. Campanula cærulea ſiue hortenſis, Lugd. Campana cærulea, Geſ.hor. Campanula media, Dod. fol. Campanula perſici folia noſtras, Lob. Campanula anguſtifolia, Taber. Campanulæ genus Phyteuma Matthiolo dictum, Cluſ.hiſt.Pann. Rapunculus campanulatus Nerij folius, Thalyo.

## Λεοντοπόδιον. LEONTOPODIVM. CAP. CXXVI.

LEontopodium duûm digitorum herbula eſt, folia ferens anguſta, longitudine ternûm, quaternûmve digitorum hirſuta, quæ iuxta radicem lanoſiore flocco caneſcunt: capitula in ſummo caule quaſi perforata: flores nigri: ſemen vſqueadeò ſpiſſa lanugine inuolutum eſt, vt ſæpe fallat: radice parua cohæret, quam tradunt appenſam ad amatoria prodeſſe, & tubercula diſcutere.

I. LEONTOPODIVM VERVM. II. PSEVDOLEONTOPODIVM.





Leontopodii conſideratio. *NOn dubito quin plantam, cuius hic imaginem damus, legitimum ſit Leontopodium. Siquidem herbula eſt duûm, ternumve digitorum: folijs anguſtis, trium quoque digitorum menſura, hirſutis, auerſa parte caneſcentibus, & præſertim quæ circa radicem ſunt. Capitulis in ſummo caule quaſi foraminibus diſtinctis: floribus nigricantibus, & ſemine denſa admodum lanugine implicato. Radice parua, tenuique. Hanc è Baldo monte allatam miſit ad me Verona Franciſcus Calzolarius Pharmacopœus inſignis ad auream campanam.* Pſeudoleontopodium. *Eſt & alia planta, cuius quoque imaginem expreſſimus, & paſſim in Bohemia naſcitur, quæ tametſi longiori ſit caule, quàm deceat, omnes tamen Leontopodij notas habet. Ideoq; eam Leontopodium alterum appellare libuit.* Brunfelſij erratum. *Cæterùm hic non eſt audiendus Brunfelſius, qui Stellariam herbam vulgò vocatam, in ſuo Onomaſtico Leontopodium eſſe ſcribit. Qua in re non minus hallucinatus deprehenditur, quàm in alijs compluribus.* Nomina. *Vocant ita λεοντοπόδιον Græci, vt Latini quoque Leontopodium: Itali, Leontopodio.*

I. Gnaphalium alpinum magno flore, C.B. Leontopodium verum, Matt. Leontopodion, Caſt. Tab. Lugd. Leontopodium Matth. & Piloſella minor, Dod.fol. Gnaphalium alpinum, Cluſ.hiſt.Pann. Ab hoc differt Leontopodium à Lob. propoſitum, vt in Hiſtoria docebitur. II. Gnaphalium maximum virgatum, C.B. Pſeudoleontopodium, Matth. Lugd. Leontopodium alterum vulgare, Cam. Heliochryſos ſyluestris, Trag. Chryſocome Germanica, Lob. Chryſocome lanuginoſa, Lugd. Gnaphalium Anglicum folio longiore, Aduer. Lob. in icon. Gnaphalium maius, Tab. Herba Impia in montibus, Cæſalpino.

## Ἱππόγλωσσον. HIPPOGLOSSVM. CAP. CXXVII.

a Meum θάμνισκος, i. paruus frutex.

HIppogloſſon, a frutex eſt folia habens ruſci tenuis figura, & ſpinoſam comam, & in ſummo ceu linguas è foliis exeuntes. Capitis dolorem corona ex comis impoſita minuit: malagmatis radix, ſuccuſque admiſcetur.

Hippogloſſi conſideratio. *HIppogloſſum frutex eſt folijs ruſci maioribus, polygonati ſimilibus, ſecundum longitudinem frequenter ſtriatis, è quorum medio ligulæ quædam folioſæ aſſurgunt, ſub quibus rubentes exoriuntur baccæ, vt in ruſco. Radicem habet albam, geniculatam, ac duram. Quod in folijs veluti prominẽtes linguas proferat, Biſlinguam vocat Hetruria, alij verò Bonifaciam. Naſcitur hæc frequentiſſima in Liguriæ Alpibus, Vrbinati agro, & quibuſdam ſyluoſis montibus non longè à Goritia,*

HIPPOGLOSSVM.



*Goritienſi comitatu, quà iter eſt in Hydriam ad argenti viui fodinas. Veruntamen nõ eſt hæc Laurus Alexandrina, aut Idea, de qua infra ſuo loco diſſeremus, vt in ſuo inſigni de plant. hiſt. commẽtario exiſtimat Fuchſius. Quandoquidem Laurus Alexãdrina è foliorum vmbilico nullam aculeatam exerit linguam, ſed tantùm fructum rotundum tiliæ modo longiori pediculo appenſum profert. Hippogloſſum recẽtiores longe pluribus commendant viribus, quam fecerint antiqui ſcriptores: nam, vt illi tradunt, in vteri affectibus magno datur iuuamento. Quo fit, vt ſtrangulatu vuluæ laborantibus mulieribus radicis, aut herbæ puluis cochlearis menſura, ex vino, vel iure hauſtus, præſentaneo remedio opem ferat. Eſt & ad puerorum enterocelas præſtantiſſimum medicamentũ, ſi diutius diluculo hauriatur puluis idem ſeſquidrachmæ põdere ex maioris ſymphyti decocto. Verùm id ſumentibus euenit, quòd primis tantùm diebus adeò ramicem pulſare percipiant, vt inteſtina foras prolabi velle videantur: quare ſubcingulis, faſciis, & fibulis reprimentibus, roborantibusq́; primis diebus vti opus eſt. Quæ planta Græcis ἱππόγλωσσον, Latinis ſimiliter Hippogloſſum appellatur: Italis, Bislingua, & Bonifacia: Germanis, Zepfflin Kraut: Hiſpanis, Lengoa de cauallo: Gallis, Lingua pagana, Bislingua.*

Hippogloſ. non eſt Laur. Alex.

Hippogloſſi vires Matth.

Nomina.

Hippogloſſum duplex eſt, alterum in quo fructus pediculo, alterũ in quo folio, inſidet. Hippogloſſum fructu pediculo inſidente, C.B. Hippogloſſ. Matth. Lac. Dod. gal. & fol. Turn. Geſ. hor. Lob. Caſt. Cam. Hippoglotton, Cor. in Dioſc. Vuularia, Brunf. Lon. Vuularia mas, Tab. Laurus Alexãdrina, Trag. Fuch. Geſ. hor. Bonifacio, Anguil. Laurus taxa Plinii, Lug. Biſlingua, Cluſ. hiſt. Pann. Ruſco affinis prima, Cæſ. Radix Idæa Dioſcoridis, Columnæ.

Ἀντίῤῥινον.

## ANTIRRHINVM. CAP. CXXVIII.

ANtirrhinon, alij anarrhinon, vocant herbam caule, & foliis anagallidi ſimilem: florem albæ violæ, purpureo, minore tamen, ideoque ſylueſtris a anagallis nominata eſt: ſemine vituli narium ſimili.

ANTIRRHINVM I.



ANTIRRHINVM II.



Tradunt perunctos ea cum oleo lilino, venuſtiores fieri: nec vllo medicamento lædi poſſe, ſi quis appenſum geſtet.

ANTIRRHINVM III.



ANTIRRHINVM IIII.



Antirrhini conſideratio.

*Variat admodum Antirrhini apud veteres hiſtoria. Siquidem Dioſcorides Antirrhinum herbam foliis, & caule anagallidi ſimilem reddidit. Theophraſtus verò eandem aparinæ ſimilem fecit. Veruntamen nos qui quatuor Antirrhini genera obſeruauimus, nullum hactenus vidimus, quod foliis anagallidis, aut Aparinæ vireſceret, vt ex hic appictis imaginibus apparet. Plinius lib. 25. c. 10. rectius fortaſſe, Antirrhinum lino ſimile naſci ſcribit. Vnde facilè ſuſpicor, Dioſcoridis & Theoph. exemplaria hoc in loco deprauata eſſe, atque in aliqua parte vitium latere. Foliis omnes ſunt oblongis, in altero latioribus, in altero verò anguſtioribus, caulibus ramoſis. Cæterùm vt in plantis variat facies, ita quoque in floribus variat color.*

Antirrhini differ.

*Siquidem in vna purpureus, in altera ſubpurpureus, & in cæteris candidus flos emicat. Atqui ex omnibus capita naſcuntur, in quibus ſemen minutum, nigrumq; continetur, vitulinis admodum ſimilia, quæ non niſi magnitudine differunt. Naſcitur in aruis, & in collibus. Illinuntur Antirrhini folia, quinetiam flores, & ſemen, cum roſaceo, & melle ad vteri præfocationes, & menſium difficultates. Herba ſcorpionibus adeò contraria eſt, vt illico ea viſa torpeſcant. Eadem fronti adalligata, præſtat ad delendas oculorum albugines. Quinetiam principum gratiam ſibi conciliari poſſe putant hoc tantum amuleto.*

Antirrhini vires ex Gal.

*Antirrhini meminit Gal. lib. 6. ſimpl. med. vbi de eius viribus ita ſcribit: Antirrhinum, aut anarinum ſemen habet vituli naribus ſimile, ad ſanationes inutile. Ipſum autem adſimilis eſt cum bubonio facultatis, ſed multò minoris. Itaque ex illo de hoc conijcito.*

Nomina.

*Hoc vt Græci Ἀντίῤῥινον, ita etiam Latini Antirrhinum vocant: Itali, Antirrhino vocant: Germani,* Orant/ Sterck Kraut, *ſeu* Streich Kraut. *Hiſpani, Cabezza de ternera: Galli, Moron violet.*

Antirrhinum, quod fructu ſit narium vituli ſimili, quod & Lychnis agria Plinij dicitur: Plures habet differentias. I. Antirrhinum aruenſe maius, C.B. Antirrhinum primum, Matth. Antirrhinum, Turn. Cordo in Dioſc. (cui & Cynocephalæa & Bucranion) Lac. Lon. Antirrhinum ſylueſtre, Phyteuma, Dod. fol. Antirrhinum minus, Geſ. hor. Tab. Antirrhinum minimum, Lob. Antirrhinum paruum, Lugd. (cui & caput ſimiæ.) Antirrhinum medium, Cam. Antirrhinum rubrum aruenſe, Thal. Orontium, Dod. gal. Os leonis alterum, Cæſalpino. Hoc pro Antirrhino quarto Camerarius in ſuo Matthiolo poſuit, & Orontium Archigenis quibuſdam dici, quaſi Aurantium, quod Auriginem morbum ſiue Icterum leuet. II. Antirrhinum maius folio longiore, C.B. Antirrhinum ſecundum, Matth. Lugd. Antirrhinum magnum, Dod. gal. Lugd. Antirrhinum maius, Cam. Antirrhinum, Geſne. hor. Anguil. Dod. fol. Lob. (cui & vulgo Caput canis & Caput vituli Apuleij) Taber. Os leonis vulgo, Cæſalpi. Hoc floribus eſt ex purpura albicantibus ſeu incarnatis, rictu luteo leonini oris, cæruleo. III. Antirrhinum aruenſe minus, C.B. Antirrhinum tertium, Matth. Lugd. Antirrhinum ſylueſtre, Caſtor. Antirrhinum alterum minimum repens, Lob. in icon. Antirrhinum minimum, Thal. Cam. Os leonis in vineis, Cæſalpino. Hoc rariſſimè cubitum æquat, omnibus ſui partibus reliquis minus, floſculis albis, puſillis, capitulo minuto: in aruis, vinetis, & etiam tectis proueniens. IV. Antirrhinum quartum à Matthiolo & Lugdunenſi propoſitum, ſunt qui velint illud eſſe, quod primo loco poſuimus: at cenſemus eſſe Antirrhinum album, parum à ſecundo varians.

Καταναγκη

## Κατανάγκη. CATANANCE. CAP. CXXIX.

EX eo genere vna, folia coronopi habet, longa: radicem iunci modo prætenuem: capitula ſena ſeptenave, in quibus erui ſemen ineſt. Areſcens in terram flectitur, & ſe cōtrahit ad ſpeciem vnguium milui exanimati. Altera mali parui magnitudinem explet, radice exiguæ oliuæ magnitudine, folijs quoq; oliuæ colore & figura, mollibus, diuiſis, humi inclinatis: ſemen vt cicer, minutum, in virgulis dependet, punicei coloris, multis foraminibus pertuſum. Vtranque narrant in amatoria expeti. Theſſalicæ mulieres his vti traduntur.

*NEutrum equidem Catanances genus hactenus me comperiſſe fateor, neque aliquem ſcio in Italia, qui alterum ſaltem legitime nouerit. Sed nihil certe referre arbitror, quippe quod ea rebus venereis tantum conueniant, & amatorijs naſcantur. Proinde mulieribus Theſſalicis relinquenda ſunt, quibus olim fuit vſus: præſertim cùm hac ætate homines in venerem admodum procliues ſint, atque etiam multi nimis calleant amatoria: tantùm abeſt, vt etiam huiuſcemodi herbarum, ſi cognoſcerentur, auxilia ijs indicari debuiſſent. Cæterùm exiſtimat Ruellius, in hoc ſubſcribens Hermolao, ſecundi generis Catanancen rectè eam herbam dici poſſe, quam herbariorum vulgus Biſtortam appellat. Sed meo quidem iudicio errat Ruellius, quod Biſtorta dicta rumicis folia proferat, & radices quandoque humani brachij craſſitudine, anguium modo contortas: non autem parux oliuæ magnitudine, velut altera Catanance. Nomen eius Græcum κατανάγκη Latinum item Catanance.*

Catanances conſideratio.

Ruellij error.

Nomina.

## Τριπόλιον. TRIPOLION. CAP. CXXX.

TRipolion in marinis naſcitur locis, quæ allidit vnda, recedenſque dimittit, neque in mari, neque in ſicco: folio glaſti craſſiore: palmeo caule, in mucrone diuiſo. Eius, vt tradunt, flores colorem ter die mutant; manè candidi, meridie purpurei, ſerò punicei conſpiciuntur. Radice alba, odorata, calidi guſtus. Quæ drachmis duabus in vino pota, aquam, vrinamque per aluum extrahit. In medicamenta digeritur, quæ venena arcent.

* TVRPETVM OFFICINARVM. *



*TRipolium Serapioni Turbit appellatur. Quapropter crediderè nonnulli, Turbit vulgò vocatū Dioſcoridis eſſe Tripolium, præſertim quòd ipſum & album, & deiectoria facultatis eſſe deprehenderent. Veruntamen rem aliter ſe habere illud argumento eſt, quòd communis vſus Turpetum nullo commendetur odore, nec guſtui acredinem relinquat, ſed tantùm ſalſedinis, & aſperitatis quidpiam. Ex quibus ſane notis aſſerere licet, Tripolium in Italia non reperiri, neque aliunde aduehi: quemadmodum nec Turbit, de quo diſſeruit Auicēna, quem etiam Dioſcoridis Tripolium intellexiſſe reor. Cæterùm ab his longè differre videtur TVRBIT, quod à Meſue deſcribitur, noſtrati Turpeto omnibus prorſus notis reſpondens. Ait enim Turbit radicem eſſe herbæ folia ferulæ minora ferentis, triplicíq; notari differentia, nempe alba, ſubcinerea, & nigra. Quæ quidem omnia in noſtri vſus Turpeto diligenter intuentibus facilè ſeſe offerunt. Siquidem in Turpeti radicibus, quæ ex orientali plaga ad nos deferuntur, omnes hi reperiuntur colores: non tamen quòd putem, eos ita factos eſſe tantùm ex ipſius plantæ natura, ſed quòd ob vetuſtatem, & aduentitij aeris humorem radices hæ corrumpantur & nigreſcant, illoſq; ſibi aſciſcant colores. Cuius rei in cauſa etiam eſſe poteſt maris, per quod conuehitur, exorta procella, vndis triremes ſuperantibus, quibus madefactæ radices facilè ſitum, vel nigredinem contrahunt. Præterea cùm aſſerat Actuarius, nil aliud eſſe album Turpetum, quàm Alypiæ radicem, eorum planè refellitur opinio, qui Meſuem erraſſe exiſtimant, quòd album Turpetum dixerit plantæ radicem eſſe, quæ folia ferret ferulacea: quandoquidem alypum, ſiue alypia, vt in ſequentibus docebit Dioſcorides, folijs tenuibus proſilit, quemadmodum & ferula. Ex his igitur, vt arbitror, abundè liquet, Turpetum tam Meſui, quam Actuario alypiæ eſſe radicem. Eſt & aliud Turpetum, quod potius pſeudoturpetum dixerim, craſſius, & cortice nigrius, quod ex Gargano Apuliæ monte conuehitur duplici genere, quoniam vnum è thapſiæ, alterum è pityuſa radicibus concinnant impoſtores, à quibus hæc omnia didicimus. Non itaque ab re ſcripſit Actuarius, nigrum Turpetum radicem eſſe pityuſæ. Verùm hoc (vt mea fert opinio) Meſuis Turpetum haudquaquam fuerit, cum ipſius Turpetum nil aliud eſſe exiſtimem, vt paulò antè diximus, quam alypiæ radicem. Quanquam putat Braſauolus, nulla tamen, quod equidem ſciam, ratione vel authoritate nixus, apud Meſuem Turpetum omnino tithymali myrſinitæ radicem eſſe. Sed quantum myrti folia à ferulæ folijs differant, qui neſciunt, rei herbariæ peritos conſulant. Fuchſius porrò libro de compoſitione med. turpetum, de quo Meſues egit, è Thapſiæ radicibus exemptum exiſtimat. Sed ipſius quoque ſententia mihi planè, vt libere dicam, reprobanda videtur: nam è veteribus nullum hactenus reperi, qui Thapſiam lacteo ſucco turgere ſcribat: cùm tamen Meſui Turpetum à planta eximatur, quæ plurimo lacte madet. Præſtat in Turpeti genere album ex Orientali plaga allatum, reſinoſum, minime carioſum. Deijcit hoc pituitam, craſſos lentoſq; humores ad articulorum compagines defluentes, remotioreſq; corporis partes.*

Tripolii conſideratio.

Turpeti conſideratio.

Turpetum albū, Alypiæ radix.

Pſeudoturpetum Garganicum.

Braſauoli erratum.

Fuch. opinio reiecta.

Turpeti vires

*Ventriculum expurgat, & quæ illi penitus inhærent excrementa: detergit item & pectus à pituita lentore. Datur magno iuuamento aqua intercute laborantibus: item elephantiacis, & Gallica lue affectis: quin & ijs, qui morbis ab exuſtis humoribus prouenientibus ſunt obnoxij. Prodeſt diuturnis febribus, & in vniuerſum vbi pituita redundat: verum qui ſumunt cauere debent à piſcium eſu, & auſtrali flatu. Sed iã ad Tripolium noſtra redeat oratio. Reperio hac in hiſtoria nos parum hallucinatum eſſe Plinium lib. 21. ca. 7. vbi turpiter Tripolium cum polio herba confudit, adeò vt aſſerere non dubitauerit, polium ter in die foliorum mutare colorem. Id quod de Tripolij floribus tradidere tum Dioſcorides, tũ cæteri quorum reliqui. Tripolij quam breuiſſimè meminit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, ita ſcribens: Tripolij radix guſtãti acris eſt, & facultate calida in tertio exceſſu. Quod Græci τριπόλιον, Latini quoq; Tripoliũ dicunt: Itali, Tripolio*

Plinii lapſus.

Tripolii vires ex Gal.

Nomina.

## Α'δίαντον. ADIANTVM. CAP. CXXXI.

a Meum. μέλανα, ἰσχυρὰ λεπτά. i. nigri validi, tenues.

ADianton, polytrichon, puſilla gerit folia, ſimilia coriandri, in ſummo inciſuris diuiſa: cauliculi, quibus exoriuntur, a nigro colore nitent, prętenues, palmum alti: radice ſuperuacua: neque caulem, neque fructum, neque florem profert. Decoctum herbæ potum, prodeſt ſpirandi difficultati, ſuſpirioſis, lieni, & felle ſuffuſis, & vrinæ difficili: calculos frangit, aluum ſiſtit, ſerpentiũ morſibus auxilio eſt: contra ſtomachi fluxiones in vino bibitur: ſecundas ciet, & menſtrua: ſanguinis reiectiones inhibet. Contra ſerpentium morſus cruda herba illinitur, alopecias denſat, ſtrumas diſcutit: furfures, & manantia capitis vlcera ex lixiuio emendat: defluentes capillos continet, cum ladano, & myrtino, & ſuſino, aut hyſſopo, vinoque. Decoctum eius cum lixiuio, & vino infuſum, idem præſtat. Coturnices, & gallinaceos pugnaciores facit, in cibos eorum additum. Seritur gratia vtilitatis pecorum circa ouilia. Vmbroſis, & paluſtribus, & circa parietum aſpergines, & fontium ſpecus enaſcitur.

I. ADIANTVM.



*II. ADIANTVM SYRIACVM.*



## Τριχομανὲς. TRICHOMANES. CAP. CXXXII.

a Meum μικρὸν λίαν. i. valde paruũ. b Meũ. ὑπομέλανα. i. ſubnigra.

TRichomanes naſcitur eiſdem in locis, quibus adianton: filici ſimile, ſed a exilius: foliis lenticulæ, tenuibus, in ordinem vtrinque digeſtis, aduerſis in ſe, ramulis tenuibus, acerbis, b fuſco colore ſplendentibus. Eadem quæ & adianton præſtare poſſe conſtat.

Adianti, & Trichomanis confid.

*ADiantum officinæ Capillum Veneris appellant. Duo eius genera Theophraſtus aſsignauit libro 7. capit. 13. de plantarum hiſtoria, vbi ita ſcriptum reliquit: Adianti folium in aqua nunquam madeſcit, nec quicquam adhæſiſſe humoris conſtat: vnde & nomen herba accepit. Genera eius duo, candidum, atque nigrum. Ambo ad defluuium capillorum vtilia, oleo trita. Naſcuntur maximè locis humidis: hæc Theophraſtus. Cui ſubſcribit Plinius: licet confuſè ſatis, libro 22. capit. 21. dum ſic inquit: Aliud Adianto miraculum, æſtate viret, bruma non marceſcit, aquas reſpuit: perfuſum merſumue ſicco ſimile eſt, tanta diſſociatio deprehenditur, vnde & nomen à Græcis. Quidam callitrichon vocant, alii polytrichon, vtrunque ab effectu. Duo eius genera, candidius, & nigrum, breuiuſque. Id quod maius eſt Polytrichon, aliud Trichomanes vocant. Vtrique ramuli nigro colore nitent, foliis filicis, ex quibus inferiora aſpera, ac fuſca ſunt:*

III. TRICHOMANES.



omnia autem contrarijs pediculis denſa inter ſe ex aduerſo: radix nulla. Vmbroſas petras, parietumq́; aſpergines, ac fontium maximè ſpecus ſequitur, & ſaxa manantia: quod miremur, cum aquas non ſentiat: ita Plinius. In quibus nimirum verbis manifeſtè deprehenditur ipſe Plinius Trichomanes, quod & Filiculam appellamus, in ſecundi Adiãti locum retuliſſe, quippe qui perperam fortaſſe acceperit Theophraſti ſententiam, à quo illa mutuatus eſt. Nam Theophraſtus vbi de vtroq; Adiãti genere diſſeruiſſet, eodem loco citato ſtatim de Trichomane hæc verba ſubiunxit: Trichomanes vel ad diſtillationes vrinæ vnicè facit, vt aliqui exiſtimant. Caulem hæc adianto nigro ſimilem gerit, folia admodum parua, denſa, aduerſa, inter ſeſe condita: radicem minimam. Loca amat opaca: hactenus Theophraſtus. Ex quibus liquidò apparet, Theophraſto Trichomanes, quod Fidicula à Theodoro vertitur, nullum Adianti genus eſſe, ſed per ſe ſuiq; generis plantam: quòd enim Fidiculam dixerit cauliculum ferre nigro adianto ſimilem, clariſſimè oſtendit, candidum Adiãtum cum Trichomane nullam habere cognationem. Hinc itaq; facilè crediderim, Adiantum nigrum, quòd caule filiculã referat, nobis legitimum eſſe, id ſanè intelligens, quòd Capillum Veneris paſſim nominant. Candidum verò eam plantam eſſe aliquando putaui, quæ vnà cum Trichomane in petris, parietum, ac fontium aſperginibus, ſpecubus, & humentibus locis naſcitur: folijs nigricantibus, minutim lacinatis, luteas maculas quàm plurimas auerſa parte habentibus: caule viridi, gracili, flexilique: quam nonnulli, eò quòd folijs rutam æmuletur, & in muris proueniat, Rutam murariam cognominant, alij Saxifragam dicunt. Sed nunc equidem hanc eandem cum Paronychia Dioſcoridis eſſe opinor, vt etiam ſuperius in ſua mentione monuimus. Cæterùm Fuchſius, hanc herbam pro Saxifraga Dioſcoridis depinxit in ſuis de ſtirpium hiſtoria commentarijs. Verùm quòd hæc folio conſtet rutæ, illa verò thymi, cur planè eius ſententiam comprobem, non habeo. Adianti meminit Galenus lib. 6. ſimpl. m. dic. ſic de eius viribus ſcribens: Adiantum in caliditate quidem, & frigiditate ſymmetrum eſt, verùm deſiccat, & extenuat, & diſcutit. Etenim alopecias capillis veſtit, & ſtrumas & abſceſſus digerit, lapidesq́; frangit epotum. Viſcoſorum, craſſorumq́; è pectore pulmoneq́; excreationibus non mediocriter confert, & ventris profluuium ſiſtit: non tamen vllam manifeſtam caliditatem aſſert, ſicut nec frigiditatem. Verùm poſuerit ipſum quiſpiam ſecundum hanc oppoſitionem, & temperiem in ordine medio. Trichomanis autem meminit lib. 8 eorundem ſimpl. medic. vbi ſubſcribens Dioſcoridi, hæc tantùm retulit: Trichomanes eadem præſtat, quæ adiantum: hactenus Galenus. Porrò Adiantum, vt Meſues inter ſua ſimplicia refert, aluum ſubducit, bilem, & pituitam deijcit, craſſaq́; excrementa, quæ diu interioribus inheſere. Pectus & pulmonem detergit, ſanguinem clarificat, bonum facit halitum, animam dilatat, & iecur & ventriculum purgat, præſertim ſi obſtructione laborent: tametſi ad eorum infarctus potentius ſit eius dilutum ex apij, aut endiuiæ aqua paratum, aut ex cicerum nigrorum iure, aut caprino ſero. Sed ſi addatur ſaccharum, lateris inflammationes ſanat, & vrinam trahit. Eius præterea decoctum frequentius potum calculos frangit, & fœminas à partu purgat. Hos autem effectus præbet calida tantùm facultate, quæ illi ineſt. At adſtringente vi, qua etiamnum pollet, defluxiones inhibet: fluentem ſanguinem ſiſtit, ventriculum roborat, & capillorum defluuium vſque adeò emendat, vt non modò eos cohibeat, ſed & renaſci faciat, præſertim emplaſtri modo impoſitum, myrtino oleo, ladano, & auſtero vino additis. Idem præſtat & combuſti cinis, quinetiam eius ex vino decoctum, furfures reiteratis lotionibus depellit. Eius cinis hæc omnia poteſt, & ægilopas curat. Ipſius diluti libra epota commodiſſimè aluus ſubducitur. Herba, quæ Græcis ἀδίαντον, Latinis pariter Adiantum nominatur. Officinis, Capillus veneris. Arabibus, Berſiegnaſcen. ſeu Berſauſan & Chulbare albir: Italis & alijs vulgò, Capel venere: Germanis, Frawenhaar: Hiſpanis, Culantrillo de pozo: Gallis, Capil venere. Quæ verò τριχομανὲς Græcè, Latinè Trichomanes. Polytrichum & Callitrichum dicitur: Italis & Officinis Politrico: Germanis, Steinbrech: Hiſpanis, Politrico: Gallis, Polytricen.

Plinij lapſus.

Adianti, & Trichomanis vires ex Gal.

Adianti vires ex Meſue.

Nomina.

Adiantum duplex propoſuimus, Gallicum, quod Monſpelio vbi prouenit, Lugdunum (quare Lugdunenſe dictum) adfertur, & Orientale. I. Adiantum Matth. Fuchſ. Turn. Anguil. Lacu. Dodo. gal. & fo. Lobel. Caſtor. Lugdun. Adiantum magnum, Trag. Adiantum candidum, Fuchſ. in icon. Adiantum nigrum, Cordo in Dioſc. & hiſto. Adiantum nigrum verum, Taber. Capillus veneris vulgo & Meſuæo, Cæſalpino, Callitrichon Apuleij. II. Adianthum Syriacum Tabernæmontano. III. Trichomanes Matth. Trag Fuchſ. Turn. Lacu. Dod. gal. & fol. Cordo in hiſto. & Dioſco. (cui & Polytrichon pharmacopœorum) Geſ. hort. Anguil. Lob. Lugd. Cam. Trichomanes mas, Tab. [illegible]richomanes nigrum, Thalyo. Adiantum rubrum, Lonic. Polytricum vulgo, Cæſal. Saxifraga mi[illegible]ma, Brunfelſo.

## Ξάνθιον. XANTHIVM, SIVE LAPPA. CAP. CXXXIII.

XAnthium naſcitur læto, & pingui ſolo, & lacubus exiccatis, caule cubitali, anguloſo, pingui, prodeuntibus ex eo crebris alis: folia atriplicis habet, inſecta, naſturtium odore imitantia: fructum grandis oliuæ modo, rotundum, & vt Platani pilula, ſpinoſum, qui contactu veſtibus adhæreſcit. Is antè collectus quàm perfectè ſiceſcat, tunditur, & fictili vaſe reconditur. Flauos autem facit capillos, ſi acetabuli inſtar tepida aqua madeſcat, mox caput, nitro antè perfrictum, illinatur. Alij in vino tundunt, & ita aſſeruant. Semen aptiſſimè tumoribus imponitur.

Xanthij cõſideratio.

Xanthij vires ex Gal.

Nomina.

## XANTHIVM.



XAnthium, quod vulgus Lappam minorem cognominat, omnibus vulgatiſſimum eſt: quandoquidem publicis viæque ſemitis, & exiccatis ſcrobibus, lacubusq; naſcatur. Huic meo quidem iudicio, omnes conueniunt notæ, nulla prorſus reclamante, quæ Xanthio à Dioſcoride tribuuntur: nam præterquàm quòd caulem gerit angulosum, ac pinguem, folia, quæ ſubalbida ſunt, atriplicis effigiem referunt, per ambitum ſerrata, naſturtium odore imitantia. Prodeunt etiam è caule ramuli, quibus racematim fructus oliuæ figura dependet, aculeatus ceu platani pilula, qui matureſcens, cùm tangitur, veſtibus pertinaciter adhæret. Paucis admodum huius herbæ vires deſcripſit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Xanthium vocatur etiam phaſganium. Fructus diſcutiendi vim obtinet. Hæc planta Græcis ξάνθιον appellatur: Latinis quoque Xanthium. Italis, Lappola minore: Germanis, Bettlersleuß / vnd Spitzkletten: Hiſpanis, Lappa menor: Gallis, Gloteron, & Grappellas.

Xanthium: Matth. Fuch. Turn. Dodo. gal. & fr. Cord. in Dioſc. & hiſto. Lacu. (cui & Bardana minor) Geſ. hort. Lonic. Lob. Cæſal. Caſtor. Thal. Lugd. Lappa minor, Brunf. Trag. Taber. Dicitur & Strumaria, vnde Aëtius Chęradolethron & Philanthropon nominari ſcribit.

## Αἰγίλωψ. ÆGILOPS SIVE FESTVCA. CAP. CXXXIV.

AEgilops herbula folia tritici habens, ſed molliora, in ſummo capite ſemina bina ternaue rubra, e quibus ariſtæ quaſi capillaceæ exeunt. Illita cum farina herba ægilopijs medetur, duritias diſcutit. Succus farinæ admiſtus ſiccatur, & eorundem gratia reponitur.

Aegilopis conſid.

NAſcitur frequens Aegilops inter ſegetes, ſed frequentiſſima inter hordeum, foliò tritici, culmo prætenui, in cuius cacumine bina ternaue rubra ſemina dependent, putamine ac etiam figura hordeũ referentia, breuiora tamen, tumentia

I. AEGILOPS I.



II. AEGILOPS II.



ſtriat

ſtriataq́;. Ex his numeroſæ prodeunt ariſtæ, tenues, prælongæ, & acutæ. Eſt & alia planta, quam antea legitimam cenſebam ægilopam, tum quod obſeruatum ſit hordeum in hanc degenerare, tum quod terna quaternaue ſemina, ipſaq́; rubra in vnaquaque ſpica ferat: tenuibus ariſtis inde prominentibus. Proinde errant ij, vt equidem arbitror, qui Aegilopem, & auenam idem eſſe contendunt, quandoquidem etſi primo ſtatim intuitu Aegilops auenæ faciem referre videatur, diligenter tamen ſingulas eius notas expendenti, facilè & diſcrimen, & error deprehendetur. Etenim Auena in ſtipulæ cacuminibus grana profert, longiuſculis appenſa pediculis, oblongis folliculis contecta, bipedum locuſtarum effigiem repræſentantibus. At Aegilops tenuiſſimas fert ſpicas, tribus, aut quatuor tantùm granis contentas, auenæ ferè modo dependentibus: è quibus ariſtæ prodeunt capillorum inſtar tenues, rubentes, & auenæ longiores. Quòd autem ita ſe res habeat, manifeſtum præbet indicium ipſe Dioſcorides: vtpote qui de Auena libro ſecundo inter cerealia abundè ſcripſerit, neque bis ſeorſumq́; eiuſdem plantæ hiſtoriam tractare ſoleat: ſuperuacaneum enim fuiſſet idem repetere, & inordinatum eidem inconſultò addere. Huc accedit, quod ſi notæ, quæ vtrique plantæ à Dioſcoride redduntur, inuicem conferantur, haud dubie alteram ab altera tum facie, tū viribus, longe differre cōperietur. Namq́; Dioſcorides Auenā, quam Βρόμον ἢ αἰγίλωπα vocauit, depinxit ſtipula geniculis intercepta, dependentibus in cacumine paruulis veluti locuſtis bipedibus, in quib. ſemen concluditur. Aegilopa verò in ſummo capite ſemina bina, aut terna rubra habentem, ariſtis capillaceis. Porrò cùm libro ſecundo de viribus Auenæ diſſereret, inquit: Huius ſemen non ſecus atque hordeum, vtile eſt ad cataplaſmata. Pulte eius aluus ſiſtitur: prodeſt tuſſientibus in ſorbitione ſuccus. Verum hic de viribus Aegilopis ſcribens, herbam eius ad ſinuoſos oculorum abſceſſus, quos Græci ægilopas vocant, & ad duritias diſcutiendas commendauit: ſuccumque farinæ admiſtum ad idem valere prodidit. Quæ ſane omnia ni fallor, apertiſſimè demonſtrant, ægilopem auenæ quàm maximè repugnare. Aegilopem ex hordei vitio fieri, ſicut lolium ex tritico nimia vligine, teſtis eſt Galenus libro primo, capite vltimo de alimentorum facultatibus: vbi ita ſcribit. In tritico quidem frequens loliū ſæpe inuenitur: in hordeis verò reperitur, ſed paucū: quam autē ægilopem appellant, ea in hordeis frequens inuenitur, cum prima generatio, vel incrementum ipſis non rectè ſucceſſerit. Porrò pater meus ætate iam declinante, cùm agricultura delectaretur, triticum, ac hordeum aliquando ſeminauit, omnibus diuerſi generis ſeminibus, quæ ipſis erant admiſta, diligenter ſelectis, quò certò cognoſceret, num ex ipſorum mutatione lolium & ægilops naſcerentur, an propriam hæc quoq́; ſemina naturam haberent. Cùm autem forte vnà cum puris ſeminibus in tritico quidem frequens lolium, in hordeo autem parum, ſed magnam ægilopis vim enatam conſpiceret, in alijs quoque ſeminibus itidem experiri eſt agreſſus. hactenus Galenus. Cæterùm ipſe quoq́; teſtari poſſum, me ſæpenumero in Anania valle audiuiſſe agricolas conqueri, quod hordeum degeneraſſet in Squalam: ſic enim ipſi Aegilopem hanc ſecundam vocant. Aegilopis vires retulit Galenus li. 6. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Aegilops digerendi vim poſſidet, id quod ex guſtu patet: leuiter enim eſt acris. Verùm & ex eo liquet, quòd phlegmonas induratas, & ægilopas ſanat: hæc Galenus. Cuius etiam teſtimonio ſatis planum fieri poteſt, Auenam, & Aegilopem inter ſe diſſidere, quod de ijs ſeorſum egerit, & ſingulis diuerſas vires reddiderit. Quæ Græce αἰγίλωψ, Latinè etiam Aegilops dicitur: Arabicè, Dauſir, Daliſit, Doſana, Dauſer, ſiue Daſer: Italicè, Egilopa ſiue orzo ſaluatico. At Aegilops altera, Italis, Vena vana: Ananienſibus Squala.

Error quorũdam.

Aegylopis ex hordeo generatio.

Squala.

Aegylopis vires ex Gal.

Nomina.

Feſtuca ſterilis, Vitium auenæ, C. B. Ægylops, Matth. in primis editionibus (hanc enim ſolum propoſuit) Lacu. Taber. Aegylops prima, Matth. in poſtremis editionibus. Aegylops altera, eidem in Compendio. Ægylops alia, Eidem in poſtremæ editionis commentarijs. Aegylops vera, Geſ. hor. Lolij primum genus, Trago quo ad deſcriptionem. Bromus & Auena herba, Dod. gal. Bromos herba, Dod. fol. Lugdu. Bromos ſterilis, Lobel. in icon. Bromos feſtucago Gazæ, Lobel. Feſtuca, Lonic. Auena Græca, Cæſalpino.
II. Feſtuca ſiue Aegilops vera, C. B. Aegylops ſecunda, Matth. in poſtremis editio. Aegylops ſiue Feſtuca Eidem in compendio. Aegylops, Dod. fol. Lugd. Aegylops peregrina, Taber. Feſtuca, ſiue Aegylops Narbonenſis, Lobel. Frumentum ſylueſtre, Caſtor. Triticum ſylueſtre in Sicilia, Cæſalpino.

## Βρῶμος. BROMVS. CAP. CXXXV.

BRomus a herba ægilopi ſimilis, exiccatoriam vim habēs. Decoquitur cum ſua radice in aqua ad tertias & iuri colato par modus mellis adijcitur: rurſus incoquitur, dum liquidi mellis craſſitudo fiat. Linteum eo humore imbutum, & b naribus inditum, c contra graueolentiam vlcerum efficax eſt. Aliqui tritam aloen addunt, & eo modo vtuntur. Cum ſiccis roſis cocta in vino, grauem oris halitum emendat.

a Meum addi. ὅ δὲ στράγγιον, οἱ δὲ ἀκρόσπελος i. quē & ſiphonium & acroſpelū
b Meū ἐπὶ τῶν ὀζαινικῶν βρέχων. i. ad narium vlcera inſuſum.
c Cat. στόματος δυσωδίαν i. oris graueolentiam.

TAmetſi non deſunt Dioſcoridis ſtudioſi, atque etiam interpretes, qui putant, Bromum huic loco illegitimè accreuiſſe quòd de ea quoque libro ſecundo idem Dioſcorides tractauerit, aliud que non ſit Bromos, quàm Auena: nos tamen longè aliter ſentimus. Mea ſiquidem ſententia eſt, eritque donec melior ab alijs proferatur, quòd Dioſcorides, vbi ſecundo libro Bromum inter ſegetes, legumina, & alia frugum genera, quæ ſatione prouenīūt, deſcripſit, de ſatiua Bromo tantùm intellexerit: hic verò, vbi de his, quæ ſponte naſcuntur, diſſerit, nobis ſylueſtrem Bromum reddat. Hæc vulgaris notitia eſt, domeſticæ auenæ in omnibus perſimilis, granis tamen maioribus, nigrioribus, hirſutioribusq́;. Bromi huius mentionem feciſſe opinor Plinium libro 22. cap. 25. dum ſic inquit. Bromos ſemen eſt ſpicam ferentis herbæ: naſcitur inter vitia ſegetis auenæ Græcæ, genere, & folio, & ſtipula triticum imitatur. In cacuminibus depēdentes paruulas velut locuſtas habet. Semen vtile ad cataplaſmata, atque hordeum, & ſimilia. Βρῶμος; ita Græcè, vt Latinè Bromus & Auena ſylueſtris nominatur: Italicè, Vena ſaluatica.

Nomina.

## Γλαύξ. GLAVX. CAP. CXXXVI.

GLaux cytiſo, aut lenticulæ folijs ſimilis, quæ ſupernè virent, auerſaque candidiora ſpectantur: ramuli à terra exiliunt quini ſeniue, tenues ab radice: dodrantem alti: flores violæ albæ, purpurei exeunt, minores tamen: naſcitur iuxta mare. Coquitur cum hordeacea farina, ſale, & oleo in ſorbitione, ad reuocandam extincti lactis vbertatem.

QVanquam ſcribit Dioſcorides iuxta mare naſci Glaucem, eam tamen ipſe hactenus nuſquàm reperi, neque ab aliquo compertā audiui. Niſi Ruellio adſtipulari velimus, qui eā herbam Glaucem putat eſſe, quæ fruticat multis caulib.

Glaucis conſideratio.

folijs

## GALEGA, SIVE RVTA capraria.



Galega.

Ruellij opin. exploſa.

Glaucis vires ex Gal.

Nomina.

*folijs oblongis, in ordinem vtrinque digeſtis, ciceris modo, ſubter cæſijs, supernè viridibus: flore purpureo, paruo, ſiliquâ teręte, non in aduncum vt fœni græci corniculata. Hæc etſi Ruellio teſte nullum apud Gallos inuenerit nomen, à quibuſdam (vt ſuperius libro tertio commentati ſumus, eiusq; hîc nunc imaginem damus, cum ibi ſit prætermiſſa) GALEGA, ab alijs Ruta capraria. in Hetruria verò vulgò appellatur Lauamani, ſiue vt quidam alij Lauamani, quod prope riuos aquarum naſcatur, vbi manus lauantes ruſtici, hac planta ſaponis vice ſibi ſordidum lutum abſtergunt. Verùm cùm videamus huiuſce plantæ flores, & caules, qui ſe quandoque ad bicubitalem altitudinem attollunt, Glaucis faciem non repræſentare, cogimur dicere Ruellium hac in re hallucinatum deprehendi: præſertim quòd Glaux, Dioſcoride & Plinio authoribus, inuenitur iuxta mare: Galega verò in vliginoſis locis, in ſcrobium aggeribus, in montibus, & denique paſsim ferè prouenit. Huic plantæ recentiores aßignant vires non vulgares contra peſtilentiam, & venenoſorum animalium morſus: in quorum remedium herba per ſe eſtur, atque etiam exterius illinitur. Sunt & qui eam morbo comitiali laborantibus auxiliari prædicent: in quem vſum eius ſuccum exhibent, drachmarum quatuor pondere. Quòd autem hæc extinctum lac reuocet, ad quod Glaux à Dioſcoride commendatur, non equidem auſim aſſerere, cùm nullum inueniam, qui Galegam his viribus præſtare teſtetur. Glaucis meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum de eius viribus diſſerens in hunc modum. Glaux herba, & ipſa lactis generandi vim obtinere videtur. Quod ſi ita ſit, calida quodammodo, humidaque fuerit temperamento. Ea æquè Græcis γλαὺξ, atque Latinis Glaux appellatur.*

Galegam ſupra lib 3. cap. 48. deſcripſit: quæ dicitur Galega ſiue ruta Capraria. Matth. Lacu. Caſtor. Lugd. Camer. Galega, Dodo. gal. & fol. Geſner. hort. Lobel. Lonic. Ruta Capraria Geſ. hort. Taber. & Fenugræcum ſylueſtre, Onobrychis, Geſ. & Fracaſtorio. Caprago vulgo, Cæſalp.

## Πολύγαλον. POLYGALA. CAP. CXXXVII.

Polygala palmi altitudinem petit, folijs lenticulæ, guſtu adſtricto. Quæ pota, lactis abundantiam facit.

I. POLYGALA.



*II. ASTRAGALVS ALPINVS.



Polyga-

*Polygala cuius hic imaginem appinximus, miſit ad me Verona Franciſcus Calzolarius pharmacopœus inſignis. Prouenit in collibus apricis, & incultis locis. Quæ an legitima ſit, pro certo decernere non auſim, quòd tam pauca eius traduntur notæ, tum à Dioſcoride, tum etiam à Plinio, vt non facilè aliquid certi de ea determinari poſſit. Verùm quoniam hæc planta palmarem longitudinem non excedit, & folia lenticulæ habet, & guſtu eſt adſtricto, facilè adducor ad credendum, eam legitimam eſſe polygalam: & præſertim cùm ipſe Calzolarius ſcribat, multiplici ſibi experimento conſtare, huius plantæ vſu lac in mulieribus copioſum prouenire: mihi planè incomperta eſt: neque id temerè fateri licet, quòd tam paucæ eius traduntur notæ tum à Dioſcoride, tum etiam à Plinio, vt admodum difficile ſit decernere, quæ nobis hodie ſeſe offerat planta, cui Polygala nomen rectè competere poſſit. Hæc Græcè πολύγαλον, Polygalum quoque & Polygala Latinè dicitur. Italis Poligala.* Polygalæ conſideratio. Nomina.

I. Quam Polygalam cenſuit Matthiolus, eandem Lugdunenſis & Tabernæmontanus ſub ipſius nomine poſuere, verùm Caſtori Aſtragalus dicitur, & Lobelio Aſtragaloides herbariorum, Aſtragalus fortè Matthioli, vel iam demum Polygala eiuſdem. II. Aſtragalus alpinus. D. Camerarius in locum Polygalæ Matthioli hanc ſubſtituit, quam, imitatus Geſnerum, Polygalam vocauit, quæ Aſtragali Monſpelienſium nomine à Cluſ. hiſt. Hiſpanica proponi videtur, & in Lugdunenſi hiſtoria Aſtragalus purpureus dicitur.

## ὄσυρις. OSYRIS. CAP. CXXXVIII.

OSyris frutex eſt niger, ramulos ferens tenues, lentos, fractuque contumaces: & in his folia quaterna quina, ſenaue, ceu lini, nigra initio, dein colore mutato rubeſcentia. Decoctum eius potum iuuat arquatos.

OSYRIS.



*OSyris, quòd folijs, & caule lini faciem repræſentet, officinis Linaria appellatur. Naſcitur ferè vbique in campis, & agrorum aggeribus. Huius flores, quos tamen omiſit Dioſcorides, numeroſi à medio vſque ad ſummum viſuntur, ſylueſtris cumini ſecundi generis modo, verùm in hoc purpurei ſunt, in illa ſublutei. Sunt tamen qui velint, Oſyrim eam eſſe plantam, quam vulgò nos appellamus Bel vedere, quòd bellè denſiſſimeq; fruticet, vireatq; per æſtatem, non ſolum in hortis, & viridarijs ſata, ſed etiam in fictilibus ornandi feneſtras gratia. Qui verò ita exiſtimant, eo ducuntur argumento, quòd hæc non modò creſcat folijs lino ſimilibus, ſed quòd etiam nunc ſeratur à multis ad ſcopas ex ea parandas. Quandoquidem id à Galeno dictum volunt in ſimplicium cenſu, vbi verbum κορήματα (ita enim legendum eſt, non autem κακορήματα, vt male habent codices) non ſolum medicamenta quæ faciem venuſtant: verùm etiam ſcopas Græcis ſignificare arbitrantur, quemadmodum & Cornarius in Aetio interpretatur. Quorum equidem ſententiam non prorſus improbandam cenſeo, quoniam palam eſt, hanc plantam folijs linum referre, & ad ſcopas conſuendas aptiſſimam eſſe: tametſi Dioſcoridis placitis ea non admodum adſtipuletur, ſicuti nec alia vocata Linaria, quòd neutrius folia è nigro, quod viderim, in rubrum mutetur, quodq; harum ramuli longè plura habeant folia, quàm quina, vel ſena. Vidi quoque alias plantas, quas, non deerant, qui legitimam facerent Oſyrim: verùm cum etiam in his nonnulla deſiderarentur oſyridis notæ, non libuit eorum probare ſententiam. Oſyridis hiſtoriam tradidit etiam Plinius lib. 27. cap. 12. vbi ita ſcriptum reliquit: Oſyris ramulos fert nigros, tenues, lentos: & in his folia nigra, ceu lini: ſemenque in ramulis nigrum initio, dein colore mutato rubeſcens: hæc Plinius. In quibus, meo iudicio, lapſus deprehenditur ipſe Plinius, quòd ijs notis depinxerit huius plantæ ſemen, quæ folijs reddidit Dioſcorides, à quo tamen Plinius illa mutuatus eſt. Tametſi hoc loco Linariæ herbæ vulgo vocatæ imaginem appinximus vulgum ſecuti, non ob id tamen ipſam legitimam Oſyridem facimus. De viribus Oſyridis Galenus libro 8. ſimpl. medic. diſſeruit ijs verbis: Oſyridi, inquit, herbæ ex qua κορήματα (ſiue ſcopas, ſiue medicamenta, quæ cutē exterunt, & lauigant, interpreteris) fieri ſolent, amara ineſt qualitas, & obſtructiones expediendi facultas: quare & in iecinore conſiſtentes obſtructiones adiuuat. Herba hæc ὄσυρις Græcis, Latinis item Oſyris dicitur: Germanis Harnkraut: Italis pariter & Hiſpanis, Linaria: Gallis Linaire.* Oſyridis conſideratio. Beluedere. Plinij lapſus. Oſyridis vires ex Gal.

Linaria vulgaris lutea flore maiore hic propoſita, an Oſyris, imò an Antirrhinum Plinij ſit meritò dubitatur: dicitur Oſyris, Matth. Fuchſ. Turn. Dod. gal. Lacu. Cord. in Dioſ. Lob. Lugd. (cui & Vrinalis & Vrinaria) Caſtor. Oſyris maior, Taber. Linaria, Brunf. Linaria prima, Lonic. Dodo. fol. Linaria vulgo, Geſ. hort. Cæſal. Linaria vulgaris, Cam. Pſeudolinum, Brunfelſo.

## Σμίλαξ τραχεῖα. SMILAX ASPERA. CAP. CXXXIX.

SMilax aſpera, folia habet periclymeni: ſarmenta tenuia, multa, rubi modo, aut paliuri aculeata: arbores ſcandit, ab imo ad ſumma perreptans, ſe conuoluens eis, a fert racemos exiles, qui maturi rubeſcūt, guſtum- a Meū καρπὸν ἔχει βοτρυώδη. i. fructū habet racemoſum.

I. SMILAX ASPERA.



guſtumque leniter mordent. Naſcitur in paluſtribus, & aſperis: radice dura, craſſaque. Folia & acini, & ante, & poſt epoti, venenoſorum antidota ſunt. Traduntur, infantibus nuper in lucem editis, quid ex his tritum propinetur, nulla poſtmodum venena nocitura. Inciditur etiam ad alexipharmaca, id eſt, ad ea medicamenta, quibus venena arceantur.

## Σμίλαξ λεῖα. SMILAX LÆVIS. CAP. CXL.

LÆuis Smilacis folia hederæ ſimilitudinem habent, molliora, læuiora, tenuiora: huius ſarmenta ſupradictæ ſimilia, nullis horrent ſpinis: conuoluitur arboribus, vt prior: fructum parit lupini modo nigrum, exiguum: floribus in a cacumine perpetuis, multis, rotundis. Hac Smilace, quadam topiariorum arte, tentoria contra æſtus moleſtiam factitantur: folia per autumnum decidua. Semine cum Dorycnio poto, b ternis ſingulorum obolis, varia & tumultuoſa in ſomnis obſeruari traduntur.

a Meũ & Cat. κατὰ πᾶσαν τὴν σμίλακα i. per totam ſmilacem.
b Meũ τριώβολον ἀπ' ἑκατέρου i. vtrunq; triũ obolorum Atticorum.
Smilacis aſperæ hiſtor. ex Theophr.

*Smilax aſpera Hetruſcis Hedera ſpinoſa, ſiue Rubus ceruinus nominatur. Hanc diligentiſſimè perſecutus eſt Theophraſtus libro tertio capite vltimo de plantarum hiſtoria, vbi ita ſcriptum reliquit: Smilax, id eſt, hedera Cilicia amplexicaulis ipſa quoque aſſurgit, frutex aculeatus, & velut præhorridus: folium hederæ, paruum, ſine angulo, iuxta pediculi retinaculum humectum. peculiare, quòd medium ſpinulum callum, qui inſtar ſpinæ animantium ſecat, prætentum habet, & interualla ſtaminea, non ex eo porrecta, vt cætera, ſed circa eum in orbem circumacta, ab annexu pediculi ducit, ad caulem verò foliorum internodia conſummantur: iulus ab eiſdem pediculis atque folia, tenuis, ſeque conuoluens dependet. Flos candidus, ſuauiter olens, verno prouenens tempore, fructus proximus Solano, atque Melothro, & maximè vuæ labruſcæ vocitatæ. Racemi penſiles vt hederæ ſunt, verùm ad labruſcam potius accedunt, nam de eodem puncto pediculi acinorum exeunt. Colore fructus rutilus eſt: nucleos in vniuerſum quidem binos continet, quanquam grandior ternos, & paruulus vnum. Nucleus durus admodum eſt, & colore forinſecus niger. Peculiare racemis, quòd per latera caulium ſepiunt, poſtremoque cauli racemus omnium maximus propendet, ſicut in rhamno, & rubo: vnde fit vt extremo fructifera, & latere largè fructifera iſta ſpectetur. Hactenus Theophraſti de Smilace aſpera ſententia. Hanc eius radicis eſſe plãtam affirmant, quam Hiſpani Zarzam parillam vocant. De qua cum ſuperius primo libro vbi de ligno Guaiaco egimus, latius ſcriptum ſit, hic eadem repetere haud operæpretium eſſe cenſemus, ſiquidem eò ſe conferre poterunt lectores, qui Zarzæ parillæ hiſtoriam, & vires legere voluerint. Zarzæ parillæ plantam, cuius imaginem hic appingi curauimus, miſit ad me Cypro dum hæc commentaria prælis ſubeſſent, Bartholomeus Rholleus medicus, & rei plantariæ peritus, atque etiam Cõſtãtinus Syluestrius pharmacopæus Ariminẽſis: atque eam ob cauſam legitimam Zarzam parillam hanc plantam eſſe putamus, quòd omnibus ſuis notis alteram referat, quæ ex Hiſpanijs antea transmiſſa fuerat. Verùm tametſi folijs habeatur aſperæ ſmilacis, ij tamen minora, & auerſa parte minimè aculeata ſpectantur: quinimò etiã nec viticulæ ſpinis rigent. Quo fit, vt iã fateri poſſim inter Smilacem aſperam, & Zarzam parillam nõnullam intercedere differentiam. Cæterùm ob id à mea non dimoueor opinione, nempe vt hæ plantæ genere, ita & viribus non differunt. Quæ autem Smilax læuis appellatur, ſi ea non eſt, cuius hic iconem expreſſimus, alia ſanè in præſentia ad manus nõ eſt, quæ magis læuem ſmilacẽ referat quam hæc, in qua nihil deſideratur, præterquã ſeminis facies, quæ nullã prorſus cũ lupinis conformitatem*

II. ZARZAPARILLA.



Zarza parilla.

Smilacis læuis hiſtor.

III. SMILAX LAEVIS.



IV. LVPVLVS



formitatem habet, non auſim tamen legitimam affirmare. Hæc itaque vbique ferè prouenit, ſed præſertim in Hetruria, vbi paſſim frequentiſſima inuenitur. Incolæ eam vulgo vocant Vilucchio maggiore. Hæc folijs aſpetam quadantenus imitatur, nec ſecus ac illa arbores ſcandit, ſeq; conuoluit eis, proxima quæque vinciens: verùm ſarmentis, ſiue ramulis conſtat, non vt altera horridis, aculeatiſque, ſed læuibus, flexilibus, ac lentis. Flores profert candidos, calathi effigie: è quibus ſemen prodit atrum. Officinæ hanc plantam Volubilem nuncupant. Cuius tamen plura Mauritanis habentur genera, quorum vnum illud eſt, quod LVPVLVM appellant. Huius etſi apud medicos ætatis noſtræ frequentiſſimus ſit vſus, addaturque ab ijs in quàm plurima medicamenta, nihil tamen de eo, quod equidem inuenerim, Galenus, & Dioſcorides, aliјque veteres tam Græci, quàm Latini authores, poſteritatis memoriæ prodiderunt: quanquam non deſunt, qui velint, hunc Plinio eſſe Lupum ſalictarium, ab eo hoc tantùm nomine demonſtratum libro 21. ca. 15. atque ibi inter eas herbas connumeratum, quæ ſponte naſcuntur, quibusque pleræque gentium vtuntur in cibis. Lupulus itaque in Germania, Bohemia, Polonia, & in alijs Septentrionalibus regionibus magna ſanè cultura in campis alitur, ad cereuiſiam conficiendam. Nam abſque lupuli folliculis ea parari nequit. Duûm eſt generum, ſatiuum & ſponte proueniens. Hoc in ſepibus, & frutetis prouenit, illud in campis ſeritur, adactis ſubinde palis, quibus ſe circũuoluit. At facie inter ſe nõ differunt, præterquam magnitudine & exilitate: quandoquidẽ ſatiuũ omnibus ſuis partib. adultius eſt. Planta eſt arbores ſcandens & contexendis pergulis aptiſſima: folijs vitigineis Bryoniæ modo, modò ternis, modo quinis diuiſuris circumſtantibus, aſperis, vt in cucumere. Sarmenta habet prælonga, aſpera, hirſuta & quadantenus aculeata. Flores edit ſubpallidos, racemoſoſque, & folliculos numeroſos, exiles, compactili quadam ſerie dependentes, in quibus atrum, & amarum concluditur ſemen. Lupuli flores, folliculi & radices, excalfaciunt, ſiccant, aperiunt, extenuant, abſtergunt & expurgant, ſanguinem mundant. Atqui turiones, quibus elixis vtimur in acetarijs, cum plus humiditatis habeant, parum quidem, tum excalfaciunt, tum ſiccant. Sunt tamen ſumentibus & cibus, & medicamentum. Namq; ſanguinem mundant, ventrem ſoluunt, in cibum ſumpti vbi prius probè fuerint elixi, obſtructiones aperiunt, nec paruam cum palato ineunt gratiam. Florum, & folliculorum decoctum datur commode potandum cõtra hauſta venena, ſcabiem, Gallicam luem, & cæteros quosque affectus, qui extimam cutim inficiunt, nempe lichenes, ſerpigines, impetigines, alphos & huiuſce generis alios. Datur & in febribus diuturnis, à iocinoris infarctu prouenientibus. Semen tritum, & potui datum ſemidrachmæ pondere, interaneorum animalia necat. Menſes prouocat, & vrinam pellit. Flores, & folliculi in deſeſſionibus additi, præſtant ad induratos, & tumidos fœminarum locos: & ad eos, qui difficulter vrinam reddunt. Lupuli vocati latius meminit Meſues inter ſua deiectoria facultatis medicamenta, vbi hæc ad ſenſum habet. Eſt & aliud Volubilis genus quod LVPVLVS appellatur, folia habens aſpera, cucumeris modo: flores exilibus folliculis ſquamatim compactos, racematimque dependentes, colore ſubcinereo. Hinc flauam bilem detrahit, ſanguinẽ ab ea expurgat, & eius inflammationes extinguit. Sero caprino maceratus, & exhibitus, paulò valentior redditur. Succus cum ſacchato decoctus ſyrupi modo, regio morbo laborantibus medetur. Sed profectò mirum eſt, quòd eo noſtræ ætatis medici tam parcè raroque vtantur, cùm tamen præſtantiſſimum ſit medicamentum quandoquidem tum herba ipſa per ſe, tum etiam ſuccus polentæ admiſtus, capitis dolorem à caliditate contractum tollit. Iecinoris, & ventriculi æſtus mitigat. Syrupus ex ſaccharo, & eius ſucco paratus, vtiliſſimè exhibetur in febribus à bile, & ſanguine excitatis: hæc Meſues de Lupulo. Cæterum ad inſtitutum noſtrum reuertamur. Smilacis vtriuſque vires tradidit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic loquiens: Milax (ſic enim Smilacem vocat Galenus) aſpera clauiculis plena eſt, ita vt variè ſurſum deorſumque arboribus circumuoluatur. Folia guſtata aliquid habent acrimoniæ, & alioqui ſi illis vtaris, calefaciunt. Milax læuis facultate quodammodo prædictæ ſimilis eſt. Planta quæ Græcis σμῖλαξ τραχεῖα, Latinis Smi-

Villucchio magiore.

Volubilis offic.

Lupuli mẽtio

Lupuli vires.

Lupuli hiſt. & vires ex Meſ.

Smilacis vtriuſque vires ex Gal.

Nomina.

*nis Smilax aſpera, & Hedera Ciliſſa vocatur: Italis, Hedera ſpinoſa, & Rouo ceruino: Germanis,* Scharpfe Winden: *Gallis, Tan, ſiue Smilax aſpre. Quæ verò* σμίλαξ λεῖα *Græcè, Smilax læuis ſiue lenis Latinè dicitur: Italicè, Vilucchio maggiore: Germanis* Winden oder Zaunglöcklein: *Hiſpanicè, Correguela mayor: Gallicè, Liſet maior, ſeu Campanette. At Lupulus, Italis, Lupolo, Bruſcandolo, ſeu Forancefo: Germanis,* Hopffen: *Gallis: Houblon.*

Smilax, aſpera eſt & læuis, vtriuſque & ſuæ differentiæ. I. Smilax aſpera fructu rubente, C.B. Smilax aſpera, Matth. Fuchſ. Turn. Dod. gal. & fol. Cordo in Dioſc. (cui & hedera ciliſſa) Geſ. hort. Lacu. Lob. Caſtor. Cæſa. Tab. Camer. Lugd. cui & Volubilis acuta vel pungens. Smilax aſpera vera, Trag. Smilax aſpera fructu rutilo, Cluſ. hiſto. Hiſpa. Volubilis aſpera, Lonicero. II. Smilax aſpera Peruuiana ſeu Salſa parilla, de qua ſupra lib. 1. cap. 110. III. Conuoluulus maior albus, C.B. Smilax læuis, Matth. Fuch. Geſ. hor. (cui & Conuoluulus Plinij) Lacu. Caſtor. Smilax læuis alba maior & Coniugulum Catoni, Dod. gal. Smilax læuis maior, Lob. Dod. fol. Volubilis, Brunf. Volubilis maior, Trag. Lonic. Thal. Taber. Helxine ciſſampelos, Cor. in Dioſcorid. Conuoluulus maior, Geſ. hor. Cæſal. Malacociſſus Damocratis, Angul. Iaſione Plinij, Dalechampio in notis in Plinium. IV. Lupulus mas, ſeu Volubilis folijs aſperis Metues, C.B. Lupulus, Matth. Brunf. Turn. Lonic. Dod. fol. Caſtor. Cæſal. Lugd. Taber. Lupulus ſalictarius Fuchſ. Dod. gal. Geſ. hort. Lacu. Ab hoc differt Lupulus fæmina, folijs, quæ circa radicem non laciniata, ſed tantum inciſuris ſerrata & rotũdiora ſunt: floſculis ſubpallidis, qui ſine fructu pereuntes in pollinem luteum abeunt. Vt prior in ſepibus naſcitur. Sunt qui Lupulum marem appellant, qui ſteriles habet flores: & fœminam, cui abſque flore folliculares fructus innaſcuntur, quod & alijs herbis, vt Spinachiæ, Cannabi, tribuunt.

*Μυρσίνη ἀγρία.* RVSCVS. CAP. CXLI.



SYlueſtris myrtus, aliquibus oxymyrſine, aut myrtacantha, Latinis ruſcum appellatur: folium fert myrti, latius, in formam lanceæ mucronatum: baccæ per maturitatem rubeſcunt, rotundæ, à medio folio dependentes, oſſeo intus nucleo: cubitales ramuli ab radice exeunt, vitilium modo lenti, fractu contumaces, folioſi: radice graminis ſimili, acerba, & ſubamara. Folia & baccæ in vino potæ, vrinã cient: menſes pellunt, veſicæ calculos frangunt, ſtillicidio vrinæ medentur, dolores capitis ſanant, & regium morbum. In aſperis, & præcipitibus locis enaſcitur. Decoctum radicis in vino potum, eoſdem præbet effectus. Cauliculi recentes, aſparagorum vice in cibo ſumuntur: amari autem ſunt, ſed vrinam mouent.

Rusci consid.

*RVſcum officinæ corrupto nomine ex literæ additione Bruſcum appellant. Nos vero, quòd arcendis muribus is aptiſſimus ſit, ſi ſalitis appenſis carnibus funiculo circumligetur, Pungi topi Hetruſca lingua dicimus. Germinat hic vere aſparagi modo, turionibus tamen breuioribus, craſſioribus, hirſutisq́; qui elixi manduntur ex oleo, ſale, & aceto. Excalfacit radix, ſiccat, aperit, abſtergit, extenuat. Cæterùm, quòd non obſcurè amarorem guſtui relinquant, in medicamentis potius, quàm in cibis expetuntur: ſunt enim ciendæ vrinæ, aperiendisq́; obſtructionibus perquam idonei. Græci, quòd folijs ſit acutis, & myrtum æmuletur, oxymyrſine, hoc eſt, acuta myrtus appellatur. Ea Græcis* μυρσίνη ἀγρία & ὀξυμυρσίνη *vocatur, Latinis, Ruſcus, & Myrtus ſylueſtris: Arabibus, qui Cubebas cum ruſco confundunt, Cubebe: Italis, Ruſco & Pongi topi: Germanis,* Bruſch: *Hiſpanis, Iusbarba, & Gil barbera: Gallis, Bruſco. Brus.*

Pungi topi.

Nomina.

Ruſcus, Matth. Trag. Cord. in Dioſc. Geſ. hort. Lacu. Lobel. Lugd. Cæſalp. Taber. Camer. Ruſcus verus, Lonic. Ruſcum Dodo. gal. & fol. Myrtus ſylueſtris. Turn. Myrtacantha & murina ſpina, Lob. in icon. Centromirini Theophraſti, & Oxymirſine, Anguillare.

*Δάφνη ἀλεξάνδρεια.* LAVRVS ALEXANDRINA. CAP. CXLII.

a Meum. ἐν μέσῳ. i. in mediis.

LAurus Alexandrina folio eſt ruſci maiore, molliore, & candidiore: ſemine a inter folia rubro, ciceris magnitudine: ramos ſpargit in terra dodrantales, interdum longiores: radice ſylueſtri myrto ſimili, maiore, molliore, odorata: inuenitur in montoſis. Difficiles partus accelerat, radice pota ſex drachmarum pondere in vino dulci, & ſtillicidio vrinæ auxiliatur, ſed ſanguinem extrahit.

Lauri Alexã-drinæ conſid.

*SI laurum Alexandrinam, & Hippogloſſum vnam & eandem plantam eſſe ſenſiſſet Dioſcorides, vt quidam exiſtimant, nulli quidem dubium eſt, quin ſuperuacuum erat, de ijsdem ſeorſum, diuerſis atque etiam proximus capitibus Dioſcoridem diſſerere: vel nulla in earum notis, & viribus reperiretur differentia. Sed quoniam eas ſeorſum tanquam diuerſas tradidit, diuerſasque vtriſque notas aſſignauit, idcirco has plantas inter ſe differre dicatur, neceſſe eſt. Nam etſi vtrique ſua*

I. LAVRVS ALEXANdrina.



II. LAVRVS ALEXANDRINA altera.



*folia ruſci reddiderit Dioſcorides, tamen Hippogloſſum ſtatuit aculeatam gerere comam, & in ſummo ceu linguas è folijs exeuntes: commendauitque comam ad dolorem capitis coronæ modo impoſitam, & radicem, ſuccumque malagmatis admiſceri ſcripſit. Verùm hic in Lauro Alexandrina nec linguarum meminit, nec aculeorum è folijs prodeuntium: tradidit quidem hanc folia habere ruſco ſimilia, ſed maiora, molliora, & candidiora: ramos dodrantales, in terram ſparſos: radicem ruſco ſimilem, maiorem tamen, molliorem, & odoratam. Cui vires tribuit ad difficiles partus, ad vrinæ ſtillicidium, & ad ſanguinem extrahendum. His accedit, quòd (vt Dioſcorides teſtari videtur) Laurus Alexandrina fructum fert rubrum, ciceris magnitudine, inter folia, non autem in medijs folijs, vt hippogloſſum, & ruſcus. Ex his itaque tum notis, tum viribus, quæ in hiſce duabus plantis maximè pugnare deprehenduntur, omnibus abunde conſtare arbitror, hallucinari eos, qui putant Laurum hanc, & hippogloſſum vnam & eandem eſſe plantam. Nos equidem hanc, cuius hic figuram damus, veram ac legitimam Laurum Alexandrinam eſſe cenſemus, quæ (vt pictura pulchrè demonſtrat) non parum ab hippogloſſo differt. Huic alteram adiecimus, quæ & ipſa haud dubiè, ni fallor, fuerit Laurus Alexandrina, ſi huic fructum in medijs folijs inraſci concedamus. Lauri Alexandrinæ vires memoriæ prodidit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Lauri herbæ, quam & Laurum Alexandrinam appellitant, temperatura euidenter eſt calida, & guſtantibus acris ſimul & ſubamara eſt. pota q; tum vrinam tum menſes prolicit.* Lauri Alexandrinæ vires ex Gal. *Planta Græcis δάφνη ἀλεξανδρεία, Latinis Laurus Alexandrina dicitur: Arabibus, Gar Alexandria: Italis, Lauro Aleſſandrino. Gallis, Laurier Alexandrin.* Nomina.

Polygonatum latifolium ramoſum, C.B. Laurus Alexandrina, Matth. Dod. gal. Cam. Hippogloſſum, Lugd. Polygonatum tertium, Cluſ. hiſt. Pann. Polygonatum quartum latifolium, Tabe. Ruſco affinis tertia Cæſalpino. II. Hippogloſſum fructu folio inſidenti, C. B. Laurus Alexandrina altera Matth. Laurus Alexandrina, Lac. Tab. Laurus Alexandrina vera, Lugd. Hippogloſſum, Loni. Ruſco affinis altera, Cæſal.

## Δαφνοειδής. DAPHNOIDES. CAP. CXLIII.

Daphnoides cubiti altitudine fruticat, ramis flexilibus, obſequioſiſque, multis, à medio ſurſum verſus folioſis: cortex ſupra modum viſcoſus ramos veſtit: folia lauri, graciliora, & molliora, fractu contumacia, quorum guſtatu os & fauces incenduntur: flores candidi: bacca, cúm ematuruerit, nigra: radix inutilis: naſcitur in montoſis. Pituitam extrahit folium recens, vel aridum in potu: menſes ciet, & vomitum: caput inanit commanducatum: ſternutamenta mouet. Baccæ quindecim potæ aluum reſoluunt.

## Χαμαιδάφνη. CHAMAEDAPHNE. CAP. CXLIIII.

Chamædaphne virgas emittit cubitales, ſingulari ramulo conſtantes, rectas, tenues, læues: folia lauri ſimilitudine, læuiora multò, ac viridiora: ſemen rotundum, rubens, annexum folijs. Illinuntur capitis doloribus trita folia, & ſtomachi ardores mulcent: ad ſedanda tormina cum vino bibuntur. Potus cum vino ſuccus menſes, & vrinam ciet: idem facit peſſo appoſitus.

I. DAPHNOIDES.



II. CHAMAEDAPHNE.



Daphnoidis, & Chamæda phnes conſideratio.

*DAphnoides, quam officinæ, & herbariorum vulgus Laureolã vocant, frutex eſt vulgaris notitiæ. Prouenit hæc frequens in vallis Ananiæ montibus, Tridentino agro & vbiq; ferè locorum. Nam & in Germania, & in Bohemia, atq; in pleriſq; in locis copioſa viſitur, nullis prorſus reclamantibus notis. Cubitalibus enim aſſurgit virgis, flexilibus, obſequentibusq; folijs numeroſis, ſurſum ſpectantibus, lauro ſimilibus, gracilioribus tamen ac mollioribus, acerrimo guſtu: quin & ramorum cortex admodum tenax eſt. Hinc itaque fit, vt eos errare toto cœlo deprehendatur, qui putent Mezereum Mauritanis*

Mezereum non eſt Daphnoides.

*vocatum eſſe Daphnoidem: quandoquidem Mezereon Chamelæa eſt, de qua ſuo loco diſſeremus. Porrò Chamædaphne, quam Laureolam marem pleriq; cognominãt, folijs ac fructu à Daphnoide non longè differt: verùm hac tantùm internoſcitur differentia, quòd Chãædaphne ſingulari rectoq; caule conſtat, cui folia circum quaq; prominent, adeò vt in cacumine orbem vmbellæ inſtar diradientur: ſemine inde prodeunte Daphnoidis modo. Cæterum, quod vocauerit Plinius Chamædaphnen eam clematidem, quam aliqui Vincam peruincam appellant, credidere quidam hanc Dioſcoridi eſſe Chamædaphnẽ.*

Vinca peruinca Chamædaphne.

*Sed profectò ij falluntur: errorq; omnibus euidentior fiet, quàm vt pluribus explodi poſtulet, ſi modò contemplentur, & conferantur notæ, quibus Vincã peruincã deſcripſit Plin. li. 21. cap. 11. & quibus repræſentauit Chamædaphnen li. 24. cap. Verùm Plinio, quòd clematidi folia ſint lauri, videaturq; humilis laurus, ideo non temerè eam Chamædaphnen dici placuit. Sunt, qui Laureolæ fructum Piper montanum vocent, quamuis ruſticis Ananienſibus nihil aliud ſit piper montanum, quam Dioſcoridis granum Gnidium, vt infra ſuo loco dicemus. Daphnoidis recentia folia contuſa illinuntur vulueribus adiicis tam diu quouſque ruborem, aut veſicas excitent. Daphnoidis, & Chamædaphnes vno tantum capite meminit Galenus lib. 6. ſimplic. medicamentorum, ſic inquiens: Chamædaphnes germina tenera edi quoq; aſſolent. Eſt autem perſimilis viribus lauro Alexandrinæ: ſicut ſane & quod Daphnoides nuncupant. Planta, quæ Græcis δαφνοειδὴς, Latinis item Daphnoides, & Laureola nominatur: Arabibus, Daphnides: Italis, Laureola: Gallis, Laureole. Quæ verò χαμαιδάφνη Græcè, Chamædaphne pariter Latinè dicitur: Arabicè, Chamædaphnes: Italicè, Chamædaphne.*

Piper montanum.

Daphnoidis & Chamædaphnes vires.

Nomina.

Laureola duplex eſt, alia folio teneriore & deciduo, alia folio craſſiore & ſemper virente: I. Laureola Germanica folio teneriore, C. B. Daphnoides Matth. Turn. Fuch. Geſ. hort. (cui & piper montanum Italorum) Lacu. Caſtor. cui & Laureola maior: Daphnoides aliorum Lon. Daphnoides flore purpureo, Tab. Chamelea ſeu Mezereon, Trag. Chamelæa Germanica Dod. gal. & fol. Cam. Thal. an Chamelæa altera, Cæſal. Meſereum Germanicum, Lob. Laurus puſilla, Eidem in iconibus. Laureola fœmina, Lugd. Chamædaphne, Cluſ. hiſto. Panno. Thymelæa, Cord. in Dioſc. Piper montanum Anguillaræ. Glycyrrhizam montanam nominare ſolemus, vt rei herbariæ ignaros fallamus, quod hactenus in omnibus ferè herbationibus contigit. II. Chamædaphne, Matthiolo, Lacu. Loni. Caſtori, cui & Laureola minor. Daphnoides ſeu Laureola, Lugdunenſi. Hanc figuram Matthiolus in maioribus iconibus exhibet: in minoribus etenim vnico caule expreſſit, de qua ſtirpe nonnulli dubitant tanquam de incognita: alij tamen ad Daphnoidem referunt: ſuſpicantur, Matthiolum Laureolam officinarum exprimere voluiſſe.

Ἐλλέβορος λευκός. VERATRVM ALBVM. CAP. CXLV.

ELleborum album Latini veratrum album vocant, fert folia plantaginis, aut betæ ſylueſtris ſimilia, ſed breuiora, & nigriora, rubeſcentia: caulem cauum, quadrantalem, tunicis conuolutum, quæ abdicat

abdicat, cúm areſcere incipit, radicibus nititur multis, tenuibus, ab oblongo, & exiguo capite ceparum modo exeuntibus: naſcitur in montibus, & aſperis. Radices meſsibus colligendæ. Optimum habetur candidum, friabile, carnoſum, modicè extentum, nec a tamen iunci modo mucronatum, quod frangendo puluerem emittit, & tenuem habet medullam, guſtu non admodum feruens, b neque ſaliuam ſubinde ciens: huiuſcemodi autem ſtrangulat. Primatum Cyrenaicum tenet. Galaticum autem, & Cappadocicum candidiora, & puluere quodam obſita, celerius ſtrangulatus mouent. Vomitione autem varios extrahit humores. Collyrijs admiſcetur, quæ caliginem oculorum diſcutiunt: partus impoſitum necat, mẽſes pellit, ſternutamenta excitat: mures interficit, cum melle & polenta ſubactum: abſumit carnes, ſi coquatur vna. Datur per ſe ieiunis, & cum ſeſama, aut ptiſanæ ſucco, aut halicæ, aut lentis cremore, cum aqua mulſa, aut pulte, aut quauis alia ſorbitione. Cogitur cum pane, & ita maſſatur. Pręparatio corporum, ac victus ratio diligenter tradita eſt, cúm ab his qui de medica eius potione ſcriptitarunt, tum maximè à Philonide Siculo Ennenſi, cui nunc aſſentimur. quippe longum nimis eſſet in hac præſertim editione de materia, ſimul medicam curandi rationem exponere. Dant nonnulli in pultis ſorbitione, aut copioſo halicæ cremore, aut paucum antea cibum dari præcipientes, ſtatim veratrum offerunt, ijs præſertim, quibus ſtrangulationis ſuſpicio imminet, aut ſi valetudo corpus infirmat: hoc enim modo deiectio nihil periculi minatur, quòd cibo munitis non intempeſtiue medicamentum corporibus offeratur. Vomitiones concitant ſubditæ ex eo balani cum aceto.

a ὐκ ἀπόξυ, δὲ καὶ σχοινώδη, i. non acutum & iunceum, ita Meum & Ca.
b Μεῦ ἰδὲ ἀθρόως, σίαλον ἐπισπώμενον. i. neque cumulatè ſaliuã attrahẽs.

Ἐλλέβορος μέλας. **VERATRVM NIGRVM. CAP. CXLVI.**

Elleborum nigrum appellatur melampodion, quoniam caprarum paſtor nomine Melampus furentes Prœtidas primus purgaſſe, & ſanaſſe fertur. Folia ei viridia, platani ſimilia: minora, folijs ſphondylij proxima, ſubaſpera, nigriora, pluribus diuiſuris inciſa: caulis aſper, flores in purpura albicantes, racematim cohærentes: ſemen cnici, quod in Anticyra ſeſamoides vocant, quo deiectiones moliuntur. Radicibus conſtant nigris, tenuibus, à capitulo cæpæ ſimili confibratis, quarum eſt vſus. In collibus, aſperis, & a ſitientibus locis enaſcitur. Optimum eſt, quod ex huiuſmodi petitur terris, vt ex Anticyra. Nigrum ibi probatiſsimum gignitur. Eligi debet corpulentum, & plenum, in quo tenuis ſit medulla, acre guſtu, feruensque: cuiuſmodi eſt in Helicone, Parnaſo, & Aetolia natum: attamen Heliconium præcellit. Veratrum nigrum purgat ventrem, detrahit bilem pituitasque, datum per ſe, aut cum ſcammonia, & tribus obolis ſiue drachma ſalis: decoquitur vel cum lente, & iuſculis, quæ purgationis cauſa ſumptitantur. Prodeſt morbis comitialibus, melancholicis, inſanientibus, articularijs doloribus, & reſolutis. Menſes inditum trahit, partus necat: purgat fiſtulas impoſitum, & tertio die detractum. Item contra grauitatem auditus in aurem demittitur, ibique in alterum, aut tertium diem eſſe ſinitur. Scabiem ſanat illitum cum thure, aut cera, & b pice, & cedrino oleo: vitiliginibus, lepris, impetiginibus ex aceto medetur: dentium dolorem collutione mitigat. Erodentibus medicamentis commiſcetur: hydropicorum ventri vtiliſſimè imponitur factum ex eo, farina hordeacea, & vino, cataplaſma. Conſitum proximè radices viti-

a Μεῦ καταξήροις τόποις. i. ſiccis locis.
b Μεῦ ὀρρῶ πίτης. i. Lachryma pini.

I. ELLEBORVM ALBVM. II. ELLEBORVM NIGRVM.





um, vinum purgandi facultate donat. Huius reſparſu domos expurgari arbitrantur: quare inter fodiendum ſtantes Apollinem, Aeſculapiumque precantur, ac vitant aquilæ volatus: aduolare enim non ſine periculo tradunt: namq; ſi auis effoſſionem ellebori cõſpexerit, moriturũ qui ſuccidit, augurium eſt. Celeriter effodiatur oportet, quoniam halitu caput aggrauat: quapropter ad id arcẽdum, foſſuri allium præſumere, & vinum bibere conſueuerunt: nulli ita noxæ opportuni redduntur. Veratri albi modo curatur.

## III. ELLEBO. NIGRVM alterum.



Ellebori vtriuſque conſid.

*Elleborum, quod & Veratrum Latinis dicitur, tam album, quam nigrum omnibus, ni fallor, notum eſt in Italia. Et quamuis inibi vnum tãtùm Ellebori albi genus inueniatur, floribus in toto ferè caule ſpicatis, fului coloris, nigri tamen tria nobis comperta ſunt genera. Vnum quod flores profert purpureos, quales ſuo reddidit Dioſcorides; alterum verò candidos: tertium denique herbaceos. Hæc vt ſpecie diſtinguuntur, ita etiam viribus inuicem differũt: quandoquidem alterum, & tertium genus adeò viribus imbecilla ſunt, vt ferè nihil ad aluum deijciendam præſtent. Id quod facto periculo didici, cùm primum ellebori genus flores ferens purpureos nobis non eſſet ad manus. Huius radicum* Ellebori dilutum. *diluto ex more noſtro parato, hyeme etiam media, & magis vrgente frigore (etſi id improbent medici) præparata prius diutius materia, decoctis ac ſyrupis ad id facientibus, plures quartana febre laborantes ſanauimus. Nunquam enim, quod meminerim, hoc ellebori dilutum dedimus quartanarijs noſtris, quin ex vnica aſſumptione, vel ſaltem altera, Deo iuuante, fuerint ad ſanitatẽ reſtituti. Ceterùm albi quoque ellebori dilutum exhibuimus quibuſdam melancholicis magno ſanè ſucceſſu: nullo tamen ægrotantium incommodo, nullaq; noxa. Quod non alia ex cauſa euenisse puta rim, quam quòd in Tridentino agro, alijsque circumiacentibus locis, ea fortaſſe ſit illius cœli temperies, vt non adeo perniciosis facultatibus ſcateat vtrunque elleborum, quemadmodũ illud, quod in calidioribus prouenit regionibus. tametſi non dubitauerim etiam vtriuſque acerrimam vim reprimi, ac corrigi proprijs quibuſdam additis medicamentis. Parandi modum, ac etiam propinandi, deſcripſimus libro tertio noſtrarum Epiſtolarum, ad Georgium Handſchium Medicum ſcribentes. Viſuntur nigri vniuerſa genera Martio & Aprili mẽſibus, vno & eodem loco florere in ampliſſima ſylua, per quam tranſeunt, qui Goritia Labacum Carniolæ vrbem proficiſcuntur, vbi & nos præſtantiſſimum ſæpius legimus.* Elleb. purpureo flore. *Prouenit quoque Elleborum flore purpureo copioſiſſimum in Auſtria ſuperiori, non longè à Lintzio, prope vrbem quam Steir vocant, vnde quotannis ad me illud mittere ſolet excellens medicus Martinus Stoppius Flandrus. Purpurei radices nigriores, carnoſioresque cæteris habentur: cùm aliorum generum radices vt plurimum ſubalbidæ ſpectentur. Atqui facies non omnibus eadem eſt. Purpureum enim florem gerenti, numeroſa ſunt folia, robuſta, & ſaturatè virentia: ea ſeptẽa ſimul ex apice robuſti canaliculatiq; pediculi, qui quamplures in vniuerſa planta habentur, prodeunt, atqui ſex, quæ vtrinque terna exeunt, in exortu ſimul coniuncta ſpectantur. quod verò medium eſt, per ſe ſolum ſine comite conſiſtit. Caulem gerit hæc planta cubito paulò breuiorem, rotundum, glabrum, ac ſolidum: flores roſarum figura, in purpura albicantes, è quorum medio inter alba quædam capillamenta oboriuntur ſiliquulæ inuicem coniunctæ corniculi figura, in quibus ſemen oblongum concluditur: radicibus nititur numeroſis, longis, tenuibus, ſaturatè nigricantibus, tenui intus matrice, & à bulboſo capitulo á quo caulis exit, prodeuntibus: amaro acrique guſtatu, & qui facilè ſtomachum moueat, odore inſuaui, ac ingrato, & præſertim vbi exenterata radices ſiccescunt.* Elleb. flore albo. *Ceterùm genus alterum, quod florem candidum profert, nihil prorſus facie à præſcripto differt, niſi florum colore.* Pſeudoelleborum. *Tertium verò genus quod nos fœminam, aut Pſeudoelleborum appellandum cenſemus, folia gerit digitis nouem ad pediculum vſque diſſecta, aconiti Cynoctoni ferè modo: ſed longioribus diuiſuris, nigricantia, circumquaq; ſerrata, & è longo ſimoq; pediculo, caua per medium excurrente linea, ortum ducentia. Caulem edit vegetum, ſubaſperumq;: flores cæteris ſimiles, ſed herbaceo colore ſubuirides, aut quadantenus ſubpalleſcentes quinq;, aut plures, emergentibus è medio corniculis acuminatis & vtrinq; compreſſis, in quibus ſemen continetur. Radicibus cohæret numeroſis, tenuibus, palmari longitudine aut etiam longioribus, colore nigricãte, & perinde ac in alijs à cæpaceo capitulo ortum ducentibus: odore pariter graui, & ſapore amaro, acuto, ac nauſeabundo. Naſcitur in montibus, & conuallibus. Germinat omne genus Ianuario, & Februario, ſed Martio floret, ſæpeq; ſuo germinatu niues perforat. Herophilus antiquiſſimus medicus elleborum fortiſſimo duci aſſimilabat:* Herophili ſententia dãnata. *concitatis enim intus omnibus, ipſum inprimis exire dicebat. Ideo errauiſſe antiquos parcius id præbendo, cùm celeriter erumperet, quod daretur largius. Sed hæc Herophili ſententia non placet noſtræ ætatis medicis, neq; etiam nobis, vt quæ pluribus damnari, & explodi poſſit. Elleborus niger boues, equos, & ſues necat: proinde id in paſcuis cauent, quamuis albo innoxiè depaſcantur. Nigri radices demorſis a ſerpente quadrupedibus mirificè medentur, ſi recentes in vulneris oſculum, ſublata a carne cute, immittantur, quod ita eiaculatum reuocent venenum: quin & illud idem prodeſt, ſi gregi peſtilentia ingruerit, in auribus traiecta, vel pectori infixa radice. Qua ratione ducti credidere nonnulli, id etiamnum in hominibus fieri poſſe, quod ſi in perforatam calcanei cutem nigrum elleborum inſeratur, eos omnino à peſtilentia tutos reddat, qui geſtauerint. Ellebori ſemen, Ariſtotele authore, coturnicibus gratiſſimum eſt: quam ob cauſam antiqui eas abdicarunt menſis, quæ tamen hodie magnopere expetuntur. Porro non deſunt è recentioribus, qui putent nigrum communis vſus Elleborum ſubſtituer...*

Elleb. nigrũ non eſſe Conſiliginem.

cui flores herbacei inſunt, non elleborum, nec eius ſpeciem eſſe, ſed eam ſanè plantam, quam Columella, & Plinius Conſiliginem vocant, cuius ſententiæ eſt clariſſ. ac doctiſſ. Fracaſtorius, qui etiam eiuſdem Plinij Enneaphyllon eandem facit, quã que ad pecorum pulmonariam curandã, peſtilentiamq́; arcendam ſummis laudibus efferunt, hoc tantum puto argumẽto fieri, quòd ſcripſerint ij, ſi in morboſi quadrupedis auricula conſiliginis radix inſeratur, perforata ferro prius aure, omnem morbi vim eò confluere, & per illud foramen peſtilens virus elui. Siquidem cùm paſtores huius ætatis obſeruauerint, id totum (vt nos quoq; paulo ante diximus) præſtari tantum illius ellebori radicibus, exiſtimauerunt hoc veratri nigri genus, quod flores rubentes non proferat, vel (vt Dioſc. inquit) in purpura albicantes, & herbaceos, conſiliginem eſſe. Sed ij, mea quidem ſententia, falluntur: quippe Abſyrtus, & Hierocles idem præſtare nigrum veratrum aſſirmant. Quibus etiam ſubſcribit Plin. lib. 25. c. 5. his verbis: Nigrũ elleborum pecorum, & iumentorum pituitas ſanat, ſurculo per aurem traiecto, & poſtera die eadem hora exempto: hæc Plinius. Ex quibus vtique perſpicuum fit, non modo conſiliginis, ſed etiam nigri veratri radicem hæc omnia efficere poſſe. Vanum profectò eſſet dicere, exẽpli gratia, artemiſiam eſſe calaminthum, vel contra, quòd vtraq; remoratos menſes eliciant: quaſi natura adeò fuerit auara, vt vnicuique morborum generi vnum tantum genuerit medicamentum, cùm tamen nullus ſit morbus, cui innumeras non creauerit medicinas, vno & eodem ordine adhibendas. Adde etiam, quod cum nullus extet author, quod ego inuenerim, qui Cõſiliginis hiſtoriam deſcribat, neq; vna quidem nota eius faciem repræſentet, non video, quomodo rectè ij aſſerere poſſint, veratrum noſtri vſus eſſe Cõſiliginem. Sciant itaque velim, qui nigrũ herbacei floris Elleborum ideo Conſiliginem eſſe contẽdunt, quòd peſtilentibus pecorũ morbis præſens remedium ſit, ſi eius radix auriculis, & alijs corporis partibus inſeratur, id ſucceſſu longe meliori effici, ſi rubentis floris elleboro idẽ fiat, eiuſq; expurgari virus illud peſtilens, quod huic vires inſint valentiores. Horũ quidem opinionem vt planè ſequitur Fuchſius vir doctiſſimus in libro de comp. med. quem poſtremò auctum edidit: ita etiam idem, meo iudicio, in manifeſto illorum errore verſatur. Nec Enneaphyllon eſſe putamus, ſiquidem Plinius nuſquã meminerit Enneaphyllon conſiliginem latinis vocari, eamq́; vrentis facit facultatis, & lumborum, coxendicumq́; doloribus vtilem. Cæterùm hic non eſt ſilentio diſſimulanda inepta ſatis, & vana, meo quidẽ iudicio, de nigro veratro opinio Vgonis Solerij, viri alioqui doctiſſimi, vt eius teſtantur ſcholia, quæ nuper in priores Aetij libros edidit. Is enim in prædictis ſcholijs cẽſet, Elleborũ noſtri vſus tam illud, quod flores fert roſarum modo purpureos, quam quod albos, eſſe lycoctoni, vel cynoctoni aconiti ſpecies: quod verò herbidos habet flores, Plinij & Columellæ Conſiliginem, aliorum iudicium ſecutus. Quod quibus rationibus comprobet, ex eius verbis, quæ modò referam, cognoſci poterit. Si quis, inquit, commemoratarum iam plantarum radices diligenter expẽdat, nihil illas cum nigri veratri radicibus (quæ, teſte Dioſcoride, capæ modo bulboſæ ſunt, erumpentibus ab imo earũ bulbo multis radicibus) commune habere multò euidentius comperiet, quam vt pluribus demonſtrari nũc debeat. Taceo nullum ex his plantis dum velluntur, capitis dolorem ob vaporum halitum concitari, vt ipſe millies ſum expertus, id quod in nigri veratri euulſione teſtatur Dioſc. Ex his igitur conſtat, nullam harum trium plantarum ad nigrum veratrum latis aptè poſſe reduci: quin duas priores aconiti lycoctoni poſtremas ſpecies eſſe, poſtremam herbam ſui generis: hæc Solerius. Quibus verbis eum in me egiſſe, licet non apertè, meamq; oppugnaſſe ſententiam, ex hoc plane conijcio, quod nullus, quod ſciam, ante nos ſcripſerit, tria in Italia, ac priuatim in Carniola reperiri nigri veratri genera. Neque id certè ægrè fero, quod libenter audiam, indies nouas in re herbaria proferri ſententias. Velim tamen id liberius, apertius, & firmioribus, tum rationibus, tũ auctoritatibus fieri. Redeo ad Soleriũ, cuius ſanè hæc in re argumenta me facile diluere poſſe ſpero, vtpote quæ (pace eius dixerim) leuia ſatis ſint, & prorſus à veritate declinent. Nam falſum eſſe, ac nimis fortaſſe temere dictum arbitror, quòd Ellebori genera illa, quorum ſuperius meminimus, non mittant radices (vt Solerius aſſerit) tenues, nigras, à cæpaceo quodam capitulo pendentes, ac conſpicuas cum omnibus non modo rei herbariæ peritis, ſed etiam pharmacopolis, ne dicam lippis & tonſoribus, manifeſtum ſit, nigri veratri communis vſus radices non aliunde, quam à bulbaceo quodam tuberculo omni ex parte pendere nigras ac graciles: non autem capæ modo bulboſas eſſe, & ab imo bulbo multas erumpere, vt ille pronunciauit. Vnde facile adducor, vt credam, ſi licet ingenue dicere quod ſentimus, Solerium, aut Dioſcoridis lectionem luxaſſe, aut eam minus rectè percepiſſe, aut parum adhuc rei herbariæ gnarum eſſe, vt qui fortè in ea re non multum laboris inſumpſerit. Quòd autẽ (vt idem ait) ex hoc noſtro Elleboro, dum effoditur, nullus ob vaporum halitum capitis dolor concitetur, & ob hoc illud legitimum eſſe non poſſit, nulla hæc eſt ratio apud me. Neq; enim mirum alicui eſſe debet, cur id non faciat: quoniam Dioſcorides non dicit, quòd Elleborum nigrum effodientibus capitis dolorem inferat, ſed quòd halitu caput aggrauat. Quam nimirum grauitatem id, cui flos purpuraſcit, tanquam cæteris acrius, apud nos ſæpius excitat, præſertim ſi ligone vulnerentur radices, & ventus aduerſa parte ſpiret. Id quod fortaſſe in Anticyra, Helicone, Parnaſo, & Aetolia valentius præſtat: quandoquidem, Dioſcoridis teſtimonio, ijs in locis acre guſtu, feruenſq;, & omnium probatiſſimum gignitur climatis illius ratione, quod in Gallia fortaſſe, & in Germania cœli inclementia non euenit. Cæterùm quòd priora nigri Ellebori genera, quæ flore tum purpureo, tum albo conſtant, aconiti cynoctoni, vel lycoctoni ſint ſpecies (vt Solerius ſibi perperam, mea quidem ſententia, perſuaſit) mihi planè abſurdius videtur, quàm vt ab aliquo approbari poſſit & debeat. Ea ſiquidem aconitorum genera iam omnibus clariſſimè innotuerunt, ſuntq́; caule filicis ſimili, cubito longiore, & radicibus adeò tenuibus, vt ſquillarum marinarum cirris eas comparauerit Dioſcorides. Quæ ſanè omnia in nigro veratro communis vſus nunquam quis inueniat. Huc præterea illud accedit, quòd nobis iam millies experimẽto compertum eſt, nigrum communis vſus veratrum, quòd proprio fungatur munere, atrabiliarios omnes ſanare morbos: fiſtulas callo induratas tribus diebus impoſitum emollire, & purgare: in aurem demiſſum auditus grauitatem auferre: ſcabiem, vitiliginem, lepras, & impetigines illitum emendare: & carnem in vlceribus excreſcentem abſumere. Quibus tamen viribus non Aconitum cynoctonon, ſed Elleborum prædictum eſſe, in confeſſo eſt. Ex his itaque omnibus abundè perſpicuum fieri puto, in hoc Solerij opinionem prorſus explodendam eſſe: etſi idem in alijs quoque non paucis, meo iudicio, falli deprehendatur. Sed iam nos quoque de CONSILIGINE noſtram proferamus ſententiam. Ea quidem nobis hactenus incomperta fuit, quòd neminem ex ſcriptoribus tam veteribus, quam recentioribus inuenerim (vt ſupra dixi) qui eius notas memoriæ prodiderit. Atque adeò hinc fit, vt non auſim ego aſſerere plantam illam, quam hic depingi curauimus, eſſe veram ac legitimam Conſiliginem: neque enim eſt, cuius authoritate fretus poſſim eam radicibus, folijs, caulibus, floribus aut ſeminibus comprobare. Verum quoniam huiuſce plantæ radices per auriculam perforatam inſertæ, pecorum pulmonariam atque etiam alios morbos curant, ellebori nigri modo, non parua mihi oritur ſuſpicio, an fortaſſe Columella & Plinij Conſiliginem præ ſe ferat: non tamen velim hoc affirmanter eſſe dictum, ideoq́; pſeudoelleborum eam appellare libuit. Hanc verò plantam Hieronymus Tragus, cuius ſæpe teſtimonium adfert & probat Geſn. putat eſſe legitimũ Veratrum nigrũ. Sed is vt in hac euidentius errat, quam vt mediocriter etiam in re herbaria verſatis oſtẽdi debeat: ita in multis alijs plãtis, quorũ numerũ referre longum eſſet, à peritis herbarũ facile cognoſcitur vanũ atq; leue iudiciũ habuiſſe.

Vgonis Solerij opinio explosa.

Elleb. nigrũ non eſſe Aconiti ſpeciem.

Conſiliginis conſideratio.

Veratrum nigrum Tragi. Tragus arguitur.

Planta itaque cuius hic imaginem exhibuimus, ad duum palmorum longitudinem aſſurgit, cauliculos emittit tenues ac molles, folia habet longiuſcula, tenuia, quadantenus abrotoni æmula: flores profert buphthalmi, paulò maiores: ex quibus prodeunt capitula oblonga, ruborum moris ſimilia: radicibus nititur nigris, nigrum veratrum æmulantibus, tenuioribus tamen, & aliquantò nigrioribus. Plurima naſcitur in Bohemia, præſertim in agro Pragenſi. Ea vtuntur omnes illius regionis tum medici, tum pharmacopœi pro elleboro nigro: priuatim magno ſucceſſu ad pecorum morbos. Reliquum autem eſt, vt de

*Ellebori vtriuſq; vires.*

vtriuſque Ellebori viribus iam aliquid dicamus. Album, vt Meſues in ſuo de medicamentis deiectorijs cenſu prodidit, peſtiferum eſt, quod facilè homines ſuffocare poſsit: idcirco omnino reiiciendum eſſe præcipit. Nigri tamen vſum probat, ſed in validiſsimus tantùm corporibus. Quod ſanè decretum nonnullos adeo perterruit, vt non modò ſuis medicamentis Elleborum admiſcere non audeant, ſed & nomen abhorreant. Verùm ij ridendo potius timore quodam ducuntur, quàm quod tantopere vſqueadeò elleboro refragari debeant. Siquidem ego teſtari poſſum, me ſexcentis fermè hominibus nigri ellebori dilutum exhibuiſſe nullo prorſus incommodo: atque etiam eiuſdem diluti faciendi rationem quàm plurimos docuiſſe medicos, qui facto ſubinde periculo, effectum conſecuti ſunt, vnde ingentes mihi gratias retulerunt, quæ meritò debentur elleboro. Praeſtat, quod euulſis ſtatim radicibus, interna repurgatur matrice, ſiccaturq; in vmbra. Harum puluis diluto longè fortior eſt:

*Veratri nigri vires ex Actuario.*

ob id enim non datur niſi robuſtis, & vbi occalluerit morbus. Proinde de eo ita ſcriptum reliquit Actuarius in libro de compoſitione medicamentorum: Veratrum nigrum, atram bilem flauamque è toto trahens corpore deorſum, nec tamen cum vllam difficultatem pellit. Ideo febribus circuitu repetentibus, & diuturnis obijcimus. Datur quoque inſanientibus: altera caluaria parte, & ſubter caput diutinè cruciatis commodiſsimum: præſertim viſceribus, vtero, & veſica deiectorium medicamen poſtulantibus. Maxima autem eius vis eſt peculiariter educere, quicquid ſanguini commiſtum, eum corrumpit. Ideo veteraſcentibus arquatis morbis vtile: & quibus in ſuperficie ſummatim aſperitudines emerſerunt, velut lepris, impetiginibus & horum ſimilibus: elephantia quoque laborantibus accommodatum eſt. Datur ſcrupulorum ternûm pondere, aut paulò plus minuſve. Fit è ſiccis radicum fibris, aqua paulùm maceratis: poſtea cortice detracto, & in vmbra ſiccata, proiectaq; tenui, quæ in ipſa ſubeſt medulla. Exhibetur autem ex paſſo, & aceto mulſo: verùm ſuauitatis gratia, quædam ex odoratis ſeminibus inſerenda. Si verò efficaciorem alui deiectionem moliri ſit in animo, ſcammonij pauxillum adijcito: hactenus Actuarius. Cæterùm antiqui Medici albi veratri puluerem propinabant comitialibus, melancholicis, vertiginoſis, inſanientibus, limphaticis, conuulſis, podagricis, reſolutis, hydropicis, & elephantia membrorumq; tremore affectis: ſed iam eius exoleuit vſus, quod in puluere non ſine periculo dari poſsit, etſi eius diluto quàm plurimi abſq; incommodo vtantur.

*Veratri albi vires Matth.*

In lixiuio decocta albi veratri radix, pediculos & lendes necat. Decoquitur in lacte ad muſcas perimendas. Namque vbi deguſtauerint, paulò poſt emoriuntur. Mures quoque necat, & gallinas. Paratur è radicum albi veratri ſucco in Hiſpania arte quadam venenum præſentaneum, quo illinendis ſagittis quibuſdam in locis vtuntur venatores. Id, vt nos ſæpe in brutis animalibus, & gallis gallinaceis periculum fecimus, vbi ſanguinem contigerit, facto cum ſagitta vulnere, paulo

## IV. PSEVDOELLEBORVM.



## V. OPHRIS.



poſt vulneratum animal interficit. Verùm enimuero me in non paruam adduxit admirationem, quòd deuoratum, niſi magna fuerit quantitas, nihil ferè incommodi afferre ſoleat. Ideoq; eo ipſo veſci venatores adfirmant Hiſpani, cum purgationes moliri cupiunt. Ob idq; nihil mirum ſi ferinæ carnes hoc veneni genere infectæ, nihil prorſus comedentibus obſint: verum vbi facto à iaculo vulnere ſanguini ſe immiſcuerit venenum, nullo alio antidoto ſeruari animal poteſt, niſi deuoratis cotoneis malis, aut eorundem ſucco bibito. Id quod à Cæſare Ferdinando primo, Domino meo clementiſſimo, pluries audiui.

*... Ellebori vtriuſq; vires poſteritatis memoriæ tradidit Galenus lib 6. ſimpl. med. ſic inquiens: Elleborus vterque tum albus, tum niger, extergentis ſimul & excalfacientis eſt facultatis. Quamobrem ad alphos, impetigines, ſcabies, lepraſque accommodi ſunt. Quinetiam niger, ſi in fiſtulam callo induratam demiſſus fuerit, duobus tribuſve diebus callum detrahit. Dentibus prodeſt, cum aceto colluentibus. Sunt autem in tertio ordine excalfacientium, & deſiccantium. Porrò niger guſtu calidior eſt, candidus ſubamarus. Hactenus de vtroque Elleboro Galenus. Cæterùm quædam planta reperitur à recentioribus OPHRIS appellata, quæ folius maximè album veratrum repræſentat. Duo tantùm hæc folia profert: inter quæ cauliculus erumpit tenuis, capitulis quibuſdam oblongis paruiſq; in vniuerſum refertus balauſtiorum effigie: e quibus flores exeũt candidi, exiguis linguis ſimiles. Radice nititur gracili, non ſine multis appendicibus, alba, odore præſtanti. Naſcitur in mõtibus & conuallibus. Manſa radix glutinoſum lentorem reddit, ſubdulci ſapore: quare calida fuerit & humida. Præfertur vniuerſa planta ad denigrandos capillos, fracturas ſanandas, & vulnera glutinanda. Illa plãta quæ Græcis ἐλλέϐορος λευκὸς, Latinis Elleborus albus, & Veratrum album appellatur: Arabibus, Cherbachem, ſeu Charbechabaid: Italis, Elleboro bianco: Germanis, Weiß Nießwurtz: Hiſpan. Verde gãbre blanquo, & yerua de balleſte: Gallis, Viraire, Verarum, Veratre, & Ellebore blanc. Illa verò, quæ ἐλλέϐορος μέλας Græcè, Elleborus niger, & Veratrum nigrum Latinè dicitur: Arabicè, Cherbachem, ſeu Charbech aſued: Italicè, Elleboro nero: Germanicè, Chriſtwurtz: Hiſpanicè, Verde gambre negro, & Elleboro: Gallicè, Viraire, & Ellebore noir. At Elleborum alterum, nobis Elleborum fœmina, ſeu Pſeudoelleborum, Græcis, ψευδελλέϐορος: Italis, Elleboro falſo. At Ophris, Italis, Elleboro bianco falſo: Germanis, Zweiblatt.*

> Elleborii vtriuſque vires ex Gal.
> Ophris deſcriptio, & vires.
> Nomina.

Elleborus, παρὰ τὸ ἐλεῖν τῇ βορᾷ, quod eſu perimat, ſi maiori nimirum quàm par ſit, doſi ſumatur: duplex eſt, albus & niger: ille flore vel ſubuiridi, vel atrorubente. Niger, alius fœtidus: alius flore viridi, alius flore magno roſeo, alius Saniculæ folio maior & minor, alius tenuifolius Buphthalmi flore. I. Elleborus albus flore ſubuiridi, C.B. Elleborum album, Matth. Lob. Dod. fol. Caſt. Cæſal. Helleborus albus, Brunf. Trag. Fuch. Cordo in hiſt. Geſn. hor. Lon. Ang. Lug. Cam. Helleb. albus fœmina, Tab. Veratrum album, Turn. Dod. gal. Lac. Cordo in Dioſc. II. Helleborus niger flore roſeo, C.B. Elleborum nigrum, Matth. Caſt. Lugd. Hellebotus niger, Lob. Cam. Elleborus niger verus, Geſ. hor. Elleborus niger ſecundus, Lug. Ellebori nigri alterum genus, Cæſ. Veratrum nigrum primum, Dodo. fol. Veratrum nigrum legitimum, Cluſ. hiſt. Pann. Veratrum nigrum Styriacum, Tab. Planta Leonis, Dod. edit. gallica. Flore eſt roſeo, eſt & albo. III. Helleborus niger flore viridi, C.B. Elleborum nigrum alterum, Matth. Elleborus niger adulterinus domeſticus, Trag. ſeu hortenſis, Fuch. Elleborus niger vulgaris, Geſ. hor. Ceſ. Helleborus niger, Brunf. Cordo in hiſt. Elleborus niger tertius, Lugd. cui & Conſiligo minor: Helleboraſtrum, Turn. Lob. Pſeudoelleborus niger, Dod. gal. Veratrum nigrum, Cor. in Dioſc. Veratrum nigrum ſecundũ, Dod. fol. Tab. Cluſ. hiſt. Pann. IV. Helleborus niger tenuifolius buphthalmi flore, C.B. Pſeudoelleborũ, Matt. Lugd. Elleborus niger verus, Trag. Elleborus niger, Lon. Helleborus niger ferulaceus Theoph. Lobelo: Helleborus Hippocratis, Tab. Elleboraſtrum nigrum, Geſ. hor. (cui & Ellebori nigri ſpecies quorundã) Cam. Helleborine tenuifolia, Cordo in hiſt. Seſamoides minus, Cordo in Dioſ. Geſ. hor. Buphthalmum, Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Anguil. Cluſ. hiſt. Pann. Lugd. Cam. Etſi huius radicem venenum lethale dixerit, Caſtor Durantes, huius tamen radice pro Elleboro nigro frequenter & feliciter vtimur: rectè enim Geſ. dixit hanc eſſe radicibus Ellebori nigri, viribuſque. V. Ophris bifolia, C.B. Ophris, Matth. Fuch. Lacun. Caſt. Lugd. Thal. Cam. Tab. Cæſ. Perfoliata maſcula ſiue ſylueſtris mas, Brunf. Satyrium decimum, Trag. Bifolium, Trag. Dod. gal. Lob. Bifolium ſecundum, Lon. Pſeudoorchis, Dodo. fol. Aliſma, Geſ. de hort. Habetur folio obtuſo & acuto, gemino & terno.

I. SESAMOIDES PARVVM.



Σησαμοειδὲς μέγα. SESAMOIDES MAGNVM. CAP. CXLVII.

SEſamoides magnum in Anticyra elleborum vocant, quoniam albo veratro in purgationibus miſceatur. Simile eſt Senecioni, aut rutæ: longo folio: flore candido: radice gracili ignaua: ſemen guſtu amaro, cætera ſeſamæ ſimile. Ventrem detrahit: datur tritum ad bilis, pituitæq; deiectionem, quantum tribus digitis capitur, addito veratri albi ſeſquiobolo, ex aqua mulſa.

Σησαμοειδὲς μικρόν. SESAMOIDES PARVVM. CAP. CXLVIII.

SEſamoidi paruo cauliculi ſunt dodrantales: folia coronopi, minora, hirſutiora: & in cauliculorum cacumine capitula florum penè purpureorum, medio eorum albo: ſemen ſeſamæ, fuluum, amarum: radix tenuis. Detrahit bilem, pituitaſq; ſemen ex aqua mulſa potum dimidio acetabulo: illitum ex aqua tumores, ac tubercula diſcutit. Naſcitur in aſperis.

*TAmetſi in Commentariis noſtris antea editis, ſcripſimus maioris, & minoris Seſamoidis nullam nos habere cogni-*

> Seſamoidis conſideratio.

## *II. SESAMOIDES PARVVM flore magis completo Camerario.*

Nomina.



*cognitionem, nec inueniſſe quenquam, qui verum aut alterum genus oſtenderet, tractu tamen temporu factum eſt, vt minus à ſolertiſſimis rei plantariæ indagatoribus repertum ſit, notis omnibus perquàm bellè aſtipulantibus, vt ex hac imagine quiſpiam coniicere poterit. Hanc ego Iacobo Antonio Cortuſo Patritio Patauino refero acceptam: verùm an Maius ex Anticyra in Italiam hactenus allatum ſit, mihi ſane incompertum eſt. Hoc Græcis Σησαμοειδὲς μέγα, Latinis Seſamoides magnum dicitur. Illud verò quod Græcis Σησαμοειδὲς μικρὸν, Latinis Seſamoide paruum.*

Hæc ad Seſamoides ab aliis, ab aliis ad Catanancé refertur, Chondrillis adnumeramus. I. Seſamoides primum, Matth. Caſt. Lugd. Cam. Tab. Seſamoides parua Dioſcoridis, Aduer. & Lob. in icon. Chōdrillæ ſpecies tertia, Dod. fol. Catanance quorundam, Lug. II. Seſamoides paruum flore magis completo Camerario, qui ſuo Matthiolo adpoſuit: quam ad intubaceum potius referendum cenſet, cum radix lacte non pauco turgeat: flores cichorio figura reſpōdent, quorum alij ſimplici foliorum textura conſtant: alij denſius ſtipantur, colore cæruleo, ſtaminibus in medio luteis: ſemen ſubnigrum, angulosum, puſillum, ſquamatis capitulis incluſum, quod ſapore eſt dulci, nihil vel minimum amaritudinis obtinente.

Σίκυς ἄγριος.

## CVCVMER SYLVESTRIS. CAP. CXLIX.

CVcumis ſylueſtris fructu ſolo diſtat à ſatiuo cucumere, quem longè minorem parit, oblongis glandibus non diſſimilem: folia, atq; ſarmenta ſatiui refert: radice candida, magna. Naſcitur in ſabuletis, & ruderibus: frutice in totum amaro. Inſtillatus foliorum ſuccus aurium dolori conuenit. Illita ex polenta radix, veterem omnem tumorem diſcutit: impoſita cum reſina terebinthina, tubercula rumpit: iſchiadicis infunditur: podagras diſcutit, decocta ex aceto & illita. Eius decocto dentes in dolore colluuntur. Aridæ farina impetiginem, lepras, & vitiligines abſterget: nigris cicatricibus colorem reddit, & in facie maculas expurgat. Radicis ſuccus ſeſquioboli pondere, & item cortex acetabuli quarta parte, bilem, pituitamq́ue deiiciunt, præſertim in hydropicis: deiectiones autem citra ſtomachi iniuriam mouet. Radicis ſelibra, in vini præſertim Lybici hemina conteritur, danturq́ue ex eo terni cyathi triduo, dum tumor abundè deprimi cernatur. E fructu huiuſce cucumeris fit medicamentum, quod Elaterium vocatur, ad hunc modum. Decerpti cucumeres, qui tacti protinus exiliunt, ſeruantur nocte vna: poſtridie impoſito ſupra craterem rariore cribro, vtriſque manibus prehenſi, ſigillatim ſupino cultro, ſurſum verſus aciem habente, finduntur, atque per cribrum humor in ſubiectum vas exprimitur: ſimulq́ue carnoſum, quod hæſit cribro, quò facilius excidat, eliditur: quod ita preſſum eſt, reſidere ſinitur, atque in vicinam peluim demittitur. Coaceruata autem in cribro ſegmina dulci aqua perfunduntur, & denuo preſſa abiiciuntur. Humor in pelui agitatur, & linteo opertus, ſoli exponitur, dumq́ue ſteterit, tota ſupernatans aqua cum humore concreto, effunditur. Hoc verò identidem fieri ſolet donec exiſtens aqua liqueſcat: qua ſtillatim exhauſta, ſedimentum mortario ſuſcipitur, & conterendo cogitur in paſtillos. Sunt qui ad hauriendam protinus ſucci abundantiam, cribratos cineres humi inſpargant, & medium cauantes, triplicatum linteum obtendant, per quod elaterium cum ſua humiditate diffundunt, ſiccatumq́ue in pila, vt dictum eſt, conterunt. Aliqui pro dulci aqua marinam perfundentes, ita eluunt. Alij in nouiſſima lotione mulſam aquam reſpergunt. Elaterium optimum eſſe conſtat, læue, non ponderoſum, cum candore leniter humectum, guſtu amariſſimum, quodq́ue lucernarum luminibus obiectum, facilè flagret. Porraceum tamen ſcabrumq́ue, ſi turbidum ſpectetur, atque erui cineriſque plenum ſit, graue & vitioſum eſſe ſolet. Nec deſunt, qui cucumis ſucco amylum immiſceant, vt candorem ipſum, & læuitatem imitentur. A bimatu ad decennium deiectionibus vtile eſt. Integer modus obolus eſt, minimus ſemiobolus, pueris chalci duo, ſiquidem copioſius, periculum adfert. Bilem, ac pituitam vtrauis parte extrahit: optima ſuſpirioſis eſt purgatio †: quòd ſi in animo ſit deiectionem moliri, adiecto ſalis duplo, & ſtibij quod colorare ſufficiat, ex aqua, erui magnitudine catapotia dato, poſtea cyathus vnus aquæ tepidæ ſorbeatur. Ad citandas tamen vomitiones aqua diluens elaterium, ſubiectas linguæ partes penitiſſimè penna oblinito: quòd ſi quiſquam difficilius euomat, oleo, aut vnguento irino reſoluito: ſomnum inhibeto. Porrò his, qui cum vacuantur, continuè vinum, & oleum dare conuenit: etenim vomendo reſtituuntur. Quòd ſi vomitiones non finiantur, aqua frigida, polenta, poſca, poma, & quæ ſtomachum denſando corroborant, offerēda ſunt. Ciet elaterium menſes, & partus enecat, in peſſo ſubditum: morbo regio medetur, cum lacte naribus infuſum, & diuturnis capitis doloribus liberat: efficaciſſimè anginis illinitur, cum vetere oleo, melle, aut felle taurino.

Elaterium.

## CVCVMER SYLVESTRIS.



SYlueſtris Cucumis frequens in Hetruria prouenit, præſertim agro noſtro Seneſi in oppidorum plateis, & ſecus mœnia, & ſemitas, incultis & vliginoſis locis. Ex eius fructibus ſuccum exprimunt officinæ, atq; Elaterium vocatum parãt. Viticulas humi fundit bicubitales, ac adeò aſperas, vt contrectantes pungere videantur. Folia illi ſunt ſatiuo cucumeri ſimilia, ſed rudiora, hirſutiora aſperioraq́; & auerſa parte ſubalbicantia, numeroſis intercurſantibus venarum lineamentis, longis, craſſis aſperiſq; pediculis nitẽtia. Flores ex alarum cauitatibus in toto caule prodeunt aurei, ſtellarum figura, ſatiui cucumeris modo, retrò extuberante fructu, qui tandem auctus & longus factus, glandis magnitudinem ſuperat, aut dactylos æquat. Is hiſpidus eſt, & quaſi aculeis horreſcit, qui menſe Auguſto maturus factus, candicat, & ſponte, aut leuius impulſus non ſine impetu à pediculo diſiungitur, & tormẽti inſtar, nigrum, maturumq́; ſemen vna cum ſucco in legentes eiaculatur, quaſi iniuriæ propulſator. Radice nititur dodrantali, & quandoq; longiore, brachiali craſſitudine, cãdida, plena, ſuccoſa, & inſigniter amara, quemadmodum planta tota & fructus. Naſcitur locis incultis, in ſabuletis, ac ruderibus. Officinæ ex fructuum ſucco Elaterium parant. Valerius Cordus nuper editus à Geſnero Galenum reprehendit, quòd dixerit in libro de ſimpl. med. facult. ſemina agreſtis cucumeris omnino eſſe amara: ſed pace mortui Cordi dixerim, falsò Galenum impugnat, cum nuſquam (quod viderim legerimq́;) id ſcripſerit Galenus. Is enim libro quarto de ſimpl. med. facul. cap. 7. quædam cucumerum ſemina amara eſſe dicit, quemadmodum & amygdala, ſed non explicauit, an in agreſti cucumere, vel in ſylueſtri id quandoque reperiatur: quanquam coniectura quadam affirmari poſſit, de ſatiui cucumeris tantùm ſemine Galenum eſſe locutum, vtpote qui legentes admonere voluit, huiuſcemodi ſeminum nucleos qui natura dulces ſunt, quandoq; etiam amareſcere, ſoli, in quo ſeruntur, vitio. Cæterùm de Elaterio diſſerens Theophraſtus li. 9. c. 14. de hiſtoria plantarum, ita ſcribit: Sed omnium medicamentorum diuturniſſimum Elaterium eſt, optimumq́; quod vetuſtiſſimum. Itaq; medicus quidam, vir haud inſolens, neque mendax, elaterium ducentorum annorum, virtute mirabili ſeruare apud ſe retulit, eo a quodam munere donatus. Cauſa, ob quam tam longo ſeruari tempore poſſit, humoris copia eſt: quamobrem vel cum præciderint, in cinere humidum ponunt, & tamen ne ita quidem ſiccari poteſt, ſed vſque ad quinquageſimum annum lucernis admotum lumen extinguit. Hæc igitur vis peculiaris iſti tribuitur: hactenus Theophraſtus. A quo maximè diſſentire videtur Dioſcorides: quippe qui Elaterium dixerit à bimatu ad decennium deiectionibus vtile eſſe. Theophraſtus verò, idem ducentis annis mirabili virtute ſeruatum eſſe ait. Quin & in eo diſcordare deprehenduntur, quòd alter tradiderit tantum humoris in ſe continere Elaterium, vt vſq; ad quinquageſimum annum lucernis admotum lumen extinguat: Alter verò probatiſſimum illud eſſe Elaterium, quod lucernarum luminibus obiectum, facilè flagret. Theophraſto ſubſcribit Plinius lib. 20. cap. 1. vbi ſic inquit: Elaterium vſque ad quinquageſimum annum lucernarum lumina extinguit. Hoc enim veri experimentum eſt, ſi admotum prius quam extinguat, ſcintillare ſurſum ac deorſum cogat: hæc Plinius Theophraſtum ſecutus. Cæterùm hac in re facilè crediderim, Dioſcoridis codicem hoc in loco omnino deprauatum eſſe. Quippe præter Theophraſti, & Plinij ſententiam, cùm omne humidum, quod pingue non ſit, ignis flammam protinus extinguat, nulli profectò dubium eſt, quin Elaterium, in quo humiditas aquea multũ exuperat, potius flammam extinguat, quàm flagret: namq́; flammæ admotum, excitato in humido a calore flatu, lumen extinguit: id quod nobis aliquando experimento cõpertum eſt. Elaterij vires deſcripſit Meſues inter ſua deijcientia medicamenta, vbi in hunc ſenſum inquit: Cucumis ſylueſtris, ſiue aſininus abradit & vaſorum oſcula aperit: proinde & inteſtinorum tormina excitat, & alia adfert nocumenta. Sed tolli hæc omnia poſſunt, ſi addatur aut bdellium, aut tragacanthæ lacryma, aut aqua mulſa cum ſalis modico, aut ſi ex lacte bibatur. Roboratur elaterij vis, addito foſſitij ſalis momento, aut odorato puluere, quem officinæ ſpecies alephanginas vocãt: ijs enim admiſtum felicius quoque operatur. Purgat, vt quidam ferũt, ſcammonij modo. At revera magis pituitã deijcit, quàm bilem: quamuis & hanc quandoque detrahat, præſertim cùm deiectioni parata promptaq́; ſeſe offert. Mirificè præter hæc ſanguinis ſerum expurgat, ab iis potiſſimùm partibus ducens, a quibus ægrè decumbentes humores detrahi ſolent: quamobrem articulorum dolore vexatis opem non modicam præſtat. Radix in aqua elixa, tuſa, & oleo ſubacta cum abſinthio, diuturnam hemicraniam ſanat, ſincipiti & loco dolenti illita, ſi tamen prius eius decocto foueatur locus. Præſtat idem & ſuccus ex lacte naribus immiſſus, quòd cerebrum purget: idcirco & narium tædia delet, & comitiales iuuat. Idem obduratos reſoluit abſceſſus, quemadmodum & ſtrumas, præſertim addito melle, & caprino ſtercore. Radicis, & cucumis ipſius ſuccus aqua intercute laborantibus præſtantiſſimum eſt medicamentum, quòd flauam propriè educat aquam. Ad idem valet & radicis decoctum. Prodeſt præterea arquatis, & iecoris, & lienis obſtructionibus. Item iſchiadicis, tum clyſteribus infuſum, tum etiam ſi decocta radix exterius imponatur. Siccatæ radicis puluis, vulnerum cicatrices attenuat ex melle impoſitus: & ſuggillata ex oculis delet. Eiuſdem ſuccus fabacea farina admiſtus, & linimẽti modo adhibitus maculas omnes, quæ cutis nitorem vitiant, mirifice detergit. Sed animaduertendum eſt, ne plus quàm par ſit hauriatur: quòd reſeratis vaſorum oſculis ſanguinem eliciat. Cucumeris agreſtis vires reddidit Galenus lib. 8. ſimpl. med. his verbis: Cucumeris agreſtis, & fructus ipſius ſuccus, quem vocant Elaterium, & non minimè radicis, ac foliorum, ad medicationes accommodus eſt. Elateriũ itaque menſes ciet, & fœtum interimit appoſitum, ceu alia omnia amara ſimul & ſubtilium partiũ, maximè ſi aliquã habeant caliditatẽ, veluti nimirum Elaterium. Summè ſiquidẽ amarum eſt, leuiter calidum, vt ex ſecundo ſit ordine excalfacientium.

Cucumeris ſylueſtris cõſideratio.

Galen. à Cordi reprehenſ. defenditur.

Elaterium omnium medicamentorum diuturniſſimum.

Plinius de Elaterio.

Elaterii vires ex Meſue.

Cucumeris ſylueſtris vires ex Gal.

*facientium. Porrò tale protinus digerendi vim poſsidet. Sic igitur eo angina laborantes inungunt quidam cum melle, aut oleo vetere. Bonum item eſt regio morbo affectis, fuſum cum lacte in nares. Hoc etiam vſu dolores capitis ſanat. Atque E-laterium quidem eiuſmodi eſt. At radicis ſuccus, vt & foliorum, licet elaterio ſimilem vim habeat, imbecilliorem tamen. Sed & ipſa radix adſimilem facultatem poſsidet: abſtergit namque, digerit, atque emollit. Porrò cortex eius potentius de-ſiccat.* Nomina. *Huius planta Græcis σίκυς ἄγριος appellatur: Latinis, Cucumis anguinus, ſylueſtris, & erraticus: Officinis, Cucumer Aſininus: Arabibus, Cheſe allimar, Kate alhenei, ſeu Chetha alhamar: Italis, Cocomero ſaluatico: Germ.* Wilder Cucu-mer/ & Eſels Cucumer: *Hiſpanis, Cogombrillos amargos: Gallis, Cocombre ſauuage. Eius verò ſuccum Græci ἐλατήριον, Latini ſimiliter Elaterium vocant: Itali, Elaterio.* † *(Quod ſi in animo ſit deiectionem moliri &c.) Duo hic ſunt ab o-mnibus Dioſcor. interpretibus neglecta, quæ facile condonauerim Hermolao, Marcello, & Ruellio: illis quidem, quòd medi-ci non fuerint, huic verò quòd in philologiam ſuam potiſsimum ſtudia collocauerit. At in Cornario, Amatho Luſitano, & Lacuna maiorem intelligentiam requiro, cùm medicos phyſicos ſeſe profeſsi ſint publicè, ac de medicina facienda, etiam po-ſteris monumenta reliquerint. Vnum eſt, quod in omnibus ferè vetuſtis exemplaribus manuſcriptis legitur non ςίμμεως, ſed σινήπεως ὅσον χρῶσαι, cuius vocis abbreuiatione, & cognata literarum ſimilitudine decepti ſunt omnes Latini inter-pretes, quòd verbum ςίμμεως, nihil prorſus ad rem faciat. Nam quid ſtibio crudo cum Elaterio conueniat non video, cùm nulli medicamento purganti veteres vnquam ſtibium adiecerint, neque quicquam tale de eius facultatibus à noſtris ma-ioribus proditum ſit. Sinapi verò additum puto ad vim elaterij roborandam, & malitiam corrigendam, vt Rhabarbaro ſpica. & alia alijs purgantibus adiuncta ſunt, à primis medicinæ parentibus. Quòd autem σινήπεως loco ςίμμεως legen-dum ſit, patet ex ipſius Dioſcoridis volumine de medicamentis facilè parabilibus, vbi de curandis difficilibus reſpiratio-nibus, & aſthmate diſſeruit. Namque ibi ſic habet ἐλατηρίου ∠.α. νίτρου ∠.α. ὁμοίως, σινήπεως ∠.α. καταπότια ποιήσας δίδου. Patet quoque ex Aëtij verbis 2. Tetrab. Serm. 4. cap. 57. vbi Græcum exemplar ab Aldo excuſum, cõtra Cornarium ſic habet: Mirum in modum efficax eſt vomitorium ex elaterio, quo ad occultas anginas vtor, Elaterij obolum dimidium, nitri: ſpumæ obolos tres, ſinapis drachmam vnam. Hæc in aqua diſſoluta redigo in octo catapotia, & mane duo, duoq́; veſpe-ri exhibeo: purgat enim citra moleſtiam supernè, & paroxyſmum magna ex parte ſoluit, & affectum, ſiquis remanſerit arcet. Poſtremò huiuſce cathartici propè vt ab Aëtio deſcripti, meminit Galenus in calce lib. 7. de comp. med. ſecundum lo-cos, inter Andromachi medicamenta. Alterum in quo doctiores deſidero interpretes, eſt quod ὅσον χρῶσαι, Latinè conuerte-rint quantum ad colorem inferendum ſit ſatis, cùm vox ambigua χρῶσαι tum ad colorem, ſeu tincturam, tum etiam ad compagem, & ſolidum pilularum corpus referri queat. Idcirco, vt orationis contextus rei medicæ peritos docere potuiſſet, & ex Heſychio interpretari licuiſſe, χρῶσαι ſignificat etiam προσάπτειν ἢ ψηλαφᾶν, ſeu (vt Barbari loquuntur) incorpo-rare.*

Cucumis ſylueſtris aſininus dictus, C.B. Cucumer ſylueſtris, Matth. Fuch. Lac. Lobel. Cucumis ſylue-ſtris, Trago, Dod. gal. & fol. Lon. Cæſal. Cam. Cucumis anguinus, Turn. Cord. in hiſt. Cucumis erraticus, Geſ. hor. Cucumer aſininus, Tab. Cucumer agreſtis, Brunf. Cord. in Dioſc. Lugd. Ex fructibus decerptis vna nocte ſeruatis, poſtridie cultro ſupino fiſſis, ſuccus deorſum labens in ſubiectum vas, interpoſito cri-bro colligitur & ramenta aqua dulci perfunduntur, & in ſubiectam peluim premuntur. Humor collectus in ſole ſiccatus & in paſtillos firmatus, Elaterium dicitur, Agitatorium apud Theophraſtum Gaza vertit.

## Σταφὶς ἀγρία. STAPHIS AGRIA. CAP. CL.



STaphis agria, ſiue herba pedicularis, folia habet labruſcæ diuiſa: & cauliculos rectos, molles, ni-groſque: fert florem glaſti: & folliculos virides, ſimi-les ciceri, & in his nucleum triangulum, ſcabrum, ex nigro ſubfulueſcentem, intus album, guſtu acrem. Grana quindecim, ſi trita in aqua mulſa dentur, craſ-ſum humorem per vomitum purgant: ſed qui hau-ſerunt, ambulare debent. Prudenter tamen atten-dere oportet, & aquam mulſam continuò potui da-re: quoniam pericula ſtrangulationis inferunt, & ſu-fauces adurunt. Trita, & ex oleo illita phthiriaſi pro-deſt: item prurigini, & pſoris. Cit plurimam pitui-tam commanducata: decocta in aceto, dentium do-lori, colluto ore, ſubuenit: rheumatiſmum gingiua-rum ſiſtit: vlcera oris manantia cum melle ſanat. V-rentibus malagmatis imponitur.

Staphidis agriæ conſid.

*STaphis agria, quam officinæ Græca voce corrupta vulgò Staphuſariam vocant, Latinis ab effectu, quòd pediculos necet, Herba pedicularis dicitur. Hæc in Iſtria, Dalmatia, A-pulia, & Calabria, frequentiſsima prouenit. Eius ſemen co-pioſum apud ſeplaſiarios inuenitur: namque eo frequenter v-tũtur medici in apophlegmatiſmis. Id quod etiam plurimùm expetitur mulieribus ad pediculos, & lendes necandos. Sunt qui ſcribant, epotis Staphidis agriæ floribus, & illitu eiuſdem folijs, ſanari eos qui à ſerpentibus demorſi ſunt.* Staphidis agriæ vires ex Galeno. *Staphidis a-griæ meminit Galenus in Aſtaphide lib. 6. ſimplicium medi-camentorum ſic inquiens: Aſtaphis agria vehementer acrem obtinet facultatem, adeò vt ex capite pituitam purget, quod*

ἀπόφλε-

*[illegible] Græci dicunt, abſtergatq́; valenter. Itaque ad pſoram accommodata eſt. Sed & vrendi vim aliquam habet. Ea planta Græcis σταφὶς ἀγρία, & ἀσταφὶς ἀγρία nominatur: Latinis, Staphis agria. Vua ſyluestris, Herba pedicularis, pituitaria: Arabibus, Alberas, Habelras, Muthazagi, ſiue Miubezegi: Italis ac officinis, Staphuſaria: German. Biſ[illegible]: Hiſpanis, Fabarraz, Paparraz: Gallis, Eſtaphiſagrie, & herbe aux poulx.* Nomina.

Staphys agria quæ nunc in Græcia φθειρόκοκκον, & ψειρόκοκκον, granum pedicularium, ab effectu dicitur. Staphisagria, Matth. Trag. Fuch. Turn. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lon. Caſt. Lugd. Cæſ. Camer. Lob. cui & Vitifolia, in iconibus. Pedicularis ſiue Phthiroctonon, Cordo in Dioſcoridem.

## Θαψία. THAPSIA. CAP. CLI.

THapſia nomen ideo accepit, quòd in Thapſo eiuſdem nominis inſula primùm inuenta ſit. Tota verò natura ferulę ſimilis eſt: graciliore caule: foliis fœniculi: vmbella anethi in cacumine à ſingulis ſurculis erumpente: flore luteo: ſemen quale ferulæ: latiuſculum, ſed aliquatò minus: radix foris nigra, intus candida, a lõga, acris, craſſiore libro veſtita. b Succi extrahẽdi ratio hæc eſt. Facto in ambitu ſcrobe cortices inciduntur, aut radix in fornicis ſpeciem in ſe excauata cooperitur, quò merus ſuccus confluat: oportet illuc ſequenti die ſe conferre, & congeſtum ſuccum extrahere. c Tunditur etiam radix in pila, & ſuccus organo per quallum expreſſus, fictili craſſo inſolatur. Aliqui folium vnà terunt: ſed inualidior huiuſcemodi ſuccus. Hoc autem intereſt, quoniam qui ab radice manauit, grauius olet, & humidus permanet: è foliis autem extractus exiccatur, atque teredinum iniuriam ſentit. Qui ſuccum colligit, ſtare debet non obuerſus vento: aut potius cùm dies apricus eſt, & à flatu ſilet: quoniam ob halitus acrimoniã facies vehementer intumeſcit, nudaque corpora inuadunt puſtulæ: ob id prius liquido cerato, & adſtringente, nudas partes illinunt, & ita muniti accedunt. Tã cortex radicis, quàm ſuccus purgandi vim habent, & lacteus ſuccus in aqua mulſa potus: nam vtrinq; bilem extrahũt. Radicis modus, quaterni oboli cum tribus ſeminis anethi drachmis: ſucci terni oboli: lactis, obolus vnꝰ: quod eo amplius aſſumitur, periculoſum eſt. Huiuſmodi purgatio conuenit ſuſpirioſis, & diuturnis laterum doloribus, reiectionibuſque: datur in cibis, aut obſonio, quibus difficile ſit vomere. Tam radix, quàm ſuccus omnium maximè, quæ pares cũ eis vires adepta ſunt, vim habent extractoriam ex alto, vbi ex imo aliquod euocandum eſt, aut meatuum laxitas aliò transferenda eſt: vnde ſuccus illitione, aut radix recens affrictu alopecias explent. Radix, ſuccuſque cum æquis ceræ, thuriſque portionibus, ſugillata, liuoreſque tollunt: ſed non plus binis horis dimittantur: locus deinde aqua maris calida foueatur. Vitia cutis in facie emendat, cum melle illitus ſuccus, lepras tollit: tubercula diſcutit, perũctus cum ſulphure. In diuturnis pulmonum, laterum, pedum, articulorumq; valetudinibus vtiliter illinitur. Valet ad integendam colis glandem iis, qui natura, nõ circumciſione curti ſunt: tumorem enim excitat, qui pinguium fotu emollitus, præputij iacturã reſarcit.

a Me. & Cat. μεγάλη. i. magna.

b Meum, ἐπίζεται. i. ſuccus colligitur.

c Meũ. & Cat. χυλίζεται ἡ ῥίζα. i. exprimitur etiam ſuccus è radice.

THAPSIA.



*DE thapſiæ viribus locutus eſt Theophraſtus libro 9. cap. 22. de plantarum hiſtoria, vbi ita ſcribit: Thapſiæ radix vomitoria eſt, & ſi quis continuit, tam ſuperius, quàm inferius purgat. Ad hæc liuida tollere poteſt: ſuppurationes tamen aliàs exalbidas facit. Succus eius validior eſt, & quidem tam ſuperius, quàm inferius purgat. Nullus ſeminis vſus. Naſcitur tum alibi, tum in terra Attica, in qua pecudes incolæ eam non tangunt, peregrina verò depaſcunt: & aut aluus ſoluitur, aut intereunt: hactenus Theophraſtus. Thapſiam author eſt Plinius libro 13. capit. 22. à Nerone claritatem accepiſſe, eique magno vſui fuiſſe ſui imperij initio, quòd nocturnis graſſationibus conuerberatam faciem illinens ſibi cum thapſia, thure, & cera, ſequenti die contra famam cutem ſynceram circumferret: etenim ea mirum in modum ſugillata delet. Thapſia plurima naſcitur in Apulia, præſertim Gargano monte, inter complures ferulacei generis plantas. Prouenit & in noſtris maritimis locis adeò ferulæ adſimilis, vt non facilè, niſi à rei herbariæ peritis, vna ab altera dignoſcatur. Viſitur etiam hodie in hortis ad ſpectaculum plantata, qua ratione iam fermè omnibus innotuit in Italia. Cæterùm non deſunt impoſtores, qui Thapſiæ radicum cortices pro Turpeto venditent: quæ quidem à peritis ſeplaſiarijs in ea medicamenta iure optimo addi poſſunt, quæ Thapſiam expoſcunt: ſed in Turpeti locum non ſunt, meo iudicio, recipiendæ. Quapropter maximè in hoc (vt ſuperius diximus in Tripolij commentatione) à Fuchſio diſſentimus, qui Turpetum à Meſue deſcriptum, nil aliud eſſe cenſet, quàm Thapſiæ radices. Thapſiæ vires memoriæ prodidit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Thapſia acrem habet, ac vehementer excalfacientem facultatem cum humiditate. Quamobrem ex alto violenter extrahit, & ipſum quod extraxit, digerit. Verùm pluſculum ad ea efficienda tempus poſtulat, vt quæ largè excrementitia humiditate impleta eſt, ob quam celeriter corrumpitur. Et libro primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ſic inquit: Qui Thapſia vtitur, ſciat opus eſt, maximam differentiam eſſe recen-*

Thapſię conſideratio.

Thapſiæ vires ex Gal.

Nomina.

*tis ad vetuſtiorem. Vis enim huius pharmaci poſt annum multum exoluitur, atque amplius adhuc poſt duos annos, ac ferè dicere eam penitus inutilem eſſe ad triennium progreſſam. Hæc vt Græcè θαψία, ita etiam Latinè & Italicè Thapſia nominatur: Mauritanis, Hiantum, & Driz.*

*† Hoc loco Græci codices habent ὀπίζεται, quod verbum Ruellius verterat hic, lac extrahitur: licet alii, vt in pandectis Heracleo, idem vertat, ſuccus excipitur. Nos verò, quòd ὀπὸς, à quo verbum illud defluxit, ſuccum, liquorē, & lachrymam ſignificet, maluimus reddere, ſuccus extrahitur. Neque certè temerè, quòd non ſolùm nobis conueniat cum Marcello interprete: ſed quod etiam arbitremur hanc eſſe germanam illius verbi ſignificationem, atque melius rem exprimere, de qua ſermo eſt. Huius tamen mutatæ à nobis verſionis lectorem admonendum eſſe duximus.*

Thapſia carotæ folio, C.B. Thapſia, Matth. Lac. Lon. Caſt. Lugd. Cæſal. cui & Thurbit album Meſues. Thapſia maior, Cordo in hiſt. Thapſia vera & Turbit montis Gargani, Geſ. hor. Thapſia vulgaris & Turpetum griſeum, Taber. Thapſia vulgaris Carotæ effigie, Lobelo.

## Σπάρτιον SPARTIVM. CAP. CLII.

SPartion frutex eſt longas ferens virgas, ſine foliis, firmas, fractu contumaces, quibus vites vinciuntur: ſemen lenticulæ in folliculis phaſiolorum modo naſcens: florem, vt albæ violæ, luteum. Purgant per ſuperna vehementer elleborí vice, citra pediculum flores, & ſemina quinis obolis in aqua mulſa pota. Semen deiectionem mouet. Ramis in aqua maceratis, mox tuſis, extractus ſuccus, iſchiadicis, & anginæ laborantibus auxiliatur, ſi cyathi modum ieiuni bibant. Quidam marina aqua macerare malunt, & infundere iſchiaditis clyſtere: ſtrigmenta autem elicit cruenta.

I. SPARTIVM.



*II. SPARTIVM HISPAN.*



Spartii conſideratio.

*TAnta nimirum inter Spartium, ſiue Spartum, & Geniſtam intercedit ſimilitudo tum facie, tum etiam viribus, vt eorum affinitate deceptus iam crediderim omnino erraſſe eos, qui alterum ab altera ſecernerent: præſertim cùm hac in re deprehendiſſem Plinium dubitaſſe lib. 24. c. 9. vbi ita ſcriptum reliquit. Geniſta quoque vinculi vſum præſtat. Flores apibus gratiſſimi. Dubito an hæc ſit, quam Græci authores Sparton appellauere, cùm ex ea lina piſcatoria apud eos factitari docuerim: & nunquid hanc deſignauerit Homerus, cùm dixit: Nauium ſparta diſſoluta. Nondum enim fuiſſe Aphricanum, vel Hiſpanum Spartum in vſu certum eſt: & cùm ſutiles fierent naues, lino tamen, non ſparto vnquam ſutæ: hæc Plinius. Verùm cum accuratius Dioſcoridem perlegiſſem, hac de re prius admonitus à clariſſ. medico Petro Cannizero Hiſpano, Sereniſsimi Ferdinādi Romanorum Regis Protophyſico, qui in Hiſpania aridis & ſiccis locis copioſiſſimum Spartum, numeroſamq́; Geniſtam ſe vidiſſe teſtatus eſt, comperi planè inter has plantas diſcrimen eſſe. Quippe quòd Spartum Dioſcoridi frutex ſit folijs viduus: & floribus conſtet albæ violæ ſimilibus. Geniſta verò folia proferat longiuſcula, lini ferè modo: & flores luteos, ipſi modo lunatos. Hinc itaque factum eſt, vt nunc in eorum ſententia conſiſtam, qui Spartium à Geniſta differre exiſtimant.*

Spartum & Geniſta differunt.

***Non tamen quòd diuerſi prorſus generis has plantas eſſe putem: nam tanta, vt dixi, vni cum altera cognatio eſt, vt etſi non eædem ſint, tamen congeneres eſſe videantur.*** *Sparti quidem vſus (vt Plinius eſt author libro 19. cap. 2.) multa poſt ſecula cœptus eſt, nec ante Pœnorum arma, quæ primùm Hiſpaniæ intulerunt. Herba & hæc ſponte naſcens, & quæ non queat ſeri: iuncuſq́; propriè aridi ſoli, vni terræ dato vitio. Namque id malum telluris eſt, nec aliud ibi ſeri, aut naſci poteſt. In Aphrica exiguum, & inutile gignitur. Carthaginenſis Hiſpaniæ citerioris*

Sparti vſus ex Plinio.

parti

portio nec hæc tota, ſed quatenus parit, montes quoque Sparto operit. Hinc ſtrata ruſticis eorum: hinc ignes faceſq́ue, hinc calceamina & paſtorum veſtes. Animalibus noxium præterquam cacuminum teneritate. Ad reliquos vſus laborioſè euellitur ocreatis cruribus, manu vſq́ue tectis manicis: conuolutum oſſeis, ligneiſq́ue conamentis. Vulſum faſcibus in aceruo adunatum biduo, tertio reſolutum, ſpargitur in ſole, ſiccatur q́ue, & rurſus in faſcibus redit ſub tecta. Poſtea maceratur aqua marina optimè, ſed & dulci, ſi marina deſit, ſiccatum q́ue ſole iterum rigatur, ſi repentè vrgeat deſiderium, perfuſum calida in ſolio, ac ſiccatum ſtans compendium operæ fatetur. Hoc autem tunditur, vt fiat vtile, præcipue in aquis mariq́ue inuictum. In ſicco præferunt è cannabi funes. At Spartum alitur etiam demerſum, veluti natalium ſitim penſans. Eſt quidem eius natura interpolis rurſusq́ue, quam libeat vetuſtum nouo miſcetur. Veruntamen complectetur animo, qui volet miraculum æſtimare, quanto ſit in vſu omnibus terris nauium armamentis, machinis ædificationum, aliiſq́ue deſiderijs vitæ. Hactenus de ſparto Plinius. Cæterum GENISTAE in Hetruria adeò frequentiſsimæ proueniunt, vt Maio, & Iunio menſi- Geniſtæ conſideratio.

III. GENISTA. *IV. GENISTA ANGVLOSA.*





bus magnum & iucundum ſpectaculum præbeant viatoribus, quoniam tam copioſè ſuis ſpecioſis, ac fulgentibus floribus ornantur, & veſtiuntur colles, vt procul aurei videantur. Gaudent earum floribus apes, vt Plinius inquit, proinde aluearijs circumſeruntur. Geniſta nobis ligandis vitibus ſalicis vicem explet, maceraturq́ue etiam cannabis modo, fiuntque inde funes, & rudia linteamina, quæ conficiendis ſaccis aptiſsima ſunt. Expetitur Geniſtæ lignum etiam figulis qui in Italia id vaſorum fictilium genus conficiunt, quod vulgo de maiolica vocant: quippe quòd (vt ipſi affirmant) nullo alterius arboris ligno fornax ſuccendi poſsit, quo aureus ille color conſeruetur in opere. Geniſtam recenſuit Meſues inter ſua ſimplicia deiectoriæ facultatis, vbi hæc ad ſenſum ſcribit: Geniſta arbor eſt montana, è cuius caudice quàm plurimæ funduntur virgæ, Geniſtæ deſcriptio, & vires ex Meſue. rectæ, flexiles, fractu contumaces, quibus vites, & alia ligantur. Flores edit flauos, lunari figura: è quibus ſiliquæ prodeunt, erui magnitudine: & ſemina in eis lenti ſimilia, interuallis diſtincta. Planta tota perturbat, prouocat, incidit, attenuat. Obeſt cordi, & ventriculo. Sed tollitur noxa (vt Philagrius eſt author) addito rhodomelle, aut roſa, & maſtiche: quin & aniſi, dauci, & fœniculi ſemine. Epotum ſemen pituitam vtrinque valentiſsimè purgat, & ab articulis quoque humores trahit. Renum excrementa pellit, vrinam cit efficaciſsimè, & calculos diſrumpit, tam in renibus quàm in veſica: nec in his materias figi & in calculum dureſcere ſinit. Flores contriti ſtrumas auferunt, ſi cum melle roſaceo, aut ſorbili ouo deuorẽtur. Fit ex ijs oxymel, cuius vſu indurati lienes reſoluuntur. Proſunt iſchiadicis, podagricis calculoſiſq́ue, ſi poſtquam illos ſumpſerint, ſubinde frequenter euomant ægri. Modus, præſertim floris, à drachmis duabus ad quinque: ſeminis verò à drachmis duabus ad quatuor: hæc Meſues. Qui tamen Geniſtæ ſemen non rectè obſeruaſſe videtur: quandoquidem id erui, vel viciæ faciem potius referat, quàm lentis. Sparti, vt iam ad eius vires redeamus, meminit Galenus lib. 8. ſimpl. med. his paucis verbis: Sparti, quo & vites apud nos alligant, tum ſemen, tum virgarum ſuccus non inſtrenuè trahentis eſt facultatis. Sparti vires ex Gal. Quod Græci σπάρτιον, Latini item Spartium, & Spartum dicunt, Itali, Spartio: Germani, Pfrimmen: Hiſpanis, Spartio: Gallis, Geneſt d'Eſpaigne. Quæ vero Latinis Geniſta, Italis Geneſtra vocatur: Hiſpanis quoque Geneſtra, Gieſta, & Gieſteira: Germanis Ginſt: Gallis, Geneſte. Nomina.

Spartij & Geniſtę figuras duas adpoſuimus, quarum prima & tertia eſt Matthioli, altera verò & quarta illarum loco à Camerario in ſuo Matthiolo poſita. I. Spartium, Matth. Lac. Lon. Lugdun. Spartum, Turn. Fuch. Dod. gal. Spartium Hiſpanicum, Tab. II. Spartium Hiſp. C.B. Spartium primum, Cluſ. hiſt. Hiſp. Spartium Hiſpan alterum flore luteo, Lob. Lugd. Spartium Hiſpanicum quartum, Taber. Spartum

frutex maius, Dod. in fol. Spartium, Camerario in ſuo Matthiolo. III. Geniſta iuncea longifolia, C.B. Geniſta, Matth. Turn. Caſt. Geniſta iuncea, Cordo in hiſto. Geſ. hor. Geniſta Italica, Dod. fol. Geniſta altera iunco rotundo, Cæſalp. Geniſta tranſalpina ſiue Hiſpanica arboreſcens, Camer. Spartium alterum, Lacun. Spartium vel Spartum Geſner. hor. Cluſ. hiſt. Hiſpanic. Spartium Dioſco. Lob. Anguill. Spartium Hiſpanicum ſecundum & tertium, Tab. Spartium, Geniſta peregrina ſiue Africana, vulgò Italica, Cam. IV. Geniſta anguloſa, C.B. Geniſta, Brunf. Fuch. Trag. Dod. gal. & fol. Cordo in Dioſc. Tab. Camer. ad Matth. Geniſta maior ſeu non aculeata, Lonic. Spartium, Turn. Spartium, Geniſta Scoparia vulgi, Lobel. Geniſta Scoparia, eidem in icon. Geniſta quadrato iunco, Cæſ. Geniſta anguloſa ſeu vulgaris, Lugdun.

## Σίλυϐον. SILYBVM. CAP. CLIII.

SIlybon lata ſpina eſt, folia ferens chamæleonis albi. Hæc recens cum ſale oleóque cocta eſtur. Radicis ſuccus drachmæ pondere potus vomitiones ciet.

Nomina. *HActenus non ex noſtra tantùm, ſed neque ex aliorum quoque inquiſitione verum ac legitimum Silybum in Italia nobis licuit reperire. Et quamuis inter tot alias plantas aculeatas inibi naſci, & eſſe poßit: tamen tam paucis eius notas explicauit Dioſcorides, vt difficilè admodum illud inuentu iudicem: neque enim ipſe, vt ingenue fatear, quod ex dictis ſit, auſim decernere. Vt Græcis σίλυϐον, ita pariter Latinis Silybum appellatur.*

## Βάλανος μυρεψική. GLANS VNGVENTARIA. CAP. CLIIII.

GLans vnguentaria fructus eſt arboris myricæ ſimilis, magnitudine auellanæ nucis: cuius nucleus amygdalarum amararum more tritus, humorem reddit: quo ad pretioſa vnguenta pro oleo vtuntur. Naſcitur in Æthiopia, Ægypto, Arabia, & Petra oppido ſecus Iudæam. Præfertur plena, recens, candida, quæ facilè delibretur. Ea drachmæ pondere pota lienem abſumit: cum lolij farina, & aqua mulſa podagricis illinitur. Pſoras, lepraſque, decocta in aceto: vitiligines, & nigras cicatrices cum nitro emendat: & cum lotio lentigines, varos, & papulas in facie, & cutis vitia tollit. Vomitiones mouet, & aluum cum hydromelite reſoluit: ſtomacho aduerſatur. Oleum, quod ab ea exprimitur, aluum potu ciet. Cortex eius magis adſtringit: verùm tuſæ, & expreſſæ ſuccus abſtergentibus medicamentis adiicitur, quæ aduerſus prurigines, & ſcabritias idonea ſunt.

I. LILAC.



Glandis vnguentariæ conſideratio. *GLans Vnguentaria, quam Græci βάλανον μυρεψικὴν dicunt, in quibuſdam Hiſpaniæ locis copioſa (vt audio) prouenit. Adfertur hodie copioſa in Italiam ex Alexandria Aegypti. Cæterùm de foliorum facie autores inter ſe diſſentiunt. Siquidem Dioſcoridi folijs eſt Myricæ, Theophraſto Myrti, & Plinio Heliotropij herbæ ſimilibus: atqui aut in Theophraſti aut Dioſcoridis codice mendum ſubeſſe vereor. Siquidem aut in Theophraſto μυρσίνης pro μυρίκης, aut in Dioſcoride μυρίκης pro μυρσίνης legitur. Nam in vtroque authore facilis lubricuſq; eſſe potuit ſcriptorum lapſus, propter vocabulorum propinquitatem. Sed neſcio profectò, quorum autoritate impulſerit Plinius lib. 12. cap. 21. vnguentariæ glandis plantam folijs eſſe Heliotropij, cùm tamen in Theophraſti lectione vtrumque ſe verſatum oſtendat.*

Andreæ Marini Glans vnguent. *Andreas Marinus, medicus non vulgaris, in ſuis ſuper Meſuem annotationibus, plantã quandam pingit pro vnguentaria glande, à Clariſſimo Petro Antonio Michaelio patritio Veneto acceptam, quæ à præſcriptis omnibus tota facie differt: ſed an legitima ſit, cur probem, aut improbem, non habeo. Titulus eius mendax eſt, ſiquidem Be... al... um inſcriptum habet. Itaque vereor ne & ipſa quoque imago tituli ſequatur errorem. Hanc autem Plantam, cuius hic imaginem damus, Conſtantinopoli ſecum attulit Clariſſimus vir Augerius de Busbeke, qui continuis ſeptem annis Cæſaris Ferdinandi primi, apud Solimanum Turcarum Imperatorem, oratorem egit, ſub hoc nomine, LILAC. Eam cùm inſpexiſſem, & fructus eius agnoſcerem piſtaceorum faciem perquàm bellè referre, illico in ſuſpicionem veni an hæc fortaſſe Glans Vnguentaria dici poſſet: quapropter, vt aliorum quoque ſit iudicium, eam hic excudi volumus. Viuam plantam videre non licuit, ſed affabrè, & diligentiſſimè pictam, tametſi hoc anno miſit ad me Patauio recentiſſimum huiuſce plantæ ramuſculum, floribus copioſiſſimis reſertum, & alterum deinde cum fructibus, Iacobus Antonius Cortuſus materiæ medicæ peritiſſimus: quinetiam literis mihi ſignificauit hanc ſe credere eſſe plantam, quæ Theophraſto libro tertio, capite decimo, de plantarum hiſtoria OSTRYX appellatur.*

Oſtryx Theo. *Hanc ex Aphrica, vbi frequentiſſima prouenit, ſibi miſſam fuiſſe ſcripſit, vbi vernaculo idiomate Seringa nuncupatur: quin etiam ſe plures in ſuo horto huiuſce arboris alere plantas, ob florum ſuaueolentiam. Vnguentarij ac ſeplaſiarij Mauritanorum nomina ſecuti, eam Ben appellãt. Forma hæc piſtacia maximè refert, albo cortice, triquetro, fractu facili, nucleo intus conferto, & admodũ pingui, ex quo oleum exprimitur, quod de Ben vocant.*

Magnitu-

## *II. GLANS VNGVENTARIA.*



Magnifaciunt id vnguentarij, quòd quamuis diu inueteratum, nunquam rancorem ſentiat, vt etiam lib. 1. ſuo loco monuimus. Arabicæ familiæ authores (vt modò dictum eſt) vnguentariam glandem Ben nominant. Proinde de ea inter ſua ſoluentia ſimplicia ſcribens Meſues, in hunc ſenſum inquit: Ben duorum eſt generũ. Maius eſt nucis auellanæ magnitudine, triangulare. Minus verò ciceri ſimile. Vtrique ineſt oleoſa medulla, lenis, & alba. Præſtat maius, quòd noxa vacet: minus ſiquidẽ noxiũ eſt. Præfertur in maiori genere, quod putamine ſit albo, læui, tenui: nucleo fragili, albo, oleoſoq́. Vetuſtũ recenti melius. In minori autem præcellit in cinereo albicans, fragilis pariter, & pinguis. Dioſcoridi tamen in maiori genere (minoris. n. non meminit, quemadmodum nec Theoph. neq; Plin.) præſtãtius eſt recẽs, etſi contrariũ aſſerat Meſues. Oleũ ab vnguentarijs hoc tempore è nucleis tãtùm exprimitur, vt Dioſcorides docuit, non autem, vt quidam exiſtimant, ex putaminibus, quòd dixerit Theophraſtus, vnguentarios putamine fructus contuſo vti ſolere. Plinius, vt Theophraſti, & Dioſcoridis ſententiam comprobaret, vnguentarios prodidit è putaminibus, medicos verò è medulla oleum elicere, quòd hoc medicamentis, illud odoramentis vſum præbeat. Veruntamen hac ætate (vt diximus) ab omnibus tantùm è nucleis à putamine repurgatis exprimitur. Nec crediderim vnquam, quòd ex ſolis putaminibus oleum effluere poſſit, quamuis diligentiſſimè comprimãtur, & conſtringantur prælo etiam grauiſſime: quoniam hæc putamina arida ſunt, & omni prorſus humore carent. Illud quoque fidem non dubiam facere poteſt, quòd hanc parandi olei rationem ſilentio prætermiſit Dioſcorides, non modò in hoc loco, ſed etiam lib. primo, vbi tamen de oleis, & vnguentis conficiendis latius diſſeruit. Cuius forte doctrinæ immemor Manardus Ferrarienſis, vir alioqui noſtræ ætatis celebris, dubitat in adnotationibus, quas in Meſuem edidit, an Vnguentariæ glandis oleum è nucleo, an è putamine exprimi debeat, aſſerens quanquam in quibuſdam Dioſcoridis codicibus legitur, oleum hoc è nucleis exprimi debere, in aliquibus tamen nec nucleorum nec putaminum vllam fieri mentionem. Verum etſi ambigendi non defuerit occaſio, præſertim ex Theophraſti teſtimonio, qui putaminibus vti vnguentarios tradidit, aderat tamen grauiſſimus author Galenus, qui rem hanc abunde enucleauit, cùm conſtanter aſſeueret, Balaninum oleum vnguentarijs ex carne nucleorum, non ex putaminibus exprimi. Id quod etiam facilè ex Dioſcoride colligi poteſt, cùm dicat conſimili modo fieri balaninum & amygdalinum: quòd autem hoc ex amygdalarum nucleis fiat, nemo eſt qui dubitet. Hæc ſanè nobis non leuem faciunt ſuſpitionem, quòd aut eo in loco Theophraſti exemplaria ſint deprauata, aut minus integri & veraces fuerint authores, à quibus fortaſſis vnguentariæ glandis hiſtoriam accepit. His porrò accedit huius olei communis vſus, & eius parandi ratio. Siquidem Balaninum oleum plurimi faciunt vnguentarij, non quòd aliqua odoris præſtantia commendetur (inodorum etenim eſt) ſed quòd nunquam vetuſtate rancorem contrahat, id ſcilicet quod è nucleorum medulla, non autem ex putaminibus conficiunt. Nam rancoris expers cùm ſit, omnium aptiſſimum habetur ad odoratiſſima vnguenta (miſturas vocant) temperanda, quæ ex moſcho, zibetto, & ambaro, illinendis chirothecis, & alijs, quorum in delicijs, & laſciuia omnis eſt vſus & gratia, parantur. Quandoquidem ſi hæc alio quouis oleo liqueſcerent in vnguentum, contracto inde non multo poſt tempore rancore (ætate enim omne oleum præter Balaninum ranceſcit) non modò vniuerſam odoris ſuauitatem exuerent, ſed etiam putida, fœtidaq́ euaderent. Quo vtique experimento apertiſſimè dignoſcitur, an oleum illud Balaninum fuerit, quod ex vnguentariæ glandis nucleis fieri ſolet. Cæterùm de viribus Ben hæc ſubiunxit Meſues. Maioris, inquit, generis fructus incidit, abſtergit, attenuat, expurgat, & aperit: ſed ventriculum ſubuertit, & viſcera perturbat, ob excrementitiam, acremq́ humiditatem, quam poſſidet. Minoris autem vis longè vehementior, & magis periculoſa: namque adeò perturbat, agitatq́ humores, vt ſæpius animæ deliquium faciat, & frigidos ſudores concitet. Proinde non in alios vſus is admittendus eſt, quam in vnguenta, & cataplaſmata. Maioris noxa demitur, cùm igne torreſcit: ſiquidem ignis calore exuperantem deperdit humiditatem, quæ vomitionem mouet, fitq́ medicamentum tantùm deiectorium. Decoquitur etiam cum aniſi, & fœniculi ſemine: quoniam hoc modo prior noxa corrigitur. Tam in potu, quàm aliter ſumptus, lentam craſſamq́ pituitam vomitu, & deiectione purgat. Ideoq́ aptiſſimum medicamentum eſt coli cruciatibus non modò hauſtus, ſed etiam clyſteribus infuſus, præſertim vbi à flatu, & pituita ortum habuerint. Fit etiamnum ex contritis ipſius nucleis, polenta & melle admiſtis, cataplaſma ad ſtrumas, duroſq́ tumores admodum vtile, & ad neruorũm morbos à frigiditate excitatos, addito tantùm melle: quo fit, vt conuulſis, reſolutis, & contractis opem ferat non obſcuram. Pollet præterea ad iecinoris, & lienis infarctus duritieſq́, ſi addita lupinorum farina & nardo, emplaſtri modo imponatur. Nucleorum oleum vulnerum cicatrices attenuat, & delet: item lentigines, aliaſq́ cutis fœditates emendat. Auribus infuſus non modò doloribus leuamentum præſtat, ſed & ſurditatem, & tinnitum curat. Glandis vnguentariæ vires memoriæ prodidit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Balanus myrepſice, hoc eſt, glans vnguentaria, adfertur ex barbarica regione. Vtuntur vnguentarij carnis eius ſucco, qui facultate calidus eſt. Reliquiæ autem, vnde expreſſus eſt ſuccus terreſtres ſcilicet, & dura, vincentem habent qualitatem amaram. Sed & admiſta eſt quædam adſtrictio. Proinde extergẽtem ſimul, & incidentem, contrahentemq́, & ſtipantem effectum poſſident. Itaque ad ionthos, lentigines, ephelin, & pruritum, deinde & ad pſoram, & lepram conueniunt. Verùm enimuero & lienes liquant, iecurq́ indureſcens. Quòd ſiquis carnem eius drachmæ pondere cum melicrato bibat, medicamen experietur vomitorium. Sæpe etiam per infernam aluum largiter ſubducit. Itaque cùm hoc medicamento vtimur, ad viſcerum expurgationem, & maximè iecinoris, lieniſq́, ex oxycrato ipſum exhibere conſueuimus. Gaudet verò vel maximè alioqui aceto ad extrinſecas actiones. Adeò enim efficax efficitur, vt & pſoras, & lepras extergeat, & multò etiam magis quæ his ſunt minora, lentiginem, vitiligines, ionthos, ephelin, exanthemata, achoras, tum vlceroſa, & quæ craſſi ſunt ſucci omnia. Sed & cicatricibus decorem adfert. Porrò quòd cùm illinenda eſt lieni, præſtet admiſtam eſſe farinarum quampiam exiccantium, cuiuſmodi eſt erui, ac lolij farina, id iam potius ad componendorum medicaminum tractationem, haudquaquam ad præſens inſtitutum pertinet: ſed & in paratu

Ben.

Oleum Balaninum.

Manardi dubium ſolutũ.

Glandis vnguentariæ vires ex Meſue.

Glandis vnguentariæ vires ex Gal.

*facilibus ipſum dicetur. Verùm in præſens ſufficit abſtergentem, & incidentem cum adſtrictione quapiam propoſiti medicaminis dixiſſe facultatem, ac ſic ad aliud tranſgredi. Cortex tamen eius admodum adſtringit: itaque eo poſſit quis adeò vti, ad quæ valida vſus eſt adſtrictione: hactenus Galenus. Sed quoniam Balanus myrepſica Mauritanorum Myrobalana nobis ad memoriam reuocauit, quorum ijdem quinque faciunt genera, cùm ea in medicamenta frequenter, & commodè veniant, nec eorum, quod extet, meminerint veteres Græci, ideo nunc de iis nobis differendum eſt: neque enim ob eorum vſum ſilentio erant diſsimulanda. Sunt itaque, vt diximus,* MYROBALANORVM *genera quinque: nempe Flaua,*

Myrobalanorum genera.

* MYROBALANI CHEBVL. *



* MYROBALANI INDI. *



*Chepula, Indica ſiue nigra, Empelica, Bellerica: quæ omnia facie inter ſe diſtant, vt etiam viribus. Quamobrem omnino cenſendum eſſe putauerim, ea à diuerſis produci arboribus: quanquam non deſint, qui affirment, flaua ſimul, & chepula ex vna & eadem arbore naſci, exiſtimantes flaua decerpi ab arbore immatura, chepula verò cùm vltimam adepta fuerint maturitatem. Verùm cùm horum fructuum ortus, & arbores nos prorſus lateant, non eſt quòd illorũ ſententiam probare, aut refellere auſim. Flauorum, Chepulorum, atque Indicorum arborum imagines excudi curauit Andreas Marinus in ſuis in Meſuem annotationibus, ſed eas non libuit in hoſce commentarios noſtros transferre, non quòd cenſeremus Marino id fortaſſe ingratum futurum, cùm is non paruum plantarum noſtrarum numerum in ſuum illud opus transplantauerit: ſed quoniam ignoramus, an eadem genuina ſint, an adulterinæ, & præſertim, quum Mauritanorum nullus habeatur author, qui Myrobalanorum plantas deſcripſerit. Recenſentur genera omnia inter ea medicamenta, quæ aluum citra noxam deyciunt: nam etſi purgatoria vi polleant, nulla tamen virium imbecillitate, aut moleſtia ſumentes afficiunt, ſed potius ſua adſtringenti facultate, quam poßident, cor, iecur, & ventriculum roborant: quinetiam vniuerſum corpus. Id tantũ illis noxæ adſcribunt, quòd obſtructiones, & viſcerũ infarctus augeant: proinde ne obſtructis exhibeantur præcipiunt. Infrenantur Myrobalanis medicamenta omnia, quæ deijciendo laborẽ inferunt: quo fit, vt vtiliter admiſceantur ſcammonio. In flauorum myrobalanorum genere ea cæteris præſtant, quæ in viridi plenè flaueſcunt, ponderoſa, ſolida, gummoſa, craßi corticis, & quibus pumilum oßiculum ineſt. E Chepulis ea probãtur, quæ cæteris craßiora ſunt, colore nigro purpuraſcente, cortice craſſo, & quæ in aquam deiecta fundum quam citißimè petunt. Inter Indica excellunt, quæ maximè nigricant, craſſa, ponderoſa, nullo intus oſſe, & quæ confracta in vnũ compacta cernũtur. In Empelicorum claſſe laudantur, quæ in maiora, craßiora, denſiora, ponderoſioraq́; fruſta diuiduntur, & quæ minus oßis, quã pulpæ habent. Bellericorum verò illa in ſuo genere præferuntur, quibus craßities, denſitas, grauitasq́; nõ deſit, & quibus craſſus in vniuerſum ſit cortex. Flaua, Indica, Chepula, Bellerica refrigerant ordine primo, ſiccantq́; ſecundo. Empelica verò primo tantũ tum refrigerãt, tũ exiccant. Vim obſtructoriã exuunt omnia genera, additis aperientibus, & vrinã cientibus medic. vel ſi macerata caprino ſero, aut fumariæ ſucco exhibeantur: vel ſi cum abſinthio, aut agarico, aut rhabarbaro hauriantur. Perfunduntur amygdalino, & ſeſamino oleo, vt contracta inde pinguedine, ventriculo non inhæreant. Quin & id noxæ pariter tollitur, vbi cũ caßiæ nigræ medulla, aut manna, aut acidis palmulis deuorentur. Vbi deiectione ſit opus, eorũ tantum dilutum præbent: vbi autẽ adſtrictione in puluerẽ conterunt, & ſubinde propinant. Chepula quæ ſaccharo cõdiuntur, magis roborant, quam deiiciant. Contrarium efficiunt, quæ cruda ſiccataq́; reponuntur. Myrobalana omne genus (vt Meſues eſt autor) eorum ſenectutẽ remorantur, qui ipſis frequenter vtuntur: colorem faciunt elegantiorem, corpori odorem iucundum conciliant, hilaritatem afferunt, & ventriculum, cor, & iecur roborant, conferũt hæmorrhoidibus, & bilis feruorem reprimunt.*

Myrobalanorum vires.

*MYROBALANI CI-
trini.*



*MYROBALANI BELLE-
rici recentes & ſicci.*



*MYROBAL. EMBLICI.*



*reprimunt: ad quod flaua cæteris præſtant, vt quæ priuatim bilem detrahant: & eos peculiariter iuuent, qui temperamento calidi ſunt. Fricantur cote ad oculorum collyria, cum vuæ acerbæ, aut roſarum aqua, aut fœniculi ſucco, quòd oculorum inflammationes reprimant, lachrymas ſiſtant, defluxionesque cohibeant. Sanantur horum puluere vlcera, addita lentiſcina reſina. Chepula pituitam exhauriunt, intellectum clarificant, & viſum, præſertim ſaccharo aſſeruata: ventriculum tum mundant, tum confirmant. Dantur vtiliter aqua intercute affectis, & diuturnis febribus laborantibus. Nigra vtranque bilem trahunt, præſertim exuſtam. Conferunt membrorum tremoribus, coloris nitorem conciliant, elephantiacos iuuant, mœrores auferunt, & quartanam fugant. Embelica pituitam educunt, cor, & cerebrum corroborant, intellectum augent, ventriculum à pituita, alijsq; noxijs humoribus expurgãt, ac etiam confirmant, ac ſitim extinguunt, vomitiones cohibent & cibi appetentiam inuitant. Bellerica ea omnia poſſunt, quæ & proximè dicta. Myrobalanorum inter recentiores Græcos tantùm, quod ſciam, Actuarius meminit: qui tamen ea, quæ de illis ſcripta reliquit, a Mauritanis (vt ipſe quoque fateri videtur) mutuatus eſt. Sed profectò neſciuerim, qua ratione ductus inter ea medicamẽta, quæ vomitum eliciunt, myrobalanos repoſuerit, cùm omnia eorum genera planè vomitiones compeſcant. Porrò hodie ignorata videtur quæ χρυσοβάλανος Græcis vocatur, digerẽs, & roborans Indicæ nardi modo, ad colicos affectus, ventriculi ardores, & ſingultus à Galeno Aſclepiadis auctoritate commendata lib. 8. & 9. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. quanquam non deſunt è recentioribus, qui ſibi perſuadeant Chryſobalanum eſſe nucem myriſticam: cùm tamen plura ſint, quæ eorum deſtruant ſententiam, nempe cinereus color, acutus oris ſapor, & quod myriſticæ nucis nuſquam meminerint veteres Græci. Nullam huiuſce quod legerim, mentionem fecit Galenus in libris ſimplicium medicamentorum. Id quod argumento eſſe poteſt, Galenum ipſum non habuiſſe compertum, quid eſſet Chryſobalanus. Sed de his hactenus. Cæterùm quandoquidem Balanus myrepſica, quam ab Arabibus Ben appellari diximus, nobis in mentem redegit radices illas, quas officinæ Behen album, & rubeum vocant, ad cordis affectus ijs, ac etiam recentioribus expetitas, hunc locum non prætereundum eſſe duxi, quin de his quoque aliquid differerem, præſertim quòd è Græcis non inueniatur, qui illa poſteritatis memoriæ prodiderit. Sed illud in primis animaduertendum eſt, quod communis vſus radices, quas vulgò Behen nuncupant, ea quidem non ſunt, de quibus Mauritani ſcripſere: imò eas prorſus ementiuntur. Siquidem ſcribit Serapio, Behen radices proferre minoris paſtinacæ ſimiles, cõtortas, odoratas, & manſu lentas & in Armenia naſci. Auicenna autẽ radicum lignoſa fruſta Behen eſſe ait, in ſe contracta, & ſiccitate exoleta. At noſtrates, quæ in Italia, non in Armenia effodiuntur, nulla penitus odoris ſuauitate commendantur. quin & manſæ nullum ori lentorem reddunt, nec erraticæ paſtinacæ faciem repræſentant: cum tamen Arabicum Behen radicibus adeò paſtinacam referat, vt ſcripſerit Haliabbas clariſſimus Mauritanorum author, Behen & ſylueſtris paſtinacæ radices nullum inter ſe diſcrimen habere. Quo fit, vt nulla ſeſe offerat nobis ratio, qua probare poſſimus, Behen communis vſus eſſe Arabum legitimum: quamuis & ipſi inter ſe hac in hiſtoria non parum diſſentiant. Nicolaus Myrepſicus itemq; Actuarius Behen hermodactylum vocant, neſcio tamen qua ratione, cùm alia ſit radix apud Paulum, & Arabes hermodactylus. Behen adulterina, tam album, quàm rubrum, paſſim in Italia proueniunt. Hoc enim plantæ radicem eſſe ſcimus, quam ſuperius libro tertio limonium fecimus, illud verò, alterius plantæ, cuius vires hactenus mihi prorſus incomperta ſunt. Sed quibus polleant viribus, nondum mihi compertum eſſe ingenuè fateor. Βάλανος μυρεψικὴ ſic Græcis dicitur, Latinis verò Glans vnguentaria: Mauritanis, Habben, ſeu Ben: Italis, Ghianda vnguentaria: Hiſpanis, Auellana de la India, Tartago, & Muia.*

Actuarius.

Chryſobalanus.

Behẽ album, & rubeum.

Behen Hermodactylus.

Nomina.

* BEHEN RVBRVM Officinarum. *



I. Lilac Matthiolo, cuius figurá non habetur in compẽdio. Lillach, Dodo. fol. Syringa flore cæruleo, Cluſ. hiſt. Hiſp. Cam. Syringa cærulea Luſitanica, Lob. Syringa Luſitanica, Tab. Liguſtrum Orientale, Cæſalp. II. Glans vnguentaria, quam Matthiolus ex Alexandria adferri ſcribit: cuius folia in hiſtoria noſtra vniuerſali exhibebimus: dicitur Glans vnguentaria, Cor. in Dioſc. Cluſio in Coroll. ad Dodonæum gallicum. Lacu. Lobel. Cæſal. Lugd. Glans vnguentaria Catharctica ſiliquata, Aduer. & Lob. in icon. Balanus Myrepſica, Cordo in hiſt. Taber. Granum Ben, Lob. Ben paruum, Monardi. Myrobalanorum non vidẽtur veteres Græci meminiſſe, niſi fortè ad Aſclepiadis Chryſobalanos referas: aliàs ex Palmarum genere eſſe videntur, quas fert Palma probatiſſima in Ægypto, quæ oſſa non habent in Balanis, reliquarum modo. Genera quinque afferuntur arida, acerba, purgandi facultate prædita: quorum tria os continent ſolida pulpa & cruſtoſa incluſum, ſtriatum, velut tripartitum, duriſſimum, non tamen omni ex parte ſolidum, ſed in media cauitate medullam ſeminis continens. Et licet non deſint, qui velint Indas, Chebulas & Citrinas vnius arboris eſſe fructus, falluntur, ſiquidem Garcias referat diuerſorum generum arbores Pruni magnitudine & omnes ſylueſtres eſſe, quæ in regionibus ſexaginta aut centum Leucis inter ſe diſtantibus naſcuntur: quorum quædam in Goa & Batecala, alia in Malauar & Dabul proueniant: in regno Cambayæ quatuor genera: Chebula verò in Biſnager & Bengala. Flaua ſeu Citrina, quæ Arare indigenis, Sorbi folia proferunt: Emblici Anuale indigenis, folia habent minutim inciſa palmæ magnitudine: Bellerici, Gotim incolis, folia Lauri habent, ſed pallidiora & ſubcinerea: Chebuli ſeu Aretca, magni ſunt, rotundi, oblongi, dum ad perfectã maturitatem peruenere, & anguloſi, folijs perſici ſimilibus. Figuras quarum Matthiolus meminit, cúm ad manus eſſent, addere libuit, non tam propter arbores, (quæ quàm veræ ſint aliorum eſto iudicium) quàm propter fructus tam recentes quàm exſiccatos rectè expreſſos, qua de re plenius ſuo loco. Addita etiam eſt figura ipſius Behen rubri Officinarum.

I. NARCISSVS I.



## Νάρκισσος. NARCISSVS CAP. CLX.

Orib cõcluſa non legit.

† Ori. add. ἐν πεδίοις καὶ ἀμμώδεσι. i. in campis & ſabuloſis.

NArciſſum [ſunt qui vt lilium, lirium appellarint.] folia profert porro ſimilia, [tenuia,] multò minora, & [anguſtiora:] caulis vacuus, & ſine folijs, ſupra dodrantem attollitur, flos albus, intus croceus, in quibuſdam purpureus: radix intus alba, rotunda, bulboſa: ſemen velut in tunica, nigrum, longum. Probatiſsimus naſcitur in montibus, ſuaui odore: cæteri † porrum imitantur, atque herbaceum virus olent. Radix cocta, ſiue eſtur, ſiue bibitur, vomitoria eſt: ambuſtis igni prodeſt cum exiguo melle trita, præciſos neruos illitu glutinat: luxatis malleolis, diuturniſque articulorum doloribus trita ex melle, & impoſita ſubuenit. Vitia cutis in facie, vitiliginesque cum ſemine vrticæ, & aceto emaculat: cum eruo, & melle, vlcerum ſordes expurgat: abſceſſus rumpit concoctioni repugnantes: infixa corpori extrahit, illita cum lolij farina, & melle.

Narciſſi hiſtoria ex Theophraſto.

*NArciſſus, inquit Theophraſtus libro & capite 6. de hiſtoria plantarum, vel lirium (alij enim hoc, alij illo nomine vocant) folium albuci, terræ proximum gerit, ſed longè latius, lilij modo. Habet caulem ſine folio, herbaceum, florem ſuo ferentem cacumine, in membrana veluti vaſculo incluſum, largè amplum, coloreq; nigrum, figura oblongum. Hic decidens ſponte germinat, caterùm & qui legunt defigere eum ſolent. Quin & radicem ferunt, quæ carnoſa rotunda, amplaque conſtat. Serotinus admodum, poſt arcturum*

II. NARCISSVS II.



III. NAR. CONSTANTINOpolitanus III.



IV. NARCISSVS IV.



V. NARCISSVS. V.



*actturum enim, & circa æquinoctium floret. Hæc Theophraſti de Narciſſo ſententia. Porrò Plinius libro 21. capite 19. duo Narciſſi genera prodidit, quæ his verbis etiam depinxit: Narciſſi duo genera in vſu medici recipiunt. Vnum purpureo flore, alterum herbaceum. Hunc ſtomacho inutilem, & ideo vomitorium, aluos quoque ſoluentem, neruis inimicum, caput grauantem, & à narce narciſſum dictum, non à fabuloſo puero: hæc Plinius. In quibus planè deprehenditur à Dio-*

VI. NARCISSVS VI.



VII. NARCISSVS VII.



VIII. NARCISSVS VIII.



IX. NARCISSVS IX.



*à Dioſcoride diſſentire, quòd neutrum Narciſſi genus flore albo deſcripſerit. quanquam idem Plinius cap. 5. eiuſdem libri inter lilij genera Narciſſum connumerans, hunc flore candido conſtare tradidit. Veruntamen nulli ex hoc mirari licet, neque propterea Plinium damnandum eſſe cenſeo, quòd ſciamus complures eſſe Narciſſorum ſpecies, vt ex imaginibus, quas hic excudi curauimus manifeſtò apparet. Hæ autem cùm ad viuum expreſſæ ſint, haud operæprecium eſſe iudicauimus, vt harum de-*

rum de-

*[illegible] denationes deſcribamus. Narciſſi vires retulit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Narciſſi radix [illegible] exiccandi facultate pollet, vt & maxima vulnera conglutinet, vel ad inciſiones vſque, quæ circa tendones [illegible] ſunt. Habet verò quiddam abſterſorium, & attractorium. Planta quæ Græcis* ναρκισσος, *Latinis item Narciſſus appellatur Arabibus, Narces ſeu Nargies: Italis, Narciſſo: Germanis,* Wehebblumen / Hornungsblumen / Zeitloſen.

Narciſſi. ex Gr. Nomen.

Narciſſum a Narciſſo adoleſcente nimium ſeipſum amante, qui in hunc florem mutatus fuit, dictum poetæ volunt: alij a vi ſtupefaciendi, ſeu vt Plinius, a narce, quam vim Narciſſo ineſſe teſtatur libro 21. cap. 19. quare Plutarchus 3. ſympoſ. dictum cenſet, quaſi neruos hebetans, & torpidas grauitates efficiens. Differentias viginti nouem in Phytopinace propoſuimus: hic de differentijs à Matthiolo propoſitis tantum. I. Narciſſus primus, Matth. Narciſſus quartus Matthioli, Lugd. Narciſſus nonus Matthioli, Taber. Narciſſus niueus ſerotinus eidem. Narciſſus mediocroceus ſerotinus polyanthos, Lobel. II. Narciſſus ſecundus, Matth. Lugd. Narciſſus decimus Matthioli, Taber. Cenſemus eſſe Leucoium bulboſum maius, quod Leuconarciſſolirion pratenſe vernum, Lob. Leucoium bulboſum polyanthemum, Dod. fol. Lugd. Came. Leucoium bulboſum multiflorum, Taber. Leucoium bulboſum ſerotinum maius, Cluſ. hiſt. Pan. III. Narciſſus Conſtantinopolitanus, Matthiolo in maioribus figuris, Taber. Narciſſus octauus, Matthiolo in compendio: Narciſſus tertius Conſtantinopolitanus Matthioli, Lugd. Exprimit ſcillam minorem, quam vocat Narciſſum marinum, Dodo. fol. Cæſalp. Hemerocallis, Geſ. hort. Hemerocallis Valentina, Cluſ. hiſto. Hiſp. Lob. Camer. Pancratium verum, Geſ. hor. Pancratium, Cord. in Dioſc. Lugd. Pancratium marinum, Lob. in iconibus. Lilium marinum album & luteum, Taber. IV. Narciſſus quartus Matth. Lugd. Taber. nil aliud eſt quàm Ornithogalum maximum: quod dicitur Ornithogalum maius, Dodo. fol. Ornithogalum Arabicum, Cluſ. hiſto. Pann. Ornithogalum maius Italicum, Camer. Lilionarciſſus polyanthos, Lobel. Lilium Alexandrinum, eidem in iconibus, & Camerario. Quædam peregrina barbaro nomine Dulipan, Cæſalpino. V. Narciſſus quintus, Matth. & Lugd. eſt Tulipa, cuius variæ ſunt ſpecies, maximè colore floris differentes, quæ tamen ad tria prima genera reduci poſſunt: Præcocius vnum, ſerotinum alterum, & tertia dubia, quæ medio tempore floret, ita vt quadraginta ſeptem ſpecies a Cluſio recenſeantur: vulgatiſſimi tamen ſunt flaui, albi & purpurei. Hactenus Byzantio miſſæ, præcoces Cafe lale: Serotinæ Cafala lale nomine, à locis vnde primum Byzantium illatæ appellatione indita: Lale enim florem ſignificat. Caffa vrbs eſt in Peninſula Gazaria dicta, quæ inter Propontidem & Euxinum pontem eſt. Tulipæ veró nomen à Pileo Dalmatico, vel amiculo capitis ab ipſis geſtari ſolito, propter floris ſimilitudinem, nomen habere dicitur. Et licet alij ad Anemonem, Limoniam Theophraſti, alij ad Crinorrhodon Plinij: alij ad Satyrium erythraicum referant, videtur tamen ad τυβιώνα Theophraſti referenda. Dicitur Tulipa Turcarum, Geſ. ad Cordum, cui & Anemone limonia & Lilij rubentis genus, Tulipa, Cluſ. hiſto. Hiſp. Lonic. Caſtor. Tulipa præcox rubra, Cluſ. hiſto. Panno. Tulipa maior, Lugd. Lilionarciſſus purpureus, Lobelo. VI. Leucoium bulboſum minus, C.B. Narciſſus ſextus, Matth. Lug. Narciſſus octauus alter, Matth. Narciſſus tertius alter, Eidem in Compendio: Narciſſus ſecundus, Lacũ. Narciſſus montanus & alter, Cæſal. Leucoium bulboſum triphyllon, Dodo. fol. Camer. Leucoium bulboſum præcox minus, Cluſ. hiſto. Panno. Leucoium bulboſum ſecundum, Taber. Leuconarciſſolirion minimum, Lobe. Leuconarciſſolirion trifolium Camerario in Matthiolum. Ex radice parua bulboſa, multis albis tunicis conſtante, externa nonnihil nigricante, & ſeſſili parte tenuibus fibris donata, cauliculus palmaris, viridis, nudus & concauus, primo vere inter gemina folia oblonga, anguſta, æruginoſo colore exurgit, cuius ſummo flos vnicus è vaginula prodiens pendulus, inſidet, qui inodorus, lacteus, paruus, ſex foliolis conſtans: quorum tria exteriora candida alarum modo ſe explicantia, tria verò interna duplo breuiora & anguſtiora, cordis formam referentia limbo viridi extremitatem ambiente, inter quæ ſtaminula ſex crocea cum ſtilo exili & candido: quibus ſuccedunt capitula oblonga, ſemen oblonguiſculum & candidum continentia. Naſcitur in pratis Italiæ, apud nos in hortis colitur, vocaturá Germanis Schneetropffen, id eſt, niuea gutta, ab inſigni candore. VII. Leucoium bulboſum vulgare, C. B. Narciſſus ſeptimus, Matth. Lugd. Narciſſus martius, Brunf. Narciſſus, Turn. Narciſſus candidus, Cord. in Dioſc. Narciſſus aquaticus, Cæſal. Viola alba Theophraſti, Trag. Fuch. Turn. Viola alba bulboſa, Lug. Leucoion Theophraſti, Dodo. gal. Lonic. Leucoion bulboſum Theophraſti, Geſn. hort. Thal. Leucoion bulboſum hexaphyllon, Dodo. fol. Cam. Leucoium bulboſum præcox maius, Cluſ. hiſto. Panno. Leucoium bulboſum primum, Taber. Leuconarciſſolirion paucioribus floribus, Lobel. Leuconarciſſolirion vulgare, Camer. ad Matthiolum. Germanis Weiß Hornungsblum / Mertzenblum. Italis Latte di Gallina. VIII. Narciſſus luteus, calyce prælongo, C. B. Narciſſus octauus, Matth. Narciſſus tertius primus, Matth. in Compendio, qui inter maiores figuras non habetur. Narciſſus, Brunf. Lac. Lug. Narciſſus luteus, Trag. Lon. Narciſſus luteus ſyl. Dod. fo. Lug. Narciſſus totus luteus mõtanus, Theophraſti, Lob. cui & Bulbus Codiõ Theophr. Narciſſus calyce prælõgo anguloſo, Cæſ. Pſeudonarciſſus, Dod. gal. Cluſ. hiſt. Hiſp. Pſeudonarciſſus calyce prælõgo anguloſo, Cæſ. Pſeudonarciſſus, Dod. gal. Cluſ. hiſt. Hiſp. Pſeudonarciſſus luteus, Tab. Codianum vel Codiaminum flore Codij, id eſt, Campanulæ, Geſ. de hortis Germaniæ: Germanis, Gelbe Hornungsblum Gelb Joſephsſtab. Gallis, Coqueturde, Hiſpanis, Campanella. IX. Narciſſus albus flore multiplici C.B. Narciſſus octauus, Matth. in maioribus iconibus, & Lugd. Narciſſus nonus, Matth. in Compendio: in penultima editione omiſſus. Narciſſus ſecundus, Camer. in Matth. Narciſſus multiplex Dod. fol. Narciſſus flore multiplici, Cluſ. hiſt. Hiſp. Lugd. Narciſſus albus polyanthos ſiue Chalcedonicus, Lobe. Narciſſus polyanthos, Taber. Narciſſus quartus, Lonic. Habetur flore albo, ex luteo pallente, & medio purpureo.

## Ἱπποφαὲς. HIPPOPHAES. CAP. CLVI.

Hippophaes, quo fullones veſtes interpolant, in ſabuloſis, maritimiſque naſcitur, ſurculaceo frutice, vndique denſo, & a largo: folijs oleæ longioribus, mollioribuſque: inter quæ candicantes ſpinæ emi-

a Meũ ἀμφιλαφὲς, i. vndique amplo.

emicant, ſiccæ, anguloſæ, interſtitio quodam diſtantes: flores hederæ corymbis ſimiles, racematim cohæ-rēt, minuſculi tamē, & molles, candidi ex parte rubeſcētes: radix lacteo ſucco madet, craſſa, mollis, amara guſtatu: ex qua perinde ac thapſia, ſuccus eximitur, qui per ſe, & cū erui farina ſubactus, ſiccatur & ad vſum recōditur. Syncerus pituitas, bilem, aquaſque deijcit, oboli pondere: erui verò farina ſubactus, quatuor o-bolis, cum aqua mulſa. Frutex cum radicibus ſiccatus tunditur, & cum aquæ mulſæ dimidia hemina tē-tus datur. Radice, & herba liquamentum depromitur, vt in thapſia: huius in purgationibus modus eſt dra-chma.

## Ἱππόφαιστον. HIPPOPHÆSTVM. CAP. CLVII.

HIppophæſton, id quod aliqui hippophaes appellant, naſcitur eiſdem locis, quibus hippophaes, eſtq; ſpinæ fulloniæ genus, humilis herba, ſine cauliculo, ſine flore: inanibus tantùm capitulis: folijs paruis, ſpinoſis: radiculas habēs molles, craſſas. Succus radice, folijs & capitulo exprimitur, & exiccatur. Datus cui voles, tribus obolis in aqua mulſa, aquam pituitaſq; detrahit: priuatim comitialibus morbis, neruorum vitijs, & orthopnœæ conuenit huiuſcemodi purgatio.

Hippophais conſid.

*ET ſi quandoque maritima, & ſabuloſa adierim loca, vt Hippophaem, & Hippophæſtum, vtpote plantas inibi naſcentes inquirerem, neutrum tamen hactenus mihi licuit inuenire. Cæterùm retulit nobis Hieronymus Amaltheus Opitergienſis, medicus ingenio, & eruditione clarus, ſe olim Venetijs plantam accepiſſe à Ioanne Baptiſta Zopiſſo Papienſi, clariſſimo medico, quæ non modò notis omnibus Dioſcoridis Hippophaem referebat: ſed etiam viribus, vt ſe experimento comperiſſe teſtatus eſt. Quare non prorſus deſperandum eſt, quin & nobis, & alijs quoque aliquando contingat Hippophaem conſequi. Non inuenio, quòd Galenus hippophais, aut hippophæſti meminerit in ſuo ſimplicium medicamentorum cenſu. Hippophaïs tamen mentionem fecit Paulus libro 7. inter ſimplicia. Hippophæſti verò Plinius libro 27. cap. 10. Illius nomen Græcum ἱπποφαὲς Latinum quoq; Hippophaes. Huius verò nomen Græcum ἱππόφαιστον Latinum item Hippophæſtum.*

Nomina.

## Κίκι, ἢ κρότων. RICINVS. CAP. CLVIII.



CIci, aut Croton, nomen accepit á ricini animalis ſimilitudine. Arbor prouenit paruæ ficus altitudine, folio platani, maiore, læuiore, & nigriore: ramis, caudicibuſque cauis, in arundinis morem: ſemine in vuis aſpers, quod corticibus exutum ricinum animal repræſentat: ex quo oleum nomine cicinum exprimitur, cibis fœdum, lucernis emplaſtriſque vtile. Grana a triginta numero purgata, trita potu pituitas, bilem, aquamque per aluum extrahunt, vomitioneſque mouent: ſed iniucunda admodum eſt, & moleſta purgatio, ſiquidem ſtomachum vehemēter ſubuertit. Tuſa & impoſita, vitia cutis in facie, varoſque expurgat. Folia cum polenta trita inflammationes oculorum, tumoreſq; leniunt, turgentes mammas cohibent: eadem b ex aceto illita, ignes ſacros reſtinguunt.

a Meum τρεῖς κόκκοι τὸν ἀριθμόν. i. grana tria numero.
b Meū & Cat. καθ' ἑαυτὰ χαμετ' ὄξους i. tum per ſe, tum cū aceto atqui aliud exemp legit. ἐμπλαστὸν. i. expolita.
Ricini conſi.

*RIcinum vocàuere Latini plantam, quæ Græcis κίκι dicitur, à ſimilitudine, quam eius ſemen habet cum ricino liuido ac fœdo animali, quod canibus, bubus, capris, alijſque quadrupedibus adhæret: neq; prius decidit, quàm plenum ſanguine ſaginatum rumpatur. In Hetruria planta hæc à quibuſdam vulgo vocatur Giraſole, aliquibus verò Fagiuolo Turcheſco. Apud Inſubres autem pluribus in locis Miraſole: quanquā id nominis potius Heliotropio couuenit, de quo in huius libri calce diſſeremus. Semen officinæ Cheruam maiorem appellant: tametſi ab ipſo Meſue, cuius veſtigia pharmacopolæ maximè ſequuntur, Regium granum appellari conſtet: cùm maturitatem ſenſerit, impetu quodam facto excidit. Ricinus copioſè ſeritur in hortis & in viridarijs, in Aegypto ſpontè naſcitur vbi ex eius ſemine plurimum olei exprimitur, cibis quidem fœdum (vt inquit Plinius) ſed lucernis vtile. Deijcit aluum perinde ac balanus myrepſica, tolliturque eius noxa iiſdem medicamentis. Quamobrem de eo ſic loquitur Meſues: Regium granum (hoc eſt ricini ſemen) pituitam tam per vomitum, quàm per aluum extrahit, ſed non ſine aſſumentium moleſtia. Siquidem ſtomachum vehemēter ſubuertit: quinetiam bilem, & aquam inter cutem deijcit: & ea ſanè omnia excremēta purgat, quæ ad articulorū compagines deſfluūt. Tollitur noxa, vbi igne torrefactum ſit prius & deinde admiſto fœniculi, & aniſi ſemine. Ita enim paratum vomitiones minimè molitur. Confert item coli, & articulorum doloribus, nempe podagricis, & iſchiadicis, ſi ex iure veteris galli decoctum hauriatur. Hydropicis verò decoquitur cum caprino ſero, aut emulſo recenter lactis. maceratum oleum quod à ſemine elicitur, colicos cruciatus lenit infuſum: tollitque inunctum cùm ſcabiem, tum capitis vlcera ſanat. Auxiliatur quoque inflammationibus ſedis, & conuerſis, ac præcluſis fœminarum locis. Inungitur vtiliter in durioris cicatricibus & aurium doloribus. Ricini vires memoria prodidit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Ricini ſemen, quemadmodum expurgat, digerit, ac detergit: ſic quoque folium, ſed vndequaque debilius. Oleum quod*

Cheruã maior offic.

Ricini vires ex Meſue.

Ricini vires ex Gal.

*quod ex ſemine conficitur, tum calidius, tum tenuiorum partium eſt, quàm oleum commune, ac proinde etiam diſcutit. Suſpicor in Dioſcoridis exemplari ſubeſſe mendam. Grana enim triginta ſeminis non ſine periculo vitæ dari poſſunt. Quo fit vt cum Oribaſio legam tria Grana, non triginta. Planta quæ Græcis κίκι, ſiue κρότων, Latinis Ricinus appellatur: Arabibus, Cherua: Italis, Miraſole & Giraſole: Germanis,* Wunderbaum vnd Creutzbaum: *Hiſpanis, Figuera delbinferno: Gallis, Paulme dieu, Palma Chriſti.*

Nomina.

Ricinus, Matth. Fuch. Turn. Dod. gal. (cui & Pentadactylon) & fol. Lacu. Cord. in Dioſ. & hiſto. Anguil. Lon. Caſt. Lob. (cui & Cerua maior & Granum regium Meſues) Lugd. Cæſal. (& Giraſole) Taber. Cam. Ricinus vulgo, Trago, cui & Palma Chriſti, & Phaſelus Romanus Thuſcis, Marcello Virgilio. Cici, Geſ. hort. Cataputia maior, Ericio Cordo in ſuo Botanologico.

Τιθύμαλοι.

## TITHYMALI. CAP. CLIX.

Tithymali genera ſeptē, quorum maſculus characias appellatur, ab aliquibus amygdaloides: alter myrtites, qui fœmina exiſtimatur, eumque myrſinitem, aut caryitem vocant: tertius paralius, quem tithymalida appellarunt: alius helioſcopius: quintus cypariſsias: ſextus dendroides: ſeptimus platyphyllos dicitur. Characiæ caules ſupra cubiti altitudinem attolluntur, rubri, lacteo ſucco, atque acri madentes: folijs oleæ circum ramos, anguſtioribus, & longioribus: radice craſſa, lignoſa: a pendet in cacuminibus caulium coma iunci, ſub qua caueolæ ſoliolis balnearum ſimiles, in quibus ſemen continetur: naſcitur in aſperis, & montibus. Succus aluum purgat, trahit pituitam, bilemque binis obolis in poſca ſumptis, & cum aqua mulſa vomitiones mouet. † Appetente vindemiarum tempore, ſuccus, congeſtis ramulis mox diſſectis, & vaſe concluſis, excipitur. Aliqui adijciunt farinam erui, & in paſtillos digerunt, qui erui magnitudinem impleant. Alij in aridas ficos ternas quaternasue guttas inſtillant, vt cum his inareſcant, quas ad vſus recondunt. Per ſe etiam tuſus in pila, & in paſtillos coactus reponitur. Porrò cùm extrahitur lac, neque quò ventus aſpiret, ſtare quenquam, neque manus oculis admouere conuenit, ſed antequām colligas, corpus, præſertim faciem, b collum ſcrotumque genitalis, adipe, aut oleo cum vino perungere. Fauces autem exaſperat: quapropter catapotia cera, aut decocto melle oblini par eſt, & hoc modo dari: binas tamen ternasue ficos purgationis gratia ſumpſiſſe, ſatis eſt. Recens lac ex oleo, perunctos in ſole capillos euellit, renaſcentesque flauos, & exiles efficit, denique omnes perimit: dentium cauernis incluſum, leuat dolores: ſed cera dentes oblinendi ne ſuo delapſu fauces, & linguam vitiet. Tollit illitu impetigines, formicantes verrucas, penſiles, & qui thymi florem repræſentant: valet adverſus pterygia, carbunculos, phagedænas vlcerum, gangrænas, fiſtulasque. Legitur ſemen autumno, & ſiccatum ſole leuiter tunditur, feruefactumque loco mundo reponitur. Folia item ſiccantur. Semen, & folia lactei ſucci effectum præbent, dimidio acetabulo pota. Sunt qui inueterant, admiſto cum lacte lepidio, & caſeo contuſo. Radix drachmæ pondere in hydromelite pota, per inferna trahit: decocta cum aceto, dentium dolori auxiliatur, colluto ore.

a Meū & Ca. ἐπάνρῶν δὲ τῶν καυλῶν κόμη σχοινοειδῶν ῥαυδίων i. in ſummis caulibus coma eſt, qualis iuncearū virgarum.

† Ori. πᾶς τιθύμαλος περὶ τὸν πυραμητὸν. i. ex omni Tithymalo circa meſſem.

b Meū ὄσχεον i. ſcrotum.

Fæmina, quam myrſinitem, aut caryiten vocant, ſimilis ſuapte natura daphnoidi: folijs myrti, ſed maioribus, firmis, in cacumine acutis, & pungentibus: ramulos ab radice mittit dodrantales: fructum fert alternis annis, c nuci ſimilem, mordaci guſtu: naſcitur in aſperis. Succus, radix, ſemen, folia, conſimilem antedicto ſortiuntur facultatem †: ſed ad citandas vomitiones d inualidior hæc eſt. Aliud tithymali genus dicitur paralios, quem tithymalida, aut mecona aliqui appellauere. Naſcitur in maritimis, ramis ſubrubentibus, palmum altis e quinis ſeniſue à radice exeuntibus: folijs lini, anguſtis, paruis, oblongis, in verſus quoſdam digeſtis: capite in cacumine orbiculato f in quo ſemen, vt eruum, vario colore emicat: flos albus. Frutex totus cum radice g lacteo ſucco turget. Similes ad vſus reconditur. Helioſcopius dicitur, folijs portulacæ, tenuioribus, rotundioribusque: ramulis prodeuntibus à radice, quatuor aut quinque, rubentibus, dodrantali altitudine, tenuibus, lactis copioſi plenis: capite anethi: ſemine velut in capitulis incluſo. Helioſcopij nomen accepit, quoniam comas cum ſole circumagat: circa oppida naſcitur, potiſsimùm in ruderibus. Colligitur ſuccus, ſemenque, vt aliorum. Eædem, quæ ſuperioribus vires, non tamen vſqueadeó validæ. Cypariſsias in caulem exit dodrantalem, vel maiorem, ſubrubrum: ex quo folia pini ſimilitudine exoriuntur, molliora tamen, & tenuiora: & in totum naſcentem pinum æmulatur, vnde nomen traxit. Candido ſucco madet, cui eadem vis, quæ ſuperioribus. In petris naſcens dendroides cognominatur: ampliter opacat, in cacumine frondoſam ſpargens comam, ſucco lacteo prægnans, cauliculis rubentibus, folijs myrti tenuioris, fructu characiæ. Eiuſdem effectus, cuius ſuperiores, ſimilique modo reconditur. Platyphyllos verbaſco ſimilis eſt. Radix, ſuccus, & folia per inferna trahunt aquas. Piſces necat, tuſus, & aquæ inſparſus. Reliqua tithymalorum genera, quæ ſupra ſcribuntur, idem efficiunt.

c Meū & Ca. κρίνῳ. i. lilio.

† Ori. addi. καὶ ἀπόθεσιν i. & repoſitionem.

d Orib. ἐνεργητικώτερος. i. efficacior eſt.

e Ori. ὀρθοῖς i. rectis.

f Orib. πυκνῷ. i. denſo.

g Ori. πολλῷ. i. multo.

*Tithymalorum omne genus officinæ Eſulam indifferenter appellant, quanquam plura ſunt tithymali genera, quorum hiſtoriam ſatis confuſè Mauritani tradiderunt: quo fit, vt apud hos non ſine magno labore tithymalorum genera rectè, & diſtinctè cognoſci poſſint: quæ tamen Græcis ordine pulcherrimo deſcripta inueniuntur. Ob id igitur mihi quidem difficile videtur decernere quæ Tithymali genera ex ijs, quæ à Græcis repræſentantur, ea duo ſint, quæ à Meſue, & Auicenna Scebram, & Alſebram nominantur: quoniam horum neuter, quod extet, earum plantarum faciem notis explicauit. Credidit Braſauolus illud eſſe Meſui alſebram minus, & Auicennæ ſcebram, quod Dioſcoridi Paralius. Sed equidem ab eo diſſentio, quòd nuſquam in horum monumentis legerim, Alſebram minus, in maritimis naſci: quin nec ramos ferre ſubrubentes, nec lini folia, nec ſemen eruo ſimile, capitulis concluſum: ſed tantùm repererim memoria prodidiſſe Meſuem, Alſebram eſſe plantam lacteo ſucco refertam, radicibus tenuibus: quarum hæ præferuntur, quæ ſubrubeant. Auicenna verò Scebram naſci ait in hortis, non autem in maritimis, caule tenui, hirſuto, folijs tarco ſimilibus. Quæ ſanè omnia Braſaueli ſententiæ apertè refragari deprehenduntur. Nec poſſum præterea cum eodem ſentire, quòd Alſebram maius apud Meſuem, & Meheſeheregi apud Auicennam idem ſunt Mauritanis, quod Græcis Tithymalus platyphyllos: quandoquidem in eorum ſcriptis*

Tithymalorum conſid.

Braſauoli opinio exploſa.

Alſebra.

Scebra.

I. TITHYMALVS CHARACIAS.



II. TITHYM. MYRSINITES.



III. TITHYMALVS PARALIUS.



IV. TITHYM. HELIOSCOPIUS.



*nuſquam reperi maioris generis Alſebram folia hederæ verbaſco ſimilia, nec quòd tuſum, & aquæ inſparſum piſces interficiat, ſed quod rectius (vt inquit Auicenna) eius folia minori Scebram ſint ſimilia. Porrò ſi mihi hac in re coniectandum eſſet, putarem equidem nil aliud Mauritanis eſſe minoris generis alſebram, ſiue Scebram, quàm plantam illam, quæ officinis Eſula minor vocitatur, quòd (vt inquit Auicenna) in hortis, & vbique proueniat. Hæc autem ni fallor, ea eſt, quam vocat Du-*

V. TITHYMALVS CYPArisſias.



VI. TITHYMALVS DENdroides.



VII. TITHYMALVS LEptophyllos.



*cat Dioſcorides Tithymalum cypariſsiam: quippe quæ pinum arborem nuper natam folijs prorſus imitetur. Quinetiam cenſerem Alſebram maius, ſiue Mehezeheregi eam omnino eſſe plantam, quæ Græcis dicitur Pityuſa, vtpote quæ tithymalo cypariſsiæ folijs ſit ſimilis, quamuis magnitudine excellat: non enim deſunt, qui inter tithymalorum genera etiam pityuſam recenſeant. Proinde non ab re dicebat Auicenna, Mehezeheregi eſſe ſimile Scebram, ſed maius, & colore ſubcineritio. Meſues verò, quòd radicibus eſſet rotundis, craſsis, craſſoque cortice obductis, ponderoſisque: quæ ferè omnia radici Pityuſæ reddidit Dioſcorides. Accedit his Serapionis authoritas, qui de Scebram agens, ea omnia ex Dioſcoride illi tribuit, quæ pityuſæ idem Dioſcorides aſsignauit. Ex his itaque perſpicuum fieri arbitror, Pityuſam Mauritanis Scebram maius appellari: minus verò id, quod Græcis Tithymalus cypariſsias dicitur. Cæterùm Characiam vocatũ, poſtquàm multũ laboris in eo indagãdo fruſtra impendiſsem, hoc anno miſit ad me Piſis clariſsimus medicus Lucas Ghinus Forocornelienſis: qui, meo quidem iudicio, omnibus prorſus notis legitimo reſpondet. Myrſinitem quoque hoc tantùm anno reperimus, folijs circa caulem totum craſsis, acutis, myrto ſimilibus. Paralius verò in maritimis tantùm naſcens, quem vulgaris vſus tithymalum putat Braſauolus, in maritimis noſtris Senenſibus, Argentario promontorio, & in vniuerſo illius regionis tractu, item in Aquileienſi agro frequentiſsimus inuenitur. Huic folio ſimilis viſitur quædam alia planta, quæ in Hetruria vulgò appellatur Herba mora. Cuius radicibus prius contuſis, ac deinde fluminibus demerſis, piſces protinus enecantur. Sed caret ac lacteo ſucco, quapropter eam inter tithymalorum genera iam non eſſe adnumerandam cognoſcimus, etſi aliàs aliter ſenſimus, quòd, alijs notis neglectis, lini folia viderentur, & caules ſubrubentes. Si hæc defuerit, Platyphylli radices ſumunt, quo vniuerſa regio ſcatet. Porrò Helioſcopius, ſic dictus, quòd cum ſole comam circumagat, omnibus vulgaris notitiæ planta eſt. Prouenit enim hæc paſsim prope vrbium, & oppidorum mœnia, in campis, incultis, hortis, collibus, & vbique tam culto, quam inculto ſolo. Cypariſsias deinde (vt ſupra diximus) ea eſt planta, quam Eſulam minorem vocant, cuius pro omni Tithymalo inualuit vſus. Mihi profectò mirum videtur, quod Dioſcorides hoc tithymali genus κυπαρίσσιαν appella-*

Alſcebra eſt Pityuſa.

Tithy. Characias.

Myrſinites.

Paralius.

Herba mora.

Helioſcopius

Cypariſsias.

Dendroides.

*Pellauerit, cum pinum, non cypariſſum referat. Quod naſcitur ferè vbique circa oppida, & ſecus vias. Eadem illi vis, quæ ſuperioribus. Dendroidem vidimus primùm in regno Neapolitano extra Terracinam vrbem inter ſaxa antiquiſsimi ſtrati in itinere Neapolim verſus, plantæ arboreſcentis effigie. Hunc dum contemplari cœpiſſem, ſuperuenit peritiſsimus medicus Hieronymus Drogus Parmenſis, & doctiſsimus Hieronymus Rorarius Portonouenſis (tunc omnes vna ſequebamur Bernardum Cleſium ampliſsimum Cardinalem Tridentinum ad Cæſarem pergentem) quibus magno ſolatio Dendroidem tithymalum ibi à me primùm repertum oſtendi: erant enim ambo rei herbariæ ſtudioſi, atque etiam gnari. Naſcitur idem tithymalus etiam in Tergeſtino litore non longè à Timauo fonte, in ſaxoſis quibuſdã rupibus arboreſcens. Tithymali leptophylli facies patet ex hic appicta figura: Naſcitur incultis locis & aſperis. Facultatibus iiſdem pollet quibus & reliqua genera.*

Tithymalorum hiſtoria ex Theophr.

*Theophraſto tria tantùm Tithymalorum genera produntur lib. 9. cap. 12. de hiſtoria plantarum, vbi ita ſcriptum reliquit. Lactariarum (ſic enim tithymalum vertit Theodorus) quod maritimum granum appellant, folio eſt rotundo, caule, totaque magnitudine ad palmum, fructu candido. Demetitur, cùm vua nigreſcere incipit: & ſiccatus fructus tritus potui datur acetabuli tertia parte. Maſcula autem vocitata oleæ folio cõſtat & magnitudine cubitum æquat. Huius lac, cùm vindemia incipit, exprimunt, & præparato vtuntur: purgat inferius. Myrtaria verò cognominata, candida lactaria eſt foliis myrti condita, verùm aculeatus parte poſtrema: ſarmentula in terram demittens, longitudine palmi, quæ non ſimul, ſed alternis annis fructificant, alia hoc anno, alia poſtero, quanquam omnia eadem radice exorta. Loca montuoſa deſiderat. Fructus nux appellatur: demetitur, cùm hordeum turgeſcit, & exiccatus purgatusq; datur elotus cum papaueris nigri duabus partibus, ita vt totum modo acetabuli ſit: trahit pituitam per aluum. At verò ſi nucem ipſam placeat dare, trita dabitur ex vino dulci, aut cum ſeſama toſta, torrefactaque comedenda: hactenus Theophraſtus.*

Tithymalorum vires ex Meſue.

*Tithymali omnes, Meſue authore in ſuis ſimplicibus deiectoriæ facultatis, cordi, iecinori, & ventriculo maximè officiunt, vaſa diſrumpunt, inteſtina abradunt, vniuerſum excalfaciunt corpus, adeò vt inde febres facilè concitentur. Tollitur prima Tithymali noxa iis admiſtis, quæ cor, iecur, & ventriculum roborant. Secunda verò, & tertia iis, quæ agglutinatoria facultate pollent: cuiuſmodi ſunt tragacanthæ lachryma, gummi, bdellium, pſyllii ſeminis ſpiſſamentum, & portulacæ ſuccus. Tollitur & quarta, admiſtis frigidis, & humidis: proinde aut ſonchi ſucco, aut intubi, aut portulacæ, aut hortenſis ſolani, aut aceto cum cydoniorum ſeminibus, & utius rudicula agitato, commiſcent. Vulgaris vſus Tithymalus pituitam vehementer deiicit, & atrum quem vocant ſuccum, pariterque pituitas ad articulos decurrentes. Aquam inter cutem validiſsimè extrahit: nihilo ſecius exiccat vniuerſum corpus, & genituram extinguit. Vnde ruſticorum medicamenti nomen ſibi meritò aſciuit.*

Tithymalorum vires ex Galeno.

*Tithymali omnis generis vires commemorat Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Tithymali omnes vincentem habent acrem, calidamque facultatem, ineſt verò & amaritas. Validiſsimus itaque eſt eorum liquor. Secundum locum tenent ſemen, & folia. Sed & radix dictarum facultatum particeps eſt, ſed non ex æquo: ſanè ipſa cum aceto decocta dolores dentium ſedat, maximè qui illis eroſis proueniunt. At liquores, vt qui valentiorem vim habeãt, in foramina quidem ipſa dentium inducuntur: cæterùm ſi aliam corporis partem contigerint, adurunt, vlcerantq;: proinde foris illis cera circumlinitur: quippe cùm ex quarto ſint excalfacientium ordine, quem eſſe adurentium poſuimus. Sic pilos quoque ſuccus inunctus tollit. Porrò cùm vehementior ſit oleo miſcetur: & ſi id ſæpe fiat, tandem prorſum pilorum radices aduſtæ extirpantur, corpusq; depile redditur. Eadem facultate verrucas, quas acrochordonas nominant, & myrmecias, & pterygia, ſiue oculorum vngues, & thymos auferunt, detergentq; lichenas & pſoras, quia ſcilicet & abſtergendi facultas ineſt propter amaritudinem. Præterea vlcerum phagædenica, anthrachode, & gangrænode, quia valenter tum excalfaciunt, tum extergunt, ſi in tempore, & moderatè vtare, iuuare aliquando poterunt. Verùm enimuero, & fiſtularum callos eximunt eadem facultate. Cæterùm hæc omnia genere quidem ſimiliter, imbecillius tamen & folia, & fructus præſtare poſſunt. Quibus ſanè & ad piſces in aqua ſtagnali capiendos vti aſſolent. Celerrimè namq; ab illis in vertiginem acti, ac ſemimortui redditi, ad aquæ ſuperficiem feruntur. Porrò cum ſeptem ſint eorum genera, valentiſsimus eſt quem characiam nominant, quem vtique etiam quidam marem cognominant, & fœmina nũcupata myrſinites, & qui in petris naſcitur ad modum arboris: deinceps qui verbaſco aſsimilis eſt, & cypariſsias: deinde paralius, ſiue marinus: denique helioſcopius. Proportione verò comprehenſæ illorum facultatis & cinis, & ex ipſo lixiuium erit.*

Nomina.

*In vniuerſum planta Græcis τιθυμάλος, Latinis quoque Tithymalus nominatur: Arabibus, Xauſer, & Ethuba: Italis, Titymalo: & Tortumaglio. Germanis,* Wolffsmilch: *Hiſpanis, Leche terſna, & Leche tregna: Gallis, Herbe à laict.*

Tithymali vocem, Gaza ſecutus Plinium, Lactariam reddidit, at Columella Lactucam caprinam, Celſus marinam vocauit: Lactaria dicitur ob cõmune omnibus lac, quod ex leuiter ſecta, folioue abrupto effluit. Genera ſeptem Dioſcorides propoſuit: at differentias viginti ſex in Phytopinace propoſuimus, de quibus plenius in hiſtoria. I. Tithymalus Characias, id eſt, vallaris peregrinus, C. B. Tithymalus Characias, Matth. Lacu. Lonic. Caſtor. Lugd. Taber. Tithymalus Characias alter, Dodo. fol. Cæſal. Tithymalus Characias legitimus primus, Cluſ. hiſto. Hiſp. Characias Monſpelienſis, Lobel. II. Tithymalus myrſinites, Matth. Dodo gal. (cui & Caryites & Myrtaria Gazæ) & fol. Lacu. Anguil. Geſ. hort. appen. Lonic. Caſtor. Camer. Cæſalp. Lugd. Tithymalus myrſinites primus, Taber. Tithymalus myrtifolius. Lobel. III. Tithymalus maritimus, C. B. & Cæſalpino. Tithymalus Paralius, Matth. Lacu. Dodo. gal. & fol. Geſ. hort. Anguil. Lonic. (cui & Eſula marina) Lobel. Lugd. Taber. Camer. IV. Tithymalus helioſcopius, Matth. Fuchſ. Dod. gal. (cui & Lactaria ſolſequia) & fol. Turn. Cord. in Dioſcorid. Geſ. hort. Lacu. Anguil. Loni. Lob. (cui & Soliſequius portulacifolius.) Caſtor. Lugd. Cæſal. Cam. Taber. Eſula, Brunf. Eſula vulgaris & tertia, Trag. Tithymalus Dendroides Dodonæi, Thalyo in ſua Harcynia. V. Tithymalus Cypariſsias maior, C. B. Tithymalus cypariſsias, Matth. Trago (cui & Eſula vulgaris maior & quinta) Fuch. Lacu. Geſ. hort. Anguil. Caſtor. Lugd. Cam. Tithymalus Pinea, Lob. in icon. Tithymalus cupreſſinus ſecundus, Tab. Tithymalus Dendroides, Lonic. Eſula maior, Cæſal. Eſula minor, Dod. fol. & Lugd. Pityuſa minor, Dod. gal. Thal. Pityuſa ſiue Pinea & Turpetum nigrum Actuarii, Lob. in obſer. Pityuſa ſiue Eſula minor, Lugdunenſi. VI. Tithymalus arboreus folio myrti, C. B. Tithymalus Dendroides, Matth. Lacun. Geſ. hort. Caſtor. Lugd. Lobel. Tithymalus arboreus Myrthifolius, Lobel. in iconibus. Tithymalus Characias tertius, Dodo. fol. & Lugdunenſi. VII. Tithymalus leptophyllos, Matth. Lugdun. Thal. Cam. Tithymalus minimus, Tab. Eſula exigua, Tragi (cui & Peplus Dioſcoridis) Lobel. Eſula minima, Lugdu. Peplis minor Dalechampii, Eidem. Papauer ſpumeum, Geſ. de hortis Germaniæ.

Πιτύουσα. **PITYVSA.** CAP. CLX.

PItyuſam ſpecie à cypariſsia differre conſtat, etſi tithymalorum generi aſſignetur. Caulis ſupra cubiti altitudinem aſſurgit, geniculatus: folijs a piceæ, acutis, exilibus: flore paruo, velut purpureo: ſemine inſtar lenticulæ lato: radice craſſa, candida, ſucco referta: quibuſdam in locis frutex hic b prægrandis inuenitur. Detrahit per aluum radix drachmis duabus data in aqua mulſa: item ſeminis drachma: ſucci cum farina ſubacti cochlearium in catapotio datur: modus foliorum drachmæ tres.

a Meũ, & Cat. πίτυος. i. pini.
b σφόδρα ἐν μεγέθει. i. valde magnus.

**PITYVSA.**



*PItyuſa, vt latius præcedenti capite retulimus, ea nimirum fuerit planta, quam officinæ Eſulam maiorem nominant. Huius radices herbarij, qui quotannis è Gargano Apuliæ monte ſuccos, & alias radices ad nos comportant, magna impoſtura pro Turpeto venditant, quemadmodum & Thapſiæ radices pro eodem ſubijciunt, vt ſuperius in tripolij mentione diximus. Quod cùm ſua ætate non ignoraſſet Actuarius, album turpetum Alypiæ eſſe radicem prodidit, nigrum verò Pityuſæ. Nec his obſtat, quòd dixerit Dioſcorides, Pityuſæ radicem ſubeſſe candidam: nam is de interiore ſubſtantia tantùm intellexit, non autem de exteriore corticis membranula, quæ viridis ruſeſcit, ſiccata nigreſcit. Porrò quod Eſula maior ſit Mauritanis alſebram, vel ſebram, ſatis liquidò ex Serapione colligi poteſt, vtpote qui integrum de Pityuſa caput ex Dioſcoride ſumpſit, & in ſuum Scebram repoſuit. Quo fit, vt planè falli putem Braſauolum, quippe qui certò ſibi perſuadeat, Alſebram maius Mauritanis eſſe tithymalum platyphyllon. Nicolaus Myrepſicus quibuſdam in antidotis, & catapotijs aluum ſoluentibus Eſulam imponit cognomine chamæpityn. Vnde Fuchſius in ſuis doctiſsimis adnotationibus, nil aliud eſulam Nicolao referre ſcribit, quàm Chamæpityn, non autem tithymali ſpeciem. Qua in re Fuchſij opinio (pace eius dixerim) mihi non planè ſatisfacit. Nam cùm plura ſint tithymalorum genera, quæ in vniuerſum Eſulæ nomine appellantur, de ea tantum intellexiſſe Nicolaum exiſtimo, quam Dioſcorides a foliorum forma Pityuſam vocat, eo quòd pini, vel piceæ arboris folio conſtet: quæ ob id eſula chamæpitys differentiæ cauſa Nicolao appellata eſt. Paruam enim pinum pityuſa repræſentat: quare non ab re eſula quoque chamæpitys cognominari potuit. Pityuſa in Italia paſsim ferè prouenit, facie minoris eſulæ, ſed longè in omnibus maior, adeò vt quibuſdam in regionibus, vt in Apulia, arbuſti ſpeciem referat. Viſitur copioſa in Veronenſi agro, ea immenſa planitie, per quam ad Benacum tranſitur. Sed quod aridiſsimum ibi ſit ſolum, non admodum adoleſcit. Hæc (vt Meſues eſt author) agreſtium hominum medicamentum eſt: multa enim ſumentibus adfert incommoda. proinde eius vſus apud medicos peritos prorſus exoleuit, quemadmodum & turpeti ex huiuſce radicibus parati, poſtquàm detecta eſt impoſtorum fraus: etſi non deſunt improbi pharmacopolæ, qui Pityuſæ radices legitimi Turpeti vice ſuis inſerant medicamentis: ſintq; etiam circumforanei, qui harum radicum puluere plures iugulent ruſticos, quàm ſanent. Adſcribunt quidam Pityuſam tithymalorum generibus, quoniam & ipſa ſimiliter lacteo ſucco madeat, purgetq; eorum modo. Id quod Galenus apertè teſtatur lib. 8. ſimplicium medicamentorum, dum ſic inquit. Pityuſa, & hanc quidam ſpeciem putant eſſe tithymali, quòd ſuccum habeat, vt illi, quodque ſimiliter illis purget, cæteraq; omnia viribus illis eſt adſimilis. Ea Græcè πιτυοῦσα Latine item Pityuſa vocatur: Arabice, Scebram, & Pthias: Offuinu, Eſula maior: Italis, Pitiuſa, & Eſula maggiore. Gallis, Turbit noir.*

Pityuſæ conſideratio quę Eſula maior eſt.
Turpetũ album & nigrum.
Alſebra eſt Eſula maior.
Eſula Chamæpitys Nicolai.
Fuchſij opinio reprobata.
Pityuſæ maior ex Gal.

Pityuſa, Matthiolo, Lacu. Caſtor. Lugd. (cui & Eſula maior) Lonicero, cui & Turbith nigrum.

Λαθυρίς. **LATHYRIS.** CAP. CLXI.

LAthyris, quam aliqui tithymalum appellant, eamque tithymalorum numero adſcribunt: caulem emittit cubiti altitudine, & digitali craſſitudine, inanem: gignuntur in cacumine aleæ, & folia in caule oblonga, amygdalinis proxima, latiora, & læuiora: quæ autem in ſummis ramulis exierunt, minora conſpiciuntur, ariſtolochiæ, aut oblongæ hederæ figura. In cacumine fructum ſummis ſurculis gerit, triplici loculamento inſignem, rotundum, ceu capparin, in quo grana, intercurſantibus membranis, inter ſe diſtincta continentur, eruis maiora, rotunda: quæ dum corticibus exuuntur, candida ſunt, & guſtu dulcia. a Nullus radicis vſus: totus frutex lacteo ſucco turget, vti tithymalus. b Grana ſex, aut ſeptem in catapotio, aut cum ficis, aut palmulis deuorata aluum purgant: ſed aqua frigida poſtea ſorbenda, trahunt autem bilem, pituitam, & aquas. Succus, tithymali modo exceptus, eundem effectum præbet. Cum gallinaceo, aut oleribus folia decoquuntur ad eoſdem effectus.

a Meũ, & Cat. ῥίζα λεπτὴ ἄχρηστος. i. Radix tenuis, inutilis.
b σπέρματα ὅσον ἑπτὰ ἢ ὀκτώ. i. ſeminis grana ſepté aut octo. Ita habet vtrumque exemplar.

*LAthyrin officinæ Cataputiam appellant. Planta eſt vulgaris notitiæ. Hæc in Hetruria frequentiſsima naſcitur paſsim in hortis, & ſecus itinera exoluto ſolo. Apud Inſubres, quòd aluum valẽter euacuet, vomitionesq; eliciat, cacapuzza vulgò nominatur. Iiſdem pollet facultatibus, quibus & ricinus: ijſdem quoq; medicamentis infrænatur. Huius plantæ meminit Actuarius in ſuo lib. de compoſitione medicamentorum, vbi ita ſcribit. Lathyris vehementer pituitam purgat. Dantur*

Lathyris conſideratio.
Lathyris vires ex Actuario.

LATHYRIS.



*grana eius maiora, quindecim: minora verò viginti. Iu, qui efficacius purgari cupiunt, mandenda præcipito: iis vero qui deiectionem non deſiderant copioſam, iubendum eſt, vt integra deuorẽt, præſertim ſi qui ſumit malo fuerit ſtoma- hæc Actuarius. Decem, duodecimue ſeminis grana a puta- nibus delibrata, tuſaque & in ouo ſorbili deuorata, ve- tum potenter citant. Itaque iis vtiliter propinantur, qui philtra deuorarunt, aut alia veneficia, ſiquidem hæc efficaciter expellunt. Præſtat præterea Lathyris ſemen ad omnia, ad quæ Ricini ſemen valere ſuperius diximus.* Lathyris vires ex Gal. *Lathyris vires deſcripſit Galenus libro 7. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Lathyris, ſunt qui dicant & hanc e tithymali ſpeciem, tum quòd ſimiliter illis ſuccum habeat, tum quòd eodem illis modo purget, totaq; illis facultate ſimilis ſit, niſi quòd ſemen guſtantibus videatur dulce: quod ſane etiam maximè purgatoriam vim obtinet.* Nomina. *Quæ planta λαθυρὶς Græcis, Lathyris item Latinis dicitur: Officinis, Cheua minor. Arabibus, Mendana, ſeu Mahendane: Italis Lathiri, & Cataputia minore: Germanis,* Springkraut Springkörner / vnnd Treibkörner: *Hiſpanis, Tartago Gallis, Eſpurge.*

Lathyris maior, C.B. Lathyris, Matth. Brunf. Trag. Fuchſ. Turn. Cord. in Dioſc. Dodo. gal. & fol. Lacu. Anguil. Geſ. hort. Lonic. Caſtor. Lugd. Cataputia Brunf. Cæſal. Cataputia minor, Lob. Granum regium minus, Meſuæo.

## Πέπλος. PEPLVS. CAP. CLXII.

PEplos frutex eſt lactei ſucci plenus, folijs paruis, vt rutæ, paulò rarioribus: rotũda coma, fere dodrantali, humi reſperſa: ſemine ſub folijs paruo, rotundo, minore quàm candidi papaueris: pluribus ſcatet auxilijs. Vnicam radicem habet, ſuperuacuam, ex qua fruticat: naſcitur inter vites, & in hortis. Colligitur meſſibus, ſiccatur in vmbra, & continuè verſatur. Fructus tuſus, & ferueſactus reconditur. Bilis, ac pituita detrahitur acetabulo eius in hydromelitis cyatho poto. Obſonijs inſperſa conturbat aluum: muria conditur.

I. PEPLVS.



II. PEPLIS.



## Πεπλίς. PEPLIS. CAP. CLXIII.

PEplis, quam aliqui ſylueſtrem portulacam vocant, Hippocrates peplion, in maritimis maximè naſcitur, latè opaco frutice, candidi ſucci pleno: foliis ſatiuæ portulacæ, rotundis, internè rubentibus: ſemine ſub foliis rotundo, vti in peplo, feruente guſtu: radice ſingulari, ſuperuacua, tenui. Colligi & reponi, ac dari, vti peplos, & ſale condiri ſolet. Eaſdem habet vires.

*PEplum herbariorum vulgus, quòd orbiculata conſtet coma, Eſulam rotundam vocat. Prouenit non modò in vinetis, ſed etiam in agris cultura deſtitutis, lacteo ſucco prægnans. Peplida verò, quæ Peplion dicitur, in maritimis naſcentem, non priusquam hoc anno euulſam vidimus. Vtriuſque vires reddidit Galenus lib. 8. ſimpl. medic. vbi primum de Peplo ita ſcribit. Peplos, quidam verò papauer ſpumeum, & hic frutex paruus ſuccum habet ſimilem tithymalis, cum in aliis, tum quia purgat, ceu illi. Mox de Peplio idem Galenus hæc verba ſubiunxit: Peplium, & hic quoque frutex exiguus ſuccum obtinet, ſicut tithymali: naſciturque plerunque ad mare, radicem habens inutilem, vt & plepos: ſuccum verò validum, non tamen admodum vtilem. Sed ſemen vtile eſt, & flatuoſum, ſimiliter ſemini pepli purgans. Quæ planta πέπλος Græcè, Peplus etiam Latinè vocatur: Officinis & vulgo, Eſula rotunda: Italis, Pepla. Quæ verò πεπλὶ, Græcè, Peplis quoque & Peplium Latinè dicitur: Italis, Peplo.*

Pepli, & peplidis conſid.

Vtriuſque vires ex Gal.

Nomina.

I. Peplus Matthiolo in maioribus figuris & Compendio, Peplis, eidem in minoribus: Peplus, Fuchſ. Dod. gal. (cui & Eſula rotunda Officinarum.) & fol. (cui & vineale reuelium, Ruellij) Tur. Cor. in Dioſc. & hiſt. Anguil. Lob. Lon. Cæſal. Caſt. Cam. Thal. Tab. II. Peplis, Matth. in maioribus figuris & Compendio. Turn. Anguil. Lob. Cluſ. hiſt. Hiſp. Caſt. Lugd. Cam. Tab. cui & Peplus minor, Peplium, Cæſalp. Lug. quia & Hippocrati Peplion dicitur. Meminit Anguillara & alterius, quod locis montoſis in Samnitibus collegit, quod nuper ex iiſdem montibus accepimus.

## Χαμαισύκη. CHAMÆSYCE. CAP. CLXIIII.

CHamæſycen aliqui ſycen nominant. Ramos emittit quaternûm digitorum, teretes, ſuccoſos, in terram deiectos: folia lentis, parua, peplum planè referentia, tenuia, quæ à terra non attolluntur: ſemine ſub foliis rotundo, vt in peplo: neque caulem, neque florem promit: radice firmatur tenui, ſuperuacanea. Rami ex vino triti vuluę dolores ſedant, in peſſo appoſiti: tollunt tumores, ac [a] verrucas omnium generum illiti. Decoctorum cibo aluus reſoluitur. Succus ſimili effectu prodeſt. Illitus contra ſcorpionis ictus auxiliatur: aduerſus caligines oculorum vtilis, & hebetudines, incipientes ſuffuſiones, nubeculas, cicatrices, cum melle inunctus. In ſqualidis, petroſiſque naſcitur.

a Mc. ἀκροχορδόνας, καὶ μυρμηκίας. i. penſiles & formicarias verrucas.

*CHAMÆSYCE.*



*NAſcitur Chamæſyce, quemadmodum & Peplus, in vineis, petroſis, & ſqualidis monticulis. Hæc, vt ex totius plantæ deſcriptione colligi poteſt, in pepli genere enumeranda videtur: quippe, quæ ramulis exeat humi perpetuo ſparſis, lacteo ſucco refertis: foliolis, & coma peplo ſimilibus. Hinc itaq; quiſpiam fortè non aberraret, ſi cenſeret Chamæſycen eſſe minorem peplum: ego tamen id planè aſſerere non auſim. Chamæſyces vires tradidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum, his verbis. Chamæſyce abſtergendi ſimul & acrem vim poſſidet. Itaque acrochordonas, myrmecias caules eius teneriores in modum cataplaſmatis admoti, & ex eis liquor auferunt. Cum melle verò craſſas oculorum cicatrices detergūt: ſed & hebetudinem viſus à craſſitie natam adiuuant, ſicut ſanè & ſuffuſionum principia. Χαμαισύκη ſic Græcè, vt Chamæſyce pariter Latinè vocatur.*

Chamæſyces conſideratio.

Chamæſyces vires ex Gal.

Nomina.

Chamæſyces figuram, cùm Matthiolus non haberet, adpoſuimus: quo nomine donarunt, Geſ. hor. Aduer. Lob. Dod. fol. & Cluſ. hiſt. Hiſp. Cæſal. Cam. Taber. & Lugdunenſis hiſtoria, vbi duæ adpoſitæ figuræ.

## Σκαμμωνία. SCAMMONIA. CAP. CLXV.

SCammonia ramos ab vna radice emittit [a] trium [b] cubitorum, multos, pingues, & qui nonnihil [c] craſſitudinis præ ſe ferant: foliis helxinæ, aut hederaceis, mollioribus tamen, [hirſutis,] & triangulis: flore candido, rotundo, in calathi modum cauo, graueolente: radice [d] prælonga, craſſitudine cubitali, candida, graui odore, ſucco grauida. Legitur ad hunc modum ſuccus. Capite exempto, radix in teſtudinis ſpeciem cultro excauatur: quo fit, vt in cauum confluat ſuccus, qui conchis demum excipitur. Alij ſcrobes in terra concamerato ſinu fodiunt, in quos ſubiectis iuglandium foliis, profundunt ſuccum, ſiccatumque extrahunt. Laudatur autem Scammonium leue, nitidum, rarum, & colore quàm ſimillimum taurino glutini, fungoſum, tenuibus fiſtulis, quale ex Myſia regione Aſiæ deportatur. Nec attendere ſolùm par eſt, ſi linguæ tactu albeſcat (hoc enim euenit adulterato, quod admiſto ſit tithymali lacte) ſed longè magis antea narratis: item ſi non vehementer linguam exurat, id quod miſti tithymali argumentum eſt.

a Ori. addit, τριῶν ἢ τεσσάρων. i. tres, vel quatuor.
b Orib. ἢ τετραπήχεις. i. vel quatuor cubitorum.
c Orib. δασύτητος. i. denſitatis.
Concluſa nullum exemplar habet, ſicuti etiam re ipſa apparet.
d Orib. ἐπιμήκη. i. oblōga.

Natione autem Syriacum, & Iudaicum deterrima habentur, grauia, denſa, erui farina, & tithymalo vitiata. Succus drachmæ vnius, aut quaternum obolorum pondere hauſtus ex aqua pura, vel mulſa, per inferna bilem, & pituitam extrahit. Ad reſoluendam aluum binos obolos cum ſeſama, aliove ſemine ſumpſiſſe ſatis eſt. Dantur efficacioris purgationis cauſa, ſucci tres oboli, cum duobus veratri nigri, & aloes drachma vna. Fiunt purgatorij ſales drachmis viginti ſucci ſcāmonię in ſenos ſalis cyathos adiectis. Horū modus proportione virium: integer quidem, tria cochlearia: medius, duo: minimus, vnum. Radicis drachma vna, aut altera purgat cum iis quæ retulimus. Nonnulli decoctum radicis ebibunt. Coquitur in aceto, & cum hordeacea farina teritur, cataplaſmate iſchiadicis vtili. Partus enecat ſuccus, vuluæ in lana ſubditus: tubercula diſcutit cum melle, aut oleo illitus: decocto in aceto perunctæ lepræ abiguntur: diuturni capitis dolores ex aceto & roſaceo perfunduntur.

Scammoneę, eiuſque ſucci conſideratio.

## I. SCAMMONEA.



SCammonium, quod eſt Scammoniæ ſuccus, copioſum quidem in Italiam aduehitur, præſertim Venetias quò ex Alexandria Aegypti, & Syria importatur. Sed interim admonendi ſunt Pharmacopœi, ne negligant, quin diligenter intueantur, an ſincerum, aut adulterinū ſit Scammonium, quod ab ijs emendum eſt, & ne tantum confidant quòd linguæ tactu albeſcat, cùm id (vt rectè Dioſcorides inquit) euenire quoque poßit ex admiſto tithymali lacte. Nam præter id quod albeſcat hoc facto periculo, expendenda quoque ſunt alia nota, quibus præſtantißimum dignoſci ſolet. Ad hoc itaque munus obeundum, & Medici quidem tenentur, qui chriſtianam religionem ac pietatem colunt, vt laudatißimum quærant, habeantq́ ſcammonium. Nam cùm hoc medicamentū omnium ferè electariorum, catapotiorumq́, quorum paßim eſt vſus ad humores in morbis deijciendos, ſit baſis, qui iis adulteratum immiſcent, nulli dubium eſt, quin peßima, & plerunque exitioſa conficiant medicamenta: quo certè nihil deteſtabilius, nihilq́ execrabilius eſſe poteſt. Cæterùm neſcio quo pacto fiat, vt deuoratis noſtri Scammonij 12. aut ad ſummum 15. granis ſumentium aluus pluries, ſæpeq́ exoluatur, cùm Dioſcoridis ſinceri drachma id præſtare vix poßit. Siquidem is ibi efficaciorem purgationem moliri contendit, ternos Scammonij obolos, Ellebori nigri binos & aloes drachmam vnam ſimul propinari iubet. Quo fit, vt facilè adducar ad credendum, aut hoc in loco Dioſcoridi mendam ſubeſſe, aut Scammonium quo nos vtimur, adulterio non vacare.

Dioſc. locus ſuſpectus.

Scammonij plantam, cuius hic imaginem damus, Conſtantinopoli ad me Viennam miſit Clarißimus vir Augerius de Busbeke, qui tum temporis Cæſareum oratorem agebat. Eam curaui illico transplantari à Bono Baldino Myropola, quæ, ſoli humore reſtituta, paulo poſt viticulas, folia & flores emiſit. Andreas Marinus in ſuis in Meſuem annotationibus, hanc ipſam plantam Georgio Liberali pictori, qui noſtras pinxit imagines acceptam refert, quòd fortaſſe ignoraret, à Georgio illo eam è noſtris hortis eſſe ſublatam. Sed hæc obiter dicta ſit, non quòd Marino viro optimo, aut Georgio ſuccenſeamus, ſed ne fortaſſe Zoili, ac ſycophantæ, qui nobis lacerandis inhiant, furti nos accuſarent. Sed profectò mirari nobis ſubit, quòd Galenus in libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus, nihil de Scammonij viribus meminerit, cùm tamen pleraq́ alia ſcriptis tradiderit longè etiam minoris momenti, atq; aliàs ſæpius obiter Scammonij mentionem fecerit in ſuis aliis monumentis.

Scammonij læſiones, & vires ex Meſue.

Scammonium, authore Meſue in ſuis ſimplicibus deiectoriis, quinque corporibus læſiones inferre poteſt. Prima eſt, quòd flatus quoſdam mordaces gignit, vſque adeò ventriculum laceſſentes, vt ſumentibus nauſeam commoueat. Noxa hæc tollitur, ſi in excauato cydonio malo, clibano, aut prunis inaſſetur, paſta vndique circumlita, præſertim additis aut fœniculi, aut dauci, aut apij ſemine, aut galanga. Inflāmat deinde acredinis exuperantia corporis ſpiritus: quo fit, vt facile febres excitet, iis præcipuè, qui obſtructionibus viſcerum, & humoribus putreſcentibus obnoxij ſunt. Sed id nocumenti aufertur, admiſtis inter coquendum, quæ refrigerant, & feruorem extinguunt: cuiuſmodi eſt pſyllij ſeminis ſpiſſamentum, prunorum decoctum, ſeu potius pulpa, roſarum & violarum ſuccus, aut dilutum, aut aqua: quinetiam ſi ante coctionem maceretur oleo roſaceo, aut violaceo, aut cotoneorum miſti ſaporis ſucco, aut admiſto rhoe, aut factitio ſpodio. Ad hæc quòd magna tum attrahendi, tum aperiendi facultate ſit præditum, immoderatas alui fluxiones facit: vaſorum enim oſcula pluſquam par ſit aperit. Hæc læſio adimitur admiſtis rebus adſtringentibus, cohibentibuſq́, nempe maſtiche, cydoniis malis, ſuccoq́ ab eis expreſſo, & myrobalanis, præſertim flauis. Abradit præterea acri ſucco, quo ſcatet, inteſtina: proinde & tormina, & dyſenteriam, & tenaſmum excitat. Sed deletur hoc incommodum, additis humidis, pinguibus lentiſq́ medicamentis: cuiuſmodi ſunt, tragacanthæ lacryma, bdellium, amygdalinum oleum, aut roſaceum: item prunorum pulpa per ſe, & ſaccharo aſſeruata, pſyllij ſpiſſamentum, maſtiche, cydonia mala poſt ſumpta & calida aqua poſt bibita: vtpote quæ medicamentum ocyus à ventriculo, & inteſtinis expellant, & ita ſimul noxam prohibeant. Hinc eſt quod prudentes medici, quò celerius Scammonium à ventriculo, & inteſtinis deijciant, hordei iuſculum, cum ſaccharo ſuperbibendum prabent. Obeſt poſtremò ſcammonium cordi, iecori, ac ventriculo, ſubſtantiæ ſuæ totius proprietate. Vitium hoc aboletur, ſi illi tum calida, tum frigida admiſceantur medicamenta, quæ cordi, iecinori, ventriculoq́ opem ſuam præſtant. Deijcit ſcammonium valentißimè bilem, quam & à vaſis, & à ſanguine exhaurit. Eius deijciendi facultas haud ſanè aliis medicamentis abſimilis eſt, quæ purgant cum labore & moleſtia.

Nomina.

Planta Græcis σκαμμωνία, Latinis item Scammonia vocatur: Arabibus, Scammonea, ſiue Sachmunia: Italis, Scammonea.

I. Scammo-

*II. SCAMMONEA MONSpeliaca.*



I. Scammonia Syriaca, C.B. Scammonia, Matth. Dodo.gal. Lon. Cordo in Dioſc. Anguil. Caſt. Lugd. Cæſalp. Scammonium, Dod. fol. Lob. Scammonium Syriacum, Antiochenum Scammoneæ, Lob. in ico. Scammoniæ frutex, Geſ. hort. Scãmonea Antiochena, Cam. II. Scammonea Monſpeliaca. Hæc radice eſt ſurculoſa, fibroſa, digiti minoris craſſitie, fuſca, intus verò ſubflaua: friabilis cum aliqua dulcedine acris: per cuius medium neruus flauus fertur, qui fractus minimis foraminibus plenus eſt: caules primo ortu erecti cubitales, poſtea Volubilis inſtar ſarmentoſi quatuor etiam cubitorum, repunt, qui concaui, foliis cinereis orbiculatis, in mucronem deſinentibus & baſi falcatis pediculis reptãtibus: floribus ſtellatis cãdidis, quinquefoliis, ex alarum ſinu quaſi vmbellatim Iunio & Iulio prodeuntibus: ſemen anguloſum. Tota planta lacteo ſucco turget, cuius ſucco aliqui Scammonio carentes eius loco vtuntur, ſed maiore doſi & minori effectu. Calida vltra tertium gradum cenſetur. Hanc ante annos nouemdecim Monſpelij in littore inter Volcarũ ſtagnum & mare legimus. Dicitur Scammonia Monſpeliaca, Geſ. hor. Cam. ad Matth. & Periploca repens. Scammonium Monſpelienſe, Aduer. & Lob. Scãmonea Valentina & Monſpeliaca, Cluſ. hiſt. Hiſp. Scammonea maritima Monſpelienſis, Lug. Cam. cui & Coriziola Rhaſis. Volubilis marina, Tabernæmontano.

Χαμελαία. CHAMELÆA.
CAP. CLXVI.

CHamelæa ſurculoſa fruticat, ramis dodrantalibus: folia oleæ ſimilitudinem habent, tenuiora, & amara, quæ guſtata linguam mordent, & arteriam deradunt. Detrahit pituitam bilemq; foliis præſertim in catapotio deuoratis: namque duæ abſinthij partes, adiecta chameleæ vna, a hydromelite excipiuntur, & in catapotia coguntur: ea autem in ventre non liqueſcunt, ſiquidem quotquot fuere deuorata, reguntur. Foliis cum melle tritis, ſordida vlcera, & cruſtoſa repurgantur.

a Me. ὕδατι ἢ μέλιτι. i. aqua, aut melle.

I. CHAMELÆA.



II. THYMELÆA.



Θυμελαία.

## Θυμελαία. THYMELÆA. CAP. CLXVII.

THymelæa eſt, ex qua granum Gnidium, quod eſt ſemen ipſius, colligitur. Hoc Syri apolinum vocãt, quoniam ſatiui lini frutex ſuapte natura ſimilitudinem referat. Virgas edit pulchras, multas, tenues, binûm cubitorũ: foliis chamelææ, anguſtioribus, & pinguioribus, viſcoſis, gummoſiſque, ſi mordeantur: flore candido: fructu myrti in modum rotundo: qui inter initia viret, & tandem rubeſcit: inuolucrum fructus durum, foris nigrum, intus album. Hoc per inferna bilem, pituitam, aquaſque detrahit, ſi viginti granorum pars interna bibatur: verùm fauces adurit. Itaque cum farina, aut polenta, aut in vuæ acino degluti debet, aut melle cocto obductum deuorari. Qui ægrè deſudant, trito ſemine cum nitro, & aceto inunguntur. Folia, quæ peculiariter cneorum appellarunt, per meſſes colligi debent, & ſiccata in vmbra recondi. Quibus dare libeat, antea tundere, & neruos eximere conuenit. Illitum acetabuli modo cum dilutа vini potione, aquam extrahit: mediocrius purgat, addita lente cocta, aut contritis oleribus. Thymelææ farina vuæ acerbæ ſucco excipitur, & in paſtillos diuiditur. Herba ſtomacho infeſta: partus impetu necat. Naſcitur in montibus, & aſperis. Hallucinantur, qui coccon Gnidium fructum eſſe chamelææ exiſtimant, decepti quadam foliorum ſimilitudine.

Chamelææ, & Thymeleę conſideratio. *CHamelæam, pariter & Thymelæam Arabes confusè ſatis, ac perplexè Mezereon appellant. Cuius etſi duo faciant genera, vnum album, alterum nigrum, tamen ijs etiam Daphnoidem admiſcent, & hæc omnia adeò confundunt, & implicant, vt hac in re nihil certi, nihilq́; perpetui ac tuti ex eorum ſcriptis elici poßit. Illarum plantarum vis in exoluendo corporis humores, tam vehemens, violenta, ac furioſa exiſtit, vt niſi robuſtißimis hominibus tutò in medicamentum dari poßint: plerunque enim imbecilles confecerunt, abraſis viſceribus apertiſq́; vaſorum oſculis. Quare non temerè eas Montani & terræ leones, & plantas viduificas cognominarunt. Proueniunt hæ plantæ numeroſæ in vallis Ananiæ montibus Tridentino agro: & vtræq; (licet hoc in chamelæa præterierit Dioſcorides) fructum ferunt myrti baccis ſimilem, quamuis Chamelææ quadantenus longior ſit, & oliuæ formam repræſentet. Vtrique fructus initio ſui exortus vireſcit, mox per maturitatem rubeſcit, denique exiccatus niger conſpicitur. Cæterùm baccam, quæ è Thymelæa decerpitur, quoniam ſiccata piperis faciem præ ſe ferat, acrimoniamq́; non obſcuram guſtantibus relinquat, rura Ananienſia, vna etiam cum Laureolæ ſemine,*

Piper montanum. *Piper montanum indifferenter nominant. Nec ſanè mirum, quandoquidem & Theophraſtus libr. 9. cap. 22 de plãtarum hiſtoria, vbi de pipere diſſeruiſſet, ſtatim Cnidij grani meminit: vtpote quod maximè piperis imaginem referat, & admodum etiam acre ſentiatur. Sumunt hoc piper (vt eorum nomine vtar) frequenter incolæ in ſuis purgationibus aduerſus omnes ferè morbos, ita medicos, & pharmacopolas fallere credentes. Sed ſæpe euenit, vt cùm futuram noxam non prauideant (quæ eorum multorum imperitia eſt) non ſolùm ſeipſos decipiant, ſed etiam ſibi mortem conſciſcant. Et id certè hoc teſtari poſſum, quòd ex montani illius piperis aſſumptione plures periiſſent, niſi antidotis noſtris ſuccurriſſem, eoſq́; à*

Plinij ſententia exploſa. *morte vita ſeruaſſem. Ideoq́; non poſſum non admirari Plinium, quippe qui ſcribat lib. 27. cap. 9. Coccognidium quod Thymelææ eſt fructus, de quo nunc ſcribimus, aluum adſtringere, cùm adeò exoluat, vt in magnum ſæpe diſcrimen ſumentes ducat. Eſt enim (vt ipſe inquit Plinius) adeò vrentis guſtus, vt vorari non poßit niſi in pane. Proinde ſcitè poſteritatis memoriæ prodidit Meſues, nemini MeZereon præbendum eſſe, niſi iſtis admiſtis antidotis, quibus eius deleteriæ facultas infrenatur, quæ omnia corporis principalia membra corrumpit, ac deſtruit.*

Pilulæ de Mezereo. *Habentur tamen paßim in pharmacopoliis catapotia, quæ de Mezereo appellant, quibus aliquando vtuntur medici, ad aquam inter cutem extrahendam. Verùm ea non audent exhibere (quanquam medicamenta ſimul receperint, quibus eorũ malitia reprimitur) niſi robuſtis, ac fortunatis hominibus.*

Cneorum Theoph. *Sunt qui contendant Theophr. Cneorum, quod duum apud illum eſt generum, alterum eſſe Chamelæam, alterum verò Thymelæam, id quod probare nituntur Dioſcoridis authoritate, vtpote qui ſcribat, Thymelææ folia, quæ peculiariter Cneorum appellantur, per meſſes colligi debere. Verùm ab horũ vitilitigatorum falſa opinione, longè admodum diſtat ſententia noſtra, vt lib. tertio noſtrarum Epiſtolarum ad Ioannem Cratonem Vratiſlauienſem medicum clariſsimum ſcribentes diſſeruimus. Sed (Deo Opt. max. volẽte) nos hanc contra horum ſuſurronum temeritatem, in ſecundo eorundem noſtrarum Epiſtolarum tomo, fuſius, copioſius, lucidiuſq́; poſteritatis memoriæ commendabimus. CNEORVM de quo meminit Theophraſtus lib. 6. cap. 2. de plantarum hiſtoria, nullis deficiẽtibus notis, miſit ad me Roma vir quidem nobilitate clarus Gerardus Cibò, cuius imaginem hic apponi curauimus, vt qui chamelæam, & Thymelæam Cneorum faciunt ad mentis ſanitatem redeant.*

Chamelææ vires ex Gal. *Chamelæam tantùm quod ſciam, commemorauit Galenus in ſimpl. med. cenſu. de cuius viribus lib. 8. eorũdem ita ſcribit: Chamelæa vincentem habet qualitatem amaram. Quamobrem admodum ſordida vlcera, & quæ maximas habent cruſtas, cum melle purgare poteſt.*

Nomina. *Quæ Græcis χαμελαία, Latinis quoque Chamelæa & oleaſtellum appellatur: Mauritanis, Mezereon, ſeu Alemezerion: Italis, Chamelæa: Germanis, Zilandt: Gallis, Bois gentil. Quæ verò Græcè θυμελαία, Latinè pariter Thymelæa vocatur: Italicè, Timelea.*

III. CNEORVM THEOPHRASTI.



Inter Chamelæam & Thymelæam Dioſcorides differentiam fecit, at Serapio vtramque Chamelææ, ſic Meſues

ſic Meſues Thymeleæ, & Arabes Mezerei nomine expreſſere. I. Chamælea Dioſc. Chamælea latifolia vel alba, Serapionis: Thymelea foliis magnis & tenuibus, Meſues: Chamælea, Matt. Lac. Cordo in Dioſc. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lob. Lon. Caſt. Lugd. qui duas habet figuras, Chamælea prima, Cluſ. hiſt. Hiſp. Chamælea altera, Cæſalp. Chamælea vera, Cam. Chamęlea Arabum tricoccos, Tab. Mezereon Arabum Lob. in icon. II. Thymelæa, Dioſcoridi: Chamælea tenuifolia & nigra, Serapioni: Thymelæa foliis paruis, Meſues: Thymelæa, Matth. Dod. gal. & fol. Lac. Lob. Lon. Cluſ. hiſt. Hiſpa. Cæſal. Lugd. qui tribus figuris expreſſit, Caſt. Thymelæa vera, Geſner. hort. Thymelæa foliis lini, Cam. Thymelæa grani gnidij Lob. in icon. Thymelæa prima Tab. Chamælea Anguillaræ. III. Cneorum Theophraſti, Matthiolus duplex habet in hiſce Commentariis, aliud Capite de Cinamomo, de quo ſupra: aliud hoc in loco à ſuperiore penitus diuerſum. Hoc Cneorum candidum eidem dicitur in Compēdio, cuius figuram aſſumpſit Lugdunenſis, Cneorum aliud Theophraſti Matthioli nominans. Quod etſi nobis videatur nil aliud eſſe quam Lychnis vel Ocymoides repens montanum, quod Ocymoides repens Polygonifolia dicitur Lob. & Lugd. cui & Saponaria minor, ſic Ocymoidis alterum genus paruum, Cæſalpino, & Ocymoides repens, Camerario, noluimus tamen Matthioli figuram remouere, meliorem in hiſtoria exhibituri, cùm in Apennino legerimus.

## Ἀκτῆ. SAMBVCVS. CAP. CLXVIII.

SAmbuci duo genera. Vnum in arborem aſſurgit, ſurculos ſpargens arundinaceos, teretes, cauos, candicātes, proceros: folia iuglādis, [terna, quaternave,] ex interuallis circa ramos exeunt, grauia odore, [a] minutim in ambitu ſecta: & in ramulorū cacuminibus, cauliculiſq; circinatæ vmbellæ, quę florē cādidū pariunt: mox acinū terebintho ſimilē, in nigredine ſubpurpureū, racemoſum, ſucco madentē, vinoſūq;. Alterū genus chamæacte vocatur, Romanis ebulum, longè humilius eſt, magiſque herbaceo generi aſſignandum: caule quadrangulo, geniculato, foliis amygdalæ, ex interuallo longioribus geniculatim expanſis, pinnatiſque, graueolentibus, in ambitu ſerratis: muſcario ſambuci flore, & acino eiuſdem: radice nititur longa, craſſitudine digitali. Eadem vtriuſq; vis. & vſus exiccans, aluo detrahens aquam, ſtomacho inutilis. Folia olerum more coquuntur, ad pituitam, bilemque detrahendam. Caules teneri in patinis cocti, eadem efficiunt. Radix in vino decocta, & in cibis data, hydropicos adiuuat: prodeſt viperarum morſibus, eodem pota modo: vuluas emollit inſidentium, decocto: patefacit earum ſpiracula: & vitia corrigit. Acini in vino poti, eodem funguntur munere: denigrant capillos illiti. Folia, ſi prætenera ac mollia ex polenta illinantur, inflammationē mitigant: ambuſtis, & canum morſibus illitu proſunt: vlcera quæ dehiſcunt in fiſtulam, agglutinant. iis, qui podagra tentātur, cum ſeuo taurino, aut hircino proſunt illita folia.

Concluſa nō legit Orib.
a Meum μηκότερα. i. magis mala. ſed Orib. μακρότερα legit. i. lōgiora. Cat. verò μικρότερα. i. minora, & rectius meo iudicio.

I. SAMBVCVS



II. SAMBVCVS MONTANA.



*SAmbucus, & Ebulus plantæ ſunt nullis non cognitæ. Prioris etſi vnum tantùm genus prodatur à Dioſcoride, nobis tamen duo eius obſeruata ſunt genera: alterum quidem montanum, & ſylueſtre: alterum verò vrbanum, plerumque in hortorum, & vinearum ſepibus proueniens. Hæc genera fructu inter ſe differunt: ſiquidem montano flores baccæ non in*

Sambuci genera.

*vmbella*

III. SAMBVCVS AQVATICA.



vmbella cohærent perinde ac in vrbano, nec maturescentes nigricant, ſed in racemis vuæ modo dependentes, perpetuo rubeſcũt, vinoſæ ac ſucci plenæ, virgis foliiſq; vrbano ſimiles, ſed minori longe proceritate adoleſcit. Naſcitur in [illegible] algentibus locis. Vires vrbano imbecilliores habet. [illegible] diſcrimen facit, quòd vrbanum in maiorem proceritatem adoleſcit, & leuiore conſtat materie. Sunt præterea, qui [illegible] luſtrem Sambucum oſtendant, nempe arbuſculam [illegible] & paluſtri ſolo enaſcentem, virgis ſambuci domeſticæ [illegible] geniculatis, alba intus medulla, ſed caduca, & fragili materia, folio vitigineo: flore albo ſambuci modo, odore non [illegible] iucundo: a quo baccæ prodeunt rubentes, oxyacanthæ magnitudine, vinoſo ac amaro ſucco refertæ, quæ deuoratæ vomitiones cient. Succo vis eſt abſterſoria. Aqua è ſambuci floribus, fronti & ſyncipiti illita, capitis dolores mulcet, qui a calido humore prouenerunt.

Sambuci vires Matth.

Succus è radicis cortice expreſſus [illegible] tum valentiſſimè commouet, & aquam inter cutem [illegible] Præſtat idem è radicibus ebuli extractus ſuccus. Quin & [illegible] ſam pituitam ad articulos decurrẽtem extrahit. Ebuli [illegible] per diutinas aquæ lotiones à nigro circumſtante ſucco expurgatum, datur vtiliter drachmæ pondere ex chamæpityos decocto, podagricis, iſchiadicis, & Gallica lue laborantibus. [illegible] cet enim deiectoria vi mirificè eorum dolores, cum humores [illegible] fluentes tum reuocet, tum deiiciat. Sunt qui ex ebuli radicibus ſuccum eliciãt, inſolentq; ſubinde, & in paſtillos [illegible] ſeruentq; ad vſus. Hic clyſtere infuſus tã inteſtinorum, quam coxendicum dolores tollit à frigiditate, & flatu genitos. Supponitur conuenienter fœminarum locis ad euocandos menſes, præſertim ſi lana exceptus intromittatur. Suffitus [illegible] cocto cõmodè ij, qui diuturna febre vexati ad malum deuenerunt habitum, ſi tamen ventriculus, & iecur interea roborentur odoratis adſtringentibus, & ad id conferentibus medicamentis.

Ebuli vires Matthiolo.

Vnguentum præſtantiſſimum ad ambuſta.

Paratur è Sambuco vnguentũ præſtantiſſimũ ad ignis ambuſtiones hoc pacto: Sumito viridis Sambuci corticis, qui ſtatim ſub primo deliteſcit libro herbacei colorĩ libram, [illegible] pluries loti ex ſtillatitia florum Sãbuci aqua libras duas. Ferueant ſimul aliquãdiu, & deinde percolato, & exprimito [illegible] addito ceræ nouæ odoratæ, ſucci ſurculorũ Sambuci, cuiuſq; vncias 4. Rurſus vt ferueſcant ſinito, quouſq; ſuccus euaneſcat: tollito tũc ab igne, & rudicula agitato, omniaq; miſceto, & ad finẽ addito vernicis liquidæ vncias duas: Thuris albi [illegible]

*IV. SAMB. AQVAT. POLYANTHOS.*



V. EBVLVS.



... contritæ vncias quatuor: quinetiam duorum ouorum album, diu prius cochleari agitatum. Subinde mi... omnia, & mundo vaſe aſſeruato. Fungi qui ad imam Sambuci caudicis ſedem oriuntur, in aqua roſacea ... capitis dolores, & inflammationes mulcent. Stibatitia cum Ebuli, tum Sambuci radicum aqua, hydrope ... laborantes mirificè iuuat, ſi huius quaternas vncias, illius verò binas, vtriſque ſimul miſtis hauriant aſſecti ... continuus. Illitus ebuli radicum ſuccus procidentem ſedem reprimit, & anginam tollit, vbi circa gulam ca... linteolis illinatur. Exuſta Sambuci folia, & in puluerem trita, emanantem è naribus ſanguinem ſiſtunt. Bac... Sambuci ſuccus à recremento repurgatus & cum melle optimo coctus ad Iulapij ſpiſsitudinem, aurium dolores tollit, ... imponatur. Sambuci tenerrima folia, quæ primo ſtatim germinatu prodeunt, vna cum pari pondere radicum ... ſuillæq́; axungiæ veteris contrita, ſubactaq́;, podagricos dolores præſentaneo auxilio mulcent. Meminit Sambuci vtriuſq́; Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Vtraque Sambucus tum magna illa, & arboreſcens, tum herbacea, quam & chamæacten vocant, deſiccandi, conglutinandi, mediocriq́; digerendi facultatem obtinent. Hæc Galenus. Cæterum facit Sambuci, Ebuliq́; facultas, quæ ad cutem ſubeuntes aquas pellendas non parua eſt, vt hic Frangulæ quoq́; arboris, in qua eadem vis non infima reperitur, hiſtoriam & facultatem deſcribam.

Ad hydropē.

Sambuci vtriuſq́; vires ex Galeno.

Frangulæ mentio & eius vires.

VI. FRANGVLA.



FRANGVLA igitur ita vocata, quòd facilè frangatur, arbor eſt mediocris proceritatis, folio ferè Corni aut virgæ ſanguineæ, cortice Alni, exterius albis maculis reſperſo: interius verò adeò flaueſcente, vt ſi mandatur, croceo colore inficiat Rhabarbari modo. Flores edit albos, fructum paruum, Piſi magnitudine, per medium diuiſum, adeò vt duabus ſimul baccis conſtare videatur, quodam naturæ artificio ſimul coniunctis. Fructus primo exortu viret, deinde rufeſcit, poſtremò verò nigricat. Is duo inter ſe concludit oſsicula, lupinorum ferè figura, ſed lentibus paulo grandiora, in quibus nucleus habetur. Ligni materies omnino fragilis imbecillaq́; eſt: vnde illi nomen. Naſcitur paſsim in Bohemia ſyluis & nemoribus. Cortici vis ineſt non modica, cùm exoluens, tum etiam adſtringens. Ideoquè Rhabarbari modo aluum deijcit, & viſcera roborat. Idem bilem, & pituitam expurgat, quinetiam hydropicorum aquas ducit. Decoquitur cortex cum Eupatorio communi, Pontico Abſinthio, Agrimonia, Cuſcuta, Lupulo, Cinnamomo, Fœniculi, Apij & vtriuſq́; Intubi radicibus, ad hydropem, malum corporis habitum, & Ictéritiam: daturq́; potandus ita affectis quinque vnciarum pondere, magno ſanè auxilio. Atqui operæprecium eſt, vt prius excrementitij humores, qui in ventriculo, & primis Iecinoris venis decumbunt, expurgati fuerint. Soluit enim aluum ſine vllo incommodo, bellè iecur expurgans, ac roborans, adeò vt quidam, qui ſcyrrhoſo Iecoris, & lienis affectu laborant, hoc medicamento curati ſint. Aperit enim omnium viſcerum obſtructiones, & vaſa omnia à craſſorum excrementorum infarctu expedit. Extimo cortici facultas eſt adſtringens: intimo autem exoluens. Vterq́; ſimul ab arbore delibrari debet, in ipſo ſtatim Veris principio, ac deinde in vmbra ſiccari. Siquidem viridis nullus debet eſſe vſus, quòd vomitiones moueat. Decoctum, quod hinc paratur, quieſcat prius oportet anteaquam propinetur, duobus aut tribus diebus, quouſque flauus color in nigrum vertatur, aliâs vomitiones mouere quandoque ſolet. Idem potum vbi aluum non exoluerit, appetitum prouocat, ob eam quam poſsidet adſtringendi facultatem. Arbor hæc hactenus mihi ignota fuit, nunc verò primùm nota, opera ac diligentia clariſsimi Doctoris Iohannis Vellebrochi Dantiſcani, Sereniſsimi Principis Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, Medici, qui cum ſit rei plantariæ ſtudioſus, prætermittere noluit, quin etiam ſuo auxilio opus hoc noſtrum ornaretur. Planta quæ ἀκτὴ Græcis, Sambucus Latinis appellatur: Arabibus Iaſacti: Italis Sambuco: Germanis Holder oder Holler: Hiſpanis Sambugo & Caninero: Gallis Suſeau & Suyer. Sambucus montana: Græcis ἀκτὴ ὀρεινὴ: Italis Sambuco montano. At Sambucus aquatica, Italis Sambuco acquatico: Germanis Schweickken. Sic Frangula, Italis Frangola. Quæ verò χαμαιάκτη Græcè Ebulus Latinè dicitur: Arabice Kameactis: Italis Ebulo ſeu Nebbio: Germanicè Attich vnd Niderholder: Hiſpanicè Hiezgos & Sabugo pequenno: Gallicè Hyeble.

Ad hydropem.

Nomina.

Sambucus, quod à Sambuca inſtrumento muſico dictum putant, eſt domeſtica, quæ foliis eſt vel non laciniatis, & quidem fructu vel nigro, vel albo: vel laciniatis: altera montana racemoſa, tertia aquatica flore ſimplici, vel pleno: hocq; colore vel albo, vel purpureo: quarta minor ſeu humilis, quæ Ebulus. I. Sambucus. Matth. Brunf. Fuch. Turn. Dod. gal & fol. Cord. in Dioſc. Anguil. Lac. Geſ. hor. Lob. Lon. Cæſal. Lug. Taber. Sambucus vulgaris, Trag. Thal. Sambucus domeſtica, Caſt. Sambucus ſiue Sabucus Campeſtris, Cam. II. Sambucus montana, Matth. du Choul in Pilati Lugd. deſcriptione, Geſ. hor. Caſt. Cam. Sambucus montana racemoſa, Lob. Sābucus ſylueſtris. Trag. Lon. (quamuis & ſub Acere poſuerit) Lug. Sambuci genus aliud minus, Cord. in Dioſc. Sambuci alterum genus, Cæſal. Sambucus tertia, Turn. Sambucus quarta, Dod. fol. Sambucus ceruina, Tab. Sambucus montana ſeu ἐρυθρόσταφυλος aut φοινικοστάφυλος, Thal. III. Sambucus aquatica, Matt. Trag. Aduer. Lob. in icon. Lug. (cui & Traupalus Theophraſti, Tab. Thal. Sambucus ſylueſtris & ceruinus. Dod. gal. Sambucus paluſtris, vel aquatica ſylueſtris, Geſ. hor. Sambucus paluſtris, Dod. fol. Lon. Cæſ Sambucus paluſtris fœmina, Cam. Lycoſtaphylon fæmina, Cord. in ſua hiſt. IV. Sambucus aquatica Polianthos: Hæc à præcedenti ſolùm flore differt, qui cultu & crebro ſatu denſiſsimus fit, ita vt flos albus ſphæræ inſtar rotūdus & glomeratus ſit, cuius nomine noſtrates (in quorum hortis frequens, in Galliis & Italiis non viſa) pilas niueas vocitant. Dicitur Lycoſtaphylus

**maſcula**, Cord. in hiſt. Sambucus paluſtris, vel aquatica hortenſis, Geſ. hor. Sambucus aquatica polyanthos, Tab. Sābucus paluſtris ſecunda, Dod. fol. Sambucus aquatica Lugd. V. Ebulus, Matt. Brunf. Trag. Fuch. Tur. Dod. gal. & fol. Ang. Cord. in Dioſ. (cui & parua Sambucus) Lob. Lon. (cui & Sambuci alterum genus.) Lug. Caſt. Tab. Cæſ. VI. Alnus nigra baccifera, C.B. Frangula quibuſdam, Dod. gal. Alnus nigra, Lob. Thal. Cam. cui & Siler Plinii. Alnus nigra baccifera, Lugd. Matt. Dod. fol. Lug. Tab. Auornus, Creſcentio: Faulbaum Trag. Arbor fœtida, Lon. Alnus nigra quibuſdam, Lugdun.

## Πυκνόκομον. PYCNOCOMVM. CAP. CLXIX.

† Orib. πράσου. i. porri.

PYcnocomon conſtat erucæ foliis, acrioribus, ſcabris, & craſsis: caule quadrangulo: flore ocimi, ſiue † marrubii: radice nigra, aut pallida, rotunda exigui mali figura, terram redolente, inuenitur in ſaxoſis locis. Semen grauia ſomnia, & tumultuoſa facit, drachmæ inſtar potum: tumores diſcutit illitum cum polenta: & ſpicula, adactoſq; corpori aculeos extrahit. Folia illitu tubercula, panoſq; diſcutiunt. Radix eius in aqua mulſa duum drachmarum pondere, aluum ſoluit, & bilem extrahit.

Pycnocomi conſideratio.

*NVllam equidem vſquam plantam hactenus ſum conſecutus, quæ facie Pycnocomo reſponderet. Quare & hoc mihi, vt ingenuè fatear, referendum eſt inter alias herbas, quas hodie omnibus incompertas eſſe arbitror. Ita enim fiet, vt & poſteris, quos ſpero futuros rei herbariæ diligentiores inquiſitores, ſuus relinquatur ſcribendi locus. Nec ſane quemquam pigere debebit, cum ex his, quæ nobis vel incognita, vel incerta ſunt, aliquid inuenerit, & compertum habuerit, ad communem vtilitatem, in medium proferre. Eam vt Græci πυκνόκομον, ita Latini Pycnocomum vocant.*

Nomina.

## Ἄπιος. APIOS. CAP. CLXX.

Concluſa nō legit Orib.
a Cat addit. ἀγρίου. i. ſylueſtris.
b Cat. non legit.

APios ramulos duos ſiue tres iunceos ſpargit, [rubros,] tenues, qui à terra [parum] attolluntur: foliis a rutæ, oblongioribus tamē, [& anguſtioribus,] b herbaceis, ſemine paruo: radice haſtulæ regiæ formam pyri turbinata, rotundiore tamen, ſucci fœcunda, intus habet corpus candidum, extra cortice nigros. Superior pars eius vomitione bilem, pituitasq; extrahit: inferior per aluum: tota vtrinque purgationes mouet. Succum ſi libet eximere, tuſa radix in fictili mergitur, & agitata aqua, quod ſupernatat penna ſelectum exiccatur. Purgat vtraque parte is ſuccus, ſeſquiobolo potus.

I. APIOS.



II. PSEVDOAPIOS.



Apii ſiue Iſchadis conſideratio.

*APios, quæ & Iſchas appellatur, naſcitur in Creta (quanquam non deſunt qui velint eam quoq; prouenire in Italia, præſertim in Apulia) foliis exiguis, rutæ, vel hyperico proximis, primo ſtatim vere ab radice erumpentibus, nigrioribus tamen, alba quadam linea in longitudinem percurrente, cauliculis iunceis ſubrubentibus, lacteo ſucco madentibus radice exterius nigra, interius candida, pyri effigie, vnde & nomen, ἄπιος enim Græcis nil aliud ſignificat, quàm Latinis pyrum. Theoph. lib. 9. c. 10. de plant. hiſt. Apion his notis repræſentauit. Iſchas ſiue Apios folio conſtat rutaceo, breui, caulibus ternis, aut quaternis, humi proſtratis, radice, quæ aſphodelus, verùm ſquamoſa. Naſcitur in montibus. Legitur vere. Datur ad expurgandum corpus, quòd altera radicis parte ſuperius, altera inferius purget: hæc ex Theophraſto. Apion legitimam, quam primùm me vidiſſe recordor, ad me miſit Venetijs Nicolaus a Sancto Michaele Nouocomenſi, medicus ſingularis ingenij atque eruditionis, & rei herbariæ peritus. Sed Cæterùm ſcribit Ruellius Apion frequentiſsimam in Gallia naſci, eiusquè radice ruri pauperes per inopiam frugū veſci. Sed Ruellij ſententiæ non eſſe ſubſcribendū iudico: Nam cū Apios per ſuperna, & inferna purgationē moliatur, male nimium eos haberet, qui nulla huius facultatis habita ratione, copioſe (vt ruſtici facere ſolent) eius radices ſumerent in cibo. Fallitur quoq; in Apio cenſendo Fuchſius, Tragus & Lonicerus, quippe qui putent plantā, quā nos Pſeudoapios vocamus, legitimū eſſe Apios. Siquidē hæc multiplici creſcit caule, cubitali & quandoq; maiori, humi procumbente, viciæ fere modo, [illegible] oblongis, & ſubaſperis. Floret Iunio præſertim menſe, floribus puniceo colore micantibus, piſi æmulis, odoratis, racematim cohærentibus: quibus flaceſcentibus ſiliquulæ oriuntur, in quibus ſemē concluditur. Radices habet fici, aut pyri figura ternas aut quaternas, e ſtaminibus [illegible] appendula modo, nigra exterius cute & alba intus pulpa: nulla purgatoria vi præditā. Hæc paſſim naſcitur fere vbiq; in Bohemiæ campis, & præſertim in vineis. Sed quātū hæc diſtet a Dioſc. plāta Apios appellata.*

Iſchadis deſcriptio ex Theoph.

Ruel. lapſus.

Fuchſii Tragi & Loniceri opin. exploſa.
Pſeudoapii delineatio.

*lata … indicent, qui de plantaria facultate dicere & ratiocinari poſſunt. Apij huius nuſquam, quod inuenerim, mentionem fecit Galenus in ſimplicium medicamentorum cenſu. Hæc planta non ſecus Latinis & Italis Apios, atque Græcis ἄπιος nominatur. At Pſeudoapios: Italis Apio falſo: Germanis* Erdnüſʒ. Nomina.

I. Tithymalus tuberoſa radice, C. B. Iſchias Theophraſti, Caricam Gaza vertit. Apios, Matth. Dod. gal. Lacu. Anguil. Lob. Caſt. Lugd. Taber. Apios vera, Lob. in icon. Tithymalus tuberoſus, Dod. fol. Lugd. qui & Matthioli & Dodonæi figuram exhibet. II. Pſeudoapios, Matth. Apios, Trag. Fuch. Apios Fuchſii, Lug. Cam. Chamæbalanus, Dod. gal. Taber. Aſtragalus, Turn. quo nomine & Matthiolum exhibuiſſe, in prima editione aliqui autumant, cuius figuram ſuo loco repoſuimus. Aſtragalus arvenſis Thal. Terræ glandes, Lob. Dod. fol. Glandes terreſtres, Cluſ. hiſt. Panno. Ornithogalum purpureum, Cordo in Dioſcor. Panis porcinus, Lonicero.

## Κολοκυνθὶς. COLOCYNTHIS. CAP. CLXXI.

COlocynthis ſarmenta, foliaq; ſatiui cucumeris emittit, per terram repentia, diuiſa: fructum in ſpeciem mediocris pilæ conglomeratum, vehementer amarum: quem legere oportet, cùm cœperit in pallidum colorem permutari. Medulla fructus purgatoriam vim habet, ſi quatuor oboli cum aqua mulſa, melle cocto, myrrha, & nitro excipiantur, & cogantur in catapotium. Areſactæ pilæ teruntur, & mixtæ clyſteribus proſunt neruorum reſolutioni, coxendicum doloribus, & coli vitiis, vt quæ bilem, pituitam, & ſtrigmenta, interdum etiam crurorem eliciant: fœtus admotæ enecant. Dentium dolorem tollit, ſi vna repurgetur, & luto oblita cum aceto & nitro inferueſcat, hocq; iure decocti dentes colluantur. Si aqua mulſa, aut paſſum in eadem incoquatur, & ſub dio refrigeſcat, potu craſſum humorem, & ſtrigmenta alui detrahet: ſtomacho ſupra modum aduerſatur: ſubdita ex ea balano alui excrementa eiiciuntur. Virentis ſucco vtiliſsimè iſchiadici perfricantur.

COLOCYNTHIS.



*COlocynthis planta eſt tam medicis, quàm ſeplaſiarijs vulgaris notitia. Verùm etſi (vt Meſues eſt author) præſtantiſſimum ex eius fructu paretur medicamentum ad varia morborum genera, ea tamen cordi, iecinori, & ventriculo maximè aduerſatur: quin & vniuerſum perturbat corpus, faſtidium, & inteſtinorum tormina excitans. Abradit enim inteſtina & vaſorum oſcula aperit, adeò vt etiam cruenta ſæpe eliciat. Hinc meritò fit, vt eam dari prohibeant, niſi prius malefica eius vis prorſus aboleatur, ijs additis antidotis, quæ ad id præſtant: cuiuſmodi ſunt illa, quæ ventriculum, iecur, & cor tum roborare tum tueri poſſunt, & quæ lentore ſuo glutinandi vim habent.* Colocynthidis confid. *Colocynthis trahit pituitoſa, craſſa, lentaq; corporis excrementa in remotioribus partibus deliteſcentia: proinde cerebrum, & neruos expurgat, nec non etiam muſculos, thoracem, & pulmonem. Eam ob cauſam vertiginoſis, comitialibus, reſolutis, conuulſis, hemicrania, diuturnoq; capitis dolore affectis, aſthmaticis, & ægrè ſpirantibus vtiliter in catapotijs exhibetur. Collachrymantes adiuuat oculos, & diutina tuſſi laborantes. Eſt præterea vis eius efficax ad omnes frigidos articulorum dolores, præſertim podagricos, & iſchiadicos: ad quæ non modò in catapotijs deuoratur, ſed etiam clyſteribus infunditur: quibus ſanè nil præſtantius eſt ad coli cruciatus ex flatu & frigiditate prognatos. Pellit aquas tam bibita, quàm per ſedem infuſa. Fit è colocynthidis fructu oleum, ad retardandam canitiem, denigrandos capillos, & eorum defluuium cohibendum, ſi exempta è fructu pulpa, cauitas oleo repleatur, & in cineribus decoquatur. Eodem mulcentur aurium dolores, & earum incerti ſonitus diſcutiuntur: quinetiam oleo ipſo & felle bubulo interaneorũ vermes necantur, ſi ſimul miſcentur, & calida vmbilico illinantur.* Colocynthidis vires. *Colocynthidis vires retulit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum his verbis: Colocynthis guſtu amara eſt, ſed quæ amariſſimo medicamento epoto adſunt opera, ea euidenter efficere nequit, ob purgatoriam facultatem, quam validam in ſe continet, nimirum cum ijs, quæ expurgat, antè & ipſa per aluum excerni præuertens. Viridis ipſius ſuccus intritus iſchiadibus prodeſt.* Colocynthidis vires ex Gal. *Κολοκυνθὶς ſic Græcis, Latinis item Colocynthis, & Cucurbita ſylueſtris appellatur Arabibus Chandel, Handel ſeu Handal: Italis & Hiſpanis Coloquintida: Germanis* Coloquint vnd Wilder Kürbſʒ: *Gallis Coloquinte & Courle ſauuage.* Nomina.

Colocynthidis varia habentur genera, alia minor fungoſa & leuis, quæ officinarum eſt: alia maior oblonga, vel flaua, vel candida: alia rotunda varia: alia ſeſſilis nigra maculata, magna inſtar Cucurbitæ: & alia minor: alia denique turbinata, ſeu pyriformis. Hic pingitur Colocynthis fructu rotundo maior: quæ Colocynthis, Matth. Fuch. Cord. in Dioſc. (cui & Cucurbita deſerti) Lac. Geſ. hor. Dod. fol. Lob. (cui & Cucurbita amara Cathartica in iconibus) Lon. Lugd. (cui & Arabum plantarum mors) Caſtor. Cam. Colocynthis vera, Trag. Colocynthis prima, Dod. gal. Colocynthis mas, Taber. Coloquintida, Turn. Anguil. Cucurbita agreſtis, Brunſ. Cucurbita ſylueſtris fructu rotundo, Cæſalpino.

Ε'πίθυμον. EPITHYMVM. CAP. CLXXII.

EPithymon flos eſt è thymo duriore ſatureiæ ſimili. Capitula habet tenuia, & leuia: & in eis caudicu-las, quaſi capillamenta. Potum cum melle detrahit pituitam, bilemquè atram per inferna. Priuatim prodeſt melancholicis, & inflatis, acetabuli menſura ad quatuor drachmas, cum melle, ſale, & aceto exiguo. Plurimum in Cappadocia, & Pamphylia gignitur.

Epithymi conſideratio.

## I. EPITHYMVM.



Epithymum Græcorum & Arabum an diuerſum.

Multorum opinio reprobata.

*IN hac equidem opinione verſantur complures huius ætatis medici rei herbariæ periti, quemadmodum Braſauolus Ferrarienſis, vt credant Dioſcoridis, aliorumq́ Græcorum Epithymum magno diſcrimine ab eo diuerſum eſſe, de quo ſcripſerunt Mauritani, præſertimq́ ab illo, cuius meminit Meſues. Quippe qui aſſerant, nil aliud Arabicum epithymum eſſe, quàm capillaris caſſuthæ genus quoddam, quod thymo circumuoluitur. Græcum verò idem eſſe volunt cum proprio flore durioris thymi ſatureiæ ſimilis. Suam autem ſententiam hoc argumento comprobare videntur, quòd ſi vulgaris vſus epithymum, Arabicum ſcilicet illud eſſet, de quo diſſerit Dioſcorides, is non dixiſſet, Epithymū florem eſſe durioris thymi, ſed alterius plantæ thymo adnaſcentis, eiq́ ſeſe conuoluentis. Id quod etiam Pliniј auctoritate confirmant, vt qui eorum opinioni ex eo maximè adſtipulari videatur, quòd duo Epithymi genera prodiderit lib. 26. cap. 8. vbi ſic inquit: Epithymum eſt flos è thymo ſatureiæ ſimili. Differentia, quod hic herbaceus eſt, alterius thymi albus. Quidā aliter epithymum tradunt ſine radice naſci, tenuis ſimilitudine pallioli (rectius fortè pili legendum eſſet) rubens: hæc Plinius. Ex quibus vtique planum fit, duo eſſe Epithymi genera: quorum alterum illi ad Græcos, alterum ad Arabas referunt, & ita ſuam tuentur ſententiam. Horum certè iudicio egò quoq́ facilè ſubſcriberem, niſi quædam ſeſe nobis offerrent, quæ apertè reclamare videntur; atque etiam oſtendere, Plinium ipſum Dioſcoridis codicem, vnde illa mutuatus eſt, deprauatum habuiſſe, vel alium auctorem in hoc minus grauem ſecutum fuiſſe, vel ſe ipſum deceptum, vt in aliјs compluribus illi eueniſſe adnotauimus. Palàm etenim faciunt, quantum equidem reor, noſtri vſus, & Dioſcoridis epithymum, vnum & idem eſſe medicamentum, quæ de eo Aëtius, & Actuarius, Dioſcoridem, & Galenum ſecuti, concordes poſteritatis memoriæ prodiderunt, cum ita ſcribunt:* Epithymum atram bilem excernit. *Datur adultis tuſum, & cribro excuſſum, ſcrupulorum quatuor pondere, cum paſſo, vel oxymelite, & ſalis modico. Vitiјs flatu turgentibus, & præcordiorum noxis opitulatur, & quibus iecur aggrauatur, & iјs, qui ſpirandi vexantur difficultate. Quod verò in ſtœbe naſcitur, aut in ſatureia proſilit, Epiſtœbe, atque Epithymbrum inde appellatum, thymi modo aluum reſoluit: ſed vtrunque facultate cenſetur infirmius: hæc illi ambo. Quæ ſanè liquidò oſtendunt, quòd non ſecus Epithymbrum thymbræ, & Epiſtœbe ſtœbæ innaſcatur, atque Epithymum in thymo naſcitur, vel proſilit. Hoc idem præter Aetium, & Actuarium longè antea teſtatus eſt grauiſſimus author Paulus, Dioſcoridis & Galeni ſectator acerrimus iјs verbis:* Epithymum inter ea, quæ atram bilem extrahunt, præſtantiſſimum eſt remedium. Dantur ipſius drachmæ quinque læuigatæ ex lactis hemina. Epithymbrum verò, quòd thymbræ innaſcitur, epithymo ſimiliter euacuat, ſed imbecillius eſt: *hactenus Paulus. Ex his itaque omnibus non dubitauerim aſſerere, vnum tantum eſſe epithymum, non autem plura. Quandoquidem ſi Paulus, Aëtius, & Actuarius pro certo non habuiſſent, legitimum Epithymum eſſe illum thymi florem, de quo ſcribit Dioſcorides, putaſſentq́ duo eius genera reperiri, nulli dubium eſt, quin & ipſi explicaſſent duplex in thymo naſci Epithymum. Verùm cum compertum haberent, vnum & idem eſſe medicamentum capillamentumq́, quod in thymo, thymbro, & ſtœbe proſilit, iјsq́ nullo radicis adminiculo conuoluitur, & implicatur, ſibi viſum eſt, quòd ſuo tempore Epithymum vulgaris notitiæ medicamentum eſſet, ſat fore declaraſſe non modo id in thymo gigni, ſed etiam ſtœbe, thymbra, & (vt nos ſæpe vidimus) in polio, & chamædry: vt hinc ſcirent medici, in epithymi defectu, epithymbrum, vel epiſtœbem ſubſtitui poſſe: quin etiam vt non ignorarent; id capillamentum harum plantarum propriam non eſſe partem, neque ſuam habere ſedem, ſed aſcititium quoddam eſſe exterius adueniens, & in iјs proſiliens, & viuens. His igitur rationibus adducor, vt non temerè exiſtimem, Dioſcoridis codicem, quem Plinius habuit, fuiſſe (vt diximus) deprauatum, & ob id ipſum Plinium deceptum eſſe: aut hinc aliunde accepiſſe occaſionem, vt duo magno errore faceret Epithymi genera. Quòd autem Dioſcorides epithymum florem thymi dixerit, haud ineptè dictū putauerim, nam cùm is ſciret Epithymum thymo innaſci, nulla radice propria, ſed thymi adminiculo fultum, floreſque per ſe albos ferre, qui cùm in thymo ſunt, huius plantæ propriј videntur, ideò non abſurdum fore duxit ſcribere, Epithymum eſſe florem durioris thymi. Sed quòd Epithymum flores albos ferat, declaraſſe videtur Dioſcorides, cum dicit:* Capitula habet tenuia, leuia, caudiculas habentia capillorum modo. *Siquidem his notis non deſcripſit Dioſcorides thymi florem ſuperius libro tertio (vt Braſauolus aſſerit) ſed capitulis in cacumine, flore purpuraſcente refertis, nulla caudicularum, neque capillorum habita mentione. Præterea coniicere licet Dioſcoridem epithymum thymi florem appellaſſe, quod à thymo decerpatur eo duntaxat tempore, quo epithymum ipſum largè floret. Nam quòd pro epithymo non intellexerit is purpureum thymi florem, hinc perſpicuò apparet: quoniam de epithymi viribus libro 3. vbi de thymo & eius floribus egit, nihil in medium protulit, nimirum eam ob cauſam, quòd epithymum propriam thymi particulam non exiſtimauerit eſſe, ſed (vt ſuprà dictum eſt) aſcititium quoddam, vt in arboribus*

Epithymi vires.

Epiſtœbe & Epithymbrū.

intuſu

[illegible] & viſcum, quæ tamen legitimæ arborum partes non ſunt, ſed viribus & facultate diuerſæ. His igitur rationibus, [illegible] Dioſcorides egit de thymo, & eius floribus libro tertio inter odoratas plantas: de epithymo verò, tanquam [illegible] thymo diuerſa, diſſeruit in hoc libro quarto inter deiectoria medicamenta. Similiter de arboribus, quibus viſcum [illegible] diſputauit libro primo: de ipſo autem viſco libro tertio cum ijs medicamentis, quæ ſuo lentore glutinant. [illegible] indicare videtur nomen Græcum ἐπὶ, quod Latinis modo ſub, modo in ſignificat. Vnde nil aliud nobis [illegible] quam in thymo, vel ſub thymo. Id quod flori thymi quomodo conuenire poſſit, non video: vt pote qui [illegible] ſub thymo naſcatur, ſed ſuper thymo, ea eminentiori parte, qua capitula emergunt. His alia accedit [illegible] quod [illegible] ſcripſerit Dioſcorides Epithymum plurimum in Cappadocia & Pamphylia gigni, facile colligi poteſt, i[illegible] vulgare vſus eſſe locutum. Quippe ſi Epithymum proprij thymi florem eſſe duxiſſet, ei ſane opus non fuiſſet [illegible] quod magis ijs in locis epithymum copioſius proueniret, quam alibi: quoniam ſcripſiſſe ſat erat, oriri epithymum [illegible] thymum proueniat: hoc argumento, quod thymum vbicunq; naſcatur, æſtate ſuos edat flores. Epithymum in thymo ſatureiæ ſimili nos ſæpiſſime legimus prope Goritiam, Saluatino & Gargaro montibus ſupra Salicanum, qui eo durioris thymi genere copioſè veſtiuntur, ſed cui epithymum inſideat eo tantum tractu, qui ad meridiem ſpectat. [illegible] thymo omni ex parte ſcateant, nuſquam tamen thymi planta mihi licuit inuenire, in quibus Epithymum [illegible] aretur, niſi in amœniore montis parte, vbi herbæ enatæ auſtro perflantur. Quamobrem nil mirum eſſe debet [illegible] Pamphylia & Cappadocia epithymum frequentiſſimum proueniat. Sed quoniam tot ſcio me fruſtrà huc adduxiſſe argumenta, quibus meam firmaui ſententiam, niſi etiam Plinij auctoritati, qua nititur Braſauolus, clarius re[illegible]: idcirco illi ita reſponſum volo, quòd cùm Plinius Dioſcoridis mentem, à quo priorem ſuorum verborum partem ſumpſiſſe videtur, non rectè perceperit, ideo non affirmatè, ſed dubiè duo fecit Epithymi genera, & aliorum potius, [illegible]: Epithymum eſt flos è thymo Satureiæ ſimili. Differentia, quòd hic herbaceus eſt, alterius thymi albus. Quidam aliter epithymum tradunt ſine radice naſci, tenuis ſimilitudine pili, &c. Porrò verò idem Plinius in ijs verbis erraſſe deprehenditur, quòd maiori, duriorique thymo herbaceum florem, minori verò album red[illegible] cum tamen minoris flos purpureus ſit, alterius autem modò candidus, modò in candido purpuraſcens. Hinc itaq; perſpicuum ſit, tam confuſè & inconſtanter de epithymo, & thymo tractaſſe Plinium, vt nihil certi in hac re ex eius verbis [illegible]. Cæterùm hallucinantur, mea quidem ſententia, in Epithymi hiſtoria, etiam Monachi illi reuerendi, qui in M[illegible] commentarios ediderunt: quippe qui Dioſcoridis verba perperam interpretati deprehendantur, etſi vt fortè alijs doctiores viderentur, ſuam in Epithymo ſententiam proferant ijs verbis. Certiſſimè à paucis verus ſenſus verborum Dioſcoridis de epithymo percipitur: nam cum ipſe Dioſcorides dicat capitulo de epithymo, epithymum flos eſt è thymo ſatureiæ ſimilis non per hoc intelligit epithymum, ſcilicet capillamentum thymi eſſe ſimile herbæ ſatureiæ, ſed aſſerit illud dictum capillamentum thymi eſſe ſimile capillamento ſatureiæ, ſcilicet thymbræ: quia etiam & ſupra thymbram generatur huiuſmodi capillamentum, ſicut ſupra thymum: hæc Patres illi. In quibus facile cognoſcitur horum inanis quædam iactantia, ne dicam, pace ſua, ignorantia, quod ſenſus verborum obſcuros, claros reddere profiteantur, atque ijs ſubinde, vt mihi videtur, maiorem caliginem offundant. Quod enim Dioſcoridis ſententia hoc loco euidentior ſit, quàm vt exponi debeat, quodq; apertè Monachus [illegible], eius verba teſtantur, quæ ita Græcè habent: Ἐπίθυμον θύμου ἐστὶν ἄνθος τοῦ σκληροτέρου καὶ θύμβρᾳ ἐοικότος: hoc eſt ad verbum: Epithymum thymi eſt flos durioris & ſatureiæ ſimilis. His ſanè verbis liquet, quod Dioſcorides non comparat [illegible] epithymum, quod florem thymi vocat, flori ſatureiæ, vt Monachi illi malè interpretantur, ſed illud genitiuum ἐοικότος ad thymum tantùm refert: ita vt thymum, cui Epithymum inſidet, ſatureiæ ſimile faciat. Thymi namq; duo habentur genera. Vnum maius ſatureiæ ſimile, in quo epithymum proſilit. Alterum minus, tenuiſſimis folijs refertum, in quo nullum naſcitur epithymum. Hoc certe non latebat Dioſcoridem: quare ne quiſpiam fortaſſe putaret vtrique thymo epithymum innaſci, id tantùm in thymo duriori inueniri prodidit. Sed ſatis ſuperq; de Epithymo diſputatum eſt: iam medicinæ reddenda eſt ratio, & de eius viribus agendum. Illud ſibi peculiare aſciuit Epithymum (vt teſtatum reliquit Meſues in ſuis ſimplicibus) quòd valentius cæteris medicamentis atram bilem excernit, idq; facilè, & citra vllam moleſtiam præſtat. Efficax eſt ad morbos cerebri, nempe melancholiam, epilepſiam, diuturnos capitis dolores, aliaſq; atrabiliarias ægritudines. Confert cordis tremoribus, & animi deliquijs. Præterea cunctis lienis affectibus mirè opitulatur: item renum vitijs, & hypochondriaca melancholia vexatis. Frequens eſt epithymi vſus: datur enim vtiliſſime aduerſus carcinomata, elephantiaſin, & vlcera maligna, & atra: quin & quartana febre detentos liberat. Epithymi vires breuiſſimè perſtrinxit Galenus libro 6. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Epithymum thymi facultatem habet, ad omnia efficacius: exiccat, & excalfacit, ordine tertio: hactenus Galenus. Verùm quia Epithymum ob ſimilitudinem mihi ad memoriam reuocauit CASSVTHAM ita à peritioribus medicis vocatam, licet officinis, & herbariorum vulgo rectius Cuſcuta nominetur. At cùm à veteribus Græcis nihil, quod conſtet, de ea memoria proditum ſit, hic locus poſcere videtur, vt de ea aliquid diſſeramus. Cuſcuta igitur eius generis eſt, vt in frutices, & herbas epithymi modo proſiliat, & viuat earum adminiculo fulta, nulla radice nixa, ſed velut ab alarum ſinu prodeuntibus cirris, capillamentiſuè longiſſimis. Hæc ſtatim ab exortu plantarum ramulis

Epithymum vbi plurimũ.

Plinii lapſus.

Monachorum expoſitio vana.

Epithymi vires ex Meſue, & Gal.

Caſſuthæ hiſto. & vires.

II. CVSCVTA.




mulis

Caſſyta Plin.

Cuſcutæ vires Matth.

*mulis ſe implicat, & adeò crebris inuolutionibus his ſe circumuoluit, vt breui plantas ipſas ſtrangulet, atque enecet. Foli-is nullis vnquam veſtita viſitur. Flores tamen edit albos quàm plurimos, quibuſdam in capitulis, a quibus ſemen tenue pro-dit, ſed ſuperuacuũ. Cirri ruſeſcunt, vitium capreolis craſsitudine, & facie pares. Sunt qui putent, admirabile ho- genus Plinio Caſſytam appellari, & proinde eam Caſſutham nominant. Is verò libro 16. capite vltimo, ita ſcriptum re-liquit. Eſt & in Syria herba, quæ vocatur Caſſytas, non tantùm arboribus, ſed ipſis etiam ſpinis circumuoluens ſeſe. Ne-plura Plinius. Ex quibus equidem, quòd reperiantur Pliniỹ codices, in quibus Cadytas, non Caſſytas legitur, quodq́; hæc ar-boribus tantùm, & ſpinis ſe circumuoluat, noſtra vero Cuſcuta duntaxat herbas, & frutices, non arbores complectatur & irretiat, non auſim affirmare vulgarem Cuſcutam eſſe Pliniỹ Caſſytam, præſertim cum in Syria tantùm naſci ſcribat ipſe Plinius. Crediderè præterea plerique Cuſcutæ eandem ineſſe facultatem, quæ & plantis ineſt, in quibus naſcitur. Quo-rum vtique ſententiam potius probandam, quam refellendam cenſeo, argumento quòd Epithymum iỹſdem, Galeni auto-ritate, polleat viribus, quibus & thymum. Excalfacit Cuſcuta ordine primo, ſiccatq́; ſecundo. Abſtergit, & quadam cum adſtrictione roborat. Iecoris obſtructiones aperit, infarcti lienis vitia expedit: venas pituitoſis, atque biliosis exonerat humo-ribus: vrinam pellit, & regio morbo ſubuenit. Puerorum febribus auxiliatur: ſed diuturno vſu ventriculum grauat, qua tamen noxa tollitur, ſi Aniſi momentum adyciatur. Bilem deyicit, præſertim abſynthio admiſta. In quem vſum decoqui-tur, bibiturq́; eius decocti ſelibra, cum ſacchari ſeſquuncia.*

Nomina.

*Quod Græci ἐπίθυμον: Latini quoq́; Epithymũ dicunt: Mauri-tani Efitimo ſeu Eſichemo: Itali Epithimo: Hiſpani Cabellos ſeu flores del thomilho: Galli Teigne de thyn. At Cuſcuta, Ita-lis Cuſcuta: Germanis* Flachsſeiden: *Gallis couche in icy.*

Quemadmodum Thymo circumnaſcitur capillamentum Cuſcutæ modo, ſic & circa Polium ma-ritimum, Thymbram, Roſmarinum Monſpelii obſeruauimus: aliquando & in Hyſſopo notare eſt. Hæc Epithymum dicitur Matthiolo, Lac Caſt. Lug. Cæſal. Taber. Epithymum Græcorum & Arabum. Lob. Lugd. Caſſutha minor, Dodonæo hiſtoria latina in folio. II. Cuſcuta duplex, vel albo vel ruffo colore, quæ paſsim herbis adnaſcitur, potiſsimùm Vrticæ maiori, lupulo, rubo, vepribus, lino: Sic Cytiſo, Tri-folio corniculato: dicitur Cuſcuta, Matthiolo, Anguil. Lon. Cluſ. hiſt. Panno. Caſt. Cæſal. & Oroban-che Theophraſti: Caſſuta, Fuch. Turn. Dod. fol. Lugd. Thal. Caſſytha, Dod. gal. (cui & Podagra & Angina lini, Geſ. hort. (& Linodeſmon) Tab. Caſſytha Plinii, Lobel. Androſaces, Trago.

## Ἄλυπον. ALYPVM. CAP. CLXXIII.

Concluſa nõ legit Orib.

ALypon ſurculoſa herba eſt, ſubrubra: gracilibus ramulis: tenuibus foliis: flore molli, leui, & copioſo: radice [betæ, tenui,] referta acri ſucco: [ſemine epithymi.] Gignitur in maritimis, maximè Libyæ, quàm largiſsima, quanquam alibi quoque plurima prouenit. Semen atram bilem deiicit, ſi menſura epi-thymo pari cum ſale, & aceto ſumatur: verùm interanea leuiter exulcerat.

Alypi conſideratio.

*ALypum eiuſq́; radix (ſi Actuario credimus) nil aliud ſanè fuerit, quàm officinarum Turpetum, Turbit Arabibus di-ctum, quod album vocant. Ipſe enim ſuo de compoſitione medicamentorum libello, vbi minoris parandæ Tripheræ ra-tionem docet (ſi rectè vertit Ruellius) ſic inquit: Si hoc medicamento pituitæ deiectionem moliri inſtituis, alypum, id eſt, album turpetum addas. Idem poſt, vbi de ſimplicibus medi-camentis vomitum cientibus tractauit, ita ſcribit: Turpe-tum, quod radix eſt pityuſæ, & album alypæ, glutinoſam detrahit pituitam.*

ALYPVM.



Opinio quorundam refutata.

Plantæ diuerſorum effectuum.

Alypi vires ex Paulo.

*Verùm quia idem Actuarius, paulo an-te Alypum deſcribens, prodidit eius ſemen atram bilem per aluum ducere, putauere quidam Actuario alypiam ab aly-po differre, quòd huius ſeminis tantùm vires reddiderit. Sed iỹs reſpondi poteſt, quòd cùm probè ſciret Actuarius aliam vim ineſſe ſemini, aliam verò radicibus, proinde de radicibus turpeti, de ſemine ſub Alypi nomine diſſeruit. Plantæ enim habentur, quæ alium foliỹs, alium ſemine, alium radicibus effectum præbent. Medium herba nobis exemplo erit, quæ, Dioſcoridis teſtimonio, menſes ſiſtit, cùm tamen eius ſemen contrarium efficiat. Quamobrem facilè crediderim Alypum & Alypiam nullis inter ſe notis diſsidere: nec modò huiuſce rationibus fretus, ſed etiam Pauli authoritate: quippe qui libro 7. Alypum inter ea, quæ atram bilem depellunt, commemora-uit ỹs verbis: Alypi ſemen inferius atram purgare bilem pa-ri epithymo menſura, cum ſale & aceto, dictum eſt: inteſti-na verò, ſi fidem Dioſcoridi accommodamus, leuiter exulce-rat. Eſt autem, meo iudicio, quæ nunc Alypias vocatur. hæc Paulus. Ex quibus palàm eſt, Paulo nullam inter Alypum, & Alypiam fieri differentiam. Sed hæc dicta ſint ad Actua-riỹ mentem, non quidem ad præfixam ſententiam noſtram. Io nam cùm tantùm radices ſolas, eaſq́; in particulas diſſectas, nec vſquam viuam earum plantam viderim, ex vnguibus tantùm leonem non iudicabo. Ideoquè velim, vt aliorum ſit quoque iudicium, & præſertim cùm parum referat ad morbos curandos, ſcire cuius plantæ Turpetum ſit radix, cùm eius facultates optimè à medicis perſpe-ctæ ſint. Cæterùm ad nos ſolam radicem deferri, neq; vllum hactenus qui plantam, vel ſemen oſtenderit, me nactum fuiſſe, antea prodideram in commentariỹs no-ſtris Ita-*

*ſcriptis Italica lingua conſcriptis. Verùm hoc tempore Lucas Ghinus vir rei medicæ eruditiſſimus, Piſis herbam hanc pro Alypo ad nos miſit, cuius hic picturam damus, quæ quidem deſcriptioni pulchrè quadrare deprehenditur. Alypi, quod legerim, non meminit Galenus in ſimplicium medicamentorum cenſu. Hic de Turpeti viribus nobis diſſerendū eſſet, niſi ſuperius in Tripolij commentatione, eius hiſtoriam ac facultates latius proſecuti eſſemus, quàm vt adhuc plura dicenda, vel addenda ſuperſint. Herba, quæ ἄλυπον Græcè, Alypum quoq; & Alypia Latinè dicitur: Italicè Alipo.*

Nomina.

Alypum, vt Matthiolus expreſſit, etiam Lacuna & Lugdunenſis exhibent, & ſub Alypia Lonicerus: verùm perfectiorem adpoſuimus figuram. Dicitur Alypum montis Ceti, Aduer. & Lob. Alypum & Herbe terribilis. Tab. Lugd. Hippogloſſum Valentinum, Cluſ. hiſt. Hiſp. & Tabernæmontano, qui duas proponit figuras. Empetrum phacoides in Lugdunenſi hiſtoria, vbi tres diuerſæ vnius plantæ figuræ exhibentur: non mirum ergo ſi magnum ſit volumen, quòd ſi ſemel atq; iterum hoc contigiſſet, excuſandus foret, cùm nemo ſit tam ſolidè doctus, quem non aliquando ceſpitare & labi contingat.

## Ἔμπετρον. EMPETRVM. CAP. CLXXIIII.

Empetron aliqui Phacoides vocant, naſcitur in montibus & maritimis, ſalſo guſtu: ſed quò propius terreno fuerit, amarius ſentitur. Trahit bilem, pituitam & aquam, ſi bibatur in iure aliquo aut hydromelite.

Empetri cap. deeſt in meo exemplari.

*Empetri herbæ faciem nullis prorſus notis depinxit Dioſcorides. Vnde ſolo nomine nobis de hac herba potius diuinandum eſſet, quàm quod aliquid certi ac perpetui ſtatui poſſit. Non deſunt tamen qui Oedipum ſe faciunt, & hæc Dioſcoridis obſcura quaſi ænigmata audeant ſoluere. Hi ſiquidem Empetron eam plantam putant eſſe, quam hodie Romani Fœniculum marinum appellant, alij vulgari ſermone herba di San Piero. Sed hanc nos ſuperius lib. ſecundo legitimum eſſe Crithmum, pluribus probauimus. Porrò & vbi naſcatur Empetron, & quibus facultatibus ſit præditum, Plinius quoq; tradidit lib. 27. cap. 9. ita vt ea planè à Dioſcoride mutuatus deprehendatur. Verùm in reddendis medicinis, nominis fortaſſe ſimilitudine deceptus, quòd Empetron Saxifragam eſſe exiſtimauerit, vires, quas vtriq; ſeorſum tribuit Dioſcorides, ipſe vni Empetro aſſignauit, addens huic, quòd vrinas cieat, & calculos frangat: quæ medicinæ ſaxifragæ debentur. Qua in re Plinium omnino errasse fatendum eſt. Empetri meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, vbi de eius viribus in hunc modum diſſerit: Empetron ad ſolas purgationes videtur eſſe commodum, bilem ac pituitam educens. Guſtu ſalſum eſt: proinde ad alia quoq; vt aris licet, ad quæ pollere oſtendimus ſubſtantiam ſalſam. Nominatur item praſoides. Hæc Galenus: qui tamen à Dioſcoride in nomenclatura diſcordat: quandoquidem alter Empetron phacoides à quibuſdam vocari prodidit, alter verò praſoides dici ait: Quare non deeſt ſuſpicio, quin aut horum alter errauerit, aut alterius codex hoc in loco ſit deprauatus. Non enim video, quomodo rectè idem Empetron ſimile reddi poſſit, & lenti & porro, vt illa nomina demonſtrant. Quod Græci ἔμπετρον, Latini ſimiliter Empetrum & Calcifragam nominant: Itali Empetro.*

Empetri cōſideratio.

Plinii error.

Empetri vires ex Gal.

Nomina.

## Ἄμπελος ἀγρία. VITIS SYLVESTRIS. CAP. CLXXV.



Vitis ſyluestris ſarmenta vitis a modo prælonga emittit, aſpera, lignoſa, [rimoſo cortice,] foliis hortenſis ſolani, longioribus ac latioribus, b muſcoſo flore & capillaceo: fructu exiguis vuis ſimili, poſt maturitatem rubente: rotunda eſt acinorum facies. Feruefacta radix in aqua, & in cyathis duobus vini aqua marina diluti, pota, humorem alui ciet: ideo hydropicis datur. Vuæ eius vitia cutis in facie & maculas omnes expurgant. Enaſcentes viticulæ, cibi gratia, ſale condiuntur.

a Orib. addit. οἰνοφόρυ. i. vitis viniferę. Orib. non legit, rimoſo cortice.
b Orib. legit. βοτρυοειδέσ, i. racemoſo.

*Vitis ſylueſtris cuius imaginem hic appingi curauimus, ita nobis appellanda fuit, non quòd omnino Dioſcoridis ἄμπελον ἀγρίαν eam facere velimus: ſed quòd plures habeat notas, ac etiam facultates quæ illam repræſentant. Siquidem ſarmenta vitis modo emittit, folia habet hortēſis Solani, fructum exiguis vuis ſimilem, poſt maturitatem rubentem, cuius acinorum facies rotunda eſt. Nam hæc omnia vitis ſylueſtris ſunt indicia. Repugnat tamen florum figura, quòd muſcoſi nō ſint, nec capillacei, ſed racematim cohærentes. Verùm cum in Oribaſij codice, qui ex Dioſcoride transſcribit, legatur βοτρυώδεις non βρυώδεις, hoc loco, deprauatam eſſe Dioſcoridis lectionem, haud temerè cenſemus, & præſertim, quòd rationi magis conſentanea ſit Oribaſij lectio, quàm quæ Dioſcoridi (vt puto) deprauatè legitur. Siquidem nullam ſcio plantam, fructum vuæ modo proferentem, quæ flores racemoſos non fundat, adeò vt omninò ſtupidus dici poſſit, qui aliter contendat. Præterea nec illud nobis obſtare videtur, quòd hæc planta rimoſo cortice non ſit, cum etiam verbum illud φλοιορραγῆ in Oribaſio non legatur. Adde quoque, quòd hæc planta, omnibus ſuis facultatibus, agreſti viti bellè correſpondeat. Noſtræ enim mulieres in Hetru-*

Vitis ſylueſtris conſid.

*ria acinorum ſucco vtuntur ad faciei nitorem, & ad lentigines maculaſq; delendas. Nec deſunt, qui ſcriptis mandauerint, ſarmentorum & radicum decocto, ex vino albo in operculato fictili parato, ſanari hydropicos & Regio morbo affectos: quod non ſolum aluum exoluat, ſed vrinam quoq; moueat. Quibus rationibus & autoritatibus fretus (ſi vel non ſit hæc planta Dioſcoridis ἄμπελος ἀγρία) non ab re eſſe nobis viſum eſt, ſylueſtrem vitem hanc ſtirpem appellari poſſe, quouſq; nemo appareat Dioſcoridis, qui aliam veriorem demonſtret. Naſcitur in dumetis, ſepibus, ſyluis & montibus. Sed quam maxime hallucinentur, qui Vitalbam nobis vulgò vocatam, quam alterius Clematidis genus eſſe ſtatuimus, agreſtem vitē faciunt, alias longiori commentatione (Deo permittente) diſſeremus. Theophraſtus vitem ſylueſtrem Atragenam vocaſſe videtur, lib. 5. cap. vltimo de plantarum hiſtoria, vbi de fomitibus ad ignem concipiendum egit. Antiqua enim ætas chalibem ſuptaſſe non experta, ex ligno duriore, & fungoſo ignem parabat: ad quod, meo iudicio, ſylueſtris vitis materies admodum apta fuit. Fuchſius, Tragus, & alij nonnulli, qui in Germania de Stirpium natura & facultatibus ſcripſerunt, agreſtem hanc noſtram vitem Amaram dulcem appellauerunt, quòd manſus ſarmentorum cortex primo ſtatim occurſu amarus, & deinde paulò poſt dulcis ſentiatur, & præſertim ſi diutius ruminetur. De huius vitis ſylueſtris viribus ſcripſit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum his verbis: Vitis agreſtis racemi extergendi vim habent, vt epheles & næuos, & id genus omnia in extima cute exiſtentia curare poſſint. Sed & adſtrictionem quandam extrema germina obtinent, quæ & ſale condiri aſſolent. Quæ vitis ἄμπελος ἀγρία Græcis, Vitis ſylueſtris Latinis vocatur: Vite ſaluatica Italis.*

Vitalba non eſt vitis agr. Atragene. Amara dulcis. Vitis ſylueſtris vires ex Galeno. Nomina.

Solanum ſcandens ſeu Dulcamara, à corticis ſapore, C. B. Vitis ſylueſtris, Matthiolo, Lacu. Caſtor. Cam. Dulcis amara, Trag. Dulcamara, Dod. gal. & fol. cui & Cyclaminus altera Dioſcoridis. Dulcamara & Melothron Theophraſti, Lugd. Amara dulcis, Anguil. Geſ. hort. Lonic. Lobel. (cui & Siliquaſtrum Plinii Guilandini & Solanum lignoſum) Taber. Amarum dulce Solano ſomnifico cognatum, Cordo in Dioſcor. Solanum fruticoſum, Geſ. hort. Solanum γλυκόπικρον Thal. Salicaſtrum Plinii, Cæſalp. Circæa Monſpelienſium, Camerario. Vulgatum flore eſt cæruleo, reperitur aliquando & albo.

## Ἄμπελος λευκή. VITIS ALBA. CAP. CLXXVI.

Concluſa nō legit Orib. a Dragom. ἡ ῥίζα λευκὴ καὶ παχεῖα, ὡς ἡ κύημα. Radix candida & craſſa, vt & germen.

VItem albam aliqui bryoniam vocant. Foliis, viticulis, pampiniſq; ſatiuam vitem imitatur, ſed hirſutiora ſunt omnia: ea, quos prope ſe nacta ſit frutices, ſuis clauiculis complectitur: fructus rubens in vua dependet, quo coria pilis ſpoliantur. Ex ea aſparagi, [qui prima germinatione exeunt,] decocti in cibo, aluum & vrinam cient. a Folia, fructus, radix, acrem vim ſortiuntur: itaq; vlcerum phagedænis, gangrænis, chironiis, putrentium tibiarum tædio, efficaciter ex ſale illinuntur. Radix corpus abſtergit, & cutem erugat: vitia cutis in facie varoſq;, lentigines & cicatrices nigras emendat, cum eruo, creta Chia, & fæno græco. Eodem effectu prodeſt decocta in oleo, vſq; dum liqueſcat: ſugillata tollit, & reduuias committit: inflammationes diſcutit illita ex vino: ſuppurationes rumpit: medicamēto aptè immiſcetur, quod carnē exeſt: infracta oſſa extrahit, trita & impoſita. Datur comitialibus in potu drachmæ pondere, quotidie anno toto: prodeſt attonitis, & vertigine laborantibus, conſimiliter aſſumpta. Contra viperarum ictus pota drachmis duabus, auxiliatur: partus necat: mentem interdum ſubturbat. Fœminarum locis appoſita, partus ſecundaſq; morantes trahit: cit vrinam pota. Eclegma ex ea fit cum melle, difficilè ſpirantibus, ſtrangulatu oppreſſis, tuſſientibus, vulſis, ruptis & laterum doloribus. Lienem ternis obolis pota ex aceto triginta diebus, conſumit: illinitur ad eadem cum fico. Ad muliebres quoq; inſeſſus decoquitur, ſiquidem vuluas purgat, ſed abortum facit. Succus è radice vere exprimitur, qui trahit pituitam cum aqua mulſa potus. Ad pſoras, & lepras ſemen efficaciter illinitur. Lactis abundantiam facit ſuccus eius, ſi cum tritico decocto ſorbeatur.

VITIS ALBA.



Vitis albæ conſideratio & vires.

*VItis alba officinis, & herbarijs Bryonia nominatur: vulgò mulieribus Cucurbita ſylueſtris dicitur. Nota omnibus ferè planta eſt, quòd paſſim ſecus vias, & propter ſepes proueniat. Germinat hæc primo ſtatim vere plures à radice emittens viticulas, teneras & hirſutas, quæ paulatim adoleſcentes per ſepes & fruteta, arbuſculas ſcandunt, & ſuis clauiculis, quibus refertæ ſunt, ſeſe cum illis vinciunt. Folia profert vitigineis proxima, minora tamen, anguloſa, aſpera ſcabraq;: flores racematim cohærentes, colore pallido, & in ſtellæ modum radiantes. Fructum racemoſum vinoſumq;, acinis hortenſis ſolani magnitudine æqualibus, colore primum viridi, & per maturitatem rubro & quandoq; nigro, quem Dioſcorides non vidit. Nos hunc in Vngaria, Germania & Bohemia copioſum vidimus: quibus in locis nulla viſitur Bryonia, cuius fructus rubeſcat. Semen in acinis delitescit, glutinoſo ſucco immerſum, ſubrotundum ac paulo acuminatum. Radice nititur grandi vaſtaq;, perenni, carnoſa, longitudine plerunq; cubitum excedente. Craſſitudine humani femoris, capite multis ceu verrucis tuberoſo, ima parte diuaricata, colore foris cinereo, & candida & ſuccoſa intus pulpa, amaro & ſubacri ſapore, quinetiam fortiter adſtringente, ſucco madet glutinoſo*

Bryonia fructu nigro.

*Pruinoſa, odore graui. Naſcitur plurimum propter ſepes, itinera & fruteta. Hanc inter ſua delectaria medicamenta repoſuit Meſues, qui de ea hæc ad ſenſum ſcribit. Vitis ſylueſtris, quòd hauſta, quemadmodum & Dracunculus, ventriculo, & cordi noxam inferat, danda non eſt, niſi aromatum puluere permiſta, aut addito maſtiche, cydonijs malis, aut alijs adſtringentibus roborantibuſq; medicamentis. Succus è contrita radice expreſſus pituitam eijcit, vrinam remorantem trahit, & cerebrum mundat: quinetiam pectus, & neruos à pituitoſis putridiſq; excrementis: viſcerum obſtructiones aperit: renes à calculis expedit: ſubuenit item vertiginoſis comitialibuſq;. Præſtat opem mirificè tuſsientibus: & induratos tumores reſoluit præſertim lienis, ſi cum vino, & ficubus tuſa radix illinatur. Menſtrua elicit, & vniuerſum purgat vterum, atque etiam fœtum expellit, ſi in eius decocto inſideant fœminæ. Succus fabarum, aut cicerum farina exceptus, maculas in facie, & vulnerum cicatrices emendat, linimenti modo adhibitus. Oleum excauatis eius radicibus immiſſum cineribuſq; in ocium, ſugillata delet: hactenus Meſues. Præterea mulieres vuluæ ſtrangulationibus obnoxias mirum in modum iuuat, adeo vt eas à ſtrangulatu liberet & ſanet. Equidem noui mulierem quotidie ferè per annos hoc morbo vexatam, quæ tandem à quadam vulgari herbaria edocta, vt vinum album biberet, in quo vitis albæ radicis vncia efferbuiſſet, dormitũ itura, quæ in eundem modum cum hac medicina per annum vſa fuiſſet, optimè ex illo morbo conualuit. Vitis albæ meminit Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum, de eius viribus ita ſcribens: Vitis albæ, quam & Bryoniam, & Pſilothrum vocant, prima quidem germina ab omnibus pro more in vere eduntur, vtpote edulium ſtomacho, eo quòd adſtringat, gratum. Habent etiam ſubamaram, & modicè acrem adſtrictionem. quare & vrinam moderatè cient. At radix & abſtergentem, & deſiccantem & tenuium partium, ac moderatè calidam vim obtinet: quamobrem & lienes induratos liquat, tum epota, tum foris cum ficubus impoſita: & pſoram & lepram ſanat. Porrò fructus eius racemi ſpeciem præferens, ijs qui coria tingunt, vtilis eſt. Planta hæc Græcis ἄμπελος λευκὴ καὶ βρυωνία vocatur: Latinis Vitis alba: Mauritanis Feſire, Alfeſire, Federa ſiue Alfeſera, Nezargieſan ſeu Nezarchaſen: Italis Vite bianca & Zucca ſaluatica: Germanis* Stickwurtz vnd Teuffelskürbs: *Hiſpanis Nueza & Auorca: Gallis Colubrine & Couluree, aut Feu ardent.*

Bryoniæ vires ex Meſue.

Bryoniæ facultates Matthiolo.

Vitis albæ vires ex Gal.

Nomina.

Bryonia ſeu Vitis alba triplex eſt: alia enim vulgatior, cuius baccæ maturæ rubræ ſunt, radix ex albo flaueſcit: altera cuius baccæ nigricant & radix foris ſubnigra, interius verò eo pallet colore: tertia quam maculatam ſeu Creticam vocamus, quæ vulgari minor, cuius folia & punctis albis & ſtriis notantur: fructu eſt maiore, rubro, aliquando vnico, aliquando plurimis, ex longo pediculo dependentibus, radix ampla rapæ modo, quæ forinſecus cum vulgari conuenit, verùm intrinſecus candida, nec circularibus lineis prædita: huius radices Doctor Doldius Noriberga etiam ad me miſit. Bryonia baccis rubris, ſeu Vitis alba Dioſcoridis, C. B. Vitis alba Matthiolo, Fuchſ. Turn. Cordo in Dioſc. Anguil. Lacu. Geſ. hort. Lob. Caſtor. Bryonia, Trag. Geſ. hort. Lonic. Cæſalp. (cui & Melothron Theophraſti) Lugd. Camer. Taber. Bryonia alba, Dodo. gal. & fol. Cordo in hiſto. Thal. Viticella, Syluatico. Quæ verò baccis nigris eſt, dicitur Bryonia nigra ſeu Vitis nigra Dioſcoridis, quam propriè Bryoniam dici Galenus teſtatur, C. B. Vitis alba fructu nigro, Matthiolo, Caſtor. Vitis nigra, Cordo in Dioſcor. Bryonia nigra, Dod. gal. & fol. Cordo in hiſto. Bryonia baccis nigris, Camerario.

Ἄμπελος μέλαινα. VITIS NIGRA. CAP. CLXXVII.



NIgra vitis, quam aliqui nigram Bryoniam vocant, folia fert hederæ, ſmilaceis proxima, ſed maiora: caules etiã cognatos: capreolis ſuis arbores, quaſi adminicula, comprehendit: fructus racematim cohærent, qui inter principia virent, & poſt maturitatem nigreſcunt: radix foris nigra, intus buxeo colore nitet. Viticulæ quæ primo germinum partu erumpunt, in olera recipiuntur: menſes pellunt, vrinas cient, lienem abſumunt: vertiginoſis, comitialibus, neruorum reſolutione tentatis proſunt. Radix eadem, quæ vitis alba præſtat, ſed inefficacius. Folia cum vino exulceratis iumentorum ceruicibus commodiſſimè illinuntur: luxatis itidem imponuntur.

*VItis nigra Hetruſcis vulgò appellatur Tamaro, corrupto à tamno vocabulo. Sunt enim qui hanc Tamnum, ſiue Tamum etiam vocent, vnde Latinis eius vua Taminia dicta eſt. Huius viticulæ, quæ vere primùm è terra erumpunt, quòd aſparagis ſimiles ſint, eorum more decoctæ, hac etiam tempeſtate manduntur, quamuis non eam, quam aſparagi, cum palato ineant gratiam. Frequentiſsima hæc in Hetruria prouenit, quin & in Goritienſi comitatu, vbi Martio & Aprili menſibus, eius cauliculi in faſciculos digeſti in foro veneunt ad ciborum vſum. Huic tamen, quæ in Italia naſcitur, illud tantùm obijci poſſe putauerim, quòd in vuarum colore ab illa diſsidere inueniatur, quã Dioſcorides repræſentauit, quòd huic vuæ poſt maturitatem nigreſcant, noſtræ verò perpetuò rubentes ſpectentur: cætera enim, meo quidem iudicio, inter ſe maximè conueniunt. Sed illud nihil me mouet, neq; facit, vt mutare debeam ſententiam, & credere hanc aliam eſſe à Vite nigra, quòd viderim in Vngaria & Bohemia (vt in præcedenti commentatione diximus) Bryoniam vniuerſam fructum*

Vitis nigræ conſideratio.

ctum ferre omnino nigrum, cum tamen Dioſcorides rubri tantùm meminerit: quinetiam hoc idem in Sambuco ſpectare, ea enim quæ in montibus prouenit, rubicundum fructum edit: altera verò ex purpura nigricantem. Videtur quoq; Solanum hortenſe quibuſdam in locis vuas ferre modo nigras, modò rubentes, modò croceas: quandoquidem natura plerunq; cum florum, & fructuum colore ludere ſoleat, vt in vuis, ceraſis, moris, ficubus, prunis, malis, & alijs compluribus ... cernitur. Idcirco nil mirum eſſe debet, ſi in Italia Vitis nigra rubentes vuas proferat, alibi verò nigras, vt in Græcia, ... lijsq; calidioribus, quòd huiuſmodi diſcrimina ſæpenumero cœli ac ſoli diuerſitate contingant. Hac igitur ratione ... quæ, ni fallor, illam obiectionem diluit, non dubitauerim aſſerere, hanc plantam, cuius etiam hîc effigiem pictam damus, eſſe veram ac genuinam Vitem nigram, quoniam cæteræ omnes prorſus notæ illi adſtipulari deprehenduntur. Cæterum ...

Fuchſii opin. reprobata.

didit Leonardus Fuchſius, eam ſtirpem eſſe legitimam Vitē nigram, quæ noſtris in Hetruria vulgò Vitalba dicitur, quamq; alteram eſſe Dioſcoridis clematidem ſuperius huius libri initio abunde oſtendimus. Verùm hæc eius opinio nobis ... planè reprobanda videtur. Siquidem noſtra Vitalba non habet radicem foris nigram, intus buxeo colore: non fert folia hederæ maiora, ſed potius minora, & per ambitum laciniata: nec ſemen edit in racemi modum, ſed ſimul com... cum vuis ſimilitudine. Adde, quòd eadem ſua facultate exulcerat. Vitis verò nigra exulceratis boum ceruicibus medetur, & luxatis ob adſtringentem vim, quam habet, vtiliſſimè imponitur. Martinus Guidottinus, Tridentinus Myropola ... plantari e ſtudioſus, ſcripſit ad me ſuperioribus diebus, nuper à quibuſdam fortè fortuna obſeruatum eſſe, Vitis nigræ ... vim ineſſe præſtantiſſimam ad conciliandam venerem, ſi ſub cineribus feruentibus decocta deuoretur: immo hoc ... dit, ſuperare hanc cætera auxilia, quæ libidinis flammas accendunt, præter id quod haud ingratum ſit edulium. Quibus ... ſcio ſanè an fides ſit adhibenda. Vitis nigræ vires paucis perſtrinxit Galenus lib. 6. ſimpl. medic. ſic inquiens: Vitis nigra vocatur autem hæc propriè bryonia, viti albæ ad omnia ſimilis, niſi quod imbecillior: hactenus Galenus de Vite nigra. Huius autem ſucco (vt eſt author Meſues) nihil valentius ad ſtrumas ſanandas, ſi cum vini, & mellis æquali portione ... riatur. Præſtat ad idem radix quoq;, ſi tuſa & melle excepta illinatur. Sed quoniam Vites tam alba, quam nigra, de quibus hactenus dictum eſt, mihi in mentem eam herbam redegerunt, quæ aliquibus vulgò vocatur BALSAMINA, aliis Viticella, alijs Momordica, alijs Caranza, cum veteribus nihil de ea poſteritatis memoriæ proditum ſit, ſitq; dotibus quam plurimis non obſcuris prædita, hunc locum opportunum duximus, in quo huius herbæ hiſtoria pertractetur. Eſt itaq; VITICELLA, ſiue Balſamina, planta, quæ prælongis tenuibusq; viticulis, vltro citroq; reptantibus, proximas tum herbas, ...

Vitis nigræ vires ex Meſ.

Viticellæ ſiue Balſaminæ hiſtoria.

II. BALSAMINA.



III. BALSAMINA ALTERA.



tum arbuſculas comprehendit: folijs vitis albæ, aut viniferæ ſimilibus, ſed longè minoribus, magiſq; per ambitum laciniatis: capreolis tenuibus ex alarum ſinu prodeuntibus, quibus ſeſe implicat appoſitis adminiculis. Florem promit cucumeri ſimilem, paruum, colore ſubluteum: fructum vtrinq; turbinatum, qui oui gallinacei ferè faciem repræſentat, cute ... quibuſdam acutis bullis rigente, dipſaci modo. Huic maturo puniceus color, qui præterea facilè diſſilit vltimam maturitatem adeptus. Semen includit Anguriæ vocatæ ſimile, minus tamen, contectum cute craſſa, pingui, lubrica, & per quam ... bente. Planta hæc gracili nititur radice, nec citius fructum perficit ac maturat, quàm aduentante autumno, Auguſto & Septembri menſibus. Nuſquam niſi ſata, quod ſciam, in Italia prouenit: pluribus autem in locis inibi in hortis & ... plantatur & naſcitur. Folia vulnera recentia glutinant. Fructus exempto ſemine inſolantur diu in oleo omphacino ... macerantur eodem oleo in balneo calentis aquæ, aut equino calente fimo, fitq; inde oleum præſtantiſſimum ad ... vulnera.

Viticellæ vocatæ vires.

I. FILIX MAS. | II. FILIX FOEMINA.





*inhærens, ſed adeò minutum, vt viſum ferè fallat. Legitur abſciſsis prope radicem folijs, & in domo ſuſpenſis, ſubſtrato linteolo, aut papyro, ad finem Iunij, nam circa hoc tempus matureſcit. Atqui vulgus id colligi haud poſſe credit, niſi nocte feſtum diui Ioannis Baptiſtæ præcedente, ſuperſtitioſis quibuſdam admurmuratis verbis quibus Cacodæmones fugari cenſet, qui filicis ſemen cuſtodire creduntur. Sed hæc & fabuloſa ſunt & ſuperſtitioſa. Inter filicem marem & arundinem non*

Filicis hiſt. & vires ex Theophraſto.

*parua eſt inimicitia. Vtriuſq; filicis meminit Theophraſtus lib. 9. cap. 20. de plantarum hiſtoria, his verbis: Filix Fœmina vtilis contra interaneorum animalia lata, melle ſubacta: & contra tenuia, in vino dulci cum farina hordeacea data. Si mulieribus grauidis detur, abortum facere: ſi cæteris, ſteriles in totum reddere aiunt. Differt fœmina filix à maſcula, quod folium vnico artu porrectum hæc habeat, radicem verò craſſam, longam & nigram. Harum igitur vires ſterilitati addi-*

Filicis deſcriptio ex Plin.

*xiſſe natura putatur. Hactenus de filicibus Theophraſtus. De iis etiam ſcripſit Plinius libr. 27. cap. 9. ſic inquiens: Filicis duo genera, nec florem habent, nec ſemen. Pterin Græci vocant, alij blechnon, cuius ex vna radice complures exeunt pinnæ, bina etiam cubita longitudine excedentes, non graues odore. Hanc marem exiſtimant. Alterum genus thelypterin Græci vocant, alij nymphæam pterin. Eſt autem ſingularis, atq; non fruticoſa (fortè rectius non ſingularis atq; fruticoſa) breuior, molliorq; & denſior, folijs ad radicem canaliculatis. Vtriuſq; radice ſues pingueſcunt. Folia vtriuſq; lateribus pinnata, vnde nomen Græci impoſuere. Radices vtriq; longæ, in obliquum, nigræ, præcipuè cum inaruere: ſiccari autem eas ſole oportet. Naſcuntur vbiq; , ſed maximè frigido ſolo. Effodi debent Vergilijs occidentibus. Vſus radicis in trimatu tantum, neq; antè, neq; poſtea. Pellunt interaneorum animalia: ex his tænias cum melle, cæteras ex vino dulci triduo pota. Vtraque ſtomacho inutiliſsima. Aluum ſoluit, primò bilem trahens, mox aquam: melius tænias cum ſcammonij pari pondere. Radix eius duum obolorum pondere ex aqua, poſt vnius diei abſtinentiam bibitur, melle prægustato, contra rheumatiſmos. Neutra danda fœminis, quoniam grauidis abortum, cæteris verò ſterilitatem facit. Farina earum vlceribus tetris inſpergitur, iumentorum quoq; ceruicibus. Folia cimicem necant, ſerpentem non recipiunt. Et libr. 18. cap. 6. idem de Filice hæc ſcripta reliquit. Filix biennio moritur, ſi frondem agere non patiaris. Id efficaciſsimè contingit germinantis ramis baculo decuſsis: ſuccus enim ex ipſa deſluens necat radices. Aiunt & circa ſolſtitium auulſas non renaſci, nec arundine ſectas,*

Filicis vtriuſque vires ex Galeno.

*aut exaratas vomeri arundine impoſita. Filicem vtramq; prodidit Galenus libr. 8. ſimplicium medicamentorum, vbi de earum viribus in hunc modum diſſerit. Filix mas radicem habet maximè vtilem: latum enim lumbricum interficit, ſi quis eam quatuor drachmarum pondere in aqua mulſa ſumpſerit. Ad eundem modum fœtum viuum quidem necare, mortuum autem eijcere mirum non eſt: eſt enim amara, paulum habens adſtrictionis. Quamobrem vlceribus impoſita valenter deſiccandi facultatem obtinet, non tamen mordax eſt. Similem ei vim habet Thelypteris nominata. Planta Græcis*

Nomina.

*πτέρις, πτέριον, Latinis Filix appellatur: Arabibus Sarax ſeu Sarachs: Italis Felce: Germanis Waldfarn: Hiſpanis Helecho yerua: Gallis Oſmunda regale ſeu Fengiere maſle. At Filix fœmina, Græcis θηλύπτερις: Italis Felce femina.*

I. Filix mas dentata, C. B. Filix mas, Matthiolo, Fuchſ. Dodo. gal. & fol. Lonic. Lugd. Caſtor. Lob. Taber. Filix, Brunf. Turn. Filix maſcula, Cordo in Dioſcor. & hiſtor. Filix mas ſecunda, Thal. Filix fœmina aſpera, Geſ. hort. appen. Filix fœmina, Geſ. hort. Cæſalp. Filix ſylueſtris ſeu vulgaris, Trago. Quæ de ſemine dicuntur, nec commentitia ſunt, nec ſuperſtitioſa, in hiſtoria explicanda. II. Filix fœmina dentata, C. B. Filix fœmina, Matthioli, Fuchſ. Dodo. gal. & fol. Lacun. Caſtor. Lugdun. Filix fœmina ſecunda, Thal. Filicula petræa fœmina dentata, Taber. Pteridion maſculum, Cordo in hiſtoria.

Filix

Πολυπόδιον. FILICVLA. CAP. CLXXX.

Filicula naſcitur in muſcoſis petris, & vetuſtis a arborum caudicibus, præſertim quercuum, palmi altitudine filici ſimilis, ſubhirſuta, non tenui perinde diuiſura. Radix piloſa, in qua continentur cirri, ceu polyporum, craſſitudine digiti minimi, coloris intus herbacei, auſtera aliquantum, & guſtu ſubdulcis. Purgandi vim habet. Coquitur cum gallina, aut piſcibus, aut beta, aut malua, ad aluum ſoluendam. Aridæ farinæ modo inſperſa, detrahit bilem & pituitam: trita luxatis efficaciter illinitur, & aduerſus rimas, quæ inter digitos fiunt.

a Meũ & Caſ. δρυῶν. i. quercuum.

I. FILICVLA SEV POLYpodium.



II. POLYPODIVM ALterum.



*Polypodium Latinis Filicula nuncupatur. Recentiores medici, atq; etiam officinæ Græcum nomen retinent. Eius duo reperiuntur genera. Alterum [palmari altitudine aſſurgit, filici ſimilis, ſubhirſutis, & robuſtioribus folijs, aduerſa parte fulueſcentibus maculis reſperſis: caulem, florem fructumq; nullum profert. Radicibus nititur per ſumma ceſpitum vagantibus, polyporum piſcium cirris ſimilibus, vnde illi nomen, fibris piliſq; propè innumeris refertis, colore exterius ſubſulueſcente, interius vero viridi, ſapore dulci, & auſtero ſimul] de quo hic Dioſcorides diſſerit, omnibus notum eſt, quòd vbiq; locorum frequens proueniat, in muſcoſis petris, & vetuſtis arborum caudicibus, præſertim quercuum. Alterum verò non niſi paucis cognitum eſſe reor, folio aſpleni quadantenus æmulo, ſed longiore, viridiore: magiſq; per ambitum laciniato: radice priori ſimili, graciliore tamen paulò: hoc plurimum naſcitur in montium ſyluis. Nos copioſum vidimus, legimuſq; quibuſdam in montibus, per quos iter breue ac compendioſum faciunt, qui Goritia Labacum contendunt. Prætulit Meſues filiculam, quæ in quercuum caudicibus gignitur, quòd ea, quæ ſolo, aut muſcoſis lapidibus innaſcitur, ſuo quodam exuberante incoctoq; humore maximè ventriculo ſit noxia, quodq; ipſum flatibus repleat, ac etiam ſubuertat. Id quod poſtea in vniuerſum de omni Filicula ſubiunxit, dicens: Polypodium inter ea recenſetur medicamenta, quæ vel maximè corpora exiccant & extenuant: ſubuerſionem & nauſeam facit. In quo tamen Meſui refragatur doctiſſimus Manardus Ferrarienſis, aſſerens, quòd Polypodium, cum imbecilliter leuiterq; purget, corpora extenuare non poſſit: addens ſe certò ſcire, quòd idem per ſe exhibitum, nullam ſtomacho inferat iniuriam. Proinde Auerroi in hoc magis adſtipulandum cenſet, quàm alteri: quandoquidem Auerroes author eſt, Polypodium tutum eſſe medicamentum, & epithymo præſtantius. Polypodium (vt teſtatum reliquit Actuarius in libro de compoſi. medic.) bilem, & præſertim atram & pituitam extrahit. Dantur purgatæ radicis ſemi ſcrupuli: adfuſa aqua mulſa. Mediocriter verò aluum ciet, & citra moleſtiam, tum in gallinaceo iure, tum in cremore ptiſanæ cocta radix. Polypodio facultatem duntaxat aſſignauit Galenus libr. 8. ſimplicium medicamentorum, ijs verbis: Polypodium dulcem ſimul & auſteram habet vincentem qualitatem, vt facultatis ſit admodum deſiccantis, citra morſum tamen: hæc Galenus. Ex quibus ſanè ſatis conſtare poſſe arbitror, Meſuem rectè dixiſſe, & in hoc immeritò à Manardo reprehenſum fuiſſe. Nam quod Polypodium abundè exiccet, Galenus teſtis eſt grauiſſimus. Ex quo cur etiam efficaciter extenuare non poſſit (vt inquit Meſues) non equidem video. Quare potius adducor, vt in hoc opinio Manardi alioqui celebris, mihi planè reprobanda videatur. Πολυπόδιον quod Græcis, Latinis ſimiliter Polypodium & Filicula vocatur: Mauritanis Bisberg, Aibeig ſiue Beſſaigi: Italis Polipodio: Germanis* Engelſüß / Baumfarn vnd Dropffwurtz: *Hiſpanis Filipodio & Polipopio: Gallis Polypode.*

Polypodii conſideratio.

Polypodii vires ex Actuario.

Polypodii facult. ex Gal.

Nomina.

Polypodium etſi in ruderibus ſaxoſis ad radices Fagorum, Corylorum, & aliarum proueniat, præfertur tamen quercinum: & quod in antiquis & cæduis ſalicibus reperitur guſtu amarius & ſyluatici centie. tur. Filicula, Matthiolo: Polypodium, Brunf. Trag. Fuchſ. Turn. Lacu. Dodo. gal Cordo in hiſt. Geſ. hort. Lob. Lonic. Thal. Caſt. Camer. Cæſalp. & Fidicula Gazæ apud Theophraſtum: Polypodium maius, Dod. fol. Polypodium primum & Felicula Catoni, Lugd. Polypodium ſecundum, Taber. Herba radioli Apuleii. II. Polypodium alterum, Matthiolo, Lacu. Lugdun. Polypodium primum, Taber. Polypodium minus, Dodonæo hiſtoria Latina in folio.

## Δρυοπτερίς. DRYOPTERIS. CAP. CLXXXI.

a Meum μιλ' ἂν ἡμάσαι ὤν χρῶτα i. poſtquã corpus exudauit.

DRyopteris naſcitur in veterum quercuum muſco, filici ſimilis, multò minore foliorum inciſura: radicibus inuicem implexis, hirſutis, guſtu acerbis, in dulcedinem vergentibus. Pſilothrũ eſt cum radicibus trita: illinitur enim primum, a uſq; dum ſudorem euocet, mox ſudor abluitur, & recens imponitur.

DRYOPTERIS.



Dryopteridis conſideratio.

NOn aliud Græcis ſignificat Dryopteris, quàm filix in quercubus naſcens, quòd filix hæc in annoſis muſcoſiſq; (vt Dioſcorides inquit) quercubus proueniat, folijs filicem ad vnguem referentibus. Naſcitur etiam humenti ſolo, & inter vepres, circa quercuum caudices: eam ſiquidem ipſe in Gortienſi agro pluribus in locis inueni extra quercuum caudices enatam, nullis repugnantibus notis. Dryopteris ijs, qui ſiluas ingentes frequentant, notiſſima eſt. Dantur Dryopteridis radices in puluerem contritæ, & cum furfuribus miſtæ, addito ſalis & ſulphuris momento, equis deuorandæ aduerſus eorum vermes. Namq; potenter illos expellunt & interimunt.

Dryopteridis facult. ex Gal.

Dryopteridis meminit Galenus libr. 6. ſimplicium medicamētorum, eius facultates referens, his verbis: Dryopteris guſtu miſtam facultatem præfert, dulcem, acrem, amaram: in radice verò item acerbam. Facultatem habet ſepticam, proinde etiam pilis glabram cutem efficit.

Nomina.

Quæ δρυοπτερὶς Græcè, Dryopteris item & Filix quercus Latinè dicitur: Italis Felce quercina: Germanis Baumfarn: Gallis Fuchiere des cheſnes.

Dryopteris Matthiolo in minoribus iconibus, Brunf. Cordo in Dioſ. Geſ. hort. app. Lob. Lug. Dryopteris candida, Dodo. gal. & fol. Pteridion fœmina, Cordo in hiſto. Filicula petræa fœmina prima, Tab. Filicis genus paruum in montibus, Cæſalpino.

I. CNICVS.



## Κνῖκος. CNICVS. CAP. CLXXXII.

a Me. παχέα i. craſſis, & rectè quidem, cum nulla ſit in foliis aſperitas.

CNicus foliis conſtat oblongis, per ambitum diuiſis, a aſperis, ſpinoſis: caule ſeſquipedali: capitulo magnitudine grandis oliuæ: flore croci: ſemine candido, alioqui rufo, longo, anguloſo. Huius flore in obſoniis vtuntur. Seminis tuſi, & expreſſi ſuccus, cum aqua mulſa, vel iure gallinacei, aluum purgat: ſed ſtomacho aduerſatur. Ex eo autem fiunt offulæ, quas placentulas vocant, adiectis ſucco amygdalis, nitro, aniſo & melle decocto, quæ aluum emolliunt. Hæ in partes quatuor finduntur, quæ nucis iuglandis magnitudinem impleant: è quibus ante cœnam duas vel tres ſumpſiſſe ſatis eſt. Ratio temperandi hæc eſt. Cnici candidi ſextarius, amygdalarum toſtarum & delibratarum cyathi tres, aniſi ſextarius vnus, aphronitri drachma vna, cum carnibus triginta caricarum. Seminis ſuccus lac cogit, & magis ipſum reſoluendæ alui facultate donat.

Cnici conſid.

Cartamũ off.

SVnt in Italia, qui Cnicum Crocum Saracenicum appellent, quòd eius flore plerunq; croci loco rura vtantur: tametſi officinæ Mauritanos ſecutæ Cartamum vocent. Cnicus (vt author eſt Theophraſtus lib. 6. ca. 4. de plantarum hiſtoria) duorum eſt generum, ſatiuum vnum, alterum ſylueſtre, vt latius libro tertio in Atractylidis mentione retulimus. Porrò in vſum medicinæ ſemen tantùm venit.

Cnici delineatio Matt.

Qui noſtris in agris & hortis ſeritur, ſingularem emittit caulem, ſeſquipedalem, & quandoq; maiorem, teretem, rectum ex candicantem ſtriatumq;, durum atq; lignoſum: ramis à medio ca-

*[illegible] [illegible] dr ante longioribus rectuq;. Folia illi ſunt oblonga, craſſiuſcula, robuſta, glabra & venoſa in mucronem deſi[illegible] & circumquaq; infirmis etiam ſpinis circumuallata, & ſinè pediculis è ramis prodeuntia. Spectantur in ramorum [illegible] acanacea capitula, in latum turbinem faſtigiata, oblongis & aculeatis ſquammis compacta, radiantibus [illegible] ima parte foliolis, aculeis pariter rigentibus, & ſyderis faciem repræſentantibus. Flores è medijs capitulis e[illegible] exortum, capillacei & graciles, vt in cæteris acanaceis, aureo colore ad rubrum inclinante, copioſi, & [illegible] croceis ſtaminibus æmuli. Semen eſt illi album, anguloſum, leui cortice ac duro, hordeo ferè ſimile, ſed [illegible] alba intus medulla. Radice nititur oblonga, gracili fibrataq;, ſed nullius in medicina vſus: ſeritur in hortis & [illegible] Semen (vt Meſues inquit) pituitam, & aquas extrahit: quo fit, vt coli dolore affectis, & aqua inter cutem laborantibus opem mirificè præſtet, non modò hauſtum, ſed & clyſteribus infuſum. Seminis medulla à putaminibus repurgata [illegible] ſaccharo eclegmatis modo excepta, pectus & pulmones abſtergit, vocem clarificat, prolificumq; ſemen auget. Hæc ille. [illegible] ſeminis medulla, extenuat, aperit, digerit & flatus pellit. Eadem lac cogit, coaguli modo. Pſitaci, quos vulgo vo[illegible] Papagalli, [illegible] Cnici ſemine veſcuntur, nec tamen eorum aluus exoluitur. Cnici vires paucis perſtringit Galenus [illegible] ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Cnici ſemine duntaxat ad purgationes vtimur. Tertij eſt ordinis [illegible] ſi quis [illegible] eo vti volet. Eius planta [illegible] Græcis, Cnicus & Cnecus Latinis appellatur: Mauritanis [illegible] ſiue Charthami: Italis Zaffarano Saracineſco: Officinis Cartamum: Germanis Wilder Saffran: Hiſpanis Alacor & Semente de papagaios: Gallis Saffran baſtard, & Saffran ſauuage.*

[Cnici delineatio Matth.] [Cnici vires ex Meſue.] [Cnici vires ex Gal.] [Nomina.]

Cnicus ſeu Carthamus, ἀπὸ τοῦ καθαίρειν à purgando, flore eſt croceo, eſt cæruleo, eſt & albido: hic de Croceo. I. Cnicus flore luteo. C.B. Cnicus Matthiolo: Dodo.gal.& fol. Cordo in Dioſc. Lacu. Caſtor. Cnecus. Turn. Geſ. hort. Cnicus ſatiuus, Cordo in hiſto. Cæſ. Cnicus ſatiuus Theophraſti, Lob. Cartamus, Brunf. Fuch. Lonic. Carthamus, Camerario. II. Helenium Indicum maximum, C.B. Metho-

* II. HELENIVM INDICVM maximum. *



* III. HELENIVM INDICVM ramoſum. *



dum Dioſcoridis, ratione facultatis & formæ imitantes, in hunc locum, Floris ſolis maximi figuram reiecimus. cuius effigiem à Nobiliſs. Iacobo Antonio Cortuſo patritio Patauino, rei herbariæ ſtudioſiſſimo, & noſtri etiam amantiſſimo, Matthiolus vnà cum Epiſtola acceptam editioni Italicæ anno 1568. præfixit: verùm cum editione poſtrema 1583. Typographus certis de cauſis Epiſtolam Cortuſi omiſerit, & ſolùm huius figuram plantæ maximæ nomine præmiſerit, & eam (iiſdem rationibus moti) prætermittere voluimus: huius tamen deſcriptio neutiquam prætermittenda. Stirps eſt annua, hominis ſtaturam ſuperans, ita vt quindecim, octodecim, viginti & aliquando viginti quatuor pedes, vel duodecim & plures cubitos adæquet, ad quam altitudinem ſex vel ad ſummum ſeptem menſibus, ex quo terræ ipſius ſemen eſt mandatum, extollitur. Caulis brachialis craſſitiei, rectus, hirſutie aſper: folijs veſtitur magnis, latis, in mucronem collectis, crenatis, ex longis pediculis hirſutis pendentibus, carnoſis, atrovirentibus, ſimiliter aſperis. Caulis faſtigio capitulum Strobilo ſimile, ſed rotundius & latius inſidet, quod in florem explicatur prægrandem, ingentis patinæ amplitudine, quo maior non datur, cum medius eius diſcus pedem, nonnunquam ſeſquipedem latitudine excedat, quem folia oblonga aurei fulgoris, ceu radij ſolares orbiculariter cingunt, media planitie purpuraſcente. Succedit ſemen oblongum planumq;, quod in ipſius diſci alueolis ceu apum fauis, ordine diſpoſitum eſt, cortice nigro aut candido obductum, medulla dulci, cuius

tanta copia, vt aliquando vltra mille ſemina in vno diſco reperias. Radix ſumma tellure ſparſa, & pro ſpi-
tis magnitudine breuis, fibroſa (aliquando tuberoſa) idcircò ventorum iniurijs, niſi firmo ſuſtentetur a-
miniculo, expoſita. Ex India Occidentali, Americæ Prouincijs, maximè ex Peru, apud quos ſponte pro-
uenit, in Europam illata. Calida in fine ſecundi & ſicca in principio eiuſdem gradus, cum tenui adſtric-
tia, cenſetur. Odore eſt ſuaui & ſapore grato. Sunt qui teneros foliorum pediculos, pilis deraſis in cra-
ticula coctos, ſale, oleo & aromatibus conditos, palato ipſis Aſparagis & Carduis gratiores, ad ſtimulan-
dam venerem commendent. Sunt etiam qui caput coctum in cibos aſſumant. Vniuerſæ plantæ vires ac
calculos expellendos, cum illi vis diuretica inſit. Lachryma pellucida, flaua, odorata, ſubactis, quæ caule
inciſo exſtillat, ad renes á calculis expurgandos inſtar Terebinthinæ commendatur: menſtrua ducere,
dentium, lateris & coli dolores mitigare, ſtatuunt: ad vulnera etiam glutinanda commendatur. Radix ex
collo ſuſpenſa Apoplexiam arcet, auctore Durante. Veteribus indicta creditur, ſed forte Bellio Pli-
cenſeri poſſet: ſiquidem Plinio lib. 21. cap. 8. Luteus Bellio paſtillicantibus quinquagenis quinis barba-
lis coronatur. Solem Indianum nonnulli, alij florem Solis, quia non ſolum effigiem ſolarem præ
fert, ſed & cum eo modò in Orientem, modò in Occaſum conuertitur, & ad eius ortum quaſi præ reue-
rentia capite nutans, reclinatur, & cum ſurrexit conſiſtit ſolem ſemper reſpiciendo ad eius radios ſe
plurimum pandens, donec Sol occidat. Matthiolo & Caſtori, planta maxima: Chryſanthemum Peruu-
num, Dodonæo editione Latina & Lugdunenſi: Solis flos Peruuianus, Lobelo: Sol Indianus Lonicero:
Helianthemum Peruuianum, Camerario in Matthiolo: Helenium Indicum, Cæſalpino: Corona ſolis,
Tabernæmontano. Germanis Groſʒ Sonnen Blum: Belgis Sonne Bloemen van Peru: Italis Pianta
maſſima, Sole Indiano, Corona regale, Coppa di Gioue, Tromba d'amore: Luſitanis Gigante, à ſumma
magnitudine: Anglis, Sunne flouuer. II. Helenium Indicum ramoſum, C.B. Chryſanthemum Peruuia-
num alterum, Dodo. fol. Heliantheinum Peruuianum proliferum, Camer. in Matthiolo. Hoc a prio-
ri florum magnitudine differt: florem enim in ſummo expanſum, numeroſa proles ambit, quod aliquan-
do á natura luxuriante, interdum mangonio & arte fieri ſolet.

## Λινόζωστις. MERCVRIALIS. CAP. CLXXXIII.

LInozoſtis, aliqui Parthenion, alij Hermû botanion appellant, folijs conſtat ocimi, helxinæ cognatis
ſed minoribus: ramulis duplici geniculorum modo cinctis, alarum cauis multis: fructu fœminæ, co-
pioſo, quandam racemorum ſpeciem præbente: mari è foliorum ſinu dependente, paruo, rotundo, cea
binis teſticulis vnà cohærentibus: frutice dodrantali, aut maiore. Vtraq; in oleribus manditur, ad aluum
ciendam: cocta in aqua, epoto iure, bilem aquamq; detrahit. Conſtat, vt mares gignantur, hunc facere,
vt fœminæ, illam, ſi á purgatione bibantur, & trita folia genitalibus admoueantur.

I. MERCVRIALIS MAS.



II. MERCVRIALIS FOEMINA.



Mercurialis conſideratio, & hiſtoria ex Plinio.

*MErcurialem, quæ Græcis Linozoſtis appellatur, duorum generum eſſe conſtat: vnum mas, alterum fœmina. Vtra-
que non modò medicis, ac ſeplaſiarijs vulgaris admodum eſt notitia, ſed etiam mulierculis, & ferè omnibus*
quá

*quòd in clyſteribus plerunq; imponatur. Naſcitur in hortis, vineis, vrbium plateis, & inter rudera. Fœmina, caule, ramis, folijs per omnia alteri ſimilibus prouenit: verùm fructu differt, quod in hac racemoſum ſpectetur & ſemine copioſo: in illa verò geminis teſticulis vnà coeuntibus. Quare non eſt, cur de Mercuriali hic pluribus diſſeramus. Subijciam tamen quæ de ea memoriæ prodidit Plinius lib. 25. cap. 5. his verbis: Linozoſtis, inquit, ſiue Parthenion, à Mercurio inuenta eſt, ideo apud Græcos [illegible] multi vocant eam, apud nos omnes Mercurialem. Duo eius genera, maſculus & fœmina, quæ efficacior: caule cubitali, interdum ramoſo in cacumine, ocimo anguſtioribus folijs, geniculis denſis, alarum cauis multis: ſemine in geniculis dependente, fœminæ copioſo, mari iuxta genicula ſtante, rariore ac breui, contortoq;, fœminæ ſoluto & candido: folia maribus nigriora, fœminis candidiora: radix ſuperuacua, prætenuis. Naſcuntur in campeſtribus cultis. Mirum eſt, quod de vtroq; eorum genere proditur: vt mares gignantur hunc facere, vt fœminæ illam. Hoc contingere, ſi à conceptu ſuccus propinetur, vel potetur in paſſo, edanturve folia decocta ex oleo & ſale, vel cruda ex aceto. Quidam decoquunt eam in nouo fictili cum heliotropio, & duabus aut tribus ſpicis, donec decoquatur. Decoctum dari iubent, & herbam ipſam in cibo, altero die purgationis mulieribus per triduum, quarto die à balneo coire eas. Hippocrates miris laudibus in mulierum vſu prædicauit: ad eas ad hunc modum adhuc medicorum nemo nouit. Ille eas vuluæ cum melle, vel roſaceo, vel irino admouit. Item ad euocandos menſes ſecundaſq;, hoc idem præſtare potu fotuq; dixit. Inſtillauit auribus ſurdis ſuccum, inunxitq; cum vino vetere. Aluo folia impoſuit, epiphoris, ſtranguriæ, & veſicæ. Decoctum eius dedit cum myrrha & thure. Aluo quidem ſoluendæ vel in febri, decoquitur quantum manus capiat in duobus ſextarijs aquæ ad dimidias: bibitur ſale, & melle admixto: nec non cum vngula ſuis aut gallinacea decoctum ſalubrius. Purgationis cauſa putauere aliqui vtramq; dandam, ſiue cum malua decoctum. Thoracem purgant, bilem detrahunt, ſed ſtomachum lædunt. Hactenus de Mercuriali Plinius. Cæterùm obſeruatum quoq; eſt, tolli verrucas omne genus illitu vtriuſq; folijs, vel eorum ſucco. Vtriuſq; ſemen cum abſinthio [illegible] mirificè iuuat. Malis item quæ ſerpunt, ſuccus cum aceto medetur. Eius quoq; vires deſcripſit Galenus lib. [illegible] ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Mercuriali vtuntur omnes ad ventris purgationes duntaxat. Verùm enimuero ſi quis eius facere periculum volet in cataplaſmate, ſane eam digerentis admodum facultatis eſſe experietur. Λινόζωστις ſic Græcè, Latinè verò Linozoſtis & Mercurialis vocatur: Italicè Mercorella: Germanicè Bingelkraut: Hiſpanis Mercuriale & Ortiga muerta: Gallicè Mercuriale. At Mercurialis fœmina, Græcis λινόζωστις θῆλυς: Italis Mercorella femina: Germanis Bingelkraut Weiblein: Gallis Mercuriale femelle.*

Hippocrates de Mercuriali.

Mercurialis vires Matth.

Mercurialis vires ex Gale.

Nomina.

Mercurialis (quaſi Mercurii inuentum) ſatiua eſt & montana: vtraq; mas ſeu teſticulata, & fœmina ſeu ſpicata. I. Mercurialis teſticulata, C. B. Mercurialis mas, Matth. Fucht. Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lob. Lacu. Lon. Caſtor. Taber. Camer. Lugd. Mercurialis maſcula, Turn. Cordo in Dioſ. Mercurialis teſticulata vel ſecunda, Trag. Mercurialis, ſexta Parthenii ſpecies, Brunſ. Mercurialis fructum ferens, Cæſ. Phyllon arrhenogonon Cord. in Dioſcoridem. II. Mercurialis ſpicata, C. B. Mercurialis fœmina, Matt. Fuch. Turn. Dodo. gal. & fol. Lacu. Geſ. hort. Lob. Cordo in Dioſc. Caſtor. Taber. Camer. Lugdu. Mercurialis vulgaris & prima, Trag. Mercurialis florens, Cæſalp. Phyllon thelygonon Theophraſt. Cord. in Dioſc.

## Κυνοκράμβη. CYNOCRAMBE. CAP. CLXXXIIII.

CYnia, aut cynocrambe, cauliculum binûm dodrantum altitudine emittit, mollem, ſubalbidum: folia mercuriali, aut hederæ ſimilia, certis interſtitiis ſubalbida: ſemen foliis adhæret, paruum, rotun-

I. CYNOCRAMBE.



* II. CYNOCRA. FOEMINA. *



dum. Folia cum caulibus pota, aluum cient, oleribus commendantur. Ius decocti, & pituitam & bilem aquamque detrahit.

Cynocrābes conſideratio. *SI planta, cuius hic imaginem damus, Cynocrambe cynia non eſt, alia profectò, quæ magis illi reſpondeat, ad manum præſentia non eſt. Hæc enim omnib. ſanè notis Dioſcoridis deſcriptioni ſimilis eſſe videtur, præterquam ſemen, quod folijs (vt ipſe inquit) non adhæreat. Quo fit, vt affirmare nequeam, an hæc legitima Cynocrambe dici poſſit, ac debeat.* Ruellii error. *Videtur Ruellius exiſtimaſſe Cynocrambem eandem herbam eſſe cum Atriplice ſylueſtri: Qua in re (ſi ita eſſe credidit) apertè erraſſe deprehenditur, quod Dioſcorides de ſylueſtri Atriplice libro ſecundo, hic verò de Cynocrambe ad finē quarti tanquam de diuerſis plantis tractauerit.* Mercurialis ſpuria. *Hanc autem, quam nos Cynocrambem nunc appellamus, Itali Mercurialem ſpuriam vocant. Ea vbiq; ferè naſcitur, & præſertim in campis, vineis, & in culto ſolo, & propter vrbium mœnia. Differt hæc ab agreſti Atriplice non modò folijs & facie: ſed etiam caulis proceritate. Siquidem Atriplex ſylueſtris quandoq; ad duûm cubitorum altitudinem aſſurgit. Cynocrambe verò binûm palmorum longitudine contenta eſt: huius nuſquam quod meminerim, meminit Galenus in lib. ſimp. med. nam ea Cynocrambe, cuius ipſe Galenus, & alij rei herbariæ ſcriptores mentionem faciunt, ſub nomine Apocyni, alia eſt ab hac, de qua hic agitur.* Nomina. *Quæ planta Græcis κυνοκράμβη, Latinis Cynocrambe & Braſſica canina appellatur: Italis Mercorella baſtarda: Germanis* Wild Bingelkraut: *Gallis Mercuriale ſauuage.*

Cynocrambes nomine Matthiolus Mercurialem ſylueſtrem & quidem tantum marem proponit, cum tamen & fœmina detur. I. Mercurialis montana teſticulata, C.B. Cynocrambe, Matthiolo. Fuchſ. Dodo. gal. & fol. Lacu. Lob. qui vtramq; vna figura propoſuit. Caſt. Camer. Cynocrambe mas. Fuchſ. in iconibus, Camer. in Matth. Lugd. Mercurialis ſylueſtris, Trag. Lonic. Mercurialis mas ſylueſtris, Thal. Mercurialis maſcula ſylueſtris, Cordo in hiſto. Mercurialis ſpecies, Geſ. hort. Mercurialis altera vel montana, Cæſalp. Canina braſſica, Cynocrambe, Cordo in Dioſcoridem. II. Mercurialis montana ſpicata, C.B. Mercurialis fœmina ſylueſtris, Cordo in hiſto. Thal. Cynocrambe fœmina, Camerario in Matthiolum.

* III. CYNOCRAMBE DIOſcoridis. *



III. Cynocrambe Dioſcoridis. Ex radice tenui fibroſa, oblonga, plures viticuli palmares, etiam longiores, rotundi, ſtriati, lenes & ſucculenti, virentes, aliquando parum rubeſcentes, reclinati prodeunt plurimis geniculis diſtincti, ex quorum ſingulis emergunt primum foliola duo parua Alſines forma ſubrotunda, mox alternatim ex vna parte eodemq; loco folium ſextuplo maius, oblōgo pediculo donatum, oxalidis rotundæ folio oblongius, quadam veluti aſpergine obſitum ſuccedit. tandem ad idem geniculum alia decuplo minora, bina, terna etiam ſena notantur: iuxta quæ ab ima radice, ad ſumma viticulorum internodia, floſculi bini, terni, quaterni, muſcoſi ex herbacco albidi, plurimis filamentis donati: quibus ſuccedunt fructus totidem geniculis inter folia hærentes, Mercurialis forma, ſed minores, rotundi, duriuſculi, primùm virides, poſtea ex nigro cinerei, medulla alba referti. Guſtu eſt inſipido & aqueo ipſa herba. Monſpeſſuli locis vmbroſis ſponte ortum legimus: mox Cynocrambæ nomine, & plantam & ſemen á Nobiliſs. Iacobo Antonio Cortuſo accepimus, quæ copioſè nobis prouenit, & fideliter ac ingenioſè, ex viua planta à Doctiſſimo Ioanne Rudolpho Saltzmanno Botanices ſtudioſiſſimo, effigiata. Hanc videtur Fabius Columna in ſuo Phytobaſano expreſſiſſe nomine Alſines faciæ planta noua, à quo etiam ſemen accepimus, quod (vt & tota planta) noſtro minus eſt, & ſatum non creuit, ipſique ex Inſula Capreis, vbi frequens ſponte oriatur, allatum ſcribit, Alſinemque apud Dioſcoridem eſſe ſuſpicatur. Cynocramben Dioſcoridis ſtatuimus.

## Ἡλιοτρόπιον μέγα. HELIOTROPIVM MAIVS. CAP. CLXXXV.

HEliotropio magno flos eſt effigie ſcorpionis caudæ, vnde Scorpiuro ei nomen: & quoniam folia cum ſole circumagat, Heliotropion dicitur. Folia ocimi habet, hirſutiora, candidiora & maiora: ramuli à radice terni, quaterni, aut ſæpe quini exiliunt, multis alis concaui: flos in cacumine candidus aut ſubfuluus, incuruatus vt ſcorpionis cauda: radix tenuis eſt, & inutilis: naſcitur in aſperis. Decoctum herbæ ex aqua, faſciculo manus plenæ, potu pituitam, bilemq; per aluum extrahit: contra ſcorpionum ictus in vino potum, & illitum prodeſt: adalligatur ad conceptus arcendos. Aiunt per horam vnam ante acceſſiones, ſeminis grana quatuor cum vino quartanas finire, tria verò tertianas. Illitum ſemen formicantes verrucas, penſileſque, & thymos, & epinyctidas exiccat. Folia infantium deſtillationibus, quas Syriaſeis vocant, podagricis, luxatiſque vtiliſſimè illinuntur: menſes cient: partus trita, & impoſita pellunt.

HELIO-

I. HELIOTROPIVM MAIVS.



II. HELIOTROPIVM alterum.



Ἡλιοτρόπιον μικρόν. HELIOTROPIVM MINVS. CAP. CLXXXVI.

HEliotropium paruum naſcitur in paluſtribus, iuxta lacus, foliis antedicto proximis, rotundioribus, ſemine acrochordonum verrucarum modo penſili, rotundo. Herba cum ſuo ſemine pota,

III. HELIOTROPIVM minus.



* IV. HELIOTROPIVM tricoccon. *



adiecto nitro, hyſſopo, naſturtio, & aqua, latas tineas, tereteſq; excutit. Penſiles verrucas, quæ acrochordones vocantur, cum ſale illita tollit.

Heliotropii vtriuſq; conſideratio.

*Heliotropion maius, licet in aſperis naſci Dioſcorides tantùm prodiderit, tamen in Hetruria, & in comitatu Gorctienſi, vbi frequentiſsimum viſitur, paſsim ferè prouenit, in campis, ſecus vias, in oppidorum plateis, & circa ædiciorum areas, aridis item, & ſabuloſis locis. Herba hæc apud Hetruſcos officinis Verrucaria appellatur, quòd verrucas, myrmecias, & thymos affricata valenter adimat. Quare mihi, vt Ruellio quoq; doctiſsimo, plurimùm errare videntur, qui cenſent Calendulam officinis dictam, quæ & neotericis caltha exiſtimatur, eſſe Heliotropium maius: namque omnes propè ſus illius notæ huic reclamare deprehenduntur. Neq; eorum opinioni illud quicquam addit, quòd huius Calthæ ſemen quadantenus ſcorpionum caudiculas referat, quoniam Dioſcoridi Heliotropij flos, non ſemen Scorpionis caudæ effigiem repræſentat. Porrò Ruellius heliotropium hoc vocari ait herbam cancri, quòd eius flores in caudæ cancri (qui nobis aſtacus eſſe putatur) ſimilitudinem inflectatur. Verùm hæc nominis ratio à Ruellio aſsignata, mihi non planè ſatisfacit, quòd ſcorpionum & aſtacorum caudæ forma inter ſe maximè differant. Vnde potius crederem, hoc Heliotropium herbæ cancri appellationem traxiſſe, quòd efficaciſsimum ſit aduerſus carcinomata, & vlcera gangrænoſa: ad quæ magno admodum ſucceſſu eo vtuntur chirurgi, qui plantam & eius vires compertas habent. Heliotropio herba formicæ maximè necantur, obturatis ea carum foraminibus. Si ſcorpionis cauernula (vt quidam memoriæ prodiderunt) heliotropij ſurculo circumſcribatur, nunquam is foras egredietur: impoſita verò herba protinus illum emori aiunt. Folia ex roſaceo illita capitis dolorem mulcent. Epotum foliorum decoctum vnà cum cumino renum calculos pellit & frangit, & inteſtinorum animalia necat. Cæterùm Heliotropium minus vidimus, ac ſæpe legimus in Tridentino agro, in paluſtribus quibuſdam locis, idque compluribus oſtendimus, vt quod picturæ ſatis reſpondere mihi videretur. Quòd autem huius Heliotropij, aut alterius mentionem fecerit Galenus, non inuenio in ſimplicium medicamentorum cenſu. Paulus tamen vtriuſq; meminit, ſed non plura de his tradidit, quàm quæ Dioſcoridi accepta referre poteſt. Heliotropium alterum, ſunt qui Heliotropij genus faciant, quod & hæc verrucas deleat.*

Herba cancri.

Heliotropii vires Matth.

Calthæ conſideratio & vires.

*Sunt è recentioribus (vt ſupra diximus) qui Calendulam vocatam, Virgilij & Plinij* CALTHAM *exiſtiment, hoc argumento nixi, quòd flores aureos luteoſue proferat. Quorum equidem ſententiæ non auſim omnino ſubſcribere, aut refragari. Folijs exit oblongis minimè acuminatis, Leucoij quadantenus ſimilibus, latioribus tamen ac longioribus: caulē edit ſingularem, ſubpinguem, ſeſquidodrantalem, ramoſum. Flores in caulium ſummitatibus aureos ſpecioſoſq;, odore cum grauitate haud iniucundo: è quibus ſemen prouenit in capitulis apertis: quod ſi diducatur auicularum vnguibus quadantenus ſimile ſpectatur. Radice nititur alba, rectaq;. Ea in Hetruria à florum colore vulgò Fior rancio nominatur, vbi ſpontè per ſe naſcitur, ſemine nera. Atqui in compluribus Italiæ locis, & in Germania in hortis ad coronamenta ſeritur. Hanc ibi paſsim acetarijs adhibent. Excalfacit, attenuat, aperit, digerit, & prouocat, quamuis guſtatu adſtrictione non vacare deprehendatur. Cæterum conſtat ſexcentis fœminarum factis periculis, eandem valere plurimum ad menſes ducendos, & præſertim epoto eius ſucco, aut herba ipſa recente diutius deuorata. Datur quoq; ſucci vncia, addita lumbricorum terreſtrium pulueris drachma, vtiliter regio morbo affectis. Sunt qui dicant, huius herbæ vſu acui indies oculorum acies. Conſtat tamen ſtillatitiam floridæ plantæ aquam, oculorum ruborem, & inflammationem arcere, ſi in oculos inſtilletur, aut ſi lintea in ea macerata ſuperponantur. Siccatæ puluis cauis dentium immiſſus, dolorem leuat.*

V. CALTHA.



Nomina.

*Vt Græci ἡλιοτρόπιον, ita etiam Latini Heliotropium dicunt: officinæ & vulgus, Verrucariam: Italis, Heliotropio. At Caltha, Italis Fior rancio, ſiue Fior d'ogni meſe: Officinis, Calendula: Germanis Ringelblum: Gallis Souſſij.*

Heliotropium maius & minus, vtrumq; vel erectum vel repens. I. Heliotropium maius, Matth. Lac. Geſ. hor. (cui & Scorpioides alterum) Lobel. Dod. fol. Caſtor. Lug. Camer. Cæſal. (& Verrucaria vulgò) Taber. Lugd. Heliotropium magnum, Dod. gal. Herba cancri maius, Lonicero. II. Heliotropium alterum Matthioli quid ſit ignoramus, eodem nomine & eadem figura in Herbario Lugdunenſi exprimitur. III. Heliotropium minus, Matth. Lacu. Caſtor. Lugdu. Herba cancri minor, Lonic. Videtur exprimere voluiſſe Heliotropium tricoccum à fructu eius triquetro) cuius figuram. IV. loco adpoſuimus, dicitur Heliotropium minus tricoccum, Cluſ. hiſt. Hiſpan. Heliotropium tricoccum, Lugdu. Heliotropium minus, Dod. gal. & fol. Geſ. hort. (Verrucaria, eidem.) Camer. in Matth. & in horto, vbi & herba Clytia. Heliotropium paruum Dioſcoridis, Lobelo. Heliotropium tricoccum Plinii, Cæſal. Tabernæmontano. V. Caltha vulgaris, C. B. Caltha Matthiolo, Trag. (nonnullis Caput Monachi) Fuch. Turn. Lonic. Dalechampio in Plinium, qui vult eſſe Chryſanthemum & Buphthalmum Dioſcoridis. Caltha Poetarum, Lugd. Calendula, Brunf. Dod. Gal. & fol. Geſ. hort. Camer. Cæſalp. Calendula ſatiua, Taber. Chryſanthemum Lobel. qui Gromphænam Plinii ſuſpicatur: Clymenum Dioſcoridis Fabio Columnæ in ſuo Phytobaſano.

Vana

Varia eſt. flore ſimplici, pleno, minore, maiore: pallido, citrino ruffo: eſt prolifera: eſt floribus reflexis: eſt refloreſcens, quæ etiam fruticoſa euadit: eſt hortenſis & ſylueſtris: hæcquè maior, minor, & humilis.

Σκορπιοειδὴς. **SCORPIOIDES.** CAP. CLXXXVII.

SCorpioides herbula eſt, foliis paucis: ſemine caudæ ſcorpionis effigie. Illita ſcorpionum ictibus præſentaneo eſt auxilio.

SCORPIOIDES.



*SCorpioidis ſpeciem Calendulam nominatam haud dubiè eſſe cenſerem, ſi folia, ſicuti ſemen, ſcorpioidi reſponderent. Verùm cum hæc folijs paucis, illa verò multis longisq; proſiliat, ij apertè falli deprehenduntur, qui in hac opinione verſantur. Equidem veram, vt arbitror, Scorpioidem vidi primùm ſuperioribus annis in Foroiulienſi agro in Ciuitate Auſtriæ, quodam in hortulo clariſſimi medici Iuliani à Maroſtica Teruiſienſis. Hæc eadem, cuius hic effigiem pictam damus, dum hoc tempore diligenter curarem, vt ſingulis plantarum deſcriptionibus, quarũ cognitionem habemus, pictura accederet, ab amico quodam, rei plantariæ perito, ad me transmiſſa eſt. Quam ſanè ſuis notis veram Scorpioidem referre putamus: etſi non deſunt viri doctiſſimi, qui aliter ſentiunt, volentes, Nicandri ſcholiaſtis authoritate, hanc ipſam Telephium appellari debere. At ego horum ſententiam prorſus nihili facio, quòd nõ prohibeat nomenclatio illa apud ſcholiaſten quin rectius Dioſcoridi ſcorpioides appelletur. Scorpioidem breuiſſime perſtrinxit Galenus libro 8. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Scorpioides excalfacit quidem ordine tertio, deſiccat verò ſecundo. Ea non ſecus Latinis Scorpioides, ac Græcis σκορπιοειδὴς appellatur: Italis Scorpioide.*

Scorpioidis conſideratio.

Scorpioidis facul. ex Gal.

Nomina.

Quam pro Scorpioide Matthiolus poſuit, Telephium Dioſcoridis eſſe cenſemus: Scorpioides, ob ſiliquas ad ſimilitudinem caudæ ſcorpionis reflexas, dici poteſt. Scorpioides, Matth. Lac. Lob. Lonic. Caſto. Scorpioides Matthioli, Dod. gal. & fol. Geſ. hor. Lugd. Cam. Lunaria buriſſa, Geſ. hor. Telephium, Anguil. Cæſalpino, cui & Herba amoris, quia puellæ in amore explorando foliis huius vtuntur: ſi enim folia cum ſaliua applicata, cutim tantum rubefaciant, amoris putant indicium: ſi puſtulas excitat odii. Hunc vſum antiqui poëtæ Telephio tradiderunt, vt apud Theocritum videre eſt, qui ob id philtrum quoque appellarunt.

LIBRI QVARTI FINIS.

16 Decemb. Ao 600)



# PETRI ANDREAE MATTHIOLI, MEDICI Senenſis Commentarij,

## IN LIB. QVINTVM PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE MEdica materia.

SVperioribus quatuor libris, amiciſsime Aree, tradidimus de aromatibus, oleis, vnguentis, arboribus, & earundem lacrymis, ac fructibus: item de animalibus, melle, lacte, adipe, cerealibus, oleribus: nec non de omni radicum, herbarum, ſuccorum ſeminumquè ratione. In hoc autem totius operis quinto diſſeremus de vinis, & metallicis, à vite noſtram commentationem auſpicari.

## COMMENTARIVS MATTHIOLI.

*QVONIAM non difficile tantum, ſed quaſi etiam impoſsibile eſſet, vt cuiuſcunq; ſcientiæ, aut facultatis principijs ac fundamentis vniuerſalibus ignoratis, ſciri perfecte poſsint illa, quæ deinceps ſpeciatim in ea conſideranda veniunt: ideo non minus neceſſarium, quàm vtile fore exiſtimaui, ſi hic in vniuerſum foſsilium, ac metallorum materia tractaretur. Nam etſi in hoc quinto libro nonnullorum foſsilium medicamentorum cùm hiſtoriam, tum facultates tradiderit Dioſcorides, & ipſum ſecutus Galenus in libris ſimplicium medicamentorum; cùm tamen eorum neuter originem, materiam, cauſas, ac alia plura in his æſtimanda, ac cognoſcenda explicuerit, illa quidem hoc loco ſilentio inuoluenda non duximus, vt quantum per nos fieri poteſt, nihil quod ad abſolutam rerum ſimplicium cognitionem, & communem vſum faciat, à nobis intactum relinquatur.* Varia de generatione lapidum ſentẽtia. *Cumque plures tam antiquos, quàm recentiores, qui de foſsilium, ac metallorum materia ſcripſerunt, diligenter ſim perlegerim, eos vtique non modò inter ſe differentes reperi, ſed in aliquibus etiam contrarios. Nam licet eorum quidam à veritatis tramite parum deflectant: videntur tamen non exactè ea omnia explicauiſſe, quæ hac in re maximè neceſſaria cenſentur.* Ariſtotelis opinio. *Fieri enim lapides, Ariſtoteles author eſt, igne non liqueſcentes ex ſicca igneſcente exhalatione. Ex quibus deduci poteſt, exhalationem humidam materiam eſſe lapidum liqueſcentium, è quibus metalla conflantur, quo fit vt ex Ariſtotelis ſententia, lapides igne non liqueſcentes fiant ex calido, & ſicco vapore: liqueſcentes verò ex humido halitu tantum. Sed opinionem hanc, qui rem altius, diligentiusq; inueſtigarunt, minimè probandam exiſtimant, cùm lapides longe minus, quàm terra ex vapore fieri queant. Siquidem puluis, qui ſic gigneretur, vnum aliquod ex pluribus fieri nunquam poſſet, niſi humor illi commiſceretur, & omnes pariter lapides non liqueſcentes abſque multa hominum opera, ac tunſionis labore facile in arenam vel puluerem tranſirent, ſi tantùm ex ijs nullo accedente humore efficerentur. Quod profectò haud ita ſe habet: lapides namq; ferè innumeros admodum compactos, ſolidosq; videmus, id quod haud dubiè oſtendit, ex ſicco tantùm vapore eos nequaquam genitos eſſe. Quod ſi ex eo lapides eiuſmodi procrearentur, magis omnino fierent in ſuperiore aeris regione, vt quæ facilè ignis contactu incendatur, quàm intra terram. Quandoquidem omnibus liquidò conſtat, quàm ſuperior illa aeris regio ex velociſsima aſtrorum conuerſione, citius accendatur. Ac certè ſi non aliàs, ſaltem quoties gignerentur cometæ, faces, flammæ, clypeiq; ardentes, deciderent lapides è cœlo, aut terræ, quod tamen fieri non videmus. Et quamuis tradiderint prodigiorum ſcriptores pluiſſe quandoque lapides, vt Plinius, & alij quidam teſtantur, non tamen ob hoc opinatus eſt Ariſtoteles in aere lapides gigni poſſe. Nempe is lapidem è cœlo delapſum ventorum vi in aerem ablatum ſcribit. At ſi lapides in aere fiunt (quod plane negare non auſim) quid obſtat, cur dici non poſsit, hoc ex eadem fieri materia, ex qua illi ſub terra generantur, quam quidem materiam facile produxiſſe potuerint violentiſsimæ tempeſtates: vt pote quæ repentino aliquo motu dum oriuntur, ex reliquorum elementorum mutatione terrena illa corpora genuerint.* Theophraſti opinio. *Theophraſtus vero non lapides ſolùm, ſed terras etiam conſtare ſcribit ex pura, ac æquali materiâ, quæ confluxu [illegible] dâ ſiue percolatione ſit effecta, aliove modo excreta. Quod etſi iure aliquo probari poſsit, non tamẽ ijs duobus modis tantum talis efficitur. Nec ea quamuis proxima ſit materia terræ inſignis, omnis etiam eſt lapis, verum alijs quoq; modis ſit pura & æqualis materia, vt cum ſucci naſcuntur. Interdum quoq; neceſſe eſt, vt calor materiã ijs duobus modis genitã prius coquat, & inde efficiat ſuccũ, ex quo tandẽ lapis, qui liqueſcat ignis calore, fieri poſsit. Verũ enimuero multo magis in hoc errâſſe Theophraſtus deprehenditur, quod ſcilicet omnes lapides etiam pretioſos terra abundare crediderit: is enim ita inquit. Eorum, quæ in terra*

terra conſiſtunt, alia aquea ſunt, alia vero terrena. Aquea quidem ſunt metalla, nempe aurum, argentum, & reliqua: terrena vero lapis, & lapidum ſpecies precioſæ, ac etiam terrarum ſpecies omnes, quæ colore, vel liuore, vel ſpiſſitudine diuerſitateque ſunt inſignes. Quandoquidem ſi vera eſſet hæc Theophraſti ſententia, nulla quidem inueniretur gemma, quæ tranſluceret, cùm tamen variæ, ac ferme innumeræ reperiantur, quæ maximè pellucent. Hinc itaque fit, vt citra [illegible] dici poſſit, non omnes precioſorum lapidum ſpecies eſſe terrenas, ſed aqueas, id eſt, ex humore quodam conflatas, [illegible] pondus longè maius, quàm terræ inſit. Cæterum Auicennæ opinio, quam ſequitur Albertus, multò magis veritati [illegible] cohærere videtur, quàm aut Ariſtotelis, aut Theophraſti. Quippe quanquam non explicuerit ipſe, quibus modis [illegible] lapidum materia congregetur; dixit tamen lutum eſſe in primis lentum, & aquam non ſimplicem illam, ſed cum terra permiſtam. In qua permiſtione ſi plus terræ, quàm aquæ confluxerit, lutum dicitur: ſin aquæ, ſuccus: nil enim aliud [illegible] quàm terram, quæ permaduerit aqua: nec ſuccus aliud quidem explicat, quàm aquam, quæ ſorbuerit terram, vel abraſerit, tetigeritq́ metallum. Lutum enim, ex quo lapis futurus eſt, lentum, ac tenax eſſe oportet, cuiuſmodi illud [illegible] lateres [illegible] fictilia ſunt: nam ab alterius generis luto, quod penitus lentore careat, haud difficulter ſeparatur, [illegible] humor, tum non lapis ex eo efficitur, ſed puluis. Lutum verò tenax calor primum exiccando conſpiſſat, [illegible] medium inter lutum, & lapidem: deinde quia diutius idem agit, vel acrius, lapidem gignit. Quinetiam ſuccus craſſus, & lentus facile conuertitur in lapidem: quod in animantibus eſt euidens, præſertimq́ in nobis, cùm iamdudum [illegible] Medicis, ac etiam [illegible] recentioribus decretum ſit, tum renum, tum veſicæ calculos non aliunde progigni, quàm ex lento [illegible] humore, temporis tractu à caloris noſtri facultate coacto. Ob id igitur traſlucentes gemmas non ex aqua tantùm [illegible] ſed ex puro liquidoq́ ſucco, qui aquæ multum, terræ verò tantillum referat. Siquidem ſi ex aqua tantùm humore lapides efficerentur, non vtiq́ mergerentur in ea proiecti, ſed ea ſupernatarent, non ſecus ac glacies, & grando. At [illegible] lapidum genus demergitur aqua, ac etiam cryſtallus, & beryllus, quæ tamen quoniam glaciem colore repræſentent, [illegible] ex aqua conſtare, ſatis intelligimus, ex ſola aqua non gigni lapides illos. Quapropter (vt in ſequenti [illegible] dicetur) planè explodenda venit Plinij, & aliorum quorundam ſententia, quibus certum eſt, cryſtallum glaciem eſſe, quæ niue in algidiſſimis montibus concreuerit, cum aqua non ſupernatet. Generantur præterea lapides ex lapidibus ipſis, cum fluuiorum, riuulorum, ac ſubterraneorum fontium aquæ per ſaxa excurrentes, ab eorum ſuperficie aliquid lapidoſi abraſerint, quòd cum reſederit, ſolis calore ſiccatur, ac lapideſcit. Hoc enim euidentiſſimè apparet in canalibus, ac ſoli patentibus aquæ ductibus, quibus nonnullæ aquæ calidæ ducuntur. Ii nimirum lapideis quibuſdam cruſtis oblinuntur, quæ cum tenuiſſimis ramentis compactæ ſint, cæteris molliores infirmioresq́ habentur. Hoc idem apertiſſimè conſpicitur in quibuſdam balneis aquarum ſponte naſcentium, præſertimq́ in balneo ſancti Philippi comitatus noſtri Senenſis. Quandoquidem ex huiuſce balnei aqua, particulæ quædam gignuntur lapideæ, ſaccharum tum candore, tum etiam materia referentes, quæ vſque adeo imitantur ſemina ſaccharo contecta, & alia id genus, quæ in officinis ſacchareſ [illegible] conteguntur, nempe aniſum, coriandrum, ac etiam plerunq́ cinnamomum, vt iis capſulæ à quibuſdam impleantur, itaq́ aptentur, vt ſolatij cauſa aliquos ſacchari, eiuſq́ confecturarum auidiſſimos decipiant. Fit hoc quoq́ in his, qui huius aquæ ſtillicidio vtuntur ad cerebri morbos curandos, illi quotidie caput ſubijcientes: ſiquidem lapidoſa illa materia capillis [illegible] continuò inhærens, in granula quædam cogitur, ac coaleſcit, ab aniſo ſaccharo contecto nihil ferè diſſimilia, quæ non niſi tractu temporis inde ſe explicant, & diſſoluuntur. Idem præterea euenit in montium concauitatibus, ac ſpeluncis, quæ ex ſaxo potiſſimùm calcario conſtant: quippe aquarum ex ſaxorum commiſſuris ſtillicidio, lapidea concreſcit materia, quæ è cauitatum illarum cameris non aliter pendet, quàm ſtiriæ hyberno gelu è domorum noſtrarum tectis prominent. Ex eodem etiam ſaxo calcario oritur gypſum, melitites, galactites, & alij quidam lapides: & ex ſucco, qui ex eodem ſaxo, & aqua contemperatur, lapis ſpecularis, & gypſum, quod rarò tranſlucidum inuenitur. Eodem modo ex ramentis rubei lapidis fit hæmatites, & ſchiſtos: item in commiſſuris marmoris maculoſi, aut eius, quod in candida cinereum colorem refert, reperiuntur dactyli Idæi, lapides Iudaici, trochitæ, & conſimiles. Verùm enimuerò ſuccus lapideſcens omnino differt ab aqua, quæ ſaxorum ramentis referta eſt, vel quòd plus habeat ſedimenti, vel quòd calor talem coquendo aquam, eam denſiorem effecerit, vel quòd aliquid is ſuccus contineat, quod vehementer adſtringat. Ex quo (vt opinor) corallium maris planta, & antipathes oriuntur. Poſtremò materia lapidis erit quicquid habet meatus, per quos ſuccus lapideſcens imbibi poſſit, ſiue is à terra contineatur, ſiue cum aquis miſtus ex ea effluxerit. Quamobrem multoties arbores, frutices, animantes, oſſa & alia in lapides vertuntur, vt Bohemi apertè teſtantur. Quandoquidem in eorum regno pluries in ſubterraneis fodinis (Georgius Agricola auctor eſt) arbores inuentæ fuerint in lapidem conuerſæ, ſtantibus adhuc ramis, cortice, medulla, ac radicibus. Equidem ipſe quoque ingenuè fateri poſſum, arboris ramum ex lacus cuiuſdam littore mihi allatum eſſe, qui altera parte lapideus, altera verò ligneus cernebatur. Venetijs item in magno Germanorum emporio, quod vulgò vocant il Fondaco de Todeſchi, equi teſticulum lapidem factum, Antonius Gelb mercator il [illegible] pro Fuggeris agens, iucundo omnium ſpectaculo, & admiratione oſtendebat. Id quod animalium quorundam carnibus, & oſſibus, tum etiam teſtaceis piſcium operimentis eueniſſe comperimus: namq́ in Hetruria quàm plurimis in agris, buccina, cochleæ, conchulæ, & eiuſmodi multa aratro ab agricolis eruuntur in lapidem conuerſa. Quæ ſanè omnia haud dubiam fidem faciunt, ita ſe rem hanc habere, vti diximus. Sed vt ex prædictis omnem lapidum materiam paucis perſtringamus, ea in primis eſt lutum, in quo multò plus ſit tenacis terræ, quàm aquæ. Deinde eſt ſuccus, qui vehementi frigore congelaſcit, in quo aqua ipſa terram ſuperat. Sunt præterea ramenta ſaxorum, quæ aquarum decurſus abradit. Quinetiam ſuccus lapideſcens, qui cum in aerem effluxit, in lapidem concreſcit. Omne denique, quod habet meatus, in quibus lapideſcens ſuccus facile excipiatur. Nihiloſecius in metallorum ortu & materia, de quo iam nobis diſſerendum eſt, authores inter ſe diſſentire inuenio. Alia etenim eſt philoſophorum, alia chymiſtarum, alia aſtrologorum ſententia: quibus etiam accedit opinio imperitiſſimi vulgi, quæ tantum ab alijs diſſidet, quantum à veritate, & ratione prorſus abhorret. Is namque certò credit, non modò ſaxa, ſed etiam metalla omnia, pretioſos lapides, & gemmas, ac terrarum varia genera, in ipſa tantum mundi creatione Deum optimum maximum talia finxiſſe, atque creaſſe, qualia nunc reperiuntur, nec medio temporis lapſu, vllam ex materijs ad id diſpoſitis eſſe natam, vel renatam, neque aliquam vim naturæ, ad eorum perennitatem ſummum rerum opificem tribuiſſe. Qui certè vulgus ita temerè pronuncians, non videt quàm maximam naturæ inferat iniuriam, quæ nunquam aliquo temporis momento quieſcens, nil aliud agit, quàm ea ſemper regenerare, quæ aliâs genuit, quæ etiam noua multa producit. Vnde hæc vulgaris opinio prorſus explodenda, atq́ exſibilanda eſt. Quam inſuper vt vanam ac ridiculam, illud maximè diluit, ac demolitur, quod in antiquis metallorum cuniculis ſole clarius viſitur. Siquidem innumeræ inueniuntur metallorum fodinæ, tanquam inutiles à foſſoribus derelictæ, quòd inde omne metallum effoderint, per quas etſi prius longè, lateque patebat tranſitus, ita vt liberè, & abſq;

*Auicennæ opinio comprobata.*

*Plinii opinio exploſa.*

*Varia de metallorum ortu ſententia.*

*Vulgi opinio exploſa.*

& abſque vllo impedimento non modò foſſores ipſi, ſed vehicula, & curriculi per eas diſcurrerent: tractu tamen temporis factum eſt, quòd materia lapideſcens in ipſis adeò creuerit, vt foſſoribus denuo ingredi volentibus, ob cauitatis anguſtiam denegaretur aditus. Sed præterea metalla continuè generari, ferrum indicio eſt. Id quod in Iluæ inſula metallicis fori (ea enim à maritimis noſtris non longè diſtat) non modo probatiſſimi ſcriptores memoriæ prodiderunt, ſed foſſores, qui diutius in ipſis verſati ſunt, verbis referunt: quippe quòd ferreæ illæ fodinæ multis iam annis deſtitutæ, [illegible] iterum ferrea materia impleantur. Porrò Philoſophi & chymiſtæ aliter ſentiunt. Ariſtoteles lapidum materiam halitum tantùm exiſtimat. Chymiſtarum verò nonnulli omnino aſſerunt, metalla in viſceribus terræ gigni ex ſulphure, & argento viuo, alij ex quadam cinere aqua madefacta.

Contra Chymiſtas.

Quorum ſententia, cùm non ſolùm ſuſpecta, ſed etiam planè falſa habeatur, eos nimirum omnes decipit, qui horum lubricis fundamentis nixi philoſophantur, vt firmis tum rationibus, tum argumentis probare non vererer, niſi id præter noſtrum inſtitutum eſſet, qui hic harum rerum capita tantùm percurrimus. Verùm ſi quis rem hanc fuſius enarratam, atque exactiſſimè diſcuſſam habere cupit, librum legat Georgij Agricolæ viri eruditiſſimi, à quo nos plura mutuatos eſſe ingenuè fatemur. Cæterùm illud omnibus, vt mea quidem fert opinio, perſuaſum eſſe debet, quòd nil aliud ſit metallorum materia, quàm ſubſtantia elementaria, quæ tantò perfectius metallum efficit, quantò magis in æquali proportione tum qualitatis, tum quantitatis impenſè depurata conſtat. Quippe metallorum materia aquam eſſe, maximo argumento eſt, quòd ignis calore liquentur, ac fluant: frigore verò tum aëris, tum etiam aquæ rurſus denſentur, ac coeant. Id quod clarè oſtendit, ea aquæ multum, terræ verò parum obtinere. Simplex tamen aqua non eſt eorum materia, ſed miſta cum terra: atque terræ quidem portio tanta in miſtione exiſtit, quanta aquæ perſpicuitatem obſcuret, fulgorem verò non auferat. Quin etiam miſtura quò purior fuerit, eò pretioſius (vt diximus) metallum conflat, idq; magis ignis patiens redditur. Sed quota terræ portio inſit cuiq; humori, ex quo efficitur metallum, nemo mortalium vnquam mente concipere poteſt, ne dum verbis explicare. Id tantùm nouit Deus optimus maximus, qui certas, ac definitas quaſdam leges naturæ tribuit, quibus res inter ſe miſcet, ac temperat. Succus igitur eſt, ex quo formatur metallum, quem pariunt varij motus, quorum proximi ſunt aquæ defluxus terram mollientis, aut ſecum rapientis: terræ cum aqua permiſtio: & vis caloris agens in miſturas, vt id genus ſuccos gignat. Sed cum de metallorum materia ſatis dictum ſit, iam cauſam efficientem proſequamur.

Cauſa metallorū efficiēs.

Ea autem nil aliud nobis eſſe cenſetur, quàm calor, & frigus, quæ in ipſius terræ viſceribus reconduntur. Calor inquam is eſt, qui humoris metallici miſtionem coquit, ac purificat: frigus verò quo eadem denſatur, & dura efficitur. Hoc equidem experientia facilè comprobatur, cùm neminem lateat igni metalla liqueſcere, ac eam tractu temporis poſt liquationem, ipſius ignis calore contabeſcere, auro excepto. Quamobrem deridenda videtur eorum opinio, qui tantùm calore ſubterraneo metalla confici crediderunt. Sunt & qui putent, metalla omnino effici ſiderum errantium influxu. Soli namq; auri generationem aſſignant, Lunæ argenti, Marti ferri, Mercurio argenti viui, Ioui ſtanni, Veneris æris, Saturno denique plumbi. Adduntq́;, quòd ſicut metalla ab errantibus ſtellis ſui ortus principium habent: ita pretioſi lapides, ac gemmæ, à fixis ſuam effectricem cauſam ſuſcipiunt. Huic autem ſententiæ plerique non acquieſcunt, quoniam has cauſas nimis remotas credunt, & propinquioribus cauſis inhærendum eſſe arbitrantur. Ego tamen inficias non eundum reor, quin omnia hæc inferiora terrena ac finita, regantur, gubernentur, & producantur à ſuperioribus cœleſtibus, ac ſempiternis: quæ tandem diuturna orbium circumuolutione, omnium cauſarum tam remotarum, quam propinquarum cauſa exiſtunt. Ita pariter dicendum exiſtimo lapidum gignendorum cauſam non ſemper à ſolo frigore, vel calore, ſed modò ab hoc, modò ab illo prouenire. Nam lapides, quos aqua humectando diſſoluit, calorem exiccando compegiſſe intelligimus. Contrà verò qui calore ignis liqueſcunt, vt fluuiorum, & torrentium ſilices, quibus igne liquatis vitrum conficiunt artifices, eos frigore concreuiſſe certum eſt. Concretio enim eiquè oppoſitæ affectiones, reſolutio ſcilicet, atque liquefactio, oriuntur à cauſis inter ſe contrarijs. Etenim calor à materia humorem extrahens, eam efficit duram: at frigus eandem, aëre maxima ex parte excluſo, vehementer conſtringit, quemadmodum agit, cùm aquam in glaciem, vel niuem cogit. Hinc eſt, quòd memoriæ prodidit Galenus, eam aquam corporibus perſæpe inimicam eſſe, quæ à niue, vel glacie colliquatis fluxit: quoniam omne, quod in ea tenuiſſimum erat, à gelu expreſſum fuerit. Duabus his cauſis tertia quoque accedit, quæ eſt ſuccus ille lapideſcens, de quo ſuperius diximus, qui vel ſolus, vel cum aquis permiſtus in ſtirpium meatus, aut in animantium particulas recipitur. Nam præterquàm quòd ſit lapidum materia, cauſæ etiam efficientis partes ſubit: quando ſcilicet in corpus aliquod per meatus penetrat, idquè totum ſecum in lapidem vertit. Quòd ſi in lapidem concreuerit guttatim cadens, aut in vrceos diffuſus, tunc materia tantùm, non cauſa efficiens dici merebitur. Gignitur hic (vt ſuprà dictum eſt) in locis quibuſdam lapidoſis, & interdum aquæ commiſtus, per venas terræ manat, & effluit. Quapropter mirari non licet, ſi fontes, riuuli, lacus, ac putei reperiri poſſint, qui ſtirpes, oſſa, & alia multa in lapidem tractu temporis vertant. Verùm non eſt ignorandum, quòd ſuccus is lapideſcens motu aliquo agitatus, non facilè in lapidem denſatur, niſi craſſus admodum fuerit, ſed ſimulatque in meatus ligni, aut alterius rei receptus, diſperſuſquè quieuerit, frigore cogitur, & concreſcit, mutatquè res illas, quibus continetur, in lapides, vt in quodam Gothiæ fonte euenire probatiſſimi autores teſtantur. Cuius guttæ ſolo perfuſæ, cùm moueri, aut agitari nequeant ab ambiente aëre, denſantur & lapideſcunt. Quòd ſi præterea verum eſt, in montibus Pyrenæis eſſe loca, in quibus aquæ pluuiales lapideſcant, id ideo fieri poſſe videtur, quòd aquas cum terra permiſtas vel ſolus calor paulatim concoquat, vel inſignis propter calorem ſiccandi vis, quæ terræ inſit, conſpiſſet: vtroquè enim modo ex eis poteſt effici lapis. Neque neceſſe eſt confingere, aut comminiſci aliam vim, quæ id ipſum agat, quàm quatuor qualitatum, aut eam, quæ ab ipſis inter ſe agentibus, & patientibus orta loco tribuitur. Sed hic nobis ſubit inquirendum, cur vnus tantùm quandoque gignatur lapis, cur verò plures vno loco efficiantur.

Cur pauci, cur multi lapides fiant.

Fit igitur, vt arbitramur, vnus tantùm lapis, cùm locus, qui concepit materiam, ſolidus fuerit, ac meatibus carens. Quippe concluſus calor omnem tum operam, tum facultatem vndique in materiam conferens, vnum duntaxat lapidem gignit, & ipſum quidem magnum, aut paruum, ſecundum materiæ quantitatem: quapropter plerumque ſingulares à frigore efficiuntur, cùm puriſſimi ſucci, ex quibus conſtant, rarò multi ac magni in locum vnum congregentur. Verùm contrà plures gignuntur lapides, ſi locus non fuerit planè ſolidus, ſed meatibus refertus, per quos calor ipſe diſcurrere queat: nam ſi meatus pauci fuerint, calor materiam diuidens paucos efficit lapides: ſin multi, multos. Ad hæc plures generantur lapides non modò ex prædictis, ſed etiam ex materiæ diuerſitate: quandoquidem calor partem vnius generis ſecernens ab alterius generis parte, plures efficit lapides. Item plures efficiuntur ex multis vnius loci receptaculis, in quibus infuſa materia in plures partes diuiditur: ſiquidem in eis frigus non minus, quam calor vires ſuas exercere poteſt. Qui lapides præterea pro diuerſa materiæ mole, magni aut exigui redduntur. Iiſdem modis quoque glarea & ſilices fiunt: etſi ij ſæpius aquarum impetu, qui ſaxa frangit, & comminuit, efficiantur. Hactenus cauſas explicauimus, quæ lapides, & metalla efficiunt: nunc ad eorum differentias progrediar.

Lapidum colores vnde varii.

grediantur. Colorum itaque diſcrimina, quæ in lapidibus ſpectantur, materiæ, ex qua gignuntur, diuerſitatem indicant: vnde vnus & idem lapis ſæpe varios colores conſequitur, quod fiat ex diuerſi coloris materia. Deinde calor, cùm ipſorum lapidum ſit opifex, coloribus materiam inficit: nam obſcuros ipſius colores illuſtrare, illuſtres verò obſcuros reddere poteſt. Cuius effectus exemplum clarum habetur in coloribus iis, quibus fictilia vaſa pinguntur: namque colores omnes, qui ad vaſa fictilia pingenda, vel inficienda parantur, anteaquam in fornacem conyciantur, ab his plurimùm diſtant, qui in fictilibus ipſis igne torrefactis, poſtea viſuntur. Quandoquidem etſi fictilia æris ſquama ſuper porphyrite lapide læuigata, admiſta aqua, infecta ruſo colore, æris ferè modo appareant, ignem tamen fornacis experta, viridia efficiuntur: ſicut & color, qui ex ferri ſquama paratur, melinus efficitur. Lapis etiamnum, quem figuli noſtrates vulgò vocant Zaffara, porphyrite lapide læuigatus, colore ſubnigro cruda adhuc fictilia tingit: ſed igne percoctus, in cæruleum præſtantiſsimum mutatur, vt nobis apertè declarat cæruleus, ac pulcherrimus ille color; quem vulgò pictores vocant Smalto: is enim ex ipſo lapide Zaffara nominato, cum vitro miſto in vitriariis fornacibus efficitur. Verùm hanc colorum permutandorum facultatem in frigore non inuenias: quare lapides ab ipſo coacti colorem eundem ſeruant, quo prius eorum materia infecta fuerat. Ex his adduci poſſumus, vt non temerè credamus, quod plerique fluuiorum, ac torrentium ſilices coloribus in ſuperficie tingantur: quoniam modo aquarum inundatione madefiant, modò ſolis calore ſiccentur. Solis enim calor, a quo ſilices ipſi æſtate Sirio ardente adeò incaleſcunt, vt vix tangi poſſint, ipſorum quidem colores (vt fictilium fornax) facile immutare poteſt, licet id magis euenire conſtet in eorum ſuperficie, quàm in centro. Differunt & metalla inter ſe colore, ſplendore, ſapore, odore, pondere & facultate. Color primùm varius in metallis conſpicitur, nam vnumquodque ſuum ſortitur colorem. Aurum ſiquidem inter metalla, ideo fului coloris eſt, quòd calor vel terram in flauedinem quandam ſynceram verterit, anteaquam cũ aqua miſceretur, vel ſuccum ipſum mox futurum aurum. Aes verò ſuum colorem habet, & eum quidem ſubrubrum, eo quòd terram nonnihil impuram aduſſerit calor. Ferrum autem ſubnigrum eſt, propter terram valde impuram, & aduſtam. Argentum porrò candidum eſt, quòd terra eius fuerit alba: eadem in cæteris ſingulis colores inueſtigandi ratio. Sequitur deinde eorum ſplendor, & nitor, qui ab aqua tantùm (vt antè diximus) prouenit. Ex quo fit, vt quantò humor ipſe tenuior, denſior, puriorq́ fuerit, eò metallum nitidius ac ſplendidius efficiatur: quam ob cauſam reliquis hac in parte præſtat aurum. Atque hinc etiam ſaporem odoremquè ſibi metalla aſciſcunt: dum enim aurum igne comburitur, terræ ipſius ſynceritate, quæ optimè cum aqua commiſta eſt, fumum perexiguum, & vix ſenſibilem emittit, & dulcem, ac ſuauem magis, quàm fœtidum. Argentum verò contrà, quod terram impuram, licet combuſtu difficiliorem obtineat, plus fumi eructat, quàm aurum, & ſubfœtidum quoque odorem exhalat. Sed tam ferro, quam æri multò maior fumi copia effunditur, atque vnà odor longè fœtidior, quòd ſcilicet aduſtam contineant terram. Plumbum denique ac ſtannum, ob aquæ redundantiam, hebetes admodum odores promunt. Nec alia de cauſa tum ærea, tum ferrea vaſa, qui rem hanc ſcitè cognouerunt, ab vſu coquinario abdicauere, quam quòd aduſtæ terræ, quam poſsident, valde amara qualitate cibi omnes, qui in huiuſcemodi vaſis vel coquuntur, vel parantur, vel aſportantur, vel reponuntur, facilè infici poſsint. Id quod non modo guſtum malè afficit, & exaſperat, ſed etiam in ventriculo nauſeam, & ſubuerſionem commouet. In hoc ergo admonitos ſeplaſiarios volumus, vt ab horum vaſorum vſu caueant: nam quandoque compertum eſt, quod acida medicamenta in cacabo æreo (quæ fuit pharmacopolæ vel ignauia, vel imperitia) decocta, ſæua ac periculoſa intulerunt ægris ſymptomata. Præterea metalla omnia ponderoſiſsima ſunt: cuius rei cauſa eſt denſitas ipſa, quæ ſequitur bonam terræ cum aqua permiſtionem. Hinc fit, vt grauiſsima quæque pondera metallis liquefactis ſupernatent, modò maior ſit metallorum quantitas, quàm rerum, quæ ipſis demerguntur. At huius rei experimentum quotidie facere licet, ſi argentum viuum in aliquod vas infundatur, eiquè metallica pondera ſuperponantur, auro excepto, quod ſolum inter cætera fundum petit, quoniam plus cæteris ponderet: argento enim viuo ipſa pondera non aliter ſupernatare deprehendentur, quàm aquæ ligna. Cæterùm aurum in ipſo mergitur, non modo quod ponderoſius ſit, ſed etiam quòd cognationem quandam, & quaſi conſenſum cum ipſo habere videatur. Metalla inſuper, quæ liqueſcunt, iis quæ attingunt, minimè adhærent: nec eadem humectant, neque etiam labuntur, vt cæteri aquei liquores tam foſsitii, quàm à plantis, aut animalibus producti: ſed eorum partes inuicem coguntur, ſimulq́ cohærent. Idq́ non alia ratione fieri conſtat, quàm quòd tam bona, firmaq́ miſtio rei ſiccæ cum humida facta ſit, vt ſicca obſtet humidæ, ne adhæreſcat, & humectet: humida verò contrà impediat, ne ſicca prorſus conquieſcat. Quæ quidem miſtio quoniam in auro perfectiſsima reperiatur, ideo hoc igne nunquam abſumitur, nam cum eius puriſsima terra ſit optimè cum aqua permiſta, humorem ſtringit, & continet, ne vi ignis expiret: humor verò contrà tuetur, ac defendit terram, ne accendatur. Idcirco nunquam comburitur aurum, vt cætera faciunt metalla, quæ quandoquidem impuriorem ſortiantur terram, deterioremq́ miſtionem, proinde ignis violentia, facilè rapiuntur, & conficiuntur: cùm enim terra flammis accenſa fuerit, humorem celeriter deperdit. At tamen metallum vnum alio magis, & citius comburitur, pro vt hoc illo plus terræ, eamq́ minus probè miſtam obtinet. Etenim ſi libeat experiri, inprimis ferrum deprehenditur igni conſumi, propter nimiam, quam habet, terræ impuræ copiam. Mox plumbum, & ſtannum, quòd iis non ſatis firmum ſit cum terra temperamentum, quam ob cauſam poſtquàm humorem exhauſerit ignis, terram conſumit. Deinde æs, quod cùm terræ purioris, ac etiam paucioris particeps ſit, quàm ferrum, etſi ea non ſatis exquiſitè miſta ſit cum aqua, diutius igni reſiſtit. Poſtremò argentum, quod quia puriore terra conſtat, ac melius aquæ commiſta, non niſi longiori tempore flammæ cedit. Verùm plumbum, ac ſtannum non ob id igne tam facilè vincuntur, quòd multum impuræ terræ contineant, ſed ſolùm ob miſturæ vitium, quoniam in his imperfectior inuenitur. Sed ad lapides noſtra reuertatur oratio, de quorum quoq́ luciditate, ſiue perſpicuitate, ac nitore, vel horum oppoſitis obſcuritate, ac ſqualore iam aliquid nobis diſſerendum eſt. Ex prædictis itaque omnibus clarum eſſe arbitror, lapides aquam magis, ac terram participare, quàm cætera elementa. Sed quoniam non terra, ſed aqua cernitur eſſe perſpicua, ac pellucida, ideo ab ea tantùm perſpicuitatem, luciditatemq́ in iis aduenisse conſtat. Vnde ex ſuccis claris, & perlucidis conſtare lapides, qui translucent affirmamus, quemadmodum ex terra eos, qui qualitatis perſpicuitati oppoſita reperiuntur: hi enim ex claris ſuccis gigni nequeunt, ſed ex impuris, ac turbidis vel luto, vel nigrore infectis. Quod verò alii lapides magis, alii minus pelluceant, non aliunde fieri certum eſt, quàm è ſuccorũ diuerſitate, cũ ſcilicet alii aliis clariores, ac lucidiores exiſtunt. Ex quo ſequitur, quòd albæ gemmæ gignantur ex ſucco, cui aquæ color inſit, atq́ adeò cæteris clariores, ac illuſtriores appareant, vt cryſtallus, & iris gemma ſic ex argumento vocata: nam ſub tecto percuſſa ſole, ob angulos quos habet, colores ex opaco reddit: ſpeciesq́ arcus cœleſtis in proximos (vt Plinii verbis vtar) eiaculatur parietes. At adamas ex ſucco minus claro progignitur, ideoq́ tam iride, quàm cryſtallo obſcurior eſt. Non diſsimili varietate notantur aliorum colorum gemmæ translucentes, ſiue ortæ fuerint è ſuccis viridibus, vt ſmaragdi, ac praſii: ſiue è cœruleis, vt ſapphyri, cyanei, & iaſpidum quoddam genus: ſiue è rubris, vt car-

Lapis zaffara.

Metallorum differentiæ plures.

Admonitio contra Cacabos æreos.

Metallum vnum altero citius cur cõburatur.

Lapidum diuerſa diſcrimina.

Cur lapides alii pelluci-diores.

bunculi: ſiue è purpureis, vt amethyſti, & hyacinthi: ſiue ex aureis, vt chryſolithi, & chryſopatij: ſiue ex mixtis coloris ſucu, vt opali. Hinc igitur colligi facilè poteſt, quòd cætera gemmarum genera, quæ perſpicuitate carent, è ſuccis concreſcunt impuris, atris, & obſcuris: quando nec aqua quidem limpidiſſima, cui ater ſuccus infuſus ſit, clara ac pura perſpici poſſit.

Gemmæ cur niteant.

Nitent tamen gemmæ non tranſlucentes propter inſignem læuorem, qui lucis continuitatem & denſitatem parit. Quem quidem læuorem, aut ſibi natura comparant, aut artificum mangonio conſequuntur: iiſdem de cauſis marmora quoque radiant. Porrò lapides & gemmæ pellucentes nonnunquam coloris labem, aut vitium aliquod contrahunt: ſæpe enim aut vmbra, aut nubeculis, aut capillamentis, aut ſale, aut plumbagine vitiantur. Quæ ſanè omnia non alia ex cauſa proueniunt, quàm ex coloris ſucci diuerſitate. Gignitur quidem vmbra, cùm ſucci color aliqua parte obſcurior fuerit: nubecula verò ob partem albidioris coloris. At capillamentum, quo præſertim ſapphirus inficitur: ſal, quo opalus: plumbago, quo ſmaragdus, ex alieno prorſus colore fiunt, non autem proprio gemmarum. Quinetiam ſcabri gemmæ ſcabritiem induunt, cùm ob ſucci diuerſitatem partes inæqualiter coaleſcunt. His ergo rationibus nixus, nemo nòn audebit dicere atque aſſerere, lapides omnes, ac ſaxa, quæ neque nitent, neque pellucent, ex craſſiſſimo ſucco, & terrena materia fieri.

Lapides cur leues aut graues.

Differunt præterea lapides ſpiſſitudine & raritate, leuitate & grauitate: itaque ponderoſis, ac compactis lapidibus pauci & admodum occulti ſunt meatus: raris verò, ac leuibus contrà multi, & patentes. Quapropter dicendum eſſe reor, quòd rari, ac leues efficiantur lapides vbi eorum humor cum terra non probè fuerit mixtus, is ſiquidem à calore ſiccatus, locum in quo conſederat, vacuum relinquit, vt in tophis & ſimilibus conſpicitur. Idem quoque euenit, cùm ſpontè flagrant montes, vt Aetna in Sicilia, & Veſuuius in Campania Plinii tempore, ac etiam hac noſtra ætate: nam cùm in magnis incendijs terra crematur, eadem ratione ex ipſa fiunt meatuũ pleni, cauernoſi, & leuiſſimi pumices. Contrarium planè fieri conſtat, ſi humor vndique in terram penetret, & illi optimè miſceatur: is enim hoc modo lapides graues, compactos, ac duros generat.

Lapides cur duri vel molles.

Quod autem lapides duri, vel molles ſiant, partim materia in cauſa eſt, partim verò ibi, quod materiam fingit, & format. Nam ſi fuerit materia tenax, & calor tantus, vt ex ipſa humorem exhaurire queat, vehementer conſtringitur, & in ſe cogitur, fitq́; ex ea lapis denſus, & durus. Si lentoris parum admodum, aut nihil habuerit, & calor fuerit multus, aquam etiamſi probè terræ permiſta ſit, abſumit, & reſoluit, terram verò calore rit: quo fit, vt lapis adeò mollis fiat, & friabilis, vt facilè in puluerem redigatur. Obdureſcunt ad hæc lapides frigore, quod ſuccum validiſſimè cogat & conſtringat. Atque ij lapides, qui ex huiuſmodi ſuccis coactis concreuerint, in fornaces ardentes coniecti liqueſcunt fluuntq́;, ob concluſos humores. Qui verò igni admoti franguntur, & diſſiliunt, non quidem tantum humoris in ſe continent, quantum priores, vt eo terrenæ partes cohiberi poſſint.

Lapides cur ardeant.

Quos autem ex his genuit calor, ignis terit in puluerem, propter terrenam ſiccitatem. Cæterùm qui ex ſuccis pinguibus, & bituminoſis coaluere, accenſi non ſecus ac ligna ardent. Cuius generis eſt gagates lapis, quo Cimbri, & alij plerique Germaniæ inferioris populi paſſim lignorum vice, quorum inopiam habent, ad ignem vtuntur. Verùm enimuero non ob id tanta eſt igni vis, vt adamantem vincat: quandoquidem huius humor ignis calore fortior exiſtit. Eandem etiam ob cauſam amiantus non modò non comburitur igni, ſed ne quidem diſſoluitur. Vterque enim etſi ſiccus, cùm tangitur, eſſe ſentiatur, tamen humorem immiſtum obtinet, non aliter atq; metalla.

Lapides erodentes.

Porrò lapides, qui corpora erodunt, vt in Lycia inuenti, vel abſumunt, vt Aſſius, in quo corpora defunctorum condita abſumi tradunt, vnde illi ſarcophagi nomen, ex materia admodum acri gignuntur, vt in fodinis quibuſdam cadmia quædam inuenitur, quæ foſſoribus ipſis manus erodit & exulcerat.

Lapides cur prægnantes.

Poſtremò nonnulli lapides ſunt, qui veluti prægnantes lapillum, vel argillam, vel liquorem in vtero gerunt. Cuius rei cauſa eſt, & materiæ diuerſitas, & quòd eadem magna ex parte figuram globoſam referat, aut quàm proximè accedat. Materiæ enim pars interior ab exteriore differens, aut calore cocta mox diuiditur, aut aliquo pòſt temporis ſpatio ſeparatur, non ſecus ac areſactæ nucis auellanæ nucleus à putamine. Quòd ſi fuerit ſuccus, vel lutum tenax, ipſa etiam pars interior in lapidem cogitur, vt in Aetite viſitur: ſi verò lutum non tenax, vertitur in terram plerunque argillaceam, vt cernere licet in Gæode: ſin ſuccus tenuis, vel aqua, liquor interdum remanet, vt in Enhydro, in quo ad motum fluctuat intus, velut in ouis liquor, vt inquit Plinius.

Conchylia in lapidibus.

Cæterùm cochleas in ſaxis repertas, calor concluſus, ex materia pingui, & lenta efficere videtur, & ex eadem gignere muſculos, & conchylia: ſed terra quantò eſt craſſior, quam mare, tantò ea magis imperfecta gignit. Nec mirum cuipiam eſſe debet, quòd eiuſmodi conchilia in lapidum medio orta, ibi diutius concluſa, ipſis ubi ſunt lapide, creſcant, & viuant. Siquidem ego certò teſtari poſſum, me vidiſſe non longè à Timauo fonte prope Duini caſtrum in Adriatici litore ſitum, vbi maris alluit vnda, lapides à ſocijs malleis ferreis frangi, atque in illis plurima reperiri conchylia, quæ Dactylos à forma, & colore vocant: ſunt enim palmarum caryoti ſimilia. Hæc eadem me aliquando comediſſe memini in Caſtro Goritiæ in opiparis menſis illuſtris ac clari comitis Franciſci à Turri, noſtrorum ſtudiorum (quæ eius eſt ſingularis humanitas) fautoris, promotoriſq; maximi: quæ ſanè non minorem quàm oſtrea, in cibis gratiam habere comperi. In ipſo quoque Duini caſtro iiſdem veſci mihi contigit apud magnificum Matthiam Hofferum, virum ſanè nobilitate & moribus inſignem.

Piſces lapidibus inſculpti.

Neque me fugit, his nuper elapſis annis virum magnificum atque præclarum Didacum Mendozium Hiſpanum, lapideas quaſdam tabellas mihi oſtendiſſe ex Veronenſi agro (vt aſſerebat) delatas, quæ in longum ſciſſæ varios intus piſces veluti inſculptos habebant, cum omnibus ſuis particulis quamuis minimis, in lapidem verſos: tantaq; admirabilia ſunt opera naturæ.

Piſces foſſiles.

Huc præterea illud accedat, quòd piſces foſsiles reperiuntur vltra pyrenæos montes, vt narrat Polybius libro 24. ſuarum hiſtoriarum. Vſque ad Narbonem amnem, inquit, planities eſt, per quam fluunt ſeruntur Illiberis & Rhoſcinus, fluentes propter vrbes eiuſdem nominis, quæ habitantur à Celtis. In hac igitur planitie ſunt piſces foſſiles dicti: in ea enim eſt terra tenuis, vbi multum naſcitur gramen, ſub quod altitudine duorum vel trium cubitorum per arenam aqua fluminum delata fluit: & ſi quando inundauerint, cum aqua piſces terram ſubeuntes (nam mirificè appetunt graminis radices) planitiem efficiunt refertam piſcibus ſubterraneis, quos incolæ effodiunt: hæc Polybius. Quibus adde, quòd etiam piſces foſſiles inueniuntur circa Heracleam, atq; in alijs pleriſque Ponti locis, vt Theophraſtus eſt auctor: quin & in Germania vltra Albim fluuium quibuſdam in locis hac ætate effodiuntur.

Terrarũ breuis enarratio.

Verùm quandoquidem Dioſcorides in hoc quinto libro ſcripſit tractauitque etiamnum de varijs terrarum generibus, quæ in medicum vſum veniunt, non alienum fore iudico, quod de his quoq; vniuerſim aliquid diſſeramus.

Terra ſimplex quæ.

Terram itaq; aut ſimplicem, aut compoſitam eſſe oportet. Simplicem nunc eam intelligo, quæ cum nulla re foſſili, neque cum aliquo liquido ſucco fuerit permiſta: non autem eam, quæ à cæteris elementis ſit penitus munda: quippe ob continuam elementorum miſtionem vix vllam reperiri poſſe putauerim, quæ nonnihil aquæ, aeris, vel ignis non complectatur. Quamobrem eam ſimplicem dixerim, quæ nullam prorſus aluminis, aut ſalis, aut nitri, aut chalcanthi, aut bituminis, aut cuiuſuis alterius rei metallicæ miſtionem admiſerit.

Terra compoſita.

Contrà compoſitam appellauerim, quæ vnum, vel plura ex his in ſe receperit. Simplex autem terra, de qua nunc ſermonem habemus, modo grauis, modo leuis conſtat, pro maiori, aut minori elementorum miſtione, quæ illis inest.

Quæ

*Quis enim dubitet, quin ea ſit leuior, ac rarior, quæ plus aëris, aut ignis participat, quàm aqua? Ad hæc terra ipſa per ſe eſt exiccans: ſed varias ſortitur facultates pro varia eorum, quæ ei admiſcentur, qualitate. Nam illa, in qua ſit aqua, frigida, & humectans: quæ ignem acceperit, acris eſt: quæ aërem, glutinoſa, & leuis: quæ aërem & ignem, leuis & acris. Illa verò, quæ ſibi ſulphur adiunxit, aut alumen, aut chalcanthum, aut metallum aliquod vel foſſilem ſuccum, facilè quidem guſtu, ac etiam olfactu cognoſci poteſt. Nec de his plura dicenda ſunt, quòd mihi planè perſuadeam huiuſmodi qualitatum naturas non cognitu faciles futuras, guſtu duntaxat iudice, qui tamen dulcia ab amaris, acria ab acidis, ſalſa ab inſipidis, acerba à maturis diſcernere ſciat.*

Terræ medicinales vnde denominentur.

*Terræ autem, quarum in medicina eſt vſus, ſua mutuantur nomina partim à locis, vbi effodiuntur, & aſportantur: partim à coloribus, quibus inficiuntur: partim à facultatibus proprijs. A locis enim denominantur Lemnia, quòd ex Lemno inſula deferatur. Samia, quòd ex Samo: Chia, quòd ex Chio: Cimolia, quòd ex Cimolo: Eretria, quòd ex Eretria EubϾæ ciuitate: & Pnigitis, quòd ex Pnigite Libyæ pago. A colore appellationem trahunt Rubrica & alia nonnullæ. A facultate denique nomen accepit Ampelitis, quòd eius ſit vſus ad illinendas vites ſub germinationis tempus aduerſus erucarum iniurias.*

Foſſilium colores varij.

*Et vt aliorum quoque foſſilium colores percurramus, colore albo conſtant, creta qua ſarcinatores vtuntur, gypſum, alumen, amiantus, Arabicus lapis, Iudaicus, melitites, galactites, alabaſtrites, cryſtallus, argentum, argentum viuum, ſtannum & ſynceriſsimum marmor. Colore cinereo produntur Melia terra, & Eretria altera. Cæruleo verò colore ſpectantur ſapphyrus, cyanus, & lapis propriè cæruleus dictus. Virent ſmaragdus, praſsites, boracolli, & chalcanthum. Flauo luteoue colore ſunt aurum, ochra, chryſopatius, chryſolitus, & auripigmentum. Rubeo tinguntur rubini, granati, ſandaracha, corallium hæmatites, ſciſsilis lapis, minium, cinnabaris, rubrica, & Lemnia terra. Quædam colore purpureo fulgent, vt hyacinthus, & amethyſtus. Alia cæruleo diluto viſuntur quemadmodum iaſpis, quem boream dicunt. Nonnulla cæruleo vireſcente, vt ærugo, & Armenius lapis. Alia albo ruſeſcente, vt aphrodiſiace. Quædam ruſo candicante, vt xanthos. Quædam nigro ruſeſcente, vt tertia batrachitis ſpecies. Aliqua atro purpuraſcente, vt alabandicus lapis. Alia aureo candicante, vt topatius. Sed plura ſeparatos colores habent, vt nigro, albo, & quouis verſicolore, vt achates. Apſicton verò nigram rubentes venæ diſtinguunt. Contrà naſomonites, cùm ſit ſanguinis colore, nigris venis decoratur. Venæ autem, quæ ſpeciem præ ſe ferunt ſanguinis intextæ, quodammodo ſunt heliotropijs, corpore porracei coloris. At in cæruleo ſapphyro aurea puncta collucent. Quinetiam quædam ſunt, quæ tres ſeparatos habent colores: nam per album ægyptellæ corpus duæ venæ permeant, altera nigra, altera rubra. Porrò eupetalos, & orca quatuor habent colores: eupetalos enim cæruleum, igneum, minij, mali: orca verò nigrum, fuluum, viridem, candidum. Verſicolores poſtremò nonnullæ habentur, non aliter ac collum gallinæ Numidicæ vel pauonis, aut columbæ in ſole apricantis, vt eriſtalis, & pederotum genera: ea enim ad inclinationem colores permutant. Cæterum ſciendum eſt, quòd ex foſſilibus, quæ in medendi vſum recipiuntur, alia quidem corpora ſanant, alia verò eadem affligunt, in cibis vel potionibus data.*

Foſſilium facultates.

*At quæ remedia corpori ſunt, medentur ei partim proprietate totius ſubſtantiæ, partim qualitate aliqua, qua profligantur morbi. Quæ autem proprietate valent, earum quædam reſiſtunt venenis, quædam morbos ſanant. Quibus natura dedit vires ſuperandi venena, eorum alia corpora, quæ peſtilentia ſunt affecta, curant, vt ſmaragdus, ſigillum Lemnium, gleba Armenia. Alia ſingulari veneno medentur, ſicuti ſcorpionum ictibus ſapphyrus potus, ſulphur plagæ illitum: fungis ſtrangulantibus, nitrum potum, ac pariter atramentum ſutorium. Alia pluribus aduerſantur venenis, vt ſal, morſibus viperæ, ceraſtis, ac crocodili, his enim emplaſtri modo imponitur: ſed potum opio, & fungis præſidio eſt. Quibus verò foſſilibus comparatum eſt, vt morbos proprietate fugent, eorum quædam ſanguinis profluuium ſiſtunt, vt hieracites: alia os ventriculi geſtatu & appoſitu roborant, velut iaſpis: alia ſiniſtro mulieris brachio adalligata abortum prohibent, vt aetites: alia item ad femora prægnantis adalligata partum accelerant, vt idem aetites, & iaſpis. Sunt quæ craſſa è corporibus deijciunt, vt magnes: alia atram bilem, vt Armenius, & cæruleus lapis: nonnulla vomitum faciunt, vt idem Armenius lapis, chryſocolla, & chalcanthum. Sed inter ea, quæ elementaribus qualitatibus agunt, calefaciunt alumen, chalcanthum, chalcitis, miſy, ſory, melanteria: refrigerant, terra Eretria, molybdoides, ſtibium, argenti ſpuma, ceruſſa. Quæ autem ſecundis qualitatibus operantur, quædam molliunt quæ dura ſunt, vt gagates: quædam contra indurant quæ mollia ſunt, vt lapis plumbarius, & ſtimmi. Sunt & quæ inſenſibiles ferè poros aperiant, & quæ claudant: aperit enim nitrum, ſpuma nitri: claudit terra Samia, & in ſumma omnis terra glutinoſa. Alia quæ corpori coierunt, nempe glandulas, & nodos diſcutiunt, vt pyrites, molaris, bitumen. Aliqua cicatricem inducunt, vt chalcitis miſy, alumen, ſciſſum. Nonnulla carnem excreſcentem minuunt, vt aſsij lapidis flos, ærugo, chalcanthum, chalcitis, miſy, calx viua, auripigmentum, ſandaracha, chryſocolla. Non deſunt etiam, quæ diuerſis viribus prædita ſint, vt cimolia, & ſal: cimolia enim reprimit, & diſcutit: ſal abſtergit, & adſtringit. Sunt denique quæ vires eaſdem habeant, ita vt deficiente vna, altera eius locum ſuppleat. Siquidem chryſocolla, & lapis Armenius eundem effectum præbent: auripigmentum, & ſandaracha: hæmatites, & ſchiſtos: atque hæc quinque chalcanthum, miſy, chalcitis, ſory, melanteria inter ſe viribus conſentiunt. Veruntamen ex his chryſocolla vim efficaciorem obtinet, quàm lapis Armenius: auripigmentum, quàm ſandaracha: hæmatites, quàm ſchiſtos: chalcanthum, quàm reliqua ſibi cognata.*

Foſſilia mortem inferentia.

*Cæterum non pauca reperiuntur foſsilia medicamenta (vt fuſius libro ſexto dicetur) quæ in cibo, aut potu frequentius, aut copioſius ſumpta, vel maximè ſumentes affligunt, vel ijs mortem inferunt. Idq; efficiunt, vel quòd viſcera erodant, veluti ſandaracha & auripigmentum: vel quòd ſpirandi organa occludant, vt gypſum & ceruſſa. Sed hæc de foſsilium facultatibus. Nam de concretis ſuccis, cuiuſmodi eſt ſal, nitrum, alumen, chalcanthum, & cætera, quæ cum eo cognationem habent, ſulphur, ſandaracha, auripigmentum, chryſocolla, & alia nonnulla, in huius libri proceſſu ſuis locis latius tractabimus.*

## Ἄμπελος οἰνοφόρος. VITIS VINIFERA. CAP. I.

FOlia vitium, & triti capreoli, capitis dolores illitu mitigant & inflammationem ſtomachi, ardoremq; cum polenta. Folia etiam per ſe, ut quæ refrigerent, & adſtringant, imponi ſolent. Potus eorum ſuccus dyſentericis, ſanguinem excreantibus, ſtomachicis, & grauidarum malaciæ medetur. Eadem efficiunt madefacti in aqua capreoli, & poti. Lacryma vitium, quæ veluti gummi in caudicibus concreſcit, ex vino pota calculos pellit: illita lichenas, & pſoras, lepraſque, nitro prius perfrictas, ſanat: eadem cum oleo ſæpius pilis illitis, pſilothri effectum habet: maximeque ſanies, quam accenſa ſarmenta vitium viridia exudarunt: qua & perunctæ verrucarum informicationes extrahuntur. Cinis ſarmentorum, & vinaceorum, detractis in ſede condylomatis, & thymis, illitus ex aceto medetur: prodeſt luxatis, & vipe-

VITIS VINIFERA.



rarum morſibus: contra lienis inflammationem illinitur cum roſaceo, & ruta, & aceto.

## Ἄμπελος ἀγρία. LABRVSCA. CAP. II.

LAbruſca duorum generum eſt. Alterius vua nō matureſcit, ſed floretenus œnanthen nominatam perducit. Altera ad frugem peruenit, paruis acinis, nigra, & adſtrigens. Folia, caules, & claicula, quibus repunt, vim habent cultæ viti ſimilem.

## Σταφυλὴ. VVA. CAP. III.

VVæ recentes aluum turbant, & ſtomachum inflant: innocentiores, quæ decerptæ diu pependere, ideo quòd in eis copia humoris exiccatur, vileſq; fiunt ſtomacho, ægriſque, atq; cibi auiditatem excitant. In a uinaceis, & ollis ſeruatæ, ori & ſtomacho gratæ ſunt, aluum ſiſtunt, ſed veſicam, & caput tentant: & ſanguinem excreantibus conueniunt. Similesque, quæ in muſto fuere. Sapa, aut paſſo conditæ, ſtomachum magis infeſtant. At quæ ſolem prius paſſæ, in aqua cœleſti conduntur, minus vinoſæ ſunt, ſiticuloſis, ardentibus, & longis febribus ſalubres. Reconditi vinacei inflammatis mammis, rigentibus, ac præduris, cum ſale illinuntur. Decoctura eorum dyſentericos, cœliacos, & fœminas fluxione vuluæ laborantes iuuat infuſa: ad deſeſsiones, ac fotus aſſumitur. Nuclei acinorum adſtringendi vim obtinent: ſtomacho utiles ſunt. Inſpargitur farina toſtorum, polentæ modo, dyſentericis, & cœliacis, & ſolutis ſtomacho.

**Vitis viniferæ, vuæq; conſid.**

*VItium omnium genera, quæ non modò gratiſsimas, dulciſsimasq; vuas ad cibos proferunt, verùm etiam ex his vinum præcipuum humanæ vitæ bonum, ſuauiſsimumq; potum largiuntur, quot & qualia ſint, hic ſcribere ſuperuacaneum eſſe puto. Quandoquidem earundem dulcedine humanum genus allectum, adeò eas ſibi conciliauit, familiareſq; reddidit, vt nullus tàm clarus quàm obſcurus, tàm nobilis quàm ignobilis, tam denique vrbanus quàm ruſticus inueniatur, qui de vitium generibus, earumq; hiſtoria non poßit aptè, atque etiam diſtinctè loqui.*

**Vites quo pacto ab erucis vindicentur.**

*Vt autem & vites ipſæ, & vinum a quorundam vermiculorum erodentium vindicentur iniuria, illud omnino ſilentio inuoluendum non duximus: quod ſi cum à ſarmentis repurgantur, ac putantur, falx hirci ſanguine oblinatur, vel ea ipſa prius cotem experta, caſtorei corio deſpicetur, nuper emißæ gemmæ (ſi tanta rei agrariæ authoribus fides adhibenda eſt) ab erucis minimè erodi poſſunt: neque etiam emiſſa iam folia, ab alijs quibuſdam vermiculis conuolui.*

**Braſſica apud vites non ſerenda.**

*Præterea non ignorandum eſt, quòd magna admodum iniuria vitibus infertur, atque vuis maximum detrimentum, ſi braßica ſeratur inter vites: ſiquidem perniciale vni cum altera odium intercedit. Quòd cum animaduerterint rei medicæ ſcriptores, præcipuum ebrietatis antidotum in braßica collocarunt. Ea enim ſi cruda præſumatur (vt apud plerasq; nationes in cœnæ initio capitatam braßicam minutim reſciſſam, lactucæ & intubi loco in acetarijs recipi obſeruauimus) ebrietatem futuram mirum in modum arcet, quemadmodum etiam poſt ſumpta crapulam diſcutit. Quo fit, vt Germaniæ populi vino admodum addicti, ſemper ſuis menſis braßicam interponant, vel recentem, vel muria aſſeruatam.*

**Vites perpetua fronde virentes.**

*Ad Elephantinem (vt Theophraſtus eſt author) itemque circa Memphin, vites perpetua fronde virent: tametſi annuas tantùm proferant vuas. In Italia verò vites habentur, Plinio teſte, appellatæ, quæ ter in anno florent, ſed primas tantùm maturant vuas. Vuas ſine vinaceis quidā prouenire affirmant, ſi propaginum ima pars, quæ terra in ſcrobe obrui debet, ante plantationem adeò ſecetur in longum, vt medulla vtrinque eximatur, ac deinde coniunctis partibus, & vlmeo cortice circumuolutis, propagines ipſæ ſuis ſcrobibus implantentur.*

**Vuarum facul. ex Gal.**

*Sed vt iam vuis ſuas reddamus facultates, Vuæ (vt Galenus libro ſecundo de alimentorum facultatibus memoriæ prodidit) quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumque praui ſucci habent, præſertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ. Porrò quòd ipſæ nutriant, maximo argumento ſunt ij, qui vinearum fructum cuſtodiunt: quippe qui tunc temporis vuarum eſu admodum pingueſcant. Cæterum non omnes vno quidem modo nutriunt, quoniam quæ dulces exiſtunt, cæteris ſuccum habent calidiorem: ob id ſunt ſiticuloſæ, ac ventriculum inflant, & aluum ſubducunt. Contrarium efficiunt auſteræ: ſiquidem, & ventrem cohibent, parum nutriunt, ægreq; concoquuntur. Acerbæ autem vitari prorſus debent, vtpote quæ ventriculo aduerſentur. Vuæ eò laudabiliores, quò carnoſiores fuerint, præſertim cùm probè maturæ à vite decerpuntur. At penſiles, ſi prius maturæ ſint, & dulces, cæteris minus ventriculum inflant, & aluum conuenienter emolliunt: hactenus Galenus. Vua recens præ cæmatura præſtat auxilio magno ad ambuſta, ſi manibus preſſa adeo vt vinum reddat, ambuſtis partibus illinatur. Namque non ſolum dolorem illico ſedat, ſed veſicas fieri prohibet.*

**Nomina.**

*Vitis, quæ Græcis ἄμπελος οἰνοφόρος, Latinis Vitis viniſera appellatur: Arabibus, Harin, ſeu Karm: Italis Vite viniſera: Germanis* Weinreb*: Gallis, Vigne. Quæ verò ἄμπελος ἀγρία Græcis, Labruſca Latinè dicitur: Italice Lambruſca: Germanice* Wildweinreb*: Gallicè Vigne ſauuage. At Vua Latinis dicitur, σταφυλὴ Græcis vocatur: Arabibus Haineb: Germanis* Weinber*: Gallis Roiſin.*

Σταφὶς. **VVA PASSA.** **CAP. IIII.**

VVa paſſa alba adſtringentior eſt. Prodeſt eſitata caro earum tuſſi, faucibus, renibus, ac veſicæ. Eſitur in dyſenteria per ſe cum nucleis: & decocta in patinis cum melle, admiſta milii, ac hordei farina. & ouo, valet ad purgandum caput: eiuſdem gratia cum pipere commanducatur. Teſtium inflammationes ſedat, illita cum lomento fabarum, & cumini farina. Fauos, epinyctidas, carbunculos, enatas in articulis putredines & gangrænas, ſine nucleis trita, & cum ruta impoſita ſanat: podagræ conuenienter cum panacis ſucco illinitur: mobiles vngues illita, celerius extrahit.

## * VVA PASSA. *



*VVas paſſas, quarum vbique vulgaris & frequens eſt vſus, omnibus notiſſimas eſſe arbitror. Veruntamen non eſt, meo quidem iudicio, credendum, quòd cùm de Vuis paſſis mentionem faciant Galenus & veteres alij, paruulas illas tantùm intelligant, quæ hoc tempore ex quibuſdam Aegæi inſulis ac Peloponneſo Venetias conuehuntur, & in quibuſdam etiam Italiæ locis inſolantur: ſiquidem Galenus nulla magnitudinis, vel paruitatis habita ratione, omnes in vniuerſum vuas ſolis calore ſiccatas, paſſas appellat. Id quod ipſe Galenus libro ſecundo de alimentorum facultatibus ijs verbis declarat. Porrò quemadmodum paſſarum differentia, quæ à colore ſumitur, nihil ad paſſarum facultatem confert, ita nec magnitudo: ſola autem qualitatis, quæ guſtu ineſt, differentia poteſt omnia. Ex his nimirum Galeni verbis ſatis colligi poteſt, ipſum omnis generis vuas, quæ ſoli feruore flacceſcunt, nullo prorſus diſcrimine paſſas appellaſſe, nempe Damaſcenas cæteris grandiores (zibibum officinæ vocant) ac pariter his congeneres, quæ è Smyrnis (vt aiunt) Cypro, & Creta comportantur. Præterea loco citato idem Galenus ita ſcribit: Nonnulli autem, & rectè ſanè, è dulcibus, grandibuſq́ue, quales ſunt ſcybelitides, priuſquàm mandant, ſemina eximunt, quæ & ipſæ inueteratæ, cutim duram, craſſamq́ue habent, eaſq́ue prius in aqua coguntur macerare: nam & ſemen ipſum facilius ſic eximitur. Aliæ quædam ſunt his contrariæ, ſolidæ & craſſæ, quæ nullum prorſus ſemen habent. Creſcunt hæ in Cilicia, colore ſubflauo: In Pamphylia autem ſcybeliticæ, & colore nigræ: quæ, vt dixi, ſunt maximæ: hæc ille. Cæterùm ſciendum eſt, non omnes Vuas paſſas eiuſdem eſſe facultatis: alia namque facultas ineſt dulcibus, alia auſteris, alia vinaceos habentibus, alia non habentibus. Quæ itaque vinaceis carent, vel quòd ita natura producantur, vel quòd ij arte fuerint exempti, ſi dulces ſint, adſtringente facultate vſque adeò priuantur, vt etiam mirificè leniant: quamobrem pectoris anguſtiæ, tuſſi, exaſperatis faucibus, & renum veſicæq́ue vitijs maximè conueniunt. Id quod planè confirmat Galenus libro ſeptimo, & octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, vbi vuas paſſas ſine vinaceis leniendo pectori, ac iecinoroſis plurimum commendat. Contra verò facultate omnino adſtringente cenſentur, quæ cum ſuis vinaceis manduntur. Quod cùm non ignoraret Dioſcorides, Vuam paſſam cum nucleis in dyſenteria edendam eſſe tradidit. Hinc itaque fit, vt maximo in errore verſari exiſtimem Medicos alioqui ætatis noſtræ celebres, qui alui deijciendæ gratia, Vuam paſſam paruam vulgarem, quæ ex locis ſuprà dictis in Italiam defertur, ſimul cum vinaceis deuorandam exhibent: quippe cùm aluum fluidam facere in animo ſit, eam potius cohibent, quàm leniant: idq́ue potiſſimum, vbi vuæ paſſæ temporis tractu ſucci partem amiſerint. Quare perfectà in hanc ſententiam deducor, vt ad aluum emolliendam aptiores cenſeam Damaſcenas, Cyprias, ac Creticas (quibus tamen prius nuclei exempti ſint, vel eæ ſumantur, quæ ſine nucleis naſcuntur) quàm quæ minutæ paſſim in officinis inueniuntur: quandoquidem hæ ſucci longè minus, quàm corticis, & vinaceorum continent, niſi ſint omnino recentes & diligenter aſſeruatæ. Quapropter ſi hoc tenui vuarum paſſarum genere, vti quandoq́ue cogimur ad emolliendam aluũ, eas eligi præſtat, quæ ſine vinaceis proueniunt: vel ſi hæ deſint, ſuppleant illæ, quæ à nucleis fuerint expurgatæ: tametſi Damaſcenis & Creticis longè bonitate cedant: de quibus ſanè intellexiſſe Galenum, eaſq́ue ad pectoris vitia laudaſſe planè ſuſpicamur. In quorum genere hac etiam tempeſtate ſunt, quæ ſemine carent, quemadmodum quæ Galeni ætate ex Cilicia conuehebantur. Illud porrò animaduertendum eſt, quod vbi quis aluum bonam facere contendit, non debet paſſis vtique guſtui acerbitatem, vel auſteritatem relinquunt: ſunt enim tales frigidæ, ac terreſtres, quibus itaque facultatibus cohibent, adſtringunt, & roborant, præſertim ſi cum vinaceis nucleis comedantur. Vnde ſcitè Galenus libro ſecundo de alimentorum facultatibus, hæc prodidit: Vuæ paſſæ cum alijs vuis eandem habent rationem, quam caricæ cum ficubus. Multæ enim ſunt dulces, acerbæ autem omnino paucæ: plurimæ verò ex dulci & auſtera qualitate ſunt miſtæ: quanquam dulces nonnihil quoque auſteræ qualitatis habent, & auſteræ dulcedinis. Cæterùm vt dulces temperamento ſunt calidiore, ita auſteræ frigidiore. Ad hoc auſteræ ſtomachum roborant, & ventrem conſtipant, & his multò magis acerbæ: mediam autem quodammodo inter ipſas conſtitutionem dulces obtinent, vt quæ nec ſtomachum diſſoluant, nec aluum ſubducant. Dulcibus tamen, vt vis quædam ſemper ineſt contemperandi, ita & mediocriter detergendi: quibus duabus facultatibus exiguas mordicationes, quæ os ventriculi infeſtant, obtundunt. Et libro 8. cap. 7. de compoſitione pharmacorum ſecundum locos, idem Galenus ſic inquit: Vua paſſa contemptibilis videri poſſit, ob familiarem eius vſum. At verò hoc ipſum eam facit vtiliorem: nam cum familiaris nobis ſit, in tantum adſtringens eſt, quantum opus habet viſcus affectum. Habet autem & vim concoctoriam crudorum humorum, & vim coercendi maligna, ſitq́ue ipſa haud facilè putredini obnoxia: & vltra hæc ſecundum totam ſub-*

Vuæ paſſæ conſideratio.

Zibibum off.

Vuæ paſſæ in facultatibus differentiæ.

Medicorum error.

Vuæ paſſæ vires ex Gal.

*ſcantiam, vi, teri ipſi, hoc eſt iecinori, familiaris eſt, & propria. Item libro de attenuante victus ratione ſic habet: Vuæ paſſæ, ſi non ſint adſtringentes, lieni quidem, & epati tumentibus non conducunt, thoracis tamen, & pulmonis affectibus conducunt. De vuis autem paſsis vt cibus ſunt, locutus eſt ipſe Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus, his verbis. Alimentum ex paſsis vuis, tali qualitate in corpus diſtribuitur, qualis ipſarum natura fuerit, dulce ex dulcibus, auſterum ex auſteris, miſtum ex ijs, quæ vtriuſq; qualitatis ſunt participes. Quantitate verò copioſius ex pinguibus, ac dulcibus, quam ex auſteris & macris. Quod ſi paſſarum pinguiũ, dulcium, a quibus ſemina fuerint exempta, parem molem cum pari carnium mole contuleris, paſſas valentius nutrire deprehendes. Huiuſmodi ſane, vt minus quam caricæ ſubducant, abſtergantq;, magis tamen quàm illæ ſtomachum iuuant.* Nomina. *Hæc vua, quæ Græcis σαφὶς, Vua paſſa Latinis pariter ac Italis vocatur: Arabibus Zibib: Germanis* Weinbeerlen / Mertreubel vnd Roſin: *Hiſpanis paſſas: Gallis Roiſins en capte.*

## Οἰνάνθη. OENANTHE. CAP. V.

OEnanthe vocatur vitis ſylueſtris fructus, cùm floret. Recondi debet fictili non picato, collectaque ſubſtrato linteo, in vmbra ſiccatur. Laudatiſsima in Syria, & Cilicia, & Phœnice. Vis ei adſtrictoria, quare pota ſtomacho, ac ciundæ vrinæ vtilis: aluum ſiſtit, ac ſanguinis excreationes. Contra faſtidia, & acorem ſtomachi, ſicca & illita efficax eſt, capitis doloribus tam viridis, quàm ſicca ex aceto, & roſaceo perfunditur, ſanguinolenta vulnera cataplaſmate, & incipientes ægilopas, oris vlcera, & genitalium nomas trita cum melle, croco, myrrha, & roſaceo ab inflammatione vindicat. Peſsis miſcetur ad ſiſtendum ſanguinem: contra oculorum delacrymationem, & ſtomachi ardores cum polline polentæ, & vino illinitur. Cinis crematæ in teſta candentibus prunis, facit ad oculorum medicamenta: reduuias, & pterygia, abſcedentes gingiuas, cruentasq; cum melle ſanat.

Oenanthes conſideratio. *OEnanthen non illius labruſcæ modò florem eſſe, quæ vuas ad maturitatem non perducit, verùm etiam alterius, quæ fructum perficit, aſſerere non dubitamus. Nam etſi ſuperius ſcripſit Dioſcorides, labruſcam duorum generum eſſe, alterius vuam non matureſcere, ſed floretenus Oenanthen nominatã perducere: nihil tamen propterea prohibet, quin alterius quoque labruſcæ florentis vua Oenanthe pariter dici queat, cùm non aliud veteribus ſignificet Oenanthe, quam vitis flos. Quod in præſenti capite ipſe Dioſcorides manifeſte declarat: quippe qui tradat Oenanthen vocari vitis ſylueſtris fructum, cùm floret, nullius facta generis diſtinctione. Quin & idem in ſequentibus confirmat, vbi vini oenanthini meminit, è feracis ſylueſtris vitis floribus fieri ſcribens. Ex his itaque abundè conſtare arbitror, non tantùm infructiferæ, ſed etiam fructiferæ labruſcæ florem Oenanthen vocari poſſe. Adde quod id quoque apertè teſtatur Gal. lib. 8. cap. 1. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, his verbis: At verò quemadmodum omphacium, ſic etiam abſinthij ſuccum admiſceo, quandoque etiam ambo, & tertium inſuper hypociſtidis, & quartum oenanthes: ſic autem appello vitium ſylueſtrium germen vna cum floribus ex quo ſuccedentibus diebus vua fit. Plinius lib. 12. cap. 28. Oenanthen vuam, non florem eſſe cenſet, ſic inquiens: Eodem & Oenanthe pertinet: eſt autem Vitis labruſcæ vua: colligitur cum flore, cùm optimè olet: hæc Plinius: in cuius vltimis verbis ſuſpicor mendum ſubeſſe, & fortè rectius legendum eſſe, cùm floret, non cum flore. Non enim video, quomodo quis vnquam vuam cum flore colligere poſsit.* Marcelli Vergilii lapſus. *Cæterùm ne aliquis fortaſſe deciperetur, hic non ducimus ſilento diſsimulandum eſſe lapſum Marcelli Vergilij, alioqui doctiſsimi interpretis, & commentatoris Dioſcoridis: is autem ex eius verbis, quæ nunc ſubijciam, magis innoteſcet. Monemus, inquit, ſcribere in 6. ſua medicinæ Paulum Aeginetam purimum quidem ex labruſca Oenanthes vſum eſſe, quoniam egregie adſtringit, ſtomachumq; & aluum maximè firmat. Veruntamen traditis his, idem ſtatim ſubijcit: Dioſcorides autem aliam deſcribit Oenanthen contrarias huic vires habentem, ideoq; ſecundis, ſtillicidio veſicæ, & fellis ſuffuſionibus eam mederi ait. Quorum nihil eo capite hoc legitur, neque in ſcriptore hoc alibi legiſſe me memini, & nihilominus non negligenda Aeginetæ authoritas & teſtimonium eſt, quem cedere oportet vera, & quæ aliquando legiſſet, teſtari: hæc Marcellus. In quibus ſanè vel euidentiſsimè deprehenditur hallucinatus, vel potius eorum oblitus, quæ de Oenanthe herba viribus huic contrarijs prodita memoriæ prodidit Dioſcorides libro tertio. Neque ſolum huius, quam tamen Latinam fecerat, non meminiſſe videtur, ſed neque eorum quoq;, quæ ibidem in ſua commentatione doctè ſatis ſcripſit. Sed aliquando etiam bonus (vt aiunt) dormitat Homerus. Illud poſtremo addiderim, quòd etiam domeſticæ vitis flos Oenanthe dicitur. Verùm quia ſylueſtris vitis vi multò magis adſtrictoria pollet, is per excellentiam Oenanthe appellatur.* Nomina. *Dicitur igitur Græcis οἰνάνθη: Latinis Oenanthe, & Labruſcæ flos: Italis Enanthe: Germanis* Wildreben: *Gallis Grappe de vigne ſauuage.*

## Ὀμφάκιον. OMPHACIVM. CAP. VI.

OMphacium ſuccus eſt acerbæ vuæ nondum matureſcentis, è Thaſia vite, aut Aminæa. Oportet autem ante Canis ortum, expreſſam melliginem in rubro ære, linteo cooperto, inſolare, vſque dum cogatur: ſemperquè quod ceruici vaſis concretum hæſit, reliquo humori permiſcere: noctu verò à ſubdialibus locis in tectum referri, quandoquidem nocturni rores ipſum concreſcere non ſinunt. Eligendum eſt flauum, friabile, vehementer adſtringens, & linguam mordens. Sunt qui coquendo melliginem cogant. Prodeſt contra tonſillas, vuam, vlcera oris, humida gingiuarum vitia, purulentas aures cum melle, aut paſſo: item ad fiſtulas, vetera vlcera, nomasq; ex aceto: dyſentericis & mulieribus fluxione vuluæ laborantibus clyſtere infunditur: oculorum claritati, & ſcabritiæ, & eroſionibus angulorum conuenit. Bibitur ad recentem ſanguinis excreationem, etiam ſi rupta parte aliqua contingat: ſed pauco, & aquatiore eſt vtendum, valde ſiquidem exurit.

Omphacii conſideratio. *OMphacium ex omni immaturarum vuarum genere parat Italia, cum Thaſijs, & Aminæis careat vuis, è quibus veteres ſuum Omphacium conficiebant, ad medicinæ duntaxat vſum, id in ſole cogentes, vbi videlicet adſtrictione opus erat. Quæ tamen parandi ratio hoc tempore ferè prorſus exoleuit. Sunt qui vt maiorem omphacio adſtrictionem comparent, è ſylueſtrium vitium vuis illud exprimant, non ad medicamenta tantùm, ſed etiã ad ciborum condimenta. Verum*

ompha-

*omphacium noſtrum ſole non cogitur, etſi pluribus diebus ipſum inſolari dimittamus ſuis cum vinaccis in cado, craſſo linteam ... donec excrementa ſubleuentur, fæx vero ſubſidat & inclareſcat ſuccus. Siquidem hac parandi ratione ... per annum incorruptum aſſeruatur tam ad ciborum, quam ad medicamentorum vſum. Omphacium (vt Galenus memoriæ prodidit lib. 4. ſimplicium medicamentorum) calidis morbis omnibus magno iuuamento adhiberi poteſt: quod cum id omnino acidum ſit, perfecte etiam refrigerat, vniceq; ardorib. prodeſt, ſiue ori ventris impoſitum, ſiue totis hypochondriis, ſiue cuilibet alij, quod refrigerare velimus. Atqui, etſi ſcribat Galenus Omphacium acidum eſſe, non tamen ... modo in altum penetrare poteſt, quòd Omphacium calorem (vt ipſe inquit) non habeat, vt acetum, ac proinde neq; ... Quare Ioannis Fernelij Medici clariſsimi ſententiam probare non poſſum. Siquidem is libro quinto methodi medendi, poſtquam omphacium frigidum ordine ſecundo, ſiccum verò primo conſtituit, iecoris obſtructiones expedire, & ... regium morbum fœdosq; colores abſtergere ſcribit: quin & dum hæc præſtat, leni ſimul adſtrictione ventriculum, iecurq; corroborare. Quibus (quantum video) cum Galenus, tum ratio ipſa refragatur. Siquidem quòd Omphacium primo tantum ordine ſiccet, falſum ſane eſſe conuincitur Galeni ipſius teſtimonio, quippe qui lib. 5. cap. vltimo de ſimp. med. ſanè omphacium tertio ordine exiccare, ac vehementer adſtringere ſcribit: Id quod iterum repetijt libro quarto, cap. 1. de compoſitione medic. ſecundum locos: & libro & cap. 5. de medendi methodo. Quòd verò omphacium iecoris obſtructiones aperiat, nulla prorſus eſt ratio, quæ conſentiat. Nam cum ſcribat Galenus libr. 4. cap. 5. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, omnia adſtringentia contrahere ac denſare, quinetiam vincire, ac continere partium ſibi inuicem cohærentium ſubſtantiam, atq; minus magisq; hoc pro adſtrictionis vehementia, palam fit Fernelij ſententiam haud eſſe probandam, & præſertim eo argumento, quo ipſe niti videtur, quòd ſcilicet omphacium auriginem & fœdos colores abſtergat. Siquidem tametſi omphacium cuti affrictum, auriginem maculasq; cutis abſtergat, non tamen ob id ſequitur, vt potum iecoris obſtructiones aperiat, & præſertim cum ſtringendo & denſando, quæ adſtringentia ſunt, ſumma corporis, in altiora intrare ac permeare prohibeatur eorum virtus. Ob quam cauſam (inquit Galenus) pulchrè nonnulli medicorum ... tenuium partium, & acri poteſtate prædita videre cogitarunt, a quibus veluti ductæ adſtringentium vires, in profundum corporis procederent. Itaq; cum omphacium craſſarum admodum ſit partium, nec quicquam caloris cum natiui, tum acquiſititij ... quo in iecur vehi poſſit, atq; occluſos permeare meatus, non video quo pacto Fernelij opinioni acquieſcere queam. Poſtremo quod leni adſtrictione ventriculum iecurq; corroboret, non ſatis Fernelij authoritate mihi conſtat, cum omphacium Galeno (vt præmiſimus) vehementer, non leuiter adſtringens habeatur. Id Græci ὀμφάκιον dicunt, quod Latini item Omphacium: Itali Agreſto: Germani Agreſt: Hiſpani Agraz. Galli Veriuſt.*

Omphacii vires ex Gal.

Io. Fernelius reprehẽditur.

Nomina.

## Οἶνος — VINI NATVRA. CAP. VII

VIno vetere nerui læduntur, & reliqui ſenſus, quod tamen guſtu ſuauius eſt: quare cauendum ijs, qui
[a inteſtinæ] alicuius partis imbecillitatem ſentiunt: attamen in ſecunda valetudne paucum aqua
dilutum, innoxie ſumitur. Nouum inflat, ægrè coquitur, inſomnia parit grauia, & vrnam ciet. Ætate
medium vtraque vitia fugit: quare ad victus ſanorum, ægrorumq; vſurpatur. Album, tenue, ſtomacho
vtile eſt, ac facile in membra diſtribuitur. Nigrum verò craſſum eſt, & concoctu difficile, carnem alit, &
ebrietatem creat. Giluum, vtpote quod medium eſt, medias inter vtrunq; vires habet. In ſecunda tamen
& ſiniſtra valetudine, cumprimis laudatur album. Quin & vina ſapore diſtant: ſiquidem dulce craſſis
partibus conſtat, & difficilius a corpore expirat: ſtomachum inflat, aluum & interanea vt muſtum turbat,
ſed minus inebriat: renibus & veſicæ aptiſſimum. Auſterum per vrinam celerius tanſit: ſed capita
dolore tentat, & temulentiam gignit. Acerbum ad ciborum per membra digeſtionen accommodatiſſimum:
aluum, & cæteras fluxiones cohibet, minuſq; vrinam expellit. Nouum neruos minus tentat.
Vinum aqua marina factum ſtomacho aduerſatur, ſitim ſtimulat, neruos infeſtat, aluo aptum, à valetudine
ſe recolligentibus inutile. Paſſum, quod vuis ſole ſiccatis in area, aut in ſarmentis torrefactis exprimitur,
Creticum cognomine, aut Pramnion, aut Protropon: & ſapa, quæ fit muſto igni decocto, Græcis
ſirion, aut hepſema appellant: nigra quidem, & quæ dicuntur Melampſithia, craſſa ſunt, & corpora
multum alunt: candidum tenuius: & heluola inter hæc media, medias ſortiuntur vires. Omnia tamen
adſtringunt, & pulſus reuocant: faciunt aduerſus venena, quæ exulcerando necant, ex oleo pota, & vo-
mitionibus reddita: contra cicutas, meconium, pharicum, toxica, & concretum in grumos lac: item
contra renum & veſicæ pruritus, roſiones exulcerationeſque, inflat tamen, & ſtomacho aduerſatur.
Priuatim, prodeſt melampſithium, ſi venter rheumatiſmum ſentiat. Album magis cæteris emollit al-
uum. Gypſo conditum neruis officit, caput aggrauat & incendit, ac veſicæ aduerſatur: contra venena
cæteris aptius. Picata aut reſinata excalfaciunt, concoquunt: ſanguinem excreantibus inimica. Quæ
verò aparachyta vocant, vt quæ admiſtam ſapam recipiunt, caput implent, temulentiam gignunt, ægri-
us in halitum expirant, ſtomachum malè habent. Inter Italica vina Falernum principem locum obtinet:
quod inueteratum perquam facilè coquitur, pulſus exuſcitat, aluum adſtringit, ſtomacho vtile: ſed ve-
ſicæ nocet, atque ijs qui viſus hebetudinem ſentiunt, & ad potus crebros minimè idoneum. Albana craſ-
ſioribus conſtant partibus: dulcia ſtomachum inflant, ventrem emolliunt, ſed concoctionem non æquè
adiuuant, & neruoſa minus infeſtant, vetuſtate eadem auſterum ſaporem concipiunt. Cecubum, cum
ſit dulce, eſt & Albano craſſius: corpus & colorem alit: ægrè tamen coquitur. Surrentinum valde auſte-
rum eſt, quare inteſtinorum & ſtomachi fluxiones cohibet, & cum tenue ſit, caput minus tentat: inue-
teratum ſuauius redditur, & ſtomacho vtile. Adrianum & Mamertinum in Sicilia æquè craſſis partibus
gignuntur: modicè adſtringunt, & ocyſſimè inueterantur, minuſque ob ſuam tenuitatem neruos ten-
tant. Paraetydianum, quod ex Adriatico ſinu defertur, odoratum ac tenuius eſt: quare liberaliter e-
potum fallit, diu ſeruat ebrietatem, & ſoporem adfert. Iſtricum Paraetypiano ſimile eſt, ſed vrinam
vehementius pellit. Chium tamen antedictis mollius, & aptum potui eſt, benè alit, & minus inebriat,
fluxiones cohibet, oculorum medicamentis vtile. Lesbium facilè membra ſubit, Chio leuius, & aluo
idoneum. Epheſium eandem vim habet, quod Phygelites nominatur. Verùm Aſianum è Tmolo mon-
te, Meſogites appellatum, capitis dolores ciet, & neruos lædit. Coum verò, & Clazomenium, quoniam
multam ſibi maris aquã vendicant, facilè corrumpuntur: flatus mouent, aluum turbant, neruis officiunt.

a Meum. Cõcluſa non legit.

Vinum omne (vt reliqua in commune dicantur) merum ac ſyncerum, & ſua natura auſterum, excalfacit, facilè in membra diſtribuitur, ſtomachum adiuuat, appetentiam ciborum inuitat: vires alit, ac robur adauget: ſomnum conciliat, & commendat colorem. Potum liberalius auxilio eſt contra aſſumptam cicutam, coriandrum, pharicum, ixiam, meconium, argenti ſpumam, taxum, aconita, fungoſve: contra ſerpentium morſus, & omnium ictus, quæ refrigerando necant, aut ſtomachum in vomitiones effundunt. Facit ad longas inflationes, roſioneſq; præcordiorum, ac diſtentiones, ſtomachi reſolutionem, & ſi venter, ac interanea rheumatiſmum ſentiant. Conueniunt ſudatoribus, & quibus corpus immodico ſudore diffluit, maximè alba, vetera & odorata. Quæ tamen vetuſtate dulceſcunt, renibus ac veſicæ accommodatiora redduntur: vulneribus, inflammationibuſq; in ſuccida lana imponuntur: tetra vlcera, & phagedænica, & fluxionibus obnoxia commodè perfunduntur. Quæ marinam non receperunt, auſtera & alba, ad ſanorum victus vſurpantur. In his præſtant Italica, Falernum, Surrentinum, Cecubum, Signinum, & permulta Campaniæ, & Paraetypianum ab Adriatico ſinu & Siculum, quod Mamertinum appellant. Ex Græcis Chium, Lesbium & Phygelites ex Epheſo. Craſſa verò, & nigra ſtomacho negotium exhibent, inflationem pariunt, corpus augent. Tenuia tamen & auſtera ſtomacho proſunt, & minus carnes alunt. Vetera valde tenuia & candida vehementius vrinam ciunt, & dolores capitis mouent, neruoſque largius pota tentant. In media ætate, vt à ſeptimo anno, potui ſaluberrima ſunt. Modus autem pro ætate, & tempore anni, & conſuetudine & qualitate vini definiatur. Non ſitire, & modicè cibos proluí, optimum eſt præceptum. Nocet ebrietas omnis & maximè aſſidua: ſiquidem obſeſſos neruos quotidie remittit: largiorq; potus acutorum morborum adfert initia. Mediocris tamen vinolentia aliquot diebus, maximè poſt aquæ potus, vtilis: namq; modo quodam ex alto euocat, ſenſileſq; expurgat excretus, & per cæca corporis ducit ſpiracula. Sed aquam poſt vinolentiam bibere oportet: ſiquidem valetudinis alicuius gratia factæ temulentiæ remedium adfert frigida.

Vini facultates variæ pro modo vſus.

*CVm profectò vinum ſit liquor omnium ſuauiſſimus, præcipuum humanæ vitæ bonum ac præſtantiſſimum ſubſidium, vitalium ſpirituum regenerator maximus, ac omnium corporis tum facultatum, tum functionum inſtaurator optimus, cor lætificet tueaturq́; ſummopere, nulli mirum eſſe debet, quòd plantam, quæ fructum fert, ex quo vinum exprimitur, Vitem, quaſi vitam, appellauerint veteres. Verùm non ob id gaudeant iubilentq́; ij, qui vino nimis indulgent, quòd ipſum tot laudibus extulerim: quippe cum omne extremū (vt in communi prouerbio eſt) ſit vitioſum. Si vinū immoderatè, & plus quā deceat, bibatur, periculoſos atq; horrendos (vt mox dicetur) procreat morbos. Aliàs ſi in eius vſu temperantia adhibeatur, tum ad alendum, tum etiam ad roborandum corpus omnium efficaciſſimum habetur, quandoquidem puriſſimum generat ſanguinem, ocyſſimè in alimentum vertitur, concoctionem in quauis corporis parte adiuuat, animum addit, cerebrum purgat, intellectum excitat, cor exhilarat, ſpiritus viuificat, vrinam ciet, flatus diſcutit, innatum calorem auget, conualeſcentes impinguat, cibi appetentiam inuitat, ſanguinem turbidum clarificat, obſtructiones aperit, alimentum in vniuerſum corpus defert, colorem conciliat, & omne in corpore excrementoſum deijcit. Sed ſi modus abſit, & ſine ratione, ac temperamento ſumatur ingurgiteturve (quod facere ſolent ebrioſi) ex accidenti totum refrigerat corpus: nec enim ſecus nimio eius potu (vt Galenus inquit) innatus corporis calor ſuffocatur, atq; paruus ignis magna lignorum ſtrue extinguitur. Prætera cerebro, ſpinali medullæ, ac neruis inde exorientib. obeſt: hinc fit, vt principe hac parte affecta temporis tractu maximi, & pernicioſi concitentur morbi, nempe apoplexia, epilepſia, paralyſis, tremor, ſtupor, ephialtes, catalepſis, conuulſio, vertigo, articulorum contractio, lethargus, phrenitis, deſtillatio, ſurditas, cæcitas, & oris labiorumq́; diſtentio. Quinetiam vinum intemperatè hauſtum, bonos corrumpit mores: nam quòd homines contentioſi, loquaces, & ꝗ ſreneſq́; fiant, quòd furiant, menteq́; moueantur, quòd denique aleæ, libidini ac rei venereæ ſemper ferè indulgeant, ac nonnunquam homicidia committant, nulli verius adſcribendum eſt, quàm vino immodicè ſumpto. Adde quòd memoriam diſſipat, ſenſus omnes perturbat, aſſiduos morbos parit, & repentinas mortes adfert: ne ſingula perſequar, quæ recenſere longum eſſet, & audire moleſtum ijs, qui nimium vino dediti ſunt.*

Vinum cui ætati conueniat.

*Cæterùm Vinum magis ſenectuti, quàm reliquis ætatibus conuenit: id ſiquidem frigidam ſenum temperiem, talem annorum multitudine redditam, temperat ac mutat. Verùm pueris, ac adoleſcentibus ad vigeſimum annum vſq; minimè concedi debet, ſi Galeni ſententiæ ſubſcribendum eſſe putamus, qui libro ſecundo de tuenda ſanitate, nil aliud aſſerit vinum eſſe pueris, & adoleſcentibus exhibitum, quàm ignem igni additum.*

Vinum glacie vel niue refrigeratum malum.

*Cauendum quoq; eſt, ne in ardoribus æſtatis vinum niue, aut glacie, aut gelidiſſima aqua perfrigeratum hauriatur: quòd cerebro, neruis, pectori, pulmoni, ventriculo, inteſtinis, ſpleni, iecinori, renibus, veſicæ, vtero, dentibusq́; maximè noceat: Quare admirari non licet, ſi tempore vinum arte frigefactum bibentes coli, & ventriculi cruciatibus afficit, item conuulſionibus, reſolutionibus, apoplexia, ſpirandi difficultate, vrinæ ſuppreſſione, calculo, viſcerum obſtructione, aqua intercute, ac pluribus alijs grauibus & pernicialibus morbis. Proinde ſcitiſſimè Galenus libro de cibis boni & mali ſucci, hæc prodidit. Qui non exercentur ſumma æſtate, cum vehementi calore vrgentur, fontis aquam bibant, niuisq; & vini refrigerati vſum vitent. Hæc enim quamuis protinus nullam iuuenum corporibus ſenſibilem læſionem inferant, ſenſim tamen, occulteq́; creſcente vitio, cum iam ætas progreſſu temporis inclinauerit, articulos neruosq; & viſcera ijs morbis vexat, qui vel difficulter admodum, vel omnino tolli non poſſunt.*

Vini optimi notæ.

*Ad hæc in tuenda ſanitate diligenter procurandum eſt, vt vinum, quod in potu alimenti gratia quotidie ſumitur, ſit mundum, purum, clarum, odoratum, & ſapore iucundum: namq; corruptum, turbidum, impurum, odore graui, & guſtu ingrato, non modò toti corpori noxam infert, ſed etiam ſanguinem corrumpit.*

Generoſiſſima vina in Goritienſi agro.

*Quapropter feliciſſimè ſuam tuentur ſanitatem, qui regiones incolunt, in quibus optima vina proueniunt: quemadmodum in Goritienſi comitatu, vbi ſanè generoſiſſima vina naſcuntur, nimirum Pucinum illud antiquis adeò celebratum, necnon Vipacum illi bonitate proximum. Hæc quidem parcè modeſteque pota, ad tuendam ſanitatem mirificè conferunt. Id quod ipſe experientia in me facta comperi, atque etiam omnibus ingenuè teſtari poſſum: nam cum multis ante annis diuturnus ventriculi dolor malè me habuiſſet, quem totius corporis imbecillitas conſecuta erat, ex Pucini & Vipaci tantùm vſu, me priſtinam meam ſanitatem, & integrum robur adeptum eſſe certò ſcio.*

Vinum Pucinum.

*Ob id ergo mirandum non eſt, ſi Plinius magnis laudibus prædicauit Pucinum libr. 14. cap. 6. vbi ita ſcriptum reliquit: Liuia Auguſta octuaginta duos annos vitæ Pucino retulit acceptos, non alio vſa. Gignitur in ſinu Adriatici maris, non procul à Timauo fonte, ſaxeo colle, maritimo afflatu paucas coquente amphoras: nec aliud aptius medicamentis iudicatur. Hoc eſſe crediderim, quod Græci celebrantes miris laudibus pyctanum appellauerunt ex Adriatico ſinu: ho Plinius. Cuius certè teſtimonio planè ſubſcribunt ruſtici Iapidiæ incolæ: quippe cum ij vinis Pucino cognatis in quotidiano po-*

*bonis vinis vtuntur, rariſsime ægrotant, & longæuam admodum vitam traducunt: adeò vt plurimi reperiantur, qui nonageſimum & centeſimum annum attingunt. Eſt autem vinum hoc tenue, clarum, lucidum, colore aureum, odoratum, guſtu gratiſsimum. Potum valenter excalfacit, niſi dilutum fuerit, facileq; in vniuerſum permeat corpus. Quamobrem (vt libro tertio ſimplicium medicamentorum ſcribit Galenus) tale natura vinum, non modò perfrigeratorum omnium, ſed eorum etiam qui aut ex oris ventriculi, aut cordis dolore animi deliquium patiuntur, præſentaneū fuerit remedium. Ex quo facilè colligi poteſt, feliciſsimos eſſe eos, qui in regionibus, quæ vina optima ferunt, oriuntur, ſi tamen modeſtè (vt decet) eis vtantur. Cæterùm quæ vina in vniuerſum quotidiano vſui magis conueniant, hic longiori ſermone commemorare, ſuperuacaneum duximus, cum hoc à Dioſcoride latius ſit proditum, atque etiam de omnium vinorum viribus abundè ſcriptum, quàm vt plura à nobis referri debeant. Fit è vino aqua per alembicum (vt vocant) quam ob eius admirandas vires, Aquam vitæ appellauere ſapientes. Nam ſi ex vino optimo à perito opifice parata ſit, meritò hoc nomine appellari debet. Quemadmodum enim, quæ in eo macerantur ab omni corruptione præſeruat, ita ſumentium quoque vitam, profligata omni putredine, cuſtodit, fouet, reparat, tuetur, auget & producit, cum non ſolùm natiuum calorem foueat, & in ſuo vigore conſeruet, ſed vitales quoq; ſpiritus regeneret & viuificet, ventriculum calefaciat, cerebrum & intellectum acuat, ingenium clarificet, & memoriam reparet, & præſertim ſi ab his ſumatur, qui frigidiuſculo ſunt temperamento, quique cruditatibus ventriculi, flatibus, & alijs quibuſcunque frigidis affectibus obnoxij ſunt. Quare, his, qui ventriculi dolore & flatu, aut cruditate torquentur, vertiginoſis, comitialibus, reſolutis, melancholicis, veternoſis, hypochondriacis, & cordis pulſu, aut tremore, & animi deliquio laborantibus, ſummum eſt auxilium, ſi quotidie ſumatur cochlearij communis menſura. Atqui longe præſtantius Antidotum euadit, vbi hoc modo paretur, quo ego mihi parare ſoleo. Sumito cinnamomi vnciam, zingiberis drach. quatuor, ſantalorum omnium ſingulorum drach. ſex, caryophyllorum, galangæ, nucis myriſticæ, ſing. drach. duas & ſemis, macis, cubebarum, ſing. drachmam. Cardamomi vtriuſq;, ſem. melanthij, ſing. drach. tres, zedoariæ ſemunciam, ſem. aniſi, fœniculi dulcis, paſtinacæ ſylueſtris, ocimi, rad. angelicæ, caryophyllatæ, glycyrrhizæ, calami odorati, minoris phu, foliorum ſclareæ, thymi, calaminthæ, pulegij, menthæ, ſerpylli, amaraci, [illegible] rosarum rubearum, florum ſaluiæ, betonicæ, roriſmarini, ſtœchadis, bugloſsi, borraginis ſing. ſeſquidrachmam: corticum citri drach. tres: pulueris diambræ, aromatici roſati, Diamuſci dulcis, Diamargariti, Diarhodonis abbatis, electuarij de gemmis ſing. drach. tres. Terantur, quæ terenda ſunt, & deinde in vitreo vaſe macerentur, ex libris duodecim aquæ vitæ præſtantiſsimæ, è ſelectiſsimo vino paratæ, occluſo ſuperinde vaſis oſculo, diebus quindecim continuis. Ac deinde vitreo alembico vaſi ſuperpoſito, per aquæ feruentis balneum à perito artifice diſtillentur, oſculis alembici adeo concluſis, vt nihil inde expirare poſsit. Aqua quæ inde fluxerit, in aliud ſubinde vas recondatur, additis ſantali odorati teſſellatim conciſi duabus drachmis, moſchi, ambari, in tenui linteolo colligati ſing. ſemiſcrupulo, & iulapij roſati clariſsimi libra. Demum concutiantur fortiter, quouſq; iulapium cum aqua miſceatur, claudaturq; deinde vas cera & membrana, & ita quieſcat diebus quindecim continuis: & vltimò in aliud transferatur vitrum, ibiq; aſſeruetur. Eſt itaq; hæc aqua Antidotum præſtantiſsimum, & præſentaneum auxilium ad omnia prædicta. Quippe non ſolum hauſta, ſed in faciem ex alterius ore proiecta, epilepticos, defectos animo, & fœminas vteri ſtrangulatu decidentes reuocat, loquelam amiſſam reſtituit, & iamiam moriundos tam diu ſuſtinet, vt quandoq; miraculi ſpeciem afferat. Additur etiam in clyſteribus colicorum vnciæ pondere præſentaneo auxilio, vbi à flatu aut frigiditate proueniat morbus: & præſertim additis theriacæ, aut mithridatij Antidoti binis drachmis: & vno verbo omnia ferè comprehendam, medicamentum eſt ſummum ad frigidos omnes affectus. Vinum ſic Latinè, οἶνος autem Græcè vocatur: Germanicè Wein: Italicè pariter & Hiſpanicè Vino.*

Aquæ vitæ & eius vires.

Aquæ ſiue Elixir vitæ Matthioli parandi ratio.

Vires mirabiles.

Nomina.

Οἶνος ὀμφακίτης.

## VINVM OMPHACITES. CAP. VIII.

OMphacites nomine, peculiariter fit in Leſbo ſiccata ſole acri vua, paulò ante maturitatem decerpta, triduo aut quatriduo, donec racemi in rugas contrahantur expreſſumq; vinum cadis inſolatur. Vim adſtringendi habet, prodeſt diſſolutis ſtomacho, & ilei dolore laborantibus: item prægnantium malaciæ & crudis: in peſtilentia quoque ſorptum auxiliari dicitur. Huiuſmodi vina non niſi poſt multos annos bibi poſſunt.

Δευτερεία.

## LORA. CAP. IX.

LOra, quam Deuteriam, alij Potimon appellant, fieri ſolet adiectis metretis tribus aquæ in vinacea, quibus triginta vini metretæ extractæ fuerint: calcatis vinaceis, expreſſoq; decocto ad tertias partes, & additis in ſingulos congios modi eius qui remanſit, binis ſalis ſextariis, poſt hyemem transfunditur in vaſa. Lora intra annum vtendum, etenim celeriter exoleſcit. Conuenit ægris, quibus timemus noxam vini, coacti ſæpe deſideriis eorum obtemperare: item à longa valetudine ſe recolligentibus. Fit & vinum quod Adynamon vocant, loræ vires habens, hoc modo. Pares aquæ, & muſti menſuræ coquuntur molli igne, donec abſumatur aqua: quòd, vbi refrixerit, elutriatum picato vaſe reconditur. Alij marinæ, & cœleſtis aquæ, mellis & muſti pares miſcent portiones, decapulant, & quadraginta diebus inſolant, quo ad annum vtuntur ad omnia eadem.

*LOra alia ratione Galeni ætate, quàm Dioſcoridis parabatur. Ille ſiquidem Loram faciendi modum lib. 2. de alimentorum facultatibus, iis verbis tradidit. Vinaceorum quoq; dilutum Græci τρύγα vocitant: quod rurſus ab Atticis δευτερεία, à noſtratibus στεμφυλίτης, id eſt, Lora appellatur. Coniectis namq; in parua dolia vinaceis, tantum aquæ ſuperaffundunt, quoad omnia permadeant. Quod vbi ſatis factum videtur, in dolij fundo foramen aperiunt, vt dilutum effluat, idq; pro vino bibunt. Perſpicuum autem eſt, quòd pro racemorum copia aquam affundunt, experientia docti: quò videlicet neq; aquoſa admodum, neq; meraca ſit Lora. Deinde rurſum aliam aquam, parciorem tamen priori, vinaceis affundunt, ſic vt hoc quoq; potioni ſit attemperatum: quod quidam Atticæ proprietatis curioſi proprie δευτερίαν dici volunt, non veluti prius illud. Vtraq; Lora capiti dolorem adfert, niſi dilutior bibatur, ſed prior magis caput ferit. Dos vna huic potioni conceſſa eſt, nempe quod ocyus per vrinam reddatur: ſed non parua ſubeſt diuerſitas ex varia vuarum ſpecie, è quibus vinacei ſunt relicti. Etenim ſi dulces fuerint, potus multò erit ſuauior, citiusq; per vrinas excernetur: ſin*

Loræ parandæ ratio ex Gal.

Loræ facultates.

vero

vero acerbæ & acidæ fuerint, inſuauior longè, ac minus ciens vrinas. Porrò dilutum hoc valentius vinoſiuſq; efficitur, cum vinaceus ad ver, aut æſtatem fuerit aſſeruatus. Hycmis autem tempore ſi quis vtatur, vt caput minus tentat, ita & per vrinas minus expellitur. Hæc de lora Galenus. Ἐαδεύτερία Græcis, Latinis Lora, & Italis Acquarello appellatur.

Οἶνος ἐκ τῆς ἀγρίας σταφυλῆς. VINVM E LABRVSCA. CAP. X.

VInum è ſyluestri vua nigrum, adſtringit: prodeſt alui & ſtomachi fluxionibus, & cæteris, quibus conſtrictione & contractione opus eſt.

Vinum ex Labruſcæ vuis. NOn deſunt in Hetruria, qui vinum è Labruſcæ vuis exprimant, colore admodum nigro, idq; giluo admiſcent, vt rubicundius reddatur. Vtuntur eo ruſtici in alterius vini penuria, ſiquidem conſtat dulce ſimul, & auſterum: verum tractu temporis dulcedinem facilè deperdit, fitq; tunc guſtui omnino inſuaue, adeò vt tantùm medicamenti vicem expleat, vbi adſtrictione ſit opus.

Οἶνος μελιτίτης. VINVM MELITITES. CAP. XI.

MElitites datur in longis febribus, quæ ſtomachum infirmarunt: namq; aluum leuiter emollit, vrinam ciet, ſtomachum expurgat: prodeſt articulario morbo, renum vitiis, imbecillo capiti, & mulieribus abſtemus: odoratum ſiquidem eſt, & corpus alit. Diſtat à mulſo, quod fit è vino vetere, auſtero & melle exiguo. Melitites autem adiecto ad quinq; congios auſteri muſti, mellis congio, & ſalis cyatho [illegible] Cortinis magnis, quò magis ad efferueſcendum locus pateat, fieri oportet, ſenſim aſperſo ſale, cumq; deferuere deſierit, in alia vaſa transfunditur.

Οἰνόμελι. MVLSVM. CAP. XII.

MVlſum è vetere vino auſteroq;, & bono melle factum, præfertur: minus enim inflat, acceleriter id genus in vſum venit. Vetus, corpus alit: media ætate, aluo prodeſt, vrinam pellit: à ſummo cibo ſumptum, nocet: & inter initia potum, implet: dein appetendi auiditatem reuocat. Fit mulſum duabus vini metretis, admiſta vna mellis. Aliqui, quò celerius præberi poſſit, mel cum vino coquunt, & ita [illegible] fundunt. Alii vtilitatis gratia, ad ſextarios ſex muſti feruentis vnum mellis adiiciunt: & vbi ferbuerit, vaſe recondunt: dulce autem permanet.

Μελίκρατον. AQVA MVLSA. CAP. XIII.

AQua mulſa eaſdem, quas mulſum vires poſſidet. Cruda vtimur cum moliri deiectionem, aut vomitionem incitare volumus: vt ijs, qui venena hauſerunt, ex oleo. Decocta datur imbecillis, & hominibus elangueſcentis pulſus, quos illi dixere microſphyctos, tuſſientibus, peripneumonicis, & ijs qui in modico ſudore digeruntur. Iam paratum, conditiuumq;, quod aliqui hydromeli propriè vocant, media ætate adynamo vino, aut loræ in recreandis viribus reſpondet, & ſimilem vim adipiſcitur, quare inflammationibus alicuius membri pluſquam lora prodeſt. Inueterati tamen vſus damnatur inflammatis, aut conſtrictis: ſed laboranti ſtomacho, aut cibum faſtidienti, ſudatoribuſve conuenit. Fit duabus pluuiæ aquæ veteris ad vnam mellis partem additis & inſolatis. Alii fontanam aquam adijciunt, & ad ternas partes decoquunt, & ita recondunt. Nec deſunt qui hydromeli appellent: quòd à melle elutis aqua [illegible] confici ac ſeruari ſoleat: ſed meracius confieri conuenit: aliqui id coquunt. Ægrotantibus noxium eſt, quoniam plurimum ceraginis ſibi vendicat.

Aquæ mulſæ faciendæ ratio varia. ALia ſanè Aquæ mulſæ ratio conficiendæ eſt apud Mauritanæ familiæ authores, ab hac quæ hic à Dioſcoride traditur. Inter Arabas namq; Meſues de ea ita ſcribit: Aqua mulſa, ex antiquorum ſententia, magnis vtiq; viribus prædita eſt. Sitim etenim arcet: frigidis affectibus, præſertim cerebri, & neruorum & articulorum, auxiliatur. Loco vini potata humida extuſſientibus prodeſt: quin & pus, & lentam, craſſamq; pituitam è pectore trahit. Inteſtina, viſcera, vrinarioſq; meatus purgat, terget ac lauat: quapropter ſubuenit coli doloribus, aluum ſubducit, & calculum gigni prohibet. Fit e libra laudatiſsimi mellis, non tamen veteris, colore pallido, odore iucundo, ſapore cum dulcedine modicè acri, cum aqua fontana libris octo, in vaſe lapideo, vel fictili vitreato, lento igni decocta deſpumataq;, & demum linteo percolata. Verum ſi aqua hæc paulò poſt bibenda erit, aquatior fiat, & ſtatim à ſublata ſpuma percoletur. Nam quæ longa coctione iulapij conſiſtentiam acquirit, diutius quidem ſeruari poteſt, ſed ægrius penetrat in remotas corporis partes, facileq; in bilem vertitur, ob ſuam exuperantem dulcedinem, vnde ſitim accendit, niſi plurima affuſa aqua diſſoluatur, adeò vt aqua ferè modo reddatur inſipida. Variant autem mulſæ facultates pro diuerſæ coctionis ratione, quippe quæ breui coquitur tempore, flatus in ventriculo parit, aluum magis mouet & minus nutrit: quæ verò longiori coquitur tempore, flatus diſcutit, magis nutrit, minuſq; aluum ſtimulat. Sunt qui mulſæ aromata etiam addant, nempe gingiber, crocum, cinnamomum, macim, & id genus alia. Alij galliam moſchatam officinis vocatam, & agallochum adijciunt. Fit præterea ex parte vna mellis, & aquæ

Aromata Mulſæ adduntur. fontanæ partibus octo, fermenti (alias fœni græci) in his diſſoluti vncijs tribus, & propriè ad centum mulſæ libras. Quæ deniq; omnia, muſti modo efferueſcenda in ligneum cadum conijciuntur, non tamen ad ſummum repletum, ne feruens reſiliat. Vbi vero deferbuerit obturato vaſe, aſſeruetur vini modo ad potandum, veruntamen non bibatur, niſi tertio menſe tranſacto. Huic mulſæ aromata quoq; admiſceri poſſunt linteolo incluſa, & adalligata in cadum demiſſa: hæc Meſues. Cæterum ultimam mulſæ parandæ rationem, Germani Medonem vocant, qui tamen fermentum addunt, non ex cerealium genere aliquo paratum, ſed ex vini muſti recremento, & lupi ſalictarij floribus, quibus etiam vtuntur ad zythum conficiendum, quod Ceruiſiam appellant. Medonis plurimum bibunt Poloni ac Lituani, quòd melle plurimo abundent. Quod Græcis μελίκρατον Latinis item Melicratum & Aqua mulſa vocatur: Italis Acqua melata.

Nomina.

† Ebi

*reprimit, & ſudorem ſuperfluum cohibet. Nocet tamen tam in potu, quàm balneo, ijs qui viſcerum infarctu laborant, & in febres facilè incidere poſſunt. Porrò aquæ, quibus chalcanthum, aut miſy, aut ſory, aut melanteria immiſcetur, omnia eadem facultate conſtent, aluminoſis ſanè perſimiles ſunt: veruntamen hæ valentius ſuum obeunt munus, eo quòd præter adſtrictoriam facultatem, ſuccum etiam admodum acrem obtineant, quamobrem ſerpentibus vlceribus, ac phagedænis opitulantur.*

Sulphuroſæ. *Sulphuroſæ excalfaciunt, ac efficaciter neruos emolliunt: proinde reſolutis, conuulſis, tremulis, ſtupidis contractiſq́; peridoneæ inueniuntur. Eædem compaginum tumores diſcutiunt, & dolores mitigant: nam vbi quis iam coxendicum dolore, aut podagra, vel chiragra vexetur, ſulphuroſæ aquæ balneo magnopere iuuatur. Præſtant præterea ad iecinoris, lienis ac vteri dolores, atq; tumores in ijs genitos mirificè reſoluunt: ventriculum tamen laxant [illegible].*

Bituminoſæ. *Bituminoſæ, etſi potæ internis quibuſdam morbis conueniant, & balneis adhibitæ aliquo temporis tractu neruos [illegible] ac excalfaciant, attamen caput replent, ſenſus hebetudine afficiunt, præſertimq; oculos. Quæ autem Armenij, aut cærulei lapidis, aut æruginis, aut chryſocollæ aliquid admiſtum habent, ſi bibantur, vomitiones concitant: ablutionibus verò phagedænica vlcera ſiſtunt. Quæ præterea auripigmentum, aut ſandaracham continent, pectus dilatant, aſthmaticis & ſuſpirioſis proſunt, & omnibus frigidis in vniuerſum morbis opem ferunt, quibus reſpirandi facultas impeditur.*

Aquæ Aereæ. Aquæ ferreæ. *Aereæ [illegible] genitalium membrorum vlcera ſanant: quin & faucium, & oculorum deſtillationibus auxiliantur. Quæ denique ferreæ ſunt, ventriculi, lieniſq́; vitijs, ſeminis profluuio, & menſtruis albis vtiliter adhibentur. Et vt rem hanc ſummatim complectamur, aqua omnis, cui quoduis foſſile medicamentum admiſceatur, eandem facultatem præbet, quam quod illi admiſcetur. Qua nimirum ratione ducor, vt ſuperuacuum putem, reliqua ſigillatim proſequi, vt taceam id nimis longum futurum.*

Nomina. *Aqua Latinis dicta, Græcè ὕδωρ appellatur: Italicè Aqua.*

## Ὕδωρ θαλάσσιον. AQVA MARINA. CAP. XV.

AQua maris calida eſt & acris: ſtomacho aduerſatur, aluum enim conturbat: pituitam expellit. Si verò calida ad fotus adhibeatur, elicit & diſcutit, neruorum vitiis, & pernionibus, ante vlcera prodeſt. Miſcetur cataplaſmatis ex hordeacea farina, & emplaſtris, & diſcutientibus malagmatis. Ad mouendas deiectiones tepefacta infunditur, & ad tormina, calida: pſoras, pruritus, impetigines, lendes & mammas rigentes, foueri vtile eſt: liuores fotu diſcutit: ad venenatos ictus, qui tremorem & refrigerationem adferunt, ſalutaris intelligitur: maximè ſcorpionum, phalangiorum aſpidumq; etiam, ſi quis in calidam deſcendat, auxiliatur: & malo habitu confectis iamdiu corporibus neruiſq;, balneæ ex ea vtiles: hydropicos, capitis dolores, aurium grauitates, feruentis vapor leuat. Syncera & ſine potabilis aquæ mistione reposita virus deponit. Sunt qui etiam præcoquant, & ita recondant. Datur ad purganda corpora per ſe, aut ex poſca, aut cum vino aut melle: verùm poſt deiectionem dant gallinæ, aut piſcium iuſcula, ad comandam morſus acrimoniam.

## Θαλασσόμελι. THALASSOMELI. CAP. XVI.

QVod Thalaſſomeli vocatur, vehementer purgare conſtat. Temperatur autem æquis portionibus maris, mellis, & imbris ex alto, defæcatis, & picato vaſe per Canis æſtus inſolatis. Alii ad binas marinæ coctæ ſingulas mellis adiiciunt, & vaſe condunt: huiuſmodi moderatius eſt aqua marina, & mitius.

## Ὄξος. ACETVM. CAP. XVII.

ACetum refrigerat & adſtringit. Stomacho vtile, appetentiam excitat: erumpentem vndecunque ſanguinem, potu inſeſſuve ſiſtit: prodeſt alui fluxionibus coctum cum cibis: cruentis vulneribus imponitur: inflammationes arcet, in ſuccidis lanis, aut ſpongia impoſitum: reprimit procidentia ſedis, vuluæque, item abſcedentes gingiuas, & ſanguine manantes. Ad nomas, & ignem ſacrum, vlcera quæ ſerpunt, lepras, impetigines, pterygia, cum aliquo conuenienti efficax eſt: phagedænas vlcerum, nomaſque fotu continuo cohibet: podagricis calido fotu, cum ſulphure auxiliatur: ſugillationes rapit, cum melle illitum. Contra capitis ardores cum roſaceo in ſuccidis velleribus, aut ſpongia imponitur. Ad aquam inter cutem, grauitatem aurium, & ſonitus ſibiloſque, feruentis vapor proficit, inſtillatum quoque aurium vermes necat. Panos coërcet tepidi fotus, aut ſi imbuta aceto ſpongia admoueatur: pruritus permulcet. Contra venenatos ſerpentium ictus, qui refrigerando nocent, calidum commodè fouetur: & frigidum ijs, quæ exurens virus eiaculantur. Calidum potum, atque vomitionibus redditum, aduerſus omnia venena efficax eſt, præſertim contra meconium, & hauſtam cicutam, conglobatum in ventre ſanguinem, lac coagulatum, fungos, ixiam taxumque, cum ſale: hauſtu voratas hirudines, ſi ſorbeatur, eijcit: tuſſim veterem mitigat, & recentem laceſſit. In orthopnæa calidum commodè ſorbetur: gutturis fluxiones gargarizatum inhibet: anginis, & vuæ procidenti conuenit: contra dentium dolorem, calidum colluitur.

Aceti miſtæ facultatis cõſideratio. *QVamuis Dioſcorides ſimpliciter pronunciauerit Acetum eſſe frigidum, quòd fortaſſe in eo magis frigiditas exuperet, quàm caliditas: tamen Galenus qualitatē medicamentorū omnium indagator maximus, ex contrarijs qualitatibus, calidis ſcilicet & frigidis, acetum conſtare docuit libro primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, nec eſſe homoeomeres ſimilareve, quemadmodum nec lac vniuerſum. Id quod ipſe Galenus libro 8. de eorundem facultatibus, apertiſſimè confirmauit his verbis: Acetum primo horum commentariorum miſtæ eſſe ſubſtantiæ, nempe frigidæ pariter & calidæ, eiuſq; vtriuſque tenuium partium demonſtratum eſt: cæterùm calidam frigida exuperat. Porrò magnam deſiccandi facultatem obtinet, adeò vt ſit tertij ordinis deſiccantium iam completi, vtique cum validum extiterit. Et libro primo de compoſitione pharmacorum ſecundum locos, idem ſic inquit: Atqui Acetum ex incidentium ordine exiſtens, vltra hoc quod diſcutit, præcipuum quiddam in ſe habet, quod reprimit, ac quod influit & repellit: vtpote quod ſubſtantia ſua parum calidum eſt, plurimum verò frigidum, & partium tenuium. Idem quoque libro 4. ſimplicium medicamentorum,*

*tertum ita ſcribit: At frigiditas, quæ ab aceto proficiſcitur, tantò eſt validior, quantò & tenuior. Ineſt verò illi & acrimonia quædam excalfaciens, quæ tamen ſatis non ſit ad ſuperandam ab aciditate prouenientem frigiditatem: verùm quæ tranſitus modo celeritatem promoueat: nam quantò calidum frigido facilius penetrat, tantò acris ſuccus aptior eſt, qui tenuiſſimum corporum meatus tranſeat, quàm acidus. Itaque ille, velut præcedens viam ſternit, hic verò haud ita tardè inſequitur: quo tempore ſenſus perficitur mixtus, & qui ægrè exponi queat, vtpote qui nec planè frigidum eſſe acetum denunciet, quippe cum in eo ignea quædam percipiatur acrimonia, nec planè calidum. Nam perpetuò, quæ ex præcedente fit acrimonia, calefactionem frigus ab inſequente aciditate occupans, obſcurat protinusq́; extinguit: quo fit, vt maior multo ex frigore percipiatur ſenſus, quàm ex calore. Hæc ad literam Galenus. Ex quibus abunde liquet, quod acetum etſi ex contrarijs qualitatibus conſtat, minus tamen frigiditatis, quàm caliditatis particeps eſt. Quod cum rectè animaduerterit Dioſcorides, acetum ſimpliciter (vt ſupra diximus) refrigerare pronunciauit. Veruntamen illud ignorandum non eſt, quod acetum nimirum eò calidius erit, quò vetuſtius & acrius extiterit. Siquidem ex Galeni ſententia, libr. 11. ſimplicium medicamentorum capite de adipe, item tertio de compoſitione pharmacorum ſecundum locos, vinum, mel, acetum, oleum, adeps, vetuſtate calidiora fiunt. Ex quo facile fieri poteſt, vt reperiatur acetum adeo vetuſtate acerrimum, vt plus habeat caliditatis quàm frigiditatis. Acetum quod Latini vocant, Græcis ὄξος dicitur: Arabibus Chal: Italis Aceto: Germanis Eſſig: Hiſpanis Vin agre: Gallis Vin aigre.*

## Ὀξύμελι. ACETVM MVLSVM. CAP. XVIII.

ACetum mulſum, quod Oxymel vocant, hoc modo temperatur. Aceti heminas quinq;, ſalis marini pondo, mellis minas decem, aquæ ſextarios quinq; pariter coquito, decies efferueſcente cortina: atque vbi refrixerit, diffundito. Sumptum craſſos humores extrahere, & iſchiadicis, comitialibus, & articulorum morbo conflictatis prodeſſe creditur. Contra morſum eius viperæ, quam ſepa vocant, hauſtum meconium, ixiamve auxilio eſt. Anginis vtiliter gargarizatur.

*TRiplicem Oxymelitis componendi rationem poſteritatis memoriæ tradidit Galenus lib. 4. de ſanitate tuenda: qui tamen id nulli commiſcent, vt eius verba loco dicto apertè teſtantur, quæ ita ſequuntur. Vni aceti parti, mellis, à quo detracta ſpuma ſit, duplum eſt miſcendum: deinde am o in leni igni coquenda, donec eorum qualitates in vnum coierint: ita enim nec acetum amplius crudum apparebit. Cum aqua verò ſtatim ita facies oxymeli. Melli quadruplum optimæ aquæ miſcebis: dein coques modico igni, quoad ſpumare deſinat. Ac malum quidem mel multam egerit ſpumam, quo etiam diutius coqui debebit. Optimum verò, vt breuiſſimo tempore coquitur, ita minimum ſpumæ euomit, vnde nec pari ei coctione eſt opus. Plurimum certè quartam partem eius, quod ab initio eſt inditum, amittit: poſt verò dimidio aceti adiecto, rurſus coquendum, donec qualitatum omnino ſit vnitas, nec acetum crudum etiam appareat. Conficitur ſanè oxymeli etiam tribus ſtatim ab initio miſtis, ad hunc modum. Aceti vni parti additur mellis duplum, & aquæ quadruplum: atq; hæc ad tertiam partem coquuntur, vel etiam quartam, ſpuma interim detracta. Quod ſi valentius id facere ſtudes, tantundem inijcies aceti, quantum mellis: hactenus Galenus. Quem ſecutus Meſues, ipſe quoq; de oxymelite ſic ſcripſit: Oxymeli fit ex aqua, aceto & melle. Aqua verò miſcetur, vt longa coctione reſoluatur id, quod in oxymelite flatus excitat, vt etiam promptius deſpumetur, vt deniq; medicamenti huius facultas, aquæ miſtione tenuior facta, facilius in corpus diſtribuatur. Mel verò additur, ad oppugnandam pituitam. Ex melle deniq; & aceto miſtis, facultas quædam tertia, quæ neutri eorum ineſt, tandem conſurgit, vt efficaciſſima ſit, atq; certiſſima ad attenuandum, incidendum, reſoluendumq; craſſa, lentaq; excrementa, quæ in ventriculo & iecore exiſtunt longo tempore genita: quin & ea, quæ ad articulorum compagines defluxerunt, & diuturnas procrearunt febres: ea namq; & incidit & coquit. Fit ex aceti parte vna, mellis partibus duabus, aquæ partibus quatuor. Primum autem mel & aqua ſimul coquuntur, vbi deſpumata probè ſunt, addito aceto percoquuntur, ſemper quoque deſpumando. Datur ab vncia vna, ad vncias tres: hæc ille. Nomen eius Græcum ὀξύμελι: Latinum Acetum mulſum: Italicum Aceto melato.*

Oxymelitis confectio triplex Gal.

Oxymelitis confectio ex Meſue.

Nomina.

## Ὀξάλμη. ACIDA MVRIA. CAP. XIX.

ACida muria, quam Græci Oxalmen vocant, contra nomas fotu, putrida vlcera, canum morſus, & venenatos ictus auxiliatur. Sanguinis fluxiones poſt exciſos calculos ſiſtit, ſi ſtatim calida in vulnus inijciatur: & procidua ſedem reprimit: dyſentericis, ſi nomas ſentiant, infunditur: oportet autem ex lacte inſtillare. Hirudines ſorbitione, aut gargarizatu necat: furfures & manantia capitis vlcera exterget.

*ACidæ muriæ, quæ Græcis Oxalme appellatur, vſus ætate noſtra prorſus exoleuit. Parabatur autem veteribus illis ex ſale & aceto: vel ex muria & aceto. Quæ Latinis Acida muria, Græcis ὀξάλμη vocatur.*

Nomina.

## Θυμοξάλμη. THYMOXALME. CAP. XX.

THymoxalme veteres vtebantur, dabantq; laborantibus imbecillitate ſtomachi, ternos quaternoſve cyathos, aqua calida dilutos: item in articularibus morbis, & inflationibus. Craſſos humores, atroſq; trahit. Hoc modo factitatur. Thymi triti acetabulum, ſalis idem modus, rutæ, pulegii, polentæ, ſingulorum exiguæ portiones in vas conijciuntur, aquæ terni ſextarii, & aceti terni cyathi infunduntur, & circumpoſito linteo ſub dio madeſcunt.

## Σκιλλητικὸν ὄξος. SCILLINVM ACETVM. CAP. XXI.

SCillinum acetum hoc modo fit. Scilla, quæ candida fuerit, expurgata conciditur, traiectaq; lino ſegmenta modicis interuallis ne ſe contingant, ſiccatur in vmbra quadraginta diebus: mina eorum in aceti boni ſextarios duodecim immergitur, & vaſe diligenter operto ſeptenis diebus in ſolo madeſcit: poſt

Hhhh eum

eum dierum numerum ſcilla eximitur, & expreſſa abijcitur: defœcatum acetum transfunditur & repoſitur. Aliqui ſcillæ minam quinq; aceti ſextarijs miſcent. Alij citra exiccationem repurgantes, parem menſuram adijciunt, & ſenis menſibus macerari patiuntur. Id multò magis humorum lentitias digerit. Gingiuas humore prægnantes collutione ſtringit firmatq;, & motos dentes ſtabilit: putredines oris, & graues halitus tollit: durat fauces ſorbitione, & calloſas facit: vocem expedit, & lympidam canoramq; reddit. Datur ſtomachicis, ægrè cibum concoquentibus, melancholicis, comitialib. vertiginoſis, mente captis, recentiat vuluarum ſtrangulationibus, lienis incremento laborantibus iſchiadicisq;. Imbecillos admodum recreat, corpus ſanum reddit, & bonum colorem præſtat: oculorum aciem exacuit: tarditatem quoq; aurium infuſione purgat. In ſumma ad omnia efficax. Cauendum tamen inteſtinis exulcerationibus, in capitis dolore, aut † neruorum vitijs. Datur quotidie ieiunis ſorbendum inter initia exiguum, paulatim augendo, ad cyathum vſq;. Nonnulli binos dant cyathos, aut largius.

† νεφριτικῶν. i renũ vitiis, ita het Drag. exemplar.

Scillini aceti vires mirabiles.

*QVanquam ſatis ſuperq; de Scillino aceto à Dioſcoride dictum eſt, non tamen alienum fore exiſtimo commemorare hoc in loco, quæ de eo miris laudibus ſcripſit Galenus lib. 3. de medicinis paratu facilibus, ſic inquiens: Salubre optimum acetum Scillinum à Pythagora ſcribitur, quo omnes Imperatores vſi ſunt. Ab ipſius authore fertur, quicunq; hoc potatur longe vitæ fore, & eius extrema integra, vſq; ad finem permanſura. Et ipſe quidem Samius ſenex huiuſmodi extractum quantum enim temporis vixerit, haud ignoras: de ipſo in libro traditum eſt, quòd cum ſuis conſanguineis hanc facultatem communicauit: cumq; hoc medicamento vti incepit, quinquageſimum annum natus erat, & vſq; ad centeſimũ decimum ſeptimum vitam produxit integer, & nulla vnquam aduerſa valetudine tentatus. Hæc ſanè medicamenti author deſcripſit, quòd fortaſſe vir philoſophus erat, mentiri neſcius. Nos autem viri huius fidei periculum fecimus, ac firmam conſtantemq; huiuſce medicamenti facultatem eſſe teſtamur. Oportet igitur ſumere Scillam montanam libræ vnius ponderis, & dura circumcidere, & mollia minutatim concidere, & aceti acerrimi ſextarios octo in vitreum vas mittere atq; obturare, ac per triginta dies Caniculæ caloribus, vt maceretur, permittere: deinde ſcillam extractam exprimere. Id genus aceti parum manè ſorbeto. Tibi autem hæc euenient, vt ne faucium oriſq; partes vnquam remolleſcant, os ventriculi benè valebit, facilè ſpiritum duces, vox rectè habebit, oculi acutiſſimè cernent, aures in officio manebunt, nullusq; flatuoſus vapor in ventre vnquam excitabitur, nullum viſcus ſuſpenſum erit, & benè ſpirans, benè coloratus deges. Ad ciuilia negocia rectè affectus, non acidum, nõ ſalſum ructabis, ſi aliquid aceti huius aſſumpſeris: & ieiunus vt aſſumas præcipio ſeptemq; poſtea ſtadia deambules, ita enim diſſoluetur. Hoc aceto qui vtitur, in victu quamuis licentioſus eſto: omnia enim cibaria conficiet, & à nullo vnquam offenſam patietur, neq; valde implebitur, ſed in melius proficere videbitur: nihil ſupernacui in corpore reſidebit, non flatus, non bilis, nec ſtercus, nec vrina, ſed omnia facilè excernit atq; educit. Aluus lubrica erit eſt, totiusq; corporis purgatorium medicamentum, etiam ſi in oſſibus ſordes inhæreant. Item phthiſicos ab omnibus deploratos hoc medicamento ſanitati reſtitutos nouimus. Morbo comitiali diuturno efficaciter profuit, vt niſi poſt longa temporis interualla, non redierit: incipientem verò ac nouum perfectè diſcutit, neq; reuerti amplius hunc affectum permittit. Ad podagras præterea, & articulorum morbos, iecoris lienisq; duritias vehementer facit: & particulares quidem aceti ſcillini effectus hi ſunt. Communes autem quàm plurimi, quibus nos commoti ſalutare hoc medicamentum, ſanitatis integritatisq; cauſa, tibi tradidimus. Hæc ille, quicunq; fuerit, nam liber is inter nothos, & Galeno adſcriptos recenſetur. Acetum Scillinum quod Latini, ὄξος σκιλλητικὸν Græci nominant: Itali Aceto ſcillino.*

Aceti ſcillini confectio.

Nomina.

## Σκιλλητικὸς οἶνος. SCILLINVM VINVM. CAP. XXII.

SCillinum vinum fit hoc modo. Diſſectam, vti dictum eſt ſcillam, & ſole ſiccatam contundito: minutam eius tenui cribro incernito, & linteo raro illigatam in vicenos ſextarios muſti recentis ac boni demergito, vbi trimeſtri ſpatio maduerit, elutriatum vinum, obſtructo diligenter vaſe, recondito. Licet quoq; ſic humida ſcilla vti. In orbiculos, rapi modo, diſſectam duplicato pondere, quadraginta diebus inſolari oportet, & valde inueteraſcere. Alia parandi ratio. Scillæ diſſectæ, & repurgatæ tres minas in Italici metretam muſti demittito, & ſenos menſes in vaſe obſtructo macerari ſinito: poſt id tempus defæcatum, & excolatum vinum recondito. Vtile eſt contra cruditates, & ciborum corruptiones: item ijs, qui reuomunt cibum: & ſi pituita in ventre aut ſtomacho coierit. Prodeſt lienoſis, malè habitis corporibus, aquæ inter cutem, regio morbo, difficili vrinæ, torminoſis, inflationibus, reſolutioni neruorum, horroribus longis, vertiginoſis & vulſis: menſes pellit: minimè neruos infeſtat. Hoc vinum vetuſtate fit melius. Cauendus in febre vſus, aut ſi interanea vlcus ſentiant.

Scillini vini vires ex Gal.

*SCillini vini meminit Galenus libro tertio de medicamentis paratu facilibus, his verbis: Vinum hoc potui datum omnem ſanitatem adfert: humores enim attenuat, ſed maximè pituitam, neq; ipſam in ſtomacho, aut ventre, aut capite, aut iecore, aut liene, aut neruis, aut oſſibus conſiſtere permittit, neq; alium id genus tenacem humorem obſtructiones facientem, ſed omnia diſſoluit, & ventrem lenit atq; ita ſubducit, & vrinam mouet, & per ipſam cauſas attenuat, externas. Adeo verò caput purgat, vt nares humiditate vacent. Commodum eſt podagræ, articulari et comitiali morbo: deniq; omnium ſanitatis eſt author. Ex his conſtat. Scillam albam montanam circiter Canis exortum accipito in libræ pondere, per dies decem in vmbra refrigera: deinde ſcillæ laminas refrigeratas in vitreum vas mitte, & vini albi veteris ſextarios duodecim ſuperinfunde, & ſuſpenſum vas per quadraginta dies habeto: poſtea ſcillam exime & abijce, & vino ad antedicta vitia vtere, & eius vim percipies. Subinde ante cibum vini duas vncias exhibe, ſin à cibo vnciam mediam. Quod ſi ipſum potui commodum efficere velis, vt magis delectet, mellis ſextarios duos, aut tres admiſceto. Quod Græcè οἶνος σκιλλητικὸς, Latinè Vinum ſcillinum appellatur: Italicè Vino ſcillino.*

Vini ſcillini confectio.

Nomina.

## Οἶνοι θαλάσσιοι. VINA MARINA. CAP. XXIII.

VIna ex marina aqua, variè factitantur. Aliqui enim ſtatim cum decerptæ ſunt vuæ, aquam maris addi miſcent. Alij in area vuas ſole ſiccant, quibus calcatis marinam adijciunt. Alij paſſas prius vuas in dolijs marina aqua macerant, mox calcatas exprimunt: id magis paſſi generibus adſcribitur. Quæ tamen

tamen auſteriore guſtu temperantur, contra febrium aduentantium indicia valent, ſi modò meliora non adſint: aluum ſubducunt: proſunt purulenta extuſſientibus, & ſi dura aluus exerceat. Quæ ex Aminæis vinis fiunt, caput tentant, ſtomacho aduerſantur, flatus creant. Verùm quò plenior habeatur hiſtoria, ijs qui huius ſtudio tenentur, non inutile exiſtimamus varias vinorum compoſitiones adferre, non quòd frequens eorum, aut neceſſarius exiſtat vſus, ſed ne quid omiſiſſe videamur, quod ad eorum rationem attinet. Sunt autem quædam ex ijs factitia, minoris curæ ac impendij, quæ cadunt in vſus: vti quæ cotoneis malis, pyris, ſiliquis, item myrti baccis componuntur.

Κυδωνίτης οἶνος. **VINVM CYDONITES. CAP. XXIIII.**

CYdonites, nomine alio Melites appellatur, & ita fieri conſueuit. Mala cotonea exemptis ſeminibus, fruſtatim rapi modo ſcinduntur, & duodecim minarum pondo, in muſti metretam, triginta diebus macerantur: poſtea defœcatum vinum reponitur. Alia faciendi ratio. Oportet ad ſingulos mellis ſextarios denos ſucci cotoneorum tuſorum preſſorumq; adijcere & ita recondere. Vinum hoc adſtringit: prodeſt ſtomacho, dyſenteriæ, hepaticis, renum vitijs, & vrinæ difficultati. Melomeli, quod & Cydonomeli nominant, ſic fit. Cotonea mala ſeminibus ſuis caſtrata, in quàm plurimum mellis, quo penitus demerſa contegantur, conijciuntur: id poſt annum miteſcit, mulſo non diſſimile. Præſtat eadem, quæ ſuperior compoſitio.

Ὑδρόμηλον. **HYDROMELVM. CAP. XXV.**

FIt Hydromelon duabus menſuris aquæ coctæ, & ſub Caniculæ ſydus inſolatæ, additis ad vnam melomelitis facti ex cotoneis. Vis huius eadem eſt.

Ὀμφακόμελι. **OMPHACOMELI. CAP. XXVI.**

OMphacomelitis faciendi ratio hæc eſt. Acerbæ vuæ adhuc immaturæ, & tribus diebus inſolatæ exprimuntur, & ad ternas ſucci partes, mellis optimi deſpumati ſingulæ partes adijciuntur: & inſolatur in vaſa transfuſum. Vim reprimendi ac refrigerandi habet: ſtomachicis cœliaciſque conuenit. Vſus poſt annum eſt.

Ἀπίτης οἶνος. **VINVM EX PYRIS. CAP. XXVII.**

FIt & è pyris, perinde atq; cotoneis, vinum, apijtes nomine, ſed ita vt pyra nō magnopere matureſcant. Ex ſiliquis etiam, meſpilis, ſorbis, ſimili modo temperatur. Omnia hæc genera acerba ſunt, & adſtringunt: ſtomacho vtilia ſunt, atq; inteſtinas fluxiones cohibent.

Οἰνάνθινος οἶνος. **VINVM OENANTHINVM. CAP. XXVIII.**

FIt è feraci vite ſylueſtri, quod vocatur œnanthinum. Sicci flores minis duabus muſti cado macerati, poſt triginta dies mutantur, mox colatum vinum reconditur. Facit aduerſus ſtomachi imbecillitatem, cibi faſtidia, cœliacos & dyſentericos.

Ῥοΐτης οἶνος. **VINVM EX PVNICIS. CAP. XXIX.**

FIt è punicis malis maturis, quod Rhœten nominant: ſucco expreſſo ab acinis eorum, quibus lignoſus nucleus abeſt, apyrena vocant, ac decocto ad tertias, & ita repoſito. Efficax eſt contra fluxiones internas, & febrim cum alui profluuio exortam, ſtomacho vtile, adſtringit aluum, & vrinam mouet.

*VInum è Punicis malis multifariam conficitur in Italia. Aliqui enim repurgatos punicorum acinos prælo ſtatim ſubijciunt, & expreſſum ſuccum vitreis amphoris recōdunt: ibiq; per ſe tamdiu efferueſcere ſinunt, quouſq; deferbuerit, & ſubſidat fæx: deinde in alias transfundunt amphoras, quod à fæcibus repurgatum eximunt, & oleum ſuperinfundunt, ne euaneſcat & corrumpatur, vel aceſcat. Alij, qui magis punicis abundant, acinos in ligneum cadum altera parte patulum conijciunt, & vuarum modo pedibus calcant, donec vniuerſus exiliat ſuccus: deinde per ſe in ſole efferueſcere ſinunt, cado linteo ſpiſsiore cooperto, vſq; dum fæx vniuerſa reſidat, nuclei ſupernatent, & vinum defæcatum ac pellucidum reddatur. Vbi autem hæc facta ſunt, perforato paulò ſupra fæcem vaſe, vinum eximunt, & cadis ligneis aſſeruant. Huic oleum ſuperinfundere non opus eſt: ſeruatur enim ſic paratum per ſe, modò vaſis oſculum pice, vel cera obturetur. Sunt præterea, qui repurgatos punici acinos, cum pari menſura nigræ vuæ auſteriuſculi ſaporis commiſceant, calcent & per ſe efferueſcere ſinant, quòd vinum claritatem conſequatur. Subinde in doliolis aſſeruant: ſiquidem hoc guſtui plurimum arridet.* Vini è punicis varia confectio. *Quod è vinoſis exprimitur, ſi ex oxalidis aqua, vel hortenſis Intubi aut bugloſsi hauriatur, ardentibus, peſtilentibusq; febribus mirifice auxiliatur, & ſitim extinguit. Idem potum ex plantaginis aqua aut portulacæ, aut roſarum, ſanguinis reiectiones cohibet, æſtuanteníq; ſtomachum iuuat. Datur etiam magno iuuamento potandum in aqua, in qua pluries candens ferrum extinctum fuerit, cœliacis, dyſentericis, diarrhœa laborantibus, ac etiam mulieribus vteri profluuio affectis. Nauſeam ſedat, & bilem e iocinore in ventriculum permeantem cohibet, & vomitiones compeſcit. Idem cum Rhodomelle miſtum, facit perbelle ad oris, gingiuarum, & faucium exulcerationes ac defluxiones: quinetiam ad vrinam, & gingiuarum vlcera, & earundem partium phlegmonas extinguit ex aqua roſarum illitum. Gargarizatur quoq; vtiliter ad columellæ affectus, cum à fluxionibus, tum ab inflammatione contractos. Cæterùm vbi omnino adſtringere opus ſit, longè magis præſtabit, quod ex acidis punicis exprimitur.* Vini è punicis malis vires.

## Ῥοδίτης οἶνος. ROSACEVM VINVM. CAP. XXX.

RHodites ſic fit. Roſarum ſiccarum, tuſarumq; minam linteolo deligatam in ſextarios octo muſti ce mergito: & poſt tres menſes defæcatum vinum transfundens, recondito. Vtile ijs, qui febri carent: & ad ſtomachi coctiones & dolores, à cibo potum: & contra humidas aluos & dyſenterias. Fit quoq; ex ſucco roſarum addito melle, quod rhodomeli vocant: quod arteriæ ſcabritijs conuenit.

## Μυρτίτης οἶνος. MYRTITES VINVM. CAP. XXXI.

MYrtites fit, baccis nigris, quæ maturitatem exceſſerint, tuſis, & organo expreſſis. Aliqui ad tertias v coquunt. Alij baccas prius ſole torrent, & quaternis ſextarijs contuſarum, ternas aquæ heminas adijciunt, & vini veteris parem modum: poſtea exprimunt & ſeruant. Magnoperè adſtringit: ſtomacho vtile: fluxionibus ventris ac ſtomachi prodeſt, & contra inteſtinas vlcerationes, & profluuia: denigrat capillos.

## Μυρσινίτης οἶνος. MYRSINITES VINVM. CAP. XXXII.

MYrſinites ſic temperatur. Rami nigræ myrti cum ſuis baccis & folijs tuſi, decem minarum pondo in tribus muſti congijs ferueſcunt, donec duo ſuperſint, aut certè dimidium: id vinum colatum ad vſus reconditur. Contra furfures, vlcera in capite manantia, eruptiones papularum, gingiuas, tonſillas & purulentas aures efficax eſt: ſudores ſiſtit.

## Σχίνινος καὶ τερεμίνθινος οἶνος. LENTISCINVM ET TEREBINTHINVM VINVM. CAP. XXXIII.

LEntiſcinum ſimiliter vt myrſinites temperatur. Nec ſecus terebinthinum: namq; bacciferi eorum rami ſumi debent. Similes inſunt vires: adſtringunt, ſtomacho accommodantur, & defluxionibus inteſtinorum, veſicæ & ſtomachi, & ſanguinis profluuio. Vlcera omnia fluxionibus obnoxia, fotu ad cicatricem perducunt: fluxiones vuluæ ac ſedis inſeſſione cohibent.

## Φοινικίτης οἶνος. PALMEVM VINVM. CAP. XXXIIII.

PAlmulas maturas, quas vocant chydeas in vrceolum imo pertuſum, & obſtructum picata arundine, demittito: lino foramen ſit obturatum, & quadragenis ſextarijs ternos aquæ congios infundito: quòd ſi ipſum ita dulce eſſe non libeat, quinq; congios infudiſſe ſatis eſt: poſt decem dies detracto ab arundine linteo, aſſumito vinum craſſum & dulce, & reponito. Suaue illud quidem, ſed capiti nocuum: contra fluxiones propter adſtrictoriam vim efficax: ſtomachicis, cœliacis, ſanguinem expuentibus conuenit. Aliqui idem addita aqua iterum capiunt, & tertio, quarto, quinto ſextove faciunt, quod tandem acore vitiatur.

## Κατορχίτης οἶνος. VINVM EX CARICIS FACTVM. CAP. XXXV.

CAtorchites, aliquibus ſycites vocatur, in Cypro fit, ita vt palmeum: ſed hoc intereſt: quoniam pro aqua tantundem humoris adijciunt, in quo recenter preſſa vinacea maduerint. Caricæ quæ chelidoniæ aut phœniceæ appellantur, præſertim nigræ macerantur, vti diximus: & poſt decem dies humor excipitur, atque iterum, aut tertio, idem modus aquæ, in qua vinacea maduerint, infunditur: ſimili modo intercedente ſpatio, quarto aut quinto aſſumitur. Demaceratorum liquor non ſecus acorem contrahit, & aceti vſum præbet. Id tenue eſt: flatus gignit, ſtomacho aduerſatur, faſtidium parit, aluo tamen prodeſt, vrinam ciet, menſes trahit, lactis vbertatem facit, vitioſum ſanguinem creat, & elephantiaſin adfert, vt potio, quam zython appellamus. Aliqui ſex amphoris, decem ſalis ſextarios adijciunt. Alij muriæ amphoram, quod non facilè vitiatur, & aluo idoneum fore cenſent. Alij thymum & fœniculum imo ſubijciunt, & caricas ſuperponunt: & ita viciſſim, donec vas expleuerint. Fit & è ſycomoris eodem modo vinum, ſed in acetum acre degenerat: quoniam non ita præualet vis eorum, vt fluentis liquoris dulcedinem retinere poſſit.

## Ῥητινίτης οἶνος. RESINATVM VINVM. CAP. XXXVI.

REſinatum vinum populatim factitari ſolet copioſum in Galatia, quoniam vinum illic coaleſcat, vua non matureſcente, ob cœli algorem, niſi picea reſina temperetur. Reſina autem cum cortice tunditur, & amphoræ dimidiata hemina permiſcetur. Aliqui vbi efferbuit, excolant, ſeparantes reſinam: alij ea relinquunt. Hæc vina vetuſtate dulceſcunt. Omnia capitis dolorem, & vertigines faciunt: coctionem tamen adiuuant & vrinam cient: tuſſientibus ac deſtillatione vexatis conueniunt: item cœliacis, dyſentericis & hydropicis, fœminis fluxione vuluæ laborantibus: altis exulcerationibus infunditur. In hoc autem genere nigricans magis albo conſtringit.

## Στροβιλίτης οἶνος. VINVM STROBILITES. CAP. XXXVII.

STrobilites fit maceratis in muſto nucibus pineis, recentibus fractiſq;: præbetq; reſinati effectus. Si quis madefactas nuces pini muſto decoquat, potum affatim conuenit ijs, qui tabitudine conficiuntur.

Κέδρι

Κέδρινος καὶ ἐκ τινῶν δένδρων καὶ καρπῶν οἶνος.

## CEDRINVM ET EX ALIQVOT ARBORIBVS AC FRVCTIBVS VINVM. CAP. XXXVIII.

CEdrinum, iuniperinum, cupreſſinum, laurinum, pineum aut abiegnum, ſimili ratione fiunt. Diuiſos recenter ramos, cum fructum edunt, aut ſoli, aut balneo, aut igni admouere oportet, vti conſudent, congioq; vini minam vnam permiſcere, & poſt duos menſes transfundere, & antequam recondantur, inſolare. Factitiorum vinorum vaſa impleri debent: namq; non plenis vaſis, vina in acorem corrumpuntur. Medicata autem vina recte valentibus inſalubria. Omnia excalfaciunt, vrinam cient & ſubſtringunt. Laurinum tamen vehementius excalfacit. Fit quoq; è fructu cedri maioris vinum, congio muſti, adiecta tuſarum baccarum ſelibra: diebus quadraginta inſolari debet, & defæcatum in vaſa transferri. Fit etiam vinũ e baccis iuniperi, non aliter quam cedrites, & ad eadem valens. Cedrites hoc modo fit. Cedriam dulci aqua lauant, & ſingulas amphoras ſingulis cyathis diluunt, & ita muſto replent. Hoc genus vini excalfacit, extenuat: tuſſi antiquæ vtile ſine febre, pectoris lateriſq; doloribus, torminibus, ventris, & interaneorum vlceribus, purulentis excreationibus, mulieribus vuluæ cauſarijs, hydropiciſq;: facit aduerſus ventris tineas & horrores. Contra venenatos ictus auxiliatur: ſerpentes necat: aurium doloribus inſtillatum medetur.

Πιττίτης οἶνος.

## PICATVM VINVM. CAP. XXXIX.

PIcatum ex liquida pice & muſto temperatur. Picem autem primùm marina, aut muria tantiſper eluere oportet, dum inalbuerit, & ſyncera maris aqua defluat: mox aqua dulci proluenda: congijs octo muſti vncia picis vna, aut altera adijcitur: vbi efferbuerit & conſtiterit, in vaſa diffunditur. Hoc genus vini excalfacit, concoquit, purgat, abſtergit: vtile doloribus pectoris, alui, iecinoris, lienis, & vuluæ, ſi ſine febre ſint, veteri rheumatiſmo, exulcerationibus in altum recedentibus, tuſſi, ſuſpirijs, concoctionibus tardis, inflationibus & luxatis, præſertim in ſuccida lana impoſitum.

Ἀψινθίτης οἶνος.

## VINVM ABSINTHITES. CAP. XL.

ABſinthite faciundi ratio euariat. Aliqui enim duodequinquaginta ſextarijs Italicarum amphorarum, admiſtam abſinthij pontici libram decoquunt ad tertias: & vbi infuderint ſex aceti ſextarios, & abſinthij ſelibram, ac diligenter permiſcuerint, diffundunt in vas: dumq; conquieuerit, defæcant. Alij abſinthij minam in amphoram demittunt, tuſamq; & raro linteo deligatam, in cado muſti macerant binis menſibus. Alij abſinthij quadrantem, alij trientem, & nardi Syriacæ, cinnamomi, caſſiæ, floris iunci odorati, calami, elatæ palmarum ſingulos ſextantes iniiciunt in metretam muſti, & tundentes prius pila, obſtructo vaſis ſpiraculo, binis terniſue menſibus dimittunt: poſtea defæcatum vinum transfundunt ad vſus. Alij addunt in muſti cadum Celticæ nardi drachmas quatuordecim, & abſinthij drachmas quadraginta, linteo inuolutas: poſt quadrageſimum diem elutriant. Alij in ſenos ſextarios muſti, abſinthij libram, & ſiccæ pini reſinæ ſextantem immittunt: & poſt decem dies excolant & recondunt. Vtile eſt ſtomacho, vrinam ciet, tardam concoctionem accelerat: hepaticis, regio morbo, & renum vitijs auxiliatur: faſtidia diſcutit: ijs prodeſt, quibus ſtomachus negotium exhibet: valet contra longam præcordiorum diſtentionem & inflationes, tereteſq; ventris tineas, & remoratos menſes: contra hauſta ixiæ venena quam plurimum potum, & vomitionibus redditum, auxiliatur.

Ὑσσωπίτης οἶνος.

## VINVM HYSSOPITES. CAP. XLI.

HYſſopites è Cilicio hyſſopo maximè laudatur. Fitq; ſimiliter, foliorum hyſſopi tuſorum libra in amphoram muſti coniecta: linteolo raro cum quibuſdam lapillis folia inuoluuntur, vt degrauatus ponduſculo faſciculus ſidat: vinum poſt quadraginta dies defæcatum elutriatur. Contra pectoris, laterum & pulmonis vitia, veterem tuſſim & ſuſpiria prodeſt: vrinam cit: torminibus & horroribus febrium circuitu repetentibus auxiliatur, menſes mouet.

Οἶνος ἐκ τῶν ποικίλων ζῴων.

## VINA EX DIVERSIS PLANTIS FACTA. CAP. XLII.

SImili modo chamædryites fieri ſolet. Excalfacit, diſcutit: conuulſis, regio morbo, vuluæ inflationibus, tardæ concoctioni, incipienti aquæ intercutem ſubuenit. Inueteraſcens melius redditur. Stœchadites non ſecus temperatur. Congijs ſex ſtœchadis minam addere oportet. Craſſitiem, inflationes, laterum neruorumq; cruciatus, & perfrictiones diſcutit: comitialibus commodè datur cum pyrethro & ſagapeno. Fit ad eadem acetum è ſtœchade herba, vt paulò antè diximus, aceto macerata, quod eoſdem implet effectus. Fit vinum è betonica, quam ceſtron pſycotrophon appellant. Herbam ſemine maturo prægnantem, cum ſuis ramulis minæ pondo, congijs duobus vini macerant, & poſt ſeptimum menſem transfundant. Ad multa interaneorum vitia, vt frutex ipſe, pollet. Et vt in vniuerſum dicatur, factitia vina ſibi miſturarum vires adſciſcunt: quare non difficile fuerit ijs, qui illarum naturam norint, vinorum vires coniectura quadam conſequi: veruntamen vinorum vſus febricitantibus abdicandus. Fit etiamnum è betonica acetum ad eadem vitia vtile. Tragoriganites fit quaternis tragorigani drachmis linteolo colligatis, in quaternos muſti ſextarios coniectis, & poſt tertium menſem transfuſis. Prodeſt torminibus, vulſis, ruptis, laterum doloribus, ſpirituum diſcurſationi, ægris concoctionibus. E napis fit

vinum, nomine bunites, drachmis duabus tuſi napi in ſextarios duos muſti additis, & cæteris eodem modo factis. Prodeſt ſtomachicis & dimicatione, aut longo equitatu fatigatis. Dictamni drachmas quatuor macerato quaternis muſti ſextarijs. Facit aduerſus ſtomachi faſtidia: menſes & purgamentum a partu ſubducit. Marrubij adulti folia tundito, & ſextarios octo in muſti metretam demittito, & reliqua ſimiliter facito. Conuenit hoc vinum pectoris vitijs, & omnibus, quibus marrubium. Thymi tuſi & cribrati vncias centum linteolo colligatas, in amphoram muſti adijcito. Valet contra ægras coctiones, faſtidia, dyſenteriam, neruorum & præcordiorum dolores, hybernos algores, & venenata animalia, quorum morſus frigus inſequitur, aut putreſcit locus. Simili modo è ſatureia vinum fit, quod eadem, quæ thymites præſtat. Sic quoq; origanites ex Heracleotico origano conficitur ſimiliter cum ſupradictis. Facit eadem, quæ thymites. E calamintha, pulegio & abrotono vina fiunt eodem, quo thymites, modo. Proſunt ſtomachicis, cibum faſtidientibus, & regio morbo: quòd vrinam moueant. Fit item è conyza vinum contra venenata ante alia efficax.

Ἀρωματίτης οἶνος. VINVM AROMATITES. CAP. XLIII.

ARomatites ita fit. Palmæ, aſpalathi, calami, nardi Gallici, ſingulorum quatuor ſextarios ſumito: poſtquàm contriueris, paſſo ſubigito, coactis ingentibus offis, & in ſextarios duodecim auſteri muſti coniectis, operculato vaſe, quadraginta diebus quieſcere ſinito: deinde vbi fæce expurgatum fuerit, recondito. Alia eius ratio. Calami vncia, phu drachmæ ſeptem, coſti drachmæ duæ, nardi Syriaci drachmæ ſex, caſſiæ vncia, croci drachmæ quatuor, amomi drachmæ quinq;, aſari drachmæ quatuor. Omnia ſimul attrita, & linteo colligata in cadum muſti demerguntur: & poſtquàm vinum deferbuerit, transfunditur. Facit ad pectoris laterum & pulmonis dolores, difficili vrinæ, horroribus, retardatis menſibus, atque ijs qui per frigora iter faciunt, potum conuenit: pituitæ craſſitiem extenuat, colorem alit, ſomnum conciliat, dolorem finit: renum & veſicæ vitijs auxiliatur.

Οἶνοι ἐκ τῶν ποικίλων ἀρωμάτων. VINA EX DIVERSIS ODORAMENTIS FACTA. CAP. XLIIII.

FIt & vinum ad deſtillationes, cruditates, tuſſim, inflationes, & ſi humor in ſtomacho coit. Myrrhæ duæ drachmæ, piperis candidi drachma vna, iridis drachmæ ſex, aniſi drachmæ tres: omnia pleniùs tuſa, & linteolo inuoluta, in ſex vini ſextarios conijciuntur: vinum poſt triduum colatur, & in lagenas reconditur. Datur poſt deambulationem meraculum, cyathi vnius menſura. Fit quoq; nectarites ex helenio herba, radice ſicca pondo quinq; drachmarum linteolo colligata, & in congios ſex muſti addita, & poſt tres menſes effuſa. Facit ad ſtomachi & pectoris vitia: vrinam pellit. E Syriaca nardo & Celtica, malabathroq; vinum factitatur, hac ratione. Singulorum ſelibram in binos muſti congios mittito, poſt menſes duos colato. Datur cyathus vnus cum tribus aquæ. Hoc vinum efficax eſt contra vitia renum, hepaticos, regium morbum, & vrinæ difficultatem: prodeſt ſtomachicis, atq; ijs quos pallor decolorat. Alij vnciam, aut ſextantem acori & Celticæ nardi quadrantem in muſti amphoram adijciunt. Aſari quadrantem in ſenos muſti ſextarios itidem demittito. Id vini genus vrinam ciet: hydropicis, & regio morbo laborantibus, hepaticis iſchiadicisq; conuenit. Radicis ſylueſtris nardi recentis, & tritæ, cribratæq; beſſem in congium muſti conijcito: duos menſes quieſcere ſinito. Vtile eſt hepaticis, difficili vrinæ, inflationibus, ſtomachicis.

Οἶνοι ἐκ τῶν ποικίλων ποῶν. VINA EX DIVERSIS HERBIS FACTA CAP. XLV.

RAdicis dauci contuſæ drachmas ſex in muſti amphoram imponito, & ſimiliter transfundito. Facit ad dolores thoracis, præcordiorum & vuluæ: menſes pellit, ructus ciet, & vrinam: prodeſt tuſſi, ruptis, vulſisq;. Saluiæ vnciam in muſti amphoram, quod idem cum ceramio eſt, mittito. Valet contra renum, veſicæ & laterum dolores, reiectiones ſanguinis, tuſſim, rupta, vulſa, & ſuppreſſos menſes. Panacis vnciam in muſti congium mittito & transfundito. Prodeſt ruptis, vulſis, contuſis, orthopnœæ: lienis craſſitiem extenuat: contra tormina, coxendicum dolores efficax eſt: tardas concoctiones accelerat: menſes & partus extrahit: aquæ inter cutem & ſerpentium ictibus auxiliatur. Vina ex acoro & dulci radice conſimili modo fiunt. Oportet enim ſingulorum vncias octo in ſenos congios mittere, tribus menſibus macerare, mox in vas transferre. Faciunt ad pectus & latera, & vrinam mouent. Seminis apij recentis, maturi, & cribrati vnciæ nouem in linteo colligatæ in muſti amphoram demittantur. Appetitum excitat: ſtomachicis & difficili vrinæ auxiliatur: faciles ſpiritus facit. Ex fœniculo, anetho & petroſelino, vina eodem modo fiunt, & ad eadem efficacia. Fit & è flore ſalis vinum, multò ad purgandum efficacius, quàm vinum aqua marina temperatum. Fauces, veſicam, renes & ſtomachum infeſtat: quare neque in ſecunda neque aduerſa valetudine prodeſt. Fit etiam vinum, quod phthorion vocant, quoniam partus necat, & abortus facit, veratro aut ſcammonia, aut ſylueſtri cucumere, iuxta radices vitium ſato: ſiquidem vites ſibi illorum vires adſciſcunt. Id vinum partus enecat: datur ieiunis mulieribus, quæ antè vomuerunt, cyathorum octo menſura, dilutum. Ramorum thymelææ cum ſuis folijs, & fructu triginta drachmas mittito in congios tres muſti, & leui igne coquito, donec congij duo ſuperſint, defæcatumq; recondito. Aquoſa purgat excrementa: & lienem abſumit. Chamelæa dum floret, cum folijs tuſa, & cribrata decem drachmarum pondere, in muſti congium additur: poſt duos menſes vinũ in vas transfertur. Aquæ inter cutem, hepaticis & laſſitudine confractis, efficax eſt: item mulieribus, quæ à partu ægrè purgantur. Chamæpityinũ ſimili modo fit, ad eadẽ conueniens: vrinã quoq; ciet. Librũ radicis mandragoræ conci-

conſcidito, ſegmenta lino trancito, quod ſelibram æquat, in muſti cadum demittito, ibique eſſe ſinito ad menſes tres, deinde transfundito. Media potio, heminæ dimidium: bibitur, paſſo in duplum addito. Aiunt heminam vini congio miſtam, potu ſoporẽ adferre: cyathus vnus cũ ſextario vini potus enecat. Mediocris vſus eius doloris ſenſum aufert: fluxiones incraſſat: olfactu, potuq́;, & cùm inditur, idem præſtat. In congium muſti aqua marina diluti, drachmas duodecim nigri veratri triti in linteo mundo mittito: dumq́; efferbuerit, in marinæ aquæ congios quatuordecim, vbi pleniuſculè fregeris, iniicito: poſt aliquot dies colato, & vtitor. Dato cyathum vnum ex aqua balnei, in potu ad aluum ſoluendam, iis qui euomuerunt à cœna. Alia ratio. Veratri drachmas viginti, iunci odorati vncias duodecim, ſpicæ Syriacæ vncias tredecim: cribratas, & linteo colligatas, in ſeptem vini Coi ſextarios, diebus quadraginta macerandas indito, poſtmodum colato: dabis in potu ſeſquiheminam. Aliter. Decoctæ marinæ aquæ ex alto petitæ ſextarios duodecim, veratri candidi libras ſex, in muſti amphora quadrageſimo die quàm madefeceris, colato, & vtitor. Alia ratio. Veratri drachmas duodenas, & aphronitri quaternas in ſenis muſti ſextariis diebus quindenis macerato, mox colato: & ſemeſtri exacto, vtitor. Id vini genus abortus facit, & partus necat. Aut vuas in ſole ſiccatas imponito in muſti metretam (implet autem metreta congios duodecim) & gypſum in vinum mittito pondo drachmarum viginti, & biduo reſidere ſinito: coniicito veratri nigri drachmas triginta, iunci odorati, calami ſingulorum drachmas triginta, baccarum iuniperi ſextarios duos & trientem, myrrhæ, & croci ſingulorum drachmam: inuoluens linteolo diebus quadraginta appendito, poſtea colato, dabis heminas tres, aut duas dilutas. Purgat à partu, & abortu fœminas: fœtus extrahit: contra ſtrangulatus vuluæ efficax. Scammonites ſic fit. Radicis ſcammõniæ per menſes effoſſæ, tritæ, & linteo colligatæ drachmas quinque in muſti congium mittito ad dies triginta. Aluum purgat: bilem, & pituitam extrahit.

*Vina factitia parandi ratio diuerſa, quam ſuperius ab initio propè huius libri ad hunc vſque locum pluribus capitibus diligenter tradidit Dioſcorides, nobis quidem clarior, & euidentior viſa eſt, quàm vt operæpretium eſſet ſingula eorum capita noſtris commentationibus proſequi, præſertim cum omnium ferè iam vſus apud nos exoleuerit: quanquam non equidem dubitauerim, quin eſſent huiuſmodi vina, ſi eo modo parata in promptu eſſent iis morbis profutura, quibus prodeſſe produntur. Vnde pluribus adhuc rationibus nixus, primus ego vt arbitror (quod etiam libro 1. in Ebeni mentione diximus) e ligno Guaiaco vinum confeci, & aliis quoque conficiendum eſſe ſcriptis tradidi. Cuius poſtea vſu innumeros Gallica lue correptos, nos & alii Medici ſanitati reſtituerunt. Videmus enim Euphraſiatum ad oculorum claritatem efficaciſſimum eſſe, Myricinum lienis morbos ſanare, & quod ex Sena paratur, atrabilariis morbis, & cutẽnis exulcerantibus, nempe ſcabiei, lepris, vitiliginibus, lichenis, & id genus aliis, commodiſſimum eſſe medicamentum. Quod cùm animaduertiſſet magnus philoſophus, & Medicus non ſpernendus Arnaldus de Villa noua, de factitiis vinis, quæ medicinæ vſui conueniunt ad varios corporis morbos, copioſiſſimum edidit libellum. In quo qui vinis medicamentoſis delectantur, & hac conficiendi modum, & eorum facultates, facilè adipiſci poterunt. Nam apud Germanos, & alios illis conterminos, medicamenta commiſta in frequentiſſimo habentur vſu, quòd magis, quam nos odoratis, & concinnatis delectentur potionibus.*

Vinorum factitiorum conſideratio

Vini è guaiaco Matth. primus inuẽtor.

# De Metallicis Lapidibus.

Καδμεία. **CADMIA. CAP. XLVI.**

Ex cadmiæ generibus optima eſt Cypria, botrytis nomine, denſa, modicè grauis, & in leuitatem magis declinans, racemoſa facie, colore ſpodii, quæ fracta cinerulenta eſt, & æruginoſa. Proxima habetur foris cærulea, intus candidior, internatis venarum diſcurſibus, onychitæ lapidi ſimilis, cuiuſmodi ſunt quæ è veteribus metallis effodiuntur. Quædam etiam placodes, id eſt cruſtoſa dicitur, ſegmentis quibuſdam perinde quaſi zonis cincta, ob quod eam zonitin appellauere. Alia oſtracitis nominatur, gracilis & magna ex parte nigra. Sed quæ teſtaceam faciem habet, terram amplexa eſt. Improbatur candida. Oculorum medicamentis botrytis nomine, & onychytis, vtiles: reliquæ ad emplaſtra, & farinas, quæ cicatricibus inducendis inſparguntur. Ad eadem Cypria prodeſt. Ex Macedonia verò: Thracia, & Hiſpania delatæ improbantur. Cadmiæ effectus adſtringere, caua explere, ſordes expurgare, exiccare, † corporis meatus infarcire, excreſcentia in carne coercere, cruſtas creare, & vlcera quæ cacoethe vocantur, ad cicatricem perducere. Gignitur cadmia ex ære in fornacibus candente, fuligine egeſta flatu, & lateribus, cameriſq́; fornacum inhærente. Prægrandes autem, ac ferreæ ſunt rudes, ab officinis appellatæ aceſtides, per ſumma faſtigia connexæ, & concameratæ, vt quæ ab ære iactantur ſurſum corpuſcula, cohæreant, & inibi detineantur: quæ cùm ſpiſſius inſident, in corpus concreſcunt, & modò genus vnum eius, modò duo, modò omnia perficiunt. Extrahitur & cadmia in Cypro è monte, qui Solis incumbit, cremato lapide, cui pyritæ cognomen eſt: in quo etiam monte quædam quaſi venæ chalcitis, myſios, ſoreos, melanteriæ, cœrulei, chriſocollæ, atramenti ſutorii, diphrygiſquè inueniuntur. Nec deſunt, qui cadmiam in lapidum fodinis inueniri tradant, falſi quadam lapidum cognatione: qualis inuenitur, & apud Cumas lapis, nullam ſui vim oſtendens. Ii eo deprehenduntur, quòd ſunt cadmia leuiores nullumquè alienum mandentibus ſaporem exhibent: commanducatus item lapis dentes offendit: cadmia, vt pote cùm cedat, eſum non reſpuit. Alio autem diſcerni poſſunt argumento. Cadmia in farinam detrita, & aceto ſubacta, atque in ſole ſiccata, coit: quod in lapide non accidit. Item tritus, & igni appoſitus lapis proſilit, & fumum igni ſimilem eiaculatur: cadmia verò quieta manet, fuliginemque luteo colore, aut æreo ſplendentem expuit; vario zonarum diſcurſu. Inſuper lapis ignem expertus, atque refrigeratus colorem mutabit, ac leuior multò fiet: ſed Cadmia nihil euariat, niſi quis eam multis diebus cremauerit.

† Cat. ἐξιπτεῖ i. exprimere.

Fit & in argenti fornacibus candidior, ac minus ponderoſa, ſed viribus nequaquam comparanda æraria. Vritur cadmia ſuperior carbonibus obruta, donec translucida ſpectetur, & ferrei ſtercoris modo bulles: mox extinguitur vino Aminæo, quæ ad emplaſtra præparatur: ſed quæ ad pſorarum medicamenta præparatur, aceto. Alii hoc modo exuſtam conterunt in vino, rurſumque fictili crudo torrent, donec pumicoſa videatur: iterumque tritam ex vino, tertiò vrunt, donec prorſus in cinerem redigatur, nihil ſcabritiæ retinens: hac ſpodii vice vtuntur. Lauatur autem in mortario trita, effuſa ſubinde aqua, dum ſordium nihil emergat: dein coacta in paſtillos reponitur.

Cadmiæ conſideratio.

*Cadmia duo genera, altera factitia, altera foßilis. Hæc duplex eſt. Vna metalli expers. Altera aut æs, aut argentum continens. Factitia in fornacibus concreſcit, vbi æs conficitur triplici appellata cognomine. Nam botrytem eam appellant, quæ vuæ ſpeciem refert. Oſtracitem autem, quæ teſtis, & Placitem quæ cruſtis ſimilis fuerit. Sunt etiam qui in hoc genere calamitem oſtendant ab arundinum figura. Decutitur hæc à ferreis perticis quibus cum æs in fornacibus fuſum agitari ſolet: obducuntur enim cadmia, quæ decuſſa ſciſſi per medium calami faciem refert.* Lapis calaminaris. *Foßilis autem quæ metallum non continet, quamquè Germani lapidem calaminarem vocant, lapis eſt non admodum durus, ſubluteі coloris, qui accenſus luteum fumum edit. Hac vtuntur ærarij fabri, qui ex ære Orichalcum parant. Siquidem ſine ea id parari non poteſt. Quæ verò metallum continet, Germanis* Kobelt *dicta, nigro colore, aſſertur in Bohemiam ex ducatu Brunſuicenſi, à Goſelarijs fodinis, vbi Chalcitis & Myſi copioſè fodiuntur. Hæc erodendi facultate adeò prædita eſt vt foſſorum manus & pedes exulceret. Nec ſanè mirum, cum intus hauſta animalia quæcunque perimat. Bohemi hanc Ceruiſiæ æſtate admiſcent, ad necandas muſcas: nam vbi primum eam deguſtarunt, ſtatim emoriuntur.* Hiſtoria ex Galeno. *Cadmiæ vtriuſque meminit Galenus libro nono ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Cadmia fit, vbi in fornacibus æs paratur, nempe tota terra illa, ex qua æs generatur, in fornacibus in altum egerente velut fuliginem quampiam, & fauillam, ſiue vtcumque appellare libet. At ſi non terram, ſed lapidem nuncupare velis, ex quo in fornacibus ſecernendo partim fit æs, partim cadmia, partim diphryges, nihil ſane retulerit. Sed & in argenteis metallis efficitur ſimili ſecretione, ſiue generatione, aut quomodocumque vocare voles. Quin & ex pyrite lapide in fornacibus vſto fit cadmia. Cæterum abſque fornace in Cypro cadmia inuenitur, ac iure quiſpiam illam lapidem nuncupet. Itaque in Solis, quo tempore ego in inſula peregrinabar, pauciſſimum etiam reliquum erat cadmiæ, quæ in fornacibus fit. Verùm lapidibus, qui in montibus, & riuis reperiebantur, à metallis profectis acceptis, eos in Aſiam, Italiamque portaui ad amicos, à quibus ſummam inibam gratiam, quòd ſe vel maximum munus accepiſſe dicerent, & quæ alia omni cadmia multò eſſet præſtantior.* Cadmia lapidoſa. *Et talem certè meritò quis lapidoſam vocet, cadmiam. At eius, quæ combuſta eſt, aliam botrytim, aliam placitin medici nuncupant. Botrytin quidem, quæ in editioribus locorum, in quibus fornaces extructæ ſunt partibus colligitur, Placitim verò, quæ in inferioribus. Ac liquet ſanè botrytin eſſe tenuiorum partium, craſſiorum verò placitin: vtramque autem vi deſiccandi, ceu alia metallica omnia, & lapidoſa, terrenaque. Porrò præter deſiccandi facultatem, mediocriter item extergit. Attamen, quæ in fornacibus colligitur, igneæ facultatis aliquid habeat neceſſe eſt. Meritò itaque lauantes eam, medicamentũ efficiunt mediocriter tum deſiccans, tum extergens abſque mordicatione, vtile ad vlcera impletionem expoſcentia, & in oculis, & in toto corpore. Porrò vlcera magnopere humida ac putreſcentia, in corporibus impendiò mollibus, qualia ſunt eunuchorum, puerorum, ac mulierum, cuiuſmodi cadmia adiuuat. At in durioribus, & contentioribus, quæ valentius deſiccant, requiruntur. Itaque illud ſemper memoria tenendum, ſermonem ad temperatam, & mediam exceſſuum naturam, in ijs quæ ita ſimpliciter efferuntur, referendum: puta cum dicimus medicamentum aut vlcera carne implere, aut cicatrice claudere, aut aliud quidum eiuſmodi præſtare: ad quam vtique & nos nunc reſpicientes, leuiter deſiccatoriam, abſterſioramquè cadmiæ eſſe facultatem dicimus. In caliditatis autem, & frigiditatis differentia, temperata quodammodo exiſtit cadmia, nempe neutrum inſigniter efficiens: hæc Galenus.* Cadmiæ hiſt. ex Plin. *Quibus maximè adſtipulatur Plinius libro 34. capite 10. ſic inquiens: Metalla æris multis modis inſtruunt Medicinam, vtpote cùm vlcera omnia ibi ocyſſimè ſanentur. Maximè tamen prodeſt cadmia. Fit ſine dubio & in argenti fornacibus candidior, ac minus ponderoſa, ſed nequaquam comparanda æraria. Plura autem genera ſunt. Namque ipſe lapis, ex quo fit æs, cadmia vocatur, fuſuris neceſſarius, medicinæ inutilis. Sic rurſus in fornacibus exit, aliamquè nominis ſui originem recipit. Fit autem egeſta flammis atque flatu tenuiſſima parte materiæ, & cameris lateribusue fornacium pro quantitate leuitatis applicata. Tenuiſſima eſt in ipſo fornacium ore, quo flammæ eluctantur, appellata capnitis, exuſta, & nimia leuitate ſimilis fauillæ. Interior optima cameris dependens, & ab eo argumento botrytis cognominata: ponderoſior hæc priore, leuior porrò ſecuturis. Duo eius colores: deterior cinereus: puniceus melior, friabilis, oculorumquè medicamentis vtiliſſima. Tertia eſt in lateribus fornacium, quæ propter grauitatem, ad cameras peruenire non potuit. Hæc dicitur placitis, & ipſa ab argumento, cruſta verius, quàm pumex, intus varia, ad pſoras vtilis, & ad cicatrices trahẽdas. Fluunt ex ea duo alia genera. Onychitis extra penè cœrulea intus onychis maculis ſimilis. Oſtracitis tota nigra & cæterarum ſordidiſſima: vulneribus maximè vtilis. Omnis autẽ cadmia in Cypri fornacibus optima: hæc Plinius, qui à Galeno in hoc diſſentit, quòd dixerit foßilem cadmiam fuſuris tantùm neceſſariam, & medicinæ inutilem, cùm tamen Galenus contrarium ſcribat.* Cadmia in Germania. *Cadmiæ omne genus vidimus ſæpe nos in pluribus Germaniæ locis, vbi æs, argentum, & aurichalcum conficitur. Sed ſpeciatim botrytin apud Perzenum quinto a Tridento lapide, & apud Sbozium in Tyrolenſi comitatu, vbi in quàm plurimis fornacibus æs, ac alia metalla funduntur. Botrytis cadmiæ fruſtulum ſanè pulcherrimum nouiſſimè ad me miſit Sagabria Dalmatiæ vrbe, clariſſimus Medicus Ioſephus Salandius Bergomenſis: quod adeò in racemi modum congeſta eſt, vt planè vuæ ſpeciem referat. Porrò officinæ omnes Tutiam, quæ pompholyx eſt, Cadmiam perperàm nominant. Quandoquidem tutia illis vocata (niſi mea me fallit opinio) Cadmia eſt è botrytis aut placitis aut oſtracitis genere. Neque enim mirum eſſe debet, quòd Cadmia proprio amiſſo nomine, in pompholygis locum ſucceſſerit, cùm etiam Dioſcoridis tempore ſpodij loco vterentur Medici.* Nomina. *Metallicum, quod Græcis* καδμεία *Latinis item pariter & Italis Cadmia nominatur: Arabibus Climia ſeu Chlimia: Germanis* Grawer Augſtein.

## POMPHOLYX, SPODIVM, ANTISPODIVM. CAP. XLVI.

Πομφόλυξ, σποδὸν, ἀντισποδον.

POmpholyx ſpecie ſola, non genere à ſpodio diſtat. Siquidẽ ſpodos nigricat, & plerunque ponderoſior eſt, palearum pilorumquè plena, quaſi purgamentum quoddam, quod ab ærariarum officinarum pauimentis, & fornacibus euerritur. Pompholyx verò pinguis eſt, & candida, vſq; adeò leuis, vt in auras euolet

euolare poſsit. Cuius duo fluxerunt genera. Vnum ad æris colorem vergens, ſubpingue: alterum magnopere candidum, ſummamq; leuitatem nactum. Candida fit pompholyx, quoties in perficiendo ære fabri praſtantiorem facere volentes, detritam cadmiam cumulatius inſperſerint: namque tenuiſsima fauilla, quæ effertur, in pompholygem coit. Cæterum pompholyx non ex æris modò materia, & fabrili induſtria efficitur, ſed ex cadmia quoque, ad gignendam ipſam eximie follibus proflata. Cuius faciundæ ratio hæc eſt. In domo gemina contignatione operta, fornax extruitur, iuxta quam mediocris feneſtra, ad tabulatum a ſuperiis partibus pateat: domicilii paries fornaci proximus, tenui foramine ad fornacem vſque pertundatur, ad excipiendam follis narem: oſtium mediocre habeat, pro exitu ingreſſuq; artificis fabricatum: domuncula altera huic coniuncta ſit, in qua & folles, & flator ſuo munere fungantur: deinde carbonibus in camino ſuccenſis, aſsidens artifex cadmiam particulatim fractam inſpargit, a locis ſupra infundibulum extructis: idem negotium obit inferne artificis miniſter, ſimulq; carbones adiicit, vſque dum inditæ cadmiæ copia prorſus abſumatur. Itaque geſta ſuffitu tenuis pars, & leuis materiæ in ſummam domum euolat, & parietibus, tectis, fornaciq; adhæreſcit: conflatum autem inde corpus, inter initia erumpentibus aquarum bullis ſimile prodit, poſtea maius incrementum capeſſens, glomuſculis vellerum ſimile redditur. Ponderoſius autem in ima loca ſe recipit: ſed hoc fornacibus offunditur, illud domus pauimento inhæret: quod tenuiore deterius exiſtimandum eſt, ideo quod multum terræ collegerit, & ſpurcitia in aceruatione referciatur. Sunt qui hoc modo tantum fieri ſpodium arbitrantur, de qua antè dictum eſt. Optima creditur Cypria, quæ accepto aceto halitum æris præſtat, colore aliquantùm piceo, ſapore cæterum horrido: & ſi fraudem non experta, flagranti carbone inferueſcit, æreum colorem contrahit. Antedictis autē notis diligenter attendendum eſt. Siquidē a nonnullis adulteratur taurino glutine, ouillo pulmone, aut marino, aut crematis groſsis, & quibuſdam conſimilibus: quod facile cognitu fuerit, quippe nihil in iis probandis inuenietur eorum, quæ antè dicta ſunt. Pompholygem in commune ita lauari oportet. Ligatam linteo mundo, modiceq; raro, aut ſiccam, aut aqua reſperſam in labellū demittito, quod imbrem contineat, & huc atque illuc faſciculum deferens, immergito: ita enim limoſa pars eius, ac vtilis effluet, & omne ſedimentum in linteolo remanebit: poſtea reſidere ſinens aquam cum cinere colis inclinito, & nouam infundens, agitato, & effundito: mutata tantiſper aqua, & colata, dum arenoſi nihil ſidat: demum aquam exprimito, & ſiccatum cinerem recondito. Alii quantum maximè fieri poteſt ſiccant, manibus in aqua conterunt, dum mellis craſſamentum imitetur: deinde linteo faucibus excepturi vaſis obtento, aut laxius illigato, colant, & quo facilius tranſeat, infuſa per linteum largiore aqua, cinerem conturbant: mox ſpumoſum, quod traiectum eſt, & ſupernatat vaſi, concha excipiunt, & fictili nouo ad vſus recondunt. Quod vero reſedit, ſenſim cribratum, in aliud vas transfundunt, relicto arenoſo, quod peſſum ierat: rurſus lapidoſa ſidere patiuntur, & in vas aliud excolant: hoc identidem faciunt, donec cinis merus, & arenæ expers inueniatur. Alii paulatim integram in aqua reſpergunt, arbitrati arenas, lapilloſq; ſuo ponduſculo degrauatos, peſſum ire: pilos autem, & paleas leuitate ſua in ſublime attolli. Cæterum cinerem medium ſeparant, & in pilam coniectum, vt cadmiam, eluunt. Quinetiam lauatur vino chio marina aqua diluto, modis quos ſupra diximus: & ita redditur adſtringentior, quàm aquis elota. Vis pompholygis adſtringere, refrigerare, explere, purgare, obſtruere, & aliquantùm exiccare. Inter medicamenta numeratur, quæ leniter cruſtas obducunt. Quòd ſi ſpodon torrere libet, diligenter tritam, & irrigatam aqua, colliges in paſtillos, fictiliq; nouo, ſubiectis leuibus prunis orbiculos continuo verſabis, dum aſsiccati fuluefcant. Neque ignorandum ex auro, argento, plumboque fieri ſpodium, verùm poſt Cyprium, plumbeum maxime commendatur. Quoniam ſpodos ſæpenumero deſideratur, neceſſe eſt oſtendere, quæ ſimili virtute polleant, vt in ſpodii locum ſuffici poſſint, antiſpoda vocant: quoq; modo ſumi debeant. Folia itaque myrti cum floribus, & immaturis, in fictile crudum coniecta, indito operculo continua foramina habente, vruntur fornacibus, donec figlinum percoquatur: iterum in fictile aliud crudum transferuntur, quod vbi perafſatum fuerit, exempta lauantur ad vſus. Idem quoque fit è termite ſylueſtris oliuæ, ſi habeatur: ſin ſecus, ſatiuæ cum ſuis floribus, aut malis cotoneis diſſectis, & detractis oſsibus, aut gallis, aut laceratis linteolis: item ex moris immaturis, id eſt candidis, in ſole prius arefactis, aut terebintho, aut lentiſco, œnanthe, aut mollibus rubi foliis, vel è buxi coma, vel è pſeudocypero cum flore. Alii ficulneas frondes in ſole antea ſiccatas, eodem modo parant: alii taurinum gluten: alii ſuccidas lanas aſperas, pice aut melle irrigatas. Quæ omnia in ſpodii vicem vſurpantur.

*POmpholygem officinæ Mauritanos ſecutæ Tutiam dicunt. Ita enim pompholyx appellatur Serapioni, & Auicennæ. Verum quam Seplaſiarij Tutiam exiſtimant, legitima non eſt, ſed cadmiæ potius ſpecies. Siquidem cùm hæc lapidis modo cruſtoſa, prædurać; ſit, pompholygem, ſiue tutiam dictam prorſus mentitur. Pompholyx namque, Dioſcoride, & Galeno authoribus, ex æris, vel cadmiæ fauilla in glomuſculos vellerum ſimiles coit, & farinæ modo contacta diſpergitur. Id quod recentiorum nullus, quod ſciam, animaduertit, fortaſſe quòd omnes rei herbariæ indagandæ magis inſudauerint, quàm in inueſtiganda foſſilium materia. Quamobrem Manardum Ferrarienſem, medicum ætatis noſtræ clariſsimum, hac in re deceptum ſatis reperio. Quippe qui, dum Auicennam redarguit, quòd ſpodium è combuſtis arundinum radicibus conficiat, ſedulo nos admoneat, vt ſecuti Galeni ſententiam, in ſpodij defectu, Tutia potius vtamur, quæ ſeplaſia abundant, quàm Auicennæ antiſpodio. Sed in hoc Manardus planè hallucinatus deprehenditur, quòd procul dubio crediderit, vulgarem officinarum Tutiam legitimam Dioſcoridis, & Galeni eſſe pompholygem, cùm tamen legitimæ Tutiæ nullis in officinis ſit vſus, quod (vt iam diximus) omnes pompholygis loco cadmia tantum vtantur. Porrò legitimam tum pompholygem, tum ſpodium, quæ à Dioſcoridis & Galeni hiſtoria nullis diſsident notis, ego ab ærarijs, argentarijsq; fornacibus pluries mecum detuli, tam ab his, quæ Perzeni, & Lauisij in Tridentino agro habentur, quàm ab illis, quæ Sbozij in Tirolenſi comitatu Germaniæ inueniuntur, vbi certe celeberrimæ ſunt metallorum ferè omnium fornaces, ac fodinæ: è quibus non modo pompholygis, & ſpodij quantum ſatis fuerat, accipiendi nobis fuit facultas: ſed etiam cadmiæ, pyritis, diphrygis, floris æris, helcyſmæ, molybdænæ, cærulei, & Armenij lapidis. Quorum ne minimam quidem particulam apud Italiæ ſeplaſiarios reperi vnquā, præter quam apud eos, qui vel a me, vel ab amicis meis admoniti, legitima hæc metallica medicamenta, adulterinis ex ſuis officinis abdicatis, in medicū ſuſceperūt vſū. Nunc verò amicos intelligo (quos tamē verius fratres amantiſsi-*

Pōpholygis conſideratio.

Manardi erratum.

*amantiſsimos appellare poſſem, vt qui & ætate & longa conſuetudine, & ſtudiorum communione mihi coniuncti ſint) clariſsimos medicos Tridento oriundos, Andream Gallum, & Iulium Alexandrinum, qui iamdudum ob eorum tum doctrinam, tum integritatem a Sereniſsimo Ferdinando Romanorum, Vngariæ, Bohemiæq; Rege, in ſui & ſuæ prolis tum modum in medicos honorificè recepti ſunt. Hoc itaq; pacto cadmia officinis pompholygis vicem explet: quibus etiam antiſpodia quædam ex arundinum radicibus, & boum oſsibus concrematis facta, ſpodium falsò referunt. Quod tamen non omnino fuerit reprobandum: nam Dioſcoridis teſtimonio, vbi legitimum deſideretur ſpodium, antiſpodia vti ſane licet: nempe quæ fieri poſſint è myrti folijs, floribus, bacciſq;: ex oliuæ frondibus, cydonijs malis, quercuum gallis, attritis luminibus: item moris nondum maturis, terebintho, lentiſco, buxo, pſeudocypero, fici frondibus, tauri glutino, ſuccoq; cum pice aut melle perfuſa. Quo fit, vt mihi plane immeritò à Manardo reprehenſus videatur Auicenna, qui ex combuſtis arundinum radicibus ſibi ſpodium confecit, medicinis commiſcendum, quæ ad cordis robur parantur, & intus in corpus ſumuntur. Hic enim longè melius, ac conſultius fuerit arundinaceum admiſcere ſpodium, quàm eius vice Tutiam aut pompholygem imponere: licet hæc quoq; ſit Braſauoli ſententia. Sed equidem hactenus nunquam me legiſſe recordor, pompholygem ſeu ſpodium ijs medicamentis tutò admiſceri poſſe, quæ intus in corpus ſumuntur: cùm neque Dioſcorides, neque Galenus, nec qui poſt ipſos diuerſis temporibus claruerunt, tam ex Græcis, quam Mauritanis, vſquam, quod inuenerim, memoriæ prodiderint, citra vitæ periculum, hæc hauriri poſſe. Nam fieri non poteſt, quin tam pompholyx, quam ſpodium ventriculo, & cæteris viſceribus, mirum in modum noceant, cùm ex tenuiſsima æris ſubſtantia vehementiſsima igne conficiantur, & id ob deleterij aliquid habeant. Quod maiori quidem diligentia expendere potuiſſet Braſauolus, cum interrogatus à ſuo ſene pharmacopola, quid ſpodij loco in compoſitis medicamentis imponendum foret, inconſulte ſtatim reſpondit, pompholygem, vt faciebat Galenus. Qua in re duplici, meo quidem iudicio, notatur errore. Primùm, quod reſpondens non diſtinxerit, an hoc vel alio modo agendum fuerit cum medicamentis, quæ ore ſumuntur, quibus myropolæ ſpodium quandoque commiſcent, omnino hac in re concludere videtur, pompholyge indifferenter pro ſpodio vtendum eſſe tam in hauriendis, quam exterius admouendis medicamentis. Deinde verò cùm pompholygem, ſiue (vt ipſe habet) tutiam ſpodij loco ſumendam ſtatuit, in eodem verſari errore deprehenditur, in quo Manardum eius ciuem verſatum oſtendimus. Quandoquidem ſi rectè nouiſſet Tutiam communis vſus legitimam non eſſe pompholygem, omnino (vt ſemper in rebus tam adulterinis, quam ſuppoſititijs medicamentis facere adſolet) errorem hunc ſuo ſeni pharmacopolæ indicaſſet. Nec obſtat, quòd dixerit Galenus in ſpodij defectu, pompholygem ſupplendam. Siquidem in ijs tantùm medicamentis id faciendum voluit, quæ exterius illinuntur. Nam Galeni ætate nullus ſpodij vel antiſpodij extitit vſus ad medicamenta, quæ intus in corpus ſumuntur, vt longo poſt tempore à Mauritanis factum eſſe reperio. Cæterum Fuchſius, libro de componendorum medicamentorum ratione, Agricolam fortaſſe ſecutus, præter illud Spodium, quod in fornacibus fit, alterum quoq; recenſet ſubterraneum ſeu foſsile dictum, idq; in quatuor ſpecies, cinereum videlicet, nigrum, viride, & luteum diuidit: quod quidem ſolis Arabibus (Agricola ſoli Serapioni) notum eſſe ſcribit. Veruntamen Serapio vbi de pompholyge agit cap. 422. vbi item de Spodio cap. 342. nullam, quod legerim, ſpodij foſsilis mentionem facit: quemadmodum neque Auicenna, neq; etiam alij Arabicæ familiæ authores. Porrò meminit tum Pompholygis, tum etiam ſpodij Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Pompholyx fit in æris fornace, velut & cadmia: fitq; & diu in fornacibus cadmia teritur, vt in Cypro. Cùm enim præfectus ad æris fornacem inſtructas res non haberet, præcepit ex ipſa cadmia præparari (præſentibus, atque inſpectantibus nobis) pompholyga, videlicet minutis cadmiæ fragmentis in ignem coniectis, qua ærarium iacebat follem. Camera erat incurua, nuſquam pertuſa, ſed integra, quæ egeſtam ab vſta cadmia fauillam excipiebat: quam vbi collegiſſent, habebant pompholyga. At quod reflectens infra in pauimentum recidebat, ſpodon vocant, quæ plurima vbi æs in fornacibus vritur, colligi aſſolet. Quidam etiam Spodium neutro genere pronunciant: cui videtur ſimilem habere facultatem, quod vocant Antiſpodium. At ego illo vſus ſum nunquam, cum largè mihi ſemper pompholyx ſuppeteret. Nec enim quiſquam, vbi hæc adſit, ſpodio vti velit, nedum antiſpodio. Eſt autem pompholyx medicamentum, propè omnium, qui citra morſum deſiccant, ſi elota fuerit, præſtantiſsimum, quamobrem ad vlcera cancroſa idonea eſt, & ad alia omnia maligna. Itaque inditur collyriis, quæ ad oculorum imponuntur fluxiones, atque bullas, ſeu puſtulas in eis natas curant. Præterea ad pudendorum, ac ſedis vlcera optimum eſt medicamentum, vtpote ſine morſu deſiccans. Sed non eſt huius negotij in iſtis diutius immorari. Idem libro 4. de compoſitione pharmacorum ſecundum locos de pompholyge ita ſcribit: Pompholyx lota nulli pharmacorum mordacitati expertium inferior eſt: atqui id ea vtimur ad acres, & tenues fluxiones, capite videlicet prius ſimulq; vniuerſo corpore euacuato. At verò manifeſtum eſt quod per venæſectionem, ac purgationem totum corpus euacuamus, per apophlegmatiſmos verò caput à pituita vacuamus. Poteſt enim Pompholyx lota, quemadmodum etiam ſpodium, atque amylum ſimul, & moderatè humores reſiccare, ſimulq; ne per tunicula euacuetur ea, quæ in magnis ipſorum venis, ſuperflua humiditas continetur, prohibere. Quare ſi quis prius, quàm caput ab humoribus ad oculos defluentibus expurget, obturantibus pharmacis vtatur, vehementem dolorem ex diſtentu tunicis efficiet, & ex multitudine influentium humorum aliquando rupturam, aut corroſionem inducet.*

Ant ſpodium ex quibus fiat.

Braſauoli error, Pompholygem, Spodio ſubſtituentis.

Fuch. opinio.

Pōpholygis, & ſpodii hiſtoria & vires ex Gal.

Nomina. Πομφόλυξ ſic Græcis, vt etiam Pompholyx Latinis, & Bulla dicitur: Arabibus, Thucia: Italis Pompholyge: Germanis Weiſz Nicht. Σπόδιον & σποδὸς, Græce, Spodium ſimiliter Latinè vocatur: Italicè Spodio: Germanicè, Graw Nicht.

## Χαλκὸς κεκαυμένος. AES VSTVM. CAP. XLVII.

AES vſtum probatur rubrum, & quod contritu colore cinnabarim imitetur: nigrum verò pluſquam deceat, exuſtum eſt. Fit autem è clauis ſolutarum nauium, fictili crudo compoſitis: ſubſperſo ſulphure cum ſale pari, omnibus viciſsim inſperſis, fictile, circumlito figulari creta ſpiramento, fornacibus imponitur, donec figulinū percoquatur. Quidam pro ſulphure, & ſale alumen inſpergunt. Alii ſine ſulphure & ſale, fictili multos dies vrunt. Alii ſulphure ſolo vtuntur, fuliginem tamen excutiunt. Alii oblitos fictili alumine clauos cum ſulphure & aceto, fictili crudo cremant. Alii in ænea olla aceto reſperſos vrunt, & iterum ac tertiò idem efficiunt, poſtea recondunt. Principem locum tenet in Memphide combuſtum: proximum in Cypro. Adſtringit, exiccat, reprimit, extenuat, attrahit: vlcera purgat, & ad cicatricem perducit: vitia oculorum emendat: excreſcentia in carne conſumit, nomas cohibet: vomitus ciet cum hydromelite potum, aut cum melle delinctum, illitumue. Lauatur vt cadmia, mutata quater die aqua, donec nulla prorſus ſordes emergat. Aeris recrementum, ſtercuſue quam ſcoriam vocant, eodem modo lauatur: & eandem vim, ſed imbecilliorem, habet.

Aes

AEs vſtum, quod in officinis paſſim habetur, pauci ſanè valoris eſſe exiſtimauerim, cùm nigrum ſit, & pluſquam oportebat igne excoctum. Verum facile quiſpiam huic malo mederi poterit, ſi Dioſcoridis methodum in ipſum conficiendi laborem ſubierit. Quòd ſi æris claui è nauigijs ſolutis exempti non adſint, æs aliud omne vetuſtate expurgatum, commodè aſſumi poterit. [illegible] meminit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Aes vſtum habet & acrimoniam quandam, ſed & adſtrictionis eſt particeps. Proinde ſi lauetur, pulcherrimum eſt medicamentum cicatrici vlceribus inducendæ: quanquam id ipſum præſtare, & antequam lauetur, poſſit, potiſſimum in carne duriore: alioqui in molliore commodius eſt, quod ablutum eſt. Quod Aes vſtum Latinis χαλκὸς κεκαυμένος, Græcis appellatur: Italis Rame abbruſciato.

Aeris confi. — Vires ex Galeno. — Nomina.

## χαλκοῦ ἄνθος. FLOS AERIS. CAP. XLVIII.

FLos æris, quem nonnulli clauorum veterum pſegma, quaſi reſegmen aut ſegmentum, nominarunt, optimus eſt friabilis, in attritu fulueſcens, milii effigie & numero, breuis, ponderoſus, modicè ſplendens, atque conſtringens, qui delimatam æris ſcobem non recepit, qua ſæpe adulteratur. Sed id facilè deprehenditur, cum dentium illiſu dilatantur ramenta. Fit autem, cum æs fornacibus fuſum, in receptacula delabitur, per cola fiſtularum ad ea pertinentium: tum huic negocio addicti miniſtri, ſordes expurgantes, aquam clariſsimam infundunt, refrigerandi propoſito: itaque repentino concretu, ac addenſatione, velut exputtur, & erumpit antedictus flos. Adſtringit, & excreſcentia coercet: offuſã oculis caliginem emendat, ſed magnopere mordet. Quaternum obolorum pondere datus, craſſum humorem extrahit: carnoſa narium, & ſedis vitia abſumit: eruptiones papularum cum vino cohibet. Candidius contra diuturnas aurium grauitates tritus, in eas per fiſtulam flatu impellitur: vuam, tonſillasq; reprimit, farina eius cum melle admota.

*FLorem æris verum ac legitimum in fornacibus, vbi æs ipſum funditur, in Tridentino agro, ſæpius collegimus, in hunc modum. Cùm æs fornaci liquatum, in paratum receptaculum extra fornacem diffunderetur, anteaquam omnino coiret in maſſam, frigidam ſuper ipſum adhuc ignitum infundebam: ſtatimquè vapor magnus excitabatur, ſub quo mox ferream laminam, & eam quidem amplam, ſubijciebam, tamdiuq; tenebam, donec ceſſabat vapor. Itaq; demum æris flos, qui ſuper lamina illa ferrea deciderat, mihi ſe ſe oſtendebat granulis milio proximis, minoribus tamen, ſed colore rubicundo ſplendentibus. Quandoquidem tenuiſſima æris pars, quæ à vapore in ſublime fertur, aeris frigiditatem experta, facilè in eiuſmodi exigua grana concreſcit. Is nuſquam, quod ſciam, in officinis reperitur, quapropter eius vice ærugine perperàm vtuntur. Florem æris paucis perſtrinxit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, ſic de eius viribus diſſerens. Flos æris tenuiorum partium facultatis eſt, quàm aut æs vſtum, aut ſquama. Meritò itaque ex eo facti collyrii, extergunt, auferuntque ſuperciliorum magnas aſperitates, quas vocant ſycoſes. Χαλκοῦ ἄνθος ita Græcis, Latinis verò Flos æris dicitur: Mauritanis, Zar alnhas ſiue Zer alnhas: Italis Fiore del rame.*

Floris æris hiſtoria. — Vires ex Gal. — Nomina.

## λεπὶς χαλκοῦ. SQVAMA AERIS. CAP. XLIX.

SQuama æris excuſſa ex Cypriis officinarum clauis, craſſa quidem ipſa præſtantior, quæ helitis, id eſt, clauaris nominatur: ſed ex vili promiſcuoq; ære, aut candido, vitioſa intelligitur: quam vt pote tenuẽ, & inualidam, damnamus, maximè approbantes craſſam, rufam, præſertim ſi aceti reſperſu æruginem con trahat. Vim habet adſtrictoriam, extenuantem, reprimentem, & erodentem: nomas coercet, vlcera ad cicatricem perducit: pota ex aqua mulſa, aquam trahit. Aliqui farina ſubactam, dant in catapotio. Additur ad oculorum medicamenta: genarum namque ſcabritiam abſumit, & fluxiones exiccat. Lauatur hoc modo. Siccæ æris ſquamæ expurgatæ ſel. bra, cum nitida aqua in mortario manu diligenter conturbatur, quouſque peſſum ierit: abijcitur quod ſubſidit, & effuſa aqua, hemina cœleſtis imbris adiicitur, & diſtenta manu, ſquama, quaſi deſtringenda ſit, vehementer contricatur: dumq; lentorem emittere cœperit, aqua ſenſim ad ſex heminas, vſq; ſuperinfunditur, terendo validè: ſquama ad latus mortarii colligitur, ibiquè apprimitur: quo facto, expreſſus humor pyxide ex ære rubro facta, excipitur: Hoc eſt enim velut flos ſquamæ, valens viribus, & ad ocularia medicamenta cùm primis efficax. Inutile, imbecillumq; quod ſupereſt, lauatur donec nullam prorſus lentitiam excernat: & linteo opertum biduo conquieſcere ſinitur, effuſaq; extante aqua, vbi ſiccatum erit, reconditur pyxidicula. Alii vt cadmiam lauant, & reponunt.

## λεπὶς ςομώματος. SQVAMA STOMOMATIS. CAP. L.

SQuamæ ex acie, aut mucronibus decuſsæ, quam vocant ſtomoma eadem vis. Lauatur modo ſimili, & reconditur: ſed ad molliendam alui deiectionem inefficacior eſt.

*AEris ſquama malleis ex eo decuſſa, res ſanè vulgaris notitiæ eſt: tametſi ea præſtantior ſit, quæ ab ære excutitur, quo claui fiunt, helitis propriè dicta. Siquidem cùm huiuſmodi æs rude impurumq; ſit, craſsiorem, vegetioremq; ſquamam reddit, quàm id quod pluries ignem expertum, in varia vaſorum genera conformatur. Eius præterea abluendæ ratio adeo Dioſcoridi clara diſtinctaq; traditur, vt nihil addendum ſuperſit. Squama omnis in vniuerſum meminit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcriptum reliquit: Squama alia eſt æris, medicamen ad multa vtile: alia ferri, & ſtomomatis. Quidam verò nominant & helitin lepida, ſiue ſquamam. Omnes ſanè vehementer deſiccant. At inter ſe diuerſæ ſunt, tam quòd alia magis, alia minus exiccat: tum quòd alia craſsioris, alia tenuioris ſit eſſentiæ: quodq; plus, minùſue adſtrictionis ſint participes. Helitis certè principem in deſiccando locum obtinet: nam & tenuiorum partium, quàm alia eſt, nimirum quæ & æruginis nonnihil aſſumpſerit. Maiorem obtinet adſtrictionem ſquama ferri, & hæc etiam maiorem ſtomomatis: quamobrem ad contumacia vlcera meliores ſunt, quàm ſquama æris.*

Squamę æris & ſtomomatis conſid.

potentius ſquama æris, & hæc etiam valentius helitis. Omnes autem ſquamæ non inſtrenuè mordaces ſunt. Ex quo de-rum eſt, quod eſſentiæ ipſarum conſiſtentia non admodum tenuis eſt, ſed potius craſſa: ſiquidem inter quæ eandem vim obtinent, minus eſt mordax, quod eſt tenuius, vt ſuperioribus libris oſtendimus: hæc Galenus. Ex quibus vtique liquidò conſtat ſtomomatis ſquamam, æris ſquamam eſſe nequaquam: etſi contrarium memoriæ prodiderit Plinius errore du-ctus, atq; etiam idem affirmauerint recentiorum quidam, eius fidem magis fortaſſe ſecuti, quàm quod altius rem hanc inueſtigauerint. Quandoquidem non deſunt, qui ſtomomatis ſquamā æris ſquamam omnium tenuiſſimam eſſe commen-dant, vt Marcellus Dioſcoridis interpres. Sunt etiam qui putent eandem modò æris, modò ferri ſquamam tenuiorem de-ſignare, vt Braſauolus: quanquam hæc nullis, quod equidem ſciam, rationibus, nulliſq; authoritatibus probent. Braſauo-lus tamen, vt ſuam tueatur ſententiam, Dioſcoridem in medium citat. Sed qua ratione ego profectò neſciuerim, cùm nuſ-quam repererim ſcripſiſſe Dioſcoridem, quòd ſtomomatis ſquama promiſcuè æris & ferri ſquama eſſe poſſit. Verum ne quiſpiam fortè putaret, me hæc meo tantùm arbitrio proferre, id ſanè quod ſentio, primùm non obſcuris, vt puto, ratio-bus aperiam: mox probatiſſimorum authorum teſtimonio illud apertiſſimè confirmabo, quòd ſcilicet ſtomomatis ſquamæ nec æris, nec ſimplicis ferri, ſit materia, ſed chalybis tantùm. In primis itaq; dicimus, quòd cùm ſcribat Galenus æris ſqua-mam principem locum in deſiccando inter cæteras obtinere, ferri verò maiore adſtringendi vi quàm hæc pollere, & hac e-iam maiore ſtomomatis, manifeſtum præbet indicium, ſtomomatis ſquamam nec ab ære, nec à ſimplici ferro eſſe decuſſam, ſed à duriore & terreſtriore metallo, nempe ab ipſo chalybe: quippe cùm ſtomomatis ſquama longè magis adſtringat, quàm ferri, huius verò plus adſtringat quàm æris, rationi minimè conſonum videtur, ſtomomatis ſquamam eſſe, aut æris, aut ſimplicis ferri ſcobem, ſed potius (vt dictum eſt) puriſſimi chalybis. Ad hæc cùm Galenus in capitis fronte ſcribat, Squama alia æris eſt, alia ferri, alia ſtomomatis, omnibus ſanè palàm facit, ſtomoma aliud eſſe metallum ab ipſo ære, & à ſimplici ferro omnino diuerſum. Nam ſi ſenſiſſet Galenus, quòd ſtomoma in æris genere, non autem ferri, fuiſſet reponendum, di-xiſſet haberi ſquamam æris, ſtomomatis, ac ferri, neque ita ſpeciem à ſuo genere diſiunxiſſet. Sed quoniam rectè no-uerat ſtomoma genus eſſe ferri arte facti, ob id ſuo illud adſcripſit generi, quemadmodum & Paulus ipſum ſecutus. Cæterùm præter rationes adductas, ſtomomati ſquamam à chalybe tantùm decuſſam eſſe, nihilq; aliud Græcis ſto-momatis nomine indicari, quàm chalybem, confirmatur Aëtij & probatiſſimi, & Græci authoris teſtimonio, quippe qui libro 9. cap. 48. de ijs agens, quæ in corpus ſumpta dyſentericos iuuant, quidnam Græcis eſſet ſtomoma, his verbis aperuit de-clarauit: Deinde vinum purum vetus, quantum ſatis videbitur, in nouum vaſculum infundito, & laminam ignitam ex ferro, quod ſtomoma vocant, non minorem libra in vino extinguito. Item lib. 10. cap. 9. vbi indurati lienis curam agit, ſic inquit: Sit autem ferrum, quod in ipſis extinguitur, ſtomoma. Ipſius autem ſtomomatis ferri ſquama, quam in fabrilibus officinis ferrum, dum ignitur, & malleo tunditur, abijcit. Poſtea agreſtioribus hominibus vtiliter exhibetur. Et lib. 4. cap. 24. idem ait: Squama ferri præſertim ſtomomatis, amplioris adſtrictionis particeps eſt: hæc Aëtius. Ex quibus ſanè per-ſpicuum fit, nil aliud Græcis eſſe ſtomoma, quàm Latinis ſit chalybs, qui è puriore ferri ſubſtantia, arte fit in fornacibus. Quo factum eſt, vt omnes in vniuerſum medici Aëtium & reliquos vetuſtiores ſectati, ad dyſentericos, alioſq; affectus expetentes, chalybem igne candentem, magis quàm ferrum, modò in aquam, modò in auſterum vinum, modò in lac extin-guant, quod chalybs maiore adſtringendi vi polleat, quàm ferrum. Hinc itaque omnino affirmare licebit, nil aliud con-tiſſe vetuſtioribus, ac recentioribus Græcis ſtomomatis ſquamā, quàm quæ à chalybe decutitur, eiuſq; præſertim, qui in ferrarijs in officinis acuitur, dum gladijs ac telis aciem, vel mucrones coaptant artifices: quin etiam dum alia fiunt inſtru-menta materiarijs fabris, & terræ cultoribus expetita. Porrò hanc rem quoq; Actuarius abundè expreſſit ſuo de compoſitio-ne medicamentorum libro in Aegyptia Andromachi, dum inquit: Multò reddetur vtilior, ſi ſquamam aciei, aut mucroni-bus decuſſam, quam appellant ſtomomatis, pari pondere ſibi adſciſat. Id quod etiam idem paulò inferius repetijt. Hoc in-ſuper confirmari poteſt ex Galeni ſcriptis libro primo, ac tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, vbi di-uerſis medicamentis, præſertimq; ad alopeciam facientibus, ſtomomatis ferri ſquamam immiſcet. Sed ſi fortè reperiretur aliquis adeò ceruicoſus, & peruicax, vt tot clariſſimorum virorum authoritatibus non acquieſceret, audiat quæſo Ariſto-telem philoſophorum omnium principem, qui lib. 4. Meteororum, chalybis ſiue ſtomomatis conficiendi rationem ſcitiſſi-mè docuit ijs verbis: Τήκεται δὲ καὶ ὁ εἰργασμένος σίδηρος, ὥστε ὑγρὸς γίγνεσθαι, καὶ πάλιν πήγνυσθαι, καὶ τὰ στομώματα ποιοῦσιν οὕτως. ὑφίσταται γάρ, καὶ ἀποκαθαίρεται κάτω ἡ σκωρία. ὅταν δὲ πολλάκις πάθῃ, καὶ καθαρὸς γένηται, τοῦτο στόμωμα γίγνεται, οὐ ποιοῦσι δὲ πολλάκις αὐτό, διὰ τὸ ἀπουσίαν γίγνεσθαι πολλήν, καὶ τὸν σταθμὸν ἐλάττω, ἀποκαθαιρομένου. ἔστι δὲ ἀμείνων σίδηρος ὁ ἐλάττω ἔχων ἀποκάθαρσιν. Quæ Latinè redduntur in hunc modum. Porrò & ferrum elaboratum liqueſcit, ita vt fluxum reddatur, & rurſum concreſcat, atque in hunc modum faciunt ſtomomata: ſiquidem ſcoria in fundum ſubſidet, & defæcatur ferrum. Cùm verò id ſæpe factum eſt, & purum euaſit, ſtomoma efficitur. Hoc autem non ſæpe faciunt, eò quod repurgatum multum deperdat, & pondere imminuatur. Atqui ferrum illud melius eſt, quod minus excrementi retinet: hactenus Ariſtoteles. Cuius nimirum doctrinam ſequuntur in hunc vſque diem, qui ferrarijs fornacibus, & officinis è ferro prius elaborato, chalybem conficiunt in Italia, & in alijs vniuerſæ Europæ regioni-bus. Quapropter eos prorſus hallucinari euidentiſſimum eſt, qui aliter ſentiunt: nempe inter antiquos Plinium, & inter recentiores Marcellum, & Braſauolum. His omnibus accedit Serapionis authoritas, magni inter Arabes Dioſcoridis inter-pretis: quippe qui quadringenteſimo tertio ſui operis capite de ſimplicium medicamentorum hiſtoria & viribus, id totum quod à Dioſcoride proditum eſt de ſquama ſtomomatis, de ferri ſquama poſteritatis memoriæ prodidit, ferrum tanquam genus, chalybis loco accipiens. Nec obſtat, quòd in Dioſcoridis codice ſcriptum reperiatur, ſtomomatis ſquamæ vim eandem eſſe, quæ æris ſquamæ, quanquam non adeò valenter aluum deijciat. Siquidem ego planè ſuſpicor, codicem Dioſcoridis hoc in loco eſſe deprauatū, vt in alijs quoq; pluribus deprehenditur, præſertim cùm nec à Galeno, nec ab alijs veteribus ſcripto-ribuſq; Græcis proditum ſit, ſtomomatis ſquamā æris ſquamæ viribus eſſe ſimilem: hæc namque aluum deijcit, illa verò con-tra eam cohibet. Ad hæc nuſquam memini apud quenquam legiſſe, alio metallo roborari poſſe ferrum in aciem vel mucro-nem elaboratum, niſi chalybe, qui Græcis ſtomoma dicitur. Quo fit, vt illorum pertinaciam mirari non deſinam, qui aliter ſentiunt. Ex his itaque haud dubiè credendum arbitror, non aliud eſſe ſtomoma, quàm chalybem, qui cùm à pri-mordijs ſemper fuerit expetitus ad ferreorum inſtrumentorum aciem roborandam, quam aciem Græcis στόμωμα vocant, pariter chalybem ſtomoma vocarunt. Quapropter dicebat Aëtius, ſit ferrum, quod in ipſis extinguitur, ſtomoma. Hoc autem vocabulum putauerim ego ortum eſſe à στόμα, quod Latinis os ſonat. Acies enim, itemque mucrones, gladijs, & telis, aliiſque ferreis inſtrumentis vſum nullum alium præbent, quàm oris: vnde Latinis quandoq; dici ſolet, eos quibus in maleficia caput abſcinditur, in ore gladij periiſſe. Plinius quoq; licet ignorauerit, quid Græcis ſignificaret ſtomoma: chalybē tamen aciem, quæ Græcis στόμωμα dicitur, appellauit lib. 34. cap. 14. ſic inquiens: Ex omnibus autē ferri generibus

Plinii, & recentiorum quorundam error.

Braſauolus arguitur.

Stomoma eſſe chalybis ſquamam cō firmatur authoritatibus.

Stomomatis conficiendi ratio ex Ariſt.

Plinii, Marcelli, & Braſauoli error.

Stomoma idem eſt quod chalybs.

*Serico palma eſt. Seres hoc cum veſtibus ſuis, pellibuſq́, mittunt. Secunda Parthico, neque alia genera ferri ex mera acie temperatur: cæteris enim admiſcetur: hæc Plinius. Ex quibus palàm eſt, id hoc loco Plinio aciem vocari, quod chalybem etiam Latini appellant, quodq́, nos corrupto nomine ab acie, vel ab acuendo vulgò vocamus acciaio, quemadmodum & Galli acier, & Hiſpani acciel ſuo idiomate dicunt. His igitur tum rationibus, tum authoritatibus freti, στόμωμα potius à στόμα, quam à verbo στομόω ortum habere putamus: quanquam etiam eorum opinio, qui à στομόω στόμωμα dictum exiſtimant, non ſit omnino improbanda, quòd id verbum roborare, durum facere, aciem & mucronem inducere Græcis deſignet. Sed neque illos quoque prorſus aberrare crediderim, qui ſcobem ab acie, & mucronibus, dum ſuper lapide rotante acuuntur arma, deraſam, ſtomomatis ſquamam eſſe cenſent. veruntamen hæc, quòd ſit lapidis illius ramentis admiſta, non perinde ac ſyncera probanda videtur. Squama, quæ Græcis λεπὶς χαλκοῦ, Latinis Squama æris appellatur: Italis, Squama del rame: Germanis, Kupferſchlag: Hiſpanis, Eſquama de cobre. Quæ verò Græcè λεπὶς στομώματος: Latinè Squama ſtomomatis dicitur: Arabibus, Tubel, Batiture ſabartam, & Cortex aſſas: Italicè, Squama del ſtomoma: Hiſpanicè, Eſquama de azero.* Nomina.

## Ἰὸς ξυστὸς. ÆRVGO RASILIS. CAP. LI.

AErugo raſa fit iis modis. In cadum, aut aliud conſimile vas, acetum quàm acerrimum infunditur: ſuperponitur inde inuerſum æneum vas, præſertim concameratum, ſin minus, planum: ſitque obſtructum, nullumque habeat ſpiramentum: exempto, quo doliolum obturaueris, operculo, decimum poſt diem inſidens ærugo deraditur. Aut æris lamina in cadis ſuper acetum ita ſuſpenditur, ne ipſum attingat, & totidem poſt dies raditur. Aut maſſula æris, aut lamina vna pluresve vinaceis non recentibus, ſed iàm aceſcentibus conduntur, & ſimili modo verſantur. Quinetiam ex delimata æris ſcobe æruginem facere licet: nec non è laminis, quibus bracteæ auri concluſæ malleo ducuntur, ſi quis eas aceto reſpergat, & ter aut quater verſet, donec æruginem contrahant. Tradunt æruginem in Cypriis metallis gigni, lapidibus quibuſdam nonnihil æris habentibus, quibus ærugo effloreſcit: adduntque per Caniculæ æſtus è quodam ſpecu manare: ſed illam paucam, & optimam eſſe: hanc ſpeluncis effluentem, copioſam quidem, & boni coloris, ſed vitioſam, quòd lapides multos collegerit. Pluribus autem modis adulterant: aliqui pumice admiſto, alij marmore, alii atramento ſutorio. Sed deprehendemus pumicem, aut marmor, † dum pollice ſiniſtræ manus madefacto, æruginis portiunculam altero atterimus: ſiquidem eam diffundi conſtat: marmoris autem, pumiciſq; partes coeunt non diſſipatæ: demumque tractatione crebra, & humoris complexu dealbeſcunt: quin & dentium appreſſu: ſiquidem ſincera cedit, læuis, & ſine aſperitate. Atramentum verò ſutorium igne coarguitur: namque ſi fictile, aut lamina adulterata ærugine illinatur & feruenti cinere, aut carbonibus incaleſcat alterutrum, mutabitur, rubeſcetque id, quod atramentum ſutorium acceperit: quòd id vſtum ſuapte natura talem ſortitur colorem.

† Orib addit. καὶ τὰ ὅμοια. & ſimilia.

## Ἰὸς σκώληξ. ÆRVGO SCOLECIA. CAP. LII.

AEruginis, quam vocant ſcoleciam, duo ſunt genera, quædam foſſilis eſt, altera factitia ad hunc modum. In mortario Cyprij æris dimidiam heminam aceti albi acriſque, piſtillo cupreo conterito, donec ſtrigmenti craſſitudinem imitetur: deinde aluminis rotundi drachmam vnam, cum ſalis foſſitij träſlucentis, aut marini quàm albiſſimi, ſolidique, aut certè cum nitri pari pondere teritur in ſole æſtuoſiſſimis diebus, ſub ſydus Caniculæ, donec colorem æruginis contrahat, & concretu ſtrigmentoſum fiat: vbi autem ſe in vermiculorum Rhodiacis ſimilium ſpeciem coegerit, recondito. Efficax, & valde boni coloris redditur, ſi duas partes vrinæ veteris, cum vna aceti adieceris, & alia, quæ dicta ſunt peregeris. Sunt qui æruginem raſilem, quæ in apparatu non reſpondit, gummi miſto digerant in formas, & ita vendāt: quod genus, vt vitioſum improbatur. Fit & quædam ærugo ab aurificibus, mortario, & piſtillo Cyprij æris, cum vrina pueri impubis, qua aurum ferruminant. Antedicta æruginum genera vſto æri omnino reſpondent, ſed magis effectu valent. Sciendum foſſilem ſcoleciam præſtantiſſimam eſſe: deraſam ſequi: poſtremo loco factitiam: mordaciſſima tamen eſt hæc, & magis adſtringens. Aurificum autem ærugo raſæ reſpōdet. Ærugines omnes adſtringunt, extenuant, excalfaciunt: oculorum cicatrices emendant, lacrymas cient, nomas ſiſtunt, vulnera ab inflammatione tuentur: vlcera ex oleo ceràque ad cicatricem perducunt: callos, & ſordida vlcera purgant, cum melle coctæ: callum fiſtularum erodūt cum ammoniaco, collyrij modo in eas adactæ: ad gingiuarum autem exceſcentias, & extuberationem vtiles. Magnopere extenuant genarum craſſitiem, cum melle illitæ, verùm poſt illitionem ſpongia ex aqua calida locus fouendus eſt: reſina terebinthina exceptæ, cum ære & nitro lepras abigunt. Vritur ærugo, quamcunque velis minutiſſimè fracta, comminutaque, in fictili patina, flagrantibus prunis ſuperpoſita: verſaturq; donec ſe mutet, & colorem cinereum concipiat: poſtea refrigerata reponitur ad vſum. Sunt qui cruda olla eam vrant, vti dictum eſt: ſed non prorſus eundem colorem cremata reddit.

*AEruginem, quòd colore ſit viridi, officinæ, ac medici in Italia æs viride nuncupant, & vulgari ſermone verderame. Verum quamuis officinæ eo in vniuerſum abundent, ſynceri tamen parum oſtendunt. Scolecia ærugine, ac foſſitia deſtituimur: quòd altera, quod ſciam, hoc tempore non paretur, altera verò ab ærarijs fodinis, vbi fortaſſe plurima reperitur, à foſſoribus non deferatur. Proinde cùm harum copia non ſit, ea tantùm vtimur, quæ ære in acetariis cadis demiſſo, aut vinaceis iam aceſcentibus obruto, conficitur. Hallucinantur, qui credunt æruginem, & æris florem vnam, & eandem rem eſſe, vt ſuperius de æris flore differentes latius oſtendimus. Aeruginum vires reddidit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Aerugo guſtantibus acrem qualitatem offert, digerens, detrahens, & liquans, non teneram modo, ſed & duram carnem. Porro ſuprà dictum eſt nonnullos eius generis medicamenta epulotica, hoc eſt, quæ cicatricem inducant, appellare, cùm iis in tenuiſſimum pollinem tritis per ſpecilli cuſpidem contigerint, vlcera exceſcentia, ac poſtridie contracta reprimant: tametſi illos haud lateat, ſi paulò plus impoſitum foret, ſeſe vlcus non contractum, ſed eroſum inuenturos.*

Aeruginum conſideratio.

Aeruginum vires ex Gal.

*uenturos. Siquidem colliquat, & digerit carnem: cùm medicamenta epulotica contrahant, conſtipent, conſtringant, & calli in morem illam indurent. Quin & guſtum mordicat ærugo, non tantùm ipſa vlcera: quod ſi pauculum cera non pauco admiſceas, id quod ex ambobus miſtum eſt, citra morſum exterget. Dictum verò ſuprà eſt de talium medicamentorum natura, tum vt ſeſe quidam fallunt ex talibus compoſitionibus, aut ſarcoticam, aut epuloticam adiicientes facultatem medicamentis, quibus minimè oportet: vtpote cum ipſa id præſtare nequeant, verùm ea, quæ ex ipſis compoſita ſunt. Quæ ærugo* Ἰὸν ξυστὸν *Græcis, Aerugo raſilis Latinis dicitur: Italis, Erugine raſile. Quæ verò Græcis* Ἰὸς σκωληξ, *Latinis Aerugo ſcolecia nominatur: Italis, Erugine ſcolecia. Arabibus, Ziniar, ſeu Zengiar: Germanis,* Spangrun: *Hiſpanis, Cardenillo: Gallis, Verderis & Verdet.*

Nomina.

## Ἰὸς σιδήρου. RVBIGO FERRI. CAP. LIII.

RVbigo ferri reſtringit: ſiſtit fœminarum profluuia admota, potuque præſtat ne concipiant. Illita ex aceto, ignibus ſacris, & papularum eruptionibus medetur. Perquàm vtilis ad ſcabritias genarum, reduuias, & pterygia. Condylomatis prodeſt, gingiuas firmat, podagras illita lenit, alopecias replet. Vinum aquave, in qua candens ferrum ſit reſtinctum, potu cœliacis, dyſentericis, lienoſis, cholera laborantibus & diſſolutis ſtomacho auxiliatur.

## Σκωρία σιδήρου. STERCVS FERRI. CAP. LIIII.

STercus ferri, quam ſcoriam vocant, eadem poteſt, quæ rubigo, ſed inefficacius. Aconito ex aceto mulſo potum, opitulatur.

Rubiginis, & ſcoriæ ferri conſideratio.

*FErrugo, quæ eſt ferri rubigo, vulgaris notitiæ eſt. Eius ſimiliter ſcoria, quæ Latinis & ſtercus, & recrementum ferri, & noſtris vulgò ſpiuma di ferro appellatur, omnibus notior eſt, quàm vt maiore indigeat declaratione: hæc namque prope ferrarias officinas paſſim in aceruum congeſta ſpectatur ab omnibus. Veruntamen ne aliquis fortaſſe decipiatur, illud mihi indictum non abibit, quòd ferri, aut æris, aut argenti ſcoria non eſt ſquama, quæ malleo decutitur. Siquidem hæc ſemel in fornacibus, quibus ferri metallum funditur, indita liqueſcit, & iterum in ferrum coit. Scoria verò, quòd inutile ſit ferri recrementum, manet, & ſpongiarum modo ſpumoſum, nunquam ferrum effici poteſt. Scoriæ meminit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Scoria omnis reſiccatorium admodum medicamentum eſt, potiſſimùm autem ferri. Siquidem ad læuorem redigens ipſam in aceto quàm acerrimo, poſteaq; decoquens ad aures, quæ longo iam tempore pure fluxerunt, ea vtor, medicamento maximè exiccatorio, adeò vt mirentur, qui præparantem me vident, & ante periculum fidem non habeant, aures tale poſſe ferre medicamentum. Porrò argenti ſcoriam propriè helcyſma appellant. Verùm emplaſtris quibuſdam reſiccatoriæ facultatis commiſcetur. Paratur è ferro oleum (quidam ferri quintam eſſentiam vocant) hoc modo. Sumito ferri ſcobem lima deraſam, & ignium vi (vt chymiſtæ dicere ſolent) ad calcis ſpeciem redactam, aut huius vice rubiginis anchoræ, qua naues ſiſtuntur, quantum libet. Hæc in tenuem puluerem trita, in aceto acerrimo diſtillato, in aqua calentis balnei, non tamen feruentis, aut in equino fimo calente, in vaſe vitreo macerato, donec acetum rubicundum fiat. Præterea declinato vaſe acetum in aliud vas effundito, quouſque clarum effluxerit, & ſeruato diligenter, & iterum ſuper idem ferrum aliud acetum imponito, maceratoq; in balneo, eodem modo ad rubedinem vſque, eademque ſeruata ratione extrahito, & iterum, atque iterum acetum addito, quouſque nihil amplius ruboris concipiat. Deinde quod acetum rubicundum factum in diſtillatorium vas vitreum conicito, & in fornace collocato, cineribuſq; obducito, & ſuccenſo igne ad deſtillandum ſinito, quouſque fluxerit acetum, aquæ ſtillatitiæ modo: & poſtea vaſe è fornace exempto, illud frangito, & ferream materiam in fundo reſidentem extrahito, terito, & in aliud vas reponito affuſa communi aqua, quæ prius diſtillata fuerit, & ſimul in balneo præſcripto macerari ſinito, duorum dierum ſpatio. Eximito deinde, & per filtrum (vt chymiſtæ dicunt) diſtillandum parato, & id omne, quod fluxerit, in vaſe aliquo aſſeruato, quouſque in ſal concreſcat. Id demum conterito, & in vitreum vas retorti colli, ita à chymiſtis appellatum, collocato, & valido igne oleum ducito, quod rubrum emanabit. Hoc ſeruato diligenter. Siquidem eximium, rarumq; habebis medicamentum, ad omnes iecinoris & ſplenis obſtructiones, vbi cæteris auxiliis morbus expugnari nequeat, ſed ſumentes prius medicamentis attenuantibus, & aluum ſubducentibus purgatos eſſe oportet. Datur iocinoroſis drachmæ pondere ex aqua Intubi, aut cichorij, aut agrimonij: lienoſis verò ex aqua aſpleni, aut adianthi, aut Tamariſci. Ac ad ea omnia mirificè præſtat, ad quæ Rubiginem & ſcoriam præſtare ſcribit Dioſcorides. Cæterùm vbi quis per ſe parare neſciat, Chymiſtas conſulat. Rubigo ferri Latinis dicta,* ἰὸς σιδήρου, *Græcis appellatur: Arabibus, Seda alhadid: Italis, Ruggine del ferro: Germanis,* Eyſen roſt: *Gallis, Rouilleure de fer: Quæ verò Græcis* σκωρία σιδήρου, *Latinis, Scoria, Stercus & recrementum ferri dicitur: Arabibus, Chabt alhadid: Italis. Spiuma di ferro: Germanis,* Schlacken: *Hiſpanis, Mozo de herrera, & Mozo de fragua.*

Scoriæ vires ex Gal.

Oleum è ferro parandi ratio & vires.

Nomina.

## Μόλιβδος πεπλυμένος. PLVMBVM ELOTVM. CAP. LV.

LOtura plumbi ſic fit: In mortarium plumbeum aquam iniiciens, piſtillo plumbeo terito, donec nigreſcat aqua, & limi modo craſſeſcat, aut lutulenta reddatur: linteo deinde colato, aquam ſuperinfundes, quò facilius quicquid eſt reſolutum incerni poſſit: hoc iterum facito vſque dum ſatis tibi habuiſſe videatur: vbi conſederit priori aqua effuſa, nouam adiiciens, vt cadmiam lauato, donec nulla extet nigritia: poſtea in paſtillos cogens reponito. Quidam ſcobem mundi plumbi lima quæſitam, mortario piſtilloq; lapideis terũt, aut manibus cum aqua paulatim adiecta fricant, donec nigreſcat: mox vbi id peſſum ierit, effuſa aqua, colligunt in paſtillos: nam tritum vehementer, ceruſſæ ſimile redditur. Alij elimatæ ſcobi modicam plumbaginem adiiciunt, affirmantes ita elotum plumbum præſtantius eſſe. Poteſt refrigerare, adſtringere, inducere, mollire, explere caua, ſiſtere oculorum fluxiones, & vlcerum excreſcentia. Sanguinem ſupprimit: prodeſt contra ſedis vlcera, condylomata, & hæmorrhoidas, ex roſaceo: item ad ea, quæ ægrè cicatricem ducunt: & in totum ſpodij effectus præbet, niſi quòd non obducit cruſtas. Syncerum plumbum affrictu, marini ſcorpionis, draconiſque plagis auxiliatur.

Μόλιβδ

Μόλυβδος κεκαυμένος.

## PLVMBVM VSTVM. CAP. LVI.

VRitur plumbum ſic. Super quàm tenuiſſimas plumbi laminas, fictili nouo inditas, ſulphur inſpergito: additiſq; alus rurſus laminis, interiecto ſemper ſulphure, vſquedum vas expleueris, ſuccendito: flagrate autem plumbo, ferrea rude verſato, donec perfecte redigatur in cinerem, nihilq; è plumbo non vſtum hæſerit. tum demum obſtructis naribus eximito: alioquin halitus plumbi noxius ſentitur. Aut elimatam plumbi ſcobem in olla ſulphure vrito. Alii laminas in fictili crudo, vt dictum eſt, imponunt fornaci, aut foco, & circumlinentes operculum, dato exili ſpiramento, vrūt. Alij pro ſulphure ceruſſam, aut hordeum inſpergunt. Alij integras laminas imponentes, acri igne vtuntur, & rudicula ferrea continuè mouent, dum in cinerem ſoluantur. Sed difficilis huiuſmodi vſtio, & ſi vehementius vratur, contrahit ſpumæ argenti colorem. Magis tamen nobis placet prima vrendi ratio. Plumbum vſtum lauatur vt cadmia, & reconditur. Eoſdem effectus habet, quos plumbum elotum, ſed multò acriores.

Σκωρία μολύβδου.

## RECREMENTVM PLVMBI. CAP. LVII.

REcrementum plumbi, quod ſcoriam vocant, optimum eſt, denſum, fractu contumax, ceruſſam plane repræſentans, nihil plumboſi habens, quod ad luteum colorem accedit, & vitri ſplendorem imitatur. Eadem quæ plumbum exuſtum poteſt, ſed magis adſtringit. Lauatur in mortariis infuſa aqua, & refuſa ſumma aquæ parte, quæ luteum colorem duxit: idq; ſæpius, dum recrementum abſumatur. Dein vbi conſederit craſſamentum, aqua effuſa, digeritur in paſtillos.

Μολυβδοειδής.

## MOLYBDOIDES, SIVE LAPIS PLVMBARIVS. CAP. LVIII.

MOlybdoides lapis à plumbi ſimilitudine dictus, reſpondentem recremento vim habet, & eodem modo lauatur.

*PLumbi abluendi, atque etiam comburendi ratio, adeò lucidè conſtat à Dioſcoride prodita, vt operæpretium non ſit plura de ea referre. Veruntamen animaduertendum eſt, plumbi recrementum, quod Dioſcoridi ſcoria vocatur, non eſſe plumbaginem, quæ excrementi inſtar, vbi plumbum igne liqueſcit, ab eo ſecedit. Quippe quòd hæc nil aliud ſit, quàm puriſſimum plumbum, quod ignis vſtione, cineris ſpeciem induit. Hæc enim in Plumbarijs officinis in puriſſimū plumbum facile redigitur, quemadmodum & argenti ſpuma. Plumbi itaque ſcoria fit tantùm in fornacibus, vbi plumbi lapis metallicus funditur. Siquidem hoc probe fuſo, artifices plumbum, quod inde effluxit, in ſcrobiculam extra fornacem delabi ſinunt. Vbi verò adhuc calens concreuit, aqua frigida perfunditur, quouſque ſcoriam exuat: quæ (vt Dioſcorides inquit) denſa admodum eſt, & fractu contumax, colore in luteum vergente, & vitri ſplendorem præ ſe ferens. Huius complures vidimus aceruos in Tridentino agro, ac etiam in comitatu Tirolenſi, vbi innumeræ metallorum fornaces, die noctuq; ignibus aguntur: namque in iis locis metallorum recrementa, extra officinas abijciunt, monticulos ex his ſtruentes. Quòd ſi accidat metallicos lapides ægre igne in fornace liqueſcere, ſcoriæ huiuſce partem admiſcent, quoniam huius adminiculo citius metalla ignibus cedunt. Reperi ego ſæpius plumbi, argentiq; ſcoriam adeò verſicoloribus lineis interſectam pellucidamq;, vt id vitri genus, quod vulgo Venetijs appellant Smalto, omni ex parte referret. Quare oportet eos, quibus in animo eſt, certam & exquiſitam harum rerum cognitionem aſſequi, metallorum fodinas, & fornaces adire, non autem ea in pharmacopolijs quærere, vbi omnia ferè metallica medicamenta ſpuria, & adulteriis vitiata reperiuntur. Cæterùm qui Lapidem plūbarium, ſiue molybdoidem hodie legitimè oſtendat, habeo profectò neminem, ni forte foſſilis quoddam cadmiæ genus demonſtrent, quod plumbum colore imitetur, qualis illa, quam vulgò vocant Margheſita di ſtagno: quanquam hanc equidem molybdoidem eſſe non auſim affirmare, quòd nullum latius Molybdoidis hiſtoriam ſcriptis mandaſſe compererim, quam ipſe fecerit Dioſcorides, qui tamen eius hiſtoriam tam paucis perſtrinxit, vt difficile admodum ſit decernere, quinam lapis nobis legitimam molybdoidem repræſentet. Etſi fortaſſe non aberrarent, qui dicerent, plumbi lapidem ignem in fornacibus non expertum, veram eſſe molybdoidem, quippe quòd hic colore, & pondere plumbum maximè referat. De plumbo diffuſe ſatis diſſeruit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcriptum reliquit: Plumbum facultatis eſt refrigeratoriæ. Siquidem non modò multam habet ſubſtantiam humidam à frigore congelatam: ſed & aëream, paucam autem terream. Igitur quòd plurimum habet eſſentiæ humidæ à frigore coactæ, indicium tibi eſto, quòd vbi admotum eſt igni, celeriter fundatur, fluatq;. Quod verò & aëreæ ſit particeps, hoc habeto ſignum, omnium, quæ nouimus, vnicum plumbum tum mole ipſa, tum pondere augetur, ſi condatur in ædibus ſubterraneis, aërem habentibus turbidum, ita vt quæcunque illic ponantur, celeriter ſitum colligant. Tum etiam plumbea ſtatuarum vincula, quibus earum pedes annectuntur, ſæpe numero creuiſſe viſum eſt, & quædam adeò intumuiſſe, vt ex lapidibus dependerent cryſtalli modo. Atque hæ probabiles quidem ſunt humiditatis eius, frigiditatiſq; notæ, priuſquàm experimentum fiat: cæterùm ſcientificæ, & certæ per experientiam cognoſcuntur. Præparato igitur mortario, ſimulq; piſtillo, vtriſque ex plumbo, infunde quemlibet liquorem: itaque terito, vt & piſtillus, & plumbeum mortarium ſuccum quendam reddant. Id quod ex vtroque conſtabit, multò erit frigidius facultate, quàm liquor ipſe fuerat. Licet autem & aquam, & vinum tenue aqueum, & oleum iniicere, aut quidius eiuſmodi. At ſi etiam plus efficere ſuccum voles refrigeratorium, oleum omphacinum ſit, aut roſaceum, aut melinum aut myrtinum. Porrò ſi ſucco, qui proueniet, vti voles, optimum habebis remedium & ad phlegmonas in ſede cum vlcere, aut rugis & ad eas, quæ in pudendis, teſtibuſq;, & vberibus conſiſtunt: ſimiliter aduerſus cæteras omnes fluxiones incipientes, quæ aut in inguina, aut in pedes, aut in alium quemuis articulum decumbunt. Sed & vlceribus rebellibus vtile eſt. Nam & ad cancroſa eo vtens, virtutem medicamenti mirabere. Quòd ſi celeriter multum plumbei ſucci colligere voles, conare in ſole torrere, aut quocunque certe modo aëre excalfacto. Ad multa autem vtile habebis medicamentum, ſi adfuſo refrigerantium ſuccorum quopiam teras, ceu ſemperuiui, cotyledonis, intybi, lactucæ, chondryllæ, pſyllij, omphacis, portulacæ. Porrò ſi quæ horum non facilè in ſuccum ſoluuntur, velut portulaca, miſceto illis aliorum ſuccorum quempiam, velut omphacis: quin & ipſe per ſeſe prædicto mortario inditus, medicamentum efficit refrigeratorium longè pulcherrimum.*

Scoriæ plūbi conſideratio.

Lapidis plumbarii conſid.

Plumbi facultatēs ex Gal.

*Quin & in laminam diductum plumbum abſque alio vllo, ipſum per ſeſe athletarum ſeſe exercitantium lumbis impo-nitur, vbi venereis ſomnijs vexantur ſcilicet, nimirum haud obſcurè eos refrigerans. Sed & bractea ex plumbo tenuis facta probè ganglio illigata, planè ipſum diſſipat. Illigabit autem probè quiſquis ab Hippocrate didicerit, in ipſam noxam potius firmandum, quàm hinc vel inde. Mirum ergo non eſt, ſi plumbum crematum, ac rurſus ablutum, refrigerantis efficaciæ facultatis, cum ante lotionem miſtæ fuerit. Et hoc ipſum medicamen, nempe plumbum combuſtum, bonum eſt ac vlcera rebellia. Vbi verò lotum fuerit multò optimum medicamentum eſt, & ad vlcerum impletionem, & ad eadem cicatrici ducenda. Conuenit & chironeis quæ vocant vlceribus, & cancroſis omnibus, & putredinoſis, tum ipſum per ſeſe, tum medicaminum ad cicatricem perducentium quibuſdam commiſtum, quale eſt, quod ex cadmia conficitur. Cæterum ſoluendum eſt principio, ſi copioſa ſit ſanies, quotidie: ſin minus tertio, aut quarto quoque die. Verùm foris ſpongiam imponito aqua frigida, qua ſi deſiccetur, rurſum mergatur. Sed hæc fuſius, quàm pro inſtituto diximus, pluſculum ſermonis afferimus prouecti. At tempus iam eſt ſequentia deinceps perſequi: hactenus Galenus.* Nomina. *Plumbum elotum ſic Latinis* Μόλιβδος πεπλυμένος *Græcè dicitur: Italis, Piombo lauato. Plumbum verò vſtum Latinè dictum,* Μόλιβδος κεκαυμένος *Græcè, Piombo bruſciato Italicè vocatur. Quæ deinde* Σκωρία μολίβδου *Græcis, Latinis Plumbi recrementum, & plumbi ſcoria appellatur: Italis, Spiuma del piombo. Quæ denique* Μολιβδοειδὴς *Græcè, Molibdoides item, & Lapis plumbarius Latinè nuncupatur: Italicè, Pietra piombaria.*

## Στίμμι. STIBIVM. CAP. LIX.

STibium optimum, quod ſplendidiſſimum eſt, modoq; nitedularum emicat, confractu cruſtoſum, nihil terræ, aut ſordidi habens, friabile, quod ſtibi appellarunt, alij platyophthalmon. Vis eius aſtringere, meatus obſtruere, refrigerare, excreſcentia in carne cohibere, vlcera ad cicatricem perducere, ſordes, & vlcera oculorum expurgare: ſiſtit & ſanguinem è cerebri membrana profluentem: & vt in vniuerſum dicatur, vis vſto plumbo ſimilis eſt. Priuatim, ambuſta igni in puſtulas erumpere non patitur, cum adipe recenti illitum, cruſtoſas exulcerationes ad cicatricem perducit, cum cera, & exigua ceruſſa. Torretur pinſita farina circumlitum, & carbonibus obrutum, donec carbunculetur cruſta, exemptumque reſtinguitur mulieris lacte, quæ marem peperit, aut vetere vino. Vritur etiam carbonibus ſuccenſis efflatum, quoad igni deflagret: ſi enim paulò magis concremetur, plumbum fit. Lauatur vt cadmia, & æs. Sunt qui vt plumbi recrementum eluant.

Stibii conſideratio.

*STimmi, ſiue Stibium, recentioribus medicis, chymiſtis, ac ſeplaſiariis, qui Mauritanorum doctrinam ſectantur, Antimonium dicitur, quod hoc nomine Serapio, & Auicenna Stibium appellauerint. Huius fodinæ pluribus locis habentur in noſtro Senenſi agro, ſed præſtantiſſimum foditur in maritimis noſtris Maſſano ſolo, ac Suanenſi: quinetiam in comitatu ſanctæ Floræ prope Syluenam oppidum. Venetias adfertur ex Germania, fornacibus prius fuſum, & in maſſas iactum. Aiunt artifices, qui campanas conflant, has edere ſonitum magis concinnum, magiſq; auribus gratum ac ſonorum, ſi ſtibij nonnihil cæteris admiſceatur metallis, dum vna in fornace liquantur. Iis etiam expetitur, qui vaſa è ſtãno conficiunt: item ijs, qui metallica faciunt, & poliunt ſpecula: his præterea, qui chalcographis characteres & typos effingunt. Id tantum differentiæ eſſe inter plumbum, & ſtibium ait Braſauolus Ferrarienſis, quod plumbum ignium vi liqueſcat, ſtibium verò nunquam, ſed facilè teratur in puluerem. Sed eius opinionem falſam eſſe deprehendit experimentum, quandoquidem ſtibium igni admotum, perinde ac plumbum colliqueſcit, & fluit. Cuius rei nos ſæpius periculum fecimus, dũ oleum noſtrum ex ſtibio conficeremus, quo quidem magno ſucceſſu vtimur ad contumacia, ſinuoſaq; vlcera ſananda, ad id ſiquidem ſtibium pluries fundere oportet, vt ſyncerius, puriuſque reddatur. Cæterùm admonitos lectores volumus, oleum hoc noſtrum è ſtibio paratum, non illud eſſe, quo chymiſtæ argentum in aurum mutari fabulantur, ſed aliud ab eo longè diuerſum: tametſi hoc noſtrum ex ſeſe plus auri fundat, quàm illud chymiſtarum. Sed vt ad inſtitutum noſtrum reuertamur, mihi planè vanum videtur aſſerere ſtibium igne haudquaquam liqueſcere. Nam cum quolibet metallo, ſiue ferrum ſit, ſiue chalybs, in fictili fuſorio permiſtum, ea celerius eliquandi præbet materiam. Quam ob cauſam qui ferreos, ſphæricoſq; globos bombardis immittendos è fuſo ferro conformant, niſi ſtibium ferro admiſcerent, nunquam ſanè (vt ipſi protestantur) id fluxum facerent.*

Braſauoli erratum, Stibiũ vi ignis non liquari volentis.

Stimmi Plinij.

*Stibij mentionem fecit Plinius lib. 33. cap. 6. vbi ita ſcribit: In iiſdem argenti metallis inuenitur, vt proprie dicamus, ſpumæ lapis candidæ nitentiſque, non tamen tranſlucentis, ſtimmi appellant, alij ſtibium, alij alabaſtrum, alij larbaſon. Duo eius genera, mas, & fœmina: magis probant fœminam. Horridior eſt mas, ſcabriorque, & minus ponderoſus, minuſq; radians, & arenoſior. Fœmina contra nitet, friabilis, fiſſuriſq; non globis dehiſcens: hactenus Plinius.*

Stibij vires ex Gal.

*Stibij vires retulit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, his verbis. Stimmi ad facultatem deſiccantem adiunctam habet hoc medicamen adſtrictionem: quamobrem & ocularibus medicinis cõmiſcetur, & illis ſcilicet, quæ conformantur in collyria quæ vocant, & ſiccis, quæ vtiq; ſicca collyria cognominant: hæc Galenus.*

Stibij vis deiectoria.

*Cæterum ſtibium vim deiectoriam ſortitur præſtantiſſimã: quanquam antiquorum ac recẽtiorum nullus præter vnum Theophraſtum Paracelſum, hoc literis memoriæq; mandauit, attamen inter antiquiores ſolus Dioſcor. vno tantum loco de Stibij deiectoria facultate meminiſſe videtur, capite de agreſti Cucumere. vbi ſic habet de Elaterio differens: Elaterium bilẽ ac pituitam vtraque parte extrahit, optima ſuſpirioſis eſt purgatio, quod ſi in animo ſit deiectionem moliri: adiecto ſalis duplo & Stibij quod colori ſufficiat, ex aqua erui magnitudine catapotia dato, hæc ille.*

Hiſtoria I.

*Quare non equidem grauabor in ſtudioſorum gratiam eius cõmemorare de huius medicamenti viribus, quæ vidi, atque etiam à medicis quibuſdam fide dignis accepi. Etenim Andreas Gallus medicus Tridentinus, qui iamdudum honoratiſſimè medicinam fecit Sereniſſ. Ferdinando Archiduci Auſtriæ, Domino meo clementiſſ. ex multis vigiliis magniſq; laboribus, quos in ſtudia, & ſeruitium inſumpſerat, inciderat in malam valetudinem, nempe in pulmonum, cordis, & ventriculi inflammationẽ: vnde vehemens admodũ ſitis conſequebatur, quæ nullo quidẽ potu extingui poterat. Præterea epiglottidis tumore, & tanta palati ſiccitate vexabatur, vt vix loqui poſſet. Quinetiam cordis palpitationẽ patiebatur adeò magnam, vt nocte repentè expergefactus putaret per cubiculum aliquem obambulaſſe. His deniq; malis acceſſerat capitis deſtillatio, à qua ſæpius ſuffocari metuerat. Porrò metum mortis augebant vires, quæ tot morbis quaſi hoſtibus obſeſſæ, facilè poterant deficere & opprimi, ex eo præſertim quòd nullus eſſet cibus, qui appetitum langueſcentem excitaret, atque ita vires inſtauraret, vel ſaltem conſeruaret. Addã quòd os & guttur eius ſaporem tetrum & carbonibus ſimilem reddebant: quæ ſanè omnia dictæ inflammationis erant indicium non obſcurum. Cum igitur res ſua per aliquot dies ita ſe haberet, atque in maximo verſaretur diſcrimine, neq; vllum perciperet leuamentum*

ſuarum

*ſuarum ægritudinum ex multis medicinis factis, ad Stibium, quod Mauritani Antimonium vocant, me neſciente, confugit: quoniam ſæpe audiuerat medicamentum hoc ſibi mirifice commendatum fuiſſe a Georgio Handſchio medico haud vulgari, qui illius experimentum fecerat in morbis difficillimis. Hac itaque ratione ductus Stibij in tenuiſsimum puluerem redacti, & rhodoſacchari exiguo admiſti, tria tantum grana ſumpſit: atq; paruo poſt temporis ſpatio ſenſit medicamentũ illud ventriculi ſubuerſionem moliri, ac leuem quendam calorem excitare. Mox erupit vomitus, quo ſolum quaſdam cibi particulas reiecit, etſi ſuperiore die non cœnaſſet. Hunc paulo poſt alius ſecutus eſt vomitus ſimilis, cui ſucceſsit bilis flauæ reiectio ad vnciarum fere quatuor pondus. Hæc autem omnia euenerunt horæ tantùm dimidiæ ſpatio. Ex quibus nimirum illud cepit iuuamenti, quod ſtatim omnis ventriculi labor ſedatus eſt. Ex eo verò quòd hora pòſt ter biliosa infernè excreuit, in quibus craſſa quædam reſidebant (hæc ſimul duarum librarum pondus æquare poterant) factum eſt, vt ab illa cordis palpitatione, capitis fluxione, & epiglottidis tumore ſtatim ſit liberatus: qui præterea neque ſitim moleſtam habuit, neque cibi faſtidium perpeſſus eſt. Quamobrem is corporis ſalutem ipſamq; vitam in tot morbis deploratam, Deo primùm, deinde huic medicamento acceptam retulit. Alium quoque Stibij intus aſſumpti effectum ſilentio non diſsimulandum mihi narrauit idem Georgius Handſchius, cuius ſuperius memini. Is enim cum eſſet peſtilentia correptus, ob idq; maxima totius corporis imbecillitate affectus, cordis tremore, ſpirandi difficultate, capitis dolore, & ſiniſtri inguinis abſceſſu, circa noctis crepuſculum Stibij rhodoſaccharo admiſti tria grana ſumpſit: atq; poſt horæ dimidium vomitionibus reiecit magnam pituitæ viſcidæq;, tum flauæ, tum porraceæ quantitatem, cum proſpero admodum ſucceſſu. Siquidem ex vomitu (ſic ille dicebat) ſtatim ſublata eſt ſpirandi difficultas, ac cordis tremor ceſſauit. Vomitum deinde ſubſecuta eſt copioſa alui deiectio ſine vlla ægrotantis moleſtia, poſt quam reliqua peſtis ſymptomata prorſus euanuerunt, atque adeò breui is fuit integræ ſanitati reſtitutus. Id quod etiam alijs contigiſſe ſcio, qui hoc admirabili medicamento ſunt vſi in ea peſtilentia quæ anno 62. & 63. in tota fere Bohemia graſſabatur: ſiquidem quàm plures ſeruati ſunt peſtilentia affecti, qui Antimonij hyacinthini noſtri grana tantùm quatuor ex antidoti liberantis drachma in morbi principio deuorarunt. Præterea Stibium opitulatur omnibus in vniuerſum morbis, quos atra bilis excitauit, iiſque præſertim qui hypochondriacam obtinent inflationem. Equidem vidi Pragæ Bohemorum parochum, qui melancholicus factus planè deſipiebat, multaq; ſtultè loquebatur. Huic ſane exhibitum fuit Stibium granorum duodecim pondo: quod paulò poſt copioſè atram bilem per aluum eduxit, cui erant admiſta (vt ego qui vidi, vocatus tanquam ad miraculum, teſtari poſſum) ramenta veluti carnis, quæ magnos varices in particulas diſſectos præ ſe ferebant: namque excrementa illa ſanguinem nigerrimum repræſentabant potius, quàm vllum ex alijs humoribus. Hoc vtique illi tantam opem tulit, quòd poſtera die viſus eſt bellè priſtinam mentis ſuæ ſanitatem recuperaſſe. Et quoniam is erat corpore robuſto & animo forti, ideo nõ eſt mirum, ſi facilè & ſine vllo incommodo tulerit tantam illius medicamenti quantitatem, quanquam audax nimis fortè habendus eſt ille, qui eam exhibuit. Datur etiam Stibium vtiliſsimè diuturna febre conſumptis, & ijs qui ſpirandi difficultate laborant, præcipuè aſthmaticis. Prodeſt item conuulſis, comitialibus, veternoſis, reſolutis, & ijs qui coli dolore cruciantur. Extant quoque apud me nonnullorum Medicorum Italorum Epiſtolæ, quæ (Deo optimo maximo duce) prodibunt in lucem, in quibus de Antimonio admiranda quædam leguntur. Extant & aliorum quoque teſtimonia, & præſertim Illuſtriſsimi Comitis Octauiani Lãgoſchi, & viri optimi, nec vnquam ſatis laudati Lucæ Contilis Senenſis. Siquidem, hic ſanitatem pluribus ſimul morbis impeditam, & quæ à peritiſsimis Medicis reſtitui nunquam potuit, Antimonio acceptam refert. Nam inter cætera miracula huiuſce medicamenti ſcribit ipſe quod ſumptis à ſe tantùm quatuor granis Stibij noſtri, euomuit paulò poſt 12. terebinthinæ reſinæ portiones, quas ante dies quindecim vorauerat: quin etiam ille conſtanter aſſeuerat, ſe quàm plures ſanaſſe, qui fere deplorati agebant. Quo fit vt non poſsim non mirari nonnullorum Medicorum ingenium, qui Stibium venenum mortiferum eſſe contendunt. Siquidem ſi medicos ſe eſſe profitentur, miror quidem eos hactenus non obſeruaſſe, rara admodum, vel fortaſſe nulla reperiri medicamenta, aluum electiuè exoluentia, tam priſcis, quàm recentioribus medicis vſurpata, quæ venenoſam vim non ſortiantur. Elleborum enim vtrunque, Tithymalorum omne genus, Pityuſa, Elaterium, Colocynthis, Turpetum, Thapſia, Bryonia, Scammonium, Thymelæa, Chamelæa, Cyclaminus, & inter foſſilia Armenius atque cæruleus lapis, quin etiam æris Squama, qua paſsim vſi ſunt antiqui ad cutem ſubeuntes aquas, venenoſa vi haud ſunt expertia. Atqui quid dicent de Sandaraca atrociſsimo veneno? An non eandem propinat cum melle, aut in catapotijs Dioſcorides aſthmaticis, & aliis in diſcrimine laborantibus? Non ne & Auicenna Arſenicum quoque propinat? Hoc mihi dixiſſe ſat eſt vt illorum negligentiam, ne dicam inſcitiam palàm faciam, qui ſuis opinionibus (profecto ridendis) inhærentes, non vident dum ſtibium vituperant, interim tamen à præſcriptis medicamentis non abſtinent, imò ijs quotidie vtuntur, quorum nonnulla longè magis ſumentibus nocent quàm Stibium: Cuius vſus (vbi rectè in morbis conueniat) ſæpe miraculi ſpeciem affert, & præſertim vbi propinetur ex catapotiis ex Gal. hiera paratis. Quamobrẽ optimè ij dicunt ac intelligũt, qui in deploratis ferè morbis diuturnis, ipſiſq; pituitoſis & melancholicis curandis Stibium Dei manum appellant. Cæterùm ſunt qui aſſerunt, Stibium ſumptum non ſecus humana corpora ab omnibus excrementis expurgare, atque idem reliqua omnia metalla, inſtrumentaq; metallica, quibus adiicitur, ab omni ſorde purificat. Atqui in eius exhibitione diligenter animaduertere oportet, vt illud quod exhibetur, ſit præparatum. Hanc ob cauſam nos hic eius parandi rationem ſubijciemus. Eligito Stibium optimum, quod (vt Dioſcorides tradit) ſplendidiſsimum eſt, modòq; nitedularum emicat, confractu cruſtoſum, friabile, nihil terræ aut ſordidi habens. Id primùm in puluerem facito: deinde in fictile vas, quod amplum ſit, conijcito: tum demum carbonibus ſuccenſis ad calcinãdum (vt chymiſtarum verbo vtar) ſub dio exponito, atque interim cochleari ferreo, ſpatula ita Myropolis appellata, continuè moueto. Hoc verò dum fit, fumus exhalat tenuis, ſulphur & auripigmentum redolẽs, qui ſi ore attrahatur, crebras interdum excitat vomitiones: quapropter qui verſant, ventis terga opponant. Verſare autem aſsiduè expedit, nam ſi pauliſper ceſſes, vel comburitur Stibium, vel liqueſit. Verſato itaque diligenter, quouſque in glebas concreſcat: quas cum videris, ſublato ab igne fictili, quod concreuit, rurſus in puluerem redigito, atque eidem fictili impoſitum carbonibus reddito, aſsiduoq; verſato. Id quod toties repetendum eſt, quoties coaleſcentes glebulæ poſtulauerint. Ita quoq; tamdiu verſare conuenit, quoad corpuſcula illa, quæ emicant, ſplendorem ſuum amiſerint, vapor omnis ceſſauerit, fœtor obſoleuerit, & Stibium in calcem conuerſum ſubalbicantis cineris colorem contraxerit: perfecti autem operis ſignum erit, ſi prunis ardentibus inſpergatur, nihilque prorſus fumi emittat. Poſt hæc ſumito huiuſce calcis, exempli gratia, libram mediam, chryſocollæ factitiæ, ſemunciam. Deinde chryſocollam & ſtibium terito in tenuem puluerem, mox omnia ſimul miſceto, atque in fictili fuſorio, quo vtuntur aurifices, igni vehementi admoueto: vas ſuper laterem aut teſtaceum aliquod, fictilis ollæ fundum prius collocatum, & fictili operculo contectum, carbonibus accenſis circundato: Veruntamen operæpretium eſt in hoc magnam adhibere diligentiam, ne res illa comburantur. Quare tenacula ferrea ſublato cooperculo, nonnunquam inſpiciendum eſt an colliqueſcat. Nam vbi*

Hiſtoria 2.

Hiſtoria 3.

Hiſtoria 4.

Stibij Hyacinthini parandi ratio.

colliquatum fuerit, illico vas ab igne eximito, & ſuper inuerſa pelui ex aurichalco fabricata, qua tonſores vtuntur, proſcito. Quàm primùm enim ibi concreſcet in laminas, quæ colore, & nitore chryſopatios, quos hyacinthos appellant, atque etiam nonnunquàm granatos referunt. Vbi autem lapillos paruos & rotundos parare ſit animus, guttatim eſu... ſuper eadem pelui fuſum antimonium effundito. Cæterùm chryſocollæ vicem feliciori ſucceſſu mihi præſtat ſal foſſile cryſtalli modo pellucidum, ſufficitq́ue in tribus Antimonij vnciis ſemidrachmam addere. Verùm omnes admonitos volo, ... cillimè à quoquam parari poſſe Hyacinthinum antimonium, etiam peritiſſimo chymicæ artis magiſtro, niſi prius ab altero parari diligenter inſpexerit, quum non ſemper iis etiam ſuccedat pellucidum, qui ſæpe ac ſæpius illud parauerunt. ... vbi eius laminæ ſemel proiectæ puluerulenta quadam cuticula obducuntur, quæ earum nitorem pelluciditatemq́ue ... brant, oportet iterum eaſdem laminas conterere, atque nonnihil antimonij crudi inſimul addere, atque etiam parum ... lis foßitij, & iterum igni admouere & fundi permittere atque inde proijcere. Cùm autem hoc medicamento vti volueris, in puluerem redigito, datoq́ue trium vel quatuor granorum pondere: id tamen pondus in robuſtioribus nonnihil augeri poteſt. Stibium ita præparatum commodiſſimè admiſcetur rhodoſaccharo, cui etiam maſtiches modicum adijcitur. Atque hactenus de Stibij nõ vulgari efficacia ac præparatione: quæ equidem omnia (vt ingenuè fatear) in primis debeo Andreæ Ga... lo viro clariſſimo, cuius ſuprà mentionem feci.

Nomina.

Stibium quod Latinis, ςίμμι Græcis vocatur: Arabibus, Atimad, ſeu Atmad: Italis, Stibio, & Antimonio: Germanis, Spieß glaß: & Rauw Spieß glaß: Hiſpanis, Piedra de alcohol.

## Μολύβδαινα. MOLYBDÆNA, SEV PLVMBAGO. CAP. LX.

Molybdæna optima eſt flaua-argenteę ſpumę æmula, modicè ſplendens, cùm teritur rufa, cocta cum oleo iecinoris colorem trahit. Vitioſa eſt, quæ aerem, aut colorem plumbeum refert. Gignitur ex auro, & argento. Eſt etiam quędam foſſilis, ad Sebaſtiam, & Corycum inuenta. Quo in genere probatur, quæ lapidoſa non ſit, aut recrementoſa, ſed nitens, & flaua. Vim habet ſpumæ argenti, aut recrementi plumbi ſimilem. Vritur, lauaturque eodem modo. Miſcetur conuenientiſſimè medicamentis, quæ lipparas vocant, atque emplaſtris minimè mordentibus. Carnem recreat, & vlcera ad cicatricem perducit: glutinantibus tamen medicamentis, aut abſtergentibus non conuenit.

Molybdænæ conſideratio.

Molybdæna, vt Dioſcorides teſtatum reliquit, factitia eſt, & foßilis. Factitia fit in fornacibus, vbi auri, & argenti metallum funditur: quandoquidem vbi auri, vel argenti vena, ſiue materia, plumbi tantum ſibi admiſtum non habet, quantum ad eius liquationem moliendam ſatis eſſet, qui operi præſunt, aut lapidem, à quo plumbum elicitur, aut plumbum ipſum ſuperaddunt: quod tamen ignium vi partim cum admiſtis metallis coit, partim verò argenti ſpumæ modo fornacis ſolio cohæret, & in molybdænam vertitur. Hoc itaque cùm probè nouiſſet Plinius, libro 34. ca. 16. de hac Molybdæna diſſeruit iis verbis: Plumbi nigri origo duplex eſt: aut enim ex ſua prouenit vena, nec quicquam aliud ex ſe parit: aut cum argento naſcitur, miſtiſq́ue venis conflatur. Eius, qui primus fluit in fornacibus liquor, ſyncerum appellatur plumbum: qui ſecundus, argentum: qui remanſit in fornacibus, galena, quæ portio eſt tertia addita venæ. Hæc rurſus conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus. Idem præbet argenti ſpuma, quæ Græcis lithargyros dicitur: hactenus Plinius.

Molybdæna, Lithargyrii ſpecies eſt.

Quamobrem facilè aſſerere auſim, nil aliud eſſe Molybdænam, quàm lithargyrij ſpeciem, quæ poſtquàm è fornace fluxere metalla, in ipſius fornacis fundo concreta, peruſtaq́ue reſidet. Proinde nõ ab re dixiſſe videtur Galenus, quòd Molybdæna iiſdem polleat viribus, quibus & argenti ſpuma. Quæ autem in terræ viſceribus foßilis naſcitur, nil aliud ſanè fuerit, meo iudicio, quàm metallicus ille lapis, qui plumbum, & argentum ſimul continet. Hunc equidem teſtari poſſum varia facie oſtendi: quippe quòd alius ſit colore luteo, alius cinereo, alius cæruleo, alius verò ſcintillans cernatur, atque ... præ ſe ferens, pro variis, ac diuerſis terræ vaporibus, quæ in metallicos lapides feruntur. Quòd autem eiuſmodi ſit Molybdæna foßitia, teſtis eſt Plinius lib. 34. ca. 18. vbi ſic inquit: Eſt & Molybdæna, quam alibi galenam vocauimus, plumbi & argenti vena communis. Et libro 33. cap. 6. ita ſcribit. Argenti metallum terra eſt, alia rufa, alia cinerea. Excoqui non poteſt, niſi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi, quam galenam vocant. hæc Plinius. Cæterùm palàm eſt, molybdænam

Molybdænæ vires ex Gal.

factitiam nihil à lithargyro differre. Hoc non latuiſſe Galenum, eius verba declarant lib. 9. ſimplicium medicamentorum, dum ait: Molybdæna ſimilem lithargyro vim poßidet, tantum à media temperie ad frigidum paululum quid recedens. Sed nec abſtergentis facultatis eſt particeps. Vtraque autem hæc medicamina liquari poſſunt: ac non vt lapides, & cadmia, & arena liquationem reſpuunt, ſed celerrimè liquantur, vbi oleo additum nonnihil aceti eſt: liquantur tamen etiam admiſta aqua, ſed diutißima coctione. Porrò ceu in Cypro cadmiam, quæ in montibus, & riuis naſcitur accipiebam, quæ & ipſa lapidis, vt dixi, ſpecies eſt: ad eundem modum molybdænam multã, cum alijs proiectam lapidibus conſpexi in via, quæ ad Ergaſteria ducit a Pergamo. Vocatur autem Ergaſteria pagus quidam, in quo & metalla ſunt inter Cyzicum, & Pergamum quadringentis, & quadraginta ſtadiis diſtans à Pergamo.

Nomina.

Μολύβδαινα ſic Græcè, vt etiam Molybdæna Latinè dicitur: Italicè, Piombaggine.

## Ἀργύρου σκωρία. ARGENTI RECREMENTVM. CAP. LXI.

Recrementum argenti, quod ſcoriam vocant, aut helcyſma, aut encauma, molybdænæ vim habet: quare emplaſtris, quas phæas appellant, additur, ac medicamentis, quę cicatricem obducunt, vt pote cùm adſtringat, extrahatque.

Argẽti ſcoriæ conſideratio.

Complures argenti ſcoriæ acerui, quàm vulgò Loppa vocant artifices, extra fornacum domos viſuntur in agro Tridentino prope Perzenum, & Lauiſium, & in comitatu Tirolenſi, vbi perpetuò argenti metallum in fornacibus vritur, vt in præcedentibus diximus de plumbi ſcoria differentes. Facie hæc vitrũ, quod Veneti ab inditis quibuſdam vulgò Smalto dicunt, adeò refert, vt perdifficile ſit alterum ab altera dignoſcere. Variis hæc coloribus conſpicitur, pro admiſtorum (quidnor) foßilium varietate: nigricat tamen cùm plurimùm, & quibuſdam exaratur lineis cùm cæruleis, tum etiam viridibus. Nec deeſt etiam quæ viridi tantùm, & quæ ſolùm cæruleo ſpectetur colore.

Vires ex Gal.

Huic vires reddidit Galenus libr. 9. ſimplic. medicamentorum, his verbis: Argenti ſcoriam propriè helcyſma appellant. Emplaſtris quibuſdam reſiccatoria facultatis commiſcetur.

Nomina.

Quod Latinis Argenti recrementum, Græcis ἀργύρου σκωρία vocatur: Italis, Scoria dell' argento.

Ἀδάρκη

## Λιθάργυρος SPVMA ARGENTI. CAP. LXII.

SPuma argenti quædam gignitur ex arena, quam molybditin vocant, in fornacibus conflata, donec perfecte igni incandeſcat: altera ex argento: tertia ex plumbo. Probatiſſima eſt Attica: ſecunda Hiſpanienſis: has ſequitur, quæ fit Dicæarchiæ, id eſt Puteolis, Baijs, in Campania, & Sicilia: plurima enim hiſce locis conflagrantibus laminis plumbeis gignitur. Quæ flauo colore ſplendet, chryſitis appellatur, omnium optima: quæ in Sicilia, argyritis: quæ ex argento, calabritis. Vis autem adſtringere, mollire, explere caua, excreſcentia in carne reprimere, ad cicatricem ducere, refrigerare, & occludere. Vritur argenti ſpuma, confractis partibus ad magnitudinem iuglandium prunæ ſuperpoſitis: ita accenſa follibus, vt conflagret, abſtergitur inſidens ſpurcitia, & reconditur. Aliqui ter aceto, aut vino reſtinguentes, rurſus vrunt, & eadem proſecuti, reponunt. Lauatur vt cadmia. Vt argyritidi nominatæ, aut, ſi deſideretur, alteri candor detur, ea in partes magnitudine fabarum cõfracta, chœnicis Atticæ menſura, fictili nouo ſuperfuſa aqua, addito candidi tritici pari pondere, priuatimque pugillo hordei, linteolo puro, raro, anſulis vaſis alligato, coquitur, donec hordeum fractum diſsiliat, deinde omnia in nouum craterem oris ampli transfunduntur: triticum abijcitur: ſpuma argenti vehementer manibus affricando, infuſa aqua lauatur, aſsiccataque in Thebaico mortario teritur, affuſa feruente aqua, donec ſoluta fatiſcat. Excolata aqua, iterum tota die teritur, & veſperi infuſa calida aqua ſinitur: mane colis excernitur, alia infunditur, atque ter die excolatur. Id ſeptem diebus fieri ſolet: poſtea additis ad ſingulas minas ſpumæ argenti, quinis ſalis foſſilis drachmis, infuſaque calida aqua, ter die teritur, & addita aqua excolatur: cúmque maluerit, calida infuſa, idem facito, dum nullam prorſus ſalſedinem reſipiat: demum ardentiſſimo ſole ſiccata, eiecto prius humore reconditur. Sin minus, trita ſpumæ argyritidis diligenter teritur, addito ſale foſsili trito, triplicato pondere, in fictile nouum conijcitur, aqua infunditur, ita vt ſuperemineat: mouetur quotidie manè & veſperi, aquaque ſuperinfunditur, priore nequaquam effuſa: hoc fit triginta diebus: namque niſi moueatur, craſſeſcit vſque ad duritiem teſtæ. Poſt hæc effuſa leniter muria, in Thebaico mortario ſpuma argenti teritur, coniectaque in fictile aquam continens, manibus diligenter agitatur, mutata ſubinde aqua, donec nullum ſalſuginis indicium præbeat: deinde quod ex argenti ſpuma candidum apparet, in vas aliud transfertur, & redactum in paſtillos, plumbea pyxide conditur. Alij ſpumam argenti in fabarum magnitudines confractam, in ventre ſuillo crudo ex aqua coquunt, dum viſcus eliqueſcens contabeſcat, exemptamque cum ſale pari terunt, & vt ſupra dictum eſt lauant. Sunt qui ſalis libram vnam, & ſpumæ argenti tantundem, in ſole terant, aqua continuè mutata, dum candor ei detur. Alia ratio. Sumito quantum vis argenti ſpumam: vbi lana candida inuolueris, fictili nouo indita aqua, cum pugillo fabarum recentium, repurgatarumque decoquito: cumque fabæ diruptæ dehiſcent, lanaque non denigretur, exemptam argenti ſpumam, & altera lana inuolutam, iterum coquito, cyathum aquæ, & partem fabarum modum adijciens: eadem tertiò, quæ ſupra facito: in ſumma tantiſper, dum lana iam non inficiatur. Inſuper transfundens in mortarium, ad ſingulas ſalis foſsitij libras, adijcito octogenas ſpumæ argenti drachmas Atticas, & terito: intermittensque nitri quàm albiſsimi cum aqua diluti drachmas quadraginta ſeptem indito: iterum terito, donec ſatis candoris cõtraxiſſe videatur. Ita autem fundẽs eam ex alto in fictile oris ampli, adiecta largiore aqua, vbi conſidere deſierit, colato: tum nouam ſuperadijciens aquam, manibus probè verſatam, ſinito vt conſidat, ac rurſus per colum traijcito. Alternis eadem proſequere, dum pura aqua, dulciſque effluat, & nullam ſalſedinem præ ſe ferat. Poſtremò in fictile nouum translatam, colato ſenſim omni humore, ſoli quadraginta diebus ſub Caniculæ ſydus exponito, & ſiccata vtitor. Elotam autem conſtat ad oculorum collyria prodeſſe, & ad cicatricum fœditates tollendas, ad rugoſas facies, & cicatricoſas, laceratasque, & macularum plenas.

Spumæ argenti conſid.

*FIt plerunque Argenti ſpuma, quam Græci lithargyrum vocant, ea inquam, cuius hodie apud ſeplaſiarios eſt vſus, in metallorum fornacibus, vbi repurgatur argentum, e plumbo argenti recrementis admiſto. Siquidem cùm artifices argenti maſſam a ſua vena defluxam a commiſtis metallis, nempe plumbo, æreque repurgare volunt, in alueum è cinere ſuo more paratum plumbi multum conijciunt, adeò vt vi ſubditi ignis colliquatum, balnei ſpeciem referat. In hoc demum argentum repurgandum immittunt, quod plerunque (vt diximus) aut plumbum, aut æs habet admiſtum. Dum autem hæc perficiuntur, viſitur plumbum in liqueſcentium metallorum ſuperficie, ignium vi follium flatu continuè excitata, olei modo ſupernatans: quod tandem poſtquam æs, aut plumbum, quod prius argẽto fuerat admiſtum, in ſe contraxit, eorundem follium flatu ad cinerei alui oras pedetentim expellitur. Hoc cùm vident artifices, alueum in latus ſecant, labique ſinunt in humum: ſitq; hoc modo lithargyrus, coctionis diuturnitate, & metallorum aliorum miſtione, ea forma concepta. Huic poſtquam refrixit, quandoque aureus, quandoque argenteus emicat ſplendor. Quo factum eſt, vt hunc argenteum, illum aureum paſsim ſeplaſiarij ac medici dicant, omnino exiſtimantes, alterum ex auro, alterum ex argento conflari. Cæterùm coloris huiuſce varietatem lithargyrus haudquaquam ex auri, vel argenti ſpuma contrahit, ſed quòd plus minusue [æris vaporis ab argento detracti intra ſe receperit. Siquidem (vt ego pluries experientia comperi, & ipſi quoque teſtantur artifices) argentum depurandum ſi plurimum fului æris contineat, huius & plumbi miſtione Lithargyrus aureus redditur. Sin minus, argenteus efficitur] excoctus fuerit ab igne, ſiquidem vbi intenſior ignis fuerit aureum colorem acquirit, vbi verò remiſsior, argenteum inducit. Quare nobis affirmare licebit, nil aliud eſſe lithargyrum, quàm plumbum æris vel argenti vaporibus commiſtum. Non itaque temere prodidit Dioſcorides fieri argenti ſpumam aut ex arena, quam molybditin vocant, aut ex argento, aut ex plumbo. Cui ſubſcribit Plinius libro trigeſimo capite ſexto. Meminit argenti ſpumæ Galenus libro nono ſimplicium medicamentorum, ſic de eius viribus ſcribens: Lithargyrus deſiccat quidem, veiut alia omnia metallica, lapidea, terrenaque medicamenta, verùm omnium id efficit moderatiſsimè: & ſecundum alias tum qualitates, tum facultates, quodammodo in medio eſt, neque manifeſte excalfaciens, neque refrigerans: modica tamen adſtringendi, abſtergendique facultas ei ineſt: quamobrem inferior eſt & ſarcoticis medicamentis, quæ mediocriter extergentia oſtendimus, & contrahentibus, atque adſtringentibus. Cæterùm ad intertrigines femorum vtilis medela & conueniens eſt: quandoquidem vtriuſque iam dictæ facultatis leuiter eſt particeps. Iure itaque medij ordinis in me-*

Lythargyrũ aliud ex auro aliud ex argẽto fieri falſum.

Lithargyri vires ex Gal.

*tallicis habebitur. Proinde ea frequenter vtimur ceu materia ijs miſcentes, quæ valentem facultatem obtinent, ſiue mordicantem, ſiue adſtringentem, vel aliud quippiam efficientem, ſicut in liqueſcentibus ad pleraque medicamenta ceram adhibemus tanquam materiam, quia ſcilicet & ipſa quodammodo medium tenet eorum, quæ valentem facultatem poſſident.*

Nomina. *Λιθαργυρος ſic Græcè, vt Lithargyrus item & Spuma argenti Latinè dicitur: Arabicè, Martech, ſiue Merdaſengi: Italicè, Spuma d' argento: Germanicè, Glett: Hiſpanicè, Almartaga, Litargirio, & YeZes de oro.*

## Ψιμμίθιον. CERVSSA. CAP. LXIII.

CEruſſa fit hoc modo: infuſo in vrceum oris lati, aut fictile labellum quám acerrimo aceto, laminam plumbeam ſupra fictilis ſpiraculum, ſubiecta prius arundinea tegete, firmato: ſuperiectisque vestimentis [illegible] minibus, ne halitum expiret acetum, vbi reſoluta fuerit, defluensque deciderit, humorem purum ad ſumma delatum colato, craſſamentumque transfundito: debet quoque ſiccari in ſole, mox trusatili mola teri, aut aliás tritum cribrari: poſtea quod ſupereſt duri, in tenues partes redigendum, cribrandumque viciſsim eadem tertiò, quartóque facienda. Melior, quæ primò cribrata eſt, & medicamentis oculorum aſſumenda. Secundum locum tenet ſequens, & reliquæ ſuo ordine. Nec deſunt, qui ligneas rudes in medio vaſe appendant: & deraſo ceu ſitu impoſito, ita vt acetum non contingat, inditoque operculo circumlinentes dimittunt. Poſt dies decem laxato obturamento viſunt: cumque reſoluta materia fuerit, reliqua, vt ſupra diximus, exequuntur. Si autem quis in paſtillos velit digerere, aceto acri ſubacta, diuiditur in paſtillos, qui in ſole ſiccantur. Aeſtate tamen ſupra dictum opus obeundum eſt: ita enim candida, atque efficax redditur. Quinetiam hyeme paratur, vrceis ſupra furnos, balnea, aut fornaces impoſitis: aſcendens enim calor idem, quod ſol præſtat. Laudatiſsimam fieri putant Rhodi, & Corinthi, aut Lacedæmone: proximam Puteolis. Torretur hoc modo. Flagrantibus igni carbonibus, fictili nouo, maximè Attico, tritam ceruſſam imponito, & aſsiduè verſato: cumque cinereum colorem traxit, eximens refrigerato, & vtitor. Eſt & aliud vrendi genus. Trita patinis nouis ſupra prunas imponitur, & ferulacea rude mouetur, donec colore ſimilis Sandarachæ fiat, extractaque ad vſus miniſtratur. Quæ verò ita parata eſt, Sandyx à quibuſdam dicitur. Lauatur ceruſſa cadmiæ modo. Vis ei refrigerare, occludere, emollire, explere, extenuareque inſuper excreſcentia leniter reprimere, & ad cicatricem perducere. Miſcetur ceratis, & emplaſtris, quæ liparæ vocantur, paſtillisque. Eſt autem lethalis eius potus.

Ceruſſæ, & Sandycis conſideratio. *CEruſſa medicamentum eſt omnibus notum. Factitia tamen res eſt. Venetijs plurima conficitur, ſicuti & in alijs compluribus Italiæ locis: quòd non ſolùm in medicamentorum vſus expetatur ſeplaſiarijs, ac medicis: ſed etiam pictoribus qui ea frequentiſsimè in ſuis operibus vtuntur. Paratur ex ceruſſa (vt Dioſcorides inquit) Sandyx, quod officinæ Serapionem ſecutæ minium appellant, non autem Sandaracha, auripigmenti genus, vt libro de compoſitione medicamentorum*

Ceruſſæ vires ex Gal. *exiſtimat Fuchſius. Siquidem Sandaracha, vt ſuo loco dicetur, foſsilis res eſt, non autem factitia. Ceruſſæ meminit Galenus libro 9. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ita ſcribens: Pſimmithium, id eſt Ceruſſa, & hoc medicamen teſtimonium præbet modò dictæ facultati. Nam ſi ex acri aceto ſoluatur, guſtu tamen neq; acre erit, neque mordax, neque diſcuſſorium, ſed emplaſticum, & refrigeratorium: facultatis ærugini diſsimilima, tametſi & illa conficiatur aceto, æs diſſoluente. Porrò Ceruſſa aduſta in Sandyca, quam vocant, tranſit, medicamentum ſeipſo tenuius, nõdum tamen excalfaciens: hæc Galenus. Ex quibus liquidò patet, Sandycem, & Sandaracham maximè inter ſe facultatibus pugnare: hæc namque Galeni, & Dioſcoridis teſtimonio arſenici modo carnem exurit, & cruſtas ſua vehementi vredine, ac caliditate, morſuq; violento excitat: illa verò nulla ſui parte excalfacit, ſed potius refrigerat. Id quod in vulgari officinarum minio facilè deprehenditur. Sandicis meminiſſe videtur Vergilius in Bucolicis, dum his verſibus cecinit:*

*Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti*
*Murice, iam croceo mutauit vellera luto.*
*Sponte ſua Sandyx paſcentes veſtiet agnos.*

Nomina. *hactenus Poeta. Ceruſſa, quæ ita Latinis, ψιμμίθιον Græcis appellatur: Arabibus, Affidegi, ſeu Affidagi: Italis, Ceruſa: Germanis, Bleyweiß: Hiſpanis, Aluayalde, & Blanquet: Gallis, Ceruſe. Quæ verò σάνδυξ Græcè, Sandyx item Latinè nuncupatur: Arabicè Afrengi, Sarchon, Sandicon, Sandax, Syrengi, ſiue Serengi, Italicè, Sandice: Vulgus, Minio.*

## Χρυσοκόλλα. CHRYSOCOLLA. CAP. LXIV.

CHryſocolla laudatiſsima Armeniaca, colorem porri quàm ſimillimè reddens. Secundum locum ſibi vendicat Macedonica: & proximũ Cypria: quo in genere præfertur pura: damnatur, quæ terram, aut calculos collegerit. Ratio lauandi hæc eſt. Tuſam infuſa aqua, mortario expaſſa manu ad pilam vehementer fricato: & ſtatim quàm cõſederit, colato. Alterã infundens aquã, rurſum terito: hæc viciſsim proſequere, donec pura, ſynceraq; ſpectetur: dein ſiccato in ſole, & ad vſus recondito. Quod ſi vrere volueris, ex ea terens quod ſatis eſſe videbitur, patinis ſupra carbones apponito: & alia facito, quæ ſupra diximus. Dos Chryſocollæ ad purgandas cicatrices: excreſcentem carnem coercet, adſtringit, purgat, excalfacit, & modicè corpus mordendo exeſt. Inter medicamenta intelligitur, quæ vomitiones concitant, & necem inferre poſſunt.

Chryſocollæ hiſtoria. *CHryſocolla, vt Plinius eſt author lib. 33. cap. 5. naturalis hiſtoriæ, humor eſt in puteis, per venam auri defluens, craſſeſcente limo rigoribus hybernis, vſque in duritiem pumicis. Laudatiorem eandem in ærarijs metallis, & proximam in argentarijs fieri compertum eſt. Inuenitur & in plumbarijs, vilior etiam auraria. In omnibus autem ijs metallis fit & cura, & multum infra naturalem illam, immiſsis in venam aquis leuiter hyeme tota, vſque in Iunium menſem. Dein ſiccatur in Iunio, & Iulio: vt planè intelligatur nil aliud Chryſocolla, quàm vena putris. Natiua duritia maximè diſtat, luteam vocant, & tamen illa quoque herba, quam luteam vocant, tingitur. Natura eſt, quæ lino lanaue ad ſuccum bibendum. Tunditur in pila, cribro deinde tenui cernitur, poſtea molitur, ac deinde tenuius ſic cribratur. Quicquid non tranſmeat, repetitur in pila, dein molitur. Puluis ſemper in catinos digeritur, & ex aceto maceratur, vt omnis duritia ſoluatur. Acrurſus*

tundi-

funditur, dein lauatur in conchis ſiccaturque. Hactenus de chryſocolla Plinius. Cæterùm ſeplaſiarij quemadmodum aurifices, Chryſocollam vulgo Borracem vocant, Mauritanos ſecuti: cum tamen pauca admodum in officinis reperiatur, quæ ſyncerißima eſſe poßit, & quæ colore ſit viridi porraceoque, vt Dioſcorides inquit, & præſtantiſſima expoſcit. Siquidem ſubnigricat hæc, nec vlla ex parte vireſcit. Quæ ſaturato colore viret, vt mea fert opinio, in æratis tantum metallis foditur: quæ nigricat, in plumbeis: quæ albicat, in argenteis: & quæ palleſcit, in aureis. Vnde mihi facile perſuaſum eſt, Chryſocollam ſibi varium colorem vendicare, pro metallorum, in quibus foditur, ratione. Porrò factitia ex alumine rubeo, ſale nitro, ac etiam alijs quibuſdam admiſtis, copia non deficit. Ideirco aurifices, qui ea ad aurum ferruminandum frequenter vtuntur, ipſam magna quidem diligentia eligunt, quanquam & ipſi plerunque decipiantur: tanta in omnibus eſt impoſtorum aſtutia. Præferunt auro ferruminando illam, quæ lutea eſt: tametſi in medicamentorum vſu, præſtantior ſit viridis. Fit etiamnum chryſocolla (vt Dioſcorides prodidit li.2. in vrinæ mentione) ex puerorum vrina in æreo mortario, piſtillo itẽ æreo ſub calenti ſole tandiu ducta, vt vnguenti modo craſſeſcat. Quod pariter literis memoriæq; mandauit Gal. li.9. ſimpl. medicamentorum, ſic inquiens: Chryſocolla, & hoc medicamentum ex iis eſt, quæ carnem liquant, non tamen valenter mordicat, quanquam ſit facultate admodum digerente, deſiccanteq;. Igitur quidam id modò, quod in metallis inuenitur, ita nominant: alij verò id, quod in æreo mortario, piſtilloq; æreo, ex pueri vrina præparatur: id quod quidam inter æruginum differentias numerant. Satius verò eſt ipſum præparare tempore æſtiuo, aut certè aere prorſum calido, vrinam in mortario terentes. Præſtat autem æs, ex quo mortarium piſtillumq; conficias, rubrum ſit. Nam quo æs tenerius fuerit, eo plus circumagendo piſtillo deteritur. Hoc medicamentum aptiſsimum eſt vlceribus contumacibus, tum per ſe, tum alijs miſtum, vt in opere de componendis medicamentis refertur. Nunc autem id nouiſſe ſat eſt, quod quantò plus quàm Chryſocolla metallica deſiccat, minuſq; mordicat, tantò etiam ipſam excellit tenuitate. Ipſam tamen Chryſocollam illam ſi vras, multò tenuiorem efficies. Vt Græcis χρυσοκόλλα, ita etiam Latinis Chryſocolla, & Auri glutinum appellatur: Arabibus, Tincar: Italis Chriſocolla: Germanis, Borras: Hiſpanis, Atincar, & Borrax.

Chryſocollæ vires ex Gal.

Nomina.

Λίθος ἀρμένιος.

## LAPIS ARMENIVS. CAP. LXV.

ARmenius lapis præfertur læuis, colore cœruleo, perquàm æquabilis, calculo carens, & friabilis. Eadem, quæ Chryſocolla præſtat, ſed inefficacius. Quinetiam vſum habet ad pilos in palpebris alendos.

ARmenia, vt lib.35.cap.6 teſtatum reliquit Plinius, lapidem mittit, qui eius nomine appellatur. Lapis eſt hic quoque chryſocollæ modo infectus: optimumque eſt, quod maximè viride eſt, communicato colore cum cæruleo. Plinio ſubſcribit Auicenna, ſic inquiens: In lapide Armeno eſt aliquantulum azuli coloris, non tamen eſt in colore azuli, & non eſt in eius ſoliditate, ſed eſt in eo arenoſitas quædam: & quandoque vtuntur eo pictores loco azuli, & eſt lenis tactus. Ex horum ſanè verbis perſpicuum fit, lapidem Armenium colore eſſe viridi, ad cæruleum inclinante. Talis autem eſſe comperitur, qui in argenti fodinis, in compluribus Germaniæ locis foditur: & è quo colorem illum ad pictorum vſum parant, quem vulgo vocant verde azzurro, ac ſi diceres viride cæſium, vel viride cæruleum. Namque is colore chryſocollam refert, ſed duritie præcellit. Quamobrem crediderim ego, eos non longè abeſſe à veritate, qui dicerent, Germanicum hunc lapidem illi congenerem eſſe, quem Armenia mittit. ſiquidem patrium Armenij nomen genus non immutat, neque etiam obſtat, quin & in alijs regionibus lapis hic gigni poßit. Quippe Phrygius lapis à Phrygia regione dictus optimus in Cappadocia foditur, vt Dioſcorides eſt author. Id quod facilè oſtendit, Armenium præter Armeniam, alias quoque regiones gignere poſſe. Nec refert, quòd ſcripſerit Manardus Ferrarienſis libro tertio epiſtola tertia. Armenium lapidem hodie non facile inueniri poſſe. Quandoquidem cum certò ſciam, multa in officinis ferè omnibus deeſſe medicamenta, eaque præſertim, quæ ex metallorum fodinis expetuntur, quæ tamen ſuo natali ſolo, vbi proueniunt, copioſa reperiuntur, mirum certè non fuerit, ſi Armenio etiam lapide careant ſeplaſiarij. Hac itaque ratione ductus, haudquaquam dubitauerim affirmare, quin & hic in Germaniæ metallis prouenlens, in Armenij lapidis genere legitimè recenſeri queat: quemadmodum in Gagatis, Phrygij, Aſsijque genere nobis recipiuntur, qui alibi, quam in Gaga fluuio, in Phrygia, & Aſſo inueniuntur: præſertim cùm notis omnibus ac viribus Armenio per omnia ſimilis hic habeatur. Notis quidem, quòd ſummè vireat, & ad cæſium colorem proximè accedat. Viribus autem, quòd (vt equidem teſtari poſſum) atra bile vexatis maximè conferat, ijs vomitum, & aluum ciens. Porrò ſeplaſiæ (vt omnibus conſtat) non modo multis deſtituuntur foßitijs medicamentis, ſed continuè alterum alterius loco ſupponunt: nempe cadmiam pompholygis loco, ſpodij vice complura antiſpodia, & pro flore æris, raſilem æruginem ſubijciunt: cum tamen & pompholyx, & ſpodium, & flos æris copioſa, legitimaque reperiantur omnibus in fornacibus, vbi argentum, & æs funduntur. Nam ex hoc, quòd in officinis non reperiatur Armenius lapis, quemadmodum alia complura, haudquaquam colligere licet, quòd hæc omnia ſuis in fodinis fornacibusque non habeantur. Præſtat mirum in modum Armenius lapis (etſi id Galeno, Paulo, alijſque veteribus incognitum exiſtimetur) ad atram bilem deijciendam, vt teſtis eſt Alexander Trallianus clariſsimus author, libro primo capite de melancholia, vbi ſic inquit: Quòd ſi hiera data melancholiæ imaginationes nihilominus infeſtare videantur, tunc ſine vlla cunctatione lapidem Armeniacum dare feſtinato. Noui enim ex veteribus antiquiores ad veratrum album properaſſe, vbi affectum ab alijs purgationibus nihil penè imminui conſpicerent. Verùm ego lapidem Armeniacum veratro albo præfero, atque licet videntem ipſo experientia cognoſcere, quomodo præterquàm efficaciter, etiam ſine moleſtia, & periculo purget, quorum nihil album veratrum habere nouimus. Si igitur res poſtulat, non modò infra per aluum, ſed etiam per vomitum purgationem fieri, Lapidem illotum exhibere conuenit. Sit autem modus ipſius ſcrupuli tres, aut quatuor, aut paulò amplius, minusue, pro virium ſimul & copiæ humoris noxij ratione. At ſi æger purgatione per vomitum non admodum indigere videatur, ſed per imum ventrem totum vitioſum humorem exire conducat, tunc lapidem eluere oportet vſque ad duodenas (vetus legit quinquagenas) vices. Vbi enim ſic fecerimus, neque turbationem ſtomachi, aut compreßionem, lapis excitare poteſt, ſed etiam minori cum moleſtia nigrum terreſtremque humorem vacuabit, vt paucis præteritis diebus adiumentum ex eo nobis acceßiſſe percipiamus. Dato autem ex eo ſcrupulos quinque, aut ſex, vt plurimum ex aqua tepida, ſemper ex cognatis dictis coniectura deprehendens an plus, minusue exhibere debeas. Quòd ſi ægrum etiam bis adhuc requirere ſuſpiceris, cum fiducia rurſus exhibeto: neque enim calorem habet, aut ſiccantem admodum, aut aliam quampiam ipſi inſidentem, amaram & venenoſam qualitatem, vt æger ideo medicamentum bibere detrectet. Sin autem nonnulli humi-

Armenij lapidis conſid.

Manardus.

Armenij lapidis vires ex Alexandro.

doſis.

*humidum aliquod medicamentum ſumere aduerſentur (multi enim in totum non ſuſtinent liquidum medicamentum ſumere) in catapotia lapidem redigere oportet. Si verò libet, etiam picræ aliquam inſignem partem admiſceto, aut etiam alijs quibuſdam, quæ purgationem magis promoueant, & non renitantur. Ne autem is, qui parare velit horum [illegible]nem, inquirendo laboret, viſum mihi eſt ea de cauſa etiam horum compoſitionem meminiſſe. Habet autem [illegible] dum. Picræ ſemuncia, epithymi ſemuncia, agarici ſcrupuli quatuor, ſcammoniæ vncia, caryophyllorum grana [illegible]. Contuſa excipiantur rhodomelo, aut ſucco citrij, aut rhodomelite. Dentur ſcrupuli duo, plurimum quatuor. [illegible] verò eſt, præterquam quòd ventriculum corroborant, ſimul etiam varios humores, præſertim terreſtrem, & [illegible]*

Vires eiuſdē ex Aetio. *cum, citra moleſtiam purgare poſſe: hactenus Alexander. Cæterùm Armenium lapidem deiectoria facultate pollere in atrabiliarijs morbis, nouit etiam Aetius: quippe qui li. 2. ca. 47. ex Nicheſſonis medici authoritate, ſic de eo ſcriptum reliquit: [illegible] menium, quo pictores vtuntur, duodecima drachmæ parte melancholicis, & craſſum ſanguinem habentibus dato. [illegible] & pueris pectoris morbo infeſtatis: reuomunt enim, nam vomitorium exiſtit. Datur & morbo ſacro obnoxijs, [illegible] hoc modo: Centaurij faſciculos manipulares tres in aquæ marinæ heminis tribus coquito, donec vna ſuperſit, & cum [illegible] lato decocto, Armuthei lapidis, quem Græci Armenium vocant, tertiam drachmæ partem terito, ac confidenter [illegible] nihil enim periculi eſt. Itaque noſſe operæpretium eſt, quòd Armenium penitus reuomitur, nihil memorabile [illegible] rens, ſed & infernè modicum quid paulatim & in pluribus ſeceſſibus egerit: hæc Aetius. Nouit præterea, Armenij vires de-*

Vires eiuſdē ex Gal. *ctorias inter recentiores Græcos Actuarius, vt videre eſt in ſuo de compoſitione medicamentorum libello. Verùm [illegible] Armenio lapidi vires reddidit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Armeniacum vim habet [illegible] gentem, cum leuicula acrimonia, & leuiſſima adſtrictione. Itaque tale cùm ſit, ocularibus miſcetur facultatibus. Et ipſo ſeſe quoque ad pollinis læuorem redacto, vtimur ſicco ad pilorum in palpebris incrementum: nempe vbi præ humorum acrimonia partim excidunt, partim verò nec creſcunt, nec aluntur. Siquidem depaſtis his acrimonijs, in bonum naturæ [illegible] tum pars reducitur, cuius cùm alia ſint munera, tum etiam producendi, incrementum præbendi, ac roborandi, qui in palpebris ſunt pili: quippe cùm prima, & ex profeſſo, quædam ſint medicamentorum opera: quædam verò mediante natura, quæ animantium corpora diſpenſat, eduntur, velut quæ in his ipſis calliblephara nuncupant. Ipſa enim partes [illegible] ſas mediocriter deſiccant, pilos corrumpentem humiditatem abſumendo, quæ vbi abolita eſt, tum natura ad proprias [illegible] actiones, nimirum ſublatis, quæ hactenus ipſi impedimento fuerant. Hæc Galenus. Cæterùm proculdubio aberrant, qui la-*

Melochites lapis. *pidem armenium, quem pulcherrimum fodiunt Germani in Comitatu Tyrolenſi propè Sbozium pagum, Melochitem eſſe putant, id quod experientia comprobatur. Siquidem lapis hic (vt ego pluries atque multoties expertus ſum) [illegible] cholicos morbos curat, vt Trallianus longa ſatis oratione teſtatur de Armenio lapide. Atqui huiuſmodi viribus [illegible] lochitem, qui ſcribat habeo neminem. Albertus enim de eo verba faciens, valere tantùm dicit ad nocentes [illegible]*

Nomina. *ſuſpendi ſuper infantium cunabula. Lapis, qui Græcis λίθος ἀρμένιος, Latinis Lapis Armenius cognominatur: Mauritanis Hager, ſeu Hagiar Armeni: Italis, Pietra Armenia.*

## Κυανὸς λίθος. COERVLEVS LAPIS. CAP. LXVI.

COerulei origo ex ærarijs metallis in Cypro: copioſior ex arena litorali ſecundum quoſdam [illegible] tos ſpecus maris inuenitur, qui magis probatur. Eligi debet inebriatus. Vritur vt chalcitis: [illegible] cadmia. Vim habet reprimentem, & modicè erodentem: cruſtas gignit, & exulcerat.

Cærulei lapidis conſid. *COeruleum officinæ Auicennæ doctrinam ſecutæ, Lapidem Azuli, vel Lazuli vocant. Probatiſſimus, qui [illegible] reis emicat. Lapis hic (ni fallor) cum Armenio non obſcuram habet cognationem, quòd non modò vtrique [illegible] dem proueniant metallis, promiſcueque oriantur, ſed quòd etiam ijſdem ferè viribus præditi ſint ad atram bilem [illegible] dam: quo factum eſt, vt Mauritanorum quidam alterum cum altero ineptiſſimè confuderint. Cæterùm [illegible] Auicenna, cui ſubſcribit Meſues, cæruleum, ſiue (vt eorum nomine vtar) Azulum, ſeptica ac putrefacientis eſſe [illegible] non deſunt è recentioribus, qui eum deteſtentur, quemadmodum & catapotia, quæ ad atrabiliarios affectus ex lapide cæruleo paſſim in pharmacopolijs parantur: è quorum numero eſt Fuchſius medicus noſtræ ætatis celebris, in ſuis [illegible]. Verum quamuis confusè ſatis de Cæruleo, & Armenio ſcriptitauerint Mauritani, non tamen obſtat, quin ij bilem atram pellere queant. Id quod priores veteresque Græci, vel ignorauerunt, vel ſilentio diſſimulauerunt. Porrò Galenus, etſi non explicuerit cæruleum atrabiliarios humores ducere, tamen ſcripſit deijcientem habere facultatem. Quod cùm fortaſſe perpenderent Arabes, qui multorum medicamentorum, quæ Græcis incognita fuiſſe videntur, diligentiſſimi fuere indagatores, [illegible] uenere tandem facto pluries periculo, cæruleum atram bilem peculiariter deijcere. Sed ſi (vt in præcedenti capite oſtenſum eſt, vſque ad Alexandri ætatem è veteribus nemo nouerat Armenium in detrahenda, citra noxam, atra bile facultatem habere albo veratro parem, mirum quidem non fuerit, ſi etiam longo poſt tempore, id ſcripſerint Arabes, vel quòd ab eo fortè eſſe acceperint, vel quòd ex ſe ipſis id facultatis Armenio ineſſe adinuenerint. Præterea cùm Armenium, & Cæruleum non modo in ijſdem proueniant metallis (vt in pluribus Germaniæ locis nos ipſi vidimus) ſed ſimul promiſcueque oriantur, adeò vt Cærulei fruſtum, Armenij non modicum contineat, ſicut è conuerſo, rectè quidem exiſtimari poteſt, pari ferè facul-*

Mauritanorū tutela contra Fuchſium. *tate, vel non admodum diſpari hoſce lapides eſſe præditos. Hinc itaque fit, vt mihi planè Mauritani à Fuchſij, & aliorum calumnia vindicandi videantur. Quippe cùm cernerent naturam hos lapides promiſcuè, indiſtinctèque progignere, quid mirum ſi ipſam imitati, eorum hiſtoriam & facultatem indifferenter tradiderunt? cùm pro certo ex his exiſtimandum ſit, nil aliud eſſe Armenium, quam cærulei materiam, nondum à calore in terræ viſceribus ad ſummum perfecteque coctam: quemadmodum chalcitis, miſy, ſory nil aliud eſſe creduntur, quàm chalcanthi materia. Hæc igitur cùm accuratè perpendiſſet clariſſimus Manardus Ferrarienſis, vbi in ſimplicia medicamenta à Meſue conſcripta diligentiſſimè adnotauit, [illegible] rum ſententiam refellit, qui cærulei vſum, ſua tantùm ducti opinione, tam acriter vituperant, his verbis. Cæruleo Græci nullam vim deiectoriam adſcribunt, ſed videntur hæ vires ab Armenio deriuatæ. Arabes enim vtrunque confundunt. Sera-*

Azulum Auicennæ. *pio quidem, & Auerroes ſub Lazuli nomine de Armenio tractantes, Auicenna de Azulo ſcribens, ferè ei omnes vires attribuit, quas Græci vtrique. De Armenio verò ea ſcribit, quæ Græci: ſolùm addens, quòd atram bilem magis purget, quàm cyaneus. Quæ omnia licet vera ſint, non tamen ego his acceſſerim, qui non ſecus ac pernicioſiſſimum venenum hunc formidant. Experientia enim certa ſcio, quod ſi benè abluatur, multum iuuat, & vel nihil, vel parum lædit: hæc ille. In cuius certè ſententiam vnuſquiſque Medicus facile deueniet, qui potius rationalis ſit, quam pertinax. Nam etſi dixerit Auicenna cæru-*

leum

*lenem exedentis eſſe facultatis, hoc quidem non impedit, quin hauſtum atram bilē deijcere poſsit abſque no[illegible] fuerit ablutum, quandoquidem eius peracuta ſeptica, facultas pluribus lotionibus ab eo facilè tollitur. Praſ[illegible] vum quod aureis maculis pellucet: nam, id, quo ſeplaſia abundant, & quo in Germania pictorios colores parant [illegible] tate imbecillius, tum ignobilius habetur. Memini me ad nonnullas tam aris, quam argenti fodinas acceſsiſſe, in [illegible] & cæruleū, & Armeniū in aceruos congeſti plurimum vidi: attamen nullum mihi in ijs locis cæruleum repertum eſt, [illegible] aureis fulgeret ſcintillis, eo quod non proueniat hoc niſi tantùm in auri fodinis. Ideirco cæruleus ille color, qui vulgo nun cupatur Azzurro oltramarino, ab omnibus magno æſtimatur pretio. Fit enim is ex cæruleo lapide, qui tantum in auri metallis in orientalibus regionibus foditur omnium præſtantiſsimus. De illo autem, qui ex arena in maris litoribus inuenta conficitur, quid plura dicam non habeo, quam ſcripſerint Dioſcorides, & Plinius. Cærulei vires retulit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Cyanos medicamentum acris facultatis eſt, tum detrahendi, quam καθαιρετικὸν vocant, tum digerendi potentiore quam cinnabari. Ineſt quoque ei nonnulla adſtrictio. hæc Galeni verba. Quæ ſane vel non legiſſe, vel non animaduertiſſe Manardus ex eo deprehenditur, quòd cæruleo Græcos nullam vim deiectoriam tribuiſſe ſcriptum reliquerit. Κυανὸς λίθος ſic Græcè, Latinè verò Cæruleus lapis vocatur: Arabicè, Hager alezaoard, Lazuard, ſeu Azulaſſumu, Lapis lazuli. Italicè, Pietra cerulea: Germanicè, Laſurſtein. Hiſpanicè Azul.* Nomina.

## Ἰνδικόν. INDICVM. CAP. LXVII.

Indici duo genera: vnum ſua ſponte naſcitur, tanquam ſpuma, germinatione Indicis arundinibus exiens. Alterum infectoriæ dant officinæ: & eſt ſpuma purpurea innatās cortinis, quam detractam artifices ſiccant. Optimum exiſtimatur, quod cærulei ſpeciem præbet, ſuccum ſuum ſorbet, & læue. Inter medicamenta eſt, quæ leuiter adſtringunt, & inflammationes, tumoreſque rumpunt: purgat, & reprimit vlcera.

*Indicus color, quo hodie pictores vtuntur, tametſi in ſeplaſijs vbique venalis habeatur, fit tamen in infectorijs officinis ex glaſti recremento, & ſpuma, cum lana glaſto ipſo inficiuntur. Quod autem ſponte naſcitur tanquam ſpuma germinatione arundinibus exiens, quod ſciam, ad nos non defertur. Plinius libro 35 c. 6. factitium indicum in purpurarijs officinis fieri ait, ex purpuræ ſpuma cortinis innatante. Qua in re Dioſcoridis verba non rectè accepiſſe videtur Plinius. Siquidem author non ex purpurarum ſpuma fieri Indicum ſcribit, ſed ex purpurea ſpuma (talis enim eſt quæ ex iſatide prouenit) innatante cortinis in infectorijs officinis. Nulla namque, quod mihi compertum ſit, ex purpurarum ſanguine, quo regum veſtes olim tingebantur, ſpuma proferebatur. Quod Græci ἰνδικόν, Latini quoque Indicum vocant: Itali, Indico.* Indici cōſid. Nomina.

## Ὤχρα. OCHRA. CAP. LXVIII.

Ochram leuiſſimam, & omnino luteam eligere oportet, ſaturatam, non lapidoſam, friabilem, natione Atticam. Vritur hæc, & lauatur cadmiæ modo. Vis eius adſtringere, erodere, collectiones & tubercula diſsipare. Excreſcentia in carne reprimit, caua cum cerato explet, & articulorum tofos comminuit.

*Ochra foſsilis, qua pictores vtuntur, cur legitima non ſit, quid obſtet non video: quanquam hæc (quod ſciam) ex Athenis laudatiſsima nō adferatur, quemadmodum nec Vitruuij tēpore, qui Ochræ Atticæ vſum in Italia iam exoleuiſſe ſcribit. Eſt itaque Ochra terra, quæ in plumbi fodinis aureo colore reperitur. Quamobrem qui rerum cauſas perſcrutantur, arte etiam ochram ex plumbo ipſo conficiunt, quæ coloris nitore foſsitiam ſuperat. Præſtantiſsimam ochram non longè à Tridento effoſſam, miſit ad me hoc anno Martinus Guidottinus Tridentinus, ſeplaſiarius harum rerum diligens inquiſitor, qua nullam hactenus vidimus meliorem. Ochra in libris ſimplicium medicamentorum non reperio meminiſſe Galenum: tametſi eius mentionem fecerit commento 2. in Hippocratis prognoſtica de vomitione agens, cùm inquit: Ochra enim genus quoddam terra eſt, cuius potiſsimum Attica probatiſsima eſt. Quæ ὤχρα Græcè, Ochra item Latinè & Italicè appellatur.* Ochræ cōſid. Nomina.

## Κιννάβαρις. CINNABARIS. CAP. LXIX.

Hallucinantur qui cinnabarin minio eandem eſſe exiſtimant. Minium enim in Hiſpanis ex lapide quodam argenteæ arenæ permiſto, temperari ſolet, alioqui non dignoſcitur. Fornacibus autem in florentiſsimum, flagrantiſsimumque colorem permutatur. In metallis verò ſtrangulantem halitum eructat: itaque facies incolæ veſicis obuelant, vt per illas ſpectent, nec reſpirando noxium aerem attrahant. Eo pictores ad ſumptuoſa parietum ornamenta vtuntur. Cinnabaris verò ex Aphrica defertur, & magno conſtat: hactenus inuenitur, vt vix verſicoloribus pictorum lineis ſatisfaciat: intento colore, nec diluto præditum: quare quidam ſanguinem eſſe draconis exiſtimauerunt. Vim habet cinnabaris hæmatitæ lapillo eandem. Conuenit ad oculorum medicamenta, verùm efficacius: magis enim adſtringit, & ſanguinem cohibet. Ambuſtis igni, & papularum eruptionibus, cerato excepta medetur.

*Cinnabaris, qua officinæ, & pictores vtuntur, longè ſanè differt (vt planè conſtat) à Dioſcoridis Cinnabari: quandoquidem noſtri vſus cinnabaris res factitia eſt ex ſulphure & argento viuo diu arte quadam igne torrefactis. Eſt & aliud cinnabaris genus foſsile, & ſponte per ſe naſcens, vt poſtea dicetur: verùm non vt factitium copioſum, nec adeo colore præcellens. Quæ autem à Dioſcoride deſcribitur, ex Aphrica defertur, eadem facultate pollens, qua hæmatites lapillus, quem non modo prætulit ipſe foris appoſitum ad plures oculorum morbos: ſed etiam intus aſſumptum, ad vrinæ anguſtias, muliebrium locorum defluxiones, & cruentas expuitiones. Quibus vtique affectibus vulgaris vſus cinnabaris nullo pacto competere poteſt, quòd propria vi erodat, exulceret, & hauſtum perniciem adferat, & proinde ſit oculis & internis viſceribus inimica. Cæterùm quidnam inter ea, quæ hac ætate in vſum medicum veniunt, Dioſcoridis cinnabaris eſſe poſsit, non equidem auſim decernere, ſed potius quod ſentio, adducor, vt coniecturis quibuſdam aſſequar: quippe* Cinnabaris conſid.

quod

quòd Dioſcorides Cinnabarin nullis notis deſcripſerit, neque tradiderit an factitia res ſit, aut foßilis, an ex plantarum materia proueniat. Sed anteaquàm coniecturas eas afferam, quibus conſtare videtur Dioſcoridis cinnabari ſeplaſias noſtras non deſtitui, Plinij ſententia cognoſcenda eſt, qui lib. 33. cap. 7. affirmatè ſcribit, nil aliud eſſe cinnabarin, quàm draconis ſaniem, eliſi elephantorum morientium pondere, permiſto vtriuſque animalis ſanguine: quòdq́; nullus alius ſit color, qui in picturis proprie ſanguinem reddat: & quòd ea etiam antidotis medicamentis ſit vtiliſſima. Id quod pariter affirmat [illegible] Solinus in varia hiſtoriarum lectione. Ad hæc ſcire conuenit, gummi cuiuſdam arboris in Aphrica naſcentis ad nos [illegible], quod etiam hoc æuo ſanguinis draconis lacrymam officinæ vocant, colore ſanguinis, pellucidum, leue, & fractu [illegible] tumax. Hoc noſtrates officinæ vulgo vocant Sangue di drago in lagrime, alterius differentiæ, qui pluribus impoſturis [illegible] in orbiculos coactus venditur. Priorem itaque non ab re lachrymam appellant, quòd ſcribat Aloiſius Muſtus patritius [illegible] netus in ſuis in Aphricam nauigationibus, ex arbore quadam hoc gummi collachrymare, colore, & ſubſtantia ſanguini ſimili: inciſo tamen ab incolis prius arboris cortice, vt fuſius inde effluat. Hoc (vt idem ſubdit) æneis cacabis excipi[illegible] reſinæ modo decoquunt, quouſque conſiſtat, draconis ſanguinem, neſcio qua ratione ducti, ipſum appellantes: niſi id [illegible] at, quòd fortaſſe ſua lingua plantam, a qua defluit, draconem appellent. Ex his itaque nobis iure coniectare licebit, gummi hoc Dioſcoridi facilè cinnabarin eſſe, quòd primùm non aliunde, quàm ex Aphrica deferatur, nec inde copioſum: quòd [illegible] pictoribus expetatur, vt intento eius colore purpureas, rubenteſq́; concinnent vmbras, vbi prius picturas rubro, vel [illegible] infecerint: quòd deinde ob raritatem, etiam hoc tempore, quo frequentius in Aphricam nauigatur, non vili veneat pretio: quòd denique (vt Dioſcorides inquit) viribus hæmatitæ lapillo per omnia reſpondeat. Nam, vt periculum facientibus [illegible] dò patebit, adſtringendi vi pollet, & maiore quidem quàm hæmatites: quo fit, vt felicius eo vtantur medici ad muliebres, & dyſentericas fluxiones, ad cruentas excreationes, ad firmandos commotos dentes, & roborandas gingiuas. Hu[illegible], quòd ſi Dioſcoridis ætate non decrant, qui Cinnabarin eſſe draconis ſanguinem exiſtimarent, mirum ſanè non fuerit, [illegible] plures ætates producta hæc falſa opinio ad hæc vſque tempora inualuit. At ipſe, ne ſimplicium medicamentorum doctrinam ſectantes hoc tenerentur errore, inanem eorum ſententiam ſilentio inuoluendam non duxit, qui cinnabarin draconis ſanguinem appellabant, cùm inquit. Hactenus inuenitur cinnabaris, vt vix verſicoloribus pictorum lineis ſatisfaciat, [illegible] tenio colore, nec diluto præditum: quare quidam ſanguinem eſſe draconis exiſtimauerunt. Ex his igitur cùm coniecturis, tum rationibus colligendum eſſe putauerim, hanc lachrymam, colore ſanguinem præ ſe ferentem, legitimam eſſe Dioſcoridis cinnabarim.

Cinnabaris draconis ſanies Plinio.

Sanguis draconis duplex.

Plinii error Cinnabarim ſanguinem draconis ſtatuentis.

Cæterùm videtur hac in re manifeſtè aberraſſe Plinius, quandoquidem etſi aſſerat is cinnabarim nil aliud eſſe, quàm draconis ferociſſimæ belluæ ſanguinem, eliſæ elephantorum morientium pondere, cùm tamen dixerit nullum alium reperiri colorem, qui in picturis magis ad viuum ſanguinem reddat, quàm cinnabaris, facilè deprehenditur error. Quippe neceſſarium ſanè fuerit, vt de hac lachryma omnino intellexerit, putaritque, falſus vulgari appellatione, lachrymam [illegible] illum draconis ſanguinem eſſe, ab elephante (vt referunt) colliſi. Nam conſentaneum minimè videtur, vt huiuſmodi ſanguis extra vaſa in terram diffuſus, puluere & lapillis commiſtus, ſitu & putredine obductus contabefactusque, [illegible], ac verum ſanguinis colorem referre poſſit: quemadmodum nec ille ſyncerum ſanguinis colorem præbet, quem impoſtores [illegible] arbitrio factitant, ex hircino ſanguine, rubrica Sinopica, vel fabrili, contuſis lateribus & ſorbis diutius inſolatis, [illegible] poſſe colorem & ſubſtantiam imitantes, qui ex colliſis ſimul draconibus, & elephantibus (ſi tamen vera narrant) [illegible] re ſolet, quique iam longo tempore ad nos aduehi deſijt. Quo poſtea factum eſſe opinor, vt in eius defectu factitium [illegible] ſuerint impoſtores, & hanc fraudem excogitauerint: neque ſolùm ea ratione, quam modò diximus, ipſum parant, ſed etiam modis alijs compluribus, reſinas, rubiæ infectoriæ radices, braſilij decoctum, tragacanthæ lachrymam, rubricas, & alia permulta immiſcentes, quæ ne longior ſit ſermo, quàm ſeries ipſa expoſcat, ſilentio duximus inuoluenda.

Obiectionis dilutio.

Verùm hic fortaſſe illud quiſpiam nobis obtrudet, quòd cùm hoc loco ſcribat Dioſcorides de metallicis tãtùm, ac foßilibus [illegible] coloribus, tum medicamentis, conſentaneum minimè videatur, vt his inſeruerit arborum lachrymas, quarum hiſtoriam & facultates diffuſius libro primo pertractauit: & ob id omnino credendũ ſit, cinnabarim foſſile eſſe medicamentũ. Hæc obijcienti ita reſponſum volumus, quòd cùm ea hoc loco recenſeat Dioſcorides, quæ ob colorum nitorem, in pictorium [illegible] ſum, nempe ceruſſam, chryſocollam, Armenium, cœruleum, Indicum, ochram, & alia pleraque, non mirum, nec præter inſtitutum mihi ſanè videtur, quòd his etiam cinnabarim adiunxerit, quanquam arboris fuerit lachryma. Videmus enim inter hæc Indicum quoque à Dioſcoride connumeratum eſſe, quod tamen nec foſſile, nec metallicum eſt, ſed in India ſpumæ inſtar, ex arundinum quarundam germinatione ſponte prouenit: atq́; etiam arte quadam fit ex iſatide herba in infectorijs officinis. Ex his itaque omnibus palàm fieri arbitror, quòd communis vſus cinnabaris, quam Dioſcoridis Minium, quòd in fornacibus fiat, & florentiſſimo, flagrantiſſimoque colore ſpectetur, eſſe mihi ſemper perſuaſi, ab ea longè diuerſa ſit, de qua author noſter hic mentionem facit. Eſt enim, vt ſuprà dictum eſt, noſtri vſus cinnabaris foßilis, & factitia: nota hæc omnibus, & frequens: illa verò rara, nec multis cognita.

Cinnabaris foſſilis.

Foßilem (vt proxima commentatione latius dicetur) vidimus frequenter nos in argenti viui fodinis, Hydriæ monte, qui vna tantùm die á Goritia diſtat, circa Carniolæ fines. Lapis eſt purpureus ad rubedinem declinans, hæmatitæ lapidi æmulus, non admodum durus, impenſe tamen grauis, tantoq́; plerunque argento viuo prægnans, vt per ſeſe, nulla ignium vi guttatim exiliat.

Cinnabaris factitia.

Factitia eodem loco plurimum etiam paratur ex argento viuo, & ſulphure, fictilibus quibuſdam concluſis, & flagrantiſſimo igni admotis, donec ad ſaturitatem rubeſcant. Id quod fieri à natura crediderim in ea, quæ foßilis fuerit, in terræ viſceribus. Nullus harum vſus in medicamentis, quæ intus in corpus ſumuntur, quòd pernicioſæ ſint, & venenoſæ.

Fuch. opinio reprobata.

Hinc forte factum eſt, vt exiſtimauerit Fuchſius, in Nicolai Myrepſici codice in Damaſonij antidoto ab aliquo imperito additam eſſe cinnabarim. Sed in hoc alia planè à Fuchſio opinio noſtra eſt, quippe quòd putem Nicolaum eo in loco non de foßitia, vel factitia cinnabari intellexiſſe, ſed de ea arboris lachryma, de qua ſcripſiſſe Dioſcoridem, iam euidentiſſimum, ni fallor, à nobis factum eſt. Nam cùm cinnabaris hæc Dioſcoridis teſtimonio, hæmatitæ lapillo pares habeat vires, probaueritq́; is hæmatitem ad vrinæ difficultatem, dubitandum ſanè non eſt, quin conſultò antiquorum cinnabarim ea in antidoto addiderit Nicolaus, quam ſpeciatim ad difficultatem, & ſtillicidium vrinæ commendat. Cæterum quamuis communis vſus cinnabaris in medicamentis, quæ ſumuntur in corpus, omnino lethalis, & perimens ſit, conſtat tamen ijs vtiliter admiſceri poſſe, quæ exterius adhibentur, nempe ſuffimentis, quæ fiunt ad delendam Gallicam luem, vbi cætera non profuerint remedia, vnguentis item nonnullis ad idem facientibus, & ad contumacia vlcera, alijſque medicamentis, quorum vires longum eſſet in præſentia recenſere.

Minium Dioſcoridis quid nobis.

Porrò cùm dicat Dioſcorides hallucinari eos, qui cinnabarin minio eandem eſſe exiſtimant, cùmq́; etiam ſcribat ſequenti capite argentum viuum ex minio fieri, quod abuſiuè cinnabaris dicitur, omnino mihi perſuaſum volui, nil aliud Dioſcoridi eſſe minium, quàm foßile hoc, quod diximus cinnabarim foßitiam hodie appellari, à quo argenti viui plurimum eliciunt in Hydriæ fodinis. Auxit præterea opinionem ipſe Dioſcorides, quippe qui aſſerat Minium in metallis ſtrangulantem halitum eructare, ob idq́; foſſores veſ-

te veſicis ſibi faciem obuelare, vt per illas ſpectent, ne reſpirando noxium vaporem attrahant. Quandoquidem vbi cinnabaris in Hydriæ monte foditur (vt ego vidi, & teſtari poſſum) artifices eam decoquentes, vaſis quibuſdam ad id conflatis, & conuerſo ſimul ore argilla circumlitis, vt inde argentum viuum eliciant, nares, & os linteis ſibi obſtruunt, ne noxio vapori pateat aditus: quod non modo huiuſce halitus noxa anheloſi fiant, qui hauſerint. Id plerunque dentes vniuerſos amittant, putreſcentibus circumquaque gingiuis, vt quidam apertiſsime teſtantur, qui ſpreto narium, & oris velamento, vt cæteris viderentur fortiores, edentuli prorſus facti ſunt continuo tremore concuſsi. Accedit huc Vitruuij authoritas, quæ ſententiam noſtram maxime tuetur. Ipſe enim ſeptimo volumine ſuæ architecturæ ita de Minio diſſerit. Ingrediar nunc rationes explicare. Id autem agris Epheſiorum Cilbianis primum memoratur eſſe inuentum, cuius & res, & ratio ſatis magnas habet admirationes. Foditur in gleba, quæ ἄνθραξ dicitur antequam tractationibus ad minium perueniat, vena vti ferro, magis ſubrufo colore, habens circa ſe rubrum puluerem. Cùm id foditur, ex plagis ferramentorum crebras emittit lachrymas argenti viui, quæ à foſſoribus ſtatim colliguntur: hæc Vitruuius. Nos equidem hæc idem vidimus in Hydriæ montis fodinis: vbi plerunque euenit, vt vulnerata ferramentis vena, argentum viuum fonticuli inſtar, in ſubſtratam defluat humum. Sunt quoque Minij quam pulcherrimi fodinæ pluribus in locis in Bohemia, vbi copioſum quoque foditur atque excoctum longe admodum pulchrius. Huius apud me ſunt aliquot fruſta, ad oſtentationem aſſeruata. Cæterum Plinio [illegible] generum, vt loco ſuperius citato legitur, vbi cuncta eius genera retulit his verbis: Inuenitur in argentarijs metallis minium quoque, & nunc inter pigmenta magnæ authoritatis. Theophraſtus tradit inuentum minium à Callia Athenienſe initio ſperante aurum poſſe excoqui arena rubente in metallis argenti: hanc fuiſſe originem eius. Reperiri autem tum iam in Hiſpania, ſed durum & arenoſum. Item apud Colchos in rupe quadam inacceſſa, ex qua iaculantes decuterent: id eſſe adulterum. Optimum vero ſupra Epheſum Cilbianis agris. Arenam cocci colorem habere, hanc teri, dein lauari farinam, & quod ſubſidat iterum lauari. Iuba minium naſci in Carmania tradit. Hermogenes & in Aethiopia, ſed neutro ex loco inuehitur ad nos, nec fere aliunde, quam ex Hiſpania. Sed adulteratur multis modis, vnde præda ſocietati. Namque eſt alterum genus in omnibus fere argentarijs, itemque plumbarijs metallis, quod fit ex vſto lapide venis permiſto, non ex illo, cuius vomicam argentum viuum appellauimus, ſed ex alijs ſimul repertis. Steriles etiam plumbi ſuo colore nec niſi in fornacibus rubeſcentes, exuſtique tunduntur in farinam. Et hoc eſt ſecundarium minium perquàm paucis notum, multum infra naturales illas arenas. Synceri cocci nitor eſſe debet. Probatur auri modo. Auro candente fucatum nigreſcit, ſyncerum colorem retinet. Inuenio & calce adulterari. Ac ſimili ratione ferri candentis lamina, ſi non ſit aurum, deprehendi illico. Hactenus de minio Plinius. Hinc igitur palam eſt antiquis minium & foſsile, & factitium extitiſſe. Nec ſane dubitauerim, quin in factitij genere acceperint ipſi cinnabarim factitiam, quæ paſsim in ſeplaſiariorum officinis inuenitur. Id minium hodie appellant pharmacopolæ, tum etiam pictores, quod veteres Græci Sandycem vocauere, ex plumbo, aut ceruſſa in fornacibus peruſta paratum, de quo etiam videtur intellexiſſe Plinius. Κιννάβαρι ſic Græcis, vt Latinis etiam Cinnabaris appellatur: Officinis, Sangue di drago in lacrime. Italis, Cinabro: Hiſpanis, Sangre de dragon.

Cinnabaris collectio. Vitruuius de Minio. Minij genera Plinio. Nomina.

## Ὑδράργυρος. ARGENTVM VIVVM. CAP. LXX.

ARgentum viuum fit ex minio, quod abuſiuè cinnabaris dicitur, patinis fictilibus impoſita, ferrea concha cinnabarin continente, & calice cooperta, argilla ſuperlita, carbonibus ſuccendunt, ſiquidem deterſa fuligo, quæ calici inſidet, refrigerata in argentum viuum coit. Quinetiam inuenitur in argenti fodinarum tectis ſtillatim concretum. Alij per ſe in metallis inueniri tradunt. Seruatur in vitreis, aut plumbeis, aut ſtagneis, aut argenteis vaſis: ſiquidem aliam materiam omnem exedit, & defluere facit. Potum vim perniciolem habet: ſuo enim pondere interna exeſt. Remedio eſt lac multum ſubinde potum, & vomitionibus rejectum, aut vinum cum abſinthio, aut apij decoctum, aut ſemen hormini, aut origanum, aut hyſſopum cum vino. Auri limata ſcobs, id eſt, ramentum quàm tenuiſsimum epotum mirabili eſt auxilio.

ARgentum viuum omnibus notiſsimum, corpus eſt è foſsilium genere, liquidum, & aquæ modo fluidum, colore argenteo, luceſcente, pellucidumque: ſubſtantia vero lenta, tenui, in qua tam frigiditas, quàm humiditas exuperat. Hæc igitur ſymmetria (vt chymiſtarum, qui ſe philoſophos exiſtimant, fert opinio) res eſt ſanè admodum diſpoſita ad metallorum omnium generationem, quamobrem ipſorum tum originem, tum ſemen argentum viuum appellauere. Quinetiam non adденſari putant, quod ei non inſit caliditas, & ſiccitas tanta, quæ ad id muneris obeundum ſufficiant. Addunt temporis defectu id etiam euenire: ideoque immaturũ, indigeſtum, imperfectumque reddi. Cæterùm relicta chymiſtis diſceptandi materia, an ipſum metallorum quorumcunque prima fuerit materia, an aliter ſe res habeat, dicam, philoſophorum tãtùm, qui de eo ſcripſerunt, ſententiã ſecutus, facilè Argentũ viuum eſſe materiã ad metallorũ generationẽ proximã. Quippe cùm facillimè omnibus ſe coniungat metallis, palam nimirum fit, ijs gignendis aptiſsimam eſſe materiam, ijsque præſertim, quibus facilius contactu inhæreſcit: quandoquidem in habentibus ſymbolum (vt vulgata propoſitio eſt) & in conſimilibus facilis eſt tranſitus. Hanc itaque ob cauſam eos non rectè ſentire putauerim, qui dicunt, quod ſi argentum viuum in terræ viſceribus vſqueadeo decoctum eſſet, vt in aliquod fixum, firmumque verteretur metallum, in plumbum potius aut ſtannum verti deberet, quàm in argentum, vel in aurum. Siquidem certum eſt, quòd id facilius plumbo, ſtannoque contactu inhæret, quàm cæteris: tametſi non negauerim, quinetiam in argentum & aurum, argentum viuum conuerti poſsit, cùm etiam cum ijs facilè commiſceatur. Hic autem eſt chymiſtarum ludus, qui tempus conterunt, & oleum & operam perdunt, id arte reficere exiſtimantes, in quo natura ipſa defecit: quam (vt liquido conſtat) nemo vnquam ita ad vnguem imitari potuit, quin ab eius mira ſolertia aberrauerit. Omnia metalla in argentum viuum conjecta, ſupernatant, vt lignum in aqua, præter ſolum aurum, quod ſi injiciatur, ſtatim petit fundum, quòd hoc magis ponderet, quàm cætera. Ampliſsima argenti viui metalla (vt etiam in ſuperiori capite diximus) viſuntur in Hydria monte, qui quadraginta millia paſſuum à Goritia diſtat, vbi continuo copioſum elicitur è lapide quodam fragili potius, quàm duro, colore ex nigro ruſeſcente, & ad purpuram quandantenus vergente, ponderoſo plumbi inſtar, & argento viuo ſcintillante. Hanc venam poſtquàm effoderunt, conterunt & in fictilia quædam anguſti orificij conijciunt, & recenti arborũ muſco obturant: deinde fictile alterum huic ſimile, latioris tamen oris, in terram ſepeliunt, & alterius pleni inuerſum orificium, in illud inferunt, & argilla circumquaque muniunt obturantque oſcula, & vaſa ſimul connectunt, & firmant, adeò vt vacuum fictile totum ſub terra ſidat, plenum verò totum ſupereminεat. Itaque in aperta area quàm plurima ſeriatim collocant fictilia, & deinde ignem in ambitus ſuccendunt,

Argenti viui conſid. Quorundam error.

dunt, cuius vi caleſacta vena, argentum viuum guttatim diſtillat in ſubſtratum fictile. Hinc ſuo tempore eximunt, & in vtriculos quoſdam reponunt, quòd vaſa ferè cuncta exedat ac dilaceret, præter vitrea, vel fictilia vitro circumlita. Quo fit, vt Dioſcoridem mirari ſubeat, qui argentum viuum in argenteis, aut plumbeis, ſtagneiſue, aut vitreis tantum vaſis ſeruari poſſe ſcribit, quòd aliam materiam omnem erodat, niſi codex hic deprauatus ſit. Siquidem id falſum deprehenditur: nam argentum viuum exeſt ac deſtruit omnia metalla, quibus inhæſerit. Ex quo potius, cùm hæc a Serapione non ſcribantur, qui tamen Dioſcoridis omnia ferè ſcripta bona fide reddidit, planè ſuſpicandum fuerit, huic capiti plura ineſſe menda: id quod etiam varia in hoc loco Oribaſij lectio confirmare videtur. Reperiuntur autem in argenti viui fodinis circa ipſius venam peculiares quædam lapidis illius rufi zonæ, quem foſſores foſsitiam cinnabarim vocant, de quo etiam in præcedenti capite diximus. Hic adeò argento viuo ſcatet, vt ſæpius abſque alio igne inde per ſeſe guttatim defluat. Euenit præterea dum foſſores mucronatis inſtrumentis, venam effodiunt, vt purum proſiliat argentum viuum, decurratque celeriter veluti è fonticulo quodam. Porrò rari admodum ſunt foſſores, & huiuſce materiæ artifices, tametſi robuſtiſsimi fuerint temperamenti, qui eo in opere ad quartum vſque annum incolumes perdurare valeant: quippe ob noxium metalli halitum

Galenus notatur.

partium omnium tremore concutiuntur. Cæterùm Galenus lib 9. ſimplicium medicamentorum ſcribit, contra illud quod experimento comprobatur, Argentum viuum ex ſponte naſcentibus non eſſe, ſed ex ijs, quæ præparantur, velut ceruſſa, ærugo, pſoricum, lithargyros: fateturque ſe nullum huiuſce medicamenti feciſſe periculum, an interimat, ſi deuoretur, vel ſi

Argenti ſublimati confectio.

foris fuerit admotum. Fit ex argento viuo & ſale, quod ammoniacum vocant, lethale illud medicamentum, quod officinæ chymiſtas ſecutæ, Argentum ſublimatum appellant, vtriſque ſimul admiſtis, & in vas vitreum coniectis, ac inde in fornacem deductis, vt hæc ignium vi, in vaſis ſublime tollantur, vbi ſalis modo concreſcunt, lapideſcuntq́ſacchari colore. Sunt etiam qui tantum communi ſale, & chalcantho additis, argentum viuum ſublimatum conficiãt, alij verò ſalnitrum, alumen, alij Arſenicũ album addũt. Atqui quod paſsim in officinis habetur, ex argento viuo, ſale & chalcãtho confit. Fit etiam ex argento viuo, & aqua, quam ex chalcantho alumine, & ſale nitro conficiunt chymiſtæ, arte quadã, & ignium vi, id quod recentiores quidam Præcipitatum vocant. Cui facultas ineſt ſanè admirabilis ad contumacia vlcera ſananda, ea præſertim, quæ à Gallica lue emerſerunt. Sunt etiam qui dimidij ſcrupuli pondere deuorandum propinent, admiſtis margaritis, alijſq́ quibuſdam, quæ cor tueri non ambigunt, vbi quis Gallicis doloribus circa articulos cõſlictetur. Datur etiã melancholicis, Armenij lapidis modo, vt libello, quem de morbo Gallico ſcripſimus, abundè dictum eſt: namque eoſdem prædictos

Argẽtum viuum exhibetur.

affectus, vomitionibus expurgans. Sunt præterea qui purum ſyncerumque Argentum viuum hauriendum præbeant non modo adultis, ſed pueris, & infantibus ætate tenellis. Siquidem Braſauolus Ferrarienſis, vir ſanè hac ætate clariſsimus, ſuo de ſtirpium examine pro certo ſcribit, ſæpius ſe dediſſe Argentum viuum infantibus deuorandum, vi vermium ſemimortuis, qui illico ſanati ſunt: idq́ feciſſe ait in vltima deſperatione. Sed quomodo, vel qua menſura, vel pondere dandum ſit, ſilentio inuoluit. At Goritienſes obſtetrices, vbi grauidæ diu in partu laborauerint, ſtatim Argentum viuum ſcrupuli pondere nullis incommodis potandum exhibent. Quo fit, vt facilè mihi perſuaſerim, Argentum viuum potantes haud necare, niſi pondus, vel menſuram exceſſerit. Non tamen crediderim, quòd ſolum pondere interimat, vt quidam putant Dioſcoridem tantùm ſecuti, vt latius libro ſexto diſſeremus. Sed quoniam Argentum viuum nobis in mentem reuocauit AVRVM omnium

Auri hiſtoria & præſtantia.

metallorum pretioſiſsimum præſtantiſsimumq́, cùm eius nuſquam, quod extet, meminerit Dioſcorides, crederem profectò non paucam naturæ rerum iniuriam a me illatam iri, ſi huius tam pretioſi metalli, cuius inextinguibili ſiti vniuerſus æſtuat mundus, hiſtoriam & facultatem ſilentio præterijſſem. Quandoquidem ob ipſius ſplendeſcentem colorem naturem, opinati ſunt naturæ operum indagatores, admirabiles auro ineſſe facultates, quibus homines non modò incolumes fieri poſsit, ſed & longæuos reddere. Quapropter mirum non eſt, ſi ipſum tanti faciat mundus, & ante cætera extollant homines. Auri itaq́ materiam nil aliud eſſe ſcribunt, quàm ſubſtantiæ elementariæ ſibi inuicem proportione reſpondentes. Hæ autem ſimul commiſtæ, cùm pari ſint virtute conformatæ, aliud ſanè gignere nequeunt, quàm amicabilem quandam, & optimam miſtionem, quæ fermentatione, & coctione perficitur: quo fit, vt inde tam indiſſolubili nexu vniantur, vt permanentes, & ferè indiſſolubiles fiant, adeo quòd, ſiue id eueniat cœleſtium corporum influxu, aut temporis vi, aut ſagaciſsimæ naturæ opere, aut his omnibus vnà concurrentibus, conuertuntur eædem ſubſtantiæ in hoc metallicum corpus, quod vocant aurum. Hoc enim (vt diximus) ob ſui tum ingentem temperiem, tum vnitatem, tum optimam miſtionem, adeò denſum euadit, quòd non modo quandam communem conſequitur permanſionem, ſed incorruptibilem ferè temperiem, & cauſam quandam, ob quam ſuperflui nihil continere poſsit. Hinc igitur eſt, quòd quanquam longioribus ſeculis aurum in terra, vel in aqua ſepultum permaneat, nunquam rubiginem contrahit: ſicut in igne diutius permanens, non modo aliqua ex parte non comburitur, ſed & depuratius, & ſplendidius efficitur. Ad hæc ob optimam ſui vnitatem, nullo phlegmate, nulloq́ pingui redundat, ita vt perpetuò fulgeat, ſplendidiſsimumq́ perduret. Quinetiam tractantium manus nullo colore tingit, nempe croceo, aut nigro, quemadmodum cætera faciunt metalla: neque etiam aliquo odore, aut ſapore guſtantium, aut olfacientium tum nares, tum palatum inficit. Aurum intus in corpus ſumptum, ſiue ex induſtria, ſiue caſu deuorantibus, nullam penitus infert noxam, vt complura faciunt metalla: ſed mirum in modum cor, & vitalem facultatem roborat, quod ſolis influxui acceptum plerique ſapiẽtes retulerunt. Quamobrem iure quidem dici poteſt, aurum omnium metallorum præſtantiſsimum eſſe, ductile, colore lucido illiq́ perſimili, quo cuncta à ſole illuſtrantur. Inſuper propria quadam attractrice vi pollet, quæ reſpicientium animos allicit, & diſponit, vt ab ipſis illico deſideretur: vnde quidam exiſtimarunt auro proprias quàm plurimas ineſſe dotes. In Italia propriæ ſynceri auri fodinæ (quod ſciam) nullibi extant. At qui in Germania, Pannonia, ac Tranſyluania eæ pluribus in locis habentur. Auri venam ijs omnibus locis crediderim gigni, vbi cœlum id cauſæ elementaris influat ac diſponat, de quibus antea diſſeruimus. Huius vena varijs lapidibus impacta viſitur in aſperrimorum montium viſceribus. Verùm ea omnium præſtantiſsima auri vena cenſetur, cui cæruleus lapis fulcit admiſtus: tantò enim melior hæc, quantò ponderoſior, & colore vigentior, adeò vt illa cæteras præcellat, quæ pluribus auri guttis ſcintillet, vel in qua plures auri lineæ intercurſantes conſpiciantur. Eſt etiam auri ferax diuerſorum fluminum arena. Siquidem procul dubio conſtat in Hiſpania Tagum, in Thracia Ebrum, in India Gangem & Pactolum, in Pannonia Iſtrum, in Germania Rhenum, in Italia Padum & Ticinum, aureas ducere arenas, à quibus arte quadam aurum omnium probatiſsimum elicitur, veruntamen non omnibus eorum litoribus aureæ eædem ſunt arenæ. Auri vires prodidit Auicenna

Auri vires ex Auicenna.

ſecundo ſui operis volumine, ſic inquiens: Aurum in omnibus ſuis partibus æquale eſt. Inſeritur medicamentis, quæ attrabiliarijs competunt morbis. Ad hæc vbi actuali cauterio ſit opus, ignitum aurum cæteris præſtat metallis, quod vlcus inde exortum citius conſaneſcat. In ore contentum, anhelitus graueolentiam tollit. Auri ſcobs porphyrite lapide læuigata in ea medicamenta additur, quæ ad alopecias, & lichenas parantur, tam intus in corpus ſumpta, quam extra medicamentis excepta. Hæc item eodem modo diutius læuigata, adeò vt tactum ferè effugiat, oculis immittitur

mittitur ad roborandam eorum aciem. Bibitur autem & ad cordis affectus, & animi mœrores. Argentum viuum quod Latini, ὑδράργυρος Græcis nominatur, Mauritanis, Zaibar, ſeu Zaibach: Italis, Argento viuo: Germanis, Queckſilber: Hiſpanis Azogue. Aurum verò Latinis, χρυσὸς Græcè dicitur. Germanicè, Goldt: Italicè & Hiſpanice Oro. Nomina.

Μίλτος σινωπική.

## RVBRICA SINOPICA. CAP. LXXI.

RVbrica Sinopis maximè probatur grauis, denſa, ad iecinoris imaginem vergens, calculorum expers, concolor, cum diluitur, impendiò fuſilis. Effoditur in Cappadocia ſpeluncis quibuſdam, expurgataque defertur in Sinopem vrbem, in qua venditur: vnde cognomentum accepit. Vim habet exiccatoriam, quaſi inducendo obſtruentem, & adſtrictoriam: quapropter vulnerarijs emplaſtris, & paſtillis exiccantibus, & adſtrictorijs commiſceri ſolet. Aluum ſiſtit, in ouo ſumpta aut clyſtere infuſa: datur iecinoris vitio laborantibus.

Rubricæ Sinopicæ conſid.

HOdie profectò neminem inuenio, qui doceat, & explicet, quæ nobis legitima ſit Rubrica Sinopica. Sed quantum ego coniectere potui (etſi id pro certo aſſerere non auſim) nullum e foſsilium genere occurrit, quod magis Sinopicam rubricam nobis repræſentet, quam vulgarijs imus bolus Armenus vocatus, is nimirum, qui in quadratas defertur maſſas, quique maximè vulnerarijs medicis expetitur ad ſanguinis profluuium cohibendum, & fracta oſſa ferruminanda. Hæc rubrica (vt Georgius Agricola maximus foſsilium indagator inquit) etſi iamdudum ex Sinope Cappadociæ vrbe, vnde nomen inuenit, tantum importabatur, conſtat tamen alibi etiam reperiri, non modo in proprijs venis, ſed in aurarijs, argentarijs, ærarijs, ferrarijsque metallis. Hanc omnino mihi opinionem illud auxit, quod certo ſciam plurimum pſeudoboli Armenij ex ferrarijs Ilua Tyrrheni inſulæ fodinis ad nos quotidie conuehi: quòd deinde colore ſit iecinoris, pondere grauis, ſubſtantia denſus: quod etiam in aquam coniectus facile diſsiliat, quòd denique ſua vi exiccet, adſtringat, & cogat. Hæc enim gleba, cùm verus bolus Armenius non ſit, nil aliud (meo iudicio) eſſe poterit, quam rubrica Sinopica, quanquam à Sinope non deferatur. Cæterùm non deſunt qui, audacter aſſerere audeant Armenium bolum, quem vulgò orientalem appellamus, Sinopicam eſſe rubricam, ſed ij proculdubio hallucinantur. Plura enim ſunt, quæ palam faciunt, hos manifeſtò decipi, & in errore verſari. Siquidem vbi primum color expendatur, is ſane iecinoris non eſt, ſed longe rubicundior. Præterea qui ſcribant Sinopicam rubricam eſſe pinguem, & in ore detentam butyri inſtar liqueſcere, habeo profectò neminem. Deinde ſi vires expendamus, nullum quem reperio ſcripſiſſe Dioſcoridem, aut Galenum, Sinopicam rubricam, viribus eſſe præditã, quibus venenis & animalium venenoſorum morſibus occurrere poſsit, quemadmodum Armenius bolus orientalis. Siquidem is omnium probatiſsimorum medicorum conſenſu, qui paſsim eo vtuntur, non ſolùm venenis aduerſatur, ſed peſtiferis quibuſcunque morbis. Adde quod aqua maceratum haud facilè diſſoluatur. Sed plura de his (Deo volente) in ſecundo epiſtolarum noſtrarum tomo diſſeremus. Species Sinopidis (vt Plinius eſt author libro 35. cap. 6.) tres, rubra, & minus rubens, & inter has media. Quæ ſane differentiæ viſuntur pariter in vulgari Armenico bolo. Porrò Manardus Ferrarienſis libro tertio epiſtola quarta, Sinopicæ rubricæ meminit, quæ albo ſit colore. Sed in hoc virum alioqui celebrem, mirari ſubit, quod non animaduerterit non poſſe aliam quamuis terræ glebam Rubricam appellari. Rubrica quæ Græcis μίλτος σινωπική, Latinis pariter ac Italis Rubrica Sinopica vocatur: Arabibus, Mogar, ſiue Magra: Hiſpanis, Almagra.

Armenius bolus non eſt Sinopica rubrica.

Manardi lapſus albam dicentis rubricam.

Nomina.

Μίλτος τεκτονική.

## RVBRICA FABRILIS. CAP. LXXII.

RVbrica fabrilis ad omnia Sinopide inferior eſt. Optima Aegyptia, & Carthaginenſis, lapidum expers, friabilis. Gignitur etiam in Iberia, quæ ad occidentem ſpectat, ochra exuſta, & degenerante in rubricam.

RVbricam hanc ideo fabrilem appellauere veteres, quòd ea plerunque vterentur materiarij fabri ad lineas protrahendas infectis in ea funiculis. Naſci fabrilem rubricam in Lemno memoriæ prodidit Galenus, cùm libro nono ſimplicium medicamentorum, tum etiam primo de antidotis, ſed à lemnia ſphragide plurimum differre. Verùm an communis vſus rubrica, quæ vulgo Italis propriè dicitur Terra roſſa, ea ſit fabrilis rubrica, de qua hic meminit Dioſcorides, cur pro certò affirmem non habeo. Quæ Græcè μίλτος τεκτονική, Rubrica fabrilis Latinè dicitur: Arabibus, qui nullam faciunt differentiam inter hanc & Sinopicam, Mogar & Magra: Italis, Rubrica fabrile: Germanis, Rötelſtein.

Rubricæ fabrilis conſid.

Nomina.

Λημνία γῆ.

## LEMNIA TERRA. CAP. LXXIII.

LEmnia terra cuniculoſa in ſpecu nata, è Lemno inſula, paluſtri loco defertur, inibi electa & caprino ſanguini permiſta, quam incolæ cogunt in paſtillos, & imagine capræ ſignant: vnde & ſphragida ægios, hoc eſt, ſigillum capræ appellauere. Vim antidoti habet contra pernicioſa venena ſingularem: pota cum vino, & præſumpta euomi venena cogit. Contra ictus morſuſque animalium, quæ exitiale virus eiaculantur, prodeſt. Antidotis familiaris. Sunt qui hanc ad ſacrificia vtantur: eſt & dyſenteriæ vtilis.

LEmniæ terræ amplam in Italiam notitiam ſuo tempore attulit Galenus medicamentorum omnium diligentiſsimus inquiſitor: quippe qui, vt hac ſynceriſsima tandem potiretur, atque vt omnem impoſtorum fraudem detegeret, qui eam adulteratam vendebant, bis in Lemnum inſulam nauigauit, vt eius verba teſtantur libro 9. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcriptum reliquit: At aliæ ſunt terræ differentiæ ex diuerſi generis corporum natæ commiſtione, qua ratione lapidoſæ, & arenoſæ habentur: atque admiſtam talium ſubſtantiam ſegregant largæ aquæ effuſione ac maceratione, dum humidum exiccatur. Cùm enim id effectum eſt, id quod defertur, atque ineſt lapidoſum, atque arenoſum, id omne ſubſidit, & terra exacta ſupernatat. Tale quiddam & in Lemnia terra viſitur, quam cognominant quidam milton Lemniam, id eſt, rubricam Lemniam, & alij quidam ſphragida Lemniam, hoc eſt, ſigillum Lemnium, ob impreſſum videlicet illi ſigillum Dianæ ſacrum. Siquidem hanc terram ſacerdos cum patrio quodam honore ſumens, haud mactatis animalibus, ſed tritico, atque hordeo piamenti gratia loco redditis, in vrbem comportat, quam deinde aqua maceratam, atque in lutum humidum redactam, v-

Lemniæ terræ hiſtor. ex Galeno.

ctam, vbi valenter conturbauit, paulumq; inde quieſcere ſiuit, primùm aquam, quæ ſupernatat auſert, & mox quod ſub ea eſt lutum tollit, ac reliquum duntaxat, quod ad imum ſubſedit, lapidoſum ſcilicet, & arenoſum relinquit, vt inutile, ac ſuperuacaneum. Porrò lutum illud pingue vſque eò deſiccat, dum mollis ceræ conſiſtentiam accipiat: huiusq; exiguæ acceptæ particulis, ſacrum Dianæ ſignum imprimit. Ac poſtea rurſum in vmbra ſiccandum reponit, donec omnem planè humiditatem amittat, fiatq; illud medicis omnibus cognitum medicamen Lemnia ſphragis, ſiue ſigillum. Sic enim quidam illam cognominant, vt dixi, ob impreſſam ſphragida, hoc eſt, ſigillum, ceu etiam nonnulli ob colorem Lemniam milton ſiue rubricam appellitant: eundem enim, quem rubrica, colorem habet. Verùm ab ea differt, quòd contactu non contaminet atque [illegible]la: & ſecundùm collem in Lemno, qui totus colore fuluo eſt, & in quo neque arbor, neque ſaxum, neque planta naſcitur, tantùm huiuſmodi terra viſitur.

Lemniæ terræ tres differentiæ.

Porrò tres eius ſignantur differentiæ: vna quam poſuimus terræ ſacræ, quam alij nemini præter vnam ſacerdotem contingere fas eſt: altera verò eius, quæ reuera miltos eſt, ſiue rubrica, vtuntur autem ea potiſſimum fabri: demum tertia eius, quæ extergit, qua vtuntur, qui lintea, & veſtes lauant, quibus vtique collibitum eſt. Cæterum cùm & apud Dioſcoridem, & alios quoſdam ſcriptum legiſſem, Lemniæ terræ hircinum miſceri ſanguinem, atque ex luto, quod ea miſtione conficiebatur, ſacerdotem quas vocant Lemnias ſphragidas tum conformare, tum conſignare, cupiebam profectò & ipſe miſtionis modum inſpicere, atque ſymmetriam. Itaque quemadmodum in Cyprum nauigaueram videndorum, quæ in ea ſunt, metallorum gratia, & in cauam Syriam Palæſtinæ partem profectus fueram, bituminis & aliorum quorundam inſpiciendorum cauſa, ita nec in Lemnum enauigare piguit, vt quantum ſanguinis terræ admiſceretur, conſpicerem. Nam cùm iterum ex Aſia Romam pedeſtri veterem itinere, per Thraciam, & Macedoniam, prius à Troade Alexandrea in Lemnum adnauigaui, nactus illic nauem, quæ ad Theſſalonicam curſum deſtinabat. Conueniebam autem cum nauclero, vt in curſu Lemno appelleret; & ſanè ille præſtitit, ſed non ad eam ciuitatem, ad quam oportebat. Antea enim neſciuerã duas eſſe in inſula ciuitates, ſed credebam, vt Samus, Chius, Cos, Andrus, Tenus, & omnes adeò, quæ in Ægæo ſunt mari, vnam duntaxat ciuitatem habent, toti inſulæ cognominem, ita & Lemnum vnam nominis ſui habere ciuitatẽ. Porrò vt ex naui deſcenderã, intellexi ciuitati nomẽ eſſe Myrine, nec in regione ciuitatis illius aut Philoctetis templũ eſſe aut ſacrũ Neptuni collẽ, ſed in altera, quæ vocatur Hepheſtias, nec ciuitatem eã Myrinæ eſſe propinquã. Cùmq; me nauclerus expectare non poſſet, diſtuli, vt cùm Roma in Aſiã redirẽ, tunc Hepheſtiada viſerẽ: id quod feci, prout ſperauerã, & propoſueram. Nam vbi ex Italia in Macedoniã traieciſſem, eamq; penè totã pedeſtri itinere pertrãſijſſem, perueniſſemq; Philippos, quæ ciuitas eſt finitima Thraciæ, inde ad mare deſcẽdi, quod proximũ aberat centũ viginti ſtadijs: primũq; Thaſon traieci, diſtantem plus minus ducentis ſtadijs, atque illinc in Lemnum ſeptingentis, ac rurſum fermè ſeptingentis in Alexandream Troada traieci. Ac proinde ſanè ex induſtria tum de nauigatione, tũ de ſtadijs adſcripſi, vt ſi quem eadem, quæ me cepit, Hepheſtiada viſendi cupiditas, cognito eius ſitu, ſic nauigationem inſtitueret. In tota namque inſula Lemno orientem ſpectat Hepheſtias, occidentem verò Myrina. Et quod à poeta dictum de Vulcano eſt, qui Græcè dicitur Hepheſtus, Decidiſſe in Lemnum, propter collis naturam occaſionem ſumpſiſſe fabulæ crediderim. Apparet enim combuſto ſimillimus, tum colore ipſo, tum etiam quia in eo nihil naſcitur. In hunc itaque collem ſacerdos, quo tempore ego ad inſulam acceſſeram, [illegible] certo quodam tritici, hordeiq; numero in terram coniecto, alijſq; quibuſdam pro religione patria perpetratis, plauſtrum totum terra impleuit. Atque vbi in vrbem conuenijſſet, quo dixi modo, illas fama hominum adeò celebratas Lemnias ſphragidas præparabat. Viſum ergo mihi erat percontari, nunquid vnquam antea hircinum, aut caprinum ſanguinem huic terræ miſceri ſolitum, memoriæ proditum accepiſſet. Quo audito, omnes in riſum ſoluti ſunt, nec ij ſanè quiuis ex vulgo, ſed viri oppidò quàm eruditi, cùm in alijs, tũ præcipue in vniuerſa patriæ hiſtoria. Quin & à quodã librũ accepi ab incolarum quopiã deſcriptũ, qui omnẽ Lemniæ terræ vſum edocebat.

Lemniæ terræ vires.

Quamobrẽ nec me quoq; piguit huius medicamenti periculum facere, acceptis ſphragidum viginti millibus. Sed & is, à quo librum dono accepi, inter principes habitus, ad multa hoc vtebatur medicamine: ſiquidem ad vulnera tum vetera, tum cicatrici inducendæ contumacia: ad hæc ad morſus viperæ, atque alios omnes ferarum morſus, necnon aduerſus medicamenta lethalia, non antè modò exhibere, ſed & poſt ſphragide vti conſueuerat. Addebat porrò ſeſe periculum feciſſe medicamenti, quod quia fructum iuniperi accepit, [illegible] nuncupatur, cui vtique indebatur & terra Lemnia: vomitumq; ciere aiebat, ſiquis cùm etiamnum in ventre lethale venenum hæreret, alexiterium ſiue amuletum ebibiſſet. Et ſanè nos quoque huius fecimus periculum in lepore marino, & cantharidibus, cum ſeſe tale quippiam accepiſſe homines ſuſpicarentur: verùm hauſto, quod Lemniam ſphragida habebat medicamento, protinus omne euomuerunt, nec poſtea vllum illis accidit ſymptoma eorum, quæ leporem, & cantharides comitari conſueuerunt: tametſi conuicta eſſet pernicioſorum medicaminum exhibitio. Cæterùm an ad alia mortifera medicamenta, hæc inquam, quæ vocant deleteria, eandem vim habeat medicamentum, quod ex fructu iuniperi, & terra Lemnia conficitur, mihi vtique ignotum eſt. At ille ab Hepheſtiade profectò aſſerebat, adeò vt & rabientis canis morſum eam ſanare diceret in vino diluto epotam: at vlceri ex aceto impenſe acri impoſitam. Sed & aliarum ferarum ictus, ex aceto ſanare referebat, extrinſecus folijs herbarum inſuper impoſitis, quas putredini reſiſtere didicimus. In primis verò prædicabat ſcordium, deinde centaurium exile, inde marrubium. Porrò ſi quando nos ſanè ad vlcera cacoethe, & putrida terram Lemniam adhibuimus, magnificè profuit. Vſus autem eſt, pro prauitatis vlceris magnitudine. Quippe id, quod grauiter olet, impendióque laxum, molleque eſt, ac ſordidum, ſuſtinet vt vel per acerrimum acetum Lemnia terra in lutoſam ſoluatur conſiſtentiam, aliorum more paſtillorum, quorum alius alio vtitur: dico autem Polyidæ, & Paſionis, & Andronis, & qui nunc dicitur, & quẽ Betinũ vocant. Siquidẽ hi omnes valenter deſiccantes proſunt vlceribus cõtumacibus, ſoluti interim quidẽ in vino diluto, interim ſapa, interim œnomelite, nonnunquã etiam alborũ vinorum quopiam, aut fuluorũ, aut flauorũ, prout nimirũ vſus poſtulat. Nã de talibus alibi definietur. Similiter verò quandoq; ſoluũtur aut ex aceto, aut vino, aut aqua, aut oxymelite, aut oxycrato, aut melicrato. Porrò Lemnia terra ex aliquo comprehenſorum ſoluta, medicamentum fit idoneum tum recentibus glutinandis vulneribus, tum medendis inueteratis, ægre ad cicatricem venientibus, & contumacibus. Hactenus de Lemnia terra Galenus. Ex cuius quidem verbis facilè conijci poteſt, Lemniam terram, quam ad nos hoc tempore conuehunt mercatores Turcicis characteribus obſignatam, illegitimam eſſe, & minimè ſynceram. Quandoquidem conſtat Galeni teſtimonio, Lemniam ſphragidem impenſe rufeſcere, non autem ſubrufeſcere vel potius ſubalbeſcere, qualis hæc viſitur, quam paſſim pro legitima, ſynceraque circumferunt impoſtores.

Lemnia terra cenſetur Bolus Armenus.

Quamobrem eorum ſententiam non omnino improbandam cenſemus, qui nil aliud eſſe Lemniã terram putant, quàm bolum Armenium, qui officinis ſeplaſiorum Orientalis cognominatur: præſertim quòd compererim (ſi vera fatentur negociatores, qui mecum locuti ſunt) bolum hunc non adduci ex Armenia, vbi legitimum ſynceriſſimumque Armenium lutum naſcitur, ſed etiam ex inſula Lemno. Siquidem Armenium lutum, quod bolum quidam vocant, præterquam quòd ex Armenia adferri debeat, ſi Galeno medicorum principi credimus, colore eſt pallido ochræ inſtar, non autem impenſe rubro. Id quod ipſe Galenus libro nono ſimplicium medicamentorum in Sa-

in Samia terra mentione teſtatur, his verbis: Cæterùm durante hac immani, & graui peſtilentia, ex Armenia ea, quæ Cappadociæ finitima eſt, data nobis eſt terra, etiam ſiccantior, colore pallido. Lapidem, qui donarat, non terram appellabat: prompti ſimeq; in leuorem ſoluitur, ceu etiam calx: ſic enim videlicet nuncupo petram combuſtam. Verùm vti nec in illa arenoſum quippiam admiſtum eſt, ita nec in Armenia. Nam poſteaquam in mortario piſtillo comminuta eſt, adeò eſt leuis, nec plus eſt lapidea, quàm aut calx, aut Samius aſter: tametſi non æquè vt aſter leuis eſt. Itaque illo etiam magis conſpiſſata eſt, minusq; aerea: quamobrem opinionem, ac phantaſiam præbet ijs, qui negligentius intuentur, quaſi lapis eſſet: hæc Galenus. Ex quibus ſanè perſpicuum fit, quòd Armenia terra, ſiue lapis, vel lutum, ab Armenio bolo orientali vulgò vocato, quàm maximè diſsidet. Cæterùm ad Lemniam terram redeuntes, quantum ex literis Doctoris Stephani Albacarij, qui Lemnum Inſulam ferè totam circumiuit, a clariſsimo viro Augerio de Busbeke Conſtantinopoli mihi tranſmiſsis, intelligere poſſum, locus, vbi nunc terra Lemnia inuenitur, nihil prorſus ſimilitudinis præ ſe ferre videtur, quod cum Galeni hiſtoria conueniat. Siquidem Albacarius, ad Augerium, qui eum in Lemnum hac tantùm de cauſa ablegauit, ita de terra Lemnia ſcribit. Qui Inſulam hanc incolunt Græci, dicunt nullibi in vniuerſa Inſula Lemniam reperiri terram, niſi hoc in colle, vbi nunc effoditur, nec vnquàm ſe intellexiſſe aiunt ſuperioribus ſeculis alibi fuiſſe repertam, neminemque habere ſuæ gentis ſcriptorem, qui aliter de ea poſteritatis memoriæ commendauerit. Verùm non ob id facilè credam, ex hoc loco, Galeni æuo, terram hanc effodi ſolitam. Quippe quòd collis deſcriptio, in quo terra hæc habebatur, apud Galenum huic minimè correſpondeat. Siquidem Galeno collis eſt combuſto ſimilis, fuluus totus, & in quo neque arbor, neque ſaxum, neque planta naſcitur, ſed tantum Lemnia terra refertus eſt. Atqui contrario ferè modo collis ſe habet, in quo eiuſmodi terra nunc foditur. Nam ijs præſertim locis, vbi huiuſce terræ fodinæ habentur, lapides adeò magni reperiuntur, vt ex iis piſtrinariæ molæ parari poſſint. Collis præterea nuſquam combuſto ſimilis apparet, nec vllum fului coloris in eo veſtigium videtur. Fertilis eſt totus, & arborum, plantarum, & frumentaceorum ferax. Cum enim ab incolis diligenter colatur, copioſum tritici & leguminum, præſertim faſeolorum, prouentum affert. Idem orientalem plagam reſpicit, & apud vicum quendam ſitus eſt, quem Repondi vocant. Terra autem Lemnia foditur in montis cacumine, quod in planitiem ſe extendit. Fodinæ ibi ſunt tres, quarum duæ, è quibus ſuperioribus temporib. Lemnia terra effoſſa eſt, corruerunt, & in totum deletæ ſunt. Tertia autem, quæ putei modo in collem deſcendit ad Septentrionem vergit. Ad eiuſdem collis radices, tres limpidiſsimæ aquæ ſcaturiunt fontes, quorum duo, qui minores ſunt, ad Septentrionalem plagam excurrunt. Tertius vero, qui amplior eſt, ad meridiem progrediens, viridarium quoddam irrigat. Hac in parte antiquum paruumque extat ſacellum, pluribus in locis dirutum, ac vndique detectum (Sottiram hoc vocant) quo Metropolitanus ſacerdos vnà cum duobus Caloiris (ita præſbyteros vocant) accedit eadem die, quo terra effoditur, & ibi Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri transfigurationem in monte Tabor celebrant, duas canentes pſalmodias. Verùm id non faciunt aliquam ob ſuperſtitionem, quæ ſeruari debeat, anteaquàm Lemnia terra effodatur, ſed quòd ea die transfiguratio Ieſu Chriſti celebretur. Ad hæc quæ ibi foditur terra, maiori ex parte candicat, aut paulisper ſubrubet, etſi quandoque (rariſsimè tamen) etiam rubro, aureoque colore inueniatur, Armenio bolo per omnia ſimilis, cum tamen Galeno in vniuerſum Lemnia terra adeò ſaturatè rubeſcat, vt à rubrica nihil colore differat: quæ quidem rubrica, qua vtuntur fabri ad lineas ducendas, in nonnullis Inſulæ locis etiam hoc tempore è fodinis eximitur. Sed hæc Lemnia terra Galeni eſſe non poteſt, cum tangentes rubro colore inficiat. Hæc itaque me adducunt ad credendum, quòd aut ex alio colle Galeni tempore deſumpta ſit, qui tam longo temporis tractu, aut terræ motu, aut pluuiarum inundatione corruerit, vt in alijs quoque locis factum eſſe ſcimus, aut, quòd idem collis, cultorum diligentia, ac laboribus faciem, & naturam omnino immutauerit. Nam inter cæteras ſylueſtres plantas Chamæleonis albi plurimum profert. Effoditur terra hoc æuo quotannis non abſque quadam ſuperſtitionis nota, cùm ſexta tantùm Auguſti die ad hoc obeundum munus accedant, ſibi certò perſuadentes, nullo alio tempore reperiri poſſe, quæ viribus præſtet. Qui fodiunt, Græci ſunt, ſed aſtantibus Turcis, nempe Inſulæ Præfecto, quem Vaiuodam vocant, & alijs ex primatibus, qui Imperatoria munia obeunt. Verum non vſque adeò foſſores, qui in puteum deſcendunt, obſeruare poſſunt, quin ij effoſſæ terræ aliquid non abſcondant. Sed mirum eſt, quam ſuauem odorem puteus ille ſpiret. Cæterùm non omnis, quæ in puteo habetur, terra bona eſt. Quo fit, vt eam quæ inter fragiles quoſdam lapides pinguis, lentaque delitescit, tantum recipiant, eamque præſertim, quæ calculorum ſit expers. Fodiunt a ſolis exortu ſex continuis horis, & deinde eam tantum in imam putei partem occludunt, quam annuatim fodere ſolent, nec reſerant, niſi ad ſtatutam futuri anni diem. Namque legibus cautum eſt, capitis pœna, ne quis clanculum, vel palam fodendi cauſa accedere audeat. Verùm non multum eiuſdem terræ effodiunt, cùm fodina ambitus non niſi paucos foſſores admittere poſsit. Id deinde ſelectiſsimæ terræ, quod exemerunt, diligenter eluit quidam, huic muneri obeundo deſignatus. Ea elota in ſuſpenſos aliquot transfertur ſaccos, ibique tam diu manet, quouſque tota effluat aqua. Exemptam deinde manibus miſcent, eamque tandem in maiores, minoreſque globulos fingentes, imperatorio ſigillo obſignant. Demum ſiccari ſinunt, & totam Conſtantinopolim in ſcrinio, eodem ſigillo occluſo ad magnum Turcarum Imperatorem mittunt. Terra hæc in Lemno nuſquam venalis reperitur, quòd in nullius arbitrio relinquatur. Nam etſi permittatur, vt Inſulæ præfectus, & alij quidam primates nonnihil obſignatæ terræ ſibi accipere poſſint, nemini tamen vendere audent, ſed tantum amicis donant. Hoc idem facit, qui terram lauat, cui ex lege ſacculus donatur, ſed hæc principis ſigillo non inſignitur. Hæc illæ: quæ optimus materiæ medicæ ſtudioſis, conſideranda relinquo. Sed animaduertendum eſt, quòd non deſunt impoſtores, qui terram hanc adulterent, & pro legitima vendant. Ego ex officina Ruſtani Baſſani aliquot ſphragidum globulos acceptos mihi pro theſauro aſſeruo, quorum aliqui albi ſunt, aliqui rubent, & nonnulli humanæ carnis colorem referunt. Nec ob coloris diuerſitatem fraudem aliquam vereor, cum ipſe Albacarius fateatur, reperiri terram hanc ijs omnibus coloribus infectam. Verùm quandoquidem in ARMENIAE terræ ſermonem deuenimus, non alienum fuerit, eius etiamnum vires referre ex Galeno, qui eius loco nuper citato in ſimplicium medicamentorum cenſu ſubdidit, ſic inquiens: Armenia terra, quod ſummè deſiccet, ad dyſenterias, & ventris profluuia, tum ſanguinis expuitiones, catarrhos, ad hæc ad putreſcentia oris vlcera in primis competit. Quin & eos magnificè iuuat, quibus ex capite in thoracem fluxio decumbit: quamobrem illis, quibus ex tali occaſione aſsidua difficilis eſt anhelitus, validè prodeſt. Sed & eos, qui phthoë laborant, adiuuat, vlcus enim eorum deſiccat, vt haud etiam tuſsiant, niſi in victu peccetur non leuiter, aut ambiens derepètè ad intemperiem recidat. Ac mihi videtur, quòd ſicut in fiſtulas ſæpe conſpeximus, non in alijs partibus duntaxat, ſed in ipſo etiam ano, vt citra collyrij immiſsionem, quod ſordem, aut callum auferret, ipſo duntaxat exiccante medicamine, contraheretur, ac clauderetur, ita quoque in pulmonis eueniat vlcere. Siquidem & ipſum ab exiccantibus iuuari medicamentis perinde conſpicitur, vtique cùm mediocre eſt, non admodum magnum. Itaque viſi ſunt quidam eorum, qui talia habebant, prorſum liberati. Ac quidam qui Roma in Libyam talem ob cauſam profecti ſunt, planè ſe ſanos eſſe credidere, & ſanè vſque ad annos aliquot inculpatè transigebant: poſtea verò cùm non pari degerent cura, & cautione, reditus morbi apparu-

Noua Lēniæ terræ hiſto. à Galeno diſſentiens.

Terræ lemniæ lotio.

Armeniæ terræ ſeu boli vires ex Gal.

*apparuit. Hos ergo, vt dixi, bolus Armenia euidenter adiuuit. Quin & eos qui Romæ agunt, qui aſſiduo diſficultate ſpirandi diſcruciantur, magis etiam. Porrò in magna hac peſte, cuius eadem facies fuit atque eius, quæ Thucydidis memoria graſſabatur, quotquot hoc medicamen bibere, celeriter curati ſunt. At quibus non profuit, omnes interiere, ſcilicet cum nec a quouis iuuarētur. Vnde colligitur, quòd ijs duntaxat non fuerit auxilio qui planè erant incurabiles. Cæterum bibitur ex vino conſiſtentia tenui, modicè diluto, ſi aut planè febri careat, aut leuiter ea teneatur: ſin grauius febriat, admodum aqua. Non tamen calore vehemētes ſunt febres peſtilentiales. Porrò de vlceribus reſiccari peſtulantibus quid attinet dicere, cum tam vim habeat bolus hæc Armeniaca? Liberum eſt autem vtcunque appellare velis, ſiue lapidem, vt ij qui mihi eam dederunt, ſiue terram, vt ego, quandoquidem humidis rigari patitur. Hactenus de Armenia bolo Galenus. Sed quoniã Lemnia ſigillum gis, & Armenia terra, quòd venenis maximè reſiſtant, mihi in mentem redegerunt lapidem, quem Arabes ſuo idiomate Bezahar vocant, & contra deleteria medicamenta miris admodum laudibus celebrant, hic locus opportunus nobis viſus eſt, in quo de huius lapidis hiſtoria, ac viribus aliquid diſſeramus.* Lapis itaque BEZAHAR, *Mauritanorũ teſtimonio* dotum eſt omnium præſtantiſſimũ, ſua ſpeciali dote, contra omnia in vniuerſum venena: vtpote qui nõ modo hauſtus, ſed etiam adalligatus, ita vt nudam ſiniſtri lateris carnem contingat, omnia ſuperet venena. Lapis hic plurium eſt generum, nempe flauus, puluerulentus, qui ex albo vireſcat. Præſtantiſsimus eſt flauus, deinde puluerulentus. Verùm eum diligenter inſpicere oportet, ne impoſtorum fallacijs decipiantur, qui hos lapides inquirunt. Sunt enim nonnulli alij lapides qui hos facie repræſentant, ſed viribus nulli prædita. Hunc Raſis experimento ductus, miris extulit præconijs, ita de eo ſcribens: Lapis Bezahar eſt mollis, colore flauo, ſapore nullo. Cuius peculiaris vis eſt, vt venenis omnibus aduerſetur, quo certè quidem ego contra hauſtum napellum hoc lapide vſus ſum felici admodum ſucceſſu. Erat autem hic colore flauo admodum te, leuis & luminis modo ſplendens. Equidem certò teſtari poſſum (hoc enim pluribus experimentis compertum habeo) lapidem hunc longè magis præſtare aduerſus deleteria venena, quàm cætera non modò ſimplicia huiuſce facultatis medicamenta, ſed etiam theriaca dicta, & alia quæuis antidota.* Subdit præterea Abdalanarach. Lapidem, quem vocant Bezahar, iam ipſi vidimus apud filios Almirama cuſtodis legis Dei: pro quo lapide is magnificam, ac propè regiam ædem procul dubio rependit, initio belli. Lapis hic (vt diximus) ita viribus contra venena omnia pollet, vt non ſolum hauſtus duodecim granorum pondere, ſed vulneri impoſitus à mortiferis quibuſcunque feris ictos, ſtatim liberet: veneno ſudore expulſo. Idem pariter iuuamenti adfert, ſi ore aliquo tempore ſugatur. Verùm lapis hic inuentu difficilis fuerit, quòd non deſint parum notis lapilli, qui tamen nullam vim habent aduerſus venena. Sunt etiam, qui memoriæ prodiderint, in ceruorum oculorum angulis lapidem gigni, viribus Bezahar prædicto haud abſimilem. Aiunt enim in orientali plaga ceruos longo ſenio confectos ſerpentes deuorare, quorum eſu (ſi vera ſcribunt) reiuueneſcunt. At veneni ſuperandi cauſa, ſerpentibus deuoratis, in fluuiorum aquis ceruos illos mergi tradunt, capite tantùm extra aquas exerto. Iis autem ſic permanentibus humorē quendam lentum ab eorum oculis defluere, qui tandem ſolis ardoribus in lapillos inibi concreſcit, glandis magnitudinem referentes. Hic itaque lapis ipſis è fluminibus egredientibus, ab eorum oculis (vt aiunt) ſtatim decidit in humum, ab ijs facilè reperitur, qui rem omni diligentia obſeruarunt. Sed an hæc hiſtoria vel fabula dici mereatur, rerum naturalium ſtudioſis, & peritioribus iudicandum relinquimus. Cæterùm de admirandis Bezahardici lapidis aduerſus diuerſa venena viribus, & ſpeciatim contra Napelli immanitatem, ſuperius in quarto libro de ipſo Napellio differentes ſcripſimus, & quæ vidimus retulimus. Terra Græcis λημνία γῆ, ſeu λημνία μίλτος, & σφραγὶς; Latinis terra Lemnia, rubrica, & Lemnium ſigillum nominatur: Arabibus, Terimachtim ſeu Thimmachtum: Italis, Terra Lemnia: Hiſpanis, terra ſellada.*

Lapidis Bezahar hiſtor. & vires.

Lapis in oculis ceruorũ natus.

Nomina.

## Χάλκανθον. ATRAMENTVM SVTORIVM. CAP. LXXIV.

ATramentum ſutorium genere quidem vnum & idem eſt, molle, & concretum: ſed in ſpecie differentias tres habet. Vnum namque humoribus ſtillatim in cuniculos quoſdam colatis, concreſcit: quare ab ijs, qui Cypria metalla conficiunt, ſtillatitium appellatur. Peteſius ipſum pinarion vocat: ſtalacticon, id eſt, ſtillatitium. Alterum ſimplici ratione fit in ſpeluncis: poſtea transfuſum in excauatas ſcrobes, concrementum capeſsit, quod pecton, id eſt, concretitium, propriè nominatur. Tertium dicitur coctile, & in Hiſpania fieri ſolet: ſed inutile, ac inualidiſsimum eſſe conſtat. Ratio parandi hæc eſt. Aqua madefactum decoquunt, mox in piſcinas transfundunt, & reſidere patiuntur. Hoc certis diebus coaleſcit, in complures formulas digeſtum, teſſerarum ſpeciem reddentes, quæ racematim inter ſe cohæreſcunt. Optimum eſſe creditur cœruleum, graue, a concretum, translucens: cuiuſmodi ſtillatitium eſt, ab aliquibus choton nominatum. Proximum concretitium. Coctile verò ad infectus, & denigrationes aptius cæteris eſſe compertum eſt: ſed ad medicinæ vſum inualidius eſſe, experimenta docent. Valet adſtringere, calfacere, & cruſtas inducere: latas ventris tineas necat, drachmæ pondere deuoratum, aut cum melle linctum: vomitus ciet: aduerſus hauſta fungorum venena, ex aqua potum auxiliatur: purgat caput aqua dilutum, & in vellere naribus inſtillatum. Vritur, vt paulò poſt in mentione chalcitis oſtendemus.

a Ori. πυκνὸν, καὶ καθαρὸν. i. denſũ, & purum.

*CHalacanthum, quod Latini Atramentum ſutorium vocant, quoniam vitri modo pelluceat, Itali Vitreolum nominant. Duo eius genera in Hetruria, ac etiam in pluribus Germaniæ locis, vnum foſſile, per ſeſe in terra viſcetibus concretum, quod vulgo appellant Copparoſa colore vario. Siquidem cryſtallo, ſapphiro, ſmaragdoq; ſimilem Germanicæ nationis chalcanthum vidimus. Alterum factitium, cuius paſsim eſt vſus, infectoribus expetitum. Præſtat hoc plus minusue tam pro regionum, locorum, ac cœli diſpoſitione, quàm ipſius foſſilis materia, à qua arte conficitur. Veruntamen compertum eſt Romanum cognomento (quanquam colore conſtat dilutiore) cætera factitij genera præcellere. Secundum locum obtinet Cyprium, tametſi huic apud antiquos palma. Quod autem è Germania adfertur, omnibus in Italia infirmius habetur: ſed quòd ſit colore cœruleo, nonnullos fallit. Cæterùm chalcanthi materiam, quoniam guſtantium linguam vel licet, aſpero, adſtringentique ſit ſapore, putauerunt quidam ſulphureis, ferreis, ac æreis conſtare qualitatibus, quinetiam aluminis, nitri, ſaliſq;. Chalcanthi vena, quæ foditur in agro noſtro Senenſi pluribus ſanè locis, præſertim maritimis in ſylueſtribus plerunq; vallibus, terrea potius, quàm ſaxea viſitur, colore ſubcinereo, maculis nonnullis reſperſa, quarum alia ferri rubiginem, alia æruginem, colore referunt. Hæc dum foditur, fœtidum, graueolentemq; halitum exhalat,*

Chalcanthi genera, & hiſtoria.

Chalcanthũ vt fodiatur.

dat ſulphuris fere inſtar, quam ob cauſam in concluſis, concameratiſq; cuniculis nuſquam foditur, ſed aperto vndiq; cælo. Quippe ſi in ſubterraneis foderetur ſpeluncis, metallorum modo, ob acerrimum, fœtidiſſimumq; vaporem, foſſores noxio contactu ſpiritus facile interirent. Effoſſam itaque chalcanthi venam in aceruum in longitudinem protractum, quandam ſuper aream exaggerant, vbi aperto cælo ſex ad minus menſibus, imbribus, roribus, pruinis, ſolibuſq; die noctuq; macerandam relinquunt: quo tempore ſtatutis quibuſdam diebus, ligonibus & raſtris aceruum dilacerant, ſubuertuntq; & iterum in eandem congerunt aceruationem, vt facilius hæc imbribus maceretur, coquaturq; ſolis ardoribus. Poſt hæc tectum aceruo ſuperponunt, ne amplius in poſterum pluuiis diluatur, neque ſolibus pluſquam par ſit, inareſcat: & ita aliis ſex menſibus materiam hanc fermentari patiuntur. Eligunt deinde locum, quo facilius e propinquis fluuiis, vel fontibus ducantur aquæ: ibiq; ſub conſtructo tecto foditur alueus, qui ligneis aſſeribus, vel lateribus, & calce adeò ſtipatur, vt indita intus aqua nullo pacto prolabi poſſit. In hunc igitur alueum puriſſimam aquam deducunt, cui demum tantum illius chalcanthi materiæ addunt, quantum huic negotio addicti miniſtri ſatis eſſe cẽſent: poſtea miſcent aliquo tempore ligneis quibuſdam inſtrumentis ad id paratis, quouſq; aqua in ſe omne quod ineſt chalcanthi receperit: deinde excrementa ſubſidere ſinunt, donec aqua chalcantho prægnans claritatem cõcipiat. His peractis foramina quædam prope aluei fundum in latere facta, recluduntur, & inde exiliens aqua in magnum excipitur receptaculum. Hãc itaque ſumunt, & in plumbeos alueos conjiciunt (cætera enim metalla ab ea eroduntur) fornacibus quibuſdam ſuperpoſitos, & igne ſubdito feruorẽ excitant, ſtatutis horis. Demum ferri ramentum immittunt, vel æris: ſi quidem aiunt chalcanthum nunquam concreſcere, niſi huiuſmodi imponãtur metalla, quæ iniecta paruo tempore colliqueſcunt in aquam. Poſtquam autẽ debito tẽpore coxerint, ignem quàm primũ e fornace eximunt, permittuntq; quieſcere decoctum, quouſque egelidum reddatur, ne plumbeus alueus, eo ſublato, fornacis calore colliqueſceret. Omnibus itaque tepefactis, decoctam materiam eximunt, & in alueolos quoſdam ligneos digerunt, vbi tandem concreſcit, aluminis rupei modo, fitq; chalcanthum. Si verò aliquid ſuperſit decocti, quod concreſcere nequeat, ad totum iterum recoquunt, eadem ſeruata ratione. Sed longè aliter olim fiebat Cyprium chalcanthum, de quo Galenus libro 9. ſimpl. med. in hunc modum ſcribit:

Chalcanthi vires, & hiſt. ex Gal.

Forte fortuna & chalcanthum in chalcitin tranſire conſpexi. Aſportaui enim ex Cypro & huius medicamenti ingentem copiam. Extimum eius omne poſt annos plus minus viginti chalcitis effectum eſt, intima eius parte chalcanthi ſpeciem ſeruante. Quamobrem & vſque in hunc diem quod ſic mutatur, aſſeruo, obſeruans dum ad imum vſque vno quoque anno procedat mutatio, ceu chalcitidis in miſy, vt eſt ante poſitum. Cæterùm mirari ſubit de hoc medicamento, quo pacto vehementiſſimæ adſtrictioni admiſta eſt caliditas non inſtrenua. Conſtat ergo quòd omnium maximè condire, ſeruareq; carnes humidas poteſt, nimirum caliditate humiditatem abſumens, atque adſtrictione ſubſtantiam contrahens, atq; conſtipans: hoc enim opere nonnihil etiam humiditatis ipſius exprimit. Cõſtringit vero, deſiccat, atque contrahit in ſeſe ſubſtantiam carnis. Porrò quo tempore in Cypro diuerſabar, hunc in modum medicamentum hoc colligi conſpexi.

Chalcanthi collectio in Cypro.

Domus erat magna quidem, non tamen alta, ingreſſui in metallum obiecta. Ad parietem autem domus ſiniſtrum, qui erat ingredientibus ad manum dextram, effoſſus erat ſpecus in continentem collem, ea latitudine, vt tres ſeſe viri in eo contingerent, tanta verò altitudine, vt viro ſummè procero recto liceret incedere. Specus hic decliuis quidem erat ſed non planus, & multis locis præruptus. Porrò ad finem eius quaſi in ſtadium porrecti, lacus erat aquæ viridis, & craſſæ tepentis plenus. At in toto deſcenſu calor ſimilis qualis in primis balneorum ædibus percipitur, quas, quòd in eis corpora præmolliri ſoleant, promalacteria appellare conſueuerunt. Aqua verò quotidie guttatim ex pertuſo colle deſtillans, quatuor & viginti horis diei ac noctis, colligi aſſolet ad amphoras Romanas quaſi octo. Eam aquam vincti quidam in vrnas quaſdam quadratas fictiles in domo ad ingreſſum poſitas, efferebant, in quibus paucis diebus concreſcebat fiebatq; chalcanthum. Mihi vero vbi ad terminum effoſſi ſpecus deſcendiſſem, vbi videlicet tepida hæc, viridiſq; aqua colligitur, æris odor viſus eſt ſuffocans, & toleratu difficilis, chalcitin, æruginemq; redolens. Hæc aqua quoque guſtu præferebat qualitatem eiuſmodi. Ea propter, & nudi, & cum feſtinatione amphoras vincti exportabant, nec longiorem illic moram perferre poterant, ſed celeriter recurrebant. Accenſi autem erant mediocribus in ſpecu interuallis lychni, qui nec ipſi longo tempore durabant, ſed celerrimè extinguebantur. Hunc ergo ſpecum pedetentim excauatum multis annis ab iis tunc audiui. Hæc enim, inquiebant, aqua viridis, quam vides ex colle in lacum manantem, ſenſim ſe ipſa minor effici ſolet. At vbi prope adeſt vt deſinat, rurſum vincti, quod continens eſt ipſius collis, perfodere pergunt: euenitq; aliquando olim, vt ſubito quicquid perfoſſum eſſet, concideret, omneſq; ad vnum occideret, ac totam viam corrumperet. Id vbi fit, alio foramini fodiendo vſque inſiſtunt, quoad rurſum aqua illis adſit. Hæc habui, quæ tibi de chalcantho exponenda cenſerem, & ſanè fortaſſe non neceſſaria, cæterùm quæ ſcire præſtaret, quàm ignorare. Memineris autem, quòd ad ſiniſtram manum ingredientibus conſpectum nobis dixerim metallum ſoreos, chalciteos, & miſyos: vt ex his conijcere liceat, aquam pluuiam totius collis terram illam colluere, atque abluere, ex qua ſponte quidem fiebat ſory, miſy, & chalcitis: & per fornaces æs, cadmia, pompholyx, ſpodium, & diphryges. Hæc de chalcanthi hiſtoria Galenus. Ex quibus palàm fit, aquam vireſcentem illã, quæ e monte in ſpeluncam continuo ſtillicidio defluebat, nil aliud extitiſſe, quàm aquam, annuis imbribus in montem illum delapſam. Quandoquidẽ cũ ob ſulphureos, metallicoſq; vapores, vniuerſa montis moles rara effecta, vndiq; innumeris meatibus ſcateret, non ſanè mirum videtur, ſi tractu temporis laberetur in imum, ſecumq; deferret tenuiores chalcitis, miſyos, ſoreos, tum etiam ærariæ materiæ partes: ibidemq; caleſieret, ac decoqueretur, ſulphureis, bituminoſis, aliiſq; metallicis ignibus in terræ viſceribus concluſis: adeò vt tandem in cauernam illam deſcendens, natura opera id fuerit aſſecuta, quod factitium chalcanthum arte conſequitur. Eam igitur ob cauſam in quadratis vaſis extra paratis proiecta ea viridis aqua, in chalcanthum coibat nulla adhibita coctionis ratione. Quinetiam opus non erat ferrum, vel æs in eam iniicere liquandum, vt concreſceret, quemadmodum in factitio fit chalcantho: quippe quòd dum per ærarij montis meatus laberetur, æris innumera ramenta ſecum deferebat, quæ chalcitidis, & miſyos, vi ab ipſa aqua contracta, in eandem liqueſcebant, argumento quòd æruginis modo viridi eſſet colore. Ob id itaque ſtatuendum fuerit, Cyprium chalcanthum concretum eſſe medicamentum ex chalciti, miſy, ſory, & ære conflatum.

Chalcãthum Cyprium, cõflatum eſt medicamẽtum.

Id quod manifeſtè declarat Galenus, cùm ait: Memineris autem, quòd ad ſiniſtram manum ingredientibus conſpectum nobis dixerim metallum ſoreos, chalciteos, & miſyos, vt ex his conjicere liceat, aquam pluuiam totius collis terram illam colluere, atque abluere, ex qua ſponte quidem fiebat ſory, miſy, & chalcitis: & per fornaces æs, cadmia, pompholyx, ſpodium, & diphryges. Hoc ego quoque maximè obſeruaui in quibuſdam chalcanthi fodinis in Tridentino agro, vbi chalcitin, miſy, ſoryque non ambigimus reperiri copioſa. Sed cùm hæc non animaduertiſſet Braſauolus, vir alioqui huius ætatis clariſſimus, dum imprudentiæ Galenum accuſare contendit, eius ſanè ſeipſum magis accuſat.

Braſauolum malè Galenũ accuſare.

Quandoquidem vbi Galenum ſibi examinandum proponit, eo ſcilicet loco, in quo ſcribit chalcanthum è Cypro à ſe aduectum, tractu temporis conſeneſcens, factum eſſe chalcitin, dicit & factitium vulgare noſtrum illud idem efficere: veruntamen ſi in aqua reſoluatur, iterum in chalcanthum concreſcere: quod manifeſtè indicat in veram

non tranſiiſſe chalcitin, aſſerens hoc non expendiſſe Galenum. Verùm in hoc videtur Braſauolus Galeni verba haud reſtè percepiſſe, cùm inquit, quòd aqua, ex qua Cyprium fiebat chalcanthum, terram vniuerſam diluebat, è qua chalcitis, miſy, ſoryq́; fiebant in terræ viſceribus. Siquidem nil aliud dixiſſe voluit Galenus, quàm quòd chalcanthum efficitur, mirum ſanè non eſt, ſi ea quæ tractu temporis fit ex chalcantho, eundem præbeat effectum. Neque his obſtat, quòd quis dicat Cyprium chalcanthum non ſolum ex chalciti fieri, ſed ex miſy ſimul, & ſory. Quandoquidem (vt in proximo commentario dicemus) tria hæc, chalcitis, miſy, ſory, ex ipſius Galeni ſententia, eiuſdem tum generis ſunt tum etiam facultatis. Chalcanthum ſponte, & per ſe in terræ viſceribus conflatum, viſu ſanè pulcherrimum miſit nuper ad me Tridento Marcus Guidottinus diligens peritusq́; pharmacopola, in plures laminas per vniuerſam maſſam diſſectum à miſyos lamina aurea ſcintillis fulgentibus, quæ illas vnam ab altera diuidunt. Quod ſanè maximum præbet indicium, chalcāthum hoc vel prius extitiſſe, quàm chalcitin, quæ Galeno teſte, miſy ſemper ſuperſtat. Cæterùm illud nil miri nobis adfert, quòd commendauerit Dioſcorides chalcanthum potum ac deuoratum ad latas alui tineas, & ad fungorum venena, etſi medicamentum

Oleum chalcanthi.

erodens, & ſepticæ facultatis habeatur. Siquidem ad eoſdem, & alios vſus hoc tempore non modò chalcanthum ipſum quidam potui exhibent in peſtilentia: ſed etiam eius oleum, quod chymiſtæ vitreis organis magna ignium vi ab ipſo chalcantho eliciunt, nullo ſanè incommodo, ſed magno iuuamento: quin etiam (vt ego expertus ſum) datur commodiſſimè ſemiſcrupuli pondere ex aqua agrimonij calculoſis, & ad ciendam remoratam vrinam: Aſthmaticis quoque, & ſuſpirioſis perquàm bellè conuenit, ex Tuſſilaginis, aut hyſſopi decocto: limoſos, rubiginoſosq́; dentes purgat, & nitidos reddit: vlcera maligna, & ſinus iniectum curat. In ſumma ad multa vtile eſt medicamentum. Qui illud in peſte propinant, quod vulgò vocant Copparoſa, in aqua roſarum diſſoluunt, & iterum cogunt, reiteratis tribus, aut quatuor vicibus: dantq́; aliàs, vomitum concitantes. Quod Græci χάλκανθον, Latini quoque Chalcanthum, & Atramentum ſutorium vocant: Mauritani, Calcantum, Calcant, Calcand, ſeu Alcalcadus: Itali, Vetriolo: Germani, Kupfer waſſer: Hiſpani, Caparoſa: Galli, Coperoſe.

Nomina.

## Χαλκῖτις. CHALCITIS. CAP. LXXV.

CHalcitis præfertur ſimilis æri, friabilis, nec lapidoſa, nec inueterata, intercurſantibus oblongis venis, ſplendentibusque. Huic abſterſoria vis ineſt, excalfaciens, & cruſtas vlceribus obducens: purgat, quæ oculis, & eorundem angulis hærent. In genere leuiter erodentium eſt. Ad ignem ſacrum, & vlcera, quæ ſerpunt, efficax eſt. Sanguinem è vulua, & naribus erumpentem, cum ſucco porri ſiſtit. Gingiuarum vlcera depaſcentia vlcera, tonſillaſque eius farina compeſcit. Vſta, & cum melle trita oculorum medicamentis longè vtilior redditur. Callum genarum, & ſcabritiam abſumit, abſtergetque. Fiſtulas tollit, collyrij modo in eas adacta. Fit ex chalcite medicamentum, quod Pſoricon vocant, duabus eius partibus, cum vna cadmiæ additis, & ex aceto tritis: oportet autem in fictili obruere fimo diebus quadraginta, per Caniculæ ardores: ſic enim fit acrius: idem quod chalcitis poteſt. Alij pares vtriuſque portiones in vino terunt, & eadem proſequuntur. Vritur chalcitis fictili nouo viuis carbonibus ſuperpoſito. Modus autem vſtionis in humidioribus eſt, dum ipſa chalcitis bullas excitare deſierit, & perfectè inaruerit: in reliquis verò, cùm mutata in floridum colorem fuerit, & ſanguineum aut miniatum colorem contraxerit, tum demum eximenda eſt. Inſidens autem ſpurcitia flatu expellenda, mox reponenda. Torretur etiamnum perflatis carbonibus, vſque dum luteo colore palleſcat: aut fictili ſubditis candentibus prunis, ſubinde verſata, donec igni conflagret, & colorem mutet.

Pſoricon.

## Μίσυ. MISY. CAP. LXXVI.

MIſy aſſumendum natione Cyprium, auri ſimile, durum, quod friando auri colorem imitatur, & ſtellæ modo ſplendet. Vim habet, & vſtionem, cum chalcitide eandem, præterquàm quòd pſoricum ex eo non conficitur, exceſſus, defectuſque ratione tantum differens. Ægyptium autem cæteris præſtat, vtpote quod efficacius habeatur, ſed ad ocularia medicamenta multò ſupradicto inferius.

## Μελαντηρία. MELANTERIA. CAP. LXXVII.

MElanteria geminæ eſt originis: quædam in faucibus cuniculorum, quibus æs eruitur, ſalis modo concreſcit. Alia verò in ſumma facie ſupradictorum locorum coit, quæ terrena eſt. Quinetiam inuenitur in Cilicia, & aliis quibuſdam regionibus, foſſilis quædam. Præſtat quæ ſulphuris colore trahit, læuis, pura, æquabilis, & quæ contactu aquæ confeſtim nigreſcit. Vim cauſticam eam obtinet, quam & miſy.

## Σῶρυ. SORY. CAP. LXXVIII.

SOry exiſtimarunt aliqui melanteriam eſſe, aberrantes: ſiquidem ſui generis eſt ſory, ei non abſimile. Verùm ſorei virus ineſt graue, & nauſeam mouens. Inuenitur etiam in Ægypto, & aliis quibuſdam regionibus, vt in Libya, Hiſpania, & Cypro. Præfertur Ægyptium, quodque frianti nigrius apparet, & multa foramina dehiſcens, ſubpingue, inſuper adſtringens, & olfactu deuorationeque magnum virus olens, ita vt ſtomachus in vomitiones effundatur. Quod autem friatum ſcintillas miſyos modo non emittit, & alterius generis eſſe, & inualidum, cenſendum eſt. Vim & vſtionem ſupradictis ſimilem habet: dolori dentium cauernis inditum medetur: eoſque labantes firmat: iſchiadicis ex vino infuſum auxiliatur: illitum cum aqua, varos extinguit. Medicamentis admiſcetur, quæ capillos denigrant. Hæc autem ferè omnia, & alia, quæ vſtionem experta non ſunt, peruſtis validiora eſſe exiſtimantur: præter ſalem, & vini fæcem, nitrum, calcem, & conſimilia, quæ cruda remiſſiora ſunt: combuſta enim viribus efficaciora redduntur.

Tametſi

Tametſi antea ſcripſerim Chalcitim, Miſy, Sory longo iam ſeculo latuiſſe, adeò vt perpauci, vel potius nulli eſſent in Italia, qui hæc legitima ſe vidiſſe aſſirmarent, poſtea tamen, & ipſius Chalcitis & Miſy quoque plurimum ex Ducatu Braunſuicenſi ad me allatum eſt, dum hic Pragæ ſum in Aula Sereniſsimi Archiducis Ferdinandi. Atqui primus qui Miſyos [illegible] ſane pulcherrimum, aureis emicans ſcintillis, quin & Chalcitidis, & Soreos, quibus etiam chalcanthum adiunctum erat, miſit ad me Tridento Martinus Guidottinus pharmacopola, rei herbariæ & metallicæ ſtudioſus. Inuenta autem hæc ſunt in quibuſdam chalcanthi fodinis in Tridentino agro, quarundam montium non longe à Leuigo pago. Verùm legitimam Melanteriam iamdiu inuenimus in compluribus metallorum tumulis.
Chalcitis, miſyos, ſoreos, & melanteriæ conſideratio.
Porro putat Muſa Braſauolus, medicus nostri temporis celebris, chalcanthum nobis Romanum vocatum, verum eſſe Miſy, quod tamen veritati, & rationi maximè repugnare videtur. Quandoquidem præter id quod aurum colore minimè imitatur, minuſq; cum frangitur, aureis fulgeat ſcintillis, ſed vitream tantum refert ſubſtantiam, palam certe omnibus eſt, Galeni teſtimonio, Miſy factitium non eſſe medicamentum, ſed ſponte & per ſe factum in terræ viſceribus. Ipſe enim libro 9. ſimplicium medicamentorum, de chalcantho ſcribens inquit: Meminerit autem, quòd ad ſiniſtram manum ingredientibus conſpectum nobis dixerim metallum ſoreos, chalciteos, & miſyos: vt ex his conijcere liceat, aquam pluuiam totius collis terram illam colluere, atque abluere, ex qua ſponte quidem fiebat ſory, chalcitis, & miſy: & per fornaces æs, cadmia, pompholyx, ſpodium, & diphryges. Præterea idem de ſory, chalcitide, & miſy diſſerens teſtatur (vt latius inferius patebit) dum in eorum ingrederetur metallum, quaſdam intus ſe conſpexiſſe veluti zonas, alias ſuper alias in longum porrectas, numero tres: quarum infima erat ipſius ſoreos, ſuper quam erat altera chalciteos, ſuprema verò miſyos. Id quod manifeſte oſtendit, tria hæc ſponte in terræ viſceribus fieri, non autem vllo artificum ingenio, vt Romanum chalcanthum fieri: nemo non intelligit. Conſtat præterea nullam factitij chalcanthi ſpeciem eſſe poſſe miſy, quod ſcripſerit Galenus chalcitin tranſire in miſy, non autem miſy in chalcitin. Idcirco cum Galeni teſtimonio, & vulgari experientia omnibus perſpicuum ſit, non tantum Romanum chalcanthum, ſed omne, cuiuſcunque generis tractu temporis degenerare in chalcitin, nullo pacto fuerit cenſendum, Romanum chalcanthum eſſe miſy. Vnde rectius fortaſſe dicere potuiſſet Braſauolus, chalcanthum ſoryos magis ſpeciem referre, quàm miſyos. Nam (ſi tanta authoritatis apud doctiſsimos quoſque medicos fuerit Galenus) quemadmodum chalcitis vertitur in miſy, ita & ſory tranſit in chalcitin. Sed vt omnibus huiuſce facultatis ſtudioſis hæc admiranda naturæ vis clarius innoteſcat, audiant, quæſo, Galenum de re hac diſſerentem libro 9. ſimplicium medicamentorum his verbis:
Braſauoli error, Chalcanthũ Miſy eſſe ſtatuentis.
In metallo Cypri, cuius modò mentionem feci, in montibus Solorum domus erat ingens, cuius ad parietem dextrum, ſed ad nos vtique, qui ingrediebamur, ſiniſtrum, introitus erat in ipſum metallũ, in quo quaſdam conſpexi in longiſsimum porrectas veluti zonas, alias ſuper alias numero tres: infima erat ipſius ſoreos, ſuper quam erat altera chalciteos, ſuprema miſyos. Cæterùm id temporis præfectus metalli his commonſtratis: Sicut, inquit, nunc aduenis in cadmiæ fornacariæ inopia, ita horum trium admirandas has vides diuitias. Itaq; ego cùm eius multum accepiſſem, primum quidem in Aſiam, deinde Romam attuli, & vſq; modò habui, elapſis iam annis plus minus triginta. Et forte quadam abſolutum fuit hoc opus ad vſque octauum librum, ante annos viginti, nec adiectus fuit nonus hic, partim quòd lapides quoſdam nondum conſpexiſſem, partim ob alia negotia, quæ [illegible] interea temporis obuenere. Nunc autem cum nonum hunc librum cæteris addere pararem, interea fortè fortuna mihi accidit res ſpectatu longe pulcherrima, ac ſi quiſpiam eo ſtudio ac induſtria magno cum artificio effeciſſet. Nam cùm miſy opus haberem, ad medicamen quodpiam præparandum, bolum eius accepi, quam ferè plena manu teneas, qualem ſanè conſiſtentiam miſy non admodum ſolet habere, cùm in parua fruſtula diuidatur. Miratus itaque inſolitam eius condenſationem, bolo fracta extimum quidem miſy circumquaque reperi, eius quod intus erat, velut efflorescentiam. Porrò ſub eo inter chalcitin videlicet, & miſy, quiddam erat medium vergens ex chalcite ad miſy, ex dimidio iam commutatum: principio enim bolus fuerat chalciteos: cæterum quod in alto erat, perfecta erat chalcitis, nullã dum alterationem experta. Hoc igitur vbi vidiſſem, cogitatione repetens, & in metallo ita ſuper chalcitin naſci ipſum miſy, vt ærugo ſuper æs, in mentem ſubiit inſpicere, quod ſeruabatur adhuc apud me reliquum ipſius ſoreos, nunquid & ipſum vllam accepiſſet mutationem in chalcitin: & nonnihil certe apparuit ſuſpicionis, vt videretur & ipſum forte longo tempore mutationem in chalcitin poſſe accipere. Itaque mirum non eſt tria hæc medicamenta eiuſdem generis facultatis eſſe, ſory dico, chalcitin, & miſy, tenuitate, & craſsitudine partium inter ſe diuerſa. Craſsiſsimum enim eſt inter ipſa ſory, tenuiſsimum miſy, mediam vtriuſque facultatem habet chalcitis. Adurunt vniuerſa hæc tria, & eſcharas quas vocant, efficiunt. Attamen etiam ſi vrant, nonnihil quoque adſtringunt. Cæterùm miſy admotum carnibus duris, minus chalcite mordicat, tametſi ea non minus ſit calidum: verum id habet, quòd tenuium partium eſſentia ſit. Porrò cum vtraque hæc in decoctionibus funduntur, & magis chalcitis quàm miſy: ſory tamen non liqueſcit, nimirum quod lapidoſius ſit, ac vehementius compactum, ſicut rurſum miſy, quia à congenito calore elaboratius eſt, ac proinde ſiccius chalcite, idcircò merito quoque ægrius liqueſcit. Et libro 4. de compoſitione medicamentorum per genera, idem Galenus ita ſcribit. Miſy, & ſory, vt didiciſtis, chalcitidi genere cognata ſunt, ex vna vt dicam radice producta, tenuius tamen apparet miſy, ac minus mordax & vrens, craſsius ſory eſt, & vtroque ſiccat imbecillius.
Miſyos, & cognatorum hiſtor. & vires ex Gal.
Χαλκῖτις vt Græcis, ita etiam Chalcitis Latinis dicitur: Arabibus, Colcotar, ſeu Cholchotar: Italis, Chalcitis. Μίσυ verò Græcè, Miſy item Latinè vocatur: Arabicè, Zeg, ſiue Zagi: Italicè, Miſi. Quæ deinde Græcis μελαντηρία, Melanteria pariter Latinis appellatur: Arabibus, Bitirias, & Maltina: Italis, Melanteria. Quod denique σῶρυ Græcè, Sory ſimiliter Latinè dicitur: Arabicè, Surie, Alſurie, ſeu Alſuri: Italicè, Sori.
Nomina.

Διφρυγές. DIPHRYGES. CAP. LXXXIX.

Diphrygis tria genera eſſe creduntur. Quoddam enim metallicum eſt, quod in Cypro ſola gignitur: lutoſum namq; extrahitur ex luto cuiuſdam inibi ſpecus: extractum ſole ſiccatur, mox circumpoſitis ſarmentis vritur: diphryges ideo vocatum eſt, quod & à ſole, & à ſarmentis vratur, areſcat, & fermè torreatur: alterum perfecti æris quaſi ſubſidens fæx eſt: ſiquidem poſt frigidæ aquæ offuſionem, vt ſuprà retulimus, cùm de flore æris diſſereremus, ſublato ære, fornacum ima parte cohærens id genus inuenitur, & adſtrictionem & guſtum æris habens. Tertium ſic fit. Lapidem pyriten, vt calcem multos dies cremant in camino: cumque colorem rubricæ contraxerit, eximentes recondunt. Quidam tradunt hoc ex ipſa materia, quæ lapidem æris gignit, fieri: quando in dictis areis aſſata, & in ſcrobes tumulata peruritur, tunc enim ambientem ſcrobis locum comprehendit, & exemptis lapidibus nihilominus inuenitur. Præfertur, quod ſaporem æris reddit, æruginiſq;, adſtringens, & vehementer exiccans linguam: quod ſibi exuſta ochra non vendicat, quæ cremata diphrygis vice venit. Vis eius adſtringere, perpurgare, extergere, ſiccare,

ſiccare, excreſcentia conſumere, vlcera ſerpentia, & quæ cacoethe vocant ad cicatricem perducere. Suppurationes terebinthina, aut cerato exceptum diſcutit.

Diphrygis conſideratio. *Diphrygis genus illud, quod perfecti æris quaſi ſubſidens fæx eſt, poſt frigidæ aquæ offuſionem, vt Dioſcorides inquit, ſæpe ac ſæpius vidimus in ærarijs fornacibus, Tridentino agro, & comitatu Tirolenſi, ac inde etiam nobiſcum detulimus. Sed quod è luto in Cyprio illo ſpecu foditur, vriturq́ ſarmentis: quod item è pyrite lapide calcis modo excuſſo conſtat: quod demum ex ſola æris materia fit, cùm in areis aſſatur, & in ſcrobes träslata peruritur, hactenus mihi videre nõ licuit: nec eorum, quod ſciam, ſpeciatim meminit Galenus, qui libro 9. ſimplicium medicamentorum de Diphryge in hũc modum diſſerit.* Hiſtoria & vires ex Gal. *Diphryges mistam habet tum qualitatem, tum facultatem: habet enim in ſeſe quiddam & mediocriter adſtringens, & mediocriter acre: quamobrem vlcerum rebellium optimum medicamentum eſt. Conuexi autem & huius medicamenti vim ingentem ex Cypri Solis, vbi metallum ab vrbe abeſt, quaſi triginta ſtadijs. Proiectũ erat enim in medio ſpacio ædium, quæ ante metallum extructæ erant, & vici, qui ei ſubiacet. Cæterùm præfectus, ac procurator metalli, id quod iuxta cadmiam reperiretur, eſſe dicebat inutile, itaque abijci, non ſecus atque vſtorum in foco lignorum cinerem. Verùm hoc mihi ad multa vtile factum eſt medicamentum, tum ad putreſcentia oris vlcera, ſiue per ſe, ſiue cum melle, cui detracta ſit ſpuma, tum ad anginam, videlicet vbi iam per adſtringentium medicaminum auxilium conſtitit, quod influebat. Præterea columellam vbi præſecuiſſem, ipſo ſolo, & ſtatim, & vſque ad cicatricem ſum vſus: ac frequenter exactè occluſam efficit cicatricem tum huius particulæ, tum omnium adeò exulceratorum: ſic in vlceribus omnibus pudendorum, atque ani. Vſus autem ſimilis eſt in oris vlceribus: ſiquidem eæ partes eiſdem ferè medicamentis gaudent, nimirum calidæ ſimul & humidæ. Et libro 4. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera ſic inquit: Porrò Diphryges appellatum pharmacum vlceribus ægrè humiditatis vitio ad cicatricem venientibus aptiſſimum eſt: valdè namq́ ſiccat, etſi modicè mordeat. Enimuerò id quoque præter acrem tum qualitatem, tum potentiam vim habet adſtrictoriam.* Nomina. *Quod Græcis διφρυγὲς, Latinis item Diphryges: Arabibus Diphrigis, Italis Diphrige nominatur.*

## Ἀρσενικόν. AVRIPIGMENTVM. CAP. LXXX.

Avripigmentum in eiſdem metallis, quibus ſandaracha, gignitur. Optimum exiſtimatur cruſtoſum, aureo colore micans, nulli materiæ permiſtum, in ſquamas fiſſile: quale in Myſia Helleſpontia inuenitur. Huius duo genera fluxerunt: vnum ſuprà dictum eſt. Alterum glandis effigie, pallidum, colore ſandaracham imitans, gleboſum ex Ponto, & Cappadocia defertur: quod etiam ſecundum locum tenet. Torretur in teſta noua, viuis carbonibus ſubiectis, aſſiduoq; verſatur, donec igne flagret, & mutet colorem: deinde refrigeratum, tritumque reconditur. Vim habet adſtrictoriam, & erodentem. Cruſtas cum excrementi vredine, & violento morſu excitat: reprimit quæ excreſcunt, & capillos euellit.

## Σανδαράχη. SANDARACHA. CAP. LXXXI.

Sandaracha probatur rufa, & [a] ſaturatior, & aliena materia vacans, friabilis, cinnabaris colore, ſulphuris virus redolens. Dos eadem, & vſtio, quæ auripigmento. Explet alopecias, reſina excepta: & ſcabros vngues cum pice eximit: contra phthiriaſin ex [b] oleo efficax eſt: tubercula cum adipe diſcutit. Prodeſt ad narium, oriſq; vlcera. & cæteras papularum eruptiones cum roſaceo: item cõdylomata. Datur ex mulſo purulenta extuſſientibus: ſuffitur quoque cum reſina, aduerſus veterem tuſſim, rapto per fiſtulam nidore: vocem expedit cum melle delincta: ſuſpirioſis cum reſina in catapotio optimè datur.

a Me. & Orib. ἐξανθῆ. i. florida.
b Drag. ad μέλιτι χαὶ, i. melle &.

Auripigmẽti, & Sãdarachæ conſideratio. *Auripigmentum, & Sandaracha, medicamenta ſunt eiuſdem tum generis, tum facultatis, nec inter ſe in alio differunt, quàm quod alterum magis, alterum verò minus excoctum fuerit in terræ viſceribus, vbi gignuntur. Vnde etiam ſequitur, quod alterum altero tantum virium tenuitate præſtet. Quandoquidem nil aliud eſt ſandaracha, quàm auripigmentum, quod maiori naturæ coctione colorem rubeum contraxit, & tenuius effectum eſt. Id quod periculo arte facto verum deprehenditur: quippe ſi fictili, vel vitreo vaſe vratur auripigmentum, ſubſtratis candentibus prunis, breui (vt nobis pluries experientia compertum eſt) flammeum, & ſummè rubentẽ contrahit colorem, perinde ac ſandaracha: eoq; magis, quò plus calorifici ignis arte fuerit expertum, quam ipſa ſandaracha naturæ vi fuerit aſſecuta. Sandaracham ſummè rubentẽ vidimus primùm Venetiis in officinis, vbi auripigmẽtum, & cæteri veneunt colores pictoribus expetiti. Verùm tamen animaduertendum eſt (vt ſuperius libro primo diximus) quòd hæc illa vulgaris Sandaracha non eſt, quam Vernicem pictoriam officinæ appellant: ſiquidem nil aliud hæc eſt, quam gummi iuniperi. Errorem autem fecere neoterici illi, qui Mauritanorum nomina ſecuti (ijs enim gummi iuniperinum ſandarax dicitur) idem gummi ſandaracham nominauerunt: ita nomina turpiter confundentes, vt imperitis ſæpe grauiter in rebus ipſis errandi præbeant occaſionem. Quamobrem vbi in Arabum monumentis, vel eorum, qui Arabicam factionem in omnibus ſequuntur, medicamentum aliquod repertum fuerit, quod Sandaracham excipiat, de iuniperi gummi perpetuò intelligendum erit: vbi verò id in Græcis codicibus inuentum fuerit, ea quidem ſine controuerſia erit aſſumenda, de qua hic diſſerit Dioſcorides.* Sandaracha Arabum eſt gummi iuniperi. *Vocauerunt præterea recentiorum nonnulli Sandaracham quoque Sandicem, quam è combuſta ceruſſa conficiunt, quòd fortaſſe hæc colore admodum referat. Sed hæc ab illa (vt ſupra retulimus, cùm de ceruſſa ſermonem haberemus) viribus, & qualitatibus plurimùm diſſidet.* Sandix. *Eſt & Sandaracha ceraginoſi mellis genus, ſi Plinio credimus, qui libro 11. cap. 7. eius meminit. Cæterùm illud non eſt ſilentio prætereundum, quòd Arſenicum officinis cryſtallinum vocatum, ideo quòd cryſtalli modo pelluceat, non fit per ſeſe, nec ſponte naſcitur in auripigmenti ſodinis, vt ſcribit Vannocius ciuis meus in ſua pyrotechnia, qui nos aliàs eius fidem ſecutos, in hunc ſuum errorem deduxerat, ſed arte ex auripigmenti ſcobe admiſto ſale: id quod maximè teſtatur Georgius Agricola acerrimus foſſilium indagator, & non ex Realgar, ita Sadacenſi chimico, appellato.* Arſenicum cryſtallinum ex quo fiat. *Sumunt enim artifices auripigmenti ſcobem, & cum pari ſalis pondere miſcent, teruntque ſimul, & ſubinde operculatis fictilibus huis operi inſeruientibus, ignium vi tamdiu coquunt, quouſque id omne in ſublime feratur, & operculo adhæreat, concreſcatq́ in lapidem: idq́ toties repetunt, donec adeo purum efficiatur, vt cryſtallum referat. Auripigmenti vires reddidit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum ſic inquiens: Arrhenicum, ſiue arſenicum facultatis eſt cauſtica, ſiue vrẽtis, idq́ tam combuſtum, quam vſtionis expers. Cæterùm id conſtat vſtione reddi tenuiorum partium. Vtuntur porrò eo, seu adurente ad denudanda pilis*

Auripigmẽti & Sandarachæ vires ex Gal.

*ptilo partem quamuis. Verùm ſi diutius inhæreat, nec cuti etiam ipſi parcet. Idem de ſandaracha eodem libro ſcribens, inquit: Sandaracha vrentis eſt facultatis, ceu arſenicum quod vocant. Merito itaque eam digerentibus facultatibus cõmiſcent, atque extergentibus. Metallicum, quod Græci ἀρσενικὸν & ἀῤῥενικὸν, Latini Arſenicum, Arrhenicum, & Auripigmẽtum vocant. Mauritani, Harneth, ſeu Zarnich: Itali, Orpimento: Germani,* Auripigment, & Operment: *Hiſpani, Oropimente. Quæ verò σανδαράχη Græcè, Sandaracha Latinè pariter & Italicè vocatur: Arabicè, non ſecus atque auripigmẽtum, Harnet, & Zarnich.* Nomina.

Στυπτηρία. **ALVMEN. CAP. LXXXII.**

ALuminis omne ferè genus in Ægypto: & in eiſdem metallis inuenitur: etenim ſciſſile quoddã quaſi flos gleboſi intelligitur. Gignitur & in aliis quibuſdam locis, in Melo, in Macedonia, in Liparis, Sardinia, Hierapoli Phrygiæ, Aphrica, Armenia, & plerisque aliis regionibus, ſicut & rubrica. Plurimæ eius ſpecies: verùm ad medendi vſum ſciſſile, rotundum & liquidum expetuntur. Optimum eſt ſciſſile, præſertim recens, candidiſſimum, guſtu perquàm adſtringens, graue olens, calculorum expers, nec glebuloſè aut aſſuloſè compactum, ſed ſigillatim in capillamenta quædam caneſcentia dehiſcens: quale eſt, quod trichites, quaſi capillare nominatur, in Ægypto natum. Reperitur quoque lapis huic alumini perſimilis, qui guſtus iudicio dignoſcitur, quòd non adſtringat. Damnatur in rotundi genere, quod manu confictum eſt: ſed ex figura deprehenditur. Aſſumendum autem ſuapte natura rotundum, bullis turgens, albo propius, atque validius adſtringens, præterea nonnihil palloris cum quadam pinguitudine prę ſe ferens, ſine arenis friabile, natione Ægyptium, aut ex inſula Melo. Liquidi probatio, vt ſit limpidum, lacteum, ęquale, & ſemper ſucco madens, ſine lapidibus, atque [a] quendam coloris igniculum expirans. Vim habent excalfaciendi, ſtringendi, & expurgandi, quæ caliginem pupillis oculorum offundunt: genarum carnem, cæteraſque excreſcentias extenuant. Sciſſile rotundo efficacius intelligitur. Vri, & torreri chalcitidis modo debent. Putreſcentia vlcera compeſcunt: ſanguinis fluxiones inhibent: gingiuas humore prægnantes comprimunt: motus dentium cum aceto, & melle firmant. Proſunt cum melle vlceribus oris, eruptionibus papularum, & fluxionibus aurium cum ſanguinalis herbæ ſucco. Lepris conueniunt cum Braſſicæ foliis, aut melle cocta: item prurituі, & vnguium ſcabritiis, pterygiis, & pernionibus, aſperſa cum aqua. Valent cum aceti fæce, & galla, pari pondere cremata, ad phagedænas vlcerum: & cum ſalis duabus partibus, ad vitia quæ paſcunt: furfures, cũ eruo, & pice illita abſtergunt: ad lendes, pediculos, ambuſta, cum aqua illita auxilio ſunt. Contra tumores, & graue alarum, inguinumque virus illinuntur. Ex Melo autem aduectum, mulieribus præſtat ne concipiant, ante coitum ori vuluæ inditum: partus quoque extrahit: gingiuis, ſi caro excreuit, vuis ac tonſillis accommodantur: ori, auribus, & verendis, cum melle illinuntur.

[a] Orib. τυρῶδες, non πυρῶδες legit. i. caſei odorem ſpirans.

*TAmetſi ſcripſerit Dioſcorides plurima eſſe Aluminis genera, non tamen plura, quàm tria hoc loco ſtatuit recenſenda, nempe ſciſſile, rotundum, & liquidum: quod fortaſſis ſuo tempore iis tantùm vterentur medici. Veruntamen hac ætate officinæ complura habent genera, quamuis rotundo, & liquido careant: nimirum Rupeum, quod vulgò vocant alume di rocca: ſquamoſum, quòd vulgò dicunt Alume ſcagliolo: item è vini fæce confectum: necnon illud, Catinum iiſdem vocatũ: quibus accedit, quod plumeum appellant, quod tamen legitimum ſciſſile non eſt, etſi iamdudum cum cæteris rei metallicæ ſtudioſis crediderim ſciſſile alumen nil aliud eſſe, quàm quod vulgò officinis vocatur Alume di piuma. Sed hoc (vt poſtea dicetur) nil aliud nunc eſſe cenſemus, quàm lapidem amiantum: quòd guſtu non ſit adſtringenti, ſed acri, quodq; igne nunquam comburatur, quod eſt amianti lapidis proprium. Legitimum alumen ſciſſile Piſis miſit ad me hoc anno clariſſimus medicus Lucas Ghinus, notis omnibus refertum, quas illi reddidit Dioſcorides, & guſtu admodum adſtringens. Quo poſtea factum eſt, vt diligentius exploratis plumei aluminis tum notis, tum qualitatibus, facilè deprehenderim plumeum hoc non eſſe ſciſſile. Cæterùm Braſauolus de alumine diſſerens in ſuo ſimplicium medicamentorum examine, nil aliud liquidum eſſe contendit, quàm rupeum. Sed ab eo, licet viro eruditiſſimo, variat opinio noſtra. Nam quòd ego in Alumeriis Põtificis maximi in Romano agro prope Tolfam per biennium morã duxerim, eo nimirum tempore, quò Auguſtinus Chiſius opulentiſſimus mercator ciuis meus, illas aluminis fodinas à Pontifice emerat, ampla ſanè mihi fuit facultas tum videndi, tum etiam diſcendi quo artificio, quave ratione, rupeum conflaretur alumen. Quamobrem facilè teſtari poſſum rupei aluminis materiam liquidam, fluxilemq; non reperiri, ſed lapideam: quinetiam non exponi æſtiuis ſolibus exiccandam, vt putat Braſauolus, quod ſic (vt ipſe inquit) ſcripſerit Plinius liquidum fieri, & addenſari. In eodem Braſauoli errore verſatur etiam Fuchſius medicus alioqui eruditiſſimus, quippe qui putat libro de compoſitione medicamentorum Alumen liquidum eſſe illud, quod officinis rupeum, vel rochæ vocatur. Fit itaque rupeum alumen ex duriſſimo quodam lapide, cuius duo obſeruauimus genera: alterum durius, & rufeſcens: alterum verò mitius, & candicans. Quod autem è candido fit lapide, albedinem ſeruat, & cryſtalli inſtar translucens conſpicitur. Alterum verò contra rufeſcit, & maiore acrimonia pollet, viſiturq; ſordidius. Expetitur candidum ſericeorum ſtaminum infectoribus: item iis, qui præſtantiora lanarum vellera coccineo colore tingunt, quòd altero nitidius, minusq; acre habeatur. Foditur aluminis lapis è rupe quadam, aperto vndiq; cælo, non autem in concameratis cuniculis. Ingens ibi foſſorum caterua perpetuò commoratur, qui partim mucronatis ligonibus ex validiſſimo chalybe temperatis, partim ferreis malleis, ipſiſq; ingentibus, partim acutiſſimis cælis cuneiſq; hunc lapidem frangunt, lacerant, ſcindunt, conterunt, ac diducunt, ea demum ratione, qua lapicidæ operantur in ingentibus lapidum, marmorumq; fodinis, quæ ad magna effodiuntur ædificia. Transferuntur deinde confracti lapides in fornaces calcariis ſimiles, vbi validiſſimis ignibus, eo ſanè modo, quo calx, nocturno præſertim tempore inuruntur duodecim, aut ad ſummũ quatuordecim horarum ſpatio: quippe ſi diutius vrerẽtur, cuncta aluminis materia inareſceret. Poſtquàm autem refrixerint, plauſtris in ampliſſimas areas ſub dio, & ſolibus eos comportant, ibiq; in planos componunt aceruos, hortorum toris perſimiles, ſed longè, lateq; grandiores, latiore fundamẽto, quàm vertice. Compoſitis igitur hoc modo in areis aceruis, aquam quæ vtrinque continuè excurrit, in lapidum aceruos mittunt, quibuſdam excauatis inſtrumentis, è ligno cõflatis, iis perquã ſimilibus, quibus nautæ ſuis è ſcaphis aquam eximunt: id tribus, aut quatuor vicibus quotidie repetentes, donec diuturna aquæ affuſione, peruſti lapides vſqueadeo macerẽtur, vt in terrã quandam lentore madidæ argillæ ſimilẽ permutentur: quod tamen nõ fit, niſi aqua perluantur, ad trigeſimum ſextum, aut quadrageſimũ vſq; diem. Excauant præterea*

Aluminum conſideratio.

Alumen plumoſum eſt amiantum.

Braſauoli opinio reprobata: item Fuchſij error.

Aluminis rupei faciendi ratio.

ligonibus

ligonibus terram hanc, & ad fornaces cortinaſq; quas caldarias vocant, curribus item conuehunt. Sunt autem caldariæ ſic dictæ cortinæ admodum capaces, & ſuper ampliſſimum æneum fundum patinæ inſtar, ſuppoſitam fornacem proinde tructam vndique operientem, ex lateribus, & calce fabricatæ, & cruſta quadam pertinaci vndique circumlitæ. Has ea- que aqua replent, aquæ ductibus eò deducta: deinde in ſubſidentem fornacem, validiſſimum ſuccendunt ignem, vt demum ſa ferueat aqua. Hoc cùm factum fuerit, comportatam ex areis terram in feruētem aquæ alueum conijciunt. Aſtant vtrinque bini robuſtiſſimi artifices, qui veluti remigantes, magnis quibuſdam ligneis inſtrumentis (palas vocant) continuò immiſſam terram aquæ commiſcent, quouſque aqua omnem aluminis materiam in ſe conceperit. Subinde terræ recrementum inſtrumentis iam dictis trahunt ex aluei fundo, per propinquam ibi feneſtram in quendam aquæ riuulum procul aliò deducendum. Quo facto iterum nouam ſuperindunt terram, modo quo diximus commiſcentes, & recrementum auferentes, quod tamdiu proſequuntur, quouſque intelligant aquam tantum aluminis materiæ ſibi aſciuiſſe, quãtum ſat fuerit. Demum parumper quieſcere dimittunt, vt ſi quid recrementi ſit, in imum deſcendat. Mox calentem aquam alumine refertam extrahunt, & ſuis aquæductibus ad id paratis in magnas quaſdam capſas ex querna materie factas transferunt. Ibi enim octo dierum termino alumen conficitur internis parietibus inhæreſcens adamantinis mucronibus ſimile, & cryſtalli inſtar pellucidum, ad quatuor, aut quinque digitorum craſſitiem. Alumine porrò ita concreto, lixiuij reliquum (ſic enim vocant decoctum) à quo ſeceſſit alumen, iiſdem aquæductibus è capſis illis eximentes, ad caldarias ita eis vocatas remittunt, id ſcilicet, quod clarum defecatumq; ſit: nam turbidum, & recrementitium, aperto foramine in receptaculi fundo, tanquam inutile per riuulum deferri, & delabi ſinunt. Poſt hæc aluminoſum recrementum, quod minutis particulis granorum tritici inſtar ad fundum reſedit, ad cortinas illas magnas iterum diſcoquendum comportant. Demum capſæ fundo ſcopis omni ex latere mundato, quibuſdam ferreis, ligneiſq; inſtrumentis concretum in parietibus alumen diducunt, diductumq; eximunt, & exemptum in vimineas fiſcellas conijciunt, & in quodam aquæ alueo lauant, fiſcellis in aquam demerſis. Eximunt poſtea, & aqua excolata in aceruum domibus aſſeruant, ſalis modo. Ex his itaque omnibus aperte

Alumē liquidum vt fiat ex Plinio.

cognoſci poteſt, rupeum alumen nullam habere cum liquido cognationem. Quandoquidem aſſerit Plinius libro 35. ca. fieri liquidum ex aqua limoq; hoc eſt terræ exudantis natura: corriuatum hyeme, æſtiuis ſolibus maturari: probari quod limpidum lacteumq; ſit, ſine offenſis fricantium, cum quodam igniculo caloris. Si verò adulteratum ſit, deprehendi ſucco mali punici: quòd ſyncerum ea miſtura nigreſcat. Sed hæc non inueniuntur in rupeo, vt quod magis glaciem, cryſtallumq; referat, quàm lac: fiat item ex duriſſimo lapide, non ex limo: nec affuſo punici ſucco nigreſcat, ſed longè magis pellucescat. Hinc igitur fit vt non modò à Braſauolo diſſentiam, & à Fuchſio viris alioqui citra controuerſiam doctiſſimis, verùm etiam à Cornario, quòd & ipſe in cõmentariis in Galeni libros de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, Braſauolum fortaſſe ſecutus, ſcripſerit, Rupeum alumen, quòd vulgò vocant Alume di rocca, eſſe liquidum Græcis vocatum. Verùm enimuerò liquidum Alumen, quin & ſciſſile, rotundum, placites, & plinthites nuper ad me miſit Bartolomæus Maranta Apulus, medicus apprimè eruditus, & medicæ materiæ ſtudioſus, atque diligentiſſimus inquiſitor, qui ex ſeſe Puteolis Campaniæ iampridem hæc omnia aluminum genera comperit, quæ ſanè nullis, ni me fallit iudicium, notis à legitimis diſſident. Huic ergo viro eorum aluminum cognitionem libentiſſimè acceptam refero, & quas poſſum ago gratias. Sed tamen iis ingentes deberi, qui, vt ipſe, ſua inuenta cum aliis quoque communicare non grauantur. Liquidum item Alumen ex Ilua Tyrrheni inſula aduectum, quodq; manibus ductum lenteſcit, antea ad me miſerat clariſſimus medicus Lucas Ghinus, Plinianæ deſcriptioni notis omnibus reſpondens, adeoq; adſtringens, vt nunquã meminerim medicamentum aliquod

Alumina cognita.

Alumen rotundum.

deguſtaſſe, quod guſtui tantum adſtrictionis relinqueret. Porrò quod rotundum Græci vocant, tametſi non deſint, qui ſibi perſuadeant, id eſſe quod officinæ à ſacchari effigie zuccharinum appellant, ex crudo alumine rupeo, ouorum albo, & ſtillatitia roſarum aqua paratum: cùm tamen nõ inueniatur rupeum veteribus cognitum fuiſſe, cur eorum iudicio ſubſcribam

Alumen Catinum, eſt ſal Alcali.

non habeo, præſertim quòd legitimum nunc apud me ſit. Quod præterea Catinum appellant, (hoc quoque ſal Alcali quidam vocant) ex cuiuſdam plantæ cinere, Chali Mauritanis vocatæ, conficitur ad vitra in fornacibus expurgãda. Plantam hanc nos vulgò vocamus Soda. Prouenit hæc (vt alibi ſcripſimus) in litoribus maris, ſalſo admodum ſapore. Cæterum quod ex vini fæce paratur, fit conformatis è fæce panibus, deinde ſole ſiccatis, & igne tamdiu peruſtis, quouſque candorem receperint. Poſtremò Squamoſum (ſic enim voco alumen illud, quod vulgò dicitur Alume ſcagliola) ex ſquamoſo quidem

Alumen ſquamoſũ vt fiat.

lapide, & vitri modo pellucido, qui nonnullis ſpecularis appellatur, quòd fortaſſe ſelenitis modo ſpeculi præbeat effigiem, Aſini ſpeculum dicimus. Hunc itaque in ignem conijciunt, aut ferri laminis igne candentibus ſuperimponunt. Incenſus enim illico claritatem deperdit, diſſilitq; in tenuiſſimas laminas, & gypſi modo albeſcit, eiuſq; induit ſpeciem. Quamobrem

Talcum.

maximè falluntur, qui ſibi perſuadent, inter lapidem ſpecularem, & Talcum vocatum nullam intercedere differentiam. Quippe (vt mihi quidem experientia compertum eſt) non ſine magno labore, & flagrantiſſimo fornacis igne, Talcum vri poteſt. Specularis lapidis puluis nondum ignem experti, miris laudibus quibuſdam effertur ad dyſentericos, in vino aſſumptus

Aluminum vires ex Gal.

potus: exuſtum enim non probauerim, quòd gypſi ſpecie inducta, ſumentes ſtrangulet. Aluminum vires pauci perſtrinxit Galenus li. 9. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Stypteria, huius medicamenti nomen ab adſtrictione deductum eſt: nam adeſt illi vehementiſſima. Cæterùm cùm ſit craſſarum partium, tenuior quodammodo eſt aliis aluminum generibus, quod vocatur ſchiſte, hoc eſt foſſilis: proxima eſt ſtrongile, id eſt rotunda, & aſtragalote. Admodum autem craſſa eſt tum liquida, tum placites, & plinthites appellata. Et lib. 4. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, idem ait. Omnes aluminis differentiæ vlcera ſatis exiccant generosè adſtringẽtes: quare nemo ſolis ijs ad vlcera vtatur: hæc Galenus. Sed non deſunt, qui Dioſcoridem ſecuti, alumen omne non parum excalfacere opinentur: contra verò qui contendant id omnino eſſe falſum, potius frigefacere ipſum exiſtimantes, Galeni authoritate freti: quippe qui libr. 4. ſimplicium medicamentorum ſcripſerit, omnia quæ adſtrictoria ſunt facultate, eſſe frigida, ac terreſtria. Veruntamen ſi rectè diligenterque

Alumen omne excalfacere.

expendantur aluminum quorumcunque effectus, & facultates, quibus in corpus noſtrum agunt, nemo quidem inficias ire poterit, quin aluminis omne genus non obſcurè excalfaciat, quemadmodum chalcanthum, chalcitis, & miſy: quæ cum valenter adſtringant, non tamen refrigerant, ſed maximè excalfaciunt, vt idem teſtatur Galenus libro 1. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, dum inquit: Quin verò & Aſclepiades Metrodorus tanquam illum etiam ſuperare contenderet, aſſerendis de ſenſu mendaciis, cùm alia quædam, tum reſinam, & bitumen excalfacere nos denegat, atq; adſtringentia omnia refrigerare dictitat, cùm ſi nihil aliud ſaltem chalcitis, chalcanthos, & miſy, quæ valenter adſtringunt, tamen ſeipſoſq; tantam aſſecuta ſint caliditatem, vt nos etiam exurant. Nihil eſt ergo mirandum, ſi prolixa quædam nugentur, ſeipſoſq; nulli fallant, cùm de manifeſtò apparẽtibus verum fateri non audent. Et lib. 4. de compoſitione medicamentorum per genera capite 1 illud idem affirmauit, his verbis: Porrò diphryges appellatum pharmacum, vlceribus ægrè humiditatis ratione ad cicatricem venientibus aptiſſimum eſt: valde namque ſiccat, etſi modicè mordeat. Enimuerò id quoque præter aſtrictionem

*tum qualitatem, tum potentiam vim habet adſtrictoriam, quas tamen ambas fortiores, & chalcitis cruda, & chalcanthum repræſentat. Quin & alumen quodlibet vlcera ſatis exiccat generosè adſtringens. Ex quibus locis citatis palam eſt, etſi Galenus libr. 4. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſcribit omnia adſtringentia eſſe frigida, non tamen eum inter ea recepiſſe chalcanthum, chalcitin, miſy, diphryga, æruginem, & alia quædam, vt alumen omne genus: præſertim quod facile compertum habeam, aluminis cuiuſcunque ſtillatitiam aquam, maximè rupei, non modo carnem exedere, ſed etiam metalla. Alumen quod Latinis, στυπτηρία Græcis appellatur: Arabibus, Sceb, ſiue Seb: Italis, Alume: Germanis, Alun, & Alaun: Hiſpanis, Alumbre.* Nomina.

## Θεῖον. SVLPHVR. CAP. LXXXIII.

SVlphur optimum exiſtimatur viuum, quod apyron vocant, nitedulæ modo ſplendidum, perlucens, minimè lapidoſum. Probatur in genere ſulphuris ignem experti, quod viret, ac præpingue ſpectatur. Plurimum in Melo, & Lipara gignitur. Supradictum ſulphur calfacit, diſcutit, & celeriter cócoquit. Prodeſt tuſſibus, ſuſpirioſis, purulenta extuſſientibus in ouo ſumptum, aut ſuffitum: præterea partus vſti nidore extrahit. Lepras, lichenas, ſcabros vngues, cum reſina terebinthina miſtum aufert: cum aceto autem illitum, ad lepras efficax eſt: vitiligines tollit. Scorpionis ictibus, addita reſina, medetur: cum aceto verò, draconis marini, ſcorpioniſq; plagas ſanat. Pruritus toto corpore erumpentes, cum nitro deterſum ſedat: regium morbum emendat, impartitum fiſt: cochlearis menſura, aut in ſorbili ouo ſumptum. Facit ad grauedinem, & deſtillationes: ſudores quoque conſperſum inhibet, podagricis cum aqua & nitro illitum, conducit: grauitatem auditus, ſuffiti nidorem raptum per fiſtulam hauſto, ſanat. Lethargicos ſuffitu excitat: erumpentem vndecunque ſanguinem ſiſtit. Contuſis auribus, cum vino † & melle illitum, medetur. † Cat addit. καὶ σμύρνη. i. & Myrrha.

*SVlphur tam ſponte & per ſe naſcens, quod viuum appellant, quàm arte in fornacibus factum, frequentiſsimum habetur in Italia: ſed non omnibus vnus tantum color: quippe aliud viride, aliud luteum, aliud cinereum, aliud pallidum ſpectatur. Quod autem ſponte fit, viuum appellatum, exterius colore eſt ſubcinereo, interius verò cùm frangitur, ſubluteo, nitedulæ modo ſplendens, vt Dioſcorides inquit: id, demq; oritur locis, vbi factitium vena foditur. Eſt autem Sulphur foßitium medicamentum e pingui quadam terræ ſubſtantia prognatum, vt in compluribus viſitur locis, quæ impensè calida ſit, & ſicca: adeò vt à chymiſtarum authoribus igni natura ſimile Sulphur dicatur. Vocant id ij maſculum ſemen, & primum naturæ agens ad omnia metalla procreanda. Cum autem calidum ſit, & ſiccum, quinetiam pingue (vt diuturna conſtat experientia) maximam cum igne trahit cognationem: ſiquidem non flammæ ignium modo, ſed prunis quoque admotum, ſtatim accenditur, nec vnquam accenſum extinguitur, quouſque pinguis, & oleoſa eius ſubſtantia in vniuerſum igni abſumatur. Verùm enimuero etſi præ ſe ferat Sulphur temperamentum non obſcurè calidum, & ſiccum, non tamen credendum fuerit tam puram ſynceramq; id eſſe materiam, vt per ſe tantùm conſiſtere queat: neque etiam cogitandum, ei non eſſe neceſſarium, vt ſibi humiditatem aſciſcat, qua formam congruam ſuſcipiat, quemadmodum miſta quælibet expoſcũt. Id enim nobis indicat eius velociſsima, ac facillima diffuſio, cùm ſtatim igni admotum colliqueſcat, metallorum modo. Foditur aperto vndique cœlo, non autem in cuniculis, & ſubterraneis ſpecubus. In his namque tum vehementi calore, tum fœtidiſsimo terræ halitu, foſſores illico deperirent. Porrò effoſſa Sulphuris vena, fictilibus quibuſdam magnis imponitur Romanis hydriis non abſimilibus, longo ab ore dependente roſtro, intus vacuo, ac in humum ſpectãte, vitrei pilei inſtar, quo ſtillatitiæ aquæ conficiuntur. His itaque fictilibus ſulphurea vena repletis, fictilibus pariter operculis ad id diligenter conflatis, conteguntur, ſtipanturq; tenaciſsimo luto, creta, & equino ſtercore compoſito, ne tantillum quidem expirare poßit ſulphureus vapor. His peractis in fornacem crates duas ferreas intus habentẽ fictilia deferuntur, & in ſuperiorem cratem firmantur, eodem luto vndique ſtipata, adeò vt ignis flamma, qui in infima accenditur crate ſub fictilium fundo, nullo pacto in ſublime ferri poßit. Ad hæc fictilium roſtrum in aliud vacuum fictile inſerunt, per quoddam in latere orificium, & eadem creta quam diligentiſsime circumlinunt, obducuntq; maxime. Demum ignem ſuccẽdunt ſub fictilium fundo, cuius vi depuratum Sulphur in ſublime fictilium fertur, & per roſtri concauitatem in vacuum ſibi adnexum deſcendit receptaculum: a quo tandem fluens eximitur, aperto in fundo foramine, & aliis vaſis excipitur, vbi in magnos coit globos. Hac ſanè ratione Sulphur fieri conſpeximus in agro noſtro Senenſi, in montibus non longè à balneis diui Philippi, & in maritimis apud Petriolum. Sulphuris vires memoriæ prodidit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Sulphur omne trahendi vim poßidet, eſtq; temperamenti calidi, atque eſſentia tenuis, adeò vt ad multa venenatorum animalium reſiſtat. Siquidem ego aduerſus paſtinacam marinam, & draconem ſæpenumero eo ſum vſus, & cùm id piſcatores quoſdam docuiſſem, reuerſo poſt aliquantum temporis magnificè medicamentum hoc commendarunt. Vſus eius eſt, vt & ſiccum ictui inſpergatur medicamentum, & cum ſaliua miſtum: nam cum & hoc excogitaſſem, ab experientia comprobari reperi. Sed & vrina maceratum idem effecturum excogitaui. Docebam enim piſcatores medicamenta maximè parabilia, dixiq; pulchrè illos & cum oleo veteri, & melle, & reſina terebinthina vſuros. Et ſanè horum omnium experientia iudicium præſtitit. Quin & pſoras, & lichenas, & lepras, non rarò hoc medicamento cum reſina terebinthina ſanaui. Extergit enim omnes id genus affectus, abſque vt in profundum repellat, cùm alia multa medicamenta, quæ illos curant, miſtam habeant potentiam, nempe vt digerant pariter & repercutiant. Præterea, vt idem Galenus inquit lib. 6. c. 2. de comp. medic. per genera, in compoſitione emplaſtri διὰ τῶν ἰτεῶν, Sulphur tanto calore præditum eſt, vt vbi diutius inhæreat, proculdubio exulceret. Sulphur ſiue Sulfur Latinis dictum, Græcis θεῖον appellatur: Arabibus, Cribtit, & Rabric: Italis, Solfo: Germanis, Schwefel, & Lebendiger Schwefel: Hiſpanis, Piedra azufre.*

Sulphuris conſideratio.

Sulphur foſſitium.

Sulphuris faciendi ratio.

Sulphuris vires ex Gal.

Nomina.

## Κίσσηρις. PVMEX. CAP. LXXXIIII.

PVmicis probatio, vt magnopere leuis, ſpõgioſus, ſciſſilis, nec arenoſus, item teri facilis, † & candidus. Crematur flagrantiſſimis carbonibus obrutus, & vbi canduerit, extractus, vino reſtinguitur odorato: iterumque incenſus, reſtinguitur: & tertia vſtione exemptus, & a per ſe refrigeratus, ad vſus conditur. Vis eius adſtringere, gingiuas abſtergere, purgat cum calfactione, quæ pupillis caliginem offundunt: explet vlcera, & ad cicatricem perducit: excreſcentia cohibet. Fit ex farina eius dentifricium. Corpori cruſtam

† καὶ λεπτὸν. i. tenuis.

a Meum. ἐαυτῷ ψυγῆναι. i. per ſe refrigeratum.

obducit: auellendis capillis aptus. Theophraſtus author eſt, ſi quiſquam in bullientem vrceum [illegible] pumicem iniecerit, feruorem ſtatim ſedari.

Pumicis conſideratio.

*PVmicem ambuſtum eſſe lapidem in montium concauitatibus, omnes ferè fatentur naturæ operum exploratores. Ob id enim pumices ſæpius eructat mons Aetna in Sicilia, & in Campania Veſuuius, qui hoc tempore, annis [illegible], non ſecus quàm Plinij ætate, ingentibus flammis exarſit, cum magno Puteolorum, & adiacentium locorum detrimento, igne in terræ viſceribus genito, è ſulphureis vaporibus, & bitumine, quo quàmplurimi referti ſunt montes, eoq; [illegible], quod Græci piſſaſphaltum dicunt.*

Pumicis vires ex Gal.

*Pumicis vires duobus locis reddidit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, in eo primùm ita ſcribit. Si pumex inter lapides recenſeri poteſt, & ipſe eiuſdem eſt facultatis, quod certè ad abſterſionem attinet, velut etiam figulina teſta, ac multò magis ea, quæ fornacium eſt. Sed ſmiris acrimoniæ quiddam obtinet: proinde in cauſticis, & deſiccantibus facultatibus quidam ipſum miſcent, eiſq; quæ curant gingiuas laxas, ac mollitie fluidas. Pumex autem ſi comburatur, haud erit inferior eoſdem ad vſus ſmire. Secundo autem loco idem de pumice diſſerit his verbis. Pumicē ſi inter metallica recenſeas, calumniabuntur, quibus animus prurit accuſandi libidine: et ſi inter lapides ponas, lapidem eſſe negabunt: ac multo minus terram eſſe concedent, nec marinorum haberi quodpiam. Atqui alicubi tamen dicendum eſt: quippe qui in ſarcotica indatur medicamenta, & ea quæ dentes extergunt, partim vſtionem non expertus, partim etiam vſtus, quādo videlicet aliis omnibus combuſtis ſimiliter ſubſtantiæ efficitur tenuioris. Cæterùm vſtione quiddam acquirit acrimoniæ, quam rurſus lotione exuit. Videri autem poterit ſplendorem conciliare, non tantùm facultate, ſed etiam aſperitate, velut etiam ſi ſmirin, aut teſtam, aut hoc genus quippiam tritum admoueas. Quæ certe & ipſa ſplendorem aſſerunt, fortè vtroq;, tum quia detergendi habeant facultatem, tum quia aſperitatem. Eundem in modum cornua deuſta dentes ſplendidos efficiunt.*

Nomina.

*Pumex qui Latinis, Græcis κίσηρις vocatur: Arabibus, Fanech: Italis, Pomice: Germanis,* Bims. *Hiſpanis, Piedra pomez.*

## Ἅλς. SAL. CAP. LXXXV.

SAl foſſilis efficacior eſt communiter, ſi eſt candidus, calculis vacans, & perſpicuus, denſus æquali compage. Peculiariter Ammoniacus natione laudatur, ſi modò findi facilè poſſit, & in recta ſegmenta diduci. In marino ſale eligendus eſt candidus, æqualis, denſus. Probatiſſimus in Cypro fit, & Salamine Cypri, & Megaris, in Sicilia, & Aphrica. Sed inter dicta ſalis genera lacuſtris præfertur: ſed multò validiſſimus eſt Phrygius nomine tapeus, aut tritæus, aut gantæus. Salis natura in communē perquam vtiliſ eſt: adſtringit, abſterget, expurgat, diſſipat, reprimit, extenuat, & cruſtas inducit: ſed hoc intereſt, quòd alius [illegible] alio ſit præſtantior. Quin & à putredine vindicat. Admiſcetur medicamentis pſoras abſtergentibus, excreſcentia in oculis reprimit, & pterygia conſumit, cæteraſque carnis extuberationes tollit. Clyſteribus infunditur: diſcutit laſſitudines ex oleo illitus. Contra hydropicorum tumores auxiliatur: dolores inteſtinis fotu mitigat: & pruritus ſedat, ex oleo & aceto infrictus ad ignem, donec ſudent: item lichenas, lepras, pſoraſque. Anginam ex melle, aceto, & oleo illitus leuat: tonſillis, vuæque cum melle toſtus. Vlceribus in ore manantibus, gingiuis, quas humor vexat, & phagedænis vlcerum, cum polenta crematus illinitur. Aduerſus ſcorpionum ictus cum lini ſemine: contra ſerpētium morſus, cum origano, melle, hyſſopo: aduerſus ceraſten cum pice, aut cedria, aut melle auxiliatur: contra ſcolopendræ morſus, cum melle, & aceto: aduerſus veſparum ictus, & teredines, albidaſque capitis puſtulas, thymos, & tubercula, cum ſeuo vitulino: furunculos, cum vua paſſa, aut ſuille adipe aut melle diſcutit: teſtium tumores, origano & fermento maturius concoquit. Crocodilorum morſibus auxiliatur, tritus in linteolo, & intinctus aceto, ita vt vinculis loca conſtringantur. Prodeſt ad beſtiarum morſus, & ad ſugillationes in facie ex melle: contra hauſtum opium, & fungos, cum aceto mulſo bibitur. Luxatis imponitur cum farina, & melle: ambuſtis quoque cum oleo impoſitus, puſtulas erumpere non patitur. Podagricis itidem imponitur, & aurium doloribus, cum aceto: ignes ſacros, & vlcera, quæ ſerpunt, cum aceto, aut hyſſopo illitus ſiſtit. Vritur fictili, diligenter opertus, ne exiliat, condituſque prunis, vſquedum efferueſcat. Aliqui foſſilem ſubacto polline oblinunt, & carbonibus ſubiiciunt, vſquedum eius cruſta exuratur. Solet & ſal communis hoc modo vri. Aqua ſemel abluitur, & ſiccatus in ollam coopertam mittitur ſubdito igne, moueturque, donec iam non exiliat.

## Ἁλὸς ἄχνη. SALIS SPVMA. CAP. LXXXVI.

SPuma ſalis ſpumoſi maris lanugo, ſiue ramentum eſt, in exilibus petris inuentum: cui vis eadem, quæ ſalis.

## Ἅλμη. MVRIA. CAP. LXXXVII.

MVria effectus ſalis præbet, abſtergitque: dyſentericis infunditur, etiamſi nome inteſtina corripit: & iſchiadicis veteribus. Ad fotus, aquæ marinæ vſum præſtat.

## Ἁλὸς ἄνθος. FLOS SALIS. CAP. LXXXVIII.

FLos ſalis flumine Nilo defluit: lacubus tamen quibuſdam innatat. Aſſumendus qui crocei coloris eſt, odore ingrato, ceu gari: interdum longè magis virus olet, guſtuque mordacior, & pinguiter lentus. Fucatus autem rubrica, aut ſcrupuloſus, improbatur. Præterea ſyncerus non niſi oleo reſoluitur: adulteratus nonnulla ex parte, etiam aqua, diluente factitium colorem. Ad vlcera, quæ cacoethe vocantur, & phagedænas, genitalium nomas, & purulentas aures, efficax eſt: oculorum hebetudines, cicatrices, albugineſque tollit. Emplaſtris, vnguentiſque coloris cauſa, vt roſaceo, miſcetur. Sudorem cit, aluum turbat, in vino aut aqua ſumptus: ſtomachum male habet. Additur acopis, & ſmegmatis, quæ

quæ albandi capilli gratia componuntur. Et in vniuerſum acris eſt, & feruentis naturæ, vt ſal.

Salis omnis generis conſideratio.

Sal, quo frequentiſſimè in omnibus ferè cibis vtimur, & ſine quo viuere neſcimus, quo item ad annos aſſeruãtur carnes, piſces, aliaq; complura, nulli ſanè non cognitus eſt. Plures tamen in ſalis genere ſunt differentiæ: quandoquidem præter marinum, fluuiatilis, lacuſtris, foſſiliſq; reperitur. Marino vtitur vniuerſa ferè Italia, exceptis Calabris, qui foſſitio quàm pulcherrimo abundãt, quo etiam vtitur vniuerſa Pannonia. In Germania hauritur è ſalſis quibuſdam fontibus, quorum aqua diu ignium vi excocta in ſale cogitur. Foſſitium quod cryſtalli modo pellucidum eſt, officinæ Arabas ſecutæ ſalem gẽmæ vocant.

Sal gemmæ foſſitium.

Huius fodinas vidimus apud Calabros agentes, loco, qui vulgo dicitur Altomonte, vbi lapidum modo exciditur. Atqui non omnis ſal foſſilis pellucidus eſt: ſiquidem qui foditur Halis in comitatu Tyrolenſi, lapidis marmorei faciem præ ſe ferre videtur, colore ad ruſum inclinante. Calabricus autem in ignem coniectus, præter cæterorum naturam nec diſſilit, nec crepitat, ſed vt ferrum igneſcit. Lacuſtrem hactenus non vidimus, nec fluuiatilem: quanquam Plinius libro 31. ca. 7. tradat plures haberi lacus, ac fluuios, qui ſalem copioſum reddunt, vt eius verba, quæ ſubiiciam, apertè teſtantur.

Sal lacuſtre ex Plinio.

Sal omnis, inquit, aut fit, aut gignitur. Vtrumque pluribus modis, ſed cauſa gemina, coacto humore, aut ſiccato. Siccatur in lacu Tarentino æſtiuis ſolibus, totumq; ſtagnum in ſalem abit, modicum alioquin, altitudine genua non excedens. Item in Sicilia in Lacu, qui Cocanicus vocatur, & alio iuxta Gelam. Horum extremitates tantùm inareſcunt, ſicut in Phrygia, Cappadocia, Aſpendi, vbi largius coquitur, & vſque ad medium lacum. Aliud etiam in eo mirabile, quòd tantundem noctu ſubuenit, quantum die auferas. Omnis eſt talis ſal minutus, atque non gleba eſt. Sunt etiamnum naturales differentiæ tres. Namque in Bactris duo lacus vaſti, alter ad Scythas verſus, alter ad Arios, ſale æſtuant, ſicut ad Cittium in Cypro, & circa Memphin, extrahunt lacu, deinde ſole ſiccant.

Sal ex fluminibus.

Sed & ſumma fluminum denſantur in ſalem, amne reliquo veluti ſub gelu fluente, vt apud Caſpias portas, quæ ſalis flumina appellantur. Item circa Mardos, & Armenios. Præterea apud Bactros amnis Ochus, & Oxus ex appoſitis montibus deferunt ſalis ramenta. Sunt & in Aphrica lacus, & quidem turbidi, ſalem ferentes. Ferunt quidem & calidi fontes, ſicut Pagaſæi. Et hactenus habent ſe genera ex aquis ſponte prouenientia. Sunt & montes natiui ſalis, vt Indis Oromenus, in quo lapicidarum modo ceditur renaſcens, maiuſq; regum vectigal ex eo eſt, quàm ex auro & margaritis. Effoditur & è terra, vt palam eſt, humore denſato, in Cappadocia. Ibi quidem cæditur ſpecularium lapidum modo. Pondus magnum glebis quas micas vulgus appellat. Carrhis Arabiæ oppido, muros domoſque maſſis ſalis faciunt, aqua ferruminantes. Inuenit & iuxta Peluſium Ptolomæus rex cùm caſtra faceret. Quo exemplo poſt eainter Aegyptum, & Arabiam etiam ſqualentibus locis cœptus eſt inueniri, detractis arenis: qualiter & per Aphricæ ſitientia, vſque ad Ammonis oraculum. Is quidem creſcens cum luna noctibus. Nam Cyrenaici tractus nobilitantur Ammoniaco, & ipſo, quia ſub arenis inueniatur, appellato. Similis eſt colore alumini, quod ſchiſton vocant, longis glebis, neque perlucidis, ingratus ſapore, ſed medicinæ vtilis. Hactenus de ſale Plinius.

Sal Ammoniacus.

Cæterùm Ammoniacus Sal, qui legitimus ſit, ad nos conuehi deſiit, quippe factitius, adulterinuſq; eſt, qui paſſim in ſeplaſiariorum officinis venditur, nigricãtibus exterius glebis. Non deſunt tamen qui credant conflari hunc ex camelorum vrinis, artificio quodam concretis. Sed cur his adſtipulari debeam, non video, cum neminem habeant, cuius fide id comprobare poſſint. Atqui non tamen id omnino negauerim, cùm Venetias ex orientali plaga afferatur, vbi magnus camelorum eſt numerus. Seplaſiarij, pariterq; chymiſtæ Sal Armeniacum appellant, quòd fortaſſe exiſtimẽt ex Armenia adferri, vbi innumeri ſunt camelorum greges. Sed iſti, mea quidem ſententia, hallucinantur. Serapio (Iſach Arabici teſtimonio) ſcribit Salem Ammoniacum fieri è lapidibus duriſſimis, & translucidis. Sed & is fallitur, meo iudicio: ſiquidem Ammoniaci nomen nõ aliunde ſibi comparauit, quàm ab arena, quæ ἄμμος Græcis dicitur, ſub qua in laminas concretus, inuenitur in Cyrenaica regione. Venit præterea in medicorum vſum Sal, quem Arabes Alchali cognominant, item Alumen catinum, de quo ſuperius in alumine diximus.

Sal Indus eſt Saccharum.

Sal autem Indus appellatus, vt libro ſecundo retulimus, nil aliud antiquis extitit, quam ſaccharum in ſacchariferis arundinibus in India gummi modo concretum, cuius nunc loco vtimur ſuppoſititio, quod ſeplaſiæ zuccharum canditum vocant. Veruntamen animaduertendum eſt, quod quanquam Paulus, & Auicenna eum fortaſſe ſecutus, concretum naturæ ſaccharum ſalem Indum appellant, non tamen fuerit putandum, quòd Indi legitimum ſalem non habeant. Quandoquidem (vt Plinius eſt auctor) in Oromeno Indiæ monte lapicidarum modo foditur ingentibus glebis: proinde dicebat Meſues de ſale ſcribens, Naphthicum, & Indicum cæteros ſales præcellere. Quod autem Salnitrum vocant, tormentorum bellicorum pulueribus expetitum, vulgaris notitiæ eſt, de quo tamen latius ſequenti capite ſermonem faciemus.

Salis ſpuma.

Cæterùm ſalis ſpumam pluries legi quibuſdam in ſcopulis Tyrrheni maris. Cùm enim procella exoritur, intumeſcitq; pelagus, ſpumantes aquæ in altum ſublatæ, ſcopulorum cauitates replent: quo fit, vt ibi ſub dio remanentes ſolibus, & rore, æſtiuis caloribus, in ſalem album concreſcant. Muria porro, qua innumera aſſeruantur edulia, nota omnibus res eſt, vt quæ ſale tantùm, & aqua conficiatur.

Flos ſalis.

Sed quidnam veteribus flos ſalis fuerit, decernere nõ auſim, neque plura quod ſcribam habeo, quàm quæ à Dioſcoride produntur. Eius tamen meminit Plinius loco ſupra citato, ſic inquiens. Salinarum ſynceritas ſummam facit ſuam differentiam. Quædam enim fauilla ſalis, quæ leuiſſima ex eo eſt, & candidiſſima flos ſalis appellatur. Et flos quidem ſalis, in totum diuerſa res, humidioriſq; naturæ, & crocei coloris, aut rufi, veluti rubigo ſalis. Odore quoque ingrato, ceu gari, diſſentiens à ſale, non modò a ſpuma. In Aegypto inuenitur, videturq; Nilo deferri: & fontibus tamen quibuſdam innatat. Optimum ex eo, quod olei quandam pinguitudinem reddit. hæc Plinius.

Salis rubigo.

Porrò color rufæ rubiginis inſtar pictoribus expetitur, e Germaniæ ſalinis aduectus, qui fortaſſe flos ipſe ſalis fuerit: nam colore, & ſapore illi non obſcurè reſpondet, vulgò appellant Morello di ſale. Verùm cur hoc non planè affirmem, illud mihi obſtare video, quòd color is non ſit liquidus, neque oleoſus, ſed aridus: quare potius inclinat animus, vt ipſum credam eſſe ſalis rubiginem, de qua ex Plinio paulò ante mentionem fecimus.

Fuch. opinio improbata florem ſalis Sperma ceti credentis.

Fuchſius, in libro de compoſitione medicamentorum, quem auctum ſecundò edidit, nihil aliud eſſe putat florem ſalis, qui Dioſcoridi ἁλὸς ἄνθος dicitur, quàm balenarum ſemen, quod Germanis medicorum officinis Sperma ceti nominatur. Qua in re fortaſſe ſecutus eſt ſententiam Georgij Agricolæ rei metallicæ acerrimi indagatoris. Sed vtcunque ſit, non equidem poſſum horum quamuis eruditorum virorum iudicio omnino ſubſcribere, nam plura ſunt, quæ in eo cenſendo mihi repugnant. Primum enim eſt color, quem in ſpermate Ceti vocato nuſquam croceum, neque rufum, vt ſalis flori ineſſe teſtantur omnes, videre mihi licuit. Dein non mihi videtur hoc medicamentum adeò liquidum, vt Galenus, Aetius & Plinius, & præſertim cùm ſcribat ipſemet Plinius ſalis florẽ in fictilibus cõtineri oportere ne effundatur, quod ſanè perinde, ac oleum ſit liquidum annuere conſpiciuntur. Præterea ſi guſtum conſulamus, difficilè quis aſſeuerabit, eſſe ipſo ſale vllo tenuius. Poſtremo cùm Dioſcoridi, & Plinio in Nilo flumine, & lacubus quibuſdam tantùm is inueniatur, nec vſquàm in mari, nec in maritimis paludibus reperiri ſalis florẽ meminerint, vbi ſperma Ceti hoc æuo colligitur, nõ ita facilè

*adduci poſſum ad credendum, illud florem eſſe ſalis legitimum. Dicam quoque quod ad maligna vlcera ſananda ea ſunt præſtantiſsima medicamenta, quæ valenter abſtergunt, & deſiccant, non ſanè ea quæ humidam, & olei modo pinguem ſubſtantiam habent, perinde ac ſperma ceti vocatum. Tamen ne videar à Fuchſio, & à cæteris, qui eius ſequuti ſunt opinionem contentioſè diſſentire, velim vt aliorum quoque ſit iudicium.* Salis vires ex Gal. *Salis autem meminit idem Galenus tum inter foſsilia medicamenta, tum etiam inter ea, quæ in mari naſcuntur li. 9. & 11. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Sal eodem genere facultatis eſt, ſiue foſsilis ſit, ſiue marinus: verùm hoc differunt, quòd ſalis è terra effoſsi ſubſtãtia magis ſit compacta: ac proinde in hoc maior eſt & partium craſsities, & adſtringendi potentia. Itaq; marinus affuſa ipſi aqua potius liqueſcit, at foſsili hoc non euenit. Porrò eiuſdem ſpeciei cum marino eſt, qui in ſtagnis quibuſdam ſalſedinem habentibus naſcitur, æſtate videlicet aquis æſtu ex iis abſumptis, cuiuſmodi eſt Tragaſæus non procul à Sminthio. Confluit enim illuc ante aquas ſpontaneas, quæ admodum ſunt calidæ, copioſa aqua ſtagnans, non amplo in loco: & ea æſtate omnes abſumitur, à ſole videlicet areſacta. Porrò quoniam locus ipſe ſalſedinem natiuam continet, quod reliquum eſt eius omne, ſal eſt, cognominationem à loco pariter & aquis ſortitum. Nam ſpontaneæ & ipſæ illis in locis aquæ Tragaſææ nuncupantur, potentia ſummè exiccatoria: & ſanè, qui in ea regione ſunt medici, ad hoc illas accommodant. Porrò dictum eſt & de Sodominis in mari mortuo prouenientibus in quarto libro, quem ſi quis librum diligenter perlegerit, illi tantùm refricare memoriam nunc opus eſt, vt expoſita guſtus qualitate, ipſe medicamenti facultatẽ cognoſcat. Igitur cùm qualitas ſalſa digerat ſimul & contrahat contactam ab ipſa ſubſtantiam, vocatum aphrolitron in hoc differt, quòd in ipſo vnum modo ſaporem exuperantem expreſſe ſit videre, quem vocant amarum, vim habentem digerendi, haud etiam contrahendi, vt ſal. Nam hic quicquid in corporibus humidum ineſt, id totum quodammodo abſumit: & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ, adſtrictione contrahit: ac proinde etiam conditura ſua corpora ſiccat, & à putredine tuetur. Quippe quæ putreſcũt, excrementitium continent humorem, ſubſtantiamq́; tum diſſolutam, tum minimè compactam. Quibus ergo corporibus nulla prorſus eſt humiditas ſuperflua, ceu melli optimo, & corpus ſolidum & compactum eſt, ceu lapidibus, ea, vt putreſcant eſt impoſsibile: ac proinde in his ſalis non probatur vſus, verùm in iis, in quibus ſuſpecta eſt putredo. Spumoſa autem ſalis efflorescentia multò tenuioris naturæ eſt, quàm ſal ipſe, quare & extenuare, & digerere multò plus ipſo poteſt: verùm quod ſubſtantiæ eſt reliquum, contrahere vt ſal nequit. Cæterùm flos ſalis medicamentum liquidum eſt, tenuius etiam quàm ſal vſtus: tum acris qualitatis, & admodum digerentis facultatis: hactenus de ſale Galenus.* Nomina. *Sal Latinis, ἅλς Græcis appellatur: Arabibus, Melech, ſeu Melha: Italis, Sale: Germanis,* Saltz: *Gallis, Sel: Hiſpanis, Sal.*

## *Νίτρον, ἀφρόνιτρον.* NITRVM, SPVMA NITRI. CAP. LXXXIX.

PRæfertur Nitrum leue, roſeo colore, aut candido, in foramina dehiſcens, perinde quaſi ſpongioſum quiddam, quale ex a Bunis adfertur. a Ori. *νήσων.* i, inſulis. Humores euocat, qui in alto concreuerunt. Spuma nitri optima eſſe putatur leuiſſima, gleboſa, friabilis, colore penè purpureo, aut ſpumoſa, & mordens, qualis ex Philadelphia Lydiæ defertur: ſecunda eſt Ægyptia: quin & in Magneſia Cariæ gignitur. Vim, & vſtionem ſalis habet, tam nitrum, quàm ſpuma eius. Præterea nitrum tormina ſedat, ſi tritum cum cumino bibatur in hydromelite, aut ſapa, aut aliquibus, quæ inflationes diſcutere poſſunt, vti ruta, vel anetho. Febribus circuitu redeuntibus illinitur, ante ſuſpectam acceſſionem. Miſcetur emplaſtris, quæ extrahunt, & diſcutiunt, extenuant, & lepras abſtergunt. Cum aqua autem calida, aut vino infuſum, inflationes, purulentas aures, & ſonitus earundem ſanat: ſordes expurgat, cum aceto inſtillatum. Canum morſibus ex b aſinino adipe, aut ſuillo medetur: b Me *αἰγείῳ* i. caprino. reſinæ terebinthinæ admiſtum furunculos aperit: aquæ inter cutem cum fico illinitur: oculis ad claritatem viſus cum melle ſuccurrit: & venenis fungorum, ex poſca potum: aut ſi buprestis momorderit, ex aqua: iis verò qui taurinum ſanguinem biberint, ex laſerpitio: iiſque qui cibum non ſentiunt, vtiliter obducitur: opiſthotonitq; iam remiſſioribus, & luxatis cum cerato: in linguæ reſolutione, pani commodè permiſcetur. Aliqui ſupradicta carbonibus vrunt, ſubiecta prius teſta noua, donec incandeſcant.

Nitri, & ſpumæ nitri conſideratio. *NItrum, & nitri ſpuma, quorum antiquis maximus fuit in medicamentis vſus, diu ſanè eſt, quod ad nos venire deſierunt. Proinde hallucinantur, mea quidem ſentẽtia, qui putãt ſalnitrum vocatum, quo ad tormentorũ bellicorum pulueres vtuntur, & ad fortiſsimas aquas conficiendas, quibus argentarij fabri aurum ab argento ſeparant, verum ac legitimum eſſe nitrum, cuius meminere Theophraſtus, Dioſcorides, Galenus, Plinius, & antiquorum alij.* Nitrũ vt conficiatur ex Plinio. & non eſſe noſtrum ſal nitrum. *Siquidem id manifeſtè demonſtrat Plinius lib. 31. cap. 10. vbi de nitro ita ſcriptum reliquit. Non eſt differenda & nitri natura, non multum à ſale diſtans, & eò diligentius dicenda, quia palam eſt & medicos, qui de eo ſcripſere, ignoraſſe naturam, nec quenquam Theophraſto diligentius tradidiſſe. Exiguum fit apud Medos, caneſcentibus ſiccitate conuallibus, quod vocãt halmirhaga. Minus etiam in Thracia iuxta Philippos, ſordidum terra, quod appellant agrium. Nam quercu cremata, nunquam multum factitatum eſt, & iampridem in totum omiſſum. Aquæ verò nitroſæ pluribus locis reperiuntur: ſed ſine viribus denſandi. Optimum copioſumq́; in Clytis Macedoniæ, quod vocant calaſtricum, candidum, purumq́; proximum ſali. Lacus eſt nitroſus exiliente è medio dulci fonticulo. Ibi fit nitrum circa Canis ortum nouenis diebus, totidemq́; ceſſat, ac rurſus innatat, & deinde ceſſat. Quo apparet ſoli naturam eſſe, quæ gignat: quoniam compertum eſt, nec ſoles proficere quicquam, cùm ceſſet, nec imbres. Mirum eſt & illud, ſcatebra fonticuli ſemper emicante, lacum nec augeri, nec effluere. Iis autem diebus, quibus gignitur, ſi fuere imbres, ſalſius nitrum faciunt, aquilones deterius, quia validius commouent limum. Et hic quidem naſcitur. In Aegypto autem conficitur multò abundantius, ſed deterius: nam fuſcum, lapidoſumq́; eſt. Fit penè eodem modo, quo ſal, niſi quòd ſalinis mare infundunt, Nilum autem nitrariis. Excedente Nilo ſiccantur, decedente madent ſucco nitri quadraginta diebus continuis, non (vt in Macedonia) ſtatis. Si autem imbres adfuerint, minus de flumine addunt, ſtatimq́;, vt denſari eſt cœptum, rapitur, ne reſoluatur in nitrariis. Sic quoque olei natura interuenit. Ad ſcabiem animalium vtilis. Ipſum autem conditum in aceruis durat. Mirum in lacu Aſcanio, & quibuſdam circa Chalcida fontibus, ſummas aquas dulces eſſe potarique, inferiores nitroſas. In nitro optimum, quod tenuiſsimum, & ideò ſpuma melior. Ad aliqua tantùm ſordidum, tanquam ad inficiendas purpuras, tincturaſque omnes. Magnus & nitro vſus, qui dicetur ſuo loco. Nitrariæ egregiæ Aegyptiis, nam circa Naucratim, & Memphin tantùm ſolebant eſſe. Circa Memphin deteriores: nam & lapideſcit ibi in aceruis, multiq́; ſunt tumuli ea de cauſa ſaxei. Faciunt ex iis vaſa. Necnon frequẽter liquatũ cũ ſulphure coquẽtes in carbonibus. Ad ea quoq;, quæ inueterari volunt, illo nitro vtuntur.*

*Sunt ibi nitrariæ, in quibus & rufum exit a colore terræ. Spumam nitri, quæ maximè laudatur, antiqui negabant fieri, niſi cum ros cecidiſſet, prægnantibus nitrariis, ſed nondum parientibus. Itaque non fieri incitatu, etiamſi caderet. Alij opertimentorum fermento gigni exiſtimauere. Proxima ætas medicorum Aphronitrum tradidit in Aſia colligi in ſpeluncis mollibus diſtillans, ſpecus eos Calycas vocant: dein ſole ſiccant. Optimum putant Lydium. Probatio, vt ſit minimè ponderoſum, & maximè friabile, colore penè purpureo, hoc in patellis affertur, Aegyptium in vaſis picatis, ne liqueſcat. Vaſa quoque ea ſole inareſcentia perficiuntur. Nitri probatio, vt ſit tenuiſſimum, & quàm maximè ſpongioſum, fiſtuloſumq́. Adulteratur in Aegypto calce. Deprehenditur guſtu: ſincerum enim ſtatim reſoluitur: adulteratum pungit. Calce aſperſum, reddit humorem vehementem: hæc Plinius. Ex quibus liquidò conſtat, noſtri vſus Sal nitrum, antiquorum nitrum non eſſe: etſi inficias eundum non ſit, quin aliquas nitri habeat qualitates. Veruntamen nemini vnquam perſuaſum velim, vt medicamentis, quæ intus in corpus ſumuntur, nitri loco Salnitrum abſque noxa imponi poſſe. Et quamuis contrarium a ſe inſcriptum tradant Monachi illi reuerendi, qui Meſuem commentati ſunt, non tamen credo, hoc id prius in ſe ipſis expertos eſſe. Quod nihilominus eos facere decebat, ſi fraterna charitate ducti ſunt, vt alijs ſuaderent ſalnitrum tutò aſſumi poſſe, cum prima charitas (quod dictum frequenter vſurpant) incipiat a ſe ipſo. Nitri legitimi fruſtum, quod a Gulielmo Quackelbeno Flandro Conſtantinopoli mihi miſſum eſt, notis omnibus genuinum refert, vt in epiſtolarum noſtrarum libro latius diximus. Nitri meminit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Nitrum dictum eſt ſuprà in medio eſſe aphronitri, & ſalis viriū: cæterum vſtum propius ad aphronitrum accedit, vtpote exuſtione tenuius redditū. Deſiccat itaque, & digerit: & ſi intrò in corpus ſumatur, ſecat, & extenuat craſſos lentoſq́; ſuccos potentius multò quàm ſal. Aphronitrum verò niſi grauis vrgeat neceſſitas, nemo deuorabit, nimirum inimicum ſtomacho: quãdoquidem plus etiam litro incidit. Sanè ad fungos ſuffocantes, ruſticus quidam eo vti aſſolet, & ſemper profuiſſe probatum eſt. Cæterùm nitro vſto ſimul & non vſto, & multò etiam magis eius ſpuma, & nos in talibus vti conſueuimus: hactenus Galenus. Qui tamen videtur ijs, qui codicis mendam non animaduerterunt, maximam facere differentiam inter Aphrolitrum & Aphronitrum, licet hæc re diuerſa non ſint. Nam vbi de Aphrolitro libro citato diſſerit, vulgata exemplaria habent: ἀφρόλιτρον ἀφρονίτρου διαφέρει, hoc eſt: Aphrolitrum ab aphronitro differt. Verùm in altera dictione latet vitium, vt quæ ἀφρῦ νίτρου, hoc eſt, a ſpuma nitri, duabus vocibus legenda ſit. Ita fiet, vt Galeno non aphrolitrum ab aphronitro, ſed vtrunque à ſpuma nitri aptè diſtinguatur. Id quod & Auguſtinus Ricchus Lucenſis, & Leonardus Fuchſius, medici ætatis noſtræ celebres, doctiſſimè adnotarunt. Cæterùm cùm Galeno aphrolitrum, ſiue aphronitrum ſpuma nitri non ſit, quid aliud ſit, ingenuè fateor me ignorare: neq́; id alius, quod ſciam, hactenus explicauit. Quod Græci νίτρον & λίτρον, Latini Nitrum nominãt: Mauritani, Baurach: Itali, Nitro. Quod verò Græcis ἀφρόλιτρον vno verbo dicitur: Arabibus, Baurach Africe: Italis, Nitro di Africa. Quæ deinde Spuma nitri Latinè, ἀφρὸς τῦ νίτρου Græcè vocatur: Arabicè, Aphronitrum.*

Monachorũ error.

Nitri, & aphronitri vires ex Gal.

Nomina.

## Τρύξ. FÆX. CAP. XC.

ELigenda Fæx maximè à vino vetere, Italico: ſin minus, ab alio conſimili. Fæx aceti viribus longe acrior eſt. Crematur, vt alcyonium, antè diligenter ſiccata. Sunt qui noua teſta igni largo vrant, vſquedum penitus incendatur. Alij viuis carbonibus fæcis glebam obruunt, & idem opus proſequuntur. Experimentum eſt legitimæ vſtionis, vt aerio nitore inalbeſcat, linguamq́; tactu vrere videatur. Eadem vrendæ fæcis aceti ratio. Vis ei ſupra modum vrens, & abſtergens: vlcera ad cicatricem perducit, adſtringit, vehementer exeſt, ſiccatque. Sed recenti vtendum eſt, quoniam celeriter exanimatur: proinde non niſi in reconditorio, & vaſe aliquo reponi debet. Lauatur vt pompholyx. Quæ vſtionem experta non eſt, tumores & per ſeſe, & cum myrto cohibet: ventris ſtomachiq́; fluxiones illita ſiſtit: muliebre profluuium imo ventri, aut genitalibus impoſita mitigat: panos diſcutit nondum exulceratos, & tubercula: rigentes mammas, ſuiq́; lactis impatientes, cum aceto peruncta extinguit. Cremata verò, vngues ſcabros cum reſina aufert. Addito lentiſcino oleo, illita nocte tota, rufat capillum. Elota oculorum medicamentis, vt ſpodos, adijcitur: cicatrices eorum, & caligines eadem abſtergit.

*FAex vini vulgaris notitiæ eſt, quin & ipſius adurendæ ratio nota, ijs præſertim, qui ex hac alumen, quod vocant fæcis, conficiunt. Porrò vini recrementum, quod vinariis cadis agglutinatum, cruſta lapidoſæ inſtar inuenitur, officinarum vocabulo Tartarum vocatum, aluum non obſcurè ſubducit. Proinde non deſunt, qui ſibi adſtrictam aluum citent, hauſto tartari puluere ex gallinaceo iure, addito maſtiches momento, & ſaccharo: nihil enim incommodi adfert hac ratione paratum. Additum in deiectoria diluta, quæ ex ſena, vel polypodij radicibus, vel epithymo parantur, vim eorum deiectoriam adauget. Sunt qui album Tartarum faciunt, diu ipſum in aqua decoquentes, atque ſubinde deſpumantes. Τρύξ ſic Græcè, Latinè verò Fæx dicitur: Arabicè, Durdi: Italicè, Feccia: Germanicè, Heſen / & Weinſtein: Hiſpanicè, Raſura de vino.*

Fæcis, & tartari dicti conſideratio & vires.

Nomina.

## Ἄσβεστος. CALX VIVA. CAP. XCI.

CAlx viua hoc modo fit. Marinorum buccinorum teſtas igni condito, aut feruenti clibano nocte dimittito: poſtera die, ſi candidiſſimæ fuerint, extrahito: ſin aliter, iterum vrito, vſquedum vehementer inalbuerint. Dein vbi in aquam frigidam demerſæ fuerint, in fictile nouum conijcito, & exactè pannis operiens, noctem vnam conquieſcere ſinito: manè eam extrahens, vbi perfecto omni opere elaborata fuerit calx, recondito. Fit & è litoralibus calculis igne crematis, necnon è vili & fuſaneo marmore, quæ cæteris præfertur. Vis omni calci in commune ignea, mordens, adurens, & cruſtas inducens: quibuſdam alijs immiſta, vt adipi, oleo, concoquendi vim aſſumit, mollit, & diſſipat: vlcera ad cicatricem perducit. Efficacior exiſtimatur recens, nec aſperſa aquis.

*CAlx, cuius paſſim vſus ad ædificiorum muros ſtruendos, nota omnibus eſt. Præter hanc fit etiam priuatim ad varia medicamenta e purpurarum, buccinorum, cochlearum, oſtreorum, ouorumq́; teſtis. Non deſunt tamen, qui etiam eam, quæ fit ex calcario lapide, vnguentis, & emplaſtris admiſceant, eam primùm demergẽtes in aquam, vſquedum prorſus diſtillat, ac ſubinde lauantes diebus pluribus, affuſa ſæpius recenti aqua pluuiali, vel fontana. Valet enim ſic elota ad*

Calcis cõſid.

contumacia vlcera, quòd abſque morſu valenter ſiccet. Ob id itaque vnguentis expetitur, quibus vtuntur ad pudendorum vlcera, eaq; præſertim, quæ venerea lue contrahuntur. Quinetiam prodeſt ad ambuſta, & alia, quæ non facilè curationem admittunt. Sunt etiam qui extinctam prius calcem, lauent deinde diutius roſarum ſtillatitia aqua, ita valentius eſſe medicamentum exiſtimantes. Calcis vires deſcripſit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Calx viua quidem, quæ ἄσβεστος Græcè dicitur, vehementer vrit, minuſq; inducere cruſtam poteſt. At verò temporis progreſſu præter ignem nec cruſtam quidem gignit, tametſi etiamnum calfaciat, carnemq; liquet. Porrò ſi lauetur in aqua, ſuam mordacitatem exuit, efficitq; nuncupatam κονίαν, hoc eſt lixiuium: at ipſa abſque morſu reſiccat. Ac ſi bis, terq; aut amplius abluta fuerit plane mordacitatis expers conſtituitur, ac ſtrenuè abſque mordacitate exiccat. Calx viua Latinis dicta, ἄσβεστος Græcis appellatur: Arabibus, Horach, Nura, ſeu Nure: Italis, Calcina viua: Germanis, Vngeleſchter Kalck: Hiſpanis, Ca...

Calcis vires ex Gal.

Nomina.

## Γύψος. GYPSVM. CAP. XCII.

GYpſum vim habet adſtringendi, obſtruendi: ſanguinis eruptiones, ſudoreſque cohibet: ſed potum ſtrangulationis modo iugulat.

Gypſi hiſt.

GYpſum quid ſit, nemo eſt qui neſciat. Abundat gypſo vniuerſa ferè Hetruria, ibiq; commodè frequenterq; expetitur cæmentariis ad ædium fabricas. Fit gypſum è quodam candido lapide, in laminas facilè ſciſſili: qui tamen non longa ignium vi torretur, & excoquitur. Quandoquidem in calenti furno contectus, quatuor, aut ad ſummum quinque horarum ſpatio peruritur. Tunditur deinde in puluerem, & incerniculis excutitur. Præſtantiſſimum eſt recens: nam diu aſſeruatum, aqua immiſſum ægrè lapideſcit, ac coit. Fit etiam Gypſum e ſpeculari lapide, qui Græcis σεληνίτης dicitur. Item ex alio quodam lapide niuei candoris, e quo in Hetruria torno patinæ, & alia vaſorum genera conficiuntur. Hūc alabaſtrum appellant, ſed perperam. Gypſo vires reddidit Galenus libro 9. ſimplicium medicamētorum, ita diſſerens: Gypſum & ipſum ad communem omnium terrenorum, lapidoſorumq; corporum facultatem, qua deſiccare dicta ſunt, inſuper hoc adiunctum habet, quòd eſt facultatis emplaſticæ. Vnitur enim ipſum ad ſeſe, & cogitur, lapideſcitq; maceratum. Quamobrem iis medicamentis, quæ ad ſanguinis eruptionem accommodantur, commiſcetur. Nam ipſum per ſeſe lapidoſum fit, & durum coactum, ac congelatum: proinde rigare, dilueréq; illud excogitaui, tenui albóq; oui liquore, quod ad ophthalmias vtile eſt, admiſto quod in farina triticea eſt puluilli tenuiſſimi, qui in parietibus molendinorum reſidet. Excipere verò quod ſic ſubactum eſt tenellis leporis pilis, aut qui perinde ſunt molles, expedit. Gypſum combuſtum non æquè emplaſticam vim habet: cæterùm tenuiorum eſt partium, & valentius deſiccat. Quin & repercuſſorium eſt, maximè ſi maceretur ex aceto. Γύψος, ita Græcis, vt Gypſum pariter Latinis appellatur: Arabibus, Gepſim, ſeu Giepſin: Italis, Geſſo: Germanis, Gyps: Hiſpanis, Teſo, & Alges.

Gypſi vires ex Gal.

Nomina.

## Τέφρα κληματίνη. SARMENTITIVS CINIS. CAP. XCIII.

SArmentorum cinis vrendi vim habet: cum axungia autem, vel oleo illitus, fractis neruis, articulorum colliſionibus, & neruorum nodis prodeſt: cum nitro, & aceto excreſcentias carnis in ſcroto reprimit. Serpentium, canumq; morſibus illitus ex aceto medetur: cruſtas obducentibus medicamentis admiſcetur. Fit ex eo lixiuium contra præcipitationes, & fungorum venena, cum aceto, ſale, & melle.

Cineris omnis vires ex Gal.

CInis omnis quid ſit notius eſt, quàm vt pluribus explicari debeat, quare ad eius vires properemus: de quibus in vniuerſum diſſerens Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum ſic inquit: Cinis combuſtorum lignorum reliquiæ ſic nuncupantur, compoſita ex contrariis tum qualitatibus, tum ſubſtantiis. Habet enim in ſe partim terrenum, partim velut fuliginoſum, quod Græcè dicitur æthalodes, ſiue lygnodes, ſiue quomodocunq; quis appellare volet: atque hæ ſanè partes ſunt tenues, & quæ maceratis aqua cineribus, & percolatis, vna aſportantur, atque abeunt. Quod verò reliquum eſt, terrenum eſt, infirmum, & morſu carens, calida facultate in lixiuium depoſita. Sed non omnis cinis eadem temperatura præditus eſt, ſed pro combuſtæ materiæ diuerſitate variatur. At neſcio quo pacto Dioſcorides omnes cineres adſtringendi habere vim prodiderit, cùm ficulneus eiuſmodi omnis qualitatis ſit expers, vtpote cùm & ipſa arbor nulla ſui parte acerbam qualitatem præferat, ceu quercus, ilex, arbutus, fagus, lentiſcus, hedera, & hoc genus alia: verùm plena ſucco valido tota ſit, eoq; acri & calido. Ergo ex acerbis vtique lignis factus cinis, non parum adſtringit: meminiq; me quandoq; cùm aliud ad manum non eſſet medicamentum, per hunc ſanguinis ſuppreſſiſſe eruptionem. Verùm nullus vnquam ad tale vti ficulneo audeat: ſiquidem hic acrimoniæ multum, adurentiſq; facultatis obtinet, miſtæ abſterſioni: & vtroque differt ab eo, qui ex quercinis lignis conficitur, tum quòd in eo fuligineum multò eſt acrius, tum quòd in illis terrenum quodammodo ſubadſtringens eſt, in hoc abſtergens, velut in cinere tithymalorum. Eſt & calx cineris quædam ſpecies, cæterùm tenuioris eſſentiæ, quam qui ex lignis fit, nimirum quanto lapides exactius torreri, vt cinis fiant, poſtulant: non tamen multum reliquum in ſe habet, velut naturæ igneæ, quod vocant ὑπόστεμα. Proinde elota medicamen eſt citra morſum deſiccans, magiſq; ſi iterum lauetur. Cæterum ſi marina aqua abluta ſit, admodum digerit. Dicetur porrò de ea, vbi de metallicis ſermo habebitur. Τέφρα Græcè dicta, Cinis Latinè vocatur: Arabicè, Chamad, ſiue Ramed: Italicè, Cenere: Germanicè, Aeſchen: Hiſpanicè, Ceniza: Gallicè, Cendre.

Nomina.

## Ἀλκυόνιον. ALCYONIVM. CAP. XCIIII.

ALcyonij quinque eſſe genera compertum eſt. Vnum enim ſpiſſum, acerbi ſaporis, ſpongioſa facie, itẽ tetri odoris, ponderoſum, & piſcem olens, quod plurimum in litoribus inuenitur. Alterum pinnulæ oculorum, aut ſpongiæ ſimile, fiſtuloſum, & leue, odorem algæ referens. Tertium vermiculi forma, & colore magis purpureum, a quod Mileſium quidam vocant. Quartum luccidis vellenbus non diſſimile, multis manitatibus hians, leue. Quintum figura fungi, ſine odore, aſperum, parte interiore quodammodo pumicoſum, foris læue, acre, quod plurimum in Propontide iuxta inſulam Besbicon appellatam gignitur, patrio nomine halosachnen vocant. Duo priora in fœminarum ſmegmata aſſumuntur, contra lentigines, lichenas, lepras, vitiligines, nigritias, & maculas in facie, reliquoque corpore. Tertium

a Orib. addit. σωληνοειδές. i. fiſtuloſum.

Tertium iis, qui difficili vrina vexantur, aut arenulas in veſica colligunt, idoneum eſt: item renibus affectis aquæ inter cutem, item. Vſtum autem, & ex vino illitum, alopecias replet. Poſtremum dealbandis dentibus aptum eſt: in alia ſmegmata, pſilothraque aſſumitur, cum ſale mixtum. Si quiſquam alcyonium cremare velit, cum ſale in crudum fictile mittat, & oblinens vaſis ſpiraculum luto, ita fornaci mandet, & cum figlinum percoctum fuerit, extrahens ad vſus recondat. Lauatur vt cadmia.

* ALCYONIVM. *



*Alcyonium (vt Plinius eſt author lib. 32. cap. 8.) fit in mari ex nidis, vt aliqui exiſtimant, alcyonum, & ceicum: alij ex ſordibus ſpumarum craſſeſcentibus: alij è limo, vel quadam maris lanugine. Quatuor eius genera: Cinereum, ſpiſſum, odoris aſperi. Alterum molle, lenius, odore ferè algæ. Tertium candidioris vermiculi. Quartum pumicoſius, ſpongiæ putri ſimile, penè purpureum: quod optimum, hoc & Mileſium vocatur. Quò autem candidius, hoc minus probabile eſt: hæc Plinius. Qui tamen quintum fungi figura, cuius meminere Dioſcorides, & Galenus, ſilentio præterijt. Sunt præterea, qui Alcyonium ita appellari tradant, non quod ex alcyonum nidis fiat, vt Plinius ſcribit, ſed quòd alcyones ſuper illud marinis vndis ſimul congeſtum nidificent: quorum ſententiam magis probandam cenſemus. Alcyonium officinæ Spumam maris vocant: quòd ſic idem vocent Arabes, Dioſcoridem ſecuti, quippe qui ſcripſerit quintum Alcyonij genus in Beſbico halos achnen, hoc eſt, maris ſpumam vocari. Cæterum rufum Alcyonium corallij inſtar, coaceruatis in globum veluti vermiculis, lapideſq; materie, Venetijs primùm vidimus. Quartum verò reperimus copioſum in Tergeſtino litore velleribus ſimillimum, album, ac leuiſſimum. Piſcatores hoc cochlearum marinarum, quæ aculeis rigent, & vulgò appellantur Garuſe, nidum eſſe affirmant. Primum, & vltimum genus pigmentarijs in ſeplaſijs inuenitur. Porrò in hoc capite in vulgatis Dioſcoridis exemplaribus nonnulla (vt planè ſuſpicor) verba deſiderantur, cum de viribus quarti alcyonij nihil in his ſcriptum legatur. Auget ſuſpicionem Oribaſius, cuius lectio hoc loco habet: τὸ δὲ τέταρτον καὶ ὕστατον, hoc eſt: quartum & poſtremum &c. Idem confirmat Serapio, qui ex Dioſcoride tranſcribens vtriuſque ſpeciei meminit. De Alcyonijs diſſeruit Galenus lib. 11. ſimplicium medicamentorum, his verbis: Alcyonia omnia detergunt, ac digerunt, qualitatem habentia acrem, & calidam facultatem: verùm aliud alio non parum plus minùsque, & in his ipſis, quæ diximus, ſecundum partium eſſentiæ totius tenuitatem. Eſt autem eorum vnum denſum, & graue, odoris praui: olet enim piſces putres, ſpongiæ in ſpecie ſimile. Secundum verò aliud figura longiore, leue, & rarum: odorem habens ſimilem phycis. Aliud tertium vermi ſimile eſt ſpecie, colore purpureo, conſiſtentia molli, vocant id Mileſium. Poſt quæ quartum ſecundo quidem iam poſito ſimiliter & leue, & rarum, verùm lanis ſuccidis ſimile. Denique & quintum extima ſuperficie læue, cæterùm interna ſubſtantia aſperum, nullius odoris, guſtu tamen apparens acre: & ſanè omnium alcyoniorum eſt calidiſſimum, adeo vt & pilos vrere poſſit. Itaque cùm duo prima lichenas, alphos, pſoras, lepraſque adiuuent, præterea cutem ſplendidiorem competentia virium efficiant, idem præſtare non poteſt hoc vltimo loco poſitum. Nec enim perinde vt illa, cutem duntaxat ſummam extergit, ſed etiam excoriat, vſque in profundum cutis penetrans, vt etiam vlcera moliatur. Porrò quod tertio ordine recenſuimus, omnium eſt tenuiſſimum. Itaque vſtum alopecias curat illitum cum vino: colore quidem fuluo, tenui tamen eſſentia. Quartum autem eiuſdem cum hoc ſpeciei vires obtinet, verùm haud parum imbecilliores. Quod Græci ἀλκυόνιον, Latini quoque Alcyonium dicunt: Arabes, Zebothalbahar, ſeu Zebd albhar: Itali, Alcionio.*

Alcyonij hiſto. & cóſid.

Spuma maris offic.

Locus Dioſc. ſuſpectus.

Alcyonij vires ex Gal.

Nomina.

Ἀδάρκης. ADARCES. CAP. XCV.

Fit in Cappadocia, quod adarces appellatur. Eſt autem tanquam concreta ſalſilago, humidis & paluſtribus locis ſiccitate emergens, & arundinibus, ac herbis agglutinata, colore flori lapidis Aſij ſimilis, & omni forma molli alcyonia, & aliquantum cauo proxima, vt videri poſſit lacuſtre alcyonium. Ad euellendas lepras, lentigines, lichenas, & vitia cutis in facie, ſimilia, accommodatur. Et in ſumma vis ei acris. Humorem euocat, qui in alto concreuit, & iſchiadicis prodeſt.

*Legitimam Adarcen, quæ Dioſcoridis, & Plinij placitis reſpondeat, hactenus non vidimus, etſi in Italia naſci tradidit Plinius lib. 16. cap. 36. Quam poſtea lib. 32. cap. 12. vocauit calamochnum, ſic inquiens: Inter aquatilia dici debet & calamochnus, Latinè adarca appellata. Naſcitur circa arundines tenues, e ſpuma aquæ dulcis ac marinæ, vbi ſe miſcent. Vim habet cauſticam, ideo acopis additur contra perfrictionum vitia: hactenus Plinius. Porrò verò eos hallucinari crediderim, qui ſibi perſuadent id eſſe Adarcen, quòd vulgò Italis dicitur Palla marina. Siquidem hæc in mari tantùm naſcitur, non in paludibus aquæ dulcis: & ibi non arundinibus, neq; herbis inhærens viſitur, ſed in ſicco reperitur litore, vndis ſimul cum alga proiecta, pilæ omnino ſimilis, quæ in lactentium hædorum ventriculis, ex exuctis vna cum lacte pilis, plerunque reperitur. Adde quod hæc, quantum guſtauerim, nec acris, nec cauſtica (vt Plinius inquit) deprehendatur, neque etiam quod ſciam, in paludibus inueniatur. Huius tamen meminit Galenus libro primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, referens quæ Crito ad conſeruandos, augendos, itemque à defluuio præſeruandos capillos ſcripſit. Vbi cùm interpres Cornarius, vir alioqui doctiſſimus, ignoraſſet quid Critoni & Galeno intelligeretur per σφαῖραν θαλάσσιαν, fortè ſuſpicatus, locum hunc in Galeno eſſe deprauatum, ſpongiam marinam perperam interpretatus eſt: quandoquidem lectio illa vera eſt, & vertendum erat pilam marinam. Id quod etiam Fuchſius doctiſſimè adnotauit in ſuis de compoſitio. medic. libris. Marinam pilam addit Nicolaus Myrepſicus in quodam vnguento ad lumbricos, vbi ſic habet: Pilæ marinæ, quæ*

Adarcæ conſideratio.

Calamochnus.

Palla marina

Pilæ in hædorum ventriculis.

Cornarij lapſus.

Adarcæ vires ex Gal.

*reperitur in mari rotunda, vt lana congeſta. Cæterùm Adarcæ vires retulit Galenus lib. 11. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ita ſcribens: Adarcion aliqui maſculino genere adarcon, alij fœminino adarcen dicunt, eſſentia quidem velut ſpuma eſt aquæ ſalſæ concreta, circa arundines, & farragines concreſcens. Acerrimum hoc eſt, ſimulque calidiſſimum medicamentum: proinde & per ſe inutile eſt, verùm commiſcetur ijs, quæ vim eius retundunt, itaque fit admodum vtile in ijs affectibus, qui excalfieri poſtulant, idq; foris impoſitum: nam intrò in corpus ipſum ſumere eſt impoßibile, nimirum ob virium vehementiam. hæc Galenus. Ex quibus liquidò apparet, Adarcium à marina ſphæra plurimum facie, & viribus differre. Id Græcis ἀδάρκης & ἀδάρκιον vocatur, quod Latinis item Adarces: Arabibus, Adarchi, Atharachi, ſeu Adaracha: Italis, Adarce.*

Nomina.

## Σπόγγοι SPONGIÆ. CAP. CXVI.

E Spongijs alias mares appellauere, tenui fiſtula, ſpiſſas: quarum duriores tragos nominarunt. Fœminas autem, quæ contrarias dotes habent. Vruntur eæ, vt alcyonium. Recentes ſine pinguitudine vulnerariæ ſunt, & tumores reprimunt: recentia vulnera ex aqua poſcaue conglutinant, veteres ſinus ex decocto melle iungunt. Vetuſtæ autem inutiles. Aridæ ligatæ lino, ſi penicilli modo adigantur, occluſa vlcera, callosq; laxant. Siccæ recentes, & vacuæ, ſenilia vlcera, & quæ fluxione laborant, aut cuniculatim exedunt, impoſitu ſiccant: ſanguinis profluuium ſiſtunt. Crematarum cinis ex aceto aridæ lippitudini auxiliatur, & vbi quid abſtergere, aut adſtringere opus eſt. Vtilius in oculorum medicamentis lauare cinerem. Oterum cinis cum pice crematarum, profluentem ſanguinem ſiſtit. Candidæ cura fiunt, è molliſſimis recentes per æſtus tinctæ ſalis ſpuma, quæ petris cohæret: inſolantur inuerſæ, hoc eſt, parte caua ſurſum ſpectante, & qua abſciſſæ fuerunt deorſum. Si verò æſtiua ſerenitate ad lunam ſternantur, perfuſæ ſali ſpuma, ex maris aqua † maximum candorem referent.

† Drag. λευκαίνονται δὲ ἐκ ὀλίγαι. i. candidæ fiunt nō paucæ.

Spongiarum hiſto ex Ariſtotele.

* SPONGIA MARINA. *



*Spongiarum genus (inquit Ariſtoteles lib. 5. cap. 16. de hiſtoria animalium) triplex ſtatuitur: nam aliæ raræ, aliæ ſpiſſæ, aliæ quas nominant achilleas. Tenuiſsimum genus id totium eſt, ſpißißimum, & validißimum quod galeis ocreisq; inſeritur, eoq; minus ciere ſtrepitum poſſe notatum eſt, genus hoc inuētu perquàm rarum eſt. Quæ autem in genere illo ſpiſſo prædura ſunt, atque aſpera, nomine hirci nuncupantur. Quæ quidem omnes aut ad ſaxa naſcuntur, aut iuxta litus lutoq; aluntur. Cuius rei argumentum eſt, quòd captæ limo refertæ omnes cernuntur: quod certè indicat cæteris quoque adhærentibus cibum per ipſum adnexum hauriri. Imbecilliores propterea ſunt ſpiſſæ, quàm raræ: quia minus albo radicis ſpacio innituntur. Senſum etiam ſpongijs eſſe aiunt: argumento quòd ad euulſoris acceſſum contrahuntur, ita vt euelli difficile ſit: quod idem etiam faciunt, quoties flatus, tempeſtasque vrget, ne ſua de ſede pellantur. Sed ſunt, qui de hoc dubitant, vt qui Toronam incolunt. Narrant tamen proculdubio beſtiolas quaſdam velut tineas lumbricosue, & eiuſmodi alias conſiſtere intra ſpongias, atque ali: quas & euulſis ſpongijs, piſciculi ſaxatiles deuorent, qui vel radices abſumunt totas quæ hærentes ſaxis remanſerint. Si euenerit fortè, vt ſpongia abrumpatur, reſiduo item renaſcitur, & completur. Magnitudine ampliſsima ſoluta illa, & raræ ſpongiæ, augentur plurimæ, quæ circa Lyciam ſunt. Sed molliſsimæ quæ ſpiſſæ: nam achilleæ toroſiores ijs conſtant. Omnino quæ altis, tranquillisq; inſunt gurgitibus, molliſsimæ ſunt: flatus enim, ac tempeſtates ſpongias quoque, vt cætera altilia reddunt duriores, & incrementum impediunt. Quamobrem ſpongiæ Helleſponti ſpiſſæ ac duræ ſunt, & omnino quas mare vltra Maleam promontorium, citraque refert. Differunt inter ſe mollitie, duritieq; nec calorem immodicum ſpongiæ patiuntur: fit enim eo, vt more pullulantium putreſcant. Quocirca optimæ iuxta oras comperiuntur ſpongiæ, ſi gurgite alto demerſæ ſunt: commodè enim temperantur propter altitudinem gurgitis. Color illotis viuisque nigricans eſt. Adhærent nec parte, nec toto: interſunt enim fiſtulæ quædam inanes, ſed pluribus paßim particulis hæſitant, & quaſi membrana extenta ſubeſſe radicibus earum videtur: supernè autem cæteri meatus concreti propemodum latent: at verò quaterni, aut quini patent, per quos paſci exiſtimantur. Hactenus de ſpongijs Ariſtoteles. Cui quidem Plinius ſuam de ſpongijs hiſtoriam acceptam referre poteſt, quam libro 9. ca. 65. ſcriptis tradidit. Spongiarum vires memoriæ prodidit Galenus libro 11. ſimplicium medicamentorum his verbis. Spongia vſta acris eſt, & digerentis potentiæ. Vtebatur ex præceptorum meorum quidam ad ſanguinis eruptiones, quæ manuali opera indigent. In quem vſum ſemper eam paratam habebat ſiccam, & exareſactam: cùm verò res poſceret, bitumine in primis imbuebat, ſin eo careret, pice. Porrò admouebat eam partibus ſanguine profluentibus etiamnum ardentem, vt & cruſta parti induceretur, & ipſum ſpongiæ vſtæ corpus, ceu operculum quoddam acciperet. Cæterum ſpongia ipſa noua per ſe, non ſicut lana, aut linamentum (quod μοτὸν τιλτόν, id eſt, carpinatum vocant), materia duntaxat eſt, quæ humores inſundendos excipiat, ſed etiam manifeſtè deſiccat. Id quod ſcies, ſi ea ſola vtaris in vulnere, cum aqua, aut oxycrato, aut vino, pro diuerſitate videlicet corporum, vti eſt antè dictum.*

Spongiarum vires ex Gal.

*tum Glutinabit ſiquidem ea ſimiliter atque medicamenta, quæ vocant enæma. At ſi non noua ſit, ſed vſui accommodata parum cognoſces, quantum a noua ſuperetur, ſiue vulneribus eam imponas, ſiue aqua proluens, ſiue oxycrato, ſiue vino. Nec mirum eſt, cùm in ſpongia noua ſeruetur etiamnum ea, quam à mari accepit, facultas modicè corpora exiccandi. Atque hæc quidem præſtare poteſt, cùm etiamnum ſeruat maris odorem. Nam temporis ſpatio, etiamſi nunquam vſui accommodata ſit, tamen & odorem maris amittit, neque æquè deſiccare poteſt. Spongia quæ Latinè σπόγγος Græcè dicitur: Arabicè, Aſfeingi albairi, ſeu albar: Italicè, Spongia: Germanicè, Badſchwam: Hiſpanicè: Spongia: Gallicè, Eſponge.* Nomina.

## Κοράλλιον. CORALLIVM. CAP. XCVII.

Corallium, quod aliqui lithodendron appellarunt, marinum eſſe fruticem conſtat, qui alto extractus, duratur ſtatim atque emergit, tanquam offuſo aere protinus concreſcat. Plurimum inuenitur ad Syracuſas, in promontorio, cui Pachyno nomen eſt. Laudatiſſimum rubens, colore antherici, aut ſandycis ſaturatæ, nec ſecus terenti facilè cedens, æquabili vſquequaque concremento, rurſus algæ, aut phuci marini odore, quàm ramoſiſſimum, forma fruticis, cinnamomi æmulum. Quod autem in lapidis duritiam coit, ſcrupuloſum, inane, & lacunoſum, vitioſum exiſtimatur. Adſtringit, & refrigerat mediocriter: excreſcentia coercet: oculorum cicatrices abſtergit: vlcerum caua, & cicatrices explet. Contra ſanguinis reiectiones magnopere efficax eſt: vrinæ difficultati auxiliatur. Quin & potum ex aqua lienem abſumit. † Quod anthipathes vocant, corallium eſſe arbitrantur, ſpecie tantùm diſtans. Eſt autem colore nigro arboris figura, ramoſum magis. Vires ſupradictas habet.

† Dra. ἔστι καὶ φυλακτήριον ἐστὶ καὶ παντὸς κακοῦ ἀποτρόπαιον. i. Quinetiã præſeruat à venenis, & omniũ malorum depulſor eſt.

### * CORALLIVM ALBVM ET rubrum. *



*Corallium, quo vſque adeò abundat Italia, vt ferè nulli ibi reperiantur infantuli, nullæque puellæ, quibus non geſtentur Coralij monilia aut collo, aut brachijs ſuſpenſa, quo item vtuntur fœminæ in templis ad ſuas preces numerandas, ex Tyrrheno, & Siculo mari extrahitur, atque inde ad nos defertur. Cæterum etſi rubri tantùm, & nigri meminerit Dioſcorides, reperitur tamen quod niuei ſit candoris in ijſdem pelagis, non autem vt rubrum compactum, ponderoſumque, ſed leuius ac rarius, & ſpongiarum modo inane. Creditur hoc rubro longè magis refrigerare: proinde eo vtuntur medici, vbi opus eſt maiore refrigeratione. Coralij meminit Plinius libro trigeſimo ſecundo capite ſecundo, vbi de eo ita ſcriptum reliquit. Quantum apud nos Indicis margaritis pretium eſt, tantum apud Indos in corallio: namque iſta perſuaſione gentium conſtant. Gignitur quidem & in rubro mari, ſed nigrius. In Perſico vocatur Iace. Laudatiſſimum in Gallico ſinu, circa Stœchadas inſulas, & in Siculo, circa Heliam, & Drepanum. Naſcitur & apud Grauiſcas, & ante Neapolin Campaniæ, maximeque rubens, ſed molle, & ideo viliſſimum Erythris. Forma eſt ei fruticis, color viridis. Baccæ eius candidæ ſub aqua, & molles, exemptæ confeſtim durantur, & rubeſcunt, quaſi corna ſatiua, ſpecie, atque magnitudine. Aiunt tactu protinus lapideſcere, ſi viuat. Itaque occupari, euellique retibus, aut acri ferramento præcidi: hac de cauſa corallium vocitatum interpretantur. Probatiſſimum quàm maximè rubens, & quàm ramoſiſſimum, nec ſcabroſum, aut lapideum, vel rurſus inane, aut concauum. Authoritas baccarum eius non minus Indorum viris quoque pretioſa eſt, quàm fœminis noſtris vniones Indici. Aruſpices eorum, vateſque in primis religioſum id geſtamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore, & religione gaudent. Galli gladios, ſcuta, galeas adornabant eo, nunc tanta penuria eſt vendibili merce, vt perquàm rarò cernatur in ſuo orbe. Surculi infantiæ adalligati, tutelam habere creduntur: hæc Plinius. Quem tamen mirari ſubit, quòd tam facile ſibi perſuaſerit, corallium per ſe baccas ferre, quaſi corna ſatiua ſpecie atque magnitudine, perinde ac cæteræ arbores ſuos proferunt fructus. Quandoquidem, vt fatentur ij, qui corallia expiſcantur, & ijs mercaturam exercent, nullas per ſe baccas edunt. Baccæ enim, quæ in coralliorum monilibus, cornis ac ceraſis ſimiles viſuntur, ex ipſorum truncis torno, & lima prius parantur: mox ſmyridis lapidis puluere, & terra quadam, quæ è Tripoli Aphricæ affertur, expoliuntur;*

Corallij conſideratio.

Corallium niueum.

Plinij lapſus.

* CORALLIVM NIGRVM Dioſcoridis.*



Corallium nigrum.

Corallii facultates.

poliuntur, & lucidum leuorem contrahunt, cùm iis deinde fricantur. Ad hæc Corallia è mari circumquaque muſcoſa eximuntur, nec tunc vlla ex parte rubeſcunt, verùm inde artificibus tradita, deraſo cortice rubent, & perpolita niteſcunt. Nigrũ Coralliũ, quod Dioſcorides Antipathes vocari ait, primùm vidi ego Neapoli ebenum colore referens. Atqui poſtea pulcherrimam eius plantam dono mihi dedit Anzianus quidam, qui quotannis mihi plantas è Gardano Apuliæ monte deferre ſolet. Ea enim prope radices brachij ferè craſsitudinem æquat, & à medio trunco in ramos ſeſe diffundit: res quidem viſu digna, & rara. Corallium comitialibus commodè alligatur, hauriendumque præbetur. Corallium, ædes (vt aiunt) à fulminum iniuria tuetur. Idem menſium abundantiam cohibet, dentes commotos firmat, deſquamatas gingiuas emendat, itemq́ oris vlcera ſanat. Potum dyſentericos iuuat, fœminis profluuium in viris, nocturnasq́ pollutiones, & in mulieribus albos vteri fluores reprimit. Recenſetur inter ea (Auicenna teſte) quæ cordi hilaritatem adferunt. Auxiliatur præterea (vt Plinius inquit) contra torminum ac veſicæ calculis mala in puluerem igne redactum, & cum aqua potum. Similiter modo ex vino potum, aut ſi febris ſit, ex aqua ſomnum conciliat: ignibus diu repugnat. Sed eodem medicamine ſæpius poto, tradunt lienem quoque abſumi. Sanguinem reijcientibus atque excreantibus medetur. Cinis eius miſcetur oculorum medicamentis: ſpiſſat enim ac refrigerat, vlcera caua explet, cicatricesque extenuat. Corallij meminiſſe Galenum in libris legitimis de ſimplicium medicamentorum facultatibus, haudquaquam non reperi: tametſi libro ſeptimo de compoſitione medicamentorum plura deſcribat medicamenta ad incipientem phthiſin, hæmoptoicos, & ſuppuratos, quæ corallium excipiunt. Quod Græci κοράλλιον, & λιθόδενδρον, Latini Corallium nominant. Mauritani, Baſſad, Mergen, Besd, ſiue Morgian: Itali atque etiam Hiſpani, Corallo: Germani, Corallen: Galli, Coral.

## Λίθος φρύγιος. LAPIS PHRYGIVS. CAP. XCVIII.

PHrygius lapis, quo infectores in Phrygia vtuntur, à qua nomen accepit, naſcitur in Cappadocia. Optimus habetur pallidus modicè grauis, nõ ſolida corporis cõpage, intercedentibus albis ſegmentis, vt in cadmia. Vritur autem vino optimo perfuſus, viuisque carbonibus obrutus: perflatur aſsiduè follibus, donec mutato colore rufeſcat: rurſus extractus eodem vino reſtinguitur. Hoc iterum, & trinis vicibus faciendum: attendendum tamen ne minutim confringatur, & in fuliginem euaneſcat. Vis crudo, vſtoque adſtrictoria, expurgans: vlceribus cruſtas quadantenus inducit: ambuſtis cum cerato medetur. Lauatur vt cadmia.

Phrygij lapidis conſid. Phrygii lapidis vires ex Galeno.

*QVi mihi Phrygium lapidem oſtenderit in Italia, hactenus neminem inueni: quippe cùm nec noſtratibus Medicis, nec lanarum infectoribus, vſui, ex Cappadocia ad nos deferri deſijt. Plinius, cùm ignoraſſet, Phrygium lapidem medicamentis etiamnum expeti, tingendis tantùm veſtibus commendauit. De huius lapidis viribus diſſeruit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, his verbis. Pyritæ facultatem habere exiſtimatur & Phrygius, quem vocant. Sed is ſemper vtitur combuſto quidem ad vlcera putrida, idque aut ipſo per ſe aut ex aceto, aut œnomelite, aut oxycrato: ad oculos verò medicamentum ſiccum efficiens: quod multi nunc acceptum à me obtinent. Miſcentur ei & alia quæpiam. Dicetur autem de ipſo in opere de componendis pharmacis. Nunc ſatis eſt de generali eius facultate explicuiſſe: validè enim deſiccat, habens quiddam adſtrictionis ſimul & mordicationis. Dictum verò ſuperius eſt, ea eſſe omnia optima medicamina, plurimique vſus, quæ miſtas in ſeſe haſce duas facultates habent, nempe repercutientem, & digerentem.* Λίθος φρύγιος Græcis, *Lapis Phrygius Latinis appellatur: Italis, Pietra Phrygia.*

Nomina.

## Λίθος ἄσιος. LAPIS ASIVS. CAP. XCIX.

ASius lapis aſſumi debet pumicis colore, leuis, fungoſus, item friabilis, ſciſsiles venas lutei coloris ad imum actas habens. Eius flos ſalſugo ſubflaua eſt, ſummo lapide inſidens, compage tenui, colore in aliquibus albo, in alijs pumici ſimili, ad luteum vergente: admotus linguæ aliquantùm mordet. Vim habet vterque adſtrictoriam, & modicè erodentem. Admiſtus liquidæ pici, aut terebinthinæ, tubercula diſcutit. Longè validior flos exiſtimatur. De cętero ſiccatus flos vetera vlcera, & cicatrici repugnãtia ſanat: excre-

excreſcentia cohibet: tetra vlcera, & fungis ſimilia, cum melle expurgat: vlcerum caua explet, & expurgat cum melle: depaſcentiaque cum cerato ſiſtit. Fit cataplaſma ex eo podagris, mixto fabæ lomento: & lienoſis ex aceto, & viua calce. Prodeſt flos ex melle phthiſicis linctu. Podagrici iuuantur, pedibus in ſolio ex eo lapide excauato inditis. Fiunt quoque ex eo loculi, qui corpora erodunt: & luxuriantem carnem, & corporum craſsitiem abſumunt, cùm vice vitri in balneo ſparguntur. Si lauare libet, cadmiæ modo lauatur.

Aſij lapidis conſid.

*Tametſi in commentarijs noſtris ſuperioribus annis Italica lingua conſcriptis, Aſium lapidem mihi incognitum eſſe ingenuè confeſſus fuerim: legitimum tamen nuper Tridento ad me miſit Martinus Guidottinus ſeplaſiarius diligens æquè ac peritus: qui quidem lapis, ni fallor, nullis prorſus notis ac viribus Dioſcoridis deſcriptioni reclamat. Foditur in Tridentino agro quibuſdam chalcanthi fodinis, quodam in monte non procul à pago, quem Leuigum nominant. Eſt enim hic pumicis inſtar leuis, fungoſus, friabilis, lutei coloris intercurſantibus venis. Hoc, quòd carnes abſumat, vtebatur antiquitas ad defunctorum ſepulchra, vt abſumptis ab eo carnibus, corpora non computreſcerent: ob idque Græci appellauere ſarcophagum. Quod manifeſtè declarat Dioſcorides, cum inquit, καὶ σοροὶ σαρκοφάγοι γίνονται id eſt, loculi defunctorum carnes abſumentes ex eo fiunt. Hunc locum nullus, quod ſciam, ex interpretibus ita vt nos accepit: ſed omnes ad aliud reſpicientes vocem σοροὶ puluerem verterunt. In quo mihi planè non videntur mentem Dioſcoridis aſſecuti. Quam probè aſſecutus, noſtræque ſententiæ adſtipulari cognoſcitur Plinius libro 36. cap. 17. vbi de lapide Aſio ſarcophago ita ſcribit. In Aſſo Troadis lapis ſarcophagus fiſsili vena ſcinditur. Corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra quadrageſimum diem, exceptis dentibus: hæc Plinius. Cæterùm Aſij lapidis hiſtoriam, & vires deſcripſit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Eſt & alius lapis in Aſſo proueniens, quem ob id ipſum Aſion cognominant, non durus vt petra. Siquidem color illi eſt, pariterque conſiſtentia ceu tophi, friabilis, & laxus. innutritur ei quiddam farinæ tenuiſsimæ adſimile, qualis in piſtrinorum parietibus adhærere viſitur. Appellant hoc medicamentum petræ Aſiæ florem. Eſt verò & ſubtilium partium, vt ſine morſu nimis molles carnes, ac fluidas eliquet. Petra verò, in qua naſcitur, tametſi vim habeat illi ſimilem, actionis tamen vehementia inferior eſt. Hoc enim ea potior eſt flos, non tantùm quòd magis colliquet, ac digerat, & velut ſale condita ſeruet, ſed & quia hæc præſtet abſque vehementi mordicatione. Habet & ſalſedinem quandam in guſtu hic Aſiæ petræ flos: vt coniectura ſit, illum naſci ex eo quòd ros ex mari in petram reſidens, poſtea à ſole deſiccetur: hactenus Galeni verba. Quæ quidem ſi paulo diligentius examinaſſet Fuchſius medicus alioqui noſtræ ætatis celebris, non tam facilè fortaſſe ſuam protuliſſet ſententiam libro de compoſitione medicamentorum: quod ſcilicet Aſiæ petræ flos ſit illa mollis, alba, & tenuiſsima materia, quam farinæ, quæ parietibus molarum inhæret, ſimilem exudant veteres muri, rupes ſaxaque montium, ex qua fit quod Salnitrum vocant. Porrò quod hæc non verè ſit Aſij lapidis flos, omnibus ijs perſpicuum fiet, qui rem hanc accuratius expendent. Nam præterquam quòd ea diuerſorum lapidum flos eſt, nullam habet cognationem cum Aſio lapide, qui ſolus, Dioſcoridis & Galeni teſtimonio, florem ſui nominis gignit. Lapis, qui λίθος ἄσιος & ἄσσιος Græcè, Lapis Aſius & Aſsius Latinè vocatur: Arabicè, Hager Aſos: Italicè, Pietra Aſsia.*

Aſij lapidis hiſto. & vires ex Gal.

Fuch. error.

Nomina.

λίθος πυρίτης. **LAPIS PYRITES. CAP. C.**

PYrites lapidis genus eſt, à quo æs conflatur. Eligi debet æris ſimilitudine, facilè ſcintillas edens. Vritur ſic. Melle irrigatus, molli pruna continuè flatur follibus, donec rufeſcat. Alij in multos carbones igni candentes, lapidem copioſo melle perfuſum deijciunt, & vbi ad fuluum colorem vergere cœperit, extrahunt: efflatoque cinere, rurſus madefactum cremant, donec æquabiliter aſsiccatus, friabilis reddatur: ſiquidem ſæpe facies ſumma ſolùm vritur: ita crematus, ſiccatusque reconditur. Si eloto opus ſit, lauari debet, vt cadmia. Tam crudi, quàm vſti vis eſt excalfacere, abſtergere, offuſam oculis caliginem expurgare, duritias concoquere, & concoctas diſcutere. Reſina exceptus excreſcentia in carne cohibet, ſed calorem quendam, & adſtrictionem parit. Ita vſtum nonnulli diphryges appellant.

*Lapidem, quem Græci Pyriten dicunt, officinæ cum Mauritanis Marcheſitam vocant. Verùm quanquam vniuerſi lapides, à quibus ignis chalybe excutitur, pyritæ appellari poſſunt, cum tamen Marcheſita appellata cæteris magis ſcintillet chalybe aut ferro percuſſa, per antonomaſiam ipſa ſola vocatur Pyrites, tanquam cæteris præſtantior. Foditur hæc omnium metallorum ferè fodinis, genere, & colore diuerſa, plerunque tamen (vt Plinius inquit libro trigeſimo ſexto cap. decimonono) aureis ſcintillis, vel argenteis reſperſa. Gignitur, vt rei metallicæ periti tradunt, ex impuro metallorum halitu: quo fit, vt ferè ſemper reperiatur in montium cacuminibus, vbi auri, & argenti vena, in profundo deliteſcit. Sterilis hæc magna ex parte, quòd (vt chymiſtæ exiſtimant) ex impuriſsimo ſulphure, alijsque inconcoctis partibus metallorum ſit conflata: quamobrèm foſſores in Germania, extra cauernas Pyriten tanquam inutilem proijciunt. Veruntamen quandoque Pyriten inueniunt, qui aurum, argentum, vel æs intra ſe continet. Idcirco rectè prodidit Dioſcorides, Pyriten lapidis eſſe genus, ex quo æs conflatur. Quod cùm ignoraſſet Albertus, omnem Marcheſitam inutilem eſſe aſſeruit. Pyrites non ſolùm in metallorum fodinis reperitur, cum omnibus ferè lapidibus, & metallis commiſtus: ſed etiam in quibuſdam Miſniæ fluminibus rotunda facie, & cæteris durior. Nos pyritem habemus cryſtallo, berillo, Armenio, cæruleo, chalcantho, miſy, chalciti, Minio, auripigmento, & alijs lapidibus adnatum, adeò vt cum foſsilibus omnibus lapidem hunc cognationem habere crediderim. Pyritæ vires reddidit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, his verbis. Vnus eorum, qui validam facultatem poſsident, eſt & pyrites quem vocant: quo vtimur digerenti emplaſtro admiſto: adijcitur ei & ſchiſtos. Ab hoc medicamine, & pus ſæpenumero, & conſiſtentia grumoſa in ſpatijs intermedijs muſculorum nata, per halitum digeſta ſunt. Cæterùm vbi in vſum vocantur lapides omnes admodum vehementer contuſi, atque ad læuorem redacti ſint oportet, ſimiliter atque ea, quæ in ophthalmicas facultates admiſcentur. Etenim niſi pollinis inſtar comminuantur, adeò vt in profundum corporum, quibus applicantur, ſubeant, aſsimiles manent iſtis marinis, & fluuiatilibus arenis, quæ & ipſæ communem omnium lapidum vim poſsident. Siquidem exiccant tumentem ex hydrope carnem, videlicet laborante in eis excalfactis decumbente. Non tamen ad aliud quippiam eis vtimur, tanquam prædictis, ad ophthalmicas, & ſiſtentes tum ſanguinem, tum muliebre profluuium facultates, præterea ad glutinanda vlcera, cicatrice claudenda, carne implenda. Nam qui ex eis acres non ſunt, ad hæc omnes ſunt vtiles, velut & acres, quorum poſterius mentionem faciam, ad detergendum, abſtergendumque, tum de-*

Pyritæ vires ex Gal.

Nomina. *tum detrahendum, extenuandum, detergendum, valenterq; ſiccandum, & colliquandum. Qui lapis Græcis λίθος πυρίτης, Latinis lapis Pyrites nominatur: Arabibus, Hager al: ſiue Alruſenai: Italis & Officinis, Marcheſita: Germanis, Kiß/ vnnd* Ertzſtuoff.

## λίθος αἱματίτης. LAPIS HÆMATITES. CAP. CI.

HÆmatites optimus habetur friabilis, ſaturato colore niger, durus, & ſuopte ingenio æqualis, nulla ſorde admiſta, nulloque zonarum diſcurſu. Vim habet adſtringentem, & excalfactoriam aliquantum, extenuantemq;. Oculorum cicatrices, & ſcabritiam cum melle purgat: cum lacte autem mulierum lippitudini, fractis, & oculis cruore ſuffuſis conuenit. Bibitur contra difficultatem vrinæ, & fluxiones mulierum in vino: & ab ijs, qui ſanguinem reiecerunt, cum ſucco punici mali. Fiunt ex eo coticulæ, & collyria oculorum vitijs apta. Vritur vt Phrygius, ſine vino duntaxat. Modus vſtionis eſt, vt modicè leuis fiat, & bullis quibuſdam intumeſcat. Sunt qui hæmatiten ita adulterant. Denſam glebam, rotundamq; ſchiſti lapidis, cuiuſmodi ſunt, quæ eius radices vocantur, in vrceum figlini operis, qui feruentem cinerem contineat, condunt: paucaque interiecta mora eximunt, experiunturque ſi trita ad cotem hæmatitæ colorem reddat: quòd ſi ita res ſe habet, reponunt: ſin minus, iterum obruunt, & ſubinde conſpicientes, periculum faciunt ſiquidem in cinere diu dimiſſus, colore mutato diffunditur. Coarguitur malè confictus, primùm ſciſſilibus venis: quippe in rectos venarum diſcurſus refringitur. At hæmatites longè ſecus ſe colore habet: namque hic floridum reddit, hæmatites verò ſaturatiorem, atq; cinnabarin imitantè. Inuenitur in Sinopica rubrica. Fit & è magnete lapide, vehementer ambuſto. In Aegypto ſponte naturæ cum metallis enaſcitur.

Hæmatitæ lapidis conſid. *HAematites lapis, quo omnes in vniuerſum medicæ officinæ abundant, quoq; pictores, & lignarij fabri vtuntur, vulgo vocatus Lapis, legitimus non eſt, de quo meminerunt Dioſcorides, & Galenus. Quippe hic alius eſt lapis mollis, proueniens in montibus, apertis locis. At legitimus foſſilis eſt, & ſponte naturæ naſcens in metallorum cuniculis: qui ſanguinem colore imitatur, vnde & nomen, cùm Græcus ſanguis αἷμα dicatur. Huic perſimilis eſt, quem Schiſtum vocant, cuius hiſtoriam, & vires ſtatim poſt hunc ſcribit Dioſcorides ob cognationis vinculum. Foditur hæmatites non modo in Aegypto, ſed in pluribus Germaniæ, & Bohemiæ montibus, præſertim in Hercynia ſylua: quin & in Italia Brixienſi agro, ſed peregrinis bonitate cedens. Variat tamen huic lapidi color, quoniam & niger, & flauus, & ferruginis inſtar, quidam*

Hæmatites ferri materia. *inſit, vt perititiſſimus æquè ac doctiſſimus Agricola in ſuis de foſſilium natura libris diligenter adnotauit. Hæmatites ſodinas habet in valle Ioachimica Regni Bohemiæ Illuſtris Comes Ioachimus Schlichius, adeò eo refertas, vt inde optimum ferrum conficiant: quo fit, vt nil aliud ſit Hæmatites lapis, quàm ferri materia. Qui ferrum auro ornant, & contegunt, id ſine hæmatite facere nequeunt. Namque ea aureas bracteas ferro prius circundatas firmant & poliunt, perinde ac pictores, lupi dente. Hæmatitæ vires memoriæ prodidit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit. Porrò talium quoque*

Hæmatitæ vires ex Gal. *vnus eſt hæmatites, quem vocant, à coloris ſimilitudine id appellationis ſortitus: ſicut & galactites, quando & ipſe in pacum ſolutus, lacti ſimilis conſpicitur. Habet lapis hæmatites tantùm frigiditatis, quantum habet adſtrictionis. Meritò itaque auſi ſunt Medici ocularibus facultatibus lapidem miſcere hæmatitem. Ac ſolo eo vti poſſis palpebris exaſperatis: ſiquidem cum phlegmone aſperæ ſint redditæ, ex ouo ipſum diluens: ac ſi magis etiam, per fœni græci decoctum. Sin verò citra phlegmonem, ex aqua. Incipito verò ſemper à modicè humidis, per ſpecillum infundens. Vbi autem, quòd vires eius ferat, conſpexeris, magis ac magis craſſum efficies, ac tandem adeò craſſum facies, vt ſpecilli nucleo inungas, ſecundum ſubiectionem, aut euerſionem palpebræ. Hic idem lapis ſimiliter in cote contritus, ſanguinis expuitioni conuenit, omnibusque vlceribus. Porrò ſiccus, ſi ad tantum redactus fuerit læuorem, vt puluiſculum referat, reprimit excreſcentia, atq; eo nullus ſolo ac potius vtitur. Ego verò ad ea quæ dixi, vſus ſum facultate eius ex guſtu qualitate comperta, cùm mox experientia periclitari vellem numquid rectè coniecißem. Et ipſa quidem oculorum vlcera, ſolus per ſe cicatrice includit (vt paulo ante*

Hæmatitæ vires ex Alexãdro. *comprehenſum eſt) attritus, cæterùm aut affuſus, aut inunctus: nam & id experientia exploratum habeo: hactenus Galenus. Miris item laudibus extulit hæmatiten lapidem Alexander Trallianus, ſic inquiens. Ego ſanè noui frequenter eos ſine theriaca, alijſque pretioſis antidotis multos curaſſe, lenibus vſum medicamentis, & præſertim lapide hæmatite. Vſus autem eo ſum in his, qui largius ſanguinem reijciebant, cum ſucco punici mali, & granis, vel cum ſucco polygonij: in quibus autem ſanguis non copioſè euacuabatur, etiam ex aqua ſola egelida. At læuigare ipſum curioſè oportet, vt in tenuiſſimum puluerem redigatur, ſitque aereus, & vento perſimilis. Dedi ego ex eo ſcrupula quatuor, & paulò amplius minimæ. Exhibui etiã ijs, qui pus expuere inceperant, ac mirum eſt, quomodo vlcus exiccarit ſanaueritque, vt non amplius pus generetur, neque æger tuſſi infeſtaretur. Spectaui autem & alium quendam ex his, quibus vas exeſum erat, non modo particulas quaſdam ex faucibus, ſed etiam aſperam arteriam expuentem, ac mirum quomodo in hoc quoque lapis his maculam efficaciam indicauerit. Nam & hic curatus eſt nobis non admodũ etiã ſperantibus. Exhibui autem ægro potui medicamentum frequentius, vt commodius diſtribueretur. Quare cùm crebrò ipſum bibiſſet, tandem ſumere ipſum faſtidiuit. Excogitaui autem huiuſmodi rationem, redactum in tenuiſſimum puluerem panniculo lineo impoſui, & diligenter vndiquaque conſtrictum, colligatumque in poculo, quod vinum odoratum modicum haberet, ſuſpendere permiſi, idque per totam noctem iam inde ab ipſo veſpere: extraxi autem tenuem, aereamq; eius partem, vt æger ſolam vini qualitatem perciperet. Ex hoc bibere quantum mane libenter habebat, ei præcepi, atque hoc ſanè agendo, bibendoq; continue, ſanitatem recepit. Hoc autem morbo liberatus, idem præſeruationis cauſa facere pergebat, bibebatque, donec etiam corpore probè per-*

Nomina. *mutato, conſueta agendo viribus ſe conſtare ſentiret. Hæc de lapide hæmatite à me viſa, & vſu comprobata conſcripſi. Hactenus Alexander lib. 7. cap. 1. Hic lapis Græcè λίθος αἱματίτης vocatur: Latinè, Lapis hæmatites: Arabicè, Sedenigi, Sadeneg*i, ſeu Alſadanegi: Italicè, Pietra hematite: Germanicè, Blutſtein.

## λίθος σχιστός. LAPIS SCHISTVS. CAP. CII.

SChiſtos lapis in Iberia Hiſpaniæ gignitur. Probatur maximè, qui croci colorem æmulatur, friabilis, ſuapte natura fiſſilis, concremento, & alterno cohærentium venarum diſcurſu, pectinum modo, Ammoniaco ſali ſimilis. Vim exhibet hæmatitæ, ſed ad omnia infirmiorem: quin & caua replet muliebri lacte

…atæ perfuſus ad procidentia, rupta, item genarum craſsitiem, & vuas oculorum, magnopere efficax eſt.

*Schiſti lapidis conſid. & vires.*

*Schiſton lapidem, quem tradidit Dioſcorides gigni in Iberia ( vt Agricola vir clariſsimus eſt author ) non ſolùm in pluribus Hercyniæ ſyluæ locis foditur, ſed etiam in Bohemia, vbi & nos quoque eum adinuenimus. Cæterùm cùm de viribus cum hæmatite certet, hic eius vires nobis ſupplere poterit. Meminit Schiſti lapidis Galenus libro nono ſimplicium medicamentorum, ſic de eius viribus diſſerens. Lapidis hæmatitæ perſimilem vim obtinet, verum infirmiorem is qui vocatur ſchiſtus, ac poſt eum galactites. At melitites caliditatis etiam nonnihil, vt dixi, adiunxit. Vt itaque vnuſquiſque ipſorum leuiter a ſenſim ab hæmatitæ facultate recedit, ita ad oculos ſimiliter in vſum ducitur: eſt tamen mitior. Porrò mitiora remedia partibus etiamnum phlegmone aſſlictis ſemper gratiora ſunt, atque iucundiora: cæterùm liberis iam phlegmone partibus infirmiora quàm quæ perſanare valeant. Λίθος σχιστὸς, ita Græcis, vt Latinis Lapis ſchiſtus, & Italis Pietra ſciſsile appellatur.*

*Nomina.*

Λίθος γαγάτης.

## LAPIS GAGATES. CAP. CIII.

IN gagatarum lapidum genere præferendus qui celeriter accenditur, & odorem bituminis reddit. Niger eſt plerunque, & ſqualidus, cruſtoſus, perquam leuis. Vis ei molliendi, & diſcutiendi: deprehendit ſonticum morbum ſuffitus: recreatque vuluæ ſtrangulationes: fugat ſerpentes nidore: podagricis medicaminibus, & acopis additur. In Cilicia naſci ſolet, qua influens amnis in mare effunditur, proximè oppidum, quod Plagiopolis dicitur: vocatur autem & locus, & amnis Gagas, in cuius faucibus ij lapides inueniuntur.

*Gagatæ lapidis conſid.*

*Lapidem, quem Gagaten vocant, in comitatu Tirolenſi Germaniæ non longè ab Aeniponte ( Germani Iſpruck dicunt ) in quodam torrentis alueo repertum, oſtendit mihi primùm clariſsimus medicus Ioannes Petrus Merenda Brixianus, nullis prorſus notis à Gagatæ hiſtoria diſsidentem. Nam præterquam quod igni admotus confeſtim accenditur, flammamque contrahit, ac bitumen redolet, ſqualidus eſt & niger, cruſtoſus, & perquam leuis. Hoc ſcatet in vniuerſum Flandria, Cimbriaque, vbi lignorum penuria incolæ hoc tantum lapide ignem ſibi comparant. Foditur hoc tempore etiam in Italia Brixiano agro, e cuius fodinis nuper ingentem glebam miſit ad me Tridento Santus Santinus diligens pharmacopola ad Corallij inſignium. Fuchſius vir alioqui erudiriſsimus magno errore putat ( vt libro primo retulimus, cùm de piſſaſphalto diſſereremus, Gagaten in Tirolenſi comitatu repertum, eſſe piſſaſphaltum. Verùm cur ego in hoc ab eo diſſentiam, citato nuper loco latius oſtendimus. Porrò idem in libro de componendis medicamentis, quem nuper auctum edidit, Gagaten cenſet eſſe ſuccinum illud nigrum, quod nobis vulgò Ambra nera vocatur. Sed in hoc ſimiliter eum ( pace ſua dixerim ) hallucinari clarius eſſe opinor, quàm vt pluribus demonſtretur. Nam vt omittam abſurdum mihi planè videri, quòd ſuccinum lapidis nomine dignetur, illud non eſt ſqualidum, neq; cruſtoſum, ſed in ſuperficie potius læue, & lucidum ſatis apparet. Sunt qui exiſtiment foſsiles quoſdam carbones, quos in pluribus locis effodi in Germania tradidit Georgius Agricola vir doctiſsimus, & in foſsilibus medicamentis indagandis hodie facilè princeps, eſſe lapidem Gagaten, quod carbones ij non aliter quàm è ligno parati igne accendantur. Veruntamen cùm hi flammam non edant, niſi follibus excitentur, nec vllum bituminis odorem ſpirent, eorum opinio planè refellenda videtur. Siquidem Gagates adeò bitumine prægnans eſt, vt accenſus picis ferè modo flagret, & nigerrimum emittat fumum. Quin & oleum copioſum reddit, vbi vitreis organis concluſus, ignium vi peruritur. Hoc cõmendauit Meſues dæmoniacis, epilepticis, paralyticis, ſpaſmicis, tetanicis, arthriticis, ab vtero ſuffocatis, & conceptũ non admittentibus. Quod tamẽ à carbonibus ijs elici non poteſt, cùm omni penitus humore deſtituantur.*

*Fuch. error.*

*Carbones foſsiles non eſſe Gagaten.*

*Gagatæ hiſt. & vires ex Galeno.*

*Gagatæ hiſtoriam, & vires tradidit Gal. libr. 9. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, his verbis. Eſt & alius lapis colore atro, qui vbi igni admotus fuerit, perſimilem bitumini odorem exhibet, quem Dioſcorides, nonnulliq; alij in Lycia inueniri prodiderunt, ad fluuium nomine Gagatem, vnde & ipſi lapidi nomenclaturam inditam dicunt. Ego tamen eum fluuium non vidi, tametſi parua nauicula totius Lyciæ litora legerim, quò videlicet, quæ in ea ſunt, inſpicerem. Cruſtaceos verò lapides nigros, & qui in ignem additi exilem flammam ederent, complures Cœle Syria aſportari, natos in colle, mari mortuo, quod vocant circũdato, qua orientem ſpectat, vbi & bitumen eſt: eratque lapidum odor ſimilis bitumini. Vtebarq; eis ad flatuoſos tumores in genu diuturnos, & ægrè curabiles, miſtis videlicet facultatibus, quæ ad hoc ſymptoma probatæ fuerant. Planeque viſum eſt mihi euidentiorem earum facultatem reddidiſſe. Miſcui verò ipſum & Barbaro quàm vocant, & palam medicamentum effectum eſt exiccantius, adeò vt & ſinus contraheret, nedum cruenta vulnera glutinaret, ad quæ competere maximè creditur: hactenus Gal. Cæterùm Plinius li. 36. ca. 19. exiſtimaſſe deprehenditur, quod quemadmodum in medicamentis ſibi viribus mutuis reſpondent Thracius lapis, & Gagates: ita vterque in aqua demerſus accendatur, & conflagret, reſtinguatur verò in oleo. Quod tamen falſum eſt: quandoquidem Dioſcorides vbi memoriæ prodidiſſet Thracium lapidem iiſdem viribus eſſe præditum, quibus & Gagates, ſubdidit Thracio illud peculiare adſcribi, quòd aqua demerſus accendatur, & oleo reſtinguatur: quod tamen in Gagate non accidit. Vim Gagatæ admirandam eſſe Aetius teſtis eſt libro 2. capite 24. quippe ſi igne inflammetur, meroque reſtinguatur, exhibeaturque id vinum cardiacis potandum, confeſtim leuantur, repreſſo ſudore, excitatoque arteriarum pulſu. Nonnulli Gagaten ad pollinis tenuitatem terunt, ſeptemque continuis diebus colicis è vino propinant drachmæ vnius pondere, & integram reſtituunt valetudinem: poculum interim, quo laborantes bibunt, eiuſdem vapore ſuffientes. Sed quoniam Gagates ob quandam nominis ſimilitudinem, lapidem ACHATEN ita veteribus appellatũ, mihi in mentẽ redegit, cùm is laudetur ad varia humani corporis incõmoda, meritò hic aliquid de eo nobis dicendum eſſe duximus. Repertus primùm Achates eſt in Sicilia, iuxta Achatem fluuium, à quo nomen ſibi vendicauit. Lapis hic varijs conſtat coloribus, & ſe inuicem incurſantibus zonis lineiſq;, adeò vt quandoque varias effingant imaginum formas, naturæ tantùm penicillo. Id quod maximè teſtatur Plinius lib. 37. capite primo, vbi ſic habet. Poſt hunc annulum regio fama eſt gemmæ Pyrrhi illius, qui aduerſus Romanos bellum geſsit. Namq; habuiſſe traditur Achaten, in qua nouem Muſæ, & Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ, ita diſcurrẽtibus maculis, vt Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Hinc igitur creditum eſt antiquos vocaſſe Achaten varijs ac diuerſis nominibus. Vocatur enim phaſſachates, cerachates, dendrachates, leucachates, hæmachates, corallachates, & id genus alijs: quòd quidam columbos, quidam cornua, alij arbores, alij ſanguinem, nonnulli corallium coloribus præ ſe ferant. Prodeſt Achates ( vt Plinius eſt author ) contra ſcorpionum ictus. Quod in Siculis vtique crediderim, quoniam primum eius prouinciæ afflatu ſcor-*

*Plinij lapſus.*

Cardiacis

Colicis.

*Achatæ lapidis hiſtoria.*

*Achatis nomina.*

*Achatis vires.*

*tu ſcorpionum peſtis extinguitur. Et in India inuenti contra eadem pollent, & alijs magnis miraculis. Spectaſſe etiam prodeſt ocellis. Sitim quoq; ſedant in os additi, Leoninæ pelli ſimiles, potentiam cæteris validiorem habere contra ſcorpiones dicuntur. In Perſis verò ſuffitu, earum tempeſtates auerti, & præterea flumina ſiſti. Argumentum eſſe, ſi in feruentes cortinas additi, refrigerent. Sed vt proſint, leoninis iubis alligandos. Abominantur hyænæ pelli ſimiles, quòd domibus diſcordias ſint. Sed qui vnico tantùm colore notatur, inuictos athletas reddit: hactenus Plinius. Lapis, qui Græcis λίθος γαγάτης, Latinis Lapis Gagates vocatur: Italis, Pietra Gagate.*

Nomina.

## λίθος θρακίας. LAPIS THRACIVS. CAP. CIV.

LApis Thracias dictus, naſcitur in flumine quodam Scythiæ, cui Ponto nomen eſt. Vis ei Gagatæ. Traditur aqua accendi, & † oleo reſtingui: quod in bitumine accidit.

† Ori. λεία. i. terra.

*QVi Thracium lapidem oſtenderet in Italia, hactenus profectò neminem inueni: nec qui illum alijs in regionibus ſe vidiſſe, aut inueniſſe teſtetur, compertum habeo. Eius mentionem fecit Galenus vnà cum gagate lib. 9. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, vbi ita ſcribit. Eſt & alius lapis, cuius meminit Nicander hunc in modum.*

Thracij lapidis mentio ex Gal.

*Si lapis vratur candenti Thracius igne, &*
*Poſt madefiat aqua, flagrabit totus: at idem*
*Mox oleo affuſo, penitus reſtinguitur: adfert*
*Thracius hunc ad nos paſtor de flumine, nomen*
*Cui Pontus.*

*Verùm nullus eius in medicina vſus: neque Nicander præter graueolentiam, quæ ſuffitu feras fugat, quicquam ei adſcripſit: hæc Galenus. Cæterùm nos Thracij lapidis hiſtoriam potius fabuloſam, quàm veram cenſemus. Eius nomen Græcum λίθος θρακίας: Latinum, Lapis Thracius: Italicum, Pietra Thracia.*

Nomina.

## λίθος μαγνῆτις. LAPIS MAGNES. CAP. CV.

MAgnes lapis optimus eſt, qui ferrum facilè trahit, colore ad cœruleum vergente, denſus, nec admodum grauis. Datur cum aqua mulſa trium obolorum pondere, vt craſſos humores eliciat. Sunt qui magnetem crematum pro hæmatite vendant.

*MAgnes lapis Heraclius, & Sideritis quoq; dicitur. Magnes quidem ab inuentore (vt Nicander eſt author) nomine Magno, qui primus in Ida monte lapidem hunc adinuenit: aut à Magneſia regione, vt Lucretius ſuis in poematibus ſcribit. Heraclius verò, vel ab Heraclia vrbe, vel ab Hercule: vt enim Hercules immanes domuit belluas, viribuſq; ſubegit: ita Magnes ferrum victricem rerum materiam ad ſe trahens, ſubigit, & tenet. Quas ob vires Sideritis quoq; dicitur: quippe ferrum Græcis σίδηρος appellatur. Nos autem vulgari idiomate appellamus Pietra Calamita. Foditur in Cantabria Hiſpaniæ, & in varijs Germaniæ, ac Bohemiæ locis, etſi ſæpe caſu inueniatur in ferri fodinis. Præſtat, qui ex Macedonia, & Magneſia illi contermina conuehitur: ſed omnium præſtantiſſimus eſt Indicus, & Aethiopicus. Differunt Magnetes colore, qui nunc aut niger eſt, aut cæruleus nigricans, aut in nigro rufus, aut contra. Optimus eſt mas, qui non modò celerrimè trahit ferrum, ſed etiam vim ſuam in id adeo transfundit, vt poſſit alterum inhærens ferrum ad ſe trahere: quo fit, vt ſæpius acus acum trahat, adeò vt altera alteri ſubpendeat, nullis appoſitis adminiculis, ad duodenum vſque numerum. Quod item ferreis fit anulis, qui alter alteri inhærentes catenæ inſtar dependent, tametſi poſtremus non tam pertinaciter inhæreat, vti primus & ſecundus. Ratio autem cur Magneti tantùm facultas inſit trahendi ferrum, nulli ſanè, quod ſciam, adhuc comperta eſt, nec vlla eam philoſophorum inueſtigatio vnquam aſſequi potuit. Proinde neceſſarium fuerit dicere, illi vim hāc peculiarem tribuiſſe cœlum, & rerum omnium parentem naturam, vt Rhabarbaro vim detrahendi bilem, & Torpedini marinæ ſtupidam reddendi manum, quæ ipſam viuentem tetigerit. Nec ſanè aliud quicquam inueniri putauerim, quod viribus Magnetem magis æmuletur, quam Torpedo piſcis. Quandoquidem vt Magnetis admiranda facultas ex vna pendente acu in aliam tranſit acum, & ex annulo in annulum, idē ſimiliter efficit Torpedinis virtus. Quippe hamo capta, obſtupefaciens eius facultas adeò confeſtim per ſetas virgamq; excurrit, vt ſtatim piſcatoris manum miro ſanè ſtupore corripiat. Idemque efficit retibus comprehenſa, vt per funem auræ inſtar excurrente. Cæterùm Dinocrates Alexandrinus (Plinius author eſt libro 34. cap. 14.) Arſinoes de Magnete lapide templum concamerare inchoauerat, vt in eo ſimulachrum eius è ferro pendere in aere videretur. Cuius forſitan rationem ſecuti Arabes, Turcarumq; ſacerdotes (ſi tamen vera referunt, qui talia ſcribunt) Mahumeti ſacellum è præſtantiſſimo Magnete concamerari iuſſerunt, vt impoſita in eo Mahumetis arca è puriſſimo ferro conflata, tanquam diuino quodam miraculo in aere penderet, ita deceptis populis. Trahit itaque Magnes propria vi ferrum, excepto eo, quod rubiginem contraxerit, vel vbi lapis is allio fuerit confricatus, aut vbi adamas propè adferatur. Magneti vim ſanè contrariam habet Theamedes lapis in Aethiopiæ montibus naſcens, non procul à monte magnetis: quippe quòd appoſitum ſibi ferrū confeſtim abigat reſpuatq;. Quo fit, vt qui calceis ferreis per magnetis montem pergunt, pedes ſubmouere nequeant: per alium vero ambulantes, nunquam pedibus conſiſtant, & veluti tripudiantes fiant. Atqui ne fortaſſis quiſpiam cenſeret id eſſe fabuloſum, ego quidem fateri poſſum, me Magnetis fruſtum habere, quod altera parte ferrum trahit, altera reſpuit. Magnes flauo cum ære fuſus, illud argenteo nitore colorat, quemadmodum cadmia aureo, vt ſuperius diximus. Magnetis breuiter meminit Gal. lib. 9. ſimplic. medic. ſic inquiens: Ex lapidibus vnus eſt & magnetes, & heraclea, quā vocant, adſimilem hæmatitæ vim obtinens. Lapis, qui Græcis λίθος μαγνῆτις & ἡράκλειος, Latinis lapis Magnes, Magnetes, & Heracleus appellatur: Arabib. Hager almagritos, ſeu Magnathis: Italis, Pietra magnete, & Calamita.*

Magnetis lapidis hiſto.

Sideritis lapis.

Magnetis differentiæ & delectus.

Theamedes lapis.

Magnetis vires ex Gal.

Nomina.

## λίθος ἀραβικός. LAPIS ARABICVS. CAP. CVI.

ARabicus lapis maculoſo ebori ſimilis. Is tritus illitus hæmorrhoidas exiccat. Eius cinis dentifricio optimus.

*NVllum hactenus vidi, nec reperi lapidem, qui eburneam mihi oſtenderit faciem: quapropter non crediderim Arabicum lapidem hoc tempore conuehi in Italiam. Eius tamen nomen Græcum eſt λίθος ἀραβικός, Latinum lapis Arabicus: Italicum, Pietra Arabica.*

Nomina.

λίθος γα-

λίθος γαλακτίτης. **LAPIS GALACTITES. CAP. CVII.**

Galactites appellatur, quód lacteum ſuccum reſudet: cinerei tamen eſt coloris, & guſtu dulcis. Ad oculorum fluxiones, & vlcera conuenienter illinitur. Oportet autem in aqua tritum, pyxide plumbea recondere, propter vim glutini, quod ei obhæret.

λίθος μελιτίτης. **LAPIS MELITITES. CAP. CVIII.**

Melitites omnia galactitæ ſimilis, hoc tantúm intereſt, quòd dulciorem ſuccum remittit. Eiuſdem vt galactites effectus.

*Galactiten, item Melititen, etſi antea me non vidiſſe ſcripſeram, dum tamen in Bohemia ſum, vtrunque ex Miſnia ab amicis accepi. Alter tamen (vt Galenus inquit lib. 9. ſimplicium medicamentorum) Galactites vocatur, quòd in ſuccum ſolutus lactis ſpeciem reddat: quemadmodum alter melitites, quòd ſucci dulcedine mel guſtu repræſentet. Galactitæ meminit Plinius lib. 37. cap. 10. ſic inquiens: Galactites ex vno colore lactis eſt. Eandem dicũt leucam, & leucographiam appellant, & ſynnephitẽ: tritam lactis ſucco, & ſapore notabilem. In educatione nutricibus lactis fœcunditatem: infantium quoque alligata collo, ſaliuam facere dicitur, in ore autem liqueſcere. Eandem memoriam adimere dicunt. Mittit eam & Achelous amnis: hæc Plinius. Cæterùm, vt teſtatur Agricola, non ſolùm reperitur Galactites in quibuſdam Saxoniæ montibus, in Germania, ſed etiã in quorundam fluminum alueis, pariterque Melitites. Lapis ille Græcè λίθος γαλακτίτης, Latinè Lapis Galactites: Italicè, Pietra Galactite vocatur. Hic verò Græcis λίθος μελιτίτης, Latinis Lapis melitites: Italis, Pietra Melitite nominatur.*

Galactitæ, & melititæ hiſt.

Nomina.

λίθος μορόχθος. **LAPIS MOROCHTHVS. CAP. CIX.**

Morochthus lapis, quem aliqui galaxiam, aut leucographida vocauerunt, in Ægypto naſcitur: quo, vtpote molli, & facile liqueſcente, linteones dealbandis veſtibus vtuntur. Spiracula corporis obſtruere videtur: conueniens ijs, qui ſanguinem expuunt, cœliacis, & veſicæ doloribus, cum aqua potus: itidem fluxionibus vuluæ, & impoſitus velleri. Mollibus oculorum collyrijs miſcetur: explet enim caua, atq; delachrymationes ſiſtit. Idem cerato exceptus, vlcera, quæ fiunt in teneris partibus corporis, ad cicatricem perducit.

*Morochthum lapidem nonnulli galaxiam vocant, naſcitur (vt inquit Georgius Agricola, acerrimus foſſilium indagator) in Saxonia Germaniæ. Huius fruſtum non paruum ex Miſnia miſit ad me Georgius Fabritius, vir quidem doctrina, & virtute clarus, nullis deficientibus notis ac viribus. Veruntamen cùm nec inde, nec ex Aegypto, quod ſciam, in Italiam deferatur, cur plura de eo dicam, non habeo. Porrò facit Morochthi lapidis adſtringens facultas, quæ cruentas reiectiones ſiſtit, & corporũ ſpiracula obſtruit, vt alterius quoque lapidis hic mentionem faciam, admirabilis ſanè facultatis ad oſsium fracturas. Siquidem tametſi perfracta oſſa a Chirurgis non ante quadrageſimum diem ſanari ſoleant, compertum tamen eſt à compluribus in Germania, ea proculdubio ſanari triduo, aut quatriduo huiuſce lapidis potu, ſeſquidrachmæ pondere, ex rubro meraco cùm mane, tum veſperi hauſto. Sed interim os fractum reſtaurare, æquare, ac aſſerculis circumquaq; munire operæpretium eſt, & affectum locum illinire vnguẽto ex Geranij radicibus cæruleum florem gerentis, & lactentis ſuis axungia, ſiccatis prius radicibus, & in puluerem tritis, & dèinde ex axungia præſcripta in mortarium exceptis. Extenditur enim ſuper linteolo cera odorata imbuto, & fracto loco adalligatur. Eſt itaq; lapis is lõgus perinde ac humanus digitus, teres, craſsitudine ferè annularis, & ſæpe tenuiore, albicans, friabilis, tophacea intus ſubſtantia. Hunc primo ad me miſit excellens ac doctus Medicus Georgius Vvirt, qui olim in Aula Cæſaris Caroli Quinti honorifice medicinam fecit. Naſcitur in eo Rheni tractu, quem Germani die Bergſtraß vocant circa Darmſtat oppidum, duobus à Rheno miliaribus, & reperitur in arena. Tale eſt enim illius loci ſolum. Sunt qui hos lapides, è plantæ cuiuſdam bechio ſimilis, radicibus, ibi naſcentis gigni exiſtiment. Sed an hoc verum ſit, mihi certo non conſtat. Germani hunc lapidem ab effectu appellant Beinbruch. Morochthi meminit Galenus vnà cum ſciſsili lapide li. 9. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſic inquiens: Sunt & alij lapides in ſuccum ſolubiles, vt qui in Aegypto naſcitur, quo vtuntur ad ſplendorem linteis conciliandum. Eſt autem omnium dictorum minimè qualitatis particeps, nec adſtrictionem, nec morſum, nec abſterſionem præ ſe ferens: quocirca hoc ipſum duntaxat lapidi huic ineſt, quòd deſiccet videlicet: proinde cerato eum miſcentes ad cicatricem vlceribus inducendam in mollibus corporibus vſurpant. Sed & ocularibus miſcetur facultatibus, perinde vt modò dicti. At quantò eſt maiore emolliendi vi, quàm prædicti, quòd nullam videlicet effectricem qualitatem habeat, tantò etiam moderatior eſt, magisq; dolorem leuat. Hunc lapidem quidam moroxum, nonnulli leucographida nuncupant: hactenus Galenus. Sed certè neſcio qua ratione, aut authoritate ductus ſibi perſuaſerit Plinius libro 27. cap. 11. hunc non eſſe lapidem, ſed herbam, vbi vna cum leuca de leucographide diſſeruit: niſi fortaſſe fuerit vocabulorum ſimilitudine deceptus. Lapis Græcis λίθος μορόχθος, Latinis Lapis morochthus appellatur: Italis, Pietra Morochtho.*

Lapis ad oſſium fracturas.

Morochthi lapidis vires ex Gal.

Nomina.

λίθος ἀλαβαστρίτης. **LAPIS ALABASTRITES. CAP. CX.**

Alabaſtrites vocatus onyx, crematus, reſina aut pice exceptus, duritias diſcutit, ſtomachi dolores cum cerato leuat: gingiuas comprimit.

*Alabaſtrites notiſſimus lapis eſt ijs qui Romana inuiſerunt ædificia. Hallucinantur tamen, qui credunt lapidem illum Alabaſtriten eſſe, quo hac tempeſtate torno varia finguntur vaſa, quibuſdam ſubnigricantibus venis diſcurrentibus, pellucido læuore, materia verò adeò imbecilli, vt parum colliſa facilè frangantur. Quandoquidem lapis hic Alabaſtritæ ſpecies non eſt, ſed potius gypſi materia. Alabaſtrites enim, quem antiqui ad vaſa vnguentaria cauabant, quò diutius vnguenta à rancore vendicarent, naſcitur (vt Plinius inquit lib. 36 cap. 8.) circa Thebas Aegyptias, & Damaſcum Syriæ. Hic cæteris*

Alabaſtritæ conſid.

Alabaſtritæ vires ex Gal. *candidior. Probatiſsimus verò in Carmania, mox in India, iampridem & Syria, Aſiaque. Viliſsimus autem, & ſine vllo nitore in Cappadocia. Probantur quàm maximè mellei coloris in vertice maculoſi: hæc Plinius. Huius facultates memoriæ prodidit Galenus li. 9. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Et alabaſtrites vocatus vnguis in medicina v\[...\] tur combuſtus. Quidam eum bibendum dant ſtomachicis. Is Græcè* λίθος ἀλαβαςρίτης, *Latinè, Lapis alabaſtrites dicitur: Italicè, Alabaſtro.*

Nomina.

## λίθος θυίτης. LAPIS THYITES. CAP. CXI.

LApis nomine Thyites, in Aethiopia gignitur, ſubuiridi colore iaſpidem imitatus: cùm diluitur tamen lacteum ſuccum reddit. Vehementer mordet: tenebras, quæ pupillis obuerſantur, expurgat.

Fuchſio male Turcicus lapis Thyites ę creditur.

*THyiten lapidem neque ipſe hactenus inueni, neque ab alio compertum ſcio. Qui fortaſſe ex Aethiopia tantùm petendus eſt, vbi eum gigni prodidit Dioſcorides. Veruntamen Fuchſius medicus ſingularis doctrinæ, libro illo de compoſitione medicamentorum, quem collocupletatum ſecundò edidit, lapidem Dioſcoridi Thyiten dictum, nihil aliud eſſe cenſet, quàm lapidem illum cæruleũ, qui Italis vulgò Turchina, alijs verò Turcicus lapis appellatur, vt eius verba, quæ ſubiectam, apertè declarant. Iaſpis, inquit, Galeno duplex eſt. Vna ſubuiridis, quæ Dioſcoridi Thyites, vt alibi diffusè monſtrauimus, dicitur. Thyites autem non eſt niſi ea Iaſpidis ſpecies, quæ quòd aeri & cœlo matutino autumnali ſimilis ſit, hoc eſt, cærulea lacteę ſuffuſa* ἀερίζατα *Græcis, Iunioribus Turcica, Germanis* Türckes *nominatur. Quam certè appellationem veriſimile eſt ex Thyitis deprauata voce promanaſſe, originemq́; ſuam duxiſſe. Altera viridis, quæ ſic dicta eſt quia viret. Eius duodecim ſunt genera, quæ alibi à nobis ſunt ordine explicata. Quintum autem genus eſt Turcica vocata Iaſpis, de qua iam diximus. Hactenus de Thyite lapide Fuchſij ſententia. Quæ ſanè mihi nonnullis rationibus refellenda videtur. Primum enim non inuenio, quòd Galeno Iaſpis in duo genera digeratur, in viridem ſcilicet, & ſubuiridem, vt illi Fuchſius adſcribit. Sed ipſum viridis tantùm meminiſſe conſtat lib. 9. ſimplicium medicamentorum, vbi de eius facultatibus diſſerit. Nec conſtat, quòd Galenus eodem libro in commemoratione Thyitis lapidis ex Dioſcoride, hunc coloris eſſe ſcribat ſubuiridis quodammodo, vt Iaſpis: ſiquidem Galenus eo in loco Dioſcoridis verba refert, vt ex capitis illius titulo quiſque certior fieri poteſt: id enim ita inſcriptum legitur,* Περὶ τοῦ Διοσκορίδου θυίτου: *De Dioſcoridis Thyite. Præterea equidẽ neſcio, quo pacto lapis ille Turcicus poſſit eſſe Thyites, quoniam hic tum Dioſcoridi, tum Galeno coloris eſt ſubuiridis, non autem ſaturati cærulei, vt ille. Ad hæc ſi lapis, qui* ἀερίζων *Græcis vocatur, & qui verè Turcicus eſt, Iaſpidis generibus aſsignatur (quod ipſe etiam Fuchſius aſſerit) non video, quo modo fieri poſsit, vt idem ſit Dioſcoridi Thyites: qui à nemine, quod ſciam, inter Iaſpidum genera recenſetur. Poſtremò mihi quidem non videtur veriſimile, quòd Turcicus lapis à Thyitis deprauata voce nomen acceperit: quam enim, quæſo, illæ voces habent inter ſe ſimilitudinem? certè nullam. Quare potius adducor, vt credam eam appellationem fluxiſſe ab Italica noſtra lingua: nam quemadmodum in Italia cæruleus color, quem propriè cœli colorem eſſe volunt, vulgò turchino vocitatur: ita etiam inibi lapis is, de quo ſermo eſt à colore, quem cæruleum habet, Turchina nominatur. Ex qua nomenclatura poſtea facilè factum eſſe arbitror, vt eundem lapidem iuniores Turcicum appellauerint: atque adeò ſimili imitatione fortaſſe ducti Germani ipſum* Türckes *dixerunt. Lapis, qui Græcis* λίθος θυίτης, *Latinis item Lapis Thyites appellatur.*

Nomina.

## λίθος ἰουδαϊκός. LAPIS IVDAICVS. CAP. CXII.

IVdaicus lapis in Iudæa naſcitur, glandis effigie, candidus, ſcita admodum configuratione, lineis æqualiter inter ſe diſtantibus, quaſi induſtria detornatis. Solutus nullam qualitatem manifeſtam guſtui repræſentat. Poteſt ciceris magnitudine tritus ad cotem, vt collyrium, cum calidæ aquæ cyathis tribus, potu difficultati vrinæ auxiliari, & calculos in veſica comminuere.

Lapidis Iudaici vires ex Galeno.

*LApis è Iudæa allatus, vnde & illi nomen, paſsim in officinis habetur. Vtuntur eo medici non modò ad veſicæ calculos, ſed etiam ad eos, qui in renibus fiunt, Galenum ſecuti, qui libro 9. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, eius ſpeciem ac vires deſcripſit, his verbis. Eſt & alius lapis viribus valentioribus in Palæſtina Syria prouenienſ, colore candido, ſpecie concinna, lineas habens ceu torno ductas. Appellitant eum a loco, in quo naſci conſueuit, Iudaicum, vtunturq́; ad eos lapides in cote ſoluentes, & ex aquæ calidæ tribus cyathis potui præbentes. Sanè in quibus nos experti ſumus, profecit nihil, quod ad lapides veſicæ pertinet: verùm ad eos, qui in renibus hærent, efficax eſt.* λίθος ἰουδαϊκός *ita Græcis, Latinis verò, Lapis Iudaicus nuncupatur: Arabibus, Hager alyeudi, ſeu Agiar alihèud: Italis, Pietra Giudaica: Germanis,* Jüdenſtein.

Nomina.

## λίθος ἀμίαντος. LAPIS AMIANTVS. CAP. CXIII.

AMiantus lapis in Cypro naſcitur, ſciſſo alumini ſimilis: quo, vtpote flexili, telas, & vela tantùm ſpectaculi gratia texunt, quæ ignibus iniecta ardent quidem, ſed flammis inuicta ſplendidiora exeunt.

Amianti lapidis conſid.

*LApis Amiantus ita appellari cœpit, quòd in ignem coniectus non modò non comburatur, nihilque ſplendoris amittat, ſed ſi ſordidus fuerit, nihil deperdens, nitidus, & ſplendeſcens extrahatur. Idem vocatur Asbeſtos, quod in lucernis pro elychnio impoſitus, non ſolùm extinguatur dum aliquid olei ſupererit, ſed nunquam comburatur. Idem lauatur, pectitur, netur, texitur. Quare (vt Hierocles literis commendauit) Brachmanes Indorum Philoſophi, ex eo ſibi veſtes parabant, vt diuinitatis ſpecimen poſteritati de ſe relinquerent. Ex eodem quondam etiam funebres Regum tunicæ fiebant, quibus induti in rogum imponebantur, vt corporum cinis, a lignorum cinere ſecretus ſeruaretur vſque, ſepulchro condi poſſet. Hinc Plinius, vel author quiſquis ille fuerit, à quo tranſcripſit, manifeſtò deceptus eſt, quòd putarit ex lino quodam Indico has parari telas. Nam is libro decimonono, capite primo, de eo ita ſcriptum reliquit. Inuentum eſt etiam linum, quod ignibus non abſumeretur. Viuum id vocant, ardentesque in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis, quàm poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis fauillam ab reliquo ſeparant. Naſcitur in deſertis, adustuſque Sole Indiæ, vbi non cadunt imbres, inter diras ſerpentes, aſſueſcitque viuere ardendo*

Veſtes ex Amianto.

Plinij error.

*Rarum inuentu, difficile textu propter breuitatem. Ruſus de cætero color ſplendeſcit igni. Cùm inuentum eſt, æquat pretia excellentium margaritarum: vocatur autem à Græcis Aſbeſtinum, ex argumento naturæ. Anaxilaus author eſt, ex eo circũdatam arborem, ſurdis ictibus, & qui non exaudiantur, cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe: Hæc ille. Quæ tamen partim fabuloſa, partim vera apud me ſunt. Obtuſi nimirum ingenij eſſet credere linum aliquod igni impoſitum non ardere, ſed tranſeant hæc vna cum Salamãdra fabuloſa hiſtoria. Ego autem id errorıs euenıſſe cenſeo ab Amianti lapidis effectu. Cum enim vidiſſent antiqui ex eo ſtamina duci, & telas, & mappas inde parari, linum viuum lapidem hunc ab opere eos appellaſſe credendum eſt: officinæ ac medici Alumen plumeum vocant, id eſſe exiſtimantes, quod Græcis ſciſſile dicitur. Sed meo quidem iudicio, falluntur, cùm plumeum alumen ijs vocatum nulla adſtringenti vi polleat, ſed acri, nec in ignem coniectum comburatur, quod Amianti eſt proprium. In hac vulgari opinione ego quoque vna cum pleriſque rei metallicæ ſtudioſis iampridem verſatus ſum, donec clariſſimus medicus Lucas Ghinus legitimum alumen ſciſſile Piſis ad me miſit, facie adeo Amianto ſimile, vt niſi adſtrictoria vis, qua pollet ipſum ab Amianto plurimum differre guſtui indicaſſet, alterum ſanè ab altero diſcernere neſciuiſſem. Nihilominus & ex eo diſcrimen cognoſcitur, quòd hoc in ignem proiectum ſtatim exuritur, ille vero nequaquam. Hinc itaque fit, vt haud dubie credendum ſit Alumen plumeum vocatum legitimum eſſe Amiantum. Cæterum non deſunt impoſtores (vt auctor eſt Braſauolus Ferrarienſis) qui lapidem amiantum ſimplicibus mulierculis oſtendant, vendantque ſæpenumero pro ligno Crucis Seruatoris noſtri. Id quod facilè credunt, cùm igne non comburatur, quodque ligni modo plurimis conſtet lineis intercurſantibus. Meminit Amianti Plinius libro 36. cap. 19. vbi ſic inquit: Amiantus alumini ſimilis nihil igni deperdit. Hic veneficijs reſiſtit omnibus, priuatim magorum. Eius nomen Græcum λίθος ἀμίαντος: Latinum Lapis Amiantus. Italicum, Pietra Amianto.*

Linum viuũ. Alumen plumeum. Alumen ſciſſile & Amiantum differũt. Fraus impoſtorum. Nomina.

## λίθος σάπφειρος. LAPIS SAPPHIRVS. CAP. CXIV.

SApphirus lapis percuſsis á ſcorpione, potu prodeſſe exiſtimatur. Contra inteſtinas exulcerationes bibitur. Excreſcentia in oculis vuasque, & puſtulas inhibet, & ruptas membranas cogit.

*SApphirus gemma colore conſtat cyaneo, perquàm translucido. Lapis eſt omnibus notus, quod annulis, & torquibus, quæ collo geſtantur, frequenter inſeratur. Plinius Sapphiros aureis punctis collucere ſcribit libro 37. cap. 9. Veruntamen hac ætate nullum hactenus vidi Sapphirum, qui aureis collucerет ſcintillis, ſed colore tantùm cyaneo, adamantis modo translucido. Quo fit, vt putandum ſit aut noſtri vſus ſapphiros eſſe cyanos gemmas ſapphiri æmulas: aut hac in re erraſſe Plinium fatendum, quòd fortaſſe cœruleum lapidem peculiariter vocatum, quem Mauritani azulum vel lazulum dicunt, pro Sapphiro acceperit. Nam nullus præter hunc inter gemmas aureis emicat ſcintillis. Sapphiri vires perquàm breuiter perſtrinxit Galenus, cùm tantùm ad ſcorpionum ictus hauſtum prodeſſe ſcripſerit. Cæterùm adduntur hoc tempore in medicamenta ad cor facientia, & in antidota, quæ aduerſus venena, & peſtiferos affectus parantur, non modò ſapphiri, ſed ſmaragdi, carbunculi, granati, ſardonij, hyacinthique: tametſi præter medicorum ſpem, potantes plerunque fallant: quòd raræ admodum ſint ſeplaſia, quæ huiuſmodi gemmas agnoſcant, & legitimas habeant. Caueant itaque medici, ne decipiantur. Id enim fiet, ſi vbi ijs opus fuerit, peritiſſimos probatæq; fidei conſuluerint gemmarios: quippe gemmarum ramenta, quæ in ſeplaſijs habentur, adulterijs, & impoſturis non vacant. Adde, quòd plerunque alterum alterius vice ſupponunt. Putant enim chryſopatios aureo colore nitentes hyacinthos eſſe, qui tamen amethyſtum colore referunt. Præterea obſeruandum eſt, vt gemmarum ramenta, ſi quæ legitima, præclaraque inueniuntur, quin & margaritæ, & coralli ſuper lapide porphyrite tamdiu atterantur, vſquedum redigantur in puluerem tenuiſſimi pollinis inſtar. Et ſanè aduertant medici, quibus curæ eſt, vt plus honoris, quam auri lucrentur, ne corallia in æneis mortarijs conterantur. Nam ſi id inconſultè fiat, deraſis delimatisque æneis mortarijs, ferreiſque piſtillis, æris & ferri ſcobs corallijs admiſta, noxium & venenoſum reddet medicamentum, magna ægrotantium iactura. Quandoquidem vidi ego ſæpius mulierculas, quæ coralia & margaritas in æneis mortarijs contriuerunt, & ſubinde ſuis ægrotantibus propinarunt, qui ijs deguſtatis in maximum deducti ſunt diſcrimen. Qui lapis λίθος σάπφειρος Græcis, Lapis ſapphirus item Latinis dicitur: Italis, Saphiro.*

Sapphiri conſideratio. Sap. vires. Gemmarum ramenta in offic. adúlterata. Corallia vt conterenda. Nomina.

## λίθος μεμφίτης. LAPIS MEMPHITES. CAP. CXV.

MEmphites in Ægypto iuxta Memphin inuenitur calculorum magnitudine, pinguis, verſicolor. Tradunt trito, & illito, quæ vrenda, aut ſecanda ſunt, ſine periculo obſtupeſcere, ita vt non ſentiant cruciatum.

## λίθος σεληνίτης. LAPIS SELENITES. CAP. CXVI.

SElenites lapis, quem aliqui aphroſelenon appellarunt, quoniam noctu inuenitur lunæ imaginem reddere, quę cum ea quidem augetur, & decreſcit. Naſcitur in Arabia, candidus, translucens, leuis. Huius ramenta comitialibus in potu dari iubent. Eo ceu geſtamine ad amuleta mulieres vtuntur. Arbores adalligato eodem frugiferæ redduntur.

*MEmphites lapis hodie, quod ſciam, ad nos ex Aegypto non adfertur, tametſi vulnerarijs medicis ſæpiſſimè deſideretur, vbi integra partium ſectione ſit opus. Seleniten verò etſi antea non videram, emi tamen hoc anno à peregrino quodam, qui è Galitia Hiſpaniæ, vbi diui Iacobi templum inuiſerat, in patriam reuertebatur. Hic lapis vitri modo translucet, & facile in tenues finditur laminas: quo fit, vt ijs in locis, vbi frequentiſſimus habetur, vitri vices expleat, ad concludendas ædificiorum feneſtras. Quidam quod ſpeculi imaginem reddat, Specularem lapidem vocant. Cæterùm quoniam hic translucidus lapis Cryſtallum nobis in mentem redigit, cum expetatur id ſæpius in medicum vſum, ſilentio inuoluendum nõ duximus. CRYSTALLVM itaq; (vt Plinius inquit lib. 37. ca. 2.) gelu vehementiore concreſcit, nec alibi certè reperitur, quàm vbi maximè hyberna niues rigent, glaciemq; eſſe certum eſt, vnde & nomen Græci dedere. Hæc Plinij de cryſtallo ſententia. Nos verò contra rationibus non obſcuris innixi (quod etiam peritiſſimus Agricola ſentit) Cryſtallũ cenſemus nec glacie, nec niue fieri vnquam: ſed ex ipſo humore, quo in terræ viſceribus gignitur beryllus, adamas, & alij id genus lapides. Gigni au-*

Memphitę & Selenitæ conſideratio. Cryſtalli hiſt. Plinij ſententia exploſa.

*tem cryſtallum ex humore omnium puriſſimo ſanè conſtat, quòd omnium gemmarum clariſſimũ, translucidiſſimumq́; ſit.
Probatur ſic gigni, non autem (vt Plinius inquit) ex glacie, vel niue: quoniam vnaquæque glacies quantumuis longo tem-
pore concreta in algidiſſimis montibus, à quibus nec hyeme, nec æſtate nix vnquam recedit, etiamſi e profundis penitus e-
ruatur, liqueſcit tamen in calidis locis repoſita, non modò ignis, ſed ſolis etiam calore. Namque id ipſum Cryſtallo eueniret,
igni vel ſolibus admoto, ſi è niue aut glacie concreſceret: reperiretur q́; tantùm in montibus perpetuo niuoſis. Verùm enim-
uero cùm reperiatur etiam in marmorum, aliorumq́; lapidum, & metallorum fodinis in Hiſpania, Germania, Scythia, Cy-
pro, Carmania, & in Nerone, & Chiti rubri maris inſulis, quin & in agris, vbi ſeges ſeritur, vbi aratro ſæpius magnas cry-
ſtalli glebas fodere bubulci, liquidò ſanè cõſtabit, ex alia materia gigni cryſtallum, quàm glacie. Siquidem id, quod in
præruptis montium ſcopulis inuenitur, ſuperficietenus cohærens, ex puriſſimo lapideſcente humore in viſceribus ter-
ræ concreſcere non dubitauerim: quo tamen tractu tẽporis pluuiarum impetu, quæ in præruptis montium vniuerſam deter-
dunt terram denudari crediderim. Quapropter non temere dixit Plinius, liquidò ſe affirmare poſſe in cautibus alpium na-
ſci adeò inuijs, vt plerunque fune pendentes id extrahant homines. Huic alia accedit ratio, quòd glacies per aquas natat,*

**Cryſtal. hiſto. ex Solino.**

*cryſtallum verò illico ſubſidat. Porrò Plinianæ ſententiæ, præter hæc refragatur apertiſſimè Iulius Solinus cap. 20. Polyhiſtor.
his verbis. Ille & cryſtallus, quam licet pars maior Europæ, & particula Aſiæ subminiſtret, precioſiſſimum tamen Scythia e-
dit. Deſtinatur ad pocula: nam fert calorem præcipuè quamlibet nihil aliud quàm frigidum pati poſſit, ſexangulus inuenitur.
Qui eligunt puriſſimum captant, ne quid ruſum neuè nubilum, vel ſpumis obſitum arceat perſpicuitatem. Tunc ne du-
ritia iuſto propenſior obnoxium fragilitati magis faciat. Putant glaciem coire, & in cryſtallum corporari, ſed fruſtra. Nam
ſi ita foret nec Alabanda Aſiæ, nec Cyprus Inſula, hanc materiam procrearet. Quibus regionibus incitatiſſimus calor eſt. Li-
uia Auguſti ad magnitudinem centum quinquaginta librarum inter capitolina donaria cryſtallum dedicauit. Præſtantiſ-
ſimum illud exiſtimant, quod album & aquæ clariſſimæ modo pellucidum viſitur. Vis cryſtallo adſtrictoria: proinde datur*

**Cryſtalli vires ex Gal.**

*in puluerem tenuiſſimum tritum vtiliter dyſentericis ex vino auſtero. Alba vteri profluuia ſiſtit, lac verò nutricibus auget,
quod à Tridentinis mulieribus didicimus. Fiebat quondam antiquis è Cryſtallo pila, qua aduerſus ſolis radijs expoſita me-*

**Cauterium ex Cryſtallo**

*dici corpora vrebant, igne inde concitato. Sed ijs tantùm id cauterij genus admouebant, qui candente ferro perterriti vri
reformidabant. Sed & nos huiuſce cauterij periculum fecimus, non ſine ægrotantium, & aſtantium admiratione. Lapis*

**Nomina.**

*qui Græcis λίθος μεμφίτης, Latinis lapis Memphites, Italis Pietra Memphite vocatur. Qui verò λίθος σεληνίτης, Græcis, la-
pis ſelenites Latinè, Pietra ſelenite, Italicè appellatur.*

## λίθος ἴασπις. LAPIS IASPIS. CAP. CXVII.

IAſpidum quædam ſmaragdum imitatur: alia cryſtallum, colore ſimilis pituitæ: alia non diſſimilis aeri,
ob id vocatur aerizuſa: alia veluti fumo infecta, quæ capnias ex argumento vocatur: quædam lineis albis
reſplendentibus præcingitur, Aſſyrios appellata: alia terebinthinæ ſimilis, quæ terebinthizuſa dicitur: alia
colore callaida gemmam æmulatur. Omnes amuleta eſſe traduntur, & accelerare partum femoribus ap-
penſæ.

**Iaſpidum genera.**

*IAſpidum genera longè plura recenſentur, quàm quæ à Dioſcoride deſcribuntur. Quandoquidem quædam viſitur candido
copioſo, aut glauco pingui ſimilis, id eſt, viridis lacte ſuffuſa. Alia purpurea, qualis naſcitur in Phrygia. Alia roſea, & qua-
ſi floribus tincta, qualis in Ida monte profundiſſimis ſpecubus foditur. Alia ex purpura cœrulea, qualis inuenitur in Cappa-
docia. Alia ex rubro nigra. Alia iecoris imitatur colorem, quæ ſi ſaturatiore colore reperiatur, lineis eiuſdem coloris albis,
& nigri cingi ſolet. Quædam niuem imitata rutilis punctis reſpergitur. Quædam onyche pungitur, aut ex altera parte ia-
ſpis eſt, ex altera onyx, proinde iaſponyx vocata. Alia cuius altera parte ſit purpurea, altera viridis, nec vtrinq; prima,*

**Iaſpidum natura.**

*ſed qua parte vireſcit. In ſumma varia eſt Iaſpidum natura. Suſpenſas ad plura valere aiunt, nempe ad omnem ſanguinis
fluorem, ad protegendum conceptum, & partum iuuandum, veneremq́; inhibendam, & febrem, & hydropem fugandum.
Nec deſunt ſuperſtitioſi, qui dicant Iaſpidas homines reddere gratos, potentes, ac tutos, ſi quibuſdam magicis verbis anim-*

**Iaſpidis vires ex Gal.**

*murentur, priuſquam ſuſpendantur. Ex tot Iaſpidis generibus viridis tantummodo meminit Galenus lib. 9. ſimplicium
medicamentorum, vbi de facultatibus eius ita diſſeruit. Proprietatem nonnulli lapidibus quibuſdam teſtimonio ſuo a-
ſcribunt talem, qualem re vera habet Iaſpis viridis, nempe ſtomachum, ventriq́; os iuuans appenſa. Ac nonnulli quoque i-
pſam annulis inſerunt, ſcalpuntq́; in ea draconem radios habentem, velut rex Nechepſos ſcripſit in quartodecimo libro. Sa-
nè huius ego quoque lapidis abunde periculum feci. Torquem enim ex huiuſmodi lapillis confectum a collo ſuſpendi, ita vt
lapides os ventris contingerent. Apparebant autem nihilominus prodeſſe, etiam ſi ſculpturam non haberent, quam deſcri-*

**Nomina.**

*pſit Nechepſos: hactenus Galenus. Qui lapis Latinis Iaſpis, Græcis λίθος ἴασπις dicitur: Italis, Diaſpro.*

## λίθος ἀετίτης. LAPIS ÆTITES. CAP. CXVIII.

AEtites lapis eſt veluti prægnans, cùm quatitur, alio in vtero ſonante. Grauidis continet partus, cum
lubricæ ſunt vuluæ, & parum tenaces, ſiniſtro brachio adalligatus: ſed parturientibus è brachio a-
moueatur, & feminibus alligetur, vt ſine doloribus pariant. Furem deprehendit, ſi quis in pane conditum
offerat: fur enim manſum deuorare non poterit. Quinetiam concoctus furem coarguit: quippe decoctū
cum eo deuorare non poterit. Tritus, & cerato exceptus, cyprino, aut gleucino, aut alio excalfaciente, co-
mitiales magnificè iuuat.

**Aetitæ lapidis hiſt. & vires.**

*AEtiten Græci, Latini Aquilæ lapidem dicunt, quòd aliquando in earum reperiatur nidis. Variat lapis hic tum colore,
tum magnitudine, & vulgaris eſt notitia. Meminit huius Plinius libro 36. cap. 21. his verbis. Aetitæ lapides ex ar-
gumento nominis magnam famam habent. Reperiuntur in nidis aquilarum, ſicuti in decimo volumine diximus. Aiunt bi-
nos inueniri, marem, & fœminam: nec ſine ijs parere, quas diximus aquilas, & ideo binos tantùm. Genera eorum quatu-
or. In Aphrica naſcentem, puſillum & mollem, intra ſe, ac velut in aluo habentem argillam ſuauem, candidamq́; ita friabi-
lem, quem fœminei ſexus putant. Marem autem, qui in Arabia naſcitur, durum, gallæ ſimilem, aut ſubrutilum, in aluo
habentem durum lapidem: tertius in Cypro inuenitur, colore illis in Aphrica naſcentibus ſimilis, amplior tamen, atq; di-
latatus, cæteris enim globoſa facies. Habet in aluo arenã iucundam, & lapillos: ipſe tamen mollis, vt etiã digitis frietur. Quarti
generis Taphiuſius appellatur, naſcens iuxta Leucadẽ in Taphiuſa, qui locus eſt dextra nauigantibus ex hac ad Leucadem.*

Inueni-

Inuenitur in fluminibus candidus & rotundus. Huic eſt in aluo lapis, qui vocatur callimus, nec quicquam tenerius. Hactenus de aquilinis lapidibus Plinius. Λίθος ἀετίτης Græcis dictus, lapis Aetites Latinis vocatur: Arabibus, Hager achtamach: Italis, pietra d'Aquila. Nomina.

Λίθος ὀφίτης. LAPIS OPHITES. CAP. CXIX.

OPhitæ genera multa: quidam ponderoſus, & niger: alter cinereo colore ſpectatur, pūctis diſtinctus: tertius lineis quibuſdam candidis intercinctus eſt. Omnes alligati contra capitis dolores & ſerpentium ictus proſunt. Feruntur, qui lineas habent, lethargo, & capitis doloribus auxiliari.

OPhitæ lapidis meminit Plinius lib. 36. ca. 7. ſic inquiens. Ex ophite columnæ, ſed paruæ admodum inueniuntur. Duo eius genera, molle candidum, nigricans durum. Dicuntur ambo capitis dolores ſedare adalligati, & ſerpētum ictus. Quidam phreneticis, ac lethargicis adalligari iubent candicantem. Contra ſerpentes autem a quibuſdam laudatur, præcipue ex iis quem tephriam appellant a colore cineris. hæc Plinius. Verum Ophites marmor, quod vulgò vocamus Serpentino, porphyritæ ferè lapidis inſtar duriſſimus eſt, colore minime nigricante, nec cādido, nec cinereo, vt in ſuo requirunt Dioſcorides & Plinius, ſed viridi ſaturato, dilutis eiuſdem coloris maculis reſperſo. Ex quo planè conſtat antiquorum Ophiten a noſtrate maxime eſſe diuerſum. Ophitæ lapidis vires tradidit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, vbi ſic inquit. Ophites quem vocant lapis vſtus extergendi confringendiq́ vim poſſidet, ceu etiam vitrum. Admodum enim & ipſum ex vino albo ac tenui epotum lapides veſicæ comminuit. Verùm ipſum in lapidibus quiſpiam forte non numeret. Et infra in lapidis viridis mentione de Ophite ita ſcribit. Porrò lapidem ophiten (deprauati ſunt Græci codices, qui habent ἐχετίτην) vir fide dignus ſe verè iuuare morſus a vipera ſuſpenſum retulit. Sed eiuſmodi facultates extra vſum ſunt methodo conſtantem: velut etiam Heraclitus, & Indici, cum profluentem ex hæmorrhoidibus ſiſtunt ſanguinem. Lapis Græcis λίθος ὀφίτης, Latinis, Lapis ophites: Italis, pietra Serpentina vocatur.

Ophitæ lapidis hiſt. — Ophites marmor. — Ophitis vires ex Gal. — Nomina.

Λίθοι ἐν ταῖς σπόγγοις. LAPIDES IN SPONGIIS. CAP. CXX.

LAPIDES in ſpongiis inueniuntur, qui veſicæ calculos rumpunt, in vino poti.

LApides in ſpongiis reperti, omnibus notiſſimi ſunt: quippe quòd rariſſimæ ſint ſpongiæ, quæ hiſce lapidibus vacent. Horum vires retulit Galenus lib. 9. ſimplicium medic. his verbis. Lapides, qui reperiuntur in ſpongiis, frangendi vim obtinent, non tamen ita validam, vt lapidem in veſica comminuant, vnde qui id ſcriptum reliquerunt, mentiti ſunt: verùm qui in renibus conſiſtunt rumpunt, velut qui ex Cappadocia conuehuntur, quos in Argeo naſci aiunt. Soluuntur autem hi in ſuccum colore lacteum: ex quo liquet, quod extenuandi vim obtinent, abſq; vt inſigniter excalfaciant. Λίθοι ἐν τοῖς σπόγγοις Græcè, Lapides in ſpongiis reperti dicuntur: Arabice, Hagiar alſefengi: Italicè, Pietre delle ſpugne.

Lapidū ſpongiarum vires ex Gal. — Nomina.

Λιθοκόλλα. LITHOCOLLA. CAP. CXXI.

LIthocolla glutinum, quo lapides coniunguntur: conflatur autem ex marmore, lapide Pario, & taurino glutine. Poteſt candente ſpecillo admotum, incommodos oculis pilos replicare.

Λίθος ὀστρακίτης. LAPIS OSTRACITES. CAP. CXXII.

OStracites teſtæ ſimilitudinem habet, cruſtoſus, & in laminas fiſſilis, quo mulieres ad detrahendos pilos, pro pumice vtuntur. Menſes drachmæ pondere potus ex vino ſiſtit. Si quatuor diebus à purgatione bibatur ſicilici pondere, fœminis præſtat ne concipiant. Cum melle autem impoſitus, mammarum inflammationes lenit, & nomas cohibet.

OStraciten lapidem, quo pumicis vice vſa eſt antiquitas, hactenus mihi videre non licuit: quanquam reperiri hunc in Hildesheimio circa antrum à nanu appellatum, colore ſubrubeo, & oſtracorum teſtis ſimilem, libro quinto de natura foſſilium ſcribit Agricola. Eius vires tradidit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens: Porrò oſtraciten vocatum lapidem prædicare quoſdam audio, quaſi deſiccandi valenter facultatem obtineat, temperatam ex adſtrictione, & acrimonia, velut & Geoden nomine, pupillas expurgare, & vberum teſtiumq́ phlegmonas ſanare, ex aqua videlicet inunctum. Lapis Latinis oſtracites Græcis λίθος ὀστρακίτης dicitur: Italis, Pietra oſtracite.

Oſtracitæ lapidis conſid. & vires. — Nomina.

Σμύρις λίθος. SMYRIS LAPIS. CAP. CXXIII.

SMyris lapis eſt quo annularij ſculptores lapides expurgant, ad erodendum, & vrendum vtilis: gingiuis, quas humor vexat, prodeſt: dentifricio commendatur.

Ἄμμος αἰγιαλῖτις. ARENA LITORALIS. CAP. CXXIIII.

ARena è litoribus ſole feruefacta, hydropicorum tumores exugit, ſi capite tenus in ea obruantur. Torreri ſolet ad aridos fotus, pro milio aut ſale.

SMyris vulgò nobis Smeriglio, notiſſimus eſt lapis, præſertim quòd eius puluere expoliantur gemmæ, & armorum omne genus. Vitrum quoque Smyride lapide finditur, quemadmodum & adamante, tanta ineſt ei durities. Huius vires Galeno lib. 9. ſimplicium medicamentorum, his verbis deſcribuntur. Sed & Smyris vocata, quòd multum abſtergentem habeat facultatem, clarum eſt vel ex eo quòd dactyloglyphi, hoc eſt, qui anulos exculpunt, eum in vſum illo vtantur. Quinetiam quod dentes puros efficiat, experti ſumus. Lapis, qui Græcis λίθος σμύρις. Latinis lapis Smyris appellatur: Italis, Smeriglio. Quæ verò Latinis Arena litoralis, Græcis ἄμμος αἰγιαλῖτις: Italis, Arena marina dicitur.

Smyridis conſideratio, & vires ex Gal. — Nomina.

Ἀκόνη ναξία. **LAPIS NAXIVS.** CAP. CXXV.

E Cote Naxia, quod exacuendo ferro deteritur, illitum alopecias ad pilum reducit: virginum mammas cohibet, nec increſcere patitur. Potum ex aceto lienem abſumit, & comitialibus prodeſt.

Λίθος γεώδης. **LAPIS GEODES.** CAP. CXXVI.

GEodes lapis adſtringit, ſiccat, caligines oculorum diſcutit. Illitus autem ex aqua, teſtium mammarumque inflammationes ſedat.

Naxos eſt Cote appellatũ. *NAxium lapidem nullis prorſus notis deſcripſit Dioſcorides, ſed illum legitimum eſſe cenſeo, quo paſſim vtimur ad cultellos acuendos, & fanarias falces, nobis vulgò Cote appellatum. Geodem autem, cùm ita à terra denominatum eſſe putem, me ſæpius vidiſſe crediderim, cùm in Bohemia, Miſnia & Saxonia lapis quidam ſubrotundus, colore ferrugineo reperiatur, qui flauam terram non modicam intra ſe concludit.* Naxij vires ex Gal. *Naxius autem, Galeni teſtimonio, non ſolùm virginum mammarum incrementum prohibet: ſed & pueris teſtes creſcere non patitur, tanquam videlicet particeps facultatis refrigeratoriæ.* Nomina. *Lapis, qui ἀκόνη ναξία, Græcis, Latinis lapis Naxius, vt etiam Italis pietra Naxia nominatur. Qui verò λίθος γεώδης Græcè, Lapis Geodes Latinè, pietra Geode Italicè dicitur.*

Γῆ πᾶσα. **TERRA OMNIS.** CAP. CXXVII.

OMnis terra, ad medendi vſum recepta, ſummam & primam vim habet refrigerandi, meatuſque obducendi, occludendique: ſed ſpecie diſtat, cùm alia adiunctis quibuſdam ad alia ſit vtilis.

Γῆ ἐρετρίας. **TERRA ERETRIA.** CAP. CXXVIII.

ERetriades duæ ſunt, vna vehementer alba eſt, altera cinericia. Optima habetur ad cinereum colorem vergens, perquàm mollis: quæ ſi per æramenta tractim ducatur, lineam violaceam refert. Lauatur, vt ceruſſa, aut hunc in modum. Teritur ſeorſum, cum aqua, & vbi peſſum ierit, humor leuiter excolatur: ſiccata ſolibus, iterum teritur interdiu, adiecta aqua, vt veſpere conſidat: antelucanis colo excernitur, & demum in ſole trita, ſi fieri poteſt, digeritur in paſtillos. Quod ſi toſta deſideretur, paſtilli magnitudine ciceris in fictile perforatum coniiciuntur, oreque vaſis diligenter obturato, ſupra carbones candentes continenter follibus perflantur: vbi verò cinis in fauillas ſe conuertit, aut æreum colorem contraxit, exemptum reconduntur. Vim habet adſtringentem, & refrigeratoriam, leuiter mollientem: caua explet, & ſanguinolenta conglutinat.

Γῆ σαμία. **TERRA SAMIA.** CAP. CXXIX.

SAmia præfertur candida, leuis, tangenti linguæ glutinis modo adhæreſcens, mollis, ſuccoſa, friabilis: cuiuſmodi eſt, quam aliqui collyrion vocant. Duæ enim ſpecies eius: vnam antè diximus: altera aſter appellatur, cruſtacea, & cotis modo prædenſa. Vritur, ac lauatur, vt eretria, vimq; conſimilem habet. Sanguinis reiectiones ſiſtit: fœminis fluxione vuluæ laborãtibus, cum flore ſylueſtris punicæ datur. Teſtium, & mammarum inflammationes, illita ex roſaceo, & aqua, refrigerat: ſudores arcet: contra ſerpentium morſus, & venena pota ex aqua auxiliatur.

Λίθος σάμιος. **LAPIS SAMIVS.** CAP. CXXX.

SAmius lapis in Samia terra inuenitur, quo aurifices vtuntur poliendo auro, vt reſplendeat. Probatur candore, & duritia. Vis ei adſtrictoria, & refrigerans: prodeſt ſtomachicis potus: ſenſus hebetat verùm ad fluxiones oculorum, & vlcera, cum lacte efficax eſt. Partus, vt tradunt, adligatus accelerat, & conceptus fœminarum cuſtodit.

Terræ Samiæ conſideratio. *TErra, quam Samiam vocant, an ex Samo deferatur in Italiam, non equidem affirmarem, niſi legitimam vidiſſem. Hanc primum mihi miſit eruditiſſimus medicus, & ſimplicium indagator non poſtremus Alphonſus Pantius Ferrarienſis.* Aſter. *Hæc enim cum frangitur radiantes quaſi ſtellas oſtendit, vnde illi Aſteris nomen. Præſtitit Samia terra maximum in medicina vſum Galeni tempore, qui ea, qua aſter appellatur, tanquam præſtantiore ſemper vſus eſt: huic tamen Dioſcoridi præfertur illa, quam aliqui collyrion vocant.* Talcum non eſſe Samium. *Sunt qui putẽt Samium aſtera illum eſſe lapidem, quem ſeplaſiarii Talcum nominant. Sed ij, meo quidem iudicio, hallucinantur: quandoquidem Talcus linguæ contactu nunquam glutinis modo adhæret, attritu contumax eſt, nec cotis inſtar prædurus viſitur. Adde quòd Talcus non ſit cruſtoſus, ſed ſquamoſus, tranſlucidus, vt vitrum, ac læuis: & quod non niſi magno labore, & diutino igne comburi poſſit: nec id quidem per ſe ſpeti poteſt, niſi quibuſdam admiſtis, quod tamen Samio aſteri non euenit, vtpote qui facilè teſte Dioſcoride, Eretriæ terræ modo comburatur. Ad hæc ſciant Medici Talcum ebibitum ſtrangulare, non ſecus ac gypſum: cùm tamen Samius aſter perinde atque Lemnia terra, contra venena, & venenoſorum ſerpentium ictus maxime auxilietur, & vt illa labijs & linguæ inhæreat. Id quod aliquando animum traxit ad credendum, eam terram vel Samiam, vel Samiæ ſimilem eſſe, quam magnifaciunt circulatores, qui ſerpentes circumferunt, à Melita inſula allatam: quamq; vulgò vocant Pietra di ſan Paulo.* Petra S. Pauli. *Siquidem hæc colore candida ſpectatur, linguæ tangenti pertinaciter adhæreſcit, mollis eſt, & ſuccoſa, facileq; friabilis: & aduerſus venena, & ſerpentium ictus Lemniæ vicem explet. Cæterùm neque illud auſim aſſerere, quod lapidem Samium vocatum ad nos conuehant mercatores, quo aurifices aurum, & argentum antiquitus poliebant: etſi hunc quoque in Germania reperiri ſcribat Agricola. Terra Samia ſic Latinis, atque Italis, vt γῆ σαμία Græcis appellatur. Lapis verò λίθος σάμιος Græcè, Lapis Samius Latinè, & Pietra Samia Italicè nominatur.*

Γῆ χία

### Γῆ χία. TERRA CHIA. CAP. CXXXI.

CHia eligi debet candida, vergens ad cinereum, Samiæ ſimilis. Eſt autem cruſtoſa, † albaque, ſed fictitus formis differens. Vis eadem, quæ & Samiæ: extendit faciem, & erugat, atque ſplendidam reddit: colorem in facie, & corpore toto commendat: in balneis pro nitro deterget. † Orib. χαὶ λεπτῆ. i. tenuiſque.

*TErram Chiam notis omnibus legitimam, miſit ad me ſuperiori anno Alphonſus Pantius medicus Ferrarienſis.*

### Γῆ σελινουσία. TERRA SELINVSIA. CAP. CXXXII.

EAdem præſtat Selinuſia: maximè laudatur, quæ vehementer reſplendet, candida, friabilis, & humore dilui celerrima.

*HAnc à me antea non viſam, albam, ſplendentem, atque friabilem, miſit ad me idem Alphonſus Pantius.*

### Γῆ κιμωλία. TERRA CIMOLIA. CAP. CXXXIII.

CImoliæ duo genera, candida, & ad purpureum inclinans. Optima exiſtimatur, quæ innatam habet pinguitudinem, tactuque frigida ſentitur. Vtraque aceto diluta, parotidas, & alia tubercula diſcutit. Ambuſta igni, ſi ſtatim cimolia oblinantur, puſtulas non ſentient: teſtium duritias, & totius corporis collectiones cohibet: igni ſacro imponitur. In ſumma, vtraque multùm in medicina commendatur, ſi incorruptæ originis, nec ſpuria aſſumatur.

### Γῆ πνιγῖτις. TERRA PNIGITIS. CAP. CXXXIIII.

QVæ pnigitis dicitur, colore ferè eretriæ ſimilis eſt, grandioribus tantùm glebis: manum ſi quis admoueat, refrigerabit: tactu linguæ vſqueadeò glutinoſa, vt penſilis hæreat. Cui effectus idem, qui cimoliæ, paulò tamen infirmior. Hanc aliqui pro eretriade vendunt.

### Ὄστρακα τῶν ἰπνῶν. TESTÆ FORNACEÆ. CAP. CXXXV.

FOrnaceæ teſtæ vehementer toſtæ, cruſtas vlceribus obducunt: quare prurigini, & papularum eruptionibus medentur. Podagricis proſunt: ſtrumas diſcutiunt, cerato exemptæ.

### Γῆ ἐκ τῶν καμίνων. TERRA FORNACVM. CAP. CXXXVI.

FOrnacum terra, quæ retorrida fulueſcit, eiuſdem cum teſta effectus.

### Γῆ μηλία. TERRA MELIA. CAP. CXXXVII.

MElia colore cineream eritream imitatur, aſpera tactu: ea digitis friata, deraſi pumicis modo crepitat. Vim habet aluminoſam, ſed remiſſiuſculam. id quod guſtu deprehenditur: modicè linguam ſiccat: purum corpus reddit, & colorem commendat: pilos extenuat: vitiligines, & lepras abſtergit. Pictoribus vſum præbet, vt colores diutius perennent. Emplaſtris viridibus, quæ chloræ dicuntur, efficaciter inferitur. Ex omni melia terra, & omni alia in vniuerſum, eligi debet recens, mollis, non lapidoſa, friabilis, quę cùm humorem attigerit, facilè reſoluatur.

*QVamuis terra Eretbria, Chia, Selinuſia, Cimolia, Pnigitis, & Melia antiquis notiſſimæ fuerint, & in vſu medico frequentiſſimæ, vt author eſt Galenus, non tamen ab his, qui nos præceſſerunt, adeò neglectas fuiſſe conſtat, vt pauci admodum ſint hac ætate, qui eas agnoſcant. Ego autem & Pnigitem, & Erethriam ſum conſecutus, Alphonſi Pantij medici Ferrarienſis, liberalitate. Verùm cùm terras has non habeant in Myropoliis, operæpretium non duxi, vt in ſingulis moram traheremus, ac de earum hiſtoria & viribus latius diſſereremus. Quæ terra γῆ χία, σελινουσία, κιμωλία, πνιγῖτις, μηλία Græcis, Latinis, terra Chia, Selinuſia, Cimolia, Pnigitis, Melia: Italis, terra Chia, Selinuſia, Cimolia, Pnigite, Melia vocantur: Arabibus verò terra Cimolia, Teri chimolea, ſeu Thin chimulia: Pnigitis, Terri hanem.* Nomina.

### Γῆ ἀμπελῖτις. TERRA AMPELITIS. CAP. CXXXVIII.

EX ampelitide terra, quæ pharmacitis nomine in Seleucia Syriæ naſcitur, laudatur in primis nigra, piceæ longos carbones referens, modicè aſſuloſa, æquabili ſplendore, quæ detrita, accepto oleo, ſtatim eliqueſcit. Vitioſa cenſetur candida, & cinerea, quæ in liquorem non reſoluitur. Vim diſſipandi, & refrigerandi habet: ad calliblephara additur, tingendis capillis idonea. Vſus eius ad illinendas vites, ſub germinationis tempus, vtpote cùm innaſcentes vermiculos enecet.

*AMpelitis, vt author eſt Galenus libro nono ſimplicium medicamentorum, hoc ſibi nomen iure vendicauit, quòd antiquis in frequenti haberetur vſu, ad præſeruandas ab erucis vitium gemmas prima earum germinatione, quemadmodum nos viſco circumlito noſtras tuemur in Hetruria. Pharmacitis verò dicitur, quòd medicamentoſa maximè ſit. Siquidem non modò vermiculos ad vites aſcendere inhibet, ſed etiam eos interficit. Hæc vſqueadeo bitumine referta eſt, vt Plinius, & Poſidonius, bitumini ſimilem ipſam fecerint. Cuius experimentum eſt, ſi facilè in oleo impoſita, liqueſcat. Quamobrem credidere nonnulli Ampelitim terram cruſtoſum illum fuiſſe lapidem, quem ſcribit Galenus ſe inueniſſe* Ampelitidis terræ conſideratio.

*in Lycia*

*in Lyciæ litoribus, & in cœle Syria, qui in ignem coniectus leuiuſculam edebat flammam.* Hoc argumento nixi, quòd idem *ſcripſerit ſe reperiſſe lapidem illum in quodam colle omni ferè ex parte circumdato ab Aſphaltite lacu, quem* Sodomeum *vocant, ex quo bitumen in ipſum labitur lacum. Quapropter non deſunt, qui dicant, Galenum haudquaquam non[...]* *lapides nil aliud eſſe, quàm terram ampelitidem: quæ cùm piceum referat carbonem, vt Dioſcorides ipſe teſtatur, non* [...] *rum, ſi potius lapidis, quàm terræ ſpeciem præ ſe ferat. Non ab re itaque credendum fuerit, Ampelitim terram non* [...] *dum à Gagate lapide differre, quippe quòd vtræq; ex terra & bitumine ſuam traxerint originem. Ampelitis nuperrime è Carniola, vbi foditur, ad me allata eſt, nullis reclamantibus notis. Hæc, quæ* γῆ ἀμπελῖτις *Græcis, Latinis Terra Ampelitis appellatur: Arabibus, Thin Alcharin: Italis, Terra Ampelite.*

Ampelitis à Gagate parũ differt.

Nomina.

Ἀσβόλη ζωγραφική. **FVLIGO PICTORIA. CAP. CXXXIX.**

FVligo, qua pictores vtuntur, ex vitrariis officinis colligi ſolet: ſiquidem ei palma tribuitur. Vis ei ad adſtringendum, & erodendum efficax: fracta, cum roſaceo cerato ad cicatricem perducit.

Μέλαν γραφικόν. **ATRAMENTVM LIBRARIVM. CAP. CXL.**

ATramentum quo ſcribimus, fuligine è tedis coacta colligitur. In ſingulas libras gummi, ternæ fuliginis vnciæ adiiciuntur. Fit etiam è reſinarum, & pictoria fuligine, de qua paulò antè diximus. Aſſumitur autem fuliginis mina, gummi ſeſquilibra, glutinis taurini, atramenti ſutorij, ſingulorum ſeſcunciæ. Additur conuenienter erodentibus medicamẽtis: ambuſtis, ex aqua commodè craſſius illinitur, ſed nec antè ſoluatur, quàm cicatricem induxerit: ſanatis ſiquidem vlceribus, ſua ſponte decidit. Cæterùm habes, amiciſſime Aree, ferè quæ tradenda duximus pro operis modo, quem deſtinaueramus, & materiæ, aliorumque medicinalium copia.

*DE fuligine pictoria, atque etiam de Atramento librario latius & apertius à Dioſcoride ſcriptum eſt, quàm vt de his plura nobis ſuperſint dicenda, vel declaranda. Quare iam vnà cum authore noſtro, huic quinto libro finem imponamus, atque inſuper* DEO, *cui omnia, quæ à nobis fiunt, aut dicuntur, accepta ferre par eſt, immenſas agamus gratias. Ea fuligo, quæ* ἀσβόλη ζωγραφική *Græcè, Latinè Fuligo pictoria dicitur, quemadmodum Italis Fuligine de pittori. Quod verò* μέλαν γραφικόν *Græci, Latini Atramentum librarium, Itali Atramento librario, aut Inchioſtro nominant.*

Nomina.

*LIBRI QVINTI FINIS.*

# PETRI ANDREAE MATTHIOLI, MEDICI Senenſis Commentarij,

## IN LIB. SEXTVM PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARBEI, DE LETHALIbus venenis, eorumq; præcautione & curatione.

### Præfatio Dioſcoridis.

SVPERIORIBVS, amiciſſime Aree, libris tradidimus de aromatibus, oleis, vnguentis, arboribus, & earundem fructibus, lacrymiſque: item animalibus, melle, lacte, ſeuo, frumentis, oleribus, herbis, radicibus, liquamentis, vinis, metalliſque. In hoc verò totius operis vltimo, facultates medicamentorum recenſebimus, quæ prodeſſe nobis, aut officere poſſunt. Vitata igitur orationis prolixitate, opus inſtitutum proſequamur. Huiuſcemodi autem tractatus cùm bifariam diſtributus ſit, in partem venena præcauentem, ita vt ne fallant ſumentes, aut ſi quando per imprudentiam dentur, vt tum quoq; innoxia fiant, irritaque: & in ratione iis ſuccurrendi, qui iam noxam ſentiunt: primùm diſſeram de præcauendi modo, quem eſſe difficillimum pleriq; maiorum arbitrantur, quòd dantes clam venena ita inſidias temperãt, vt peritiſſimum quenq; decipiant. Siquidem venena ſua amaritudine, permiſtis dulcibus, ſpoliant, & graue odoris virus miſtura odoramentorum eximunt. Aut medicamenta immiſcent, quæ tuendæ ſanitatis gratia dari putãtur, & præſertim in valetudine, vt abſinthium, tragoriganum, ſaturciam, aut hyſſopum, quinetiam thymum, irim, origanum, abrotonum, caſtorium, aut ſi quid medicamentis purgatoriis cognatam habere qualitatem videatur. Aut potionibus inſerunt, vt vinis aſperis, iuribus, paſſo, mulſæ aquę, muſto: ſuccis, vt in cremore lentis, polentis: aut medicaminibus, aut aliis, quæ aſſumuntur, edulij ſpeciem referentibus. Quare qui in ea ſuſpicione ſunt, conditos cibos vitare debent, omniq́ue intenſo ſapore dulcium, aut ſalſorum, aut acidorum abſtinere: nec ſitibundi affatim bibere, aut eſurientes voraciter comeſſe, ſemperq́ue ad ſaporem horum diligenter attendere, præſertimq́; potu frigidam aquam præſumere. Satiato enim appetitu, qualitates ęgerrime poſtea concoquuntur. In ægris quidem facilè cauemus potiones auxilij prætextu dari ſolitas, quas offerunt improbi veneficiorum artifices: itaque ob id laborantes morbo non perinde audentium iniuriis patent. Et hæc quidem ne facilè incauti ſeductiq; homines capiantur dolis veneficorum, ratio eſt, & facultas. Sed alia ſupereſt expeditior, vt ſuſpicioſi aliqua præſumant, quæ venenorum vires hebetent, & inefficaces irritaſq; reddant: cuiuſmodi caricæ ſunt cum iuglandibus nucibus manducatæ, & quæ cedromela vocant, id eſt citria, ſeminiſq; napi drachma cum vino. Item folia calaminthæ, aut creta, quæ Lemnia ſphragis appellatur, pondere pari cum vino: aut rutæ folia, & nucis iuglandis nucleum: aut caricas duas, & ſalis callum ieiuni ſumant, & nullo veneni genere lædentur. Antidota ex vino ſumpta, eundem effectum præbent: inter quæ intelligitur magnum Mithridatium, & quod ſcinco, & quod ſanguine temperatur. Quin & ſæpe venenis obſiſtunt peculiares quidam corporum affectus certo quodam modo conſtitutorum, cum quadam cibi, potuſque qualitate, tum vini copia ita temperatorum, vt cum venenis diſſentiant: ſiquidem ingeſti veneni vires frangunt, atque iam priore alimento fractis, præcluſiſque meatibus, obſtant, ne membratim per digeſtionem inſinuetur. Verùm enimuero, quoniam fortunæ neceſſitas interdum ſimilia diſcrimina peregrè agentibus adfert, abſque vllis inſidiis hominum, nonnihil diſſerendum mihi de hac re neceſſarium duco. Iam primùm igitur culinam apparare loco ſubdiali conuenit, ciboſque & potus in huiuſcemodi loco ſtruere. Si id fieri commodè nequit, ſecunda erit conditio hæc, apparandi, apponendique ſub tecto. Sed tum diligenter laquearia animaduertenda: frequenter enim à ſuperioribus contabulamentis animalia decidunt exigua quidem, ſed quæ non modicam perniciem moliantur, vt phalangia, ſtelliones, & alia quædam reptilia. Porro vinaria vaſa diligenter intueri oportet: namq́ue reptilia odore vini illiciuntur, quæ interdum ſorbendo, noxium virus eructarunt, interdum verò delapſa immerſaq́ue expirarunt, & exitij cauſas haurientibus attulerunt. Sed hæc hactenus dicta ſint, ne cauti, & prouidi inſidiis pateant. Quod ſi qui ſua ſponte, aut ex quorundam inſidiis ſumpſerunt, auxiliari primo quoque tempore oportebit: ſiquidem dum comites ſingulorum venenorum notæ expectantur, immedicabile fit venenum, & pauliſper neglectum, medicamentis ægrè cedit. Quare ſi qui pro comperto ſe virus ſumpſiſſe intelligunt, & fateantur, aut eorum,

rum, qui aderant, teſtimonio conſtet, protinus ad idonea remedia tanſeuntes, facilè peculiari, natiuæque conſtitutioni reſtituemus. Neque enim iis aſſentimur, qui prorſus auxilia in huiuſcemodi fruſtra adhiberi contendunt. Quo enim modo morbi, quorum cauſæ cæcæ, latenteſque corporibus inſident, medicinam admittunt, & quæ forinſecus incurrunt venena, medendi rationem aſpernantur? Æquè verò omnes morbi pro cauſarum ingruentium magnitudine, proque antecedentibus affectionibus qualitatibuſque, quibus ſit opportunum corpus, vel medicabiles ſunt, vel nullis cedunt medicamentis. Quòd ſi qui forſan obmuteſcentes, aut temulenti, aut nolentes alioqui venenum à ſe egeri, nullam nobis eius cognitionem præbeant, tum protinus accedendum ad ea, quæ communiter epotis quibuſcunque venenis opitulari conſueuerunt. Atqui nullum magis in omnia valens auxilium dari poteſt, quàm vt proximo loco virus foràs exhauriatur, priuſquàm inualeſcat. Quare ſine mora calidũ oleum ex aqua, aut irino, vt vomitare cogantur, dari conuenit. Aut ſi oleum natura loci negat, butyrum cum aqua calida, aut malua, aut lini ſemine, aut trago, vrtica, fœno græco, aut halicę decocto, vicem eius exhibebit. Hęc enim non modò vomitionibus exigent vi illa ſua laxatrice, aut nauſeam ciente, ſed aluum quoque ſubducent, & corporum inanitione ita aduerſabuntur, vt acrimonias venenorum hebetent. Id quod euidenter huiuſcemodi argumento deprehendere licet. Eſto, vt quiſquam viua calce, vel fæce, aut cantharidibus, aut alio quouis acri, corpus exulcerare ſtatuerit, is ſi ipſum oleo leniter illinat, exulcerationem non accipiet. Atqui neque vehementer adſtringi corpus, neque refrigerari poterit, ſi antea perungatur. Quinetiam vomitus non ob id modò, quod vacuet, & noxium humorem excernat, iuuamentum adfert: ſed quòd aſſumptum virus nonnunquam odore, coagulatis grumis, aut colore prodat: quippe cùm odore, & amaritudine, meconium: colore, ceruſſam, gypſumve: grumis, lac aut ſanguinem animalis recens coagulati oſtendat. Nam grauis odor regeſtorum, leporis marini, aut rubetæ veneficia deprehendit: ita vt nonnulla ab iis remedia peti poſſint, ad idonea ſingulorum auxilia tranſeuntibus. Oleo etiam malue decoctum admiſcetur, aut glaucium, aut adeps anſerinus, aut pinguium carnium iura, aut lixiuium lignorum cinere factum. Vbi verò vomitus diligenter citatus fuerit, nequid in ventre coierit, quæ hæſerit inteſtinis reliquiæ, clyſtere acri deuocentur. Facit & nitrum tritũ cum hydromelite ſumptum, & vina rotera liberalius epota, gallinacea iura, præpingues piſces, vetuſtæ carnes pingueſque, & quæ adipe aut recenti butyro parantur. Aluum namque ſubducunt, vti diximus, & ſtomachum reſoluentia, promptiorem ipſum ad vomitum reddunt: & venenorum acrimonias hebetant, atque meatus obſtruentia, celerem virium penetrationem inhibent. Quinetiam medicamenta dantur, quæ communi dote proſunt, vt Lemnia terra, agaricum, abrotonum, irio, radix eryngij, ſemen paſtinacæ, & calaminthæ, nardum Gallicum, caſtorium, ferulæ virentis medulla, flos rhododendri, ſuccus marrubij, laſer, aut laſerpitium, ſagapenum, peucedani ſuccus, aut panacis, & radix, quam magudarim appellarunt, ariſtolochia longa, ſylueſtris rutæ ſemen, & betonicæ, quam ceſtron nominant, folia: ſingula cum vino drachmæ pondo ſumi debent. Effectum præbet polij decoctum, & ſeſeli, & liquida pix lincta. Magnificè ferunt opem antidota, quæ in calce operis ſcripta reliquimus. Communis ratio præſtandi auxilij ita ſe habet. Cæterùm ab iis, quæ conſueuerunt euenire, communia remedia ſumptitari poſſunt. Ferè enim vires venenorum quàm plurimorum in affectus conſimiles corpus tandem redigunt. Quam ob cauſam pleriſque communia conducunt auxilia: varia etenim ſunt venenorum genera, communes tamen, nec multi iidem affectus oriuntur. Neque fieri poteſt, vt omnes concurrenteſque caſus, quæ ſymptomata vocant, vnum venenum ſequantur, alioqui ſuperuacanea fuiſſet venenorum ſingulorum traditio, cum ſuis remediis ab authoribus deſcripta. Neque verò in vno eodemque promptum eſt inuenire, vt quis ſtomachi, alui, inteſtinorum, iecoris, renum, & veſicæ dolore vehementer crucietur, vt ſingultiat, erodatur, contremiſcat, refrigeretur, obmuteſcat, conuellatur, pulſus elangueſcat, ſpiritus difficilis fiat, veterno prematur, vertigo obuerſetur, caligent ſenſus, ſtranguletur, ſitiat, ſanguis erumpat, febre conflictetur, ægrè lotium reddat, torminibus vexetur, crebrò vomitet, nauſea prematur, rubeſcat, liuore ſugilletur, palleſcat, deſipiat, ſtertat, viribus deficiat, & pleraque alia faciat, patiaturque: ſingula enim in generales affectus deducta, pauca numero, & communia ea demonſtrant, quæ euenire conſueuerunt. Quare in ſingulis, quæ ſupra diximus, non facilè fuerit deuoratum virus cognoſcere. Nam oris & linguæ eroſio, ſtomachi, ventris, veſicæ ac renum inflammatio, vehemẽs vrinæ difficultas, & interdũm cruoris cum eo exitus, lacinatio, & in pluribus partibus quidam aduſtionis ſenſus, non in cantharidibus modò potis reperiuntur: ſed in erucis quoque pinorum, & bupreſte, & ſalamandra. Porrò non modò eos, qui meconium hauſerunt, veterno, aut ſopore premi, ſtertere, liuore ſugillari, torpere, refrigerari, ſtupeſcere, toto corpore pruritum ſentire, ſenſu priuari conſtat, ſed eos etiam, qui mandragoram, aut cicutam deuorarunt. Delirium non hyoſcyamus tantùm infert, verùm etiam quæ toxica appellãtur: itidem aconitum, & mel, quod in Heraclea Pontica gignitur. Strangulatio non minus in fungis, quàm in ſanguine taurino, lacte, aconito, ceruſſa, gypſe conſpicitur. In ſumma, difficile vnum vni veneno proprium inuenire ſignũ, quod hauſtum, guſtatumq; virus prodere poſſit: maximè, quòd hæc cæterorum etiam vitiorum, quæ in corpore exoriuntur, communia ſequi ſolent. Cæterùm in his, quæ celeriter enecant, noxam ſignis forſitan indicare poſſis, ſi ad ea reſpexeris, quæ ſumus dicturi. Sed in iis, quæ ad longas ægritudines ſpectant, nihil ad medendi rationem difficile, duntaxat quod pertineat ad indicia noxæ, vtpote cùm venena ſtatim, atque ſe præſentaneam vim illam perdiderunt, transmutata in longos affectus, communia reliquorum vitiorum remedia, compoſitioneſque flagitent, cùm venefica proprietas non amplius inſit. Si verò longa ſit affectio, in aliquod diuturnorum morborum genus recidet, à quibus facilè fuerit medendi rationem aſſumere. Sed de iis, quæ generaliter auxiliantur, hactenus. Conſequẽter quæ priuatim ſingulis proſunt, ſcriptis mandabimus, ſi prius ſigillatim expoſuerimus, quæ ex ſingulis ordinibus exitialem, aut maleficam vim ſortiũtur, vt medicinæ ſtudioſi ea cautè obſeruent, quæ ad rationem ſalutis ſcripta inueniũtur: quòd nonnulla eorũ, quibus vtuntur, venenis ſint commiſta. Incuria enim magnas ad fert noxas, & ſæpe continuo vſu eorũ, homo in perniciẽ agitur. Proinde animalia, quæ exitioſam vim habẽt, hæc ſunt: cãtharides, bupreſtis, ſalamandra, pinorũ erucæ, lepus marinus, rubeta, & rana paluſtris muta, deuoratæ hirudines.

Semina ſunt, hyoſcyamus, coriandrum, cicuta, gith, pſyllion. Liquamenta, meconium, opocarpaſon, taxus ſuccus, elaterium, mandragoras. Radices. quas mittit chamæleo, aconitum, thapſia, veratrum, nux, agaricum nigrum, ephemerum, quod aliqui Colchicum vocant, quod in Colchide naſcitur. Arbores, herbæ, oleraq;: ſmilax, quam aliqui tithymalum appellant, Romani taxum: ſolanum manicum, quod & dorycnium dicitur: ſardonia herba, quæ ranunculi genus eſt: corniculatum papauer, pharicum, toxicum, ruta ſylueſtris, fungi. Ab animalibus, taurinus ſanguis recens, lac intus coagulatum, mel Heracleæ in Ponto genitum. Metalla, gypſum, ceruſſa, calx, auripigmentum, duo ſandarachæ genera, ſpuma argenti, adarce. plumbum, & quod argentum viuum dicitur. E liquoribus domeſticis, vinum abundè poſt balneas potum, aut paſſum, & frigida aqua ſimiliter.

## COMMENTARIVS MATTHIOLI.

Beneficium à Dioſc. in poſteros collatum.

*MAGNVM ſanè, & immenſum beneficiũ acceptum referre debent ſapientiſſimo Dioſcoridi, non ſolùm Medici orbis vniuerſi, ſed etiam vniuerſa ſimul humana natura: quippe quòd is artem medicam illuſtrauerit quinque ſuperioribus libris, in quibus infinitorum ſimp. medicament. hiſtoriam, ac facultates miro ordine tradidit: ſine quibus nullo quidem pacto ægritudines propelli poſſent, nullaq; earũ noxa deleri, quibus vita noſtra conſlictatur, ac tollitur. Sed longe plura adhuc beneficia eidem accepta referri debent, quòd deinceps in hoc ſexto volumine, exactiſſima ſcientia mirabiliq; doctrina ac ratione explicauerit, & quomodo quiſque lethalia omnia venena præcauere poſſit, & qua etiam ratione ſuccurrat, ne eadem perniciem, vel aliquam inferant noxam, quæ prius per imprudentiam, aut malitiam, aut dolum intus in corpus aſſumpta fuere. Nam etſi medicamenta tam ad vniuerſales, quàm ad particulares morbos, qui quotidie inuadunt, affliguntq; humanum corpus, neceſſaria plurimùm ſemper extiterint, apprimeq; vtilia: innumeri tamen habentur morbi, qui ſeruata tantùm victus ratione, naturæ duntaxat ope pelluntur. Secus autem euenit ijs, quibus venenum exhibitum ſit: quandoquidem niſi prius hauſtis præſtantibus admodum antidotis veneno præuenerint, vel poſt ipſum aſſumptum remedia non admiſerint, rariſſimè vel nunquam naturæ viribus ſeruantur. Quin potius eos plerumq; vita deficit, qui venenum hauſerunt, niſi quàm primùm ſuccurratur remedijs: de quibus ita abunde, accurateq; ſcripſit Dioſcorides, vt Galenus & grauiſſimus author, & medicorum facilè princeps, nec non tota poſteriorum Græcorum, & Mauritanorum ſchola, ipſum in hoc adeò diligenter ſint imitati, vt ab eo omnem huiuſce facultatis doctrinam didicerint. Cuius rei ampliſſimus teſtis eſt Galenus libro primo de antidotis. Quamobrem omnibus perſpicuum eſſe poteſt, Dioſcoridem in hac venenorum, æquè ac in illa medicamentorum facultate, omnium facile principem, & magiſtrum extitiſſe. Itaque cum in alios eius quinque ſuperiores libros, commentarios (vt puto) non inutiles conſcripſerim, me equidem operæpretium facturum putaui, ſi libro quoque ſexto commentarios adderem: præſertim cum nouerim quam vtile ſit ac neceſſarium, homines in vniuerſum aſſequi tum modum, tum rationem tam præcauendi, quam curandi venena, non ſolum ea, quæ intus in corpus ſumuntur, ſed etiam quæ venenoſorum animalium morſu, vel ictu eiaculantur, & relinquuntur: Siquidem malefica venenorum vis, adeò grauis & potens humanæ naturæ ſemper extitit inimica (huic enim magis, quam cæteris aduerſatur) tantaq; velocitate ſuum exequitur munus, & ſæpenumero eundem præſtet effectum in corporibus noſtris, quem præſtat voraciſſimus ignis, ſi quando ad aridiſſimas peruenerit paleas. Fit enim, vt plerumque venena, dum iubent qui ſumpſerunt, vel icti languent, medicos accerſiri, eouſq; corporis humores inficiant, atque etiam principes partes, vt ſubinde nihil, vel parum poſſint remedia, & quam præſtantiſſima antidota. Quapropter rectè Galenus lib. 3. de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap. 23. ſcriptum reliquit, quod quando venenum putredine, & eroſione enecans, grauem corpori intulerit noxam, fieri quidem non poteſt, vt amplius vincatur, ſuperetur q; vel victus ratione, vel generoſorum medicaminum ope. Ex hoc itaque accepi, clarèque cognoui, quòd ſi in hunc quoque librum ſextum commentarios non ſcripſiſſem, præſtantiorem, magisquè vitæ humanæ neceſſariam medicamentorum partem, intactam ſilentio prætereyſſem. Quæ quidem pars, cùm præterea à nobis ex Dioſcoride pluribus antè annis in Italicam linguam verſa habeatur, ac etiam his noſtris commentarijs enarrata, cauſa nimirum erit, quæ potiſſimùm innumeri homines, non modò à mortiferis ſe tueantur venenis, ſed à morte quoq; liberentur. Nam quicunque in hos noſtros inciderit commentarios, qui Italici, aut Latini ſermonis non fuerit prorſus ignarus, quanquam non fuerit Medicus, non tantùm ſibi ipſi, verùm etiã alijs adiumento eſſe poterit. Nempe quòd vſus medicamentis tum ſimplicibus, tum compoſitis ad venenorum noxam facientibus, quorum inferius præſtantiora, valentioraq; referam: quin etiam conuenientibus vſus cautionibus, facilè aliquando veneno prorſus medebitur, aliquando autem tamdiu ægros viuos traducet, quamdiu diligentiſſimis Medicis accerſitis, qui non ſemper præſtò ſunt, ſed magna ex parte vel longè diſtant, vel abſunt, integrum medendi locum relinquet. Sed anteaquam modum, ac rationem præcauendi venena in medium afferam, non alienum duxi, ad ampliorem huiuſce rei doctrinam, nonnulla in vniuerſum præmittere ſcitu, vt arbitror, neceſſaria, vt ſine quibus tractatio hæc diminuta, & imperfecta videri poſſet. Primùm itaque dixerim (vt etiam Conciliator inquit, in libro, quem de venenis edidit) venenum omne intra corpus noſtrum aſſumptum omnibus ſuis facultatibus prorſus opponi cibo, quo nutrimur. Nam quemadmodum cibus in noſtri corporis ſanguinem vertitur, fitq; in omni ſui parte membris, quæ præcipuè nutrit, ſimilis, locum illius, quod continuò in nobis exoluitur, ſubintrans: ita venenum contrario modo ſe habens, corpus ac membra, quibus primò adhæret (vt infra latius dicetur) in ſibi peculiarem venenatam naturam transfert. Vnde quemadmodum animalia omnia, omneſq; fructus, quæ terra parens gignit, quæque in nutrimentum verti poſſunt, ſi a nobis edantur, in noſtrum tranſeunt alimentum: ſic per oppoſitum modum, venenata intro in corpus ſumpta, vniuerſa corporis noſtri membra venenata reddunt. Quippe cùm omne agens ſuo paſſo ſit fortius, venenum vi ſua agendi valida, noſtram vincit ſubſtantiam, vertitq; in ſuam venenatam naturam, ea ſanè ratione, qua ignis ſua vi agendi potentiſſima paleas celerrimè in ſe ipſum conuertit, & conficit. Ob id itaque dixere antiqui rerum naturalium exploratores, quòd venenum homines interficit corrupta corporis temperie, & compoſitione. Id quod maximè comprobat Galenus lib. 3. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, vbi in hoc inquit, differt alimentum à medicamento, quòd hoc noſtrum corpus alterat ſuis qualitatibus, illud vero conuertitur, fitq; ſubſtantiæ corporis ſimile. Porrò ſuit e conuenit (vt Auicenna, & Auerroes poſteritatis memoriæ prodiderunt) venena in vniuerſum trium eſſe generum: vt enim aut à plantis, aut ab animalibus, aut a metallicis exitioſam vim habent, ita inde diſcrimina ſortiuntur. In plantis igitur ea omnes inter venenata recenſentur, quæ ciborum naturæ omnino repugnant, & aduerſantur: quæ natura non*

Ratio commentariorũ in librum ſextum.

Veneni operatio qualis.

Venenorum genera tria.

eiuſmodi ſunt, vt eſitatæ in alimentum conuerti poßint : quin immo contrariam obtinent facultatem, ita vt membra iam nutrita, in ſe ipſas conuertant. Cuiuſmodi eſt elleborus, aconitum, cicuta, napellus, Sardonia herba, nerium, & alia quàm plurima plantarum genera, de quibus in proceſſu pluribus ſeorſum agemus. In animalibus ea omnia veneno inſunt, cuius natura humanæ prorſus aduerſatur. Patet id in viperis, aſpidibus, baſiliſcis, lepore marino, rubeta, ſcorpio, phalangio, ſalamandra, rabidis quadrupedibus : item in morticinis carnibus aut à fulmine occiſis, aut à veneno occiſis, & rabidis animalibus. Cæterùm hac in re, licet nonnulli dicant venenum cum vita animalis conſumi, eo ducti exemplo, quod cerui, lupi, apri, & reliquæ feræ, quæ venenatis ſagittis conficiuntur, innocuè comedantur, ſcire tamen oportet, hanc regulam deficere in his, quæ peſtis, aut rabies, aut fulminis ictus, aut venenoſorum morſus enecat. Quandoquidem complures vidi mortuos eſſe, qui tantùm boues peſte confectos excoriauerant, haud aliter toto corpore tumentes, ac ſi in hydropem incurriſſent. In metallicis denique illa omnia produntur venenata, quæ malefica, ac lethali conſtant facultate. Qualia ſunt argentum viuum, auripigmentum, ſandaracha, magnes, & ſimilia. Ad hæc ſciendùm eſt venena non ſolùm

Venena quot modis mortẽ adferant.

interficere per os ſumpta, ſed interdum etiam extrinſecus applicata, varijs ac diuerſis rationibus. Porrò quæ per os ſumpta venena vitam adimunt, ſub ciborum, aut medicinarum ſpecie plerunque propinantur. Quæ verò exterius tantum admota inficiunt, vt plurimùm à venenatis, & mortiferis animalibus deſumuntur. Siquidem hæc homines non morſu modo, vel ictu necant, ſed viſu quoque, ſibilo, & tactu (vt quidam ſcribunt) interimunt. Quin etiam non deſunt venena, quæ geſtatu, olfactuq; tantùm ſtatim hominem in perniciem agant nulla temporis mora, quæ quidem inter cætera malitiæ & atrocitatis principem locum obtinent: quippe quòd ſecum deferant præſentaneum interitum, ex quo nullum ſubinde ſuperſit reliquum infelicibus moribundis ſuccurrendi tempus. Cæterùm morſu, ictuq; interficiunt viperæ, aſpides, ſcorpiones, phalangia, paſtinacæ piſces, rabidi canes, & alia id genus plura. Viſu autem & ſibilo (vt author eſt Galenus libro de theriaca ad Piſonem, ſi tamen Galeni legitimus eſt liber) ſtatim inficit Baſiliſcus. Tactu alius ſerpens enecat, de quo agens Auicenna lib. 4. fen 6. narrat, quòd is à milite quodam haſta infixus virulentam vim per haſtam tranſmiſit ad manum, quam primùm infecit, & deinde totum corpus corrupit. Ad huiuſce rei comprobationem illud ſanè compertum habeo, quod in

Hiſtoria notabilis.

agro Tridentino eueniſſe ſcio. Nempe cùm ruſticus quidam eſſet ſuis in vinetis, paruum quendam collem ſæpius aſcendebat, vt ibi vuarum cuſtodiam ageret. Hinc quadam die ad collis pedem magnum & horrendum vidit ſerpentem, cui capiti supernè haſtam ſatis longam infixit: at dum fixam feram ſe hinc inde fortiter contorquentem, & haſta circumuolutam, pro viribus teneret, magno ſtatim tremore correptus eſt, quo maximè deterritus vociferans, viatores, & circumſtantes colonos ad ſe ire rogabat. Quam vociferationem audientes, qui non longè aberant ruſtici, eò curſu velociter contenderunt, & ipſum ferè ſemimortuum inuenerunt. Cognita tamen ex occiſo ſerpente, ſui infortunij cauſa, ad theriacam, & alia antidota confugerunt, quibus eum ad vitam reuocarunt. Veruntamen duobus annis poſtea is vniuerſi fere corporis ſtupore in lecto ſemper decumbens ægrotauit, & eo præſertim brachio, quo pernicioſum animal haſta occiderat. Nec admodum mirari rem hanc nobis licet, cùm videamus (vt etiam literis mandauit Galenus lib. 6. de locis affectis) torpedinem marinam de repentè piſcatoris manum obſtupefacere, ac torpidam reddere, vbi primùm is tridente eam tetigerit. Id quod ſimiliter efficit, tranſmiſſa per funem retis qualitate, dum trahitur in litus. Proinde id experientia docti piſcatores, ſi dum retia trahunt, manus torpeſcere, tremereq; præſentiant, certò torpedinem captam ſciunt, etſi longo admodum fune trahatur. Vnde illud perſpicuum eſt, quòd ſi huiuſce piſcis qualitates per tridentis haſtam, & retis quàm longißimum funem tranſmiſſæ ad manum, inficiunt & corrumpunt homines, eò magis id ipſum fieri poterit, ſi animalia ipſa, aut nuda manu, aut alia corporis parte tangantur. Idcirco manifeſtè conſtat nullum eſſe brachium tam validum & robuſtum, quod torpedinem adhuc viuentem diutius ſuſtinere poßit. Quare admirandum ſane non erit (vt lib. teſtatur Galenus [illegible]tato) quod ſputum canis rabidi, ſi humanum corpus contigerit, perinde ipſum rabie afficiat, ac ſi ab ipſo cane eſſet demorſum: nam & huiuſce effectus hac noſtra ætate plura afferri poſſent exempla. Neque etiam alicui mirum eſſe debet, quòd ſputum aſpidis cognomento Ptyas, omnes veneno inficiat, quos contigerit. Hoc idem ſimiliter efficiunt quædam ſæuiſſima venena arte conflata, tanta permeandi & penetrandi vi prædita, quòd illitis (vt ferunt) ſellarum pediferis, [illegible] ocreas penetrant, donec ad nudas pedis plantas peruenta, & inde per cutis ſpiracula in corpus ingreſſa, vniuerſa corporis membra corrumpunt, & abſumunt. Horum vſus (vt audio) frequens apud Turcas, & alias ferinas gentes. Ex hac autem re nullam quis capiat admirationem oportet: ſiquidem arteriæ corporis noſtri (teſte Galeno libro tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ac alijs in locis) ad ſe intus trahunt quodcunque proximè circumdat eas, dum contractæ dilatantur. Id quod quotidie liquet ex inunctionibus, ac ſuffitibus ad morbum Gallicum paratis, quippe eædem ab arterijs attractæ, vbi argenti viui, cinnabaris, vel ſublimati officinis vocati plurimum admiſerint, ſæuißima ſæpe pariunt

Sputum canis rabidi rabie afficit.

Venena olfactu necãtia.

ſymptomata. Sunt & alia venena, quæ olfactu tantùm (vt quorundam fungorum meminit Raſis) præſentaneam afferunt mortem ijs, qui è naribus admouerint. Huius ſummæ malitiæ ſedem illud ſanè tenere debebat, quo florem recentem bus vetonicum vocatum, Senis quidam circumforaneus infecerat ex his qui innocuè venenum deuorare profitentur, quem cùm olfaciendum exhibuiſſet ſuo concurrenti in publico Senenſi foro, is ex ſolo olfactu derepente concidit mortuus. Præterea venena quædam ſunt, quæ ſolo guſtatu, quanquam non deglutiuntur, perimunt: idq; præſtat aſpidis ſurdi ſputum.

Venena ſolo guſtu necantia.

Quo memini quoſdam imprudenter infectos eſſe. Inter quos vidi ego ruſticum in valle Anania, qui dum fenum ſecaret in pratis, feram falce per medium ſecuit, & cùm poſtea capitis truncum manu cepiſſet, vt ſocijs aſtantibus oſtenderet, vtpote qui iam feram demortuam fortaſſe cenſebat, ſuſpenſus manu truncus caput retorſit, & ruſtici manum ſæuiens momordit. At ille credens ſuctu vulneri ſuccurrere, os ſtatim morſui admouit. Quo facto derepentè in terram cecidit, vbi ſtatim mutus factus deperijt. Inſuper ſciendum eſt, quòd venena non vno eodemq; modo, neque ab vna eademque cauſa ſuos pariunt effectus. Siquidem (vt ſapientes quidam memoriæ prodiderunt) quædam agunt exceſſu qualitatum elementorum, quarum miſtione conſtant. Quædam verò propria tantùm qualitate aut forma, quam occultam proprietatem medicorum quidam appellant, in miſtis inferioribus introducta ex influxu linearum rectarum radicalium, quæ ex ſyderum fixorum ſplendore proueniunt, pro materiæ miſtorum proportione ſeu conſtitutione. Alia denique vtroque modo ſimul agunt, nempe & qualitate elementari, & propria quam formam ſpecificam nominant. Porrò venena, quæ exceſſu tantum ſuarum qualitatum operantur, ſuas variant actiones, pro varietate ipſarum qualitatum : quippe quòd vnum ſit calidum, aliud frigidum, aliud ſiccum, aliud humidum. Quæ igitur caliditate excedunt, duobus modis perimunt. Vno quod intus in corpus ſumpta excalfaciant, vrant, corrodantque vſque ad cor : alio quòd extrinſecus appoſita corrodant & exedant carnes vſque ad oſſa: id quod lepori marino adſcribitur. Vel quòd ſummè calfacientia tam intus, quàm extra corpus adurant, quemadmodum euphorbium, & elleborus donec inflãmato tandem corde interimant. Frigida ſimiliter bifariã necẽ adferunt. Vno modo quòd exuberante frigiditate ſua, vſq; adeò corpus gelidũ, ſtupidumq; reddant, quòd ſimul etiam cor congelaſcit, vt ijs euenire ſæpius compertum eſt, qui opium deuorarunt. Altera, quòd obſtructis meatibus

Venenorum effectus à diuerſis cauſis.

A qualitatibus excedentibus.

frigi-

ſpiritus meatibus, anhelitum intercipiunt, & proinde ſuffocant, & ſtrangulant. id quod præſtant exuſtum plumbum, & cunctæ veneſici. Duplicem & ſiccum venenum habet operandi modum: quandoquidem vel humidum ſanguinem corrumpunt, vt calx viua: vel ſeparent ac diuidant partes ab inuicem, quouſque omnia membra ad cor vſque in minima diuidantur partes: quem effectum præbet riſagalium vocatum. Humidum poſtremo, etſi aliqui tradant non inueniri, quantum nobis ſit humidum reperire, quod ad quartum humiditatis exceſſum peruenerit; oppoſitum tamen declaratur exemplo illius, qui nocte dum dormiret, a ſerpente quodam demorſus (vt Gilbertus Anglicus narrat) mortem obyt: cumq; mane a puero per brachium traheretur (ſic enim arbitrabatur dominum a ſomno excitare) caro iā vniuerſa putredine confecta, tractu illo concidit, oſſibus remanentibus carne prorſus exutis. Quod non certe alia de cauſa contigiſſe potuit, quam ab excedente veneni humiditate, quæ ſumma ſane inerat feræ illius dentibus. Eundem effectum præſtat etiam ſalamandra, ſi in puluerem redacta bibatur, vt in proceſſu ſuo loco docebit Dioſcorides. Nec ſecus illi acciait, quem cenchris ſerpens momorderit. Quocirca recte proditum eſt a Galeno ex authoritate Hippocratis libro primo de temperamentis, quòd cum anni conſtitutio pluuialis, humida, & auſtralis fuiſſet, ea potiſſimum humiditas fecit, vt ſuccedente æſtate carbunculi orirentur: quibus ob corruptam venenatamq; humiditatem couſque in aliquibus brachia putruerunt, quòd denique tota hac ipſa putredine correpta, à cubitis diuiſa deciderunt. In alys verò tantam coxarum, crurium, & pedum caro putredinem ſenſit, quòd plane oſſa carne deſtituta remanſerunt. In alis denique non caro ſolùm computruit; ſed ſimul etiam nerui, oſſa, eorum compagines, nexusq; contabuerunt. Ex hoc itaq; aperte oſtenditur reperiri venena, tanta humiditate exuberantia, vt homines interimere poſſint, vt pote quæ membra putrida efficiunt: ſicut argentum viuum, quod ſua humiditate modum excedente, inſitum cordi naturæ humiuum ſæpe corrumpit, vt quotidie videmus in ijs, qui eo vnguentis excepto ſe inungunt ad luem Gallicam delendam: in quibus præterquam quod ſemper gingiuas, dentes, palatum, aliasq; vicinas partes putredine afficit, ſæpe etiam vbi vberius quam par ſit, inunctum fuerit, eos in perniciem ducit: quippe quod vniuerſo ſanguini putredinem inferat. Idq; extrinſecus duntaxat adhibitum, quanquam & id ipſum intus aſſumptum occidit, ſi modum quendam exceſſerit, vt libro ſuperiore tradidimus. Siquidē præ nimia ſui frigiditate vitales ſpiritus cordisq; ſubſtantiam congelat, quod cuidam ſeplaſiario, qui illud imprudenter biberat, eueniſſe narrat Conciliator Petrus Aponenſis. Hoc igitur modo, alijsq; prædictis ſuos venena præſtant effectus, quæ ſuis modum excedentibus qualitatibus mortem hominibus adducunt. Cæterum venena, quæ propria ſui facultate, vel (vt dicunt) propria forma enecant, id non efficiunt, quod caliditatis, frigiditatis, humiditatis, aut ſiccitatis modum excedant, ſed quòd id peculiare à natura habuerint ex influxibus a radys (vt ſupra diximus) quorundam ſiderum fixorum prouenientibus, quæ ea humanæ naturæ prorſus aduerſa genuerunt. Hæc propterea etſi tam pauca quantitate ſumantur, vt vix ſentiantur, tanta tamen eſt eorum maleſica atroxq; vis, vt breui tempore tantum augeantur, in ſe ipſa corporis humiditatem conuertendo, quòd poſtea quaſi horæ momento diſſoluunt, & ad mortem trahant homines, a quibus hauſta fuerint, quemadmodum aconitum, napellus, & toxicum facere conſueuerunt. Id quod optime nouit Galenus libro primo de ſemine, vbi rem explicauit his verbis: Qua ratione etiam minima particula humoris lethalium venenorum, quæ deleteria appellant, vbi in animalis corpus ingreſſa fuerit, totum id momento temporis immutat, ſibiq; ſimili affectione alterat. Nec ſecus fit curatio, quæ per venenorum remedia, & antidota adhibentur, quæ alexipharmaca nuncupant, quæ contraria lethalibus alteratione totum etiam ipſa corpus immutant, non ſane quòd ſubſtantia ipſorum per totum penetret corpus (neque enim poteſt tam paucus ſuccus tam breui tempore corporis interdum maximam molem replere) ſed qualitatis diffuſione, qualis & extra nos a Solis fulgore in ambientem aerem, & in nobis, tum a corde in arterias, tum a cerebro in neruos fieri conſpicitur. Et lib. 5. cap. 19. de ſimplicium medic. facul. idem inquit: At medicamenta ſunt quæ tota eſſentia nobis contraria ſunt: proinde ſi vel minimū eorum aſſumptum fuerit, omnino lædat neceſſe eſt, hæc Galenus. Ex quibus facile conſtat, ipſum velle, quòd antidota non ſecus atque venena agant in corpora noſtra. Item Galenus tertio ſimplicium medicamentorum cenſu cap. 22. in prædictorum teſtimonium ita ſcriptum reliquit. Medicamenta erodentia, & putrefacientia etiamſi quantitate minima ſumantur, omnino tamen corrumpunt, quia videlicet, quæ putredini obnoxia ſunt, calore, humiditateq; putreſcere ſolent. Atqui calidus, humidusq; ſanguis eſt. Itaque putreſcere nunquam ceſſare poſſunt. Proinde longo etiam poſt tempore, à quo ſumpta ſunt, venenata interimunt, potiſſimum quæ craſſa, terrenaq; eſſentia ſunt: hactenus Galenus. Sed ad antidota redeamus. Sciendum eſt, quod ex his ea tutius operantur, quæ præcauendi gratia antea aſſumuntur, quàm quæ poſt: nam vt venenum quanquam efficax nihil aut parū nocet ijs, qui prius ſe antidotis muniuerunt (vt contigit Mithridati) ita pari ratione nullum, aut paucum adferunt auxilium, quæ poſtea exhibentur, niſi ſæpius, maioriq; quantitate ſumantur, vt in corporibus maius eorum vis capiat incrementum. His adſtipulatur Galenus libro primo de antidotis à principio ſic inquiens: Mithridatica antidotus, itemq; theriaca non eam vim habent poſt venenum accepta, quam antè ſumpta habuiſſent: nam portio antidoti quæ prius, & ſemel hauſta tutum à morte quempiam præſtitiſſet, ea venenum ſubſecuta niſi ob quadruplum, quintuplumque aucta, non iuuabit: neque id ſemel tantùm, ſed bis ſingulis quibusq; diebus hauſta, faciet: hactenus Galenus de his diſſerens. Cæterum venena, quæ & manifeſtis, & occultis ſimul qualitatibus agunt, id præſtant vtroque modo, quo prædicta duo: quemadmodum agit euphorbium, quod licet venefica vi, quam ab exceſſu caliditatis obtinet, inficiat: inficiat tamen & vt alia, quæ à propria ſua forma, & latente qualitate procedit. Cuius rei illud indicium eſt, quod exhibita theriaca, cuius proprium eſt, ea omnia ſuperare venena, quæ propria forma, & tota ſpecie operantur, efficaciſſimè valet aduerſus euphorbium hauſtum. Quod ſi ſola excedente caliditate euphorbium noxam inferret, tantum abeſt, vt theriaca, quæ non parum caliditatis obtinet, auxilio futura ſit, vt etiam illius noxam foueat, & augeat, quod tamen non facit. Scire etiamnum conuenit non omnia venena cor primùm petere, & illi noxam inferre. Siquidem reperiuntur, quibus ita natura comparatum eſt (id enim claret experientia) vt intus aſſumpta ſeparatim noceant vno tantum corporis membro alia vero alteri: quemadmodum etiam ſunt medicinæ, quarum aliæ præcipuè cordi opitulantur, vt crocus, hyacinthus: aliæ cerebrum, & caput iuuant, vt ſmaragdus, ſtœchas, betonica: aliæ ventriculo præcipuam opem ferunt, ſicuti corallium, cinnamomum, gingiber: aliæ denique alys corporum membris auxiliantur. Idcirco Galenus libro de theriaca ad Piſonem: Sunt (inquit) plura medicamenta, quæ quibuſdam corporis partibus eximiè curandis ſunt idonea. Patienti igitur iecinori ſæpe eupatoria herba auxiliata eſt: Glans vnguentaria (myrobalanon vocant) lienem adiuuat: ſaxifragon & betonica renibus pulchrè faciunt: ſimiliter alia aliarum (vt experientia obſeruauimus) propria ſunt medicamina. Tales igitur proprietates in venenis quoque reperiri affirmauerim: quandoquidem planè conſtat cantharidas præcipue noxam inferre veſicæ, cicutam cerebro, leporem marinum pulmoni, & alia item alijs corporis membris particulatim, vt in hoc libro melius, latiusq; oſtendemus, vbi de ſingulis ſeorſum agemus. Id quoq; non latuit Galenum, vt loco iam citato eius verba aperte teſtantur, dum ait: Sunt nonnulla venena, quæ partes etiam quaſdam corporis priuatim vitiant. Nam

Venenum ſiccum duplici ter agit.

Humida venena dari.

Argentum viuum vt necet.

A forma propria.

Antidotorum actio.

Venena manifeſtis & occultis qualitatibus ſimul agentia.

Venena diuerſa membra petunt & non primum cor.

aut. Nam lepus marinus pulmonem exulcerat, cantharis veſicam peculiariter afficit. Porrò non ignorandum [illegible] venena hæc (vt adnotat Gentilis) natura inſitam habeant, vt ſeorſum vnumquodque membrum determinatum [illegible] non tamen propterea fit, quin noxã etiã cordi communicent: nam ſi ſecus eſſet, neminem ſane interimerent. Quam [illegible] haud mihi diſplicet eorum ſententia, qui ideo volunt omnia venena pernicioſa eſſe, quòd cordis facultatem opprimant [illegible] quidem parum refert, an illud efficiant, quod primo cor ipſum opprimant, aut aliquo alio mediante. Huius [illegible] ſtam fidem facit Galenus libro 5. cap. 1. de locis affectis, vbi ſic habet: Quænam ipſi cordi propriè vel primario [illegible] veniant accidentia: quænam verò ipſo cæteris partibus conſentiente, id ex iis intelligi poteſt, quæ prius in aliis [illegible] ſtrauimus, vbi iam declaratum eſt innati caloris cor velut fontem eſſe, neque animal mori omnino poſſe, [illegible]

Num venena in ſtatum diem interimere poſsint.

ciatur: hæc Galenus. Cæterum illud etiam in diſputationẽ venit, nunquid fieri poſſit, vt venena in diem exhibe[illegible] certis occidere temporibus, hoc eſt, quòd certo & præfixo tempore mortem adferant: exempli gratia in vno [illegible] pluribus, vel ad annum vſque, non celerius, neque tardius determinato tempore præfixo. Qua in re in primis [illegible] dus eſt Theophraſtus, grauiſſimus & antiquiſſimus author, qui libro 9. cap. 16. de hiſtoria plantarum de aconito [illegible] rens, ita ſcriptum reliquit: Componi autem ita ferunt, vt certis occidere temporibus poſſit, videlicet bimeſtri, [illegible] ſemeſtri, anno completo, nonnullum etiam biennio. Peſſimè illos de vita diſcedere volunt, qui plurimum tempore [illegible] re poſſint: paulatim enim tabeſcat corpus, & languore pereat diuturno eſſe neceſſe. Facillime illos, qui confeſtim [illegible] hæc Theophraſti ſententia. Veruntamen omnes ferè rei medicæ ſtudioſos in hanc concluſionem conuenire reperio, [illegible] quamuis in venenorum numero inueniantur (vt Theophraſtus inquit) quæ celerius, & quæ tardius interficiant, [illegible] propterea tamen præſciri poteſt terminus certus, & dies, quo mortem inferre debent, vt quidam exiſtimant. Nam [illegible] venena citius, aut ſerius occidant, non tantum ex innata & propria eorum vi prouenire cenſent, ſed etiam quò [illegible] vel minus reſiſtat eius natura, quæ venenum aſſumpſit. Id autem planè docet experientia: ſiquidem conſtat [illegible] num eodem pondere, vel eadem quantitate diuerſis natura exhibitum, alios in hora tantum perimere, alios in [illegible] horis, alios in die, & nonnullis niſi paruam afferre noxam. Id quod etiam quotidie experimur in medicamentis [illegible] eiiciendam aluum exhibentur: quandoquidem idem medicamentum eodem pondere, vel quantitate à diuerſis [illegible] acceptum, in aliquibus quam celeriter præſtat effectum, in aliis tarde, in aliquibus parum efficit, in aliis plurimum, [illegible] lys nihil, in aliquibus citra ullam moleſtiam deiicit, in aliis vero magno cum labore. Neque tamen id alia de [illegible] cidere manifeſtum eſt, quam ex vario diſſimiliq́; ægrotantium temperamento: quod non ita ad vnguẽ deprehendi poteſt, vt certo ſciri poſſit, quamdiu innatus eorum calor veneno reſiſtere valeat. At quamuis concedi poſſit, quòd quis [illegible] veneficus reperiatur, vt ex longa experientia, ac pariter ſcientia tam exactè naturam, & robur vitalis facultatis [illegible] in vnoquoque homine, vt conyicere poſſit, quoúſque perdurare valeat, vbi venenum illi ſua arte præparatum exhi[illegible] non tamen propter hoc is determinate ſcire poterit diem, neque horam mortis illius, qui venenum aſſumpſerit, [illegible] fieri poteſt, niſi diuino iudicio, aut afflatu, vt aliquis medicus, vel philoſophus adamuſſim expendere poſſit [illegible] quantum humidi ſubſtantiſici quantumq́; caloris innati in quocunque ſit corpore, præſertim quòd non ſemper in eodem ſtatu perſiſtant principes facultates: quo fit, vt quiſpiam modò plus, modò minus fortis appareat: tum etiam quòd corporis temperamentum plurimùm immutent cauſæ extrinſecæ, quas Græci προκαταρκτικὰς vocant. Adde etiam quod antidota, quæ à medicis huiuſcemodi venenatis continuè propinantur, etſi veneni vim ob ſui contumaciam [illegible] nequeant, impediunt tamen, ne id tam breui tempore perimat. Vanum igitur crediderim eſſe, quòd internæ noſtri [illegible] facultates, ac functiones poſſint (vt quidam volunt) iudicio duntaxat ita exquiſitè expendi, vt lance expen[illegible] Atqui ſcire etiam oportet, quòd etſi hoc magna ex parte euenire poſſit naturæ ipſius robore in hoc magis, in illo minus [illegible] iſteate: eo etiam tamen prouenit, quod aliqui conſtent arteriis, quibus venenum in cor fertur, admodum angu[illegible] contra admodum amplis. Namque venenum vbi vias latas expeditasq́; inuenerit, non ſolùm celeriter permeat, [illegible] gè etiam facilius vnà cùm aere prouehitur, qui cordis refrigerio continuè ingreditur. Id quod iis minime contingit, [illegible] propterea, quòd cor minus calidum obtineant, arteriis potiuntur longè anguſtioribus, quin & ſpirituum vitalium facultatem valde imbecilliorem habent.

Cicuta cur nutrimentũ Sturnis.

Quocirca Galenus tum tertio ſimplicium medicamentorum cenſu, [illegible] ſecundo de alimentorum facultatibus, tradidit cicutam hominibus in cibo lethalem eſſe, ſturnis autem nutrimentum. Quandoquidem hi arteriis adeo anguſtis præcluſisq́; conſtant, vt nullo pacto per eas ad cor lethalis cicuta vis [illegible] ſit: quanquam hoc de frigidis potius, quam de calidis venenis intelligi debeat. Huc illud ſcitu dignum accedit, [illegible] ſuaſu difficillimum eſt, venena, quæ ab impiis veneficis in diem exhibentur, alterius generis eſſe ab his, quæ [illegible] tùm qualitatum exceſſu perimunt. Nam quæ propria forma ac vi necant, in minima etiam quantitate exhibita [illegible] nus inquit) difficile cohibentur, quin breuiſſimo tempore lethale munus obeant ſuum. Non deſunt tamen, qui [illegible] aſſirment, quæcunque venena adeo temperari poſſe, vt illa celerius, hæc tardius interficiant: quibus equidem [illegible] non auſim, cum ſciuerim admiranda admodum eſſe ſecreta naturæ.

Vtrum quis aſſuefieri poſſit, vt venena innocue ſumat.

Quæri præterea ſolet, num fieri poſſit, vt quis [illegible] veneno aſſueſcat, minimum quid de eo quotidie aſſumens, vt eo tandem innocuè nutriatur, quemadmodum Rufi [illegible] nio ſcribit Auicenna, olim puellã nutritã eſſe veneno, ea tantũ ratione, vt reges quoſdam, & principes (quòd [illegible] eſſet) qui ſecum rem haberent, inficeret. Qua in re dixerim ego, quòd etſi non deſint, qui hoc fieri poſſe aſſerant: nunquam tamen ipſe adduci potero, vt credam humanum corpus nutriri poſſe veneno, & præſertim napello, quo plerique [illegible] exponentes, eam puellam nutritam eſſe interpretantur. Siquidem ea hiſtoria Arabicas potius fabulas imitatur, quam rem aliquam, quæ omnibus naturalis philoſophiæ rationibus comprobari poſſit. Quamobrem conſtat Gentilem Fulginatem in hoc Auicennæ loco adnixum quidem fuiſſe, vt hanc opinionem ſeruaret integram, quod nimirum fidelis cuiuſque expoſitoris eſſe debet. Nam poſtquam eam ſententiam validis, veriſquè rationibus primùm improbaſſet, denuò [illegible] Auerrois, Diniquè authoritate innixus, Auicennæ, & Rufi opinionem probare non dubitauit quibuſdam argumentis quamuis nudis, & infirmis. Quorum illud videtur fortius eſſe, vbi authoribus magis, quàm rationibus addictus [illegible] Aequum non eſſe, quod authores tam graues, tamque ſapientes, mendaces vocentur, vaniq́; habeantur. [illegible] to crediderit ipſe Gentilis Rufum, itemq́; Auicennam in veram hiſtoriam hanc rem recepiſſe, non autem in fabulam, [illegible] quoniam ſuperuacaneum duco in hoc conterere tempus, longa contradicendi oratione, præſertim quòd venenorum [illegible] la ea nullam aut paruam afferat vtilitatem: ideo relictis aliis, in Galeni ſententiam facilè deuenio, qui tertio ſimplicium medicamentorum cenſu cap. 18. tradit venena calida, & ſicca (qualem eſſe Napellum, quo puellam illam nutritam [illegible] lunt non ambigo) nullo modo poſſe in nutrimentũ redigi, etiã quòd in quantitate minima ſumantur: tametſi frigida [illegible] na quandoque in alimentũ vertantur. Quandoquide hæc (vt idẽ autor eſt exemplo cicutæ, papaueris, hyoſcyami, & mandragoræ) non ſui natura interficiunt, ſed qualitate duntaxat frigida. Quibus adiicit ipſe Galenus hiſtoriam anus cuiuſdam

*Athenienſis, quæ cicutam in cibo ſumebat nullo ſane detrimento accepto. Eam enim (vt idem ſcribit) modicæ primum quantitati aſſueuit, mox inde plurí, donec ex magna etiam quantitate, quæ illi in nutrimentum conuertebatur, nullum perciperet noxam. Ex quo palam fit, Galenum non admittere, quod venena calida nutrimento eſſe poſſint. Id quod tamen illis concedit, quæ propria ſpecie, aut occulta cauſa, veneni naturã ſortiuntur, inter quæ principem locũ obtinet napellus. Quare longe aberrant nonnulli interpretes, vtpote qui illud napello tribuant, quod plane cicutæ reddidit Gal. itaq; ſtatim quæ [illegible] hiſtoriã hanc confundant, Galeni verba peruertant, atq; rem male interpretentur. Quod et [illegible] Auicenna, niſi interpreti error fuerit adſcribendus. Quod poſtremo veneni facultas (vt quorundã opinio [illegible] & in illius adoleſcentulæ ſubſtantiã conuerſa, potuerit ex anhelitu in alios tranſire, ac eos ſubinde [illegible] videtur, atq; euidentius falsũ, quam vt pluribus explodi mereatur. Cæterum quoniã non deſunt animalia, quæ cibis victitant venenoſis, atq; ex iis nutrimentũ capiunt, ſicut Galeno authore lib. 2. de alim. facul. & [illegible] ſimp. med. ſturni cicutam depaſcuntur, & coturnices veratrũ, & vt nos quoq; quotidie videmus, anates, quæ in ſtagnis & paludibus viuunt, bufones aquaticos deuorant, & iiſdem nutriuntur ciconiæ venenoſis, & mortiferis ſerpentibus, & gallinæ interdũ ſcorpionibus, araneis, ſerpentibus, & aliis id genus venenatis animalibus: ideo inutile non fuerit ſcire nunquid huiuſmodi animalia, quæ venenoſis veſcuntur, ab hominibus cibo accepta inde venenũ inferant, eoq; inficiant. Hac in re [illegible] inuenio, immò fere omnes recentiores, qui de venenis ſcripſerunt, [illegible] aſſerere, quòd ſi huiuſmodi animalia edantur, non modo veneno non inficere poſſe, ſed nullam prorſus inferre noxam: quin potius corpus nutrire, non ſecus atq; alia, quippe quod conſtet (vt dicunt) ea in ſuã naturã venenatos cibos reddere. Quæ ratio & opinio etſi non abſurda, neq; [illegible] videatur, tamen crediderim, quod licet venenũ concoquatur, & tranſmutetur in eorum animaliũ ſubſtantiam, [illegible] id perpetuus cibus eſt, non tamen eſſe poſſit, quin caro quæ ex eiuſmodi fit alimento, ſi edatur, omni prorſus careat nocumento. Quinimmo putauerim, quod ſi ea in frequentiorẽ cibum venerint, poſſint quandoq; morbos ſæuiſſimos excitare, & [illegible] necẽ inferre. Siquidẽ huius rei nobis teſtimoniũ præbet Dioſc. & Gal.: quippe qui pariter aſſirment lac, quod [illegible] capræ, anguis [illegible] ex animalibus emunctũ, quæ ſcammoniã, aut veratrũ, aut thithymalũ depaſcantur, potum [illegible] ventrẽ deiicere. Ex quo omnibus perſpicuũ eſt, quòd omnes in vniuerſum plantæ, quibus vis deiectoria, & perniciosa [illegible] quamuis ſæpius concoctæ fuerint, non prorſus tamen ſuã deiiciendi, ac necandi facultatẽ deperdunt. Id quod ſimiliter manifeſtè deprehenditur in turdis, qui iuniperi baccis veſcuntur: itẽ in gallinis, quæ deuorant abſinthium. Quandoquidem illorũ caro iuniperum non mediocriter redolet guſtatu: harũ vero non paruã abſinthii amaritudinem refert. Ab his itaq; edocti Medici diligentiſſimi mandant nutriendas eſſe capellas herbis accommodatis, vbi animus fuerit earum lac exhibere hecticis, aut aliis alio morbo affectis, quibus tamen conueniat. Hoc quoq; teſtatur Galenus de vipera ſermonem habens lib. 11. de ſimp. med. fac. Ibi enim de dipſade differens, ſe non ignorare memoriæ prodidit, animantiũ carnes alterari a cibo, & alimento, quod capiunt. Quare vt ſummatim quod ſentimus dicamus, nullo modo huiuſmodi animalia in cibos admittenda eſſe putauerim, quamuis a nonnullis frequenter recipiantur.* 

Vtrũ animalia, quę cibis venenoſis victitant, exitioſã vim retineant.

*Illud porro ſciendum relinquitur, quod nonnunquã venena, quin & medicamenta venenata tam interius ſumpta, quã exterius appoſita morbis ſuccurrunt, qui aliud curationis genus non admittunt, interdũ etiam aduerſus alia venena theriacæ vicem ſupplent. Namq; apertè videmus, quod vbi quiſpiã afficiatur diuturnis vigiliis, aut ſuffocanti deſtillatione, aut menſiũ profluuio, aut dyſenteria, aut coli dolore, aut renum, aut vteri, vbi alia non contulerint medicamenta, ſi opiũ, mandragora, hyoſcyamus, vel antidota aliaq; compoſita medicamenta, quæ hæc exceperint (ſunt enim talia in officinis ſemper parata) exhibeantur, ſæpenumero ægros a morte vindicant. Quemadmodum etiam ſi ſcammonium, colocynthis, turpetũ, veratrumq; & alia id genus deiicientibus pharmacis addantur. Nam quamuis hæc omnia malefica qualitate polleant, in contumacibus tamen morbis & curationi [illegible], tantã [illegible] vtilitatem, vt ægris deperditam fere ſalutem reuocent. Cantharides præterea ad morſus canum rabidorũ vtiliter exhibentur: euphorbium ſcorpionum ictibus medetur, & ſcorpiones ipſi ſuis ictibus remedio ſunt. Sicut etiam viperæ, dempto capite, & cauda contuſa & impoſita, ſuos ſanat morſus, vt latius infra ſuis locis dicemus. Sed priuſquam ad [illegible] curationes deſcendamus, diſſeremus Dioſcoridem ſecuti, quomodo, quòue artificio à veneno [illegible] poſſint, qui perpetuo veneni timore premuntur. Quin & rationem docebimus ſuccurrendi iis, qui iam venenum hauſerint. [illegible] præſtantiora remedia aſſeremus, tam quæ ſimplicia ſunt, quam quæ compoſita, non ſolum a veteribus [illegible] experimento comprobata, ſed ẽt a clariſſimis quibuſdã recentioribus. De quibus probatis antidotis, etſi pollicitus ſit Dioſc. ſe omnino traditurũ in vltima huiuſce voluminis parte, pollicitis tamẽ non ſtetit, vt 34. huius libri capite conſpicitur, vbi excuſatione vſus, mutati conſilii rationẽ reddidit. Verũ vt iã ad rem nobis propoſitã accedamus, primo modũ aperiã, quo homines ſuſpicioſi veneficia præcauere poſſint.* 

Venenũ quãdoq; morbis, & alteri veneno remedium eſt.

*Pleriq; igitur ſunt, qui putãt, nõ paruã eſſe Principibus cautionem, mandare miniſtris, vt edulia, quæ præponuntur edenda (mos iſte hodie frequentiſſimus eſt) prius deguſtent. Quæ tamen res in ſuſpicione veneni tribus manifeſtis de cauſis nihil, aut parum æſtimanda videtur. Siquidem ſi pincerna, ſiue qui cibos ſuis dominis apponunt, veneficium committere decreuerint, ſe ipſos facile prius præparare poſſunt valentiſſimis antidotis, veneno illo accommodatis, quod exhibere in animo eſt. Vnde ſibi ipſis præcauebunt, dominum autem interficient. Ex quo ſatis liquet nihil prodeſſe ad præcauendum, quòd pocillator in ſeruatæ fidei ſignum domino præbibat, & eduliorũ diſſector præcomedat. Adde deinde, quod quamuis ille, qui edulia miniſtrat, menſæq; apponit, à coquo veneficium faciente deceptus cibos venenatos prægustando aſſumat, eorum tamen adeò modicã quantitatẽ prægustat, vt nullã aut paruã eo temporis momento poſſit moleſtiã percipere. Vltima accedit ratio, quod ferè omnia venena, quæ vt interimant cibariis admiſcentur, ea arte, eoq; ingenio parata ſunt ab impiis, & ſceleſtis veneficis, vt non niſi temporis interuallo ſuum triſte perficiant opus. His igitur de cauſis illud liberè proferre non dubitauerim, quòd nullam meliorem, ac tutiorẽ præcautionẽ ſibi comparare poſſunt Principes, quã curare, vt vitam Chriſtianã & integrã ducant, iuſtitiamq; regant, ita vt populi eos venerentur pariter & timeant. Curent deinde, vt miniſtros habeant, quorũ manib. edulia adminiſtrantur, nõ ignobiles, nec obſcuro loco natos, ſed præclara è ſtirpe genitos, fideles, nec auaritiæ addictos, neq; inuidos, & qui diu antea vita ac moribus probati ſint. In quos præterea debent frequenter nõ parua conferre beneficia: ita n. ſemper gratos & fideles miniſtros habebunt. Quin & Medicos ſibi adiungant, qui medicæ materiæ peritiſſimi habeantur, vt antidota, quæ cõtra venena parãtur, quemadmodũ ſunt theriaca, & antidotus Mithridatica, ex legitimis, nõ ex adulterinis ſimp. med. per ſe ipſos (vt ipſe faciebat Gal.) cõponere valeant: nam ſi hæc legitimè parata fuerint, haud dubiè poterit vnuſquiſq; facile venena præcauere. Ex his certè maius percipient emolumentũ, quã ſi mille aliis præcautionib. vterentur. Nec minor ſanè cautio adhiberi debet, vt vaſa ex auro & argento conflata, munda, nitidaq; ſeruentur, & hominũ fideliũ manibus cõmittantur: quandoquidẽ in eiuſmodi pretioſis vaſculis, quorũ apud principes quoq; præcipuus eſt vſus, venena facilius abduntur, quã in vitreis aut fictilibus vitro circumlitis. Sunt nonnulli ex recentioribus, rerum prorſus imperitis, qui (ſi verum fateri liceat) eo dementiæ deuenerunt*

Modus præcauendi venena.

Præcautio vulgaris exploſa.

uenerunt, vt præceperint in liquatum igne aurum, vel argentum, ex quo vaſa confici debent, theriacam, aut Mithridatium antidotum, & alia adiungi debere, vt aſcita inde antidoti facultate, venenis repugnent. Sed quàm abſurda, ridendaq́ ſit horum opinio, ij diiudicent (ea enim eſt, quæ non indigeat clariori reprobatione) qui mediocrem ēt rerum naturalium, ac metallorū præcipuè peritiā ſunt aſſecuti: cæterùm ſupellectiliū non negligenda cura, vt ſcilicet vaſa, quibus ciborū condimenta reponuntur, clauſa, & cooperta ſeruentur, vt neq; aranei, neque ſcorpiones, nec aliquod virulentū reptile, vel inſectum ingredi poſſint. Admonet Dioſcorides, vt ēt vaſa vinaria diligenter clauſa cuſtodiantur: namq́; viperæ ſummo vini amore alliciuntur, quæ ſi vaſa aperta offenderint, eò facilè contendunt. Quo fit, vt interdum bibendo exitioſum virus eiiciant, interdum verò in vino immerſæ expirent.

Viperæ vino venatæ.

Quamobrem Ariſtoteles libro. 8. capite. 4. de hiſtoria animalium quendam viperas vino in fictilibus ad ſepes diſpoſito venari, & ebrias capere, memoriæ prodidit. Gal. item lib. 11. ſimp. med. eam narrat hiſtoriā, quam nos lib. 2. in viperarum mentione retulimus, nempe de illis viperis, quæ ſponte ſe vino immerſerunt, vnde ēt ſibi mortē conſciuerunt. Quo vino duos homines elephanto affectos ſanitati reſtitutos eſſe, idem eſt author. Quibus ex verbis palàm eſt Galeni teſtimonio, vinū in quo ſint extinctæ viperæ, noxiū non eſſe, quin potius adeò ſalutiferū, vt efficaciſſimè elephantiaſin curet. Quod tamen Dioſc. ſententiæ refragari videtur, niſi dicamus vipereū venenum elephanto laborantibus præſtans eſſe auxiliū, cæteris aūt. exitiū. Qui item in veneni ſuſpicione verſantur, cibos vitare debēt, qui candido vel oleraceo colore fuerint: nec non ab his ēt abſtinere, qui ex animaliū ſanguine parantur. Siquidē albedine, venena quædam metallica facilè occultantur: cibis in herbaceo colore, variæ lethales plantæ commodè admiſcentur: ſanguini ēt animaliū, quibus veſcimur, commodiſſimè venenatorū ſanguis inſeritur. Illud etiamnū apprimè vtile atq; neceſſariū eſſe duco, vt coqui, & reliqui culinæ inſeruientes, non modò fideles ſint, & incorrupti, ſed ēt mundi, cauti, ac preuidi, ne vllus veneficorum inſidijs relinquatur locus: tum ēt vt ſciant rectè diligenterq́; cuſtodire cibaria, vel aliud vnumquodq;, quod in cibarum vſum reponitur. Sed præcipuè diligenter animaduertant, ne in culinaria vaſa, quæ ſuper, vel circa focū edulijs refertæ reſident, venenatū aliquod animal à tecto per caminū decidat, vt quidam exigui aſpides, qui ſub tectorum tegulis, & contabulamentis ſe recipiunt. phalangia. ſtelliones, ſcorpiones, & ſimilia.

Araneus niger in ollam delapſus cænobium inficit.

Namq́; Florentiæ (vt Nicolus eſt author) cœnobium monachorum veneno infectum eſt, quòd araneus niger admodū in ollā decidiſſet, dum coquerentur iuſcula. Ad hæc Principes maximè curent oportet, vt perquam fideles habeant cubicularios. Nam (vt ſuperius dictū eſt) quodā veneni genere & lia, interulæ, cæteraq; veſtimenta inſici poſſunt. Quare nonnulli facere ſolent, vt diu, priuſquam veſtes induant, eas ambus pertractent ſerui. Quin & pueros ſimiliter iubent, vt ſæpius equis inſideant, ijs ſuper ſellis, quibus ipſi vti conſueuerunt. Tum ēt ſtabuli præfectis mandant, vt tam cautè ſellas, habenasq́; recondant, vt ignotis, & his quibus fidendū non ſit, ne intueri, ne dum tangere liceat.

Quæ res venena prodant, quæq; ſuſpenſæ eiſdem aduerſentur.

Inſuper illud ſcire conuenit, ꝙ quædā res ſimplices ſunt (vt pleriq; inculpatæ fidei teſtificentur) quæ ſua peculiari naturæ dote præſens venenū ſignis manifeſtant. Inter quas cornu, ſeu lingua, quā ſerpentis linguā vocant, refertur, quæ (vt Conciliator Petrus Aponenſis tradit) præſente napello, aut vipera, aut pardi felle exudat: quod non prodit, cæteris venenis præſentibus. Sunt alij, qui pro certo tradunt, praſſiū lapidem, quē Plaſma vulgus appellat, ſuum ſplendorē amittere, vbi in præſentia veneni cuiuſq; fuerit. Addunt præterea, quòd ſi lapis ranæ terreſtris anulo aureo inſeratur, ita vt is digiti carnem contingat, quàm primùm præſenſerit adeſſe venenū (ſi credimus his, qui hoc ſcriptū reliquerunt) tanta digitū afficit caliditate, vt carbonē accenſum, ipſumq́; digitū vrentē præſeferat. Quibus ſanè etſi parua, mea quidem ſententia, ſit adhibenda fides, ea tamen, quò omnibus ſatisfiat quantū poteſt, non duxi ſilentio diſſimulanda. Non deſunt ēt, qui contra lethalia venena pollere contendant ſigilla quædā, ſiue characteres. ſiue imagines, quomodocunq; eas appellare libeat, præcipuè ſi collo ſuſpenſa geſtentur, vel digitorum anulis inſerantur. Quocirca prodidit Albertus libro imaginum dicato, ꝙ ſi Serpentarij imago cum ſuis ſtellis cuiuis lapidi prætioſo inſculpatur, eam vtiliſſimè geſtari aduerſus omnia venena, eaq; præſertim, quæ venenoſorū animaliū ictu vel morſu relinquuntur. Proinde Petrus Aponenſis ſcriptū memoriæ tradidit in quodā libro, quem reges Perſarū olim habuiſſe refert, quòd ſi in hæmatite lapide ſculpatur homo genibus ſuis ſerpente cinctus, cuius caput dextra teneat, caudā verò ſiniſtra, & lapis ille anulo ex auro puriſſimo confecto inſeratur, geſtatu hominem à quocunq; veneno tuetur. Quæ imago ſi modò aliquē præberet effectū (non enim hac in re certi quippiam proferre auſim) mea fert opinio, quòd tempore, quo ſculpitur, neceſſaria ſit quarundā ſtellarū obſeruatio, à quibus vis influat in ſculptā imaginē. Porrò tradidere ſapientū veterū nonnulli, reperiri prætioſos lapides, quibus ſolis à natura largitum eſt, vt venenorū malitiā efficaciſſimè diſſoluant, & deſtruant. Ob id itaq; ſcriptū reliquit Albertus cognomento Magnus,

Lapides venenis reſiſtentes.

Adamantē orientalē geſtatū brachio ſiniſtro inter humerū, & cubitū adnexū, omniū venenorū vim demoliri. Id quod ēt idem tribuit achatæ, hyacinthe, & ſapphiro orientali. Alij eandē facultatē aſſignant ſmaragdo, alij lapidi, quē in capite draconū inueniri tradunt, vnde draconitis nomen accepit. Cæterùm (vt ingenuè fatear ꝙ ſentio) parū fidendū eſſe crediderim his ſuſpenſionibus: quippe ꝙ nunquā viderim huiuſce rei experimentū tam clarū, vt ſyncera fides adhiberi poſſit: quamuis illud facilius perſuaderi poſſim, quòd ſmaragdus, hyacinthus, achates, ſapphirus lapides in tenuiſſimū puluerē redacti, poſſint per os ſumpti veneno infectos ſæpe liberare: vtpote qui eā ſortiantur naturā, vt cordis viribus ſubueniant. Sed quòd geſtati lapides veneni aſſumpti vim, atq; actionem inhibere valeant, non ita facilè adduci potero, vt credā, ſicut credunt aliqui, & ita imaginantur eſſe, niſi prius notabile ex his experimentū viderim. Nemo præterea non poterit (vt in hac præfatione

Præcautio ex medicamētis

ſcriptum reliquit Dioſc.) innoxia irritaq; venena reddere, ſi medicamenta tam ſimplicia, quàm compoſita præſumpſerit: quæ viribus præſtantiſſimis polleant, quibus pòſt aſſumpta venena facilè valeant ſuperare. Simplicia autem medicamenta Dioſcoridi comprobata, ſunt caricæ cum iuglandibus nucibus eſitatæ, citria mala cruda manducata, napiq́; ſemen ex vino potū. Item calaminthæ folia, & Lemnia ſphragis, quam ſummis laudibus extulit Galenus: ſed quæ pro ſingula vice drachmæ pondus non excedant. Idem ſimiliter ſummis laudibus commendauit rutæ folia, cum nucis iuglandis nucleo accepta: quin & duas caricas, ſalisq́; momentū. Ex compoſitis aūt non immeritò cæteris antidotis Mithridatium antecellere ſcribit: quandoquidē ex frequenti eius vſu (vt ex antiquorū monumentis accepimus, atq; ēt à Galeno lib. 1. & 2. de antidotis memoriæ proditum eſt) vſq; adeò ſe innoxiū præbuit veneno Mithridates Ponti rex, vt cum vellet ſibi necē veneno conſciſcere, ne ſe Romanis dederet, nullum ex aſſumpto veneno percepit incommodum. Qua in re poſtea Galenus theriacam præſtantiorem eſſe tradidit, aſſerens fieri non poſſe, vt ijs venenum vllum noceat, qui eam quotidie fabæ Aegyptiæ pondo ſumere conſueuerint, quemodo ſuo tempore Aurelius Antoninus Imperator facere ſolebat. Cæteri poſteriores, qui Dioſcoridem, & Galenum ſecuti ſunt, præſertim Arabes, & ipſi ad idem caſtaneas plurimùm valere tradiderunt: quin & meſpila, piſtacia, allium, raphanum, & nuces Ponticas addiderunt, omnibus his tamen optimam theriacam præferentes. Et hæc hactenus dicta ſufficiant de modo præcauendi venena.

Ratio curandi venena.

Reliquum eſt, vt curandi ordinem, ac rationem ineamus, quæ ijs ſuccurrere poſſimus, qui cibo aut potu venenum ſumpſerint. Primùm igitur (vt paucis etiam ſuperius dictum eſt) ſcire conuenit, quòd ingeſtum intus venenum, non ſtatim vt quidam volunt, ad cor ipſum contendit, quin prius alias internas partes percurrat,

turbat & lædat, & ſanguinem inficiat. Sed quia maxima pollet agendi vi ob propriam ſui formam, vel temperamentum, quam obtinet atrociſsimam, quamcunq; corporis humani partem contigerit, in ſuam virulentam conuertit naturam, & ita continuè procedit multiplicando, inficiendo, atq; ſanguinem cum reliquis humoribus in venenum vertendo, quouſq; acceſſoria quantitate adauctum, cor ipſum attingat, quod tandem breui tempore in venenatam ſpeciem tranſmutat. Hinc deinde fit, vt ſpiritus vitam fouentes, loco proprio ac naturali expulſi, ſuam ſedem cedant veneno, atq; ita ſubinde corpus ſpiritibus, & vita ſimul deſtituatur. Illud præterea non ignorandum, quòd arteriæ vna cum cordis ventriculis (quibus natura datus eſt motus dilatationis & constrictionis, vt ex illo quidem attrahatur aër circũdans, quo indiget cor ad refrigerandum ſummum ſpirituum vitalium calorem: ex hoc autẽ pars aëris fuliginoſa expellitur, pro cordis item refrigerio) quemcunq; flatum extra oſtenderint, intus attrahunt, ita vt arteriæ, quamuis minutiſsimæ, quæ per totũ corpus diſperguntur etiam ſub cute per meatus quos habent, aërem nos circundantem attrahant, ipſumq; prouehant ad cor, quod quidem poſtea per eaſdem vias calorem fumumq; ſuperfluum reijcit. Quo fit, vt ſi nos circundans aër fuerit infectus, venenatus & pernicioſus, ea ratione dicta cor ipſum inficit atq; corrumpit. Idq; non euenit propterea quod arterijs atq; cordi natura inſitum ſit, vt venenum attrahãt, ſed quòd aërem continuò inſpirent, quo mediãte natura ẽt repugnante ſua, venenum quoq; trahunt. Hinc itaq; eſt quod quidam, dum (vt contingit) ſomnum caperent ſub arboribus venenatis, ceu taxo ac nerio: vel humi cubarẽt ſuper plantis noxijs, velut napello & aconito: vel propter virulentorum ſerpentium ſpecus quieſcerent, imprudenter venenũ contraxerunt, non alia de cauſa, quam ex aere loca illa ambiente, plantis illis venenatis infecto, & ſpecuum virulento ſpiritu. Cæterum iam tempeſtiuum erit ad generalẽ eorum curationem accedere, qui veneno infecti ſunt, eorumq; præcipuè, in quibus non adeo manifeſta ſigna conſpiciũtur, vt quodnam ſit aſſumpti veneni genus, dignoſci poſsit. Nullus itaq; Medicus ingenio præditus eſt, qui non protinus videat & intelligat ex ſæuis accidentium incõmodis, quæ ſequuntur, cum quis venenũ cibo aut potu ſumpſerit. Siquidem ijs, quæ propria forma agunt (quam etiam proprietatem occultam appellare liceat) ſtatim ſemper ſuccedit virium & roboris totius corporis proſtratio: ægri ex magna cordis moleſtia frequenter animo deficiunt: faciès liueſcit: quin & lingua, & labia nigricant: itẽ extrema corporis, præſertim vngues, plumbeo colore liueſcunt. Ad hæc qui hauſerint, vertiginoſi fiunt, vocem edunt cum murmure & oculos toruè mouent. His frigidus accedit ſudor circa frontẽ & tempora erumpens. Quæ omnia aſſumpti veneni manifeſtiſsimum præbent indicium, maximè autem ſi ſtatim ſequantur poſt aſſumptum cibum, quæ contingant qui ſibi rectam quotidiani victus rationem adhibeãt. Quandoquidẽ tam mala eſſe poſſet in aliquo victus ratio, quòd humores inde geniti, tractu temporis vſqueadeo corrumperentur, vt contracta veneni natura, vim naturæ inferrent, & eadem iam dicta cierent ſymptomata. Id quod maximè teſtatur Galenus lib. 6. de locis affectis, tum etiam libro de cibis boni ac mali nutrimenti. Quapropter Medicos cautos, ac prudentes eſſe oportet, quò in huiuſmodi accidentibus diligenter ſingula perquirant. Sua ſimiliter accidentia inferunt, quorũ etiam manifeſta præbent indicia, venena illa, quæ ſuis manifeſtis qualitatibus agunt. Nam quæ caliditate excedunt, omnia membra interna celeriter inflammant, ſitim ingentiſsimam excitant, oculos inflammatione malè habent, inquietudinem continuam inducunt, & continuũ ſudorem cient. Si verò præterquam quòd calido exceſſu polleant, excellant etiam vi tum erodendi, tum putrefaciendi, vt arſenicum, ſublimatum, auripigmentum, ſandaracha, & id genus alia, punctione atq; dolore intolerabili ventriculũ & inteſtina afficiunt, in quibus etiam frequenter murmura ſentiuntur. Hæc autẽ accidentia ſæpe ſequuntur vomitus, faſtidia, ſudores modò calidi, modò frigidi, variæ denique coloris mutationes. Quæ verò nimia frigiditate excellunt, plerunque ſomnum inferunt adeo profundum, vt ſæpe non ſine magno labore excitari poſsint affecti. Nonnunquam verò cerebrũ obſtupefaciunt, ita vt affecti cogantur quam plurimos incompoſitos edere motus, tum corpore toto, tum etiam oculis, ore, manibus, reliquiſq; corporis partibus, non ſecus ac ſi ſtulti facti eſſent, vel temulenti. Huc illa præterea accedunt, frigiditas ſcilicet totum corpus occupans, frigidi ſudores, & color in facie liuidus admodum & terrificus. Ad ſummum totum corpus torpidum efficitur. Ex ſiccis autem venenis lingua areſcit, guttur ſiti inextinguibili afficitur: aluus adſtricta redditur, ægrè redditur vrina: omnia denique membra fiunt arida, & vigiliæ inſtant longiſsimæ. Poſtremò humida inexpugnabilem ſomnũ adferunt, alui fluxiones, articulorum neruorumq; luxationes. Ita quod quandoq; oculorum nerui, ac nexus in tantum laxantur, vt ſponte ſua è cauitatibus exeant capitiq; propendeant. Plerunq; etiam extremæ corporis partes putreſcunt, vt in præcedentibus dictum eſt. Porrò & illud adnotandum eſt, quòd venena, quæ & manifeſta, & occulta qualitate agunt, ſi fuerit hæc viribus altera imbecillior, in fine ſuæ actionis eadem pariunt accidentia, quæ proueniũt ab his, quæ occulta duntaxat proprietate munus ſuum obeunt. Vis etenim qualitatum elementarium, quæ illis ineſt, vim illam propriam occultamq;, quam hæc pariter ſortiuntur, antecellit. Proinde primùm qualitatis elementaris excedentis effectus præbent, eoſq; ſubinde, qui propriæ eorum formæ attribuuntur. Sed huius rei clariorem notitiam trademus, vbi ſpeciatim ſingulorũ meminerimus. Hæc igitur ſunt omnium venenorum indicia vniuerſalia, cæteris quæ explicari poſsint, certiora ac manifeſtiora, quibus peritiſsimi Medici tutò dijudicare poſſunt. Nam cum conſtet accidentia prædicta non ſolùm perdurare, ſed etiam augeri ac continuè in deteriora labi, nulloq; modo auxilijs cedere, neq; naturæ repugnanti obſequiũ præſtare, clarum profectò mortis indicium eſt. Contra ſalutis, ſi quando remitti accidentia, & ægri melius habere videntur. Cæterum eorum, qui venenum ſumpſerint, cibus eſſe debet (vbi tamen remedia, quæ poſtea dicentur adhibita fuerint) ex his rebus, quæ non ſolũ tum habent nutriendi corpus, ſed quæ etiam venenorum noxæ reſiſtere valent. Quo in genere lac aſininũ ſummopere laudatur: item caprinum, ouillum, bubulum, atq; etiam humanum, præſertim ſi recenter emunctum bibatur: quanquam lac omne efficacius exhibetur contra venena calida & erodentia, quàm ad reliqua veneni genera. Ad hoc & butyrum facit. Faciunt & iuſcula tum carnium pinguiũ, tum piſcium, quibus addi poſſunt, vt pinguiora reddantur, butyrum crudum & pinguedo animalium, quorum eſt vſus. Siquidem pinguia hæc ideò conueniunt, quòd vias obſtruant, ex quo veneni tranſitus inhibetur. Quinetiam vbi venena excalfaciunt & erodunt, pinguia hæc acrimoniã eorum hebetant. Idcirco hoc in caſu animaliũ cerebrum, atq; oſſium medullæ aptiſsima pariter cenſentur. His ſimiliter herbæ quã plurimæ opem ferre poſſunt cibis admiſtæ: e quarũ numero probatur calamintha, origanũ, ſerpyllum ſiſymbrium, ruta, bugloſſum, echium, filipendula, ſonchus, pimpinella, aliæq; quã plurimæ: quarũ vim venenis, ſuperioribus libris, aduerſari retulimus, quarũ ẽt catalogum paulo infra recenſebimus. Locus deinde, in quo reſidere debent, qui venenũ ſumpſerint, lucidus ſit oportet: vbi aër quoq; ſit nulla mala qualitate affectus. Paretur aũt eorum cubiculũ odoramentorũ ſuffitu, quib. vis ineſt ꝓpulſandi venena. Id enim præſtãt ſantalũ omne, myrrha, ſtyrax, aloe, laſerpitij lacryma, agallochũ, ſcordium, caſsia odorata, citrei mali cortex, iuniperi bacca eiuſq; lignũ ſiccum, & id genus plura. Inſuper affecti veneno (Galeno auctore lib. 2. de antidotis) nihil aut parum dormire ſinuntur. Somnus namq; venenum retinet in internis partibus, & facilius ad cor deducit. Contrà verò vigiliæ, quippe quæ id à centro ad corporis ſuperficiem, nempe ad externas partes, retrahunt. His ita inſtitutis in primis omni induſtria ac diligentia curandum eſt, vt deuoratum venenum foràs exhauriatur. Qua in re nullum ſanè valentius auxilium

Indicia in commune veneni ſumpti.

Victus ratio eorum qui venena ſumpſerunt.

Remedia cõtra venena.

perhibetur, quàm vt ſine vlla mora ægri vomitum ciere cogantur: ſi tamen venenum adhuc in ventriculo reſideat. Quòd ſi iam in inteſtina deſcenderit, illud quàm primùm clyſteribus infuſis extrahatur. Atqui in hoc omni diligentia ordinem ac modum inire debemus, quē in huiuſce voluminis præfatione nobis reddidit Dioſcorides. Siquidem is de hac re ita exquiſitè diſſeruit, vt poſteriores omnes omnia ferè quæ de ea ſcriptis tradiderunt, illi accepta referre poſſint. Verùm hoc vnū ipſe addiderim, q̃ ſi fortè is, qui venenū ſumpſiſſet, ex omnibus vomitum cientibus auxilijs vomere nequiret, tunc (vt Raſis author eſt) medicamentis ſoluentib. itemq; clyſteribus erit procedendum. Medicamenta aūt, quæ deiectoria potiuntur facultate, ad hoc idonea ſunt agaricū & rhabarbarum. Quandoquidem vtrunq; præterquā quòd deiectoria vi præditum eſt, facultatem ēt venenis maximè repugnantem ſortitur. Id q̃ etiam quidam minori centaurio attribuunt. Neq; prorſus ab re eſſet addere Ægyptiæ ſiliquæ atrā medullam aloemq; vſurpare: hæc namq; præter deiectoriā facultatem, ſeorſum plurimum pollet ad ... putredinem, quæ ſemper, vel plerunq; ingeſta ſequitur venena: illa verò q̃ aluum mirificè emollit, venenum ventriculi tunicis adhærens abluit & abſtergit: quin & erodentium acrimoniā obtundit, & ea deniq; per aluū ſecum educit. His aūt peractis, ea certè clyſmata cōpetere videntur (vt Dioſc. placet) quæ acria ſunt & trahendi vi prædita. Quibus ſi ... ſucceſſerint, quæ è iuribus pinguibus, adipe aut pinguedine, aut butyro aut lacte parantur, ne vlterius venena penetrent vt in dyſenteria fieri ſolet, nequaquā ea inutilia fore putauerim, præſertim vbi compertū haberetur, venenū inteſtina exulceraſſe. Quamobrē lac copioſius epotum poſt vomitiones, & clyſteria vtiliſſimū eſſe prodidit Auicenna: nempe q̃ veneni noxā frangat & ſanet. Quinetiā ſummopere proſunt, præmiſſis tamen vomitionib. & clyſteribus, fortes ac validæ diuerſiones: vtpote quæ nō modo prohibeant ne venenū petat cor, ſed ēt ipſum trahant à membris nobilib. internis, ad ignobilia externa. Ob idq; plurimū prodeſſe crediderim cucurbitulas, ſi ex igne natibus, & crurium pulpæ applicentur. Ferunt ſimiliter opem frictiones ex aſperis linteaminibus, quin & fibulæ ſtrictim factæ ita vt dolorē excitent, manuum pedumq; digitis, item brachijs & cruribus. Mirificè ēt venenū auertitur à partib. intrinſecus, ſi patientes in balneo aqua calida ex medicamentis accōmodatis confecto, vel in laconico ſicco ſudorem ciente imponantur. Quandoquidem huiuſmodi calor extrarius efficaciſſimè venenū ad cutim trahit. Balnei ac laconici vicem illud ſanè ſupplere poterit, ſi diſſecto viui muli, aut equi alu... exertis ſtatim inteſtinis, æger in animalis cadauer intromittatur, & cùm refrixerit cadauer, idē ēt de alio fiat, quouſq; ſat fuerit. Ad hoc autem muli, mulæq; (vt vulgi fert opinio, fortaſſe q̃ hæc animalia plurimū caloris habeant) cæteris præſtant animalibus. Hoc.n. auxilio à veneno liberatum narrant Valentinum Alexandri ſexti ſummi pontificis filium. Is enim (vt ferunt) cum in quadā cœna aliquot Cardinalib. venenū exhibere vellet, ſibi ipſi, ac patri id imprudenter exhibuit. Cæterum ſcire ēt conuenit, quòd quamuis prædicta remedia omnia communiter venenis opitulentur, non propterea eſt ... quin continuè infectis propinētur omnia probata antidota, tam ſimplicia quàm compoſita, quæ cuiuſcunq; veneni vim auferre poſſunt. Simplicia quidem medicamenta quæ ad hoc idonea Dioſcoridi, reliquiſq; Græcis poſterioribus celebrantur ſunt vinum vetus copioſius epotum, Lemnia ſphragis, agaricum, abrotonum, irio, eryngij radix, napi & paſtinacæ ſemen, calamintha, nardum Celticum, caſtoriū, ferulæ virentis medulla, flos rhododendri (quanquā is Galeno, alijſq; ipſum ſecutis in antidotū minimè recipiatur, ſed potius inter venena annumeretur) ſuccus marrubij, laſerpitij & panacis, ſagapenū, ariſtolochia longa, ſemen rutæ ſylueſtris, betonica, pix liquida delincta, polij & ſeſelis decoctū, phu, cinnamomū, caſia, iuniperi baccæ, citria mala, & quæ limonia, & aurantia vocant, & eorum ſemen. Item glandes, præſertim quernæ ex bubulo lacte epotæ, quinquefolij radicis ſuccus, leporis coagulū, muſtellæ caro ſale inueterata, & in vmbra ſiccata, cum vino pota, lac canis ex primo fœtu acceptū, capparis, chamæleonis albi radix, apij decoctum, polemoniæ radix, tribuli terreſtris ſuccus, ſmilacis aſperæ acini, ſcordium, thlaſpi, & Cretenſe dictamnū. His Arabes & recentiorū nonnulli caſtaneas addiderunt, item ponticas nuces, meſpila, piſtacia, Zedoariā, lauri baccas, gentianæ radicem, quin & dictamni albi, tormentillæ, iridis Illyricæ, haſtulæ regiæ, helenij & millefolij: rhabarbarū, hederæ corymbos, bolū Armenium, hypericū, ſabinam, ... pimpinellam, Imperatoriam, centaurium maius, angelicā, verbenacæ ſuccum: mures, qui napelli radices depaſcuntur & muſcas grandiores, quæ eius folijs victitant: filipendulā, carpobalſamum, muſcum odoratum, ambarū, os in corde ceruino repertum, & ceruinū cornu, quin & monocerotis, vrſi teſtes, & arietis, origanum, ſmaragdum, lapidem bezahar, ... quem ſanctum vel benedictū appellant. Et hæc de cenſu omniū ſimp. med. quæ contra venena pollent, quæ nobis tum veteres tum recentiores ſcripta reliquerunt, dixiſſe ſufficiant. De compoſitis aūt medicamentis illud proferre non dubitauerim, q̃ ſi Theriaca legitimè parata reperiretur, non eſſent aliunde petenda auxilia contra venena. Sed quoniā mihi planè difficilimū eſſe videtur, vt ea reperiatur, quæ quēadmodum eius exigit apparatus, confecta ſit, cum nobis deſint cinnamomum, balſamū, petroſelinum Macedonicū, myrrha, folium, chalcitis (quam tamen iam nobis cōpertam putamus) amomum, aſpalathus & calamus odoratus, quæ omnia perquā maximi ſunt momenti, idcirco nunquā adducar, vt credam vendentium Theriacā poſſe ſibi locum & vſum illius antiquæ legitimè vendicare: præſertim cum cōſtet tempore vſq; Galeni, quo Romani ſummo imperio potiebantur, Theriacā omnibus numeris abſolutā confici nō potuiſſe (vt ipſe Gal. teſtatur lib. 1. de antidotis) niſi ab Imperatoribus: quanquā non deeſſent tēpore Antonini Cæſaris diuites primates, qui eam conficerent, ēt quòd multa eis deſiderarentur. Quare illud dixerim, q̃ ſi vlla Theriaca ex ijs, quæ noſtra ætate conficiuntur, in vſum adhiberi debet, dent operam Medici diligentiſſimi, vt illa ſaltem vtantur, quæ omni ſtudio ac diligentia parata ſit, clariſſimorū & probatiſſimorum virorum teſtimonio: quæq; eo modo experiētia cōprobata ſit, quo docet Galenus libro quē ad Piſonem ſcripſit quin & alio, quem Pamphiliano dicauit. Hoc itē faciant de Mithridatio, q̃ nihil minus quàm Theriaca præſtat aduerſus venena, quodq; & facilius parari pōt. Qua in re caueant homines ab adulteratis Theriacis, quas in publicis foris vendunt circulatores, etſi plerunq; ab his, quos eorum adulteria fraudeſq; latent cæteris meliores atq; efficaciores habentur: quippe q̃ nihil vltra videant aſtantes, quàm quòd ij fruſtum integrum arſenici, vel riſagalli officinis vocati, deuorent: quodq; ſubinde de deuorata Theriaca, quam poſtea circumſtantibus vendunt, nullum veneni incommodum ſentiant. Quòd cum Galenus optimè nouiſſet, libro Piſoni dicato, ita ſcriptum reliquit: Multæ à ſubdolis improbiſq; in hoc quoq; fraudes fiunt, ac vulgus ſola antidoti opinione deceptum, ab ijs quibus ars eſt mercenaria, plurima pecunia medicamentum, vel prauè confectum redimit. Cæterùm vt quiſq; flagitioſorum impoſtorum fallacias & doloſas merces euitare poſſit, & debeat, nunc iſti fugi... hi in animo eſt ad cōmune rei publicæ beneficium eorum ingens, ac ſceleſtum facinus poſteritati prodere. Nam cum iſti ſuggeſta aſcendunt coram populo, quem dolis capere intendunt, oſtenſuri quòd venenū æquè ac panem innoxiè ſumant, multis cauillationibus atq; inſidijs vtuntur. Inter quas has duas habent fraudes, quas modò omnibus aperiam, quaſq; retinent illi in ſuos charioresꝰ (vt ita dicam) lenones. Primus itaq; dolus, quo nituntur huiuſmodi fraudulenti impoſtores, eſt q̃ cum ſciunt venena non poſſe niſi parum nocere, vbi ventriculus fuerit cibis valdè repletus (vt in præfatione huius libri tradidit Dioſcorides, & libro quarto ſen ſexta retulit Auicenna) priuſquam ſuggeſtum aſcendant, ad ſaturitatem vſque, præſertim æſtate, lactucas crudas deuorant ſale, aceto & oleo conditas: verùm olei tantum imponunt, vt ferè in eo innatent lactucæ.

Et quia

Clyſmata quàlia inficienda.

Cucurbitulę.

Balneum.

Simplicia medicamēta quæ pollent aduerſus venena.

Compoſita medicamēta.

Theriacæ veterum & recentiorum comparatio.

Fraudes quibus vtuntur circūforanei qui venena innoxiè ſumere profitētur.

gelicæ, millefolij, filipendulæ, zedoariæ, gingiberis, ſingulorum drachmas duas: agarici drachmas tres: libanotidis [illegible] gentianæ, morſus diaboli ſic herbarijs dicti, cuiuſq; drachmas duas & ſemis. Ad hæc ſeminis citrei mali, viticis, [illegible] ctorij, fraxini, oxalidis, paſtinacæ ſylueſtris, napi, nigellæ, pæoniæ, ocimi, irionis, thlaſpis, fœniculi, ammi, ſingulorum drachmas duas: præterea baccarum lauri, iuniperi, hederæ, aſperæ ſmilacis, cubebæ, ſingulorum ſeſquidrachmam. Foliorũ [illegible] dij, chamædryos, chamæpityos, centaurij minoris, ſtœchadis, nardi Celtici, calaminthæ, rutæ, menthæ, betonicæ, verbenacæ, ſcabioſæ, cardui benedicti, meliſſophylli, ſingulorũ ſeſquidrachmam: dictamni Cretenſis drachmas tres: ſampſuchi, hyperici, iunci odorati, marrubij, galegæ, ſabinæ, pimpinellæ, cuiuſq; drachmas duas. Caricarum, nucum iuglandium, piſtaciorum, ſingulorum vncias tres: myrobalanorum empelicorum drachmas quatuor. Florum vtriuſq; bugloſſi, roſarum, lauendulæ, ſaluiæ, roriſmarini coronarij, cuiuſq; ſcrupulos quatuor: croci drachmas tres. Caſſiæ odoratæ, quam hodie cinnamomum vocant, drachmas decem. Caryophyllorum, nucis myriſticæ, macis, ſingulorum drachmas duas & ſemis. Piperis nigri [illegible] longi, ſantalorum omnium, agallochi, ſingulorum ſeſquidrachmam. Cornu cerui crudi drachmas quatuor: vnicornu drachmam vnam: oſſis cordis ceruini, ramentorum eboris, virgæ ceruinæ, caſtorij, ſingulorũ ſcrupulos quatuor: terræ Lemniæ drachmas tres: opij ſeſquidrachmam: margaritarum orientalium, ramentorum ſmaragdi, hyacinthi, corallij rubri, ſingulorum ſeſquidrachmam: caphuræ drachmas duas: maſtiches, thuris, ſtyracis, myrrhæ, gummi Arabici, reſinæ terebinthinæ, ſagapeni, opopanacis, laſerpitij, ſingulorũ drachmas duas & ſemis: moſchi odorati, ambari cuiuſq; drachmam: oleo e [illegible] cantho confecti vnciam mediam. Pulueris cordialis temperati, diamargariti, diamoſchi, diambari, electuarij e gemmis, paſtillorũ caphuræ, ſcillæ ſingulorũ drachmas duas et ſemis: paſtillorũ viperæ vncias duas. Succi oxalidis, ſonchi, ſcordij, [illegible] bugloſſi, meliſſophylli, ſingulorum ſelibram: hypociſtidis drachmas duas. Theriacæ electæ, Mithridatij optimi, cuiuſq; vncias ſex. Vini veteris albi odorati libras tres: ſacchari è Medera inſula, vel optimi mellis libras octo & vncias ſex. Ex omnibus his ſumma diligentia & ratione inquiſitis atq; ſelectis, fiat electuarium, eo modo quo theriaca, aut Mithridatium antidotum conficiuntur. Sumendi quantitas eſt à drachma vna vſq; ad tres pro ætate & conſtitutione patientis. Atq; ita omnibus

Antidoti Matthioli vius.

perſuadere poteris, antidotum hoc non ſolùm præſtantiſſimum eſſe (vt ante diximus) contra omnia venena, quæ per os ſumuntur, itemq; aduerſus ea, quæ morſu vel ictu relinquuntur: verùm etiam in peſtilentia, cui mirificè opitulatur non ſolùm quotidie aſſumptum nucis Ponticæ quantitate ad præſeruandos ſanos, ſed etiã ad ſanandos iam peſtilentia affectos, vbi in morbi principio propinetur ex cardui benedicti ſucco, aut ſtillatitia aqua, vel galegæ ſeu rutæ capariæ vocatæ, [illegible] rum drachmarum pondere, affectis deinde in lecto ad ſudandum collocatis, biſq; aut ter repetita potione, nonnullis tamen interpoſitis horis. Sanatos enim ſcio eſſe quamplurimos hoc tantum ſingulari auxilio. At ſi cui in animo fuerit, repræ-

Potio ex prædicto antidoto.

ſentaneum adferat auxilium, hæc faciat oportet. Antidoti præſcripti libram accipiat, libram item ſyrupi e citri [illegible] tice parati, & libras quinque aquæ vitæ vocatæ, ex optimo odoratoq; vino confectæ, totieſq; vitreis organis repurgatæ, vt quintæ eſſentiæ ſpeciem præ ſe ferat. Deinde omnia hæc in vas vitreum iniiciat duplæ à rebus inditis capacitatis, [illegible] ſis ore ita obturato, vt nullus ſpirandi meatus relinquatur, magna cum dexteritate aquam in vaſe cum electuario [illegible] agitet, donec totum diſſoluatur: atq; tum vas ore cerã, vel pice obducto in menſem integrum reponat, quod tamen [illegible] hebdomada agitari conuenit eo modo, quo antea dictum eſt: fit enim, vt electuarium facilè reſidat in fundo, [illegible] tur. Exacto denique menſe claram aquam aureoq; colore nitentem, electuario ſupernatare inueniet, & quæ iam omnem illius vim in ſe contraxerit. Tum itaque vas ipſum aperiat, & in vas aliud item vitreum lympidam aquam [illegible] effundat, cuius os cum cera, & membrana accuratiſſimè obturet: nam ſi illud diei ſpatio apertum ſineret, omnis [illegible]

Aquæ Matth. vis.

aqua in auram euaneſceret. Tanta hæc aqua virtute pollet (quod millies expertus ſum) vt quatuor drachmarum pondere pota vel per ſe, vel cum pari odorati vini quantitate, vel ſtillatitiæ cuiuſvis aquæ ad cordis robur facientis, vbi quis [illegible] demorſus à quocunq; venenato animali, in tanto mortis diſcrimine verſaretur, vt vocem, viſum, ac reliquos ferè ſenſus amiſiſſet, ægrum ingenti adſtantium admiratione à longo veluti ſomno excitat. Quin & vomitione pleruną; plurimam infectorum humorum copiam exhaurit. Cuius rei exemplo (præter alia innumera) nuper mihi fuit præfecti oppidi [illegible] vxor, quam à vipera in dextra manu demorſam, & iamiam de naulo rationem cum Charonte inituram, hæc aqua [illegible] tam à morte reuocauit. Id quod etiam paulò poſt contigit cuidam miſeræ Sclauæ ab alia non diſſimili vipera in manu demorſæ. Hæc idem ſimiliter præſtat contra venena, quæ per os ſumuntur: ſiquidem ea adeò tenuis eſſentiæ, efficax & penetrans eſt, vt momento vi ſua in omnes corporis venas permeet. Quin & eoſdem præbet effectus in alios quamplurimos morbos, quos breuitati ſtudens prætereo: quandoquidem prudentes, & periti medici, habita huiuſce virium exacta ratione, eam adhibere poterunt, vbi legitimè conuenire cenſebunt. Porrò antidotum alterum generoſum pariter & ſingulare,

Alterius antidoti deſcriptio & vires.

oleum illud eſt, cuius ſuperius libro ſecundo capite de ſcorpionibus, item quarto capite de aconito à nobis facta fuit mentio. Id pulſibus extrinſecus patientibus illitum, nempe temporum, manuum ac pedum, quinetiam extimæ cordis parti ad ſiniſtram mamillam, repetita alternis tribus horis illinitione, efficaciſſimè ſuccurrit omnibus venenis per os ſumptis, quæ tamen ex erodentium genere non fuerint. Similiter viperarum, aſpidum, & cuiuſcunq; deniq; venenati animalis morſibus ſingulari auxilio eſt, vt in proceſſu latius explicabimus. Præſtat præterea iiſdem locis ſemel quotidie inunctum non quidem calidum, ſed frigidum, ad præſeruandum a peſtilentia homines, qui eo ſe inungunt, quin etiam ad ſanandum iam peſtilentia affectos: necat quoq; vermes, naribus & pulſantibus arterijs inunctum, & præſertim vbi cætera auxilia non valent. Vt autem omnes intelligant quam maximum ſit in me iuuandæ poſteritatis ſtudium, modum, quo illud conficitur, hic de-

Ol. ſcorpionũ confectio.

ſcribere non grauabor. Sumantur itaq; ineunte menſe Maio, quo tempore confici debet, olei communis centum annorum, ſin minus ſui temporis vetuſtiſſimi libræ tres: foliorum hyperici virentis manipuli tres. Oleum in vas vitreum duple à contento capacitatis imponatur, inde hypericum aliquantulum antea contuſum infundatur: deinde vas cera, & membrana obturetur, & medium in tenuiſſimam arenam condatur, loco vbi tota die inſolari poſſit, atq; inibi ſinatur ad decimum, vel duodecimũ diem vſq;. Quo exacto tempore mergatur vas in calentis aquæ balneo ad viginti quatuor horas: mox [illegible] ab herba exprimatur. Hoc facto ſumatur hyperici, chamædryos, calaminthæ, cardui benedicti, ſingulorum manipulus: quæ omnia prius diligenter contuſa oleo admiſceantur, ac ſubinde vas in prædictum mergatur balneum trib. continuis diebus: [illegible] extrahatur deinde, & ab incoctis herbis exprimatur. Poſt hæc accipiantur florum hyperici manipuli tres, qui [illegible] probè repurgati, & contuſi in prædictum oleum infundantur, ac in idem balneum per triduum reponatur. Poſt id tempus [illegible] eximantur, & vt prius exprimantur. Idem fiat ter aut quater, vſquedum oleum ſanguineum colorem referat. [illegible] actis ſumatur hypericum, quod iam defloruerit, & ab eius cacumine grana illa viridia excerpantur, quæ hordei [illegible] nis ſimilia deprehenduntur, in quibus ſemen continetur. Ex iis itaq; tres confertim manipuli decerpantur: qui poſtea [illegible] ſi, & vino meraco albo aliquantulum perfuſi in oleum prædictum infundantur, & cum eodem vitro, in arena ſepulto, [illegible] cto diebus continuis inſolentur. Quo tempore tranſacto tridui ſpatio in balneum immittantur, poſt colentur, & [illegible]

prædicto

præfixo exprimantur. tertio aut quarto ſimiliter dictum ſemen in oleo macerari debet, donec id obſcuri ſanguinis colorem repræſentet. Ad hæc ſumantur ſcordij recentis, calaminthæ, centaurij minoris, cardui benedicti, verbenacæ, dictamni Cretenſis, ſingulorum medius manipulus: tundantur omnia, mergantur in oleum prædictum, & vas in balneum iterum imponatur per biduum continuum: dein colentur & exprimantur, vt ſupra. Poſtea ſumantur zedoariæ, radicum dictamni albi, gentianæ, tormentillæ, ariſtolochiæ rotundæ, ſingulorum drach. tres, ſcordij manipulus. Tundantur item omnia, infundantur & immittantur in balneum, ibiq; permaneant tribus diebus continuis: colentur deinde & exprimantur. Infundantur denuo ſtyracis calamitæ, laſeris, cuiuſq; drach. ſex, baccarum iuniperi drach. quatuor, melanthij drach. duæ, caſſiæ odoratæ (cinnamomum officinæ vocant) drach. nouem: iunci odorati, cyperi, ſingulorum ſeſquidrachma: ſantalorum alborum ſemuncia. Tundantur omnia (vt pluries de alijs dictum eſt) & in idem oleum infundantur, & per triduum continuum in balneo macerentur, demum colentur & exprimantur, modo quo ante dictum eſt. Poſtremò adſint oportet trecenti ſcorpiones viui diebus canicularibus collecti. Ii in vaſe vitreo concluſi, cineribus calidis ſuperponantur, & cum eos præ calore ſudare, atq; iraſci conſtet, omne iam dictum oleum calidum ſuperinijciatur. Sed aduertendum eſt, ne id adeò feruens ſit, vt vas diſrumpat, obturato ſtatim vaſis ore in balneo tribus continuis diebus contineatur: deinde coletur & exprimatur. Proiectis interea ſcorpionibus, rurſum in oleum infundantur rhabarbari laudatiſſimi, myrrhæ communis vſus, aloes hepaticæ, ſingulorum drachmæ tres: nardi Indici drachmæ duæ, croci drachma vna: theriacæ electæ, electiq; Mithridatij, cuiuſq; ſemuncia. Quæ ex his tundenda ſunt, terantur, mox vltimò infundantur in oleum, quod per triduum continuum contineatur in balneo. Quo facto oleum non amplius percoletur, ſed deinceps recondatur, perinde ac opobalſamũ, quippe quod mirandum ſit remedium ad iam dicta venena, & præcipuè contra napellum, quo infecti fuere, vt experimentum patet, Cornelij duo viarum obſeſſores, quorum hiſtoriam ſupra retulimus libro quarto in aconiti mentione: ad cuius lectionem, ne eadem hîc repetamus eos reijcimus, qui eius deſiderio capiuntur. Cæterum vt omnia mea in Reipublicæ commodum cedant, tertium quoq; Antidotum addam, quo nihil ſanè valentius ad venenorum vim coercendam: nempe puluerem illum pulcerrimum: cum quo (vt ſuperius libro quarto de aconitis diſſerentes retulimus) ij ſanati ſunt, qui Arſenicum & Napellum hauſerunt. Datur robuſtis drachmarum duarum pondere, cum cæteris drachma ſufficiat, ex vino Cretico, vel alio pariter generoſo, repetiturq; potio per interualla, vbi vna tantum non ſufficiat: verùm tunc obolus ſatis eſt. Qui quidem puluis tametſi mirum in modum deleteria venena omnia ſuperat, vincit ac deſtruit, non tamen ſi præſumatur ab ijſdem præſeruat. Parandi ratio hæc eſt. Sumas radicum minoris phu drachmas quatuor. Vincetoſſici, vrticæ vulgaris, cuiuſq; vnciam vnam: Angelicæ domeſticæ, Althææ cuiuſq; vncias duas: Angelicæ ſylueſtris vncias quatuor: Polypodij ſeſcunciam, Corticum radicũ chamæleæ, ſiue (vt Aphri dicunt) mezereonis, drachmas decem. Colliguntur hæ radices ad calcem Auguſti, ſiue ineunte Septembri, teſſellatimq; ſecantur, & ſiccantur in vmbra. Deinde ferueſiũt in aceto albo acerrimo olla cooperculo diligenter occluſa argillaceoq; luto agglutinato, per dimidiæ horæ ſpatium. Amouentur poſtea ab igne, & cum refrixerint eximuntur, iterumq; ſiccantur in vmbra. Demum teruntur in puluerem, additis herbæ Paris baccis duodecim, & folijs ſex & triginta. Præter autem Mithridatium, antidota alia duo generoſa Dioſcoridi probantur in præſenti præfatione, vnum ſcilicet quod è ſcinco, alterum quod è ſanguine nuncupant: ſed quod is eorum conficiendorum rationem tradiderit, nuſquam hactenus reperi. Quamobrem illa duo in multorum gratiam hic adſcribere, non alienum fore duximus, eo tamen modo, quo lib. 2. de antidotis a Galeno ſeriatim deſcribuntur, vbi hæc ſcripta reliquit. Antidotus διὰ τῶν αἱμάτων id eſt, ex ſanguinibus, ad venena, venenatorumq; omnium morſus idonea, ſic habet. Piperis longi, piperis albi, acori, croci, phu, mei, dictamni Cretici, ammoniaci, agarici, ſingulorum drachmas duas: amomi, opobalſami: ſeminis rutæ ſylueſtris, cymini Aethiopici, aniſi, ſanguinis anatis maris, & fœminæ ſicci, ſanguinis hædini, ſanguinis anſerini, ſeminis napi ſylueſtris, ſingulorum drachmas tres: gentianæ, trifolij, florum iunci odorati, thuris, roſarum ſiccarum, ſingulorum drachmas quatuor, ſeminis petroſelini drachmas quinque: polij Cretici tantundem, cinnamomi drachmas ſex, florum ſcordij drachmas octo: myrrhæ, nardi ſingulorum drachmas decem, croci drachmas duodecim, caſſiæ drachmas octo. Omnia hæc diligenter contuſa, ac per excuſſorium cribrum traiecta melle Attico deſpumato, commiſcebis, commiſtaque in argentea pyxide repones, atq; hac vt maximo medicamento vteris. Cæterum quæ e ſcinco temperatur antidotus, à Galeno hunc in modum redditur. Antidotus Mithridatis Eupatoris διὰ σκίγκου cognominata, faciens ad venena, omnemq; venenatorum materiam mortem inferentem, omniumq; venenoſorum animalium ictus, conficitur hac ratione. Scinci, ſagapeni, acori, phu, hyperici, acaciæ, iridis, mei, gummi, ſingulorum drachmæ duæ: roſarum ſiccarum, gentianæ, cardamomi, ſingulorum drachmæ quatuor, opij, oboli duo: ſtyracis, drachmæ octo: polij, caſſiæ nigræ, ſeſelis, bdellij, balſami, piperis albi, ſingulorum drachmæ quinq; & oboli duo: ſucci hypociſtidis, opopanacis, myrrhæ, thuris maſculi, caſtorij, piperis longi, cypheos, foliorum malabathri, ſingulorum drachmæ ſex: ſcordij, coſti, florum iunci odorati, galbani, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum drachmæ ſex & oboli duo: nardi Syriacæ, opobalſami, thlaſpis, dauci Cretici, ſingulorum drachmæ ſex & oboli tres: croci, cinnamomi, zingiberis, ſingulorum drachmæ ſex & oboli duo: ſucci glycyrrhizæ, agarici, ſingulorum drachmæ ſeptem & oboli tres. Conſtruitur autem hoc modo. Cyphi, hypociſtis, ſagapenum, gummi, opium, ſtyrax, opopanax, vino Chio macerantur die noctuq;, quoad penitus diſſoluta ſint. Reliqua verò interim contuſa tenui cribro excutiuntur, illisq; iam maceratis ac diſſolutis commiſcentur, commiſtaq; Attico melle ad craſſitiem vſq; deſpumato excipiuntur, opobalſamoq; ſuperimmiſſo: demum in vas argenteum transferuntur, atq; ad multos vſus reponuntur. Datur autem ex hac antidoto quantum æger tolerat. Hæc de duabus antidotis, quas non immeritò quidem probauit Dioſcorides, quasq; vt efficaciſſimas in aliarum cenſum retulit Galenus atq; deſcripſit. Sed quoniam (vt ſupra in Theriacæ mentione dictum fuit) multa nobis deſunt ſimplicia medicamenta, quæ in eis expetuntur: idcirco non video quomodo poſſint legitimè confici, niſi ijs vti velimus, quæ eorum vicem ſupplent, ita vt vnum ſimplex medicamentum in alterius locum ſuccedat, id quod medicorum ac ſeplaſiariorum pleriſq; fieri adſolet. Quorum ſententiæ etſi cuipiam videretur Galenus adſtipulari, quippe quòd ſcriptis tradiderit in cinnamomi defectu duplum caſſiæ ſubijci poſſe, non tamen propterea inde colligi poteſt, quòd idem fieri poſſit de quocunq; alio ſimplici medicamento, quod deſideretur, vt quidam exiſtimant, non rectè, meo quidem iudicio, Galeni mentem aſſecuti. Siquidem is ſecus de hac re diſſerit lib. 1. de antidotis, vbi ſic inquit: Quòd ad caſſiam verò attinet ea me commemorare nunc opus eſt, quæ in multis de medicina libris ſcripta ſunt, duplum caſſiæ ſiquis cinnamomo egeat, inijciendum. Hoc dictum irridens Satyrus magiſter meus, vnam ex Quinti facetijs ipſum eſſe dicebat, aſſeuerans eos, qui duplum caſſiæ imponere iubent, ſi cinnamomo careamus, ſimilia illis facere, qui nos cenſent, ſi quando Phalerno caruerimus, illius quod in cauponis venditur, duplicata menſura bibere: ſiq; panis ſiligineus deſit, furfuracei duplum comedere. Mihi verò hæc Quinti facetia, ſi de re vna quapiam, quæ per ſe ſola vti velimus, afferatur, vera irreprehenſibiliſq; videtur: ſin de re, quæ in ſocietatem multorum veniat, non eſt eodem pacto vera. Nam cuiuſcunque, quod ſolum corpori admouert

Puluis contra venena.

Antidoti è ſanguinibus deſcriptio.

Antidoti e ſcinco deſcriptio.

Succedanea quando admittenda.

uerī

*ueri debet, vt puta rhus, abſinthium, iris, gentiana, vel id genus alia aliqua medicina, ſi quis minus boni duplum loco præſtantiſsimi accipiat, & corpori vel extrà vel intrà admoueat, duplicato etiam nocebit: at ſi multum aliquod optimum commiſcendum fuerit, quod ſe aucturum aliorum vires reſpondeat, ſi præſtantiſsimum deſit, peius nihil erit vti duplicatum, qui proprietates eiuſdem generis habeat, etiamſi deterius hoc illo videatur. Caſsia quidem cinnamomo genere proxima, que adeò eſt, vt ex ipſa quandoq; cinnamomum oriatur, ſpectenturq; nonnunquam caſsiæ arbores integræ, in quibus qua cinnamomi virgulta è caſsiæ ramis prodeant. Simile autem iſtud eſt non vino aut pani, ſicuti Quintus dicebat, ... tæ functionibus in extruenda domo, in fabricanda naui, in tollendis & tranſponendis oneribus, in omnibus denique actionibus, in quibus quod peragendum erat ab vno homine robuſto, ſi abſit, à duobus imbecillioribus perficiatur: hæc Galenus. Ex quibus verbis omnibus palàm eſt, Galenum non aſſentire, vt in compoſitis medicamentis vnũ ſimplex pro alio ponatur, niſi ex ijs ſint, quæ eandem naturam ſortiuntur, vt caſsia & cinnamomum. Quare illud inde colligendum eſſe putauerim, quòd perperam faciant ij, qui rem hanc aliter intelligunt. Porrò & illam antidotũ, quæ iuniperi baccas, terramq; Lemniam recipit, ſummopere laudauit Gal. eamq; lib. 2. de antidotis memoriæ prodidit, hiſce verbis: Antidotus, quæ exhibita accipientem tutum à venenis reddit, ſic habet. Baccarum iuniperi drachmas duas, terræ Lemniæ drachmas duas & obolos duos. Hæc vbi in puluerem redegeris, oleo aut melle commiſcebis & repones: atq; cum opus fuerit, ex aquæ mulſæ cyathis duobus quantum eſt auellana dabis. Hac antidoto Nicomedes rex vtebatur, ſi quando ſuſpectos habuiſſet, qui ſe vocarant. Nam ſi venenum non ſubſit, quieta manet: ſin adſit, nauſeam concitat, & euomere cogit, ita vt venenum quoq; cum antidoto reijciatur. Sed hæc hactenus dicta ſufficiant, quantum ad venenorum omnium in vniuerſum rationem, quandoquidem de ijs priuatim, eorumq; auxilijs, & antidotis in ſingulorum mentione diffuſius agemus.*

Antidotus ex terra Lẽnia.

## Κανθαρίδες. CANTHARIDES. CAP. I.

QVibus datæ ſunt Cantharides, ſigna eueniunt grauiſſima. Ab ore enim ad veſicam vſq; cuncta erodi ſentiuntur: picem aut ſimile quiddam cedriæ reſipiunt: dextra præcordia inflammantur: vrinam ægrè reddunt, & ſubinde cum lotio ſanguinem emittunt: ſtrigmenta non ſecus atq; dyſentericis, aluo æferuntur: faſtidia vrgent: animo linquuntur, obortaq; vertigine concidunt: poſtremò mente abalienantur. Ergo antea quàm tale nonnihil accidat, dato oleo, aut ſupradictorum aliquo, vomere cogantur: mox vbi vomitione plurima reiecerunt, halicæ aut oryzæ, tragi aut ptiſanæ cremor, aut decoctum maluæ, aut ſeminis lini, aut fœni græci, aut radicum althææ, quam Latinus ſermo ibiſcum appellat, clyſtere infundatur. Præterea nitrum eiſdem dandum, ex hydromelite, vt quæ ſtomacho adhuc, aut inteſtinis adhærent, eluendo excernantur ac deſcendant. Quæ niſi ſic diſcutiantur, ingeſta in aluum ex nitro aqua mulſa, vacuari debent. Detur deinde vinum aut paſſum, in quo pineoli nuclei, aut cucumeris ſemina contrita ſint: aut ex lacte, aut mulſa, aut anſerinus adeps in paſſo liquefactus. Inflammatæ autem partes, hordei farina cum mulſa decocta perungantur. Ab initio admota cataplaſmata nocent, quòd citatus ab eis calor, ipſum virus ita remoratur, vt in principes ſe partes inſinuet: ipſa tamen interiecto tempore, moleſtiſſimis inflammationibus opitulantur, vtpote quæ dolores & permulceant & leniant. Tum vbi corpus calfaciente oleo inunctum fuerit, in ſolium deſcendere oportet, ac lauare, vt per cutem ſummam, quæ corpori noxia inhæſerunt, etiam excernantur. Et deiectiones multifariam moliri oportet, ne affectus infigatur, & ſtabilitatem capeſſat. Gallinaceis carnibus & hædinis, aut ſuillis catulis, maximè pinguibus, & tenerrimis, ac cum lini ſemine coctis, veſci debent: ſiquidem aluũ cient, atq; venenorum acrimonias hebetant. Vinum dulce liberalius ebibatur. Prodeſt thuris cortex, & Samia terra, quæ aſter appellatur, ſi quaternæ ſingulorum drachmæ cum paſſo ſumantur: item pulegium ex aqua tritum: irinum aut roſaceum, cum rutæ decocto: recentes vitis ramuli, cum paſſo detriti. Longè omnium potentiſſimè antidota auxiliantur, cum aqua mulſa, drachmis quatuor pota.

Cãtharidum malefica & noxia vis.

*CAntharidum tum hiſtoriam, tum etiam facultates ſuperius libro ſecundo, vbi & earum picturam exhibuimus, adeò diffuſè lateq; tradidimus, vt ſuperuacuum ducerem hoc in loco plura de eis rememorare, niſi nunc de earum malefica & noxia vi nobis differendum eſſet. Cum igitur Cantharides excalfaciant receſſu quarto, & exiccent ſecundo, nil, ... mirum fuerit, ſi erodant, vlcerent, & deniq; ſumentes interimant. Nocent priuatim veſicæ, omnibusq; vrinæ inſeruientibus membris, non modo hauſtæ, ſed quandoq; etiam exterius illitæ, vbi exulcerare ſit opus: præſertim cum amplius admiſcentur cataplaſmatis, lociſq; illinuntur veſicæ propinquioribus: nempe coxendicum articulis dolore diutius tentatis, vel pubi vel renibus, vel teſtibus. Quo fit, vt qui has hauſerint, exulcerata inde veſica, magnis in vrina reddenda excruciantur doloribus: quanquam præter id omnia in vniuerſum lædant viſcera, quòd ſuapte natura erodant, & poſtremò necem inferant: namq; ſua veneſica, & pernicioſa vi deradunt internos meatus omnes, quibus obuiant. Proinde nec mirum ſi cum lotio ſanguinem extrahunt, eroſis ab eis vaſis: neq; ſi quando (vt recentiorum quidam dixere) penis ipſe, teſtes, pubes, & veſicæ ceruix intolerabili inflammatione vexentur. Hinc enim plerunq; euenit, vt qui hauſerint, vrinæ ſtillicidio afficiantur non ſine intollerabili ardore anguſtiaq;. Cæterùm picis & cedriæ odor, quem à cantharidibus male affecti guſtu & olfactu percipiunt, aliunde, meo quidem iudicio, non prouenit, quam a vaporoſis humoribus in ventriculo & ... nore aduſtis, intenſa huiuſce veneni caliditate. Ab ea ſiquidem dum exuruntur humores, quædam inuicem fit commiſtio, quæ propriam tum guſtum, tum odoratum inficiendi facultatem adipiſcitur. Inflammantur præterea dextri lateris præcordia, quippe cum veneni vis in iecur facilius, quàm in lienem excurrat, mirum vtiq; non eſt, ſi concitatus ibi inflammationibus, potius dextrum, quàm ſiniſtrum ægrotet latus. Nec alia ratione fit inde fluxio dyſentericæ ſimilis, ſecum deiectis inteſtinorum ramenta, quam quòd Cantharides ipſæ ad inteſtina deſcendentes, acerrima ſua vi ea exulcerent & ... dant. Defectus verò animi, ingens anxietas, cordisq; anguſtia partim eueniunt, doloris, ardoris intolerabiliq; inflammationis exuperantia: partim vero deleteria vi pharmaci, quæ vſqueadeò reſoluit vitales ſpiritus, & imbecillos reddit, vt ... de affecto corde, hæc tam ſæua oriantur ſymptomata. Quin & ob id vertiginoſi fiunt, delirio amentiaq; capiuntur, cum eas ſumpſerint, quod venenoſæ exhalationes, quæ a colliquatis humoribus in inferioribus membris ſurſum in cerebrum ... runtur, adeo ipſum inficiunt, vt facile animales facultates corrumpantur, ratioq; ipſa pereat. Sed vt his omnibus ... tur incommodis, primùm ſane neceſſarium fuerit (vt etiam Dioſcorides inquit) cantharidas ipſas extra corpus ducere ...*

Symptomatum cauſæ.

Cantharidum veneni curatio.

bræ-

*bris excitatis vomitionibus, & nimium medicamentis, quorum in huius libri præfatione meminit Dioſcorides, [illegible] mentionem fecimus in noſtra in eam longa commentatione. Quinetiam auxilio clyſmatis opus eſt, vt perducantur, quæ ad inteſtina deſcenderunt. Fit enim vt exhauſtis è corpore cantharidibus, non magno poſtea negotio, [illegible] incommodisq́ præſidia adhibeantur. Quandoquidem exulcerata veſicæ, cui ſuapte natura plus nocent cantharides, quàm cæteris internis viſceribus, ſuccurritur refrigerantibus, lentis & pinguibus ſimul miſtis medicamentis: frigida namq́ inflammationes extinguunt, mulcentq́ earum dolores: pinguia veneni acrimoniam obtundunt: lenta verò ac viſcoſa, cum interioribus partibus pertinaciter inhæreant, non modo diu medicamenta in exulceratis retinent locis, ſed etiam ſaucias partes muniunt, ne veneni vim admittant. Idcirco ad hoc munus præſtat lac humanum ab ipſis vberibus exuctum, crudum recensq́ butyrum eclegmatis modo linctum: pſyllij, cydoniorum malorum, & maluæ ſeminis ſpiſſamentum: item ſerapium ex nymphææ floribus & purpureis violis, quin & quod ex papaueribus conficiunt: nec non lactucæ, & portulacæ, & cucumeris, & cucurbitæ ſuccus: præterea cremor, lactis ſpeciem referens, qui è papauerum, melopeponum, cucurbitæ, cucumeris, anguriæ & lactucæ ſemine exprimi ſolet, affuſa violarum aqua, aut radicis althææ, aut ſolani, quod veſicarium & halicacabū vocant. [illegible] etiam rubentes baccæ decem, vel duodecim numero fractæ, & ex aqua portulacæ, vel ptiſana hordeacea potæ, hoc in negocio præſentaneo remedio proſunt. Facit ad hoc & amygdalinum oleum, quod ſcilicet ex dulcibus elicitur nucleis, vnciarum ſex pondere hauſtum. Huic autem præfertur, quòd è recentibus pineis nucibus exprimitur. Sed omnium præſtantiſſimum eſt, quod è ſemine albi papaueris eximitur: quandoquidem hoc præter id quod tanquam pingue plurimum conuenit, poteſt ſuapte natura inflammationes extinguere, veneni acrimoniam retundere, & dolores quantumuis vehementes ſedare. Sunt etiam qui præferant aquam, quæ feruentis balnei calore vitreis inſtrumentis elicitur è maluæ folijs, ibiſci radicibus & recentibus cucurbitæ ramentis: quòd propria vi vrinæ ardoribus opem ferat, & inteſtinorum inflammationem repellat. Porro ſuccurritur exulceratis inteſtinis ijſdem ſane medicamentis, quibus ad dyſenteriam vtimur, nempe per [illegible] caprinum [illegible] clyſtere infuſis, addito hirci ceruiq́ adipe: & omphacino roſaceo, plantaginis aut portulacæ aqua [illegible] elota. Prohibentur halitus cerebrum petentes, diſſoluunturq́ aſſumptis antidotis, quæ venenis reſiſtunt, & humores putreſcere non ſinunt: quinetiam cataplaſmatis ex frigidis, repellentibusq́ ſuccis, ſincipiti & coronali ſuturæ illitis. Inſuper [illegible] frangitur atq́ demolitur veneni vis, Dioſcoridis teſtimonio, valentibus antidotis, veluti Theriaca aut Mithridatio, aut (vt ſcribit Galenus lib. 9. ſimplicium medicamentorum capite de terra Lemnia) eo antidoto, de quo & nos ſuperius locuti ſumus, quod fit ex ipſa Lemnia ſphragide & iuniperi baccis. Proſunt inſuper epithemata corroborantia, item & inunctiones, quæ ex odoramentis conſtant valentioribus: præſertim oleum noſtrum de ſcorpionibus ſuperius deſcriptum aduerſus venena. Refert Galenus libro ſecundo de antidotis Aſclepiadis authoritate, cantharidas proprio veneno remedium & antidotum eſſe, ſi earum pedes, & alæ tritæ cum melle eclegmatis modo paulatim aſſumantur. Id quod etiam aſſeruit libro 11. ſimplicium medicamentorum, vt ſuperius libro ſecundo in earum quoq́ mentione retulimus. Hoc idem ſcribit Aetius à Galeno fortaſſe mutuatus libr. 13. cap. 49. ſic inquiens: At vero contraria affectionis ratione, quantum nihil aliud his auxiliantur cantharidum alæ, & pedes cum paſſo potæ: hæc Aetius. Veruntamen cum huiuſcemodi remedium ſuſpicione non vacet (non propterea Galeni teſtimonium rejiciendum putauerim) cumq́ à multis improbetur, atq́ ipſe nullum adhuc eius periculum fecerim, ideo nec ipſum damnare, nec probare auſim. Arabes namq́ pro certo habent omne venenum, quod cantharidibus inſit, earum tantùm alis, pedibus & capitibus ineſſe. Quare cum cantharidas ſuis immiſcent medicamentis, tam intus ſumendis, quàm extrà adhibendis, iubent contra Græcorum ſententiam, vt capita, alæ ac pedes abſcindantur: quanquam credendum arbitror Arabas Hippocratem perperam intellexiſſe, vt vltimo commentario de ratione victus in morbis acutis ſcribit Galenus. Sed quoquomodo res ſe habeat, ambarum partium placita in medium attulimus, vt vnuſquiſq́ ſuam in hac re ſequatur ſententiam. Nos tamen ſuſpecta medicamenta ſemper dimittenda iudicauimus, atq́ his vtendum, de quibus inter probatos authores, & doctos viros conuenit. Sunt è vulgaribus, qui ad epotas Cantharidas acetum commendent. Sed id equidem probare non auſim, quod antiquorum recentiorumq́ reperiam neminem, qui ſcriptis tradiderit acetum contra cantharidas auxiliari. Quinetiam medentur vrinæ ardoribus & pudendorum inflammationibus, non tantùm ea medicamēta, quæ per os ſumuntur, ſed ea quoq́, quæ exterius illinuntur. Præſtant igitur ad hoc roſaceum, omphacinum oleum, violaceum, & quod fit ex nymphææ floribus: item quod ex papauerum ſemine conficitur, quodq́ ex ijs paratur fructibus, quorum plantam appellant aliqui Balſaminam, alij verò Caranzam: cuius hiſtoriam ac facultates ſuperius libro quarto deſcripſimus, cum de vite nigra diſſereremus. In quem vſum hæc non modo exterius illinuntur pubi, peni & teſtibus: ſed etiam in pudendi meatum clyſtere injiciuntur, præſertim addito oui albo diutius rudicula agitato, aut ſedi ſucco, aut hyoſcyami, aut portulacæ aut lactucæ. Maximè etiam prodeſſe compertum eſt, ſi ad vmbilicum vſq́ duabus aut tribus horis ſederint patientes in aquæ tepentis balneo, cui ibiſci radices, maluæ folia & ſemina, violarum flores, pſyllij, cydoniorum malorum, fœnigræci, & lini ſemen, hordeum & hyoſcyamum, & id genus alia fuerint incocta. Poſtremò ad omnes huius veneni reliquias, quæ corpori hæſiſſent, eradicandas, læſaq́ membra roboranda, & ad priſtinum temperamentum reſtituenda, probatiſſimum erit medicamentum bis in die mane & veſperi, electuarium mox deſcribendum, vnciæ pondere ex humano vel caprillo, vel aſinino lacte potum. Fit autem hoc modo. Accipe nucleorum pineorum, vncias tres: nucis Indicæ recentis, vncias duas: piſtaciorum ſeſcunciam: ſeminum melopeponum, cucurbitæ, cucumeris, papaueris albi, maluæ, ſingulorum vnciæ dimidium: corticis arboris thuris, drachmas tres: margaritarum, coralliorum amborum, ſantalorum alborum, ſingulorum ſeſquidrachmam: ſucci glycyrrhizæ, drachmas duas: baccarum iuniperi, drachmam vnam: gummi Arabici, ſeſcunciam: terræ Lemniæ, drachmas ſex: ſucci baccarum halicacabi, portulacæ, ſingulorum vncias ſex: diluti violarum, vncias octo: ſpiſſamenti è ſeminibus malorum cotoneorum, aqua violarum maceratis, vncias ſex: ſerapij violacei, vncias quatuor: de floribus nymphææ, de papauere, cuiuſq́ vncias decem. Quæ terenda ſunt, conterito, deinde commiſtis omnibus ſecundum ſeplaſiariorum regulam, electuarium facito: quo vtitor, vt antè diximus.*

Cõtrouerſia inter Græcos & Arabas.

Electuarii deſcriptio.

Πιτυοκάμπαι. **PINORVM ERVCÆ. CAP. II.**

Is qui erucas pinorum hauſerint, illico dolor in ore & [a] palato exoritur: vehemens alui, linguæ ac ſtomachi inflammatio torquet: inteſtina dolor excruciat, ita vt pruriginem ſentire videantur: corpus totum exæſtuat: faſtidium vrget. Quibus eſt ſuccurrendum remedijs, quæ deuoratis cantharidibus dantur. Peculiariter tamen pro ſimplici oleo & irino, melinum, quòd è cotoneis pomis & oleo temperatur, accipiemus.

a Meũ οὖρον. i. vrina.

## Βούπρηστις. BVPRESTIS. CAP. III.

QVi bupreſtin biberunt, non diſſimile nitro virus ſapiunt: ſtomachi ventriſq; vehemens dolor inſequitur: tam venter quàm ſtomachus mirum in modum, vt in aqua inter cutem, difflatus, inturgeſcit: vniuerſa corporis facies contenditur: vrina ſupprimitur. Quibus eadem, quæ potis cantharidibus auxiliantur. Priuatim poſt vomitus & vacuationes, quas clyſteribus molimur, aridæ ficus proſunt, et earum decoctum, ex vino. Vbi verò iam ferè pericula inclinantur, Thebaicarum palmularum cibo, aut earundem tritarum in mulſo, aut lactis potu, iuuantur. Pyrorum etiamnum omne genus eſſe, & lac humanum bibere, conuenit.

*DE bupreſtibus & pinotum erucis ſuperius libro ſecundo ſatis diſſeruimus, quantum ad earum hiſtoriam attinet: nunc harum vim veneficam proſequimur. Hæc igitur animalia etſi pota, aut aliàs in ventriculum ingeſta, quædam ſymptomata, & incommoda pariant, ab his planè diuerſa, quæ ab epotis cantharidibus inferuntur, tamen & ipſa eandem expetunt curationem, eademq; poſtulant medicamenta, quibus in epotis cantharidibus vtimur. Verùm aduerſus hæc quoque nonnulla propria, peculiariaq; habentur antidota, quorum cum latius meminerit Dioſcorides, non eſt cur nos de ijs plura dicamus.*

## Σαλαμάνδρα. SALAMANDRA. CAP. IIII.

SI ſalamandram hauſerunt, linguæ inflammatio conſequitur: mens & ſermo præpeditur: tremor cum torpore aut horrore quodam, ac exolutione accedit: partes nonnullæ corporis liuoribus circumquaque ſugillantur: ſæpeq;, diutius immorante veneno, putreſcentes defluunt. Quibus præſtabimus cuncta, quæ potis cantharidibus. Peculiaria veró remedia, reſina pinus, aut galbanum ex melle linctum, & aiuge decoctum, in quo nuclei pinei conterantur: vrticæ quoq; folia, cum lilijs & oleo decocta. Proſunt etiam oua teſtudinis marinæ aut terreſtris cocta: item ranarum ius, cum quibus eryngij radix incocta ſit.

Salamandræ venefica natura.

*NOn ſolùm veneno inficit, & necem adfert Salamandra ſicca, & in puluerem pota, vel clam cibis admiſta, ſed etiam morſu, viperarum modo, cæterorumq; ſerpentium venenum eiaculantium. Quin & fructus, & herbas inficit tum ſaliua quadam, tum mucoſa ſpecie, quæ è toto eius corpore ſudat, magno deguſtantium diſcrimine: ſiquidem plerique reperti ſunt, qui hoc tantùm veneno periere. Proinde mirùm non eſſe videtur, ſi recentiorum quidam tradiderunt, integras quandoq; interijſſe familias, quòd aquas bibiſſent, in quorum puteos fortè Salamandra ciderat: vel quòd panem tantùm comediſſent furno incoctum, qui lignis ea infectis concaluerat. Quibus tamen non vſquequaque credendum exiſtimo, cum ignium vi venena omnia abſumantur. Sed potius adſtipulandum fuerit Plinio, qui libr. 29. cap. 4. non ex panis furnis incocto, in quibus ligna ſalamandræ veneno infecta, accenſa fuiſſent, quoſdam iam fuiſſe necatos prodidit, ſed ex panis cruſta lignis inaſſata pede tantùm ſalamandræ contactis, vt eius verba teſtantur, cum inquit: Inter omnia venenata ſalamandræ ſcelus maximum eſt. Cætera enim ſingulos feriunt, nec plures pariter interimunt, vt omittam, quòd perire conſcientia dicuntur homine percuſſo, neq; amplius admitti ad terras. Salamandra populos necare improuidos poteſt: nam ſi arbori irrepſit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ederint, necat frigida vi, nihil aconito diſtans. Quinimo ſi contacto ab ea ligno vel pede, quo cruſta panis incoquatur, idem veneficium eſt, vel ſi in puteum cadat. Quippe cum ſaliua eius quacunq; parte corporis, vel in pede imo reſperſa, omnis in toto corpore defluat pilus: hactenus Plinius. His igitur, qui hauſerint (vt Aëtius eſt author libr. 13.) præter ea quæ à Dioſcoride ſcribuntur, maculæ in totum corpus exoriuntur albæ, deinde rubeæ, poſtremò nigræ, quæ tandem putreſcentes, vniuerſum deglabrant corpus. Sic venenatis ſuccurratur (vt Dioſcorides ait) ijſdem remedijs, quæ ad cantharidas præſtant, quod tamen aliquibus minimè videtur rationi conſonum: quandoquidem cum ſalamandræ venenum maximè frigidum humidumq; ſit, cantharidùm contrà calidiſſimũ, & exiccans, nullo quidem pacto conſentaneũ cenſent, quòd ijſdem vtriſq; ſuccurratur medicamentis. Verùm huic illud rectè, mea quidem ſententia, reſponderi poteſt, quòd vbi Dioſcorides ſalamandris cantharidum cõmendat medicamenta, de generalibus, quæ in vniuerſum fiunt, duntaxat intelligit, nempe vt quàm citò fieri poſſit, venenum è ventriculo & inteſtinis extrahatur crebris vomitionibus, & clyſmatis acrioribus: in cordiſq; præſidium dentur Theriaca, Mithridatiũ, aliaq; generoſa antidota, quæ pota cor ipſum à venenatis omnib. tuentur. Siquidem in cantharidum capite, quod omnium primum habeatur, generalis methodus Dioſcoridi tradenda fuit, ne eadem per ſingula capita ſæpe fruſtra & ineptè repeterentur. Quare ſcite cum ad cantharidum remedia legentes reijcit, de generalibus tantùm intelligit. Auicenna eandẽ ſalamandris adhibet curationem, quã opio, quòd tam hoc, quàm illa frigidiſſimo ſint temperamento, præfertq; cæteris Theriacam, Mithridatis antidotum, reſinã terebinthinam, ſtyracem, vrticæ ſemen, & cupreſſi frondes.* Salamandræ veneni curatio. *Cæterum quoniã ſalamandræ ſitus corporis forma* STELLIONES *mortiferi etiam morſus animalia mihi in mentem reuocauit, cum eorum peculiarẽ mentionem non fecerit Dioſcorides, non alienum fore duximus, eorum primum hiſtoriam deſcribere deinde venenati morſus remedia in medium adducere. Sed an lacertarum generi legitimè ſtelliones adſcribi poſſint, profectò non auſim decernere: quanquam non deſunt, qui aſſerant, maiores lacertos, quos vulgò appellamus Ramarri, alij Liguri, alij verò Lucerti, veros eſſe ſtelliones. Quorum tamen ſententiæ non poſſum ſubſcribere: quandoquidem Plinius lib. 10. cap. 25. & 26. Stelliones inquit eſſe lacertarum figura, & chamæleonum quodammodo naturam habere, vt qui rore tantùm viuant, præterquam araneis. Ex quibus fateri licebit, ſtelliones non eſſe noſtrates lacertos, namq; hi cochleas, cicadas, locuſtas & papiliones deuorant, & id genus animalcula. Ad hæc copioſum in venis continent ſanguinem, & amplo referti ſunt iecinore, hominibusq; haudquaquam inimicantur, quin potius eos amant. Contrà verò ijs aduerſantur ſtelliones, Plinio authore lib. 30. cap. 10. vbi nullum animal fraudulentius inuidere homini tradidit. Præterea (vt idem eodem loco ſcribit) ſtelliones hyemant in domibus, in locis oſtiorum & feneſtrarum, aut cameris, ſepulchriſve: quapropter venatores obſeruant cubile eorum æſtatibus. Ibi vere incipiente fiſſis harundinibus textas opponunt caſas decipularum modo, quarum anguſtijs etiam gaudent. Venantur autem eos, vt eorum ſenectam, quæ vt ſerpentes quotannis exuuntur, facilè conſequantur, quòd nihil ei remedio in comitialibus morbis præferatur: ex more enim exutam ſenectam illico deuorant. Hinc igitur ſanè perſpicuum fuerit, Stelliones à maioribus Italicis lacertis differre: hi ſiquidem in campeſtribus, in frutetis, ſepibus & macerijs degunt: illi verò in*

Stellionum conſideratio.

Lacertæ maiores.

*verò in ſepulchris & domibus noſtris oberrant. Proinde iubet Dioſcorides, vt qui in venenorum timore verſantur, & culinam non alio loco apparare nequeunt, ſub tecto apparent. Sed tum diligenter laquearia animaduertenda, quòd frequenter à ſuperioribus contabulamentis animalia decidunt, exigua quidem, ſed quæ non modicam perniciem moliantur, vt Phalangia, Stelliones, & alia quædam reptilia. Quòd autem Stelliones in Italia proueniant, teſtis eſt Ariſtoteles lib. 8. cap. 29. de hiſtoria animalium, aſſerens in quibuſdam Italiæ locis Stelliones morſu homines perimere. Sed qui ſint, nullam [illegible] clariorem. Quanquam his coniecturis iamdiu exiſtimauerim ea lacertarum genera eſſe Stelliones, quæ in Hetruria in noſtris morantur domibus, præſertim quibuſdam prope terram foraminibus, à nobis vulgò Terrantolæ appellata, de quibus ſuperius libro ſecundo latius diximus, de lacerta Calcidica differentes. Quandoquidem hoc animal lacertis perſimile viſitur, & araneos maximè venatur, vt Plinius inquit, item Ariſtoteles lib. 9. cap. 1. de hiſtoria animalium. Dorſo præterea maculis quibuſdam nitet ſtellarum modo radiantibus, vnde & fortaſſe nomen. Quinetiam, quòd venenum morſu relinquant, cum è cauernis exeunt, ſtatim in Hetruria necantur. His (vt audio) abundat Syria in caminis potius, quam alibi commorantibus. Varia ſanè ſunt huiuſcemodi animalium genera, de lacertis, chamæleontibus, ſcincis, crocodilis, ſtellionibus & ſalamandris loquentes: quippe quoniam in vnoquoque horum genere habentur differentiæ tum formæ, tum coloris, tum magnitudinis. Obſeruaui ego Salamandras in quibuſdam Germaniæ ſyluis vniuerſo dorſo nigerrimas, pectore verò, & ventre admodum rubentes. Sunt & in Vtinenſibus aquis degentes, cauda anguillarum modo lata, & rotundo roſtro, aluo admodum rubente, nigricante dorſo, nullis maculis reſperſo. Quod etiam Scincis euenit: nam & hi in Italia habentur Vicentino agro parui & nigricantes, ijs vtique adſimiles, qui ab Alexandria Aegypti Venetias comportantur. Sicuti & in Arabia lacertæ ſunt bicubitales. In Niſa Indiæ monte 24. pedum longitudine reperiuntur. Et in ea fortunatarum Inſula, quæ Capraria nuncupatur, magnæ admodum & copioſæ. Sed vt ad Stelliones iam noſter redeat ſermo, eorum morſibus ſuccurrendum eſt Theriaca, Mithridatis antidoto, & alijs, quæ in vniuerſum venenoſorum animalium morſibus opitulantur. Imponuntur priuatim maximo præſidio demorſis iam locis contriti ſcorpiones. Proinde oleum noſtrum de ſcorpionibus, de quo abundè in prima huius commentatione diximus, ijs præcipuum fuerit antidotum. Si verò quis venenum hoc in potu cibóve ſumpſerit, primum tum vomitione, tum clyſteribus extrahendum erit: mox valentioribus antidotis cordi ſuccurrendum. Illud poſtremò non ignorandum eſt, quod (vt Plinius inquit) ex Stellionibus fit malum medicamentum: nam cum Stellio immortuus eſt vino, faciem eorum, qui biberint, lentigine obducit: ob id in vnguento necant eum inſidiantes pellicum formæ. Remedium eſt oui luteum, & mel ac nitrum.*

Stellionum morſus remedia.

## Ε'φήμερον. EPHEMERVM. CAP. V.

SVmpto Ephemero, quod aliqui Colchicon aut ſylueſtrem bulbum appellant, pruritus in toto corpore excitatur, non ſecus atq; ijs, qui vrtica aut ſcilla laceſſuntur: interna roſionem ſentiunt: ſtomachus cum ingenti grauitate exæſtuat: cæterùm inualeſcente morbo, cruor ſtrigmentis admiſtus, per aluum exigitur. Quibus, vt ijs qui ſalamandram hauſerunt, vomitione aut clyſteribus auxiliari conueniet: ſed antea quam venenum inualeſcat, dandum eſt decoctum frondium quercus, aut glandium, aut malicorij: lac bibere prodeſt, in quo ſerpyllum ſit decoctum: item ſuccum ſanguinalis herbæ, aut ramorum vitis, aut rubi, aut medullæ recentis ferulæ, aut myrti cum vino. Baccæ autem myrti tuſæ tritæq;, & aqua maceratæ, vt liquor inde ſumatur, opem ferunt. Media caſtanearum tunicula, ſimilem effectum præbet, ſi cruda in aliquo ſupradictorum ſucco ſumptitetur: origanum quoq; cum lixiuio epotum: eximiè iuuantur aſinini lactis, aut bubuli calidi potu, etiam ſi in ore contineant: ita vt quibus copia lactis huius adſit, non aliud deſideretur.

Ephemeri veneni curatio.

*COlchici Ephemeri hiſtoriam picturamq; reddidimus libro quarto, vbi ea attulimus, quæ in ipſo conſideranda nobis occurrebant. Eius autem veneno medendi rationem hoc loco adeò diffuſè tradidit Dioſcorides, vt plura ab alijs, qui poſt ipſum claruerunt, conſequi mihi non licuerit. Danda igitur opera eſt, vt primùm (quod in alijs quoq; ſæpenumero dictum eſt) crebræ vomitiones, & clyſteres ſuum præſtent auxilium: deinde propria antidota exhibenda ſunt, præſertim humanum lac, aſininum bubulumq;. Nec tamen omittenda, quæ in vniuerſum omnibus venenis reſiſtunt, de quibus iam ſæpius diximus. Sed quoniam inter venenata recenſentur Anacardia ſic Mauritanis vocata, forma ephemero quadantenus proxima, quamuis colore diſsimilia: itemq; Staphis agria, quæ & pernicioſa habetur, & eiuſdem ferè cum anacardijs temperamenti: cum hæc Dioſcoridi prætermiſſa videantur, ſintq; medicamenta, quibus quotidie ad varios humani corporis morbos vtuntur medici, ab inſtituto noſtro defeciſſe putarem, niſi horum quoq; naturæ veneficæ propria aſsignaſſem remedia. Præſertim cum ſæpe contingat, quòd hæc medicamenta (quæ craſſa quorundam circumforaneorum ignorantia eſt, qui non modò non mederi, ſed vix etiam legere ſciunt) propinentur, nullis ſeruatis ponderibus, nec menſuris, nulliſq; additis medicamentis, quæ illorum vim maleficam frangant: vnde nonnunquam miſeri ægrotantes in tam magna incidunt diſcrimina, & tam ſæua ſequuntur ſymptomata, vt niſi poſtea à peritis medicis remedia & antidota adhiberentur, facilè deperirent, id quod plurimis eueniſſe ſcimus.* ANACARDIA *igitur tam in potionibus hauſta, quàm aliàs ingeſta præterquàm quòd fauces, guttur, & ventriculum inurunt, & vſqueadeò vniuerſum excalfaciunt corpus, vt inde febres oriantur, excitant & paralyſim in quibuſdam corporis membris, & ratiocinatricem facultatem corrumpunt, quòd ſua calorifica vi atrum ſuccum exurant: quibus eſt ſuccurrendum, factis antea vomitionibus ac clyſterijs, oleo amygdalino dulci, aut è pineis nucleis, aut è nucibus Indicis, aut è papaueris ſemine, aut recenti butyro & bubulo lacte. Dantur hæc affatim in potu, magno ſanè iuuamento. Quin & alia pinguia medicamenta conueniunt: nempe pinguium carnium iura, ſuillus & anſerinus adeps liquefactus, quadrupedum & volatilium cerebrum, & oſsium medulla: quandoquidem his ampliſsima ineſt facultas (vt pluries diximus) qua venenorum calidorum omnium feruor extinguitur, retunditurq; acrimonia. Præterea ijs auxiliantur omnia, quæ ſuapte natura refrigerant, vel quæ arte fuerint refrigerata. Proinde Auicenna Anacardiorum feruori extinguendo cæteris prætulit bubulum lac aceſcens, violaceum oleum, & hordeaceam ptiſanam, prius tamen glacie, vel niue frigefactam. Veruntamen proprium Anacardiorum antidotum ſunt Iuglandes, & pinorum nuclei aliquantiſper torrefacti. Cæterùm* STAPHIS AGRIA, *anacardijs (vt paulò ſuperius diximus) temperamento reſpondet, quòd admodũ calida ſit ac vrens. Quare eadem ſanè adfert incommoda, quæ anacardia & cantharides. Adurit enim fauces & palatum, vomitiones commouet, ventriculi eroſiones facit, & dyſentericos fluxus ciet, poſtremò ſtrangulat,*

Anacardiorũ veneni ſigna, & curatio.

Staphidis agriæ noxa, & curatio.

Oooo v 2

*gulat, niſi ſtatim ſuccurratur. Sed cum hæc ſua ſponte & propria facultate vomitiones moliatur, non aliter eſt prouocandus vomitus. Verùm animaduertendum eſt, an ipſa reijciatur: quod vbi non euenerit, dulce amygdalinum oleum in potu fuerit dandum, admiſto hydromelitis plurimo: atq; interim cogantur ægri, vt continuò inambulent, namq; hoc tantum medicamento valentiſſimè per vomitum exigitur. Nec tamen ob id negligantur clyſteres, quorum pluries meminimus, vt ſi ramentum ipſius aliquod ad inteſtina deſcenderit, his extrahi poſſit. Reliquum verò curationis ſumatur è cantharidum curatione, non omiſſis vniuerſalibus antidotis.*

## Δορύκνιον DORYCNIVM. CAP. VI.

a Me. ποθὲν. i. pota.

DOrycnion, quod aliquì manicon ſolanum appellarunt, epotum, lactis ſaporem in guſtu refert: continentes ſingultus eiet, humor linguam vexat, ſanguis confertim reijcitur: mucoſa quædam penè ceu quaſi dyſentericis, aluo egeruntur. Itaq; antequam aliquid ex ijs eueniat, auxilio ſunt antedicta, vomitus, clyſter & quæcunq; potum venenum expellere poſſunt. Priuatim ijs opitulatur, aqua mulſa, a lac caprillum aut aſininum, dulce vinum, quod tepidum cum aniſo bibatur, amygdalæ amaræ, gallinacea pectora decocta; quinetiam conchylia omnia, tam cruda quàm toſta eſſe, ſalutare eſt: conueniunt & locuſtæ marinæ, & gammari, & pota eorundem iuſcula.

Dorycnii veneni conſid.

Solani manici veneni noxa, & curatio.

Vua vulpina.

Bella donna lethiferum.

*DE Dorycnio ſatis diſſeruimus libro quarto, quantum quæ noſtra eſſet de eo ſententia, ingenuè dicendum erat. Hoc tamen loco non tacebo, quòd idem eſſe non arbitror Dorycnium, & manicum ſolanum: quandoquidem duobus capitibus lib. 4. de his tanquam de diuerſis diſſeruit Dioſcorides. Verùm enimuero etſi hoc in loco dixerit is reperiri quoſdam, qui Dorycnium manicum ſolanum appellarunt, non tamen id eſſe verum aſſerit, ſed aliorum tantùm refert opinionem, quam nec probandam cenſet. Cæterùm Solano manico veneficam vim ineſſe conſtat, vtpote quod eos, qui ipſum hauſerint, maximis afficiat incommodis, vt ipſe Dioſcorides teſtatur loco citato, cum inquit: Solani manici radix drachmæ vnius pondere pota ex vino, facit ſpecies vanas, imagineſq; non iniucundas obuerſari: ſed duplicatus hic modus, ad tres vſq; dies mentis alienationem adfert: quadruplicatus verò interimit. Remedio eſt aqua mulſa copioſius pota, & vomitione reddita. Has pernicioſas facultates, earumq; remedia loco dicto reddidit Dioſcorides Solano manico: cuius tamen hic inter venenatas plantas poſtea non meminit. Ibidem libro quarto non aliam vim maleficam Dorycnio aſſignauit Dioſcorides, quam quòd copioſius hauſtum mortem adferat. Hinc itaq; conijcere auſim, quòd eadem vtriſq; medicamenta facilè competere poſſunt. Dorycnium Auicenna vuam vulpinam vocat, nec tamen plura de eo retulit, quam ſcripſerint Dioſcorides & Paulus. Idcirco hoc in negocio à Dioſcoride minimè diſcedendum erit, nec ab ijs præterea medicamentis, quæ nobis inferius in eius curatione deſcribentur. Cæterùm non minus lethiferum eſt Solanum maius, quod vulgo Italis appellatur herba bella donna, cum non ſolùm eius baccæ deuoratæ, ſed ipſa quoq; radix quandoque ioci cauſa paraſitis exhibita, qui ad lautas menſas, etiam inuitis Dominis, accedere ſolent, oblectamenti non parum conuiuantibus afferre ſoleat. Siquidem ſi cultello deraſa ſcrupuli pondere in vini ſeſcuncia maceretur horis ad ſummum duabus, & deinde percolato diluto, ac digitis preſſo, id vini recentis addatur, quod poculum repleat, totumq; potandum propinetur, fit paulò poſt, vt qui biberint nihil prorſus edere poſſint, magno ſpectantium oblectamento: verùm qui hoc fuco vtuntur, priuſquàm menſæ aſſideant, paraſitos ad ientaculum inuitant, vt fucatum vinum propinent. Diſcutitur fucus à riſu, aceto potui dato. Id enim præſentaneum antidotum eſt. Hanc huiuſce radicis facultatem fortè fortuna primus adinuenit Franciſcus Calzolarius pharmacopœus Veronenſis, rei plantariæ ſtudioſiſſimus, qui mihi id reuelauit. Sed animaduertendum eſt, ne modus excedat, nam ſi propinetur copioſius, ſtrangulando interficit. Succurritur noxa iiſdem medicamentis, quibus Dorycnij & manici Solani noxa ſuperatur.*

## Ἀκόνιτον ACONITVM. CAP. VII.

a Cat. εὐζωμον. i. eruca.

b Meū. ὄξει. i. aceto.

ACONITUM ſtatim in lingua inter bibendum, cum adſtrictione quadam dulceſcit: & ſubinde, poſtſomnum cum exurgere conantur, vertigines offundit: lacrymas ciet: grauitatem pectori, & præcordijs adfert, ſimulq; crebri ſpiritus deflantur. Quare venenum vomitione abigi, aut clyſtere per aluum egeri opus eſt. Vtimur inter propinandum, origano, ruta, marrubio vel abſinthij decocto, cum vino abſinthite, vel a ſemperuiuo, vel abrotono, chamelæa aut aiuga. Prodeſt etiamnum opobalſami drachma, cum ſe melle aut lacte cum caſtorio, pipere & ruta, æquis ponderibus ex vino: coagulum hædi, leporis, aut hinnuli cum aceto: ferri quoq; ſtercus, item vinum in quo aurum, ferrum, argentumve candens reſtinguitur, potum: lixiuiaq; cum gallina & vino decocta, aut carnium bubularum præpinguium iura, cum b vino ſumpta. Fertur & aiuga priuatim ipſis ſubuenire.

Aconiti veneni conſid.

*ACONITI complura haberi genera, quiſquis facilè noſſe poterit, qui ſuperius libro quarto eorum Icones examinauerit, ſiquidem genera duodecim ibi reperiet, quæ omnia deleteria ſunt facultate. In quibus indagandis ſedulam nauauit operam Franciſcus Calzolarius Veronenſis, rei plantariæ ſtudioſiſſimus. Namq; is ſex Aconitorum genera adinuenit in monte quem Baldum vocant, quæ quarto lib. poſtremo loco appingi curauimus. Et ad me tandem ea tranſmiſſa ſunt a clariſſimis Medicis Dominico Montiſauro, & Hieronymo Donzellino, qui omnia Calzolario ipſi accepta referunt. Itaq; tametſi permulta habeantur Aconiti genera, nempe tria, quæ cynoctona, lycoctonaq; appellantur, & quartum pardalianches vocatum, quæ omnia veneficam vim ſortiuntur, vnam tamen, & eandem expoſcunt curationem. Refert Aëtius præter Dioſcoridem, eos qui hauſere, poſt dulcedinem & adſtrictionem amaritudinem percipere: adſtringuntur deinde maxillæ, ſubſequuntur morſus & eroſiones ſtomachi. Quibus niſi illico ſuccurratur, caligant oculi, & ſubcruenti viſuntur. Oboriuntur tremores, corpus vniuerſum intumeſcit, fiuntq; ægri hydropicis ſimiles. Medendi ratio à Dioſcoride petenda. Attamen quippe qui vſqueadeo præſtantia deſcripſit medicamenta, vt Aëtio & Auicennæ plura non reliquerit addenda. Attamen Conciliator Aponenſis, qui inter recentiores de venenis luculenter ſcripſit, aconitum bibentibus ſphragidem Lemniam commendauit, drachmarum duarum pondere ex calida potam: dein vomitum excitari iubet: à vomitu theriacã eodem pondere exhiberi, ex vino in quo incocta fuerit gentiana: atq; adeò putat Aconiti præcipuum eſſe antidotum longe ariſtolochia*

*lochiæ radicem. Cæterùm dum hæc ſcriberem, mihi in mentem venit nonnunquam inter venenatas plantas haberi ſcillam, flammulam, vrticæ & dracunculi ſemen, quæ cum hic ſilentio prætermiſſa fuerint à Dioſcoride, optimum inſtitutum [illegible] nunc de ſingulorum veneno, eiuſq; remedijs nonnulla commemorare. Sunt igitur in* SCILLARVM *genere, [illegible] natura venenoſa proueniant: ſunt etiam contra quæ nullo imbutæ veneno in medicum veniat vſum. Hæ potę[illegible] age[illegible] nullam pariunt noxam, niſi earum plus, quàm par ſit, aſſumatur. Illæ vero ſua malefica vi, etſi [illegible] par[illegible] entur, [illegible] tamen hominem torquent, quemadmodum fungi. Venenoſa autem ſcilla, vt Meſues, ac cæteri Mauritanorum tradidere, ſola nec alteri annexa prouenit, locuq; ol oritur fœdis ac graueolentibus, vt apud thermas. Diſcant igitur diligentiſsimi ſeplaſiarij ijs vti ſcillis, quæ ſimul connaſcuntur, ſapore amaro, acri ſimul & dulci, ſplendentibus vndiq; laminis. Quandoquidem nulla his facultas ineſt, quæ corpus lædi poſsit, niſi fortaſſe, vt dictum eſt, plus earum aſſumeretur, quàm ferre poſſet natura. Quamobrem demùm diſſerens Auicenna inter venenatas plantas ſen ſeptima quarti volu[illegible] ſic inquit: Scillæ malæ aut probatæ longior vſus, quàm par ſit, ventriculum exulcerat, & inteſtina, ipſaſq; meſaraicas venas, aliosq; meatus, qui e ventriculo in iecur permeant. Quo fit, vt in viſceribus oriantur punctiones, acutiq; cruciatus, & inde dyſenteria. Quibus incommodis ſuccurritur lactis potu, in quo ferrum, quod Græci ſtomoma, nos verò chalybem appellamus, pluries reſtinctum fuerit, deuoratisq; ouorum vitellis in aceto decoctis. Quinetiam ijs frixa cibaria conferunt, pinguia carnium iura, recens crudumq; butyrum, & extrema iuuenum quadrupedum membra, aliaq; permulta, de quibus latius egimus, cum de cantharidibus ſermo haberetur. Nec minora facit incommoda* FLAMMVLA *vocata, cuius hiſtoriam ſcripſimus libro quarto in alterius clematidis mentione. Ipſa enim præter venenoſam quam poſsidet facultatem [illegible] ſaut ordine quarto, adeò vt valentiſsime corpus exulceret, vbi fuerit impoſita. Ingeſta verò fauces, guttur, ventriculum & inteſtina magnis afficit ardoribus. Quin & intolerabilem excitat ſitim, & aridam reddit linguam: inteſtina deradit, & ardentem pellit vrinam: nam quandoq; tam altè excoriat, vt eroſis vaſorum tunicis, mictu ſanguinis reddatur intolerabili ſane dolore. Ad hoc facit auxiliaturq;, excitatis prius vomitibus & clyſteribus infuſis, lac bubulum ſuo cum butyro potum, aut alio recenti admiſtum, item amygdalinum oleum, aut è pineis nucleis, aut Indicis nucibus, aut papaueris ſemine expreſſum. Quippe (vt iam ſæpenumero diximus) huiuſcemodi acutorum curatio, non eſt aliunde petenda, quàm à pinguibus & ſeminum quorundam craſſamentis. Præſtat hoc in negotio & iecur fouere, lactucæ, portulacæ, & intybi hortenſis ſucco: item ſantalis aqua roſacea maceratis: quin & halicacabi baccas deuorare prodeſt. Quòd ſi cruenta lotio reddantur, illinantur ſtatim renes, pubes, teſtes, & ipſa demum virilia, roſarum, polygonij, plantaginis, cynogloſſi, papaueris, lactucæ & hyoſcyami ſucco. Opitulantur etiam clyſteres è bubulo aut caprino lacte, aut è pinguibus carnium iuribus infuſi, addito roſaceo, & vino è myrtinis baccis confecto, vt diffuſius in cantharidum curatione retulimus. Sequitur* VRTICÆ SEMEN, *id præſertim, quod lini ſemen refert, quo excitandæ veneris gratia quidam vtuntur. Sed cum & ipſum in medicum veniat vſum, ac etiam quorundam cibis admiſceatur, animaduertendum eſt, ne largius ingeratur, præſertim ſolum, ſed ijs adijciatur cibis vel medicamentis, quæ eius acrimoniam exedentemq; feruorem obtundere & extinguere queunt: cuiuſmodi ſunt piſtacia, nuclei pinei, dulces amygdalæ, nuces Ponticæ, & priuatim deglubitum ſeſami ſemen. Nam cum vrticæ ſemen affatim deuoratur, non ſolùm (vt Auicenna eſt author) omnes ſcillæ malos præbet effectus, ſed priuatim etiam continentem excitat tuſsim. Curatio eadem quæ ſcillæ: verùm ad finiendam tuſsim, quæ priuatim ex vrticæ ſemine prouenit, ea non ſunt omittenda, quæ ſuapte natura pectoris aſperitates mulcent: qualia ſunt amygdalinum oleum, ſirupum violaceum, & ex zizyphis, ſaccharum quod canditum vocant, diatragacanthum frigidum, hordeacea ptiſana ſaccharo inſperſa, & id genus alia. Præſtant præ cæteris (vt ſcribit Conciliator) ad epotum vrticæ ſemen, malorum cydoniorum ſemina contuſa, & ex calida aqua pota. Calidiſsimæ porrò acerrimæq; facultatis eſt etiamnum* DRACVNCVLI *ſemen, vtpote quod potū, aut in cibis ſumptum, guttur aſperitate afficiat, adurat ac pungat linguam: item gingiuas & dentes vexat: quin & corpori vniuerſo ingentem calorem inducit. His noxis auxiliatur recens butyrum hauſtum. Priuatim tamen præcipuum remedium adfert hordeacea farina in pultem conformata, additis penidijs, aut ſaccharo, amygdalino oleo, vel recenti butyro.*

Scillæ venenoſæ noxa, & curatio.

Scillæ inter venenatas Auicenna meminit.

Flammulæ veneni noxa, & curatio.

Vrticæ ſeminis noxa, & curatio.

Dracunculi ſeminis noxa & remedia.

Μέλι τῆς ἡρακλείας.

## MEL HERACLIÆ. CAP. VIII.

MEl in Heraclia Ponti, vbi aconitum gigni ſolet, inuenitur: quod qui edunt, bibuntve, non ſecus afflictantur, quàm qui aconitum ebiberunt. Ijs eadem, quæ poto aconito conueniunt. Adiuuantur in primis continuo vini mulſi potu, cui rutæ folia ſint adiecta.

*MEllis Heracleotici hiſtoriam & vires fuſius libro ſecundo retulimus. Quo in loco tradidit Dioſcorides (etſi id poſteà hic ſilentio inuoluerit) eos mente abalienari, ac ſudore diffluere, qui illud comederint: remedio autem eſſe rutam eſitatam, & ſalſamenta, aut epotum mulſum. Sed cum iamdiu in Italiam non adferatur, ideo nec curæ eius inſiſtendum eſt, præſertim quòd eandem cum aconito venenatam ſortiatur facultatem & curationem.*

Κόριον.

## CORIANDRVM. CAP. IX.

COriandrum ob odorem latere non poteſt: epotum autem vocem exaſperat: inſaniam adfert, à temulentijs non abhorrentem, qui ſumpſerunt, pudenda dictu blaterant, totiuſq; corporis odore venenum fatentur. Quibus poſt vomitionem irino oleo concitatam, vti retulimus, merum & per ſeſe, & ex abſinthio potum auxiliatur: item oleum: nec ſecus oua in eodem exinanita, ſi liquefacta in muria ſorbeantur: & epota muria, & ius ſalſum ex gallina & anſere: paſſum quoq; cum lixiuia ſumptum.

*DE coriandro libr. tertio abunde diſputauimus. Et quia non ſolùm de facultatibus coriandri, quæ humano corpori prodeſſe poſſunt, controuerſia eſt inter authores medicinæ, ſed etiam de ijs, quæ eidem officere poſſunt, idcirco loco antedicto quid de prima difficultate ſentirem, & cui potiſsimum adhærerem, dixi. Cæterum de ſecunda difficultate nunc equidem ſecus ſentio atq; olim. Alias enim multorum ſententiam ſecutus, coriandrum ab vſu prorſus abdicandum eſſe ſcripſi, quod omnem eius vſum nocuum eſſe exiſtimarem. Nunc vero eius vſum tantùm immoderatum (quòd ita mentem commoueat, & mortis periculum adferat) euitandum cenſeo: idq; non leuibus, vt puto, rationibus. Quas quoniam libro ſuperius*

Coriandri venefica natura.

Coriãdri veneni remedia.

rius citato retulimus, ideo ab eis hic ſuperſedebimus, & ad remedia accedemus. Iis igitur, qui Coriandrum largius ſumpſerint, præter illa quæ à Dioſcoride produntur, opitulatur theriaca ipſa ex mero pota: quin & herba vincetoxicum vulgo vocata, de qua libro tertio ſcripſimus in Aſclepiadis mentione: namq; hæc proprium coriandri antidotum eſt. Subueniunt præterea raucedini, vociq; exaſperatæ gargarizationes ad id expertæ: item ea, quæ pectori conueniunt. Ad cerebri vero noxam præſtat diamoſchum & diambarum, & id genus alia, quæ cordi & cerebro auxiliantur.

## Ψύλλιον. PSYLLIVM. CAP. X.

a Meum κώνειον. i. cicuta.

PSyllion epotum, corpori toti frigus, & torporem cum exolutione & mœrore quodam adfert, ita vt animum deſpondeant. Cui omnia, quæ ex hauſto a coriandro auxiliantur.

Pſylli veneni noxa & curatio.

*PSyllium & eius ſemen, cuius in pharmacopolijs frequens eſt vſus (vt ſuperius libro quarto diximus) notum omnibus eſt. Hoc in potionibus hauſto præter ea, quæ à Dioſcoride illi aſsignantur indicia, conſequitur anhelitus difficultas, alui tumor, & tanta deniq; cordis anxietas, vt plerunq; oborto ſudore frigido commoriantur ægri. Curantur qui hauſerint, primùm vomitionibus & clyſmatis. Poſt hæc antidota illa exhibenda ſunt, quæ in vniuerſum omnibus venenis aduerſantur. Sed & ea omnia ijs maximè ſubueniunt (vt Dioſcorides eſt author) quæ & ijs, qui coriandrum exhauſerint.*

## Κώνειον. CICVTA. CAP. XI.

Cicuta pota vertiginem excitát, oculisq; caliginem offundit, ita vt ne minimum cernatur: ſingultus ciet, mentem turbat, extremi artus gelantur: deniq; conuulſi, ſuppreſſo arteriæ ſpiritu, ſtrangulantur. Quare inter initia, vti in reliquis, cicutam vomitu excutiemus: poſtmodum deiectionem moliemur, vt quod ad inteſtina prolapſum ſit, excernamus: tum demum in meracam potionem, quæ maximo eſt auxilio, deueniemus: repetendum per interualla, in quibus proderit, lac aſininum, aut bubulum potui datum, aut abſinthiũ cum pipere & vino, caſtorio, ruta, mentha cum vino, aut amomi, cardamomi, aut ſtyracis vncia, aut piperis, cum ſemine vrticæ & vino, aut lauri folia. Item laſer ex oleo & paſſo, & paſſum per ſeſe largius potum proficit.

Cicutæ venefica vis.

Hiſtoria Cicutæ pro paſtinaca, & pro petroſelino comeſtæ.

*CIcutæ hiſtoriam & facultates, quibusq; in locis magis exitialis proueniat, ita copioſè retulimus libro quarto, vt opus non ſit, ea hoc loco repetere, nec plura nobis reſtent addenda. Sed iam ad vires eius veneficas transeundum eſt. Pota hæc, vel in cibis ſumpta (vt Dioſcorides inquit) vertigines excitat, viſum adimit, oculis caligine offuſa, & mentem vſqueadeò perturbat, vt in furorem agi videantur, qui hauſerint. Quæ omnia experimento nobis comperta ſunt. Quippe cũ ruſticus quidam magnifici Ioannis à Turri vinitor non longè à Goritiæ arce ſuas coleret vineas, ligone forte fortuna erutis cicutæ radicibus, ſecumq; domum delatis, paſtinacæ radicis loco decoxit, comeditq; in cœna vnà cum vxore: mox ſtatim (quæ ruſticorum conſuetudo eſt) ambo iuere cubitum. Media autem nocte à ſomno expergefacti, omni penitus amiſſa ratione, huc atq; illuc per domum in tenebris vagabantur, amentia & furore ducti: vnde adeò caput, faciem & oculos in parietes percuſſerunt, vt mane accurrentibus vicinis, partim percuſsionibus tumidi, partimq; effuſo ſub cute ſanguine liuentes, tumentibus admodum oculorum palpebris, horrendam ac monſtroſam oſtenderent faciem. Vocor ego ſtatim ad curam, percontatiſq; domeſticis, quibus edulijs in cœna victitaſſent, reperi hos cicutæ eſitaſſe radices, quas paſtinacas eſſe crediderant. Quandoquidem mihi in propinquam vineam adeunti, oſtenderunt alij locum, vbi ruſticus ille radices effoderat, ibiq; inueni alias cicutæ radices, quæ iam folia emittere incipiebant. Qua re perſpecta celeriter ad ægros redij, quos quidem non multo pòſt tempore, Deo adiuuante, in priſtinam mentem & ſanitatem reſtitui, tametſi percuſsionum curatio multò longior fuerit, quàm veneni. Decepta quoq; hiſce radicibus eſt ſuperioribus annis quædam nobilis matrona à Colloreto Vtinenſis, quæ cicutæ radices proprio in horto effoſſas toti familiæ decoxit, præbuitq; eſitandas carotarum loco. Quinetiam monachum Franciſcanum curauimus, qui pluribus menſibus modò amentia, modò furore agebatur, quòd cicutæ folia hortenſis petroſelini vice piſcium quorundam iuſculis impoſita comediſſet. Caueant igitur omnes, ne in hæc veniant diſcrimina.*

Cicutæ ſumptæ curatio.

*Exhibet Aëtius, præter Dioſcoridis antidota, cicutam haurientibus apij ſemen, ex vino potandum, aut iridis radicem, aut ſeſeli Maſsilienſe: item nitrum ex aqua copioſiore potum. Totum præterea corpus calefacere conducit, & præſertim præcordia: quamobrem ad vehementiorem motum ac curſum (vt ipſe inquit) cogendi ſunt ægrotantes. Conciliator tamen Theriacam maximopere commendat, duarum drachmarum pondere, ex dictamni decocto potam: aut gentianæ radicem ex vino. Namq; hoc cicutæ verum eſſe antidotum putat.*

## Σμίλαξ. TAXVS. CAP. XII.

SMilax, à quibuſdam tithymalum, à Latinis taxus appellatur: frigus vniuerſo corpori, ſtrangulatus, & celerem interitum infert. Cui eadem, quæ cicutæ conueniunt.

Taxi venefica natura.

*TAxus arbor, cuius hiſtoriam ſuperius libro quarto retulimus, vbi & eius plantæ picturam adiecimus, non ſolum enecat perdit homines, qui folia & fructus eſitauerint, vel biberint foliorum ſuccum: ſed etiam (vt aiunt quidam) quadrupedum omne genus, quod præſumptum pabulum non ruminat: cuiuſmodi ſunt equi, aſini, muli, & id genus alia: quanquam ſcribit Plutarchus, tertio ſympoſiorum commentario, Taxum eo tantùm tempore noxiam, quo iam florere inceperit, quod ſucco ſit maximè prægnans. Dioſcorides libro quarto de taxo agens, inquit: Narbonæ tam præſentis eſt veneni, vt ſi qui dormiant ſub ea, aut in eius vmbra ſubſideant, lædantur, & ſæpenumero moriantur. Id quod Seſtius (authore Plinio libr. 16. cap. 10.) in Arcadia quoq; euenire ſcribit. Vaſa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta mortifera fuiſſe compertum eſt: & in Hiſpania lethales eſſe baccas. Prouenit arbor hæc frequens in Tridentinis montibus, præſertim Ananiæ vallis, & Flemarum, vbi ea inter ingentes abietum, picearum, pinorum & laricum ſyluas, numeroſa conſpicitur. Iis in locis nobis compertum eſt, quòd non modò iumenta, quæ non ruminant, deuorata taxo, moriuntur: ſed etiam quæ rumi-*

*ruminant: quandoquidem boues complures vidimus à ruſticis deploratos, qui taxum depaſti fuerant. Quapropter cùm in montanis, illiuſq; paſcuis boues morboſi fiunt, conclamant ruſtici, animaduertendum eſſe, ne Naxum deguſtauerint, ita enim taxum corrupto vocabulo nominant. Nihil minus eius baccæ iiſdem in locis noxiæ ac pernicioſæ deprehenduntur: quippe quod audiuerim ego paſtores, aliosq; in ſyluis ligna cædentes, qui saporis dulcedine allecti, baccas ipſius comederant, ex earum eſu non modo in ardentes febres inciderant, ſed & in alui profluuium, adeo vt in maximo verſarentur diſcrimine. Cæterum non parum dubitandum videtur, an inter plantas calidas, vel inter frigidas taxus ſit reponenda. Dioſcorides quidem, & eius ſequaces omnes exiſtimarunt taxum eſſe frigidi temperamenti, argumento quòd aſſeruerint, iiſdem remedijs taxi venenum ſuperari, quibus & cicutæ: quorum tamen ſententia, omnium pace dixerim, mihi planè non probanda videtur. Namque amaror qui cortici, & frondibus ineſt: coma perpetuò virens, pinorum, abietum, & piceatum modo, quibus fronde ſimilis ſpectatur: baccarum tum dulcedo, tum acrimonia quædam: & quòd auiculæ eas depaſtæ nigreſcant: manifeſtè indicant inſignem temperamenti caliditatem. Atque hinc eſt, quòd & febribus, & alui profluuio tententur, qui baccas eſitarunt, inflammatis eo cibo ſpiritibus, & ſanguine. Verum quamuis aliquis reſpondere poſſit, accendi in his febres, gigniq; alui profluuium, ex humorum putredine, quemadmodum in æſtate eueniunt hæc ex frigidorum fructuum eſu; nigrum verò colorem in auiculis contrahi poſſe, non minus à frigido, quam à calido: ex eo tamen adhuc ſuſpecta & improbanda relinquitur eorum ſententia, quòd frondium, & corticis amaror, baccarum dulcedo, & acrimonia, perpetuoq; vireſcens coma, nulla prorſus repugnantia contrarium præ ſe ferant, nempe quòd & febres, & alui profluuia oboriantur ſæpius caloris primum exuberantia (vt accidit deuoratis anacardijs) quam humorum putredine. Neque prætereà poteſt nigredo illa à frigido pabulo in auicularum pennis ſuboriri: nam ſi frigiditate nigreſcerent, illico perirent. Quandoquidem nimis excedens frigus haudquaquam nigredinem inducit, niſi membris ſimul confectis ac deperditis. At non ita ſit ea nigredo, quæ peruſtis humoribus gignitur, quemadmodum accidit Aethiopibus. Hæc ſanè dixiſſe volumus, vt non quicquam tam celebratorum virorum authoritati detraherem, neque etiam quòd auſim temerè eorum ſententijs refragari: ſed vt meam in medium proferrem ſententiam, atq; vt hæc à nobis proponerentur alijs diſcutienda, & ſtudioſis diligentius æſtimanda. Cæterùm quoniam taxus* NERIVM, *quod Græci rhododendrum, & rhododaphnen vocant, Mauritani verò oleandrum, mihi in mentem redegit, cùm ſciam ſcripſiſſe Galenum, & ipſum ſecutos, non modò brutis, ſed etiam hominibus eſſe venenum, cùmq; eo quàm plurimis in locis referta ſit Italia, prætereundum non duxi, quin hic de Nerio aliquid dicerem. Et quamuis non abſque ratione fortaſſe ſcripſerit Dioſcorides libro quarto, itemq; in huius præfatione, quod Nerij folia & flores ſi deuorentur, hominibus contra mortiferos ſerpentium morſus præſidia ſunt, atque in hac re ideo poſſit ei fides adhiberi, quod etiam cantharides dentur potandæ à cane rabido demorſis, & euphorbium ictis à ſcorpione: cùm tamen nec Galenus, nec qui eum ſequuntur, nec Auicenna, cæteriq; poſteri id probent, aut admittant, Nerium potius dimittendum putarem, quàm cuiquam exhibendum, præſertim quòd alia non deſint antidota, quæ à ſerpentibus demorſis magnopere opitulantur. Nerium igitur, Galeni & Auicennæ teſtimonio, tam potum, quàm in cibus ſumptum, quamuis non largius ingeratur, homines & quadrupedes interficit. Primùm enim intollerabiles excitat anguſtias, intumeſcit inde aluus, & ſubſequitur vniuerſi corporis inflammatio: quòd temperamento calidum ſit, & ſiccum, deſiccans & exulcerans. Ob id enim non tantùm noxam corporis infert, intra corpus ſumptum, ſed etiam eos afficit, qui in eius vmbra ſubſederint, taxi (vt ante diximus) modo. Quinetiam aquæ fluuiorum, & lacuum, in quorum ripis Nerium creſcit, vmbra, frondibus, floribuſq; deciduis infectæ, nonnunquam in magnum diſcrimen bibentes ducunt. Succurritur noxæ epoto fœni græci decocto, aut deuoratis palmulis, aut viticis ſemine, aut frondibus, aut hauſto horum decocto. Conferunt & caricæ ex melle, aut ſaccharo aut iulapio ſumptæ. Præterea defrutum, & pinguia, & quæ craſſum dant alimentum auxiliantur, non omiſsis tamen clyſteribus, & vomitionibus, vt in alijs omnibus ſæpenumero dictum eſt. Conuenit & diacaſtoreum (vt Conciliator eſt author) potum duarum drachmarum pondere. Proſunt item iuniperi baccæ eodem pondere. Porrò illa quoq; lethifera eſt arbor, quam perperàm quidam* SYCOMORVM *appellant, quæ fructus profert loti arboris inſtar, quorum oſsiculis funiculo traiectis, ſuas præces Deiparæ virgini numerant infimæ gentis mulieres, quæ illos à monachis ſæpe dono accipiunt, quòd in eorum monaſterijs arbor ea frequens reperiatur. Hanc Auicenna vocat* AZADARACHT *fen 6. quarti voluminis, ſic inquiens. Folia Azadaracht, quemadmodũ & lignum, animalia necant. Tollitur noxa iis medicamentis, quæ in vniuerſum omnibus ſuccurrunt venenis: priuatim verò iis, quibus & nerij vis exitialis auſertur. Caueant itaq; omnes, qui hanc arborem ſuis in viridarijs alunt, ne fortè imprudenter ſe ipſos, & domeſticos omnes in perniciem agant. Sed ſi aliquis fortaſſe dubitaret hanc arborem non eſſe Azadaracht Auicennæ, fidem illi manifeſtam faciet Andreas Bellunenſis, qui in Arabicorum nominum interpretatione, ita eſſe apertè declarat.*

Baccæ Taxi noxiæ.

Taxus vtrum calida, vel frigida.

Nerii malefica natura.

Nerii veneni curatio.

Azadaracht arboris venenum, & remedia.

Καρπάσου ὀπός. CARPASI SVCCVS. CAP. XIII.

EPotus carpaſi ſuccus ſoporem citamque ſtrangulationem adducit. Adiuuantur autem qui hauſerunt, epotæ cicutæ remediis.

*QVodnam hodie plantæ genus nobis Carpaſum dici poſsit, omnino fateor me ignorare: nec quenquam reperiri crediderim in Italia, qui plura quam nos de Carpaſo referre poſsit. Quandoquidem etſi hic inter venenatas plantas illud deſcripſerit Dioſcorides, nuſquam tamen in præcedentibus libris quicquam de Carpaſo retulit, quemadmodum nec poſteri tam Græci, quam Arabes, ex quo coniectari poſsit, quidnam antiquis fuerit Carpaſum. Hoc Paulus Dioſcoridem ſecutus libro 5. carpeſiam vocat. Quamobrem credidere nonnulli carpaſum, carpeſiam & carpeſium, de quo primo libro latius diximus, vnam, & eandem eſſe plantam. Sed vanam prorſus horum ſententiam eſſe arbitror. Siquidem à nemine poſteritatis memoriæ proditum inuenitur, deleteriam vim vllam carpeſio ineſſe, verùm eandem (vt Galenus & Paulus teſtantur) quæ ipſi phu: quinimmo ita aduerſus venena commendari compertum eſt, quòd Quintus Carpeſium cinnamomi loco in Theriacam addere non dubitauerit, quòd tantũ id præſtare exiſtimauerit, quantũ poteſt laudatiſsima caſsia. Verùm ſi quis fortaſſe aſſereret opocalpaſum, de quo ſcribit Galenus, dũ probatiſsimæ myrrhæ notas expendit, lib. 1. de antidotis, & opocarpaſum hoc loco à Dioſcoride deſcriptum, vnum & idem eſſe medicamentum, is meo quidem iudicio rem (vt aiunt) acu tetigiſſet, quòd opocalpaſum Galeno mortiferum omnino ſit & lethale. Licet idem Galenus non opocalpaſi, ſed καρπάσου, hoc eſt, ſucci carpaſi mentionem faciat, tum lib. 1. de compoſitione medicamentorum localiũ, vbi ex Archigene ea recenſet medicamenta, quæ capillos criſpos reddunt: tum ẽt lib. 5. de compoſitione eorundem in quodam*

Taxi venefica natura.

Carpaſum & Carpaſium male quibuſdam idem.

*molari emplaſtro. Cæterùm cùm huius vſus, & notitia apud omnes penitus exoleuerit, non eſt cur alia à nobis fruſtrà de ea ſit inſtituenda curatio.*

## Σαρδονία πόα. SARDONIA HERBA. CAP. XIIII.

SArdonia ranunculi herbæ generi aſsignatur, quæ veſcentibus mentem adimit, & quadam neruorum diſtentione labia in rictum contrahit, vt riſus ſpeciem præbeant: á qua quidem affectione, de Sardonio riſu adagium in vulgus infauſto omine manauit. Poſt vomitū peculiariter conuenit aqua mulſa & lac liberalius epota: irrigatio, perunctioq; à pinguibus medicamentis, totum corpus excalfacientibus: in calidam aquam, oleumq; deſcendant, ſed tum multum perfricare, & inungere expedit: & in ſumma, curam omnem, quæ conuulſioni neruorum adhibetur, exequi oportet.

Sardoniæ herbæ venenum, eiusq; curatio.

*QVòd inter Ranunculi genera ea annumeretur planta, quæ à Sardinia, vbi plurima naſcitur, nonnullis vocatur herba Sardonia, abundè docuit Dioſcorides libro ſecundo. Meminit huiuſce plantæ Iulius Solinus cap. 8. Polyhiſt. his verbis: Huic incommodo accidit & herba Sardonia, quæ in defluuijs fontanis prouenit largior iuſto: ea ſi edulio fuerit, veſcentibus neruos contrahit, rictu ora diducit, vt qui mortem appetunt, velut ridentiū facie intereant. Tradidit huiuſce curationem Aëtius lib. 13. qui præter ea medicamenta, quæ huic curationi à Dioſcoride redduntur, declarat quibus auxilijs hoc conuulſionis genus priuatim curari debeat. Quippe cum diuerſa ſint conuulſionum genera, diuerſa etiam expoſcunt remedia. Præfert tamen caſtoreum in puluerem contritum aut per ſe, aut è dulci vino potum. Cæterùm vt Conciliator eſt author, adiuuantur qui hauſerint Apium riſum (ſic enim Sardoniam herbam appellarunt Mauritani) vino dulci potentiq; adeo largè epoto, vt inde ebrij facti diutius dormiant: item meliſſophylli ſucco ex aceto ſumpto: is enim, vt idem ait, Sardoniæ herbæ verum ac ſingulare eſt antidotum. Sed quoniam (vt Dioſcorides prodidit) in hac cura, balnea, & laconica admodum proſunt, ea vtiq; paranda ſunt medicamentorum decoctis, quibus vis inſit excalfaciens, tum etiam deſiccans, & quæ propria facultate neruos tum roborent, tum iuuent. Cuiuſmodi ſunt, ſtœchas, hyſſopum, ſaluia, ruta, betonica, chamæpitys, amaracus, origanum, calamintha, pulegium, dictamnum, anthemis, ſatureia, acorum, Syriaca & Celtica nardus, aſarum, phu, cyperus, roſmarinus, & id genus alia. Ad hæc præſtat inungere occipitium, ceruicem, & vniuerſam ſpinalem medullam, ſuſino oleo, aut è caſtoreo, aut è terreſtribus lumbricis, aut è coſto, aut ex hyperico, aut vulpino, aut vnguento aragone, aut agrippino, aut denique alijs his ſimilibus.*

Apium riſus.

## Ὑοσκύαμος. HYOSCYAMVS. CAP. XV.

HYoſcyamum potum, aut comeſum, ſimilem ebriis abalienationem mouet: ſed facilè medicamentis cedit. Auxiliatur aqua mulſa copioſè data, lacq;, præſertim aſininum: ſi id deſideratur, caprillum, vel bubulum, vel aridarum ficuum decoctum. Faciunt ad id etiam nuclei pinei, aut cucumis ſemen ex paſſo ſumptum, & vinum ſalſum, cum adipe ſuilla recenti, paſſoq;: itidem vrticæ ſemen, aut nitrum ex aqua, & intubus erraticus, & ſinapis, & naſturtium, radix, cæpa, & allium, & hæc ſingula cum vino ſumantur. Poſtea ſinendi quieſcere, quemadmodum qui vinum biberunt, vt excoquant.

Hyoſcyami venenoſa vis.

*SVccurritur facilè Hyoſcyami noxæ, cuius hiſtoriam cum Dioſcoride tradidimus libro quarto, vbi eius quoque effigiem dedimus, ſi antea, quàm venenoſa vis inualeſcat, ſuperetq; corporis vires, conferentia propinentur medicamenta. Sed propter indicia, quæ epoto, vel comeſo hyoſcyamo à Dioſcoride aſsignantur, alia plura eidem reddidit Aëtius lib. 13. nempe quòd inſequatur iactatio corporis cum diſtortione: quibus ſuccedit exolutio, animi deliquio ſimilis, oculorum rubor, pruritus, deinde tremor: præterea omnino delirant ægri, & putant ſe flagris corpore cædi. Proinde meritò Ananienſes hyoſcyamum vulgò vocant Diſturbio, vtpote quod mentem, & omnes corporis ſenſus diſturbat. Meminit vtriuſq; hyoſcyami inter deleteria pharmaca etiam Auicenna, ſic inquiens: Epoto hyoſcyamo albo, oſsium compagines luxantur, lingua in abſceſſus tranſit, ſpumat os, caligant & rufeſcunt oculi, ſpiritus difficulter redditur. Hinc fiunt vertigines, ſurditas, gingiuarum, & totius corporis pruritus: ebrietas, amentia, furor, comitialis morbus, vocisq; diuerſitas: nam quandoque rudunt affecti aſinorum mulorumq; more, & equorum modo hinniunt. A nigro autem corporis extrema confrigeſcunt, obtenebrantur oculi, oboritur delirium, atque adeò conſtringitur pectus, vt impedita prorſus reſpiratione, ſuffocentur, conuelvlanturq; ægrotantes. Verùm hæc omnia cicutam facere tradiderunt Dioſcorides, & Paulus. Quo fit, vt ſuſpicari liceat, in hoc cæcutiuiſſe erraſſeq; Auicennam, quemadmodū & in alijs quàm plurimis ſimplicibus medicamentis, quorum nomina ab eo ſæpenumero confunduntur. Cæterùm in albi hyoſcyami curatione idem Auicenna præfert cæteris medicamentis Theriacam, & Mithridatis antidotum. Sed ijs, qui nigrum hauſerint, poſt vomitum & clyſteres meracum præbet potandum: quin & bubulum lac, abſinthium, caſtoreum, rutam, laſeris lacrymam, baccas & folia lauri, defrutum, vrticæ ſemen, magudarim, cardamomum, & ſtyracem: ſed quæ ſingula ex vino ſumantur. His præterea addit mori radicis decoctum, & opobalſamum ex lacte potum. Ad hæc inſuper farinam triticeam vino ſubactam, emplaſtri modo ventriculo vtiliter imponi promittit. Sunt porrò ex recentioribus nomine præclaris, qui longum piper in hoc magnopére commendant, atq; etiam piſtacia largius manducata, cæteris præferunt antidotis.*

Diſturbio dicitur hyoſcyamus.

Auicennæ erratum.

Hyoſcyami vtriuſque curatio.

## Μανδραγόρας. MANDRAGORA. CAP. XVI.

MAndragora ſi bibatur, confeſtim ſopor inſequitur, exolutio, ac vehemens veternus, nihil temerè diſtans à lethargo. Cui, antequam aliquid ex iis accidat, vomitus & aqua mulſa proderit: poſtea nitrum, & abſinthium, ex vino dulci, aut paſſo ſumantur: caput roſaceo, & aceto perfundatur. Proficit excitatio, & motus corporis, & olfactus eupatorii, & piperis, ſinapis, caſtorii, & rutæ, tritorum in aceto: & liquidæ picis, & odor è lucernarum exuſtione, & extinctu. Quòd ſi ægrè ii reuocentur, ſternutamenta mouere, aliisq; communibus auxiliis vti conuenit.

*Quan-*

QVando quidem Mandragoræ hiſtoriam latius proſecuti ſum in libro quarto, vbi vtrunq; eius genus depinximus: ideo hîc tantum indicia primum, & accidentia referam, quæ ab epotis vel deuoratis eius tum radice, tum ſucco euenire ſolent: deinde horum curationem aggrediar: quoniam ſi diutius malefica vis ſerpere, augeriq; negligenter dimittatur, nullis auxiliis remediisq; qui languent, amoueri poterunt. Quamobrē dixerim, Aetium ſecutus eam vix fallere bibentem aut comedentem poſſe, quod odore ſit admodum graui, ac nauſeabundo, amaro iniucundoque guſtu. Certa itidem copia & menſura ad occidendum requiritur. De cætero vero moleſtias quidem facit, ſed ſerius interimit. Huius potu ſtrangulati, vt Dioſcorides inquit, in veternoſum ſoporem delabuntur: quin & ſegnes, & languidi, & triſtes, & exſangues ſunt, adeo vt clamoribus, ac torſionibus excitati, repente rurſus tanquam amentes recidant. Remoueri noxam ſcribunt præter ea quæ Dioſcoride produntur, coriandri ſemine, aut pulegio ex calida aqua, aut alui deiectione cum delecto medicamento quo ad veternoſos vtimur. Quòd ſi a vomitu, qui male habent, non excitentur a ſomno, origanum potandum ex frigida, tanquam expertiſſimum medicamentum offerri volunt. Proſunt item acria clyſmata, frictiones aſperis linteaminibus in omni corpus extenſæ: cucurbitulæ ignis flamma appoſitæ tum occipitio, tum ſcapulis, tum etiam natibus: ſtimuli extremi corporis membra torquentes: quin & ſternutamenta, quæ veratri albi puluere naribus indito concitantur. & ſeptica medicamenta veſicas excitantia, vt cantharides, & ranunculus, occipiti & poſt aures emplaſtri modo impoſita, magnopere auxiliantur: namq; hæc omnia valentiſſime reuocant, quæ cerebro officiunt. Porrò animaduertendum eſt, quòd dicat Dioſcorides ægrotantium caput ad repellendum vapores co petentes, roſaceo, acetoque perfundi. Id quod etiam Galenus ... commendaſſe videtur lib. 13. methodi medendi. Sed hoc certè, ſi quis rem accuratè expendat, rationi repugnare deprehenditur. Vnde nil mirum, ſi Paulus, Aetius, Alexander Trallianus, & alij qui Galeni veſtigia ſequuti ſunt, cum rectè animaduertiſſent veternum morbum a frigidis tantum humoribus prouenire, & roſaceum cum aceto illi haudquaquam conuenire, quod magis refrigerare valeant, caſtorium, chamæpityn, pulegium, calaminthæ, ſerpyllum, thymbram, & thymum huic medicamento addiderint, ne eo ſolo admoto, morbum fouerent, atq; demum ægris mortem afferrent. Verùm enimuero putandum eſt, Galenum roſaceum ex aceto tantùm imponere, vbi frigidus humor, quo veternus excitatur, bili (vt plerumque accidit) fuerit admiſtus, quæ tamen bilis maxima ex parte in ipſo duntaxat morbi principio vexare ſolet: nam cum tenuis ſit, facile reſoluitur, & ſuperatur à frigido. Hinc itaque quiſque expendere & cognoſcere poteſt, an ijs, qui à deuorata mandragora veternoſi fiunt, purum illud medicamentum ex roſaceo & aceto admouere liceat, nullus additis excalfacientibus, cum (ni fallor) ab aſſumpta mandragora caput nullo afficiatur calore. Ad hæc tametſi mandragoræ poma matura comedantur à nonnullis detracto ſemine, citra vllam prorſus moleſtiam, immatura tamen, & cum ſemine deuorata, mortifera ſanè inferunt ſymptomata. Siquidem exoritur intolerabilis ardor, qui vniuerſam corporis ſuperficiem adurit: lingua & os areſcunt, quam ob cauſam ore perpetuò hiante cernuntur affecti frigidū trahentes aerem. Quibus niſi illico ſuccurratur, conuulſi pereunt: contra vero facilè liberantur, ſi ſtatim hauſerint, quæ opem ferre poſſunt. Id autem commodè, & efficaciter præſtat Andromachi theriaca, ex aqua pota: quippe hæc ſola momento omnem aufert moleſtiam. Curantur (vt Conciliator inquit) qui huiuſce radicem, vel pomum, vel ſuccum ſumpſerint, vnius tantùm diei media, ſi tamen ſubinde præſtantiſſimum meracum vinum largius bibant ægri, & acetum olfaciant, cui admiſtum ſit caſtoreum. Sed horum omnium peculiare ſcribit eſſe antidotum domeſtica radix triduò cum pane & ſale deuorata. Cæterùm cum mandragoræ poma METELLAS NVCES quas vocant, mihi in memoriam reuocauerint, quarum hiſtoriam ſuperius libro primo deſcripſi, ſciuerimq; non modò, ſi edantur, ſuapte natura canes necare, ſed etiam homines, cùm nihil de his, quod extet, poſteritatis memoriæ prodiderit Dioſcorides, nec antiquorum cæteri, non alienum duxi hoc loco earū indicia referre, atq; etiam medicamenta commemorare, quæ harum veneno opitulantur. Ex nuces igitur cum intus in corpus ſumuntur, vertigines, & faciei ruborem inducunt: quin & oculorum caligines, temulentiam, inexpugnabilemq; ſomnum: poſtremò oboritur frigidus ſudor, vicinæ mortis præſagium. Auxiliatur noxæ excitatus plurics vomitus aqua calida, & oleo: poſt vomitum datur conuenientiſſimè butyrum, & vinum meracum copioſum, additis pipere, pyrethro, lauri baccis, cinnamomo, & caſtoreo. Prodeſt, & ægrotantium extremas corporis partes, nempe manus & pedes, calida aqua fouere, ac inde frictionibus rudi linteamine factis calorem in vniuerſum corpus excitare: cum eo tamen, vt ſubinde balanino, aut coſtino oleo perungantur affecti. Præſtat item exercitatio, proinde ad celerem greſſum cogendi ſunt, vt vniuerſum corpus incaleſcat: & pinguibus poſtea cibis, dulciq; vino refocillandi. In ſumma & his ea maximè conuenit curatio, quam epotum requirit opium, de quo proxima commentatione diſſeremus.

*Mandragoræ venefica natura.*

*Mandragoræ noxæ remedia.*

*Roſaceum vtrum hic conueniat.*

*Metellarum nucum veneficium, & remedia.*

## Μηκώνιον. MECONIVM. CAP. XVII.

EPoto papaueris ſucco, quem meconion vocant, conſequitur veternus cum perfrictione, & pruritu vehementi, ita vt ſæpe inualeſcente veneno, tanta erumpat prurigo, vt hominem excitet: corpus id medicamentum olet. Poſt citatam oleo vomitionem, acres clyſteres auxiliantur, acetumq; mulſum cum ſale potum, aut mel cum roſaceo calido: merum cum abſinthio aut cinnamomo copioſum, aut calidum per ſeſe acetum: nitrum ex aqua, & origanum cum lixiuia aut paſſo: & rutæ ſylueſtris ſemen cum pipere, vino, & panace: piperq; cum caſtoreo, & aceto mulſo, vel cum ſatureiæ aut origani decocto cum vino. Hi olfactilibus excitandi: & ob enatam pruriginem in balneas deſcendant, & foueantur. Poſt lauacrum prodeſt iurium pinguium vſus, cum vino, aut paſſo: medulla etiam ex oleo pota.

## Μήκων κερατῖτις. PAPAVER CORNICVLATVM. CAP. XVIII.

QVod corniculatum papauer appellant, & potu, & cibo eadem inferre conſueuit, quæ papaueris ſuccus, nec aliis expugnatur auxiliis.

INgratus opij odor, perinde atq; mandragoræ, facilè obſtat, ne in cibis, aut medicamentis inſeri poſſit, quin veneficium pateat guſtantibus, præſertim cùm necem non inferat, niſi certa quadam ſumatur quantitate. Quamobrem raro contingit, vt homines venefici opio vtantur, vbi quenquam veneno tollere volunt, nimirū veriti ne fraus odoris grauitate deprehendatur. Tametſi quandoq; accidat, aut forte Medicorum imperitia, aut pharmacopolarū negligentia, vt ebibitis medicamentis

*Opii venefica natura.*

*mentis;quibus opium admiſtum ſit largius quàm par ſit, ſumentes in ea incurrant diſcrimina, quorum meminit Dioſcorides. Atque illa quoque ſequantur, quæ in ſuis alexipharmacis Nicander ijs verbis repræſentauit. Animaduerte, inquit, è ſumpto papaueris in capite ſuo ſemina gerentis liquore dormientes: nam illi in ſumma corporis cute frigent: nec oculis ea aperiuntur, ſed enim palpebræ earum immobiliter colligantur, èque labore eo, odoratus ſudor diſtillat vna colliculum. adeoq; ipſum corpus palleſcit, ac labia ardent, eq; genis nexus demittunt, id eſt flaccidæ maxillæ ſunt. Languidus item & frigidus è gutture anhelitus expirat: ſæpe & liuidus vnguis, vel obtortus naſus mortem non procul abeſſe nunciant, ipſiq; oculorum, qui in caua receſſerunt, radij. Nicandro ſubſcribit Aëtius lib. 13. vbi ſic inquit: Quando voluntariè meconium aliqui biberint, ſiue id manifeſtare noluerint, ſiue volentes non poſſint, his cognoſcentur indicijs. Sequitur enim eos, qui opium acceperunt, in ſomnum grauem collapſio cum frigiditate & pruritu intenſo, vt aliquando ob viſum excitentur: odorq; opij per totum corpus effertur, & exhalat: inferior maxilla laxatur, tumeſcunt labra, irruit ſingultus, diſtorquetur naſus: pallor ac adeſt, liuor vnguium, præcordiorum diuulſio, reſpiratio parua & frigida, oculorum offuſcatio, & ad poſtremum mortifera conuulſio. Hæc de notis, quæ opium ſumptum conſequuntur.*

Opii veneni curatio.

*Quibus valentiſſimè illa remedia auxiliantur, quorum hic meminit Dioſcorides, neque enim plura apud poſteriores Græcos reperi. Auicenna autem præfert laſerpitij lacrymam, & caſtoreum. Sed præſtantiſſimum dicit eſſe medicamentum, Theriacam ſagazeneam, & Mithridatis antidotum ex vino potum. Excitandi etiamnum ſunt ægrotantes ſternutamentis, fibulis, frictionibus, odoramentis, nempe moſcho, caſtoreo, laſere, ambaro, naribus inditis, quin & ſulphuris fumo. Succurritur conuulſioni, ſi vniuerſum corpus perungatur ſuſino oleo, ac etiam coſtino, alijsq; remedijs, quorum in præcedenti capite meminimus. Verùm longè omnium potentiſſimè proficit antidotus noſtri vſus, ſcilicet quinta eſſentia theriacalis, de qua ſuperius in præfationis commentatione diximus, quæ præſentaneo remedio non modo his omnibus opituletur, ſed etiam omnibus in vniuerſum venenis, quæ frigiditate nimia interimunt. Nec aliter curantur, qui corniculatum papauer deuorauerint.*

## Φαρικόν. PHARICVM. CAP. XIX

QVod Pharicon vocant, ſapore ſyluestre nardum imitatur. Reſolutionem neruorum potum adfert, cum conuulſione & delirio. Oportet autem poſt vacuationes vinum abſinthiten potui dare, cum cinnamomo, aut myrrha, aut nardo gallico, quod ſerinen aliqui vocauerunt: aut ſpicæ nardi duas drachmas, & myrrhæ totidem obolos, cum paſſo: aut irim cum croco ex vino: deraſumq; caput illinire hordeacea farina cum aceto, & trita ruta.

Pharici veneni conſid.

*NOn equidem hactenus apud quenquam ſcriptorem conſequi potui, quid Pharicum antiquis fuerit, an ſimplex, an compoſitum medicamentum. Quin neq; etiam certò inuenire licuit, vnde id nomen traxerit, cùm varia ſit de nomine eius apud authores ſententia. Porrò is, qui in Nicandri alexipharmaca ſcholia ſcripſit, hæc protulit. Praxagoras memoriæ prodidit pharicum lethale medicamentum ſic vocatum à Pharico venefico quodam Cretenſi, qui hoc reperit. Sunt qui primum Pharis Arcadiæ repertum velint: appellant autem etiam Medicum. Nec deſunt qui in Theſſalia in Pheris, alij Lacedæmone, quod ibi fortaſſe proueniat: hæc ille. Cæterùm cùm iam id meritò deperditum ſit, neque hoc tempore à nemine, quod ſciam, cognoſcatur, ſuperfluum ſanè eſſet plura de eo ſcribere nam inſtitutum noſtrũ non eſt, in re incerta diutius immorari.*

## Τοξικόν. TOXICVM. CAP. XX.

TOxicum ex eo nominari videtur, quòd barbarorum ſagittæ eo illinebantur. Qui biberint, labiorum & linguæ inflammatione torquentur. Incoercitus furor varias iis imagines obuerſat: quare vinum medicinæ locus eſt, raroq; qui hauſerunt, evadent. Vinculis ergo cohibendi, aut vinum dulce cum roſaceo bibere, & reuomere cogantur: rapi ſemen bibendum cum vino. Priuatim iis conuenit quinquefolii radix, & hircinus ſanguis, aut caprillus, eodem modo ſumptus: roboris, fagi, aut ilicis cortex cum lacte tritus: malaquè cotonea trita eſſe, aut cum pulegio, & aqua bibere conueniet: amomum & balſami ſemen ex vino. Sed qui periculis defuncti ſunt, diu lecticis decumbunt, & vbi ſurrexere, ſtupidi reliquum vitæ tempus degunt.

Toxici cõſid.

*QVid antiquis fuerit Toxicum, quo Barbari ſagittas inficiebant, vt ijs vulneratos inimicos haud dubiè perderent, nec à Dioſcoride, nec ab alio aut Græca, aut Arabicæ familiæ authore memoriæ proditum eſſe, mihi hactenus compertum eſt. Ideoque difficile admodum fuerit decernere an Toxicum hodie ſit, vel cognoſcatur in Europa, cùm propriè hi Barbari antiquis dicantur, qui Troglodyticam Aethiopiæ regionem incolunt, apud quos fortaſſe tantùm naſcitur.*

Manardi opi. reprobata.

*Verùm enimuero putarunt quidam, vt Manardus Ferrarienſis vir noſtræ ætatis celebris, id antiquis fuiſſe Toxicum, quod Arabes Napellum vocant. Quæ quidem ſententia non omnino ijs videtur refellenda, qui plura de Toxico non inueſtigarunt: quandoquidem (vt Auicenna eſt author) non defuere, qui ſagittas Napello inficerent: conſtatquè napellum haurientibus linguæ & labiorum inflammationem excitari, & raros admodum eſſe ſumentes, qui euadant: id quod omnes Græci toxico adſcribunt. Ad hæc cum aſſerat Auicenna, quòd ſi qua cura cum Toxico adhiberi poſſit, ea fiat vomitionibus, hauſto ſa tea rapi ſemine, & ſumptis ſubinde glandium putaminibus, hoc omnino illorum opinionem auget. Siquidem Dioſcorides quoque ijs, qui Toxicum hauſerunt, rapi ſemen ad ciendum vomitum ex vino potandum præbet, ac deinde quercus, fagi, aut ilicis corticem, arborum nimirum, quæ omnes glandes proferunt. Quæ ſanè omnia facile ad credendum trahunt Græcorum toxicum, & Arabum napellum vnum & idem eſſe venenum.*

Toxicum Græcorum & Arabum Napellum non eſſe idem.

*Sed diligenter rem expendentibus contrariæ profectò ſeſe offerunt rationes: etſi enim ex notis prædictis Toxicum, & Napellum vnum & idem eſſe videantur, tot tamen aliæ habentur notæ, quæ alterum ab altero diſcriminant, & contrarium arguunt, vt aliter exiſtimandum non ſit, quàm quod deleteria hæc medicamenta plurimùm inter ſe diſſideant. Nam nuſquam, quod legerim, tradidere Mauritani, eos qui Napellum hauſerint, in tantum furorem agi, vt vinculis ſint coercendi, quemadmodum eos, qui Toxicum deuorauerint. Equidem illud pro certo teſtari poſſum, quod Corſi illi latrones, ſicarijque nequiſſimi, quorum hiſtoriam libro quarto prodidimus, cùm de aconito ſermone ferremus,*

ſenſeremus. quanquam ab aſſumpto Napello ea omnia dederint indicia, quæ ab Auicenna napello aſſignantur: in nullum tamen furorem adduci ſunt, neq; vllum etiam ſenſere delirium. Præterea Auicennæ, noſtroq; teſtimonio, qui experimentum vidimus, epoto Napello, oculi exterius prominent, oboriuntur vertigines, animi defectus, & ingens crurum imbecillitas: quorum tamen ſymptomatum nihil de Toxico agens meminit Dioſcorides. Quinetiam, (vt ipſe perhibet Auicenna) qui Napelli pericula euadunt, plerumque aut ad hecticam febrem, aut ad tabem, aut ad comitialem morbum decidunt, id quod Toxicum ſumentibus non euenit: horum ſiquidem qui ſuperuixerint, ſtupidi tantum reliquum vitæ tempus ducunt. Ex his itaque omnibus liquido apparet, quod hæc inter ſe maxime differunt. Longe enim ſæuiora ſunt Toxici incommoda, quam Napelli, vt abunde conſtat ex Nicandro in alexipharmacis, vbi Toxicum deſcripſit his notis. Protinus etiam lethalis Toxici dolorem & malum augere dicas, quando ſuis cruciatibus hominem comprehenderit. Lingua eius, qui Toxicum hauſerit, infernè craſſior redditur. Sed labia intumeſcentia, os planè pondere ſuo degrauant, ac aridum prorſus ſputum regerit, inferiorique parte gingiuæ diſſunduntur, & ejus ſtationibus mouentur. Sæpe etiam cordi ſtuporem iniecit, omnisq; ſenſus conſternatus eſt, ſontico iſto malo perturbatus. Ac laborans eo, & balat, & mugit, innumeras nugas fabulasq; præ inſania edens: ac ſine intermiſſione dolens, vehementer vociferatur, inſtar hominis, cui caput totum corpus compingens, enſe amputandum ſit. Vel quemadmodum crateriſera ſacras res tractans ipſa Rheæ ſacerdos, nona menſis publico appropinquans itineri, longum ore ſuo rumorem, & clamorem edit, quem horrendum in montanis latratum audientes ſibi metuunt. Sic ille rabie, mente ſua turbatus errans eiulat, ac lupi inſtar fugitiuè vlulat, obliquisq; pupillis taurino more inſpiciens, album dentem acuit, dentibusq; ſuis deſpumat: hactenus Nicander. Caterùm differunt Toxicum, & Napellus in curandi quoq; ratione, Toxicum namq; Dioſcoridi curatur roſacco ex paſſo poto, quinquefolij radicibus, caprillo, & hircino ſanguine, cotoneis malis, amomo, & balſami fructu. Auicenna verò Napello ſuccurrit cum vini potu, butyro, moſcho, capparis radice, & eo denique mure, qui napelli ipſius radices depaſcitur: quæ vtiq; medicamenta omnia ab his admodum diſcrepant, quæ in Toxici curatione commemorauit Dioſcorides: quem tamen penè ad verbum reddidit Auicenna in cæteris venenorum auxilijs. Hæc igitur apertiſsime oſtendunt, conuincuntquè Napellum & Toxicum eſſe diuerſa venena. Nec illa obſtant ſententiæ noſtræ, quæ ſuperius in Manardi fauorem adduximus: quandoquidem (vt facile colligi poteſt ex vniuerſa huiuſce libri materia) alia etiam habentur venena, quæ quòd eadem excitent accidentia, & paribus curentur antidotis, videntur vnam, & eandem rem eſſe, cùm tamen longè diuerſa cernantur: cuiuſmodi ſunt mandragora, opium, hyoſcyamus, corniculatum papauer, & id genus alia. Sed vt iam de Toxico meam in medium proferam ſententiam, cum hauldquaquam falſi crediderim, qui dixerit, id eſſe Auicennæ Toxicum, quod idem Tuſom appellat. Nempe quod aſſerat eo epoto labra & linguam inflammari, ſequi delirium, & incoercitum furorem, quæ propria Toxici ſunt indicia. Attamen hoc videtur illi omnino fuiſſe incognitum, quod nec minus fortaſſe Dioſcoridem latuit. Nam ſi Toxicum nouiſſet Dioſcorides, eius certe hiſtoriam libro quarto ſilentio non diſsimulaſſet, vbi de cæteris mortiferis agens medicamentis. Illud præterea indicium quodammodo facit Mauritanorum Tuſom eſſe Dioſcoridis Toxicum, quòd nomen illius licet corruptè ab hoc Arabes traxiſſe videantur, quaſi toxicon tuſom nominauerint. Verùm cùm Toxicum de NAPELLO loquendi nobis occaſionem dederit, non alienum fuerit, vt noſtrum ſequamur inſtitutum, hoc loco eius tum venenum, tum remedia deſcribere, præſertim cum naſcatur in Italia. Napellus itaq;, vt Mauritanorum teſtantur monumenta, & noſtra adſtipulatur experientia, ſi potu vel cibo in corpus ingeratur, ſæua ſtatim adfert diſcrimina: nempe illico labia inflammantur, & adeò intumeſcit lingua, vt exeri extra dentes, & oris amplitudine capi non poſsit: oculi itē pariter intumeſcunt, ita vt promineāt. vertigines, & animi deliquia frequentiſsimè inuadūt, & crura imbecillitate affecta immobilia redduntur: ſubinde vniuerſum liueſcit corpus, intumeſcitq;, & confeſtim malo occupatur habitu. Quo fit, vt breui tempore ſpatio, qui ſumpſerint, miſerabiliter intereant. Sed id mirū non eſt: quippe quoniam tanta eſt huiuſce lethiferi veneni vis, vt niſi ſtatim proprijs antidotis ſuccurratur, nullis ſubinde expugnetur medicamentis. Immo quamuis etiam in ipſo principio valentiora dentur remedia, pauci tamen ſuperuiuunt, qui aut hectica febri (vt diximus) aut tabe, aut comitiali morbo tandem non conſiciantur. Succurrendum igitur illico fuerit, excitatis prius vomitibus (vt Auicenna inquit) epoto rapi, aut napi ſemine. Prodeſt deinde butyrum bubulum coctum, & ſæpe ac largè cum vino ſumptum: item glandium putaminum decoctum ex vino potum. Auxiliatur diambari & diamoſchi puluis: quin potius ambarum & moſchus præ cæteris per ſe, & cum Lemnia terra, ex vino pota. Quòd ſi hæc non proficiant, nihil ſanè præterea ſperandum relinquitur, quod parum, vel nihil poſsint in huiuſce veneni noxa Theriaca, & Mithridatis antidotus. Proinde dicebat Auicenna, Theriacam Napello non prodeſſe, niſi certo tempore, & termino. Faciunt ad hoc & Capparum radices, quòd dixerint quidam antiquorum, has verum Napelli eſſe antidotum. Conciliator Smaragdi puluerem duarum drachmarum pondere magno remedio ex vino potandum pollicetur. Sed hoc dari tantùm poteſt Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, alijsquè opulentis principibus, quando quidem parua, vel nulla eſt adhibenda fides pretioſorum lapidum fragmentis, quibus hac ætate ſeplaſiæ vtuntur. Ad hæc recentiores ferè omnes, qui venenorum materiam pertractarunt, Auicennam ſecuti, verum ſecurumq; Napelli antidotum putant murem quendam, qui Napelli radices depaſcitur. Hunc vidimus nos, cepimusq; in quibuſdam altioribus vallis Ananiæ montibus. Sed non omnibus datur ipſum inueniendi, venandiq; modus: ad hoc namque multa patientia, & vigilantia opus eſt. Quamobrē mihi mirum non eſt, quòd ſcripſerit quidam recentiorum clariſsimus, Magnificum quendam virum ac principem, philoſophum tamen, & medicum, cùm diu hos mures quæſiuiſſet, neque eos inuenire potuiſſet, vt denium ſuum conficeret antidotum, horum vice magnas quaſdam cœpiſſe muſcas, quas folijs, & floribus Napelli victitare obſeruauerat. Eo autem antidoto, quod conſtabat ex prædictis muſcis numero viginti quatuor, vncijs duabus Lemniæ ſphragidis, & pari pondere baccarum lauri, atque Mithridatis antidoto, omnibus oleo & melle ſufficienti exceptis, admirandos fecit effectus, non ſolùm aduerſus Napelli venenum, quod vt periculum faceret, diuerſis dederat animalibus, & ipſemet experiundi antidoti gratia ſumpſerat, ſed etiam in omni alio veneno. Sed quid dicam (ſi tamen licet ſine vitio ſua quenque laudibus efferre) de admiranda vi olei noſtri de ſcorpionibus, cuius componendi rationem tradidimus in præfationis huius libri commentatione, cùm à tam ſæuo exitialiq; veneno, qui biberint, breui admodum tempore liberentur, eo tantum exterius inuncti? nihil certè aliud, niſi quod aduerſus hoc venenum, & cæteraque viſcera non erodant, ſicut & venenoſorum omnium morſus & ictus, inter omnia remedia (pace aliorum dixerim) id primum ſibi locum vendicat. Vbi enim vehementiſsima, ferociaquè fuerint venena, ſingulis horis inungi poſtulat: vbi vero minus vehementia, minuſquè ſæua fuerint, interpoſito trium horarum ſpatio, pluribus continuis diebus. Inungi autem debet non modò cordi ad ſiniſtram mamillam, ſed temporum quoque, manuum, & pedum arterijs.

Toxici notæ ex Nicandro.

Toxici & Napelli diuerſa cura.

Toxicum & Tuſom idē.

Napelli venenum, eiusq; remedia.

Mus Napelli antidotus.

Oleum Scorpionum contra Napellū.

Ἐλαι

## Ἰξίας. IXIA. CAP. XXI.

IXia, quæ vlophonon appellatur, inter potandum aliquid ocimo ſimile guſtu & odore redolet: vehementem linguæ inflammationem excitat: mentem mouet: omnes excrementorum exitus ſupprimit: ſtrepitum cum animi deliquio ciet: iiſque inteſtina latrant, nec egeritur quicquam. Poſt vomitionem alluumq; reſolutam, auxilium præſtat aqua, in qua abſinthium maduerit, ex vino largiore, aut aceto mulſo pota: rutæ que ſylueſtris ſemen, aut laſeris radix: item tragorigani decoctum, cum aliquo ſupra dictorum, aut lacte, aut reſina terebinthina, aut nardo, aut caſtorio, aut laſerpitio, quorum ſinguli oboli conueniunt: quin & nuces iuglandes ex vino, cum reſina, caſtorio, & ruta tritæ, ita vt ſingula drachmæ pondus æquent. Itidem chamelææ, aut thapſiæ, aut abſinthii ſucci ſicilicus cum aqua mulſa, & acetum calidum potum.

Ixiæ veneſica natura.

*E*TSI *Ixiæ nomenclatio vtriq; chamæleoni ſit communis, quòd ambo gummi viſco ſimile proferant, Ixia tamen du- procul nil aliud deſignat hoc loco quàm nigrum Chamæleonem. Siquidem id apertiſſimè declarant plantarum v- appellationes, quæ Dioſcoridi adſcribuntur, vbi ſic legitur. Chamæleo niger, quem quidam vlophonum, alij Ixiam, nonnulli Cynoxylon vocant. Quæ verba adeò rem claram faciunt, vt ab hac ſententia diſcedere nequeam. At ſi ſycophanta quiſpiam adeo fuerit impudens, vt nomenclationes illas tanquam Dioſcoridi adulterinas reijciat, addam non ob id eſſe fabuloſas. Quòd ſi adhuc recalcitrabit, Plinium illi in oculos obijciam. Quippe qui libro 22. cap. 18. ita de nigro Chamæleone ſcriptum reliquit. Ex nigris Chamæleonibus aliqui marem dixere, cui flos purpureus eſſet, & fœmina cui violaceus. Na- naſcuntur caule, cubitali, craſſitudine digitali. Radicibus eorum lichenes curantur, cum ſulphure, & bitumine vna decoctis, commanducatis verò dentes mobiles, aut cum aceto decoctis. Succo ſcabiem etiam quadrupedum ſanant, & ri- canum necant: Iuuencas quoq; anginæ modo: Quare quibuſdam Vlophonum vocatur, & Cynozolon propter odoris grauitatem. Ferunt & hæc viſcum vlceribus vtiliſſimum. Omnium autem generum eorum radices ſcorpionibus aduerſantur: hactenus ille. His itaq; me ſatis comprobaſſe arbitror Ixiam chamæleonem eſſe nigrum. Quare apertiſſimè hallucinatur impudentiſſimus ille, qui Ixiam contendit plantam eſſe ab vtroque chamæleone differentem, nempe eam ipſam, quam Theophraſtus libro ſexto, cap. 4. de plantarum hiſtoria, Ἰξίνην appellat. Deprehenditur error & impoſtura non ex eo ſolùm quæ diximus, ſed etiam ex ipſius Theophraſti hiſtoria. Siquidem Ἰξίνη nihil aliud Theophraſto deſignat, quàm album chamæleonem. Namque hæc notis omnibus illum omnino refert. Ita enim de ea ſcribit Theophraſtus: Ἰξίνη haud in locis prouenire poteſt. Eſt ab radice foligera, qua de media ſeminalis acanus veluti malum extuberat, folijs nimirum- tatus. Hic lacrymam iucundi ſaporis parte profert poſtrema, quam ſpinalem maſtichem vocant: Hæc ille. Quæ ſi quis perpenderit, & inter Ἰξίνην, & album chamæleonem nullam eſſe notarum differentiam non agnouerit, is meritò- appellari poterit, & præſertim cum Ἰξίνην nuſquam dixerit Theophraſtus eſſe venenoſam, & Vlophonum appellationis eius vſquàm extet mentio apud Dioſcoridem, Galenum & Plinium. Impoſturæ hæc ſunt, & ſophiſmata, quibus iuuentus ſæpe decipi ſolet. IXIA itaq; (vt Nicander, quem Dioſcorides eſt ſecutus, in alexipharmacis inquit) guſtatu ſimilem ſaporem præbet: hauſta extremum linguæ tractum exaſperat, interiora adurens, quinetiam corde ſus turbato inſaniam vſque qui ſumpſerit, ac linguam penitus dentibus lacerat. Porrò mente attonitus redditur, aluusq; tenuibos vtrinque meatus & liquidorum, & eſculentorum obdurans, quæ & intrinſecus ſpiritum ſuffocans, ſubmurmurans modico tractu volutatur. Qui item hoc malo angitur, ægrè magnaq; difficultate reſpirat, adeoq; venenata illa Ixia protinus excrementa eijcit ouorum ſimilitudine: hactenus Nicander. Cæterùm Mauritani Ixiam aldabac vocant, quod propriè viſcum ſignificat. Ideoq; etſi ſcripſerim ego antea Ixiam viſcum eſſe Chamæleonis, non ob id mihi vitio vertendum eſt, & præſertim, cùm non minus venenoſum eſſe ſciam huiuſce plantæ gummi, quàm ſit ipſa radix. Cuius nimirum incommodis inprimis ſuccurrunt, Auicenna teſte, excitatæ vomitiones, & infuſi clyſteres, qui ijs maximopere auxiliantur, ſed mitiores lenioreſq; eſſe oportet. Præſtant deinde auxilium Theriaca, & Mithridatis antidotus, ex abſinthij Romani & ſantonici decocto pota. Proſunt item epithemata, quæ cordis imbecilliati dicantur: quin & vtriuſq; bugloſſi flores ſaccharo aſſeruati, additis margaritis, corallis, pretioſorum lapidum fragmentis, moſcho, ambaro, & alijs quæ cordi opem ferunt. Conuenit inſuper roſaceum aceto admiſtum, & ſincipiti vbi ſutura interſecat, linteis illitum. Quæ ſanè remedia non modò remorantur, franguntq; veneni vim, ſed omnibus etiam incommodis ab eo excitatis mirificè ſubueniunt. Verùm ego radice albi chamæleonis, qui in Italia prouenit, nullam hactenus Ixiam reperi: attamen ſuperiori anno à Iacobo Antonio Cortuſo viro ſanè inſigni, & plantarum indagatore maximo, & à Franciſco Calzolario Veronenſi rei herbariæ admodum ſtudioſo, plures Chamæleonis plantæ integræ ad me Pragam miſſæ ſunt, quæ gummi illo viſci modo lento refertæ fuere. Antea verò quidam Cretenſis rei herbariæ ſtudioſus mihi pro certo affirmauit, è Carlinæ vulgò vocatæ radice in Creta Ixiam ab ijs colligi, qui ſagittas conficiunt, vt pennas ſagittis conglutinent. Nec modò eã reperiri mihi retulit in eo Carlinæ genere caule viduo, ſed etiam quandoque in altero. Cæterùm hic referre non præteribo quæ de Chamæleonis nigri veneno, & eius remedijs memoriæ prodiderunt Paulus & Aëtius: ita enim ſcribunt. A Chamæleonis nigri potu morſus ventris & linguæ tumor, cum rugitibus inteſtinorum ſequitur: facies diſtorquetur, & vomitus ſpumoſus, tremores concitantur, & totius corporis conuulſiones, ac vocis interceptio concomitantur. Cæterùm curantur ex his, quæ ad fungos ſunt relata. Datur eis & thlaſpios, & betæ ſuccus, & triticeæ ptiſanæ cremor ex paſſo, abſinthij dilutum & nitrum cum aceto mulſo. Vbi verò euomuerint, lac recens mulctum ſæpe exhibeto, & aluum cum lubricis infuſis eluito, velut eſt fœnigræci & althææ decoctum. Præcordijs etiam fomenta, ac calfactoria adhibeto.*

Ixiam non eſſe diuerſam à chamæleone.

Ixiæ veneni curatio.

Chamæleonis nigri venenum & remedia.

## Ψιμμύθιον. CERVSSA. CAP. XXII.

CErusſa ſuo colore proditur: ſumpta enim, mox palatum, gingiuæ, lingua & commiſſuræ dentium candore quodam inficiuntur: ſingultus, tuſſim, ac linguæ ariditatem excitat: iis extrema frigeſcunt, mens labat, membra torpeſcunt. Quibus dare conuenit aquam mulſam, aut ficuum, aut maluæ decoctum, aut lac calidum, aut ſeſamam ex vino tritam, vel lixiuium ex ſarmentis factum, amaracinum oleum, aut irinum, perſicorum oſſa cum hordei decocto: columbina oua cum thure, aut hordei decocto, cum tepida ex prunis: aut gummi, quod vlmus plorauit: aut humor, quem vlmea folia reddiderunt, cum tepida ex mulſa potus. ſed tum quoque vomant. Conuenit etiam thapſiæ ſuccus, aut ſcammoniæ, cum aqua mulſa potus.

*CErusſæ faciundæ rationem tradidimus ſuperiore libro. Hæc tametſi ad vlcerũ medicamenta, quæ exterius illinuntur, ſalubre plerunque ſit medicamentum, ſi tamen ſumatur intus in corpus, interficit, quemadmodum cætera deleteria pharmaca, de quibus iam plura retulimus. Epotæ ceruſſæ incommoda pluribus notis, quam fecerit Dioſcorides, eleganter carminibus recitauit in alexipharmacis Nicander, quorum carminum hæc erit paraphraſis. Ceruſſa per omnia ſpumanti albedini lacti, cum verno tempore, pingue & recens in mulctram emulſum fuerit, colore ſimilis eſt. Porrò ceruſſa ſpuma ſupernè genas adſtringente vi ſcandit, quæ ſpumoſi medicamenti frigore areſcunt, & contrahuntur in rugas. Lingua, & fauces ab eo languent. Vexantur ob id, qui hauſerint, arida tuſſi, oculisq; nutantes grauitate, dum crebros ructus egerunt, ne alibi efflatione ſuppleantur. Hinc fit, vt capite non parũ turbentur: quinetiam animo ſuo nauſeabundi præ triſti languore gemunt. At ſæpiſſime in ipſa luce vanum phantaſma, quod re ipſa nullum ſit, cernunt: aliàs ſomnolenti toto corpore rigent, neque vt antea membra, potiſſimum manus, & pedes, ſuum officium faciunt, adeò vt ni eis ſuccurratur, eo tandem dolore læſi ſuccumbant pereantq;: hactenus Nicander. Cæterum Auicennæ teſtimonio, ceruſſam haurientibus alia adueniunt incommoda, nempe animi deliquium, faucium aſperitas, ventriculi, & alui compunctiones, præcordiorum tenſio, anhelitus difficultas, præfocatio ſpirituum, & albedo totius corporis: quin & vrina modò nigra, modò cruenta redditur. His auxilium præſtant (vt ipſe, & Aetius tradidere) ſal ammoniacum ex mulſa potum, aliaq; medicamenta, quæ ſuapte natura vrinam valenter pellunt. Poſt hæc clyſteribus vti conueniet, ac ſubinde prouidere, ne dormiant affecti, ſed vigilantes ceruſſam euomant poto prius hydromelite, ſuſino, & narciſſino oleo admiſtis. Præferunt quidam vomitiones ab atriplicis ſemine concitatas: item clyſteres ex braſſicæ decocto cum oleo, abſque ſale: inſuper Theriacam ex vino, & Mithridatis antidotum, & album meracum vinum largius potum.*

Ceruſſæ lethalis natura

Ceruſſæ mali auxilia.

## Μυκῆτες. FVNGI. CAP. XXIII.

FVngorum alii genere, alii copia lædunt: omnes tamen ſtrangulatus ſuſpendio ſimiles concitant. Quibus confeſtim ſuccurrendum: communiter ex oleo vomere cogendi, mirificè iuuat lixiuia ex ſarmentis aut pyraſtri ſurculis, epota cum ſale, poſca & nitro. Fructus, aut folia pyraſtri cum fungis decocta, ſtrangulantem illam vim auferunt, eſitataq; eiſdem auxiliantur. Aduerſus fungos gallinacea oua cum poſca proficiunt, adiecta ariſtolochiæ drachma: item abſinthium cum vino melleque ſumptum, & ex aqua potum: apiaſtrum ex nitro: panacis radix, & ſemen in vino: fæx vini cremata, cum aqua: atramentum ª ſutorium ex aceto: radix, vel ſinapis, aut naſturtium eſu proſunt.

ª Cat. χάλκου ἄνθος. i. flos æris.

*NOn modò nocent in vniuerſum Fungi, quòd in eorum genere aliqui habeantur lethales, & ſuapte natura veneno imbuti, ſed etiam quòd ex his, qui pernicioſi non ſunt, plus quàm ventriculi robur ferre poſſit, quandoq; ingeratur, ita vt tunc non malefica vi, ſed copia lædant. Quippe cum natura humidi admodum, & frigidi ſint, & lentore non modico ſcateant, ſuperato ſua quantitate corporis calore, ſuffocant, ſtrangulant, & deniq; interimunt, niſi citius remediis ſuccurratur. Cognoſcuntur qui mortiferi ſunt (vt ſuperius libro quarto tradidimus) ſi frangantur, quod illico varios mutent colores, ſtatimq; computreſcant. Proinde dicebat Auicenna, in fungorum genere eos eſſe lethales, qui virides & cæſii deprehenduntur. Sed certe magnopere admirari licet, quòd tanta in hominibus inualuerit gulæ libido, vt etſi ſciant fungos eſſe plerumque necis hoſpitium, tamen ſui ipſius obliti, magno ſane apparatu eos in cibis auidiſſimè deuorent. Verùm poſtquam tantam cum palato fungi inierE gratiam, vt ab his abſtinere homines non poſſint, ſaltem diſcant velim, vt ſe ipſos a morte vindicent, fungos nunquam eſſe ſumendos, niſi prius cum ſylueſtribus pyris decocti fuerint. Quòd ſi ſylueſtria pyra deſiderentur, ex domeſticis ea ſupplere poterunt, quæ cæteris auſteriora habentur: in quem vſum adhiberi poſſunt tam recentia, quam ſole ſiccata. Præſtant idem arboris tam folia, quam cortex, præſertimq; ſylueſtris: ſiquidem fungorum antidotum pyra ſunt. Dioſcorides libro quarto præter medicamenta hic ad fungos aſſignata, prætulit origani, & ſatureiæ decoctum, gallinaceorum fimum, ex aceto aut melle potum: quod tamen (vt Philagrius explicat) album eſſe oportet. Sed primum medicamentis ſæpius enarratis eliciendus eſt vomitus, & ſubinde acria infundenda clyſmata, vt extra corpus trahatur virus. Cæterum ignorandum non eſt, eos incommoda afferre longè maiora, qui propria natura venenati naſcuntur, quandoquidem non modò ſuffocant, ſtrangulantq; comedentes, ſed etiam inteſtina exulcerant, ventriculum inflant, ſingultum & punctiones excitant, corpori vniuerſo pallorem inducunt, & vrinam remorantur. Præter hæc alia verenda, & lethifera oriũtur ſymptomata, nempe frigus, tremor, interceptio arteriarũ, animi deliquiũ, perfrigidus ſudor, & mors ad poſtremum immatura. His primùm auxiliantur vomitiones omni celeritate excitatæ: quibus etiam conuenit epotus domeſtici raphani ſuccus, aut deuorata rutæ folia, aut origanum, aut mel. Prodeſt deinde mirum in modum Theriaca, & Mithridatis antidotus ex acerrimo aceto pota, aut ex oxymelite, aut ex aqua vitæ vocata. Quamobrem quinta eſſentia noſtra Theriacalis, in his fungorum malis mirificam fert opem. Prætulit ad hæc Auicenna calida quæcunq; aromata: cuiuſmodi ſunt diapipereos, diacyminum, diagalanga, diamoſchum. Conciliator potandum exhibet magno iuuamento vinum optimum, in quo ferbuerit piper, offertq; ſubinde allium crudum deuorandum. Id quod facit vniuerſa ferè ruſticorum turba, qui (vt Galenus inquit) allio theriacæ vice plerumque vtuntur.*

Fungorũ venefica natura

Fungorum præparatio.

Fungorum veneni remedia.

## Γύψος. GYPSVM. CAP. XXIIII.

LApideſcens gypſum ſtrangulationem creat. Quare eadem proferenda ſunt, quæ manſis fungis, auxilia: & ad hæc maluæ decoctum, quod etiam olei vicem penſat: vtpote cùm pingue ſit, euomendo lubricas vias, & faciles reddit, deradiquè corpora non ſinit: quod vbi duratur in lapidem, gypſum efficit. Quinetiam prodeſt oleum ex aqua mulſa, aut ficorum decocto: & lixiuia è ficulneo cinere, aut ſarmentis facta, cum vino copioſiore pota: & origanum, aut thymum cum lixiuia, aut aceto, aut paſſo: hiq; decocto maluæ proluendi.

*GYpſum omnibus notum, ſi bibatur, aut comedatur, ſtrangulat (vt Dioſcorides inquit) quod reſpirationis meatus valenter adſtringat, & obſtruat. Meminit huius inter venenata medicamenta Auicenna, ſic inquiens. Eadem ſunt gypſi indicia, quæ & ceruſſæ, præterquam quòd illud citius, & atrocius ſtrangulat: quamobrem iis, qui hauſerint, ea conueni-*

Gypſi veneficium, eiuſq; remedia.

*unt medicamenta, quæ ceruſſæ, & fungis opitulari diximus. Poſtea lubrica danda ſunt, cuiuſmodi eſt maluæ, althææ, fœni græci, & lini ſeminis decoctum. Conciliator egelidam aquam cum butyro primùm potandam iubet, & deinde vomitum excitandum, à vomitu calidam item cum melle præbet, vt iterum vomant: poſtremò Mithridatis antidotum vino meraco miſtum, drachmarum duarum pondere. Quòd ſi aluus ad hoc adſtricta fuerit, citetur oleo, & anatis adipe clyſtere infuſis, & illinatur venter ricino oleo. Quin & murium ſtercus (vt ipſe ait) ex vino potum, proprium eſt gypſi antidotum. Auicenna autem vltimò purgari iubet ſcammonio, & alijs pharmacis, quæ aluum deijciendo ad rem faciant.*

## Αἷμα ταύρειον. SANGVIS TAVRINVS. CAP. XXV.

a Meum σπέρμα. i. ſemen.

TAuri recens iugulati ſanguis epotus, ſpirandi difficultatem, ſtrangulatumquè concitat: faucium, tonſillarumq; meatus cum neruorum diſtentione præcludit: lingua rubeſcit: dentes inficiuntur, & quædam concreti ſanguinis veſtigia, inter eorum commiſſuras reſtant. Quare vomitum vitabimus: ſanguinis enim globi attractu illo in ſublime relati, magis gulæ inculcantur. Dari ergo opus eſt quæ concretum ſanguinem diſcutiunt, & aluum ſubducunt. Groſsi lacteo ſucco turgentes ex poſca, & nitrum per ſeſe, auxiliantur, nec ſecus coagulum omne cum aceto, & laſerpitii radice, aut laſere: itidem & braſsicæ ſemen, & è cinere ficulneo lixiuia: conyzæ ᵃ folia cum pipere, & rubi ſuccus ex aceto: aluus reſoluenda. Iis qui ſeruantur, ſtercoroſa, & fluida per ſedem egeri conſueuerunt. Stomachum, aluumq; hordeacea farina ex aqua mulſa perungere oportet.

Sanguinis tauri venenata natura.

*NEmo tauri ſanguinem clàm potandum exhibere poteſt: nam vnuſquiſq; ſanæ mentis ſanguinem cognoſcet, quare, mea quidem ſententia, fieri non poteſt, vt venefici eo quenquam decipiant: quippe niſi largius bibatur, & adhuc calens ab ipſis defluens venis, antea quam concreſcat, noxam non infert, aut leuem. Quo fit, vt eos tantùm taurino ſanguine interire crediderim, qui aut atra bile tentati, aut cacodæmonibus irritati, vel vt aliquot ſæuum mortis genus ab legibus pro ſuorum facinorum pœna luenda inſtitutum effugiant, vel vt immedicabiles & grauiſsimos morborum cruciatus ſiniant vitam pertæſi (quod Plinius lib. 20. cap. 18. feciſſe ait epoto opio Licinij Cecinnæ patrem ciuem Romanum) mortem ſibi voluntariam conciſcunt. Proinde ſcitè Nicander in alexipharmacis ita ſcriptum reliquit. Si ex inſipientia quiſpiam atrum tauri ſanguinem hauſerit, mœrore adeò ingemit, vt nimio cruciatu tandem conficiatur, quando cordi appropinquans ſanguis ille condenſatur, ac in medio alui receptaculo in grumos coagulatur: hinc & meatus ſpirituũ obturantur, & halitus ſuffocatur impleto gutture. Atqui tractibus, & ſingultibus iſte afflictus, crebrò humi ſpuma coinquinatus palpitat: hæc ille. Cæterùm ſi fortè fortuna euenerit, vt quis tauri ſanguinem potauerit, & ad eum domeſtici, quibus factum conſtet, Medicos aduocent, tunc Medici ijs vti poterunt remedijs, quorum hic abundè meminit Dioſcorides. Sed quoniam taurinus ſanguis menſtruum ſanguinem mihi in mentem redegit, atq; etiam hic nobis occurrit fel pardi, viperæ, & canis piſcis: item cerebrum felis, quem Græci ælurum vocant, cerui extrema cauda, quorundam quadrupedum ſudor, & malum deniq; improbatumq; caſtoreum, quæ omnia inter lethalia medicamenta annumerantur, cùm hæc à Dioſcoride in hoc venenorum cenſu prætermiſſa deprehendantur, & nobis propoſitum ſit, ſingulorum vires maleficas, earumq; auxilia deſcribere, hic locus opportunus viſus eſt, in quo de ijs diſſereremus, & noſtrum inſtitutũ, quantum poſſumus exequeremur.*

Sanguinis menſtrui venenum eiuſq; curatio.

*Sanguis itaque* MENSTRVVS *mulierum, præſertimq; bilioſarum, & facilè rixantium potus, adeò bibentes effaſcinat & inficit, vt lunaticos & amentes efficiat. Idem deteſtabilis facinoris quandoque perpetrant maleficæ veneficæq; mulieres cacodæmonibus ductæ, ipſum exhibendo proprijs maritis, vel alijs, quos odio proſequuntur. Huius tamen noxæ ſuccurritur contritis margaritis drachmæ põdere ex melliſſophylli aqua potis: auxiliatur & tepidæ balneũ. Confert ad hæc (vt Conciliator inquit, ſi tamen id abſq; diuinæ legis iniuria fieri poſsit) vt affecti hilari frequentiáq; mulierum conſortio lætentur, cum eiſq; coeant, præcipuè cum iuuenibus, quæ rarò nuptias celebrent. Prodeſt & Theriaca drachmæ pondere ex fumariæ aqua quotidie pota. Proſunt & viperei paſtilli ſcrupuli pondere, additis tum margaritis, tum Theriaca eodèm pondere.*

Pardi fellis venenũ eiuſq; remedia.

*Epoto autem* PARDI *felle excitatur vomitus, ceu aloes amaroreos & nares inficiens: poſt vomitum vniuerſum corpus flaueſcit, ictericorum modo: poſtremò ea omnia conſequuntur incommoda, quæ ab aſſumpto napello, & à viperarum morſibus eueniunt, cum tam ſæuum lethiferumq; ſit, vt tribus tantùm horis potantes perimat: quòd ſi hoc temporis ſpatio non interficit, prorſus deſperandum non fuerit. Expugnatur primùm vomitionibus illico excitatis, ſubinde ijs vtique antidotis, quæ napello, vel viperæ morſu infectis opitulantur. Auicenna huic veneno peculiarem conficit Theriacam ex Lemniæ terræ, & lauri baccarum, ſingulorum drachma vna: capreoli coaguli drachmis quatuor, myrrhæ & rutæ ſeminis, cuiuſque ſemidrachma, quæ omnia melle excipit. Hanc iuglandis quantitate exhibet, excitatis deinde vomitionibus, ductiſque demum laborantibus in calidæ aquæ balneum, cui inferbuerint odorata medicamenta. Sed*

Viperæ fellis venefica vis & auxilia.

VIPERAE *fel adeò pernicioſum exiſtit, vt ſtatim animi deliquium adferat: quare rariſsimè antidotis ſuccurri poteſt, quòd nullum detur ea præparandi ſpatium. Veruntamen ſi quid eſt, quod tam breui temporis momento quicquam opis ferat, id erit quàm celerrimè excitatus vomitus, epoto prius cocto butyro, igne colliquato: quo vomitiones iterum, atque iterum mouere oportet. Poſt vomitus nihil ſalubrius, quàm theriaca, & mithridatis antidotum, moſchus, ambarum, & eorum compoſita medicamenta, quæ diamoſchum, & diambarum appellantur. Vbi autem animi deliquia perſeuerant, & corporis vniuerſi anguſtia, vinum quidem offerendum eſt, aut caporum, & gallinarum carnium ſuccus ex aquæ feruentis balneo in vaſe vitreo deſtillatus. Huic equidem noxæ crediderim magnificè aduerſari oleum noſtrum de ſcorpionibus, cuius componendi rationem tradidimus in huius libri præfationis commentatione: itidem & quintam eſſentiam noſtram, quòd ictu oculi ſuis perquàm tenuiſsimis partibus in totum deferatur corpus.*

Canis piſcis fellis venenũ & cura.

*Porrò fel, quòd à* CANE *piſce eximitur, lethiferum eſt: quippe quòd potum, vel eſitatum lentis tantùm quantitate, ſeptenis diebus interficiat. Curantur tamen qui hauſerint, epoto bubulo butyro cum gentianæ radice, cinnamomo & leporis coagulo. Prodeſt & corpus vniuerſum odoratis oleis illinire, & victu tenuiſsimo vti.*

Felis cerebri maleficium & remedia.

*Cæterùm qui* FELIS CEREBRVM *in cibis ederint, cerebris afficiuntur vertiginibus, fiuntq; ſubinde ſtolidi & amentes. Quibus etſi ſubueniri poſsit, id tamen non niſi temporis tractu, & admodum difficulter fieri poteſt. His danda eſt Lemnia ſphragis, & vomitiones inde ſunt excitandæ, fieriq; id oportet, ter, aut quater in menſe. Præſtat item auxilium, ſi quotidie mane ſumant ægri diamoſchi confectionem, tribus vel quatuor horis ante cibum, quinimmò moſchus per ſe ſe ſufficienter auxiliatur: namq; vt quidam tradiderunt, moſchus tantum huiuſce cerebri proprium eſt antidotum, ſi dimidij ſcrupuli pondere ex vino bibatur. Sed illud non eſt ignorandum,*

randum,

*iandum, quòd non modò Feles deuorato eorum cerebro homines inficere poſſunt, ſed pilis quoq; reſpiratione, & oculorum intuitu. Nam etſi pili omnes imprudenter in cibis ſumpti, præfocare poſſunt, anhelitus meatus obſtruentes, tamen ſpiritum priuatim exitiales cenſentur. Eorum præterea ſpiritus tabifico quodam veneno infectus deprehenditur. Etenim noui ego quoſdam, qui cùm felibus adeò delectarentur, vt nunquam ſine ipſis dormitum peterent, attracto inde diutius aeris vehiculo eorum ſpiritu, in tabem, & maraſmum incidere, quibus poſtremò confecti diem ſuum obierunt. Nec diu eſt, quòd in quodam monachorum cœnobio vniuerſa peryt familia, magno felium numero & contubernio. Lædunt item ſuo (vt diximus) oculorum intuitu, adeò vt quidam reperiantur, qui his viſis, aut auditis, pauore quodam illico capiantur, terreanturq; maximè, quòd non modò ex eorum veneno prouenire exiſtimauerim, ſed etiam propria eorum natura, qui eos vel intuentur, vel audiunt: quandoquidem hi ſua natura talem à cœlo qualitatem influxam habent, quæ nunquam ad propriam mouetur actionem, niſi obijciatur id, quod natura ſibi contrarium fuerit. Horum plures in Germania duntaxat vidimus, & quoſdam ex ea natione Goritiæ commorantes. Quòd autem verum ſit id aliunde euenire non poſſe, quàm à congenita qualitate, quæ paucis admodum ineſt, apertè ſanè oſtenderunt eorum aliqui. Quippe cum huius gentis quidam hyemis tempore in hypocauſtum nobiſcum cænaturus intraſſet, quò plurimum amicorum ſodalitas conuenerat, mulier quædam huius viri naturæ conſcia, ne is, viſo felis catulo, quem educauerant, iratus diſcederet, illum in arcula quadam eodem in cœnaculo concluſerat. Sed quamis nec vidiſſet ille nec audiſſet catulum, cùm pauco pòſt tempore aerem felis halitu infectum inſpiraſſet, irritata ſtatim ea temperamenti qualitate felium inimica, emiſſo ſudore, pallida admodum facie, omnibus ſanè admirantibus, tremebundus conclamare cœpit, hic aliquo in angulo latet felis. His autem eadem opem ferre putauerim, quæ cerebrum comedentibus remedio eſſe diximus.*

Felium conſortio noxia.

Feles quidã ferre nõ poſſunt.

*Inuenitur etiamnum in* CAVDAE CERVI *extremis partibus porraceus quidam humor felleæ bili admodum ſimilis, qui ſi fortè deuoretur, præſentaneum eſt venenum. Adfert enim illico intollerabiles anguſtias, animi deliquia, & omnia tandem ſymptomata, quæ epotum napellum conſequuntur. Succurritur his, vt cæteris primùm vomitionibus, epoto butyro excitatis. Poſtea dandus ſmaragdi puluis ex vino dimidij ſcrupuli pondere. Quin & piſtacia proſunt, & ponticæ nuces in cibis largius ſumptæ. Ad hæc vniuerſum corpus inungi præſtat, oleo è citrei ſemine expreſſo. Item theriaca proficit ex vino pota duarum drachmarum pondere.*

Caudæ cerui venenum & eius curatio.

*Magna quoq; infert incommoda quadrupedum quorundam* SVDOR, *præſertim equi, aſini & muli, quamuis etiam cæterorum ſit malus. Is igitur potus viridem tumidamque reddit faciem: ſudorem fœtidum in vniuerſum excitat corpus, præſertim ſub alis. Perturbat præterea tum ventriculum, tum aluum vniuerſam, genitis excitatisq; flatibus in inteſtinis. Quòd ſi bibatur ex vino, delirium facit. His tepidam largius præbendam ſcribunt, vt concitato inde vomitu puluerulentus ſudor reijciatur. Poſt vomitum confert vinum cum roſaceo potum: item rhabarbarum ſemidrachmæ pondere ſumptum, addito foſſitij ſalis momento: tametſi propria huiuſce ſudoris antidotus ea ſit Theriaca (vt Auicenna eſt author) quæ ex Lemnia ſphragide & lauri baccis conficitur, cuius componendæ rationem paulò ſuperius retulimus, de Pardi felle diſſerentes.*

Sudoris animaliũ virus & remedia.

*Venenoſum æquè ac lethiferum aiunt eſſe etiam* CASTOREVM, *quod iam putredine nigredinem contraxit, vel illud potius, quod è Ponto fuerit allatum. Hoc enim (vt Strabo inquit) venenoſum eſt propria ſui natura. Animaduertant igitur tum ſeplaſiarij, tum Medici, cùm plurimi vſus ſit medicamentum, ne malum exhibentes caſtoreum, aliquem interimant, quandoquidem non modò furore aguntur, qui hoc medicamentum hauſerint, ſed etiam intumeſcentem linguam exerunt, atque tam ſæua febre corripiuntur, vt vno tantùm ferè die intereant. Aduerſus hoc venenum mirum in modum iuuant vomitiones, quas toties butyro, & hydromelite epotis citare conuenit, quod nullum ea, quæ reijciuntur, caſtorei odorem referant. Poſt vomitiones conducit diamoron potum, aut limonum, aut citrei mali ſuccus ſaccharo admiſſus. Verùm peculiariter huiuſce caſtorei antidotum eſt coriandri ſemen toſtum, drachmarum duarum pondere ſumptum.*

Caſtorei virulenta vis & curatio.

## Γάλα ἐμπυτιασθὲν. LAC INTVS COAGVLATVM. CAP. XXVI.

EOs, qui coagulatum lac hauſerunt, frequens illico ſtrangulatio inuadit, quod in globulos quoſdam lac coaleſcat. Quibus iuuandis pro antidoto, coagulum ex aceto damus, & bibere ſæpius cogimus. Damus & calaminthæ folia arida, item ſuccum: aut laſerpitii radicem, aut laſer cum poſca: thymumq; ex vino, & cum luto ſuo lixiuiam. Sed nulla ſalſilago obiiciatur: quoniam magis lac coiret, & in caſeum denſaretur. Neque illos vomere conuenit: ſiquidem concretum lac ſeſe in gulæ anguſtias inſinuans, ſtrangulat.

*CRedidere quidam Dioſcoridis interpretes, authorem hoc in loco de eo coagulato lacte diſſerere, quo frequenter in cibis vtimur. E quorum numero fuere Ruellius, & Manardus Ferrarienſis ea epiſtola, in qua vniuerſam Marcelli interpretationem corrigit. Sed ij alioqui viri eruditiſſimi, in hoc haud dubiè falluntur, meo iudicio. Siquidem lac ea ratione coagulatum nutrit, non autem ſtrangulat, vt omnes in vniuerſum homines teſtari poſſunt, ſed præſertim ij qui in montibus degunt, cum Maio & Iunio menſibus huiuſcemodi lactis plurimum deuorent. Ideo nil aliud nobis aſſerendum eſſe putauerim, quàm quod de eo tantùm lacte intellexerit Dioſcorides, quod cum admiſto coagulo bibitur, anteaquam coaleſcat ita vt intus, non extra coagulatum ſit. Quo factum eſt, vt in hoc à Ruellij interpretatione in aliam deſciuerimus & hic, & in huius libri præfatione prope calcem. Magis enim Dioſcoridis ſententiam exprimi cenſemus, ſi lac intus coagulatum, vel (vt Marcellus) lac cui coagulum admiſtum ſit, vertantur verba illa* Γάλα ἐμπυτιασθὲν. *Nam quod iam coagulatum eſtur, non magno labore coquitur, ac digeritur, tranſitq; in nutrimentum. Illud verò, quod vbi coagulum et admiſtum ſit, ſubinde hauritur, priuſquàm coaleſcat, cùm aliquantiſper in ventriculo reſederit, vi admiſti coaguli illico inibi concreſcit, fitq; concoctrici facultati adeò contumax, vt ſuperato caloris robore ſtranguLet, non ſecus ac taurinus ſanguis. Proinde aſſerit Dioſcorides, tauri ſanguinem minimè ſuffocare, niſi recens calidusq; iugulati tauri venis defluxus bibatur, anteaquàm concreſcat: quandoquidem is non enecat aliqua propria veneni facultate, ſed concretione tantum, quam in ventriculo conſequitur. Id quod euidentiſſimum eſt in epoto lacte, cui admiſtum ſit coagulum: aut in eo quoque, quod ſine coagulo bibitur, & per ſe alijs de cauſis in ventriculo coaleſcit. Euenit enim quandoque hoc, cùm lac bibitum craſſius fuerit, & ventriculi, & iecoris temperatura calida, & ſicca nimis. Nam ingens horum viſcerum cum caliditas, tum ſiccitas, conſumpta breui lactis humiditate, reliquum, quod craſſum eſt, facilè cogit, & conſpiſſat. Quinetiam illud idem ingenti fit frigiditate: nimirum expreſſo ab ea, quod tenuium eſt partium, reliquum, craſſioris ſubſtantiæ facilè congela-*

Lactis coagulati cõſideratio.

Quorũdam interpretum error.

Lactis in ventriculo coagulati curatio.
Dioſc. lectio caſtigata.
Lixiuia pilopœorum.

*congelaſcit, haud ſecus quam de glacie, & niue fieri libro quarto meteororum tradidit Ariſtoteles. Quamobrem eſt Galeni conſilium libro tertio de alimentorum facultatibus, vt nemo lac potaturus ipſum bibat, niſi mellis, aut ſalis tantillum prius admiſceat, ne in ventriculo concreſcat. Sed non propterea mirari licet, quòd Dioſcorides ſcripſerit, lac concretum in ventriculo habentibus nihil ſalis ſalſiue eſſe offerendum. Quippe quemadmodum coagulo primò lac coagulat, contrariumq; deinde efficit, ſi iam concreto lacti ſuperaſpergatur: ita ſal prius lacti commiſtum, id concreſcere prohibet, mox contrarium effectum præbet, ſi iam concreto aſpergatur: recens enim caſeus ſale reſperſus, illico duritiem contrahit. Sed iam ad curationem accedamus. Eadem autem erit lactis in ventriculo coagulati curandi ratio, quæ ſanguinis tauri, quando iis tantùm ſit vtendum medicamentis, quæ ſuapte natura concreta liquant & diſcutiunt. Qua in re auxilium præſtant ipſa coagula, acetum, præſertimq; ſcillinum, lixiuium, & ea omnia, quæ incidunt & diſgregant. Porrò illud non prætereundum eſſe arbitror, quod vbi in hoc capite legitur, καὶ τὴν πηλοποιητικὴν κονίαν, id eſt, & figlinam lixiuiam, non vt vertit Ruellius, & cum luto ſuo lixiuiam, Geſnerus in primo ſuo de animalibus tomo, de tauro agens, legendum rectius putat καὶ τὴν πιλοποιικὴν κονίαν, hoc eſt, & pilopœorum lixiuiam: reprehenditq; in hoc Cornarium, quòd putauerit figulos ad lutum lauandum ſibi lixiuiam conficere. Sed mihi, vt ingenuè dicam, magis placet Geſneri, quàm Cornarii opinio, ſiquidem cùm figlinum lutum nunquam lixiuia lauari aut parari audiuerim, viderim aut legerim, veritati conſonum non videtur, vt de figlina lixiuia intellexerit Dioſcorides: ſed de ea potius, qua ad lanam expurgandam, vt infecturæ magis idonea reddatur, vtuntur pilopœi, hi ſunt, qui pileos conficiunt. Eorum namque lixiuia, quòd è combuſta vini fæce plerunque fiat, ea quæ ad caput capilloſq; abluendos communiter paratur, acrior, fortiorq; efficitur: vt proinde ad lac diſſoluendum in ventriculo coagulatum, eſt longè valentior. Error præterea facilis eſſe potuit librariorum, ex vnius duntaxat literæ variatione, η pro ι ſcribentium. πηλὸς enim per η ſcriptum, lutum ſignificat, vnde πηλοπλάθον & πηλοῦργον aliqui figulum interpretantur, πιλοποιὸς autem per ι, artifex eſt, qui pileos ex lana conficit. Hac itaque ratione putandum fuerit πιλοπ[ο]ιικὴν, non autem πηλοποιητικὴν in Dioſcoride hoc loco eſſe legendum. Cæterùm Fuchſius in ſuis doctiſſimis annotationibus in Nicolaum Myrepſicum, ea ſectione, in qua de vnguentis tractat, capite 28. nil aliud hanc lixiuiam eſſe putat, quàm aquam quæ lutum lauerit, vel per lutum tranſierit, non autem cum cinere & calce factam. Sed cùm figlinum lutum potius adſtringat, contrahatq;, quàm laxet, ac digerat, neſciuerim profectò, qua ratione is eam lixiuiam è tali luto confectam, iis potandam daret, quibus lac in ventriculo concreuiſſet.*

## Λιθάργυρος. ARGENTI SPVMA. CAP. XXVII.

SPuma argenti pota, ſtomacho, ventri, & interaneis grauitatem cum magnis torminibus adfert, & nonnunquam pondere ſuo inteſtina vulnerat, vrinamq; ſupprimit: corpus intumet, plumbeamque deformitatem concipit. Quibus ſubuenit ſecundum vomitionem, potum ſylueſtris hormini ſemen, myrrhæ drachmæ octo, abſinthium, hyſſopum, apii ſemen, aut piper, aut liguſtri flos ex vino: aridum palumbis fimum, cum nardo & vino.

Spumę argenti mala.
Spumæ argẽti curatio.
Plumbi ſcobis noxa, & curatio.
Ferri ſcobis, ſquamæ, & recrementi noxa & cura.
Magnetis venefica vis & auxilia.

POta argenti ſpuma, cuius hiſtoriam libro quinto tradidimus, lethifera (vt Dioſcorides inquit) adfert incommoda. *Sed præter hæc Aëtio, & Auicenna authoribus, alia etiam eueniunt mala, nempe compaginum, & articulorum incendium, ſeu ardor: alui ſuppreſſio, quamuis quandoque ex accidenti aluus ipſa deiiciatur: ſermo item præpeditur, & ſedis inteſtinum prominet: poſtremò inualeſcente malo ægri ſuffocati moriuntur. Nicandro verò in alexipharmacis authore, iis qui argenti ſpumam ſumpſerint, alui moleſtia accedit: quin & flatus ſeſe reuoluentes per medium ventrem, & iuxta vmbilicum murmurant, inſtar torminum curatu difficiliorũ, quæ hominem affligant duris eum cruciatibus impetentes. Nec iam vrinæ eiiciendæ patet exitus: membra totius paſſim corporis ardent, planeq; iam plumbeum, ſeu liuidum colorem induerunt: hæc ille. Cæterùm illud animaduertendum eſt, quòd vbi in hoc capite legitur, dandam eſſe myrrham octo drachmarum pondere, non deeſt ſuſpicio, quin ea lectio ſit deprauata, quòd hæc myrrhæ nimia videatur eſſe quantitas. Auget ſuſpicionem Nicander, qui duos tantùm myrrhæ obolos exhibet, Aëtius tres, Auicenna verò tres drachmas non excedit. Curatio in vniuerſum fit citatis primùm vomitibus, & infuſis deinde clyſmatibus (vt Conciliator tradit) ex hydromelite, gallinarum & anatum adipe. Poſt hæc prodeſt amygdalinum oleum potum è dulcibus nucibus expreſſum. Conferunt item caricæ in cibis ſumptæ: præterea ventriculum apii ſucco, & aluum butyro illinire vtile eſt. Proprium verò huiuſce veneni antidotum (vt idem ait) eſt lathyris ſemen duarum drachmarum pondere potum. Veruntamen cum hoc facultatis admodum deiectoriæ ſit medicamentum, drachmam ego non excederem. Eadem quoque infert mala* PLVMBI SCOBS *tenuiſſimè contrita, & iiſdem pariter curatur medicamentis. Siquidem argenti ſpuma nil aliud eſt, quàm plumbum argenti aut æris recremento commiſtum. Nec deleteria vi vacant (vt author eſt Auicenna)* FERRI *tum ſcobs, tum ſquamæ, tum recrementum: tametſi omnia hæc prius diutius aceto macerata nulla prorſus moleſtia in medicum veniant vſum, denturquè potanda dyſentericis, mulieribus vteri defluxione tentatis, & in eclegmate ad lienis infarctus, itemquè ad enterocelas. Sed de his vel non infrenatis, vel pluſquam par ſit ſumptis, fortaſſe intelligit Auicenna. Itaque excitantur ab his inteſtinorum cruciatus, oris & linguæ ſcabrities, æſtuatio vniuerſi corporis, capitis dolor, maraſmus, & membrorum omnium arefactio. Succurritur noxæ potu lactis recenter mulſi, ac ſubinde datis aluum valenter ſoluentibus medicamentis, ſecundum quæ butyrum tamdiu potandũ dare oportet, donec inteſtinorum dolores amoueantur. Hæc dum fiunt perfundatur eorum caput oleo roſaceo, violaceo, & è nymphææ floribus parato. Tollitur deinde aduenienſ maraſmi intemperies, & corporis vniuerſi arefactio, demerſis in balneo laborantibus, in quo teſtudines, ranæ, maluæ folia inferbuerint: quinetiam clyſteribus ex pedum hædorum iure, aut althææ radicum decocto: item butyro largiùs in cibis ſumpto, & epotis pinguium carnium iuribus. Sed (vt idem Auicenna ſcribit) proprium huiuſce ferrei pharmaci antidotum, eſt lapis magnes drachmæ pondere potus, ex mercurialis, vel betæ ſucco. Veruntamen hoc haudquaquam fieri poſſe videtur abſque manifeſto ſumentium diſcrimine, quandoquidem etſi magnes ſuapte natura ferrum trahat: non tamen affirmauerim, quòd hanc ob cauſam eius quoque deſtruat facultates, & impediat noxam, ſed potius quòd eam augeat crediderim. Quippe cùm is ferrum ad ſe traxerit, id ſanè diutius in ventriculo retinebit, ex quo noxa fouebitur. Adde præterea, quòd cum & ipſe* MAGNES *deleteriæ ſit facultatis, adeò vt eos, qui hauſerint, lunaticos & melancholicos efficiat, eum haudquaquam ore ſumendum eſſe duxerim. His itaque qui Magnetem ſumpſerint, commendant quidam auri tenuiſſimam ſcobem ex vino potam, & ſmaragdorum ramenta eodem pondere. Laudant etiam clyſteres ex lacte, & dulcium amygdalarum*

*latum oleo infuſos. Sed cæteris præferunt ſmaragdum ter nouem diebus potum, tribus ſemper intermiſſis diebus. Lethifera & non parum formidanda eſt etiam* AERIS SQVAMAE *vis. Ea ſiquidem pota, intollerabiles alui defluxiones mouet, aut noxias vomitiones concitat, obortis inde moleſtiſſimis alui & ventriculi punctionibus. His auxiliantur citatæ primum vomitiones: deinde ægri in balneum mittendi ſunt, in quo hircorum conferbuerint capita, aut ingens cochlearum numerus. Prodeſt & menthæ ſuccus potui datus: inſuper aluum, & ventriculum calido roſacco perungere expedit. Verum ad hoc præ cæteris pollent acori radices trium drachmarum pondere pota, aut earum ſucci tantundem. Sed nobis acori ſuccum dare perdifficile fuerit, cùm legitimum in noſtris non proueniat regionibus, nec niſi ſiccum afferatur. Lituani tamen & Tartari eo abundant, vt ſuperius libro primo prodidimus.*

Squamæ æris lethifera vis, & remedia.

Ὑδράργυρος. **ARGENTVM VIVVM. CAP. XXVIII.**

ARgentum viuum potum eadem quæ ſpuma argenti infert, eiſdemquè vtendum auxiliis. Lac copioſè potum auxiliari conſtat: ſed poſtea euomant, qui hauſerunt.

*VEram omnino & exquiſitam argenti viui cognitionem non habuiſſe Dioſcoridem & Galenum, illud maximo indicio eſſe videtur, quod hic paucis, ille verò perplexe eius hiſtoriam, & facultates tractauerit. Hoc, vt in præfationis huiuſce voluminis commentario tradidimus, interimit, ſi largius bibatur, exceſſu ſummæ frigido & humido. Putrefacit enim hoc ſuo exuperante temperamento innatum cordis humorem, ac ſubinde congelat ſanguinem, vitales ſpiritus, & ipſam denique cordis ſubſtantiam, quandoquidem id Medicis experientia compertum eſt, vt Conciliator teſtatum reliquit. Nam cum ſeplaſiarius quidam ardentiſſima febre correptus, ſiti intollerabili vexaretur, & delirio oberrans in pharmacopolium deſcendiſſet, vt aliquid ad potandum inueniret, fortè fortuna in argenti viui vas incidit, multumq; ex eo potauit, aquæ fortaſſe vice: poſtea ſtatim in ſuum cubiculum ſe recepit, vbi paucis poſt horis congelatus interijt. At cum eius domeſtici ſub cadauere magnam argenti viui quantitatem inueniſſent, iam per ſedem egreſſi, aduocarunt Medicos, vt eius rei, quam miraculum exiſtimabant, diligenter cauſam inueſtigarent. Ii ſtatim ex pharmacopolio argenti viui vas adferri iuſſerunt, quod vbi ferè vacuum reperiſſent, rem vti ſe habuerat deprehenderunt: auxitq; fidem, quòd euiſcerato homine, adhuc argenti viui libram in eius ventriculo inuenerunt: quin & ſanguinem circa cor concretum. Quo argumento palàm fit, magno admodum receſſu frigidum eſſe argentum viuum. Verùm enimuero in eius curatione illud inquirendum eſt, an purum ſit quod potum fuerit, an ſaliua aliouè liquore extinctum, aut acerrima aqua, qua chymiſtæ vtuntur, aut per ſe tantùm præcipitatum, aut vna cum arſenico, vel chalcantho ſublimatum: cùm enim aliud alio pernicioſius habeatur, proprium quodlibet exigit remedium. Pernicialius eſt ſublimatum, ſecundum hoc præcipitatum: proximè ſequitur, quod ſaliua, aut aliquo liquore fuerit extinctum: minus verò cæteris nocet, quod purum, viuumque fuerit: vtpote cùm fluidum admodum ſit, & ponderoſum, non difficulter clyſteribus extrahitur. Id quod cæteris generibus non euenit, quæ cum ventriculo inhæreant, illum facilè erodunt & exulcerant. Argento viuo puro, aut extincto, aut præcipitato epotis, eadem conſequuntur ſymptomata, quæ argenti ſpuma pota infert, ſed cum magno anhelitus fœtore, quem & ij reſipiunt, qui Gallica lue affecti eo illinuntur. Quod maximum præbet indicium, quòd ſua exuperante humiditate, omnes humores, qui ventriculo aliiſq; circumſtantibus partibus hæſerint, computreſcere faciat. Cæterùm epoto ſublimato, illico lingua & fauces non aliter exaſperantur, quàm ſi quis immaturorum ſorborum ſuccum hauſiſſet. Quod ſanè incommodum nullo lenientium gargarizatu, niſi difficilè, & longo tempore tolli poteſt. Id enim quàm primùm in ventriculum deſcenderit, ei pertinaciter inhæret: quare ſtatim erodit & exulcerat: tum inextinguibilem ſitim excitat & inexplicabilem anguſtiam inducit. His ſuccedit linguæ tumor, animi deliquium, vrinæ ſuppreſſio, anhelitus difficultas, & ventriculi & inteſtinorum tormina, tam vehementi eroſione, vt niſi confeſtim ſuccurratur, pereant affecti, eroſis, perforatiſq; ventriculo & inteſtinis. Purum curatur (vt Dioſcorides, Aëtius & Paulus memoriæ prodidere) auxiliis, quibus argenti ſpuma: nam ſi copioſius ebibatur, non interficit, quòd ob ſui tum pondus, tum fluxilem ſubſtantiam facilè per inferna ſecedat, nulla in ventriculo, & inteſtinis protracta mora. Ex quo nil mirum, quod ſcripſerit Auicenna, non deeſſe qui bibant argentum viuum, & nullam inde ſentiant noxā, quòd facilè labatur è corpore, dummodo qui hauſerint, continuè huc atq; illuc deambulent. Goritienſes mulieres ægrè parturientibus vltimo remedio, argentum viuum potandum præbent, ſcrupuli pondere. Nec deſunt, qui ad interimendas alui tineas, pueris etiam propinent, ad duorum granorū milij quantitatem, citra vllam moleſtiam. In aliorum autem curatione alia requiruntur remedia, nempe clyſteres, vomitiones, pinguia in potu ſumpta: & vt in vniuerſum dicam, his opem ferunt omnia medicamenta, quæ veneris erodentibus conueniunt, quorum latius ſuperius meminimus in cantharidum curatione, ad quam breuitatis ſtudio lectorem reijcimus: namque ijs efficaciora non plura hactenus nobis comperta ſunt. Nec aliis vtendum eſt remedijs, vbi quis cinnabarin ſumpſiſſet.*

Argenti viui pernicialis natura.

Hiſtoria ſumpti argenti viui.

Sublimati epoti ſigna.

Argenti viui ſumpti curatio.

Argentum viuum partū promouet.

Cinnabaris remedia.

Τίτανος, σανδαράχη, ἀρσενικόν. **CALX, SANDARACHA, AVRIPIGMENTVM. CAP. XXIX.**

CAlx, ſandaracha, & auripigmentum pota, aluum, & inteſtina cum vehementi eroſione excruciant. Præbenda cuncta, quæ ſuo admiſtu illorum acrimoniam hebetant, ac ſoluunt, & facilem lubricamq; aluum reddunt, cuiuſmodi ibiſci, & maluæ ſuccus eſt: natura enim vtrique perlubrica. Dandum decoctum ſeminis lini, vel ſemen tragi herbæ, vel oryzæ, lacquè cum aqua mulſa copioſum, iura pinguia, & boni ſucci.

*NOn modò Calx, Sandaracha & Auripigmentum, quorum hiſtoriā ſuperiore libro tradidimus, hauſta vehementiſſimos ventriculi & inteſtinorū cruciatus, & eroſiones excitant, vt Dioſcorides inquit, ſed etiam ſitim inexplebilem, faucium & gulæ aſperitatem, tuſſim, ſpirandi difficultatem, vrinæ ſuppreſſionem, & dyſenteriam. Cæterùm hæc omnia adiuuantur (vt ſcitè docet Dioſcorides) pinguibus acrimoniam obtundentibus, & potionibus lenientibus, aluumq; lubricam reddentibus, tum etiam cremoribus, atque ſeminum quorundam ſeſſaminentis, vt in cantharidum curatione latius, diffuſiusq; prodidimus: quandoquidem medicamentorum omnium erodentium curatio à cantharidum curatione non differt: neque ijs ſane valentiora nobis ſeſe offerunt remedia. Quare ex eo loco medicamenta petenda erunt ijs, quibus vſu futura*

Calcis, ſandarachæ, & auripigmenti venefica vis, & curatio.

Arſenici ſublimati, & aliorũ quorundã venenum.

*tura ſunt. Eoſdem quoque effectus malos & noxios præbent* ARSENICVM *ſublimatum, Aerugo, & quod officinæ Riſagallum appellant: quin & Saponis lixiuium: quod vulgò vocant Itali la maeſtra, & Aqua ea omnium acerrima, qua aurifices, ac chymiſtæ aurum ab argento ſeparant. Sed aquæ huius & lixiuij difficilis eſt cura, quòd illico in totum diffundantur corpus. Vniuerſalis tamen curandi ratio eadem erit, quæ calcis & auripigmenti: tametſi altero ſit vehementius, & erodentius.*

Arſenici ſublimati curatio.

*Qui autem priuatim Arſenicum ſublimatum hauſerint, eos frequenter vomere oportet, poto ſemper prius butyro, aut per ſe tantùm, aut addito rapi ſeminis decocto. Proſunt his & clyſteres ex pingui iure, aut ptiſanæ alicæue cremore, aut ſpiſſamentis ex pſyllij, maluæ & cydoniorum ſemine factis. Auxiliatur amygdalinum oleum, & ius pinguium gallinarum in cibis ſumptum. In præſtantiſſimum verò antidotum cenſetur foſsile cryſtallum, in tenuiſſimum puluerem contritum drachmæ pondere, ex dulci amygdalino oleo potum. Sed antidotum omnium præſtantiſſimum contra mortiferam Arſenici vim, eſt puluis Sereniſſimi Principis mei Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, quo Pragæ ſeruatus eſt quidam, ultimo ſpendio damnatus, cui pulueris huius experiundi gratia, Arſenicum datum eſt in potione drachmarum duarum pondere. Siquidem cum is poſt quartam ab epoto veneno horam, liuidus totus adeò viribus deſtitutus decumberet, vt iã iam moribundus ſtrangulâretur, oblatus eſt illi puluis ex albo meraco. Quo factũ eſt, vt etſi in conflictu nulla ferè recuperandæ vitæ ſpes haberetur, vicit tamen natura hoc antidoto validior ac viuacior reddita, & veneni immanitatem ſuperauit, adeò vt is ſequenti die liber euaſerit, & lætus coram omnibus apparuerit. Eodem quoque puluere alij à me ſeruati ſunt, quinetiam ab alijs, qui antidotum à me receperunt. Franciſcus Calzolarius myropola Veronenſis amicus intimus meus, hoc anno eodẽ antidoto à me accepto duos homines Veronæ in carcere detentos, qui venenũ in piſce quodam dono miſſum vorauerant, poſt octauam diem à veneno accepto liberauit, præter Medicorum ſententiam, qui ſymptomatum immanitatem cernentes, illos omnino morituros cenſebant. Nec quidem ab re, cùm alij duo, qui illis commenſales in carceribus erant, eodem die mortui ſint, quòd neminem habuerint, qui ſui curationem ſuſcepiſſet. Huiuſce hiſtoriæ etiam aſſertores habeo Magnificos viros, patritios Venetos, Nicolaum Quirinum, & Hieronymum Marcellum, quorum hic Capitaneum (vt dicunt) ille Prætorem Veronæ gerebant, vt ex publicis eorundem ſcriptis, quæ apud me ſunt, quiſquis certior fieri poteſt. His acceſsit clariſſimi Medici Antonij Capriani Mantuani teſtimonium, qui Tridentini Concilij aliquot annis Phyſicum egit magna cum laude. Nam cùm is, tum temporis, quo hæc euenerunt, Veronæ ſe reperiret, accerſitus à Reuerendiſſimo Cardinali Nauagerio, admirandas huiuſce pulueris aduerſus venena vires, ad Excellentiſſimum Philippum filium ſuum, Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Pragenſis Medicum, & hiſtoriam omnem deſcripſit, & vt me rogaret addidit vt eundẽ puluerem illi tranſmitterem. Sed & id mirum admodum videri debet, quòd hic puluis non ſolum hauſtus, ſed etiam illitus, demorſos ictosq́; à venenoſis animalibus ſeruat & ſanat, eo è roſarũ aqua epithematis modo ſub ſiniſtro vbere, & ſuper affecto loco illito. Iacobus Antonius Cortuſus Patritius Patauinus, hoc puluere a me accepto, quendam ciuem & vicinum ſuum à Scorpione magno ictum, iam animi deliquio detentum, breui admodum tempore reuocauit ad vitam. Quinetiã eadem ſeruata ratione proprium ſuum ſeruauit aurigam à ſerpente venenoſo demorſum.*

Aeruginis remedia.

*Porro* AERVGO, *præter alia eius mala antè dicta, adeò ſpirandi meatus occludit, vt magno impetu ſuffocet affectos. Succurritur noxæ crebris cum butyro, & calida excitatis vomitibus, vt in Arſenico, & infuſis ſubinde clyſteribus ex aſinino lacte, & dulci amygdalino oleo. Prodeſt & Lemnia ſphragis drachmæ pondere ex vino albo pota. Præſtat item in olei balneum laborantes ad ventriculum vſque demittere. Sed proprium huiuſce pharmaci antidotum (vt ait Conciliator) eſt, vt qui hauſerint, bibant ex vino corallia rubra in tenuem puluerem contrita ſenorum ſcrupulorum pondere.*

Riſagalli curatio.

*Cæterùm* RISAGALLO *vulgò dicto, quod quidam Realgal appellant, cùm maximè extremeq́; ſiccet, & neruos contrahat, non alia conuenit curatio, quàm quæ Argento viuo, & arſenico ſublimatis, & ærugini adhibetur: quanquã priuatim non obſcurè iuuat vniuerſum corpus dulci amygdalino illinire, & violaceo iulapio, & ptiſana hordeacea ſitim extinguere. Proficit & pinorum nucleorum oleum, aut è magnis nucibus, quæ ex India aduehuntur, expreſſum, ſemilibræ pondere potum. In ſumma ea omnia efficaciter adhibentur, quæ cantharidibus conferre diximus.*

## Λαγῶος θαλάσσιος. LEPVS MARINVS. CAP. XXX.

QVi leporem marinum biberunt, piſcium virus olent: procedente tempore aluus dolore afficitur, & vrina ſiſtitur: & ſi quando eam reddere contingat, purpureum colorem refert: omne piſcis genus auerſantur, & odio habent: fœtido, ac graui ſudore manant: bilioſus vomitus, interdum ſanguini promiſcuus, ſubſequitur. His dandum lac aſininum, vel paſſum continuè, aut radicis maluæ foliorumque decoctum, aut trita cyclamini radix cum vino, aut veratri nigri, aut ſcammonii ſucci drachma, cum aqua mulſa, puniciq; mali acinis. Cedria contrita cum vino efficax eſt: anſerinus ſanguis, vt tepebit potus. Sed cùm piſces omnes reſpuant, aſpernenturq́;, ſolis fluuiatilibus cancris veſci poſſunt, bibuntq; eos admiſto vino, adiutique ab his percoquunt, cumquè appetere & comeſſe, piſces cœperint, ſuæ ſalutis indicium habent.

Leporis marini veneni ſigna.

*DIximus de Lepore marino libro ſecundo, de quo ita ſcribit Nicander in alexipharmacis. Sin marini leporis malè perdentis potionem deprehenderis, perniciem afferentem, odorem eius ſenties, qualis eſt ſquamarum & piſcium purgamenti. Porro guſtus & ſapor eius piſcoſus eſt, qualis putrefactorum piſcium eſſe ſolet: vel cum nondum ablutorum ſquamæ polluunt corpus. Sequitur huiuſce potionem viridis fellis ſuffuſio, cum obtenebratione viſus: & caro paulatim in homine contabeſcit. Accedit his ciborum omnium abominatio, malus habitus, & talorum ardor: oculi in concauum occultantur, & genæ ac maxillæ florido colore rubent. Vrina ægerrimè redditur: quæ tametſi reddatur, purpurea apparet, & plus æquo ſanguinea. Adhæc ſi piſces ægris offerantur, eos illico nauſeabundi execrantur: hæc ille. Cui ſubſcribunt Aetius & Auicenna, qui præter relata inducta, alia adhuc lepori marino epoto aſſignant, his verbis: Marinus lepus adeo icterum inducit, vt totius corporis habitus croceo admodum colore inficiatur. Poſtea facies liuens intumeſcit, pedum plantæ intenduntur, adeſt ſpirandi difficultas, pectoris & pulmonis anguſtia, rufeſcuntq; oculi. Dehinc tuſsis emergit ſicca, ſputum cruentum, renum dolor, viriliumq; inflammatio, adeò vt perpauci euadant, qui non labantur in tabem. Quare Galenus libro de theriaca ad Piſonem, proprium marini leporis eſſe ait, vt pulmonem exulceret & erodat. Succurritur noxæ (vt Dioſcorides inquit) aſinino lacte ex paſſo poto, & maluæ decocto. Neque id aliam ob cauſam, vt Aetius declarat, quam*

*adeluu-*

*ad eliciendum vomitum, & veneni acuitatem retundendam, quemadmodum elleborum, cyclaminum & ſcammonium exhibet, partim ad citandas vomitiones, partim ad aluum deyciendam. Cætera verò, vt incommodis ſubueniatur, quæ internis infert particulis. Præfertur quibuſdam aduerſus hoc malum humanus ſanguis calens e venis potus: humanum item lac, ab ipſis vberibus exuctum, & vulpis cato inaſſata: quin & theriaca diateſſeron tribus diebus pota.*

Φρῦνος καὶ βάτραχος ἕλειος. **RVBETA ET PALVSTRIS RANA.**

RVbeta, aut rana paluſtris aſſumpta tumores ciet: pallor corpus vehementer decolorat, vt planè buxeum ſpectetur: ſpirandi difficultas torquet: & grauis halitus oris, ſingultuſq;, inuita interdum genituræ profuſio conſequitur. Adiuuantur ſecundum vomitionem multo meri potu, & arundinis radicis binis drachmis, aut cyperi totidem. Breuiter, cogendi ſunt, vt vehementi ambulationi & curſui ſe credant, ob torporem, quo corripiuntur: quinetiam quotidie lauandi ſunt.



*RVbetæ Ranæ, quam quidam bufonem vocant, diuerſa reperiuntur genera. Terreſtris tamen, quæ Græcis phrynos dicitur, Latinis verò rubeta, quòd in frutetis & ſepibus inter rubos degat, nocentior magiſq; lethifera eſt, quàm quæ in paludibus & aquoſis ſcrobibus viuit (id quod non recte, meo iudicio, intellexit Aloyſius Mundella Brixianus, octaua ſui voluminis epiſtola) tantoq; magis noxia, lethiferaq; fuerit terreſtris, quantò in opacioribus frigidioribuſq; locis vitam duxerit. Quamobrem in hoc genere eæ omnium peſſimæ creduntur, quæ in vmbroſis conuallium ſyluis, & in arundinetis morantur. Adultæ craſſa tenaciq; conteguntur cuti, adeo vt acutiſſimo palo quandoque difficile à ruſticis, qui ita eas interficere ſolent, perfodiantur. Hæ cum circumnaſcentes herbas, ſiue aliquod depaſcens animal, veneno inficere volunt, contrahunt ſeſe in tumorem, vt venenum per vrinam longius eiaculentur in plantas, & circumſtantes quadrupedes. Quare admirari non licet, ſi nonnunquam repentè intereant homines, qui fraga, fungos aliasque plantas harum veneno infectas inſcij deuorauerint. Quippe quòd non modo veneni ictu hæc omnia inficiunt: ſed etiam ſaliua ea ſæpius conſpuunt: quæ ſanè non minus mortifera eſt, quam napellus: quinetiam earum ſanguis vipereo ſcatet veneno. Proinde mirum non eſt, ſi in puluerem potæ mortifera inferunt incommoda, quemadmodum & morſu. Nam etſi dentibus careant, tamen compreſſa ſcabris gingiuis particula, & ſubinde ingreſſa per cutis ſpiracula ſaliua, demorſos venenant, vt in præfationis huiuſce libri commentario tradidimus. Siccæ & in puluerem potæ, vt Auicenna refert, præter mala quæ à Dioſcoride redduntur, faucium & gutturis tum inflammationem, tum ſiccitatem excitant: item oculorum caliginem, vertigines, conuulſiones, dyſenteriam: faſtidium, vomitus, animi deliquium, delirium, amentiam & plerunq; edentulos faciunt homines, quamuis euadant, qui hauſerint. Nec minora etiam pericula adferunt fructus, & herbæ earum veneno infectæ, & epotus earundem ſanguis. Curantur ijs malis affecti Theriaca, vel Mithridatis antidoto tribus continuis diebus ex vino potis. Idem præſtat teſtudinis marinæ ſanguis, additu cumino, leporis coagulo & vino. Datur potanda præſentaneo remedio quinta eſſentia noſtra Theriacalis. Quin & oleum noſtrum de ſcorpionibus exterius commode inungitur. Præfert Conciliator ſmaragdi puluerem ex vino potum ſcrupuli pondere, cum eo tamen vt ſubinde intret æger nudus in mulum recenter exenteratum, inibique concluſus moretur, donec deferueſcat cadauer, totiesque ſic exenteratum mulum aut equum, ſi mulus non adſit, permutet, donec effuſo diutius ſudore cedat noxa. Aëtius mulis & equis parcens, in clibano, quantum tolerari poſſit, calidiſſimo affectos, vel alio in loco arte calefacto detinendos ad ſudandum iubet, quemadmodum curantur aqua inter cutem laborantes. Quorum medicamenta curatioque, vt Auicenna eſt author, hoc in negocio non parum conueniunt. Proinde prodeſt ijs maximè rhabarbarum, diacurcumæ & dialaccæ confectio: tametſi Conciliator lapidem his omnibus præferat, qui in earum capite reperiri ſolet.*

Rubetę paluſtriſq; ranæ venenum.

Ranæ maleficæ ſigna & curatio.

Βδέλλα. **HIRVDO.** CAP. XXXII.

DEuoratæ cum aqua hirudines, ſi ori ventriculi adhærent, tractione partium, nonnullam ſuctionis imaginem præbent: eo enim argumento hauſta hirudo deprehenditur. Has muria ſorbitione excutit, & Cyrenaicus ſuccus, aut laſerpitij folia aut betæ, cum aceto, aut pota niuis glebula, cum poſca: nitrum ex aqua gargarizatur, aut atramentum ſutorium aceto dilutum. Si faucibus hæreant, in aquam calidam ingreſſis, aqua frigida ore contineatur, & ad eam hirudines exilient.

Hirudinum deuoratarũ noxa.

*Hirudines rarò in alijs aquis inueniuntur, quàm in paluſtribus, lacuſtribus & ſtagnantibus: quandoquidem in probatiſsimis fontibus, & arenoſis & ſaxoſis fluuijs non niſi rariſsimè viuunt, cum ſuapte natura cœno ac limo delectentur. Quamobrem caueant, qui paluſtres vel ſtagnantes aquas bibunt, ne hirudines ſimul ingerant, quemadmodum inexpertis viatoribus nonnunquam euenit: namq; æſtatis tempore calore & ſiti defatigati, dum aquam, cuicunq; in itinere obuiauerint, auidè potant, ſæpe imprudenter hirudines hauriunt. Quo fit, vt ſubinde non modo ſibi ſanguinem exugi ſentiant (vt tradidit Dioſcorides) ſed etiam (vt Auicenna inquit) cruenta expuant, ac præ timore melancholici fiant.*

Hirudinum curatio.

*Verùm anteaquam aliquod offeratur medicamentum, inueſtigandum eſt, an animal ori ventriculi, an gulæ adhæſerit, an ipſis faucibus. Id quod facilè intelligi poteſt ex eorum, qui hirudines hauſerint, relatione: quoniam vbi ſuctionem ſentiunt, nimirum ibi hirudinem fixam eſſe ſignificatur. Quòd ſi ori ventriculi affixa fuerit, auxilium præſtat muria leniter epota, fœtida item laſerpitij lachryma, quin & lixiuium cum ſale & aceto, aut raphani domeſtici ſuccus cum aceto, aut oleum crudum hauſtum, quod per ſe tantum hæc interficit animalia: conferunt inſuper ea omnia, quæ alui tineas, & lumbricos necant. Si verò guttur medium ab hirudine obſideatur, proderit acre lixiuiũ gargarizare, aut aquam, in qua alumen cum aceto inferbuerint, vel chalcanthum, aut muriam cum lixiuio, aceto & ſinapi ſimul commiſtis. Sed ſi ea faucium ambitui hæreat, opem mirificam feret (vt Dioſcorides docet) calidæ balneum, aqua frigida in ore contenta. Siquidem hirudo ab aquæ calore propulſata, ad frigidam in ore contentam decurrens, facilè vnà cum ipſa aqua expuetur. Interdum contingit, quòd ſtatim ſub linguæ radicibus, vel in primis faucium partibus adhæreſcit, ita vt depreſſa lingua videri poſsit: tunc roſtratis forcipibus facilè extrahi poterit, vel quouis alio inſtrumento, quod cuiq; in promptu fuerit.*

Ἑλλέβορος λευκὸς, θαψία, ἐλατήριον, ἀγαρικὸν μέλαν.

## VERATRVM ALBVM, THAPSIA, ELATERIVM, AGARICVM NIGRVM. CAP. XXXIII.

PRouidendum etiam ijs, quæ etſi ferendi auxilij gratia tradantur, non minora tamen cæteris venenis pericula ſæpius adferunt. Qualia ſunt album veratrum, thapſia, elaterium, agaricũ nigrum: ſiquidem ea ſtrangulatus concitant, aut immodicas deiectiones mouent. Quibus ea medentur, quæ in fungorum mentione & ſimilibus retulimus. Nimios autem deiectionum impetus, medicamentis, quæ excrementa ſupprimunt, coercebimus. Neq; negligenda quæ parum quidem nocere videntur, interim veró vitam in diſcrimina agunt. Quo in numero ſunt ſylueſtris ruta, gith, nouæ glacies, pappi recentes: flores autem ſunt eius ſpinæ quæ cactos dicitur. Eos qui ſumpſerint, ſola vomitio recreat.

Diuiſio capitis caſtigata.

*Extant quàm plurimi Dioſcoridis codices, in quibus caput hoc de Veratro albo, Thapſia, Elaterio & Agarico nigro, à præcedenti capite ſeiunctum non legitur. Verùm cum antiquiſsimus manuſcriptus codex, hæc proprio & peculiari capiti dicauerit, videaturq; abſurdum de his diſſeruiſſe Dioſcoridem vnà cum hirudinibus, cum quibus nullam habent cognationem, neq; ijſdem curantur remedijs, non temerè facturos duximus, ſi illa à nobis ſeorſum proprio capite ab hirudinibus diſtincto, tractarentur. Sciendum itaq; eſt, quòd cum hactenus ſcripſiſſet Dioſcorides omnium venenorum indicia, quæ pota, vel deuorata, homines necant, vel ſaltem ægros efficiunt: quin & vniuerſalia & particularia antidota tradidiſſet, quibus illorum vis frangi ac deſtrui poſsit: cum præterea ſciret aliqua in medicum vſum haberi medicamenta aluum ducentia, quæ ſimpliciter pota, & nullis antidotis infrænata, vel maiori menſura, vel pondere, quàm par ſit ſumpta, non minus homines interimunt, quã quæ propriè venena vocantur, Medicos illud hoc loco admonere voluit, q̃ in propinãdis hiſce medicamentis minimè cæcutiant, ſed in hoc omne ſuum ſtudium, omnemq; diligentiam impendant. Verùm quamuis, inter ea omnia, quæ in medicum vſum veniunt, paucorum tantùm meminerit, nempe thapſiæ, albi veratri, elaterij & agarici, non tamen ob id fuerit inſimulandus, quòd neſciuerit præter hæc, alia plura eſſe medicamenta, quæ noxam inferre poſſunt, aut maiorem quàm illa, aut æqualem. Quippe quòd illi ſatis viſum ſit, ſi tantum horum exemplo imperitos Medicos, diſcrimen noxamq; docuiſſet, quæ omnia in vniuerſum medicamenta aluum cum labore ducentia plerunq; ſumentibus adferunt, cum (vt modò diximus) vel largius quàm deceat, vel ſuis antidotis exuta ſumuntur. Sed vt harum rerum ſtudioſis in omnibus, quantum poſſumus, ſatisfaciamus, præter ea quæ à Dioſcoride tradita ſunt, nos alia quoq; plura addere decreuimus, quibus quotidie paſsim vtuntur Medici. Cuiuſmodi ſunt cyclaminus, veratrum nigrum, euphorbium, turpetum, tithymali omne genus, ſcammonium, colocynthis, bryonia, lathyris, ricinus, thymelæa & chamelæa. Quandoquidem cum hæc omnia Medicis in frequentiſsimo ſint vſu, ad corporis excrementa exigenda, & ad vomitum quandoq; ciendum, in quàm plurimis hominum affectibus, mihi ſanè negligentiæ adſcribi poſſet, ſi hæc prorſus ſilentio inuoluiſſem, præſertim cum ſæpius eueniat quorundam circumforaneorum imperitia, ac temeritate (pharmacopolas nunc prætereo, quòd eorum errata ſæpe ac ſæpius improbauerim) vt vulgaribus ac ruſticis, necnon & quandoque nobilibus, innumera propinentur pharmaca aluum ducentia, quæ plerunq; ſumentes in magnum diſcrimen ducunt, quoniã nec medicamenta ponderant, nec infrænata exhibent, nec ad ægrotantium temperaturam, ætatem, ſexum conſuetudinemq; reſpiciunt. Quo fit, vt ægrotantes, qui in eorum manus incidunt, præcipuè ij qui natura ſunt imbecilles, magnis nonnunquam afficiantur incommodis, quibus niſi periti proprijs ſuccurrerent remedijs, facilè interirent.*

Albi veratri, aliorumque noxa & auxilia.

*Albi itaq; Veratri potionem, aut Thapſiæ, aut Elaterij aut Agarici nigri, aut Cyclamini ſequuntur vomitus, ingentia alui profluuia, inteſtinorum tormina, ſtrangulationes & reſpirationis anguſtia: quibus dehinc tanta ſuccedit principum facultatum imbecillitas, vt paruo temporis momento ægri animi deliquio corripiantur, grauiter ſpirent, & frigido ſudore madeſcant. Poſtremò, niſi citius ſuccurratur, oborto ſingultu, illico vel ſuffocati, vel conuulſi intereunt. His primùm auxiliantur vomitiones (vt multoties diximus) crebrò concitatæ, & infuſa clyſmata, quorum ſæpiſsimè ſuperius meminimus. Poſt hæc remedio ſunt antidota, quæ in vniuerſum omnibus aduerſantur venenis, præſertimq; Theriaca, cui (vt Galenus pluribus in locis teſtatur) vis peculiaris ineſt, modò adulterio vacet, vt ſumpta poſt medicamenta deiectoria, adeò eorum ſuperet vires, vt nihil per aluum exigant. Cæterùm priuatim Albo veratro confert aqua mulſa largius ſumpta, & nymphææ flores duarum drachmarum pondere poti vel deuorati, traduntq; hæc propria albi veratri eſſe antidota.*

Cyclamini auxilia.

*Cyclamino deinde conducunt lauri baccæ, duarum drachmarum pondere, ſed propria facultate nigrum piper in puluerem contritum, & eodem pondere potum.*

Elaterii auxilia.

*Elaterio præterea opem fert Andromachi theriaca ex baccarum lauri decocto, aut melle pota ſenum ſcrupulorum pondere: verùm proprium eius remedium eſt menthæ ſuccus. Thapſiæ denique & nigri agarici noxa-*

xa tollitur ijs medicamentis, quibus albo veratro ſubuenimus, cum eadem ſint huius, quæ illorum incõmoda. Fiunt quoq; à NIGRO veratro (vt ſcribit Auicenna) interdum horrenda ſymptomata, nempe intolerabiles alui fluxiones, ſuffocationes, conuulſiones, animi deliquia, palpitatio cordis, linguæ areſactio, dentium conſtrictio, frequentiſsimi ructus, & vniuerſi corporis inflammatio: & niſi illico ſuccurratur, tremor conſequitur, vniuerſum occupans corpus, cum quo poſtremò commoriuntur ægri. His auxilium præſtat abſinthium ex vino potum: quin & cumini & aniſi ſemen, nardus, caſtoreumq; æquis ponderibus in puluerem contrita & ex vino pota appoſitis, vbi intumuerit venter, linteolis igne calefactis, itemq; ſacculis flatus diſcutientibus. Cibandi autem ſunt ægri recenti caſeo, melle, butyro tam crudo quam cocto, pinguium carnium iuribus, ac etiam paſſo. Sed non propterea parcendum fuerit antidotis in vniuerſum iuuantibus, nec etiam nymphææ floribus, vtpote qui non modò albi veratri vires demoliantur, ſed etiam nigri.

Nigri veratri noxa & cura.

Porrò EVPHORBIVM fauces, & guttur vehementi admodum incendio vexat. Corpus vniuerſum inflammat, ventriculum & inteſtina magno dolore erodit, ſingultum excitat, & continuas alui fluxiones. Quæ itidem omnia mala inducunt TVRPETVM, Scammonium, Colocynthis, Bryonia, Tithymali omnes, Lathyris & Ricinus. Quanquam non tam acriter nocent, veluti euphorbium. A THYMELÆA autẽ, & Chamelæa pituitoſæ ſpumanteſq; excitantur vomitiones, alui profluuia, intollerabiles inteſtinorum, & ventriculi eroſiones, anguſtiæ, inflammationes, & vniuerſi corporũ cruciatus: quin & ſitis implacabilis, ſingultus, conuulſio, præpedita locutio, & alia ſæua accidentia, quæ quandoq; ea excedunt, quæ ab epoto euphorbio proueniunt.

Euphorbii, Turpeti & Thymelææ venenata potio.

His omnibus in vniuerſum primùm opitulantur vomitiones & clyſmata, ſeruata vniuerſali methodo, ac etiam communis vſus antidota. Priuatim verò proſunt oleoſa ac pinguia: item quæ valenter ſunt frigida, vt hæc ingentem feruorem extinguant, illa verò vt exuperantem acrimoniam obtundant. Proinde prætulit Auicenna acidum lac, caphuram ex roſacea aqua potam, punicorum auſterorum vinum, anguriæ, cucumeris, cucurbitæ, & acidorum malorum ſuccum: item hordei ptiſanam niue, vel glacie refrigeratam. Sed proprium (vt aiunt) euphorbij antidotum eſt citri ſemen ex vino, in quo helenij radix inferbuerit potum. Scammonij verò lac, à quo demptum fuerit butyrum, malorum cotoneorum, rhois ribiſq; ſuccus. Colocynthidis deinde antidotum fuerit ſanè bubulum lac, & butyrum recens, Lemnia ſphragis & ſmaragdi puluis, pluries pota. Turpeti præterea & Tithymalorum omnium, Andromachi theriaca ex vino pota, in quo Cretenſe dictamnum incoctum fuerit: item mumia ſepulchrorum in puluerem ex vino meraco pota drachmæ pondere. Bryoniæ porrò, theriaca ex vino hauſta, in quo helenium conferbuerit, itemq; nigrum piper contritum. Lathyris ad hæc, & Ricini proprium antidotum eſt hyperici ſuccus, aut herba ipſa in puluerem pota. Thymelææ denìq; & chamelææ roſaceum ſerapium, ex hordei ptiſana potum, & ſubinde origanum Cretenſe igni toſtum. Sed hæc omnia præſtant tantùm ad ſupradictorum medicamentorum vim deleteriam ſuperandam.

Euphorbii & aliorum omniũ curatio

Cæterùm cum plerunq; eueniat, vt hæc, quæ modum excedunt medicamenta, varia ac diuerſa adferant incommoda, quæ etiam ob ſui repentinam vehementiam præſentanea expoſcunt remedia, nempe continentes vomitus, perpetua alui profluuia tam cæterorum humorum, quàm puri ſanguinis, cum vaſorum oſcula veneni vi reſerantur, conuulſiones, præfocationes, animi deliquium, & virium omnium imbecillitatem, idcirco non modò attendendum fuerit, vt medicamenti vis antidotis ſuperetur, ſed etiam vt ipſis grauibus ſymptomatis omni diligentia ſuccurratur. Quandoquidem hæc ſæpius tanti ſunt ponderis, vt maiorem celerioremq; expetant coniurationem, quàm cætera.

Remedia ad varia ſymptomata.

Inhibentur itaq; vomitus modum excedentes (ſi tamen medicamentum cum humoribus reiectum ſit) adſtringentibus medicamentis, quæ ventriculum roborant, exterius præſertim illitis, quin & vinculis ac fibulis, extremis membris obtortis. Faciunt ad hoc in corpus ſumpta flaua myrobalana, tam ſicca, quàm ſaccharo aſſeruata: item nuces cum putaminibus ſaccharo ſimiliter condita, diacytonites, ſaccharum roſaceum diutius inueteratum, addita Lemnia ſphragide: præterea cydoniorum & punicorum malorum vinum, ſylueſtrium prunorum ſuccus, myrti bacca, rhus, roſa ſicca, ſylueſtrium roſarum ſemen, cornu ceruinum combuſtum, ſantala, corallia, omphacium, acetum, & id genus alia. Sed eorum quæ exterius illita proſunt, hæc ſeſe offerunt, Indica videlicet & Celtica nardus, mentha, glandes, lentiſcina reſina, thus, flaua myrobalana, myrti folia, rhus, melinum, nardinum, lentiſcinum & myrtinum oleum. Nec tantùm pollent hæc ad vomitiones compeſcendas, ſed etiam pari facultate valent ad ſiſtendas alui fluxiones, quæ modum excedant: verùm ijs vniuerſa aluus eſt illinenda, ab ipſo ventriculi ore ad pubem vſq;. Præſtat brachia ab ſcapulis ad manus, & crura à coxendicis articulo ad pedes vſq; faſcijs conſtringere, offuſis ſubinde auſteris plantarum ſuccis. Confert item ſudoris excitatio, aut detentis ægris in calido cubili, aut laconicis arte calefactis, in quibus ægros caput emittere oportet, aut brachijs & cruribus, in calidæ balneo demerſis. Ab his dare conuenit, quæ adſtringunt & roborant. Principes in vniuerſum facultates roborant odorata medicamenta, cuiuſmodi ſunt roſæ ſiccæ, caphura, garyophylla, agallochum, ſtyrax, laſerpitij lacryma, iuniperi bacca, ſantala omnia, & id genus plura. Prætulit in huiuſcemodi alui fluxionibus Auicenna naſturtij ſemen toſtum, trium drachmarum pondere, ac ſubinde in lacte decoctum, quouſque lac concreuerit, & poſtremò potum. Si verò hæc non profuerint, ſoporiferis vti licebit, nimirum Philonis medicamento, athanaſia, requie, & alijs quibuſcunque quæ opium aut meconium exceperint. Nam etſi hæc quoq; noxa haud vacent, tantum tamen adferunt iuuamenti (ſi tamen recta ratione exhibeantur) vt ijs tutò in tam magno diſcrimine Medici vti poßint. In ſumma ſi optimam haberemus Theriacam, quæ ex adulterinis & ſuppoſititijs non eſſet confecta medicamentis, omnibus præponeretur antidotis in ſuperanda vi medicamentorum aluum ducentium. Siquidem teſtatur Galenus (vt paulò ſuperius diximus) pluribus in locis, ſuis in libris de Theriaca ad Piſonem & Pamphilianum, illud optimæ Theriacæ indicium eſſe, vt à præſumpto deiectorio pharmaco pota humorum deiectionem impediat, citra vllam ægrotantium noxam. Id quod nobis experientia compertum eſt præſtari ab antidoto noſtro, cuius deſcriptionem tradidimus in præfationis huius libri commentario.

Theriacæ optimæ indicium.

Prodeſt non parum præter hæc vomitionibus, & fluxionibus prædictis etiam victus regimen ex adſtringentibus & auſteris inſtitutum, quæ deinde niue vel glacie refrigerari conuenit, aut in altum aquæ puteum fune ſuſpendi. Adiuuantur conuulſiones, quæ ab ingentibus laborioſiſq; alui profluuijs eueniunt, ijs duntaxat cibis, quibus ad refocillanda exinanita corpora vireſq; roborandas vtuntur Medici. Quo in negocio præfertur humanum lac ab ipſis exuctum vberibus: quin & dulcium amygdalarum cremor, & earum pariter oleum, ciborum condimentis admiſtum. Proſunt & nuclei pinei, piſtacia, Indicæ nuces, & melopeponum ſemen, omnia in mortario contuſa, & caporum iure colliquata, addito candidiori ſaccharo. Opem ſimiliter fert caporum, & phaſianorum exenteratorum carnium eliquatus ſuccus, carnibus ipſis tenuiter inciſis, vitreo vaſe concluſis, & in aquæ balneum eodem in vaſe decoctis, quouſque vniuerſus ab his exudauerit ſuccus: is namque frequenter potus cochlearis menſura (vt libello de viribus cordis prodidit Auicenna) magis ſuccurrit imbecillitati cordis, quàm alius quiuis cibus. Conducunt præterea recentium ouorum vitelli carnium iuribus admiſti, & ſaccharo reſperſi: inſuper caporum, phaſianorum, perdicum & attagenarum pulpa in mortario contuſa & iure & ſaccharo temperata. Præfocationibus porrò ſubuenimus iſdem tum auxilijs, tum medicamentis, quorum ſuperius mentionem

Remedia ad cõuulſiones ex alui profluuiis.

fecimus

*fecimus cum de mortiferis fungis diſſereremus. Cæterùm meminit hoc capite Dioſcorides præter prædicta, melanthij, ſylueſtris rutæ, & earum plantarum lanuginis, quæ in aculeatarum genere quibuſdam cacti vocantur. Quorum omnium hiſtorias & facultates ſuperius proprijs locis tradidimus, quæ tamen non ſemper nocent. At ſi noceant, curantur excitatis vomitionibus, ebibito prius maluæ decocto, aut lacte, aut recenti crudo butyro. Poſt quæ proficiunt pinguia iura, & cætera, quæ aluum emolliunt. Dent igitur operam, diligenterq́; animaduertant ſeplaſiarij probi ac fideles, ne in ponderandis hiſce medicamentis, aut manu aut oculis imprudenter decipiantur. Quinetiam eos admonitos velim, vt imperitos ác temerarios circumforaneos à pharmacopolijs ſuis excludant, reprehendant, & miſſos faciant: ac ſi opus fuerit, protomedicis & rectoribus ciuitatum eos denuncient, ne miſelli ægrotantes, ſub publica omnium fide ab hoc improbo ac peſſimo hominum genere perdantur, atq; in perniciem agantur.*

## Οἰκεῖα ἡμῖν. DOMESTICA NOBIS. CAP. XXXIIII.

AQua frigida abunde pota, aut meracum vinum liberalius epotum, aut paſſum, preſertim á balneo aut curſu, aut vehementi exercitatione, ſtrangulatus, & dolores infert. In quibus ſanguinis miſſio protinus & vacuatio, imminentia ſoluunt pericula. Sed de notis veneficiorum, ac remedijs, & cauendi modo, hactenus dicta ſint. Subiungeremus etiam antidota neceſſaria, quæ præclarè auxiliantur, quibus vtimur, quale Mithridatium eſt præſertim, & quod ſanguine, & quod ſcinco temperatur. Verùm quoniam alijs in locis diligentiſſimè ſcripta ſunt, hic ab eorum deſcriptione ſuperſedemus.

Rerum domeſticarum noxa.

*NOn modò aqua frigida, & vinum meracum, aut paſſum, inter ea, quæ nobis domeſtica ſunt, & quotidiano vſu alimentum præbent in humanæ vitæ ſubſidium, eo modo pota, quo Dioſcorides ſcribit, maxima adferunt diſcrimina, ſed etiam carnes & piſces. Etenim hæc vtraq; cocta, & adhuc feruentia humidis locis diutius aſſeruata, ſubindeq́; frigida deuorata, eoſdem malos pariunt effectus, quos à maleficis fungis creari tradidimus: tametſi quandoque non niſi duobus, aut tribus poſt diebus appareat noxa.*

Carnium noxa.

*Toſtæ præterea carnes, venenatorum ſubeunt naturam, ſi calidæ inter duas ſuffocentur patinas, obuoluanturq́; linteis, ne exhalare poſſint. Eadem etiamnum mala inferunt morticinæ carnes eſitatæ, quemadmodum & eæ, quarum animalia aut à venenatis ſerpentibus, aut à rabidis brutis demorſa, aut fulmine icta interiere. Quandoquidem ſæpius harum eſu coli oritur inflammatio, mœror, alui profluuium, furor, obliuio, veternus morbus, & ad poſtremum mors inſequitur. Quamobrem hæc ſanè negligenda non ſunt, quin potius ſumma cura vitanda: quippe aliquos noui, qui his deuoratis nullo medicamento adiuti, intumeſcente inde toto corpore, tandem vitam miſerè finiuerunt.*

Oua barbi piſcis.

*Nec minus euitare oportet oua barbi piſcis, nam adeò venenata ſunt, vt ſi largius ſumantur, eos qui hauſerint, in magnum periculum adducant.*

Piſcium & carnium noxæ remedia.

*Piſcium curatio eadem eſt, quæ fungorum: quanquam non exiſtimat Conciliator, vt piſcibus ſicut mortiferis fungis conueniant ſylueſtria pyra. Carnium verò ſuffocatarum malis ſuccurritur excitatis prius vomitionibus, & infuſis clyſteribus: mox vini optimi & odorati potu, admiſto cydoniorum malorum ſucco. Præſtat à vomitu Lemniam ſphragidem bibere, vnà cum agallocho, & maſtiche: quamuis eadem ſit harum cura, quæ coli affectibus adhibetur.*

# De venenatis animalibus.

## Ἰοβόλα. VENENATA. CAP. XXXV.

DE BESTIIS, quæ virus eiaculantur, & exitialibus venenis, ideo ſcribere aggredimur, vt tota curationis remediorumq; ratio ad vmbilicum perducatur. Siquidem pars hæc non minus quám cæteræ aliæ, neceſſaria eſt ijs, qui artem medicam exercent, vtpote cum adminiculo eorum, quæ inibi traduntur, doloribus, periculis & cruciatibus, plurimiſq; alijs malis homines liberari conueniat. Hæc autem in ſumma faſtigia duo, ſicuti ab initio relatum eſt, diſtribuitur. Nam qui de feris, virus inſpuentibus ſermo diſſerit, theriacus dici ſolet: qui veró de amoliendis veneficijs, alexipharmacus: quo prius tradito, ſimul quæ ſequi ſigna conſueuerunt, præmonſtrabimus: tum quæ nonnihil auxilij ferunt. Omnia autem in promptu, & ad manum habere artificem oportet, propter vrgentem ſæpenumero neceſſitatem. Siquidem pauca è venenis & virulentis animantibus, tarda & graſſantia ſenſim pericula cient, ita vt dilationem admittant: pleraq; veró præſentaneam perniciem afferunt. Hominum autem partim malè alijs cogitantes, ingenita prauitate maleficium ita temperant, vt ſpatium curanti liberum non relinquant: partim ſceleris admiſſi conſcientia, aut triſti aliquo euentu oppreſſi, hauſto ſponte veneno, mortem ſibi conſciſcere conantur: qui poſtea deprehenſi aut reſipientes, & vitæ cupidi, præſentaneam opem poſcunt. Non deſunt qui hoſtiles ſagittas illinentes, aut fontes aquaſq; puteanas hac labe polluentes, certam & ineuitabilem aduerſarijs perniciem moliuntur. In quibus ipſis etſi maleficium non ſubitó, ſed aliquantò poſt graſſari natura ſua comparatum eſt, tamen niſi primo quoq; tempore coerceatur, & remedijs ſubinde excipiatur, fruſtrà tandem ſuccurritur, occupatis iam corporibus exitiali vi veneni. Proinde non vulgari induſtria diligentiaq; in ea reuertendum eſt, vt quod in alijs incommodis ars conſueuit, in his quoq; ſalutem mortalibus præbeat. Quin & apud priſcos genus hoc vnum exiſtimabatur eſſe eius partis, quæ medicamētis pugnat: ſed recentiores id ipſum diſcreuerunt, nominantes præcautionem, & modum præcauentem, ſalubris ſanantiſq; medium ſtatuentes, parua & leui ſupra modum perſuaſione decepti. Siquidem tres in humanis corporibus conſtitutiones eſſe contendunt: vnam, quam ſani degimus: alteram, qua ſiniſtra valetudine corpora laborant: tertiam, quæ medium inter vtraſque locum ſibi vendicat. In qua poſiti, ſanitatem ſpecie mentiuntur, facileq; in morbos & pericula concidunt, ob vim corruptricem, quæ corporibus noſtris incumbit: quemadmodum in ijs videre licet, quos excandeſcens rabie canis momorderit, necdum tamen aquam horrent:

horrent: in ijs quoq; qui cantharidas hauſerunt, ſed nondum vrinæ tormento cruciantur. Tripartitò igi-
tur artem digeri, tripliciq; corporis conſtitutioni meritò reſpondere tradunt. Salubrem partem eſſe vo-
lunt, quæ ſanitatem tuetur: præcauentem, eandemq; prohibentem, quæ obſtat, quò minus in morbos
incidant: & ſanantem, qua vitia diſcutiuntur. Quibus ita reſponderi poteſt, quòd primùm ex iſta ratioci-
natione non tres corporis tantùm, ſed quatuor haberi conſtitutiones fatendum eſſet: quippe vt aliqui
ſint, qui necdum morbo laborant, morbo tamen maximè ob impendentē cauſam ſunt obnoxij: ita ſunt
quidam priore morbo defuncti, nondum tamen ſecundæ valetudini reſtituti ſunt: id quod in ijs qui à
morbo proximè ſeſe recolligunt, cernere licet, qui virium recreationem & robur deſiderant. Sed quem-
admodum curandi ratio ad partem medicamentariam pertinet, ita præcautionem eidem ſubijci par eſt.
Ad arcendas enim valetudines vehementibus vtimur auxilijs, altiore ſcarificatu, vſtionibus, amputatione
derodentibus epithematis, potionibus perniciei occurrentibus, & pleriſq; alijs. Verùm enimuerò ſunt
vſq; eò rudes nonnulli, vt ne remedia quidem appellent, quæ morbos arceant. Cuius ſententiæ inire ra-
tionem haud promptum eſt: etenim cum verbum ipſum, præcauere, tum agendi modus, omnino auxi-
liarem remediariamq; vim præ ſe ferunt. Mirum verò niſi etiam ſua illa diſtributione partium eos com-
plectuntur, qui in peſtilentis cœli ſtatu morbo nondum correpti ſunt, peſti tamen, propter obuerſan-
tem aëris occaſionem, opportuni, & in morbum proni redduntur. Dicere forſitan quis poſſet, ſalubris in-
ſtitutionis præcepta non aliud eſſe, quàm arcendorum morborum rationem: quippe cum firma reddere
corpora, & minus vitijs obnoxia nitamur, vt inoffenſa valetudine degant, nec morbis conflictentur. Ne-
que id ſilentio prætereundum, quòd maximè præcipuum, & tanquam caput rei eſt, non oportere medi-
cinæ partium diſtributionem, totidem corporis conſtitutionibus reſpondere, ſed naturas ſingulorum
ſuis notis ſeorſum ſcrutari ac explorare, vt ſuis locis oſtendimus. Cum ijs igitur non pluribus agendum.
Illud magis adnotare conuenit, affectus, qui à virulentis animalibus veneniſq; contrahuntur, vocari cæ-
cos, id eſt, quorum ratio minimè iniri poteſt. Quin & ea, quæ eiſdem auxiliantur, nulli pariter ſunt addi-
cta cauſæ: quapropter quæſtionibus obſeruatoriæ artis, & eius quæ ratione fulciatur, annumerari ſolent.
Neq; prorſus verum deprehenditur, affectus huiuſmodi cæcos eſſe: nam quod ſemper ſe protrahit, &
nullum in quibuſdam neceſſarijs vſum exhibet, haud facili coniectura colligi poteſt: etſi naturæ propri-
etate prorſus cæcos eos affectus concedimus, qui ab exitialibus venenis & animantibus, quæ virulento
morſu ſæuiunt, contrahuntur. Nam quod ad opus nonnullum vſum præbet, datq; medendi occaſio-
nem, neque imperceptibile, neque cæcum, nullive cauſæ obnoxium reputatur: ſed magis ab ipſo quis
impulſus, demonſtrationem ſe habere, & opinionem de abditorū cognitione confirmare poterit. Nam
etſi ſæpe minora ſunt, quàm vt ſenſibus percipiantur, euidenter tamen ex ipſis inter ſe collatis deprehen-
duntur. Diocles autem in eo commentario, quem Pliſtarcho dicauit, ſatis modos perſtrinxit, ad verbum
ita ſcribens. Noſſe quis hoc poteſt cum in alijs non paucis, tum in viperis & ſcorpionibus, & reliquis id
genus, ſecum animo reputans, vt quamuis exiguo ſint corpore, vixq; conſpectui ſubijciantur, magnorum
tamen diſcriminum ac dolorum cauſas inferunt: quorum nihil præter quandam corporis exiguitatem,
vimq; præ cæteris animantibus datam illis, facile fuerit ſpectare. Quanta enim moles corporis eſt, quæ
à ſcorpij ictu, & aliorum id genus venenatorum, quæ nos morſu conficiunt attingitur? quorum aliqua
vehementes cruciatus excitant, alia erodunt, & putredines cient, nec deſunt quæ præſentaneam per-
niciem moliantur. Aut quantulum eſt quod à phalangij morſu ingeritur, & vniuerſum corpus excru-
ciatur? neque enim quis magnitudinem ipſorum deprehendere poſſet, cum prorſus exigua mole con-
ſtent. Ergo quòd hæc ad affectus referantur, conſtitit inter omnes. Verùm quòd exactè deprehen-
ſum ſit, vim quandam ipſis ineſſe mortiferam, quæ inſinuata corporibus, moleſtiarum, quæ exoriun-
tur, nobis cauſa ſit, in confeſſo eſt, & omnium conſenſu perſuaſum. Nec quiſquam inuenietur vſquea-
deò contentionis ſtudio flagrans, qui aliunde exoriri moleſtias aſſeueret, quam à materia mortifera par-
tem corporis attingente. Porrò id erat, quod inter vtilia artis opera in omni opere dicere oportuit, quæ-
nam res opus hoc efficiat, vt nihil prorſus nos lædat, incomprehenſa communis cauſæ quæ proprijs in-
eſt ratio: quandoquidem tum euidenter indicari poſſit, cum deprehenſa eſt. Ideo Eraſiſtratus empiri-
corum pertinaciam graui cauillatione inceſſens, cæcis affectibus cauſas aſſignauit, inficiatus his com-
munem, & ſupremam morborum cauſam incomprehenſibilem eſſe: & hanc in eo, quem de cauſis ſcri-
pſit, commentario aptiſſimè prodidit, candido ſignatam lapillo. Nec ferendos eos eſſe cenſuit, qui ſe di-
cant in quibuſdam, vt in venenis, ſerpentium ictibus, & cæteris id genus trita medendi ratione contentos
eſſe: neq; ſatis facturam ſibi obſeruationem eam, quæ à cauſarum comprehenſione ſeparata eſt: primùm
enim genere comprehendi facilè poſſunt. Quod autem ſit lethifera vis, corporaq; permutans, ita vt peri-
mat, ex ijs quæ per genus, non per ſpeciem vagantur, curationē indicat, qua hæc hebetare, & prorſus ex-
pugnare liceat. Cum verò ſubiungit. Ad aquam dulcem, & potui idoneam venit quis, & ante obſeruatio-
nem ad vomitum, ad vulneris dilatationem, ad demorſæ partis ſuctum, cucurbitulas adfixit, partem inci-
dit, vrentia medicamenta, aut ea quæ vim eandem adipiſcuntur, admouit, poſtremó partē amputauit: ſe-
cum reputauit medicamina, quæ per ſummam cutim ferre, & applicari ſolita, immiſſæ ad intima perni-
ciei repugnarent. Hæc itaq;, quæ diſſeruit Eraſiſtratus, veritati conſentanea ſunt, nec arti refragantur.
Sed methodicos demirari licet, qui mortiferam vim corporibus illapſam, negociorum, quæ ipſa faceſſit,
eſſe cauſam diffiteantur: verum rudiuſculè nomini attendunt. Nam apud ipſos palàm immiſſa vis φθορο-
ποιὸς, id eſt mortifera, nominatur: φθοροποιὸν autem nullius officij alius eſſe poteſt, quàm cauſæ. Aiunt hæc
nomina, μάρσιπποι, & ἀνακαλύπτειν, eſſe reliquis omnibus ſimilia, in quibus partes quædam dictionum
non pro virtute, ſed nuda enunciatione comprehenduntur. Enimuero quemadmodum in his vocibus
μάρσιπποι, & ἀνακαλύπτειν, partes neq; certos, neq; principes retinent ſignificatus: ſic in hoc verbo φθορο-
ποιεῖν, partes productionis gratia, non pro virtute coaluerunt. Hinc ad cauſarum differentias tranſeunt,
affirmantq; cauſarum aliquas euidentes eſſe, quæ dum aduerſam valetudinem crearunt, ſeparantur: cu-
iuſmodi ſunt frigus, labor, æſtus, & ſimilia, quaſdam continentes, quæ permanent, poſtquàm morbum
excitarunt, hoc eſt, quib. præſentibus, & effectus eorum adſunt: increſcentibus, affectus augentur: decre-
ſcenti-

ſcentibus, minuuntur: & cum deſinunt, ijdem finiuntur: quibus ſolis ac per ſe manentibus, effectus quoque ipſi manent. Talia quidem receptiſſima ſunt cauſarum diſcrimina, quorum nulli phthoropœon ſubijci poteſt. Euidens enim cauſa non eſt, quoniã morbus ipſe permanet, nec ipſa à corpore ſeparatur. Nec continens cauſa dici poteſt, cum magna ex parte hic adſit: quemadmodum accidit ijs, qui à rabioſo cane ſunt demorſi. Quòd ſi neq; euidens cauſa, neq; continens fuerit, neq; per ſe, neq; alterius conſortio cauſa erit. Quód ſi á nulla cauſarũ differentia phthoropœon deducere poſſumus, conſequitur, vt neq; cauſam eſſe feramur. Quòd autem aſſerunt, vocabula quædam in ſe non habere partes rerum ſignificatrices, ſed nuda & ſimplici pronunciatione ficta eſſe, fateri neceſſe eſt. Verùm non omnia, ſed perpauca talem nanciſci conditionem exiſtimandum eſt: neq; enim ποιεῖν in hoc nomine φθοροποιὸν, perinde atq; aſſumptitia profertur, ſed longè principem obtinet ſignificationem. Quemadmodum enim φθορᾶς, id eſt corruptionis nomen, mutationem in peius ſignificat: ſic hoc verbum ποιεῖν ſumi debet, vt nihil amplius ex eo quòd hanc dictionem φθορά ſecum habeat, declaret: neq; prorſus id ſignificat, quod omnes palàm audiunt, & huic ſimile redditur, παχὺ δὲ ἔχειν δίψος. Si dant à corruptione ſanis fieri morbum, concedunt vtiq; vim in huiuſcemodi verbo ποιεῖν ſubeſſe: ſiquidem aliquid eſt, quod corruptionem efficiat. Omne autem quod aliquid efficit, oſtenditur per ſingulas cauſas, quę corporibus ſubijciuntur, idq; tam in lethalibus venenis quàm in ijs quæ corporib. ingeruntur. Verùm nonnihil ſubiacere cauſarum differentijs produnt. Quinetiam aberrarunt, non exactam diuiſionem aſſumentes. Qui verò ſe dogmaticos profitentur, cauſam eſſe partim præparantem, partim continentem aſſerunt, vt inguinum vlcus, & inguinariam febrim, & quæ effectui tum aſſiſtat, tum etiam ſeparetur, vt á fractis præcipitatio. In ſumma quoties quidpiam ſuapte natura cauſa fuerit, nec vlla diuiſione comprehenditur, vitioſum eſt, neq; cauſæ adſcribitur, eorum quæ idem genus ſortiuntur. Sed quod phthoropœon cauſa ſit, nomen ipſum argumento eſt, & in ijs quæ contingunt, apertius oſtenditur. Quid aliud cauſæ arbitrantur eſſe poſt impreſſum à ſerpentibus ictum, quàm ex animante vim, & illapſum in corpora virus? Neq; enim frigus, neq; æſtu, neq; ſectionem corporis, neq; cruditatem, neq; aliud quicquam ſimile cauſari poſſunt. Verùm quoniam cauſarum differentijs gaudent, & aliquas continentes, alias euidentes appellant, ipſis dicendum, vtroq; iſtorum modorum euidentem quidem cauſam eſſe, quod affectum præcedit, & quod corporis ſubſtantiam pręoccupat: continentem verò quod morbis præſentibus adeſt, qua ſeparata recedunt, quæ cum ipſa euenerant. Sed de ijs hactenus. Statuendum itaq; mortiferam vim intrinſecus manifeſtiſſimam eſſe cauſam, ipſamq; principem facere ſcopum oportet. Et antequàm ad ima decumbant morbi, varijs modis eſt certandum, donec vis tota corporibus excutiatur. Modò enim reuocari debet ea parte, qua peſtis intrauerit: modò alia qua alia, præſertim principatum non obtinente, antè coerceatur, quàm altius irrepens viſcera tangat: aut eius pernicies eluatur retundaturq;, cum iam membratim peruagatura eſt. Itaq; venena ſi hauſta ſint, crebris vomitionibus: ſi morſu impreſſa, ſcarificatione, affixis cucurbitulis, exuctu, carnis circumſcriptione, nonnunquam amputatione extremæ partis, euocantur. Retinentur verò infuſione, & impoſitu medicamentorum acrium cohibentur: hæc ſimul vtiq; arcere virus & eluere poſſunt. Reſtinguuntur, & euincuntur meraciore potu, aut paſſo nulla aqua diluto, vel contrariorum eſu, quę acrimonia ſint prędita. Poſtremó deiectio alui, euocatus ſudor, & alia quædam in commune, quæ membratim demonſtrabimus, auxiliantur. Verùm enimuero non lethiferam modò materiam, ſed & magnitudinem, & tempus, pro ſcopo conſiderare oportet: etenim ab ijs remedia quàm plurimum diſcrimẽ capeſſunt. A magnitudine quidem, cum nonnulla ex venenis, & viroſis animalibus pericula minantur: alia putredines altas, aut exteriores excitant: alia vehementiſſimos dolores, aut cœcos cient: alia vix medicamentis cedunt, & magis minuſve moleſtias excitant. Oportet autem ea quæ pericula ferunt, peruicacioribus auxilijs expugnari: & minus infeſta, mitioribus. Quippe abſurdum fuerit in grauioribus, ſegnioribus medicamentis homines in diſcrimen adducere: in minoribus verò, vehementium auxiliorum iniuria corpus laceſſere. Finitio à temporibus in promptu eſt: hoc enim ſubito in pericula, & præſentes moleſtias adducit: illud verò ſenſim, & dilatans in diem longam, aut breuiorem producit. Itaq; in acutis quidem confeſtim multa ſimul auxilia repræſentari oportet: reliquis, paulatim. Hæc quadam artis formula breuiter definita ſint. Iam membratim rem proſequamur.

Ratio tractatus de virulentis animalibus.

*CVm hactenus tradiderit Dioſcorides de his priuatim venenis, quæ epota aut in cibis ſumpta, corpora noſtra permatant, corrumpunt, deſtruunt, & deniq; in perniciem agunt, vt hac in re nihil amplius deſiderari poſſet, ſtatuit deinceps de his etiam ſibi eſſe differendum, quæ virulenta animalia ictu, vel morſu relinquunt. Quòd vtiq; probè ſciret, hæc non minora, quàm illa repræſentare diſcrimina, immo etiam maiora: quandoquidem eueniant hæc ex tempore, & præter opinionem, plerunq; in campeſtribus & montibus, vbi nullum auxilium, nullaq; vel rara remedia. Quamobrem de his non minus diligenter diſſeruit, quàm de alijs quæ corporibus ingeruntur, argumento ſatis manifeſto, quòd vniuerſalia horum remedia non vna tantùm præfatione, ſed pluribus ſcriptitauerit. Quod cum animaduerterint recentiorum quidam, haud dubie exiſtimarunt hoc ſextum volumen in quatuor libros eſſe diuidendum, nempe in ſextum, ſeptimum, octauum & nonum. Veruntamen ij mihi non recte (pace ſemper eruditorum dixerim) ea expendiſſe videntur, quæ in huiuſce libri præfationis initio a Dioſcoride ſcribuntur: is enim apertiſſimè hunc ſextum librum totius operis vltimum declarauit. Quapropter ipſe Dioſcoridem ſecutus relictis aliorum opinionibus, aſſerere non dubitauerim, hunc vniuerſum de venenis & venenatis animalibus tractatum, vnum tantùm, non plures eſſe libros: tametſi pro cuiuſq; arbitrio in plures ſectiones diuidi poſſit. Quarum prima ijs dari poterit, quæ ore ſumuntur in corpus: ſecunda canis rabidi morſibus: tertia indicijs ac ſymptomatibus, quæ à venenatis morſibus oriuntur: poſtrema verò eorum curationi. Verùm enimuero cum hæc diutius examinauerim, vt Dioſcoridis doctrina ad maius omnium commodum in vnum congeratur, & ne tot huius libri fiant ſectiones, venenoſorum animalium tum indicia, tum accidentia, quæ proprijs capitibus tradidit Dioſcorides, ijs coniunximus, quibus ipſe egit de eorundem curatione & remedijs, vt vnuſquiſq; iunctim nulla temporis iactura, vno tantum capite indicia, accidentia, & curationem conſequantur. Quod & ipſe fecit Dioſcorides, vbi ſuperius de venenis diſſeruit, quæ in corpus ſumuntur. Ibi enim indicia à curationibus non disiunxit. Nam ſi in vno tractatu indicia, in altero verò curationes quærantur, maius temporis diſpendium fiet, maiorq; menti moleſtia inſeretur, quam ſi hæc omnia in vnum redacta legentibus*

Diuiſio libri ſexti in quatuor libros.

Nouus ordo huius libri.

*gentibus ſeſe offerant. Neque hoc nobis vitio adſcribendum eſſe putamus, quando res eò magis placere ſoleant, quò commodius fieri poſſunt, cum præterea illud (vt aiunt) fruſtra fiat per plura, quod fieri poteſt per pauciora. Neque etiam ob id quis calumniari poterit, quòd Dioſcoridis codicem aliqua ex parte deprauauerim, quod nuſquam à me deprauatum, ſed tantùm in meliorem formam, & ad priorem authoris doctrinam ipſum redactum, & reſtitutum putem. Porro non aliud ſuper hac præfatione nobis dicendum videtur (quæ multis intellectu difficilior extitit, vt Marcellus ipſe fatetur, quòd fortaſſe Dialecticam ignorauerit) niſi quòd aliud ſanè hac præfatio non ſit, quam Dioſcoridis Ariſtotelem ſecuti diſceptatio, aduerſus eos omnes, qui ſuperficietenus in medica facultate, ſuper nuda ac ſimplici vocabulorum interpretatione altercantur, eorumq; præſertim, quæ ex varijs, ac diuerſis vocibus componuntur. Quandoquidem hæc interpretationis vocabulorum diſtractio, potius ad Sophiſtas, & nugatores attinet, quam ad expertos, & probatos Medicos, vt facilè videre eſt in pluribus irreprehenſibilibus vocabulorum exemplis, ex pluribus vocabulis compoſitorum, quæ in libro περὶ ἑρμηνείας ab Ariſtotele aſsignantur. Quippe quoniam nouerat ipſe Dioſcorides, quòd tam methodicorum, quam dogmaticorum quidam in ipſis compoſitis vocabulis declarandis expertorum, exercitatorumq; Medicorum ſententiam, proprijs vocabulis denominatam, haudquaquam ſecuti fuerant. Cæterum & eos non parum reprehendit, qui abſque aliquo Dialecticæ fundamento, diuiſiones in cauſis facere audent: nam cum in diuiſionibus errorem committant, in ijs quoque quæ ſequuntur, errent neceſſe eſt. Proinde qui hæc latius vberiusq; noſcere cupiunt, Ariſtotelem conſulant libro ſecundo phyſicorum: illis ſiquidem inibi ampliſsime ſatisfiet. Potuiſſemus quidem & nos rem hanc pluribus proſequi, ſed cùm noſtrum inſtitutum non ſit, nunc in aliam materiam digredi, hæc ſilentio prætereunda duximus.*

Dioſcorides Ariſtotelem ſecutus.

## Σημεῖα κυνὸς λυσσῶντος καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ δεδηγμένων. SIGNA RABIOSI CANIS, ET DEMORSORVM AB EO. CAP. XXXVI.

DE rabioſi canis morſu ſermonem alijs præpoſuimus, quòd id animal domeſticum ac frequens eſſe conſueuit, & in rabiem ſæpius agitur, ac perit, ab eoq; caueri difficile, inde periculum ineuitabile hominem manet, niſi multis vtatur auxilijs. Canis plerunque flagrantiſsimis æſtibus in rabiem efferatur, interdum quoties frigora inceſſerunt. Rabioſus autem potum & eſcam auerſatur: largam ſpumantemquè pituitam naribus. & ore proijcit: toruè & ſolito triſtius intuetur: in omnes paſsim ſine latratu irruit, & æquè feras hominesque, tam familiares, quàm ignotos mordet: nec protinus infeſtum quicquam infligit, niſi, vt vulnus, dolorem: exinde morbus ille, qui ab aquæ metu hydrophobicus Graia eſt voce appellatus, contrahitur. Euenit autem cum diſtentione neruorum, totiusque corporis rubore, præſertim faciei, cum ſudore, & languore quodam. Aliqui auræ ſplendorem fugiunt: alij ſine vlla doloris intercapedine vexantur. Sunt etiam qui canum more latratus edant, & obuiam factos morſu adoriuntur, ac mordendo ſimili vitio labefactant. Proinde ex ijs qui hoc vitium ſenſerint, neminem ſeruatum vidimus, niſi forſitan ex hiſtoria vnum aut alterum euaſiſſe audiamus: ſiquidem Eudemus ſuperaſſe quendam affirmat. Themiſonem aliqui demorſum in hunc furorem incidiſse, & euaſiſſe fatentur. Alij ipſum cùm amico aquam expaueſcenti morem gereret, & officium exhiberet, quadam naturarum concordia, ſimilem contraxiſſe affectum: ſed poſt multos tandem cruciatus ſeruatum extitiſſe. Moleſtiſsimum itaque genus morbi, à quo multos anteaquàm ipſum experirentur, vindicauimus, & complures ab alijs medicis ſeruatos nouimus.

CANIS RABIOSVS.



*NVllum in vniuerſum animal homini tam domeſticum familiareq; reperitur, nullumq; quod tam multiplici, varioq; genere conſtet, quam canis. Hinc eſt, quòd viri, mulieres, ac pueri ijs magis delectantur, quàm cæteris animalibus, quæ in domibus noſtris aluntur, tanta quidem intercedit canibus cum homine ſocietas. Qui tamen in rabiem acti, quos momorderint, in maximum diſcrimen plerunque deducunt. Cum itaq; canes à continuo hominum conſortio nunquam abſint, qui propterea illorum morſibus magis ſubijciuntur, quam cæterorum, quæ morſu pariter, vel ictu venenum eiaculantur, ideo merito quidem de his prius, quam de reliquis beſtijs venenatis tradidit Dioſcorides. Cæterum quanquam ipſe cauſas non ſcribit, cur magis æſtate Caniculæ ardoribus, itidem hyeme frigoribus vehementiſsimis in rabiem agantur, quàm reliquis anni temporibus, cùm tamen palam ſit, canum rabiem non aliunde prouenire quam ab atrabiliarijs excrementis, facilè cognoſci poteſt, id æſtate euenire peruſto à caloribus eorum ſanguine, hyeme verò frigoribus concreto. Rabidi canis indicia deſcribit Galenus libro de theriaca ad Piſonem (ſi tamen liber is Galeni legitimus eſt) his verbis. Si audieris canem, qui aliquem momorderit, gracilem corpore & ſiccum,*

Canis rabioſi venefica natura.

Canum rabies vnde.

*oculis rubentibus, cauda demiſſa, ſpuma ex ore fluente, præterea lingua foràs porrecta, & tanquam bile colorata obuium quenquam inſiliiſſe, citraq; rationem cucurriſſe, deinde rurſus ſubitò conſiſtentem cum ira quadam magis furenti non ipſi præuiſos momordiſſe, hæc inquam ſi in eo ſic habere audieris, ſtatim rabioſum canem fuiſſe intelligas: hæc ille. Incedũt præterea (vt quidam aſſerunt) lento gradu, demiſſis auribus, abſciſſa voce, ſtupido capite, & obuios non modò homines nullo delectu, ſed & beſtias demordent. Nec mirum ſi proprium mordeant dominum, alioſq; domeſticos omnes, nullius habito diſcrimine, vel ratione: ſiquidem cùm proprium atræ bilis ſit ſenſus omnes inficere, omnium, & ſui ipſius obliti, domeſticos ipſos cognoſcere nequeunt. Id quod etiam pluribus hominibus accidit, qui melancholici affecti, non modò patrem, matrem vxorem, & proprios filios, ſed etiam ſe ipſos quandoque occiderunt.*

Canes quibus cauſis rabie exagitentur.

*Verùm enimuero non tantùm æſtiuis caloribus, & hyemis frigore canes in rabiem aguntur, ſed etiam morticinarum, putridarum, vermibuſq; ſcatentium carnium eſu: quin & marceſcentis earum ſanguinis. Quòd ſi fuerint hæ carnes eorum animalium, quæ peſtilentia, aut ictu fulminis, aut venenoſorum morſibus interierint, eò facilius maiori q; afficiuntur rabie. Quæ etiam excitari ſolet computreſcentibus aquis frequentius ebibitis, quòd hæc omnia atrabiliarios ſuccos augeant, & putredine corrũpant. Eoq; magis his de cauſis in rabiem aguntur, quantò alter altero ſuapte natura magis atræ bili obnoxius fuerit. Aduertant præterea nobiles mulieres, ne ſuis catellis, quos in deliciis habent, & quibus maximè oblectantur, cibum vel iuſculum edendum præbeant, quibus aromata, præſertim q; piper & gingiber, fuerint admiſta. Quippe cùm hæc caliditatis ſiccitatiſq; modum excedant, eadem ratione, qua ingens æſtatis feruor, canes rabidos efficiunt.*

Baldus à cane morſus interiit.

*Caueant ideo, eas libenter moneo, ne ipſis fortè fortuna id mali accidat, quod Tridenti eueniſſe ſcimus clariſſimo Baldo vtriuſq; legis doctori. Is ſiquidem inter ludendum cum quodam ſuo catello iam rabie affecto, leuiter in inferiori labio demorſus fuit. Sed ipſe huius rei ignarus quarto pòſt menſe rabidus factus, & tandem hydrophobicus miſerabiliter mortem obiit, nullo adiutus medicamento.*

Animalia alia rabie tentantur.

Canis ſolus rabie corripitur Galeno.

*Ad hæc ſciendum eſt, quòd non canes tantùm (quanquam ij magis, quàm cætera animalia in rabiem agantur) rabidi fiunt, ſed etiam alia pleraq; animalia, nempe vulpes, muſtelæ, viuerræ, martes, ſimiæ, & id genus alia. Quapropter neſciuerim, quo argumento dixerit Galenus libro 6. de locis affectis, ſolum canem inter cætera animalia corripi rabie: niſi voluerit dicere (vt equidem reor) canes cæteris animantibus rabiei magis eſſe obnoxios. Refert Ariſtoteles libro 8. de hiſtoria animalium, camelos etiam, & equos in rabiem agi.*

Equi.

*Id quod ego quoque aſſerere poſſum: etenim memini, cùm ruri degerem, me vidiſſe equum rabie furentem, qui fracto capiſtro obuiam quandam vetulam per capitis & crinium vittam morſu comprehenſam, decem plureſq; paſſus à terra ſuſpenſam pertulit, nullo tamen vulnere illato, ſed magno ſanè terrore.*

Muli.

*Hoc affectu capiuntur (vt Auicenna eſt author) etiam muli, qui ſuis aliquando morſibus dominos, & ſtabularios rabidos, & veluti arreptitios reddiderunt. Verùm huiuſmodi animalia non niſi raro, vel nunquam per ſe rabie tentantur, quandoquidem ferè ſemper id illis eueniat, cum à canibus, ſeu lupis, aut vulpibus rabidis mordẽtur. Cæterùm (vt ipſe Dioſc. inquit) rabioſorum canum morſus infeſtum quicquam protinus non infligit, niſi, vt vulnus, dolorem. Sed neglecta curatione, demorſi aliquo pòſt tempore rabidi fiunt, & aquam expaueſcunt: quod etiam fatetur Galenus libro de theriaca ad Piſonem, aliiſq; in locis. Idcirco diligenter aduertant, qui à canibus mordentur, ſi aliqua ſeſe offerant indicia, quibus coniici poſſit, canem, qui momorderit, rabie laboraſſe. Siquidem neglectis remediis (vt modò diximus) in id diſcriminis demorſi adducuntur, vt nullus ſubinde relinquatur ſalutis locus.*

Gallinacei.

*Tradidere Oribaſius, Paulus, Aetius, Auicenna, aliiq; probatiſſimi authores, quòd illitis per integram noctem contritis iuglandibus canum morſibus, & poſtmodum gallis, aut gallinis in eſcam exhibitis, gallinaceos ipſos ſequenti die interire, ſi à rabido cane illatum fuerit vulnus. Sunt etiam qui aſſerant, ſi panis emanante è vulnere ſanguine inficiatur, & cuicunque cani quantumuis famelico offeratur, canem non modò illum non mandere, ſed nec olfacere quidem. Attamen his tantùm experimentis (meo conſilio) non planè fidendum fuerit: quanquam ea à probatiſſimis prodantur authoribus, quapropter alia indicia iam dicta diligenter fuerint perquirenda.*

Neglecti morſus diſcrimina, & cauſæ.

*Cùm autem rabidorum canum morſus negliguntur, poſt aliquod temporis ſpatium demorſi præter morem cogitabundi fiunt, eaq; mente reuoluunt, quæ illis inſueta ſunt, quod iam veneni vis in cerebrum repens imaginatricem occupet facultatem. Si verò adhuc in longum protrahuntur nullis remediis adiuti, iis frequentius nocte interrumpitur ſomnus, ſæpiuſq; pauore expergiſcuntur: exinde hominum, & domeſticorum conſortia vitant, & cum ferino quodam aſpectu ſecum ſubmurmurant: ſolitudinem deligunt, lucem & candida omnia odere maximè, rubent quandoque facie, iiſq; extremarum partium nerui conuelluntur: poſtremò eò deducuntur, vt aquam expaueſcant. Quod certiſſimum mortis, & inexpugnabilis veneni præbet indicium. Proinde dicebat Dioſcorides ex iis, qui hoc vitium ſenſerint, neminem ſeruari poſſe. Allata itaque in eorum conſpectu aqua, cuius potu facilè ſanarentur, ſi tamen bibere poſſent, ingentiſſimis clamoribus, & canum latratu aſtantes terrent. Quod ſi diutius ante eos aqua ipſa dimittatur, tremunt, ſudant, deficiunt animo, delirant, pauoreq; concutiuntur, ac ſi in ignem illico ſe proiiciendos cernerent. Id verò accidit, quòd melancholici effecti, corruptis infectiſq; inde animalibus facultatibus, recuſant miſelli, metuuntq; aquam, qua ſola ſanari poſſunt. Nec alia de cauſa id euenire cenſent medici, quam huiuſce inexpugnabilis veneni prauitate. Nam cùm humorum omnium, & totius corporis principalium facultatum, functionumq; imperium venenum ipſum ſuſceperit, cumq; iam omnes corporis diſpoſitiones ſibi ſimiles reddiderit, mouentur vniuerſi corporis vires, irruuntq; contra id, quod ſibi contrarium exiſtimant, hoc eſt, contra ipſam aquam, ſi ea in mediũ afferatur. Quocirca Galenus libro de theriaca ad Piſonem, ita ſcribit: Non enim corpus duntaxat ipſis inareſcit, & conuellitur interdum, febriq; acri intus vritur, ſed animus etiam delirat, & grauiſſimum ipſis affert ſymptoma. Quippe aquam timent, ac propter multam ſiccitatem humidi tenentur deſiderio, & à potu abſtinent, quia mente alienati, id quod auxiliari poſſit, non conſiderant. Fugientes enim aquam pauenteſq;, miſerrimo mortis genere intereunt: hactenus Galenus. Hæ itaque rationabiles ſunt cauſæ, quibus in aquæ timorem deueniunt. Veruntamen quidam teſtantur, vt Aetius, Poſſidonius, & Rufus, id etiam accidere poſſe, quòd rabidi canis imaginem videre in aquis imaginentur, cuius ſpeciem recolentes, protinus ingenti terrore corripiuntur, quod quidem nimiam ob ſiccitatem perpetiuntur. Nam philoſophus quidam (vt Aetius refert) morſus à cane rabido, & egregia animi virtute affectioni reſiſtens, dum phantaſtici canis imago ſibi obuerſaretur in balneo (ea enim ipſi quoque quemadmodum & reliquis eodem morbo affectis apparebat) diu intra ſe meditatus, ecquid tandem inquit commune eſt cani cum balneo? quod effatus balneum intrauit, & imperterritus bibit, atque ita morbum ſuperauit, & incolumis euaſit. Vnde poſtea in prouerbium manauit, quid cani cum balneo.*

Salutis indicium.

*Refert Auicenna quòd ſi quis à cane rabido demorſus, aquam timens in ſpeculo reſpiciens, ſe ipſum cognouerit, huic ſalutis ſpem non deeſſe. Quod vtique arguit hydrophobicos quoque ſanari poſſe, cùm veneni vis non adeò vniuerſum occupauerit corpus, & cerebri facultates, vt omnino ratiocinatrix facultas ablata ſit. Quamobrem mirum non eſt, ſi Philoſophus ille, cuius hiſtoriam refert Aetius, curatus euaſerit, cùm manifeſtò appareat eius ratiocinatricem facultatem parum fuiſſe affectam.*

A cane demorſi fruſta carnis mingunt.

*Ad hæc ſcribit Auicenna euenire interdum, vt à cane rabido demorſi quædam fruſta carnis ingenti cum dolore mingant, quæ forma*

propi

*propè canes paruulos referant: quod etiam ab aliis recentioribus accepimus, quin & ab iis, qui huiuſmodi catulos ſe minxiſſe fatentur. Cæterùm cùm hoc potius fabuloſum, quam rationi conſentaneum videatur, atque ab ipſa natura penitus alienum, ſi qui id verum eſſe rationibus & authoritatibus comprobatum videre cupiunt, Gentilem Fulginatem conſulant Auicennæ interpretem: item Conciliatorem differentia 179. Quandoquidem ex iis nimirum intelligẽt, quo pacto hæc præter naturæ inſtitutum quandoque eueniant. Poſtremò aſſerit in hoc capite Dioſcorides, fateri aliquos Themiſonem, cum amico aquam expaueſcenti morem gereret, & officium exhiberet, quadam naturarum concordia ſimilem contraxiſſe affectum: Sed id potius ego eueniſſe crediderim, quòd Themiſon medicus amicum laborantem excitandi cauſa ad aquam & cibum, ſecum mãducaſſet, aut bibiſſet, ex eodem ſanè poculo, eius fortaſſe ſaliua infecto, aut alio quouis modo oris ſpumam contigiſſe. Nam ſi, vt Galenus tradit libro 6. de locis affectis, rabidorum canum ſaliua, nuda corporis membra contingens, non aliter homines rabidos efficit, quàm ſi demorderentur, quid mirum, ſi rabidi hominis ſaliua id ipſum effecerit. Proinde eos admonet Auicenna, qui rabidorum curam agunt, ne eorundem ciborum reliquias comedant. Nec paruipendat aliquis ſpumæ contactu infici poſſe homines: quippe quòd duos viderim ego, qui ſpuma tantùm perfuſi, nullo quidem ex morſu accepto vulnere, rabiem contraxerunt. Legitur in Ariſtotele lib. 8. cap. 22. de hiſtor. animalium, quòd omnia animalia, a cane rabido demorſa rabiunt, excepto homine. Quæ tamen ſententia apertè falſa deprehẽditur, vt millies experimento compertum eſt. Quamobrem potius adducor, vt credam Ariſtotelis codicem eo in loco deprauatum eſſe, quàm vt in re clara, & omnibus cognita ipſum Ariſtotelem ignorantiæ accuſare velim.*

Canum rabidorum ſaliua inficit.

Hominem à cane rabido nõ affici Ariſt.

Θεραπεία τῶν ἀπὸ λυσσῶντος κυνὸς δηγμάτων.

## REMEDIA DEMORSORVM A CANE RABIOSO. CAP. XXXVII.

RAtio medendi duplex: vna communis, qua vtendum in omnes morſus, quos virulentæ animantes impreſſerunt: alia peculiaris priuataque, eorum duntaxat quos rabioſi canes momorderint: quæ nõnullis quidem ſummã opem ferre conſueuit: alijs verò inutilis, maximè qui ex multo iam tempore ictum acceperunt. Quæ ad hanc pertinent, primum exponemus, deinde curſim perſtringemus, quæ ad communem medendi rationem pertinent. Cancros itaque fluuiatiles in ſarmẽtis albæ vitis cremare oportet, & cinerem eorum, quàm minutiſſimè tritum habere recõditum: itidem gentianæ radicem tuſam, cribratamque reponere. Quoties autem canis rabioſus morſum intulerit, in quaternos cyathos meraci vini, bina cineris cancrorum cochlearia, vnumq; gentianæ coniiciantur: hæc in polentæ dilutioris modum ſubacta, quatriduo bibantur. Inter principia medicamentum hoc modo detur. Atqui ſi ab illato morſu bini ternive dies fluxerint, curationem auſpicabimur à triplicato pondere, ſupra id quod ab initio retulimus. Optimum hoc aduerſus rabioſorũ morſus auxilium, quod & pleriſque vnum ſatisfecit, eoq; cum fiducia vti licet. Sed vt aliis etiamnum auxiliis cõtra ineuitabile periculum muniamur, nihil cæteris vti prohibet. Satius autem multò fuerit, etiamſi in vanum recidat, medicamentorum inhumanos tolerare cruciatus, quàm per inertiam, ac deſidiam in diſcrimen adduci. Nec ita in demorſis à rabioſo animali maiora vulnera vereri oportet, vti minora, & vlcuſculi cutis ſimilia: quippe maiori vulnere confertim copioſus ſanguis emanans, poteſt nonnihil virulenti liquoris exhaurire: quod in minoribus non accidit: quin à maioribus abſcedentes carnes hinc auferre, & labia acie ſcalpelli circumſcribere, & prehenſam hamulo aut vulſella carnem amputare oportet. In vtriſque circumſtantia loca altioribus vlcuſculis ſcarificanda, vt copioſior ſanguinis vacuatio arceat, ne venenum membratim inſinuetur. Cucurbitulæ cum multa flamma agglutinatæ idiuua menti præſtant, vt veneni vis extrahatur.

*TAm accuratè exquiſiteq; tradidit hoc capite Dioſcorides rabidi canis curationem, nihil planè ſilentio præteriens, vt mihi ſuperuacuum eſſe videatur quicquam addere. Verùm vt noſtrum ſequamur inſtitutum, vtq; etiamnum lectoribus fiat ſatis, qui nouis ſemper rebus inhiant, non alienum fuerit hic nõnulla commemorare, quæ multos fortaſſe delectabunt, quòd ea in hac re non inutilia, neque ſcitu iniucunda putem. In primis itaque illud animaduertendum eſt, quòd alia vtique ratione cancrorum fluuiatilium cinerem præparabat Galenus, quàm Dioſcorides, vt conſtat apertè ex verbis ipſius Galeni lib. 11. ſimplicium medicamentorum, vbi ita ſcriptum reliquit. At fluuiatilium cancrorum cinis, quanquam ſimiliter prædictis exiccatorius eſt, ſubſtantiæ tamen totius proprietate, mirificè contra rabioſorum morſus efficax eſt, iſque tum ſolus, tum cum gentiana & thure multò præſtantior. Thuris ſanè partem eſſe vnam oportet, quinque autem gentianæ, porrò cancrorum decem: & rarò equidem aliter illis vſtis nos ſumus vſi. Cæterùm ad eum modum plerumque, quo vtebatur Aeſchrion empiricus, medicamẽtorum peritiſſimus ſenex, conciuis ac præceptor meus. Patella erat æris rubri, in quam impoſitos cancros viuentes, hactenus vrebat, donec in cinerem redigerentur, vt facilè ad læuorẽ redigi poſſent. Hic Aeſchrion ſic paratum promptum ſemper in ædibus habebat medicamen, tempore æſtiuo vrens cancros ipſos poſt ortum canis, quando Sol in Leonem tranſiſſet, luna decima octaua. Porrò bibendum hoc medicamen ijs, qui à cane rabido fuiſſent morſi, præbebat quotidie vſque ad diem quadrageſimum menſura cochlearij ſatis magni, aqua inſperſum. At ſi non protinus ab initio, verùm aliquot poſt dies à morſu curam cœpiſſet demorſi, tũc quotidie duo cochlearia aqua inſpergebat. Ad ipſum verò vulnus emplaſticum applicabat medicamentum, quod ex pice brutia, & opopanace, acetoq; conficitur, habens picis libram vnam, vnum aceti acerrimi ſextarium Italicum, opopanacis verò vncias tres: hæc Galenus. Cæterùm ſciendum eſt, eos maximè, meo iudicio, hallucinari (vt latius libro ſecundo prodidimus) qui gammaros Latinis vocatos, cancrorum fluuiatilium loco, à cane rabido demorſis potui exhibent. Namque aliud Græcis animal eſſe cenſemus καρκίνον, aliud verò ἀστακὸν & καμμαρίδα. Scripſit & Damocrates carminibus huiuſce cancrorum antidoti componendi rationem (vt libro ſecundo de Antidotis refert Galenus) eo ſanè modo, quo ipſum fortaſſe ſecutus eam reddit Dioſcorides. Attamen antiquorum quidam reſinam terebinthinam impoſuerunt thuris vice, quod Aeſchrion Galeni præceptor huic ſemper inſeruit medicamento. In ſumma huius antidoti vires miris laudibus ab authoribus celebrãtur, adeò vt ſcripſerit Galenus, neminem vnquam mortuum eſſe, qui hoc antidoto rectè fuerit vſus. His non diſſimiles vires veteres aſſignant Alyſſo, ſi ſiccum quadraginta diebus continuis detur ex hydromelite potandum: ſed à prima ſtatim die incipiendum erit. Huius experimenti meminit Galenus libro ſecundo de Antidotis, vbi alia quoque valentiora remedia ad rabidorum morſus ex Aſclepiade retulit. Verùm nobis difficile admodum fuerit decernere, quænam hodie planta ſit, quæ veterum Alyſſon repræſentet, ita vt potius de hoc diuinandum eſſet, quàm aliquid certi ſtatuendum, vt latius ſuperius libro tertio diſſeruimus. Commendauit Aetius*

Curatio demorſorum à cane rabioſo.

Cineris cancrorũ fluuiatil. præpar.

Multorum error.

Alyſſon contra rabiem.

Curatio ex Ae.

*ſecundo, & ſexto volumine, ad morſus rabidorum canum bitumen Iudaicum, ſiue Aſphaltitis lacus, aſſerens ſi drachmæ pondere ex aqua bibatur, non id modò aquæ pauorem arcere, ſed & eos ſanare, quos iam primùm timor inuaſerit. Memorauit etiam marinos hippocampos ex aceto nigro & melle ſubactos, tam potu hauſtos, quàm vulneri illitos. Confert præterea his maximè acutus rumex: quare idem ſcripſit ſe nouiſſe ſenem quendam, qui demorſos à cane rabido hoc ſolo rumice curabat. Primò enim vlcus eius decocto fouebat: deinde herbam ipſam illinebat, eandemq; potandam exhibebat: quod quidem medicamentum tanquam efficaciſſimum ſummopere commendabat. Plurima autem, & turbulēta qui illā aſſumpſerint, mingere ſolent: id quod maxime hac in curatione confert. Quo fortaſſe argumēto extulit Auicenna propria quadam medicamenta, quæ cantharidas admiſtas habent, vt valentiſſimè non modò vrinam excernerent demorſi, ſed etiam ſanguinem ipſum, aſſerens paulò poſt ſecurum eſſe ſalutis indicium, cùm poſt medicamenta ſanguinem mingunt affecti.*

Theriacę bonæ nota.

*Porrò Galenus libro de theriaca ad Piſonem, Theriacam præfert tam intus in corpus ſumptam, quàm exterius ſupra morſus illitam. Sed cùm hæc, quæ noſtro tempore cōficitur, non adeò præſtet, quemadmodum ea, quam ipſe conficiebat Galenus, illi ſanè fidere non poſſumus, niſi facto prius de ea periculo in gallis à vipera demorſis, vt ipſe docet Galenus. Prodeſt item potamogetum cum ſale exterius illitum: itidem caprifici cortex contuſus, & ex aqua potus, quin & abſinthium, & allium, minus centaurium, ariſtolochia, artemiſia, ſcordium, chamædrys, bryonia, pulegium, & laſer, tam exterius illita, quàm interius ſumpta.*

Remedia ſuſpecta, vt Iecur canis rabidi & eius dens.

*Sunt qui credant ſecuriſſimum eſſe remedium ipſius rabidi canis, qui momorderit, iecur toſtum, & à demorſis in cibis deuoratum, quod etiam ſcribit Dioſcorides: quamuis id non affirmauerit, vt libro ſecundo capite de diuerſorum animalium iecinoribus legitur. Proinde ſcribit Gal. lib. 11. ſimpl. med. iecur canis rabientis alijs valentioribus antidotis admiſtum quàm plurimos ſanaſſe, ſed eos tamen interiiſſe, qui ſolum nullis aliis adiectis medicamentis illud eſitarunt. Sunt etiamnum qui credant, vt loco antè citato tradit Dioſcorides, arceri aquæ pauores dente eo, qui caninus dicitur, ſi is à cane, qui momorderit, exemptus, & folliculo inditus, pro amuleto brachio adnectatur. Sed nemini his fidendum eſſe perſuaſerim vt in noſtra huius ſexti libri præfatione de pretioſorum lapillorum ſuſpenſione diximus: ſatius enim eſſe ſemper exiſtimaui certis ac tutis vti medicamentis.*

Manualis operatio circa vulnus.

*Cæterùm curationis ſumma manuum maximè operam expoſcit. Quandoquidem vulnus diducere oportet, laniatamq; per ambitū carnem reſcindere: ita enim latior fit veneni exterius euocandi aditus, demitur quod tabefactum eſt, & ex ſanguinis fluore ab excidentibus cultris excitato, repens affectio nō parum reuellitur. Quod etiam facere expedit ſcalpello circumquaque profundius adacto, & ſubinde appoſitis ſcalpto loco cucurbitulis ſanguinem fortiter extrahentibus, aut hirudinibus. Medicamenta autem quæ aluum citant, & humores deiiciunt, in principio omnino vitanda ſunt, ſicuti etiam ſanguinis miſſio: quippe cùm hæc à circumferentiis ad centrum trahendi facultatem habeat, facilè ægros in mortis traherent diſcrimen. Tametſi in curationis proceſſu, & vbi præſertim medicorum negligentia citius quàm expetat ratio, concluſum fuerit vulnus, irrepſeritq; venenum (vt poſtea dicetur) medicamenta aluum ducentia, pariterq; ſanguinis miſſio in ſanguineis temperaturis admodum quandoque proficiant. Verum enimuero perpauci noſtra hac ætate habentur à rabioſo cane demorſi, qui Medicos cōſulant.*

Auxilium religioſum.

*Nam tanta eſt religionis vis, vt omnes, quos canes rabioſi momorderint, partim ad diui Donini templum confugiant, partim verò ad diui Bellini ſacellum, vbi quibuſdam exorciſmis, & panibus characteribus obſignatis, à ſacerdotibus perquàm facilè curantur, vt plurimorum teſtimonio equidem fateri poſſum. Sed cogitanti mihi quonam pacto hoc tam facilè eueniat, nonnullæ ſeſe obtulerunt rationes, quas liberè dicā. Haud dubiè in primis diuina auxiliatur gratia: quippe cùm nō parum moleſtiæ maliq; morſu canis rabioſi affectis inferre poſſint cacodæmones, vt qui in atrabiliariis humoribus ſuam habeant ſedem, ij quidem exorciſmis cedentes abeunt, & afflictorum corpora munda relinquunt, ſublato ſecum veneno. Illud præterea addiderim, quòd fortaſſe ſacerdotes ipſi aliquod nobis occultum habent antidotum, quod panibus illis admiſcentes, ægris deuorandum præbent: vel id aliquo in potu bibendum exhibent. His denique accedit magna laborantium fides, quam ſuſcipit Deus opt. max. cuius ſolius munere omnia noſtra delentur incommoda, atque omnes auferuntur ægritudines.*

## Καῦσις τῶν ὑπὸ λυσσῶντος κυνὸς δηγμάτων.

## VSTIO DEMORSORVM A CANE RABIOSO. CAP. XXXVIII.

COntra virulentos ictus, vſtio expeditiſſimum eſt auxilium, vtpote cùm ignis cætera viribus præſtet, ſimul quòd virus domet, & ferri penitius non patiatur: ſimul quòd pars ignem experta, poſtea non vulgare fundamentum curationi futuræ præbeat, manente diutius exulceratione. Animaduertendum ex eo tempore, cùm cruſtæ decident, ne vlceris oræ coaleſcant, & cicatrice induantur, ſed ſi fieri poteſt, ad multum, idque præſtitutum tempus, vlcerationes, & ſordidas adhuc & inflammationem minantes prorogari conuenit. Quod inditum iis ſalſamentum optimè præſtabit, & ſylueſtre allium detritum, item cæpe, ſuccuſve, præſertim Cyrenaicus, aut qui Medicus, aut Parthicus appellatur. Tritici grana tam manſa, quàm non manſa imponantur: ſiquidem ſubacta piſtave à perfuſione vulnera dilatant. Sunt qui à mandentium ieiunio, ſibi aliquid aſciſcere arbitrentur, quod ſuapte natura reſiſtat: verùm id certum non eſt: cæterùm tempeſtiuus eorum vſus minimè eſt contemnēdus. Si verò, quòd perſæpe accidit, ante dies præfinitos cicatrices coirent, committerenturque, manum poſtulabunt: namque eas diducere, carnemque ſcalpello circinare, aut iterum inurere expediet. Vbi verò propoſitum tempus præteriit, vlcus ad cicatricem ducendum, & emplaſtro, quòd è ſalibus conficitur, locus comprehendendus: nec multò poſt ſinapiſmo vtendum.

Vſtionis, ſiue cauterii vtilitas.

*CAuterium, quod ferro igne candenti, aut auro, aut argento fit, non modò ſalutiferum eſt ad rabidi canis morſum, ſed etiam aliorum quorumcunq; animalium virus eiaculantium, quin & ad alios inſanabiles ferè morbos. Proinde mirum non eſt, quòd hoc loco dixerit Dioſcorides vſtionem, ſiue cauterium, contra virulētos ictus aut morſus expeditiſſimum eſſe auxilium. Fiat itaque cauterium intrepidè, tantæq; amplitudinis, vt vlceris cicatrices breui committi non poſſint.*

Argentum ſublimatum exulcerās eſt.

*Quod ſi timidus quiſpiam vſtionem ignis terrore recuſet, ſepticis & exulcerantibus medicamentis vtendum erit. Qua in re cæteris præſtat, quod vocant argentum ſublimatum: admiſcetur id vnguentis refrigerantibus, vt minus doloris inferat. Probatur hoc, quòd non modò valentiſſimè inurat, ſed quòd etiam exuſta ab eo caro, obductaq; cruſta duobus tantùm diebus poſt decidat, ſi tamen recenti butyro aſſiduè illinatur, id quod in aliorum exuſtione non euenit, niſi longiore temporis tractu. Quòd ſi igne, aut adurenti medicamento (vt multis de cauſis quandoque accidit) id effici nequeat, diligenter prouidendum eſt, ne vulnus coeat, ſed diutius maneat diductum & apertum, ſuperimpoſitis emplaſtris validè attrahentibus,*

*trahentibus, cuiuſmodi ſunt quæ è brutia pice, reſinis, vario gummi genere, & id genus alijs parantur. Si verò cauteria fiant, diligenter procurandum, vt relicta quam primùm excidat cruſta, quo veneno pateat exitus, quippe ea diu in vulnere retenta, omnes obducit meatus magno ægrorum detrimento. Porro non magno quidem negotio decidet appoſita continuè liquida vernice, oui vitello, & recenti butyro permiſtis: quin & butyro ſolo igni liquato, & madeſactis in eo ſpongijs ſuperimpoſito: præſtat enim hoc cæteris. Vbi vero e vulnere cruſta deciderit, ſalutiferum quidem fuerit remedium plagæ quotidie puluerem præcipitati (ſic enim vocant chymiſtæ argentum viuum in puluerem rubicundum conflatum) inſpergere: ſiquidem id eximium præſtantiſſimumq; medicamentum, præter id quod vulnus occludi prohibet, diuq; patens ſeruat, attrahit etiamnum ex alto ad ſuperficiem potenter venenum: qua in re cætera huiuſce facultatis præcellit medicamenta. Commode etiam, nec minus efficaciter idem puluis attractorijs emplaſtris, ſiue vnguentis admiſceri, & ſubinde vulneri admoueri poteſt: etenim iamdudum certior ſum, in vniuerſa medicæ facultatis materia, nullum haberi medicamentum, quod valentius ab alto reuocet extrahatq; virus, quam præcipitatum dictum. Ad hæc tametſi (vt omnibus fere placet) in quadrageſimum diem apertum vulnus dimittere ſit ſatis, non tamen errauerit, qui diutius prorogauerit, vt quicquid mali reſiduum fuerit, exhauriatur.*

Præcipitati vocati vis.

Vulnus in 40. diem pateat.

Δίαιτα τῶν ὑπὸ κυνὸς λυσσῶντος δηχθέντων.

## RATIO VICTVS IN MORSV RABIOSI CANIS. CAP. XXXIX.

QVæ ad partem ictam pertinent præſidia, ita ſe habent. Cæterùm victus rationem ex iis, quæ veneno aduerſantur, coniectura quadam colligere oportet, ſimul vt veneni vires hebetet reſtinguatque, ſimul vt arceat, quò minus ad intima pernicies illabatur. Etenim aſſumpta perniciosarum virium penetrationi reſiſtunt. Quorum vtrumque præſtare poteſt vini meracioris, paſſi, & lactis potus: quippe qui hæc omnia capiunt ad curam, nonnihil veneno obiiciunt, quod omnem eius acrimoniam obtundat. Simili modo alliorum, porrorum, cæparumq; cibus: quòd ea difficulter cõficiãtur, vixq; aboleantur. Nã multos dies huius cibi qualitates remanent, quo tempore nec euincuntur, nec permutantur à mortifera vi, ſed contrariis illa vis expugnatur. Cui rei antidotorum vſus accommodatur, & Theriaces, Mithridatij, & eius quod eupatorio temperatur, denique omnium quæ magnam aromatum partem ſibi vendicant: quippe aromata omnia viribus & ſubſtantiis ægrè permutantur: quare in corporibus euincunt. Victus ratio hoc modo ſe habet. Noſſe conuenit, pauorem aquæ non ſtato definitoq; tempore exoriri: plurimum tamen ad quadrageſimum vſque diem neglectis differri conſueuit: poſt ſemeſtre etiam nõnullos inuadit: quendam poſt annum aquam horruiſſe conſtat, quæ nobis viſu comperta fuere. Narrant & aliquos poſt ſeptẽnium aquæ metu fuiſſe tentatos. Inter principia demorſorum à cane rabioſo curãdi ratio talis eſt. Verùm enimuerò ſi ea quæ retulimus auxilia, primis diebus prætermiſſa fuerint, nec ſcalpro carnẽ circinare, nec vſtionem experiri operæpretium eſt: nõ enim quod pertranſit, ſatis euocare poſſent. Nulla vtiq; iſtius rei occaſio aut vtilitas, ſed in caſſum corpora doloribus ſternẽtur. Alter verò curationis modus accedat. Deiectio magnum præbet iuuamentum, vtpote cum mouendo corporis habitum tranſmutet: & quæ colocynthidem recipit hiera: item lac ſchiſtum, quod ſimul deiectionem moueat, & venenum domare poſſit, cibi acres, & meraculi potus, quibus vis veneni vehementer retunditur, quotidie ſumi debent. Cæterùm ſudores ante cibos, & poſt etiam ciendi. Dropaciſmi ſinapiſmiq; alternatim per corpus totum adiiciendi. Sed longè omnium efficaciſſimum auxilium helleboriſmus cognoſcitur: quo cum fiducia nõ ſemel atq; iterum, ſed frequentius ante quadrageſimum diem, vel poſt hoc tempus vti licet. Tantam enim vehemẽtiam hoc auxilium habere fertur, vt quidam qui iam aquæ metum ſentirent, ſumpto helleboro, ſimul ac primum morbi impetum experirentur, fuerint ſeruati: nam & iam vitio tẽtatos nemo vnquam ſeruare poteſt. Itaq; primùm curam contra rabioſi canis morſus breui ſermone expoſuimus: iam ad alia, quæ venenatis morſibus ſæuire conſueuerunt, transeundũ. Notas vno contextu, deinde communem medendi locũ qui omnibus cõuenire poſſit, explicabimus. Curſim deinceps ſubiungemus ea, quę ſua proprietate nonnullis auxilium præſtare poſſunt. Poſtremò ſubnectentur etiã venenata, quæ nullis cedunt remediis.

*INſtituenda demorſis à cane rabioſo diligenter eſt ratio victus, nec ea tantùm regula, cuius hic meminit Dioſcorides, ſed etiam vt ea ſit ciborum quantitas, quæ iis rectè conueniat. Siquidem huiuſce curationis regimen tenuem victum nõ expetit, ſicuti nec pleniorem, vt Aetius eſt author libro 6. vbi ſic inquit. In victu indigentia, & ſatietas euitanda, magis tamen indigentia: hæc enim ſuccorum prauitatem adauget, quod nequaquam expedit malefico vlceri. Ergo alimentum moderari oportet, vt & rectè conficiatur, & optimum ſuccum corpori præbeat. Nec minus egeſtioni, & vrinarum prouocationi ſtudendum: quod quidem tum ea, quæ prædiximus, tum fœniculum, & ſcandix comeſta efficiunt. Plus verò ſimul & aluum, & vrinam ducit: ac cichorium agreſte crudum oblatum ſtomacho confert, quem nonnulli ſerim, nonnulli ab amaritudine picrim appellant. Proſunt & braſsica cimæ, & paluſtris aſparagus, & hortenſis, & agreſtis rumex: & e piſcibus qui carnem teneram habent, & camari, cancri, & erinacei recentes cum vino mulſo: & carnium extremitates, auiculæq; omnes montanæ, quæ facilè coquuntur, boniq; ſunt ſucci. Vinum album tenue, neque valde antiquum: hæc ille. Ex quibus conijci poteſt, hac in curatione ea plurimùm conferre, quæ vrinam valenter mouent. Idcirco Auicenna (vt proxima commentatione diximus) quædam profert medicamenta, quæ cantharidas excipiunt, vt vnà cum lotio ſanguis etiam reddatur. Proinde mirum non eſt, ſi quandoque præualens natura, per inſtrumentum vrinæ, magno cum dolore parua veluti liquidæ carnis fruſta catulorum forma, venenum propellat. His itaque ea victus ratione vti licebit, qua vrinam ægrè excernentibus à Medicis inſtitui ſolet. Verum ſi fluuiatiles cancri, quibus vniuerſa abundat Hetruria, haberi poterunt, ijs tam in prandio, quam in cœna veſcantur demorſi: quòd ijs mira inſit facultas, aduerſus rabidorum canum venenum. Præbet Auicenna præter dulce vinum etiam aquam, in qua candens ferrum, vel chalybs reſtincta fuerint. Cæterum noſſe conuenit (vt ſcribit Dioſcorides) aquæ pauorem non ſtato definitoq; tempore exoriri: plurimum tamen ad quadrageſimum vſque diem neglectis differri conſueuit: poſt ſemeſtre etiam nonnullos inuadit: quendam poſt annum aquam horruiſſe conſtat, quæ nobis vſu comperta fuere. Narrant & aliquos poſt ſeptennium aquæ metu fuiſſe tentatos. Sed cogitanti mihi vnde id eueniat, nulla ſanè alia hactenus ſeſe obtulit ratio, quam quæ ex demorſorum temperamento, ac viribus ſumi poteſt. Quandoquidem nonnulli habentur, qui viribus validiſsimis præſtant: quidam qui debiles, & infirmi ſunt: alij qui corpo-*

Ratio victus demorſis à cane rabioſo inſtituenda.

Aquæ pauor ad quod vſq; tempus exoriatur & cur.

*ris meatus anguſtiſſimos habent, alij verò contrà: quidam ſynceriſſimis referti ſunt humoribus, nonnulli verò ſuccis ichoribus ſcatentibus, ac facilè putredini obnoxijs. Ex quo fit, vt in his citius, in illis verò ſerius hæc appareant ſymptomata. In Hetruria abſtinent demorſi per integrum annum à quorundam lignorum contactu, præſertim corni arboris, & ſanguineæ virgæ vocatæ. Siquidem (vt teſtantur ij, qui rem experimento compertam habent) ſi harum arborum virgæ tamdiu in manibus teneantur, quouſque concaleſcant, illico demorſi rabie exagitantur. Quod cuiquam minimè fabuloſum videri debet: etenim memini me vidiſſe in ciuitate noſtra Ilicinenſi amicum quendam meum rabie correptum, quòd corni arboris virgis (dabat enim lanificio operam) lanam diu excuſſiſſet, qui eorum oblitus, quibus ſibi à Medicis interdictum erat, rabidus interiit. Poſtremò ſciendum eſt, aquæ pauorem haudquaquam curari poſſe, cùm veneni vis omnes corporis occupauerit facultates: quamuis in ipſo pauoris initio, aut anteaquam venenum illapſum fuerit in vniuerſum corpus, aliqui curati euaſerint, vt Philoſophus ille, cuius hiſtoriam ſuperius enarrauimus, præſertim cùm pro viribus in morbum nituntur malè affecti, & qui eorum curationem agunt. His adſtipulari videtur Dioſcorides: quippe qui quoſdam aſſerit, qui iam aquæ metum ſentiebant, ſumpto cum fiducia helleboriſmo non ſemel atque iterum, ſed frequentius ante quadrageſimum diem vel poſt, fuiſſe ſeruatos. Proinde ſcribit Auicenna eos, qui aquam expaueſcunt, deploratos non eſſe, quouſque in ſpeculo intuentes ſeipſos cognoſcunt, argumento quòd non adhuc venenum vniuerſas infecerit cerebri facultates. Hoc igitur tempore medicamentis vtendum eſt deiectoriis, & ſi nihil obſtet, ſanguinis miſsio non aſpernanda. Ex medicamentis autem in hoc cæteris præſtat album vel nigrum veratrum, iis adiectis, quæ eorum infrænant feruorem. Conuenit etiam epithymum, ſena, fumaria, myrobalana, elaterium, agaricum, rhabarbarum, centaurium minus, geniſtæ ſemen, thapſia, confectio hamech, & hiera colocynthitis, & Armenius lapis: ſiquidem hæc in atra bile deijcienda principem tenent locum. Proderit item Syriacum bitumen frequentius ex aqua potum: quin & Mithridatis antidotum, & ipſa Theriaca, & cancrorum fluuiatilium combuſtorum puluis, Galeni modo paratus. Confert præterea his leporis, vulpis, & capreoli coagulum. Sed ſemper in primis omni ſtudio curandum, vt aquam malè affecti bibant. Verùm ne ipſam intuentes pauor inuadat, longiſſimis tenuibuſq; metallicis fiſtulis è longinquo ducenda erit, aut ex ſuperioribus contabulamentis: namque ipſa ſola ſeruari poterunt. Refert Aetius, quòd ſi catuli coagulum ex aceto ſemel tantùm ederint hydrophobici, ſtatim eos capit potus aquæ cupiditas, & bibunt: ob idq; medicamentum hoc miris laudibus extulit. Sunt qui nigrum cicer aquæ incoquendum eſſe velint: ſic enim aqua claritatem amittit, nigraq; efficitur: & præter id quod haurientibus pauorem non adfert, quemadmodum quæ ſyncera, pellucidaq; ſpectatur, vrinam valenter ducit. Nec deſunt qui ſuadeant vrentia cataplaſmata occipiti eſſe apponenda, pariterq; poſt aures. Quæ etſi ad rem facere non videantur, quòd valentiſſimè exiccent, vbi tamen deplorati ſunt ægri, valentiſſimis etiam medicamentis vti licebit.*

Aquæ pauor quando, & quib. curetur.

Catuli coagulum præſtantiſſ. in Hydrophobia.

Κοινὴ τῶν ἰοβόλων θεραπεία.

## COMMVNIS CVRATIO IN OMNES ICTVS VIRVLENTOS. CAP. XL.

ADuerſus quidem omnem animalis ictum, quod venenum vibrat, oris ſuctio conuenit. Sugentem verò oportet ieiunum non eſſe, ſed & cibum ſumpſiſſe, & vino os abluiſſe: poſtea exiguum olei in ore continens plagam exugat. Locus ipſe ſpongia fouendus, deinde ſcarificãdus: ſed vlcuſcula altius imprimere expedit, quòd viroſa materies profundo euocetur. Circinatio autem carnis, & ſectio, ſcarificatione longè potentius opitulantur: namq; ab iis duo peculiaria præſidia fiunt: vnum, quòd virus è loco tollitur: alterum, quòd eius veneni pars, quæ ad interiora graſſatur, cum multo copioſoque ſanguine excernitur. Quòd ſi locus ſectionem non admittat, cucurbitæ cum largiori flamma adfigendæ ſunt. Sed etiam de vſtione ſuprà in rabioſorum morſu diſſeruimus. Si verò icta pars, vtpote extrema, eam ſectionem cõmodè non reſpuat, præſertim in omnibus ſerpentium ictibus vt aſpidis, ceraſtæ, ſimiliumque, procul dubio amputanda eſt. Conuenientiora ſuprà dictis auxilia ſunt, quæ epithemata vocant. Imponantur ſarmentitius cinis, aut ficulneus, cum lixiuio ſtillatitio ſubactus, garo, & acri ſalſamento: porri, cæpe, & allia modò minutiſſimè contrita illinuntur, modò cremata vulneribus iniiciuntur. Quinetiam diſſecti gallinarum pulli, cùm maximè tepent, percuſſo loco applicentur. Nec deſunt qui hiſce tanquam diſcordia quadam naturali pugnantibus vtantur: verùm huius rationem inire facillimum fuerit. Gallinæ enim calida natura præditæ ſunt, argumento, quòd deuoratum inſigne virus conficiunt, & aridiſſima quæq; ſemina conſumunt: item nonnunquam arenas lapilloſq; ingluuie ſua deuoratos, diſſoluunt. Itaque animantis admoti calore adiutus ſpiritus, ab icta parte impetum capeſſens exilienſq; ſecum venenum exigit. Nec me fugit, quid in Ægypto fieri ſoleat. Cùm ſpicas Ægyptij metunt, ollam picis paratam habent, & appenſam faſciã: tunc enim maximè ſerpentium iniurias expaueſcunt, tum propter ſpicilegij tempus, tum quòd opacis ſimul abditæ ſpeluncis & cauernis, denſoque aruorum ceſpite deliteſcunt. Moleſtiſſima enim animalia, & virus eructantia, Ægyptus in campis ferre conſueuit. Vbi ergo aut in pedem, aut partem aliam, morſum intulerunt, qui adſunt, faſciam in ollam picis coniiciunt, & ſemel aut iterum brachium aut crus paulùm ſuprà vulnus obligant, & arctiſſimè duo è præſentibus diſtringunt, locumq; ſecantes qua circumactus eſt laqueus, picem inſtillant: cumque ſatis vulnus excepiſſe videtur, laqueum reſoluunt, & cæpis aliiſque ſuprà memoratis illinunt. Præterea pix liquida cum ſale trito & feruente illita, præſentaneo eſt auxilio, ſi iugiter innouetur. Conuenit & cedria, & fimum caprarum ex vino decoctum. Locum aceto calido, calamintha in lotio, maris aqua, aut acida muria decocta, foueri ſalutare eſt. Quinetiam non deſunt emplaſtra vehementiſſima, & calidiſſima, quæ venenum elicere, expugnare, & diſcutere poſſunt. Cuiuſmodi ſunt quæ ex ſale, aut nitro, ſinapi, & cachrye componuntur, de quibus conſequenter erit tractandum. Eraſiſtratus autem non iniuſta reprehenſione eos inceſſit, qui incognitas ad hunc vſum facultates conſcripſerunt, vt elephanti fel, crocodilive ſanguinem, ouaque teſtudinis, & conſimilia. Nam cùm iuuantia quædam literis tradidiſſe videntur, planè in hæc ſola incidentibus impoſuerunt. Quare talia deuitanda ſunt, cùm difficilè, niſi regia facultate, perueſtigari poſſint: neque, quò noſtra fides iis obſtringatur, frequenti obſeruatione, ſufficiens experimentum præſtiterint. Quæ autem ad communem omnium vſum pertinent, quæque facilè ſuppeditari, & omnibus à ſerpente percuſſis auxilium ferre queunt, ſubiungenda videntur. Intubus itaque, erica, & aſtragalus, cum aceto pota, contra omnes ſerpentium morſus auxiliantur. Item bitumen, & virentes platani pilulæ in vino diluto coctæ,

& paliuri

& paliuri decoctum: radix ariſtolochiæ, & eryngij: decoctæ etiam lauri baccæ, & deuoratæ, piperque largius eſitatum, ruta, anethum, & cyclaminus: coma porrorum priuatim ex pane, aut allium, aut cæpe. talſamentaque quàm acerrima: origani decoctum cum vino potum, fœniculi, pulegij, calaminthæ, porrorumque ſuccus cum melle deſorptus: hæc quidem à plantis conquiruntur. Ab animantibus verò quædam vtiliter peti ſolent, gallinaceorum cerebella in cibo, leporinum coagulum cum vino: itidem caſtorei ſextans: teſtes marinæ teſtudinis ſumpti multum prodeſſe traduntur: muſtela ſale inueterata inter auxiliaria medicamenta eſt. Commendatur in primis exenterata, quæ ſale ſiccescens inueteratur: ex qua binas drachmas cum vino bibiſſe ſatis eſt. Sed de ſimplicibus, quæ dari ſolent, hactenus. Percuſsis à ſerpente prodeſt alui deiectio, diffluens ſudor, vrina, copioſè reddita. Sunt & cōpoſitæ quædam potiones, quæ mira remedia polliceri traduntur, vt & opij & myrrhæ ſinguli oboli, piperis ſicilicum: ea melle excipiuntur, & inſtar Ægyptiæ fabæ dantur cum vino. Itidem ſylueſtris rutæ ſeminis, gith, cumini Æthiopici, ariſtolochiæ, galbani, ſingulorum pares portiones tritæ, & cum erucæ ſucco ſubactæ, digeruntur in paſtillos, qui drachmæ pondus æquent: dantur ex ijs terni cyathi cum vino. Hæc habui de communibus auxilijs quæ dicerem. De peculiaribus remedijs contra beſtias, quæ venena vibrant, conſequenter eſt dicendum.

*Ordinis Dioſcoridis immutati ratio.*

*Venenoſorum animalium ictus, morſusq́; doctrinam, curandique rationem, duabus ſectionibus tradidit Dioſcorides. In quarum altera cuiuſcunque ictus indicia expoſuit: in altera verò curationes diligentiſſimè conſcripſit. Cæterùm præfationem hanc illi ſectioni præpoſuit, quæ curandi rationem docet: in qua præfatione omnium virulentorum ictuum curationem in vniuerſum proſecutus eſt. Verùm quoniam (vt ſuperius diximus in commentatione, quam in caput 35. huius libri conſcripſimus) rati ſumus illud non paruum legenti negocium faceſſere, quòd ex diuerſis locis indicia, & curationes conquirantur, vt id moleſtiæ quiſque effugeret, vtque citius commodiusque nulla temporis iactura omnia in vnum redacta haberentur, vbi prius illa in duobus locis legebantur, nos omnia in vnum locum congeſſimus, atque ex duobus capitibus vnum tantùm fecimus, ſingulis virulentorum ictibus ſua peculiaria remedia ſubijcientes. Hanc verò Dioſcoridis præfationem præfiximus, in qua tametſi adeò exactè doctéq; tradiderit is vniuerſalem virulentorum omnium animalium ictibus medendi methodum, vt nihil planè addi poſsit: tamen ne ab inſtituto noſtro defeciſſe videamur, in eorum gratiam, qui ſemper plura proferri expectant, nōnulla modo diſſeram, quæ, vt arbitror, non inutilia, neq; ſcitu iniucunda erunt. Dicā itaq;*

*Venenorum diuerſi gradus, & effectus.*

*primùm animalium, ferarumq́; virus, non in omnibus eſſe idem, ſed in hoc vehementiſſimum, & omniū perniciosiſſimum, adeò vt vna tātùm hora hominem conficiat, vt in aſpide, ceraſte, & baſiliſco: in alio verò minus vehemens, minusq; lethale, vno vel duobus diebus interimens, vt in vipera: in alio deniq; his longe imbecillius, vt in ſcorpione, & phalangio, longiore tempore necans. Verùm quanquam id plerunq; euenit, quòd animalia quæ mordent, vel iciunt, diuerſorum ſint generum, & proinde diuerſa etiam eorum venena, accidit tamen, vt ab aſpide, vel vipera demorſi quandoq; tribus tantùm horis, interdum vno duntaxat die, nonnunquam pluribus diebus ſuperuiuant. Quod à diuerſis cauſis prouenit: ſiquidem in aſpidum, & viperarum genere longè perniciaſiores ſunt fœminæ quàm mares, iuuenes quàm ſenes (quamuis nō deſint, qui contrarium putent) adultæ quàm adoleſcentes. Quinetiam feræ omnes, & inſecta in montibus, & aridis locis inter vepres, & ſaxa degentes, ijs citius hominem perdunt, quam quæ paluſtres vliginoſoſque tractus incolunt. Citius præterea necant, quæ orientalem, & meridionalem inhabitant plagam, quàm quæ ſeptentrionalem. Ad hæc famelicæ depaſtis nocentiores ſunt, & irritatæ venenoſiores ſunt, quàm dimiſſæ: quamuis omnium in vniuerſum ictus pernicioſiores ſint æſtate, quàm hyeme. Hæ itaque cauſæ eſſe poſſunt, cur citius, vel ſerius demorſi intereant. Id tamen etiam plerunque fit ex fortiori, vel imbecilliori demorſorum temperamento, aut vaſorum latitudine, vel anguſtia: quandoquidem (vt ſuperius pluribus in locis diximus) veneno non tam facilis patebit aditus, vbi vaſa ſuapte natura anguſta fuerint, quàm vbi latiora. Cæterùm errāt, Auicennæ teſtimonio, qui ſerpentiū venenū frigidum eſſe ſtatuunt, quòd ab ijs demorſi illico frigidi fiant,*

*Serpentium venenum nō eſſe frigidū.*

*quodque ſerpentes ipſi, vt frigoris impatientes, appetente hyeme in ſubterraneis cauernis latitent, vel ſub lapidibus, ſub quibus priuatim ſe condunt viperæ, vbi nonnunquam adeò frigore correptæ reperiuntur, vt ſtupidæ & immobiles redditæ, tanquam congelatæ perſiſtant. Frigiditas enim toti corpori ex ictu vel morſu adueniens, non vtique euenit ex veneni frigiditate, ſed quòd innatus calor ab extremis, & vltimis corporis partibus ad cor ſe conferat, quodque etiam veneno ſuperetur, & extinguatur. Nec eo argumento frigidi temperamento ſerpentes ſunt iudicandi, quòd ſcilicet hyeme immobiles, & ferè exanimes ſuis in cauernis reperiantur: quippe nulla alia de cauſa id illis accidit, quam quòd eorum natura, quæ calidiſſima eſt, id maximè refugiat, quod ſibi contrarium ſentit. Viſitur hoc pariter in piſcibus, qui cùm frigidi natura ſint, quàm primùm ex aqua extrahuntur, aeris calore necantur: quin & veſpæ, quæ temperamento calidæ ſunt, & ſiccæ, eadem ratione hyeme conficiuntur, niſi calidiſſimis recondantur locis. Sed iam ictuum, vel morſuum*

*Virulētorum ictuum, vel morſuum curatio.*

*Suctio ſugenti periculoſa.*

*virulentorum curationem aggrediamur. In qua Dioſcoridem, Paulum, Aetium, & alios æterni nominis ſcriptores imitati, dicimus efficaciſſimum eſſe remedium, morſu vel ictu illatum vulnus continuè ore ſugere (ſugentem tamen prius præparatum eſſe oportet) ſubinde venenum, vel venenatum ſanguinem expuere. Veruntamen id opus, meo quidem iudicio, perfici non poteſt, abſque magno ſugentis diſcrimine. Nam ſi in aliqua oris parte, aut gingiuarum, linguæ, palatique vlcuſculum aliquod fuerit, quanquam adeò inſenſibile, vt cutim tantùm occupet, vbi venenum in os ſuctione vocatum vlceris locum contigerit, & ſanguini ſe admiſcuerit, qui forti ſuctione facilè è gingiuis per dentium connexus manat, dubitandum non eſt, quin illico ſugenti perniciem inferat: itaque fiat, vt qui alteri mederi velit, ſibi ipſi necem paret. Quin nec minus periculi immineret, ſi venenata ſaliuæ tantillum in ſtomachum deſcenderet. Neque temerè hæc dicimus: etenim iam nos vidimus (vt ſuperius in noſtra in primam, & vniuerſalem huius libri præfationem commentatione retulimus) ruſticum, qui cùm fœnum quodam in prato ſecaret, fortè fortuna falce mediam ſecuit viperam: & cùm à trunco, quem manu imprudens ſuſtulerat, in digito morſus eſſet, os vulneri ſtatim admouit, & venenatum exuxit ſanguinem, quo facto repentè mortuus concidit. Proinde ſcitè admonet Aetius, vt caueant, qui ſugunt, ne os habeant vlceratum. Porrò ad hæc vitanda diſcrimina, recentiores galli vel gallinæ ſedem plumis exuunt, & vulneri conſultiſſimè applicant, & demortuo primo, alterum ſubſtituunt, idque tamdiu proſequuntur, quouſque vniuerſa veneni*

*Gallus ſede deplumata applicandus.*

*vis extrahatur. Cuius rei certum indicium habent, cùm gallus poſtremò appoſitus non moritur. Aetius Dioſcoridem ſecutus, non modò gallinaceos, gallinaſque viuentes diſſectas, & adhuc palpitantes his morſibus commode applicari tradidit, ſed etiam quodlibet volatilium genus, item iuuenum, tenellorumque quadrupedum. Dehinc idem iubet, excitatis calida aqua potu vomitionibus, valentiora dari antidota, nempe Theriacā, & Mithridatis antidotum. Mirificam vim in hac curatione habent, quantum equidem experientia comperi, quinta noſtra eſſentia, pariterq́; oleum de ſcorpionibus, quo-*

bus, quorum parandi rationem in præfationis huius libri commentario tradidimus: ſiquidem his tantùm antidotis, imò
nonnunquam ſolo oleo, nonnullos à viperis demorſos ſanauimus, paucis admodum horis, qui cùm nullum vitæ ſignum præ-
berent, tanquam deplorati iacebant. Nam tanta eſt horum partium tenuitas, vt momento vniuerſum corpus percurrant,
Cinis è laurinis lignis. & ſubinde omne ſuperent venenum. Protulit Aetius ſarmentorum, & ficulneæ cineris vice, eam quæ è laurinis conficitur
lignis. Cuius ſententiam magis probandam cenſemus, quòd hæc arbor ſuapte natura polleat aduerſus venena. Vbi verò ve-
neni vis contumax reperiatur, & non niſi longo tempore euinci poßit, eſt diligenter animaduertendum, ne icti vnquam die
ac noctu dormire ſinantur, donec veneni vis euanuerit, quippe quod ſomnus (vt alijs in locis ſuperius dictum eſt) venenum
maximè ad cor, & cerebrum ducat, & ſecum trahat. Multa præter hæc habentur remedia vulneri illinenda, vt calx viua,
oleo & melle ſubacta: hæc enim (vt Aetius eſt author) omnibus venenatis morſibus opem fert, præterquam ab aſpide
illatis. Sunt & qui nigri veratri recentem radicem in vulnus figendam conſulant: quòd hæc (vt equidem me experien-
tia cognouiſſe fateri poſſum) virus valentißimè extrahat. Quamobrem Tridentina rura cùm iumentum aliquod à ſer-
pente icitur, ſtatim perforato ibidem corio, præſtantißimo remedio ellebori nigri radices in vulnus inſerunt. Proſunt et-
iamnum magno iuuamento cæpa, allium, porrum, aſphodeli, & dracunculi radix elixa, contuſa, & ſubinde Theriaca,
aut Mithridatio, & oleo de ſcorpionibus ſubacta, & illita. Non ſecus auxiliantur, iridis, ari, phu, vtriuſque chamæleonis,
lilij, hemerocallis, helenij, fœniculi, ſmyrnij, gladioli, ſcillæ, ſparganij, cyclamini, bryoniæ, vtriuſque raphani, & bulbaceo-
rum omnium radices, conciſæ, ac decoctæ, & morſibus illitæ: quæ omnia ſæpe à nobis experta ſunt. Conferunt præterea
bdellium, Syriacum bitumen, pix liquida, caſtoreum, montanarũ caprarum fimum, euphorbium, ſulphur vrinæ admiſtum
ſal, nitrum, taurinum fel, oleraceæ crucæ, vtrunque laſer, galbanum, ſagapenum, panacis lachryma, erica, hyſſopum, ori-
gani omne genus, dictamnum Cretenſe, & Italicum, calamintha, conyza omnis, verbenaca, halicacabum, ſatiua & agre-
ſtis ruta, ſonchus tam aſpera quàm læuis, ſiſymbrium, ſinapi, naſturtium, lepidium, iberis, thlaſpi, aut in emplaſtru,
aut in fomentis exterius adhibita. Quæ verò pota, vel deuorata valentißima cenſentur, ea omnia erunt, quæ in noſtro in
huius libri præfationem commentario longiori catalogo recenſuimus: tametſi priuatim ad venenatos ictus præferantur
Medica mala, & eorum ſemen: quin & echij, & viticis, & liguſtici, & pæoniæ, & hyacinthi: præterea virides platani pen-
ſiles pilulæ, iuniperi baccæ, conyza, chamædrys, ſcordium, chamæpitys, echini terreſtris caro, gallinaceorum & gallinarum
cerebella leporis, & equi coagulum ex vino potum, marinæ teſtudinis ſanguis cum cymino, porri ſuccus ex melle, naſturti-
um, maioris centaurij, gentianæ, albi dictamni, & ſuperior gladioli radix, thlaſpi, pulegium, Cretenſe dictamnum, elich-
ryſi coma, ranæ oleo incoctæ, & ſale conſperſæ, earundem ius, oleo & ſale adiectis, & cerui genitale ſiccum, & in puluerem
Serpentinæ puluis ſingul. potum. Mirificum ac ſingulare remedium præſtat illius herbæ radix, quam Goritienſes, ex eo quòd ſerpentium morſibus
celeriter, & efficaciter medeatur, Serpentinam vocant, cuius hiſtoriam deſcripſimus libro ſecundo in coronopi mentione:
hæc ſiquidem in puluerem ex vino hauſta cochlearis menſura, à venenoſo quouis ſerpente demorſos breui tempore ſanat:
neq; ea ſolùm valet aduerſus virulentos ictus, ſed etiam contra epota venena. Iis ferè viribus pollent (vt quidam recentiores
fatentur) floſculi ſyluestres roſeo colore micantes, quos nonnulli ſylueſtres garyophyllos vocant. Porrò Galenus libro de theri-
aca ad Piſonem, cæteris antidotis tam ſimplicibus, quàm compoſitis ad virulentorum morſus Andromachi Theriacam
prætulit his verbis. Theriaca eſt proculdubio apud vniuerſos homines celebratißimum antidotum, tum quòd pollicito ne-
Theriaca laudibus à Galeno celebrata. minem fruſtretur, tum ob ipſius actionis efficaciam. Siquidem nullum vnquam à feris, quæ hominem ſolent interimere,
commorſum, hac ſtatim epota periiſſe memoriæ eſt proditum. Nullus eadem præſumpta, haud multò poſt morſu impetitus,
belluæ veneno ceu illam ſuperante interijt. Quod ſubinde nonnulli prætores etiam, penes quos vitæ & necis poteſtas eſt, ex-
periuntur: atq; medicamentum probare volentes, an quod promittat præſtare quoque poßit, in omnibus iam ob praua qua-
dam, & illegitima facinora ad mortem iudicatis, de ipſa faciunt experimentum. Nos autem cùm in hominibus id non poſ-
ſimus, in alijs quibuſdam animantibus idem facientes, veram medicamenti probationem inuenire conemur. Namq; gal-
lis, qui domi non enutriti, neque nobis ſunt contubernales, ſed potius agreſtibus, & ſicciore præditis temperamento, captis,
feras obijcimus, & qui inter illos non biberint ex medicamento, protinus intereunt: qui verò biberint, conualeſcunt, & à
morſu vitam retinent. Interdum verò medicamentum num adulteratum ſit, hoc quoq; modo probare conuenit. Si epota
Theriaca, non purgetur, qui purgans ſumpſit medicamentum, hoc ipſo iudicamus antidotum eſſe præſtantißimum, quoni-
am purgationem, ei qui medicamento vſus ſit purgante, impedierit, vt tali experimento à veri medicaminis inuentione
nunquam aberrauerimus. hactenus Galenus. Cuius nimirum ætate qui prætorium in facinoroſos exercebant iudicium, fa-
cile probare poterant num Theriaca probatæ eſſet facultatis, an adulterina. Namque pluribus in locis qui ob ſua facinora
mortis ſupplicio damnabantur, non ſemper capite, aut quouis alio pœnæ genere necabantur, prout leges ſtatuebant: ſed ſæpi-
us in theatrum ducti, vt mitiori ſupplicio e medio tollerentur, aſpidibus, & viperis offerebantur demordendi. Huius rei te-
ſtis eſt Galenus eodem libro ad Piſonem, vbi poſt enarratum Cleopatræ interitum, ſic inquit: Pluries in magna Alexandria
ſum contemplatus, quàm celeriter aſpides homines perimant. Cùm enim aliquem hac pœnæ lege damnatum, humaniter,
citoq; volunt occidere, adijciẽtes ipſius pectori feram, iubenteſq; paululum ambulare, ita ſine mora hominem tollunt è me-
dio. Probanda igitur fuerit Theriaca præſertim quæ fit hoc tempore, antequám ematur, vel alicui propinetur, in gallis a-
greſtibus à feris ſæpius enarratis demorſis, vt docet Galenus, aut in alio quouis animali: etenim in ſimijs (vt opinor) tuti-
us & certius id experiri poſſent, quòd ſimiæ magis cæteris hominem referant. Cæterùm ſi qua in Italia Theriaca nunc repe-
ritur, quæ mihi probanda ſit, ea ſanè fuerit (ſeruata omnium pace) quæ Veronæ ad Campanæ aureæ inſigne, à Franciſco
Calzolario, pharmacopæo quàm peritißimo ſimpliciumq; medicamentorum indagatori acerrimo, parari ſolet. Cùm ea
haud minora præſtare videatur, quam quæ olim Galeno imperatoribus parabatur. Siquidem præter mirificos quoſdã ſuc-
ceſſus, quos (vt ego mihi teſtis eſſe poſſum) in varijs ac diuerſis iam ferè deploratis vidimus morbis, nõ deſunt quoq; nonnul-
lorum aliorum haud infimæ doctrinæ Medicorum teſtimonia, qui hac theriaca vſi ſunt, ac quotidie vtuntur, admirandis
admodum ſucceßibus. Verùm enimuero cum ingenui, beneficiq; viri ſit munus, huiuſmodi auxilia tam humano generi ſa-
luberrima, in omniũ conſpectum palam facere, ac per vniuerſi orbis oras ſcriptis extollere, ne defraudentur homines, ſi ſilen-
tio inuoluantur ea, quibus mortalium vita tueri poßit, ac præſens quandoq; mors euinci & ſuperari, ego quidem, qui iu-
uandæ cùm Reipublicæ, tum poſteritati continuò operam nauare non deſino, huiuſce ſanè admirandæ antidoti vires retice-
re non poſſum, tametſi non defuturos ſciam inuidos, ac maleferiatos, qui hæc detrectare conabuntur. Atqui horum vecordi-
Calceolarij theriaca cõmendatur. am confringent nonnullorum clarißimorum Medicorum teſtimonia, quæ nunc in medium afferam. Teſtatur enim vir ſum-
ma experientia clarus Antonius Caprianus Mantuanus, qui ſuam ob raram doctrinam, & in morbis medendis ſolertiam
ab omnibus Sacroſancti Concilij Tridentini Patribus in medium aſcitus eſt, ſe quidem in quibuſdam, qui venenum hau-
ſerant, in peſtilenti febre affectis, in melancholicis, ac quartana febre laborantibus, Calceolarij theriaca felicißimè admo-
dum eſſe

dum eſſe vſum, non ſolum ſemel tantum, ſed ſæpius atq; pluries. Siquidem is (vt lucidiori teſtimonio hæc comprobata habeantur) hiſtoriam quoq; narrat cuiuſdam puellæ, annorum duodecim, quæ Mantuæ, in domo nobiliſsimæ matronæ Annæ Bonattæ, peſtilenti febre laborabat. Siquidem cum iam (vt ipſe ſcribit) omni arteriarum pulſu, ac voce eſſet deſtituta, ad vitam breui admodum tempore reuocata eſt, vna tantùm huiuſce Theriacæ drachma vino Cretico diſſoluta, violenterq; propinata. Scribit præterea vir non poſtremæ eruditionis Ioannes Baptiſta Oliuus Vitellianẽſis, Illuſtriſsimi D. Veſpaſiani Gonzagæ Medicus, ſe hoc ſingulari antidoto proprium filium à morte liberaſſe, qui argentum ſublimatum ſaccharum eſſe exiſtimans, domeſticorum incuria vorauerat. Eſt & Proſper Borgarucius Vrbinas Sereniſs. Galliarum Reginæ Medicus, qui quoq; fatetur ſe ſanaſſe Patauij fœminam quandam, (præter cæteros à ſe curatos) quæ pariter argentum ſublimatum ſumpſerat, propinata tantum Calceolarij theriaca. Eſt quoq; præter hos, vir ſumma doctrina inſignis Dominicus Monteſaurus Medicus Veronenſis, quippe qui ſcribat plures à ſe ſanatos celeberrimo hoc antidoto, quorum nonnulli à virulentis animalibus demorſi fuerant, quidam verò venenum vorauerãt. Atqui longè maiora fatetur Hieronymus Iuliarius medicus haud vulgaris. Quandoquidem ſcribat is à ſe Veronæ huiuſce antidoti auxilio ad vitam fuiſſe reſtitutum militem quẽdam è Toletinorum familia, qui ex potu ſucci radicum ſambuci, ſanguinis plurimùm per ſedem emiſerat: quinetiam fœminã quandam, quæ non ſolùm deorſum, ſed etiam ſurſum, magnam ſanguinis vim effuderat, ob potum colocynthidis dilutum ex Cretico vino paratum. Atq; his addit vir iſte fide dignus, huiuſce Theriacæ potu ſanitati fuiſſe reſtitutam mulierem alteram, è Diſcipulorum gente, diũturna admodum Cachexia adeò affectam, vt tanquam deplorata iam negligeretur à Medicis, vermibus plus mille (quod omnibus mirum videri debet) per ſedem pulſis. Tacebo interim admiranda quædam, quæ de huiuſce antidoti mirificis ſucceſsibus meminiſſe ſolet Ioannes Baptiſta Suſius Mantuanus, Medicus non imperitus. Quinetiã alias nonnullas hiſtorias haud minus admiratione dignas ſilentio inuoluam, tum ne lectoribus moleſtus eſſe videar, tum etiam quod intentio noſtra ſuum potius habeat ſcopum ad medicamentorum cùm ſimplicium tum compoſitorum, deſcribendas facultates, quàm ad hiſtorias recitandas. Quamobrem iam aliò ſermonem meum conuertam, dicamq; ingenuè me nihil penitus mirari quòd Theriaca, quæ Veronæ à Franciſco Calceolario paratur, hæc omnia præſtare queat, cùm haud me latere ſciam eandem minori ſuccedaneorũ numero eſſe paratam, quàm vnamquanq; aliam, quæ noſtra hac ætate in Italia habeatur. Namq; nullam ſcio ante hac paratam eſſe Theriacam, in qua legitimum venerit amomum, atq; legitimus coſtus Arabicus. Quæ quidem rara admodum medicamenta, cùm mihi examinãda miſſa ſint ab ipſo Calceolario, cumq; in his omnes obſeruauerim notas, quæ Dioſcoridi ijs tribuuntur, ea quidem mihi ſeruanda propoſui ijs tantum demonſtranda, qui fortaſſe noſtris hiſce commentarijs minus fidei quàm par ſit, adhibendum eſſe putabunt. Quin autem coſtus hic legitimus ſit Arabicus, præ cæteris Dioſcoridi cõmendatus, nihil ſanè eſt q̃ verear: quippe quòd leuis, plenus, denſus, aridus, coloratus, acris, intus candicãs, & (vt Galenus inquit) ſubamarus habeatur. Quanquã enim legitimus Indicus (mea quidem ſententia) eſt coſtus quem nuper ex orientali India ad nos detulit Cecchinus Martinellus Rauennas Pharmacopæus Venetus ad Angeli inſigne (vt ſuperius libro primo de Coſto agentes aſſeruimus) cùm tamẽ Dioſcoridis teſtimonio Arabicus cæteros antecellat, non poſſum non affirmare Coſtum à Calceolario ſua in Theriaca additum, omnium eſſe præſtantiſsimum. Cæterùm ſi quiſpiam fortaſſe reperiretur adeò contumax, atque incredulus (vt inuidi ac zoili eſſe ſolent) qui tantorum Medicorum teſtimonijs aſtipulari nollet, atque nequiret, faciat (obſecro) ipſemet huiuſce antidoti periculum: nam poſtea cognoſcet nos fabulas non venditare rei medicæ ſtudioſis. Hæc itaq; tantum dixiſſe libuit tum in vniuerſæ Reipublicæ commodum, ac deinde vt noſtræ huius ætatis Medici Calceolario viro optimo, ac nunquam ſatis laudato, ingens hoc beneficium acceptum referant: cui non parum etiam debere ſcio noſtra hæc commentaria, quòd ſplendoris non modicum ijs acceſſerit Calceolarij ipſius diligentia, quippe qui raras nonnullas ad nos miſerit plantas. Hinc itaque conijcere poterunt, qui hæc candide legerint, falsò à quibuſdam malè ſanis hominibus, Calceolarij theriacam impugnari. Narrant quidam antiquitus fuiſſe gentes in pluribus orbis partibus, quæ ſuapte natura cum ſerpentibus degebant, tractabantque manibus, nullo vnquam ab his morſu accepto. Cuius rei teſtis eſt Plinius libro 7. capite 2. vbi ita ſcriptum reliquit. Crates Pergamenus in Helleſponto circa Parium genus hominum fuiſſe tradit, quos Ophiogenes vocat, ſerpentum ictus contactu leuare ſolitos, & manu impoſita venena extrahere corpori. Varro etiam nunc eſſe paucos ibi, quorum ſaliuæ contra ictus ſerpentum medeantur. Similis & in Aphrica genus Pſyllorum fuit, vt Agatharchides ſcribit, à Pſyllo rege dicta. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, ex cuius odore ſopirent eas. Mos verò liberos genitos protinus obijciendi ſæuiſsimis earum, eoque genere pudicitiam coniugum experiendi, non profugientibus adulterino ſanguine natos ſerpentibus. Hæc gens ipſa quidem propè interemptione ſublata eſt à Naſſomonibus, qui nunc eas tenent ſedes. Genus tamen hominum ex his, qui profugerant, aut cùm pugnatum eſt, abfuerant, hodieque remanet in paucis. Simile & in Italia Marſorum gente durat, quos à Circes filio ortos ferunt, & ideo ineſſe ijs vim naturalem eam: hæc Plinius. Veruntamen, vt author eſt Galenus libro de theriaca ad Piſonem, Marſi qui ſuo tempore extabant, contra ſerpentium venena nullam vtiq; propriam habebant facultatem, ſed fraude quadam vniuerſam decipiebant plebeculam. Ipſe enim loco citato ita ſcribit. Circulatores hi nunquam congruo tempore viperas venantur, ſed multò poſt vernationem, cùm non amplius vigent. Captas autem ipſas crebro ſibi ipſis aſſuefaciunt, & cibis non ſolitis enutriunt, imò carnes ipſis permittentes, & continuè mordere cogentes, vt virus ex earum ore vacuetur efficiunt: quinetiam mazas quaſdã obijciunt, quæ dentium foramina obſtruant. Atque hac ratione morſus fiunt imbecilles, vt videntibus magnum ſit miraculum, talis ipſorum ad fraudem parandam artificij imperitis: hæc Galenus. Cæterùm id fraudis doliue genus, noſtro etiam tempore locum habet, in his præſertim circulatoribus, & circumforaneis, qui ex diui Pauli ſtirpe (quod tamen planè mentiuntur) ſe prognatos prædicant. Quippe quòd ferè omnes Apuli ſint ex Leccia vrbe oriundi, aut ex circumſtantibus locis: quanquam facilè poſſunt originem duxiſſe à Marſis eorum vicinis, qui ſexcentenis, aut fortaſſe millenis annis ante diuum Paulum extitere. Cauendum igitur fuerit ab eorum nugis, nam quicquid loquuntur pollicenturque, id omne fraudulenter, & doloſe agunt. Capiunt enim viperas abeunte iam hyeme, & vt magis ab earum morſibus ſe tutentur, manus ſibi perquam diligenter inungunt quodam vnguento hæc in venatione ab ipſis experto. Vnguentum illud conficitur ex oleo ſylueſtris raphani ſemine expreſſo, dracunculi radicis, & aſphodeli ſucco, leporis cerebro, ſabinæ folijs, lauri baccis, & alijs quibuſdam additis. Affirmant eo vnguento perunctos à ſerpentibus ici non poſſe. Quod ego facilè crediderim, cum etiam apud Nicandrum in Theriacis vnguentum repererim, quo qui fuerit perunctus à feris ici non poſſit. Nicandri verba ſubijciam, quæ ſoluta oratione ita redduntur. Quod ſi in triuijs miſta reptilia iam recens generantia ſeſe, & rem ſecum habentia, in ollam mittas, repones aduerſum pernicioſas noxas remedium. Inijcies autem in ollam illam cerebri, ſeu medullæ cerui recens cæſi drachmas triginta: cotylas quatuor roſacei, cuius primam, mediam, & tertiam expreſsionem vnguentarij præcipuas, & ſolas numerant. Olei ſplendentis crudi totidem cotylas infunde; & cotylam ceræ vnam, atque hæc in rotundo vaſe celeriter calefacito, donec liquefacta ſerpentium ſquama mol-

Hiſtoria.

Coſtus Arabicus.

Gentes tutę à ſerpentibus, eorumq; ictibus medentes.

Fraus circũforaneorum, qui ſe diui Pauli ſtirpe mentiuntur.

Vnguentum Nicandri.

Marſi vt Viperas capiant.

Terra obſignata S. Pauli.

Curatio ſecũdum quendã eremitam.

*mæ molleſcant: poſtea arte paratam molam recipies, & hæc omnia in vnum miſta turbabis, teresque cum ſerpentibus. Longè autem ſpinas ſepara: quandoquidem maleficum illis venenum adhæreat. Omnia porrò membra ex hoc vnguento inunge, tumque vel in quamuis viam, vel grabatum etiam te tutò conferes, vel cùm arentis æſtatis tempore ad areæ opera cinctus, tridentibus profundum manipulorum aceruum diſquiſiueris: hæc ille. Capiunt igitur qui Marſos ſe faciunt viperas, aliudque quoduis ſerpentium genus hoc modo: captisque ſtatim caput ſaliua perfundunt, cuius contactu non parum vileſcunt, & veneni feritatem deponunt, quòd hominis ſaliua facultate ſit illis prorſus contraria. Cùm autem in foro, vt miraculoſum de ſe ſpectaculum præbeant, ab his nullo veneni incommodo demorderi ſe facere volunt, oblato prius illis duræ carnis fruſto id dentibus dilaniare cogunt, vt virus, quod propè dentes quoſdam veſiculis continetur, in manſam effundatur carnem. Non deſunt tamen qui etiam veſiculas illas forcipibus abſcindant, ne amplius veneno repleantur: itaque hac fraude vniuerſam gentem decipiunt. Verùm pulcherrimè horum fraus quandoque detegitur, cùm ſimul in eodem foro plures eiuſdem praui generis homines contendunt, vt alter alteri primum locum præripiat, & ſummam apud populum authoritatem conſequatur. Nam ij, vt quiſque ſe legitimè ex diui Pauli familia ortum oſtendat, viperis, quibus venenum exemptum non ſit, ſeinuicem dilacerant, præſumptis tamen ſuis fallacibus antidotis: quibus tandẽ fruſtrati, à veneno victi relictis vexillis, tanquam moribundi, ſuis è pulpitis in terram cadunt. Et certè niſi ſtatim periti Medici illis opem ferrent, mortem ſæpe immaturam oppeterent: licet etiam interdum occumbant, & animam cacodæmonibus, corpora verò ſuis ſerpentibus deuoranda relinquãt. Equidem memini, cùm eſſem Peruſij, me duos huiuſce generis circumforãeos vidiſſe in foro, qui in tribus corporis partibus à viperis demorſi erant: & ij ſanè ambo perijſſent, niſi Carauitus ille Bononiẽſis chirurgus, & præceptor meus, oleo noſtro de ſcorpionibus eos inunxiſſet: nec ſuus illis profuiſſet lapis, quem vendunt, & omnibus præferunt, aduerſus omnia venena. Quemadmodum idem non profuit ijs, qui Tridenti inuicem in foro demorſi, & veluti mortui in hoſpitium delati, prædicto oleo ſanitati reſtituti fuere, magno quidem amborum diſcrimine, ac dedecore. Sunt qui dicant eum lapidem, vel potius terram obſignatam, à Melite inſula allatam, quam omnibus præponunt antidotis, vim omnino aduerſus ſerpentium venena efficacem habere, quemadmodum & ea, quæ à Lemno inſula, Lemnia vocatur. Veruntamẽ vbi ab aſpide, vel vipera quis fuerit demorſus, parum vel nihil proficit: quamobrẽ credendum minimè fuerit, panẽ vel vinum, quibus ſuas ij admurmurãt cantilenas, eos qui ſumpſerint, tutos à ſerpentibus, & alijs id genus venenum eiaculantibus, ad integrum vſque annum ſeruare poſſe. Quandoquidem nouimus nos, qui hoc pane deuorato ſe tutos à ſerpentibus exiſtimantes, ſerpentium venationi ſe dedere, ſed ab ijs tandem demorſi huius admurmurati panis opinione falſi interiere. Non tamen eam inficias, quin aliqui reperiantur, quibus quædam ea à cœlo facultas tributa eſt, vt à ſerpentibus non mordeantur. Siquidem noui ego plures, qui ſimpliciter, nulloque artificio aut verbis, aſpides & viperas quotidie capiebant, nec vnquam ab ijs icti fuere: quamuis ſerpentes ab ijs modo pedibus calcati, modò manibus compreſſi fuerint, ac diutius in nudo eorum ſinu geſtati. Neque præterea negauerim, ſerpentes non poſſe carminibus, & incantationibus compelli, quòd plurimis id conſtet experimentis. Cæterùm, vt nihil quod ad curationem ictuum virulentorum facere poſſit, à nobis prætermittatur, qui omnia quæ ſcimus, ingenuè docemus, non verebor prodere memoriæ (etſi id ſciam ad Medicos non ſpectare, neque ab ipſis recipi) quonam pacto in Romano agro ſenex quidam eremita amicus meus, à feris ictos ſanabat, ipſis abſentibus ægris. Cùm enim quis è circumſtantibus populis à ſerpente demordebatur, id per nuncium eremitæ ſignificabant: tum is interrogabat nuncium, an medicamentum icti loco exhibere vellet: quòd ſi id ſe facturum reſpondebat, iubebat ille, vt dextrum pedem calceo denudatum ſolo ſiſteret, & cultello totius pedis veſtigio lineam circunducebat: deinde iubebat pedem auferri, & intra ſpatium lineæ ſignatæ cultelli cuſpide hæc verba inſcribebat: CARO CARVZE, SANVM REDVCE, REPVTA SANVM, EMANVEL PARACLETVS: mox terram eodem gladio abradebat, ita vt omnes abolerentur characteres: abraſum puluerem fictili quodam paruo aqua pleno excipiebat, ibique tantiſper dimittebat, donec terra ſubſideret: demum nuncij interula aquam percolabat, & cruce ſignatam illi bibendam præbebat. Sed certe mirum eſt, quòd eadem hora ictus ſanabatur, qua nuncius potionem illam ſumpſerat, vt mihi planè compertum eſt, & omnibus illius regionis incolis. Hæc eſt curatio in virulentos ictus, qua vtebatur ille eremita: qui mihi ſæpius dixit, hoc eſſe maius ſecretum, efficaciusq; remedium, quàm habeant ij, qui ſuam originem in diui Pauli familiam falsò referunt.*

## Σφῆκες, καὶ μέλισσαι. VESPÆ, ET APES. CAP. XLI.

INter ferientium venenatorum notas, nihil de veſpis, & apibus articulatim digeſsimus, quòd conſpicuæ omnibus ſint, & nihil excellens, aut notatu dignum in his obſeruetur: inter remedia tamen earum meminiſſe non fuit alienum. Igitur aduerſus vtrarumq; ictus prodeſt illita malua, & hordeacea farina cum aceto, ficulneum lac in vulnus inſtillatum, & muriæ, aut aquæ marinæ fotus.

Veſparum, & apum ictus; & remedia.

Signa ictus apum & veſparum.

*ETſi veſparum, & apum ictus nemini vnquam attulerit necem, cum tamen dolores moleſtiſſimi inde quandoque oriantur, non alienum, neque inutile fuerit ea noſſe medicamenta, quibus facilè ijdem mulceri poſſint. Quamobrem iam dictis à Dioſcoride remedijs ea addenda duximus, quæ priuatim ſcribit Aetius libro 13. ſic inquiens: Si quis ab apibus, & veſpis illæſus permanere velit, eum maluæ folia cum oleo illita, & eruca, ſiue bruchus cum oleo illitus aſſeruabunt. Quandoquidem verò quidam ab his clanculum percuſſi, ob dolorem perturbantur, putantq; ſe à maligno aliquo animante petitos eſſe, neceſſarium exiſtimo prius oſtendere quæ ſigna horum ictus comitentur. Hos itaque, qui ab apibus punguntur, dolor ictus conſequitur, & rubor loci, cum tumore partium in ambitu ſitarum: ſtimulus autem omnino in percuſſo loco reperitur. Eadem etiam hos, quos veſpa pupugit, concomitantur, ſed intenſiora: verùm ſtimulum veſpa in percuſſo loco non relinquit. Auxilium autem vtrique ferunt luto, aut ſtercore bubulo eis illito cum poſca: aut maluæ folijs impoſitis cum poſca: aut cimolia cum malua & poſca. Naturaliter autem opitulatur veneranda, & viuifica ſtrombi conchylij imago in ſigillo ferreo exculpta, & loco ictus appreſſa: non enim permittit amplius inflãmationem generari. In potu præterea ipſis foliorum lauri tenerorum drachmas duas cum vino auſtero præbeto: hæc Aetius. Cæterùm compertum eſt, dolorem ſtatim ſedari illitis muſcis prius contritis. Id quod ſimiliter præſtant thymbra, meliſſophyllum, & ſiſymbrium.*

## Φαλάγγια. PHALANGIA. CAP. XLII.

DEmorſis á phalangijs locus quidem ipſe, quaſi ab impacto aculeo rubet, non intumeſcens, nec per ambitum calidus eſt, ſed mediocriter humeſcit: vbi verò contrariorum occurſu refrixit, conſequitur corpore

corpore toto tremor, diſtentiones poplitum & inguinum, conuulſionibus non diſsimiles, in lumbis collectio exoritur, & perpetua vrinæ libido laceſsit, multaque reddendis excrementis colluctatio: vniuerſa cute frigidus ſudor emanat, collacrymant oculi, offuſiſque nebulis caligant. Horum ictibus ficulneum cinerem adiecto ſale trito, & vino imponere oportet: aut radicem ſylueſtris punicæ quàm tenuiſsimè tritam: aut ariſtolochiam cum hordei farina, & aceto ſubactam. Vlcera aqua maris proluẽda, aut apiaſtri decocto, foliaque eiuſdem illinenda. Lauacris perpetim vtendum, & propinandum abrotoni ſemen: aniſum, ariſtolochiã, cicer ſylueſtre, cuminũ Aethiopicum, cedrides tritas, platani corticẽ, & trifoliæ herbæ ſemen: priuatim autem, ſingulorum ex ijs binas drachmas dare cum vini hemina conuenit: item myricæ fructus, & chamæpityos, & viridium cupreſsi pilularum decoctum, admiſto vino. Sunt qui fluuiatilis cancri expreſsi ſuccum cum lacte, aſſumpto apij ſemine, confeſtim moleſtijs liberare prodant.

Phalangiorũ genera ex Aetio.

*PHalangiorum genera quanquam plura à veteribus deſcribuntur: tamen Aetius libro 13. cap. 18. ſex tantùm numerantur, his verbis. In phalangiorum genere primum quidem rhagium, alterum lupum, tertium formicarium, quartum cranocolaptes, quintum ſclerocephalum, ſextum ſcolecium appellant. Ac primum quidem Rhagium, id eſt, acineum, figura rotundum eſt, colore verò nigrum, acini vuæ nigræ ſimilitudine, vnde etiam appellationem accepit: & os quidem iuxta medium ventrem habet, pedes verò ex vtraque parte quàm breuiſsimos. Alterum verò Lupus appellatum, muſcas perdit, eiſque paſcitur, ac corpus quidem habet latum & volubile, partes verò circa collum ipſis inciſæ ſunt: amplius autem & os eius eminentias tres habet. Tertium autem Myrmecium, hoc eſt, formicarium dictum, formicæ maximæ aſsimilatur, colore fuliginoſo: corpus verò eius velut aſtris quibuſdam inſignitum eſt, maximè circa dorſum. Quartum deinde Cranocolaptes, ſublongum eſt, & viride, ſtimulumque iuxta collum habet, atque ſi in quem irruat, locos circa caput petit. Quintum Sclerocephalum dictum, caput habet ſaxeum, & obduratum: lineamenta verò per omne corpus ſimilia animalibus illis, quæ circumuolitant noctu lucernas. Sextum autem Scolecium ſiue vermicarium appellatum, ſublongum eſt, & ſubmaculoſum, maximè circa caput. Atque hæ quidem ſpecies phalangiorum enumerantur: hactenus Aetius. Qui tamen cuiuſcunque phalangij notas, & indicia ſeorſum non deſcripſit (genus enim diuerſum diuerſa quoque parit ſymptomata) ſed omnia in commune ſimul collegit. Quamobrem ſi particulatim cuiuſque phalangij indicia per ſe ſcire cupimus, Nicandrum conſulamus.*

Phalang. genera, & morſus notæ ex Nicandro.

Rhox.

*Is ſiquidem in theriacis præter id quòd plura, quàm fecerit Aetius, phalangiorum genera reddit, ſingulorum etiam priuatim indicia deſcribit ſuis verſibus, qui ita paraphraſticè in Latinum vertuntur. Opera iam nunc noxij conſidera phalangij, ſignaque eius morſus. Primus itaque ſplendidus Rhox appellatur, niger planè, accumulatis pedibus prorepens, medium ventrem ore, & dentibus ſeptem habens. Cui ab hoc inflictum fuerit vulnus, perinde corpore apparet atque ſi nihil quicquam ſauciatus foret: oculi verò inferiori parte rubeſcunt, frigus iuxta in corpore adhæret, infigitur, ſtatimque color, & membra hominis à ſupernis ad ima vergere videntur: neque penis ſemine vuidus demittitur, ſed lumbos occupans ita frigus genuum nexus diſſoluit. Aſterion iam ſecundum obſerua, in cuius dorſo pinguia quædam relucent, ac lucida in corpore virgulæ. Percuſſum ab hoc inexpectatus horror cum flamine quodam adoritur, caput verò ſomnus grauat, genuum & membrorum nexus, & imbecillitas fit. Cyaneum aliud ſublime, crinitum, & aſperum æqualiter eſt. Difficilem corpori infert illud puncturam, quodcunque labefactauerit, corque graui languore ſuccumbit. Nox & caligo tempora circumſtant, vomitumque edit è collo lubricum, ab araneis telis non multum diſtantem, adeoque tandem interitum ſubminiſtrat. Ab hoc alius eſt Agroſtes, qui ſpecie ſua lupo ſimilis eſt, muſcarum interemptori, qui apum obſeruator eſt, culicum qui pſenes dicuntur, & æſtrorum, & omnium quæ ad telam ipſius peruenerint. Hic imbellem plagam, & vanum vulnus homini infligit. Quod autem Dyſderi, ſiue ſphecium appellant, rutilum ſatis, veſpæ crudis veſcenti perſimile. Hic ſi quempiam vulnerarit, ingens è vulnere tumor erigitur: morbi etiam quidam ad genua, alias etiam neruorum cordis, & venarum languentium trepidatio alias virium deſtitutio, vt percuſſum ſæpius domet, atque interimat. Extremi maleficij animal, ſomnum adferens, qui hominem quieſcere ab huius ſeculi laboribus faciat. Eſt præterea Formicariũ dictum, quod formicis planè ſimile ſit, collo quidem rutilum, reliquum corpus nigredini ex putredine factæ, par eſt, vndique latum, ſtellatum dorſum, punctiſque diſtinctum gerens, cui ſubcinericium tempus ad modicam ceruicem attollitur. Atque ex hoc phalangio dolores priorum ſimiles venenatorum veniunt. Sunt & alia parua phalangia ſcarabeis ſimilia, quæ in agris inter legumina ſua carpunt paſcua. Horum circa cruciantem morſum tubercula, & puſtulæ exurgunt, cor oberrans furit, lingua inconditè obmurmurat, oculi etiam ſubuertuntur. Educatur in Aegypto in perſeæ folijs, quem Cranocolapten dicunt, phalænæ ſimilis, quæ circum lucernas cum impetu volitat nocte. Eius horribile ſemper caput inceſſanter nutat, vterus autem grauatur. Hic vbi cuipiam ſtimulum infixerit, quem ceruicetenus gerit, facilè ſanè citra omnem laborem ad interitum ducit: hæc Nicander. A quo tamen in hoc diſſentit Aetius, quòd ſclerocephalum ijs ſimile fecerit beſtiolis, quæ noctu lucernas circumuolitant, Nicander verò huic cranocolapten comparauerit. Sed iam ea proſequamur, quæ de phalangiorum ictibus tradidit Aetius, qui loco ſuperius citato ſic habet.*

Aſterion.

Agroſtes.

Dyſderi.

Formicariũ.

Scarabeis ſimilia.

Cranocolaptes.

Phalangiorũ ictuum ſigna & curatio ex Aetio.

*Quæ percuſſos à phalangijs cõcomitantur, cõmunia ſunt iuxta magnitudinẽ, & paruitatem diſcreta. Morſus porrò tenuis eſt, vt vix conſpici poſsit: tumor autem liuidus, quibuſdam etiam rubicundus: frigiditas adeſt circa genua, lumbos, & ſcapulas, nonnũquam verò totũ corpus aggrauatur: amplius & dolor aſsiduus adeſt, tremor, pallor, vigiliæ. Quibuſdam verò pudendi tentigo, & circa caput pruritus, aliquando etiam circa ſuras: oculi humecti, & lachrymantes, ac caui, & venter inæqualiter eleuatur. Intumeſcit autem vniuerſum corpus, facieſque, & maximè circa linguam partes, adeò vt impedito ſermone balbutiant demorſi. Quibuſdam verò vrinæ emittendæ difficultas adeſt, cum pudendi tentigine, & dolore. Si verò minxerint, aquoſæ ipſorum ſunt vrinæ, quædam aranearum telis ſimilia in ſe habentes, & vomitus quoque ſimilis: aliquando verò & per vomitum, & per ventrem talia excernuntur. Cæterùm in calidam aquam demiſsi, dolore leuati ſibi videntur: poſt verò è balneo egredientibus intentum dolet pudendum. Senioribus verò pudendum plurimum laxatur, ac minimè intenditur. Atque hæc quidem communiter ad omnium ictus ſequuntur. Si verò cranocolaptes aliquem percuſſerit, caput magis dolet, & vertigines conſequuntur, frigus continuus, delirium, corporis iactatio, & ventriculi punctiones. Omnes autem à phalangijs percuſsi iuuantur aſsiduis balneis: ictus etiam locus ex trifolij bituminoſi decocto, cum oleo proluatur, totũ verò corpus ex cerato liquidiſsimo pingueſiat. Iuuantur etiam fomento ſpongiarũ in calido aceto tinctarum, & plagæ continuè adhibitarum. Cataplaſmata autem eis conueniunt: bulbi, ſanguinaria, porrum, furfures aceto incocti, hordeacea farina incoctis cum ea in vino aut melle lauri folijs, ruta, groſsi, caprinũ ſtercus cum vino, amaracus cum aceto, ſylueſtris ruta cum aceto & cyperus: hactenus Aetius. Cæterùm Dioſcorides varijs in locis huius totius operis de medica materia plura alia medicamenta intus in corpus ſumenda aduerſus phalangiorum morſus commemorauit, præter ea quæ hoc capite ſpeciatim retulit. Ea autem ſunt, ſi ſummatim colligantur, myrti baccarum ſuccus ex vino potus: fructus*

item ſe-

*item foliorum mori cyathi menſura, lixiuium è fici vel caprifici cinere paratum, aſparagi radicum decoctũ, agreſtis lactucæ coris ſemen, hederæ ſuccus ex aceto potus, ruta ex vino hauſta, hieracium, dauci ſemen, melanthium drachmæ pondere ex aqua potum, aparine, meliſſophyllum, & phalangium herba ex vino pota, pentaphyllum, & hyacinthi radix, ſedum minus. Quæ verò ad idem exterius illinenda commendauit, hæc ſunt, mullus piſcis diſſectus, maluæ decoctum, aqua marina, & marinorum iuncorum tenella folia. Nec deſunt compoſita medicamenta ab authoribus tradita, quæ ſi quis videre & habere cupit, Galenũ conſulat libro ſecundo de antidotis, vbi valentiſſima deſcribuntur antidota ad phalangiorum ictus, è pluribus veterum clariſſimorum medicorum monumentis excerpta. In ſumma tamen legitima Theriaca, & Mithridatium contra phalangiorum venenum cæteris præſtantiora cenſentur. Sunt etiamnum in phalangiorum genere recenſendæ, quæ nobis in Hetruria TARANTVLAE vocantur: quarum hiſtoriam, & admiranda ſymptomata ſuperius libro ſecundo abundè retulimus, cùm de phalangijs diſſereremus. Quinetiam inibi docuimus, quo modo ab ijs icti curentur muſicis inſtrumentis, ductiſq; quàm longiſſimis tripudijs, quare eo ſe conferre poterunt, qui hæc ſcire deſiderant.*

Tarantulæ venenum & remedia vide libro II.

## Σκολόπενδρα. SCOLOPENDRA. CAP. XLIII.

SI Scolopendra, aut dicta ophioctene, morſum intulit, locus per ambitum liuore ſugillatur, & computreſcit: interdumque, licet raró, fæculentus, atque ruber cernitur. A morſu ipſo exulcerari locus incipit, vlcusque id negocium exhibet, ferè remedijs inuictum: præterea toto corpore prurigo ſentitur. Hæc vbi morſum infixit, ſal quàm leuiſſimè tritus, ex aceto vulneri inſpargendus, aut ruta ſylueſtris ſuperponenda. Locus acida muria fouendus, & danda in potu ariſtolochia cum vino, aut ſerpyllum, aut calamintha, aut ruta ſylueſtris.

Scolopendræ venenoſæ conſideratio.

*TErreſtres Scolopendras Hetruſci centipedas vocant. Sunt enim in Hetruria omnibus vulgaris notitiæ vermes, innumeris vtrinque pedibus refertæ, colore ſubruſo: diuerſo quoque genere conſtant. Cæterùm ea tantùm ictu venenum relinquunt, quæ quòd morſu ſerpentes interficiant, ophioctonæ appellantur, quarum tantùm exiſtimamus hoc loco meminiſſe Dioſcoridem. Veruntamen quæ in vniuerſo genere ea ſint, hactenus compertum non habeo. Quibuſdam in regionibus tanta copia increuere ſcolopendræ, vt fugati ab eis populi, proprios deſeruerint lares, quod Arerietis contigiſſe ſcribit Theophraſtus. Progreditur Scolopendra tam in anteriorem, quam in poſteriorem partem. Idcirco ſcribit Ariſtoteles lib. 4. cap. 7. de hiſtoria animalium, quòd diſſecta Scolopendra altera parte in caput, altera in caudam, mouetur & ſerpit. Vnde videtur exiſtimaſſe Nicander, hanc bicipitem eſſe, vt eius verba in theriacis innuunt, cùm inquit. Modicaque pemphredon, bicepsque ſcolopendra, cuius euntis alæ, vt remi nauis, feſtinant. Non inepta quidem Nicandri comparatio: nam Scolopendræ pedum multitudine velocique motu triremem repræſentant. Harum morſibus (vt Dioſcorides ait) auxiliantur aſphodeli ſemen, & flores ex vino poti. Quinetiam (vt ſcribit Aetius) ea omnia Scolopendræ ictibus medentur, quæ priuatim muris aranei morſibus conueniunt, de quorum curatione paulò inferius dicemus. Præferunt antiquorum nonnulli cinerem aceto ſubactum, & vulneri illitum, item ſcillam: præterea pulegium, rutam, & mentham ex vino potam. De marinis Scolopendris tradidimus ſuperius libro ſecundo. Nec tamen mihi compertum eſt, aliam noxam ab ijs inferri, quàm ingentem pruritum ijs tantùm partibus, quibus inhæſerint (vt ſcribit Ariſtoteles, & Dioſcorides) earum erucarum more, quæ pilis horrent, & quæ præſertim in pinu vitam agunt.*

Scolopendræ morſus remedia.

Scolopendra marina.

## Σκορπίος. SCORPIO. CAP. XLIV.

SCorpionis morſu inflammari ſtatim incipit locus, & indureſcit, ac intentus rubet, viciſſimque dolore premitur: modó ſiquidem exæſtuat, modò frigore occupatur. Labor repentè fatigat, & aliquando meliuſculè habet, aliquando recrudeſcit. Conſequitur ſudor, horroris ſenſus, & tremor. Extremæ corporis partes refrigeſcunt, inguina extolluntur, per ſedem flatus exeunt, capilli eriguntur, pallor membra decolorat, & dolor tanquam ex pungẽte acu, per vniuerſam cutem ſentitur. Percuſsis præſenti eſt auxilio ficulneum lac in vulnus inſtillatum. Scorpius ipſe, qui ictum vibrauit, tritus, & percuſſo loco impoſitus, ſuæ plagæ remedium eſt, ob cæcam quandam naturarum (vt conſtat) diſcordiam, quæ antipathia appellatur. Præterea tritus, & impoſitus cum ſale, lini ſemine, & althæa, ſcorpius conuenit. Sulphur ignem non expertum, reſina terebinthina exceptum, & emplaſtri modo adiectum, auxiliatur. Itidem galbanum ad ſplenij formam ductum, & calamintha, quæ trita illinatur, & farina hordei in vino parata, in decocto rutæ. Semen trifoliæ herbæ tritum, & vulneri iniectum opitulatur. Hæc ad affectum locum pertinent. Poſt hæc quàm efficaciſſimis potionibus vtendum, cuiuſmodi ſunt ariſtolochiæ, præſertim corticis binæ drachmæ cum vino, tuſa gentiana, & pulegium decoctum, & baccæ lauri pauco numero tritæ, & calamintha cum poſca, in qua magnopere diſcoqui debet: cupreſſus cum vino, & ruta, nec ſecus ficulneum lac: laſerpitium ſi adſit: ſin deſideretur, peucedani ſucco vtendum: efficax eſt potum trifolij, & ocimi ſemen. Horum autem omnium vicem penſat iugis lauacri vſus, euocatus ſudor, & dilutæ vini potiones.

*PLura, ac varia antiquis numerantur Scorpionum genera, vt latius libro ſecundo diximus, quorum alij multum, alij parum ſuo ictu officiunt, alij verò pro diuerſitate locorum nihil penitus lædunt. Id quod teſtatur etiam Ariſtoteles lib. 8. cap. 29. de Hiſtoria animalium his verbis. Morſus etiam beluarum ex locorum diuerſitate plurimum differunt. Nam in Pharo, lociſq; alijs non lædunt. Alijs verò & præcipuè in Scythia multi, magni, & nocui ſunt, adeò ut ſi vel hominem vel quamvis beſtiam percuſſerint, interimunt: nec ſues euadere poſſunt, quamuis cæteros virulentos ictus minimè ſentiant. Porrò Nicander in Theriacis ſcribit eorum octo reperiri genera, his verbis: Agedum aculeo dolorifico armatum ſcorpionem canam, eiuſq; tetricum genus. Quorum primus albicans, neque ſonticus neq; lethalis eſt. Sed cui rutila gena micant, calorem flagrantemque mortalibus furorem incuſsit, quo malo homines horrore concutiuntur, & frigent, perinde ac qui febre diuexantur, & acri ſiti incenduntur. Qui liuidus eſt, malam trepidationem, & motionem tribuit hominibus, quos percuſſerit, qui ceu attoniti, & vani, & ſtulti rident. Alius viridante colore, qui ſimulac corpus hominis concuſſerit, tremores, & frigora illico admittit, acriſque grando talibus videtur circumſtare, etiam ſi Sol ardentiſsime radijs ſuis flagret. Talis tantaque eius ſtimuli afflictio, cuius vertebræ nouem (lego ſeptem, cùm non plures ſcorpionum*

Scorpionum genera octo ex Nicandro.

*pionum caudis ineſſe comperiantur) iuncturis connexæ apice ſuo nocent. Alius liuido colore, ingentem aluum geſtat, latumque: herba enim veſcens, ſemper inſaturabilis manet, corpus etiam hominis exedens, inguini inſolubili ictu nocens: tam vehemens eius genis & ori morſus inſitus infixusque eſt. Deprehendes itidem ſimilem ſcorpionem litorali ſeu marino cancro, qui albentes algas fluctumq́ maris decerpit paſcendo. Alij rurſus incuruis æquales planè paguris videntur, corpore grandes, chelis, & forcipibus æque ſolidi atque paguri, qui in ſaxoſis cauernis demorantes ſibi timent: quinetiam è paguris tales ſcorpiones, genus & ortum ſuum ducunt. Nam cùm rupes tenues, que multum ſtrepentis maris reliquerint algas, eos ex mari ineſcantes piſcatores extrahunt. At paguri ſe peti ea venatione ſentientes, murium rimas, & nidos ſubeunt, vbi prolem perditricem habent, ibique è mortuis tandem paguris ſcorpij nocentes per foramina iſta generantur. Poſtremò melichlorus tibi animaduertendus, cuius ſummum verticillum pænigrum eſt, inextinctamque noxam infligit, hominibus certè infenſiſsimus ille, obliquo greſſu corpus flammæ ſimile commouens: pueris verò, & natu minoribus celerem interitum adduxit: quibus & circum terga denſæ alæ expanduntur locuſtæ fruges rodenti non diſsimiles: hactenus Nicander. Cæterum ſcorpionum ictuum indicia, & curationem conſcripſit diligentiſsimè Aetius lib. 13. cap. 19. ſic inquiens: A Scorpio percuſſos vehementiſsimus plagæ dolor conſequitur, frigiditasque ac tenſio, & ſtupor: circaque plagam, & totum corpus frigidus ſudor: & his, qui iuxta infernas partes percuſſi ſunt, inguina excitantur, ac intumeſcunt: qui verò circa ſupernas, locus ſub alis. Et hæc quidem leuiter percuſſis adſunt. Validius autem ictis ardor circa plagam adeſt, quemadmodum in ambuſtis, & verrucarum inſtar formicarum eruptio circa labra, & totum corpus, vt grandine ſe impeti putent. Facies diſtorquetur, ſordes circa oculos adſunt glutinoſæ, & lachrymæ viſcoſæ: durities articulorum, anusque procidit, cum egerendi cupiditate: ſpuma circa os eſt, & vomitus largus, ſingultus, conuulſiones opiſthotonicis ſimiles. His igitur ſerpyllum, althææ radicem, & elaphoboſcum bibendum præbeto. Præter opinionem autem facit elaphoboſcus, tum viridis comeſta, tum ſicca pota. Cochleam item hortulanam maximè accipito, eamque vnà cum operimento tritam, plagæ imponito, & confeſtim ſedabis dolorem. Idem etiam vermes terreni facere dicuntur. Prodeſt præterea fluuiatilis cancer tritus, addito laſere, in vino potus. Confert verbenaca recta, aut viridis cataplaſmatis modo impoſita, aut ſicca in puluerem pota. Conducit etiamnum puluis ex æqualibus partibus cumini, melanthij, & viticis ſeminis confectus, & drachmæ pondere ex vino potus. Datur & paſtinacæ ſemen, quin & ponticæ nuces: quippe hæ non modò in cibum ſumptæ, ſed in cingulo quoque geſtatæ, geſtantem ab omni ſcorpionum ictu tutum reddunt: hæc ex Aetio. Commune & vulgare remedium eſt plagam perungere ipſorum ſcorpionum oleo. Proinde oleum noſtrum de ſcorpionibus, cuius antea ſæpenumero mentionem fecimus, hac in curatione maximopere conueniet. Scorpionum ictibus Dioſcorides præter ea medicamenta, quorum hoc capite meminit, hæc quoq́ ſparſim in ſuperioribus libris mederi tradidit: nempe amomũ melle ſubactum, fluuiatiles cochleas, mullum piſcem recentem, ſmaridem muria aſſeruatum, diuulſas lacertas, domeſticos mures conciſos, tritici farinam vino aut aceto ſubactam, ſonchi & intubi ſuccum, ocimum polentæ admiſtum, amaracum ex ſale & aceto, hieracium, laſerpitij lachrymam, meliſſophyllum, chamæpityn: verbaſci illius folia, quod tantùm aureum florem gerit, leucoij aurei ſemen: & polemoniæ radicem, cui tantam vim contra ſcorpiones ineſſe quidam tradunt, vt ij ab his non feriantur, qui eam geſtauerint: quos, ſi fortè percuſſi fuerint, nihil tamen moleſti paſſuros aſſirmant. Et hæc omnia proſunt tantùm vulneri illita. Quæ verò pota vel deuorata auxilium præſtant, eiuſdem teſtimonio, hæc erunt: fluuiatiles cancri triti, & cum aſinino lacte poti: aſinorum & equorum, qui in paſcuis degunt, fimum liquatum in vino, & potum: oxylapathi, & oxalidis ſemen ex vino aut ex aqua potum, agreſtis lactuca: abrotoni hortenſis, paſtinacæ, hyacinthi, & vrticæ ſemen: quin & oluſatrum, & heliotropium, & cardamomum, & myrrha, & myrti baccarum vinum. E quibus omnibus cùm plura poſſint confici antidota, pro varia Medicorum intentione, non operæpretium puto, nos hac in re longiorem moram ducere, vt quæ potius peritiſsimi cuiuſque iudicio ſit relinquenda.*

Scorpionum ictus, & curatio ex Aetio.

Remedium commune.

Remedia alia ex Dioſc.

Τρυγὼν θαλάσσια, σκορπίος καὶ δράκων θαλάσσιοι.

## PASTINACA MARINA, SCORPIO ET DRACO MARINI. CAP. XLV.

SI Marina paſtinaca percuſſit, protinus accidunt moleſti dolores, aſſiduæ conuulſiones, laſſitudo & imbecillitas, mẽs percuſſis labat, poſtea obmuteſcunt: oculi caligant. Percuſſus autem locus in ambitu cum vicinis partibus denigratur, & ita obſtupeſcit, vt tangentem non ſentiat: hunc ſi quis premat, atra ſanies, craſſa, & malè olens excernitur. Ei qui marina paſtinaca icitur, omnia, quæ de viperarum morſu paulò poſt referemus, ſimili modo conueniunt. Peculiariter autem ictus à marino ſcorpione, & dracone inferuntur, qui moleſtos cruciatus cient: interdum autem, ſed rarò, nomas excitant. Quibus abſinthij, ſaluiæ, aut ſulphuris ex aceto triti potio ſubuenit. Ipſi etiam diſſecti, vulneribusque impoſiti, ſui cuiuſque ictus remedio ſunt.

*QVi à marina Paſtinaca percuſſi ſunt (vt teſtatum reliquit Aetius) his vulneris locus manifeſtè apparet. Sequitur autem dolor pertinax, & totius corporis ſtupor. Acutum enim, & firmum habet aculeum, quo vehementiſsima vi in altum impulſo, nerui ſauciantur: quapropter in aliquibus mors derepentè totum conuellens corpus comitatur. Narrant quidam, quòd ſi quis caudam paſtinacæ, quæ ictum intulit, auferat, & in arborem maximè quercum, ſuſpendat ac figat, ipſam quidem arborem areſcere, ægrum autem ſanari, atque id iuxta contrariæ affectionis, & remedij rationem contingere. Id quod etiam aſſerit Nicander in theriacis, his planè verbis: Trygonem, hoc eſt, paſtinacam, itidem maleficum, mareque vaſtantem draconem arcere noui. Dolor autem ſic hominem afficit trygon, cùm oblongis ſagenis defatigatum piſcatorem aculeo ſuo ceciderit: vel etiam ramis arboribus infixus fuerit, nam tum arbor ea fit obſcurior ignobiliorque. Siquidem ab huius morſu, ceu ſalis æſtu, eius & radices perditæ vna cum folijs flaccidæ redduntur, & areſcunt: homini verò caro putredine imminuitur: hæc Nicander. Cæterùm auxilium ſentiunt percuſſi, vt Aetius inquit, vbi ſtupor, & refrigeratio totius corporis conſequatur, ex calidis illitionibus, & conſimilibus cataplaſmatis. Propriè autem furfures aceto incocti, & pro cataplaſmate impoſiti eis auxiliantur, & ipſum adeò acetum pro fotu aſſuſum maximè prodeſt. Magis autem conueniunt eis attractoria, & quæ tenuium partium ſunt, ac calida, quo nimirum per attractoriam facultatem venenũ ex profundo attrahatur, & per calorem frigiditas mitigetur, & quæ tenuium ſunt partium, in altum prorepunt. Ad hanc igitur rem in promptu habebis apta, ſulphur viuum vrina veteri ſubactum, marrubium, lauri folia, echium, radicem panacis, ſaluiam, & ſimilia. At verò ſi hæc deſiderentur, fermentum acidum cum liquida pice emollitum imponito: mirabiliter enim auxiliatur: Dato item lauri decoctum, aut ſuccum Cyrenaicum cum myrrha magnitudine fabæ, ac modico pipere trito, ac dato*

Paſtinacæ marinæ ictus ſigna.

Paſtinacæ ictus remedia ex Aetio & alijs.

*cum vino: aut ſilphium, aut laſer ex vino: aut ſucci fici guttas quinq́, cum tribus ſerpylli granis bibendas præbe. Hæc Aetius aduerſus paſtinacæ marinæ ictus auxilia reddidit. Ad quos præterea commendatur ſaluiæ decoctum continuè pluribus diebus potum: quin & ſcordium in puluerem tritum, & ex ſui ipſius decocto potum, itemque verbenaca. Non tamen ob id prætermittēda eſt Theriaca, aut Mithridatis antidotus, aut quinta noſtra eſſentia, cuius iā ſæpe meminimus. Porrò Nicander quoq́ nonnulla remedia protulit, quæ hæc ſunt. Anchuſæ folia, quinquefolium, rubi flores, arctium, oxalis, lycopſis, tordilium, chamæpitys, fagi cortex, agreſtis paſtinacæ ſemen, terebinthi fructus, phycus marinus, adiantum, ſmyrnium, eryngium, libanotis, cachry, & vtrunque papauer.*

## Μυγάλη. MVS ARANEVS. CAP. XLVI.

A Mure araneo percuſsis, circa morſum in orbem inflammatio exoritur, nigraque puſtula, diluta ſanie turgens, exurit: proximæ partes liuent. Rupta puſtula, depaſcens vlcus, non ei diſſimile, quod ſerpit, occupat. Inteſtinorum quoque tormina, difficultas vrinæ, & frigidæ aſperginis offuſio conſequuntur. Huius morſibus auxiliatur ex galbano ſplenium, per ſe vulneri exterius impoſitum, vt medicamenti modo aceto tritum, & hordeacea farina cum aceto mulſo illita. Quinetiam mus ipſe, qui morſum intulit, ſi diſſectus apponatur, ictus ſui veneficia luit. Reſiſtunt quoque acini dulcis punici decocti, & illiti: item porri, & allia contrita, necnon aquæ calidæ fotus: ſed hæc ad locum pertinent. Prodeſt potum abrotoni decoctum, maximè ſi in vino detur: præterea ſerpyllum, & galbanum, & eruca vino madefacta: recentes cupreſsi pillulæ cum aceto, & cyclaminus ex aceto mulſo, & pyrethrum cum vino, & chamæleonis herbæ radix. Nec deſunt, qui literarum monumentis tradiderunt, tritum murem araneum contra ſuos ictus commodè bibi. Quam hiſtoriam apud alios inuentam, dignam duntaxat cenſuimus, quæ adnotaretur. Alij aſſeuerant, demorſum non aliàs exulcerari, niſi prægnans mus araneus fuerit: tum ſanè auxiliari ferunt.

Muris aranei morſus notæ.

*QVanquam Mus araneus, qui, quòd colore muſtelæ ſit ſimilis, Græcis μυγάλη dicitur, ab omnibus inter venenata numeratur, attamen in agro Tridentino is nullam morſu infert noxam, quemadmodum nec ſcorpio. Hiſtoriam eius ſuperius libro ſecundo retulimus, quare iam ad eius morſus notas, & remedia progrediamur. Demorſis itaque ab eo (vt Aetius inquit) vulnera manifeſta fiunt: quadrifido enim ordine illata vulnera conſpiciuntur: & ſanguis quidem primùm purus promanat, paulò poſt verò ſanioſus: animal enim ipſum putrefactione occidit. Conſuerunt etiam bullæ inſurgere, quas ſi quis diſrumpat, carnem ſubiacentem fæculentam offendet, & fiſſuris diſparatam. Inflatio autem ſequitur demorſos. Cæterùm hoc animal frequentius ad teſtes inſilire ſolet, eosq́ verbere impetere, non hominis modò, ſed cuiuſque etiam bruti animantis.*

Curatio.

*Auxilium autem ferunt cùm ob putrefactionem periclitantur demorſi, poſt prædicta communia remedia, lauri tenella folia, vnius aut duarum drachmarum pondere, trita & ex vino pota. Conueniunt etiam ipſis omnia communia venenorum remedia è vino dulci in potu ſumpta. In pecoribus verò & iumentis illa ipſa cum aqua trita, naribus infunde: eſt enim ipſis præſens remedium. Vnde etiam hominibus ſimiliter in potu exhibeto. Morſus porrò cumino, & allio, putamine extrinſeco non abiecto, contegatur. Eadem etiā cum oleo trita aſsiduè ac diligenter locis circumſitis illinantur. Si verò ruptæ fuerint bullæ, & vlcera oborta, acida muria proluatur locus, aſpergaturque ſubinde vſti hordei puluere. Verùm non rumpentur, niſi prægnans fuerit mus araneus, qui morſum inflixit. Quod ſi exulcerentur, mali punici dulcis putamen coctum tritum erit imponendum, & vlcera ex eodem decocto aut magis myrti decocto proluenda, fouendaq́. Strato verò inquit, in muris aranei morſu primùm ſcalpello, circumquaque vulnerandum eſſe locum, & murem ſubinde araneum vſtum cum aceto imponendum, aut ſinapi tritum, & aceto exceptum. In potu verò opem ferunt panax, eruca, capparis cortex, gentianæ radix, & recta verbenaca, omnia ex vino pota, aut in cataplaſmata conformata, & morſibus illita. Proſunt & maluæ folia impoſita, & magna antidota potui data.*

## Ἔχιδνα. VIPERA. CAP. XLVII.

SI vipera momordit, corpus intumet, vehementer areſcit, ſubalbidumque colorem concipit. Sanies à vulnere profunditur, primùm ſubpinguis, mox cruenta: puſtulæ aduſtis ſimiles erumpunt: & antea depaſcens vlcus, quod in proxima repens, non ſumma modo corporis, ſed intima quoque corripit. Gingiuæ ijs cruore ſuffunduntur: inflāmatio circa iecur erumpit: tormina, & biliosi vomitus ſequuntur. Sopor, tremor, & vrinæ difficultas accedit, & frigidus ſudor offunditur. Vbi verò vipera morſum impreſsit, fimum caprinum cum vino ſtudioſè impoſitum opitulatur: item laurus & abrotonum, & galbanum ſplenij loco ſuperiectum, & origanum viride inditum: pulli gallinarum diſcerpti, & confeſtim admoti: erui farina vino ſubacta: radicis cortex vſque eò tuſus, vt in puluerem ſolutus abeat, & ſcilla toſta: detritum chamæmelum, hordeaceæ farinæ cataplaſma in aceto mulſo præparatum, ſed locus ante eo calido foueatur: hæc loco imponuntur. Contra viperinos ictus rubus cum vino prodeſt. Aliqui anchuſam tenui folio conſtantem auxiliari produnt. Leporini coaguli in vino terni oboli bibuntur, & porracei ſucci hemina in mero, & foliorum apiaſtri ſuccus, & ſylueſtris ruta: hæc in vino potari debent. Vinum frequenter bibendum, allia mandenda, & cæpæ, & porri recentes, ſalſamenta acerrima, & opipara: ſimplicia hæc ſunt. Percuſſis à vipera præclare auxiliatur medicamentum, quod myrrhæ, piperis, caſtorij, floris portulacæ ſeminisque, dimidio acetabulo conſtat: hæc omnia in Cretico paſſo teruntur, aut in alio probato. Eraſiſtratus in eo libro, qui περὶ δυνάμεων, id eſt de viribus, inſcribitur, pleraque alia tradidit, quæ ictis á vipera auxilium ferre poſſunt: inter quæ talia maximè laudantur. Gallinacea cerebella cum vino pota, ſemē ſatiuæ braſsicæ tritū, & acetabuli menſura cū vino potum. Quinetiam bonum eſt digitū in liquidam picem intingere, deinde vinū, quo digitus fuerit elutus bibere. Hæc ſunt quæ contra viperæ ictus auxiliantur.

Viperarum morſus indicia ex Aetio.

*VIperarum hiſtoriam exactius, vt puto, latiusq́ libro ſecundo tradidimus, quàm vt operæpretium ſit hic eandem repetere, vel plura nobis superſint addenda. Quare tantùm reliquū eſt, vt iam de earum morſus indicijs, & remedijs diſſeramus. Reperiūtur itaq́ in eis (vt Aetius memoriæ prodidit) quos vipera mas momordit, vulnera in loco bina: in his verò quos à fœmina demorſi ſunt, quaterna. Primū autē ex eis excernitur ſanguis, deinde ſanies ſanguinolēta, & oleoſa. Adeſt tumor bilio-*

*bilioſus, feruidus, bulloſus, ſubruber, deinde liuidus, denigratus, & proſerpens. Siccitas vehemens ineſt ori, ardor, exolutio, & frigidi horroris inſultus, aliquando & bilis vomitus, tormina, capitis grauitas, vertigo, pallor, ſingultus, febris, ſpiritus & anhelitus celer, color plumbeus, & frigidus ſudor. Mors in horis ſeptem, aut vt longiſſime abſit, tertia die, in his qui non ſeruantur, & maximè his, qui à vipera fœmina ſunt icti: hæc ille. Quæ omnia Nicandro accepta referri poſſunt: ſiquidem is in theriacis ita ad Latinum ſenſum ſcribit. Hinc luctum à vipera manantem viatores diuulgant: duos enim inſtar neruis acutos maſculi dentes in ore ſuo virus eructantes, oſtentant: vipera vero fœmina ſemper plures exerit, pernicioſo ſuo ore inſultans. Atqui in carne icti facilè latos dentes perpendas. Porro è viperæ inflicta plaga ſanies aliàs pinguedini ſimilis, aliàs cruenta, interdum ſine vllo colore cōſpicitur. Sed quæ vlcus ipſum caro circundat, germinans graui offert ſeſe tumore: interdum rubens, tumq; palam liuida cernitur: quandoque etiam aquoſum onus concipit. Frequentes præterea bullæ, ceu vacui per ignem tumores, perinde ac corpus igni ſit ambuſtum, in cute supernè ebulliunt: illic ſubinde putredines circumcirca accurrunt, aliæ quidem ſeorſum à vulnere, aliæ circa plagam veneno non diſſimilem mortem edentes. Aſpera itaque noxa, vehementerque igneſcens totum corpus exedit: hic per guttur, atque collum coeuntes ſonitus, agminatim ſtrepunt: quinetiam oculorum vertigine mœret. Illicoque membris grauans imbecillitas, & lumbis anxietas venit: at in capite caliginoſum onus conſiſtit. Atqui laborans ille aliàs ſiti aridum guttur ſuum exiccat, ſæpeque ex vnguibus eum frigus tenet. Hyberna autem niue exuberans grando, omnia membra degrauat. Crebrò etiam bilioſos ventris ſui humores expuit, toto copore pallens, ac humens circa membra ſudor niuis iactu frigidiori circumfunditur. Colorem interdum liuidi plumbi gerit, alias obſcurum, mox floribus ſimilis eſt æris: hactenus Nicander.*

Ex Nicandro indicia.

*Præſtat igitur (vt Aetius author eſt) priuſquàm cruenta prodeat vrina, allij plurimum deuorare, & vinum meracum copioſum bibere, excitatis ſubinde vomitibus. Efficaciſſimum enim eis remedium eſt allij eſus, ac meracior vini potio, inquit Archigenes, adeò vt ſiquis multum eius ſuſtineat vſus, itemque meri potum, nullo alio auxilio opus habeat. Conuenit item maximè Theriaca ex viperis ſine dilatione pota, & vulneri illico ſuperpoſita. Quin & ipſa vipera excoriata, capite & cauda abſciſſis, interaneis omnibus reiectis, anguillarum modo cocta, & à demorſis deuorata, maximum ictus præſidium affert. Caput autem à viua amputatum, diligenter per volſellam prehenſum, morſuique impoſitum, ea parte adhuc calente, quæ ceruicem contingit, venenum id mirificè extrahit. Conducit & diſſectam gallinam adhuc internè calentem morſui imponere, idque alijs pariter diſſectis, frequenter & aſſiduè repetere. Oportet etiam ſcalpello per ambitum demorſum locum circumcidere, & cucurbitulas ſubinde admouere. A cucurbitulis foliorum fraxini ſuccus in potu exhibendus eſt, & expreſſa à ſucco folia vulneri illinenda, eſt enim valde efficax ad viperarum morſus fraxinus arbor. Meliſſophylli item folia & ſuccus tum ex vino potus, tum vulneri exterius illitus, euidens auxilium confert, etiamſi iam moriatur æger. Aiunt præterea, ſi quis melanthij drachmas quatuor edat, non moriturum. Similiter etiam metaphroditos herba efficax eſt, & cancri fluuiales cum lacte triti, & poti, & vulneri adhibiti. Magnificè etiam proſunt ranæ coctæ, & in cibum ſumptæ & iuſculum earum ſubinde bibitum. Præſtat & naſturtium plurimum edere, vel tritum ex vino bibere. Facit autem ad id mirificè teſtudinis ſanguis exiccatus & cum ſylueſtri cumino potus. Vtendum etiam omnibus communibus remedijs, ſupra ſæpius relatis: quippe ſuperuacaneum fuerit eadem tam ſæpe repetere. Maximè verò vtendum eſt anchuſæ radice, & heliotropio cum vino: dandus & hæmatites lapis. Auxiliantur & raphani in cibo accepti, & deinde vomitu reiecti, exhibita ſtatim à vomitu Andromachi Theriaca. Poſt ſcarificationem, & gallinarum impoſitionem, vulnus ex trifolij bituminoſi decocto calido, diu proluendū ac fouendum eſt, nam ſi pauco id tempore fiat, demorſi peius afficiuntur. Deinde porrum & panem cum ſale illini conuenit, aut allium cum aceto, aut ipſius exuſti, aut fraxini cinerem, aut alium quemuis cum aceto, aut haſtulæ regiæ, aut ſycomori folia cum pane: aut lauri tenellis folijs, coctis & cum oleo tritis integatur locus aut caprino ſtercore, priuſquàm claudatur. Cæterùm vt libro de therica ad Piſonem author eſt Galenus, nō modò è viperarum morſibus retrahitur venenū, appoſito tantùm vt Aetius inquit, viperæ capite, ſed ipſa quoque vipera tota contuſa, & vulneri impoſita.*

Viperarum morſus remedia.

*Cōtra viperarum morſus mirificè medetur echij epotus ſuccus, herbaque ipſa vulneri impoſita, vt ſuperius libro quarto prodidimus, illius Alcibij hiſtoriam referentes, à quo echium Alcibiadis cognomentum accepit: quandoquidem planta hæc (vt ipſe Dioſcorides teſtatur) facultatibus adeò præſtantibus inſignitur, vt epota eius radix ex vino, non percuſſis modò à ſerpentibus opituletur, ſed eos quoque qui antea biberint, feriri non patiatur. Commendauit etiamnum aduerſus viperarum morſus Dioſcorides ſparſim in ſuis de medica materia libris, præter ea quæ hoc capite retulit, alia præſtantiſſima ſimplicia medicamenta, partim exterius applicanda, partim bibenda, vel comedenda, quorum nonnulla hic ſubijciam. Vulneri igitur exterius illita conferunt, iuniperi, & fraxini folia: tritici furfures ex rutæ decocto incocta: erui farina vino macerata, ſcilla ex aceto feruefacta: perſonatæ, ebuli, & ſambuci radices in vino elixatæ: ſarmentitius cinis aceto ſubactus, aliaque complura, quæ breuitati ſtudentes nunc ſilentio inuoluimus. Pota verò proſunt caſſia odorata, coſtum, myricæ ſemen, piſtacia, cerui genitale exiccatum, tritum & potum, chondrylla, anagallidis ſuccus, ferulæ medulla, aparine, rubiæ radicis, & terreſtris tribuli ſuccus: auxiliatur etiam bryonia radix. Admirandos inſuper præbet effectus radix illa, quam Goritienſes ab auxiliari eius vi Serpentinam vocant, cuius hiſtoriam, pariterq; vſus rationem ſuperius libro ſecundo tradidimus. Verùm præter hæc præſentaneo remedio ſanat noſtra quinta eſſentia, cochlearis menſura pluries eodem die pota: item oleum noſtrum de ſcorpionibus, de quo etiam ſæpius dictum eſt, ea ratione inunctum, quam ſuperius ipſius conficiendi modum deſcribentes retulimus.*

Simplicia medicamenta ex Dioſc.

*In viperarum quoque genere ea nimirum inmanis fera recenſeri pôteſt, quam AMMODITEN vocant, cuius etſi nuſquam, quod extet, meminerit Dioſcorides, minimè tamen ſilentio prætereundum eſt, quin hæc eiusque veneni remedia deſcribantur. Siquidem Ammoditæ, meo iudicio, in pluribus Italiæ & Illyriæ locis reperiuntur, præſertim in Goritienſi comitatu, & Iapidiæ montibus. Eſt enim fera hæc viperæ omnino ſimilis, præterquàm quòd capite ſit ampliore, & maxillis latioribus, quòdque vltimo roſtro ſuperiori parte eminentiam quandam habeat, acutæ verrucæ ſimilem. Vnde circumforanei, qui ſerpentes eorumque venenis remedia profitentur, hanc feram vulgò appellant Aſpido del corno, hoc eſt Aſpidem cornutum. Neque ſane ineptum illi nomen indiderunt, namque non minori cum velocitate interficit, quàm aſpis. Scimus enim quoſdam ab his inopinate demorſos, tribus tantùm horis morte occubuiſſe. Proinde ſcitè libro 13. cap. 25. de eo ita ſcriptum reliquit Aetius. Ammodites magnitudine quidem cubitalis eſt (maior enim non pingitur, neque ſcribitur) colore verò arenoſus, per corpus autem maculis nigris inſignitus, caudam habet præduram, ſupernè deſciſſam. A quibusdam verò Cenchrias, hoc eſt miliaris, ob caudæ inſtar milij duritiem, appellatus eſt. Latiores autem maxillas, quam vipera habet, cumque in multis aliàs ei ſimilis ſit, colore magis diſcerni poteſt: vipera enim ſubflaua eſt. Cæterùm ab Ammodite percuſſos feſtina vt plurimum mors ſequitur: qui vero tam breui non pereunt, his ſanguis è vulnere manat, & vulnus intumeſcit: ſed paulo poſt ſanies effertur, ſequitur capitis grauitas, & animi deliquium. Qui verò optimè diſpoſiti ſunt, & robuſti, in triduo intereunt: quanquam reperti ſunt, qui in ſeptimum vſque diem durarint. Celerius verò mors aduenit his, qui à fœmina ſauciantur. Auxilium porrò & ij ferunt, pri-*

Ammoditæ hiſtoria, & venefica vis.

Aſpis cornutus.

Ammoditæ morſus ſigna, & curatio.

*mùm quidem à communibus remedijs, vtpote ab adfixis cucurbitulis, circunciſo prius per ambitum vulneris loco, & ſuperioribus partibus arctiſsimis vinculis conſtrictis: quin abſciſſa, dilatataq́; ſtatim ſcalpello plaga. Propriè autem eis auxiliatur mentha ex aqua mulſa pota, caſtorium, caßia, & artemiſiæ ſuccus cum aqua. Danda etiam in potu Theriace, nec non vulneri eadem illinenda. Vtendum & emplaſtris attractorijs, & ſubinde cataplaſmata, quæ ad nomas ſiue vlcera ſerpentia conducunt, imponenda. Viperæ præterea ſimilis, vt quidam tradunt, ea etiam fera fuerit, quam* SEPA *nominant, cuius hiſtoriam ſuperius libro ſecundo retulimus, quanquam inibi Dioſcorides Sepem lacertæ generi aßignauit, vnde & eam lacertam Chalcidicam à quibuſdam vocari tradidit. Itaque cum varia ſit apud authores Sepis hiſtoria, facile adducor, vt credam, Sepa reperiri non modo in lacertarum ſed etiam in mortiferarum ſerpentium, & viperarum genere. Quod ſanè videtur aſſerere Nicander in theriacis ſuis. Siquidem cùm inquit primo: Præterea niualis, & aſper admodum mons Othrys rubentes beſtias profert, cauaque vallis, & ſalebroſæ rupes, nemoroſumq́; promontorium, vbi ſitibundus ingreditur Seps, colore nunquam vno viſus, &c. haud dubiè oſtendit ſerpentem, immanemque feram ſe repræſentare, non autem lacertam. Cum veró ſecundo ait: Sepem item corpore demiſſo, exiguis haud dißimilem lacertis, declinabis, nulli dubium eſt, quin eam deſcripſerit, quam Chalcidicam lacertam vocant. Nicandro ſubſcribit Dioſcorides, quippe qui etſi libro ſecundo ea ratione Sepa ſtatim poſt lacertas reddiderit, quòd lacertis corpore, & forma ſit ſimilis, attamen libro quinto, Sepa viperarum generi adſcripſit, vbi de aceti mulſi viribus differens inquit. Acetum mulſum contra morſum eius viperæ, quam Sepa vocant, hauſtum meconium, ixiamue auxilio eſt. Aetius tamen eius Sepis tantùm meminit, quæ inter mortiferos ſerpentes, vel viperæ genera recenſetur, his verbis: Serpens, qui Seps appellatur, longitudine quidem duorum cubitorum reperitur: ex craſſo autem in tenuem abit: rectà verò ac tardè proſerpit. Caput habet latum, os acutum: vniuerſum autem corpus multis albis notis reſperſum. Sed aliter de Sepis forma, magnitudine, & greſſu tradidit Pauſanias, vt ſuperius libro ſecundo ſuo loco adnotatum reliquimus. Cæterùm ab ea percuſsis (vt tradit Aetius) ſanguis è vulnere manifeſtus excernitur, & paulò poſt ſanies graueolens, tumor, & dolor ſegnis eſt, ſed affectæ partes putrefactæ dealbātur, & totū corpus vitiligini, quæ alphos appellatur, ſimili colore inficitur. Pili, capillique è toto corpore defluunt, atque intra tres aut quatuor dies icti pereunt. Porrò opem & hi ſentiunt ex ijſdē rebus, quæ in viperæ, & ceraſtæ, & ammoditæ morſu relatæ ſunt. Exhibenda eſt præterea portulaca plurima in cibo, & vinum bibendum myrtites meracius. Conueniet item ſpongiam calido aceto imbutam, morſui imponere, & ex butyro cum melle locum illinire, aut milium cum melle, aut paleas vnà cum terra, quæ eis adhæret, exuſtæ imponere. Hæc Aetius. Ex quib. facilè conijci poteſt, cū ambæ hæ feræ è viperarum ſint genere, ijs tutò antidotis earum venenum ſuperari poſſe, quibus vipereum frangitur, & euincitur. Sed quoniam hæc humanæ vitæ tam inimica animalia aliam admodum pernicioſam feram mihi in mentem reuocarunt, quæ Græcis ideo* ACONTIA *appellatur, quod iaculi, vel ſagittæ modo in hominem proſiliat, cùm nihil de ea à Dioſcoride memoriæ proditum ſit, ſciuerimq́; & hanc in Italia reperiri: non alienum duxi de eius hiſtoria ac veneni curatione ea hoc loco commemorare, quæ ex probatis authoribus excerpſi. Hanc itaque deſcribens Galenus libro de theriaca ad Piſonem, inquit. Acontias ſerpens, vbi ſe multum extenderit, ceu iaculum quoddam corporibus inſiliens, ſic perimit. Hæc vt Aetius ſcriptis tradidit, ſerpens eſt duorum cubitorum magnitudine, figura autem craſſa in tenuem abeunte, colore viridi, præſertim iuxta ventrem, vt milium colore referat, vnde & cenchrias, hoc eſt miliaris, appellatur. Aiunt hanc fortiorem fieri, cùm milium floret. Porrò vbi ſe ad lædendum parat, extendit ſeipſam, ac veluti iaculum vibratum corporibus inuolat, atque hoc modo verberat. Ab huius morſu omnia, quæ de vipera dicta ſunt, ſequūtur accidentia, atque etiam grauiora, adeò vt etiam putrefactiones, & carnium defluxus conſequantur, ac grauior item mors ſuccedat. Cæterùm remedia ſimiliter eadem, quæ ad viperæ morſum his conducunt. Eſt qui referat inter recentiores non obſcurus author, quòd cùm paſtor quidam miſellus, ſub cuiuſdam arboris vmbra æſtate media quietem ſomnumq́; caperet, cuius ſocij non procul oues paſcebant, ab Acontia, quæ in arborem aſcenderat, ita percuſſus fuit in ſiniſtram mamillam, vt illico perierit: at ſocij audito percuſsionis ſonitu, viſo ſerpente, quem nouerant, ſuper defuncti pectus, relicto grege in propinquum rus, pauore territi, aufugerunt. Confirmat hoc Iulius Solinus cap. 30. Polyhiſt. his verbis: Iaculi arbores ſubeunt, è quibus vi maxima turbinati penetrant animal, quodcunque obuium fortuna fecerit. Reperitur hoc ſæuißimi ſerpentis genus, vt quidam mihi retulerunt, in quibuſdam Calabriæ, & Siciliæ locis, vbi ipſum incolæ à ſagitta Saettone, vernaculo nomine appellant.*

Sepis feræ cōſideratio.

Sepis morſus ſigna, & remedia.

Acontiæ hiſtor. morſus notæ, & cura.

## Σκυτάλη, καὶ ἀμφισβαίνα. CÆCILIA, ET AMPHISBÆNA. CAP. XLVIII.

CONſimilia ſuprà dictis in vipera eueniunt ijs, qui à cæcilia nomine, & amphisbæna demorſi ſunt, eademque ferè auxiliantur: quare hoc venenum priuatam deſcriptionem ſortitum non eſt, neque viſum eſt dignum, quod alio genere cōprehendatur. De ijs autem mentionem hoc loco fecimus, quoniam ferè remedijs ad viperas ſcriptis, percuſsi ab eis adiuuari ſoleant.

Amphisbænę, & Cæcilię conſid.

*NOn deſunt, qui ſcripſerint, Amphisbænam præter naturæ inſtitutum duobus cum capitibus gigni, quæ vtranque ſerpentis extremitatem occupent: fierique ob id putent, vt fera in vtranque partem repat. Quod tamen fabuloſum cenſemus: nam & hydram poetæ ſeptem capitibus conſtare fabulantur: id quod nihilominus falſum eſt. Verùntamen non negauerim ego id monſtroſè, & præter naturæ intentionem euenire non poſſe, in omni ſerpentium ouiparorum genere, quemadmodum & volatilium. Siquidem pluries compertum eſt, ex vno tantùm ouo duobus vitellis referto, naſci pullum modò habentem quatuor alas, modò totidem crura, totidemque pedes: atque etiam lacertæ viſæ ſunt aliquando bicipites. Sed hæc non vtique ſtatuunt, haberi aliquod ſerpentium genus natura biceps. Hoc ſcitißimè, & apertißimè confirmat Ariſtoteles libro, & capite tertio de generatione animalium, ſic inquiens: Monſtra raro admodum fiunt in ijs, quæ ſingulos pariunt, ſed crebrius in ijs quorum partus eſt numeroſus, & præcipuè in auium genere, potißimumque in gallinis. Iis enim partus numeroſus, non modò, quòd ſæpe pariant, vt columbæ: verùm etiam quòd multos ſimul conceptus intra ſe contineant, & temporibus omnibus coeant. Hinc gemina etiam pariunt plura: cohærent enim conceptus, quoniam in propinquo alter alteri eſt, quomodo interdum fructus arborum complures. Quod ſi vitella diſtinguuntur membrana, gemini pulli diſcreti ſine vlla ſuperuacua parte generantur. Sed ſi vitella continuantur, nec vlla interiecta membrana diſterminantur, pulli ex ijs monſtrifici prodeunt, corpore, & capite vno, cruribus quaternis, alis totidem: quoniam ſuperiora ex albumine generantur, & prius: (vitellum enim cibo ijs eſt) pars autem inferior poſtea inſtituitur, quanquam cibus idem, indiſcretusque ſuppeditatur. Iam ſerpens etiam biceps viſus eſt, videlicet eadem de cauſa: nam id quoque genus oua parit, & mul-*

Monſtra in auium genere.

Amphiſbæna biceps nõ eſt.

*& multa numero: hæc Ariſtoteles. Quæ ſanè mihi facilè perſuadent, vt credam, omnino falſum eſſe, quòd Amphiſbæna ex ſui generis natura biceps perpetuò naſcatur. Verùm quandoquidem hoc ſerpentis genus terreſtrium lumbricorum modo vtriſq; extremitatibus, capite ſcilicet, & cauda, acuminatus gignitur, adeò vt difficillime poſsit caput à cauda diſcerni, exiſtimauere quidam hanc feram duobus conſtare capitibus. Proinde Aetius lib. 13. cap. 28. ſcribit, Scytalam (hanc alij Cæciliam interpretantur) & Amphiſbænam animalia eſſe inter ſe ſimilia. Non enim, inquit, ex craſsis in caudam tenuem abeunt, ſed æqualis craſsitudinis in vniuerſum exiſtunt, vt neque cognoſcant videntes ea, iuxta vtram partem caput aut cauda ſint ſita. Quod equidem tum in terrenis & alui tineis, tum in erucis quibuſdam, tum etiam in hirudinibus conſpicitur. Differt autem, vt idem tradit, amphiſbæna à ſcytala, quòd illa ex vtraque parte progrediatur, vnde à Græcis illi nomen inditum eſt. Galenus porrò libro de theriaca ad Piſonem, Amphiſbænam bicipitem eſſe exiſtimat (ſi tamen liber is adſcriptitius non eſt) vt hæc verba, quæ in eo leguntur, apertè oſtendunt. Amphiſbæna (eſt autem animal biceps, quemadmodum ſane & nauigia vtrinque proram habentia, cui natura ex ſuperfluo ſubſtantiæ bina capita eſt largita) hoc inquam animal, aiunt, ſi mulier grauida ſupergreſſa fuerit, malè abortum facit: hæc ille. Cæterùm, vt ipſe Aetius ſcriptum reliquit, ab vtraque demorſis contingit morſum obſcurum eſſe, ac vix apparere, veluti ſunt muſcarum ictus: quapropter etiamſi mordeant, non enecant tamen, ſed inflammationem excitant, vt apum & veſparum ſtimulus. Quare transferantur ad hos quoque, quæ de illis ſunt relata, verùm facultate intenſiore. Ex his etiam Aetij verbis conijci poteſt, cum horum animalium ictus admodum tenuis, & obſcurus ſit, Amphiſbænæ caput ineſſe terrenis vermibus, vel alui tineis perſimile, ac proinde adeò etiam caudæ æmulum, vt alterum ab altera non niſi difficilè diſcerni poſsit. Cæciliam autem Hetruſci vulgo appellant Lucignola. Amphiſbænæ corium, authore Nicandro, oleaſtri baculo circumueſtitum, ſi manibus frigore torpentibus tractetur, calorem ſtatim adfert, articulorumq; nexus diſſoluit.*

Vtriuſq; morſus ſigna, & curatio.

## Δρύινος. DRYINVS. CAP. XLIX.

A Dryino morſis puſtulæ, moleſtique dolores incidunt, præſertim quà dilutæ ſaniei emiſſarium ſubeſt: quinetiam eroſio, torminaque conſequuntur. Ab eo ictis conuenit ariſtolochia cum vino pota, trifolium herba, radix haſtulæ regiæ ſimiliter aſſumpta, & fructus ex omni glandiferarum arborum genere & tuſæ ilicis radices, & illitæ parti ictæ auxiliantur.

Dryini hiſtoria, & eius ictus notæ ex Nicandro.

*DRyinus, vt in theriacis teſtatum reliquit Nicander, in quercubus latebras parat, aut alicubi in concauis fagis, in montibus verſatur. Appellant enim alio nomine etiam hydrum, ſed & alij chelydrum, qui relictis bryis palude, ſuæque naturæ idoneo lacu venatu intercipit in pratis molurides, & ranas. Hic ſi à myope muſca illa quauis animantia prouocante, petatur, inſuetum illum impetum ſuſcipiens, cum concauæ quercus robur celeri ſaltu ſubit, ſtructo ſibi in imo ceſpite cubili. Candet tergo, caput illi æquale, adeoque hydro ſimile: grauis autem fœtor à corpore eius euaporat. Quemadmodum quando incurua, nec non abraſa corij præſegmina ſub teretibus ferramentis circa humentes equorum exuuias, & pelles hument. Si quempiam is vel in talum, vel pedis plantam percuſſerit, à corpore icti hominis difficilis odor ſparſus fertur, atque circa ictum niger in acutum ſurgit tumor, mentemque mœrentis angor, & triſtitia, quibus detinetur, obſcurant. Species nimio dolore conflacceſcit, & perit: cutis cum corpore admodum malè olet, adeò ipſum atrum venenum ſemper depaſcens conſumit, quin & caligo lumina eius obfuſcans, occultansque malè affectum perdit. Alij à dryino icti caprarum inſtar ſeu ouium balant, ac omnino difficiles redduntur, impendioque cruciantur. Vrina eis decutitur, & palleſcit: Ipſi verò dormitantes ſtertunt, frequentibus ſingultibus correpti, aliàs per collum vomitum felli ſimilem, aliàs cruentum eructantes, ipſumque malum acrem ſitim generat: poſtremò laborantibus membris tremorem effundit: hæc Nicander. Cæterum Dryini nomen huic feræ mortiferæ inditum eſt, quòd in quercuum cauernis, quæ propè radices ſunt, ſtabuletur. Græcis enim quercus δρῦς dicitur. Proinde Galenus lib. de theriaca ad Piſonem, de Dryino ita ſcribit. Dryinus ſerpens ſic nominatus, quòd in radicibus quercuum viuat, tam malignus ad perdendum proditur, vt eius, qui ſupergreditur imprudens, cutis à pedibus excorietur, tota crura admodum intumeſcant, & quod magis mirificum eſt, manus quoque ipſæ curantium eodem modo periclitentur. Si autem quis aggrediatur eum perimere, olfactu adeò mulctari aiunt, vt quemlibet gratum odorem prauum eſſe exiſtimet, nec alterius prætereà rei queat ſentire: hactenus Galenus.*

Ex Galeno.

Dryini deſcriptio, & morſus curatio.

*Dryino, vt Aetius inquit, abundat Helleſpontus. Is latibula in quercuum radicibus habet, atque adeò fœtidus eſt, vt etiamſi quis eum non videat, fœtore loci cognoſcatur. Eſt autem cubitorum duorum longitudine, obeſus, ac aſperrimis ſquamis circa vniuerſum corpus munitus. Porrò qui ab eo percutiuntur, his tumor inſurgit nigricans, dolor vehemens, nomæ, delirium, corporis ſiccitas, ſingultus, bilioſus vomitus aut omnino ſimplex, vrinæ ſuppreſsio, tremor, interceptio vocis, ſtupor, ſciſſuræ, & mortificatio percuſſorum locorum: plurimi etiam intereunt. Porrò & hi quoq; ex ijs, quæ in viperæ morſus dicta ſunt, opem ſentiunt: itemq; ex communibus remedijs iuxta conſequentium acceſsionum proportionem adhibitis.*

## Αἱμόῤῥοος, καὶ δίψας. HÆMORRHOVS, ET DIPSAS. CAP. L.

AB hæmorrhoo ictis vehementes cruciatus accidunt, qui anguſta, contractaque corpora ex continuo dolore reddunt. Ex plaga copioſus ſudor effluit, & quacunq; parte corporis cicatrix vlla fuerit, ea ſanguine manat. Excrementa per aluum cruenta eijciuntur, profluensque ſanguis in globo coit. A pulmone ſanguinem extuſsiunt, & in vomitiones effuſi ſine remedio commoriuntur. Quos verò dipſas percuſsit, ſolutus ac non conſtrictus tumor premit, ſitisque vſqueeò pertinax, vt ſatiari non poſſit, ac ſine vlla intercapedine excruciet: & ſi potum pleno ore affatim trahant, illico in eandem ſitim relabuntur: proinde toto habitu ſimiles ſunt ijs, qui antea potus nihil hauſerint: quare propter continuam ſitim, & præſter, & cauſon, aut dipſas appellatur. Hæmorrhoi, dipſadiſque morſus velut immedicabiles, à pleriſque maiorum deplorati relinquebantur, quare ſi peculiaribus contra dipſadem remedijs egeamus, communia experiri operæpretium erit. Protinus autem ſcarificatione vti, vſtionem facere, & ſi locus patiatur, extremorum amputatione opus erit: conſequenter quàm acerrima cataplaſmata admouere, de quibus ſæpenumero diximus. Nec me fugit, acres cibos, maximè à ſalſamentis, vtiles eſſe. Me-

cæ potiones, & lauacra proſunt, quæ ſubinde interiecto breui ſpatio aſſumenda ſunt, priuſquàm morbi genus emerſerit, quo ſemel erumpente opem ferre non poteſt vlla medici opera. In ictu hæmorrhoidis eadem proſunt. Inſuper quæ in commune opitulantur, vt ſcarificationes, vſtiones, acres cibi, meraci potus, & quæ nunc in dipſade definiuimus. Quinetiam decocta vitis folia, & cum melle trita.

Hæmorrhoi perniciolus ictus, & hiſto.

*HAemorrhous, & Hæmorrhois, authore Galeno in libro de theriaca ad Piſonem, ſuis ipſorum nominibus ſimilem hominibus perniciem inferunt: quippe percuſſi, ſanguine per os, & nares, totoque corpore effuſo, intereunt. Hic (vt in Theriacis cecinit Nicander) petroſas rimas aſſiduò incolit, aſperum, ſupinum, & modicè pendentem lectum illic ſumens, vbi tractum ſuum habeat, deinde pabulo ſatur fiat. Longitudo eius pedis veſtigio æqualis: cæterùm quod ad latitudinem attinet, à capite aduſque caudam totus & ſubtilis, & minutus eſt. Aliàs colore igneo, aliàs rurſum candens. Collo ſatis conſtricto eſt, gracilis cauda neceſſariò in arctum contracta, extenta eſt anguſtè, & tenuiter. Supra eius frigidos, & niuales oculos, duo cornua fronti ſunt infuſa: albore luminum ſuorum, locuſtis vel ſylueſtribus apibus par. Inſuper horribile, & aſperum ei caput horret, obliquè modico corpore ſuo inſtar ceraſtæ claudicans. Ex medio etiam dorſo paruum nauigium ſemper appellit, ad terram ventrem ſuum atterens: ſquamis verò & itinere parum ſubſtrepit, perinde ac arundinis copiam tranſeat. Poſt ictum ſtatim decolor ſpecies accurrit, nigra nimirum, corq; ipſum dolore circumangitur: venter aqua refertus efflluit. Quin & prima nocte ſanguis cùm ex naribus, tum collo, & auribus ſalit, recens bilioſo veneno coinquinatus: lotium item rubens accurrit, quæq; in corpore ſunt vulnera, & plagæ, hæmorrhoi rumpũtur aperiunturq;: cutes enim fuligine contrahuntur. Caueas itaq; in primis, ne in te fœmina hæmorrhois virus ſuum iaculetur. Nam ſi cui morſum illa inflixerit, ei gingiuæ ſimul igneſcunt, penituſq; & vnguibus ſanguis cum impetu procurrit. Dentes etiam ex ea cæde graueolentes, ſeu humentes molunt: hæc ex Nicandro. Cui ſubſcribit Aetius, ſic inquiens. Animalia hæc (hæmorrhoum, & hæmorrhoidam intellige) colore quidem ſunt arenoſo, magnitudine autem tres palmos æquant, & in tenuem caudam anguſta figura paulatim deſinunt. Sunt autem igneo oculorum fulgore, rectaq; & tardè proreptant. Per corpus verò multis notis albis, & nigris variegata ſunt, & aſperioribus ſquamis obſita: quapropter dum ſerpunt, ſonus auditur. Et fœmina quidem ventri incumbens, per terram reptat, & greſſum infernè circa caudam firmat: mas verò circa ventrem ingreſſu nititur, & collum ſerpendo extendit.*

Hemorrhoi morſus notę, & curatio.

*Conſequitur horum morſum color icti loci cruẽtus, coloris tetri, & nigricans: ex quo nihil in initio effluit, præter quàm paucum quidpiã aquoſum. Ventriculus dolore tentatur, adeſtq; ſpirandi difficultas. Deinde ſanguis ex naribus profluit, & ex ipſius morſus foraminibus: & ſi qua in corpus obducta iamdiu ſit cicatrix, ea rumpitur, & ſanguinem profundit, atq; hæc quidem in maris Hæmorrhoi morſu contingunt. A fœminæ verrò Hæmorrhoidis morſu ad hæc & anguli oculorum, dentium gingiuæ, & vnguiũ radices ſanguine manant, & vt ſimpliciter dicam, per omne corpus ſanguinem efferri contingit. Dentes præterea excidunt, & gingiuæ putreſcunt. Horum porrò curam facere oportet, primùm quidem ſanguinis eruptioni obluctando ac reſiſtendo ijs medicamentis, quæ aptè ſanguinem ſiſtere poſſunt, deinde cataplaſmata plagæ imponendo ex folijs vitis coctis tritis cum melle, & portulacæ folijs cum polenta. Antea veró quam cruenta prodeat vrina, allij multum deuorent, multumq; vini diluti bibant, & ad vomitum cogantur, deinde confeſtim Theriace exhibeatur, & poſtea piſces multos, allijs tritis cum oleo tinctos edant. Sumant item in cibo panem, & vuam paſſam dulcem, & deinde vino diluto largè hauſto vomant. Plaga verò aqua frigida proluatur: veſica autem ſpongijs calidis foueatur.*

Dipſadis hiſtoria, morſus ſigna, & cura.

*Sed iam de DIPSADE diſſeramus, quæ ſic à Græcis dicta eſt, quod continuam, & inextinguibilem ſitim excitet. Huius mentionem fecit Galenus lib. 11. ſimp. medic. vbi eiuſmodi feras in Lybia, non in Italia reperiri ſcribit: quòd hæc regio humida ſit, illa verò ſicciſſima. Hoc autem à Marſis, qui Romæ viperas venabantur, accepiſſe ait, quibus tamen non in omnibus fidem adhibendam eſſe exiſtimãt. Quare longè minus nos iis circũforaneis fidem præſtare debemus, qui Marſos hoſce imitati, diui Pauli generi ſe adſcribũt, ſeq; inde ortũ duxiſſe prædicãt. Nam ſi Galeni ætate hi mẽdaciſſimi nebulones vniuerſo orbi imponebãt, veri quidẽ ſimilimũ eſt, eos qui hodie per Italiã vagãtur, longe magis decipere poſſe, quã fecerint Marſi illi antiqui, quippe nõ dubitandũ, quin eorũ aſtus à Galeni ſeculo in hũc vſq; diẽ protractus, maximũ ſuſceperit incrementũ, quod conſtet mortaliũ ingenia tam in bonũ, quàm in malũ procliuia, ætate magis acui. Meminit etiã Dipſadis Gal. li. de theriaca ad Piſonẽ, ſic ſcribens. A Dipſade cõmorſi cauſo febri male conficiũtur: nam & multa ſiti, & æſtu vehemẽti vexati, interdũ & dirupti diem obeunt. His Galeni verbis ſubſcribit Aetius lib. 13. vbi ſic inquit: Dipſas, quæ à quibuſdam Cauſus appellatur, viperæ eſt ſpecies, quæ magis in maritimis locis reperitur, quã alibi, magnitudine cubitali, ex craſſa in tenuẽ deſinẽs: notas autẽ habet per omne corpus fuluas, & nigras: caput verò anguſtius. Sequitur autẽ ab ea demorſos, præter ea quæ de vipera dicta ſunt, & ſitis intolerabilis planè, adeò vt etiamſi multus potus eis adhibeatur, ſitis non ſedetur: & tamen neq; per vrinas, neq; per vomitum, neque per ſudores quicquam excernitur. Duobus igitur pereunt modis, aut ob multam ſitim exuſti, ſi potum non ſumant: aut ob multam potus repletionem diſtentus rumpitur venter, vel infernè circa inguina, vel circa imum ventrem, vt in aqua inter cutem ſæpius euenit. Cæterùm & his, ceu à vipera demorſis, auxiliamur: propriè autem in his potiones magis vrinam cientes exhibeantur. Aluus item per infuſum eluatur, & oleo cum decoctis exhibito, ad vomitum cogendi ſunt malè affecti. Ad plagæ verò locum, poſt exuſtionem, circumciſionem circumquaque ſcalpello factam, cucurbitularum affixionem & diſſectas gallinas admotas, calx viua cum oleo imponitur, & emplaſtra attractoria, & theriaca illinuntur. Porrò Dipſadis priuatim meminit Aelianus li. 9. de hiſt. animal. ſic inquiens: Dipſas cuius vim, & naturam eius nomen nobis declarat, inferior quidem eſt magnitudine, quàm vipera, ſed tamen in occidendo quàm celerrimè ſuperior. Cuius morſu confixi, etſi aſſiduam potionem hauriant, ad ſitim tamen continuò exardeſcunt, & ad bibẽdum eatenus inflammantur, quoad celerrimè rumpantur. Eam Soſtratus cùm albam eſſe ait, tum duas in cauda lineas nigras habere. Et ſicut audio, vario, multiplicíq; nomine nuncupatur: quidam preſterem vocant, alij cauſonem, alij anombaten, a quibuſdam melanurus appellari fertur. Cùm in Aphrica, tum magis in Arabia naſcitur: hæc Aelianus.*

Leoniceni error.

*Ex quibus verbis manifeſtè deprehenditur error Leoniceni viri alioquin eruditiſſimi, qui Dipſadem putauit corporis forma nullis notis à vipera diuerſam eſſe. Nec equidem ſcio, qua ratione, vel authoritate nixus, in hanc opinionem venerit, in eaq; perſtiterit.*

## Ὕδρος NATRIX. CAP. LI.

AB Natrice demorſis vlcus dilatatur, & liuidum, ac ingens euadit. Sanies ex eo multa, & atra, & malè olens, non ſecus atque ijs quæ ſerpunt vlceribus, expuitur. Si ergo morſum natrix adegit, prodeſt origanum tritum, & aqua ſubactum: lixiuia cum oleo indita, aut ariſtolochiæ cortex, aut querna radix minutim

nutim

nutim contrita, & hordei farina cum aqua, & melle colliquata. Bibuntur etiam binæ ariſtolochiæ drachmæ in potione poſcæ cyathis duobus, deinceps marrubij ſuccus, vel decoctum alterius cum vino: fauus recens datur in aceto.

*HYdrus anguis in aquis plerunque degit, à quibus nomen ſibi vendicauit. Sunt & qui Natricem, quòd aquis innatet, vocent. Hic ſi relictis aquis, terras in habitet, lõgè nocentior euadit, vocaturq́; tunc Cherſydrus. Differt tamẽ is à dryino, qui (vt ſuperius diximus) Nicandro hydrus etiam appellatur. Siquidem ipſe de Hydro, cuius nunc hiſtoriam, morſus diſcrimina, & remedia proſequimur, diſſeruit ſub Cherſydri nomine in theriacis, ſic carmine in proſam verſo ſcribens. Age itaque Cherſydri, qui aſpidi conformis eſt, figuram æqualem recita. Sed plagam eius malefica, & peſſima ſanè ſigna ſequuntur. Tota cutis circa carnem arida, & abominabilis expaſſa ab internis partibus, humentem ictum ſatis certò indicat, putredine fatiſciens. Quinetiam dolores immenſi igneſcentes, hominem tandem interimunt: mox etiam per membra puſtulæ finguntur, aliæ ex alia parte inuicem turbantes ægrum. Atqui cherſydrus iam antea in vuido, ſeu parum aquæ habenti lacu, irreconciliabilem canis iram adfert. Enimuero vbi ſole aqua exiccata fuerit, adeoq́; ariditas in fundo extiterit lacus, tum hic ſerpens in terra ſeſe continet, & ſqualidus, & deformis in ſole tetrum corpus ſuum refocillans: in ſemitis autem, lingua ſua afflando ſitibundus ſulcos exedit: hæc ille. Cherſydri quoq; meminit Aetius lib. 13. cap. 35. his verbis: Serpens hic cherſydri appellationem inde habet, quòd in principio quidem in aquoſis degit locis, & hydrus appellatur ab ipſis aquis, hoc eſt natrix poſtea verò ſiccos incolit locos, & ex compoſitione locorum, cherſydri, id eſt natricis terreſtis, nomen inuenit. In humectis quidem locis, ex humido victu exſatiatus, non purum venenum habet: cùm autem terreſtris fit, nocentius id acquirit. Cæterùm forma, paruam terreſtrem aſpidem refert, præterquàm quòd ceruicem non ita latam habet: hoc enim inſigne ſolum aſpides præ his habent. Qui igitur ab hoc morſi ſunt, eis communiter eadem accidunt, quæ in aliorum ſerpentium morſu, veluti eſt tumor, continuus dolor ardens, liuidus locus, & fæculentus, vertigo oculorum, exolutio, vomitus billioſus, ac fœtidus. Proprie autem motus totius corporis inordinatus, vt & per ventrem quædam inordinatè ferantur: mors autem intra tres dies. Porrò ex communibus remedijs etiam hi opem ferunt, & ex theriacis antidotis. Priuatim verò coni cupreſſi drachmam vnam, & myrti baccarum itidem vnam, terito, & cum melle roſaceo, aut vino mulſo in potu exhibeto. Iuxta verò affectum locum calcem viuam, & ſimilia, cum oleo imponito.*

Hydri ſiue Natricis hiſt.

Cherſydri natura, morſus & curatio.

## Κέγχρος. CENCHRVS. CAP. LII.

CEnchri morſum, qui viperino ictui ſimilis eſt, putridum vlcus ſequitur: carnes antea, vt in aqua inter cutem, prætumidæ defluunt: lethargo corripiuntur, & veterno preſsi ſomnos captant. Eraſiſtratus eos iecinore, inteſtino ieiuno, coloq; conflictari author eſt: quippe diſſectis ipſis, omnes ferè partes corruptæ reperiuntur. Morſis á cenchro auxiliatur lactucæ fructus cum lini ſemine illitus, & ſatureia trita, & ſylueſtris ruta, & ſerpyllum, cum duabus haſtulæ regiæ drachmis, & tribus vini cyathis, aut ariſtolochiæ radix, item cardamomum, & gentiana.

*QVamuis Aetius appellauit Cenchrum ammoditen, & Acontiam cenchriten, non tamen propterea cenſendum eſt Cenchrum, de quo hic diſſerit Dioſcorides, ammoditen, aut acontiam eſſe: quòd hic nullam cum illis habeat cognationem, nec ſimilitudinem. Ea autem de cauſa Cenchrus dictus eſt, quòd maculis per quàm minimis (vt Lucanus eſt author) milij magnitudine, & colore, vniuerſum eius corpus reſperſum appareat. Auicenna cenchrum ſamoſum appellat.*

Cenchri conſideratio.

## Κεράςης. CERASTES. CAP. LIII.

A Ceraſte percuſsis locus attollitur, cum duritia puſtuloſus, è plaga ſanies profluit, modò atra, modò pallidior: ſed toto concretu varicoſus intumeſcit: genitale intenditur, mens labat, & oculorum caligo exoritur: denique rigore neruorum diſtenti commoriuntur. Si ceraſtes percuſſerit, cita partis amputatio ſuffragatur: quare ſine mora ictam partem amputare, aut ſcalpro confeſtim circumcidere, & ijs ſimilia proſequi oportet. Vrentia inſuper reliquijs admouenda: ſiquidem virus hoc veneno baſiliſci ſimile eſt.

*CEraſtæ, quorundam probatiſsimorum authorum teſtimonio, in Aphrica duobus in capite cornibus cochlearum inſtar oriuntur, à quibus ceraſtæ, hoc eſt cornuti, nomen inuenerunt. Horum morſus lethalis ferè ſemper fuerit, niſi (vt Dioſcorides inquit) demorſum membrum ſtatim à reliquo corpore abſcindatur, amputeturque, aut ſaltem illico omnis caro, quæ demorſum ambit locum, circuncidatur. Immanis hæc fera (vt refert Aetius) cubitalis eſt longitudinis, longiſsima duorum eſt cubitorum, corpore verò arenoſa, & iuxta caudam deſquamata. Eminentias habet in capite duas, cornuum ſimilitudine: partes verò circa ventrem ex ordine ſquamis obſitæ ſunt, quapropter in ſerpendo ſomnum ſibilo ſimilem edit, per obliquum autem, non rectà proreptat. Iulius Solinus Ceraſtam (inquit) quadrigemina cornicula, non quidem gemina gerere ſcribit cap. 30. Polyhſtor. quarum oſtentatione velut eſca illice ſollicitatas aues perimunt. Nam reliqua corporis de induſtria arenis tegunt, nec vllum indicium ſui præbent. Cæterùm percuſsis ab ea, eleuatio ac tumor plagæ capitis claui ſimilitudine inſurgit, & ſanies profluit vini colore, aut nigricans, & maximè per ambitum, velut in cruentatis ac ſugillatis aliàs fieri conſueuit. Reliqua item, quæ in viperæ morſu dicta ſunt, etiam his ſuccedunt, cum intenſione vehementiori. Vt plurimùm verò vſque ad nonum diem superſunt. Remedia autem eadem, quæ morſis à vipera conferunt: hæc Aetius.*

Ceraſtæ morſus exitialis, & auxilia.

## Ἀσπὶς. ASPIS. CAP. LIV.

AB Aſpide ictis vulnus exiguum prorſus, quaſi ab adacta acu citra tumorem conſpicitur: ſanguis exiguus ille quidem, ſed ater diſtillat: caligo velox oculos obnubit: labor in totum corpus multiplex, omnino leuis, & non ſine voluptate conſequitur. Ideo Nicander perpulchrè cecinit. At vir perit abſque labore virés, atque diſcolor: mediocris ſtomachi dolor afficit: frons perpetuò reuellitur: genæ contremiſcunt, quaſi ſine ſenſu in ſomno vacillent: hos mors tollit, ad diei trientem non dilata: Cæterùm ijs, qui ab aſpide feriuntur, quæ de ceraſte ſcripta ſunt, auxilia dari debent. Nam venenum hoc, quemadmodum baſiliſci, aut ſanguis bubulus, celerrimè in arterijs ſanguinem cogit.

Aſpidis pernicioſus ictus, & genera tria

*REperio apud eos authores, qui animalium hiſtorias tradunt, tria Aſpidum genera conſtitui, & vnùmquodque vbi hominem morſu comprehenderit, celerrimè mortem inferre: quippe tanta eſt earum veneni vis in hominum necem, vt rariſsimè ſeruentur, qui ab eis percuſsi fuerint. De his ſcribens Galenus libro de theriaca ad Piſonem, ſic inquit: Inter aſpides nominata ptyas collum exporrigens, & ſpatij metita longitudinem, perinde ac ſi tunc rationalis fera facta eſſet, venenum ſolerter corporibus inſpuit. Harum itaque ferarum vna (ſiquidem tria ſunt Aſpidum genera, ptyas dicta, cherſæa, & chelidonia) reginam ferunt Cleopatram, cùm vellet cuſtodes latere, ſtatim, & citra ſuſpicionem mortem ſibi conciuiſſe. Hæc ille, qui ſubinde pluribus hiſtoriam enarrauit tam inuicti animi huiuſce moribundæ reginæ. Cæterùm chelidoniã vocatam, id nominis ſibi comparaſſe volunt, quòd hirundinum modo dorſo nigricet, & candicet aluo: quemadmodum & ptyas altera dicitur, quòd in hominem expuat, cherſæa verò ita dicta eſt, quòd in mediterraneis ſemper degat. Harum omnium meminit Aetius lib. 13. cap. 20. ſic inquiens: Aſpidum apud ferarum ſcriptores tres ſpecies reperiuntur: quædam enim ex eis terreſtres appellantur: quædam verò chelidoniæ, quæ circa fluuiorum ripas, præſertim Nili, latibula habent, aliæ verò ptyades nominantur. Terreſtres quidem igitur maiores ſunt, & quandoque vſque ad quinque cubitorum longitudinem reperiuntur. Maximè verò ptyades, cinereo ſunt colore, viridique & ad auri colorem inclinante. Terreſtres verò vt plurimùm & ipſæ cinerei ſunt coloris, quanquam & ſubuirides reperiantur. Cæterùm acceſsiones, & ſigna communia ſunt in his, quos aſpides momorderunt: vulnera enim in demorſo loco, veluti ab acu puncta inueniuntur: bina quidem ex maris morſu, ex fœmella verò quatuor citra magnum dolorem, à quibus nihil effluit, niſi violentum animal ſit, quod morſum inflixit. Conſequitur autem ſtupor, pallor, frontis refrigeratio, aſsidui hiatus, palpebrarum nictationes, colli inclinatio, capitis grauitas, ſegnities, & collapſio in ſomnum profundum, ad finem verò conuulſio. Mors autem in tribus ad ſummum horis ex terreſtrium morſu ſequitur: in chelidoniæ verò ictu præſentiſsima adeſt. Porrò his, qui à ptyade conſpuuntur, caligo oculorum ſuccedit, & cordis dolor, faciei tumor, ac auditus corruptio: tardius autem mors cõſequitur. Auxilium autem ab aſpide morſis ferunt, & præſertim quos ptyas momordit, ex acerrimi aceti potu: dandum autem eſt, quouſque aceti qualitatem circa dextram præcordiorum partem percepterit: hepar enim in morſis ab aſpide primum aiunt ſenſu priuari. Cæterùm ad prænotionem, an victurus ſit percuſſus, centaurium cum vino tritum bibendum præbent: ſiquidem enim euomet pharmacum, morietur: ſi non, viuet. Quò verò veneni in corpus diſtributi vis probè euomatur, allia trita cum zytho exhibenda ſunt, donec nauſeabundus reddatur malè affectus: aut opopanax cum vino diluto detur, & confeſtim euocet. Numius autem inquit: Origanum viridem, aut aridam pro ægri viribus cum vino dato. Poſt vomitum antidotis theriacis vtendum, & communibus remedijs prædictis. Vtiliter autem ad plagam imponuntur poſt cucurbitarum adhibitionem, & ſcarificationem, centauriũ cum myrrha & modico opio. Rumex autem ſi cataplaſmatis modo imponatur, nihil lædetur. Præter opinionem verò auxiliatur Theriace tum plagæ impoſita, tum pota. Proſunt autem & aſsiduæ excitationes cum euulſionibus, & plagis, & vniuerſi corporis motus, & aqua marina calida pro fomento aſperſa: hactenus de aſpidibus Aetius. Efficaciſsimum porrò, & omnium, quantum equidem expertus ſum, præſtantiſsimum antidotum contra venenoſum ictum aſpidum, quas ſurdas dicunt, quæ in Italia pluribus in locis reperiuntur, eſt noſtra quinta eſſentia, ex aqua vitæ, & antidoto noſtro confecta. Quippe cùm tenuium admodum ſit partium, ictu oculi in vniuerſum corpus diffunditur, venas, & arterias confeſtim permeans. Vnde prohibet, ne ſanguis & ſpiritus in vaſis refrigerati cogantur: atque aucto calore innato, veneni vim arcet potentiſsimè, idque ſuperat citiſsimè.*

Aſpidum hiſtor. ictus notæ, & cura.

## Βασιλίσκος. BASILISCVS. CAP. LV.

ERaſiſtratus in libro, quem de medicaminibus, & venenis condidit, de vocato baſiliſco ſcitè ita refert. Cúm baſiliſcus momorderit, vulnus ad auri colorem efflaueſcit. Itaque in plurimis, quæ virus eiaculantur, comites notæ ita ſe habent. Ad baſiliſci morſum, vt idem Eraſiſtratus author eſt, auxiliatur caſtorij drachma in vino pota: item papaueris ſuccus. Ictuum remedia ita ſe habent.

Baſiliſci varia hiſtoria.

*MVltiplex variaq́ eſt apud ferarum ſcriptores Baſiliſci hiſtoria, quem Latini Regulam vocant. Sunt enim qui ſcribant tantæ perniciei animal eſſe Baſiliſcum, vt ſolo oculorũ intuitu, alij ſibilo tantũ, alij halitu, alij verò morſu, homines ſtatim interimat. Nec deſunt qui vulgi opinionem ſecuti, ex antiqui galli ouo hanc ſæuiſsimam feram naſci putant. Ex hac itaque hiſtoriæ varietate ac inconſtantia, facile adducor, vt credam, pleroſque hiſtoriam Baſiliſci, vt fabularem deſcripſiſſe. Id quod etiam probè Dioſcorides ſenſiſſe, atque adeò noſtro iudicio adſtipulari videtur. Siquidem is ne cum alijs accuſaretur, Eraſiſtratum citauit, authoremque hiſtoriæ huius fecit. Baſiliſci meminit Galenus libro de theriaca ad Piſonem (ſi tamen liber ille inter legitimos cenſetur) vbi ſic inquit: Baſiliſcus bellua ſubflaua, & triplici frontis apice munita, tantummodo conſpectus, & quando ſibilat auditus, videntes ſe, & audientes necat: atque ſi quod aliud animal illum etiam mortuum attingit, ſtatim moritur. Hinc aiunt omne aliud reptilium genus cauere, ne Baſiliſco vicinum habitet. Libro verò 10. cap 1. de ſimp. medic. facultatibus, idem contra Xenocratem ſcribens, non omnino Baſiliſci hiſtoriam comprobare videtur, ſic inquiens. Nam beſtiam ſeu feram regiam, quam vocant βασιλισκὸν θηρίον, ne videre quidem mihi vnquam contigit: & ſi vera ſunt, quæ de illa referunt, periculoſum etiam eſt vel prope accedere ad hoc animal. Aelianus præterea Baſiliſcũ tanta veneni acuitate, & immanitate pollere ait, vt quamuis magnitudine dodrantalem non excedat menſuram, ſerpentes tamen omnes etiam ingentes, ſuo duntaxat halitu extinguat, adeò vt virga quoq́ è longinquo contactus, illico tangentẽ conficiat. Scribit Iulius Solinus, vires ne defuncto quidem Baſiliſco deeſſe, eaq́ propter eius emptas eſſe reliquias à Pergamenis amplo ſeſtertio, vt ædem Apollinis manu inſignẽ, nec aranea intexerẽt, nec alites inuolarẽt, cadauere eius reticulo aureo ſuſpenſo,*

*ſuſpenſo, & ibidem collocato. Huius item horrendiſſimæ feræ hiſtoriam tradidit Plin. lib. 8. cap. 21. vbi ita ſcriptum reliquit. Apud Heſperios Aethiopas fons eſt Nigris, vt plerique exiſtimauere, Nili caput, vt argumenta, quæ diximus, perſuadent. Iuxta hunc fera appellatur Catoblepas, modica alioquin, cæteriſq; membris iners, caput tantum prægraue ægre ferens: id deiectum ſemper in terram. Alias internecio humani generis, omnibus, qui oculos eius videre, confeſtim expirantibus. Eadem & Baſiliſci ſerpentis eſt vis. Cyrenaica hunc generat prouincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, cãdida in capite macula, vt quodam diademate inſigni. Sibilo omnes fugat ſerpentes: nec flexu multiplici, nec vt reliquæ, corpus impellit, ſed celſus & erectus in medio incedens. Necat frutices non contactos modo, verum & afflatos. exurit herbas, rumpit ſaxa. Talis vis malo eſt. Creditum quondam ex equo occiſo haſta, & per eam ſubeunte vi non equitem modo, ſed equum quoque abſumptum. Huic tali monſtro (ſæpe enim enectum concupiuere reges videre) muſtelarum virus exitio eſt: adeò naturæ nihil placuit eſſe ſine pari. Inijciunt eas cauernis facile cognitis ſoli tabe. Necant illæ ſimul odore, moriunturque, & naturæ pugnam conſiciunt. Hæc de baſiliſco Plinius. Quem tamen plura cum alijs fabuloſa narraſſe putamus. Nam ſi tantum oculorum intuitu, ſibilo aut halitu hominem interficit, non equidem video, quomodo factum ſit, vt ij qui ipſum viderunt, eiuſque faciem adnotarunt, ex quorum poſtea relatione huius ferè hiſtoriam pleriq; deſcripſerunt, incolumes euaſerint: præſertim cùm tã paruum ſit animal, vt niſi è propinquo loco conſpici poſſit. Atq; adeò hinc mihi impoſſibile videtur, quin ipſe aſpicientes non viderit, cum (vt Plinius refert) non multiplici flexu incedat, vt reliquæ feræ, ſed celſus, & erectus: vel quod ex infecto circumſtante aere, qui viderunt non perierint. Cæterum cùm Eraſiſtratus his fabulis nullam fortaſſe fidem adhiberet, certoq; ſciret Baſiliſcum morſu tantùm, vt aliæ feræ, homines interimere, eius duntaxat morſus curationem inſtituit. Verum quandoquidem huiuſce veneni vis adeò vehemens, & immanis exiſtit, vt expugnari non poſſit, non eſt cur plura hic referam, quàm ex Eraſiſtrato memoriæ prodidit Dioſcorides. Quem ducem & authorem ſecuti, vt ipſe ſuu de medica materia libris hoc ſexto finem impoſuit, ita nos noſtris in eos commentariis, quoad noſtram communemq; rei medicæ ſtudioſorum vtilitatem conſcripſimus, iam extremam manum imponemus. Non obliti immenſas gratias agere DEO optimo maximo, cui & omnia accepta referimus, & honorem ac gloriam tribuimus ſempiternam.*

Catoblepas.

Plura fabuloſa in Baſiliſci hiſtoria.

*LIBRI SEXTI ET VLTIMI FINIS.*

# DE RATIONE DISTILLANDI AQVAS EX OMNIBVS PLANTIS:

Et quomodo genuini odores in ipſis aquis conſeruari poſsint.

# DE RATIONE DISTILLANDI AQVAS EX OMNIBVS PLANTIS, ET QVOMODO GENVINI odores in ipſis aquis conſeruari poſſint.

PRISCORVM medicorum nemo fuit, qui quicquam ad poſteritatem tranſmiſiſſet de arte eliciendi aquas ſtillatitias ex plantis, vel aliis quibuſvis vegetabilibus. Parabant illi potiones ſuas ex dilutis, vel decoctis, ad curandos corporum noſtrorum affectus, aquarum ſtillatitiarum nulla habita mentionē. Inuentum hoc nouum eſt, referuntq; quidam ad Chymicæ artis profeſſores: alij ad Medicum quendam, qui (vt narrant) rerum experimenta admodum diligenter inueſtigans, dum fortè fortuna Betam decoctā, & adhuc calentem, in ſtanneam patinam effunderet, alteram ſimilem patinam ſuperponeret, ne ſtatim refrigeſceret olus: id vbi ſub edendi tempus rurſum detegeret, videretq; ſuperiorem patinam aqueo liquore, ipſoque copioſo adeo reſudantem, vt vndiquaque plurimæ excurrerent guttæ, quæ oleris iam cocti tum odorem, tum ſaporem reſipiebant, illico artem à natura edoctus, inſtrumentum excogitauit plumbeum, campanæ roſtratæ ſimile, ad contegendum æneum vas, plantarum plenum, ſuper fornace conſtitutum, vt hinc claras limpidaſque conſequeretur aquas: id quod illi feliciſſimè ceſſit. Elegit autem ille plumbeas haſce campanas, quòd certò ſciret, plūbum ob ſuam, quam poſſidet, frigiditatem, aſcendentem è plantis ab igne calefactis vaporem, perquam facilè in aquam vertere poſſe. Et rectè quidem, cùm è nullo alterius metalli, aut materiæ alembico, tā copiòſa educatur aqua, vt è plumbeo. Id cùm deinde contemplarentur alij, nouum modum excogitarunt, quo vno tantum igne, & vna tantum fornace, plura cōcalefacerent vaſa, ſingula ſingulis plumbeis Alembicis contecta, vt minore ſumptu ac labore copioſas adipiſcerentur aquas. Quamobrem fornacem, cuius imaginem primo loco dabimus, ſibi fabricarunt. Cæterùm cum non deſint, qui ſemper meliora inuentis addere ſatagunt, præſertim Chymiſticæ facultatis Magiſtri, ij cum viderent eiuſmodi aquas plumbeis Alembicis paratas, ſuarum plantarum odores, ſaporeſq; haudquaquam reſipere, ſed potius fumum olere, & aduſtionis nidorem, & quæ ex amaris, acutiſq; plantis fierent, nec amaroris aliquid, nec acredinis, ſed dulcedinis non parum guſtantibus reddere, aliud ad deſtillandas è plantis aquas inuenerunt inſtrumentum, quod Veſicam appellauere, quo paſſim vtuntur ij, qui è vini, aut cereuiſiæ fæcibus Aquam vitæ diſtillant, herbis vnà cum communis aquæ non mediocri quantitate, in vas æneum coniectis, vt ex fornacis ipſius imagine quiſpiam videre poterit. Sed concinniorem modum poſtremi repererunt, qui eiuſmódi aquas in feruentis aquæ Balneo (quod Mariæ vocant) aut ſuper vaporibus extrahunt, ſiquidem conſtat eas aquas eſſe multò præſtantiores, quòd ſuarum plantarum tum odorem, tum ſaporē egregiè retineant. Euenit ſanè hoc, quoniam balneū calentis aquæ, ſua ipſius humiditate, partes tenuiores retinet, cōſeruat, ac cuſtodit, quo fit, vt eæ non reſoluantur ſuis in plantis, quemadmodum in iis, quæ lignorum, aut carbonum violento igne exuruntur. Quapropter inter aquas, quæ balnei calentis vi deſtillantur, & quæ plumbeis inſtrumentis extrahuntur, tanta deprehenditur differentia, quanta inter vinum & aquam. Quippe quæ fiunt in balneo aquæ bulliētis, aut ſuper ipſius vapore, vitreis roſtratis organis ad id muneris paratis, vt poſtea oſtendemus, eæ ab herbis & floribus, à quibus manant nec ſapore (vt paulò antè diximus) nec odore diſcrepant. Quin non ſolum proprias plantarum qualitates ſecum trahunt, ſed & tam limpidæ & ſinceræ proueniunt, vt ne tantillum quidē fumi, vel aduſtionis nidorem reſipiant. Contrà verò nunquam vel rariſſimè guſtaueris aquas è plumbeis Alembicis reſultantes, quin tibi fumidum quoddam in ore relinquant. Quæ res non modò guſtantibus, bibentibuſve præſertim ægris, qui cæteris moroſiores ſemper eſſe ſolent, nauſeam mouent, & moleſtiam afferunt, ſed plurimum noxæ pectori, ventriculo, iecinori, viſceribuſq; omnibus ingerunt, quòd à metallicis vaſculis, è quibus deriuantur, malam qualitatem eliciant, & in ſe ipſas contrahant. Patet hoc manifeſtiſſimè in Abſinthij aqua, ex Alembico plumbeo profecta, nam eam dulcem eſſe conſtat, non amaram. Id quod à plumbeis inſtrumentis, quibus conficitur (vt diuturna docet experientia) euenire certum eſt. Et non ſolùm in Abſinthij aqua, ſed etiam alterius cuiuſuis plantæ temperamento calido, & ſapore acri præditæ. Siquidem cùm plumbeus Alembicus huiuſcemodi herbarum vaporibus tum actu, tum potētia excalfacientibus ſuperficietenus afficiatur, corrumpaturve, fit quidem, vt ſuperficies ipſa ita affecta in ceruſſam tenuiſſimam vertatur, quæ deinde aquis ſeſe commiſcens, illis dulcedinem addit. Atque id videre eſt in albo talium aquarum ſedimine, præſertim vbi aquæ per plumbeum Alembicum recēs paratum meauerint. Nam vas, quod diu in hoc opere vſurpatum eſt, obducta circumquaque quadam veluti gypſea cruſta, non ita facilè à vaporibus deraditur, & in ceruſſam vertitur. Nulli autem mirum eſſe debet, ſi ab acri plantarum vapore plumbi ſuperficies in ceruſſam mutetur, cùm ceruſſa ipſa (vt Dioſc. eſt author) paretur laminis plumbeis, ſuper aceti vaporibus ſuſpenſis, & ſuper craticula ex arundinibus parata extenſis. Quod quidem iis non accidit, quæ duplici vaſe, vitreis organis, calentis aquæ balneo conficiuntur, nam eæ ſufficienter amareſcere, aut fauces linguamve mordicare, ſi fiant ex amaris, aut acerrimis plantis, apertiſſimè ſentiuntur. Preterea carēt dulcedine, quòd à vitreis Alembicis, vnde guttatim fluunt, nullam adſcititiam qualitatem recipiant. Porrò, quæ parantur inſtrumento, quod Veſicam appellant, ſtanno circumlito, longè meliores habentur, quàm quæ è plumbeis roſtratis campanis euocantur. Quòd ignis fornacis herbas in aqua ferueſcentes, nec vſtulare, nec fumido nidore inficere queat. Attamen nec hæ integras herbarum vires retinent, ob aquæ communis admiſtionem

miſtionem, quæ illas ſuffocat & hebetat. Quamobrem aquis illis palma danda, quæ in Balneo Mariæ, aut ſuper eius vapore parantur, & præſertim quæ fiunt ex herbis facultate calidis. Et hæc de modis diſtillandarum aquarum à plantis, & plantarum floribus, in vniuerſum dixiſſe ſufficiat. Peculiaria enim inferius deſcribentur, vbi fornacum, & inſtrumentorum imagines appictas dabimus. Quod autem ad aquarum ſtillatitiarum vires ſpectat, ſciendum eſt, iiſdem eas pollere viribus, quibus & herbæ, floreſve, à quibus eliciuntur, præditæ ſunt, verùm non adeò præſtantibus, quippe quòd in diſtillando non modicum ſubſtātiæ deperdatur, & in auram euolet, quo fit, vt non deſint Medici, qui decoctis potius vtantur. Siquidem ex guſtu olfactuque apertiſſimè conſtat longe plus virium in his contineri, quàm in aquis ſtillatitiis. Verùm quia decocta ægris non æquè placere ſolent, vt aquæ ipſæ diſtillatæ, ideo hæ potius, quàm illæ eligēdæ, vbi ægrotis noſtris gratiora pocula offerre volumus. Ad quam rem etiam Myropolarum diligentia requiritur, vt eas aquas probè & cum induſtria conficiant, ſi & ægrotantium & Medicorum gratiam ſibi conciliare volunt. Sunt itaque diligenter diſtillatæ aquæ vtiles admodum, adeò vt decoctis, quibuſdam in medicamentis, non parum anteferri debeant. Nam vbi in ardētibus febribus, & æſtatis feruoribus potus aliquis parandus fuerit, qui & ſitim valenter reſtinguere, & guſtum potantis oblectare queat, felicius, commodiuſque id proculdubio fiet cum aquis diſtillatis, admiſtis aut vino Punicorum malorum, aut Iulapio è roſarum, aut violarum aqua parato, aut ex citrei, aut limonij mali ſucco, quàm cum quouis decocto, quantumcunque optimè confecto. Idem etiam euenit, vbi aut ad oculorum morbos collyria, aut in capitis dolore oxyrhodina, aut in iocinoris, & cordis affectibus epithemata paranda erunt. Prætereo, quantum conducat aquarum diſtillandarum artificium ad odoramenta paranda, cùm in Medicum potiſſimum vſum, tum ad vniuerſi corporis delitias: quales ſunt, quæ parātur è floribus roſarum, pomorum aurantiorum, Myrti, & aliarum plantarum, quorum flores ſuauiſſimè ſpirant. Quinetiam ad mulierum ornatum, quę ſubinde ſuis vtuntur aquis diſtillatis ad conciliandum faciei nitorem. Ad hanc rem ſunt efficaciſſimæ, quæ è radicibus Polygonati, Bryoniæ, Cucumeris agreſtis, Ari, & Fabarum floribus ac Tiliæ parantur. Verùm cæteras ſuperat, quæ è Limonum ſucco, in quo minuta cochlearum quarundam marinarum candidiſſima putamina, magnitudine piſi granum parumper aut nihil excedentia, pluribus diebus fuerint macerata, & deinde in balneo feruētis aquæ vna cum ſucco ipſo diſtillata. Siquidem hæc non ſolùm cutim attenuat & erugat, ſed nitorem elegātiſſimum addit. Id quod neutiquam ſilentio mihi prætereundum duxi, vt non ſolùm viris ſatisfeciſſe videar, ſed etiam nobilibus matronis, & cæteris quibuſcunque mulieribus, quarum gratia mihi non paruifacienda eſt. Quo fit vt admodum neceſſarius ſit aquarum diſtillatarum vſus apud omnes nationes, & præſertim apud eos Medicos, qui politicè, & cum omnium laude Medicinam exercere deſiderant.

## PRIMA FORNAX.



I.

HÆc fornax in teſtudinis acutæ formam parata, quàm plures poteſt fouere & ſuſtinere plūbeas roſtratas campanas, quę vnico tantùm igne calefieri poſſunt. Attamen hiſce plumbeis alembicis ij tantum vtuntur pharmacopæi, qui hactenus præſtantiores aquas facere neglexerunt.

SECVNDA FORNAX.



TERTIA FORNAX.



QVARTA FORNAX.



II.

VESICAM æneam, æneo pariter alembico coopertam continet, cuius roſtrum, ligneum cadū aqua frigida plenum perforat, ne ſpiritus in auram euaporent, ſed condenſentur, atque in aquam vertantur. Hoc itaque alembico (vt diximus) paratur aqua vitæ. Verùm omnes ferè Germaniæ Myropolæ ęo nunc vtuntur ad diſtillandas aquas ex omnibus plantis, ſanè non reprobandas.

III.

BALNEVM eſt Mariæ, ſimpliciter paratum cum vno tantum alembico. Inferius vas quod ſtanneum eſt, matulę magnę, oblongę adſimile habetur, tum æneo caldarij cooperculo ita plumbatum ferruminatumq́ue, vt alterum ſine altero extrahi non poſſit. Simul imponuntur, ſimul quoq; auferuntur. Atqui alembicum vitreum eſſe oportet. Vbi autem aqua in caldario ex longo feruore defecerit, aperto foramine, quod cuneo concluſum in caldarij operculo ſpectatur, alia etiam feruens infunditur, donec ahenum repleatur.

IV.

BALNEVM hoc quatuor continet alembicos vitreos, quorum vaſa in balneum collocanda, & vitrea & ſtannea eſſe poſſunt. Quod autem in ſummo eminet, vapore tantùm aquæ inferioris balnei, per æneam fiſtulam ſurſum aſcendente calefactum, aquam à contētis herbis aut floribus reddit omnium optimam. Cōcluditur autem vrinale eius ſtanneum in cacabo maioris circumferentiæ, ſuper fiſtula fabricato, rimis vbique ſtanneo glutino adeò occluſis, vt nihil vaporis aſcendentis expirare valeat. Eſt itaq; ſuperius hoc inſtrumentum adeò ſimul compactum confabrefactumq́ue, vt vnum tantum corpus videri poſſit. Solus vitreus alembicus ſeparari poteſt, & viciſſim reponi, vbi aquas diſtillare opus eſt.

QVINTA

QVINTA FORNAX.



SEXTA FORNAX.



V.

BALNEVM hoc eſt elegantiſſimum, in quo vas ſtanneum, trium ſpithamarum longitudine fabricatum, tumidoq́ue inferius ventre, reſidet, cuius ſuperior pars, in qua ſitum eſt orificium, per rotũdum foramen, in medio balnei cooperculo exciſum, extra caldarium ad ſpithamæ altitudinẽ porrigitur. Huic inſeritur ſtanneus alembicus, quem vas aliud, eodem metallo conflatum, amplioris latitudinis, excipit, ad frigidam recipiendam aquam, quæ ex ſuperiori oblongo vaſe, in ſumma columnæ parte conſtituto, per æream defluit fiſtulam, frigidæ aquæ deſtinatam, vt ſtanneum alembicum in medio ſtantem circundet ac refrigeret. Siquidem eo continuè refrigerato fit quidem, vt vapores aſcendentes longe melius cõcreſcant, & in aquam vertãtur. Id quod in cauſa eſt, vt copioſiorem aquam recipiant artifices. Vbi autem ipſa aqua frigida paulo poſt à calore Alembici calefiat, illico fiſtula in inferiori vaſis Alembicum recipiẽtis parte euacuari poteſt, aperto epiſtomio, & alia iterum frigida denuo vas ipſum repleri. Verùm ne tantum laboris in effundenda & refundẽda hac aqua ſuſcipiant miniſtri, poteſt ſuperioris vaſis fiſtula, quod frigidam continet, epiſtomio ita ſubinde regi & moderari, vt tantum aquæ continuò in vas alembicum circumdans diſtillet, quantum huiuſce recipiẽtis fiſtula, ſuo epiſtomio moderata, cõtinuè vacuari queat. Vt autem Balnei ipſius caldarium eadem ſemper aquæ quantitate refertum ſit, & ne aqua, quæ ignium vi continuò conſumitur, vacuum remaneat, arte quidem factum eſt, vt vas aliud columnæ inferiori parte affixum, calidiſſimam continuò, per inferiorem fiſtulam epiſtomio menſuratam, in balnei caldarium effundat aquam, quæ quidem ſuo in vaſe calefit eodem igne, quo ipſum calefit balneum, ſiquidem vacua eſt parietis columna, vſque ad ipſius inferioris vaſis fundum.

VI.

VLTIMA hac fornace vtuntur Veneti ac Neapolitani, qui vitreis alembicis abũdant. In qua vna tantum die & nocte, ſicco ignis calore, eliciunt aquæ vltra centum libras. Fornax rotunda eſt, vt ex imagine hic appicta apparet, fornacibus, quæ in Germanorum viſuntur vaporariis, omnino ſimilis. Continet hæc circumcirca, vt videre eſt, numeroſa fictilia, intrinſecus vitro incruſtata, vrinalis formã referentia. & diligenti ſanè artificio argillaceo luto agglutinata, quibus ſingulis per totum fornacis ambitum ſinguli adduntur vitrei Alembici, è quorum vertice ex globulo ad hoc parato, Recipientia craſſiuſculo funiculo adalligata, pendent. Calefit hæc fornax eodem modo, quo Germanicorum vaporariorũ fornaces. Atqui dum ignis vehemens eſt, vacua relinquunt vaſa, donec parumper remittatur, ne violento calore plantæ aut flores exurantur. Tunc itaque plures miniſtri, qui hoc tantum artificio aluntur, obſtructo vndique fornacis oſtio, ne concluſus expiret calor, herbas fictilibus iniiciunt, & ſimul vitreos applicant Alembicos. Atque in hunc modum copioſas eliciunt aquas, quæ longè meliores habentur, quam quæ plumbeis conficiuntur inſtrumentis, quòd nullam metallorum contrahant infectionem.

# INDEX ACCVRATVS OMNIVM, NON SIMPLICIVM TANTVM, SED ALIARVM ETIAM QVARVMCVNQVE RErum, tam in Dioſcoridis textu, quàm Matthioli commentariis contentarum: duplici numero ſignatus, quorum prior paginam, alter eiuſdem lineam docet.


A.

Abiegna liquida Dioſcoridi & Plinio ignota 109.31
Abies 104.51
Abies 102.4
Abietis lachryma an Picea liquida Galeni 102.63
Abiegna lachr. vt adulteretur 103.9
Abrotonum mas 512.40
Abrotonum fœmina 513.33
Abrotoni vires 514.34
Abrotoni fœm. vires ibid.53
Abrotoninum oleum 82.1
Abſinthium 508.37
Abſinthium Ponticum montanum ibi.
Abſinthium Ponticum 509.24
Abſinthium marinum ibid.
Abſinthium maritimum foliis laciniatis 510.1
Abſinthium Seriphium ibid.37
Abſinthium Seriphium Gallicum 511.37
Abſinthium Seriphium latifolium ibid.
Abſinthij vires 511.32
Abutilon Auicennæ 662.
Acacalis 142.53
Acacia 170.40
Acacia Officinarum 171.44
Acaciæ ſuccedaneum 171.ibid.
Acacia Aegyptiaca ibid.1
Acaciæ alterum genus 172.31
Acacia vires ex Galeno ibid.44
Acanthium 499.1
Acanthus 499.32
Acanthus ſylueſtris ſpinoſus 500.5
Acanthi duo genera Plinio ibid.
Acanthi facultas ex Gal. ibid.37
Acarna Theophr. 593.33
Acetoſa 353.33
Acetoſa minor 354.1
Acetoſa Cretica 355.40
Acetum Scillinum 911.65
Aceti ſcillini vires mirabiles 912.13
Aceti ſcillini confectio 912.21
Acetum Dioſc. 910.40
Aceti miſtæ facultatis conſideratio 910.60
Acetum mulſum 911.19
Achatis lapidis hiſtoria 959.60
Achatis vires 959.68
Achillea 213.33
Achilleæ vires 714.9
Acida punica quomodo miteſcant 194.9
Acida muria 911.46
Acinus 537.40
Acinus Columnæ ibid.
Aconitum 761.36
Aconiti genera & conſideratio 761.55
Aconitum Pardalianches Dioſc. 762.1
Aconitum Pardalianches Plinij ibid.26
Aconitum Pardalianches Theophr. 762.26
Aconitum Pardalianches minus, quod falsò Doronicum vocant 763.10
Aconitum ſecundum ibid.
Aconitum tertium 764.1
Aconitum vnifolium ibid.
Aconitum quartum 764.35
Aconitum quintum 765.1
Aconitum ſextum ibid.
Aconitum ſeptimum 765.34
Aconitum octauum 766.1
Aconitum nonum ibid.
Aconiti vires ex Gal. 770.7
Aconitum 986.46
Aconiti veneni conſideratio 986.56
Acontia hiſtoria, morſus & cura 1022.
Acori conſideratio 20.61
Acori radix condita 23.5
Acori radix amara 22.18
Acori & Galangæ differentia ibid.22
Acorum legitimum eſſe Calamum odoratum ibid.29
Acori vires 22.66
Acus muſcata 621.25
Acus paſtoris 622.43
Acuta ſpina 148.21
Acuta ſpina non eſt officinarum Berberis ſiue Creſpinus ibid.32
Adami pomorum hiſtoria 207.32
Adarces Dioſc. 953.48
Adarcæ vires ex Gal. 954.1
Adeps anſerinus 306.40
Adeps gallinarum ibid.
Adeps viperarum 307.14
Adeps vrſorum ibid.
Adeps piſcium ibid.20
Adipis in cibis facultas ibid.40
Adeps 304.55
Adiantum 832.12
Adiantum Syriacum ibid. ibid.24
Adianti vires 833.33
Adiantum album Theoph. non eſt Par[illegible] 734.42
Adonis 650.1
Adonidis mentio 649.22
Adrachne Plinij 205.7
Aegilops prima 834.36
Aegilops ſecunda ibid.
Aegilopis ex hordeo generatio 835.18
Aegilopis vires ex Gal. 835.26
Aegineta Rhabarbarum agnouit 476.[illegible]
Aegyptiæ ſiliquæ hiſtoria 211.14
Aegyptiis viperæ cibus 261.1
Aeris vſti conſideratio & vires 921.1
Aerugo raſilis 923.25
Aerugo Scolecia 923.57
Aeruginum conſideratio 923.60
Aeruginum vires ex Gal. ibid.
Aeruginis remedia 1002.
Aes vſtum 920.56
Aethiopis 804.1
Aethiopidis vires ex Paulo 803.66
Aëtites lapis 964.
Agallochum 67.18
Agallochi fabuloſa opinio ibid.30
Agallochi hiſtoria ex Serapione ibid.[illegible]
Agallochum crudum quid 68.23
Agallochi facultas 68.29
Agaricum Larici innaſcens 101.48
Agaricum 475.2
Agarici vires ex Gal. 474.62
Agarici vires ex Meſue 475.[illegible]
Ageratum Dioſc. 739.54
Ageratum alterum 740.[illegible]
Agerati vires 741.14
Agrimonia eſt Eupatorium 717.55
Agrifolium 146.55
Agroſtes 1017.
Aiuga 669.
Aiugæ conſideratio 669.
Alabaſtrites lapis 961.64
Alaudarum hiſtoria 285.62
Alberti & Plinij lapſus 285.40
Alcea 663.
Alcea hiſtoria ex Plinio ibid.
Alceæ vires ex Paulo 663.
Alcyonium 952.[illegible]
Alcyonij vires ex Gal. ibid.
Alga Veneta [illegible]


Alb[illegible]

Albaſſer quid ex Serapione 314.35
Alhadaracaron Auicennæ 84.43
Aliſma Dioſc.666.duplex Plinij ibid.
Aliſmatis vires ex Gal. ibid.
Alſaria 613.34
Allium 421. 40. anguinum 422. 1. Vrſinum ibid.35.
Allij facultates 423.19.
Alni hiſtoria ex Theophraſto 131.64.vires 132 40
Alnus hirſuta 133.41
Aloë 507.1.mucronato folio ibid.
Aloës vires ex Gal.ibi.34.vires ex Meſue ib.66
Alſebra 863. 62. eſt Pityuſa 865.35. eſt eſula maior 867.20
Alſine 782.33.altiſſima ibid.
Alſines vires 783
Althæa 662.altera, ibid.eius vires 662
Alumen 945.30. plumoſum eſt Amiantum 945.40. liquidum vt fiat 946. 22. rotundum 946.37. ſquamoſum vt fiat 946.43 omne excalfacere 946.59. Catinum eſt ſal Alcali 946.40 rupeum 946.54. eius vires 946.51. plumeum 963. 7. ſciſſile & Amiãtum differunt 963.10
Alypum 880.28.eius vires ex Paulo ibi.50
Alyſſum 591.6. Plinij eſt Rubia minor 591. 7. Aëtij eſt Sideritis ibid. 37. Galeni ibid. 43. Ruellij eſt Cannabis ſylu.ib.50.eius vires ex Gal. 591.56
Alyſſum contra rabiem 1009
Amaracinum oleum 84.1
Amara dulcis 882.11
Amara ſimplicia quæ 11.16
Amaraci hiſtoria 531.8.vires 535.11
Amaracus tenuifolia 535.18
Amaracum & Sampſuchum num idem ſint 81.34
Amaracum & Parthenium num idem. 81.44
Amaracus 534.36. tenuifolia 534.36
Amaranthus 737.14. panniculaincurua 737 14
Amaranthi purp.vires 737.54
Amati opinio Cinnamomum notiſſimum eſſe, refutatur 49.36
Ambari hiſtoria 66.48.genera & vires ibi.57
Ambroſia 619.22.altera ibid.Plinij ib.69.eius vires ex Gal. 620.4
Ambubeia 388.45
Amellus Virgilij 818.46
Amelli hiſtoria Matthiolo 818.68
Amiantus lapis 962.56
Ammi Dioſc.557.38. & 558.1. paruum folijs fœniculi.ib.eius vires 557.64
Ammodita hiſtoria & veneſica vis 1021. morſus curatio ibid.
Amomi conſideratio 51.68
Amomum ſpurium 52.10.eius vires ex Gal.53 22
Ammoniacum 587.10.eius vires ibid. 35
Ampelitis à Gagate parum differt 968. 4
Ampeloprasum 418. 40. proliferum ibid. eius vires 419.5
Amphisbænæ conſideratio 1022
Amphisbæna biceps nõ eſt 1023. eius morſus ſigna & curatio ibid.
Amurca olei 176.60.& 178.13
Amygdalinum oleum 76.34
Amygdalini ol.parandi ratio & vires ibi. 50.
Amygdala 221.1.earum vires ibid. 27
Amygdalæ amaræ quo pacto fiant dulces ibid. 51
Amylum 332.35.eius vires ibid. 50
Anacardium 227.31.229.1
Anacardiorũ veneni ſigna & curatio 985. 56
Anagallis 463.49.mas 464.1.fœmina ibid.aquatica 465.15.aquatica folio rotundo ib. 15.eius vires 463.64
Anagyris 664.altera ibid.minor 665. vires ex Gal. ibid.
Anchuſa prima 703.35.ſecunda ibi.tertia 704 8. earum vires ex Gal. ibid.6
Andacoca quid 609.67
Andernacum notatur 185.22
Andreæ Lacunæ litera 538.48
Androſaces Dioſc.644.50.eius figura 643.1. altera ibi.vires ex Gal. 644.62
Androſæmum Dioſc.667.& 668.fœtidum ib.
Anemone prima 460.35. ſecunda ibid. tertia 461.1.quarta ibid.quinta ibid.35. eius flores varij 462.1
Anethinum oleum 82.6
Anethum 554.20.eius vires ibid. 33
Angelica Coſtus quibuſdam 54.60
Angelica ſatiua 814.40.ſylueſtris ibid.
Anguillara arguitur 161.11. notatur de Aſpalatho 63.4.eius opinio 172.42.lapſus. 99. 60.lapſus in Theoph.verſione 212.44.ſententia de Cneoro refutata 45.54. opinio reprobata in Saliunca & Hirculo 34.1.arguitur 182.1.notatur circa Thuiam 124.17 reprehenditur 56.69
Anguriæ mentio & hiſtoria 396.62.& 397.1
Animalia quæ rabie tentantur 1008
Aniſum 553.7.eius vires ibid.37
Anonis 500.56.eius hiſtoria ex Theophr. 501
Anonis non ſpinoſa purpurea 501. non ſpinoſa lutea 502.eius vires 501
Anſerinus adeps 306.40
Anteuphorbium 585.26
Anthemis Dioſ.648.62.eius conſideratio 649 10.vires ex Gal. 650.8
Anthera quid 167.10
Anthericum 450.68
Anthropomorphon Pythagoræ 760.4
Anthyllis 648.33.eius vires ex Gal. ibi.
Antidota præſtantiſſima Matth.contra venena 979.62
Antidoti primi Matth.deſcriptio 979.68.vſus 980.21.alterius deſcriptio & vires 980.47 è ſanguinibus 981.35. è ſcinco 981.44.ex terra Lemnia 981.10
Antidotus ad rabidorum canum morſus 250. 60
Antidotorum actio 973.40
Antirrhinum primum 829.35.ſecundum ibi. tertium 830.4.quartum ibid.eius vires ibi. 45
Antiſpodium 918.63.ex quibus fiat 920.6
Antora 769.28.eius radices variæ ibid.
Aparine 590.35.eius vires ibid.50
Aphaca intubi ſylueſtris ſpecies 388.38
Aphaca 416.20. Intybi genus 417.8
Aphacam cum Vicia quidam malè confundũt 416.28.eius vires 417.3
Aphronitrum 950.30.eius vires 951.15
Apiaſtrum 602.15. eius conſideratio 602.59. vires ex Arabibus 603.5
Apium riſus 990. Dioſc.561.54.hortenſe 562. 13.criſpũ ib.paluſtre 563.5.hortenſe maximũ 563.1. Columella 563.3.vires 564.36
Apios 876.20
Apocynum 774.40.repens ibid. duplex 775.7 eius vires ex Gal. 775.23
Apum conſideratio 315.56
Apes quibus gaudeant 316.5.earum reparatio ex vitulo ibid.42. mira induſtria ibid.14 ictus & remedia 1016
Aqua Abſinthij cur dulcis 310.66
Aqua aurea ex Lil.conuall. 631.56
Aqua Betulæ vires 132.56
Aqua cochlearum 248.61
Aqua Cinnamomi vulgaris vires 49.67
Aqua foliorum quercus & eius vires 179.45
Aqua Fraxini 128.65
Aqua ad faciei ruborem 106.35
Aqua florum Aurantiorum mira facultas 206
Aqua Gentianæ facultas Matthiolo 481.33
Aqua mulſa 908.36. eius faciendæ ratio varia 908.49
Aqua 909.10. pluuialis omnium præſtantiſſima 909.25.ciſternæ 909.30.ex niue & glacie omnium peſſima 909.36. putealis 909. 40. paluſtris ibid. fluuiatilis ibid. Tiberis Romæ 909.47
Aquæ ſalſæ 909.53.nitroſæ 909.61.aluminoſæ 909.63.ſulphuroſæ 910.5.bituminoſæ.910. 10. ærea 910.13.ferrea 910.14
Aqua marina 910.20
Aquæ pauor ad quod vſq; tempus excitatur, & cur 1011.quando & quibus curetur 1012
Aq.Polygonati 678.60
Aqua roſarum præſtantior 167.13
Aqua & Oleum ex humano ſtercore 310.15
Aqua ſtillatitia ad calculoſos 203.64
Aqua ſtillatitia è Limoniorum ſucco & eius vires 207.15
Aqua vitæ ex Ceruiſia parata 322.57
Aqua vitæ & eius vires 907.9
Aq.vitæ Matthioli parandi ratio.907.18.vires 907.32
Aquifolium 147.18.eius varietas ibid. vires ibid. 54.
Aquilina 467. 22. flore pleno ibid. eius vires ibid. 53
Arabum lapſus duo vtrunq; Centauriũ confundunt 487.48
Aracus niger 328.1.eius hiſtoria 337.60
Araneus niger in ollam delapſus cerebrum inficit 976.23
Aranei muris conſideratio 297.60
Araneus 293.27
Araneorum & phalangiorum genera 293.50
Arbor vitæ 123.10
Arbor Iudæ 171.31
Arboribus quæ increſcant 9.5
Arbores aliarum arborum fructuum feraces 14.21
Arbores quæ ſint 7.58
Arbutus 220.18. eius vſus & vires Matth.ibid. 45
Arction 804.15.eius vires ex Gal. 804.34
Arena littoralis 965.60
Argemone 463.27.eius vires ex Gal. ibid. 43. eius vice Eupatoriũ veteres perperam ſumpſerunt 463.43
Argentum viuum vt necet 973.27

*Argentum viuum 935.34.& 999. exhibetur 936.25*
*Argenti ſublimati confectio* 936.15
*Argenti viui pernicialis natura 999 ſumpti curatio ibid. partum promouet* ibid.
*Argenti recrementum 928.54. eius vires 928 66*
*Argenti ſpuma 998. eius mala 998. eorundem curatio* ibid.
*Argentum ſublimatum exulcerat* 1010
*Arida loca quæ plantæ ament* 8.49
*Ariſarum 450.1. alterum ibid. eius vires 449. 68*
*Ariſtolochia longa 482.36. vera ibid. & 483. 83. piſtolochia* ibid.
*Ariſtolochia triplex Gal. 484.18. tenuis eſt Clematitis ibid. eius vires* ibid. 64.
*Ariſtotelis vanæ opiniones* 292.52
*Ariſtotelis & Plinij lapſus, in Aphrica ceruos eſſe negantium* 290.2
*Armeniæ terræ ſeu boli vires ex Galeno, 939. 58*
*Armeniacorum conſideratio 204.44. & 208. 10*
*Arnabo hiſtoria* 439.42
*Aromatica quæ* 15.50
*Arſenicum cryſtallinum ex quo fiat* 944.60
*Arſenici ſublimati venenum 999. eius curatio ibid.*
*Artemiſia 617.25. eius duo genera Plin 617. 32. tenuifolia Dioſcoridi adulterina 618. 40. eius hiſtoria 618.50. altera ibid. eius vires* 618.56
*Arum Aegyptium 339.4. Colocaſiam vult Anguil.* ibid.
*Arum 448.15. minus ibid. eius vires ibi. 65 & 449.29*
*Arundo Indica latifolia* 701.5
*Arundo 137.22. ſatiuæ deſcriptio 138.1. & filicis odium: cum aſparago amicitia 138.18. vires ibid. 25. ſcriptoria 138.40. Indica 139 30. vallatoria* 138.8
*Aſarina conſideratio* 37.1
*Aſari vires ex Gal.* ib.16
*Aſarum & Bacchar differunt 36.21. eius vires ex Meſue* ib.53
*Aſcalonia* 421.15
*Aſclepias Dioſcor. 591.68. nigro flore* 592.18
*Aſcyrum* 667. & 668
*Aſij lapidis hiſtoria & vires ex Gal.* 957.18
*Aſpalathus 62.15. non eſt ſantalum rubrum 62.54.*
*Aſpalathum verum è Cypro allatum 63.10. eius vires ex Gal.* ib.20
*Aſparagus 373. 24. ſylueſtris ibid. eorum facultates ibid. 67 ſylueſtris aculeatus 374.1*
*Aſphodelus 451.1. luteus ibid. eius vires ibid. 45*
*Aſphalti nomina* 114.7
*Aſpis cornutus* 1021
*Aſpidu genera tria 1025. eorum ictus notæ & cura* 1026
*Aſplenum Dioſc. 645. & ſcolopendr. quibuſd. diuerſa 645.68. vires* 645.62
*Aſtacus* 250.21
*Aſter Atticus ſiue Amellus 817.40. ceruleus Alpinus 818.1. alter ibid. luteo flore* 819.1
*Aſterem cum Eryngio confundit Serapio 818. 37*
*Aſteris Attici vires ex Gal.* 819.40
*Aſterion* 1017
*Aſtragalus alpinus* 836.40
*Aſtragalus 743.6. eius vires* ibid.
*Aſtura* 244.4
*Athera 325.27. eius conſideratio* ibid.
*Atragene* 882.6
*Atractylis 593.10. Theophr. 593.34. Plinij 593.58*
*Atramentum librarium 968.18. ſcriptorij conficiendi ratio* 185.24
*Atramentum ſutorium* 940.40
*Atriplex domeſtica 361.25. ſylueſtris prima 362 1. ſylu. ſecunda ibid. 32. ſylu. tertia ib. anguſto Centinodia folio 363.1. marina ibid. ſylueſtris lappulas habens 365.14. eius vires 363 eius ſemen ex Serap. aluum mouet* 364.40
*Auellana Indica* 227
*Auellanarum conſideratio 229 25. facultates ibid. 28*
*Auena 326.4. eius facultates ex Galeno ibid. 21*
*Auerrhois cõtra Gal. vana calumnia* 476.39
*Auicennæ lapſus 94.32. defenſio à Fuchſii calumnia 768.63. defenſio contra Fuch. 219.1*
*Auicenna de Karabe 131.39. eius lapſus 353.50 notatur* 206.8
*Auis lingua* 128.68
*Aurantia mala 206.59. Gal. ignota* 201 59
*Auricula muris* 470.40
*Auri hiſtoria & præſtantia 936.33. vires ex Auicenna* 936.63
*Auripigmentum 944.25. eius venefica vis & curatio 999. eius vires ex Gal.* 944.68
*Auxilium religioſum in canis rabidi morſu 1010*
*Azadaracht 233.10. arboris venenum & remedia* 989
*Azulum Auicennæ* 932.64
*Azaroli deſcriptio* 209.50

B.

*BAaras admirabilis facultatis planta 760. 14*
*Baccharis Dioſcor. 538.30. conſideratio 538.40 eius meminere antiquiſſimi 539. & herba & vnguentum ap. Athenæum* ibid.
*Balauſtia* 193.27
*Balaninum oleum 77.4. eius facultates ibid. 14*
*Baldus à cane morſus interijt* 1008
*Ballote 601.38. eius vires ex Paulo* 602.2
*Balneum ad Podagricos* 119.112
*Balſami vires ex Galeno 61.5. ſuccedaneum ibid. 9. Indicum nouum ibid. 22.60. factitij conficiendi ratio ib. 27. vires* ibid.35
*Balſamum 59.12. eius hiſtoria ex Iuſtino ibid. 47. ex Strabone & Pauſania ibid. in Aegypto 59.64. Iudaicum 61.45. Americanum 61.67. ex Hiſpaniola 62.2. Tolutanum ibid. 8*
*Balſamina 884.22. altera* ibid.
*Barbula hirci* 409.44
*Barbari & Ruellij lapſus* 238.55
*Baſiliſci varia hiſtoria* 1026
*Bdellium 90.62. eius hiſtoria ex Plinio 91.25. vulgatis genera ib. 20. vires ex Gal. ibid. 25 alterum Serapioni, palmæ genus 91.37 à Myrrha differt 92.18 eius differentia ſex ibid. 20*
*Behen rubrum offic. 696.36. album & rubrum 857.53. eſt Hermodactylus 857.63. rubrum officinarum* 851 1
*Bella donna lethiferum eſt* 986.32
*Bellis maior 653.1. Alpina ibid. media 653.35 minor 654.1. minima ibi. lutea maior 39 3. lutea minor* ibid.
*Bellidis vires* 653.48
*Bellonij Sapinus eſt Picea 103.20. opinio improbata 151.46. opinio exploſa 97.55. alia opinio exploſa 99.36 opinio falſa circa Cedriam 123.50. opinio de Mumia exploſa 113 39. opinio abſurda circa Sabinam* 120.52
*Beluedere* 837.30
*Belzoinum non eſſe Myrrham* 583.29
*Ben album Fuchſ. Polemoniũ ſtatuit* 682.13
*Beta alba 370.24. nigra ib. rubra 371.20 Cretica ibid. ſylueſtris Plinio 371.5 eius facultates* 370.67
*Betel hiſtoria* 43
*Betonica Dioſcoridis 671.34. eius vires ex Antonio Muſa 671.54. flore albo ib. eius vires ex Gal.* 673.8
*Betula 132.1. & 134.3. eius bitumen* 114.23
*Biſtorta 674.1. minor ib. eius vires* 673.64
*Bitumen duplex 114.9. & 111.33. ex Auicenna ibid. 14. foſſile ib. eius conſideratio 111.62. vires ex Gal.* 113.63
*Blattaria 802. eius vires* ibid.
*Blatta* 277.56
*Blattium bizantium ab Onyche Fuchſio differt* 247.6
*Blitum maius 357.5. rubeum ibid. album ibi. 38. polyſpermon* 358.14
*Bolus Armenius non eſt Sinopica rubrica 937 25. eius vires* 939.58
*Bombycis hiſtoria* 231.13
*Bombycini velleris vſus* ib.23
*Bonus Henricus 449.1. eius vires* ib.18
*Borrago 825.10. eius vires* 826.1
*Bothomarien* 443.59
*Botrys 620.20. eius vires Matth. ib. 46. vires ex Paulo* 622.60
*Branca vrſina an legitimus ſit Acanthus 499 60*
*Braſauoli error 379.16. error de Calamo 22. 63. error Calamum odoratum Acorum Offic. credentis 57.67. error in Coriandro 559 65. error Acorum Galangam ſtatuentis 21 60. opinio improbata dum Mumiam bitumini ſubſtituit 112.57. opinio de Origano reiecta 520.6. opinio improbata, volens Myrrham Offic. eſſe Bdellium. 88.5. calumnia contra Meſuem depulſa 495.40. in quercubus Agaricum vidit 101.53. arguitur 617.50. reprehenditur 395.47. male Galenum accuſat 942.66. eius opinio reprobata 109.12. lapſus Od. rum Eruum cenſentis 343.50. error 528.56. error Nardi radicem nullius vſus exiſtimantis 32. 52*
*Braſauolus de Arantiorum nomine* 207.23
*Braſauoli error negantis pedem columbinum eſſe Geranium* 622.66
*Braſauoli lapſus de Manna* 94.65
*Braſauolus arguitur, de Nardo mõtana* 35.38
*Braſauoli opinio de Succino reprobata* 131.54




Bucelinga 465

Braſauoli lapſus 461.65
eiuſdem lapſus 987.20
Braſsica apud vites non ferenda 902.44.lauis 366.criſpa ibi.capitata 367. Gongilodes ibid. cauliflora 367.35.marina 368.15.maritima maior ibid.ſpinoſa 369.33.eius ſylueſtris conſideratio 366.68. vires 367.40. mira vis ad temulentos 14.6
Breſilium duplex 64.31
Britanica Dioſcor.673.36. Plinio contra ſtomacacen 673.45.eius vires ex Gal. 674.56
Bromos Dioſcor. 835.43
Brunfelſius taxatur 383.58. eius & Cornarij error 324.34
Bruta Plinij 120.62
Bruta etiam condita 114.63
Bryonia fructu nigro 883.60. eius vires ex Meſue 883.1
Bubuli ſtercoris vires 310.20
Buccina Dioſcor. 242.45. eius hiſtoria 243.18
Bufo 271.24
Bugloſſum ſiue Borrago 825.11.vulgare 825.11 alterum flore nigro 826.1 Hiſpanicum 825 4.ſylueſtre ibid. 65. eius vires 826.10
Bulbus eſculentus 451.64.vomitorius 452.14 eorum vires ibid.44
Bunium 823.54.eius vires 824.8
Buphthalmum 652.4.alterum ibid.eius vires 652.53
Bupreſtis 984.1. & 291.41.& 92.3
Burſa paſtoris 429.1.eius vires ibid. 24
Butyrum Dioſcor. 300.68. eius vires 302.1
Buan lues 164.59
Buxus 169.20. eam quidam Guaiacum cenſent. ibid.35

C.

CAcabi aerei damnantur 899.32
Cacalia 823.18. eius vires ex Gal. ibid. 36
Cacatreppola 504.56. eam Ruell. tribulum facit 692.60
Cachrys quid 576.67
Cactos Theophraſti 497.8
Cadauera condiendi modus triplex 114.40.ijs varia incluſa 115.1. eorũ vſus 115.15.vt nũc condiantur ibid.44
Cadmia 917.40.lapidoſa 918. 28.in Germania 918. 55. eius hiſtoria ex Plinio 918. 40
Cecilia conſideratio & curatio morſus 1023
Cepa non acris 352.27.capitata 419.38.ſectilis 420.40. Aſcalonica ibid. earum varia ſpecies 421.1.vires ibid.20
Ceruleum florem quæ herbæ edant 12.52
Ceruleus lapis 932.33.eius vires 933.9
Calamintha Dioſcoridis 528.27. & 528.40. magno flore 529.1.montana ibid. aquatica 529.32
Calaminthæ vires 530.6
Calamochnus 953.56
Calamus odoratus 58.1. Libani, ibidem, eius hiſtoria ex Theophraſto & Plinio 57.55. non eſt radix 58.46.eius vires ex Galeno ibid.53.
Calamo odorato deſtituimur ibid.60
Calcha plinii 470.
Calcis venefica vis & curatio 999
Callorum equi vires 280.68
Caltha 894.26. paluſtris flore pleno 616.1
Calx viua 951.56
Campeſtribus quæ herbæ creſcant 8.63
Canabel Serapionis mentio 510.33
Cannabis 663. mas & fœmina 663.eius vires 664
Cancamum 69.6. eius conſideratio ibid.14. & Lacca quod idem ſint probatur 69.50
Cancer fluuiatilis 249.40. & 251.50. marinus 250.1.eorum vires ex Gal.250. 60. fluuiatilium vires 251.54
Candido flore quæ herbæ ſint donatæ 12.23
Canis rabidi iecur 279.47. venefica natura 1008
Canes quibus cauſis rabie exagitentur ibid. is ſolus rabie corripitur Galeno ibid. eorum ſaliua inficit 1009
Canis piſcis fellis venenum & cura 996
Cannella Italorum 50.49
Canini ſtercoris vires 310.43
Cantharides 982.20.earum malefica vis 982.47. veneni curatio 982. 67. conſideratio 291.38. integras vſurpandas 291. 62.earum vires 291.66
Caphura hiſtoria & genera 105. 60. ea vt adulteretur ibid. temperamentum & vires 106. 22. legitima quæ & quomodo aſſeruanda 106.40.vt alba reddatur ibid.
Carcioffi genera 497.24
Cancellorum hiſtoria 253.24. ij ingrediuntur conchulas 253.38
Caryophylli aromatici 435.38
Caryophyllorum hiſtoria ibi.13. vires ibid.36. domeſtici 436.20.ſylueſtres ibid.
Carbones foßiles non eſſe lapidem 959.35
Cardiaca 790.1. eius vires ibid.50
Carduus lacteus 503.eius vires ibid. 10. ſtellatus 504.36
Cardamomum veterum 28.25.Græcorum & Arabum diuerſum 28.36
Cardamomum 27.50
Carduus D. Mariæ 495.20. benedictus 594.18. benedicti vires ibid.30
Carduus aculeatus 496.38.nõ aculeatus 497 32.vulgaris ibid.eorum conſideratio ibid.1
Cardui Carcioffi ibid.17
Cardui vires 497.67
Cardamomi genera quatuor ex Plinio 28.63. vires ex Galeno 29.1
Cardoni 497.5
Caryophyllata 697.35. montana 697.35. aquatica 698 10.vires 697.68
Carum 553 37.eius vires 554.9
Carnium noxa 1004
Cariei lignorum conſideratio 136. 68. vires 137.12
Caricarum vſus 235.49.vires Matthioli 236.6
Carabe 200 24
Carpinus 135. 1. Plinij & Theophraſti 136.7
Carpeſium 38. 60.eius ex Galeno conſideratio 39.4. Cubebas ſtatuentium opinio reprobatur 39.30
Carpobalſamum Officinarum 60. 43. non legitimum ibi.60
Carpaſi ſuccus 989
Caryophylli Indici 469
Carpaſum & Carpeſium male quibuſdam idem 989
Cartamum officinarum 888.62
Carota 549.purpurea Beben rubrum quibuſdam 549
Capparis 455.acuminato folio ibid eorum ſatio ibid.48. vires ibid.51. leguminoſa 456.13
Caprini ſtercoris vires 310.26
Capriola Coronopus Leoniceno 383.50
Caprinus adeps 306.34
Caprifolium 691.55
Caput lactis 302.11
Caput monachi 388.44
Caſeus Dioſcor.300.58.Hetruſcus optimus 302 34. bubuli antiqui vires. ibid.
Caſia Columellæ 45.41.Monſpeliaca 51.17
Caßia 44.10.eius odoratæ & coronariæ diſcrimen 45.18. legitima eſt Cinnamomũ vulgò dictum 46.49.tranſmutatur in Cinnamomum 47.1.fiſtula Andromachi ibid. 4. eius hiſtoria ex Plinio ibid. 15. hiſtoria ex Theophraſto ibid. 25. vires ex Gal. 49.53. ſolutiua conſideratio 50. 7. ſolutiua quæ præſtantior ibid.28.eius vires ibid. 32
Caſſuthæ vires & hiſtoria 879.62
Caſſyta Plinij 880.4
Caſtanearum conſideratio 183.60. Orientalis ſiue Equina 184.3. earum vires, ibidem 15
Caſtoreum non prouenire ex teſtib.268.30.eius adulteratio 268.51. quodnam efficaciſſimum 268.56.eius ſuffitus ibid. 32. virulentia & curatio 997. vires ex Gal. 268. 64.ex Plin. 269.38
Catapotia ex Thure 93.63
Catanance 831.1
Catoblepas 1026
Catuli coagulum præſtantißimum in hydrophobia 1012
Caucalis 404.40. nodoſo echinato ſemine ibi. eius vires ibid.31
Cauda cerui venenum & eius curatio 997
Caulium in plantis differentia 11.26
Cauterij vtilitas in canis morſu 1010
Cauterium è Cryſtallo 964.22
Cedrus 121.40.Phœnicia 122.65
Cedri duo genera Theophr. & Plinio 122. 35. duplex reſina ibid.48.minorũ genera, ibid. 63. Lycia 123.8. Atlantica & Thuia idem 124.16.
Cedria 123.46. eius vires 124.36
Cedrides fructus Cedri ibid.58
Ceſaglionis conſideratio 91.42
Cenchris conſideratio 1025
Centaurium magnum 487.vtrumq; male Arabes confundunt 487.47. magnum male quidam Lyſimachiam ſtatuunt 487.58. eius vires ibid. 57. Rhaponticum eſt Officinarum 487.20.eius radice pro Rhapontico male quidam vtuntur.475.60.minus 488 30.ſpicatum ibid. luteum perfoliatum 489 38.non perfoliatum ib.eius vires 489.3
Cepæa 666.eius vires ex Paulo ibid.
Cera 315.10.eius vires ex Gal. ibid.28
Ceraſtæ morſus exitialis & auxilia 1025
Ceraſia 197.40.ſine oßibus 199.22.eorum genera 198.11. arboris cum fimo inimicitia 199.20.eorum vires ibid.25
Ceanothi? 152.22 Cepaea 465.
Ceratonia 173
Ceratia 173
Cereis 173.

Coria veteramentaria 281.8
Cerofolium 402.1
Ceruiſia 322.47
Ceruſſa 930.8.& 994.62.vires 930.30.lethalis natura 995.eius mali auxilia ibid.
Cerui vſus in medicina 290.14.caſtratis cornua non naſcuntur 289.57.eorum hiſtoria 288.58.vita 289.62
Ceterach 645.46. non est Aſplenum quibuſdam 645.54
Chalcanthum Miſy ſtatuit Braſauolus 943.7.eius genera & hiſtoria 940.59.vt fodiatur 940.69.eius collectio in Cypro 941.Cyprium conſtatum eſt medicamentum 941.60.eius vires ex Gal. 941.22
Chalcidicarum deſcriptio 295.28
Chalcitis 942.25
Chama 245.32
Chamaciſſus 824.15.eius vires ex Gal. ibi.33
Chamædaphne 842.1.eius vires ibid.50
Chamæceraſus 198.30
Chamæcypariſſus 513.21
Chamædrys 597.35.altera ibid.
Chamædrys ſpinoſa 598.30. quadruplex Fuchſio 598.8.eius vires ex Gal. 598 22
Chamæficus 234.1
Chamæiris 17.35
Chamelæa 871.40.eius vires 872.59
Chamæleon albus 490.40. niger ibid. eius hiſtoria 296. 68. vires 297. 28.niger alter 491. eorum hiſtoria ex Theophraſto 491. nigri venenum & remedia 994.45
Chamæleuce 824.40.eius vires ib. Farfugium Plin. 615
Chamæmelum 649.1.nobile flore multiplici 649.38.fœtidum ibid.
Chamæpitys 669. altera ibid. eius vires 670. Monſpeliaca folijs ſerratis 670
Chamæriphis conſideratio 189.67.ex Theoph. 190.50
Chamæſyce 869.25.eius vires ex Gal. 869.40
Cheiri 632.52
Chelidonia 286.54
Chelidonium maius 468. 32. maius alterum ibid.minus 468.26.maioris vires 467.60. minoris vires 469.1. minus noſtrum an ſit veterum 468.47.minus non eſſe Amellum 818.57
Chermeſinum quid ſit 70.5
Cherephylli Pliniani mentio 402.16
Cherſydri natura, morſus & curatio 1025
Cherua maior officin. 862.55
China radicis conſideratio 163. 20. deſcriptio 164.60.eſt duplex ibid.65.eius vſus ibi. 67
Chondrilla 392.1. altera ibid.
Chryſanthemum 738. 20. eius caput reſtitutum 738.50
Chryſobalanus 857.49
Chryſocolla 930. 50. eius vires ex Gal. 931.12. factitia 311.49
Chryſocome 735.1. eius vires ib.12
Chymiſtarum opinio de metallorum generatione 898.6
Cicada Dioſcoridis 283.44.ſunt ſine ore 284 11.earum vires 284.20
Cicadæ in cibo 137.8
Cichorium domeſticum 387.38.ſylueſtre 388.1 Conſtantinopolit.ibi.35.verrucarium 389 1.ſpinoſum 391.12.eius vires 390.28
Cicinum oleum 76.4
Ciclamini auxilia 1002
Cicer domeſticum 335.24.ſylueſtre ibid. eius vires 336.5
Ciconiæ ſtercus 310.63
Cicuta 772.53.eius vires 773.11. venefica vis 988.pro paſtinaca comeſta 988.eius ſumptæ curatio ibid.
Cimices lectularij 276.55.ſylueſtres ib.67.earum vires 276.64
Cineris cancrorum fluuiatilium præparatio, 1009
Cinis è laurinis lignis 1014.ſarmentitius Dioſcoridis 952. 33. vires ex Galeno, 952. 40
Cinnabaris 933. 30. Draconis ſanies Plinio 934.4.foßilis ibid 50.factitia 934.53.collectio 935.1.remedia 999
Cinnamomi conſideratio 47.65.& 44.hiſtoria ex Galeno 48.2.cognitu facillimum.ibidem 4.è barbarorum terra Romam allatum 48.12. optimi notæ ibid. 20. penuria vnde ſit. ibid. 37. in India Straboni. ibid. 46.auis eſt Ariſtot.ibid.48.ſex genera Galeno 49.10.differentiæ ex Theophraſt.ibid. 14
Cinnamomis quid ſit. ibid.52
Cinnamomi vulgaris aqua ſtillatitia vt conficienda 49.57
Cinnamomum Officinatum 46.36. eius oleum 85.26
Circæa 626.60.Plinij 627.3.eius vires ex Gal. ibid.18
Circumforaneorum fraus 1015.& 978.62
Cirſium 817.1
Ciſtus 157.62.mas & fœmina 158.1.hirci barbula 158.54. eius & hypociſtidis vires 159. 2.genera ibid.23
Ciſtum cum Ciſſo confundit Plinius 158.69
Citria mala 208.15. eorum diuerſitas 205.21 mira facultas aduerſus venena ibid.43.vires 205.54
Cynogloſſum 826.46.vulgare floridum 827 6.vulg. Fuchſ.& Ruell. Lycopſin ſtatuunt 827.16.vires ibi.21
Cynosbaton & Cynorrhodon idem credunt Monachi & Marcellus 152.61
Clematis prima 679.40.Daphnoides flore pleno 679.40.altera 680.1.tertia ibid.40.eius vires Matth. 680.19.ex Gal. 681. 17
Clinopodium vulgare 595.10. conſideratio ibidem 42. eius vires ex Galeno, ibidem 56
Clymenum 690.35
Clyſmata qualia injcienda ijs qui venena ſumpſerunt 978.12
Cneorum album Roſmarinum non eſt 45.55 nigrum Lauendula nō eſt ibid. eius deſcriptio 45.48.Theophraſti 872.38. Chamælea non eſt 46.8
Cneorum Matthioli ibid.
Cnicus Theophr.593.22.& 888.40. Plinij ibi. 50.eius ſylu.altera ſpecies ib.68
Cnici vires 889.8
Cnicinum oleum 77.52
Coagulum 304.17.eius facultates ibid.35
Cochlea 247.50. pomatia 248.26. earum vires 248. 32. marinæ 249. 17. ſine teſta 249.20
Cochlearia folio ſubrotundo ibi.4
Coccum infectorium 727.12. à Chermeſino differt 727.67
Coccum in quercu 727.55. infectorij vires ibi. 52
Colchicum Dioſc.777.54.orientale 778.1.& Hermodactylum idem faciunt Monachi 780.66
Colocaſia ex Plinio 339.36
Colocynthis 877.12.eius vires 877.34
Colophonia Dioſc. à noſtra differt 110.13.eius conſideratio 109.20
Colorum varietas in plantis 10.65
Columellæ lapſus 237.55
Colus agreſtis 593.65
Colutea 572.12.ſiliquoſa 573.30
Colytea Theophr.à Colutea differt 572.36
Combreti Pliniani mentio 549
Compoſita medicamenta aduerſus venena 978.44
Confectio è Moſcho 66.16
Conferuæ mentio & vires ex Plin. 795
Conchulæ Indicæ qualitas 247.21
Conchylia in lapidibus 900.42
Conorum Cupreßi vſus 117.12
Conſerua è floribus Punicorum & eius vires 194.31
Conſiliginis conſideratio 845.60
Conſolida regalis non eſt Delphinium 571.45 maior 683.6.media ibid.37.media cærulea alpina 683.37. minor 684.40.regalis 555.regalis peregrina, paruo flore 557.1
Conuulſioni ex plenitudine prodeſt Caſtoreum 269 10
Conyza maior 629.28.minor ibid.media 630 1.eius vires ex Gal. 630.19
Copey 139.56
Corallina 794
Corallium Dioſc.955.8.eius conſideratio 955. 22.niueum 955.nigrum 956.eorum facultates 956.vt conterendum 963.40
Cordus taxatur 52.59.eius Fuchſij & Brunfelsij error 439.48
Coriandrum 559.1.eius facultas ex Gal. 558. 64.ex Auicenna 559.46. venefica natura 987.eius remedia 988.2
Coris Dioſcor. 667.& 668
Cornarius notatur in Iride 19.37. eius opinio de omphacitide galla reprobata 185.1.opinio de Perſicis reprobata 203.68. Item 201. 58.lapſus circa Smilacem 180.67
Cornus 213.23.eorum vſus in cibis 213.60
Coronopus 383.12. ſylueſtris 384.23.eius vires ibid.30
Corpora icta fulmine non putreſcunt 14.29
Corruda 373.64
Cortex Thuris 92. 60. Balſami vt incidatur, 60.55
Cortices quomodo ſiccandi & reponendi 72
Cortuſa 693.10
Cortuſæ vires ib.48
Corydalis deſcriptio 807.65
Coryli hiſtoria 229.50
Coſtus Arabicus 1015
Coſtus Officinarum amarus 54.6
Coſtus Officinarum dulcis ibi.23
Coſtus Arabicus 55.10
Coſtus Indicus ibi.23
Coſti vires ex Galeno 32

Cotinus 187.22. eius hiſtoria & vires ibid.20
Cotonea malus 202.1. Pyrus ibid.
Cotula fœtida 649.33. eius vires ibid. non fœtida non eſt buphthalmum 652.43
Cranecolapta 1017
Crataogum Anguillar. ſorbum cenſet 215.48
Crataogonon 633.27. Theop. 147.62
Creſcione 379.53
Creſpini forma & vires 150.15
Creſpini cum Pyraſtro & acuta ſpina collatio 148.54
Crimnum 323.68. eius conſideratio 324.1
Crithmum primum 381.30. ſecundum ibid. tertium 382. quartum ibid. eius vires 382.55
Crocinum oleum 82.61
Crocodili hiſtoria 296.28. genera & vires ibi.56
Crocodilium 492. eius vires ex Gal. 492
Crocum florens 71.38. non florens ibid. quod optimum 72.12. eius vires ex Gal. ibid.18
Crocomagma 71.30
Cruciata conſideratio 481.36
Cruciatæ vires ibid.45
Cryſtalli conſideratio 963.65
Cryſtalli hiſtoria ex Solino 964.13
Cryſtalli vires ex Gal. 964.20
Cubebarum vulgarium conſideratio 39.54
Cubebæ Arabum ab Officinarum differunt 39.39. pro Carpobalſamo 61.13
Cuciopheræ planta & eius fructus conſideratio 191.49
Cucumer ſylueſtris Dioſc. 848.32. eius vires 849.66
Cucumeres aquam diligunt, oleum refugiunt 14.18
Cucurbita oblonga 392.40. lagenaria 393.1. maior ſeßilis ibid. Indica ibid.35. eius vires 394.5
Cuminum ſatiuum Dioſc. 554.62. ſylueſtre Dioſc. 555.1. ſylueſtre primum 556.1
Cuminum ſylueſtre ſecundum, ibid. eius vires 556.38
Cucumis ſatiuus 394.60. longus 395.1. eius vires ibid.68. & 397.26. eos Anguriæ malè credit Fuchſius 396.20
Cultis locis quæ herbæ creſcant 8.54
Cupreſſus 116.30. eius natalia ibid.64.10. puſilla 117.18. eius vires ex Gal. ibid.23
Curatio venenorum 976.67. demorſorum à cane rabido 1009
Curatio ictuum virulentorum ſecundum eremitam quendam 1016
Curcuma Cyperi genus 26.47
Curmi 322.38
Cuſcuta 879.37. eius vires 880.11
Cyanus maior 389.1. minor flore multiplici 390.1. vtriuſq; vires ex Gal. ibid.18
Cyclaminus 443.25. & 444.1. eius genera ex Meſue 443.61. vires ibid. 64. & 444.30. radice oblonga 444.43
Cydoniorum genera 202.32. vires Matthiol. ibid. 49
Cymbalaria 788.12
Cynocrambe 891.36. fœmina ibid. Dioſcor. 892.25
Cyperi hiſtoria 25.49
Cyperi deſcriptio Matth. 25.62
Cyperi vires ex Gal. 27.6
Cyphi 70.30
Cyprinum oleum 83.9
Cyprum & liguſtrum diuerſa cenſet herbarius quidam 153.66
Cyrenaicus ſuccus Plinij 382.60
Cytinus & Balauſtium 194.21
Cytiſus 810.8. frutex eſt, non herba 810.40. arbor Straboni 810.53. eius hiſtoria ex Plinio 811.13. vires ex Gal. 811.40

D.

DActyli ex Trapeſonda 212.58. eorum differentia ex Theoph. 189.33
Daphnoides Dioſc. 841.58. eius vires 842.49
Daucus primus 569.40. ſecundus Dioſ. ibid. ſecundus 570.5. & Paſtinaca agreſtis non idem eſſe oſtēditur 570.10. eius tria genera ibid.35. vires ex Gal. ibid.
Delphinium 370.67
Dens caninus 388.44
Dens canis primus 779.36
Dens Leonis 388.1
Dentaria maior 683.16. minor 684.40
Deracia Pauli 203.20
Diacydonium 202.43
Dialacca compoſitio hodie plerumq; vitioſa 70.13
Diapenſia 720.36. eius vſus ibid.68
Dictamnum Cretenſe 522.38. Dioſc. 522.14. alterum Dioſcor. ibid.34. eius conſideratio & hiſtoria ex Theoph. 523.1. fert flores 523.22. album ibid.29. vulgare & eius hiſtoria Matthiolo 523.42. eius vires ibid. 52. albi conſideratio 129.2
Dioſcorides à Galeno maximè commendatus 4.52. in ſimplicium medicamētorum materia primas tenet ibid.60. eius locus ſuſpectus 632.57. beneficium in poſteros collatum 971.14. defenditur à calumnia 7.28. locus enucleatus 209.63. locus reſtitutus 143.60. eum legi vult Galenus 3.33
Diphryges 943.58. eius hiſtoria & vires ex Gal. 944.8
Dipſacus 493.6. eius vires 494.16
Dipſadis hiſtoria, morſus ſigna & cura 1024
Diſturbio dicitur Hyoſcyamus 990
Dodonæus arguitur 151.46
Dolichos Galeni 414.48
Dorella 815.60
Doronicum vulgare eſt de genere aconitorum 763.47
Dorycnium 758.54. & 986.10. vires ibid.
Dorycnij veneni conſideratio 986.20
Draba lutea 430.38. adulterina 430.28. Serapioni ibid.35
Draco marinus 255.40. eius hiſtoria ex Ariſt. 256.22
Dracunculus maior 445.33. minor ibid. aquaticus 446.1. eius ſpecies ex Plinio ibid. 26. vires Matth. Gal. & Meſ. 446.42. tertius Plinij ibid.55. hortenſis ibid.66. ſeminis noxa & remedia 987
Draconcellus 447.1
Dryini hiſtoria & eius ictus notæ 1023. morſus curatio 1023
Dryopteris 838.11
Dryopteridis facult. ibid.26
Dulcis radix 485.41
Dyſdeti 1019

E.

EBenum 160.46. quando primum Romæ 161.4. foßile Agricolæ ibid.16. eius vires ex Plinio & Gal. ibid.23. ſpecies 164 31
Ebulus 874.40
Ebuli vires Matthiolo 874.18
Ebur 288.68. eius vires 288.17
Echinus terreſtris 240.20
Echini terreſtri facultates ibi.52
Echinus marinus 239.34
Echinometra ibid.64
Echinorum vires ex Gal. 240.14
Echium 705.14. flore albo ibid.
Echij vires 705.67
Echium Scorpioides paluſtre 471
Eghelo 664
Elæagnus Theophraſto 173.60
Elæagnus alia ibid.67
Elæagni Bohemicæ hiſtoria 173.64
Elæomeli 75.56
Elaphoboſcum Dioſc. 567.52. & 568.1
Elaphoboſci facultates ex Gal. ibid.18
Elaphoſcorodon 422.1
Elate & eius hiſtoria 188.55. duo genera Galeno 192.4
Elaterium Dioſcor. 848.42. eius vires ex Meſue 849.50. auxilia 1002
Elatine 716.12. vires 716.59
Elatinum oleum 80.43
Eleoſelini conſideratio 562.67
Elleborum album 843.40 nigrum ibid.
Elleborum nigrum alterum 844.5. purpureo flore 844.41. flore albo ibid.52. nigrum non eſſe Conſiliginem 845.1. nigrum non eſſe Aconiti ſpeciem 8[illegible].50. vtriuſque vires 846.5
Elleborine 806.23
Electrum 133.19
Electuarium contra cantharidas 983.54. ex Iride ad hydropicos 19.12
Elephantorum hiſtoria 287.21. partus ibid. 63. mira ſagacitas 288.3
Empetron quidam herbam S. Petri malè cenſent 381.67. Dioſc. 881.14. eius vires ex Gal. 881.28
Encelij opinio de Lyncurij generatione falſa 311.64
Enula campana officin. 73.53
Epimedium 700.6. eius vires 700.24
Epimelis Galeni 210.22
Ephemerum Dioſcor. 777.66. & 780.18
Ephemerum 985.30. eius veneni curatio ibid. 43
Epipactis 806.23
Epiſtebe 878.42
Epithymum 878.1. Græcorum & Arabum diuerſum 878.10. vbi plurimum 879.12. eius vires 878.40. & 879.46
Epithymbrum 878.43
Equi in rabiem aguntur 1008
Equiculi marini conſideratio 241.66
Equiſetum olidum 798
Equiſetum primum 725.1
Equiſetum ſecundum ibid. Tertium 725.32 quartum ibid. eius vires 726.14

Erica 141.20. altera ibid. 57. baccifera ibid. 62 eius facultates 142.32
Erinus 707.1. Plinij 707.12. eius vires ex Gal. ibid. 22
Error quorundam qui Caſsiæ fiſtulæ loco Caſsiam ſolutiuam ſumunt 47.45. de Mumia 115.42. eorum qui abiegnam lachrymam larignam cenſent 103.4. vulgaris de Sycomoro 232.63. qui Hiericonteam roſam Amomum cenſent 52.54. Caſsiam & Cinnamomum eiuſdem arboris exiſtimantium 49.1. interpretis Auicennæ 613.66
Eruca ſatiua 405.30. ſylueſtris ibid. cærulea 406.20. earum hiſtoria 290.35. generatio ibid. 52
Eruum duplex 343.48. eius farina ibid. 63. vires ex Gal. ibid. 66
Eryngium 504.37. montanum 505.1. marinum ibid.
Eryngium planum 505.33. eius vires 506.4
Eryſimi conſideratio 431.63. Theophr. aliud à Dioſcor. ibid.
Eryſimo ſimilis hirſuta planta 432.24
Eſula Chamæpitys Nicolai 867.24. maior offic. 867.10
Euonymus 170.1. eius conſideratio 169.60. differentiæ 170.31
Eupatorium 717.15. vulgare ibi. Meſues 717.67. eius vires 718.22. vires ex Gal. 718.34
Euphorbium 585.10. eius tenella planta ibid. 26. inuentio & nomen 585.65. vires 586.1. eo quando vtendum 586.19. venenata potio 1003
Euphragia 721.32. eius vires 722.2
Exhortatio ad Luſitanos Medicos 49.26

F.

Faba 336.40
Fabarum vires 337.10. ſylueſtris 337.50
Aegyptia 338.40
Fabaria 472.35
Fœniculum marinum 381.64
Fœminæ in viros mutatæ ex Hip. & Plin. 331.60
Fœniculum 568.30. erraticum ibid. 50
Fœniculum ſylueſtre 569.9
Fœniculi vires ex Gal. ibid. 13
Fœnum græcum 332.64. eius vires 333.10
Fex 951.30
Fagi conſideratio 179.60. & 180.1
Fallopius notatur 161.40
Farfara officin. 614.60
Farfugium Plinij ſeu Chamæleuce 615.66
Farris & halicæ differentia 327.50
Febrifuga 488.68
Febris tertianæ & quartanæ cura ruſticorum 36.63
Felis cerebri veneficium & remedia 996
Felium conuerſatio noxia 997
Feles aliqui ferre non poſſunt 997
Fel terræ 488.65
Fel 308.10
Fellis vires ibid. 35
Fellis bubuli lapis & eius vires ibid. 45
Fernelius reprehenditur 905.8
Ferri ſcobis ſquama, noxa & curatio 998
Ferula 578.4. aſinos paſcit, equos interficit 14.14. eius hiſt. ex Theoph. ibid. 14. mira natura 578.56
Ferulago 578.22
Ferulæ vires ibi. 40
Fiber Dioſcor. 267.47. eius hiſtoria 268.14
Ficubus & vitibus folia nunquam decidunt 8.20
Ficus 234.1. Indica ibid. earum genera 234.64. facultates 235.33. præcoces quo mangonio fieri poſsint 236.8. pumilæ quomodo habeantur ibid. maritima 236.30
Filipendula 627.5. eius vires 628.63
Filix mas Dioſc. 885.44. fœmina ibid. 55. eius hiſtoria & vires ex Theoph. 886.37
Filicula Dioſc. 887.1
Fimum 309.25
Flammula 680.40
Flammulæ hiſtoria & vires 681.12
Flammulæ veneni noxa & curatio 987.14
Flores quo tempore ſint decerpendi, ſiccandi ac recondendi 6.35
Florum Nardi vires 31.59
Florum in plantis varietas 12.20
Flos æris 921.12
Flos S. Iacobi 793
Flos ſolis 545
Flos ſalis 948.63. & 949. Fuchſio eſt ſperma ceti 949.57
Fluida Theodoro 186.63
Folium Officinarum 44.1. eius mentio apud Iureconſultos 42.5
Foliorum in plantis comparatio & ſimilitudo inter ſe 10.10
Fomes ignis ex Tuſsilagine 615.12
Formicæ & culices in Succino 131.20
Formicarium 1017
Fontium riguis quæ herba increſcant 8.46
Foſsilium colores varij 901.12. facultates ibid. 30
Foſsilia mortem inferentia 901.52
Fragaria 721.1. fructu albo ibid. eius & fragorum vires 721.50
Frangula 875.14
Fraus impoſtorum circumforaneorum 979.14
Fraxinus 128.20. humilior 128.58. eius vires ibid. 60
Fructus quando decerpendi & quomodo conſeruandi 6.56
Frumentum Indicum 319.1
Frumentum Saracenicum 320.1
Frutices qui dicantur 7.60
Fuchſii & quorundam error circa Piſſaſphaltum 112.33
Fuchſii opinio de Sebeſten reprobata 218.34
Fuchſii circa Coluteæ vires error 572.12
Fuchſii lapſus 462.33
Fuchſii lapſus circa ſpinam albam 495.16
Fuchſii opinio Ambarum noſtrum eſſe factitium 66.61
Fuchſii opinio Styracem calamitem liquidum fuiſſe, reprobata 90.12
Fuchſii opinio reprobata qui Botrym theriaca miſcet 52.63
Fuchſii opinio reiecta in Piſtolochia 484.50
Fuchſii opinio Caphuram bituminis genus ſtatuentis 106.10
Fuchſii opinio Malabathro Attractylim ſubſtituentis, exploſa 45.27
Fuchſii opinio reprobata Mannam explodere conantis 95.63
Fuchſii opinio improbata de ſuccedaneo Carpobalſami 61.17. opinio de Manna 94.53 opinio reprobata, volentis & Caſsiæ & Cinnamomi genera inueniri 49.33. opinio reprobata de Atractyl. 594.21. opinio improbata de Calamo 58.49. opinio de Cedria 124.8. opinio improbata Chermes Laccam exiſtimantis 70.9. arguitur 462.64. error 153.59. error 513.19. error 332.10. error 592.9. error circa Armoraciam 350.29. error circa Terebinthinam reſinam 101.64. error circa Chryſanth. 738.67 error Galangam craſsiorem Acorum cenſentis 22.12. de Ebore opinio falſa 283.16 error Pſeudomelanthium Lolium ſtatuentis 581.8. error dum hypociſtin fungum putat 158.62. lapſus 56.68. lapſus 474.56. opinio damnata dum Rhois tertium facit genus 186.50
Fuchſius ſibi contrarius 49.42
Fucus marinus, Dioſc. 795
Fuci marini hiſtoria ex Plin. ibid.
Fuci marini vires ex Gal. 796
Fucus ex Myrrha ad rugas 88.61
Fucus ad mulierum ornatum 341.66
Fucus ad decorandas fœminas 396.53
Fuligo butyri 300.63
Fuligo liquidæ picis 110.39. earum vires 111.20. pictoria 968.10. Thuris 93.5. & 96.56.
Fulmina quæ auertunt 14.24
Fulminum admirabilis facultas 14.31
Fumaria 807.10. altera Plinij 484.58. altera 807.14
Fumaria corydalis 808.1. eius genera ex Plin. 807.50
Fumariæ vires 808.33
Fungi 995. ad Populum albam 133.4
Fungorum venefica natura 995. præparatio ibid.
Fungorum veneni remedia ibid.
Fungi 776.20. malefici vt dignoſcendi 776.43. arte vt fiant 777.5
Fungorum genera 776.63. vires 777.31
Fungi igniarij 101.56

G.

Gagates Dioſc. 959.14. & 114.16. hiſtoria & vires ex Gal. 959.40
Galactites lapis 961.1
Galangæ conſideratio & hiſtoria 23.34. vires ibid. 46. cum Cypero comparatio 22.5
Galbanum 586.45. eius vires ibid. 63
Galega ſiue Ruta capraria 836.1
Galenus à calumnia defenditur 371.10
Galeni locus reſtitutus 94.10. liber ad Piſonem ſpurius 610.62. nauigationes, vt legitima cognoſceret ſimplicia 2.25. peregrinationes 3.48
Galerita 285.57
Galion Dioſc. 793
Galij vires ex Gal. ibid.
Galiopſis 791. eam quidam ſcrophulariam putant 791
Galla 184.43. earum præſagium 185.27. vires ibid.
Gali

Groſſularia alba, rubra. 152.23
Galedragon Plinij. 494.

Feria. 469
Flos Indiy pag 469.

Galli & gallinæ Dioſc. 281.26. eorum vires ex Gal. 281.57. rabidi fiunt 1008. eorum tutela contra muſtelas 514.44
Gallus ſede deplumata vulneri venenato applicandus 1013
Gammari nomen græcum Ariſtoteles ignorauit 250.48. eorum lapilli 251.42
Garum 276.34
Garrophyllus Indicus maior 469.6. minor ibid.38. minor flore ſimplici ibid.
Gattariæ mentio 528.61. hiſtoria 529.55. vires 529.63
Gaza reprehenditur 147.11
Gelſiminum 86.13
Gemmæ cur niteant 900.4. earum ramenta in officinis adulterata 963.34
Gentiana maior 480.32
Gentiana maior purpurea ibid.
Gentiana minor 481.1
Gentiana minima ibid.
Gentianæ vires ex Gal. 480.68
Geniſta 853.12. anguloſa ibid.
Geniſtæ vires ex Meſue 853.50
Genitale cerui 279.64
Gentes peculiares à ſerpentibus tutæ 1015
Geodes lapis 966.7
Geranium primum 621.3. tuberoſum maius ibid.38. ſecundum ibid. Plinij ſeu acus muſcata 621.28. tertium 622.1. cicutæ folio ibi. cicutæ folio ſupinum 622.35. quartum 623.34. quintum ibi. ſextum 624.1. Myrrhim cenſet Hermolaus 622.60
Geranij vires 623.68
Geſnerus arguitur 665. deceptus reprehenditur 761.66. notatur 264.68
Geſneri calumnia retunditur 770.23
Gethyum 420.32
Gitbago 580.69
Gitto non eſt Melanthium ſylu. 580.45
Gitto non eſt legitimum Melanthium ibid. 62
Gith ſeu Melanthium 579.55
Gingiber 438.23
Gingiberis vires ibid.63
Gingiberis radices rubrica inficiuntur 327. 37
Gingidium 401.27. eius vires 402.33
Gladiolus 701.5
Gladioli vires ex Gal. 701.48
Glandiferarum arborum vires 182.7
Glanides 272.35
Glans vnguentaria 854.22. Andreæ Marini ibid.45
Glandis vnguentariæ vires ex Meſue 855.43
Glans 178.36
Glandiferarum arborum conſideratio 178.52
Glaſtum 472.16
Glaucium 588.16. ex chelidonia ibid. eius vires ex Gal. 588.30
Glaux Dioſcor. 835.62. eius vires 836.23
Gleucinum oleum 83.50
Glirium conſideratio 298.63
Glutinum 588.38 piſcium 588.44. librariorũ 588.53
Glycyrrhiza 486.1. altera ibid.
Glycyrrhizæ vires 486.36
Gnaphalium 625.14. latifolium peregrinum 626.1. vulgare ibid.
Gnaphalij vires ex Gal. 625.55
Gnidinum oleum 77.50
Gobius primus 274.1. ſecundus 274.20. tertius & quartus 274.50. quintus & ſextus 275.5. fluuiatilis ib.30
Goßipium 334.46
Gramen Dioſc. 707.40. manna 708.1. alterum ibid. Parnaſi 709.1. aculeatum 709.34. eius vires ex Plinio 708.35. ex Gal. 709.50
Grana Paradyſi 28.16
Granata 195.69
Grani tinctorij vires 728.3
Gratia Dei Elaphoboſcum Ruell. 568.8
Gratiola 516.47. minor 517.19. eius vires ibi.
Guaiaci planta 162.16. facultates ibi.19. conſideratio 161.29. tria genera Manardo 161.34
Guaiacum lignum quod ſit præſtantius ib.46 quid ſit 164.34. eius tria genera 164.42 primus vſus ibid.
Guaiabara 139.53
Guilandinus arguitur 147.58
Gummi Græcis quid 172.8. Arabicum 171.67
Gummi lachrymæ, reſinæ vt colligendæ & reponendæ 7.18. Iuniperi ſeu Vernix & eius vſus 118.50. Elemi 178.5. Vlmi 136.48. ceraſorum 199.32
Gypſum 995. & 952.12. eius veneficium & remedia 995. vires ex Gal. 952.22

H.

HAdroſphærum Malabathrum 42.63
Hæmorrhoi pernicioſus ictus & hiſtor. 1024
Hæmorrhoi morſus notæ & curatio 1024
Hæmatites ferri materia 958.32. eius conſideratio 958.24. vires 958.36
Halica 327.19. eius parandæ ratio ex Plin. ib.26. vires ibi.39
Halimus vulgaris 145.35. latifolius erectus ib. vulgaris deſcriptio 146.9. vires 146.14
Harmalæ hiſtoria 542. loco cicutæ ſemen malè accipitur 542
Haſtula regia 451.1
Hedera arborea 466.12. helix ibid. terreſtris 467.22. terreſtris montana ibid. eius vires ibid. non eſt Aſclepias 592.4
Hedychroum 84.30
Hedyſarum 641.20
Hedyſari vires ex Gal. 642.10
Helenium Indicum maximum 889.22. ramoſum ibid.
Helenium 72.50
Helenij vires ex Gal. 73.38
Helenij ſuccum venenatum eſſe. fabuloſum ibid.44. Aegyptij conſideratio 73.26
Heliotropium maius Dioſc. 892.60. alterum 893.1. minus 893.40. tricoccon ibid. eius vires 894.15
Helichryſum 735.26. Italicum ibid.36. Creticum 736.1. Orientale 736.33
Helix 466.54
Helicis plura genera ibid.
Helxine 781.50. & 715.43
Helxines vires 712.4
Hemerocallis 630.44
Hemerocallis altera 631.1
Hemerocallis vires 631.57
Hemionitis 646.39. eius vires 647.69
Hemionium & Aſplenum Plinio idem 646. 69
Hepatica quorundam 609.62
Heptaphyllon alpinum ſericeum 820.6
Herba Iulia 740.68
Herba Gattaria 530.1
Herba Lupa 409.23
Herba Paris 767.1
Herba Iudaica Auicennæ 912.33
Herba mora 865.60
Herba Tora 409.33
Herba paralyſis 800
Herbæ paralyſis vires ibid. S. Ioannis 618.48
Herba cancri 894.10
Herba ſtella 383.52
Herbæ quæ dicantur 7.64. certis temporibus colligendæ 5.58
Herba venerea Theophraſti mentio 638.52
Herbariæ rei ſtudioſis quid faciendum 4.27
Herbarum forma deſcriptæ parum conferunt 3.30
Hermolai & Ruellij error de Nardo 31.18
Hermolai error 409.55
Hermolai, Ruellij & Manardi lapſus 324.35
Hermolai lapſus, Elæomeli Mannam cenſentis 75.66. & Marcelli opinio de Iaſmino improbata 85.65
Hermodactylus verus 778.34 eius coniectura 779.11
Hermodactyli officinarum radices 780.15
Herniola 677.12
Hieracium Dioſc. 560.25
Hieracium maius ibid.33
Hieracium minus ſiliqua falcata 561.26
Hieracium pro Endiuia male ſumunt ſeplaſiarij 388.63
Hippocampus 240.68
Hippocampi conſideratio & opiniones 241 20
Hippocampus locuſtæ genus ibid.32
Hippocampi vires 242.20
Hippocratis præceptum Crateuæ in colligendis herbis datum 6.1
Hippogloſſum 828.63. non eſt Laurus Alexandrina 829.2. eius vires ibid.8
Hippolapathum 354.1. ſylueſtre ibid.33
Hippophaës Dioſc. 861.66
Hippophaſtum Dioſc. 862.10
Hippopotamus 266.34
Hippopotamus Bellonij & Geſneri 267.3
Hippopotamus vbi alatur 267.20
Hippopotami vires 267.29
Hippoſelinum 363.54
Herculus 34.10
Hirundo 286.24
Hirundinum hiſtoria 286.50
Hirundinum vires 286.60
Hirudinum deuoratarum noxa 1002
Hirudinum curatio ibid.
Hiſtoria 763.48. 767.64. altera & tertia 768.9. alia 1015. alia notabilis 972.23 fraudis circumforanei 979.40. ſumpti argenti viui 999 prima de ſtibio 926.60. ſecunda 927.12. tertia ibid. quarta ibi. Galeni de Pæonia 655.58
Holoſtium 687.1. hirſutum albicans maius 687.1. eius vires ibid.26
Hordeum 321.6
Hordei facultates ibid.52

Hermi-

Horminum Dioſcor. 639.44. domeſticum 640.1.ſylueſtre ibid.Syriacum 641.10.Plinij 640.40.frugis genus 640.46
Humida loca quæ plantæ ament 8.30
Hyacinthus 743.32. vacinium eſt 153.42.Orientalis 743.Orientalis alter 744.1.Tripolitanus 744.36. eius vires 744.22
Hydri ſiue Natricis hiſtoria 1025
Hydropiper 717.63.ſiue Perſicaria 440.8. malè Ruellius Pſeudoeupatorium ſtatuit 440.45.eius vires 441.4
Hyoſcyamus 750.5.& 990.albus ibid. tertius 750.40.cur altercum dicatur 751.5. Creticus luteus 751.36.eius vires 751.12
Hyoſcyaminũ oleum 77.28.venenoſa vis 990. vtriuſque curatio 990
Hypecoum 749.12. eius vires ibid.37
Hypericum Dioſc. 667.& 668. eius vires ex Gal. 669. eis album florem tribuit Braſauol. 668
Hypociſtis 158.43.eius ſuccedanea ibid.67
Hyſſopum 515.28. cæruleũ folio diſſecto ibid. albo & rubro flore ibid. vulgatum eſſe legitimum 516.1. montanum 516.29. eius vires 516.33
Hyſtricis mentio 240.59

I.

IAcea ſiue flos trinitatis 822.1. altera ibid. incana laciniata 690.1
Iacobi Syluij opinio reprobata 172.20
Iaſminum oleum 85.55
Iaſminum Hiſpanicum grandeſtorum 87.1
Iaſpidum genera 964.36. natura 964.40 vires ex Gal. ibid. 44
Ibicis ſtercoris mira facultas 310.69
Iberis 237.67.& 457.1 & Lepidium idem 238.14. altera Paulo ibid.49
Ibiſcus 662
Ichthyocolla 588.45
Idæa radix 724. eius vires ibi.
Idola in cadaueribus conditis reperta 115.10
Iecinora 279.1
Ieſemin vnde dictum 86.12.eius vires ex Serapione ibi.
Ilex 180.1.latifolia ſpinoſa ibid.34. duplex ibid.42. coccifera 727.12
Imperatoria 567.1. eius vires 566.66. Alpina 567.33
Impia herba Plinij 625.3
Impoſtores quandoque etiam peritos decipiũt 3.42.eorum fraus cauenda 162.43
Incantationibus vti dum plantæ effodiuntur, vanum eſt 4.35
Indicia veneni ſumpti 977.20
Indicum 933.16
Interpretum Dioſcoridis lapſus 154.63
Intubus maior 386.36.minor ibid.criſpa 387.38.eius vires 390.22
Inula 73.5
Ioan.de Vigo lapſus 86.29
Iouij error 239.66
Irinum oleum 83.34.ad quos vſus præſtet 19.28
Iris 431.30. altera ibid.eius genera duo 432.11
Iris & eius ſpecies 18.24. candida ibid.65.lutea ibid.eius vires 19.8.mentio ex Gal. ibi. 40.cognomento Aſtragalitis 19.34
Iſatis domeſtica 471.38.ſylueſtris ibid.vtriuſque vires 472.13
Iſchas 876.48. eius deſcriptio ex Theophraſt. 876.56
Iſopyrum 820.55
Iudæa Balſami deſtituitur plantis 59.59
Iudaicus lapis 962.40
Iuglandis deſcriptio 223.42. vires ibid.62 condita 224.14
Iuiubæ 219.63
Iuncus 731.35.floridus ibid. eius conſideratio & vires 732.7. odoratus 56.1. eius deſcriptio ibid.42.vires ex Galeno 57.26
Iuniperus 117.44.duplex 118.41.Dioſcor.Cedrus Theophr.non eſt 118.37. eius lignum ad centenarios annos perdurat ibid. vires 119.20.
Iureconſultorum locus in Digeſtis emendatus 42.20
Ius piſcium 276.40
Ixia 994.1.eius venefica natura 994.12.non eſt diuerſa à Chamæleone 994.24.eius veneni curatio 994.42

K.

KAli 364.1.maius cochleato ſemine ibid. Anthyllis altera quibuſdam 363.67.Anthyllidem cenſet Fuchſius 648.43
Karabe 133.19.Succinum eſſe negat Braſauolus 131.34

L.

LAbrum veneris 493.5. alterum ibid.39.
Labruſca 902.3
Laburni mentio 664
Lac Dioſcor.300.20.intus coagulatum 997.eius veneni curatio 998. eius probatio ibid. 45.facultates ibid.& 302.64.bibendi ratio 301.58
Lacca 69.16.Arabum de ea opinio varia ibid. 28.eius vires & lotio ibid.38.tinctorum & Arabum differens à Cancamo 69.44. factitiæ genera ibid.68
Lacerta 294.46.earum conſideratio 295.24 maiores 984.58
Lactuca 398.33.criſpa 399.1.non capitata ib. floreſcens ibi.33.foliis Endiuiæ ibi. Romana 398.63.ſylueſtris 400.10. eius vires 400. 3.& 30. ſylueſtris Plin. 472.10
Lacunoſis locis, quæ herbæ increſcant 8.37
Ladani conſideratio 159.58. vſus ibid.67. vires ex Gal. 160.11
Lagopus 697.22.pes leporis 699.1. eius vires ex Gal. 698.66
Lamium Plinij 792
Lampſana 356.15.Plinij ibid.52.eius vires ib.
Lana 303.24
Lapis Arabicus 960.64.Aſius 956. Armenius 931.22. Armenij vires ex Alexandro 931.54.Bezahar 940 10.calaminaris 918. 13.plumbarius 925.23.Phrygius 956.in oculis ceruorum natus 940.27.Pyrites 957. 38. Oſtracites 965.40. Schiſtus 958.67. Lincis vulgaris 311.58.Zaffara 899.9.eorũ generatio 896.45.colores varij vnde 899. 1.diuerſa diſcrimina 899.58. cur pellucidi 899.63. cur graues aut leues 900.13. cur ardeant 900.28.cur duri aut molles ibid. erodentes ibid.32.prægnantes 900.37. accenduntur 101.30. venenis reſiſtentes 976. 44. in ſpongiis 965.25. eorum vires 965. 28.
Lappa maior 804.40. maior altera 805.15 minor 834.1
Lapſus Hermolai, Manardi, & Ruellij 456. 64.
Lapathum 352.56.ſanguineum 353.1.eius vires 354.51
Larga 102.35
Larix 104.34
Laurinum oleum 78.32. eius vires ibid. 46
Laricis hiſtoria 101.7
Lathyris Dioſc.867.54.eius vires 868.10
Laurus 125.latifolia ibid.Apollini & Ioui ſacra 126.13.è cœlo miſſa 126.23.vires ibid. 40.lapidea ibid.50. ſylueſtris ſeu Tinus 127.1
Lauendula ſeu Lauanda 31.58
Laurus Alexandrina 841.1. altera ibidem vires 841.36
Laſerpitium Dioſcor.582.18.ſeu Laſer [illegible]ſe Belzoinum 582.50.hiſt. ex Theoph.583. 30.vires ex Gal. 583.63. Gallicum 584.7
Lectio Serapionis deprauata 26
Ledum 159.41
Lens 340.36
Leonicenus à Fuch.calũ. defenditur 39.48.opin. de coronopo reprobata 383.62.eius & Fuch.opinio improbata, qui voluerũt Celticã nardum à Saliunca non differre 33.50
Leontopetalum 596.5.eius vires ex Gal.ib.23
Lepidium 238.59.& 456.Plinij ibi.62.Pauli ibid.69.Piperitis 457.1
Lepus marinus & terreſtris Dioſc. 261.50. marinus venenum 262.50.marinus alter 262.26.terreſtris 262.59.marini veneni ſigna 1000
Leuiſticum vulgare 564.1. Smyrnium cenſet Fuchſius 564.28
Leontopodium verum 828.14
Lemnia terra cenſetur bolus Armenus 938.65 nouæ hiſtoria à Gal.diſſentiens 939.8.lotio 939.50.tres differentiæ 938.9.vires 938.40
Lens paluſtris 783.22.altera ibid.tertia 784. 14
Lepores æquè gignere vana eſt opinio 262.68. bina iecora habent 263.37
Lentiſcinum oleum 78.50. eius vires ibid.60
Lentium vires ex Gal. 340.29
Lentiſcus 105.Roboris magnitudine 105.23.eius vires ibid.50
Leucacantha 502.eius vires ex Gal. 503.20
Leucas 598.60. duplex 599.1
Leucoium album & purpureum 632.16.cæreum ibid.eius vires 632.66
Libanotis ſeu Roſmarinum 575.25.fructifera Theophr. 564.6
Libri qui explodendi 5.4
Libyſticum idem eſt cum Liguſtico 547. eius vires 548
Lichen.732.33.eius genera ex Plinio 732.47 vires ex Gal. 733.46
Lichenes equorum 280.44
Lignorum marcor 136.62
Lignum Aloes 67.20
Liguſticum 547. alterum ibid.
Liguſtrum

Liguſtrum 153.15. conuoluuli ſpecies Seruio Gram.ib.60. Aegyptiacum 154.24.eius vires ibid. 10. oleum & eius vires 154.6. aqua ibid.
Lilac 854.32
Lilium conuallium 631.1. eius vires ibid.42 ephemerum vocat Fuchſius 780.52
Lilium Dioſc.599.60.eorum conſideratio 600 38.hiſtoria ex Plinio 600.45 facultates 601.5.vt totum annum vireat 600.61
Limonium Dioſc.695.66. alterum ibid. vires 697.10
Limonia mala 206.14.& 208.23
Lingua ſerpentina 447.37.auis 128.68
Linum 333.40.ſylueſtre 334.1. anguſtifolium ibid.eius vires ibid.68
Linum viuum 963.6
Liquidambar quid 90.40
Lithoſpermon 656.50.maius 657.1.minus ib. harundinaceum 657.32. eius hiſtoria ex Plin.657.34.vires 657.50.fruteſcens anguſtifolium 658.8.aruenſe radice rubra ibid.
Lithocolla 965.37
Litora & ſcopulos quæ plantæ ament 8.41
Lixiuia pilopæorum 998
Locuſtæ 284.26.in cibis 284.69. debellantur 284.5. earum agmina in Italia 284 65
Loligo ſiue Calamaro 265.25
Lolium 331.40.eius vires 332.6
Lonchitis Dioſc.660.altera Dioſc. 660. aſpera maior 661. aſpera minor ibid. Plinij ibid. eius vires ex Gal. 662
Loniceri & Tragi error circa Ocymum 408. lapſus circa locum natalem cupreſſi 117.1. error 157.6.lapſus 192.12
Lora 907.50. eius paranda ratio ex Gal. 907. 60. facultates 907.66
Lotus ſylueſtris 608.2. vrbana 809.1.ſylueſtris ibid. vtriuſq; vires ex Gal. 809.54. arbor 211.10.Plinij ibid.34. Africana 212.4. & 64. Italica ibi. 16. Athenæi non zizyphus 213.1.Aegyptia 811.53
Lunaria minor 647.20. ramoſa ibid. alia 647.62
Luparia 762.5
Lupini ſtercoris vires 310.48. iecoris vires 279 34
Lupinus 344.32.ſylu.luteus ibi. cæruleo flore anguſtifolius 345.1.eorum facultates ib.10
Lupulus 839.10. eius hiſtoria & vires 839.54
Lychnis 599.8.ſylu. ibid.30. ſyiue.alba multiflora 706.20.vires ex Gal. ibid.49
Lycium 168.5.Italicum ibid.30.adulterinum ibid.64.eius vires 169.10
Lycopſis 704.50
Lyncurius 311.55
Lyſimachia 675.14.altera ibid. eius vires ex Gal. 676.4
Lythargyrium aliud ex auro, aliud ex argento fieri falſum 929.56. eius vires ex Gal. 929.63

M.

Macer 134.10.& Macis differunt 134.14 & 50.eius facult. ex Gal.ibi. 26
Mena 273.35
Magnetis lap.hiſt.960.26. differentia & delectus 960.36.vires ex Gal.960.59.veneficavis & auxilia 998
Mahaleb à Phillyrea diſcrimen 156.58. vires ibid.68
Maiorana 535.23
Mala aurea 760.69
Maia 251.68
Mala 200.63.eorum vires 201.33.Punica 193. 8.eorum vires ex Gal. 194.44. dulcia ad pleuritidem 201.65. Cotoneorum conſideratio 201.66. Melengena 760.28. inſana 760.46.horum vires ibid.62
Malabathrum 41.62. eius hiſtoria ex Arriano 42.50
Malabathrinũ oleum 85.50. vnguĉtum 42.6
Malicorium 194.25.eius vires ibid.37
Malua 359.1.maior ibi. Roſea flore pleno ibid. 33 arbor Plinio ibid.maior altera 360.8 quarta ibid.eius vires 360.42
Manardus arguitur 166.40.eius opinio de Ptiſana 322.4.opinio non accepta 538.8.error officinar. Nardum nec Indicam nec Syriacã eſſe 30.22. Dolichos eruiliam eſſe volentis 414.53.lectio non probata 90.17.& Fuch. opinio reprobata 313.23. dubium ſolutum 855.26
Mandragora 990. eius veneſica natura 991.1 noxæ remedia 991.8.mas & fœmina 759. 38.humana forma.factitia 759.50. Moriõ vocata 760.25.eius vires 761.2
Manna thuris 92.67.& 96.50.& 94.cæleſtis 94.40. Arabum 94.58. eius hiſtoria ex Gal.95.3.ex Plinio ib.12.in comitatu Goritienſi & foro Iulij 95.20.in agro Tridentino ibid.25. ſecto arborum cortice manãs 95.43. eius temperamentum & vires ibi. 57
Marcelli error 423.52. error Pinum Tedam interpretantis 100.62.& Symphoriani error Perſicam & Perſeam idem cenſentium 203.68.ignoratio 264.31.lapſus 324.15. Is reprehenditur 153.56.eius error 341.39
Margaritarum hiſtoria 243.44.eæ proueniũt in Bohemia 244.2
Marrubium 604.23.eius duo genera Theoph. ibid.36.vires Matthiolo 604.43
Marſi vt viperas capiant 1016
Marum Dioſcor. 536.45.& 537.1. eius mentio ex Galeno 536.51. Italiæ peregrinum 537.5
Maſtiche duplex 106.56. eius conſideratio 105 33.cura & vires ibid.51.oleum 79.7
Marregon 600.4
Matricaria 651.1.non eſt Artemiſia 650.66 eam Artemiſiam ſtatuunt Monachi & Fuchſius 618.24
Matthioli teſtimonium aduerſus Geſnerum 770.47.aduerſarij notantur 331.52
Meconium 991.50
Medica Dioſcoridis 415.40
Medica malus 204.62
Medicinæ ſcopi duo 15.45
Medicamenta peregrina cur adulterentur 85.10. adulterabantur etiam Galeni tempore 2.34
Medicorum quorundam opinio exploſa 2.46 munus neglectum 3.26
Medicorum & Seplaſiariorum error in Caſſiæ ſuccedaneo 46.30
Medium ſiue viola Mariana 699.40. eius vires ib.60
Medullæ vires 307.58.in cibis facultas 308.5
Megalinum oleum 84.20
Mehenbethene 228.69
Mei conſideratio & hiſtoria 24.56.vires 25.5
Mel 312.23.heracleoticum 313.10. eius genera non roſcida ibid.13.heracliæ 987. ericeum 141.42
Melanteria 942.50
Melanthium ſatiuum 580.1. ſylueſtre ibid. ſylueſtre ſecundum 580.33.eius vires 581 23.oleum 77.56
Melegetæ ſemina Cardamomi quibuſdam 28.13
Melitites lapis 961.8
Melica conſideratio 329.49
Melilotus ſiue Sertula campana 535.39
Melilotus Italica folliculis rotundis ibi.
Meliloti hiſtoria 536.14
Meliloti vires ex Gal. 536.18.deſcriptio ex Serapione 536.22.Germanorum 809.51
Melinum oleum 80.50
Meliſſa 602.35. Conſtantinopolitana 602.25 Molucana 603.15.
Meliſſa Moldauica ibid.
Meliſſophylli duo genera 603. Conſtantinopolitanum 603.50.alterum ibi. 58
Melochites lapis 932.25
Melongena 760.28
Melopepones Gal.an noſtri Melones 396.5.eorum facultates ex Gal. 397.50
Memithe 588.24
Memphites lapis 963.46
Mendeſium 84.60
Mentha Dioſcor.525.62.prima 526.5. altera ibid.criſpa verticillata ibi.38. eius vires Matthiolo ibid.ex Gal.526.65.Græca 527 24.ſylueſtris Galeni quid ibid.6.Græca hiſtoria ibid.19.& vires ibid.64
Menthaſtrum ib.24.eius eius vires ibid.
Mercurialis ſpuria 892.9.mas 890.36
Mercurialis fœmina ibid.eius vires 891.12
Mergi iecur & venter 279.49
Meſoſphærum Malabathrum 42.63
Meſuis & Braſauoli lapſus 572.45
Meſpilus 209.30.Theoph.209.66. altera 210 12.Aronia ibid.
Meſpilorum vſus ibid.34.duo genera 149.52
Metellarum nucum veneficium & remedia 991
Metopium 84.46
Metallorum ortus 897.60. efficiens cauſa 898. 24.differentiæ plures 899.16.vnum cur citius altero comburatur 899.50
Methodus qua vſus Dioſcorides in ſuo opere 15.30
Meum Athamanticum præſtantius 25.1
Mezereum non eſt Daphnoides 842.38
Microſphærum Malabathrum 42.63
Milium 328.1.eius vires ibid.30.Indicum 329. 58.eius aliud genus ibi.61
Millefolium aquaticum pennatum, ſpicatum 813.1 aquaticum cornutum ib.aquaticum 797.maius 798.minus 798
Millegrana 677.11
Millepeda 277.20.earum vſus ibid.49
Minium Dioſcoridis quid nobis ſit 934. eius genera Plinio 935.14
Myropolarum ignauia & lapſus 76.56

*Horminum* Dioſcor. 639.44. domeſticum 640.1. ſylueſtre ibid. Syriacum 641.10. Plinij 640.40. frugis genus 640.46
*Humida loca quæ plantæ ament* 8.30
*Hyacinthus* 743.32. vacinium eſt 153.42. Orientalis 743. Orientalis alter 744.1. Tripolitanus 744.36. eius vires 744.22
*Hydri ſiue Natricis hiſtoria* 1025
*Hydropiper* 717.63. ſiue Perſicaria 440.8. malè Ruellius Pſeudoeupatorium ſtatuit 440.45. eius vires 441.4
*Hyoſcyamus* 750.5. & 990. albus ibid. tertius 750.40. cur altercum dicatur 751.5. Creticus luteus 751.36. eius vires 751.12
*Hyoſcyaminũ oleum* 77.28. venenoſa vis 990. vtriuſque curatio 990
*Hypecoum* 749.12. eius vires ibid.37
*Hypericum* Dioſc. 667. & 668. eius vires ex Gal. 669. eis album florem tribuit Braſauol. 668
*Hypociſtis* 158.43. eius ſuccedanea ibid.67
*Hyſſopum* 515.28. cæruleũ folio diſſecto ibid. albo & rubro flore ibid. vulgatum eſſe legitimum 516.1. montanum 516.29. eius vires 516.33
*Hyſtricis mentio* 240.59

I.

*IAcea ſiue flos trinitatis* 822.1. altera ibid. incana laciniata 690.1
*Iacobi Syluij opinio reprobata* 172.20
*Iaſminum oleum* 85.55
*Iaſminum Hiſpanicum grandeflorum* 87.1
*Iaſpidum genera* 964.36. natura 964.40 vires ex Gal. ibid. 44
*Ibicis ſtercoris mira facultas* 310.69
*Iberis* 237.67. & 457.1 & Lepidium idem 238.14. altera Paulo ibid.49
*Ibiſcus* 662
*Ichthyocolla* 588.45
*Idæa radix* 724. eius vires ibi.
*Idola in cadaueribus conditis reperta* 115.10
*Iecinora* 279.1
*Ieſemin vnde dictum* 86.12. eius vires ex Serapione ibi.
*Ilex* 180.1. latifolia ſpinoſa ibid.34. duplex ibid.42. coccifera 727.12
*Imperatoria* 567.1. eius vires 566.66. Alpina 567.33
*Impia herba Plinij* 625.3
*Impoſtores quandoque etiam peritos decipiũt* 3.42. eorum fraus cauenda 162.43
*Incantationibus vti dum plantæ effodiuntur, vanum eſt* 4.35
*Indicia veneni ſumpti* 977.20
*Indicum* 933.16
*Interpretum Dioſcoridis lapſus* 154.63
*Intubus maior* 386.36. minor ibid. criſpa 387.38. eius vires 390.22
*Inula* 73.5
*Ioan. de Vigo lapſus* 86.29
*Iouij error* 239.66
*Irinum oleum* 83.34. ad quos vſus præſtet 19.28
*Irio* 431.30. altera ibid. eius genera duo 432.11
*Iris & eius ſpecies* 18.24. candida ibid.65. lutea ibid. eius vires 19.8. mentio ex Gal. ibi. 40. cognomento Aſtragalitis 19.34
*Iſatis domeſtica* 471.38. ſylueſtris ibid. vtriuſque vires 472.13
*Iſchas* 876.48. eius deſcriptio ex Theophraſt. 876.56
*Iſopyrum* 820.55
*Iudæa Balſami deſtituitur plantis* 59.59
*Iudaicus lapis* 962.40
*Iuglandis deſcriptio* 223.42. vires ibid.62 conditæ 224.14
*Iuiubæ* 219.63
*Iuncus* 731.35. floridus ibid. eius conſideratio & vires 732.7. odoratus 56.1. eius deſcriptio ibid.42. vires ex Galeno 57.26
*Iuniperus* 117.44. duplex 118.41. Dioſcor. Cedrus Theophr. non eſt 118.37. eius lignum ad centenarios annos perdurat ibid. vires 119.20.
*Iureconſultorum locus in Digeſtis emendatus* 42.20
*Ius piſcium* 276.40
*Ixia* 994.1. eius venefica natura 994.12. non eſt diuerſa à Chamæleone 994.24. eius veneni curatio 994.42

K.

*KAli* 364.1. maius cochleato ſemine ibid. Anthyllis altera quibuſdam 363.67. Anthyllidem cenſet Fuchſius 648.43
*Karabe* 133.19. Succinum eſſe negat Braſauolus 131.34

L.

*LAbrum veneris* 493.5. alterum ibid.39. Labruſca 902.3
*Laburni mentio* 664
*Lac* Dioſcor. 300.20. intus coagulatum 997. eius veneni curatio 998. eius probatio ibid. 45. facultates ibid. & 302.64. bibendi ratio 301.58
*Lacca* 69.16. Arabum de ea opinio varia ibid. 28. eius vires & lotio ibid.38. tinctorum & Arabum differens à Cancamo 69.44. factitia genera ibid.68
*Lacerta* 294.46. earum conſideratio 295.24 maiores 984.58
*Lactuca* 398.33. criſpa 399.1. non capitata ib. floreſcens ibi.33. foliis Endiuiæ ibi. Romana 398.63. ſylueſtris 400.10. eius vires 400.3. & 30. ſylueſtris Plin. 472.10
*Lacunoſis locis, quæ herba increſcant* 8.37
*Ladani conſideratio* 159.58. vſus ibid.67. vires ex Gal. 160.11
*Lagopus* 697.22. pes leporis 699.1. eius vires ex Gal. 698.66
*Lamium Plinij* 792
*Lampſana* 356.15. Plinij ibid.52. eius vires ib.
*Lana* 303.24
*Lapis Arabicus* 960.64. Aſius 956. Armenius 931.22. Armenij vires ex Alexandro 931.54. Bezahar 940.10. calaminaris 918.13. plumbarius 925.23. Phrygius 956. in oculis ceruorum natus 940.27. Pyrites 957.38. Oſtracites 965.40. Schiſtus 958.67. Lincis vulgaris 311.58. Zaffara 899.9. eorũ generatio 896.45. colores varij vnde 899.1. diuerſa diſcrimina 899.58. cur pellucidi 899.63. cur graues aut leues 900.13. cur ardeant 900.28. cur duri aut molles ibid. erodentes ibid.32. pragnantes 900.37. accenduntur 101.30. venenis reſiſtentes 976.44. in ſpongiis 965.25. eorum vires 965.28.
*Lappa maior* 804.40. maior altera 805.15 minor 834.1
*Lapſus Hermolai, Manardi, & Ruellij* 456.64.
*Lapathum* 352.56. ſanguineum 353.1. eius vires 354.51
*Larga* 102.35
*Larix* 104.34
*Laurinum oleum* 78.32. eius vires ibid.46
*Laricis hiſtoria* 101.7
*Lathyris* Dioſc. 867.54. eius vires 868.10
*Laurus* 125. latifolia ibid. Apollini & Ioui ſacra 126.13. è cœlo miſſa 126.23. vires ibid. 40. lapidea ibid.50. ſylueſtris ſeu Tinus 127.1
*Lauendula ſeu Lauanda* 31.28
*Laurus Alexandrina* 841.1. altera ibidem vires 841.16
*Laſerpitium* Dioſcor. 582.18. ſeu Laſerum eſſe Belzoinum 582.50. hiſt. ex Theoph. 583.30. vires ex Gal. 583.63. Gallicum 584.7
*Lectio Serapionis deprauata* 26
*Ledum* 159.41
*Lens* 340.36
*Leonicenus à Fuch. calũ. defenditur* 39.48. opin. de coronopo reprobata 383.62. eius & Fuch. opinio improbata, qui voluerũt Celticã nardum à Saliunca non differre 33.50
*Leontopetalum* 596.5. eius vires ex Gal. ib.23
*Lepidium* 238.59. & 456. Plinij ibi.62. Pauli ibid.69. Piperitis 457.1
*Lepus marinus & terreſtris* Dioſc. 261.50. marinus venenum 262.50. marinus alter 262.26. terreſtris 262.59. marini veneni ſigna 1000
*Leuiſticum vulgare* 564.1. Smyrnium cenſet Fuchſius 564.28
*Leontopodium verum* 828.14
*Lemnia terra cenſetur bolus Armenus* 938.65 nouæ hiſtoria à Gal. diſſentiens 939.8. lotio 939.50. tres differentiæ 938.9. vires 938.40
*Lens paluſtris* 783.22. altera ibid. tertia 784.14
*Lepores æquè gignere vana eſt opinio* 262.68. bina iecora habent 263.37
*Lentiſcinum oleum* 78.50. eius vires ibid.60
*Lentium vires ex Gal.* 340.29
*Lentiſcus* 105. Roboris magnitudine 105.23. eius vires ibid.51
*Leucacantha* 502. eius vires ex Gal. 503.21
*Leucas* 598.60. duplex 599.1
*Leucoium album & purpureum* 632.16. aureum ibid. eius vires 632.66
*Libanotis ſeu Roſmarinum* 575.25. fructifera Theophr. 564.6
*Libri qui explodendi* 5.4
*Libyſticum idem eſt cum Liguſtico* 547. eius vires 548
*Lichen.* 732.33. eius genera ex Plinio 732.47 vires ex Gal. 733.46
*Lichenes equorum* 280.44
*Lignorum marcor* 136.62
*Lignum Aloes* 67.26
*Liguſticum* 547. alterum ibid.


Liguſtrum

Liguſtrum 153.15. conuoluuli ſpecies Seruio Gram. ib. 60. Aegyptiacum 154.24. eius vires ibid. 10. oleum & eius vires 154.6. aqua ibid.
Lilac 854.32
Lilium conuallium 631.1. eius vires ibid. 42 ephemerum vocat Fuchſius 780.52
Lilium Dioſc. 599.60. eorum conſideratio 600 38. hiſtoria ex Plinio 600.45 facultates 601.5. vt totum annum vireat 600.61
Limonium Dioſc. 695.66. alterum ibid. vires 697.10
Limonia mala 206.14. & 208.23
Lingua ſerpentina 447.37. aun 128.68
Linum 333.40. ſylueſtre 334.1. anguſtifolium ibid. eius vires ibid. 68
Linum viuum 963.6
Liquidambar quid 903.2
Lithoſpermon 656.50. maius 657.1. minus ib. harundinaceum 657.32. eius hiſtoria ex Plin. 657.34. vires 657.50. fruteſcens anguſtifolium 658.8. aruenſe radice rubra ibid.
Lithocolla 965.37
Litora & ſcopulos quæ plantæ ament 8.41
Lixiuia pilopæorum 998
Locuſta 284.26. in cibis 284.69. debellantur 284.5. earum agmina in Italia 284 65
Loligo ſiue Calamaro 265.25
Lolium 331.40. eius vires 332.6
Lonchitis Dioſc. 660. altera Dioſc. 660. aſpera maior 661. aſpera minor ibid. Plinij ibid. eius vires ex Gal. 662
Leniceri & Tragi error circa Ocymum 408. lapſus circa locum natalem cupreſſi 117.1. error 157.6. lapſus 192.12
Lora 907.50. eius parandæ ratio ex Gal. 907. 60. facultates 907.66
Lotus ſylueſtris 808.2. vrbana 809.1. ſylueſtris ibid. vtriuſq; vires ex Gal. 809.54. arbor 211.10. Plinij ibid. 34. Africana 212.4. & 64. Italica ibi. 10. Athenæi non zizyphus 213.1. Aegyptia 811.53
Lunaria minor 647.20. ramoſa ibid. alia 647.62
Luparia 762.5
Lupini ſtercoris vires 310.48. iecoris vires 279 34
Lupinus 344.32. ſylu. luteus ibi. cæruleo flore anguſtifolius 345.1. eorum facultates ib. 10
Lupulus 839.10. eius hiſtoria & vires 839.54
Lychnis 599.8. ſylu. ibid. 30. ſiue alba multiflora 706.20. vires ex Gal. ibid. 49
Lycium 168.5. Italicum ibid. 30. adulterinum ibid. 64. eius vires 169.10
Lycopſis 704.50
Lyncurius 311.55
Lyſimachia 675.14. altera ibid. eius vires ex Gal. 676.4
Lythargyrium aliud ex auro, aliud ex argento fieri falſum 929.56. eius vires ex Gal. 929.63

M.

Macer 134.10. & Macis differunt 134.14 & 50. eius facult. ex Gal. ibi. 26
Mana 273.35
Magnetis lap. hiſt. 960.26. differentia & delectus 960.36. vires ex Gal. 960.59. venefica vis & auxilia 998
Mahaleb à Philyrea diſcrimen 156.58. vires ibid. 68
Maiorana 535.23
Mala aurea 760.69
Maia 251.68
Mala 200.63. eorum vires 201.33. Punica 193.8. eorum vires ex Gal. 194.44. dulcia ad pleuritidem 201.65. Cotoneorum conſideratio 201.66. Melongena 760.28. inſana 760.46. horum vires ibid. 62
Malabathrum 41.62. eius hiſtoria ex Arriano 42.50
Malabathrinũ oleum 85.50. vnguẽtum 42.6
Malicorium 194.25. eius vires ibid. 37
Malua 359.1. maior ibi. Roſea flore pleno ibid. 33 arbor Plinio ibid. maior altera 360.8 quarta ibid. eius vires 360.42
Manardus arguitur 166.40. eius opinio de Ptiſana 322.4. opinio non accepta 538.8. error officinar. Nardum nec Indicam nec Syriacã eſſe 30.22. Dolichos eruiliam eſſe volentis 414.53. lectio non probata 90.17. & Fuch. opinio reprobata 313.23. dubium ſolutum 855.26
Mandragora 900. eius venefica natura 991.1 noxæ remedia 991.8. mas & fœmina 759. 38. humana forma factitia 759.50. Moriõ vocata 760.25. eius vires 761.2
Manna thuris 92.67. & 96.50. & 94. cæleſtis 94.40. Arabum 94.58. eius hiſtoria ex Gal. 95.3. ex Plinio ib. 12. in comitatu Goritienſi & foro Iulij 95.20. in agro Tridentino ibid. 25. ſecto arborum cortice manãs 95.43. eius temperamentum & vires ibi. 57
Marcelli error 423.52. error Pinum Tedam interpretantis 100.62. & Symphoriani error Perſicam & Perſeam idem cenſentium 203.68. ignoratio 264.31. lapſus 324.15. Is reprehenditur 153.56. eius error 341.39
Margaritarum hiſtoria 243.44. eæ proueniũt in Bohemia 244.2
Marrubium 604.23. eius duo genera Theoph. ibid. 36. vires Matthiolo 604.43
Marſi vt viperas capiant 1016
Marum Dioſcor. 536.45. & 537.1. eius mentio ex Galeno 536.51. Italia peregrinum 537.5
Maſtiche duplex 106.56. eius conſideratio 105 33. cura & vires ibid. 51. oleum 79.7
Martagon 600.4
Matricaria 651.1. non eſt Artemiſia 650.66 eam Artemiſiam ſtatuunt Monachi & Fuchſius 618.24
Matthioli teſtimonium aduerſus Geſnerum 770.47. aduerſarij notantur 331.52
Meconium 991.50
Medica Dioſcoridis 415.40
Medica malus 204.62
Medicinæ ſcopi duo 15.45
Medicamenta peregrina cur adulterentur 85.10. adulterabantur etiam Galeni tempore 2.34
Medicorum quorundam opinio exploſa 2.46 munus neglectum 3.26
Medicorum & Seplaſiariorum error in Caſſia ſuccedaneo 46.30
Medium ſiue viola Mariana 699.40. eius vires ib. 60
Medullæ vires 307.58. in cibis facultas 308.5
Megalinum oleum 84.20
Mehenbethene 228.69
Mei conſideratio & hiſtoria 24.56. vires 25.5
Mel 312.23. heracleoticum 313.10. eius genera non roſcida ibid. 13. heraclia 987. ericæum 141.42
Melanteria 942.50
Melanthium ſatiuum 580.1. ſylueſtre ibid. ſylueſtre ſecundum 580.33. eius vires 581 23. oleum 77.56
Melegetæ ſemina Cardamomi quibuſdam 28.13
Melitites lapis 961.8
Melicæ conſideratio 329.49
Melilotus ſiue Sertula campana 535.39
Melilotus Italica folliculis rotundis ibi.
Meliloti hiſtoria 536.14
Meliloti vires ex Gal. 536.18. deſcriptio ex Serapione 536.22. Germanorum 809.51
Melinum oleum 80.50
Meliſſa 602.35. Conſtantinopolitana 602.25 Molucana 603.15.
Meliſſa Moldauica ibid.
Meliſſophylli duo genera 603. Conſtantinopolitanum 603.50. alterum ibi. 58
Melochites lapis 932.25
Melongena 760.28
Melopepones Gal. an noſtri Melones 396.5. eorum facultates ex Gal. 397.50
Memithe 588.24
Memphites lapis 963.46
Mendeſium 84.60
Mentha Dioſcor. 525.62. prima 526.5. altera ibid. criſpa verticillata ibi. 38. eius vires Matthiolo ibid. ex Gal. 526.65. Græca 527 24. ſylueſtris Galeni quid ibid. 6. Græcæ hiſtoria ibid. 19. & vires ibid. 64
Menthaſtrum ib. 24. eius eius vires ibid.
Mercurialis ſpuria 892.9. mas 890.36
Mercurialis fœmina ibid. eius vires 891.12
Mergi iecur & venter 279.49
Meſoſpharum Malabathrum 42.63
Meſues & Braſauoli lapſus 572.45
Meſpilus 209.30. Theoph. 209.66. altera 210 12. Aronia ibid.
Meſpilorum vſus ibid. 34. duo genera 149.52
Metellarum nucum veneficium & remedia 991
Metopium 84.46
Metallorum ortus 897.60. efficiens cauſa 898. 24. differentiæ plures 899.16. vnum cur citius altero comburatur 899.50
Methodus qua vſus Dioſcorides in ſuo opere 15.30
Meum Athamanticum præſtantius 25.1
Mezereum non eſt Daphnoides 842.38
Microſpharum Malabathrum 42.63
Milium 328.1. eius vires ibid. 30. Indicum 329. 58. eius aliud genus ibi. 61
Millefolium aquaticum pennatum, ſpicatum 813.1 aquaticum cornutum ib. aquaticum 797. maius 798. minus 798
Millegrana 677.11
Millepeda 277.20. earum vſus ibid. 40
Minium Dioſcoridis quid nobis ſit 934. eius genera Plinio 935.14
Myropolarum ignauia & lapſus 76.56

 Minium

Oeson candidum Theoph. 152

Mirum admodum auxilium 202.47
Miſy 942.42
Mituli 244.40
Molochia Mauritanis quid 146.14
Molucha 603.53
Molybdæna ſeu Plumbago 978.18. lythargyrij ſpecies eſt 928.36. eius vires ex Gal. ib.45
Molybdoides 925.23
Moly hiſtoria ex Theoph. & Plinio 543. vires ex Gal. 544
Momordica 884.23. & 623.3. genus Geranij 885.10
Monachi reprehenduntur de Cardamomo 28 44. eorum lapſus 238.44. iactantia circa Ocimum 406.68. error 495.12. error ſanguinem draconis cancamo ſubſtituentium 70.25. opinio exploſa, dum Iuncum odoratum offi. in. ſpurium cenſent 56.50. erratũ in Tragacantha 504.68. error 144.62. opin. exploſa 95.35. error in Ammi 557.63 & Plinij error 186. Carui ſemen Carotarũ ſtatuentium 554.7. hallucinatio 669. opinio de Galanga falſa 23.50. error Melanthium flauum cuminum ſylu. ſtatuentium 555.60. lapſus 529.53. error 581.15. opinio falſa de Macere 134.39
Monophyllon 709.1
Morochthus lapis 961.24. eius vires 961.48
Morſus diaboli 464.69
Morſus gallinæ ibid.60
Morus 230.18. alba ibid. eius vires ibid.66
Moſchi odorati hiſtoria ex Ruellio 65.54. vires 66.13. probatio ibid.21
Muli rabie tentantur 1008
Mullus piſcis 265.56. eius facultas ex Gal. 265 64
Mumia 112.63. eius vires 113.48. duplex 114 27
Muria 948.58
Muris aranei morſus nota & curatio 1020
Muris conſideratio 298. alia genera 299.48 montanorum conſideratio ibi.11
Mus araneus 297.60
Mus montanus 299.12
Mus napelli antidotus 993.50
Muſa 189.47. & 192.60. quid apud veteres ibid.60
Muſcus marinus 794. Plinij ib. eius vires ex Plin. 795
Muſcus arboreus 65.1. malè Calamo ſubſtituitur 58.63. terreſtris ibid. eius nomina 64.50. vires ex Gal. & Arabib. ibid.60. Laricæus nobilior 64.55. terreſtris conſideratio 65.32. eius vires ibid.38. terreſtris clauatus 120.13
Muſtela 269.48. eius natura & vis 270.42
Myagrum 815.20. monoſpermon 816.1. vires ex Gal. 815.63
Myrica 139.64. eius conſideratio & vires 140 40. & 62. medicina ibid. 54
Myriophyllum 812.12. alterum ibid. eius vires ex Gal. 812.58
Myrobalani Chebuli 856.10. Indi. ibid. Citrini 857.1. Bellerici ibid. eorum vires 856.63
Myriſticarum vires 225.23
Myrtidanum 196.38
Myrti vſus 197.3. vires Galeno & Matthiolo 197.10
[illegible] 57.12. eius hiſt. ex Theoph. 88.20. hiſt. ex Plinio ibid.15. vires in febri 88.53 vires ex Gal. ib.66. ſuccedanea 89.5. Bœotica ibi.11
Myrrhis Dioſc. 813.52. eius vires 814.38
Myrteum condimentum 197.9. oleum 77.61 eius parandi ratio 78.20
Myrtus Romana 195.19. Tarentina ibi. exotica 196.1. maxima ibid.
Myxa & Myxaria 219.60

N.

Napellus 768.1. Moyſis 769.14. & Toxicum differunt 769.22. eius vires 767 60. venenum & remedia 993.33
Narciſſus primus 858.40. ſecundus 859.1. Cõſtantinopolitanus ibid. quartus 859.32 quintus ibid. ſextus 860.1. ſeptimus ibid. octauus ib.33. nonus ibid. eius vires ex Gal. 861
Narciſſinum oleum 82.46
Nardus Italica 31.36. eius vires ib.50. montanæ conſideratio 34.60. vires ex Gal. 35.42 Indica 29.41. Indicæ vires ex Gal. 32.8 Celticæ conſideratio 33.5. Celtica vbi naſcatur ibid.11. Celticæ cum Lauanda comparatio ibid.24
Nardinum oleum 85.40
Naphtha 111.50. eius nomina 115.66. duplex 116.6
Napus 348.48. ſeminis vires ibid.
Naſtos 138.6
Naſturtium 425.33. criſpum latifolium ibid. 38. criſp. anguſtifolium 426.7. latifolium ibid.40. eius vires ibid.17. aquaticum minimum 380.38
Naxius lapis 966.1
Nerium ſiue Rhododendrum 775.40. vires 775.69. malefica natura 989. veneni curatio ibi.
Neſrim Serapioni quid 167.62
Nicolaus Mirepſ. damnatur 247.31
Nicotiana maior latifolia 751.38
Nigella Cretica 581.40
Nipotella 528.48
Nitrum 950.30. vt conficiatur ex Plinio ib.50 eius vires ex Gal. 951.15
Nomina varia ſimplicium Dioſcoridi adulterina ſunt 7.45
Nucis Indicæ conſideratio 224.28. myriſticæ conſideratio 225.10. vomicæ & metellæ 226.3
Nuciperſica 202.63
Nuclei pini vires 223.5. & 103.37
Nugatoris cuiuſdam opinio exploſa 468.67
Nummularia 716.60
Narcaphthum 68.50
Nux auellana 229.14. iuglans 223.34. Indica 224.40. & 227.58. Myriſtica ibid. 66. Metel 225.36. & 228.3. vomica ibid.
Nymphæa Dioſc. 642.55. alba 643.5. lutea ibid. parua 644.1. alias Græcorum alias Arabum perperam ſtatuit Fuchſius 643. 40. eius vires ex Gal. ibid.23

O.

Ochra 933.32
Ocimaſtrum 706.20. eius vires ibid.59
Ocimum maius 407.1. medium ibid. ſylu. 538 10. latifolium criſpum 408.35. Gariophyllatum 407.35. citratum 406.61. eius degeneratio in ſerpillum 407.64. vires ib.67
Ociminum oleum 81.60
Ocimum ab ocymo differt 408.6. antiquorum quid ibid. 11. non eſt planta ibid.23
Odoratarum herbarum catalogus 11.19
Oeleomeli quibuſdam ſtyrax 90.48
Oenanthe 904.10. prima 627.38. ſecunda ibi. tertia 628.38. quarta ib. eius tria genera Cortuſo ibid.11
Oenanthinum oleum 80.64
Oeſypus 303.24
Officinarum lapſus 2.54. ignorantia & abuſus 3.1. lapſus in herbis ſiccis reponendis 6 25. error 718.6
Olea ſylueſtris 176.22. & 117.5. domeſtica ib. Aethiopicæ lachryma 176.52. & 178.4. & quercus odium 177.67
Olei conſideratio 74.46. vſus apud veteres ib. 50. facultates ex Gal. 74.68. ſylueſtre 75 14. factitium duplex ibid.38. compoſitum ibid.42. veterum 79.58. lini 333.64. Omphacinum 73.66. ſylueſtris oliuæ 74.11 ficyonium ibid.27. ſcorpionum Matth. 920 56. Cicinum 76.4. Ricininum ibi.18. è ſemine Ebuli ibid.23. Amygdalinum ibi.34 ſpica 32.1. chalcanthi 942.13. ex ouorum luteis 283.23. balaninum 855.12. è terreſtri hedera 468.64. è Tritico 318.68. de Reſina larigna 102.44. è nucib. iuglandib. 77.23. è ſtyrace 90.28. de Liquidambar 90 54. Fraxini 128.65. è ferro parandi ratio & vires 924.34. è Iaſmino 86.47. Iſini 36.60. nucleorum Armeniacorũ 204.56 ex nucibus Indicis 225.3. ex Ladano quomodo paretur 160.5. Iuniperi 119.4. ex virga ſanguinea baccis 214.15. ex ſerpentibus vires 254.31 Myrrhæ 88.58. terreſtrium vermium 297.40
Oleaſter Rhodius 62.63
Oliua Bohemica ſiue Elæagnos 174. earũ genera decẽ 177.48. eas condiendi ratio ibid. 60. vires 178.20. ſylueſtris oleum 74.11
Olyra 324.8. eius & Secalæ differentia ibi.21
Omnimorbia 360.51
Omphacium Dioſc. 904.52. eius vires ex Gal. 905.3
Omphacinum oleum 73.66
Onagra 816.31. eius vires ibid.53
Oua barbi piſcis nocua 1004
Onobrychis 667. eius vires ex Gal. ibid.
Onoſma 642.26. eius vires ibi.40
Opaca loca, quæ herbæ ament 8.51
Ophioſcorodon 422.1
Ophites lapis 965.6. marmor ibid.13. eius vires ex Gal. ibid.17
Ophiogloſſon 447. eius vires ibid.42
Ophris 846.32. eius deſcriptio & vires 847.6
Opij venefica natura 991.66. eius curatio 992.12. facultas 746.57. vt adminiſtrandum 747.21
Opinio quorundam de Acino exploſa 538. improbata circa Paliurum 144.34
Opobalſamum 60.40
Opuntia 235.14. Oppida quæ herbæ amẽt 8.60 Oreoſelini conſideratio 563.20
Origanũ 518.32. Heracleoticũ 519.4. Onitis folio ſubrotundo ibid.37. vulgare ibid. ex Creta 520.20. eius vires ibid.26

Ornithogalum primum 412. ſecundum ibid. maius ſpicatum 413.15
Oriza 326.55
Ononis 500.56
Ornus ſiue Orneogloſſum 128.58
Orobanche 409.1. Theophraſti alia ibid.20. eius facultates ibid.35
Orobus 343.12. Creticus ibid.
Oſſifragus 285.14
Oſtracites lapis 965.40
Oſtrys Theophr. 854.66
Oſyris 837.18. eius vires ibid.34
Othonna 469.20
Ouum 282.13. eorum partes 283. coctura diuerſa 282.55. vires 282.66
Oxalis ſiue acetoſa 353.33. duplex ibid.59
Oxyacantha legitima 149.5. Paliurum quidã malè ſtatuunt 147.3. eius vires ex Gal. 151.52
Oxylapathum 353.1. Plin. ibid.54. eius vires ex Aëtio 354.66
Oxymel ex Acoro 23.2
Oxymelitis confectio triplex 911.25
Oxys Plinij 609.43

P.

Paconera 192.66
Pæderos Pauſaniæ 500.30. & 402
Pæonia mas 655.20. fœmina ibid. eius vires ex Gal. 655.62. fœmina flore pleno 656.1
Paliurus 146.35. eam quidam Rhamnum confingunt 144.34. Theoph. varia hiſtoria 146.50. eius deſcriptio ex Plutarcho ibid.68
Palla marina 953.60
Palma 188.20. eius conſideratio & hiſtoria 188.48. in Cypro 189.42. eius genus in India 190.57.66. Elate quid ſit 192.2. earum vires 192.13. vinifera ibid.54. eius cerebrum quid 497.20
Palmulæ optimæ 188.48. Thebaicæ 190.66
Palma Chriſti maior 637.32. minor 638.1
Paludapium Ruellij 563.13
Paludoſa loca quæ herbæ ament 8.33
Pamphili tractatus de herbis fabuloſus & ſuperſtitioſus 4.39
Panaces Heracleum Dioſc. 544. Aſclepium 545. Chironium Dioſc. 545. Chironium minus 546. eius vires ex Meſue 546
Pancratium 453.16
Panicum 328.64. domeſticum ibid. ſylueſtre ibid. eius vires ibid.43
Panis quis optimus 318.60. hordeaceus 322.7
Pannum in larice naſcens & eius vſus 102.58
Papauer corniculatum Dioſc. 747.50. ſpumeum Dioſc. 747.60. ſpinoſum 748.41 corniculatum rubrum 748.6. corniculati vires ex Gal. 748.37. erraticum Dioſcor. 744.66. ſatiuum Dioſc. 745.10. polyanthos 746.12. ſatiui tria genera Plinio 746 44. ſucci ſiue Opij facultates 746.57
Papyrus Nilotica 138.40
Papyri conficiendi ratio 139.14. quoddam genus 139.21. vires ex Gal. ibid.33
Pardi fellis venenum eiuſq; remedia 996
Paronychia 734.1. altera ibid. eius vires 734 48
Parthenium Dioſcor. 650.57. ſeu Matrica[...] 651. num idem cum Amaraco 81.44
Paſtinaca marina 263.60. eius radij vires 264.34
Paſtinacæ marinæ ictus ſigna 1019. remedia 1019
Paſtinaca domeſtica 548. ſylueſtris ibid. erratica 549. eius vires 549. maior ſylueſt. 401 66
Pauonum oua peſſima 282.52
Pauſanias de Platano 127.62
Pecten veneris 403.1
Peplus 868.38
Peplis 869.1
Peponum conſideratio 396.1. & 27. eius vires 397.42
Perdicum & Phaſianorum oua 282.50
Peregrinis medicamentis eſt vtendum 96.8
Perſoliata 805.14. eius vires 805.51
Perforata 667
Periclimenum 691.5. Germanicum ibid. eius vires 691.60
Perſea 236.50
Perſeæ mentio ex Gal. 237.30
Perſica 207.66. eorum conſideratio & genera 202.54. amygdala 202.64. vires ex Gal. ibid.49
Perſicaria 440.8. altera ibid. eius vires ibi.69
Perſonata 804.47. ſiue Lappa maior altera 805.15. eius vires ex Gal. 805.53
Pes gallinaceus quorundam 383.55
Pes coruinus ibid.
Pes columbinus 622.35
Petaſites 806.8. flore candido 615.20. eius vires ibid.
Petri criniti error ros Syriacum Mannam putantis 186.60
Petri Criniti error 95.52
Petroleum triplex 116.6. eius hiſtoria & vis admirabilis 112.45
Petroſelinum Macedonicum 563.36
Pettimborſa 481.50
Peucedanum 579.1. Officinarum adulterinum ib.30. vires ex Gal. 579.36
Πεύκην Pinum eſſe probatur 103.68
Phœnix 723
Phalangium Dioſc. 606.58. & 607.1. eius vires ex Gal. 607.38
Phalangiorum genera ex Aëtio 1017. ex Plinio 293.59. ictuum ſigna & curatio 1017
Phalaris 658.55 eius vires ex Gal. ibid.
Pharicum 992.24. eius veneni conſideratio 992.30
Pharmacopolarum error in Dialacca 70.13
Phaſioli 341.16
Phaſiolorum coctura 414.65. vires ibid.61
Phellodrys & eius hiſtoria 181.66
Phillyrea 154.50. media 155.1. anguſtifolia ib. 33
Photel 192.67
Phrygij lapidis conſideratio & vires 956
Phu maius & eius hiſtoria 37.56
Phu minus ibid.61
Phu minimum 39
Phu vires Matthiolo 38.45
Phyllitis 606 1. eius vires ibid.43
Phyllon 633.42. Theophraſti 633.54. Ruellij ibi.63. teſticulatum 634.1
Phyteuma 827.40
Picea 102.4. & 104.40. eius hiſtoria 102.53
Picem Plinius Cedriam vocat 123.58
Pilæ in bubulorum ventriculis 953.60
Piloſella 687.40. maior repens, minus hirſuta ibid. eius vires 686.60
Pilulæ de Mezereo 872. pro tabidis 525.42 e chamapityde 670
Pimpinella Italica 712.58. ſaxifraga 729.1 minor ibid. ſiue Sanguiſorba maior 729 37. non eſt Tragium 728.68. eius vires 729 47 ſiue ſanguiſorba minor 730
Pinei nuclei purgantes 104.6. facultates 103 34
Pinguedo Taſſi 307.22
Pinguedinis differentia & vires 306.20
Pinna ſiue Aſtura 244.4
Pinorum eruca 983.64. & 291.42.
Pinus & Picea 96.63. ſylueſtris montana 97. 14. Domeſtica ibid. ſpecies & conſideratio 98.31. ſylueſtris Mugo 98.40. ſylueſtris Cembro ibid. Tarentina 99.18
Piperella 533.3
Piper 433.13. Indicum 28.50. montanum 842 48. & 872.27. duo genera Theophraſto ib. 59. planta in Italia 434.5. Aethiopicum ibid.6. corniculati mentio 434.32. Indicum ibid.38. Indici varietas ibid. vires 435 7. deſcriptio 437.18. longum ibid.25
Piperitis 457.1
Piſces lapidibus inſculpti 900.52. foſſiles ibid.
Piſcium & carnium noxæ remedia 1004
Piſſaſphaltum 111.42
Piſſaſphalti conſideratio 112.29. nomina 114 20
Piſtolochia 484.3
Piſtacia 222.8. eorum conſideratio & hiſtoria ibid.46
Piſum maius 343.10. minus ibid. cicer arietinum perperam putatur ibid.49. eorum vires ibi.54
Pityuſa 867.1. eius vires ex Gal. 867.47
Pix ex Cedro 123.60. liquida 110.18. arida ib. 48. eius facultates 111.12. oleum 110.32
Platearij error volentis Caphuram ex ſucco herbæ 106.20
Plantæ quæ florentes colligendæ 6.16. melioreſcunt cœli clementia & loci amicitia 8.19. diuerſorum effectuum 880.46
Plantago aquatica 666. maior 375. roſea ibi. media ibid.32. longa 376.20. aquatica ibi. eius facultates Matth. 375.43. vires Galeno 376.1
Plantarum degeneratio 8.2
Plantarum ſitus qui naturales 8.23
Platanus 127.41. eius mira amplitudo 127.53 vires 128.2
Plinius de Elephanto 287.28
Plinij lapſus glycyrrhizam aculeatam dicentis 485.60
Plinij lapſus 433.53. lapſus 577.59. lapſus de Tilia 156 50. error 510.7. plures lapſus circa Populum 130.36. lapſus 605.57. lapſus de Pino 100.37. error quo Tedam propriam arborem eſſe cenſet ibid.56. error tedam Laricis morbum volentis ib.69. lapſus volentis laricem eſſe ſterilem 101.14. hallucinatio 31.9
Plinius in Nardi hiſtoria deceptus 42.45
Plinius notatur 523.33
Plinij lapſus 525.22. lapſus 192.7

*Plinij tutela aduerſus Braſauolum 36.30. lapſus Fraxini folia mortifera eſſe 128.40 lapſus 617.40. lapſus 203.51. lapſus Ladanum ex Ciſſo colligentis 159.64. lapſus in ol. gleucino 83.64*
*Plumbum elotum 924.56. vſtum 925.1. recrementum 925.14. ſcobis noxa & curatio 998. facultates 925.50*
*Podagricorum reſtitutio 119.12*
*Poëtarum fabula circa Succinum 130.54*
*Polemonia Dioſc. 681.63. eius vires 682.13*
*Polenta conſideratio 322.11*
*Polium 612.24. alterum ibid. Plinij ibid. eius vires ex Gal. 613.5*
*Polycnemon 594.56. eius vires ex Gal. ibid.*
*Polygala Dioſc. 836.38*
*Polygonatum 678.35. eius vires 679.11*
*Polygonum mas 676.40. fœmina ibid. minus 677. maritimum latifolium ibid. 40. Polonicum cocciferum ibid. eius vires 677.23*
*Polypi mira magnitudo 264.61*
*Polypodium 887.10*
*Polypodium alterum ibid.*
*Polypodij vires ibid. 60*
*Poma præcipua 201.48*
*Poma Adami 207.1. & 208.40*
*Pomorum Adami vires ibid. 41*
*Pomata parandæ ratio 307.25*
*Pompholyx 918.63. eius vires 920.33*
*Populus alba & nigra 129.40. Lybica 130.1 vires 132.60*
*Porrum ſectile 417.38. commune ibid. capitatum 418.5. ſectiuum vt faciendum ex Columella ibid. eius facultates ibid. 19*
*Portulaca domeſtica 372. ſylueſtris ibid. eius vires ibid. 51*
*Potamogeton Dioſc. 796. eius vires 797*
*Potentilla 718.33. eius vires ibid. 52*
*Poterium 498.1. eius vires ibid. 41*
*Præcauendi venena modus 975.48*
*Præcautio vulgaris Principum contra venena exploſa 975.50. venenorum ex medicamẽtis 976.55*
*Præcipitati vocati vis 1011*
*Pratis quæ plantæ latentur 8.57*
*Primulaveris 801. altera 802*
*Propolis 315.38. eius vires ibid.*
*Proſerpinaca Apuleio 677.5*
*Prunella 684.11*
*Prunus Sebeſtena 218. vſus & facultas 217 20*
*Prunus 216.22. & 219.26. Cerea ibid. Aegyptia 217.22. ſylueſtris ibid. 34. Poterium Cornario 498.37*
*Pſeudoaconitum Pardalianches 766.35*
*Pſeudoacorum 21*
*Pſeudoapios 876.26. deſcriptio ibid. 64*
*Pſeudobunium Dioſcor. 823.63*
*Pſeudocaſſia 46.41*
*Pſeudoclinopodium 595.10*
*Pſeudocoſtus 54.10. à Coſto diſcrimen 54.47 quale melius & quibus polleat viribus ibi. 50*
*Pſeudodictamnum 522.26. & 523.34*
*Pſeudoelleborum 844.53. & 846.34*
*Pſeudoleontopodium 828.14*
*Pſeudolonchitis aſpera 661*
*Pſeudolotus 211.38. & 212.60*
*Pſeudomelanthium 581.8. eius deſcrip. 580.52*
*Pſeudomyagrum 815.20*
*Pſeudorhabarbarum 479.59*
*Pſeudohermodactylus 779.38*
*Pſeudoſtachys 605.18*
*Pſeudoſtruthium 442.22*
*Pſeudoturpetum Garganicum 831.60*
*Pſyllium 753.1. alterum ibid. eius vires ex Meſue 752.61. vires ex Gal. 753.40. veneni noxa & curatio 988*
*Ptarmica 441.28. altera ibi. eius vires 442.2*
*Ptiſana conſideratio 322.1*
*Pagurus 252.50. Maiam ſtatuit Rondeletius 252.47*
*Pulegium 521.22. anguſtifolium ibid. eius duo genera Plinio ibid. 58. vires ibid. 67*
*Pulmo marinus 278.6*
*Pulmones variorum animalium 278.60*
*Pulmonaria 733.1*
*Pulmonaria altera ibid.*
*Pulmonariæ vires 732.66*
*Pulſatilla 462.1. rubra & lutea ibid. vires ibi. 52*
*Puluis contra venena 981.20*
*Pumex 947.64. eius vires 948.8*
*Pungitopi 840.41*
*Punici mali conſideratio 193.62. cultura 194.10. vires ibid. 27. arboris facultates ibid. 39*
*Purpurarum conſideratio & hiſtoria 243.8 Dioſcor. 242.45*
*Purpureis floribus quæ herbæ ſint 12.36*
*Pycnocomum 876.8*
*Pyra 208.45. cotonea 202.34. facultas & vires 209.10*
*Pyrethrum Dioſcor. 573.65. verum 574.4. alterum ibi. in pratis ibid. 43. eius vires ibid. 49*
*Pyritæ vires ex Gal. 937.60*
*Pyrola 696.64*
*Pyrolæ vires 697.1*

Q.

*Quercus 178.38. quæ proferat ex Theoph. ibid. 60*
*Quinquefolium 719.30. erectum incanum 720. paluſtre rubrum ib. eius vires 721.38*

R.

*Radices quando effodiendæ 5.15. optimarum nota ibid. 29. quomodo mũdandæ, ſiccandæ ac conſeruandæ ſint ib. 34. earum differẽtia in colorib. & ſaporib. ib. 42*
*Radicula ſeu Lanaria herba 442.12*
*Rana 270.50. earũ part⁹ ib. 67. vis 271.24. paluſtris venenũ 1001. maleſ. ſigna & cura ib.*
*Ranunculus primus 457.1. ſecundus 458.8 tertius ibid. quartus ibid. 40. quartus flore pleno ibid. quintus 459.1. ſextus ibid. 1 eius vires 459.52*
*Raphanus 349.22. ruſticanus ſiue vulgaris 350.1. eorum Theoph. genera plura ibid. 45 vires ibid. oleum 77.56*
*Rapum 345.63. eius vires 347.44. rotundum 346.1. longum ibid. ſylueſtre ibid. 34. quomodo ab erucis vindicetur 346.66*
*Rapunculus 347.1. non eſt rapum ſylu. ibid. 8. Alpinus ſpicato ſimilis 348.10*
*Recoctæ vires 302.46*
*Remedia ad conuulſiones ex alui profluuiis 1004*
*Remedia ad varia ſymptomata 1003*
*Remedia contra venena 977.67 cõtra erucas 290.57. ad ſcorpionum ictus 1019*
*Reſina lentiſci 106.52. duplex eſt 110.11. larigna officinis Terebinthina dicitur 101.58 terebinthina 109.5. earum vires ex Gal. ib. 42. larignæ vires 102.40*
*Reſta bouis 500.69*
*Rha Dioſcoridis 476.1*
*Rhabarbarum 478.20. eius radix ibi. hiſt. ibi. 62. ex Troglodytica regione deferri probatur ibid. 1. eius nomenclatura 477.60. an idem cum Rhapontico 475.65. eius vires vt augendæ 479.43. falsò quidam violentum vocant ibid. 23. adulteratum vt noſcẽdum ibid. 33*
*Rhamnus primus 143.1. ſecundus ibid. Germanicus ibid. 32. tertius 144.1. ... ibid. 64*
*Rhaponticum 475.42. folio helenij ... 476.1. eius ſub Rhabarbaro ... Serapio & Auicenna ibid. 44. vires ex Gal. 477.26*
*Rhei tria genera Meſue ibi. 38. Turcici nomenclatio ibid. Indici nominatio ibi. barbarici nomenclatura ibid. 61*
*Rhodacena ſunt Perſica 203.35*
*Rhodia radix 724.10. eius vires ibid. 48*
*Rhodius oleaſter 62.63*
*Rhododendrum 775.40*
*Rhois plura nomina apud Gal. 186.37*
*Rhox 1017*
*Rhus 186.1*
*Rhus duplex Theophraſto ibid. 56*
*Ribes officinarum 151.12*
*Ribes offic. vſus ibid. 28*
*Ricinus animalculum 96.19*
*Ricinus 662.30*
*Ricini vires ibid. 60. oleum 76.18*
*Riſag.illi curatio 1008*
*Roberti Conſtantini hallucinatio 128.53*
*Rondeletij erratum 272.62. notatus 246 39*
*Roſa 165.30. græca Plinij 599.48. Roſa Hieruntea viridis 52.23. arida ibi. earum ſuccus & dilutum 165.67. duplex 167.55. lutea 166.50. earum genera ex Plinio ibid. 51 facultates 167.52. partes & vires 166.63*
*Roſacei olei conſideratio 80.28. omphacinum ibid. eius vires ibid. 35*
*Roſmarinum Dioſcor. 574.64. coronarium Dioſc. 575.19. eorum conſideratio ibid. 58 hiſtoria ex Theoph. ibid. 64. ſylueſtre 576. 23. ſylueſtre minus ibid. non eſſe Cneorum ibid. 9. vires Matth. ibid. 22*
*Roſtrum porcinum 388.45*
*Ruberta 622.50*
*Rubeta 270.62. eius venenum 1001*
*Rubigo ferri 924.10*
*Rubia Dioſc. 659.1. Plinij ibid. ſatiua ibid. ſylueſtris ibid. eius vires ex Gal. 660*
*Rubei flores quibus herbis emiceant 12.37*
*Rubrica ſinopica 937.5. fabrilis ibid. 40*
*Rsubus Dioſc. 714.20. Idæus ibid. 40. eius vires ex Gal. ibid. 69*
*Rubus canis 152.37*
*Rubus canis non eſt roſa ſylueſtris ibid. 45*
*Rubi canis vires 153.9*
*Ruellij error Agrifolium Lotum cenſentis 212.38*

212.38. in vnguento populeo 130.44. erratum 675.58. hallucinatio 496.18. error Atractylidem Cnicum ſylu. eſſe credentium 593.18. hallucinatio Coluteam ſenam cenſentis 572.3. erratum 529.43. error 368.55 error Laricem perpetua fronde eſſe 101.5. Hermolai lapſus 105.30. & Hermolai lapſus 432.5. lapſus 462.59. & aliquorum error de Rhabarb. 477.10. lapſus 443.54. & Fuchſij error de Cardamomo 28.50. error qui ſpinam infectoriam Rhamnum cenſuit 144.48. lapſus 329.47. is notatur, quòd Rhodium oleaſtrũ Aſpalathum cenſuerit 62.64. croceum florem Abieti tribuit 103.15
Rumex 353.40
Ruſcus 840.24. eius conſideratio ibid.38. Myrtus eſt ſylueſtris 195.64
Ruta Dioſcor. 540. capraria 836.1. ſylueſtris 541. ſylueſtris tenuifolia ibid. eius vires 541 ſylueſtris Harmola 542. ſylueſtris alterius vires 543. capraria mentio & vires 543

S.

Sabina 119.43. baccifera 120.13. eius vires 121.8
Sacchari conſideratio 313.20. factitij inuentio ibid.58
Saccola duplex 28.38
Sacra herba 525.37
Sanicula montana rotundifolia, minor 723.1
Sagitta maior 797. minor ibid.
Sagapenum 584.32. in Apulia ibid. 46. eius vires ex Meſue 584.49. ex Gal. ib.62
Salamandræ venefica natura 984.28. eius veneni curatio ib.43
Salamandra 292.14. eius generatio ib. 64. igne abſumitur ib. 51. aquatica ibid.50
Sal Indum 314.55. gemmæ ſeu foßitiũ 949.9 lacuſtre ex Plin. ibi.14. ex fluminibus ibid. Ammoniacus 949.32. Indus eſt Saccharum ibid. eius ſpuma ibid. rubigo ibid. vires 950.4. ſpuma 948.53
Saliua vires ex Gal. 312.3
Saliunca num ſit Celtica nardus 33.53
Salix 174.56. latifolia rotunda 175.1. humilis repens ib.34. eius lachryma triplex ibid.37 ſpuma ibid.42. vires ibi.53
Saluia Dioſco. 524.26. Romana 527.22. maior ibid.34. minor ſiue Sphacelus 524.34. baccifera 525. hortenſis & ſylueſtris 524 66. ex Creta 525.18. eius vires ibi.26
Sambacinum & Sambucinum idem non eſt 86.28
Sambucus 873.19. montana 873.33. aquatica 874.1. aquatica polyanthos 874.40. eius vires 874. & 875
Samius lapis 966.47
Sampſuchum Dioſcor. 534.28. eius vires ex Gal. 535.21
Sampſuchum & amaracum num idem ſint 81 34. eius oleum ibid.20
Sandaracha 944.55. Græcorum & Arabum differunt 118.49. alia Plinij apum cibus 118 68. Ariſtotelis 119.3. Arabum eſt gummi iuniperi 944.53. vires ibi.68. venefica vis & curatio 999
Sandycis conſideratio 959.30

Sanguis 308.53. eius conſideratio 309.1. experimenta vana ibid. taurinus 996. eius venenata natura 996. menſtrui venenum, eiusq́; curatio ibid. draconis 714.3. duplex 934.7
Sanguinaria Dioſc. 676.25
Sanguinella 383.49
Sanicula 684.24. eius aliud genus ib.34. vires ibid.26
Santalum album & citrinum 63.25. rubrum ibi. eorum conſideratio & vires 63.49. hiſtoria 64.18
Santolina 117.22
Sapinus 103.20
Saponaria 442.22
Sapphirus lapis 963.20. eius vires ib.29
Sarcocolla Dioſcor. 587.48. eius vires ex Arabibus ibid.64
Sardonia herba 990. eius venenum eiusq́; curatio 990
Satureia Dioſc. 532.23. altera ibi. Columellæ 532.68
Satyrium Dioſcor. 636.42. erythronium ibid. 54. primum 637.1. baſilicum pratenſe maculoſum 638.1. eius vires ex Gal. 638.67
Saxifraga vera Dioſc. 693.24. alterius ſpecies ibid. tertia 694.6. quarta ibid. 40. magna 694.40. multæ plantæ dicuntur 695.35. maioris vires 695.30
Scabioſa maior 688.23. minor ibid. officin. 689 35. argentea anguſtifolia ibi. eius vires 689 12
Scammonia Dioſc. 869.60. Monſpeliaca 871. 1. eius læſiones & vires ex Meſue 870.48
Scandix Plinij 403.45. & 402. 54. Cretica 404.1. Italica 403.1. eius vires ex Galeno ibid. 48
Scariola quæ ſit 387.23. domeſtica 390.51. minor offic. ibi.54
Scebra 863.62
Schiſti lapidis conſideratio & vires 959.3
Scilla 453.23. veneficijs aduerſatur 14.10. eius venenata noxa & curatio 987.3. inter venenatas Auicenna meminit 987.10. Hiſpanica ibid. maior radice rubra 454.1. eius præparatio ibid. 18. vires ibid.38
Scincus 295.47. Vicentinus 296.6. Aegyptij hiſtoria ibi.17
Sciurus 299.52. eius conſideratio 300.7
Sclarea 640.33. eius hiſt. 639.67. vires 640.35
Scolopendra 256.58. marina Rondeletij 257 22. venenoſa conſideratio 1018. morſus remedia ib. marina ibid.
Scolopendrium quid 606.12
Scopa 141.58
Scordium 613.22. Creticum optimum 614.8. eius vires ex Gal. 614.12
Scoria vires ex Gal. 924.29
Scorodopraſum 423.40. vires ibi.67
Scorpena 255.3
Scrophularia 791. paluſtris 793. flore luteo ibid. eius vires 792. minor 468.36
Scorpio terreſtris 253.50. horum genera nouem ibid. fœtus 254.14. aligerus 254.22. facultates 254.30. genera octo ex Nicandro 1018. ictus & curatio ex Aetio 1019
Scorpioides 895.4. eius facult. ibid.
Scorzonera Hiſpanica 410.33. Bohemica ibid. eius vires 411.12

Scythica Theophr. 486.35
Sebeſten conſideratio & hiſtoria 218.9. facultas ibi.30. Doſis 218.42
Secacul quid 679.3. eius hiſtoria 505.41. ab Eryngio differt ibi.36
Secale 324.19. vulgaris vires ibid.61
Securidaca maior 641.40. minor ibid. eius vires 642.10
Sedum maius 784.43. minus Dioſc. ibid. tertium Dioſc. ibid. 64. acerrimum 785.66. eius vires ex Gal. 786.48
Selago Plinius 119.63
Selenites lapis 963
Semperuiuum maius 785.1. minus mas ibid. minus fœmina 785.33. minimum ibid. arboreſcens 786.12. arboreſcens alterum ibi.
Semen ſanctum ſiue Semenzina 511.1. Abſinthij marini non eſt 510.21
Sena 571.8. acutioribus folijs ſeu Alexandrina ibi. non eſt Delphinium 571.56. eius delineatio ibid. 62. folliculi virentes purgant 572.48. dilutum cur tormina ſequantur, ibid.62. & eius diluti vires 573.5. vires ex Meſue & Serap. ib.20
Senacio Serap. 377.63
Senecio 793. maior ibid. eius facultates ex Galeno 793
Senecta anguium 261.14
Seminum & fructuum in plantis diſcrimina 13.7
Semina herbarum colligenda 6.46
Sepu feræ conſideratio 1022. morſus ſigna & remedia ibid.
Sepia 264.45. earum facultates 265.22
Seplaſiariorum lapſus in ol. Maſtich. conficiendo 79.12. error in Celtica Nardo 33.38
Seps 295.1. inter mortiferos ſerpentes Aëtio 295.32
Serapionis interpretis lapſus in pede columbino 52.15
Serapionis lapſus 156.65
Serapionis lapſus 95.54
Serapionis lapſus 210.20
Seres Pauſaniæ 231.18
Seri lactis vires 302.50
Seriphium Aegyptium 510.40
Seris ſiue Intybus 386.25
Seridis conſideratio 387.1
Serpens marinus 256.2
Serpentem marinum Plin. cum Dracone confundit 256.36
Serpentina puluis ſingularis 1014
Serpentium venenum non eſſe frigidum 1013
Serpillum 533.32
Serpillum alterum ibid. eius vires ex Galeno 534.13
Serratula 672.32
Serratulæ vires 673.5
Sertula campana 535.35
Seſaminum oleum & eius vires 77.19
Seſamoides magnum Dioſc. 847.42. paruum Dioſc. ibid.
Seſamum 330.50. eius vires ex Galeno 331. 18
Seſeli Maßilienſe 550. Maßilienſe nonnullorum 550
Seſeli Aethiopicum 550. Aethiopicum alterum 551.1
Seſeli Peloponenſe ibid.

Seſeli

Sicla, qui Sicula beta nigra. 771.


Seſeli Creticum maius ibid. 40. Creticum minus ibid. eius vires ex Gal. 552.12
Sferra cauallo 647.18
Sideritis Dioſc. 710.32. heraclea 711.1. ſecunda ibid. vulgaris hirſuta 711. 33. tertia ibid. quarta 712.1. Fuchſii 710. 69. eius vires ex Gal. 712.64
Sideritis lapis 960.34
Sigillum Salomonis 678.63. S. Mariæ 443.56
Siligo antiquorum 324.36
Siliqua 199.40. mel fundentes 200. 7. earum vires ibid.14
Silurus 271.58. eius conſideratio 272.32
Silybum 854.12
Similitudo quarundam partium in plantis 10.12
Simplicia medicamenta quæ pollent aduerſus venena 978.29
Simplicium peritiam nemo poteſt adipiſci ex librorum lectione 3.25. peritia à præceptoribus non ex libris comparatur 3.35. cognitio perficit medendi rationem 2.45
Sinapi primum 424.10. ſecundum ibi. 40. tertium ibid. eius vires 425.6
Sinapiſmus ibid.11
Sinapinum oleum 77.56
Siſer primum 351.20. ſecundum ibid apud Plinium 352.8. Tiberio Cæſ. gratiſſimum ibid. 20. ſylueſtre ibid.31
Siſon 552.40. ſemen incognitum 553.4
Siſymbrium hortenſe 378.18. ſylueſtre ibid. aquaticum 379.20. aquaticum alterum ibi. eius in mentham mutatio 378.66. vires 379.58
Sium verum 377.18. vulgare ibid. eius vires 378.1
Smarides 273.1
Smilacis conſideratio 180.58
Smilax hortenſis 415.1. aſpera duplex 165.13. aſpera 838.1. eius radix 164. 63. læuis 839.1 vtriusq; vires 839.66
Smyris lapis 365.56
Smyrnium Dioſc. 565. 36. & 666. 10. Creticum ibid. Plinij 565. 60. eius vires ex Gal. 566.50
Sodomeus lacus 112.22
Solani manici veneni noxa & curatio 986. 24. pomiferum fructu rotundo, molli 761. 1. fœtidum ſpinoſum 228. maius, ſiue herba bella donna 756.38 maius non eſſe Mandragoram Theophr. 756.50. eorum vires ex Gal. 757 10. tuberoſum eſculentum 758.1. tuberoſi radix & fructus 758.1. hortenſe 754.1. halicacabum ibi. furioſum 754. 50.
Somniferum 755.1
Solbaſtrella 729.60
Soldanella alpina 369.32
Solidago 684.11. regalis 685. 5. regalis vires Matt. ibid.8
Solifuga hiſtoria 244.36
Sonchus aſpera 384.35. læuis 385.1. læuis altera ibid. læuis cæruleus ib.35. eius vires ib 40
Sorbus domeſtica 215.1. ſylueſtris ibid. torminalis 215.34. eorum vires ibi.60
Sory 942.58
Sparganium 702.8. eius facultates 702.34
Spartium 852.14. Hiſpanicum 852 22
Spartum & Geniſta differunt 852.62. eius vſus ex Plinio ibi. 66
Spatulam Sparganium credit Ruellius 702.8
Spelta 322.68
Speronella 590.43
Sphacelus 525.34
Sphondylium 577.23. eius vires ibid. 50. Acanthum Germ. Fuchſ. vocat 577.43
Spica Celtica 34. 24. Nardi eſt Nardi radix 30.37
Spina infectoria 144.1. eius ſuccus & eius vires ibid. 53. alba 494.39. alba altera ib. alba legitima 495.22. alba vires ibi. 55. Arabica 496.5. Arabica non eſt Acacia ibid. 9. Arabicæ vires ib.45
Spinacia 361.25. ſemine non ſpinoſo 362. 1. eius facultates 363.39
Splenion 596.62
Split 807.66
Spodium 918.63
Spongiæ 954.13. earum hiſtoria ex Ariſt. 954. 25. vires ex Gal. ibi.60
Spuma maris offic. 953.20. argenti Dioſc. 929.1
Sputum canis rabidi rabie afficit 972.40
Squala 835.26
Squama æris 921.38. huius lethifera vis & remedia 998. ſtomomatis 921.36
Squillarum conſideratio 251.64
Squinanthum Officinarum 56.20
Stachys 605.10. huius vires ib.59
Stacte 84.68
Staphis agria 850.40. huius vires ex Gal. 850. 65. noxa & curatio 985.68
Staphylodendron 222.12. Plinij 223.2
Stellaria 819.1. eius vires ibid.50
Stellionum morſus remedia 985.20. conſideratio 984.55
Stercoris vires 309.60. humani experimentum ib.65
Stercus ferri 924.20
Steriles mali quomodo fœcundæ fiant 201.60
Stimmi Plinij 926.36
Stirpes folia immutãtes dum adoleſcunt 3.62 earum mutatio 8.12. imagines parum aut nihil proſunt ad ſimplicia dignoſcẽda 4.7
Stœbe 688.20. eius conſideratio ibid. 53. vires 689.28
Stoechas 518.1. eius vires 517.64. citrina 736.1 huius vires 737.2
Stomoma eſſe chalybis ſquamam 922.23. cõficiendi ratio ex Ariſt. 922.44. idem eſt quod chalybs 922.64
Strabo de Silphio 582.57
Stramonia 228.11
Stratiotes Dioſcor. 797. millefolium 798. eius vires ex Gal. 799
Strigmentum 74.48
Struthij conſideratio 442.54 Plinij ibid. 62 Fuchſ. Saponariam perperam ſtatuit 443. 8. eius vires ibid.
Styrax 89.28. liquidus 85.10. adulteratio 90. 27. vires ex Gal. 90.32
Sublimati epoti ſigna 999
Suber primus 181.1. ſecundus ib. eius conſideratio & hiſtoria ibid. 38. corticis vſus 181. 50. Plinij ib.53. vires Matth. 182.4
Succedanea quando admittenda 981.60
Succi quomodo exprimendi & conſeruandi 7.4
Succinum album 133. 9. eius varia hiſtoria 130. 69. lachryma arboris Pinorum 131.17 bituminis genus Agricolæ 131. 24. [illegible] ib.29. pterygophoron ib.60
Succiſa 464.34. eius vires ibi.48
Sudoris animalium vires & remedia 997
Suffrutices qui ſint 7.62
Suillus adeps 306.46
Sulphur 947.10. foſſitium 947.25. eius faciendi ratio 947.37. eius vires ex Galeno 947.48
Sumach 188.1
Suſinum oleum 82.15
Sicyonium oleum 74.27
Sycomorus 231.53. mentio ex Gal. 232.57. lethifera arbor 949
Sycophantæ cuiuſdam calumnia depulſa 43.2
Syluatici hallucinatio 494.13. error 362.57
Syluij error 39.52
Sympathia & Antipathia quarundam rerum in ſimplicium materia 14.4
Symphytum petræum 682.35. maius 683.5. maius tuberoſa radice 683.5. vtriuſq; vires 685.12
Syrupus violaceus 822.55. roſarum ſolutiuus 166.35


## T.


TAlchartæ vſum prabet Indianis 139.60
Talus ſuillus 288.24
Tamarix Narbonenſis 140. 8. eius genera 141.6
Tamarindorum conſideratio 190.67. vires ibid. 42
Tanacetum 651.1. Artemiſiam ſtatuit Ruellius 618.12. eius vires 6[illegible].43
Tarantulæ venenum & remedia 1018. conſideratio 294.17. remedium Muſica 294. 28
Taraxacon offic. 390.55
Tartarum 951.48
Taſſi pinguedo 307.28
Taurinus adeps 306.50
Taxus 773.30. eius venefica natura 988. bacca noxia 989. glandifera ibid. hiſtoria ex Theophraſt. 774. vires ex Gal. ibi.16
Tedæ conſideratio 100.40
Telephium purpureum 472.35. eius vires ex Gal. 473.5
Telinum oleum 81.4
Tellina 244.60
Tembul ſeu Betel 43.9
Tempus quo ſtirpium partes legendæ ſunt 5.14
Terebinthus Indica Theophr. 222.52. eius deſcriptio 108.30. Indica piſtacearum planta ibid. 65. conſideratio & vires 78
Tereniabin 94.60
Terra omnis Dioſc. 966.20. Eretria ib.25. Samia ibid. 36. Chia 967.1. Selinuſia 967. 10. Cimolia 967.18. pnigitis ibid. 24. fornacum 967.36. Melia ibid. 40. ampelitis ibid. 58. obſignata S. Pauli 1016. ſimplex 900. compoſita ibid. medicinales 901.6
Terrantola 295.54
Teſta fornacea 697.30
Teſticulus Dioſcor. 634. 60. primus 635. 1. ſecundus ibid. tertius 635.33. quartus ibidem quartus alter 636.1. quintus ib.1. eorum vires ex Gal. 538.57


Struthium Plinij 469

Teucrium 596.36. duplex Plinio ibi.57. alterum 597.1. eius vires ex Gal. 597
Thapſia 851.10. eius vires ibi.64
Thalaſſomeli Dioſc. 910.34
Thalictrum 794. vires ibid.
Thelyphonum Theophraſti 763.7. eius hiſtoria 762.10. ex Theophr. 764.58
Theamedes lapis 960
Theodori Gazæ error 272.32
Theophraſti error de Vlmo 135.60. locus ſuſpectus 213.50
Theriaca laudibus à Galeno celebrata 1014. deprauatio 84.44. optimæ indicium 1003. veterum & recentiorum comparatio 978.49. bonæ nota 1010
Thlaſpi primum 427.5. vulgatum ferrato folio ibid. ſecundum ib.40. tertium ib. ſaxatile minori folio. 428.15. quartum ibi. villoſum 430 1. vires 248.63
Thuia ſiue Thya 124.15. & 125.19
Thora minor 767.1
Thracij lapidis mentio 960.10
Thunnus 275.52. eorum captura 275.65. in tibiis facultas 276.24
Thus 92.32. & 93.30. hiſtoria ex Theophraſto & Plinio 93.18. vires ibid.51. facultates ex Galeno 94.1. arbor 96.40. differentia ibid.43
Thyites lapis 962.10
Thymbra 532.54. eius vires 533.5
Thymelæa 872.1. eius venenata potio 1003
Thymoxalme 911.60
Thymum 531.12. vulgare tenuiore folio ibi. ex Creta 531 50. eius vires ex Galeno & Aëtio 531.59
Tigname 68.61
Tilia mas 155.33. 157.42. eius vires ibi.
Typha 626.18. Theophr. ibid. eius vſus ibi.33
Tithymali Dioſcor. 863.15. Characias 864.1. Myrſinites ibid. Paralius 864.34. Helioſcopius ib. Cypariſſias 865.1. Dendroides ibid. leptophyllos 865.34. eorum hiſto. ex Theophr. 866.10. vires ex Gal. 866.28
Tormentilla 674.34. eius vires 673.64
Torpedo 257.46. eius mira facultas 258.30. vires ex Gal. 258.20
Toxicum 992.42. eius notæ ex Nicandro 993 6. & Napelli diuerſa cura ib.18. & Tuſom idem ibid.26. Græcorum & Arabum Napellum non eſſe idem 992.65
Tragacantha 503.40. eius vires Matt. & Gal. 504.18
Tragacantha officin. 172.17
Tragema quid 664
Tragium Dioſc. 129.10. & 728.24. alterum 728.33. eius vires 730.18
Tragopogon 410.1. alterum ibid. laciniatum 411.27 purpurei mentio 409
Tragoriganum 518.50. & 520.1. Plinius cum Origano malè confundit 519.1
Tragos 325.56
Tragi error 320.20
Tragum Dioſc. 730.60
Traſi 412.35. eorum vires ib.67
Tribulus terreſtris 692.22. aquatica ibid. eius vires 693.5
Trichomanes 832.59. eius vires 833.30
Trifolium 607.52. Aſphaltite 608.1. acetoſum ibid. 38. acetoſum luteum ibid. pratenſe 609.1. pratenſe alterum ibid. pratenſe luteum 610.1. peltatum Creticum 611.38. ſpinoſum Creticum ibid. acutum Scribonij 608.11. pratenſis tria genera 609.45. acetoſi vires 609.38
Trinitas 610.1. non eſt Epimedium 700.13
Tripolion Dioſc. 831.20. eius vires ex Galeno 832.5
Triſſago Theophr. 598.9. paluſtris 614.4. ſeu Chamædrys 597.34
Triticum 317.1. amylum 325.38. in lolium & lolium in triticum mutatur 331.52. eius genera ib.54. Italicum 318 6. multiplici ſpica ibid.23. vires 319.33. Indicum ibid.40
Tubera 413.50. eorum hiſtoria ex Plinio ibid. 60. vires ex Gal. 414.12
Tubulus Plinij 104.18
Tune 235.13
Turcicus lapis Fuchſio malè Thyites creditur 962.14
Turpetum album & nigrum 867.14. eius venenata potio 1003. offuſmarum 831.28. album Alypiæ radix ibid.50. vires 831.68
Tuſſilago 614.40. maior 615.20. ſiue Farfugium 616.1. eam ſine flore ſcribit Plinius 614.66 duplex Plinio 615.3. tertia & eius hiſtoria 615.59. eius vires 616.40

V.

Vaccinia 153.57
Valerius Cordus arguitur 527.53
Valeriana rubra dicta 40.34. peregrina purpurea ibi.
Venena in ſtatum diem interimere num poſſint 974.10. ijs aſſueſieri innocuè quis an poſſit ibid.
Venenoſis cibis victitantia animalia, num exitioſam vim retineant 975.10
Venenum manifeſtantia 976.28. eius operatio qualis 971.54. genera tria 971.57. ea quot modis mortem adſerant 972.11 olfactu necantia 972.50. ſolo guſtu necantia ib.52 eorum effectus à diuerſis cauſis ibi.58 dupliciter agit 973.1. manifeſtis & occultis qualitatibus ſimul agentia ibi.52. diuerſa membra petunt, & non primum cor ibid. quandoq; morbis & alteri veneno remediũ eſt 975.30. diuerſi gradus effectus 1013
Venenata animalia Dioſc. 1004
Veratrum album Dioſ. 842.65. nigrum Dioſcor. 843.20. nigrũ Tragi 845.67. vtrumq; triginta edurat annis 5.52. nigri vires 846 15. noxa & cura 1003. albi noxa 1002
Verbaſcum Dioſcor. 799. primum 800. ſecundum ibid. tertium. ibid. ſylueſtre ib. lychnite 801. aliud ibid. vires ibid.
Verbaſculum hortenſe multiplex 801
Verbenaca 741.34 eius vires 742.33
Verbena nodiflora 742.40
Vermes in capite cerui 290.11. terreni 297.36 terrenorum vires ibid.40. lignorum vſus 137.3
Vernix liquidus 118.60
Veronica mas 513.32. mas ſupina 514.1 fœmina ib. eius vires 513.30
Verrucaria 894.6
Veſicaria repens 885.20
Veſparum ictus & remedia 1016
Veſtes ex Amianto 962.63
Veteramentorum vires ex Gal. 281.10
Vetonicorum florum deſcriptio 436.53. vires ibid.66
Viburnum 186.1. eius hiſtoria ibid.68. vires 187.12
Vicia 416.38
Victus ratio demorſis à cane rabido inſtituenda 1011. eorum qui venena ſumpſerunt 977.53
Vinetis quæ herbæ latentur 8.59
Vinca peruinca 680.6. Chamadaphne 842. 42. perperam Chamadaphne ſtatuitur 680.25
Vincetoxicum 592.18. eius vires ibi.54
Vini natura 905.30. facultates variæ pro modo vſus 906.24. id cui ætati conueniat 906 45. niue refrigeratum malum 906.48. optimi nota 906.57. Pucinum generoſum ibid 60. ex palmulis Plin. 188.66. helenites 73.24. ex pyris 913.33. Oenanthinum 913. 40. ex Punicis 913.44. roſaceum 914.1. myrtites 914.10. myrſinites ibid.16. lentiſcinum & terebinthinum ibid.24. palmeum ibid.30. ex caricis factum ibid.43. reſinatum ibid.56. ſtrobilites ibid.66. Cedrinum & alia 915.1. picatum ibid.20. abſinthites ibid.30. hyſſopites ibid.46. ex diuerſis plantis ibid.53. ex diuerſis odoramentis 916.25. ex diuerſis herbis facta ibi. 46. è Guaiaco Matthiolus primus inuenit 917.26. Euphragiatum 722.5. oxylapathi 355.8. ſcillinum 912.40. ſcillini confectio ibid.59. ſcillini vires ex Gal. 912.54. marinum 912.68. Cydonites 913.10. Omphacites 907.40. è Labruſca 908.6. melitites 908 15. è Punicis conficiendi ratio 194.17. Guaiaci conficiendi & exhibendi ratio 162.51 Berberis & eius vſus 150.57
Viola purpurea 821.5. Martia multiplici flore 821.38. arboreſcens ib. earum vires 822.40
Vipera 258 47. ex homine fugata. 281.17. earum partus 259.21. facies & ſexus diſcrimen 259.34. venatio & earum paſtilli 260 24. vires aduerſus tabem 260.58. vino delectantur 260.9. vino venata 976.5. fellis venefica vis & auxilia 996. adeps 307.15. morſus indicia 1020. morſus remedia 1021
Virga ſanguinea 214.1. Plinij ibid.21
Virga paſtoris 493.39. duplex 494.4
Virga aurea latifolia 712.32. vires ibi.
Viſnaga 401.33
Virulentorum ictuum curatio 1013
Viſcum 589.1. Polycoccon Camerarij 589.1. eius confectio & vtilitas ibid. arbor non eſt 589.54. Damaſcenum 590.5. ex radicibus ibid.6. vires ex Gal. 590.17. è ſebeſtenis paratur 218.26
Vitalba 681.4. non eſt vitis agreſtis 882.6
Vitex 173.54. latifolia ſerrata ibidem 24
Vitis nigra 883.34
Vitis nigra vires 884.18
Vitis ſylueſtris 881.38. eius vires ex Galen. 882 12
Vitis vinifera Dioſcor. 901.60. quo pacto ab erucis conſeruetur 902.39. perpetua fronde virentes 902.50
Vitis alba 882.26
Vitis alba vires 883.12

*Viticellæ hiſtoria* 884.22. *vires* ibid.68
*Vitruuius de Minio* 935.6. *eius de Larice quod non flagret, opinio vana* 101.18
*Vitulinus adeps* 306.53
*Viuerra* 270.31
*Viurna Gallorum* 187.8
*Vlmus* 134.57. *eius quatuor genera Plinio* 135 51. *facultates ex Plinio* 136. 20. *ex Galen.* ibid. 36
*Vlua* 796
*Vmbelliferarum numerus* 12.63
*Vmbilicus veneris* 787.35. *alter ibid. tertius* 788.11. *vires* 788.59
*Vnguentum præſtantiſſimũ ad ambuſta* 874 34. *Nicandri* 1015. *eorum conſideratio* 80. 20. *compoſitio* 79.16. *genera tria ibid.* 36. *vſitata ex quibus conficiantur* 79.49. *venenatum ex helleboro* 73.40
*Vnguis odoratus* 246.3. *eius conſideratio* 246 24
*Vngula caballina* 614.63
*Vngulæ aſini & capræ* 280. 16. *earum vires* 280.35
*Vnionum vires* 244.26
*Volubilis officinarum* 839.10
*Vrinarum facultates* 311.35. *medicinas contempſit Gal.* ibid.43
*Vrſarum partus* 278.62. *adeps* 307.15
*Vrtica lactea* 791
*Vrtica prima* 789.25. *ſecunda ibid. tertia* 790 1. *vires* 789. 68. *ſeminis noxa & curatio* 987
*Vſnea* 64.65
*Vua marina minor* 726.40
*Vua quercina* 182.50
*Vua vrſi* 151.40
*Vua ſpina duplex* 151.2. *vſus* ib.7
*Vua paſſa Dioſc.* 903.1. *earum in facultatibus differentia* 903.33. *vires ex Gal.* ib.60
*Vua lupina* 986.30
*Vua Dioſc.* 902.12. *earum facult.* 902.53
*Vulneraria potio* 697.6
*Vulparia* 762.6

X.

*XAnthium* 834.1. *eius vires* ibid.12
*Xiphia piſcis* 275.60
*Xyli hiſtor. & vires* 625.11. *vires Matt.* 625.51
*Xyloaloë* 61.33
*Xylobalſamum Officinarum* 60.8
*Xylon ſiue Goſſipium* 334.34
*Xyris* 702.50. *vires ex Gal.* 703.6

Z.

*ZAcintha* 319.1
*Zarza parilla* 838.35. *eius conſideratio* 163.28. *vires* 164.12. *decoctio* ibi.
*Zea* 322.65. *eius hiſtoria & facultates* 323 46. *dicocces* ibid.1
*Zedoaria Coſtus quibuſdam* 54.66. *& Napellus Moyſis apud Auicennam idem* 770.1 *longa & rotunda* 439.9. *eius hiſtoria & vires* ib.10. *Auicennæ qua* ib.38
*Zibetti hiſtoria* 66. 25. *vires* ibid.39
*Zibibum officinarum* 903.23
*Zingiber & eius ſiliqua* 438.33
*Zizypha* 219.1. *&* 220.7. *eorum conſideratio* 218.55. *Plinij* 219.39
*Zobellæ hiſtoria* 270.27
*Zopiſſa* 110.58
*Zurumbeth hiſtoria* 433.44
*Zythum* 322.30

F I N I S.

# PETRI ANDREÆ
# MATTHIOLI
# SENENSIS,

SERENISSIMI PRINCI-
pis Ferdinandi Archiducis Au-
ſtriæ, &c. Medici,

# APOLOGIA

ADVERSVS AMATHVM
LVSITANVM, CVM CENSVRA
in eiuſdem enarrationes.

*ET:*

*Epiſtolarum Medicinalium Libri V.*

ITEM:

*Dialogus de Morbo Gallico.*



*Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt. ſpeciali ad decennium.*

FRANCOFVRTI,
Ex officina Typographica Nicolai Baſſæi.

*M. DC. XCVIII.*

# ΕΙΣ ΤΗΝ ΠΕΤΡΟΥ ΜΑΤ-
## ΘΙΟΛΟΥ ΑΠΟΛΟΓΙΑΝ

Ματθαῖος Κελλῖνος Βοίημος.

Ἔργα Διοσκορίδου βοτανῶν πέρι, καὶ περὶ δένδρων.
Σὺν πολλαῖς μελέταις ἔξεσε Ματθίολος:
Οὐ πόνον εὐκλεέες τε καὶ εὐφρονέοντες ἰητροὶ
Φαντὶ κλέους ἔμεναι ἄξιον ἀθανάτου.
Εἷς τις ἀνὴρ ἀχάριστον ἔχον ὄνομ' οὐδ' ὄγ' Ἀματος.
Ἀλλ' ἀμαθὴς, τούτου χρήσιμα ἔργα ψέγει.
Τῶν γ' ὑπερηφανίας τοίης χάριν ἀντιβολήσας,
Τῇδε βίβλῳ τὸ γέρας δῶκεν ὁ Ματθίολος.

# FRANCISCVS PARTHINVS ROBORETANVS

## Sereniſsimi Maximiliani Regis Bohemiæ Medicus

## PETRO ANDREÆ MATTHIOLO præclariſsimo Medico S. P. D.

NEMINI hoc vnquam mortalium hactenus cõceſſum fuiſſe video (præſtantiſſime Matthiole) quantumcunque in quauis præcelleret facultate, vt in tanta paſſim iudiciorum, ſententiarumq; varietate, omnium deſideria, & omnium animos æqualiter expleret. Atque in hac communi mortalium quidem infœlicitate neſcio quomodo placatiores, & longè plus ſemper moderatos ſe exhibent boni viri, in quibus & virtutis, ac ſingularis probitatis, ſimul & eximia eruditionis lux eniteſcit, quàm praui, & peruerſi, qui quò maiori implicati ſunt inſcitia, tantò & difficiliores, & in omnibus ſe moroſiores præbent. Vt quod ignauia, vel mentis hebetudine, ſiue ſuo quodam infortunio non valuerint adipiſci, id ſuæ imperitiæ tenebris in aliis obruere contendant. Quorum quum moleſta, & inhumana ſit ingratitudo, tum non ferenda eſt hæc in eis arrogans, & effrenata libido, qua non modò ipſi, quibus nihil bonum & elimatum placere poteſt, in optimis faſtidiunt, ſed & eò prorumpunt, vt etiam cæteris omne tollant emolumentum, & omni doctrinæ fructu, & vtilitate ſpolient. Ac quamuis ea ſit in te conſtantia, ea morum grauitas, vt parum, aut nihil curandam, & omninò negligendam tibi arbitreris Amathi cuiuſdam Luſitani hominis ingratiſſimi, & ab omni humanitate alieniſſimi, imperitiſſimam in tuis ſcriptis temeritatem: tamẽ poſtmodum nõnihil vereri mecum cœpi, ne hęc animi tui magnitudo longius quàm par ſit, euadat. Nam quum iam frequenter ad me delatum foret, te Apologiam, quam contra hunc ineptum hominem inſtitueras, pariter & cenſuras in eius grauiſſima errata penè ad finem perduxiſſe, non minus tua, quàm omnium reliquorum cauſa, capiebam animo nõ mediocrem voluptatẽ, quòd has defenſionis partes per neminem commodius ſubiri, nec per vllum facilius, & clarius huius inſanam vecordiam, quàm per te ipſum retegi poſſe exiſtimarem. Nunc autem quo conſilio, quave mentis altitudine te aut tædeat, aut pudeat publicè faceſſere aliquid negotij cum iſto nugatore, neſcio laudem, an (quod mihi certè potius videtur) tuum hac in re nonnihil vituperem propoſitum. Quòd ſi tibi perſuades, vt non tanti æſtimes Luſitanum, quem nemo aditu, nemo congreſſu, nemo conſpectu aliquo doctorum virorum meritò dignatur, vt indignum planè tibi iudices, vt iſtam diſſolutam, & præcipitem loquacitatem irretitam retundas, magis tuam eruditionem, quam ſummam eſſe nullus dubitat, quàm reliquorum conſulis iudicium. An quo ſingulari doctrinæ lumine facilè tu huius falſitatem animaduertis, idem quoque de omnibus cenſes? Erras profectò mi eruditiſſime Matthiole. Quot erunt, qui caſu in hunc hominem incident, quos iſtius falſitas à veritatis ſtudio impediat? Quot ille nondum ſatis inſtructos, & in hac facultate roboratos ſuis calumniis à tuis pulcherrimis operibus auertet? Qui quò infirmiores adhuc circa huius ſcientiæ tyrocinia adhæreſcũt,

 aut

aut nec dum tua doctiſſima ſcripta expenderint, tantò periculoſius ab hoc veteratore inducentur. Qui adeò perfrictæ frontis eſt homo in aliena reprehendendo, in ſuas fabulas intrudendo, adeò perfidioſus in alienis ſcriptis violandis & (qui imperitorum mos eſſe ſolet) adeò procliuis eſt in ſua conſtituenda ſententia, vt vel mediocriter doctos non nihil fortè commoueat. Huius impudentiæ tu non occurres? Eam quum tu ſine omni tua moleſtia comprimere valeas, cum omnium reliquorum detrimẽto libidinosè graſſari patieris? Dicam id, quod ſentio, Matthiole, non tam vt cæteris in hac noſtra medica diſciplina præſtantiſſimis viris aliquid derogem, qui pro ſua humanitate ſumma, omnia tibi tribuunt, quàm ne tui oblitus eſſe videaris. Quis hac noſtra ætate doctius in hac medica facultate elaborauit? Quis vtilius, & luculentius hanc nobis maiori diligentia, & eruditione illuſtrauit? Vt excellentiſſimi vbique viri, quos maria, terræ, itinerum immenſitas diuidunt à tuo cõſpectu, hi animo, ſermonibus, ſcriptis, literarum miſſione (vt tu optimè noſti) certatim velut ingentes, & immortales tibi gratias agant. Ego quidem (vt de me priuatim ingenuè fatear) his tuis ampliſſimis cõmunibus beneficiis ſic me tibi deuinctum, & adſtrictum cognoſco, vt nihil tui cauſa detrectare nec debeam, nec velim. Quis ita ſit inhumanus, quæ in quoquam tanta ſit immanitas, vt tuis pulcherrimis, & fructuoſiſſimis elucubrationibus adiutus, his fruens, his quotidiè ſe oblectans, non dico ingratitudinis, vel minimum indicium oſtendat, ſed hos tuos prçclariſſimos ſudores immortalitatis, ſi poſſit (id quod fore non ambigo) gloria non compenſet? non omnibus monumentis decorãdos eos putet? licet nulla gloriæ cupiditas ad hoc te ſtimularit, qua maior eſt tuus animus, nec ea te huc impulit, ſed ſolus communis, & publicæ vtilitatis amor, quo incredibiliter flagras, te inflammauit, vt omnes grauiſſimos ſuſciperes labores. Tantáne fuit in Luſitano ingratitudo, eáne inhumanitas, vt nihil iſtorum recordetur? Non qeòd vlli tantum largiar homini, vt tantam ei vindicem excellentiam, quaſi nil omninò in eo deprehendi valeat, quod non leuiter aliquem offendat, quod non tenuem aliquem apud alios mereatur reprehenſionem. Nec tantum tu tibi aſſeris, vt (ſi quidem feciſſe) emendatum te à Luſitano dolere queas. Vſque adeóne hominem eſſe immoderatum? Ita in aliorum labores impudentem? Sic vbique in alienis repellendis imperitum? Et quod ad te attinet, minus equidem ſum ſollicitus de ea modeſtia, pietate, gratitudine, quam ille imperitiſſimus homo tuæ præſtare debuerat humanitati. Non tanti eſt id incõmodum, vt corrigi, & reſarciri poſſe à quamplurimis doctiſſimis, & grauiſſimis viris dubitem. Nam vt innumeros hoc noſtro prætermittam tempore, eruditiſſimos, & plenos leporis, venuſtatis, humanitatíſq; viros, qui quo ſunt ingenij cultu, quo flagrantiſſimo literarum amore, in perpetuum obligatos ſe tibi profitentur, tum vel vnus Cronemburgius Colonienſis, ſummus & præſtantiſſimus medicus tuo cordi hac in parte abundè ſatisfaciat. Cuius etſi doctiſſima, ac clariſſima ſcripta à te verſata non ignorem, audi obſecro qua gratitudine, autoritate, quàm doctè, quàm luculenter in ſuo de compoſitione medicamentorum libro breuiter ſuum in te intimum affectum declaret, & Luſitani illius nequitiam, & indoctam improbitatẽ redarguat, ac perſtringat. AMATHVS, INQVIT, LVSITANVS frequenter odioſa confidentia, virus inuidentiæ ſuæ

Matthioli laus.

in clariſſimum, modeſtiſſimúmq; virum Matthiolum Senenſem eructat, dum paſſim nimis intempeſtiuè huius doctrinam ſuper cõmentariis in Dioſcoridem editis coarguit, ac inſectatur: quibus probatæ fidei hominibus nil aliud, quàm malignum animum, & pernicioſam inuidiam oſtentat, ipſe interim infinitis modis dignus, qui ob magnã ſtirpium imperitiam, atque improbam in ſe tranſlatam operam alienam (quod crimen eſt longè omnium turpiſſimum) velut è ſublimi doctis veniat deridendus. Ecquid etiam enarrationibus ſuis inſeruit, quod non iuſtiſſimo titulo vni Matthiolo acceptum referre debeat? A quo dum æmulandi ſtudio diſſentit, in graues, manifeſtóſq; errores imprudens homo prolabitur. Cuiuſmodi exemplum tum in hac plãta, tum in Acanthio, tum Coronopo, tum Elichryſo, ac in pleriſque aliis viſitur. Multò ſatius fuerat, quò doctiorem ſe æſtimaret, eò quoque modeſtiorem ſe præſtare, quod ingenuum Philoſophum decet. Hactenus. Quid ſyncerius? Quid magnificentius huiuſcemodi viri grauiſſimo teſtimonio? Vt recreare potius te debeant talium, & tot clariſſimorum virorum centuriæ, quàm vt te moueat vnicum inter homines eſſe portentum, quod omnem comitatem, gratitudinem, beneuolentiam, & ipſam humanitatis naturam exuerit. Si monſtri hoc ſit ſimile, talem in lucem eſſe editum, & in commune humanum conſortium fuiſſe productum huiuſcemodi hominem, qui ea rodat, laceret, cõuellat, in ea inſaniat, & debacchetur, de quibus humaniter pares agere gratias nunquam poterat, minime tamen reformido, quin parum multi ſint futuri, qui ſua modeſtia iſtius intemperantiam conuincant, qui ſua gratitudine, & candore, illius inſolentem malignitatem, & inſaniam ſuperent.

ſuperent. Quorum ſynceritas, honeſtas, probitas, non te plus reuocent, ac conſolentur, quàm iſtius barbaries te deiiciat. Abſit, vt non multò plus eruditiſſimorum virorum iudicia valeant, quàm importunitas vnius Luſitani. Hoc porrò magis me affligit, quòd quum tu ipſe per te commodè, & opportuniſſimè confutare poſſis hanc audaciam, id per te fieri nolis. An aliorum patrocinia expectas? Quum alios non animus, ſed ingenuus pudor ab hac dehortetur moleſtia cum iſto ſubeunda homine. Alij ſuis impediti negotiis, alienæ difficulter ſe ſubiiciant falci. Cæteris aut nō innotuit Amathus, aut (quod mihi eſt veriſimilimum) tibi hanc reſeruant prouinciam. Indignum ſe arbitrantur de eius diſceptare mente, & iudicio cum aliena temeritate, eo incolumi, & adhuc ſuperſtite, cuius labores ſint attentati, cui ſua eruditio optimè ſit cognita, & explorata, qui optimè ſe ipſum intelligat. Non decere id onus in cæteros reiici, quod ab eo ſit accerſitum, qui & id facilè ferat, & maiora portarit. Neminem aliena cenſent tutius, diligentius, fidelius, protecturum, quàm ſua ipſius, in quibus ſuus honor, ſua laus, ſua gloria verſatur. Cur defendam Matthiolum? Viuit ipſe, ipſe eſt ſuperſtes. Quæ ſtudioſiſſimè eſt commentatus, ea nobis ſeruet integra, hæc cuſtodiat nobis ſalua, contra peruerſorum calumnias hæc nobis tueatur. Quare tuæ ſit prudentiæ excellentiſſime Matthiole, vt quid hic te facere conueniat, ſedulò proſpicias. Et quid opus eſt magna hic, & longa conſultatione? Quaſi ſit obſcurum, quaſi te ipſum id lateat, magis te in iſto negotio tuæ obtemperare mentis generoſitati, quàm noſtri omnium expectationi. Vide μὴ πλείων ἀγχινοεία σεαυτὸν καταχέιη. Suſpecta tibi ſit ea ſecuritas, ex qua & tuæ autoritati, & cæterorum ſtudio non leuis fortaſſe imminet iactura. Ne nimis ſecurè permittas obrepere in gremium tuorum librorum τὴν ἀμαθίαν τοῦ ἀπαιδεύτου Luſitani. Excute iſtum ſcarabeum è tuis floribus, nec ſinas, vt ſuis moleſtiſſimis ſuſurris, & fœtore iſta contaminet, ex quibus optima, & roſcida mella reliqui ſe confecturos ſperant. Hic labor (& quis labor?) niſi ad cætera tua præſtantiſſima monumenta, velut cumulus accedat, ea nos à te accepiſſe cognoſcemus beneficia, quæ fuerint inchoata, non abſoluta, ſplendidè adumbrata, non expreſſa. Quid? Vereor Matthiole, ne qui ſint futuri, qui iſtuc tuum ſilentium moleſtè, ac adeò ferant acerbè, qui & priorum ampliſſimorum beneficiorum pœnituiſſe te dicant, cùm tanti ea non ducas, vt ea nobis ab hac contagione liberes. Propulſa nobis hanc moleſtiam, declina, obtunde omnem improbitatem, vt tutò nos in tuis luculentiſſimis operibus ſciamus poſſe verſari. Si te mortuo (quod Deus Opt. Max. auertat) Luſitanus ita nequiter tua inuaſiſſet opera, implorandus, & excitandus (credo) nobis eras, vt omni ignominia, macula, omni vel tenuiſſima aſperſa labecula, tua nitidiſſima nobis reſtitueres opera. Nunc quid viuus ceſſas? Quod tunc à mortuo nos obtinere non poſſe penè iniquū putaremus, quanto id erit deploratius, quantò iniquius à viuo non impetraſſe? Quid illud? Nihil ne te hoc mouebit, quòd victus, & tuo iudicio, quod grauiſſimum eſt, ſuperatus, manū conſerere cū iſto imbelli transfuga abnuere cenſeberis? & ea iam tacitè cōdemnare, ob quæ cæteri ſuæ fœlicitati cum primis gratulantur? Scimus iam hanc operam à te incœptam, plus increbuit hic rumor, quòd latius, & liberius hunc calcographus diſſiparit. Vt hac quoque opera ſuas bibliothecas doctiſſimi complures locupletandas expectent. Hanc ſpem comprehenſam, & mentibus noſtris infixam, ſi tua præſtantia defraudet, quid cogitabimus, cur ab incœpto deſtiteris? Cur non id perfeceris, quod tu ipſe inchoaris? An cedere te poſſe quiſquam credat Luſitani ineptiis? aut iure te reprehenſum ab iſto imperitiſſimo calumniatore fateberis? Nulla vel tenuiſſima irrepat huiuſcemodi ſuſpicio. Da quod à te magnificè expectamus. Exhibe quod lectu, & viſu iucundiſſimum erit omnibus. Emitte quod iam penes te habes paratum. Quid abdis, quod non in lucem dare tuæ derogat exiſtimationi, Luſitani inanem auget confidentiam? Quid dicet calumniator profligatiſſimus? Scripſi contra Matthiolum, rapui, ſuffuratus, deprædatus ſum, quæ volui. Viuit Matthiolus, nil contradicit. Adeò nonnunquam plus iuuat perfricare frontem, quam omnia tribuere doctrinæ. Vici nil repugnantem. Cedit Matthiolus Amatho. Hæc ne pro ſua impudentia, ſi non effutiet, ſecum uolutabit? Noli tantum locum dare huius amentiæ. Nobis nihil erit iucundius tua exiſtimatione, nil dignius, nil contra huius furorem vehementius, quam quod ex tuæ eruditionis armario deprometur. Effecit id iam antè tua præſtans eruditio Matthiole, vt nihil vulgare, nihil mediocre, nihil non præclarum, & eximium omnes à te ſperent. Noli te (rogo) in eam præcipitare opinionem, vt aliquid in tuis bibliothecę ſcriniis deliteſcat, quòd nobis ſubtrahas, quod nobis inuideas. Non patitur noſtræ conſuetudinis, & familiaritatis amor, vt hæc parum ſollicitè, non ſatis anxiè tecum pertractem. Tametſi de medica ſis materia ita benè, & præclarè meritus, vt nemo tibi deeſſe, nemo non omnibus beneficiis te cumulatiſſimè proſequi valeat, timeo tamen ſubindè, ne homines ingrati, inuidi, malitioſi tua abutantur

tur humanitate, & ſummo reipublicæ amore. Qui tunc demum veram ſe venari putant gloriam, ſi (id, quod nunquam, vt confido, adipiſcentur) ſuis maleficiis tuos nitantur præclariſſimos obliterare labores: Vt quod liberali doctrina non potuerunt conſequi, id imperitia, impudentia, furore nanciſcantur. His, quæſo, per noſtram amicitiam, per communem omnium literarum amorem, quibus animum ſemper habuiſti deditiſſimum, declara, quam mala cæcitate ruant. Aperi horum vanitatem, concute, diſpelle iſtorum inuidentiæ virus. Indica eis quam longè fuerat tutius ſana in eis mente vti, quam in illis ſuum furorem patefacere, ex quibus haurire poterant cum ſapientiſſimis ſummam vtilitatem. Infringe nobis hunc Amathum, qui antequam ſapere didicerit, omnium ſe agitatorem præbet. Quod quum tua poſtulet ſapientia, eruditio, exiſtimatio, tum nihil prius, nihil potius nos à te expectamus, quàm vt ea, quæ antea doctiſſimè nobis elucubraſti, ea nunc aduerſus hunc prædonem, calumniatorem, tuta, ſalua, illæſa, & intacta poſteritatis memoriæ tradas, ſimul & ipſum ſua imperitia, & erroribus infinitis ornes. Vale mi eruditiſſime Matthiole, & quàm celerrimè noſtræ ſatisfacias omniũ expectationi. Viennæ Auſtriæ, Quarto nonas Septembris. 1557.

MAGNI-

# MAGNIFICO AC CLARISSIMO DOMINO

## PETRO CANNIZERO,

## Sereniſsimi Regis Romanorum, &c. Archiatro,

## PETRVS ANDREAS MATthiolus Senenſis Medicus S. P. D.

NESCIO *quo pacto id ferè ſemper vſu venire animaduertamus (clariſsime vir) ſummos & præſtantiſsimos viros, quo magis excellunt, quantóq; cæteris bonis, ac eruditis viris magis ſatisfaciunt, tantò importunius improborum nequitia, & calumniis impeti, ac laceſsi. Quo minus mihi dolendum cenſeo, ſi ego quoque (quamuis in me quidem, & in hoc meo amore ſatis acri publicæ vtilitatis, non id præſtantiæ culmen videam, quod eos ſummoperè offendat) poſt tot conſumptos labores, horum improbitatem, inuidiam, & irritos morſus euadere non potuerim. Quod quidem neutiquam in huiuſce æui improbitatem (vt quidam fortaſſe putant) ſed in impiorum hominum impudentiam reiiciendum arbitror. Quod tametſi minus ſit nouum, minus inuſitatum, vt ab honeſtiſsimo quenquam impediat inſtituto, tamen miſerum eſt, & certè deplorandum, quum vnà cum ipſa virtute nata ſit inuidia, liuor cum primordiis emerſerit, & hæc omni tempore ſuam exercuerint improbitatem. Inuidia verò virus improbitatis ſuæ nunquam in obſcuros, ignaros, abiectóſque exercere ſolet, ſed in eos plurimum, qui cæteris vel doctrina, vel ſapientia, vel aliis quibuſcunque animi, vel fortunæ dotibus præclariores, eminentioréſque euaſerunt. Vtpotè quæ cum eò loci euehi non poſsit, quò præclari viri propria virtute peruenerunt, fraudibus tantùm & technis ſe extollere nititur. Nec idcircò mirum videri debet, ſi quò magis quis inclareſcat, eò vehementius in illum hæc ſe iaculetur vipera, & ſæuiat tigris. Adhæc autem quum quandoque animaduertiſſem, & labores, conatúſque noſtros ab inuidis dilacerari comperiſſem, gaudebam ſanè, & mea propè cuiuſdam felicitatis eſſe ducebam (licet nunquam mihi tantum tribuerim) à clariſsimorum hominum communi fortuna me non ſegregari. Ob idq; decreueram potius inuidorum rabiem ſilentio extinguere, quàm ſcriptis reſpondendo palàm facere eorum latratus mihi negotium faceſſere: præſertim cùm in omni vita præcipuos comites mearum actionum, conſiliorum, voluntatum, pudorem, modeſtiam, humanitatem eſſe voluerim. Verùm quum vidiſſem, legiſſemque vaniſsimas quaſdam calumnias in noſtros in Dioſcoridem Commentarios editas ab Amatho Luſitano homine ſanè non ſolùm, vt eius fert nomenclatio, apprimè indocto, ſed etiam, quantùm ex eius ſcriptis colligi poteſt, omnium arrogantiſsimo: quúmque præter id comperiſſem hunc quamplurima ex commentariis noſtris furtim in ſuas tranſtuliſſe enarrationes, & in illis innumeros commiſiſſe errores, qui rei herbariæ ſtudioſis magno fuiſſent detrimento (hoc enim præ cæteris me maximè angebat) niſi ij à nobis palàm refellerentur, pietate potius, quàm cupiditate aliqua contendendi, à qua maximè ſum alienus, excitatus, pati ſanè non potui (etſi aliter mecum prius ſtatueram) quin ſcriptis in publicum editis eius calumnias contunderem, errata reprehenderem, impoſturas concuterem, furta patefacerem. Quod quum tandem feciſſem, dubius ſubindè diſtrahebatur animus, an quam confeceram Apologiam, vnà cum Cenſuris in eius deliramenta in lucem proferrem, an verò diutius domi noſtræ premerem. Siquidem tametſi non verebar hunc aliquam me reportaturum victoriã, non tamen ducebam eam mihi fore glorioſam, eò quòd cum homine nullius ferè frugis, & pauca admodum exiſtimationis in certamen deſcenderem. Ob idque*

*conſultius videbatur ſcripta illa iam adornata in aliquem tenebricoſum angulum abdere, quàm in lucem euulgare. Ad hoc accedebat, quòd audirem, & iam etiam viderem quamplurimos doctiſsimos & honeſtiſsimos viros (quos nunquam nouimus) non tam noſtra, quàm veritatis cauſa patrocinium ſuſcepiſſe, ac iam tandem pro me tuliſſe ſententiam, Amathum verò cauſa cecidiſſe. Verùm diuerſum ſuadebat genius meus, ſubindè velut inſuſurrans indignum fore ſi meos partus tanta iniuria affectos hac tantùm ratione deſtituiſſem. Idq́ eò magis mihi faciendum ſuadebat, quòd iam in promptu eſſent, qui ſuis ſcriptis ad hoc muneris exequendum me plurimum compellerent. Dum itaque anceps in his verſor opinionibus, & in altera mihi animus repugnat, in altera verò cõſcientia, & ipſius hominis damnoſa imperitia me admonet, & vbi potius negotium hoc honeſtè ſubterfugere cupiebam, quam exequi, tot acceſſerunt doctorum virorum ſuaſiones, tot amicorum literæ, tot calcographi noſtri preces, tot quorundam allatæ rationes, vt tandem (quanquam ferè inuitus) decreuerim eorum potius ſequi ſententiam, quàm meam. Atqui inter tot ſuaſores, amicos & ſtudioſos nullus mihi ſeſe obtulit, qui animum magis vinceret meum, quàm Franciſcus Parthinus Sereniſsimi Maximiliani Regis Bohemiæ medicus apprimè eruditus, & in omni ſtudiorum genere optimè verſatus, cuius literæ omnium poſtremæ adeò me à priori inſtituto reuocarunt, vt eius opinioni & conſilio, quod ſemper plurimi feci, aſſentiri decreuerim. Cæterùm quum iam diu nouerim (vir clariſsime) quantum doctrina, eruditione, ac ſynceritate præſtes, quinetiam quantùm iudicio ſummo, ingenio, æquitate, & authoritate valeas, quúmque te habeam præcipuum inter eos, quos mihi eximie obſeruandos propoſui, hos vltimos labores noſtros non tantùm tibi legendos, videndóſque mittere decreui, ſed etiam nuncupare volui. Nec (mihi crede) eo animo, vt hac re tua in me collata beneficia rependere velim ac putem, ſed quòd eximia virtus tua id meritò à me expoſcat. Doctrina enim tua, ac ſingulari eruditione imperitiſsimi huiuſce hominis nequiſsimas in me calumnias, & errata quamplurima facile noſcere poteris, animi ſynceritate diſcurrere, iudicio & ingenio ponderare, æquitate iudicare, & poſtremò autoritate corripere. Hoc ſi (vt ſpero) eo feceris animo, quo in omnium amicorum, bonorumq́ virorum negotiis ſemper eſſe ſoles, verendum mihi non eſt, quin tuis etiam præconiis noſtra augeantur præſidia. Nam vbi videris hæc omnia partim in me falsò eſſe collata, partim in rei medicæ noſtræ, & ſtudioſorum, tyrunculorúmq́ diſcrimen eſſe deprompta, tu, qui omni pietate duceris, neutiquam te continere poteris, quin omnibus modis labores noſtros tuearis. Vale. Pragæ, Quarto Calend. Septembris.*

PRÆFA.

# PRAEFATIO.

Commentarii in Dioſcoridem magno labore ſunt editi.

QVVM itaque nō ſine magno labore, magnaq́; induſtria Commentarios in Dioſcoridem edidiſſem, quemadmodum doctis quamplurimis præclaræq́; materiæ medicæ ſtudioſis hoſce labores noſtros non ingratos fore ſperabam: ſic neminem tam peruerſum, inuidum, improbumq́; fore iudicaui, qui non potius optimi conſuleret (vt ingenuè fatear) candidos noſtros, & ſynceros conatus, quam iniquius quidpiam de his exiſtimaret. Etenim quum ſemper me admodum delectauerit medica materia, & temporis & ſtudij illi tantum impenderim, vt aliquid quoque noſtrum in hac facultate valere iudicium crediderim, ingenui honeſtiq́; viri munus eſſe putans ſua induſtria, & labore parta, ne Reipublicæ inuidere videretur, in commune omnium ſtudioſorum vſum in publicum promere. Hanc itaque ob cauſam hoc mihi ingenuum, honeſtumq́; videbatur, vt id quod vnuſquiſque in quolibet ſcientiæ genere, vel ingenio, vel doctrina, vel longa diuturnaq́; lucubratione, obſeruantiaq́; ſibi priuatim, & nō quaſi priuatum & ſibi proprium fuerit aſſequutus, contineat, ſed in commune totius reipublicæ emolumentum pro viribus libenter effundat. Hoc cùm iampridem a me eſſet factum, non ſine fructu fortaſſe, nec (vt audio) abſque magna multorum præclariſſimorum virorum laude, quibus meæ elucubrationes placuerunt, tametſi ij nec me nouerint nec viderint vnquam, non leuiter ſum excitatus, vt libentius, & alacrius nouum ſuſciperem laborem, vt ea augerentur, plantarum imaginibus decorarentur, & Latino ſermone cuderentur. At dum acriori, intentioriq́; quam hactenus, in hac verſor opinione, & iam opus prælis Eraſmiani ſubeſſet, frequentibus amicorum literis ad aures meas peruenit incredibilis Amathi cuiuſdam Luſitani intemperantia. Id quod nō parum fortaſſis ab hoc meo me diuertiſſet inſtituto, niſi ab hoc vno contemni, & arrodi audiuiſſem quæ tot præſtantiſſimorum autorum iudicia comprobarent. Veruntamen nō adeò hominum iudicio ſtare volui, quin & ille Luſitanus, quem immodeſtiſſimè in meos inuehi commentarios audieram, nonnihil me commoueret. Non enim arbitrabar hominem illum tanta poſſe duci temeritate, vt ea, quæ paſſim ab omnibus penè probarentur, ſine magna ratione, & conſilio conuellere, & lacerare auderet. Quamobrem curaui ſedulò, vt eius libri ad me deferrentur, non alio profectò animo, quàm quòd philoſophi munus, & meæ modeſtiæ ſemper duxi, non ea pertinacia propriis affigi, vt eorum improbaretur opinio, qui melius & ſanius aliquid ſentirent. Equidem putabam quòd cum Luſitanus ille omnium vltimus Dioſcoridis codicem expendiſſet, adeò omnia cribraſſet, & excuſſiſſet, vt nullus reliquus fuerit ambigendi locus. Monebat quoque iſtius Centurionis nomen, quem centurias quaſdam digeſſiſſe aiebant. Sed vbi primùm eius enarrationes intueri cœperam, longè aliter quàm putaram, eueniſſe cognoui. Quandoquidem præter calumnias mihi falsò aſcriptas, nihil aliud quàm inuidentiſſimum animum ac loquacem, & ineptum hominem obſeruare potui. Neſcio profectò magis ne me offenderit hominis imperitia, qui nullo iudicio, nulla ratione aliena præceps & inſaniſſimè damnet, an improbitas, & inſignis nequitia, quod tam impudenter ex his ipſis, quæ in alios calumniatur, ſuas agit prædas, & tāquam ſua quaſi vindicat. Verum vt ſuam agnoſcat inſcitiam, nec ſuis calumniis quicquam noſtræ detrahat autoritati, aut publicæ vtilitati, quin & ne in poſterum fortè honeſtiſſimum noſtrum, vel aliorum impediat curſum, cogor ſanè eius ineptias aperire, ne videar id mali ad poſteros relegare, ſi præſentibus culpis ignoſcerem. Licebit itaque nobis noſtra pro virili defendere, & ex omni parte tueri, ne ſi hæc ſilentio diſſimularem, aliquis tandem modeſtiam noſtram in conſcientiam duceret. Et primò ne aliqua iniuria, aut fraude hic, qui tam improbè nos laceſſiuit, ſecum agi putet, ac etiam vt candidus lector faciliùs deprehendat & æquiſſimè diſcernat vtriuſque controuerſiam, antea eius verba ob oculos ponam, ad quæ ſingulatim mihi reſpondendum meminero. At videte obſecro, quàm grauiter, ac vehementer me primum adoriatur Luſitanus, non quaſi de herba ſibi ſit certamen, ſed quaſi meū de regione contēdat, quā homo inconſtans, iā pridē turpiſſimè ac impudentiſſimè deſeruit. Nec enim (inquit) veritas ipſa occultanda eſt hac de cauſa, quia Plinius ſcriptum reliquerit ſuo tēpore Meū in Italia non niſi a pauciſſimis medicis ſeri, quem ſequutus poſtea Marcellus Virgilius vir alioqui doctiſſimus, rei tamen herbariæ non admodum peritus, dixit: Nunc, quod ſciam, nullum Italiæ Meum eſt. Ob quæ verba Matthiolus Senenſis in Italia quoque Meum non reperiri clamat, imò contra Patres, Meſues interpretatores, acriter agit, qui in Calabria, & Nurſiæ montibus Meum naſci affirmant. Quod ita eſſe crediderim, cùm apud Bononiam quoque naſcatur, vt teſtes ſunt Nicolaus Nicoluccius pharmacopola Ferrarienſis, & Caſpar de Gabrielis nobilis Patauinus harum rerum maximus indagator. Accuſandus igitur Matthiolus eſt potius, cùm magis negligens in inquirenda hac herba fuerit, quam diligentiſſimi Patres, qui deſudantes Nurſiæ montes, vt eam inde eradicarent, aſcenderunt. Sed fruſtra me tanta acerbitate perſequitur Luſitanus. Attendat ipſe, quanta vſus ſim modeſtia in huiuſce rei aſſertione. Non enim clamo Meum in Italia non reperiri, ſed plura ſanè eſſe ſcribo, quæ me ancipitem reddiderunt, an Meum quod nunc pro genuino ſumitur, legitimum fuerit. A Luſitano iampridem non didici in Italia quoddam circumferri Meum, cùm ante ipſum hoc ſciuerim. In hanc tamen inclinari me dixi opinionem, illud a genuino ac vero Meo mihi videri longè diſſimile. Hoc etſi ſimpliciter a me eſſet dictum, vt meam hac in parte ſolùm exponerem ſententiam: neſcio tamen cur accuſandus magis illi videar, quàm leniter admonendus. At quòd in hanc venerim opinionem, illud in cauſa fuit, quòd plures huius rei mihi conſtarent rationes. Etenim eſt in primis quòd viderim noſtratis Mei radices longè craſſiores, vegetioreſque quàm genuini expetat hiſtoria: quippe longas & tenues radices Meo reddidit Dioſcorides. Eſt deinde quòd eædem grauiter potius, quàm ſuauiter oleant, quum tamen Dioſcoridi Meo radices requirantur odoratæ non graueolentes. Eſt præterea, quod manſæ parum omninò acrimoniæ reſipiant. At quum, Galeno authore, Meum tertio exceſſu excalfaciat, cur non illud genuinum acriori vi pollere exiſtimauerim, quàm quod nuperrimè in vſum medicum conceſſit? Eſt etiā, quod extent manu ſcripti Dioſcoridis codices, qui Meū non Anethi, ſed Aniſi foliis cōferant. Quod & idē refert Plinius, quē licet reiiciat Amathus, non tamē ſine ratione eſt adductus, vt ſcriberet nō naſci in Italia Meū. Nam cum nō niſi a medicis, iiſq́; admodū paucis ipſum ſeratur, magnum & euidens eſt argumentū non ibidem ſua ſponte progigni. Quoniam velut peregrinū à medicis excolebatur ſi vbiq́; in Italia nunc illud excreſcere videmus? His itaq́; palam eſt, vt nō ab re in cenſendo Meo mihi plurimum fuerit ambigendū. Etenim mihi perpetuò decretum volui, non ita facilè de rebus dubiis affirmare, ne id arrogantiæ potius, temeritatiq́;, quàm doctrinæ, & diligentiæ nobis aſcriberetur. Verūtamen nolui ob id prætermittere, quin huiuſce Mei imaginē appingerē, non tamē, vt hoc tātum argumēto fateri viderer illū genuinū referre Meū, ſed vt illud nobis antea nō ignoratū (vt opinari videtur Luſ.) oſtēderē.

Quam

Ingenui viri munus.

Quā ob cauſam commentarii in Dioſcoridem iterum ſint editi, & tatū imaginibus illuſtrati.

Cur edita hæc ſit Apologia.

Calumnia I. de Meo.

Calumnia refellitur.

Mei cōſideratio.

Meum, quod circumfertur à genuino pluribus differt notis.

*Quam ob cauſam non modò illos mihi ſemper deteſtandos propoſui, qui tam facilè de incertis ſententiã ferunt, ſed & eos longè magis, qui, vbi fatear hanc illam me non vidiſſe, nec nouiſſe ſtirpem, mox clamitant, & erroris me arguunt. Equidem ſemper optimi viri munus eſſe credidi, ignota, vel dubia, potius ſilentio inuoluere, & nihil de illis determinare, quam in poſteritatis diſcrimen falſa pro veris deſcribere, & dubia pro certis aſſerere.*

Vulpina Luſitani religio.

*Quod quandoque feciſſe monachos illos, quos, vulpina quadam religione patres Luſitanus appellat, non ambigimus. Sed ſanè mirum videtur, quum noſtram, & ſuam religionem omni flagitio polluerit, dedecore maculauerit, ſcelere obligauerit, & eam tantùm ob cauſam è ſua exulauerit Luſitania, quòd hic tam acriter pro Monachis illis depugnet, qui Iudæorum omne genus maximè perſequuntur. Sed & illud etiam mirandum nobis ſeſe offert, quòd hic me tantoperè laceſſiuerit, quòd in eos hæc ſcripſerim, quum tamen ipſe pluries Monachos illos aliàs damnet. Id quod etiam cum Plinio feciſſe conſtat.*

Calumnia ſecunda.

*At iam hominis videte inconſtantem ſeueritatem, qui & ſi paulò antè (puto enim me aliter inuadere nõ potuiſſe) Plinium ipſum, & alios grauiſſimos authores explodere, ac damnare nõ eſt veritus, me tamen quaſi rigidus patruus ſeuerè increpat, quòd a Plinio nõ nihil in Iridis mentione diſceſſerim, ea ratione adductus, quòd is præter Dioſcoridis ſententiam, candidam Iridem rufæ prætulerit his verbis: Illyrica quoque duorum generum eſt. Raphanitis à ſimilitudine, quæ & melior: Rhizotomos ſubrufa. Nouam hic quandam excogitat Luſitanus artem, qua me adoriri poſſe putat. Nam quum idem Plinius alibi ſcripſerit Iridis radicem cæteris præſtare, quæ rufo fuerit colore, ne vlla in tanto viro obſeruari poſſit diſſenſio, eam inuenit defenſionem fidus patronus, qua haud ſcio an defendi ſe velit ipſe Plinius. Atqui Luſitanus priorem clauſulam diſſoluens, ita legit: Illyrica quoque duorum generum eſt, Raphanitis à ſimilitudine: reliqua quæ ſequuntur in vnum coërcet cum relatiuo, Quæ & melior Rhizotomos ſubrufa. O inſignem Palæmonem. Non equidem rogabo Amathe, vt dicas, in quo codice tales videris interpunctiones, cùm certò ſciam in nullo inueniri. At afferatur iam in medium Frobeniana editio, quam tibi patrocinari putas. Afferatur (inquam) vt ſtatim confuſus ſileas. At non te pudet editionem hanc vocare in iudicium, vt illic palàm ſit, Grammaticorum omnium iudicio, ET particulam, pro ETIAM ibi ſumi? Quæ iſta connexio? Quæ etiam melior Rhizotomos ſubrufa. Nimis ſanè multa nobis affers de verbo, cuius ſenſus cuilibet legenti Sole lucidius apparet. Iſtis grammaticæ confuſis legibus nolit (me hercule) defendi Plinius. Malit is communis obliuionis quodam errore (quod & doctiſſimis & ſummis viris inter multa quandoque contingit negotia) lapſus videri, quàm huic grammatico ſua ſubijci opera.*

Plinium quandoque non ſatis ſibi conſtare.

*Id ne nouum tibi eſt in Plinio, vt aliquoties ſibi non ſatis conſtet? Mihi quidem & ſtudioſis lectoribus nequaquam. Etenim de Caſtore ſcribens Plinius libro octauo, capite 30. Caſtores affirmat dentibus ſibi teſtes abſcindere, quum venatu vrgentur, ob hoc ſe peti gnaros, id quod poſtea libro 32. capite 3. apertiſſimè negauit, & tanquàm fabuloſum exploſit. De Populo autem agens libro 16. capite 23. nullum hanc florem, nullumq; fructum edere ait, quorum oblitus lib. 33. capite 8. eandem Populum dixit, & vuas, & ſemen gignere, hoc comitialibus, illas ad vnguenta præferens. Quid igitur mirum, quod ſcelus id erit, ſi & in iride, & ſibi, & Dioſcoridi Plinius repugnaſſe dicatur? Equidem id flagitium non dico in Plinio ſummo vtique autore, ſi in tanto opere, & tam varia lectione aliquando memoriæ fragilitate ſit prolapſus, præſertim cùm is potius alienam recitet hiſtoriam, quàm propriam.*

Animaduerſio in Luſitanum.

*Te potius miror Amathe, qui quod tibi lubet, idem cæteris, quum tamen iuſta id ratio ſuadet, non licere cenſeas. Nos veritatem vbique ſequimur, eam nulla hominum authoritate, quoad poſſumus, patimur obfuſcari. Non tanti (mihi crede) eſt æſtimandus in Plinio aliquis memoriæ lapſus, quanti eam, quam de laboribus noſtris agis, rapinã æſtimandam cenſemus. Quid enim turpius, impudentius, deteſtabiliúſque, quàm furtiuam frugem ex aliena meſſe in ſuum transferre horreum? Quid deinde inhumanius, quàm quem expoliaueris, gladio & conuitiis adoriri? Optimorúmne hæc ſunt hominum? Graſſatorum, prædonúmque potius mihi videtur, quos tu maximè ſequutus videris. Quo fit vt mirum non ſit, ſi primùm è Luſitania pulſus, ac deinde è Germania in Italiam reiectus, iam inde etiam profugus aberras, adeò vt ſolum ferè non inuenias, vbi iam tutus eſſe poſſis. Porrò hæc mihi de Luſitano illo dixiſſe liceat, non vt videar cum homine pugnare, quem non eſt vt timeam, neque etiam vt odio proſequar aliquo præſertim cùm nihil ſui poſſideat, vbi poſſim poſtea refici, adepta victoria: ſed tantũ medicæ materiæ vindicandæ, & honoris noſtri ſuſtinendi cauſa. Potuiſſem quidem Amathum hunc acriori, vehementioriq; ſermone reprehendere, primùm quòd tam temerè labores noſtros deprædatus ſit, deinde quòd falſiſſimas, friuolaq; calumnias in me excogitauerit. Poſtremò quòd vbi aliquid ſuo marte cudit, in grauiſſimos frequentiusq; labatur errores. Atqui quum probi, ac candidi hominis non ſit munus, cõuitiis ac maledictis, ſed propria virtute pugnare, ea vtar in dicendo modeſtia, quam animi noſtri ſynceritas, & eius inſolentia expoſcere videbuntur. Quod ſi quandoque pietate ſumma adductus, vel calumniarum iniquitate ſauciatus pauca quædã acerbiora fortaſſe in hunc deprompſero, rogo atque etiam obſecro, ne quis id mihi vitio vertat. Scio quidem in reſpondendo me magnam non habere expectationem, quòd nemo iam ſit, qui eius legerit libros, quin prius nouerit non modò hominis imperitiam, ſed etiã temeritatem.*

Calumnia III. de Amomo.

A meo Luſitanus de Amomo hæc in me confert. *At Matthiolus Senenſis cùm nos vero carere Amomo ſciret, vt illum tamen habeamus, in Luſitaniam nos remittit vbi ex India nunc delatum contendit: mea tamen ſententia fallitur, cùm hucuſque Amomum verum incompertum ſit. Hæc ille.*

Calumniæ depulſio.

*Sed planè falsò, cùm plura me dixiſſe ſcribat, quàm rei veritas expoſcat. Quandoquidem cùm nunquam meis ſcriptis affirmarim Amomum ex India in Luſitaniam conuehi, nunquam eò quemquam remiſerim, vt ille ſomniaſſe videtur, dum meas metitur lucubrationes, & eas (quæ illius eſt liberalitas) ſuis verbis amplificat. Scripſi quidem me à quibuſdam non ſpernendæ fidei medicis accepiſſe iam primùm ex India in Luſitaniam afferri Amomum, nec ſanè plura, quàm hæc. Cæterum cùm eorum ſententiam nec probauerim, nec damnauerim, cur hac in re me adeò vellicet coniicere quidem non poſſum, niſi quis fortaſſe in eius maleuolum animum hæc reiiciat. Quòd autem ille perperam meam acceperit mentem, id argumento eſſe poteſt quòd in commentariis noſtris Latino ſermone editis, nihil huiuſce fabulæ meminerim.*

Calumnia IIII. de calamo odorato.

Ad calamum *odoratum veniamus, vbi ille grauiores, ſicut ipſe putat, in me admouet machinas, quas idcirco non magno ſane negotio a nobis amoliemur, quòd non aliquo conſilio, non aliqua prudentia, aut ratione, ſed ſuo more (propè dixerim moria) id in nos moliri contendat. Arguit me, quòd nixus Theophraſti, & Plinij teſtimonio certò affirmauerim radicem, qua paſſim odorati calami vice vtuntur Seplaſiæ, legitimum, genuinúmq; eſſe Acorum: quin & quòd ſcripſerim Calamum odoratum harundinem eſſe, non radicem, quibus refragatur his verbis: At mea*

*mea ſententia decipitur Matthiolus, cùm, licet Theophraſtus & Plinius in Calamo odorato calamum, & non radicem laudare videantur, alibi tamen Calami odorati radicem deſiderant, & eam cæteris calami partibus anteferunt, vt apud Plinium eſt legere libr. 24. cap. 2. in quo cùm Calami odorati iuuamenta enumerat, ſic inquit: Efficaciſſima autem in omni harundine, quæ proxima radici efficaciſſima & genicula. Per quæ verba manifeſte percipitur, quòd in omni calamo, ſiue harundine, radix efficacior eſt pars. Qua de cauſa Calami odorati radix potius, quam calamus in opus trahenda eſt, vt merito hactenus pharmacopolæ hac pretioſa & exotica radice, pro vero, ac genuino Calamo odorato vſi ſunt. Quantum verò ad Dioſcoridem attinet, ſi quis introſpiciens eum accuratius expenderit, inueniet illum de radice potius loqui quam de calamo, cùm radix geniculata dicitur, calamus verò potius nodis cinctus. His ne tam ſtolidè me putat concludi Luſitanus? Sed audiat ipſe non quàm Matthiolus, qui accuratius priusquam ſcripſerit, penſitauit ſed quàm turpiter ipſe potius decipiatur: quippè qui temerè Plinij, & Dioſcoridis grauiſſimorum authorum abutitur teſtimoniis. In primis enim vt eius argumenta diſſoluam, & tanquam inania & irrita monſtrem, non vereor, ne Plinius, aut Theophraſtus Calami odorati radices adeò deſiderarint, vt nuſquam earum fecerint mentionem. Nam quòd Plinius ait, efficaciſſimam in omni harundine eam eſſe partem, quæ radici proxima, quis fuerit Plinianæ lectionis, Latinique ſermonis adeò imperitus, vt non videat de harundine non de radicibus intellexiſſe Plinium? Namque examinaturus, quænam partes in vniuerſo calamo cæteris præſtent, næ non radices, vt Luſitanus ſua quadam malitia, vel fortaſſe imperitia in me diſtorquet, ſed partes radicibus proximas cæteris præſtare inquit: quod facilè prudens animaduertet. Nec enim aliam ob cauſam putat Plinius maiori vi pollere calami partes, quæ prope radices habentur, quàm eædem ibi craſſiores, vegetiores, robuſtioréſque in omni harundinum genere reperiantur, quam in cæteris earundem locis: quo fit, vt etiam calami ipſius genicula efficaciora pariter ipſe exiſtimauerit Plinius, quippe & genicula robuſtiora ſunt, & craſſiora. Quam ob cauſam Calamum illum prætulit Dioſcorides, qui denſè fuerit geniculatus. Sed iam ipſum quæſo intueamur locum, quem ille quaſi violentum quoddam telum in me vibrat. At ſi vlla in eo ſit prudentia, ſi melius & conſideratius verba Dioſcoridis mecum perpenderit, non ſolum deponet hanc iracundiam, ſed fortaſſè etiam noſcet, quam magno ducatur errore. Nam quòd Calamum, non radices deſcribat Dioſcorides, apertè quidem conſtat, cùm ait: Calamus odoratus in India naſcitur, melior eſt fuluus denſé geniculatus, & qui aſſulosé frangitur, plena araneorum fiſtula. Hæc ille. Quæ tamen perperam Luſitanus intelligit: quippe calamus in primis harundinem deſignat, non radicem. Præterea proprium harundinis eſt pluribus conſtare geniculis, & aſſulosè frangi. Deinde fiſtula, in qua quoddam araneæ telæ ſimile concluditur, calamo tantum debetur, non radici, quæ ſolida, dura, lignoſa, & vbiq; occluſa ſpectatur in omni harundinum genere. Ad hæc fuluus color calamo ſanè debetur, non radici: quippe quòd radix in harundine perpetuò albicet. Ad id autem quod proprium ſit radicis (vt ille contendit) vt ipſa geniculata dicatur, calamus verò potius nodis cinctus, Dioſcorides ipſe reſpondet. Quandoquidem is non modò quarundam plantarum radices geniculatas facit, ſed etiam caules, & calamos nonnullarum ſtirpium reddidit geniculatos, vt facile quis certior fieri poterit, qui eius codicem legerit in Hydropipere, in altera Cyclamino, in Gentiana, in Panace Aſclepio, in Liguſtico, in Elaphoboſco, in Crateogono, in Gramine, in Equiſeto, in Cicuta, in Pityuſa, in Ebulo, aliiſque nonnullis. Sed relinquamus hæc (inquam) quæ legere non vacauit Luſitano, & alios conſulamus authores. Plinius tritici culmis genicula quaterna, farris ſena, hordei octona tribuit. Hinc libro de ſenectute, Culmo geniculato, inquit Cicero. Hæc ſi animaduertiſſet Amathus, aut ſi non tam negligenter & oſcitanter Dioſcoridis codicem legiſſet, tam non fuiſſet inſulſus. Illud tamen maximè in hoc homine ridiculum videri debet, quòd quum tam excellentem ſe haberi velit medicum, reiq; herbariæ peritiſſimum, eius ſententiæ, quam damnat, nullam ſoluat rationem, & omnia relinquat intacta argumenta. Porrò ego in illum tam vecors non ero, vt hominem potius, quàm opinionem parum validam, nulla veritatis imagine fultam, videar perſequi. Solus ſeuerus hic iudex in nos ex alto tribunali fert ſententiam, damnat noſtram. Tantum ſibi temporis ſupereſſe non putat, vt vel aliquid probabilius afferat, vel rationes noſtras diſſoluat, vt non veritatem, cui a quouis prolata ſemper fui addictiſſimus: ſed ſolam ſuam ſequi maleuolentiam ſe monſtret. Nos (quod præcipuũ ſanè nobis eſt ſtudium) ne calumniatores potius, quàm veritatis putemur indagatores, multa habemus, cur Amathi huiuſce nobis diſpliceat opinio. Primùm quòd nuſquam viſa ſit radix inter valde admodum innumeras, quas ille falsò genuini Calami eſſe cenſet, quæ ſecum vel minimum harundinis trunculum cacumini adnexum deferat; ſicuti quàm plurimæ viſuntur, quæ ab ipſo cacumine folia emittunt Iridis, vt quiſq; facile certior fieri poterit, qui diligenter haſce radices explorauerit. Conſtat præterea haſce radices ex Lituania, & Tartariæ finibus, quinetiam ex Ponto, vbi paſſim ferè proueniunt, ad nos conuehi. Quod maximo cuiq; argumento eſſe poteſt, eos prorſus hallucinari, qui eas ipſas radices Calami odorati eſſe contendunt, quòd nullus extet autor (quod viderim) qui ſcripſerit odoratum calamum alibi prouenire, quàm in India & Syria. Quin & illud in noſtram concedere ſententiam Luſitanum fortaſſe mouebit, quòd a Galeno dictum eſt, quippè qui ſcripſerit calami odorati partium eſſentiam eſſe in caliditatis frigiditatiſq; coniugatione temperatam, & minimum habere acrimoniæ, cùm tamen guſtantibus palàm ſit, radicem hanc non obſcurè eſſe acrem pariter & amaram, id quod odorato Calamo minimè tribuit Galenus. Hiſce itaq; ſatis iam comprobatum cenſemus ſua in ſententia hic hallucinari Luſitanum, nec pluribus eſt hæc noſtra defendenda cauſa: in ſequentibus tamen & rationibus, & authoritatibus, oſtendemus radices has legitimi eſſe Acori.*

Calamus Odoratus communis vſus, vnde afferatur.

Nec minus fallitur, *quæ de Aſpalatho contra nos affert. Eſt vero Aſpalathus (vt Ruellius teſtatur, & recentiores Græci confirmant) lignum, quod à Rhodiorum Inſula affertur, & illud lignum, Aloes Rhodiorum officinæ appellant, ex quo coronæ ad fundendas preculas Deo parantur. Nec enim Matthiolus, qui hoc tanquam falſum euertere contendit, audiendus eſt, quum reuera lignum hoc, ex quo coronæ parantur, ex arbuſcula humili, crebris ſpinis aculeata, in inſulis Rhodiorum, & aliis Græciæ locis caditur, non verò ex oliuæ ſpeciem referente arbore. Vidimus enim nos apud Thomam Lucenſem inſignem apud Ferrarienſes pharmacopolam, huiuſce ligni fruſtum brachialis craſſitudinis, ſolidum, graue, multis interceptum nodis, quod à Græcis hominibus ſub nomine Aſpalathi acceperat. Erat enim lignum coloris ſubrufi, cui ſimile in Hiſpania apud Taraconenſes & Valentinos magna in copia reperitur. Hactenus ille. O fœlicem diſcipulum, qui vbiq; magiſtros habet pharmacopolas, à quibus ſic inſtitutus diſcedit, quaſi ab Apollinis, aut Aeſculapij reuertatur oraculis. Sed*

Calamus [illegible] de Aſpalatho.

Calumnia retúditur.

venit

venit mihi in mentem, ne quoq; iniuriam his faciam, quibus præceptoribus ſe toties vſum iactitat. Verum ſiue ab iis hæc ſit edoctus, ſeu ipſe ingenio hæc excogitauerit (malo enim non a me hæc agitari teſtimonia, quam ad hæc inueſtiganda tantum ſuſtinuiſſe laboris) ego profecto Rhodium illud lignum multum diſtare ab Aſpalatho certo ſcio: quod primum id non ſit cortice tenus rubens, ſed potius albicans. Aſpalathus enim Dioſcoridis detracto cortice adeo rubet, vt purpuram pene referat. Quo argumento credidêre quidam Santalum rubrum legitimum eſſe Aſpalathum, quanquam & illi aberrauerint. Sed & id clariſſime demonſtrat, Rhodium lignũ nullam cum Aſpalatho habere cognationem, quòd ſcribat Galenus, qui legitimum in Græcia fortaſſe pluries deguſtauit, hunc guſtu eſſe acri, & ſimul adſtringenti vi præditum. Id quod minimè in hoc Rhodio ligno reperitur, quemadmodum nec præualens amaritudo, quam illi reddidit Dioſcorides. Quod autem huiuſce ligni planta ſit Oleaſtri ſpecies, id maximè fatentur Rhodij, qui eius hiſtoriam ex Melita Inſula ad me ſcripſerunt his verbis: Lignum ex quo torno globuli fiunt ad fundendas preces, truncus eſt arboris, longitudine hominis metam non excedentis. Naſcitur arido & ſaxoſo tractu, fronde perpetua Oleaſtri æmula, floribus albicantibus, baccis nigricantibus paruis, candice breui contracto, brachij inſtar craſſo, a quo rami prodeunt rari, ſpinis ferè nullis, aut admodum paucis, albicante cortice. Ligni materies cortice tenus candicat, medullitus verò nigricat. Radicibus nititur firmis albicantibus. Quibus palam eſſe arbitror Rhodium hoc lignum ab Aſpalatho admodum eſſe diuerſum, & Luſitanum vnà cum Ruellio in eodem verſari errore. Quippe (vt præmiſimus) Aſpalathus tantùm cortice tenus, non vt ille exiſtimaſſe videtur, in tota ligni ſubſtantia, adeò ſaturatè rufeſcit, vt purpureus appareat. Quinetiam cùm Aſpalathus in Rhodo proueniens frutex ſit ſurculoſus (vt teſtis eſt Dioſcorides) non arbor procera, rationi conſonum non eſt, vt ad brachialem craſſitudinem adoleſcat. Cæterùm quod de re incerta non modò contendat, ſed tam facilè audeat affirmare, deteſtandum mihi videtur. Quippe nihil tam temerarium, támque indignum ſapientis grauitate crediderim, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit & cognitum, ſine vlla dubitatione defendere.

Rhodium Oleaſtrum non eſſe Aſpalathum.

Rhodij Oleaſtri hiſtoria

Calumnia VI. de Helenio.

Hinc ad helenium venio, in quo quum Luſitanus exiſtimet, me pluribus modis hallucinatum, adeò vt nullis poſſim me defendere rationibus acriori morſu in nos inuehitur his verbis: Confirmat Marcellus Vergilius ſe ſic in antiquiſſimo Dioſcoridis codice legiſſe: Caulem ex ſe mittit Helenium, craſſum, hirſutum, cubitalem, & aliquanto maiorem, anguloſúmq;, flores luteos, & in iis ſemen Verbaſco ſimile, tactu pruritum faciens. Vnde facilè credere eſt, vt hæc peruerſa, & immutata fuere, ita quoq; pars hæc ad amaritudinem attinens: quanquã eam quoque a Plinio prætermiſſam animaduerto. Vnde Matthiolus Senenſis hic falso admodum Plinium adducit lib. 19. cap. 5. qui vltrà quod in eo capite nullam penitus de Helenio mentionem faciat, libro tamen 21. cap. 10. vbi Helenij meminit, non de hac loquitur, ſed potius de Aegyptia, cui Dioſcorides in hoc capite ex mente Crateuæ herbarij, ramulos ſerpylli modo humi ſparſos tribuit folia verò Lenti ſimilia: cui quoque eo in loco nullam tribuit amaritudinem. Imò in deſcribenda hac herba Plinius à Dioſcoride variat, cùm Dioſcorides folia Lentis, & ramulos Serpylli per terram ſparſos Aegyptiam Inulam habere tradat. Ille verò non Lentis folia, ſed Serpylli potius poſſidere dicit. Accedunt ad hæc, quod cap. 21. eiuſdem libri, vbi medicamenta Helenij pertractat, dulcem eſſe aſſerit, non amaram: vt liquidò conſtet Plinium de illa tantùm dulci Aegyptia Inula memoriam feciſſe, nõ verò de hac a nobis amara tractata. Proinde Matthiolus, ſi Plinij autoritatem in hac parte ſubiecisſet, prudentius dubio procul feciſſet, ac non ita duplici errore hallucinaretur. Primum cùm credat, Plinium de hac Inula prima mentionem feciſſe, quum (vt diximus) potius de ſecunda Aegyptia agat. Secundò cùm dicat Plinium illi amaritudinem tribuere, cùm re vera illi dulcedinem condonet, & non amaritudinem, vt cuiq; legenti notum erit.

Calumnia retũditur.

Hæc itaque ſunt, quæ in me ſpicula mittit Luſitanus. Sciat igitur velim, culpam, qua me accuſat, non in me, ſed in Typographum eſſe reiiciendam, quippè qui imprudenter meam peruerterit ſententiam oblitis quibuſdam lineis in quibus Plinij verba adnotaueram quæ de Helenio primi generis ab eo ſcribuntur (præter Luſitani opinionem, quòd hunc Plinij locum ſemidormiens pertranſiuerit) lib. 2[?]. cap. 5. & quibuſdam aliis lineis priorum loco acceptis ex decimo vigeſimi primi libri capite, quæ poſtea in medium adduxeram de altero Helenij genere quod in Aegypto prouenit. Facilis enim ac lubricus fuit lapſus, quippe quum propè eſſent duæ illæ Plinianæ autoritates, Typographus, qui è codice noſtro manu ſcripto hæc in ſuum transferebat typum, oculi imprudentia deceptus primum Plinij locum tanquam dormiens præteriit, & ſecundum in eius locum repoſuit, quod ad alterum ſpectauerat Helenium. Cuius erroris illud ſemper omnibus fuerit argumentum (ne fortaſſe quis putet me id totum ſubdole in Typographum reiicere) quod non modo in commentariis noſtris Latinis factus pluribus antea annis in lucem editis id erroris fuerit expurgatum, ſed quòd ea quoq; Plinij verba per Typographum eò tranſlata lib. 19. cap. 5. ibi aſcripta non legantur ſed lib. 21. ca. 10. vbi de Aegyptio Helenio agit. Quin & illud de innocentia noſtra maximè teſtari poterit quòd illa per Typographum tranſpoſita authoritas, nihil penitus ad rem noſtram faciat neq; concludat vt priores Italicæ editiones noſtræ vnumquemque certiorem reddent. Non enim putet velim Luſitanus, quòd adeò ſim excors, vt tam indecenter, támq; fatuè Pliniana illa verba, quæ nihil pro ſententia noſtra concludunt, in prædictorum fulcimentum attulerim. Quandoquidem ſi æquo animo is accuratius perpenderit, quæ Plinius de Helenio verba fecerit libro decimo nono, capite quinto a me eo loco citata nec oſcitanter Plinium relegerit, me omni culpa vacare compulſus veritate fatebitur. Ipſe enim Plinius ibi ſic habet: Siſeris ſatus menſibus Februario Martio, Aprili, Auguſto, Septembri, Octobri, breuior is eſt ſed toroſior amariorq;. Inula per ſe ſtomacho inimiciſſima eadem dulcibus miſta ſaluberrima: pluribus modis auſteritate iuncta gratiam inuenit: hactenus ille. Hæc itaque ſunt a Typographo oblita, quæ ad probanda ea quæ diximus afferebamus ex quinto capite decimi noni libri. Cæterùm, vt ſuam Luſitano detegam negligentiam vel fortaſſe imprudentiam, dicat ſane cur tam aperta fronte negauerit, Plinium libro decimo nono, cap. 5. Helenij ſiue Inulæ de qua primò ſcribit Dioſcorides nihil penitus meminiſſe, cùm tamen ea omnia, ac etiam perſpicuè ab [illegible] tractata quæ hic his per paucis lineis in medium attulimus. Quibus etiam videre poterit qua ratione [illegible] reperiri apud Plinium Inulam eſſe amaram. Hiſce igitur de cauſis iam primum Luſitanus con[illegible] poterit, id, quod in me reprehendit, tantum quidem à veritate diſtare, vt potius ſibi ipſi quam mihi [illegible] inferre videatur. At inſignem & arrogantem hominis temeritatem audiamus, qui quum [illegible] in rebus maximè ambiguis, hic manifeſtius ſuam prodit inſcitiam. Sed iam ſeſe efferunt [illegible] in vnguento Sampſuchino aduerſum me ſcribit, tametſi longe magis ipſum accenſent: quid [illegible]

Luſitani imprudentia.

Calumnia 7. in [illegible]

*ea, quæ nullis argumentis probari poſſunt, falſo probare contendit, & quæ pluribus ſanè modis probata ſunt nullis in contrarium allatis rationibus, inani quadam arrogantia, improbare nititur ſic inquiens: Et ſi apud Theophraſtum, vel Plinium, nonnulloſq; alios celebres viros Sampſuchus eadem cum Amaraco, ſiue Maiorana herba ſit, apud Dioſcoridem tamen, & Galenum, ac Paulum Aeginetam multùm inter ſe differunt, cùm Sampſuchus Maiorana herba hodie in fictilibus & vaſculis repoſita ad feneſtras pro delicijs habita ſit: Amaracus verò Parthenium eſt, quæ an Matricaria officinarum ſit tertio dicemus libro. Hanc vero animaduertentes inter vtranque differentiam Galenus, & Paulus, diuerſa capita tanquam de rebus diuerſis fecerunt, videlicet de Sampſucho, & Amaraco quam prius noſcens Dioſcorides vigilantiſſimus, oleum Sampſuchinum ab oleo Amaracino, tanquam rem diuerſam diſtinxit. Nam Amaracus Galeni & Pauli, proculdubiò apud Dioſcoridem, Parthenium eſt, vt tertio libro facile quis comprehendere poterit, cùm ibi Parthenium Amaracum eſſe dicat. Qui verò Amaracum Galeni & Pauli, Marum Dioſcoridis eſſe opinantur, miro modo cæcutiunt. nam etſi verum ſit, quòd Galenus, & Paulus in libris de facultatibus medicamentorum ſimplicium de Maro nullam faciant mentionem, non proinde Amaracum illorum, Dioſcoridis Marum, ob nominis vicinitatem eſſe, dicere debent: & eò magis quia Galenus in libris de Antidotis, & Amaraci & Mari, tanquam rerum diuerſarum, meminit. Quare Matthiolus Senenſis ſi hæc animaduertiſſet, non ſic facile cæſpitaſſet, nec hæc ſic confuſa reliquiſſet. Hactenus ille. Sed cur hæc Amathe? Tu id mihi turpe ducis homo præceps, quòd in rebus dubijs meam ſuſpenderim ſententiam? an velis tu potius, vt præcipiti quadam arrogantia in iſtam tuam incurram vecordiam? niſi incredibili arderes libidine noſtros oppugnandi labores, tu tam eſſes inter hos ſcopulos præceps? adeò temerè de his decerneres? Nos ſanè longe aliter ſentimus. Etenim malo cæteris veritatis indagandæ apertam relinquere viam, quam non ita temeritate eos hinc auertere, præſertim cum non deſint clariſſimi viri, qui hac Galeni lectione plurimùm hæſitarunt. Siquidem non deſunt rationes, quæ oſtendant Amaracum Galeno & Paulo tam Parthenium, quàm Marum poſſe deſignare. Quamobrem nec hanc, nec illam opinionem probare, vel improbare libuit. At ſi aliquid in re difficili & ſuſpecta aſſerere liceat, quod neutiquam in tanta antiquitate nouum eſſe debet, magis in hoc inclinor, vt librariorum negligentia hunc Galeni locum corruptum putem, ac hoc errore Mari titulum in Amaracum eſſe translatum. In qua re tametſi authorum certa deſint teſtimonia, non tamen huius rei abſunt indicia, quæ Amaracum Galeno, & Paulo Marum deſignare præ ſe ferant. Siquidem cùm ſit Galeni proprium inſtitutum ſimplicium medicamentorum vires ex Dioſcoride deſcribere, idq; præſertim ſeruare in his, quæ viribus nõ vulgaribus præſtant, neutiquam crediderim ſi Amaracum Galeno Parthenium deſignaſſet, quin ſcripſiſſet ex Dioſcoride id Epithymi modo bilem atram, & pituitam detrahere, ſuſpirioſos & melancholicos iuuare, calculoſos expedire, anheloſis liberam ſpirandi facultatem reddere, quin & eius decocto inſidentibus fœminis vteri duritias emollire, & inflammationes arcere, illitu verò ignem ſacrum extinguere, collectioneſq; conſumere. Quandoquidem tam raras vtileſque facultates haudquaquam putarem ſilentio inuoluiſſe Galenum, ſi de Parthenio eo capite egiſſet. Verùm cùm Maro nil aliud virium tribuerit Dioſcorides, quam quòd illitu ſerpentia vlcera ſiſtat, & quòd in vnguentis addatur, mirum ſanè non eſt ſi de Maro tractaturus Galenus libro ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, vbi fortaſſe deprauata lectione de Amaraco legitur, de eius viribus ſobriè admodum tractauerit, paucisq; perſtrinxerit, nec plura dixerit, quam quòd ius vt excalfaceret, & ſiccaret. Id quod etiam egit fortaſſe liberius, quòd latius de eo ſcribere ſtatuiſſet libr. 1. de antidotis in Hedichroi compoſitione. Hæc nobis dicta velim non aſſeuerandi tantum huiuſce opinionis cauſa, ſed tuæ refellendæ temeritatis, ac impudentiæ. Quamobrem eos mihi impugnare non licuit, quorum tu opinionem ſequeris. Nimirum quòd in obſcuris incertiſq; nuſquam ſoleam in aliquem verba facere, nec quicquam agere, cuius nequiuerim cauſam probabilem reddere, eóq; præſertim, quòd ſciuerim illis eſſe etiam rationes, quibus ſe tueri poſſint, nempe Serapionis teſtimonium, qui id tantùm, quod Galenus de Amaraco ſcripſit, Matricariæ tribuit. Sed hæc etiam poſſet deſtrui autoritas. Hæc itaq; ſi rectè, ſyncereq; perpendiſſes, non modo te ipſum nouiſſes, ſed & fortaſſe puduiſſet ita te iniuriè in me conſpiraſſe. Reliquum nunc eſt, vt iam tibi tua detegam errata, ne alios in poſterum ducas in errores. Inquis tu Luſitane, apud Dioſcoridem, Galenũ & Paulum, Sampſuchum & Amaracum admodum inter ſe differre. Id quod eſſe falſum & à veritate alienum, illicò probari poteſt ex ipſo Dioſcoride, quippe qui libro tertio de Sampſucho agens, ſcriptum reliquerit: Sampſuchum à Siculis, & Cyzicenis, apud quos laudatiſſimum prouenit, Amaracum vocari. Hoc idem facile videtur probare etiam Galenus. Ipſe enim libro primo de antidotis, Amaraci plurimum in Cyzico naſci ſcribit, & Amaracinum vnguentum in Cyzico parari ait libro ſecundo capite primo de compoſitione medicamentorum ſecundũ locos. Id quod omnibus palam facit, nil aliud Galeno deſignare Amaracum, quam Sampſuchum. Etenim cum Cyziceni Sampſuchum, Amaracum appellent, quiſnam fuerit ille tam amens, excors, obtuſiq; ingenij homo, qui non nouerit Amaracinum vnguentum in Cyzico paratum è Sãpſucho fieri? His ſubſcribit etiam Plinius libro vigeſimo primo capite vndecimo ſic inquiens: Amaracum Diocles medicus, & Sicula gens appellauere, quod Aegyptus, & Syria Sampſuchum. Et capite vigeſimo ſecundo eiuſdem libri: Sampſuchum (inquit) ſiue Amaracum in Cyzico laudatiſſimum, & odoratiſſimum. Fit ex eo oleum, quod Sampſuchinũ vocant ſiue Amaracinũ ad excalfaciendos emolliendóſq; neruos, & vuluas. Quibus palàm eſt, quam imprudenter hæc aſſerat Luſitanus. Nec obſtat quòd in quibuſdam Dioſcoridis codicibus legatur Parthenium etiam aliquibus Amaracum vocari. Siquidem hoc non tuetur huius vniuerſalem negationẽ. Adde quòd illa verba Dioſcoridi ſpuria à quã plurimis rei plantariæ ſtudioſis, non ab re iudicantur. Nimirum extant Græci codices antiquiſſimi manu ſcripti, in quibus non legitur in Parthenij capite particula illa οἱ δὲ ἀμάρακον quemadmodum nec apud Serapionem, qui Parthenium ex Dioſcoride tranſcribit. His accedit aliud ſtolidum Luſitani erratum, quod facile quis intuèri poterit, cum aſſerat is Amaracinum vnguẽtum odore iucundiſſimo redolens paraſſe antiquos non è Sampſucho quod Cyziceni, qui illud olim præſtantiſſimum parabant, Amaracum dicitur, ſed ex Parthenio, quod etiam falſo eam eſſe plantam exiſtimat, quam ob odoris virus Seplaſiæ meritò Cotulam fœtidã vocant. Sed quantum in Amaracino vnguento, quod odoris fragrantia plurimũ præſtitiſſe ſcribit antiquitas hæc fœtens planta conueniat, ij certò iudicare poterunt, quibus longè magis, quam illi res medica cordi fuerit. Et quidem fatetur Galenus libro primo de Antidotis, ac alris etiam locis in Cyzico, quemadmodum in vniuerſa minori Aſia, Mari & Amaraci oriri plurimum, parum*

Calumniæ confutatio.

Sampſuchum & Amaracũ idem eſſe.

Cotula fœtida.

*vero in aliis regionibus, præſertimque in Italia. Id quod Luſitanum hic maxime hallucinatum palam facit. Quandoquidem nullo magis herbarum genere vbiq; abundat Italia, quam Cotula fœtida dicta. Ea enim vbiq; ſcatent campi, horti, areæ, plateæ, ſemitæ, ac colles, adeo vt nullus in Italia ſit locus, vbi hæc herba nõ proueniat. Adde quod cum dicat Galenus in Cyzico Amaraci naſci plurimum, vbi Amaracinum vnguentum omnium odoratiſſimum parabatur, & nobis iam comprobatum ſit Sampſuchum a Cyzicenis Amaraci nomine appellari, ſatis etiam comprobatum eſſe putamus, Luſitanum medicæ materiæ ignarũ, & tam Dioſcoridi, quã Galeno idem eſſe Sampſuchum, quod Amaracum. Demum an Dioſcoridis Parthenium Cotula fœtida ſit ita vulgo vocata (vt Luſitanus certo ſibi perſuadet) is poſtea audiet.*

Calumnia VIII. de Iaſmeno.

*De Iaſmeno vnguento multum quoq; mecum contendit. & ex iis floribus vult parari Iaſmenum, quos Itali vulgo appellant Geſſimini, cum tamen id nullis rationibus comprobet, ſed tantum ſuis nitatur verbis, non eſt cur multis cum illo agam.*

Depulſio calumniæ.

*Sat enim mihi eſſe exiſtimo, cum ſcribat Dioſcorides parari Iaſmenũ (id eſt violaceum vnguentũ) è floribus albæ violæ, nullo pacto fieri poſſe, vt ex aliis paretur floribus, & ex iis præſertim, quorũ apud Dioſcoride, & antiquos nulla prorſus habetur hiſtoria. Quinetiam ſuperuacaneam hic omnem verboſitatem eſſe cenſeo, eo quod in commentariis noſtris ſatis ſuperq; comprobatum ſit, eos procuidubio decipi, quos Luſitanus ſibi imitandos propoſuit. Præterea cum is rationibus argumentiſq; noſtris, nullis prorſus obſtet verbis, nec vlla dicendi facultate (ſi philoſophum medicumque vt audio ſe putat) non vereor, quin facile ſcire poſſit, me ad ſuas non teneri obiectiones, niſi primum ad noſtra reſponderit argumenta. Quibus nulla alia de cauſa illum nihil in contrarium adduxiſſe putamus, quam quod is longe magis defendendæ pertinaciæ, quam veritati fuerit addictus.*

Calumnia IX. de Pino.

*In Pino autem vt Theophraſtum defendere videatur ſic mecum agit Luſitanus. Longum profecto, nec minus difficile eſſet, omnes Pini ſpecies percurrere: illius tamen (Theophraſto authore libro tertio de hiſtoria plantarum. 10.) duæ ſunt ſpecies, altera vrbana, altera vero ſylueſtris. Sylueſtrem vero in Ideam, & Maritimam partitur. Nam Idea id eſt, montana, rectior, celſior, materieque craſſior eſt. ſed maritima folio ornatur tenuiori, imbecilliori & cortice laeuiori, ad coria vtili: in qua nux conſpicitur rotunda, breuique dehiſcens. In Idea vero tanquam nux ſylueſtrior, oblongior eſt, viridis minuſque hiſcens. Hæc ad Theophraſti mentem. quæ vera eſſe nullus hucuſque in dubium traxit, præter vnum Matthiolum Senenſem, qui omnino hæc ſuo tantum iudicio fultus euertere conatur, dicens ſe in ſylueſtri Maritima Pino obſeruaſſe nuces non quidem rotundas. ſed oblongas, potius ſolidas, difficulter dehiſcentes: in montana vero non oblongas, ſed breues, & ad aperiendum faciles. At nos reuera Theophraſtum verum vniuerſaliter dixiſſe obſeruauimus, ac Matthiolum aut non recte apprehendiſſe, aut potius, vt noui aliquid aliis dixiſſe videretur, in medium hæc afferre voluiſſe. Hæc illius ſunt verba.*

Luſitani figmenta exploduntur.

*Cæterum an vera, vel falſa, ſyncere, vel ſubdole prolata, candidiſſimus quiſque lector, qui noſtros legerit commentarios, facile conijcere poterit. Explodenda enim deteſtandaq; ſunt Luſitani figmenta, quæ hic aduerſum me habet. Siquidem ego recitata Theophraſti hiſtoria, nec eum hallucinatum nec deluſum aſſerui, ſed id tantum Theophraſto repugnare dixi, quod vtriuſque Pinaſtri ſtrobilus in noſtro climate teſtatur. Quod autem vera, non ficta, nec fabuloſa ſcripſerim (vt ex ſe ipſo fortaſſe me iudicat Luſitanus) is procuidubio fateri poterit, qui in agro Tridentino Ideam, in Senenſi, ac Piſano Maritimam obſeruauerit Pinaſtrum. Quippe in maritimis hiſce locis duo habentur Pinaſtri genera, quorum alterum ſtrobilos profert ſpithama longiores: alterum vero breuiores paulo, compactili duritie concluſos, nec per ſe facile dehiſcentes. In Tridentinis vero montibus, quemadmodum & in Bohemia, quæ Pinu vbicunque ſylueſcit, Pinaſtri nuces in vniuerſum viſuntur longe maritimis breuiores infirmioreſq;, quæ cum primum inaruerint, illico dehiſcunt & ab arbore decidunt. At ſi quis ad viuas, virenteſq; huiuſce Pinorum plantas ſe conferre nequiuerit, nouas Pinorum imagines poſtremæ commentariorum noſtrorum editioni appictas intueri poterit. Quod ſi ſyncero animi affectu fecerit, non veremur, quin facile conijciat, noſtram in plantarum hiſtoria fidem falſo a Luſitano improbatam, ac cognoſcat ſubinde etiam magnam illius imperitiam, & apertam in nos inuidentiam. Ego quidem nunquam putaui hæc in Theophraſtum reijcere, ſed noſtro climati cauſam aſſignaui. Quamobrem non poſſum non admirari Luſitanum quippe qui non ſit veritus tam euidentes in me afferre calumnias. Equidem nunquam negauerim Pinaſtros, quæ in Ida monte proueniũt, quin & eas, quæ in Græciæ maritimis creſcunt, in nucibus edendis contrario modo forſitan ſe habere cœli ſoliq; illius immutata natura.*

Calumnia X. in Hippocampo.

*Venio ad Hippocampum, cuius hiſtoriam à nemine deſcriptam hactenus reperi. Quo fit, vt difficile admodum ſit abſque vlla dubitatione affirmare, quod nobis ſit piſcium genus, quod Hippocampum appellauerit antiquitas. Nec diſpliceret Luſitani opinio, quã longe antea audieram a Luca Ghino medico clariſſimo, quod Græcis recte idem ſonet Hippocampus, quod Latinis flexuoſus equus, ſi quo probari poſſit, eſſet ad manus.*

Luſitani opinio nec refellitur, nec probatur.

*Verumtamẽ cum nulla extet Hippocampi hiſtoria, cur eius opinionem accipiã ſane non habeo: quin nec etiã cur refellam. Plinius lib. 36. cap. 5. dum Praxitelis admiranda percurrit marmora, videtur ſcribit in maxima dignatione, Gn. Domitij delubro in circo Flaminio Neptunum, Thetim atq; Achillem, Nereidaſq; ſupra Delphinos & Hippocampos. Quæ quanquam demonſtrãt Hippocampos equorum effigiem præ ſe ferre, nõ tamen hac Plinij authoritate quis vnquam recte affirmare poterit, Hippocampos, quorum ille meminit, eſſe piſciculos equi vel dracunculi formam habentes, quos quidam veros eſſe Hippocampos non ambigunt. Quandoquidem Plinij verba luce clarius demonſtrant Hippocampos paruos non eſſe piſces, ſed ingentes fortaſſe beluas, corporis mole Delphinis minime inferiores: niſi hæc potius fabuloſa cenſeamus, quã vera. Nos autem cũ iamdiu non ignorauerimus non deeſſe rei medicæ ſtudioſos qui equiculos illos, vel marinos dracũculos veros eſſe Hippocampos putarent, non abs re eſſe duximus horũ equiculorum imagines cõmẽtariis noſtris adiungere. non ea tantũ cauſa, vt horum placitis ſubſcriberem ſed vt vnumquenq;, præſertimq; Zoilos admonerẽ me hæc prius non ignoraſſe. Verum non ob id abſurda vocari expedit (vt Luſitanus putat) quæ de Hippocãpo ante ſcripſimus, doctiſſimos Dioſcoridis interpretes & Græci ſermonis peritiſſimos ſecuti, quorũ non deſunt qui aſſerant in Locuſtarũ genere haberi Hippocampũ. Quibus ſubſcribere videtur Plinius lib. 32. cap. 11. At cum inter Locuſtas nulla ſpectetur, quæ magis flexuoſo dorſo erucas, quas Græci [illegible] referat quã ea, quæ illic pariter picta ſpectari poteſt, nefas ſane fuerit tã petulanti ore affirmare, noſtrã & aliorũ opinionẽ, tanquã abſurdã eſſe ſpernendã cũ tamen rationibus, & authoritatibus cõprobatã vnuſquiſq; facile cernat.*

Calumnia XI. de ſatiuo Cucumere.

*Multa etiã contra nos de ſatiuo Cucumere effundit Luſitanus procacius magis, quã verum, ſic inquiens. Cucumer non vbiq; ſatiuus reperitur, qua de cauſa multi non ſine ingenti errore Citrulũ quã*

Pepones

Peponem eſſe certo ſcimus, Cucumerem appellant, vulgarium forſitan voce ſeducti, qui in Italia fere vniuerſa & Flandria, ac Germania Citrulum Cucumerem vocant ſed, vt dixi, non ſine magno, ne dicam pudendo, errore, inter quos nouiſſimus extat Matthiolus Senenſis in ſuo Dioſcoride Hetruſca lingua confecto. Eſt igitur Græcorum Cucumer, ſiue Cucumis, dictus ſic (vt Varroni placet) quia facile curuatur baculi craſſitudine, colore viridi, longitudine cubitali, & maiori. præſertim ſi in flore exiſtens in fiſtulam mittatur. Tunc enim (vt tradit Plinius lib. 19. cap. 5. mira longitudine, & ad fiſtulæ complementum creſcit. & hac de cauſa Columella Anguinum Cucumerem eum appellat, quia oblongus, craſſus, atq; inſtar anguis flexuoſus ſit. Naſcitur enim in ſimili planta qua Cucumis ſylueſtris oritur. Raro in Luſitania Cucumer videtur. ſecus autem in altera parte Hiſpaniæ, præcipue apud Salmaticenſes, vbi in magna cernitur copia, hirſutus, colore omnino viridi, longitudine cubitali, & curua. At Pepo is eſt, quem Officinæ ob colorem Citri in maturitate acquiſitum, Citrulũ appellant. Græci vero illum πέπονον, id eſt maturum Graia voce dixere. Quam vocem Hiſpani vel hodie ſeruantes nulla mutata litera, aut ſyllaba illum quoque Pepanum vocant: & eius ſupremam partem conciſam fronti æſtus hora, in qua illum plerunq; comedimus, tanquam refrigerantem, admouemus. Quod olim quoq; a Græcis fieri Dioſcorides innuere videtur. Veſcimur enim Pepone Hiſpani, dum viret, nam poſtquam maturuit, & colorem luteum Citri maturi contraxit, tanquam cibo inutilem reiicimus. Si quid tamen illius comedendum ſit, eius ſuprema, & cartilaginea pars tantum pro victu, reiecta eius medullari parte, accipienda eſt, vt apud inferiores Germanos plerunq; fit, qui Peponibus iis non niſi maturis, contra Hiſpanorum conſuetudinem, in victu vtuntur: quorum medullarem, & interiorem partem, in qua ſemen continetur, tanquam improbam & malam reiiciunt. ſuprema & cartilaginea illa, crebris verrucis ornata parte contenti. Qui mos apud Græcos quoque fuit, vt ex Galeno deprehenditur lib. 2. de Alimentorum facultatibus, vbi inquit: Huc accedit quod in Peponibus homines a carne intima, in quo ſemen habetur, abſtinent. Sed hæc ignorans Matthiolus, nil in hoc capite facit, quam vellicare alios. Sed audias Amathe. Solus ne inter tot eruditiſſimos viros quibus eadem placuit opinio, à te reprehendor: Solum inter innumeros alios Matthiolum inſectaris? Quapropter? non alia opinor cauſa, niſi vt tuam malitioſam inuidentiam in eius tantum videaris monumenta effudiſſe. ex quibus tu opima ſpolia congeſſiſti. Egregiam certe hominis in furando prudentiam, vt tacite is ſecum gaudeat: quæ publice criminari putetur. Iccirco, homo vaferrime, tot hæc contra me conſtruuntur hic verba? Sed audiat ipſe Luſitanus quam hic toto aberrauerit cœlo. Etenim ſententia noſtræ haudquaquam obſtare ſed plurimum aſtipulari cenſemus, quod dixerit Varro Cucumem a curuore eſſe dictum. Quippe quod Cucumeres qui paſſim in Italia prouenitunt, & quos falſo Luſitanus Pepones eſſe contendit, plerunq; incurui ſpectantur, vt æſtate tota videre quis poteſt in clariſſimarũ vrbiũ plateis, vbi innumeri venduntur. Porro ſi hæc ignorat Luſitanus, medicos non conſulat, ſed olitores. Nam ii oſtenſis incuruorum cucuminũ millenariis, facile craſſam hanc caliginẽ ab ipſius oculis detergent. Præterea vulgarem Cucumim, quo paſſim vtimur, verum & genuinum eſſe manifeſto comprobat Plinius lib. 19. cap. 5. his verbis: Particulatim Cucumis floret, ſibi ipſi ſuperfloreſcens, candida lanugine obductus, magisq; cum creſcit. Hæc ille. Quibus palam eſt Cucumeris noſtri vſus legitimos eſſe: quippe ſi Luſitanus vt (prædiximus) olitores adibit, & ad eorum hortos ſæpe ſe contulerit, vniuerſos videbit cucumeres. illos ſcilicet, qui nuper emerſerunt, & iam primum ad iuglandium quantitatem intumuerunt, ſibi ipſis in cacumine ſuperfloreſcere, & alba quadam contegi lanugine. Ad hæc ſententiam noſtram, ac quam plurimorum clariſſimorum ſcriptorum à Luſitano falſo improbatam illud ſane luce clarius oſtendit. quod ſatiuus, ac vulgaris Cucumis fructu tantum ab erratico differat. Vtriq; enim eadem ſunt folia, iidem flores, eadem viticulæ, & eadẽ in vniuerſum deniq; facies, vt lib. 4. teſtatur Dioſcorides, & lib. 7. cap. 6. de hiſtoria plantarum poſteritatis memoriæ pdidit Theophraſtus. Tãta enim inter haſce plantas intercedit ſimilitudo cognatioq;, vt ſi ſimul ſerantur, vel altera alteri conferatur, nulla fere differẽtia dignoſcãtur. Nec propterea negauerim, quod Cucumis ille, qui ſua longitudine ſerpentis ſpeciem refert, & quẽ Hetruria falſo Melonem vocat, inter Cucuminum genera non fuerit recipiendus, cum & ipſe olitorum mangonio, è vulgaribus noſtris in eam formam fuerit redactus: id quod Hippocrati primum, dein Plinio, & Palladio referunt acceptum, quippe qui ſcripſerint flore in fiſtula, vel harundine demiſſo. Cucumim inde mira longitudine creſcere, & omni alia, qua coguntur, forma: id quod & de Cucurbitis tradidit Columella. Hinc itaq; ſuam traxit originem illud Cucuminum genus, quod ita prælongũ ſe diffundit, & anguium modo contorquetur. Quippe ſato ſubinde ſemine, quod exemptum ſit ex hiſce prælongis mangonio illo paratis, in poſterum per ſeſe eadem forma proueniunt, vt & nos experimento comprobatum ſcimus, non ſolum in Cucumeribus. ſed etiam in Cucurbitis. præſertimq; in iis, quas Indicas vocant: id quod etiam Plinius affirmat loco prius citato. Nam cum maxime compertum haberet in Campania oriri Cucumeres mali Cotonei effigie (ij autem vt Luſitani fert opinio) prælongi non erant, & huiuſce formæ cauſam reddere vellet: forte (inquit) primo natum ita audio vnum, mox ſemine ex illo genus factũ. His itaq; palam ſit (vt Luſitani illius verbis vtar) in quam magno, ac pudendo is verſetur errore. Quippe ſi (vt idem falſo contendit Luſitanus) vniuerſum Cucuminum genus ſponte ſua ita prælonga proueniret, ſtolidum ſane eſſet id arte vel mangonio moliri. Sed Cucumeres ſui natura non eſſe adeo in longitudinem protenſos manifeſto demonſtrat Plinius, quippe qui ſcribat Cucumeres in Italia eſſe quam minimos, in Prouinciis quam maximos. Nam ſi ſponte ſua ea eſſent forma (vt Luſitanus ſomniaſſe videtur) ſcripſiſſet quidem naſci Cucumeres in Italia quam breuiſſimos, in Prouinciis quam longiſſimos. Adde quod etiã experimento conſtat (vt ego mihi teſtis eſſe poſſum) quod Cucumeres ſic Italis vocati in ſuppoſitam aquam deſcendere nitantur appenſi, & contra refugiant, & vnci modo recuruentur, vbi vas oleo plenum ſupponatur apertum. Id quod proprium eſſe Cucumeris, affirmãt præclariſſimi rei ruſticæ. plantariaq; ſcriptores. præter id. ſi guſtum conſulas, nulla penitus ſaporis vel odoris differẽtia inter prælongos Cucumeres illos, & vulgares noſtros cognoſci poteſt. Adhæc cum tria Theophraſto, & Plinio ſint Cucumerum genera, Laconicum, Scytalum. Bœoticumq;, hoc maxime etiã Luſitano aduerſatur quod vnum tantum Cucumerum genus ſtatuerit præſertim cũ etiã Auicenna lib. 3. de tuſſis curatione ſcribens tria ſtatuat Cucumerũ genera. ſic inquiens: Et medulla Cucumeris longi arcuati, & Cucumeris rotundi, & Cucumeris communis. Ad id autẽ, quod Columellæ teſtimonio aſſerit Luſitanus ſatiuũ Cucumim anguinũ vocari, quod forma anguiũ referat ſpeciem, nil aliud nobis reſpondendũ ſeſe offert. præter quã quod falſo id Columellæ acceptũ referat. Conſtat enim anguinũ Cucumim nil aliud fuiſſe Latinis, quã Cucumim ſylueſtrem, quemad-

Amathus ſuas enarrationes in Dioſco. ex Matthiolo tranſcripſit.

Calumnia refellitur.

Cucumis vulgaris.

Cucumis ſatiuus ab erratico vt differat.

Cucurbitæ, & Cucumeres olitorum mangonio varias induunt formas.

Cucumerũ tria genera.

Anguinus cucumis quis.

*modam ſyluestre Allium Dioſcoridi Anguinum vocatur, non quod formam referat angues ſed quod in ſylueſtribus naſcatur locis, vbi facile ſtabulantur angues. Ceterũ quod anguinus Cucumis ſylueſtris ſit non ſatiuus, teſtatur in primis Lucius Apuleius ſuo de ſimplicium medicamentorum libro capite proprio de ſylueſtri Cucumere, quin & quidam Dioſcoridis codices, vt Hermolaus & Marcellus legunt quibus etiam ſubſcribit Plinius lib. 20. cap. 11. Sed cur hoc nitar tantorum virorum teſtimoniis cõprobare cum Luſitanus ipſe capite de Agreſti Cucumere, ſui ipſius oblitus, id aperte fateatur, & ſuo ipſe ſe iugulet gladio? Sed quod falſo Columellæ teſtimonio fuerit is viſus, præter id quod nuſquam ab ipſo hoc ſcriptũ eſſe ſcimus, teſtem habeo Hermolaum virũ ſane præclariſſimũ, qui in ſuo Corolario Luſitanum mendacio redarguit his verbis: Cucumeres in fiſtula apud Hippocrate demiſſo flore mira longitudine quaſi anguina ſpecie proueniunt, quanquam Anguinus cucumis idem videtur eſſe, qui Sylueſtris, multo infra magnitudine ſatiui, Erraticus & Angueus Columellæ appellatus a ſatiuo penitus differens: hactenus Hermolaus.*

Luſitanus ſuo ipſius laqueo captus.

Luſitanus mendax.

*At ſi ita demus huic bono viro a ſua forma longiores illos Cucumeres ab aliquibus Anguinos vocari: at non intelligit quam non cohærentia, quã in ſe ipſum repugnantia dicat? nunquid non videt homo miſer, quod non aliã ob cauſam hæ differentiæ plãtis addi ſolent, quã quod à reliquis earundẽ generibus diſtinguantur? Nonne ſtatim ob hoc ſequitur eſſe etiam alia cucumerũ genera? Reſipiat miſer, & ſua iam recognoſcat errata reſipiat, inquam, cũ ſignis omni luce clarioribus vincatur a teſtibus, & propria cõfeſſione vrgeatur. Cõprobat etiã Cucumerem noſtratẽ nõ eſſe Peponem, cum in primis ſapor tum deinde facultas. Sapor quidem quod cum ſcribat Simeon Sethi Græcus author, Pepones ſapore eſſe dulces, nulla ſane ratione fieri poteſt vt Cucumeres noſtri vſus fuerint Pepones quippe qui eo magis amareſcunt, quo maturiores euadũt, vt Theophraſtus ſcribit lib. 6. cap. 14. de plantarum cauſis. Præterea ſi Peponum facultas expendatur, conſtabit ſane ex Galeni ſententia, quod denorati bilioſos excitant morbos quin & vomitiones & id quidẽ (vt Simeon ille aſſerit) ſua dulcedine efficiunt, præſertim cum in bilioſum inciderint ventriculũ. Ad hæc confricata Peponum caro (vt Galenus ait) vitia cutis in facie nempe alphos lentigines ephelidaſq; abſtergit dulci, quo imbuitur ſucco. Id quod ex noſtratis Cucumeris affrictu nunquam conſequeris. Nec obſtat quod Hiſpani Cucumerem noſtrum (vt Luſitanus inquit) Pepanum vocent: quippe cum Itali a Latinis originem ducant, omnino credendum videtur Latinas rerũ nomenclaturas rectius aſſeruaſſe eos quam cæteras nationes. Demũ fabuloſum eſſe ſcimus, & Luſitani figmentũ, quod Flandri vulgares Cucumeres edant cum penitus conſenuerint: ſunt enim domi noſtræ Flandri, qui nobis ſeruiunt, & qui Flandriam & Germaniam fere totã peragrarunt, id penitus deteſtantes. Nec obſtat ſcripſiſſe Galenũ a Peponum carne intima, quæ ſemen continet abſtinere homines, quum id fiat potius in Cucumeribus, quorũ ſeminibus vna cum carne veſcimur. His itaq; poterit Luſitanus fortaſſe noſcere quam in cenſenda Cucumeris hiſtoria fuerit hallucinatus & ſubinde palinodiam meditari. Nam ſi ſecus fecerit quum ſcribat Plinius Cucumeres in Italia quam minimos, in prouinciis vero quam maximos prouenire, cumq; Luſitanorum regio, quã ſe oriundum facit, ad vltimas Europæ oras habeatur, & ob id cæteris fortaſſe magis ab Italia diſtet, verendum ſane eſt, ne rei medicæ ſtudioſi qui hæc perlegent, Cucumerem Luſitano maiorem nuſquam ſe vidiſſe affirment. Sed nimis fortaſſe prolixe Cucumeris cauſam egi. Equidem hæc nimia eſſe fateor in re minime obſcura: veruntamen vt huius calumniæ & maledicta aliquando ceſſent, omnis eius eſt obtundenda verboſa importunitas, ne ſi forte breuior ſim, iure ſibi cedi putet minuſq; ſibi a nobis ſatisfactum clamitet, & qua eſt inani arrogantia, non ſilentio, vel diſſimulatione vane ſe victorem glorietur. Iam de Carpeſio pauca reſpondeo, de quo agens Luſitanus capite de Pipere, poſtquã ibi de Caryophyllis egit noſtrum ibi ordinem & doctrinã quemadmodum in cæteris ſequutus, ita aduerſus nos ſcribens comminiſcitur. Caryophyllis Carpeſium proximum eſt, quod Cubeba Officinis dicitur, vt lib. 1. meminimus, & Actuarius cõfirmat. Non enim Carpeſium Zedoaria, ſiue Zurumbet Arabum eſt, vt Matthiolus augurat, quum potius, vt dicimus, Carpeſium Cubeba ſit. Hæc falſo Luſitanus. Falſo, inquam, quod a nobis nuſquam ſcriptum ſit Zedoariam ſiue Zurumbet eſſe Carpeſium. Quis ergo non miretur hominis impudentiam infidelitatem mendacemque locutionem? Quis non deteſtetur huiuſcemodi hominum genus, qui tam euidentibus calumniis, ac impoſturis candidiſſ. quoſque lacerant? Huic adhibenda fides? huic credendum? huic aſſentiendũ? Nequaquam. In confeſſo enim eſt omnibus hominibus huiuſce ſcripta ſui ipſius eſſe figmẽta, mendacia, vanitates, adeo vt iam omnibus ſtomachum iõmouerint. Sed quãtum hallucinetur miſer, dum ſibi perſuadet Zedoariam, & Zurumbetum Mauritani nihil inter ſe differre, poſtea audiet, cum innumeros illius errores promulgauero. Sequitur, vt quid de Artemiſia dicat, videamus.*

Cucumis vulgatis non eſt Pepo.

Luſitani figmentum exploſum.

Calumnia XII. de Carpeſio.

Carpeſium ſunt Cubebæ.

Luſitanus impudentia & mẽdacio notatur.

Calumnia XIII. in Artemiſia.

*Artemiſia duplex eſt, altera latifolia hortenſis, odore acuto, ſapore vero amaro: altera vero Matricaria dicta tenuifolia à Græcis Leptophyllos appellata. Nec enim in eam imus ſententiam, quod Matricaria hæc Parthenium ſit vt Matthiolus contra omnes grauiſſimos medicos contendit, quum reuera tenuifolia Artemiſia vulgaris Matricaria ſit. Nam Parthenium, Bruſaculum, Herba fœtida Chamomillæ ſimilis eſt, vt ſuo dicemus loco. Hæc illius ad vnguem ſunt verba inania tamen nihilq; ponderis referentia. Quum enim Luſitanus argumentis, rationibus, & authorum teſtimoniis, quibus ſatis ſuperq; nobis comprobatum eſt, Matricariam vulgo vocatam, alteram non eſſe Artemiſiam nihil reſponderit nec ſubinde vllis indiciis ac rationibus contra ſententiam noſtram ſcripſerit, ſed ſua tantum falſa opinionẽ ductus, non eſt ſane cur cum illo pluribus agam: ſed illum in ſe ipſum latrantem relinquam. Verum vt huiuſce hominis imperitiam pluribus detegam, & procacitatem compeſcam libebit ſane nobis nõnulla in contrarium afferre. Scribit itaq; Luſitanus Artemiſiam duorum eſſe generum, alteram latifoliam hortenſemque alteram Matricariam tenuifoliam dictam, quibus illico deprehenditur quam oſcitanter Dioſcoridem legerit. Qui etſi ſcripſerit alterum Artemiſiæ genus folio eſſe tenui, non tamen ob id eam proprie appellauit λεπτόφυλλον quam ea proprie [illegible] dicatur, quam quidam Dioſcoridi adulterinam putant, cuius capitis titulus ſic habet, περὶ Ἀρτεμισίας [illegible]. Ad hæc non reperio vſquã ſcripſiſſe Dioſcoridẽ quin nec etiam Plinium primi generis Artemiſiam hortenſem eſſe plantam, ſed quod in maritimis ſponte & per ſe proueniat vt ille, vt ſibi aliquid arroget, fatetur. Ad hæc duo ſunt argumenta quibus refragari nemo poteſt quæ maxime obſtant Matricariam non eſſe ſecundi generis Artemiſiæ. Alterũ quod hæc flore ſit paruo tenui, in vniuerſum candido: id quod ſane in Matricaria nõ viſitur, quũ flos illius ſit Artemiſiæ maioris [illegible] in vniuerſum candidus, ſed vmbilico tenus aureus, candidis foliolis circũſeptus, vt in Anthemide. Alterũ quod plãta ſit ad manus pumila, ac tenuior, quæ adeo maiore Artemiſia*

Amathum in ſe ipſum latrare.

Calumnia diluitur.

Matricariã nullam eſſe Artemiſiæ ſpeciẽ aperte probatur.

*temiſiā æmulatur, adeoq; illi congenere eſt (vt fatetur etiā Braſauolus) vt ambigēdū nō ſit, quin ipſa ſit altera Artemiſia. Adde quod, cum Matricaria foliis, caule, floribus, ſapore, odoreq; plurimū a prima Artemiſia differat, non eſt ſane cenſendum, quin eius differentias, ac notas ſilentio inuoluiſſet Dioſcorides, ſed cum inter primū & alterum Artemiſiæ genus nulla intercedat differentia, præterquam magnitudinis craſſitudiniſq;, vt ipſemet apertiſſime fatetur Dioſcorides, non fuit illi opus alterius Artemiſiæ notas pluribus explicare. Demum & illud vnicuiq; cōtra Luſitani ſententiam verū poteſt eſſe argumentū, quod antiquorū nullus ſcriptū reliquerit, Artemiſiam alteram nec etiam primā eſſe amaram, quemadmodum reperitur vulgaris Matricaria, quæ amaro admodū guſtu ſentitur, adeo vt parū ab Abſinthio differat. Quod etiā argumentū præbet in caliditate & ſiccitate hanc longe magis excedere, quam ipſa, Galeni teſtimonio, excedat Artemiſia. Hæc itaq; ſi quis recte perpenderit, nobis quidem minime verendū fuerit, quin Luſitani inſcitiam, & iudicij vanitate facile deprehenderit. Quod autē Matricaria non ſit, quam vulgari appellatione Cotulam fœtidam dicunt, nos penitus deteſtamur, quippe ſi Cotula fœtida Dioſcoridi Partheniū eſſet, quū hæc omni ex parte Anthemidem adeo referat, vt tantum fere odoris diuerſitate altera ab altera dignoſcatur, quisnam dubitauerit, quin Dioſcorides Parthenio Anthemidis folia reddidiſſet, non Coriandri? Coriandri folia Cotula fœtida profecto non habet, ſed Anthemidis: Matricaria vero contra. At ſi obiecerit Luſitanus cū ad ſummū vſq; Coriandrum adoleuerit, & ſuū iā ediderit ſemen, quæ in ſummitatibus ſunt folia, adeo parua tenuiaq; ſpectari, vt Anthemidis folia quadātenus referant, quūq; dicat Dioſcorides, Parthenium foliis eſſe Coriandri tenuibus, is ad minora tantū folia reſpexit, non ad maiora. Vide quā hoc ego argumentū propulſabo facile. Siquidē cū neq; Oribaſius ex Dioſcoride, a quo verbū ex verbo tranſcribit, neq; Serapio, qui eandem ſeruat regulam, legat particulā illā λεπτά, arbitrandum ſane eſt, particulā illā λεπτὰ Dioſcoridi impertinenter acceſſiſſe ſcriptorū incuria, vel potius temeritate: præſertim cū plantarū cōparationes rectius, exactiuſq; fieri debeant, cū plantæ ipſæ adoleſcunt, vel conſtant, quoniam hoc tēpore foliorū, ac caulium notæ apertiſſime conſpici poſſunt: non ante cum primū oriuntur, vel cū conſenuerint, quo tēpore genuina foliorū forma videri non poteſt. Quin & illud contra Luſitanū maxime pugnat, quod cū Cotula fœtida lōge acrior ſit, quā amara, adeo vt ea ſedem abſtergentibus ardorē nō obſcurū inferat, ob idq; vulgo Ferrarienſibus (vt Braſauolus inquit) dicatur Bruſciaculo, Partheniū eſſe non poteſt. Quandoquidem*

Bruſciaculo.

*Dioſcoridi Partheniū nulla ſaporis acredine commendatur, ſed tantū amaritudine, quæ in Matricaria manifeſto percipitur ſine acredinis tantillo. Poſtremo cū ſexcenties iā expertū ſit Matricariā ea omnia præſtare, quæ Parthenio aſcribuntur, palā ſane eſt, maxime delirare eos, qui cōtra ſententiā noſtrā friuolis quibuſdā argumentis, ac captiunculis, machinātur, ſed vtinā tā facile vera inuenire poſſent, quā falſa conuinci. Cæterū quū antea ſcripſerim in meis cōmentariis Italico ſermone primū in lucē editis, Symphytū Petræū a me hactenus nō viſum, quaſi me negligētiæ inertiæq; accuſare velit Luſitanus, hæc ſuo more aduerſum me ſcribit. Ex herbis, quas Ioannes Falconerius Anglus ſecū afferebat, Symphytū Petræū erat, quod Conſolidā nonnulli appellāt, quæ (vt teſtatur Ruellius) familiaris Gallis admodū eſt, & eā ſua lingua Buglā vocant. In Italia quoq; naſci cū Paulo Caſtiliono medico affirmamus, quanquā Matthiolus eā nunquā ſe vidiſſe tradat. His Luſitanus non tantū in me inuehitur, vt putarā, noſtræ accuſandæ gratia negligentiæ, ſed etiā ſuæ extollēdæ gloriæ, quippe qui ſe nobis rei medicæ peritiorē oſtendere ambierit. Verū ſi (vt ſolertes decet ſcriptores) Italica eadē cōmentaria ſecundo edita, anno à Chriſto nato M.D L. perlegiſſet, cōperiſſet quidē Symphytū Petræum me per memet adinueniſſe. Id quod is nunquā per ſeſe, vel per alios fortaſſe feciſſet, ni Falconerius ille (ſi tamen vera refert) id illi oſtendiſſet. Non enim vna die vniuerſa ſeges in horreū congregari poteſt. Quo fit, vt accuſari iure nō poſſim, vbi quandoq; faſſus fuerim, me hanc vel illam non nouiſſe ſtirpē. Præſtabat quidē tunc mihi Symphytū Petræum nunquam me vidiſſe fateri, quam mentiri, vt doctior, diligentiorq; viderer: quo nihil deteſtabilius, execrabiliuſq; dici poteſt.*

Calumnia XIIII. de Symphyto Petræo [illegible]

Cōſolida Bugla.

Confutatio.

*Ad Sparganiū veniamus in quo ita me taxat. Sparganiū ſiue Xiphodion Officinarū Spatula fœtida eſt, cū inter ſe maxime cōueniant. Vnde Matthiolū Senenſem hic errare certū eſt, qui Sparganium nō eſſe Spatulā fœtidā contendit, & eo magis, quia in Spatula fœtida pilulas non cōperiri, in quibus ſemen claudatur, dicat: quod falſiſſimū eſſe, qui Spatulæ fœtidæ mediocre habent noticiā, norunt. Proinde Sparganiū Spatulā fœtidam eſſe certum eſt: Hactenus ille. Demiror ſane tam perfrictā hominis frontē, qui quaſi omniū rerū naturam, plantarum omniū intimā notitiam perdidicerit, ac imbiberit, adeo audacter hos graues mihi imponit errores, confeſtim me errore accuſat. Cognoſcitis vt opinor, hominis eruditionē, & vitæ cōſuetudinē. Porro non modo omnibus rei herbariæ ſtudioſis (vnum tantū Ruellium excipio) ſed & cæteris omnibus, quibus aliqua ſit ſtirpium cognitio, in confeſſo eſt nil aliud eſſe Spatulā fœtidam vulgo appellatam quam Xyridem. Xyris enim præter id, quod omnibus notis, Spatulā fœtidam referat, foliorū odore facile indicat nomenclationis occaſionem, quippe quoniā ſi digitis cōfricentur, fœtidum admodū odorē fundunt, vnde illi nomē, adeo vt Tireſia, vel talpa cæcior ſit, qui non viderit, Spatulā fœtidā vocatā omnibus ſane notis Xyridē referre. Hanc à nemine deſcriptam reperio, præterquam à Matthæo Syluatico Pandectarū authore, qui eā Iridi ſimilem reddidit, id quod Luſitani petulantiā palā facit. Siquidem nulla extat planta, quæ magis Iridē referat quā Xyris, adeo vt ſcripſerit Oribaſius appellari aliquibus Sylueſtrē Iridē, à quo quantū diſtet Sparganium, eos iudices velim, qui in materia medica indaganda plus operis, ac laboris, quā Luſitanus impenderunt.*

Calumnia XV. de Sparganio.

Calumnia contunditur.

Spatula fœtida eſt Xyris, non Sparganium.

Iridi ſimilis Xyris.

Iris ſylueſtr dicitur Xyris.

*Nec pluribus verbis ea refellā, quæ de Siderite obiicis, in qua magis ac magis tuā detegis rei plantariæ inſcitiā, cū ita memoras. Cōſpicitur Sideritis hæc in nōnullis vallibus, folio aſpero, Saluiæ magnitudine, tanquā Marrubij albicāte, & per circuitū tanquam quercus dentato, quod fricatū ex ſe odorē, qualē ex Cydoniis optime maturis oriri videmus, emittit, quē Dioſcorides ſubintelligit, cū dicit guſtu non iniucundo, cū adſtrictione aliqua. Hanc vero Fuchſius in ſuo herbario nouiſſe videtur, quanquā Matthiolus oppoſitū contendat. Sed re vera Matthiolus eā nunquā vidit, quia ſi eam cognouiſſet, illius odorē ſuauiſſimū nunquā prætermiſiſſet. Hæc eius ſunt verba, ſed quam omni ſucco inania, ipſe videat. Quod enim de Siderite prima, quā ſe in doctiſſimi viri Fuchſij herbario narrat inueniſſe, ſuas proferat cōmentitias nugas, hic facile demonſtrat, quod eius folia non modo non ſpectētur quercus inſtar ſinuata, ſed nec per ambitū vlla parte laciniata: tametſi Luſitanus, vt potius ſuā tueretur opinionē, quam veritatē id non ſit veritus affirmare. Ipſa enim Fuchſij pictura de Luſitani fide maxime teſtatur: in primis enim flores oſtēdit, ſpicatos in cauliū ſummitatibus erūpentes, non autē in ipſis caulibus orbiculata vertebræ inſtar, vt in Marrubio, per interſtitia diſpoſitos. Præterea folia nulla ex parte correſpondent, nec pomorū Cydoniorū odor, quē ſolus Luſita-*

Calumnia XVI. de Siderite.

Sui ipſius nugis confunditur Luſitanus.

Sideritis Fuchſij.

*ſitanus illi tribuit. Dioſcorides enim nec Cydoniorũ odore, nec quouis alio Siderite̋ hanc cõmendauit, ſed guſtu non iniucundo, multa enim habentur, quæ odore maxime placeant, & ſapore diſpliceant. Sed mihi ſatis verendum eſt, an Luſitanus Cydoniorum odorem huic plantæ tribuerit, vt vera fateretur, an fortaſſe ſuæ ſuſtinendæ opinionis cauſa. Quippe Fuchſius huiuſce odoris non meminit, nec nobis periculum facientibus percipi potuit. Non enim hanc ſtirpẽ ignoramus, vt ſua potius temeritate, quã ſcientia exiſtimat Luſitanus. Sed nõ fortaſſe à ſcopo aberraret, qui diceret Luſitanum Fuchſij Sideritem nuſquam vidiſſe, niſi appictam, quod falſo ſcribat, Sideritem hanc in vallibus naſci, vbi plerunq; ſolum vliginoſum eſſe ſolet, Fuchſius vero perinde, ac Dioſcorides in aſperis, petroſis, ac incultis locis.*

Calumnia XVII. de Trago.

*Minus acerbe aliquanto patior, cum de Trago noſtram ſtudet emendare opinionem, vbi Luſitanus ita ſuam exorditur calumniam. Non prætermittendus quoq; eſt Ruellius, qui procuidubio in dignoſcenda herba iſta multum hallucinatus eſt, qui Tragum Iunci ſpeciem eſſe crediderit, cui quoque Matthiolus Senenſis ſubſcribit nulla fultus ratione, cum è directo Tragus herba ſit, ex qua vitrum conficitur. Atqui inter omnia, quæ hactenus nobis obiecta ſunt à Luſitano, & ſatis dilucide, vt arbitror, refutata, nihil iuſtius, nihil æquius fateor, vnquam in nobis eſt calumniatus quam quæ de Trago hic recitat: hoc modo ſi cauere potuiſſet, dum nimis ſe ſollicitum exhibet circa exiguam in nobis labeculam, non ipſe pluribus ſe maculis contaminaret. Equidem fateor, olim in Tragi hiſtoria ancipitem me habuiſſe opinionem, quanquam inclinaret quandoque animus ad credendum, nil aliud Tragum eſſe quam quoddam humilis Iunci genus in maritimis proueniens cui ſemen acinoſum in cacumine naſcitur rubrum, aſtringenti ſapore. Eram enim fretus hoc argumento, quod ſcilicet ſcripſiſſet Dioſcorides, naſci Tragum ſine foliis, puſillis circum ramos acinis, rufis, multis, magnitudine tritici, acuto cacumine, quæ omnia potius ad iuncos ſpectare quam aliam quamuis plantam videbantur. Opinionis indicia ſubinde augebat, quod ſequenti ſtatim capite idem Dioſcorides de Iuncis vulgaribus egerit. Verum quod & ſummis & præclariſſimis contingit ingeniis, vt temporis proceſſu pleraque inuenerint, & diligentius examinauerint, id mihi accidiſſe fateor. Re nanque in poſterum exactius agitata, ac perpenſa melioribus adinuentis, minime puduit priorem deponere opinionem. Etenim cum animaduerterem apud Theophraſtum, & Plinium, quorum etiam iudicium in noſtris Latinis commentariis ſecuti ſumus, Tragum vtriſque Scorpionem appellatum, quemadmodum & Dioſcoridi aculeatam in vniuerſum eſſe plantam, priorem, qua in animo verſabatur, opinionem diutius ſequi non libuit. De hac enim planta ſcribens Theophraſtus lib. 6. cap. 1. de Plantarum hiſtoria, Aculeatarum, inquit, aliæ ex toto aculei ſunt, vt Corruda & Scorpius: hæc enim nullum præter aculeum, folium generant. Id quod poſtea repetiit tertio eiuſdem libri capite, his verbis. Inter ea vero diſtincta genera plurimum quæ aculeato folio cõſtant, nimirum dixerim, quod ex toto ſpinoſum inſpiciatur exiguo eſt numero quemadmodum diximus, & difficile quicquam ferme inuenies, præter Corrudam, & Scorpium, quæ poſt Aequinoctium Autumni floreſcũt. Scorpius enim florem in carne extuberante ſub extremo aculei profert, initio candidum, poſtea leuiter accedentem ad purpuram & ſingulari radice, eademque breui adhæret. Hæc ille: cui ſubſcribit Plinius lib. 21. cap. 15 ſic inquiens. Spinoſarum multæ ſpecies: in totum ſpina eſt Aſparagus, Scorpio: nullum enim folium habet. Quibus palam eſt Tragum, quem Dioſcorides etiam Scorpionem vocat, nullis prouenire foliis, ſed ſcatere tantum aculeis. Id quod etiam videtur fateri Dioſcorides, quod dixerit. Tragum, quem alij Scorpion vocant, ſine foliis oriri, acutis tantum circa ramos adnatis granis. Quamobrem libenter hac in re poſtea meam correxi ſententiam, quam Luſitano diſplicuiſſe ſummopere gauderem, ſi quid hac mea dubitatione melius, ac certius aliquid depromſiſſet. ſed quod vſu venire nimiæ temeritati plerunque ſolet, dum nimis in me excandeſcens maius aliquid aſſeuerare nititur, longe turpiſſime labitur, quod eam velit plantam legitimum eſſe Tragum, quæ Mauritanis Kali, & alkali appellatur, nobis vero Hetruſcis Soda, cuiuſque imaginem vltima huic editioni addidimus libr. 2. inter Atriplices ad viuum expreſſam.*

Kali & Alkali Arabum.

Kali hiſtoria. Alkali.

*Quandoquidem planta hæc, ex qua alumen conficiunt, quo vitrarij vtuntur, Catinum appellatum. quin & ſal, quod a planta Alkali vocant, foliis non vacat, quum admodum ſit folioſa, nec vllis penitus riget aculeis. Ipſa enim cum primum emergit, foliis profilit minori Sedo æmulis, quæ tractu temporũ dodrantali fere longitudine augentur geniculatimq; protrahuntur. Cum vero iam adoleuerint, prodeunt è geniculis folia pinguia, craſſaq;, incurua, ex lata origine in acutum deſinentia. Vbi vero ad ſummum conſtiterint, in caulium cacuminibus longe minora, exilioraque ſpectantur rufo colore, à quorum exortu parua, rotundaq; prodeunt pilulæ, in quibus minutum ſemen concluditur, vt videre eſt extra Tergeſti mœnia, iis præſertim locis, quibus ſalinarum mea circundantur. Quæ Tragi notis prorſus repugnant. Adde quod Kali ſapore ſit admodũ ſalſo, Tragus vero non ſalſo, ſed adſtringente.*

Luſitani inconſtantia.

*Quæ omnia citra controuerſiam atteſtantur, quod legitimum Tragum nunquam viderit, nec nouerit Luſitanus: qui tam excors, obliuioſuſq; deprehenditur, vt eandem herbam legitimum Tragum eſſe affirmet, quam prius aſſeruit eſſe Anthyllidem, vt poſtea diſſeram.*

Tragus genuinus.

*Cæterum eam conſtat plantam genuinum eſſe Tragum, quem nos ſuo loco appinximus. Quippe ea ſola, Corruda excepta, tota ſpinoſa viſitur, nullis circundatur foliis, & in maritimis tantum naſcitur, fruticoſa, humilis, humi accumbens, innumeris triangulis, quadrangulisue, tritici magnitudine vbiq; ſcatens, in quorum medio (vt Theophraſtus inquit) poſt Autumni Æquinoctium flos emicat albus, qui paruo temporis tractu purpureus euadit, adſtringenti ſapore, perinde ac tota planta, adeo vt nihil repugnet, quin hæc genuinum Tragum dici queat.*

Autor Tragum primus inuenit.

*Hanc inueni ego primus in Tergeſtino ſolo in Hadriatici littore, vbi frequentiſſima, copioſaque oritur. Nec immerito Scorpium eam appellauere antiqui, quippe quod auelli non poſſit, niſi ictis ab ea manibus, vt ego mihi teſtis eſſe poſſum. Tantum igitur abeſt, vt celari velim mea ſicubi ſunt, errata, vt ea etiam ipſe non verear emendare, gaudeoque hæc à cæteris aperiri, modo iſta ſemper adhibeatur moderatio, vt potius veritas exquiri videatur, quam improbæ calumniæ, quæ in optima quæque inuehuntur, inſtrui ſentiantur. Etenim id longe honeſtius arbitramur, vbi quis ſe lapſum nouerit (quum proprium ſit hominum labi) ſe hallucinatum aliquando agnoſcere, quam quod extremæ eſt pertinaciæ, ac vecordiæ, quod ſemel arripueris mordicus adeo tenere, vt illi tandem non conſentias. Ac ſane in iis commentariis, quæ antea Italico euulgaui ſermone, nonnulla poſtmodum deprehendi, quæ minus quam decreueram a nobis enucleate, exacteq; eſſent ſcripta, quorũ & eo ipſo tempore non eram neſcius. Verebar quidem ſæpe ne tanti operis feſtinatio inter tot alia, quibus in dies diſtinebar, iudicij ferè extremam maturitatem in aliquibus præuerteret. Quod ſane peccatum leue (vt credo) & in pauciſſimis repertum, quatenus reliquorum vtilitate, tum facile cõpenſari, tum recte obſcurari poſſe cenſerem, ſciebam tamen*

praues,

*pranos, ac maleuolos homines minime defuturos, qui etiam rectiſſime a nobis dicta lacerare, & caninis dentibus arrodere non ceſſarent, & qui citius reliquorum omnium fructu ſe expoliari mallent, quam ut leuiſſimum alicui condonarent erratum. Sed quid? Tot amicorum erant interpellationes, qui hoc opus a me quotidie flagitarent, & prope ſuo iure poſtularent, ne hoc meorum ſtudiorum partu eos diutius defraudarem, & ſuſpenſos tenerem, ut improborum, inuidorumq; iniquis morſibus me intempeſtiuius obiici maluerim, quam horum reſiſtere voluntati. Emiſi tandem opus non tam maturum, quam amicorum precibus, & obſecrationibus efflagitatum, quorum deſiderijs ſatisfactum a nobis plurimum gaudeo. Si qua vero erant nimis accelerata, ea ſane longe accuratius in Latinis noſtris commentarijs agitata ſunt, & diſcuſſa, id quod tunc me maxime ſolabatur: quæ ſi ante me ita deprehendiſſet Luſitanus, ut nullam in me oſtentaſſet acerbitatem, nullas in optime munita, firmataq; ſnas ingeſſiſſet calumnias, & non ſua infidelitate in alienas poſſeſſiones irrumperet, gratias ei profecto agerem, quod ſuo ſtudio, & ſynceritate hiſce nos ſubleuaſſet laboribus. Is vero optima quæq; fœdiſſime leceſſit, conuellit, diripit, & in quibus aliquam veniã mereri poterat eius calumnia, hac maiori offuſcat falſitate. Dixi paulo ante in Trago, quam ſua reprehenſione turpiter aberrauerit, nunc quoq; in Amarantho nihilo cautius & peritius ſe gerit. Scio in Italica editione Aetium de Amaranthi viribus diſſerentem me citaſſe in vulgari Amarantho, quum Aetio nil ſit aliud Amaranthum, quam Dioſcoridi Helichryſum. Nec tamen a Luſitano admonitus facile, & non inuitus quædam reuocare, & omnia prorſus trutinare decreueram in Latinis poſtea commentarijs: quod & iampridem eſt factum. At ne Luſitanus vane contra nos exultet, ac nulli incogitantiæ indulgendum vociferetur, videat ipſe quam falſo ſibi perſuadeat vulgaris uſus Amaranthũ eſſe Chryſocomẽ. Nam ſi (ut audio) Græci ſermonis peritum ſe ipſum facit, maximo illi vitio adſcribendum fuerit, quod Græcorum verborum vires tam negligenter expenderit. χρυσὸς enim Græcis aurum Latinis deſignat, κόμη vero coma. Adeo ut id ſit Græcis χρυσοκόμη, quod Latinis aurea coma: quo manifeſte deprehenditur Luſitani inſcitia. Quandoquidem cum vulgari Amarantho ſpicatus flos inſit, non aureus, ſed in purpura ardens, quo pacto fieri poſſit ut recte is χρυσοκόμη Græcis dicatur, ij diiudicent, qui Græci ſermonis peritiores habentur interpretes, quiq; hæc diligentius explorauerunt. Quod autem Chryſocome flore ſit aureo, ut ipſa fert nomenclatio, teſtis eſt Plin. lib. 21. cap. 8. ubi ſic inquit: Chryſocome, ſiue Chryſitis non habet Latinam appellationem, palmi altitudine eſt, comantibus fulgore auri corymbis. Quamobrẽ non ſolum cõſtabit, quam lubrice lapſus ſit Luſitanus, ſed quam falſo, ac inique accuſauerit Ruellium, & Fuchſiũ. Quippe cum Chryſocome, & Amaranthum longe inter ſe differant, ut clariſſimi illi viri recte norunt, non abre illis dictum eſt, Amarantho purpureo vim eſſe aſtringentem ſiquidem manſa coma, folia, ac etiam radix adſtringentem facultatem nõ obſcuram præ ſe ferunt. His accedunt, quæ in minori Sedo Luſitanus enumerat, ita exordiens. At minus Sedum (ut ego opinor) faba craſſa, ſiue faba inuerſa herba dicta eſt, natura frigida, non autem Vermicularis, ut Matthiolus, & alij putãt, quia Vermicularis herba ſapore acris eſt, natura vero calida, quæ duo minime Sedo minori conueniunt, cum, ut dixi, Sedum minus, ſicut & maius, natura frigidum eſt. Cæterum & planta ipſa deſcriptioni in toto reſpondet, ut iure cõcludendum ſit, ut Faba inuerſa ſiue craſſa dicta minus hoc Semperuiuum ſit. Hæc illius ſunt deliramenta. Sed ſane vereor, ne hæc tam craſſa, tamq; frigida herba cerebrum ei totum perfrigerarit, inuerterit, infatuaueritq; ac Amathum noſtrum penitus amentem fecerit. Inquit Dioſcorides: Semperuiuum minus in petris parietinis, & maceriis, nec non ſcrobibus opacis naſcitur, cauliculis ab una radice multis, tenuibus, crebro foliatis, exilibus folijs, rotundis, pinguibus, mucronatis, caule a medio emicante, palmum alto, umbellam, herbidoſq; flores, & tenues gerente. Dioſcoridi ſubſcribit Plin. lib. 25. cap. 13. his verbis: Minus Semperuiuum in muris, parietiniſq; naſcitur & tegulis, fruticoſum a radice, ſurſum, & ad cacumen, folijs anguſtis, mucronatis, ſuccoſis, palmo alto caule, radix inutilis, quibus maxime omni ex parte refragãtur omnes fabariæ illius notæ. Quandoquidem Faba inuerſa vocata cauliculi non inſunt tenues, ſed craſſi, ac pingues, bicubitales, & quandoq; maiores, nec folia quidem exilia, rotundaq;, ſed magna, lata ac prælonga, flores in umbella non herbidi, ſed plerunq; melini, vel in purpuram candicantes. Radice quoq; non eſt inutili, nec ſuperuacua, ſed bulboſa, pluribus adnatis tuberculis Aſphodeli fere modo, colore cinereo, cortice laui, & ſucco plena ad multa expetita. Quæ in uniuerſum nota, ſi cum minoris Sedi hiſtoria comparentur, clariſſime demonſtrabunt tantum ab illo differre Fabariam, quantum a luſcinia coruus. Nõ enim aliam ob cauſam Semperuiuum tam maius, quam minus id ſibi nominis aſciuit, quam quod perpetuo anno toto vireſcat, ac viuat. Id quod teſtatur Theophraſtus libr. 7. cap. 14. de hiſtoria Plantarum, quin & Plinius loco nuper citato. Idem præterea affirmat planta ipſius nomenclatio Græca. Ἀείζωον enim Græcis ſempiternũ deſignat. Sed hoc naturæ donum Fabariæ minime largitum videtur, quũ autumno pereat tota, & in uniuerſum areſcat, nec inde celerius repullulet, quam Vere medio. Quod autem Vermicularis dicta quæ Semperuiuũ minus nulla reclamante nota repræſentat, ſapore ſit acris, deteſtãtur uniuerſi materiæ medicæ ſtudioſi, cũ nullo alio ſit ſapore, quã acido. Sed cũ fortaſſe Luſitanus ſyncero careat guſtu, perinde ac iudicio, mirandum ſane non eſt ſi inter acidum, & acrẽ nullã fecerit differentiam. De Cirſio hæc habet. Adeo Cirſion noſtra vulgata Bugloſſæ reſpondet, ut omnino fatendũ ſit, eandem eſſe herbam, cui ſententiæ Ruellius quoq; patrocinatur, & merito, quia videmus Bugloſſam aliquando triquetrum habere caulem, ſpinoſum ex cuius floribus neſcio quid, ut animaduertenti notum euadet, euaneſcit. nam in cæteris ita inter ſe reſpondent, ut ſpectanti nulla dubitandi maneat occaſio. Proinde Matthiolũ in hac re minus bene dixiſſe crediderim, cum Cirſium alteram herbam a Bugloſſo eſſe contendat. Sic Luſitanus ille. Cæterum cum vulgari Bugloſſo caulis ſit rotundus, non triangulus, ut fortaſſe per ſomnium vidit Luſitanus, nec foliola ab imo cernantur, quæ ullam roſæ ſpeciem præ ſe ferant, ſed ſpithama longiora, quin & quod caulis cacumen orbiculatum non ſit, nec ibi capitula purpurea quæ in pappos euaneſcant, videantur, vulgaris uſus Bugloſſum Cirſium eſſe non poteſt, cui caulem reddidit Dioſcorides perpetuo triquetrum non aliquando tantũ. & angulos ipſos ſoliũ aculeatos voluit, & per interualla molles, quibus profecto notis vulgare Bugloſſum prorſus deſtituitur. Caule enim eſt, ut diximus tereti, qui ubiq; tenuiſſimis aculeis rigeat. Adhæc Cirſio capitula requirũtur purpurea, ut etiam præter Dioſcoridẽ fatetur Plin. lib. 27. cap. 7. quæ in lanuginem dehiſcant. At cũ vulgare Bugloſſum nulla unquam capitula proferat, quæ tandem lanuginem ullam contrahant, ſed flores tantum purpureos, nullam præ ſe ferentes capituli formam nec unquam lanuginem contrahentem, non video cur ita ſtolide crediderim vulgare Bugloſſum legitimum eſſe Cirſium in quo cenſendo decepti ſunt Ruellius, & eum ſequutus Luſitanus, qui cum ſcripſerit è vulgaris Bugloſſi floribus neſcio quid euaneſcere, ſuam ipſius vanitatem declarat. Cirſi-*

Luſitani offenſio in Amaranthe.

Turpis error Luſitani deprehenditur.

Chryſocome.

Chryſitis.

Ruellius & Fuchſius a Luſitani calumnia vindicantur.

Calũnia XVIII. de minori Sedo, eſſe fabam craſſam.

Vermicularis acris eſt.

Luſitanus reprehenditur.

Calumnia refellitur & Amathũ hallucinatum eſſe oſtenditur.

Faba inuerſa.

Vermicularia.

Calumnia XIX. de Cirſio eſſe Bugloſſum.

Calũnia diluitur, Bugloſſum non eſſe Cirſiũ.

*(vt opinamur) genuini imaginem quis videre poterit in commētariis noſtris, quā vinum legitimumq; referat. Bugloſſum enim quod paſſim conceſſit in vſum, vel Echij ſpecies eſt, vel potius fortaſſis ipſa Lycopſis, vt alias latius explicabimus.*

Calumnia XX. de Elleboro.

*Reliquū eſt, vt ad ea reſpondeam, quibus me falſo in Elleboro accuſat Luſitanus his verbis. Ex iunioribus quoq; Matthiolus Senenſis nigrum Elleborū albo perilulosiorem facit, quia ita experientia deprehendit, quum tamen hodie boni practici nigro correcto tanquā Diagredio vtantur: hæc in nos ille.*

Exploditur Luſitani calumnia.

*Sed an iure, vel iniuria, eos iudices velim, qui accuratius, quam ille ea perlegerunt, quæ in commentariis noſtris de vtriusq; Ellebori viribus ſcripſimus, quibusq; in animo ſemper eſt nō mentiri. Siquidem ij, vbi nuſquam à me ſcriptum repererint, nigrum Veratrū albo eſſe validius, pernicioſiusq; (vt Luſitanus ſomniaſſe videtur) minime mihi verendum eſt, quin illum temeritate, ac mendacio accuſaturi ſint. Scripſi quidem, ſcriptis commendaſſe Plin. lib. 25. cap. 5. Nigrum boues, equos, ſuesq; necare, cum tamen Albo nullo incommodo depaſcantur. Quo fit, vt iniuriam in me reiecerit Luſitanus, quæ non noſtræ, ſed Plinianæ ſunt lectionis:*

Luſitani inuidētia detegitur.
Animaduerſio in Amathi deliramenta inſcitiamque.

*at quum is ad noſtros perdēdos labores inuidentia ac liuore ſe totum accinxerit, eo cæcitatis, inſolentiæq; proceſſit, vt etiam aliorum errata in nos remiſerit, vtpote, qui mentiri nunquā erubuerit, non alia opinor cauſa, quam quod voluerit monimentū ſceleris, atq; audaciæ ſuæ eſſe in conſpectu omnium. Hactenus Amathe tuis ineptiſſimis calumniis ſatis ſuperq; puto a nobis eſſe reſponſum. atq; ita clare, tantaq; luce eas me diluiſſe nunc arbitror, vt ſi vlla in te fuerit ratio, ſi qua probitas, ſi quod etiam ſcientiæ veſtigium, facile ſeu in me, ſeu in alios iſtam ſis poſthac depoſiturus temeritatem. Eſt quidem, vt diſcas, quid docti ſentiant, priuſquam tam arroganter, tam temere in eorum labores inſoleſcas. Quinetiam quo pacto eorū ſudoribus potius candide & gratanter fruaris, quam vt eos imperite laceſſas, & tuis calumniis obruas. Etenim non iccirco has vigilias libentiſſimo animo ſuſcepimus, vt tu eas obſcures tua inuidentia, ac etiā imperitia: etenim ſi noſtras has lucubrationes tibi vſui eſſe nolis, cur talē clandeſtinum furem te exhibes, vt ſolum tua furta commendata aliis eſſe velis, cætera vero, quæ tua libido ſibi non vēdicarit, ea malitioſa ſtudeas opprimere inuidentia? Patefaciam in aliis tuum infidelem in meis ſcriniis animum. Nunc ſatis mihi eſt, ſi tuas contuderim calumnias, quibus ſi tuo quoque iudicio à me eſt ſatisfactum, vehementer tua cauſa gaudeo, ſin is maneas, ac perſeueres qualem te eſſe prædicant, certe non omnium iudicium, candor, ac æquabilitas ex vna tua indocta & præcipiti pendebit maleuolentia. Narrat vetuſta gentilitas eos, qui ſe intuliſſent magnæ Deæ ſacrificiis, confeſtim excæcari, quam quidem cæcitatem illi non tam ad oculos, quam ad mentem* [illegible]*rebant. At ego Amathe non te ideo cæcum dico ductus hac gentilium ſuperſtitione quod Cybeles alicuius te inſerueris ſacris, ſed ea tantum ratione, ac ſententia (vt tu ipſe iam pridē in te experiris) quod à Deo immortali perfidiſſime deſciſcas. Etenim cum (vt audio) nunc noſtræ religionis te ipſum facias, nunc Iudaicis legibus, ſuperſtitionibusq; te totum addicas, & ita non ſolum in homines, ſed in ipſum Deum Optimum Maximū inſoleſcas, minime id eſt mirum, ſi à te ipſo quoq; deficias. & omni ſtatu mentis dimouearis.*

Luſitanus Semi Iudæus.
Hiſpani tales Maranos vocant quos maxime deteſtantur.
Cur Amathus tanta laboret cæcitate.
Cur author hāc confecerit Apologiam.

*Vt non modo in te nulla vigeat pietas, nulla religio, verum & in ipſa medica facultate, quam immerito profiteris plurimum cæcutias. Hinc ego fieri arbitror, vt non ſolum tibi, & cæteris omnibus moleſtiſſimum, ac infeſtiſſimum te exhibeas, & tumultuoſiſſiis mentis furiis impulſus modo huc modo illuc agiteris: quin etiam vt tu, qui tamdiu tua impietate in diuina cæcutis veritate, nunc nec alios, nec te ipſum in ipſa medica facultate intelligas. Quare nulla mouebor admiratione, ſi tuam obſtinatam detrectes exuere veſaniam. Nō id iam animo mecum proponebam, non iccirco tuam reprimere ſum conatus inſanabilem (vt timeo) libidinem, vt te tuæ aliquando in tanta veritatis luce pœniteat inſaniæ, ſed id magis elaboraui, ne tyrones & huiuſce medicæ materiæ ſtudioſos, tuæ forte impedirent calumniæ. Nihil tuam Amathe moror cenſuram. Iudicabunt ſyncerius docti, ac præclari homines, vtrum tu iuſtius me inuaſeris, an ego maiori vi te in me temere irruētem declinauerim, penitusq; profligauerim. Quapropter aut ceſſa Amathe poſthac calumniari, aut tam quæſo non ſis futilis, & inanis, vt quum reliquorum labores & ſcripta explodas, tu nihil melius afferas: aut quod vltimum eſt, caue, ne apud eruditos, & æquiſſimos lectores, ac iudices, qui nunquā deerunt, tua inuidia & calumnia noſtrum augeant & amplificet honorē.*

## PETRI ANDREÆ MATTHIOLI IN Amathi Luſitani enarrationes Cenſura.

Præfatio in Cēſuras.

*IAm minus vereri debeo, ne quis potius gloriæ captandæ cupiditate me putet adductum, vt homini impudēti & rerum omnium imperito, ſuos patefaciam errores, quam ad id vera, ractaq; duci ratione. Quod ſi liberius in hominem petulantem adeo importune laceſſitus inueherer, quis probus non id mihi iure concedat? In Amathum, inquam qui ſuis iniquiſſimis calumniis, non modo honeſtiſſimos labores noſtros opprimere nititur, ſed &, quantum in ipſo eſt, ſua imperitia & impudentiſſima confidentia rem medicam obſcurare conatur vniuerſam. Nec ſane aliud ſibi quis de eo perſuadere poteſt, qui aliorum ſcripta a quamplurimis comprobata, ſatiſque communita, ſua temeritate inceſſit, & violare molitur. Hoc ſi impune, & tacite ſit improbis permittendum, vt ſuo tantum iudicio audacter reprehendant ac cōtaminent omnia, quonam omnium præſtantiſſimarum facultatum cultus deueniet? Quis poſthac iſtorum ſe obiectet ingratitudini? Verum vt & ipſum ſi qua adhuc in eo viget ratio, pœniteat iſtius calumniandi inſaniſſimæ licentiæ, & non ſolum ex aliis verum ex ſe ipſo ſuam cognoſcat omnium rerum inſcitiam, infringenda eſt hæc nimis arrogans, & effrænis audacia. Non arbitrabar quenquam tam præfrictæ frontis eſſe poſſe, qui ibi tam ſeuera in alios conſoria vtatur virga, vbi ipſe tot vbique ſcateat erratis. Moleſtum friuolumque pene crediddiſſem grauioribus impeditus negotiis, vt cum huiuſce hominis diſceptarem ineptiis, niſi ipſum in me tam petulanter inſultare a pluribus audiuiſſem. Nunc autem eadem moleſtia, quæ iſtius impetum, & vanam incurſionem a me prohibui, ne quis iſtius ſeueri cenſoris impellatur iudicio, vt ſtatim approbet, quæ ab iſto viderit proferri: audiat bonus & egregius vir, quanto tutius fortaſſe fuerat honeſte tacere, quam eo pacto contra cæteros inſane oblatrare. Atqui hac in re ea neutiquam vtar vanitate, qua ille contra nos. & ne hominem potius perſequi, quam veritatis ſtudioſi videamur, nihil nobis erit negotij cum Amatho. Etenim eius errata ſic in lucem producam, vt ſi vel ipſemet aliquid habeat, quo iis, quæ a nobis afferuntur, contradicere valeat, doctorum iudicio longe libentius acquieſcam, quam vt aliqua pertinacia reliquorū ſtudia retardem. Idem qui hoc promitto, hoc quod eſt æquiſſimū, ſi non ab Amatho, quē rediturum vix ad mentē ſpero, ſaltem ab erudito lectore peto, ac poſtulo,*

ne quæ

ne qua mora, ne quod impedimentum rerum & medicinæ ſiat candidatis, vt tum demum de vtroque noſtrum ſuam ferat ſententiã, vbi noſtras rationes diligenter expenderit ac penſitarit. Amathus non niſi quadã præcipiti dementia noſtros innaſi labores conuulſit, diſtraxit nullã huiuſce facti afferens rationem, niſi quod ſua authoritati hoc eſt ſtultiſſimæ libidini, tantum putauerit vbique conceſſum. Ego ſane qua in illo reprehendo, niſi apertiſſimis, & ipſa luce clarioribus argumentis inductus videar, cupio me eiuſdem argui temeritatis, ſtultitiæ, ignorantiæ quam de ſe prodidit ſuæ. Atq; ſicut candidus lector, qui hæc in manus ſumpſerit facile diſcernet, ita fore arbitror, vt minime eum pœniteat eius lectionis, vbi non tantum iſtius teterrimos lapſus, ſed & non ſine noſtro labore, rerum plurimarum cernet explanatas naturas. Ideoq; hæc quo maiori cum facilitate, & emolumento diſtinctius ab omnibus legerentur, in certa digeſſimus capita, ac iam tandem aliis innumeris ſilentio inuolutis ad ea, quæ ſunt præcipua, in quibus ille turpiſſime offendit, veniamus.

## ACORVM.

DE Acoro ſuum ipſius quod olim tenuit, reprehendit iudicium, ſed quanto præſtiterat a priori non diſcedere ſententia, ipſe videat, qui vegetiorem Galangam nihil ab Acoro diſcrepare putat, cuius error multis patet rationibus, & iudiciis. Nimirum quod neutrum Galangæ genus folia proferat Iridis (vt quæ viderunt teſtantur) ſed Cyperi quoſi (Lusitano etiam ita teſtante) vt non deſint qui Galangam ipſam Cyperum Babylonicum vocent. Tum quod vegetioris Galangæ radix cum Iride nihil habeat cognationis, nec illius faciem vlla ex parte referat: adde quod radix hæc rufeſcat potius, quã ſubalbicet. Præterea Galanga nuſquam reperta eſt, quæ guſtu fuerit ſubamaro, vt de Acoro fatetur Galenus, ſed tantum acri. Quocirca non immerito Serapionis, qui inter Arabas in enarranda ſimplicium medicamentorum hiſtoria primas tenet, aliud eſt Galanga, aliud vero Acorum. Ob eandem quoq; cauſam inter Græcos, Actuarius & Nicolaus Myrepſicus in paranda Aurea Alexandri antidoto, & Acorum & Galangam imponunt, tanquam medicamenta inter ſe diuerſa. Quibus luce clarius quis intueri poterit, Galangam & Acorum pluribus ſane notis differre. Acoro enim folia non debentur Cyperi, ſed Iridis quin & radices Iridi proxima, geniculis intercepta, ſubalbicantes, non ſuſrufeſcentes, & (vt Plinius inquit: cui & Lusitanus ſubſcribit) ruptu faciles, non vt in Galanga, vtraq; fractu contumaces. quibus perſpicuum ſatiq; comprobatũ cenſemus, neutrum Galangæ genus eſſe Acorum. Nec profecto intellexerim vnquam (vt alias meminimus) quo pacto, quaue metamorphoſi factum ſit, vt Galanga illa, quæ ab alia non genere nec viribus, ſed tantum magnitudine differt, quum primũ ad nos e Syria vel Memphi aduecta eſt, in Acorum ſe commutauerit niſi quis fortaſſe dixerit, eueniſſe hoc magicis præſtigiis, quæ quam tueretur opinionem. Ac cum ad noſtra penitus obmuteſcat argumenta, quibus in hac re iure optimo illud ſuſpicari libet, hæc potius retractaſſe Lusitanum, vt Braſauolum a nobis reprehenſum (illi enim vbiq; plurimum videtur addictus) ſui immemor defenderet, quam vt veritatem quam prius fatebatur ſuſtineret. A. Fuchſius vir profecto clariſſimus, & qui potius philoſophum ſe exiſtimat quam vt pertinax ſit author, tametſi iam pridem in Braſauoli conceſſerit ſententiam viſus, oratione commentariis noſtris, ac pariter argumentis, quibus eorum deteſtamur opiniones qui exiſtimant, maiorem Galangam eſſe Acorum, honeſta quadam dicendi ſerie quæ ſuam tuetur exiſtimationem, poſtremo quem edidit, de compoſitione medicamentorum libro, a priori opinione non parum videtur abeſſe: quod fortaſſe feciſſet etiam Braſauolus, ni ſi immatura morte fuiſſet præuentus. Porro Acorum non mea tantum ſed plurimorum ſententia, qui in re medica multum præſtiterunt, ea ſane eſt radix, quam perperam Calamum Aromaticum appellant. Ipſa enim ſi primum recto oculorum intuitu expendatur, ac deinde ſyncero trutinetur guſtu, nulli dubium eſſe opinamur, quin adeo ſingulas Acori notas ſit repræſentatura, vt is merito ſtupidus appellari debeat, qui aliter ſenſerit. Quo fit, vt ridendum videatur Lusitani argumentum, quo ducitur, vt credat Galangam eam ob facultatem, qua ad venerea præſtare fatentur Mauritani, genuinum eſſe Acorum: quoniam Apuleius Acorum Veneream herbam quibuſdam vocari ſcribat. Quandoquidem cum nullam explicauerit ille rationem, qua illi veneream herba nomen acceſſerit, non tanti nobis fuerit Apuleii authoritas: præſertim cum plurimæ aliæ præter Galangam habeantur radices, quæ hac polleant facultate. Cum enim antiquorum nullus ſcriptis commendauerit Acorum ad Venerea præſtare facile quis opinari poterit Latinis (vt audio) Veneream herbam vocari, quod fortaſſe ob plantæ pulchritudinem, amœnitatem, & odoris fragrantiam Veneri illam dicauerint antiquitus, quemadmodum & Myrtum. Plures enim habentur plantæ quæ Venereæ appellantur nomenclatione, nempe Venereum labrum, Venereum pecten, Venereum capillus, Venereus vmbilicus: quin etiam Thymum, & Styrax, quod ſuauiter ſpirent, Venereæ dicuntur plantæ. Adhæc in Acori hiſtoria parum quidem Apulei adſtipulandum videtur, quippe qui non ſatis conſtanter de Acoro ſcripſerit. Primum enim neque Acorum ſcribit in locis cultis, hortis ac pratis, cõtra omnium penitus ſententiam, deinde vero idem aſſerit idem inuentu rarum ne inueniri, nec ſciri poſſe, niſi cum floſculum emiſerit. Quæ omnia ſi cum iis conferantur quæ a grauiſſimis ſcriptoribus de Acoro ſcripta ſunt, facile fabuloſa deprehendi poterunt. Nec minus inſipidum videtur aliud Lusitani argumentum, quod eam ob cauſam velit Galangam eſſe Acorum, quoniam a Plinio dictum ſit lib. 25 cap. 13. Acorum nigras habere radices, quandoquidem craſſioris Galangæ radices nigræ nuſquam repertæ ſunt, ſed ſubrufeſcentes. Atqui illi venia danda eſt quippe quod (vt aiunt) de coloribus cæci non iudicant. Cæterum extant apud nos Pliniani codices mendis vltimo loco expurgati ac reſtituti qui non nigras ſed ſubnigras legant Acori eſſe radices. Quam quidem lectionem magis probamus, quod ſcripſerit is paulo infra, Creticas Acori radices eſſe Ponticis candidiores: quinetiam quod hæc lectio Dioſcoridi adſtipuletur qui Acoro radices tribuit ſubalbicantes. Subalbus enim color is (mea ſententia) fuerit, qui ex nigro albicat, ſubniger vero qui ex albo nigricat, adeo vt ſubalbus & ſubniger color parum inter ſe differant. Talis autem viſitur color iis in radicibus, quibus paſſim vtimur Calami odorati vice.

De Acoro Cenſura. Galanga & Acorum eiuſdem Amatho. Galanga Cyperoides.

Luſitanus Braſauolo addictus. Fuchſius laudatur.

Acorus Calamus eſt aromaticus.

Ridiculum argumentum Venerea herba & planta quæ.

Apuleio in Acori hiſtoria non adſtipulandum.

## CARDAMOMVM.

NEc ſane minus in Cardamomo cæcutit Lusitanus, vtpote qui putauerit Cardamomum, quo vſi ſunt antiqui, lignum fuiſſe, non ſemen. Patet non leuis error, quod, eſſe plenum, frangentis contumax, occluſum, farctumque, potius ſeminis ſit proprium, quam ligni. Sed Cardamomum antiquis fuiſſe ſemen non lignum, teſtatur aperriſſime grauiſſimus author Galenus libr. primo de Antidotis capit. quinto vbi ſic habet: Fructus autẽ, qui vna cum vnguiculis foliis calicibus ac floribus in Theriacam mittuntur, ii ſunt, Scordii, Nepitæ, Marrubii, Stœchadis, Dictamni, Polii, Chamædryos, Chamæpityos, Hyperici, Centaurii,

De Cardamomo Cenſura.

*Radices autẽ hæ Zinziberis, Iridis, Rhei, Quinquefolii, Coſti, Nardi Indicæ, Nardi Celticæ, Gẽtianæ, Meu Athamãtici, Phu, Ariſtolochiæ tenuis. Semina vero hæc: Napi, Petroſelini, Thlaſpi, Ameos, Anethi, Fœniculi, Dauci, Cardamomi. Hæc ille. Recenſuit etiam inter ſemina Cardamomum ſenior ille Andromachus, vbi carmine de Theriaca ſcripſit his verſibus.*

Καὶ μαράθρου σπέρμα, καὶ ἴδαιον καρδάμωμον.
Καὶ ψαφαρὸν σίνωνος παρθέμενος σέσελι.

*Hæc Andromachus & Galenus, aduerſus Luſitanum ante tot ſecula ſcripta reliquerunt.*

## NIGELLA CITRINA.

Cenſura III. de Nigella Citrina non eſſe Cardamomum.

*ERrat Luſitanus, quod recentiores quoſdam forte ſequutus, ſibi perſuaſerit Nigellam Citrinam (liceat mihi nunc pharmacopœorum vti vocabulis) maius Mauritanorum eſſe Cardamomum: minus vero id, quod Meleghetam vocant. Quandoquidem Serapioni maius Cardamomũ ſemen eſt, quod oblongis quibuſdam concluditur capitibus, iis fere ſimilibus, quæ è Roſis prodeunt, granis ſubnigris, rotundis, in quibus minuta continentur ſemina anguloſa, farcta, & odorata. Id quod manifeſto arguit Nigellam hanc, quæ Melanthii eſt ſpecies (vt nobis alias ſatis ſuperq́; oſtenſum arbitramur) Maius Mauritanorum Cardamomum eſſe nequaquã. Adde quod Nigellæ calix nullum intra ſe habeat granum, quod ipſum ſemen excipiat, ſed parua ſemina tantũ, intercurſantibus mẽbranis papaueris modo. Præter id, cũ ſui Cardamomi colorẽ ſubnigri fecerint Arabes, non video cur Nigella Citrina vocata, quæ colore ſpectatur Citrei mali, à quo illi nomen, maius illorum Cardamomum appellari poſſit.*

## MELEGHETA.

Cenſura IIII. de Meleghetis, non eſſe Cardamomũ minus.

*QVod præterea Melegheta, minus Mauritanorum Cardomonũ non ſit, quis facile colligere poterit, quippe cum hoc ſemen calice quodam, Melanthii inſtar, concludatur: Cardamomum vero minus vt Serapioni quit) ſuum ferat ſemen nullis occluſum capitibus, colore maiori æmulo. Qui tamen color ſubniger Meleghetis minime eſt aſſimilis, eo quod hæ colore ſint ſubrufo Indici Milii inſtar, quod Thuſci Sagnã vocant, Inſubres vero Melegam, vnde fortaſſe acceſſit his ſeminibus Melegheta nomen. Adhæc cum Meleghetæ ſemen longe maius habeatur, quam Nigellæ Citrinæ, non video ſane cur conſentaneũ fuerit id minus vocari Cardamomũ.*

## CVBEBA, CARPESIVM.

Cenſura V. de Cubebis & Carpeſio non eſſe idem.

*IN Cubebis, & Carpeſio cenſendis quantum aberrat? quod Cubebas velit, quibus paſſim vtuntur Officinæ, tum veras Arabum eſſe Cubebas, tum etiam legitimum Galeni Carpeſium. Verum, vt apud Arabes nullus habetur, qui ſcripſerit vſquam Cubebas eſſe baccas, vel ſemen: ita nec apud Græcos vllus extat author, qui Carpeſium fateatur eſſe ſemen. Galeno enim Carpeſium tenues ſunt feſtucæ, ſiue ſarmenta parua, Cinnamomi virgultis ſimilia. Quare quum Mauritanis idem ſit Cubeba, quod Græcis Carpeſium, nullo pacto fieri poſſe putamus, vt vulgaris Cubeba, quæ baccarum generibus aſcribenda eſt, inter feſtucas, & tenuia virgulta, Carpeſium eſſe poſſit, ac debeat: quin etiam nec genuina Mauritanorum Cubeba, vt pluribus rem hanc in commentariis noſtris explicatam habemus.*

## SALIVNCA.

Cenſura VI. de Saliunca, nõ eſſe Pſeudonardum.

*MVlto vero apertius ſuam declarat inſcitiam in Saliunca, quam eandem arbitratur eſſe plantam, quam Itali Spico, recentiores quidam Pſeudonardum appellant, ad quod quoq́; genus refertur, quæ paſſim vulgo vocatur Lauendula: in quo certe miror maximam hominis neſcio imperitiam, an ſtuporẽ dixero. Etenim quid alienius? quum manifeſte Plinius Saliuncam folioſam aſſerat eſſe plantam, adeo breuem, vt necti non poſſit: quin & herba verius quam flos, denſa, veluti manu preſſa, radice numeroſa cohærens. Quantum ab hoc differt Pſeudonardus? quum planta ſit fruticoſa lignoſaq́;, Roriſmarini Coronarii inſtar, non breuis, ſed bicubitalis, & flos verius quam herba, & quæ in corollis facile necti poſſit. Florum enim longiore pediculi iunceo fere lentore præſtant. Præterea Pſeudonardus numeroſis radicibus non cohæret, nec adeo denſe fruticat, vt foliatam pertinaciter ſibi ipſis inhæreant, vt tanquam manu preſſa cernantur. Adde quod in Pannonia, & in Noricorũ Alpium apricis locis, nuſquã Pſeudonardus proueniat, vbi Plinio ipſo teſte, numeroſa prouenit Saliunca. Humilis autem & breuis Saliunca herbula eſt, non bicubitalis & Pſeudonardi modo fruticoſa: ac lignoſa, quamobrem in Bucolicis pœta cecinit:*

Pſeudonardus.

*Puniceis humilis cedit Saliunca roſetis.*

*Tantum diſcrimen inter Saliuncã & Pſeudonardũ non cernit Luſitanus, vt humillimã herbam à bicubitali nõ diſtinguat frutice. Timendũ, niſi hãc oculorũ curet caliginẽ, ne culicẽ pro cane, vel fortaſſe etiã equo, accipiat.*

## CINNAMOMVM.

Cenſura VII. de Cinnamomo, non eſſe tantum corticem.

*REdibo in gratiã aliquando cum hoc homine, qui alienis (vtinam vere) nos locupletet diuitiis, & optimo Cinnamomo capſis (vt ille inquit) cannella refertis, quæ ab India deferuntur Antuerpiã, nos abundare iactat, & contra omniũ præclariſſimorũ authorũ ſententiã ſibi perſuadet, Cinnamomũ eſſe corticẽ tantũ ſuæ arboris non lignũ. Nouitatis auidus nouũ credo aliquid afferre, ſtuduit: fidem idcirco ſuæ authoritati adhibẽdã minus dubitauit, quod iã fama increbuerit apud omnes Luſitanos, peragratis Africæ & Indiæ regionibus, Aromatũ multa genera eſſe aduecta. Miror cur nõ ſe in his quoq́; partibus fuiſſe fingat, vt maiorẽ huius cõmẽti faciat fidẽ. Sed cũ nec ipſe id aſſerat, nec Luſitani, qui nauigiis iſtas terras petierunt, vllã huius rei afferãt hiſtoriã, nos Luſitano in iſtis cõmẽtitiis inuentis aſtipulemur? Præſertim cũ nõ deſint probatiſſimorũ ſcriptorum teſtimonia, qui repellẽtes has nugas apertiſſime fateantur Cinnamomũ virgultũ eſſe pumilæ arboris non corticẽ tantum. Id enim in primis teſtatur Dioſcorides, ſic inquiens: In Cinnamomi Moſylitici vocati genere præſtat recẽs, nigrũ, ex viroſo in cinerẽ vergens, læue, tenuibus ramulis, ac frequentibus nodis cinctum, perquã iucunde olẽs. Quibus palam ſit Cinnamomum virgultum eſſe tenue nodis pluribus conſtans. Huic ſubſcribit Galenus lib. 1. de Antidotis his verbis: Quæuis autem Cinnamomi ſpecies ab vna radice, ceu frutex quidam paruus conſurgit, emittitq́; hæc ſex, illa ſeptem virgulta, vel paulo plura pauciorave, nõ æquali tamẽ omnia longitudine ſunt. Verũ quod maximum eſt, pedis Romani dimidiũ nõ excedit? Hæc ille. Adeſt adhæc liber de ſimplicib. medicamentis ad Paternianũ Galeno adſcriptus, qui etiã de Cinnamomo ſic habet: Cinnamomũ ſunt rami fere, ac virgulta, quæ ab vna radice plura excreſcũt, recta & minuta, breuiaq́;, colore ſubrufo, & cortice extenſo nõ rugoſo,*

Cinnamomum eſt virgultũ pumilæ arboris.

qui

*Quod autem ex Indica nuce Elaomel manare non crediderim, id ſanè mihi licere perſuaſerim, quod huius hiſtoriæ neminem habeam authorem præter Luſitanum.*

## MACER.

Cenſura X. de Macere, non idē eſſe cum Maci.

Luſitani inſolētia.

Macis & Macer quid.

*Contendit maximè Luſitanus, vtpote qui ſemper falſa tueri nititur, Macim, quo Myriſticæ nuces prætextus inſtar conteguntur, & Græcorum Macerem nihil inter ſe differre. Cui niſi quis aſtipuletur, illum ſeuerus iudex contumacem declarat: tantam ſibi arrogat authoritatem, vt certò putet vnumquenq; ſuis debere aſtipulari deliramentis. Verum quum id nulla afferat ratione, vel authoritate, ipſe meritò nō modò contumax fuerit declarandus, ſed inſolens, vecors, ac delirus. Quippe qui potius errori patrocinari voluerit, nihil perpendens, & aliorum ſubſcribere ineptiis, quàm veritatem amplecti ac tueri. Atqui quum nobis in commentariis noſtris in Dioſcoridem editis, abūdè comprobatum ſit cum Græcorum, tum etiam Mauritanorum teſtimoniis, horum Macim Myriſticæ nucis eſſe tegumentum, vt ipſo oculorum intuitu vnuſquiſq; videre poteſt, illorum verò Macerem corticem eſſe radicis magnæ (vt apertiſſimè lib. 12. cap. 8. teſtatur Plinius) non eſt vt hic pluribus iſtius Centurionis inſolentiam & inſcitiam redarguam. Eò itaq; ſe conferre poterunt, qui haſce differentias hactenus non conſiderarunt.*

## ERICA.

Cenſura XI. de Erica.

Erica bis in anno floret.

*Nec minus in Erica hunc deceptum reperio, quippe qui neget contra omnium doctiſſimorum virorum ſententiam, eam plantam, è qua vniuerſa ferè Hetruria ad mundandas ædes ſcopas ſibi parat, vllo pacto eſſe Ericam, hoc tantùm inani argumento fretus, quòd hæc ſemel tantùm in anno floreat, quum tamen Erica, Theophraſti teſtimonio, bis in anno florere debeat. At quam decipitur? cùm non nobis tantùm, ſed aliis quàm plurimis obſeruatum ſit plantam, quam Ericam vocamus, bis in anno, nempè verno & autumnali tempore, ſine vlla controuerſia floreſcere. At cum lib. III. ſcribat Dioſcorides Corim herbam Ericæ foliis prouenire, conſtétq; id Ericam noſtram per omnia referre, palam fit omnibus, hanc legitimam eſſe Ericam.*

## ACACALIS.

Cenſura XII. de Acacali.

Myricæ generā.

*Acacalim naſci ſcribit apud ſuæ gentis Olyſiponam Luſitanici regni metropolim, fructu albo, puſillis margaritis ſimili, ex planta quadam inter Myricam & Ericam media. Sed quòd ad fabulas redeat, palam facit Dioſcorides, qui ſcripſit Acacalim ſemen habere Ægyptij fruticis Myricæ ſemini ſimili, nō autem Acacalim fruticem eſſe Myricæ ſimilem. Cæterum cùm duo ſint Myricæ genera, alterum fructum gerens, quaſi florem compage muſcoſum, alterum verò Gallæ ſimilem, videant obſecro, qui rem medicam profitentur, quàm negligenter Dioſcoridem legerit Luſitanus: quin & qua authoritate vel ratione ductus affirmare auſus ſit, Acacalis ſemen puſillis margaritis non eſſe abſimile, quum antiquorum quiſpiam (quod ſciam) nuſquam id ſcriptis commendauerit.*

## PALIVRVS.

Cenſura XIII de Paliuro non eſſe Agrifolium.

*In Paliuro confundens hiſtoriam pede prolabitur: ſiquidem putat Dioſcoridis Paliurum & eam, de qua lib. 3. cap. 17 de hiſtoria Plantarum tradidit Theophraſtus, & Galenus octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus illam eſſe arborem quam Agrifolium vulgò vocamus, folio lauri, per ambitum aculeata, craſſo, perpetuóque fructu Ruſci modo rubente. At tam Dioſcoridi, quam Theophraſto citato loco, Paliurus frutex eſt, non arbor, & ſemen in ſiliquis profert, fuliginoſum, manſu lentorem relinquens ſeminis lini modo. Id quod in Agrifolio nuſquam ſpectari poteſt, cum baccifera ſit arbor. Nec propterea negauerim Agrifolium aliud eſſe Paliuri genus, quod (vt ipſe Theophraſtus inquit lib. & capit. 4. de hiſtoria plantarum) in Aphrica naſcitur, quum notis omnibus illam referat. Verùm non ob id affirmauerim Agrifoliū alterum illud eſſe genus, quod ſiliquas profert. Sed cum Luſitanus fortè audierit Agrifolium inter Paliuri genera haberi, nec vnquam legerit Paliuri differentias apud Theophraſtum, nulla adhibita diſtinctione, pro omni Paliuro Agrifolium adducit.*

Cenſura XIIII. in eodem Paliuro.

*Quin & in hoc decipitur, quòd certò crediderit Paliurum à Plinio deſcriptum lib. 13. cap. 19. & à Theophraſto libr. & capit. 4. eſſe Dioſcoridis Paliurum. Error ſanè per ſe patet, quod Dioſcoridi Paliurus ſemen in ſiliquis ferat: Theophraſto verò & Plinio citatis locis, fructum ferat rubrum ſiliquis nullis inſertum. Nam tametſi ſiliquarum non meminerit Dioſcorides, ſed tantùm ſeminis, quum tamen rara in arboribus ſint ſemina, quæ ſiliquis, vel vaſculis quibuslibet non aſſeruentur, non temerè cenſeri poteſt ſiliquas prætermiſiſſe Dioſcoridem. Nam ſi de Africana Paliuro ſcripſiſſet is, fructus meminiſſet non ſeminis. Adhac quum Theophraſtus Paliuro ſiliquas ferenti eaſdem tribuerit tum vires, tum qualitates, quas ſuo reddidit Dioſcorides, ambigendum ſanè non eſt, quin Dioſcoridis Paliurus ſemen in ſiliquis ferat.*

## RIBES.

Cenſura XV. in Ribem.

Ribes legitimæ hiſtoria.

*Mauritanorum Ribem vulgi opinionem ſequutus, eam arbuſculam cenſet hortis & viridariis familiarem, quæ folio exit vitigineo, paruo, albæ Populo æmulo, ramulis lentis, obſequioſiſq;, topiariis aptiſſimis, è quibus fructus racematim dependent, acinis magnitudine piperis, rubentibus, ſapore ſubacido. Sed manifeſtè refellit eum Serapio, (Ribes enim Arabica planta eſt) Ribem aſſerens eſſe arborem capreolos proferentem, colore viridi rubeſcente, foliis latis, magnis, rotundiſq;, quæ quidem nota in noſtra Ribe omnes deſiderantur. Vulgaris enim Ribes nec fert capreolos, nec lata, nec magna, nec rotunda folia, ſed parua, vitiginea, & diuiſuris per ambitum laciniata.*

## ROSÆ DAMASCENÆ.

Cenſura XVI. de Roſis Damaſcenis.

*Qvo in altum magis in hoc turbulento mari vela facio, ea flagrantius ad portum aliquem me receptum velim. Tædet profectò cum iſtis ineptiis me diutius ad nauſeam vſque conflictari. Sed quid agam? In portu erat reſipiſcendum, nunc danda vela, quæcunque ſe offerat moleſtia: maxime cum ita diluantur ipſius nugæ, vt hinc ad ſerta reuocemur. Audite quæſo lepidam hominis peritiam. De roſis enim ſcribens, quas Damaſcenas appellat, quaſq; vulgus Moſchettas vocat, quod odoris fortaſſe fragrantia Moſcum reſipiant, non ſolum has non minori vi deiectoria pollere exiſtimet, quam Scammonia: ſed exitioſiſſimum eſſe medicamentū pariter contendit. Hoc vt confirmet, anileprorſus huic ſubtexit fabulam, quod Venetiis viderit (liceat mihi nunc ſuo vti teſtimonio) nobiliſſimam quandā ſuæ gentis mulierem Beatricē à Luna vocatam, quæ cum ſemel tan-*

tum

*tum ſaccharum ex hiſce Roſis paratum à medico quodam Veneto tanquam medicamẽtum quod nullo incommodo alınum cieret, deguſtaſſet, ſtatim faucium & linguæ deſquamationem, quin & ventriculi eroſionem contraxit. Nihil ad me attinet illa, quam adducit muliercula. Primum (vt ego mihi teſtis eſſe poſſum) id contra Luſitani ſententiã maxime pugnat, quum ſæpius ipſemet id ſumpſerim medicamentum, aliiſque frequenter dederim ſine vllo prorſus incommodo adeo vt quandoq; pueris feliciſſime propinauerim. Præterea non magno negotio deprehendi poteſt Luſitani iudicium eſſe falſum, quod manſa hæc roſa nullam penitus guſtui relinquat acredinem ſed tantum ſe oſtendit tum adſtringentem, tum etiam ſubamaram. Id quod manifeſte indicat, vt nulla fauciũ, aut linguæ eroſio, inflãmatione hinc deguſtãtibus accedere poſſit. Mihi enim haſce roſas ſæpe mãdenti, vt quandoq; adſtrictam excitarem aluum, nihil eroſionis, inflammationiſue acceſſit. Quo fit, vt quis recte opinari poſſit, ſuo inconſtanti iudicio deluſum eſſe Luſitanum, vtpote qui huiuſce medicamenti facultatis penitus ignarus, ſymptomatis illius cauſam in illud perperam retecerit. Cum potius credendum ſit id ab acriũ, ſalſorumq; ſuccorum defluxu prouenıſſe, qui forte fortuna eo tempore, quo roſaceum illud ſaccharũ mulier illa ſumpſit, a capite in eas partes labi cœpit. Nec putauerim vnquã medicum illum Venetũ, quem tamẽ nominare non audet Luſitanus, adeo excordem, imprudentẽ, negligentemq; fuiſſe, vt tam nobili, ac diuiti mulieri medicamentum præbuerit, cuius ignorauerit vires. præſertim cum ad huiuſmodi ditiſſimos ægrotantes iplerunq; accedant medici, qui primas in ciuitatibus tenent. Atqui magis ſane demiror hominis imperitiam, quod tam acriter damnauerit has Damaſcenas Roſas, odore perquam ſuaui fragrantes, è quibus clementiſſimũ illud paratur medicamentum, nullo penitus incommodo aluum ducens. Contra vero tam magnis laudibus prætulerit ad eandem excluendam Perſici arboris flores: quin & ſyrupum ex eorundem diluto paratum. Quandoquidem (vt iam ſexcenties obſeruauimus) Perſici arboris flores ad ducendam aluum deuorati, incommodis quam plurimis ſumentes afficiunt, nempe crebris vomitionibus, ventriculi & inteſtinorum torminibus, animi deliquio, & crebris alui deiectionibus, quæ omnia plerunq; ſequitur frigidus ſudor, æſtuatio, virium amiſſio, & corporis vniuerſi imbecillitas. Præter id, quinam Amathũ hunc merito Ἄμαθον non appellauerit, cum eo ignorantiæ perueniſſe conſtet, vt certo ſibi perſuaſerit Ielentabin è Perſicis paratum, de quo pluries in febrium curatione & ventriculi dolore meminit Auicenna, ex Perſici arboris floribus parari debere? Sed quam falſa, ac ridenda teneatur opinione, luce clarius oſtendit ipſa medicamenti nomenclatio, quippe Ielentabin Mauritanis omnium præclariſſimorum medicorum conſenſu nil aliud deſignat, quam Mel Roſaceum. Sed quonam pacto Roſaceum Mel è floribus Perſici arboris parari poſſit (ah, ah, ah, præ riſu ſcribere fere nequimus) qui ſciunt, doceant, quũ id hactenus nec viderim, nec legerim vſquam. Conſtat enim per Roſas Perſicas nil aliud voluiſſe Auicennã, quam Puniceas. Siquidem lib. v. vbi is de compoſitione medicamentorum omnium egit, de quibus in vniuerſo meminit volumine Ielentabin ad febres & ventriculi dolores parari iubet è Rubeis Roſis, non autem (vt Luſitani vana fert opinio) ex Perſici arboris floribus. Id quod manifeſte indicat nil aliud Perſicas Roſas Auicennã deſignare, quam Puniceas, Perſicas illis fortaſſe vocatas, quod a Perſis in ſuas venerint regiones. Nam & nos Damaſcenas vocamus eas, de quibus diximus, quod è Damaſco Syriæ primo ad nos peruenerint.*

Luſitani iudiciũ falſum.

Luſitani in re medica euidens imperitia.

Luſitani in Ielentabin inſcitia.

Roſa Perſica quæ apud Auicennã.

## PALMÆ INVOLVCRVM.

*Fallitur præter id Luſitanus in ea examinanda palma, quam Græci ἐλάτην vocant. Is enim nil aliud Palmæ Inuolucrum ἐλάτην Græcis vocatum primum eſſe exiſtimat, quam Nucis Indicæ villoſum tegumentum, hoc tamẽ argumẽto fretus, quod Nux Indica vocata ab arbore proferatur (vt referunt qui in Indiã peregrinãtur) Palmæ ſimili. Deinde vero ſua fortaſſe inconſtantia ductus, in eiuſdẽ capitis proceſſu, reuocata prioris ſententia (qui talibus puerorũ eſt mos) nil aliud tandem affirmat apud Dioſcoridẽ eſſe Elaten, quam Palmæ germen, quod Græcis Encephalos dicitur, ea ratione innixus quod ſcripſerit Galenus libro octauo de ſimpliciũ medicamẽtorum facultatibus, id recte Elaten vocari. Sed gemino hic ſe implicat errore. Quãdoquidem Dioſcoridi Palmæ Elate nihil aliud eſt, quã fructus palmarũ adhuc floreſcentiũ inuolucrũ, calixq;, nõ nucis alicuius tegumentũ, nec germen. Indicæ enim Nucis nuſquam meminit Dioſcorides, nec (quod ſciuerim, legerimue) antiquorũ aliquis. Quo fit, vt cenſendum ſit huiuſce Nucis inuolucrum nunquam antiquis innotuiſſe. Porro Palma arbor, quæ dactylos profert (id quod penitus ignorare Luſitanum non ambigimus) primo inuolucrum magnum edit, folliculi cuiuſdam inſtar in quo quam plurimi flores includuntur, qui longo pediculo ſerie quadam pendenter racematim cohærent. Id tractu temporis dehiſcit emerguntq; flores. Carpitur deinde inuolucrũ ad plura vtile, idq; eſt, quod Dioſcoridi Elate appellatur: quæ ſi non ignoraſſet Luſitanus, non ita fortaſſe facile, dum duabus vult inſidere ſellis, duobus hinc parietibus caput impegiſſet. Nec nobis ſane obſtat Galeni authoritas, qua nititur Luſitanus. Siquidẽ Galenus loco ſuperius citato duo facit Elates genera, vnum quod germẽ eſt ipſius Palmæ, aliud vero tegumentum, de quo tantum ſcribit Dioſcorides: cui etiam Elates duo produntur genera, quorum vnum illud eſt, de quo diximus, aliud vero id totum, quod inuolucro illo concluditur, quorum nullũ Nucis Indicæ tegumentum, nec Galeni Encephalon eſſe poteſt. Cæterum vt fortaſſe probet Elaten plura apud antiquos deſignare, Pliniũ in medium affert, quippe qui ſcripſerit libro duodecimo, capite vltimo, arborẽ quandã eſſe Abietem vocatam, vnguentis expetitam, quam alii Elaten vocant, alii Palmam, alii Spathen. Id quod maxime palam facit, quam imprudenter velit Luſitanus aliorum errorum inſcitia ſuam tueri opinionem. Siquidem Plinius non ſatis apte locutus deprehenditur vocabulorum ſimilitudine deceptus. Ipſe enim cum legiſſet apud Græcos ἐλάτην Abietem arborem deſignare, quin & ἐλάτην quibuſdam vocari Palmam Elaten ſiue Spathen, & hanc in vnguentis addi, magno ac pudendo errore putauit, idem eſſe Abietem arborem, & floreſcentiũ dactylorum inuolucrum, quod ad vnguenta ſpiſſanda expetebat antiquitas.*

Cenſura XVII. de Palmæ inuolucro.

Palma Elate Dioſcoridi quid.

Palmæ Elates hiſtoria.

Galeno Elates duo genera. Quin etiam & Dioſcoridi.

Plinii error, quẽ maxime ſequitur Amathus.

## PERSEA ARBOR.

*Reprehendit etiam aliorum opinionem, vt vanam qui Perſeam arborem exiſtimãt à Perſico noſtrate differre. Sed quam ille totus ſit vanus, & quam magno ducatur errore facile quis animaduertet ex probatiſſimorũ authorum teſtimoniis. Nam (vt Theophraſtus memoriæ prodidit libro quarto, capite ſecundo, de Plãtarum hiſtoria) Perſea arbor eſt Ægypti aſpectu magna formoſaq;, folio flore, ramo, totaq; figura potiſſimum Pyro proxima, niſi quod altera folio perpetuo, altera deciduo eſt. Fructum abunde parit omni, tempore perſi-ſtit: nouus anniculum ſemper occupat, maturitas anniuerſariorum afflatu conficitur, reliquum crudiorem au-*

Cenſura XVIII. de Perſea.

Perſeæ arboris hiſtoria ex Theophraſto.

*ferunt, atq; recondunt. Fructus eſt magnitudine Pyri, figura oblongus, Amygdalæ modo, colore herbidus, nucem intus habet, ut Prunum, uerum longe minorem, molliorem q;. Caro eius ſuauis, ac prædulcis manditur, concoctuq; facilis, & innoxia etiã largiore cibo ſumpta. Radice arbor exuperat tum longitudine, tum etiam craſſitudine, multitudineq;. Materie conſtat robuſta, aura uiſuq; decora, ueluti Lotus, quapropter ex ea, & ſimulachra, & lectulos, & menſas, & reliqua ſimilia fabricant: hactenus Theophraſtus. Cæterum ſi Perſea Ægyptia nota cum Perſico noſtrate conferantur, qua uniuerſus ſcatet orbis, liquido conſtabit has plantas nihilominus inter ſe diſtare, quam à quercu ſalicem: Perſicus enim arbor, quæ noſtris in hortis, viridariis, ac vinetis paſſim frequentiſſima viſitur, procera, magna, formoſaq; nuſquã viſitur, nihilq; cum Pyro cognationis habet, ſed potius per omnia Amygdalum refert. Quin nec fronde perpetuo viret, nec fructum omni tẽpore perficit, nec oblongus is eſt Amygdalæ inſtar, ſed orbiculatum in ſphæræ modum, colore minime herbido, ſed cum maturuerit, aut ſubpallido, aut ſubcandicante, aut rubente, aut flauo. Huic oſſiculum præter id Pruno minus non viſitur, ſed quandoq; duplo triploq; maius, nec illi figura ſimile, quin nec fractu facilius, ſed longe cõtumacius. Adhæc noſtratis Perſici fructus guſtu prædulci non percipitur, ſed potius ſubauſtero, aut vinoſo. Adde q; vulgaris Perſici fructus maxime damnauerit Galenus libro ſecundo de Alimentorum facultatibus, ut praui ſucci alimentum, & qui facile corrumpatur, & noxam ventriculo inferat: contra vero qui ex Ægyptia Perſea proueniunt. Poſtremo Perſicus noſtras radice nititur breui non longa, tenui non craſſa, rara non multiplici, & proinde rariſſime annoſa reperitur. Contabeſcit peritq; facile quod imbecillibus admodũ ſuſtentetur radicibus. Ob idq; ligni materies illi rara, fungoſaq; cernitur, nec niſi ad ignem apta, quum tamen Ægyptia Perſea ſolida, compacta, pulcherrimaq; ſpectetur, utpote qui in multiplices veniat uſus. Quo fit, ut omnino Amathio amentior, & Luſitano luſcioſior fuerit, qui non nouerit Perſeam Ægypti arborem à vulgari Perſico plurimum atq; plurimum differre. Id quod etiam comprobatur Plinii teſtimonio, qui libro decimo quinto, capite decimo tertio ſic ſcriptum reliquit: Nam Perſica arbores ſero, & cum difficultate tranſiere, ut quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto eorum fuerat hoſpitium. Falſum eſt venenata cum cruciatu in Perſis gigni, & pœnarum cauſa à Regibus tranſlata in Ægyptum, & terra mitigata. Id enim de Perſea diligentiores tradunt, quæ in totum alia eſt, nec extra orientem naſci volunt. Eam quoq; negauerunt eruditiores ex Perſide propter ſupplicia tranſlatam, ſed à Perſeo Memphi ſatam, & ob id Alexandrum illa coronari victores ibi inſtituiſſe in honorem atauí ſui. Semper autem folia habet, & poma, ſubnaſcentibus aliis: hæc Plinius. Verum non modo hic & pariter Theophraſtus deſtruunt Luſitani euanidam ſententiam, ſed etiam grauiſſimus author Galenus, qui libro 11. de compoſitione medicamentorũ ſecundum locos manifeſte teſtatur, in nulla alia Romanis ſubdita gente vidiſſe Perſeam arborem, præterquam in Alexandria Ægypti. Sed ubi rerum teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis? Hoc tamen tantum addam, quod cum per longas ante Galenum ætates Perſicus, vulgaris notitiæ arbor, uniuerſum occupauerit Græciam, Italiam, ac alias paſſim regiones, ſi Perſicus noſtras ab Ægyptia non differret Perſea, nullo pacto credendum eſt, eo dementiæ perueniſſe Galenum, ut poſteritati memoriæ commendauerit, nuſquam gentium vidiſſe Perſeam, niſi tantum in ſola Alexandria.*

Perſici deſcriptio.

## FLVVIATILES CANCRI.

Cenſura XIX. de fluuiatilibus cãcris.

Ridenda Luſitani amentia.

*QVum Luſitanum de Fluuiatilibus Cancris diſſerentem legerem, tenere me non potui, quin in vehementem ſoluerer cachinnum. Siquidem illum eo inſcitiæ perueniſſe offendi in hiſce cenſendis, ut aquatiles Teſtudines Cancrorum affirmauerit eſſe genus, eo grauiſſimo argumento impulſus, quod hecticis, & lenta febre laborantibus maxime commendentur. O lepidum caput, ſine helleboro tibi cerebrum demulceam? Serione hæc dicuntur ab Amatho? an riſum mouere ſua vecordia ſtudet? Nimirũ adducor, ut credam (ſi id ſerio fatear, quod ſentio) aliquo amentiæ genere illum quandoq; vexari, & proinde tunc temporis non niſi huiuſmodi deliramenta deſcribere. Nam & Ranæ, & Cochleæ in Cancrario genere erunt, quod hecticis maxime conferant, ſi potius Luſitani delirio addicimur, quam veritati.*

## MARINVS SCORPIO.

Cenſura XX. de Marino Scorpione.

*MArinum Scorpionem paruulum quoddam putat eſſe animalculum, quod ex Cãcrario genere exiſtimauerim (vidimus enim illud ſæpe in Hadriatici littore tanquam inutile à piſcatoribus reiectum) longis, ac tenuibus cruribus, corporis forma terreſtri ſcorpioni ſimili, chelis pariter tenuiſſimis, cauda nulla, & omni penitus pulpa carens. Gulielmus Rondeletius libro 18. capite 22. de Marinis piſcibus animalculum hoc Cancrum Βεργυγέτην vocat. Verum Ariſtoteli, Hiceſio Galeno, Athenæo, Plinio, Ælianoq;, Scorpius pelagius eſt piſcis, & inter mullos, aſellos lacertos cernuas, &, quotquot ſunt, alios duræ carnis recenſetur, non autẽ in Cãcrario genere. Quum autem eius hiſtoriam in Commentariis noſtris in Dioſcoridem pluribus deſcripſerim, & verã Scorpionis imaginẽ appinxerim, eo ſe conferre poterit Luſitanus ſi cæcitatis ſuæ remediũ non neglexerit.*

## RANÆ.

Cenſura XXI. de Ranis quas venenoſas cenſet.

*VBi Ranarum vires expendit Luſitanus procul dubio aberrat, quod omnes in vniuerſum Ranas venenoſas cenſeat, adeo ut in Aetium inuehatur, quod is libro 3. cap. 55. paluſtres ranas inter venenata recenſeat: & tamen libro ſecundo earum ius tanquam alexipharmacum prætulerit ad venenatorum reptilium ictus. Error nimis eſt manifeſtus, quod quotannis infinitus ranarum numerus Italis in cibum veniat ex his, quæ in paludibus, & ſcrobibus morantur, & nullo tamen incommodo comedentes afficiunt. Nam ſi (ut Luſitanus inquit) Ranæ omnes venenoſæ eſſent, nulli dubium eſt, quin quamplurimi earum eſu interirent: quum non deſint homines innumeri, qui iis tantũ ſæpius ſatientur, nulla ob id accedente noxa. Nec ſane ſententia noſtræ obſtat, quod Galenus lib. de Cibis boni & mali ſucci ſcriptũ reliquerit, à Ranis eſſe abſtinendum, quippe is Ranas non deteſtatur, q; veneno aliquo ſint infectæ, ſed quod malũ in* [illegible] *ore ſuccũ procreent, perinde ac piſces in ſtagnis & paludibus degentes. Quippe ſi Galenus putaſſet venenoſas eſſe Ranas, nunquã eas inter cibos retuliſſet. Sed magis fortaſſe Luſitanus, credo, legis peritus Moſaicæ, qua* [illegible] *veritatis ſuſtinẽdæ deſiderio in Aetiũ inuectus eſt, quem (pace eius dixerim) non intellexerit. Ipſe enim lib. 2. de Viribus animaliũ quæ in uſum medicum veniũt, ubi deuenit ad paluſtres Ranas quæ paſſim ab omnibus eduntur: Ranæ paluſtres (inquit) in aqua elixæ, ſaleq; & modico oleo conditæ venenoſorũ reptilium ictibus ſi ius earum bibatur, magnum præſidium afferunt: id quod*

Luſitani Religio.

*id quod ex Dioſcoride deprompſit, qui pariter de his egit iiſdem verbis. Quibus manifeſte ſuffragatur Plinius libro 32. cap. quinto, vbi non modo Ranarum ius prætulit contra ſerpentium ictus, ſed etiam ad Marini Leporis venenum hauſta, venena deuoratam Rubetam, Salamandráq; ius laudibus prætulit. Nec ob id velim fortaſſe putet Luſitanus Aetiũ ſibi ipſi repugnaſſe: quippe qui dixerit libro 13. quod deuorata paluſtris Rana tanquam venenoſa, variis ac multis vexet incommodis. Quãdoquidem ibi de paluſtribus Ranis non egit, quæ in cibum veniũt, ſed de venenoſis, quæ è Bufonum ſunt genere, & in paludibus, præſertim fœtidis, morantur. Ipſe enim cum proximo capite de Rubetis Ranis egiſſet, quas Bufones alii appellant, voluit de aquaticis etiam Bufonibus, quos Græci ſub Ranæ paluſtris nomine comprehenderunt, verba facere, quoniam ſciuerat Bufones & terreſtres, & aquatiles reperiri, vt vnumquemq; compertum habere non ambigimus, qui diligentius, accuratiusq; rei medicæ operã nauarit, quam fecerit Luſitanus. Id quod manifeſte declarat libri illius titul. qui de noxiorum animalium morſu, & de beſtiis virus eiaculantibus inſcribitur. Nam & idẽ legitur apud Dioſcoridem, quippe qui libro ſecundo de Ranis, quæ in cibum veniunt, egit. ſexto vero, vbi peculiariter de Venenis, & Venenatis animalibus tractauit, de Rubetæ, & paluſtris Ranæ curatione caput proprium edidit. Adeo vt iam nobis fateri liceat, neutiquam in re medica Luſitano eſſe aſtipulandum.*

Bufones duplices.

Luſitano in re medica non eſſe aſtipulandum.

## GALLINÆ.

*ATqui nulla mihi amplius eſt contentio cum Medico, optime lector, verum cum ſolertiſſimo deguſtatore, vel coquo potius, quo plurimum recreatur officio regalium epularum. Gallinas inferioris Germaniæ prænimia algoris inclementia carnes habere ſcribit hircinis, vel caprinis deteriores, & proinde malum, vitioſumue præbere alimentum: quin & raro ibidem homines idcirco veſci gallinis. O indagatorem omnium eduliorum: Patere id me te percontari: quis amabo te ibidem Princeps ſuæ præfecit culinæ, vt iſtis eum ſpoliares deliciis? Id quum ego mecum admiratus Flandris quibuſdam exponerem, fabulam eſſe aiebant. Quippe quod non minus in eorum regionibus carnium probitatis ſaporiſq; iucunditate præſtent gallinæ, quam alibi. Adhæc pariter fabuloſum eſſe fatentur, quod raro gallinis ibidem veſcantur incolæ, ea ratione innixi, quod earũ cibus reprobum generet alimentum. ſed quod multi fortaſſe à gallinis abſtineant ſumptui parcentes. Quod autem præter rationem ij medici agant (vt ait Luſitanus) qui poſt exactam purgationem ad ventriculum abſtergendũ ab inhærente medicamento ſimplex gallinarum ius exhibent, ſane non improbamus, ſed qui ſint illi prorſus ignoramus, quum in communi omnium medicorum vſu perpetuo eſſe ſciuerim ius illud hoc in negotio nunquam exhiberi, niſi ſaccharum admiſceant rubeum. Nec id temere factum putauerim, cum nõ ambigam ius ita paratum non modo abſtergere, ſed etiam poſſe roborare: id quod a purgatione plurimum præſtat.*

Cenſura XXII. de Gallinis malum alimentum præbentibus.

## LAC SCISSILE.

*LAc Sciſſile nil aliud eſſe cenſet, quam lac ipſum ſimplex per ſe aceſcens. Conuincitur ipſius Dioſcoridis teſtimonio, qui huiuſce parandi lactis rationem ſcribit his verbis. Ex omni lacte fit, quod Sciſſile appellant, hoc modo. Lac fictili nouo feruet, ramoq; ficulneo recenti mouetur, inſperſis, poſtquam bis vel ter efferbuerit, totidem aceti mulſi cyathis, quot ſunt lactis heminæ. Ita enim ſereſcens liquidum ab eo diuiditur, quod in caſeum concreuit, ſed cum feruet, ne ſuperfundatur, conueniet ſpongia ex frigida continuo fictilis labrum detergere, ſextariumq; argenteum frigidæ aquæ plenum demittere: hæc ille. Dioſcoridi ſubſcribit Galenus libro decimo, de ſimplicium medicamentorum facultatibus, vbi de Canino ſtercore egit: quin & Paulus lib. 1. cap. 88. Non poſſum ſatis cogitare, quæ fuerit in homine tanta imprudentia, vel ſomnolentia, quod cum tam ſplendidis enarrationibus explanandum Dioſcoridem ſuſceperit, adeo grauis labaſcat negligentia.*

Cenſura XXIII. de Sciſſili Lacte. Lactis Sciſſilis parandi ratio.

## OLYRA.

*IN frumentaceo genere eam, magno errore Olyram cenſet Luſitanus, quam nos Secalam, & Plinius Secalem, & Farraginem appellat, è qua ruſtici panem cõficiunt nigrum triticeo longe deteriorem. Sed cadit Luſitani opinio, quod Galeno primo de alimentorum facultatibus Olyra colore ſit albo, adeo vt dixerit Plinius libro decimo octauo, cap. octauo, eſſe, qui ob Olyræ candorem, illam OriZam eſſe putarent. Præterea ſcribit idẽ Plinius ex Olyra dulcem confici panem, id quod ex pane ex Secale confecto minime percipitur, cũ potius quodammodo amarorem reſipiat. Adhæc Secala ita vulgo vocata, cum in area flagellis decutitur, illico omnem exuit tunicam, & tritici modo nuda colligitur: ſed aliter Olyræ euenire fatetur Galenus loco ſuperius citato, dum Olyrinas expendit partes, ſic inquiens: Habet autem Typhæ ſemen extrinſecus corticem veluti Olyra & Hordeum, verum decorticatum in panes congeritur: & paulo inferius ait: Ex nobiliſſima Olyra, cum, vt decet, fuerit decorticata, nominatum Tragum conficiunt, quo pleriq; vtuntur. Quibus plane conſtat, Olyrã decorticari in area non poſſe flagellis, quemadmodum nec Hordeum, nec Zeã nec Auenã, dum in area concutitur, ſed opus eſſe, vt in pilis pinſentur, vt etiam hoc auo moris eſt apud omnes.*

Cenſura XXIIII. de Olyra, quam Secalem cenſet.

## CHONDRVS.

*EX ea fruge parari Chondrum exiſtimat, quam quidam in Italia, vt in Tridentino agro, Scandellam vocant, quod merito redarguit omnium agricolarum conſenſus, qui dicunt hanc eſſe Hordei genus non Zeæ. Hordei enim plura habentur genera, vt quis ex Theophraſto noſſe poteſt libro octauo, capite quarto, de plantarum hiſtoria. Quæ ſi recte expendantur, nil aliud Scandella erit quam Hordeum minus, quæ binis tantum verſibus ſpicam gerit, rotundiore etiam grano. Nam præter id, quod per omnia, nempe facie & viribus, Hordeum referat, conſtat non eſſe Zeam, quam Dicoccon appellant, quod nunquam Scandella reperta ſit, quæ Zeæ illius modo in geminis putaminibus coniunctum ſemen habeat: quo fit, vt nullo pacto Scandella inter Zeas recenſeri poſſit. Zea autem Dicocco abundat Goritienſis ager, & Forojulienſia arua, ibiq; vulgo Pirra Farra dicitur, quod Zea ibi ab incolis in vniuerſum Pirra vocetur. Cæterum quia ex hoc Zeæ genere Halicam, ſiue Chondrum ſibi parant, quam ipſi Far appellant, licet falſo (differt enim ab Halica Far) ideo eadem Pirra Farra nominatur a ruricolis. Huic alius eius affinis eſt error, quod ſcripſerit putaueritq; Far ab Halica nihil differre, idque ex Scandella parari, quam Zeam Dicoccon cenſet. At Plinii teſtimonio, Far nihil aliud eſt quam frumenti vel tritici genus, Adoreum vocatum. Ille enim libro 18. cap. 8. ita ſcriptum reliquit. Frumenti*

Cenſura XXV. de Chondro.

Cenſura XXVI. de Farre & Halica quæ idẽ facit.

*menti genera non eadem vbique, neque vbi eadem, ſunt iiſdem nominibus. Vulgariſſimum Far, quod Adoreum veteres appellauere. Item eodem capite, vt palam faceret aliud eſſe Zeam, e qua fit Halica, aliud vero Far, Qui Zea vtuntur, inquit, non habent Far. Item cap. 7. eiuſdem libri Populum Romanum, ait Farre tantum e frumento trecentis annis vſum Verrius ſcribit. Quo tempore Romanis nullus fuit Halicæ vſus, vt ipſemet teſtatur Plinius libro 22. cap. 25. cum inquit: Halica res Romana eſt, & non pridem excogitata, neq; arbitror Pompeii magni ætate in vſu fuiſſe. His accedit Aſclepiadis & Galeni authoritas libro ſeptimo de comp. medic. ſecundum locos in quodam eclígmate ad cruenta ſputa, vbi ſic habet: Farris Cluſini appellati ſextarii dimidium, decocti Marrubii viridis ſextarium vnum. Hæc in vas vitreum coniecta per diem & noctem macerari ſinito, ſequenti die pharmacum molito, quemadmodum Halicam maceramus: hæc Galenus. Quibus palam eſt a Farre differre Halicam. Galeno ſubſcribit Aetius lib. 9. cap. 45. his verbis: Quod vero Latine in regionibus Romæ vicinis Far appellant, hoc modo paratur. Frumentum modico tempore aqua madefacito, indeque extractum, ac in pilam coniectum, veluti Ptiſanam a cortice repurgato, vbi vero corticem exuerit, tollito, atq; in ſole ſiccato: deinde manibus tritum, donec penitus à cortice fuerit mundatum, craſſiſſime molito, ita vt granum vnum in quatuor aut quinque partes redigatur, & ſiccum aſſeruato. Vſus autem tempore Halicæ modo coquitur, & a ſanis in cibum ſumitur. Hæc ille. ad quæ certe pertingere debuerat ille magnarum centuriarum conſtructor.*

## PHASEOLVS.

Cenſura XXVII. de Phaſeolo quẽ Eruiliam ſtatuit.

P*Haſeolum, ſiue Phaſiolum, non paruam illam & vulgarem, quam Galenus Ochron appellat, ſed magnũ eſſe Eruiliam falſo contendit. Quandoquidem Eruilia illa maior Latinis Piſum dicitur, non autem Phaſeolus. Differre autem Phaſeolum ab omni Eruilia & Piſo, teſtis eſt Plinius lib. 18. cap. 7. ſic inquiens: Frumentis fiſtula harundinaceum, Fabæ rotundum, & magnæ leguminum parti. Longiora Eruiliæ, & Piſo. Phaſeolis venoſa. Quibus palam eſt, nec Eruiliæ genus, nec Piſum eſſe Phaſeolum. Conſtat præterea Eruiliæ cuiuſque generis, vel Piſi ſiliquas elixas in cibis a nemine mandi, quod adeo duræ ſint cartilagine, vt nulla manſu dentibus confici queant. Contra vero vulgaribus, genuiniſq; Phaſeolis accidit. Id quod idem fatetur Plinius cap. 12. eiuſdem libri, vbi ſic habet. Siliqua rotunda Ciceri, cæteris leguminum longæ, Piſo cylindriacæ, Phaſeolorum cum ipſis manduntur granis: id quod noſtris Phaſeolis vulgaribus accidit. Nam tenellas eorum ſiliquas ſuis granis refertas, modo in acetariis Aſparagorum modo, nunc vna cum braſſicis elixas, ante maturitatem æſtate comedimus: quod tamen nulli alii leguminum generi à natura datũ eſſe comperimus. Hinc itaq; palam eſt, Phaſeolum Dioſcoridi nullam eſſe Eruiliam, ſed vulgaris vſus Phaſeolum, qui paſſim in cãpis ſeritur. Quippe non tantum folia illi inſunt (vt Plinius inquit) venoſa, ſed (vt Dioſcorides ait) deuoratus inflat, ſpiritus ciet, & ægre concoquitur. Quin etiam viridis cum ſiliqua ſumptus, aluum emollit. Annon in idem cadit erratum, quum Eruiliam, quam confundebat cum Phaſeolo, Dolichum à Theophraſto credit appellari? quum Dolichum ille teſtetur aperte adacto longo palo conſurgere. Id quod maxime denotat, Dolichũ nil aliud eſſe, quam varium Phaſeolum illum, qui Dioſcoridi hortenſis Smilax dicitur. Quippe in primis hic longiſſimos aſcendit palos, qui Lupi Salictarii modo ſe circumuoluit, nec alibi, quam in hortis ſeritur: quinetiam eius ſiliquæ ſimul cum granis, perinde ac aliorum Phaſeolorum, manduntur in cibis. Id quod in præfatione ſecundi libri de Alimentorum facultatibus teſtatur Galenus, & Paulus Aegineta libro primo. Atqui ſi pluribus inanem ſuam velit ſententiam confutari, commentarios noſtros in Dioſcoridem conſulat. Plura enim ibi reperiet, quæ hic ſilentio prætermittenda duximus, ne plantarum potius hiſtoriam ſcribere, quod in aliis vberius exequuti ſumus, quam iſtius temerarii hominis imperitiam ac negligentiam videamur aperire, quod iam noſtrum eſt inſtitutum, ſed id breuiter: ne ſi omnino tacuerimus, ille ſua temeritate in cæteris noſtra abutatur modeſtia, ſin copioſius, ne iuſtum excedamus modum.*

Cẽſura XXVIII. in Dolicho.

## LAPATHVM SIVE RVMEX.

Cenſura XXIX. de Rumice.

A*Ciam propemodum vereor, ne quis eruditus tandem faſtidiat in audiendis innumeris & turpiſſimis iſtius hominis erratis: quæ ſi nuda in medio ponerem, cui non iſta ſtomachum moueãt? Nunc ita vniuſcuiuſq; occurrere ſtudeo prudentiæ, vt non parum hoc quemq; conſolari debeat, quod in huius refrenanda audacia plura interim a nobis afferuntur non infrugifera, & (niſi me ſpes fallit) non indigna eruditis auribus. Id vnum ſiquidem hic vbiq; laboro, vt & Luſitani, qui tam infide ac improbe aliorum verſat ſcripta, pateſiat audax inſcitia, & veritas ſimul in his tenebris non ſine lectoris emolumento eluceſcat. Verum ſic à nobis vtrumq; eſt peragendum, vt plura, & abſolutius nos alias de his acturos meminerimus, vtque contra Luſitani inſultus, ac imperitiam, non parum hinc quoq; roboris & lucis accedat. Quare (quod in cæteris ſum facturus) iam accedam ad ea, quæ de Spinachio, ſeu Rumice ille profert. Nam quod hortenſe olus, Spinachium nobis paſſim vocatum, ſatiuum Lapathum eſſe aſſerat, meo certe iudicio longiſſime aberrat, quod Spinachium cum Rumice vel Lapatho nihil habeat cognationis: ſiquidem nec folio, nec caule, nec flore, nec ſemine, nec radice Spinachiũ Lapatho ſimile cernitur: quemadmodum nec guſtu, nec viribus. Conſtat item Galenum (etſi contrariũ fortaſſe ſomniauerit Luſitanus) Spinachii, quin nec Hortenſis Lapathi meminiſſe inter olera, ſed tantum ſylueſtris Lapathi, cum inquit: Licet cuiuis (vt ante diximus) Lapathum appellare Betam agreſtem, vt quod non guſtu modo, ſed viribus etiam Betæ hortenſi eſt adſimile. Verum cum Beta Lapatho ſit ſuauior, iccirco nemo eſt, qui non ipſa libentius veſcatur: hactenus Galenus. Quibus palam eſt Spinachiũ, Lapathum eſſe non poſſe: nam præter id, quod Spinachium nihil cum Lapatho habeat ſimilitudinis, ſylueſtre olus non eſt, ſed hortenſe. Quo fit, vt ſylueſtris Beta etiam appellari nequeat. Adde quod Spinachium ſuauius, & cibo gratius olus ſit, quam Beta. Vane idem ſibi perſuadet Lapathum communis vſus nunquam in ciborum vſum conceſſiſſe, cum Galenus loco iam citato, vbi ſylueſtre Rapum inter olera, quæ comeduntur, recenſuit, eam ſylueſtrem appellarit Betam. Quin etiam & Tridentina, & Goritienſia rura, totiuſq; fere Italiæ agreſtes homines id maxime cõprobant, cum vere ſylueſtris Lapathi plurimum manducent, quod eo tempore tenella habeat folia.*

Spinachium.

Spinachium nõ eſſe inter Lapathi genera recẽſendum.

Vana Luſitani perſuaſio.

## CHONDRYLLA.

Cenſura XXX. de Chondrylla.

C*Hondrylla Dioſcoridi caulem, flores, & folia habet Cichorio ſimilia, adeo vt inter Cichorii ſpecies veniat numeranda: tenuior tamen tota Cichorio eſt. At Luſitanus, qui in Dioſcoridis lectione*

maxime

*maxime verſatum ſe vbiq; cenſet, Chondryllam folio eſſe hortenſi Intybo minus recte ſcribit. Id quod procul dubio oſtendit Chondryllæ ſtirpem aliquam nunquam vidiſſe Luſitanum.*

## GINGIDIVM.

*NEc errore vacant, quæ de Gingidio cenſet, quippe qui velit recentiores quoſdam ſequutus, nil aliud Græcis eſſe Gingidium, quam vulgare illud Olus quod Cherophyllum, vel Cherofolium vocant. Atqui Cherophylli folia, pariter ac radices nihil amaroris ad ſtrictioniſq; mandentibus relinquunt, ſed potius dulcedinis & acutatis tantillum reſipiunt, quum tamen Dioſcoridis & Galeni teſtimonio Gingidiū herba ſit adſtrictionis & amaritudinis non obſcuræ, adeo vt ſit etiam ſylueſtri Paſtinaca amarior, & ob id (vt Galenus inquit libro ſecundo de Alimentorum facultatibus) potius fuerit hæc herba medicamentum, quam alimentum. Adde quod Galeno libro de Cibis boni & mali ſucci cap. octauo, & Attenuante victus ratione capite tertio, Gingidium herba ſit ſylueſtris: contra vero Cherophyllū, quod paſſim in hortis ſeritur, ad obſonia.* Cenſura XXXI. de Gingidio quod Cherophyllum facit.

## SCANDIX.

*NEc minus improbari debet, quod ſenſerit legitimā Scandicē eam eſſe herbam, quæ in ſegetibus naſcitur, plerunq; in agrorū extremitatibus Cherophyllo ſimilis, Geranii æmulus, in quibus conditur ſemen: quandoquidem hæc herba nec amara eſt, nec ſubacri guſtu deprehenditur. Id quod in Scandice Galeni teſtimonio non obſcure percipitur, adeo vt hanc ille retulerit inter ea medicamenta quæ ſecundo ordine intenſo, vel tertio incipiente excalfaciunt. Præterea quum Scandicis hiſtoriam (quod viderim, legerimq;) nemo ſcripſerit antiquorum, arduum ſane videtur, vel potius temerarium decernere, & pro certo aſſirmare hanc vel illam plantam eſſe Scandicem. Quippe hæc quam, alios ſequutus, Scandicem appellat Luſitanus (vt rei herbariæ periti exiſtimant) eam maxime refert plantam, quæ Plinio Veneris Pecten appellatur, vt latius in commentariis noſtris ſcriptum reliquimus.* Cenſura XXXII. de Scandice.

## HIRCI BARBVLA.

*QVantum in cenſenda Hirci Barbula fallatur Luſitanus, ii facile noſcent, qui in re herbaria eius legerint enarrationes. Ille enim, vt noui aliquid afferre videatur, ſi vera deſint, fabuloſa afferre non ambigit. Scribit is duas Tragopogonis eſſe ſpecies, alteram flore purpureo, alteram luteo, ſed vtrique radicem eſſe paruam bulboſam, aliquantulum oblongam, Auellanæ nucis magnitudine, dulcem, & eſui aptam, quam pueri in Hiſpania in campis eradicantes a ſimilitudine paruarum nucum Nucellas appellant, & illarum eſu maxime delectantur. Sed aberraſſe deprehenditur, quod non ſolum Dioſcorides, ſed & Theophraſtus, & Plinius ſcriptum reliquerint, Tragopogon radicem eſſe longam ac dulcem. Id quod Sole clarius viſitur in genuina Hirci Barbula, non autem bulboſam Nucis Ponticæ magnitudine. Quibus palam eſt, quam diligenter quamque accurate diligens enucleator legerit Dioſcoridem (vt Theophraſtum & Plinium prætereā) quem enarrandum ſuſcepit. Is enim (quantum video) eam plantam Tragopogonum putat, quam Fuchſius in Commentariis de Stirpium natura Apios admentitur. Planta hæc in Bohemia frequens, non in agris tantum ſed etiam in vineis: Germani Terræ Nucem appellant. Sed quam habeat cum Tragopogono cognationem, ego ſane nullam video.* Cēſura XXXIII. de Hirci barbula. Luſitanum non legiſſe Dioſcoridem niſi oſcitanter.

## SMILAX HORTENSIS.

*NOn paruo profecto etiam errore notatur Luſitanus, vt Dioſcoridem de Hortenſi Smilace diſſerentem de omni Phaſeolorum genere ſub Smilacis illius nomine ſcripſiſſe arbitretur, cum vulgares Phaſeoli, quibus paſſim in cibis veſcimur, dum ſati in campis virent, non repant, nec adeo frutices conſcendāt, vt Smilacis modo topiarias ſcenas inumbrare queant. Præterea quum vulgaris Phaſeolus paſſim in campis ſeratur, cæterorum leguminum more, quo pacto, quaue ratione hortenſis Smilax vocari poſſit, profecto neſcio. Sed quoniam hæc longe pluribus nobis comprobata ſunt in Commentariis noſtris in Dioſcoridem, eo Luſitanum remittimus.* Cenſ. XXXIIII. de hortenſi ſmilace.

## THLASPI.

*NEc minus decipitur Luſitanus in expendendo Thlaſpi, quod dixerit in eo latum percepiſſe ſemen, & folia in cacumine diuiſa. Ac ſi ex verbis eius coniecturam facere licet (quod tamen pace eius dixerim) nunquam vidit Thlaſpi. Non enim Thlaſpi ſemen latum eſt, vt Galenus teſtatur, ſed rotundum, ſimile milio, & aliquanto longiuſculum, & proinde recte ſcripſit Dioſcorides, Thlaſpi ſemen eſſe Naſturtio ſimile. Latus quidem folliculus eſt, qui ſemen ipſum includit, ſed qui folliculum dicant eſſe ſemen, neminem habeo præter vnū Luſitanum. Cæterum Thlaſpi folia (vt intuentibus facile patebit) nuſquam in cacumine diuiſa ſpectantur, ſed folliculi, qui ſemen concludunt, vt in commentariis noſtris quis legere poterit, vbi hunc Dioſcoridis locum reſtituimus.* Cenſ. XXXV. de Thlaſpi.

## ZEDOARIA.

*QVod Zedoaria & Zurumbetum Mauritanis idem non ſint, aduerſus Luſitanum reclamat Serapio, qui de his diuerſis capitibus diuerſam ſcribit hiſtoriam. Deinde quod Zedoariæ radix ſit herbæ, Zurumbetum vero arbor procera, infrugiferaque, citreum odorem ſpirans, folio Salicis colore ex viridi in luteum langueſcente, vt idem Serapio ſcriptum reliquit. Zurumbetum Paulo Arnabo appellatur. Aetius tamen vtriuſque meminit, Zedoariæ, ſcilicet, & Arnabonis variis in locis, tanquam de medicamentis inter ſe differentibus. Sed Luſitano perinde ac aliis quibuſdam errandi anſam dedit Serapionis interpres, qui capite centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, Zedoariam falſo Zurumbetum appellat. Patet interpretis error Serapionis ipſius teſtimonio, quippe qui capite ducenteſimo ſeptuageſimo primo, de Zurumbeto egerit, & longe alia à Zedoaria fecerit.* Cēſura XXXVI. de Zedoaria. Serapionis interpretis lapſus.

## STRVTHIVM.

Cenſ. XXXVII. de Struthio.

Cenſ. XXXVIII. in Luſitani fabulam.

*STruthium, ſiue Radiculam, ſiue Lanariā herbā magno ſane errore nihil à vulgaribus Saponariis differre putat Luſitanus. Quippe quod harū nulla ſpinoſo proueniat folio, quū tamen Theophr. ac Plin. Struthium aculeata ſit planta, & caulē proferat fœnilaceū. qui talis iis Saponarius, de quibus meminiſti, non viſitur. Adde quod neutrum Saponariæ genus ſternutamenta ciere valeat. Ad fabulam autē maxime ridendā, & potius longo Cachinno explodendā, quam verbis refellendā, quam narrat Luſitanus de herba illa in eius caſtelli mœnius naſcente, à quo ſe oriundum facit quæ flore ſit Passerculi effigie, eo q ibi paſſeres quam plurimi nidificent, & ſemine in coitu eiaculato herbæ radices reſpergant nil aliud dicendū cenſemus, niſi quod hic ſuis deliramentis colophonē addiderit Luſitanus. Cæterum ſi prope nidificantes paſſerculos, naſcentes plantæ ob id flores paſſerculorū illorū formā proferāt q earum radices eorum ſpermate madeſcāt, cur fiat igitur q plurimorū animantium formas, qui in campeſtribus, & ſyluis morantur, in quam plurimis non reperiantur herbis, quotidie eorū ſemine perfuſis. Luſit. ipſe dicat, qui ſua ſingulari amentia, nouam hanc philoſophiā excogitauit, in qua ſi fortaſſe perſeuerandum ſtatuerit, diſcat etiam a circulatoribus ſcribere Mādragoras ex humani ſeminis profuſione oriri: quin & Antirrhinum ex bubulo, quod eius ſemen vaſculis includatur, quæ vitulina referunt capita.*

## CYCLAMINVS ALTERA.

Cēſura XXXIX. de altera Cyclamino. Luſitanus inaniter Matthiolum citat.

*GRaue, & permoleſtum mihi eſt, q in Cyclamino ſui erroris me faciat authorem, cum dicat Matthiolū Senenſem alteram Cyclaminum a ſe conſpectam affirmare, radice parua Auellanæ perſimili, tametſi hactenus ille nunquam viderit. Quibus conicere quis recte poterit, quā ille oſcitanter commentarios noſtros legerit, & inaniter me citauerit: quandoquidem nobis nuſquam dictum eſt Cyclaminum alteram, cui ſuperuacuam radicem aſſignat Dioſcorides radice conſtare parua, Nucis Ponticæ magnitudine, quum ibi recte affirmauerim Cyclaminum hanc me nuſquam vidiſſe in Italia.*

## BVLBVS ESCVLENTVS.

Cenſura XL. de Bulbo Eſculēto.

*NVllum diſcrimen cernit diligens & ſolertiſſimus rerum inſpector inter Eſculentum Bulbum, & Aſcalonicum Cape, quod nos vulgo vocamus Scalongna. At quantū diſtant? Aſcalonicum enim Cape inter Caparum genera antiquis recenſetur, non autem inter Bulbos. Luſitano refragatur maxime Theophraſtus, quippe qui lib. 7. cap. 4. de Plantarum hiſtoria, Aſcalonicum Cape, ac alterum eiuſdem generis Fiſſile appellatum inter Caparum genera recenſuit, non inter Bulbos, de quibus ſpeciatim egit cap. 13. eiuſdem libri, cui ſubſcribit Plinius lib. 19. cap. 6. ſic inquiens: Allium, Cepaſq; inter Deos iureiurando habet Ægyptus. Genera apud Græcos plura, Sardia, Samothracia, Alſidena, Setama, Schiſta, Aſcalonia ab oppido Iudææ nominata. Demū Galenus lib. 6. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, Eſculentos Bulbos amaroſos, ac pariter adſtringentes facit. Id quod rurſus repetiit lib. 2. de Alimentorum facultatibus. Quæ tamen qualitates in Aſcalonia Capa non reperiuntur. Ipſa enim acris eſt valde, perinde ac cætera Caparum genera, nec quicquam ei ineſt amaroſi ſaporis. Equidem putabam hæc non ignoraſſe Luſitanum, quum illum compertum habeam oriundū à locis quibuſdam non procul ab Aſcalone Iudææ.*

Cæparū genera.

## ARGEMONE ALTERA.

Cenſ. XLI. de altera Argemone quam Argentinam facit.

*ALteram Argemonem Dioſcoridi adulterinam eſſe non ambigimus, vt in Commentariis noſtris diffuſius diximus, ſed hoc fortaſſe neſciens Luſitanus, ne huius plantæ videretur ignarus, Argemonem eam plantā eſſe cenſet, quæ recentioribus quibuſdam Argentina dicitur, non alia (vt opinor) ratione, quam quod Argentina folia gerat vulgari Agrimonio ſimilia, quæ quantum cum Sylueſtri Papauere habeant cognationis, ſimilitudiniſue (talia enim Argemoni alteri requiruntur folia) ii iudices erunt, qui plantarum hiſtorias diligentiſſime explorauerunt, & Luſitani imperitiam norunt. Qui cum fortaſſis ſibi perſuaſerit, eam ob cauſam Eupatorio Argemonii nomen acceſſiſſe, quod foliis & facie Argemonem hanc referret, nomenclationibus magis innixus, quam plantarum ipſarum notis, hic etiam miſer ſe deridendum dedit.*

## TELEPHIVM.

Cenſura XLII. de Telephio, quod Semperuiuum tertiū facit.

*QVantum in Cenſura Telephii hallucinetur, qui vult Telephium Dioſcoridi nil aliud eſſe, quam tertium Semperuiuum, illud ſane ſtatim oſtēdit, quod Dioſcorides de Telephio lib. 2. & de Semperuiuo illo lib. 4. ſcripſerit, & quod nec nobis ſcriptum reliquerit Dioſcorides tertium Semperuiuum quibuſdam Telephiū vocari. Siquidem Dioſcorides has nomenclaturas non recipit, ſed tantum adducit: quamobrem nō eſt propterea dicendum tertium Semperuiuum eſſe Telephium: quemadmodum (exempli gratia) nec Helſine, quam Parthenium quoſdam appellaſſe Dioſcorides ſcribit, Parthenium eſt, nec Aſarum Baccar eſt, nec Aſplenum Hemionium, nec Gingidiū Lepidium: tametſi hæc omnia aliarum plantarum nomine quibuſdam appellentur. Nam ſi Dioſcoridi idem eſſet Telephium, & tertium hoc Semperuiui genus, non fuiſſet illi opus de altero per ſe 2. lib. ſcribere, de altero vero lib. 3. inter Semperuiui genera, vt etiam compertum habemus feciſſe Pliniū, qui lib. 27. cap. 13. de Telephio egit, libro vero 25. de tertio Sēperuiuo, poſtquam de aliis duobus generibus diſſeruit. Adhæc ſi Telephii facultates apud Dioſcoridem & Plinium expendantur, Telephium videmus vitiligines ſanare, quinetiam vulnera, & ſinus: hoc vero Semperuiuum ſtrumas tantum diſcutere.*

## AGARICVM.

Cēſura XLIII. de Agarico.

*LOnge ab omni ſcopo eos medicos aberrare ſcribit Luſitanus, qui Agarico in paſtillis conformato paſſim vtūtur, noua ſua quadam opinione ductus, quod Agaricū contritū nullo pacto diu ſuas vires ſeruare poſſit. At nos illum errore ſane longe maiori procul dubio duci cenſemus, eoq; præſertim, quod nullam afferat rationē, nec probatiſſimorum ſcriptorum authoritatem, qua ſuam fulciat ſententiam. Porro Meſues clariſſimus inter Arabas, & qui in componendis medicamentis primas tenet, Agaricū in paſtillos redigi ſuadet, vt vna cum iis, quibus excipitur medicamentis tractu temporis debitā acquirat mixtionē: id quod expedit omnibus cōpoſitis medicamentis. Nec video cur tam facile quicquid tenuium partium in eo extiterit (vt friuolis admodū verbis contendit Luſitanus) euaneſcere poſſit. Siquidem cum Meſue paſtilli de Agarico Salem foſſilem, Gingiber, & Oxymeli excipiant: non ſane conſtat, cur tam facile tenuior Agarici pars in aurā reſolui poſſit, cum nellis proprium*

primum ſit in ſuo vigore admiſta diutius aſſeruare, Salis vero & Gingiberis huic medicamēto facultatē augere. Fruſtra quidem tot catapotiorum maſſas, quæ Agaricum excipiunt, Septiſ ſiaconfectas aſſeruarent, quin & electuaria aluum ducentia, ſi Agaricum in puluerem tūs additum ſua ſtatim deperderet vires. fruſtraque illud in Theriaca addidiſſet Andromachus. Quamobrem omnino explodenda erit Luſitani ſententia qui præter omnium clariſſimorum virorum placita, ſolus iubeat Agaricum ea ipſa hora eſſe contundendum, ac aliis addendum medicamentis, quæ expedit illo uti.

## RHABARARVM.

Censura XLIIII. de Rhabarbaro.

CÆterum de Rhabarbaro ſcribens Luſitanus, medicos illos magno teneri errore contēdit, qui toſtum, vel uſtū Rhabarbarū dyſentericis propinant, ea ratione adducti, ꝙ omnia quæ igni torrentur ob contractam acredinem abradant. Quare ſuadet, vt à Rhabarbaro in dyſentericis omnino abſtineant medici. Atqui ſi Rhabarbarū dari libeat, non uſtum, neq; aſſum eſſe propinandum, ſed crudū, hac tamen conditione vt prius auferantur ab eo tenuiores partes. Id q; facile (vt ipſe ait) effici poteſt, ſi ex aqua Plātaginis vel Roſarum maceretur. Verum Luſitano maxime refragatur Meſues, ubi Rhabarbari vires expendit his verbis. Rhabarbarū toſtum dyſentericis probe confert. Et paulo ſuperius ait, Quod ſi poſt hasce functiones viſcera adſtrictione roborante egerint, ipſum quidem Rhabarbarum in puluerem contritum exhibendum fuerit. At illud ꝙ igne torreſcit, vehementer operatur, ac etiam vehementius id quod cōburitur. Hæc Meſues. Sed audiat etiā Galenū, qui lib. 9. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, combuſta torrefactaq; medicamenta dyſentericis dare ſuadet, nempe Cochleas, Cornu Ceruinum, Opium, Gallas, Malicorium, Pini corticem, Hyoſciamū, Acatiam, & alia plura vino nigro excepta. Præterea XI. de Simplicium medicamentorum facultatibus, exuſtas etiam Cochleas cum Galla & Pipere dyſentericis commendat. Quibus ſane patet non modo hoc in medicamento ſpernere Galenum Cochlearum, & Gallarum combuſtarum acredinem, ſed etiam addere Piper acerrimum medicamentum. huiuſmodi medicamentis nulla dubitatione vtuntur etiam poſteriores Græci, Paulus (inquā) Oribaſius, Aetius, Alexander. Adde ꝙ vbi inteſtina vlceribus fuerint affecta, Auripigmētum, Sandaracham, Alumen, Calcem, Aeris ſquammā & alia plura erodentia medicamenta clyſteribus infundunt. His itaq; palam eſt, combuſta, toſtaq; medicamenta non modo nullo prorſus incommodo dyſentericis dari poſſe, ſed magno ſane iuuamento, quod crudis longe magis exiccēt, ac etiam adſtringant: At ſi uſta, & in cineres verſa dyſentericis tuto exhibere ſuadent tot grauiſſimi authores, cur illis toſtum Rhabarbarum interdicat Luſitanus, cōiicere nequeo. Nam ſi Medicorum omnium conſenſu, dyſenteria affecti ali debent aſſatis volatilium carnibus, ouorū vitellis ignitis tegulis toſtis, & aliis quā plurimis alimentis frixis, torrefactisque, cur igitur a Rhabarbaro illo fuerit abſtinendum, nulla penitus (ni fallor) ſeſe offert ratio. Porro ad aliud Luſitani figmentum quo fretus ait plures vidiſſe Luſitanos ſui generis homines dyſenteria affectos uſti Rhabarbari potu interiiſſe, nil aliud reſpōdendum in præſentia ſuccurrit, quam quod nobis minime ſit approbandum, cum ſexcentos homines ad vitam reuocatos ſciamus toſti Rhabarbari potu. Equidem non poſſum nō mirari Luſitanum, quod ſua tantum gentis Luſitanos Rhabarbari uſti potu interemptos in exemplum adducat ac ſi illis tantum fuerit letale medicamentum, cum tamen is (vt ipſius teſtantur ſcripta) toto fere ætatis ſuæ decurſu apud inferiores Germanos primū, & deinde apud Italos ſuam exercuerit medicinā. Demiror itē, ꝙ ita temere quaſi diuinitus edoctus affirmare non ſit veritus potius ex Rhabarbari uſti potu interiiſſe eos, quam ex morbi natura, quū hæc ſciri nō poſſint. Præter id, mihi nunquā perſuaſum velim, longe magis dyſentericis Rhabarbarum illud profuturum, ꝙ aqua Plantaginis vel Roſarum fuerit maceratum, quam toſtum, vel uſtum. Quandoquidem, Galeni teſtimonio, aſſatio uſtioq; plurimū ſiccitatis adſtrictioniſq; medicamētis confert. cōtra vero euenit iis quæ aquis macerātur. Sed hæc fortaſſe in medium adducit Luſitanus Auicennæ teſtimonio confiſus qui dyſentericis Rhabarbarum nullā uſtionem aſſationemq; expertū ex plantaginis aqua bibendum ſuadet. ꝙ fortaſſe neſciuerit Rhabarbarum nil aliud Auicennæ deſignare interpretis lapſu, quam Græcorum Rhaponticum. Quod cum nulla adſtrictoria vi polleat, citra uſtionem, aſſationemq; propinat Auicenna ex Plantaginis aqua, nec id macerat, vt ſibi fingit Luſitanus.

Rhabarbarum toſtum dyſentericis maxime conuenire.

Luſitani inſcitia in cenſendo Auicennæ Rhabarbaro.

## CHAMÆLEO ALBVS ET NIGER.

Cenſura XLV. de Chamæleonibus.

AC cum ille Chamæleonem album cenſet eſſe ſtirpem ſpinis undiq; horrentem, folio grandi, lactis quaſi maculis interſtito quam quidam Carduum Mariæ, quidam a maculis Carduum Lactarium vocant, quidam Suarium, quod eo ſues paſcantur. quis eius opinionem probet? cum Chamæleo albus nullum producat caulem Dioſcoridi, ſed è medio ſpinas echinatas Cinaræ modo. Carduus autem Lactarius caulem profert bicubitalem & quandoq; maiorem adnatis pluribus refertum longis præduriſq;. Radici nulla eſt odoris præſtantia, nec Chamæleonis facultas. Siquidem deuorata Dioſcoridis teſtimonio, canes, ſues, mureſque necat. Contra vero hæc ſues non modo alit, ſed etiam ſaginat. Vnde illi nomen. Poſtremo albo Chamæleoni, Theophraſti teſtimonio, caput requiritur magnum Acano ſimile, non autem paruum qualem Lactario Carduo ſpectatur. Sed qualem in albo, talem & in nigro ſe declarat Chamæleone, exiſtimans hunc inter illud Cardui genus, quod à Carduo Lactario nulla alia dignoſcitur differentia, quam quod huic folia non ſint lacteis illis maculis reſperſa, ſed potius nigricantibus. Cui iſtud comprobabitur? Spina hæc caulem non rubrum, nec dodrantalem, ſed bicubitalem, ac colore viridem effert. Deinde huic flores non ſunt verſicolores, ſed purpurei. Præterea Carduus hic radice nititur alba, integraq;, non Chamæleonis nigri modo exterius nigra, interius vero flaua & pluribus in locis exeſa non acri, ſed potius ſubamara. Adde quod Dioſcoridi Nigri Chamæleonis folia requiruntur rubro colore diſtincta, non maculis infecta nigricantibus. Quibus certum facit omnibus, quanta iudicii maturitate in plantarum cenſura ducatur Luſitanus.

## CROCODILIVM.

Cenſ. XLVI. de Crocodilio, ꝙ Carlinam facit.

AT quam nec ſui ſe præſtat diſſimilem in Crocodilio? Eam hanc opinatur eſſe ſtirpem, quā vulgus herbariorum Carlinā appellat, ea tantum ductus ratione, quod hæc non ſolum in ſyluis, ſed etiā in arenoſis (vt Plinius inquit,) & ſitientibus naſcatur locis. Sed cæcutit non leuiter. quod Carlina, quæ caulem profert, adeo omnibus in vniuerſum notis nigrum Chamæleonem repræſentat, vt neutiquā quis perſuaderi poſſit eam eſſe Crocodilium. præſertim cum facto periculo, iis ſane viribus non præſtet, quibus præſtare Crocodilium Dioſcorides,

Crocodilii miraris.

*Galenus, Plinius, ac alii plerique poſteritatis memoriæ prodiderunt. Crocodilii enim decoctum (horum omnium teſtimonio) potui datum ſanguinem copioſum per nares pellit. Quod ſi præſtaret Carlinæ radix, magno admodum pretio æſtimaretur à Medicis. Adde quod Crocodilio radix ſit longa, lenis, aliquantulum lata, odore, ut Naſturtio, acuto: Carlina vero craſſa, rotunda, aſpera, inæqualis, exeſaque, nullo Naſturtii odore prædita. Adhac Crodilii ſemen, Galeni teſtimonio, acre, odoratumq; percipitur: quæ facultates in Carlina proculdubio deſiderantur.*

## POTERIVM.

Cēſura XLVII. de Poterio, quod Prunū ſyl. facit. Cornarius reprehenditur.

*POterium eam vult eſſe arbuſculam, quam Germani Schlehen, nos vero ſylueſtrem Prunum nominamus, quod idem exiſtimauit Cornarius vir alioqui inſignis, cuius opinionē magis hic ſequitur Luſitanus, quam genuini Poterii hiſtoriam. Ego vero nihil hic contra Cornarium dicam, quem vir Clariſſimus Fuchſius pluribus argumentis copioſiſſime refellit. Quocirca his iā ſuperſedemus, ſolum, ut noſtri memores inſtituti, dicimus utrunq; deceptum, & plurimum aberraſſe Luſitanū, quod ſylueſtris Prunus potius inter fruticoſas arbores recenſeri debeat, quam inter herbas: item, quod nulla penitus conueſtiatur lanugine, quod item ramulis non habeatur longis ac tenuibus Tragacanthæ modo, ſed breuibus, ſolidis, duris, contortiſque: quin nec fructu eſt acuto nec odorato, ſed inodoro, auſtero, adſtringenti admodum ſucco: adeo ut qui dixerit ſylueſtrem Prunum eſſe Poterium (Cornarii, & illius pace dixerim) Tireſia cæcior dici poſſit, vel mente captus. Quo fit, ut mirari nō debeant medici, ſi clariſſimus ille Fuchſius plura in Cornarium uberrime conſcripſerit.*

Fuchſii laus.

## LEVCACANTHA.

Cenſ. XLVIII. de Leucacantha.

*NEc à ſeipſo diſſentit, quod etiam Leucacantham herbam eam eſſe arbuſculam contendat, quæ in ſepibus & frutetis prouenit, folio Pyri, fructu in maturitate nigro, liguſtrinis baccis non abſimili, è quibus elegātiſſimum colorem viridem parant pictores. Quandoquidem Dioſcorides hoc loco de aculeatis herbis egit, non autem de arboribus. Adhac arbuſcula hac, quam nos vocamus Spino Merlo, quidam vero Spino Zerbino, Cyperi radices non habet, ſed arboreas, lignoſas, longas, praduraſque, auſtero ſapore, nulla admiſta amaritudine, adeo ut nihil ſucci inde exprimi poſſit, etiam ſi arctiſſimo prelo ſtringeretur, quum tamen è Leucacanthæ radicibus ſuccum exprimat Dioſcorides, ad rupta & conuulſa ſananda.*

## CRETENSE DICTAMNVM ALTERVM.

Cenſura XLIX. de altero Cretēſi Dictamno.

*CÆterum & de altero Cretenſi dictamno cæcutiſſe Luſitanum non ambigimus, quippe qui ſcripſit videri hoc non modo in hortis ſed etiam in fictilibus ad feneſtras frequenter reponi folio (ut illius verbis utar) Creſonis, flore pulchro, purpureo, qui fricatus odorem ex ſe refert, qualem ex flore Narātii oriri videmus. Sed quam ſibi ipſi imponit? primum quod hoc Dictamnum Theophraſti teſtimonio in Creta tantum proueniat. Id quod videtur etiam fateri Dioſcorides, cum dicat, & hoc ex Creta ad nos aduehi. Præterea quod non ſcripſerit Dioſcorides, quin etiam nec Theophraſtus, nec Plinius Dictamnum hoc folio eſſe Siſymbrii Aquatici, quod Luſitanus, vulgus ſequutus, Creſonem appellat ſed Siſymbrii abſolute, quod indicat, hos præclariſſimos authores de primo Siſymbrii genere intellexiſſe. Siſymbrium enim primi generis, folio eſt Mentha, rotundiore tamen, non autem Eruca, qualia ſunt Creſonis folia, quæ an magis Dictamni foliis ſint comparanda, quam primi generis Siſymbrio, ii diiudicent, qui rem herbariam doctiſſime profitētur. His accedit, quod Dioſcoridis huiuſce Dictamni folia odorem ex ſe mittunt medium inter Siſymbrium & Saluiam, a quo omnino eum diuerſum putamus, quem Arantiorum flores ſuauiſſime fundunt.*

## CALAMINTHA.

Cēſura L. de Calamintha.

Cēſura LI. de tertio Calaminthæ genere.

*EO quod Ferrarienſes, & Longobardi Gattariam herbam Neuedam (quaſi Nepetam) vocent, magno errore ſibi perſuaſit Luſitanus, Gattariam hanc eſſe ſecundū Calaminthæ genus: ſed aberraſſe videtur, quippe Dioſcoridis Calamintha ſecundo loco poſita, folio eſt Pulegii, ut & ſapore, non autem Apiaſtri, vel Vrticæ, quib. Gattaria vocata maxime viſitur æmula. Nec minus item decipitur in cenſenda tertii generis Calamintha, q; crediderit hanc eā eſſe, qua paſſim in Italia utūtur Seplaſiæ. Patet error, q; hæc folia habeat Pulegio grandiora, rotundioraq;, non autē prælonga Mentaſtri modo, cui tertiam Calaminthā ſimilē fecit Dioſcorides.*

## SAMPSVCHVS.

Cenſura LII. de Sampſucho.

*QVanta ſit Luſitani inconſtantia, quāta in nos inuehendi frænu, quantaq; is ſuiipſius capiatur obliuione, is facile intueri poterit, qui legerit eius enarrationes lib. 1. in Olei Sampſuchini confectione, & lib. 3. capit. proprio de Sampſucho. Quandoquidem lib. 1. apertiſſime contendit aduerſus nos ſcribens, Dioſcoridi Sampſuchum nulla ratione eſſe Amaracum & ob id plura ibi in nos machinatur, ut in Apologia ſuperius præmiſimus. Libro vero tertio euidenter fatetur magno ſuæ leuitatis dedecore nil aliud eſſe Sampſuchum, quam Amaracū, vel Maioranam. Quare non modo ſeipſum euidenter confutat, & grauiſſime vulnerat, ſed etiam palam declarat, non aliam ob cauſam noſtram impugnaſſe ſententiam, quam ut nobis aduerſaretur, & quocunque modo ſuum virus in nos euomeret. Tanta in nos inflammatus rapitur cupiditate, quæ mentem ei excæcet, memoriā tollat, & inſane quodam modo ſeipſum deſtruat, ac pene ſubuertat.*

Luſitani leuitas.

## RVTA SYLVESTRIS.

Cenſura LIII. de Ruta ſyl. quam Caryoph. Indicum facit.

*SYlueſtrem Rutam, quam Cappadocibus Molyn, Syris Beſaſa, quibuſdam vero aliis Harmolam vocari Dioſc. inquit, eam eſſe plantam exiſtimat Luſitanus, quam Caryophyllos ultramarinos, vel Indicos vulgus appellat, ſed manifeſte decipitur. Quandoquidem hæc verba præter id, quod folia Rutæ non proferat, flores aureos gerit magnos, ad luteum vergentes, non, ut Ruta ſylueſtris, candidos. Quin etiam capita non producit alterius Rutæ modo ſed longa pluribus eminentibus coſtis ſtriata. Præterea, nec ſemen illi viſitur trianguli ſpeciem referens, neque ſubrufum, ſed longum, nigrumque, nulla amaritudine præditum. Adde etiam quod Galeni teſtimonio ſylueſtris hæc Ruta radicem proferat nigram, id quod in hiſce Caryophyllorum Indorum plantis maxime deſideratur.*

CVMI-

## CVMINVM SYLVESTRE.

SYlueſtre Cuminum quū non viderit, nec nouerit Luſitanus, illud Officinis ruſticum Cuminum vocari ait, perinde ac ſi adeo vulgaris notitiæ fuerit, vt nullo ſit opus examine. quum tamen pauci (ne dicam nulli) reperiantur Pharmacopœi, qui vnum vel alterum ſylueſtris Cumini genus legitime cognoſcant. Nam præter ſatiuum, nullum aliud nouere Seplaſiæ. At Amathus, ne videatur id ignorare, ſylueſtre Cuminum adeo vulgare facit, vt quis illud apud Myropolas intueri poſſit. Quo fit, vt recte intuentibus palam ſit, non Amathum ſylueſtris Cumini hiſtoriam confundere, ſed quid ſit ſylueſtre Cuminum penitus neſcire, & ignorata, tanquā cognita & vulgaria, fateri. Duo enim Dioſcoridi, quem nunquam accurate legit Luſitanus, ſunt Cumini genera inter ſe pluribus repugnantia: ſed hæc negligens Amathus rem omnem confudit. Siquidem nulla generum habita differentia abſolute protulit ſylueſtre Cuminum, Officinis Cuminum ruſticum vocari, quum tamen non deſint rei herbariæ peritiſſimi, qui hactenus de ſylueſtris Cumini generibus nihil affirment.

*Cenſ. LIIII. de ſylueſtri Cumino.*

*Cenſ. LV. de eodem.*

## CORIANDRVM.

IN cenſendo Coriandro quam non hallucinatur, nō decipitur, ſed pene delirat? quod vulgaris vſus Coriandrū ſcribat, non eſſe antiquorum Coriandrum, ſed illis Coriandrum fuiſſe aliam plantam Cicutariam dictam, folio noſtratis Coriandri ſimili. Id quod tueri nititur hoc tantum argumento, quod Coriandri plātam Hiſpani nullo incommodo oleraceis cibis admiſceant. Quin & quod eius ſemen odoratū ſit, & eius pariter herba optimi ſit odoris vel ſaporis. Cæterum hæc quum legiſſem, mirari ſane deſii, quod alia etiam innumera deliramenta in medium adduxerit. Quis autem (Dij boni) Luſitanum hunc nugantem, imo & amentem ignoret, quum dicat Coriandri vulgaris herbam odoris quidem fœtidiſſimi lectulariorum cimicum inſtar optimi eſſe odoris ac ſaporis? Equidem cenſebam vtero tantum gerentes mulieres citta picaq; corripi poſſe. Sed (vt video) Amathus etiam eo morbo laborabat, quod fortaſſe ob multam præſtitam in re medica operam, & ob magnas illas Centurias adeo intumuerit, vt prægnanti ſimilis euaſerit: Vel q; fortaſſe Coriandri tātum inter olera eſitauerit in Hiſpania eius ſaporis, odoriſq; præſtantia allectus, vt inde facile amentiam contraxerit quam facere Coriādrum ſcribit Dioſcorides, vbi largius aſſumatur in cibum. Quo poſtea factum eſt, vt inde Amathi nomen fuerit conſequutus. Præterea cur ſuam probare poſſit Amathus ſtultitiam, quod Coriandrum communis vſus, veterum Coriandrum non ſit quod in cibo acceptum nihil mali inferat, nihil ſane rationis adduci poteſt. Quandoquidem etiam Galeni tempore Coriandrum in obſoniorum venerat vſum, vt ipſe teſtatur Galenus libr. 2. de Alimentorum facult. & libro de Attenuante victus ratione. Quin & Dioſcorides non niſi a largiore Coriandri eſu abſtinere prohibet. Proinde mirum non eſt, ſi cum aliis oleribus pro obſonio deuoratum nihil incommodi afferat, perinde ac Papauer.

*Cēſ. LVI. de Coriandro quod diuer ſum ſit a veterum.*

*Luſitani inſignis amentia.*

## PETROSELINVM.

GEnuinum Græcorum Petroſelinum idem quod Seplaſiæ, & Herbariorum vulgus paſſim Apium vocant, magno ſane lapſu eſſe credit Amathus, quod hoc Paludapium ſit in hortis translatum, riguis, & uliginoſo ſolo gaudens. Contra vero Petroſelinum, quod Dioſcoridis & Galeni teſtimonio, in præruptis & ſaxeis montium locis, vt ipſamet indicat nomenclatio, tantum proueniat, ſemine Ammi odoratiore, ſapore acri aroma olente. Id quod in communi Officinarum Apio nuſquam percipitur.

*Cenſura LVII. de Petroſelino eſſe apium.*

## ELAPHOBOSCVM.

ERrare in Elaphoboſco non modo Amathum cenſemus, ſed pro more etiam falſa narrare ſcimus. Nam vt ſeipſum præclarum oſtendat, ait in quærendo Elaphoboſco ſibi adiunxiſſe duos doctiſſimos viros, quos etiā nominat. At quum horum alter, cuius in commentariis noſtris pluries meminimus ob præſtātiſſimam eius doctrinam, integritatemque, mihi pluries affirmauerit illum nec nouiſſe, nec fortaſſe vidiſſe vnquam, quod illi credam, non habeo.

*Cenſ. LVIII. de Elaphoboſco.*

*Amathus infidelitatis arguitur.*

## COLLVTEA.

COlluteam quibuſdam rei agrariæ authoribus Alburnum vocari affirmat, Italis vero vulgo Aorno. Verū quantum ego legi, cum Alburnum planta non ſit, ſed pars tantum arboris, idem qui ſemper fuit deprehēditur Amathus, Plinii primum teſtimonio, qui lib. 16. c. 38. de Alburno hæc ſcriptis mandauit. Humor & cortici arborum eſt, qui ſanguis earū intelligi debet: pro cute cortex eſt. Proximi pleriſq; adipes. Ii vocantur a colore Alburnum, mollis ac peſſima pars ligni, etiam in robore facile putreſcēs, teredini obnoxia: quare ſemper amputabitur hæc illa. Quibus facile Amathi conuincitur ignorantia. At ſi fortaſſe, vt noſtram effugiat cenſuram, dixerit, non dixiſſe Colluteam vocari Alburnum, ſed Laburnum, & id erroris in Typographum reiecerit, facile reſponderi poterit & hoc eſſe falſum. Quandoquidem Laburnum, teſte Plinio, Alpina tantum eſt arbor dura, & candida materie, cuius florem cubiti longitudine apes non attingunt. Id quod in Collutea ſane deſideratur, quum hæc Alpina non ſit ſed vbique fere proueniat, materie non alba, ſed exterius buxea, meditullio nigra, flore non cubiti longitudine, ſed breui, Geniſtæ modo.

*Cenſ. LIX. de Collutea.*

## SENA.

CÆterum magno etiam errore ſcribit Senā herbam aluum exoluētem eam eſſe plantam (vt ipſe opinatur) quæ Theophraſto Collyrea appellatur. Nam cū apud Theophraſtum duplex ſit Collyrea, nec de qua intelligat explicet, non ſolum hallucinatus deprehenditur, ſed & confuſus, adeo vt quid ſibi velit neſciat. Præterea cum Collyrea vtraque Theophraſto lib. 3. cap. 14. & 17. de hiſtoria plantarum arbor ſit non herba, & vtriuſque meminerit inter arbores, minus conſtare ſibi vana Luſitani poteſt opinio.

*Cenſ. LX. de Sena quam Collyream ſtatuit.*

## GLAVCIVM.

NIſi alium præter ſe teſtem adduxerit Luſitanus, qui Glaucium herbam apud Louanienſes viderit, quæ cū Dioſcoridis hiſtoria concordet, ego illi credam? Nam cum illum tam ſæpe hallucinatum offenderim, ac fabuloſum, vitio mihi dandum non cenſeo, ſi niſi dato pignore illi non crediderim.

*Cēſura LXI. de Glaucio.*

ALYS.

## ALYSSVM.

Cēſura LXII. de Alyſſo, dū Dioſc. & Plinii idem eſſe vult.

*NVllam conſtituit differentiam inter Dioſcoridis Alyſſon, & Plinianum. Sed quam penitus neutrū intellexit? Siquidem Dioſcoridi Alyſſum exiguus eſt frutex vnicaulis, ſubaſper, rotundis foliis, fructu duplicium ſcutorum effigie, quadantenus latum, in montibus & aſperis locis emicās: quæ ſane omnia in ſylueſtri Rubia, quæ Plinio Alyſſum eſt, deſiderantur. Siquidem hæc non adeo exigua eſt planta, ſed plerunq. bicubitalis, nō vno tantū caule creſcens, ſed pluribus foliis minime rotūdis, ſed ſtellæ modo decuſſatis, ſemine rotundo non lato, nec duplex, nec ſimplex ſcutum referente. His accedit, quod Dioſcorides de vtraq. Rubia, maiori nempe & minori tradidit, vno & eodem capite. Id quod illum feciſſe putandum non eſt, ſi Sylueſtrem Rubiam ab Alyſſo diuerſam non indicaſſet, de quo prius dixerat eodem libro.*

## ATTRACTYLIS.

Cenſura LXIII. de Attractyli quam Cnicum Syl. alterū cēſet.

*REdit auſterus & immitis cenſor? virgam, vel fuſtem potius profert. Eiicit omnes ex medicorum, id eſt, ex ſuo ſenatu, & grauiſſime hallucinari eos contendit, qui negant Attractylida alterum Sylueſtris Cnici eſſe genus, eo argumento innixus, quod ſcribat Plinius, primam ſylueſtris Cnici ſpeciem Attractylida quibuſdam vocari. ſed, quantum videre aut conijcere poſſum, Amathus ipſe potius hallucinatur. Nam quamuis ſcribat Plinius primi generis ſylueſtre Cnicum quibuſdam Attractylida nuncupari, nō tamen affirmat, Cnicum illud eſſe Attractylida, nec eorum recipit ſententiam, qui putant genuinum ſylueſtre Cnicum nihil ab Attractylide differre, quemadmodum ſuperius diximus de Telephio differētes, Telephium non propterea eſſe Semperuiuum minus, quod hic etiam Telephium (vt Dioſcorides ſcribit) quibuſdam dicatur, nec Helxinen Partheniū, nec Aſplenum Hemionium: quoniam iis etiam nominibus à nonnullis appellentur. Quamobrem Plinius ipſe eodem libro ſpeciatim de Attractylide egit his verbis: Acarna colore tantum rufo à Scolymo diſtinguitur, & pinguiore ſucco. Idem erat Attractylis quoque, niſi candidior eſſet, & niſi ſanguineū ſuccum funderet, qua de cauſa Phonos vocatur à quibuſdam, odore etiam grauis. Quibus palam eſt, Plinio Attractylida nullum ſylueſtris Cnici eſſe genus. Id quod maxime atteſtatur Theophraſtus lib. 6. cap. 4. de plantarum hiſtoria. Is enim poſtquā de omni Cnici genere diſſeruit, de Acarna, & Attractylide ſpeciatim egit. Adde quod experimento etiam liquet, neutrum ſylueſtris Cnici genus ſanguineum ſuccum fundere. Vnde Amathi minus probari poteſt ſententia.*

## TEVCRIVM.

Cenſura LXIIII. de Teucrio quod Sanguiſorbam dicit.

Amathi opinio exploſa.

*SAnguiſorbam quam Itali Pimpinellā proprie appellant, quamq. frequentiſſime in acetariis addunt, Amathus Teucrium eſſe indicat. At in priſtina ſua verſatur cæcitate, quippe cū ſcribat Dioſcorides Teucriū herbam virgæ effigiem referre Triſaginis ſimilitudine, facile palam fit inter Teucriū & Sanguiſorbam maximā intercedere differentiā. Siquidē hæc nobis Pimpinella vocata iunceis conſtat cauliculis foliis vtrinq. pinnatis, nullam virgæ effigiem, nec Triſaginis formam referentibus. Quod vero Pimpinella hoc nomine ſit appellata, eo quod odore ſit Citruli, quē Hiſpani Pipinū vocant, nobis probare non libet, quum compertū habeamus, vocatam fuiſſe primum Pimpinellam à bipinnitis cauliculis, vnde poſtea corrupta appellatione Pimpinella eſt appellata. Nam cum nullo Citruli odore vel ſapore ſit prædita, cur Amathi ſententiam probem non video.*

## LYCHNIS.

Cēſura LXV. de Lychnide.

*QVæ de Lychnidis viridibus foliis ſcribit Amathus, quod ſcilicet ea oleo illita igne flagrent, & inde nomen traxiſſe ſtirpem, fabuloſa omnino videntur, cum re vera Lychnidis folia, non viridia, ſed ſicca ad lucernarū vſum pro elychnio vſurpauerit antiquitas, vnde ſibi nomen inuenit, non q. viridia flagrent, vt Amathus putat. Quippe λύχνον Græcis lucerna dicitur, ἐλλύχνιον funiculus, qui è goſipio lucernis inditur ad ignem excipiendum. Sunt enim Lychnidis folia admodum villoſa, tomentoſaq., & proinde arefacta ignem facile concipiūt, perinde ac illius Verbaſci folia, quod Lychnide ab eodem effectu pariter appellatur.*

## MARTAGVM.

Cenſura LXVI. Martago.

*MArtagum flores edere Lilio albo ſimiles, ſed croceos aſſeuerat, & proinde Martagum Plinio eam plātam eſſe exiſtimat quam ipſe ab Hercule Petilium vocatam ſcribit lib. 21. cap. 8. At demiror, vbi Luſitanus, qui tanto vſu, tanta omnium rerum peritia eſt præditus, Martagum viderit croceos emittens flores. Mihi enim ante hunc diem, id eſt inauditum, cum flores proferat purpureos, rubentibus quibuſdam punctis reſperſos. Id quod manifeſte arguit, Hemerocallem pro Martago accepiſſe Luſitanum. Namq. is flore conſtat aureo Lilij tum facie, tum etiam magnitudine. Cæterū an Martagum, vel Hemerocallis Petilium ſit à Plinio deſcriptū, fateri ſane non auſim, quum Petilium, Plinii ipſius teſtimonio, autumnali tempore floreat inter vepres colore roſæ ſylueſtris, illa vero cum aliis Liliis media floreant æſtate.*

## TRIFOLIVM.

Cēſura LXVII. de Trifolio, vbi pratenſe cum bitumin. idem facit.

*QVod Bituminoſum Trifolium nunquam viderit noueritq. Luſitanus, hoc argumento facile cōiici poteſt, quod aſſerat pratenſe Trifolium omnibus vulgo notum primo Rutam olere, vbi vero adoleuerit, Bituminis odorem reddere. Atqui hoc falſum eſſe vnicuique conſtabit, qui pratenſis Trifolii odorem olfactu explorauerit. Siquidem id nec Rutam, nec Bituminis quicquam vllo tempore reſipiat. Etenim aliud genus eſt à communi Trifolio, quod Græci Aſphaltite, ab odore nos Bituminoſum vocamus. Iccirco recte ſcripſit Plinius libr. 21. cap. 9. Trifolii tria eſſe genera: Aſphaltite aliud, aliud acutum, Minutum item aliud, quo prata fere omnia ſcatent. Hinc itaque apertiſſime conſtabit, pratenſe Trifolium longe ab Aſphaltite diuerſum haberi, & Luſitanum non paruo in errore verſari.*

## AMBROSIA.

Cenſ. LXVIII. de Ambroſia quæ illi Tanacetum.

*AMbroſiam ait ille eſſe herbam quam vulgo Tanacetum vocant Seplaſiæ. Verum patet eius non mediocris lapſus. Siquidem Ambroſia, Dioſcoridis teſtimonio, puſillus eſt frutex, adeo vt trium palmorum longitudinem non excedat, foliis exiguis circa imum caulem, Rutam referentibus, cauliculis perinde quaſi racemulis,*

*liis grauidis, qui nunquam florent, odore vinoſo ſuauiq; radice tenui ſeſquipedali, quæ omnia in Tanaceto maxime deſiderantur. Nanq; Tanacetũ bicubitales gerit caules, ac etiam quandoq; longiores folia non Rutæ, ſed maioris Millefolii, amaro ſapore, flores aureos globuli modo odore ( quod maxime refert ) graui, ac ingrato. Nullos fert hæc planta racemos cauliculis appenſos, nullus ibi vinoſus odor, nec alias ſuauis. Illud etiam addi poteſt, quod Tanaceto nuſquam viſa ſit radix ſeſquipedalis, ſed breuis, & ſuperuacua.*

Tanaceti deſcript.

## GNAPHALIVM.

*ADeo breuiter, perplexeque Gnaphalii hiſtoriam ſcribit Dioſcorides, quinetiam Plinius illum ſequutus, vt non decernas, quænam planta ex his, quæ in ipſo naturæ viridario coluntur genuinum Gnaphalium repræſentet. At Luſitanus qui hæc, quemadmodum & cætera, leuiter admodum expendit, quandam herbam Gnaphalium eſſe aſſerit, quæ Anconitanis Zigs appellatur, ea tantũ ratione ductus, quod hæc planta tenuibus ſit foliis, mollibus, albicantibusq; quum tamen plura habeantur herbarum genera, quæ his notis inſigniantur, perinde ac herba illa, quæ vulgaribus herbariis Gnaphalii nomen mentitur. Etenim adeo Plinii Impiam repræſentat, vt poſthac ambigendum non ſit, quin Impia nobis ſit deſideranda.*

Cenſ. LXIX. de Gnaphalio.

## OENANTHE HERBA.

*REcentiores quoſdam ſequutus Oenanthen eam vult eſſe plantam, quam Filipendulam vocant, cum potius Oenanthe, Dioſcoridis teſtimonio caulem craſſum palmi longitudine gerat, ſemen quale in Atriplice ſpectatur radicem magnam in multa rotunda capitula extuberantem, naſcaturque in petris. At longe aliter prouenit Filipendula. Etenim non in petris, ſed in pratis, & læto ſolo naſcitur, radice nuſquam magna, quæ in rotunda capitula extuberet, ſed fili modo tenuis pluribus appenſis globulis non rotundis, ſed potius glandium figura, vt in pæonia, ſed longe minorib. vnde illi nomen. Semen præterea Atriplicis illi non ineſt ſed globuli inſtar quadruplici apice mucronati, vt in Buxo: quin nec caulis illi viſitur craſſus, ſed tenuis non palmari longitudine ſed bicubitali. Quibus palam eſſe non ambigimus, Oenanthen a Filipendula quam maxime abeſſe.*

Cenſ. LXX. in Oenanthen ... Filipendulam Filipend. deſcriptio.

## PHYLLVM.

*DVm in Phyllo Ruellii ſententiã improbat Luſitanus, ſeipſum ignorãtiæ manifeſte accuſat his verbis: Hãc Ruellius alterã Perſicariã eſſe credit quo vero iudicio alii iudicent. Eſt vero hodie herbula quædã, vnico tantum ornata folio, & inde Vnifolium dicta, Semen racemoſum ſerpentis ſimilitudinem ferens. His herbã illam deſcribere videtur Luſitanus, quam quidam Ophioglossum, id eſt, ſerpentinam linguam vocauere. Sed plurimum is à veritatis ſcopo, & a veris ipſius herbæ delineamentis digreditur. Etenim præter id quod ſemen racemoſum non proferat id nullã ſerpentis imaginem oſtendit, ſed ſerpentis potius linguam imitatur. Id quod certo arguit Luſitanum, hanc plantam negligenter admodum examinaſſe. His accedit alius illius lapſus, quod affirmauerit Dioſcoridis Phyllum eſſe Ophioglossum, cum nullis prorſus notis conueniant.*

Cenſ. LXXI. in Phyllo, quod Ophioglossum facit.

Cenſ. LXXII.

## HORMINVM.

*ALiorum quorundam inſiſtens veſtigiis pro certo aſſeuerat Horminum eam eſſe, quam quidam Sclaream, alii Matriſaluiam, nonnulli herbam S. Iohannis vocant. Sed cum Horminum Dioſcoridi plãta ſit Marrubio ſimilis, caule ſemicubitali, circa quem eminentiæ ſiliquarum forma prodeant ad radicem ſpectantes, in quibus ſemen includitur oblongum nigrumq;, neutiquam crediderim, Sclareã ipſam, quæ miro odore fragrat, eſſe Horminum. Quandoquidem hæc folio eſt Verbaſci, nõ Marrubii, caule bicubitali, non ſemicubitali. Præterea Sclareæ caulis nullis veſtitur ſiliquis, ſed rami, qui ex caule ipſo prodeunt multi. Adhæc ſiliquulæ in quibus ſemen concluditur, rotundum, non oblongum ad radicem non ſpectat ſed ad verticem. Adde etiam, quod nulla odoris præſtantia Horminum commendauit Dioſcorides. Etenim illius odoris fragrantiam nunquam ſilentio inuoluiſſet Dioſcorides. Quo fit, vt cum hæc non perpenderit Luſitanus, aliorum tãtum opinione imprudens abductus errauerit vna cum illis, quorum ſequitur errores.*

Cenſura LXXIII. de Hormino, quod Sclaream ſtatuit.

## ONOSMA.

*ONoſma inter vulgares Rapunculos, quibus paſſim vtimur in acetariis, naſci Luſitanus ſcribit: quin & illis adeo Onoſmam ſimilẽ facit, vt difficile ab ipſis dignoſcatur. At quũ Onoſma folio ſit Anchuſæ, Dioſcoridis teſtimonio, quæ non minus diſtat a Rapunculo, quam equus à lepore, illico friuolam, & ſtolidam nimis, vt cæteras omnes, opinionẽ induit Luſitanus. His accedit quod Onoſma non niſi in aſperis naſcitur, radice ſanguineum ſuccum fundente: id quod maxime deſiderari poteſt in Pſeudorapunculo illo, quod is radice ſit alba, tenui, ac ſuperuacua, nullo vnquam tempore cruenta.*

Cenſ. LXXIIII. de Onoſma, quod Rapunculum fecit.

## ANTYLLIS.

*QVin & in Antyllide cenſenda plurimum decipitur, cum velit, quinimo & affirmauerit, eam legitimam genuinamque eſſe Antyllidem, quæ Mauritanis Kali, ſiue Alkali appellatur, cuius cinere vtuntur ad conflanda vitra. Error non magno negotio deprehenditur. Etenim cum Dioſcoridi duæ ſint Antyllidis ſpecies, altera quæ Lenti ſit ſimilima, foliis mollibus, ramulis rectis, palmi altitudine, altera vero foliis Aiugæ hirſutioribus, non video cur credam Alkalim Antyllidas vtraſque referre, quum nullis conueniat notis: quippe Alkali, cum primum è terra emerſerit, folio eſt tereti, pingui, minori Sedo non abſimili, quod poſtea in dodrantalem fere longitudinem adoleſcit, geniculatimque protrahitur Equiſeti modo. Quum vero iam adoleuerit ( vt de Trago diſſerentes in Apologia ſuperius diximus ) prodeunt e geniculis folia pinguia, craſſaque, incurua, ex lata origine in acutum deſinentia. Vbi vero ad ſummum plantæ excreuerit, in caulium cacuminibus longe minora exilioraque ſpectantur ruſo colore, a quorum exortu paruæ rotundæq; pilulæ prodeunt, in quibus ſemen minutum concluditur. At quum huiuſce plantæ tam varias mutationes non animaduerterit Luſitanus proinde factum eſt, vt ipſe crederet Alkali diuerſi eſſe generis quorum vnum alteram Antyllidem, aliud ſecundam eſſe contendit. Sed cum Alcali nullam cũ Aiuga habeat ſimilitudinẽ, cui alteram Antyllidẽ ſimilem fecit Dioſcorides, nec foliis vnquã hirſutis ſit viſa nec vlla ex parte*

Cenſ. LXXV. de Antyllide quam kali cenſuit.

Alkali deſcript.

parte Lentis figuram referat, cui prior Antyllis eſt æmula, fateatur ex veteri ſuarum opinionum promptuario conſtanter hæc ſe protuliſſe Luſitanus. Adhæc cum ipſe de Trago agens aſſerat Alkali eſſe Tragum, deducor in eam opinionem, vt credam Luſitanum Circæ veneficis incantationibus imbutum, vnam & candem plantam in varias transmutare formas. Quod in Alkali factum videmus, quam nunc Tragum nunc Antyllidem facit.

## LITHOSPERMVM.

Cēſura LXXVI. de Lithoſpermo quod lacrymam ſtatuit.

GEnuinum Dioſcoridis Lithoſpermum eam memorat eſſe plantam, quæ globulos illos (lachrymas vocant) mittit, quibus vtuntur funiculo traiectis ad numerandas preces. In quo manifeſte peccat, quoniā Dioſcoridi Lithoſpermum planta eſt foliis Oleæ longioribus, latioribusq́, ac mollioribus, humi accubātibus ramulis rectis, tenuibus, firmis, craſſitudine acuti iunci, lignoſis, in quorum cacumine bifidi exortus cauliculorum ſpeciem exhibeant foliis longis, interq́ paruum ſemen, rotundum, Erui parui (vt Oribaſius & Serapio ex ipſo Dioſcoride tranſcribunt) magnitudine, naſcaturq́ in aſperis. Quæ omnia in planta lachrymas illas ferente deſiderantur. Siquidem hæc folia profert Harundinacea, quemadmodum & culmos per interualla geniculatos, in quibus ſemen Orobo duplo grandius viſitur, quæ quantum cum Lithoſpermi notis habeant ſimilitudinis, ipſe videat. Adde etiam quod Lithoſpermum in editis & aſperis locis per ſe ſponte naſcatur: lachryma vero vocata non niſi ſata proueniat, erectis omnino calamis, non humi repentibus, vt ſcribit Plinius.

Lachrimæ deſcrip.

## ALISMA.

Cenſura LXXVII. de Aliſma, quæ illi Plantago aquat.

Plantag. aquat. deſcript.

CÆterum Aliſmam herbam credit Luſitanus Ruellium & Cordum ſequutus, eam eſſe plantam, quam quidam Plantaginem Aquaticam, alii Barbam Syluanam vocant. ſed falſum nō obſcure liquet. Etenim Aliſma folia fert Plantagini ſimilia. ſed anguſtiora, in terram reflexa, laciniataq́, caule ſimpliciter tenui, cubito altiore, capitibus Thyrſi flore candido, palleſcente. At plantagini Aquaticæ folia inſunt Plantagine latiora, acuto cacumine ſurſum ſpectantia, neutiquam lacinioſa, caule plurimo adnatis multis referto, nulla Thyrſi effigie, radice inodora, nec etiam acri. Quæ omnia palam faciunt maxime deludi eos, qui vna cum Luſitano in hoc verſantur errore.

## BRITANNICA.

Cenſura LXXVIII. de Britannica quæ illi Biſtorta.

ALiorum iterum adhæreſcens errori credit nil aliud eſſe Britannicā, quam eam herbā, quæ paſſim Seplaſiis, ac vulgarib. herbariis Biſtorta dicitur, eo tantum fortaſſe argumento ductus, quod hæc planta Rumicis ſit folio. Verum mea ſententia fallitur. Etenim quamuis Biſtorta folio ſit Lapathi, aut Rumicis nigriore, piloſiore tamen non viſitur. ſed glabriore, leuioreq́, rubeis intercurſantibus fibris, & à terra quadantenus caſio, quæ omnia in Britannica maxime deſiderantur. Adhæc Britannicæ radix requiritur tenuis. ac breuis: contra vero alteri. Namq́ Biſtortæ radix quandoque nobis viſa eſt brachiali fere craſſitudine, bipollicari autē ſepiſſime, colore in nigrum ruſeſcente, non (vt in Britannica ſcribit Plinius) nigro. Præter id Britannicæ radicib. tāquam breuibus ac tenuibus, nihil virium attribuit Dioſcorides, ſed tantum foliorum ſuccum ad medicamenta prætulit. At Biſtorta contrario modo ſe habet, cum tantum radicibus præſtet, & nullus ſit eius foliorum vſus.

## ALTERA CLEMATIS.

Cēſura LXXIX. de altera Clematide, quod Flammulam vult.

NEc minus in altera decipitur Clematide, quippe qui cenſeat Flāmulam vulgo appellatam, genuinā eſſe Dioſcoridis Clematidem alteram. Clematis enim hæc Dioſcoridi per arbores repit, id quod in flammula nuſquā mihi videre licuit, cum planta ſit recti caulis. Legitimā Clematidem nos eam eſſe nō ambigimus, cuius imaginem dedimus in commentariis noſtris, quanquam ob id haudquaquā negabo, Flammulam hanc Clematidis non eſſe genus: ſed non propterea affirmauerim vnquam Clematidem alteram eſſe Dioſcoridis.

## POLEMONIA.

Cenſura LXXX. de Polemonia, quæ illi Galega.

NImium addictus Braſauoli, viri alioqui eruditiſſimi, non tam vt veritatem videatur indagare, quam vt pro ſua fide, & antiqua conſuetudine huius patrocinetur ſententiæ, Polemoniam eſſe herbam contendat, quam quidam Rutam Caprariam, alii Galegam appellant. Multa porro ſunt (vt in Cōmentariis noſtris oſtendimus) quæ vtrinſq́ ſententiam confutēt. Primum ſi natale ſolū expendamus, id profecto facile indicabit Galegam non eſſe Polemoniam, quod hæc in montibus & aſperis proueniat, illa in cāpeſtribus læto & vliginoſo ſolo, adeo vt prope aquas, & in ſcrobium aquarum marginibus plurimum oriri videatur. Præterea nihil in ſummis caulibus habet, quod corymbaceam effigiem referat, ſed corniculos Fœni Græci æmulos, in quibus ſemen occluditur ruſeſcente colore, quod in Polemonia nigrum requiritur. Hæc itaq́ ſi diligentius exploraſſet Luſitanus, non ita fortaſſe facile in Braſauoli ſententiam conceſſiſſet. Nec ſane video cur ſibi tantum arrogantiæ aſciuerit, vt tantum Braſauoli tuendi cauſa, Aloyſium Mundellam medicum huiuſce tempeſtatis eruditiſſimum, & medicæ materiæ ſtudioſiſſimum, ſua tātum garrulitate fretus, adeo temere maledictis cōuitiiſq́ laceſſiuerit, præſertim quum pro more illius argumentis quemadmodum & noſtris, nihil reſponderit. Obſecro dicas Amathe, quo furore agitaris? quā temeritate duceris? vt auſus ſis vbi de Sorbis egiſti, Mundellam ipſum, virū citra omnem controuerſiam clariſſimum, Sycophantam appellare? Tu, mihi crede, potius Sycomoros appellādus fueris. cum tantum ad amentias, & fatuitates te procreauerit natura, illum vero ad totius reipublicæ commodū. Depone iſtum mentem deſine impudentiſſimo iſto modo doctiſſimos viros laceſſere. Omnes qui iſtam inte audient ingratam contumaciam, quamuis de facie te nunquam viderint, quum tamen talem te audierint, nonne ſtolidum, vecordem, inſanum, & omni mentis ſtatu dimotum te indicabunt? Aliter iampridem nullus prudens de te exiſtimat: hoc vnum tibi patet refugium ſi iſtius inſanæ dementiæ infames velis delere maculas, vt aliquando te ad mentem reuoces, & præſtantiſſimos viros optime de literis meritos ō tuo more ſycophantas, ſed modeſtius nominare aſſueſcas.

Arrogantia Amathi.

Aloyſius Mundella a calūnia vindicatur.

## LAGOPVS.

Cēſura LXXXI. de Lagopo dum Trinitatem autumat.

LAgopum magno errore eam plantam exiſtimat Luſitanus, quæ à triplici foliorū apice Trinitas appellatur. Quandoquidē cum Dioſcorides, Plinius, & ſi qui ſunt alii, qui Plantarum hiſtoriā ſcribūt, nullis penitus notis Lagopū deſcripſerint, nō video cur ſolus Luſitan. diuinare velit, quaſi oraculo quodā doctus, quenā plāta anti-

ta antiquis fuerit Lagopus. Verum quod Trinitas Lagopus non ſit, id argumento eſſe poteſt quod ille Plinii & Dioſcoridis teſtimonio inter ſegetes naſcatur in campis, illa vero in frutetis iuxta ſepes, & in opacis proueniat.

## XYPHIVM.

Cēſura LXXXII de Xyphio quod Pſeudoacorum fecit.

QVod Plinius libro 25. capit. 11. per Xyphium intelligat Pſeudoacorum, quod in Paludibus prouenit, flore aureo, Iridis æmulo, vt Luſitanus perperam intelligit, minime probamus, non ſolum ea ratione, quod Xyphii hiſtoriam Plinius accurate, probeque deſcribat, non Pſeudoacori ſed quod etiam genuinas eius facultates, quas Dioſcoridi acceptas facile referre poteſt, recenſeat. Præterea Pſeudoacoro radicem eſſe Iridis grandiorem nemo ambigit. At Plinius ibidem recte Xyphio dixit eſſe radicem Nucis Auellanæ figura. Nec obſtat quod ſcripſerit is naſci Xyphion in aquoſis, Dioſcorides vero in aruis, quum & in aruis, & in paluſtribus locis magis quoque proueniat, vt, perinde ac nos, rei herbariæ ſtudioſos obſeruaſſe non dubitamus. At Plinius qui longe melius Xyphii natale ſolum explorauerat quam Luſitanus, non aliam ob cauſam in humidis naſci dixit, quam vt eorum refelleret opinionem, qui Lonchitim a ſeminis figura Xyphium eſſe cenſebat. Hinc itaque is argumentum ſumens, probat Lonchitim Xyphium non eſſe, quod illa in ſitientibus tantum proueniat locis. His alius accedit Luſitani lapſus, quo facile adducor vt credam ipſum nuſquam vidiſſe Xyphium, nimirum quod ſcribat illi eſſe radices Caninis teſticulis ſimiles, quum nuſquam Xyphium repertum ſit, quod Cynoſorchis modo radices gereret. Xyphii enim radices rotundæ ſunt & compreſſæ verticilli modo, vel Ibiſci ſeminis inſtar, cui plurimum aſtipulatur, inuolucris ſimul concluſæ, iis ſimilibus, quibus Croci bulbus contegitur. Quæ tamen de his ſcripturus animaduertiſſe debuerat Luſitanus.

## GRAMEN HARVNDINACEVM.

Cenſ. LXXXIII. de Harundinaceo Gramine.

LVſitani opinionem de Harundinaceo Gramine ea ratione improbamus, quod ſcribat plantam eſſe vulgatiſſimam ad Eridani ripas naſcentem, quin & iumentis gratiſſimum eſſe pabulum. Nam cum (Dioſcoride teſte) hoc graminis genus iuxta vias oriatur, non iuxta flumina, non magno mihi negotio credendum fuerit, Aquaticos Calamos, qui prope fluuiorum aquas naſci ſolent, pro Harundinaceo Gramine accepiſſe Luſitanū.

## RVBVS IDÆVS.

Cenſ. LXXXIIII de Idæo Rubo.

TAmetſi Idæum Rubum in Idæ monte plurimum naſci ſcribat Dioſcorides, & ſapius Idæum pro montano accipiatur: Luſitanus tamen ad Padi fluminis ripas oriri hunc Rubum affirmat. Sed minime vereor, quin pro more cœcutiat, quum quæ montana ſunt, fluuiatilia fecerit.

## CHRYSANTHEMVM.

Cenſ. LXXXV. de Chryſanthemo quod Caltham voluit.

QVum nuſquam verum Chryſanthemum viderit Luſitanus, quo tamen abundat Italia, paſſimque omnibus ſit notum, quumque oſcitanter eius hiſtoriam examinaſſet apud Dioſcoridem, eam herbam Chryſanthemum eſſe putat, quam herbariorum vulgus, quod vnoquoque menſe floreat, Calendulam vocat. Aperte conuincitur error, quod Chryſanthemum Dioſcoridi folia gerat plurimis inciſuris diuiſa, id quod in Calendula vocata prorſus deſideratur, quum illi minoris Anchuſæ modo longa ſpectentur, nullis prorſus incisuris laciniata. Sed id fortaſſe illum in hanc opinionem adduxit, quod habeantur aliqua Dioſcoridis exemplaria, quæ habeant Chyſanthemum, quod alii Caltham vocant, &c. Nam quum non deſint rei herbariæ periti, qui Calendulam hanc non ſine ratione Caltham eſſe exiſtiment, ille nominis tantum argumento fretus, neglecta penitus Chryſanthemi hiſtoria, Calendulam ipſam Chryſanthemum eſſe putauit. At ſi in ſimplicium facultate ac hiſtoria, vt illum ſane decebat, ſe exercuiſſet, & varia Dioſcoridis exemplaria habuiſſet ad manus, atque præſertim, quæ a doctiſſimis viris magno labore ſunt reſtituta, vidiſſet quidem in Chryſanthemo non [illegible] ſed χαλκὸς.

## ASTRAGALVS.

Cenſura LXXXVI. de Aſtragalo.

ASTragalum oriri radice rotunda, Raphani modo magna, ſcribit Dioſcorides. Quibus quis facile coniicere poteſt, Aſtragalo radicem non eſſe rotundam in pilæ modum, ſed tereti forma, quum talis ſit Raphani radix. Quamobrem in Aſtragali cenſura inaniter Luſitanum hallucinari deprehendimus, quod ſcribat inferioris Germaniæ incolas Aſtragali radicibus veſci ſub cineribus Caſtanearum modo aſſatis, eaſque Iuglandium nucum figura, magnitudineq; eſſe aſſerit, albo intus colore, & nigro exterius cortice. Hinc itaq; ſuſpicor ego Luſitanum pro Aſtragalo eam plantam accepiſſe, quæ Fuchſio, & quibuſdam ex recentioribus, Dioſcoridis eſſe Apios exiſtimatur, quæque Germanis Erdnuſſen, id eſt, Nux terræ vocatur. Sed quam magna inter has plantas interſit differentia, Tireſia cæcior fuerit, qui non viderit.

## ACONITVM.

Cenſura LXXXVII. de Aconito.

DVm in cenſendo primi generis Aconito Fuchſium virum apprime doctum accuſat Luſitanus, ille tamen longe grauius aberrat: quippe qui tanquam cæcus iudicet de coloribus, & nulla ratione ſcribat Aconitum Pardalianchen in multis reperiri locis, radicibus nigris ad rubedinem declinantibus. Quibus facile palam eſt, quam fuerit ille negligens in explorandis, legendiſque plantarum hiſtoriis. Etenim Dioſcorides primi generis Aconito radicem facit Scorpionis caudam æmulantem, & Alabaſtri modo ſplendentem. Verum an Alabaſtrum colore ſit nigro rufeſcente, ſtatuarii iudicent, & lapicidæ, & qui Romæ columnas ex Alabaſtro viderint ad Conſtantini lauacrum prope ſacrum Lateranenſe, & ad D. Agnetis ædes extra Viminalem portam.

## COLCHICVM.

Cenſura LXXXVIII. de [illegible] Hermodactylo prouenerit.

QVando hic homo ſemel errandi faciet finem? quouſque tot vitiis hic omnium cæterorum nos obtundet index? nuſquam ne dabit breue aliquod ſpatium in omnibus paginis reſpirandi? Vbique (vt vere fatear) ad nauſeam vſque omnia paſſim Amathi ſapiunt officinam. Tædet omnia hæc coacervare, quibus ille ſuum volumen expoliuit. Transcurro innumera, & ad finem ſtrictim per omnia propero. Quid tamen boni de Colchico ſentit? cum hoc nihil refert diſſidere ab Hermodactylo, de quo ſcripſere Paulus, & Serapio. Verum n[illegible]

*eſt, quo minus Luſitano merito reluctemur, cum Paulus diuerſis capitibus eodem libro de Colchico & Hermodactylo tractauerit, hunc per ſe, vel ex decocto potum, arthriticis commendans, illud vero quod lethale ſit, ab vſu medico abigens. At Luſitanus, vt ſuam tueatur ſententiam, mirandum non eſſe dicit, quod Paulus ſeorſum de Hermodactylo, tanquam a Colchico differente ſermonem habeat, alibi vero caput de Colchico præſigat: quum id conſulto fecerit, videns vtique Colchicum non adeo venenoſum eſſe, præcipue vbi Hermodactylus dicebatur, ſed rei medicæ potius cōducibile. Qua de cauſa de eo, vt venenoſo, cum cæteris Græcis caput conſtituit: alibi vero, tanquam de re ſibi nouiter comperta, & non admodum venenoſa, ſub Hermodactyli nomine differit. Verum hæc Luſitani figmenta, cur ſane probem, non video. Siquidem ſi Paulus hac fuiſſet ductus opinione, credendum quidem non eſt, quaſi ille eo inſaniæ, furoriſque perueniſſet, vt Colchici nomen in Hermodactylum peruertiſſet: quinetiam nec quod in medicum afferret vſum mortiferum medicamentum, de quo paulo poſt egit ſex tantum interiectis capitibus, proprio occultato nomine, quum recte ſciuerit Paulus, vires & facultates in plantis haberi, non in earum nomenclaturis. Nec pariter obſtat alia Luſitani ratio, nimirum, quod in vno loco de eo tanquam veneno ſub Colchici nomine ſcripſerit Paulus, in altero tanquam medicamento ſub Hermodactyli appellatione. Quandoquidem cum Paulus libro quinto, inter cæteras venenoſas ſtirpes Colchici latius meminerit, non fuerat illi opus iterum de eo ſcribere libro ſeptimo, vbi de medicamentis ſalubribus, non de venenis egit, nec tam horrendam facere metamorphoſim, vt medicos deciperet. Nec item obſtat Serapionis authoritas, quod is Colchicum Dioſcoridis Hermodactylum appellet. Quippe hoc in loco, ſicutin aliis nonnullis Colchicum, quod Hermodactylum vocat, cum genuino Hermodactylo, de quo ſpeciatim egit Paulus, confundit. Etenim ſcatere mendis Hermodactyli caput in Serapione quis facile nouerit, quum ea, quæ Dioſcoridi accepta referre debeat, Paulo aſcribat, & quæ Pauli ſunt in Hermodactylo, Galeno accepta referat. Quod autem (vt Luſitanus putat) in ſola Colchide Colchicum naſci venenoſum ac lethale, alibi vero minime, non facile probamus, cum nulla huiuſce rei ſit nobis veterum authoritas. At quum Dioſcorides lib. 4. vbi de Colchico ſcripſit, non Colchicos tantum admoneat, ne huiuſce plantæ radicem deuorent eius dulcedine allecti, ſed omnes in vniuerſum homines, maximo eſt argumento, hanc plantam non tantum apud Colchos, ſed vbique naſci venenoſam.*

Serapio lapſus.

## EPHEMERVM.

Cenſ. LXXXIX. de Ephemero, quod illi Lilium conuallium.

*LVſitanus recentiores quoſdam ſequutus Lilium, quod conuallium vocant, magno errore Ephemerum eſſe putat. Nam huic Lilio, folia non inſunt Lilii: quin nec radix longa, quæ digiti ſit craſſitudine, ſed tenuem in capillamenta deſinens. Præterea nec caulis illi videtur Lilio ſimilis, ſed gracilis, flexiliſq́, tenuiſſimi iunci inſtar. Adhæc nec credi par eſt, Dioſcoridem ſilentio innoluiſſe, quinetiam nec Galenum, qui eius quoque hiſtoriam narrat, ſuauiſſimi odoris præſtantiam, quo Lilium Conuallium fragrat, ſi hoc illis Ephemerum eſſet. Quo fit, vt vna cum Luſitano cæcutiant, qui hac ducuntur opinione.*

## VMBILICVS VENERIS.

Cenſura XC. de Veneris Vmbilico.

*VBi de Veneris Vmbilico ſcribit Luſitanus, tam primum quam alterum parietibus hærere aſſerit, & humectis naſci in locis, folio craſſo rotundo, concauo, coxendicis figura, quibus palam fit, quantum in re herbaria præſtet valeatque Luſitanus, quippe qui hallucinatus exiſtimauerit inter Veneris Vmbilicos nullam intercedere differentiam foliorum, radicum, ac etiam locorum, in quibus proueniunt: quum tamen Dioſcoridi Cotyledonis primum genus folia ferat Acetabuli figura, & radicem Oliuæ modo rotundam: alterum vero maius referat Sedum, & maiori nitatur radice. Adde etiam quod neutrum in humectis naſcatur locis, quum primum in tectorum tegulis, & collapſis ædificiorum parietibus proueniat, maritimis præſertim locis, vt Plinius inquit: Alterum vero inter ingentiſſima ſaxa in montibus naſcatur.*

## THALICTRVM.

Cenſ. XCI. de Thalictro.

*RVellius vir profecto clariſſimus, & in ſtirpium hiſtoria non poſtremus author, Thalictrum in Gallia naſci ſcribit, ibique appellari Argentinam, eo quod eius Coriandrina folia argenteo ſplendore micent. Nos autem quod hanc herbam nuſquam viderimus, Ruellii ſententiam nec probare, nec improbare poſſumus. At Luſitanus, qui nulla ratione omnes impugnare ſolet, ſtatim id falſo ſenſiſſe Ruellium ſcribit, tametſi eius Argentinam nec viderit, nec nouerit vnquam. Nec valet Luſitani argumentum, quod Argentinam herbam ſic aliis vocatam à Thalictro maxime diſtinguat. Siquidem de hac Luſitani Argentina haudquaquam intelligit Ruellius. Hæc enim foliis non eſt Coriandri, ſed vnico tantum folio aſſurgit, nullis laciniis interſecto. Quo fit, vt ille merito veniat accuſandus, quum iniuria alios accuſet.*

## POTAMOGETVM.

Cēſura XCII. de Potamogeto, quod Pulmonariam dicit.

*POtamogetum ſic dicta eſt Græcis, quod fluminibus ſit vicina, aut in ipſis fluminibus naſcatur. Id quod clariſſime demonſtrat Dioſcorides, quum inquit Potamogetum folium Betæ ſimile gerit hirſutum, paulo ſupereminens extra aquam. Id quod facile comprobat etiam in hac planta hallucinari Luſitanum. Quippe qui Potamogetum eam herbam eſſe contendat, quam Seplaſiæ Pulmonariam vocant. Siquidem hæc primum in fluminibus non naſcitur, nec prope eorum alueos, ſed ſecus vias propter ſepes & fruteta, præſertimq́, opacis locis, folia non Betæ ſed Bugloſſi, cuius ſaporem etiam adeo imitatur, vt eo ſicut & facie Bugloſſum referat. Adde quod huic maculæ quædam in foliis cernantur albo colore, de quibus nihil inuenio ſcripſiſſe eos, qui Potamogetii hiſtoriam narrant.*

## LOTVS VRBANA.

Cēſura XCIII. de Vrbana Loto, quā trifoliū acetoſum ſtatuit.

*O Quam vehementer decipitur Luſitanus in cenſenda Vrbana Loto. Conſtat id, quod nulla ratione et authorum teſtimoniis temere affirmauerit eam eſſe Lotum Vrbanam, quam quidam Trifolium Acetoſum, alii Panem Cuculum nonnulli Alleluia vocant. Etenim non memini me legere apud antiquorum aliquem*

liquẽ Lotum hanc ſapore eſſe acetoſo. Praeterea Plinio quis non viderit aliud eſſe Satiuam Lotum, aliud Trifolium acetoſum, quod ipſe ſpeciatim Oxyn à ſapore merito vocat, quod nomine & viribus differant? Siquidem ille Oxyn ad enteroceleas, & diſſolutum ſtomachum praeſtare ait, id quod facile quiſque guſtu deprehendere poteſt. Lotum vero, atinam ad diſcutiendas oculorum cicatrices, argema, & nubeculas ex Dioſcoride propoſuit, tanquam excuſſorium detersoriumque medicamentum. Id quod nunquam Oxys praeſtare poterit.

## ANTIRRHINVM.

IN exiſtimando Antirrhino immerito ſane Luſitanus Plinium criminatur, quod Antirrhini plantam lino ſimilem fecerit, ac etiam quod Lychnin Agriam appellauerit. Nec alia ratione Plinium impugnat, quam quod non liceat (vt ipſe putat) Antirrhinum appellare Lychnin quod florem habeat illi ſimilem, & magna ſit inter has plantas differentia. Quam in re ſane quid arguat in Plinio neſcit: cuius inſcitia id in cauſa eſſe putauerim, quod Luſitanus Plinianae lectionis, perinde ac aliorum authorum, imperitus & rudis fuerit. Nam quanquã Plinius libro 25. capit. 10. Antirrhinum Lychnin Agriam vocari ſcribit: non tamen ob hoc affirmat, quod Antirrhinum & Lychnis Agria vna & eadem ſint planta, ſed tantum admonet, a quibuſdam ita vocari Antirrhinum. Id quod etiam inuenitur in quibuſdam Dioſcoridis codicibus, qui ita habent ἀντίῤῥινον οἱ δὲ ἀνάῤῥινον, οἱ δὲ καὶ ταύτην λυχνίδα ἀγρίαν καλοῦσι. Nec tamẽ ob id accuſandus eſt etiam Dioſcorides, qui nõ ob hoc praetermiſit, quin Lychnidis Agriae meminerit, vbi libro tertio de domeſtica ſcripſit. Alias enim nobis ſuperius dictum eſt, praeſertimque de Telephio differentib. non deeſſe plantas, quae aliarum etiam plantarum nomenclatura appellentur, quum tamen nihil cum illis habeant cognationis. Praeterea cum plures hodie habeantur Antirrhini ſpecies, quarum alia, quae maior eſt, folia gerit multifida, alia Lino ſimilia, alia parua, vt Anagallis, quae ſane genera nunquam vidit Luſitanus, hic Plinium defendere non verebor, quem tamen miror accuſare Luſitanum quum is de Iride differens, acriter me accuſauerit, quod ibi quaedam in Plinium deprompſerim.

Cenſ. XCIIII. de Antirrhino, male appellari Lychnin agriam

Antirrhini ſpecies.

## POLYGALA.

POlygalam ſcribit Dioſcorides ad palmi altitudinem adoleſcere foliis Lenticulae, guſtu aſtringenti, cui ita ſubſcribit Plinius libro 27. cap. 12. Polygala palmi altitudinem petit, in caule ſummo foliis Lenticulae, guſtu adſtricto. Quibus tamen notis difficile admodum videtur, vt quis herbam afferre poſſit quae legitimam Polygalam referat, quum horum neuter caulium, florum, radicum, aliorumque ſoli huiuſce plantae meminerit. At Luſitanus, qui (quantum video) longe potius Oedipum quam medicum profitetur, quandam plantam Polygalam eſſe putat, quae virgas Geniſtae mittit, in quarum ſummitate flores emicant aurei, praeſtanti odore, ex qua (vt ipſe ait) magna pars Italiae ſcopas parat. Quin & hanc quoque plantam ſcribit ſapore eſſe amariſſimo. Veruntamen cum a nemine memoriae proditum ſit, Polygalam hiſce notis haberi, coniecturas, quas ſe dicit habere Luſitanus, praeſertim quum eas ſcribere non ſit auſus, friuolas ac inanes putamus. Adde quod Dioſcorides, Galenus, Plinius, Oribaſius, & quotquot ſunt alii grauiſſimi authores, nuſquam Polygalam ſcripſerunt eſſe amaram, ſed adſtringenti ſapore. Praeterea Polygala planta tota, omnibus conſentientibus, lac promouet, non flores tantum, quorum nemo meminit. Sed hoc ignorans Luſitanus, putat hanc facultatem floribus tantum deberi, quod ſuaui praeſtent odore, ac ſi odorata omnia lacti prouocando ſint idonea.

Cenſ. XCV. de Polygala.

Luſitani coniecturae inutiles.

## OCHRA.

PVtat Luſitanus Rubricam, qua vtuntur Pigmentarii ac Sarcinatores, quaque vſi ſunt hactenus Myropolae, lapidis Haematitis vice, genuinam eſſe Ochram. Sed magno tenetur errore. Ochra enim (vt Dioſcorides ſcribit) luteo eſt colore, non rubro, vt propria indicat nomenclatio. Ὤχρος enim Graecis, pallor Latinis interpretatur. Id quod etiam fatetur Galenus Comm. 11. in lib. Prognoſticorum Hippocratis. Quae ſi legiſſet Luſitanus, non ita fortaſſe temere de rebus ſibi ignotis tam ridiculum protuliſſet iudicium.

Cenſ. XCVI. de Ochra.

## MELANTERIA.

MElanteriam naſci in faucibus cuniculorum, in quibus aes foditur, ſalis modo concretam, quin & in ſumma facie eorundem locorum, teſtis eſt Dioſcorides: quo fit vt aeris potius aliquid hanc continere crediderim quam argenti, vt ſibi falſo perſuaſit Luſitanus. Ipſa enim in argenti metallis non reperitur, ſed in aeris cuniculis, cuius facultates poſſidet perinde ac Chalcanthum, Sory, Chalcitis, ac Miſy: & proinde recte vim causticam obtinere Melanteriam, ſcribit Dioſcorides, quemadmodum & Miſy. Argento enim nulla vis cauſtica ineſt, ſed aeri quam plurima.

Cenſ. XCVII. de Melanteria.

## SORY.

IN cenſendo Sory non minori ducitur errore, quod pro certo crediderit, Chalcanthum factitium, quod Pharmacopoei Vitriolum Romanum vocant, genuinum eſſe Sory. Patet error, quod Sory res ſit effoſſa, non arte parata, tum etiam quod Chalcanthum ſiue foſſitium ſiue ſit arte paratum à Sory, omnium conſenſu, plurimum differat.

Cenſ. XCVIII. de Sory.

## AVRIPIGMENTVM.

EOdem fere tenetur errore etiam in Auripigmento, quod pro more, temere aſſerat id coctum eſſe. Error facile palam fit, quod ſcribat Dioſcorides Auripigmentum per ſe gigni iis in metallis, in quibus gignitur Sandaracha, non autem excoqui & arte parari. Crudum itaque eſt Auripigmentum, non coctum. Quippe ſi coquatur & igne torreatur, magnopere rufeſcit, adeo vt Carbunculi ſpeciem induat, & pellucidum fiat.

Cenſura XCIX. de Auripigmẽto.

## GAGATES.

QVid de Gagate tandem eius opinionem referam? quem nigrum illud Succini genus eſſe arbitratur, quo imagines parantur eorum galeris affigendae, qui peregre proficiſcuntur, vel ad D. Iacobi aedes, vel ad alias quaſcunque. Nihil Luſitanum animaduertiſſe, quantum illa inter ſe diſſonant: Quum Succinum hoc, lapis non ſit, ſed potius, vt quidam putant, Bituminis aut Aſphalti genus. Gagates porro lapis eſt bituminoſus non autem Bitumen ipſum ſqualidius, & cruſtoſius. Contra vero illud, quum nullam lapidis ſpeciem prae ſe ferat, nihilque,

Cenſura C. de Gagate lapide. Gagatis deſcrip.

ſqualore, cruſtiſve ſit vitiatum. Genuino ac vero Gagate vtuntur Septētrionales quamplurimæ regionis, quæ lignis non admodum abundant, ad fouendum ignem. Plurimum Gagatis foditur in Leodienſi agro apud Flādros, Brabantoſque, qui plurimum differt ab illo ſuccini genere. Sed præcidamus tandem quæſo alia, quæ reſtant innumera, ne videamur pilos quoſque carpere, qui veritatis candorem impediunt, & ne minutias quaſque cauillari nos arbitretur Luſitanus. Mihi quidem (vt ingenue fatear) non leue fuit incommodum cum huius friuolis ineptiis colluctari. Veruntamen tum iſtius proteruitate laceſſitus, tum multorum (vt prædiximus) honeſtiſſimorum virorum precibus excitatus, id diligentius facere ſum coactus, quam vel meæ occupationes, vel iſtius leuiſſima & imperitiſſima temeritas à me exigebant: Simul & commonebat non mediocriter illius ſæuiſſima authoritas, quam in omnes tam temere tamque vane ſibi vendicat, cui tantum cæteros exiſtimauit adhibituros fidei, vt ea quoque, quæ nulla confirmaret ratione, eodem mentis ſtupore excepturos alios putarit. Hoc ſi vel temeritate, vel fortaſſe ſimplicitate, aut inſcitia potius, quibus plurimum valet, fecerit, agnoſcat iam denique quam ei periculoſum fuerit aliorum carpere & immodeſtiſſime damnare labores, priuſquam ſua valeat intelligere fœdiſſima errata, quibus omnia eius volumina, & præclara illa Centuria vbique ſcatent. Nunc cum & tela repulerim, quæ tam inſipienter ille in me iecerat, & pariter hominem ex ſuis præſidiis, citra omne negotium, dimouerim, non tyronibus modo, ſed etiam doctis non ingratam me in hoc collocaſſe operam arbitror. Nec vero tanti mihi erit, ſi Luſitanus, quo eſt furore, iniuſte ſe argui clamitet. Quin & hoc ſingulare ſuæ dememen tiæ dabit indicium, quo manifeſtius argumentis, nulla ratione, nulla veritate ſatisfieri poſſe conqueratur. Equidem quantum potui, hoc vnice ſum conatus, vt non ſolum ſe reprehendi doleat, ſed & ſuæ confidentiſſimæ imperitiæ ipſum iure pœniteat. Quinetiam vt ſciat ac noſcat ſe errorum Centuriam feciſſe, quemadmodum & ægritudinum. In quo quantum profecerim, Lectoris candidi, & eruditiſſimorum virorum erit indicium.

Animaduerſio in Amathum.

F I N I S.

PETRI

PETRI ANDREÆ

# MATTHIOLI SENENSIS MEDICI

## *EPISTOLARVM MEDICINALIVM Libri Quinque.*

## SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO, ARCHIDVCI Auſtriæ, Duci Burgundiæ &c. Comiti Tyrolis, &c.

*Domino ſuo Clementiſsimo.*

QVOD paucos adhuc factitaſſe video, SERENISSIME PRINCEPS, eam ab ineunte ætate vitæ degendę rationem, id conſilium ſequutus ſum, vt turpe otium ac deſidiam, quantum in me eſſet, fugerem ſemper, operis vero, & laboribus meis publicæ vtilitati omni tempore, & loco perquam fideliter inſeruirem: nec eadem de cauſa dubitaui defraudare ſæpe genium meum voluptatibus omnibus, & honorib. & opibus poſthabitis, ipſaq; valetudine mea neglecta. Itaq; in vigilus, & perpetuo veritatis indagandæ ſtudio (liceat hæc nunc mihi citra iactantiam de meipſo præfari) ætatem hanc feſſam iam continuatione laborum, iamque annis ingraueſcētem ſenex adhuc traho: eſtque animus in poſterum etiam, quicquid reliquum eſt virium, id totum publicis dicare commodis, laborareque in medium, donec ſpiritum hūc meum debitum ſibi natura, morſque vltima linea rerum repetierit. Ac eo maiore ſane animo maioreque ſpe hæc omnia aggrediar, quod cum eo me eſſe PRINCIPE intelligo, cuius ſub authoritate, clementia, prudentia, ac potentia, in otio, & pace, ab hoſtium incurſionibus, ab iniuriis omnibus, ab egeſtate, quinetiam ab inſidiis, & maleuolorū calumniis, tanquam in portum hoſpitalem appulſus, tutus, & ſecurus tractare ſtudia publice profutura, meæque vitæ extremam partem fœliciter claudere queam. Cur autem ab impedimentis hiſce omnibus, quę ſæpenumero, vel optimis conatibus obſtant, quominus optatos ſortiātur euentus, te Domino immunem me, & liberum omnino fore ſperem, dicerem in præſentia pluribus, ſi aut ea facundia eſſem, quæ rei tantæ ſufficeret, aut non verecundia impedirer, ne fortaſſe fortunæ tuæ, & vniuerſæ Auſtriacæ familiæ aſſentari potius, quam meritas vobis laudes tribuere viderer. Dicam tamen ingenue quantum res, de qua ſermo haberi cœpit, poſtulat. Nam conſideranti mihi noſtro ſeculo genus, ingenium, mores, & eorum omnium inſtitutum, qui cum Imperio, & poteſtate humanis rebus adminiſtrandis præſunt, non multos quidem inter eos reperiri poſſe cenſeo, qui hiſce naturæ & diuinæ prouidentiæ dotibus vobis AVSTRIACIS PRINCIPIBVS comparari poſſint. Si enim vniuerſam familiam intueamur, ſi patrem non tam ampliſſimo illo imperio, quam virtute, & ſapientia Auguſtum & verendum, ſi Auos, Proauos, Patruos & Patrueles, quorum geſtis ad cœlum vſque plena ſunt elementa, ſi fratrem tuum Boemię Regem, cuius ſplendore, magnanimitate, pietateque iam fulgēt vbique omnia, ſi Carolum te natu minorem, cui regna & imperia grauis quædā promittit morū maieſtas, ſi te ipſum, de cuius virtute, & cæteris admirandis animi dotibus ſilere potius debeo, quam breuiter ſcribere: ſpectemus, qua mundus vniuerſus patet, ad extremas vſ-

que Indias, quarum etiam habetis imperium, dignitas, fama, & gloria veſtra incredibili fulgore, & lumine reſplendet. Quid enim? An non hoc, qui vitam, ſpiritumque mortales, aliquo ſaltem iudicio præditi ducimus, libentiſſime confitemur omnes, diuino quodam fato miſerante res noſtras factum eſſe, vt difficilimis, & grauiſſimis temporibus familiæ Auſtriacæ faſtigium, ad Cœlum vſque immenſis facultatibus, innumeraq; regnorum acceſſione, ſublatum extolleretur, vt imperia omnia ſeneſcente iam mundo ruinā minantia, veſtris opibus, & potentia ſuſtentarentur, aut collapſis iam illis ſua dignitas, priſtinuſque ſplendor, & gloria reſtituerentur? Quod quidem magnifice vbique terrarum fieri videmus. Omnes in vos Reges & Principes, omnes ciuitates, omnes denique populi coniectos defixoſq; oculos habent, a vobis iura petunt, à vobis opem, conſilium, ſalutem tanquam à Diis quibuſdam immortalibus expetunt. Iidem veſtram Amplitudinem, & Maieſtatem tremunt: clementiam & pietatem amant: & illud admirantur, in vna tam potenti familia admirabilem connexum omnium, quæ natura in homines conferre potuit, bonorum, ſapientiæ, fortunarum, potentiæ, authoritatis, gratiæ, & quod magis eſt animorum veſtrorum admirabiles conſenſus. Hinc fit, vt certatim vos omnes gentes, & nationes, non laudibus tantum ſummis efferant, ſed tacita etiā admiratione & veneratione animis proſequantur, ac colant. Verum vt nunc de te ipſo tantū dicam, etſi pacis conſilia, quę ad adminiſtrationem, moderationemque Regni, ad iuſtitiam, tranquillitatem, dignitatemq; Imperii conſeruandam pertinent, ſequutus eſſe videaris, nulla profecto militaris diſciplinę pars eſt, quam non diligenter obieris, nulla ratio, aut munus bellicum, quod non vtiliter, magnaque cum laude, & gloria exercueris. Taceo pueritiam tuam, cum iuſſu & conſilio ſapientiſſimi Patris, ſub præceptoribus rei militaris peritiſſimis exercitatus, magna cum omnium admiratione, admirabile adoleſcentis virtutis ſpecimen ederes. Taceo, & ſpectatum ſæpe robur, animique præſtantiā, quando in pompis & theatricis ſpectaculis cataphractis equitibus concurriſti, atque etiam pedeſter haſta, enſe, claua, omnique armorum genere victor plerunque intrepide depugnaſti, quæ viderunt ſæpe Proceres, Principes, Reges & Imperatores. Quinetiam in magnis expeditionibus emicuit virtus tua, & primo quidem quando ante annos plus minus quatuordecim adoleſcēs, bellicis exercitiis, & laboribus aſſueſcere cœpiſti, cum Germania magno bello, magnis ſeditionibus implicata, res nouas, ac tot diſſenſiones moliretur vna cum CAROLO Quinto inuictiſſimo Cæſare, & Sereniſſimo Patre tuo Romanorum Rege exercitum ductitantibus, in Saxoniam conceſſiſti: vbi primum expertus es, quam dulces ſint victoriæ fructus. Poſtea vero cum ductandis te copiis exercitibuſq; ſuis in Vngaria FERDINANDVS Rex Pater tuus anno ab hinc quarto præfeciſſet (memini enim, qui ipſe etiam periculis illis aliqua ex parte interfui) eo tempore ducis optimi officio adeo functus es, vt non ſolum Seghetum à Turcis antea obſeſſum, inuitis hoſtibus, militibus, commeatibus, bombardis, & armamentorum omnium genere, munieris, vt ab initio tibi propoſueras. Sed Babotiam munitiſſimam, Corodnam, & alias arces expugnaueris, occiſis Turcis quampluribus, & incolumi ſeruato ſemper exercitu hac tantum de cauſa congregato. Iam vero in pace degens, quam in conſeruanda politica diſciplina, iiſque adminiſtrandis, quæ ad iuſtitiam, & tranquillitatem ſpectant, & ad promouēda ſtudioſorum bonarum artium præmia, promptus ac ſedulus ſis,

Editio cum grādiorib. figuris.

publice teſtantur omnes. Vt enim de me vno dicam, ad illius ſumptuoſi operis editionē quod de omni ſtirpium genere à me nunc inſtituitur, grandioribus, & elegantioribus imaginibus ad viuum expreſſis, quantum tu mihi ſubſidii recens contuliſti? Verum non contentus eo, etiam alia ratione bene mereri de ſapientiæ ſtudiis ſtatuiſti. Pergendum vero tibi, PRINCEPS, eodem animo eſt, eodemque tenore recte factorum ſeries continuanda. Ita enim tui nominis ſplendorem & gloriam, nulla vnquam ætas antiquare, nulla obliuio obliterare poterit. Sed vt redeam vnde digreſſus ſum, lætor quidem cœleſte numen mihi tam fuiſſe propitium, vt ſenili hac ętate, tu mihi ea authoritate, iis facultatibus, ea liberalitate, inſuper tam prompta in bonas literas, propenſaque voluntate omnibuſq; ornamentis maximis, quę optare quiſque in ſuo Principe, vel Domino, vel velit, vel poſſit, præditus patronus contigeris. Sub quo quidem cum voluptate, ſecuritateque ſudores, & lucubrationes meas ſedulus perſequi queam. Id, quod vnum ego præ rebus omnibus cæteris opto. Eſt autem & pars aliqua diligentiæ, ac ſtudii mei hiſce in E-

De epiſtolis his.

PISTOLIS. Quas quidem, & ſi in meis in Dioſcoridem editis commentariis ad ampliorem rei plantariæ indagandæ doctrinam deſcribere pollicitus eſſem, non tamen hoc tempore eas typis committere publice legendas decreuiſſem, niſi amicorum quorundam frequentiores fuiſſent adhortationes. Namque hæ adeo me conuicerunt, vt non potuerim illis non morem gerere. Continent vero materias varias ſcitu fortaſſe non indignas,

dignas,

dignas, quibus explanandis me nonnullam gratiam apud candidos & veritatis ſtudioſos initurum non diffido. Nouarum plantarum in his frequens, crebraque fit mentio, pluraque in plantaria facultate habentur, de quibus nihil prius in commentariis noſtris in Dioſcoridem à nobis dictum eſt, adeo vt nouum iam in his habeam viridariolum, quo plurimos ſe delectaturos non ambigo: præſertim quum præter id nonnulla de animalibus quibuſdã ac etiam foſſilibus iis explicentur, quorum antea fortaſſe, vel ſaltem hoc noſtro æuo meminit nemo. Continent etiam deinde defenſiones noſtras, aduerſus maleuolorum blateronumq; quorundam calumnias, quibus ſcripta, & monumenta noſtra defenduntur: quinetiam & cenſuras contra eorum ignorantiam, & apertiſſimam inuidiam. Plurima præterea ſoluunt dubia, & authorum loca deprauata reſtituunt, non ſolum ad ipſam materiam medicam ſpectantia, ſed ad vniuerſam medicinæ facultatem. Multa etiam poſtremo afferunt, quæ ad antidotos recte parandas pertinent, quarum paſſim in Myropoliis eſt vſus, vbi plura expenduntur, declaranturque ſimplicia medicamenta, quæ hactenus à nemine ſunt recte explicata, quibus Pharmacopœi non parum ſeſe oblectabunt. Cætera, quæ etiam non medica ſunt, lectoribus explicanda relinquo. Atqui haud neceſſe eſt hac præfatione opus hoc noſtrum commendare, ipſum enim per ſe (vt ſpero) & lectores, & emptores eoſque doctos reperiet, vbi primum in manus ſaltem, aſpectumque bonorum virorum, & iudicio aliquo præditorum illi peruenire contigerit. Id vero tibi benigniſſime, & Sereniſs. PRINCEPS, dedicare & conſecrare placuit. In tua enim aula, & tanquam domi tuæ, ſub tuo patrocinio ac fauore, magna eius pars conſcripta eſt. Etſi enim fortaſſe argumentum ſcripti non putabunt aliqui dignum eſſe tanto PRINCIPE, quem ſcientia armorum potius, & prudentiæ conſiliis, quam huiuſmodi quæſtionibus ad Philoſophiam & artem Medicam pertinentibus inſtructum eſſe oporteat: negari tamen hoc plane non poteſt, bonas & vtiles Reipublicæ ſcientias, & artes, eorumque cultores omnibus ſeculis curæ ſummis Regibus fuiſſe. Laudi vero ſibi duxiſſe optimos & potentiſſimos quoſq; ſemper de literarum cultu non male mereri. Itaque hæc celeberrimo nomini tuo inſcripſi ac dicaui, non vt ea legeres, qui rebus grauioribus ad Regni ampliſſimi procurationem pertinentibus occupatiſſimus es, ſed vt teſtarer publice, id quod res eſt, eum te eſſe PRINCIPEM, qui intellecta dignitate, & vtilitate diſciplinarum, quibus nec priuata vita, nec publica carere vllo pacto poteſt, ſumptu eas & fauore tuo, quantũ poſſis, promoueas, & tuearis contra eorum barbariem, qui in turpibus voluptatibus honorumq; & opulentiæ ſplendore conſiſtere ſummum bonum arbitrantur. Quinetiam contra inuidos & obtrectatores omnes defendas & tuearis: Tum vero etiam apud multos teſtimonium gratitudinis, obſeruantiæ, & fidelis ſeruitutis in te meæ extare volui, qui tot tantiſque beneficiis abs te affectus eorum memoriã, non ſolum vſq; ad extremum vitæ meæ defixam tenere animo, ſed etiam ſcriptis & monumentis ad poſteritatem propagare vehementer cupiam. Vale PRINCEPS BENIGNISSIME, & Matthiolum indignum Medicum tuum commendatum habe.

Sereniſſ. Celſitud. Tuæ

Fidelis Seruitor

Petrus Andreas

Matthiolus.

# PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS MEDICVS, IVLIO ALEXANdrino Protophyſico Cæſareo, S. P. D.

*Agitur de quibuſdam Galeni contradictionibus.*

*CVm Valgriſius Calcographus Venetus Dioſcoridem meum Italico ſermone exaratum recudere ſtatuiſſet, ſciuiſſetq; locis quamplurimis iam pridem eſſe auctum, poſtulauit à me, vt nouos hoſce labores illi excudendos traderem. Ego vero, tametſi cum ob ipſius Valgriſii in me obſeruantiam, tum in cudendo libros noſtros diligentiam, ſedulitatemq;, id illi denegare non auderem: volui tamen, priuſquam ea ſcripta prælis ſubiicerem, omnia ea Galeni loca relegere, vbi præter inſtitutum ſimplicium medicamentorum meminit, vt viderem, an hinc florum aliquid decerpere poſſem. Hoc itaq; inſtituto cum de Aloe in diuerſis ipſius libris legerem, videbatur Galenus ipſe quibuſdam in locis ſibi maxime contradicere. Quandoquidem libro octauo de compoſitione medicamẽtorum ſecundum locos, vbi de hiera agit, quæ ex Aloe paratur, manifeſte aſſerit Aloen vim habere purgatoriam non admodum valentem, & proinde non niſi ea purgare, quæ circa ventriculum & aluum continentur. Etenim, vt ipſe inquit, etſi quandoq; ampliori pondere exhibita, vſq; ad locos circa iecur ſe diffundat: non tamen totius corporis purgatoria Aloe exiſtit. Atqui contrario modo ſcripſiſſe videtur Lib. de Theriaca ad Piſonem, vbi apertiſſime ſcribit Aloen vniuerſum purgare corpus, his verbis: Aloe atq; cum æris ſquama ſupercreſcentes in vlceribus carnes cohibent, & fluxiones quæ illis adueniunt ſubinde exiccant: aſſumpta vero per os, vniuerſum corpus purgant: hæc ille. Quæ quidem his maxime repugnare videntur, quæ de Aloe loco ſuperius citato idem ſcripſit Galenus.*

De Aloe prima contradictio.

*Adhæc cum ea diligenter examinarem atq; perpenderem, quæ de Trifolio aſphaltite ſiue hyacinthino in eodem diſſerit libro, videtur idem Galenus non ſolum plurimum a Dioſcoridis ſententia ac hiſtoria aberraſſe, ſed etiã à ratione ipſa ac veritate, longe ſane abeſſe. Quamobrem non potui nõ admodum mirari Galenum philoſophũ ſummum haudquaquam agnouiſſe a ratione omni eſſe alienum, Trifolium illud, contrariis illis, de quib. ipſe ſcribit, conſtare facultatibus, cum nulla in eo vis deleteria conſpici poſſit. Veruntamen is ita de eo ſcriptum reliquit: Trifolium herba, quæ hyacintho ſimilis eſt, cum Vere parturit, & ſemen agreſti Cnico perſimile obtinet, decocta admodum, deinde morſibus Aranei vel Viperæ quoq; ex aqua fotu adhibita ipſis medetur, & dolores ſtatim ſedat. Sin autem in alio non commorſo ſanum locum eodem fotu circũdederis, ſimilem ſenſum, ſimileſq; dolores iis, quos morſus inuehit omnes efficit, vt re vera miraculo dignum opus eſſe videatur, videlicet, herbam & morſum ſanare, & ferarum modo ſanam partem praue afficere: Hactenus ibi Galenus. Qui tamen (pace tanti philoſophi ac medici dixerim) negligenter ſatis Dioſcoridem legiſſe videtur. Namq; ſi Dioſcoridis verba recte expendantur, id nullo prorſus naturæ miraculo fieri facile conſtabit, ſed potius rationabili, ac legitima naturæ lege. Quandoquidem (vt recte ſcribit Dioſcorides) ſimplex huiuſce Trifolii decoctum haudquaquam id efficere poteſt: ſed tantum illud, cuius fotu quiſpiam à ferarum morſibus liber euaſerit, ſi eodem alterius locus vlcere affectus non ſanus (vt Galenus inquit) perfundatur. Id quod aperte Dioſcoridis verba declarant, cum inquit: Tradunt aliqui totius fruticis, radicis, foliorumq; decoctum, fotu dolores eorum finire, quos ſerpẽtes percuſſerunt. Qua autem aqua ſanatus quis fuerit, ſi ea quiſpiam alius foueatur, qui vlcus habuerit, perinde ac ille afficitur, qui fuerit a ſerpente demorſus. Hinc itaq;, mi doctiſſime Iuli, clarum fieri arbitror, non ſolum nihil in ſe rem hanc admirationis habere: ſed etiam Trifolium ipſum, vel eius decoctum, omni prorſus deleteria deſtitui facultate. Nam cum Trifolii ipſius decoctum, quo demorſus, vel ictus quiſpiam foueatur, ſerpentis venenum a vulnere extrahat, eique permiſceatur, haud dubie id venenoſum redditur. Quamobrem nil mirum id videri debet, ſi idem decoctum, quo quiſpiam non demorſus foueatur, vbi perfuſæ partes aliquo vlcere laborauerunt, veneno per meatus vlceris ingrediente, ac ſanguini ſe commiſcente, ea omnia excitet mala, quibus demorſi vexantur. Idem enim venenum cum ſit, eoſdem quoque præbeat effectus neceſſe eſt. Vnde liquido colligi poteſt, quod virus a Trifolii decocto euocatum, non autem Trifolium ſit, quod ſimilem ſenſum, ſimileſq; dolores faciat. Quod autem venenum à ferarum morſibus exuctum, aut quocunque alio modo euocatum, vlceratis particulis contactum, necem afferre poſſit, complures tam Græci quam Arabes autores manifeſte fatentur. Quandoquidem ſcribentes à ſerpente demorſos ore ſugere præſtantiſſimum eſſe remedium, ſerio nos admonent, ne id ore vlceribus affecto fiat, quoniam ſi venenum illud vlcus contingeret ſugentem proculdubio in mortis diſcrimen duceret. Hæc itaque ſunt, quæ me maxime mouent, vt credam Galenum hac in re non ſolum Dioſcoridis mentem non percepiſſe, ſed etiam, ſi liceat dicere, plurimum decutiſſe. Nam quemadmodum eodem de Theriaca libro ad Piſonem idem Galenus hallucinatus videtur, quod*

De Trifolio Aſphaltite ſecunda contradictio.

Lib. 3. cap. 106.

Venenum vlcerato ore exuctũ necem affert.

*quod ſcribat, Nicandrum ſequutus, Viperam partu necari corroſis à filiis inteſtinis (quod falſum eſſe iam omnibus notum eſt) ita facile adducar, vt credam in Triſolio aſphaltite eundem fuiſſe deluſum, vel à Sophocle Poeta, vel à Simo Medico, qui ante illum fabulam hanc ſcriptam reliquerunt, vt apud Plinium legere quis facile poterit libro & cap. 21. Sed & illud mihi magis mirum videtur, quod obſeruarim Galenum, cui cum in Philoſophia, tum in Medicina parem crediderim inueniri poſſe neminem, adeo Poetis addictum, vt eorum fabellas hiſtoriæ loco tam facile acceperit. Cum autem quomodo in his partim aberrauerit, partim vero ſibi ipſi contradixerit, neſciam profecto cogitare, nedum decernere: ad te, mihi doctiſſime Iuli, mihi confugiẽdum fore putaui, vt hac in re tuam mihi declares opinionem, quonam pacto hiſce in rebus falſus fuerit Galenus. Etenim cum videam ex tuo doctiſſimorum Enantiomatum libello, quantum laboris inſumas, vt vbique Galenum tuearis a calumniatorum inſidiis, quantumq; laudis in Encomio illo tuo illi tribueris, non aliter ſane mihi perſuadere poſſum, quam a te huiuſcemodi explicationem me accepturum, qua & Galenũ ipſum ab omni crimine ſeruatum videam, & mihi plurimum ſatisfactum eſſe putem. Scio equidem non fore mihi opus, vt aliis te literis ſollicitem, quo ad haſce meas cito reſpondeas, cum haud me lateat, quod tanto ſis (qua tua eſt humanitas) mihi ſatisfaciendi deſiderio, tantoq; animi feruore continuo accenſus in Galeno defendendo, vt non oporteat me æquo (vt aiunt) ſponte currenti calcaria adhibere. Cæterum hæc omnia in eam te partem accepturum eſſe confido, quam & ſumma tua humanitas, & tam plane confirmata amicitia noſtra poſtulat. Vale. Goritiæ.*

Viperam partu necari fabuloſum

# PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Iulio Alexandrino Cæſareo Archiatro, S. P. D.

*Agitur item de nonnullis in Galenum animaduerſionibus, de Macere, & Hordeo.*

*NOn parũ admirationis attulerunt mihi literæ tuæ. Vbi enim ex illis abs te aliquid noui pulchriq; afferri ſperabam, quibus Galenum tuum ab erroribus illis defenderes, in quibus verſari animaduerteram, Lib. de Theriaca ad Piſonem, nil aliud in eo defendendo te attuliſſe video, quam q aperte affirmas lib. illum haudquaquam a Galeno fuiſſe editum, & ob id non eſſe opus aliquo defenſionis genere. Ac eo magis pene ſum ſtupore affectus, quod ſemper antea mihi perſuaſeram librum illum legitimum eſſe, quemadmodum & cæteri arbitrantur, qui in re Medica primas tenent, & in Galenica lectione ſe perpetuo exercent, qualis eſt in primis Iacobus Sylnius apud Gallos inſignis, præclariq; nominis Medicus, qui in Galeno ita verſatus eſt, vt æſtiment quidam Galeni Genium in ipſum tranſmigraſſe, vt quiuis facile intelligere poſſit, cum ex cæteris eius ſcriptis, tum ex eo volumine, quod de componendis medicamentis inſtituit, nihil prorſus eum dubitare, quin is de Theriaca liber ſit Galeni legitimus. Quinimo de Aloe & Aſphaltite triſolio ſcribens, eadem omnia ex Galeno deprompſit, quæ de iiſdem libro de Theriaca ad Piſonẽ leguntur. Quin etiam non Sylnium ſolum hac duci opinione video, ſed quotquot ſunt in Italia noſtra præclariſſimi medici, & præſertim ii, qui in publicis Academiis medicam facultatem profitentur (vt ſane audio) idem proculdubio affirmant. Idcirco cum id erroris abs te tantum fuerit obſeruatum, hocq; non paucis comprobes rationibus, nempe quod ſtylus & oratio ipſa a Galeni ordine ac grauitate plurimum diſtent, & nonnulla habeantur ibi vocabula, quibus nunquam vti ſoleat Galenus, non poſſum te ipſum, tuumq; ingenii acumen non magnopere admirari, & (cæterorum, qui ſecus tenent, pace dixerim) ſententiam tuam aliis omnib. præferre. Mihi quidem tuæ rationes adeo firmis fulciri videntur argumentis, vt nihil ſit quod impediat, quin ego totus in tuam concedam ſententiam. Proinde rectius poſthac (vt arbitror) fiet, ſi Chalcographi ac Medici, qui Galeni opera recudere cogitabunt, librum illum de Theriaca ad Piſonem a legitimis ſeiunxerint, & inter ſpurios, aſcriptitioſq; te autore recondiderint. Cui hæc merito accepta referre debent, non ii ſolum, ſed etiam cæteri quotquot habentur rei medicæ ſtudioſi. Atqui mihi relictis his perquam gratiſſimum erit abs te doceri, quibus argumentis in hoc, quod nunc proponam Galenus ſeruari poſſit, cum certo ſciam libros, in quibus, quæ mihi animaduerſa ſunt, nulla dubitatione eſſe legitimos. De Macere itaque prima erit animaduerſio, in quo Galenus ſibi ipſe diſſidere videtur. Siquidem libro ſeptimo de ſimpl. Medicament. facultatibus. Macer, inquit, in tertio ſiccantium eſt, in caloris vero, & frigoris differentia neutrum inſigniter efficit. Verum huiuſce fortaſſe cenſuræ oblitus, longe aliter ſenſiſſe videtur libro ſexto de medicament. compoſitione ſecundum locos, vbi de parando è Punicis pharmaco egit, ſic inquiens: Nominatur autem Maces cortex quidam aromaticus, qui ex India affertur, multum calfaciens & adſtringens. Qua in re vnicuique palam eſt ſibi parum conſtare Galenum, ac etiam manifeſte contradicere, cum hic Macerem calidiſſimum eſſe ſcribat, illic vero nec excalfacere, nec frigefacere cenſeat. Præter id eodem ſane modo videtur in hordeo idem aberraſſe, ſiquidem libro de Ptiſana, Hordeum, inquit, generaliter acceptum, refrigerat, atque exiccat. Et primo de Alimentorum facultatibus: Hordeum, ait, in frequenti vſu apud homines eſt, quod non eandem cum tritico habeat facultatem: ſiquidem hoc palam calefacit, illud vero non modo non calefacit (quemodo nonnulla quæ in medio ſunt calfacientium & refrigerantium, vt amylum & panis lotus) ſed quoquo modo vtare, ſiue panes ex ipſo feceris ſiue ptiſanam coxeris, ſiue polentam paraueris, nunquam corpus calefacit. Quæ verba cum ita generaliter ſint prolata, hæc efficere præſtareque hordeum, tam interius aſſumptum, quam exterius appoſitum, ſenſiſſe Galenum non ambigo. Adhæc libro ſeptimo de ſimpl. medicament. facult. eundem Galenum ſcripſiſſe conſtat, hordeum refrigerare & ſiccare ordine primo: ſed longe aliter ſenſiſſe videtur, non ſine ipſius doctrinæ repugnantia libro quarto de medendi methodo capite quinto, vbi ſic habet: Porro omnia quæ putreſiunt ex calido & humido afficiuntur. Ideoq; etiam ea cataplaſmata quæ ex hordei farina componuntur, ceu quæ calfaciant, humectentq; omnibus iis affectibus, quibus moueri pus expedit, admonemus: hæc ille. Quibus*

Liber de Theriaca ad Piſonem falſo Galeno adſcriptus.

De Macere in Galenũ animaduerſio.

De Hordeo contrariæ Gal. ſententiæ.

bus palam eſt, quod tametſi pluribus aliis in locis ſemper affirmauit, hordeum, quoquo modo in medicum vſū venerit, corpus ipſum refrigerare ac ſiccare: hic tamen manifeſte docet contrarium, cum idem hordeum calidum & humidum putet. Proinde hac in re te conſulendum decreui, vtpote Galeni defenſorem, & qui ingenii acuitate & doctrinæ præſtantia hoſce nodos diſſoluere facile valeas, quin etiam Galenū ipſum iiſdem argumentis tueri, & mihi id maxime expetenti ſatisfacere. Quod ſi non ita cito, vt velim, expeaties, aliis fortaſſe maioribus in Galenum animaduerſionibus te quamprimum præoccupauerim. Has quidem prædictis attexuiſſem, niſi aliquantulum ſubuererer, ne tibi plus moleſtiæ afferrē quam par ſit, ſi longioribus literis ad te ſcriberem. Hoc tantum addam, nimirum me ſummopere optare, vt me fraterno eo amore proſequaris, quo ſemper antehac erga me affectum te fuiſſe cognoui. Vale. Goritiæ.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Medicus, Iulio Alexandrino Cæſareo Archiatro, S. P. D.

*Tractatur an fracta pulmonis vomica pus quandoque (vt Galenus inquit) per vrinæ meatus excerni poſſit.*

QVum tabellariorum, qui iſthuc irent defectu priores literæ meæ hiſce ſecundis adnexæ ad te mitti nequiuerint, manſerintq; apud me ab Idibus Decembris in hunc vſq; diem: cōmittere non potui, quin iterum ad te ſcriberem narraremq; quāta ſim affectus admiratione, & pene attonitus factus, dum hiſce diebus elapſis Galeni libros de locis affectis legerem. Siquidem is lib. 6. cap. 5. vbi diffuſius de veſicæ morbis egit, ac etiam de iis corporis excrementis, quæ per vrinæ meatus excerni ſolent, rem intellectu maxime arduam afferre videtur, his verbis: Præter has aliæ quidem fiunt purgationes, ſed raro, vt cum thorax, & pulmo per aluum purgatur, quæ ſub ſepto tranſuerſo poſitæ ſunt partes, per vrinas: quorum cauſam cum nonnulli ignorent, neq; id vnquam accidiſſe viderint, quod a multis viſum eſt, negant fieri poſſe, vt abſceſſu in pulmone orto, pus per renes excernatur. Pulmonis vomicam per vrinam, thoracis autem per inteſtina & aluum, expurgari vidimus. Quanquam re vera de latione ex pulmone in renes nulla omnino ſit dubitatio. Etenim vt a caua vena, ita quoq; ex magna arteria, rami deſcendunt ad renes. Hæc quæſtio tamen Eraſiſtrati ſectatores non parum vrget, quippe qui putāt ſolum ſpiritum in arteriis contineri. Nobis vero nihil difficultatis affert, vtpote intelligentibus, quod leuis arteria pulmonis, quantum puris ex rupta vomica ſuſcipit, id in ſiniſtrum cordis ſinum deferre poteſt, quod inde in magnam ipſius arteriā incidens, per renes tranſit ad veſicam. Hactenus ibi Galenus. Hoc idem pariter ſcriptum reliquit Auicenna, vtpote qui magis Galeni teſtimonio acquieuerit, quam rationi. Quo fit, vt pene obſtupeſcā, quo pacto velit ibi Galenus, quod pus ipſum, quod nil aliud eſt quā putridus, fœtēs & corruptus ſanguis, non ſolum labatur per arterias, in quibus vitales recluduntur ſpiritus, qui vbi pauliſper à ſua diſtrahātur functione & in diſcurſu remorentur, præſertimq; ab his impedimentis, quibus læduntur, verēda emergūt ſymptomata: ſed quod ingrediatur in ſiniſtrū cordis ſinum, vbi nil profecto aliud manere poteſt (vt Gal. idem ait) quam tenuiſſimus ac puriſſimus ſanguis, tenuiſſimis ſpiritibus refertus: nimirū, neſcio ego quomodo fieri poſſit, q in ſiniſtro cordis ſinu, vbi hominis vita, & ſanguis ille puriſſimus vna cū vitali ſpiritu continetur, poſſit quoq; cōtineri eo tēpore pus illud fœtēs, erodēs, labefactanſq;, vel illac trāſire, quin ſanguinē illum ſelectiſs. inficiat eiq; miſceatur, & per conſequens quin mortem illico afferat. Siquidē cum Medicis omnib comprobata ſit ſentētia, quod ſanum omne quod a putrido tāgitur, putridū fiat, non video ſane, quo pacto fieri poſſit, quin ſpiritus, et ſanguis ille puriſſ. pure fœtido labefactatus, aliquid in ſe fœtoris putredinisq; excipiant, & verēda admodum ſubſequantur ſymptomata, & ipſum fortaſſe totius corporis exitiū. An non videmus quotidie, qui morbos curamus ſæpenumero, cor ipſum verſus malignos ferri vapores, à vitiatis ſuccis exortos, qui quamprimum cor ipſum inuaſerint, ægros inducunt cum in animi deliquium, tum in cordis tremorē? Quæ ſymptomata ſtatim ſequūtur, frigidus ſudor, totius corporis pallor, virium defectio, arteriarū interceptio, & alia huiuſmodi accidentia, quæ hominis interitum denunciare ſolent. At ſi certum eſt ab infecto aere infici ſpiritus, & humores, & peſtilentes ſubinde (vt Gal. plurib. in locis ſcriptū reliquit) oriri febres, quarū putredine innumeri moriuntur, quomodo fieri poteſt, vt non ſolum ſpiritus, ſed etiā ſanguis ob tam fœtidi puris per eorū vaſa, imo per ipſius vitæ fontem decurſum, non admodū afficiantur, ſed ex conſequenti corpus vniuerſum, affectā facultate vitali? Fiat autem id tam velociter quā à natura fieri poſſit, haud vnquam mihi aliter perſuaſerim, quā quod impoſſibile ſit, quin contactis affectiſq; ſpiritib. id fieri queat. Nam quēadmodum videmus, ſi quis veloci quantūuis curſu feratur, vbi in putridum inciderit cadauer, quod nullo ſane pacto fieri poſſet, quin fœtor illi illico nares feriat, & ſpiritus ibi contentos inficiat, ita ſane longe magis infici poſſe ſpiritus vitales crediderim, qui à fœtidiſſ. illo pure fuerint contacti. Equidē mihi de hac re diligenter cogitāti nulla ſuccurrit ratio, cuius auxilio cognoſcere poſſē, cur id tam facile factu affirmauerit Gal. His accedit Galeni ipſius autoritas, quippe qui lib. 1. Aphoriſmorū, Medicos quoſcunq; admonet, ne humores trahāt vacuentq; per principes partes his verbis: Motus vero humoris noxii ad loca non accommoda ſunt, quādo vel aliquē habuerit ſuapte natura principatū, & maius ex ipſis damnum eſt ſubſequuturū, quam morbus, qui indicatur, expoſtulet, vel nullā habeant effluxionē. Exempli gratia, vbi Epar humores infeſtāt, quos oportet euacuari, duæ ſunt accōmodæ motiones. Prima per vētrē, et humilia, q̄ p aluū inferiorē: altera per vomitū melior exiſtit. Secūda quæ per renes atq; veſicā. At motus qui ad pulmonē, thoracē & cor inclinat, bonus nō eſt. Oportet itaq; medicū naturæ motum animaduertere, & ſiquidē idoneus fuerit, ſubminiſtrare & adiuuare: ſin autē cōtrarius ac noxius, prohibere, transferre, atq; diuertere oportet. Hæc ille. Quæ omnino affirmare videtur, nullo pacto expurgari poſſe vomicæ pulmonis pus per arterias illas, et ſiniſtrum cordis ſinū abſq; manifeſto mortis diſcrimine. Hoc autē cū fortaſſe animaduertiſſet Paul. & Aetius, viderentq; id nō eſſe rationi conſentaneū nihil peculiare de venis, vel arteriis decernere auſi ſunt, ſed tantū ſcriptis poſteritatis memoriæ reliquerunt, huiuſmodi abſceſſus ſurſum erūpere, nonnunquā infra, atq; ea quæ inferius tēdūt, partim in ventre & inteſtina trāſmitti, partim in veſicā per vaſa quædā adminiſtrata. Quo fit vt facile exiſtime, hac in re (ſi tamē hoc liceat affirmare) aberraſſe Gal. Quāobrē nō deſunt etiā docti viri, qui putent, quod ſi

Argumenta contra Galeni ſententiam.

tamen

*tamẽ fiat huiuſce puris ad veſicã tranſmiſſio, tranſmitti id ad venam ſine pari, Græcis ἄζυγον, vel alias forte circa pulmones vel thoracẽ, & inde in venam cauã, renes & veſicã. Nam nonnunquam in ſanguinẽ menſtruũ in vteri affectionib. vbi obſtructa ea vaſa fuerint, quib. ſanguis ille expurgari debet, ſurſum ferri videmus per venam cauã & deinde non per arterias, neq; ſiniſtrum cordis ſinum ſed (vt putamus) per venam ſine pari, vel alias qualcunq; a quibus facile in pectus thoracemq; diffunditur, fieriq; inde, vt ita affecta mulieres cruentum emittant ſputum: Ita videtur facile euenire poſſe vt eodem ductu pus ipſum deorſum feratur. Proinde non ita facile adducar ad credendum, poſſe pus per arterias illas & per cor ipſum tranſire, vt ipſe apertiſſime cenſet Galenus, niſi tu, mi doctiſſime Iuli, qui Galeni genio pro tua voluntate vteris, doctiſſimis tuis argumentis ab hac me dimoueris ſententia. Vale. Goritiæ.*

Vomicæ pulmonis expurgationem ad vias vrinæ per venã ſine pari.

## IVLIVS ALEXANDRINVS, PETRO Andreæ Matthiolo Medico.

*Reſpondetur obiectionibus & animaduerſionibus nonnullis in Galenum factis, in Epiſtolis præcedentibus.*

*QVoniam ita tibi videri video, Vir celeberrime, abſtinebimus in poſterum à nimiis illis, ac verboſis, quam tu antea inchoatam, ac nunc demum abſolutam, minime omnium decere videantur amicitiã noſtram, pollicitationibus: in id ſcil. futuro ſemper tẽpore intenti vnum vt quoties viſus venerit, aliquaq; ſeſe aliquo tandem pacto mutuo iuuandi præbuerit occaſio, vno tantũ verbo quid ſit, quod fieri ac peragi a nobis velimus, inter nos ſignificemus. Dioſcoridem Gallici autoris illum, quẽ ad nos miſeras, poſtridie Hieronymo a Sprincenſtain Baroni, nominis tui amãtiß. legendũ dedi: ipſe tamẽ prius quã Prœmiũ illius autoris totũ, ac capita præterea quædam delecta a me ad rem hanc antea percurriſſem. In quib. honorificentiß. ſemper mentio tui fit, vſq; eo, vt ingenue paſſim fateatur autor libri accepta ſe vni prope tibi libenter referre omnia, quæcunq; tandẽ dici, aut excogitari ab eo potuerint, ad rem hãc apte & concinne. Hoc non opinor ignoras, ſi paulo magis glorioſe, neſcio cuius eſſemus cupidi, quantũ non ſolũ tibi Autori operis tanti ceſſurũ laudis eſſet, ſed etiã mihi, cuius tu nomen inſcribendũ curaſti in parte clypei quem Dioſcoridi de tuo, tanquam Mineruæ olim ſuæ opinor Phidias ille, affixeras. Cuius iam operis non ſolum Italiã peruaſit fama, abſoluti verumetiã Germaniã ipſam omnẽ peragrauit Gallias & Hiſpanias occupauit, atq; haud ſcio an minime in his tantum locis ſubſiſtens vlterius etiam ſeſe propagauerit, & ad Indos vſq; peruenerit, nouaſq; memoria noſtra inuenti orbis penetrauerit regiones. Verum natura quadã, & inſtituto philoſopho homini, cuiuſmodi tu eſſe in primis videris, nõ tam de hoc glorioandum eſſe cenſeo (quanquam & hoc quidẽ non prorſus dedeceat, ſi quis bene apud bonos omnes audiat; quod nominis tui apud gentes omnes & nationes fama vigeat, quam de eo lætandũ magnopere, quod propagatus in vniuerſos ita, ex rerum tuarum animaduerſione hac, vſus fructuoſiß. omnib. futurus ſit, vt iam tibi homini, vt dixi a natura ad philoſophiam facto ſatis hoc futurum ſuperq; ſit ſi te tua benefacti huiuſce tui quod mox atq; olim in vniuerſum genus humanum redundaturum ſit conſcientia, conſolere. Atq; hæc ita ſe habent.*

*Quod autem nodos mihi offers explicandos quoſdam in Gal. libris, quamuis ſciam hoc idẽ præſtari à te ipſo melius poſſe, non ſubterfugiam, tamen hoc quicquid id eſt amice iniunctum a te mihi laboris, vt ſi ſentẽtia de re hac noſtra forte conuenient, certior quædam opinioni inde noſtræ acquiratur fides: ſin minus at anſa tamen ex hoc ſuborta veritatis appareat aliqua quam tenere poſſimus. Ac primum de Macere, video a Gal. libris de ſimpl. medic. facult. Corticẽ id eſſe ſtatui ex India allatum, in quo exiccandi, & adſtringẽdi vis inſit inſignis, at paucæ præterea caliditas quædam & tenuitas acrimoniaq; exigua quæ aromata referat, notetur, breuiterq; in quo nihil eſſe dignum reperiatur, quod ad calorem vel frigus attineat. Atqui in lib. de comp. Med. per locos ſexto diſſonant Autoris eiuſdẽ dicta de hoc, quo loco Macer, id eſt, verbis minime obſcuris egregie excalfacere & adſtringere dicitur. Non confugiã eo nunc, vt dicam (quod affirmare tamen poſſim) hoſce de comp. per loca libros, inter omnes a ſe poſtremo factos reponi a Gal. ſicuti de ſimp. med. facult. præſertim vero operis partem eam, quæ tractatum de lapidib. præcedat, multo ante tempore ab Autore eodem prodiiſſe, qua temporis intercapedine haud ſane exigua veriſimilimum ſit potuiſſe diligentiore quadam, vt in rerum ſæpe harum examinatione euenit, obſeruatione, alia quadam reperiri cortex is facultate præditus à Gal. quam viſus ei antea fuiſſet: imo non alia, diuerſa nimirum ac contraria: ſed quod tam multo antea modice ſe acre ac calidum guſtãti obtuliſſet, idem poſtea maiori inſignitum caliditate repræſentaretur. Quod cum frequenter in aliis contingere omnib. ferè, quæcunq; obuia eundem ſæpe reſpicere guſtum experimur, tum vero longe minus futurum mirum ſit, ſi in re exotica idem contingat, vt ab euanida iam marceſcente aliter atq; aliter a vigente adhuc, vires ſuas integras obtinente effici guſtus queat. Atq; id ſicuti paulo ante dicebam, non diuerſimode prorſus, ſed cum vtrobiq; calfaciẽdi vim quandam notare poſſumus hic tamen, quam ibi efficacem eam interdum eſſe magis deprehendamus, poſterioraq; ita Galeni verba non deſtruentis prorſus priorem ſententiam ſint, ſed addentis potius, eamque ipſam tanquam in melius promouentis: a qua ego ſententia non ſane recederem, ſi qua modo poſteriore in loco facta prioris fuiſſet mentio a Galeno. Eadem hac de cauſa dicendum nobis non fuerit diuerſi, ac varii, diuerſis his in locis meminiſſe Maceris autorem eundem. Neque enim facile ſilentio præteritum hoc à Galeno fuiſſet, præter id quod iiſdem prope vtitur vtrobique locorum, quibus nobis rem ipſam notis prorſus ſuis implicet verbis, vt eundem omnino eſſe appareat. An vero antiquorum, ac noſtri temporis Macer eadem, aut diuerſa habenda res ſit, quærendũ. Non diuerſam eſſe omnino videri non immerito poſſit quod in noſtro, non ſecus atque in veterum illo, caliditas aſtringendique & exiccandi vis, & aromaticum præterea haud obſcure quidem ineſſe omnino apparet, corticiſque idem ſpeciem refert, imo pretius cortex ipſe eſt quidam. Eo igitur hic iure deuenio, vt conſiderem affectum de quo ſexto de comp. per locos libr. à Galeno mentio fit. Phlegmonem eſſe in ſcirrhum iam abeuntem quam non niſi frigidi, craſſiq; humores quidam procreare ſoliti ſunt. Video igitur a Galeno lib. de Simp. Medic. facult. Maceri vim tribui valenter in primis exiccandi, quod ſi præſtare poteſt, vt frigidos id genus humores ſiccando diſſipet, idem non immerito videatur dici poſſe excalfacere: ſi non primo ac per ſe, at ſecundario, & ex accidenti, nimirum exiccandi vi ſua, dum frigiditatem humo-*

Reſponſio ad tractationẽ Galeni de Macere.

*humorum eam omnem aufert. Sic quidem, vt quod prius Galenus in lib. de Simp. medica. facultat. dixerat, ἱκανῶς ξηραίνει καὶ στύφει, retulerit in lib. de comp. medicament. per loca, ἱκανῶς θερμαίνων καὶ στύφων. Ac quoniam loco ξηραίνει θερμαίνων reponit, idem voluiſſe ac effectum omnino eundem notaſſe videatur, diuerſa quãuis id ratione fieret, prope vt illud θερμαίνων pro ξηραίνων accipiendum ſit. Reliqua enim omnia eadẽ de re verba ſunt, hoc vno dempto, vt ſi reiicere diſſenſionis cauſam in librarios velimus, facere id haud vlla omnino abſq; cauſa non prorſus immerito poſſimus, contenderemusq; hoc pacto eorum culpa in ſedẽ prioris ξηραίνων irrepſiſſe poſterius θερμαίνων. Quid eſt enim quamobrem iiſdem prope vtrobiq; ad rem hanc verbis vteretur, in hoc autem vno diſſideret? alioqui longe quoq; veriſimilius cum ſit, cum inſigni adſtringendi vi, inſignem illam exiccandi potius quam calefaciendi conſiſtere facultatem poſſe. Quod ſi θερμαίνων ſcriptum omnino ſit, hoc ſcimus, nempe egregie calidũ, exiccare egregie quoq; ſolere. quemadmodũ exiccans, ſicuti prius dicebam, calfacere ex accidenti, & quidẽ non tenuiter, ſiquidẽ humores quos ſiccando diſſoluit, frigidi valde fuerint. Neq; tamen interea pro magna habenda controuerſia illa ſit ac diſſenſio, in qua res eadem calida ſemper eſſe pronunciatur, plus licet aliquando, minusq; aperta, & ex profeſſo dictorum repugnantia eſſet, ſi quod prius ſtatuiſſet frigidum, calidũ poſtea vehementer eſſe aſſereret. Nunc cum calidum primo, ſed non magnopere, ſecundo vero magnopere calidum poſuerit, idq; interiecto annorum plus viginti ſpacio, videri cuipiam poſterius diuerſum potius quam aduerſans aut repugnans priori, dictum non iniuria poſſit.*

Reſponſio ad factas de hordeo obiectiones.

*Iam de hordeo facilior eſt explicatio: vt enim frigidum id alibi ſemper ſtatuerit Galenus, quarto autem Therap. Meth. libro, Cataplaſma ex hordeo inter calefacientia & humectantia numerarit, in eam partem accipiendum dictum hoc fuerit vti Cataplaſma ex hordei farina, idem, quod reliqua pus mouentia cuncta faciunt, praeſtare exiſtimemus. Quae cum emplaſtica eſſe conueniat, ſic meatuum cutaneorum obturatione calorem natiuum detinent, vt hac de cauſa, quoniam quidem calorem hunc, rem calidam humidamq; adaugent, calefacere, & humectum reddere dicantur. Plus prope in eo ineſſe controuerſiae videri cuipiam non immerito queat, quod quum ex quarto Meth. ex ſuppurantibus hordeum feciſſet: idem deinceps quinto de ſimp. Med. facul. libro, ex horum ipſorum numero delet addita etiam ratione, quod abſtergentis ineſſe illi plus facultatis appareat, quam ſuppurãtibus conueniat. Verum hoc de ſimplici, ac per ſe. De compoſito illud intelligendum, vt, licet non ſane multum a ſuppurantium temperamento recedat, haberi tamen huiuſmodi non niſi addito hydrelaeo poſſit. Neq; tamen inuenias quarto Meth. ea quidem in parte libri priuatim nominatimq; factam fuiſſe a Galeno hordei mentionem vllam: In hunc quidem modum ſcribit, καὶ τοίνυν καὶ τὰ διὰ τῆς ὠμηλύσεως καταπλάσματα. Quod Interpres vertit: Ideoq; ea Cataplaſmata, quae ex hordei farina componũtur: quã recte, haud auſim affirmare. Nec ignoro alibi a Galeno acceptum fuiſſe ὠμήλυσιν pro farina hordei, vt 14. Meth. quum ὠμηλύσεως prius meminiſſet, ſubdit poſtea ὀνομάζω δὲ οὕτω τὸ κρίθινον ἄλευρον ita voco hordei farinam. Idemq; prope 3. de compo. medicamentorum κατὰ γένη protulit, quod nõ ſic tamen perpetuum habendum fuerit. vt nõ accommodari alterius alicuius generis farinae vox eadem ab autore eodem ſoleat, vt ex ſecundo colligi poteſt de cõp. med. per loca lib. cap. de Cephal. Κριθίνῃ ὠμηλύσει, hordeacea inquit ὠμῇ λύσει, quaſi alia quoq; quam hordeacea reperiatur: & quarto eiuſdem operis lib. quo loco medicamentorũ Archigenis meminit itidem ἢ ὠμῇ λύσει κριθίνῃ ἢ πυρίνῃ, id eſt, hordeacea vel triticea. atq; itidem ſexto inter Archigenis eiuſdem medicamenta ad Gargareonas. Καὶ ὠμὴν λύσιν ἐπιθετέον τὴν διὰ κριθίνου ἀλεύρου ἢ διὰ λινοσπέρμου ἢ τήλεως, id eſt, imponendumq; ὠμὴν λύσιν quae ex hordei, vel lini ſeminis, vel foenograeci farina componitur. Quod ſi igitur non vnicũ idemq; vbiq; ὠμῆς λύσεως ſignificatum eſſe manifeſto apparet, viderit interpres, qui ὠμὴν λύσιν hordei ſtatim farinam interpretatus eſt, quam recte factum ab eo hoc fuerit: vti iam ſiquidem vera ſunt, quae diximus, ac quarto Methodi, vbi nulla hordei mentio, ac ſuppurantia tractantur, pro ὠμῇ λύσει triticeam, vt quae dubio procul ſuppurans ſit & habeatur, accipere conuenientius, quam hordeaceam farinam liceat, nulla omnino futura in Galeno ita dictis controuerſia ſit, & vt cataplaſma inibi tamen ex hordei farina intelligatur, calidum id, humidumq; illo quo antea diximus modo, caloris videlicet innati adauctione, intelligatur, non vnius quidem hordei ratione, ſed hydrelaei, quod vel in primis nominandum ὠμὴ λύσις ſit. Sic enim ait Autor li. qui introductorius ſiue Medicus inſcribitur, Τῶν δὲ καταπλασμάτων τὰ μὲν διὰ μόνου μέλιτος καὶ ἐλαίου κατασκευάζεται καὶ καλεῖται μαλακτικά, τὰ δὲ δι᾽ ὑδρελαίου, ἅπερ ὀνομάζουσιν ὠμὴν λύσιν, id eſt, Cataplaſmatũ alia ex ſolo melle & oleo praeparantur, nominanturq; malactica, alia vero ex hydrelaeo, aqua nimirum & oleo, quam ὠμὴν λύσιν vocant. Apparet iam hinc ὠμῆς λύσεως compoſitionem hydrelaei potius eſſe quam farinae additamenti, quae ſicuti dictum fuit, vt hordacea quoq; interdum ſit, olei in primis & aquae additione nanciſci temperamẽtum id queat eſſe, vt ex pus mouentibus medicamentum vnum quoddam poſſit. Atq; haec credere omnia magis poſſimus, ſi dictorum a Galeno de hordeo meminerimus, quibus immutari eius aliquando temperamentum, & ex ſicco humidum reddi aperte pronunciet. Idq; intro etiam pro cibo aſſumpti. Ita namq; ait, lib. de alimentis primo capite de hordeo. Οὐδέποτε μὲν οὖν θερμαίνουσι τὸ σῶμα κατ᾽ οὐδένα τρόπον σκευασίας, ὑγραίνουσι δὲ καὶ ξηραίνουσι διαφόρως σκευασθεῖσαι. τὸ μὲν γὰρ ἄλφιτον ἐκ τῆς φρυχθείσης κριθῆς γινόμενον ἐναργῶς φαίνεται ξηραῖνον, ἡ πτισάνη δ᾽ ὑγραίνει ὅταν γ᾽ ὡς προσήκει σκευασθῇ, quod eſt: Nullatenus ergo quocunq; modo paretur hordeũ calefacit, humectat autẽ & exiccat pro modorũ diuerſitate, quibus praeparatus. Etenim farina, quae ex toſto hordeo fit, manifeſto exiccare videtur. At ptiſana, ſi pro eo ac cõuenit praeparetur, humectat, quae de hordeo, vt in alimentũ tantummodo cedit, dicta accipi cuncta debent: Eiuſmodi namque nunquam quidem excalfecerit. At extrinſecus admotum cum hydrelaeo, quomodo dici calidum, atque humidum poſſit, natiuum ipſum calorem conſeruando, ſuperius oſtendimus. Conceſſo etiam quod dicta quarto Method. ὠμὴ λύσις illa pro hordei farina habeatur. Id quod tamen non vſque adeo firmum, certumq; eſſe dictis antea de cauſis apparet. Obiter illud dicendum hoc loco occurrit, ſententiam noſtram, quam olim de vini temperamento ſicco, humidoque memini me protuliſſe, Galenicis ſcriptis, de hordeo hiſce veluti aſſeuerari certius etiamnum poſſe. Etenim ſi hordeum, quod ſiccũ per ſe habeatur, commode praeparatum, hoc eſt, plurimum inter elixandum cum intumuerit, deinde lentiore igne ad cremorem quendam longiuſcule decoctum, ſic humectans reddi valet, quid eſt quamobrẽ exiſtimare non poſſimus vini quoq; ſiccitatem, quae natura illi ſit, addita aqua attemperari, deduciq; ad humiditatem poſſe, vt ſicuti ſiccando prius fuerat, nunc idem humectando ſit, praeſertim cũ tam facilis ac prompta rerũ inter ſe harũ miſtura ſit, vt non magno negotio alterutrius communicari alteri natura, atq; adeo vinci e paulo liberaliore alterius additione poſſit. Non*

Ὠμηλύσεως varia ſignificata.

*Non autem facile memini incidiſſe me in loca Galeni unquam ulla, in quibus vinum humidum ſtatuat, non autem indidem ſemper certiſſima quadam duci coniectura queat, de potu, alimentoque vini intelligenda dicta ea eſſe: ideoque pro diluto ſemper tunc accipiendum. Quoniam certum, probatum, ac ſit frequentiſſimum uſitatiſſimumque diluendi bene vini veteribus ſemper morem fuiſſe. Quaſi vera eſſe contendimus, ac ſiccitas ſolius, ac per ſe perpetuo intelligenda eſt, humiditas autem aqua admiſtae, dictaque autoris de hoc aptiſſime ſemper tanquam applicari ſenſus quaque ſuo poſſunt, nulla hac quidem in re diſſenſio, diſcordia nulla fuerit, ſicuti nec in hordeo, quod varia quadam ratione, merito modo ſiccum, modo humidum dicatur, fruſtraque hoc pacto tot ac tantae, a tot ac tantis ſuſceptae de rebus his altercationes fuerint, quas diluere unica hac ex re veritateque, ipſa (ut mihi quidem videtur) annotatione liceat. Venio ad id, in quo non tam Galenus culpari videatur, quod minime cohaerentia ſibi protulerit, quam damnari, quod impoſſibilia, quaeque ut fieri queant, rationi omni, ut videri unicuique poſſit reclament, ſcripſerit. Ea ſunt dicta ſexto de locis affectis quo loco thorace & pulmonibus contenta, quanquam raro, at interdum tamen per alvum ſicuti quae ſub tranſverſo ſepto ſunt per urinas purgari ſolere dixit atque ita pulmonis aliquando abſceſſum per urinam, thoracis vero per inteſtina & alvum purgatum viſum a ſe teſtari ipſe non dubitaverit. Quod non uſque adeo videri mirum debeat quum haud difficulter, ut ipſe ait, levis pulmonis arteria quod puris in ſeipſam recipit ex abrupto abſceſſu, id in ſiniſtrum cordis ventriculum deferre poſſit, unde in magnam arteriam incidens pus per renes in veſicam tranſiens deferatur. Quod quemadmodum ex vena cava, ſic ex magna quoque arteria ramoſae quaedam propagines in renes tendant. Cur igitur non videatur admiratione maxima dignum (ais tu) purulentum id genus materiam ac corruptam praeter naturalemque ſaniem natura nihil a inſenſam, non ſolum arteriis ipſis, quibus ſpiritus continentur vitales, omnium maxime rerum ſibi adverſantium noxam praeſentientes ſe lethalem ſiniſtrum illum cordis ventriculum occupare poſſe, quo loco ſanguis ſolummodo ſpiritusque quidam conſiſtere ſoleat ut ſi pervenire eo delatum pus concedamus, neceſſarium ſit cum ſpiritus eo in primis inſici in quibus vita, tum vero horrenda inde quaedam ſymptomata ſequi, cum tantum non quotidie in curationibus ipſis videamus impetentes cor ipſum fumidos quoſdam vapores ac malignos, cordis tremorem, ſyncopen, frigidosque ſudores ac horrenda quaeque inferre ſymptomata. Iam ſi ex aeris corruptione infectis ſpiritibus febres oriantur peſtilentes, unde multa ſaepe hominum millia pereant, quid cenſemus futurum, decumbente eo putrida aliqua ac foetida materia, non infectum ſtatim iri ſpiritus ac ſanguinem? cordiſque vires, corpuſque una totum correptum affici credemus? His adductus rationibus inconſiderata cuiuſdam oſcitantiae prope damnas Galenum, nec inire rationem ullam te poſſe ais, quomodo venire in mentem Galeno potuerit ut iſta ſcriberet: maxime autem quod repugnantia his ipſis ſcripſiſſe videri poſſit non immerito, ut ſectione Aphoriſmorum 1. Aphor. 21. Qua parte cavendum nobis eſſe admonet, ne per principales corporis partes evacuatione unquam ducantur humores. Eadem culpa notas Avicennam, quod idem ſenſiſſe viſus ſit. Paulum, & Aetiũ eximis quod diverſa: Ad extremum reiecta Galeni, ipſe tuam de tuo affers ſuper re hac ſententiam, ut facti tamen ratio, quod fieri interdum videamus, ſequetur. Ais quoque videri tibi tranſmiſſionem puris hanc per venam potius ſine pari fieri per quam in venam cavam delatum pervenire tandem ad veſicam poſſit, nõ ſecus ac in menſtruorum ſuppreſſione videmus aliquando, ductibus eiſdem ſurſum actum ſanguinem ſputo tandem reiici. Atque haec fere argumenta ſunt niſi fallor, tua, quibus Galenicis de re hac dictis fidem vehementer ſane abrogas. Verũ ſi diligenter nobiſcum perpendentes reputaverimus, animadvertere licebit longe aliud eſſe, quũ quid naturaliter, atque quum praeter naturaliter fit, cũ a facultate quadam, atque quum ab affectu, cum pars valet, atque cum imbecillis eſt, cum expellitur noxa atque cum recipitur. Contrarium enim inter ſe rerum harum diverſam quoque ac contrariam eſſe rationem oportet. Nihil igitur eorum quae ante attulimus ad deiiciendam Galeni ſententiam fuerit, in quo non affectum, imbecille ac veluti victum eſſe cor ipſum neceſſum ſit. In ſyncope enim, ac tremore cordis, & huiuſmodi quis non imbecillitatem cordis videat? Non enim contingere aliter iſta poſſunt. Eodem pacto inſpiratione attractus aer peſtilens, ſi cor, vicinaſque cordi partes male affectas, ac putredini expoſitas offenderet, noxam intulerit, aliter vero nequaquam: non iniuria, ſuccumbit enim his caſibus impetenti nocumento cor, viribuſque ſuis defectum afficitur. Contra vero quoties expultrice facultate ſua validum utitur, longe à ſe venientem ſemper noxam expellit, atque ut aliunde aliquando tranſmiſſam admittat, non ut retineat, admittit, ſed ut propellat, quaſique per tranſennam, & in tranſitu actam eiiciat. Quod tunc fiat quoque, cum pulmonis abſceſſus diſruptus, eam ſibi forte invenit viam, ut per levem arteriam ab expultrice vi actus, tanquam fugiens ſiniſtrum quoque cordis ventriculum perſtringat. Quo tempore veriſimile eſt, robore ſuo conſtans cor, ſpiritibuſque una praeditum validis, cum aliis una inſurgere ad rei noxiae celerrimam quandam expulſionem, uti iam robuſta quidem pars ea non ſane admodum adfici debeat, dum integra facultatem ſuam obtinet, quam materiam quantumvis foetidam ac corruptam, de ſedibus ſuis exturbatam pellit. Solere autem expultricem vim ex minima quaque occaſione per quaſcunque corporis partes humores quoſcunque actos propellere, autorem habemus Hippocratem ipſum. Hippocratique una ſubſcribentem Galenum. Πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἕλκειν φαίνεται, καὶ παντὶ μεταδιδόναι, καὶ μίαν πάντων εἶναι σύμπνοιαν καὶ σύρροιαν· καθάπερ καὶ τοῦθ' ὁ θαυμασιώτατος Ἱπποκράτης εἶπεν. Id eſt, Videtur enim unumquodque ex uno quoque trahere, atque ad unumquodque tranſmittere, unamque habere omniũ conſpiratione & confluxũ, ſicuti hoc quoque ipſum admirabilis maxime Hippocrates dixit. Hac ratione videmus ex ambitu totius corporis per ſingulas corporis partes ductos trahi humores malos, atque etiam malignos ſaepe ad ventriculum, & inteſtina, rurſus ex praecordiis ſaepe ipſis in extimam cutis ſuperficiem expulſos verti, quoties morbum faciens materia ſaepenumero omnium peſſima, cuiuſmodi quidem peſtilentium febrium fuerit, expultrice facultate protruſa, particulas tunc omnes permeans in ambitum diffunditur. Hippocrates igitur eſt, qui primus partium omnium inter ſe conſenſum ac cõſpirationem quandam invexit quam videri poſſit ſequutus Galenus, dum puris tranſmiſſionem per loca cordis fieri poſſe aſſeruit. Quae ſiquidem robuſtae partes eae ſint, vireſque ac facultates obtineant ſuas propellendis noxiis validas, veriſimillimum eſt, tranſcurſum eas fere poſſe materiae tantula temporis mora per eas abactae, praecipue non uſque equaque tamen, ut pleraque alia mala. Quandoquidem pus ipſum ſcimus rem eſſe iam coctam quandam, tum quae non prorſus naturae vires effugerit, atque ideo quae minus eſſe eiſdem adverſa queat. Quod ſi tunc temporis imbecillum cor ſit, viribuſque defectum ſuis, nec celeriter propterea depellere a ſe noxam*

Reſponſio ad quaeſtionem de expurgatione vomicae pulmonis

eam valeat, non negauerim ea caſu, quibus abſceſſus ad cordis ſedes eas tetenderit, hoſce Syncopen, multáque præterea incurrere ſymptomata alia poſſe, atq; adeo mortem quoq; ipſam fortaſſe quandoq; obire. Tanta enim eſſe poteſt redundantis eo ſaniei vis ac copia, inde vt veluti ſuffocatus perire æger queat. Nam alias niſi copia ea exuberet, non crediderim facile moriturum, cuius robur tam potens fuerit, vt immutandæ in melius materiæ noxiæ, conficiendoq; inde puri ſatis eſſe potuerit. Neq; Galeno tamen aduerſantur iſta, qui eo loci, ſexto nimirũ de locis affectis, nil aliud quam delationem puris per loca ea contingere poſſe affirmauit: ſubſequantur autẽ nec ne ſymptomata, nihil quicquam pronunciarit. In quo igitur quæſo reprehendere Galenum poſſumus, qui rem, quæ fieri poſſit narrauit, rem vero ipſam aliquando inſequentia non attulit: Neq; enim neceſſarium ſemper hoc facere eſt, vt qui pus per ſiniſtrum cordis ventriculum tranſire, atq; ita in veſicam deferri aliquando poſſe dixerit, idem is, niſi tunc ſolere hoc ipſum grauia quandoque inſequi mala addat, damnandus propterea non ſit: Non enim rem attingit hoc, quæ explicata ſatis eſſe videri poteſt. ſi delatio ea puris notetur tantum ea quidẽ in parte, in qua nihil quam hoc oſtenſum aliud volebat Galenus. Conceſſerim igitur rem hanc, ſymptomata caſequi interdũ: nũ ideo culpabimus Galenũ? ꝙ id quod fiat ſcripſerit, accidẽtia autẽ aliquãdo nõ ſcripſerit? aut nũ affectus quidã cordis, quũ de his ſcilicet inſtitutus ſolũ ſermo eſt, nõ recte numerabuntur: quos nihilominus ſequi plerũq; ſyncope cõſueuerit, etiãſi nullã ſyncopes mentionẽ faciamus. Scimus obſtructionẽ arteriarũ vicinarũ cordi, ſyncopen facere: ſæpe de arteriarũ earũ obſtructionib. loquimur aut ſcribimus: quoties hoc ipſum videlicet tantum agimus. de ſyncope verbum nullum: an ideo falſa nos dixiſſe cauillabitur aliquis? Sic Galeno quum deriuatio tantum puris illa ſignificãda eo in loco eſſet, nihil præterea, non fuerant neceſſario adnectenda ſymptomata, quæ inſequi interdum deriuationem illam conſueuerint. Quid itaque fuerit quod queramur de Galeno? Nunquid falſa ipſum dixiſſe dicemus quod per cordis loca abire in veſicam pus exiſtimauit? at σύῤῥοιαν hoc, & σύμπνοιαν Hippocraticam illã admittere docuimus, exemploq; firmauimus maxime ſæpe malignorum humorum vltro citroq; per corporis particulas omnes permeantium, & modo ſe foras ex præcordiis ad extimas corporis partes protrudentium, modo eiſdem prorſus viis, ſed diſceſſu in contrarium facto, interitum afferentium, idq; in omnes prorſus partes πᾶν, vt inquiunt, ἐκ παντὸς, & rurſus ἐκ παντὸς εἰς πᾶν φέρεσθαι, tertio de nat. facult. lib. nulla vt inde eximi prorſus pars videatur: Sed enim dices, non addidit malorum quorundam ſymptomatum ſequelam. Primum non erat neceſſum hoc facere aliud agenti, remq; ſolũ ipſam vt contigit narranti: Deinde non ſemper ſucceſſerint ſymptomata eiuſmodi, ſed quo caſu tantum inualidum imbecillumque fuerit cor, ſpiritusq; vitales exiles, quemadmodum non quoſcunq; corripi animi defectu videmus, etiam vt in corpore cauſa ſubſit, quæ facere hoc valeat. Fortis namq; virtus, quod dici ſolet, multo maximis nocumentis reſiſtit. Ne miremur igitur Galenum iſta dixiſſe, quæ, quomodo contingere poſſint, ratio extet. Nec valere exiſtimemus, tranſmiſſionem eam ad loca ea puris ſequuntur aliquando ſymptomata quædam: ergo tranſmiſſio ea non fit. Fieri autem non difficulter interdum ſane poſſe abſque quod vel pareat, vel grauiſſimis quibuſdam ſymptomatis corripiatur æger, aperte, ni fallor, docuimus, ac proinde minime cõtraria ſibi attuliſſe credamus 21. Aphor. lib. 1. Quorum ſi recta examinetur ratio, confirmandæ potius Galenicæ huiuſcemodi ſentẽtiæ cauſa adduci debeant, tantũ abeſt vt deſtruant. Nihil enim aliud perſuadere nobis nititur ibi, quã vt loca quæramus per quæ commodius ſemper ac tutius duci euacuandus humor queat: inſpiciatq; ſemper artifex, motum, impetum ita humorum à natura factum, vt conuenienter promoueamus, contrarium vero cohibeamus, aut alio auertamus, atq; hæc ſunt aphoriſ. libri dicta. At in de loc. affectis: ſolere inquit, interdum fieri, quanquam rarenter, vt materia ex pulmone in cor feratur. Οὐ μὴν εἴωθεν οὕτω συμβαίνειν ὡς τὸ πολὺ φθανούσης τῆς μεταλήψεως εἰς τὰς τραχείας ἀρτηρίας γίνεσθαι. Atqui ait, plurimum non ita contingere conſueuit; facta prius in aſperas arterias tranſmiſſione, vt cum hanc minus natura vſitatam eſſe dicat, proinde minus eſſe quoq; intelligamus commodam, niſi tamen affatim confertimq; tranſmiſſio illa ad tracheam fiat, in quo periculũ ſuffocationis inſit. Idem prorſus, quod in Aphor. dixerat conſueſſe naturam, modo conuenienter, modo contrarie hoc facere. Neq; vſquam reperietur Galenus eo quidem in loco euacuationem hanc aliis prætuliſſe, ſed ſolere, rarò licet, à natura fieri, dixiſſe: videlicet, vt quum potiorem non inuénit, hanc tamen ipſam tanquam ſecundo loco ad exonerandum ſe quærat. In Aphor. autem nihil aliud, quam medicum admonet, caueat diligenter, ne per loca inconuenientia ducat, quod nos quoq; præceptum ſequuti, quoties euacuandum nobis contentum in pulmone pus eſſet, ſi quam moliri nobis aliam commodam magis liceret, non vtiq; ad loca deduceremus paulo nobiliora, quod idem à natura quoq; fiat, vt non, niſi quum aliter aliqua tandem de cauſa non poteſt, puris eo ab ea materia tranſmittatur. Nihil igitur controuerſiæ in his, repugnantiæ nihil. Nec diſſentire mihi quidem videntur ab his Paulus & Aetius (nam de Auicenna ne tu quidem ambigis) illud enim quod vtriq; verbis prope iiſdẽ quibus Galenus ad hæc vſi, per vaſa quædam id fieri dixerint, quid aliud, quam monſtrata à Galeno via illa (niſi vero aliquid nobis fingamus) eſſe poſſit, fateor me non videre. Addis ad extremũ quum Galenicam ſuper hoc ſententiam refutaſſe tibi viderere acute in primis excogitatam de tuo communiq; tibi cum quibuſdam aliis crediſq;: ſiquidẽ tranſmiſſio tandẽ hæc fieri à pulmonibus ad veſicam debeat, per venã id ſolam fieri poſſe ἄζυγον quam vocant, id eſt ſine pari. Vnde per venam cauam in veſicam tandem deriuetur, non diſſimiliter atq;, quanuis motu in contrarium facto, ſanguinem mẽſtruum videmus, cum impeditas naturaliter delegatas ſibi vias inuenit, retroceſſione per venam cauam ad venam ſine pari deferri, pectusq; ipſum ingredi, atque ita ſanguinis ſputum efficere. Mihi autem (ſiquidem ingenue quod ſentio dicendum eſt) longe difficilior hæc eſſe, quam Galenica illa ratio modusq; videtur. Quũ enim de pulmonis abſceſſu diſputetur, nemini dubiũ eſſe poteſt, multo magis facilẽ habendũ eſſe materiæ illius tranſitũ in aſperas, leueſue arterias, quam ꝙ pectoris primũ cauitatẽ de pulmone emiſſa empyemaq; potius ita faciens, occupet, aliter enim non poteſt: Deinde venæ ſine pari exiguis magis oſculis ſeſe inſinuet. Tum quod de ſanguine menſtruo dicitur, ſuſpectũ mihi valde eſt, vt fieri recte queat. Non enim video quomodo egreſſus (quod ipſe dicis) venam ſine pari ſanguis, in cauitatemq; pectoris ingreſſus nõ ſæuiſſima quædã inferre ſymptomata debeat. Nõ enim ignoras, quacũq; in corporis parte, præſerti vero ſi thoracis cauitas ea eſſet, extra vaſa cõtineatur ſanguis, quãtopere verendos affectus faciat: quod nihilominus euenire his caſib. nõ experimur: præterea ꝙ, vt ſputo educeretur contẽtus ita illa in parte ſanguis, neceſſario prius intra pulmones eum aſſumi opus eſſet, vt per ſputũ deinde ita prodiret. Quanto igitur minore negotio exiſtimãdũ nobis eſt mẽſtruũ ſanguinẽ per venã cauã apertis, cõtinuiſq; quibuſdã viis in tracheã delatũ ſputo tãdẽ exire? Atq; hæc ſunt vir doctiſſime, quæ ſi probaris, mihi quoq; probabuntur, ſin minus, ſequemur alia. Et quo-

*niam ſupereſt forte nunc ſatis adhuc mihi ad ſcribēdū temporis, ſignificaſq; doctiſſimū quęq; Patauinorū medicorum, quos ego præceptorum meorum ſemper loco habeo, non dubitare ac Theriaca ad Piſone libro, Galeni eſſe (vt ita dicam) ipſiſſimum, quamobrem ego contrariū ſentiens, ad te ſcripſi, etiam rogo, legere ne grauare, licet paucula quædam de re hac ſcripta alibi a me ſint. Primum dico libri dictionem illius, legiſſe me ſemper mihi diſtare viſam ab ea, qua Galenus in operibus ſuis vtitur. Huiuſce ego rei fidem facere certiorem non poſſum, quā ſi per ſe eruditi, quos ego longe meipſo melius hoc ipſum animaduerſuros ſperarē, collatis inter ſe lectionib. diuerſis, exacte inprimis in hac inquirerent, inſignem quandam deprehenſuri vocū ac figurarū diuerſitatem, maximeq; diuerſas elocutionis formulas, periodos varias, fluxumq; nimis, ac ſolutum dicēdi genus. Vox ἐπίδηλα dubitandi primum mihi anſam dedit, qua Ariſtoteles & Dioſcorid. vtuntur: Galenus (quod ſciā) nunquā, niſi cū aliena forte recitat. Aut δ' ἔδιας μὲν φιλικοῖς ἐπεῖδες τοῖς ὄμμασιν, i. e. Confeſtim amatoriis inſpexiſti oculis. Periodus profecto nimis pro Galeno mollis. Mitto enim illud ὄμμασι pro ὀφθαλμοῖς verbum Poeticū prorſus, & prope dixerim, ampullaceū, quibus nō temere vſum Galenum reperias. Dum Piſonis filii hiſtoriā narrat, quam ſe pro adulatore gerit autor ille? quod Galenus ſemper cauit. Diuinum ſæpiſſime appellat Platonem, Galenus ſapientiſſimum quo loco appellarit, nō ſuccurrit, quod autor is facit. Idem Imperatorē Marcū diuinum nominat, non temere inuenias Galenum Marcū, aut Traianum, aut Adrianum, aut Commodū, aut Neronem, aut Seuerū, aut Antoninum diuinos vocaſſe, vt qui Cæſares, quoties illorum mentio incidit nominib. tātum ſuis appellet ſic ſimpliciter. Deinde quod perſuadere omnium maxime poſſit, temporum ratio non quadrat. Scriptum namque fuiſſe apparet ad Piſonem librum Romæ duobus imperantibus Cæſaribus atq; ibidem rurſus Imperatoris Marci, qui cum Vero aliquandiu imperauit, vt demortui iam mentio fit. Conſtat autem quandiu Romæ vixit Galenus, nullos duos ſimul regnaſſe Imperatores, præter Marcum & Verum, a quibus ad Maximinorum vſq; & Gordianorum tempora ſoli imperarunt. Commodus, Pertinax, Iulianus, Seuerus, Caracalla, Macrinus, Heliogabalus, Alexander: quanquam Macrinum regnaſſe faciunt cum filio annū, aut eo paulo plus. Quæ ſi vera ſunt, certiſq; argumentis colligi poteſt poſt Seuerum Romæ non vixiſſe Galenum, poſt quem demum Macrini, Maximini, & Gordiani non ſoli imperarunt: liber autem (vt diximus) pluriū ſimul Imperatorum meminit: neceſſario cōuincitur, Galenum ipſum libri autorem haberi nequaquā poſſe, qui ſub Imperatoribus duobus Marco & Vero Romæ tantum fuerit, quos ipſos ad Piſonem liber mortuos iam faciat. Fuiſſe autem Seueri temporibus Romæ Galenū, vel illud argumento eſſe poteſt vnū, quod Seueri iuſſu in Theriacæ compoſitione, coactus fuerit Cinnamomum ex Adriani apothecis ſumere, idq; Romæ priuſquam ſecundo peregrinaretur. Poſt quod deinde tempus, cum in patriam reuerſus alterā iam peregrinationem peregiſſet, tertio non rediit. non enim tertio peregrinatus eſt. Cōpoſuit autem librum de Antidotis in patria, viuente etiamnū Seuero, vixitq; poſtea domi ſemper ſuæ, vt nullo tandē pacto cōpoſuiſſe librum ad Piſonem potuerit, qui Romæ poſt Seueri omnino tēpora factus compoſituſq; fuerit. Idem porro manifeſtius adhuc faciet lectio pergentis. Videbit præterita pro aoriſtis, modo minime quidem Galeno vſitato τεθαύμακα τὴν γνώμην animaduertet adulationis genus a Galeno ſummopere abhorrens: hiſtoriā fabulæ ſimilimā de ſerpentiū in Romanorum exercitum proiectione, de Cleopatra, de huius ipſius ancillarum nominibus, de Auguſto, de Polyxena, de Mithridate, de Pompeio inanster relata quædam. ὦ μεγ εἰδότες, φυμάτων σκεδιστικὸν φυτοτίμοις λόγοις, προσχολτότερον περιπλοκὰς, φαντασίας, σύγκρισις, πρόληξις, τεταρταΐζοντων, vocabula ſunt, quæ omnium minime Galeni moneta percuſſa videri poſſint. Quoties quidem de ſuo ea profert, non alienis vtitur. Illud vero quomodo credamus Galenum admiſſurum fuiſſe, vt puello illi Theriaca ad pernitiem daretur? Hæc atq; huiuſmodi præterea quædam, præcipue vero genus dicendi, longe a Galenico diuerſum, fidem cuiuis facere poſſunt, a Galeni officina remouendum eſſe librum hunc. Ac vide quo progrediar: ego ne ad Pamphilianum quidem libellum, Galeni eſſe credo opus, eandem ob cauſam. neque tamen iam me Ariſtarchum de rebus his facio, vt ad verſuum ánorum inſpectionem, ſicuti in ſandalario ille olim, profitear Galeni me poſſe hanc illamve eſſe aut non eſſe dictionem affirmare. Verum, quod initio dixi, ſperarem ego eruditos idem, quam me certius animaduerſuros, modo animū intenderent, vt quod ego primus fortaſſe hoc deprehenderim, non id perſpicaciæ, aut eruditionis tribuendum alicui ſit, ſed animaduerſioni potius cuidam tantūmodo, verborumq; inſpectioni paulo magis diligenti. In qua diutius hærere docti haud ita libenter ſoleant, ſtudio maiora ſemper quadā ſpretis interea, quæ illis ita videantur, minutiis his, conſectandi. Vale.*

Liber de Theriaca ad Piſonem oſtenditur nothus.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Medicus, Ioſepho Salandio. Medico, S. D.

***Scribitur de Metallicis quibuſdam medicamentis, de Hyacintho flore, de Alica, Farre, Tragorigano & Palturo.***

*AD decimum calend. Septembris reddita mihi ſunt literæ tuæ, quibus prioribus meis reſponderas. Sum autem iis maximopere delectatus, cum a viro Medicæ facultatis ſtudioſiſſimo emanarint, cuius percommode nunc fruor amicitia, quinetiā cum a viro, quem & plurimi laudāt, & cui mea ſcripta non parum probari intelligam. Nā etſi non deſint alii docti viri, qui quotidie ad me ſcribentes illud idem faciunt: habeo tamen tibi gratiam, quod eorum ſententiam tot laudibus mihi probes. Cum autem ad me ſcribas de metallis & metallorum fornacibus, in quibus hiſce diebus nuper elapſis fuiſſe ais, vna cum Baptiſta Baliſto myropola qui apud Croatas agit, velim quidem meam conceſſiſſe fortunam, vt & iam me comite hoc idem eueniſſet. Quandoquidem (vt Galenus inquit libro ſeptimo & octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos) nemo in ſimplicium cognitione ſe peritum euadere confidere poteſt aſſidua tantum librorum lectione, etſi eos quidem grauiſſimi conſcripſerint authores: niſi ſæpius ad viſenda ſtirpium & metallorū genera ſe contulerit, & a præceptore diu in materia medica exercitato, digiti demonſtratione prius fuerit edoctus ac oculorum ſenſu, guſtatuque omnia diligenter animi ex parte expenderit. Quod cum ipſe etiam aliter conſequi nequiret, in Cyprum, Syriam, Lemnum, aliaque loca nauigauit, vt oculis propriis foſſitia quæq; & quæ in fornacibus perficiuntur, medicamēta inſpiceret. Hæc autem nolim a me eſſe dicta putes, quod mihi perſuadeam me adeo in metallica materia eſſe peritum, quaſi ſibi*

Simpliciū peritiam nemo poteſt adipiſci ex librorū lectione.

*ſi ibi nonnihil huiuſce facultatis te docere potuiſſem, nec quod credam ea ipſa metalla mihi longe magis quam tibi eſſe cognita, ſed quod videam Baliſtum illum, quem tecum duxeras in iis cenſendis metallicis medicamentis, quæ a fornacib. in quibus æs conflatur, ſe accepiſſe ſcribit, non parũ a ſcopo aberraſſe. Quandoquidem quãuis ea omnia a Dioſcoride deſcribantur, ac etiam a Galeno, non tamen illa mihi eſſe videntur, quæ ipſe Baliſtus putat. Scribit.n. quod mittat ad me Cadmiam, Spodium atq; Pompholygem, cum tamẽ repererim ex ipſius inſcriptionibus, pro Cadmia Diphrygem miſſam eſſe, pro Spodio Cadmiam botritem ſubnigram, & pro Pompholyge Cadmiæ aliud genus, quod ex cinereo ruſeſcit. Legitima Pompholyx eſt mihi ad manus, candidæ farinæ ſimilis, & admodum leuis, quam ipſemet ab ærariis deraſeram fornacibus, quæ iis in locis concreſcit candidiſſimæ lanæ ſimilis, vbi æris metallum igne flagrans vaporem extra fornacem impellit. Eſt etiam ad manus Spodium, quod circa imas huiuſce loci reperitur partes, vtpote ipſius Pompholygis pars grauior, & impurior. Quamobrem ſi vna vobiſcum fuiſſem, præter id, quod tua conſuetudine ac doctrina fuiſſem maxime delectatus, Baliſtus ipſe nonnihil fortaſſe doctior inde receſſiſſet. Etenim non ſolum metallica hæc propriis nominibus appellaſſem, ſed alia fortaſſe nonnulla digito (vt aiunt) oſtendiſſem, nempe, æris florem ſcoriamq; quinetiam Cadmiam tum placitem, tum foſſitiam, quæ omnia iis in locis reperiri facile crediderim. Atqui valde ſum admiratus qui factum ſit, vt is qui in iis conquirendis te præceptorem aſciuerit, ita rem omnem peruerterit. Ad hæc habeo tibi gratiã, quod (vt fidum amicũ decet) ita libere ad me ſcribas, tibi me aberraſſe videri in Hyacinthi hiſtoria, cum adoleſcentem Hyacinthum, non Aiacem, vt ipſe ſcribo, in Hyacinthi florem permutatum putes. Quin etiam quod de Zea dicocco agens, illam non declarauerim eſſe Far, quo noſtrates in cibis vtuntur. Cũ autem certo ſciã, non aliã ob cauſam hæc abs te mihi ſcribi, quã vt meo honori, meiſq; laboribus bene conſultum velis, cupiaſq; mea ſcripta omni prorſus erroris nota carere, nihil mihi verendũ eſt, quin gauiſurus ſis, cũ vtraq; obiectione, teipſum, non me quidem hallucinatum cõperies. Proinde quemadmodũ ego fraternas tuas obiectiones cãdide ac ſyncere a te emanare video, ac etiam læto gratoq; animo ſuſcipio, velim, vt eadẽ ratione meas admittas defenſiones. Quæ tamen cum fortaſſe tam placidæ eſſe nequeant, quin te obliuioſum oſtendant, rogo ne ægre feras, ſi quomodo aberraueris, nunc tibi aperiã. Etenim id tãtum efficiam, non vt te arguere velim, ſed vt cognoſcas me in altero non aberraſſe, in altero nõ defeciſſe. Vt autem ad priorem tuã obiectionem reſpondeã, in qua me aberraſſe putas, quod non recte ſcripſerim Aiacem in florem Hyacinthum fuiſſe conuerſum, quodea quæ de Aiacis cruore tradiderim, Ouidius de Hyacinthi adoleſcentis ſanguine ab Apro interfecti poſteritatis memoriæ cõmendauerit ſcias velim, iam mihi ſane manifeſte conſtare, philoſophiæ & medicinæ ſtudia, vtpote nobiliora & fructuoſiora adeo tuam occupaſſe mentem, vt huiuſce fabulæ prorſus fueris oblitus: quemadmodũ & mihi ſæpenumero cõtigiſſe ſcio. Siquidem Ouid. lib. 10. & 11. Metamorph. ſcribit, Aiacis ſanguinem in eundem creaſſe florem in quem Hyacinthus ſe permutauit. Quo factum eſt, vt Apollo cuius diſco necatus eſt Hyacinthus, Ouid. ipſius teſtimonio morientem ſolaretur his verbis:*

Pŏpholyx legi-
[illegible]
Spodium vbi
reperiatur in
fornacibus me-
tallicis.

Aiacis & Hya-
cinthi fabula.

> *Semper eris mecum, memorique hærebis in ore,*
> *Te lyra pulſa manu, te carmina noſtra ſonabunt.*
> *Floſque nouus ſcripto gemitus imitabere noſtros.*
> *Tempus & illud erit, quo ſe fortiſſimus heros*
> *Addat in hunc florem, folioque legatur eodem.*

*Hic enim de Aiace intelligit Ouidius, quem fortiſſimum vocat heroem, de cuius interitu ſcribens lib. 13. eiuſdem operis ſic carmine habet:*

> *Nequiſquam Aiacem poſſit ſuperare niſi Aiax*
> *Dixit, & in pectus tum demum vulnera paſſum,*
> *Qua patuit ferro lethalem condidit enſem.*
> *Nec valuere manus infixum educere telum,*
> *Expulit ipſe cruor, rubefactaque ſanguine tellus*
> *Purpureum viridi genuit de ceſpite florem,*
> *Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.*

*Hæc Poeta ille lepidiſſimus. Quibus ſubſcribit Plinius lib. 21. c. 11. ſic inquiens: Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens eius quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore editi, ita diſcurrentibus venis, vt Græcarum literarum figura ai legatur inſcripta. Hæc ille. Proinde videas obſecro quam late longéque à ſcopo aberraueris. Verum tu videris quonam pacto, quibuſue argumentis te ipſum ab errore excuſaueris, quod credas Hyacinthum ab Apro interemptum. Siquidem Adonis, quem Venus adamauerat, non Hyacinthus ab apro illo (Ouidii ipſius teſtimonio) occiſus eſt, & in florem ſui nominis a Venere ipſa conuerſus. Sed de fabulis ſatis. Quod autem vbi in Dioſcoridem ſum commentatus non declarauerim, Zeam, quæ Græcis δίκοκκος dicitur, illud eſſe ſemen e quo far conficitur, cum contra tuam ſententiam certo ſciam, aliud ſemẽ eſſe adoreum è quo far paratur, aliud vero Zeam, ex qua Alicam faciunt: operæpretium mihi non fuit male ſentire cum illis, quorum videris tu ſequi opinionem. Vt autem non putes me fortaſſe hæc temere affirmare, ſcias velim, quod quemadmodum Ptiſana paratur ex hordeo a putaminibus repurgato, confractis craſſiuſcule granis, eodem pariter modo ex Zea fit Halica, & ex triticeo quodam ſemine Adoreo vocato fit ipſum quoque far: adeo vt Ptiſana, Alica & Far, non niſi arte parata è variis, vt diximus, ſeminibus habeantur. Cæterum quod ptiſana arte fiat, id facile comprobatur Galeni teſtimonio quippe qui libro de ptiſana ita ſcriptum reliquit. Quandoquidem compoſita quædam res eſt, tum ptiſana, tum eius cremor, ex hordeo enim probe contuſo & aqua, & certa quadam coctione conficitur. Atqui non ſolum hoc ſibi genus ita parati ptiſana dicitur, ſed etiam hordeum ipſum crudum vbi delibratum in particulas fuerit confractum. Id enim idem Galenus oſtendit libro 1 de alimẽt. facultatibus, ſic inquiens: Crudam ptiſanam aliquandiu in aqua præmaceratam, deinde in mortarium coniectam manibus terere oportet crudum præpoſitus & qui in ſuperficie eſt cortex, ſit abiectus. Is enim [illegible] continet tunica [illegible] inter pinſendum abiicitur. Quapropter & præmaceratur, & in mortario tunditur. Cæterum quod Alica paretur ex Zea, eaq; præſertim, quam dicoccon vocant, teſtatur ſane Dioſcorides quippe qui lib. 2. Alicam ex Zea illa parari ſcribit. Cui ſubſcribit Plinius lib. 18 capit. 11. his verbis: Alica fit ex Zea, quam ſemen appellauimus. Tunditur granum eius in pila lignea, nam lapidis duritia conteritur.*

Zea & far non i-
dem ſunt ſemen.

Ptiſana quæ di-
catur.

Plinius

*Plinio autem ſubſcribit Cōſtantinus Imperator, qui lib. 3. ſuæ agric. Ad alicam (inquit) parandam Zea decorticatur, & in ferventem aquam inijcitur. Optima eſt, quæ primū excuſſa eſt; ſecundum locum habet quæ ſuccedit, deterior autem tertia, id quod à Plinio tranſcriptum videtur loco ſuperius citato.*

*Alicæ tria genera.*

*Quibus facile palam eſt, non ſolum parari Alicam ex Zea ſed adeo eam frangi mola, vt poſtea incerniculis tria eiuſdem excuterentur genera nempe craſſius, medium, & tenuius. Nec obſtat quod ſcripſerit Galenus libro primo de aliment. facultat. Chondrum ex genere eſſe tritici. Quippe quod (vt poſtea dicam) eo in loco chondrum pro farre, quod ex triticeo ſemine paratur, accipiat Galen.*

*Adoreum ſemē frumēti genus.*

*Quod autem far fieret ex quodā tritici genere, Adoreo antiquis appellato ob eius in ſacris ſponſalitiorum vſum, facile tibi ſatisfactū iri putauerim, vbi hæc quæ ſequūtur legeris. Plin. lib. 18 c. 8. Frumenti genera, inquit, nō eadem vbiq;, neq; vbiq; eadem ſunt iiſdē nominibus. Vulgatiſſimū far quod veteres adoreum appellauere. Et eodē ipſo cap. Qui Zea vtūtur, inquit, nō habent far. Item 7. eiuſdē lib. cap. Populum Roman. ait farre tantū è frumento trecētis annis vſum Verrius tradidit.*

*Romani 300. annis farre tantum vixerunt.*

*Quo tempore nullus erat Alicæ vſus, nec vnquā poſthac, niſi poſt Pompeij magni æuum. Proinde, inquit idē Plin. Alica res Romana eſt neq; Pōpeii magni ætate in vſu fuiſſe traditur, nec pridē excogitata. Præterea differre Alicā à farre teſtatur apertiſſime Aſclepiades eo in eclegmate, quod ſcribitur à Gale. lib. 7 de comp. medicam. per genera c. 5. ſic inquiens: Farris Cluſini appellati ſextarium dimidium, decocti marrubii viridis ſextarium vnū. Hæc in vas vitreum conjecta per diem & noctē macerari ſinito, ſequenti die Pharmacum mollito, quēadmodū Alicā maceramus. Hoc idem manifeſtius ac clarius demonſtrat Aet. lib. 9. c. 55. ita ex Archigene tranſcribens: Quod vero Latine in regionib. Romæ vicinis far appellatur, hoc modo apparatur.*

*Farris parandi ratio.*

*Frumentum modico tempore aqua madefacito, indeq; extractum & in pilam conjectum, veluti ptiſanam, à cortice repurgato, vbi vero cortice exuerit, tollito atq; inſolato: Deinde manibus tritum donec penitus à cortice fuerit mūdatum craſſiſſime molito, ita vt granū vnum in quatuor aut quinq; partes redigatur, & ſiccum aſſeruato. Vſus autem tempore Alicæ modo coquitur, & à ſanis in cibo ſumitur, pro ægris vero varie apparatur, & Epithematis quoq; admiſcetur. Quidā ſpicas frumenti adhuc virides tollunt, ex ipſiſq; far concinnant, quo modo & ſuauius & iucundius redditur. Hæc ille. Ad hæc facile conſtabit, Far nihil cum Alica habere cognationis ſi Zeæ ſubſtantia recte expendatur.*

*Farris & Alicæ differentia.*

*Eſt n. hæc fragilis, ac mollis adeo, vt cortice expoliari non poſſit (vt Plin. inquit) niſi in pilis ligneis cum lapidis duritia frangatur, nec queat in frigidis tractibus ſeri, niſi Vere inchoante, cum ſit algoris & frigoris impatiens. Far vero cōtra, quod duriſſimum ſit, quodq; algores ac frigidiſſimas hyemes ſuperare poſſit. Ac ea propter, dicebat Plinius loco ſuperius dicto, far ex omni frumentorū genere eſſe duriſſimum, & contra hyemes firmiſſimum. Patitur, inquit, far frigidiſſimos locos & minus ſubactos, vel æſtiuoſos ſitientesq;. Primus antiquis Latio cibus, magno argumēto in adoreæ donis, ſicuti diximus. Optimum far dabat olim Cluſium antiquiſſima Etruriæ vrbs, vnde dicebat Plin. lib. 18. c. 7. In tranſpadana Italia ſcio vicenas quinas libras farris modios pendere circa Cluſium & Senas. Hinc itaq; tibi palā fiet nulla dubitatione eſſe affirmādum, non ſolum Far ab Alica differre ſed quod impropriè in quibuſdā Italiæ locis Alicam far nuncupent cum alica (vt diximus) ex eo Zeæ genere fiat, quæ dicoccos appellatur, quæq; Foroiulienſibus vulgo vocatur Pirrafarra, quod ipſi quoq; perperam Alicam far legitimum eſſe putent. Sed rectam Alicæ nomenclationem adhuc retinent Ananienſes in agro Tridentino, quippe qui Zeam à putaminibus repurgatam Algam, quaſi Alicam vocant farriq;, quod etiam habent proprium reſeruant nomen. Siquidem Adoreum ſuo idiomate appellant formento farro.*

*Quo factum ſit, vt quidam alicā far appellent.*

*Quo autem factum ſit, vt Alica farris nomē in aliquot Italiæ locis hoc tempore ſibi vendicauerit nulla mihi alia ſuccurrit ratio, quam quod putarim, quod cum legitimi farris vſus ibi defecerit, Alica in eius locum ſucceſſerit, vel quod facie fortaſſe far ipſum referat. Quemadmodum laricis reſina, Terebinthinæ nomen & locum ſibi vendicauit: Acorus, odorati calami locum tenet, & magnum Centaurium vbiq; legitimum mentitur Rhaponticum. Farris apud Græcos (quod meminerim) nulla habetur hiſtoria, quod proprium ſit far Latinorum, quanquam apud Aſclepiadem (vt Galenus inquit) & apud Archigenē (vt recitat Aetius) Latinū hoc nomē ex Latino Græcū ſit factum. Verū tametſi farris proprium nomen apud Græcos nunquam extiterit: nōn tamen nobis putandum eſt, neque credendum, quin illis Far innotuerit cum eo ſuis in medicamentis ſint vſi. Namque (quantum mea fert ſententia) cum ii farris nomenclatura carerent, illud ſane ſub chondri genere collocarunt, tāquam ſub generali nomine omnium ſeminum, quæ ad ciborum vſum confracta molis expetuntur.*

*Chondros, Ptiſana, Far indifferenter ab autoribus capiuntur.*

*Quamobrem Chondroptiſanam & chondroalicam dixerunt, vt palam eſt ex Galeni verbis lib. primo de aliment. facult. ac etiam ex Aetio 10. & 11. noni libr. cap. Quamuis non negauerim quin etiam χόνδρος Græcis ſimpliciter Alicam quandoque deſignet. Nam & in Etruria triticū granum vocant, cum tamen granum vniuerſale omnium ſeminum habeatur nomen. Quinetiā Latini Zeam ſemen appellauere, quo fit vt recte etiam à nobis chondrofar dici poſſe putarim. Eodem ſane Ptiſanæ nomine Græcos vſos eſſe reperio, quod etſi proprium hordei ſit, eo tamen ſæpenumero generaliter vtuntur. Siquidem non ſolum hordei ſed & Alicæ, & Tritici, & Oryzæ ptiſanam apud illos inuenio. Teſtatur hoc primum Dioſcorides lib. ſecundo cap. de hordeo, vbi ſic habet: Facit hordeacea ptiſana ad acrimonias omnes, faucium aſperitates & exulcerationes, quibus & triticea accommodata eſt. Galenus deinde lib. 1. de alimen. facul. Veterum nonnulli, ait, veluti Diocles & Philotimus, Ptiſanam triticeam chondrum hoc modo paratum appellant. Et paulō inferius inquit: Quidam autem dicūt ex Alicæ ptiſana ægrotum fuiſſe ſanatum. Plinius præterea ex Oryza fieri Ptiſanam teſtatus eſt 8 cap. 18. libri ſic inquiens. Itali quidem maxime Oryza gaudēt, ex qua ptiſanam conficiunt. Quibus palam eſt, quod quemadmodum chōdros, ita etiam ptiſana apud Græcos indifferenter capi ſoleat. Hoc idē in farre video pariter obſeruaſſe Latinos, qui tametſi far parari aſſerunt ex frumēto illo Adoreo, aliquando etiam farris meminerunt hordei.*

*Far ex hordeo apud Columell.*

*Cuius rei teſtis eſt Columella ac etiam eum ſequutus Palladius. Ij enim vbi phaſianorum pullos nutriri docent, illis far hordei dare præcipiunt: adeo vt quemadmodum Græci cum Ptiſana ſe habent & chondro, ſic Latini ſuo cum farre agunt. Cum tamen ſimpliciter prolatū ſemper adoreum ſignificet, ſicut Ptiſana hordeū & alica Zeam. Quo fit vt mihi perſuaſum velim (vt ſuperius diximus) quod vbi Galenus lib. 1 de aliment. facul. χόνδρος dixit: ex genere eſt tritici, valenterq; nutrit, ac ſuccum lentum habet, is ibi de farre ſcripſerit, nō de alica, quæ ex Zea paratur.*

*Chondros apud Galenum pro farre.*

*Quem poſtea ſequutus Paulus poſuit Chondrum ſimpliciter pro triticea ſpecie, de Alica poſt hæc ſpeciatim ſcribens, tanquam ab altera differēte.*

*Pauli locus explicatus.*

*Quo poſtea factum eſt, vt Medicorum nonnulli qui hæc ignorant, plurimum ſint admirati Paulum à Chondro ſeparaſſe Alicam. Et hæc quidem ſunt, mi Salandi quæ de Alica Farriſque differentia nunc ad te ſcriben-*

*da ſuccurrunt, quæ ſi accurate, vt ſoles, perlegeris, nihil mihi verendum eſt, quin priorem abiicias ſententiam. Porro plantã, quam pro Tragorigano ad me miſiſti, cum folia ſerpylli non habeat, nihilq; linguam excalfaciat, ſiccetq; ſed manſu lentitiã ac mollitie quandam præ ſe ferat, haud quaquã Tragoriganum eſſe poteſt. Sunt qui eam alterum faciant Helenium, quod in Ægypto naſci ſcribit Crateuas, & alii, qui Panacem Chironium eſſe putent. ſed cum notæ non adſtipuletur, neq; his neq; illis hactenus ſubſcribere volui. Paliurum quã mittere pollíceris, gratiſſima ſane mihi fuerit: ſi legitimã referat. Sed cum tantum ſemen à Dioſcoride deſcribatur, nec vllam cæterarũ partiũ notam is deſcripſerit, neſcio quo pacto mihi fuerit affirmandũ Paliurũ tuam eſſe legitimã, niſi ea ratione, quod à Græcis (vt ais) Paliurus paſſim dicatur. Sed varia apud antiquos reperitur Paliuri hiſtoria, vt in commentariis noſtris in Dioſcoridem diffuſius ſum cõmentatus. Vale, & ne obliuiſcaris rogo, quin Apologias tuas, quas te miſſurum ſcribis quamprimum ad me mittas. Goritiæ.*

Paliurus.
Lib 1 cap. 104.

## PAMPHILVS FLOREMBENVS FORO-ſemproníenſis, Pet. And. Matthiolo, S. D.

*Agitur de altera Dioſcoridis Clematide.*

*MIraberis fortaſſe Andrea doctiß. qui te nunquam viderit, nunquã fuerit allocutus, literas tamen ad te ſcribat, & amicitiã tecum inire aliquo pacto cogitet. Sed ea eſt eruditorum conditio, vt à multis amentur colanturq;, quos illi ne nouerunt quidem, tantum abeſt vt cõſpexerint. Tu vero vnus es (tanta eſt ingenii tui ac doctrinæ gloria) quem plurimi viri, & doctiß. quidẽ tempeſtate hac noſtra plane venerentur. Quis n. eſt hodie qui Medicinæ ſtudiis operam nauet, qui tuos in Dioſcoridem cõmentarios non perlegerit, nõ perdidicerit? nam adeo multiplici doctrina, & rerũ cognitione referti ſunt, vt merito illos medici nocturna manu, ac diurna verſare decreuerint. Me vero in primis adeo illi ipſi delectant, vt nulla dies elabatur, quin aliquid ex iis tanquã ex aliquo perenni fonte, hauriã, quod facultatem hanc medendi meam, ſi qua eſt, quã ſentio quã ſit exigua, locupletet: nec parum mihi contulerunt ad herbarũ, fruticũ, arborũ, metallorumq; cognitionem. Cum vero legerem ea, quæ ſcribis de altera Clematide Dioſcoridis, non videris aliam plantã conſpexiſſe, quæ illius deſcriptioni magis reſpõdeat, quam eam, quæ vulgo flammula nuncupatur: nec illam ipſam eſſe negares ſi per arbores reperet, quod exigit Dioſcorides. Ego vero ſuperioribus annis cum eſſem Foriſempronii (ea eſt ciuitas prope Metaurũ Vmbriæ 15. millib. paſſuum a Piſauro diſtans) & campos nonnunquã peragrarem, & herbas quibus locus abundat, examinarem, illã ſæpenumero vidi, legi, guſtaui, flores obſeruaui, radicitus (vt nihil non excuterem) euellendam curaui, & in ſententiam tuam pedibus iui. Semel autẽ contigit arbore quandam proceram, & amplam conſpicere, de qua puniceí flores quamplurimi dependebant: cũ vero propius acceſſiſſem, frutex quidam, ſimilimus Iouis flãmulæ, viticuloſis ramulis, rubeſcentibus, lentis, guſtu pl[illegible] ne acerrimus flore puniceo per illam repens totam occuparat: Cum primum igitur illam deguſtaſſem, hæc eſt altera Clematis, vt exiſtimo, dixi, & hactenus illam eſſe nõ dubito: habet enim omnia quæ in ipſa Dioſcorides exigit. Hac de re volui certiorem te facere, vt poſthac diligenter (vt ſoles) inquiras hũc fruticem, examinesq;, & ſi mea tibi ſententia placuerit publicæ vtilitati elargiaris, nec adeo difficile fuerit videre tractareq;, nam tametſi ager in quo nunc degis eam fortaſſe non ferat, habetur tamen hic Venetiis in horto eorũ qui diuum Franciſcum ſectari profitẽtur: locum appellant S. Franceſco da la vigna. Sed ignorare te illud nolo, me non æque acris exulcerantiſq; guſtu præditam reperiſſe hic plantam ac Foriſempronii, quod nihil me mouet. Ibi enim ſponte naſcitur: hic vero nequaquam. Vale & me ama, à quo amaris plurimum. Venetiis.*

Clematis altera Dioſcoridis quæ.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Pamphilo Florembeno. S. P. D.

*Præcedenti Epiſtolæ reſpondetur.*

*GRata quidem ac periucunda mihi fuerunt literæ tuæ. Ex iis enim facile intellexi quantum doctrina valeas, quinetiam (quæ tua eſt humanitas) quantus ſit tuus in me amor. Ecquid aliud ſperandum erat a Pamphilo viro eruditiſſimo? Nulla equidem ſum admiratione affectus, quod tu, qui me nunquam conſpexeris, neque de facie noueris, ad me ſcribas & amicitiam mecum cõtrahere cupias: cum non deſint clariſſimi viri, quorum conſuetudine, literarum maxime, delector, cum medica materia ſtudioſi, tum in aliis ſcientiis optime verſati, qui etſi nunquam me nouerint, nec viderint, frequenter tamen ad me ſcribere ſolent, ac de variis materiæ medicæ dubiis per literas mecum agere. Quam ob cauſam facile adducor, vt aliquando mihi aſſenter ipſe, mihique gaudeam, non quod laudari tantum labores noſtros deſiderem, ſed quod optimos quoſque viros iis delectari audiam. Tibi vero ingentes, & ago, & habeo gratias, quod mea tanti facias in Dioſcoridem commentaria, quodque tam humaniter fatearis nullam prolabi diem, in qua librum meum non legas, & magno cum emolumento reuoluas. Siquidem hæc omnia maxima ſunt & certiſſima tui in me amoris argumenta. Verum quid à te in poſterum expectandum, cum, quæ iam tertio multis auctæ rebus ac illuſtrata prodibunt in lucem, alacriori animo perlegeris? nimirum me tot laudibus abs te celebrari ſpero, quod nunquã mea ſcripta promereri crediderim. Sed hæc iã miſſa faciamus, & ad alteram Clematidem Dioſcoridis accedamus, de qua ita accurate ad me ſcribere videris, vt eam per te tantum cognitam, proximis Commentariorum noſtrorum editionibus cæteris rei plantariæ ſtudioſis mea opera innoteſcere d[illegible]eres. Scias itaque velim me idcirco tibi perpetuo fore deuinctum, quod viderim te nulla alia ratione adductum [illegible] de re hac ad me accuratius ſcriberes, quam vt amorem erga me tuũ, tuique animi liberalitatem apud me teſtatam relinqueres, atq; noſtros in Dioſcoridem commentarios ſplendidiores redderes. Quo fit, vt nihil mihi magis nunc ſit in votis, quam tuam videre Clematidem puniceos flores ferentem. Hoc ſi contigerit,*

*rit, occaſionem ſane commodiſſimam exhibebis, vt tui nominis autoritate mea ſcripta magis eluceſcant. Memini autem dum Goritia Oenipontem iter facerem, viticuloſam conſpexiſſe plantam, agrorum quorundā ſepes ſcandentem in comitatu Tirolenſi, a qua purpurei dependebant flores ſtellatim fere radiātes: ſed neſcio qua motus perturbatione vel ſomnolentia, a meipſo auocatus plantam legere, & examinare neglexerim. Cæterum ſi recte memini, hæc nihil prorſus viticulorum & foliorum facie a mea Clematide, quā nos Vitalbā vocamus, differre videbatur. Quo fit vt credam me non longe a ſcopo abeſſe: quandoquidem etſi Vitalba purpureos flores non ferat, ſi eam recte per omnia intueamur, nulla ſane erit nota quæ non illi correſpondeat, ac nos ad credendū compellat, vel ipſam Clematidem eſſe alteram legitimam, vel alterum eius genus. De Clematidis alterius floribus nunquam meminit Dioſcorides, nec alius (quod viderim legerimq;) qui plantarum hiſtorias ſcripſerit. Sed cum prima illa Clematis, quam quidam Vincam peruincam vocant, cæruleos gerat flores, qui quidem colore non longe a nigricanti purpureo diſtat, facile adducor, vt credam eam legitimam eſſe Dioſcoridis Clematidem, quæ purpureos flores edit. Nec mirum ſi Vitalba Dioſcorides non meminit, nec generis eius aſcripſerit, cum innumera aliarum plantarum genera noſtro hoc æuo ſint adinuenta, de quibus antiqui nulli meminere. Reliquum eſt vt ſi hac in re & in aliis aliquid tibi gratius præſtare poſſim, id libere a me petiturus te poſſe intelligas. Vale.*

Clematis altera duplex.

Dioſ. lib. 4. cap. 4.

Clematis altera legitima.

# VINCENTIVS CANTONVS MEDICUS, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Mittuntur Matthiolo aliquot Monachorum quorundam cenſuræ in eius in Dioſcoridem Commentaria.*

*Cum anno præterito pituitoſa quadam fluxione affectus eſſem nec morbum vllis medicamentis expugnare poſſem, contuli me ad Senēſis Caſſiani thermas, vt ibi aquas ſponte naſcentes, quas vulgo appellant della Ficoncella, inſumerem. Ibi forte aderant eius rei cauſa nonnulli veteris vrbis ciues, viri ſane cum ſumma probitate, tum etiam eruditione. His cum in amicitiam familiaritatemq; veniſſem, vt in Thermis plerunq; fieri ſolet, inde recedentes multis a me precibus petierunt, vt vna me ad vrbem veterem conferrem: Quibus cum non poſſem non honeſte non aſſentire, ac etiā videndæ vrbis deſiderio allectus facile conſenſi. Venimus tandem illuc, vbi cum ſolatii perluſtrandæq; vrbis gratia aliquot dies conſumpſiſſem, inter deambulandum forte deueni ad Myropolæ cuiuſdam officinam, ibiq; cum conſpexiſſem nonnulla herbarum plantarumq; [illegible] & modo vnam modo alteram, vt fieri ſolet a rei herbariæ ſtudioſis, inſpexiſſem, ac etiam de his cum amicis illis meis non pauca loqui cœpiſſem, rem eouſque produximus vt in ſimplicium medicamentorum ſermonem incideremus. Quo tandem factum eſt, vt de tuis in Dioſcoridem commentariis non nunquam fecerim mentionem. Quæ cum pro eo, ac res ipſius veritas poſtulare videbatur laudibus in ſumma extollerem, quantum a ſummis viris medicæ materiæ peritis Piſis, Patauii, Bononiæ, [illegible] quidam, qui tum forte ſuperuenerat arridens recte quidem inquit facis, qui compatriotæ tui [illegible] patriæq; tuæ dignitatē tueri conaris: Si vero Matthioli opus recte perpendere volueris [illegible] multis erroribus vndiq; ſcaturire cognoſces quorum ad quinquaginta, & fortaſſe plures [illegible] Huius ego rei nouitate permotus, vt illi omnia magis [illegible] quam ſi id palam faceret & eos mihi errores oſtenderet [illegible] Ad eius ædes venimus, vbi ſtatim bonus ille vir annotationes quaſdam Monachorum qui in Matthiolum commentati ſunt, in tuum Dioſcoridem mihi legendas obtulit. Quas cum perlegiſſem vidiſſemq; friuolis admodum argumentis hos patres tecum contendere, conſultius fore duxi, aſſumendum eſſe quam te defendere. Id autem eam ob cauſam facere libuit, vt rei copiam mihi non denegaret. Quamobrem pertinaciſſimis omnibus precibus petii, tanquam admirans, vt harum annotationum mihi copiam faceret. Conſenſit illico ille, adeo vt non exemplum ſed libellum ipſum Monachorum manu ſcriptum mihi conceſſerit. Hunc itaq; ad te mitto non ſolum vt vanas (vt ſpero) eorum calumnias ſi placet, mea cauſa rem modicam iam addiſcentis, refellas, ſed vt intelligas quam ſubtiles ſint quorundam hominum errores. Vale.*

Annotationes Monachorum in Matthioli commentationes.

# PETRVS AND. MATTHIOLVS VINcentio Cantono Medico, S. P. D.

*Reſpondetur præcedenti Epiſtolæ, cenſuriſque Monachorum.*

*Gratiſſimæ quidem mihi fuerunt literæ tuæ, quas vna cum Monachorū illorum cenſuris in Dioſcoridem meū ad me miſiſti. Recognoui enim ex illis, quanta, quæ tua eſt humanitas, me proſequaris beneuolentia, quantaq; tua ſit mea augendæ ac tuendæ exiſtimationis promptitudo. Quo fit, vt iam fatear me plurimum tibi debere. Legi ad calcem vſque bonorum illorum Patrum obiectiones, ſed haud nihil commotus ſum, quod viderem non mihi [illegible] ſed nunc inuiſſe notam. [illegible] argumentis in me nituntur [illegible] potius [illegible] quam [illegible] & manibus reſpondere cenſuris. At tamen cum videam te non mediocri eſſe deſiderio, vt horum [illegible] paruumper excutiam, & rei veritatem tibi aperiam, omittere ſane non potui, quin tuis [illegible] qui a me petieris, etiam [illegible] cauſa id ſuſcepere non recuſarem. Cæterum [illegible] referant, & [illegible] ſequantur. Ego quidem tibi morem geram, [illegible] N[illegible] tamen, vt horum odium adeo pertimeſcas, vt [illegible] criminationes [illegible] Sed ſimulac perlegeris, ea illico ad eum hominem mitta, qui tibi [illegible] Monachorum cenſuras conceſſerat, vt cognita ſuorum Patrum ignorantia, te compatriotam tuum quidem iure [illegible]*

Reſponſio ad Monachorum obiectiones.

*fateatur: quinetiam, vt ſi fortaſſe is falſam eorum imbiberit doctrinam, deguſtato Matthioli antidoto, hanc ſtatim remouat. Sed iam audias quam belle, quam recte, quam facile horum confutarim calumnias.*

## ACORVM.

Pſeudoacori radix nulla acredine prædita.

Caſtigatio.

*FAteor quidem, vt Monachi ſcribunt, me in meis ſcripſiſſe Commentariis vulgaris Pſeudoacori radicem, quod flore melino in paluſtribus & aquoſis naſcitur, guſtui non eſſe acrem: guſtanti enim mihi, mandentique ſæpius hanc, omni prorſus acredine deſtitutam reperi. Sententiæ noſtræ maxime aſtipulatur Fuchſius vir profecto clariſſimus, quippe qui ſcribat in ſuo libro de ſtirpium hiſtoria, Pſeudoacorum hoc nullam guſtantibus acredinem relinquere. Quod & tu facile affirmabis, vbi primum huiuſce facti periculum feceris. Atqui non ob id contendam reperiri non poſſe Pſeudoacorum aliis in regionibus guſtu acre, vt Monachi velle videntur, quum pro regionum natura aliquando variet in plantis ſapor. Verumenimuero cum loca non nominarint vbi Pſeudoacorum deguſtauerint acre, facile adducar vt credam cenſura ſubeſſe mendacium, quo fit vt à primo inſtituto ne tantillum quidem commouear. Ego de Italico loquutus ſum, Fuchſius de Germanico. Sed Monachi fortaſſe de fanatico diſputant.*

## GALANGA.

Caſtigatio.

Furtiuæ meſſis ſuſpitio.

*SVi inſtituti immemores Monachi, ſcribunt de Galanga differentes, ſe falſo à me de eo eſſe redargutos, quod ipſi nuſquam ſcripſerint, quaſi inferentes his verbis, ſe haudquaquam ſcriptis commendaſſe communis vſus Galangam non eſſe genuinam, ſed Iunci odorati radicem. Conſtat tamen dementatos eſſe Monachos ſuo ipſorum teſtimonio, quandoquidem in Galangæ antidoti commentario id apertiſſime fatentur his verbis. Hæc autem radix, quæ pro Galanga habetur in vſu, teſte Braſſauolo, Acorus eſt, imo verius, ſecundum alios, radix qua vtimur pro Galanga, eſt radix Squinanthi, & non Acori. Hæc illi: Quod poſtea repetierunt in Diamoruſiæ antidoto, vbi Galangam vocatam pro Schœnantho ſubſtitui iubent: Quo fit, vt non parua ſubiit furtiuæ meſſis ſuſpitio, cum ſatæ ſegetis non recordantur meſſores. Nouum iam audis problema, de quo fortaſſe latius alias differam. Interim de calumnia tu iudex eſto.*

## MEVM.

Lib. 1. cap. 3.

Caſtigatio.
Lib. 21. cap. 23.

Mei ſpecies duæ.

De rebus difficilibus dubitare, non eſt a ratione alienum.

Imperatrix herba.

Meum, quo recentes vtuntur, pharmacopœi, non per omnia legitimo correſpondet.

Meum legitimũ in Italia non naſci.
Lib. 21 cap. 28.

Autoris inſtitutum.

*SEd videas quam inane, ac infirmum ſit tertium eorum ſpiculum, quod in me iaculantur, cum ſtatim excuſſum diſſiliat & aculeum in eos reflectat. Scribunt enim mentientes, me duas Mei facere ſpecies contra Dioſcoridis mentem, quod ſcilicet is non duas ſpecies, ſed duas Mei differentias habeat, me quaſi his verbis inſimulantes tanquam dialectices imperitum: Quinetiam illud mihi imputant, quod genuinum non nouerim Meum. Atqui qua fronte id ſcribere audeant aſſerere profecto neſcio: Siquidem inprimis nuſquam legitur feciſſe in ſuo codice Dioſcorides plures Mei ſpecies, vel differentias, prout ipſi ſomniarũt Patres, cum ibi vnius tantum Mei meminerit. Id quod manifeſto eſt argumento, quam ſint hi Monachi medicæ materiæ imperiti, & quam oſcitanter in Dioſcoride ſtuduerint. Plinium dixi non Dioſcoridem Mei duas facere ſpecies, vel duo genera: quod idem ſignificat, vbi quis Grammaticus genus pro ſpecie intelligat, nulla prorſus facta differẽtiarum mentione his verbis. Duo genera eius, nobilius quod Athamanticum vocant: quo fit vt iam aperte cognoſcas quanta ſit Monachorum fides. Deinde, quod mihi vitio adſcribant me legitimum non cognoſcere Meum, haud ſane moror, quandoquidẽ ingenui eſſe animi ſemper exiſtimauerim, & fidi hominis munus vera fateri. Cæterum nullã aliam ob cauſam de hac re me accuſant, quam quod ego non ſine ratione dubitarim, num Meum ab iis in Nurſia, & Calabriæ montibus repertum, genuinum illud fuerit, de quo ſcribunt Dioſcorides, & Plinius, ac ſi eorum ſcriptis aliquo iure credere deberẽ, haud ſecus quam ſi ea Apollinis vel Aeſculapii manu conſcripta eſſent. Atqui ego non ita facile ſoleo de rebus affirmare, quas antea non viderim, nouerimq́; quinetiam nec dubiam eorum ſoleo ſequi fidem, qui nullo iudicio, nulla rerum experientia præditi, verum a falſo diſcernere nequeunt. Profecto nunquam ab re eſſe crediderim, nec a ratione alienum, de rebus difficilibus dubitare, quouſq́; tractu temporis adeo inclareſcant, vt nulla in poſterum reliqua ſit dubitatio, quo poſtea factum eſt, vt nihil temere de Meo decernere voluerim, etſi non deſint qui pro legitimo Meo plantã nulla dubitatione demonſtrent, cuius imaginem nos etiam fauente Deo opt. max. noſtris in commentariis vnacum cæteris pingi curabimus, non tamen vt hoc tantum argumento fateri videar illam genuinum referre Meum, ſed vt illud nobis antea non ignoratum (vt Monachi opinari videntur) oſtendam. Hanc certo ſcio Apulis, & Calabris Imperatricem appellari & ob id eam eſſe plantam, quam genuinum eſſe Meum nulla dubitatione hi Patres affirmant. Siquidem ij Imperatoriam vel Imperatricem vel herbam Imperatoris hanc ſtirpem vocari ſcribunt. Eandem plantam miſit nuper ad me Balthaſar Pepulus myropola Bononienſis: quo fit vt haud recte putarint Monachi me ſuum nunquam vidiſſe Meum. Vidi quidem ac noui, quinetiam pluries deguſtaui. ſed an legitimum ſit, multis de cauſis dubitare contigit. Etenim eſt inprimis quod viderim, huiuſce plantæ radices longe craſſiores vegetioreſq́;, quam legitimum expetat Meum, quippe longas, & tenues radices Meo reddidit Dioſcorides. Eſt deinde quod eædem grauiter potius, quam ſuauiter oleant, quum tamen Dioſcoridi Mei radices requirantur odoratæ, non graue olentes. Eſt præterea quod manſa non multum acrimonia reſipiant. Verum, quum (Galeno teſte) Meum ex tertio excalfacientium ordine habeatur, nihil eſt quod obſtet, quin illud genuinum acriori vi pollere putauerim, quam hoc omni fere acrimonia deſtitutum. Eſt etiam quod extent manuſcripti Dioſcoridis codices, qui Meum non Anethi, ſed Aniſi foliis faciant. Id quod etiam fatetur Plinius: Qui deinde non ſine ratione eſt adductus, vt ſcriberet non naſci in Italia Meum, & tantum à Medicis iiſq; admodum paucis ſeri ſolere. His itaque palam eſt, vt non ab re in cenſendo Meo mihi plurimum fuerit ambigendum. Etenim mihi perpetuo decretum volui, non ita facile de rebus dubiis affirmare, ne id arrogantiæ potius temeritatiq; quam doctrinæ & diligentiæ nobis adſcriberetur. Quam ob cauſam illos mihi perpetuo damnandos propoſui, qui tam temere de incertis ſententiam ferunt, quinetiam & eos longe magis, qui, vbi fatear hanc vel illam non vidiſſe nec nouiſſe plantam, mox mihi iraſcuntur & erroris arguunt. Atqui parum horum dentes pertimeſcere ſoleo, quod ſemper optimi viri munus eſſe putarim ignota vel dubia potius ſilentio inuol-*

*inuoluere, nihilque de illis decernere, quam in poſteritatis diſcrimen falſa pro veris deſcribere, & dubia pro certis afferre.*

## SALIVNCA.

*DElíros aliquando fieri Monachos manifeſto eſt argumento, quod aſſerant ſcripſiſſe Matthiolum nihil à Celtica nardo differre Saliuncam, cum nuſquam hoc in meis extet commentariis. Quinimo ibidem contrarium legitur, dum & Plinii autoritate, & rationibus nonnullis contra Ruellium & Leonicenum Celticã nardum & Saliuncam plurimum inter ſe differre ſim commentatus.*

Stolida Monachorum cõfictio.

## COSTVM.

*VEnio nunc ad Coſtum, in quo non leuiter me accuſant, quod perperam ſcripſerim dulcis Coſti nunquam meminiſſe authenticos ſcriptores, cum tamen Serapio non paruifaciendus autor, Conſtantinus & Montagnana, dulcis Coſti mentionem fecerint. Porro miror ſane cur etiam Aeſopi fabulas contra me non citauerint. Sed videtis obſecro quam bellè ex balatu cognoſcantur oues, & ex ſtrepitu anſeres. Serapionem ego nunquam ſum aſſernatus, quod is Dioſcoridem, & Galenum ſequutus in ſimplicium medicamentorum libris procul dubio inter Arabas primas teneat. Atqui is vbi Coſti hiſtoriam & vires deſcribit, Coſti dulcis nullibi meminit, quemadmodum nec Auicenna. Quo fit, vt mihi perſuadeam, vbi amari dulciſq; Coſti meminit capite tertio libri quinti ſui breuiarii, ibi plures ſubeſſe mendas, quibus vbiq; ſcatent cuncta Mauritanorum volumina. Earumque enim id erroris facile crediderim non ſolum interpretum negligentia & inſcitia, ſed etiam arrogantia, quod aliquando non modica ſua ipſorum inuentionis verba addere ſoleant. Quapropter nil mirum ſi recentiores Medici, qui hæc non ignorant Mauritanorum ſcriptis vel parum, vel nihil credant. Menda argumentum præbet idem ipſe Serapio: etenim ſi ſtatuiſſet dulce Coſtum haberi, nulla ratione mihi credendum eſt, quin is illius mentionem fecisset, vbi proprio capite de Coſti hiſtoria & viribus egit. Cæterum Conſtantini autoritatem nihil moror, nam præterea quod is ipſe in hoc deceptus ſit, Arabum errores ſequutus, cum fuerit & ipſe Monachus, nihil ſuſpectiſſimus eſt teſtis, cum de vtroq; iure irritum ſit Monachi teſtimonium nec liceat ſi fratrem de fratre, nec pro fratre teſtari. De Motagnana autem nihil aliud dicam, quam quod Galeni & Dioſcoridis manes mihi excitandi ſint, vt montem hunc Montagnanum in iudicium vocent, & ſua inſcitia arguant. Nam cum huiuſcemodi monte, vbi tot immaniſſimæ ſyluæ, tot præcipites anfractus, tot ſenticoſa dumeta, tot feræ tot venefica reptilia habentur, nihil mihi negotii eſt. Ego interim viridaria & florida prata colam, amœnos inuiſam colles, frugifera in agris colligam grana, aſperos vero, & ſenticoſos montes, quinetiam ſtramina Monachis & Eremitis relinquam.*

Caſtigatio.

Serapionis lectio non improbatur.

Mauritanorum volumina mendis vbique ſcatent.

Cap 318.

Monachi teſtimonium nõ recipitur.

## SCHOENIANTHOS.

*SCribunt in primis de Schœniantho agentes, quod ego probare contenderim communis vſus Schœnianthũ nil aliud eſſe quam genuinum, ſumpto ab ipſius radicibus argumento, quod ſcilicet eæ candicantes cernantur, ac tenues, contra Serapionis mentem: quippe qui haſce radices fecerit cum nigras tum etiam latas. Deinde non tolerant, vt æquum eſt, Patres, ſed ſe clamant falſo in Schœnianthi calamo a me eſſe redargutos, quod ferè omnes Dioſcoridis codices tam Græco quam Latino ſermone donati, nihil de calamis meminerint. Sed hæc ſomnia potius apparent, quam cenſura. Somnia inquam, quod nuſquam in commentariis meis probare contenderim Schœnianthum communis vſus, eſſe legitimum ex radicum notis, quum ibi de radicibus nullam fecerim mentionem. Somniarunt præterea (pace eorum dixerim) ſcripſiſſe Serapionem Schœnianthum radicibus eſſe latis & nigris. Etenim tametſi Schœnianthi radices thymi radicibus aliquãto tum latiores tum tenuiores fecerit Serapio: non tamen ob id cum Monachis dicendum ſentio, radices Schœnianthi Serapionis teſtimonio latas & nigras eſſe debere, quum is nihil de nigredine meminerit. Quod autem ad latitudinem ſpectat, minime intelligendum eſt voluiſſe Serapionem haſce radices facie eſſe latas, ſed quod diffuſius eædem per humum ſpargantur ac dilatentur. Nam cum thymi radices tenues admodum ſint capillorũ modo, & quæ Schœnanthi ſunt, Serapionis teſtimonio iis longe tenuiores habeantur, manifeſto cuique erit argumento, non intellexiſſe Serapionem de latitudine ſubſtantiæ ac formæ, ſed quod magis latæ ſe humi diffunderent, quamuis ipſe interpres Serapionis ipſius ſententiam ineptiſſime explicauerit. Cæterum non minus ſomniaſſe videntur de Schœnanthi calamis, cum omnes Græci Dioſcoridis codices tam manu ſcripti quam typis excuſi, qui ad manus ſunt habeant, χρῶνται δὲ τῷ ἄνθει καὶ τῷ καλάμῳ, καὶ τῇ ῥίζῃ, quemadmodum legunt Hermolaus, Ruellius, Marcellus, & Cornarius præcipui Dioſcoridis interpretes, quorum nemo habetur qui in ſuis verſionibus calami non meminerit, quos ſi legiſſent Monachi, fortaſſe non ita temere fabulati fuiſſent.*

Caſtigatio.

Cap. [illegible]

Monachorum inſcitia.

Lib. 1. cap. [illegible]

## SANTALVM RVBRVM.

*MEdicamentorum profecto omnium ignari, non parum me accuſant in Santalo rubro quod illud ſcripſerim non eſſe odoratum, quum tamen contrarium (vt ipſi dicunt) reperiatur. Fateor quidem vera loqui Monachos. Sed e contra eorum de odore deteſtor ſententiam, cum nuſquam hactenus repertum ſit Santalum rubrum, quod per ſe fuerit odoratum. Per ſe inquam, quod quandoque eueniat, vt dum cum cæteris Santalis conuehitur, aſcititiũ eorum odorem ex contactu ſpirare ſoleat, quemadmodum & veſtes, & linteamina odorata fiunt, vbi vel Moſchum, vel Ambarum, vel alia quæuis odoramenta iis interponuntur, id quod tractu temporis euaneſcit vbi in poſterum ab odoratis ſecernantur.*

Rubrum Santalum nõ eſt odoratum.

## CANCAMVM.

Monachorum querela.

*ACiam propemodum vereor, ne tu, qui rei medica ſtudiis admodum delectaris, faſtidias in audiendis innumeris horum Monachorũ erratis. Sed velim hac aquo feras animo, cum tu ipſe hac incommoda tibi pariaueris. Conqueruntur Monachi, quod eos reprehenderim in Cãcamo, quod pro Cancamo, ſanguinis draconis lachrymam ſubſtituerint in ea Antidoto, quam Diallacã vocant, propterea quod Cancamum menſes ſuppreſſos eliciat, contra vero lachrymas illa prohibeat. Atqui cum non nouerim (aiunt) multis in plantis contrarias eſſe facultates, vt exempli cauſa in ipſo Cãcamo, cuius nõ ſolum (teſte Dioſcoride) facultas eſt, vt menſes remoratos prouocet, ſed vt ſanguineas gingiuarum fluxiones cohibeat, me ignorantia acriter accuſant: quinetiam vt non abs re de me conqueri videantur, videri apertiſſime clamant haſce contrarias facultates non in Cancamo ſolũ, ſed in maiori & minori centorio, in phillirea, in aliſmate, in medio & in aliis quamplurimis, adduntque praterea vt ſuam magis videãtur comprobare ſententiã, maſtichem, teſte Galeno, conſtringere, ac pariter emollire. Id quod etiã a me ſcriptum eſſe ſciunt capite de prunis, vbi affirmare non dubitaui Pruna, Tamarindos, & Myrobalanos aluum & exoluere, & ſimul conſtringere poſſe.*

Caſtigatio.
Cancami vires.

*Verum non poſſum horum ſatis demirari ignorãtiam: ſiquidem cum Dialacca antidotum Cancamum excipiat eam tantum ob cauſam, vt iecur, & ventriculum roboret, ac eorundem, & lienis infarctus expediat, ictericos iuuet, menſes eliciat, & aquas cutem ſubeuntes pellat, videas tu obſecro, qua ratione lachryma, quã Draconis ſanguinẽ vocant, cui tantũ vis ineſt adſtrictoria, Cancami loco tã temere ſubſtitui poſſit.*

Sanguis Draconis.
Myropolæ admonentur.
Lib. I cap. 23.

*Caueant itaq; Myropola ne tã deteſtandũ ſequantur errorẽ Monachorum ſcriptis deluſi, & ne falſa eorũ doctrina morbos augentes affectos ſubinde facile in necem trahãt. Quod autẽ dixerit Dioſcorides admoto Cancamo ſanguinem è gingiuis manantem cohiberi, vt Monachi affirmant, profecto me legiſſe non memini. ſed quod gingiuas humore pragnantes attenuet, ea ſane facultatis ratione, qua pariter obeſos extenuat. Somniarunt itaq; Patres, Cancamum ſanguinis profluuia adſtringere, cum nec apud Gracos, nec apud Arabas id vſquam reperiri poſſit. Ad id autem quod dicunt, me non nouiſſe quamplurimas eſſe plantas, qua contrariis conſtant facultatibus qualitatibuſq;, nil aliud reſpondendum ſuccurrit, quam quod ipſi recte de ſuo teſtantur mendacio.*

Monachi ſuo ipſorum gladio iugulati.

*Siquidem dum affirmant id me in Maſtiche, Prunis, Tamarindis & Myrobalanis cognouiſſe, tu facile noſſe poteris quam ſtulte ſe ſuo iugulauerint gladio.*

## COCCOGNIDIVM.

Piper montanũ.

*SCripſi quidem nec id vnquam fateri erubeſcam, Coccognidium Ananienſibus Piper montanum appellari, etſi monachi id mihi vitio vertant, & rem aliam montanum Piper eſſe velint. Thymelaa enim baccæ qua Coccognidium Dioſcoridi dicuntur, adeo piperi ſimiles ſunt, vt nil mirũ, ſi ruſtici ſimilitudine perſuaſi has baccas in montibus prouenientes Piper montanum vocauerint. Nam & Theophraſtus libro nono cap. 22. de hiſtoria plantarum vbi de Pipere egit, illico de Gnidio grano meminit, vtpote quod maxime piperis faciem referat, & admodum etiam acre ſentiatur. Atqui facile concedam, aliis fortaſſe in locis fieri poſſe, vt incola alterius generis baccas montanum piper appellent, quod ſciam alias etiam eſſe plantas, qua pro regionum more variis vocantur nominibus, quibus alia etiam alibi vocantur planta, vt exempli cauſa de Cichorio dicam, quod id quibuſdam Italia locis vocatur Giraſole, quo nomine in eadem Italia appellãt alii Ricinum.*

Plantæ regionũ more diuerſis vocantur nominibus.

*In foro Iulio Abrotanum vbiq; appellatur Veronica, qua tamen maxime differt a Germanorum Veronica: Ideoq; non ob id fatebor iure in me ſcripſiſſe Monachos, praſertim quum quid velint pro montano pipere non dixerint.*

## MYRTINVM OLEVM.

Caſtigatio.

*QVod cum Myrti foliis, ac baccis Myrtinum oleum parari dixerim, fateor. Atqui etiã fateor perpetuo hallucinari Monachos, quippe qui tam temere negare audeant Myrtinum oleum Meſui nuſquã cum fructib. parari. Siquidem is Myrtinũ oleum eodem modo parari ſcribit, quo paratur è Cydoniis malis.*

Myrtini olei parandi ratio

*Cuius parãdi ratio, Meſuis ipſius teſtimonio eſt, vt non ſolum Cydoniorum malorum ſuccus, ſed ipſa etiam mala teſſeratim inciſa in oleo decoquãtur. Quamobrem non ſatis admirari poſſum euanidam Monachorum cenſurã, & quod tam aperte negare ni dubitauerint, vllo pacto Myrteas baccas in myrtino oleo imponi debere. Caterum noſtra huiuſce olei parandi ratio Meſuis non eſt, nec etiã Dioſcoridis, ſed ſecundum ſententiam noſtram: quam ſi improbauerint Monachi parum ſane moror, cum nullo iure me Meſuem ſequi quiſpiã cogere poſſit. Verum ipſi merito quidẽ arguendi ſunt, quod in Myrtino oleo parando ſuum Meſuem, in quem commentati ſunt, non ſequantur, nec eius doctrinam recipiant & aliam huiuſce olei parandi rationem a ſe inuentam afferant.*

## PISSASPHALTVM.

*SCripſiſſe me, Piſſaſphaltum nil aliud eſſe quam picis aſphaltiq; miſtionem quandam, non memini, nec vllibi in meis habetur ſcriptis. Quamobrem neminem mihi vitio vertere putarim, ſi dixerim hoc etiam ſomniaſſe Monachos.*

Lib. 24. cap. 7.

*Scripſi quidem id dixiſſe Pliniũ, quod etiam iterum affirmo. Sed cur Matthiolum non Plinium perſequuti ſunt Monachi, ii obſecro reſpondeant, quibus veritas cordi eſt, & horum iam norunt inſaniam, quã eo magis vinculis coercendam putarim, quo inſipidius affirmare deprehenduntur Sodomenum bitumen modo Aſphaltum, modo Piſſaſphaltum (quod eſt falſiſſimum) Gracis appellari.*

Monachorum imperitia detegitur.

## MACER.

Monachorum in Macere querela.

*FAlſo hallucinari nos in macere, inquiunt Monachi, ſcribit Matthiolus, cum tamen in hoc ille plurimũ caecutiat, dum comprobare contendit, Dioſcoridis Macerẽ a vulgari Mace plurimum differre: Quinetiã falſo Serapionis autoritatem adducit, ꝙ nõ ſcribat aliud eſſe Dioſcoridis Macer, ſed quod aliter illud appellauerit Dioſcorides. Verum ſi ita res ſe haberet, vt ille inquit, ꝙ ſcilicet differret Dioſcoridis Macer a Mace Serapionis, quidnã Galeni ſententia reſpondebit? Fateri quidẽ cogetur ſe in quã maximo verſari errore. Patet error Serapionis teſtimonio, quippe qui Galeni verba referẽs, antea quã Dioſcoridis verba afferat, nõ ſcribit Galeni Macerẽ a cõmuni Mace differre. Quib. facile conüciet quiſpiã idem eſſe Galeni Macerẽ cũ Mace Serapionis. Ideoq; ſi Galeni Macer nihil differt a Serapionis Mace, & Dioſc. macer differt a Mace Serapionis, ergo Dioſcoridis Macer a Galeni Macere differt. Quod tamẽ falſum eſſe conuincitur. Adhac tametſi Dioſcoridis codex, quẽ*

Monachorum argumentum.

vertit

*vertit ipſe Matthiolus, & alia quædam exemplaria de Maceris acuitate nihil meminerint, id eueniſſe certū eſt, ſcriptorum incuria & negligentia. cuius erroris manifeſto eſt argumento Serapio, qui Dioſcoridis verba referens acutum Macerem facit, quemadmodum & Galenus. Nec deſunt aliorum autoritates, quas breuitati indulgentes prætermittendas duximus. Hæc Monachorum ſunt verba: Quæ quam friuola, quam inania inſulſaq; ſint, quamq; eorum argumenta valeant & veritatem reſipiant, illico cognoſces. Scias itaq; velim Galeni verba apud Serapionē nihil prorſus atteſtari pro Monachis, ſed contra eorum ſententiā apertiſſime affirmare. Quandoquidem ſimulac ſcripſit Serapio in ipſo capitis principio ſub titulo Bisbeſe ex Iſaaci autoritate de nucum Myriſticarum Mace, illico ſubiunxit aliorum teſtimonio (Dioſcoridis & Galeni intelligo) alium reperiri Macerem. qui cortex eſt, allatus non e Græcorum regione, ſed aliunde, craſſus flauus, & admodum aſtringens. Quibus palam fit Serapionis ipſius teſtimonio, duo proculdubio reperiri Maceris genera, quodq; vltimum genus Dioſcoridis & Galeni ſit Macer. Poſtremo huic generi ſtatim coniunxit Serapio verba Galeni, vtpote qui non ignorabat de hoc ſcripſiſſe Galenum, vt quis facile ex iis Galeni verbis cognoſcere poteſt, cum proculdubio aſſirment Galeni Macerem ex India non ex Græcia afferri, quodq; is cortex ſit in quo plurimum ſit terreæ qualitatis. Quibus palam eſt euanidum, inane, falſumq; eſſe Monachorum argumentum, & proinde falſam quoq; eſſe conſequentiam: Ad veritatē enim copulatiuæ (vt Dialectici atteſtantur) requiritur vt vtraq; pars ſit vera: Verum quum hic prior falſiſſima ſit, ergo, &c. Augent præterea noſtras in Monachos rationes Arabum nomenclaturæ, etenim vt aperte patet Auicennæ teſtimonio, vocant Arabes nucum myriſticarum Macem, Bisbeſe: Alterum vero Græcorum, Taliſfar, de quo, non de Bisbeſe apud Serapionem ſcribit Galenus cum inquit: Taliſfar eſt cortex qui ab India defertur. Cæterum mirum in modum hallucinari Monachos magno tibi ac cæteris erit argumento idem Auicenna. qui cum ſciuiſſet Maceris duo eſſe genera, de his diuerſis ſcripſit capitibus, diuerſis inſcriptis nomenclaturis, nempe de Arabum Macere ſub Bisbeſe. de Græcorum vero ſub Taliſfar, quemadmodum palam eſt feciſſe Serapionem. Adhæc manifeſte patet Galeni Macerem cum Mace myriſticarum nucum nihil habere cognationis ex iis qualitatibus quas illi tribuit Galenus libro. 6. de ſimp. med facultatib. Macer inquiens, cortex eſt, qui ex India conuehitur, guſtu multum acerbo, cum leuicula quadam acrimonia, iucundum ſatis redolens, vt pleraq; aromata, quæ ex India conuehuntur. Videtur itaq; & ipſe ex miſta conſtare eſſentia, pleraq; terrena frigida paucula vero calida, & tenuium partium. Quamobrem valenter deſiccat, ac aſtringitq;. Proinde cœliacis, & dyſentericis miſcetur facultatibus in tertio exiccantium conſiſtens ordine, in caloris, frigorisq; differentia, neutrum inſigniter efficiens. Hæc ad literam Galenus. Quibus quidem clariſſime colligi poteſt longe ſatis a Mauritanorum Mace, differre Galeni & Dioſcoridis Macerem: Siquidem ipſe non reperio Arabum Macem eſſe acerbum, nec tam leuiuſculæ acrimoniæ quin potius ſi manditur fauces non parum vellicat, & os plurimum excalfacit, odorem iucundū perfundit, & leuiuſculum quendam amarorem quadam cum ſiccitate relinquit. Quo facile quiſpiam rei Medicæ peritus dixerit, Arabicum Macim tantum calidi quantum ſicci concepiſſe, vel fortaſſe plus calidi, & quod pleraq; eius eſſentia ſit tenuium partium omnis, adſtrictionis & frigiditatis expers. Adhæc maximo ſunt argumento, Macim & Macerem nihil inter ſe habere cognationis Dioſcorides, Galenus, & Paulus, quum ij nuſquam de Myriſticis nucibus meminerint, quarum Macis eſt tegumentum. Quippe ſi Macer qui tunc eis conuehebatur ex India, vulgaris fuiſſet Macis, credendum non eſt, quin etiam cum illo aduehererentur myriſticæ nuces, quarum hiſtoriam & facultatem deſcribere non prætermiſiſſent, quum inter peregrina aromata non in imū habeant locum. Poſtremo rem omnem aduerſus hoſce Patres concludit Plinius, qui de Græcorū Macere agens, Macer, inquit, qui ex India aduehitur cortex eſt rubens radicis magnæ, nomine arboris ſuæ.* Lib. 12. cap. 8.

*Porro ad id quod dicunt ſcripſiſſe Serapionem aliter nominare Macerem Dioſcoridem, & non vt ego ſcribo, aliud eſſe Dioſcoridis Macerem, nihil ſane moror, quum vtraq; lectio Monachis refragari videatur. Etenim ſi aliter Macim nominauit Dioſcorides, verum præbet indicium, eum de communi Mace nō intellexiſſe, ipſa ab hac diuerſa nomenclatio: quinetiā & ea, quæ ſubſequuntur ipſiuſmet Dioſcoridis verba. Ea enim ſecūdum Serapionis interpretationē omnino contra Monachos affirmāt, cum dicant, Machir cortex eſt ligni ſiue coriū, & Etenim Machir eſt cortex nucis Muſcatæ, vt fortaſſe ſomniarūt Monachi. Cæterū ad argumentū illud, quo dicunt Dioſcoridis codicē, quem ego ſum interpretatus, & alios quāplurimos, non eſſe genuinos, quod in Maceris hiſtoria nihil acuti ſaporis meminerint: reſpōdeo nō Dioſcoridis codices hoc loco eſſe deprauatos, ſed Monachos ſolos vna cū Serapione: quum nunquā repertus ſit Græcus codex, nec manu ſcriptus nec typis excuſus, quinetiā nec Latinus cuiuſuis verſionis, qui acuti ſaporis mentionē fecerint. Idq; manifeſto arguit, vel in hoc aberraſſe Serapionem, vel illa interpretis eſſe verba. Nec obſtat quod id ſcripſerit Galenus. Quandoquidem is (vt omnibus palam eſt) Dioſcoride longe fuerit diligentior in expendendis medicamentorū ſaporibus & qualitatibus cum primis tum etiam ſecundis: Ac hinc factū eſt, vt nunquam ſcripſerim ego Græcorū Macerē non eſſe acutum.*

Cap. 2.

Serapioni Macis genera duo.

Monachorum argumentū vanum.

Macetis & Macis apud Arabes differentia. Taliſfar. Bisbeſe.

Caſtigatio.

## CANINVS RVBVS.

A *Macere ad Caninum rubum veniunt his verbis: Non declarat Matthiolus quid ſit Caninus rubus: Atqui quærit Plinij teſtimonio comprobare Cynosbatum a ſylueſtri roſa plurimū differre, idq; præſertim quod Plinius peculiaria faciat capita de duobus Cynosbati generibus, quæ maxime a Dioſcoridis Cynosbato differunt: quinetiam quod Theophraſtus ſpeciatim ſcribat tum de ſylueſtri Roſa, tum de Cynosbato alio a Dioſcoridis Cynosbato, aſſerens ſubinde Matthiolus nos vna cum Marcello non parum in re hac aberraſſe: Sed reuera ipſe hallucinatur, cum non videat nos de multis ſcripſiſſe plantis, quæ cum compluribus conueniunt ſtirpiū generibus, vt, exempli cauſa, hæc Cynosbati demonſtrat planta, quæ & in roſarum, & in ruborum genere haberi poteſt: & proinde mirū non eſt, ſi Plinius eā vocauerit Cynorhodon, & Dioſcorides Cynosbaton, quod idem ipſe ſecto deſignat. Cæterū fortaſſe Plinio differentiæ cauſa Cynorhodos dicta eſt hæc planta: Siquidem is de duobus aliis Cynosbati generibus ſpeciatim egit. Nec obſtat quod ab hoc differat Theophraſti Cynosbatos: namq; & is, quemadmodum & Plinius, hunc Dioſcoridis Caninum rubum recenſuit vna cum ſylueſtribus roſis, illico pro rubo Canino aliam plantā ſubiungens a Dioſcoridis Cynosbato plurimū differentem. Vbi autē ſcribit Dioſcorides rubi Canini fructū oliuarū nucleis ſimilem eſſe, non de magnitudine. ſed de forma tantū intelligit: ac ita omnia ſunt clara, vt clarus etiā videatur Matthioli error. Quod deinde vna nomenclatio pluribꝰ conueniat plā-*

Monachorum obiectio.

tā

*tis teſtatur apertiſſime Plinius, cum dicat Lilium quoddam rubrum vocari Cynorrhodon, & Capparis plantã aliquibus appellari Cynosbaton: quãuis præter id habeatur roſa quædam ſylueſtris, quæ fructum edit oliuæ nuclei magnitudine. Hæc illorum ſunt verba. Sed cuius ſint valoris, & quã inania ac fabuloſa, iam audies. Fabuloſa, inquam, quod nuſquam a me ſcriptum ſit, Plinii & Theophraſti Cynosbaton differre a Dioſcoridis Canirubo, ſed tantum horum Cynosbaton plurimum differre a ſylueſtri roſa: quo fit, vt vbi præmiſſa ſunt falſa, quæ ſequuntur vera eſſe nequeant. Præter id quod Cynosbati planta tam cum roſarum, quam cum ruborum generibus cognationem habeat, inſipida quidem videtur ſententia. Quippe hoc argumento aſſereret quiſpiam, citra tamen rationem omnem, inter ſylueſtres roſas & rubos, qui mora proferunt, nullam intercedere differentiam. Sed quis tam fuerit amens, qui non nouerit haſce plantas floribus, fructibus, caule, foliis, aculeis, & radicibus inter ſe maxime pugnare? Nemo ſane id vnquam aſſirmarit, niſi prorſus deſipiat. Ad hæc nullibi, quod legerim, viderimq́, inter ſylueſtres roſas Canini rubi meminere vnquam Theophraſtus & Plinius, etſi id fortaſſe ſomniarunt Monachi. Cæterum ad id quod aiunt Cynosbaton fructum ferre oſſis oliuæ ſimilem figura non magnitudine, nil aliud verius dici poteſt, quam quod in hoc, quemadmodum & in cæteris, cæcutiant. Probatur hallucinari Monachos ipſiuſmet Dioſcoridis teſtimonio: Siquidem is de cappari, & corno arbore agens, proferre hos inquit fructus oliuæ ſimiles, quibus facile quiſpiam nouerit hic de magnitudine & forma intellexiſſe Dioſcoridem: quum ſenſibus noſtris palam ſit, harum plantarum baccas non forma ſolum, ſed etiam magnitudine oliuas referre. At ſi Monachi in Dioſcoridis lectione verſati eſſent paulo diligentius, hæc fortaſſe non ita ignoraſſent. Etenim is vbi vel flores, vel fructus, vel folia cum aliis plantis comparat, niſi ad vnguem tam in forma, quam in magnitudine ſibi correſpondeant, ſemper addit magnitudinis, & paruitatis differentias. Id, quod in huiuſce plantæ fructu minime prætermiſiſſet, cum omnibus palam ſit, roſarum ſylueſtrium fructus, non ſolum oliuarum nucleis, ſed etiam ipſis oliuis eſſe longe maiores. Verum prorſus dementatos eſſe Monachos facile conii̇cies, ſi recte perpenderis, quod hic aſſerant Cynosbati baccas oliuarum nucleis eſſe æmulas, & in Meſuæis commentariis de Diamorone agentes huiuſce plantæ fructum pyris ſimilem faciant. Præterea nunquam Dioſcoridem ſcripſiſſe reperio, Cynosbati fructum ſemẽ aliquod includere, quemadmodum in roſarum fructu cernimus: quippe is copioſiſſimo ſemine refertus eſt non lanugineis floccis tantum, vt Dioſcorides inquit, & eum ſequutus Galenus. Cæterum non poſſum ſubinde demirari Monachorum fidem, quippe qui aſſerere auſi ſunt, illico poſt ſylueſtres roſas de alio Canirubi genere ſcripſiſſe Theophraſtum, quum tamen is de domeſticis, & ſylueſtribus roſis egerit libro & capite ſexto de plantarum hiſtoria: de Canirubo vero libro tertio capite 18. inter alia ruborum genera, non inter ſylueſtres roſas, quemadmodum fecit Serapio Theophraſtum imitatus. Sed differre Cynosbaton a ſylueſtri roſa idem teſtatur Theophraſtus libro & capite nono de plantarum hiſtoria. Siquidem is Canirubi fructum auerſo flatu colligendum eſſe ſcribit, alioqui periculum oculis imminere: id quod aperte demonſtrat ſuper eo vel tenuem quandam lanuginem, vel puluerulenti aliquid inſidere, quod ſi a vento expellatur in colligentium oculos, cæcitatis periculum imminere. Quod tamen in ſylueſtrium roſarum fructu nunquam viſitur. Poſtremo ſi Dioſcorides ſciuiſſet, nil aliud eſſe Caninum rubum quam Roſam ſylueſtrem, ſat erat illi profecto dicere, quod Caninus rubus Roſa eſſet omnino ſimilis, non autem quod arboris inſtar aſſurgeret rubo longe maior, quodque folia ferret Myrto latiora, a quibus roſa plurimum differre videtur. Theophraſtus Canirubum punicæ ſpeciem referre ait, quæ cum folia Myrto ſimilia proferat, non putarim ego differre Theophraſti Cynosbaton à Dioſcoridis canino rubo.*

Inanis ac fabuloſa oſtenditur Monachorum ſententia.

Ruborum & Roſarum differẽtia.

Inſipida de Cynosbati fructu cenſura.

Caſtigatio.

Cynosbati fructus qualis.

Cynosbati fructus quo pacto colligendus.

## SYLVESTRIS OLEA.

*NEſcio profecto an temeritati vel inuidiæ, an ſtultitiæ vel ignorantiæ, vel fortaſſe malitiæ aſcribenda ſit hæc Monachorum calumnia, quum nihil prorſus rationis aut veritatis reſipiant. Negant audacter Monachi, fidem noſtram inſimulantes, ſylueſtres oleas vllis rigere aculeis, nec vllo authorum teſtimonio contrarium comprobari poſſe. His, vt cenſuræ plus fidei authoritatiſque adiungant, addunt ſe plures vidiſſe in Apulia olearum plantas, tam domeſticas quam ſylueſtres quam ego fere viderim folia: ſed quantum a veritate abſit eorum fides, tuipſe tibi facile teſtis eſſe poteris, quum in agro noſtro Senenſi ſylueſtris Olea frequens habeatur. Quin etiam idem cæteri teſtabuntur quamplurimi rei plantariæ ſtudioſi, ad me quotannis Patauio (qua eorum eſt humanitas) huc Goritiam proficiſcentes, qui amplum ſylueſtris oleæ ramum firmiſſimis aculeis rigentem inſpexerunt, ex Arbi Hadriatici maris inſula aduectum, & ad Monachorum deliramenta apprime vtilem.*

Infirma monachorum fides.

Manifeſta Monachorum temeritas.

Olea ſylueſtris ſpinoſa.

## CORNVS.

*SEd in Corno quid dicunt? me perperam ſcripſiſſe ex Theophraſto, Cornum arborem folia ferre Amygdalæ, a quibus longe magis diſtat, quam a Salice Ficus: quinetiam nec nouiſſe, vel in hoc loco in Theophraſti codice ſubeſſe mendam vel fortaſſe Cornum nunquam vidiſſe Theophraſtum. Præterea, vt etiam Geographiæ ſe non imperitos oſtendant addunt nuſquam legi in Theophraſti codice Idam Troiæ eſſe montem, ſed montem Idam in Creta tantũ haberi Inſula. Ex quibus facile quiſpiam ſanæ mentis conii̇cere poterit, quanta ſit horum in Geographicis lectionibus ignorantia. De Ida Troiæ monte ob Paridis iudicium famoſiſſimo ſcribunt apertiſſime Strabo, Ptolemæus, Plinius, Pomponius Mela, & cæteri clariores Geographi, quorum non ſolum volumina non legere Monachi ſed nec (pace eorum dixerim) eorum fortaſſe nouere nomina. Atqui vt ſapientior aliquantulo eorum euadat cucullus ſciant velim, haud nos latere in Creta quoq́ eſſe montem nomine Idam, cum ſæpe legerimus apud Virgilium:*

*Dictamnum genitrix Cretea carpit ab Ida.*

*ac idem à Geographis omnibus deſcribatur. Verum non ob id dixerim, vt ſomniare videntur Monachi, apud Troiam alium non haberi eiuſdem nominis montem, longe famoſiorem. Is enim Geographorum omnium conſenſu altiſſimus mons eſt ad Troadem ſpectans in quo ingentiſſimæ habentur ſyluæ, præſertimque reſiniferarũ arborum, quod facile ex Theophraſti lectione quiſpiam conii̇cere poteſt, quippe qui ſæpe ſæpius Idæ & Idæarum plantarum meminit. Atqui Theophraſto, qui plantarum hiſtoriam non Geographiam deſcribit, non fuerat opus addere Idam eſſe Troadis montem, cum id cæteros, præter Monachos, haud latere non ambigeret. Quod*

Monachorum in Geographia ignorantia.

Ida Troiæ mons.

Caſtigatio.

autem

*autem ſcripſerim ex Theophraſto Cornum arborem quæ in Ida monte creſcit, folia habere Amygdalæ fateor, cum hoc ex Theophraſto facile probare poſſit. Sed me credidiſſe, vel ſcripſiſſe, noſtratem Cornum, qua nihil mihi notius eſt, Amygdalæ eſſe foliis, nunquam ſane fatebor. De Idæ vero Corno, quam nunquam vidi, nullam ego certam poſſum afferre ſententiam, nec tamen eſt quod prohibeat, quin libere credere queam, Cornum in Ida naſcentem folio eſſe oblongo Amygdalæ æmulo, quum de foliorum in plantis varietate ac forma pro regionum natura nulla ſit apud autores controuerſia. Quamobrem id potius mihi credendum ſtatuerim, quam temere cum Monachis affirmandum Theophraſtum non nouiſſe Cornum: etſi recte ſane quiſpiam dubitare poſſet Theophraſti codici hoc in loco ſubeſſe mendum.*

Lib. 3 cap. 12. de plant. hiſt.

## NVX VOMICA ET METELLA.

*Reſipiſcentne vnquam hi Patres Reuerendi? Vix id mihi perſuadeam, niſi fortaſſe cum ad Elleborum venient. Nam vbi iam cum Vomicis, & Metellis nucibus, quæ propria ſua ipſarum facultate delirium faciunt, iis aliquandiu ſit immorandum, verendum eſt ne tam propere ad mentem & rationem reuocentur. Scribunt me in hiſce cenſendis nucibus adeo eſſe hallucinatum, vt quid de iis ſcripſerim neſciam: quum eæ nuces, quæ inter Myriſticas reperiuntur nec Vomicæ ſint, nec Metellæ, ſed nucum Myriſticarum monſtrum, in quibus nulla cognoſcitur deleteria facultas, vt ego mihi perſuadeam. Verum Monachis danda nunc venia videtur tanquam ab hiſce nucibus dementatis, & eorum toleranda calumnia: Calumnia, inquam, quod nuſquã a me ſcriptum ſit reperiri Vomicas nuces, nec etiam Metellas inter Myriſticas, quæ ſumentibus necem inferant.*

Monachorum calumnia exploditur.

## LAMPSANA.

*Negant me noſſe Lampſanam, quod ſcripſerim hanc flore eſſe albo, quodque in Italia non vſurpetur in cibis, quum genuina flore ſit melino, & in Apulia frequentiſſime in cibum veniat, vbi omnibus & pueris etiam ipſis notiſſima habetur. Quibus recte reſpondi poſſe crediderim, quod ſi diligentius accuratiuſque rem plantariã expendiſſent, & optimos legiſſent autores, qui plantarum hiſtorias ſcribunt, non ita fortaſſe facile ſe omnibus deridendos obieciſſent. Scripſi quidem, Plinii teſtimonio florem proferre Lampſanam napo candidiorem, non album, vt Monachi ſomniare videntur: id quod iterum atque iterum affirmare non verebor. Namque tametſi Lampſana melinum proferat florem, quemadmodum & Napus, cum tamen Lampſanæ flos colore ſit longe dilutiore, recte ſane Plinio ſcriptum eſt, hanc flore eſſe napo candidiore. Quibus verbis videtur voluiſſe Plinius Lampſanæ florem dilutiori haberi colore quam napi, & non, vt Monachi volunt, abſolute candido. Verum ſi hiſce rationibus ſibi ſatisfactum iri negauerint, & me Plinii ſententiam haud recte intellexiſſe contenderint, recte ſane obiici poterit, eos legitimam non noſſe Lampſanam, quum hæc, Plinii teſtimonio, album non melinum gerat florem.*

Lib. 20 cap.

## BALSAMITA.

*Sed iam ſeſe offert recriminanda Balſamitæ cenſura, in qua, quod ſcripſerim Balſamitam vulgo mentham Romanam vocari, non parum me hallucinatum affirmant, quum, vt ipſi dicunt, omnium conſenſu ea planta genuina ſit mentha Romana quam ipſi Laſſulatam vocant. Sed quid aliud rectius reſponderim, quam Monachos ſua ipſorum falce ſibi ſecuiſſe pedes? Etenim quum ſuperius de Cynosbato litigantes oſtenderint, probauerintque plures haberi plantas, quæ vno & eodem nomine appellantur, huic vni tantum argumento, ſi ſaperent, acquieſcere deberent. Cæterum planta, quam ipſi Laſſulatam obſcuro tamen autore appellant ea eſt, quam in hortis paſſim habemus foliis ſaluiæ latioribus betonicæ æmulis, per ambitum ſerratis, colore ex viridi albicante, caulibus cubitalibus, & aliquanto maioribus, corymbaceis floribus melino colore in ſummitate emergentibus, amaro in vniuerſum ſapore, & odoris graueolentia. Hæc itaque (vt ſcio) variis appellatur nominibus, cum quibuſdam dicatur herba Diuæ Mariæ, nonnullis mentha Græca, aliquibus ſaluia Romana: ſed qui mentham Romanam vocauerint, habeo neminem præter Monachos. At ſi a foliorum forma denominanda fuerit hæc planta, cum illa ſaluiæ longe ſimiliora proferat quam menthæ, facile coniicient rei herbariæ ſtudioſi rectius huic ſaluiæ quam Menthæ nomenclaturam conuenire. Cæterum ego vulgaria hæc plantarum nomina parum ſane moror, quamuis nunc, vt Monachorum cenſuram irritam reddam, comprobare compellor non ſolum meo ipſius, ſed tuo etiam teſtimonio, Balſamitam mentham Romanam nobis appellari: nec ob id tamen negauerim aliis in locis, aliis vocari nominibus, cum ſciuerim hanc, Braſauoli teſtimonio, Ferrariæ mentham Florentinam, & alibi, a criſpis foliis Mentham criſpam appellari.*

Caſtigatio.

Laſſulata Monachorum quæ.

Saluia Romana.

## AMBVBEIA.

*A Balſamita ad Ambubeiam veniunt, vbi me perperam affirmaſſe contendunt Roſtrum porcinum appellari Ambubeiam, cum nil aliud ſit Ambubeia quam genuinum Cichorium. Atqui (pace eorum dixerim) rectius fortaſſe reſponderet quiſpiam, nil aliud eſſe Porcinum roſtrum quam horum deſipientium, quo materiam Medicam pene vniuerſam defœdarunt, & inuerterunt. Quandoquidem mea ipſius ſententia nuſquam ſcripſerim roſtrum porcinum eſſe Ambubeiam, ſed vocari quibuſdam caninum vel leoninum dentem, nonnullis Monachi caput, aliis vulgo piſcia aletto, quibuſdam vero etiam Ambubeiam. Id quod facile comprobat Ruellius, qui in indaganda ſtirpium facultate inter recentiores facile primas tenet: Siquidem is, etſi ſcripſerit primum Cichorium Latinis vocari Ambubeiam, deinde tamen de Ambubeia particulare edidit caput, in quo pro Ambubeia nil aliud intelligit, quam Roſtrum*

Porcinum roſtrum.

Caſtigatio.

*porcinum ſiue Monachi caput. Sed hæc non meminiſſe Monachos non parum demiror, quum illi tam diu deraſum habuerint caput.*

## OCIMVM.

Ocimi genera tria [illegible] & Caryophyllatū [illegible]. Cap. 150. 157. 155.

*IAm tædet profecto cum iſtis ineptiis me ad nauſeam vſque contendere, ſed tibi ſatisfaciendi promptitudo me ipſum vincit. In Ocimo me accuſant, quod tantum tria Ocimi genera attulerim, nec Citrati, Caryophyllatiue Ocimi meminerim. Scripſi quidem (vt ingenue fatear) tria haberi Ocimi genera, quæ ſi diligentius expendiſſent Monachi, nouiſſent fortaſſe reperiri inter ea cum Citreatum, tum etiam Caryophyllatum, cum id, cui folia inſunt purpureo Amarantho ſimilia Citream malum olentia, nil aliud quam Serapionis Citreatum: illud vero, cui folia inſunt parua ac tenuia, iucundiſſimum odorem ſpirantia, nil aliud ſit quã Caryophyllatum. Etenim ſi quis Omici genera, quæ Serapioni tribus diuerſis capitibus deſcribuntur, diligentius expenderit, facile quidem eadem eſſe cognoſcet, quæ in noſtris habentur commentariis.*

Caſtigatio.

*Sed neſcio quo vultu ſe iactent Monachi, ſe primum Charyophyllatum Ocimum hoc anno adinueniſſe, quum id Serapioni folia paruiuſcula proferat, & caulem anguloſum, his vero folia meliſſophylli maiora, & caulem rotundum edat.*

## SMILAX HORTENSIS.

Lib. 2. cap. 140.

Capreolus quid.

Lib. 4. cap. 7.

*QVod ſcripſerim hortenſem Smilacem varii coloris phaſelos proferentem capreolos edere, quibus vicinis arboribus, aliiſque ſuſtentaculis ſe implicat, longe a ſcopo me aberraſſe clamant, cum tamen ii haud iure in manifeſto verſentur errore. Atqui cur non fatear hoc me ſcripſiſſe, cum illud idem ſcribat Dioſcorides, & Smilax ille claviculas ſiue capreolos reuera manifeſto proferat? Facile hoc non negaſſent fortaſſe Patres, ſi omnes huiuſce plantæ partes, notaſque diligentius expendiſſent, ſique non ignoraſſent quid Capreolus Latinis, quid ἕλιξ Græcis deſignet. Siquidem hortenſis Smilax ſeu (vt illi vocant) Indicus phaſelus capreolus vtrinque in caule profert, qui etſi vitium, & cucurbitarum capreolis per omnia ſimiles, non cernantur capreoli, tamen ſunt iis per omnia ſimiles qui in aſpera Smilace, in altera Clematide, & in Periclimeno habentur. Ac proinde recte ſcribit Dioſcorides Clematidem alteram repere per arbores, vt Smilax. Cæterum cum hiſce plantis capreoli bicornes non ſint, ſed vno tantum proceſſu prodeant, paruo emergente in cacumine folio, putant patres hoſce proceſſus, quibus hortenſis Smilax arboribus ſe implicat, haudquaquam appellari poſſe capreolos, ſibi (vt puto) perſuadentes ita à capreolorum cornibus denominari.*

Caſtigatio.

*Porro ſi haud ignari vocabuli energiam intellexiſſent, & sciuiſſent capreolum Latinis à capiendo ſuam duxiſſe denominationem, & ἕλικα Græcis à verbo ἑλίσσω quod vertere, circumuoluere, circumflectereque deſignat, ſuam trahere originem, nouiſſent profecto capreolos à bicorni forma minime denominari. His itaque palam ſit, non oportere plantarum capreolos omnes eſſe bicornes, vt fortaſſe ſibi perſuaſere Monachi. Quibus tamen danda venia fuerit, quum magis diuinis lectionibus quam humanis operam nauarint.*

## CHELIDONIVM MINVS.

*SVbdubitaui quidem an planta, quam Chelidonium minus vocant, genuina, ac legitima dici debeat, cum teſte Galeno minus Chelidonium vſque adeo acutum ſit, vt exulceret ranunculi modo. Atqui ob id nuſquam me aſſirmaſſe ſcio hanc herbam Chelidonium illud eſſe non poſſe, cum omnes in vniuerſum notas Chelidonium minus quam maxime referant. Quinimo vt comprobarem legitimum eſſe, ea quæ de Aro ſcribit Galenus in medium attuli. Nam, exempli cauſa, ſi vt ille inquit, Arum Cyrenis omni exutum acrimonia rapi modo eſitur ab omnibus in cibis, & in Græcia perinde ac in Italia tanta illi ſit acrimoniæ vis, vt non ſolum manduum linguam, & fauces acerrime vellicet: ſed etiam cutem exulceret appoſitum, non eſt ſane quod prohibeat quin hoc idem in minori Chelidonio effecerit natura, præſertim cum in hac planta nulla penitus ſit nota, quæ reclamare videatur. Hæc itaque etſi ſcripſerim, vt meam ſoluerem dubitationem, non ita tamen temere à Monachis accuſari debeo.*

Teſticulus Sacerdotis.

Faceta caſtigatio.

*Nec etiam quod ob acrimoniæ defectum ſubdubitarim teſticulum Sacerdotis (vt vocant Monachi) minus eſſe Chelidonium: Namque cum ſciam de incertis dubitare, virtuti potius quam vitio eſſe aſcribendum, nec vllibi de teſticulo Sacerdotis verbum fecerim, Monachos in ſeipſos latrare ſinam, & de ſuis inter ſe contendere teſticulis, in quibus an aliqua reperiatur acrimonia ii rectius teſtabuntur.*

## RHABARBARVM.

Rhabarbarum à Rhapontico differt.

Caſtigatio.

*RHabarbarum à Rhapontico differre adeo firmis rationibus in noſtris comprobauimus commentariis, vt nil aliud Monachis contrarium ſentientibus mihi reſpondendum ſeſe offerat, quam quod extremæ dementiæ ſit Rhabarbarum cum Rhapontico æſtimare. Nam cum nullis argumentis, nullis probatorum ſcriptorum teſtimoniis contendant, nihil Rhabarbarum à Rhapontico differre, cum aura mihi certandum non eſt, ſed ſinere Monachos ſua frui ignorantia, perinde ac cæteros ſui ſimiles, qui tantum ſuis opinionibus addicti in pertinacia ſimo iacere malunt, quam nitidis ac floridis acquieſcere rationibus.*

## ARISTOLOCHIA CLEMATIS.

*SEd quam temere in clematide Ariſtolochia, quam [illegible] viderint quidem, me inſimulent, tu tibi ipſe facile iudex eſſe poterit, vbi comme[illegible] Latino ſermone [illegible]*

*primum edendos legeris. Ibi enim non ſolum è Monachorum cenſuram, peruerſamque ſententiam explo- ſam reperies, ſed Cordi, Adami Loniceri, & aliorum quorundam opiniones confutatas cognoſces, quippe qui cen ent eam genuinam eſſe clematidem Ariſtolochiam, quam vulgus longam exiſtimat. Clamant Monachi maxime hallucinari Matthiolum, quod aſſerat fateaturque, non ſolum non cognoſcere clematidem Ariſtolochiam, ſed in Italia haberi neminem, qui eam demonſtret, cum tamen vbique hæc in vineis, aliiſque in locis habeatur frequentiſſima, & dactylite vbique copioſior, quam putant me nunquam vidiſſe, & ob id haudquaquam ſe ambigere aiunt, me Clematidem pro dactylite perperam accipere. His itaque cum (vt antea dixi) ſatis ſuperque reſponſum ſit in Latina illa editione, quam propediem dabimus in lucem, & ne in hiſce inanitatibus plura quam deceat ætatis noſtræ momenta euaneſcere permittamus, non eſt cur ea quæ antea ſcripta ſunt hic a me repeti expectes.*

Monachorum cenſura exploſa.

## RVTA SYLVESTRIS.

*QVam temere aſſerant ea omnia, quæ de ſylueſtri Ruta in meis ſcripſi commentariis, è ſuis in Meſuem ſcriptis eſſe deprompta, vnicuique facile conſtabit, qui eorum, & meos legerit commentarios. Sed nolit, obſecro, Deus Optimus Maximus, vt tam ſim amens, vt Monachorum ineptias imiter vnquam, in cenſenda ſecundi generis Ruta, quum ibi nil aliud habeant quam ſomnia, deliramentaque, tam clara tamque euidentia, vt nullis non riſum excitare poſſint, ſimulque ſtomachum mouere. Si enim (vt rem hanc exordiar) ſimulac longa verborum ſerie de altera ſylueſtri Ruta, quam Armolam vocant Arabes, egerunt, concludunt tandem, ac ſuadent, cum hæc non habeatur niſi rariſſima in Italia, Myropolas eius vice recte vti poſſe Androſæmo, quod Hypericum vocamus, quum nil aliud Hypericum ſit quam genuina ſylueſtris Ruta altera. Qua in re vſque adeo deſipiunt, vt non ab re mihi verendum ſit, vt vllo vnquam tempore ad mentem reſtitui poſſint. Sylueſtris primi generis Ruta, Dioſcoridis ipſius teſtimonio, in omnibus ſuis partibus hortenſi eſt ſimilis, præterquam quod guſtatu ſit acriori. Hæc in Goritienſi agro Saluatino, & Gargano montibus, adeo copioſa prouenit, vt toti fere Europæ pro parandis medicamentis ſufficere poſſit: quam qui viderunt rei herbariæ ſtudioſi, horum deliramenta, quæ me ſibi furatum eſſe mentiuntur, perpetuo deridebunt, quinetiam qui hæc legent, quum illis palam fiet in quam multiplici hic verſentur errore: In multiplici errore, inquam, quod primum exiſtimauerint Sylueſtrem Rutam ab Androſæmo, & Hyperico nihil differre: Deinde quod putauerint Androſæmum, & Hypericum vnam, & eandem eſſe plantam, quum tamen Dioſcorides de his ſeorſim, tanquam de differentibus plantis egerit. Poſtremo quod prodiderint hanc primi generis ſylueſtris Rutæ hiſtoriam his a Dioſcoride eſſe deſcriptam, magnamque habere cum Hyperico cognationem, quod potius ſomniaſſe quam ſenſuum iudicio ſcripſiſſe videntur Monachi, quum non huius Rutæ caput ſit, in cuius fronte in quibuſdam falſis codicibus illa leguntur, quæ doctiſſimorum virorum teſtimonio hic aſcititia, Hyperici autem propria cenſentur: ſed eius quod proxime ſequitur, in quo alterius ſylueſtris Rutæ, quam alii Moly, alii Armolam vocant, deſcribitur hiſtoria.*

Monachorum in ſylueſtri Ruta cenſenda opinio.

Lib. 3. cap. 45

Caſtigatio

## PANAX.

*QVod Meſues in deſcribendo Panace aberrauerit, & Aſclepium cum Heracleo confuderit, fatentur ſane omnes contra Monachorum ſententias, Medicæ materiæ ſtudioſi, qui in Meſuis codice Panacis caput perlegerunt. Gummi enim, quod Opoponacum vulgo vocant officinæ, ex Heracleo tantum (vt Dioſcorides inquit) collachrymat, quippe cætera Panacium genera nihil liquoris fundunt. Atqui cum Meſuæ ex planta defluat Opoponax, quæ ferulaceis ſit foliis, facile quiſpiam noſſe poterit Aſclepium pro Heracleo perperam accepiſſe Meſuem. Etenim Heracleum Panaces foliis non exit ferulaceis, ſed ficulneis. Deinde ſui Panacis caulem facit Meſues cubitalem, quod procuIdubio indicat Meſuem Aſclepium deſcribere, quod Dioſcoridis ipſius teſtimonio Heracleum altiſſimum caulem proferat, Aſclepium vero cubito haud maiorem. Quibus palam eſt vna cum Meſue hallucinari Monachos.*

Meſuis in Panacibus erratum.

Opoponax ex Heracleo tantũ defluit.

## CARVM.

*CRediderunt Patres Carotam Italis vulgo vocatam, cuius purpurea radice in acetariis hyeme veſcuntur, legitimum eſſe Carum: quod atteſtantur eorum in Meſuem commentaria, quorum autoritate freti, non leuiter me erroris accuſant, quod vna cum vulgo crediderim illud genuinum eſſe Carum, cuius ſemine paſſim vtuntur Myropolæ, quodque iidem, Mauritanos ſequuti, Carui vocant: ſed in hoc, quemadmodum in cæteris, cæcutire Monachos apertiſſime demonſtrat Carotæ ſemen, quippe quod guſtantibus, mandentibuſque nullam, vel obſcuram admodum, relinquat acrimoniam, nec aliam qualitatem, qua quiſpiam recte aſſerere poſſit ex tertio eſſe excalfacientium & exiccantium ordine, vt de Cari ſemine ſcribit Galenus, & manifeſte apparet in vulgari Caro. Siquidem hoc acrimonia qua pollet, linguam non obſcure mordet, & os (vt Dioſcorides inquit) non ingrato odore commendat. Quin & (vt Galenus ait) manifeſte excalfacit, vrinam ciet, & flatus mirifice pellit, id quod Carotæ ſemini præter Monachos aſcribet nemo, quum id nulla ſit acrimonia præditum, nec aliqua in eo percipiatur caliditatis ſiccitatiſque tam valida facultas, quæ talia præſtare poſſit. Cari hiſtoriam, qui ſcribat antiquorum, habeo neminem, quo fit, vt alia ratione comprobare nequiuerim Carum, quo paſſim vtuntur, eſſe legitimum, quam ab ipſius facultate, quæ facilime guſtatu deprehendi poteſt.*

Carotæ ſemen.

Lib. 3. cap. 57.

Cari hiſtoriam antiqui non deſcripſerunt.

## SYLVESTRE CVMINVM.

*A Caro ad ſylueſtre Cuminum veniunt, in quo cenſendo non parum me ignorantiæ inſimulant, quod non nouerim flauum Melanthium, vel (vt ipſi dicunt) Nigellam citrinam ſylueſtre eſſe Cuminum*

Nigella citrina quid.

Seminum color genus plantarum non immutat.

*primi generis Dioſcoridem: ſed ii mea ſane ſententia in magno & aperto verſantur errore: quandoquidem, vt vnuſquiſque ſana mentis per ſe cognoſcere poteſt, nil aliud vnquam fuerit Nigella citrina quam flaui coloris Melanthium, cum neminem lateat, ſi Monachos excipias, nigellam hanc in alio à Melanthio non differre, quam in ſeminis colore. Cætera namque in forma, magnitudine, ſapore, ac omni denique facultate nulla differentia diſcerni poſſunt, cum eadem vtrique ſint folia, idem caulis, flos idem, capita vtrique per omnia ſimilia, idemque in omnibus hiſce partibus ſit ſapor eademque facultas. Seminis quoque nulla ſorma viſitur differentia, ſed tantum coloris, quem qui dixerint genus immutare poſſe, & ex Melanthio ſylueſtre Cuminum efficere, extrema eos teneri dementia proculdubio cenſebunt omnes rei herbariæ ſtudioſi: ſpeciem enim immutare poterit coloris in ſemine vel in floribus varietas, ſed haudquaquam genus immutabit. Sed quid multa? nonne hoc idem, in papauerum ſemine quotidie comperimus? Ex quibus tamen varius ſeminis color non prohibet, quin omnia ſint papauera. Id quod etiam perſpicuum eſt in hyoſcyamo, lactuca, hortenſi ſmilace, anguria, quam cucumerem vocamus in Hetruria, & aliis nonnullis plantis, quarum ſemina etſi quandoque albo, quandoque nigro, nonnunquam & flauo rubentique colore varient, non tamen aliud ab illis plantæ genus conſtituunt. Nam ſi, exempli cauſa, in genere Leucoii, quod albam violam Latinis deſignat, non ſolum Dioſcoridi, Galeno, Plinio, ac cæteris plantarum ſcriptoribus id Leucoium appellatur, quod album emittit florem, ſed etiam quod croceum, quodque purpureum, amentis profecto fuerit opinio, quod Nigella citrina Melanthium non ſit, quod ſola coloris ſeminis varietate à Melanthio differat. Hinc itaque palam fit, vt in hac cenſenda Nigella, & ſylueſtris huiuſce Cumini hiſtoria hi Patres, & qui eos ſequuntur, plane hallucinati deprehendantur. Quippe huiuſce ſylueſtris Cumini ſemen, in capitibus mollibus ac rotundis aceroſum gignitur, fortaſſe vulgaris pimpinellæ noſtratis modo, quam quidam ſanguiſorbam vocant, non autem in capitibus Melanthii inſtar durum, ſolidum ac fractu contumax.*

Caſtigatio.

## OREOSELINVM.

Caſtigatio.

Cap. [illegible]

Serapionis locus explanatus.

*SEd in Oreoſelino quid ſomniauere Monachi? Somniauerunt, inquam, quod vna cum Marcello perperam crediderim montanum Apium, quod Græci ὀρεοσέλινον vocant, ſemen papauerum modo in capitibus proferre, cum tamen hoc ſit falſiſſimum Hermolai & Ruellii teſtimonio, qui recte ſane animaduerterunt Dioſcoridis codici hoc in loco ſubeſſe mendam: ideoque locum hunc priſtino candori reſtituentes ſcripſerunt montanum Apium ſemen proferre non papaueris, ſed cicutæ, quemadmodum cætera Apii genera. Id quod manifeſte demonſtrat antiqua Dioſcoridis verſio, ac etiam Serapionis lectio: ſiquidem ibi manifeſte legitur montanum Apium cicutæ ſemen progignere. Hæc Monachorum in Oreoſelino eſt aduerſum me cenſura, imo ridenda ſtultitia. & non vulgaris amentia, quum ego Hermolai, & Ruellii opinionem ſequutus, imo potius Theophraſti lectione perſuaſus, ſcripſerim in commentariis meis Oreoſelinum haudquaquam capitula papaueris modo progignere, ſed ſemen cicutæ æmulum: quod omnibus palam fiet, qui in meis in Dioſcoridem commentariis meam de omni Apio perlegerint cenſuram. Ad hæc falſum eſſe conuincitur Serapioni proferre Oreoſelinum ſemen cicutæ ſimile, cum quiſpiam facile noſſe poſſit, non ſine hac menda fuiſſe Dioſcoridis codicem à quo tranſcripſit Serapio, cuius hæc ſunt verba: Oreoſelinum eſt planta habens virgam longitudinis vnius palmi aut circa, quæ egreditur à radice vna ſubtili, à qua plures virgæ paruæ egrediuntur, & a virga egrediuntur ramuli plures ſuper quos ſunt capitula ſimilia comæ, niſi quia ſunt minora ſatis, & rotunda, & in eis ſemen longum. Quibus palam eſt, quam acutum ſit Monachorum iudicium in indaganda ſtirpium hiſtoria, cum non dicat Serapio ſimilia Conio ſed Comæ, quod verbum à Meconio corruptum eſſe nemo ſane inficiabitur, qui non vſque adeo fuerit ſtupidus, vt neſciat an cicuta vel papauer capitula proferat.*

## CHAMAELEONES.

Inutilis Monachorum opinio.

Lib. 3. cap. 12.

*DVm meam in Chamæleonibus damnant ſententiam, quod mihi perperam perſuaſerim plantas Carlinas vulgo vocatas genuinos eſſe Chamæleones, ii profecto in hiſce cenſendis Carlinis prorſus hallucinari deprehenduntur, cum nulla dubitatione affirmauerint Carlinam caulem habentem, quam nigrum Dioſcoridis Chamæleonem hactenus ſemper exiſtimaui, eiuſdem eſſe Spinam albam, quam Græci ἄκανθαν λευκὴν vocant: Alteram vero caule viduam, ſpinam eſſe Arabicam, quam Arabes Suchaam vocant. Etenim cum ſpina alba (Dioſcoridis teſtimonio) caulem proferat inanem, bicubitalem, albicantemque perinde ac folia, vnde fortaſſe ſuam duxit nomenclationem, & flores purpureos: Carlina vero hæc caule ſit dodrante paulo maiore, pleno, non inani, rubro, non albicante, floribus verſicoloribus hyacinthi æmulis, non ſimpliciter purpureis: nulla ratione dici poſſe crediderim Carlinam hanc eſſe ſpinam albam, ſed potius rufam, de qua fortaſſe ſomniarunt Monachi. Neque etiam eos ſimiliter probare poſſe cenſeo Carlinam caule vacantem ſpinam Arabicam eſſe, quod nuſquam inuenerim ſcripſiſſe Dioſcoridem ſpinam Arabicam caule vacare ſed ſpinæ albæ potius eſſe perſimilem. Ex quo ſane recte quiſpiam concludere poterit, Arabicam quoque ſpinam proculdubio caulem edere perinde ac albam. Cæterum quod firmiſſimis tum argumentis tum rationibus affirmauerim Carlinas eſſe Chamæleones contra Monachorum cenſuram, nec id temere ex me tantum depromſerim, tibi ac cæteris maxime erunt argumento mei in Dioſcoridem commentarii, qui Latine iam iam è prælis prodibunt in lucem. Quamobrem quum ibi ſatis ſententiam meam de Chamæleonibus comprobauerim, non videtur hic eſſe opus eadem iterum repetere. Legent (vt ſpero) quamplurimi rei medicæ ſtudioſi noſtros illos labores, qui poſtea ſuam de his ſententiam ferent, dicentque longe magis decere Monachos ſuum colere Breuiarium, quam de ſimplicibus verba facere: de quibus tamen ſi tandem quandoque loqui voluerint, de ſeipſis loquantur. Siquidem vſque adeo ſimplices, ne dicam ſtolidi ſuis ex ſcriptis appareant, vt non parua de ſeipſis volumina conficere poſſint. Si hoc poſthac fecerint Monachi, & in ſuis perſtiterint calopodiis, non ita fortaſſe deridebuntur ab omnibus.*

Caſtigatio.

LEVCA-

## LEVCACANTHA.

*POrro quam falſo me accuſent in Leucacãtha, ipſa mea atteſtantur commentaria, quæ non ita facile Monachi fortaſſe in ſuum peruerterent ſenſum, ſi iis tuendæ potius, quam deprimendæ veritatis fuiſſet animus. Siquidem tametſi dixerim ego non eſſe omnino reiiciendam eorum ſententiam, qui carduum, quem quidam Diuæ Mariæ appellant, Leucacantham putant, quod folia illi ſint lacteis quaſi maculis infecta, radixque amara ac dura, non tamen id vnquam me affirmaſſe conſtat, quemadmodum habet eorum cenſura. Quandoquidem quum neminem habeam, qui Leucacanthæ hiſtoriam ſcripſerit, nec apud Dioſcoridem, Plinium ac cæteros, qui de plantis ſcripſerunt vlla habeatur huiuſce plantæ nota, præterquam quod ſit ſpinæ albæ ſimilis, nõ abre crediderе quidam albis illis maculis adducti, ac etiam fortaſſe radicis amaritudine ac duritie, hanc legitimam eſſe Leucacantham, quanquam hactenus horum placitis ſubſcribere noluerim.*

Falſa Monachorum accuſatio.

Carduus Diuæ Mariæ.

## TRAGACANTHA.

*NEgant ſubinde patres communis vſus lachrymam, quam paſſim Tragacanthæ gummi vocamus, legitimam eſſe, quod genuina linguæ ſubdita facile (Dioſcoridis teſtimonio) colliqueſcat, hæc vero nunquam. Quinimo ſi linguæ ſupponatur adeo lenteſcit, ac tenax euadit, vt nullo fere modo diſſolui queat. Qua quidem in re toto cœlo aberrant, vt qui Dioſcoridis verba perperam intellexerunt. Etenim Dioſcorides haudquaquam de ſola lachryma linguæ ſubdita, ſed de eclegmate, quod hanc exceperit lachrymam ſcribit his verbis: Huius increbruit vſus ad oculorum medicamenta, ad tuſſes exaſperatas fauces, retuſas voces, cæteraſq; deſtillationes cum melle in delinctu, liqueſcitq; ſubiecta linguæ. Hæc Dioſcorides. Quibus palam eſt voluiſſe Dioſcoridem Tragacanthæ lachrymã non ſolam, & per ſe tantum, ſed in eclegmate cum melle paratam linguæ eſſe ſubiiciendam, vt clariſſimorum medicorum inſtitutione fieri aſſolet cum Bechicis catapotiis & Diatragacantho, quibus ipſa lachryma commiſcetur: quandoquidem cum oporteat medicamenta quibus aſpera arteria, pulmones, ac pectus vniuerſum expurgari debent, quadam temporis diuturnitate ore retenta, vel linguæ ſubdita, ſenſim leniterque liqueſcere, vt commode in tracheam percolentur arteriam, voluit ibi Dioſcorides eclegmatis vſum deſcribere. Nam ſi huiuſmodi medicamenta deuorarentur, nihil prorſus proficerent, quum ita non in pectus, & pulmones deferantur, ſed in ventriculum. Alia huic accedit ratio, quod ſi lachrymam per ſe tantum linguæ ſubmittendam intellexiſſet Dioſcorides, ſubiunxiſſet quidem, vt ſui moris eſt, quibus in morbis id factitandum eſſet. Etenim abſurdum plane videretur ſcribere, quod aliquod gummi linguæ ſubiiciatur paulatimque liqueſcere cogatur, ac deinde ſilentio præterire quibus in morbis id faciendum. Quibus itaque rationibus non modo recte, meo quidem iudicio, intelligi poteſt voluiſſe Dioſcoridem eclegma, quod Tragacanthæ lachrymam exceperit, linguæ ſubiiciendum eſſe, non ipſam per ſe lachrimam, ſed etiam Monachos in hoc, perinde ac in cæteris, eſſe deceptos.*

Monachorũ inſcitia in explanando Dioſcoride.

Lib. 3 cap. 20

Dioſcorid. locus explicatus.

## HYSSOPVM.

*MAgno etiam mihi vitio vertunt, meque ineptiſſime ſtirpium comparationem facere ſcribunt, quod (vt ipſi falſo calumniantur) totam Hyſſopi plantam vnum tantum corymbum fecerim, vt cum chryſocome concordari videretur. Sed profecto nil mirum, quum hactenus ad Elleborum non peruenerint. Atqui quum illuc adire nequeant, niſi prius iter faciant per Hyoſcyamum, Papauera, Mandragoras, ſoporiferum ac manicum Solanum, non parum ſane verendum eſt, ne ſomno longe altiori addicti eo nunquam peruenire queant, niſi fortaſſe ſomniantes. Ego enim, ſi vera fateri debeam, nuſquam vnum tantum corymbum Hyſſopi plantam feci, ſed quæ denſioribus fuerit cum ſurculis, tum etiam foliis floribuſque comam recte imitari. Quibus palam eſt Monachorum argumenta perperam ex commentariis noſtris eſſe deprompta.*

Faceta caſtigatio.

## STOECHAS.

*AB Hyſſopo illico ad Stœchadem ſe conferunt, in qua non parum me aberraſſe volunt, quod eam Arabicam eſſe Stœchadem affirmauerim, quæ Venetias aſſertur, quum ipſi Arabicam viderint plurimum forma ab altera differre. Cæterum in hoc falſa deprehenditur Monachorum cenſura, quod non abſolute vnquam ſcripſerim Stœchadem omnem, quæ Venetias cõuehitur, ex Arabia deferri: ſed quod non ſolum naſcitur Stœchas in Stœchadibus inſulis, vnde illi nomen, ſed etiam in Arabia, vnde Alexandriam primum, & hinc deinde Venetias defertur. Idcirco non ob id mihi imponere debẽt patres, quod ſcripſerim, putarimq; non afferri etiam Venetias Stœchadem aliunde quam ex Arabia, quum id nuſquam affirmarim. Atqui Monachi ipſi recte redargui poſſunt, quod ita temere dicant nullam eſſe Venetiis Stœchadem, quæ eo ex Arabia aduecta fuerit, cum tamen non deſint negociatores, qui Monachorum ſententiæ reclamabint. Ad id autem, quod dicunt Arabicam Stœchadem forma non parum eſſe ab altera diſſimilem, nil aliud contra illos in medium afferam, quam propria eorum ſcripta, quorum non ita facile obliuiſci debebant. Siquidem quum iam diu palam ſit ſcripſiſſe illos ſuis in commentariis, nullam aliam inter noſtratem Stœchidem, & Arabicam intercedere differentiam, quam quod hæc denſioribus ſit ramulis: neſcio ſane qua fronte hic plurimam hanc ab illa differre mentiantur, niſi fortaſſe dixerit quiſpiam ſpuria illa eſſe commentaria, eaque, pietate ductos, ſibi adoptaſſe patres, nec hactenus ea adeo diligenter perluſtraſſe, vt de cunctis reminiſci queant. Verum ab illis ſcire velim, quiſnam ex Arabia Stœchadem illis videndam tranſmiſerit, ſi, vt illi aiunt, non affertur in Italiam.*

Falſa Monachorum cenſura.

## DICTAMNVM.

*SEd & in Cretenſi Dictamno in me ſua ſpicula mittunt his verbis: Non declarat Matthiolus cuius generis Dictamnum ſit, quod nunc ex Creta paſſim habetur, quum tamen is ſcire debuiſſet tertium illud eſſe*

Monachorum obiectio.

*genus, de quo poſtremo loco meminit Dioſcorides. Primum enim nec florem, nec ſemen profert. Sed tertium illud è contra & flores & ſemen edit, quo fit, vt illud eſſe non poſſit, ſed tertium, cum omnibus in confeſſo ſit, Dictamnum quod hoc tempore ex Creta in Italiam comportatur & flores, & ſemen gerere: quinetiam nec affirmari debere, aiunt, eſſe hoc Pſeudodictamnum. Nam quum hoc in omnibus ſuis partibus primi generis Dictamno correſpondeat, recte ſane quiſpiam cenſere poterit, neutiquam hoc flores proferre, nec etiam ſemen. Hæc Monachorum ſunt argumenta, quibus probare nituntur, non ſolum me in cenſendo primigeneris Dictamno plurimum a ſcopo aberraſſe: ſed quod Dictamnum hoc, quo paſſim pro genuino vtuntur Seplaſiæ, tertium illud ſit genus, quod ex Creta quoque afferri ſcribit Dioſcorides foliis ſiſymbrii æmulis. Sed quam infœliciter hoc ſibi perſuaſerint patres, teſtatur apertiſſime Theophraſtus, quippe qui libro nono capite decimo ſexto de plantarum hiſtoria, ſimulac de genuino Dictamno, & Pſeudodictamno fuſius egit, de tertio etiam ſcribens: Eſt, inquit, aliud quoddam Dictamnum veluti æquiuoce appellatum: Nec enim ſpeciem, nec vim habet eandem: quippe quod folio ſiſymbrii conſtet & ramis condatur maioribus, cuius vſus cum aliis minime conuenit. Quibus palam eſt prorſus hallucinari Monachos, quum communis vſus Dictamnum folia ſiſymbrii non habeat ſed Pulegio maiora, craſſiora, tomento quodam, ſiue ſpiſſa lanugine obducta, guſtu acri mordacique. Quæ quidem notæ tantum tertio illi Dictamno reclamant, quantum genuino, de quo primo loco ſcribit Dioſcorides, omnibus aſtipulatur modis. Sed deprauata eſſe ea Dioſcoridis volumina, quæ de floribus habent, οὔτε δὲ ἄνθος οὔτε καρπὸν φέρει neſcierunt Monachi, cum tamen ex Theophraſto comprobari poſſit. Quippe is loco ſuperius citato de Cretenſi Dictamno agens: vſus, inquit, non ramorum nec ſeminis eſt, ſed foliorum. Siquidem his verbis palam eſt, Dictamnum primum, & ramos & ſemen edere, quinetiam per conſequens & flores, de quibus apertiſſime ſcribit Vergilius libro duodecimo Aeneidos. Sed cum magis deceat Monachos, Prophetas audire quam Poetas, Vergiliana illa Carmina ſilentio inuoluam. Tu vero ſi Dioſcoridis codicem ſuo priſtino candori reſtitutum hoc loco habere cupis, ita reſcribito. οὔτε δὲ ἄνθος οὔτε καρπὸς συμφέρει: id eſt, neque flos neque ſemen confert, ſcilicet, in medicamentis, vt inquit Theophraſtus.*

Exploditur Monachorum opinio.

[illegible] Dioſco- [illegible] reſtitutus.

## DAVCVM.

Inanis cenſura.

*NOn parua profecto me redarguunt ignorantia in Dauci deſcriptione Monachi ſua hac inani cenſura, quam ita deſcribunt. In Dauci capite Matthiolus vna cum aliis nonnullis perperam Dioſcoridem interpretatur: ſiquidem in tertio Dauci genere rem omnem confundunt, quum primum hoc Anethi vmbellam & ſemen ferre ſcribant: Deinde vero addant Paſtinacæ vmbellam, & ſemen cumino ſimile. Id quod euenisse ſcimus quorundam verborum cauſa, quæ hoc loco in Dioſcoridis codice deſiderantur. Patet menda ex antiqua Dioſcoridis verſione, quæ quatuor Dauci ſpecies habet, ſcilicet tertiam Anetho, & quartam Cumino non abſimilem. Hæc omnia Monachorum ſunt verba, quibus non in me ſolum, ſed in cæteros quotquot ſunt clariſſimos Dioſcoridis interpretes, imo in Dioſcoridem ipſum inuehuntur: ſed temere ſane, & ſuo tantum futili conſilio perſuaſi, quandoquidem nullus (quod ſciuerim viderimque) habetur Dioſcoridis codex, nec manu ſcriptus, nec typis excuſus, qui de pluribus quàm tribus Dauci generibus meminerit. Nec plura quam hæc habent Oribaſius & Serapio, qui ad verbum ex Dioſcoride tranſcribunt. Quinetiam nec Auicenna plures quam tres refert Dauci ſpecies, nec Arabs, vel Græcus alius, qui de plantis ſcripſerit. Ideoque cur magis hiſce diſcalceatis blateronibus credam quam antiquiſſimis Dioſcoridis imitatoribus, & cum tam præclaris interpretibus, nihil habeo quod me tantillum dimoueat, eoq; præſertim quod antiqua illa Dioſcoridis verſio, quæ ad manus eſt, hos manifeſte mentiri aſſerat: quandoquidem etiam hæc non de pluribus quam de tribus Dauci generibus meminit.*

Lib. 3. cap. 69. Dauci ſpecies tres.

## SENA.

Zingiber cur Senæ admiſceatur.

*AT quam nec ſui ſe diſſimiles præſtant in Sena? Etenim quod ſcribam Zingiber cum Sena miſcere Meſuem, non ſolum vt eius in deiicienda aluo roberetur facultas, ſed etiam, vt ab eiuſdem Senæ noxa, quam illi idem tribuit Meſues, defendatur ventriculus, non parum me inſcitiæ accuſant Monachi, ac ſi Zingiberis ignorarem facultates. Namque quum ii perperam ſibi perſuadeant Zingiber nihil poſſe iuuare ventriculum, nil magis Senæ admiſtum præſtare poſſe putant quam ipſius augere vires. Sed ii maxime decipiuntur, quum Zingiber (Dioſcoridis teſtimonio) non ſolum aluum leniter emolliat, ſed etiam ventriculum iuuet. Id quod tertio de Aliment. facultat. capite vigeſimo primo teſtatur pariter Galenus.*

Lib. 2. cap. 154.

## ROSMARINVM.

*IN Roſmarino nodum in ſcirpo quærentes, non paruo mihi vitio vertunt, quod de tribus tantum generibus egerim, quum tamen tum Dioſcorides, tum etiam Galenus quatuor fecerint Roſmarini differentias, quinetiam quod perperam fœminam Libanotidem pro ſecunda ſpecie repoſuerim, eamq; fecerim fruticoſam. Quibus nil aliud ſane fuerit reſpondendum, quam quod qui facile malignos hominum animos cognoſcere cupiunt, eos intueantur, qui leui quacunque cauſa rixantur, perinde ac Monachi, qui calami noſtri candorem, tam leuibus cauillationibus, ac ridendis admodum cenſuris interturbare inficereque moliuntur. Etenim vbi affirmabam me vidiſſe Venetiis primum Roſmarini genus, intellexeram quidem de vtraque maris differentia, quod pariter ambas maris plantas ſub vno tantum genere comprehenderit Dioſcorides, quum nulla inter ipſas intercedat differentia præterquam in ſemine: quandoquidem is in ipſo capitis principio duo, inquit, habentur Roſmarini genera, vnũ fœcundum, frugiferumq;, alterũ vero ſterile. Quod vero in capitis ipſius proceſſu pro frugifero genere vtramque maris plantam intellexerit is, pro ſterili vero fœminam, ii facile affirmabunt,*

Lib. 3. cap. 72. Roſmarini genera.

bunt, qui in Dioſcoridis lectione fuerint verſati. Quibus cum palam ſit priora duo genera vnum tantum Dioſcoridi eſſe genus: quid Monachis mirum videri debet, ſi Dioſcoridem imitatus ego pariter ex duobus illis vnū fecerim genus?

## PEVCEDANVM.

PEucedanum, quod legitimum ſit ſe iactant ex Hiſpania ſecum attuliſſe patres. Quoniam vero pati nequeunt, quod quiſpiam præter ipſos Peucedanum adinueniſſe ſcribat, non ſolum negant me in Ananienſibus montibus inueniſſe Peucedanum ſed nec vidiſſe volunt. Qua in re palam ſit quam inanis gloriæ cupidi, mecū contendant Monachi. Quippe quod haudquaquam pro certo affirmarim Ananienſe Peucedanum eſſe genuinum, ſed adeo Peucedanum ſuis notis referre, vt illud ſemper peucedanum exiſtimem, quoad aliud ſeſe mihi offerat, quod euidentioribus notis legitimum referat. Caſtigatio.

## LASERPITIVM.

HIs accedit altera fere ſimilis Monachorum calumnia, in qua etſi nihil deliquerim, non tamen ſibi prætermittendum putarunt, quin hac etiam in re me reum facerent. De Laſerpitio itaque agentes affirmant me contra Dioſcoridis, & aliorum antiquorum ſententiam, Laſer pro planta, pro lachryma vero ſæpe accepiſſe laſerpitium. Sed quam inique me arguant patres, facile teſtantur mei in Dioſcoridem commentarii: quandoquidem vbi eo in loco ex meipſo loquutus ſum nunquam æquiuoce hiſce vſus ſum nomenclaturis. Ideoque mihi vitio vertere patres non debent, ſi interpres ille, qui Ludouici Romani peregrinationes Latinitate donauit, cuius verba ibi nobis allata ſunt, plantæ nomenclationem pro lachryma perperam acceperit, quum id erroris illi non mihi ſit aſcribendum. Sed profecto neſciunt quo corruant impii, cum a veritatis via ſemel aberrauerint. Calumnia. Calumnia de Laſerpitio. Caſtigatio.

## EVPHORBIVM.

POſtrema Monachorum obiurgatio, vt omnium ineptiſſima, ita præ cæteris ſibilo explodenda, quum diligentius videndum eſſe ſcribant, an Euphorbium, vt ego commentatus ſum, ab Euphorbo Iubæ Mauritanorum Regis medico ſuam deſumpſerit denominationem. Qua in re mihi fortaſſe ſuccumbendum fore putarent Monachi niſi Plinius grauiſſimus author eorum retunderet temeritatem, ne dicam inſaniam. Siquidem is libro 25. cap. 7. inuenit, inquit, & Patrum noſtrorum ætate Rex Iuba, quam appellauit Euphorbium medici ſui nomine & fratris Muſæ, a quo Diuum Auguſtum conſeruatum indicauimus. hæc ille. Sed iam me profecto tædet, imo potius pudet tam ineptiſſimis ac puerilibus Monachorū cenſuris longius reſpondere: Nam etſi plura quam hæc in me ſcripſerunt, tamen quum nihil frugis præter ζιζάνιᾱ inde colligi poſſit, merito ſane cætera mibi diſſ[illegible]enda duxi. Quapropter, quæ reliqua ſunt tibi cenſenda relinquo. Etenim quū diutius iam ſis in ſimplicium cognitione verſatus, horum ignorantiam, & in plantarum hiſtoria inſcitiam facile per temetipſum cognoſcere poteris, Vale. Obiurgatio ſibilo explodēda.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Franciſco Melchiorio Medico, S. P. D.

LIteris tuis quas ad 11. Calend. Martias mihi publicus reddidit veredarius, mirum in modū ſum delectatus, quod ex iis intellexerim quam diligenter commentariorum meorum perſequaris lectionem. Ego vero, quum pro ea paterna beneuolentia, qua te ſemper complexus ſum, ſummo ſemper ſim deſiderio, vt in dies huiuſce medicæ materiæ peritior ſias, non poſſum non lætari plurimum, vbi te intelligo nunc hiſce ſtudiis aſſiduam nauare operam. Ideoque prætermittere non poſſum quin te, quem fere a teneris (vt Græci dicunt) vnguiculis omni paterna pietate educaui, nunc plurimum horter, vt hoc tuum inſtitutum ad finem vſque ſequaris. In quo eo magis te promptum aſſiduumque præſtare debes, quod iam mea conſuetudine inſtitutus, non ſane parum hac in re hactenus profeceris. Itaque legas atque iterum relegas, velim, lucubrationes illas meas, non modo vt inde aliquid quotidie addiſcas, ſed vt diligenter obſerues an aliquid ibi inuenias, quod minus recte a me ſcriptum exiſtimes. Non enim is ſum qui mihi perſuadeam mea ſcripta vſque adeo eſſe elaborata expurgataque, quin in aliquibus, imo fortaſſe in multis reprehendi poſſint, quum nihil perfectum, inculpatumque præſtare poſſint homines. Proinde nihil gratius mihi conferre poteris, quam ac his, a quibus tua diſſenſerit opinio, ad me ſæpius ſcribere, quemadmodum nūc primum hiſce tuis literis facere capiſti: video enim ex iis quam diligenter Marcellum Dioſcoridis interpretem, ac etiam eum ſequutum Braſauolū in Hyperico a mea tuearis cenſura, qua eos redarguere non ſum veritus, quod de florū colore minus recte interpretati ſint Dioſcoridem. Siquidem ſi hoc pacto tuum mecum exercueris ingenium, non ſolum tibi ipſi plurimum profeceris, ſed mihi etiam reſpondendi diſputandique de his occaſionem parabis. Scribis videri tibi Marcellum ipſum atque etiam Braſauolum citra rationem omnem a me eſſe redargutos, quod interpretati ſint in Dioſcoride Hypericum album edere florem, quum tamen habeat Græcus codex Ἄνθος ἔχει μήλινον: id eſt, florem habet album. Ac vt non videaris ex te ipſo aſſerere Μήλινον nil aliud quam album deſignare, Plinium in Medium citas: quippe qui libro 35. capite ſeptimo, de coloribus agens, Melinum quoque, inquit, coloris candidi ſpecies eſt. Optimum ex Melo inſula. Hac itaque Pliniana lectione fretus palam eſſe arguis Marcellum, Braſauolumque haudquaquam aberraſſe, ob idque immerito a me eſſe redargutos. Quod ſane non parum contra meam faceret ſententiam, ſi ita res ſe haberet vt tu ex Plinio tibi perſuades. Hyperici flos qualis.

ſuades. Cæterum nõ poſſum non mirari tuũ de animi mei ſynceritate iudicium, cum certo ſcias ex longa, quam mecum habes, conſuetudine, neminem ſolere calumniari Matthiolum: ſed eos potius admonere, quos procul dubio deliquiſſe cognouerit. Sed non ob id tibi ſuccenſere velim, quum fortaſſe potius diſcendi cupiditate promotus, quam redarguendi voluntate de re hac ad me ſcripſeris. Hoc itaque quum mihi perſuadeam, paterne tecum agam. Vt autem animi mei ſynceritatem tantum à veritatis zelo commotam eſſe intelligas, & rationes, quibus inductus ſum clariſſimis illis viris contradicere, a veritatis ſcopo non abeſſe cognoſcas, nec meam me fefelliſſe opinionem, ſcias vtique, velim, nuſquam aliud quicquam Dioſcoridi deſignare Μήλινον quam luteum, ſiue aureum colorem: Albũ vero nequaquã. Quo quidem vocabulo in hoc ſignificato vſus eſt is, non ſolum in Hyperico, cui proculdubio flores aureo ſunt colore, ſed in aliis fere innumeris plantarum floribus, qui nullo alio colore extant, quam luteo: id quod tibi palam fiet, & te à tua amouebit ſententia, ſi in Dioſcoridis codice Celticæ nardi, ranunculi, ſertulæ campanæ, Heraclii, panacis, hieracii, peucedani, conyzæ, alterius nymphæa, buphthalmi, gallii, verbaſci, thapſiæ, & aliarum plantarum quarundã hiſtorias perlegeris. Siquidem in omnibus hiſce locis habet Dioſcorides ἄνθος μήλινον. Quo ſane palam eſt, nil aliud Melinum colorem Dioſcoridi deſignare, quam luteum: quum hæ ſingulæ plantæ, quas genuinas eſſe fatemur omnes, luteo aut aureo flore proculdubio habeantur. Nec his obſtat tui Plinii autoritas, qua fortaſſe deceptus eſt Marcellus: quandoquidem non denominat Plinius album illum colorem, quo ſuo æuo vtebantur pictores à vocabuli ſignificatione, ſed a loco a quo aduehebatur, nempe ab Inſula Melo, vnde ſelectiſſimus afferebatur in Italiam. Atqui Dioſcorides non a loco, ſed a malorum præſertimque Cydoniorum aureo colore, quæ Græcis Μῆλα dicũtur, Μήλινον perquam recte denominat. Quo fit vt non poſſim non demirari Marcelli alioqui doctiſſimi viri ingenium, quod in cæteris plantarum floribus, de quibus ſuperius meminimus Μήλινον vbique luteum fuerit interpretatus, & quod in Hyperico ſuiipſius oblitus Μήλινον album reddiderit: quod etiam de Braſauolo dixerim. Etenim quum is amplum ſimplicium medicamentorum examen ediderit, neſcio ſane quo pacto Græcum Dioſcoridis codicem non inſpexerit diligentius, vocabulaque non expenderit, quæ ad plantarum, & florum colores ſpectant: quinetiam quod potius Marcelli lectionem ſequi maluerit, quã ad fontem viuum labia admouere: ex quo qui commode limpidam poſſunt haurire aquam, & ad riuulos inde manantes potius declinant, malo quidem conſilio ducuntur. Hæc ſi diligentius expenderis, non ſolum me legitimo iure cognoſces accuſaſſe Marcellum ac Braſauolum: verũ, & tuipſe facile fateberis, me nulla alia de cauſa ſcripſiſſe id in clariſſimos illos viros, quam vt errorem hunc è medio tollerem: quinimo & eos ipſos accuſare incipies quos prius defenderas. Cæterum non ob id prætermittas velim, quin in poſterum de aliis, quæ tuæ fortaſſis obſtabunt ſententiæ ad me ſcribas. Hoc ſi feceris erit mihi tam gratum, quam quod gratiſſimum: namque vbi erroris conſcium me admoneo, fatebor id tibi ingenue, & poſthac meipſum emendabo: vbi vero ſecus euenerit, pro virili enitar tam firmis meipſum tueri argumentis, vt non ſolum tu poſthac iis ſubſcribere poſſis, ſed & cæteri, qui tuæ potius ſententiæ, quam meis aſtipulabuntur commentariis. Vale.

Melinus color qualis.

Marcellus, & Braſauolus haud recte defenſi.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Hippolyto Brillo Medico, S. P. D.

*Probatur Guaiaci ligni decoctum non eſſe indifferenter dandum Gallica lue affectis, & præſertim vbi bilioſus fuerit affectus.*

POſtremas literas tuas reddidit mihi Marcellus Capuanus Tergeſtinorum Præfectus, quibus antea reſpondere non licuit, quod in conficiendo commentariorum meorum Indice plurimum ſane fuerim occupatus. Ex illis itaque intellexi, quod quum meum de morbo Gallico libellum nuper legeres, non parum fueris demiratus, quod ſcripſerim Guaiaci ligni decoctum nulla ratione conuenire Gallica lue affectis, quæ cum flaua bile complicata fuerit: quinetiam nec iis, quibus iecur fuerit præter modum bilioſum. Cæterum quum tibi videatur mea hæc opinio non parum à veritate & ratione deflectere, decreuiſſe te inquis, exercendi ingenii cauſa, contra ſententiam meam non inualidis nunc diſputare argumentis, quibus facile ſperas à mea me amoturum ſententia. Quod vt præſtare videaris hanc inprimis adducis poſitionem, ſcilicet, quod ea contraria ſunt, quæ maxime inter ſe differunt, quæque ſeſe conſumunt, ac inuicem ſeſe propellunt: ſed eæ qualitates, quæ ſunt in Guaiaco, & quæ ſunt in aqua in qua Guaiacũ ipſum decoquitur, ſunt omnino contrariæ. Nam illud calidis, ſiccisque pollet facultatibus, hæc vero frigidis & humidis. Vnde palam eſt, magnas admodum inter Guaiacum & aquam haberi contrarietates. Quo fit, inquis, vt hinc facile ſequatur, quod hæ contrariæ facultates ſibi adeo opponãtur, vt neceſſario opus ſit, vt altera alteram vincat. Atqui quum qualitates, quæ in Guaiaco habentur, minus validæ ſint ac potentes, validiores aquæ vires ſuperare non valent. Namque Guaiacum (recentiorum medicorum teſtimonio) calidum eſt circa tertium exceſſum: Aqua vero (vt Ariſtoteles inquit lib. 2. de generatione) extreme habetur frigida. Quamobrem neceſſario fieri oportet, vt calidæ Guaiaci qualitates, a frigiditate aquæ ſuperentur. Vnde ſequitur, vt Guaiaci ipſius decoctum potius ad quandam tendat temperiem cum humiditate quadam coniunctam, quam ad aliam qualitatem quæ in calore exuperet. Quinetiam hoc idem fieri contendis, quod in decoquendo medicamento longe maior ſit aquæ portio, quam ligni, quum vnaquæq; Guaiaci libra in quatuordecim, ſexdecimve aquæ libris decoqui ſoleat: quæ quidem aquæ quantitas ob frigidiſſimas, quæ ei inſunt, qualitates, non modicas poſſidet vires, quibus Guaiaci calorem mitigare, ac refrigerare poſſit: id quod pariter euenit in hordei decocto, aut cremore quem Græci ptiſanam vocant. Etenim tametſi hordeum frigidum habeatur & ſiccum ob aquæ tamen (inquis) in qua decoquitur, miſtionem, ſicca eius facultas vſque adeo deperditur, vt eius decoctũ frigidum & humidum euadat: quo fit, vt febrientibus commodiſſime, ac admodum vtiliter exhibeatur potandum, non ſolum ad refrigerandum corpus, ſed etiam ad febrilem calorem extinguendum. Quo argumento fretus idem in Guaiaco euenire aſſeris, quippe quod dum in aqua decoquitur calidæ eius qualitates ab ipſius aquæ frigiditate proculdubio ſuperentur. Vnde poſtea euenit, vt aqua in qua Guaiacum fuerit decoctum mo-

Prima contra Matthiolum poſitio.

*derate tum excalfacere, tum exiccare poſſit. Deinde quum hac ſola poſitione haud ſatis contra me dictum cenſeas huic ſecundam annectis: quod ſcilicet iis ex rebus, quæ in ſuis temperamentis æquales habentur, nulla penitus reſultet actio. Quandoquidem ubi hæc illam ſuperare debeat, operæpretium eſt alteram viribus eſſe alteram longe maioribus: id quod ex Guaiaco haudquaquam ſequi poteſt, cum longe ſuis ſuperque fuerit comprobatum imbecilliores, minoreſque eius qualitates a fortioribus maioribuſque in aqua permanentibus facile ſuperari. Quibus apertiſſime cognoſcitur, ac probatur Guaiaci decoctum non admodum excalfacere poſſe. Poſtremo inquis, quod ſi ex duabus poſitionibus concederetur prima, ſequeretur ligni Guaiaci decoctum bilioſis haud quaquam dari debere ſed quum conſequens ſit falſum, habetur falſum & antecedens. Quod enim coſequens falſum ſit patet ex communi practicantium uſu qui indifferenter Guaiaci decoctum propinant omnibus corporum temperaturis. Id quod te frequentiſſime vidiſſe aſſeris tum Patauii, tum etiã alibi in quampluribus, non ſolum lue illa Gallica affectis ſed aliis etiam diuturnis morbis, qui pro medicorum ſentẽtia Guaiaci decocto ſanati ſunt. Quod tametſi caliditatis aliquid poſſideat, attamen quantum videri poteſt plus ſanitatis iuuaminis quam læſionis ſemper afferre ſolet. Quibus palam eſt Guaiaci decoctum in bilioſis affectibus minime prohiberi debere. Hæc tua ſunt præſidia, quibus putas meam te deſtruere ſententiam. Sed animaduertas velim me non eſſe rei Medicæ omnino imperitum, ideoque non tibi confidas oportet, quod primus me inuaſeris: quippe quod ubi quis ſibi diligenter proſpexerit, raro aduerſis ſuccumbit inſultationibus. Cæterum, ut ad mea confugiam præſidia, inquam, poſitiones propoſitioneſque tuas apud omnes tui ſimiles videri forſan poſſe efficaciſſimas: ſed ubi recte iis mandantur, quibus optimus, & haud infectus fuerit guſtus, illico ne tantillum quidem ſalis habere deprehenduntur. Tu (quantum video) elenchi tui fallacia me ſuperare credideras. Atqui ut videas à ſe non abeſſe Matthiolum, primi tui argumenti vim infirmiſſimam eſſe pronuncio, quod pariter falſiſſimum ſit fundamentum, à quo id proficiſcitur.*

Reſponſio ad primam.

*Quandoquidem hæ primæ qualitates elementales (id quod quum te Medicum profitearis ſcire deberes) in unoquoque compoſito omnes ſimul habentur: ubi quanquam una plerunque aliam ſuis viribus nonnullis ſuperet gradibus, non ob id tamen (ut tu perperam arguis) altera alteram deſtruit, nec a ſuo loco expellit. Quinimo potius euenit, ut hinc ea non ſolum reſultent corpora, ſed diu incorrupta permaneant: nec obſtat quod altera contrariarum qualitatum alteram viribus ſuperet longe maioribus, & primum inter cæteras ſibi vendicet dominium, a quo unumquodque compoſitum ſibi nomen aſciſcit, vel calidi, vel frigidi, vel humidi vel ſicci a primo uſque ad quartum temperamentorum gradum, prout una longe magis quam altera in hac vel in illa exuperat qualitate. Quo fit, ut cum tua quibus niteris fundamenta proculdubio falſa inaniaque habeantur, quicquid ulterius ædificaueris deſtruatur, & ruat. Ad id autem quod dicis calidas qualitates, quæ in Guaiaco ſunt, frigidas aquæ vires nullo pacto vincere poſſe, quod illæ his minores ſint, & longe imbecilliores, quodque aquæ quantitas Guaiaci quantitatem plurimum exuperet, dicam (ut tuis omnibus reſpondeam argumentis) te ſatis negligenter perpendiſſe decoctorum omne genus, qualitates, ac vires.*

Decoctorum conſideratio non inutilis.

*Quandoquidem ſi aqua (ut tu minus recte tibi perſuades) calidas vinceret ſuperaretque medicamentorum, quæ in ea concoquuntur, qualitates, decocta proculdubio fierent temperamento proxima, vel potius ad frigidum, quam ad calidum declinarent, ſi, ut putas, à maiori aquæ frigiditate ac quantitate ſuperari deberent, quo fieret, ut non incaſſum modo darentur in frigidiſſimis morbis ubi maxime calida medicamenta requiruntur, ſed cum non parua propinarentur ægrorum iactura, ſi tamen, ut quidam faciunt, Pſeudomedici, vel potius impoſtores, conſentire non puderet, uno tantum medicamento unumquemque poſſe curari morbum, ut tu affirmare non vereris. Aſſerere enim non dubitas Guaiaci decoctum indifferenter exhiberi poſſe tam in calidis, quam in frigidis morbis, vel temperaturis. Atqui quum hoc decoctum temperamento proximum feceris, neſcio ſane quo pacto tibi perſuaſeris, ut in frigidiſſimis morbis utiliter propinari poſſit, quum huiuſcemodi affectus haudquaquam temperatis medicamentis vel temperamento proximis expugnari queant, ſed iis, qui plurimum caloris poſſident. Cæterum ut redeam unde diuerteram, ſcias oportet, quod dum Guaiacum aqua elixatur, cum eius calidæ ſiccæque qualitates in duriſſimo impactæ ſint corpore, nõ ſe permittit unita ipſa virtus ab aqua frigiditate ſuperari. Etenim durum ubi etiam minoris fuerit quantitatis, facilius agit in molle, quam e conuerſo. Quinetiam aquæ qualitates ignium vi agitatæ, longe magis in auram reſoluuntur, quam quæ in Guaiaco conſiſtunt, quod non aliam ob cauſam tam longa protrahitur coctione, quam quod difficile admodum eius qualitates ab eo ſeparentur.*

Guaiacum lignũ cur longa egeat coctione.

*Adhæc facile probari poteſt aquam in qua Guaiacum incoquitur, non admodum Guaiaci ipſius caliditatem alterare poſſe. Siquidem quam primum ipſa efferueſcit, igneus introducitur calor, & omnis eius naturalis deperditur frigiditas, cuius illico ſedem occupat feruoris ipſius auxilio calida ligni facultas, quæ quum ſubinde paulatim aquam in ſuiipſius conuertat naturam prohibet etiam quod ſimulac refrixerit, ne expulſo ignis feruore frigiditas unquam poſthac introducatur. Quo fit, ut huiuſce ligni decoctũ, perinde ac crudum lignum, vel etiam fortaſſe magis excalfaciat, ut poſtea nõ infirmis dicam rationibus.*

Guaiaci decoctũ non minus excalfacere quam ipſius lignum.

*Quod autem decocta quælibet veras eorum quæ decoquuntur qualitates, facultateſque ſibi aſciſcant, nec eas, (ut perperam indicas) ob aquæ frigiditatem vincant, & prorſus redeant imbecilles, facile probatur Ariſtotelis teſtimonio, qui libr. 3. Meteororum cap. 4. tuam deſtruit ſententiam his verbis: Coctio ab interiori humoris calore efficitur, & propterea, quæ in ſartagine verſantur aſſari ſolent: ab igne enim mutantur, & afficiuntur: humorem autem in quo ipſe calor verſatur magis ſiccum reddit, quandoquidem illud ad ſe trahit: at id quod elixatur contrarium agit. Nam ex illo ipſo humor è calore, quem exterior continet humor, exprimitur. Hæc ille. Quibus palam fit ea, quæ elixantur medicamenta, in liquorem cui incoquuntur vim ſuam tranſmittere.*

Decoctũ quodlibet veras eorũ qualitates quæ decoquuntur ſibi adſciſcit. Aſſata & elixa cõtrario modo ſe habent.

*Ac hinc euenit quod ubi dulcis ac potabilis aqua in terræ viſceribus caleſit feruetque in metallis, metallicas aſciſcat ſibi facultates, & ex frigidiſſima, admodũ calida cum actu, tum potentia fiat: id quod infallibili ſcitur experientia ex earũ thermarũ aquis ſponte naſcentibus, quæ aut ſulphur, aut ſal, aut nitrum, aut chalcanthum reſipiũt. Ideoq; recte in hanc ſententiam conceſſit Galen. lib. 1. de ſimp. med. facultatib. ſic inquiens: quæ ex ſeſe ac ſyncere aqua eſt, ſi per bituminoſa ſulphuroſa, nitroſaque loca diſcurrens ſubſtantiæ eius aliquid abſterſerit, ſecumque traxerit, mixta iam eſt: multa enim eſt diuerſitas potabilium aquarum, & ſalſarum, & earum quæ ſulphur, aut bitumen, aut nitrum, aut chalcitim, aut Myſi, aut chalcanthum, aut (ut ſimpliciter dicam) quæ calidarum*

Aqua metallicis admiſta temperamentum permutat.

*natura*

*natura medicamentorum guſtu aliquid referunt. Inimica enim ſunt omnes calidis noſtrorum corporum affectibus, ex quo claret has omnibus facultatibus eſſe calidas. Hæc omnia Galenus contra tuas obiectiones tuumque medendi uſum: cum aſſeras fœliciter dari Guaiaci decoctum, quod calidum ſiccumque faciunt omnes in principio tertii exceſſus, Gallica lue affectis quã biliosus foueat humor, & vbi iecur ipſum præter naturam fuerit excalfactum: quin etiam iis, qui ſimul cum hoc morbo maraſmo etiam laborant, quum aſſeras indifferenter dari omnibus. Verum nunquam negauerim ego non poſſe ſecure propinari decoctum in bilioſis temperaturis, vbi Gallica lues ab ipſa bile immutata non foueatur, ſed ab alio quouis humore, quum morbi contrariis curentur, temperamentum vero ſimilibus conſeruetur. Sed vbi bilioſus fuerit affectus, calidis curare medicamentis extrema ſane dementia fuerit. Adhæc, vt omnibus tuis reſpondeam argumentis, dicam etiam, quod vbi ſcribit Ariſtoteles aquam vltimo exceſſu eſſe frigidam, ibi de aqua noſtri uſus non loquatur, ſed de ſimplici, ac puriſſima aqua, vt elementum purum, in quo nulla ſit cæterorum elementorum qualitatum admiſtio: quandoquidem noſtri uſus aqua neutiquam ſimplex fuerit, nec talis, cum omnium philoſophorum conſenſu cũ cæteris mixta ſit elementis nec vacet terreis, aereis, ac igneis qualitatibus, vt Galenus teſtatur libro primo elementorum, & libro de ptiſana, & pariter Auerrhoes diuerſis in locis. Siquidem ſi noſtri uſus aqua frigida eſſet vltimo exceſſu, vt inquit Ariſtoteles, de ſimplici ac puriſſima aqua, proculdubio potantem interficeret, quũ talis ſit eorum facultas, quæ extreme ſunt frigida: extinguitur enim ab his naturalis calor, vt de Cicuta, & Meconio ſcripſerunt fere omnes antiqui Medici. His itaque cognoſces quam friuolis mecum agas argumentis. Ad exemplum autem quod adfers de hordei decocto, quo probare niteris quod Guaiaci qualitates aquæ coctione reddantur imbecilles, nil aliud reſpondere poſſum, quam quod exiſtimem te in non paruo verſari errore. Etenim ſi diligentius, accuratiuſque expenderis, qua ratione velit Galenus hordei decoctum ſeu Ptiſanam longe magis ſitim extinguere quã ſimplicem aquam noſtri uſus, reperies ſane ſcribere Galenum euenire hoc non quia in aqua deperdat hordeum dum coquitur ſiccam qualitatem quam poſſidet ſed aliis verioribus de cauſis, quas tamen quum medicum te profitearis, ignorare non deberes. Cæterum quum apertiſſime cognoſcam hæc te prorſus neſcire, audias obſecro, vt doctior paulo fias. Galenum de ptiſana diſſerentem his verbis: Ptiſana, inquit, ſiue hordei decoctum ſitim reprimit ceu humidum, atq; eandem (quantumuis humiditate inferior ſit) plus aqua compeſcit. Porro quod citius digeratur quod ob eius lentorem firmam quandam habeat humiditatem, quodq; præterea frigida ſit: Horum, inquam, nomine febribus ardentibus accommodatiſſima eſt, nec ea tantum ratione quia quod his vndequaque repugnet ſed quod & maxime coctilibus ſit, atque in nulla non qualitate imbecillima digeſtuque facilis, atque ob deterſiuam vim putridos ſuccos luſtret, ſemiputres autem concoquat. Hactenus Galenus. Cuius doctrinam ſi rectius expenderis, cauſas, quibus hordei decoctum magis refrigeret, & ſitim extinguat, quam aqua pura potabilis, facile cognoſces, & tui erroris conſcius fies. Quinetiam illico conſicies hordei ipſius qualitates nulla deſtrui poſſe aquæ elixatione, ſed in ipſo ſemper permanere decocto: id quod apertiſſime teſtatur Galenus cum dicit: Ptiſana (quantumuis humiditate inferior eſt) ſitim plus aqua compeſcit. Quandoquidem hiſce verbis manifeſto oſtendit Galenus non aliam ſane ob cauſam ptiſanam aqua potabili minus eſſe humidam quam quod in ea remanſerit ſicca hordei qualitas: quinetiam hoc idem oſtendere videtur cum dicit ardentibus febribus accommodatiſſimam eſſe ptiſanam, non ea tantum ratione, vt his vndequaque repugnet: id quod proculdubio indicat non vndequaque ardentibus febribus repugnare ptiſanam, ob hordei tantum ſiccitatem, quæ in ea permanſit. Præter id quod in ptiſana, vel hordei decocto, conſeruetur ſicca hordei qualitas idem maxime palam facit Galenus, vbi ſcribit ardentibus febribus etiam conuenire ptiſanam, quod ſua detergendi vi putridos ſuccos luſtret. Etenim quum deterſio in hordeo ab alia qualitate quam à ſicca fieri neque at, cogeris, velis nolis, mecum fateri hordei decoctum ſiccam eius qualitatem ſibi proculdubio aſciuiſſe. Itaque dicemus vna cum Galeno non ideo magis humectare ptiſanam, quod aqua potabili ſit humidior, ſed quod humiditas, quæ in ea reperitur ob lentorem qui illi ineſt, firmior ſit, & magis permanens, quam quæ habetur in aqua. Nec alia ſane ratione fit quod longe magis ab aqua, quam aere humectentur Ethica febre laborantes, quanquam eſt aer ſui natura humidior quam aqua, quam quod aquæ humiditas firmior, craſſior ac permanentior habeatur quam aeris: proindeque primo canticorum dicebat Auerrhoes: oportet autem te ſcire aerem eſſe humidiorem aqua, & quod aqua ſit nihilominus in humectandis corporibus quibus obuiat potentior quam aer propter maiorem ſubſtantiæ conſiſtentiam. Quantum vero ſpectat ad ſecundam poſitionem, ſcilicet quod ab his, quæ æquali ſunt temperamento nulla prorſus reſultet actio, &c. nil aliud mihi reſpondendum videtur, quam quod cum iiſdem confundatur argumentis, quibus primam, vna cum conſequentibus irritam fecimus, ſuperfluum ſane eſſet, ac tædioſum, hic eadem repetere argumenta. Cæterum ad tertiam in qua dicis (petendo id, quod eſt in principio) quod ſi concedatur prima duarum poſitionum, ſcilicet quod ea contraria ſunt &c ſequeretur, quod in bilioſis affectib. nullo pacto dari deberet Guaiaci decoctum: ſed quum conſequens ſit falſum neceſſe eſt eſſe falſum etiam antecedens, quodque falſitas palam ſit ex medicorum practicantium vſu, &c. Reſpondeo hæc omnia non parum tuæ detrahere authoritati, quippe qui, ſpretis philoſophicis rationibus fallaci inhæreris experimento, quod tamen Hippocratis teſtimonio periculoſum, ac fallax eſt, niſi ratione conſiſtat. Atqui poſteaquam hoc tantum te regis fundamento, fateor ego ingenue, quod nullum vnquam viderim recte curatum ſimplici ligni Guaiaci decocto, qui Gallica illa lue bilioſa teneretur, quum tamen certo ſciam innumeros Guaiaci truncos, & corticis eius quamplurimum non ſolum in lue illa, ſed in aliis permultis diuturnis affectibus me fœliciter conſumpſiſſe. Quod cum exercitatiſs. mi ac doctiſſimi Medici non ignorent vbi coguntur in bilioſa Gallica lue, vel vbi iecur nimia bile redundet, Guaiaci decoctum exhibere potandum, maiori aqua quantitate (vt tu faciendum putas) calidam ipſius non temperant qualitatem, ſed aut intubum, aut cichorium, aut bugloſſum, aut melopeponum, cucurbitarumq; ſemina admiſcent. Siquidem horũ frigidæ qualitates cum permanentes ſint, & ab aqua aſciſcantur in qua decoquuntur, corrigunt temperantque calidas & ſiccas Guaiaci qualitates, vnde poſtea fit, vt ægri nulla percepta noxa conualeſcant. Sed non poſſum non mirari plurimum, quod hæc te ignorare iam primum animaduerto, quodque tibi perſuaſeris Guaiaci decoctum parum, vel non multum abeſſe a temperamento, cum non ſolum ex aſſertis rationibus, ſed etiam guſtu, quo fere ſolo medicamentorum qualitates cognoſcuntur, quis recte apertiſſime conicere poſſit decoctum hoc vſque ad tertium caliditatis gradum aſcendere: id quod maxime palam facit acerrimum incendium pereri fere*

Decocti Guaiaci temperamentum

Reſponſio ad exemplum de hordei ptiſana vel decocto.

Lib de Ptiſana.

Ptiſanæ facultates.

Ptiſana cur febribus repugnet

Hordei qualitates coctione nõ deſtruuntur.

In ptiſana non deperditur hordei ſicca qualitas.

Deterſio in hordei decocto a qua fiat qualitate.

Cur ptiſana magis humectet quam aqua.

Aer magis humectat Ethica febre laborantes, quam aqua.

Reſponſio ad ſecundam.

Reſponſio ad tertiam.

Guaiaci decoctũ quib. admiſcendum in bilioſis affectibus.

Cucurbitulas adminiſtrari nõ debere repletis corporibus.

fere ſimile, quo fauces & guttur afficiuntur ex huiuſce decocti potu: quinetiam & copioſiſſimus ſudor, qui a potione illico fere in vniuerſo corpore emanat: Siquidem hæc fieri non poſſunt niſi ab acribus & calidis admodum medicamentis. Sed tu fortaſſe nunquam guſtatu decocti ipſius vires exploraſti, nec qua ratione tam abunde ſudorem eliciat: ſed de his ſatis. Quum autem plus otii nactus fuero ſcribam contra tuam ſententiam, cucurbitulas infixas ſcalpello cute adminiſtrari non debere, niſi prius purgatis corporib. Mannam, Caſſiam, & cætera clementiora medicamenta dari ſecure poſſe vtero gerentibus quocunque tempore, nec eſſe præter Hippocratis inſtitutum: Quinetiam Rhabarbari dilutum in biliosa Pleuritide recte ſane ac nulla repugnante ratione a medicis nonnullis exhiberi. Vale.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Iacobo Boſello Vtinenſium Medico, S. P. D.

*Diſputatur quid Rhacoma apud Plinium, An Saccharum antiquorum noſtrum ſit Saccharum, & an pinguedo à frigido, vel ab humido generetur in animalibus.*

ILlud mihi dedit natura ingenium, hoc aſſignauit temperamentum, vt ſi quid mihi quandoque quiſpiam polliceatur, quieſcere non poſſit animus meus, quouſque quod promiſſum eſt, fuerit conſequutus. Ac eo magis longa dilationis mora angore quodam teneor, quo expectatæ rei maior fuerit conſideratio, maiuſque illius conſequendæ deſiderium. Ideoque vellem, vt in eo, quod mihi hinc proficiſcens iam tribus elapſis menſibus pollicitus fueras, fidem tuam liberares (es autem pollicitus ſimul atque Vtinum perueniſſes, tuis illico pollicitationibus & noſtris te ſatisfacturum deſideriis) & te perquam maxime hortor, non quod de conſtantia, fideque tua dubitem (puto enim te hominem eſſe certiſſimum) ſed quia incredibili cupiditate ardeo eius rei, quam tu mihi promiſiſti, vt longiori temporis mora non differas ad me ſcribere, tuam de Rhacomate ſententiam ex Pliniana lectione depromptam. Cupio enim mirum in modum in re plantaria abs te doctior fieri, atque id, quod ante hac a nemine didicerim, tibi acceptum referre, vbi de Rha Barbarico (vt ſpero) plura fuero commentatus. Ego quidem, qui amicorum dilationes legitimis apud me impedimentis defendere ſoleo, id ſane moræ primo, nec tuæ adſcribebam negligentiæ, nec imperitiæ ſed verebar ne ægrorum curis detentus, qui frequentiores, numeroſioreſque in æſtate adeſſe ſolent, & longa temporis mora, huiuſce negotii fueris oblitus: ſed cum nunc audiam ab his qui Vtino Goritiam veniunt paucos admodum nunc iſtic homines ægrotare, excuſari nulla ratione potes quod nihil tuarum literarum ad nos miſeris, quibus aut te purges, aut tuis ſatisfacias pollicitationibus. Quo fit, vt non ab re eſſe putarim ſi tibi negotium hoc iterum in mentem redigam. Meminiſti enim cum hic eſſes & de Rha Barbarico ſimul colloqueremur, percontanti tibi, nunquid ſcirem vnde Rha Barbaricum nomen hoc accepiſſet, reſpondiſſe, de nomenclatione hac nil aliud me exploratum habere, quam quod probatiſſimis ſcriptoribus, præſertimque Meſue poſteritatis memoriæ fuerit commendatum: nempe quod à regionibus à quibus conuehitur, ſibi nomen aſciuerit. Quandoquidem (reſponderam) non ſolum medicamentum hoc Rhabarbarum à Meſue appellari ſolitum, ſed Rha ſcenicum, & Rha Turcicum, quod non modo ex Barbaria afferri ſoleat, ſed à Turcis, & Sinis (vt puto) qui extremæ Indiæ ſunt populi: Cur autem fiat, vt id quod nunc ex India aduehitur Barbaricum dicatur, illud in cauſa eſſe ſuſpicabar, quod ſcilicet quum olim fortaſſe maior ipſius quantitas ex Barbaria adueheretur, & ob id longe magis Barbarici nominis quam Indici, vel Sinici apud omnes inualuerit vſus, nil mirum videri, ſi hac quoque tempeſtate aliis etiam è regionibus allatum perpetuo Barbaricum dicatur. Quo in te reſponſo tuo facile memineris, me veram Rhabarbari nomenclaturæ originem ignorare, quæ non à Meſue, ſed à Plinio petenda erat. quippe qui Rhabarbaricum Rhacomam vocans, id ingenti prouentu vna cum Coſto naſci ſcribit in quadam fluminis Gangis inſula, quæ Barbaria appellatur, vnde tractu temporis factum eſt, vt ab Inſulæ illius nomine Rhabarbarum poſterioribus appellari cœperit. Hoc quum abs te audirem, qui Plinianæ lectionis exercitatiorem intellexeram eſſe neminem, loci videndi percupidus, illico Plinianum codicem coram afferri curaui. Atqui longe aliter inuenimus de Rhacomate libro vigeſimo ſeptimo capite 12. ſcripſiſſe Plinium, quam tu, vel tu ipſius, vel aliorum fortaſſe commento, narraueras. Siquidem nec India, nec Gangis, nec Inſulæ, nec Barbariæ, nec quod vna cum Coſto naſcatur Rhacoma, vlla ibi Plinio fiebat mentio. Etenim ille de Rhacomate ſcribens plura quam hæc non habet: Rhacoma affertur ex his, quæ ſupra Pontum ſunt regionibus: Radix Coſto nigro ſimilis, minor, & rufior paulo, ſine odore, calefaciens, & guſtu adſtringens: eadem trita vini colorem reddit ad crocum inclinantem. Hæc ille. Nec plura tunc in Pliniano codice de Rhacomate, quod Rhaponticum Dioſcoridis intelligo, abs te inueniri potuerunt. Id quod tantum mihi tædii moleſtiæque attulit, quantum prius videndæ hiſtoriæ aſſequendæque doctrinæ conceperam voluptatis. Cæterum tu, vbi te captũ agnouiſti, ne fabulatoris crimen ſubires, non leuibus ſane verbis affirmabas te hoc alicubi in Pliniano codice proculdubio adnotaſſe, quamuis tunc non ita facile id ex tẽpore reperiri liceret, pollicebariſq́; quam primum Vtinum venires domique tuum inſpiceres Plinium, illico de re hac ad me ſcripturum, & Plinii ipſius locum aſſignaturum. Sed cum iam longe expectationi abs te haudquaquam ſatisfieri videam, vel quod, vt antea dicebam, præterquam audieram ægrorũ curis detinearis, vel quod maleuolus fortaſſe quiſpiam è tuo Plinio aliquam exciderit paginam no potui diutius tolerare quin ad te ſcriberem, vt fidei tuæ conſuleres, & me hac ſpe fruſtratum non derelinqueres. Ego autem (vt ingenue fatear) etſi non parum Plinii lectione ſum delectatus, non tamen vſquam apud Plinium me plura de Rhacomate, & Rhabarbarico legiſſe recordor, quam ea de quibus nunc ſuperius diximus. Quamobrẽ iam primum abs te expectabo, aut nouã hanc Rhabarbari hiſtoriam aut non indignã tam longæ moræ aut erroris excuſationẽ: Erroris, inquam, quod verear ne id quod in Plinio te legiſſe putas, in alio fortaſſe legeris autore: vt ne Plinii lectio-

Rhabarbarici nomenclatio vnde duxerit originem.

Rhacoma.

Rhaponticum Plinio Rhacoma dici.

lectionem cum Ptolemai Geographia confuderis. Siquidem hic in quadam Indi fluminis Inſula, non Gangis, quemadmodum perperam ex Plinio affirmabas, ciuitatem quandam non regionem deſcribit, quæ Barbaria dicitur. Atqui non ob id, nec ab illo, nec a quouis alio (quantum legerim viderimque) ſcriptum eſſe reperio circa ciuitatem illam naſci Rhabarbarum, nec inde aſciuiſſe ſibi nomen. Quo fit vt a Meſuis historia mihi recedendũ, non ſit, quippe qui ſcribit Indicum Rha, Rhauetſcens, Mauritanis vocari, quod à Sinis fortaſſe (vt prædiximus) Indorum omnium vltimis ad nos conuehatur: Barbaricum vero quod ex Barbarica afferatur regione. Hinc itaque palam eſt hallucinari plurimum Ambroſium Calepinum municipem tuum, quippe qui non ſolum Barbariam prouinciam in Aphrica circa Carthaginem haberi ait, ſed (vt Ptolemæus ſcribit) eſſe etiam in Gange flumine Inſulam quæ Barbaria dicitur. Quod autem Rhabarbari nomenclatio a fabuloſa Calepini Inſula non duxerit originem, id apertiſſime teſtatur Meſues, quum dicat, Indicum Rha omnium eſſe optimum, & poſt ipſum ſecundum locum obtinere Barbaricum. Id quod proculdubio concludit, haudquaquam in India eſſe Barbariam, vt tuus ſomniauit Calepinus: cuius fortaſſe (vt diximus) lectione deceptum, in eam te adductum opinionem eſſe ſuſpicor, vt id in Plinii Codice te legiſſe cenſeas, quod in Calepino illo tuo longe antea legeras. Verum hæc, vt a me obiter dicta recipias velim, non quidem affirmanter, donec præter meã opinionem, rem hanc aliter ſe habere abs te factus fuero certior. Sed ad Saccharum venio. de quo, cum ſimul colloqueremur, contra meam diſputabas ſententiam, Saccharum noſtri vſus illud non eſſe Saccharum, de quo antiqui ſcripſerunt. Cum autem plura in contrarium adducerem teſtimonia, nil aliud reſpondebas, quam quod de re hac plura contra ſententiam meam eſſes commentatus, quæ ad me mittere decreueras, vt iis perlectis ac degustatis, in tuam concederem ſententiam. Quod ſi præſtiteris, non parua cũ gratiarum actione ea omnia tibi accepta referam. Sed nolim tuis conſiliis tantopere confidas, antequam de his cæteri ferant iudicium. His etiam acceſſit tertia de pinguedinis in animalibus generatione diſputatio. Siquidem cum Galeni teſtimonio affirmarem pinguedinem, tam in homine, quam in cæteris animalibus à frigiditate oriri, fieri, ac cohærere: id nulla prorſus facta diſtinctione, falſum eſſe pronunciabas. Quinimo etiam affirmabas haudquaquam a frigiditate fieri pinguedinem ſed ab humiditate tantum. Quod cum ſcirem Galenicæ doctrinæ quam maxime repugnare, & te hæc omnia tradidiſſe obliuioni, præterire quidem non potui, quin illico libros de temperamentis afferri curarem, ibique in ſecundo tibi facile oſtenderem, quam aperte contra tuam opinionem cenſeret Galenus his verbis: Quicquid in ſanguine pingue, leue & tenue eſt, id in calidioribus corporibus alimentum quoddam calido fit: in frigidioribus vero ſeruatur. cumque id venæ extra ſe tranſmiſerint, vbi in frigidas particulas incidit quæ genus membranæ ſunt, in iis concreſcit. In partibus vero natura calidioribus, cuiuſmodi carnoſæ ſunt, a calore ipſo abſumitur ac digeritur: niſi ſicubi frigiditate temperamenti etiam vita indulgentior accedens ipſis carnoſis particulis adipis aliquid allinat. Qua ratione etiam, quæ hyeme deliteſcunt animalia non raro inueniuntur adipe obeſa: & fœminæ viris ſunt pinguiores, quod ſcilicet fœmina mare ſit frigidior, & plurimum domi verſetur. Hactenus ille. Quam quidem ſententiam paulo poſt oſtendebam iterum repetiſſe Galenum, ac poſtremo affirmaſſe in iis plus adipis reperiri quibus plus frigidi eſſet quam humidi, & ideo adipem omnẽ ex ipſius habitus frigiditate progigni. Quæ omnia tametſi tua omnibus ſane modis refrigabantur ſententia, his tamen haudquaquam acquieſcere voluiſti, ſed Galenum dicebas ibi de ea tantum ſolida diſſeruiſſe pinguedine, quam Seuum appellamus, non de ea, quæ carnoſis in toto corpore partibus cohæret: nec de adipe illa molli, quam in ſuibus canib. ac vrſis progigni videmus, quamq; axungiã antiquis appellatã ſcimus, cũ reuera hæc duo adipis genera non a frigiditate ſed ab humiditate tantum & oriantur, & coaleſcant. His autem, quamuis etiam facile reſpondere, tuamque cum Galeno opinionem deſtruere potuiſſem: ob temporis tamen anguſtiam id præſtare non potui. At qui ne viderer quicquam à mea defeciſſe ſententia, pollicebar per literas te redditurum certiorem, in quam magno verſareris errore. Quamobrem cum nunc primum à tuo hinc diſceſſu ad te ſcribam, prætermittendum mihi non duxi, quin cæteris eas attexerem cum Ariſtotelis, tum Galeni ſententias, quibus poſthac tuam de adipe ignorantiam apertiſſime cognoſcere valeas. Velim itaque ſcias proculdubio hallucinari eos, qui putant hoc in loco (vt tu tibi perſuades) Galenum de ſolida tantum intellexiſſe pinguedine, cum de omni pinguedinis genere abſque vlla intelligat repugnantia. Quinimo potius de molli, quam de ſeuoſa pinguedine intelligere videtur: Id quod facile ex eo cognoſci poteſt quod hic Galenus de humano potius adipe, quam de cæteris ſcribat. Quandoquidem, vt Ariſtot. libr. 3. cap. 6. de partibus animalium, ac pariter Galenus libr. 11 de ſimpl. medicament. facultatibus poſteritatis memoriæ tradiderunt, ſolidus adeps in illis tantum gignitur animalibus, quibus cornua inſunt, & dentes in ſuperiori mandibula deficiunt, cuiuſmodi habentur boues, capræ, cerui arietes & huiuſmodi plura: mollis vero in his, qui vtrinque dentati ſunt, & cornibus carent. ſcilicet in hominibus ſuibus, canibus, vrſis, & eiuſdem generis pluribus. quod hæc humidiore, illa vero ſicciore prædita ſint temperamento, non quod ob id differat adipum horum generationis cauſa, cum reuera ſolum à frigiditate tantorum autorum conſenſu, vterque fieri poſſit, ſine qua impoſſibile eſt, vt ſanguinis pinguedo è vaſis ipſis egreſſa concreſcere queat. Quæ quidem pinguedo in ſeuum iis in animalibus coaleſcit, quorum ſanguis fibroſior & terreſtrior fuerit, in aliis vero humidioribus in axungiam vertitur, & mollior, & fluxibilior euadit, vt iiſdem in locis apertiſſime teſtantur Ariſtoteles, & Galenus, quorum verba hic afferre non libuit, ne longiori ſermone tibi moleſtior eſſem. Cæterum quod is de molli potius intellexerit, maxime palam facit exemplum ab eo allatum eorum animalium, quæ hyeme deliteſcunt, cuiuſmodi ſunt vrſi, glires, montani mures meles & alia pleraque, quæ tamen omnia quum ſint vtrinque dentata, mollem, non ſolidam generant pinguedinem, ipſamque copioſam, quod frigida admodum ſint ob otioſam deſidemque vitam, & ſomni longitudinem. Quod deinde adeps ille qui vna cum carne in carnoſis gignitur partibus à frigido non ab humido fiat, facile idem teſtatur Galenus, ſiquidem non ſolum eius teſtimonio, ſed Phyſicorum quorumcunque conſenſu frigidi proprium eſt condenſare, humidi vero diſſoluere: quæ quidem facultates quam ſibi inuicem repugnent, nihil mihi verendum eſt, quin tu à me excitatus iam recognoſcas. Cæterum, vt ad tacitas etiam reſpondeam obiectiones, quibus meam poſſes impugnare ſententiam: ſi fortaſſe à me quæreres, qui fiat, vt ſupra cor in quo caloris noſtri fons reſidet, & feruentes admodum vitales hoſpitantur ſpiritus, generetur pinguedo, quæ quandoque in ſuperiori cordis ipſius parte non modica viſitur, quum ne tantillum ibi quidem frigiditatis exiſtet: quinetiam cur ſupra renes plus pinguedinis gignatur, quam in cæteris corporis partibus, quum tamen

hi plurimo

Rhauetſceni.

Ambroſius Calepinus notatur.

Saccharum.

Pinguedo à frigiditate oritur.

Animalia quæ hyeme deliteſcunt cur pingueſcant.

Boſelli de pinguedine opinio exploſa.

Solidus adeps in quibus gignatur animalibus & in quibus axungia.

Cur in ſuperiori cordis parte cõcreſcat pinguedo, ac etiã in renib. plus quã in cæteris partib.

*[illegible] abundent calore? Ego illico tibi reſponderē, generari in ſuperiore cordis parte pinguedinem ab ae[illegible] aerem continuo inſpiramus trahimuſque in corpus ad refrigerandum vitales ſpiritus, & cor i[illegible] quandoquidem is ubi primum effluxit e pulmonum arteriis, illico ſuperiorem cordis partem inuadit, eamque non mediocriter refrigerat. In renibus autem id fieri dicerem, quod etſi ii calidiores ſint, cum tamen ſuapte natura, quod aquoſum in ſanguine generatur, excernant ac trahāt, nil mirum, ſi cum aquoſo ſanguinis excremento multum etiam pinguedinis ducant: quæ frigidis quibuſdam membranis quæ ibi habentur inhærens, facile in adipem coaleſcit, qui cum frigidus ſit, nec quicquam caloris, vel ſpiritus contineat, in cauſa ſane eſt, vt aucta ibi frigiditate ob copioſæ pinguedinis continuum acceſſum, adeps adipi concreſcat, perinde ac aqua, quæ per glaciem excurrit, illico in glaciem concreſcit. Poſtremo ne putes velim, adipem Galeno axungiam tantum vel mollem deſignare pinguedinem, ſed omne indifferenter pinguedinis genus. Quippe is id apertiſſime oſtendit libro II. de ſimplicium medicamentorum facultatibus ſic inquiens. At ſi voles oleoſam & pinguem in animalibus ſubſtantiam omnem adipem appellato, ſicuti & pinguedinem appellari totum hoc genus licet. Sed de his fortaſſe plura quam par fuerit. Quibus tamen, niſi potius pertinaciæ, quam veritati fueris addictus, facile quidem cognoſcere poteris adipem quemcunque, in quanis corporis parte genitum, a frigiditate, non ab humiditate coaleſcere: quin etiam inſpicere quam longe a Philoſophiæ ſcopo aberrauerit opinio tua. Nec putes velim hæc ad te ſcribere Matthiolum tua impugnandæ doctrinæ ratione perſuaſum, cum teipſum, tuamque doctrinam perpetuo, & laudauerit, & probauerit apud omnes: ſed vt cognoſceres hæc illum non ignorare. Interim ego tuas expectabo literas, ſed velim, vt quemadmodum libere aperteque nunc in te arguo, nunc tuis ipſe reſpondeo obiectionibus, tu quoque par pari (vt aiunt) referas, ubi valentioribus firmioribuſque rationibus & argumentis perſuaſus ſententiam tuam defendere ſtatueris. Vale. Goritii.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
## Iuliano à Maroſtyca Medico, S. P. D.

### *Diſputatur an Turdi ſalubre præbeant alimentum.*

*QVum Lelium à Cuſano, virum cum nobilitate, tum ingenii præſtantia clarum, ſimul in diuturna illa febre curaremus, & de victus ratione ſimul colloqueremur, egoque turdos in cibum illi deſcriberem, tu contra ab iis abſtinere ſuadebas, Sauonarolæ doctrina perſuaſus: quippe qui ſcribat (vt tu ipſe affirmabas) Turdos quartanariis minime conuenire, quod craſſum, atrabiliarumque generent alimentum.* Obiectio *Atqui pluribus ſane modis hac in re te errare animaduerto. Primum quod apud Sauonarolam, quem tantopere ſectari videris, nuſquam reperio, turdos in cibis melancholicum gignere ſuccum: deinde vero quod tuum hoc argumentum ne tantillum quidem Galenicæ doctrinæ reſpiat, nec antiquorum quorumcunque placitis adſtipuletur. Legi cum domum me recepiſſem Sauonarolam tuum, qui tamen perperam Galeni verba accepit, nec plura quam hæc de Turdis ſcripſiſſe illum inuenire licuit his verbis annotata: Turdi, & Merulæ difficilis ſunt digeſtionis, ſed remouetur hoc ſi ex iure pingui decoquantur: hactenus ille. Quibus palam eſt Sauonarolæ ipſius teſtimonio Turdos concoctu tantum eſſe contumaces, non autem melancholicum ſuccum gignere, imo ſi pingui e iure decoquantur optimum inde ſubſequi alimentum.* Sauonarola taxatur. *Atqui aliter de Turdis video ſcripſiſſe Galenum, quem minus recte tuus ille percepit autor, dum ſuam hanc ab eo depromebat doctrinam. Siquidem Galenus libro tertio de alimentorum facultatibus ita de turdis nobis ſcriptum reliquit: Auium porro omnium genus, leuiſſimū cibum præſtat, ſi ad quadrupedes conferantur:* Reſponſio *in primis vero ſi ad ſuillam, qua non aliud facile inuenias, quod valentioris ſit nutrimenti. Veruntamen eorum, quæ volatu fidunt, caro ob facilem cōcoctionem præcipuam laudem meretur, maximeque perdicis, attagenis, columbæ, gallorum gallinaceorum, & gallinarum: turdorum vero, merularum, paruorumque paſſerum illis durior eſt: quas ipſas turturis, palumbi, anatiſque caro duritie etiam ſuperat. Hæc ille. Quibus omnium palam eſt, haudquaquam affirmare Galenum turdos concoqui difficulter, vt tuus ſomniauit Sauonarola, nec melancholicum, craſſumue præbere alimentum, vt tui ipſius inuentione addebas, ſed eſſe eorum carnem perdicis, attagenis, & iuuenum gallinaceorum carnibus duriorem. Quod etſi verum ſit, non tamen ſequitur eſſe verum, vt turdi deuorati ægre difficileque concoquantur. Etenim tametſi (exempli cauſa) hœdina caro medicorum omnium conſenſu concoctu facilior eſt, quam vitulina: non tamen ob id ſequitur vitulinam carnem non concoqui facile. Quamobrem hiſce tum argumentis, tum teſtimoniis apertiſſime quiſpiam noſſe poterit, quam valeat apud Galenum Sauonarolæ autoritas, cum ſatis ſuperque Galeni ipſius ſcriptis nobis fuerit comprobatum, turdos nec craſſum præbere ſuccum, nec ad concoquendum eſſe contumaces, ſed contra potius* Turdorum facultas. *concoqui facile, & inculpatum præbere alimentum. Id quod lucidius ad clariorem huiuſce loci expoſitionem lib. de cibis boni & mali ſucci idem teſtatur Galenus, ſic inquiens. Cibi autem nulla omnino ex parte damnandi, neque tenues, neque craſſi ſunt, ſed veluti in ſymmetria, omniſque exceſſus mediocritate conſiſtunt. Eius generis panes optimi habentur, quorum confectionem libro primo de alimentorum facultatibus ſcripſimus. Præterea ex Gallinaceorum genere fœmina quidem & mares, ex auibus phaſiani, perdices, attagenes, columbæ, merulæ, turdi, turtures, paſſerculique omnes. Et libro de attenuante victus ratione. Ex piſcibus ſaxatilibus, inquit, montaniſque auiculis, multum ac copioſum potes alimentum ad tenuantem victum accommodare, & vt ego iudico, aues monticolæ, non modo quod aeris, ſed etiam alimenti, quod nobis præſtant, tenuitate antecedant, aliis auibus, quæ in locis aquoſis ac campeſtribus degunt, ſunt præferendæ. Auiculas igitur, turdos, merulas, perdices, & reliquas id genus aues monticulas mandas licet. Abſtinendum autem ei, qui attenuante victu uti volet, aliis auibus, quæ in locis aquoſis viuunt. Hæc ſi recte perpenderis per tete facillime cognoſces*

*grauiſſime quantum non ſolum à Galenicis decretis, ſed ab ipſa veritate tuus deſciuerit Sauonarola: quo poſtea fiet, ne illi in poſterum tam facile credas. Cæterum ſi hiſce allatis teſtimoniis rationem addamus, nemo, qui ſanæ mentis fuerit compos, negabit vnquam, eorum animalium carnes, quæ probatiſſimis veſcuntur alimentis, & in optimis degunt paſcuis, longe excellentius altere, quam quæ contrario modo ſe habent. Siquidem non aliam ob rationem Galeno improbantur piſces qui in fluminibus capiuntur, quæ magnas per ciuitates excurrunt, quam quod putridis veſcantur cibis, cum in huiuſcemodi flumina vniuerſæ vrbis latrinæ, ac immunditiæ confluant. Eadem ſane ratione olim in cœnis vetabantur coturnices (vt Plinius eſt autor) ac etiam improbantur Sturni, quod ſcilicet hi cicuta, illæ veratri ſemine alantur. Quapropter quum Turdi in eo habeantur volatilium genere, quæ optimis victitant cibis nempe ficubus, vuis, oliuis, myrti & iuniperi baccis, degantque in montibus & vineis, vbi ſalubrior eſt aer, aliter ſane ratio concludere nequit, quam quod Turdorum caro ſalubriter alat, ac nutriat. Poſtremo cum turdos videamus canoras eſſe aues, id manifeſto poteſt eſſe argumento has melancholico ſucco haudquaquam abundare. Quod cum non ignoraret Galenus de quartanæ febris curatione ad Glauconem ſcribens, volatilibus veſcendum ſuadet, quæ boni ſucci ſunt, & in paludibus non degunt. Quibus nemo inficiari debet, quinetiam ibi turdos concedat Galenus, vtpote qui vbique eorum commendauerit alimentum. Sed cum te ſane nouerim in medendis morbis optime exercitatum, quinetiam in Galenicis lectionibus aſſiduum, non parum quidem ſum demiratus cur a viuo fonte deflexeris ad riuulos, nisi fortaſſe, vt meam hoc modo experireris doctrinam. Quæ tametſi per omnia tuæ eruditioni non correſpõdet, non tamen adeo tenuis eſt, vt putes me alimentorum omnium facultates ignorare. Vale. Goritiæ.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Iacobo Boſello Medico, S. P. D.

*Diſputatur item de Rhabarbaro, Rhacomate, & Sacchharo antiquorum.*

*QVod primum poſtulaueram, vt in his, quæ pollicitus fueras, de Rhabarbaro & Rhacomate tuam fidem liberares, ad id nihil mihi reſpondes, quod te tuum fateri errorem apertiſſime oſtendit. Quo fit vt nunc facile cognoſcam haud meam me fefelliſſe opinionem, quod putarim te a tuo Calepino eſſe deluſum, quinetiam te plura tibi de re hac confinxiſſe, cum nullum Plinii de Rhacomate & Rhabarbaro teſtimonium afferas, nec vllum verbum facias de Barbaria inſula illa, quam in faucibus Gangis extare affirmabas. Ad hæc autem primum tibi reſpondendum fuerat, & deinde ſi quæ reliqua ſcribenda afferendaque videbantur argumenta, de iis poſthac ibi agendum fuerat. Hæc itaque decere virum peritum & compotem mentis videbuntur. Atqui tu, neſcio quo pacto tui oblitus, ne in hoc aberraſſe videaris, nouis quibuſdam aliis argumentis pugnas, quibus fortaſſe putas meum adeo te occupaturum ingenium, ac illud a priori cauſa auerſurum, vt nulla eius poſthac in me remaneat memoria. Aſtute ſane ac prudenter meditaris, ſed an recte ſyncereque, tu ipſe tibi conſcius es. Cæterum tametſi ipſo iure nouis hiſce tuis argumentis me opponere non tenerer, niſi vbi prius debitum perſoluiſſes, vel faſſus eſſes mentis fortaſſe imbecillitate te eſſe deceptum: ne videar tamen ea quæ recenter affers exuaneſcere, recuſare ſane non poſſum, quin illis pluribus reſpondeam modis. In primis itaque (vt rem ipſam ſtatim aggrediar) ſcias velim non fuiſſe tibi opus tantum temporis conterere in deſcribendis tot autorum nominibus, qui de Rhabarbaro ſcripſerũt, cum proculdubio ſcires, te nihil ad me ſcribere, quod multo antea non nouerim atque ſciuerim, vt mei in Dioſcoridem commentarii (quos te legiſſe non ambigo) apertiſſime atteſtantur. Ibi enim libro tertio de Rhapontico agens, ea omnia quæ nunc in medium affers, ac ſi abs te nunc primum naſcerentur, & ea me docere velles, a me fuſius deſcripta ſunt. Deinde ad ea quæ dicis non aliam ob cauſam te eos omnes attuliſſe autores, qui de Rhabarbaro ſcripſerunt, quam vt oſtenderes illorum neminem haberi, qui de pluribus, quam duobus Rhei generibus (vt tuis vtar verbis) meminerint, & ideo hallucinatum eſſe Meſuem, quod præter cæterorum ſententiam tria Rhei genera deſcripſerit, diuiſeritque Barbaricum a Sinico, quæ quidem genera (vt tua fert opinio) nihil inter ſe differunt: reſpondeo te ipſum, non Meſuem mihi videri hallucinatum. Etenim tametſi*

Meſues defenditur.

*quotquot attuliſti autores ii duorum tantum generum Rhei meminerint, id ſane haudquaquam impedire valet, quin huiuſce medicamenti adhuc plura poſſint haberi genera, quum ii de pluribus meminiſſe nequiuerint, quam de his quorum notitia ad eos peruenit. Quo fit, vt hinc palam fit quam infirmis rationibus Meſuem impugnare contendas. At ſi hæc, quibus vteris, argumenta ita vera eſſent, vt tibi falſo perſuades, non minus aberraſſe Paulum, Auicennam, Raſim, quorum patrocinio niteris, quam Meſuem, fateri cogeris. Siquidem cum Dioſcorides, & Galenus, qui in Plantaria facultate primas tenent, quique alios omnes hanc docuerunt, nuſquam de pluribus, quam vnius Rhei generibus meminerint. Et Paulus, Auicenna, Raſiſque, qui eos longe ſatis poſt tempore ſequuti, Rhei duo fecerunt genera, Pontici videlicet, & Barbarici, nihil eſt quod impediat, quin velis nolis fatearis hoſce quoque magnos autores vna cum Meſue aberraſſe. Cuius manes ſi pauliſper ad nos reuocarentur, & abs te vt ais, in iudicium vocarentur, nihil mihi verendum eſt quin longe plura acerbioraque tibi reſponderet Meſues, quam à me hic breuiter ſunt allata. Quandoquidem diceret, quod cum is poſterior vixerit, non ſolum non ignorauerit ea omnia quæ iiſdem deſcripta ſunt autoribus, ſed etiam quod longe plura didicerit, legerit, viderit, inuenerit ac comprobarit, quam tu, qui tot ſecula poſt ipſum conſeneſcis & hæc ignoras eorum fortaſſe opinionem ſequutus, qui nihil quicquam volunt nobis eſſe nouum, nihilque antiquos latuiſſe, cum tamen audacia hæc infeliciſs. ceſſerit quamplurib. Atqui (ſi vera fateri debeo) non parum ſum demiratus, quod adeo tuæ fueris addictus voluntati, vt tam petulanti licentia hac in re auſus ſis infidelitatis arguere Meſuem, cum omnium rei medicæ ſtudioſorum conſenſu nemo ante ipſum tanta fide ac diligentia ſcripſerit de exoluentibus ſimplicibus medicamentis, quinetiam de compoſitis omnibus quibus in morbis quibuſcunque curandis quam feliciſsime vtitur vniuerſus Medicorum cætus.*

Præterea

*Præterea ad id quod ad me ſcribis, quod ſi Barbaria (vt mea fert opinio) extra Indiam eſſet, Meſues procul dubio defendi poſſet, & quod libenter a me audires quo Geographo autore alibi eſſe Barbariam intelligam, hoc ſane reſpondendum videtur, quod cum ſatis ſuperque comprobauerim in meis in Dioſcoridem commentariis Barbariam antiquis dictam eſſe Troglodyticam Æthiopiæ regionem, non eſſe hic opus eadem repetere, ſed illuc ad meas te lucubrationes recurrere debere.*

Barbaria & Troglodytica regio idem.

*Quantum autem Æthiopia ab India diſtet, qui rem Geographicam intelligunt tibi facile dicent: Quo poſtea fortaſſe fiet, tum non ſolum in hoc recognoſcas errorem, ſed etiam in eo, quod tam temere nunc primum aſſeras Barbariam quam prius Gangis inſulam faciebas, regionem eſſe in Patala Indici fluminis inſula, contra Geographorum omnium ſententiam. Nam qui ſcribat in Patala ſiue (vt quidam vocant) Patalena eſſe Barbariam habeo profecto neminem. Sed vt adnotauit Ptolemæus in alia eiuſdem fluminis inſula ciuitas eſt (quemadmodum antea ad te ſcripſeram) nomine Barbari, a qua Sinis populi longius diſtant quam tribus millibus & nongentis Italicis milliarib. Nimirum (vt idem Ptolemæus eſt autor) a faucibus Indi fluminis ad Sinos ſexagintaquinq. intercedunt latitudinis gradus.*

Patala ſiue Patalena vbi.

*Quibus palam eſt Rha Sinicum nullam cum Barbarico habere cognationem. Siquidem quanquam concederemus, quod tamen non facimus, a Barbaria illa, quam tibi fingis tuæ tantum defendendæ opinionis cauſa, aduehi ad nos Rhabarbarum, adhuc tamen in magno verſareris errore, cum Sinicum & Barbaricum idem eſſe cenſeas.*

Rha Sinicum à Barbarico differt.

*Ideoque velim ne poſthac ita mordicus teneas excogitatas a te tãtum opiniones, ſed vt facilius veritati acquieſcas. Si vero ſecus feceris, & pertinaciæ potius, quam rationi & veritati fueris addictus, nolim, vt ægre feras, ſi nihil de his tecum in poſterum conferam. Adhac quod Rhaponticum Rhabarbaricum non ſit, adeo nobis comprobatum eſſe ſcimus in commentariis noſtris in Dioſcoridem editis, vt opus nunc non ſit hic plura ad hæc afferre argumenta: namq. id adeo palam fecimus, vt ſcripſerit vir quidam tempeſtatis noſtræ clariſſimus, extremæ eſſe dementiæ Rhabarbarum idem cum Rhapontico æſtimare. Etenim non ſolum hæc radix ex Ponto aduehitur, quo a Rha fluuii accolis apportatur, ſed etiam ex India, & Troglodytica regione, quam Barbariam veteres vocauere, ad nos defertur, argumento quod quãdoque eadem radix quam Ponticam vocamus, a Venetis negotiatoribus inter Rhabarbarum Alexandria Ægypti allatum, quo ex India, Arabia Æthiopiaque merciomonia deferuntur, reperiatur. Id, quod ſi neſcis, ſi voles, reſciueris facile, vbi huiuſce facti negotiatores diligenter interrogaueris.*

Rhaponticum etiam ex India aſfertur.

*Hoc itaque cum non ignorauerit Myrepſicus ille Alexandrinus, qui tam diligenter ſcripſit de componendorum medicamentorum ratione, vbi catapotia quædam componit, cap. 110. ad ventriculi renum, & lienis affectus, Rhabarbarum & Rhaponticum admiſcet, tanquam diuerſa medicamenta. Etenim cum fruſtra (vt ait Ariſtoteles) fiat per plura, quod fieri poteſt per pauciora, nõ fuerat illi opus duo hæc admiſcere medicamenta, niſi magnopere virium facultate ea inter ſe differre agnouiſſet. Atqui ne ægre feras obſecro, ſi tecum verbis quandantenus amaruſculis de Rhabarbarico egi. Namque id amaroris in Rhabarbaricum ipſum potius quam in Matthiolum tibi reiiciendum putarim. Cæterum cum nunc de Saccharo mihi tecum diſputandum ſit, deguſtata dulcedine, facile hanc Rhabarbarici amaritudinem temperabis.*

Saccharum.

*Atqui iocis hiſce relictis ad Sacchari ipſius controuerſiam me confero, in qua, vbi (vt ſpero) e tuis te deiecero præſidiis, mihi plurimum gratulabuntur amici. Siquidem, cum ad me ſcribas quæ tibi infirmitatis conſcius, quod fortaſſe in Rhabarbarici examine tuas ſuperauerim vires, in hac ſecunda ſacchari cauſa te nemine agnoſcere, qui tuas poſſit vincere rationes, magno admodum honori mihi adſcribent omnes, vbi me etiam in hoc viciſſe intelligẽt, niſi id fortaſſe obſtet, quod iunior ſeniorem vicerit iam fatiſcentem. Ne autem diutius in hiſce immoremur ſermonibus, rem ipſam aggredior & tua imprimis argumenta quibus cum Auicennæ tum etiam Raſis autoritate comprobare niteris ſaccharum antiquorum a noſtro plurimum differre, infirma ſatis ac inania eſſe reſpondeo: eo ſane argumento, quod horum nemo Sacchari hiſtoriam deſcripſerit, quinetiam nec quo pacto illud a natura procrearetur, & hoc arte fieret.*

Reprobata de Saccharo antiquorum ſententia.

*Ac quanquam ii de vtroque Saccharo ſcribunt, nuſquam tamen ſcriptum reliquerunt quod alterum ab altero differat, & in diuerſis gignatur calamis: quinetiã nec quod hoc è rore proueniat, illud ex arundinum ſucco exprimatur. Scripſerunt quidem de vtroque Saccharo hi antiqui patres, non quod in diuerſis natura calamis id gigni cenſerent, ſed vt poſteritatis memoriæ commendarent, Saccharum nõ ſolum à nobis arte parari, tuſis decoctis & expreſſis calamis, ſed etiam naturæ ipſius opera concretum in iiſdem calamis reperiri. Etenim ſi ſciuiſſent ii, quod Saccharum arte paratum aliud fuiſſet liquoris genus, aliud vero quod ipſa per ſe parauit natura, putandum quidem non eſt, quin huiuſce differentiæ meminiſſent, quemadmodum ſequenti capite ſilentio inuoluere noluerunt, quæ inter hoc & Saccharum Albaſer ſiue Haoſcer intercedit differentiam, dum huius hiſtoriam deſcripſerunt. Scribit Dioſcorides Eleomel in Palmyris Syriæ è trunco cuiuſdam arboris per ſe manare: verum eſſe etiam homines, qui vt plus liquoris conſequantur, arboris cortices tundant, & prelo liquorem exprimant.*

Lib. 1. cap. 32.

*Præterea de papauere agens Opium ſcribit è vulneratis capitibus guttatim prodire. Atqui nõ deeſſe etiam ſubiungit, qui papauerum ipſorum capita vna cum foliis contundant premantque, deinde & ita plus liquoris accipiant: ita etiam Caphuræ duo genera recenſent Arabes, alterum ſua pte natura exiliens, erumpenſque gummi modo, alterum arte exemptitium haudquaquam pellucens.*

Lib 4 cap. 6.

Caphuræ genera duo.

*Reſina è Pinu quanquam per ſe facile diſtillat alba nitidaque, vi tamen ignis pix nigra copioſior fluit. Quo fit vt mirari non debeas ſi iiſdem è calamis, qui olim Saccharum per ſe fundebant, antea quam ars naturæ opus præoccupaſſet, nunc hominum induſtria exprimatur, vt inde longe maior accedat prouentus. Cæterum videtur ab omni ratione alienum, quod abſque vllo autorum teſtimonio, vllaue coniectura ſibi perſuaſerint quidam, quos te ſecutum video, Saccharum, de quo Græci meminere, è rore concreuiſſe, cum tamen ſciant illud in calamis reperiri, & q. è calamis noſtrum exprimatur. Ad id autem quod inquis ſcripſiſſe Dioſcoridem, Galenum, Plinium, Saccharum mel eſſe in calamis concretum, quodq. ſi mel eſt, & mel (vt Galenus inquit lib. 3. de alimentorum facult.) nec ſuccus ſit nec fructus, nec pars alicuius plantæ, quomodo fieri poteſt, quod hoc mel arundinũ ſit ſuccus: reſpõdeo: quod Galenus hoc in loco de illo tantum ſpeciatim ſcribit melle, quod apum artificio conflatur.*

Galeni ſententia declarata.

*Siquidem cum ex plantarum floribus ſuum mel colligere apes quinetiam ex herbis ipſis omnibus palam ſit, ne fortaſſe cenſerent homines mel ex ipſis plantis prouenire, recte nos admonet non eſſe mel illud aliquam plantæ partem. Cum itaq. de apum melle ibi tantum intelligat Galenus, non autem de Saccharo, quod a dulcedine mel impropriè appellarunt antiqui, antea quam proprium aſcriberent illi nomen, non eſt quod tuis ſubſcribam argumentis. His alia etiam accedit ratio, quæ non parum contra te pugnat. Namque, cum dicat Galenus,*

*Saccharum eſt mel in arundinibus concretum, & nil aliud affirmet, hoc, quam Saccharum eſſe mel arundinum, facile palam eſt huiuſcodi mel nil aliud eſſe, quam plantæ partem: cum mihi haud verendum ſit, quod ſi ſciuiſſet Galen. Saccharum illud mel eſſe aereum, quin is huiuſce mellis hiſtoriam ita facile ſiletio inuoluiſſet, quemadmodum nec aerei mellis, quod manna poſteriores vocauerunt, hiſtoriam non reticuit. Etenim ſi hac idem non ignoraſſet Galenus, facile ſcripſiſſet is Saccharum mel eſſe aereum, cadens ſuper calamos ibique concreſcens: nec pariter ſcripſiſſet Plinius Saccharum reperiri in arundinibus gummi modo cōcretum, id quod etiam ſcriptum reliquit Auicenna. Is enim cum non ignoraret, Saccharum non ſolum arte fieri, ſed ſua ſponte gummi modo reſudare, aſſumptum quidem, ait, ſicut gummi ab arundine abſtergit oculum. Hinc itaq; palam fit, de hoc melle haudquaquam intellexiſſe Galenū, & quod improprie Græcis Saccharum hoc mel fuerit appellatum, quemadmodum & Saccharum noſtrum, quod à calamis exprimitur, mel cannarum improprie appellant Mauritani. Improprie, inquam, quod hoc ex rore, vt genuinum mel in aere non conflетur, ſed ex arundinum medulla exprimatur. Sed mel etiam ferre arbores apertiſſime teſtatur Strabo libro 15. de Indicis arboribus ſcribens his verbis: Refert Ariſtobulus, arbores ibi eſſe non magnas, quæ magnas ſiliquas ferunt denorum digitorum mellis plenas. Quinetiam iam omnibus notum eſt gingiber, quod conditū ad nos India mittit, nullo alio aſſeruari liquore, quam ſiliquarum melle, quo etiam myrobalanos, myriſticas nuces, & alia quam plura condiunt ac præſeruant. Sed an quid pluribus de his diſputandum, cum multorum teſtimonio iam notum ſit in Inſulis, quas Cannarias, & diui Thomæ appellant, in iiſdem ſane calamis, a quibus Saccharum exprimunt, illud etiam per ſe gigni, & aperto arundinis latere, manare, & gummi modo coaleſcere? Quibus facile ſubſcribunt ii, qui hoc æuo in Indiam nauigant. Etenim ad Bathecalam Indiæ vtrunque iam vendi affirmant. Dicas itaque obſecro, quid ad hæc reſpondebis? Nonne Galenum dices peruerſiſſime abs te, contra hiſtoriæ huiuſce veritatem eſſe allatum? Aut fatearis hoc neceſſe eſt, aut aberraſſe Galenum. Atqui ego non Galenum, ſed Boſellum aberraſſe non ambigo. Cæterum quanquam hoc tantum argumento te omnibus iam defeciſſe viribus agnoſco, nolim tamē te prius dare manus, quam tua omnia ſuperauerim præſidia, quæ aduerſum me habes. Cum itaque ſcripſerim contra ſententiam tuam, cum Saccharum antiquorum ſalis modo fuerit durum lapidoſumque fieri haudquaquam poſſe, vt manna vel roſcidi mellis fuerit materia, eo argumento, quod nuſquam viſa ſit manna vel roſcidum mel, quæ ſuper plantas, vel alibi ſalis modo obdureſcerent, vel potius à ſole contacta liqueſcerent, illico mihi obiicis hoc eſſe falſum, & a Strabonis ſententia, cui plurimum addictus videris, alienum. Siquidem cum ſcribat is, quod ſuper folia arundinum, non quidē ſuper ipſa arundine Saccharum reperiſſet antiquitas, facile palam fit, non manaſſe id ex arūdinū medulla, ſed ſuper foliis è rore mellis proueniſſe. Vt autem firmius tuam hanc fulcias opinionem, illud etiam addis, quod quamuis è rore vt manna gignatur, nihil eſt quod prohibeat, quin concreſcere poſſit ſalis modo, cum in calidiſſimis fiat regionibus, vbi vehementiſſimo ſolis ardore non magno ſane negotio ſalis modo obdureſcit; idque eo magis tibi perſuades, quod nō parum ad hoc conferat foliorum arundinum adſtrictoria vis, ac pariter deſiccans. Nec his obſtare putas, quod manna, quæ in Europa naſcitur, ad tam ſolidam non concreſcat duritiem, cum id aeris & cœli noſtri clementia euenire non poſſit, cumque non colligatur ab arundinum foliis, ſed plurimum inueniatur ſuper lapides, raroque ſuper cæterarum plantarum frondibus. Hæc tua ſunt partim obiectiones, partim reſponſiones, ſed profecto non vides, quam ſenſibus pateant meæ rationes, quamque tuæ contrario modo ſe habeant, cum tantum ſint coniecturæ & tuæ ipſius inuentiones. Quæ quidem ſi veris niterentur rationibus vel probatiſſimorum auctorum teſtimoniis, non ſolum viriliter mecum pugnare videreris, ſed longe magis ingenium mihi excitares. Atqui cum tam retuſis nitaris ſuffragiis, non magno ſane ſtudio te comprehendam. Cæterum ne me fortaſſe putares hiſce verbis timorem tibi incutere velle, videas, obſecro, quam peruerſe Strabonis teſtimonium in mediū attuleris, ſiquidem is (quod viderim legerimq;) nuſquam ſcriptum reliquit ſuper arundinum foliis coaleſcere Saccharum, ſed ibi arundinem mel ſine apibus gignere, his verbis:* Εἴρηκε δὲ περὶ τῶν καλάμων, ὅτι ποιῶσι μελιχρὸν μὴ ὄντων. ὃ γὰρ δένδρον εἶναι καρποφόρον ἐκ δὲ τοῦ καρποῦ μεθύειν· *id eſt, dixit, etiam arundinem mel ſine apibus gignere, & cum non ſit arbor fructifera, ex fructu tamen ebrium facere. Hæc ille. Quibus apertiſſime probatur contra tuam ſententiam, non in arundine, ſed ab arundine gigni Saccharum illud, quinetiam & illius eſſe fructum. Adhæc in magno te verſari errore animaduerto, vbi ais, roſcidum illud mel, quod ſuper calamis durum ſalis inſtar inuenitur, ſiccari ac concreſcere ob ingentiſſimos Indiæ calores, quinetiam quod ſuper arundinum foliis ſubſidat, &c. Quandoquidem hoc totum contra teipſum pugnat argumento, quod cum in tepidioribus climatibus roſcidum mel, quod in mannam concreſcit, facile euaneſcit, quamprimū aliquandiu à ſole illuſtratur, ac caleſcit, id quidem longe magis fieri neceſſe eſt, vbi ſolares radii calore longe maiori regiones exurant. Sed & illud ab omni philoſophia & ratione videtur alienum, quod roſcidum mel multo magis concreſcere poſſit ſuper arūdinum foliis primo tantum exceſſu ſiccantibus, refrigerantibuſq;, quam ſuper lapidibus, à quibus manna (inquis tu) plurimum legi ſolet. Siquidem cum lapides frigidiores ſicciore ſque ſint, quam arundinum folia, vt vbi a ſole excalfacti fuerint, quicquid humidi accedat facile ſiccēt, intelligere ſane potes, quam tua valeant argumenta. Quinetiam illud, vtpote falſum, explodendum videtur, quod manna longe minus cohæreat arborum frondibus quam lapidib. Etenim præter id q; omnes contra ſententiam tuam affirmant, qui è Calabris ad nos mannam deferunt, tibi maxime refragatur Gal. quippe qui lib. 3. de alim. facult. ex arboribus ſubſtratis pellibus à paſtoribus legi mannam, non ex lapidibus affirmat, id quod etiam Athenæus ex Amyntæ libris teſtatur, lib. 11. cap. 18. his verbis:* Ἀμύντας ἐν τῷ πρώτῳ τῶν τῆς Ἀσίας σταθμῶν περὶ τοῦ ἀερομέλιτος καλουμένου διαλεγόμενος γράφει οὕτως· σὺν τοῖς φύλλοις δρέποντες συντιθέασι εἰς παλάθης Συριακῆς τρόπον πλάττοντες, οἱ δὲ σφαίρας ποιοῦντες· καὶ ἐπειδὰν μέλλωσι προσφέρεσθαι ἀποκλάσαντες ἀπ' αὐτῶν ἐν τοῖς ξυλίνοις ποτηρίοις, ἃς καλοῦσι ταβαίτας, προβρέχουσι καὶ διηθήσαντες πίνουσι, καὶ ἔστιν ὅμοιον ὡς ἄν τις μέλι πίνοι διείς, τοῦτο δὲ καὶ πολὺ ἥδιον· *id eſt Amyntas in primo de ponderibus Aſiæ, de melle aereo vocato diſſerens, ſic ſcribit: Vna cum foliis demetentes, ea ratione, qua in Syria ficus certis ordinibus ſibi mutuo incumbentibus aſſeruari ſolent. Alii autem in pilas redigentes componunt. Vbi autē iam offerre oportet, decerpta inde parte, in ligneis poculis, quæ tabatas appellant, prius rigant, mox percolatū bibunt, & ſimile eſt, ac ſi quis mel diſſolutum bibat: hoc vero & multo dulcius eſt. Hæc ille. Præter id quod ſcripſerim ego Saccharum antiquorum nunc ad nos non deferri, quod modo arte fiat, & calami quotannis excidantur, quodq; hac vindemia eueniat, ne adulta iā arundines & Sacchareo liquore pregnan-*

*Arbores in ſiliquis mel ferentes.*

*Saccharum noſtrum etiam ſua ſponte in calamis concreſcit.*

*Obiectionum confutatio.*

pregnantes à quibus, non à iuuenibus, Saccharum gummiũ modo antiquitus manare ſolebat adeo frequentes habeantur: tu quidem hiſce meis argumentis illico reclamas, & ea ſane plurimum veritati refragari affirmas. Ideoque rationem a me expoſtulas, qui fiat, vt magis ab adultis quam a iuuenibus calamis fundatur ſuccus, quum tamen hi teneriores, rariores, & ſucco turgentiores habeantur, quam qui conſeneſcentes in dies ſicciores inanioreſque euadunt. Vt autem haſce tuas coniecturas magis tueri videaris, addis minime dubitandum eſſe, quin Indi antiquitus etiam è conciſis & decoctis calamis Saccharum expreſſerint, ideoque id in cauſa non eſſe quod antiquorum Saccharum ad nos conuehi deſierit. Nam quum (vt aſſeueras) præclariſſimorum autorum teſtimoniis ſatis ſuperque fuerit comprobatum, è calamorum radicibus Indos ſemper dulces eliciuiſſe liquores, id facilius è calamis qui ſtatim ad manus erant, elicere potuerunt, quam fodiendo humum tam ingentium arundinum radices extirpare, quæ quidem (vt Strabo & Solinus teſtantur) tricenum, quinquagenumue paſſuum longitudine, tanta vero craſſitudine, vt quibuſdam diametrus ſit ternum cubitorum. Hæc itaque ſunt quæ aduerſum me ſcripta habes argumenta. Quibus reſpondebo facile magis eſſe rationi conſentaneũ ſucco prægnantiores eſſe adultiores arundines quam quæ annuatim proueniunt & exciduntur. Siquidem hæ dum creſcunt maiorem humoris partem in ſuum ipſius augmentum aſſumunt, vt apertiſſime videmus in omni arborum genere, quæ dum adoleſcunt, vſque ad quendam temporis terminum, nullos ferunt fructus, quos ſi ferunt ſimulac aliquandiu adoleuerint, paucos admodum eos eſſe cernimus: quippe cum cõtinuo creſcant, maior humoris pars quem è terra aſſumunt, in earum tranſit alimentum, quod vegetabilis adminiſtrat facultas ad corporis incrementum. Ac hinc fit, quod omnes quæcunque extant arbores fœcundiores ſunt quum ad conſiſtentiam vſque peruenerunt, quam antea. Etenim cum tunc creſcere deſierint, nec ſubinde augmento opus ſit, neceſſe ſane eſt, vt id alimenti, quod prius ad hoc munus conferebat natura, aut ad fructuum generationem ſe recipiat, aut per corticis rimas egrediatur, aut per inſenſibiles digeratur vapores. Videmus enim aperte quod reſiniferæ plantæ omnes, cuiuſmodi ſunt abies, pinus, larix, & id genus aliæ, quinetiam gummiferæ, vt amygdalus, prunus, ceraſus, reſinam aut gummi haudquaquam fundunt dum adoleſcunt, quemadmodum etiam in animalibus videmus. Idem quoque palam eſt ex iis arboribus quæ perpetuo fructificant, fructuſque in tertium ac quartum annum ferunt, cuiuſmodi ſunt aurantia, & medica malus. Harum enim plantarum fructus ſucci multo pleniores ſunt ac ſuauiores, quam qui annuatim decerpuntur: Id quod te ignorare magnopere demiror, cum & Philoſophum te, & medicum profitearis, & idem ſcribat Theophraſt. lib. 6. cap. 16. de plantarum cauſis ſic inquiens: Vbi plantæ in longitudinem augeri ceſſarunt, criſpari deinde dilatarique incipiunt ſicut etiam animalia. Eadem cauſa eſt & quamobrem tædam picemque, aut reſinam nullam penitus nouellæ arbores habeant. Alimentũ enim totum ad incrementa, fructificationemque abſumitur. Quippe poſtea in tædam vertuntur, atque omnino fructibus illum deſtinatum humorem magna parte vſurpant. Tunc enim velut ſordes naturales quædam hæc relinquuntur, cum vis augendæ longitudinis deſtitit, & radix, atque vniuerſa arbos plus roboris capere inceperit. Hac itaque ratione plus Sacchari reperietur in arundinibus quæ pluribus creuerunt annis, quã in iis quæ vnius tantum anni ſpacio ſeruntur, naſcuntur, creſcunt, ſecantur, premunturque, deinde antea quam conſiſtant. At hac an Indi etiam antiquitus è Sacchariferis arundinibus quæ nobis Saccharum ferunt idem pariter expreſſerint, an non, mihi nũc diſputandum non eſt, quod nihil noſtris conferat colloquiis. Atqui tamẽ ſi ſane non retinebo quod etſi tibi concederemus, quod non facimus, Indos antiquitus etiam arte paraſſe Saccharum, id tamen adeo exiguum fuiſſe diceremus, quod vſque ad Dioſcoridis, Galeni, & Pauli tẽpora, nihil illius ad nos conuehebatur (cuius rei magnum nobis poteſt eſſe argumentum, quod longe numeroſiores eæ apud Indos haberentur arundines, quæ illeſæ adoleſcerent, quam quæ quotannis ſecarentur. Nec his obſtat Strabonis & Solini autoritas quam in medium affers, cum non repererim apud Strabonem, nec alium quenquam, ex illarum ingentiſſ. marum arundinum radicibus Indos vnquam expreſſiſſe Saccharum, ſed naſci has in aquis & ibi tantum ob cœli ſoliq. naturam, arborum radices & præſertim arundines eſſe dulces, aqua à ſolibus tepefacta, tam cœleſti quam fluuiali. Siquidẽ (vt ipſe inquit) ea quæ apud alios & fructuũ & ſuccorũ maturitas dicitur, apud illos cõcoctio eſt quæ tantũ ad dulcedinẽ operatur, quantũ ea, quæ per ignẽ fit. Atqui hoc poſteritatis memoriæ haudquaquã cõmendauit Strabo, vt nos admoneret ex hiſce radicib. apud Indos Sacchar ũ fieri ſolere, ſed vt regionis illius dulcedinẽ narraret, quanquã ille hanc de tã ingentibus Arundinib. hiſtoriã potius fabuloſam, quã verã cenſere videatur, quemadmodũ & Plinius. Cæterũ ſi hæc vera ſunt, potius credendũ eſt (vt Lucan. inquit) quod ex hiſce arundinũ radicibus ſuccum extraherent ad potiones parandas, quam ad Saccharum conficiendum, præſertimque cum in Syria, Cypro, Creta, Sicilia & in aliis ſacchariferis inſulis, vnde nunc Saccharum ad nos conuehitur, ex arundinum medulla, non ex radicibus exprimatur. Præterea ad Iſaaci autoritatem, quem ſcripſiſſe inquis in antiquis arundinibus non inueniri Saccharum, reſpondeo, me haudquaquam de valde veteribus & caducis intellexiſſe, ſed de his, quæ ad conſiſtentiam vſque creuiſſent, quanquam id in meo Iſaaco nuſquam profecto reperio. Quo fit vt mihi perſuadeam, te fortaſſe in hoc eſſe deluſum, perinde ac de Rhacomate in Pliniana lectione. Ad ea autem, quæ obiicis, quod ſi Sacchari hiſtoria apud antiquos ita ſe habuit, quemadmodum a me deſcribitur, illud te plurimum demirari, quod id concreti liquoris Pontica nuce non eſſet maior, cum tamen aliarum arborum reſinæ ac gummi portiones quãtitate longe maiori reperiantur, nil aliud tibi reſpondendum ſuccurrit, quam vt naturam ipſam conſulas. Nullus profecto mortalium nouit hæc, præter illam: luſit enim illa quatenus ei libuit, ſui vnius vnicũ exemplar, autor, ſequeſtra, hera, adminiſtra eadem, nullius indiga, non precario, non coacta, non impedita. Hanc ſi conſulas non ſolum hæc tibi diſſoluet nodos, verumetiam dicet, quamobrem tam ingenti mole creauit Elephantos, tamque minima formicas. Atque ſi cum natura de his colloqui non poſſis, & mihi dixeris tu quamobrem lentiſcus raro maſtichen faba maiorem gignat, cum tamen arbor ſit non infimæ proceritatis, cur ab arbore, cuius vmbra centum obteguntur homines, caphura portiunculis non emanat amygdalæ nucis maioribus: cur longiſſima Cypariſſus adeo exiguum ſemen gignat, vt fere oculos fallat: quinetiam cur cucurbitarum, melopeponumque plantæ tam ingentes ferant fructus, cucumerum vero his longe minores, ego poſthac tibi facile aperiam qui factum ſit quod Sacchari illius particulæ nucem Ponticam magnitudine non excedant. Dicis poſtremo quod Saccharum apud antiquos tantum medico fuit vſui, in cibis vero nunquam, putaſque hoc argumento aliquid etiam contra meam te afferre ſententiam, quum noſtris plurimum veniat in culinarum vſum. Sed hæc ſatis ridenda videntur. Etenim & ſi

Arundines miræ magnitudinis.

Arbores quo tempore fœcundiores.

Arbores Indicæ omnes radicibus dulces.

*id Plinii teſtimonio in tuam cōtuleris opinionem: ego tamen Strabonem adducam, quippe qui ſcribat ex arundinum Sacchar o homines ebrios fieri. Id quod manifeſto eſt argumento in potionum cōcinnamentis etiam antiquos ſuum addidiſſe Saccharum. At ſi reſponderes quod de cibis, non de potibus fueris loquutus: dicerem ego id eueniſſe, quod Saccharum non curauerit in cibis addere antiquitas, quemadmodum nec Medica mala, nec alia complura: ac etiam fortaſſe ob eius penuriam, quæ fiebat, vt vix ad medicamenta ſufficeret, id quod tunc ad nos conferebatur. Poſſem & alias efferre rationes ſed cum ſatis ſuperque de re hac me dixiſſe putem, & iam fere in volumen excreuerit epiſtola, ea quidem ſilentio non abre inuoluere libuit. Eoque præſertim, quod in meis in Dioſcoridem commentariis adeo Sacchari hiſtoriam expenderim, vt nullus relinquatur dubitandi locus, quin veterum Saccharum ab iiſdem reſudarit calamis, è quorum medullis noſtrum conficitur. Verum ſi his ſatisfactum tibi non ſit, mannam, qua quotidie vteris, accipito, & vehementiſſimus ſolibus expoſito, vel in furnum conicito. Id ſi feceris nihil mihi verendum eſt, quin illico palinodiam ſis meditaturus. Cæterum putaram de pinguedine te tuas ad me ſcripturum defenſiones. Verum cum videam illa omnia te negare quæ Goritiæ non ſolum contra meam, ſed aduerſus Galeni ſententiam afferebas in medium, ne teſtes habeam quorum præſidiis vti poſſim, id conſcientiæ tuæ ponderandum relinquam. Sed cum ſciam de pinguedinis origine cum Paulo Regolino viro doctiſſimo, collega tuo, te ſæpius habuiſſe ſermones, facile ab eo reſciam, an plus mihi quam tibi credere debeam. Vale.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
## Ioanni Franciſco Naſcimbeno
## S. P. D.

*Agitur de Reſinis omnibus, quarum meminere Dioſcorides & Galenus.*

*QVū eo natura ſim ingenio, eaque perpetuò voluntate, vt vbi ſtudioſus quiſpiam, medicæ præſertim facultatis ſectator, aliquid a me petierit, recuſare non poſſim, quominus illi pro tenui mea facultate ſatisfaciendum curem, etſi nulla antea cum eo mihi interceſſerit amicitia: viderer nunc profecto, non parum à meo deficere inſtituto quin etiam boni viri officio ſi ad ea, quæ à me petis de Reſinarum dubiis explicandis, quantum intelligam, ſilerem. Cum non ſolum doctrina, & eximia virtus tua, id quod petis, iure mereri videantur. ſed etiam, quod magis eſt, noſtra diuturna amicitia nulla vnquam ex cauſa violanda, illud idem magnopere expoſcat. Non miror autem in cenſendis arborum quarundam reſinis, multis in locis, vt ſcribis, te eſſe adeo implicatum, vt ſine aliorum auxilio inde te extricare nequeas cum certo ſciam præter te non deeſſe doctiſſimos viros & in plantaria facultate iam diu verſatos, qui non ſolum in reſinis examinandis de pluribus dubitarunt, ſed in earundem hiſtoria tractanda non parum etiam aberrarunt: argumento quod reſinarum genera ab ipſis ſpeciebus neſciuerunt diſtinguere, nec earum nouerunt differentias: quinetiam quod veras vocabulorum, nomenclationumque proprietates non intellexerunt.*

Andernacus taxatur.

*E quorum numero vnus eſt Andernacus, quippe qui, ob harum fortaſſe ignorantiam in vertendo Galeni libro de com. medic. ſecundum genera, adeo multa confundit, vt nihil mirari debeam ſi tibi ac etiam aliis ille non paruum faceſſerit negotium in hiſce cenſendis medicamentis. Verum vt ad id quod a me petis, veniamus, tibi ſententiam meam illico exordiar.*

Reſinarū implicata hiſtoria.

*Scribis itaque in primis legiſſe te apud Dioſcoridem Pineam, Piceamque reſinam, quæ ſua tempeſtate ex Gallia & Hetruria conuehebantur, olim conuehi ſolitas eſſe a Colophone celeberrima minoris Aſiæ ciuitate: quo argumento concludis Pini & Piceæ reſinam nihil prorſus differre a Colophonia. Atqui (inquis) ſi id verum eſſet, tibi quidem non parum verendum fore, quin hac in re aberrauerit Galenus, quum is apertiſſime ſcribat lib. 3. de comp. medic. per genera, Piceam Pineamque reſinam à Colophonia differre: quinetiam alteram altera viribus eſſe præſtantiorem. Id quod etiam libr. 7. eiuſdem voluminis iterum affirmauit. Quæ omnia (ais) magno nobis eſſe poſſe argumento, non paruam inter haſce reſinas intercedere differentiam. Deinde ſcire deſideras, an Galenus de pluribus reſinarum generibus meminerit, quam Dioſcorides: cum tibi videatur is de pluribus proculdubio ſcripſiſſe, quod præter eas de quibus ſcribit Dioſcorides, frictam vel Colophoniam habeat, quam vulgo vocant Seplaſiæ Græcam, atque etiam Hiſpanicam, & aliam quandam, quam nullo alio appellat cognomento, quam quod ex figulinis impura ſumitur, & vbi purgetur in frictam mutatur. Ad hæc ſcribis, eam præter has eundem habere Galenum, quæ pityinon phyſema illi vocatur, quæq; Andernaco modo picea, modo pinea germinatio vertitur. Quo fit vt non deſit tibi ſuſpitio quin ibi lectio fuerit deprauata, vbi nō ambigo deprauate vertiſſe interpretem. Quin etiā præter has meminiſſe Galen. (inquis) Terebinthinæ, Strobilinæq; quam omnino te ignorare fateris, etſi ſcias ſtrobilum nil aliud eſſe quam Pinum. Atqui cum in alio loco idem ſcribat Galenus πιτύϊνον φύσημα ſeu pinea &c. videtur quod nihil differat pinea ἀπὸ πιτυΐνου φυσήματος, quum tamen idem Galen. lib. 3. de ſimp. medicam facultati. inter has manifeſtum interponat differentiam. His ſubinde Laricinam, Abiegnam, & Pineam eodem ex Galeno annectis, viderique tibi, inquis, pineam hanc a cæteris differre, quod peculiariter περὶ πιτυΐνου φυσήματος, de Strobilina pineaque idem meminerit Galenus: ſed quod non vides de tot reſinarum generibus ſcripſiſſe Dioſcoridem. Poſtremo haberi etiam apud Galen. inquis, Lentiſcinam atq; Piceam quæ an pix liquida ſit a me ſcire deſideras: hæc denique ſunt, quæ tuis literis a me petis. Verum cum tam diligens fueris in enumerandis reſinis omnibus, neſcio quo pacto factum ſit, quominus Cypariſſinæ memineris, cum etiam hanc habeat Galenus. Cæterum anteaquam ex hiſce te eximam implicationibus, quæ ingenium tuum perplexum reddunt operæprecium nobis eſt nonnullas aſſignare diſtinctiones & interpretis errata corrigere, quæ (vt video) mentem tuam non mediocriter perturbant.*

Colophoniæ duæ ſpecies.

*Velim itaque primum ſcias Colophoniæ reſinæ duas haberi ſpecies, quarum altera, cruda, liquida, molliſque eſt, ita ſane a pineo vel piceo caudice manans*

*manant: altera vero cocta ſiue fricta, perinde ac illa quæ nunc in Seplaſiis omnibus Colophoniæ nomen retinet. Hæc eſſe vera teſtatur ipſe Galenus, lib. 7. de compoſ. medicamen. per genera ſic inquiens. Quoniam vero Piceam & frictam reſinam, & Colophoniam appellare conſueuerunt. ſciendum erit aliam quandã eſſe Colophoniam (hæc maſtichæ perſimile aliquid habens, quemadmodum illa & Thus. Siquidem ex hiſce Galeni verbis facile palam eſt in Colophoniæ genere, coctam ſiue frictam alteram haberi ſiccam: crudam alteram, mollem, tractabilemq́; artificio nullo paratam, de qua prius ſpeciatim ipſe meminerat Galenus lib. 2. eiuſdem voluminis cap. 20. de viridi Andromachi emplaſtro diſſerens his verbis: Liquida tamen diutius perdurat, ſicuti etiam Colophonia thuris redolens, quæ nonnullis ſola vocatur Colophonia, odoratu ſuauitatem quandã referens, ſicut Abietina & colore mediocri prædita: naſcitur admodum modica, atq; ob id precioſa. Et lib. 3. eiuſdem operis, vbi de medicamentis neruorum egit, de Colophonia cocta ſiue fricta inter ſiccas reſinas peculiariter ſcripſit ſic inquiens: Omnium vero ſiccisſima eſt. quam nonnulli frictam, alii Colophoniam vocant. Præterea nolim te ignorare tres haberi reſinarum ſpecies, quæ è Pino prouenient, inter ſe differentes, quarum duæ candice manant, tertia vero e nucibus quas Græci ςϱοϐίλους vocant. E candice manantium, altera quidem eſt omnium præſtãtiſſima liquida, mollis, albaq́; arboris ramentorum foliorũ, omniq́; immunditia expers, & (vt Galen. inquit) thuris redolens, & vbiq; ſyncera, Colophonia proprie appellata. Ac ea eſt hæc de qua inter liquidas reſinas meminit Dioſcorides. Altera ſordida eſt & retorrida, impura ac exoleta, quam appellat Galenus Pityinon phyſema, quod hæc in ipſa arboris germinatione exudet. Hæc enim ea ratione exoleta prouenit, quod tunc temporis vniuerſæ plantæ humor longe magis diſtribuatur ad noua germina producenda, foliaq́; nouella nutrienda, quam ad aliud peragendum naturæ opus: quo poſtea fit, vt quæ eo tempore manat reſina, cæteris deterior habeatur: quemadmodum de thure ſcribit Plinius quod Vere a Sabæis legitur. Hoc vero quum haud lateret Theophraſtum libro 9. cap. 20. de plantarum hiſtoria: Terebinthum & Pinum, dicebat is, & ſi quæ reſinam alia fundunt, cædendas eſſe poſt germinationem affirmant. Poſtrema vero eſt quam Strobilinam vocant, quæ tantum e pineis nucibus prouenit: Στϱόϐιλος enim pineam nucem deſignat, non pinum arborem ipſam, vt te tibi perſuaſiſſe video. Adhæc illud quoque te ſcire oportet, haberi in reſinarum genere liquidarum & aridarum differentiam, quinetiam vtraſque ex iiſdem arboribus manare. Quandoquidem & Pinus & Picea & Abies cum pingues liquidaſque, tum etiam ſiccas ac exoletas proferunt reſinas, ea nimirum ratione de qua ſuperius diximus. Itaque in pinguium ſeu liquidarum genere ea præcipua eſſe videtur quæ Colophonia appellatur, ac alia quæcunque illi ſimilis quæ in æſtate & autumno ſuis ab arboribus legitur, finita plantarum germinatione: inter ſiccarum vero genera exoletarumque. ea in primis habetur quæ Pityinon Phyſema vocatur, deinde quæ in fictilibus aduehebatur, tertia quæ igne decocta fuerit Colophonia. Ideoque dicebat Galenus libro tertio ſuperius citato omnium eſſe ſicciſſimam, quam nonnulli frictam, alii Colophoniam dicunt, & huic etiam ſuccedere, quæ ex figulinis impura & deſpumata ſumitur. Quinetiam his ambabus ſicciorem eſſe, quæ dicitur Pityinon Phyſema: Ex liquidis, nonnullas liquidas permanere, quemadmodum Terebinthinam, alias vero inareſcere, ſicuti Strobilinam. Sed has ſane omnes inter aridarum genera reperio deſcripta apud Dioſcoridem, vt clarius poſtea intelliges. Poſtremo & illud etiam ſcire debes Andernacum minus recte vertiſſe πιτύινον φύσημα id eſt. piceæ germinatio, quod Græcis πίτυς pinum non piceam deſignet. Cuius erroris ſeipſum accuſat, cum illud idem modo piceam, modo pineam germinationem vertat. Hæc itaque præfari prius oportebat, quam petitioni tuæ reſponderem. Nunc vero vt ad rem ipſam me conferam non video de pluribus reſinis ſcripſiſſe Galenum quam Dioſcoridem, quanquam hic non ita diligenter, vt Galenus, earum enarrauerit ſpecies. Reſiniferæ ergo arbores Dioſcoridi, præter Cedrum, de quo is poſtea peculiariter ſcribit, plures quam ſeptem non ſunt, nempe terebinthus, lentiſcus, pinus, larix, picea, abies & Cypariſſus. De quarum omnium reſinis idem Dioſcorides ſpeciatim meminit, nec de pluribus video ſcripſiſſe Galenum. Nec obſtat quod apud ipſum plures videantur eſſe reſinarum appellationes, quæ non reperiuntur apud Dioſcoridem, vt eſt exempli cauſa Pityinon Phyſema, & quæ ex figulinis impura ſumitur. Siquidem hoc nec genus variat, nec ſpeciem, ſed aut tempus in quo manare incipiunt, aut cognomen a fictilibus in quibus aſportantur aut maiorem aut minorem præſtantiam oſtendit. Præterea quanquam certum eſt Dioſcoridi Colophoniam aliam non eſſe, quam pineam vel piceam, non tamen dicam ob id aberraſſe Galenum, quod (vt inquis) libro tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, Colophoniam a pinea & picea differre ſcribat. Quandoquidem quamuis de ſiccis reſinis agens differre aſſerat coctam Colophoniam à Strobilina, ac etiam ab ea quæ Pityinon Phyſema dicitur, nullibi tamen reperies affirmaſſe illum a Colophonia differre pineam aut piceam, quæ ſelectiſſima ſit, liquida, mollis, pinguis, & thuris redolens, proprie Colophonia appellata. Ideoque ſcire debes quod vbi eodem libro in tuo Galeno reperis pineam reſinam cæteris minus præſtare, contra priorem ipſius Galeni ſententiam, & eam ob cauſam infimum fere ibi habere locum, non eſſe id erroris Galeno adſcribendum, ſed interpreti Andernaco. Quippe qui peruerſe admodum illa Dioſcoridis verba a Galeno ibi allata inuerterit. Quandoquidem Dioſcorides piceam, non pineam in penultimo collocauit loco ſic inquiens. πϱοάγει δὲ πασῶν τῶν ῥητινῶν ἡ τεϱμινθίνη, καὶ μετὰ ταύτην ἡ σχινίνη εἶτα ἡ πιτυίνη, καὶ ἡ ἐλατίνη. μεθ᾽ ἃς αἱ ἐξ* [illegible] *ἥ τε πευκίνη καὶ ἡ στϱοϐιλίνη. id eſt, Terebinthina reſinas omnes antecellit proxima lentiſcina, & e pinu & abiete. has ſequuntur picea & ſtrobilina. Quibus palam eſt pineam reſinam non poſtremum, vt tu ab Andernaco deceptus putas, ſed tertium bonitatis locum obtinere. Cæterum quo pacto fricta ſiue cocta parari debeat non ſolum e pinea piceaque, ſed & ex cæteris liquidis, diffuſius ſcribit Dioſcorides, quamobrem non eſt quod putes frictam fuiſſe illi incognitam. Quandoquidem hæc Galeni tempore etiam Colophonia dicebatur: ideoque libro tertio eiuſdem operis dicebat idem Galenus (vt antea diximus) omnium vero ſicciſſima eſt, quam nonnulli frictam, alii vero Colophoniam appellant: & libro ſeptimo Pineam reſinam, dicebat, & frictam & Colophoniam appellare conſueuerunt. Atq; eã quæ ſordida & impura in figulinis afferebatur, aridam illam eſſe facile crediderim quam ab abiete, piceaq; manare diximus, cum is inter aridarũ ſpecies hanc etiam repoſuerit. Nec aliam ob cauſam dicebat ille, quod hæc vbi a ſordibus purgabatur fricta fiebat, quã quod expurgari nequiuiſſet, niſi ad ignem colliqueſceret. Quo poſtea fiebat, vt cum ſui natura eſſet arida, non potuerit tam paruo temporis interuallo igne calefieri, quominus illico aridior fieret, cocta frictæue Colophoniæ ſimilis.*

Pineæ reſinæ genera tria.

Pityinon Phyſema.

Reſinarũ liquidarum & aridarum differentia.

Andernaci verſio improbatur.

Dioſcorides de reſinis omnibus, de quibus & Galenus ſcripſit.

Alia verſionis Andernaci reprehenſio.

Reſinæ pineæ præſtantia.

De

Aridæ reſinæ à quibus prouenīant plantis.

*De ea autem quæ à nucibus pineis emanat ſtrobilina vocata meminit Dioſcorides libro primo cum inquit: τὰ μέν τοι ξηρὰς ἡ μέν ἐστι στροβιλίνη, καὶ ἐλατίνη, ἡ δὲ πευκίνη, ἡ δὲ πιτυΐνη: id eſt, Quæ vero aridarum generi aſcribuntur, quædam ex pineis nucibus, alia ex abiete, picea & pinu exierunt. Quibus palam eſt non ſolum Strobilinæ meminiſſe Dioſcoridem, ſed & cæterarum de quibus meminit Galenus. Siquidem nil aliud eſt apud Dioſcoridem ſicca pini reſina quam quæ πιτύϊνον φύσημα vocatur: quinetiam nil aliud ſigulina, quam quæ à picea abieteq́ ſicca colligitur. Quæ quidem, vt hoc etiam æuo, ad nos comportantur impura ac arida ſiccis arborum folijs & corticum ramentis vitiata, quibuſdam in receptaculis e ſuarum plantarum corticibus paratis, ita nihil ſane prohibet, quin credamus eaſdem aduexiſſe antiquitus in fictilibus homines. Ad ea autem, quæ poſtulas an picea reſina, de qua ſcribit Galenus libro tertio de compoſitione medicamentorum per genera, liquida ſit pix, de qua pluries idem meminit, reſpondeo, hanc haudquaquam eſſe picem, ſed piceæ arboris reſinam ſua ſponte manantem. Etenim liquida pix nunquam ſua ſponte fluit, ſed arte accenſis igne pinis, quæ in tedam contabuerunt, vt pluribus diſſeruimus in noſtris in Dioſcoridem Commentariis. Hiſce itaque cum rationibus, tum allatis Galeni teſtimoniis non ſolum quæ prius confuſa de reſinis videbantur, iam clara, aperta, ac extricata cognoſces, ſed etiam quod in reſinarum hiſtoria nihil à Dioſcoride diſſentiat Galenus, quodque plura quam is habeat earundem genera. Quinetiam fortaſſe plura Goritiæ vel Vtini de reſinis te didiciſſe fateberis, quam Patauii, cum ad me ſcribas, ibi te adinueniſſe neminē, qui ex hiſce tenebris te liberaret, dum ibi medicam materiam addiſcebas. Vale.*

Galenum nihil à Dioſcorid. in reſinarum hiſtoria diſſentire.

# PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
## Ioanni Franciſco Naſcimbeno Medico, S. P. D.

### *Declaratur quæ ſit æris nigri ſquama apud Galenum.*

*ETſi antea ad ea non reſpondi, quæ, datis ad me literis, de nigri æris ſquama, à me petieras, de qua lib. 2. de compoſit. medic. ſecundum genera ca. 2. de giluis emplaſtris agens meminit Galenus: id tamen velim tibi perſuadeas haudquaquam eueniſſe, quod non ſemper accinctus ſim quominus tuis ſatisfaciam petitionibus, aut id tantum mihi laboris faceſſat, ſed quod pluribus fuerim menſibus occupatus in augendis excolendiſque meis in Dioſcoridem commentariis, nec ab his studiis ſine iactura potuerim ingenium meum auertere. Atqui cum otii nunc aliquid ſuperſit, diutius ſane differre non poſſum, quin tuis humaniſſimis literis reſpondeam. Scias itaque velim, quod quanquam non negligenter perlegi cum antiquorum, tum recentiorum libros, qui de metallicis ſcripſerunt, non memini me tamen legiſſe apud quempiam reperiri æs quod ſuapte natura nigrum fuerit. Sed haberi æs aureo, argenteoue colore ex rubro nigreſcente, aſſerit Plinius lib. 34. cap. 2. ſic inquiens: Æris tria genera, Candidum argenteo nitori quam proxime accedens, in quo illa miſtura præualuit: alterum in quo auri fulua natura: tertiū in quo æqualis omnium temperies fuit. Præter hæc eſt æs cuius ratio reddi non poteſt: ſuo colore precioſum ad iocinoris colorem vergens, quod ideo HepatiZon appellant. Hi itaque ſunt æris colores de quibus meminit Plinius, qui longe diffuſius de ære ſcripſit quam cæteri qui ante vel poſt ipſum clarueruut. Atqui inter omnia hæc æris genera nulla nigri æris Plinio ſit mentio, niſi quiſpiam fortaſſe diceret, illud nigrum eſſe æs quod HepatiZon idem vocat Plinius: quod cum ſit (vt ille inquit) cæteris præſtantius, præſtantior etiam fuerit eius ſquama & medico vſui competentior. Hæc fortaſſe opinio tibi non diſpliceret, præſertim vbi eam pluribus, efficacioribuſq́ rationibus augere adniterer. Nec dubito quin te in hanc ſententiam longe melius adducere poſſim, quam tui illi Præceptores, qui dicebant, imo nulla dubitatione (vt ais) affirmabant, illud eſſe Galeno æs nigrum, quod Plinius HepatiZon appellat. Sed quoniam horum placitis mea non ſubſcribit ſententia, nec etiam videtur aſtipulari Galenus, nolim ſane, vt ignorata huiuſce rei veritate iis acquieſceres: ideoque diligentius quæſtionē hanc diſcutere oportet. Dioſcor. libro quinto duas tantum æris ſquamæ ſpecies habet, de quibus diſſerit his verbis: Probatiſſima æris ſquama eſt, quæ in Cypriis ærariis ex clauis Cyprio ære confectis craſſa decutitur, Helitis, id eſt clauaris proprie dicta. Damnatur contra, quæ vulgari ære aut candido confecta fuerit tenuis & infirma, quam & nos reprobamus, maxime approbantes craſſam. De his duabus, nec de pluribus ſcribit Galenus libro nono de ſimp. medic. facultatibus, & Paulus Aegineta in 7. & Aetius in 2. nihil prorſus de nigri æris ſquama differentes. Quo fit, cum apud Gal. & cæteros æris ſquamæ duæ tantū habeantur ſpecies, vt neceſſario harū alterā nigri æris ſquamam vocauerit Gal. Quoniam autem in medicamētis parandis, præſtantiora ſelectioraq́ expeti ſolent, quum Helitis ſquama Dioſcoridis teſtimonio probatiſſima ſit, infirmiſſima vero altera, aliter ſane mihi cenſendum non eſt, quam quod Galenus pro nigri æris ſquama Helitem intellexerit, quæ in Cypriis officinis a rudi ære, è quo claui fiebant, ad nauium fabricas malleis ferreis decutiebatur. Nec leui ſane ratione adducor ad credendum id proculdubio eſſe verum, quum certo ſciam æs illud, è quo virgæ fiebant, è quibus claui parabantur, alio non fuiſſe colore, quam nigro: tum in primis quod non ſolum æs rude, ſed argentum & ferrum ſuapte natura nigrum contrahant colorem quamprimum in ignem coniiciuntur, tum deinde, quod æs ipſum, ſimulac è ſua fluit minera, coitque vel in maſſam, vel in virgas digeritur, illico ſuperficietenus nigrum reddatur. Sententiæ noſtræ ſubſcribit Plinius capite nono eiuſdem libri ſic inquiens: Exurente enim coctura æs nigrum conficitur. Cæterum ſi a me percontareris qui fiat vt æris ſquama, quæ ignium vi tantum nigreſcat, ea longe magis præſtet, quæ à repurgato elaboratoq́ ære excutitur, è quo cacabi omneque genus vaſa parari ſolent, cum tamen vnum & idem ſit æs, & ex eadem minera prouenerit: dicerem id non alia euenire ratione, quam quod pro conflandis clauis, rudis tantum æris virgæ ſumantur. Siquidem hæ dum ignium vires experiuntur, vt inde claui fiant, excrementa omnia à centro ad circumferentias cutetenus remittunt, quo poſtea fit, vt ſubinde malleis percuſſæ, craſſiorem pleniorem, ſolidioremque exuant ſquamam, quam quæ decuſſa fuerit ab ære pluribus vicibus repurgato, vt fieri quotidie videmus in ærariis officinis, vbi varia vaſorum genera*

Æris genera tria.

Probatiſsimæ æris ſquamæ quæ.

Squama æris nigri eſt Helitis.

*nera malleo & incude, nullo accedente igne, conflantur. Etenim æris huiuſce ſquama cum tenuis ſit & parum cõtineat excrementi, in quo maior ineſt ſiccandi vis, infirma eſt, vt Dioſcorides inquit, & ferè inutilis in medicamentorum vſu. Ideoque rectè dicebat Galenus, Helitem ſanè principem in ſiccando locum obtinere & tenuiſſimæ omnium eſſe ſubſtantiæ. Quamobrem in ea perpetuo ſum ſententia, quod vbi libro ſecundo de compoſitione medicamentorum per genera in gilueo illo emplaſtro & in alio Hera ad vlcera contumacia lib. quarto eiuſdem operis, æris nigri ſquamæ meminit Galenus, de Helite intellexerit: id eſt de ſquama æris rudis, non elaborati. Quippe quod (vt prædiximus) expurgatum æs, è quo cortinæ, cacabi, lebetes, cæteraque vaſa conflantur tenuem admodum ſquamam remittunt, minimeque excrementoſam: cuiuſmodi eſt albi æris ſquama (vt Plinius eſt autor) quod hoc non parum argenti contineat. Hæc itaque ſunt, quæ tibi de re hac reſcribenda putaui, quibus ſi tibi ſatisfactum eſſe putabis, gaudebo mihi ſanè plurimum: at ſi fortaſſe ſecus euenerit, velim vt pro tua humanitate meam non accuſes ignorantiam, aut negligentiam, ſed quod plura non repererimus quæ viderentur meliora. Vale.*

## TYPOGRAPHVS LECTORI.

LIBrum primum Epiſtolarum, ſeparatim & quidem ſecundo excuſarum, claudit Epiſtola Franciſci Parthini ad Matthiolum, quam nunc Apologiæ in Amathum præfixam inuenies, hac in re auctorem imitati, qui ſuæ Apologiæ præfixit. At librum ſecundum, exorſa eſt Apologia & Cenſura in Amathum: quibus ſubieci ea quæ ſequi vides. huius te monere voluimus, nequid in Epiſtolis à nobis prætermiſſum, exiſtimares.

*F I N I S.*

# PETRI ANDREÆ MATTHIOLI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER SECVNDVS.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS, BERNardo Diſſenio Cronenburgio Medico, S. P. D.

*Qvanta ſit doctorum ſtudioſorumque virorum inter ſe συμπάθεια, mi candidiſſime ac doctiſſime Cronenburgi, ego quidem indies magis ac magis experior, cum non exiguus ſit doctiſſimorum virorum numerus, qui noſtrorum commentariorum lectione moti, partim mihi plurimum per Epiſtolas gratulentur, partim me amore & beneuolentia ſumma proſequantur, partim vero contra inuidos obtrectatoreſque meos ſua me ſponte defendant, qui tamen nunquam me de facie nouerunt, nec vlla mihi cum illis antea interceſſit neceſſitudinis cauſa. Atqui inter hos neminem ſane habeo, cui plus quam tibi me debere ſciam, vtpote qui ad me non amandum modo, quod ipſum ſane per ſe maximum eſt, ſed etiam abſentem & ignotum tuis doctiſſimis ſcriptis defendendum, laudandum, colendumque acceſſeris. Quod quidem in cauſa eſt, quum tui ſint qui tum ſcriptis, tum verbis (quæ eorum eſt humanitas) plurimum me collaudent, atque etiam obſeruent, vt non facile commouear quorundam inuidorum ac perditiſſimorum hominum calumniis: præſertim cum videam mihi non deeſſe clariſſimos viros, qui me etiam neſciente contra horum rabidos morſus mihi patrocinentur. Tu enim primus cauſam meã contra Luſitanum illum ſuſcepiſti in doctiſſimo illo tuo de componendis medicamentis volumine: quinetiam innumeris ſane locis dignitatem meam quibus potuiſti ampliſſimis verbis ornaſti, & me cæteris, qui hoc noſtro æuo de medica materia ſcripſerunt (quæ tua ſingularis fuit benignitas) præferre voluiſti. Tantis autem tuis beneficiis non videor mihi facile reſpondere poſſe, niſi forte ita ſenſurus es, vt me tibi referre gratiam putes, quum beneficia hæc tua memoria tenebo. Quam nimirum memoriam colam beneuolentia ſempiterna non ſolum dum viuam & anima ſpirabo mea, ſed etiam quum te mortuo monumenta tui beneficii permanebunt. Noſco quidem ampliſſimam tuam erga me humanitatem, noſco beneuolentiam, quinetiam incredibilẽ amorem quibus me tantopere proſequeris: noſco candorem ingenui animi tui, & propenſam tuam in me voluntatem. Quibus omnibus etſi animo & corde ſim par, verbis tamen & literis ſatisfacere non poſſum: Dum enim aui de cupio exprimere quam me tibi deuinctum putem, mihi nec ſtylus, nec oratio ſuppetit. Cognoſco te cum virum doctum, tum etiam officii plenum, meæ laudis ac famæ ſtudioſum, frugi hominem, ac plane virum bonum integerrimumq; ſtudioſum omnium virtutum. Id, etſi nunquam te de facie nouerim, noui tamen ex tuis doctiſſ. monumentis, quæ de parandis componendiſque medicamentis poſteritatis memoriæ reliquiſti. Quandoquidem clariſſimi & amiciſſimi hominis præclara hæc ingenii ac doctrinæ monumenta aſpiciens, eum ſane ipſum viſus ſum aſpicere. Nam ipſa oratio & dicendi genus eiuſmodi eſt, vt nihil nitidius, nihil elegantius, nihil modeſtius, neque venuſtum magis deſiderari poſſit, vel in delectu cultuque verborum, vel iudicii acrimonia, vel dignitate & copia ſententiarum. Apparet itaque in te ipſo, vt extat, quædam rara naturæ tuæ probitas & ſingularis integritas nullo obfuſcata obtrectandi ſtudio. Quod tamen eſt veræ atque perfectæ virtutis proprium, cuius qui compotes ſunt cum ipſi ſibi confidant, alienas ſolent virtutes exoſculari. Porro tuum de ſcriptis meis iudicium, tanquam profectum ab homine doctiſſimo ac laudatiſſimo, magna quidem me voluptate affecit. Ea eſt enim profecto iucunda laus, quæ ab iis proficiſcitur qui ipſi in laude vixerunt. Atqui neſcio quonam modo poſſim tuam in me compenſare beneficentiã, niſi pro virili dem operam, vt aliqua ex parte tuæ de me laudes veræ videantur. Interim ego quicquid officiis, opera, conſilio, authoritate, diligentia, ſtudio pro tanta in me beneuolentia præſtare poſſum, ſemper me præſtaturum polliceor. Cæterum quum Dioſcorides meus elapſo anno auctior illuſtriorq; iterum editus ſit, additis quam plurimis ſtirpium & animalium imaginibus, videamque te ex tuis frugiferis ſcriptis eius lectione delectatum eſſe plurimum: prætermittere quidem non potui, quin nunc exemplar vnum ad te mitterem vna cum Apologia contra Luſitanum Amathum illum, quem tu tam pulchre ac tanto cum iudicio compendioſiſſime cribraſti, quamque vt legas maxime rogo ac peto. Duplex enim cauſa extitit, quæ ad hanc edendam Apologiam me plurimum induxit: Altera quidem, vt ne me tacente putarent nonnulli me alicuius erroris conſcium eſſe, aut meis diffidere ſcriptis: altera vt noſcerent omnes acerrimum tuum de Luſitano iudicium. Ego hic Pragæ (vt meam tibi declarem conditionem) iam per quinquenniũ Sereniſſimi Principis Ferdinandi Archiducis Auſtriæ Phyſicum ago, vbi etſi non minimæ ſint curæ, quæ non parum mea impediunt ſtudia, ſucciſiuis tamen temporibus in literis & libris aſſiduus ſum, paroque nunc nouas plantarum imagines prioribus longe maiores elegantioreſq;, quarum aliquot nunc ad te mitto, vt de his tuum feras iudicium. Imperator Ferdinandus, & Sereniſſimus Archidux meus ampliſſimi in*

hoc

*hoc operi cudendo mihi ſunt Mecænates, adeo vt facile mihi perſuadeam (modo Deus Optimus Maximus ſit propitius) non longo admodum tempore rem hanc honorifice me perfecturum. Quanquam non parum vereor, ne vna cum opere creſcant & inuidiæ: quod tamē non multi facio, magnam enim Philoſophiæ habeo gratiam, quæ non modo ab omni ſolicitudine cæteriſque animi morbis me abducit, ſed etiam contra omnes fortunæ impetus & inuidorum latratus armat. Poſtremo id maxime rogo atque etiam peto, vt eo in me amore, ea beneuolentia ſemper eſſe velis, quibus ſemper antea fuiſti, ſcilicet dignitatis meæ protector ac acerrimus defenſor. Hoc ſi feceris erit mihi tam gratum, quam quod gratiſſimum: Sed an quid opus eſt vt te horter ad ea præſtanda, quæ tua ſponte præſtas? Nunquid ego equo (vt aiunt) ſponte currenti calcaria adhibebo? Literas ſi ad me ſcribere volueris Norimbergam ad Clariſſimum Medicum ac Philoſophum ſummum Hieronymum Donzelinum, vel in Cæſaris aulam ad Clariſſimum Iulium Alexandrinum Suæ Maie. Archiatrum mittere poteris, nam illinc poſthac ad me tuto deferentur. Vale, Pragæ decimo tertio. Kalend. Semptembris.*

# BERNARDVS DISSENNIVS CRONENBVRGIVS MEDICVS, PETRO ANDREÆ MATTHIOLO S. P. D.

*Antecedenti reſpondet Epiſtola.*

*ECquid primum in te collaudem, mi Domine Matthiole, Vir multis nominibus Clariſſime ac doctiſſime, humanitatemne admirabilem, an inſignem animi candorem, & incredibilem integritatem amoremq; mei, an potius ſimul omnia? Nā tu homo eximius es, in quo elucet egregia virtus, & omnis humanitatis plenus, niſi verius ipſa humanitas nominari merearis, qui ſic temet deiicias ac negligas, in ſublimi reſidens, in Italia totius doctrinæ parente natus, inſtitutus: apud Principes, Reges, imo Cæſares admirandus, vt me humi repentem, tenuis eruditionis aut potius nihili hominem Germanum reſpicias, dum literis tuis eruditiſſimis, omnique officiorum genere refertiſſimis non viſere modo, verum inſuper magnopere prædicare, atque ingenii tui fœtura monumento perpetuo ac nunquam intermorituro locupletare volueris. Nec eſt quod de φιλαδελφίᾳ quicquam mireris quæ inter Viros ingenuos, probos, doctos, ſemper eſt ſolida, & adamantino quodam vinculo connexa, præſertim eiuſdem fidei ac profeſſionis, vtcunq; delinquāt maleuoli & agreſti ingenio improbi, quorum haud exigua iſthac calumniatrice ætate turba habetur. Nam vt de me veriſſime confitear, quando commentaria tua longe omnium doctiſſima in Dioſcoridem legere ac relegere, atq; inſuper icones elegantiſſimas typis ad viuum expreſſas contemplari cœpiſſem, mox quantis ingenii viribus, quanta animi fortitudine Herculeo quodam indefeſſoq; labore Simplicium verum cognitionem explicuiſſes, genuinam Dioſcoridis interpretationem edocuiſſes, lapſus pleroſque etiam doctis non animaduerſos indicaſſes, ambiguam obſcuramque lectionem inſtauraſſes, opiniones falſas refutaſſes, atque vt ſum naturæ expedium, totum Dioſcoridem redintegraſſes, cognouiſſem: ita mihi aliorum in eundem ſcripta languere aut ſaltem minus abſolute elaborata videbantur, quantumuis etiam maximi illi nominis atq; rariſſimæ doctrinæ viri fuerint (etenim ſuam quiſque laudem & gloriam meretur, quam immenſis laboribus proximi iuuandi ſtudio ſuo e conſecutus eſt) vt continuo ad diuinam pene indolem tuam, incomparabilem ingenii vim, vberrimam ſcientiam, eloquentiam ſummam amandam, ſuſpiciendamq; exarſerim, vt quiduis maluiſſem quam tui amorem deſerere. Scripſit de ſimplici Medicinæ materia hoc æuo Euritius Cordus, ſcripſit Otho Brunſelſius primi: Similiter Leonicenus, Manardus, Marcellus Virgilius, Hermolaus Barbarus, in hoc certamine Viri exercitatiſſimi atqui eminentiſſimi. Hos ſequuti ſunt Clariſſimi & peritiſſimi Ruellius, Hieronymus Tragus, Antonius Braſauolus, Fuchſius, Mundella, Geſnerus, & ſi qui ſunt alii in arte celebres. At revera omnes ſuperat & poſt ſe longo relinquit interuallo vnus, me iudice, Matthiolus, vt poſtremus, ita facile ſupremus: quia neminem habemus (liceat mihi ſine aliorum detrimento quod res eſt pronunciare) in hac ſtudiorum palæſtra tibi conferendum, ſi modo non vnam aliquam laudem, ſed vniuerſas dotes tuas ſimul expendamus. Id præter puriſſimam dictionis facultatem, diuitem verborum ſupellectilem, exactum vbique iudicium, rerum luculentam veritatem, inculpatas Stirpium Ideas, irreprehenſibilem operam, prædicandam in corrigendis aliorum erroribus modeſtiam, intrepidam admonitionem, fidelem remediorum plerorumque communicationem, ſimileſq; dotes eximias, indubitata prorſus fide manifeſtum fit, quod nemo huic diſciplinæ amplius quicquam putet addendum, ſed ad vnum omnes tibi cedant, te laudent, extollant, & ceu abſolutum, poſt Dioſcoridem, exemplar imitandum ſibi proponant, dum vltro ac paſſim tibi gratulentur, te ſtudioſe proſequantur, & aduerſus æmulos ac calumniatores quoſdam (quia vix vnquā tam inculpatum fuit ſeculū quin monſtrum tale vnum aut alterum produxerit) ſuo etiam periculo innocentiam pariter & induſtriā tuam tueantur. Atq; has præclaras virtutes quum ego quoq; in te, mi Domine, agnoſcerē & intelligerem, tibi ne an cuiquam nouum ſiue rarum videri debuit, ſi pro meis viribus obiter tui defenſionem contra maligniſſimum Sycophantam & impium Apoſtatam ſuſceperim, qua ſane non egebas, nam noſti illud Horatianum,*

*Integer vitæ ſceleriſque purus,*
*Non eget Mauri iaculis nec arcu, &c.*

*Si, inquam, ad te amandum, laudandum, imo colendum venerandumq; impulſus ſim? Et recte faciunt, qui ſimili honeſto ſtudio tenentur, quoniā ita demonſtrandarū ſtirpium prouinciam ſuſcepiſti, ita feliciter Iconas omnium expreſſiſti vt ab omni ambiguitate pariter & obſcuritate vindicaueris, & priſtinam laudē Dioſcoridi, ſimpliciū Parenti, aſſeruaueris. Cæterum an primus inter pleroſq; Clariſſ. Viros, vti ſcribis, cauſam tuā,*

contra

contrà Amathum Luſitanum ſuſceperim, neſcio: hoc tamen ſcio, hunc, potiorē operam ex Commentariis tuis primo editis Italice in Dioſcoridem, impudenter ac furtiue ſibi vendicaſſe, quod flagitium eſt improbum minimeq; diſſimulandum. Præterea eundem, per quem profecerat, imperitiſſime, immodeſtiſſime, ac odioſiſſime nominatim inſectari improbiſſimum eſt, & plane eorum qui omnem pudorem humanitatemq; exuerunt, cuiuſmodi perfidiſſimum teſtimonium de ſeipſo præbuit nebulo a Chriſtianiſmo ad Iudaiſmum turpiter iamdudum deſciſcens. Certe hac temeraria improbitate & inuidentiſſima inſectatione tui, nihil aliud eſt conſequutus, quam ſolent, qui ex aliena gloria popularem inuidiam ac commune odium merentur. Potuiſſet aliquo eruditorum numero & aliqua laude dignus haberi, ſi ſua ſorte contentus à morſu celeberrimi nominis tui abſtinuiſſet: ſed infelix dum te cepiſſe videretur, ipſe miſere captus eſt, ſuoq; inuento malum ſibi accerſiit, adeo vt iure maximo, maximam Medicorum ac Studioſorum omnium iram in ſe concitarit, dignus iccirco, quem omnes Reipublicæ vtilitatem amantes & probi doctiq; homines exibilent atque explodant. Si igitur innocentiam ac præſtantiam ingenii tui vtcunq; tutatus ſum, meumque de peſſimo calumniatore iudicium Commentariis meis, ita ferente occaſione, inſeruerim, magno equidem id commodo meo feci, vt qui tam ſis vir munificus ac locuples, quod non aſpernando fœnore ſtudium illud meum compenſare volueris inſigni laudum mearum præconio, quas agnoſcere non poſſum niſi vehementer ambitioſus: neque negligere, niſi ignominia notam ſubire velim. Proinde vtcunq; ſit, certe beaſti me teſtimonio amoris, beneuolentiæ ac humanitatis tuæ: Siquidē abunde tota epiſtola declaras, quo me amicorum loco habeas, habiturusq; ſis ſempiterna memoria, non modo dum viuas, ſed etiam dum te mortuo, monumenta illius beneficii mei contra Luſitanum pro te ſuſcepti permanebūt. Hoc ſi vere dicis, ſicut omnino credo (alioqui non erat neceſſe id ſcribere non expectanti neque de facie vnquā viſo) pluris mihi eſt ſynceriſſimus hic animus tuus, quam vniuerſæ Crœſi opes. ſpondeoq; bona fide memoriam tui nunquam apud me interituram, quo me cunq; fortuna vehat: ſed inuiolabilem, ſanctam, perpetuam adeoq; immortalem fore: Neq; enim me vllius iuris aut neceſſitudinis nexu tenacius obſtringere potuiſti. Atqui ô vtinam vtinam ſacrum illud pectus intueri, ſacros mores diſcere, os ſacrum genasq; amabiles deoſculari, vel, quod malim, corpus totum complecti ſemel liceat; Quanta hæc mihi felicitas, quanta lætitia, quanta voluptas? Verum quum id non poſſim, facio tamen quod poſſum: fruor eloquentiſſimis doctiſſimiſque commentariis tuis, in quibus viuam imaginem tui indubitanter expreſſam video: Hos ingiter ante oculos poſitos habeo, non illos quidem primo euulgatos, ſed quos tua liberalitate, ceu perennis amoris noſtri ſymbolū, ſuperiori Francofordenſiū mercatu, ad nos miſiſti. Iſtis foueo amorē tui, iſtis memet veluti quotidiano ſpeculo oblectans, & intueor. ſpecimen ingens corporis tui videre me mihi perſuaſi: Iſtis animū tui deſiderio flagrantē, quoad poſſum reſtinguo: Iſtis velut amœniſſimis Muſarū viretis fruor ac paſcor ad ſacietatē: quibus accedit Epiſtola manu tua exarata omnis eruditionis ingenuæq; humanitatis tuæ pleniſſima, qua equidē vniuerſam ad abſolutā amicitiā neceſſaria tāquā ſarta tecta explicantur. Hāc repoſui inter ea quæ animo meo chariſſima ſunt, vnde quādoq; eam repeto, nouo me gaudio eiuſdē relectione imbuturus. Quod autē tu rogas ac petis, vt Apologiam tuā cōtra Amathū, quē cōpēdioſiſſime calamo meo cribratū aſſeris, legam: duas adiungens eiuſdem editionis cauſas, quarū vna eſt, ne quis æmulus alicuius te erroris conſciū fore, tuisq; diffidere viribus tacendo exiſtimaret: Altera vero, vt omnibus iudicium meum de Luſitano conſtaret: Legi itaque non ſolum illam, ſed inſuper Cenſuras in Amathi enarrationes, qua lectione ita ſum recreatus, quaſi coram duellum vtriuſque ſpectatu digniſſimo, aſſiſtente toto Herbariorum choro, præſide atq; iudice Apolline, teſtibus Dioſcoride, Crateua, Theophraſto, Galeno, aſpexiſſem: in quo, Deum immortalem, quot colaphos, quot alapas, quot verbera, quot vulnera, quot vibices homo ineptus, pugnandi imperitus, turpiter accepit, & niſi tu maiorem vitæ illius rationem, quam ipſe ſuæ, habuiſſes, iam in ipſa pugna occubuiſſet miſer. Itaque ſi quicquam ſapit, cauebit omnem conflictum etiam cum imperitis parumq; exercitatis. Legi & alias editæ Apologiæ cauſas ſcripto tuo comprehenſas. Porro quod ad priorem illam attinet, non arbitror quempiam fuiſſe tam inertem, improbum, malignum, aut prorſus ſine mente, qui tam iniquam ſuſpicionem concipere voluerit de viro multarum linguarum peritia & incomparabilis ingenii excellentia clariſſimo, qui publico commodo profuit multis, obfuit nulli, tanta interim modeſtia aliorum errores caſtigans, vt omnium amore ac veneratione iure dignus haberi, vel hoc nomine vno, debeat. Nec credo vllum eorum, quos nominatim errorum admones, ſingulari ſane vrbanitate, imo cum laude ac honoris præfatione, tantillum commotum aut queſtum, quum tamen & Ariſtoteles vnicum pene naturæ miraculum, veritatis potius quam amici Platonis rationē habendam eſſe iudicauit. Quare ego Luſitani ſtultam arrogantiam, & prodigioſam inſaniam, riſu potius ac Elleboro explodendam & expurgandam, quam ſcripto confutandam iudicaſſem: attamen, quæ tua ſublimis eſt doctrina & animi ingens magnitudo, famæq; tuendæ laudanda integritas, hominem irrefragabilibus argumentis ac diſertiſſimis rationibus ſemel conuincendum conterendumque cenſuiſti: quod certe ſic factum Apologia tua pariter ac Cenſura decerno, vt nunquam exurgere vel emergere poſſit amplius. Alteram quam allegas cauſam, humanitatis beneuolentiæq; tuæ eſt, Vir ſynceriſſime, quibus Croneburgium nominis tui, aut magis veritatis prouehendæ tutandæq; ſtudioſiſſimum, iudicio acerrimo præditum, ſignificare voluiſti. Id qualecunque ſit apud te, tuique ſimilimos exactæ cenſuræ viros, examinandum relinquo, quanquam tergiuerſari poteram, niſi decreto tuo tam impenſe fauerem, aut ſaltem vnice delectarer: mihi ſatis fuerit, ſi alienæ laudis & doctrinæ iniquiſſimum æmulatorem coloribus ſuis vere depinxerim. Atq; vtinam idem tam copioſe quam ſcelerate illius confidens malignitas meretur. Et hæc hactenus. Nunc viciſſim breuiter vitæ meæ ſtatum tibi exponam. Ego Italiam Anno 38. & doctiſſimam Bononienſem Academiam, in qua D. Curtium alioſq; Medicos profitentes audieram, relinquens, recta (Deo propitio) ad patrios penates in Hollandiam florentiſſimam regionem redii: cuius laudes veriſſimo Elogio celebrauit ter maximus Eraſmus Roterodamus noſter, ad finem Chiliadum, titulo Auris Bataua: vbi dum annum vnum artem exercuiſſem, mox ab inclyto & prudentiſſimo Senatu Gruningæ vrbis, quæ profecto magnifica, opulenta, munita, ac bene inſtituta eſt, non ita procul ab Orientali Oceano, publico ære acceſſor. Hic annis nouem commoratus multis equidem dolentibus, Coloniam Agrippinam perueni, adiuuāte tunc inſtitutum noſtrum clariſſimo medico Ioanne Echtio amico meo chariſſimo, ſtudiorumq; meorum per Italiam ſodali coniunctiſſimo: In qua Academia etiamnum viuo, natus annis quinquaginta: miram fortunæ improbitatem multipliciter expertus ſum. Nulli Principum obſtrictus, tametſi talium conditionum occaſiones

non

*non defuerint, quia ingenium meum aulis non perinde conuenit, vtpote liberum ac ſimplex, atque eas alioqui formido, cogitans: Exeat is aula, qui pius eſſe volet. Quas ad me miſiſti Simplicium picturas, vehementer probo, ſimulq; laudo & prædico Summorum Monarcharũ liberalitatem, ac propenſam in te iuuando ornandoq; voluntatem, quibus dotibus ſeſe vere Reges declarant: nam niſi conatus eiuſmodi hac ratione iuuarentur, non video quorſum literas & diſciplinas didiciſſe, eaſdemq; poſteritati, immenſa corporis iactura, tradere eſſet operæpretium, quibus conſtat omnis politia, rerum harmonia, philoſophiæ moderatio, hominum ſalus, quibus a reliqua mortalium fece diſiungimur, & ad Deorum beatitudinẽ ſenſim deducimur. Poſtremo quando maxime rogas, vt in amore beneuolentiaq; tui perſeuerem, & quæ ſequuntur in Epiſtola. Hoc tibi iureiurando affirmo Vir Excellentiſſime, me nulli tuorum amicorum ceſſurum, tametſi cæteris ſum inferior, etiamſi capitis periculum obeundum eſſet, meque paratum eſſe pro virili improbiſſimorum nebulonum virulentam inſaniam, in quorum Catalogo primas tenet Amathus, propellere. Tu modo da operam, quod facis, ne temere hunc affectum concepiſſe videar, & me ſimiliter amare perge. Interim macte virtute, mi Matthiole, & qua cœpiſti vigilantia, doctrina & gloria rem Medicam prouehere, eadem quæſo abſoluas, vt omnes natum te gaudeamus, Sacroſanctæ arti noſtræ gratulemur, ſimulque calumniatorem tuum Luſitanum Amathum execremur. Certe admirantur te docti omnes, imitantur tam pauci, quam reprehendit nemo, quicquid amarulentus Amathus, quem facete & ſalſe Amathum vocas, inepte garriat. His valebis Vir animo meo chariſſime, & ſi quid habes in manibus materiæ Medicæ, eius me quæſo facies participem, vt iſtiuſmodi beneuolentia magis tibi deuincias Croneburgium, quem iam dudum totum obæratum addictumq; poſſides. Literis tuis amantiſſimis iamdiu reſpondiſſem, ſi vt mihi paratus calamus, ita promptus fiduſq; fuiſſet nuncius. Iterum vale doctiſſime Matthiole. Coloniæ XX. die Martii, Anno M.D.LX.*

## MELCHIOR GVILANDINVS Boruſſus, Conrado Geſnero Medico, S. P. D.

*PLato philoſophiæ pater, & diuinioris ſcientiæ autor longe clariſſimus, itemque Stoici omnes μαντείαν, hoc eſt diuinationem introducunt per inſtinctum admittuntq; diuinum, quem ἐνθουσιασμὸν Græci vocant, qui phanaticus furor eſt, feruorq; lymphaticus per ſomniorum imaginationes, ac Chaldæorum obſeruationes, Magorumq;, Brachmanum, Gymnoſophiſtarum, Druydum, atque Augurum diſciplinam. Cæterum hi pleraſq; vaticinii partes & commendant & probant, quamuis Xenophanes, ac Epicurus λιλυδίονα omnem è medio tollere conati ſunt. Hui dices, quo denique tam longe petitum exordium tendet? Cum literas tuas, vir clariſſime, doctrina haud vulgari refertas, & omni humanitate officiiq; genere plenas perlegiſſem, adeo mihi mens argumentis, corpus autem armis teliſq; vacua relicta ſunt, vt qua denique ratione tot in me acutiſſima directa ſpicula viriliter propulſarem, oculis nequaquam circumſpicere poſſem, parumque abfuit, quin παλινῳδίαν meditarer, & inſuper gratias agerem, planeque tuo iudicio acquieſcerem. Mamiras apud Paulum & Holoconitin apud Hippocratem, non modo diuerſorũ generũ plantas denotare, verumetiam vtranq; vocem prorſum ab Italorum Dulcichinis (quæ Veronenſes Traſci & Traſi vocant, Genuenſes Ziziphas terreſtres, Hiſpani Iuncum auellanam, Arabes denique Habbaziz, ſi Leoni Africam deſcribenti, itemque Bellunenſi credimus) diſcrepare.* Mamiras & Holoconitis. *Quod dum ita toto die anxie ſolliciteq; mecum ipſe cogito, rubore ſuffuſus interim aliquoties, non tam quod ſententiam meam corruiſſe magnopere dolerem, quam quia minime præuidiſſem, quibus eam fulcris contra aduerſariorum inſultus communirem. ſenſim pater ille rerum omnium Sol, ex noſtro delapſus horizonte ad inferius hemiſphærium ad latentes hactenus tot Antipodum myriades noſtris gentibus cognitas deuoluitur, & mihi placidus membris omnibus ſopor vndiq; circumfunditur. Interea inſomnio opprimor manifeſto liquidoque, ac volitare circunquaq; incipio, veluti infeſto mari ventis pulſata nauis: In terrã vniuerſam excurro, è terra in cœlum efferor, vniuerſum tranſmitto mare, aerem peruolito totum, cum Sole terram ambio, cum Luna circumferor, cæterorum aſtrorum iungor choro, & quod mirum eſt, integro etiamnum in repentina & violenta adeo peregrinatione manente corpore: nec plane prius ἱπποματεῖν καὶ ἐνθουσιάζειν deſino, quam in floridiſſimum pratum vaſtiſſimæ illius & remotiſſimæ Heſperidum populorum telluris, quam diuinus Plato in diuino Timæo Atlantidem dici tradit, & prolixe graphiceq; in Critia deſcribit: nec ſane alia eſt vlla, quam quæ hodie Orbis noui, & Indicarum Inſularũ terræ firmæ Americæq; nominibus vniuerſo mundo innotuit, deſcendo, vbi, inter cætera, Dulcichinorum molem conſpicio magnam, Hippocratemque ipſum, mirabile dictu ſeuera aſpectu grauem, manu dextera Balinillam Xanthi tenentem, ſiniſtra vero canos leniter pertractantem, voce deniq; alta Traſci a ſe Holoconitin appellari ſuccinentem intonantemq;.* Traſci eſt Holoconitis Hippoc. *Dum hæc ſi menti obuerſantur, expergiſcor, ad meque ipſum redeo, nec ſatis ſcio gaudione magis, an dolore attonitus. Lætabar equidem non parum, & magnam plane capiebam delectationem, quod quæ de die meditabunde ac magno adhibito ſtudio apprehendere neutiquam potuiſſem, ea, omni cura ſolutus, & aliud omnino agens, vera eſſe cognouiſſem. Vera dico cum Platonicis & Stoicis, qui diuinationis partem vnam ex ſomniorum imaginibus apprehendunt admittuntq;, quando & a Peripateticorum placitis alienum non eſt, animam interdiu mercenariam corpori inhærere, neque poſſe veritatem contemplari: noctu autem ab hac ſeruitute ſolutam, & in loco qui eſt circa thoracem conuolutam, ad vaticinandũ promptiorem fieri, & propterea inſomnia naſci. Angebar autem inſigniter, quod quibus rationibus veritas in inſomnio agnita doceri poſſet minime perſpiciebam. Certum tamen erat arreptam ſemel opinionẽ & inſomnio confirmatam mordicus tenere, nec mutare velle vnquam, ac nequicquam potius ad ea reſpondere, quæ tu in medium attuliſti, quam culpam deprecari. Videbam enim rem eſſe arduam, vetuſtis nouitatem dare, nouis autoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturæ ſua omnia. Sed tamen, vir πολυμαθέστατε καὶ πολυγλωττότατε, animum aduerte quæſo, & placidas mihi aures præbe, cognoſceſque qualis ſe mihi inter angores iſtos coniectura, nouam ſtabiliendi ſententiam, dum cun-*

*cta altius rimor ſcrutorque, in tuis literis obtulit. Scribis non videre te cur Mamiras Pauli, quod miſi, βολβοκάστανον Tralliani dici nequeat: nec animaduertere etiam poſſe, quid impedimento ſit, quo minus Doronicum vulgare, Mamiras Æginetæ vocetur. Denique Holoconitin Hippocratis, Moly a Dioſcoride appellari ſentis. Verum cauendum tibi eſt apprime, Geſnere iucundiſſime, ſiquidem vndequaque videris eſſe eruditiſſimus, ne dum mea ſtudes conuellere acrius, & veritatem conaris inquirere anxie, in denſiſſimas prolabaris tenebras; idemque tibi eueniat quod Chymiſtis vſu venire cernimus, qui iam diu fruſtra vertendis ſpeciebus, & decantato illi aureo velleri ſummo & temporis & rerum omnium diſpendio incubuerunt, incumbentque poſthac in poſterum.*

Dulcichinum eſt Mamiras.

*Nam ſi Dulcichinum, Mamiras eſt, vt profecto Pauli verba atteſtantur, radiculam eſſe tradentis herbulæ geniculis frequentibus nodoſis cinctam, detergentis natura, nequaquam βολβοκάστανον dici poterit, quando Trallianus inter Mamiras & βολβοκάστανον diſcernit, vtriuſque ſeparatis locis mentionem faciens. Mamiras ſane libro medicinæ 2. cap. 5. nominat: βολβοκαστάνου autem libro 7. περὶ ἐμπυημάτικῶν meminit.*

Bulbocaſtanum.

*Nec probo Goupylum & Andernacum, viros alioquin celeberrimos, ἀντὶ βολβοκαστάνου, βαλανοκαστάνου ſubſtituentes, ſiquidem non tam vox ipſa βολβοκάστανον, quam equidem vetuſtatem haud redolere fateor, quemadmodum nec χόνδρον, nec τρώξιμον, nec μαρούλιον, & ſexcentas alias, quibus tamen frequenter Alexander vtitur, & ab omnibus eruditis tolerantur, quamque autoris eo loco propoſitum ſpectandum eſt, quando rectam victus rationem purulenta excreantibus præſcribens, abſtergentibus nutriendos præcipit, qualia ſunt, Ius gallorum, phaſianorum nō pinguium, perdicum, attagenarum, turdorum, ſimiliumque auium. Ad hæc, ſi ſanguis reiiciatur puris, iuſculo ei incoquere mandat βολβοκάστανον, alicam, itrium, ſimilaginem, & eius generis alia, quæ ob ſucci craſſitiem, vaſa ſanguinem continentia modice obſtruere & pectus lenire atque abradere potis ſint. At tantum abeſt Caſtaneas detergendi farciendique vi pollere, vt nihil detergentibus & farcientibus magis poſſit eſſe contrarium. Adde vocem βαλανοκαστάνου æque eſſe nouam atque βολβοκαστάνου, & quod permagni refert, nullam plane poſſunt Caſtanearū glandes ἐμπυϊκοῖς vtilitatem commodumue afferre. Proinde veriorem veterem lectionem auguror, & βολβοκάστανον pro herba interpretor, quæ pingui ſucco conſtat, & facultatem obtinet humorum craſſitiem mediocriter incidendi, adeo vt excreationibus è pectore ſit idonea. Quod vero βολβοκάστανον vix alia eſſe planta poſſit, quam illa ipſa cuius ſemina ad te miſi, argumenta habeo, tum quia attenuandi natura pollet, & lentitiam in ſe habet, tum quia radice conſtat bulboſa, Caſtaneæ tamen ſimiliori quam bulbo, quando cortice foris obducitur nigro, intus vero ſubſtantia Caſtaneis ſimilima expletur, quæ res & nomini occaſionē præbuit, vt compoſita nomenclatione βολβοκάστανον diceretur, quia Bulbum Caſtaneamque mentiri videtur. Sed hæc leuiora. Quod maxime me mouet vt βολβοκάστανον credā herbam, cuius ſemina hoc titulo inſcripſi, illud eſt, quia nomen in Græcia in hodiernū vſque diem retinet, Chiis ἀγριοκαστανίδιας, Byzantinis ἀγριοκάστανα, Rhodiis βολβοκάστανα appellantibus.*

Fallopii laus.

*Adſtipulatur in omnibus meæ ſententiæ, aut ego potius ſuæ, vir grauiſſimus, cum doctrina, tum humanitate clarus, Gabriel Faloppius Mutinenſis, in ordine & numero ſcholæ Medicorum Patauinæ minime poſtremus. Anatomicorū huius æui facile princeps, atque in ſimpliciū palæſtra athleta inuictus, imo vero in debellandis domandiſque Chirurgiæ prodigiis, Italicus Hercules. Quid habes, mi Geſnere, quod damnes? Quis ſenſus eſt verborum tuorum? quæ tua mens? oculi? quid ais? Nimis vrgeo, commoueri videris, ſiquidē errorem tuum agnoſcis, Dulcichina non modo βολβοκάστανον dici non poſſe, ſed nec Mamiras quidem recte βολβοκάστανον appellari. Verum ne in nouam figmenti ſuſpicionem apud te incurram, quod vel ex nuda ſeminis figura argumentari veritus non es, radicem eius bulboſam eſſe nequaquā tibi probabile videri, ideo radicem vnam ex Chio ad me allatam ad te mitto: quam vt terræ mandes iubeo, cognoſceſque liquido Melchiorē tuum nihil minus ſcire quam nugari.*

Bulbocaſtanī deſcriptio.

*Foliis veſtitur Crithamo ſimilibus, cauliculo breui, candidos floſculos in vmbellis ſuſtinentem, quibus ſemina anguſta, & ſtriata, canaliculataue, Cumino æqualia ſuccedunt. Non is ſum, qui cauillis & impoſturis inanem gloriolam aucupari velim. Mentiri neſcio, nec, ſi ſcirem, velim.*

Matthæolus arguitur.

*Nondum eo dementiæ deueni, vt Matthæoli pellem, qui eo nomine male apud eruditos, nec immerito audit, Boruſſiaco corio anteponam. Metamorphoſis iſta hactenus moleſta mihi eſſe non cœpit, nec placet cum Euantha & Agriopa ex homine in lupum verti, rurſumque reſtitui ſibi. Satius eſſet eius generis homines naſci nunquā, aut profecto in cunis emori præſtitiſſet. Neque enim res vlla maius bonarum literarum ſtudioſis detrimentum apportauit vnquam, quam iſta eruditorum mentiendi audacia impunitaſque.*

Doronicum vulgare, nō eſſe Mamiras.

*Cæterum Doronicum vulgare non poſſe ab Æginetа Mamiras vocari, vt Fuchſius putat, conſimili plane argumento priori comprobatur. Nam cum ſit verum Doronicum, vt deſcriptio atteſtatur, & doctiſſimi quique fatentur, Ruellius, Leonicenus, Fracaſtorius, Manardus, Cardanus, Mundella, Matthæolus, Braſſauolus, Amatus & denique tota Medicorum ſchola clamitat, Mamiras profecto nullo pacto eſſe poterit, quando Auicenna Mauritanæ factionis princeps libro ſecundo tract. ſecundo, ſeparatis locis Doronicum & Mamiras, quod Memiren nuncupat, proſequatur, & de hoc in M. de illo in D. prolixe pertractet.*

Doronicum duplex.

*Illudes tu nodum hunc, duo eſſe Doroniti genera inquiens, Orientale nempe, & Europæum, quod officinarum ſeplaſiarii Romanum vocant: ſed te concedere quidem Orientale eſſe legitimum Barbarorum Doronicum, noſtrum autem, vel maxime ire inficias. Equidem non dubito, vir clariſſime, quin vtriuſque radices iamdudum conſpexeris probeque perpenderis, nec aliam inter eas differentiam deprehenderis, quam quæ eſt inter duo eiuſdem alitis oua. Quod vero Doronicum Romanum non ſic vt Orientale ferueat, & linguam vellicet (quæ Ruellii opinio eſt) id noſtri cœli ſolique temperiei ferendum eſſe acceptum, vt quiſque eſt eruditiſſimus, ita ſententiæ huic promptiſſime accedit.*

Saporum in radicibus diſſimilitudo vnde.

*Radices enim plantarum diſſimilibus ſaporibus a terræ proprietate perfici, vti etiam in fructibus euenire videmus, credendum omnino eſt. Si enim radices arborum, aut vitium, aut reliquorum ſeminum non ex terræ proprietatibus ſuccum capiendo ederent fructus, vno genere eſſent in omnibus locis & regionibus omnium ſapores.*

Monobaſites vinum.

*Sed animaduertimus in Inſula Creta Monobaſites vinum (Maluaſium vocat vulgus) in Cirno Corſicum, in Campania Græcum & Lachrymam, circa Meſſanam in Sicilia Mamertinum, in Thraciæ maritima parte Maroneum, Smyrnæ regione Pramnium, vtrunque Homeri teſtimonio celebre, in Liguria Amabile, in Germania, quatenus Rheno abluitur, neque omnib. partibus, Rhenanum, in Pannonia Vngaricum, reliquiſque locis plurimis innumerabili multitudine genera vini virtuteſque procreari, quæ non aliter poſſunt fieri, niſi cū terrenus humor ſuis proprietatib. ſaporū in radicib. infuſus, enutrit materiā, per quam egrediens ad cacumen profundat propriū loci & generis ſui fructus ſaporem.*

Chelidoniū minus.

*Chelidoniū minus, quod rudis herbariorum plebecula Scrofulariā minorem vocat, cum quarti*

ordinis

*ordinis abſoluti ſit in calefaciendo & deſiccando, ſi Aetio credimus, ideoq; magnam præ ſe fert acrimoniam, & guſtum erodentem, cur, quæſo, commanducando ſæpe nullam prorſus nobis acrimoniam imprimit, idq; potiſſimum quod in humido loco natum ſit? Cur item Cicuta, Socratis maxime ſupplicio nobilis, in Germania, Gallis, in pluribuſque Italiæ locis fere innoxia naſcitur? An ob eam cauſam quam Galen. libr. περὶ τροφῶν δυνάμεως ſecundo ſcriptã reliquit? Dicit enim Arũ Cyrenis minimũ medicamentoſi, minimumq; acrimoniæ poſſidere, adeo vt in cibis vel Rapis vtilius habeatur: In Italia vero, ac minori Aſia contra adeo acre, vt medicamentis duntaxat expetatur. Pari ratione fieri poteſt vt Chelidonium minus, & Cicuta, in Creta, Attica, Chio, Cilicia, & Græcia eiuſmodi viribus prædita naſcantur, quales eis a veteribus contribuuntur, in Italia vero, Germania, & Gallia nocendi oblita proueniant. Comprobant id in primis inſignia autorum teſtimonia, Plinius, Columella, Martialis, Galenus, Dioſcorides & cæteri, Perſeam arborem in Perſide exitioſam eſſe, trãſlatamq; in Aegyptum, mutata natura in cibos receptam. Idem Betento accidere literarum monumentis prodidit Ariſtoteles περὶ φυτῶν primo. Poma mortis in prouincia Peru Occidentalis Indiæ, an Sorba eſſe ignoras? At varietate regionis adeo pernicioſam plantam euadere nouum videri non debet, cum & ſexcentis aliis eiuſmodi mutationes accidere conſtet. Summa ſummarum, quod ſi terra generibus humorum non eſſet diſſimilis, & diſparata, non tantum in Syria, & Arabia in Harundinibus, & Iuncis eſſent odores, neque abietes in Arabia Thure manarent, neq; Olea in Troglodytica regione Myrrhæ glebulas funderent, nec Hedera in India Piperis baccas daret, nec Cyrenis in Ferulis Laſer naſceretur, nec Cinnamomum & Caſſia in Moluccis inſulis ex Lauro decorticarentur, ſed in omnibus terræ regionibus & locis, eodẽ genere, omnia procrearentur. Has autem varietates regionibus & locis, inclinatio mũdi, & ſolis impetus proprius, aut longius curſum faciendo tales efficit terræ humores: quas qualitates non ſolum in his rebus, ſed etiam in pecoribus & armentis diſcerni notius eſſe autumo, quam vt autorum teſtimoniis demonſtrare habeam neceſſe. Illud in tranſitu adiecerim, nobiſcum ſentire Theophraſtum & Plinium clariſſimos rerum conditores, Calamum & Iuncum odoratos nequicquam a noſtris harundinibus & Iuncis diſcrepare, præterquam quod fere compertum ſit, vt quæ locis frigidis odore carent, ea feruidis odorata ſint, vt Calamus & Iuncus in Syria. Abunde ſatis, & latius etiamnũ quam res exigebat demonſtraſſe me arbitror, Doronicum Europæum eandem prorſus eſſe cum Orientali plantam, quando & nomẽ, & radicis effigies, & par vtriuſq; natura illud coarguunt, nullo alio quam maioris minoriſq; diſcrimine. Itaq; Doronicum vulgare nequaquam Mamiras appellabitur, vt Fuchſio placet, cum Doronicum ſit, Auicenna inter Memiren, quod Mamiras eſt, & Doronicum differentiam adnotante. Quare cum hactenus nihil obſtare animaduertam, quo minus Dulcichinum Mamiras dici poſſit, non recantabo, nec dimouebor a mea ſententia, niſi tu exercitatiores in literaria palæſtra athletas in arenam deducas denuo, qui id agant, vt tua & fulciant comprobentq;, & mea deſtruant confringantq;: quod vt facias, vehementer etiam atq; etiam rogo. Scio non defuturam tibi argumentorum copiam, quibus exiſtimationem tuam tuearis, & defendas, ac meam opinionẽ conuellas confundaſq;. Ridendus hoc loco Bellunenſis, qui Dulcichinum ab Auicenna Granum Alzelin vocari aſſerit, non animaduertens, Alzelin inter fructus, non radices ab autore connumerari, & Serapionem cap. 337. Simplici medicamento in ſiliquis naſci tradere. Habzelim (inquit) granum pingue eſt, magnitudine Ciceris, citrinum ab exteriore parte, albũ ab interiore, boni ſaporis, apportatur è terris Barbaris, nominaturq; Piper Aethiopicum (verum Piper Aethiopicũ re vera eſt aliud) in Barbaria dicitur Croni. Forma ſpectatur phaſeoli ſiliqua & Grano minoribus. Color grani citrinus nigerue. Sapor acutus ad inſtar Piperis. Vis eius gradu tertio calida, humida primo. hæc ille. Ex quibus planum fit, ingens eſſe diſcrimen inter Dulcichinũ & granũ Zelin. Memini me Venetiis aliquando Agyrtã in medio foro Balſami laudes, & præclaras eius virtutes (vt id genus hominum facere aſſolet) decantantem conſpexiſſe, qui poſt longam inanium verborum ſeriem, ſiliquas quaſdam faſelo ſimillimas, breuiores, aromaticum ſaporem præferentes, quibus ſemina nigra faſelo æqualia, ſed minora inerant, pro Balſami fructu venditabat, qua res & doctis, vt audio, impoſuit, verũ veterum Carpobalſamum cum iactatione etiamnum dubitantibus, quum tamen medius fidius aliud nihil ſint quam Croni, ſeu Hab alzelin. Sed iam tempus eſt vt Holoconitin Hippocratis, Dulcichinum eſſe probem, & differre a Molyo, non ſolum Dioſcoridis, verũ etiam auctorum omnium oſtendam. Magna & vetus eſt eruditorum concertatio, cuiuſmodi planta ſit, quam antiquiſſimus ille Græciæ vates, vnicus ingeniorum omnium fons & victor Homerus, Plinij iudicis ingeniorum ſummi ſententia, Mercurium Vlyſſi tradidiſſe in remedium carminum Circes in decima Odyſſeæ Rhapſodia cecinit.*

> Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος,
> Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί· χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
> Ἀνδράσι γ' θνητοῖσι, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

*Quod interpretans Ouidius Transformationum quarto decimo ait.*

> *Pacifer huic florem dederat Cyllenius album,*
> *Moly vocant ſuperi, nigra radice tenetur.*

*Et meminit Lycophron in Alexandra obſcuro poemate, μῶλυ σωτῆρι ῥίζα. Vbi Iſaacius commentator ait, μῶλυ δὲ [illegible] τοὺς ἰατροὺς τὸ ἄγριον πήγανον, quod & Suidas, Euſtathius, & ſectator eius Eraſmus duobus locis, præfatione in Ariſtotelis volumina Græca, & in prouerbio, Neq; mel, neque apes, Moly ἀλληγορικῶς interpretãtur, radicis nigræ ſymbolo laboris moleſtiam ſignificari affirmantes, qua peruenitur ad animi tranquillitatem virtutis abſolutæ præmium. Diuerſum cenſuit, quiſquis ille fuit, qui hos verſiculos condidit, quos in Priap. luſib. extare obſeruani.*

> *Hic legitur radix, de qua flos lacteus exit,* *Quem cum Moly vocant, mentula Moly fuit.*

*Theophraſtus & Plinius herbam eſſe exiſtimant, & naſci eam circa Pheneum, & in Cyllene Arcadiæ tradunt ſpecie illa Homerica, radice rotunda, nigraq;, magnitudine cepæ, folio ſcillæ, effodi autem difficulter. Hoc enim modo Theophraſti verba legenda ſunt, καὶ μὴν ὀρύττειν γ' εἶναι χαλεπὸν, non quemadmodum Gaza vertit, & omnes Græci codices habent, οὐ μὴν ὀρύττειν γ' εἶναι χαλεπὸν, tum quia Homerus ita tradit, tum etiã quia Plin. difficulter erui ait, Theophraſtum procul dubio ſequutus cuius verba refert ad vnguem. Adijcit huic ſententiæ calculũ Homericus ſcholiaſtes, Moly appellatum eſſe ſcribens παρὰ τὸ μωλύειν, ὅ ἐστιν ἀμαυροῦν τὰ φάρμακα· φασὶ δὲ αὐτὸ ἐκλεγόμενον τῆς ῥίζης τῷ τέλει θάνατον ἐπιφέρειν τῷ ἀποσπῶντι. Quæ verba claro ſunt argumento, non radicẽ ipſam euelli moleſte, (vt plerique falſo reentur) ſed cum mortis periculo eruentẽ ſe ſubiiciat haud facile a quouis*

Margin notes: Cicuta ferè innoxa. — Poma mortis in Peru Sorba ſunt. — Bellunenſis error. — Alzelis quid.

eſfodi poſſe. Quæ cum ita ſe habeant, luce meridiana patet clarius, Homerum per Moly aliud intellexiſſe nihil, quam Cynoſpaſtum ceu Aglaophotin terreſtrem Æliani, quæ, vti a te obſeruatum egregie eſt, Baharas Ioſepho in Belli Iud. hiſt. dicitur, & a Democrito Marmaritis nuncupatur. Tradunt enim autores illi, Baharan, ſeu Cynoſpaſtum captu admodum difficilem eſſe, & rhizotomi manus fallere, oculoſq; refugere, neq; prius conſiſtere quam mulieris menſtruorum profluuio laborantis lotio fuerit conſperſa: neque tamen hoc etiam modo retentam ſine periculo euelli, quippe extrahentem præſentaneam mortem conſequi, niſi eiuſdẽ radicis amuleto fuerit communitus, quo carentes, terram circum circa ſcarificare, radicemq; laqueo vinctam cani alligare, ac repente diſcedere, tandemq; nimio conatu ſequuturum canem radicem extrahere, & veluti domini perſoluentem vices illico commori, & nullo poſtmodum periculo radicem illam a quouis tractari poſſe. Vim eius in expiationibus præſtantiſſimam eſſe, vt etiam qui à ſpiritibus vexantur immundis, protinus liberare compertũ ſit. Moly hoc in marmoribus Arabiæ Perſico latere, & in Iudea iuxta Macheruntem oppidum quærendum. Neque enim dici poſſe quicquam longius à vero remotum arbitror, quam Moly, quod Homerus celebrat, Narciſſum Theophraſto appellari, & Dioſcoridi Colchicon, vt Tragus cenſet, quando Colchici flos lacteus non eſt: & Theophraſtus inſuper magnam inter Moly Homericum, & Colchicon Dioſcoridis, ſuumq; Narciſſum diſcrimen ſtatuit. Sed eiuſmodi errores, Trago fere fatales, toto opere paſſim. Homines ſumus, fateor: ſed parcius errare poſſumus, modo velimus: per incuriam multa committimus. Vt quimus aiunt. Opera laudanda, non opus. Alterius Molyos meminit Dioſcorides & Medici omnes, cui graminis, non Scillæ folia, radix non Cepæ magnitudine, ſed parua. Id tu Holoconitin ab Hippocrate vocari credis, illa fortaſſe coniectura fretus, quod autor is libro de muliebribus morbis primo radicem eius velut bulbum eſſe narrat, nec plane Oliuæ paruæ diſſimilem: quæ notæ Molyi à Dioſcoride reddi videntur. Equidem pleniſſime perſpicio cum hac in parte, tum in aliis plurimis ſingulare illud ingenii tui quo polles, acumen, & fateor exoſculaturum me fuiſſe, protinuſque ambobus, quod dici ſolet, pedibus in iſtam tuam ſententiam deſcenſurum, niſi me Galenus medicinæ coryphæus reuocaſſet, & veriorem amplecti exiſtimationem coegiſſet. Nam autor ille in libello quo obſoleta Hippocratis vocabula planiora facit, μώλιζαν Hippocratem vocare ait, quæ cæteris Moly dicitur: ὁλοκωνίτιδα vero herbam eſſe agreſtem, & a Dioſcoride ὀρεοκωνίτιδα appellari, quaſi dicas in monte natam. Quibus verbis perſpicuum ſit, nihil minus poſſe ſtatui quam Moly Dioſcoridis, & Holoconitin Hippocratis vnius eſſe ſtirpis nomina, quando quod Dioſcorides Moly nominat, Hippocrates μώλυζαν nuncupat: contra quod hic ὁλοκωνίτιδα, ille ὀρεοκωνίτιδα. Quæres tu, vbi apud Dioſcoridẽ ὀρεοκωνίτης habeatur. Reſpondeo, nuſquam. Falſo igitur Galenus Dioſcoridem allegat. Nego. Nam & Auicenna eodem libro quem ſupra indicaui cap. 743. in deſcribenda Zedoaria, & Serapio cap. 104. medi. ſimpl. in Dochon, id eſt, Panico, non Milio, vt male interpres vertit, & Plinius, non is qui naturalem hiſtoriam condidit, ſed alter, libro de re Medica quarto, capite vltimo in Spomelidibus pomis, Dioſcoridem citant, cum tamen nuſquam, quæ nominati autores de iis plantis adferunt, apud Dioſcoridem reperiantur. Niſi igitur nomine Dioſcoridis alium quam Pedacium Anazarbeum intelligant, profecto volumina, quæ hodie ſub hoc nomine circumferuntur, manca eſſe in pleriſque videntur. Sed hæc per coniecturam dicta ſint. Ad inſtitutum redeo. Holoconitin Hippocratis, non eſſe Moly Dioſcoridis, iam tandem te agnoſcere arbitror, alioquin nec Galenus μώλυζαν apud Hippocratem, Moly interpretatus fuiſſet, nec Holoconitin a Molyo ſeparaſſet. Quid multis? Et deſcriptio, & natura Holoconitidi ab Hippocrate reddita, atteſtari videntur, nequicquam a Dulcichino diſſidere. Reliquum eſt, vt pari ratione Moly Dioſcoridis excutiam, perpendamque vera an falſa ſint, quæ à Deo illo herbariorum Matthæolo traduntur, Moly ignotam eſſe Italiæ plantam dicenti. Ridere ſubinde mecum ipſe ſoleo, Geſnere lepidiſſime, doctorum quorundam noſtri æui hominum audaciam (temeritatem enim non dixerim) qui vt fucum, neſcio hercule quam laudatum, ſuæ prætexant ignorantiæ, frequenter fateri non erubeſcunt, multa ſe præterire, ſed quæ nec aliis quidem peruia ſint, ac ſi docta eſſet, ſi diis placet, ignorantia, ea neſcire, quæ ab aliis hactenus prodita non ſunt. Verum τοῦτο μὲν οὐδὲν πρὸς ἔνην καὶ νέαν Ariſtophaneos Strepſiade, aut ſi mauis οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον cum cæteris. Alterius iſta inſtituti: alium hæc locum poſtulant. Dabunt tandem imperitiæ ſuæ pœnas. Moly, inquit Galenus eodem loco quem proxime commemoraui, Allium eſt ſimplex caput habens, & non diuiſum in ſpicas. Quem locum ſi Matthæolus apud Galenum legiſſet, vt profecto legere debuit, nunquam in Molyo, & ſuam, & reliquorum ignorantiam accuſaſſet. Nihil enim medius fidius allio iſto ſylueſtri μονοκεφάλῳ eſſe poteſt notius. Naſcitur locis campeſtribus paſſim, foliis exilibus, gramini aut croco proximis, ſed latioribus, tenerioribus, paucioribuſque, quinarium numerum raro excedentibus: Caule alto, tenui, concauo, albicante, in cuius vertice σκοροδοειδὲς quiddam ineſt. Flores candidi ſunt, non plane iis diſſimiles quos in Lilio conuallium cernimus. Radix ſubiacet parua, bulboſa, nullos in nucleos ſecta, ſed ſimplex, & vnica, alliũ olens & ſapiens, quæ cauſa fuit vt a Trago Allium caninum diceretur, & eo quoque ſub nomine ſecundo loco poſt Allium ſylueſtre depingeretur. Sed de omnibus ſatis à me dictum eſt, pleniuſque ac ab initio quidem putaram, nec pauca præter inſtitutum: quare iam oportunum eſt claſſicum comprimere, & receptui canere, contractiſque huius epiſtolæ, ſiue potius libelli velis, ſenſim portui adnauigare. Illud currens notauerim, Moly a Dioſcoride vocari, & Eringion, & Solanum ſoporiferum, quod Plinius item comprobat, & Rutæ vtranque ſpeciem, Montanam, & ſylueſtrem alteram. Nec me prætereunt, quam monſtroſa ſint, quæ Plinius de ſuo Molyo memorat, radicis 30. pedes longa. Verum ego ſuper eo alibi copioſe. Hæc in tranſitu monuiſſe quid officiet? Habes igitur vir præſtantiſſime, incomptam quidem, nec qualem tuæ dubitationes exigerent, ſed ingenuam reſponſionem, quam ita accipias velim, vt ab eo qui te diligit ſine aliquo fuco proficiſcentem. Tuum erit, acri tuo ingenio, & exacto iudicio, tam hæc quam alia quæ à me ſcripta ſunt, diligenter examinare, calculumq; vel album, vel nigrum ſingulis porrigere: vtrunque enim æqui bonique conſulam, modo me ames, quod vt facias etiam atque etiam rogo. Vale.

Aglaophotis Æliani.

Baharas Ioſephi vt colligatur.

Tragus arguitur.

Moly Dioſcoridis non eſſe Holoconitin.

Oroconitis Dioſcoridis.

In Matthæolum.

Moly Galeni.

Allium ſylueſtre.

Allium caninum Tragi.

CON-

# CONRADVS GESNERVS MELchiori Guilandino. S. P. D.

*PRo epiſtola tua, erudita ſane & prolixa, quanquam mihi cum voluptate legenti perbreuis ea viſa eſt, gratias tibi habeo doctiſſime Guilandine. Nam quod ad breuiſſimam meam tam copioſe: quod ad ſubitaneam & familiarẽ, tam grauiter & argumentoſe reſpondere dignatus es, id quidem ex amoris in me tui abundantia profectum interpretor. Tantus autem orationis tuæ apparatus eſt, vt perlectis omnibus, animo conſternatus, & neſcio quomodo affectus (quod ex mea etiam nimium ſimpliciter condita, itidem tibi contigiſſe, vt ſcribis, miror) ſententiam omnino mutarem, & victum vndiquaq; vt faterer, non parum abfui. Id quod (vt mox initio dicam, ne prorſus contumacem & refractarium me putes) circa Bulbocaſtanum certe ingenue fateor. Dabo enim hoc honori tuo, vt victoriam tibi adſcribam eius rei, de qua tecum non certaui, ſed interrogaui duntaxat ſubdubitans: atq; hoc etiam glorioſius tibi eſt ſi me non tanquam aduerſarium, ſed vt preceptor diſcipulum vincas. In reliquis vero non æque, vt in progreſſu epiſtolæ dicam, tecum ſentio. Neque vero me a te amando, colendoq; (hoc eruditio tua, illud beneficentia meretur) acres & vehementes illæ tuæ ὄντως ἑλληνικαὶ ῥητορεῖαι dimouebunt: non magis quam ab Antiſthene Diogenem baculus. Imo quod tam audacter me increpas, quod mentem & oculos in me requiris, declamatorio quodam & pene tragico dicendi genere, equidem minime ægre fero: qui malim, ſi in alterutram peccandum eſt partem, nimio inueniendæ veritatis feruore peccari, quam remiſſione nimia nullum in nobis rerũ inquirendarum ſtudium flagrare. Itaq; vt hoc tibi condono, & viciſſim eodem erga te candore ac libertate, homini Heluetico & libere educato agendi, abſq; vlla indignatione tua, ius egomet mihi ſumo atque poſtulo. Epiſtola mea, quantum memini, nimium forte familiaris, dubitationes tantum & interrogationes aliquas continebat: vt plenius inſtruerer de iis quæ tu ſimpliciter ad me ſcripſeras. Tu vero ita commotus es, ac ſi ea quæ ſcripſiſti, vera eſſe negaſſem, & toto (quod aiunt) cœlo aberrarem. Atqui inter errorem ac dubitationem multũ intereſt: adeo vt inuicem contraria ſint, ita vt ἕξις & σέρησις. Dubitare certe non eſt negare: neque penitus ignorare, ſed principium quoddam & via ad cognitionem. Et philoſophi hominis, non quidem ignorare nihil, quod in nullum hominem cadit: ſed ignorantiam fateri primum, deinde in vtramque partem argumenta diſquirendo conferre. ἔςι δὲ τοῖς εὐπορῆσαι βουλομένοις προὔργου τὸ διαπορῆσαι καλῶς. ἡ γὰρ ὕςερον εὐπορία, λύσις τῶν πρότερον ἀπορουμένων ἐςί. λύειν δ᾽ οὐκ ἔςιν ἀγνοοῦντα τὸν δεσμὸν inquit in prima philoſophia Ariſtoteles. Et in lib. de longitudine ac breuitate vitæ: ἀρχὴ δὲ τῆς σκέψεως ἀναγκαία πρῶτον ἐκ τοῦ διαπορῆσαι περὶ αὐτῶν. At tu longe ſecus, ne inquirendo anxie veritatẽ in denſiſſimas tenebras abeam periclitari me ais: & ſtolidiſſimis hominũ chymiſtis me cõparas immerito: illi enim rem impoſſibilem quærentes merito non inueniunt: ego vero diligenti indagatione & hactenus in hoc ipſo Stirpium genere quædam inueni, Dei gratia: & inuenio ſubinde, nullius ante me literis, quæ ad me peruenerint, prodita. Dices fortaſſis diſcentẽ æquum eſſe credere & aſſentiri. Fateor: & in plurimarũ rerũ cognitione, doctore te frui licere mihi optarim. Sed diſcentiũ conditio duplex eſt, nam qui pueri vel tanquā pueri diſcunt, ſimpliciter & abſque demonſtrationibus etiam, fidẽ autoritati præceptorum, vt filij parentũ, adhibere debent. Qui vero methodi ac demõſtrationis vim intelligendo conſequi poſſunt, illos ſane homini vtcunq; amico, & autoritati abſque certa ratione credere, in rebus quidem humanis, prorſus ἀφιλόσοφον eſt. In amicitia vera voluntati & beneuolentiæ vtrinq; habēda eſt mutua fides quā ſynceriſſime, ita vt neuter de alterius animo dubitet, etiāſi euentus aliquando non videatur reſpondere. Multæ enim ſunt cauſæ & circũſtantiæ, propter quas multa ſecus quam inſtitueramus eueniunt. Iudicio vero & doctrinæ ſuæ, quamuis dubitationes in contrarium non deſint, credere amicum poſtulare, ambitioſum eſt, & neruum amicitiæ æqualitatem excedit. Poteras mihi nullo artificio, paucis & breuiter comprehenſis argumentis ſatisfacere, ac dubitationes meas diſſoluere: ſed oratorem te eſſe declarare mihi voluiſti. Non erat quod tantopere mirareris Guilandine, Italiæ quaſdam aut Græciæ plantas, mihi eſſe ignotas. Aut cur non Dioſcoridem quoque, Galenum, Plinium, Theophraſtum, Hippocratem, & alios qui in hac naturæ parte reliquis mortalium excelluerunt, ſingulos plurima alienarum regionum medicamenta vel ignoraſſe prorſus, vel nomina vel vires eorum (nihilo hoc nomine indoctiores) non probe calluiſſe miraris? Cur non te ipſum? qui forſan omnium hominum ad noſtram vſq; ætatem diligentiſſime harum rerum cognitionem es perſecutus: ad nos tamen ſi venires, Helueticas quaſdam, alpinas & alias quaſdam plantas (non dubito) vel prorſus, vel nominibus quibuſdam, vel facultatibus, ante hac ignotas tibi oſtenderem. Tu vero admiraris, Mamiran eſſe Dulcichinum aut Oloconitin, non ſtatim me tibi aſſerenti credidiſſe, idq; ſine autoritate (quis enim hoc ante te docuit?) ſine rationibus. Potueras ſaltem ex tam breui & incompto Epiſtolio meo, etiamſi non expreſſiſſem, hoc tempore prorſus à ſtirpium hiſtoria alienum eſſe me cognoſcere: & in eo adhuc lucubrandi argumento hærere, quod ante multos annos incepi: atque vtinam feliciter & aliquo cum ſtudioſorum fructu aliquando abſoluam: Animaliũ hiſtoriam dico, cuius pars de Aquatilibus totum nunc me occupat, vt vix aliud cogitare liceat. Et hæc etiam nunc quæ ſcribo, imo effundo, aliud agens, horas aliquot piſcib meis ſuffuratus ſcribo. Quod ſi otium ſuppeteret, & eadem diligentia in plantarum hiſtoriam incumbere poſſem, quam nunc in piſces conſumo, de paucioribus forte dubitarem, ac minus tibi ſciſcitando moleſtus fuiſſem: nec illos quos tu mihi profers, Tralliani locos ignoraſſem. Sed cauebo in poſterum, quando iam noui ingenium tuum, ne importunius ſciſcitando, aut argutius dubitando, negocium tibi faceſſam. Quanquam nunc etiam non male hæc audacia mihi cecidit. Nam & ego natura (hoc eſt, Dei beneficio) non admodum commoueor: & à bonis doctiſque viris amandis, inter quos minime poſtremum locum tibi tribuo Guilandine, nulla increpatione me abſterreri patior. Tu quoque viciſſim, ſi magno celſoque animo vir es, qualem te eſſe mihi perſuadeo, non ideo me amare deſines, quod aliter forſitan quam expectares tibi reſponderim. Magnum enim amicitia tuæ amiſſa dolorem mihi cieret. Tu qui Germaniam Italiam, Græciam, Africæ oram, & alias regiones peragraſti: qui ingenio vales, & indefeſſo ſemper ſtudio omne genus librorum excutis qui doctiſſimorum virorum amicitiis flores, multa non me tantum, ſed publice omnes docere potes: idque vt facias, & omnes tuas varias, raras eruditas, copioſaſque obſeruationes, in ſtirpium hiſtor. præcipue, in literas mature referas, antequam humanitus aliquid tibi accidat, etiam atque etiam te rogo. Et quan-*

quam te vellem ſimplicius proponere pleraque: ſi tamen opera precium videbitur interdum, ne hominũ authoritas cuiquam imponat, illis etiam qui viri magni videri volunt, interdum reprehendis, ſiue nominatim, ſiue opinione ipſorum duntaxat, non abſtinebis. De me quoque, poſtremo in hoc ſcriptorum ordine, vbicunq; diſſenſeris, pro arbitrio ſtatues, totum enim in poteſtatem me tibi trado. Quod ſi quid laude dignum in me laudaueris, amabo te: ſi quid merito taxaueris, non iraſcar. Puerile profecto, ἄγροικον & nequaquam ſapientis, ne dicam impij, viri eſt. ſanctum amicitiæ ius propter aliquot herbas, earumue nomina, diſſolui, quod hodie tamen vel inter viros magnos & graues, vt ſibi aut vulgo videntur, infrequens non eſt, quibus hoc fere exprobrari poſſet, quod Cynicus Diogenes homini amicitiam eius expetenti, ſaperdam vero (aut caſeum, vt alij tradunt) ferre detrectanti, dixiſſe fertur: τὴν σὴν καὶ ἐμὴν φιλίαν σαπέρδης διέλυσε. Niſi tu fortaſſis aliud etiam hic ſpectari putas. gloriam & oſtentationem ingenij, quo nemo libenter cedit. At hoc etiam abſurdius eſt, ambitionis & contentionis ſtudio ſummam virtutum amicitiam ſoluere. Nos igitur iſtos, φιλὴ κεφαλὴ, rideamus: & alter alterius poſthac ſententiam ac argumenta placide tranquilleque (hoc eſt ἀπαθῶς, aut certe μετριοπαθῶς) audiamus: vt ſi fieri poterit, conſentiamus per omnia: ſin minus, ſalua amicitia, libere, ſimpliciter, candideque inter nos diſſentiamus, nullis æmulationis, inuidiæ, ſimultatũ, aut calumniæ affectibus obnoxij, vt indoctiſſimi quidam docti hodie ſunt. Amicitia vera animorum inter ſe vinculum eſt, virtutum ac pietatis ratione connexum, hæc igitur ſaluis, quorum nomine ſuſcipitur, rumpenda non eſt. Quid ad virtutem aut pietatem herba, frutex, lapis, piſcis? quæ vel ſuis nominibus ignorari, vel ipſa ſtirpitus interire, quam ſacroſancta amicitiæ iura, quorũ autorẽ imo exemplar Deum habemus, inter homines violari præſtaret. O vita, ô mores. Non tecum iã Guilandine loquor: nec te huius criminis reum facio: ſed alios noſtri tẽporis homines, vix homines, noto: qui mundo ſe deridendos præbent, dũ vel in medicina noſtra, vel aliis de rebus neq; magni momenti, & ad vitam ac pietatem minime neceſſariis litigantes, tumultuantur, inſaniunt, cœlum terræ permiſcent, neque ſomniantes tantum (vt tu ſomniabas) ſed vigilantes ἐπτομαίνουσιν. ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Nihil ſimplicius veritate, nihil ſimplicitate pulchrius, cum aliis in rebus, tum in oratione & doctrina. Agamus igitur deinceps inter nos quam ſimpliciſſime: & vt in Areopago moris erat (neque enim maior illius maieſtas fuit, quam amicitiæ inter viros bonos eſſe debet) ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίων: vt veritas ipſa nuda ſic magis eluceſcat, quanquam enim feruore aliquo & iuſta æmulatione ingenium in aſtruendo vero excitatur, nimium tamen altercando & indulgendo affectibus ſæpe amittitur veritas. Ego forte te omniũ in hac palæſtra exercitatiſſimum, aut nihil aut perparum docere poſſum, mi Guilandine: excitare ſaltem te & veluti obſtetricando, ea quæ concepiſti, quæque parturis, vberius, felicius & maturius in lucem vt edas, interrogando dubitandoq; efficere, quantum in me eſt, percupio, nam hoc etiam non cuiuſuis eſt, de vnaquaq; re commode dubitare. Sed egomet mihi prolixitate mea diſpliceo. quam tamen epiſtola tua propemodum mihi extorſit. Expectas forte vt ea quæ ad confirmandas opiniones tuas attuliſti, tandem refellam: ego vero non tecum diſceptare, ſed profecto abs te aliquid addiſcere, & rationibus tuis intellectis cum ipſe ſolidius tecum ſentirem, tum apud alios iiſdem argumentis vti, & ſententiam tuam fulcire poſſem, in animum induxeram. Nunc quoniam & res ipſa poſtulare, & tu quoque petere videris. ſi quid in contrarium poſſem, vt depromam, ne facile de ſententia ſemel non ſine ratione concepta recedere videar, quod leuitatis non iudicij eſt, expectationi tuæ aliqua ex parte (quantum & per ingenium & per ocium licet) ſatisfacere conabor. Non deeſſent mihi probabilia multa, quæ in contrarium adferrem: iis tamen abſtinebo, cum mihi prolixiori eſſe, nec liceat, nec libeat: quanquam tu quoque in tuis aſtruendis probabilia multa, vt oratores ſolent, non vndiquaq; firma aut neceſſaria, protuliſti. Quid pridem ad te ſcripſerim, non equidem ſatis memini, neq; Epiſtolæ ad te datæ copiam habeo: ſed ex tua, quæ ſcripſerim, pleraq; agnoſco.

Mamiras & Bulbocaſtanum diuerſa.

Primum igitur in eo quod dubitaui an Mamiras Pauli, Bulbocaſtanum Tralliani forte eſſet, plene à te ſatisfactũ mihi eſt: & plantas eſſe diuerſas facile agnoſco, & tibi qui tam liquido id mihi demonſtraſti, gratias habeo maximas. At ſuperiori æſtate cum ſemina quædam peregrina ad me dares pro tua liberalitate, pro Mamira quidem Dulcichinum mittebas (vt nunc quoque ſentis) radiculas ſcilicet: eam vero Oloconitin Hippocratis eſſe negabas, quod ridicule rhizotomus quidam ita ſenſiſſet: Oloconitidis autem ſemen ſeorſim mittebas, nigrum, rotundum, durum, ſapore fere nitroſo, magnitudine, qua minimum genus viciæ. Schedæ inſcriptio hæc erat: Oloconitis Hippocratis, quod ei apud reliquos medicos nomen quærendum. Nunc vero in epiſtola tua, quæ prius ſeparaueras, coniungis: Traſi ſiue Dulcichinum recentiorum, Pauli Auicennæque Mamiran, Hippocratis Oloconitin eſſe magna voce clamas, & aſſerentes idem Hippocratis manes producis. Itaque tum forte dubitaui, poſſetne idem Bulbocaſtanon dici, quod radix veluti bulbulus quidam, ſaporis dulcedine caſtaneis proximis (vt Matthiolus ſcribit) appareret: nunc vero penitus tecum ſentio, poſtquam & Bulbocaſtani radicem mihi communicaſti, & Rhodios etiamnum ſic appellare docuiſti, &c. Quamobrem & aſſertam à te veram Tralliani lectionem, & rem ipſam quoque demonſtratam, ex animo tibi gratulor, aſſentior, gratias habeo: & cum doctrinam diligentiamque tuam admirabilem veneror, & candorem exoſculor: qui communia mihi & hæc & alia complura, doctiſſimis tuis ad me literis, & nunc & prius facere dignatus es. Bulbocaſtanõ igitur quid ſit, nihil eſt quod amplius addubitem. Mamiras vero quid ſit, ſi venia tua licet, adhuc ſum dubius: & rurſus veteris alicuius Medici (non Hippocratis, qui Mamiran fortaſſis haud agnouit: ſed Pauli vel Auicennæ) manes, ſi qua arte non illicita potes, non Magia non Necyomantia, euocari à te vellem, qui omnem nobis hac de re dubitationem tollerent.

Mamiras an Dulcichinum.

Tu Mamiran Dulcichinum eſſe affirmas: aut potius ſomnias: ego vigilans nego. Veterum igitur de Mamira audiamus ſcripta: & an ea Dulcichino conueniant, cõſideremus. Mamiras (μαμιρᾶς. vltima circunflexa in prima declinatione, & ſeruat alpha in obliquis) veluti radicula quædam eſt. οἷον ῥίζιον π. herba, habens veluti nodos frequentes (κονδύλους πυκνοὺς) quæ cicatrices & albugines attenuare creditur, abſtergentis nimirum naturæ, Aegineta libr. 7. Mamiram Auicenna libro ſecundo cap. 487. eſt lignum ſicut nodi, declinans ad nigredinem, in quo eſt reflexio parua: & eſt acutius quam vena tinctorum, calidum & ſiccum in fine ſecundi gradus, abſtergit & expurgat, ſiquidem abſtergit albedinem vnguium. Succus eius humiditatem craſſam detrahit, & purgat excrementa cerebri. Radix eius dolori dentium medetur. Purgat albuginem oculi, & acuit viſum, ſit cum eo alcohol, & abſtergit humiditatem craſſam, proprie ſuccus eius. Radix etiam vtilis eſt ictericis Dolori ventris pungenti medetur: & eſt in eo prouocatio. Hæc Auicenna. Quod ſi vires Mamiræ perpendas, eaſdem

omnes

Mamira & Chelidonia carundē vitium.

omnia fere Chelidonio vel maiori, vel minori, à veterib. Græcis adſcripta reperias, non dico Chelidoniũ Mamiran eſſe, vires conuenire dico: nempe Chelidonium maius euidēter calfacit, & ſiccat (hoc eſt in ſecundo gradu, vel principio tertii) abſtergit, craſſos circa pupillam humores diſcutit, radicis & ſucci vſus eſt, è ſucco collyrium fit, dentium dolori medetur, ictericis prodeſt, hæc omnia ſuo Mamiræ tribuit Auicenna: & inſuper & vngues albos (ſcabros intelligo) emendet, & propter acrimoniam ſuccus eius naribus immiſſus, caput expurget: quæ duo remedia Græci Chelidonio minori adtribuunt. Non (inquam) Chelidonium Mamiran eſſe dico ſed viribus cum eo congruere: vnde apparet, quantum a dulci humectante & inflante radice Dulcichinorũ abſit. Acutius (vel, vt vetus interpres habet, calidius) eſſe Mamiran Auicenna inquit, quam venas tinctorum. Eodem autem in lib. cap. 736. de venis tinctorum ſcribens (Arabice eſt Haruchſubagin) eadem prorſus de ipſis tradit, quæ de Chelidonio Galenus. Ergo Chelidonio aut æquales habebit vires Mamira, aut etiam vehementiores. Quid hoc ad Dulcichinum radiculam, quæ primum calfaciendi ordinē non excedit, & acrimonia omnē caret? Neque hic me commouebunt argumenta tua Guilandine, quibus circa Doronicum vteris, quod in Europa & noſtris regionibus ſapore, odore, viribus cæteris inferiora naſcantur pleraque. videmus enim & experimur, eoſdem primarum qualitatum ordines in noſtris herbis reperiri pleriſque omnibus, quos ſuis olim Græci attribuerunt: quod ſi pauca quædam excipias, n. h. l hæc ad vniuerſalem ſententiam infringendam faciunt. Poſſem hic euagari ad longam digreſſionem, ſed non libet nec vacat.

Dulcichini & Mamiras comparatio.

In Dulcichinis eximia eſt dulcedo: Mamiran dulcem eſſe nemo dixit, ſed acrem & acrimonia abſtergentē: qua quidem facultate remedia multa præſtat, ad quæ nemo hodie Dulcichinis vtitur, nec vteretur profecto feliciter. Dulcichini radiculas geniculatas cernimus: in Mamira condylos, id eſt, nodos habent. Sic & Polypodii radices, nodis & veluti cicatricibus aut tuberculis diſtinguuntur, geniculata non ſunt. Taceo Auicennam Mamiran lignum facere, quod Dulcichino nequaquam conuenit, & Æginetam non radiculam, ſed veluti radiculam. Apud Trallianum libr. 2. cap. 5. ad exterendas cicatrices oculorum vox μαμιρᾶς in Græcis codicibus deeſt: a Gupylo ex Ægineta eum in locum recte repoſita. Apud Nicolaum Myrepſum requiritur in Antidotũ de Croco Eſdræ, mox ab initio: Actuarius in Ruellii verſione habet Mamere. Aetius quidem & Paulus in eiuſdem antidoti deſcriptione (Fuchſio teſte) Mamiræ non meminerunt. Doronicum Orientale, Paulo Arnabo aut Mamiras vocatur: eo Romanum durius & ſolidius eſt: Fuchſius.

Doronicũ, Arnabo & Mamiras.

Sed profecto Doronicum, Arnabo & Mamiras, vt voce ſimilia tria, ita res etiam tres diuerſæ ſunt, vt oſtendemus. Doronicum noſtrum, vt vulgus medicorum appellat quod in alpibus noſtris & hortis etiam tranſplantatum prouenit, mollius eſt Romano & Orientali, ni fallor, ad manum enim peregrina nunc non habeo, noſtrum molliuſculum eſſe ſcio. Ruellius apud Actuarium Mamiran interpretatus eſt Doronicũ, ita vt lector ſuſpicari poſſit ipſius autoris eam interpretationē eſſe: quod fidi interpretis non eſt. & multis forte impoſuit, ſicut & Fuchſio Gyraldus Simeonis interpres: Errant (inquit Fuchſius) qui carnabadium recentiorum Græcorum, idem cum Doronico eſſe putant, nam ita Simeoni Sethi careum appellatur: Nicolao autem Merepſo cuminum Æthiopicum. Atqui hoc non Simeon Græce ſcripſit, ſed de ſuo adiecit Gyraldus interpres, carnabadium eſſe careum. Cæterum iiſdem fere rationibus, quibus Dulcichinum non eſſe Mamiran negaui, Doronicum etiam vulgo dictũ Mamiram eſſe negari poteſt. Iac. Syluii etiam verba de Doronico ex Serap. non bona fide recitantur: Doron. (inquit ille) Serapioni eſt radix parua, foris ſubflaua, intus alba, dulcis, calamo aromatico ſimilis, calida, ſicca ordine tertio, flatus, præcipue vteri, diſſipat: cordis palpitationi confert, ipſumq; roborat, venenoſis ictibus auxiliatur, ſumptum & admotum (cum ficubus) Hæc Syluius. At Serapionis codex meus Argentinæ olim excuſus, in voce Haronigi (Syluaticus legit Varonig) cap. 325. neq; dulce Doronicum, neq; Calamo aromatico ſimile facit: ſed reliqua, quæ Syluius de eo tradit: Fruſta ſunt (inquit) craſſitudine ramorum ſcetaragi, magnitudine nodi pollicis ad ſummum: & ſunt venæ (radices) albæ intus, ſubcitrinæ foris, aliquantulum duræ & graues: & deferuntur ex Sem vt pluimum. Et mox de viribus, eadem quæ iam ex Syluio retulimus, ſcribit: (quæ certe cum Doronico hodie dicto ſiue Europeo ſiue Orientali, minime conueniunt:) & antidotis magnis admiſceri ait, ſicut & Auicenna libro 2. cap. 210. Durunegi vel Durunegi vocans: Eſt autem (inquit) fruſtum lignoſum radicale, nodos habens, interius album, &c. Loco eius ponitur Zurumbad æquale pondus, aut duæ tertiæ ponderis ipſius de caryophyllis. Ex his verbis deſcriptionē Mamiræ & Durunegi, ſimilem eſſe apparet: colore tantum excepto: nempe lignum radicis inſtar, nodoſum, remedia vero ex vtroq; diuerſa: etſi vtrunq; calidum ac ſiccum ſit, hoc ordine tertio: illud in fine ſecundi. Ergo veri Doronici, ſeu Durunegi loco quandoquidem eo caremus, vel Galangam, vel Zedoariam, vel caryophyllos cum ſeminibus, quæ flatus diſſipant, vſurpabimus: His ſcriptis, apud Syluaticum ſic legi: Doronco radix eſt ſimilis brancæ pulpi, (pedi vel brachio polypi, acetabulis tanquam nodis aſpero: à qua ſimilitudine filiculæ etiam nomen fecerunt Græci) & adfertur ex India ſed quia raro habetur, ponitur pro ea vernix: Sed pro vernice puto varonig legendum, quod eſt Doronicũ Serapioni, vt paulo ante recitaui. Idem Syluaticus alibi ſine autore: Dironici (inquit) ſunt radices paruæ, cuiuſdam herbæ ſimiliter nominatæ, habentis folia parua, vtcunque rotunda, & flores violaceos, naſcitur in muris & rupis, (rupibus.) Et eandē eſſe Varonig. Arabice dictam ſentit. Vulgare noſtrum Doronicum flores luteos profert, hedypnoidis aut barbæ ſenis (quam vocant) floribus ſimiles forma coloreque: qui forſitan cærulei quoque in ſpecie alia mihi adhuc ignota reperiuntur. Doronicum nominatur in Diambro Meſuæ: Actuarius in eodem non habet. Doronicum vulgo dictum nimia dulcedine omnes fere radices, ita vt amaritudine Gētiana, acrimonia Zinziber excedit: at veteres Doronico ſuo nullam ſaporis dulcedinem aſcripſerunt. Quod ſi etiam tibi donarem Doronicum noſtrum & veterum (ſic enim Durunegi appello) eandem eſſe herbam, quoniam tamen, vt tu quoq; fateris, noſtro eadem vires non ſunt, in remediis quæ veteres præſcripſerunt, non noſtro vtendum, ſed aliis ſuccedaneis de quibus dixi: inter quæ & Zurumbad eſt. Matthiolus in Serapione duo capita de diuerſis Zurumbet confundit: poſterius ſane videtur carpeſium, & Zarnabo ab Auicenna dicitur: nam & feſtucas eſſe aiunt arboris cuiuſdam, & pro Cinnamomo poni. &c. Zedoaria Auicennæ (Algieduar ipſe nominat) eadem præſtat quæ Ariſtolochia, & quæ Durungi: ſed efficacius quam Durungi aduerſatur venenis, nominatim napelli (vt Antitora dici mereatur) viperæ, & aliis.

Zurumbad.

Porro Zurumbad eidem eſt herba, vel lignũ: vt Bullunenſis emendat, ſimile Cypero, ſed maius, & minus odoratum, calidũ & ſiccum in tertio abſceſſu. Flatus diſſoluit, impinguat, & aufert odorē vini. & aliorum & ceparum. Cordi lætitiam & robur conciliat. Vomitũ retinet. Aſtringit naturã, (aluum intelligo) &

*vteri inflationes pellit. Morſibus venenoſis efficaciter medetur, Zedoaria in hoc propinqua. Ponitur autem loco eius aduerſus venena Durungi ſeſquialterum, & duæ tertiæ (portiones) ponderis eius de taraxaco ſylueſtri, & dimidium ponderis eius de granis citri. Vides quam cognata inter ſe natura ac viribus remedia ſint, Zedoaria, Zurumbed & Durungi: & quam iniquæ facturus eſſet, qui pro aliquo iſtorum Doronicum noſtrum ſupponeret: Rutam ego malim, aut Ariſtolochiam, ex remediis quæ noſtræ regiones ferunt, quam Doronicum noſtrum pro veterum Durungi vſurpari, ſed Zedoariam præ cæteris probo. Cæterũ quod Zurumbed Arabes, hoc*

**Zurumbed eſt Carnabadium.**

*Græci recentiores Carnabadium dixerunt, vt ex Simeone Sethi apparet: καρναβάδιον (inquit) calidum eſt & ſiccum ordine tertio: concoctionem ciborũ adiuuat, flatus diſſipat, ſtomachũ roborat, ventrem ſiſtit, lumbricos interimit, vrinã cit, pituitam incidit, ſed flauam bilem in calidis corporibus gignit. Porro Zurumbeth alterum*

**Zurumbeth alterum Serapio.**

*Serapionis (cap. 261. in mea editione) quod Arabice aliter in translatione Gal. Tarich adhueba vocari dicit: aroma eſt calidum & ſiccum prope tertium gradum, caſiæ & cubebis virib. proximum, quod pro cinnamomo poni Galenus & Paulus autores ſunt. Et Iſaac filius Amram: Eſt (inquit) arbor magna, in montibus Lubnen: id eſt, in Oriente, nullo fructu, foliis longis, colore inter viridẽ & citrinum, ſimilia foliis ſalicis: idem & ramorũ color eſt, odor citri. Calefacit, ſiccat, aſtringit, reſoluit (flatus nimirũ, potius quã apoſtemata, præſertim matricis, vt in cap. 72. ex Meſarugie quidam tranſtulit) & adſtringit ventrem. Eſt in eo aſtrictio vna cum ſubtilitate & caliditate. Eadem efficit quæ nux moſchata, ſed eſt ſubtilior ea. Confert dolori capitis frigido & humido cum oleo violaceo, ſi ſternutatorium inde fiat. Stomacho & hepati vi aromatica ſua prodeſt. Hæc Serapio. Vnde apparet facultates eaſdem fere vtrique Zurumbeth ſuo eum attribuiſſe: & ſi forte errauit Matthiolus duobus capitib. in vnum confuſis, leuem & ferendum hunc errorem eſſe. Sed prolixior ſum, quam par ſit. Certe Arabes medici pleriq; ſæpe res diuerſas in vnam confundunt, & ex vna propter nominum varietatẽ multas faciunt: & ſcripta Græcorum inepte transferunt: quanquam in plurimis interpretes potius eorum, quã ipſi fuerint accuſandi. Carnabadium, Zarnabo, Arnabo, aut res vna & eadem ſunt, aut ſubſtitui inuicem poſſunt. Zarnabum ſimul & Zeduaris in antidotum diamoſchu Actuarii recipiuntur. Zadara in diamargaru. Carnabadium & zedoaria in antidotum aureã Alexandri: vbi Fuchſius Nicolaum Myrepſum Carnabadii no-*

**Cuminũ Æthiopicum.**

*mine intelligere dicit cuminum Æthiopicum, idq; conſtare ex antidoto eius 406. vbi ipſe ita interpretatur. Ego in ea antidoto nihil tale inuenio, & numerum a librariis corruptũ puto: nec magna apud me Myrepſi autoritas eſt. Cuminum Æthiopicum certe carnabadium eſſe minime conceſſerim ſed in locum eius forte ſuccedere poſſe. De Grano alzelen Bellunenſis verba hæc reperio: Granum alzelen vel allezen, eſt granũ quod apud*

**Granum Alzelen.**

*Venetos appellatur Dolceghini: & naſcutur etiam in Africa, & alio nomine Arabico dicuntur Hab alzizi. Eius ſententiæ Leonem quoque (neſcio quem) Africæ deſcriptorem eſſe ais: Eruditus etiam & longe peregrinatus vir Alexander Benedictus idem ſentit. Tu contradicis. Mihi hoc tempore non licet diligentius rem perpendere. Video tamen Granum Zelim a Serapione deſcribi cap. 327. & reprehẽdi illos qui id cum Croni vel pipere Ni-*

**Croni.**

*grorum cõfundunt. Ego Dulcichinos granum alzelin eſſe ſentiam: Croni vel piper nigrorum, id quod tu etiam ſic appellas, ſed cum grano alzelin contra Serapionis ſententiam confudis donec veriſimiliora cognouero. An non Dulcichinum tu quoque calidum & humidum eſſe fateris, & Venerem ſtimulare? atqui hoc de grano alzelin ſcribunt. Conuenit & color, albus interius, foris citrinus: & ſapor bonus, videlicet dulcis, ſed magnitudo ciceris, inquies, nõ conueniet: atqui miſſæ à te Dulcichini radiculæ paruæ ſunt, & in Africa multo minores naſci teſtis eſt Alexander Benedictus, vbi & cicer forte maius habetur: ſi modo ciceris recte tranſtulit interpres. Quod ſi res eadem non ſit, vires vero ſint eadem, quid eſt quod digladiamur? Venio tandem ad Olo-*

**Olocontis & Orocontis.**

*conitin & Moly.* ὀλοκωνίτιδος τῆς γλυκείας ῥίζα. ἔστι δὲ ὡς ὁ βολβὸς σμικρὸν ἢ ὡς ἐλαίη. *Verba ſunt Hippocratis libro primo De muliebribus morbis. vbi à Dioſcoride* ὀρεοκονίτιδος *pro* ὀλοκωνίτιδος *ſcribitur.* φησὶ δ' διοσκορίδης τὴν ἐν ὄρεσι γινομένην ὀρεοκονίτιδα ὀνομάζεσθαι, *Galenus in Gloſſis. Ex quib. verbis miror putare te Guilandine coniecturam meam Oloconitin Hippocratis, Moly Dioſcoridis eſſe, deſtrui poſſe, quaſi non etiam Moly illud in montibus naſci poſſit. aut ſi in montibus non naſcitur, quid tum poſtea? neque enim vel Galenus, vel aliquis bonus autor hoc dixit: ſed Dioſcorides, veluti grammaticum agens, & etymologiam quærens cur orocontis diceretur, a montibus, ſic dici eam coniecit, Moly quidem Theophraſti ſiue idem, ſiue aliud eſt, apud Pheneum & Cyllenam Arcadiæ montes naſcitur. Quin potius Galeno credamus, cui* ὀλοκωνῖτις *eſt* βοτάνη τις ἀγρία λαχανώδης: *hoc eſt olus quoddam ſylueſtre: (vtpote & bulboſa & dulci radice) olera autem quamuis ſylueſtria, nõ herbas montanas, aut in altis tantum montibus naſcentes appellamus: ſed quæ circa vrbes & pa-*

**Dioſcorid. alter.**

*gos, & in agris fere naſcuntur. Dioſcoridem dicat aliquis bonum eſſe autorem: eſto, ſed Anazarbeum, cuius de medica materia libros habemus: de illo autem Galenus hic non loquitur, quod tu non animaduertiſti, ſed de altero recentiore, qui proxima ante Gal. ætate (patris ipſius memoria) vixit: & multis libris Hippocratis dictionem exponere conatus eſt: vt ex Gal. in gloſſas præfatione apparet. Hunc vero tanquã minime bonũ autorem aliquoties reprehendit Gal. Sed vehementius inſtas: Gal. (inquis)* μώλυζαν *Hippocratem vocare ait, quæ cæteris Moly dicatur, itaq; infers, Moly Dioſcoridis & aliorum, Hippocratis Molyzam eſſe, non autem Oloconitin eius. Impoſuit tibi forte Latinus interpres aliquis: certe Galenus Græce hoc non dicit, his verbis:* μώλυζα, σκόροδον ἁπλῆν τὴν κεφαλὴν ἔχον, καὶ μὴ διαλυομένην εἰς ἄγλιθας· τινὲς δὲ μῶλυ *hoc eſt, Molyzam vocat Hippocrates allium capitis ſimplicis, non in ſpicas diuiſum. Aliqui vero Moly interpretãtur: inſinuans priorẽ ſententiam ſibi magis pbari, merito ſane: nam Hippoc. lib. 1. De muliebrib. morbis fœcũditatis experimentũ hoc ſcribit:* μώλυζαν σκορόδου ἀποξέσας, προσθεῖναι, καὶ ὁρᾶν εἰ διὰ τοῦ στόματος ὄζηται. *ſic enim poſteriora aliquot verba legi oportere, & res ipſa & Cornarii interpretatio indicat, quæ huiuſmodi eſt: Caput allii deraſum appone pro peſſo, & an odor per os trãſeat obſerua. Porro in ſimpl. medic. hoc cenſu, &* μύλη & μῶλυ *à Galeno memorantur: Mo-*

**Moly, eſt ruta ſylueſtris.**

**Myle Galeni eſt Moly Dioſcor.**

**Oloconitis eſt Moly.**

*ly eius eſt, ruta ſylueſtris Dioſcoridis, quam & ipſe Moly vocari dicit in Cappadocia, à ſimilitudine, quam cum Moly ſeruat radice nigra, flore candido. Myle vero Galeni, proculdubio Dioſcoridis Moly eſt, radice parua, bulboſa, vuluis vtili. An vero eas aperiat, an claudat: & melior ne Dioſcoridis an Galeni tertia ſit, nunc inquirere tempeſtiuũ mihi non eſt. Plin. Molon appellauit caule ſtriato, foliis mollibus paruis: radice quadrantali, in qua per extremũ allii caput extuberat. Eodẽ Syron, aut Scyron Plin. dicitur. Ego Oloconitin (ſic enim ſine aſpiratione ſcribere malo) Hippocratis, Dioſcoridis Moly & Galeni Mylen eandẽ eſſe ſtirpẽ ſententiam nõdum muto. Myle quidem a rotunditate radicis dici poſſe videtur. nam &* μυλοειδὴς *rotundũ ſignificat.*

Cæterum

*Cæterum an allium caninum Tragi, Dioſcoridis Moly ſit, accuratius mihi inquirendum videtur: in præſentia non conceſſerim. Moly vel Morion Plinio libro vigeſimo primo capite trigeſimo primo, halicaccabus eſt, opio etiam (inquit) velocior ad mortem. Iam quod Moly idem eſſe cum Aglaophotide terreſtri Æliani affirmas, vno duntaxat argumento, quod Moly etiam vt Scholiaſtes Homeri prodit, ἀλχόμενοι τῆς ῥίζης τῷ τῆς θανατοῦσθαι, τὸν ἀποσπῶντα, quod Ælianus Aglaophotidi attribuit: non ſatis ad faciendam fidem mihi videtur: & poſſem veriſimiles aliquot rationes contra te producere: ſed nihil quam λογομαχία aut σκιαμαχία quædam hæc fuerint: quoniam res ipſæ nobis ignotæ ſunt, ex remotis ad Orientem terra mariq; petendæ: ab incolis ſcilicet Arabiæ, a quibus forſitan aliquis ad Trogloditas, aut Indos remitteretur: ſemper enim longius refugiunt huiuſmodi miracula, & tandem nuſquam in natura reperiuntur. Hoc tantum dicam, non debuiſſe te aſſeuerare tanquam luce meridiana clarius (ſic enim loqueris) Moly Aglaophotin eſſe. ſed ex coniectura duntaxat hoc proponere, propter ſimilem ab autoribus traditam radicis euulſionem, quæ coniectura tamen, vt dixi infirma eſt, nam & Mandragoræ radicem cum olim ſic ſolitam erui, Euſtathius refert in μώλυος mentione: tum hodie itidem de eo quidam nugantur. Et Hyoſcyamum & ῥοιὸν (Papauer nigrum forte intelligit) ſimiliter, non tamen canibus, ſed auibus alligatis, Ælianus alicubi tradit. De Bulbocaſtano, vt dixi, plane tibi ſubſcribo: ſed quæ de facultatibus eius ſcribis, non ſatis aſſequor. Numeras enim id inter ea, quæ ob ſucci craſſitiem vaſa ſanguinem continentia modice obſtruere, & pectus lenire, atq; abradere queant. Et ſubinde, Caſtaneas vero (inquis) tantum abeſt detergendi farciendiq; vi pollere, vt nihil detergentibus & farcientib. magis eſſe poſſit contrarium: Et paulo poſt, Bulbocaſtanum, non aliam eſſe plantam quam ego aſſero, argumenta habeo, tum quia attenuandi natura pollet, & lentitiam in ſe habet, &c. At ſi craſſi ſucci eſt Bulbocaſtanum, & obſtruendi leniendiq; vi præditum, & farciendi, ſimiliter vt alica, itrium, ſimilago (quibus cum a Tralliano numeratur) & reliquum genus emplaſticorum: quomodo abradere, detergere & attenuare, vel ipſum, vel vllum aliud emplaſticum dicemus? Trallianus non quibuſuis purulentis, vſum iſtorum commendat, ne que vt pus & ſordes pulmonis abſtergantur: ſed iis tantũ, in quibus ſanguis purus apparet, quem ſiſti & obturari meatus res poſtulat.*

Aglaophotis.

Mādragoræ eradicatio.

Bulbocaſtani facultates.

*Hæc habui in præſentia, quæ ſubito ad epiſtolam tuam mox vt accepi, reſpondere viſum eſt: tu ſcriptionẽ tumultuariam & inconditam æqui bonique facies. Ego enim hæc omnia & tuo & amicorum iudicio ſubmittere paratus ſum: & te magis etiam in poſterum, quam ſi nulla vnquam inter nos controuerſia oborta fuiſſet, amabo.*

*MATTHIOLVM de facie non noui, neque viri ingenium aut mores. Doctrina eius & diligentia, ex editis in Dioſcoridem Italice Latineque Commentariis, non vulgaris apparet. Sicubi tamen errat, aut errauit, humanum hoc eſt, & nobis commune. Emendabit forte multa in poſteriore editione, quæ nunc expectatur. αἱ δεύτεραι γὰρ φροντίδες σοφώτεραι. Quamobrem ſi quid in eius ſcriptis eſt, quod reprehendas, modeſtius & ſimplicius vt facias rogo: neque tam hominem, quam eius errores vituperes.*

ἔλεγχ', ἐλέγχου, λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
ἄνδρας φιλοσόφους, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας

*Vale optime mi Guilandine, & me ama. Tiguri. Martii die X. Anno Salutis M. D. LVII.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS SENENSIS MEDICVS,
## Gabrieli Faloppio Mutinenſi Medico præclariſſimo S. P. D.

*Agitur de Bulbocaſtaneo, Oloconitide, Mamira, Traſo, Moly, Doronico, Grano Zelim, Zedoaria, Zurumbeto, Carpeſio, Baara, & aliis nonnullis ſimplicibus medicamentis.*

*INcidi nuper, neſcio quo fortuito caſu (præſtantiſſime Faloppi) in tui Guilandini, & Conradi Geſneri binas literas, quibus illi non tam familiari aliqua ſe oblectarent ſalutatiuncula, quam ſeria (vt poſtmodum vidi) diſputatione inter ſe altercarentur. Ac primo aſpectu quum vtriuſq; nomen, nequiquam mihi incognitum, me nonnihil alliciebat ad lectionem, tum non mediocriter hoc animum meum excitauit, quod titulus vtriuſq; epiſtolæ iam ſtatim promitteret eorum concertationem non alienam fore à medica noſtra materia, cui rei (vt noſti) ſemper animum addictiſſimum propenſiſſimumq; habui, ac totam verſari in quorundam ſtirpium indagatione & facultate, nempe Bulbocaſtanei, Moly, Mamiræ, Oloconitidis, Doronici, Traſi, aliarumq; nonnullarum, quarum cognitio non omnibus, imo fortaſſe perquam paucis rei herbariæ ſtudioſis hactenus innotuit. Fecerat id tam Geſnerus, non infimæ eruditionis vir, & qui non inter poſtremos Medicæ facultatis profeſſores numerari velit, vt nihil leue, nihil humile ab eius officina expectandum putarem: Verum quantum hac in parte meæ poſtmodum ſatisfecerit opinioni, liquido cognoſces ex his, quæ mox in medium allaturi ſumus: Guilandinum vero tuum (mi doctiſſime Faloppi) eo vſque ſomniantem pertuli, dum adeo profundo immergitur ſopori, vel potius extra ſeipſum, neſcio, in quas remotiſſimas terras (credo ad Cimmerias caligines, quamuis ſibi aliud illę perſuadeat.) vna nocte ſomno abripitur, vt ſui Geſneri, & omnium penitus oblitus, me ipſum quoque procaciſſime pungat, & importunius calcibus impetat. Et licet antea quoque ſic de omnibus diſceptaret, vt etiam*

Geſneri laus.

Guilandinus redarguitur.

*iam ipſo tacente, facile deprehenderetur eius ſomnium, eatenus tamen nolui dormientem perturbare, quum id ſomnium non manifeſtam, & contumelioſam mihi inferret acerbitatem. Etenim, quemadmodum homines temulentos, & furioſos toleramus vt inſaniant, dummodo neminem lædant. Si vero hic eorum ſpectet furor, et nec manus a reliquis abſtineant, tum eorum propulſamus iniurias: Eodem quoque modo Guilandinum ſomniantem feremus, ſi aliud peccet nihil, niſi hoc ſolum, quod noctes atque integros dies vigilans etiam ſtertat.* Facete. *Sin autem eo eius erumpant ſomnia, vt intolerabilis in innocentes eius ſit petulantia, quis non huiuſcemodi ſomniatorem excitet? Quis non Boruſſiacum hunc glirem ex ſtratis deiiciat? Nam profecto nihil aptius, & verius in huiuſcemodi ſua diſceptatione dici potuit, quum hæc talia deliramenta afferat Guilandinus, quam vt ſe ipſum non hæc tam argute diſputaſſe, & perpendiſſe, quam vane. & futiliter ſomniaſſe fateatur. De me vero quam abrupte, & petulanter ſomniarit, ii optime iudicabunt, qui haſce eius legerint ineptias, quas poſtmodum toti orbi non erubuit diuulgare. Quid, obſecro, commiſi? Quodnam flagitium perpetraui? Quid contra me habet Guilandinus? cur tam aſpere & repente in me inuehitur? Certat cum ſuo Geſnero, nihil in me reprehendit, nulla vſquam mei ante facta eſt mentio. nihil attingit quod ad me pertineat, & ecce, neſcio quo maligno ac virulento morſu ex improuiſo, relicto Geſnero, rabidi canis inſtar, dentes mihi inicit. Si quem vel leuiſſimum meum recitaret errorem, non modo a doctiſſimo quouis homine, ſed vel ab ipſo Guilandino, cui nemo ſomniando fortaſſe par eſt, libenter & æquiſſimo animo corrigi, & emendari me paterer. Porro cum iam ita ſuas diſſeminet nugas, infartas contumeliis & maledicentia, eaſque in cæteros cerebroſe congerat, ſatius iudicauimus patefaciendam ipſius imperitiam, quam noſtra tolerantia tantam impudentiam, & audacem inſcitiam, & in præclariſſimam artem Medicam, contumeliam ſuſtinendam. Verumtamen ſic rem mihi eſſe cum Guilandino meminero, vt nullas inimicitias, à quibus maxime ſemper abhorrui, ſentiam mihi cum ipſo ſuſcipiendas. Diſſimilimum me plane illi præbebo, vt non perſequi furioſe videar perſonam, quod ipſum feciſſe ſatis liquido conſtat, quin vt potius eius errata remoueam, ne ille Medicinæ candidatos ſomniando remoretur. Hunc fructum ſicut ipſe perpetuo in meis ſtudiis ſum venatus, vt ex meis qualibuſcunque laboribus vberrima ſemper vtilitas in ſtudioſos redundet: Sic Guilandinum in me ita delirare non patiar, vt & ſuis intricatiſſimis, & inuolutis ſomniis ſtudioſæ imponat iuuentuti. Atque quo ſyncerius ſine omnibus conuitiis, abſque omni ſimultate agere paulisper cum Guilandino decreui (mi præclariſſime Faloppi) eo libentius huius noſtri ſiue colloquii, ſiue certaminis teſtem, iudicem, ac arbitrum te conſtitui, in quo ſumma doctrina cum ſingulari certat humanitate.* Faloppii laus. *Cuius rei, tuorum nimirum ornamentorum, non ſolum domeſtici, qui quotidiana tua fruuntur conſuetudine, verum & exteri, in quos latiſſime hæc diffunduntur, clariſſimum dant teſtimonium. Quorum nonnulli a te ex Patauina Vniuerſitate Pragam venientes, cum amicitiæ cauſa, quam inter nos intercedere norunt, me inuiſerent, vehementer apud me obſtupuerunt, cum tali viro in eadem domo, plena ac referta omni eruditionis flore, ſuauitate, lepore, ac ſumma integritate, hunc barbarum, impium, ac pene immanem Boruſſum conſiſtere poſſe. Et quantum te doctrina, & omni virtutis decore præcellere, tantum hunc ab iis laudibus non alienum ſolum, ſed & animum iiſdem habere infeſtiſſimum prædicabant. At quid mirum ſi inter amœniſſimos flores veneno ſi aliquando deliteſcant angues? Quid ſi inter latiſſimas ſegetes ſimul adoleſcant tribuli, Zizania, & id genus inutilium herbarum? Latet ſerpens inter flores, ſuo tempore caput falce concidendum prodet. Quæ iſta familia tam bene inſtituta, in qua nulla ſe exerceat improbitas? Satis magnam tu in hoc laudem & gloriam adipiſceris (mi eruditiſſime Faloppi) quod non tantum domus tua te habeat quem ſequatur, ſed & tota florentiſſima Patauina Academia in te iam dudum recumbat, te intueatur, admiretur, & flagrantiſſimo ſtudio imitetur.* Guilandini nequitia. *Quo maior erit nequitia Guilandini, ſi eo domeſtico non moneatur exemplo quo ſumma cum voluptate gaudent & fruuntur exteri. Ac ob eam quoque cauſam hæc tuo iudicio dedicata volui, vt pro tua modeſtia hominẽ domi tuæ admoneas, & tua humanitate reuoces ab hac maledicendi licentia. Quod ſi tuis non acquieuerit conſiliis, & ſaluberrimis admonitionibus, an non toti mundo ſuam barbariem, imperitiam, inhumanitatemque ipſemet optime declarabit? Ad me quantum attinet, ſi nihilominus, quemadmodum cœpit, conuitiari, ac maledicere perrexerit, feram (vt potero) eius proteruitatẽ: At ipſius nequitiam & peruerſam omnium rerum ignorantiam, facile detegam apud honeſtos & eruditos viros. Si enim Geſnerus, qui interdum etiam me reprehendit, ferre non potuit tam effrenem petulantiam, quam in me ex improuiſo euomuit Guilandinus, quin eam ſua epiſtola reprimeret, adeo vt ipſum comparauerit muliercula panes in foro vendentibus: Ego illam in me, & in totam rei Medicæ diſciplinam impune graſſari, & inſanire permittam? Continebo felicem illum ſomniatorem inter arctos fines, ne ad Americam illam euagetur, & ſomniando laſciuiat. Quinetiã ne tibi fortaſſe diutius Hippocratẽ perturbet dum tanti viri Manes compellere nititur, vt in ſuæ opinionis robur falſa pro veris afferant in medium. Sed prætermiſſo omni ioco, rẽ ipſam, quæſo, diligenter agitemus, quam hæc nobis eructant ſomnia. Audi obſecro (mi Faloppi) vt tua te reficiat fortuna, quã Endymione non ſub dio, ſed ſub tuis laquearibus domi ſtertentem alas. Vide ne fruſtra te tandẽ Patauii quæramus, & ne ita violenta, ita monſtrifica, ita venefica ſint iſta ſomnia, vt pariter domum vna nocte ſomniando ad Occidentales Indias in Americã transportent. At quid rem ipſam diutius differimus, quæ doctiſſ. ſimul & candidiſſ. requirit cenſuram, & quam ſerio & fideliſſ. Padua domi tua ſomniando in America repperiſſe lætatur Guilandinus? Neminem certe præter te habui (candidiſſ. Faloppi) inter quam plurimos amicos facultatis noſtræ, nec mihi magis idoneus, magiſq; paratus ſeſe obtulit, cui libere meã hac in re ſententiã, meũq; iudiciũ (ſit tamen citra omnem iniuriam cum cæterorũ venia dictum) recte ſancteq; proferrẽ.* De Balanocaſtano & Bulbocaſtano. *Clamat Guil. & improbat nouam Alexandri Trall. lectionem ab Andernaco, ac etiã Goupylo, viris in vtraq; lingua doctiſſ. reſtitutam, quod particulã, quæ in veteri exemplari, a quo noua & vltima prodiit editio, deprauate legebatur βολβοκαστάνων, ipſi βαλανοκαστάνων vel verterint, vel reſtituerint. Sed mea ſane ſentẽtia, inſcite ac turpiter hallucinatur, & parum, ne dicã omnino nihil, in re Medica ſe verſatũ oſtendit. Quinetiam nec autores ſe legiſſe demonſtrat, a quib. Alexander hoc eſt edoctus medicamentũ, nec eos fortaſſe, qui idem ab Alex. acceperunt, Siquidem omnes in vniuerſum glandes, quæ Græcis βάλανοι dicuntur (vt Dioſc. & Gal. atteſtãtur) adſtrictoria vi, qua pollent, ſanguinem reiicientibus maximopere conferunt. At cum Caſtaneæ omniũ conſenſu in glandium genere habeantur, & iiſdem ſint præditæ facultatib. quiſnam fuerit tam vecors, aut amens, vt non iudicet Goupylum vt Andernacum recte legiſſe βαλανοκαστάνων, non (vt Guiland.) βολβοκαστάνων?* Goupylus & Andernacus defenduntur. *Nam horũ opinionibus recte*

*recte aſtipulatur Aetius, qui libro octauo capite ſexageſimo tertio, vbi ad ſanguinis reiectiones curationem inſtituit, Caſtanearum corticem prabet, his verbis: βαλάνι φλοιὸς, καὶ μάλιστα τ̃ κασάνου. A quo medicamentum hoc ſumpſiſſe Alexandrum, qui poſterior vixit, affirmare minime vereor, quemadmodum & alia plura, qua nunc pratermittimus. Praterea Auicenna, qui claruit poſt Alexandrum, curam reiectionis ſanguinis inſtituens, Caſtaneas ad id commendauit his verbis: Et quandoque admiſcentur eis ſtiptica aequalia, ſicut Caſtanea. Adhac quum Dioſcoridi Caſtanea Σαρδιαναὶ βάλανοι καὶ Διὸς βάλανοι, appellantur, cur non igitur Caſtaneas βαλανοκαστάνας, id eſt glandes caſtaneas Alexandro appellare licuit differentia cauſa? Nam, & eadem ratione Quernas, & Iligneas glandes dicimus, vt etiam in Bucolicis dixit Virgilius. Caſtaneaſq; nuces, quemadmodum & ipſi Graci μυροβάλανον, vnguentariam glandem vocant. Quamobrem non eſt vllo pacto cenſendum loquutum eſſe Alexandrum de Bulbocaſtaneo Guilandini. Denique cum nullus habeatur inter antiquos, nec inter recentiores Gracos qui vſquam Bulbocaſtanei meminerit, nec eius hiſtoriam, vel facultates deſcripſerit, abſurdum ſane admodum videtur, medicamentum tam ignotum, obſcurumque in medium attuliſſe Trallianum, Medicum apprime circumſpectum, quin id prius per omnia deſcripſerit ac delineauerit: praſertim cum ſibi ſoli ſuum non ediderit opus, ſed ad totius Reipublica vſum. Nec me a mea remouet opinione, quod Gracorum quidam, vt Rhodii (ſi tamen vera refert Guilandinus) herba cuiuſdam radicem βολβοκάστανον appellent, alii vt Chii ἀγριοκαστανίδας, alii vt Biſantini ἀγριοκάστανα. Siquidem has vulgares appellationes ego ſemper admodum parui feci, quod ignarum vulgus pro ſuo arbitrio non tantum plantis, ſed etiam aliis innumeris rebus nomenclaturas imponat: Id quod etiam Dioſcoridis æuo factum inuenio, & deinde apud Arabas, & alias nationes. Adde, quod, cum Alexander Rhodius non fuerit, ſed Trallibus Lydia oriundus, vnde illi Tralliani cognomen, non video ſane, cur potius Rhodios tantum, quam Chios, Byſantinos, & alios totius Gracia populos fuerit imitatus, apud quos nulla vnquam extitit (quod equidem legerim) Bulbocaſtanei mẽtio. Quo fit, vt vana ac futilis ſit Guilandini opinio, qui prater omnem rationem, & probatiſſimorum autorũ teſtimonia βολβοκάστανον id legendum cenſet, quod iure recteque βαλανοκάστανον omnium doctorum virorum conſenſu legi debet. Quorum ſententiis maxime aſtipulatur C. Plinius ſecundus libr. 4. cap. 54. ſua Medicina, vbi ſic habet aduerſus Guilandinum: Aqua, in qua cortices Caſtanearum cum ſucco coquuntur, cœliacis, dyſentericis, ſanguinem reiicientibus bibenda haud inutiliter datur. Quamobrem non poſſum non admirari Geſnerum, quippe qui ita facile conceſſerit Guilandino, radicem illi miſſam, eſſe Tralliani Bulbocaſtanon, cum nulla penitus in hac radice reperiatur adſtrictio: Quinetiam, quod tantum in eo non emicuerit ingenii, vt explorare ac noſſe quiuerit, in Tralliani codice hoc in loco manifeſtiſſimam ſubeſſe mendam, eoque praſertim, quod Andernacum & Goupylum haberet huiuſce rei indagatores. Cedit Geſnerus Guilandino, nihil reſpondens illi gratulatur, illi aſſentitur, illi gratias habet, eius admirabilem veneratur doctrinam, candorem exoſculatur, quod eum ad ſuas conuerterit fabulas. Caterum futile quidem, ac penitus inane eſt Guilandini argumentum (vt Geſnerus etiam annotauit) vbi inquit, nihil valere Caſtaneas ad purulentos, quod nulla detergendi, farciendique facultate praſtent. Siquidem ſi Alexandrum diligentius, nec ita oſcitanter legiſſet, vidiſſet quidem illum eo in loco Caſtaneas non probaſſe ad purulentos, nec ad detergenda pulmonum vlcera, neque ad pus educendum, ſed vbi forte fortuna euenerit, quod ii purum reiecerint ſanguinem, & vt tantum huic Symptomati occurratur. Nec prabet prater id ius Trallianus Halicam, Itrium, Similaginem, quemadmodum Guilandinus rei Medica ignarus exiſtimat, vt hoc alimento abradatur, abſtergaturque pectus, aut pulmo, cum cibus hac facultate praditus, ſanguinem reiicientibus non mediocrem poſſit inferre noxam, ſed vt ſanguis craſſior reddatur, & leniter adſtringatur ea, qua pollet, ſubſtantia craſſitie. Neſcio profecto vbinam repererit Guilãdinus, qui tot ſe fatetur peragraſſe regiones, & qui cum Apolline & Æſculapio de re herbaria certare audet, Halicam, Itrium Similaginem, vim habere abradentem. Non enim probat, a quo vnquã tam temere ſcriptum ſit, vt vbi ſanguis reiiciatur prius opus ſit abraſione. O fœlicem Guilandinum, O admirandum Oraculum, O Boruſſum omnium fortunatiſſimũ, qui primus tam abſtruſa nobis reſerat arcana. Miror equidem, quinimo deteſtor, nonnullos, qui vt pra cateris excellere, & noui aliquid inueniſſe videantur, tales inanes apportãt Chimaras, quas vt veras oſtendant, elaborato quodam fuco illinunt, & fictitiis, minimeq; veris autorum teſtimoniis adeo concinnant, vt non modo tyrones, qui rebus nouis maxime delectantur, & alliciuntur, decipiant, ſed etiam quandoque ſeniores, & qui in re medica diu fuerint verſati. Verumenimuero ſi vbi quis harum rerum peritus haſce nugas diligenter intueatur ac exploret, facile horum impoſtorum fallacia deprehẽdentur: Tametſi enim primo ſtatim intuitu paradoxon quoddam illi afferre videantur, quum tamen peruulgata & in manibus bonorũ doctorumque virorum iactata & excuſſa fuerint, facile horum impoſtura, quid medullitus oleant, pra ſe ferunt, nummorum adulteratorum inſtar, qui quanquam tenuiſſimo auro circumtecti fraudem non ita primum oſtendunt, plurium tamen manibus agitati, perditiſſimorum hominum malitiam tractu temporis detegunt. Hiſce itaq; rationibus, & probatiß. autorum teſtimoniis vnuſquiſq;, qui liuore non fuerit perfuſus, nec pertinacia potius, quã veritati fuerit addictus, facile adduci poterit, vt credat Alexandrum de Caſtaneis eſſe loquutum, non de bulboſa ac veteribus & recentioribus ignota illa radice, quam ille fortaſſe nec nouit, nec vſquã vidit. Qua radix, ſi (vt Guiland. aſſerit) craſſi ſucci fuerit, & obſtruere ac lenire facile valeat, Halica, Itrii, & Similaginis inſtar, non video profecto, quomodo abradere, detergere & attenuare valeat. Hic Guilandinus quo facilius ſua patrocinetur opinioni mi amantiſſime Faloppi, tua autoritate ſuam tuetur ſententiam, & te idem ſentire affirmat. Verum quamuis in te ſingularis ſit ſplendor, & ingenium omni doctrina, & philoſophia genere agitatũ & excultum, tamen nulli homini tantum vnquãti buerim, vt nuſquã vel haſitet, vel non humanum aliquem cõmittat lapſum. Talem qui de ſe conceperit exiſtimationem, diuinã, potius, quam humanã ſibi autoritatem aſſerit. Hominum eſt non intentam ſic vbiq; habere aciẽ, quin aliquando hallucinẽtur. Liberalis autem & optime inſtituti animi (qualẽ in te vigere non dubito) ſemper eſſe duxi, libenter cedere veritati, ac nulla vinci pertinacia. Quare mi doctiß. Faloppi. ſine falſo hac tibi adſcribat Guiland. quo facilius tanti viri grauitate ſuã obtegat imperitiam, ſeu vere id dixerit, facile tuam eximiã eruditionẽ, qua in omni diſciplina genere abunde relucet & excellit, ab iſtius hominis confuſa ignorantia ſeparabo. Patefacta & illuſtrata tot argumẽtis ipſa veritate facile tu pro tua egregia doctrina iudicabis, quantum aberrauerit, vt in plerisq;, ita hac in parte Guil. ob idq; fortaſſe haudquaquã miraberis, ſi Boruſſ. hic immanis,*

Tralliani locus reſtitutus.

Geſneri ſynceritas reprehenditur.

Guilandini in re Medica inſcitia.

Hiſtoria plantarum non ſufficit ad eas agnoſcendas.

Animaduerſio in Sophiſtas.

Fallacia à peritis facile deprehenduntur.

Homines & docti quandoque hallucinantur.

Tuetur autor Faloppium.

me

*me naſci nunquam ſibi ſatius duxerit, vel in cunis emori, quum certo ſciuerit ab Hippocratis Manibus, quos excitauerat, admonitus, me ſuæ temeritatis futurum eſſe domitorem. Atqui ego hunc viuum ſuæ inſolentiæ, inſcitiæ, ac vecordiæ ſpectatorem perpetuo aduerſari velim. Quanta præterea ſit huiuſce Boruſſi imperitia, arrogantia, & temeritas in cenſendis, Oloconitide, Mamira, ac Traſo, quinetiã in ſuſcitandis Hippocratis Manibus, quod illa omnia vnam tantum deſignare plantam, vel radicem cenſeat, eos vero falſa atteſtari velit, vt ſuam inanem euehat opinionem, ex ſequentibus facile palam fiet.*

Oloconitidis examinatio.

*Hippocrates grauiſſimus autor libro primo de mulierum morbis, vbi ad Secundas pellendas medicamẽta deſcribit, Oloconitidis meminit his verbis: Oloconitidis dulcem radicem. Eſt autem velut Bulbus, & parua velut Oliua, hanc in vino terito, duas dato, ſi vero maior, vna ſufficit. Hæc ille. Quibus facile arrogans Guilandini conuincitur aſſertio, & Hippocratis Oloconitidem non eſſe Traſum, quod Veneti Dulceghinum vocant, neque Mamiram, non magno ſane negotio palam fiet.*

Hippocratis verba ponderanda.

*Verumenimuero ſunt in primis ponderanda Hippocratis verba, quod à grauiſſimo ſint prolata autore. Etenim cum afferat ad Secundas pellendas Oloconitidis dulcis radicem, videtur quidem hiſce verbis aſſerere, quod alia ſit Oloconitis quæ dulcis non ſit, ſed amara fortaſſis, vel alterius ſaporis, alias non fuiſſet illi opus addere, dulcis, niſi differentiæ cauſa, & præcipue cum dulcem appellauerit plantam, non radicem, id quod maxime impedit Oloconitidem, Traſum ſiue Dulceghinum eſſe non poſſe: Traſi enim planta dulcis non eſt, ſed tantum radix, quæ nullo vſquam alio (quod ſciuerim viderimque) ſapore habeatur quam dulci.*

Rationes contrà Guilandini ſententiam.

Traſorũ examinatio.

*Præterea Traſorum radices ſubſtantia bulboſa non ſunt, nec bulborum modo vllis velaminibus circuntecta, ſed cortice quodã tenui, aſpero, & adſtringente, qui pertinaciter admodum inhæret, adeo vt nucleos potius referat, quam bulbos. Adde quod nuſquam vlla Traſorum viſa ſit radix, quæ Oliuæ magnitudinem æquaret, ſed omnes longe minores habentur. Adhæc cum iubeat Hippocrates ad pellendas Secundas vnam tantum dari Oloconitidis radicem, vel duas ad ſummum, ſi parua fuerit vna, maxime quidem hoc ipſo indicare videtur radicem hanc vehemens eſſe medicamentum, quo ſane indigemus ad ſecundas trahendas.*

Traſi temperãtia.

*Hoc etiam proculdubio confirmat Oloconitidem non eſſe Traſum, quia primum caliditatis ordinem fortaſſe non excedit, nec vlla prouocandi vi pollet, ac adeo clemens habetur, vt edatur a Veronenſibus, in quorum agro frequentiſſima naſcitur, præſertimque à prægnantibus mulieribus, quæ talia fere ſemper appetunt ad ſaturitatem vſque, nullo penitus incommodo.*

Traſum vbi pluſimum.

*Poſtremo quum Galenus eo libello, quo obſoletas Hippocratis voces explanat, dicat Oloconitidem agreſtem, & oleraceam eſſe herbam, facile quis noſſe poterit Traſorum plantam, in qua nihil penitus oleracei percipitur, non eſſe Oloconitidem.*

Mamiræ examinatio.

*Cæterum nec poteſt Traſum eſſe Mamira, quia Mamira Auicennæ teſtimonio medicamentum acrius eſt, quam Vena tinctorum, quæ illi Chelidonium deſignant, & calidum, & ſiccum in fine ſecundi ordinis.*

Mamirę facultas.

*Præterea Mamira Auicennæ abſtergit, mundat, prouocat, attrahit, præſertim à capite pituitam, ſi mandatur, vel naribus ſurſum trahatur. Quinetiam præſtat ad Ictericiam, & dolores inteſtinorum, quæ omnia proculdubio in Traſo deſiderantur. Nec poteſt Traſum dici Mamira, eo quod radiculas geniculatas habeat. Nam id aſſerere ex hac tantum nota maxime fuerit abſurdum, cum innumeræ habeantur plantæ, quæ geniculatas edant radices.*

Mamirã non eſſe Oloconitidẽ.

*Porro nec Oloconitidem Mamiram eſſe putamus, quando hæc Auicennæ teſtimonio acutior eſt Chelidonio, illa vero Hippocratis autoritate dulcis.*

Mamiram ab Anemone nihil diſtare.

*Verum ſi quis Mamiræ notas ac facultates diligenter explorauerit, facile conijcere poterit parum, vel fortaſſe nihil, ab Anemone diſtare. Etenim Dioſcoridis Anemone radix eſt Oleæ magnitudine, quæ veluti geniculis quibuſdam cingitur, vis illi acris, & ea de cauſa ſuccus naribus infuſus, purgat caput, Commanducata radix pituitã trahit, decocta in paſſo, & illita, medetur oculorum inflammationibus, cicatrices eorundem, & hebetudines emẽdat, ſordida vlcera abſtergit, lac prouocat copioſum, menſtrua ſcit vellere impoſita, & lepras exterit. Quæ omnia adeo cum Auicennæ Mamira conueniunt, vt nihil impediat, quin Mamira & Anemone nihil inter ſe differant. Conferamus, obſecro, mi Faloppi, Auicẽnam cum Dioſcoride, vt clarius lucidiuſq; noſtra comprobetur opinio. Mamira (inquit Auicenna) nodoſum eſt, acutius Chelidonio, abſterſiuum, mundificatiuum, & prouocatiuum. Quibus optime recteque correſpondent, quæ ſcribuntur à Dioſcoride, cum inquit: Anemones radix veluti geniculis quibuſdã cingitur, vis illi acris, ſordida vlcera abſtergit, lepras eximit, lac copioſum prouocat. Item Auicennæ Mamiræ ſuccus extrahit humiditatem groſſam ex capite, & mundificat ſuperfluitates cerebri: Id quod etiam Dioſcorides de Anemone ſcribit cum ait: Succus naribus infuſus purgat caput.*

Omnia quæ per os pituitam deponunt dolori dentium conferunt.

*Præterea Auicennæ teſtimonio Mamira confert dolori dentium, ſed & idem videtur de Anemone annuere Dioſcorides quum inquit: Commanducata radix pituitam trahit, nam fere omnia, quæ manſa pituitam trahunt, dentium dolores mulcent, vt exempli gratia Pyrethrum, de quo ſcribens Dioſcorides, Pyrethrum, inquit, pituitam elicit, ideo in dolore dentium auxiliatur. Atqui id clarius confirmat Plinius libro 21. cap. 23. vbi apertiſſime Anemones radicem dentes ſanare ſcribit, ſi commanducetur. Id quod etiam confirmat Marcellus antiquiſſimus Medicus cap. 2. vbi de dentium medicamentis agit. Deinde ait Auicenna, mundificat albuginem & acuit viſum. Cui maxime aſtipulatur Dioſcorides, quod ſcripſerit mederi Anemones radicem oculorum inflammationibus, & cicatrices eorundem & hebetudines emendare. Adhæc, inquit Auicenna conferre Icteritiæ, quod in Dioſcoridis Anemone non reperitur. Sed cum à Galeno ſcriptum ſit libro ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, Anemonem omne genus vaſorum orificia reſerare, nihil prohibet, quinetiam Anemone Icteritiam curare valeat, & menſes remoratos pellerere, vt Dioſcorides inquit. His itaq; ſic collatis, prorſus adducor, vt credam nihil aliud eſſe Auicennæ Mamiram, quam Anemonem Dioſcoridis. Nam præter hac (quod viderim legerimque) nulla extat planta, quæ magis ſuis facultatibus cum Chelidonio cõueniat, quam Anemone. Quod cum animaduertiſſet Dioſcorides, non longe à Chelidonio deſcripſit Anemonem.*

Paulus notatur.

*Nec noſtræ opinioni obſtare videtur, quod Paulus & Anemonis, & Mamiræ meminerit. Siquidem is (ſit tamen tanti autoris venia dictum) ſe parum in ſimplicium hiſtoria & cognitione fuiſſe verſatum oſtendit, quando ea, quæ breuiſſime admodum de Simplicibus medicamentis habet, ex ſe ipſo haudquaquã depromit, ſed modo ex Dioſcoride, modo ex Galeno tranſcribit quemadmodum, & alia omnia quæ in ſuũ volumen congeſſit. Quo fit vt mirari deſinam, quod quandoque aberrauerit Paulus in earum ſtirpium nomenclaturis, quæ ab alijs, nouis quibuſdam deſcribuntur nominibus. Id quod iamdiu noуiſſe noſtræ tempeſtatis eruditiſſimos quoſque Medicos non ambigo.*

Auicenna notatur.

*Eodem etiam pede claudicaſſe Auicennam animaduerto, quippe qui nomenclationum varietate deluſus (quibus pro ſuo arbitrio varii vtuntur autores) bis Anemona meminit. Nempe*

primum

primum, cap. 486. ſub Mamiræ titulo, & deinde capite 664. ſub nomine Sakaik, quod pro certo crediderit ob appellationum varietatem Sakaik & Mamiram diuerſas eſſe ſtirpes, quemadmodum in aliis nonnullis eundẽ ſimili lapſu cæcutire obſeruauimus. Atq; id plerunque iis accidere ſolet, qui ea ab aliis transſcribunt, quorum nulla, vel admodum tenuis eſt experientia. Hæc itaq; ſi tuus perpendiſſet Guilandinus, non adhuc ſuam in re herbaria deprehendiſſet ignorantiam? Tam ne temere cæteris, qui plurimum temporis & laboris huic facultati impenderunt, inſultaſſet? Mirum mihi Faloppi doctiſſime, videri crebro ſolet, quoſdam homines ſui penitus adeo immemores, vt neſcio qua facultate, quibus digitis aut vnguibus, cœlum, terram, & omnia metiri cõtendant. Qui dum vano quodam tinnitu, & mera iactantia reliquorum nituntur explodere labores, vt nobis facilius ſuas cõmendent nænias, aliud nihil aſſequuntur, quam vt inaniter tinniendo omnibus ſuam retegant, quæ latebat, inſcitiam. An non hunc fructum ſuæ temeritatis, & arrogantiæ nactus eſt Guilandinus? Audi, obſecro, mi Faloppi tu, qui plurimos ingenio, doctrina, & autoritate præcellis quam etiam Guilandinus in hoc ſeipſum vincat. Nam quo magis Guilandini epiſtolam perlego, eo plus eius ridendam imperitiam detego. Ipſe enim dum contra Bellunenſem Granum Zelim apud Serapionem non eſſe Traſum, ſiue Dulceghinum perperã contendit, Æthiopicum piper (vt etiam Geſnerus annotauit) cum Grano Zelim turpiter confundit, de quibus vno & eodem capite ſcribit Serapio his verbis: Habzelin granum eſt pingue, Ciceris magnitudine, citrinum exterius, & album interius, & habet bonum ſaporem, & defertur ex terris Barbariæ, & nominatur Piper Nigrorum. Verum Piper Nigrorum ſecundum veritatem eſt aliud, & in Barbaria nominatur Creni, & eſt ſimile Faſeolis in forma ſua, niſi quia grana eius, & cortex ſunt minora Faſeolis, & habet colorem nigrum, & confert doloribus dentium. Hactenus Serapio. At Guilandinus magnus Serapionis interpres ea omnia quæ de Æthiopico pipere Serapioni deſcribuntur, ad Granum Zelin refert, & Bellunenſem (quãtum mea fert opinio) perperam impugnat. Etenim hallucinatus non videt, quam aperte Serapio Æthiopicum piper tum notis, tum facultatibus a Grano Zelin diſtinguat. Denique cum ſcribat Serapio, Habzelin granum eſſe pingue, magnitudine ciceris, citrinũ exterius, & album interius, boni ſaporis, quomodo quis imaginari poterit, ipſum dixiſſe, quod ſit ſimile Faſeolis, & quod habeat colorem nigrum & ſaporem acutum, ſicut piper. Si (vt Guilandinus falſo interpretatur) de Grano illo Zelin intelligeret Serapio. Nonne hiſce verbis luce clarius palam eſt hic Serapionem piperis Æthiopici hiſtoriam deſcribere. At cum Guilandinus ad ſcribendum potius videatur adductus calumniandi cauſa, quam ſuſtinendæ indagandæq; veritatis, magna ſane cum ignominia autorum ſententias ad ſuas inuertit chimeras. Quod ſi fortaſſe negabit, fateri cogetur ſuam in Serapione inſcitiam. Verum cum vtrunq; illi magno dedecori aſcribi poſſit, ſuæ vel ignorãtiæ, vel temeritatis pœnas meri o d bit. Porro is Bellunenſem deridendum temere clamat, quod ſcribat Habzelin nil aliud eſſe Mauritanis quam id quod Veneti Dulcichinum vocant. Sed mea quidem ſententia non ſolum is longe magis deridendus fuerit ſed etiam acriter accuſandus. Quippe qui Bellunenſem & perperam, & citra omnem rationem deridendum cenſeat, & qui vel ſua imperitia Serapionem non intellexerit, vel fortaſſe malitia corruperit. Bellunenſis enim cum diu in Africa fuerit verſatus, adeo vt Arabicæ linguæ peritiſſimus euaſerit, & ibi Traſum, vel Dulceghinum viderit, & nomen eius Arabicum recte obſeruauerit, quis præter Guilandinum adeo fuerit vecors ac temerarius, vt dicat hac in re ridendum eſſe Bellunenſem? Quis eius opinioni, & genuinæ interpretationi merito non ſubſcripſerit? Profecto nemo. Præſertim quum ſcribat Auicenna Granum Zelin calidum eſſe, & humidum, quin etiam impinguare, & ſemen augere. Quas quidem facultates Dulceghino omnes proculdubio adſcribunt. His cum etiam ſubſcribat Guilandinus, quid pluribus opus eſt eius confutare petulantiam? Adhæc comprobatur Bellunenſis ſententia Serapionis autoritate, qui Habzelin granum aſſerit eſſe pingue, id eſt carnoſum, boni ſaporis, id eſt, dulce, citrino cortice & alba intus medulla. Id quod in Dulceghino luce clarius cernimus. Nec obſtat quod Dulceghini, qui in Veronenſi agro proueniunt ciceribus ſint maiores, quando qui Africam perluſtrarunt, eoſdem longe minores ibidem naſci fateantur. Quæ omnia etiam confirmant, quæ præter hæc a nobis contra Guiland. ſententiam ſcribit Geſnerus, qui illum inconſtantiæ aſtute notat, quod alias ad ſe Dulceghinum pro Mamira miſerit, quod tamen negabat eſſe Oloconitidem, & ea propter Oloconitidis etiã ſemen Guilandinum miſiſſe ſcribit, ex quo fortaſſe admirandum aliquod monſtrum prodiit in lucem. Quod autem Doronicum cuius paſſim in Myropoliis eſt vſus, Mamiras non ſit, tametſi contrarium ſentiat Fuchſius in Nicolai Myrepſi annotationibus, ego quidem non ambigo, diſſentio tamen a Guilandino, quod Doronicum noſtri vſus, tam id, quod in Orientalibus prouenit regionibus, quam aliud, quod in Europa naſcitur, non exiſtimem eſſe legitimum. Nam quanquam hoc probare nititur Guilandinus Ruellii, Leoniceni, Fracaſtorii, Manardi, Cardani, Mundellæ, Braſauoli, & noſtra etiam autoritate: nil tamen affert, quod iure aliquo admitti poſſit. Quippe quantum ad me attinet, neſcio quo pacto Boruſſus ille audeat me autore affirmare Doronicum vulgaris vſus, legitimum eſſe Doronicum, de quo ſcripſere Mauritani, quum id ego nunquam affirmauerim, neq; negauerim. Atqui ſi meam de Doronico debeam in medium afferre ſententiam, dicam ingenue legitimo nos carere. Cum enim Auicennæ Doronicum excalfaciat, & ſiccet ordine tertio ſuaq; vi valenter flatus diſſoluat, non video cur Doronicum noſtrum, legitimum appellari poſſit, ac debeat, quum nulla in eo reperiatur qualitas, quam non obſcura dulcedo, cuius nullus eſt inter Arabas qui meminerit. Cæterum inanis, & friuola eſt Guilandini ratio, quod velit nullam aliam ob cauſam Doronicum, quod in Europa naſcitur, linguam minime vellicare, vt Orientale, quam regionum, vel ſoli diſcrimine. Etenim tametſi (vt ipſe aſſerit, & nos quoque alias ſcripſimus) non deſint plantæ, ac radices, quæ in quibuſdam regionibus naſcuntur acres, in quibuſdam vero inſipidæ (vt conſtat exempli gratia de Acoro, & minori Chelidonio) non tamen eſt hic admittendum friuolum Guilandini argumentum, eo quod etiam Doronicum Orientale, quod pro legitimo affertur, omni penitus acredine deſtituatur. Quod ſi deguſtaſſet Guilandinus, vt decebat tam admirabilem ſtirpium indagatorem, facile quidem errorem hunc euitare potuiſſet. Cæterum quomodo fieri poſſit, vt Doronicum & Mamira, vnũ & idem poſſint eſſe medicamentum (vt Fuchſius exiſtimat) nulla prorſus eſt ratio, tum quod Auicenna de vtroque diuerſis ſcripſerit capitibus, tum quod medicamenta ſint diuerſis prædita facultatibus tum quod a nobis ſuperius luce clarius comprobatum ſit, nil aliud eſſe Mamirã quam Anemonem. Nec obſtat quod vtrunq; ſit acre, & calidum (de legitimo Doronico loquor) Quippe innumera ſunt medicamenta, quæ acredine pollent, & in qualitatibus conueniunt, nec tamẽ ſunt eadem. Nec pariter obſtat quod Doronicũ & Mamiras pa-

Animaduerſio in Guilãdinum.

De grano zelin.

Habzelin quid.

Piper nigrorum.

Guilandinũ calumniandi cauſa tantum ſcribere.

Bellunenſis defenditur.

Granum Zelin Dulceghinũ eſſe legitimum.

Guilandinus à Geſnero notatus.

Probatur Doronicum, non eſſe Mamiram.

Doronicum noſtri vſus adulterinum.

Doronici legitimi facultas.

Doronicũ à Mamira differt.

Medicamento-rum ſimilitudo ſæpe nos fallit.

*rum forma videantur differre. Etenim plura ſunt (vt alias diximus) quæ, cum tamen ſint diuerſa, adeo ſibi facie correſpondent, vt quandoq; peritos etiam medicamentorum exploratores fallant. Cæterũ an Græcis Carnabadium idem deſignet, quod Mauritanis Doronicum non adeo compertum habeo, vt mihi non relinquatur dubitandi locus. Siquidem Nicolaus Myrepſicus antidoto 429. quod ex Hermodactylo, id eſt, de Behen,*

Carnabadii examinatio.

*liſt. habet Cumini Æthiopici, hoc eſt, Carnabadii. Actuarius vero in quodam antidoto ad cordis vibrationem ſenſuum ſtuporem, inuoluntarios fletus, tremores, & terriculamenta (ſi tamen recte interpretatur Ruellius) habet Carnabadii, id eſt, Doronici, ſed mihi non conſtat, quum Actuarii Græcus codex non ſit ad manus, quod hactenus a nemine (quod ſciam) ſit excuſus, an illud id eſt Doronici, Actuarii ſit, vel interpretis. At Simeon Sethi de Carnabadio Græce ſcribens, quid ſit non explicat, quanquam ex facultatibus, quas illi reddidit, facile conicitur, nil aliud illi eſſe Carnabadium, quam Cari ſemen. Quo fit, vt non parum ſit ambigendũ, quis horum rectius Carnabadium fuerit interpretatus. Antidota autem tam Nicolao quam Actuario deſcripta, vtraq; ad Cardiacam, cordis palpitationem, & melancholicos affectus præſtant. Quamobrem Actuarii ſententiam probarem, ſi ſcirem illa Ruellii non eſſe verba. Nam Doronicum Mauritanorum omnium conſenſu, præſertimq; Serapionis & Auicennæ, ad cordis vibrationem mirifice confert, & cor ipſum admodum roborat. quæ tamen vires in Cumino illo Æthiopico & Caro, autorum omnium conſenſu deſiderantur. Verum ſi quiſpiam argueret, quod in hoc antidoto Cuminum vel Carum addatur, quod vtrunque flatus propellat, quibus plerunq; hypochondriaca gignitur affectio, a quo cordis palpitatio, & atrabiliarii excitãtur morbi, illi ſane facile reſponderi poterit, non modo præſtare Doronicum, quod legitimum ſit, ad cordis affectus, & hilaritatem conciliandam, tum Serapionis, tum Auicennæ teſtimonio, ſed ad ventris, & vteri dolores, à craſſiori flatu excitatos. Nec tamen ob id velim me hæc omnino affirmare cenſeas. Cum enim nihil ſolidi, certiq; mihi ſeſe offerat, quo vere aſſerere poſſem Carnabadium eſſe Doronicum, haudquaquam id auſim decernere, eoq; præſertim, quod hiſce diebus nuper elapſis Gulielmus Quacelbenus Flandrus eruditiſſimus Medicus, & rei plantariæ ſtudioſiſſimus Conſtantinopoli, vna cum pleriſque aliis peregrinis ac raris ſimpl. medicamentis ad me miſerit Æthiopicum Cuminum, cui Carnabadium inſcriptũ erat, ea fortaſſe ratione (vt puto) quod ibi a Græcis ita Cuminum illud vocari audierit.*

Orientale Doronicum non eſſe Pauli Arnabonẽ.

*Nec placet eorum opinio, qui Doronicum Orientale Pauli Arnabonem eſſe exiſtimãt, quod nuſquam apud Arabas legerim, viderimque Doronicum addi in vnguentis odoris gratia, nec quod eorum aliquis Caſſiæ, & Carpeſio illud viribus ſimile fecerit. Cæterum ſi Pauli Arnabonem, & Auicennæ Zarnabum recte expendamus, nil aliud clarius veriusq; repræſentabunt quam poſtremum Serapionis Zurumbetum.*

Zarnabum.

Zurumbetum.

Argumenta contra Geſneri opinionem.

Carpeſium.

*Quamobrem manifeſte hallucinatur Geſnerus in ſua epiſtola ad Guilandinum, dum falſo in Zurumbeto me accuſat. Quippe qui exiſtimat poſterius Serapionis Zurumbetum eſſe Carpeſium, cum tam apud ipſum quam apud cæteros Arabas nil aliud ſit Carpeſium, quam Cubeba. Nam vbi Paulus Arnabonem ſuum Carpeſio facultate ſimilem facit, Serapio Zurumbetum Cubebis comparat. Præterea quum Galeno libro primo de Antidotis Carpeſium herba ſit, non arbor magna, vt de Zurumbeto ſcribit Serapio, cadit periitq; Geſneri ſententia, qui perperam in me inuehitur, ac præter omnem rationem ſcribit, quod duo capita de Zurumbeto Serapionis ſimul confuderim. Atqui potius mihi videtur confuſus Geſnerus, cum certo putet poſterius Serapionis Zurumbetum, quod nos iam dudum ſcripſimus eſſe Pauli Arnabonem, eſſe Carpeſium. Non equidem alia de cauſa dixiſſe illum me hæc duo capita confudiſſe crediderim, quam quod primum Zurumbetum, Serapionis Zedoariam fecerim. Cæterum cum legatur in principio huius capitis Zurumbet, id eſt, Zedoaria ſunt radices rotundæ ſimiles Ariſtolochiæ, & idem de Zedoaria aſſerat Auicenna, non ab re mihi factum conſtat, ſi primum hoc Zurumbetum Zedoariam fecerim. Præterea cum Serapionis Zurũbetum primo loco deſcriptum conferat morſus venenoſorum animaliũ, vt Auicennæ Zedoaria, non video ſane quid obſtet, quin hoc Zurumbetum Zedoariam deſignet. Quo fit, vt iniuria me accuſauerit Geſnerus. Etenim hæc ego haudquaquam confudi, ſed per ſe ipſa confuſa ſpectantur.*

Serapionis error.

*Quippe Serapio primum ſui Zurumbeti caput vna cum Zedoaria confundit, vel quod ſimilia fuerint inter ſe medicamenta, vel facultate paria, vt teſtatur apertiſſime Auicenna, vbi de Zurumbeto egit. Verumenimuero, vt res tandem ad calcem redigatur, primum Serapionis Zurumbeti caput confuſum pronunciamus, quod in principio de Zedoaria, in proceſſu vero ad calcẽ vſque de Zurumbeto tantum agat: Secundum vero non aliud eſſe medicamentum dicimus, quam Pauli Arnabonem, & Auicennæ Zarnabum. Verum, vt nihil intactum relinquamus, dicendum eſt mihi aliquid etiam de Moly,*

De Moly.

*in quo cẽſendo poſtquam pluribus probare contendit Guilandinus contra Geſneri ſententiam, Dioſcoridis Moly non eſſe Oloconitidem, reliquum eſt (inquit) vt pari ratione Moly Dioſcoridis excutiam, perpendamque vera an falſa ſint, quæ a Deo illo Herbariorum Matthiolo traduntur, Moly ignotam Italiæ eſſe plantam dicenti.*

Guilãd. inuidẽtia declaratur.

*Quibus ſane verbis ſuam in nos inuidentiam apertiſſime declarat. Nam quanquã prius quaſi iureiurando dixerit, non is ſum, qui cauillis & impoſturis inanem gloriolam aucupari velim, mẽtiri neſcio, nec ſi ſcirẽ velim: hic tamẽ ſui ipſius oblitus ſibi ſane plurimũ, non mihi imponit. Sed vtinam Guil. hic ſui ſit memor, vtinã hic cauillis & impoſturis inanẽ gloriam aucupari nolit, vtinã hic mẽtiri neſciat. Itane me dixiſſe, vel vnquã cogitaſſe affirmat? Nuſquã (me hercule) ſcripſi ego Moly eſſe plantã Italiæ ignotã. Scripſi quidẽ me hactenus in Italia reperire nõ potuiſſe Moly quod Dioſc. delineationi reſpõderet, nec ſciuiſſe ab aliis mihi fuiſſe repertum, aut aliunde eo aductum. Quæ verba quantũ diſtent a Guil calumnia, vnuſquiſq; ſanæ mentis facilime dignoſcere poterit.*

Guiland. calumnia.

Moly deſcriptũ.

*Sed is recte cauillis ſe ipſum fallit, cum tam ſtolide hallucinetur, vt credat caninum Allium a Hieronymo Trago, ſecundo loco appictum eſſe Moly. Etenim Dioſc. planta eſt Moly, quæ folia habet gramineis latiora, humi ſparſa, florẽ albæ violæ ſimilem ſed minorẽ, magnitudine violæ purpureæ æmulum, lactei coloris, & caulẽ candidũ quaternorũ cubitorum. At allium alterum, à Trago caninũ appellatum, folia gerit gramineis anguſtiora, ſurſum ſpectantia, flore Lilio conualliũ æmulo, violæ purpureæ longe minorẽ, caulem viridem nunquam ſpithama, aut ad ſummum cubito, longiorem. Quæ quidẽ notæ, ſi recte expendantur, facile palam fiet, quam magna ſit Guiland. vanitas, quam inſolens inſcitia. Sed quo autore iſta proferũtur in medium? Vnde iſta erũpunt?*

Guiland μῶλυ ζαρ perperam interpretatur.

*Ex Gal fortaſſe dicet, & ex eo libello, quo obſoleta Hippocr. clariora facit. O fœlicem interpretem, ô admirandum rei plantariæ indagatorem, qui μώλυζαν apud Hippocratem, μῶλυ interpretatur. Subinde vero, vt ſuã inanem cõprobet opinionem, falſo aſſerit Gal. eo in loco μῶλυ interpretari Alliũ, quum apertiſſime ſcribat nõ μῶλυ ſed μώλιζαν Hippocrati vocari Allium capitis ſimplicis, nõ in ſpicas diuiſum.*

Quo

*Quo fortaſſe vtitur Hippocrates, quod aptius altero ſit ad ſupponendum, & vuluis iniiciendum. Hinc itaque palam ſit Guilandini malitia, qui, vt probet Caninum Allium eſſe [illegible], ſua Galeni verba in ſuam peruerit ſententiam, id quod facile deprehendi poterit, ſi Galeni verba recte perpendantur, quæ ita ſcripta reperio. μώλυζα [illegible] ἁπλῆν τὴν κεφαλὴν ἔχον, καὶ μὴ διαιρούμενον εἰς ἀγλῖδας. Τινὲς δὲ μῶλυ. id eſt, Molyza eſt Allium, ſimplex caput habens, & non diuiſum in nucleos: Quidam vero Moly. Quibus verbis maxime conſtat, non probaſſe Galenum eorum ſententiam, qui μώλυζα, μῶλυ interpretabantur, quum ipſe apertiſſime dicat μώλυζαν Hippocratis nil aliud deſignare, quam Allium ſimplex caput habens, cumque etiam non ignoraret [illegible] contraria vi pollere, quod vulnera occludat, non reſeret. Quid igitur aliud profitetur Boruſſius iſte, quam petulantiam, malitiam, maledicentiam? Quid aliud molitur, quam cauillis detrahere, obtrectare, autorum ſententias euertere, & falſa pro veris aſſerere? Non enim (inquit) eo dementiæ veni, vt Matthio ſpeltem Boruſſiaco certo anteponam. Atqui tametſi hic ſtultiſſime (vt alibi diximus) loqui videatur, in hoc tamen [illegible] ſapere demonſtrat, quod corium illud ſuum tanti faciat, præſagiens fortaſſe [illegible] aliquando vſui fore. Quamobrem corium illud diligenter munctum aſſeruare poterit, & pro theſauro retinere. Nam quid valet [illegible] aptius ad tympanum faciendum, vel Muſicum ſuæ gentis virem. conflandum, quam Guilandini corium? O infœlicem hominem, qui putat non ſolum maledictis ſed etiam minacibus verbis terrorem nobis incutere. Dabunt, inquit tandem imperitiæ ſuæ pœnas quas caueat, ſi non ſapuerit, ne ipſe primus experiatur. Vidi quidem longe antea quam fortaſſe Guilandinus hunc Galeni locum, quamuis is temere me illum nec vidiſſe [illegible] legiſſe cenſeat. Legi ſane, ac vidi, ſed non vt ille perperam intellexi. Moly itaque Allium non eſt, ſed Molyza Hippocratis, Galeni teſtimonio Allium deſignat integri capitis. Quo ſit, vt ſi dixerim hiſce rationibus & autorum teſtimoniis perſuaſus, me hactenus Moly non reperiſſe in Italia, non propterea tam acriter [illegible] vt Guilandinus, qui tam admirandum monſtrum pro legitimo Moly in medium affert. Cæterum nec [illegible] Geſnero aſſenſerim, quod putet Dioſcoridis Moly eſſe Hippocratis Oloconitide: Siquidem contrariis omnino conſtant facultatibus Oloconitis & Moly. Etenim hoc Galeni autoritate, contrahentis eſt facultatis, adeo vt cum farina Lolii ſuppoſitum, apertas valeat occludere vuluas, illa vero maxime aperire. Certant inter ſe de Moly Guilandinus & Geſnerus (ſed vt ingenue fatear, & vt Geſneri viri alioqui non vulgaris pace dicam, quod ſentio) tanquam cum Tyreſia talpa, cum hic vterque cæcutiat. At quid nunc de Homerico illo Moly in medium afferam ſane non habeo, nec etiam quod probem Guilandini ſententiam, qui temere (vt ſolet) aſſirmare videtur, nil aliud per Moly intellexiſſe Homerum, quam Cynoſbatum, ſiue Agleophotin terreſtrem Æliani, ſiue Baaram, de quo libro ſeptimo capite viceſimo quinto de bello Iudaico meminit F. Ioſephus: Sed falli decipique Guilandinum in hoc, vt etiam in cæteris facile palam fiet: Siquidem Homerus in Odyſſea Moly ſui radicem nigram eſſe ſcribit, his verſibus.*

Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος,
μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί.

*At Ioſephus Baaræ radicem flammeo colore niteſcere aſſerit, adeo vt circa veſperas videatur veluti iubar fulgurans. Verum quoniã fabuloſa perpetuo deſpexerim, etſi longe plura hic aduerſus Guilandini ineptias afferre poſſem, ea tamen potius ſilentio duximus prætermittenda, quam in medium proferenda. Porro Geſnero gratias habeo ingentes, quod contra Guilandinum cauſam meam ſuſceperit, ſi tamen hoc ipſum fecit defendendæ potius veritatis, & noſtræ vindicandæ calumniæ cauſa, quam illius accuſandæ inſolentia. Hæc itaque ſunt ſpolia (vir candidiſſime Faloppi) quæ profligato Guilandino tibi mittenda duximus, quod te mirum in modum ſemper dilexerim, ac etiam plurimum obſeruauerim, quem mihi fortuna dedit, non modo amplificatorem dignitatis meæ, ſed etiam inimicorum vltorem. Quandoquidem præterquam, quod id mihi pollicentur tua in me præſtita officia non deſunt ſane ſtudioſi iſthinc ad nos remeantes, qui nõ ſolum de tua admirabili virtute, eruditione, integritate humanitateq; plurimum commemorant: ſed ſæpe, ac ſæpius audiuiſſe Faloppium (quæ tua eſt beneficentia) de Matthioli doctrina, eruditione, ac laudibus publice diſſerentem prædicant. Quamobrem ſi tu is es, qui tuis ſententiis me ſæpiſſime ornaſti, qui tuis præconiis, qui ſummis tuis laudibus vſq; ad ſydera me euexiſti, verendum mihi non eſt ſi quis tam impudens in poſterum fortaſſe emerſerit, qui noſtris ſynceriſſimis conatibus obeſſe voluerit, quin tua doctrina, eloquentia, & autoritate, quibus maxime præſtas, me abſentem defenſurus ſis: Nam hæc omnia ſic in te eluceſcunt vt cum quolibet antiquorum comparari poſſint tuæ virtutes. Interim me excuſes velim, ſi vehementius, quam nos decere putas, ac acrius quam pro more antea conſueuerim, in Guilandinũ dixerim. Siquidem cum nullus hic offeratur lenitatis locus, ſeueritate putaui reprimendam eſſe huiuſce conuiciatoris impudentiam. Plura tamen non dicam, ne in quo obiurgem, id ipſum videar imitari. Vale Italiæ decus, mei non immemor.*

*Pragæ Calendis Ianuariis.*

Guilan[illegible] tula[illegible]

Geſneri opinio reprobata.

Guilandini ſententia de Moly Homerico improbata.

Baara apud Ioſephum.

# PETRI ANDREÆ MATTHIOLI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER TERTIVS.

## GVLIELMVS QVACELBENVS CVRtacen. Phyſicus, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Agitur de plantis quibuſdam peregrinis Conſtantinopoli à Quacelbeno miſſis.*

*NOn tam temere vtiliſſimas tuas occupationes, reiq; herbariæ iam tandem reuiuiſcenti in primis neceſſarias, Doctiſſime Matthiole, interturbarem, niſi mihi de ſumma tua humanitate, qua ex æquo omnes proſequeris, vel ex ſola Magnifici Domini mei Oratoris teſtatione conſtitiſſet, vt nihil vereri debeam, quin amiciſſime has primas meas ſalutationes ſis accepturus. Neque vero illæ ab ignoto prorſus homine venient. nam quamuis vix bis præſens te præſentem conſpexerim (prohibebat enim tui cõueniendi cupidiſſimum familiarius tecum agere morbus, quo ſuperiori itinere versus Viennæ diſtinebar, grauiſſimus & diuturnus) abſente tamen iam ſecundo Byzantium, atq; inde etiam ad Ponticæ vſq; Cappadociæ Amaſſéiam comite vſus ſum aſſiduo & ſuauiſſimo, atqui nec comite tantum verum etiam præceptore fideliſſimo, & ex quo emolumenti plurimum fructuſq; percepi. Luculentiſſimis profecto tuis in Dioſcoridem commentariis totum debeo quicquid hactenus de herbarum, aliorumque ſimpliciũ medicamentorum natura, ſolidæ cognitionis aſſequutus ſum. Flagraui quidem ego ab ineunte ætate illorum cognoſcendorum non mediocri deſiderio, ſed quod non parum relaxarunt doctiſſimorum noſtri temporis de vnaquaque fere planta variæ atque incertæ diſceptationes Seplaſiariorum, quibus Medicæ materiæ, curam atque ſcientiam ſuperiores Medici deteſtabili quadam ſua vecordia, & magna mortalium ægrorum pernicie reliquerant, extrema ignorantia: deinde hinc Græci, inde diuerſa ſentientes Arabes: poſtremo quod nullus in vniuerſum prodiiſſet, cui velut certo in tanta via incertitudine ductori tuto cõfidi poſſet. Sed poſtquam ſemel in publicũ editas eruditiſſimas tuas, pleniſſimaſq; in Dioſcoridem enarrationes vel a limine tantum ſalutaſſe, recepto protinus animo, cæpi maiori longe, quam antea vnquam, rei herbariæ ſtudio teneri, confirmata penitus in hoc animi ſententia, nos talem in hoc ſcientiæ genere inſtauratorem nactos eſſe, qualem ſuperioribus annis in anatomicis adminiſtrationibus doctiſſimum Andream Veſalium. Scripſerunt de eadem materia ante illum complures, ſed quos poſt ſe multis paraſangis reliquit. Scripſerunt quoque ante te non pauci atque huius tempeſtatis Medici celeberrimi, ſed qui libenter niſi philautia quadam tranſuerſi rapiantur, tibi palmam ſint ceſſuri. Ita accurate, ita dilucide, ita ad numerum appoſite omnia pertractas. Habuit Veſalius (vt in comparatione perſiſtam) ſuos æmulos non ignobiles viros, habes & tuos, ſed quos vt ille facile, pugnante pro te inuicta perpetuo Veritate, retundes. Patiaris obſecro, doctiſſime Matthiole, me mihi in hac parte indulgere, neq; vnquam in animum inducas. me leuiter potius adulantem tibi, quam vere, atq; ex animo hæc ſcribere. Adulandi namque nulla mihi neceſſaria cauſa incumbit, vt plurima ſunt e diuerſo, quæ, vt quam optime tibi velle debeam, de te quam optime ſentire, ac loqui, hortantur, atque etiam impellunt: eruditio tua ſumma, iudicium de re herbaria exactiſſimum. ſtudium iuuandæ Medicinæ, qua parte iam maxime laborat, indefatigatum, lucubrationes poſtremo tuæ laborioſiſſimæ, ex quibus eos progreſſus me iam feciſſe in ſimplicium medicamentorum notitia ſentio, facturumq; indies maiores ſpero, vt tandẽ illa ardenti meo cognoſcendi deſiderio ſatisfactũ iri confidam: ſed de his ſatis. Ad ea conuertar, quæ potiſſimũ huic epiſtolæ ſcribendæ cauſam dederunt, quæq; quod, ad ſuſceptum tibi negotium proxime faciunt, non ingrata futura ſatis ſcio. Magnificus Dominus orator Augerius à Busbeck non minori, quam ego noſcendi res naturæ mirabiles ſtudio captus, quo neſcio an aliud homini libero & nobili conuenientius excogitari poſſit, cũ priori itinere præpropero & impræmeditato, multa ſibi ad animum ſuum explendum defuiſſe animaduerteret, ſecundo ByZantium remiſſus, de aſciſcendo in familiã ſuam inter cætera perito aliquo pictore, cuius opera adiutus, quæ minus commode aduehere poſſet, depicta ſaltẽ, quam optime referret, cogitabat, impulſus quoque ad hoc Sereniſſimi Principis Ferdinandi, &c. Domini tui atq; noſtri, miſſis ex Oenisponte literis, quæ de referendis in librum aliquem peregrinarum arborum, cuiuſmodi hic complures reperiri certum eſt, imaginibus, agebant. Conſtantinopolim igitur reuerſo, & diligenter ſibi commiſſam prouinciam tractanti quam non leuem tantum promptiſſima tanto Principi obſequendi voluntas, ſed ſuauem etiam animus natura eo propenſus, faciebat, ſuperuenerunt altera eiuſdem inſtituti literæ a Gaſtalo*

Regio,

*Regio, tum temporis apud Venetos, Oratore, qua de tranſmittendo hinc tuo Acoro illum commonebăt. quod quia non tam Principis, quam tuo nomine fieri intelligeret, cœpit non ſolum de mittendo Acoro, neq; de arboribus exoticis tantum, verum etiam omnis generis plantis raris (præcipue quæ in tuis commentariis, aut ipſo etiam Dioſcoride deſiderantur) & noſtro orbi incognitis animalibus, quantum per negotia legationis difficilime conceditur, depingendis curare, id quod hactenus ob duriſſimam, qua hic viximus, conditionem, non omnino ſucceſſit pro animi ſententia, ſucceſſurum tamen non infœliciter ſperarem, modo optata tam diu pacis tempora tandem eluceſcerent, & ſtudium ſuum non ingratum Sereniſſ. Principi, neque impenſas difficiles fore intelligeret. Locus enim hic eſt ad iſta accommodiſſimus, Ponto herbarum omnium (vt pernoſti) parenti fœcundiſſimo, Aſiæ item & celebrioribus mediterranei Inſulis vicinus, Emporium præterea omnium rerum abundantiſſimum. In primis vero earum, quæ raritate commendantur, trahentibus huc ex omnibus pene orbis regionibus, externos mercatores, primorum procerum ſtudiis, qui mercium nouitate præ cæteris hominibus, quos vſquam vidi, vel maxime delectantur. Porro cum huiuſmodi mercium nonnullas ad Sereniſſimum Archiducem dominus Orator, data per collegarum ſuorum diſceſſum occaſione oportuniſſima, mittere conſtituiſſet, nă illius mandato emendas Viennæ ſuſceperat, adiunxit in tuam gratiam ciſtellam quandam iis medicamentis inſtructam, quæ, vt ex tuis commentariis cognouimus, tibi optata iam diu aduenient. De his ob id breuem narrationem adiiciendam putaui, quod, quædam ſint noſtris antehac (ni fallor) penitus incognita, quædam nota quidem, ſed tanta cum aliis quibuſdam ſimilitudine coniuncta, vt vix a perito harum rerũ inueſtigatore exacte diſcerni poſſint. Nomina & facultates, duo potiſſima ad cognoſcendam vniuſcuiuſque rei naturã inſtrumenta, partim à Pharmacopolis, partim à factitantibus hic Medicinam Iudæis, accepta coniunxi, quod non parum ad faciliorem illorum perſcrutationẽ tibi commodatum cenſerem. Nihilominus tamen omnia exactiſſimo tuo iudicio perpendenda relinquo, illud vnum iterum atq; iterũ rogans, vt has meas primitias, velut meſſis è tuo ſemine propagatæ, benigniter ſuſcipere digneris.*

Calamus vulgaris, eſt Acorus.

*CALAMVM vulgarem, quem Acorum in tuis commentariis eſſe affirmas, nec male meo iudicio illi conueniente Dioſcoridis deſcriptione, Dominus Orator dato commeatu per Seplaſiarium quẽdam Fulginatem, cuius apotheca in Pera eſt, non procul a Nicomedia, ex vaſtiſſimo quodam lacu deferri curauit. Attulit ille complures plantas, inter reliquas tantũ vna quidpiam anguloſum velut cauli ſimile gerebat: vertice truncum, exaridumq;, ex latere vero oblique eminebat aliquid, non diſſimile, aut plantaginis capitello, aut auellanæ nucamento, digitali longitudine, quod paucis poſt diebus, ad virgineæ floris modum efflorescere viſum eſt, idq; paulo ante Calend. Maias, poſt vero aliud floris veſtigium nullum apparuit. licet plantas ampliſſimis vaſis impoſitas, affuſa indies ad ſemipedalem altitudinem aqua (ſic enim dicto lacui innaſcebantur) eam ob rem hucuſque dominus Orator aſſeruari curauerit, vt idcirco omnino metuam. ne ſi florem Iridis ſimilem in Acoro requiras (cuius tamen non meminit Dioſcorides) verus hic ſit Acorus. Superiori Amaſiano itinere nõ procul à ripis Halys, qui Galatiam à Cappadocia diſterminat, viginti pene dierum itinere, me herbam vidiſſe recordor, cui optime Dioſcoridis deſcriptio quadrabat, eamque habebat radicis diuiſionem, quam appicta tuo libro, qui tum in curru præ manibus erat nobis, imago refert, odorata præterea erat, & candida. & quæ licet guſtanti primum acris parum videbatur, tanta tamen poſtea acrimonia non ſolum fauces, verum etiam [illegible] interiora vellicabat, vt proculdubio ſi non Acorus fuerit, plantam aliam inſignem fuiſſe oporteat. H[...]us ob id potiſſimum memini, quod è medio caulis eminebat, qui circa Calend. Aprilis florem promittere videbatur. Extirpationem plantæ cum in reditum diſtuliſſet, vt auferendi recentiorem poteſtas eſſet incidente ſub illo grauiſſima domini Oratoris valetudine, dum illam ſollicitus obſeruo, immemor deſignatum locum præterii. campus is erat vaſtus, non lacuſtris, ſed quem intumeſcens Halys aliquando inundaret.*

Ruta ſylueſtris ſeu Harmel.

*Altera herba RVTA eſt ſylueſtris, quam copioſiſſime toto itinere ab Amaſia ad Sangariam vſq; naſci vidimus, ignotam tunc temporis, at poſt tamen cognitam, intellecto hic ab Arabibus illius nomine. Harmel enim iſti, vt priores, qui de ea ſcripſerunt, appellant, eodemq; modo inducta cerebro velut ebrietate quadam rerum triſtium moleſtiam tollere aſſerunt.*

Eliſſoth ſeu herba gladiolus.

*Tertia hic vulgo ELISSOTH, vocatur, id eſt, herba gladiolus. vtuntur hac ad alui deiectiones, quem vero humorem purgando potiſſimum trahat, ex imperito iſtius diſcriminis vulgo cognoſcere non potui. Experimento autem tentare in tanta aliorum mihi cognitorum copia, neque tutum videbatur, neque conueniens.*

Alumen Iameni.

*ALVMEN Iameni, ſic à Perſia regione, vnde aduehitur nominatum, vt hic volunt, namque aliter antiquum Arabicarum vocum in Auicenna interpretem exponere memini, rem factitiam eſſe ex inſertis tranſuerſim paxillis, aperte conſtat, cuius hic frequentiſſimus, præſertim in ocularibus equorum medicamentis, eſt vſus, hominibus quoque non inuſitatum rubentes inflammatione oculos illo moliter delinentibus.*

Blatta Byzantia.

*BLATTIA Byzantia ab vngue odorato, communiter huius vrbis Pharmacopolæ diſtinguunt, atq; hæc, quæ mittimus Blattia. Quæ vero tuo libro depicta ſunt, vngues odoratos appellant.*

Bozeth.

*BOZETH an Alcyonii Mileſii ſpecies ſit, tuum eſto iudicium. Dioſcoridis certe deſcriptio non male conuenire videtur.*

Cheſmezen ſeu Acacalis.

*CHESMEZEN tam vulgare hic ad oculorum morbos eſt remedium, vt tritum ſit prouerbium. Si doleant oculi, habes Cheſmezen. Petrus Bellonius in Gallicis ſuis commentariis de rebus Turcarum memorabilibus, Acacalim eſſe affirmat. Ex Ægypto ſane adferri certo mihi conſtat, eaq; abundantia, vt nummulo, quantam vix requiras, emere poſſis.*

Chryſocolla.

*CHRYSOCOLLA quam mittimus. foſſilis eſt, rara iſtis officinis, nam plerunque vt noſtra, factitia vtuntur. De hac ſi quicquam noſtro aurifabro credere liceat, hoc tantum habemus, noſtram longe ad auri ferruminationem efficaciorem eſſe.*

Caſtaneæ equinæ.

*CASTANEARVM ſpecies hic frequens reperitur, quæ ob id vulgo equina cognominantur, quod terna, aut quaterna deuorata, pectoralium æquorum morbis, tuſſi præcipue, & anhelitus difficultati opitulentur.*

Cardamomum.

*CARDAMOMI ſpecies ex diuerſis apothecis diligenter corraſimus. penes te ſit liberum de illis iudicium*

*dicium. Turcæ huius vrbis incolæ, commanſis aliquot ſeminibus, vini odorem tegere ſolent, alioquin non ſine vitæ periculo ſe prodituri ſi quando ad magiſtratus ſuos appellentur.*

...dium.

*CARNABADIVM vbi de Ornithogalo agis, cum Actuario Doronicum eſſe ſentire videris. Nicolaus autem Myrepſus aliquoties Cuminum Æthiopicum interpretatur, cui adſtipulantur duo manuſcripta Græce dictionaria, quorum adhuc alterum apud nos habemus. Vulgo præterea nota etiamnum appellatio, ex cuius opinione iam illud mittimus.*

...oul.

Capura vina.

*DE Coulcoul, & Hebulben, nil dum certi intelligere potui, niſi quod Coulcoul, quibuſdã in delitiis ſint, præſertim quando recentes ex Ægypto aduehuntur. Genus quoddam reſinæ a Perſa mercatore Capura vina cognominatum, ob id Dominus Orator, quantum vis magno emendum putauit, quod illius nullam adhuc apud quenquam, niſi ſub alio fortaſſe nomine mentionem factam intelligeret. Venerem in primis ſtimulare contraria virtute ab Arabibus attributa Caphura, idem mercator referebat. Odor certe ſaporque non mediocrem caliditatem poſsidere tantũ teſtantur. Hic admonendus es, dum imprudẽtius vitreum vaſculum in quo aſſeruabatur tractarem, colliſa anſula, particulam vnam atq; alteram vitri liquori incidiſſe.*

Iūcus odoratus.

*IVNCVM odoratum ob antiquitatem odore euanido à Iudæo quodam pro vero, magno Dominus Orator redemit, mirum quanta acrimonia guſtantis linguam mordicet.*

Lapis Bezahar.

*LAPIS Bezahar è Perſis mercatoribus è regione quadam Armuzio vicina, vt ipſi referunt, ſed vereor ne falſe, apportatur, precio ob id grandiſsimo, quod rarior ſit & illis non ſecus atq; Arabibus olim, præſentiſſimum aduerſus omne fere venenorum genus præſidium habeatur.*

Hæmatites.

*HÆMATITÆ noſtro non male quadrarent Dioſcoridis notæ, ſi de friabilitate tantum conſtaret: ſed cum ea non vno ſolum modo in rebus conſideretur, nihil fortaſſe impedit, quin hic ſit Hæmatites, præſertim quando ad eos morbos à Medicis Iudæis hic adhibeatur, ad quos conducere affirmat Dioſcorides, qui, vt non ſunt vulgares, ita non vulgaris hic quoq; eſt precii.*

Maslach.

*MAHVMETANI ſua lege vini potu prohibiti, diuerſi generis compoſitiones, inter quas communiſſima eſt, quæ vulgo Maſlach dicitur, meditati ſunt, quibus non diſſimilem ebrietati, mentis alienationem ſibi inducere conſueuerunt. Atqui nec iſtam tantum, verum immanem quoque aliquando inſaniam, quam nunc ad ponendam animi mœſtitiam, nunc ad fugandum ſuborientem in rebus difficilibus pauorem, conducere opinantur.*

Nux Farfalach.

*NVCES Farfalach ego tuas atq; Arabum, vomicas eſſe arbitror, propterea tamen mittendas cenſui, quod inter illas vna ſit cortice ſuperiori intecta, qualem me illic vidiſſe non recordor.*

Nux Ægyptia.

*NVCIS quoddam genus ex Ægypto adfertur, cuius non externus tantum cortex fibroſus, glaber, colore ſubrufeſcente, ſed & internus, ſi vera hic narrant quod, qui recens molleſcit, illius regionis hominibus pro delitiis expetitur. Illud de eo mirandum eſt, in tantam poſtea duritiem euadere, vt aptiſſimum hic habeatur terebrarum capitellum, in qua, velut in planulis cardines circumuoluuntur.*

Nitrum.

*NITRO vero longo iam tempore deſtituimur, non ſine maximo ægrorum incommodo. Bellonius in Ægypto ſe verum vidiſſe aſſerit, quod fidem aliquam mihi facit; cum ex Alexandria hoc noſtrum aduectum ſciam, neq; cum quoquam foſſilium, atq; nitro maiori ſimilitudine conueniat, verum nitrum eſſe poſſe, quod ſi ſit, quoniam abunde ſatis illinc aduehitur, quantum putas noſtris regionibus adiumenti acceſſurum?*

Glaucium.

*SADETHZ non minimi inter Iudæos nominis medicus, apertiſſimo errore (vt ex Dioſcoride patet) Glaucium eſſe contendebat, ego æruginis potius ſcolaciæ ſpeciem aliquam arbitror. Guſtanti neſcio quid ſebacei ſaporis refert. atque ego profecto è ſeuo compoſitum eſſe aliquid putarem, niſi lumini admotũ non diffluere, quæ illius eſt natura, ſed paulatim indureſcere, poſt etiam ſiccitate aut ipſo calore nimio dehiſcere vidiſſem. Arabes hic Dembehe vna vocant. Ocularibus vero compoſitionibus plerunq; ſolet admiſceri.*

*CASSABOVSSERIRE Bellonius in dictis ſuis commentariis, cum vulgo hic Pharmacopolarũ Calamum aromaticum eſſe opinatur, meo quidem iudicio abſurdiſſime. Placet Auicennæ potius ſpodium eſſe, quod arundines vi ventorum & partium ad ſe inuicem confricatione aduſtas eſſe, videtur indicare, ac tale quidpiam huic arundini accidiſſe, aliquis non inepte dicere mihi poſſe videtur. Nihil tamen certi de hoc ſtatuo, ſed totum vt alia omnia priora ad tuum iudicium relego.*

Zedoaria Indica.

*POSTREMA eſt Zedoaria Indica, vt præſentiſsimum ad quælibet pene venena creditum remedium, ita incredibili fere precio hic venale, vt ſi Arabũ iuramentis credere liceat, nullum vel maximis Principibus dignius munus excogitari poſſit.*

*HÆC, doctiſsime Matthiole maiori (vt ingenue fatear atq; ipſa orationis, & characterum inæqualitas teſtabitur) labore, & tibi gratificandi ſtudio, quam cura & diligentia tumultuarie congeſta, idcirco boni conſulas, quod ad miſſam à Magnifico Domino Oratore ciſtellam, vt ante oſtendimus, pene neceſſario videbantur adiicienda. pro iis viciſſim, niſi maiores te occupationes alio auocẽt, liberrimum de omnibus tam miſſis quàm ſcriptis iudicium tuum poſtulo. Latiſsimam præterea ſi placet earum rerum explicationem, quæ apud vos illic aut deſiderari noniſti, aut improbas tantum corruptaſque proſtrare. Sic occaſionem dabis commodiſſimam cognoſcendi animi mei ad tua officia paratiſsimi. De herbis peregrinis, animalibus item & arboribus atque aliis nonnullis libens quædam adiungerem, ſed prohibet Epiſtolæ longitudo, quæ in iuſtum iam prope volumen excreuit, eamque ob cauſam moleſtam fore metuo. Quod ſi gratam tibi meam battologiam intelligam, ſcribam alias quam copioſiſsime. Interea Deus Optimus Maximus te Principi noſtro Sereniſsimo ac publico Studioſorum Medicinæ bono, quam diutiſsime incolumem conſeruet. Conſtantinopoli VII. Cal. Aug. 1557.*

PETRVS

# PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Gulielmo Quacelbeno Curtacenſi Phyſico, S. P. D.

*Reſpondetur præcedenti Epiſtolæ, cenſuque quodam omnia expenduntur.*

*QVantum gaudii, quantumue voluptatis attulerint mihi literæ tuæ, quantumque debeam Clariſſimo Augerio Romanorum Regis iſtic apud Turcarum Imperatore Oratori, quod tam pulchra, tam rara, tam pretioſa ad me miſerit medicamenta, omni auro, ac gemmis præferenda, nulla dicendi facultate eloqui, nec vllo calamo exarare poſſum. Nam quid iis mihi gratius, quid iucundius, quid ſuauius, quid optatius, à quoquam donari potuit? Profectò nihil. Cum nihil magis mihi vnquam fuerit in optatis, quam perpetuò Medicæ materiæ Studioſis aliquid noui, boni præclarique comparare. Etenim ſtudium augendi ac illuſtrandi Medicam facultatem, iuuandique poſteritatem, adeo me totum complectitur, ac detinet, vt ſpretis cæteris humanæ vitæ voluptatibus, hoc ſolo tantum me oblectem, olerque plurimum. Nam cum Dei Optimi maximi munere lucubrationes noſtras quotidie magis, ac magis inclareſcere, non ſolum apud omnes præclaros rei Medicæ ſtudioſos, ſed etiam apud alios cuiuſuis facultatis doctiſſimos viros animaduertam, quis profectò mihi vnquam perſuadebit, ne præclariſſimam hanc ſimplicium medicamentorum facultatem omni theſauro præferam? Quamobrem & Clariſſimo Augerio & tibi quoque tantas habeo gratias, quantas ſtudia erga me veſtra ac officioſa voluntas requirit ac poſtulat. Fatebitur & poſteritas (niſi fallor) ſe vobis plurimum debere, quod me in hoc tam neceſſario ac vtili labore iuueritis, ſi modo non ingrata pro tanto beneficio fuerit, quod haudquaquam futurum cenſeo. Nam quicquid propemodum toto noſtræ vitæ curriculo, magno labore in medica facultate conſecuti ſumus, id totum in eius commodum collatum volumus. Hic paternus noſter amor, quo mirificè erga eam affecti ſumus, multis Clariſſimis viris notus eſt, qui eo libentius noſtros conatus ſummo ſtudio adiuuant & promouent, quo magis poſteritatis commodo ducuntur. Cæterum etſi nullis opibus, nullis officiis, hæc in me collata beneficia rependere quiuero, enitar tamen, vt ſcriptis, ac præconiis noſtris omnibus palam fiat, nos ingenuè fateri, per quos profecimus. Non me præterit, quantum tibi meritò debeam, quod ita Commentarios noſtros (quæ tua eſt humanitas) ad cœlos vſq; euehas, & cæteris aliis præferas, quod facile ex hoc animaduertam, ingenui animi tui erga me voluntatem, ac beneficentiam eſſe haud vulgarem. Gaudeo ſane abs te viro apprime erudito commendari labores noſtros, non quod hiſce delecter commendationibus, vt præ cæteris euehi velim, verum vt hinc certior fiam me non incaſſum laboraſſe. Commentaria illa noſtra nunc primum iterum in lucem prodierunt, aucta non modo ſexcentis ferè locis, ſed quamplurimis plantarum, & animalium imaginibus, quæ in priori editione non habentur. His præterea acceſſit Apologia aduerſus Amathum Luſitanum, & cenſura in eius enarrationes, quo fit, vt codex iam multum excreuerit. At quum iam dudum mihi compertum ſit, quanta animi propenſione rem plantariam excolas, quantumque hæc facultas tibi ſit cordi, dabo ſedulam operam, vt Venetiis ad te iſthuc noua hæc noſtra perferantur. Curabo itaque vt mittantur ad Venetarum Oratorem (Bailum Veneti vocant) iſtic agentẽ, vt citius, & ſecurius ad tuas deferantur manus, & eis pro arbitrio vti poſſis, donec tertiò perficiantur Iconib. longe maiorib. ac elegantiorib. illuſtrata. Alo nunc hic ſculptores plures, qui omni ſolertia, ac diligẽtia ad pictas excidunt tabellas, vt ex iconib. quas ad te mitto, facile coniicere poteris. Opus eſt magnũ, magni admodũ ſumptus, ac laboris. Verũ quum primũ Deum Opt. Max. habeam, qui hac ſua Clemẽtia mihi infundit, nec Reges deſint, nec Principes noſtri, qui hac de cauſa mihi non mediocri liberalitate ſuccurrunt, nõ vereor quin rẽ hãc ad optatũ deducã finem. Quo fit vt hinc cõiicere poſſis, Candidiſſ. mi Gulielme, quã magno gaudio, quanta animi voluptate veſtra hæc peregrina exceperim medicamenta, quum non ſolum magno ſim captus deſiderio, illuſtrandi hoſce noſtros labores elegantiſſimis imaginibus, ſed & augẽdi talibus peregrinis medicamentis, quæ paucis aut fortaſſe nullis hactenus viſa ſunt. Quamobrem te rogo atque obteſtor per amicitiam noſtram, per communia ſtudia, per mortalium ſalutem, quibus maximo eſſe potes auxilio, vt tuã continuè naues operam, ac diligentiſſimè cures, vt ſi qua iſtic reliqua ſunt, quæ operi noſtro profutura cenſeas, illa ſummo ſtudio colligas. Porro quæ nunc à me deſiderantur, hic per ſe annotata reperies. Atqui quum mihi facile perſuadeam longe plura abs te inueniri poſſe, quam à me peti, non vereor quidem quin tu & augẽdæ medicæ facultatis, & poſteritatis cauſa, te totum ad hoc munus obeundum promptiſſimum exhibeas. Nec admodum fore difficile crediderim, vt ea quæ abs te inuenta fuerint, huc ad nos adferãtur. Quippe cum iſtic ſit Venetorum Orator, eius auxilio cenſerem, quod omnia ſecure mitti Venetias poſſint ad Cæſaris Oratoris manus, qui poſtea per Veredarios, qui illinc quotidie ad nos veniunt, hæc omnia tuto mittere poſſet. Sed de his hactenus. Nunc vero ad ea me conferam examinanda, quæ à Clariſſimo domino Augerio, nobis miſſa ſunt, & à te tuis humaniſſimis literis mihi deſcripta.*

*IN primis eſt Acorum, cuius non ſolum plures accepi plantas ſed imaginem ad viuum pictam, adeo vt iam omnes Sole clarius noſſe poſſint, Calamum vulgare noſtrum, nil aliud eſſe, quam legitimum Dioſcoridis Acorum. Quinetiam & palam fiet, eos toto erraſſe cœlo, qui Galangam Acorum eſſe contendunt. Deſideraſſem tamen, vt caulem quoque vel eius Iconem miſiſſes vna cum agnatis in latere Capitulis, quorum rectè meminiſti. Siquidem haudquaquam crediderim, quod tu qui non ſolum doctrina, & eximia eruditione, ſed etiam prudentia ac ingenio præſtas, capitula illa, & caulem tibi aſſeruaueris, cum proculdubio ſciueris hæc peregrina, rariſſima ignotaq; eſſe omnibus, qui Europam incolunt. Quamobrem te quamplurimum rogatũ velim, vt caulem illum vna cum capitulis ad me mittas, ſi cupis huiuſce plantæ perfectam, te authore, à me dari imaginem. De alia vero planta, quam te inueniſſe ais, non procul à fluminis illius ripa, qui Galatiam à Cappadocia diſterminat, quid ſentiã, aſſerere non auſim, cum planta non ſit ad manus, nec poſſim de incertis, & nuſquam viſis niſi temerè meam afferre ſententiam.*

Acorum verum. Calamus Aromaticus vulgaris vſus quid.

Syluestris ruta legitima.

*SYLVESTREM Rutam recte probamus legitimam eſſe Harmolã, quum omnibus illi reſpondeat notis, quam cum hactenus nec viderim, nec nouerim, hilari admodum animo accepi.*

Eliſſoth videre.

*DE ELISSOTH, quam etiam gladiolum appellas, quid dicam non habeo, cum nuſquam hanc me vidiſſe meminerim. Recenſebo tamen fortaſſe illam inter detectoria medicamenta. Quare ſi forte fortuna interim cognoſcere poteris, quem proprie noſtri corporis exoluat humorem, & qua detur menſura, moleſtum tibi nõ ducas, id ad me ſcribere.*

Alumen Iameni.

*ALVMEN Iameni vis factitia eſt, vt ex inſertis feſtucis quiſquam coniicere poteſt. Atqui ſi vera fateri velim, & meam de eo in medium adferre opinionem, potius illud Chalcanthum putarem, quam alterius generis alumen, quod nihil ſapore à Chalcantho differat, tum etiam quod Chalcanthum Pannonicum habeam colore illi omnino ſimile. Sereniſſimus Princeps meus allectus colore & rei nouitate, id totum quod miſiſti ad ſe recepit, quo poſtea factum eſt, vt periculo facto comperire nequiuerim, an diluto gallarum additum, id atrum redderet. Quod autem non putem hoc alumen, id eſſe, quod Arabes Iameni vocant, illud in cauſa eſt, quod ſciam nihil aliud Mauritanis eſſe Alumen Iameni, quam alumen ſciſſile, albi non cœrulei coloris, quum etiam per ſe foſſile non arte paratum. Opinioni noſtræ recte quidem aſtipulatur Serapio ex Dioſcoride ſcribẽs, capitulo 420. vbi ſic habet: Multæ ſunt Aluminis ſpecies, ſed illæ, quæ adminiſtrantur in medicinis ſunt tres. Vna eſt illud, quod dicitur Iameni, & eſt melior aliis, & melius ex eo eſt illud, quod eſt recens albũ, fortis albedinis, facile diuidens ſe, & habens velut capillos albiſſimos. Serapioni ſubſcribit Auicenna lib. 2. cap. 70. his verbis. Sciſſum vero eſt Alumen Iameni, & eſt album ad citrinitatem declinans. Quibus palam eſt, hoc alumen non eſſe legitimum Iamenum, ſed Chalcãthum factitium potius, id quod facile comperies, ſi gallarum decocto aut diluto illud adiicies.*

Alumen Iameni eſt alumen ſciſſile.

Blatta Byzantia.

*QVI Blattiam Byzantiam ab vngue odorato ſegregãt, perperam meo iudicio faciunt, cum Serapioni, & Auicennæ nil aliud deſignet Blattia Byzantia, quam vnguem odoratum, vel conchulam Indicam, de qua lib. 2. meminit Dioſcorides. Verum cum in Serapione de Blattis Byzantiis duo habeantur capita, ſcriptorum (vt mea fert opinio) errore repetita, cogitauerunt fortaſſe quidam differre inter ſe Blattias Byzantinas & odoratos vngues, quo poſtea factum eſt, vt ab impoſtoribus hoc Conchylii genus, quod ad me miſſum eſt, pro Blattia Byzantia inuentum ſit, & ſubinde in medicum vſum conceſſerit. At ſi Medici vel Pharmacopœi in Serapione caput 151. & 442. in quibus de Blattis Byzantiis agitur, accurate legerint, facile hanc nouerint impoſturam.*

Alcyonium Mileſium.

*ALCYONIVM Mileſium, quod Turcæ Bazeth vocant, niſi mea me fallit opinio, legitimum eſſe puto, quod pluribus illi reſpondeat notis. Quod ad me miſſum eſt, totum accepit Sereniſſimus Princeps. Nec propterea Alcyonio Mileſio ſum deſtitutus, cum iam pridem ſint mihi vna cum illo aliæ Alcyonii ſpecies.*

Cheſmezen.

*QVOD ſeminis genus Cheſmezen eſſe poſſit, mihi ſane incompertum fateor. Nec tamen Bellonii ſententiæ acceſſerim, qui ſemen hoc Acaca[illegible] perperam eſſe putat, quum nihil cum myrica habeat ſimilitudinis, vel cognationis. Seram ego hoc ſemen futuro vere, niſi aliud diuinitus nobis accidat, vt quid inde proueniat, inſpicere poſſim. Tu interim cui res ipſa plantaria plurimum eſt cordi operam dabis, vt videas, an iſthic a mercatoribus, vel Myropolis, vel Medicis explorare poſſis, vtrum ſemen ſit arboris, fruticis, vel herbæ, quinetiam an eius plantæ ramuſculum conſequi poſſis. Cupio præterea abs te ſcire huiuſce medicamenti vſum ad oculorũ morbos, & an valeat frigida, vel in calida cauſa.*

Chryſocolla.

*CHRYSOCOLLAM tuæ omnino ſimilem vidi alias Venetiis plurimam, ſed ſi Chryſocollæ notas à Dioſcoride petamus, huic nihil cum legitima cognationis reperies, niſi quod vtraque aurũ ferruminet. Placuerunt ſane admodum Caſtaneæ, quas iſtic equinas vocari, ais, quod anheloſis, & tuſſientibus equis maximo ſint auxilio. Cuperẽ tamen abs te certior fieri, an ab arbore producantur vulgaribus Caſtaneis ſimili, an echinato concludantur inuolucro, & an vt noſtræ tuto poſſint deuorari in cibis.*

Equinæ caſtaneæ.

Cardamomi vulgaris. genera.

*QVID certi dicam de tribus illis Cardamomi generibus, præter id, quod in Commentariis noſtris poſteritatis memoriæ mandauimus, non ſupereſt. Nec tantum otii nunc mihi ſe offert, vt altius Cardamomi & Græci & Arabici hiſtoriam expendam. Spero tamen me id breui facturum non ſine fructu. Quod ſi effecero fortaſſe vt velim, ſtatim tibi meam probabo ſententiam.*

Cuminũ Æthiopicum.

*ET SI ſemen quod Æthiopicum Cuminum eſſe cenſeo, iſtic Carnabadion Græcis appellatur, cum tamen certo ſciam, carnabadium eſſe carum, non poſſum tuæ acquieſcere ſententiæ, & ob id mihi facile perſuaſerim ea verba in Actuario potius eſſe Ruellii, quam Authoris.*

Coulcoul eſt Staphylodendron.

*NVCLEVS quem Coulcoul & Hebulben appellas, frequentiſſimus in Bohemia, Auſtria & Goritienſi agro naſcitur. Huiuſce fructus arbor Plinio Staphylodendron appellatur: ſcripſimus nos huius arboris hiſtoriam, vbi in Dioſcoride de Piſtaceis egimus.*

Caphura viua quæ.

*LACHRIMAM quam viuam Caphuram à Perſis appellari ſcribis, plurimi facio. Cogitabo poſthac ſedulo an fortaſſe legitima ſit Stacte. nam adeo odore placet, vt credam non obſcuræ facultatis eſſe medicamentum. Explorabo itaq; rem hanc diligentius. Tu vero interim videas an ſcire poſſis vnde afferatur, vbi naſcatur, & a cuius generis planta fundatur hic præclariſſimus liquor. Nec etiam te pigeat me reddere certiorem, quo pondere. vel quantitate, quo modo quaue ratione ſumatur, vbi frigeat Venus. Cæterũ mihi rem gratiſſimam facies ſi tantundem iterum ad me miſeris.*

Iuncus adoratus.

*DE IVNCO odorato ita ad me ſcribis. Iuncum odoratum ob antiquitatem odore euanido à Iudæo quodam pro vero, magno pretio Dominus orator redemit, mirum quanta acrimonia guſtantis linguam mordecet. Quibus minime correſpondet id, quod facto periculo non ſolum mihi, ſed aliis nonnullis accidit, quandoquidem, & mihi, & illis hunc iuncum mandentibus nihil præter amaroris plurimum dereliquit guſtandum. Sed mirum quod tu qui iudicio, & experientia præſtas, hanc potius impoſturam odoratum Iuncum eſſe putaueris, quam Officinarum Squinanthum, cum tamen hoc notis omnibus odoratum Iuncum referat.*

Lapis Bezahar.

*LAPIDEM quem Mauritani Bezahar vocant accepit in ſui commodum Sereniſſimus Princeps. Ego iam dudum plures illi ſimiles vidi lapides, ſed an veri, vel adulterini ſint profecto neſcio. Atqui ſi Serapionem, & Raſim conſulamus, non video cur probem lapidem hunc legitimum eſſe, nec eſt vt plura nunc de eo*

*in medium afferam, cum ſententiam meam lib 5. noſtrorum commentariorum in Dioſcoridem, poſt quam de Lemnia Sphragide egimus, fuſius declarauerim.*

Qualiter friabilitas Hæmatitæ intelligenda ſit.

*N O N eſt vt dubites, quin Hæmatites tuus ſit legitimus. Friabilitas enim in illo non intelligitur eo modo, quo digitis friari poſſit, cum ſcribat Dioſcorides Hæmatitem lapidem eſſe durum, ſed quod cũ frangitur, facile ſcindi poſſit. Scatet enim venis innumeris, quæ cum facile diducuntur, tum ſubinde non magno negotio teruntur in puluerem. Naſcitur hic etiam in Bohemia, Miſnia & Saxonia frequens. Sed tuus duritia & præſtantia hos plurimum ſuperat, quod ex orientali plaga afferatur.*

Maslach Mahumetanorum.

*M A H V M E T A N O R V M Maſlach minime parui penderem pluribus de cauſis, ſi quibus componatur medicamentis, me haud lateret, quinetiam qua quantitate, vel menſura dari poſſit. Crediderim ego non vno tantum medicamento parari, ſed pluribus quorum tum nomenclationes, tum facultates libenter abs te audirem.*

Nuces farfalach.

*R E C T E quidem indicaſti nucis farfalach eas eſſe quas Vomicas appellant Arabes. Ego Venetiis alias ab iis emi, qui Myriſticas nuces ſeligunt. Nam plurimum inter illas ad nos conuehuntur.*

Nuces Aegyptiæ.

*N V C E S aliæ, quas ex Aegypto iſtuc afferri ais, vt a me nuſquam hactenus viſæ, ita nec facultate cognitæ. Admiranda ſane mihi eſt, non ſolum putaminis interioris duritia, ſed multo magis nuclei, cum nihil is nec fdcultate cognita. Admiranda ſane mihi eſt, non putaminis interioris duritia, ſed multo mages nuclei, cum nihil is a duriſſimo quoque marmore diſtet. Cuperem quidem vt de earum viribus mihi aliquid adiungeres, curareſq; vt etiam huius arboris ramuſculus ad nos afferretur.*

Nitrum.

*N I T R V M (vt ex Cõmentariis noſtris in Dioſcoridẽ tibi palã fiet) olim in Ægyptiis nitrariis ex Nili aqua factitiũ habetur. At quoniã Plinij teſtimonio conſtat, nitri cumulos tractu temporis lapideſcere, facile adducor ad credẽdum, vt hoc tuum legitimum ſit nitrum, cum illi omnibus notis correſpondeat. Quamobrem quum iuuandæ Reſpub. promptiſſimus tibi ſit animus, velim, vt negociatoribus, qui vel iſthinc, vel ex Ægypto in Europam nauigant, ſuaderes, vt hoc nitrum copioſum ad nos conueherent, multum enim vtilitatis humano generi conferre poteris, ſi tua opera id noſtræ aſſequantur regiones.*

Sadethz non eſſe Glaucium.

*Q V I putant Sadethz eſſe Glaucium mea etiam ſententia plurimum falluntur. Nihil enim obſtat mihi, quin tecum cenſeam compoſitum id eſſe medicamentum. At ego ex Sapone, ærugine & nonnullis fortaſſe aliis, quam ex Seuo paratum crediderim, cum Sapo luminis flammæ admotus non liqueſcat, ſed areſcat potius, magiſq; faciat ad detergenda oculorum impedimenta, quam ſeuum. Videas tu interim ſi parandi rationem ab aliquo conſequi poſſis & vnde iſtuc afferatur.*

Bellonij error.

*E R R A S S E toto cœlo Bellonium nunc proculdubio animaduerto, quod tam facile crediderit lapideos calamos illos Aromaticum eſſe calamum. Nec ob id tecum ſentire poſſum, vt ij Spodium ſint Auicẽnæ. Nam tametſi antiqua Auicennæ lectio habeat, Spodium eſſe radices cannarum aduſtas propter fricationem ſuarum extremitatum cum ventus eas perflat, noua tamen Bellunen. lectio, quæ hactenus probatur ab omnibus, loco cannarum habet Alcanna, quæ nobis Liguſtrum deſignat. Cæterum ſi priorem verſionem magis etiam probaremus, quam vltimam, quum Spodium illud cannæ radix combuſta eſſe debeat, non ipſa canna, id quidem mihi maxime obſtare videtur, quin hoc Auicennæ ſit Spodium. Præterea ſi diligentius hos cannarum trunculos expendamus, quis non potius illos lapideos effectos indicabit, quam fricatione vel igne aliquo combuſtos? Scio autem te minime latere, reperiri fontes, flumina ac lacus in quibus quæcunq; imponantur, lapideſcant. Quo fit, vt mihi facile perſuadeam hoc calami genus in litore alicuius lacus ſcatentis petrifico ſucco prouenire, qui ſubinde vel ventorum impulſu, vel alio quouis caſu in lacum demerſi, in lapidem vertantur. Id quod facile palam fiet, ſi vnde afferatur ſcire curabis, & etiam quomodo fiat, vt potius Lapis, quam calamus videatur.*

Zedoaria Indica quæ.

*Z E D O A R I A M Indicam cum nuſquam hactenus nouerim nec viderim, quid tibi de ea narrare poſſim, ſane non habeo. Verumtamen quum odoris tantillum in ea perceperim, nihilq; ſaporis mandentibus derelinquat, qui eius præſtantiam oſtendat, ægre quidem adducar ad credendum tam admiranda contra venena radicem hanc præſtare poſſe, vt Arabes illi prædicant. Idcirco decreui omnino huiuſce Zedoariæ aliquod periculum facere, vel in Gallis ſylueſtribus (vt de Theriaca docet Galenus) vel in aliquo alio animali. Porro niſi id agat a propria forma, mihi perſuadere non poſſum, hanc Zedoariam tam admirandis præſtare viribus ad ſuperanda venena. Vidi tamen alias radices ex quibuſdam ciſalpinæ Galliæ montibus aduectas, quam Antora (antitora potius) herba eſſe affirmabant, & ad venena omnia, quam maxime præſtare aiebant, quæ nihil penitus a Zedoaria iſta diſſidebant. Verum cum illas nec olfecerim, nec guſtauerim, ex viſu tantum affirmare non auſim, Zedoariam hanc, & Antoram illam vnam, & eandem eſſe radicem. Cæterum cum Auicennæ ſcriptum eſſe animaduertam Zedoariam vna cum napello creſcere, & idem de Antora fateri recentiorum quoſdam, ſuadet profecto genius meus, vt credam Zedoariam hanc, & Antoram nihil inter ſe differre, quod compertum habeam vna cum napello Antoram prouenire: quamobrem demiror, quod iſthic tam magno veniat precio. Ob idq; te admonere operæprecium duxi, vt ab impoſtoribus, ac deceptoribus caueas, quorum infinitus eſt numerus. Nec velim hæc a me dicta eſſe cenſeas, vt te negotiandi modum doceam (Mineruam enim mihi docere non licet) Sed vt cognoſcas me hac in re etiam aliquid intelligere.*

Antitora.

Behen album.

*P L A C E N T non parum Behen albi radices, quod notis nonnullis legitimum referant. Eſt Serapioni Behen radix contorta, odorata, & manſu lẽta, quæ ex Armenia affertur. Auicennæ vero ſunt fruſta radicum lignoſa. In tuis deſideratur tantum odoris fragrantia, qui fortaſſis radicum vetuſtate exoleuit. Cætera meo iudicio correſpondent, quo fit vt mihi perſuaſum velim, hoc Behen album eſſe legitimum, quouſque aliud ad me non adferatur, quod magis odoris ſuauitatem fundat.*

Behen rubrum. Biſtorta.

*B E H E N rubri radices nil aliud (mihi crede) ſunt, quam biſtortæ ſeu colubrinæ radices. Nec ob id improbauerim, qui haſce radices Behen rubri loco in vſum medicum traxere, quum ſciam non obſcuræ eſſe facultatis aduerſus deleteria medicamenta, & ad venenoſorum omnium ictus. Ego cum mihi hactenus perſuaſerim Ben rubrum communis vſus, Limonij eſſe radicem, nihilq; conducere ad cordis affectus, nec ad venena, eius loco Tormentillam vulgo vocatam medicamentis ad cordis affectus parandis ſemper addere ſoleo.*

Tormentilla.

Bdellij legitimi nota.

*B D E L L I V M (teſte Dioſcoride) tranſlucidũ eſſe debet taurini glutinis in morẽ, ſuffitu odoratũ, & guſtu amarum. At cum tuum nigro ſit colore, nulla in parte pellucidum, nec ſuffitu odoratum, ſed virus potius*

*redolens,*

*redolens, cur id legitimum dicam non habeo. Quandoquidem ſola amaritudo, quæ illi ineſt, ut cæteris ferè Bdelliis ac reſinis non ſufficit, aliis nõ adſtipulantibus notis, ut adulterinũ hoc Bdellium, legitimum faciamus.*

dactylus.

*TAMETSI eorum opiniones deteſtatus ſum, qui Ephemerum Colchicum legitimum putant eſſe Hermodactylum, cum tamen neminem habeam qui Hermodactyli hiſtoriam ſcribat, an tuus legitimus dici poſſit, nec affirmare, nec improbare auſim. Rem itaq; mihi gratiſſimam facies, ſi diligentiſſime exploraueris ubi naſcatur, & an iſthic eo utantur Medici pro legitimo Hermodactylo. Præterea ut cures plurimum opto, ut plantam cum foliis, & radice conſequi poſſis. Cæterum ſi facto periculo habeas pro comperto, conducere Hermodactylum hunc ad articulorum dolores, rogo atq; etiam obſecro, ut plures ad me illius mittas radices.*

rubricarum tria genera.

*RUBRICARUM tria illa genera vidi ac deguſtaui, eaque nihil differre video a rubrica illa communi quam Seplaſiæ Bolum Armenum Orientalem vocant, & quam ego Lemniam terram proculdubio eſſe, cenſeo. Sed abs te fieri certior velim, an illa omnia rubricarum genera ex Lemno Inſula iſthuc aduehantur, vel an alia ſit rubricæ vel terræ ſpecies, quæ ex Lemno aſportatur. Cum enim Lemnum, quod vulgo nunc Stalimene vocant, non longe abſit a Byzantio, facile fortaſſe poteris legitimam terram Lemniam adipiſci. Nam, ut puto non deerunt, qui quotidie iſtinc eo nauigent negociationis cauſa, quibus tuto rem hanc committere poſſis.*

*INTER haſce rubricas paruum quoddam inueni terræ fruſtulum, cuius color ad luteum potius, quam ad rubrum ſe habet. Quapropter mihi cogitandum fuit, an fortaſſe hæc illa ſit Armenia terra, de qua Galenus ſcribit, & plurimum aduerſus peſtem præſtare ait. Tuum ergo erit, me certiorem facere, an ex Armenia montibus fuerit allata, an aliunde. Cæterum nec prætermittas obſecro, quin omni ſtudio, ac diligentia inquiras, ut legitimum Armenium Bolum conſequi valeas.*

Zaccharum alhaſſer.

*SI ea quæ ſcripſimus de Zaccharo Alhaſſer in commentariis noſtris in Dioſcoridem expenderis, facile mecum ſenties id quod ad me miſiſti, adulterinum eſſe, quod nulla in eo percipiatur amaritudo, nec etiam Saccharea dulcedinis quicquam. Verum cum de his peregrinis difficile ſit, tum recte negare, tum etiam affirmare quicquam, tuum potius in hoc requiram iudicium, quum in eo ſis loco (ut tuipſe fateris) in quo multa peregrina adipiſci poſſe non ambigis. Cures igitur ut intelligas, in quibus regionibus Zaccharum hoc proueniat. Ac etiam ſi fieri poſſit, ut ſuæ arboris ramuſculus vel folium aliquod ad te afferatur.*

Tutia.

*TUTIAM illam tuam, qua paſſim pro legitima utuntur Pharmacopœi, Cadmiam Botrytem legitimam ſemper exiſtimaui, ut ex noſtris in Dioſcoridem commentariis tibi palam fiet.*

Argillada.

*CORTICIS illius fruſtulum, cui titulus erat Argillada, putarem ego pſeudocaſſiam eſſe, quam noſtri Pharmacopœi Caſiam ligneam vocant.*

Lapis Armenus.

*LAPIDEM cui titulus inſcribitur, Lapis Armenus, ceruleum proculdubio eſſe cenſeo, quod cerulei ſit coloris, non viridis. Atqui Armenium Lapidem illum eſſe non ambigo, cui titulus erat, Roccha de Turchine, quo ego ſæpe uſus ſum magno auxilio ad Melancholicos.*

Herba tinctoria.

*POSTREMA eſt herba tinctoria, quam etſi non nouerim nec viderim hactenus, eam tamen eſſe crediderim, qua Turcæ utuntur ad ſuos inficiendos equos rubro colore. Si qua itaq; ei ſit facultas, quæ aliquid ornamenti rei medicæ afferre poſſit, velis rogo de ea me certiorem reddere.*

*HIS breuioribus, quibus potui, verbis, tibi noſtram declarauimus ſententiam, non eam ob cauſam, ut tantum authoritatis mihi nunc arrogare velim, ut putem cenſuram noſtram nulla controuerſia abs te probari debere, ſed ut tibi tantum, id a me petenti, ſatisfactum eſſe non ignores. Cæterum quod nihil peregrinarum ſtirpium, animalium, ac aliorum quorundam ſimplicium iis nunc ad me miſſis adiunxeris, ne fortaſſe (ut ais) longiori ſermone me obtunderes, vel moleſtiam inferres, non potui ſane non ægre ferre. Quippe quum antea noueris, ex his, quæ in hac re præſtiti, medicæ materiæ me adeo eſſe addictum, ut nullis machinamentis illinc auelli poſſim: cur igitur tibi putandum fuit, moleſtiam iis rebus nobis afferri, quibus præ cæteris, maxime delectamur. Videas tu potius, ne id, quod de me vereris, tibi ipſi forſitan accidat, dum plura quam poſſis, a te petam fieri. Quod ſi quandoq; euenire animaduertas, velim teipſum tantum accuſes, quod nimia humanitate, ac fortaſſe liberalitate, ad id plurimum me excitaueris. Quæ nunc a nobis deſiderantur, ſcheda hiſce noſtris annexa annotata reperies quibus cætera interim a te inuenta, ut addas maxime rogamus. Vale, mi amantiſſime Gulielme & ad me quam celerrime fieri poſſit, de omnibus fuſiſſime ſcribas. Interim ego Deum Optimum Maximum precabor, ut non ſolum poſteritatis iuuandæ cauſa te ſeruet incolumem, ſed & ſoſpitem, ac hilarem ad nos reducat, ut tua valeamus conſuetudine, doctrina, & humanitate frui. Pragæ, Pridie Nonas Decembr. Anno. M.D.LVII.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Medicus, Michaeli Florino à Lambſtein Medico S. P. D.

*Diſputatur quænam ſint exanthematum, ac morbillorum cauſæ.*

*TAmetſi iam dudum nihil mihi iucundius, delectabiliuſq; euenire poſſe putabam, quam noſtras facultates problematibus, quæ in medium afferebantur reſpondere, temporis tamen tractu factum eſt, ut rei domeſticæ curandæ negotium, ægrotantium cura, & medicæ materiæ indagandæ labores, illinc me penitus diduxerint, quo fit, ut hac in re parum, vel omnino nihil præſtare hoc tempore valeam. Verumenimuero, quum tibi viro doctiſſimo, & rei medicæ ſtudioſiſſimo, negare non poſſim, quin tuis petitionibus morem geram, neruis omnibus hoc in negotio mihi contendendum laborandumq; erit: ea tamen lege, quod ſi forte fortuna, ubi memoriam refricare conabor, caput parieti impingam id non mihi tantum ſed imbecillitati etiam noſtræ, noſtriſq; vitæ incommodis aſcribere debeas. Nam ſi ea præſtare nequiuero, quæ velim, velis tu (obſecro) plura non expoſcere, quam a me præſtari poſſe, cognoſceres.*

PRO-

Sanguinem mẽſtruum ſimpliciter venenatum non eſſe.

*hoc nunquam (quod ſciuerim) euenerit, falſam omnino eorum ſententiam exiſtimauerim, qui ſanguinem menſtruum venenatum ſimpliciter eſſe crediderunt. Quo fit, vt ſequi neceſſarium non ſit, naſci debere infantes morbillis ac variolis ſuffuſos, quamuis neceſſarium eſſe cenſeamus, editos omnes aliquo poſt tempore iis omnino affici debere, vt poſtea dicemus. Nec eſt quod putes neceſſarium, vt eo ſtatim tempore, quo menſtrui ſanguinis venenoſa vis in fœtus vaſa conceſſerit, ſanguinis efferueſcentiam eſſe expectandam, quandoquidem (vt præmiſimus, & paulo poſt dicemus) menſtruus ſanguis non eſt, nec poteſt dici ſimpliciter venenoſus, ſed excrementoſus, & malitia quadam infectus: quibus non adeo afficitur natura, vt illi neceſſarium ſit, ſtatim in ſanguine efferueſcentiam moliri, niſi ſibi prius aſciſcat ſanguis determinatum tum modum, tum gradum caloris, ſicut non ebullit muſtum illico a vinaceorum expreſſione. Hic autem modus reducendi caloris ad actum, non eſt in fœtu adhuc in vtero exiſtente, quin etiam nec in infante nuper edito. Latet enim calor ſuffocatus*

Quare quidam citius, quidam tardius morbillis afficiantur.

*concluſus, obtuſuſque cum magna humidi portione. Quum itaque per diſcurſum ætatis acquiritur talis modus actuandi caloris, ſiue id intrinſeca, vel extrinſeca moliatur cauſa, tunc fit ſanguinis efferueſcentia, & ſubinde varioli & morbilli. Cæterum quoniam huiuſcemodi acquirendæ diſpoſitionis facultas, in ipſo calore variis diuerſiſque fit modis, nempe ſecundum infantium temperaturam, & regiminis ac aeris diuerſitatem, ea propter euenire non ambigimus, vt etiam diuerſis temporibus acquiratur huius caloris ad agendum facultas, quo poſtea fit, vt aliqui citius, aliqui tardius hiſce corripiantur morbillis. Præter id non negamus, quin ſan-*

Sanguis mẽſtruus eſt vitiati ſanguinis excremẽtum.

*guis menſtruus, qui quolibet menſe per vteri venas fluere ſolet, ſit quoddam vitiati ſanguinis excrementum, quamuis nobis minime fuerit affirmandum, ſanguinem hunc eſſe venenum, tum quia Galeno aliiſque antiquis authoribus hoc nunquam (quantum legerim) memoriæ proditum ſit, tũ etiam quia omnia, ea quæ in medium affers, ad tuam probandam opinionem, nihil hac in re concludere videantur. Plura namque ſunt cottidiano eſui idonea, quibus tamen, ſi vel nouellæ vites, vel inſita, vel germina, vel fruges, vel alia quæuis plantarum genera inficiantur, eorum contactu illico areſcant. Hoc enim præſtant, præ cæteris oleum, acetum, muria, quinetiam quam plurima reperiuntur medicamenta ſalubria, omniſque veneni expertia, quæ ſuppoſita vel illita, abortum & ſterilitatem faciunt.*

An canes, qui ſanguinem mẽſtruum deguſtarũt, rabidi fiant.

*Quod item canes, qui menſtruum ſanguinem deuorauerint in rabiem agantur, ego quidem probare non auſim, quum ſciam non deeſſe mulieres, quæ non alia de cauſa Meliteos caniculos domi alant, quam vt, dum menſibus laborant, ea lingant excrementa, quæ concreta pudibundis partibus inhærent. Nec proinde vnquam euenit (quod certo ſciuerim) vt huiuſmodi caniculi, quos quidam ab officio cunnilingos appellant, rabioſi fierent. At concedamus canis, qui muliebres menſes deguſtauerint, rabie conflictari, non quidem ob hoc vnquam affirmare quis poterit menſtruum ſanguinem eſſe venenum, quum idem faciant aromata quæ maxime proſunt aduerſus venena, nempe piper ac*

Sanguis mẽſtruus qui omnium peſſimus.

*Gingiber. Præterea non negauerim recentioribus quibuſdam, ac etiam nobis, qui eorum placita ſequuti ſumus, memoriæ proditum eſſe, menſtruum ſanguinem præſertim bilioſarum mulierum, ac facile rixantium, eos, qui ſumpſerunt, variis afficere incommodis, ac Symptomatibus. Siquidem (vt ipſi fatentur) amentes, ac lunatici ii plerunque fiant, ſed non propterea dixerim ego ſanguinem menſtruum quemcunque eſſe venenum, quoniam veneni proprium eſt necare eum, qui ſumpſerit. Verum quum plura habeantur, quibus continue veſcimur in cibis, quæ quandoque varios excitant morbos, quæ ſi fortaſſe negligantur, homines ad interitum*

Vinum merum & alia quædam, quæ in cibo ſunt lethifera.

*ducunt, ea inter deleteria medicamenta a nonnullis computantur. At quis ignorat vinum merum, paſſum, aquamque potabilem non eſſe venena, neque venenoſa medicamenta? & tamen a quampluribus inter venena relata ſunt, quod ſumpta liberalius, præſertim a coitu, balneo, curſu, vehementique exercitatione, homines in magna trahant diſcrimina. Cæterum eſto, ſanguinem eſſe venenoſum, qui ſcilicet quolibet menſe expellitur a natura tanquam inutile excrementum, ſed quum hic ſanguis ab eo differat, quo alimur, dum vtero gerimur, illico ſoluitur quæſtio. Quod ſi quis obiecerit, non ergo generari morbillos ex menſtrui ſanguinis malitia, cum ita purus a natura fuerit redditus, illi facile reſpondebimus, ſanguinem illum non ita ad amuſſim ad puritatem ſynceritatemque eſſe redactum, quin aliquid adhuc menſtruæ infectionis reſipiat. Huic alia etiam ac-*

Fœtus excremẽtitio ſanguine nutriri.

*cedit ratio. Quippe quum dicat Galenus libro primo, de Symptomatum cauſis, quod fœtus auctior redditus ampliore eget nutrimento, & ob id euenire, vt non ſolum quicquid optimum in venis eſt, attrahat, ſed aliquid etiam quod vitioſum eſt, palam omnibus fieri crediderim, fœtus omnes excrementitio etiam ſanguine*

Auẽzoharis ſententia pulchra.

*nutriri. Ad hæc, ſi AuenZoharis ſententiæ adſtipulamur, alio etiam modo ſanguine menſtruo inficitur. Nam (vt ipſe teſtatur) quum ſanguis menſtruus continue in vterum feratur, & in vniuerſam eius ſubſtantiam, ac corpus infundatur, nihil ſane mirum fuerit, ſi infans ibi continuo permanens, a menſtruo hoc ſanguine aliquam contrahat infectionem. Quandoquidem quamuis fictilia vitro circumlita, non facile impoſitos combibant liquores, tractu tamen temporis videmus, quod ipſos tandem combibunt, mediante fermenti qualitate, poſtquam ibi genitum fuerit & manſerit diu, adeo, quod ſi poſt longam fictilis ablutionem, azymum crudum panem in huiuſmodi fictile impoſueris, ſine aliqua fermenti miſtione, ibi fermentationem accipiet, quod minime conſequeris, ſi in nouum fictile conieceris. Quo fit, vt hoc facile etiam fieri poſſit in fœtu in vtero decumbente ſanguine menſtruo oppleto, a quo non læditur, tum quia vteri robur illum tuetur: tum etiam, quia præſtantia optimi alimenti Menſtruali malitiæ reſiſtit. Quibus omnibus palam iam eſt pluribus modis in-*

Morbillos fieri ex menſtrui ſanguinis alimẽto.

*fici poſſe fœtum materno ſanguine, quamdiu in vtero moratur. Quamobrem non ita facile nobis fuerit mirandum, quod ſcripſerint Auicenna, AuenZohar, Halliabbas, ac alii etiam præclariores Mauritani, morbillos, varioloſq; plerunq; fieri ex menſtrui ſanguinis alimento. Quorum in vniuerſum placitis refragari nemo debet, qui magis ſuæ modeſtiæ, ſynceritatiq;, quam arrogantiæ ac temeritati conſultum velit. Conſtat præterea plurimum fieri morbillos, ac variolos ex menſtrui ſanguinis affectu, non ſolum quod aperte fateatur AuenZohar illud manifeſtiſſimum eſſe ſignum, quod ſcilicet pauci, vel nulli reperiantur, qui in hunc non incidant morbum, ſed quod etiam hoc ratione comprobari poſſit, quum hic affectus in aliam cauſam, quam in prædi-*

Qua plurimum ætate fiant morbilli.

*ctam reiici nequeat. Quandoquidem ex ipſo ſenſu omnibus palam eſt, hominem fere inueniri non poſſe, qui hac lue non laborauerit. His accedit, quod etiam manifeſtum ſit quam plurimos, imo fere omnes in prima ætate, ad quintum, vel ad ſeptimum annum vſque in hoſce incidere morbillos, adeo vt mirum admodum videatur, ſi aliquando forte fortuna acciderit, vt aliquis illæſus euadat. Quo fit, vt aliqua communis ſit cauſa quæ cum non poſſet aſcribi cauſæ vſus lactis, eo quod lac humanum conueniat pluribus, non poterit igitur hæc cau-*

*ſare-*

*ſa reiici niſi in vterum maternum. Nulla autem hinc poteſt eſſe cauſa communis, niſi materia menſtrui ſanguinis. Quo fit, vt non ſit amplius hac in re ambigendum. Nec obſtat, quod aliqui inueniantur, qui pluries hac ex cauſa eodem vitio laborauerunt. Quippe tametſi ipſi primo affecti ſint cauſa materni ſanguinis, tamen nihil prohibet quin ipſi, ſeu tractu temporis, iterum atque iterum hac lue ex aliis etiam cauſis, atque in medium adductis infectantur corripiunturq́; Nam minime negant authores, imo potius aſtipulantur, quin morbilli, vel variolæ ab aliis etiam cauſis fieri poſſint. Reliquum eſt, vt meam proferam ſententiam, an crediderim ego, hoc malo corripi ſenes quandoq́, ſexagenarios ob materni ſanguinis cauſam, an ob putredinem ab eorum cruditate prouenientem. Dixerim ego ob id mihi non eſſe mirandum, quod etiam ſenes poſſint morbillis varioliſq́; affici materna tantũ infectione, tum maxime ex his, quæ ſuperius diximus, tum etiã quod ſcripſerit Galenus lib. de cibis boni & mali ſucci, & libro de curatione renum, quod quamuis quandoq́; accidat, vt nulla ex frigidiſſimo potu iuuenibus ſenſibilis accidat læſio, euenit tamen vt ſenſim, occulteque creſcente vitio, ij manifeſte læſionem ſentiant, quum iam ætas ſenii progreſſu temporis acceſſerit. Quinetiam (vt authores comprobant.) qui a cane rabido demordentur, non omnes ante quadrageſimum diem in rabiem aguntur, cum alii per integrum annum, alii per ſeptem annos, alii ad quadrageſimum vſq́; manſerint, antequam in aliquod rabiei incommodum inciderint. Poteſt enim inueniri corpus tam ſyncerum, tam robuſtum, tamque ſuperfluitatibus vacans & in quo plurimum caloris innati conſiſtat, vt mirum non ſit, ſi in tali corporis diſpoſitione tam diu protrahatur ea ſanguinis efferueſcentia, quam diu perdurauerit innati caloris robur. Hanc igitur ob cauſam rariſſime fit, vt ſenes hiſce morbillis inficiantur, quod tuæ opinioni maxime refragatur, qui omnes cauſas in cruditates fere reiicis. Nam cum ſenes cruditatibus longe magis cæteris ſcateant, ſequeretur tua ſententia, vt illi cæteris omnibus plus morbillis, ac variolis eſſent obnoxii. Sed hoc ſenſibus repugnat, quoniam reuera ea corpora, quæ ſicciora habentur, minus contagioſos experiuntur morbos. Ea itaq́; de cauſa pituitoſa excrementa, ac cruditates, quibus ſenes fere omnes ex accidenti abundant, raro iis contagioſos excitant morbos. Sed anhelationes, difficultates, deſtillationes, tuſſes, articulorum dolores, vertigines, apoplexias, & alia plura incommoda, quæ lubens prætereo. Potuiſſem plura etiam adducere, & authorum ſententias hic integras aliis connectere, ſed ne longior fieret oratio, quam res ipſa expoſcat, illa omnia ſilentio inuoluenda duximus, Vale.*

Qua de cauſa quidam pluries morbillis afficiuntur.

Authoris opinio de ſenibus morbillis affectis.

Qui a cane rabido demordentur, non omnes ante quadrageſimum diem rabidi fiunt.

Cur ſenes raro morbillis inficiantur.

## GASPAR NOEVIVS, ILLVSTRISSImi Saxoniæ Ducis Electoris, Auguſti Medicus, Petro Andreæ Matthiolo Medico S. P. D.

*Admonetur Matthiolus de quibuſdam plantis, in quibus ab ipſo diſſentit Næuius, nempe, de Scorpioide Polygala & Cytiſo.*

*ETſi ex doctiſſimis tuis in Dioſcoridem commentariis, in quibus rem herbariam communi ſtudiorum fructu, ſtylo eleganti, ac in perſtringẽdis aliorum erroribus modeſto ſumma cum laude tua, induſtria ſingulari, præ aliis hoc ſæculo exornaſti, mihi non vulgarem de præſtantia tua humanitate ſpem, & ex prædicatione quoque aliorum concipiebam ſemper, antequam te vidiſſem, qua excitus cogitabam ignotus etiam, tibique ſplendore nominis, ac fama doctrinæ impar, ſcribere ad te, de nonnullis in ſimplici medicina, de quibus ambigebam. Tamen eam ipſam longe nuper ſuperaſti, Pragæ tecum cum eſſem, vir doctiſſime præſtantiſſimeq́. Cum enim ex Thaddæo Nemico amico communi, cupidum eſſe tui, amicitiamque tuam ambire me in via cognoſceres, declinaſti poſthabitis tuis negotiis e veſtigio ad meum hoſpitium, meq́; ita excepiſti, ita complectí es viſus, ac ſi longa tibi conſuetudine iuncti fuiſſem. Collocutus vero es mecum de ſtudiis tuis communibus, ea humanitate, vt ad inueſtigandum, quæ tum deſiderabam, videbaris me quaſi inuitare excitareq́;. Cœpi itaq́; fretus illa, conferre tecum, & pro natura mea liberius fortaſſe, quam me decuit, aut tua etiam admittit authoritas, de picturis nonnullorum ſimplicium in commentariis tuis, non me hercule oſtentandi ingenij cauſa, multo minus, vt te virum doctiſſimum docerem, Quid enim (quod dici ſolet) ſus Mineruam? Sed ſtudio potius indagandæ veritatis, cuius video te eſſe ſtudioſiſſimum, & præcipue de pictura, quam Dioſcoridis capiti Scorpioidis iunxiſti, motus fortaſſe ſimilitudine corniculorum in imperfectione deſcriptionis eius herbæ, cum illa Telephii capiti congruere potius mihi videatur, cum ob ſimilitudinem multarum notarum tum vero ob facultatem quoque, quam non excalfacientem, vt ex Galeno aſtruis, ſed cum adſtrictione frigidam reperio in illa planta. Creſcit enim apud nos nunc vbertim, ex illo ſemine quod ex pago Saxo vocato prope Bononiam collegi, ac mecum domum tuli, vna cum Polygala, quam exiccatam propediem ad præſtantiam tuam mittam, cum animaduertam ex commentariis tuis, & illam tibi viſam non eſſe. Dicebam præterea Cytiſum Dioſcoridis cum picturam nullam capiti iunctam viderim in commentariis tuis illam videri mihi, quam officinæ vulgo Melilotum appellant, nec moueri me, quod fruticem illam Dioſcorides appellet, quem proprietatis linguæ Græcæ, hominem quippe militarem & in caſtris degentem, ſtudioſum parum fuiſſe, & Galenus teſtatur, & exemplis, vbi frutice pro herba ſit vſus, confirmari poteſt, quamuis & eandem in agro Patauino in quatuor aut quinque cubitos exurgentem fruticantemque viderim. Hæc & alia tu pro ſingulari tua humanitate modeſtiaque præter morem nonnullorum, omnia pro authoritate ſua, præter rationem, etiam mordicus tuentium, cupide audiebas, nec ratione adductus, auerſabaris. Et cum auctiorem picturis Dioſcoridem propediem te daturum promitteres, rogabas etiam pro modeſtia tua, vt contemplatis collatiſque ſingulis picturis cum capitibus ſuis, ſi quid reperirem, in quo rationibus quibuſdam a te diſſentirem, id ad te vt perſcriberem. Et quamuis*

De Scorpioide eſſe Telephium.

Polygala.

Cytiſus Dioſcor. eſt Melilotus offic.

*mihi iudicium de cultiſſimis doctiſſimiſque tuis ſcriptis non ſumo, ſum enim ab arrogantia illa, ut qui maxime, alieniſſimus. Quia tamen ſtudiis in hoc genere tuis valde faueo, teque ob illa & veneror & colo, pollicitus ſum, ſi quid apud nos, aut in Saxonia ad iuuandum conatum tuum pulcherrimum vtiliſſimumque reperiri poſſit, me pro teſtificanda obſeruantia gratitudineque ſumma voluntate miſſurum. Erant & alia de quibus tunc libenter tecum contuliſſem, tum in ſimplici medicina, tum in aliis artis noſtræ problematis, mihique dubiis, & non ſine fructu, vt ſperabam tua conſuetudinis. Sed quia negotia tum vtriſque, & mihi quod quærebam, & tibi quod cupiebas, tum peragere non permittebant, reiecimus illa in tempus aliud, meque vt per literas, de quibus haſitarem, tecum agerem, amanter es cum ſollicitatione reſponſionis haud grauate cohortatus. Pro qua humanitate, quod me colloquio tuo doctiſſimo literarum dignaris, eas, quas meritus es, gratias maximas ago. Et cum mihi ſtudiisque meis in excellenti tua doctrina ſubſidii plurimum poſitum in poſterum exiſtimem, ſcribam ad præſtantiam tuam de nonnullis cum Hebræo noſtro ſingulis menſibus ad vos eunti, feciſſemque hactenus, niſi crebris ab eo officio peregrinationibus fuiſſem impeditus. Thaddæo vero noſtro reuertenti ad te has literas dare volui, teſtes mea obſeruantia, vt intelligeres memoriam tui me reuerenter conſeruare. Adiunxiſſem & literis portiunculas metallorum nonnullorum, niſi ſe ante ſarcina librorum grauatum excuſaſſet, ſed feret illa Hebræus & propediem. Fratrem tuo nomine, vt voluiſti, ſalutaui. is ſummis votis tuam exoptat amicitiam, iuſſit te obſeruantia ſumma reſalutare. Defert autem tibi ſtudium & voluntatem ſuam. His vale vir clariſſime doctiſſimeque, ac præſtantiſſimum Medicum Gallum collegam tuum officioſe noſtro nomine ſaluta, ac Næuios tui ſtudioſiſſimos, teque ob eruditionem excellentem ſuſpicientes, commendatos habe. Dreſdæ, viceſimo octauo Ianuarij. M. D. L V I.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS medicus Gaſpari Nœuio medico S. P. D.

*Reſpondetur ad Næuii epiſtolam, & eius ſoluuntur Quæſtiones.*

*IDibus Febr. iucundiſſimas ac pariter humaniſſimas literas tuas reddidit mihi Thaddæus Nœuius, & tibi & mihi amicitia coniunctus, quæ quidē tantopere me delectarunt, vt explicare ſatis nequeā. Tanta enim humanitate modeſtiaque mecum agis, tot laudibus labores noſtros extollis, tantaque animi propenſione (qua tua eſt benignitas) me proſequeris, vt tametſi meam omnem impendam operam, vt propter hæc tibi gratias tum agam, tum etiam habeam, non ita tamen, vt velim, hac in parte mihi ſatisfacere videar. Nec ſane opus eſt, vt me tanta humanitate beneficentiaque collaudes, quod ad hoſpitium tuum, tui tantum inuiſendi ſalutandiq; cauſa acceſſerim, cum longe plurimū me tibi debere ſciam, ob tuam illā mei cognoſcendi voluntatem ac animi tui erga me beneuolentiam, quibus me tam humaniter complexus & proſecutus es. Nam nihil gratius, nihil charius, nihilque ſuauius mihi accidere poteſt, quam vt doctiſſimos, eruditiſſimoſque viros, in quorum albo iam dudum te deſcriptum habeo, ſæpius inuiſere, & eorum amicitia, ac conſuetudine frui poſſim. Quotieſcunque enim eorum colloquio familiari me intereſſe contingit, ſimul cum mirifica voluptate, non mediocrem eruditionem hinc diſcedens aſporto. Quod etiam eo paruo temporis ſpacio, quo tecum hic eram mihi eueniſſe animaduerti, quum plura, quæ iam diu obliuioni tradideram, mihi in mentem cum mira ſuauitate reuocares. His accedit magna ingenui animi tui liberalitas, ſiquidem non ſolum varia medicamenta, nunquam mihi antea viſa nec cognita, contemplanda ac inſpicienda exhibuiſti, ſed etiam horum aliquam partem, cum aliis quibuſdam non contemnendis muneribus nobis donaſti. Poſtremo cum te rogarem, vt iudicium tuum de commentariis noſtris in Dioſcoridem, & plantarum iconibus nobis ſignificares, cum magna dexteritate, ac ſingulari candore id præſtitiſti, ac deinde eandem ſententiam literis modeſtiſſimis grauiſſimiſque ad nos perſcripſiſti. Quo fit, vt cognoſcam me longe plura, ac maiora tibi debere, quam præſtare poſſum.*

Obiectio in Scorpioide.

*Miraris autem primum & tibi rem nouam videri ſignificas, quod Scorpioidis capiti (tuis enim hic verbis vtar) plantam adiunxerim, motus fortaſſe corniculorum ſimilitudine in imperfectione deſcriptionis illius herbæ, cum tamen illa Telephii capiti congruere potius tibi videatur, cum ob ſimilitudinem multarum notarum, tum vero ob facultatem quoque, quam nec excalfacientem, vt ex Galeni ſententia aſtruo, ſed cum adſtrictione frigidam reperis in illa planta. Hæc tua ſunt, quæ tamen quantum faciant quantumue valeant contra ſententiam noſtram, nunc tibi palam fiet.*

Reſponſio.

*Scias itaque, velim, talia mihi iam diu obieciſſe quoſdam doctrina & ingenio clariſſimos, quibus quum reſponderim, demonſtrauerimque ipſos in errore verſari, nil deinde vlterius voluerunt obiicere. Verum ne his tantum verbis cenſeas meam me velle tueri ſententiam, audias (obſecro) quibus contra te nitar rationibus.*

Telephii deſcriptio.

*Dioſcorides de Telephio ſcribens vltimo capite ſecundi libri ſic habet. Telephium herba eſt Portulacæ ſimilis, & caule, & foliis, alas binas in ſingulis foliorum geniculis annectit. Ramuli a radice ſeni ſeptenive prodeunt, foliis referti ceruleis, craſſis, lentis, carnoſis. flore luteo aut candido. Naſcitur in cultis, & maxime circa vites tempore verno. Hæc ille.*

Scorpioidem & Telephium maxime interſe diſtare.

*Quæ ſi perpenderis, & Telephii notas cum Scorpioide noſtra comparaueris, facile ſane coniicies in Scorpioide illa nullam eſſe notam, quæ cum Telephio conuenire poſſet. Siquidem primum Scorpioidi illi nulla ineſt Portulacæ cognatio ſimilitudoue: nam huic folia ſunt pinguia, lenta, ac craſſa, quin & eius ramuli pingues, lenti, craſſiq; ſpectantur, quæ tamen in Scorpioide noſtra omnino deſiderantur, quū tenuiſſimis, macerrimiſq;, tum foliis tū caulibus conſtet. Præterea Telephio addit Dioſcorides alas binas in ſingulis foliorū geniculis, quæ ſane in Scorpioide noſtra nuſquā viſuntur. Ad hæc Telephiū foliis creſcit cœruleo colore ſuffuſis, quæ tamen in Scorpioidis noſtræ foliis*

nuſquam

*nuſquam obſeruare licuit. Præter id Telephii ramuli foliis referti ſunt, Scorpioidis vero cauliculi foliis admodum paucis veſtiuntur. His accedit neminem extare (quod ſciuerim) qui ſcripſerit Telephium corniculos edere Scorpionum caudis ſimiles. Quo fit, vt nullis (quod viderim) notis comprobari poſſit, plantam, quam pro legitima Scorpioide appinximus, legitimum eſſe Telephium. Cæterum quod Scorpioidi conueniat noſtra hæc imago, atteſtantur corniculi, qui Scorpionum caudas per omnia referunt. Quinetiam folia, quæ in ea plãta, pauca raraq; viſuntur, adeo vt (quemadmodum Dioſcorides inquit:) eam potius herbulam, quam herbam appellare liceat. Nulla enim vera ratio præ oculis ſeſe offert, qua conijcere poſſim, duci eos, qui aliter ſentiunt, niſi fortaſſe vocabulorum ſimilitudine decepti (vt quandoq; fieri ſolet) Telephium pro Telyphono accipiant.*

Telyphonum.

*Nam cum hæc planta Scorpion etiam dicatur a radice, quæ Scorpionis caudam refert, & Scorpionum ictibus aduerſatur, credidere fortaſſe plura negligentes, noſtram Scorpioidem legitimum eſſe Telephium. Ad ea autem quæ dicis hanc plantam Scorpioidem eſſe non poſſe, quod Scorpioides Galeno ex tertio ſit excalfacientium ordine, hæc vero quã noſtris commentariis appinximus, frigida & adſtringens guſtu, vel etiam fortaſſe experimento deprehendatur: Reſpondeo. Quod nec Telephium eſſe poteſt, cum Telephium fecerit Galenus ex primo excalfacientium cenſu.*

Telephij facultas.

*Verum (vt ingenue dicam, quod ſentio) cum huiuſce herbulæ notæ notis omnibus (vt prædiximus) Scorpioidi correſpondeant, crediderim potius euenire cœli vel ſoli cauſa, vt ea in regionibus noſtris, præſertimq; in Germania nullum coloris ſignum præ ſe ferat, quam quod adulterina dici debeat. Siquidem (ſi Galeno credimus) vt Arum Cyrenis omni penitus acredine vacat, & raporum modo guſtu dulci deprehenditur, contra vero in Italia acerrimum. Et vt Chelidonium minus, e conuerſo in Italia omni penitus acredine vacat, in Græcia autem adeo fit acre, vt in tertio excalfacientium ordine illud repoſuerit Galenus, facile etiam in Scorpioide Italico vel Germanico id euenire poſſe crediderim. Nam, vt Theophraſtus etiam inquit: loci à locis differunt. Quamobrem nihil me mouet facultas, quam huic herbulæ ineſſe ſcribis, præſertim cum illam viderim, probauerimque nullam cum Telephio habere ſimilitudinem, contra vero Scorpioidi maxime conuenire. Habes itaque & rationes & authoritates, quæ me compellunt, vt credam herbulam hanc Telephium eſſe non poſſe, imo nec quamuis aliam plantam præter legitimam Scorpioidem. Verumenimuero nihil gratius mihi facere poteris, quam ſi mihi afferas rationes, quibus ſententiæ noſtræ refragaris, vt ſi forte me in errore verſari nouerim, poſſim te duce veritatem agnoſcere. Nunquam enim cum ratione pugnare ſoleo.*

Cur author Polygalam nõ pinxerit.

*Non eſt præterea quod mireris te Polygalam noſtris cõmentariis appictam non adinueniſſe, nec ob id putes velim plantam quam pro Polygala quamplurimi rei herbariæ ſtudioſi vſurpant, me non vidiſſe ac etiam guſtaſſe, ac ſæpius fuerit ad manus. Verum cum tam paucis notis à Dioſcoride deſcribatur, vt arduum ſit ne dicam impoſſibile, plantam hanc de qua loquimur legitimam facere Polygalam, non placuit illam noſtris commentariis adſcribere. Nolim tamen ob hoc vt a tua recedas opinione, nec vt adeo refrigeſcas, quin eam quam præ manibus habes, ad me (vt polliceris) mittito. Siquidem ſi præter id quod folia habet lenticulæ lac etiam prouocare copioſum tibi experimento conſtet, eam noſtris commentariis adiungere haudquaquam verebor, te maxime authore. Porro ad id quod de Cytiſo ſcribis nihil aliud reſpondendum habeo, quam quod ſi ea quæ de Cytiſo ſcripſimus, paulo diligentius perlegiſſes, nouiſſes quidem Cytiſum fruticem vel potius arbuſculam eſſe, quam herbam. Verſabar enim & ego iamdudum in huiuſcemodi errore, nec aliud putabam eſſe Cytiſum, quam vulgare Germanorum Melilotum, quod nos tribulum & equinum trifolium appellamus.*

Cytiſum arbuſculam eſſe non herbam.

Trifolium equinum.

*At quum tractu temporis rem diligentius examinaſſem reperiſſemque Galeno, Columellæ ac Plinio Cytiſum eſſe arbuſculam, non potui, in tantorum virorum non ire ſententiam. Verum cum nulla vſquam mihi ſe ſe obtulerit planta quæ legitimum Cytiſum præ ſe ferre videretur, non licuit eius imaginem ſuo loco demonſtrare. Cæterum cum alia adhuc te habere ſcribas, tum in re herbaria, tum in aliis rei medicæ problematis, de quibus mecum libenter contuliſſes dum hic eras, niſi temporis anguſtia id vetuiſſet, rogo atque etiam obſecro, vt quod oretenus tunc narrare non licuit, per literas nunc ad me ſcribere velis. Nec tamen id facias velim quod in re Medica herbariaque me adeo verſatum exiſtimes, vt omnia de quibus dubitas, explanare ac interpretari valeam, quum talis ſane non ſim, quod hoc fortaſſe, vt putas, ita præſtare poſſim, ſed vt a te excitatus doctior euadam. Hebræus ille per quem Metallica nonnulla ad me mittere tuis literis pollicebaris ante Thaddæum (vt audio) huc ſe contulit, nec aliquid tuo nomine mihi præſentauit. Quamobrem te rogatum velim, ſi tamen id abſque tui incommodo fieri poſſit, vt metallica illa per illum vel per alium ad me mittere non differas. Cupio enim in foſſilium hiſtoria aliquid præſtare, ob idque mecum ipſe decreui hoc anno, menſe Maio vel Iunio ad vallem, quam Ioachimicam vocant, me conferre. Audio autem Agricolam doctiſſimum præſtantiſſimumq; virum, qui in indaganda metallorum hiſtoria, hac ætate, præ cæteris ſplendet, iam ſuum vltimum obiiſſe diem, quod ſane mihi multum moleſtiæ attulit, cum decreuiſſem hac æſtate ex hiſce Metallis ad eum diuertere.*

Deploratur Agricolæ interitus.

*Auxit præterea moleſtiam quod à Nemico audierim, tam præclarum probumq; ſenem, qui patriæ ſuæ plurimum auxit decorem, illinc tantum ſoli nõ adinueniſſe, quo ſuum poſſet operire cadauer. Proh Dii immortales. Eſt ne hoc Chriſtianæ religionis inſtitutum? Eſtne hæc charitas illa Chriſtiana, quam nunc profitetur vniuerſa fere Germania? Neſcio profecto quid dicam, niſi quod vbiq; iam ſint plena dolis ac ſimultatibus omnia, & vbi iſta ſunt, Chriſtus non eſt. Bilis ita me ſcribere coegit, cum omnino inhumanum ſit talia exercere facinora in probos ac doctos viros, & præſertim vbi non in eos viuentes, ſed in eorum cadauera tam vilis exercetur vindicta. Sed cur hæc mecum forſitan dices? Non alia ſane reſponderim, ratione, quam vt cum homine virtutibus admodum prædito lugeam præclariſſimi Agricolæ miſerrimum finem. Reliquum eſt, vt clariſſimo fratri tuo agas meo nomine gratias, pro tanta eius in me animi propenſione, dicaſq; illi velim ac etiam vt pollicearis rogo, me illi futurum perpetuo amicum. Cupio enim tantum amari ab illo, quantum à me ille amatur & obſeruatur. Clariſſimum Doctorem Gallum & fratris & tui nomine officioſiſſime ſalutaui, qui econtra gratias agit, & vos pariter reſalutat. Vale vir optime ac doctiſſime, & me ama. Nam a me non ſolum adamaris quamplurimum, ſed etiam obſeruaris. Pragæ VII. Calendarum Mart.*

*M. D. L VI.*

## IOANNES HESSVS NORIMBERGENſis Medicus, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Proponuntur Quæſtiones aliquot ſimplicium medicamentorum, nempe Cardamomi, Gelſomini, Succini, Salſæ Parillæ, Glycyrhizæ, Hyoſciami albi, Aluminis, Haloſanthis, Lapidis Marochti, & aliorum quorundam.*

*QVanquam mihi nulla hactenus tecum interceſſerit familiaritas, tamen propter diuinũ illum laborem, quem non ſolum interpretatione Dioſcoridis, ſed potius omnium, qui de medica materia ſcripſerunt, præſtitiſti, ſemper ſum te admiratus, optauique ex animo, dari mihi occaſionem contrahendi aliquam tecum amicitiam, vt à te per literas, ſi quid ſcrupuli in hac materia occurreret, doceri & erudiri poſſem. Poſt quam autem ad nos venit Dominus Hieronymus DonZellinus, Philoſophus & Medicus doctiſſimus, tuique ſtudioſiſſimus, non tantum raram tuam eruditionem, de qua iam antea ex tuis Commentariis eram certior factus, ſed ſingularem etiam humanitatem, erga omnes ſummopere prædicans, hoc meum deſiderium longe magis auxit, & tandem perfecit, oſtenſis etiam tuis literis, in quibus hoc videbaris petere, vt depoſito omni pudore, has ad te literas exararem, vt de his, de quibus hactenus dubitarem, erudirer.*

Cardamomum. *Cardamomo vero quam Arabum, tam Græcorum non puto nos omnino carere, vt autem rectius poſſis de hac re iudicare, mitto ad te duas ſpecies Cardamomi à Serapione deſcriptas: Maius videtur omnibus notis deſcriptioni conuenire: Minus eſt maiori ſimile, ſed ſubſtantia ſubtiliore, non habet caput reſpectu maioris, ſed grana habent corticem, vel forte dixit carere capite. Nam quanquam ſit inter illa ſpecies frequentiſſima, tamen rariſſime ſuo cortici incluſa adfertur. His addidi & tertiam ſpeciem, quæ forte ad Cardamomum Dioſcoridis referri poteſt.*

Carpeſium. *Mitto tibi etiam verum Galeni Carpeſium, vt puto, vides enim fructum hunc eſſe quaſi tenuia virgulta, & odore Phu imitari.*

Gelſominum. *Gelſominum vulgo dictam plantam, ab Arabibus Ieſemin eſſe dictam, quod flores odoratos albicãteſq; albæ violæ modo proferat, & ex eo vnguentum Iaſmininum Dioſcoridis eſſe parandum, vt credam, mouet me authoritas Serapionis, qui omnes vires a Dioſcoride deſcriptas attribuit ſuo oleo Zambacino: opitulatur corporibus, quæ calefactionem & diſcuſſis humoribus laxationem deſiderant, grauius etiam ſpirat, vt quibuſdã è naribus ſanguinem eliciat, quæ quidem Leucoio albis floribus minime competunt.*

Succinũ eſſe bituminis ſpeciẽ. *Succinum non eſſe aliud, quam bituminis ſpeciem, ex quibuſdam ſcopulorum crepidinibus erumpentẽ & tandem in mare defluentem cum Agricola ſentio. Quod & Nicias ſenſiſſe videtur, cum dixit, Succinum eſſe ſuccum radiorum ſolis. Nam abſque dubio non putauit, quod hic ſuccus ipſis ſolaribus radiis, nihil præter qualitatem exiſtentibus inſit, ſed quod radiorum feruore, pinguis ille terræ ſudor, foras eliceretur, quod pleriſque in locis etiam in liquido bitumine videmus. Archelaum vero falſo aſſirmaſſe, quod ſit ſuccus arboris, manifeſte ex natura rei comprobari poteſt. Cum omnes tales ſucci aquea ſint natura, quare etiam ſi ſolis aut ignis calore denſentur, aqua tamen qualicunq; infuſa, ſtatim diſſoluuntur. Cuius contrarium noſtro Succino accidit, quod liquidum in mare influens ſtatim denſatur. Nec eſſe arboris Reſinam glebarum forma, ſoliditas & magnitudo ſatis oſtendit. Plinius ſcribit glebam allatam eſſe Romam 13. librarum pondere. Nos vero ſcimus noſtra memoria repertam eſſe glebam ſeptendecim librarum & vnciarum quatuor. Quibus accedit quod eſt foſſile, vt etiam Philemo rectiſſime ſentit. Nam & nunc quoq; inter arãdum grandes glebæ eruuntur, multis a ſyluis & littore paſſuum millibus.*

Salſa parilla eſt Smilacis ſpecies. *Salſam parillam, eſſe ſpeciem Smilacis aſperæ, vt credam, hiſtoria & vires, quæ ſubſcribam, me mouent. Retulit mihi aliquoties doctiſſimus vir, & rei herbariæ peritiſſimus D. Lucas Ghinus præceptor meus, omnium quos vnquam habui, fideliſſimus, Ducem Florentinum habuiſſe in ſua aula nobilem quendam Hiſpanum, qui cum aliquando negotiorum ſuorum gratia, in patriã eſſet profectus, vt rediret Domino ſuo gratior, ſecum attuliſſe varia illius regionis dona apud nos rariora, & inter alia integram illam cum radice plantam. Sagaciſſimum igitur Ducem, vt intelligeret, an hæc planta etiam in Italia proueniret, vocaſſe ſe Ghinum & alium quendam Medicum, cuius nomen excidit, illoſque communi iudicio ſtatim agnouiſſe eſſe herbam, a Dioſcoride ſub nomine Smilacis aſperæ deſcriptam: quod etiam euentus comprobauit. Nam poſtea radicis Smilacis aſperæ decocto, in curando morbo Gallico, ſicut ipſe interfui, Lucas Ghinus magna cum laude vſus eſt, quem poſtea alii in Italia Medici ſunt ſecuti, vt Romæ D. Gibertus Horſchius Flander, qui ſingulis annis ad hunc vſum ex vicinis locis & Regno Neapolitano, vbi copioſiſſime naſcitur, ita vt viderim ſepes ex ea confici, magnum aceruum huius plantæ ſibi curauit colligi. Neq; hoc eſt à ſententia Dioſcoridis alienum, qui hanc plantam inter Alexipharmaca recenſet. Hanc eandem hiſtoriam aliquando recitabat in lectione D. Fallopius, addebat que ſe huic diiudicationi interfuiſſe, quod tamen Ghinus negabat.*

Smilax aſpera duplex. *Et quanquã aliqua appareat inter has radices differentia, Hiſpanicam ſcilicet & Italicam, quod Italica ſit lenior & nodoſa, Hiſpanica vero rugoſa: Tamen ante paucas ſeptimanas apud D. Paulum Ellingerum primi apud nos nominis Materialiſtam, vt vocant, tales radices nihil plane ab Italicis differentes, vna cum aliis mercibus ex Hiſpania allatæ ſunt ſub nomine Salſæ parillæ.*

Glycyrhiza vulgaris nõ eſt Dioſcoridis. *Glycyrhizam vulgarem, non eſſe plantam eam, quæ à Dioſcoride depingitur, hinc ſatis patet, quod hæc vulgaris ſterilis ſit. Dioſcoridis autem fructum ferat, magnitudine pillulis platani ſimilem, aſperum, qui ſiliquas lentium modo ruffas habet & paruas. Naſcitur autem in vicinis locis apud nos, vulgari per omnia ſimilis, niſi quod ferat fructum illum aſperum, quem ad te mitto. Et propter hanc fructus aſperitatem, puto hanc plantam inter aculeatas a Plinio eſſe connumeratam.*

Hyo-

*Hyoſcyamũ album iam per tres annos habui in meo viridario, habet folia rariora & molliora, quã vulgaris, flos eſt candidus parum ad flauedinem tendens eius figura ſatis commode eſt expreſſa in Dioſcoride. Anno 1549. Francofurti cum figuris impreſſo.* Hyoſcyamus albus.

*Aluminis ſpecies omnes Puteolis cum D. Bartholomæo a Maranta diligenter inquiſiui, & inter alias reperimus ſpeciem liquidi aluminis, albo quidem colore ſed flaueſcente, ſpirantem odorem caſei putridi, quæ manibus lenteſcit. Quare ſæpe ſum ſuſpicatus lectionem Græcorum codicum, qui legunt* Τυρῶδες, *veriorem eſſe lectione Pliniana, qui legit* πυρῶδες, *quem omnes ſane interpretes poſtea ſunt ſequuti. Cum hæc ſcriberem volui reuidere illam aluminis ſpeciem (nam eius portionem aſſeruo) & inueni non tantum amiſiſſe odorem, ſed maiorem eius portionem eſſe mutatam in Alumen plumoſum, ita vt manifeſte appareat, ex alumine liquido proceſſu temporis fieri plumoſum, ſicut etiam ex plumoſo fit ſciſſile, quod antea obſeruaui.* Alumen.

*Haloſanthos eſſe illud medicamentum, quod inepto & fabuloſo nomine nunc in officinis ſperma ceti vocatur, vna cum D. Valerio Cordo, qui primus huius ſententiæ author fuit, ſentio. Habet enim omnes notas a Diſcoride & Plinio ſuo Haloſantho datas. Reperitur in ſtagnis mari adiacentibus, & per conſequens etiam in Nilo, quod tot oſtiis in mare influit, odorem gari habet, pingue eſt, & totum in oleo reſoluitur, mordax eſt, & ad colorem croceum vergit. Quod maxime verum eſt de hoc medicamento nuper e mari extracto, nec adhuc loto. Nam cum nunc hoc medicamentum eo exiſtimetur præſtantius, quo eſt candidius, certe nunc lauant, vt aliquo modo colorem & illam acrimoniam deponat, ſicut Cordus in quodam tractatu de hac materia ſcripto, eleganter & docte oſtendit.* Haloſanthos eſt ſpermaceti officin.

*Lapis Morochtus reperitur circa Bononiam, vbi etiam vulgo venditur, cuius portionem, quam inde tuli, adhuc mecum habeo. Hæc ſunt de quibus expecto accuratiſſimum E. T. iudicium.* Lapis Morochtus.

*Petiit porro a me nomine tuæ Ex. D. Donzellinus Catalogum mearum plantarum, quod quidem primo illi recuſaui, cum ſcirem, quam rude eſſet chaos ſine omni ordine & delectu congeſtum. Nam non ſolũ has plantas collegi, ſed communem operam præſtitit mihi egegius Medicus D. Iohannes Prunſterus, qui ante paucos annos obiit. Hinc factum eſt, vt vnica planta decies aliquando ſit repetita, prout eam in diuerſis locis inuenimus. His accedit quod aliquibus impoſuerim nomina, vt tunc eram inſtructus, de quibus nunc plane aliter ſentio. Tamen cum inſtaret, malui ineptiæ apud te reus fieri, quam quicquam quod poſceres, negare. His bene vale, & vt meas ineptias boni conſulas, meque tibi commendatum habeas, oro & obteſtor. Data Norimbergæ die Purificationis Mariæ. Anno a Virgineo partu. 1559.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Ioanni Heſſo Medico, Norimbergenſi, S. P. D.

***Soluuntur propoſitæ quæſtiones, quæ in præcedenti epiſtola continentur.***

*Accepi humaniſſimas literas tuas, ad 15. Calend. Martias, quibus, quod hactenus non reſponderim, non in cauſa fuit, quod reſpondendi argumento deſtituerer, quo plane abundabam. Sed cum maximis occupationibus implicarer diſtinererq́; ac ſcirem tua ſcripta eiuſmodi eſſe, quæ mihi ab omni cura, & negocio vacuo cum diligentia & attentione legenda ac ponderanda eſſent, diutius reſponſionem diſtuli. Ac quidem vix tibi exponere poſſum, quantũ voluptatis quãtumque iucunditatis ex literarum tuarum lectione ceperim, neq́; id vero ea ſola de cauſa, quod ſupra omnem expectationem meam, tam doctum virum & rei plantariæ tam peritum, meis ſcriptis amicum mihi comparauerim, ſed etiam quod ab illo plura edoctus, & rebus a me prius nuſquam viſis humaniſſime ſim donatus. De iudicio vero, quod tibi ego præ cæteris in plantaria facultate Medicaq́; materia præſtantior videor (quando hoc ita accipio, vt id tui potius erga me amoris indicium eſſe putem, quam vllius mea doctrina, ac virtutis teſtimonium) habeo tibi magnas gratias. Cumq́; talis viri beneuolentia ſatis mihi pro illuſtri teſtimonio ſit, magnifacio ſane ſynceram amoris erga me tui voluntatem, tibique parem offero, ac polliceor animi mei candorem. Nam nihil me magis allicit, vel potius rapit ad amandum, quam amoris erga me ſignificatio, quæ cum in re ex tuis literis non mediocris appareat, multaque ſint præterea, quæ ego in te non probem ſolum, verumetiam admirer, nemini admirationi eſſe debet, ſi tua amicitia nihil mihi eſſe gratius affirmauerim. Fateor enim ingenue, nihil mihi tam fuiſſe vnquã in votis, quam eorum amicitia frui, qui eo officio ſuam mihi ſynceritatẽ declarent, quo poſſim ſi, quid in meis ſcriptis aberratum, vel prætermiſſum fuerit, id totum reſtituere, ac etiam ſupplere. Quod cum a te mihi impartiri videam omni cum affectione & humanitate, eaque beneuolentia, & amore, vt meos labores non ſolum iuues, ſed etiam plurimum ornes: velim quidem ita mihi fauere fortunam, vt poſſem tibi aliquando eas referre gratias, quas habeo ſane plurimas, quo tibi palam facere poſſem, quanti faciam tuam in me liberalitatem & animi tui candorem. Quod vero te ad me ſcribere ſignificas, vt de quibuſdam dubiis confirmeris ac erudiaris, ſingulari candore te id facere video. Nam etſi ea doctrina ac peritia in medica facultate præditus ſis, vt vix a me doceri poſſis, tamẽ collationẽ ſententiarum ac opinionum inter doctos vtilem ac neceſſariam eſſe exiſtimas. Gratiſſima itaque nobis tua hæc voluntas fuit, quæ dexteritatem iudicii & animi candorem patefacit. Nunc igitur ad ea, de quibus te dubitare ais, reſpondebo.*

*Tua de Cardamomo ſententia mihi ſane noua non eſt, Ego vero, qui rerum ſcriptoribus adeo inhærere ſoleo, vt difficile illinc abduci queam, niſi veris ac probatis rationibus perſuaſus, non potui hactenus in hanc concedere opinionem, vt cum pleriſque aſſeuerarem, hoc nouum Cardamomi genus, cuius iampridem omnes apud me ſeruantur ſpecies, legitimum eſſe Arabum, vel Græcorum Cardamomum. Siquidem Serapioni (vt de Arabico primum diſſeram) maiori Cardamomo requiritur, vt eius capita roſarum capitibus ſimilia habeantur, in quibus Baccæ concludantur, Loti arboris baccis magnitudine æquales, quæ intra ſe grana parua &* Matthioli ſentẽtia in vulgari Cardamomo.

*anguloſa concludant: id quod in huiuſcemodi Cardamomo noſtro reperire nequeo. Nam præter id, quod eius inuolucrum potius bulbum, vel ficum forma referat, quam roſarum capitulum, nullum intra ſe granum vel baccam concludit, loti arboris parem, in quo parua illa granula aſſeruentur ſed granula ipſa anguloſa ſimul cohærentia intercurſantibus tenuibus membranis, quibus pariter circumueſtiuntur, vt paſſim in punicis malis cernitur. Ideoque neſcio quo pacto poſſim a mea recedere ſententia, niſi quis me in hac facultate præſtantior, firmiſſimis argumentis, vel in hoc conuicerit, vel oſtenderit, Serapionem ſui Cardamomi hiſtoriam minus recte deſcripſiſſe. Id quod difficile probari poſſe crediderim, cum a nemine (quod extet) præterquam ab illo, ita aperte deſcribatur: cui tamen videtur ſubſcribere Auicenna, cum inquit: Magnum Cardamomum eſt ſicut cicer nigrum, quod cum frangitur, interius habet granum album mordicans. Quippe loti arboris Baccæ, parum a Cicere magnitudine diſtant. Idem pariter ſentio de minori.*

Cardamomi minoris Arabici notæ.

*Quippe quod Serapioni Cardamomum minus nullo concludatur capitulo, ſed ita ſemina vt pleraque alia nuda oriantur. Idcirco ſi per notas a quaquam ferenda de omnibus ſit ſententia, non video, quo pacto æqui iudices me damnare poſſint. Si qui vero coniectura aliqua aliter cenſerent, iis ego adſtipulari non poſſum, niſi cum illis mihi perſuadeam, Serapionis codici mendam ineſſe non minimam, vel eundem fortaſſe id ex aliis authoribus tranſcripſiſſe minus fide dignis. Atqui quum hanc coniecturam comprobare nequeam, non mihi videor deliquiſſe, ſi a te quemadmodum, & a cæteris, qui ita ſentiunt, in hoc hactenus diſſenſerim. Nihilominus non ita ſum opinioni meæ addictus, vt inde auelli non patiar, vbi abs te viro ſane doctiſſimo, efficacioribus argumentis me concluſum cognouero.*

Græcorum Cardamomum ab Arabico differre.

*Præterea non eſt quod credam, Cardamomum hoc cum Græcorum Cardamomo comparari poſſe, ea ratione, vt quis putet, fortaſſe nihil ab eo differre. Quippe quod Dioſcoridi Cardamomum nullo concludatur inuolucro, ſed ſemen ſit plenum, frangenti contumax, guſtu acre, ſubamarum & odore caput feriens, quæ quidem notæ, præter acredinem (quantum video) in Cardamomo iſto non reperiuntur. Siquidem faciliime frangitur, nullam reſipit amaritudinem (quæ Galeno adeo conſpicua eſſe videtur, vt ea de cauſa vermes necare aſſerat) nec odoris violentia caput inuadit, imo potius ſuaui fragrat odore.*

Cardamomum Plinio Amomo ſimile. Græcorũ Cardamomum Amomi modo racematim prouenire.

*His accedit Plinii autoritas, qui Cardamomum Amomo ſimile facit, ſemine oblongo, quinetiam eodem modo meti ſcribit in Arabia, quo fit, vt mihi prorſus perſuadeam, Græcorum Cardamomum, Amomi modo racematim oriri, non hiſce tegumentis concluſum.*

Carpeſium quid.

*Siliquas nigras racematim cohærentes, quas ad me pro Carpeſio miſiſti, cur probem legitimum eſſe Carpeſium, nihil penitus argumenti mihi ſeſe offert. Etenim quum Galenus Carpeſium, præter id quod herba ſit figura & facultate Phu ſimilis, feſtucis, vel ſtipulis tantum conſtare aſſerat, non ſiliquis, neq; granis, non video, quo pacto tuæ acquieſcam ſententiæ, præſertimq; quum iampridem compertum habeam, haſce ſiliquas nil aliud eſſe, quam Piper nigrorum ita Serapioni vocatum, qui eius hiſtoriam poſteritatis memoriæ commendauit his verbis.*

Piper nigrorum. Piperis Æthiopici deſcriptio.

*Æthiopicum Piper Barbari nominant Croni, & eſt in forma ſua Phaſeolis non abſimile, ſemina tamẽ minora habet, & cortices, ſiliquaſue breuiores, colore nigro & guſtu fere acri veluti piper, atq; e nigrorum plaga aduehitur, dentium doloribus non inutile. Quæ quidem notæ adeo conſpicuæ ſunt in hiſce ſiliquis, & granis intus concluſis, vt nullus relinquatur dubitationis locus. Adde quod manſum (vt mihi experimẽto conſtat) dentium dolores mulceat. Et ad nos non ex Syria vel Pamphylia (vbi Carpeſii plurimum prouenire teſtatur Galenus) ſed ex Æthiopia afferatur.*

Gelſimini examinatio.

*Quod autem ad Gelſiminum (ita vulgo vocatum) attinet, non poſſum a mea recedere opinione, iis ſemper fretus rationibus, quibus nixus ſum in meis in Dioſcoridem commentariis, quæ niſi valentioribus ſoluantur argumentis, in eadem ſententia ſemper mihi manendum propoſui. Tu autem vt probes, Dioſcoridis Iaſmenum parari debere ex floribus Gelſimini noſtri, ais ad hanc ſequendam opinionem, te maxime moueri a Serapionis authoritate. Quippe qui ſuo oleo Zambacino eaſdem attribuat vires, quas Dioſcorides Iaſmeno aſſignauit.*

Iaſmeni olei facultates.

*Id quod mihi Dioſcoridem cum Serapione conferenti minime conſtare videtur. Inquit enim Serapio: Zambacinum oleum eſt iuuatiuum in hyeme: ſed ſi quis calidiore temperamento refertus, illud odorat nimis, verendũ eſt, ne ſanguinis fluxiones e naribus concitet. Hæc ille. Atqui longe aliter (ſi recte ſentio) Iaſmeni facultates deſcribit Dioſcorides his verbis: Iaſmenum vſurpatur apud Perſas inter epulandum odoris cauſa, nam toti corpori conuenit, præſertim cum in balneas deſcenſum eſt. Sed his opitulatur corporibus, quæ calfactionem & laxationem deſiderant. Grauius enim ſpirat, quam vt libenter a pleriſq; recipiatur. Hactenus Dioſcorides.*

Iaſmenum oleũ ex floribus Leucoij paraſſe antiquos.

*Quæ omnia Leucoium album, cuius cum floribus ſuum ipſe comparat Iaſmenum præſtare poſſe, non ambigo. Nam quum Leucoium (Galeno teſte) valeat plurimum ad vteri phlegmonas, quæ temporis diuturnitate in ſcirrhi modum induruere, & idem pariter aſſerat Dioſcorides, menſtrua prouocet, lienes minuat & podagricos iuuet, quis etiam non concedat iis eius oleum opitulari poſſe, qui laxationem calfactionemq; deſiderãt? Adhæc cum Leucoium flore albo cæteris omnibus odoris fragrantia & acuitate præſtat, adeo vt cum Gelſimino de odoris bonitate certare poſſit, tanto magis adducar ad credendum, vt in hac mea ſententia minime decipiar, præſertim cum Dioſcorides Gelſimini nuſquam meminerit. Etenim ſi Gelſiminum nouiſſet ille, mihi nunquam perſuadere poſſem, quod vir tantus in deſcribenda Medica materia facile Princeps, eius hiſtoriam & facultates non deſcripſiſſet, cum non adeo vulgaris & inutilis ſit planta, vt is eam ita facile ſilentio ſibi prætereundam duxiſſet.*

Leucoium Iaſme Atticis appellari.

*Præterid, ſi Iaſmeni nomenclaturam expendamus apud Græcos, inueniemus quidem Atticis Leucoium Iaſmen appellari, vnde poſtea Iaſmenum oleum dictum, quod ex eius paratur floribus. Poſtremo tametſi inſtaret quiſpiam Gelſiminum noſtrum Dioſcoridi fuiſſe cognitum, non tamen ei fuerit concedendum tam improprie vocaſſe illum, eius flores, albæ violæ flores, ac Gelſiminum cum Leucoio confudiſſe.*

Salſa parilla.

*De Succino vero & Salſa Parilla, quamuis iam pridem aliam (vt vidiſti) nec ſine rationibus ſequutus ſim opinionem, nunc tamen quum veram Succini originem a Boruſſis & ſalſæ parillæ hiſtoriam ab Hiſpanis acceperim, non potui non complecti veritatem, quæ eo magis nunc mihi clara lucidaq; ſeſe offert, quo video me nunc a te viro doctiſſimo in hac noua opinione confirmari.*

Hyoſcyamus albus.

*Hactenus album Hyoſcyamum non vidi, ſi tua vel amicorum tuorum opera eius ſemen conſequi poſſem, faceres profecto mihi rem gratiſſimam, nam ex illa imagine in Dioſco. illo appicta non video, quo pacto mihi ipſe ſatiſfacere poſſim: confuſa mihi in ea videntur omnia.*

Alumẽ liquidũ.

*Placet mirum in modum caſtigatio illa tua in liquido alumine, nec aliter poſſe locum illum legitime legi*

nunc

*nunc primum mihi perſuadeo. Tantoque magis in hoc tibi gratulor, quanto plus animaduerto Dioſcoridis interpretum nullum id hactenus obſeruaſſe. Verum tametſi mihi videatur impoſſibile, vt quiſquam qui mediocriter Græcæ linguæ peritus fuerit, & in Dioſcoridis lectione plurimum verſatus, erratum illud non animaduertere potuiſſet, niſi forte, vt tu, liquidi aluminis odorem diligenter expendiſſet, laudo tamen maximum ingenij tui acumen. Sunt mihi iam diu ad manus omnia aluminis genera, ab eodem Maranta tranſmiſſa, verum quum liquidum recens non fuerit, nullum ex eo calcis odorem percipere potui, quo fit, vt hoc tibi totum acceptum referam, quamuis videam id etiam ab Oribaſio fuiſſe obſeruatum, quod fortaſſe Dioſc. codex, a quo ille tranſcripſit, hac menda vacaret.*

Locus Dioſcoridis in Alumine ex Oribaſio reſtitutus.

*Plura ſunt, quæ me ancipitem reddunt in cenſendo ſalis flore. Primum eſt color quem in Spermate Ceti vocato, nuſquam croceum, neque ruffum, vt ſalis floris ineſſe teſtantur omnes, videre mihi licuit. Dein non mihi videtur hoc medicamentum adeo liquidum, vt Galenus & Aetius annuere conſpiciuntur. Præterea ſi guſtum conſulamus, difficile quis aſſeuerabit eſſe ipſo Sale viſ‍to tenuius. Poſtremo cum Dioſcoridi & Plinio in Nilo flumine & lacubus quibuſdam tantum inueniatur, nec vſquam in mari vel in maritimis paludibus reperiri meminerint, vbi Sperma Ceti hoc æuo colligitur, non ita facile adducor ad credendum, illud florem eſſe Salis legitimum. Tamen ne videar a cæteris contentioſe diſſentire, in hoc etiam illis facile cedam, præcipue ſi abs te certior factus fuero, hoc medicamentum ea poſſe præſtare omnia, quæ legitimo ſalis flori aſſcripſere Dioſcorides & Galenus.*

Flos ſalis Sperma ceti.

*Lapidem Morochtum nuſquam hactenus mihi videre licuit. Atqui quum nunc abs te certior ſim factus, nasci hunc circa Bononiam, ſcribam ad Vlyxem Aldrouandum, vt illum ad me mittat.*

Lapis Morochtus.

*Quantum ſane tibi debeam pro legitimo Glycyrrhizæ fructu, non poſſum ſatis verbis explicare. Quod enim maximo cum labore nequiui hactenus aſſequi, id nunc ſum tua opera ſine labore conſequutus. Referam tamen illud tibi acceptum, vbi primum Valgriſius chalcographus meos recudet Commẽtarios, & ego ipſius plantæ imaginem cum fructu edendam curabo. Perbelle quidem Dioſcoridis deſcriptioni fructus is adſtipulatur, quo fit, vt non ſolum tecum de Glycyrrhiza ipſa ſentiam, ſed vt iam cognoſcam duplicem eſſe Glycyrrhizam; quanquam fortaſſe nihil differunt viribus. Atqui quod Plinius, ea fortaſſe cauſa, quod fructus is aculeatus ſit, Glycyrrhizam inter aculeatas enumerauerit plantas, id non ita facile mihi probandum eſt, quum manifeſte ſcribat lib. 22. cap. 9. & lib. 21 cap. 15. Glycyrrhizam foliis eſſe aculeatis, pinguibus, & tactu gummoſis, quo fit, vt mihi potius credendum ſit, habuiſſe Plin. Dioſc. codicem in quo lubrico librariorum lapſu ἐχῖνο pro σχῖνῳ legebatur, vel quod is Græcæ linguæ non exacte peritus, (vt pleriſque aliis in locis animaduertimus) vocabulorum vocumque ſimilitudine deceptus in hoc etiam errauerit, quam quod mihi perſuadeam, a fructu tantum ſimpliſſe illum occaſionem reponẽdi Glycyrrhizam inter aculeatas; præſertim cum pleræque aliæ habeantur plantæ fructus aculeatos ferentes, quæ tamen nec ab ipſo Plinio, nec ab aliis (quod ſciam) aculeatæ ſunt dictæ, nec inter aculeatas enumeratæ.*

Glycyrrhizæ fructus aculeatus.

Plinii erratum in Glycyrrhiza.

*Vidi non ſine admiratione Catalogum tuarum plantarum, quas tibi cum tanto comparaſti labore: ob idque gratulor tibi plurimum, quod plantarum cognoſcendarum cauſa, tot, & tam longas confeceris peregrinationes, non in Germania ſolum, ſed in Italia fere vniuerſa, ac etiam in Gallia. Mihi vero non minus gaudeo, quod ita poſſim (quæ tua eſt humanitas) tuis omnibus frui laboribus. Quamobrem ne putares ea, quæ mihi tam liberaliter offers, me fortaſſe paruifacere, peto, vt quæ cum hiſce literis annotata reperies, ea ad me mittas. Quo enim citius ad me perferentur, eo gratius & alacrius hoc tuum beneficium ſuſcipiam & amplectar. Vnum tantum in calce mearum literarum addam, nihil vnquam in hac vita, nec accidiſſe, nec accidere potuiſſe optatius & deſideratius, quam tua & talium virorum erudita, candida, & ſynceriſſima perfrui amicitia. Gratiſſimum mihi feceris, ſi & de meis, & in cæteris omnibus rebus tuum iudicium libere mihi aperueris. Ego viciſſim quo maiorem tibi adiungam animum pro mea mediocri & qualicũque eruditionis æſtimatione, libenter ſpondeo ac promitto, nihil mihi fore in ſtudiis tam ſecretum & tam vnice charum quod ob tuam, quã mihi offers humaniſſimam amicitiam, tecum libenter & amiciſſime cõmunicare nolim. De mea interim ſententia, quam hac epiſtola familiariter tibi expoſui, tuam quoq; audire cenſuram vehementer peropto. Vale.*

## CASPAR NOEVIVS MEDICVS Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Agitur de quadam terra cærulea quam pro Armenio lapide mittit ad Matthiolum.*

*DE Armeno lapide ſemper dubius fui, quis eſſet, vir doctiſſime excellentiſſimeq;. Itaq; quum ex doctis de ipſo quæſierim, ad me ex Italia Molochitem pro eo, ex Norico nuper Iaſpidem viridem miſerunt. Nec puto tibi excidiſſe, quod aliquando coram ex te quis ſit diligenter ſim percontatus. Cum itaq; hiſce diebus cum Illuſt. Duce noſtro Elect. Saxoniæ in venatione verſarer, allata eſt ad ipſum Celſi. terra quædam, ſpecie leuis, colore cæruleo perquam æquabilis, calculo carens & friabilis quam pro lapide Laſuli paſſim vendunt. Huius portiunculam ad te mittere placuit præſertim cum in perferenda & reddenda illa mihi operam ſuam vltro deferret Dominus Capitaneus, Franciſcus Zara ſtalus, qui nobiſcum per biduum in pagis eſt commoratus. Videtur autem deſcriptioni lapidis Armeni, non male conuenire, nec dubitarem aſſeuerare illum eſſe, ſi mihi de purgandi ipſius facultate conſtaret. Sed quia tu induſtria in indagandis ſimplicibus & eorum facultatib. explicandis omnes noſtri ſeculi eruditos excellis (quicquid etiam nonnulli tibi indigne obgranniant) atque pro mea in te obſeruantia vir doctiſſime rogo, vt nactus otio, ad me iudicium tuum de illa perſcribas. Vale, & Nœuium tui ſtudioſiſſ. ama. Ex Pago Arnsfeldt in Metallicis montibus. IIII. Calend. Iulias. Anno 1558.*

Terra cærulea.

# PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Caſpari Nœuio, Medico S. P. D.

*Reſpondetur Nœuio & explicatur Matthioli de lapide Armenio cenſura.*

*COEruleam terram, quam Armenium lapidem eſſe meditaris, mi doctiſſime Nœui, vna cum tuis humaniſſimis literis accepi diebus hiſce prę teritis, ſumq́ in iis perlegendis plurimum delectatus, ob eam pręſertim, quam erga te habeo, beneuolentiam ac etiam obſeruantiam. Vt autem in hac re, de qua meum iudicium habere cupis, meam tibi declarem ſententiam, etſi id (vt fortaſſe velis) à me pręſtari non poſſe ſciam, ne tamen videar hunc ſubterfugere laborem, dicam ingenue quod ſentio.*

Armenii lapidis examinatio.

*Itaque libere proferam, ſi rationibus, authoritatibus ac experimentis fuerit adſtipulandum, Terram hanc nullo pacto Armenium lapidem eſſe poſſe iudico, primum quidem quod terra ſit omnino, non lapis, eaq́ adeo inconſtans ac friabilis, vt tam leuiter tangi non poſſit, quin ſtatim manus inficiat, idq́ Armenio lapidi nemo antiquorum aſſcripſit. Nec puto Dioſcoridem, Plinium, nec alios, qui de huiuſcemodi lapide ſcripſerunt, tam friabilem terram, quę leuiſſimo contactu ſtatim diſſiliat, tam improprie lapidem vocaſſe.*

Armenii lapidis calor.

*Deinde crediderim ego, Armenium lapidem porracei eſſe coloris, non omnino cœrulei, Plinii authoritate fretus, quippe qui Armenium lapidem ſcribit infectum eſſe Chryſocollę modo, illumque optimum haberi, qui maxime viret, communicato colore cum cœruleo. Auget pręterea opinionem noſtram Auicenna, quum & ipſe ſcribat, reperiri in Armenio lapide aliquantulum cœrulei coloris, quum tamen ipſe non ſit coloris omnino cœrulei. His etiam accedit Meſues authoritas, qui lapidem Armenium facit colore medio inter viridem & obſcurum. Horum ac noſtrę etiam ſententię aſtipulatur Georgius Agricola rei metallicę peritiſſimus, qui in Armenio lapide, miſtum colorem eſſe ſcribit ex viridi & cœruleo. Quo fit vt nihil habeam, quo perſuaderi poſſim, tuam hanc terram, quę cœruleo tantum colore cernitur, ipſoque obſcuro ac ſaturatiori, Armenium legitimum eſſe poſſe. Nec me à mea reuocat opinione Dioſcoridis noſtri codex, qui legit Armenum lapidem cœruleo eſſe colore. nam cum viridi admodum ſaturato ſit infectus, vt quaſi cœruleus videatur, nihil mihi mirum videtur, ſi Dioſcoridi Armeni lapidis color cœruleus deſcribatur, cum etiam dicat Plinius, diſtare à cœruleo Armenum candore modico, qui tenuiorem hunc efficit colorem. Si autem fateri ingenue debeam, quem lapidem recte credam legitimum referre Armenum, nullum ſane alium dicam, quam hunc quem ad te mitto.*

Lapis Armenus legitimus qui.

*Eſt enim is colore maxime viridi non ſolum ad cœruleum vergente, ſed cœruleis etiam maculis infectus, adeo vt à pictoribus, qui eo frequentiſſime vtuntur, viride cœruleum vocetur. Pręterea mihi, quēadmodum Doctori Gallo quoque, qui primus facto periculo, lapidem hunc ex agro Tyrolenſi ad me miſit, innumeris conſtat experimentis, lapidem hunc Melancholiam ſanare, & ea omnia exacte pręſtare, quę illi reddidit Alexander.*

Armenus & cœruleus ex eadem fiunt materia.

*Cęterum mea ſemper fuit opinio Armenum, & Cœruleum ex eadem conflari materia in terrę viſceribus, nullamque aliam inter eos intercedere differentiam, quam quod cœruleus fuerit magis excoctus. Etenim cum ſciam, ambos hoſce lapides iiſdem pollere facultatibus, & in Armeno frequenter cœruleę maculę videantur, vt in hiſce lapillis, quos ad te mitto, cernere poteris, pręſertim vbi aqua vel ſaliua eos deterſeris, nihil habeo, quod me à mea retrahat opinione.*

Lapis qui paſſim pro Melochite venditur genuinus non eſt.

*Iccirco eos prorſus aberrare exiſtimauerim, qui lapidem hunc Melochitē eſſe cenſent, quum Melochites, etſi craſſę ſit viriditatis, nihil tamen cognationis habeat cum cœruleo, nec melancholicos iuuet, ſed tantum pro amuleto infantibus, & pueris ſuſpendatur aduerſus nociuos caſus. Quamquam ſua non fruſtrentur opinione, qui Armenum pro Melochite ſuſpendunt. Quandoquidem (vt fatetur Serapio Linacri authoritate) idem Armenus pręſtare poteſt. Atqui ſi a me percontareris, quid terram illam tuam eſſe putem, cum Armenium eſſe ex pręmiſſis non poteſt, dicerem potius factitium aliquem repręſentare colorem, ex cœrulei fortaſſe puluere lauigato & aqua ſubinde excepto, quam per ſe ita in fodinis oriri. Paucis hiſce volui meam tibi aperire ſententiam: tuum nunc erit, eam vel probare, vel improbare. Cęterum ſi tibi pro tua in me confidētia ſatisfecerim, lętabor quidem, ſin minus, minime triſtabor, pręſertim vbi tu veriora ac lucidiora mihi attuleris argumenta, quibus me ab errore retrahere poſſem. Nihil noui nunc habeo, quod ad te mittam, pręter Armenium meum. Te autem, qui fortaſſe quam pluribus talibus inuſitatis, ſeu non ita communibus & vulgaribus rebus abundas, rogatum velim, vt ſi quid rari in eo genere tibi aſſeruaueris, id etiam nobis impartiri velis. Libellos hoſce duos, quos ad te mitto, nuper è noſtra prodierunt officina, quos ſi legere non dedignaberis, facile coniicere poteris, quam recte ab inuidis illis me defenderim, qui (vt ſcribis) mihi indigne obganniunt. At obganniant quantum velint, non tamen aliqua moleſtia inde afficiar, poſteaquam Dei Optimi Maxima auxilio non deſunt mihi milites voluntarii, qui acerrime pro me pugnent, vt ex longa his alligata papyro certior fies. Plura quę nunc ad te ſcribam non habeo, id tantum abs te peto, vt quandoque ad me ſcribere velis. ſunt enim literę tuę mihi ſemper iucundiſſimę. Interim precor tibi omnia fœlicia, petoque vt clariſſimo fratri tuo me plurimum commendatum facias. Vale. Pragę. XV. die Auguſt.*

*Anno 1558.*

GEOR-

## GEORGIVS MARIVS HERBIPOLENſis Medicus, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Agitur de plantis nonnullis, nempe Picea, Chamæleonibus, Pyrethro, Saxifragia, Hermodactylo, & quibuſdam aliarum imaginibus.*

*CVm mihi recitaſſet tuas literas Doctiſſimus Hieronymus Donzellinus, cum quo ob ingenii acutiſſimi magnas dotes, virtutum & ſcientiarum omnium, præſertim Medicæ artis, familiaritatem pro illius ſingulari humanitate iampridem contraxeram, nihil mihi viſum eſt, iucũdius à tanto viro accidere potuiſſe, vir Clariſſime & excellentiſſime quam quod eos ſermones, quos inter nos de tuis perpetuo victuris monumentis habuimus, ita pro ſua virtute candide perſcripſerit, vt fortaſſis expectationem tibi de me fecerit, poſſe me ſtudio qualicunque non deeſſe tuis pulcherrimis laboribus, quibus mihi te vnicum materiæ Medicæ vindicem ſemper ob oculos propoſui. Etſi autem doctorum hominũ notitia clariſſima & maxima apud me ſemper fuit, tamen eorum qui noſtram artem exornarunt, ſemper eſſe volui obſeruantiſſimus, è quorum numero cum te ab hominibus laudatis non minimam obtinuiſſe laudem ſciam, magnam gratiam illi referam, qui me tui notitiam habere voluerit. Tecum vero, vir maxime, ita loquar, vt partim meam erga te obſeruantiam, partim candorem animi, quo me ſolo beatum iudico, intelligere poſſis, quorum iſto in amicitia nihil ſanctius arctiuſque inter bonos eſſe poteſt, illa vero nihil pulchrius & rectius, quam vt iis iudicium de rebus arduis deferamus, qui omnem ætatis operam in id ſtudium ſumma dexteritate contulerunt. Lucas Ghinus, vir omni immortalitate digniſſimus, cum me ſuperioribus annis Medicinam doceret, & ſubinde nobis Dioſcoridem cum Galeno communem eſſe vellet, in eas cogitationes venerat, vt de pingendis & ſcribendis plantis, quæ pictæ hactenus à nullo eſſent, deliberaret, quod cum differret, & illi poſtea in manus veniſſent tui Dioſcoridis Commentaria, ita illis ſemper delectatus eſt, vt quantum ego iam conijcere poſſum ſui propoſiti ſententiam mutarit, atque in eam ſpem venerit, non poſſe quenquam noſtro ſeculo melius id præſtare quam teipſum, cui etiam laudem iure deberi crederet. Cæterum cum animaduerteret nonnullas plantas non ad viuum & naturam à ſculptore expreſſas ita ſui artificis picturis delectatus eſt, vt earum aliquot ſeorſim pingi voluerit, ea (vt dubium mihi non eſt) voluntate, vt eas tuo iudicio & cenſuræ ſubmitteret. Fuere ex illis, vt paucas adhuc memoria teneo, Piceæ & Pini genera, quarum alterum pro altero poſitum putaret, & alia addenda, quæ iam elegantiſſime recenti editione ſatis deſcripta & expreſſa ſunt. Chamæleontes ambos, ita pictos aſſerebat, vt in tuis ſculpturis albus nigrum potius referret, & econtra. quod viuis plantis demonſtrabat, idque vel Typographi, vel ſculptoris vitio facile fieri potuit. Pyrethrum, & ſi non omnino diſſimile, tamen aliud & multorum iudicio veriſſimum, ex lacubus Piſanis oſtendebat. Saxifragiam longe aliam cenſebat, quam picta hactenus à quouis eſſet, Venerat enim in eam opinionem, vt in Dioſcoride non legendum putaret, Epithymo ſimilis, ſed Thymo, neque alienam plantam ab illo eſſe, quam Paulus pro Betonica deſcriberet: cuius plantæ copiam proxima occaſione vobis faciam. De Hermodactylo ita ſentiebat, vt paucis eam plantam hactenus cognitam crederet, oſtendebatque aliquam quæ Bononiæ in ſecretis vallibus ſiniſtræ partis non longe à Diui Michaelis æde creuerat, binis tantum folijs maculoſis, quantitate, vt in lilijs, flore, ni fallor, ſubcœruleo, radice digito humano non omnino diſſimilem referente, cuius copiam miſiſſem, ſi mihi meorum librorum apud me pars aliqua fuiſſet. Hæc ex paucis (vt pauca vero omnia erant) eo animo ad te ſcribo, non quod credã Ghini iudicium tibi diſplicere, aut quod male tantum virum iam mortuum apud te inſimulare velim, qui ita tibi addictus erat, vt iam paucis diebus, antequam è vita in immortalitatem ſecederet, plurimas plantas ad te miſſurus fuiſſet, atque literis de ſua ſententia, quid de qualibet ſtatueret te rectius admonuiſſet. Vtinam illius ſcripta non perpetuo latere poſſent. Viuit adhuc Bononiæ eius frater chirurgus: viuit Doctor Camillus & Vlyxes, qui illi familiares quotidie fuerunt, quibus omnibus, credo, pictor ille notiſſimus erit, à quibus omnia percontari & interrogare licebit, neque ego ſi quid potero, quod ſentio quam ſit exiguum, operam aut ſtudium prætermittam à ſtudioſis Germanis illa inquirere, ſi quid ex picturis ſuperſit & ſi hæ vſui eſſe poterunt. Pinxerat idem aliquot elegantiores plantas, quæ deſcriptæ quidem à te, ſed non expreſſæ ſimulachris erant, ſed an eaſdem adhuc habeat neſcio. Vereor enim, ne pars aliqua ad Fuchſium peruenerit. Verum de his melius pictor reſpondebit, cuius nomen mihi excidit. Hiſce diebus ad Medicos Monteſpeſſulanos ſcribam, quorum auditor ad annos fere tres fui. Si quid ibi eſſe poſſet, quod rei tuæ conduceret, ſcio neminem eorum nobis defuturum. Is ſolus locus Italiam adæquare, ſi non in quibuſdam etiam ſuperare, mihi viſus eſt: Herbarum ſingularium ita fertilis, vt Roremarino, Lentiſco, Terebintho, Chamelæa & alijs focum foueant incolæ. Vnum intereà te virum Maximum contra omnium aculeos vehementer hortor & oro, ne ſtudium indefeſſum excolendæ huius partis Medicæ nobis intermori ſinas, pro quo nemo vnquam te ſatis laudare, nec vllam ſatis gratiam poſteritas pro eo fructu referre poterit. Vale, & me in poſterum ama, ac commendatum habeto, quod vt facias rogo, ſi me tui obſeruantiſs. & tua neceſſitudine dignum eſſe iudicaueris. Norimbergæ IIII. Non. Septembris. M. D. LVIII.*

Piceæ & Pinus.
Chamæleon.
Pyrethrum.
Saxifraga.
Hermodactylus.

PETRVS

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Georgio Mario Herbipolenſi, S.P.D.

*Reſpondetur præcedenti Georgii Marii epiſtolæ.*

*Literis tuis iamdudum reſpondere voluiſſem, Doctiſſime & humaniſſime Mari, niſi hiſce diebus ob Cæſaris præſentiam, & Sereniſſ. Archiducis Caroli aduerſam valetudinem, noua & inſolita negotiorum acceſſiſſet multitudo. Quæ quidem & ſi neutiquam me tui facere potuerint immemorem, ſi tamen mentem & corpus mihi ad alia diſtraxerunt, vt magis accelerare non poſſem, ad quod & meus in te inuitabat amor, & tua ſingularis erga me poſtulabat humanitas ac beneuolentia. Quis tuus hic erga me animus? vt longe maiora mihi tribuas, quam ego in mea hac mediocritate ſentire vel auſim, vel queam? Quod tametſi multi alii tecum ſentiant eruditiſſimi viri, tamen ego magis hac candida oblector doctorum præſertim virorum beneuolentia, quam vt tanta de meipſo mihi audeam vendicare. In hac autem noſtra Medica facultate, in qua (vt fortaſſe non ignoras) non paruam ætatis meæ partem conſumpſiſſe me fateor, & ſi quantum hactenus potui, id mea ſponte publicæ vtilitati præſtiti; tamen neſcio, quo pacto ad iſtud cumulatius quotidie iterandum & omnes obeundos labores, & tua, & plurimorum doctiſſimorum virorum incredibilis benignitas me prouocat & accendit. Quorum integerrimis & optimis iudiciis quo plus recreor, eo minus improborum nequitia vel calumniis lædor. Gaudeo itaque & ſummopere delector, non plane infrugiferas ac inutiles meas in publicum veniſſe lucubrationes. Quod tanto amplius de cæteris ſpero, quo copioſius tuo peritiſſimo iudicio ſatisfactum animaduerto. Nec tibi modo multum debeo, ſed & Donzellino viro Clariſſ. & vtrique amiciſſ. Qui ſi forte immodicus fuit, in meis decantandis laudibus, ego id magis ipſius inter nos amicitiæ ſingularique humanitati tribuerem, quam vt tantam de me complecterer ſoneremque exiſtimationem. Nunc autem licet minora longe omnia promerear, tamen nec tantus tuus, neq; Donzellini in me poteſt inclinari fauor, vt doctiſſima iudicia fallantur, aut leui aliqua perſuaſione perſtringantur. Quamobrem in poſterum magis mihi connitendum cenſeo, vt veſtræ amicitiæ & grauiſſimæ de me conteſtatæ exiſtimationi reſpondeam, quam vt hactenus id ſatis à me factum putem. At certe ob id etiam gratior iucundiorque mihi eſt hæc tua de me opinio, referta omni beneuolentia, ac doctrina, quod eam à tuo præceptore Luca Ghino, homine ſane excellenti & in hac plantaria facultate exactiſſimo iudice, velut hæreditariam diſciplinarum poſſeſſionem acceperis, & tuo iudicio ac longo ſtudio auxeris. Qui quem animum erga me ſemper geſſerit, quidue de noſtris in Dioſcoridem Commentariis ſynceriſſime iudicauerit, teſtantur ipſius quamplurimæ ad me ſcriptæ literæ omni humanitate refertæ, quas adhuc penes me reſeruo, ne tanti viri vnquam me capiat obliuio. Quod autem in nonnullis plantarum iconibus is à me diſſenſerit (vt inter eiuſdem facultatis ſtudioſos plerunque fieri ſolet) fateor ego ingenue, atqui ea modeſtia eaque animi ſynceritate, vt nihil vnquam inter nos exortum fuerit, quod fraterna non admitteret amicitia, adeo vt cum de his ad me aliquando humaniſſime ſcripſiſſet, tam candide, tamque ſolide pro ingenioli mei facultate reſponderim, remque omnem, iis, quæ ſuccurrebant, argumentis enucleauerim, vt deinde is non parum ſubdubitarit, vtri noſtrum danda eſſet palma. Cenſebat ipſe, quum fortaſſe legitimam piceam nunquam inſpexiſſet, montanam pinum piceam eſſe. Id quod a me nunquam probari potuit, iis freto argumentis ac rationibus, quibus maxime contra Bellonii opiniones vſus ſum, in Commentariis noſtris in Dioſcoridem poſtrema editione excuſis. Quæ ſi perlegere non grauaberis, facile fortaſſe, in noſtram concedes opinionem. Etenim piceæ folia (Plinio teſte) pini non ſunt, ſed abietis*

Chamæleon.

*prorſus æmula. Noſtræ etiam ſententiæ fortaſſe ſubſcribis, ſi de vtroque Chamæleone primum Dioſcoridis verba mente recte conceperis, & deinde commentaria noſtra perlegeris. Equidem minime coniicere poſſum, quomodo, qua ratione, quaue authoritate à me diſſenſerit Ghinus, quum Dioſcoridis ipſius teſtimonio, albus nullum gerat caulem, ſed tantum niger.*

Pyrethrum Ghini.

*Ghini præterea Pyrethrum fateor me vidiſſe nunquam, ideoque, quid ad hoc reſpondeam, non habeo. Si autem tua opera id conſequi potero, nihil mihi gratius præſtare poteris. Sic nãq; (vt meam tibi inſinuem mentem) affectum me deprehendo ad hanc noſtram plantarum indagationem, vt huiuſcemodi amicorum dona, omni auro, gemmis ac cæteris muneribus præferam.*

Pyrethrum Matthioli.

*Scio quidem Pyrethrum meum (vt etiam lectorem admonui) quod careat vmbella, à Dioſcoridis Pyrethro ſatis differre. Atqui non ob id mihi vitio vertendum puto, quod vulgare illud demonſtrauerim.*

Saxifragia.

*De ſaxifragia autem, auditis à Ghino doctiſſimis argumentis, non potui in eius non concedere ſententiam, adeo, vt nihil mihi ſit amplius in hac re dubitandum.*

Betonica prima Pauli quæ.

*Eſt ſiquidem proculdubio (vt ſcite inquis) prima Pauli Betonica. Nam id maxime confirmat Galenus (a quo non ambigo tranſcripſiſſe Paulum) libro & capite quinto de ſanitate tuenda, vbi de vinis diſſerit, quæ ſenibus accommoda magis habentur. Inquit enim: Iis vero qui calculo laborãt, etiam aliquid Betonicæ & Ceſtri, qui in Galliis naſcitur, eſt immiſcendum: vocant autem herbam eam, ſaxifragon. Hæc ille. Plantam vidi habuique virentem quodam in fictili, ſed aruit (vt ingenue fatear) mea negligentia. Cum autem nunc non ſit ad manus, facies mihi rem gratiſſimam, ſi eam ad me miſeris, vt humaniſſime polliceris.*

Hermodact. verus naſcitur in Bohemia.

*Verus Hermodactylus, qui à Ghino iamdudum ad me eſt miſſus, frequentiſſimus hic in Bohemia prouenit, cuius imaginem ſuo etiam tempore me daturum in lucem ſpero.*

Ghinus in quib. plãtis diſſentiebat à Matthiolo.

*Cæterum erant & alia nonnulla, in quibus à me diſſentiebat vir ille bonus, nempe in acuta ſpina, in Paliuro, & aliis quibuſdam. Sed cum ad omnia rationibus adeo præſtãtibus a me illi reſponſum ſit, vt in poſterum nihil in contrarium repetierit, nihil aliter mihi cogitandum fuit, quam quod is meis acquieuerit rationibus: niſi forte (vt ais) morte præuentus, id facere nequiuerit.*

Lucę Ghini laudes.

*Scio quidem me maximam accepiſſe iacturam, cum mihi è viuis ſublatus eſt Ghinus, in quo maxime, & quamplures fulgebant animi dotes, inter quas præcipuum locum ſibi vendicabant, integritas, ſynceritas, humanitas, fides. Nulla vnquam, in eo fuit inuidia. Cuius rei hoc maximum omnibus præbebit indicium, quod quum is decreuiſſet, vt recte ſcribis, volumina quædam, quæ de plantis conſcripſerat, vna cum imaginibus in lucem edere, viſis perlectiſque commentariis noſtris, non ſolum ad me gratulatorias ſcripſit literas, quod illum præuenerim eiuſque ſubleuauerim labores, ſed & quam plurimas miſit plantas, quas illi ſane refero acceptas,* bi

*vbi earum imaginibus noſtrum ornauimus Dioſcoridem. Poſt autem illius interitum cum antea non ignoraſſem, illi fuiſſe in animo, nouas quaſdam, de quibuſdam plantis opiniones ad me ſcribere, & nonnullas etiam plantas, non vulgares mittere, ſcripſi ad Vlyſſem Aldrouandum, virum ſane inſignem, vt diligenter perquireret, an nouæ illæ opiniones, inter eius ſcripta, reperiri poſſent, ſed nihil (vt ille reſpondit) huiuſce rei inuentum eſt.*

*Eſt enim inter nos magna vis amicitiæ, nec me ab eo deluſum vnquam putarem.*

*Hiſce diebus quoque ſcripſi ad illum, vt Ghini imagines illas, de quibus me admones, ad me mittat, ſi tamen eas mihi profuturas putauerit, ſi vero ſecus cenſeat, vt tantum nomina mihi deſcribat, namque ex his facile coniiciam, an emolumenti aliquid ex iis mihi accedere poſſit.*

*De his quæ pro iuuandis rebus noſtris, ad Monteneſſulanos Medicos ſcribere polliceris, habeo tibi gratias ingentes.*

*Si quid itaque vt ſpero, ab iis conſequeris, id totum illico, vt mihi communicare non graueris, rogo, & vbi poteris, vel in Italia, vel Gallia, vel in Germania, vel vbicunque locorum apud amicos tuos, aliquid rari pulchriue mihi comparare, nihil prætermittas obſecro, quin id agas ſedulo.*

*Polliceor me viciſſim, & omnia (vt decet) tibi accepta relaturum, vbi in commentariis noſtris, de his aliquid diſſeram.*

*Equidem tibi plurimum gratulor, & mihi maxime gaudeo, quod talem nactus ſim amicum, qui tam amanter, ac humaniter honoris mei curam gerat.*

*Ego interim verſa vice omnem meam operam tibi defero, & ex corde polliceor maiora etiam præſtaturum, vbi ſeſe obtulerit occaſio, Vale. Pragæ pridie Idus Decembris, M. D. LVIII.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
### Georgio Hantſchio Medico, S. P. D.

***Deſcribitur Ellebori nigri diluti parandi ratio ad Quartanarios.***

*Tametſi, mi Georgi, Ioannem Nœuium Clariſſimum virum, Illuſtriſſimi Saxoniæ Ducis, Sacrique Imperii Electoris Medicum, de facie nunquam nouerim, nec vlla hactenus mihi cum illo interceſſerit neceſſitudo, nomen eius tamen præclarum, eruditio non vulgaris, & erga omnes humanitas iam diu mihi nota ſunt.*

*Nam præter ea quæ à Caſparo Nœuio viro doctiſſimo eius fratre, ac collega, de eius in medendis morbis felicitate oretenus intellexi, non deſunt quotidie huiuſce regni proceres, ac nobiliſſimi viri, qui ad illum tanquam ad ſacram anchoram confugiẽtes, vbi a cæteris medicis eorum morbi curari nequiuerint, hi eius doctrinam, & in medendo dexteritatem, laudibus quamplurimis extollunt.*

*Quo fit, vt illum quamuis abſentem, non ſolum ſemper dilexerim, ſed etiam obſeruauerim.*

*Tanta enim ineſt virtuti vis, vt illos quos nunquam vidimus, nec cognouimus adeo amare, ac etiam colere compellat: vt non ſolum eorum doctrinam, nomen, famam & mores apud omnes promoueamus, ſed etiam opes quandoque pro iis effundamus.*

*Quamobrem pergratiſſimum mihi eſt nunc abs te audire, Nœuium ipſum datis ad te literis expetiſſe, vt eius nomine à me percontareris, an Ellebori dilutum, de quo ad quartanam febrem curandam memini in meis in Dioſcoridem commentariis, illud ſit, quod in libello meo, de morbi Gallici curatione poſteritatis memoriæ mandaueram, an aliud alia ratione paratum, quodque ſi aliud eſt, eundem inſtanter petiiſſe, vt parandi rationem à me peteres.*

*Quandoquidem cum iam diu mihi fuerit in votis, vt aliqua ſeſe offerret occaſio, qua virum hunc præclarum mihi conciliare poſſem, quaque me illi beneuolum declararem, lætor ſane nunc plurimum, me honeſtam habere cauſam, qua id quod maxime optaueram ſim conſequutus.*

*Atqui cogitaui, non tantum dilutum hoc, ab altero longe diuerſum, tibi ſimpliciter deſcribere, ſed etiam addere quibus medicamentis atrabiliarios ſuccos præparare prius ſoleam, antequam Elleboriſmum illud ægris potandum præcipiam, vt tanto magis, de mea erga Nœuium voluntate, tibi conſtare poſſit.*

*Cum itaque ſigna aliqua coctionis apparebunt, vel ſit id à natura ſponte factum, vel concoquentibus medicamentis adiuta.*

Sumito

Syrup9 ad quartanarios.

*Sumito Aſpleni*
*Adianti*
*Fumariæ*
*Meliſſophylli*
*Abſinthii Pont.*
*Artemiſiæ*
*Agrimoniæ*
*Pulegii*
*Thymi*
*Senæ* — *ſingulorum manipulum.*
*Florum Anthemidis*
*Bethonicæ*
*Bugloſſæ*
*Borraginis*
*Roriſmarini*
*Stœchadis*
*Epithymi* — *cuiuſque manipulum ſemis.*
*Radicum Cichorii*
*Intybi*
*Appii*
*Fœniculi*
*Aſparagi*
*Ruſci*
*Pæoniæ*
*Anonidis*
*Eryngii* — *ſingulorum drach. ſex.*
*Angelicæ*
*Bugloſſæ*
*Borraginis*
*Doronici* — *ſingulorum drach. ſex.*
*Seminum Aniſi*
*Fœniculi*
*Ocimi*
*Citrei mali* — *cuiuſque drach.*

*Cinnamomi ſelectiſſimi vnciam.*
*Santalorum flauorum drachmas duas.*
*Agallochi drachmam vnam.*
*Iubeto efferueſcere ad tertias in aqua, quod ſufficit ſecundum regulam, tandemq; percolato, & deinde ſumito.*
*Decocti præſcripti vncias tres & ſemis.*

*Syrupi, de Fumaria*
*de Epithymo*
*Biſantini*
*Acetoſi de radicibus* — *ſing. drachmas tres.*

*Miſceto ſimul omnia & fiat potus, propinatoq; diebus 15. continuis.*

Elleboriſmũ ad quartanarios.

*Deinde Elleboriſmum ſequens præbeto decimaſexta die.*
*Sumito decocti præſcripti vncias quinque.*
*Rha Barbarici optimi drachmam vnam & ſemis.*
*Corticum radicum Ellebori nigri purpureum florem ferentis ſcrup. quinque.*

*Iunci Odorati*
*Zedoariæ*
*Semen pæoniæ decorticatæ*
*Vini cretici drach. duas.* — *ſing. ſcrup. ſemis.*

*Tertio, quæ teri debent, & deinde miſceto ſimul omnia, & die ac nocte macerato affuſo decocto. Demum percolato, & exprimito, dein cum hoc diluto diſſoluito.*
*Electuarii lenitiui drachmas quinque.*
*Confectionis Amech drach. duas.*
*Syrupi de pomis Reg. Sabor. vnciam.*
*Miſceto hæc omnia diligentiſſime, & fiat potus.*

*Hic habes, mi Georgi, Matthioli Elleboriſmum ad quartanarios, doctiſſimo Nœnio mittendum, de cuius aſſidua in commentariis meis lectione plurimum quidem lætatus ſum: quinetiam illi gratias habeo, quod ita labores noſtros, ſuo iudicio probauit, vt illis videndis tantum temporis impartiatur. Nam hoc ego ita intelligo, vt id potius ſuæ erga me humanitatis amoriſque indicium eſſe cenſeam, quam vllius præſtantiæ meæ teſtimonium. Reliquum eſt, vt tuis literis ita cum Nœnio viro illo præclariſſimo agas, vt certo intelligat Matthiolum ſui habere amantiſſimum, nihilque ſibi eſſe tam charum, de quo Nœnius perinde, ac ille diſponere non valeat.*

*Vale.*

PETRVS

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Aliprando Spezzalancio Chirurgico, S. P. D.

*Agitur de Emplaſtri albi Damocratis parandi ratione, explicaturq; quid ibi tryphera deſignet.*

*CVm plurimum Galeni medicamentis vtaris, quæ ad Chirurgicam ſpectant facultatem, & in iis tibi comparandis nullis parcas laboribus, paraturus nunc album Emplaſtrum Damocratis carmine à Galeno deſcriptum, ad calcem primi libri* Κατὰ γένη, *poſtulaſti a me quid illi verbum illud tryphera deſignet. Cum tryphera (quod legeris) nuſquam meminerit Galenus, nec vnquam audieris trypheram compoſitum medicamentum in Emplaſtris addi. Ego vero tametsi locum iſtum nunquam expenderim, neq; fortaſſe accurate legerim, niſi nunc tuis literis excitatus, non tamen in eo explanando illa me duci ignorantia cenſeo, quæ quoſdam doctos nunc primum agnoſco. Quare haud prætermittendum mihi putaui, quin meam de hac tryphera ad te ſcriberem ſententiam. Atqui ſcire te primum velim, me minime mirari, quod hac in re non parum forſan hæſeris, in qua doctiſſimos quoq; viros Græcæ linguæ peritiſſimos in tryphera hac explananda non hæſitaſſe ſolum obſeruaui, ſed etiam manifeſte aberraſſe. Etenim Cornarius, qui hos Galeni libros in Latinum vertit ſermonem, cum fortaſſe (vt puto) ignoraret, quid ibi tryphera deſignet, Græcum vocabulum reliquit, nec auſus eſt Latine id explicare. Sed longe magis videtur aberraſſe Lacuna, qui tametsi in omnes fere Galeni interpretes acerrimas ſcripſerit cenſuras, hic tamen ipſe maxime eſt hallucinatus. Siquidem vbi in ſuis in Galeni libros epitomis album hoc Damocratis ſoluta oratione ex carmine vertit, ſic habet: Ceruſæ libram vnam, lithargyri, tryphera ſingulorum vncias quindecim. Id quod Lacunæ ipſius inſcitiam manifeſte palam facit. Ex hac enim verſione non aliud quiſpiam exiſtimaſſe Lacunam ſibi perſuadere poterit, quam non ſolum, quod vocabulum illud ſubſtantiue a Damocrate ſit poſitum, ſed etiam quod aliquod ſimplex, vel compoſitum deſignaret medicamentum. Ridenda ſane inſcitia, illique fere comparanda, de qua libro primo, de Antidotis ſcribit Galenus. Ibi enim ſuo tempore Medicum quendam nouiſſe ait, qui paraturus Theriacam, neſciensque quid ibi Hedychroum deſignaret, a Pharmacopœis inſtanter petebat Hedychroum, vt herbam, vel aliud ſimplex medicamentum. Cæterum Cornario Lacunaq; in vertendo Damocratis carmine, longe præferendus eſt Andernacus qui Latine hanc dictionem vertit. Nam vbi Cornarius habet lithargyri tryphera, Andernacus habet lithargyri mollis. Quandoquidem cum proprie* τρυφερὸς *idē Græcis ſignificet, quod Latinis delicatus, & idem fere ſit delicatus, quod mollis, recte ſane Andernaci verſio præferenda eſt, ac etiam multo magis mihi probanda. Quo ſit, vt ibi nihil aliud voluiſſe Damocratē exiſtimauerim, quam vt ad ſuum album conficiendum lithargyrus delicata adderetur, id eſt, nitida, pura, ſelectiſſima, & omni ſorde, vel excrementis vacans. Audiſti iam ſententiam meam, cui, vt ſpero, facile acquieſces. Vale.*

[Emplaſtrum album Damocratis.] [Tryphera quid ſignificet Galeno in albo Damocratis.] [Lacunæ erratum in explananda Tryphera apud Damocratem.] [τρυφερός.]

## HIERONYMVS HEROLDVS NOrimbergenſis, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Agitur in hac epiſtola de Cytiſo, Petaſite, Meſuæ Eupatorio, Gratiola, Siſere, Antirrhinis, Betonica alba, Lupino Hiſpanico, Flore ſancti Iacobi, Lilio conuallio, Aquileia, Panico pratenſi, & quibuſdam aliis, de quibus ſuam Heroldus declarat cenſuram.*

*ALiquoties, Clariſſ. D. Doctor, Excellentia tua nomine me appellauit & ſalutauit D. DonZellinus vir doctiſſ. & mihi amiciſſ. rogauitq; vt ad Excellētiam tuam ſcriberem, & ſi poſſem ſimplicium numerū augerem, & ſi videretur, de quibuſdam dubiis admonerem. Illud etsi mihi propter curſitationes aſſiduas difficile eſſet, ſcribere nempe tibi viro ſimplicium peritiſſimo, & qui forte iam diu, quæ ſcribo, vel mitto, optime nouiſti, tamē vt petitioni ipſius ſatisfacerem, curaui quaſdam herbas depingi, quas mitto, quum ipſas herbas habere non poſſim. Mitto etiam quaſdam meas cogitationes conſignatas, de quibuſdam herbis, & fruticibus, quas vt legas, & iudices, rogo, atq; vt humaniter ea expendas, etiam atq; etiam vehementer cupio, offeroq; Excellentiæ tuæ ſtudium meum, in omni officiorum genere promptiſſimum.*

*DE CYTISO, miror quod non pingatur, cum copioſe naſcatur in Italia, ante aliquot annos, quū per Apēninum irem Florentiam, oblatus Cytiſus, quem agnoſcens decerpebam ramulos, quos Ghino poſt oſtendebam Piſis tum profitenti. Is idem mecum ſentiebat, atq; in ſuo horto eum fruticem ſpinoſum ex montibus tranſlatum oſtendebat, monſtrauit mihi eum etiam Conradus Geſnerus in ſuo hortulo. à quo facile pingi poterit.* [Cytiſus.]

*DE Petaſite, nihil dubito, quin ea ſit radix, quæ a Hieronymo Trago, PeſtilenZ vvurZ appellatur. Ea radix in humidis pratis pediculum emittit rubicantem, illi pediculo annaſcitur ſtatim folium magnum, tandē radix ſerpit vehementer, & tandem plura folia, plures etiam pediculos producit. Æquant folia, vt ipſe vidi, magnam patinam, vt meſſores ſe à ſolis æſtu, iis interdum tueantur. Puluis radicis drachmæ vnius pondere datur in peſte, magno adiumento mirifice ſudorem ciet, eſt acris & amara, vlcera maligna, tum in hominibus tum in equis mirifice ſanari ea radice ſæpe vidi. Folia vtiliter equis anhelosis dantur.* [Petaſites.]

*GRATIOLA vocata herba a me cum Valerio Cordo, creditur Eupatoriū Meſuæ, omnino enim deſcriptio & vires cōueniunt. nā purgādo magnā vim habet. In febrib. cotidianis, & tertianis nothis, vt ſæpe ſum expertus, vires Cētaurio minori admodū reſpondent.* [Gratiola eſt Eupatoriū Meſuę.]

Siſer alterum eſt Secachul.

*SISER alterum depictum, ſentio cum Cordo, quod ſit Secachul Serapionis, neq; quicquam, quod repugnet, habeo. In Sueuia mulieres præparant maritis atq; vſum norunt.*

Antirrhini varietas.

*ANTIRRHINON, multiplex apud nos viſitur, & illud Os leonis appellatum triplex eſt. Vnum flore luteo, alterum purpureo, tertiũ albo. Inter hæc, quod luteũ florem habet, folia habet Anagallidis, de quib. in cõmentariis dubitatur. Minus etiam Antirrhinon, Dorant Germanis dictum, dictas differẽtias tres habet.*

Betonica duplex.

*BETONICA, apud nos duplex eſt. Altera albis floribus, quæ copioſe in pratis quibuſdam prope Ratisbonam creſcit. Altera flore rubicante.*

Fumaria duplex.

*FVMARIA etiam apud nos eſt duplex, altera albicantibus floribus, altera vero rubicantibus.*

Lupini Hiſp.

*LVPINI etiam Hiſpanici apud nos viſuntur luteo flore.*

Senecio duplex.

*SENECIONEM etiam cum Trago duplicem exiſtimo, maiorem & minorem. Maiorem ſæpe in alpibus vidi, nec vllam differentiam vidi quam magnitudinis.*

Liliũ conualliũ.

*LILIVM conuallium polygonati ſpeciem cum Aloiſio ſentio.*

Talietri eſt ſpecies Aquilegia.

*TALIETRI tres ſpecies tantum magnitudine differẽtes vidi ſæpe in his regionibus, cuius ſpeciem eſſe Aquilegiam non dubito, eamq; maximam inter quatuor eas, puto. Sunt amariſſimæ omnes, atque foliis & floribus exiguum differunt: tantum quantitas differentiam conſtituit. Valeat Excellentia tua. Norimbergæ. XIIII. Martii. Anno, M.D.LIX.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Hieronymo Heroldo Norimbergenſi, S. P. D.

*Reſpondetur præcedenti epiſtolæ, & ſuam Matthiolus de prædictis omnibus, ac de quibuſdam plantarum imaginibus, affert ſententiam.*

*PLurimum ſane debeo DonZellino Viro Clariſſimo, quod non ſolum apud te me maxime collaudauerit, ac pluribus fortaſſe, quã par fuerat, ſed quod illud idem (quæ ſua eſt humanitas) apud cæteros viros perpetuo facere ſoleat. Rogaui quidem illum pluries, vt te meo nomine ſalutaret, ſiquidem, quum ex eius literis acceperim, abs te mea ſcripta laudari admodum, & præ cæteris etiam pluris æſtimari, propter eam quam erga me præ te ferebas beneuolẽtiam, prætermittere quidem non potui, quin DonZellinum ipſum rogarem, vt pluribus te meo nomine ſalutaret, & tibi de tuo in me amore gratias ageret. Cæterũ quum is ſæpe ad me ſcriberet, certiorẽ me fecit, de tua non vulgari peritia, & ſimplicium medicamentorum cognitione, habereq; te dubia nonnulla ſignificauit, de quibus libenter mecum conferres. Ego autem cum is ſim, qui pro mea conſuetudine gratiſſimo ſemper animo doctorum virorum placita complecti ſoleam, nihilq; nec gratius, nec optatius mihi contingere poſſe putem, quam vt habeam huiuſcemodi doctos amicos, qui ſua mihi proponant conſideranda, & ego mea viciſſim ipſorum candida cenſuræ amiciſſime ſubiiciam, DonZellinum ipſum magnopere rogaui, vt peteret abs te, ac etiam ab Heſſo collega tuo, ſi quid nouarum opinionum contra mea ſcripta in animis veſtris verſaretur, vel ſi quid plantarum haberetis mihi fortaſſe, vel non viſarum, vel incognitarum, candide de omnibus, ac libere ad me ſcriberetis. Quod quum ab vtrinq; humaniter amiceq; factum ſit, & illi, & tibi maximas habeo gratias.*

*AD Heſſi literas, quem ob ſuam doctrinam, & in re herbaria peritiam plurimum diligo, reſpondi hiſce diebus elapſis ea cum humanitate ac ſynceritate, qua potui, ac debui. Id quod pariter nunc tecum me facturum decreui. Fuerunt autem literæ tuæ mihi gratiſſimæ, tum quod tuæ in me beneuolentiæ memoriam apud me perpetuo teſtatam relinquent, tum etiam quod nouerim, me amicum mihi comparaſſe, qui noſtros etiam labores iuuare poſſit. Accepi ſane congratulans plantarum imagines, quas ad me miſiſti, quæ eo mihi chariores ſunt, quo rariores puto, daboq; operam vt vna cum meis edantur, & eas, vbi id effecero, & vt mei moris eſt, tibi referam acceptas. Sed iam ad ea venio, de quibus partim dubitas, partim à me diſſentis. Dicam itaq; de his ſententiam meam candide ac libere, non tanquam is qui alios docere, vel cupiam vel velim, nec vt videar tuis aliorumq; refragari opinionibus, ſi qua in re à te, vel ab illis diſſenſero, ſed vt mentem meam tibi ſyncere patefaciam. Quapropter velim vt ea omnia boni, æquiq; conſulas.*

Cytiſi imaginẽ cur in ſuo Dioſc non appinxerit Matthiolus.

*CYTISI imaginem cur in meo Dioſcoride non appinxerim, id ſane in cauſa fuit, quod non ſolum eius planta non eſſet ad manus, ſed quod etiam dubitauerim, an legitima in Italia prouenerit, vbi raram haberi omnino ſcribit Plinius. Ego vero hactenus nullam vidi, quæ omnes præ ſe ferat Cytiſi notas. Habeo quidem adhuc plantam, quam pro Cytiſo ad me miſit Clariſs. vir Lucas Ghinus rei plantariæ profecto acerrimus indagator, ſed cum folia nullam oſtentarent caniciem ſed potius ſaturata vireſcerent, non duxi eam in meo libro pingendam. Tu vero ſi quam aliam habes, quæ folia gerat loti trifoliæ maiora incana tota, dorſo prominente, odore erucæ, recentium cicerum ſapore, & ligni materie nigra ac fere oſſea, illam procuIdubio legitimam Cytiſum eſſe fatebor.* Cytiſus Maranthæ. *Verã Cytiſum, quæ a Dioſc. hiſtoria nihil prorſus euariat, aſſerit ſe reperiſſe prope Neapolim in colle quodã doctiſs. Bartholomæus a Marãta, in ſuo de methodo cognoſcendorũ ſimpliciũ libello, nunc primũ in lucẽ edito, a quo ſi plantã fortaſſe (vt ſpero) conſequi potero, edam eius Iconẽ, illiq; vt decet, acceptã referam.*

Petaſitis examinatio.

*NIHIL præterea vnquã dubitaui eos in errore verſari, qui putant verã Dioſc. Petaſitem, eam eſſe plantam foliis magnis, quæ tam a Fuchſio quam à Trago pro Petaſite pingitur. Quandoquidẽ Dioſc. Petaſites pediculus eſt cubito maior, craſſitudine pollicis, à quo prægrande foliũ galeri modo amplũ ceu fungus dependet. Quæ quidẽ ſi ita, ſi cum Petaſite Fuchſii, vel Tragi conferantur, nullo ſane modo quis in re plantaria verſatus affirmare poterit illorũ Petaſitẽ eam referre, de qua Dioſc ſcribit. Nam præter id quod planta illa folia plura, ampla ab ipſa ſtatim radice, proferat (non vnum tantũ folium, vt legitimæ Petaſiti reddidit Dioſc.) nuſquã tamen viſa eſt in ſummitate pediculi, id eſt caulis foliũ producere amplum Galeri modo, vel fungi inſtar dependens.*

Nam

*Nam quis ignorat fungorum pediculũ in ſui orbis centro eſſe affixum? At in Petaſite illa vulgari lōge ſane aliter res ſe habet, cum folia plura proferat tellure tenus à radice prodeuntia, & caulem Vere tantum emergentē, in quo non ſolium fungi modo ſuſpenſum habet, ſed flores fere ſpicatos ac papposos. Quæ nota ſi recte perpendantur, facile, vt ſpero, quis dignoſcere poterit, & Fuchſium & Tragum & cæteros, qui hanc ſequuntur opinionem eſſe deceptos. Sed an quis ſanæ mentis, vnquam ſibi perſuaſerit, tam ingentem plantam cauliculum ita appellaſſe Dioſcoridem? An non omnino irrideretur, ſi quis deſcripturus Elephantem, illum animalculũ appellaret? Ego ſane haudquaquam illis adſtipulabor, qui hac in re Dioſcoridi detrahere videntur. Nec ea me vnquam commouebit ratio vt credam hanc plātam eſſe Petaſitem, eo quod agricolæ, ac meſſores æſtiuis caloribus, hiſce foliis pro Galero vtantur, quum ſæpius etiam viderim perſonatæ foliis & aliarum plantarũ eoſdem ſibi caput inumbrare, quas tamen ſtirpes, non ob id Petaſitem eſſe putamus. Quamobrem plantam, quæ pro Petaſite minus recte à quibuſdam pingitur, eam quidem eſſe putauerim, quam a Plin. Perſonatam appellari ſcio. Hanc ego maiorem Tuſſilaginem potius exiſtimarem, plurib. tum notis, tum rationib. non infirmis motus. Idq; magis nunc affirmare auſim, cum abs te certior ſim factus eius radicem dari vtiliter anheloſis equis. Siquidem ex Perſonata (vt Dioſcorides eſt author) purulenta extuſſientibus mirifice auxiliatur. Adde quod huic plantæ idem ſit ſapor, qui in Perſonata ipſa reperitur. Atqui veram legitimamq; Petaſitem fatetur ſe vidiſſe Vlricus Leonorus Medicus Pragenſis ſenex, & apprime eruditus in quodam Bohemiæ loco, quæ a Dioſcoridis hiſtoria nihil prorſus recedit, cuius diligentia, ſpero me eam omnino conſequuturum.* — *Perſonata Plinii*

*Gratiola non eſt Eupatoriũ Meſuæ.*

*QVOD autem planta vulgo Gratiola dicta, Meſuæ Eupatorium (vt Cordus deceptus ſcribit) referat, nihil eſt quod me moueat, vt cum illo ſentiã, cum neq; facies neq; facultas Eupatorio illi tantillum ſane correſpondeat. Huic enim Eupatorio Meſuæ ipſius ſententia, requiritur, vt planta ſit cubitalis, foliis Centaurii minoris, viridibus, tactu aſperis, per ambitum ſerratis, & tenuibus caulibus adnexis, quæ cum ſiccantur pallorem concipiant, quinetiam, vt in caulium ſummitatibus flores erumpant ſubflaui & oblongi, quibus notis prorſus gratiola caret. Namq; ea cubitalis planta non eſt, ſed ſupra palmi altitudinem raro aſſurgens, folia Cētaurii minoris minime profert, ſed Hyſſopi potius, læuia, pinguiaq;, non aſpera, æqualia in ambitu non ſerrata. Item flores in caulium cacuminibus Gratiola haudquaquam profert ſubluteos, ſed inter folia in toto fere caule ex candido leuiter purpuraſcentes. Quæ quidem notæ quantum ab Eupatorio illo diſtent, tu ipſe hiſce perpenſis rationibus, tibi iudex eſſe poteris. At fortaſſe dices, conuenire has plantas facultate, quod experimento conſtat Gratiolam tum bilem, tum pituitam deiicere, ſed quum non deſint aliæ plantæ, quæ idem efficiunt, & tamen Eupatorium non ſunt, cur hac tantum cauſa Gratiolam, Eupatorium illud eſſe dicam, nulla ſane ratio mihi ſeſe offert, præſertimq; cum videam dari a Meſue ad exoluēdam aluum pulueris Eupatorii drachmas duas vel tres. Quod ſi tantundem Gratiolæ propinaremus, proculdubio ſumentes duceremus in magnum diſcrimen, cum tantum pulueris huiuſce herbæ ſcrupulum ſumentes plurimum exoluantur.* — *Gratiolæ deſcriptio.*

*Nec noſtris rationibus obſtat, quod Gratiola ipſa ſit amara perinde ac Eupatorium illud. Etenim quum amaritudo facultas ſit innumeris plantis communis, id minime concludit Gratiolam eſſe Eupatorium, de quo nunc agimus, aliis non aſtipulantibus notis. Præterea Eupatorium Meſuæ corroborat ventriculum, iecur & viſcera, Gratiola vero, vt ego ſæpius animaduerti, imbecillia reddit, quum violentum ſit medicamentum. Quo fit, vt recte à Foroiulienſibus vocetur Stanca Cauala, quod eius pabulo equi admodum reddantur imbecilles. Miror poſtremo quod putes hanc plantam Eupatorium eſſe Meſuæ, quod aluum fere ſubducat perinde ac Centaurium minus, cum id nuſquam ſcripſerit Meſues, ſed quod tantum foliis illi plane reſpondeat.* — *Stanca cauala.*

*Legitimum itaq; Meſuæ Eupatorium, illa proculdubio erit planta, quæ Dioſcoridi Ageratum vocatur. Quippe præter id quod omnium fere doctorum virorũ conſenſu Dioſcoridis Ageratum, & Meſuæ Eupatorium, nihil inter ſe differant, cæterum omnia ſibi inuicem correſpondent.* — *Ageratũ eſt Eupatorium.*

*SI altero nobis appicto Siſeri folia eſſent Piſi, non Paſtinacæ, flores violacei coloris, ipſiſq; violis longe maiores, qui non Vere ſolum, ſed per initia menſium prodirent albi ac parui, in vmbella Paſtinacæ ſimili, ſemen vero ciceris magnitudine, rotundũ, nigrum, ſucceſum, & ſapore dulci, non latum, ac foliaceum lentis fere inſtar, vt in ſphondylio, tecum profecto cum Cordo ſentirem. Atqui quum hiſce notis, quas ſuo Secacul aſcripſit Serapio, Siſer alterum prorſus deſtituatur, non video quo pacto & tibi, & Cordo aſtipulari poſſim.* — *Secacul non eſſe Siſer alterum.*

*ANTIRRHINI genera quatuor, iam pridem apud me extant, foliorum & florum, quinetiã & plantarum magnitudine diſcrepantia. Quorum icones dabuntur (vt ſpero) vna cum nouis imaginibus noſtris. Nec mireris velim, ſi in commentariis meis de Antirrhini foliis dubitauerim: ſiquidem tunc, non niſi vna tantum Antirrhini planta fuit ad manus.* — *Antirrhinũ quadruplex.*

*REPERIRI Betonicam flore albo, res noua mihi non eſt. At quoniam huius nuſquam meminit Dioſcorides, ob id non ſum ego accuſandus, ſi de alba nihil ſcripſerim, præſertim cum mihi perſuaſerim florum colores, ſpeciem haudquaquam immutare, & proinde nec facultates, vbi cætera correſpondeant. Id quod etiam de fumaria nunc dictum eſſe volo, quam iam diu noui ac vidi. Veruntamen tibi habeo gratias, quippe qui hæc mihi in mentem reuocaueris. Etenim facile adducar, vt de his etiam alias ſcribam.* — *Betonica flore albo.* — *Fumaria.*

*LVPINVS, quem Hiſpanicum vocas, luteo flore hactenus vſquam mihi viſus non eſt. Referam illum tibi libenter acceptum, ſi tua opera fieri poſſit, vt ad me tranſmittatur.* — *Lupinus Hiſp.*

*PLANTAM, quam Germani florem Sancti Iacobi vocant, quod ad finem Iulii florere ſoleat, maiorē eſſe Senecionem facile & tibi, & Trago concedã, quanquã in florib. & pappis nonnulla haberetur differētia. Id quod nō multi facio, quum eadem in foliis & caulib. facies cernatur idem ſapor & odor in vtraq; plãta appareat.* — *Flos ſancti Iac. Senecio maior.*

*QVOD Lilium conuallium ſit Polygonati ſpecies, non ita facile cum Aloiſio ſentiam, quod geniculatas radices non proferat, à quibus Polygonatum denominationē accepit, quinetiam, quod nec caules, nec flores proferat, qui cum Polygonato comparari poſſint, quemadmodum nec omnino ipſa folia, quæ Lilii eſſe videntur, vt haſce differentias recte expendentibus facile conſtabit.* — *Lilium conuallium non eſt Polygonati ſpecies.*

*QVVM Aquileia a recentioribus ita vocata planta ſit, quæ ob eius maieſtatem, & florum artificium, ac pulchritudinem longe diffuſius deſcribi mereatur, quam a Dioſcoride factum ſit in Thalictro, mihi ſane, non ita facile perſuadeam, hanc plantam legitimum eſſe Thalictrum, nec id tantum me monet, ad tuam conſeruãdam ſententiam, quod Aquileiæ folia diſſecta cernuntur Coriandri modo, cum hac tantum nota id probare non* — *Aquileia.* — *Aquileiam non eſſe Thalictrum.*

auſim. Miror prętere a, quod aſſeras Aquileiam, vt cęteras illas ſpecies, de quibus meminiſti, eſſe amariſſimam, quum mihi dum hęc ſcribo, eam mandenti ſubdulcis prorſus deprahendatur: quod etiam a Fuchſio, video fuiſſe obſeruatum. Cupio tamen reliquas plantas, quas illi congeneres facis inſpicere, ideoque rem mihi pergratam facies ſi eas mihi videndas tranſmiſeris.

[P]an[ic]ū pratenſe.

STIRPEM, quam pratenſe Panicum appellas, iam diu obſeruaui, cum ea nihil frequẽtius in Italia proueniat. Attamen planta, à quo ſemen illud exiguum excutitur, Germanis Himmelthauu appellatur, nobis vero Manna panicum hoc ſylueſtre non eſt, ſed graminis ſpecies quędam, quę in culmorum cacuminibus quinas tenuiſſimas, longas tamen gerit ſpicas, veluti digitos, vt diffuſius legere poteris in noſtris in Dioſcoridem commentariis, vbi Secundo Libro de Coronopo meminimus. Seritur hęc planta in Carniola, & in Goritienſi agro paſſim ad ciborum vſum, veluti cętera Cerealia, ideoque illis frequentiſſimo eſt vſui, quemadmodum Bohemis, apud quos ego hoc ſemine pingui carnium iure incocto maxime ſum delectatus in cibis. Naſcitur ſponte etiam ibi plurima locis incultis. Sed quoniam culta longe mitior redditur, ea propter eandem colunt in campis. Dabo fortaſſe etiam eius imaginem, cęteris noſtris addendam, curaboque plantam mihi afferri tui cauſa cum ſemine, vbi abs te intellexero, tibi gratam futuram. Qua viſa, facile eos damnabis, qui tibi ex Panico illo colligi mannam ſuaſerunt.

Manna ſemen.

Buphtalmũ Cordi erratum.

PLANTÆ illius imaginem, quam Cordus, minus recte Buphtalmum appellauit, nonnulli vero hallucinati (vt Tragus, qui eam etiam pingit) nigrum Veratrum legitimum eſſe cenſent, tam negligenter pictor ille tuus delineauit, vt a me, vel a quoquam, nunquam cognoſci potuiſſet, niſi mihi abs te deſcripta fuiſſet. Erat profecto eadem planta, ipſa die ad manus, a quodam Myropola mihi allata (naſcitur quidem frequentiſſima circa Pragam) qua tuę ad me allatę ſunt literę, quo factum eſt, vt curauerim à pictore, quem domi alo, ad viuum ſtatim depingi, tibi mittendam, vt videas quam longe pictor ille tuus à ſcopo aberrauerit. Dedi ego huiuſce ſtirpis imaginem in poſtrema commentariorum meorum editione, inter Ellebori icones, non quod Elleborum eam eſſe cenſeam, ſed quod in aliqua verſer opinione, hanc legitimam fortaſſe eſſe Conſiliginem. Cum itaq; videam pictorem tuum in hac pingenda planta plurimum ab eius facie aberraſſe, vereor quidem, ne in aliis etiam idem effecerit. Quo fit, vt non auſim curare, vt a meo delineentur pictore, niſi prius abs te mihi fuerit perſuaſum: vel plantas ipſas viuas fuerim conſequutus: de quo te plurimum rogo. Habes itaq; vir doctiſſime, de omnibus, de quibus ad me ſcripſiſti, iudicium meum. In quo, ſi tibi ſatisfactum fuerit, mihi quidem gaudeo plurimum, at ſi ſecus euenerit, velim tamen, vt boni conſulas, & id grato animo ſuſcipias, quod tibi ſatisfaciẽdi gratia ſcribo. Velimq; vt ſi quid melius habes, quo poſſet quiſpiam hiſce meis argumentis, ac rationib. obſtare, id libere in medium afferas, cum nunquam tam pertinax fuerim, & meis opinionib. addictus, quin potius veritati acquieſcam, quam mihi ipſi morem geram, Vale. Pragę XI. Calend. Maii, Anno M.D.LIX.

Conſiligo.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Vlyxi Aldrouando Bononienſi Medico, S. P. D.

*Agitur hac epiſtola de picea, Pino, Chamęleonibus, Geranio bulboſę radicis, Saxifraga, Nitro, Acoro, Platano, Equinis quibuſdam Caſtaneis, & nonnullis aliis plantis.*

SVmma quidem voluptate affecerũt me literę tuę. Recognoui enim in illis tuam priſtinam virtutem, coniunctam cum ſingulari erga me beneuolentia. Quarum alteram ſemper in te admiratus ſum: altera quum me antea delectauerit, tum vero pręcipue in hoc tempore delectat: quo, cum ego, aulicis hiſce negotiis impediar, nec regio hęc raris ſit plantis referta, quibus mihi ipſe proſpicere poſſim, tu tua opera opus meum, quod nunc prę manibus eſt, ex animo iuuare niteris, plantis innumeris ad me tranſmiſſis, quę quidem magno ſane illi erunt ornamento. Quod opus etſi difficillimum omnium eſt, quemadmodum & te ſentire non ambigo, & ego re ipſa experior, tamẽ animo non deficio, quum Principum (quod multum eſt) & amicorum ſuffragia non deficiant. Vtinam ſic euentum meorũ conſiliorum fortunet Deus Optimus Maximus, quemadmodum mea cauſa nihil, neq; laboris deerit, neq; ſtudii. Nec eſt, quod te mihi tam vehementer excuſes, quod tam diu ad me ſcribere neglexeris, veritus fortaſſe, ne de aliqua fidei tuę inconſtantia ſubdubitarim. Cum enim ego tantum te diligam, quantum literis exprimere non poſſum, non iudico poſſe hoc accidere, in natura ingenua & liberali, euiuſmodi tua eſt, vt poſteriores in amando partes ferre velis. Quamobrem certus ſum, me tibi eſſe cordi, quemadmodum quidem antea ſemper fui. Atqui non parum mihi mœroris adiunxit, quod iis moleſtiis, de quibus ſcribis, impeditus, ad me prius non ſcripſeris. Verum cum (vt aiunt) rerum ſit viciſſitudo, omnino ſtatuo, & confido, quod ſub noui Principis imperio, cuius electionem propediem expectamus, omnia felicius, tibi & cęteris doctis viris, facile ſint ſucceſſura.

Ghini ſententia in picea & ſylueſtri Pinu improbatur.

Cembro.

Cęterum perlectis tuis literis non potui non admirari plurimum Lucam Ghinum, virum profecto huiuſce ętatis clariſſimum, & qui in re plantaria indaganda parem fortaſſe habuit neminem, in ea fuiſſe ſentẽtia, quod illud ſylueſtris montanique Pini genus, cuius ramuſculum, vna cum Cono, ad te nunc primum miſerã, quod q; Ananienſes, imo & cęteri, qui in agro Tridentino degunt, vulgo appellant Cembro aut Cermolo, ipſa legitima eſſet Picea, de qua Dioſcorides ſcribit ac etiam Theophraſtus. Ac eo magis id mihi mirum videtur, quod abs te nunc certior factus ſum, ea ratione ita ſenſiſſe illum, quod Picea (vt inquis) pini folio eſſe debeat. Id quod nunquam, ni fallor, me legere memini apud vllum antiquorum, qui de ſtirpium hiſtoria ſcripſerunt. Nam quamuis ſcribat Dioſcorides Pinum & Piceam eiuſdem eſſe generis, ſed ſpecie tamen differre, non ob id tamen nobis ſtatuendum cenſeo, piceam pini foliis vireſcere. Verum potius cenſerem ego accepiſſe hic genus, pro omnibus Coniferis & reſiniferis plantis, quę fere omnes iiſdem ſunt facultatibus prędita. Quo fit, vt dixerit pinum & pi-

& piceam non genere, ſed ſpecie tantum differre. Quod autem acceperit hic Dioſcorides Genus pro vniuerſali, ac (vt ita dicam) generaliſſimo Coniferarum arborum genere, facile quis reddi certior poterit ex his, quæ capite de Fago & Ilice ipſemet Dioſcorides ſcripta reliquit his verbis: Fagus & Ilex, Quercui eidem generi aſſignantur, & conſimile munus obeunt. Quæ verba ſi recte perpendantur, manifeſto cuique palam fiet hic, quercum generaliter poſuiſſe Dioſcoridem, pro omni arbore glandifera, quum δρῦς non ſolum Græcis ſignificet, quercum ipſam, ſed in vniuerſum glandiferas quaſque ſtirpes, è cuius genere fecit Fagum & Ilicem, quæ tamen arbores non ſolum foliorum forma, ſed fructu, cortice, & ligni materie inter ſe maxime differunt. Ideoque eodem ſane modo de pino & picea nobis fuerit cenſendum, præſertimque cum illarum quælibet diuerſo appelletur nomine. Quandoquidem ſi picea (vt ille cenſebat) è pinorum genere fuiſſet, non erat illi opus proprium habere nomen, ſed tantum cognomento aliquo ſuam poterat depromere ſpeciem, quemadmodum exempli cauſa populus, quippe, quæ cum complures habeat ſpecies, eas cognomentis diſtinguimus, hanc albam, illam nigram, alteram Libycam appellantes, id quod de Myrto pariter dixerim. Siquidem hanc latifoliam, anguſtifoliam illam, alteram coniugalem, hanc item Tarentinam, illam ſatiuam, hanc vero ſylueſtrem appellant, ſeruato ſemper generis nomine. Quod eo magis fuiſſet in Picea obſeruatum, ſi hoc pini genus, pro picea recepiſſet antiquitas, quod idem foliis, floribus, nucibus, cortice, ligni materie, reſina, ac vniuerſa facie cultã referat pinum, tametſi nuces, nucleoſque, tanquam diuerſum genus paulo minores proferat. Ad hæc quanquam Theophraſtus, a quo fortaſſe Ghinus ſuum deſumebat argumentum, vbi de foliorum conuenientia diſſerit libro primo, capite ſexto, de hiſtoria plantarum, ſcribit pinum, piceam, abietem, cedrumque foliis eſſe in ſummitate acuminatis, quod & nos pariter fatemur, non tamen ob id ſequitur, quod eiuſmodi arbores omnes pini foliis amiciantur, quum non deſint aliæ plantæ, vt Iuniperus, Sabina, & complures aliæ, quarum folia quanquam aculeatis cacuminibus viſuntur, ſui tamen forma plurimum quidem a pini foliis diſtant. Eaque propter, quemadmodum Abietis & Cedri folia, longe diuerſa a pini foliis ſeſe nobis oſtendunt, ita de picea foliis quibuſcunque cenſendum putarim. Id quod luce clarius demonſtrat Plinius libro decimo quinto capite vigeſimo quarto, ſic inquiens: Infecta pectinum modo (intellige folia ſunt) piceæ abietique: & decimo eiuſdem libri capite, taxum arborem, ſcribit folia proferre abieti & piceæ ſimilia. Id quod non ſolum firmiſſimum præbet argumentum, piceam folio eſſe abietis, non pini, quemadmodũ & taxus, quod vir ille alioqui clariſſimus, ac (multorum pace dixerim) alter in Medica materia Dioſcorides, in re hac non parum fuerit hallucinatus, dum ſibi perſuaſum voluit, hoc pini genus, vel alterum quodcunque, legitimam eſſe piceam. Etenim, ſi pinum hanc diligenter expendamus, nihil magis (mea ſane opinione) referre videtur, quam Tarentinam, de qua ſcripſit Plinius, libro decimoquinto, capite decimo, digitis fragili putamine auiumque expoſitum furto in arbore. Siquidem nuces nucleorumque putamina non magno ſane labore digitis friari poſſunt & auium roſtro frangi, vt dulcibus illis paſcantur nucleis. At ſi Ghinus, non adeo mature (id quod quamplurimi optant) communibus ceſſiſſet fatis, & poſtremam editionem Dioſcoridis mei, cui ſemper (quæ ſua erat benignitas) fuit addictus, inſpexiſſet, mihi quidem, haud quaquam aliter cenſendum eſt, quam, quod is qui candidiſſimus fideliſſimuſque rerum fuit indagator, ſuam hanc reieciſſet opinionem. Cæterum quod demiratus ſis, Marantam in ſuis methodis cognoſcendorum ſimplicium, qua non parum ſum delectatus, in aſpera Lonchitide, quam in vtraque editione Dioſcoridis pariterque tecum legitimam eſſe cenſes, me ita falſitatis inſimulaſſe, quod certo ſciens eam ipſam plantam à Luca Ghino eſſe mihi tranſmiſſam, ego ſane non demiror, cum res ipſa illatam mihi iniuriam apertiſſime præ ſe ferat. Quod vero id ægre feras, habeo tibi gratias, vtpote cui exprobranda diſpliceat calumnia. Atqui reſpondebo ego illi adeo firmis argumentis, vt mihi minime verendum ſit, quin probos lectores omnes in illum commoueam, eoſque præſertim qui viderint, legerintque, quam humaniter de illo ſcripſerim, quam benigne eum ipſum laudauerim, quamque honorifice collocarim inter tot clariſſimos viros. Nec deerunt mihi numerandi errores & opiniones, quibus ſæpe ſeipſum fallit, quæ tamen non concitato calamo, ſed animo quo potero tranquillo, vt hominem ſenem ac Philoſophum decet, humaniſſime recenſebo. Sed hactenus de his. Quod autem ad Chamæleones ſpectat, ſcias, pro certo velim, me non eſſe meæ opinioni adeo pertinaciter addictum, quin facile in tuam, ac cæterorum deueniam ſententiam, vbi plantas fuerim conſpicatus, quæ euidentioribus notis, quam meæ, Chamæleones referant. quanquam non ob id aliter mihi poſthac perſuadeam, quam quod hæ, vel meæ ſtirpes, ſint Chamæleonibus illis omnino congeneres. Quamobrem te rogatum velim, vt pro tua humanitate, vel plantas ipſas, vel earum imagines a perito artifice delineatas propriiſque coloribus pictas, ad me perferri cures. Cupio enim in Chamæleone nigro, præter omnem carduorum naturam, inſpicere vmbellam, quæ aculeatis rigeat floribus. Geranium bulboſæ ac ſubrotundæ radicis, quod cum tuis literis ad me miſiſti, fuit mihi tam gratum quam quod gratiſſimum. antea enim id mihi viſum non eſt, nec fortaſſe in Italia prouenit, quum ſcribas, hoc ex Illyria eſſe allatum. Accepi & ſuberis ramuſculum, ſed iam alius erat ad manus glandibus refertus, Roma ad me delatus. Saxifragam folio Thymi, quam Æginetæ Vetonicam puto, Dioſcoridis Saxifragam iam cum cæteris eſſe ſentio. Vidi eam dum agerem Romæ, Leone decimo imperante, ſub Capitolino colle in quibuſdam ædificiorum ruinis, ſcioque ſaxifragam illam appelaſſe quendã, qui ea in expellendis renum calculis vtebatur, ſed tunc temporis, non multum de re herbaria fueram ſollicitus. Pulcherrima ac vireſcens iam eſt ad manus, proinde non eſt opus, vt mittendæ illius cauſa, tuos nunc fatiges amicos. Nitrum a Placentino Myropola tibi tranſmiſſum diligenter ſum conſpicatus. vt autem ingenue fatear, quod ſentio, mihi potius ſalis ſpeciem quandam præ ſe ferre videtur, quam nitri. Quod nunc ad te mitto, Conſtantinopoli ab Augerio Flandro, viro vt doctiſſimo, ita & nobiliſſimo, & humaniſſimo Cæſaris Oratore ad me tranſmiſſum, ſubſtantia & ſapore à tuo non parum diſtat, mihique adeo legitimum nitrum refert, vt nihil ſit, quod (me iudice) reclamet. Præter id tranſmiſit ad me Gulielmus Quacelbenus eiuſdem Oratoris nomine cuius Medicum agit, aliquot odorati calami vulgaris plantas, mei tantum cauſa è Nicomedia petitas, longis ac fibratis radicibus refertas, è quibus folia emergunt Iridis anguſtiora longioraq; adeo vt omnibus ſane notis Dioſcoridis Acorum referant. His acceſſit Platani ramus, cui latiora, quam antea viderim, inſunt folia, pilulæque vegetiores, quam in ea conſpiciuntur Platano, quæ Patauii in horto Bembi vireſcit. Quo fit, vt facile putarim plures etiam Platani haberi ſpecies. Allatum eſt quoq; vna cum prædictis, Caſtaneatum genus quoddam, cuius ampliſſ. folium pentaphylli plane modo diuiditur, fructus vero a vulgaribus

Δρῦς nomē ge[illegible] glan[illegible] boru.

Populi [illegible] nera.

Myrti ge[illegible] plura.

Piceæ & abietis folia qualia.

Pinus Tarentina.

Lucas Ghinus non ſolum excu[illegible] ſed etiam laudatur.

Lonchitis aſpera.

Chamæleon.

Geranium bulboſæ radicis.

Suber.

Saxifraga legitima.

Nitrum.

Calamus odoratus.

Platanus orientalis.

Caſtaneæ equinæ.

*bus Caſtaneis noſtratibus non admodum differt, eſt tamen aliquanto rotũdior. Concluditur is echinato calice craſſo, raris ac firmis aculeis circumuallato, qui plurimum a noſtrate differre videtur. Scribit ille haſce Caſtaneas, Conſtantinopolitanis ideo equinas vocari, quod anheloſis equis tuſſiq; laborantibus, maximo ſint præſidio, vbi ab iis deuorentur. Miſit idem ſylueſtrem etiam Rutam, Harmolam quibuſdã dictam, & alia quædam antea mihi prorſus ignota: quæ omnia, cum fortaſſe nuſquam vidiſſe putem, diligenter aſſeruo ad te tranſmittenda, cum nuntius quiſpiã adſit, qui vel Venetias, vel Goritiam proficiſcatur. inde enim facile ad te trãſmittentur. Mitterem ego hinc ad te quam libenter, per Cæſareos veredarios, ſi haſce capſulas quæ illos maxime impediunt, ferre non recuſarent. Quotquot habeo amicos nunc continuo defatigare cogor, vt has vel illas ad me tranſmittant ſtirpes. Ita enim nunc mea ſtudia expoſcunt & plantarum imagines, quæ ſpecioſiores maioreſq; iam præ manibus ſunt recudendæ. Proinde ne ægre feras obſecro, ſi tibi modo, ſicut & cæteris factus ſum moleſtior. Cupio admodum vniuerſam iuuare Rempublicam: quam ob cauſam mihi fas eſſe crediderim, auxilium & conſilium ab omnibus expetere. Si itaq; inter tuas plantas, quas prope innumeras a te aſſeruari ſcio Poteriũ, Moly, Pycnocomum Maniacum, Solanum Bulbus eſculentus & vomitorius, Phyteuma. Catanance montana Nardus reperiri poſſint, rogo vt ea omnia quantum poteris maturius ad me tranſmittas, vel ipſarum plantarum imagines. Dabo enim operam, vt quicquid auri, vel argenti hac in re expoſueris, id totum tibi quam*

Pyrethrũ Ghini.

*libentiſſime reponam. Ghini Pyrethrum reperi inter ea, quæ olim mihi miſiſti ſimplicia, ac pariter Hermodactylum. Mitto tibi nunc Pyrethri mei ramulum vna cum radice, quod te nunquam vidiſſe ais: quum autem*

Aliſma.

*poſthac flores ediderit, integram tibi plantam conſeruabo mittendam, vna cum aliſma, quam antea petieras. Nullo enim plane negotio id efficiam, cum vtranque plantam abunde proferat Bohemicum ſolum. Dum Goritiæ agerem miſit ad me Bononia Vincentius Cantonus Medicus, municeps meus, arboris cuiuſdam ramuſ-*

Lotus arbor.

*culum baccis refertum pulcherrimis in purpura nigreſcentibus: quam plantam pro vera ac legitima Loto arbore, à Fabritio Garzono Medico Bononienſi ſe accepiſſe narrabat. Sed cum tunc Bohemico itineri me accingerem negotiis occupatus, neſcio quo pacto plantam neglexerim, & quo in loco reconderim: namq; domi poſthac frater meus illam reperire non potuit. Erat quidem planta aſpectu perquam iucundo, baccis pulcherrima ſerie diſpoſitis ac copioſis, quæ (vt audio) iſtic Bononiæ neſcio in quibus præclaris ædibus habetur. Cum autem plantam hanc recuperare cupiam, velim vt pro tua erga me beneuolentia, Fabritium ipſum meo nomine alloquaris atque ipſum roges, vt tibi ramuſculum eiuſdem arboris iterum mihi mittendum det. Audio enim hominem eſſe humanum, doctum, benignum, & mei etiam amantiſſimum, cui opto vt non ſolum me commendes ſed & offeras, velimque vt ad me ſcribas, quo nomine iſtic hanc arborem vulgo nuncupent, &*

Oxyacã. hæ fructus duplici nucleo.

*tuam de illa ſententiam. Mitto nunc ad te Oxyacanthæ meæ aliquot baccas, quæ non vnum tantum nucleum, ſed duos intra ſe concludunt, vt hinc eorum argumenta explodas ſceas, qui hanc plantam Oxyacantham eſſe negant, quod eius baccæ vnum tantum oſſiculum habeant, cum proprium ſit Oxyacanthæ plures habe-*

Conſiligo.

*re, vt illi affirmant. Poſtremo facies mihi rem perquam gratiſſimam, ſi tuam de conſiligine opinionem ad me ſcripſeris. velim tamen vt antequam id agas, meam etiam de ea videas ſententiam, vbi ſum de Elleboro in Dioſcoridem commentatus. Plura nunc ad te ſcribenda non ſuccurrunt: ſi qua interim ſeſe offerant, de his alias ad te ſcribam. Vale. Pragæ pridie Idus Septembris.*

# PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
## Hieronymo Heroldo, Medico Norimbergenſi, S. P. D.

*Tractatur de conſiligine, Elleboro nigro, venenatis ſagittis, Eupatorio Meſuæ & Secacul.*

Ellebori nigri altera ſpecies.

*ACcepi literas tuas vna cum ea planta, quam ego alteram Ellebori nigri ſpeciem eſſe ſtatuo, tu vero Conſiliginem cum Fuchſio & Trago eſſe cenſes, miror que quod tam deleteriæ facultatis hanc eſſe ſcribas, cum huiuſce plantæ radicibus ego ſæpe numero ſim vſus in atrabiliariis morbis magno ſane iuuamento, vbi alterius Ellebori purpureum florem ferentis non erant ad manus. Quinimo Tridentini Myropolæ atque etiam Foroiulienſes nullum aliud, quam hoc veratrum colligunt, quo poſtea Medici vtuntur. Ideoque hanc nequaquam Conſiliginem eſſe putarem, ſed certam veratri nigri ſpeciem, quæ herbaceos flores proferat.*

Florũ colores in plantis quanquã ſpecies variant, genus tamen nõ immutant.

*Nec quiſpiam mirari debet, ſi nigrum veratrum diuerſas habeat ſpecies florum, colore & foliorum exilitate vel magnitudine differentes, quemadmodum in quamplurimis aliis plantis contingere videmus. Hæc enim quanquam ſpeciem variant, genus tamen immutare non poſſunt. Nam, ſi exempli cauſa Symphytum maius videmus reperiri flore albo, melino ac purpureo, idemque ſpectamus in Ononide, in Cynoſorchi, in Antirrhino, in Ocimoide, in Roſis, in Iaſmeno, in Iride, de quarum plantarum varietate (excipio Leucoium) nihil, quod ſciam, meminit Dioſcorides. Quid igitur vetabit, quinetiam plures veratri nigri ſpecies reperiri queant? Nempe vt hæc flores edat purpureos. illa albos (quemadmodum ego diligenter obſeruaui) & altera herbaceos, & alia ex candido purpuraſcentes?*

Conſiliginis examinatio.

*Cæterum qui Conſiliginis hiſtoriam & eius faciem notaſque conſcripſerit, nuſquam me legere memini, quo fit, vt eos non mirari nequeam, qui Elleborum hunc tam temere Conſiliginem eſſe ſtatuunt. At fortaſſe dices a facultate facile cognoſci poſſe, hanc plantam eſſe Conſiliginem, quod in ſanandis a pulmonia pecoribus, vbi in traiecta inſeratur aure, quam belle conſiliginis obeat munus. Valeret quidem hoc argumentum, præſertim vbi aliæ non adſint notæ, niſi Hieroclem, Abſyrtum & Plinium haberem authores, qui nigrum Elleborum ſcriberent idem efficaciſſime præſtare, cuius hæc planta, ſi omnes eius*

nota

*hore ac facultates diligentius expendantur, eſt procul dubio ſpecies. Namque tametſi Dioſcorides vnam tantum nigri Ellebori ſpeciem deſcripſerit, id tamen naturæ obſtaculo nunquam erit, quin alias quoque Ellebori nigri procrearit ſpecies, vt in aliis quamplurimis (vt ſuperius diximus) eam feciſſe non ignoramus. Præterea, cum planta hæc, vt tu etiam fateris, facultate quadam venenoſa nõ vacet perinde ac qualibet alterius Ellebori nigri ſpecies, miror [illegible] tam temere aſſerere audeant, qui talia dicuntur opinione hanc plantam eſſe Conſiliginem, cum ſcribat Plinius deploratis in Phthiſi eius radicem præſtantiſſimum eſſe medicamentum, ſed tuſi debere ex aqua, haberique aſſidue ſub lingua. Hoc ſi ſua cum Conſiligine tentabunt, nulli dubium eſt, quin [illegible] quamprimum è medio tollant. Nihil præterea impedit hanc plantam Ellebori eſſe ſpeciem, quæ [illegible] caulis integrum perduret annum, & ſit [illegible], cum nigrum Elleborum in montibus ſæpe viderim folia nunquam amittere [illegible]. Inficit tela à venatoribus Ellebori nigro ſucco, vt hoc veneni genere contacta, feræ citius interreant, hactenus non audiui. Scio tamen arte quadam parari ex albi Veratri radicum ſucco venenum, quo [illegible] ſagittis vtuntur Hiſpani venatores. Id, vt mihi experimento conſtat, vbi ſanguinem contigerit, animal [illegible] cunque paulo poſt interficit. Verum enimuero me non paruam admirationem adduxit, quod [illegible] tur, niſi magna fuerit quantitas, nihil plane incommodi afferre ſoleat. Ideoque eo ipſo veſci venatores affirmant, cum purgationes aluum moliri cupiunt, ob idque nihil mirum ſi ferinæ carnes hoc veneni genere conquiſitæ, nihil prorſus comedentes inficiant. Verum vbi facto à iaculo vulnere ſanguini ſe immiſcuerit, nullo alio antidoto, euadere animal poteſt, niſi deuoratis Cotoneis malis. Id quod à Cæſare Ferdinando [illegible] diui. Fabulari itaque eos putarim vel aquiuocum gratia Veratrum pro albo accipere dixerim, qui hoc illud quoque præſtare poſſe affirmant. Quandoquidem tantum abeſt, vt nigrum veratrum copalicui animalis necare queat, vt perforatis auribus vel lateribus immiſſum virus omne facile extrahat. Hoc ſane paſtores & rei ruſticæ ſtudioſi, non ignorant, quippe qui boues peſtilentia laborantes & à ſerpente demorſos inſertis Ellebori nigri radicibus in eorum auriculis pectore cruribuſque, paſſim curant. Cæterum ad id, quod ſententia mea in Secacul & Eupatorio à Meſue deſcriptis nondum aſſentiri poſſis, & ob id admones, vt diligenter Meſuem inſpiciam, nil aliud nunc [illegible] opere precium mihi videtur, niſi vt tu epiſtolam illam meam attentius relegas, & mea argumenta accuratius [illegible]. Quod ſi præſtiteris & potius veritati indagandæ, quam mordicus opinioni tuæ retinendæ animum & mentem applicueris, multo ante & Meſuem me diligenter legiſſe accurateque inſpexiſſe facile intelliges. Hoc tantum de Secacul addam, quod cum ſcribit Auicenna libro quinto Secacul eſſe radices peregrinas Zingiberi ſimiles, quæ ex India aduehuntur, id ſatis ſuperque affirmare crediderim, eos errore [illegible], qui putant Secacul eam eſſe plantam, quæ Fuchſio Siſer deſignat. Atqui ſi hæc non ſufficiant, non video ſane, quo pacto tecum de his vlterius agam, præſertim, vbi neglectis argumentis noſtris, quibus [illegible] ſperabam, nil aliud mecum agis, quam quod iterum ad Meſuem relegendum hortaris. Quem cum antea ſatis viderim legerimque, parcas obſecro, ſi in hoc tantum nunc tibi morem non geram. Vale.*

Sagittæ Hiſpanorum ex albi Veratri ſucco ſtatim venenatæ.

Cotonea mala antidotum aduerſus venena ſagittarum.

Elleboro nigro ſanantur quadrupedes peſtilentia laborantia.

Secacul radix peregrina.

## VDALRICVS LEONORVS MEdicus, Petro Andreæ Matthiolo S. P. D.

*Quæritur an Syrupi aluum deiicientes rectè, ſecureque dari poſſint pluribus continuatis diebus, in diuturnis præſertim morbis.*

Etſi sciã, Excellentiſſime Matthiole, te ſemper multis & grauibus tũ in curandis ægris, tũ in re etiã medica (quã certe his temporibus egregie & fideliter illuſtrare & excolere inſtas) publicis ac vtiliſſimis occupari laboribus, dedit tamen in me humanitate & beneuolentia tantam ſpem conceps, vt certo mihi perſuaſerim quod ſi te his vtiliſſimis lucubrationibus intentum, aliquantiſper ab iiſdem abſtraherè [illegible] interſaltem ſit laturus hanc morulam. præſertim vero cum non tam proprii commodi, quam veritatis & publicæ vtilitatis coram te promouendæ gratia, rei ipſius dignitas ad te vt ſcribam, me compulerit. Sunt ſane quidam medici, qui cum cæteris doctiores videri volunt ſemper quidã im peculiare quo ab aliis diſſerant, habent. & ſiquid ab aliis ex ratione etiam factum conſpexerint, id tamen vt ſoli ſapere putentur, improbare non verentur, atque vt ſuam fuco quodam obuelent malitiam, vbi diutius rationem & experientiam oppugnare ſe poſſe minime fidunt, ad autoritates tandem Hippocratis & Galeni confugiunt. quas pro ſuis firmandis opinionibus ſat aſtute, at parum apte adducere ſolent. nam adducta vel nihil ex eorum re faciunt, vel ſi quid tamen facere videntur, vbi diligentius inſpecta fuerint, pariter nihil pro defendendis eorum ineptiis rationi & experientiæ contrariis, pugnare deprehenduntur. Sed ego tales homines nouitatis potius oſtentandæ, quam veritatis tuendæ ſtudio, vulgo placere volentes, multum ſibi ſapere concedo. parum aliis arbitror. Ex horum autem cœtu etiam eſſe puto hos noſtros aduerſarios, qui vſum frequentiorem Syruporũ aluum deiicientium humanæ ſaluti nocentiſſimũ clamitant, ac propterea omnibus modis extirpandum ſuadent: atque vt noui quid (prout ſolent) adferre videantur, nouũ commentum veteribus inuſitatum atque cõtra eorum ſtatuta receptũ eſſe dicunt, adducentes & hoc Hippocratis: Concocta medicari atque, mouere non cruda. Nobis vero ipſius rei experiẽtia diuerſum teſtatur. Videmus enim quã plurimos in Germania Medicos his ſyrupis ſumma cũ laude & ægrotantiũ cõmodo vti, ipſique quotidie eorũ experimur virtutẽ, et quanto minus eos nocere dicere poſſumus, tanto magis vt nulla alia medicamẽta in diuturnis præſertim morbis cõferre proſiteri cogamur, neceſſe eſt. Et quãuis nos illorũ parũ moueant vani ſtrepitus, tamen ne reliqui etiã à tam ſalubriũ medicamentorũ vſu iſtorum deterreantur clamoribus, negotiũ hoc tã vtile, tam neceſſariũ, tuũ deſiderat patrociniũ, in quod vt illud ſuſcipias perquam rogo ac intercedo. Quod ſi

*feceris magna voluptate nos afficies & opinionem noſtram confirmabis, & præmunies, illos vero non mediocriter confundes & de manifeſta pertinacia coargues, ſi in ſyrupis tua publice eo abundius hac de re aperueris ſententiam, nempe, An recte commodeque dari poſſint in morbis, præſertimque diuturnis, Syrupi aluum deiicientes pluribus continuis diebus, vt quam plurimi in Germania faciunt Medici, fœlici admodum (vt ipſi dicunt & nos experimur) ſucceſſu. Quin & an hoc fieri poßit, præter celebratiſſimum Hippocratis & Galeni in[ſti]tutum, qui Concocta medicari, & non mouere cruda præcipiunt. Quod ſi feceris, additis aliquot eiuſmodi Syruporum formulis (ſicut non dubito) non ſolum à nobis, ſed à poſteritate quoq; vt in aliis pluribus, ita etiam in hoc magnam mereberis laudem. Vale.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS, Vlrico Leonoro medico, S. P. D.

*Probatur dari poſſe Syrupos aluum deiicientes pluribus continuis diebus in morbis diuturnis, nec eſſe præter Hippocratis, & Galeni inſtitutum.*

Queſtio an ſyra[pi] aluum citantes frequenter, [recte] poſſint in [morbis].

*DEficiunt propemodũ ingraueſcente iam ætate caloris innati flammæ, quæ ad ſtudia ante hac animum incendebant. Quamobrem ne mireris, ſi tuis literis tam diu non reſponderim. Quæris à me an commode recteq; dari poſſint in morbis, præſertimq; diuturnis, Syrupi aluũ deiicientes pluribus cõtinuis diebus, vt plurimi in Germania faciũt Medici, fœlici admodũ (vt illi dicunt) ſucceſſu. Quinetiam petis an hoc fieri poſſit, præter Hippocratis & Galeni inſtitutum, qui concocta medicari præcipiunt, & mouere non cruda. Quæſtio ſane non vulgaris hæc eſt, & quæ mihi negotii non parum faceſſit, tum quod de his diſſerere abſq; labore nequeam, tum etiam quod non deſint Medicæ facultatis periti, quorum nonnulli Hippocratem ſequuti, hoſce Syrupos non ſolum dari prohibent, ſed maledictis & execrationibus deteſtentur: alii vero contra experimento & rationibus quibuſdam nixi, eos cæteris fere præferunt medicamentis & ſecure recteque dari poſſe contendunt. Namque ſi hos vel dari prohibeam, vel præcipiam, non deerunt qui noſtram improbabunt ſententiam, & mihi fortaſſe laborem facient. Verum tametſi mihi laborem & periculum ſubeundum eſſe ſciam, conſtitui tamen potius ea in re tibi gratificari, quam laborem ſubterfugere & aduerſariorum morſus pertimeſcere. Exiſtimo enim plures fore, qui noſtram ſententiam ſint comprobaturi, quam qui eam conuellere conabuntur. Erunt etiam alii opinionem noſtram ſequuti, qui non ſolum eam pro virili defendent, ſed etiam amolorum petulantiam compeſcent. Vt autem, quod de re hac ſentiam tibi explicare incipiam, in primis diſtinguendum eſt, de quo Syruporum genere nobis intelligendum ſit, an ſcilicet de his, qui*

Medicamenta clementia, quæ dicantur.

*clementioribus parantur aluum deiicientibus medicamentis, cuiuſmodi ſunt Caſia, Manna, Rhabarbarum, Roſarum dilutum numeroſis macerationibus paratum, aut Syrupus ex eo confectus, aut ipſe purus roſarum ſuccus, Fumaria, Mercurialis, Epithymum, Myrobalana, Sena, Polypodium, & huiuſce claſſis alia: vel de his, quæ Scammonium, vel Turpetum, vel Pytiuſam, vel agreſtis Cucumeris ſuccum, vel Elleborum, vel alia ſimilia, quæ electiue (vt aiunt) purgant, & proprie φάρμακα deleteria eorum vi appellauit Græcorum antiquitas, excipiunt.*

Medicamenta quæ electiue purgant.

*Si itaque de his, qui tantum clementiſſimis illis parantur ſimplicibus, intelligamus, haud dubie affirmabo, facile, & recte dari poſſe hos in diuturnis morbis, pluribus continuis diebus: nec eſſe id præter Hippocratis & Galeni inſtitutum. Alios vero minime. Quandoquidem ſi recte Hippocratis verba expendantur, quæ ſic habent πέπονα φαρμακεύειν ϗ κινεῖν, μὴ ὠμὰ, facile ſane deprehendet quiſpiam, non aliud per φαρμακεύειν velle illum, quam non debere cum Pharmacis, id eſt, cum electiue purgantibus medicamentis immatura expelli, quod eiuſmodi pharmaca, vbi humores incoctos repererint, eos non deiiciant ſed ſanguinem inficiant colliquentq;, ac pernicioſa ſint. Eiuſmodi enim medicamenta hiſce de cauſis dari vetant Hippocrates & Galenus, non autem quæ clementiora ſunt, nec electiue, nec fortiter purgant, nec vllo præterea modo ſanguinem colliquare, vel inficere poſſunt: horum perpauca ipſis cognita fuere. Namque Caßiam nigram, Rhabarbarum, Myrobalana Senam, nec ipſe Hippocrates, nec Galenus nouit vnquam. De Manna tamen meminit is libro tertio de aliment facultatibus, de melle ſcribens. Item de Roſis libro octauo, de ſimplicium medicamentorum viribus, ſed vtriuſque medicamenti deiectoriam facultatem ignorauit.*

Nec Mannæ nec roſarum deiectoriam facultatem nouit Galenus.

*Id quod poſt hac multa cum diligentia explorarunt Mauritani, qui recte ſane clementiora hæc medicamenta Benedicta vocauere, quod nihil in eis repererint, quo ſumentium corpora vllo afficerentur incommodo. Quamobrem in morborum etiam acutorum principiis, magna cum vtilitate hæc propinãtur a medicis.*

Clemẽtia medicamenta cum vtilitate propinari in morborum principiis.

*Siquidem ſi negligantur humores in ventriculo ac locis illi propinquis exiſtentes trahuntur poſt hac per vniuerſum corpus in venas, non ſine ægrotantiũ diſcrimine. Ideoque haud recte mea quidem ſententia, hactenus contendere quidam, nulla facta medicamentorum diſtinctione, dari nõ debere deiectoria medicamenta in morborum principiis, qui ſi ſciuiſſent, de quibus intellexerit Hippocrates, & quid ille proprie deſignet φαρμακεύειν, à clementioribus abſtinere Medicos non prohibuiſſent. Atqui nolim ob hoc fortaſſe putes, me affirmare velle, Syrupos aluum citantes in ægritudinum principio aſſidue diebus pluribus dari poſſe. Quandoquidem, quæ in ventriculo lociſque circumſtantibus ſunt excrementa tot non indigent euacuationibus. Sed cum in principio ea omnia medicamenta, quibus iidem Syrupi conſtantur, tuto dari poßint, longe tutius dantur vbi iam materia concoquitur, nec prorſus fuerit matura.*

Galenum in iocinoris phlegmone [nequaquam] aſſiduis medicamenta aluum deiicientia.

*Nec putes velim meum hoc eſſe inſtitutum, ſed Galeni. Quippe qui lib. 13. de Met. cap. 15. de iocinoris phlegmone agens, iam vbi coctio aliqua fieri incipiat, vacuare non docet aßiduis medicamentis aluum deiicientibus, his verbis. Procedente autem tempore, vbi phlegmon iam concoquitur, etiam valentioribus vrinam mouentibus medicamentis in cibis vti licet, nempe Aſaro & Celtica nardo, & Phu quod nominant, & Petroſelino, &*

Smyrnio

Quib⁹ cum medicamentis humorum crudorũ cõcoctio ſit molienda.

*cœperint. Nanq; ſi cruda adhuc exiſtente materia, calidiora medicamenta propinentur, morbum proculdubio augebunt cruditates in venas pellentia. Non itaque cum his concoctionem moliri debemus, ſed cum temperate calidis, vt Galenus docuit, in quarto de ratione victus, commento quadrageſimo quarto. Hoc autem non ſolum fieri debet cum his, quæ intus in corpus ſumuntur, ſed etiam cum his, quæ exterius applicantur, nempe fomentis & inunctionbus ventriculo & hypochondriis adhibitis, vt idem Galenus docuit, quarto de ſanitate tuenda. Quæ in re maxime præſtat Chamæmalinum oleum & Chamæmali florum decoctum. Namq; his auxiliis fouetur naturalis calor, adeo vt quieſcentibus ob id humoribus commode concoctio fiat. Quippe quemadmodum quies temperatuſq; calor ad hoc maxime faciunt, è contra agitatio, quæ à calidis valde medicamentis fit in humoribus, quietem impedit, & naturalem calorem accendit, quo poſtea fit, vt non concoquantur humores iſti, ſed potius putreſcant. Vbi vero concocta fuerit materia, vel ſaltem concoqui cœperit, ſecurius calidioribus vti poſſumus medicamentis ad eius præparationem conficiendam, vna cum exoluentibus aluum Syrupis, vt etiam antea dictum eſt. At vbi humores præaſſati fuerint, cum ii veram concoctionẽ pertranſierint, quanquam vera concoctione tunc opus non eſt, oportet tamen nos innatum iuuare calorem, quo incoctos humores cum præaſſatis coniunctos concoquat, adeo vt ſemper nobis opus ſit, aliquam prius moliri concoctionem, antequam ad hoſce Syrupos veniamus. Poſſem quidem adhuc tibi plura de re hac in medium adferre, quinetiam oſtendere, quod multi ſint inter recentiores, vt Montanus ille clariſſimus, qui huiuſcemodi vtuntur Syrupis experientia docti, ſed ne Mineruam docere videar, lubens ea omnia prætereo. Addam autem tantũ hoc, quod plurimum Medici debeamus Mauritanis, qui nobis hæc tam ſalubria oſtenderunt medicamenta, quibus tutius vti poſſumus, tam in diuturnis quam in acutis morbis, in quibus non niſi magno cum ægrotantium diſcrimine electiue deiicientia medicamẽta propinari poſſunt. Nunc autem reliquum eſt, vt protua facta petitione, hic tibi deſcribam, quo pacto hoſce Syrupos parare ſoleam, in pituitoſis & atrabiliariis affectibus, quinetiam in morbi Gallici curatione. Quod & ſi ſciam ſuperuacaneum eſſe, quod non deſint præclariſſimi Medici qui ante me ſimiles deſcripſerunt Syrupos, ne tamẽ fortaſſe putares me hoc laboris velle ſubterfugere, hic habes, quo ego vtor in pituitoſis & Melancholicis affectibus.*

Qua ratione quoue tempore concocta præparari debeant.

Medicos omnes plurimum debere Mauritanis authoribus.

Syrupi primi ad pituitoſos affectus parandi ratio.

*Sumito itaq;, Adianti*
*Aſpleni*
*Betonicæ*
*Agrimonii*
*Intubi*
*Cichorii*
*Amaraci*
*Florum Stœchadis*
*Saluiæ*
*Roriſmarini* — *Singulorum manipulum.*

*Radicum, Fœniculi*
*Petroſelini cõmunis,*
*Aſparagi*
*Eryngii*
*Centaurii maioris* — *Sing. vnciam.*

*Polypodii contuſi drachmas VI.*

*Seminum, Aniſi*
*Fœniculi*
*Ammi*
*Coriandri* — *Singulorum ſeſquiunciam.*

*Agallochi drachmas II.*

*Santalorum, Flauorum*
*Alborum* — *Sing. drach. III.*

*Feruefacito hæc omnia ſeruato coctionis ordine, in aqua libris decem ad tertias, & ſubinde mũdo linteolo percolato.* *Sumito deinde, Foliorum Senæ orientalis libram.*
*Cinnamomi electiſſimi drachmas X.*
*Florum cordialium Sing. vnciam.*

*Excipito hæc omnia fictili vitreato vel ſtanneo vaſe anguſti orificii, & affuſo decocto præſcripto feruenti, macerentur in calido loco, occluſo vaſis ore duobus diebus continuis. Demum colentur.*
*Sumito item huius diluti lib. III.*
*Diluti Roſati pluribus roſarũ macerationib. parati, vel ſucci roſarũ puri, vbi dilutũ nõ eſſet ad manum, li. II.*
*Sacchari libras III.*
*Coquito ad tertias, & tunc addito Rhabarbari ſelecti craſſiuſcule ſecti ſeſcunciam. Turpeti optimi ſemiunciam, & coquito vſq; ad Iulapii conſiſtentiam. Demum ſacculo lineo percolato, & vaſe mundo aſſeruato.*

Syrupi ſecundi breuior parandi modus.

*Atqui ſi compendium deſideras, hoc aliud parari iubeto, minori tempore ac labore.*

*Sumito, Foliorum, Senæ orientalis vncias. IIII.*
*Abſinthii Pontici manip. Semiſ.*

*Adianti*
*Aſpleni*
*Intubi*
*Cichorii*
*Meliſſophylli*
*Betonicæ*
*Hyſſopi*
*Agrimonii* — *Singulorum manipulum.*

*Radicum, Fœniculi vnciam.*

Petro

*Petroſelini*
*Apii*
*Aſparagi* } *Sing. drachmas VI.*
*Polypodii*
*Eryngii*
*Glycyrrhizæ mundatæ drach. III.*

**Seminis.**
*Aniſi*
*Fœniculi* } *Singulorum Semiunciam.*
*Apii*
*Ammi*
*Cinnamomi ſelectiſsimi drachmas V.*
*Rhabarbari optimi drach. VI.*
*Turpeti genuini drach. III.*
*Agarici crudi præſtantiſsimi ſemiunciam.*

*Coquito omnia in aqua quod ſufficit, ſeruato legitimæ coctionis ordinem ad tertias, & deinde addito Sacchari albi quantum ſat fuerit ad conciliandam dulcedinem. Prabeto quotidie diluculo uncias quatuor, aut quinque, pro morbi, ætatis, & virium ratione.*

*Cæterū ubi velis his uti medicamētis, in Melāchol. affectibus, Epithymum & radicū nigri veratri cortices pro arbitrio addito. Quinetiā Myrobolana, Chebula, Empelica Nigra, cum in dilutis, tum etiam in decoctis.* Syrupus in melancholicis affectibus.

*In morbi Gallici autem curatione ita parato.* Syrupus Guaiaci decocto admiſcendus.

**Sumito**
*Fumariæ*
*Adianti*
*Aſpleni*
*Intubi*
*Agrimonii*
*Cichorii*
*Pulegii* } *Singulorum manip.*
*Betonicæ*
*Meliſſophylli*

**Florum**
*Lupulorum*
*Stœchadis*
*Borraginis*
*Bugloſſi*
*Roſarum rubearum*

**Radicum,**
*Glycyrrhizæ*
*Fœniculi*
*Borraginis* } *Sing. unciam.*
*Bugloßi*
*Centaurii maioris*
*Polypodii uncias IIII.*

**Seminum**
*Aniſorum*
*Peoniæ* } *cuiuſq; ſemiunciam.*
*Fœniculi*

**Corticum**
*Myrobalanorum*
*Chebulorum* } *Sing. drach. X.*
*Emplicorum*
*Nigrorum*
*Radicum Elleberi nigri unciam.*

*Zedoariæ drachmam.*
*Santalorum Flauorum* } *Sing. ſemiunciam.*
*Alborum*

*Coquito omnia in aqua quod ſufficit, ſeruata legitima coctionis norma, & deinde linteolo percolato.*

**Sumito deinde,**
*Foliorum Senæ orientalis libram*
*Epithymi Cretici uncias IIII.* }
*Cinnamomi ſelectiſsimi minutim conciſi unciam.*

*Excipito tria hæc fictili vel ſtanneo vaſe haud amplioris, & deinde affundito decocti præſcripti feruentis lib. VI. & concluſo vaſis ore ne quid expirare poßit in loco calido collocato, maceratoq; ſic horis quinquaginta. Demum percolato.*

*Sumito poſt huiuſce Diluti lib. IIII.*
*Diluti roſarum crebris macerationibus parati, vel ſucci roſarum puri ubi dilutum non ſit ad manus, libras II.*
*Syrupi de pomis Sabor Regis libram.*
*Sacchari libras III.*

*Coquito ad tertias, poſtea addito Rhabarbari in tenues particulas ſecti ſeſcunciā. Et coquito deinde quouſq; concipiat Iulapii conſiſtentiā, poſtea colato & aſſeruato. Propinato mane binas uncias, & uſq; ad tres, ubi adſtrictior fuerit aluus, additis Guaiaci decocti unciis quaternis quiniſue. Quieſcat deinde affectus, nec ſudet. Veſperi ſumat decocti Guaiaci ſimplicis horis tribus ante cœnam uncias ſeptem & ſudet. Et poſt ſudorem ebibat eiuſdem decocti uncias quatuor, & poſt horam capiat cibum. Ubi autem cōpendioſius medicamentum parari cupias, ita rem expedito.* Syrupus alius compendioſior.

Sumito,

*Sumito,* *Decocti primi Guaiaci lib. VII.*
*Foliorum Senæ orientalis lib. V.*
*Rhabarbari ſelecti vnciam.*
*Epithymi drachmas X.*
*Polypodii ſemicontuſi vncias V.*
*Radicum Borraginis, Bugloſſi, Glycyrrhizæ* } *Sing. ſeſcunciam.*
*Seminis Aniſi vnciam.*
*Ammi ſemiunciam.*
*Florum cordialium ſingulorum vnciam.*
*Santalorum Flauorum, Alborum* } *cuiuſque drac. III.*

*Coquito ſimul omnia ſeruato coctionis artificio ad tertias, deinde addito Sacchari quod ſat fuerit ad conciliandam dulcedinem. Prabeto diluculo ſenas vncias, nec affectum ſudari ſinito. Reliqua expedito vt in altero diximus.*

*Hæc boni conſulas velim, mi Vlrice dilectiſſime. Interim ſi quid aliud habeo, quo tibi gratificari poſſim, velim intelligas, nihil mihi eſſe tam carum, quo minus illud tibi etiam impertiar libentiſſime. Vale. Pragæ.*

## IOANNES CRATO MEDICVS, Petro Andreæ Matthiolo. S. P. D.

*Hortatur Crato Matthiolum, ne ob maleuolorum inſectationes à Republica iuuanda ſuis ſtudiis ſe dimoueat.*

*Beneficam tuam naturam & publici commodi ſtudioſiſſimum plurimam amaui: ac cum laboribus tuis ſæpe ſuauiſſime perfruar, aliquoties mihi in animo fuit, tibi pro mea parte gratias agere, teq; ſi quo modo poſſem, in curriculo induſtriæ, in quo tibi maleuolentia atq; impudentiſſima maledicentia, impedimenta quædam obiiciuntur (etſi virtus tua confirmatione noſtra non egere videatur) confirmare. Sed amoris atq; officii mei iter neſcio quid impediuit, nec inepte mouentis partes, quæ ſunt prudentiæ, mihi aſſumere volui. Cum autem intelligam, te ſingulari ſtudio iterum in eo eſſe, vt Dioſcorides illuſtriſsimus ab ingenii tui preſtantia & artificum manu conſpiciatur, hac exigua quidem ſed grati atque beneuoli animi mei ſignificatione tibi calcar addere viſum fuit, ac ſi hoc pateris, rogare, ne* Contra Guilandinum. *λοιδορίας Boruſſi, aut aliorum inſectationes a laudabili inſtituto te dimouere patiaris. Minime recta via laudem affectant, qui eam ex alterius ignominia petunt, & maledictum maledicto trudere, perinde eſt ac inſaniam inſaniendo depellere. Tuis laudibus, quas omnis poſteritas exceptura eſt grate, tua fama, Boruſſus ille conquiſitis monſtris vocabulorum ineptiſſime, parum apud bonos & virtutis rectique amantes nocuit. leuus ſi commouit, ſuæ peſſime conſuluit. Vnica autem Socratica ratio reſpondendi conuenientiſſima videtur: Nihil reſpondere, & plagas ac ſi aſinus calce te percuſſiſſet, æquo animo pati præſertim cũ vera proferre atq; tueri abſque altercatione & dimicatione liceat. Sed neſcio quomodo delabor ad id quod huic Epiſtolæ non erat propoſitum. Illud oſtendere ſignificatione aliqua, ac potius tibi confirmare tanquam Syngrapha volui, te (ſi quid hoc tua refert) à me non ſolum propter tua in rem Medicam præclariſſima merita, valde amari, verumetiam propter exquiſitam doctrinam & induſtriæ excellentiam ſingularem, tanti fieri, quanti ab eo potes, qui eximias ingenii tui dotes & virtutes intime nouit, candidiſſime æſtimat & perſpectiſſimas habet. Hunc meum animum ſi vlla re verius, atq; euidentius, quam literis probare potero, efficiam, vt id quod ſum, me tui ſtudioſiſſimum & amantiſſimum cognoſcas. Nobilem & præſtantem virum dominum Sauromannum, vt ex his meis literis tanquam me, amanter complectaris, magnopere peto: Bene vale. Vratiſlauiæ.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOlus, Iohanni Cratoni. S. P. D.

*Reſpondetur præcedenti epiſtolæ. Detegitur quanta ſit in hiſtoria plantarum Guilandini imperitia, & eius nonnullæ diſcerpuntur calumniæ.*

*Non dixerim facile, mi Crato, quantum mihi placuerit tuum de Boruſſo illo impudentiſſimo iudicium, non certe quod gaudeam doctos viros inimicitias ſuſcipere cum obtrectatoribus meis, ſed quod illorum teſtimoniis, apud omnes inclareſcat nefarie & prope dixerim ſcelerate iſtos mecum agere, dum maledicis & virulentis ſcriptis inuidiam mihi & laboribus meis facere nituntur. Id quod ita magno cum affectu, tamq; pertinace animo agunt, vt tanquam rabie correpti canes, ſit illis ira aduerſus innocentiã, perciti latratibus & morſu, aut ſicut tu prudenter dixiſti, etiam calcibus tanquam aſini quidam me impetant. Atq; vtinam quanto ſtrepitu ſpirituq; prouoluunt criminationum maledictorumq; ſuorum fœditatem, tam firmis argumentis, aut ſaltem probabilibus veritati patrocinari ſi non poſſent.*

*poſſent, niterentur ſaltem, æquiore certe animo acciperemus etiā ea, quæ contra noſtrā ſententiā afferrentur. Sapienter tu quidem & amiciſſime præcipis, ne patiar a Boruſſi, vel aliorumcunq; maledictis, ac inſectationibus a meo me dimoueri inſtituto, verum ego ita vitam meam iampridem inſtitui, vt nihil mihi magnopere metuendum exiſtimarem, quod quidem a culpa abſit. Quinetiam, id quoque in animum induxi meum, vt a iuuanda meis ſtudiis poſteritate, nullis calumniis, nullis latratibus me auertere ſinam. Etenim ſi pulchrum eſt (vt aiunt) laudari a laudato viro, putarim quidem a perditiſſimis nebulonibus & impudentiſſimis Sycophantis laudari, prudentem virum neminem optare. quum id hominum genus laudare neſciat, niſi aſinos ſui ſimiles. Imo vero ab iiſdem ſi vituperētur ſtudioſi, & de Republica bene meriti, maximo id illis ſemper eſſe honori exiſtimaui, cum huiuſcemodi inſidiatorū conſilia, nihil aliud moliantur, quā virtutē opprimere, veritatemq; cōfundere, vitium vero (ſi tantum poſſent) extollere & mendaciū fucatis ſophiſmatibus vbicunq; alere, vt præ cæteris hiſce illuſionibus, miraculi aliquid in medium afferre videantur. Huius factionis principem locum obtinere hoc ano Guilandinum, quem tu vna cum cæteris merito vituperas, neminem iam latere cenſeo qui eius in me calumnias criminationes, conuitia, maledictaque omni ſane fœditatum genere illita, in libello illo, non ita pridem Patauii edito, perlegerunt, a quo iam omnes tam eius amici quam inimici, quibus veritas, ac humanitas cordi eſt, tanquam a fœtore intolerabili nares non aliter auertunt, quam ab horribili quacunque latrina. Quam autē, præter id quod malus eſt, etiam amens ſit, palam facit infœliciſſimi libelli vel titulus ſolus. Cum enim eum Apologia nomine inſcribat, tanquam refutationem eorum, quæ a me contra eum in Epiſtola ad Celeberrimū virum Gabrielem Faloppium de Bulbo, Caſtaneo, Oloconitide, Mamyra & aliis nonnullis incognitis ei plantis dicta erant, inſtituiſſet, mox inſtituti ſui oblitus nihil eorum affert, nec facit, quæ mendax inſcriptio pollicebatur. ſed ſe totum addicit conuitiis, niſi quod obiter mihi quædam errata, centū circiter numero (vt ipſe inquit) obiicit. Quod ſi ego contra vanum hunc hominem facere vellem, hoc eſt, & dicere & facere, quæ facile poſſem, tam anguſtam ei citra magnum meum negotium Europam redderem, vt veſtigium in ea quo pedem poneret, vix eſſet inuēturus. Sed melius eſt me temperare, vel iuſtiſſima ira mea. Iam vero quam leuibus armis, cōtra me pugnat, dum errores (vt ille ait) quoſdam meos nudos nulla addita ratione, nec etiam antiquorū ſcriptorū autoritate recēſet, ipſe tu, mi Crato, iſta conſidera ſi placet, & haud dubie inſignem peſſimi hominis vbiq; impudentiam, & rei plantariæ imperitiam deprahendes, quotieſcunq; me erroris alicuius inſimulat. I. Confundere me in primis duo medicamēta ſcribit, Foliū & malabathrum. Sed manifeſti mendacii illum accuſant ſtudioſi omnes, qui mea in Dioſcoridem commētaria perlegerunt, vbi Syriaci folii & Indici Malabathri, non confuſe (vt ille mentiri non erubeſcit) ſed aperte, & perquam diſtincte ex Plinio memini. Siquidem alterum haberi dixeram in Syria naſcens quadam ex arbore folio conuoluto, colore arido, ex quo oleum ad vnguenta exprimebatur, alterū vero in India, in paludibus gigni, lentis paluſtris modo, Græcis* Μαλάβατρον *appellatū. II. Eadē præterea calumnia in Caſſia, & Cinnamomo me falſo inſimulat, cū tam aperte mentiri audeat, ſcripſiſſe Galenum Cinnamomū tranſire in Caſſiam, non autē Caſſiam, vt ego verterā, trāſire in Cinamomū. Sed tam procacis nebulonis calumniā, quam maxime deteſtantur Galeni ipſius verba lib. I. cap. II. de Antidotis, quæ ſic habēt:* Ἐπεὶ δὲ μεταπίπτειν εἶπον ἐκ χαλβάνης εἰς σαγαπηνὸν ὅσον ἂν ἀφρῶδες ἐν αὐτῷ συστὰν καὶ λευκὸν ἑτοίμως ἐν ὑγρῷ λύεται, προσθεῖναι μέντοι χρὴ τῷ λόγῳ, καὶ μάλιστα διὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς μεταπτώσεως ἐκ τῆς ἀρίστης κασσίας εἰς κινάμωμον ἐθεασάμην γὰρ ἤδη πολλάκις ἐφ᾽ ὑλῆς καὶ εὐθαλοῦς κασσίας, ὡς εἰς θάμνου μέγεθος ἀνήκειν, ἀκρέμονάς τινας ἀκριβῶς ὁμοίους κιναμώμῳ κατά τε τὴν ὄψιν, καὶ τοῦ φλοιοῦ τὴν λεπτότητα, καὶ πρὸς τούτοις ἔτι τὰ βεβαιότατα γνωρίσματα κιναμώμου διὰ τῆς γεύσεώς τε καὶ ὀσφρήσεως γινόμενα, *id eſt. Quandoquidē autem dixi tranſire ex Galbana in Sagapenū, quicquid illius ſpumoſum, cōſiſtens, albūq; facile in humorē diſſoluitur, addendū etiā hoc ſermoni eſt, & maxime propter ſimilitudinē permutationis ex optima Caſſia in Cinamomū. Nimirum vidi iam ſæpius Caſſiæ proceræ, quæq; ita fœliciter excreuiſſet, vt ad fruticis magnitudinē perueniret, germina exquiſita, plane ſimilitudine Cinamomi, tā quo ad aſpectū, quam corticis tenuitatē, aliaſq; certiſſimas Cinamomi notas, quas tū guſtu tū odoratu exploramus. Atqui longe etiā cumulatius cap. 14. eiuſdē lib. idem recitauit Gal. ſic inquiens.* ὅτι δὲ ἡ κασσία πλησίον τοῦ κιναμώμου τῷ γένει, καὶ γὰρ καὶ γίνεταί ποτε κινάμωμον ἐκ μεταβολῆς αὐτῆς ὥστε ὅλον μὲν ὁρᾶσθαι τὸ οἷον δένδρον ἀκριβῆ κασσίαν, ἀκρέμονας δέ τινας ἐν αὐτῷ κιναμώμου συνεχεῖς, τοῖς κλάδοις τῆς κασσίας εὑρίσκεσθαι: *id eſt, Caſſia autem genere ad Cinamomum accedit. Etenim fit nonnunquam ex tranſmutatione illius Cinamomum, adeo vt conſpiciatur quidem tota ipſa quaſi arbor exquiſita Caſſia, germina autem quædam in ea Cinamomi continua ipſis Caſſiæ ramis reperiantur. Hæc ille. Quæ quidem qui legunt, non ſine indignatione & ſtomacho mendaciſſimi hominis temeritatem exibilant, ac execrantur, ſibi certo perſuadentes, diutius hunc apud Ariſtophanē mimum, hiſtrionē, paraſitumq; profeſſum, quam apud Dioſcoridē & Galenum in plātaria præſertim facultate verſatū. III. Cæterū quam etiam a Poetis explodenda veniat noui huiuſce interpretis ſententia in cenſendo Viburno, qui tam elato ſupercilio Viburnum clamat, non plantæ alicuius ſingularis eſſe nomen, ſed cuiuſcunq; in vniuerſum virgulti fruticiſue proprium, ij facile indicabunt, qui rerum Epithetis examinandis diutius inſudarunt. Inquit enim Vergilius. Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi. Sed cum frutices, virgultaq; prope innumera habeantur, ſpinoſa, rigida, obductiſq; duritie ramis, nec vlla in parte obſequioſis, huiuſce fabulatoris inſolentia omnibus palam fit, qui nulli lentori obnoxii, ſed veritati tuendæ addicti, rigidiori vultu haſce intuentur ineptias. Quibus præ cæteris refragatur Ruellius, qui in re plantaria examinanda, indagandaq; inter recentiores facile primas tenet, quemadmodum multiplici lectione, Latini & Græci ſermonis peritia, quā plurimos antecellit. Is enim cōtra nugatoris huiuſce fabellas, eā ipſam plantam Viburnum putat, cuius nos imaginē appingi curauimus. Non ſolum quod flexilis, ac lenta valde omnibus ſuis partibus habeatur, ſed etiā quod in Gallia hactenus propriū retineat nomen. Siquidem Galli arbuſculam hanc, vna tantū detrita litera, ſuo idiomate Viurna vocant. IIII. Atqui an Armenius bolus (de Orientali & ſelectiſſimo loquor) quo paſſim vtuntur Medici, terra ſit Sinopica, non ſine reprehenſione reſpondebit Agricola præcellens foſſilium indagator, quippe qui tametſi hæc olim a Sinope Cappadociæ vrbe, vnde nomen inuenit, importabatur, nihiloſecius haberi alibi etiam inquit: in aurariis, argentariis, ærariis ferrariiſq; metallis, in quibus in Ilua (vt alias diximus) Tyrrheni pelagi Inſula, huiuſce rubricæ plurimū inuenitur. Eſt enim hæc (vt Dioſcorides inquit) grauis, denſa, ad iocinoris imaginem vergens, non autem (vt ſelectiſſimus Armenius bolus) leuis, & butyri inſtar pinguis. Vtimur & nos noſtra Sinope, quam vilē, rudemq; bolū Seplaſia appellant, ad*

Laudatur Cratonis conſilium.

Nebulonum Sycophantarumq; munus.

Guilandini apologia.

Guilandini obiectio in folio & Malabathro exploſa.

Calūnia in Caſſia & Cinamomo confutata.

Caſſiam tranſmutari in Cinamomum, non ē contra, contra Guilandini inſcitiam.

Guilandini ſententia in Viburno improbata.

Calumnia in Armenio Bolo cōfutata, non eſſe Sinopicam terram.

*MM* *ſan-*

Zedoariam verè Coſtum non eſſe Coſtum.

*ſanguinis profluuium, quemadmodum & Galenus vſus eſt, vbi Lemnia terra non erat ad manum. Quæ ſanè non obſcuras ſane vires retinet. Zedoariam præterea legitimum eſſe coſtum, vt impudens ſomniauit Guilandinus negabunt proculdubio Dioſcorides & Galenus. Ille quidem quod Helenii radicibus, quæ vegetæ magnæq; ſunt, Coſtum adulterari ſcribat, hic vero quod pluribus in locis aſſerat Coſtum ex diſcuſſoria & adſtringente conſtare facultate, & adeo eximii fragrantisq; eſſe odoris, vt non minus ad vnguenta odoratiora paranda eius apud antiquos inualuerit vſus, quã malabathri, amomi, caſiæ atq; myrrhæ. quibus tamen tũ notis tũ facultatibus Zedoaria prorſus deſtituitur, cum potius grauiter, quam ſuauiter oleat. Adde quod Coſto Galenus leniculam planè amaritudinem & validam tribuit acredinem. Sed hæc in Zedoaria contrario modo ſe habent, cum in ea validior amaritudo, & acredo remiſſior guſtu facile deprehendatur.*

Saliuncam non eſſe Nardũ Celticam.

*V I. Saliuncam quoque non eſſe Celticam Nardum manifeſto indicat Plinius libr. 21. quippè qui vno & eodem capite, de vtraque ſpeciatim egit, tanquam de plantis inter ſe differentibus. Nec præter id, eæ tantum iis diſſident notis apud antiquos autores, ſed etiam natali ſolo & viribus.*

Dictamnum album non eſſe Tragium.

*V I I. Nec minus in cenſendo albo Dictamno, quod Dioſcoridis Tragium facit, hallucinatus deprehenditur ſordidus hic Matthiolomaſtix, cum Tragium Dioſcoridi ſit ſemine, folio, ramis, ſingulis Lentiſco minoribus, Dictamni vero huiuſce folia, triplo Lentiſci foliis maiora habeantur. Adde quod è Tragio lachryma diſtillet, quæ illita ſpicula è vulneribus eiiciat. Id quod in alba Dictamno nuſquam hactenus viſum eſt.*

Cneoron non eſſe Thymelæã neq; Chamælæã. Cneoron Theophraſti à Cneoro Dioſcoridis & Galeni differt.

*V I I I. Cneorum quod videat inter adulterinas Thymelææ nomenclaturas habere Dioſcoridem, quodque habeat Galenus libro nono, capit. tertio de compoſitione medicamentorum ex Archigene τὸ κνέωρον ἣν ἔνιοι Χαμαιλαίαν καλοῦσι: quinetiam quod ſcribat Plinius libr. 23. capit. 21. Thymelæam aliquibus Cneſtrũ, aliquibus Cneoron vocari, id quod me adnotaſſe ignorabat, non ſine ingenti latratu barbarus ille Canis me adoritur. Verumenimuero, ſi tantum rei herbariæ peritiæ, quantum maledicentiæ haberet, facile quidem nouiſſet vtrumque Theophraſti Cneoron, à Dioſcoridis & Galeni Cneoro pluribus differre notis, quinetiam a Cneoro, de quo hoc loco meminit Plinius. Theophraſto duo Cneori genera deſcripta reperio. Album quidem odoratum & nigrum inodorum. Atqui vtrunq; radice nititur grandi alteque deſcendente, floretq; poſt æquinoctium autumni, & multo denique tempore floret humiq; ſe ſpargit. Thymelæa vero Chamælæave ambæ graueolentes ſunt. grandi altaq; radice haudquaquã nituntur, nec florent niſi Vere inchoante, nec humi procũbunt. Adde quod nigro Cneoro folia Tamaricis reddidit Theophraſtus. Sed einſmodi folia, nec Chamelæa, nec Thymelæa inſunt.*

Cneorum Caſſiam ab Igino appellari.

*De hoc albi Cneori genere meminit Plin. libr. 21. cap. 9 inter odoratas plantas, quibus ad coronas vtebatur antiquitas, & Caſſiam appellari Igino ſcribit, quem poſtea ſequutus eſt Gaza. De altero vero Cneoro, de quo Dioſcorides & Galen ſcripſerunt, in quo Gnidiũ granũ naſci ait, meminit is loco ſuperius citato. Scribit de Gnidio grano Theophraſt ſtatim ſimul ac de pipere egit, non autem, vbi tam diligenter Cneori hiſtoriam deſcribit lib. 6. cap 2 de plantarũ hiſtoria, vtpote, qui Gnidium granũ non ignorabat Cneori non eſſe fructum. Plura autẽ reperio plantarum ſimilia nomina quæ tamen varias denotant plantas. Telephiũ planta per ſe eſt, ita proprie appellata, verũ & ſemperuiuum tertiũ ipſi quoq; Dioſcoridi Telephium appellatur. Helxine, Parthenium idem appellat Dioſcorides, Aſarum Baccarem, & Aſplenũ Hemionium, cum tamen Partheniũ, Baccharis, Hemioniũ aliæ per ſe ſint plantæ. Hæc qui ignorant, & de his ratiocinari volunt, nil mirum ſi à peritis derideantur.*

Guilãdini ignorantia in cenſendo Ben rubro.

*I X. Imaginem quam pro Limonio appinximus genuinum Ben rubrum Mauritanorum vna cum vulgo eſſe pronuntiat, cum tamen nullis notis Ben ipſum referat. Ferã tamen patienter, quæ hac in cenſura, de ſylueſtri beta contra me affert quod eadem de re, longe magis laceret Galenũ, vt Pliniũ ſeruet, qui aliorum*

Galenus à Guilandini impugnatione defenditur.

*fidem ſequutus, in quampluribus deceptus eſt. Is enim Limonium ſylueſtrẽ Betã eſſe ait. Quo fit, vt non Galen. neq; Matthiolus, qui de Limonio ſatis ſuperq; ſcripſerunt, male herbarii ( vt ille inquit aſinus ) Betam ſylueſtrem ſubtrahere cupiant, ſed Plin. & Guilandinus, id facere nitantur.*

Sabinam Bacciferam reperiri.

*X. Bacciferã Sabinã ſi nunquam vidit, tam ſummus plantarũ indagator cur Fuchſiũ & Matthiolũ reprehẽdit? Matthiolum ſcio ego è Baccifero ramo ſuã appinxiſſe Sabinã nec vereor quinetiã Fuchſius ſuã quoq; ex viua planta delineari curauerit. Sed huiuſce tã ſeueri Rhizotomi cenſurã inanẽ, infirmãq; pronuntiant Auicenna, ac etiã Serapio, qui de Sabinæ baccis aperte, ſi me meminere, & in medicũ vſum vertere.*

Guilandini calumnia in Cedro exploſa.

*XI Porro iã ad ſtuporẽ vſq; huiuſce calũniatoris inſolentiam, infidelitatemq; demiror. quod mentiri non erubeſcat, ſcripſiſſe me Cedrum magnã bacciferã eſſe arborem. Heminus tã procacis mendaciũ deprehendunt. qui mea legerunt in Dioſcoridem cõmentaria.*

Veratrum albũ non eſſe conſiliginem.

*X I I. Quid dicã etiã de huiuſce blateronis in conſiligine cẽſura, vbi mentiri tã temere audet? Inquit enim, quinimo, etiã affirmat, Plinio, Columella, Vegetio, Abſyrtoq; Veratrũ albũ Conſiliginẽ vocari, cũ tamen horũ nemo id vllibi ſcribat. Cõſiliginis radicẽ inquit Plin deploratis in Phtiſi præſtantiſſ. eſſe medicamentũ, ſed bibi debere ex aqua, haberiq; aſſidue ſub lingua. Vbi autẽ legerit nouus hic Æſculapius albo Veratro curari poſſe Phtiſicos, ſubdiq; id Glycyrrhizæ vice ſub lingua, recitet is inter cætera. quæ refert, deliramenta.*

Herbam Belladonnam non eſſe Mandragorã. Calumnia in ſõmnifico Solano excluſa.

*Lætetur futura poſteritas tantum ſe medicum habitura, qui hac conſiligine tabidos ab inferis reuocet ad vitam. X I I I. Solanum maius, Italis herba Belladonna vocatum, Mandragoram eſſe Theophraſti contendit, vnica tantũ racemorũ nota cum tamen nec foliorũ, nec florũ, nec cauliũ, nec radicis vſquã meminerit Theophraſtus. Non enim planta ex racemis tantũ, vt ex auribus Aſini cognoſci poſſunt, ſed aliis pluribus notis. X I I I I. Somnificũ à Luca Ghino acerrimo ſimpliciũ indagatore Piſis mihi trãſmiſſum eſt ſine floribus, croceis baccis folliculo obtectis frequentibus caulibus foliis plenis, malo cotoneo æmulis, & ( vt Theophraſt. inquit ) piloſis, & in ima parte latioribus. radice ſubalba vt in ſicca plãta idem aſſignat Theophraſtus, & vt Ghinus aſ-*

Rotundum piper non eſſe Cubebam.

*ſerebat, ſaxoſis locis & maritimis naſcens. Has itaq; ſi perpendamus notas, vanã acerrimi ſophiſtæ cenſurã facile è ſuis deiiciemus præſidiis. X V. Rotundũ piper Indicus iã negotiator factus, Theophraſto Cubebã eſſe ſtatuit. Sed videat diligentius oportet innertatq; piperis aceruos ſi ad mentẽ reuocari cupit. Ibi enim innumeras reperiet rotundi piperis baccas, ſubrubro adhuc putamine obductas, minime rugoſas erui æmulas, tegmine, carneque conſtantes ( vt idem inquit Theophraſtus ) ſicut laurina bacca. Cubeba enim ſuum intra putamen non carnem ſed nucleum includit qui longe magis amarorem, quam vllam reſipit acredinem. Maiori ſane iniuria affici non poterat Theophraſtus, quam illi genuinum rotundum ſubtrahere piper, ac ſi tam notum aroma illi fuiſſet ignotum. X V I. Ad reliqua de Myrtidano & Myrrhidano quod is rotundũ piper facit, apud*

Santala noſtri vſus legitima.

*Hippo. reſpondebit Galen. quæ ille tam temere reprobat, libro de obſcuris Hipp. vocibus. X V I I. Santala noſtri vſus contra huiuſce conuitiatoris opinionẽ, Mauritanorũ eſſe Santala perpetuo crediderim, ſed aberraſſe eos in eorũ tẽperamẽto, vnacũ cæteris a . . ß Medicis, nõ ambigo. Quæ de maro & amaraco ſcripſerim quis legerũt in*

*meis in Dioſcoridem comentariis, merito hunc damnabunt calumniatorem, & omnium mendaciſſimum promulgabunt. XIX. Fabariam, quam tã temere Telephium non eſſe me putaſſe cenſet, ſi quis Telephii modo calidam abſterſoriamque dixerit, hunc extremo laborare ſtupore, quis non aſſerat? Hanc ſi (vt in commentariis noſtris diximus) Telephium facere volumus, dicamus neceſſe eſt, hiſce facultatibus noſtram carere Fabariam, ob cœli ſoliq; noſtri temperiem, vt de Cyrenaico Aro ſcribit Galen. Sed Telephium Theocrito Nicandri Scholiaſta vocari Scorpioidem noſtram, nihil ſane moror, quod plantis pro regionum more diuerſiſſima ſint nomina. Sat quidem mihi eſt hanc plantam Dioſcoridis Scorpioidem adeo per omnia referre, vt nulla prorſus nota ſit, quæ reclamet. XX. Cæterum quantum in cenſendis Dioſcoridis noſtri plantis valeat huiuſce Pſeudocrateua iudicium, quis non noſcet in cenſendo Amello. Iam ſenientem illum in Vergilium video, virgis vna colligatis, ad eius compeſcendam inſcitiam. Siquidem cum is florem, nõ herbam deſcribat, ferula excipiendũ hunc eſſe putat, qui pro Amelli flore, vel Chelidonii minoris, vel Primulæ Veris folia, dubia & incerta ſententia accipiendum cenſet. An quiſquam, niſi ſtolidus amenſve, non videt nullam caulium ſyluam ipſamq; ingẽtem (vt Vergilius idem ſcribit) è Chelidonio minori, aut altera illa planta extolli? Taceo ſaporis aſperitatem, quæ in hiſce plantis nulla reperitur, quinetiam florendi tempus prætereo, quod tantum Vere ipſo inchoante floreat Primula veris ac pariter Chelidonium illud aduentantibus ad nos hirundinibus, Amellus vero autumni tempore, in tonſis à falce iam vallibus. Præter hæc cum florem, non herbam deſcribat Vergilius, de foliolis illis ſeſe in toto floris ambitu circũfundentibus ſcripſiſſe neceſſe eſt, nõ de herbæ cuiuſuis foliis. Atqui ſane demiror, quod etiã vt tertium Amellum in medium afferret, maiorem nõ attulerit Perſicariã, quod huic longe euidentiora, quam illis allatis plantis nigra illa ſtigmata in foliis videantur, vt numeroſiorem in Amello progeniem relinqueret. Cæterum cum te virum doctiſſimum eſſe intelligam, cui mihi non opus ſit, hæc omnia explanare figmenta, cũq; iam ad nauſeam vſq; de his alias diſputauerim, plura hic Guilandini ſomnia nunc explanare non libuit, quinetiam ea potiſſimum cauſa, ne mea ingraueſcentis iam ætatis momenta, quæ in poſteritatis & Reipub. commodũ mihi conferenda ſunt, in hiſce confutandis inanitatibus conteram. Boruſſum hunc diuina eſſe indole facile intelligo, quod non ſequi tantum naturam, ſed ei præire, non illam explicare, ſed nouã per ſeipſum condere velle videtur. Non dubito quin vbi ex India in Italiã redierit, modo interim elementa, tam ſublimem nobis non rapiant naturæ indagatorẽ, aliam naturam in Europã ſit allaturus, quæ inauditas plantarum animaliũq; transformationes nobis pariat. Verum ſi hac duce ſuos etiam inhumaniſſimos non transformabit mores, non deerũt Reipub. vindices, qui Cacodæmonẽ hunc ad inferos repellant. Nam & in Hetruria Fraxinũ naſci ſcimus, quæ non tantũ virium facultate, ſed ligni etiã robore huiuſce Boruſſiacæ viperæ venenũ coercere poſſit. Egregiũ vero excogitauit Symbolũ, quo ad ſui Oenopolium potantes alliceret. Quid enim ſtultius, quid inſolentius, quid deniq; inconſultius, quam vnius tantum hominis cauſa vniuerſam in ſe concitare regionẽ? Et quam regionem? Hetruriã nimirũ quæ euerti ſe imis à fundamentis optarit potius, quã publicas iniurias impunitas relinquere. Audio à fide dignis hunc maledicorum obtrectatorumq; Coryphæũ, ſua è patria exulare publico montis Regij Academiæ decreto, quod ſeditiones nonnullas excitaſſet. Ideo mirum nobis eſſe non debet, ſi eo in Italiam reiecto ilico ibi plura corrumpi & male admodũ olere cœperit. Agaſonem Romæ, & in Sicilia primũ (vt audio) egit, quod tanta fuerit illi penuria panis, vt aliunde ſibi victũ comparare nequiuerit, quã ex allatis è montibus ſuo cum aſino radicibus, cum quo, cum tã diu verſatus ſit, nulli mirũ videri debet, ſi aſininos induerit mores. Facinoroſum hominem nebuloni huic ſimilẽ nunquam antea genuiſſe Boruſſiam facile intelligo ex illius gentis bonorum doctorũq; virorũ moribus, quibus cum & in Italia, & in Bohemia, ac etiam in Polonia non parua mihi interceſſit conſuetudo. Inter quos ſunt Valerius Fidlerus, Matthias Stoius, ambo Boruſſiaci Principis Medici, Ioannes VVillebrochius apud Sereniſ. Ferdinandum, Archiducem Auſtriæ, &c collega meus, Robertus Finckius Sereniſ. Reginæ Poloniæ Phyſicus, Bartholomæus Vuagnerus, qui in ampliſſima Repub. Dantiſcana medicinam facit, & alij plerique, quos partim de facie, partim ex ſcriptis noui. Horum doctrinã, humanitatem, pietatẽ, fidem, modeſtiã, inſignemq; animi candorẽ, neſcio quibus verbis, prout merentur, extollere debeã. Quo fit, vt credam hoc monſtro patria pulſo, nihil ibi poſt hac facinoris fœtoriſue eſſe reliquum. Sed ignoſce obſecro mi Crato, ſi doloris iuſtiſſimi vehementia longius prouectus, moleſtias omnes animi mei, in tuũ amiciſſimi mihi hominis ſinũ ita confidenter effudi. Leniri enim mihi aliqua ex parte videtur dolor meus, cum eſt, cum quo quaſi partiri eum, vel colloquio, vel per literas commode poſſum. Cæterum velim tibi perſuadeas me, eam amicitiam, ad quam me tui primum libelli iam ſæpius in vulgus editi, deinde etiam nuper ſcripta humaniſſime ad me epiſtola inuitauit, ſancte quoad vixero culturum, & vbicunq; occaſio aliqua ſe dederit tuæ famæ, & commodis tuis, omni ſtudio ſeruiturum. Vale.*

Fabariam non eſſe facultate Telephii.

Nicandri Scholiaſtæ Telephiũ quid.

Guilandini in Amello manifeſta inſcitia.

Fraxinum in Hetruria naſci ad coercendã Guilandini petulantiam.

Boruſſorum Doctorum laus.

## THADDÆVS NEMICVS A HAGEK Medicus, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Quæritur quid ſint baccæ piſcatoriæ, quas Germanicæ officinæ vocant Cotulas Elephantinas.*

*TVus erga me amor, & beneuolẽtia cũ ſumma humanitate coniuncta, Doctiſſime Matthiole, facit, vt liberius de communibus noſtris ſtudiis, vel præſens, vel per literas, dum ita ſors fert, tecum colloquar. Quare etſi nihil mihi poſſit accidere gratius, tamen quod tuo illi me amori nihil adhuc reddere potuerim præter parem beneuolentiam, & perpetuo memorem, pro tuis quam pluimis officiis erga me, voluntatẽ, aliquo animi angore afficior. Cui quidem, tum demũ aliquid adiumenti & leuationis adferre videor, quoties mihi in conſpectum propono, Deum & naturam ideo ſane te præclaris illis dotibus animi & fortunæ ornare voluiſſe, vt haberes & occaſionẽ bene merendi de cæteris, & liceret etiã ex tuo abundanti & perenni doctrinæ fonte, vberrimã haurire cognitionẽ. Id quia & mihi ſæpe contigit, hanc felicitatem mihi gratulor, & tibi mi Matthiole maximas ago gratias. Et quia nihil eſt quod viciſſim nunc à me tibi præſtari poſſit, te rogare non deſinã, vt tantiſper meũ in te redamando animũ & beneuolentiã*

*parē feras, donec maiorib. aliquando officiis tibi eundē declarauero. quod ad præſentes literas attinet, cur eas ad te ſcribā, etſi coniectura adſequi potes, percontari me quidpiā ex te in doctrina ſimpl. (nam de his potiſſimū inter nos colloquia, & ſermones miſcere ſolemus) tamen ne diutius te detineā, ordine rem exponā. Paucis ab hinc diebus, acceſſit quidam meam officinam Pharmacopœam, & petiit ſibi vendi, noſtro idiomate Gebulas, officinæ Cotulas Elephantulas vocare conſueuerunt. Et quoniam illas iam olim plene cognoſcere deſiderabam, hac recordatione vetus illud deſiderium noua quadam & ardenti cupidine uſq; eo in me exarſit, ut non conquieſcerē animo, donec quidnam eſſent, ex te cognoſcerem. Nam qui eas explicaſſet hactenus, quod ſciam, vidi neminē. Solus Fuchſius præclaræ eruditionis vir ab animali Elephante eas vocari putauit. Sed veriſimilius fortaſſe eſt grana alicuius plantæ eſſe, de quo quidem, quæ tua ſit ſententia, malo potius te dicentem audire, quam incertis agitari opinionibus. Hactenus præterquam ad capiendos piſces, quod equidem ſciam, nullius uſus erat in Medicina. Solent autem eas miſcere cum veteri caſeo, melle & farina tritici. Inde formant globulos ſeu pilulas piſi magnitudine, quas in flumen, vbi piſcium concurſus frequentior fieri conſueuit, proiiciunt. Alii hac ſequenti compoſitione vtebantur, qua & ego dum eſſem adoleſcens delectabar, non quod tenerer ſtudio capiendorum piſcium, quam quod vehementer admirarer artē & effectum. Sic autem habet prædicta pharmaci compoſitio.*

Pharmacum ad capiēdos piſces.

*Sumito Cotularum Elephantularum, Adipis agni, cuiuſque ſemiunciam, caſei antiqui ſeſcunciam, & Canabini ſeminis unciam. His addito ſeminis Anethi, Hyoſciami, cuiuſque drachmas tres, farinæ tritici drachmas duas, mellis drachmas ſex, Caphuræ drachmam vnam. Hæc omnia in mortario in maſſam redigantur, & fiant inde catapotia piſi magnitudine, quæ flumini placido iniecta (ne videlicet rapidius flumen piſces alio abripiat & deferat, vnde poſthac tolli non poſſint) & a piſcibus deuorata, paulula interiecta mora, eos infatuant, vt hinc inde nunc in flumine diſcurſent, nunc moueantur in orbem, magna cum voluptate adoleſcentum. Mox fatigati & iam fere exanimes, in ſummo fluminis natantes, reticulo piſcatorio extrahuntur. Extracti ſubito, vel exenterantur, vel in recentem aquam coniiciuntur, eiecta prius ex illorum ore pilula deuorata, quæ plerunque adhuc in faucibus, ex ventriculo fortaſſe eorum reiecta, hærere ſolet. Plerique redeunt ad ſe, & quaſi reuiuiſcunt, quod etiam quibuſdam accidit, ſi forte paulo diutius, vel in flumine relinquantur, vel vi fluminis in alium locum deferantur. Sed piſcatoribus eiuſmodi captura piſcium odioſa eſt. Itaque qui ſic piſces capere deſiderant, locum fluminis ſolitarium deligere ſolent, vbi nec à quoquam conſpici, nec in eiuſmodi captura deprehendi poſſint. Quod vero ex illo pharmaco ſic infatuantur & extinguantur piſces ſi natura illarum rerum, quæ in commiſtionem veniunt, conſideretur, omißis interim cotulis, non ægre deprehendi poteſt. Duo enim ſunt ſumma & præcipua, quæ circa illam compoſitionem in conſiderationem veniunt, quorum alterum eſt, quod delectat & allicit, alterum quod perniciem adfert. Quæ delectant ſunt hæc tria, farina tritici, mel & caſeus: conſtat enim his plurimum piſces delectari: reliqua exitioſa ſunt piſcibus. Commiſcentur autem delectabilibus ne fraus deprehedatur. Sic interfecturi muſcas exhibemus Arſenicum melle miſtum: hinc prouerbium: Sub melle fel & venenum. Semen Cannabis & Anethi calida ſunt & ſicca, præcipue vero Cannabis caput ferit. Ac cotulas illas eiuſdem eſſe facultatis, ac ſubſtantiæ calidæ & igneæ ipſe guſtus indicat. Adeps ſeu Seuum ſenſus hebetat, & ſomnolentiam inducit. Camphora nimia frigiditate ſtupefacit, & Hyoſciamus peculiariter exitioſus eſt piſcibus. Habet enim vim deleteriam & mentem maxime turbat. Itaq; non mirum eſt ſi piſces ex deuoratione talis pharmaci ſic veluti inebrientur & pereant. Sed ego ceſſo vlterius rationem compoſitionis excutere, quin potius, ea omnia, tuo diligentiſſimo examini, & acutiſſimo iudicio relinquo, & vt ad me de hoc toto negotio perſcribas, vehementer rogo. Bene vale, & me vt facis, ama. Pragæ.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS, Thaddæo Nemico, à Hagek Medico S. P. D.

*Reſpondetur quæſtioni præcedenti, & declaratur cur piſcatoriæ baccæ à Germanis Pharmacopœis Cotulæ Elephantinæ ſunt appellatæ.*

*BOni conſulas velim, quod petitioni hactenus tuæ non reſpondi. Noſti enim quot quantiſq; ſim ſemper negotiis occupatus, quo fit, vt non dubitem, quin tuipſe meam excuſaueris tarditatem. Amo te (ita Deus me amet) vehementer ob tuas in primis animi dotes, tum deinde ob multa abs te in me collata officia, adeo vt voluntas, mihi nō deſit tuæ in me voluntati pariter, ac æqualiter correſpondendi, modo pro tua de me expectatione, id tam facile præſtare poſſim. Equidem tametſi in indaganda deſcribendaq; ſimp. medic. hiſtoria conſenuerim, tamen nihil unquam de rebus dubiis affirmare auſim. Ideoq; cum id perpetuo vitauerim, neſcio ſane quo pacto in re non ſolum dubia, ſed peregrina, & cuius hiſtoria hactenus nobis a nemine quod ſciam, tradita eſt, aliquid certi veriq; afferre poſſim. Baccas, quas pharmacopœorum vulgus, Cotulas Elephantinas appellat, notas ſatis habeo, quinetiam earum vires. Sed a qua prouenient planta, vel an ab herba, vel frutice, vel arbore, cum prorſus me lateat, non eſt quod putes, id tibi aperire poſſe Matthiolum. Qui Alexandria Ægypti ad nos mercimonia conuehunt, nudas [illegible] baccas ferunt, quarum permultæ ſuis adhuc racematim hærent pediculis, hederæ corymborum mo[illegible] Id quum pridem non animaduertiſſem, putabam has Tithymali alicuius eſſe fructus, quod Tithymalis omnibus necandi piſces certißima ſit facultas. Atqui tractu temporis cum diligentius haſce baccas examinarē, nec iis necari piſces ſed in ſoporem, vel ſtuporem agi viderē, priorem coactus ſum deſerere ſententiam. Quo factum eſt, vt poſthac mihi perſuaſerim alicuius ſoporiferæ ſtirpis illius regionis, à qua deferuntur, eas eſſe fructus. Non tamē dicam Somnifici ſolani, Dorichnii, aut Mandragoræ, q; hoc minime cōpertū habeā, ſed alterius fortaſſe plantæ, quæ ſi non genere iis cōparanda ſit viribus nihilo ſecius ſimilibus habeatur. Sed non deſunt præclara eruditionis Viri in Germania, qui ab animali Elephāte eas vocari putent. q; in Germania perperā hæ Cotulæ Elephātinæ à Myropolis (vt puto) appellari cœperint. Scio quidē no deeſſe inter hos qui aſſerere non ſint veriti, Elephātinas vocari q; Elephantis gratiß. ſit cibus. Sed ii à veritate longe ſane aberrant, vt ſtatim audies. Allatæ primū ſunt hæ bac-*

Cotulæ Elephantinæ.

Tithymali omnes piſces necant.

hæ baccæ in Italiam, nullo appellatæ nomine. quo factum eſt vt noſtro idiomate vocatæ ſint à Venetis negotiatoribus Coccole di Leuante, id eſt, baccæ orientales. Coccole enim Itali, Venetiq; præſertim, nihil aliud deſignant quàm baccas: nec aliud Leuante, quàm Orientem. Hoc nomen poſtea in vniuerſam Italiam diuulgatum eſt. Deinde verò cum à Germanis mercatoribus vnà cum cæteris peregrinis mercimoniis deferrentur in Germaniam, vocariq; eas audiuiſſent Venetiis Coccole di Leuante, idem Italicam linguam ſua aſpera prolatione corrumpentes Cotulas di Elephante eas ipſas vocauere. Quam vocem, ſiue nomenclationem recipientes ſubinde Pharmacopœi Cotulas Elephantinas has baccas Latinè appellare cœperunt. Nomenclationis origo tam apud Italos quam apud Germanos ſic habet. Nec eſt, quod plura quam hæc de orientalibus baccis à me expectes, quòd nemo harum hiſtoriam (quod ſciuerim legerimq;) hactenus deſcripſerit. Quantum autem ad Pharmaci parandi ex Orientalibus hiſce baccis rationem attinet, ad fallendos piſces, etſi de omnibus, quæ in illud veniunt, medicamentis vſque adeò ſis ratiocinatus, vt nihil ferè addi poſſe crediderim, ne fortaſſe tamen ſubterfugiendi laboris cauſa, me nil de hac re ad te ſcribere velle putares, ſi id ſilentio præterirem, & ne potius aſſentatoris quàm fidelis amici conſilium me ſequi cenſeres, ſi tuum in hac re iudicium præ cæteris laudarem, relinquere ſanè non poſſum, quominus meam, vt rogas, tibi de his aperiam ſententiam. Placet ſanè (vt ingenuè fatear) quæ de tritici farina, melle & caſeo aſſeris, quinetiam quæ de Canabino & Anethino ſemine cenſes. quòd hoc ſua propria facultate ſomnum conciliet, illud caput feriat. Atqui dum orientalium baccarum facultates mihi propono examinandas, cum adeo ſoporiferas eſſe ſciam, vt ſumentes in ſtuporem agant, eaſdem ſanè calidas, igneas, ſiccáſque habere vires, non ita facile mihi perſuadere poſſum. Soporiferas eſſe has manifeſto eſt argumento, quòd additis caſeo tantum, & farina, ac ſubinde defruto, vel dulci vino exceptæ piſcibúſque obiectæ, ij paulo poſt ſtupidi fiant. Nec me à mea mouet opinione amaror ille qui guſtu percipitur, quique te non abſque ratione calidas eſſe has ad credendum inducit, quod Opium, quo nihil validius eſt in ſopore ſtuporeve excitando, amaritudine longe maiori pollere videamus. Quæ quidem amaritudo non impedit (ſi Galeno credimus) quominus Opium ſit ex quarto refrigerantium ordine. Quinetiam amara ſunt Papauerum capita foliaque quemadmodum & Mandragoræ radices amarore non vacant, quæ tamen omnes ſua frigiditate ſomnum conciliant. Caphuram præterea medicamentum eſſe frigidiſſimum, & ſua ingenti frigiditate ſumentes ſtupidos reddere, vt falſa Mauritanorum inualuit opinio, haudquaquam mihi perſuaſerim. Namque cum non ſolum accenſa vehementiſſime flagret etiam in aquam proiecta, ſed quod acutiſſimo ſit odore, & vſque adeo tenuium partium, vt niſi diligenter aſſeruetur facile in auram euolet, quinetiam ſi mandatur, os totum excalfaciat & ſiccet non eſt, quod credam tantillum quidem frigiditatis in Caphura noſtra reperiri poſſe. Talis itaque cum ſit, tenuiſſimarumque partium referta, rectè quidem medicamentis frigidiuſculis admiſceri Caphuram putauerim, non refrigerandi, nec ſtuporis inducendi cauſa, ſed vt craſſorum medicamentorum vires ſecum vehat & facilius introducat in corpus. Cæterum facit nunc Caphuræ ipſius mentio, vt ſilere non poſſim me cum iis haudquaquam ſentire, qui ſibi perſuadent Caphuram bituminis eſſe genus. Quandoquidem, præter id, quod ſcribat apertiſſime Serapio, hanc ingentiſſimæ arboris eſſe reſinam, & eius hiſtoriam pluribus diligentiſſime proſequatur, ſi ponatur in diſtillatorio vaſe, nec oleũ nec aquã mittit ſed hydrargyri modo ad vaſis cacumen aſcendẽs, ibi candidior, nitidior, ſelectiorq; cohæret. Id quod nullũ præſtat bituminum genus, ſiquidem hæc omnia artificio & igne facile in oleum vertuntur. His paucis meam de orientalibus Baccis ſententiam audiſti, quinetiam de medicamentis iis admiſcendis, nec plura nunc ſeſe offerunt, quæ tuis petitionibus accommodare poſſim. Hæc ſi probaueris lætabor ſanè plurimum. Sin minus, ea boni conſulas opto, tanquam à me ſinceriſſime prolata. Nec velim, ob id deſiſtas de aliis etiam ad me ſcribere, vbi tibi ſeſe aliqua offerat occaſio: nam eo gratius nihil mihi vnquam præſtare poteris. Vale. Prag.

[illegible] baccæ vnde dictæ fuerint.

Coccole di Leuante dicuntur baccæ Orientales.

[illegible] baccæ cur à Germanis vocentur Cotulæ Elephantinæ.

Orientalium baccarum facultas examinatioque

Caphuram non eſſe frigidam cõtra Mauritanos.

Caphura cur frigidis admiſceatur medicamentis.

Caphuram non eſſe genus aliud quod bituminis.

## GEORGIVS A TVRRI COMES ET LIBER BARO, PETRO ANDREÆ MATTHIOLO S. P. D.

SVper Matthiole doctiſſime, Pragacum Parente obſeruandiſſimo, Goritiam incolumis redii, vbi quum aliquandiu commorati eſſemus, tandem pater ipſe, vt grauiſſimum animi dolorem, quem ex tam recenti iactura (vt noſti) accepimus, cũ vt publicas, tum priuatas occupationes, aliqua ex parte ruſticatione leniret, Rubiam ſe cõtulit, cum quo ipſe etiam ſum profectus. Illic poſtquã villæ amœnitatem, cœli temperiem, illiuſque rerum omnium opportunitatem, ac quãtas tum voluptates tum fructus & vtilitates, res ruſtica ſecum afferat, paulo accuratius mecum ipſe cogitaſſem, planè illorum explodendam eſſe ſententiam cognoui, qui vrbanis quæſtibus addicti, agriculturam damnant, eoſque ſordidos, & minus liberales exiſtimant, qui cum opibus & dignitate floreant, relictis ciuilibus moleſtiis, omnibus cupiditatibus ſoluti, ruri vitam agant. Conſtat enim antiqua illa florentiſſima Romanorum ætate ſummos viros, qui ad gubernacula Reipub. ſedere conſueuerant, in agris commorari, & Nonis tantum modo diebus, vnde etiam Nundinarum conuentus ſunt vſurpati, ad res vrbanas gerendas in Vrbem per viatores euocari ſolitos. Neque enim Quinto Cincinato obſeſſi Conſulis liberatori vitio vertitur, quod ab aratro ad Dictaturam venerit, aut Marcus Curtius, & C. Fabritius minus apud poſteritatem laudis gloriæq; ſunt conſequuti, quod Pyrrho ex Italia pulſo, domitiſq; Samnitibus, ruri, quã intra oppidorum mœnia conſeneſcere maluerint. Quinimo Cyrus ille præſtans vir ingenio, & Imperii gloria Perſarum Rex ſummus haud iniuria laudibus celebratur, propterea quod incredibili ſolertia & diligentia ſuis manibus arbores conſerere, eaſq; dimetiri & ordines in quincuncẽ dirigere ſolebat, ex quo ille à Lyſandro Lacedæmone ſummæ virtutis viro, beatus eſt appellatus, quoniam virtuti ſuæ fortunam coniunctam eſſe cerneret. Cuius deinde exemplum ſecutus Diocletianus Imperio ſponte ſeſe abdicauit, atque ſe in dulcia rura conferens, nullis perſuaſionibus potuit à rure beato auelli, ſed aſſiduè prædicans voluptates, quæ ex agro excolendo percipiuntur, lætiſſimos ſoles dicere conſueuerat, affulgere ruris habitatoribus. Denique, vt alios pleroſque prætercam, potiſſimum autem Carolum V. Inuictiſſimũ Auguſtiſſimumq; Cæſarem adducam, qui rebus ampliſſimis geſtis, Imperio Regniſque florentiſſimis, incredibili animi magnitudine relictis, ſe in lectiſſimum quoddam Hiſpaniarum Cœnobium, hortoſque amœniſſimos recipiens,

Agriculturam apud antiquos in magna fuiſſe æſtimatione. Reges & conſules agricolæ.

Carolus V. Romanorum imperator.

Franciſcus Turrianus Comes, rei Agrariæ ſtudioſus.

recipiens, extremos vitæ dies, conſimili ruſticationis genere claudere decreuit. Summi enim & præclariſſimi viri animaduerterunt rerum omnium mortalium nihil agricultura melius, nihil vberius, nihil homine libero dignius, nihil dulcius, aut iucundius excogitari poſſe. Sed hæc pluribus fortaſſe quam par eſt, ad te virum eruditiſsimum, non idcirco ſcripſi, quod tibi minime perſuaſum eſſe verear, iſtos vrbanarum rerum ſtudioſos longe a vera ſolidaque fœlicitatis vſu aberrare. Sed vt intelligas Parentem quoque meum non fruſtra rei ruſticæ ſumma delectatione duci, qui non modo villam hanc ſatis amplis ad vſum & habitationem ædificiis, verum etiam ampliſſimo leporario & amœniſſimo pomario, ad voluptatẽ exornare inſtituit, in quo iã varia ſunt arborum ſemina conſita, in quibus Amygdalarum, malorumq; diuerſi generis ſurculos inſerendos curauit, quæ nunc mira iucunditate in ſingularem proceritatem adoleſcere videntur. Itaq; ex eorũ aſpectu non modica oblectatione afficior, frequenterque nouum ingredior pomariũ, ex arbuſcularum tum ordinibus, tum viriditate ſummam voluptatem capiens. Verum ſicuti Marcum Catonem illum ſeniorem, non modo fructus, verum etiam vis, & natura rerum ruſticarum magnopere delectabat, quoniam ſumma cum iucunditate conſiderabat, quemadmodum terra gremio mollito & ſubacto ſemen exciperet, ac deinde illud tepefactum vapore & complexu ſuo diffunderet, atque eliceret herbeſcentem ex eo viriditatem, quæ ſtirpium nixa fibris adoleſceret, & denique frugem optatã oportuno emitteret tẽpore. Ita mihi euenit, vt admiratione quadam delecter, cum cogito qua ratione ex fici tantulo grano, ex acino vinaceo, ex tam paruo cupreſſi ſemine (quod tu etiam in tuis eruditiſſimis in Dioſcoridem commentariis es admiratus) aut aliis ſtirpium minutiſſimis ſeminibus, trunci ramique in tantam procreentur proceritatem, atque in malleolis, vitibus, radicibus, propaginibus, fructibus, plantiſque omnibus varia & diuerſa ratione, ſingulari quaſi miraculo natura operetur, frugeſque producat, quæ cum ad voluptatem & alimenta humana, tum in re medica præcipuum obtineant vſum. Quo fit, vt me plena perfectaque huius pomarii voluptate frui non poſſe putem, niſi non modo ea, quæ cum externe cernantur, & quotidiano percipiantur vſu, etiam a peritis agricolis diſci poſſunt, verum etiam vires & naturam frugum ipſarum arborum, cuius cognitionem eruditiſſimi duntaxat viri conſequi ſolent, exacte percipiam.

Petitio.

Cuius rei cum incredibili tenear deſiderio, neque alius occurrat, per quem huic cupiditati meæ æque ac per te ſatisfieri poſſe putem, has ad te dare inſtitui, obnixe petens, vt quemadmodum iampridem luculentiſſime tuis in Dioſcoridem commentariis omnium elegantiſſime & copioſiſſime plantarum ſtirpiumque hiſtoriam es proſequutus, tantoque & ingenii acumine, & dicendi copia ſimplicium medicamentorum materiam illuſtraueris, vt iure optimo inter noſtrates iſtius facultatis ſcriptores principem locum obtineas, nunc ſingulare ſtudium in deſcribendis Amygdalarum malorumq; cuiuſcunq; generis viribus, vſu, natura & facultate adhibeas. Quo vno officio me tibi vſque adeo deuinxeris, vt ſi quem fructum aut oblectationem ex ipſo Pomario percipiam, id tibi, doctiſſimiſque ſcriptis tuis potiſſimum acceptum referam. Vale. Rubiæ.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOlus, Illuſtri Comiti Georgio à Turri, S. P. D.

### Tractatur de Amygdalarum, malorumq; hiſtoria & facultatibus.

PErpaucis ante diebus, Illuſtris Comes ad te ſcripſerã, cũ mihi tuæ literæ Goritiæ ſunt redditæ, Iucundiſſimæ ſane illæ, & mihi gratiſſimæ, vt cui nihil optatius eſſet, quam de te ex te ipſo aliquid tandẽ audire. Nam poſt quã Praga profectus eras, nihil de te neq; a te in eũ vſq; diem perlatum ad me fuerat. Gratulor autem tibi plurimum te iſthuc vna cum Illuſtri patre ſanum, hilarem ſoſpitemq; perueniſſe. Tua enim & patris tui ſalus quantum mihi curæ eſſe debeat, ſciunt hic omnes, quos minime latet, quanta beneuolentia, ac fauore (quæ veſtra eſt humanitas atq; benignitas) me ſemper complexi ſitis. Cæterum, velim te ſcire, me ſæpe Deo Optimo Maximo maximas agere gratias, quod Illuſtris patris tui meminerit patrocinio, cum hunc facile conciciam principis beneuolentiam erga me indies non parum augeri, & inuidorum, maleuolorumque, quibus ipſa virtus, & bonorum virorum commoda ſtomachum faciunt, maleficos dentes penitus retorqueri. Placuit deinde mihi ſummopere id, quod de Amygdalis & Pomis tam humaniter a me petis, quippe quod nihil aliud vnquam magis optarim, quam officia mea omnia in tua, illuſtriſq; genitoris tui conferre placita. Scribis itaq; (ſi recte intellexi) eſſe tibi viridarium pulcherrimum, in quo præter cæteras fructiferas arbores conſitas eſſe Amygdalarum Malorumq; innumeras plantas. Quorum fructibus, cum plurimum delecteris, cupis per literas a me ſcire, non ſolũ quomodo iis ſalubriter veſci poſſis, ſed vtriuſq; arboris naturam & facultates. Quibus petitionibus tuis, & ſi forte eo ſcribẽdi genere, non ſatisfaciam, quod ingenii tui præſtantia & res ipſa expoſcere videntur, nolim tamen vt id mihi negligentiæ aſſcribas, quum omni mea opera tibi morem gerere velim, ſed ſi quid defuerit, id totum noſtris occupationibus, vt aſſcribas, opto.

Amygdalæ nuces duorum generum.

Amygdalæ itaque nuces authorum omnium conſenſu, duorum ſunt generum: Dulces ſcilicet, quarum in cibis eſt vſus, & amaræ, quæ tantum medicamentis expetuntur.

Dulcium Amygdalarũ ſpecies plures.

Dulcium item (vt obſeruare poteris) plures ſane ſunt ſpecies. Siquidẽ quædam magnæ ſunt, quædam paruæ, quædã mediocres, quædã compreſſæ, quædam rotundiores. Itẽ nonnullæ duriſſimo conteguntur operimento, aliæ vero tam fragiles, vt non ſolum dentibus, ſed digitis cõfringi poſſint. Sunt itẽ quæ duplici cõſtant nucleo. Quo fit, vt pro generis varietate alteræ alias dulcedine & ſuauitate ſuperent.

Quomodo ex amaris Amygdalæ fiant dulces.

Fiunt ex amaris dulces, ſi ſtipite circũfoſſo, & in ima parte circũforato defluens inde humor abſtergatur, dimittaturq; diu fluere, vel ſi circa radices apertas vrina, vel ſuillũ ſtercus diffundatur.

Dura Amygdalarum putamina qua ratione fiãt fragilia.

E duris item nucibus fragiles, molleſque, ex amaris dulces Amygdalas creabis, ſi radicibus ante ſcrobes ablaqueatis, aqua calida freqũeter ingeratur. Solet plerunq; etiam contingere Amygdalarũ plantas, parum eſſe

*eſſe feraces, quod quidem maxime ægre ferunt cultores. Id ſi forte Amygdalis tuo in viridario [illegible] acciderit, facile fructiferas reddes, ſi perforato arboris caudici calculum inieceris & ita librum [illegible] permiſeris, vt foramen concludat. Præſtat item ferreo palo arboris caudicem vi perforare, & deinde quernum paxillum forti percuſſione inſerere. Nec minus id facile conſequeris, ſi perforata terebro radice tædæ propinguis cuneum malleo adigas.*

**Amygdalus ſterilis quomodo ferax fiat.**

*Seritur Amygdalus viua radice, auulſo etiam ramo, & nuce ipſa. Vbi autem auulſo ramo tibi ſerenda fuerit, effoſſa ſcrobe, cacumen pro radice in terram figere iubebis, ſic vt craſſior lignoſiorq; pars ſurſum ſpectet. Sed autumno hoc fieri expedit, priuſquam hyems inualeſcat. At ſi nucibus id efficere libeat, eas terræ non credas, niſi prius liquido fimo, vel aqua mulſa nocte vna maceratas. Quod tamen facere oportet circa Calen. Februarias.*

**Quot modis ſeratur Amygda.**

*Cæterum nihil æque degenerat, quam Amygdalus, ideoq; aut plantam ſæpius transferri, aut adultam inſeri præcipiunt. Fructum perdit Amygdalus facilime ante maturitatem, nocetq; illi plurimum Auſtrinum cœlum.*

**Amygdalus facile degenerat.**

*Sed audias rem ſcitu pulcherrimam. Democritus poſteritatis memoriæ prodidit, naſci Amygdalas inſcriptas, ſi aperto putamine quis nucleum illæſum tollat, & in eo quod libet ſcribat, inuolutumq; charta & iterum luto, ac ſuillo ſtercore nucleum terræ credat.*

**Amygdalę nuces quomodo inſcriptę naſcantur.**

*Amareſcunt dulces Amygdalæ ſi primo germinatu tenellæ arbores à pecore decacuminentur.*

**Dulces incuria amareſcunt.**

*Dulces (vt Galenus inquit libro II. de aliment. fa[illegible]ibus) nihil prorſus adſtringentis facultatis ſortitæ ſunt, ſola enim extenuandi atq; abſtergendi vi pollent, qua tum viſcera repurgant, tum humores è pulmonibus, ac thorace ſputis expectorant. Oleoſæ tamen ac pinguis facultatis, vt iuglandes participes ſunt, cuius cauſa & ipſæ procedente tempore fiunt, vt illæ Oleoſæ, quod eis longe minor inſit hæc qualitas, quam iuglandibus. Ex iis ſane intelligi poteſt, quod neq; ventri ſubducendo conferunt, neq; corpus multum nutriunt. Hæc de dulcibus Amygdalis Galenus.*

**Amygdalarũ facultas.**

*Quibus omnibus palam fit, quam ridenda ſit eorum ſententia, qui lacteum cremorem è dulcibus Amygdalis parari ſolitum dari minime debere anhelofis, cæteriſq; pectoris & pulmonum vitiis laborantibus contendunt, quod falſo ſibi perſuadeant cremorem hunc omnino adſtrictoriæ facultatis non obſcure eſſe participem, eo tantum argumento freti, quod magno ſane auxilio Dyſentericis propinetur, minime aduertentes, id euenire (ſi tamen vera referũt) non quod vlla ſit in Amygdalis (vt Galenus inquit) adſtrictoria facultas, ſed præter id quod aluum non ſubducant (vt ipſe etiam ſcribit) ſua pingui qualitate humorum acredinem, quibus plurimum Dyſenteria fieri ſolet, retundant, & inteſtinorũ dolores mulceãt. Hinc itaq; hos prorſus hallucinari Medicos facile comperies, qui falſa hac opinione ducti, vetant dari lacteum Amygdalarum cremorem tuſſientibus, pleuriticis, anhelofis & aſthmaticis contra Galeni & cæterorum probatiſſimorum authorum ſententiam. Sed iam tu ipſe iudicare poteris, quam magno duceretur errore cenſor clariſſimus ille, qui coram te, tam elato ſupercilio mecum contendebat, lacteum cremorem ex Amygdalis dulcibus expreſſum adſtringenti vi non mediocri pollere, & ideo inſpirandi difficultate non eſſe propinandum. Hæc ſilentio inuoluenda non duxi, non tamen (ita me Dii ament) vt mea apud te creſcat authoritas, ſed vt cognoſcas non omnes de his recte differere poſſe.*

**Medicorũ quorundam opinio exploſa.**

*Hinc itaque facile quis intelligere poterit Amygdalas haudquaquam adſtrictoriæ eſſe facultate, nihilque magis earum cremore anhelofis, & quouis pectoris ac pulmonum morbo laborantibus in cibis prodeſſe, cum parum nutriant, attenuent, detergant, viſcera expurgent, tum humores è pulmone ac thorace educant ac promoueant. Præſtant in cibis quæ iam maturitatem adeptæ recentes ab arbore decerpuntur, quod minus oleoſæ ſubſtantiæ pinguediniſque ſint refertæ. Præſtant item quæ tam diu frigida fuerint macerata, vt facile delibrari queant, præſertim ſi cum ficubus deuorentur. Sicca vero, quæ nullum experta ſunt humorem longe minus probantur. Quæ parum igne torrentur pinguedinis expertes effectæ, ſtomacho magis competunt.*

**Amygdalarum dulcium facultas.**

*Lacteus earum cremor ex Sacchàro paratus gratiſſimus eſt cibus & nutritioni idoneus, concoctuq; facilis, iis maxime vtilis, qui ardore vrinæ laborant.*

**Lactei cremoris vis.**

*Auget Amygdalarum in cibis vſus genitale ſemen, & viſum etiam acuit, præſertim ſi cum Sacchàro deuorentur, vel in placentas conformẽtur ex Sacchàro, quas Martiapães vocamus. Torreſiunt etiam & in particulas diſſecãtur, & ſubinde Sacchàro, vel melle ad ſummum cocto excipiuntur, fiuntq; inde retorrida placenta, quæ ſecundis menſis commode pro bellariis apponuntur.*

**Martiapanũ facultas.**

*Teruntur cum amylo, tragacanthæq; lachrima & ſubinde lacte bubulo & Sacchàro excipiuntur, miſcenturq; ſimul donec conſiſtant, & ad formanda inde varia animalium genera, fictilibus quibuſdam ad id effigiatis reponuntur, quouſq; tremulam quãdam firmitatem conſequantur. Tali ſæpe edulirum apparatu Principum, Heroumq; menſæ exornari ſolent.*

**Bellariorum ex Amygdalis parandi ratio.**

**Cibus albus ex Amygdalis paratus.**

*Atteruntur in marmoreo mortario ligneo piſtillo vna cum Sacchàro gingiberis momento & Caporum pulpa, & digeruntur in offas, quæ magnam cum palato ineũt gratiam. Non deſunt etiam qui huiuſmodi offas tenuiſſima paſta circumuoluant, & deinde frigant in feruenti butyro & poſtremo Sacchàri puluerem ſuperaddant.*

**Offæ amygdalinæ.**

*Adduntur integræ delibrataq; cõgelatis iuſculis, quod non ſolum eſu placeant, ſed quod etiam decoris addant aliquid. Sumuntur vna cum malis, & in tenues ſecantur partes, miſcenturq; iuſculis, quæ ex vino, vel defruto, vuis paſſis, aromatis, & croco paratis pro ferinis carnibus condiendis in vſu ſunt hyemali præſertim tempore.*

**Condimentũ ex Amygdalis pro ferinis carnibus concinnandis.**

*Teruntur delibrata & roſarum aqua perfuſa in lapideo mortario & addita mica panis ex ſucco aurantiorum macerata cum gingiberis momento ad carnium intinctus.*

**Intinctus ex Amygdalis dulcib.**

*Veniunt Amygdalæ & in alios ciborum apparatus, quos, ne cocum magis quam Medicum hic agere videar, ſilentio inuoluendos duxi. Volui tamẽ nonnulla tibi deſcribere, vt variis etiam modis pro libidine [illegible] cibus Amygdalis vti poſſis in cibis.*

*Virides Amygdalæ anteaquam ligneam contrahant duritiem, ſi deuorentur, humida ſtomachi vitia emendant. Ideoque nonnullis ſcio eſſe obſeruatum, conferre plurimum ad prægnantium malaciam.*

**Amygdalarũ viridium facultas.**

*Amygdalæ (vt Florentinus in Georgicis ait) ad legendum maturitatem fatentur, cum exterior earum cortex dehiſcere incœperit, quæ ſi muria lauentur, & candidiores euadunt, & diutius incorruptæ aſſeruantur ad vſum. Si autem ægre corium exuant, paleis obrutæ continuo relaxabuntur.*

**Quo tẽpore maturitatem oſtendunt.**

*Amaræ (vt de his etiam aliquid tibi in medium afferam) etſi in cibis obſoniiſque nullum præſtent vſum, non tamen velim vt earum arbores tuo è viridario, ſi forte inibi aliquæ fuerint, tollantur, cum plurimum expetantur ad medicamenta.*

**Amararũ Amygdalarũ facultas.**

*Præſumptæ enim ſex ſeptemue numero (vt Dioſcorides, Plutarchus & Athenæus memoriæ prodiderunt) hominem inebriari prohibent, ob idque refert idem Plutarchus apud Druſum Tiberii Cæſaris filium, quendam Medicum comeſſari ſolitum, qui omnes bibendi certamine prouocabat, nemiq; cedebat in vini potu. Is tandem deprehenſus eſt anteaquam biberet quina ſenaue amara comeſſe Amygdala, quo minus temulẽtia tentaretur. Porro cum eas deuorare vetuiſſent, nec pauxillum quidem in huiuſmodi potu reſiſtebat. Hæc tibi narranda mihi propoſui, non quod credam te adeo potationibus eſſe addictum, vt*

**Amygdalę amaræ crapulam arcent.**

*hoc indigeas medicamento, ſed vt ſcias miram hanc eius facultatem, & compotaſſe etiam olim Romanos, perinde ac noſtri compotant Germani & cæteri fere, qui Septentrionales incolunt regiones. Vulpes præterea necari tradunt, amaris Amygdalis deuoratis, quinetiam & anſeres & gallinas. Sed vulpes ſanari aiunt copioſo frigidæ potu, quem ſi dimittant, proculdubio emoriuntur. Eædem tuſæ & illitæ vitia cutis in facie, nempe lentigines, tontos, impetigineſque detergunt, Menſes admotæ cient. Illitæ fronti aut temporibus, cum aceto vel roſaceo, capitis dolores mulcent. Epinyctidas ſanant ex vino, item putreſcentia vlcera, & quæ in carne ſerpunt, quinetiam canum morſus cum melle commixtæ. Earum autem eſu dolores finiuntur. Somnum conciliant & vrinam cient. Dantur vtiliter ſanguinem reiicientibus, mentha & amylo additis. Præſtant ad vitia renum, & pulmonum inflammationes ex aqua potæ vel in eclegmate cum terebinthi lacryma deuoratæ. Calculoſis ægreque vrinam reddentibus proſunt ex paſſo tuſæ. Miſcentur cum melle & lacte optime prius tuſæ dantur que ſubinde iocinoroſis, tuſſientibus & coli inflammatione affectis, quinetiam aſthmaticis, purulentis, anhelosis & pleuriticis, præſertim vbi craſſa tenuare, lenta incidere & excreationibus educere oportet. Iocinoris obſtructionibus plurimum conferunt, expediunt enim venas extremas lentis craſſiſq; humoribus occupatas, atque etiam expurgant. Lienoſis iuuant, & vteri morbos pellunt. Radicum decoctum vitia cutis in facie delet perinde ac ſi illitis. Gummi quod ex caudice prodit, excalfacit & adſtringit. Illitum cutaneas impetigines tollit, præſertim vbi aceto fuerit exceptum. Prodeſt potum cruentis reiectionibus. Bibitur vtiliter cum diluto vino ad veterem tuſſim. Hauſtum cum paſſo calculum comminuit. Oleum quod ex amaris nucibus exprimitur, hac omnia magnifice præſtabit hauſtum, quinque vel ſex vnciarum pondere. Siquidem præſtat magno iuuamento contra vuluarum & vteri dolores. Strangulatus, conuerſiones, & eorundem locorum inflammationes aufert. Vitiis renum, difficultati vrinæ, ſuſpirioſis, lienoſiſque mirifice prodeſt. Dolores capitis, grauitatem auditus, ſonos incertos, tinnituſque diſcutit. Maculas & vitia cutis tollit è facie, & eam erugat cum melle, cera & lilii, aut roſaceo cerato. Oculorum hebetudines emendat, & vlcera capitis manantia, furfureſque cum vino abſtergit. Hoc eſt dulci Amygdalino oleo ad omnia efficacius, illud tamen huic quandoque præfertur, cum facilius comparetur, quod ab omnibus ſit, tum etiam quod non adeo excalfaciat. Ideoque eo frequentius vtimur ad omnia prædicta. Sed de Amygdalis hactenus. Reliquum autem nunc eſt, vt de malis aliquid etiam ſcribam. Quorum genera (vt & alia multa) varia ac multiplicia habentur, vt non ſolum eorum varia indicat forma, ſed etiam ſapor, quo fit, vt non omnibus vna tantum ſit facultas. Alia namque auſterum, alia acidum, alia dulcem habent ſaporem. Sunt etiam quæ mixto ſint ſapore, ita vt appareant & dulcia ſimul & auſtera. Habentur & alia, in quibus auſteritas cum dulcedine manifeſte percipitur. Ad hæc alia cum acore acerba inuenies, quinetiam quæ tres ſimul ſapores plane referant, dulcem ſcilicet, acidum & acerbum. Ideoque cum ſapores tam multis varient, variare etiam eorum facultates neceſſe eſt. Etenim quæ auſtera ſunt, terrea quadem qualitate redundant, quare vtiliter vſurpantur, vbi adſtringere ac roborare opus eſt. Acida frigidum ſuccum habet ad refrigerandum vtilem. Sed dulcia mediæ ſunt temperaturæ ad calorem vergentia. Atqui cæteris frigidiora ignauioraque ſunt, quæ inſipido habentur guſtu. Hinc itaque fit, vt varius debeat eſſe malorum vſus, pro ſaporum varietate. Vtimur quidem auſteris ad ventriculi imbecillitatem, vbi affectus vel exuperante calidi intemperie, vel redundante humiditate fit. Acerbis vero vbi hæc aucta admodum fuerint. Acidis vtimur cum in eo ſuccum, qui non magnopere frigidus habeatur, ſuſpicamur in ipſo ventriculo eſſe collectum. Quæ autem odorata, ac dulciora ſunt, in cibis conuenientiora eſſe iudicantur, quemadmodum ſunt quæ Appiana Hetruſci dicuntur, & quæ Roſea etiam appellamus. Roſea Goritienſes, & Forolulienſes Bertolina vocant, ſapore ſuauiſſimo, odorata, manſuque ſuccoſa. Cæterum etiam optimi generis mala vitanda ſunt, antequam in arbore bene maturuerint, quippe quoniam concoctu ſunt difficilia frigidaque, tarde permeant & praui ſunt ſucci. Quæ vero bellè matura in hyemem, & proximum ver aſſeruantur, cæteris ſalubriora habentur. Sed longe magis cocta quam cruda, præſertim ſi ex optimo fuerint genere. Hæc non ſolum ſanis hominibus competunt, ſed etiam ægrotis quandoque maximum afferunt præſidium, ſed poſt cibum ſtatim ipſa dare oportet, nonnunquam autem etiam cum pane ad ventriculum & ſtomachum roborandum, iis qui dejecta ſunt appetentia, tardeque cibum concoquunt, quique vomitu, diarrhœa ac dyſenteria infeſtantur. Odorata præ cæteris calidis cordis affectibus auxiliantur, præſertim vbi decocta prius ſub cineribus, aqua Roſarum & ſaccharo fuerint aſperſa. Quo fit vt nulla idonea qua ratione dixerit Auerrhois (ſit tamē cum venia tanti Philoſophi dictū) poma quæcunque phthiſim parere, quam id nulla fieri poſſit ratione, quæ à Medicis recipi debeat, quanquam cenſor ille Senex, opinione fretus potius, quam ratione ductus, hac Auerrhois ſententia fretus, vbi poma à cœna ſumenda probaueram ad roborandum ventriculum, aſſumentem potius Principem laeſit, quam Matthiolum, cuius tamen autoritas, vt tu qui aderas recte noſti, non ſolum à Principe accommodis verbis ſeruata eſt, ſed etiam confirmata, quod reiecta noua hac calumniatoris ſententia, poſthac à pomis temperare noluerit. Quæ præcocia dulciaq; Vere maturuerint inutilia, ac noxia ſunt, bilem enim generant, neruos lædunt & flatus pariunt. Mala omnia ſeminis nigritie maturitatem præ ſe ferunt. Leguntur poſt Æquinoctium Autumni. Seruantur poma quæ diligenter decerpta fuerint (caduca quidem ſeparanda ſunt, ne putreſcentia cætera inficiant) tabulatis, ſubſtratis ſtramentis, loco frigido, ſeptentrionalibus feneſtris, quæ ſereno die lucem accipiant patentes. Vbi autem hyems algidior fuerit, paleis operienda ſunt, ne congelentur, & pereant. Rara etiam componi debent, ne contactu putreſcant, ac etiam vt aer liberius ſpatiari poſſit. Seruantur etiam diu, vbi manu illæſa decerpantur, & marino muſco inuoluantur ſingula. Conſeruantur etiam ſi hordei, vel milii aceruis obruantur. Conduntur quoque diu, ſuis ramulis ſuſpenſa in fictilibus magnis ſpiraculis diligenter concluſis, effracto tamen fundo, vt ſpiritus excludatur. Hoc enim modo aſſeruata, talia poſt hyemem inueniuntur, qualia fuerunt condita. Seruantur etiam illæſa ſuper ſuſpenſis cratibus ſuppoſitis, ſuperpoſitiſque culmis vel panici calamis vna cum ficus foliis. Vbi autem mala vermibus in arbore vitientur, illæſa poſthac præſtabunt. Barbaris radices ſuillo fimo vrina humana commiſto operies. Dulciora fieri affirmant, ſi caprinum fimum cum eadem vrina diſſolutum radicibus affundatur, vel fex vini veteris. Morbos omnes abigit Aſininum ſtercus aqua maceratum, & circa arboris ſtipitem circumfuſum. Fœcundiores redduntur arbores, ſi ante germinationem à terra altitudine pedis plumbeo circulo caudicem ſtrictim obduxeris, itaque permiſeris quouſque mala adoleſcere cœperint, tunc enim ſoluendus circulus eſt, & ſuo tempore quotannis obducendus.*

Si

Amygdalæ amaræ vulpes, anſeres, & gallinas necant.

Olei ex amaris Amygdalis expreſſi facultas.

Malorum varia genera.

Auſtera.
Acida.
Dulcia.

Auſterorū vſus.

Acidorum vſus.
Dulcium odoratorum cuius vſus in cibis.
Mala quæ vitanda.
Mala quæ ſalubriora.
Malorum facultas.

Auerrhois de malis ſententia improbatur.

Mala præcocia inutilia in cibis.
Quo tēpore legenda, quomodo aſſeruanda.

Remedia aduerſus vermes.

Mala ut fiant fœcundiores.

Si caduca ſint poma, fixa radici lapis impactus ea retinebit. Si copia ingenti ramos onerabunt, fulcimentis ſuſtineantur, tollanturque, quæ inutilia, & vitioſa videbuntur, hoc enim pacto relicta pleniora euadent, & arbor grauamine ſubleuabitur. Inſeruntur Mala in ſylueſtri Pyro, in Cydonio malo, in Oxyacantha, ac etiam nigra Moro, quæ deinde ruberrima fiunt. Si erucæ acceſſerint, ſuffiantur arbores bitumine, pice, ac etiam ſulphure, id quod non ſolum hac in arbore operatur, ſed etiam in cæteris. Hic itaque habes, mi Illuſtris Comes, quæ de Amygdalis & Malis obiter ſeſe obtulerunt deſcribenda, in quibus ſi tibi ſatisfactum eſſe intellexero, erit mihi tam gratum, quam quod gratiſſimum. Vale.

Malorum caducorum remedia.

Quibus in plantis malus inseri poſſit.

Remediū contra erucas.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Caſparo Peucero Medico, S. P. D.

*Agitur de Hircis quibuſdam lac copioſum præbentibus.*

*Memineram ſæpe me legiſſe apud Ariſtotelem libro tertio, capite vigeſimo, de hiſtoria animaliū, fuiſſe olim in Lemno Inſula Caprum, è cuius mammis, quas geminas iuxta genitale gerebat, tantum lactis emulgebatur, vt inde coloſtra conficerent. Idque etiam proli maſculæ Capri illius eueniſſe. Sed quum hoc oſtentis potius annumeret Ariſtoteles, adeo vt Lemnio illi pecoris domino conſulenti, reſponderit oraculum, amplius futurum peculii incrementum, putabam quidem, id non, niſi rariſſime, tanquam aliquid factū præter naturæ ordinem euenire poſſe. Atqui nunc primum animaduerto, hoc tam rarum non eſſe ſpectaculū, cum vno & eodem tempore, hic in Bohemia diuerſis in locis tres hirci reperti ſunt, qui ſuis ex vberibus lac ſatis copioſum reddunt. Delatus eſt primus, cuius hic ad te imaginem mitto, ad Sereniſſimum Archiducem Principem noſtrum, è cuius mammis ipſe hactenus pluries lac copioſum emulſi.*

Tres Hirci in Bohemia ſunt vno & eodem tepore lac præbentes.



*Nam cum, qui hoc monſtriferum animal attulit, iureiurando aſſeueraret, lactis illius potu ſe Epilepticos aliquos curaſſe infantes, vt & ego medicamēti periculum facerem, illum domi meæ alendum tradidit mihi Sereniſſimus Princeps meus. Atque iam certior factus ſum, id proculdubio non eſſe falſum. Dedi ego lac potandum pluribus non ſolum infantibus, ſed etiam adoleſcentibus & adultis, quibus omnibus non paruum præſtitit auxilium, quanquam infantibus magis, quam cæteris. Verum cum ſciam hircinum iecur, à quo ſanguinis totius fons emanat, comitialibus adeo eſſe inimicum, vt ſi deuoretur ab illis, illico deprahendantur, non poſſum profecto non mirari ſatis lac ipſum è ſanguine genitum non ſolum id non efficere, ſed quod maius eſt, Epilepticos magnopere curare. Habet hoc animal, vt hic ex eius imagine videre poteris, vbera ante teſticulos, non longe à genitali, vt de Lemnio illo ſcribit Ariſtoteles. Sed alter, quem ante paucos dies miſit ad Sereniſſimum Archiducem, Illuſtris Heros Gulielmus à Roſenberg, vir quidem vt Romana origine Clariſſimus, ita virtute & liberalitate ſplendidiſſimus, eo in loco vbera non habet, ſed retro in vtroque latere iuxta teſticulos, nec tantum lactis, vt ille alter, reddere videtur. Videbimus nunc, an qui ex iis naſcentur hædi ſuum ſequuturi ſint genus, nam plures ex iis capræ iam in vtero habent. Hæc tanquam noua & noſtris temporibus inaudita ad te ſcribere volui, vt cæteris iſthic Medicis & naturalis Philoſophiæ ſtudioſis illa etiā impartiaris. Nec putes velim me tibi fabulas deſcribere: plurimi enim ſunt hic homines curioſi, qui videndæ nouitatis cauſa & vbera tractarunt & lac emulſerunt. Vale. Pragæ.*

Lac hircinū Epilepticos ſanat.

## BALTHASAR KLEIN MEDIcus, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Mittitur Matthiolo lignum in Armenium lapidem conuerſum.*

*Etſi hactenus diſtulerim promiſſionem meam propter occupationes quaſdam, vir Clariſſime, tamen non exiſtimabis illam me obliuioni tradidiſſe. Qui enim fieri poſſit, vt Matthioli obliuiſcar, viri cum omni genere doctrinæ tum virtute præſtantiſſimi? Equidem vt deſint hæc tibi (vt ſunt ſane in te excellentia) tamen excidere è memoria mihi non poſſis, vel ob eam humanitatem, quam ignoto mihi exhibuiſti. Quare maxime perſuaſum tibi eſſe cupio, me ductum admiratione virtutis & doctrinæ tuæ, vnum nunc eſſe ex eorum numero, qui tui ſunt ſtudioſiſſimi. Vtinam autē viciſſim tibi mei ſic placuerint mores, & conſuetudo (quæ quidem perpaucorum fuit dierum) vt tuo iudicio, Matthioli tanti viri amicitia dignus cenſear. Sed de his alias.*

*Nunc vt datam fidem liberem, mitto lignum in naturam lutis Armeni conuerſum, & carbonem annatum lapidi, dignum vtrunque admiratione & ſpectatu perpulchrum. Dicerem id me argumenti loco mei*

in te

*in te amoris & obſeruantiæ mittere, niſi tam vile eſſet. Non tamen dubito, quin tibi homini Philoſopho, futurum id ſit haud omnino ingratum. Miſiſſem aliquid mearum lucubrationum, vt tuum de iis iudicium (quod permagni facio) cognoſcere poſſim, ſed deſcribi non potuerunt tam ſubito, poſthac, Deo dante, accipies. Vale Clariſſime, Cariſſimeque Matthiole. Ex Caballino monte.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Balthaſari Klein Medico, S. P. D.

*Reſpondetur præcedenti Epiſtolæ.*

Ligni in Armeniũ bolum mutatio.

Abies in centro ſaxei montis in lapidem conuerſa.

Foſſiles carbones.

*HAbeo tibi gratias (mi Doctiſſime Balthaſar) non ſolum ob tuam, quam erga me oſtendis, obſeruantiam, ſed etiam ob tam rarum metallicum illud munus, quod paucis ante diebus ad me tranſmiſiſti. Deinde cum me videam abs te viro Doctiſſimo, qui Lipſenſi Academiæ annis pluribus legendo, docendoque maximo fuiſti ornamento, tot laudibus commendari, non poſſum mihi non gaudere plurimum, quod nihil in hac vita præclarius quiſpiam deſiderare poſſet, quam laudari à laudatis & doctiſſimis viris, è quorum numero te haud poſtremum eſſe, non ambigo. Noui tuum erga me amorem non vulgarem, noui animi propenſionem, & tuam in mihi gratificando humanitatem, noui ampliſſimam doctrinam tuam, virtutem, & cæteras ingenui animi tui dotes. Quibus de cauſis non ſolum fit, vt tua plurimum delecter amicitia & conſuetudine, ſed vt apertiſſime cognoſcam, non parum me tibi debere. Sed hactenus de his. Quãta quidem admiratione ſim contemplatus ligni illius fruſtum Armenium bolum factum, non poſſum tibi breuiter explicare. Eſt enim meo iudicio, tam rarum naturæ artificium, vt ab omnibus Medicæ materiæ ſtudioſis ſpectari cum admiratione poſſit. Idcirco velim intelligas tuum hoc munus longe mihi carius eſſe, quam ſi auri puriſſimi tantundem è tuis fodinis ad me tranſmiſiſſes. Id namque intuenti mihi etiam perquam diligenter Santali rubri fruſtum propemodum apparet, vbi vero dentibus experior, lapidem inuenio non admodum durum, ſed qui facile diuidi poſſit, quique etiam labiis appoſitus, iis inhæreat. Mira ſane naturæ vis in transferendis tranſmutandiſque rebus. Sed hoc etiam magis mirum videtur, quod hoc anno in quibuſdam Bohemiæ montibus, vbi argenti metallum foditur in lapidea quadam montis fodina repertus ſit a foſſoribus integer ac ingens abietis arboris caudex, totus lapideus factus, cortice adhuc non immutato, præterquam in colore. Sed non tam facile quiſpiam conijctare poteſt, quo pacto magna illa arbor per ducentorum paſſuum dimenſionem tam ingens durumque ſaxum penetrauerit, præſertim cum nulla in vertice appareat rima. Oportuit ſane (ſi quid veri nobis imaginari licet) olim hoc ſaxum profundam latamque habuiſſe voraginem, in quam abies illa deciderit, eandemque ſubinde longo admodum temporis tractu, extuberante petrifica vi eſſe occluſam & arborem immutatam in illius lapidis naturam. Nam creſcere lapides & metallorum cuniculos derelictos repleri, nulli dubium eſt. Verum non placet eorum opinio, qui ſibi perſuadent, hæc admirãda monſtra in terræ cauitatibus aliquando procreare naturam. Si quis autem quæreret, cur cortex non fuerit immutatus vna cum interiori materie: reſponderem ego, haudquaquam agens agere poſſe in patiente non depoſito. Etenim cum in cortice plus aereæ qualitatis, in ligno plus terreæ habeatur, nil mirum videri debere putarem, ſi cortex perinde ac lignum non fuerit immutatus. Foſſiles carbones longe antea vidi ſubdubitauique, an ex ſepulto in terra ligno, an ex ſubterraneis lapidibus fierent. Atqui cum carbonem hunc tuum adeo lapidi adnexum videam, vt ex eodem lapide factum intelligam, mea iam omnis ceſſat dubitatio, quo fit vt mihi perſuadeam, eodem naturæ artificio è lapidibus, vel è pingui glutinoſaque terra fieri carbones, quo fiunt è lignis lapides, non tamen iis dicam facultatibus, cum aliam facultatem petrificam eſſe intelligam, aliam vero (vt ita dicam) carbonificam. Sed quoniam de his copioſe admodum ſcripſit vir doctiſſimus Agricola, & montes haberi crebros in Miſena ſcribit, in quibus ingens carbonum quantitas foditur, non eſt quod hic de his pluribus tecum agam, præſertimque cum ſciam huiuſce metallicæ materiæ te eſſe peritiſſimum, & in ea diligenter exercitatum. Cupio autem, vt, ſi quid adhuc habes, vel in poſterum fueris conſequutus, quod rarum ſingulareue exiſtimes, ne prætermittas, quo minus huiuſce generis, aliquid mihi etiam iterum atque iterum impartiaris. Lucubrationes illas tuas magno cum deſiderio, vt ad me mittas, expecto. Scio enim eas non tantum delectationem, ſed etiam vtilitatem mihi allaturas. Vale. Pragæ.*

## LAVRENTIVS SPAN A SPANOVV Medicus, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Quæritur quid ſit κυκεῶν apud Hippocratem, Quidque καλλίφυλλον.*

*PRo ea, quæ inter nos eſt haudquaquam ſimulata familiaritate, & obuio tuo in rem Medicam præſtudio, nequaquam mihi liberum video, vt ſi quid dubii forte obueniat, vel calem tuam præſtantiam, vel compellare audacter nolim. Nam & amicitiæ noſtræ aliquid derogare illud videretur, & priuari doctiſſimo tuo iudicio & ſententia noſtræ profeſſionis homines per me, flagitium exiſtimo. Itaque & tuo amori ac beneuolentiæ communique commodo potius ſatisfacere volo, quam tibi alioqui maximis occupato negotiis parcere, cuius quidem veniam deprecari a te, qui non ſolum æque audire tam, ſed & cum iudicio reſpondere paratus es, ocioſum fore non ignoro. Recenſebo igitur, quid velim,*

*...ulum, breuiter. Hipp. lib. 2. de ratione victus meminit potus cuiuſdam, quem κυκεῶνα vocat, vbi ſcribit, οἱ δὲ καὶ κυκεῶνα ἐῤῥόφεον, vnde conſtat ipſius tempore in morbis etiam acutis, hanc ſorbitionem fuiſſe in vſu, quemadmodum hodie apud noſtros ptiſana eſt. Et ſi vero ex Etymologia vocabuli patet, mixturã aliquam fuiſſe, κυκᾶν enim miſceo ſignificat, tamen ex quibus conſtiterit, diuinare non poſſum, cum autor ipſe porro nihil dicat. Nec facile perſuaderi mihi patiar, eſſe Homericũ illum Cyceonem, de quo Iliados 11. ſcribit, quod Hecameda,*

ἐν τῷ ῥά σφι κύκησε γυνὴ εἰκυῖα θεῇσιν
οἴνῳ πραμνείῳ ἐπὶ δὲ αἴγειον κνῆ τυρὸν
κνήστι χαλκείῃ ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνε.

*Nam vini fortis cum caſeo & alba farina mixtura, in morbis iis, de quibus ibi agit Hippocrates, planè non competere videtur, cum autor abſtergentia, ſputum facilitantia, & maturantia exhibenda doceat, & febris plerunq́; coniuncta illis morbis, vini fortioris vſum omnino prohibeat. In eo igitur animi pendeo, nec quid certi ſtatuere poſſum. Et quia neque apud recentiores vllam certam huius mentionem fieri video (Ruellium excipio, quippe qui de natura ſtirpium libro ſecundo capite decimo octauo ad finem Homericum tãtum Cyceonem infert) abs te præclariſſime vir amanter & officioſe peto, vt, quid tibi conſtet, & mihi & meo nomine noſtræ facultatis ſtudioſis benigne & fideliter pro tuo veteri more communicare digneris. Facit quoq́; Hippocrates 7. de morbis popularibus libro in curatione Charytis febre acuta laborantis mentionem Calliphylli cuiuſdã, cuius potus ſuppreſſam vrinam exciuerit, hanc autem herbam, nam herbam ex appellatione opinor, apud Dioſcoridem, Plinium & Theophraſtum non reperio. Ideo te quam plurimum rogatum velim, vt tuam de hac planta exponas mihi ſententiam. Promerebere eo dignas apud multos bonos gratias, & ita amicitiam noſtram confirmabis, vt in officiorum commutatione, quæ à me præſtari poſſunt, deuinctiſſimum tibi reddas. Vale.*

κυκεὼν apud Hippoc. quid.

Calliphyllon apud Hippoc.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
## Laurentio Span, à Spanovv, S. P. D.

*Reſpondetur præcedenti Epiſtolæ.*

*TAmetſi ocii fere nihil mihi ſuperſit, præter ea, quæ ſenectus ipſa incipit iam afferre incommoda, cum tamen ob tuam in me obſeruantiam & meam erga te beneuolentiam omittere non poſſim, quo minus tuæ de me confidentiæ omnibus modis reſpondeam, cæteris poſthabitis, epiſtolæ tuæ de Cyceone, & Calliphyllo apud Hippocratem, nunc paucis reſpondebo. Sed an tibi ſatisfacturus ſim neſcio, quum Galenus antiquiſſimus, & grauiſſimus Hippocratis interpres Cyceonem propriè, & ſingillatim deſcribere nequiuerit. Is enim comment. ſecundo ſuper Hippocratis libro de victus ratione in morbis acutis (ſicuti à te obſeruatum video) vbi Hippocrates Cyceonis meminit, ne verbum quidem de Cyceone in medium affert. Nec id ab re fortaſſe factum eſt. Nam cum lib. & Commento ſexto de morbis vulgaribus, de eo ſe latius tractaſſe sciret, non videbatur illi valde neceſſarium, iterũ de illo verba facere. Hoc itaque in loco, quem te haudquaquam legiſſe animaduerto, Medicos docet Hippocrates, dolores in vniuerſum curare, iis verbis. In doloribus proximum ventrem purgare & ſanguinis ventrem reſcindere, vſtio, ſectio, calefactio, refrigeratio, ſternutatio, ſtirpium humores in quibus vim habent, & Cyceon, maleficorum lac, allium, vinum ferueſactum, acetum, ſal. Hæc ille. Quæ declarans Galenus, cum ad Cyceonem deuentum eſt, quem parari vino aliquo edulio admixto non ignorabat, ita rem exorditur. Nempe quod vinum dolores oculorum ex obſtructione orientes mitiget, ex Aphoriſmorum interpretationibus didiciſtis. Nunc vero & aliorum, quicunque eadem ratione concitantur, dolorum, nonnunquam ob ſanguinis craſſitudinem, nonnunquam ex frigiditate, vobis in mentem veniat, cum ſæpius & in ventris doloribus & in dolore capitis vocato Hemicranea, meracius vinum ſumptum, confeſtim quidem manifeſte iuuiſſe, accedente deinde ſomno, in totum dolorem ſuſtuliſſe videritis. Vidiſtis autem me, non illico ieiuno ſed aſſumpto cibo exhibere. At hoc loco vtrunque miſcuit Hippocrates, cibum, & potum. Tale enim quiddam Cyceon eſt, quemadmodũ apud Homerum didiciſtis: miſcentibus quidem alia cum vino, commune vero omnium vinum habẽtibus: fortaſſe vero & cum polenta vinum miſcebant, neceſſario autem, & alia miſceri ex hoc nomine Cyceon, veteres ſignificare quiſpiam putauerit, ſi eos appellationem hanc in eum ſenſum magis accipere indicatis. Aliquando autem ego quempiam dolore vexatum ſine cibo vino vti iubens, vt opinionem meam confirmarem, multis ſubito calidis vaporibus affectum locum petentibus, eum vt fui veritus, magis cruciatum animaduerti. Ego profecto vinum ſine cibo epotum læſum ire arbitrabar, & experientia idem teſtata firmiorem opinionem meam reddidit. Cyceon autem, cum in ſeipſum cibum contineat, offendere nequaquam poterit, nam ex vtriuſq́; mediocri mixtione, æquabilis paulatim calefactio in partibus affectis augeſcent, ſine multis vaporibus, & refrigerata calefacit, & intenſa digerit. Hæc ad literam Galenus. Quibus tamen nihil certi affert nobis de parandi Cyceonis ratione apud Hippo. Nam etſi dicat is FORTASSE VERO ET CVM POLENTA VINVM MISCEBANT, non tamen id determinate affirmat. Nec ſufficit quod dicat Cyceonem cibi & potus mixturam eſſe, quemadmodum apud Homerum didicerunt eius diſcipuli, quippe quod hic non huiuſce mixturæ componendæ rationem afferat, ſed de vocabuli ſignificatione agat. Quo fit vt nihil certi de Cyceonis apparatu, de quo Hippocrates intellexit, ex Galeni ſcriptis tibi deſcribere poſſim. Verum ſi meam de Cyceone debeam dicere ſententiam, crediderim ego variis modis id apparaſſe antiquos, quod videtur etiam ſenſiſſe Galenus, cum dicit: MISCENTIBVS QVIDEM ALIA CVM VINO, &c. Nam quẽadmodum nos in ventriculi doloribus à frigiditate, vel flatu excitatis Cyceonem noſtrum paramus ex Cretico vino, ouis, Sacchararo & butyri momento, quinetiã ex pane triturato, & carniũ iure incocto, & addito deinde vino, ita ſane Cyceonẽ ſuum paraſſe veteres haud dubitauerim, vel ex vino & ptiſana, vel ex eodem & polenta, vt Galenus ſuſpicari videtur, vel ex aliis fortaſſe eduliis, quorum vſus apud illos extitit. Nam & apud Homerũ (vt tu recte ſcribis) ex vino, caſeo & alba farina parari Cyceonem videmus. Sed minime credendum eſt de eo Cy-*

Cyceon Hippoc.

Gal. de Cyceonis ſententia.

Cyceonis facultas.

Matthioli de Cyceone ſententia.

Homeri cyceon.

ceonẽ

Calliphyllon Hippoc.

Hippocratis locus reſtitutus.

*ceonis genere (vt recte animaduertiſti) intellexiſſe Hippocratem, quod ea mixtura compoſitio, nullo pacto, nec in victu acutorum morborum, nec in doloribus conueniat. De Calliphyllo autem dubitauerim quidem deprauate legi apud Hippocratem, καλλίφυλλον pro καλλίφυτον. Nam Galenus eo libro, quo obſoletas Hippocratis voces explanat, nullibi καλλιφύλλου meminit. Id quod manifeſto eſt argumento non καλλίφυλλον ſed καλλίφυτον legi debere apud Hippocratem quemadmodum mihi videtur legere Galenus, qui ſic habet. καλλίφυτον ὅπερ καὶ καλλίτειχον καὶ ἀδίαντον ὀνομάζεται. Adeo vt credere nobis neceſſarium ſit, vel in Hippocratica lectione ſubeſſe mendam, vel è contra. Sit tamen quomodocunque, Galenus obſoletam hanc vocem καλλίτειχον & ἀδίαντον interpretatur. Quod maxime Hippocratica doctrina aſtipulari videtur, quippe hac planta potui data, Charyſiſe prouocaſſe vrinam, ipſe ſcribit Hippocrates: Adianto enim cienda vrina non obſcura ineſt facultas. Huius etiam ſententia eſſe ſcio Iulium Alexandrinum Cæſareum Archiatrum, virum vt doctiſſimum, ita & iudicio ſummo præditum. Plura quam hæc, non eſt quod à me expectes, non quod nolim omnibus modis tibi ſatisfacere, ſed quod neſciam quomodo meliora reperire poſſim. Vale.*

## IOANNES IORDANVS MEDICVS, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Rationem Elleboriſmi parandi ad quartanam doceri petit.*

*IMpudens tibi fortaſſe videbor, Doctiſſime & Excellentiſſime D. Matthiole, qui prorſus ignotus & nihil de te promeritus id à te auſim expectare, quod notiſſimis tantum & amiciſſimis tibi Medicis hactenus communicare voluiſti. Verum fretus animi tui nunquam ſatis laudato candore, quo non amicis ſolum, ſed etiam vniuerſo orbi remedia longe præſtantiſſima publicaſti, non ſum veritus id à te per literas petere, quod tu nullo, nec rei, nec nominis diſpēdio præſtare poſſes & mihi eſſet optatiſſimum ſimul & maxime neceſſarium. Equidem veterum medicorum veſtigiis inſiſtens in profligandis morbis Melāncholicis Elleboro, velut præcipiunt, correcto nonnunquam ſum vſus ſatis quidem fœliciter, at non ſine aliqua ægrorum moleſtia & periculo. Quæ ambo euitare cupiens diligenter legi, & relegi varia Medicorum veterum & recentiorum monumēta, nihil tamen inueni, quod omni ex parte tutum Ellebori vſum efficeret. Incidi tandem in doctiſſima tua in Dioſcoridem commentaria, & legi quod admones de Ellebori diluto magno ægrorum commodo propinato, rationem tamen diluendi, ſeu infundendi apud te retines, eam ego ad plenum ſi non eſt moleſtum, ex te intelligere valde cupio. Quare te quam poſſum rogo, vt mihi per hunc tabellarium reſcribas, qua ratione, & præparatione vtaris vtroq; Elleboro, & amicos tibi Medicos vti docueris, hoc vno beneficio me tibi iam pridem deuinctiſſimum, emolumento ex tuis doctiſſimis commētariis percepto, redditurus deuinctiorem. Et ſi quid erit in hac regione, in quo tibi vſui futura ſit opera mea, eam offero promptiſſimam, abſq; vlla prorſus exceptione. Mitto portiunculam eius plantæ, quam noſtrates Antoram vocant, ea admodum frequens in montibus his naſcitur. Vtuntur radice ad puerorum lumbricos. Scire cupio, an ea ſit, quam cap. de Aconito Dioſcoridis ſcribis ab Auicenna vocari Napellum Moyſi. Habet hoc littus Peplion & Δενδρομαλάχην ſponte naſcentem, copioſam, radice, caudice & ſtolonibus lignoſis, folio, flore & ſemine Althææ paulo latioribus. Toto habitu, longe alia planta videtur, quam ea cuius picturam exhibes, capite de malua quam ex Theophraſto ais, cultura tantum, & arte proceram fieri, vt vidiſti Grignanii ad lacum Benacum. Habet hæc regio plantas non contemnendas, è quibus ſi quid deſideres, curabo pro virili hac in re tibi gratum facere. Deus Opt. Max. doctiſſime & Excellentiſſime D. Matthiole, te diutiſſime ſeruet incolumē, & ſemper ad meliora prouehat. Genuæ Non. Nouemb. Anno M. D. LIX.*

Antora.

Napellus Moyſi.

Dēdromalache.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Ioanni Iordano Medico, S. P. D.

*Epiſtola hæc ſequens reſpondet præcedenti.*

*QVanquam te nunquam de facie noui, nec vlla hactenus mihi tecum interceſſit amicitia, gratiſſimæ tamen fuerunt mihi literæ tuæ, tum quod ex iis cognouerim, quātum doctrina & facundia valeas, tum etiam quanta tua ſit erga me animi promptitudo, ac in conſequenda noſtra amicitia voluntas. Etenim nihil eſſe ſuauius in hac vita mihi ſemper perſuaſi, nihil gratius, nihil deniq; beatius, quam optimos, ac doctos habere amicos. Noſtræ huic ſententiæ fauiſſe plurimum Deum Opt. Max hinc facile conicere poſſum, quod non deſint quotidie optimi, ac doctiſſimi viri, qui ſua ſponte mihi quem nunquam viderunt, ſcribant, & meam expoſcant amicitiam. Quo fit, vt nullius impudentiæ te accuſare debeam, quod nunc ad me tibi ignotum ſcribas, ſed potius te totum hilari ac benigno complecti animo, atq; etiam lætari, de tua in me confidentia, ac humanitate. Vt autem id quod à me petis conſequaris, & me hominē candidum virtutumq; tuarum amantiſſimum cognoſcas, mitto tibi Epiſtolam huic annexam, quam cuidam alteri medico de Elleboriſmo in quartanis propinando iam pridem ſcripſeram. Hac itaq; tibi ſatisfactū iri cenſeo, nec aliud addendum fuit, niſi vt ſcias quod eadem ratione album etiam Elleborum præparare ſoleam. Atqui hunc in quartana febre propinare hactenus nunquam auſim. Vſus ſum nonnunquam illo in Melancholicis affectibus, ſero caprino macerato, additis Pæoniæ ſeminibus, Zedoaria, & Schœniantho. Alia Ellebori parandi ratione nunquam vſus ſum, nec vllum eius genus in puluerem contritum vnquam dare potandum excogitaui. Atqui velim vbi medicamentum expertus fueris, illud cæteris, quos noſti, Medicis patefacias, ne putarent fortaſſe aliqui me id in meis non recitaſſe Cōmentariis, vel auaritia, vel inuidia perſuaſum. Id enim negligentia potius quadam prætermiſſum eſt, quam q; voluerim hoc medic. obtegere & mihi tantum aſſeruaſſe: Vidi Antoræ ſummitates, quæ longe chariores mihi fuiſſent, ſi cum floribus & radicibus eas ad me miſiſſes:* hoc

Antoris excenſionem cur antea ſuā non deſcripſerit Elleboriſmum.

Antora.

hoc ſi poſthac feceris, meam de re hac habebis ſententiam. Quandoquidem, quanquam ex vnguibus (vt aiunt) leo cognoſci poteſt & ego nunc non aliter ſentiam, quàm quod hæ ſummitates eius ſint Antoræ, quam [illegible] puto appellaſſe [illegible] Napellum Moyſi, nolo tamē id pro certo tibi affirmare, niſi prius integram eius plantam conſpexerim. Napelli [illegible] imaginem (ni fallor) dedi ego vnà cum Napello, ſed neſcio, quomodo Chalcographorum, vel fortaſſe [illegible] plantæ titulus fuerit immutatus. Id quod mihi euenisse video in maiori malua, quippe quòd nunquam in ea fuerim [illegible] Maluæ genus arboream fuiſſe Maluam de qua veteres ſcripſerunt, cuius rei argumento eſſe poteſt, quod id [illegible] in meis aſſirmauerim Commentariis. Porrò nec eam quam in Franciſcanorum monachorum cœnobio Grimani [illegible], genuinam δενδρομαλάχην eſſe cenſeo, quòd ſciuerim, hanc ex hortenſi ac vulgari malua, Monachi [illegible] ac diligenti quadam cultura inſtar arboris excreuiſſe. Quam ſententiam eò magis amplector, quò nunc abs te factus [illegible] certior, iſthic ſponte prouenire genuinam δενδρομαλάχην. Hanc fateor ingenuè me nunquam vidiſſe. Quò fit, vt [illegible] plantarum cupidus, nunc abs te petam ne me hac planta, vel eius ſemine diu deſtitutum relinquas. Poteris cum hac mittere etiam Peplion. Hoc ſi pro tua humanitate præſtiteris præter id, quòd mihi gratiſſimum feceris, nō modicam fortaſſe laudem tibi comparaueris. Nam vbi primum harum ſtirpium imagines in meis addam Commentariis, omnia hæc tibi tantum accepta referam. Velim præter hæc vt quotquot fuerint iſthic plantæ, quibus putas augeri poſſe Dioſcoridem noſtrum in Reipub. commodum, eas omnes hoc anno diligenter mihi aſſeruares, quinetiam vt nullis parceres ſumptibus. Curabo enim vt nullo tuæ pecuniæ diſpendio hoc abs te fiat, vt fuſius Antianus, qui tibi haſce meas dabit literas, oretenus explicabit. Vale, & eo quo cœpiſti me amore proſequere.

Napellus Moyſi

In Napello Moyſi titulus immutatus Chalcographorum negligentia.

In Malua maiori [illegible]

Δενδρομαλάχη.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS, Iulio Moderato, Pharmacopœo Ariminenſi S. P. D.

*Deſcribuntur Ceruini fungi hiſtoria, & vires.*

CVM rebus nouis te plurimum delectari ſciam, Tuber quoddam ſubterraneum, quod hîc ceruinum Boletum Bohemi vocant, cum hiſce meis literis ad te mitto. Puto enim de eo te nihil vnquam audiuiſſe, quòd nulla apud antiquos, recentioréſve ſcriptores extet huiuſce fungi memoria, quódque reperiri non poſſit, niſi iis in ſyluis, vbi plurimi habentur cerui, ac venatores, qui hæc naturæ ſecreta norunt. ſed quùm hæc inaudita ſint apud vos, nolui te in poſterum latere ceruini fungi hiſtoriam & vires. Fungum itaq; hunc tuberum vulgarium modo ſub terra naſci affirmant venatores, vbi ceruino ſemine in coitu inficitur ſolum. Id quod plerunque fieri ſolet excepto è vulua genitali adhuc ſeminis aliquid continente, maris impetum fugiente fœmina. Hunc fortaſſe inuenire nemo poſſet, ni cerui ipſi locum quodam ſtatuto anni tempore oſtenderent. Scalpunt enim naturali quodam inſtinctu ducti anterioribus pedibus locum, vbi globoſus fungus ſub terra delitescit, quod olfactu percipere eos affirmant. Spirat enim fungus graui odore præſertim recenter effoſſus. Qui ſecreta hæc norunt venatores & ruſtici, qui ſyluas frequentant, loca diligenter obſeruant ceruinis pedibus deducta, effoſſáque ſcrobe, fungos eximunt, & pharmacopœis vendunt, qui diſſectos in particulas, & filo traiectos ſiccant poſtea in vmbra ſeruántq; in medicum vſum. Iis eadem ferè facies ineſt, quam in cæteris ſpectamus tuberibus, globoſa tamen in omnibus, & inæqualis. Extima cuticula ſubnigricat, carnoſa verò & ipſa fungoſa ſubſtantia albicat. Sunt etiam qui genus aliquod reperiri dicant, erectæ virilis mentulæ forma, adeo vt in altera parte detecta glans, in altera globuli quidam teſticulos referentes conſpiciantur. Hic fungus in ciborum vſum hactenus non venit, nec eo veſcuntur Bohemi, ſed eo iis in medicamentis vtuntur, quæ venerem mouent. Si quidem ad hoc plurimum illum valere putant, & præſertim qui humani genitalis faciem refert. In quem vſum ſicci puluerem ex dulci vino propinant, drachmæ, vel ſeſquidrachmæ pondere. Lactis vbertatem hunc etiam afferre aiunt ex ptiſana vel muliebri lacte potum, ſed valentius id agere ſi longi piperis aliquid addatur. Suffitu occluſos fœminarum locos reſerare tradunt, & vuluæ ſtrangulatus auertere. Non deſunt ſuperſtitioſæ mulierculæ, quæ iis abutuntur in amatoriis poculis, quibuſdam prius admurmuratis incantationibus. Affirmant præterea valere ceruinum fungum ad epota venena, ex mero hauſtum, quin etiam ad venenoſorum omnium morſum, non modò potum, ſed etiam illitum excalfacere hunc ex odoris graueolentia, quiſpiam facile iudicabit. Optarem vt tam rarum medicamentum Italiæ hactenus ignotum ſeri vel tranſplantari poſſet, & inter cætera rara ſimplicia quæ in tuo tam celebri viridario, diligenti admodum cultura alis, hic etiam viueret fungus. Sed poſtquam hoc nobis vetat natura, hunc ſiccum tibi aſſeruato. Mitto tibi præter id legitimæ Chalcitis, & veræ Myſis aliquot fruſta, quæ vt apud vos rara, ita ſane cara tibi futura ſpero. Vale.

Ceruinus boletus.

Ceruini fungi hiſtoria.

Ceruinus fungus virilem mentulam referens.

Fungi ceruini vires.

Chalcitis & Myſi.

# PETRI ANDREÆ MATTHIOLI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER QVARTVS.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Vlyſſi Aldrouando Bononienſi Medico S. P. D.

*Diſputatur an larix noſtra, ſit larix Plinij & antiquorum.*

QVOD *epiſtolam illam meam, quam antea ad te miſeram, tantopere laudibus effers, facis id tu quidem humaniter & amicè, & ego me hercule mihi ipſi plurimum hoc nomine gratulor, præſertim cum Robertelij viri Doctiſſimi (vt ſcribis) iudicio, non parùm, tum elegantiæ, tum doctrinæ alicuius nomine probetur, id quod ipſe mihi vix perſuadeo quando ne mihi quidem in eis ſatisfacio qui tamen ſcripta meá, qualiacunque ſint, aſpernari non ſoleo. Atqui multo magis tuo nomine gaudeo, quod meis argumentis perſuaſus, iam de Picea & Pino in aliam tranſieris opinionem, adeo vt tecum ipſe ſtatueris (quæ tua eſt humanitas) vbi in publicis lectionibus, de pino & picea diſſerere tibi ſeſe offerat occaſio, meam non ſolum auditoribus afferre ſententiam, ſed etiam comprobare. Pro qua ingenui animi tui erga me propenſione, ſi eas tibi gratias non referam, quas me tibi debere non ambigo, boni conſulas velim, quòd plura nunc præſtare non valeam. Verum vt cognoſcas, quam promptus ſit Matthioli animus in tuis expediendis petitionibus, etſi, quæ nunc tibi à me ſcribi de Larice deſideras, factu dictuq́; non admodum facilia ſunt, non tamen prætermittam ob eam, quam de me concepiſti ſpem, quin omnibus modis tuæ ſatisfaciam voluntati. Quod itaque in commentariis noſtris in Dioſcoridem nulla dubitatione ſcripſi Laricem noſtram ab antiquorum Larice nihil differre: eam ob rem rationibus nonnullis perſuaſus, dubitaſſe te ſemper affirmas, imo etiam credidiſſe videris, arborem quam Laricem vocamus illam non eſſe, de qua ſcribit Plinius. Et ne videaris præter rationem hac in re hæſitare, plura contra ſententiam meam in medium affers argumenta, ſic inquiens: Larix Plinij teſtimonio, perpetuò viret, folia pungentia habet, non floret, & eius lignum non ardet, flammámque non concipit, & eius cortex leuior eſt, quàm piceæ & ſterilis eſt. Sed Larix vulgaris perpetuò non viret, folia pungentia non habet, floret, ardet, & corticem valde craſſum habet, & fœcunda eſt: ergo Larix vulgaris, non eſt Larix antiquorum. Maior nota & eſt ex Plinij hiſtoria, & quod non ardeat, notum eſt apud Vitruuium. Minor propoſitio eſt etiam notiſſima, vt te non ignorare cenſeo. Nec dicere oportet erraſſe Vitruuium, Palladium & Plinium, cum certo illis notiſſima fuerit Larix. Ad hæc ſi vulgaris Larix eſſet Larix antiquorum, cum illa Agaricum proferat, tam notabile medicamentum, id ſanè non prætermiſiſſet Plinius, cum tam diligens rerum naturalium fuerit indagator. Hæc tua ſunt argumenta, quæ in hanc te vocarunt dubitationem. Ea cum mea ſanè ſententia, vt ſtatim audies, firma non ſint, ſequitur vt nec tua vera ſit concluſio. Imprimis autem cur Plinio credam, Laricem perpetuò virere, nihil eſt, quod me moueat, tum quod reperiam in reſiniferarum arborum hiſtoria pluribus in locis illum ſibi ipſi contradicere, & ſatis confusè de his omnibus ſcribere, tum etiam quod videam affirmaſſe illum, Terebintho & Tamarici folia non decidere cum tamen nos contrarium videamus. His accedit alia etiam ratio, quæ Plinij fidem mihi maximè ſuſpectam reddit. Siquidem is vbi eas recenſet arbores, quæ perpetuò virent: Sylueſtrium generis, inquit, folia non decidunt Abieti, Larici, Pinaſtro, Iunipero, Cedro, Terebintho, Buxo, Ilici, Aquifolio, Suberi, Taxo, Tamarici. Inter vtraque genera ſunt. Adrachne in Græcia, & vbique Vnedo. Cæteræ verò omnes extra prædictas (etenim numerare longum eſt) folia deperdunt. Sed hoc eſt falſum cum Picea, Phyllirea Licium, Ciſtus, Myrtus, Oleaſter, Thuia, Sabina, Sylueſtris Laurus, Phellodrys, Celaſter vbique perpetuo folio vireant. Cæterum cum hæc omnia ex Theophraſto libro 1. capite 15 tranſcribat Plinius, non deeſt ſuſpicio, quin ipſe πίτυν apud Theophraſtum (vt plerunque id feciſſe animaduertimus) Laricem verterit. Quò fit, vt hac in re nulla mihi Plinio ſit adhibenda fides.*

Larix noſtra eadem cum antiquorum.

Argumenta contra Matthioli ſententiam.

Reſponſiones ad argumenta Plinium pluribus in locis ſibi contradicere in Reſiniferarum arborũ hiſtoria.

Plinius notatur.

Arbores quę perpetua coma virẽt

*Præterea, quòd antiquorum Larix foliis fuerit aculeatis, quodque eius cortex leuior ſit, quam Piceæ, non ſatis quidem exploratum habeo, cùm Plinij ipſius teſtimonio, etiam contrarium probari poſſit, et ſi fortaſſe, ob non intellectam Plinij lectionem, in hoc aberrauerint Ruellius, & alij docti viri. Quippe qui Plinium non intelligentes, ea quæ de Larice libro decimoſexto, capite decimo idem ſcribit Plinius, Piceæ tribuerant. Etenim ſi locus ille diligentius expendatur, facilè cognoſcet quiſpiam Grammaticus, & Latinæ linguæ peritus, lectioni ſubeſſe mendam. Vt autem me vera narrare, & Laricem Plinij ipſius teſtimonio acuminata folia haudquaquam proferre cognoſcas, exponam in primis vulgatam Plinij lectionem, quam non intellexerunt viri illi doctiſſimi: deinde verò facilè tibi detegam, ibi proculdubio quandam deeſſe particulam, quam ſi tuo addideris Plinio, ſtatim eorũ deprehenderis errorem. Plinius itaque loco prius citato (vt vulgatum legit exemplar) ſic habet. Sed Picea minus alta quam Larix: illa craſſior, leuiorq́; cortice, folio villoſior, pinguior, denſior, molliorq́; flexu. At Piceæ rariora ſicciorá́q; folia, & teneriora & magis algentia, totaq́; horridior eſt & perfuſa reſina. Hunc itaque locum ſi diligenter expenderis, non magno ſane negotio cognoſces Piceam, non Laricem cortice eſſe leuiorem, & pungentia habere folia. Nam vbi Plinius ait, Picea minus alta, quam Larix: illa craſſior leuiorq́; cortice, nemo qui Latinæ linguæ fuerit peritus & Grammaticæ non ignarus, affirmabit vnquam particulam ILLA, referri debere ad Laricem, ſed ad Piceam tanquam ad priorem & remotiorem particulam. Præterea ſi illa omnia, quæ ſequuntur Piceæ aſſignaret Plinius, non fuiſſet illi opus per tranſitiuam disiunctiuamq́; orationem paulo poſt dicere: Sed Piceæ rariora, ſicciorá́q; folia. Nam hæc [illegible] manifeſte demonſtrat prius aliqua de Larice dixiſſe Plinium. At tu ſi vis hunc locum reſtituere & omnibus reddere clariorem, ita tuum caſtigabis Plinium ex meo manu ſcripto. Illa craſſior leuiorq́; cortice, hæc (id eſt Larix) folio villoſior, pinguior, denſior, molliorq́; flexu. At Picea &c. Quod ſi non feceris, haudquaquam rectè hunc explanabis locum, nec vllum vnquam viuum illis dederis ſenſum, imo in pluribus ſibi contradicere Plinium cognoſces. Siquidem*

Laricem non eſſe debere foliis aculeatis.

Ruellius notatur

Plinij locus in Larice reſtitutus.

*dem ſi de Piceæ illum loqui dices, cum ait, Illa craſſior leuiorque cortice, dicas item oportet, Piceæ hiſtoriam ſequi, cum inquit, folio villoſior, pinguior, denſior, molliorque flexu. Sed quomodo fieri poſsit, vt ea folia, quæ prius fecerat villoſiora, pinguiora denſiora, molliora que, illico fecerit rariora, ſicciora, tenuiora & magis algentia, tibi ipſi tu iudex eſto. Quambrem, ſi hæc omnia recte expenderis, illico animaduertes in vulgari, vbicunque edita ſit, Plinij lectione, deſiderari particulam, HÆC, non ſolum ex Plinio manu ſcripto, ſed ex deprauato lectionis ſenſu. Quæ omnia cum vera ſint, fa ſum eſſe conuincunt, Laricem eſſe cortice Piceæ leuiorem & pungentia habere folia. Siquidem villoſum & ſpinoſum contrario modo ſe habent. Nam villi, pili ſunt tactu molliſsimo, qui quantum à ſpinis differant, haud te latere nō ambigo. Ideoq; Plinius cum ſciret Larici folia non eſſe aculeata, eadem villoſiora, pinguiora, molliora que pilorum modo haberi ſcribit, quemadmodum in noſtra viſuntur Larice. Id quod eodem capite repetijt de Larice pariter ſcribens his verbis. Mas breuior & durior, Fœmina procerior, pinguioribus folijs & ſimplicibus atque non rigentibus. Nec velim putes dixiſſe Plinium, Fœminæ non eſſe rigentia folia, ad maris differentiam, quod ibi, ATQVE, nil aliud ſignificet, quam etiam, Id eſt, etiam non rigentibus, quemadmodum in mare videmus, alias ſibi ipſi in eodem ferè loco contradiceret Plinius, ex allatis ſuperius rationibus.*

Plinij locus expoſitus.

*At ſi obijceres, eundem ſcripſiſſe Plinium libr. 16. capit. 24. Pino, Piceæ, Abieti, Larici, Cedro, pungentia ineſſe folia, cum hæc videam tranſcribere illum ex Theophraſto lib. 1. cap. 15. de plantarum hiſtoria, nec ibi Laricis vlla fiat mentio, vereor ſane, ne Plinius ibi Theophraſti πίτυν Laricem verterit, vt alijs in plerisque locis idem feciſſe annotauimus.*

Plinius ſæpe πίτυν ex Theophraſto Laricem male vertit.

*Qua quidem peruerſione perſuaſus Theodorus Plinij potius ſequutus errores, quam Græcā Theophraſti fidē, Theophraſtū ipſum in quā plurimis locis peruertit. Siquidē vbi Theophraſti codex habet, Ἀκανθώδεις δὲ ἐκ τῶν ἄκρων καθ᾽ ἃ τῆς πεύκης καὶ πίτυος, καὶ ἐλάτης, ἔτι δὲ κέδρου. Theodorus vertit, Pini quoq;, Laricis, Abietis, atque etiā Cedri extremitate pungentia folia inſunt. Quod etiam fecit libro & cap. 2. de hiſtoria. Ibi enim Theophraſtus habet, οἷον ἐλάτη, πεύκη, πίτυς. Quæ verba perperam vertit Gaza, vt Abies, Pinus, Larix. Atqui non hic ſolum πίτυν Laricem inuertit, ſed libro quarto, cap. ſexto, & libro 5. capit. 1. & 9. capite primo, & 2. de hiſtoria. Quinetiam de cauſis libro 1. capit. vigeſimo primo, & lib. 5. cap. 24. & libr. 6. cap. 18 ac alijs plerisque in locis, quæ in Latino Theophraſto caſtigare poteris.*

Theodorus notatur pluribus erratis.

*Quod autem Plinius Pinum ſæpe perperam pro Larice acceperit, conſtat ex eo, quod libr. 10 capit. 10. ſcripſit his verbis, Laricis morbus eſt, vt tæda fiat. Quandoquidem Pini proprium eſt hoc, non Laricis. Id quod apertiſsime comprobatur Theophraſti teſtimonio, qui libro 3. capite 10. de hiſtoria ſic habet, Morbum Pinus accidere talem Idæi incolæ narrant, cum non ſolum cor, ſed etiam pars extrema caudicis in tædam tranſiuerit, tunc ſtrangulare quodammodo, quod ſponte accidit vbertate arboris largiſsima, quoad quis conjectare poſsit. Tæda enim totum efficitur. Ergo hæc Pini propria affectio eſt. Hactenus Theophraſtus. Id quod hic in Bohemia, vbi ingentiſsimæ Pinorum ſyluæ vbique ferè habentur, continuo videmus.*

Plinii errores in larice probātur.

Pinorum ſyluæ in Bohemia frequentiſſimæ.

*Præterea Plinius loco ſuperius citato ſcribit Laricem vſtu radicibus repullulare nunquam. Piceā vero contra. Quibus manifeſte deprehenditur, hic etiam perperam Laricem pro Pinu vſurpaſſe illum. Etenim Theophraſtus eodem libro & capite nuper citato, Pinum, inquit, adustis radicibus nunquam regerminare, Piceam regerminare quidem affirmant, vt in Lesbo accidit incenſo monte Pyrrheo, qui Piceis ſcatet. Adhæc libro vigeſimo quarto, capite ſexto Laricis & Piceæ foliorum ex aceto decoctum, dolori dentium prodeſſe ex Dioſcoride idem tranſcribit Plinius. Atqui Dioſcorides non ex Laricis folijs id parari medicamentum ait, ſed ex Picea & Pini folijs. Sed de his alias fortaſſe plura. Quod autem non florere Laricem nec fructum ferre Plinius dixerit, ad id nil aliud reſpondendum videtur, quàm quod, cum in huiuſce plantæ hiſtoria pluribus alioqui modis hallucinatus ſit, non videam quo pacto eius poſsim comprobare ſententiam, præſertim cum et ſi ipſe affirmanter ſcribat libro decimoſexto, capite vigeſimoquinto, Ilicem, Piceam, Laricem, Pinum nullo flore exhilareſcere, Theophraſtus tamen libro tertio, capite ſexto, de hiſtoria plantarum, florere Pinum & Piceam, nec negarit, nec affirmarit. Sed florere vtranque apertiſsime teſtantur Bohemiæ ſylvæ, vbi floridæ quotannis inſpiciuntur Pinus odore (vt ego mihi teſtis eſſe poſſum) haud quidem ingrato.*

Pinus floret. Plinii error notatur.

*Quo fit, vt Plinio mihi ſubſcribendum non ſit, præſertim cum videam negaſſe illum, Populum, Myricam, Alnum haudquaquam fructum ferre, nec Bechium florem, cum tamen hoc falſum eſſe ſciant, non ſolum rei plantariæ periti ſed coriarij ac vetulæ.*

*Poſtremo negas antiquorum Laricem, noſtram eſſe poſſe, quod Plinij, Victruuij & Palladij autoritate ſatis ſit comprobatum, Laricem non ardere nec igne vnquam accendi. Atqui velim vt ſi Plinio perpetuo tibi credendum ſtatueris, ſtatuas etiam eidem Plinio credere, proculdubio ardere Laricem, vbi igni admoueatur. Quandoquidem is libro decimoſexto, capite duodecimo, In Macedonia Laricē maſculam vrere Macedones ſcribit. Fœminæ radices tantum & ex his parare carbones. Quibus iam certior fies, quam belle ſibi conſtiterit Plinius in Laricis hiſtoria, quamque de ea fabuloſe ſcripſerit Victruuius, a quo Plinium tranſcripſiſſe, non ambigimus. Ceterū quam vana ac futili ducantur opinione qui Victruuij ac Plinij autoritate freti, Laricem noſtram genuinam non eſſe contendunt, quod eam facile accendi comburique videant, præter Macedones, ipſa manifeſte teſtatur ratio.*

Laricem ardere contra Plinium & Victruuium.

*Siquidem cum tam antiquorum quam recentiorum ſcriptorum conſenſu, præſertimque ipſius Victruuij & Plinij Larix, præpinguem, liquidam & copioſam reſinam fundat, mellis Attici colore, quæ perinde ac bitumen igni admota, quam celerrime accenditur & vehementiſsime flagrat, ignari imo potius ſtolidi hominis eſt, credere Laricem præpinguem, reſinoſam & reſiniferam arborem, quæ (ſi Plinio credimus) facile tabeſcit in tædam qua nihil eſt ad ignem accendendum aptius, ignem reſpuere, cum lapides ipſi, qui ſui natura flammis nunquam flagrant, vbi tamen bituminoſo ſucco redundent, vt Gagates, perinde ac ligna exurantur vertanturque in cineres. Id quod facile teſtabuntur Flandri, Brabanti, & alij plures Aquilonares populi, qui lignorum penuria, hiſce lapidibus ſuos perpetuo fouent ignes.*

Lapidibus lignorum loco ad ignē quiv[t]antur.

*Ideoque ſi vera eſſe conſentimus, quæ narrat Victruuius de Caſtello illo circa alpes trabibus Laricinis extructo, quod ſcilicet iuſſu Cæſaris admotis incenſis virgarum faſciculis ac facibus, Lariceæ illæ trabes admotum reſpuerint ignem, dicamus id eueniſſe neceſſe eſt, non quod Laricis materia non comburatur, ſed quod ventorum, aeris, niuium, pluuiæ & algoris iniuria quibus Alpina regio illa quocunque fere tempore afficitur, durior ac lapidoſior facta, non ita facile accendi potuerit, præſertim quod omnis arborum materia, quæ ſolidior ſit, non illico primo ſtatim occurſu facile accendatur. Etenim Larix ſoliditate ac duritie præ ceteris præſtat, quæ vbi aereis illis affectibus lapidoſam quandam contraxerit naturam & eius reſina contabuerit, mirum ſane non eſt, ſi non ita facile accendatur.*

Victruuii teſtimonium impugnatur.

*Ad id autem, quod ſi Larix antiquorum noſtra fuiſſet Larix, cum Agaricum proferat, non prætermiſiſſet Plinius maximus rerum naturalium indagator, quin de eo aliquam feciſſet mentionem, nil aliud reſpondendum ſuccurrit, quam quod mihi nihil mirum ſit id prætermiſiſſe illum, cum certo ſciam alia longe maiora notioraque ab eo eſſe prætermiſſa. Sed mirari potius debeo, quod is libro decimo ſexto, cap. octa. fuerit fabulatus, Galliarū glandiferas maxime arbores agaricū ferre, quod tamē vt falſiſsimū eſſe ſcimus, ita à nemine antea ſcriptum eſſe, nō ignoramus, vt in commentarijs noſtris in Dioſcoridē de Larice agentes fuſius diximus. Nec velim credas, huic Plinianæ lectionis ſubeſſe mendam, quod ſcilicet ibi coniferas, non glandiferas arbores legendum ſit,*

Plinii in Agarico erratum.

NN 2 vt impe-

Guilandinus.

*vt impoſtor ille omnium impudentiſsimus ad Roſarium Polonum ſcribens fabulatur, & hunc Plinij locum ſe primum reſtituiſſe gloriatur. Siquidem ibi Plinius in vniuerſa illius capitis oratione de alia re non ſcribit, quàm de his, quæ è glandiferis arboribus proueniunt. Quo fit vt quum veterator ille locum hunc Plinij haud emendarit non Plinium caſtigaſſe, ſed ipſum caſtigatione indigere iam cognoſcere poſsis. Cæterum ſi præter hæc reliquas Laricis notas expendamus, nihil ſanè erit quod impediat, quo minus Larix noſtra non ſit legitima. Siquidem ſi corticem intueamur, eſt quidem is Picea cortice craſsior, vt Plinius inquit. Si materiæ præſtantiam, ſolidam eam, firmam, robuſtam, perpetuamq; conſpiciemus, & ædium & nauium fabricis aptiſsimam, cùm non ſolùm in ſicco, ſed in humore (vt Plinius inquit) præ cæteris valeat. Si ligni colorem inſpiciamus, quinetiam ſi odorem experiamur, rubeſcere ſanè noſtratem Laricem, ac acri eſſe odore, vnà cum Plinio fatebimur. Si manſu eius quoque ſaporem deguſtemus, amaram illam cum Victruuio dicemus. Adhæc ſi decorticatam in flumen, vel lacum proiiciemus, non fluitare Laricem noſtram, ſed illicò eandem fundum petere intuebimur. Quæ omnia certiſsimum præbent indicium, nihil ab antiquorum Larice differre noſtratem. His accedit arboris vaſta proceritas, natale ſolum, & ipſa tripartita germinatio. Etenim noſtra Larix facilè cæteras coniferas arbores longitudine ſuperat. Naſcitur in montibus, & in vniuerſa Rhætia regione copioſiſsima habetur. Vnde ad reſtituendum Neumachiarium pontem, Tyberius Cæſar (vt ipſe teſtatur Plinius) ingentes Lariceas trabes aduehi curauit. Quinetiam obſeruatum eſſe ſcimus ter in anno noſtram Laricem germina fundere. Præter id manifeſto eſt argumento Laricem noſtram eſſe genuinam, ea, quam fundit Reſina, falsò Terebinthina Myropolis appellata. Siquidem hæc ſubſtantiæ conſiſtentia, quinetiam colore, odore ſaporeq; nihil penitus diſtare videtur à Laricea Reſina, de qua ipſe meminit Plinius libro decimoſexto, capite decimo, & libro vigeſimoquarto, capite ſexageſimo. Etenim è Larice Reſinam erumpere ait melleo colore atq; lentore, odore viroſo, nunquam dureſcentem. Id quod ante ipſum dixerat Victruuius. Siquidem is Laricis Reſinam liquidam eſſe ſcribit, mellis Attici colore & Phthiſicis vtilem. Quæ quidem notæ in noſtra Laricea adeò claræ apparent, vt Thyreſia cæcior dici poſsit, & Marpeſia caute ſtupidior, qui hanc non nouerit Reſinam eſſe Larignam, de qua meminêre Victruuius & Plinius. Cæterùm ſi cuipiam fortaſſe tot rationibus, tot argumentis, tot præclariſsimorum autorum teſtimoniis ſatisfactum non eſt, conſulat is etiam Galenum & eius κατὰ γένη libros perlegat. Ibi enim lib. I. cap decimoquinto, & lib. II. capit. I. & II. quinetiam libr. IV. capite 14. pluribus ſanè modis atq; teſtimoniis comprobatum eſſe reperiet, Reſinam Lariceam noſtram, nihil prorſus à genuina diſtare, ſed ipſam eandem eſſe, de qua idem ſcribit Galenus, cuius etiam æuo Terebinthinæ loco vſurpatur Larigna, vbi illa non eſſet ad manus. Quamobrem mirum nobis non ſit, ſi poſthac, vbi ſuperioribus annis Terebinthina reſina defecerat, vbiq; penè eius loco Larignæ inualuerit vſus. Sed his ita ſolidè aperteq; comprobatum eſſe arbitror, noſtram & antiquorum Laricem vnam & eandem eſſe plantam, vt nihil amplius hac in re non ſolùm tibi fuerit vlterius ambigendum, ſed nec aliis quibuſdam, niſi fortaſſe pertinacibus ac contentioſis, quibus cum nullum mihi intercedit negotium. Ex quorum agmine, qui tam temerè aſſeuerant Laricem noſtram, magnam illam eſſe Cedrum, quam Plinius Cedrelaten appellat, cuiusq; in ſacris literis apud Hebræos tàm frequens, honorificaq; fit mentio, deinceps ab omnibus deridebuntur, vbi hanc noſtram epiſtolam legerint. Sed nihil eſt, quod magis homines etiam non indoctos in delirium ducat, quàm ipſa peſtilens ambitio, qua plurimùm ij ducuntur, qui, vt præ cæteris ſcire, ac ſapere videantur, nihil aliud die noctuq; moliuntur, quàm vt noui inauditiq; aliquid vel dicant, vel ſcribant. Quod vt conſequantur fucatis ſophiſmatibus ſuas adeò concinnant ſententias, ac poliunt, vt ſtudioſa iuuentus, cui hæc non ita facilè innotuit impoſtura, hos perditos nebulones præ cæteris euehat ac colat. Sed vbi in eorum veniant iudicium, qui rem ipſam vbiq; exploratam habent, facilè ſpongia veritatis detergitur fucus & detegitur impoſtura. At quis tam fuerit mente alienus, qui credat Laricem noſtram Hebræorum eſſe Cedrum, cùm Plinius de ea peculiarem à Larice fecerit hiſtoriam, & quod illa Abieti non ſit abſimilis, Cedrelaten appellauerit? Quam qui in monte Libano viderunt, vt Bellonius, & qui Hieroſolymam ad SALVATORIS noſtri tumulum peregre proficiſcuntur, non Larici ſimilem pingunt, ſed Abieti: Vnde rectè illi nomen à Græcis deſumptum Κεδρελάτη Plinio inditum eſt, adde etiam quod huic folia perpetuò vireſcant. Talis itaque eſt peſtilens quorundam doctrina, quam cum tractu temporis veris, ac ſolidis argumentis expugnatam, dirutam, collapſamq; cernunt nec vllis poſsint ſe tueri præſidiis illicò ferarum more in furorem aguntur more canum rabidorum latrantes & ſpumanti ore oberrantes. Quinetiam vipereo quodam veneno perfuſi, tantùm conuitiis, criminationibus, maledictis, & omne genus fœditatibus confidunt. Quò poſtea fit, vt dum alios læſuros ſe putant, ſe ipſos interimant, & non ſolùm ab inimicis, ſed etiam ab amicis perpetuo habeantur opprobrio. Ego verò cùm veritati propalandæ ſuſtinendæq; ſemper fuerim addictus, nihilq; mihi magis ſemper fuerit in votis, quàm Rempub ac poſteritatem iuuare, horum perditorum hominum calumnias, criminationes, conuitia, maledicta, peſtilenteſq; eructationes, potius æquo ac forti animo ferre decreui, quàm à meo inſtituto deſiſtere. Sed ne ægre feras obſecro, mi amantiſsime Aldrouande, quòd tecum de his colloquar. Quandoquidem cùm haud me lateat, te virum eſſe integerrimum, candidum, pium, & doctum, volui hæc ad te ſcribere præter ea, quæ de Larice diſſerui, vt vbi in hoſce incideris Sophiſtas & contentioſos Sycephantas, meum ſequaris conſilium: Cùm probis, candidiſq; viris longè conſultius ſit, malorum omne genus expediri, quàm ne tantillum quidem à veritate deflectere: quam qui opprimere ſtudent, ij ſanè digni ſunt, vt è medio tollantur. Interim velim, vt tibi perſuadeas, te tantum tibi de me poſſe polliceri, quantum cognoueris à me poſſe præſtari. Vale.*

Larignam reſinam pro Terebinthina vſurpauerunt etiam antiqui.

Laricem non eſſe Cedrum. contra Guilandinum.

# HIERONYMVS DONZELLINVS MEDICVS ac Philoſophus, Petro Andreæ Matthiolo Sereniſſi. Principis Ferdinandi, Archiducis Auſtriæ Medico, S. P. D.

*Conſolatur Matthiolum aduerſus inuidos & blaterones.*

*Cum omnium artium is vſus ſit ac finis, vt mortalium ſaluti & commodo ſeruiant, ac famulentur, earum tamen nulla ſcopum hunc propiùs attingit, quàm Medicina, quæ reliquarum veluti princeps & architectonica, illis vtitur tanquam adminiſtris, ac earum actiones ita temperat ac moderatur, vt quæ alioqui noxia & pernicioſa erant futura, eius beneficio & commodæ fiant & ſalutares. Sic itaq; ad Medicinam affectæ ſunt artes inferiores, vt earum ipſa veluti regina ſit conſtituenda. At quæ nobiliores ſunt & rationem*

*tionem ac contemplationem magis requirunt diſciplinæ ac ſcientiæ, eius ope & auxilio ita videntur indigere vt ſine ipſius fructu nec comparari, nec exerceri commode ſatis poſſint. Cum enim ingenij, ac Sapientiæ ſtudia bonam valetudinem corrumpant ac labefactent, & quod generaliter ab Ariſtotele eſt prolatum. Vnius ſcilicet results ortum, alterius eſſe interitum, huc etiam apertiſsime accommodari poſsit, quis non videt, ſolius artis Medicæ opera adiutos homines in Diuinarum, atq; humanarum rerum contemplatione verſari diutius poſſe? Et quando humanus animus, ſi perpetuis perturbationum fluctibus agitetur, ad rerum ſcientiam peruenire minimè poſsit, ac veriſsimum ſit illud, quod dixit Ariſt. in ſedato ac tranquillo animo facile prudentiam ac doctrinam imprimi & comparari, efficacius hac in parte Medicina quam Ethica ſubuenire nobis poteſt. Si enim animi mores è corporum temperamentis, tanquam è fontibus manant, ac oriuntur, quemadmodum in peculiari lib. certiſsimis rationibus Galenus confirmauit, ea vero immutare ſolius Medici ſit opus, conſequitur, non tantum corporis, ſed animi quoq; valetudinem à Medico tractari, quæ ſane vtraque ad ſacra Philoſophiæ ſtudia liberrimum nobis aditum patefacit. Quinetiam cum bonorum tria genera ab Ariſtotele recenſeantur, quæ ad corpus pertinent, inter animi ac fortunæ bona medio in loco ſunt conſtituta, vt commodius vtriuſq; ſuffragari poſſint. De nobilioribus illis animi bonis quemadmodum Medicina indigeant, antea dictum eſt. Fortuita verò ſine firma valetudine, ac robuſta, nec comparari, nec retineri, nec eorum fructum percipi poſſe, ſatis patet, cuius certe ſola Medicina opifex eſt, ac procreatrix. Iam itaq; non tantum artium omnium præſtantiſsimam, ſed etiam generis humani matrem nutricem atq; alumnam eſſe, quiuis facile poteſt iudicare. Cuius etſi multæ ſunt partes, de ea tantum mihi nunc futurus eſt ſermo, quæ Medicam materiam deſcribit, & à Græcis [illegible] ſeu φαρμακευτικὴ eſt appellata, quam ego certè nunc multis nominibus aliis præferendam audacter pronuntio. Hanc ſane primo inuentam ac reliquis antiquiorem eſſe, Galenus eſt author. Vnde etiam apparet eandem cæteris deſtitutam vtilem eſſe mortalibus, cum ſine hac aliæ tamen inanem tantum, ac inutilem notitiam nobis afferunt, ac largiantur. Videmus certe multos etiamnum ſolidæ Medicinæ imperitos, ſola tamen auxiliorum notitia plurimos iuuare. & Empiricos olim reliquarum Medicinæ partium rudes, atq; ignaros, multa præſtitiſſe in generis humani ſalutem, Galenus teſtis eſt luculentiſsimus. Quicquid vero aut dicunt, aut contemplantur Medici, hunc vnicum ſcopum habent, vt medica materia rite atq; opportune vti poſsint. Et digniores, ac præſtantiores Medici ſemper ſunt habiti, qui in medicamentorum ſylua cum diuites ſunt, ac opulenti, tum vires & facultates ſingulorum habent perſpectas, vt prudenter & cum mortalium emolumento illis vti ſciant. Poſt longas enim ſpeculationes, poſt diutinas Medicorum inter ſeſe ſuis in deliberationibus concertationes poſt morborum examina, poſt cauſarum, ſymptomatum ſignorum, indicationum, ac reliquorum quæ legitimæ curationi ſunt præmittenda, exactam inueſtigationem ad materiam ac remediorum penu tandem recurritur ſine qua omnis conatus irritus ac ſtudium ſine fructu eſt futurum. Hæc de præterea Medicinæ partis ea eſt præſtantia, vt multiplicem ac variam pulcherrimarum rerum ſcientiam in ſe contineat & complectatur, quæ per ſe ac ſola vſuq; nondum adhibita animum perficere atq; omnium hominum ordines, mira quadam voluptate ad ſeſe allicere ac delectare quam maxime poſsit. Quicquid cæleſtes ac immortales illi orbes ſuo ambitu & complexu circumſcribunt, id totum materia eſt Medica. Ergo peritum Medicum eorum nihil fugit, quæ in ſublunari hoc mundo ſunt collocata. Et quamuis ſubiecti nobilitate, aliis Philoſophiæ partibus, non antecellit, vtilitate tamen, rerum varietate ac ſcientiæ certitudine, illis non eſt inferior. Ignis itaque genera, aeris facultates, terrarum differentias, maris, fluminum fontium, lacuum, paludum qualitates foſsilium metallorum, lapidum gemmarum, herbarum fruticum, arborum animantium, vt piſcium auium reptilium quadrupedum rerumque omnium, quæ ad illa quoquo modo pertinent, aut ex illis oriuntur, ac profluunt, vires ac naturam Medicus nouit, & contemplatur, inq; eo potiſsimum elaborat, vt aut ſola, aut ſimul mixta, ac varie præparata & ad profligandos morbos opportune adhibita, vt ſcite Galenus dixit, ex iis fiant βοηθήματα, quæ ſane præclaro Encomio Aſclepiades inſigniuit, qui χεῖρας τῶν θεῶν appellauit. Hanc Medicinæ partem plures antiquorum tractarunt, nemo tamen luculentius nemo exactius, nemo diligentius, quam Dioſcorides Anazarbeus, qui profecto in ea tradenda tam præclare eſt verſatus, vt omnes tum æquales ſuos, tum antiquiores etiam ſuo lumine ita obſcurarit, vt neglecta à poſteris eorum monumenta ſitu & ſqualore obducta, ac obliuioni tradita, tandē interierint. Quicquid etiam poſteriores ea de re ſcripſerunt, illi vni vltro acceptum ferunt & ſummam hoc in genere laudem illi iure merito concedunt. Vnus mihi inſtar omnium futurus eſt Galenus, qui honorificum ac locupletiſsimum illi, iis verbis teſtimonium impertitur. Inter omnes porro Dioſcorides mihi videtur perfectiſsime confeciſſe tractatum de medicamentorum materia. Fuere quidem & antiquorum & poſteriorum plures qui aliquam Medicæ materiæ partem, puta de animalibus, aut de plantis, aut de piſcibus aut de metallicis, ac foſsilibus ſeparatim ſunt perſecuti, at Dioſcorides vniuerſum corpus ſaluberrimo totius poſteritatis exemplo ſibi pertractandum duxit, quem poſtea imitati recentiores, eandem rem excoluerunt atq; elaborarunt, quædam etiam addiderunt, vt ſolet tempus, rerum omnium pater, ſemper aliquid in lucem proferre, nonnulla quoq; fecerunt meliora: αἱ γὰρ δεύτεραι φροντίδες βελτίονες. Ex quo tamen Medicina à Græcis in Arabum familiam infœlici quodam fato fuit tranſlata, hæc pars magis, quam cætera, naufragium fecit. Id vero an ipſorum Arabum vitio, aut ex vna in aliam linguam multiplici verſione contigerit, certo diuinare non poſſum. Illud omnino verum, medicamentorum tam ſimplicium, quam compoſitorum, tam magnam confuſionem, ac perturbationem hactenus fuiſſe, vt non vulgari mortalium damno hac in re ſit à Medicis peccatum. Tanta enim fuit obſcuritas, & tam omnia fere fuerunt perplexa, vt ſuperiorum ætatum Medici, aut grauiinſcitia oppreſsi errores minime animaduerterent, aut in tanta rerum difficultate hæſitantes, ac conſilij inopes, qua ratione ex vaſto, ac turbulento illo pelago enauigarent, aut ex confuſiſsimo illo Chao ſe extricarent, minime intelligentes, omni melioris profectus ſpe depoſita animum deſponderent, ac ſecundo flumine nauigantes turpiſsime ſe darent. Emerſit vero tandem ex illis tenebris noſtrum hoc ſeculum tanto ſuperioribus excellentius, quanto ea monſtra, quæ maiores noſtri exhorruerunt, ac formidarunt, non tantum aggredi eſt auſum ſed manus etiam conſerere, ac tandem edomare potuit, ac ſuperare. Filum enim inuenit, quo ex eo Labyrintho ſe tandem euolueret, ac liberaret. Ex eorum numero doctiſsime MATTHIOLE, cum te vnum, eumq; ſummum præcipuum, ac coriphæum eruditi omnes ſciant, illud tibi maxime gratulandum duxi. Tu enim heroico ac plane diuino impulſu commotus, non hanc aut illam partem, ſed totam ipſam Medicorum ſyluam ingreſſus, immanes ex ea feras eiecisti alias cicuraſti diligenter adeo excoluiſti, vt ex horrida, ac ſpinoſa ſylua pulcherrimum atq; amœniſsimum effeceris viridarium. Fuerunt alij etiam, fateor, noſtra hac ætate eius nemoris ſtrenui cultores, quorum etſi alter altero eſt præſtantior, te tamen vno omnes ſunt inferiores, tibiq; vni palmam concedere ſyncero eruditorum iudicio coguntur. Duxit Manardus & Leonicenus noſtra tempeſtate purioris Medicinæ inſtauratores, craſſa quædam, ac rudia huius fabricæ lineamenta, at tu viuos colores induxiſti, ac veras nobis rerum imagines repræſentas. Cæterum cum tota materia Medicæ tractatio duabus præcipue partibus abſoluatur, quarum altera ſingulorum vires, ac fa-*

Lib. de ortu & interitu II.

Libro Phy. VI.

Libro Ethic. I. & Reth. II.

Lib. ad Thraſibulum.

Lib. de Sectis.

Gale. III. Methodi.

Dioſcorides exacte materiam medicam tractauit.

Lib. de ſimplici. VI.

In Arabes.

Matthioli commendatio.

Manardus ac Leonicenus.

Medicæ materiæ duæ partes.

cultates docet, altera vero hiſtoriam exponit, tu vtranq; enarras, vt nihil prætermiſſum videatur. Præclarum ſane huius ædificij abs te iactum eſt fundamentum, cum Dioſcoridem ipſum explicandum ſuſcepiſti: ex cuius vnius vera intelligentia hæc demum Medicinæ pars priſtinum, ac legitimum candorem recuperare poteſt. Nec vero ipſum tantum authorem explanas, obſcura retegis, abdita patefacis, ac legitimum ſenſum eius verbis reſtituis, ſed quicquid etiam à poſterioribus Græcis, Arabibus & Latinis eſt inuentum, in tuum illum veluti theſaurum ita reponis, vt quæcunq; vſpiam extant ea dere lectu digna, illic tanquam in opere abſolutiſſimo ſuis in locis apte collocata reperiantur. Si quid præterea, aut ab antiquis, aut à recentioribus à recta ratione eſt aberratum, errorū fontem aperis, & optimis argumentis ab eorum ſententia diſcedendum ſuades ſcilicet ne rudibus, ac imperitis grauium alioqui & doctorum virorum authoritas imponat. Quoniam autem ſunt plurima medicamenta tam ſimplicia, quam compoſita, non ita pridem inuenta, quorum vſus multis adhuc eſt ignotus, complura etiam arcana, quæ paucorum admodum manibus contrectantur: Tu inuidorum odia nihil veritus, publicæ omnium ſaluti conſulens ex reconditis locis hæc in lucem profers, eorum vero energiam & rectam vtendi rationem doces, qua certe in re & liberalis & candidi animi egregium in primis ſpecimen abs te editum cum ſumma gratiarum actione cuncti agnoſcunt & confitentur. Nemini igitur mirum videri debet, ſi vniuerſis mortalium ordinibus & conditionibus tam gratus acceptusq; fuit tuus hic liber, vt non tantum Medici, Clinici, Chirurgi, Pharmacopœi, ſed omnes etiam alij, qui ab honeſtis ſtudiis minime abhorrent, tuum Dioſcoridem tum voluptatis, tum vtilitatis cauſa expetant, legant, ac manibus quotidie terant. Memini certe cum optimus vir ac diligentiſſimus typographus Vincentius Valgriſius Venetus mihi narraret à prima illa editione ſupra triginta duo millia exemplarium hactenus fuiſſe diuendita & diſtracta, audiſſemque tamen à quamplurimis etiamnum flagitari, quaſi vero nunc primum recens in lucem emittatur, vt facile appareat, noſtra hac ætate librum nullum magis gratum, aut libentius atq; alacrius acceptum in publicum prodiſſe. Ne tamen tantus theſaurus ſolis Italis eſſet communis, ex Italica, in qua primo fuit ſcite ſcriptus, lingua, nullis laboribus aut vigiliis parcens, Latinum reddidiſti, tuam ita φιλανθρωπίαν declarans & bonum, quo communius, eo perfectius atq; præſtantius eſſe, minime ignorans. Tandem ne quid in abſolutiſſimo opere deſiderari poſſit, rerum fere omnium, quas Dioſcorides tractat, viuas imagines adieciſti quarum ſpectaculo non tantum eruditi, ſed delectari etiam homines queant. Id autem vt exacte perficeres, dici vix poteſt, quot labores, æſtus frigora, cœli tempeſtates, peregrinationes longinquas pertuliſti, quot inacceſſos montes aſcendiſti, quot valles, ſyluas, nemora peragraſti: quot immanium ferarum truculentiæ, te, tuamq; vitam expoſuiſti, ſcilicet, ne idem tibi contingeret, quod Galenus in iis reprehendit, qui rerum atq; herbarum, quas ne per ſomnium quidem viderunt, figuras deſcribere aggrediuntur: quos nimirum ridens præconibus ſimiles facit, qui fugitiui mancipij notas ab aliis traditas publicant, quod ipſi non modo non viderint vnquam ante, imo ſi coram forte aſſiſtat, ne agnoſcant quidem. Quandoquidem vero in opere eo, non ſolum modo tot tantæq; moleſtiæ & tam grauia incommoda, vti diximus, erant tibi ſuſtinenda, ſed in elaborando elimandoq; potiſſimum, & vt rite ederetur, curando, diuerſiſſimorum artificum opera diligentiaq; in primis neceſſaria foret, diuinam hic prouidentiam mehercle, ſatis admirari non poſſum, quæ quidem, ne honeſtiſſimis ſtudiis & optimis conatibus tuis vllum omnino obiiceretur impedimentum, in tota Europa Splendidiſſimæ ac Illuſtriſſimæ Auſtriacæ familiæ clientela oportune te inſinuauit, cuius ſingulari liberalitate adiutus bene cœpto ædificio ſummum imponere colophonem poſſis. Maximam profecto lætitiæ cauſam ſuperioribus diebus tuæ mihi literæ ſuppeditarunt, quibus pariter inuictiſſimi Cæſaris Ferdinandi & ſimul Illuſtriſſ. ac Generoſ. eiuſdem filij Mœcenatis tui, Ferdinandi iunioris, promptam adeo atque alacrem in te voluntatem ſignificaſti, quorum ſplendidiſſimo munere tuus iam longe magis ac magis Dioſcorides ſit illuſtrandus. Poſt tot corporis labores, & tam graues ac aſſiduas animi curas, quid quæſo ſupereſt, quam legitimus tuæ virtutis fructus, gloria immortalis? bonorum, ſcilicet atq; eruditorum virorum de conſummata tua doctrina ac virtute concepta opinio, & publicus quidam omnium hominum plauſus? Nullus quippe nunc eſt in omni Europa angulus, nullus in luce hominum viuens, cui non modo notum ſit Matthioli nomen, ſed etiam præclarum inprimis. Tu viuens & valens diuturna iam tot annorum frueris laude & gloria, id quod pauciſſimis ſane conceditur, quo magis tibi etiam vel eo nomine eſt gratulandum. Dignus ante omnes profecto mihi videre, cui publico non ſolum totius Italiæ, cuius peculiare decus es & ornamentum, verumetiam totius Europæ conſenſu aurea ſtatua erigatur ingenij nimirum tui & præſtantiæ immortale monumentum. Nam ſi Demoſtheni de vnica patria bene merito id honoris grati Athenienſes detulerunt, quo magis illud tibi de immenſo orbe optime merito debetur? Si qui igitur ſunt in hominum cœtu, vt multos eſſe veriſimile eſt, (deteriorum enim rerum vberior prouentus ſemper eſt) qui de te ſecus, quam par eſt, aut ſentiant, aut loquantur, eos ego quos terra ſuſtineat, indignos puto, hominum peſtes ac reipub. detrimenta. Eorum calumniis ac petulantia iamdudum te vexari ſcio, id quod mihi accidit certe moleſtiſſimum. At quoties rem propius intueor, intra tuæ excellentiæ haud obſcurum ſane teſtimonium ac pulcherrimum veluti trophæum iudico. Vna & fatalis quodammodo, doctiſſime Matthiole à mundi exordio ad hæc vſq; tempora, bonorum & inſignium virorum ſors hæc fuit. Non ineleganter ſapientiſſimus Ariſtoteles dixit. Τὰ ἐναντία παράλληλα μᾶλλον φαίνεται. Nunquam enim magis conſpicua eſt inſipientium ac improborum cæcitas vitium, atq; inſcitia quam vbi prudentium & proborum oppoſita virtute ac ſplendore detegitur ac illuſtratur. Qui in deteriore ſunt ſtatu, omnes ſui ſimiles eſſe vellent. Noctua ſolis lumen ferre non poteſt. Hominum ſceleſtorum colluuies ac cæca indoctorum turba illos omnes delirare credit, qui non in eadem criminum ſentina malorum lerna, luto ac cœno ſecum volutantur. Hinc odium, inuidia, calumnia, detrectatio, reliquaq; animi impotentia, qua perditorum petulantia boni atq; honeſti viri pulſari ac laceſſiri ſolent. Sed quia tanta rei indignitate non parum te commoueri eſt æquum, rationes quibus tuum animum ſuſtentes & conſoleris, altius hic repetere, peropportunum duxi. Antiquiſſima illa eſt conſolatio & naturæ humanæ maxime conſentanea.

Triginta duo millia exemplaria vendita.

Italice primum ſcripſit Matth.

Lib. de ſimpl. 7.

Contra Matthioli oſores.

Lib. Rhet. III.

Ouid. lib. Metamorphoſ.

Similes aliorum reſpice caſus.
Mitius iſta feres.

Pythagoras. Themiſt. in Sophiſta.

Socrates. Platoni Apolog. & in Phædro.

*Pythagoras adeo ſapientia dicitur excelluiſſe, vt Philoſophorum omnium veluti parens merito habitus fuerit, idem tamen propter liuidos ac turbulentos homines exſortis ſemper in aliena vixit regione. Nam ex Samo Crotonem propter Polycratem. Crotone ad Locrenſes propter Gylonem aufugit. Ex Locrenſibus autem non vnus duntaxat, ſed omnes in eum inſurrexerunt, non alia certe ratione, quam quod tanti viri virtutem diutius tolerare nequiuerint. ab his itaq; Tarentum exigitur. Tarentini inſuper mox, tanquam grauiori aliquo onere ſe leuaturi in Megapontium detruſerunt, vbi poſtquam ad quadraginta dies cibo abſtinuiſſet, in Muſarum templo interiiſſe perhibetur. Quid vero optimo illi Socrati acciderit, quid attinet hoc loco commemorare? Melyto, Anyto & Lycone cunctorum plenæ ſunt hominum aures. Et*

profecto

*profectò quid ſapientibus ac bonis viris ab hominum ſtultitia ſit expectandum, eius vnius exemplo eſt patefactum. Adhæc Platonis diuina prope ac cœleſtis doctrina, quid aliud eſt, quam docta religio? vt verè olim Auguſtinus Platonicos, paucis demptis, fieri Chriſtianos aſſeuerauerit. Is tamen Philoſophorum Deus ab imperita hominum turba tam indignè ſuſceptus fuit, vt conſtanti fama celebretur, cum ter in Siciliam parandæ pecuniæ ac victus cauſa nauigaſſe. Cæterum quanta perpeſſus ſit Ariſtoteles, pleni ſunt Græcorum libri. Is enim etſi in humana ſapientia ad miraculum vſque erat eruditus, innumeram tamen Sophiſtarum ſcholam in ſe concitauit, qui virulentis etiam editis orationibus quæ Themiſtij tempeſtate adhuc extabant, illius exiſtimationem impetebant ac lacerabant. Sed qualis illa fuit iniuria ac ignominia? quando Athenis ab Eurymedonte impietatis in Deum falſo accuſatus in Colchidem profugere eſt coactus, idque ea de cauſa ſe facere affirmauit, ne Athenienſes iterum in Philoſophiam peccarent. Et quamuis de Athenienſibus optimè fuerat meritus perpetuo tamen ab eiſdem exilio fuit mulctatus. Notum eſt, quid ſemel reſponderit, cum à quodam ſe fuiſſe conuitio affectum audiret, nempe, abſentem me, ſi velit, flagellis etiam cædat. Quæ quidem reſponſio obtrectationibus ſe fuiſſe obnoxium, ſatis declarat. Hi duo poſtremi in maximorum Principum aulis ſunt verſati, ſed quam fœliciter antiquorum docent monumenta. non paucis enim inimicis, ac periculis, hic apud Alexandrum Macedonem, ille verò apud Dionyſium Syracuſanum eſt conflictatus, à quibus tamen ſummos honores, ac præmia obtinere merito debuiſſent. Poſt latas Athenienſibus ſanctiſſimas leges, Solon diffugere eſt compulſus, ac pro inſignis beneficij pie in patriam collocati, mercede, ab obitu, apud Salaminem eius cineres ignominioſe diſperſi ſunt, ac diſſipati. Quantus fuit in patriæ potiſſimum, & vniuerſæ Græciæ ſalute, ac libertate aſſerenda Demoſthenis ardor ſtudiumque? quam infauſtus contra eius exitus? Huiuſce modi ſummorum virorum fortuna, locum fecit illi prouerbio: Id optimo cuique Athenis accidere ſolitum eſt. Cicero literarum, ſapientiæ atque eloquentiæ gloriam à Græcis in Latium tranſtulit, & ob res præclarè fœliciterque geſtas in Conſulatu, Pater patriæ appellatus eſt: non multo poſt attamen ſumma iniuria pulſus, cogitur exulare: reſtitutus, & Parthico bello victor, dignus triumpho iudicatus truculentiſſimè tandem necatur. Vtinam verò meliorem fortunam expertus eſſet bonorum omniũ nobis author Hippocrates, is, inquam quem Pætus in illa ſua ad magnum regem Artaxerxem epiſtola θεῖον ἰητρὸν πατέρα, σωτῆρα ἀνθρώπων, ὀλυμπίων ἔργων [illegible] vocat, & à Ioue genus ſuum ducere affirmat: cum ille ab Artaxerxe eſſet vocatus vt peſtem in eius exercitu crudeliter graſſantem ſua arte curaret: recuſauit barbaros Græcorum hoſtes infenſiſſimos iuuare ſibi minimè licere teſtatus: Quare illum rex à Cois ad necem expetiuit, quorum etiam patrocinio periculum euaſit. Quantum verò Romæ & Medicorum & Philoſophorum odium, atque inuidiam ſuſtinuerit Galenus, vnus ab eo de præcognitione inſcriptus liber demonſtrat. Hi cum vera Medicinæ ſcientia deſtituti eſſent, huius lumen nequaquam tolerabant, quando eiuſdem ſplendore cæcutientium tenebræ omnium oculis ſubijcerentur. Lucrum enim ambitionem, ac voluptates ſectando, adulatoriam potius, quam Medicam artem exercebant, cumque Galenus ob præſagia curationesque plurimas cunctis tam eſſet admirabilis, ipſi tamen omnia, tanquam non ex Medica facultate, ſed Magia potius quadam ac diuinatoria arte, facta impudentiſſimè calumniabantur. Verum poſtquam ſolida Galeni doctrina, & vitæ integritate, calumniatorum inſectia ac improbitas nulli non innoteſceret, ipſe nihilominus, vbi Quintum Medicum olim Romæ nobiliſſimum per ſummam iniuriam ab illis in exilium actum, & præter eum, egregium alium quendam iuuenem in arte illa apprime exercitatum, vna cum binis famulis è vita ſublatum audiuit, ab Eudemo peripatetico admonitus, veneni periculum ſibi imminere, relicta illico Roma in patriam reuertit.*

Plato. Ariſtoteles quæ paſſus. Solon. Demoſthenes Cicero. Hippocrates Hippo. in Epiſtola. Galenus.

*IAM ſi quis totam antiquitatem ſcrutetur curioſius, optimos quoſque, ac eruditiſſimos viros indigniſſime habitos animaduertet. Multa variaque huiuſcemodi ingratitudinis exempla ſuppeditant Plutarchi Parallela diuinum illud ac præclarum opus, in quo tanquam in ſpeculo veriſſimum eſſe id, quod dico, perſpicuè apparet. Cæterum ne noſtrum hoc ſeculum honeſtis & egregiis viris æquius aut magis amicum, quam ætas ſuperior exiſtimetur, exempla aliquot proferam ex iis, qui noſtra memoria vixerunt: vt non minorem nunc, quam vnquam antea, in eximia in primis, ingentia & ingenua ſtudia, ingratitudinem atque odia exerceri, omnes clarè intelligant.*

*CVM noſtra tempeſtate Nicolaus Leonicenus ab ineunte ætate optimis literis deditus ingentes opes capacis, & maximè conſtantis ingenij ad illuſtrandam Medicinam contuliſſet, & in Arabum cenſura ac Sophiſtarum importuna garrulitate cunctaſce lantium, erroribus confutandis ſtrenuam operam collocaret: tot imperitorum hominum latratibus obnoxius fuit vt ne eorum morſus ſentiret, perpetuo cum illis fuerit pugnandum, quemadmodum in præclaris ab eo editis commentariis ac præſertim Antiſophiſta apparet.* Leonicenus.

*IOANNES etiam Manardus illi æqualis & in eodem quoque profitendi munere collega, Barbarorum & à vera Medica norma delirantium turbam, minime habuit æquiorem. Is enim ſtirpibus, ac præſertim Indicis, in Medicinæ vſum adoptatis, obſoleto antiquo nomine, & incerta virium poteſtate perobſcuris, cum eruditam claritatem afferre conaretur, plurimos habuit, qui ſibi aduerſarentur. Et quanquam in eruditiſſimi viri iudicio docti acquieſcerent, & oraculi loco apud illos eius ſententia haberetur, cum tamen apologiis perpetuo ei fuerit dimicandum, acerrimos illi hoſtes non defuiſſe eſt manifeſtum.* Manardus.

*AT verò Mattheus Curtius, cum Medicinæ præcepta, ac difficiliores artis locos, ſolertiſſima perſpicatis animi vi publicè interpretaretur, ſenioribus ſuæ ætatis Medicis ſomniare videbatur. Arabum enim, ac Sophiſtarum glandibus aſſueti ſuauiorem Hippocratis & Galeni cibum rudes, ac ſtupidi aſpernabantur. Grauia igitur certamina ſuſtinere eſt coactus. Et quamuis ſcribendo parum eſſet fœlix, de phlebotomia tamen ritè inſtituenda commentarium edere, ad ingentem eorum, qui ſibi repugnabant Medicorum ſtuporem excitandum, fuerit cum ſumma neceſſitate compulſus.* Curtius.

*IOANNIS quoque Baptiſtæ Montani diuina illa, quam in docendo ſequebatur, methodus, quam profuſis multorum cachinnis initio fuerit excepta, illi norũt, qui eius tum fuerunt auditores. Sed quia cum ſumma eruditione inuictum illi animi robur eſſet, breui temporis ſpatio maleuolorum inuidiam ſuperauit. Doctrinæ tamen ſuæ aduerſarios multos & oppugnatores eum habuiſſe, teſtis ego ſum locupletiſſimus, qui non ſine eius conſilio, ac voluntate ſcriptis Apologiis veritatem ipſius dogmatum non ſemel propugnaui.* Montanus.

*SED quid Andreas Veſalius? qui Anatomicen iam diu antea collapſam, & penè deperditam, cum viua voce, ac manu doctiſſima, tum, in illo de humani corporis fabrica immortali opere, & reſtituit & illuſtrauit, cum initio in Italia, ſuperioris tempeſtatis errores paſſim ob oculos poneret, & rectam ſecandi rationem publicè profiteretur, primarios Italiæ Medicos habuit infenſos. At paſſim primo laceſſitus, veritatis tamen clypeo munitus, ita ſeſe defendit contra omnia aduerſariorum tela, donec illi ipſi re æquius perſpecta, poſtmodum redderentur & mitiores, & quietiores, & qui ante ipſum valdè vbique oppugnauerant, palmam tandem in ea facultate vltro, ac lubenti animo illi conceſſerint.* Veſalius.

*Plures interim in Italia aliiſque regionibus viuunt, qui Veſalio adhuc obſiſtunt, ſcilicet ne Herculi deſint monſtra, quibus conficiundis magis magiſque nomen eius illuſtretur.*

*At cur ego in recenſendis exemplis potiſsimum longior ſim, quandoquidem vna & eadem perpetuaq; bonarum artium calamitas, ſemper fuiſſe comperiatur? Vnde etiam factum credo, vt non modo noſtris temporibus, ſed ſemper ſynceriſsimi viri nonnulli reperirentur, qui animorum imbecillitate potius, quam ſano iudicio adducti, explorata ... & in cute humana prauitate, è turba frequentiaque vulgi, ceu à valida quadam tempeſtate, & procella, ad ſolitudinis ſalutarem portum ſe receperunt. Quales profecto, quanquam promiſcuæ multitudini ignoti, Diis potiſsimum immortalibus amici æqualibuſq; viris optimis ipſi optimi exiſtimantur. Hi tranquillam vitam agunt, neq; ægre permittunt, verſutos & prauos homines in populo gloriam admirationemq; aucupari. Ex eorum albo Philoſophos excellentiſsimos, longeq; principes ſeueroſq; admodum, & pergraues viros extitiſſe complurimos, author eſt Cicero.*

Offic. Lib. I.

*Tu igitur optime Matthiole, tantum abeſt, vt tuorum aduerſariorum impetu atq; inuidia debeas commoueri, quin eadem de cauſa præcipue tibi gratulandum cenſeo. Te ſiquidem eximiis illis viris ſimilem eſſe declarant, quos ſuperius nominaui, quorum veſtigiis tenaciter inſiſtens, ſi in eoſdem ſcopulos incidis, minime mihi mirum videtur. Nec vero ſi ſaceres mercaturam, pacatum ac tranquillum ad quamcunq; nauigationem mare, & ſecũdos ex animi ſententia ventos & onuſtas precioſo auro naues tibi ſemper pollicereris? Nonne vndarum iactationem, tempeſtatũ procellam, Scyllam, Charybdimque, & his omnibus periculoſius naufragium, & grauiorem Oceani fluctuantis æſtibus, pyratarum latronumq; incurſum ſubinde exhorreſcas? & interdum etiam de eiiciendis in mare mercibus cogitares? Sed neque illud à te eſt expectandum, vt communi ſorte exemptus plane habeas neminem, qui tibi ſe opponat: neque id poſtulare debes, cum impetrari minime poſsit. Omnem ætatem ſuos habuiſſe Zoilos, tibi eſt notiſsimum. Damnant tua Commentaria nonnulli, è diuerſo plures ſunt, qui eadem ſummis laudibus ad cœlos vehunt. Tu is es, qui & illis reſpondere & te tuaque ſcripta conſtantiſsimis argumentis & re ipſa tueri potes. Vtcunque tamen in eo certamine nullo non tempore defuturi ſunt ἀνταγώνιςαι: ſic attamen in hoc temetipſum conſolaberis, quod grata poſteritas nullis omnino affectuum præiudiciis occupata, de rebus tuis ſyncerius iudicium feret. Hoc certe in ſtatu, quo tu nunc verſaris, Iſraelitis mihi ſimillimus videris, quos ſacra hiſtoria refert, poſt ſuum ex Babylone in patriam reditum, cum Hieroſolymam denuo extruerent, pari difficultate laboraſſe: Siquidem id non vulgare fuit fortitudinis ſpecimen gladiis accinctos, cementum & lapides comportare, vna manu ſtrictum enſem vibrare altera facere opus, trullam verſare, atque ita ſimul architecturæ dare operam, ſimulq; ad prælium expeditos eſſe. Et tamen videmus id non obſtitiſſe, quo minus conſtanter infractiſq; animis pergerent in cœpto conatu, quoad tandem vſque pertinaci eorum aſsiduitate, hoſtium improbitas & rabies frangeretur. Idem profecto de te eſt expectandum, qui nunc altera manu intercidentem iam diu Medicinæ partem reſtituis, altera vero aduerſariorum hoſtium vim ſtrenue repellis & fortiter iis repugnas, qui egregium ac ſalutare toti humano generi, hoc tuum ſtudium impediunt ac remorantur. Porro autem, cum ego diligentius rem conſidero, aduerſarios tuos in duo genera partitos eſſe video. Quorum ii quidem & docti ſunt & eruditi, nulloq; aut leuioris aut contentionis ſtudio tecum pugnant: Sed cum idem omnino ipſis, quod tibi, propoſitum ſit & inſtitutum iudicio hercle, non animi acerbitate vel odio abs te diſſentiunt. Quando autem in omnibus artibus ac diſciplinis perpetuum hoc fuiſſe conſtat, neque ea in re quicquam tibi accidit nouum, inſolens aut inuſitatum, æquo animo abs te ferendum iudico. Nil equidem aliud Galeno interprete diuinus Hippocrates voluit, cum iudicium difficile pronuntiauit. Ex qua potiſsimum difficultate & in Philoſophia & in aliis ſcientiis tot ſectæ prodierunt. Hos ego amico animo in te eſſe non dubito. Et cum te natura humanum ac facilem nouerim te viciſsim erga illos, vt par eſt, egregie affectum eſſe, æque mihi certum eſt.*

Lib. Eſdræ 2. c. 4.

Matthioli aduerſarij duum generum.

Aphoriſ. primo.

*Socratem ac Platonem, vbi bene de ſe meritos præceptores ſummo honore Ariſtoteles colebat, non vna tamen in re ab ipſis aperte diſſentit, quinimo eorundem amicitiam ſibi ſacroſanctam eſſe haberiq; teſtatus, Veritatem tamen omnibus præferendam ducit. Priorem hanc inimicorum aciem, ſalua incolumiq; neceſsitudine, rationibus ſolis tibi expugnandam relinquo. Cum altera vero mihi eſt congrediendum, eiuſmodi enim ſunt, vt cum illis diſceptare certareq; tibi putem indecorum. Vtranque Philoſophiam iſti ignorant, tam eam, quæ in naturæ contemplatione rerum verſatur, quam quæ affectuum impotentiam virtutum mediocritate moderatur ſolo nimirum mentis furore, ſola animi inconſtantia, ſola petulantia, ſola inuidia ob tam fœlicem rerum tuarum ſucceſſum, ad te laceſſendum permouetur. Talis cum ſit eorum conditio, ne apud bonos & eruditos viros, ſua authoritate tuam exiſtimationem lædant aut obſcurent, minime tibi eſt verendum, quippe cum perditiſsimi ſint & Reipub. labes & maculæ, quis obſecro, niſi talpa cæcior, eſt futurus, qui eorum verbis fidem adhibendam in animum inducat? Eouſque enim ſe prodit eorum fœtor, vt omnium naribus excipiatur: ab eoque omnes tanquam à Mephiti quadam, vt ſentina longe diffugiant. Animos ii habent teterrimo veneno delibutos & nigerrimo hoc, quo hæ meæ literæ exarantur atramento, fœdiores, vt indigniſsimi ſint, quorum nomina à te perſtringantur, aut quibus candidiſsima hæc papyrus à me inquinetur. Horum itaque ne tantilla tibi quidem ratio, mea ſententia habenda eſt. Vt tamen aliqua ſaltem ex parte leuium homuncionum inſolentia temeraria retundatur, iam ſpeculum illis paraui, in quo improbitatem ſuam manifeſte ac palam intueantur.*

*Ego Matthiole Candidiſsime, ab adoleſcentia vſque & bonorum præceptorum monitu & meo etiam peculiari quodam genio, ita fui comparatus, vt antiquos, maxime Græcos ſcriptores mihi duxerim perſequendos. Verum vbi aliquando natu grandior factus, noſtrum hoc ſeculum non paruum doctorum hominum prouentum attuliſſe animaduerti: illos quoque mihi ſtatui perlegendos, neq; facti me admodum pœnituit, quod in eorum numero plures inueni, qui & doctrina & facundia merito cum ipſa antiquitate ſint proxime conferendi, hoſce ego omnes tuæ virtuti eruditioniq; luculentum teſtimonium dare deprahendi. Et quanquam ego antea idem de te ſentiebam, non parum tamen (vt ingenue fatear) eorum me virorum authoritas permouit. Igitur quod me impulit, nihilominus ponderis apud alios quoſuis habiturum ratus, coniunxi doctorum noſtro æuo de tua ingenti ſolertia non obſcura teſtimonia, quæ etiam (ſi id tibi non ingratum fore intellexero) duplici nomine edere in publicum vellem. Cum primum enim in veteratorum manus peruenerint, eaque viderint ac perlegerint, ſi quis illis reliquus eſt pudor, ingenium cito mutabunt. Nam cum inſignis ſit ſtultitiæ argumentum, à ſapientibus diſſentire, vt meliorem mentem aliquando recipiant, hoc veluti Elleboriſmo vtendum cenſui. Deinde cum in magnis laboribus ac diutinis vigiliis iam diu verſeris, hoc leuamento vires tuas ſuſtentandas ac ſpiritus addendos exiſtimaui. Nam vbi claſsicos authores videris tam præclare de te & loqui & iudicare, nonne vitiligatorum & ſycophantarum morſus facile contemnes, & alacrius in tam fœliciter cœpto curriculo inſiſtendum, gloriam tibi in meta propoſitam prope contemplatus, minime hæſitabis? Nec enim eſt hoc diſsimulandum, quod obſcurari non poteſt, ſed præ nobis ferendum, Trahimur omnes laudis ſtudio & optimus quiſq; maxime gloria ducitur: nullam*

Cic. pro Archia.

etenim

etenim virtus mercedem aliam laborum periculorúmque deſiderat, præter vnicam hanc laudis & gloriæ, qua quidem detracta, quid rogo eſt, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam breui tantis nos in laboribus exerceamus? Certe ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, iiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis & vigiliis angeretur, nec toties ſanè de vita ipſa dimicaret. Nunc incidet quædam in optimo quoque virtus quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat atq; admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam. Scio equidem generoſos animos, verámque ac genuinam virtutem, nihil peregrinum aut extrinſecum morari, ſed contentam eſſe ſeipſa, ac proinde artis Medicæ gloriam imprimis ac publicam humani generis ſalutem, hoc in certamine tibi fuiſſe propoſitam. Quia tamen idem tibi quod Chremeti illi Terentiano accidere abſurdum non eſt, ſcilicet vt humani nihil à te alienum putes, hoc tanquam incitamento non potui te non adhortari, ne ab hac ſtatione diſcedas, in qua magno mortalium commodo diuinum conſilium ac prouidentia iam dudum te collocauit. Vale. In Heautontimorumeno.

## Hic habes candidiſſime Lector virorum noſtra ætate præcellentium Elogia de eximia doctrina & virtute, Clariſſimi Medici Petri Andreæ Matthioli Senenſis.

### Nicolaus Mutonus Mediolanenſis, Medicus.

*Sunt inter recentiores Victor Trincauellius, Aloyſius Mundella, Lucas Chinus, Nicolaus à S. Michaële, Auguſtinus Gadaldinus, Franciſcus Caninius, aliiq; innumeri quos ne tædium pariat oratio, lubens ac volens prætereo. Non omittendus tamen ſingularis eruditionis & perſpectæ diligentiæ Petrus Andreas Matthiolus, qui primus (quod ſciam) præſtantiſſimum ac multis iam ſeculis comprobatum Medicæ materiæ ſcriptorem Dioſcoridem in Italicam linguam quam elegantiſſime vertit. Quo fœliciter peracto labore commentaria adiecit, in quibus Medicæ materiæ ſcientiam, cum adusque hæc tempora in nocte denſiſſima delituiſſet tanquam interemptam nunc primum è caliginoſis latebris in lucem reuocauit, & eam veluti alio quodam partu genuit, & per omnia membra aluit, eduxit, veſtiuit, & omni ornatu inſignem reddidit.* Hæc ille in præfatione ſui Serapionis.

*Præterea in ſuis annotationibus in theſauros Pharmacopœorum, Matthioli authoritate fretus, quamplurimos annotauit errores. Quin & in ſuis in Serapionem plantarum nomenclaturis Italicis a Matthiolo omnia accepta refert.* In Serap. & annotat. in theſauros.

### Vbertus Barlandus, Medicus Gallus.

*Porro hoc in negotio non extemporium dicaſten egi, verum in exprimendis ſimplicium facultatibus & forma Galenum ſequutus ſum. In priuatarum ſimplicium cenſura, eximium illum & eruditione & perſpecta diligentia Matthiolum reddidi præcipue, quum in Dioſcoride cenſendo hic & operam nauarit ſingularem atque adeo Colophonem addiderit.* Hæc in Epiſtola nuncupatoria ſuper ſuas annotationes in Dioſcoridem:

Item. *Quod ſi omnium longe in tractando Dioſcoride acutiſſimo Matthiolo Senenſi credimus, verum Acorum id eſſe probabimus, quod officinis calamus odoratus nominatur.* Cap. de Acoro. Item: *Nec hodie Meon prouenire in Italia præcellentiſſ. Matth. ait*: Cap. de Meo: Non modo his locis citat Matthiol., ſed aliis ſane innumeris.

### Bernhardus Diſſenius Chronenburgius, Medicus Colonienſis in libro ſuo de compoſitione medicamentorum.

*Opinionum controuerſiam luculenter Andreas Matthiolus Medicus in Commentariis ſuis in Dioſcoridem ſuſtulit, dum Calamum vſus quotidiani odoratum, veriſſimum Acorum oſtendit, cuius doctrinæ vtpote germanæ refragari nemò debet.* Cap. de Acoro in antid. hæmagogo. Item: *Solus Andreas Matthiolus, ſolide de Indica Nardo pronuntiat.* Cap. de Nardo in Aurea Alexandrina. Item: *Qui volet doctiſſimi Ruellij Commentaria, & hac ætate in plantarum ſcientia omnium principis Matthioli opus in Dioſcoridem verſet.* In diaſatyrio.

Item: *Cæterum Matthiolus excellenti conſtantiq; ingenio, quam reliqui omnes authores Matricariam vocarunt, atque alteram Dioſcoridis Arthemiſiam pronuntiarunt, Parthenium decernit.* In Syrupo de Arthemiſia.

Item: *Manardus veram Acaciam primus putat in Italia deeſſe, cui ſummi iudicij & exquiſitiſſimæ eruditionis vir, Matthiolus Senenſis ſubſcribit.* Cap. de Acacia. Item: *Huic ſententiæ meæ adſtipulatorem habeo Clariſſimum Medicum, Andream Matthiolum cuius verba quoniam impoſturam ſimul omnem ac rei veritatem indicant, hic adſcribere operæprecium omnino duxi.* In Theriaca Andromachi. Capite de terra Lemnia.

ITEM: *In ſumma, non quæuis alia eſt recipienda. Pingit eius exquiſitam imaginem in Dioſcoride ſuo Matthiolus Senenſis, vir ad vnguem in arte abſolutus.* In Syrupo de Eupatorio. Capite de Bedeguar.

ITEM. *Quam quidem ſidem Matthiolus ſummus Medicus, & in herbarum omnimoda cognitione nemini ſecundus, comprobat.* In Benedicta Nicolai Cap. de Turbit.

ITEM. *Amathus Luſitanus frequenter odioſa confidentia virus inuidentiæ ſuæ in clariſſimum modeſtiſſimumq; virum Matthiolum Senenſem eructat, dum paſſim nimis intempeſtiue huius doctrinam ſuper Commentariis in Dioſcoridem editis, coarguit & inſectatur, quibus probatæ fidei hominibus nil aliud, quam malignum animum & pernicioſam inuidiam oſtentat. Ipſe interim infinitis modis dignus, qui ob magnam ſtirpium imperitiam atque improbam, in ſe tranſlatam operam alienam (quod crimen eſt longe omnium turpiſſimum) velut è ſublimi doctis veniat deridendus. Ecquid enim enarrationibus ſuis inſeruit, quod non iuſtiſſimo titulo vni Matthiolo acceptum referre debet? à quo æmulandi ſtudio diſſentit, in graues manifeſtosq; errores imprudens homo prolabitur, cuiuſmodi exemplum tum in hac planta, tum in Acanthio, Coronopo, Helichryſo, ac pleriſque aliis viſitur. Multo ſatius fuerat quo doctiorem ſe æſtimaret, eo quoque modeſtiorem præſtare, quod ingenuum Philoſophum decet.* In oleo Hypericonis. Capite de Carduo Benedicto.

ITEM. *Primus eius autor eſt, Petrus Andreas Matthiolus Senenſis, celeberrimæ famæ Medicus libro ſuo de curatione morbi Gallici.* In oleo ligni Guaiaci.

ITEM. *Quanquam mihi nemo hactenus extitiſſe videatur iudex æquior, quam Andreas Matthiolus, qui lib. 4. Dioſc. cap. 37. eius figurã oſtendens, Eupatorium hoc vulgare Auicēnæ eſſe indubitanter pronuntiauit.* In Syr. de Eupat.

ITEM. *Poſtremo abſolutiſſimam cenſuram ſuã edidit Matthiolus indubitatis ipſius herbæ notis, quas impugnare contentioſi prorſus eſt ingenij. Et ſi non negauerim in vtranque opinionē plantam rationibus quibuſdã trahi poſſe. Sed tamē reuera Phyllitis eſt decernenda quod ille idem Matthiolus oculis ſubiectæ Hemionitidis genuina imagine demōſtrauit. Itaq; ambigere & contendere amplius deſinant, quibus veritas cordi eſt.* In Oxymelite ſplenico Pauli. Cap. de Scolop.

ITEM. *Neſcio qua ratione adeo acer oppugnator Meſues ſit Manardus vir alioqui ſingulari humanitate, modeſtia,*

*ſtia, & eximia animi ſynceritate & moderatione. Sed totam hanc diſſenſionem exquiſita doctrina ſuſtulit, perpetua memoria digniſſimus Matthiolus in Cōmentariis ſuis ſuper Dioſcoridem, quos legitent Medici, nam Seplaſiarius ſufficiat has aperuiſſe.* In Diaſene Nicolai Cap. de Sena.

ITEM. *Sed Auicenna defenſionem ſingulari ingenij modeſtia & eximia pariter æquitate Matthiolus in Commentariis ſuis in Dioſcoridē ſuſcepit lib. 4. cap. 27. quo etiam loco quatuor Aconiti formas conſpiciendas proponit, homo in ſimplicium cognitione ac medicina peritia clariſſimus.* In Trochiſco è veſicariis diaphyſſalido. Capit. de Cicuta.

ITEM. *Cynogloſſum prorſus iuxta Dioſcoridis ſcripturam apud Clariſſimum Medicum, Andream Matthiolum, in doctiſſimis Commentariis ſuis, in eundem ſtudioſiſſimè elaboratis, conſpicere quis poterit.* In Trochiſco de terra Sigillata: Capite de Bolo Armeno.

ITEM. *Solus Matthiolus in clariſſimis nuper editis Commentariis ſuis, ad viuum affabre Symphytum petreum expreſſit, è quibus petant plantariæ rei ſtudioſi.* In cerato ex pelle arietina. Cap. de Conſolidis.

ITEM. *Hanc opinionem ſimul & Fuchſium impugnat Matthiolus in doctiſſimis Commentariis ſuis ſupra Dioſcoridem conſcriptis, & omnino legitimum Horminum iſthic affabre pictum oſtendit.* In Oleo Saluiæ.

## Conradus Geſnerus Medicus Tigurinus.

PETRI *Andreæ Matthioli Medici Senenſis præclariſſimi extat liber vnus de morbi Gallici curandi ratione. Inſunt huic operi multa rara & mirabilia experimenta autoris. Edidit & Commentarios longe doctiſſimos in libros ſex Dioſcoridis de Medica materia, qui ſæpius Italice editi, poſtremo ab ipſo authore in Latinam linguam tranſlati ſunt. Adiectæ inſuper ſunt huic operi innumeræ plantarum, & animalium imagines ad viuum expreſſæ. Eiuſdem extat Apologia, qua ſe ab erroribus & calumniis vindicat, quibus notatur ab Amatho Luſitano, Medico. Extant, & obiectiones quibus ipſius Amathi errata patefacit.* In Bibliotheca & Epitomis.

*Petrus Andreas Matthiolus Senenſis, Dioſcoridem nuper in ſermonem Italicum conuertit, & Commentarios eadem lingua copioſos & eruditos adiecit, vbi diligentiſſime quæcunque de iiſdem medicamentis Galenus ſcripſerat, ſuo quoque loco recenſet. Plerunque etiam Plinij & aliorum ſcriptis nititur, & recentiora medicamenta à Dioſcoride omiſſa ex recentioribus paſſim commode adiecit, & plurima ſua aduerſus varios morbos & eximia quædam experimenta deſcribit. Audio nunc idem opus Venetiis nunc primum Latinè edendum.* In præfationibus editis in Hieronymi Tragi Herbarium. Quin etiam infinitis fere locis Matthiolum citat, & eius vtitur laborib. lib. de hiſt. anim.

ITEM. *Petrus Andreas Matthiolus Senenſis, in Commentariis Italicis, ſuper Delphino Dioſcoridis Senam diligentiſſime deſcribit, & Ruellij errores refellit.* Libro de hiſtoria quadrupedum de Boue.

ITEM. *Petrus Andreas Matthiolus, rectè annotauit Theophraſtum in Orobanche alicubi per imperitiam effuſum.* Ibidem.

ITEM. *Nam Ruellij ſententiam de frutice illo amplexicaule, quem ſigillum Diuæ Mariæ aliqui vocant, & ipſe alibi Malacociſſum, alibi Cyclaminum alterum facit, Matthiolus iam optime reprehendit. Cui nos libenter ſubſcribimus.* Ibidem.

ITEM. *Ego Matthioli ſententiis magis acceſſerim, qui Helychryſon apud Thuſcos abunde naſci ſcribit.* In Tauro.

ITEM *Matthiolus Ruellium reprehendit, quod hanc Cynocramben Atriplicem ſylueſtrem eſſe putauerit, cum Atriplex iſta libro ſecundo, poſt ſatiuam ſtatim à Dioſcoride commemorata ſit. Quæ quidem in re cum Matthiolo ſentio.* In Cane. Quin etiam innumeris fere locis in eodem volumine, in libro de quadrupedibus ouiparis, & de volatilibus Matthiolum citat, & eius vtitur inuentis ac laboribus.

## Andreas Lacuna Secubienſis, Hiſpanus.

*Porro veram Dioſcoridis Baccharim ignotam hactenus, à nobis autem haud ita pridem in Romanis hiſce agris repertam, nuper miſimus ad Petrum Andream Matthiolum, virum & amicum, & medicamentorum ſimplicium, hac noſtra ætate indagatorem acerrimum.* In annotationibus ſuper Dioſcoridem.

ITEM. *Seruieron me no poco en eſte trabaio tan importante, los Commentarios del Dottor Andreas Matthiolo Senes Medico excellente de nueſtros tiempos: el qual con increyble deſtreza tranſlado el meſmo Dioſcorides en lengua Toſcana, y le dio grandiſſima claridad con las ſingulares expoſitiones que ſobrel hizo de las quales nos aprouechamos el algunos lugares de nueſtras annotationes.* Id eſt. *Non parum auxilij nobis attulerunt, in hoc noſtro tanti ponderis negotio Commentaria, Doctoris Andreæ Matthioli Senenſis, excellentis huiuſce tempeſtatis Medici, qui non ſolum quadam incredibili dexteritate in Etruſcam linguam eundem vertit Dioſcoridem, ſed maximum addidit illi ſplendorem ſuis in eum editis Commentariis, quorum auxilio multum profecimus nonnullis in locis harum noſtrarum annotationum.* In Epiſtola nuncupatoria ad Sereniſſ. Philippum Angliæ, &c. Regem ſuper ſuo Dioſcoride Hiſpanice edito.

ITEM. *Demas delo ſuſo dicho con los appellidos de aquellas plantas que ſuolen balliarſe en la Europa dimos iuntamente ſus figuras y proprias formas paraque porellas pudieſſe conocer cada vno las biuas quādo las tuuieſſe delante. Para lo qual heximos diligentemente eſculpir todas aquellas figuras de nueſtro amico el Dottor Andreas Matthiolo, que fueron bene intendidas, y ſacadas al natural dellas verdaderas por quanto non podian meiorarſe.* Id eſt. *Damus præter ea vna cum nominibus earum ſtirpium, quæ inueniri ſolent in Europa etiam imagines, ac proprias formas: vt ex appictis his ante oculos obiectis poſſet vnuſquiſque ipſas viuas cognoſcere. Quapropter diligenter excidi curauimus imagines illas omnes, quas edidit Andreas Matthiolus amicus noſter. Namq; hæc ex viuis & veris plantis appictæ ſunt tanta rei intelligentia, vt elegantiores fieri nequiuerint.* In epiſtola ad lectorem eiuſdem libri Dioſ. in calce.

ITEM. *Andreas Matthiolo Senes, Varon muy exercitado en la Vniuerſal materia medicinal y principalmente en aquella de los venenos deſcriue dos remedios excellentiſſimos contra todo genere de ponçonna, conuiene à ſaber vn Electuario y vn oleo, los quales, por hauer yo dellos viſto admirabiles prueuas, he querido que ſe annadieſen à eſtas nueſtras annotationes.* Id eſt. *Andreas Matthiolus in vniuerſali Medica materia, vir admodum exercitatus, & in ea præcipue, quæ ad venena ſpectat, duo deſcribit remedia aduerſus omne genus venena, nempe Electuarium & oleum quoddam. Quorum vſu cum viderim ego admirabiles ſucceſſus, volui hæc omnia in has noſtras transferre annotationes.* In præfatione Sexti lib. eiuſdem Dioſcoridis.

## Hieronymus Ruſcellus Viterbienſis, in ſua Epiſtola nuncupatoria ſuper Bocatium Italicum ita de Matthiolo habet.

Habbiamo noi per opera del Matthiolo fatti noſtri (cioè Italiani) Tolomeo & Dioſc. non ſolo migliori,

glori, che i Latini non gli hebbero, ma diro anchora che Greci iſteſſi, Id eſt, Fecimus tam noſtros (id eſt, Italicos) Dioſcoridem & Ptolomæum opera & diligentia Matthioli: Et non ſolum meliores, quam habuerint Latini, ſed dicam quam ipſimet Græci.

Antonius Vincentius Typographus Lugdunenſis

*ADHAEC eundem Dioſcoridem, ſquallore, næuis ac maculis, quibus hactenus ſcatuit innumeris, beneficio Andreæ Matthioli, hominis in hoc genere verſatiſſimi & Doctorum approbatione Medici doctiſſimi, elatis atque expurgatis, probe curatum, nitidum & terſum à nobis emitti: caſtigationes præterea quamplurimorum locorum eiuſdem Matthioli ſolertia & ingenio elucubratas ad calcem capitum adiunximus.*

In Epiſtola ad Lectorem in Dioſcoridem Lugduni impreſſum.

Ioannes Baccanellus Medicus Regienſis.

*Libro de conſenſu Medicorum, vbi in calce de ſimplicibus medicamentis diſſeruit, honorifice Matthiolum ſæpe citat.*

Robertus Stephanus Matthiolum etiam quandoque citat authorem: A quo etiam Cinnabaris hiſtoriam prompſit.

Battholomæus à Maranta Venuſinus Medicus.

*AC tandem Andreas Matthiolus, qui tanta rei cognitione videtur, quaſi extremam manum impoſuiſſe, vt pauca admodum, quæ ſuo nitori non ſint reſtituta, deſiderari poſſint.*

In præfatione ſuæ methodi de cognoſcendis ſimplicibus.

Medicinæ Studioſi quamplurimi, qui Patauij Philoſophiæ Medicinæ diu operam nauarunt, affirmant audiuiſſe ſæpe ac ſæpius Clariſſimos Medicos Ioannem Baptiſtam Montanum, & Gabrielem Faloppium in ſuggeſto legentes Matthiolum ſummis laudibus extuliſſe: Id quod ipſe etiam atteſtari poſſum: Quin etiam Lucam Ghinum præclariſſimum materiæ Medicæ indagatorem, Piſis, & Bononiæ magnis præconijs Matthiolum celebraſſe.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Hieronymo Donzellino, Medico ac Philoſopho S. P. D.

*Reſpondetur præcedenti Epiſtolæ.*

*ACcepi literas abs te tuas, vt longas: ita doctas, ita officij plenas, quæ me mirifice recrearunt. Recenſuiſti enim in illis pro ſumma prudentia tua, cauſas omnes, quibus à dolore animus meus reuocaretur, quibus quidem omnino acquieſcere me, æquiſſimum fuit. Vlterius autem aliquanto quam par fuit, alicubi te, prouexit amor in me tuus. dum recenſes laudes operis mei, quas dum etſi meo me metior pede, non agnoſco, amo tamen, quod vna cum Themiſtocle nullum æſtimem iucundius ἀκρόαμα, quam propriæ virtutis audire præmium. Quod autem eam epiſtolam, voluiſti eſſe publicam, eo conſilio cenſeo factum, vt teſtatam relinqueres tuam erga me ſummam apud omnes beneuolentiam, tum vero, vt teſtimonio tuo famæ meæ patrocinareris, quam impeti quorundam maleuolentia intelligeres. Nimirum ſic decet amicum candidum, vt non tantum domeſticis officijs præſto ſit, vbi periculum nullum ſuſcipitur, ſed etiam palam cum opus eſt, inuidiæ in ſe partem deriuans, ſua ſententia & calculo approbet recte facta, crimina diluat. Hic ſummum officium amici agitur. Sed ſunt omnino blandi quidam, & prompti alias ad omnia, ſed occulti, & parum fortes amici, qui leuius ducunt deſeri, ne dicam prodi à ſe veritatem, & innocentiam, quam publice agere negotium neceſſarij non admodum odioſum. Atque his meliorem mentem precor, te vero amo de eo, quod cauſam meam tecum communem eſſe ducis, in eo non officioſum tantum amicum, ſed quod pluris facio, magnanimum ſane patronum. Vale.*

## IOANNES CRATO MEDICVS, Petro Andreæ Matthiolo S. P. D.

*Probantur Matthioli defenſiones, in Guilandinum, quædam vero pluribus aſſerenda cenſentur.*

*NIhil in vita mihi optabilius fuit bonorum erga me beneuolentia, & iudicio recto de me. Ac vt id in præcipua parte felicitatis meæ, ſi qua eſt ſolida in rebus humanis, poſui, ita ne improborum maleuolentia ab hac ſententia dimouerer, ſtudioſe ſum adnixus. Idcirco cum non modo humanitatem, eruditionem & prudentiam ſingularem (quæ vt par eſt magnifacio, atque veneror) literæ tuæ præ ſe ferant, verumetiam candorem & propenſionem voluntatis tuæ erga me teſtentur, gratiſſimas eas habeo, & tibi maximas gratias ago, cum tam amanter, tam accurate, tam prolixe ſcriptas miſiſti, atque ijs amicitiæ tuæ fores beneuolentiſſime patefeciſti. Ego vero in tua beneuolentia, quam virtutis tuæ publicis commodis deditæ & doctrinæ ſingularis admiratione expetiui, libentiſſime acquieſco, & operam daturus ſum diligentem, vt ſtudium & fidem meam pure, ſine fuco, more maiorum noſtrorum tibi ijs officijs, quæ à tenuitate noſtra proficiſci poſſunt, probem. Cæterum cum intelligā te impulſum odio atque maleuolentia, à bonitate tua non receſſurum, nec propter aprum iſtum hortulos tuos & ſatas arbores omnibus ſeculis profuturas, deſerturū ſane tibi hunc animū gratulor, & vt Deus eum tibi conſeruet atque diuturnum validumque, vitæ ſpatiū ad excolenda hæc ſtudia & perpetuū decus tibi conciliandi benigne cōcedat, oro. Vides quid ferat vbique furor ſubeuntiū, & moribus inſita petulātia. Ea vt feramus neceſſe eſt. Obſecro velles tua ijs probari quibus neque, quod laudabile, neque quid piū aut honeſtū, vel ſaltem cum humanitate coniunctū, videtur? Nam ſi nihil niſi omnibus numeris abſolutū τὸ πάρεργον ... probandū eſt, quid reperietur in rebus humanis, quod poſſit probari? Quam ſecuritatē de aliorū cenſura inſectatores illi, ſi ſua protulerint, ſibi poterint polliceri? Exhibeant iſte, ſi poteſt, integros in Dioſcoridē Cōmentarios, et aliorū iudicia ſubeat:*

Nulla

In Guilandini acerbitatem, & maleuolentiam.

*Nam reprehendere quàm docere, eſſe facilius de veteri ſententia notum eſt. Certe nihil do amori, nec (à quo natura atque inſtitutione abſum) auribus. Præclara atque laudabilia exierunt in hoc genere opera, ſed tuum (ſi quid iudicare poſſum) mihi quidem τῶν ἐπὶ πολὰ ζώντων βέλτιον videtur. Neque propter hanc animi mei inductionem Guilandino bellum induco, aut in vituperationem adduco. Acerbitatem odij & maleuolentiæ toto pectore auerſor, & doleo eum ingeniũ minimè obtuſum, cognitionem literarum haud paruam, ſtudium conquiſitionis non plane iners, ad obtrectationes, criminationes, inſectationes & calumnias conferre. Ineptum eſſe fateor ἀβασανίστως quiduis credere. Nec quiſquam Iuſtitiæ & moderationis laudem expetens, tàm duras leges ſeruis præſcripſit, vt quæ diſpliceant, probent. Sed illud profectò iniurium, & temeritatis atque peruerſitatis plenum eſt, omnem occaſionem lædendi quærere, impetum in bene merentes facere, ea quæ recte cogitata firmaque ſunt, maleuolentia conuellere, & ex ſuo ingenio omnium voluntates æſtimare. Nimis enim inconſultè hoc fingit Theon te diſplicere omnibus, Guilandino cum non placeas. Nimis inconſideratè pronunciat de multis, & iudicij ſui ſtoliditatem prodit, dum tui multo vſu confirmati ſoliditatem euertere conatur. An non producto Plinio, Folium ac Malabathrum diſcernis? An non manifeſta eſt calumnia de Caſsia in Cinamomum tranſeunte concertatio? De Viburno aculeata magis, quàm firma obiectio, & Nemeſianum propugnaculum minimè tutum. In Cneoro malè cadit nimia illius iactantia. Effert autem ſe immodicè βωμολοχία agreſtis, de Beta ſylueſtri. Sabinam bacciferam hic ſi fuiſſet ei in horto quodam Ciuis noſtri grandem admodum ante paucos annos monſtrare potuiſſem, & etiam nunc ſtare puto. Quid obſecro eſt occæcari maleuolentia, ſi hoc non eſt, cum non maiori, ſed minori Cedro te baccas tribuere videt? De Conſiligine quando verbis autorum malè intellectis odioſè pugnat, eaque veteratoriè producit, quid aliud quam inſulſas cauillationes & ſuam in arte Medica inſcitiam prodit? Ad Solanum, ſi indormiuiſſet, factum ab eo eſſet probè. Piper & Cubebæ eum ſatis excitant. Vtinam autem excuteret intelligentiam ſuam, cum Galeno tantam tribuit oſcitantiam, & Mari atque Amaraci manifeſtum diſcrimen tuum ex Galeni ſententia ante temerariam ſcriptionem conſiderаſſet, atque ad cenſuram, de Santalis, Fabaria & Telephio rectius ex veritatis ſtudio excitatum iudicium attuliſſet. Sed de his ſatis. Cùm autem optime mi Matthiole, nihil tam prauum, atque ineptum ſit, quod non ſuos admiratores & approbatores reperiat, cumque de multorum ſermonibus mihi certò conſtet, Guilandinum ſuum theatrum in Italia habere, & quoſdam δοκεῖν ἀλλ' οὐκ εἶναι φίλους rectiſſimum eſt, vel ἐν τῷ ἡσυχάζειν φιλονεικεῖν καὶ ἴδια πράττειν, dum illi inuidia maleuolentia, morſuque doloris lacerari conficiantur, vel ſi quid publicæ vtilitatis ſtudio ſuſcipimus, noſtra cum aliorum malis non miſceamus, & quantum in nobis eſt, maledicentiam effugere ſtudeamus. Eſt autem ſecundum Platum, atque non eſt in manu nobis, quin dicant non eſt, meritò vt ne dicant, id eſt, Hæc eò ſcribo, non quod tuæ doctrinæ excellentiam in ambiguum vocem, aut prudentiæ diffidam. Verum ne dum tuam innocentiam mihi atque alijs probare cupis, in dictam maleuolentiam incurras. Nam ſi hanc tuam Epiſtolam (id quod de ſcriptionis diligentia exiſtimo, nec quò minus id fiat obſto) ederes, vereor ne dicturi quidam eſſent, te in reliquis, ad quæ non reſpondes, manus dare, quædam etiam minùs attentè (id quod in iſta conuitiorum & criminationum impuritate & fœditate, à quo omnes bonorum ſenſus abhorrent, minimè mirum eſt) conſideraſſe. De Malabathro afferre poſſent, Plinij autoritatem, non ſatis munitam eſſe bonis teſtimonijs. Ad illud Caſsiam & Cinamomum vnius plantæ corticem nihil reſponſum. De Bolo Armenica, quod non ex Lemno afferatur, nihil allatum. Zedoaria autem pro Coſto ita altè in multorum animis radices egit; vt vix extirpari poſſe videatur. Mihi quidem à te euulſa eſt radicitus. Conquerentur de Saliunca, de Dictamno albo non ſatisfactum. Illud non animaduerſum, quod contendit in Cap. de Trago apud Dioſcoridem legendum maiora, non minora. Lachrimas, quas producis, abſtergere conabuntur. In Limonio autem iniuriam fieri clamabunt Guilandino, cum ille contendat plantam, quam pingis (officinis Ben rubrum appellatam) non eſſe Limonium. Tu verò exiſtimare videaris, illum ſtatuere non eſſe verum Ben Mauritanorum. Amellum Vergilij, plantam quam oſtendis eſſe concedent, quòd ſit After Atticus Dioſcoridis, pugnabunt. Hæc etſi ſcio cogitationis tuæ comprehenſionem non effugere, tamen vt probarem tibi amiciſſimum ſtudium meum, monere, quod eſt amici, volui, neque dubito ac potius certò ſcio, te in optimam partem accepturum, præſertim cum intelligas me, non alia voluntate, quam tuum laudabile propoſitum conſolandi cõfirmandiq; iſta ſcripſiſſe. Quod autem & ad fidem initæ amicitiæ noſtræ attinet, ita tibi eam præſtabo, vt inter multos tui amantes, amantiorem Cratone, vix ſis habiturus. Vale. Vratiſlauiæ.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLus, Ioanni Cratoni Medico S. P. D.

*Comprobantur quæ Cratoni non ſatis firma videbantur, contra Guilandini calumnias.*

*AMicitiæ recentis, quæ mihi tecum contracta eſt, iam fructus vberrimos capio ex literis illis, quas ſuperioribus diebus ad me dediſti. Plenæ enim ſunt non tantum amoris in me tui, ſed & officiorum eiuſmodi quæ alere & conſeruare animorum coniunctionem in primis ſolent & poſſunt. Atque vt de cæteris non dicam, monita tua, quibus exaſperatum me aduerſarij importunitate ad lenitatem reducere conaris, quanti me facere oportuit? Nimirum ſic decet candidum animum, quibus benè velis, eos vt non collaudes tantum, vbi quid rectè factum eſt, ſed reprehendas lapſos, imminente autem periculo etiam moneas meliorum. Obtemperabo autem tibi, mi Crato, & moderabor animo meo. Si me tamen doloris acerbitas erumpere in gemitum coegerit, id te commodè interpretaturum, haud diffido. Graue eſt à vipera morderi, ſed infinitis partibus Theonini dentis morſus moleſtior. Dij prohibeant, ne eum tu vnquam experiaris. Adde quod idem curationem perfectam nunquam recipit, vt vt purges, vt vt antidotis pugnes, ſerpit veneni vis, & licet omnia ad tollendum malum adhibeas, ſemper tamen aliquid hæret. Non erat, ille aper, vt putabas, qui vaſtaſſet hortulos meos: ſtant quidem incolumes, & immortales. Dijs volentibus, labores mei cincti ſepibus veritatis, vaſtarique nequeunt. Me, me, non illos, dum planto, runco, irrigo, ſummaque fide excolo viridarium meum, Theon iſte ex aſpidum genere veneniſſimus, enutritus herbarum mearum ſucco (quæ mirum, vt illi in venenum verterint) inopinantem læſit. An non iuſtus tibi videtur dolor meus, ſic demorſi præter omne meritum meum? Nihilominus te hortatore, in poſterum ſi non compeſcam, ſaltem tegam & diſsimu-*

*diſſimulabo eum, quantũ in me eſt. Sed enim veniam merebor interitus, ſi quemadmodũ Poſſidonius Stoicus, cum omnino non dolere ſtatuiſſet, exclamauit tamen: O dolor, nihil facio. ſic & ego nonnunquam humanum quid paſſus quiritem, preſertim apud amicum, qualem te eſſe iudico. Atque hactenus impetraſti a me, quod maxime volebas, vt deinceps in ſcriptis meis mihi temperem.*

*Nunc ad eam partem tuæ epiſtolæ venio, qua requiri aliquid ais ad ea, quæ Guilandini obiectionibus reſpondi. Nam vt ſingula ea excutiam, quæ Theon parum cognita mihi fuiſſe recenſet, id ſane integri operis fuerit non Epiſtolæ. Hic tantum mihi fuit ſcopus cum ad te ſcriberem, vt ex paucis oſtenderem, qualia reliqua eſſent illius. Nec propterea dedi manus, quod eo in loco hoſtem penitus conficere non volui, eum alio tempore, Deo volente, tractaturus.*

Plinii autoritas defenditur.

*Sed quæ deeſſe putaſti meis literis, ea ſic habent. De Plinii autoritate in Malabathro non ſatis munita, miror eorum, quos ais, iniquitatem, ne dicam impudentiam, qui vt graui autori detrahant fidem, nulla alia cauſa inducuntur, quam vt ſibi, illo ſpreto & reiecto, fides habeatur. Agnoſcis autem ipſe id minime decere homines, qui docere ſe poſſe alios profitentur. Confutare Guilandini opinionem, quod Galeno autore, dixerit, Caſſiam & Cinamomum vnius eſſe plantæ corticem, non videbatur neceſſarium. Quum enim contra eum iam probauerim, Caſſiam in Cinamomum tranſire, non autem è contra, vt ille tam temere mentiri non erubeſcit, ſane tibi & cæteris perſpectum futurum, videbatur, intellexiſſe Galenum, cum hæc dicit, de Cinamomi & Caſſiæ corticibus tantum, qui ex Caſſiæ plantis eximebantur, quarum ſurculi extremi in Cinamomum quandoque tranſibant. Namque vniuerſalis hæc propoſitio eſſe non poteſt, abſque manifeſta Galeni contradictione, qui Cinamomi arbuſculam à Caſſia planta diuerſam facit.*

Caſſiam & Cinamomum non eſſe vnius plātæ corticē contra Guilandinum.

Bolus Armenius orientalis vnde afferatur.

*Armenium bolum cum ſciam ego, Conſtantinopoli ad nos aduehi, & illuc apportari ex Lemno (ſi tamen Veneti negotiatores mihi vera narrarunt) nihilque deeſſe illi, quod Lemniæ terræ non conueniat, putabam hoc ſane haud te latere, nec ideo eſſe operæ pretium, vt cum Guilandini fabulis contenderem. Mendaci enim fides nulla eſt. Conquerantur in Saliunca quantum velint Guilandinici Theatri applauſores. Mihi enim longe magis Plinio, quam Marcello adſtipulandum eſt: quippe qui poſt Plinium, Dioſcoridem, & Galenum vixerit, vt ipſemet fatetur, nec vllam habuerit medicamentorum peritiam. Satis autem ſuperque mihi probatum exiſtimo ab authoritate, à viribus, à natali ſolo, Saliuncã & Celticam Nardum, diuerſas eſſe plantas, nec vno tantum Marcello, vt Guilandinus, meas comparaui probationes. Manebo itaque in ſententia, nec inde me tantillum demouebo, ni mihi clariora in contrarium afferantur.*

Marcellus Venetus [illegible] Contra [illegible] dari Saliuncā & Celticā Nardum eāde plantam

*Diſceptationem hanc excitauit, (vt doctiſſimus Marcellus inquit) vna tantum Dioſcoridi addita vox, quæ nec vna nec eadẽ in antiquis Græcis exemplaribus eſt. Sed in aliquibus, Σαλιούγκα in aliquibus Αλιούγκα in quibuſdam Αλιούγγια & in nonnullis duplicato λ, Αλλιούγκα legitur. Ex qua multiplici lectione facile quiſpiam coniicere poteſt, hic, vt in quamplurimis aliis locis animaduertimus, Dioſcoridi ſubeſſe mendam. Ad ea autem, quæ in albo dictamno vocato, obiicere poſſe eos contra meam ſententiam putas, nempe legendum non eſſe, μικρότερα ſed μακρότερα, reſpondebit pro me Oribaſius, qui ex Dioſcoride tranſcribens μικρότερα non μακρότερα legit, quemadmodum legerunt omnes quotquot ſunt Dioſcoridis interpretes, Hermolaus, Marcellus, Ruellius, Cornarius. Quorum nullus extat, qui hac de lectione dubitauerit.*

[illegible]

Guil. in Tragio cenſura exploſa.

*Guilandinus Plinium ſequutus, cuius fidem infirmare eius ſectatores, paulo ante audiuimus, vt aliquid noui in diſputationem afferre videretur, μακρότερα legendum ſomniauit, quod is ſcribat, Tragium non lentiſco, ſed Terebintho eſſe ſimile, cuius folia cum longe Lentiſcinis ſint grandiora, certat Guilandinus, μακρότερα legendum eſſe. Sed quam fœliciter Plinii ſententiam in ſuam verterit, manifeſte teſtatur ipſius Plinii in deſcribenda Tragii facie inconſtantia. Quippe is libro decimo tertio, capite vigeſimo primo, Tragium Terebintho ſimile facit. Mox volumine vigeſimo ſexto, capite vltimo, Iunipero ſimile eſſe ſcribit, magno in vtroque loco errore, de quo apertiſſime teſtantur Dioſcorides, Galenus & Oribaſius. Qui quidem omnes cum præter hæc vna cum Plinio affirment, in Creta tantum inſula naſci Tragium, è ſuo illo aſino cadit Guilandin. cum quo radices Romam afferre ſolebat, quod vbique locorum ſuum naſcatur Tragium.*

Plinii in deſcribēdo Tragio inconſtantia.

Tragium naſci tātum in Creta.

*At ſi (vt inquis) lachrymas è Tragio manantes abſtergere conabuntur aduerſarii, eadem opera Æthiopi nigredinem abſtergant, & Nili alueo aquas. Certe Dioſcorides, Galenus, Oribaſius, Plinius, Tragii lachrymæ apertiſſime meminere, quorum abſtergere ſcripta, nulla vnquam Guilandinica poterit ſpongia. In Limonio fateor errorem, ſed non mireris, mi Crato, non enim poteram naſum à tam fœtida latrina, quam olet Guilandini Theon auertere, quo minus etiam oculos retorquerem, quo poſtea factum eſt, vt legendo ſim hallucinatus. Credam tamen eam plantam, legitimum eſſe Limonium, quouſque aliam afferant contentioſi illi, quæ euidentioribus notis à mea me amoueat opinione.*

Limonium.

Aſter Atticus.

*De Attico Aſtere nihil reſpondebo, ni prius Amellum illud non eſſe verioribus comprobent argumentis. His auditis, quid in hoc etiam præſtare valeam, illico intelligent: ni fortaſſe Ruellii minus probandam verſionem, quam ipſius Dioſcoridis verba complecti ſtatuerint. Hæc erant, quæ ego præteritis multis Guilandini calumniis conſulto reſpondenda putaui, & quidem paucis. Idque ea de cauſa, vt tu vir alioqui doctiſſimus ex paucis his, conuiciatoris illius infidelitatem temeritatemque cognoſceres. Sapientes omnia docere velle nunquam vani prorſus hominis conſilium eſſe cenſeo. Ignaris itaque cætera reſeruabo, vbi reſipiſcere cœperint, aperienda, facileque oſtendam ſophiſtica eſſe omnia. Pertinacibus autem perpetuo tacebo. Bibant illi quos tuentur errores, quaſi maternum lac, vt prauum hoc ingenii alimentum, tanquam in organa iudiciorum tranſmutatum, nunquam poſtea deponere poſſint. Vale mi dulciſſime Crato, & eo, quo cœpiſti, me ſemper amore proſequere.*

# PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Stephano Laureo Medico Cæſareo, S. P. D.

*Exploditur Lacunæ conſilium de propinando infantibus Armenio lapide ſcrupuli pondere.*

Andreas à Lacuna Dioſcoridem in Hiſpanicã linguam vertit.

*CVm hoc anno in patriam iturus hac iter faceres, offerebas mihi Dioſcoridem ab Andrea à Lacuna, viro in Græcis, & Latinis literis verſatiſſimo in Hiſpanicam linguam conuerſum, & annotationibus etiam illuſtratum, ſed inter cætera cum legeres in lapide Armenio eius annotationes, mirabaris ſane plurimum, quod ſcriberet Armenium lapidem ſcrupuli pondere propinatum ex minoris Centaurii decocto, ad puerorum epilepſiam, admirabile eſſe auxilium. Cum itaq; iudicares Lacunam hominem, vt doctiſſimum, ita in curandis ægris eſſe exercitatiſſimum, (quanquam, hoc tibi vehementiſſimum videbatur medicamentum,) hominis tamen experientia, & doctrina perſuaſus, videbaris eius ſententiam non omnino improbare. Nam cum tibi antea compertum eſſet, & in Italia, & in Hiſpania haberi non obſcuræ famæ medicos, qui ad vermes interaneorum necandos tuto, certoq; auxilio pueris argentum viuum potandum exhiberent, quod tamen inter lethalia medicamenta recenſent antiqui, putabas non eſſe mirandum, ſi præter medicã rationẽ, & tui ipſius opinionem tam fœliciter in lactentibus pueris epilepſia vexatis, Armenio lapide vteretur Lacuna. Hæc dum mecũ conferres petebas, vt de re hac meam tibi exponerẽ ſententiam. Atqui tametſi tuæ ſatisfaciendæ petitioni promptiſſimus eſſet animus, cum tamen tunc itineri maturando omni celeritate te accingeres, ego vero aulicis negotiis occupatiſſimus eſſem pollicebar me tibi per epiſtolas ſatisfacturum, quam primũ in Cæſaris aulam rediſſes. Nunc autem quum primum intelligam ſuperioribus diebus, illuc te ſoſpitem aduenisse, ne pollicitationis meæ me immemorem eſſe cenſeres committere ſane non potui, quin illico ſententiam meam, de re hac ad te ſcriberem. Si vero quid ſentiam ingenue fateri debeam, nulla ſeſe offert ratio, qua Lacunæ ſententiam comprobare poſſim. Quippe experimento ſine ratione facto, non video, cur ita facile mihi ſubſcribendum ſit, præſertim vbi hoc ius fiat medicamentis, quorum cum occultæ facultates, tum etiam manifeſtæ, notiſſimæ ſunt omnibus. Scio ego non ſolum Tralliani conſilio edoctus, ſed propria in curandis ægris experientia,*

Armenii lapidis deiectoria vis qualis.

*Armenium Lapidem ex eo haberi medicamentorum genere, quæ electiue per vomitum, & per aluum purgant, nec quamuis diligenter lotum propinari poſſe etiam robuſtiſſimis viris, quo minus perturbet, & violentas moueat vomitiones, & alui deiectiones, ſcrupuli vel ſemi drachmæ pondere hauſtum. Id quod manifeſte fatetur Meſues: quippe qui ſcribat Armenium lapidem nocere ſtomacho, quinetiam cum ſubuerſione, & angore purgare, quo fit vt temerarium admodum eſſe cenſeam Lacunæ iudicium, quod lactentibus infantibus*

Lacunæ opinio improbata.

*Lapidis Armenii ſcrupulum propinare audeat, addito etiam Centaurii minoris decocto, amariſſimo ſane remedio, & propterea abominabili pueris. Itaque credas in poſterum velim, quemadmodum mihi etiam perſuadeo, hoc medicamento ſcrupuli pondere haudquaquam vſum eſſe Lacunam, ſed incircunſpecte id ex Aetio tranſcripſiſſe, qui libro ſecundo, capite quadrageſimo ſeptimo, ex Nicheſſonis authoritate, ſic de Armenio Lapide ſcriptum reliquit, Armenium quo pictores vtuntur, duodecima drachmæ parte melancholicis & ſanguinem craſſum habentibus datur. Datur & pueris pectoris morbo infeſtatis. Reuomunt enim, cum vomitorium exiſtat. Datur & morbo ſacro obnoxiis, ac furioſis hoc modo. Centaurii faſciculos manipulares tres in aquæ marinæ heminis tribus coquito, donec vna ſuperſit, & cum excolato decocto Armuthei lapidis, quẽ Græci Armenium vocant, tertiam drachmæ partem terito, ac confidenter exhibeto, nihil enim periculi eſt. Hæc Aetius ex Nicheſſone poſteritatis memoriæ commendauit.*

Armenium Lapidem pueris potandum exhibet Aetius.

*Quibus tibi facile palam fiet, non ſolum parũ admodum ſibi conſtitiſſe Lacunam, dum hæc in ſuas transferebat annotationes, ſed nullam, vel exiguam medicamentorum habuiſſe peritiam. Addam etiam (pace docti viri dixerim) quod negligenter ſatis Aetii verba expenderit. Siquidem cum is in vniuerſum melacholicis & ſanguinem craſſum habẽtibus, duodecimã drachmæ partem tantum exhibeat, miror ſane, cur ſcrupulum infantibus lactentibus, ex cẽtaurii decocto dare audeat Lacuna, cum id tantum furioſis, maniacis, & ſacro morbo vexatis dari præcipiat Aetius. Atqui infantes nec maniaci, nec melãcholici, nec furioſi fiunt, quo fit, vt de his haudquaquam intellexerit ille, ſed de viris iam ætate adultiore iiſque robuſtis. Probo quidem ego Nicheſſonis medicamentum, ſed Lacunæ conſilium modis omnibus reprobo.*

Armenius Lapis qua quantitate ſumendus.

Medicamentum ad puerorum Epilepſiam & ſpirandi difficultatem.

*Ideoque vnius vel alterius grani pondere id infantibus dari poſſe crediderim, cum Epilepſia, tum ſpirandi difficultate affectis admirabili ſane iuuamento, rhodomelito, oxymeliteue, vel ptiſana exceptum. Nam cum illud reuomant ſumentes, (vt Nicheſſon ille inquit) nihil penitus periculi afferre poteſt. Nam ſcrupulo quatuor ſexue poſſe iugulari infantes, ego ſane non ambigo. Vtinam ad Lacunam perueniat hæc noſtra epiſtola, antea quam vnquam alicui infanti ſuum hoc propinet medicamentum. Vtinam eo is fuiſſet iudicio, dum hæc deſcribebat, quo in propinando infantibus argento viuo fuiſſe illum animaduerto. Quod quidem meo iudicio ſecurius dari poteſt ſeſamini ſeminis quantitate, vel etiam coriandri in adultioribus, quã Armenium ſcrupuli pondere, Siquidem cum nulla alia lethifera facultate (vt Dioſcorides inquit) interimat, quam quod ſuo ingenti pondere inteſtina laceret, nihil ſane verendum videtur, minimam eius quantitatem id moliri poſſe vnquam, præſertim cum ſua grauedine, ac Sphærica forma, facile è corpore per inferiora labatur. Idcirco mirari non debemus, ſi Braſauolus tam clarus ætatis noſtræ medicus, ad necandos interaneorum vermes dari pueris argentum viuum nullo incommodo ſcriptum reliquit, & eo tam fœliciter vſus ſit alter quidam Clariſſimus Medicus Patauinus, quanquam potandi, dandique rationem neminem vnquam docere voluit. Atqui ego, etſi hoc medicamento nunquam ſum vſus, vidi tamen dari ſæpe illud ſcrupuli, vel ſeſquidrachmæ pondere, a Goritienſibus obſtetricibus ægre parturientibus mulieribus, nullo prorſus incommodo, ſed fœlici ſemper euentu. Datur viuum non extinctum, vt quidam putant. Quod enim extinctum eſt, ventriculo hæret, & inteſtinis & ſæua excitat ſymptomata. Lauãdum tamen prius ex acerrimo aceto cum ſale miſto, mox tenui corio excipiendum, manibuſq; tam diu premendum, quouſq; per corii meatus excidat. Sic enim purgant.*

Argẽtum viuum ſecure dari poſſe potandũ ad necãdos interaneorum vermes.

De Fragmelica hoc eſt auditum. Argẽtum viuum dari poſſe ſine aue... ægre partu...

Argẽtum viuum lauatus.

*[illegible] volunt. Hic habes, mi doctiſſime Stephane, meam de Lacuna medicamento ſententiam, quã non vt probes ſed vt iudices ad te mitto. Magnifacio enim iudicium tuum, & ingenii tui acumen, quib. hæc omnia me longe magis te enucleaturum non ambigo. Vale. Pragæ.*

# PETRO ANDREÆ MATTHIOLO Senenſi, Medico clariſſimo, Bartholomæus Maranta Venuſinus Medicus, S. P. D.

*Excuſatoria eſt Epiſtola, de quibuſdam contra Matthiolum editis.*

*CVm ad te librum meum, quem de ratione cognoſcendorum ſimplicium conſcripſi, paucis ante menſibus miſerim, nec literarum aliquid abs te acceperim, ſane id mihi perquam moleſtum fuit, quod expectatiſſimis tuis literis frui non licuit: quibus ego aliquam meorum laborum ac laudis (ſi qua erat) gratulationem tui expectabam, quæ quanto iucundior ac gratior futura erat, tanto grauius, ac moleſtius fero, quo illa priuor. Et cum hoc ipſum cum amicis dolerem, extitere, qui non ſolum ſuſpicarentur, ſed qui certo ſe quaſi diuinaſſe crederent, factum id a te eſſe, non tam quod operoſis negotiis, quæ ipſe accuſabam, diſtraherêris, quam quod alieno a me animo eſſes, eiuſque rei cauſam fuiſſe meum ipſum, quod ad te miſi, opuſculum, affirmant. Aiebãt enim te, ſi librum ipſum vniuerſum, vt credere par eſt, percurreris, omnino eius lectione fuiſſe commotum, quod quædã de te in eo minus modeſte aut honorifice, quam vel maximi tui nominis authoritas, vel ſingularis tuus in me amor expoſcat, ſint perſcripta, eaque ſine ſtomacho legi a te non potuiſſe. Quamobrem ingrati animi crimen, hac in re non effugiſſe me affirmabant, non eſſe niſi claudicantis amicitiæ indicia adiungentes, ab eius opinione velle diſcedere, qui me non ſolum magno amore ſit proſequutus, ſed ſummis etiam laudibus ornauerit. Illudque crimen eo grauius eſſe & videri, quod ea, quibus a te diſcrepo, nullum ſeruans modũ, aut modeſtiã, ſed potius proterue, ac petulanter proſecutus ſim: vt videar voluiſſe, dum multam mihi laudem aucupari ſtudeo, tuo ſplendori, ac gloriæ quodammodo tenebras offundere. Nam quemadmodum non eſt vllum certius amicitiæ vinculum, quam conſenſus & ſocietas conſiliorum & voluntatum, ita ſimul, atq; ſibi, vel gloriam, vel vtilitatem, vel aliquid aliud, quam alteri quiſquam maluerit, ipſam nullam fieri, ac funditus euerti, aſſerunt. His quidẽ ego nõ mediocriter perturbatus ſum. nam cum mihi nihil vnquam maiori curæ fuerit, quam vt primum abs te ipſo, deinde à cæteris omnibus, quam gratiſſimus erga te eſſe cognoſcerer, & cum nihil, quantum in me fuit, prætermiſerim, vt dignitatem atq; exiſtimationem tuam (quæ ſemper apud me maximi ponderis fuit) & vererer, & ſummis etiam laudibus efferrem, non potui non ſummo affici dolore, quod ſint nonnulli, qui me infenſo a te, atq; inimico animo, eſſe ſuſpicentur & affirment. Ac tametſi graue eſt vere accuſari in amicitia, longe tamẽ grauius ſemper duxi falſo accuſari. Cumq; mihi ipſi conſcius ſim, nihil à me vnquam excogitatum eſſe, nedum commiſſum contra dignitatem, atq; amplitudinem tuam, illorum, qui me accuſant, reprahenſione non vſqueadeo commotus eſſem, niſi inter cæteros, Ioannes Antonius Piſanus Medicus, vir ſummi iudicii, maximæq; in hac noſtra vrbe autoritatis, idem admonuiſſet. Nam is, cum & mei amãtiſſimus ſit, & tuorum ſcriptorum ſtudioſiſſimus, etſi in cæteris omnibus, in hac tamen potiſſimum re, audiendus mihi fuit. Cognoui enim illum non ideo hæc dicere, quod vellet me temeritatis, atque impudentiæ nota aſpergere, tametſi non ignorem, illum pro honore atq; dignitate tua, maleuolorum obtrectationes & inuidias, ſi quando opus fuit, proſtrauiſſe, ſibiq; perpetuam pro te propugnationem ſuſcepiſſe. Sed cum te non mediocriter obſeruet, me autem plurimum diligat, putauit ſuas eſſe partes, me de ea re commonefacere, quæ (niſi prouiſum prius ſit) immutare te mihi facile poſſet, quod ipſi (quæ ſua eſt erga vtrunq; noſtrum beneuolentia) tam eſſet moleſtum, quam quod moleſtiſſimum. Itaq; oſtenſis ab ipſo mihi locis, quæ id quodammodo apertius præ ſe ferre videntur, cœpi mea illi mentis, ac conſilii rationem reddere, atq; quid me ita vel ſcribere, vel ſentire impulerit, manifeſtare, tandemq; effeci, vt illum a priore ſententia deducerem, atq; vna mecum affirmare hominem coegerim, nihil in eo opuſculo a me contra exiſtimationem tuam ſcriptum eſſe, quod vir aliquis probus redarguat, ſi modo ſententia, ac res ipſæ, non verba, ac literæ æſtimentur. Verum conſuluit, vt ea re ad te ſcriberem, meq; tibi totum patefacerem. Non enim verebatur, vt ſi qua tibi abalienati mei in te animi ſuſpicio incidiſſet, futurum, vt eam protinus abiiceres. Illiſq; etiam omnibus ſatisfactum iri, qui idipſum quoquo modo ſibi perſuaſiſſent. Obtemperaui igitur Piſano, atq; has ad te literas exarare volui, quibus cognoſcas, nunquam mihi, tui aut colendi, aut obſeruandi voluntatem defuiſſe. Ac video quidem duo præcipue eſſe, in quibus meam erga te, vel fidem, vel amorem eo in opere illi deſiderant. Primum quidem quod à te multis in rebus diſſentire voluerim: Deinde quod in nonnullis acerbius aſperiuſq;, quã amici officium exigere videatur, a te diſcrepauerim. Quæ duo, cum, vt ſpero, diluero & illis, & tibi, ſi oportuerit, etiam planius oſtendam, me nihil adeo vnquam horruiſſe, quam ingrati animi crimen. Atq; ad primum ne reſpondere quidem deberem, cum cuiuis notiſſimum ſit, non propterea violari frangiq; leges amicitiæ, quod ab amici ſententia quandoq; declinemus. Id enim, vt a te peti minime ſolitum eſſe, certe ſcio, ita ſi a quopiã petatur, neq; ei concedere verus, ac minime blãdus amicus debet. Quid enim turpius eſſe poteſt, quam cum amico in iis rebus velle conſentire, quas aliter eſſe quiſpiam ſentiat, ac iudicet? aut quæ maior peſtis in amicitia eſſe poteſt, quam adulatio? blanditiæ, aſſentatio? Si quid igitur in eo opuſculo, à me ſcriptũ eſt, quod cum his, quæ à te ſcriptis tradita ſunt, non ex omni parte conſentiat, feci id quidem, non quod odio quodam, ac ſimultate a te diſſidere vellem, nec vt ex huiuſmodi contentionibus aliquam mihi inanem gloriam, laudemq; compararem, ſed vt fidelis boniq; ſcriptoris munere fungerer, cuius eſt veritatem, quam putat apertam, ingenue, ac libere exponere, nihil fictum, nihil ſimulatum proponere, ſed in ſola veri inquiſitione, atq; inueſtigatione, ita laborare,*

non tanquam aduerſarium aliquem conuincere ſed veritatem ipſam, quæ in primis eſt hominis propria, in- ... ueſtigare ſtudeat. Ex quo non a te ſolū, ſed a multis aliis præclariſſimis viris diſſentire mihi licere arbitratus ſum, ... omnimodi, quod ex perfecta veritate emanare ſolet, inuidere hominib. viderer. Quis enim eſſe poſſet mei ... mortalibus, ſi dum amicis eblãdior, id cœlem, quod præcipue ab illis expetitur? Quæ etiam meo- ... lucem, ſi ea tantum ſcripſero, quæ vel a te, vel ab aliis maximi nominis viris prius diligenter atque ... literis ſunt demandata? Niſi forte eam prouinciam, ideo mihi ſuſcipiendam putaſſem, quod tua alio- ... rumque meo teſtimonio confirmata, libentius lectum iri ab hominibus mihi ipſi perſuaſiſſem. Sed unde ... beneuolentiæ genus? Vnde hæc tam inuſitata beneficentia? vnde adeo inauditum officium, ac ... Hæc non ideo ad te, vir præclariſſime, ſcribo, quod putem diſplicuiſſe tibi, me à te in nonnullis rebus ... obtrectatorum nugis iter intercludam. Noui enim te veritatis amantiſſimum, cupidiſſimumq; ... aliorum honeſtis laboribus non ſolum, non inuideas, ſed libenter eos etiam complectaris: & ſi quid in il- ... quod tu non prius excogitaueris, aut inueneris, idipſum non aſperneris. Vt qui & ſcias & confitea- ... quauis ſcientia poſſe indies noua excogitari, idq;, etſi in omnibus, præcipue tamen in ſimplicium medica- ... indagatione euenire, quod tu in eruditiſſimis tuis in Dioſcoridem commentariis oſtendiſti. Cum alio- rum operam in tuis laboribus locupletandis non ſolum ſponte oblatam non recuſaueris, ſed etiam libenti animo expetiueris, quod & in tuo opere ſuis locis ingenue aperteq; confiteris, cum nulla in re, ne minima quidem, de- fraudare aliquem ſuo labore volueris. Quin potius in aliquo celebrando, atq; in referenda gratia, prolixiorem, atq; liberaliorem, quam exiguitas officii poſtularet, te præbuiſti. Cuius quidem rei, vel ipſe teſtis ſum, quippe cui longe plus tribueris, quam res & veritas ipſa concedat. Nec enim tu mihi gratiam modo habuiſti, ſed cumula- tiſſime etiam retuliſti, vt niſi pari ſtudio erga te ſim, & voluntate, non ſolum ingratum, ſed etiam impium ipſe me exiſtimem. Verum quanti te faciam, ſemperq; fecerim, non dubito, quin ex Luca Ghino primum, dum in- ter mortales agebat, deinde ex multis aliis vtriuſque noſtrum neceſſariis, acceperis. Puto igitur tibi exploratū eſſe, perſuaſumque habere, meum ſtudium ſemper extitiſſe colendi tui atque obſeruandi, teq; exiſtimare, nihil eſſe tam laborioſum, aut difficile, quod non pro te mihi ſuſceptum, iucundum ſit futurum. Hæc inquam, in te mea cum ſemper extiterit voluntas, idipſumq; tibi perſuaſiſſimum fuiſſe crediderim, induci ad credendū nul- lo pacto poſſum, ac ne cogitatione quidem complecti, tuam in me beneuolentiam, tam leui cauſa refrixiſſe qua- re nihil etiam eſt, quod aliorum ſuſpiciones extimeſcam. Verum quia (vti dicebam) vbique reperiri ſolēt qua- dam peſtes hominum, qui nihil aeque ſtudent, atque concordiam inter coniunctiſſimos diſiungere, ne quid eiuſ- modi inter nos accidat, haud alienum eſſe exiſtimaui, amici mei conſiliis morem gerere, vt prius de his rebus ad te ſcriberem meumque erga te animum ſimplicem, atque promptum aperirem, quam de me perfidia male- uolorum tale aliquid garriat, conſtitutam quod inter nos concordiam diſtrahere poſſit. Sed vt ad ſecundum ac- cedam quod multum momenti habere videtur, duo potiſſimum loca mihi oſtendit Piſanus, (nam vix tertium reperiat aliquis, de quo aliqua ratio habenda ſit) quæ cum peruerſe aliquo modo, quis interpretari poſſit, igna- rus meæ erga te voluntatis, peruerſi animi calumniam non effugere fortaſſe exiſtimabit. Sed ea cum expoſue- ro, meæque ſententiæ rationem reddidero, non dubito fore, vt quemadmodum Piſanus ipſe, vir optimus atque integerrimus, ita & quiuis non iniquus rerum æſtimator, boni conſulat. Atque illud mihi primum occurrit, quod de aſpera Lonchiti primo libro noſtræ Methodi ſcripſi, vbi hæc leguntur verba. Hanc in doctiſſimis ſuis commentariis non depinxit Andreas Matthiolus, ſed aliam, quam neſcio, quo pacto à Luca Ghino pro Lon- chitide ad ſe miſſam falſo aſſerit. Hæc nos. Qui verba hæc ita nude, ac ſimpliciter, vti ſonare videntur, conſide- ret, exiſtimabit te a me, vt mēdacem vanumque ſcriptorem notari. At qui rem ipſam, noſtramque mentem potius æſtimet, longe aliter rem ſe habere comprehendet. Nam hæc vis verborum, non tam te redarguit & re- fellit, quam meam admirationem manifeſtat. Admirabar ſane a te aliquid cuipiam tribui, quod ſcirem illū minime ſenſiſſe, non autem aſſeuerabam, te minime vera docere. Cur enim in tam paucis verbis adeo incōſtās eſſem, vt quem mendacii coarguerem, eundem doctiſſimum appellarem? Vnde mihi per Deos immortales tecū adeo familiaris inimicitia, vt quaſi venenum in mellito poculo tibi offerre cupiam? An vero mendacii notari diximus aliquem, cum dubios nos eſſe aſſerimus, cur ita ſcripſerit? An hæc verba (Neſcio quo pacto) non ita corrigunt attributam tibi falſitatem, vt nihil minus quam falſum te eſſe ſignificent? An tandem putas me tam ineptum, vt luculentiores contradicendi, calumniandique modos excogitare non potuiſſem? vtque nulla in breuibus verbis contradictione commiſſa, aliquem & falſum, & mendacem reprehendere valerem? Sed vt rem omnem a principio exponam, ſcito plantas omnes, quas a te Piſis Lucas Ghinus anno ab hinc nono miſit, mihi prius ab eo fuiſſe oſtenſas, inſcriptioneſque, quas ſingulis plantis appoſuerat, non ſolum vidiſſe me, ſed et- iam deſcripſiſſe. Erant enim in illis inſcriptionibus eius opinionum rationes, quas maxime vtilitati mihi, iam tum ſimpliciū cognitionē magnopere expetenti, futuras eſſe (vt certe quidem fuere) exiſtimaui, eaſq; apud me vel nunc ſeruo. Inter eas vero erat Lōchitis altera, quæ hunc ad verbum habebat titulum adnexum. Hanc eſſe Lonch. aſperam aliqui ſentiunt: Ego vero potius filicis genus, nam aſperam Lonchitim veriorem agnoſco, ha- ctenus. Tu eandem depingis, faterisque, te illam vidiſſe ſtudio, ac liberalitate Lucæ Ghini, qui eam Piſis ad te miſit. Ac tametſi non explices, pro Lonchiti aſpera ab eo, ad te miſſam eſſe, id tamen non rudis lector ex verbis tuis facile colliget. Quam enim liberalitatem in Luca agnoſceres ſi hanc de Lonchiti opinionem ei ac- ceptam non referres? Cum igitur inſcriptio illam non Lonchitim, ſed filicis genus appellet, & videam non ali- am ſed eandem a te pro Lonchiti vera effo rmari, non potui non in ſummam admirationem adduci, quod quaſi imprudens, nolenſque a Lucæ Ghini mente aberraueris. Sed te cum virum ingenuum candidiq; animi cogno- ſcerem, non malitioſe, aut ex fraude, ſed rationabili aliqua perſuaſione inductum in hunc errorem incidiſſe, cre- dendum exiſtimaui. Quæ ratio cum eſſet mihi minus comperta, vt veram Lucæ ſententiam, vtque ve- ritatem ipſam, quam putabam, aperirem, dixi a te minus vere, neſcio tamen quo caſu, Ghino illam tribui de Lonchiti ſententiam. Nam cum ego aliam pro Lonchiti vera oſtendere in eo opuſculo vellem, idque inuentum Lucæ Ghino (a quo primum eius rei ſum admonitus) acceptum referre in animo eſſet, niſi ita de ea ſcripſiſſem, & Lucam & te, & meipſum etiam inconſtantem, variumq; reddidiſſem.

Lonchitis aſpera.

Plantæ à Ghino miſſæ Matthiolo.

Lucam quidem, quod ei diuerſam ab ea, quam illi tu aſſcribis, opinionem tribuiſſem. Vtrunque ve- ro noſtrum, quia cum ea in re inter nos non conſtaremus, data eſſet lectori cauſa, vt alterum noſtrum

mendacii coargueret. Quare, vt ex tot anguſtiis emergerem, exponendum mihi erat, cur à te diſſenſiſſem. Quo quidem diſſenſio cum non tam circa rem ipſam, quam in exploranda Lucæ Ghini mente verſaretur, exiſtimaui æquo animo te laturum, ſi in re nullius fere momenti, caſu neſcio quo, falſum te eſſe tui amiciſſimus, atque amantiſſimus diceret. Nihil enim vetabat, vt vel pagella illa, in qua Lonchitis inſcriptio erat, deperderetur, vel erroſa, obliterata, ne ad te perueniret, ita vt eius integram ſententiam tibi videre non liceret, vel quod eam ſemel tantum a te lectam, dum plantam ipſam depingendam ſculpendamue prabes, reſeciſſes, tandemq; ob rerum incredibilem varietatem, quam quidem in tam laborioſo opere conficiendo quotidie ſtruebas, quod in ea continebatur, mente caderet, vel vt quauis alia fortuna incideret, quæ animum tuum a veritate ipſa diſtraheret. Ac quemadmodum ea, quæ caſu eueniunt criminis expertia eſſe debent: ita neque te ignominia, aut dedecore affectum iri exiſtimabam, quod falſus in ea re appellarere, quam nec opinatus caſus gubernauit. Hanc igitur meam extitiſſe mentem in illis verbis, vir clariſſime, nullo pacto dubites velim. Deumq; teſtor immortalem, nulla me iniquitate, aut peruerſitate commotum, ſed integro, atque ſyncero animo ea protuliſſe. Quod ſi haud ſatis aptis appoſitiſque verbis, ſed potius duris, ambiguiſq; illud aſſecutus ſum, in hoc accuſari, atque reprehendi non a te ſolum, ſed etiam a quouis facile patiar, meumq; erratum deprehenſum iam, atque manifeſtum confiteor, quod tamen ſi crimineſum eſt, inconſiderantiæ cuiuſdam negligentiæq; crimen eſt, non voluntatis. At ex verbis, & literis mentem alicuius æſtimare, calumniatoris officium. eſt nam vbi rerum teſtimonia adſunt, quid opus erit verbis? An putamus aliquid ponderis habituras eſſe in rebus ambiguis, & obſcuris interpretum explanationes, vbi autor ipſe ſcriptorum ſuorum rationē, ſententiæq; ſuæ expoſitionem perſpicuam manifeſtat. Iam puto me tibi planius expoſuiſſe conſilium meum, ac rationem reddidiſſe, cur ita ſcripſerim de Lonchiti altera, in qua quidem re, non deſpero fore, vt (qui tuus eſt animi candor) in meis rationibus acquieſcas. Verum, cur ita ſenſerim, ac quid potiſſimum me mouerit, vt tuam de Lonchitis ſententiam perſecutus non ſim, breuiter exponam. Mouit me quidem in primis Lucæ Ghini autoritas, qui cum in ea, quam tu depingis, aſperitatem multam deſideraret: nunquam pro certo affirmare auſus eſt, illam veram eſſe Lonchitim aſperam, tandemq; adinuenta illa, quam nos veram credimus, ita a priore ſententia detruſus eſt, vt illam filicis genus eſſe crederet, hancque, vt veram ac genuinam, agnoſceret. Atque induci ad credendum vix poſſum, vt de hac ſententia Lucas deduceretur, rurſuſq; in priſtinam reuerteretur, quando in hac non aſperitatem ſolum, ſed omnes alias notas ita appoſite Dioſcoridis delineationi quadrare cognouit, vt nulla in re, vir ille alioqui modeſtiſſimus, optimuſq;, adeo ſe magnifice iactaret, atq; ob nihil fere aliud, ita gaudio exiliret, quam ex huius Lonchitis, quā veriſſimā exiſtimabat, inuentione. De qua intellexit in ſuperius adducta inſcriptione, cum inquit: ſe aciorē Lonchitim agnoſcere. Habet enim hæc folia ſcolopendrii maiora, longe magis diuiſa, ac multo aſperiora. At illa quam tu depingis, præter figuram quandam, Aſpleni nihil habet, meo quidem iudicio, Dioſcoridis deſcriptioni congruum. nullam enim in ea videre eſt aſperitatem, ſed ex vtraque parte læuis eſt: tantum abeſt vt ſcolopendrio aſperiorem eſſe eam dicamus. Niſi forte idcirco aſperam illam dixerimus, quod duriuſcula, & quodammodo ſolida ſunt eius folia: Sed non ita ſe res habet, quando fieri non poteſt, vt vere dicamus, alterum altero aſperius, niſi in vtriſque inſit aſperitas, vt neque recte fiat comparatio niſi in aſperitatibus eiuſdem naturæ, & ſpeciei. Quare ſi Lonchitim quantum ad aſperitatem pertinet, Aſpleno comparabimus, intueri primum debemus, quodnam genus aſperitatis in Aſpleno ſit, vt eandem, ſed maiorem in Lonchiti quæramus. Sed nullam ego in ea inuenio præter hirſutiem, ſeu ſcabritiem illam, quæ ex auerſa fronde flaueſcit. Concludendum eſt igitur eodem pacto a nobis in Lonchiti aſperitatem quæri oportere. Sed diuerſis vocibus, eādem rem voluit explicare Dioſcorides, vt quod in Aſpleno appellauit hirſutum, voluerit id, in Lonchitis aſperum dicere: & quoniam hirſuta eſſe Aſpleni folia dixit, voluit in Lonchiti aſperiora eſſe dicere: quod perinde eſt, ac ſi hirſutiora dixiſſet, vel ſcabriora, quod facile comprobatur ex varia interpretum verſione, cum nouerint has duas voces τραχὺς & δασὺς ſæpius apud Græcos ita confundi, præſertim in plantarum ſignis, vt ſine vllo diſcrimine alterū pro altero ſumatur. Atque vt à propoſito exemplo, non recedamus, quod in Aſpleno Græce δασέα Ruellius vertit hirſuta, Marcellus aſpera. Rurſuſque quod in Lonchiti iacet τραχύτερα, Ruellius reddit aſperiora: at Hermolaus ſcabriora, quod idem fere eſt, quod Hirſutiora. Quamobrem adduci non debemus, vt diuerſam idcirco accipiamus aſperitatem in Aſpleno & Lonchiti, quod diuerſis nominibus vtatur Dioſcorides, cū conſtet idem intelligere voluiſſe. Quod ſi ita eſt (vt certe eſt) non video cur poſſit pro Lonchiti aſpera oſtendi planta, quæ nullam habeat aſperitatem ſcolopendrii ſimilem, nedum maiorem. Accedit huc, quod neque magis diuiſa ſunt folia eius, quam tu pro Lonchiti depingis: quod enim in Lonchiti Græce eſt Μᾶλλον ἐσχισμένα, ſæpius apud Dioſcoridem non tam continuam ſciſſionis quantitatem, quam numerum denotat. Atque ita hoc loco etiam intelligendum eſſe exiſtimarem. Ruellius vertit, & multo magis diuiſa: ſed clarius Marcellus, pluribus inciſuris diuiſa. Sed quod idem voluerit exprimere Ruellius ex aliis nonnullis Dioſcoridis locis, vbi eadem verba leguntur, colligere eſt, præſertimque in tertio Aconito ſecundæ ſpeciei, vbi quod Græce habet μᾶλλον ἐπεσχισμένα reddit crebriore diuiſura, nullum conſtituens diſcrimen (quantum ad ſenſum pertinet) inter primam & ſecundam iam adductam verſionem. ſed planta ipſa Aconiti hanc Dioſcoridis fuiſſe mentem teſtatur, vt tu optime noſti, qui tertium Aconiti genus depingis multo crebriore quam platani folia ſunt, diuiſione. Idem obſeruare eſt in Liguſtico, cuius folia Dioſcorides dicit eſſe prope verticem graciliora καὶ μᾶλλον ἀπεσχισμένα. Ac niſi ad numerum diuiſiones retulerimus, oporteret fateri, non graciliora, vt Dioſcorides dicit, ſed maiora debere eſſe folia ad ſummitatem: maior enim diuiſio, maius etiam ſubiectum requirit. Verum quia Dioſcorid. aſſerit graciliora eſſe, & magis diuiſa, neceſſe eſt, dicamus, ideo macilētiora fieri, quia tenuius ſcinduntur. Ad quod animum cum aduertiſſet Marcellus, tam in Liguſtico, quam in aliis ſupra commemoratis locis, illa verba Græca vertit, Et pluribus inciſuris diuiſa. Hoc non eo ſpectat, vt exiſtimem, vbicunque reperiantur hæc duo verba, ſemper numerum diuiſionum ſignificari. Scio enim quantitatis ſciſſionem frequentius ab illis denotari, ſed aſſeueramus, ac firmiter credimus in multis apud Dioſcoridem non aliter, quam vti expoſuimus, intelligi debere, quod exempla & verſiones adducta ſatis declarant. Sed fac haſce verſiones nullius momenti eſſe, quanam quæſo in tua Lonchiti diuiſio eſt? nullam enim inſpicio, ſed video quo mens tua tendat. Putas enim vnicum duntaxat folium eſſe oblongum, vtrinque diuiſum totum, id, quod a radice ad extremum acumen protenditur. Sed longe aliter, mea quidem ſententia, aſſerendum eſt: nam quas tu diuiſiones appellas,

[Liguſticum.]

potius ſeparata folia dicenda ſunt, cum nihil ſit, quod alterum cum altero connectat. At in Aſpleno non licere. Poſſumus namque in ea, quod ab radice oblongum aſſurgit, oblongum appellare folium, atque diuiſum dicere, quia eius ſciſſuræ ita ſunt, vt ad extremum pediculum non perueniant: ſed eſt portio adhuc, quæ ſectã partem cum altera coniungit. Atque hunc fuiſſe Dioſcoridis morem, ex aliis clariſſime cernimus. Neque enim

Trichomanes.

Trichomani oblonga folia diuiſaque tribuit, ſed potius folia lenticulæ, in ordinem vtrinque digeſta, aduerſa in ſe in ramulis tenuibus. Sed nonne idem pene foliorum exortus eſt in Lonchiti tua? Cur igitur in Trichomane folia appellabimus, eadem que non folia, ſed foliorum ſciſſionem in Lonchiti? Sed ſi recte conſideremus

Notanda Dioſcoridis in foliorum diuiſura Phraſis.

ea, quæ à Dioſcoride tradita ſunt, inueniemus in omnibus idem ab eo obſeruatum eſſe, vt vbicunque perfecta eſſet, atque abſoluta partis à parte ſeparatio, dum modo illæ partes eandẽ effigiem, eandem quantitatem, ſaltem in plurib. obtineant, eas frondes appellaret: Non autẽ vniuerſam ex illis partib. compoſitionẽ, vnicum folium vocauit diuiſum in plures particulas. Sic quinquefolio folia menthæ tribuit, quina ſingulis pediculis, nõ autẽ vnicũ folium quinquepartitũ. Sic etiã Viticem oleæ folia habere recte dixit, tametſi ex vno pediculo plura exeant, quemadmodũ & filici ex vno pediculo cubitali folia exire multifida alarũ auiũ modo expanſa: non autẽ cubitalẽ illã longitudinem vnicũ folium exiſtimauit multipliciter ſciſſum. Ac mirari hac in re licet Marcellũ, qui id ſibi perſuaſerit, reclamantib. omnino Dioſcoridis verbis. Contra vero Ricinũ vult habere folia Platani, maiora, tamen, quia non putauit appellanda eſſe ſeparatim folia, quæ diuiduntur quidem ſed non ad extremum vſque pediculum: Ita & veratrum nigrum dicit retinere folia Sphondylii ſimilia pluribuſque inciſuris diuiſa: vniuerſam multifidi folii compactionem vnicum folium appellans. Sed huiuſmodi exempla ita clara ſunt, tibique tam ſæpe perſpecta, vt in illis immorari amplius non oporteat. Quod ſi igitur, hæc vera ſunt, nullo pacto ſciſſis foliis tuam Lonchitim dicemus, ſed plura habere folia parua, vtrinque ex vno pediculo dodrantali, vel minore aduerſa in ſe, atque ita Dioſcoridis deſcriptio, ei nullo pacto quadrabit. Si quis igitur plantam habuerit, quæ nullam ex his difficultatibus patiatur, cur non potius eam pro Lonchiti altera oſtendat, quam

Similitudo Lonchitis cũ Aſpleno.

tuam? At eiuſmodi eſt, quam nos veram exiſtimamus, multo enim magis, quam Aſplenum diuiſa eſt, ſiue id pro maiore diuiſione, ſiue pro crebriore accipiamus. Eſt præterea maior & hirſutior. Sed ſi ita eſt, circa quid verſabitur eius cum Aſpleno ſimilitudo? Nempe circa ſubſtantiam & aſperitatem & colorem. Neque enim poteſt eſſe in forma ſiue figura, quia diuerſam in ea conſtituit formam, maior ſiue crebrior ſciſſio. Quod eo magis tuam arguit, cuius omnis, ac ſola cum Aſpleno ſimilitudo in figura eſt. Ex aliis enim, quæ ſubdit in plantis delineandis Dioſcorides explanat, circa quid perſtringatur ſimilitudo: Vt cum Trichomanem dicit eſſe filici ſimilem, ad ſubſtantiam retulit, non ad figuram, quia ſubiunxit exiliorem eſſe & foliis lenticulæ. Ita de Lonchiti intelligamus neceſſe eſt, quia quemadmodum Scolopendrion, ſuperne herbacea eſt, inferne hirſuta & flaueſcens, ita & Lonchitis, in gradu aſperitatis ſolum eam ſuperans: cæteris etiam, quæ ad ſubſtantiam pertinent perſimilis. Quæ omnia in noſtra eſſe nemo, qui eam ſemel viderit, negare poteſt. Adde quod aculeus qui in noſtra eſt, in ſummitate adnixus, nominis rationem exprimit, quod in tua non euenit. Hæ ſunt rationes, quæ in cauſa fuere, cur tecum in Lonchiti aſpera minus conſentirem, quæ ſi vera ſunt, mihi gratiſſimum erit. ſin minus, gratiſſimum etiam feceris, ſi probabilioribus rationibus efficies, vt a mea ſententia deducar. Vt enim ea mihi ſemper voluntas extitit, vt alios ſine pertinacia refellerem, ita & refelli ſine iracundia paratus ſum. Nihil enim iniquius ſemper duxi, nihil ab omni pietate magis abhorrens, quam veritatem occultare. Sed de his ſatis multa diximus, iam ad alia tranſeamus. Nam quod ſecundo loco diluendum eſt, quod autoritatem tuam videtur, neſcio quomodo offendere, meumque in te animum in ſuſpicionem adducere, eſt id,

De Chamæleone albo.

quod in fine capitis decimi, ſecundo libro noſtri opuſculi de Chamæleone albo a te depicto diximus, vbi tuam picturam minus veram eſſe aſſeruimus, ac facta comparatione inter tuam & Fuchſii, hanc vt rectiorẽ (quanquam & ſuam etiam ex toto non acceptauimus) admittẽdam cenſuimus: hac nimirum ratione adducti, quod radiculas illas tenues, quæ craſſæ radici connectuntur, non exprimas, ſed ſtatim craſſiori radici echinatum capitulum, in quo & ſemen, & flores continentur, appoſueris, Dioſcoridis deſcriptionem magis (vt verba etiam mea referam) quam plantam ipſam integram forte contemplatus. Ex quibus ſane verbis colligere aliquis poſſet, te à me reprehendi, quaſi fictitias plantas, ac nuſquam tibi viſas effingas, eaſque tanquam a veris viuiſque extractas, poſteritati exhibeas, atque ita legentibus imponas. In qua quidem re, multum mihi laborandum

Plantæ partes vt adpingendæ.

non eſt, vt hanc de me ſuſpicionem dimoueam. Quando id ipſum ego (ſi mihi contingeret depingendarum plantarum prouinciam ſuſcipere) facere non dubitarem, neque propterea probro, vt impudentia mihi verſum iri exiſtimarem, dummodo non integras plantas (hoc enim, vt difficilimum, ita & temerarium iudico) ſed partem aliquam ipſarum, quam ſumma etiam diligentia adhibita, habere mihi non liceret, adiungerẽ. Quod etiam audacius proſequerer in his, quæ ſemel, vel ſæpius antea à me viſa fuerint. Nam ſi ſtatuis ob antiquitatem mutilatis, ex alieno marmore, vel naſum, vel aures, vel aliud membrum adiungere licet, quo pulchrior vniuerſa facies ſpectetur, tametſi incerti ſumus, an veram illius membri effigiem fuerimus aſſecuti. Cur etiam depictis plantis aliquid addere non liceat, quod vel viderimus, ſed nunc eius partis facultas nobis non ſit: vel non viderimus, duce tamen Dioſcoridis deſcriptione accommodemus, dummodo clariorem ita eius cognitionem fore ſperemus? Neminem enim, vel minimum in herbarum indagatione verſatum, latere arbitror, non poſſe omnes plantas in vna tantum regione haberi, ſed neceſſe eſſe, vt à remotiſſimis partibus bona pars earum tranſmittatur. Atque eum, qui vniuerſam ſtirpium picturam oſtendere aggrediatur, oportere, vt areſcentium multarum vtcunque poteſt, picturam exhibeat. Tranſmittuntur autem, vel non integræ, vel non expanſæ, vel non exacta iam ipſarum ætate, vt quandoque ſine floribus, aut fructibus accipiantur, vel integræ quidem, atque abſolutæ tranſmiſſæ, caſu aliquo confringantur, ſeparenturque ita partes, vt quo pacto radix cum caule connectatur, vel flos ſemenue cum caule, aut ramulis, tandemque folia cum vniuerſa planta cohæreant, ſatis recte aſſequi non liceat, vt taceam variari omnium partium plantæ colorem, odorem, ſaporem, ſubſtantiam, & quod caput eſt, formam. Quod quidem nonnullis exemplis demonſtrarem, niſi idipſum, & tibi notiſſimum eſſe cognoſcerem, & vberrime in meo libello tranſegiſſem. In his rerum anguſtiis moribundas exiccataſq. plantas, atque aliquam eiuſmodi tranſmutationem poſſidentes, ſi, vt iacent, depingeremus, cum Dioſcoridis deſcriptione non conuenirent, atque ita, vt falſæ a quouis reiicerentur. Si nullo pacto illas depingendas eſſe exiſtimaremus, vix paucarum effigies dare poſſemus. Conſilium igitur eſt, vt conſiderato areſcentis plantæ defectu, ea

memi-

memoria repetentes eius imaginē. ſi contingat illā virentē aliquando vidiſſe, id addamus q̃ ariditatis iniuria abſtulit. Quod ſi quandoq; accidat, vt quod addendū eſt, minus recte aſſequamur, non propterea damnari debemus, cū id in paucis admodū euenire poſſit. Hoc ita verū eſt, vt a te ipſo effectū eſſe puto, negaturus non ſis, nec ſi neges facile id tibi concedatur. Fateris enim multas plātas a multis tibi miſſas eſſe, quæ viuæ virenteſq; ex longinquis partibus ad te minime peruenire potuerūt, in quarū nonnullis, niſi neſcio quid accommodaſſes, ne cogitatione quidē quiſquā aſſequi poſſet vere a te efformari potuiſſe. Nā Lycii ramulus ex Dalmatia tibi allatus eſt. Baccaris Romæ & Arimino Horminū ſatiuum, & alia cōplures Piſis. Hemionitis Patauio, atq; ex aliis exteris nationibus, haud ſane pauca. Iā vero ſi virentium abſolutā formā areſcentes plantæ ſeruarent, nunquā profecto Piſtachiis ſerrata folia depinxiſſes in Latinis tuis cōmentariis, ſi illius cum pingeretur virentis copia tibi ſuppeditaretur. Nam cum tandem virentem eam vidiſſes, iterum illam in Italico ſermone, ſcriptis commētariis ſine ullis in ambitu dentibus, verius expreſſiſti. Mutaſti etiam Apii, quæ & Iſchas dicitur effigiem, in iiſdem vulgari ſermone conſcriptis libris, quia quam Venetiis ad te Nicolaus a ſancto Michaele miſerat (vt credere par eſt) aſſequi minus probe ob mutatam ariditate faciem potuiſti. Atque vt nonnulla etiam ex [illegible] perſequar, cum Trifolium Aſphaltitem pingis quis non animaduertat, plantam tibi aliquis [illegible] integram tum ad manus eſſe non potuiſſe, cum nec ramulos nec flores in ipſa exprimas? idemque de [illegible] Braſſicæ marinæ, Siſimbrii aquatici, Aloes, aliarumque nonnullarum ſtirpium partibus, quæ in tuis [illegible] deſiderantur, aſſerere licet. Iam igitur ad rem ipſam accedentes conſiderent quæſo hi, qui me temeritatis nota aſpergunt, quantum ponderis habeant verba a me de Chamæleone albo ſcripta, non enim vereor, quin totum æqui bonique faciendum eſſe exiſtiment. Scripſimus nos eo in loco potuiſſe a te erratum in pictura committi ob plantæ viuæ penuriam, nonne in his verbis cum errore eius excuſationem appoſuimus? Quæ excuſatio ſi aliquo quam non admittatur potius pertinacia fiet, quam veritate. Quod autem me in ſuſpicionem adduxit vt crederem non extitiſſe tibi viuæ plantæ copiam cum illam depingendam tradidiſti fuit non ſolum pictura quæ cum his, quas ſæpiſſime nos collegimus, non conuenit, verumetiam, quia tuis in commentariis ſcribis quidem, ubi nigri Chamæleonis, quem putabas, ubertas proueniat, ſed ubi album videris non apponis. Unde non abre coniici quoquo modo poterat, non licuiſſe tibi in his locis, quæ loca penetraſti, naſcentem viuamq; hanc plantā videre, ſed aliunde tranſmiſſam. At fieri poteſt, vt quandoq; radix ſola quandoque folia ſola cum capitulo ad te mitterentur, vel ſi integra quidem miſſa eſſet, caſu aliquo ſeparatæ partes ad te peruenirent. quam cum pingere velles a Dioſcoridis delineatione adiutus, eam ita vt iacet typis excuſſeris. Id ſi ita contigiſſet, quis niſi ſtulta ſen[illegible] tuam ſolertiam damnabit? Quod ſi vere id accuſari debuerit, iam me ipſum primum reprehendant homines, qui in ea ſententia, non ſolum tunc eram, ſed adhuc permaneo. Tibi vero nulla ſit iniuria ab eo, qui id quod ſcripſit iniurioſum eſſe non nouerat, cuiuſq; animus in tuis laudibus celebrandis, ex aliis rebus tibi notus perſpectuſq; abunde eſt. Omnes enim decipimur ſpecie recti. quare non verba ſed mens æſtimanda eſt. Neque vero nunc iterum [illegible] album Chamæleonem noſtrum extollimus, vt tuam picturam omnino falſam iudicemus, quando nihil vetat quin climatis aut ſoli varietate ita proueniat, vt a te depingitur, quod non ſolum credimus ſed multis exemplis in noſtro opuſculo comprobauimus. Nam cum tuam picturam veram non eſſe diximus, cum his illam comparabamus, quas nos pluribus locis effodimus. Atq; huc ſpectabant ea verba, quæ habent Dioſcoridis deſcriptionem magis, quam plantam integram forte cōtemplatus. Quæ verba etiam, cum dubitanter nec certo proferātur, ſatis indicant me illud non affirmaſſe, ſed liberum lectori reliquiſſe credendum fieri poſſe vt planta illa, ita inueniatur, vt a te depingitur. Quod quidem ſi explicate protuliſſem, iam nulla hic in re caderet ambiguitas. At quis omnia ita minutatim conſideret, quin in ea, quæ nolit, nonnunquam incidat? Videor enim mihi hoc loco pro me poſſe Horatianum illud adducere,

Verum opere in longo facile eſt obrepere ſomnum.

SED hæc mea culpa, eo magis toleranda eſt, quod in ea commoror urbe, quæ vt ceteris omnibus fortunæ dotibus, alias fere omnes ſuperat, ita bonarum artium profeſſoribus deſtituitur, præſertimque in hanc de ſimplicibus cognitionem, ita nemo eſt qui operam dederit, aut dare cogitet, vt vix vnum, aut alterum inuenias, qui paucarum plantarum cognitionem teneat. Quamobrem neminem habere potuimus, cui opus noſtrum inſpiciendum atq; iudicandum traderemus, ſed me ipſum mei laboris, & autorem, & iudicem eſſe oportuit, quo quid potuit eſſe infœlicius? Scis enim ſua quenque Philautia, ita decipi, vt non raro circumſpectos quoque homines atque alioqui temperatiſſimos cæcos reddat, & in graues errores conijciat. Sed cum vnus mihi eſſet Ioan. Vincentius Pinellus, in quo omnis mihi ſpes erat, & a quo non modo certam atq; integram de meo libello ſententiam expectabam, ſed etiam ſtabilem, & ſine ulla aſſentandi, calumniandiue ſuſpicione integram, optatis meis aduerſa fortuna non reſpondit. Vix enim extremam manum operi impoſueram, cum vir ille Patauium ſtudiorum cauſa profectus eſt. Itaque inops conſilii manu ſcriptum exemplar, Vincentio Valgriſio miſi, ea tamen lege vt non prius typis committeretur, quam a Gabriele Fallopio vniuerſus perlegeretur. Non enim verebar, quin is pro ſua in me beneuolētia laborē hunc & libentiſſime ſuſciperet, & quicquid in eo minus cohærens eſſet, quod vel ad res ipſas vel ad aliquorum autoritatem tuendam pertineret, accommodaret, ac corrigeret. Sed neſcio quo fato factum eſt, vt operis ipſius dimidia fere pars excuſa eſſet, quam ei illud inſpicere licuerit. Remiſit igitur opus ex toto excudendum, meis literis, quas de ea re ad illum conſcripſeram ita, vt ſcis, reſpondens Hos ego omnes præclariſſimos viros, eius rei teſtes optimos grauiſſimosque volo & do. Quæ cum fortuna, quam vitare nemo poteſt, gubernauerit, ipſa etiam horum omnium malorum culpam ſuſtineant, me vero in tot incōmodis ſatis ſuperq; conſolatur recta mea voluntatis, meorūq; officiorū conſcientia. Hæc ſunt præſtantiſſime vir, quæ mihi a Piſano oſtenſa ſunt, tuā dignitatē offendere quibus quidem ita ſatisfactum puto, vt omnem criminis ſuſpicionem me expurgaſſe exiſtimem. Nā etſi pauca quædā alia, ab aliis animaduerſa ſunt, tamen leuiora quidem ſunt, quam vt de eis aliqua ſit habenda ratio. Quanquam confido fieri nullo modo potuiſſe, vt tu eadē, quæ cæteri, de me ſuſpicareris: cū nec diffidā, vt ſi quid vere a me cōmiſſum eſſet, a te pro tua humanitate, & liberationē culpæ, & errati veniam impetrare. Quare hæc non tā tibi, quā aliis, qui hæc cōmentari poſſent ſcribūtur. Petoq; abs te, vt nō de his ſolum, in quibus aliqua mei mentio fit, ſed ſi quæ erunt alia (erūt autē certe plurima) quæ a veritate ipſa abhorrere tibi videbūtur, ad me per priuatas literas, amice (vt ſoles omnia)

In Piſtachiis error.

Apii figura mutata.

Trifolium Aſphaltite.

Ioan. Vincentius Pinellus.

*ſcribas, vt quod mihi ob locorum longinquitatem, ante quam opus ipſum ederetur, nō licuit, eo iam edito liceat; tandemq; per te, cum ſecundo edetur, ab omnibus erroribus repurgatum, per manus hominum verſari incipiat, vnde & obtrectatorum calumniis & exiſtimationi noſtræ conſulatur. Te vero etiam, atque etiam rogo, vt me totum ſuſcipias defendendum, eamq; voluntatem, quam in me laudando ornandoq; tibi nunquam defuiſſe noui, perpetuam, ac conſtantem retineas. De me autem ſic exiſtimes, ac tibi perſuadeas vehementer velim, nihil me ſpectaſſe ſemper, quam vt nullum officii erga te ſtudiiq; munus prætermitterē. Quod ſi à quopiā mihi minus concedatur, mea mihi conſcientia pluris eſt, quam hominum ſuſpitio. Sed dabo operam poſthac, vt omnes intelligant animum meum, ab omni alia cogitatione ad tuam erga me beneuolentiam conciliandam augendamq; iam pridem traduxiſſe. Itaq; non in hac noſtra vrbe ſolum, amicis meis omnibus, ſed etiam Faloppio, & ſæpiſſime Ioanni Vincentio Pinello, proximeq; Iocobo Antonio Cortuſio, ornatiſſimis viris atq; vtriuſq; noſtrum amantiſſimis, totum me patefeci, atq; his ſingulis ſæpe & accurate ſcripſi, quam nihil aliud ſemper maluerim, quam meam erga te obſeruantiam tibi gratiſſimam eſſe. Nec dubito, quin de ea re ab illis certior factus ſis: cuius me conſtantiæ fore, vt nunquam pœniteat, non deſpero. Quare has literas velim exiſtimes fœderis habituras eſſe vim, non Epiſtolæ, meq; ea, quæ tibi promitto, ac recipio, ſanctiſſime eſſe obſeruaturum, diligentiſſimeq; facturum, Vale, & me, vt feciſti, ama. Neapoli.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOlus, Bartholomæo Marantæ S. P. D.

*Amice reſpondetur ad Marantæ excuſationem.*

*Fatearis oportet, mi Maranta, ſi tuis nolueris refragari argumentis, aliquid omnino ſubeſſe cauſæ, cur tam multi vnanimi conſenſu durioribus quibuſdam commentariorum tuorum verbis offenſum me eſſe, prædicent. Ita enim miſſis ad me, de re hac literis, ipſe teſtaris, multos ex amicis tuis fuiſſe, quibus minus modeſte & honorifice, quam mea dignitas, noſtraque poſtulabat amicitia, locutus de me eſſe videreris. Idque in primis viſum eſt Ioanni An-*
**Ioan. Antonius Piſanus.** *tonio Piſano ſummi iudicii maximeque illic Neapoli autoritatis viro. Atqui idem, non illis ſolum, ſed omnibus cæteris viſum eſt, quotquot tuum adhuc ſcriptum legerunt, quos quidem eo ſeuerius de iſta tui ſermonis acerbitate iudicare credibile eſt, quo minus ad gratiam loquuntur ignoti, incorruptiusq; ad cenſendum iudicium afferunt, qui citra omnem affectum quam, qui amore & beneuolentia præoccupati, ad iudicandum adhibentur. Apud hos neutrarum partium ſtudio corruptos iudices, ſi noſtra diſceptetur controuerſia, procul dubio vicero ego. Sed vt nulla in re non æquior ſim tibi, fingamus hos omnes, quod quidem prudenti vno onemini perſuadebitur vnquam, fingamus, inquam, lectores libelli tui vniuerſos, non aut amore mei, aut odio tui, ſed malitia quadam ingeniorum conſpiraſſe ad hoc, vt verba tua per calumniam interpretentur, appellemus ab his, ad alios iudices, ſitq; penes te, vt deligas, quos maxime tuæ cauſæ fauere exiſtimas ſint ſane illi amiciſſimi tui, quibus cum ioca ſeriaq; quod dicitur, ardua & occulta conſilia confers. Atqui hi iam ante, à me minime ſubmoniti ſponte ſua liberoq; iudicio vſi, quanquam maiorem apud te gratiam iniiſſent, ſi probarent, quæ deſcripſeras, pronuntiarent tamen ab officio te receſſiſſe, quod de amico, tam acerbe locutus eſſes. Hos certe inſimulare inſynceræ interpretationis, citra immodeſtiæ crimen non potes. Vt mirum videri cuipiam non immerito debeat cum ipſe, quid amici tui, de ſcripto cenſuerint tuo, recenſeas, cur dicas paulo poſt, tui oblitus opinor, nihil eſſe contra exiſtimationem meam ſcriptum, quod probus vir redarguat. Certe multi tui, vt tuipſe teſtis es, redarguerunt. Ergo & illis improbitatis crimen impingere te neceſſe eſt, ſed hoc quam prudenter abs te, ſecuſue dictum ſit, nunc non proſequar. Hoc tantum dico, non id vanum omnino eſſe, nec de nihilo ortum, quod multi paſſim dictitent. Etenim ſermones longe lateque vagantes originem ducere alicunde neceſſe eſt. Idcirco fuiſſe aliquid omnino in commentario illo tuo, quod famam meam offenderit, vel hoc argumento vno, nemo profecto dubitauerit. Verum tu ſuſpicioni huic ſuccurſurus, remedium affers. Ais non verba, nec*
**Excuſatio.** *literas eſſe, vt ſonant, accipiendas, ſed mentem tuam animumq;, quo iſta ſcripſeris inſpiciendum. Quid audio? verba ne ergo contumelioſa in me eſſe fateris, animum negas? Atqui homines ex verbis de ſcriptoris animo iudicant, poſt quam iam ita cōditi ſumus, vt feneſtra illa, qua cogitationes cuiuſque intueamur, quamq; Momus olim ille diuinorum operum æſtimator deſiderari criminabatur, deſtituamur in vniuerſum omnes. Si negas ea contumelioſa eſſe, cur igitur ea inſpici & perpendi, ita vt natura ſua ſonant, non permittis? Cur eorum interpretationem non ex communi loquentium vſu, ſed ex tuo tantum arcano conſilio depromendam cenſes? Niſi vero ea tibi tantum & Muſis arcanorum tuorum conſciis locutus ſit, non autem hominibus voces Latinas ita accipientibus, vt ratio proprietaſq; eius linguæ poſtulat. Noli, mi Maranta, tuo exemplo hoc genus excuſationis in mores publicos introducere, vt ſimulatq; aliquis iracundia, aut quauis ſimili animi perturbatione commotus, quippiam effutierit, quod indictum mallet, nephas eſſe dicat, verba interpretari, mentem inſpiciendam eſſe. Hac via grauium virorum reprehenſionem non effugies. Dicis falſo me aſſeuerare, quod Lucas*
**Matthioli querela.** *Ghinus eam plantam mihi miſerit pro genuina veraq; Lonchitide, quam eius nomine in commentariis meis depinxi. Hæc verba non reprehendunt opinionem, quam ſequor in Lonchitide, nam id mihi moleſtum plane non eſſet, ſed ad fidem meam infirmandam, qua vna ego re pretioſiorem nullam poſſideo, pertinent. Proponis in opere quidem, etiā poſteritatem laturū ſperamus omnes (eſt enim eruditiſſimū) iis me, inquam, amicum tuum coloribus deſcriptum omnibus hominibus proponis, non tantum, qui nunc ſunt, ſed qui etiam poſt nos naſcentur, vt ſi inimicos grauiſſimos tuos iiſdem illeuiſſes, grauiorem de ſe pœnam ſumi, vel à crudeliſſimo aduerſario, potuiſſe negarent. Demus hoc ſane, lapſus ſim pagella, vt tuis verbis vtar, in qua Lonchitidis præbeo, poſcriptio erat, eroſa obliterata ve ad me peruenerit, aut ſemel lectam, dum plantam depingendam præbeo, po-*

ſteuab-

*ſtea abiecerim: breuiter aliquam tandem mihi cauſam erroris fuiſſe fingamus. Tuum ne erat, lapſum ita leuem amici, tam ſeuero, ac ad ventura ſecula duraturo ſupplicio vindicare? meam fidem omnibus ſuſpectam reddere in re tam leui? Quid faceres, ſi quod grauius tibi crimen meum notum eſſet, id taceres ſcilicet. Cæterum vellem tantum te opera non poſuiſſe in inueſtigandis nouis interpretationibus illis, a ſono verborum tuorum plane alienis. Ad hæc verba,* NESCIO QVO PACTO, *dicis corrigere aſperitatem. Ego vero id non intelligo: imo illa addita augere atrocitatem dixerim. Falſo dixit Matthiolus transmiſſam ſibi hanc a Luca Ghino plantam eſſe, tolerabile eſt: dum addis neſcio quo pacto, ſuſpicionem auges, vtrum id conſilio, an leuitate aliqua fecerim, ſubdubitans. Nam ſi fortuito caſu, aut errore aliquo id factum a me eſſe dicere voluiſſes, non addendum erat, neſcio quo pacto ſed neſcio quo caſu. hæc excuſantis vox eſt, illa fidem in dubium vocantis. Itaque cum conſentiens multorum tui ſermonis interpretatio confirmat, tum aliena iſta tua expoſitio non excuſat, macula meam innocentiam non leui abs te reſperſam eſſe. Quid vero ſi grauiſſimis teſtimoniis conuicero, Lucam Ghinum eam mihi plantam pro vera Lonchitide tranſmiſiſſe, ſi eius manum & tibi, & aliis monſtrauero? Monſtraui certe iam multis, qui mecum ſunt, doctiſſimis pariter & integerrimis viris, quibus ego aduerſum te teſtibus vtor. Sed multorum loco ſit clariſſimus vir, Vlyſſes Aldrouandus Bononienſis Medicus, qui recens ad me datis literis, ſe meminiſſe affirmat, quod Anno quinquageſimo ſecundo, miſſa mihi a Ghino hæc herba ſit cum inſcriptione, Lonchitis altera. Hunc reiicere teſtem non potes, Ghini manum notiſſimam tibi ex diuturna cum illo viro conſuetudine, negare nequis. Quid autem ergo, an non pœnitet tam in me tam imprudenter, & præter omne meritum meum coniecta ſuſpitionis? Dices, memini quidem ad te miſſam plantam anno quinquageſimo primo cum hoc titulo, Hanc eſſe Lonchitim aſperam aliqui ſentiunt, anno autem ſequenti eandem miſſam eſſe inſcriptione mutata, ignoraui. Tu ergo quod factum eſſe ignorabas, id nunquam fieri potuiſſe ſtatuiſti. Hocque tam leui fundamento nixus, effudiſti in amicum, quæ in hoſtem non competebant, niſi certius explorasſes omnia, quæ propter iſta diceres. Non is ego ſum, mi Maranta, qui honoris & exiſtimationis meæ rationem non habeam, proinde non eſt quod cenſeas ſcripſiſſe Lonchitidem hanc me Ghini liberalitate eſſe conſequutum præter illius ſententiam, vt quam primum vir ille candidiſſimus meos inſpexiſſet commentarios, mendacii & temeritatis me accuſaret. Sed hæc non perſequar vlterius. Non enim dubito, quin ipſe erratum tuum iam agnoſcas, quod ſiue imprudentia, ſiue negligentia, obrepente nimirum in opere tam longo, ſomno vt dici ſolet, commiſſum fuit, erratum, certe fuit tibi iniurioſum, in me longe grauiſſimum. Verum quicquid hoc eſt, quod offendere animum meum vlla ratione potuit, id totum dono amicitiæ noſtræ, dono Cortuſo, dono Aldrouando, viris clariſſimis, & vtriuſque noſtrum amantiſſimis, dono Pinello nobiliſſimo alias homini, ſed dedicatione commentarii tui longe nobiliori facto, ac iucundiſſimus, vt petis redeo ad perſpectum illum tibi ſæpe, mihi dulcem amorem tui, qui & ſi nunquam è pectore meo extinctus eſt, refrixerat tamen aliquantulum triſtitia ob ſuſpitionem mutati erga me animi tui. Venio nunc ad alteram epiſtolæ tuæ partem, quæ prior erat ordine, in qua offenſum me eſſe arbitraris, quod opinione a me aliquot in locis diſſentias. Ego vero tantum abeſt vt id ægre feram, vt magnopere gratuler tibi, quod ita fideliter in medium labores, veritatemque in profundo puteo, vt quidam Philoſophus dicebat, reconditam tuis vigiliis, & lucubrationibus eruendam & proferendam ſuſcepiſti. In quo quidem labore ſocium te datum eſſe mihi vehementer gaudeo, integrum viribus, florentem ætate, ingenio ſummo, iudicio peracri præditum, laborum patientiſſimum, inſuper, vt ſedulum lectorem, ita candidum interpretem totius antiquitatis. Sicut autem in omni opere coniunctis duorum vel plurium conatibus peragendo, hoc requiritur, vt iuuent mutuo alii alios, exhortentur inter ſe, imbecilli ſuccurrat robuſtior feſſo recentior, & in ſumma non tam quod glorioſum cuique factu, quam quod ad finem neceſſarium eſt, eligant: ita nos quoque veritatem vnam nobis propoſitam ſingulari contentione vterque inquiramus: cuius non refert, quantum tu, quantum ego inuenerimus aut vtrius inuenta ſplendidiora ſint, ſed hoc neceſſe eſt, vt quiſque ſuo loco fideliter laborantes iuuemus alter alterum ſuggerendo, monendo, exhortando, erratis etiam nonnunquam comiter oſtendendis. Ita enim fiet, vt collatis fideliter operis, vtilitate priuata poſthabita, exiſtimatione etiam aliqua ex parte pro bono publico nonnunquam neglecta, veritas tandem clariore ſpecie hominibus eluceſcat. Quod vbi per nos factum erit, tum demum officio noſtro perfuncti probe vterque fuerimus, tum abunde præmiorum receperimus, etiam ſi nulla alia commoda conſequamur. Itaque nequaquam ſuccenſeo tibi, ſed potius gratias quam maximas ago, eo ſane nomine, quod quæ reperiſſe te tuo ſtudio, & labore vtilia exiſtimas, ea in medium profers, & me ibi a veritatis ſemita deflectere putas, meliorem admonendum cenſes. Quæ quidem ego ſequar etiam, vbi talia mihi eſſe perſuaſero, qualia tibi videntur. Sin autem vel ſponte, vel tuis monitis excitatus, veriora aliqua eruero, ea tu quoque boni conſules, opinor. Atque hæc de officio vtriuſque noſtrum hoc loco dicta ſint. Nunc reliquum eſt, quod officii mei eſt, id re etiam, & opere, vt exequar. Placet enim pauca quædam huic ſermoni attexere. Et primum quidem, quæ ad defenſionem earum pertinent, quæ a me antea aſſeuerata in doctiſſimo commentario tuo minus firmis argumentis oppugnaſti, deinde etiam aſſeuerationes quaſdam in eundem commentarium meas, amanter & candide recenſebo. Vtrunque enim horum ad veritatis enucleationem plurimum intereſſe videtur. Auſpicabor autem a Lonchitidis conſideratione, quam me nec pinxiſſe, nec noſſe veram arbitraris. Ego vero meam, quam proxime ad deſcriptionem Dioſcoridis accedere exiſtimo. Libet autem prius verba illius autoris excutere. Id vt recte fiat, mea mihi cum tua interpretatione conferenda eſt, adhibendusque ad iudicandum æquus lector, penes illum ſit pronuntiare, vter melioribus rationibus ſuam ſententiam ſtabiliuerit. Inquit autor. Folia Scolopendrii emittit. Comparatio eſt foliorum. Similitudo ergo eorum aliqua ſit, neceſſe eſt. In quanam autem ea re conſiſtat, hoc dubium videtur, propterea quod tu in ſecundo tuorum commentariorum ſcripſiſti, foliorum Lonchitidis aſperæ & Scolopendrii ſimilitudinem, ad ſubſtantiam referri debere, non ad figuram. Mirum quid tu voces ſubſtantiam, quæ comprahendi ſenſibus non poteſt: itaque ſi hoc vocabulo vteris, vt vulgo vtuntur alii, non credo te cogitaſſe quid tunc ſcripſeris. Alicubi tamen reperio ſubſtantiam rei vſurpari pro craſſitie, aut tenuitate partium, ſed quid tenuitas & craſſities partium, ad ſimplicium faciem cognoſcendam? Quidam amicus meus homo in primis acutus, percontanti mihi quidnam tibi ſignificaretur ſubſtantiæ vocabulo, recitauit ordine verba ex eodem ſecundo libro tuo, cap. 12. Foliorum vero Lonchitidis, &c. quæ ſequuntur. Poſtea cum inquit. Maranta dicat ſubſtantiæ ſimilitudinem ex ſcaventibus*

Grauiſſimis teſtimoniis comprobatur à Matthiolo Lonchitidem à Luca Ghino ſibi fuiſſe miſſam.

Marantæ laus.

Reſponſio ad Marantæ argumenta in Aſpera Lonchitide.

Lib. 3. cap. 145

Dioſcoridis

*Dioſcoridis verbis intelligi, aſperiora, maiora, multoque magis diuiſa, neceſſario voluit, vel aſperitatem, vel magnitudinem, vel multifidam ſectionem ſubſtantiam dici, aut certe omnia ſimul. Hæc ille dicebat. Sed non puto, tam excordem te eſſe, vt amicus ille meus recte diuinarit. Itaq; fateor me iſtum locum non intelligere, quippe cum eum ſaltem ſermonem didicerim, quo alii vtuntur præſertim huiuſce facultatis profeſſores, neſcio diuinare, quid iſta noua ratio ſermonis ſibi velit. Dicam ergo ingenue, quam ſimilitudinem in mea Lōchitide & Aſpleno deprehendam, nec vtar dubiis, aut obſcuris vocabulis, ſed quæ tu, & quiuis intelligat. Video in Aſpleno folium multis ſegmentis diuiſum, idem video in Lonchitide mea. Dein in Aſpleno eiuſmodi ſegmentorum ſitus eſt, quæ vna ex parte mediæ vbi venæ cohærent ſegmenta, illis præciſe ex aduerſo non opponuntur, quæ in altera parte ſita ſunt, ſed aliquanto aut altius, aut humilius deſinunt, nec eodem in puncto dextræ & ſiniſtræ interſectiones venam per medium folium tranſeuntem contingunt. Talis fere etiam ſegmentorum, quibus foliū Lonchitidis meæ diſtinguitur, ratio eſt. An ne tu hanc aliquam ſimilitudinem putas? putabis certe, ſi modo præcepta illa, quæ in ſecundo volumine tuo tradidiſti, ipſe tueri voles: quo quidem in loco ad Aſpleni & Filiculæ foliorū ſimilitudine eſſe ducis, vt eodē modo ſecta vtraq; eſſe appareant. Nec repetā omnia, quæ tu ad confirmandā ſentētiam hanc eruditiſſime, eo in loco diſputaſti: Potius aliam adhuc, præter hanc ſimilitudinem oſtendam. Tam Aſplenum, quam Lonchitis mea, auerſa parte aſperis quibuſdam punctis, folio adnatis flaueſcit. Raræ plantæ ſunt, quæ tam inſignibus notis comparari poſſunt. Iam tu voces ſimilitudinem hanc, vel ſubſtantiæ, vel figuræ vel ſcindapſi, vel quocunque alio nomine, mihi ſatis eſt ſimilia folia eſſe. Nec enim aliud vult Dioſcorides. Dices, at non per omnia ſimilia ſunt. Hic nihil reſpondeo. Nam liber ille tuus profecto doctiſſimus, qui ſecundus eſt ordine, patronus meæ cauſæ erit. Idem multis rationibus defendet ſufficere ad ſimilitudinem, vt in aliquibus ſaltem congruant plantæ. Sequitur in Dioſcoridis textu: Sed Aſperiora maioraque. Maiora eſſe in mea Lonchitide nemini dubium eſt, aſperiora quod ſint negas. De eo vero mihi rationibus tecum diſputandum non eſt, ſed prouocandum vtrique noſtrum ad ſenſum tactus. Is huius controuerſiæ iudex eſto. Appingendam curaui propterea vtriuſque plantæ imaginem, vt cognita ex pictura earum facie & comparatis ſibi viuis plantis rei herbariæ ſtudioſi digitis tangant, de quo nos, tam multis verbis diſceptamus. Hi omnes Lonchitim meam Aſperam eſſe deprehendent. Nullam, inquis, eſt videre aſperitatem. Viſus ſenſum hic vt adhibeas, opus non eſt, tangas oportet, & ſic aſperitatem percipies, manibus non oculis. Illa enim, de aſperitate, & læuitate, hi de coloribus iudicant, quanquam mea Lonchitis ita aſpera eſt, vt oculis etiam id intueri liceat. Sed qui fit, vt tu mox oblitus ſcabram dicas, cum aſperam neges? Quid eſt ſcabrum, quam vehementer aſperum & inæquale in ſuperficie. Vide quo abſurditatis delabaris, quod læue eſſe antea aſſeueraſti, id nunc ſcabrum, hoc eſt inſigniter aſperum fateri cogeris. Læue eſt, quod cum tangitur digitum minime retinet, ſed lubrica ſuperficie illum hinc inde oberrare citra offenſionem permittit. Aſperum vero digitum remoratur ſuperficiei inæqualitate offenſum: idque cum immodice facit, ſcabrum dicitur. Quo pacto ergo idem & læue & ſcabrum eſſe poteſt? Nec vero in eo tibi mens ſatis conſtitit, quod inquis hirſutum ſcabrumue, quaſi rem eandem hæc duo ſignificent.*

Hirſutum & ſcabrum non eſſe idem.

*Hirſutum vocatur quod villoſum eſt, ſcabrum aliud eſt. Si ſcabram meam Lonchitidem eſſe dicis, aio eſſe: ſin hirſutam, nego. non enim pilos vel villos vllos habet. Pergis, non ſit recte comparatio, niſi in aſperitatibus eiuſdem naturæ & ſpeciei. Hic videris mihi ſepiam piſcem imitatus, qui cum elabi aliter piſcatoribus non poteſt, atramentum offundit, obſcuratiſq; hac fraude aquis elabitur. Cum enim hic comprehenſum te iri intellexiſſes, obfudiſti nobis caliginem obſcuris verbis, quæ nemo intelligit. Quid vocas tu aſperitates eiuſdem naturæ & ſpeciei?*

Aſperitas quid.

*Certe aſperitas accidens eſt ſuperficiei quorumcunque corporum, & ideo omnia corpora ſuperficiem habentia externam, conferri inter ſe quo ad aſperitatem & læuitatem poſſunt. Dicimus ferrum aliquod aſperius ligno. Cutem hominis dicimus aſperam, ſed minus aſperam, quam ſit lima aut pumex. Vides itaque aſperitatem, in quocunque ſubiecto ſit, poſſe cum cuiuſcunque corporis aſperitate ſecundum magis & minus conferri. Ideo verba ſunt iſta tantum, nihil ſignificantia, quæ hic de aſperitate eiuſdem naturæ & ſpeciei affers. Nam aſperitates omnes eiuſdem generis ſunt, & non differunt niſi ſecundum magis & minus, & quæuis poteſt cum quauis conferri. Iam vero quam bene dixeris hirſutum eodem modo cum aſpero, tu videris.*

Hirſutum quid.

*Certe hirſutum eſt, quicquid villos extima ſuperficie habet, qui villi ſi molles ſint, læuem ſuperficiem reddunt, ſi duriuſculi, aſperam. Hirſutum ergo, vel aſperum, vel læue eſſe poteſt. Læuitatis exemplum habes apud Plinium de ſylueſtri Braſſica ſcribentem, libro vigeſimoſecundo, capite nono. Inquit enim, Folia habet bina parua, rotunda, plantis oleris ſimilior, candidior ſatiua, & hirſutior. Hirſutum ergo vel aſperum, vel læue eſſe poteſt. Proinde perperam ais idem eſſe hirſutum & aſperum.*

Δασέα καὶ τραχύτερα nō idem ſignificant.

*Quod δασέα Marcellus vertit aſpera, male vertit, quod τραχύτερα Ruellius aſperiora, Hermolaus ſcabriora, bene factum ab vtroque. Aſperum enim & ſcabrum, vt ſupra dixi, idem fere ſignificat. Noli ergo tu interpretari τὸ τραχὺ hirſutum, cum cauſam eius nullam habeas, niſi quod ſic trāsferri tuæ opinioni congruebat. Sed pergamus.*

ΜΑΛΛΟΝ ΕΣΧΙΣΜΕΝΑ, vt interpretandum.

*ΜΑΛΛΟΝ ΕΣΧΙΣΜΕΝΑ hoc eſt, magis inciſa. Ita enim vertendum eſt, ſi vim Græcarum vocum recte excutiamus. Apparet cuiuis ad verborum proprietatem attendenti continuam fiſſionis quantitatem his ſignificari. Μᾶλλον enim apud Græcos omnes continuam quantitatem ſignificat, vt πλέον diſcretam. Sicubi vero hæc verba μᾶλλον ἐσχισμένα recte conuertuntur, crebrioribus inciſuris diuiſis, ibi improprie locutus eſt Dioſcorides, quod tu negare non potes. vt mirari quiſpiam non immerito queat, cum hic retenta propria ſignificatione ſermonis, commode interpretari Dioſcoridis textum poſſimus, cur tam ſis operoſus in peregrina excogitanda expoſitione. Stante ergo hac genuina interpretatione, iam conuerte oculos ad Scolopendrion & Lonchitidem meam, & demonſtrabo tibi, quid vocet Dioſcorides, folia magis inciſa. Quà parte ſegmenta folii Aſpleni venam mediam contingunt, lata baſi ſunt. Non enim eouſque molita eſt incifionem natura, vt in tantum ſepararet ea à media vena, vt puncto aliquo ſolum illi adhærerent, quemadmodum in Lonchitide mea fit. Ideoque merito maior inciſio in huius foliis eſſe dicitur, nimirum ea, non ſolum ad mediam vſque venam adducitur, ſed vlteriore diuiſura ab illa ſegmenta adeo ſeparat, vt extremitate quadam ſua ſolummodo illam contingant. Accipe Aſpleni folium, & eius ſectiones aliquanto profundius ducas, mox videbis quandam Lonchitidis meæ imaginem. Hinc ſimul ratio patet cur tibi in mea planta ſingula ſegmenta, ſingula folia viſa ſint, quippe ſi talia non viderentur, non recte dixiſſet autor, Lonchitidis huiuſce folia eſſe μᾶλλον ἐσχισμένα. Hactenus demonſtraui meam opinionem cum Dioſcoridis*

verbis

*At relin... ..m hæc ego arma quæ antea iam ſemel tanquam obtuſa & inepta in te improbaui. Concedam tibi folium eſſe, quod tu ſic vocas, & eodem id nomine appellabo. Quæro iam abs te an illud maius ſit folio Aſpleni? Hic taces & aliud præter rem ac inſtitutum affers. Ais plantam tuam maiorem eſſe Aſpleno. Quid facis Maranta? folium tibi cum folio in magnitudine comparandum eſt, non planta cum planta. Quanquam neſcio etiam ſi planta cum planta conferretur, an tua maior Aſpleno eſſet. Iam μᾶλλον ἐσχισμένα interpreteris vtro placuerit modo, neutro oſtendes, Folia tua magis inciſa eſſe, quam in Scolopendrio. Nam crebriore diuiſura ſecta eſſe non poſſunt, quia, vt tu dicis in Epiſtola, crebrior diuiſio maius ſubiectum requirit. Tua autem Lonchitidis folium ad oculum multo minus eſt, vt antea dixi, folio Aſpleni. Cæterum profundiori diuiſura minime ſecta eſſe, tacitus ipſe fateris, & ſenſus idem comprobant. Nihil nunc reſtat præter acumen illud in extremitate folii, cuius tamen non meminit Dioſcorides, quo te tuearis, atq; illud in mea Lonchitide multo acutius eſt. Tuum ergo illud obtuſum acumen merebitur nomen lanceolæ, meum acutius non merebitur? iniquum id*

LONCHITIS MATTHIOLI.



LONCHITIS MARANTÆ.



*certe. Imponam iam finem hiſce de Lonchitide diſputationibus. Satis enim multis argumentis oſtendi meam plantam eſſe ſimilem foliis Aſpleno, hac tamen maiora & aſperiora, ac magis diuiſa. Contra tuam demonſtraui nec folio eſſe ſimili, nec maiore, nec aſperiore, nec magis diuiſo. Iudicet æquus lector, vtra ſit vera Lonchitis aſpera, non modo ex prædictis, ſed ex ambarum plantarum imaginibus, quas hic appingi curauimus vna cum Aſpleno, cui diſſectum cultello folium in ſiniſtro latere addidimus, vt palam magis intuentibus ſit, quam belle id Lonchitidem noſtram referat, vbi profundius ſcindatur. Atqui non eam ob cauſam vtriuſque Lonchitidis imaginem hic appingere placuit, quod ex earum inſpectione vel tactu quiſpiam, de earum aſperitate, villoſitate ve indicare debeat. ſed vt ex earum facie, quilibet æquus index, ſibi viuas conquirere poſſit, qui ante eas non viderit, & ex illis rectum ferre iudicium. Sed hactenus de his. quæ tamen non ſuſtinendæ meæ opinionis gratia, ſed indagandæ veritatis ad te ſcribo: pro qua non ſolum, vt tuipſe tua in Epiſtola inquis, debet quiſpiam nihil fictum, nihil ſimulatum proponere, ſed (vt ego puto) ad mortem vſq; certare: quinetiam cuiuis amicitiæ, conſanguinitati, cæteriſq; animi affectibus præponere. Veritate nihil pulchrius, nihil amabilius: Cuius cauſa etiam colaphis, & calcibus cædi non indecorum ſit: nedum verborum contumeliis inceſſi. Theſauro hoc nihil nobilius præſtabiliuſq; diuina prouidentia mortalibus conceſſit. Ac Sole potius nobis & igne, & aqua carendum eſſet, quam veritate. Sed iam ad album Chamæleonem me confero, in quo ne mihi iniuriam feciſſe videaris, vt quidam fatentur, te ipſum ac etiam me pluribus excuſas argumentis: quorum ſi meminiſſes, dum ea, quæ in Commentariis illis tuis contra Chamæleonem meum ſcribebas, facile calamum tantiſper ſuſpendiſſes, quouſq; dulciora ſuccurriſſent argumenta, quibus mecum ageres. Quinetiam non fuiſſet tibi opus tam multis nunc tuam declarare ſententiam, ſi ea in memoriam reuocaſſes, quæ ſcripſeras lib. & cap. primo tuæ Methodi, vbi plantam rem variam ac multiplicem eſſe fateris, & vnam ac eandem plantam pro locorum ac regionum natura atq; etiam alias ob cauſas fortaſſe nobis ignotas, variis quidem oriri modis, & hanc tantum ob cauſam (vt paulo ante dixeras) certam Methodum in deſcribendis plantis inuenire non potuiſſe Theophraſtum. Nec etiam operæprecium fuiſſet, vt hic eadem vtereris excuſatione, qua antea etiam vſus es, cum dicebas, non*

Aſpleni folium diuiſum cultro quam maxime Lonchitem referens.

Albi Chamæleonis examinatio.

verba

*verba ſcribentis, ſed mentem eſſe æſtimandam. Sed neſcio, quo pacto hæc vera eſſe intelligas, cum nihil ſit, quod magis internã animi voluntatem palam faciat, quam verba. Facile aliorum verba ſcriptaq; exploramus ac intelligimus, ſed qui eorundem internas animi voluntates agnoſcat, præter Deum habeo neminem. Ideoq; infirma ſatis apud me hæc tua excuſatio eſt, vtinam apud alios valere poſſit. Naſcitur planta, a qua imago illa mea delineata eſt, in Iapidia & Iſtria montibus, vbi nuſquam plantam, albo Chamæleoni noſtro congenerem videre licuit, quæ plures, quam vnum Echinum ipſumq; magnũ, proferret. Oritur is è ſumma ſtatim radice, è quodam ſingulari ipſius proceſſu, quod in imagine noſtra videri nequit, ob folia quæ anteriori parte ad radicem inuerſa, ipſum operiunt. Id atteſtari facile poterit Georgius Liberalis Pictor, qui ex integra & viua planta, non ex mutila (vt tu ſuſpicari videris) meam delineauit imaginem. Vtinam Pictor alter Venetus, cui mẽs ãnis & Piſtacii ramuſculũ delineandum dederã, tam ſedulus fideliſq; atq; Georgius fuiſſet. Ille enim Goritia Venetias profecturus ſuſceptas a me plantas in itinere amiſit. Quapropter veritus, ne ipſius ægre ferrem negligentiam, ſi id reſciuiſſem, reuocata in memoriam harum plantarum facie, illas memoriter delineauit, & excidendas curauit, non ſine magna animi mei indignatione. Sed vt redeam vnde diuerteram, ego quidem, etſi Chamæleonem album, tot in radicis ſummitate proceſſus habẽtem, nuſquam conſpexerim, tuam tamen haudquaquam impugnabo fidem. Quippe quod quemadmodum in corporibus noſtris videmus, non parum ſæpius variare naturam in partium poſitione, præſertimque vaſorum ac neruorum, adeo vt facile reperiamus hunc plura habere vaſa arteriaſve, illũ vero pauciora rarioraque: eodem ſane modo quam plurimas haberi plantas non ambigo, quæ etſi vni tantum generi aſſignentur, variant tamen quandoq; figura, quandoque colore, nonnunquam partium numero & quantitate. Verum non ob id negauerim plures (vt tu recte putas) me dediſſe plantarum imagines, quæ è ſiccis plantis ad me tranſmiſſis delineari curauerim, ſed affirmauerim etiam, quod aqua egelida maceratione contractas a ſiccitate rugas adeo in iis extenderim, vt hac ratione rediuiuæ & parum admodum à viridibus diſtantes viderentur. Poſſem ego par pari referre, ſi dicerem album Chamæleonem tuum, Dioſcoridis Chamæleonem non eſſe, quod illi hæc planta, è media radice ſine caule ſuum proferat echinum, tua vero à radicis ſummitate plures emittat proceſſus, quorum ſinguli ſingulum echinatum capitulum proferant. Sed cum plures eſſe cauſas, non ignorem, quibus tanta fiat in plantis varietas, ab hac impugnatione lubens abſtineo. Tuum autem iudicium, quod illa Fuchſii imago rectius, quam noſtra Dioſcoridis Chamæleonem album exprimat, parum ſane moror, cum æquos iudices ſciam non defuturos, qui ſententiam hanc tuam iudicabunt. Sed hæc omnia tibi quam libentiſſime condono, vt noſtra conſeruetur amicitia. Cæterum cum Chamæleo albus nigrum mihi in mentem reuocarit, dicam ingenue quid de illo tuo ſentiam. Sed antea recenſebo, quæ contra meum habeas argumenta. Inquis itaq; lib. ſecundo, cap. ſeptimo tuæ Methodi, vbi quandoq; pro regionum natura variari plantas ſcribis, me non parum in nigro Chamæleone aberrare, quippe qui, vt probarem alteram Carlinam nigrum eſſe Chamæleonem, non obſtare opinioni meæ dixerim, quod in Italia hæc Planta venenata non ſit, vt ex Galeno eſſe deberet, ad regionem confugerim, ratus ſane quod quanquam fortaſſe in Græcia & Ponto niger Chamæleo, venenoſus reperiatur, fieri tamen poſſe, vt in Italia ſit ſalutaris immutata natura, vt in Perſea arbore, Aro, minori Chelidonio & quibuſdam aliis plantis, hac tantum de cauſa immutari natiuas proprietates non ignoramus. Ac vt non ſine ratione hæc dixiſſe videaris, ſententiam hanc noſtram acceptari poſſe ais, ſi non vna hæc tantum nota, ſed etiam cætera conſentirent, quarum cum nulla ſit in nigro Chamæleone, quæ illum legitimum faciat: me tandem in errore verſari concludis. Sed vt hoc etia magis probes, inquis (neſcio quomodo) quod nec folia, nec caulis, nec radix, nec ſapor, nec magnitudo, nec echinatum capitulum conſentiunt, Carlinam alteram nigrum eſſe Chamæleonem. Sed quid facis Maranta? an non vides in altera Carlina folia Scolimo minora, tenuiora, & rubro colore infecta? Caulem dodrantalem, vel paulo longiorem non conſideras? Radicem exeſam, ſubnigram exterius, interius ſubflaueſcentem non aſpicis? Saporẽ nõ guſtas? Miror ſane quod Clariſſimus ille Ghinus præceptor tuus pro raphano mandi has radices cum acetariis ſæpiſſime aſſerere ſolitus ſit, & cætera adeo ſenſibus pateant, vt nihil ſit, quod nigro non correſpondeat Chamæleoni, præter echinatum capitulum, de quo etiam plura dici poſſint, audeas tu his omnibus contra dicere. His accedit, quod hæc planta in campeſtribus ſiccis & cliuoſis tractibus (vt Dioſcorides inquit) proueniat. Sed nolo pluribus meam cauſam defendere, ne videar contentioſe rem agere. Dicam tamen, quæ mihi nigri tui Chamæleonis plantam contemplanti, ſeſe offerunt recenſenda. Imprimis enim dum eius vmbellam examinandam mihi propono, eam quidem potius aculeatorum capitulorum globum, quæ improprie ſiliquas a te vocatas cenſeo, quam veram vmbellam repræſentare puto. Folia deinde rubro colore variata non ſunt. In caule nulla apparet rubedinis nota, nec manſa radix acredinis tantillum relinquit. Adde quod (vt Dioſcorides inquit) exeſa non ſit quinetiam nec caules digitali craſſitudine videantur. Quo fit, vt hiſce deficientibus notis, non ita facile conſentiam hunc tuum Chamæleonem*

ASPLENVM.



Apil & Piſtaciæ figura.

Naturã in partium poſitione plurimum variare.

Chamæleonis nigri examinatio.

Catalinæ alterius radices in acetariis.

*genuinum dici debere. Nec propterea meum adeo me probare velle ſcias, vt ſi alia mihi ſeſe offerat planta, quæ magis genuinum referat, quam meum & tuum, nolim veritati acquieſcere: ſed quod (ni fallor) plures fortaſſe ſint in meo notæ, quæ legitimo correſpondent. Fateor quidem vmbellam illam quanquam non explicatam addere tuo Chamæleoni neſcio quid authoritatis, ſi tamen cætera conuenirent, nec eſſent, quæ adhuc in dubium vocari poſſint. Dico tibi ſententiam meam pro iudicii mei ratione. Quid enim tam liberum eſſe debet, quam ſuũ vnicuiq; de re quacunq; iudiciũ? Opinionum porro inter amicos diſſenſio aliqua aliquando eſt, voluntatum vero nunquam. Præter hæc cum non ſolum in prædictis me offenſum a te plurimi iudicent, nec de his mihi te excuſes, ne fortaſſe ſi ſilerem, cenſerent iј me eos fateri errores, de quibus modo clam, modo palam me arguis: præterire nunc nequeo, & veritatis propalandæ cauſa & noſtræ tuendæ dignitatis, quominus de his aliquid hic etiam dicã.*

Obiectio de Oxyacantha diluitur.

*Sũ itaq; imprimis demiratus, ꝙ in Oxyacantha me non parũ aberraſſe putes, quoniã pro Oxyacantha fruticem nõ arborem ſtatuerim, quũ tamen planta, quã ego notis omnibus adſtipulantibus Oxyacanthã eſſe ſtatui, arbor ſit non frutex, vt in agro noſtro Senenſi & Tergeſtino, quinetiam in Iapidiæ ſyluis, in Bohemia, Morauia, Vngaria ac Germania videre quiſpiam poteſt. Namq; hiſce in locis frequentiſſime viſuntur Oxyacanthæ arbores, quæ & ficus & oleas, & quandoq; pyros, ac quercus proceritate & caudicis craſſitudine ſuperant. Id cum non ignoraſſet Clariſſimus ille Lucas præceptor tuus, velletq; probare contra ſententiam meam (vt facile, ſi parumper memoriam refricabis, meminiſſe fortaſſe poteris) hanc arborem non eſſe Oxyacantham, ſed aliam quandam a ſe inuentam: hoc contra me habebat argumentum, nimirum quod noſtra Oxyacantha viderit plantas ſylueſtribus pyris longe maiores, cum tamen Dioſcoridis teſtimonio, minor Oxyacantha eſſe debeat. Quo fit vt neſciam qua ratione tam inſignem arborẽ fruticem feceris. φρύγανον enim Theophraſto lib. 1. de plãtarũ hiſtoria ab radice, caudice multiplici, ramoſumq; ſe attollit, vt Rubus & Paliurus, id quod niſi rariſſime in noſtra videtur Oxyacantha. Quæ quanquam quibuſdam in locis, vt cæteris ſylueſtribus arboribus pro ſoli & cœli natura euenire videmus, aliquando pumila videatur, plurimũ tamen ſimplici caudice, ramoſoq; & haud facile diſſolubili ſpectatur: quæ propria (Theophraſti ipſius teſtimonio) arboris ſunt notæ. An quis dixerit, contra Dioſcoridis ſententiã, Lentiſcum, Myricam, Liguſtrum, Cornum, Salicem, Myrtum, quod frequentiſſime fruticoſæ caudiceq; multiplici ſpectentur, ob id non eſſe arbores? cum tamen & Dioſcoridi, & Theophraſto arbores ſint, nec aliam ob cauſam fruticent quam cœli & ſoli natura. At tu cum fortaſſe aliquibus in locis Oxyacantham noſtrã fruticare ſpectaueris, eandem in vniuerſum arborem eſſe negas. Si vero latius, vt nos, Europã quandoq; peragraueris, ac Vngariæ, Bohemiæ, & Germaniæ ſyluas, explorauerіs, mihi quidẽ verendũ non eſt, quin hanc ſis reuocaturus ſententiam.*

Amperlum.

*Probarem nunc Amperlum meum, genuinam eſſe Oxyacantham, niſi id antea ſatis ſuperq; præſtitiſſem in meis in Dioſcoridem Commentariis.*

Cenſura de Lepidio & Iberide exploditur.

*His deinde accedit tua de Lepidio & Iberide cenſura, quæ non parum clam me mordet. Damnas enim eorum ſententiam, qui duas haſce plantas vnam tantum exiſtimant, quique caput de Iberide tanquam ſuperuacaneum e primo Dioſcoridis libro reſecãdum præcipiunt. Atque vt hæc non temere dixiſſe videaris, eos non ita libere hoc pronunciaturos fuiſſe affirmas, ſi quæ capite de Draba habentur, animaduertiſſent, cum hanc velit Dioſcorid. folia habere Lepidii, ſed molliora & candidiora. At cum nulla ſit foliorum conuenientia inter Iberim & Drabam, quod huic lata ſint, illi vero anguſta admodum & Naſturtii modo inciſa, nulla prorſus dubitatione eos omnes, qui ita ſentiunt, in magno verſari errore exiſtimas. Cæterum cum ego vna cum illis in ea perpetuo ſim ſententia, quod apud Dioſcoridem Iberis & Lepidium nihil inter ſe differant, & ea de cauſa Iberidis caput ex primo Dioſcoridis libro reſecandum eſſe ſcripſerim, non poſſum ſane prætermittere, quo minus ſententiam meam, quam veram eſſe non ambigo, euidentiſſimis tuear rationib. Quod autem Iberis & Lepidiũ vna & eadem ſit planta, teſtatur inprimis Galen. decimo de Compoſitione med. per genera, ante & poſt Iambica illa carmina, quæ de Iberide ſcripſit Damocrates. Deinde hoc idem ante ipſum ſcriptum reliquit Archigenes & Hygicenus Hipparchus: quos poſtea ſecutus Paulus Ægineta Lepidium ſcripſit aliquibus Iberida appellari. His accedit Dioſcorid. authoritas, qui Lepidium herbulam, non herbam eſſe ſcribit. Id quod manifeſto palam facit, Lepidium foliis eſſe paruiuſculis ac gracilibus, non autem latis ac longis, vt in noſtra viſuntur Draba.*

Drabæ ſiue Arabis caput Dioſcoridi adulterinum.

*Sed magis demiratus ſum, quod tu, qui tam diligentem in Dioſcoride examinando te præſtitiſti, non animaduerteris, Drabæ caput multis ſane argumentis eſſe Dioſcoridi adulterinum. Nam ſi huiuſce plantæ nomenclationem expendamus, illã quidem facile coniiciemus (vt Marcellus recte animaduertit) nec Græcam eſſe, nec Latinam appellationẽ. Deinde cum nec apud Galenum, nec apud Oribaſium, Paulum, Aetium, aliosq; Græcos autores quicquam de Arabi Drabave ſcriptum reperiatur, hic facile coniici poteſt, Drabam Dioſcoridi eſſe adulterinam. Adhæc & illud, rem ſic ſe habere, maxime arguit, & ab aliquo Dioſcoridi additã eſſe Drabã, ꝙ bis in Græco exemplari manu ſcripto lib. 2 habeatur, tum ſtatim poſt Thlaſpi, tum etiam poſt Glaſtum ad libri calcem intruſa: ſed iſthic Arabis appellatur, & alias iſthic de ipſa traditur etiam iiſdem verbis, vt nec de nomine, nec de re ſatis conſtet, maxime cum apud nullum alium ſcriptorem, neq; Drabæ, neq; Arabis mentio fiat. Poſtremo ſi Draba, Arabis Dioſcoridi legitima eſſet, cum ipſe Lepidium tenuem pumilamq; ſtatuat herbulam, perſuadere quidem ſibi quenquã haudquaquam crediderim, Drabæ Lepidii folia tribuiſſe Dioſcoridem. Quo fit, vt recte docteq; ſentiant, qui Iberidis caput ad primi libri calcẽ Dioſcoridi acceſſorium putant.*

Obiectio in altera Acacia diluitur.

*Porro ad ea quæ de ſecunda Acacia aduerſum meam habes ſententiã, dicam ingenue ꝙ tota plantæ ipſius facies pro ſeipſa pugnat. Nec mihi obſtat, ꝙ Neapoli vere floret & fructum ferat æſtate. Etenim præter id, ꝙ pro cœli & ſoli natura vna & eadem planta hic citius, illic ſerius fructum proferat, accedit Plinii autoritas, quippe qui ſcribat lib. XXIIII. cap. XII. vtriuſq; Acaciæ ſemen colligi Autumno quod ante collectum nimio validius habeatur. Quæ verba ſi recte perpendantur facile quiſpiam hic colligere poterit ante Autumnum fructũ proferre Acacias, ſed quòd is non legatur in æſtate propter nimiã eius adſtrictionem, niſi cum tractu temporis Autumno miteſcit. Quo fit, vt ſcripſerit Dioſcorid. Acaciam hanc fructum ferre Autumno ꝙ eo tempore decerpi ſoleat.*

Aſpalathus.

*Hanc autem eſſe Aſpalathum, hac tantũ ratione, quod eam Spalatrum vocet Græcorum vulgus non ita facile crediderim. Quippe (vt Plinius inquit capite XIII præſcripti libri) plura ſunt ſpinarum genera, quibus Aſpalathi nomen inditum eſt. Ideoq; longe magis periculoſum eſſe puto in cognoſcendis cenſendiſq; plantis vulgaribus, vti nomenclaturis quam aliis euidentioribus notis: quum plurimæ habeantur plantæ quæ ob adulterinas nomenclaturas multum negotii rei herbariæ ſtudioſis faceſſunt. Qui autẽ alterius Aſpalathi faciẽ ſcripſerit neminẽ habeo, nec qui dixerit vnquam idẽ Aſpalathũ*

ſemen in

*ſemen in ſiliquis proferre, Acacia modo. Quo fit vt neſciam, nec videam, qua ratione Acaciam alteram noſtrã Aſpalathum alterum faciam. Hac abs te, mi Maranta (ſi veritatem fateri debeam) haud quaquam agre feram. Nam cum te tanto veritatis ardore affectum eſſe cognoſcam, & in ea promouenda occupatum, mihi quidem aliter perſuadere non poſſum, quam quod hac ipſius tantum veritatis Zelo publice edenda curaueris, idq; feceris tuo ipſius genio perſuaſus, vtpote, qui proculdubio cenſebas ſententiam tuam longe magis, quam meam ad veritatem cognoſcendam, conferre poſſe. Atqui cum ego in eadem opinione iam conſenuerim, eſſem quidẽ iis ſtudiis, quibus me totum iam diu, applicui, omnino indignus, ſi vel amicorum, vel maiorum, vel etiam mei ipſius cauſa ab hoc propoſito deficerem. Ideoq; ſi nulla animi perturbatione, & tuas, & caterorum ab opinione noſtra diſſenſiones aquo ſane animo accipio, non eſt vt poſthac putem, te mihi ſuccenſere, ſicubi pariter a te diſſentiam. Nam cum hanc ob cauſam a meipſo etiam diſſenſerim, & ob id plura in commentariis noſtris emẽdauerim, ac etiam in poſterum emendare augereq; decreuerim, nec mihi ipſi pepercerim: non video, quamobrem aliorum errata retegere non debeam (ſi tuam ſequi debeam ſententiam) citra vllam amicitia iniuriam. Hoc non ſolum nulla dubitatione hactenus te feciſſe, ſed etiã in poſterum facturum eſſe, ex tua hac epiſtola animaduerto, cum non parũ in illos inueharis, qui potius amicis blandiri adulariq; ſtudent, quam iis veritatem declarare, & eorũ errata retegere. NAM QVID TVRPIVS (inquis) ESSE POTEST, QVAM CVM AMICO IN IIS REBVS VELLE CONSENTIRE, QVAS ALITER ESSE QVISPIAM SENTIAT, AC VIDEAT? AVT QVÆ MAIOR PESTIS IN AMICITIA ESSE POTEST, QVAM ADVLATIO, BLANDITIÆ, ASSENTATIO? Hoc vt clarius exponas, addis fidelis bonique ſcriptoris eſſe munus, vt VERITATEM, QVAM PVTAT APERTAM INGENVE, AC LIBERE EXPLANET, NIHIL FICTVM, NIHIL SIMVLATVM PROPONAT, SED IN SOLA VERI INQVISITIONE ATQVE INVESTIGATIONE ITA LABORET, VT NON TANTVM ADVERSARIVM CONVINCERE, SED VERITATEM IPSAM, QVÆ IN PRIMIS EST HOMINIS PROPRIA, INVENIRE, AC INVENTAM ILLVSTRARE STVDEAT. Aſſentior in hoc tibi, mi Maranta, ſi modo hoc fiat fraterne, ſimpliciter, ſyncere, & citra vllam oſtenſionis notã. Sed ſi hac omnia cum amicis ſeruanda ſunt, conſiderandum eſt, an publice & in conſpectu omnium, tam amicorũ, quam inimicorum, an priuatim & ſecreto amici admoneri debeant. Hac ſi recte ſancteq; iudicabimus, facile cognoſcemus, ſynceri veriq; amici eſſe munus, vt clam de erratis amicum cõmonefaciat, nec vnquam publice ab eo diſſentiat, quouſque is tanti beneficii vtilitatem ſpernere videatur. Hoc ſi fecerit, ne Reſpublica, & futura poſteritas defraudetur, veritaſq; occultetur, liceb it cuiquam poſthac publice, vel ab amicis quibuſcunq; diſſentire. Hac ſi fierent, non vereor, quo minus quam plurimi reperirentur, qui ab edendis aliorum erratis abſtinerent. Quandoquidem ſi antea, quam id agerent, audirent, qua contra afferri poſſent argumenta, ſape euenire poſſe, non ambigo, vt qui in alium ſcribere eſſe parati eſſent, eadem in re ſe hallucinatos agnoſcerẽt, in qua illum aberraſſe cenſebant. Quo poſtea fieret, ne tot lites, tot diſſenſiones, tot inimicitia inter ſtudioſos quotidie orirentur. Sed hac ambitio facit, quam veritatem interpretamur. Rogas tu quidem, vt ſi quid tuo in libello, quod minus placeat, adnotauerim, vel à veritate ipſa abhorrere mihi viſum fuerit, id tibi per priuatas literas amice (vt ſoleo) ſignificare velim. Sed neſcio qua ratione id a me velis, nec qua authoritate alios publice arguere tibi licere putes, te vero clam & priuatim admoneri petas. Vellem ſane, mi Maranta, ſi poſſem etiam in hoc gratificari tibi: ſed quo pacto, qua mea non ſunt, abſq; aliorũ dãno tibi condonare poſſem, nulla quidem mihi ratio ſeſe offert. Condonaui tibi ex animo, qua non parũ fidem, honorem, & dignitatẽ meã offendebant, ꝙ hac ad me tantum ſpectarent: ſed qua ad Rempublicam ſpectant, tibi, vel alteri condonare nequeo. Nam qua publice edita ſunt, & ad Respublica vtilitatem ſpectant publicis etiam defenſionibus, & annotationibus indigent, vbi a quopiam claudicare deprahendantur. Sequar itaq; ego in hoc inſtitutum tuũ, ne (vt tuis verbis vtar) ſi dum amicis obblandirer, id cœlarem, quod pracipue a cateris expetitur. Poſſem & catera, quibus ibidem tuam tueris ſcribendi libertatem hic in meam trahere ſententiam, ſed cum ea legi debere in Epiſtola tua, ab omnibus mihi perſuadeam, illa omnia nunc lubens pratereo. Legi itaq; librum tuum a capite ad calcem, non ſolum vt viderem in quibus à me diſſentires, ſed quod ea lectione (ita me Deus amet) plurimum delectarer, & ſemper inde doctior recederem. Sed quemadmodũ in pratis & viridariis, inter roſas, & amœniſſimos flores, & tribuli, & cardui oriuntur, qui legentiũ manus ſapenumero offendũt, ita pariter tuo in illo viridariolo pauca quadam offendi, qua mentem & intellectũ meum pungebant. Primum fuit Doronicũ, de quo maxime miratus ſum. Nam cũ omnium conſenſu, id non parua ſit praditum facultate, ad omnes cordis affectus, aduenenatos quoſcunq; ictus, ad epota venena, & peſtilentes quoſcunq; morbos, obſtupui ſane, quod illud in atrociſſimum ocyſſimumq; permutaueris venenũ, nempe in Aconitũ, ꝙ a Pardis necandis Pardalianchen Graci vocant. Sed longe magis perturbatus ſum, quod in refellendo Galeno tantopere te occupatũ inuenerim, quod de Aconito illo ad tuã cõprobandam opinionem non ſcripſerit, cum tamen non ſolum Galen. tibi contradicat, ſed omnes quotquot ſunt authores, qui de Aconito Thelyphono ſcripſerunt, cum Galeno conſentiant. Dicis itaq; in primis, vt nouã & ante hac inauditam comprobes opinionem, Aconitũ Thelyphonon, quod Doronicũ eſſe ſtatuis, hauſtũ homines quidẽ minime necare, nec id vſquã a Dioſcoride & Theoph. fuiſſe dictũ ſed quod & oues, & boues, & iumẽta, ac in ſumma quadrupedes omnes eodem die, ipſius Theophraſti autoritate, interficiat, ſi tantum radicula vel folium genitalibus imponatur. Deinde vt tua opinionis augeas argumentum, probare niteris eiuſdem Theophraſti verbis, Thelyphonum hauſtum non ſolum hominibus nihil nocere, ſed plurimum conferre auxilii ad Scorpionum ictus. Quibus etiam addis a Theophraſto Thelyphonum non Aconitum appellari, nec inter Aconita recenſeri. Qua cum contra Galenum eſſe ſtatuas, tibi illico licere putas tam grauiſſimi autoris teſtimonium poſſe haud temere impugnare. Atqui conſideranti mihi & in memoriam reuocanti, qua de Venenis in ſextum Dioſcoridis librum ſum commentatus, nulla ſeſe offert ratio, qua impediat non poſſe homines eo necari veneno, quo boues, oues, pardi, tauri, equi, leones, tigres, vrſi, lupi, elephantes & quadrupedia omnia, quorum plura viribus homines ſuperant. Porro ſi obiicias, fortaſſe reperiri venena, qua etſi quibuſdam ab animalibus deuorẽtur, nihil tamen illis afferant incõmodi, aliquibus vero eadẽ illico necẽ inferant, vt de Sturnis Cicutã comedẽtibus ſcribit Galen. tibi quiſpiã facile reſpõ-*

Doronici examinatio, non eſt Aconitum.

Aconitũ Thelyphonũ Doronicum eſt Maranta.

Aconitum Pardalianches homines aque ac Pardos & Lupos necare.

*debit non valere argumentum, quod hæc ſturnorum tantum non volatilium omnium peculiaris ſit facultas, & in eo tantum veneni genere, quæ nõ propria facultate, ſed calidi vel frigidi exuperantia ſumentes interimit. Sed aliter ſe habet veneni vis, quæ propria ſit facultate animalia omnia necat, quod huiuſce generis venena haud quaquam in alimentum mutari poſſint, vt ea quæ temperamentorum exceſſu venena ſunt, vel eſſe cenſentur, quemadmodum comprobat Galenus, ſturnorum & anus cuiuſdam Athenienſis exemplo, quæ nullo ſuo detrimento cicutam deuorare conſueuerat. Nec valere puto ad tuam ſuſtinendam ſententiam, quod Theophraſtus ad Scorpionum ictus Thelyphonum tuto propinet, cum etiam Cantharidis ad rabioſorum canũ morſus, & Necium ad venenoſorum ſerpentium ictus magno propinentur auxilio. Quæ tamen cum lethalia ſint venena, ſi cuipiam alteri hiſce morſibus non affecto exhibeantur paulo poſt necem inferunt. Cæterum an Theophraſti Thelyphonum non modo potum, ſed genitalibus (vt ipſe inquit) admotum, homines perinde ac quadrupedes omnes necare poſſit, docet nos apertiſſime Plinius, qui lib. 26. cap. 2. de Aconito illo poſteritatis memoriæ hæc quæ ſequuntur ſcripta, reliquit. Sed antiquorum curã diligentiamq́; quis poſſet ſatis venerari, cum conſtet omnium venenoſorum ocyſſimum eſſe Aconitum, & tactis quoque genitalibus fœminei ſexus animalium eodem die inferre necem. Hoc fuit venenum quo interemptas a Calphurnio Beſtia vxores M. Cæcilius accuſator obiicit. Hinc illa atrox peroratio, eius in digito mortuas. Hoc quoque tamen in vſum humanæ ſalutis vertere, Scorpionum ictibus aduerſari experiendo datum in vino calido. Ea eſt natura vt hominem occidat, niſi inuenerit quod in homine perimat. Cum eo ſolo colluctatur velut pari intus inuento. Sola hæc pugna eſt, cum venenum in viſceribus reperit, Mirumq́; exitialia ambo per ſe cum ſint duo venena in homine commoriuntur, vt homo ſupereſit. Imo vero & ferarũ remedia antiqui prodiderunt, demonſtrando quomodo venena ipſa ſanẽtur. Torpeſcunt Scorpiones Acõiti tactu ſtupentq́; pallentes & vinci ſe confitentur. Auxiliatur eis Helleborum album tactu reſoluente. Ceditq́; Aconitum duobus malis, ſuo & omniũ. Quod ſi quis illa ab homine excogitari potuiſſe credit, ingrate Deorũ munera intelligit. Tangunt carnes Aconito necantq́; guſtu earũ Pantheras, niſi hoc fieret, repleturas illos ſitus. Ob id quidẽ Pardalianches appellauere. Hactenus de Aconito Pardaliãche Plin. cuius verba ſi recte expendas, non magno ſane negotio cognoſces claudicare in hoc ſententiam tuã, cum de ipſo tantum Thelyphono Theophr. hæc ſcripſerit. Plin. Hæc, inquã ſi expenderis, non parua ſane iniuria te Gal. affeciſſe fateberis. Quippe qui lib. 6 de ſimpl. med. fac. Aconitũ Pardaliãchen, inquit putrefaciẽdi fac. obtinere, & lethale eſſe medicamentũ: ideoq́; in cibo potuq́; fugiendũ. Prætereo Dioſcor. Pauli, Aetii, & Auicennæ teſtimonia, quæ tibi maxime aduerſantur, cũ notiora ſane ſint, quã a nobis deſcribi mereãtur. Nã hi omnes inter venena huiuſce Aconiti meminere. Nec placet deinde quod ſcripſeris non aliã ob cauſam huiuſce Aconiti meminiſſe Dioſcor. quam quod palã faceret eo necari Pantheras, Lupos & cætera quadrupedia, quæ illud deuorarint. Siquidem cum nonnullæ ſint animaliũ horum partes, quibus ad varios morbos vtimur, affirmas hanc doctrinam exiſtimaſſe Dioſcor. non fore Medicis inutile quod obiecto quadrupedibus hiſce feris Aconito vna cum carnibus ſine alio venationis negotio ea cõſequi poſſent. Atqui docere Medicos hæc animalia veneno interficere, vt poſt hæc eorũ partibus vtantur ad morbos profligandos, ab omni prorſus ratione videtur alienũ, cũ animalia a ſerpentibus icta vel veneno interempta vbiq́; corrumpantur. & præſertim vbi Aconitum deuorauerint, cui magna vis ineſt putrefactoria: quemadmodũ & cæteris quæ propria facultate ſumentes interimunt. Quo fit vt canes, qui cadauera veneno interempta vorauerint, in rabiem agantur. Proinde animalia quæ in vſum Medicũ trahenda ſunt haudquaquã veneno necari debent. Ego vero cum mihi perſuadeã hoc haudquaquam ignoraſſe Dioſcor. id nullam aliam ob cauſam eum manifeſtaſſe cenſeo, quam vt tam noxia pecori, hominiq́; animalia facile e medio tollerentur, & ne eorũ excreſceret numerus. In qua ſententia me maxime confirmat Plin. vtpote qui loco ſuperius citato inſici carnes Aconito ait Pantheris obiiciendas ne ſitus ac regiones illis replerentur. Poſtremo ſi noſtris argumentis acquieſcere nolueris, quod tamen difficile crediderim, quod non ambigã te hominem eſſe rationabilẽ, facito huiuſce noui Aconiti periculũ. Hoc ſi feceris, illico proculdubio in noſtrã concedes ſententiã. Nam etſi ſexcentos vulgarium Doronicorũ modios hoc in negotio conſumpſeris, nunquam tamen Pantheras vel Lupos necabis. Canis meus deuorata Doronicorũ ſeſcuncia longe alacrior factus eſt. Adhæc quod legeris Mauritanorũ Doronicũ ex tertio eſſe excalfacientiũ & ſiccantiũ cenſu, eandem temperamenti naturãtuum habere ſcribis: quod fortaſſe putes Doronicũ, de quo Arabes ſcripſere, nihil a vulgari noſtrate differre. Sed aliter rem ſe habere maxime pollicetur guſtus. Nulla enim alia in eo percipitur qualitas, quã mediocris dulcedo omni prorſus acredine vacans. Cuius tamen dulcedinis nullus eſt inter Arabas, qui meminerit. Præter id non parum in Cneoro a te diſſentire cogor, quod cũ quibuſdam cenſeas, Theophraſto nil aliud deſignare Cneorõ, quam Thymelæã & Chamælæã. Nam Thymelææ præter id quod nuſquam folia odorata ſunt, ſed potius ſi digitis fricentur viroſum odorẽ reddant radix grandis non eſt neq́; alte deſcendens, quemadmodũ nec Thymelææ. Nec humi Chamælæa procumbit nec floret poſt æquinoctium Autumni, ſed vere ipſo inchoante. Adhæc Cneoron nigrũ, quod Thymelæã eſſe arbitraris folio eſt Myricæ, quod quantum a Thymelææ folio abſit, id facile tu iam diiudicare non ambigo. His altera accedit ratio, quod nullum ſit inter Thymelæã & Chamælæam coloris diſcrimen, quo nigra altera appellari debeat altera vero alba. Deinde Cneori folia olim in coronis veniſſe teſtatur Plin. Id quod maximo eſt argumento, vt non alia de cauſa quam odoris coronas ex Cneoro paraſſet antiquitas. Hinc fit, vt mihi perſuadeam Caſiam nil aliud Vergilio in Bucolicis deſignare, quam Cneoron. Ibi enim non de Caſia arbore ſcribit Vergilius, ſed de herba odorata, quæ a Naiade in corollis nectebatur, vt facile teſtatur hoc carmen.*

Plinius de Aconito.

Galenus defenditur.

Animalia, quæ in uſum Medicũ veniũt, haudquaquã veneno necanda.

Doronicũ non eſſe venenoſum.

Cneorum nec Thymelæã, nec Chamælæã eſſe.

Caſia Vergilii eſt Cneoron.

Tum Caſia atq; aliis intexens ſuauibus herbis.

*NAM & Iginus (vt Plin. eſt autor) Cneoron Caſiam vocat. Atqui tu haud recte, quantum video, Cneoron Caſiam a Theophr. vocari ais, cum id fecerit Gaza Theophraſto neſciente. Præterea cum antiquorũ omnium cenſu Gnidium granum e Thymelæa proueniat, putandum mihi non eſt, id ignoraſſe Theophraſtum, qui ſi nouiſſet Cneoron eſſe Thymelæam cum diligenter admodum Cneori hiſtoriam deſcribat, non poſſum adduci ad credendum, quin de Cneori baccis ibi aliquid meminiſſet. Meminit tamen is Gnidii grani, lib. 9. vbi nihil præter de Cneoro ſcriptũ reliquit. Cæterũ non negauerim, ob id Dioſcor. Thymelæam, & Gale. lib. 9. cap. 11. de cõpoſitione medicamentorum per genera, Chamælæam appellari. Sed e cõtra affirmauerim, Theo-*

Gnidium granũ

*Theophraſti Cneoron a Galeni & Dioſcoridis Cneoro plurimum diſtare. Has Cneori differentias proculdubio nouit Plinius, quippe qui Galeni & Dioſcoridis Cneori meminit, libr. 23. cap. 21. & in hoc Gnidium granum oriri ait. De Theophraſti vero Cneoro egit lib. 21. cap. 9. inter odoratas plantas, quibus ad coronas utebatur antiquitas, & Caſiam appellari Igino ſcribit. Plura enim ſunt plantarum nomina, quæ pluribus conueniunt plantis. Sed cum hæc haud te latere ſciam, ne Mineruam fortaſſe docere videar, pluribus ea declarare non libet. Adhæc in Zingibere maxime tibi refragatur Plinius. Nam vbi tu arboris radicem Zingiber eſſe aſſeueras, ille de Zingibere & Pipere ſcribens, lib. 12. cap. 7. Non eſt, inquit: Piperis radix, quod vocant Zingiberi, alii vero Zingiberi, quanquam ſapore ſimile. Id enim in Arabia & Troglodytica naſcitur regione in villis, paruæ herbæ, radice candida, celeriter ea cariem ſentit, quamuis in tanta acritudine. Id quod pariter teſtantur Luſitani & alii qui iis fuerunt in locis vbi Zingiber naſcitur, & magna colitur diligentia.*

Zingiber nõ eſſe Piperis radicem.

*Sed ad Violas albas Iaſme veniamus. In quibus cenſendis etiam a me apertiſſime diſſentis. Putas enim tu haudquaquam ibi de albis Leucoii floribus intellexiſſe Dioſcoridem, ſed de his, quas vulgo appellamus Gelſomini. Ac quoniam ego ſcripſeram, ſi de vulgari Gelſimino intellexiſſet is, haudquaquam prætermiſiſſet, quo minus de eo alicubi ſcripſiſſet, & hiſtoriam, & vires, cum planta ſit viribus, non obſcuris referta, aperte ſententiam noſtram impugnare videris, cum inquis non eſſe hoc firmum argumentum, cum Dioſcorides multorum ſimplicium mentionem fecerit, nempe Thuiæ arboris, Buxi, Ægyptiæ ſpinæ, Stybii, Amomis, Herculi herbæ, ſylueſtris Lini: Pyracanthæ & nonnullorum quorundam, quorum nec vires, nec hiſtoriam deſcripſit. Idque ea tantum de cauſa feciſſe illum aſſeueras, quod in medicũ vſum hæc nuſquam veniant, & aliis, quam Medicinæ, operibus deſeruiant. Sed neſcio profecto, mi Maranta, quo ſuadente genio hæc ſcripſeris tu, qui tam diligenter in Dioſcoride verſatus eſſe videris, cum Aegyptia ſpina & Stibium in multiplici medicamentorum vſu, ipſi Dioſcoridi habeantur. Sed id ſane magnam in admirationem me duxit, quod viderim te nulla dubitatione affirmauiſſe, Aegyptiæ ſpinæ & Stibii hiſtoriam nuſquam ſcripſiſſe Dioſcoridem, qui tamen de Stibio libr. 5. proprium deſcribit Caput. Ac pariter de Aegyptia ſpina libr. 1. capite de Acacia, quæ nil aliud eſt, quam ſpina Aegyptia quemadmodum declarat ipſemet Dioſcorides his verbis. Acacia in Aegypto naſcitur ſpina inſtar arboris fruticoſa, non ſe in rectum attollens: florem habet candidum, & ſemen Lupino ſimile in folliculis, ex quo fructus expreſſus ſiccatur in vmbra. Spinæ decoctum ſolutos artus fotu committit, &c. Sed quod magis eſt tua ipſius verba contra te pugnare videntur. Nam ſi, vt inquis, Thuiæ, Buxi, Herculi & cæterarum, quas meminiſti plantarum, hiſtorias non deſcripſit Dioſcorides, quod hæc in Medicum vſum nuſquam veniant, neſcio profecto, cur tibi perſuaſeris eadem de cauſa Gelſimini hiſtoriam non deſcripſiſſe illum, cum hoc ad multa vtile habeatur, & ipſemet Dioſcorides ſcribat, Iaſmenum præter id, quod odoris ſuauitatem toti corpori conciliat, ea corpora iuuare, quæ excalfactionem laxationemque deſiderant, & toti corpori conuenire, cum in balneas deſcenſum eſt. Non afferam nunc, in quam multiplicem medicamentorum vſum veniat apud Arabas, quod hæc longe antea te ſcire, non ambigam. Poſſem quidem hic plura recenſere argumenta, quæ me inducunt ad credendum Leucoii floribus, non Gelſomini Iaſmenum paraſſe Perſas, niſi de re hac fuſius diſſeruiſſem, tum in Epiſtolis. Scio Atticis Leucoium appellari Iaſme, quo fit, vt a mea dimoueri non poſſim opinione.*

Gelſmini & Leucoii examinatio.

*Quod vero Dictamnum, vt ſcribis contra Dioſcoridis & Theophraſti ſententiam, non ſolum in Creta naſcatur, ſed in aliis etiam regionibus, non tibi facile concedo. Nam tametſi ex ſemine e Creta allato Piſis, in horto Ghini prouenerit Dictamnum, id tamen nil Theophraſto & Dioſcoridi detrahit, quum illi de Dictamno ſponte proueniente ſcribant, non de ſatiuo, cuius ſemen e Creta fuerit allatum.*

Opinio, quod Dictamnum alibi, quam in Creta proueniat: explosa.

*Plinium poſt in Perſica arbore ſequutus, vna cum illo implicatus videris: quippe qui dicas Perſicam arborẽ in Aegypto & locis proximis fructificare, quanquam in Rhodo vſque ad florem duntaxat deuenit. Hæc enim de Perſea Aegyptia intelligenda ſunt non de Perſica noſtrate, qua Rhodus vbique abundat fructu noſtrate, longe fortaſſe maiore ſapidioreq́.*

Perſeam a Perſica differre.

*Quinetiam in Myrrha a te diſſentire cogor, vbi Myrrham tenes, non eſſe odoratam, niſi fortaſſe incenſa ſuffiatur, quemadmodum & Thus & Agallochum, quæ tamen mihi diligentius expendenti, etſi non vrantur, apertiſſime odorem reddunt. Atqui Myrrham quoque eſſe, per ſe odoratam, id maximo eſt argumento, quod ſtacte, quæ Myrrhæ tantum pinguitudo eſt, adeo ſit odorata, vt eam per ſe tantum nullo addito odoramento, vnguentum facere ſcribat Dioſcorides. Neque aliam ob cauſam Myrrham in vnguento Amaracino, Cinnamomino, Malabathrino, Irino, Cyprino & aliis nonnullis addebat antiquitas, quam odoris conciliandi gratia. Id quod facile comprobatur ipſius Dioſcoridis teſtimonio, in vnguenti Nardini apparatu, vbi ſic habet. Iuncus odoratus ſpiſſamẽti gratia adiicitur, ſicut propter odoris ſuauitatem, Coſtus, Amomum, Nardus, Myrrha, Balſamũ, & in Cinnamomi cõfectione laudatur, inquit, non acre, molli odore Myrrham redolens. Id quod etiam aliis in vnguentis repetiit. Nam cum antiqui Moſcho, Ambaro, Zibetoq́ vocato deſtituerentur, Myrrha, Balſamo, Amomo, Coſto, Nardo, Cinnamoq́, ad odorata vnguenta paranda ſemper vſi ſunt. Dioſcoridi ſubſcribit Galenus lib. 1. de Antidotis, vbi mineam Myrrham maxime bene olere ſcribit. Idem libro primo, capite quinto, de comp. medicament. per locos, de medicamentis agens, quæ pilos attenuant, Myrrham eis interponi iubet, vt odoratiora reddantur. Idem præterea reperio poſteritatis memoriæ cõmendaſſe Plinium, quæ tamen in tuæ opinionis teſtimonium affers. Siquidem is lib. 12. cap. 15. Cætero paſſim, inquit, e vulgo coemptã Myrrham in folles conſarciunt, ipſiq́ vnguentarii digerunt haud difficulter odoris atq́ pinguedinis argumentis. Item lib. 13 cap. vbi ea quæ in Nardinam vnguentum veniunt, recenſet. Omnia autẽ, ait, (vnguenta intellige) acutiora fiunt Coſto, Amomo, quæ maxime nares feriunt. craſſiora Myrrha, ſuauioraq́. Et paulo poſt inquit, Myrrha & per ſe vnguentum facit ſine oleo, Stacte duntaxat.*

*Sed & Agallochum eſſe odoratum, etſi minime ſuffiatur, id maximo eſt argumento quod ſcribat Dioſcorides, mandi Agallochum, vel eius decocto os collui commendandi halitus gratia, ea quidem ratione, qua quidam hoc æuo Moſchum quibuſdam confectionibus mixtum cotidie mandunt aduerſus oris graueolentiã. Teſtantur item Agallochũ odoratiſſimum eſſe Luſitani, qui in Meridiem & Orientem nauigant, quique eius viderunt plantas, vt fuſius in cõmentariis noſtris diximus.*

Agallochũ odorem reddere & ſi non ſuffiatur.

*Betonicam quoq́, qua paſſim vtimur in medicamentis hanc odoratam eſſe ſcribis lib. 2. cap. 5. niſi digitis atteratur, cum tamen nuſquam illam integram nec digitis attritam inodoram repererim.*

Betonica.

*Catanances ſubinde radicem improprie in terram flecti & cõtrahi in formam milui exanimati ſcribere videris quod ſcribat Dioſcorides adeo flecti Catananses radicem, vt milui exanimati vngues, non miluum*

Catanance.

*ipſum totum referat. Qui Plinium accuſant, quod Siſymbrium in Calaminthàm mutari ſcribat contra Theophraſti ſententiam, haud recte ( meo quidem iudicio ) faciunt, cum id erroris deprauatæ lectioni non Plinio ſit adſcribendum. Præter id enim, quod in antiquiſſimo Pliniano exemplari legam ego in Mentham, non in Calaminthàm degenerare Siſymbrium, quis non videt Plinium ex Theophraſto tranſcripſiſſe? Quippe Theophraſtus lib. 2. cap. 5. de hiſtoria plantarum, & lib. 5. de cauſis cap. 8. Siſymbrium in Mentham mutari ſcribit, facie vero Calaminthàm referre. Namque facies non immutat plantarum ſapores, neque facultates. Videris in Galiopſi & in Primula Veris, quam quidam herbam Paralyſis vocant, etiam a me diſſentire, ſed cum id abs te fiat infirmis ſatis argumentis, ſat in re hac mea Cõmentaria tibi reſpondere arbitror. Hortenſis Solani fructũ nigricantem aut fulueſcentem facere Dioſcor. cenſes, quod nunquam vere niger, neq; vere fuluus videatur. At ego aliter rem intelligo: cum Hortenſe Solanum modo fructu nigro, modo rufeſcente, modo ex viridi nigricante ſæpiſſime viderim. Supinam tuam verbenacam, perquam libentiſſime ſpectarem, quam non longe a Bitonto Apuliæ a te inuentam ſcribis. Verũ cum Dioſcoride teſte ea ſingulari ramo plurimum conſtare debeat dodrantis altitudine, non ita facile tecum ſentiam, quum tu ramulos plures adſcribas, qui tribuli terreſtris modo humi repunt. Etenim repere hanc nuſquam ſcribit Dioſcorides, ſed ramũ dodrantis altitudine proferre. Eruum ſanguinem per vrinam ducere non poſſe, niſi frequenter copioſeq; ſumatur, tecum ſentio, ſed in eo quod venena non interficiant, nec ſuam ( vt tuipſe inquis ) oſtentent ferocitatem niſi certa quadam menſura accipiantur, prorſus a te diſſentire me cogit ipſa veritatis ratio. Siquidẽ tametſi nonnulla reperiantur venena, quæ niſi certa quadam quantitate pota non interficiunt, vt Cicuta, Meconium, Euphorbium, & alia plura, quæ tantũ venena ſunt ob calidarum frigidarumq; qualitatum exuperantiam, ſunt tamen quam plurima, quæ propria ſua facultate, vel ( vt alii dicunt ) propria forma enecant. Etenim hæc quanquã pauca admodum quantitate ſumuntur, vt vix ſentiantur, tanta tamen eſt eorum malefica atroxq; vis, vt breui temporis ſpatio tantum augeantur dum in ſeipſa corporis humiditatem conuertunt, vt poſtea breui temporis momento ſumentes in necem trahant: Huiuſce claſſis ſunt Aconita omnia, Toxicum, Napellus, & alia id genus plura. Atqui ſi hæc tantum a me ipſo putas excogitata, audi quæſo Galenum, qui lib. 1. de ſemine hoc idem teſtatur his verbis. Qua ratione etiam minima particula humoris lethalium venenorum, quæ deleteria appellant, vbi animalis corpus ingreſſa fuerit totum id momento temporis immutat, ſibiq; ſimili affectione alterat: non ſecus fit curatio, quæ per venenorum remedia & antidota adhibet, &c. Et lib. 5. cap. 19. de ſimplicium medicamentorũ facultatibus. At medicamenta, inquit, quæ tota eſſentia nobis contraria ſunt, proinde ſi vel minimum eorum aſſumptum fuerit, omnino lædat neceſſe eſt. Item lib. 3. cap. 22. Medicamenta erodentia, inquit, & putrefacientia, etſi in quantitate minima ſumantur, omnino tamen corrumpunt, quia videlicet quæ putredini obnoxia ſunt calore humiditateq; putreſcere ſolent. Atqui calidus humidusq; ſanguis eſt, itaq; putreſcere nunquam ceſſare poſſunt. Proinde longo poſt tempore etiam a quo ſumpta ſunt, nonnulla interimunt, potiſſimum, quæ craſſa terrenaque eſſentia habentur. Hæc Gal. Quibus palam eſt, vniuerſalem hanc tuam propoſitionem nihil pro te concludere poſſe. Citrii mali corticem & ſemina nulla dubitatione eſſe calida, & eorum acidum ſuccum frigidum vna tecum affirmo, Sed in Ouo non parum a te diſſentio, cuius album contrariam fere vitello facultatem poſſidere ais. In hanc ſententiam me adducit Gal. lib. 11. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, vbi ſic habet. Temperatura porro Ouorum album ſymmetro frigidum eſt: itaq; eo vtendum, non tantum ad oculos, verum etiã ad alia omnia, quæ medicamenta requirunt ſuauiſſima, minimeq; mordacia, vt ſunt vniuerſæ ſedis ac pudendorum vlcera contumacia: ſed iis miſcetur quæ abſq; morſu ea poſſunt deſiccare. Porro & ipſe vitellus aſſimilis eſt naturæ. Hæc ille. Iuniperi baccas & folia, & fraxini etiam frondes ad quaſdam affectiones valere intus ſumpta ſcribis a Dioſcoride doceri, verum ſi vtriuſq; arboris ligni ramenta deuorentur, perniciem afferre. Sed vt priora eſſe vera non ambigimus, ita poſteriora ſuſpecta cenſemus. Etenim cum Galen. Paulus & Serapio, qui ex Dioſcoride tranſcribunt, nunquam huiuſce fabulæ meminerint, nec ratio ipſa conſentiat, non eſt quod prohibeat, quominus credendum ſit, Dioſcoridis codici ſubeſſe mendam, præſertim cum non deſint Græca exemplaria manu ſcripta, in quibus Iuniperi caput vbiq; fere deprauatum legitur. Id quod etiam de Fraxineæ ligni ſcobe cenſendum puto, cum id non affirmet Dioſcorides, ſed ita aliquibus tradi ait. Cæteris hoc adiungere libuit, quod non placeant comparationes, quæ cum ſuſpectis fiunt lectionibus.*

Plinii locus reſtitutus. — Galiopſis & Primula veris. — Solanum hortenſe. — Verbenaca ſupina. — Eruum. — Opinio de venenis exploſa. — Citrii mali qualitas. — Ouorum tẽperatura. — Iuniperini ligni, fraxineiq; ſcobẽ non eſſe venenoſam.

*Hæc itaq; ſunt, mi doctiſſime Maranta, quæ tuo in illo viridariolo ſenticoſa nobis viſa ſunt & inde eruncanda putamus. Atqui tametſi de his meum tibi propalaui iudicium, nolim tamen hæc tanquam ab Oraculo prolata accipias, ſed tanquam ab homine amico, qui non ambitione, non inuidia, non petulantia, non iniuriæ vindicandæ, non tuæ impugnandæ doctrinæ, nec ſuæ promouendæ opinionis cauſa, ſed veritatis propagandæ & iuuandæ poſteritatis ad te ſcribat. Dixi tibi ſententiam meam, quæ vnicuique libera eſſe debet, amicabilibus ſane verbis, pacatiſſimiſque animi affectibus. Quinetiam omni ſepoſita mentis perturbatione, citra omnem inuidiam, & ſermonis aſperitatem, cauſam meam abs te pluribus oppugnatam argumentis, leniter humaniterq; defendi. Sed inuitus ſane ( ita me Deus amet ) & præter animi voluntatem in hanc deueni diſputationem. Inuitus, inquam, quod cum amicis haudquaquam certare ſoleam, quum vix tam leue, humanumque certamen vllum eſſe poſſit, quod aliquid vel læſionis, vel æmulationis non afferat. Atqui omnes, ni fallor, huiuſce facti culpam in te reiicient, qui tuam illam Methodum legerunt, & hanc tuam Epiſtolam intuebuntur. Siquidem vbi animaduertent, quod non ſolum eo in libello & fidem noſtram læſeris, & ſcripta pluribus in locis impugnaueris: ſed quod hac etiam in Epiſtola dum te ab illata mihi iniuria pluribus modis excuſare niteris, tuam tamen opinionem tueris, nec tantillum quidem a priori dimoueris ſententia, imo Epiſtola ipſa ad reſpondendum me prouocas, non vereor, quin illico indicent, tua tantum ipſius violentia me in certamen hoc eſſe adductum. Quanquam autem libelli illius amariuſculis quibuſdam argumentis mihi infenſus iudicareris ab omnibus, id tamen nihil me ad ſcribendum in te mouebat, quod non defuturos ſperarem, qui vel cauſam meam defendendam ſuſciperent, vel de illata mihi iniuria ( vt prudens tuus ille Piſanus ) te admonerent. Sed longe aliter ſe habet Epiſtolæ tuæ argumentum, quippe quod Epiſtola qualibet reſponſum petere videatur. Inhumani enim atque illiberalis animi crimen eſſe putant probi ac ſynceri homines, vbi quiſpiam acceptis literis non reſpondeat. Sed neſcio profecto, an huiuſce facti culpam in te reiicere debeam, an in illos fortaſſe quibus libellum videndũ, examinandum ac emendandum commiſeras, an vero in vtroſq; id erroris reiiciam.*

Porro

*Porro ſi veritatem fateri debeam, doleo ſane plurimum, & tuę, & meę ſortis euentum, quod tua tam male ceſſerit opinio, & cogar ego cum amico certare, ni velim inhumanus, illiberalis, indoctus, negligẽs, dignitatis honoriſq; mei contemptor ab omnibus haberi. Sed quum, vt apprime doctus & eruditus, ita prudens ac pius a me habearis, nihil mihi verendum eſt, quominus hęc omnia amicabiliter ſuſcipias, & certaminis noſtri cauſam abs te ortam agnoſcas. Quod vt facias rogo, atque etiam obſecro, ne noſtris laboribus inuidentes, diſſenſionibus noſtris lętentur. Polliceor tibi, mi Maranta, non modo me nihil vnquam facturum, ſed ne cogitaturum quidem, quod amicitię noſtrę vinculum reſcindere valeat. Sum enim tui amantiſſimus & honoris tuitueq; famę ſtudioſiſſimus. Id quod multi docti viri, quorum hic conſuetudine fruor, atteſtari poſſunt. Nam demonſtrantibus illis, quę tuo in libello aduerſum me habes, ſuadentibuſq;, vt acerbam aliquam in te ederem Apologiam, non ſolum eorum ſuaſionibus morem gerere recuſaui, & cum eis pro te pluribus diſputaui argumentis, ſed laborem illum tuum, & illis, & cęteris, quibuſcunq; laudibus non minimis promouendum curaui. Ad te amandũ promouendumq; excitauit primum Lucę Ghini pręceptoris tui de tua ſingulari eruditione teſtimonium: deinde vero virtus tua ac doctrina, tuiq; vtiles in Medica materia labores, quibus pro virili futuram poſteritatem iuuare niteris. Quamobrem audebo te hortari, vt maneas perpetuo in ſententia. Tua illius Methodi lectione (vt antea faſſus ſum) mirum in modum ſum delectatus, & ingenii tui acumen admiratus, quo fit, vt etiam longe magis me delectari poſthac putem Commentariis tuis in Dioſcoridem editis, quod maturiori iudicio maioriq; fortaſſe diligentia hęc eſſe edita putem. Vtinam tam eſſem doctrina & eloquentia pręditus, vt tibi auxilii aliquid conſiliiue hoc in negotio pręſtare poſſem, facerem quidem id ex animo, tanta tuę iuuandę doctrinę eſt mihi voluntas. Sed cum ad hoc munus obeundum inidoneum me eſſe intelligam, & itineris diſtãtia hanc meam erga te impediat voluntatem, rogo atque etiam obſecro, vt animum hunc meum boni conſulas. At quoniam eiuſdem te eſſe in me voluntatis mihi certo perſuadeo, cum ſciam iſtic in toto Regno haberi montes, maria & valles, quinetiam viridaria, in quibus rarę ac vtiles vireſcunt plantę, velim vt pro tua ſingulari humanitate, ea omnia, quę noſtra Commentaria augere illuſtrareq; poſſe cenſebis, ad me mittere non dedigneris. Quod te facturum omnino ſpero. Nam ſi tuam reſpexeris probitatem, & animi ingenuitatem liberalitatemq;, hęc omnia tibi facile perſuadebunt, vt illico votis meis ſatisfacere ſtudeas. Si deinde meum in re hac deſiderium etiam conſiderabis, illico cognoſces haberi fortaſſe neminem, qui me dignior ſit, cui hęc largiri debeas. Nulli enim hęc concedere poteris, qui tui nominis laudes magis extollat, qui diligentius ſuis in libris collocet & appingat, quique hęc omnia maioribus pręconiis tibi accepta referat, quam MATTHIOLVS. Tam honeſtã petitionem plurib. ab amico optimo exigere ſuaſionibus operępretium non eſt, ne videar quaſi vel fucatis argumentis, vel melliflua quadam verborum dulcedine, ea ab ipſo extorquere velle, quę tantum eius beneuolentia ac liberalitate conſequi deſidero. De cętero ſat recte nos valemus. tametſi ingraueſcente iam ętate, non deſint quandoque ſenectutis incommoda. Sed hęc feremus forti animo. Vale. Pragę.*

## ANDREAS DE BLAVVEN MEDICVS, Petro Andreæ Matthiolo, S. P. D.

*Agitur de multiplici auri potabilis parandi ratione.*

*SÆpius ego, Pręſtantiſſime Matthiole, ſum admiratus plurimos ętatis noſtrę ſummos & clariſſimos Medicos, naturęque indagatores acerrimos: qui cum in materia medica cognoſcenda, & explicanda plurimũ nauarint operę & laboris, interea tamen aureę illius aquę, magni in primis & nunquã ſatis laudati remedii, mentionẽ omnino nullam faciant, quam tamen adeo nobis commendarunt ex veteribus quidam, vt cęteris eam omnibus medicamentis facile prętulerint, quippe quę vires, vt vt illę langueant, reſtituantur in tantum, vt reiuueneſcere vtentes, vigoremq; inde incredibilem facultatum omnium corporis recipere videantur. Eius rei cauſam, an in difficultatem eius aquę parandę, quod in conficiendo chymicos labores requirat, quos pauci ſciunt, vel tanquam ſordidos abhorrent, an in auaritiam & ſumptuum parſimoniam referam, dubito. Complures certe eſſe ſcio, qui cum ipſi rem ita arduam, vel ignauia, vel mentis hebetudine non valuerint aſſequi, conatus in ea aliorum induſtriorum hominum ſummopere contemnant & eleuent. Quorum ego impudentem & inſciam temeritatem deplorans, mihi ipſi gratulor, quod in huius Sereniſſ. Principis noſtri ſeruitium adſcitus ſim, nimirum quod inde mihi tecũ, quem in ſecretioribus iſtis remediis parandis iudicio & vſu plurimum poſſe conſtat, de hiſce & aliis familiariter conferendi & coram vberius diſſerendi ſit data occaſio.*

*Ex notitia enim inter nos per triennium hoc indies conuerſando quam familiariſſime contracta, me non latet, te vtcunque ſcribendi ſtudio & aliis curis occupatiſſimum, furtiuarum tamen horarum quicquid eſt, vt plurimum rarioribus hiſce parandis medicinis tribuere, teque his adeo affici, vt laborum nihil propriis etiam manibus peragendum ſubterfugias. Alunt fouentque conatus noſtros ſocii ſtudiorum, itaque & ego tuo exemplo maiore diligentia in arcanam illam parandorum medicamentorum rationem incubui. Quę autem de auro potabili diuturna inquiſitione, varia lectione longaque experientia, nec ſine magnis ſumptibus comperi hactenus, ea libuit coram te hoc loco referre: non vt te docerem, quod ignorares, ſed vt hoc modo aliquid eliscerem, quo ipſe eruditior redderer.*

*Porro noſti varias eſſe a diuerſis excogitatas rationes, quibus in liquorem potabilem aurum reducere conati fuere. Sunt enim qui illud aquis, quas a vehementi corroſione fortes dicunt, in aquã reſoluunt. Parantur iſtę vulgo Chymicis ex Salis nitri vna parte & dupla Chalcanthi. Separatur his aurũ ab argento, ideoq; Separatrices aquas vocant. diſſoluitur enim argentũ in aquã, aurum vero ſubſidet in fundo puluiſculo nigro ſimile. Si quis priorib. addiderit quartã partem Salis Ammoniaci, paretq; vt prius, habebit aquã, quam Regiã Aurifabri & Chymici appellãt. Subſidet ſeparãdo in hac argentũ calci ſimile, liqueſcit vero aurũ in aquã vere aurei fulgẽtis nitidiſſ. coloris. Sed ne quis hac vtatur, vnice cauendũ: viſcera enim omnia exederet. Habet Phi-*

Primus diſſoluẽdi auri mod⁹ per aquam fortem.

Aqua Regia.

Alius ſoluendi Auri modus.

lippus Vlſtadius deſcriptionem auri potabilis, quod Ioannem de Toleto, & Hugonem, ambos Cardinales, in omnibus ferculis vſurpaſſe, & pro maximo theſauro habuiſſe dicit. Exuritur autem in aqua, qua ſoluitur, cõpoſitionem, non tantum ſal nitri, & Ammoniacum, ſed & Mercurius ſublimatus, quibus, cum ſumme ſint corroſiua, nec veneno carentia, nullo pacto vtendum conſulerem. Nec tãtum propterea, ſed ne ventriculus auro obducatur, verendum. Inficit enim illa aqua omnia, quæ attingit, pro varietate rerum, quibus eſt commixta, auri ſi auro, nigro colore, ſi argento, vel Mercurio viuo, viridi ſi cupro, &c. Excogitauit ille quidem quicunque eius fuerit author, rationem non admodum ineptam, malignitatem eius adimẽdi, qua ſcilicet aquam illam rodentem, iterum deſtillando ab auro ſoluto abſtracturum ſe ſperat, vt in fundo butyro ſimile remaneat aurum: ſed ſpirituum aquæ fortis, ſalis præſertim Ammoniaci & Mercurii tanta eſt vis corroſiua & venenoſa, vt fruſtra ſe quis ea a remanente auro ſeparaturum ſperet: maxime vero ipſum argentum viuum, quod libentiſſime, & facilime cum Auro vnitur & remanet, ſicut etiam vtcunque liquidum ſit, & tactui cedat, ſolum in ſe aurum recipit, reliquis omnibus renitens. Aqua ego calida diſtallata potius materiam infundere, ſæpiuſq; abluere tentarem, qua proculdubio ſalſedo illa, & forte vis venenoſa promptius auferretur. Alioqui huiuſce creditæ medicinæ, cum tantis venenis præparatæ, vſum non temere tentandum, nec admittendum eſſe conſtat.

Aurum diſſolui cranei humani ſale.

Alios ego noui, modumque conficiendi habeo, qui ex priori parte cranei humani calcinata, ad Criſtallinum, ac Diaphanum ſal reducta, quod te quoque vidiſſe puto, ſe Aurum potabile conflare poſſe ſperant, ſed vtrum confecerint, neſcio. Vtcunque vero res hæc ſe habeat, omnino vt ſal ex craneo paretur, oportet. Cum autem Salium natiuorum copia nobis ſuppeditet, & aquæ ex aliis rebus omnibus combuſtis Sal confici poſſit, quid ipſos ad Cranei potiſſimum inquiſitionem commouerit, miror. Recordor ego quidem Alberti de mineralibus dictum, vbi aſſerit magnam ineſſe virtutem mineralem capillis humanis, illis præſertim qui de capite abſcinduntur, ſuoq; tempore viſum, & inuentum eſſe Craneum hominis, quod inter dentes ſuturæ ſuperioris partes multas aurei pulueris habuerit admixtas.

Humanorũ capillorum ad ductilia reddenda metalla magna vis.

Scio quoque Gebrum (qui ſolus fere, ex ipſius naturæ principiis Chymiam tradidit, quemq; ob hoc artis illius ſtudioſi tanquam Ariſtarchum ſuum ad[illegible]antur) oleum quoddam ex capillis humanis pro inceratione, vt loquuntur ſeu præparatione ad faciliorem liquefactionem metallorum mire commendare. Sed detur ipſos aliquid eo efficere, tamen ratio hæc præparandi valde ſemota & longinqua videtur, cum alia multa reperiantur, quæ per ſe idipſum præſtant, ad quod craneum vix multo tempore perduci poterit. Idque eo magis, quod ſal iſtud conficiendo, vt experti ſunt qui illud parare tentarunt, craneum dum eximitur tetro ſuo, & maxime fœtenti odore (vt comburendo oſſa pleraque ſolent) grauiter nares feriat, omnemq; ambientem inficiat aerem.

Auri potabilis ſimpliciſſima conficiendi ratio.

Habeo porro Argentinenſis cuiuſdam Medici rationem conficiendi Aurum potabile, ex ſolo Auro, abſque vlla re alia addita præter ignis vim, quem lege artis Chymicæ, Aurum per Stybium expurgatũ, & in tenuiſſimas laminas redactum, ac vaſculis ad hoc idoneis, libere, ne ſeſe vſquam laminæ contingant appenſum, dum exuritur & calcinatur, in fornace ad hoc debite parata per medium annum quam feruentiſſimum ſuſtinere oportet, quouſque tandem laminæ illæ Aureæ illinc exemptæ, libero & frigidiori exponantur aeri, & oleoſus quidam humor inde defluat & reſoluatur rubei coloris, ſapore ſubdulci. Eliciebat autem ille ex libra vna auri ad vncias duas olei. Sin vero, quod igne fortaſſis non vndiq; pariter fuerit aurum exuſtum, minus prompte liquor ille defluat, ſpiritum vini rectificatum aliquoties infundere iubebat, idque tam diu adeoque ſæpe reiterare, donec omnis ille color fulgens extraheretur, aurique puluere ſubalbo in fundo relicto nihil porro coloris auri ſpiritus ille, vini inde reciperet. Quam ſubtiliſſime vero hoſce ſpiritus, vel quintam eſſentiam rectificabis, ſi eam in cucurbita vitrea ſub alembico, præpoſito recipiente, in gelidiſſimam, vel niue refrigeratam fontis aquam impones, ipſum capellũ panno lineo in aqua calidiore imbuto vndique teges. Per ἀντιπερίστασιν enim partes illæ tenuiores & ſubtiliores ſurſum feruntur, aqueis in fundo relictis. Hoc, inquam, vinum auro, vt dixi, calcinato infuſum, & per alembicum denuo deſtillatum, in fundo poſt ſe relinquit eundem illum ſubrubeum liquorem, aurum ſcilicet potabile: quo ſe & alios ad multos annos ſaluum & incolumem conſeruaſſe Medicus ille dicitur. Solebat ille, perpurgato prius corpore, raſo & calefacto vertice capitis, drachmam vnam eius affundere, ac tantumdem in maluatico bibendum exhibere. Neq; vero hæc eius præparandi ratio, adeo abſona videtur, cum & experientia confirmet, & Geber Chymicorũ Princeps libro tertio capite ſexageſimo tertio aſſerat: Metallica corpora omnia vere calcinata ſolui per reiterationem calcinationis, rationem ſubiungens, quod omnia calcinata ad naturam ſalium, vel aluminum accedant. Hunc auri potabilis conficiendi modum maxime probauit Generoſus & Magnificus Comes Iulius ab Hardeck &c. Sereniſſimi Principis noſtri Mareſchalcus, Mœcenas mihi ſummus, qui ſumptibus faciendis, & ſedulo ſtudio ſecretiora illa, igne parata remedia inquirendi, nemini cedit, cum præ aliis modis hic ſibi placeret, maioremque ſpem faceret. & ſecurius eo vtendi & magis conferendi humanæ ſaluti, quod liquor ille aureus abſque alio (vt alii ſolent) corroſiuo addito pararetur. Itaq; laborẽ ſuſcipi curauit, eoque ad viginti Septimanas progreſſus: ad ducentas vlnas maiores, quaternos cubitos capientes, lignorum inſumpſit.

Sed fato neſcio quo contigit, vt artifex operis vita excedens, opus reliquerit imperfectum. Quod licet in primis, tãquam deſtructum, & inabſolutum opus, Magnificus Comes negligeret, elapſis tamen aliquot diebus videndi eius deſiderio allectus, vaſculis exemptis, inuenit ferramenta quædam, pro ſuſtinenda fornace parata, aureis maculis paſſim conſperſa, quæ vtraque ipſorum facie, etſi latum digitum craſſitudine excederent, apparebant, atque adeo guttas illas laminis decidentes ferrum totum penetraſſe videre licebat. Sicut ad hunc vſque diem videre eſt ferramenta iſta ob hoc, a Magnifico Comite aſſeruata. Vnde proculdubio facile credendum, cum guttulæ iſtæ calore decidentes partium tenuitate, ferrum penetrarint, in humano corpore longe facilius, ad omnia vaſa deferri poſſe. Sed lignorum penuria, & laboris diuturnitas hactenus, quo minus denuo pararetur, obſtitit. Vidimus vterque noſtrum ſimul & guſtauimus aquam illam, Sereniſſimi Principis noſtri iuſſu, nobis & Doctori Gallo præclaræ memoriæ, pro auro potabili oſtenſam, quæ à montibus Curtinis celſitudini ſuæ dono miſſa erat. Referebat illa quidem diaphano ſuo & fulgente colore, vt ſi quid aliud, puriſſimum aurum, quod viſu iucundiſſimum erat: ex ſapore vero nihil præter ſpiritum vini, ex quo & ipſimet artifices ſe confeciſſe fatentur, deprehendimus. Sed (quod dolendum) effectus in morbis illis, quibus periculum eius a nobis fiebat, autorum promiſſis non adeo reſpondebat.

Aquæ aureæ ex vino variæ paratæ.

Sunt ſimiles aurearum aquarum ex vino parandi rationes inſinuatæ in voluminibus Raymundi Lullii, quæ edita partim, partim conſcripta cir-

*cum ferũtur, ſed aliis alia plus temporis & laboris requirunt. Ego quoque ſimilis aquæ ex vino & auro conficiendi rationem per me & alios expertam habeo, ſed magni eſt ac diuturni laboris partes [illegible] ſubtiliores vini ab aqueis, & terreſtribus rectè abſtrahere & ſeparare: quod elementorum ſeparationem Chymici dicunt. Habet enim omne vinum in ſe terreum, & ſiccum aliquid, quod deſtillatione nobis ſeparatum, adeo tetrum horrendum & grauiter olentem fœtorem exhibebat, vt non tantum vaſcula quibus continebatur, ſed & ipſas ciſtas imo & conclauia adeo inficeret, vt Aſam fœtidam quis accenſam deteraſſet. Vtcunque tamen, & hæ, & paſſim aliæ ſint inuentæ & vſu probatæ, plures viæ, & rationes aurum in aquam potabilem redigendi, experientia tamen, & ratione firma conſtat nihil in rerum natura inueniri quod tam aurum, quam reliqua metalla promptius in aquam vertat & ſoluat, ipſumque ſponte ſiccum quum ſit, facilius fluat, quam ſalia mineralia. Neque enim vnquam vinum per ſe, aut ipſius ſpiritus (niſi per ſalia aurum forte ſit præparatum) vtcunque aliquid ex auro coloris recipiat, omnem eius ſubſtantiam in aquam conuertet, niſi vel ipſum vinum diuturno igne acrimoniam ſummam & ſalſedinem acquirat, vel ipſius fæx terreſtris & fœtida, de qua ſuperius dictum, diuturna calcinatione (quam Raymundus abundè docet) dealbata & exuſta in ſalis naturam conuertatur. Omnes itaque [illegible] a me dictæ præparandi rationes in hoc conueniunt, quod aurum, aut per ipſa ſalia ſoluatur, aut per talia, quæ ignis vi diu exuſta, ſalis aliquid (vt ſolent omnia combuſta) acquirant, quo in ipſa metalla agant. Quod & perſpicue teſtatur Geber, capite 22. libro 1. dicens.* OMNE QVOD SOLVITVR NECESSE EST SALIS AVT ALVMINIS, VEL EORVM CONSIMILIVM NATVRAM HABERE: NEQVE INVENIVNTVR ALIA SOLVI PRÆTER ILLA. IGITVR QVÆCVNQVE SOLVVNTVR NECESSE EST PER ILLORVM NATVRAM SOLVI, *id eſt, in aquam redigi.*

Omnẽ vin[illegible] ſoluendi [illegible] ſal.b[illegible] conuitate

*Quoniam autem maior ſalium horum mineralium pars, & præſertim ex ipſis parata aquæ, ſapore & odore fœtidiſſima ſint, horribiles & [illegible] atque humanæ naturæ abominabiles, ideo plerique iſti hactenus plurimum omnium ſapere viſi [illegible] ſe rem confeciſſe putarunt, qui illud ita pararent, vt minimum in ſe corroſionis haberet, ac [illegible] intra corpus exhiberi poſſet. Hæc & ipſe mecum animo, quam diligentiſſime reputans, in eam tandem [illegible] ſententiam, cum experientia doceat* SALIS COMMVNIS *vſum humano generi, non modo non noxium, ſed pergratum, ac adeo neceſſarium eſſe vt neque ſine ipſo aliquis nobis cibus arrideat & [illegible], in morbos ex putredine facile incidat, ſicut & carnes & reliqua edulia humidiora [illegible], niſi ipſo conſeruentur putredini, quam maxime, ſunt idonea: cum inquam ita ſe hæc habeant, [illegible] Sale illo communi fœlicius fortaſſis & æque facile, ac aliis Salibus in aquam aurum redigi poſſe, atque [illegible] eorem, cuius inueſtigandæ ſemper auidiſſimus fui, varie per me & alios, quorum ad hoc opera vtebar, [illegible], ac aliquot annis inaniter, & fruſtra quærenti, tandem ſe via obtulit, qua res ſatis fœliciter ſucceſſit. Cum enim in valle [illegible] Blauia, vbi prædia mea & officinas, quibus ferrum coquitur laminæque cuduntur, & inter reliqua, ad hoc laboratorium (vt Chymici vocant) extructum habeo, quod locus, in montib. (quos Sudetes Ptolomæus nuncupat) ſitus, ob ſyluarum & carbonum copiam, ſimul & [illegible], ac [illegible] coemendi faciliorem occaſionem ad hoc parandum maxime idoneus eſſet, illa laborarem: [illegible] primo quidem, ſed interea ſæpius & hic Pragæ, dum hac mea apud Sereniſſimum Principem noſtrum conditione fungor, aliquoties ex* SALE *communi, quo condiendis cibis vtimur, aquam vel oleum potius quoddam pinguiuſculum & [illegible] confeci, in quo aurea lamina, vel eius puluis, quem calcem dicunt, per Stybium primi lege artis [illegible] dierum ſpatio, ſenſim, & paulatim liqueſcit & in aquam conuertitur: adeoque ſubtile ac te[illegible] etiam per Alembicum facili igni ferri poſſit. Sapor illi, teipſo teſte, qui illam degustaſti [illegible], non admodum diſsimilis, niſi quod dum nuper eſt parata paulo plus acerbi ſapiat. V[illegible] fœliciſſimo, Dei gratia ſucceſſu, in morbis diuturnis, putridis, & variis obſtructionibus. Q[illegible] hoc quod nimium ſit acre, vel vrat, ſumme eſt penetratiuum. Quare & Apoplexiæ, Paralyſi, [illegible] linguæ, quam reliquarum partium. Spaſmo, retentionibus menſtruorum & vrinæ, calculo, quem mirabiliter comminuit, ictericiæ & principio hydropis, aperiendo, reſtaurando appetitum, ventriculum roborando, [illegible] cohibendo, optime medetur & confert. Exhibens in febribus nunquam adauctos calores ſenſi, ſed [illegible] remiſſos, vt plurimum obſeruaui, mixtum vino granatorum & aqua roſarum, ſyncopæ, tremori cordis & melancholicis mire ſubuenit. Medetur venenis omnibus, præſertim vero Mercurio infectis. Doloribus [illegible] iuncturarum ex morbo Gallico curatis, per vnctionem Mercurii exhibitum, & inunctum ſubuenit. Gargariſatum cum aqua roſarum, vlcera putrida, & ſordida faucium, & colli ex morbo Gallico, etiam vbi calores adiuncti fuerint, egregie curat. Plura Medicus, cum ratione illud ſæpius exhibens inueniet. Rationem eius conficiendi ſubiungam, non vt Mineruam doceam, cum (ſi per negotia occaſio daretur) in his te longe fœlicius verſaturum ſciam, ſed vt hoc ipſum, ob quod hæc ſcribere cœpi, facilius a te obtineam: nempe vt ſi ea [illegible] momenti in vſu Medico, illa fore videbuntur, ſolido & exacto tuo iudicio confirmes, meliora addas diligenti & aſsidua rerum Medicarũ inquiſitione, in quam fœliciſs. me hactenus, totis incumbis, dum quod optabam aſſequi minus mihi perfecte contigerit, omnes vires & neruos mecum eo intendas, ſcriptiſque tuis, quod magni apud plurimos ſint ponderis, aliorum etiam animos eo allicere contendas, vt ſuam quiſq; huic adeo priſcis decantatæ Medicinæ inquirendæ, & denuo in medium afferendæ, operam pro virili nauet: ne ita ſummum hoc remedium, quo iam diu ſumus deſtituti, in contemptum abeat, & nomine ſaltem ſit nobis cognitum.*

Ratio diſſoluendi aurum per oleum Salis communis.

Auri potabilis oleo ſalis parati facultates.

*Requiruntur vero ad opus hoc perficiendum, exceptis vaſe & fornace, tria potiſsimum Aurum, Sal commune & pauciſſima quantitas aceti ſtillatitii. Aurum, antequã operi adhibeatur, ab aliis metallis impuris, quæ [illegible] commixta habet, exactiſsime purgandũ eſt & ſeparandũ. Quod egregie præſtat Antimoniũ ſi ſimul liqueſiet, vel fluxerint, ita tamen, vt pondus Stybii longe & decuplũ vſq; Aurum excedat. Quicquid enim argenti, vel alterius impuri metalli, Auro admixtum fuerit, id omne in ſe recipit Stybiũ ſoloq; Auro in fundo vaſis pyramidalis, ad hoc ab aurifabris, & fuſorib. parati, reſiduo, q; vaſe exemptum ſeorſim in cuſpide, quem Regẽ illi vocãt, exacte mundũ reperitur. Acetum quoq; vt ad opus magis ſit idoneũ hoc modo diſtillandum. Accipiantur aceti vini acerrimi libræ duæ, ſalis communis, illius maxime quod ex Hala Hermundorum ad Salã fluuiũ aduehi defertur, huic operi præ cæteris idoneum, Libra vna. Mixta per Alembicum in balneo Mariæ diſtillentur, quo præter aquã nihil ſtillabit. Contrarium namq; accidit aceto, ac vino. Sicut enim vinum diſtillantib ſpiritus il-*

Auri præparandi modus.

Acetum ad hunc vſum quo pacto diſtillandum.

*li ſub-*

*li ſubtiliores leui igne primi aſcendunt & effluunt, aqua vero deinde ſequitur: ita è contra acetum pauciore igne & in principio aquam dimittit, ipſum vero tandem multo maiorem requirit ignem quo ſurſum feratur. Separata autem, modo quo dixi, omnia aqua, reliquum aceti per cineres deſtilandum eſt igne fortiori. Sed tamen neque illud totum, ad finem vſque abſtrahendum: turbidum enim redditur, & aduſtionem redolet. Verum quum primum tertia, aut media pars excepta fuerint, vrgendo ceſſandum, & reliquiæ abiiciendæ.*

Sal quo pacto præparandum.

*Demum ſalis, vt dixi, Halenſis libram vnam pauciſſimo aceto infundens, ſemper agitando, id vaſe fictili bene obturato, in loco calido repoſitum lente exiccetur, atq; hoc tertio, aut quarto iteretur. Porro ad quamlibet libram Salis communis, miſce huius acidi ſalis vnciam vnam atque alteram. Sicque deſtillationi ſal præparatum habebis.*

Fornax qualis eſſe debeat.

*Fornax ſit ſimilis illis, quibus aquas, quas fortes dicunt, elicimus: in qua vndique cucurbitam ignis ambiat. Ego tamen ſemper poſteriori parti fornacis alteram adiunxi altiorem, quam, quod vigiliis, & labori carbonum imponendi parcat, inepte pigrum Henricum artiſtæ nominant.*

Vaſa qualia requirantur.

*Ex vaſis maxime idonea eſt cucurbita, quæ Chymicis, quod ventre ſit amplo, collo oblongo, & anguſtiore contorta, Retorta dicitur: quam vndique limo munire oportet, vt ignis vim facilius ſuſtineat. Simile fere eſt vitrum excipiendo præponendum, ſed ampliſſimum, quod duas in ſe habeat libras aquæ diſtillatæ. Fictilis retorta media pars ſale, vt dixi, præparato impleatur. Mox eidem, vt fieri ſolet, fornaci tranſuerſim impoſito, altera continens aquam exterius opponatur. Ignis primis quatuor horis ſit valde leuis, deinde paulatim augeatur, donec fumi, vel nubeculæ albæ fluctibus ſimiles in cucurbitam ex Retortæ roſtro intrare videantur. Quod ſi fiet, ſimili modo ignis regatur, quam diu illus videre licebit, quod plerunque per ſex horas durare ſolet. Deinde paulatim ſpiritus vrgeto, ignẽ magis, atq; magis augendo, quouſque retorta penitus candeſcat, atque ſic ignis per triduum, aut quo diutius eo melius conſeruetur, non habita ratione, quod nec gutta, nec viſibiles alius ſpiritus ſurſum ferantur. Licet enim nulli conſpiciantur, videbitur tamen in fundo aquæ & parietibus vitri indies aliquid pulueris albi ceu cretæ adhærere. Quem ego cum vt eo plus terræ iſtius albæ colligerem, per ſeſquialterum menſem ſimili igne vrgerem, indies apponi, atq; augeri obſeruaui: atq; quod mirandum ſingulis diebus per horæ, incertæ tamen, mediam partem, adeo gratus, adeoque fragans odor, non in ipſo tantum conclaui, vbi parabatur opus, ſed & à longe, imo per integram aliquando domum percipiebatur, qui nec optimo etiam Moſcho gratia cedebat, quod ipſe cum aliis Magnificis Dominis, quos, vt ſcis, huius teſtes habeo, non ſine magna admiratione ſæpius deprehendi. Eſt autem terra iſta adeo dulcis, vt ſi quis bene eam deguſtarit, dulcedinem, nec vino, nec alio liquore aliquot horis ex ore abluere poſſit. Credebam ego nonnunquam terram hanc eſſe alterum fumum, ſiue vaporem eorum, quos in igne genitos ad compoſitionem elixiris & dulcorationem liquoris ſoluẽtis, &c. ſæpius Geber Chymiſtarũ Princeps requirit.*

Separatio illorũ quæ extiterant ex proxima ſalis deſtillatione.

*Facta priore hac deſtillatione, ex recipiente vitro omnia ſunt eximenda, atq; partes inter ſe confuſæ, mixtæ aquæ, ſcilicet aceti olei ſalis, & terræ iſtius dulcis ab inuicem exactiſſime ſeparandæ. Quod ita fiet. Ponantur illa in cucurbita impoſito capello in Balneum Mariæ, ſeu Cacabum feruente aqua plenum & lentiſſimo igne effluet aqua paulatim, donec tota emanarit. Terra vero iſta alba, quam Cretam referre dicebam, in cucurbita interea dum aqua ſeparatur, paulatim concreſcet in lapillos oblongos, partim obnatantes, partim neque vitri parietibus adhærentes, diaphanos, dulciſſimos, ignis patientes: liqueſcunt enim neque igne euaporant, qui tum paruulo ligneo & foraminibus pleno cochleari, quali pro deſpumandis carnibus coci vtuntur, b[illegible] in d e, aut quoties concreti apparebunt, eximendi ſunt & cuſtodiendi. Pro maximo enim ſecreto quibuſdam ad conficiendum elixir expetuntur. Similique ratione pergendum, donec aqua omnis ſimul, & acetum per alembicum emanarit, quod guſtu facile eſt deprahenſu. Remanebit autem in fundo oleum ſalis limpidiſſimũ, ex albo vireſcens, quod à facibus, quas paucas in fundo admixtas habet, in vaſculum ex puriſſimo vitro Veneto paratum diffunde. Si quam puriſſimum id eſſe, quis exoptet, poterit in Balneo Mariæ denuo deſtillando, quod adhuc ſecum aquæ habet, ſeparare. Hoc, inquam, eſt Oleum ſalis, ſaporis, vt prius dicebam, tuque ipſe guſtaſti, Limonum, cui ſi laminas auri purificati impoſueris, in cineribus calidis triduo ſenſim illud liqueſcet, & paulatim omne in aquam conuertetur, coloris vere aurei, quæ tutiſſime intra corpus à quouis aſſumi poſſit.*

Auſter. Auri potabilis ſapor quo pacto corrigendus.

*Si quis facilius, & citius aurum illo diſſolui expetat, addat ſali, quod à principio Retortæ diximus imponendum, aliquid ſalis nitri: Soluetur enim facillime, ſapore manente eodem. Interea vero de ignis regimine ſit plurimum ſollicitus, leuis enim error totum opus deſtrueret. Sed cum, vt prius dixi, aqua hæc auri dum recens eſt, & nuper parata, aliquid quamuis id vix perceptibile, acerbi ſapiat, mihi ſi illa iterum paranda eſſet, plane ſtatuiſſem facere periculum, an criſtallinis iſtis, quos dixi, lapillis adeo dulcibus aliquid illi gratiæ addi poſſet.*

Saccharum qua ratione ſe ipſo multo dulcius efficiat.

*Quod facile, cum ex eodem vtraq; ſint parata ſale, futurum ſperarem. Sin minus ſuccederet, extracto tamen Sacchara, cuius aliquoties inter nos mentio facta eſt, id facile præſtari poſſet. Illud enim à facibus ſuis, quas habet plurimas, tenaces pici nigræ non diſſimiles, grauiterque olentes, adeo vt pauci Sacchara tales adeſſe crederent, probe expurgatum, longe redditur ſubtilius: dulcedinem autem pauca licet quantitate mixtum, aliis addit lõge maiorem, quam commune Saccharum. Præterea colore aureo, quæcunq; per ſe limpida ſunt & aquea, tingit. Scio plena vaſa vini ſublimati hoc ipſo mixta ac dulcorata pro aqua vitæ, bono lucro diuendita & diſtracta. Habet enim præter alia in ſe hoc à plurimis deſideratum, quod cuicunque liquori miſtum, facile eo diſſoluitur, & omnibus partibus exacte miſcetur, neq; vnquam ſubſidet: quod in parãdis aquis illis ex ſpiritu vini, aquas vitæ vocant, plurimis hactenus defuit. Ideoq; varii varie illis gratiã conciliare conati ſunt, alii enim vuis paſſis id efficere ſperarunt, alii vaſi recipienti Iuleb infundere, cui ſpiritus ille vini diſtillans miſceantur, ſed quam fœlici ſucceſſu iſta tentarint ipſi viderint. Verum huiuſce cum experientiam ego ſæpius fecerim, atq; ad hanc rem plurimum conferre ſciam, ne quid meorum te lateat, rationem ipſius conficiendi ſubiungam.*

Sacchari præparatio.

*Perficitur vero quicquid ad hoc requiritur potiſſimum aceto diſtillato. Namque ſi Sacchara parum aceti infundatur, in calidis cineribus, paucis diebus repoſitũ, totum liqueſcere & diſſolui videbitur, cui ſi vinum addes ſublimatum, breui partes illæ puriores à facibus adeo ſeparantur, vt ab illis facile diffundi poſſint, rubeumq; aſſumit colorem. Quod ſi quis ſolidiorem ipſius conſiſtentiam exoptet, in Cucurbita cineribus tepidis impoſita lente deſtillando, id facile impetrabit, ſed vitrum, vbi Saccharum eximere voles frangi oportet. Hac ratione præparatum Saccharum, ſi miſcueris auro noſtro potabili, non dubito quin dulcius id & gratius guſtui, contemperata eius acerbitate, effeceris.*

Tinctura auri.

*Iam ſi non ſubſtantiã auri diſſolutã deſideras, ſed potius eius tincturã, quam laudibus proſequitur in ſua Chirurgia Theophraſtus Paracelſus, opinor, te, ſi periculũ feceris, non ita magno labore*

*exue-*

*ex noſtra illa aqua elicere eam poſſe. Modum enim ibidem ipſe tradidit, cum inquit, ſalſedine à reſoluto, per aquam dulcem diligenter abluta, tincturam auri ſpiritu vini excipi & deinde ab eodem ſeparari debere. Porro nunc maxime inquirendum videtur, inq; eo cardine totum verſatur negotium Vtrum aliqua harum, quæ hactenus pluribus pro Auro potabili diuerſe paratæ ſunt aureæ aquæ verum illud Aurum potabile ſit antiquorum, aut recte illius loco exhiberi poſſit. Quamuis autem de hac per multos annos abſtruſa Medicina ipſis met autoribus, adeo eam cœlantibus, ægre quid ſolidi ac certi nobis ſtatui poſſit, tamen quantum ex lectione plurimorum, de hac re autorum, priuato ſtudio, labore & ſumptibus percipere licuit, apparet pleroſque autores Chymicos, vbi de lapide ſuo philoſophorum, vel elixir dicto, loquuntur, conſtanter & vnanimiter aſſerere quod illa ipſa Medicina non tantum (ſi ſuper metalla, quæ (quod auri perfectionem & durandi vim non habeant) imperfecta vocant, proiiciatur, ſtatim illa redigat in auri perfectam & incorruptibilem ſubſtantiam ſed etiam in liquida forma ſumpta (vbi tum Aurum potabile dicunt) morbos omnes arceat, iuuentutem & proſperam valetudinem ad multos annos conſeruet, Adeoque vnam & eandem eſſe ego rem Chymicis video Elixir & aurum potabile nulloq; penitus differre, niſi ipſo fere vſu, nimirum quod alterum ſolidum & paulo fixius in metalla liquefacta proiectum illa perficiat, Alterum vero Elixir vitæ Raymundo dictum in aquam potui commodam, reſolutum iuuentutem conſeruet, & vires reſtauret. Experientia autem certa mihi & aliis conſtat, neq; quiſquam hac recte tractans inficias ire poterit, quin pleraque dictarum aquarum mutando argentum in aurum, aliquid, idque ſatis conferant & faciant. Verum ad vberiorem perfectionem, quam Chymici promittunt, eas adhuc non redactas vidi. Licet enim metalla mutent, tamen hoc ipſo pauco lucro ſuos ſumptus & labores rependunt, ac ſuperant. Quod aliquid perfectionis illis adhuc deeſſe omnino arguit. Ad alterum quod attinet, morbos ſcilicet arcendos, & proſperam valetudinem conſeruandam, viſæ quidem ſæpius, vt dixi aquæ ſimiles debita adhibita ratione vſurpatæ plurimum profuiſſe ſed qui omnes promiſcue morbos iſtis curarit, dentes elapſos, & vngues reſtituerit, hactenus vidi neminem. Quod (niſi, vt vereor, encomiis eius Chymiſtæ in hoc, vt plerique ſolent, nimium indulgeant) ſimiliter aliquid ad perfectionem illorum adhuc deſiderari oſtendit. Vnde equidem quis non immerito antiquorum eſſe verum & perfectum Aurum potabile dubitabit. Minime tamē ideo vſum ipſius omnino abiiciendum cenſeo. Cum enim auri puluis Auicennæ & reliquis Medicis ad affectus cordis & alios morbos adeo commendetur, & Arnoldus auri infuſionem & eius candentis extinctionem in vino tantopere laudet, proculdubio longe plus præſtabit, ſi in partes adeo ſubtiles & penetrantes omnes venas redigatur, idque maxime ſi abſque roſione effecerit. Eſt altera veri Auri potabilis nota minime negligenda, quod etſi imperfectis metallis mixtum ea perficiat, ex ſe tamen ipſo Aurum reduci nunquam poſſe debeat. quod in aliis aquis, quæ colore aureo inficiunt (qualis erat, de qua ſupra dixi, quam in ædibus clariſſimi Doctoris Galli præclaræ memoriæ croceo colore tingere videbamus) facile factu eſt. Affuſa enim aqua fontana, cui Tartari parum alii miſcent, eaq; paulatim rurſus exhalante, in fundo auri puluis reſidere debet. Quod tamen, ſi recte paretur, aut per Alembicum aſcenderit, minime euenit Hæc ad te clariſſime Matthiole, vt dixi, non docendi nomine ſcribuntur, nec vt aliis, quorum forte aliud eſt de his iudicium, illa præferam. Quamuis, nec hæc naturæ ſecreta, quæ ad Medicum vſum plurimum conferre poſſunt, aliiſque altius illa inquirendi occaſionem præbent aſpernanda, & abiicienda arbitror. Vnice enim deteſtandi videntur Zoili iſti, qui viros bonos, cum, vt vitæ vſuique mortalium conſulant, plurimum diligentiæ, curæ, laboris & ſumptuum in perquirendis hiſce naturæ ſecretioribus Medicinis conferant, nec forte ſemper omni ex parte ad vota res ſuccedat, inuide eos ridendi, mordendi, ac carpendi finem nullum faciunt, neque tamen ipſi interea meliora in locum reſtituunt. Sed quum hoc noſtro infœlici ſeculo, clariſſimorum etiam virorum conatus & labores fœliciſſimi, horum morſus non effugiant, quid mirum, hæc vbi ad vota, non adeo facile perfici poſſint, ab illis (vt ignota plerique carpunt) reprehendi, calumniiſq; dilacerari? Alterum eſt hominum genus inuidum, & inutile terræ pondus, his non minus reprehenſione dignum, qui ingenio licet laboreque ſuo & induſtria aliquid operæpretii efficiant, partim tamen ambitione adducti, vt habeant quo præ cæteris excellant: partim auaritia, vt lucrum faciant, aliquando etiam per ignorantiam veterum ſcriptorum, quaſi non eadem, aut meliora multo veteribus ſint prodita, pro ſecreto & quaſi myſterio in priuatum ſibi theſaurum poſſident & cælant, neque in publicum vſum proferunt. Medium autem tenuere beati. Tu igitur Præſtantiſſime Matthiole merito beatiſſimus, Tu omnium obſeruatione, fauore & beneuolentia digniſſimus. Tantum enim abeſt te aliorum in Chymicis inquirendis ſudores naſo ſuſpendere, improbare, vel calumniari, vt ipſe quoque domi tuæ fornaces extructas habeas, quibus te, vbi ocium datur, ſedulo oblectas, illiſque tantum profeceris, vt à te paratæ aquæ, quas a reſtaurando vitali ſpiritu, Aquas vitæ vocant, tam in Sereniſſimi Principis noſtri, quam aliorum Magnatum Bohemorum manibus in dies verſentur, & ſummi remedii loco merito habeantur De fidelitate vero tua inuenta ad publicum vſum diuulgandi, non eſt quod dicam, cum ſcripta tua clariſſima abunde teſtentur, tibi, plenus rimarum cum ſis (vt cum Terentio loquar) vndique illa diffluere. Nihil enim tam egregium, tam ſecretum, tam rarum tecum deliteſcere, quod ad rei Medicæ cognitionem augendam faciens a te cœlatum ſit, certo affirmare auſim. Argumento inter reliqua eſt Stibii calcinati vſus, quem dum alii pro maximo ſecreto occultare ſtudebant, tu primus, quod ſciam, literis propalaſti. Merito igitur præclariſſime Matthiole, quæ mecum de aqua hac aurea cognita & concepta habebam, ad te ſcribere videor, in certam ſpem veniens, te, ſi quid huius ad rem Medicam, eiuſue cognitionem augendā facere ſperabis, id exacto tuo & acri iudicio confirmaturum, rerum vſu, quo polles, per hac ad altiora veniendi, viam monſtraturum, & ſi quæ tibi de auro potabili conficiendo ſunt alia hiſce meliora, mihi & vſui publico fideliter communicaturum. Quod vt candide, ingenue, ac liberaliter facias, pro familiaritate noſtra minime dubito, & per illum, quo te proſequor, amorem, ac publica Rei Medicæ vtilitatem oro & obteſtor,*

*Vale. Pragæ.*

Lapis philoſophorum.

Elixir, & Aurum potabile idem.

In Chymiſtas.

Auri puluis Auicennæ.

Stibium calcinatum.

PR.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Andreæ de Blavv Medico, S. P. D.

*Reſpondetur præcedenti Epiſtolæ.*

*Etſi & ſermonis ſpurcitie & affectata caligine obtenebrarunt ſcripta ſua Magiſtri Chymici, reperiuntur tamen ingenioſi homines hoc ſeculo, qui ex illis ipſis obſcuris libris, non tantum veterum autorum ſententiam colligant, verumetiam opera mirifica, cum ad metallorum perfectionem, tum ad hominis ſanitatem, vel conſeruandam, vel inſtaurandam pertinentia, per ignem efficiant. Quippe quemadmodum Magnes ferrum ſolum attrahit, argentum viuum ſolum aurum admittit, cætera metalla reſpuit omnia: ſic eiuſmodi ingenia ad veri ſcientiam nata, mirum quibus occaſionibus, quibus è libris, quibus ab experimentis, vtilem & veram doctrinam extrahant, falſam reſpuant: cum interea alii noctes dieſque laborantes nihil diſcant, nihil inueniant. Cæterum in primis admirabile mihi tuum ingenium videtur, Vir Clariſſime, qui iſta in ætate, adhuc iuuenili, præter abſolutam artium omnium cæterarum, Medicæq; præcipue cognitionem in Chymica arte tantum profeceris, vt non ſolum antiquos Philoſophos obſcuriß. intelligas ſed etiã experiẽtia & vſu confirmatus, idoneus videaris, qui hoc ſeculũ tam artẽ præſtantẽ, ſpeculationis Philoſophicæ partẽ fere nobiliß. ſcriptis edoceas. Ita enim æſtimo ex ſcripto eruditiß. tuo, quod proxime mihi tuo nomine oblatũ, cõtinebat inſignia quædã præcepta de ratione auri potabilis præparandi. Id ego cum auidiſſime aliquoties perlegiſſem, dignum iudicaui, quod meo Epiſtolarum operi inſereretur. Peto autem magnopere abs te, ne id factum a me ægre feras. Decet enim te, cum poſſis, publice tuo ingenio prodeſſe multis. Cæterum quod ad rationem auri potabilis conficiendi attinet, nihil habeo, quod aut contradicam, aut te dicã ſplendidius: omnia enim vti lucide, ita & veriſſime explicaſti.*

Sal ex oſſe humani capitis.

*In primis autem illud plenum eſt ingenii & acuminis, quod omnes diſſoluendi auri modos ad Salia mineralia redegiſti. Itaque omnino tecum ſentio, quod qui cranei humani anteriore parte ad hanc rem vtuntur, eos proculdubio id in Sal prius redigere. Nam & ego memini aliquando me ex duobus craneis humanis Sal deſtillaſſe. Sic de cæteris cogitandum, ſeu herbæ ſint, ſeu metalla, prius ea ad Salis naturam per ignem eſſe conuertenda, antequam ad hunc effectum adhibeantur. De facultatibus autem auri potabilis, dubium non eſt, quin eæ ſint maximæ, cuiuſmodi à te eruditiſſime recenſentur. Auſim dicere, neminem Medicum abſolutum eſſe poſſe, imo ne mediocrem quidem, qui in hac nobiliſſima deſtillandi ſcientia non ſit exercitatus: id cum alibi, tum in primis in Chronicis morbis eſt animaduertere, vbi tota maſſa ſanguinea in vniuerſo venarum ambitu corrupta eſt, & referta multorum morborum ſeminariis: hi, inquam, morbi citra metallica deuinci vix poſſunt. Ea enim ſola vi ignis ita attenuantur, eamq; penetrandi vim acquirunt, vt habitum totius hominis facile permeent: cum interea cæteræ plantæ eouſque ignem non ſuſtineant. Ac qui eiuſmodi morbos citra ſcientiam res metallicas tractandi aggrediuntur, ii plerunque re infecta cum magno dedecore & ſuo. & artis Medicæ deſiſtunt.*

Montanꝰ libros cõpoſuit de deſtillationibus, & eis fœliciſſime vſus eſt.

*Nec deſunt exempla magnorum Medicorum, qui remediis Chymicis magnos effectus in curandis ægris ediderunt. Vt reliquos taceam, Montanus certe noſtra ætate celeberrimus Medicus tantum tribuit diſtillationibus, vt non ſolum iis ad ægros curandos vſus ſit, ſed etiam libros multos de illis compoſuerit: qui quidem libri adhuc latent alicubi, prodituri aliquando in publicum, ſi tantum bonum fata hominibus non amplius inuidebunt. Interea te hortor, vt tu in eo genere iuues ſtudia diſcentium. Nec vero patiaris te dimoueri calumniis leuiſſimorum hominum ab exercenda arte tam nobili. Valeant illi: habebis & tu, qui opus laudent, ingenium mirentur, laborem remunerentur. Multorum millium loco tibi ſit Sereniſſimus Archidux, qui te cum ob alias excellentiſſimas dotes tuas, tum vero ob Chymicæ artis peritiam (qua quidem quam plurimos, difficillimos caſus curare te indies experimur) amplo ſtipendio in aulam adſcitum conduxit. Nec deſunt alii proceres regni huius, qui te amant & ſuſpiciunt: quorum fauore fretus facile eſt contemnere ſtoliditatem & malitiam eorum, qui Chymicæ arti detrahunt. Hæc paucis ad tuum ſcriptum libuit reſpondere. Non enim pluribus poteram, & occupatus rebus aliis, & impeditus valetudine, quæ in hac ingraueſcente iam ætate non ſemper æque commoda vtor. Vale.*

# PETRI ANDREÆ MATTHIOLI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER QVINTVS.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Iacobo Antonio Cortuſo Patritio Patauino S. P. D.

*Expenduntur plantæ quædam non vulgares.*

*IVcundiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Idque ipſum ſane multis de cauſis. Primum quod tuæ, id eſt, viri optimi atque doctiſſimi, deinde, quod elegantiſſimis numeris noſtro Italico idiomate contextæ ſint. Præterea quod mirificam quandam tuæ erga me voluntatis ſignificationem habeant. Poſtremo quod lucri vtilitatiſque plurimum, præter omnem expectationem, & mihi, & Reipublicæ attulerint. Nam non modo ex iis te amicum ſingularem mihi eſſe intelligo, quem incredibili amore ac beneuolentia (quæ tua eſt humanitas) me proſequi animaduerto, ſed quod à te, tua tantum liberalitate & propria animi ingenuitate pleraſque raras ſim conſequutus plantas, quas antehac à nemine conſequi licuit. His cum certo ſciam decoris plurimum noſtris Commentariis in Dioſcoridem eſſe acceſſurum, non dubito etiam quin rei herbariæ ſtudioſi te plurimum ſint collaudaturi, vbi viderint hæc omnia me tibi accepta referre. Hoc itaque nomine ago tibi gratias ingentes. Atqui ſi mihi optata Deus conceſſerit, efficiam profecto, vt ne te pœniteat hæc in me contuliſſe: ſin autem (vt humana ſunt) mea ſpes me forte fruſtrata fuerit, tu tamen virtutis tuæ & officii fructum tecum auferes. Optarem quidem hanc tuam erga me animi propenſionẽ ſimili aliquo munere me poſſe compenſare. Sed quum nihil ſit ad manus, quo te dignum exiſtimem præter me ipſum ſolum, me tibi totum offero, ac voueo. Sed hactenus de his.*

*QVOD autem ad plantas attinet, reſcribam, vt petis, de omnibus opinionem meam: quinetiam ſinceriſſime ſignificabo, quæ legitimæ genuinæq́; quæq́; ſpuriæ videbuntur. Sed id ſane faciam pro ingenioli mei tenuitate. Non quod autem poſſe me aliquid ſingularis iudicii ad te ſcribere, ſed vt petenti tibi morem geram, Verum hac cõditione id à me acceptas velim, vt, vbi tuo acriori iudicio, me fortaſſe de his minus recte iudicaſſe animaduerteris, non ſileas, ſed quid melius ſentias mihi ſignifices. Sic enim fiet, vt diſcuſſis ventilatiſq́; omnibus inter nos, veritas tandem elucescat in medium.*

*RHABARBARI imago coloribus ad viuum ornata, vna cum eius hiſtoria, à Perſis allata, vt rara, ita mihi cara eſt. Hanc illico pingi excudique curaui, quod eius inſpectionem plurimos delectaturam non ambigo.* Rhabarbari imago.

*ELATINEN quam nunquam ante me vidiſſe memini, vna cum floribus, quo diligentius inſpicio, eo liberius genuinam eſſe ſtatuo, nec quicquam in ea videre eſt, quod legitimæ non correſpondeat.* Elatine.

*MEDIVM Dioſcoridi & Plinio folio eſt Iridis, ſed his ſubeſſe mendam iam in ſuſpitionem me adducit Oribaſius. Quippe qui Medium Intubi eſſe folio ex Dioſcoride ſcribit. Cui ſatis hæc planta, quam ad me tranſmiſiſti adſtipulari videtur, quamq́; Dodoneo Violam Marianam vocari ſcribis. Hanc plantam multis in locis pluries mihi viſam recordor, ſed haudquaquam animaduerti legitimum eam eſſe Medium, quod in Dioſcoride & Plinio legere me memineram, Medium Iridis folio eſſe debere. Etenim Græcus Dioſcoridis codex qui ad manus eſt, legit, ἔχει φύλλα ὅμοια ἴρειδι. Sed Oribaſii codex ὅμοια σέρειδι habet. Quo fit vt cum hæc plãta complures habeat notas, quæ ad amuſſim Medio correſpondent, facile tecum ſentiam legitimum eandem eſſe Medium: præſertim cum abs te edoctus ſim eam in ſaxoſis & opacis tractibus naſci. Atqui gratum admodum mihi feceris, ſi ſemen tua opera conſequi potero. Quod cum tantum ſexto menſe à ſatu germinet, optarem, vt quam citiſſime fieri poſſit, ad meas perueniret manus.* Medium. Locus Dioſcoridis reſtitutus.

*GINGIDII plantam ex omnibus notis agnoſco eſſe legitimam, ſed integrã omnibus ſuis partibus deſidero, vt ad viuum delineari poſſit. Hoc præſtare ſane facile poteris, cum hanc tuo in viridario, inter quamplurimas alias, vireſcere intelligam.* Gingidium.

*PLANTAM, quam cum Tripolium eſſe cenſeres, Venetiis in littore maris conſeuiſti, locis, quæ allidit vnda, & ibi ſumma cum diligentia educaſti, quamque nunc mutata ſententia Marinæ violæ ſpeciem eſſe cenſes, nuſquam me vidiſſe recordor: ideoq́; nec de nomine, nec de viribus tibi quicquam ſcribere poſſum. Verumtamen cum non ſine ſpeciali naturæ artificio delineatam eſſe animaduertam, crediderim hanc profecto ad multa, quæ ignoramus, eſſe vtilem.* Tripolium.

*SCAMONII radicem ſuperioribus diebus Turcico ſolo ſepultam, miſit ad me Conſtantinopoli Cæſareus Orator Augerius, quæ iam germinare incepit. Interim folia, flores, & ſemen obſeruabo: quod ſi videro tuæ illam eſſe ſimile, non te poſthac grauabo, vt illam iterum cum floribus ad me mittas. Erit tamen mihi valde gratum, vt me certiorè facias, unde ad te allata eſſet. Nam in Italia naſci Scamoniū, hactenus non audiui.*

*PERIPLOCAM ſerpentem ante decennium miſit ad me Piſis Lucas Ghinus acerrimus rei herbariæ indagator. Cui ſubſcriptum erat Doricnium repens. Sed cupio abs te audire cum florum, tum etiam fructuum hiſtoriam.*

Seſamoidis minor.

*SESAMOIDIS minoris ſtirps, quam antea nunquam vidi, mirum in modum placet. Nulla enim deeſt illi nota quæ legitima non correſpondeat. Folia enim habet Coronopo maiora, hirſutioraq́, caules dodrantales, in quorum ſummitate capitula exeunt, è quibus ſubpurpuraſcentes prodeunt flores. quibus accedit tuum de ſemine & radice teſtimonium: nec me ab hac vnquam remouebit opinione, quod hæc planta folia habeat Coronopo maiora. Siquidem Oribaſius μακρότερα, non μικρότερα legit. Id quod manifeſto eſt argumento Dioſcoridis deprauate legi Μικρότερα.*

Locus Dioſcoridis reſtitutus.

Elleborina.

*QVAM Elleborinam pleriſq; ais vocari, nonnullis vero veneficum Scolopendrium, vocabat Lucas Ghinus qui primum Piſis eandem ad me miſit Phyllitim minorem. Ego vero notas non habeo, quibus hanc Elleborinam, vel Scolopendrii genus aliquod facere poſſim. Cupio autem edoceri, quo argumento hanc herbam veneficam appellent. Quinetiam an vere venenoſa ſit, an venefica dicatur, quod fortaſſe ea vtantur quidam ad veneficia & faſcinationes.*

Spina alba.

*SPINÆ albæ folium placet, quantum mutila placere poſſunt, ſed integram deſidero plantam: ſolo enim hoc folio tota planta delineari non poteſt.*

Thlaſpi.

*SCIO non deeſſe rei herbariæ ſtudioſos, qui plantam, quam ad me pro Thlaſpi mittis, idem tecum ſentiant. Atqui ſi cum Thlaſpi, de quo ſcribit Dioſcorides, diligenter conferatur, non video ſane, quibus argumentis in legitimum Thlaſpi tranſmutari poſſit, cum nulla fere nota in eo videatur, quæ illi legitime conueniat. His accedit ſeminis non obſcura amaritudo, nulla penitus acredine prædita, quæ in Thlaſpi ſemine maxime requiritur. Non tamen negabo, Thlaſpi, quod in Tauro monte in Cappadocia naſcitur (vt Galenus eſt autor) Cretico non eſſe ſimile, nec alii cuicunque, quod paſſim vbiq; naſcitur: id quod argumento eſt plura eſſe Thlaſpi genera. Ceterum an hoc ad me tranſmiſſum Cappadocio congenerum ſit, ego ſane decernere nequeo, cū (quod ſciuerim legerimque) eius hiſtoria à nemine deſcribatur, nec de ſeminis amaritudine mentio vlla fiat, quam in tuo vehementem eſſe reperio.*

Thlaſpi Cappadocium.

Smyrnium Creticum.

*Niſi SMYRNII Cretici integram videro plantā, & recentem eius radicem diligenter inſpexero, affirmare ſane non auſim, eā Smyrnium eſſe Dioſcoridis. Interea igitur, vt hactenus ſemper, vulgo vocatam Maceronæ plantam pro Smyrnio habebo. Pergratum tamē mihi facies, ſi integram huius plantam ad me tranſmiſeris. Nam fortaſſe ſententiam mutare conſtituam, omnibus huiuſce plantæ partibus diligenter inſpectis: quod is ſim, qui non meis opinionibus, ſed veritati me perpetuo addixerim.*

Maceronæ.

Papauer corniculare flore rubro.

*PAPAVER corniculare flore rubro, frequentiſſimum in Morauia naſcitur inter ſegetes, & in agrorum aggeribus, eo præſertim tractu, quo Praga Viennam proficiſcimur. Quam procul autem à mari diſtet hæc regio, ſciunt hic omnes. Quod aureo flore a Dioſcoride deſcribitur, nuſquam ibi videre licuit, nec alibi, quam maritimis locis: quanquam fortaſſe in mediterraneis etiam alicubi proueniat.*

Acanthium.

*Alteram ACANTHII habeo ſtirpem, folio tuo longe maiori. Quod tantum Soli pinguedine ariditateue factū eſſe cenſeo. Sed nulla intercedit lineamentorum facieiq; differentia, vtraque enim verum genuinumq; refert Acanthium. Simulac fui contemplatus Æthiopicum SESELI, quod etiam à Iulio Moderato Arimino mihi tranſmiſſum eſt, illico inclinauit animus, tuum hoc magis legitimo adſtipulari, quam meum, quod tamen non dubito quominus Seſeli ſit genus.*

Seſeli Æthiopicum.

Amomum.

*AMOMI hiſtoriam Plinio adeo confuſe deſcribi animaduerto, vt nihil certi inde elici poſſit. In primis enim Amomum, Labruſcam eſſe Indicam ſcribit: Deinde aliorum opinionem ſequutus fruticem eſſe ait Myrto ſimilem, foliis Punicæ mali: quibus non parum correſpondent arbuſculæ folia, quam Plinii Amomum appellas. Sed cum ſcribat is hanc plantam vuas, non baccas, proferre, non ita facile adducor ad credendum, eam ſtirpem Amomum eſſe Plinii. Itaq; ſi clariora tenes indicia, quibus hanc tuam poſſis tueri opinionem, de his, vt ad me ſcribas, perquam maxime rogo. Quinetiam ſcire velim, an peregrina ſit planta, an in Italia proueniat. Id quod pariter de alia etiam planta audire deſidero, quam quidam Dioſcoridis Amomum eſſe cenſent. Cuius ramuſculum quam libentiſſime viderem cum ſuis floribus ac fructibus: vel ſi hoc fieri nequiret, ob plantæ fortaſſe raritatem, vellem ſaltem eius iconem inſpicere à diligentiſſimo pictore delineatam.*

*REPENTEM herbulā foliis Helxines argenteo quodam nitore ſplendentibus, nuſquā me vidiſſe recordor. Itaq; non eſt vt de eius hiſtoria & virib. quicquā à me expectes: eam tamen adſtrictoriæ eſſe facultatis, non ambigo. Huic ſi nomen mihi inueniendū foret, eam quidem ab argenteo nitore Argentinam vocarem.*

Argentina.

Gentianula.

*GENTIANVLA (vt ita dicam) naſcitur circa Pragā copioſiſſima, cuius plures habeo ſpecies magnitudine tantum differentes.*

Polygoni genus.

*STIRPIS illius ramuſculum, quam quidam (vt inquis) Ambroſiam eſſe cenſent, crediderim ego Polygoni potius eſſe genus. Nulla enim ratio mihi ſeſe offert, quæ perſuadeat hanc legitimam eſſe Ambroſiam. Naſcitur hic copioſa Officinæ centum grana a copioſo ſemine vocant. Laudatur decoctum eius ex aceto ad dentium dolores.*

Centum grana.

Pentaphyllum.

*PENTAPHYLLVM illud magnum radice alba magnoq; naturæ artificio nodulis & laciniis elaborata, Dentariæ ſpeciem faciunt quidam. Memini huius ego in meis in Dioſcoridem Commentariis inter Symphyta, dixiq; a Germanis Saniculam albam appellari. Cæterum aliam noſco ego dentariam, folio quinq; etiam apicibus diuiſo, cuius nigræ baccæ, quæ Coriandri ſeminis magnitudine habentur, vbi duæ vel tres deuorentur, ſumentes illico dementant & in delirium agunt. Vidi ego quoſdam, dum Goritiæ agerem, quibus iocandi cauſa hę baccæ datæ fuerant, qui triduo perpetuo delirio laborarunt: laboraſſentq; fortaſſe diutius, niſi noſtris auxiliis ad mentem reuocati eſſent.*

Sanicula dētata.

*PLANTAM radice odorata & adſtringenti, quæ foliorum faciē Agrimoniū refert, noſtrates mulieres,*

lieres ſi recte memini, herbam diui Gulelmi appellant: quemadmodũ veſtrates S. Chriſtophori vocant. Hanc quanquam diligenter ſum contemplatus, non tamen reperi locum, in quo meo in viridario eam ſerere liceret. Praferunt eam quidam ad Strumas, ſi frequenter deuoretur, vel hauriatur in potu.

Herba diui Gu-lelmi.

NON dixerim facile, quam mihi grata fuerit rara illa planta, quam vulgo appellant noſtri SFERRA CAVALLO. At eo mihi carior eſt, quo omnibus ſuis partib. ornatior acceſſit. Omnia in ea adeo integra incorruptaq; ſunt, folia, caules, flores, ſiliquæ, radix, ac ſi nunc primum è terra decerpta eſſent, quæ omnia ad viuum delineari excindique curabo. Nam non vereor quam plurimis perquam gratiſſimam futuram eius imaginẽ, præſertim Chymiæ & Magiæ ſtudioſis. Hi ſane ingentes tibi habebunt gratias, quod tua opera, ac ſtudio hæc planta in communem omnium conſpectum venerit in lucem.

Sferra Cauallo.

PETROSELINI Macedonici plantam, vna cum eius imagine ad viuum delineata, magna cum animi voluptate ſum contẽplatus, quod antehac a me viſa non ſit. Itaq; eam rariſſimi muneris loco habeo. Rem ipſam ob eius raritatem multifacio, pluris tamen fidem tuam, qui ſcribis legitimam eſſe plãtam, quod ſcias (vt mihi perſuadeo) vel ex Macedonia, vel Epiro eſſe allatam, vbi Petroſelinũ plurimum naſci ſcribit Galenus.

Petroſelinũ Macedonicum.

NVNC primum in Marino Bryo me perperam damnaſſe Pliniũ animaduerto, inſpecta tum eius planta, tum imagine, quam à virenti recentique ceſpite delineatã agnoſco. Eſt enim lactucæ criſpæ adeo per omnia ſimilis, vt merito à piſcatoribus Lactuca marina appellari debeat. Nunquam putaſſem herbam per omnia Lactucæ ſimilem tum improprie Bryon appellaſſe Plinium, cum nihil, cum marino arboreoue Muſco ſimilitudinis habeat. Sed ea tantum cauſa hanc cenſeo Bryon appellaſſe illum, quod Concharum teſtis & lapidibus inhærens, vireſcat & viuat.

Bryon Marinum Plinii.

Quanquam OENANTHE vtraque mihi valde placeat, quod nouarum plantarũ inſpectione plurimum delectari ſoleam, eſt tamẽ quod in vtraq; deſiderari putem. Prima enim cuius folium Paſtinacæ æmulum vna cum integra imagine ad me miſiſti, legitima Oenanthe dici poſſet, ſi radix quæ fere nihil magnitudine, ac facie a Filipendulæ radice abeſt, craſſior, tuberoſiorq; ſpectaretur. Altera vero Oenanthen tuberoſa tantum radice referre videtur, foliis minime. Dico tibi ſententiam meam, cui nolim acquieſcas, niſi probaueris.

Oenanthe.

NARCISSORVM omnium, quinetiam Hyacinthorum, Bulborumq; imagines, viuis ac genuinis delineata coloribus gratiſſimæ mihi fuerunt. Cupio tamen viuas horum omnium plantas meo in viridari ſolo aliquando alere. Id quod ſingulari tua diligentia me conſequuturum ſpero. Itaq; vbi Bulbos mihi comparare poteris, id vt diligenter facias, obſecro.

Narciſſus Hyacinthus Bulbi.

APII Orientalis ſemen, ſuo poſthac tempore ſeram. Cum vero adoleuerit, ſabuloſa terra (vt doces) ea ratione operiam, vt albeſcat, qua Cinaram & Intubum Olitores hyeme in Italia obruere ſolent. Experiarq; poſtea an in obſoniis eam quam polliceris, cum palato ineat gratiam.

Apium Orientale.

CONFERVAM de qua lib. 27. cap. 8. meminit Plinius, ſæpe fontibus innatantem vidimus, ac etiam inde exemptam diligenter inſpeximus. Non tamen animaduerti, de ea ita aperte ſcripſiſſe Plinium. Quare plurimum tibi debeo, quod tua opera iam me doctiorem eſſe agnoſco.

Conferua.

RVTÆ ſylueſtris, quam Armolam Aphri vocant, habeo, Conſtantinopoli à Guilelmo Quacelbeno Cæſarei Oratoris Medico mihi tranſmiſſã cum floribus & capitulis: ſed vna & eadẽ planta cum tua eſſe videtur.

Ruta ſylueſtris.

PLINIANI Pelacini plures plantæ in quodam amici mei horto hic cum ſiliquis contortis & floribus virentes ſpectari poſſunt, quæ nullis notis à tuo differre videntur.

Pelacinum.

TRIFOLII Aſphaltitis ſemen ꝙ polliceris, erit mihi gratiſſimũ, non quod inde plantas alere cupiã, ad viuũ delineandas, cum hoc iam diu factum ſit, ſed vt hanc herbam ad morbos curãdos copioſam ad manus habeam.

Trifoliũ Aſphaltite.

PRÆTER eas plantas, de quibus ad me ſcribis, reperi in ipſo capſulæ fundo alias quaſdam, inter quas erat PORTVLACÆ arboris ramus, Glaux, Cretamus aculeatus, Gramen quoddam ſpinoſum, ac ea etiam ſtirps, cuius ſiliquæ ferreo venabulorum mucroni ſimiles habentur, quibus vtuntur venatores apris, ac vrſis inuadendis. De Portulaca alias meam dicam ſententiam: nunc enim nihil eſt, quod magis dicam. Placet nimirum Glaux, ſed longe fortaſſe magis placebit cum floridam eius plantam inſpiciam, intelligamque in maritimis naſci. Cretamum aculeatum nondum antea vidi, quare charũ mihi eſt. Ignota etiam mihi eſt, quæ mucronatis ſiliquis prouenit. Lonchitibus hanc tertiam adderem, quod lanceæ omnino ſpeciem ſiliqua referãt. De viribus ſi quid habes, id plurimum abs te doceri cupio.

Portulaca arbor.
Glaux.
Cretamus aculeatus.
Gramen ſpinoſum.

IVNCVM quem Plinii Spartum facere quoſdam ſcribis, vbique examinandum mihi propoſui. Sed cum in montibus Carthaginenſis Hiſpaniæ citerioris aſſerat is ſicciſſimis locis naſci Spartum, non in littore maris, viderimq; ego Hiſpanicum Spartũ ab hoc longe ſatis differre, non ita facile horum placitis adſtipulari poſſum. E Sparto ſtrata ruſticis fieri ſcribit Plinius, quin etiam ignes, faces, calceamina, & paſtorum veſtes, quæ omnia è ſuo Sparto in ea Hiſpaniæ regione rura omnia parant. Sed non video quo pacto ex hoc craſſiſſimo Iunci genere veſtes parari queant. Ex Hiſpanico Sparto calceamenta contexta ſæpius vidimus, ſed placidiore ſatis, quam iſtius Iunci materie.

Spartum.

MITTO ramulum Piſani ſuberis, cuius folia non parum à Romano diſtant. Piſanum enim ſpectatur folio longe productiore acuminatioreq;, adeo vt is potius Ilicis quam ſuberis videatur, tantum poteſt cœli ſoliq; natura. Nec dubito quinetiam fructu differant. Nam ſi recte memini Romanum vt folio breniore, ita glande compactiore, & rotundiore ſpectatur. Vbi autem Romæ Suber cum glandibus tuus tibi mittet Maciguus, quem magno admodum virtutum cumulo ornatum eſſe audio, id ad me delineandum, vt mittas, quam maxime rogo. Hoc itaq; eſt, mi amantiſſime Cortuſe, candidum liberumq; tui Matthioli iudicium de raris, ac pulcherrimis plantis, ad me tranſmiſſis: quod ſi fortaſſe vllibi claudicare deprahẽderis, velim vt pro tua humanitate manum illi adiungas: quod ſi (vt ſpero) feceris, ſane mihi gratiſſimum feceris. Quam magno tenear videndi deſiderio Cedri è monte Libano ramuſculum, id quod tua opera fieri promittis, non ita ſane facile dixerim. Ideoq; cupio abs te certior fieri, an illum conſequendi aliqua certa ſit ſpes. Audio enim ſimulac aruerit mox decidere folia, quod in Larice etiam obſeruaui. Gratulor autem mihi plurimum, quod tam humaniter polliceris ſcripturum te in Cretam ac Cyprum ad tuos amicos, qui iis in locis agunt, vt ſi quid pulchri rarique ibi repererint, quod ad hanc noſtram ſpectet facultatem, id ad te mittant, tantum (quæ tua eſt benignitas) mea cauſa. Sed faxit Deus Optimus Maximus vt quas me tibi habere gratias certo ſcio, quandoque cumulatius referre valeam.

Suber.
Cedrus Libani.
Larix.

Palma.
Muſa.

*Expecto veram Palmæ arboris imaginem, ac etiam inuolucrum, quod Elaten appellant: quinetiam illud Pumilæ Palmæ genus, quod vulgo Neapoli ab Encephalo appellant Ceſaglionem. Expecto & Muſæ iconem à clariſſimo Faloppio, cui vt me commendes, plurimum abs te peto. Reliquum eſt, vt pro lentiginibus delendis in*

Remedia ad lentigines.

*Nobiliſſima illa Virgine, cuius virtutes mihi tantopere collaudaſti, aliquid remedii ſcribam. Sed ſcias velim difficile eiuſmodi maculas adeo deleri poſſe localibus medicamentis, ne poſthac tractu temporis repullulent, præſertim æſtiuo tempore, cum cauſa in ipſo hæreat ſanguine. Attamen vidi ego pluries ex toto deleri lentigines frequenti ſcrofæ lactis illitu. Præſtat idem ſulphuris oleum, cuius parandi rationem ſcripſimus, libro noſtro de morbo Gallico. Sed huic addere oportet tertiam Tartarini olei partem: quinetiam Amygdalarum oleum ex amaris nucibus preſſum, & cum Bryoniæ ſucco illitum. Præſtat ad id nucis vnguentariæ oleum, quo vnguentarii ad multa vtuntur. Fit oleum è lacertis quod ego ſum expertus, hoc modo. Sumito Lacertas viuas decem, & affundito olei Amygdalarum amararum libram. Collocato deinde in balneo feruentis aquæ vas vitreum, quod Lacertas, & oleum exceperit, aperto ore, & ita dimittito horis continuus decem: deinde extrahito & percolato, & inungito, addito ceræ odoratæ momento, vt diutius hæreat. Vale.*

## IACOBVS CAMENICENVS, MEDICVS, PETRO Andreæ Matthiolo, S. P. D.

### *Continet Epiſtola ſecti cuiuſdam hydropici hiſtoriam.*

*EX quo tēpore te in has regiones vltra Alpes tranſmiſere Dii immort. clariſſime Matth. non nos tātum, qui in hac vrbe ampliſſima medicinā facimus, verumetiā è longinquis locis, ad te tanquā ad Themidis oraculum confugiūt pleriq; Medici cōſulturi in rebus dubiis, tuam ſummā prudentiā, iudiciū, eruditionē, conſilium. Quo fit, vt multi ægri morbis grauiſſimis liberentur, qui peſſū irent, niſi te hominē tanta doctrina, experientia & humanitate etiam præditū ad manus haberemus. Cum autē hac in vrbe recēs caſus inauditus acciderit, nec ego nunc propter certas, quas noſti, cauſas domo excedere poſſim, vt tecum coram colloquar, putaui me à bonitate tua hac ſchedula facile tantum impetraturum, vt tuam, mihi ſententiam de hac ipſa, quam dixi, re exponeres, eamq; literis conſignares: ita enim dicta tua crebriore meditatione facilius recolere, & amicis etiam meis diſcendi cupidis communicare potero. Res autem de qua iudicium tuum audire cupio, ſic habet. Hiſce diebus*

Secti cadaueris hydropici cuiuſdam Hiſtoria.

*ego & amici aliquot mei, ſecuimus cadauer hominis, qui diuturno morbo laborauerat. Is autem & hydropicus poſtremo effectus erat. Reſecto autem ventre, cum tranſiiſſemus muſculos abdominis, inuenimus aquam illam, citrinam vocatam, intra peritoneum & inteſtina: de quo ab aliquibus dubitatum tamen fuiſſe video. Mox inde reſpeximus ad hepar, tanquam in eo cauſam, morbi manifeſtam viſuri. Id reperimus grande, colore nigricante, & fere tali qualem in ſplene alias conſpicimus. Folliculus fellis pleniſſimus erat bile. Hepatis venæ in parte eius caua, priuſquam in communē illum caudicē portæ deſinunt, omnes obſtructæ erant, lapillis eas diſtē-*

Lapilli in iecore inuenti.

*dentib. foris nigris, intus flauentib. Porro & ille meatus, qui ex folliculo fellis in inteſtinū deſinebat, lapide eiuſmodi obſtructus erat. Hunc cum exemiſſemus, nihilomagis tamē bilis effluxit: coaluerat enim foramē illud de-*

Fellis meatus lapide obſtructus.

*ſuetudine bilē ad inteſtina mittendi. Hanc iſtius meatus obſtructionē ego cauſam fuiſſe video icteritiæ, cū qua hic homo ante hydropē longo tempore conflictatus fuerat, regurgitante ad totum ambitum venarum bile, quæ purgare per inteſtinum debuiſſet. Nam meatus ille, qui ex folliculo fellis in Hepar eſt, liberrimus erat. Cæterū*

Iecur tota cōuexa ſuperficie ſepto tráſuerſo adnatum.

*Hepar ipſum tota ſua conuexa ſuperficie adnatū Diaphragmati conſpiciebatur, interueniēte membrana quadam craſſa & firmiſſima, nata fortaſſe ex calore æſtuante in eiuſmodi quaſi cruſtam externam ſuperficie hepatis. Nam & idē æger perpetuo de inſigni calore dextri hypochondrii queri ſolitus erat. Iā à te erudiri cupimus nunquid etiam apud veteres eiuſmodi lapillorum mētio aliqua facta ſit. Gal. quidem, quod meminerim, lapides in renibus & veſica tantum, interdū vero etiam in inteſtinis generari credidit. Quod autem in Iocinore generen-*

Georgii Bohemiæ Regis fel Lapideum factum.

*tur, id aut neſciuit, aut ſi ſciuit, certe ſcriptis non prodidit. E Georgio Bohemiæ Rege adhuc hodie folliculus fellis poſt mortē exemptus, extat, in quo, loco bilis lapis durus cōtinetur, hæmatitæ lapidi colore ſimilis. Res miranda perfecto & digna, de qua te audiamus. Neq; enim eſt alius, qui nos docere de re tanta melius te poſſit. Vale.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS, IACOBO CAMENICENO MEDICO, S. P. D.

### *Reſpondetur ad Epiſtolam præcedentem.*

*PErgratum ſane abs te mihi factū eſt, mi Camenicene, quod de inuentis in ſecto illo Hydropico me certiorem reddideris, & præſertim cū de lapillis in Iocinore repertis, nec apud antiquos nec apud cæteros Medicæ facultatis ſcriptores, vlla (q; legerim viderimq;) poſteritatis memoriæ ſit facta mentio: quanquam id facile fieri poſſe, vt poſtea dicā, non ambigo. Colligi plurimū in Aſcite hydropicorū aquam inter Peritoneū & inteſtina, vt Gal. fatetur, cum libr. qui dicitur Medicus, tum etiā quinto de locis affectis, mirū non eſt, ſed magis mirū, quod quidā, vt inquis, de re hac dubitauerint. Nam cum id manifeſte aſſerat Gal. ac etiam Auicenna, cur dubitare debuerint ſane non video, ſed eorū iam ceſſabit dubitatio vbi abs te audient ſub peritoneo aquā eſſe repertam. Teſtimoniū enim tuum adeo ſenſibile eſt, vt ſi quis poſthac dubitare perſeueret, is pertinax omnino dici merea-*

Iecoris præternaturalis magnitudinis cauſa.

*tur. De Iecoris magnitudine, & nigredine nihil etiam mihi mirandū eſt. Intumeſcit enim hoc viſcus obſtructionib. accedentib. Quippe obſtruens humor, tenuiora viſceris vaſa primū implet, & infarcit, auctus deinde, in omnē eius ſubſtantiā ſe diffundit, & eā poſthac perinde, ac vaſa obſtruit: quod ſi rurſum adhuc plenior multo cumuletur, in amplā molē iecur totū diſtendit, & tumidū admodū reddit. Tumori ſi poſtea accedat nigredo, nil etiā mirū videri debet, cū ex infarctu craſſeſcat ſanguis, & viſceris facultates omnes robur amittāt. Reddita enim imbecilli expultrice facultate, atra illa ſanguinis excremēta, quæ ad lienē trāſmitti poſtulabāt, in ipſo hærent Iocinore, & eius non ſolū permutāt colorē, ſed etiā ſubſtantiā. De lapillis autē iis in venis repertis, quæ ex*

Facile calculos in iecore gigni poſſe.

*iocinoris cauitate interiore, in venæ Portæ caudicē deſinunt, ſi meā tibi dicā ſententiā, nulla mihi ſeſe offert ratio, quæ nō conſentiat, id fieri, in iecore poſſe facile, quemadmodū in renib. veſica & articulis. Nanq; tametſi id non dixerit Gal. hoc tamen nihil obſtat, quo minus etiam in iecore, vt in renibus, oriri calculi poſſint. Quippe cū in iecore eade ſit materia craſſa glutinoſaue calculis gignendis idonea, nec ibi calor deficiat, cuius vi lapideſcat, nihil prohibet, quin calculi ibi etiam fieri poſſint. Dicebat enim Gal. libr. de renum affectuū dignotione, Lapidē*

Lapidis in homine generatio quomodo fiat.

*in homine à calore generari, eoq; vel vehementi, vel tepido. Si craſſa materia eſt (vt ille inquit) ſufficere poteſt tepidē*

*tepida & moderata caliditas, & quæ naturalis eſt ad firmandam, & indurandam terrea modo hanc materiam: eſt enim craßities ad generandum lapidem ſingulariter accommodata. Sin tenuior eſt vehementiori, tunc plane indigebit caliditate ſiue naturali, ſiue præter naturam, qua dureſcat in terram. Siquidem calor tenues materiæ partes diſſoluit atq; ita vbi valuerit, lapidem conformat. Hæc ille. Quibus palam eſt, non eſſe præter naturã, ſi in iecore etiam lapilli gignantur, cum ibi non deſit materialis cauſa, nec efficiens, nec inſtrumentalis, quibus ij in eo generari poßint, cum eo obſtructo, quãdoq; craſſa, quandoq; glutinoſa, quandoq; ambo ſimul ibi hæreant excrementa, calor non deficiat, nec vaſorum cauitas in qua calculi gignantur. Nam ſi craſſus glutinoſusve ſuccus, qui in renibus lapideſcit, ex iocinore per venam cauam fertur in renes, nihil ſane prohibet, quo minus in eo lapideſcere poßit, vbi heſerit diutius. His rationibus itaq; fretus crediderim ego lapides in iecore vt in renibus frequentißime gigni. Sed quoniam propter visceris inſenſibilitatem non excitant dolores, nec expelluntur extra corpus, nec videri poſſunt, nec tangi, quemadmodum qui in renibus & veſica fiunt, ſed in occulto deliteſcunt, in Medicorum conſiderationẽ non veniunt. Quo fit, vt his ignoratis quandoq; mirentur Medici, cur iis in morbis, qui ex iecinoris infarctu oriri ſolent, nihil penitus curari valeãt vllo medicamentorũ genere. Lapidẽ amygdalæ nucis quantitate in Aureliæ Petruccæ iocinore Panduiphi Tyrãni coniugis Senis repertũ eſſe ſcio, in quem interitus illius cauſam reiciebant Medici. Sed in felle naſci lapides teſtatur Fernelius vir noſtra ætate præclarißimus, qui lib. vj. de partium morbis ſic habet. Calculus in cyſti fellis plerunque concreſcit niger ſed leuis, & qui aquæ immerſus innatat. Origo illi eſt è flaua bile, quæ proprio conceptaculo diutius coercita nec tempeſtiue vacuata, nec noue influxu renouata mirum in modum obdureſcit. Id autem in primis accidit, cum vterque Cyſtis ductus obſtruitur. Huius quidem neq; manifeſta ſunt notæ, neq; grauia ſymptomata, quibus certo ac facile deregi poßit. At ſuſpectus iis eſſe debet, quibus grauis ac diuturnus fuit icterus. Hactenus ille. Quo morbo cum hydropicus ille tuus diutius admodum laboraſſet, nec medicamentis expugnari potuiſſet morbus, nil mirum ſi lapillus in eius felle fuerit inuentus, qui ductum illum occluderet, qua bilis in inteſtina deferri ſolet, quinetiam ſi poſthac coaluerit ductus, vbi ducendi munus ceſſauit. De felle autem Georgij Bohemiæ regis in rubeum lapidem conuerſo, res miranda (vt putas) non eſt quod id etiam in pluribus fiat. Nam vt Fernelius inquit, Senex quidam decrepitus ad iram mire propenſus, poſt deceſſum ſine felle & ſine cyſti inuentus eſt, in cuius ſede calculus ingens conſederat. Quinetiam fuiſſe alios ſcribit, qui poſt diuturnum icterum, oborto alui profluuio huius naturæ innumeros calculos inſtar Piſi aut hordei granorum, per aluum emiſerunt. Quo fit vt quandoque hallucinari poßint Medici, qui, vbi per aluum excernere lapillos quempiam viderint, hos in inteſtinis exortos cenſent. In bubulo felle reperiri ſæpe lapides iuglandis magna quantitate, ruſo colore, ego ipſe teſtari poſſum, qui plures à Lanijs exemptos mihi comparaui, ad varios morbos curandos, vt in noſtris in Dioſcoridem Commentarijs fuſius diſſeruimus. Verum mirum omnibus videri poſſet, ſectis iecur conuexa ſuperficie ſepto transuerſo fuiſſe adnatum, niſi monſtrifica plura in alijs etiam humani corporis partibus ſæpe viderentur. Id quod dubium me reddit, an naturæ lapſu, an ex morbo (vt tu ſuſpicari videris) hoc fuerit factum. Potuiſſem pluribus hanc tractare quæſtionem, ſed quoniam nec opus eſſe videtur, nec otium abundat, boni conſulas rogo Epiſtolæ breuitatem. Vale.*

In iecore eſſe omnia quæ Lapidẽ gignere poſſunt.

Cur morborum cauſas ignorent quandoque Medici.

Lapis Amygdalæ nucis magnitudine in Iecore mulieris repertus.

Lapides in humano felle gigni.

Fel decrepiti Senis Lapideum factum.

Calculos è felle per aluum quãdoque excerni.

Bubuli fellis lapides.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS, Ioanni Matthesio S. P. D.

*Agitur de Magnete Theamedem continente.*

*De humanitate tua, qua vſus es erga me ſuperiori æſtate, cum ad me aliquot metallicorum ſpecies mitteres, iamdudum tibi egiſſem gratias, niſi me & aulæ negotia, & operis mei editio impediuſſet. Ago tamen nunc, aut habeo potius: relaturus aliquando eas, vbi occaſio mihi ſeſe aliqua commoda obtulerit. Inter reliqua, quæ miſeras erat Magnes, cui Theamedem ineſſe VVillebrochio dixeras, propterea quod vna ex parte ferrum, quod alia attrahebat, repelleret. Verum ego, cum eius periculum facerem, nihil tale depræhendi. Ferrum enim vndiq; attrahebat. Itaque errorem tunc interueniſſe credo cum VVillebrochio traderes. Nam & ipſe mihi retulit duos te Magnetes habuiſſe, quorum vnus ſimplex eſſet, alter vero etiam Theamedem contineret. Vnde facile fieri potuit, vt illos imprudens, inter ſe permutares. Rogo autem pro ſumma humanitate tua, vt ſi quam portionem Magnetis, cui Theamedes coniunctus ſit, habes, eam mihi mittas. Id munus mihi tam gratum erit, vt magni id theſauri loco ſim apud me repoſiturus. Eram tibi miſſurus exemplar commentariorum meorum in Dioſcoridem, ſed nullum mihi nunc ad manum eſt, quare id alio tempore à me expectabis. Epiſtolarum opus meum ſub prælo eſt. Id quam primum edetur ad te tranſmittemus. Salutat te VVillebrochius collega meus, qui ſuperiore æſtate meo nomine te iſthic conuenit. Vale.*

Magnes Theamedem altera parte habens.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Balthaſari Pepulo Myropolæ Bononienſi S. P. D.

*Traditur exactißima Theriacæ parandæ ratio.*

*Tametſi iam diu mihi perſuaſum habeam iſtic non deeſſe præclarißimos Medicos, & in ſimplicium medicamentorum cognitione peritißimos, qui tibi in tua conficienda Theriaca, me longe magis auxilio eſſe, ac ſuis conſiliis adiumenti plurimum Reipub. afferre valeant, adeo vt tibi opus haudquaquam ſit noſtra expetere auxilia, vel conſilia: quum tamen tot precibus, petitionibus, ac literis à me efflagitaris, vt hac in re te iuuem, & meam de omnibus, quibus indigemus ad huiuſce Antidoti conficiendi apparatum, ad te ſcribam ſententiã, non potui tibi non morem gerere, præſertim cum videam te in ea verſari opinione, vt vbi fueris meis auxiliis deſtitutus, nunquam à Senatoribus te conſequuturum putes Theriacæ conficiendæ facultatem. Quæ res mihi tanto iucundior accidit (quanquam fortaſſe de me plura tibi polliceris, quam re ipſa præſtare valeam) quod non ſolum cauſas, quib. ad hoc moueris, mihi ſignificaueris, ſed & audiam abs te, quam iſtic mea ſcripta in Dioſcoridem magni fiant, dum mihi tam aperte aſſeueras, omnes fere doctos viros & rei Medicæ ſtudioſos, qui in tuum concedunt Myropolium, vt tuorum ſimpliciũ medicamentorũ pro Theriaca ipſa conficienda inſpiciant apparatum, mea ſemper ſecum afferre Commentaria, vt ijs ducibus agnoſcant, quæ vera ſint & quæ adulterina, quæ probanda & quæ reprobanda videantur, exiſtimantes ſe tuta via fœliciter procedere. Cæterum vt in hac tua ſane laudabili petitione tibi morem geram, ignorare ſane primum non debes, me in ea ſemper fuiſſe ſententia, hoc æuo minime à nobis parari poſſe Theriacam ex ijs ſimplicibus, ea fœlicitate ac ratione, quibus à Galeno parabatur, nec ſi pararetur eadem præſtare, quæ illa præſtitit: quod multis deſtituamur medicamentis, quæ in hanc*

Theriacam à nobis ea fœlicitate parari non poſſe, qua parauerunt antiqui.

N[illegible]a planta [illegible]pria caret facultate.

*veniunt antidotum. Namq; quanquam in horum defectu ſuppoſititiis pro more vtimur, (vt quidam putant) à Galeno inſtitutis, non ob id tamen nobis putandum eſt, his aſſumptis optimam parari poſſe Theriacam. Quandoquidem hæc tametſi in apparentibus manifeſtiſq; qualitatibus cum iis conuenire videantur, quæ nobis deſiderantur: non tamen (quod magnifacio) in latentibus, quibus mea ſententia, nulla caret planta, ita facile illis correſpondent. Quapropter nulla reperitur in Europa Theriaca ab Andromacho conſcripta, quæ viribus per omnia illi correſpondeat, quæ ab ipſo Galeno Romanis illis Imperatoribus parabatur. Nã & ipſius Galeni tempore (vt ipſemet ſcriptum reliquit lib. 1. de Antidotis) quamuis plures eſſent Romæ homines admodum diuites, qui ſibi hanc Antidotum parari curabant, quod eo tam fœliciter vti Imperatores ſcirent, non eam tamen iiſdem viribus præſtantem conſequebantur ob ſimplicium quorundam defectum, quæ tantum apud Imperatores ipſos extabant.*

Librum de ſuppoſititiis medicamentis non eſſe Galeni.

Theriacam etiã à nobis parari poſſe.

*Nec eam tantum ob cauſam parũ de ſuppoſititiis confido medicamentis, ſed quod libellus ille, in quo de his tractatur (vt inferius de carpobalſamo agentes diffuſius diſſeremus) falſo ſit Galeno aſcriptus. Quo fit vt qui illius doctrinam vbiq; ſequuntur, perperã ſuam conficiant Theriacam. Nec tamen ob id ego illis Medicis adſtipulor, qui volunt non debere parari Theriacam, quum fieri eo modo nequeat, quo antiquitus tum ab Andromacho, tum à Galeno parari ſolebat. Sane maior pars medicamentorum ad eius parandi rationem neceſſariorum ſunt nobis ad manus, atq; ea de cauſa Theriacam ſcio antehac à quamplurimis & Venetiis, & Patauii aliiſq; Italiæ locis eſſe paratam parariq; quotidie ſummis approbantib. Medicis. Quamobrẽ ſi in hiſce ciuitatibus, vbi nihil temere à Myropolis parari ſolet, & vbi ars Medica primas tenet, ii qui Reipub. præſunt, clariſſimorum Medicorũ conſenſu parari Theriacam iubent: non video profecto, quid tibi ſoli obſtare poſſit, cur tu etiam eandem parare nequeas, vbi præſertim intercedat tantorum Medicorum, quorum in tuis literis meminiſti, autoritas, & omnibus iam diu conſtet de tua ſingulari induſtria & fide. Vt autem (quum nihil eſſe reliquum putem, quo tua voluntas impediri nunc poſſit) id quod deſideras fœlicius conſequaris, conabor plura tibi in mentem reuocare, quæ fortaſſe rei Medicæ ſtudioſis non ingrata erunt, ac tuis & Reipub. commodis non inutilia.*

Theriacæ baſes.

*His itaq; rationibus nullũ eſſe cenſeo, qui ſecus ſentiat. præſertim quum Viperei paſtilli, Opium, & Piper, quæ totius Antidoti baſes eſſe videntur, nobis vbiq; ſint ad manus. Atqui ſi quis inueniretur tam pertinax, qui Theriacæ præparationẽ impediret, ob cauſas ſuperius recitatas, is ſane exercitus Præfecto eſſet comparandus, qui ſuos milites loricas ferreas induere prohiberet, quod bombardis non reſiſtant, ac ſi lanceis, gladiis, ac ſagittis nõ eſſet obſtandũ. Tibi itaq; Theriacã (vt ſpero) confecturo expedit, vt ſimplicia omnia tam legitima, quam quæ ſupponenda erunt, magna cum diligentia & iudicio ſummo tibi examinanda proponas. Quod vt facilius agas, hic ſtatim meam de omnibus tibi aperiam ſententiam.*

Radices quales eſſe debeant.

RADICES *ſint oportet extenſo cortice non rugoſo. hoc etenim earum maciem oſtendit, & quod in tempore cõpetenti non fuerint effoſſæ, vel fortaſſe ſub calentibus admodũ ſolibus exiccatæ: & quæ nec vetuſtate, nec carie exoleuerint.*

Fructus qui præſtantiores.

FRVCTVS, *virgulta, & germina, vegeta plenaque eſſe debent. Item & quicquid ſemen includit, tegmina cortices & inuolucra.*

Semina quæ probentur.

SEMINA *probantur, quæ grauia ac plena habentur, quod ex eo conjiciemus, quod tentum corticem habeant, non rugoſum.*

Liquores & ſucci.

LIQVORES *& ſuccineq; diuturnitate areſacti ſint, neq; ſuas qualitates obſcuras habeant, has dico quas guſtu olfactuq; percipimus. De his cum ſatis in vniuerſum dictũ ſit, dicemus nunc ſpeciatim de omnib. à longo pipere incipientes.*

Piper longum.

Piper longum domeſticum, & Syluestre reperiri.

PIPER *longum Galeni tempore fraudulenter concinnabatur, quamobrẽ aqua macerari iubet. Soluitur enim hoc pacto, quod ſubornatum eſt. Porro præſtantiſſimum nullis adulteriis vitiatum Venetiis copioſum viſitur, id peculiariter domeſticum vocant: namq; Syluestre etiam oſtendunt. Eligendum eſt recens non carioſum, nec ſitu obductum, vegetum, compactum acerrimumq;.*

Opium quod paſſim habetur, non eſſe genuinum.

OPIVM *quod paſſim in Seplaſiis proſtat, legitimum (quantum video) non eſt. Nã ſi Dioſcoridi eſt adhibenda fides, Opium ex lactea papauerũ capitum lachryma colligitur, illudq; præſtantiſſimum habetur, quod fuerit denſum, guſtu amarum, odore ſoporiferum, & quod facile aqua diluitur, læue, candidum, neq; aſperum, neq; grumoſum, & quod lucernis admotum non atra luceat flamma. At id quo paſſim Seplaſiæ vtuntur, candidum non eſt, ſed ex nigro vireſcens aut ex luteo nigricans, aſperum potius quam læue, odore mirum in modum caput feriens, quin & lucernis accenſum non modo nigram, ſed nigerrimam edit flammam. Quo fit vt credam communis vſus Opium legitimum mentiri, & id potius eſſe quod Dioſcorides Meconium ſpeciatim vocat.*

Meconium ab Opio differre.

*Quandoquidem Meconium Dioſcoridi ac etiam Galeno Opium legitimũ non eſt, quod ex lactea tantum papaueris lachryma parabat antiquitas inciſis cutetenus cultello capitibus: ſed ſuccus preſſus concretuſq; è tuſis iiſdem papauerum capitibus Opio longe imbecillior. Poſſet tamen ad antidota vſurpari legitimi Opii vice, ſi tamẽ impoſturis non fuerit vitiatum: detentum enim in ore non ſolum ſaliuam ſubcroceo colore inficit, ſed acredine quadam linguã adeo vexat, vt plerunq; veſiculas excitet. Id quod ſane non obſcurum præbet adulterii indiciũ, quod ſcilicet aut Glaucii aut Chelidonii ſuccum admiſtum habeat. Curent itaq; Pharmacopœi, vel legitimum ſibi afferri, vel ipſimet nigra ſerant papauera, & Opium ſibi conficiant, vel ſaltem ſelectiſſimum Meconium habeant, quo in legitimi Opii defectu tu in tua paranda Theriaca vti poteris.*

Roſæ.

ROSAE *probantur puniceæ & quæ præ cæteris odoris ſuauitate præſtant, decerpi tamen debent anteaquam penitus dehiſcant, & eo ſiccari ordine, quo paſtillos Vipereos ſiccari docuit Galenus.*

Scordium.

SCORDIVM *herba, quod paluſtrem Triſaginem etiam vocant, iam adeo vulgaris eſt notitia, vt nullus amplius ſuperſit ambigendi locus. Creticum primas tenet, quanquam in aliis etiam regionibus naſcitur non contemnendum. Optimum ſane iam pridem ex Pannonia mihi allatum eſt, odore caput feriens, & cæteris quæ guſtauerim acutius. Proh dolor quam in magno verſati ſunt errore Medici quamplurimi qui ante nos claruerunt, Allium ſylueſtre Dioſcoridi Ophioſcorodon vocatum pro Scordio ſuis Theriacis miſcentes.*

Napi ſemen.

Domeſtici Napi ſemen præſtãtius contra venena, quam ſylueſtre.

NAPI *ſemen an hortenſis vel ſylueſtris Theriacæ ſit admiſcendum non erit ab re diſſerere. Nam tametſi Galenus ſylueſtris Napi ſemen ex Creta allatum imponendum præcipiat, illi tamen non omnino adſtipulandum videtur. Quandoquidem Andromachus, nec agreſtis nec ſatiui aperte meminit, ſed dulcis, quum ſcribit talibus verbis. καὶ γλυκερῶς σπέρματος βουνιάδος. & dulcis ſeminis Napi: id quod palam facit Andromachum potius immiſcuiſſe ſatiui Napi ſemen, quam agreſtis. In agreſti enim (quod ſciuerim) nulla percipitur dulcedo, ſed potius acuta quadam amaritudo: in ſatiuo vero contra, vtimur enim eo in cibis ſua allecti dulcedine. Præterea iunior Andromachus, qui ex patre ſuam tranſcribit Theriacam, habet Napi tantum ſimpliciter, quemadmodum & Damocrates, quod etiam hos arguit de domeſticorum Naporum ſemine intellexiſſe: Nam cum Napus ſatiuus ſylueſtriſque habeatur, quum ſimpliciter ponitur, rationi conſonum videtur, vt potius de ſatiuo ſit intelligendum, quam de ſponte naſcente. His accedit Dioſcoridis Medicæ materiæ facile Principis magnifaciunda autoritas. Etenim li. ij. de ſatiuo Napo ſcribens, ita de eius ſemine ſcriptũ reliquit.*

Napi

Napi ſemen potum venenorum vires hebetat, antidotiſq; admiſcetur. Quas tamen vires ſylueſtri, de quo ſcripſit libro 4. nuſquam reddidit, ſed tantum ad vrinas ſecundaſq; ducendas commendauit: quinetiam lieni, veſicæ & renibus vtilem eſſe dixit. Id quod etiam, de eo ſcribens ipſemet aſſerit Galenus. Plinius deinde libro vigeſimo, capite quarto, poſtquam primo loco ſylueſtris Napi meminit, & illum prætulit Dioſcoridem fortaſſe ſequutus, ad fœminarum purgationes, veſicæ affectus, & ad vrinam ciendam. Alterum, inquit, Napi genus eſt, quod Buniada vocant, Raphano & Rapo ſimile, ſeminis præclari contra venena, ob id & in Antidotis vtuntur illo. Quibus palam eſt de ſatiuo poſtremo locutum eſſe Plinium: quippe is facie ad vnguem Raphanum refert, guſtu vero ſaporeq; quam maxime rapum. Quamobrem neſcio qua ratione ductus Galenus ſcripſerit libro primo de Antidotis, vbi ſimplicia quæ in Theriacam adduntur expendit, ſumendum eſſe ſylueſtris Napi ſemen: Niſi fortaſſe is peculiariter compertũ haberet, id quod ſuo æuo ex Creta afferebatur propria fortaſſe quadam vi pollere ad Antidota paranda. At quum nos eo destituamur, ſuaderem ſane vt ſatiui ſemine vterentur Pharmacopæi, & id tantum ſuis admiſcerent Antidotis, quod palam ſit tantorum præclariſſimorum virorum autoritate præſtare hoc, ad venena & in Antidotis addi.

IRIS omnium præſtantiſſima eſt Illyria: quinetiam Macedonica. Ex Illyria facile Venetias comportatur. Eligenda tamen in hoc genere, quæ præ cæteris fuerit odorata. Reiicienda eſt Libyca, tum quod amareſcat, tum quod Galeni teſtimonio tantum ab Illyrica diſtet, quantum abeſt cadauer à viuo corpore. Naſcitur in aliis etiam gentibus, quæ viribus ab Illyrica parum recedit, qualis eſt, quæ in Apulia prouenit, & quæ candidum edit florem. Cæterum quum Illyrica ſit omnium efficaciſſima, ea tantum tibi fuerit ſeligenda.

Iris Illyrica præſtancior cæteris.

AGARICVM (vt Galenus inquit) fraudem nullam admittit. Deſiit conuehi ad nos ex Sarmatia, Galatia, & Cilicia: quod autem per Italiam circumfertur, & Venetias comportatur, legitur partim in agro Tridentino, Tyrolenſique Comitatu, vbi montes vbique Laricibus ſylueſcunt: partim vero affertur ex Norico tractu aliiſq; circumiacentibus regionibus, quibus ſane in locis præſtantiſſimum prouenit. Non autem multum refert, aut quo in loco creſcat, aut à quo afferatur, modo præſtantiſſimi notas habeat. Paulo præfertur albiſſimum, friabile, minime lignoſum. Sed nos ex Meſue ſententia addendum cenſemus leue, rarum, primo ſtatim guſtu dulce mox amarum adſtringens, ac etiam ſubacre. Quod autem tale non fuerit, reiicere oportet. Siquidem nigrum, denſum, ponderoſum, filis quibuſdam veluti neruis interſectum acerbumque maxime improbatur. Quo fit, vt Dioſcorides libro ſexto inter deleteria medicamenta, id quod tale ſit, repoſuerit.

Agaricum.
In Agro Tridentino Agaricum copioſum.
Agarici optimi notæ.

CYNNAMOMVM iam diu defecit, vt in Commentariis noſtris in Dioſcoridem editis fuſius diximus, quanquam non ſine errore ſibi perſuadet Fuchſius, libro de Compoſitione medicamentorum Luſitanum Amathum illum fortaſſe ſequutus, reperiri legitimum Cynnamomũ (vt ſuis verbis vtar) in capſis Canellæ refertis, quæ ad nos conuehuntur. Adhac nihil minus hallucinatur, dum ſibi perſuaſum habet Cinnamomum, quod nobis Zeylã inſula mittit, corticem eſſe arboris: ſed aberraſſe hunc, teſtis eſt Galenus cuius non ſolum authoritate, ſed etiam aliorum probatiſſimorum authorum nobis comprobatum ſit, Cinnamomum eſſe ligni ſubſtantiam, non autem corticem. Præſtabit itaq; in Cinnamomi defectu ſequi Galeni dogma, quod eſt, Caſiæ duplum Cinnamomi loco ſubſtituere. Quintus Galeni ætate in Cinnamomi penuria Carpeſium ſupponebat, quo etiam cæremus. Nam Cubeba vulgaris Carpeſium non eſt, vt quidam credidere: vtq; in noſtris in Dioſcoridem commentariis latius diſſeruimus.

Cinnamomum.
Pro Cinnamomo quid ſupponendum.

GLYCYRRHIZAE ſuccus ex Creta & monte Gargano Apuliæ comportatur. Optimus eſt Creticus, à quo tamen non longe abeſt Italicus.

Succus Glycyrrhizæ.

OPOBALSAMVM nomine tantum cognoſcimus. Periit enim iam diu quod in Iudæa habebatur. Memphi tamen (vt audio) in quodam tantum viridario alitur, ſed liquoris non valde ferax, nec etiam plurimæ ibi plantæ aluntur. Si quid liquoris colligunt, id totum ſolus Turcarum Imperator habet. Quo fit, vt iam longo admodum tempore Opobalſamo deſtituamur, vt in commentariis noſtris in Dioſcoridem fuſius dictum eſt. Sunt tamen impoſtores, qui legitimum ſe habere Balſamum mentiuntur, quod ſi quis expendat, facile comperiet, non modo id eſſe adulterinum, ſed Balſami ne tantillum quidem in ſe continere. Animaduertant itaq; Pharmacopœi, ne ab iis deludantur. Adulterabatur Balſamum ante Theophraſti æuum, adeo vt ſcriptum reliquerit, libro nono, de plantarum hiſtoria, id omne quod in Græciam aduehebatur, non fuiſſe ſyncerum, ſed pluribus miſtionibus vitiatum. Ideoq; Galenus narrat libro primo, de Antidotis, quum non ignoraret Opobalſamum diuerſis modis adulterari poſſe, ita vt difficulter pateret ementi fraus, ſe proprio oculorum intuitu cernere voluiſſe, & quomodo creſceret Balſamum, & quomodo lachrymam mitteret, voluitq; ſynceram huius lachrymæ partem habere, veluti regulam ad dignoſcendos alios Balſami liquores. Porro affertur iam (vt audio) de occidentalibus Indiis liquor odoratiſſimus, liquido Styraci vocato ſimilis, quem qui deferunt, Balſamum appellant, quod notas quaſdam Balſami præ ſe ferat. Verum quum (teſte Strabone) Balſami lachryma lacteo ſit colore, crediderim potius nouum hunc liquorem, Stacten eſſe præſtantis Myrrhæ, quam Balſami liquorem. Ineſt huic odor, caput feriens, & acris ſapor, vulnera ſanat celeriter, rugas tollit, vrinas, & menſes cit, ſuſpirioſos iuuat, & cæteras fere, vt aiunt, præſtat Balſami vires. Quapropter non abs re factum putauerim, ſi quis eo Balſami vice vteretur ad Antidota, præſertim, quum non modo quam plures habeat Balſami facultates, ſed etiam quod Stacten ad vnguem referat. Stacte enim ſubſtituitur Galeno, & Paulo Opobalſami vice. Sunt qui Opobalſami, loco oleum Caryophyllorum ſupponendum ſuadent, quorum ſententiæ nos etiam aſſipulamur. Quidam Myrrhæ oleum ſuppeditant, quod magis ſane probarem, ſi legitimam haberemus Myrrham. ſunt etiam qui Myriſticarum nucum liquorem Balſami vice accipiant, à quibus non diſſentimus: omnes enim huiuſmodi liquores Aromatis plurimum reſipiũt, & præclariſſimæ ſunt facultatis. Fuchſius libro de compoſitione medicamentorum, in hoc parum ſibi conſtare videtur, quod primum dixerit, vbi de ſuppoſititiis medicamentis egit, Opobalſami loco Stacten ſupponi debere, vbi vero vipereos conficit paſtillos, quibus præter Andromachi & Galeni inſtitutum Opobalſamum addit, Leucoij ſucco pro Opobalſamo vti ſuaſerit: Sed quam magno ducatur errore, inferius latius dicemus, vbi de Carpobalſamo meam tibi aperiam ſententiam.

Opobalſamum.
Impoſtorum fraus.
Balſamum adulterabatur etiã Theophraſti tempore.
Balſami nouum genus.
Stacten Balſami vice ſupponit Galenus.
Quid Balſami loco ſubſtituendum.
Fuchſii opinio exploſa.

MYRRHA quæ legitimæ notas referat, adeo rara eſt in Europa, vt difficile admodum ſit, inuenire qui eam vſquam viderit. Quæ enim Seplaſiæ vtuntur, ſi inter Myrrhæ genera fuerit admittenda, omnium ſane viliſſima erit, eaque fortaſſe quam Ergaſimam, vel Caucaliam vocat Dioſcorides, pingui carens, præter modum exoleta retorridaque. Præſtabit itaque ea vti, cum præſtantior ad manus non ſit: ſed delectu opus eſt, nempe, vt in hoc genere ea tantum ſeligatur, quæ odoratior, pinguior ac recentior apparebit. Verum ſi Stacte ſynceriſſima eſſet ad manus, nil ſane commodius optari poſſet.

Myrrha.
Myrrhæ ſelectio.

Crocum.

Crocum præſtantiſsimum in Auſtria.

CROCVM *Corytium Lyciumue ex Olympo monte decerptum, quod (vt Dioſcorides & Galenus teſtantur) cæteris eſt præſtantius, quod ſciam, ad nos non aduehitur. Primas in Italia tenet quod ab Aquila Veſtinorum vrbe affertur. Præſtantiſsimum eſſe conſtat, quod in Germania prouenit, circa Viennam Auſtriæ Metropolim. Sed difficulter tranſit ad Italos, tum quod copioſum non ſit, tum etiam quod Pannones, qui Aromatum & Croci vſu admodum delectantur, illud in ſuas conuehant regiones. Habet enim Auſtriacum Crocum omnes fere tum notas tum qualitates quas optimo Corycio reddidit Galenus. Quamobrem curent Pharmacopœi pro virili qui Antidota parant, vt è Vienna ad eos adferatur, vel ſaltem ſelectiſsimo vtantur Aquilano.*

Zingiber.

ZINGIBER *(vt Galenus inquit) adulteria non admittit. Sunt tamen hac ætate impoſtores, qui fraudes etiam illi parant. Siquidem quum carie Zingiber tentari cernunt, rubrica quadam aqua ſubacta ſuperliniunt, vt teredinum foramina obſtruant. Eligatur itaq; Zingiber, quod rubricam non admiſerit, ponderoſum, farctum, ſolidum, carie vacans, intus album, & ſapore acerrimum. Facile enim Zingiber carie contabeſcit, quod (vt Galenus inquit) recrementitia quædam illi inſit humiditas, quæ facile computreſcit.*

Rhaponticum.

Rhabarbarum, pro Rhapontico imponendum.

RHAPONTICVM *legitimum, vt in commentariis noſtris in Dioſcoridem ſcripſimus, noſtra hac ætate in Italiam afferri cœpit. Nec deſunt Venetiis mercatores, ac Pharmacopœi, qui ſelectiſsimum vendunt. Vbi vero, quis adeo ab Italia procul abfuerit, vt illud conſequi non poſsit, Rhabarbarum potius illi ſupponendum ſuaderem, quam magni Centaurij radicem, vt recentiorum quidam cenſent. Quandoquidem Rhabarbarum præter id, quod polleat odoris fragrantia, præſtat mirum in modum contra venena & venenatorum morſus: quin & ad peſtilentiam, peſtilentes febres & interaneorum vermes. Quibus tamen facultatibus omnino deſtituitur magni Centaurij radix. Nec obſtat, quod in libro, quem Galeno aſcribunt, vbi de ſubſtitutis agitur medicamentis, Rhapontici loco ſubſtituatur magni Centaurij radix. Quippe præter id, quod ſemper crediderim librum illum eſſe ſpurium pluribus de cauſis, quas poſtea referam, credi ſane par eſt, quod, ſi Galenus ſimplicium medicamentorum indagator acerrimus Rhabarbarum nouiſſet, nullum aliud quam illud ſuppeditaſſet medicamentum, vbi Rhaponticum non eſſet ad manus: imo fortaſſe nunquam Rhaponticum ſuis Theriacis admiſcuiſſet. Odoratum enim Rhabarbarum eſt, vt diximus, quod admodum magnifacere oportet. Quamobrem nulli mirum ſit, ſi Auicenna inter Arabes facile Princeps ſuis Theriacis Rhabarbarum admiſcuit Rhapontici loco, quemadmodum & Nicolaus Myrepſicus Alexandrinus, qui quum tam diligenter de medicament. compoſitione ſcripſerit, vt ſequutæ ætatis Medici ſuis plerunque vtantur medicamentis, cenſendum ſane non eſt, quod fuerit is (vt Fuchſius putat) ſimplicium medicamentorum adeo ignarus, vt neſciret, quid eſſet Rhaponticum & quid Rhabarbarum, præſertim, quum is vtriuſque ſæpe meminerit & in Hedychroi compoſitione vtrunque addiderit. Velim itaque vt tu Rhapontici loco, Rhabarbarum ſupponas. Quod ſi non neglexeris, Antidotum longe efficacius tibi comparaueris.*

Quinquefolium.
Tormentilla.

QVINQVEFOLIVM *commune intelligo, non autem Tormentillam vocatam, vt quidam exiſtimant, cuius nuſquam (quod ſciam) meminere antiqui. Qui vero aliter ſentiunt, hallucinantur vna cum Manardo Ferrarienſe. Nec tamen ob hoc putent velim Pharmacopœi Tormentillam ſuam, non habere vſum, in aliis medicamentis à recentioribus inuentis, ſiquidem herbula eſt miris pollens viribus.*

Calamyntha.
Marrubium.

CALAMINTHA, MARRVBIVM *Nota ſunt omnibus, & in Italia præclara naſcuntur. Inter Calaminthæ genera præcellit Montanum, imbecillius eſt aquaticum.*

Petroſelinum.

Quid pro Petroſelini Macedonici ſemine ſupponendum.

PETROSELINVM *Macedonicum, non adeo magnifecit Galenus, quin velit eius loco alterius regionis Petroſelinum ſubſtitui poſſe. Inquit enim. Tibi vero ſi Petroſelinum Macedonicum quandoq; deerit, ne peiorem exiſtimes Theriacam futuram, ſi aliud impoſueris: nam Macedonicum amariorem Theriacam facit, præſertim ſi recens adhuc imponitur. Quamobrem quum nos tam Macedonico, quam cæterarum gentium Petroſelino deſtituamur, Smyrnij ſemen, cuius in Commentariis noſtris, in Dioſcoridem editis, imaginem appinximus, ſubſtituendum eſſe putarim. nam præter id quod Serpentium morſibus opem ferat, iiſdem omnibus facultatibus pollet quibus & Petroſelinum.*

Stœchas.

Stœchas Cretica.

STOECHAS *non ex Creta tantum & Stœchadibus inſulis, ſed etiam ex Arabia peregrina ad nos affertur Quanquam in Apulia prouenit in Gargano monte non omnino reiicienda. Galenus Creticam cæteris quæ in inſulis proueniunt, præfert. Recentiores medici Arabicam ſemper ſuis medicamentis admiſcent: quæ tamen ſi recens aduceheretur, principem facile locum obtineret. Cæterum cum conuehi non poſsit, niſi longo temporis tractu facile ſitum contrahit. Quo fit, vt vna cum Galeno Creticam aliis præferam.*

Coſtum legitimum non habetur.

Angelica Coſto ſimilis.

Angelicam pro Coſto ſupponi poſſe.

Coſtus amarus.

Pſeudocoſtus.

Fuchſii opinio improbata.
Mentha Saracenica.

COSTVM *quod legitimum ſit, nuſquam (vt ingenue fatear) mihi hactenus videre licuit. Siquidem tametſi quædam circumferuntur radices, quæ aliqua ex parte Coſtum referre videantur, non tamen illis partibus correſpondet notis. Quamobrem fortaſſe tutius fuerit eius loco Zedoariam ſuppeditare, non quod hanc Coſtum eſſe crediderim (vt quidam male ſentiunt) ſed quod iam ſexcentis experimentis conſtet, & venenis aduerſari hanc, & peſtilentiam arcere. Taceo reliquas præſtantiſsimas facultates, ne longior ſim, quibus præclariſsima hæc radix pollet. Sunt etiam doctiſsimi viri & rei herbariæ peritiſsimi, qui Angelicam ita recentioribus vocatam Coſto ſimilem faciunt, quod præſtet eximia odoris ſuauitate, guſtu ſit acris, leuiculam (vt Galenus inquit) habeat amaritudinem & venenis, ac venenatorum morſibus opem ferat. Horum opinioni non poſſum non etiam inhærere, quod ratione & experimento fulcitur. Veruntamen quum ſcribat Galenus Coſtum adeo eſſe acre, vt diu admotum exulceret, placeret quidem Angelicæ duplum ponderis addere. Fuchſius Medicus ætatis noſtræ clariſsimus, libro de Compoſitione medicamentorum in Compoſitione Aureæ Alexandrinæ dicit, quod quoties Coſti mentionem ſimpliciter facit Nicolaus Myrepſicus, ſemper amarum appellatum intelligere. Veruntamen quum apud Græcos tantum nigri & albi Coſti fiat mentio quemadmodum & apud Plinium, quid peculiariter pro Amaro Coſto ſibi velit Fuchſius libenter audirem, & an pro amaro Coſto Pſeudocoſtum intelligat, quod quidam impoſtores ex Gargano Apuliæ monte per Italiam circumferunt, ſapore quam amaro. Scribit quidem Galenus leuiſsimam Coſto eſſe amaritudinem, ſed quum id abſolute pronunciauerit, cenſendum ſane non eſt, vt neutrum amaritudine vacet, ſed hic fortaſſe Fuchſius Arabas ſequutus vna cum illis hallucinatus deprehenditur. Cæterum non deſunt rei herbariæ imperiti, qui hortenſem herbam, quam quidam Mentham Saracenicam, quidam Mentham Græcam quidam, vt Tuſci, Saluiam Romanam appellant, pro amaro Coſto accipiant aberrantes. Vtriuſque Coſti imaginem (dulcis fortaſſe & amari) pollicetur Fuchſius pictam oſtendere in altero de*

Stirpium

*ſtirpium hiſtoria Commentario. Sed quum nullus extet Author (quod ſcinerim) qui Coſti notas & hiſtoriã ſigillatim deſcripſerit, & peregrina ſit planta, multum ſane feciſſe illum fateri compellar ſi Coſtum ex Arabia vel India Syriave in ſuum tranſtulerit librum, & legitimum eſſe probauerit.*

Piper nigrum.

*PIPER nigrum nullis, quod ſcinerim, impoſturis fraudem admittit. Tanto tamen praſtantius fuerit, quanto ponderoſius. Quod enim graue ponderoſumq; eſt & corticem tenuiorem habet ac minus ſpectatur rugoſum, id ſane optimum cenſetur.*

Dictamnum.

*DICTAMNVM quotannis e Creta Venetias affertur. Eligatur recens non carioſum, nec ſitu obductum vegetum & vndiq; tomentoſum, guſtu feruens & odoratum.*

Iuncus odoratus.

*IVNCI odorati flores defecerant fere etiam Galeni æuo. qui cauſam in Camelos refert, quod eos auidiſſime depaſcantur. Ego vero cauſam potius reiiciam in Arabas, qui illas incolunt regiones, & eorum accuſabo negligentiam ac imperitiam: quandoquidem nunquam ſuaderi potero, vt credam Camelos adeo vniuerſam regionem illam erodere, vt nihil fere ſuperſit florum Iunci odorati ac ſi locuſtarum ingentiſſimus numerus accederet. Paleæ itaq; & calami ratio habenda erit, quum floribus deſtituamur. Sed hæc recentia eſſe oportet, odorata, & quod manſa guſtui acri probentur ſapore: Quæ enim diu aſſeruata ſunt, facile (vt Galenus inquit) inodorata euadunt, & vniuerſam exuunt acredinem. Quo factum eſt vt prius crederet Fuchſius, qui fortaſſe odoratum iuncum ætate exoletum deguſtauerat, has, quæ circumferuntur paleas eſſe adulterinas: Sed quum deinde vel recentes guſtaſſet, vel ex Commentariis noſtris in Dioſcoridem intellexiſſet ſe magno duci errore lib. Compoſitione medicamentorum in noſtram deuenit ſententiam. Monachi qui in Meſuem ſcripſere pariter in hoc hallucinati ſunt, vt alibi de his diffuſius diximus.*

Monachorum error.

Thus.

*THVS adeo copioſum ex Alexandria Aegypti ad nos affertur, vt verendum non ſit, quin optimi plurimũ habeamus. Eligatur clarum, albũ, leue, rotundũ granis concretum & quod igni admotum facile accenditur.*

Terebinthina reſina.

*TEREBINTHINA reſina quæ legitima ſit, noſtra tantum ætate ad nos ex Cypro, Chio & aliis quibuſdam Aegei maris inſulis afferri cœpit. Cuius loco Larigna vſi ſunt Medici qui præteritis temporibus clauerunt. Porro quorundam ſtudioſorum Medicæ materiæ diligentia ac ope, qui eo nauigauerunt, poſtea factum eſt, vt reuixerit Terebinthina. Afferebatur primum cocta frictave, vel quod eſſet aduectu aptior, vel quod impoſtoribus ad adulteria aditus hoc modo facilior fieret. Verum liquida, vt per ſe ab arbore manat iam frequens facta eſt. Hanc itaq; tantum expetant, qui Theriacam conficiunt, nam cruda hic opus eſt. Galen. lib. 1. de Antidotis Chiam cæteris præfert quod & odore & ſapore alias omnes præcellat. Fuchſius lib. de compoſ. medicamẽ. ſcribit Lariceam reſinam Terebinthinæ proximam eſſe eaq; tuto vti poſſe Pharmacopœos, vbi legitima Terebinthina defecerit. His præterea addit Officinas omnes magno errore ſolam Abietinam pro Terebinthina ſubſtituere, quum ea longe ſit inferior: ſed (eius pace dixerim) hallucinatur. Quandoquidẽ falſum ſane eſt, quod Laricea reſina Abietinam præcellat bonitate. Quippe Dioſcorides lib. 1. cap. de Terebintho aperte contra Fuchſii ſententiam, ita de Reſinis ſcriptum reliquit. Terebinthina, reſinas omnes antecellit: proxima Lentiſcina, & a Pinu, Abieteq;. Et capite ſequenti vbi in vniuerſum de reſinis differuit. E Picea (inquit) & ex Abiete reſinæ cæteras antecedunt, odoratæ enim ſunt, atque thuris odorem imitantur. Id quod poſtea idem repetiuit Galenus lib. 3. de Compoſitione medicamentorum per genera, vbi in reſinarum facultatibus fatetur, ſe nihil a Dioſcoride diſſentire. Præterea & illud falſum eſſe conuincitur, quod officinæ omnes Abiegnam pro Terebinthina ſupponant. quum omnibus rei Medicæ ſtudioſis Pharmacopœiſq;, nulla alia reſina pro Terebinthina vti Seplaſias iamdudum conſtat, quam ea quæ e Larice manat, vt pluribus in Commentariis noſtris in Dioſcoridem nobis memoriæ proditum eſt. Adhæc abietina perexigua eſt nec vbiq; vanalis inueniri poteſt. Ego quidem hanc pro Terebinthina ſemper ſuppeditandam ſuaderem, quippe quod Terebinthinam quadam odoris gratia ſuperet, quod adſtringat, pelluceat, & longe magis amara ſit quam acris: Sed hanc fortaſſe nuſquam vidit Fuchſius.*

Fuchſii opinio exploſa.

Abietinæ reſinæ præſtantia.

Caſia odorata.

*CASIA odorata, quam Cannellam vocamus, præſtantiſſima copioſaq; habetur in vniuerſa fere Europa: delectu tamen opus eſt, facile enim indicabit guſtus an ſuis præſtet viribus: Siquidem ea efficaciſſima fuerit, quæ non modo guſtu acri deprehenditur, ſed dulcis & odorata. Quæ autem talis non fuerit, reiicienda eſt, aut enim fraudem aliquam paſſa eſt, aut exoleuit.*

Nardus Indica.

*NARDVS Indica legitima frequens reperitur, ſed fecit loci diſtantia ne ad nos afferatur ſuis dotibus vſq; adeo prædita. Eligenda quæ recentior fuerit, leuis, largam gerens comam, colore flauo, odorata, Cyperum redolens, breui ſpica, amaro ſapore linguam ſiccante, & quæ diu ſuam odoris gratiam conſeruet. Si vero huiuſmodi non ſit ad manus, Celticam quam recentem, odoratam præſtantiſſimamq; habemus tuto ſupponere poſſumus. Quippe hæc Dioſcoridis teſtimonio, præter id quod Syriacæ omnibus ſuis viribus æquipolleat, vrinã magis prouocat, & Stomacho vtilis eſt. Nec obſtat quod ſcripſerit Galenus Celticam Nardum Indica ac Syriaca eſſe imbecilliorem. Quandoquidem hanc ſupponi haudquaquam ſuaſerim, vbi optima Indica ſit ad manus, ſed vbi tantum vel deficiat, vel euanida ſuas non aſſeruauerit vires.*

Nardus Celtica.

Polium.

*POLIVM verum non diu eſt quod in Medicorum rediit vſum. vtriuſque imagines quis intueri poterit in Commentariis noſtris in Dioſcoridem. Montano tamen vtendum tanquam præſtantiſſimo.*

Seſeli.

*SESELI quatuor eſt generum, nempe Maſſilienſe, Aethiopicum, Peloponenſe & Creticum. Galenus nullam inter horum facultates habet differentiam, nec alterum alteri præfert. Videtur tamen Dioſcorides præferre Aethiopicum, quod ſcripſerit eſſe Maſſilienſi acrius odoratiuſq;: quin & multa odoris ſuauitate pollere. Id quod periculum facientibus facile conſtabit.*

Styrax.

*STIRAX qui nunc Venetias affertur, an ex Pamphylia aut Piſidia, aut Cilicia aduehatur, quid verire feram neſcio. Galenus illum prætulit, qui ex Pamphylia in calamis concluſus afferebatur, adeoque magnifecit vt ſcriptum reliquerit libro primo, de Antidotis, tantum diſtare hunc a vulgari, quantum a vino quod in tabernis venditur diſtat Falernum. Quo factum puto vt vnuſquiſq; Medicus ſemper præcipiat ſuis medicamentis Calamitem imponi. Quippe Calamitis cognomen aliunde fluxiſſe haudquaquam crediderim, quam a calamis in quibus olim ferebatur ſelectiſſimus. Qui Venetiis venditur non omnis probus ſyncerusq; eſt, quum eius plurimum ibi reperiatur, q; impoſturis non vacat, quamobrẽ ſcrutinio opus eſt: Eligatur itaq; pinguis, flauus, reſinoſus, albicantibus grumis, quam plurimum in ſua odoris gratia permanens, & qui dum molitur melleum fundit liquorem inditumque prunis ſuauiſſimum mittat vaporem, eiuſmodi apud vnguentarios habetur.*

Styrax adulteratus.

Styracis optimi notæ.

Fuchſi-

Fuchſii opinio exploſa.
Lib. I. cap. 68.

*Fuchſius lib. de Comp. medicamentorum, Styracem Calamitem liquidum antiquis fuiſſe contendit, non alia (quantum video) ratione fretus, quam quod in calamis aduheheretur. Verum, mea ſententia, aberrat. Quandoquidem Dioſcoridi lachryma eſt arboris malo Cotoneæ ſimilis, eaq; cæteris præſtat, quæ flaua ſit reſinoſa, albicantibus grumis, & quæ dum molitur, melleum liquorem reddit. Quibus facile conijci poteſt Styracis arboris lachrymam nunquam fuiſſe liquidam, ſed in grumos concretam, qui mola ſubacti liquorem melli ſimilem fundunt. Non enim liquida mola atteruntur, ſed arida compactave. Porro ridiculum fuerit dicere. Styrax Galeni tempore portabatur in Calamis, ergo erat liquidus. An non delirio tentari is ſane videretur, qui diceret Caricas, palmulaſve eſſe liquidas eo quod ferantur in cadis, lageniſve vini vel olei modo? Nimirum non alia ratione qui Styracis lachrymam collegerant, in Calamis concludebant, quam, quod ne ſuauiſſimus eius odor expiraret in auram, quemadmodum (vt Theophraſtus eſt author) ij faciebant, qui Dictamnum herbam in Creta legebant. Ipſi enim huiuſce plantæ manipulos in ferula aut arundine intercludere ſolebant ne odor viſq; expiraret.*

Thlaſpi.

*THLASPI ſemen Galeno primo de Antidotis principem ſibi locum aſciuit, quod in Cappadocia naſcitur. Verum non omne, ſed id tantum quod in Tauro prouenit. Nobis autem quum Cappadocio careamus, noſtrate vel Cretico vti licebit: quod enim in Italia naſcitur (vt Galenus inquit) non longe abeſt a Cretico.*

Ammi.

*AMMI verum, iam nemo fere eſt, qui non nouerit, reuixit enim noſtra ætate. Eius imaginem ad viuum delineatam ſpectare quis poterit in noſtris in Dioſcoridem Commentariis.*

Chamædrys.
Chamæpitys.

*CHAMAEDRYS CHAMÆPITYS omnibus nota ſunt, nec longe diſtant a Creticis Italica.*

Hyppociſtis.
Fuchſii opinio improbata.

*HYPPOCISTIS quæ tam diu ſepulta delituit, hac noſtra floreſcente ætate repullulare cœpit, adeo vt iam nullus ſit in Italia Pharmacopœus, qui legitimam Hyppociſtim nõ nouerit. Naſcitur copioſa in Patauino agro & in Apennino monte. Nec eſt (vt Fuchſius credit) fungus nec fungi imaginem referens, ſed germen Orobanchæ non abſimile. Præterita ætas inſolato hircinæ Barbulæ ſucco pro Hyppociſtide perperam vſa eſt: Erroris cauſa in Aphros reiicitur, quippe qui Ciſtum Hirci barbulam appellãerint. Quo factum eſt vt errauerint Seplaſiæ ſibi perſuadentes nil aliud eſſe Aphris Ciſtum, quam hirci barbam, quam Græci τραγοπώγωνα dicunt. Vbi autem Hyppociſtis ad manus non ſit, Acaciam, vel florum agreſtis Punicæ ſuccum ſubſtituit Dioſcor.*

Tragopogon.

Malabathrum.

*MALABATHRVM q; folium etiam vocant, iamdiu ex India ad nos aduehi deſiit: quapropter Galenus conſulendus erit. Is enim libr. 8. ſimplicium medica. vbi folium abſit, Indicam Nardum vel Caſiam ſuppeditat. Fuchſius Medicus inſignis lib. de compoſitione med. in Aurea Alexandrina Atractylim herbam pro Malabathro ſubſtituit, ſuccidaneorum (vt ipſe inquit) codicem ſequutus, quem falſo, vt ingenue dicam quod ſentio, Galeno adſcribunt: quanquam in eo qui nobis eſt ad manus nuſquam ſcriptum repererim Atractylim pro Malabathro poſſe ſubſtitui. Præterea quoniam, vt ipſe ait, Atractylis in Germania non prouenit, niſi in hortis ſata, Carduum benedictum ſubſtitui præcipit. Sed proh Dii immortales, quanta eſt hic Fuchſii ineptia. Quandoquidem non alia de cauſa Carduum benedictum ſubſtituit, quam quod in Germania Atractylis non reperiatur, niſi in hortis ſata. Nec tamen videt Carduum hunc nullibi etiam reperiri niſi ſatum. Cæterum quum & Caſia & Nardus in Theriacam veniant, quis poſſet dubitare an conueniat potius Caſiæ pondus augere, an Spicæ, quum Caſiam & ſuas & Cinnamomi vices hic explere oporteat. Spicam potius augeri debere exiſtimauerim. Cronenburgius Medicus Colonienſis vir ſane ingenio & doctrina præclarus, poſt quam Nardum & Caſiam, ex Galeno attulit ſupponendas: Macim ex Auicennæ ſententia rectè ſupponendam etiam eſſe exiſtimat: id quod ego facile conceſſerim.*

Atractylis.

Fuchſii opinio reiecta, Carduum Bened. ſubſtituentis.

Macis.

Celtica Nardus.

*CELTICA nardus, quamuis & ipſa iam primum reuixerit, adeo nota eſt omnibus vt nullus iam relinquatur ambigendi locus: Eligi tamen debet recens, iucunde odorata, numeroſis radicibus cohærens, plena & quæ non facile frangitur. Adulteratur (vt inquit Dioſcorides) impoſita herba ſimili, quæ ab odoris grauitate Hirculus vocatur. Sed facile fraus deprehenditur. Namq; herba candidior eſt, ſine caule, breuibus foliis, radice neq; amara, neque odorata.*

Hirculus

Gentiana.

*GENTIANA quæ in Italia prouenit non longe ſuis dotibus (vt Galenus inquit) a Cretica diſtat, præſertim ea quæ affertur ex Gargano Apuliæ monte. Præfertur ſolida, rugis vacans & odore caput feriens.*

Aniſum.

*ANISVM præſtat recens, plenum, non furfuroſum, odoratum. Dioſcoridi & Galeno præfertur Creticũ, nobis Italico vti licebit, vbi Creticũ defuerit. Siquidẽ & in Apulia & in Flaminia prouenit non reiiciendũ.*

Fœniculum.

*FOENICVLI ſemen quod in Italia habetur & acutum & dulce reperitur, vtrunq; tamen odoratum. Verum quum dulcis non meminerint antiqui, acuto ſemper vtendum ſuaſerim. Habetur etiam quoddam aliud genus Barbaricum Venetis appellatum, noſtrate longe craſſius & dulcius, quod tamen ignauius ad Antidota conficienda putauerim, quum parum ſane acredinis guſtui relinquat.*

Fœnic. Barbaricum.

Meon.

*MEON quod legitimum ſit credidimus iamdudum non oriri in Italia, nec eo aliunde conuehi, q; ſcripſerit Plinius Meon ſua ætate non creuiſſe in Italia, niſi a Medicis ſatum iiſq; perpaucis. Quod proculdubio indicium præbet vſq; ad Plinii æuum peregrinum in Italia fuiſſe Meon. Reperta tamen nuper eſt planta ipſaq; frequens, quæ quoniam plures Mei notas præ ſe ferre videatur, in legitimi Mei locum a peritis rei herbariæ Medicis recepta eſt. Nos tamen, etſi Mei radix Dioſcoridi ſit odorata, contra vero hæc potius grauiter oleat, nec adeo ſit acris vt quis eam ſtatuere poſſit ex tertio excalfacientium ordine, non ob id a tantorum virorum ſententia diſcedere auſi ſumus. Siquidem acredinis imbecillitas cœli ſoliq; fortaſſe noſtri cauſa euenire poteſt. Adhæc quũ ſcribat Dioſcor. ſi eius pluſculũ quam par ſit ſumatur, capiti dolorẽ inferre, hinc etiã indicium ſumi poteſt graueolentiã quandã Meon obtinere. Naſcitur planta hæc paſſim fere in tota Italia. & præſertim in montibus. Ea tamen cæteris præſtat, quæ ex Gargano Apuliæ monte conuehitur. Apuli Imperatricem vocant q; ſuis fortaſſe præſtantiß viribus tã præclaro nomine appellari promeruerit. Magnifaciunt hanc præter alias fac. ad viperarũ & aliarũ ferarum venenoſarum ictus, itaq; hac vti poteris tãquã legitimo Meo vbi tuã parauerit Theriacam.*

Imperatrix herba.

Terra Lemniia.

*TERRA LEMNIA, quæ ex Conſtantinopoli ad nos conuehitur, ſiue ſit, quæ pro legitima a mercatoribus venditur, ſiue quam a Turcarum Imperatore tanquam theſaurum aſſeruari aiunt plures mentitur notas, quas Lemniæ Sphragidi reddidit Galenus, adeo vt omnino mihi perſuaſerim (ſi tamen legitima terra Lẽnia ſit in rerum natura) nihil aliud eſſe poſſe hanc, quam bolum Armenum nunc Seplaſiis vocatum, eum ſcilicet, qui ex orientali plaga affertur. Habet enim Rubrica hæc omnes Lemniæ terræ notas, ac etiam vires, vt fuſius diſſeruimus in noſtris ſuper Dioſcor. Commentariis.*

CHAL-

Chalcitis, Sory, Miſy, Melanteria in Miſnia habentur.

*CHALCITIS etſi rara habeatur in Italia, & in aliis fortaſſe regionibus, reperitur tamen optima & copioſa in Miſnia Bohemiæ contermina quibuſdam in metallis, vbi æs, & Chalcanthi minera foditur, vna cum Miſy, Sory & Melanteria. Quorum omnium Armarium metallicum meum copioſe refertum habeo, non ſolum in mei ipſius vſum, ſed etiam amicorum, qui hæc & alia a me petere ſolent. Qui Theriacam in Italia conficiunt Chalcanthum igne torrefactum, pro Chalciti ſupponunt: quod vbi Chalcitis ad manus non ſit, facile concedo, cum Chalcanthum & Chalcitis ex eadem materia gignantur, ſed longe melius eſt Chalcitim addere. Sunt e recentioribus, qui potius velint ſine Chalciti Theriacam parare, quam addere Chalcanthum, quum (vt ipſi aiunt) non alia de cauſa Chalcitis in Theriacam veniat, niſi vt hæc nigro fiat colore. Quamobrem ſcribit Cordus ſe quandoq; Theriacam paraſſe abſque Chalciti, quæ guſtu longe gratior euaſit. Horum opinionem, cur probem, vel improbem, ſolidi aliquid nõ habeo. Verumtamen quum ſciam Chalcitim & Chalcanthum ex eodem fluxiſſe metallo, eaſdemq; habere vires, ne Andromachi ſententia corrumpatur, Chalcitim aut Chalcanthum omnino imponendum ſuaderem.*

Chalcanth[...]

Amomum.

*AMOMVM quod legitimum ſit, hactenus mihi videre non licuit, nec aliquem noui Medicæ materiæ ſtudioſum, qui illud vſquam ſe vidiſſe fateretur. Ideoq; ſemen illud quo pro Amomo perperam quidam vtuntur Pharmacopœi, de quo etiam plura diximus in commentariis noſtris in Dioſcoridem, omnino a Medicorum vſu fuerit abdicandum. Præſtabit itaque Amomi loco Caryophyllos ſubſtituere, quod Amomi modo odoris gratia commendentur, excalfaciant, adſtringant & exiccent. Sunt qui codicem de ſubſtitutis medicamentis Galeno aſcriptum ſequuti, Acorum pro Amomo ſuadeant ſupponendum, quorum opinio minime improbanda videtur, quum Acori radix, quam Seplaſiæ falſo Calamum odoratum vocant, & odorata ſit & acris, ac præter id, adſtringat ſiccetq;. Quumque etiam ſit hæc legitima ſententia Galeni libro ſexto ſimplic. medicament. vbi ſcriptum reliquit Amomum Acoro ſimilem habere facultatem. Nec tamen ob hoc Caryophyllos reiicerem, quippe qui longe magis præſtare videantur, & has omnes facultates præclariores habeant.*

Charyophyllos Amomi loco ſubſtituendos eſſe.

Acorum legitime pro Amomo ſubſtitui poſſe.

*Fuchſius libro de componendis medicamentis, vbi ſimplicia, quæ in Theriacam veniunt, expendit, quum eo peruenit, vbi racemoſi Amomi meminit Andromachus, omnes Galeni interpretes accuſat his verbis. Botryos Græce βότρυος. In hac voce interpretanda omnes Galeni, qui hanc Compoſitionem tradidit, interpretes hallucinati ſunt. Siquidem Andernacus lib. 1. de Antidotis vuæ conuertit. Alii omnes & cum iis Cordus, racemoſi. βότρυος vocem, cum Amomi dictione coniungentes. quaſi vero Andromachus de Amomo racemoſo locutus ſit: Quod certe Dioſcorides non βοτρὺν ſed βοτρυώδες appellat. Separandæ igitur hæ duæ dictiones per interiectum comma erunt, hoc nimirum modo Ἀμώμου, βότρυος, vt nos conuertimus, vt intelligamus Andromachum de duabus inter ſe differentibus herbis eſſe locutum, nempe Amomo & Botry. Vera eſſe, quæ affirmamus, adeoque locum hunc Andromachi eſſe legendum, & ſic interpretandum vnus Nicolaus Myrepſicus abunde docet, & confirmat, qui ita in Theriaca Andromachi ſcriptum reliquit. Ἀμώμου, βότρυος κελτικῆς, id eſt, Amomi, Botryos Celticæ, vel Gallicæ. Neque eſt, vt quiſpiam ad tuendum interpretum errorem dicat, per κελτικὴν vt ſæpe alias & hic Nardum Gallicam intellexiſſe. Nam quum eius paulo poſt in hac compoſitione fiat mentio, non poteſt nec etiam debet hic repeti. Celticam autem rectiſſime Nicolaus Botrym nominat, quod copioſe in Gallia præſertim iuxta Lutetiam proueniat, atq; hinc eſt, quod Ruellius hanc herbã Pariſienſibus matronis melius, quã Seplaſiis noſci ſcribat, quòd ſcilicet odoris gratia veſtimẽtis, pannis & linteis curioſe interponãt, vt hinc odoris ſuauitatem contrahant. Hæc ille.*

Fuchſii de Amomo non ſatis põderata opinio.

*Quibus palam eſt, ſibi perſuaſiſſe Fuchſium, debere addi in Theriaca etiam Botrym herbã, cuius meminit Dioſcorides libro tertio. Nos vero a Fuchſio, viro alioqui clariſſimo, hac in re prorſus diſſentimus, & ipſum tantum hallucinatum putamus. Siquidem iunior Andromachus, qui Patris Theriacam, ex carmine illo Elegiaco in ſolutam tranſtulit orationem, huius ſtirpis nuſquã meminit, ſed Amomi tantum ſimpliciter. Nec etiam Damocrates, qui poſt ipſum, hoc quoq; e viperis Antidotũ carmine deſcripſit. Præterea lib. 1. de Antidotis aliam Theriacam carmine pariter deſcriptam recitat Galenus, vbi ſane nulla Botryos fit mentio. Adhæc, vbi Galenus ſigillatim ſimplicia, quæ in Theriacam adduntur, enumerat, ac diligenter expendit, Botrym (quod ſciuerim legerimque) nunquam inter ea recenſet, nec eius quoq; alias meminit. Quin nec vbi Theriacã ad Pamphilianum ſcribit Botrym admiſcet, neq; Gallicã, neq; Græcam. Præter id Paulus & Actuarius, qui ex Andromacho, vel fortaſſe Galeno tranſcribunt Botrym, haudquaquam admiſcent, quum tamen Græci fuerint, & proprii ſermonis periti. Cæterum Auicenna, Serapion & alii ſi qui ſunt Arabes, ſuis in Theriacis Botrym nuſquam enumerant. Quo fit, vt Fuchſio hac in ſententia adſtipulandum non ſit, quum in tam manifeſto verſetur errore.*

Opinio Fuchſii reiecta, dum Botrym Theriacæ addit.

*Nec obſtat, quòd Nicolaus Myrepſicus, vt ipſe refert, in ſua Theriaca, primo ſtatim loco deſcripta Botrym habeat Gallicam: quãdoquidem (vt Fuchſius ipſe, qui Nicolai codicem vertit, millies teſtatur) Nicolai codex Græcus innumeris admodum ſcatet mendis. Fieri enim facile potuit, vt Nicolaus Græci ſermonis non admodum peritus Andromachum non intelligeret, quemadmodum nec Fuchſius intelligit: vel quod ſcriptorum negligentia, vel Authoris fortaſſe imperitia, hoc loco deprauatus ſit codex. Verum erroris cauſam potius in Nicolaum quam in ſcriptores reiiciendam putauerim, quod is in eundem lapſum etiam inciderit in altera Hedychroi compoſitione, vbi ſtatim poſt Amomum Botryos etiam meminit.*

Nicolai Myrepſici erratum.

*Sunt & alia errorum mendarumque indicia, quod plura etiam admittat medicamenta, quam expoſcat Andromachi Theriaca, nempe Piper album, fluuiatiles Cancros, Clematidem, Eruum, Acorum, & Scillam, quæ omnia præter Andromachi ſententiam addidit Nicolaus. Quibus palã eſt Theriacam hanc adulterinam eſſe, & non Andromachi, ſed Nicolai. Qui tamen vbi ſecundo aliam ex Andromacho deſcribit Theriacã, nec Botryos, nec aliorum, de quibus diximus, meminit. Cæterum ridiculum ſane fuerit Nicolai lapſum fulcire Ruellii authoritate, qui tot annorum centena poſt Nicolaum claruit: Ipſe autem quum eſſet Gallus, nec alibi vnquam rei herbariæ operam dediſſet, quam in Gallia, recte de Gallica Botry ſcripſit, quod alia fortaſſe, quam Gallica non perluſtrauerit loca, quemadmodũ Fuchſius de Germanica, nos vero de Italica ſcripſimus.*

Ruellius in Gallia tantum rei herb. ſtuduit.

*His itaq; rationibus, ac tantorum præclariſſimorum virorũ teſtimoniis palã ſit, præſtantiſſimos illos Galeni interpretes, quod racemoſum, ſeu racemiferum Amomũ habent, nullo errore fuiſſe ductos, & perperam a Fuchſio eſſe impugnatos. Qui ſi negabit Amomum racemiferam eſſe plantam, vt annuere videtur, id quoq; eſſe falſum facile conſtabit. Siquidẽ Dioſcor. in Amomi cap. 1. ſtatim occurſu ſic habet: Ἄμωμόν ἐστι θαμνίσκος ἐκ ξύλου ἀντεμπεπλεγμένος ἑαυτῷ id eſt. Amomũ exiguus frutex eſt, ex ligno ſe conuoluens in racemi modũ. Et paulo inferius, vbi*

Galeni interpretes defendũtur.

Ponticum

Cap. 14.

Ponticum deſcribit, ſic inquit, τὸ δὲ ποντικὸν ὑπόκιῤῥον οἰδὲ δύσθραυστον βοτρυῶδες: id eſt. Ponticum vero ſubruf ũm eſt, paruum fragile, racemoſum. Item paulo infra, vbi deligendi notas affert, ita inquit ἔκλεγον σπέρματος πλῆρες, ὅμοιον βοτρυδίοις: id eſt, Eligito ſeminis plenum, vuis paruis ſimile. Dioſcoridi ſubſcribit Plinius lib. 12. cap. 13. vbi ſic inquit: Amomi vua in vſu eſt. Indica vite labruſca, vt aliqui exiſtimauere &c. Pretium vuæ in libras X. L X. friato vero Amomo X L V I I I. Præterea libro de Theriaca ad Piſonem, ac etiam apud Paulum racemoſi Amomi fit mentio, vbi de Theriaco ſale igitur. Quibus luce clarius patet & Amomum eſſe vuæ modo racemoſum, & eos omnes vna cum Fuchſio decipi, qui Amomum racemoſum eſſe negant. Quinetiam & qui Botryn herbam Theriacam addi putant, contra Gal. & Andromachi ſententiam. Qui quum non ignorauerit illud eſſe præſtantiſſimum Amomum, quod fuerit racemoſum integriſq; vuis conſtans, de induſtria racemiſeri meminit, ne quis confractum, quod fraudes facile admittat admiſceret: Id enim (vt inquit Plinius) integro longe minus æſtimabatur.

Phu.

P H V omnibus notum vbiq; fere locorum prouenit. Põtico caremus, quod cæteris prætulit Andromachus. Præſtabit itaq; noſtrate vti nempe maiori. Cæterum ſi Carpeſium eſſet ad manus, fœliciſſime pro Phu ſuppeditari poſſet. Hallucinantur qui putant Cubebas vulgares, quæ paſſim in Myropoliis habentur, eſſe Carpeſiũ, quippe quod Galeni teſtimonio Carpeſium ſemen non ſit, neq; bacca, neq; Corimbus, ſed feſtuca quædam, vel caulis, vel fortaſſe radicis, vt alibi poſteritatis memoriæ commendauimus.

Cubebas vulgares non eſſe Carpeſium.

Carpobalſamũ.

C A R P O B A L S A M V M verum hactenus mihi videre non licuit: namq; id quo paſſim Seplaſiæ vtuntur, adulterinum eſt, ideoq; in componendis medicamentis nunquam fuerit admittendum: præſtabit tamen eius vice Cubebas, quæ paſſim in Myropoliis habentur ſubſtituere. Si enim Cubebas mandas, dentibuſq; conficias, feruorem ſane non obſcurum guſtu percipies, quin & Aromatis non modicum. Id quod in Balſami fructu (vt ipſe ait Dioſcorides) percipi ſolet. Nec poſſum hac in re Fuchſio alioqui viro doctiſſimo aſtipulari, qui Carpobalſami & Xylobalſami loco in Cõpoſitione aureæ Alexandrinæ, Leucoii radicem ſupponendam præcipit, quæ tamen radix, ſi recte expendas, nullam, quæ illis reſpondeat, qualitatem promittit. Siquidem, nec guſtu mordax reperitur, nec feruens ore, nec vlla ex parte odorata. Hoc tamen negare non poſſum, quin in libro illo, quem falſo Galeno aſcribunt, de ſubſtitutis medicamentis, Leucoii radix Balſami vicem gerat. Quod tamen a peritis & rei Medicæ ſtudioſis, non ita facile probatur: quippe, quod librum illum diligenter examinauerint, ac ſubinde nouerint (vt inquit Syluius præclariſſimus Medicus) non eſſe Galeni, ſed proculdubio ſpurium. In ipſo enim ſtatim initio Græcus codex, qui ad manus eſt, Galenum citat, id quod firmiſſimum prębet argumentum, librum hunc non eſſe Galeni. Præterea Anacardi mentionem facit, cuius nuſquam meminit Galenus, nec alii priores Græci. Poſtremo multa ſupponit abſurdiſſima, quæ, qui crederet Galeno eſſe excogitata, omnino amens & omnis iudicii expers dici profecto poſſet. Nam quid abſurdius dici poteſt, quam pro Aconito, quod deleterium omnino eſt Pharmacum, ſupponi ſylueſtris Iridis radicem, pro Agarico Euphorbium, pro Polypodio Chamelææ radicem, pro Cerui cornu, Caprinũ cornu. pro Epithymo, Colocynthim (proh dii immortales) pro Lemnio ſigillo Sandaracam pernecĩis medicamentum, pro Polygonii ſucco Erucæ ſemen, quod calidiſſimum eſt, & alia huius generis deteſtanda plura? Quid poſtea ſtolidius, ac ineptius, quam ſupponere pro Chamæmelo Anthemitem, pro Elaterio ſylueſtris cucumeris ſuccum. pro Opio ſuccum papaueris, & pro lapide Pyrite lapidem ignivomum? Quomodo (Dii boni) fieri vnquam poteſt, ſic deficiat Chamæmelum, vt ſubſtitui poſſit Anthemis, ſi Elaterium, Cucumeris agreſtis ſuccus, qui nil aliud eſt, quam Elaterium. Sed proh hominũ ignorantiam, atq; amentiam: Eo enim furoris peruenere quidam, vt ſibi perſuaſerint Galenum tam admirandum grauiſſimumq; Medicæ materiæ lumen, & ſimplicium medicamentorum indagatorem tam acerrimum, has ſcripſiſſe nugas, eo fortaſſe tantum argumento freti, quod hæc omnia apud Paulum legerint, qui ex Galeni Cõmentariis ea accepiſſe fatetur. Sed dicant ii ingenue quæſo, cui magis credendum putant, an Pauli codici an rationi? Si Pauli Codici dicant, profecto hallucinantur, quod infirmiſſimum (vt Ariſtoteles inquit) ab authoritate ſit argumentum. Quippe non magno ſane negotio fieri potuit, vt quis ſciolus ea ad voluminis Pauli calcem addiderit: quinimo, nec aliter credi par eſt, niſi quis fortaſſe ſtolidus Paulum ſibi ſimilem fuiſſe credat & hæc tã abſurda ſtolidaq; eũ non perpendiſſe. At ſi magis rationi ſe credere dixerint, profecto ſalua res eſt. Quippe nulla vnquam erit ratio, quæ peritis ac doctis viris, qui cum Galeno diu ſunt verſati, & Pauli grauitatem expenderint, ſuadere poſſit, tam abſurda tam inepta, tamq; execrabilia Galeno ſcriptis fuiſſe mãdata. Sed parce, mi Balthaſar, ſi plus quam Carpobalſami examen popoſcerit, digreſſi ſumus. Nam & hæc tibi ſcire conueniet.

Cubebas Carpobalſami vice eſſe ſubſtituendas.

Fuchſii opinio explota Leucoii radicem ſupponit.

Librum de ſubſtitutis medicamentis non eſſe Galeni oſtenditur.

Hypericum.

H Y P E R I C V M omnibus notum, vbiq; fere locorum naſcitur. Italicum Galeni teſtimonio non longe diſtat a Cretico. Braſauolus autem quum falſo putaſſet, Hypericum Dioſcoridi flore eſſe albo, ſcribit noſtras hoc non eſſe legitimum. Sed qua ratione is deluſus fuerit, ſat alias dictum eſt.

Acatia.

Acatiæ loco quid ſupponendum.

A C A T I A legitima deſtituimur. Seplaſiæ autem ſupponunt ſuccum e ſylueſtribus prunis expreſſum, & in tenues quaſdam placentulas inſolatum. Hic Fuchſio & Cordo probatur, ſupponiturq; Acatiæ vice. Nos vero veterum potius opinionem ſequuti, quam vulgarem, vna cum Dioſcoride Acatiæ loco, vel Rhois folia, vel Lentiſci foliorum ſuccum, vel Hyppociſtim ſupponenda cenſemus.

G V M M I illud hic intelligo quod ab Aegyptia Spina quam Acatiam vocant emanare aiunt. Id enim declarat Andromachus quum ait.

Δάκρυον ἐν μίσγοιο βαλὼν κυανωπὸν ἀκάνθης: ideſt. Miſce atram lachrymam quam Spina remittit.

Ideoq; quum Lachryma hæc atro ſit colore, nullo pacto cenſendum eſt, eam id eſſe gummi, quod paſſim habetur in Myropoliis Arabicum vocatum. Namque hoc (vt in commentariis noſtris in Dioſcoridem fuſius ſcripſimus) Aegyptiæ ſpinæ gummi non eſt, ſed diuerſarum aliarum ſtirpium lachryma. veruntamen quum & ipſum poſſet & refrigeret, vulgari hoc vtendum ſuaderem, idq; magis probarem quod ex ſylueſtri pruno, vel Cotonea malo, vel auſtera Ceraſo fluxerit.

Probatur Gummi e ſylueſtri Pruno, vel cotonea malo, vel e auſtero Ceraſo.

Cardamomum duplex.

C A R D A M O M V M omne genus, quo antiqui Græci vtebantur, iam diu defecit. Placet tamen id ſupponi debere, quo paſſim vtuntur Seplaſiæ. Atqui quũ Seplaſiæ maius & minus Cardamomũ habeant, maius ſemper putarim ſuppeditandũ. Siquidẽ hoc non ſolũ odore & acredine præſtat, ſed aliquid amaroris etiã ſpirat.

Daucum.

D A V C V M probatur Creticum, ſed hac ætate (quod ſciam) ad nos non conuehitur. Conuehi tamen non magno negotio poſſet, ſi quandoq; Pharmocopœi plus inſudarent comparandis legitimis medicamentis, quam cumulan-

*tum laudis pecuniis. In Cretici penuria poteſt ſupponi Italicum, vel Sylueſtris Paſtinacæ ſemen. Quandoquidem (vt Galenus ſcriptum reliquit) Daucum & Paſtinaca parum vel fortaſſe nihil viribus inter ſe differunt. Fuchſius in libro de Compoſ. medicamentorum in Diaſatyrii compoſitione, Creticum Daucum ſola radice ad vſum Medicum præſtare cenſet. Cætera vero Dauci genera ſemine tantum. Cæterum diſſidet ab eo Dioſcorides. Quippe is, tametſi, poſtquam de omnium generum ſemine eiuſq; viribus egit, Creticum præter cætera dixit pollere etiam radice ad venenatorũ iniurias: nuſquam tamen Cretici Dauci ſemen ſuperuacuum eſſe dixit. Dioſcoridi ſubſcribit Galenus. Siquidem is varuis locis in lib. de Compoſ. medicamentorum ſecundum locos, Dauci Cretici ſemen medicamentis admiſcet. Id quod etiam expetit Theriaca. Namq; ſemine tantum hic opus eſt, vt ipſemet Galenus præcipit, non radice.*

Dauci loco quid ſupponendum.

Fuchſii opinio improbata.

*GALBANVM non omnibus in Myropoliis ſyncerum reperitur, quapropter ſcrutinio opus eſt. Eligatur itaq; cartilaginoſum, merum, thuris effigiem præbens, minime lignoſum, grauis odore, ſeminis & ferulæ nonnihil retinens adiectum, & quod neq; valde humidum, nec nimis aridum fuerit.*

Galbani optimi notæ.

*SAGAPENVM quod ſynceri faciem præbeat, non ita facile inuentu crediderim. Scio tamen reperiri legitimum ſed rarum. Eligito pellucens, fuluo forinſecus colore, intus vero albo, & guſtu acri. quod enim tale fuerit ſynceriſſimum erit, ſin minus, impoſturis vitiatum.*

Optimi Sagapeni notæ.

*OPOPANAX quod omnes legitimi notas præ ſe ferat, facile quis ſibi comparare poterit, qui ſimplicium medicamentorum fuerit peritus. Syncerum interne albicat, aut ſubfulueſcit, foris vero ad Croci colorem vergit. Viſitur præterea leue, pingue, graui odore & ſapore quam amariſſimo. Synceritatis indicium præbet, ſi digitis in aqua fricatum, lacteum colorem reddat. Quod enim adulterium admiſit, non ita facile diſſoluitur.*

Opopanax.

Synceri Opopanacis notæ.

*ASPHALTVM Iudaicum eſſe debet ex Sodomæo lacu aduectum. Præteritis nuper annis ſynceri in Italia parua fuit copia: Sed iam legitimum afferri cœpit.*

Aſphaltum Iudaicum.

*CASTOREVM rarum reperiri ſolet in Italia, quod fraudem aliquam non admiſerit. Selectiſſimum ex Pannonia, Auſtria, Stiria, ac etiam Bohemia, conſequi quis poſſet. In Pannonia enim & Auſtria Danubius multos alit Caſtores, in Stiria vero Drauus, & in Bohemia Albis, qui inde permeat ad Saxones.*

Caſtoreum.

*CENTAVRIVM tenue appellat Andromachus iunior, quemadmodum & Plinius, quod nos minus vocamus. Herba eſt vulgo nota, & paſſim vbiq; fere proueniens: vſus eſt floreſcentis comæ.*

Centaurium minus.

*ARISTOLOCHIA tenuis mea ſane ſententia ea eſt, quam Clematitẽ appellant, vt fuſius diximus in Commentariis noſtris in Dioſcoridem. Sola hæc* λεπτὴ *Dioſcoridi appellatur, & (vt Plinius ſcribit) cæteris præſtãtior eſt. Sed quũ ea deſtituamur, longa vel rotunda recte ſupponi poteſt, vtraq; enim venenis aduerſatur.*

Ariſtolochia tenuis.

*MEL Galeno probatur, quod in Græcia prouenit, nempe Atticum ex Hymetto monte, & omne fere aliud quod in adiacentibus colligitur locis: nihil tamen hoc impedit, quum in aliis etiam regionibus mel præſtantiſſimum reperiri poſſit, vt ipſemet fatetur Galenus. Siquidem affertur ex Creta & aliis quibuſdam Ægei maris inſulis, quinetiam ex Dalmatia, quod omnes optimi mellis notas oſtendit. Sunt etiam in Italia loca quædam ac pariter in Sicilia, vbi præſtantiſſimum habetur. Quo fit vt cuiuſuis loci mel ſumi poſſit, ſi tamen notas omnes admiſerit, quæ ſelectiſſimi mellis indicium præbent. Eligatur itaq; bimum. Hoc enim vetuſtiore, ac etiam recentiore, longe præſtantius eſt. Ideoq; aberrant, qui putant vetuſtate mel fieri optimum: amareſcit enim (vt Galenus inquit) quod veteraſcit, & ingratum guſtui redditur. Sit præterea odoratum, ſapore dulciſſimum, atq; etiam acre, colore pallidum vel flauum, craſſum ſubſtantia non ſit, nec in grumos concretum, nec etiam liquidum plus, quam par ſit, ſed ſibiipſi vnitum, & tanto præditum lentore, vt ſi rude, vel digito auferatur, viſci modo fere in longum trahatur anteaquam ſecedat. Tale enim quod fuerit, præſtantiſſimum dici poterit.*

Mel quod optimum.

Mel quod eligendum.

Mel vetuſtate amareſcit.

*VINVM eligatur odoratum, & quod firmiſſimum eſſe experientia compertum eſt. Aquoſum autem & viribus imbecille, facile aceſcens, & quod vetuſtate amarorem contraxit, omnino fuerit vitandum. In ſumma (vt Galenus inquit) Vinum id generoſiſſimum eſt, quod tenui pellucidaq; ſubſtantia viſitur, colore aureo, odoratum, quodq; multam aquæ mixturam expoſcit. Nam huiuſmodi vina firmiſſima ſunt, & Antidotis vtiliter admiſcentur. Quo fit vt Pucinum, Vipacum & alia huiuſcemodi vina, quæ circa Iapidiam proueniunt, ad Antidota conficienda ſemper aptiſſima putauerim. De his plura dicta ſunt in Cõmentariis noſtris in Dioſcoridem. Cæterum ſi Creticum vinũ, quod fraudem non admiſerit, ſit ad manus, eo ſane præſtantius non inuenies. Eſt enim hoc vinorum omnium non ſolum odoratiſſimum, ſed præſtantiſſimum etiam ad roborandas in vniuerſum omnes corporis vires.*

Vinum quod optimum.

Vina quæ circa Iapidiam proueniunt optima.

Creticum vinũ omnium optimum.

*VIPEREI paſtilli, de quibus fuſius ſuperius dictum eſt, Viperas tantum fœminas admittunt, quæ, quibus à maribus dignoſcantur notis, facile quis dignoſcere poterit, ex libro de Theriaca ad Piſonem, quem Galeno adſcribunt: Ibi enim ita ſcriptũ reperitur. Viperæ fœminæ ſubrufæ ſunt & perquã agiles, ceruice elata, oculis ſubrubentibus, inuerecundis, atq; intus feris, iis caput latius, quam mari, quem etiam excedunt vniuerſa corporis mole, earumq; excernens meatus ſuum propius caudam obtinet ſitum. Mari duo tantum inſunt Canini dentes, fœminæ vero plures. Id quod Nicandro libri illius author acceptum referre poteſt: Nam is ita ſcribit:*

Viperei paſtilli.

Viperarum fœminarum notæ.

Τῷ μὲν ὑπὲρ κυνόδοντε δύο χροῒ τεκμαίρονται ἰὸν ἐρευγόμενοι πλέονες δ' αἰεὶ ἐν ἐχίδνῃ.

*Hoc eſt ſoluta oratione. Maſculi quidem ſupra canini dentes duo colore notantur, venenum eructantes. at plures ſemper fœminæ inſunt. Quo autem tempore viperarum venatio fieri debeat, & qua ratione eædem ſint diſſecandæ, coquendæ ac parandæ, quinetiam & Paſtilli ex eis conficiendi, diffuſius recitauit Galenus lib. 1. de Antidotis his verbis: Viperas, non vt aliqui faciunt æſtate media, neq; ſtatim vbi cauernas egreſſæ fuerint, venari conuenit. Æſtate ſiquidẽ earum carnes ſitim excitant, ſtatimq; ab egreſſu frigidæ, ſiccæ & extenuatæ ſunt. Oportunum itaque tempus eſt, quod iis medium intercedit, quodque Andromachus ipſe ſignificauit: id eſt, Vere quidem finiente, nondum tamen æſtate incipiente: vel ſi ver quo ad magnam ſui partem hyemale fuerit, circa principium æſtatis, non multo poſt Pleiadum ortum. Viperas autem quæ prægnantes ſunt reiicere oportet, aliarum vero caput & caudas abſcindere, quæ partes venenatæ plures eſſe videntur & duras paucaſq; carnes continere. Sufficiet autem in magnis viperis, ſi id quod vtrinq; amputabimus, quatuor digitorum menſuram non excedat. His peractis reliquum corpus, inteſtinis exemptis, pelleq; detracta, aquis primo abluendum atque in vas fictile coniiciendum eſt. Deinde aqua pura ſuperinfuſa & Anethum, quod tunc viget, iniectum olla, vt coquatur prunas ſubiiciemus, vel arida ligna, quæ quod fumum non edant, ἄκαπνα Græci vocant, vel quod*

Viperas quo tẽpore venandum.

Viperarum præparatio.

RR melius

*melius adhuc eſt, vitium ſarmenta. Salis autem ſi ſuo tempore viperas cœperis tantillum immittere ſpurio: ſi æſtate iam incipiente, nihil. Omittere inſuper eas conuenit, quæ maritima loca, quæue in aliqua ſalſa aquarum lacuna degerunt. Antidotus enim, quæ huiuſmodi viperas acceperit, ſitim excitabit. Viperas igitur quum ita coctæ fuerint, ac ſi quis ipſas comedere vellet, ab iure primum eximemus, deinde earum carnes ita à ſpinis auellemus, vt ſpinam aliquam non accipiamus, auulſas carnes cõteremus, iis deinde panis ex puriſſima farina confecti optimeq; ſiccati, qui præcipue & bene fermentatus ſit & in furno non ſub clibano coctus, modicum quiddã admiſcebimus. Nonnulli tamen in commiſcendo panem viperis, hanc menſuram ſeruandam præcipiunt, vt panis pondus viperinarum carnium dimidio minus ſit. Alii, ne tertiam partem excedat, malunt. Ego vero quandoq; quartam, quandoq; quintam panis impoſui. Cæterum niſi bene coctus fuerit, periculũ aliquid aceris imminet medicamento. Melius eſt igitur panem hunc ita coctum per aliquot dies loco aliquo ſicciori exiccaſſe.*

Paſtillorum viperinorum apparatus.

*Verum quum viperas & panem coniunxeris diligenterq; adeo ſubegeris, vt nulla viperinæ carnis particula nõ contuſa remanſerit, paſtillos ex ea maſſa conficito, qui tenues ſint, nam craſſi cum difficulter ſicceſcere ſoleant & carnem putreſcere ſinunt: quamobrẽ panem quoq; ante ſiccatũ torrere ſatius eſt, & non quemadmodum ante nos qui Cæſari Theriacam faciebant, viperarũ iure maceratum: quam rem ipſe quoq; diu feci, ſed mihi poſtea melius eſſe viſum eſt, panem antea contritum viperarum carnibus exacte iam ſubactis admiſcere. Citius nãq; paſtilli ſiccantur, qui ſiccum panem non madidum acceperunt. Si tamen cella, in qua paſtillos arefacies in ſuperiori domus parte ad meridiem conuerſa, vel ſaltem ad Septentrionem non reſpiciat, vt Solis radios tota pene die accipiat: Tali enim in loco commode ſicceſcent ſtatim à compoſitione ibi collocati, quo ſolares radii peruenire non poſſunt. Frequenter autem ipſos conuertere opus erit vt æqualiter vtraq; ex parte ſicceſcant: quod facere ſi quis omiſerit, ſuperior quidem pars celeriter areſcet, inferior autem humida diutius permanebit, periculũq; erit ne marceſcant. Poſtea vero quam exiccati fuerint maneant aliquot diebus adhuc eadem in cella longius, quam prius à ſolis radiis, ſæpeq; denuo conuertantur. Sufficient autem ad hæc omnia quindecim ad ſummum dies: deinde poſt hoc tempus, donec Theriacã conficere volueris recondi debent in vaſe ſtanneo, aut vitreo, aut etiam aureo.*

Paſtilli viperei quibus in vaſis recondendi.

*Vitro ſiquidem & auro nihil fraudulenter admiſceri poteſt, ſtãnum autem plumbo adulteratur, quod vitare conueniet, non ſolum in hac antidoto, ſed in quibuſcunq; aliis medicinis quemadmodum ſi purum non fuerit. Cæterum longe melius eſt haud multo poſt, quam paſtillos confeceris, ipſis vti. Quãquam non multum detrimẽti capiunt etiam ſi peracto anno atq; etiam multo poſt eis vtaris. Recte namque a principio ſiccati ad tertium quartumq; annum integri perſeuerant, dummodo tamen apte reponantur, & ſubinde puluiſculus quidam, qui ipſis obnaſci atque obduci conſueuit, mundis linteolis interdum abſtergatur. Is namq; ſi diutius inhæreat, paſtillos perforabit. Perſpicuũ eſt autẽ inutiles eos tum demum reddi, quum perforati fuerint, quemadmodum anteaquam hoc accidat etiam ſi multum tempus interceſſerit non inutiles eſſe. Hactenus Gal. Fuchſius libro de compoſit. medicament. vipereis paſtillis, quorum tamen parandi rationem Andromacho acceptã refert, Opobalſamum addit.*

Fuchſii opinio exploſa Opobalſamum addẽtis.

*Quamobrem non potui Fuchſium non mirari, quod non ſolum præter Andromachi & Galeni inſtitutum hoc fecerit, ſed quod etiam medicamentum addiderit, quo iam penitus diu deſtituimur.*

Scillini Paſtilli.

Pancratium.

*SCILLINI paſtilli ex aſſata tantum Scilla & Erui farina conficiuntur, ſed nos quum veram non habeamus Scillam (vt in Commentariis noſtris in Dioſcoridem editis fuſius diximus) Pancratium accipimus, nempe Cape illud, quod Seplaſiæ omnes legitimam Scillam eſſe putant. Verum quum admodum parum inter ſe differant Pancratium & Scilla, eo ſane Scillæ loco tuto vti poſſumus. Cæterum legitimum Eruum non ita facile omnes habent Seplaſiæ, nec etiam omnes, qui ſe rei herbariæ peritos putant, legitimum nouere. Quapropter omnimodam nauent operam, qui Theriacam conficiunt & Scillinos parant paſtillos, vt verum ſibi comparent. Id enim facile aſſequentur, quum iam legitimum ſeratur ab omnibus.*

Scillinorum paſtillorum parandorum ratio.

*Parandi autem ratio ſic habet. Scillam principio ſucculentam accipies cuius folia penitus iam aruerint. Huic deinde cortice detracto duriorem pulticulam induces ex tritici farina quantum fieri poteſt exquiſite confectam. Ipſam poſtea multo calidoq; cineri ſubiectam nõ prius extrahas quoadusq; circumpoſita pulticula cruſta fiat. Quod ſi vbi hæc agis furnus aliquis adſit, vna cum pane Scillã illuc inferre potes, inde quum obducta puls iam exaruerit ipſam extrahes & conteres. Satis aſſam vero Scillam intelliges ſi feſtucam immiſſam admiſerit. Vbi vero Scillam diligenter attriueris, candidam Erui farinam admiſce. nam quæ candida non eſt, amara ſupra modum eſſe conſueuit. Cognitum autem vnicuiq; exiſtimo, prius oportere tenui cribro farinam excutere, præterea diligenter eam læuigare. Scillæ vero ſeſquipondere farinam ſuperet opus eſt: dico autẽ ſeſquipondere, vt ſi duas farinæ ſumas, Scillæ tres accipias partes. Poſtremo ſimul atq; rotulas tenues ex hac mixtura conformaueris, in cella ſicuti antea dicebamus in compoſitione paſtillorum vipereorum ad meridiem vergente repones: quas tamen non in Solis radiis collocabis. Verum ſicut de paſtillis viperæ dictum eſt, ita de his quoq; cætera perage.*

Hedychroum.

*HEDYCHROVM (vt Gal. inquit) quomodo parari deberet, neq; Andromachus docuit, neque complures alii, qui tametſi de medicinarum compoſitione tractarunt, tamen quum Theriacam deſcriberent, Hedychroi compoſitionem omiſerunt, adeo vt Medicus quidam Romæ Gal. ætate, qui Theriacam conficere nunquam viderat, ipſamq; ex ſola librorũ lectione ſe compoſiturum confidebat, ab vnguentariis Hedychrũ peteret, exiſtimans illud eſſe quampiam herbam, vel ſimplex aliquod aliud medicamentũ. Cæterum poſtea factum eſt, vt Gal. diligentia parandi Hedychroi ratio ex Andromachi monumentis prodiit in lucem.*

Pauli, Aetii, Actuarii & Myrepſici erratum.

*Sed mirum ſane videtur, quod omnes Græci, qui poſt Gal. claruerunt, nẽpe Paulus, Aetius, Actuarius, quin & Nicol. Myrepſicus à Galeno aberrauerint. Siquidem Paulus Opobalſamũ non habet, ſed Carpobalſamum, & præter Gal. ſententiam Rhoem etiam addit. Aetius deinde (niſi ſit interpretis lapſus) non Marum, ſed Arum admiſcet. Præterea Actuarius exacte recteq; deſcriberet, niſi Nardum maiori pondere, quam par ſit imponeret. Poſtremo Nicolaus Myrepſicus duas Hedychroi compoſitiones habet, quarum altera Meon Mari loco admittit, altera vero Rhabarbarum, ex Auicenna fortaſſe, & Botrym pro Maro, ac calamo continet, quin etiã Rhaponticũ præter omnium ſententiã. Cæterum non deeſt ſuſpitio, quin hic codex ſcateat mendis.*

Nicolai loc⁹ reſtitutus.

*Siquidẽ, vbi Gal. Phu pontici meminit, Nicolaus habet Phu ſimpliciter, & ſtatim ab ipſo Phu Rhei põtici, quo fit, vt fuerit ſuſpicandũ Rhei particulã illuc illegitime acceſſiſſe. Is enim quiſquis fuerit, qui hæc corruperit (ita mihi ſuſpicadũ videtur) quũ fortaſſe ignoraret particulã Pontici cũ Phu eſſe copulandã, Rhei particulã interpoſuit, tanquã is qui ſibi perſuaſerit,*

rit, eſſe id à ſcriptoribus prætermiſſum. Sed hoc non animaduerterit Fuchſius. Adhæc palam fit. Nicolai Græci ſermonis imperitia, quod poſt Amomum ſtatim addidit Botrym. Nam quum hoc loco ſicut in Theriaca (vt fuſius ſuperius diximus in Amomi examine) in Græcorum authorum libris ἀμώμου βοτρύδιος ſcriptũ reperiſſet Nicolaus, neſciuiſſetq́ Amomum, racemiferam eſſe plantam, perperam βοτρύδιος ab Amomo diſiunxit, & aliud per ſe medicamentum, nempe Botrym deſignare ſibi perſuaſit. Id quod Fuchſium etiam in errorem vocauit. Porro Arabes Hedychroum trochiſcos Alindaracon appellant. Verum & ipſi in quam pluribus aberrauere, deſciuereq́ ab Andromachi & Galeni placitis. Quamobrem Galenum tantum conſulere oportet, & ei per omnia ſubſcribere. Paratur autem Hedychroum ex Galeni ſententia hoc modo. HABET Hedychroum, Aſpalathi, Aſari, Amaraciq́ cuiuſq́ drachmas duas, Calami odorati, Iunci rotundi odorati, Coſti, Phu pontici, Cinnamomi, Opobalſami, Xylobalſami, cuiuſq́ drachmas duas, Malabathri, Nardi Indicæ, Caſiæ, Myrrhæ, Croci, cuiuſq́ drachmas ſex, Amomi drachmas duodecim, Maſtiches drachmam vnam. Excipiantur omnia contrita vetere vino, & deinde formentur paſtilli, qui demum ſiccari debent, vt de vipereis & Scilliticis dictũ eſt. Reliquum eſt, vt de quibuſdam medicamentis, quæ in huiuſce magmatis compoſitionem admittuntur, tibi noſtram exponamus cenſuram.

Hedychroi genuina paratio.

ASPALATHVS Dioſcoridis teſtimonio naſcitur in Iſtro, & Rhodiorum Inſula, quinetiam in Creta, vt alii ſcribunt. Quo fit, vt non magno negotio inde afferri poſſet, ſi tamen iuuandæ Reipublicæ magis in hominibus inualeſceret ardor, quam augendæ pecuniæ. Quum autem eo nunc deſtituamur, non diſplicet eorum opinio, qui pro Aſpalatho ſupponunt Viticis ſemen, quod non modo excalfaciat & ſiccet Aſpalathi modo, ſed quod etiam venenatis ferarum ictibus auxilietur. Sunt etiam, qui Agallochum ſubſtitui eius loco ſuadeant, quorum placitis facilius etiam ſubſcribo.

Aſpalathus.

MARVM an legitimum habeamus, non mihi ſatis conſtat, quamuis non deſunt, qui Marum illud Amaraci genus eſſe velint, quod minoribus, odoratioribus, acutioribusq́ foliis prouenit. Quibus non videtur omnino refragandum vt in commentariis noſtris in Dioſcoridem editis fuſius antea diximus. Quo fit, vt crediderim non longe aberraſſe, qui hoc Amaraci genus pro Maro ſuppeditaret. Siquidem teſtatur Galenus, libro 1. de Antidotis, ſe iuſſiſſe confici Amaracinum vnguentum, in quo pro Maro Amaracus imponeretur: quo poſtea factum ait, vt vnguentum illud tametſi minus odoratum videretur, non tamen viribus inefficacius erat. Dioſcorides ſcribit Marum vires habere Syſimbrii conſimiles, quapropter poterit quiſpiam etiam eius loco Syſimbrio vti, cui non placeat Amaracum addere.

Marum.

CALAMVM ODORATVM non eam eſſe radicem, qua ſub calami odorati nomine vtuntur Seplaſiæ, adeo validiſſimis argumentis docuimus in Commentariis noſtris in Dioſcoridem, vt nullus poſteris relinquatur ambigendi locus. Cæterum, quum ego iam pridem exiſtimaſſem codicem illum, de ſubſtitutis medicamẽtis, qui inter Galeni opera reperitur, legitimum eſſe Galeni, ſuadebam pro Calamo odorato Sphagnum ſuppeditari, ſed quum tractu temporis diligentius accuratiuſq́ rem expendiſſem, reperiſſemq́ ſcatere librum illũ abſurdiſſimis, ineptiſſimiſque documentis quampluribus (vt in præcedentibus dictum eſt) in aliã venire ſententiam poſtea coactus ſum. Quamobrem minime quidem recte factum videtur, pro odorato Calamo ſupponi Sphagnum, id eſt, arboreum Muſcum, quum huic Dioſcoridis teſtimonio adſtrictoria tantum inſit facultas: Calamo vero contraria: quippe, qui & menſes cieat, & vrinas, & aquæ ſubter cutem opem mirificam ferat. Quid autem eius vice ſuppeditari poſſit, ex veterum teſtimoniis mihi non ſatis conſtat. Non diſplicet tamen eorum opinio, qui vulgarem Calamum odoratum, quem eſſe Acorum non dubitamus, pro legitimo odorato Calamo ſubſtituunt: Non ea propter, quod voluerim hoc eſſe verum Calamum odoratum, ſed quoniã Acorum non ſolum odorato Calamo vires obtineat pares, ſed quod etiam venenis reſiſtat. Nec alia ſane ratione factum putauerim, vt Acorum in Calami odorati locum receptum ſit, tum à Medicis, tum à Pharmacopœis, quam, quod quum priores Medici odorato Calamo ſe deſtitutos cernerent, Acorum ſemper eius loco ſuppeditarent. Quo poſtea facile factum eſt, vt ſe totum in Calamum commutauerit. Præterea, ſi quis radicem expendat, quam ob odoris præſtantiam Angelicam vocant, fortaſſe non diſplicebit eam in Calami odorati locũ ſubſtituere. Ciet enim vrinam, pellit menſes, prodeſt tuſſientibus, aqua intercute laborantibus, & (vt ſexcẽtis conſtat experimentis) aduerſatur venenis, & venenoſorumq́ animalium morſibus, & peſtilentem auram fugat. Sunt etiã qui Melanthii ſemen proponant, quorum opinionẽ etiam non improbamus: Sed magis priora placent.

Calamus odoratus.

Sphagnum.

Cur Acorus Calamus odoratus vocari cœperit.

Angelicæ vires.

XYLOBALSAMVM quod in Myropoliis habetur, adulterinum eſt, & ex Myrto (mea ſententia) decerptum. Verũ quum lignum ſeminis vires habeat, Cubebas ſupponerem, quas ſuperius pro Carpobalſamo ſupponendas eſſe diximus. Adhæc recte quoq́ factum crediderim, ſi quis flauum Sãtalum ſubſtitueret, vel Caryophyllorum pediculos, nobis Italis vulgo vocatos Fuſti di Garoffani.

Xylobalſamum.

Cubebæ.

RESTAT modo dicendum, quo ordine, quaue ratione Theriaca recte probeq́ parari debeat, quum ad manus fuerint omnia, quibus præſtantiſſima hæc Antidotus parari ſolet. Id enim facile aſſequemur, ſi Galenum conſulamus. Quippe is lib. 1. de Antidotis Theriacæ compoſitionem nos docet his verbis. Primum itaque diſſoluenda erunt vino macerata hæc medicamenta, nempe Myrrha & Crocus: ſi tamen ita facere tutius tibi viſum fuerit, nec ipſum, quia humidus ſit contundere. Succi autem omnes ideo vino macerantur, vt & diſſolui queant & facilius læuigari, Sagapeni dico, Panaces, Papauerisq́, cuius liquorem Opium vocant. Acatia quoque, quum humida tibi viſa fuerit, nec ad contundendum facilis, Hyppociſtidis item, & radicũ dulcis ſuccus. Thlaſpis autem, & Napi ſemina primo quidem, ſicut & ante me alios feciſſe videram, in mortarium vna cum aliis contundendis ipſe quoq́ coniiciebam. Inde vero quum ipſa pilæ concauitati adhærere ob tenacitatem ſedulus animaduertiſſem, melius eſſe duxi ſola in alio mortario prius attrita vino ſuperinfuſo macerare, quoad exacte diſſoluerentur, diſſolutaq́ poſtmodum cæteris, quæ peculiariter vino macerantur, ac diluuntur, admiſcere. Thus quoque per ſe ſolum in mortario ſeorſim leuiter comminuere ſatius eſt, ne in placentam coeat, tum vbi comminueris & excuſſeris promptũ habere, quo reliquis, vino maceratis, cum placuerit, ipſum inſpergas. Nam Gummi & vino macerare, & ipſum per ſeſe, vel cum Thure læuigare neceſſe eſt. Hæc igitur quo diximus pacto omnia præparentur, atque humida quidem ex vino diſſoluantur, ſicca vero in puluerem redigantur. Quo tempore autem cuncta ſimul miſcenda erunt, Reſinam Therebinthinam in vaſe duplici primum colliquabis, tum Styracem, & Galbanum antea piſtillis ferreis rotabuliſue confracta, melliſq́ crudi parumper inſtillabis,

Ratio miſcendorum medicamẽtorũ quę in Theriacam veniunt.

*hæc ſimul atq; effuderis, & manibus complanaueris, mellis aliquãtulum, Reſinæ quoq; liquefactæ affundes, atq; ita vaſe cooperto ea rurſus liquari permittes. Melius eſt enim his rebus impoſitis nõdum mel admiſcere, ſed adoperto vaſe, quod aquæ innatat, vt elixentur permittere. Interea dum iſta liqueſiunt maceratis ex vino rebus, ſiccas medicinas eatenus adiicies, & commiſcebis, quouſq; ſpiſſa eſſe ſatis videantur. Atq; ita paulo poſt in mortarium magno cochleari, liquefacta, tepida tamen tranſpones, robuſtuſq; aliquis homo tunc ipſa commiſceat. Ac poſtea, quam bene inter ſe commixta, atq; in vnum corpus redacta fuerint, denſaq; iam quodammodo videri cœperint, mellis moderate decocti, & proculdubio deſpumati partem quandam ſuperimmittes poſtea contuſarum medicinarum portionem quandam, deinde rurſus mel inſeres: poſtea liquefacta ſed tepida infundes. Poſtremo quicquid pulueris, & mellis ſupererit admiſcebis, vehementer omnia magno in mortario, magnaque tudecula commiſcendo: cum vero tudeculæ ductu in mortario omnia coierint, tum in pilam transferẽda ſunt, atq; ferreis rutabulis diligenter exterſis ne quid rubiginis inſiſtat, ſine intermiſſione contundenda. Rutabulum vero ſubinde Opobalſamo perunges, ne ſubigendarum rerum tenacitate obtineatur, neue difficulter ſe inde attollentibus reſiſtat. Vt igitur opus expedite procedat, imas rutabuli partes Opobalſamo frequenter inungere conueniet, atq; Opobalſamum hac vna in re totum abſumere. Melius eſt autem in Sole Theriacam commiſcere ſic enim citius in vnum corpus ſimplicia coeunt, dumq; hoc faciemus, pilam in qua Antidotus admiſcetur, operiemus. At poſt quatuor, aut quinq; dies rurſus in Sole ipſam eodem modo commiſcebimus, eandemq; ſex ſeptemue dierum ſpatio interiecto, iterum atq; deinceps repetemus, donec menſes duo, vel quadraginta dies ſaltem compleantur. Hactenus quæcunque conſcripſimus ad Theriacæ vim augendam pertinent quæ vero mox*

Color Theriacæ niger vnde.

*ſubiungam ad colorem. Danda namq; eſt opera vt nigram Theriacam conficiamus, nam hoc etſi quo pacto in conſuetudinem venerit, neſciam, quiſquis tamen hunc colorem non conſequitur, irridetur, quamquam nulla coloris qualitate medicamenti vis immutetur. Nigra vero Theriaca non erit, ſi Chalcitis flaua luteaue, dum vritur euaſerit: Chalcitis enim particula quantumuis minima colore ſuo Theriacam inficit. Ne quis igitur hac quoq; in re fruſtretur, ea quæ dicam mentẽ adhibeat. Quatuor Chalcitis drachmas cum Theriaca ſolummodo capiat, multo plures aſſare conueniet hoc modo. Coniice in exiguam ollam Chalcitis crudæ drachmas non pauciores quadraginta poſtea ſuccenſis carbonibus, ollam abſque operculo in medio prunarum ſtatue. Cumq; liquefactam videris Chalcitim, ac quæ leuiſſima & ſpumoſa pars eius eſt innatare, ſtatim ollam ab igne amoue humique colloca, nec vt aliquando ſolebamus, ſicuti qui ignem accendunt, ipſi inſufflabis. mirandum eſt enim, quantum ita faciendo luteus flauuſq; color emergat. Non tamen in Sole collocanda erit, ſed in vmbra donec frigeat omittenda. Hinc poſtea id ſolummodo capies, quod ſuperne ſpumeum fuerit, quodq; neque luteum, neq; flauum, neq; pallidum eſt. Deinde experiundi gratia aliquantum eius, quod probaueris accipe atque comminue, & num quis ex ſupradictis coloribus appareat inſpice. Nam ſi qualis accepta eſt, viridis, aut cinerea manſerit, drachmas quatuor ipſius impones. Talem namque Chalcitim exiguam inuenies etiamſi multam exuſſeris. Quæ ad componendam conficiendamq; Theriacam requirebantur, omnia iam abſoluimus. Hactenus Galenus.*

# PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Iacobo Antonio Cortuſo Patritio Patauino, S. P. D.

*Agitur de quibuſdam plantis a Cortuſo Matthiolo tranſmiſſis.*

*TVis literis vbiq; humanitate, & beneuolentia refertis, quibus ad me reſcripſeras, nihil hactenus reſpondere potui aulicis negotiis impeditus, non negligentia retardatus. Perlegi autem illas magna cum delectatione. Nam vt referta ſuauiſſimis plantarum, ac florum odoribus, ita ſane iucundiſſima mihi fuerunt ſpatiabar itaq; nunc in tuo plantarum viridario, inter quas prima, quæ mihi ſeſe offert, eſt.*

Gingidium.

*GINGIDII integra planta quæ quo perfectior altera, quam prius ad me miſeras, eo gratior mihi eſt. Nihil enim imperfectum, mutilumq; ingenui hominis deſiderium explere poteſt. In priore altera nil aliud videri poterat quam foliorum, & caulium facies Iam nunc video genuinum Gingidium nõ eſſe Cherophyllum, vt mea ſemper fuit ſententia contra Fuchſii & Ruellii opinionem.*

Cherophyllum.

Medium.

*VIOLAS Marianas Dodonei, legitimum eſſe Medium iam facile conſentiam, cum naſci eas inter ſaxa, tuo ipſius teſtimonio factus ſim certior. Semen quod mittis terra committam ad finem Autumni, & poſthac obſeruabo diligenter quam diu latitet anteaquam germinet.*

Scamonium.

*SCAMONIVM quod antea miſeras e Syria (vt putaram) eſſe allatum, quam libenter audio. ſed eius flores, quos vna, cum aliis plantis ad me te tranſmiſiſſe ſcribis, nondum ad manus meas peruenerunt. Dolerem ſane ſi aliquo impedimento alicubi detinerentur, quo ad me deferri nequirent.*

Thlaſpi.

*QVOT QVOT Thlaſpi tibi ſunt genera, ſeptem, octo, vel plura, ea omnia videre cupio, admiraturus poſthac naturam, quod in fingendo Thlaſpi tanta artificii varietate vti voluerit.*

Periploca.

*PERIPLOCÆ repentis hiſtoriam perquam diligenter legi. Eam è tuis literis in mea commentaria transferre decreui. Sed gratiſſimum mihi feceris, ſi vnam, vel alteram eius ſiliquam ad me tranſmiſeris.*

Smyrnium.

*SMYRNII Cretici radicem, quam terra conditam te miſiſſe ais, nondum hactenus videre licuit. Vereor ſane ne quiſpiã in itinere eam nobis abſtulerit: quod ſciam non deeſſe noſtris laboribus inuidentes, qui noſtrarum plantarum furtis inuigilant. Semen quod à te miſſum habeo, ſuo tempore ſeram, quanquam in Bohemico ſolo raro peregrina proueniant, quæ vna, vel altero anno non degenerent.*

Veneficum Scolopendrium.

*DE VENEFICO Scolopendrio, etſi nunc nihil ad ea quæ petieram, reſpondes: cum tamen pollicearis, id aliás te facturum, expectabo donec maior mihi ſatiſfaciendi tibi ſeſe offerat commoditas.*

Marum legitimum.

*PVLCHERRIMAM ac rariſſimam plantam, quam Arabs ille infidelis perperam Symphytũ petræum vocabat, omnino tecum ſentio, legitimum eſſe Marum. Habet enim omnes Mari notas adeo perſpicuas,*

ut

*ut Tireſia cæcior fuerit, qui hanc non agnoſcat eſſe Marum. Folia illi ſunt Amaraci candidiora, & flores Origano ſimiles. Primo guſtatu folia amarorem relinquunt, quem deinde acris ſequitur ſapor: qui tamen (ut Galenus inquit) ab amaritudine vincitur. Hanc ſtirpis imaginem gratiſſimam futuram cenſeo omnibus rei herbariæ ſtudioſis. Noſcent enim poſthac quantum facie Marum ab Amaraco diſtet.*

Cytiſus.

*IMAGO quam a Maranta Cytiſo delineatam eſſe ſcribis, videtur genuini Cytiſi faciem non inteleganter referre: ſi tamen e ſolo ramuſculo integram plantam iudicare liceat. His cum accedat etiam Marantæ teſtimonium, qui Cytiſum a ſe inuentum diligentiſſime deſcribit, facile adducor ad credendum ſtirpem hanc genuinũ eſſe Cytiſum. Velim autem, ut ſi ab Ægidio Cumano nobiliſſimo viro Cytiſi illius ramuſculũ meo nomine impetrare poteris, illum etiam ad me mittas. Cum enim tuis literis factus ſim certior, me plurimum amari ab illo (quæ ſua eſt humanitas) non dubito, quin huiuſce rei me compotem facturus ſit.*

Rhabarbarum.

*NON parum ſane placet intellexiſſe Rhabarbari hiſtoriam, quam vna cum eius icone antea ad me miſiſti, a Ioanne Baptiſta Ramuſio in lucem editam, homine meo quidem iudicio, integerrimo, docto, & omni genere virtutum claro. Placuit mihi ſemper admodum Ramuſii ingenium. Nam ad virtutem tantum a natura factus mihi ſemper viſus eſt. Ille primus Saluiam mihi videndã obtulit gallas ferentem, tuæ ad me miſſæ ſimilem, quam è Creta allatam dicebat: de quibus nullus eſt antiquorum qui meminerit.*

Saluiam gallas proferre.

Piſtacium.

*PISTACII è tuo viridario ramuſculum, eam ob cauſam ad me miſſum exiſtimo, quod à Maranta fortaſſe excitatus, tibi non placeret Piſtacii imago, quæ in priori Commentariorũ noſtrorum editione, pictoris cuiuſdam infidelitate minus recte appicta conſpicitur. Verum ſi Commentaria noſtra poſtremo edita is diligentius inſpexiſſet, non fuiſſet illi opus emendare, quæ nos multo antea tempore emendauimus: nec tibi huiuſce ſuſcipiendi laboris cauſam dediſſet.*

Irionis plures haberi ſpecies.

*PLURES eſſe Irionis ſpecies iam diu animaduerto. Nam & tua hæc planta Irionum generi notis omnibus correſpondet. In mea nullam video notam, quæ Irionem non referat: quanquam non deſint blaterones, qui eam damnent. Folia enim eſt Erucæ ſylueſtris, cauliculis lentis, floribus luteis, ſiliquis in cacumine gracilibus, corniculatis, ſemine Naſturtii exiguo, urentis guſtus, nec alibi naſcitur quam iuxta urbes, rudera & hortos, quæ omnia ſuo Irioni reddidit Dioſcorides. Tua maioribus conſpicitur ſiliquis, grandiore ſemine refertis, quo fit, ut cenſeam meam fœminam, tuam marem eſſe Irionem, vel è contra fortaſſe.*

Elichryſum.

*NIHIL dubito quin planta, cuius ego imaginem dedi, legitimum ſit Elichryſum, quod Italia profert, à tuo tamen notis quibuſdam diuerſum, quod etiam ſæpe hic in Bohemia vidi, Creticum vero nunc primum tua liberalitate agnoſco.*

Pimpinella maior.

*MAIORI Pimpinella noſtrate, quam quidam Sanguiſorbam vocant, ubiq; hic prata referta ſunt: quemadmodum & in Vngaria, ubi copioſiſſimam naſci vidimus.*

Melilotum.

*NE dubita quin MELILOTVM tuum, legitimum ſit. Nam præter id, quod eius notæ omnes legitimo correſpondent, nihil differt a meo, quod ex Campania allatum eſt.*

Cauda vulpina.

*CAVDAM Vulpinã, Græcis Ἀλωπέκουρον vocatã, è Lagopi eſſe genere tecũ ſentio. Sed an hæc Ἀλωπέκουρος ſit, de qua meminit Plin. lib. 21. cap. 11. non ita facile aſſeram, niſi eius folia perpetuo vireſcere intelligam. Vulpinam caudam enumerat Plinius inter herbas, quibus æterna ſunt folia. Sed an etiam in hoc Plinio fides adhibenda ſint, anceps quidem ſum: cum is inter eaſdem plantas Heliotropium habeat, cuius planta circa finẽ Autumni emoritur, nec citius repullulat, quam media æſtate.*

Plinii erratum.

Semperuiuum magnum.

*MAGNI illius ſemperuiui imaginem, cuius plantam Corcyra iſtuc tranſmiſſam eſſe ſcribis, magna cum admiratione ſum contemplatus ob rei nouitatem. Iuſſi in lignea tabella perquam diligenter eam delineari a peritiſſimo pictore, ut exciſa edatur in lucem.*

Dactyli.

Palma Elate.

*DACTYLOS ſuis racemis hærentes, vna cum eorum inuolucro, quod Palmam Elaten vocant, à clariſſimo Faloppio accepi ſuperioribus diebus, quibus nihil mihi gratius eſſe poterat. Quo tempore eorundẽ imagines cum tuis literis mihi etiam ſunt allatæ. Placent quidem icones ad amuſſim appictæ, ſed longe magis Elate ipſa ſicca, & Dactyli ſuis racemis hærentes. Debeo Faloppio non ſolum de hoc munere plurimum, ſed quod etiã Muſæ ſummitatem vna cum fructibus & icone ad me tranſmiſerit: quinetiam & Mixæ ramuſculum, hærentibus adhuc Sebeſtenis. Hæc enim tam rara, tamq; paucis nota, mihi gemmis, ac margaritis longe ſunt cariora. Edentur hæc omnia Deo Opt. Max. volente in omnium ſtudioſorum commodum. Nihil enim tam rarum, tam carum mihi fuit vnquam, quod non voluerim commune eſſe omnibus. Elates hiſtoria quam deſcribis, gratiſſima mihi eſt, quod vna cum imagine Commentariis meis plurimum ſplendoris addere poſſit.*

Muſæ imago.

Mixa.

Smilax glãdifera.

*ARBORIS ramum, quem Smilacis eſſe cenſes, de qua inter glandiferas arbores meminit Theophraſtus, adeo deſcriptioni correſpondet, ut facile conſentirem è genuina Smilacis arbore eſſe reſciſſum, ſi glandes haberet. Atqui ſterilis cum ſit, cogor etiam à meipſo diſſentire.*

Viſnagha è Syria.

*PLANTA, quam Syri a quibus eam afferri ſcribis, Viſnagham vocant, cuiuſq; umbellæ feſtucis utuntur Hiſpani, ac etiam quidam Itali principes ad expediendos dentes Lentiſcini dentiſcalpii vice: quod non ſolũ tenaces, ſed odorati habeantur, nil aliud contemplanti mihi repræſentare videntur, quam domeſticæ Paſtinacæ ſpeciem. Si itaq; ab unguentariis, qui eius umbellas Venetiis vendunt, ſemẽ habere poteris, facile comperies, ubi ſatum enaſcetur, an ego, vel qui Meum, vel Ammi eam eſſe cenſent, rectius iudicauerint.*

Verbaſcum folio corniculatis papaueris.

*VERBASCVM folio corniculatis Papaueris, de quo meminit Dioſcorides, tua tantum liberalitate nunc primum agnoſco. Placent inter cætera flores quod in aureo meditullio purpureis floccis niteant. Sed aliud ego Verbaſcum vidi in Iapidia montibus, flore in uniuerſum purpureo à Blattaria diuerſum.*

Chamæleo niger.

*EANDEM nigri Chamæleonis imaginem huic tuæ per omnia ſimilem accepi ſuperioribus diebus, vna cum ipſa planta, ab ipſomet Maranta, vna cum Muſæ icone. Verum ſi ſententiam meam ſyncere tibi narrare debeam, plura ſunt, quæ in Marantæ Chamæleone deſideranda videntur: de quibus cum fuſius alias ſcribere ſtatuerim ad ipſummet Marantam, non eſt ut de ea tecum hic pluribus agam. Habeo enim non pauca argumenta, quæ huic Chamæleoni non parum refragantur.*

Angelicæ ſemen.

*ANGELICÆ radice nigra ſemen, curabo ut habeas. Naſcitur enim copioſa in noſtra Bohemiæ montibus, & in Miſnia nobis contermina.*

Glaux.

*PLACVIT mirum in modum GLAVCIS hiſtoria. Cum enim iam intelligam in Veneti maris lit-*

*tore prouenire hanc, folio (vt apparet) Cytiſi candidiore, flore aureo facile adducor ad credendum, quod hic quam miſiſti legitima ſit Glanx.*

Equiſeti plures ſpecies.

*EQVISETI plures, quam duas, haberi ſpecies, nunc primum animaduerto, ex hac quam à te miſſam inſpicio. Reſpondet namq; Equiſeti maioris deſcriptioni omnibus ſuis notis, adeo vt credam tuam hanc, genuinã eſſe Dioſcoridis Hippurim, quòd radice ſit lignoſa, & planta vegetior ac firmior tota.*

Solanum Somnificum.

*CVR Somnificum Solanum appellaueris eam ſtirpem, mihi nouam, quam antea miſeras, quamq; quidam luteum Hyoſcyamum rectè (meo quidem iudicio) eſſe cenſent, nunc primum intelligo. Quare eos accuſabo, qui perperam hanc Somnifici Solani appellationem in vulgarem conuerterunt vſum.*

Seriphii Abſinthii examinatio.

*SERIPHIVM abſinthium, quod Alexãdria Ægypti allatum eſſe ſcribis, pulcherrimum mihi viſum eſt. Nam longe magis Abrotanum paruum, id eſt, fœminam, refert, quam Seriphium, quod ad mare in Italia prouenit. Hoc enim non adeo tenuis herbula eſt, nec Abrotano paruo ſimile, quanquam ſapore, odoris graueolentia, & ſeminis exiguitate, Seriphio correſpondet. Quinetiam quod tantum in maritimis locis proueniat. Cæterum cum tuum, hoc non ſolum minori Abrotano correſpondeat, & pumila admodum ſit planta, ſed etiam in Ægypto proueniat vbi naſci Seriphium vna cum Dioſcoride teſtatur etiam Plinius, adducor facile vt credam, id eſſe genuinum Seriphium Dioſcoridis. Nec me ab hac amouebit opinione, quod abſurdum admodum*

Seriphii caput Dioſcoridi pluribus in locis deprauatum.

*credere videatur, pro Oliuæ ramo, tam exiguam herbam detuliſſe in ſacris Iſiacis ſacerdotes, cum id tanquam adſcititium ex Dioſcoride non tranſcribat Oribaſius, & alia plura ſint in hoc capite deprauata: quædam vero ex aliis autoribus addita, quæ non ad Seriphium, ſed ad Ponticum Abſinthium ſpectant. Male autem legitur in hoc capite naſci Seriphium copioſiſſimum in Tauro monte iuxta Cappadociam. Quilibet enim intelligit, qui prorſus non fuerit ſtupidus, quod nihil ſit abſurdius, quam marinum Abſinthium in montibus naſci. Nam hoc totum ex præcedenti capite ab Abſinthii Pontici hiſtoria, ad Seriphium tranſlatum eſt, quemadmodũ & illud, quod eius pabulo maxime pingueſcant pecora. Siquidem hoc, vt Theophraſtus inquit lib. 9. cap. 18. Ponticum, non Seriphium facit. Quæ omnia ſcriptorum infidelitati, temeritatiq; ſunt aſcribenda.*

Cẽtaurium Marinum.

*QVOD Marinum Centaurium appellas, ſunt qui marinam Anagallidem vocant. Alias hanc plantã vidi, ſed tanquam ignotam neglexi: ſi quid vlterius ſcripſeris de eius facultatibus, id erit mihi gratiſſimum.*

Gelſiminum.

*GELSIMINI vulgaris fructus, quem miſiſti, Lupino non abſimilis, eo magis placuit: quo rarior habetur, nec id crederem, niſi viderem ipſe, & te huiuſce rei haberem autorem. Nuſquam enim audiui Gelſiminum fructum ferre.*

Buxus ſylueſtris.

*SYLVESTRIS Buxus, res noua etiam mihi eſt, nec habeo (quod meminerim) qui de eo inter antiquos mentionem fecerit. Libenter abs te audierim, an ligni materies alteri Buxo correſpondeat.*

*VENIO nunc ad Marantam, ob duriora quædam eius in me dicta iam calamum in eum ſtringere ſtatueram, quum tamen illum ſe per literas purgaturum apud me intelligam, & locum in Lonchitide, in quo fidẽ meam infirmare nititur, emendaturum, tuis prudentiſſimis conſiliis libenter obtemperabo. Cupio enim tui & Pinelli viri nobiliſſimi cauſa, Marantæ amicitiã conſeruare, ſi tamen ille honoris mei rationem habeat, & ſuũ recognoſcat errorem. Scio quidem vos eſſe homines, qui famæ exiſtimationiſq; meæ rationem habeatis. Vale.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS, Iulio Moderato, Ariminenſi Pharmacopœo, S. P. D.

*Agitur de quibuſdam ſimplicibus medicamentis, quæ in Anacardinam Antidotum veniunt.*

Burungi examinatio.

*ACcepi literas tuas, quibus confecturus Anacardinam Antidotum, plurimum dubitare ſcribis, quid pro Burungi in ea tibi fuerit addendum, quum varia de eo ſint Scriptorum opiniones, ob idq; petis, vt in re hac meis te iuuem conſiliis. Ego vero ne videar hoc laboris potius ſubterfugere, quam quod putem tibi fortaſſe ac cæteris ſatisfacere poſſe, recuſare ſane non poſſum, ob tuam ſingularem erga me obſeruantiam, quin tibi his aperiam, quid de Burungi mihi ſemper perſuaſerim, contra eorum omnium opinionem, qui hactenus de eo commentati ſunt. Varia ſane ac diuerſa (vt recte ad me ſcribis) extant de Burungi recentiorum placita. Atqui tametſi plerique in cenſendo hoc medicamento non parum laborauerint, nullũ tamen reperio, qui rectè (quantum conÿcere poſſum) expoſuerit, quid Mauritanis deſignet Burungi, tanta eſt apud Arabas interpretum confuſio. Siquidem Luminare*

Luminaris maioris opinio exploſa.

Cordi ſententia improbata.

*maius vocatum Burungi Cubebas interpretatur, ſed eius mihi haud placet opinio, tum quod friuolis admodũ nitatur rationibus, tum etiam quod rei Medicæ imperitus multa confundat medicamenta. Cordus deinde cuius doctrinam in componendis medicamentis omnes fere ſequuntur Germani ac Bohemi, Erucæ ſemen Burungi loco admiſcet. Sed qua ratione, quaue authoritate id fecerit, ſilentio præteriit, quo fit, vt nec illi ſit aſſentiendum.*

Monachorũ opinio non accepta.

*Monachi qui in Damaſcenum Commentaria edidere, etſi primo fateantur nihil compertum habere ob varias Arabum lectiones, quid ſit Burungi, Meliſſam tamen, vel Cubebas eius loco ſumendas ſuadent, quanquam & ipſi nullis nitantur apertis rationibus, nec authorum monumentis. Præterea vt ſuam tueantur ſententiam, & eorum refellant opinionem, qui Burungi Nigellam interpretantur, authorem quẽdam (ego hunc Sylnium crediderim) nouarum interpretationum accuſant, quod dixerit noſci poſſe Burungi Melanthiũ deſignare ex Auicenna ac Serapione, qui Nigellam habent Burungi loco. Quippe hoc pertinaciter (vt Monachi ſolent) negantes affirmant Auicennam, Serapionemq; (perperam tamen) præter Nigellam habere etiam Burungi. Cæterum hoc falſum eſſe conuincitur, quum horum nemo in hac Antidoto, nec aliis duabus ſequentib. Burungi meminerit. Quo fit, vt non ignorantia tantum, ſed etiam mendacii ſint arguendi. Monachorum opinio-*

Fuchſii erratum.

*nem pariter & errores videtur ſequutus Fuchſius vir alioqui doctiſſimus, tum quod & ipſe Meliſſam imponat, tum etiam quod ſcriptis mandauerit Auicennam quinto canone in huiuſce Antidoti deſcriptione Burungi etiam præter cætera meminiſſe, quum tamen id (vt prædiximus) ſit falſum. Quandoquidẽ in exemplari noſtro, quod eſt ad manum ab Andrea Bellunenſi reſtitutum, nuſquam extat Burungi mentio. Quo fit, vt non poſſim*

non

*non mirari Fuchſium alioqui doctiſſimum prudentiſſimumq; virum, quin & Monachorum ſectatorem acerrimum, quod iis hic tantam adhibuerit fidem, vt eorum potius crediderit teſtimoniis, quam quod vellet tantũ ſubire laboris, vt hoc loco Auicennam inſpiceret. Quod autem, nec Auicennam inſpexerit, nec legerit, id manifeſtum prabet indicium, quod ſcripſerit Anacardinæ deſcriptionẽ apud Auicennã in nullo prorſus variare ab hac, quam deſcribit Damaſcenus, ob idq; magis hanc Auicennæ, quam Damaſceno Medico acceptam referre debere: quod tamen falſum deprehenditur. Siquidem longe alia eſt Auicennæ deſcriptio, quum Spodiũ, Cardamomum, minus Gingiber, Piperis arboris radices, & Aniſum admittat, quorum non meminit Damaſcenus. Nec è contra capiat Chepulos, Caſtoreum, Coſtum, Saccharum, nec Lauri baccas, quibus ſuam idem conficit Damaſcenus. Præter id cenſet idem Fuchſius Serapionis authoritate fretus Burungi ſiue Berungi Aphris, nil aliud deſignare, quam Meliſſophyllum, quod ipſe Meliſſam ſuo Arabico idiomate Bedarargie & Bedarungi vocet, et vt ſuam tueatur ſentẽtiam, dicit Serapionis codicem hoc loco interpretum inſcitia eſſe omnino deprauatum, & legi debere Burungi, non autem Bedarungi, quum nil aliud Aphris ſit Bedarungi, quam Ocimum. Sed ipſe (quantum video) non omnia apud Arabas perluſtrauit. Siquidem tametſi id ſcriptum reliquerit Auicenna, Serapio tamen Ocimum Bedarungi nuſquam appellat, ſed Berengemiſch Berendaros & Berendaroq, vt facile apud ipſum videre eſt. Raſis vero lib. 21. Continentis Badarungi Ocimum vocat. Et libro de Arabicis nominibus Baſilicon, inquit, latorum foliorum appellatur Arabice Baduraig. Quæ omnia facile oſtendũt, nihil ſolidi ab Aphris adeptum eſſe Fuchſium, quo recte probari poſſit Burungi eſſe Meliſſophyllũ. Cæterum, nec eorum argumenta probanda putauerim, qui Melanthium pro Burungi admiſceri contendunt, eo quod Auicenna, ac etiam Serapio nigellam habeant, & Burungi non meminerint. Quippe quum ii (vt prædiximus) præter nigellam alia plura habeant ſimplicia, quorum nulla Damaſceno ſit mentio, recte ſane haudquaquam affirmari poteſt, an Nigella potius, quam Cardamomũ, vel Piperis radix, vel Zingiber, vel Aniſum, quorum ii ſpeciatim meminere Burungi loco fuerit vſurpandum. Cæterum vt tandem meam de Burungi tibi aperiam ſententiam, putauerim ego legi debere Durungi, non autem Burungi. Durungi enim Auicennæ ſecundo Canone Doronicum deſignat. Quod ad hanc Antidotum parandam admodum competere videtur. Quandoquidem Doronicum Serapionis & Auicennæ teſtimonio, cor mirifice roborat animumq; hilarem reddit. Neminem enim latere crediderim, qui ſe Medicum profitetur, medicamẽta ea, quæ ad cordis præſtant affectus, facere etiam plurimum ad Cerebri morbos quum ſpiritus attenuent, clarioresq; reddant, ea tamen intelligo, quæ facultate ſunt calida. Facilis enim ac lubricus fuit Chalcographi lapſus, qui D in B. nimia fortaſſe manus properantia vertit, dum charecteres connectebat. Namq; vbi D. inuerſum fuerit, in B. mox cõuerſum videtur, quo fit, vt Durungi non Burungi legi debeat.*

Ocimum, Bedarungi Aphris.

Melãthium pro Burungi non ſumendum.

Durungi nõ Burungi legẽdum.

Doronicum.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
## Medicus, Bono Baldino Myropolæ, S. P. D.

*Examinantur quædam meditamenta, quæ veniunt in Trypheram Saracenicam.*

*Paraturus Trypheram Saracenicam magnam Ioannis Damaſceni, quæris datis ad me literis, quid pro Secacul, quid pro Seitaragi ſiue (vt quidam legunt) Sitharegi, quidue pro Origano Perſico fuerit immiſcendum, quum hactenus à nemine in hiſce cenſendis medicamentis tibi fuerit ſatisfactum. Qua in re non poſſum petitioni tuæ non morem gerere, tum vt cognoſcas me tuã de me confidentiam, non parui facere, tum etiam ne ſi ſilerem, fortaſſe cenſeres Arabum medicamenta me non ita exacte exploraſſe perinde ac ea, de quibus Dioſcorides ſcripſit. Vt itaq; de Secacul inprimis meam ad te ſcribam opinionem, nihil dubito hallucinari eos, qui putant Secacul eſſe Eryngium, ac pariter eos (vt Manardus Ferrarienſis) qui hoc idem exiſtimant eſſe Polygonatum. Etenim Piſi folia, vt Secacul, Polygonatum non habet, nec flores purpuraſcentes violæ maiores, ſed minores, albicanteſq;. Præterea Secacul Serapioni radicibus nititur pollicis craſſitudine, & indicis longitudine. Contra vero Polygonatum, quod multo lõgioribus ſit radicibus. Adhæc (vt teſtatur ipſe Ioannes Damaſcenus, ac pariter Serapio, vbi de Secacul, ſacchare, vel melle aſſeruando ſcribunt) eius radices cinereo exterius cernuntur colore, ſolida intus matrice, atque neruoſa, quæ omnia in Polygonati radice deſiderantur, quum candida admodum ſit, fragilis, & nulla intus matrice. Quod autem non ſit Eryngium in Commentariis noſtris ſatis ſuperq; probauimus, præſertim quum Secacul nuſquam planta fuerit aculeatã. Re autem vera Secacul radix eſt Indica: Hoc enim teſtatur Auicenna lib. 5. vbi ſic habet. Secacul ſunt radices Zingiberi ſimiles, quæ conuehuntur ex India, & fit ex eis, quum ſunt recentes conditũ in loco ſuo. Apud nos autem humectantur in primis in aqua calida: Quæ etiam ad vnguẽ Serapioni de eo pariter ſcribuntur, vbi de pluribus Saccharo, & melle aſſeruandis egit. Quibus palam eſt Secacul radicẽ eſſe peregrinã, quæ ex India olim conuehebatur. Sed quum iam diu ad nos conuehi deſierit, cogimur eius loco alio quopiam vti medicamento. Quamobrem ſuaderem ego, vt pro Secacul Paſtinacam, tum ſatiuã, tum etiam ſylueſtrem ſupponeres: quum Paſtinaca vtraq; iis fere viribus præſtet, quas ſuo Secacul aſcribunt Mauritani. Cæterum Seitaragi ſiue Sitharagi, ſiue Sythragi (Synonyma hæc ſunt apud Arabas) plura quidem deſignare nemini fuerit ambigendum, qui eius hiſtoriam apud Serapionẽ & Auicennam legerit. Quandoquidem, quanquam nil aliud Serapioni eſt Seitaragi quam Dioſc. Iberis, ſiue Lepidium, Auicenna tamen Seitaragi tria genera clariſſime explicantur, quũ inquit: Et ille qui eſt Indus, ſunt fruſta ligni parua, tenuia, & cortices ſicut Caryophylli: Et ille, qui eſt fructus declinat ad rubedinem, nigredinemq;: Et Saitaragi quidẽ oritur in parietib. antiquis, vbi nõ foditur, neq; aratur, & habet folia ſicut folia Naſturtii, & in æſtate ſunt folia plurima quorũ ſapor, & color aſſimilatur Cardumeni. Hæc ille. Quib. clare ſatis patet tria eſſe Auicẽnæ Seitaragi genera: quorũ poſtremũ nulli dubium eſt, quin legitimã Iberim deſignet. Interpretis tamen error vnicuiq; patebit, vbi legitur hanc plantam odore, & ſapore eſſe Cardumeni: Quippe non Cardumeni, ſed Cardami, id eſt*

Secacul enumeratio.

Secacul radix eſt Indica.

Loco Secacul ſupponenda Paſtinaca.

Seitaragi examinatio.

Seitaragi triplex.

Interpretis Auicennæ error.

Monachorum ſententia exploſa.

Caryophyllorũ feſtucæ Saitaragi primum genus.

Antophylli Saitaragi ſecundum genus.

Locus Auicennæ reſtitutus.

Braſauoli opinio non accepta Saitaragi Carpeſium conſentis.

Antophylli.

*Naſturtii legendum eſt. Quæ verò medicamenta ex iis, quæ noſtris in Myropolis habentur, cætera duo genera præ ſe ferant, nullus hactenus (quod ſciuerim) rectè explicauit. Nec probanda videtur Monachorum ſententia, qui in Damaſcenum commentaria edidere: Quippe qui perperam ſibi perſuaſerint, nil aliud Mauritanis Seitaragi deſignare, quam Indicam Caſiam, veterem Auicennæ editionem ſequuti. Siquidem Alpagus ille Bellunenſis, qui magna diligentia Auicennæ volumina reſtituit, libro 5. in confectione Philoſophorum, in Tryphera magna, quum in prima, tum etiam in altera in Electuario de granis viridibus aliiſq; nonnullis, vbi Gerhardus modo Caſiam ſimpliciter, modo Caſiam Indicam vertit, Caſiæ huiuſce loco Arabicum nomen Saitaragi ſiue Sythragi reſtituit. Id quod feciſſe eum arguit, quod Arabicæ linguæ peritus pro certo ſciuerit, Arabicum hoc nomen nullo pacto ad Caſiam referri poſſe. Cæterum cogitanti mihi num primum, ac ſecundum Saitaregi genus, de quibus meminit Auicenna, ad nos aduehatur & in Myropoliis extet: ſtatim ſeſe mihi cenſendas obtulerunt odoratæ feſtucæ illæ Caryophyllorum inſtar, quas nos vulgo vocamus Fuſti di Garoffani, atquin & fructus illi Caryophyllis tumidiores inſipidioreſq;, quos Italicæ Seplaſiæ Antophyllos & Pſeudocaryophyllos vocant. Siquidem feſtucæ illæ primum, hi fructus vero ſecundum Saitaragi genus apud Auicennam præ ſe ferre videntur. Fruſta enim Caryophyllorum ita nobis appellata priori Auicenæ deſcriptioni, quam maxime congruere videtur, quum ait: Sunt fruſta ligni parua, ac tenuia, & cortices ſicut Caryophylli. Verum puto ſubeſſe interpretis, vel ſcriptoris mendam in dictione cortices, quũ Caryophylli cortices non ſint, ſed fructus; & comparatio omnino abſurda videatur: quapropter putauerim ego ita legendum: Sunt fruſta ligni parua & tenuia, odorata, tanquam putamina Caryophyllorum. Etenim nulli dubium eſt fruſta illa ſeu feſtucas, quæ inter Caryophyllos abũde reperiuntur pediculos eſſe & putamina Caryophyllorum, quæ à Gerardo perperam (vt alia innumera) cortices ſint tranſlata, quum cortices etiam putamina appellentur. Ideoq; à Braſauolo alioqui doctiſſimo viro, ac acerrimi ingenii diſſentire cogor, quippe qui minus rectè exiſtimauerit Seitaragi primũ genus eſſe Carpeſium: quum hoc Galeni teſtimonio ex Pamphylia afferatur, & ingens eius prouentus habeatur in Syria: Saitaragi vero primum genus Indicum ſit medicamentum. Præterea Carpeſium nullo Caryophyllorum odore commẽdatur, nec vllam cum Caryophyllis habet cognationem neq; ſimilitudinem, ſed omnia ſunt illi (vt Galenus inquit) Phu vocato ſimilia. Adhæc quum Auicenna de Cubebis ſcribens cap. 38. ſecundi libri, nil aliud ſcribat quam Carpeſium, nullo ſane pacto rationi conſentaneum videtur, quod Saitaragi illi Carpeſiũ deſignet. Atq; ſi fructus, quos Italicæ Seplaſiæ Antophyllos vocant parumper expendamus, non ſane abſurdum videri debet, ſi hos dicemus facile eſſe poſſe Seitaragi ſecundum genus: quippe hi fructus ſunt è Caryophyllorũ genere colore ex atro ruſeſcente. Nam & hi expetuntur ad compoſita medicamenta, quæ ad corporis imbecillitatem præſtant, ideoq; rectè Nicolao Myrepſico in ſuo Diathamaro adduntur. His itaque rationibus mihi omnino perſuaſum velim, nil aliud Seitaragi Indici loco in hac Tryphera imponi debere, quam Caryophyllorum feſtucas, ſiue pediculos, quod odoris ſui fragrantia, & virium robore maxime hic ad rem faciant.*

Origanum Perſicum.

Origanum noſtrate.

*Quod autem ad Origanum Perſicum ſpectat, quid tibi certi afferam in præſentia ſane non habeo: nam Perſici Origani meminiſſe Dioſcoridem, Theophraſtum, Galenum, Plinium alioſque, qui ante, vel poſt claruerunt, Græcos vel Latinos autores (quos legerim viderimq;) hactenus non reperi, tametſi apud Arabas illud ſæpius inuenerim deſcriptum in compoſitis medicamentis, præſertimque apud Auicennam, qui eius tamen non meminit, libro ſecundo vbi de Origano peculiariter ſcripſit. Origanum itaque Perſicum (vt tibi meam aperiam ſententiam) a loco omnino dictum putarim, videlicet quod apud Perſas proueniat: ſicuti etiam dicimus Phu Ponticum, Rhus Syriacum, Bitumen Iudaicum à locis, à quibus comportantur ea denominantes. Nec fortaſſe, vt puto, aliam ob cauſam Perſicum Origanum hic prætulit Auicenna, niſi quod certe ſciret ea in regione prouenire Origanum omnium præſtantiſſimum. Namq; apud Perſas diu floruiſſe Auicennam maxime teſtatur Bellunenſis. Nos autem quum Perſico omnino careamus, Cretico eius vice ſecurius vti poſſumus, quam noſtrate, tum cum legitimum Origanum non ſit, tum quod nec ea, quæ Creticum, præſtare poſſit. Vale.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS

## Petro Spezzalancio Pharmacopœo, Compatri ſuo, S. P. D.

### *Examinantur ſimplicia quædam medicamenta, quæ in Antidotum Hæmagogum veniunt.*

Nicolai loca reſtituta.

Aſarum.

Cẽtaurium maius & minus.

*Magno ſane ſum deſiderio, vt tuo in Myropolio, quo ſolo hic Goritiæ vtor, Antidotum Hæmagogum Nicolai Myrepſici paratum habeas. Nam etſi raræ ſint in Italia Seplaſiæ, quæ Antidotum hanc parare ſoleant, quod pauci vel nulli fortaſſe reperiantur Medici, qui eo vtantur, quum tamen ego medicamentum hoc pluris faciam, ob mirificas eius ad varios morbos facultates, eoque ſexcenties vſus ſim ipſo carere non poſſum. Velim tamen (vt tua ſemper fuit diligentia) nihil in eo prætermitti, quod inueniri poſſit. Namq; vt nullus in parando committatur error, nec aliquid ibi deficiat, quæ in hac paranda Antidoto mihi videntur annotanda, hic tibi ſtatim aperiam. Primum itaque animaduertere te oportebit, quod vbi Nicolai codex interprete Fuchſio ſemen Intybi habet, antiquus Latinus codex habet Aſari. Quod mihi longe magis conſentaneum probandumq; videtur. Aſari etenim radix Dioſcoridi excalfactoria vi, qua pollet, vrinã cit, cutem ſubeuntes aquas eiicit & menſes trahit, quo fit vt longe vtilius huic Antidoto veniat admiſcenda, quam Intybi ſemen, cuius facultas eſt refrigeratoria. Præterea tametſi recentior Nicolai editio, eodem Fuchſio vertente, Centaurium maius tantum admittat: potius tamen mihi videtur acceptanda antiqua verſio, quæ maius & minus Centaurium recipit. Quandoquidem Dioſcoridi Centaurium minus menſes, & partus extrahit, quinetiam neruorum vitiis ſuccurrit: Galeno item iecinoris obſtructiones reſerat, & induratos lienes ſanat. Quod maxime pollicetur hæc Antidotus, quibus tamen viribus præſtantius præfertur coma floribus referta. Alterum vero, nempe maius, quod paſſim pro Rhapontico vſurpant Seplaſiæ,*

*ſe, radice ſola pollet. Nuper has radices recentiſſimas a Gargano Apuliæ monte ab Antiano Herbario allatas te comparaſſe ſcio, nec aliunde aduectas vidi ego vnquam præſtantiores. Eas igitur recentes, vegetas, ponderoſas, ſanguineo ſucco prægnantes. Solent enim cito humorem amittere, vbi calido & ſicco loco reponantur. Si itaque cupis incorruptas eas diutius aſſeruare, vel in melle ſepelias, vel in magno milij aceruo tela cera ſuperillita circumpoſita reponas. Adhæc caueas, velim, ne in admiſcendo Elleboro, Fuchſii opinionem ſequaris. Ille enim alioqui vir clariſſ. quod in antiquo Græco Myrepſici ipſius codice legerit ἑλενίου μέλανος credidit non ἑλενίου legi debere, sed ἑλλεβόρου. Nam quum adiectiuum μέλανος nulla prorſus ratione, cum Helenio conuenire poſſe cerneret, non abſque manifeſta ratione mendam ſubeſſe putauit. Atqui longe alia ſum ego opinione, quippe qui Helenium non Elleborum admiſcendum cenſeam: ea omnino ductus ratione, quod præter id quod ſciuerim Græcum Nicolai codicem numeroſis admodum vbique ſcatere mendis non videam, quid emolumenti in hac paranda Antidoto Elleborum nigrum laborioſum medicamentum, aluumq; non ſine incômodo deiiciens præſtare poſſit, præſertim quod ventriculo ſit infenſiſſimus, nec menſes ciere valeat, niſi pro glande ſuppoſitus. Contra vero Helenium. Quandoquidem id Dioſcoridis teſtimonio menſes & vrinas ciet, flatus expellit, & ſtomacho vtile eſt: quæ omnia Antidotus Hæmagogos nobis pollicetur. Quo fit, vt credam, imo omnino mihi perſuaſum habeam, dictionem ἑλενίου neq; amouendam eſſe, neq; immutandam, ſed dictionem μέλανος potius corrigendam. Etenim (vt mea fert opinio) non μέλανος ſed Μελανθίου legendum eſt: adeo vt prætermittas nolim, quin Melãthium etiam admiſceas cum Dioſcoride & Galeno opinioni noſtræ aſtipulantibus, qui Melanthiũ flatus diſcutere, vrinas ciere, & menſes elicere tradunt. Præter id ne aliquis committatur error in dictione Sinonis prætermittendum non duxi, quin tibi indicarem quæ mea ſemper fuerit opinio, in hoc cenſendo medicamento. Ego itaq; quum Sinonis nuſquam meminiſſe Rei Medicæ ſcriptores animaduerterim, non Sinonis, ſed Siſonis legendum eſſe putaui. Siſon enim Dioſcoridi lib 3. exiguum ſemen eſt, quod in Syria naſcitur Apio ſimile, oblongum, nigrum, feruens, cuius facultas eſt lienem abſumere, vrinas ducere, remoratoſq; menſes trahere: Id quod maxime expetit Antidotus Hæmagogos. Quo fit, vt à Fuchſio diſſentiam qui Sinonem facit ſyluestris Petroſelini ſemen, cuius etiam nullus probatus author (quod ſciuerim, vel legerim) meminit. Quin & ab iis diſſentire cogor, qui Sinonem Sium interpretantur, quum nulla mihi ſeſe offerat ratio cui adſtipulari queã. Verum quum Siſon ex Syria afferri deſierit, Cari ſemen vſurpandum cenſerem, quod pariter excalfaciat, vrinas pellat, flatus extinguat, & concoctionem adiuuet: quod & vt facias velim. Eſt etiam tibi animaduertendum, quod vbi Græcus Myrepſici codex habet ἐλελισφάκου, id eſt Saluia, Latinus habet Sabinæ. Atqui quum vtraque menſes eliciat, partus & vrinas extrahat, non multum referre videtur an vna vel altera admiſceatur. Verumtamen cum Sabina omnium conſenſu longe magis Hæmagoga habeatur, quam Saluia, quod non ſolum valentiſſime pellat menſes, ſed etiam ſanguinem per vrinam trahat, non poſſum tibi non perſuadere, vt Sabinam pro Saluia adiicias. Poſtremo etſi Græcus idem codex ex hac Antidoto Carpobalſamum excludat, quum tamen Latina verſio id admittat, ſuadeo vt pro Carpobalſamo, quo omnino deſtituimur, vulgares addas Cubebas. Hæc itaque ſi feceris, nihil nobis verendum erit, quin optimam Hæmagogum paratam habeamus. Vale.*

Centaurij magni radices è Gargano monte optimæ.

Fuchſii opinio improbatur Helenium.

Melanthium.

Siſonis nõ Sinonis legendum.

Fuchſii ſententia non accepta.

Sinonis loco ſubſtituendum Cari ſemen.

Sabina & Saluia.

Cubebę pro Carpobalſamo.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
## Petro Azaiglæ, Cæſaris Ferdinandi Pharmacopœo.
## S. P. D.

*Agitur de quibuſdam ſimplicibus medicamentis, quæ in auream Alexandrinam ingrediuntur.*

*TAmetſi (vt ex tuis accepi literis proxime ad me datis) iam diu in componendis omne genus medicamentis maxime verſatus ſis, & in iis etiam cognoſcendis non parum inſudaueris, non tamẽ ob id, inquis tam clare hac in re ea omnia te eſſe hactenus aſſequutum, vt plura adhuc nõ ſuperſint, de quibus tibi dubitare contingat. Quapropter quum nunc in paranda aurea Alexãdrina, nonnulla ibi habeas, de quibus dubitas, quando nihil certi ſolidiq; hactenus à recentioribus, qui de medicamentorum compoſitione ſcripſerunt, traditum ſit, poſtulas à me, vt meam tibi de his deſcribam opinionem, quod fortaſſe (vt ſcribis) tibi perſuadeas, me hac in re operam tuam cæteris omnibus plus iuuare poſſe. Ego vero quamuis in medicamentis cenſendis, tantum me præſtare non putem quantum mihi tribuere videris, non tamẽ tuæ petitioni vnquam refragabor, non quod te docere poſſim, vel velim, quum mihi iam diu perſuaſum habeam te Seplaſiarium eſſe exercitatiſſimum, & rei Medicæ peritum, ſed vt cognoſcas quanta tibi ſatisfaciendi mea ſit promptitudo, quantaq; te proſequar beneuolentia. Primum itaq; quantum ad Zedoariam ſpectat, mea ſemper fuit opinio, quod legitima ad nos non afferatur, ſi ex notis quibus ſuam Zedoariam deſcribunt Arabes, ea nobis cenſenda ſit. Siquidem Auicenna vna cum Napello creſcere Zedoariam ſcribit, & radicum portiones eſſe ait ſimiles Ariſtolochiæ. Cæterum an longæ, vel rotundæ, id manifeſte explicat Serapio, quippe qui Zedoariam ſcribat radices habere ſimiles Ariſtolochiæ rotundæ a qua longe ſane abeſt Zedoaria, cuius paſſim eſt vſus. Atqui ſi meam de Zedoaria cenſuram tibi ingenue declarare debeam, velim non ignores me eam radicem veram, legitimamque tum Auicennæ, tum Serapionis Zedoariam eſſe cenſere, quæ Antora, ſiue potius (vt puto) Antitora nonnullis vocatur, quod plurimum valeat contra Toram (ita enim Napellum appellant quidam) vt ſuam valere Zedoariam ſcribit Auicenna. Miſit ad me iampridem has Antitoræ radices pro vera, legitimaque Zedoaria Gulielmus Quacelbenus Curtacenſis Medicus apprime doctus, & in ſimplicium medicamentorum cognitione diligenter verſatus, quæ, vt tu etiam vidiſti, quum hic eras cum Inuictiſſimo Imperatore Ferdinando vtriuſque noſtrum Domino Clementiſſimo, non longe a rotunda Ariſtolochia diſtare cernuntur. Cuiuſmodi etiam fuere aliæ nonnullæ, quas è montibus, qui Galliam ab Italia diſterminant, allatas vidi, tametſi Orientalib. illis minores haberentur. Valere has radices contra venena non ſolum teſtantur Arabes, ſed omnes fere noſtræ tempeſtatis rei herbariæ periti, quippe omnes vno ore clamant, Antoram ſiue Antitoram præclariſſimum eſſe medicamentũ contra venena: Idq; Quacelbenus ipſe*

Zedoariam cõmunis vſus nõ eſſe legitimam.

Antorã ſiue Antitorã legitimã eſſe Zedoariam.

(vt

*( vt tu ipſemet ſuis in literis ad me datis legiſti ) mihi affirmauit, & ob id incredibili fere pretio ab Arabibus, qui eam Conſtantinopolim comportant, vendi ſcribit. Verum quanquam hiſce radicibus Seplaſiæ omnes prorſus deſtituuntur, nolim tamen vt putes me ad te ſcribere hæc, vt alio quopiã medicamento, quam vulgari Zedoaria earum vice te vti velim, ſed vt tibi declarem aperiamque, quæ ſit Arabum legitima Zedoaria. Nam quum innumeris conſtet experimentis noſtri vſus Zedoariam, præſtare mirum in modum ad venena, venenoſorumq; animalium ictus, quin & peſtilentẽ auram proculdubio arcere, nihil ſane mihi ſeſe offert medicamenti, quod legitimæ Zedoariæ loco conuenientius ſubſtitui poſſet, quam noſtri vſus Zedoaria, quæ ( vt cenſeo ) merito legitimæ locum ſibi vendicauit.*

Loc° Nicolai reſtitutus.

*Prudenter præterea animaduertiſti Codicum Nicolai variam eſſe in quam pluribus lectionem, vt in hac habetur Antidoto. Quandoquidem vbi Græcus codex habet ἐλελισφάκου: id eſt, Saluiæ, Latinus antiquioris lectionis legit Saliuncæ, perperam tamen me iudice, quippe qui hunc errorẽ ſemper reiecerim in imperitos ſcriptores. Facit aurea hæc Antidotus ad frigidas cerebri fluxiones, ad delachrymantes oculos, ad dolorificos dentiũ rheumatiſmos, confert tabe laborantibus, tuſſientibus, anheloſis, & ſanguinem reiicietibus, auxiliatur reſolutis: prodeſt item vterinis affectibus & vrinæ ſtillicidiis. Quæ omnia facile Saluia per ſe præſtare poteſt, Saliunca vero minime. Siquidem, Plinio teſte, huius radix præſtat tantum ad cohibendas vomitiones, & ventriculum roborandum. Nec velim, vt cum Leoniceno, Ruellio, Fuchſio, & Cordo credas, Celticam Nardum & Saliuncam eandem eſſe plantam, quod ( pace tantorum virorum dixerim ) vel Dioſcoridem negligenter legerint, vel non intellexerint, vel fortaſſe deprauatum habuerint. Quippe Dioſcoridis Græcus codex, qui ad manus eſt antiquiſſimus ἀλιύγγια habet, non σαλιύγγα. vt fortaſſe legerunt optimi illi viri. Conſtat præterea ( vt Plinius eſt author ) non ſolum forma & quantitate à Celtica Nardo differre Saliuncam, ſed etiam facultate & natali ſolo. Vt autem de forma primum & quantitate diſſeram, Saliunca planta eſt folioſa, & adeo denſa vt fere manu preſſa videatur, quinetiã adeo breuis, vt necti ſane non poſſit. At Celtica Nardus nec folioſa viſitur, nec denſa, nec adeo breuis eſt planta, vt necti nequeat, quum teſte Dioſcoride in faſciculos probe colligatur, cuiuſmodi eſt, quæ ex Stiria & Carinthia ad nos comportatur in faſciculis. Adhæc Saliunca radicibus numeroſis cohæret, contra vero altera. Præter id ſi Saliuncæ facultates expendas, nihil virium in ea conſpicies, quæ Celticæ Nardo conueniant. Poſtremo ſi natale etiam ſolum conſiderandum nobis fuerit, reperiemus Saliuncã in Pannonia & apud Noricos oriri, Celticam vero Nardum in Iſtria, Carinthia, Stiria & in Liguriæ Alpib. Quo fit, vt maxime hallucinari deprehendantur, qui cenſent Saliuncam & Celticam Nardum eandem eſſe plantam. At ſi tibi forte obiiceret quiſpiam, Celticam Nardum hac in Antidoto imponi debere, quod Saliunca nil aliud ibi deſignet: illi facile reſpondere poteris, id a ratione abeſſe plurimum. quod Antidotus hæc Nardum habeat Indicam, quæ cum iiſdem cum Celtica ſit viribus, ea quidem ſuperuacua accederet. His itaq; facile eorum deprahenditur error, qui Saluiam hac in Antidoto non addunt.*

Leoniceni, Ruellii, Fuchſii & Cordi opiniones non acceptæ.

Saliuncã à Celtica Nardo differre.

Saxifragia.

*Venio nunc ad Saxifragiam, cuius plures habentur ſpecies, vt te non ignorare non ambigo. Verum quãnam inter cæteras ſelegi poſſit, neminem habeo, qui recte decernat. Proinde ſi Dioſcoridis Saxifragia vti volemus, hæc ea ſane fuerit, quæ Paulo Betonica appellatur. Quippe ramulos profert hæc ( vt ille inquit ) Pulegio tenuiores, & folio Thymi maiores, vel Satureia. Ego vero quum legerim apud Dioſcoridem Saxifragiam plantam eſſe Epithymo ſimilem, putaui quidem aliquam hic ſubeſſe mendam: attamen quum mihi perſuaſerim, adeo tenuia illi ineſſe folia, vt Epithymi modo capillamenti ſpeciem referrent, hac tandem perſuaſus opinione, herbam quandam naſcentem in petris ad calculos renum frangendos, ducendoſq; maxime vtilẽ, legitimæ Saxifragiæ loco pingendam curaui. Cæterum quum tractu temporis Pauli Betonicam primo loco deſcriptam repererim, legerimq; hanc ad renum vitia vſurpari, contemplatus diligenter plantam, quum animaduerterem illi folia eſſe Thymi, naſciq; inter ſaxa, quinetiam exiguum eſſe fruticem: illico inclinauit animus facile ſcriptorum lapſu eueniſſe, vt in Dioſcoridis codice, qui paſſim habetur Epithymo pro Thymo perperam legeretur. Quo poſtea factum eſt, vt hanc prioris loco pingi curarem. Hanc itaq; ſi conſequi valebis ( eſt enim in Italia iam omnibus cognita ) ſecurius admiſcere poteris, vbi vero eam conſequi nequeas, ſuaderem vt pro ea Ononidis radicis cortice vtereris, quum huic maxima frãgendi calculos inſint vires. Quod deinde de albo & rubro Arabum Behen cenſendum putem, id facile intelliges ex meis in Dioſcoridem commentariis. Caremus nos proculdubio legitimis hiſce radicibus, quo factum eſt, vt ego rubri Behen loco Tormentillæ, vel Biſtortæ radicibus ſemper ſim vſus, pro albo vero minoris Phu, quæ ſi tibi fortaſſe non placebunt, poteris cum Auicena vtriuſque Behen loco ſecurius fortaſſe ſupponere, vel tantundem Horminii, vel dimidium ponderis linguæ auis.*

Betonica Pauli.

Dioſcoridis locus reſtitutus.

Pro ſaxifragia ononidis cortex.

Behen album & rubrum.

Quid pro Behen ſupponendum.

Acorum.

*Cæterum quantum ad Acori radices attinet, cum adeo validiſſimis argumentis nobis comprobatum ſit, Calamum Aromaticũ vulgaris vſus legitimum eſſe Acorum, vt nullus mihi ſuperſit ambigendi locus, id ſemper tibi ad manus eſſe poterit. Nec putarim vnquam eorum friuolam complecti opinionem, qui maiorem Galangam legitimum putant eſſe acorum, præſertim ſi memineris te videre, apud me Acori radices Conſtantinopoli allatas, cum integris foliis Iridi æmulis: quanquam ( vt Dioſcorides tradit ) anguſtioribus. Id quod falſam earum explodit ſententiam, qui contendunt haſce Acori radices, radicis eſſe odorati Calami. Teſtis enim tu tibi eſto, an ea planta Calami aliquid gerant, an folia ipſa tantum. Cæteris vero profecto id atteſtari poterunt Clariſs. D. Augerius Flandrus, Cæſareus apud Turcarum Imperatorem Orator, atq; etiam Gulielmus Quacelbenus eius Medicus, qui hiſce radicibus è Nicomedia petitis Calamum nullum eas vnquam proferre ſcribunt, ſed caulem anguloſum, è cuius latere aliquid emergat plantaginis capitulo non abſimile, quod paulo poſt ad vitiginei floris modum florere ſoleat. Ad Carnabadium nunc me confero, quod quidam Doronicum eſſe putant à Ruellio fortaſſe falſi. Quippe is Carnabadium Doronicum eſſe cenſet, ſed falſo quemadmodum etiam Aetiũ falſo citat, quod nuſquã ( quod legerim viderimq; ) Carnabadii meminit. Nemo enim inter Græcos de Carnabadii viribus ſcribit præter vnum Simeonem Sethi, quod ita de eo habet, Carnabadium calidum eſt, & ſiccum ordine tertio, vtile vero eſt ad concoctionem ciborum & flatuum diſcuſſionem, ſtomachum firmat, ventrem ſiſtit, lumbricos necat, vrinam mouet, pituitam ſcindit. Hæc ille. Quæ ſi conferantur cum his, quæ de Caro ſcripſerunt tum Græci, tum etiam Arabes, nihil profecto à Caro differre Carnabadium comperies: Galenus enim Carum ex tertio excalfacientium, & ſiccantium ordine ſtatuit, quinetiam qualitatem moderate acrem poſſidere, itaq; & flatus extinguere, ac vrinam cire poſſe, inquit; non ſolum ſemen, ſed etiam plantam. Cæterum*

Galangã maiorẽ non eſſe Acorũ.

Carnabadium, Ruellio Doronicum male.

Carnabadiũ eſſe Carum.

*lerum Dioſcoridi ſtomacho eſt vtile, & concoctionem adiuuat. Serapioni autem, & Auicennæ à quibus Simeon ipſe Sethi cæteriq́; poſteriores Græci plura deſumpſerunt, vermes interaneorum necat, ventriculum roborat, & ventrem ſiſtit. Quibus palam eſt, nil aliud eſſe Carnabadium quam Carum. Atqui poſſet aliquis huic noſtræ ſententiæ refragari Nicolai Myrepſici teſtimonio fretus, quod is in Antidoto quadringenteſimo vigeſimo nono quod ex Hermodactylis inſcribitur, habeat Carnabadii, id eſt, Cumini Æthiopici. Huic tamen ego facile reſponderim, verba illa, id eſt Cumini Æthiopici, ignari alicuius eſſe expoſitoris, vt alia complura: vel Nicolaum ipſum ea ratione eſſe deluſum, quod tanta Æthiopici Cumini ſeminis, & Cari ſit ſimilitudo, vt alterum ab altero minime ſecerni poſſit, niſi quis vtrunq́; deguſtauerit. Eſt adhuc ad manus Æthiopicum Cuminum, quod tu etiam deguſtaſti, Conſtantinopoli ab eodem Quacelbeno ad me miſſum, quod adeo ſemen Cari refert, vt niſi mihi guſtanti Cumini noſtratis ſaporem referret, ego nunquã à Caro differre cenſerem. Quo factum ſane crediderim, vt Nicolaus horum ſeminum ſimilitudine fuerit hallucinatus, ſi tamẽ is (quod mihi ſuſpectum eſt) Carnabadium ibi Cuminum Æthiopicum fuerit interpretatus. De Macedoniſio autem quid ſentiam nil aliud habeo, quam quod putem Macedonicum deſignare Petroſelinum, quum quid ſit Macedoniſium nulli extet antiquorum: Actuarius enim in hac Antidoto Macedoniſii loco Petroſelinum habet, quinetiam Latinus, qui extat Nicolai codex. Proinde non eſt mihi Fuchſio adſtipulãdum, quippe qui velit pro Macedoniſio eius plantæ inaudiendum eſſe ſemen, quæ Græcis Hippoſelinum, & Romanis olus atrum appellatur, per Hippoſelinum eam plantam intelligens, quam nos legitimum eſſe Smyrnium alias docuimus. Sed quum fortaſſe audierit Fuchſius, Seplaſius huiuſce plantæ ſemen vocari Macedonicum, ſibi fortaſſe perſuaſit de hoc intellexiſſe Nicolaum. Quod autem factum ſit, vt Smyrnii ſemen Macedonicum appellari cœperit, ego quidem inde eueniſſe putarim, quod Petroſelini Macedonici penuria in eius ſucceſſerit locum: Siquidem quum iam Macedonicum Petroſelinum diu ad nos afferri deſierit, Medici qui præterito æuo claruerunt, Smyrnii ſemen in eius locum ſuppoſuerunt, quo poſtea factum eſt, vt tractu temporis Macedonici nomen ſibi vſurpauerit. Sed quanto errore ducantur, qui hanc plantam eſſe cenſent Dioſcoridis Hipposelinum, non eſt hic nobis repetendum, quum in commentariis noſtris in Dioſcoridem, id adeo fuerit comprobatum, vt nullus ſuperſit ambigendi locus. Atqui nolim vt putes me hæc in medium attuliſſe, quod tibi atque cæteris interdicere velim, vt in poſterũ caueatis ne Smyrnii ſemen legitimi Petroſelini loco huic admiſceatis Antidoto, quum facultatibus, quibus pluribus pollet, maxime conueniat, ſed vt ſciant omnes hoc Smyrnii non Petroſelini eſſe ſemen, minusq́; Hippoſelini, vt putat quidam.*

Loc. Nicolai reſtitutus.

Carnabadiũ non eſſe Cuminum Æthiopicum.

Macedoniſiũ eſt Petroſelinũ Maced.

Hippoſelinum.

Smyrnii ſemen cur Macedonicũ vocatum.

Smyrniũ non eſt Hippoſelinum.

Libyſticum.

*De Libyſtico profecto tacere decreueram, quum ſciam te non ignorare, quid legitimum ſit Libyſticum, niſi cæteros admonere voluerim, qui hæc fortaſſe legent, hallucinari eos, qui pro Libyſtico Hippoſelini ſemen, quod falſo quidam Libyſticum vocant ſuis compoſitis medicamentis paſſim admiſcent. Reuixit tamen hac noſtra ætate (vt te haud latere ſcio) Libyſticum, quorundam rei herbariæ ſtudioſorum diligentia, & iam in Italia frequentiſſimum habetur, vnde facile quis illud conſequi poterit, niſi adeo erroribus antiquis fuerit addictus, vt hæc neglexiſſe videatur.*

De pretioſis lapillis authoris opinio.

*Nunc reliquum eſt, vt dicam Latinum codicem antiquum, neque Sapphyrum, neq́; Smaragdum, neque Iaſpidem admittere, quæ etiam Actuario ſilentio ſunt prætermiſſa, quo fit, vt non deſit ſuſpitio, quin hæc in Græco codice adulterina fortaſſe habeantur. Ideoque nec temere factum putarim, ſi hæc non admiſcerentur, tum quod ſemper crediderim lapides, quantumcunque læuigatos, nihil ab innato calore immutari poſſe; ſicut nec aurum, nec argentum. Item è contra, nec temere factum dicam, ſi quis magis vulgarium opinionem ſequutus, quam rationem, hoſce lapillos admiſceat. Nam tametſi fortaſſe nihil afferant auxilii, nocere tamen non poſſunt. Vale.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
### Bono Baldino Myropolæ, S. P. D.

*Agitur de optimo parando ſero, quin etiam de decoctis, ac dilutis.*

*Recte tu quidem, Bone Baldine, Bonus vocaris, quum omnium qui tecum verſantur teſtimonio vir bonus ſis, frugi homo, & qui nõ ſolum amicis omnibus officiis gratificari cures, ſed etiã Rempublicam ipſam iuuare. Etenim etſi id antea nouerim, ex ea maxime quæ mihi tecum iam diu interceſſerit, neceſſitudine: noui tamen longe magis ex literis, quas nuper ad me dediſti, quibus eorum ſententiam explodere niteris, qui in dilutis conficiendis, vbi lactis ſerô opus ſit, id ſuo vſui accommodant, quod ex lacte, cui coagulum admixtum ſit, vel ex ipſo caſeo dum premitur emanat: eo argumento fretus, quod nuſquam extet apud Dioſcoridem & Galenum, vel alium quemcunque Medicæ materiæ ſcriptorem, ſerum coagulo à caſeo ſeparatum expeti debere ad medicamenta: tum etiam, quod hoc ſeri genus aceſcat facile, & breui computreſcat. Proinde hoſce arguis Myropolas, qui eiuſmodi ſero vtuntur, & præſertim vbi dilutum illud fuerit parandum, quo medicamenta macerari oportet, quæ in illam veniunt Antidotum, quæ Hamech Meſui appellatur, quod tibi perſuadeas præter id, quod hoc ſerum ſit parandis medicamentis inidoneum, euenire ſane non poſſe, quin aceſcat, putreſcatque, priuſquam dilutum illud perficiatur quinque dierum termino. Adhæc eos quoque damnandos cenſes, qui in hoc parando diluto Rha Barbarum à cæteris ſeparant medicamentis; quod putent, id nullam vel omnino modicam admittere coctionem, poſtquam fuerit maceratum. Hoc vt probes, ais Medicamenta, quæ ſimul macerantur, adeo ſibi inuicem vniri, ac colligari, vt ſi ſubinde ferueant, vel elixentur, ea minime reſolui poſſe in vaporem, quæ ob partium tenuitatem, imbecillitatemque breui admodum indigent coctione, quemadmodum reſoluuntur, vbi prius macerata minime decoquuntur ex aqua: niſi illud ſeruetur inſtitutum, vt quæ tenuiſſimæ ſunt ſubſtantiæ poſtremo imponantur, & paruo temporis momento conferueant. Et vt tuam authoritate etiam comprobes ſententiam, Meſuem non poſtremæ authoritatis Medicum in medium affers: quippe qui in parando Syrupo de Glycyrrhiza, omnia quæ in eum veniunt medicamenta ſimul macerat, ac deinde coquit ad medias, nulla*

Adianti

Adianti habita ratione, quod tamen in decoctis niſi poſtremo loco addi debet. Hoc itaq; Meſui exemplo fretus, eos maxime hallucinari exiſtimas, qui per ſe medicamenta macerari iubent, quæ facile longa coctura reſoluuntur, vt eorum dilutum poſtremo addant ferueſaciendum ne diſſoluatur, contra ipſius Meſuis ſententiam, qui ſi ſecus ſenſiſſet, cum fuerit in parandis medicamentis omnium diligentiſſimus, haud vnquam permiſiſſet, quin alicubi de re hac meminiſſet. Atqui quum tibiipſi hoc in negotio confidere non audeas, me etiam conſulere voluiſti, ac de his omnibus meam audire ſententiam, veritus fortaſſe, ne tuis argumentis deciperereris. Quamobrē petis ac rogas, vt ad te ſcribere velim, an probanda, vel improbāda tua mihi videatur opinio. Ego vero qui tua cauſa longe maiora præſtare nunquam recuſauerim: quanquam in compoſitis medicamentis parandis non ſum adeo exercitatus, vt de his ita præclare diſſerere valeam, quemadmodum tu tibi fortaſſe perſuades: ne tamen videar laborem hunc ſubterfugere, & huiuſce artis omnino ignarus, dicā de his candide, & ingenue quod ſentiam. Vt autem breuibus, quæ à me deſideras aggrediar, ſi libere veritatem fateri debeam, non poſſum in his, quæ ad ſerum ſpectant, tuæ omnino adſtipulari ſententiæ, quamuis partim experientia, partim authoritate niti videatur. Experientia quidem, quod compertum habeas, ſerum quod ficulneo ramo, & Oxymelite à lacte ſecernitur, non ita facile corrumpi, perinde ac illud quod admixto coagulo paſſim parari ſolet. Authoritate vero, quod nuſquam Dioſcorides & Galenus alterius ſeri meminerint, quam illius, quod per Oxymel conficitur. Siquidem hiſce, quas in medium affers rationibus mihi non conſtat, rem hanc ita ſe habere, vt tu tibi perſuadere videris. Quapropter altius hæc mihi trutinanda videntur, nec ita temere fortaſſe proferenda. Etenim tametſi ſerum, quod Oxymelitis & fici ramuli facultate à lacte diuiditur, non ita facile corrumpatur, aceſcatq; perinde, ac illud, quo paſſim vtimur, quum tamen id ego non parandi rationi, ſed Oxymelli tantum tribuerim, quod proprium mellis ſit, quæ illi admiſcentur, ſeruare incorrupta: ſit ſane vt nec putarim in cauſa eſſe coagulum, vt ſerum communis vſus, vna vel altera tantum die aceſcat, quum lac ipſum purum, cui nihil coaguli admixtum ſit, eodem temporis ſpatio acidum fiat & corrumpatur. Præterea quum nuſquam legerim (quod meminerim) apud Dioſcoridem & Galenum, ſerum coagulo paratum in vſum medicum haudquaquam eſſe expetendum, cur igitur illud improbem, non habeo. Meminit quidem ſeri Galenus Oxymelle parati, Comment. 4. de victus ratione in morbis acutis: ipſumq; ibi non ſolum cauſo laborantibus ad exoluendam aluum, eiiciendamq; bilē præfert. ſed etiam ipſius conficiendi modum exponit: nec id alia ſane ratione, quam differentiæ cauſa, quodque ſerum cui Oxymel admiſcetur magis aluum exoluat, quam quod ſimplex fuerit. Is enim quum in eo morbo exoluere aluum deſideret, valentius, quam ſimplex & commune ſerum præſtare poſſit: ne quis à ſcopo aberraret, quo ibi ſero fuerit vtendum, ac etiam quomodo id fuerit parandum, docet. Quandoquidem ſi tantum huiuſce ſeri (vt tu tibi perſuadere niteris) Galeni æuo extitiſſet vſus, non fuerat illi opus, vt ſeri illius conficiendi rationem deſcriberet, nec vt peculiariter illud afferret in medium. Quod autem ſimplici ſero per coaguli vim à lacte ſiue caſeo ſeparato ſæpe vſus ſit Galenus, facile coniici poteſt ex his, quæ de lacte & ſero ipſe ſcribit libro 3. de aliment. facultatibus. Quippe is ibi præcipit mel atq; etiam ſal ſero eſſe adiungendum, vt magis ac fœlicius aluum exoluat. Id quod ſuperuacuum & ab omni ratione alienum videretur, ſi Galenus nunquam vllo alio ſero fuiſſet vſus, quam quod per Oxymel paratur. Etenim quum id, tot Oxymelitis Cyathos excipiat (Dioſcoridis teſtimonio) quot fuerint lactis heminæ, à quo ſeiunctum fuerit, nulla ſane ratio mihi ſeſe offert, qua perſuaderi poſſim, Galenum mel atq; etiam ſal ſero illi addidiſſe, qui in ipſo apparatu mellis plurimum admiſerit, præſertim quum præcipiat is tantum mellis eſſe iniiciendum, quantum citra ſtomachi euerſionem ſuauitatē inducat. Idem præterea coniici poteſt ex his, quæ libro quinto Aphoriſmorum Aphoriſmo 64. idem ſcribit Galenus, vbi ſerum pariter cum melle, & ſale propinandum ſuadet, quibus Hypochondria intenduntur: id quod manifeſte arguit, quod ibi quoque de ſimplici ſero loquatur. His accedit Meſuis authoritas, cui plurimum videris addictus, qui ad maceranda ea, quæ in antidoto illa Hamech adduntur, non ſerum Oxymelite paratum, ſed aquam caſei, id eſt, ſerum, quod à caſeo fluxerit, recipere Myropolas præcipit. Quo fit, vt noſtri vſus ſerum minime impugnandum eſſe putem. Namq; ſi Oxymel, mel ipſum, ſaccharum, aut ſal illi addatur, nihil mihi verendum eſt, quin hoc etiam diutius ab acore ſeruari poſſit. Nec mihi perſuadere poſſum, quod tantus author Meſues eo fuiſſet vſus, ſi (vt tu arbitrari videris) à Medico vſu id eſſet explodendum. Proinde ſerum quodcunq; in medicum vſum expeti poſſe arbitror, modo ipſa ſeri ſubſtantia ſit prorſus caſei expers: parum enim referre exiſtimo, an per oxymel, an per coagulum, an per Cinaræ flores, an per Cnici ſemen, an per ficulneum lac, an alio quouis modo fiat. Quum ſane non ignorem (vt antea dixi) ſi vnicuiq; iſtorum mel, aut oxymel addatur, præter id, quod diebus pluribus vnumquodq; incorruptum aſſeruari poſſit, vires quoq; illi augebuntur. Sed ſi quis in deligendo ſero committitur error, is mihi videtur coarguendus, quem nonnulli faciunt Myropolæ, vtpote qui plerunq; ſerum accipiunt, quod non parum caſei in ſe continet, vt plane albus indicat color, qui in huiuſmodi conſpicitur ſero. Quod itaq; tale fuerit, merito à medico vſu tollendum eſt, niſi tantiſper ferueat prius, quouſque quicquid caſei fuerit ad fictilis fundum conſidat, & ſerum clarum euadat. At tu quum ea nitaris opinione, de qua ſuperius diximus, eos redarguis, qui ad parādam antidotum illam in communi ſero medicamenta diebus quinque macerant, ea ſane non improbanda ratione, quod eiuſmodi ſerum ante prædictum tempus corrumpatur, & medicamenta inficiat. Quod ego etiam fateri cogor, ſed in hoc ſerum minime improbare auſim, quum potius Meſues ipſe, qui huiuſce erroris extitit author, mihi ſane videatur improbandus. Cæterum id erroris facile vitare poſſunt Myropolæ, ſi tantum ſacchari vel oxymelitis communi ſero addiderint, quantum antiquis addi ſolebat. Quod autē ad eos ſpectat, qui per ſe Rhabarbarum macerant, vt dilutum illud in fine coctionis addant, ſibi perſuadentes Rhabarbarum modicam vel nullam admittere coctionem: ego quidē horum ſententiam haudquaquam improbauerim. Nam quum vis ipſa exoluens (Meſuis ipſius teſtimonio) in tenuiſſimis Rhabarbari partibus contineatur, nulli dubium eſt ſi diutius decoquatur, quin tenues illæ partes in auram euaporent. Quorum, inquit, Meſues, vis facile reſoluitur, quia vel imbecilla eſt, vel in ſuperficie eſt poſita, vel in ſubiecto raro conſiſtit, omnia eiuſmodi parumper, nec valenter coquenda ſunt. Præterea nec tuæ illi opinioni facile ſubſcribam, quod medicamenta diuerſa diuerſarumq; partium, vbi ſimul macerentur, adeo ſimul coeant, ac colligentur, vt nulla poſthac coctione poſſint earum diſſolui facultates. Nā tametſi Meſues ipſe ſcribat, coctionem medicamentorum facultates diuerſas optime miſcere, adeo vt ex omnibus vna tātum reſultet, & velut concretam faciat actionem: iubet tamen, ſi quæ fuerint imbecillia, ea minus valenter eſſe coquēda.

Serum quod cū oxymelite paratur cur non corrumpatur.

Serū vi coaguli paratū antiquis etiā fuiſſe in vſu.

Serum cōmunis vſus non improbandum.

Serū quomodo parari debeat in conficienda Hamech antidoto.

Ideoq;

*Ideoque tum Meſues ipſe, tum Medicorum omnium cœtus exoluentem Rhabarbari vim potius maceratione, ex qua nihil per vaporem deperdi poteſt, quam coctione, à cæteris facultatibus ſeparant. Quod autem tua opinio mihi recipienda non ſit: id plane in cauſa eſt, quod nullum ſit tam ſolidum compactumq; plantarum medicamentum, quod coctione non diſſoluatur, & cuius tenuiſſimæ partes, ſi plus quam par ſit, decoquantur, non abeant in vaporem, vt etiam tibi ipſi conſtare non ambigo. Si itaq; exempli cauſa coquatur Rhabarbarum, in quo natura varias, ac diuerſas ſimul colligauit tum ſubſtantias, tum facultates, ignea à terreis ſeparantur, & facile vehementi coctione in auram reſoluuntur: non video quid prohibere poſſit, quin hoc idem etiam cuilibet diuerſorum medicamentorum diluto arte parato, vbi diutius quam par ſit efferbuerit, euenire poſſit. Quinimo ſi dilutum quodlibet ferueat longe magis euaneſcet, eo argumento, quod maceratione tenuiſſimæ tantum medicamentorum partes à cæteris excipiantur, quæ quum ſuapte natura facile ferueſactæ reſoluantur: nemo ſane qui ratione nitatur, tuæ poterit aſtipulari ſententiæ. Hinc enim fit, vt Meſues dilutum illud confectionis Hamech breui admodum tempore ferueſieri iubeat, ne tenuiorum partium vires amittantur. Quamobrem non video, quo pacto ab errore defendi poſſit Meſues in parando Syrupo de Glycyrrhiza, niſi vel deprauata ſit lectio, vel ipſum peritis non ignaris Pharmacopœis ſcripſiſſe dixerimus. Idcirco ſi quis pertinaciæ potius quam rationi non fuerit addictus, hic facile in noſtram concedet ſententiam. Si vero contra tam pertinax fuerit, vt ſuæ nolit refragari opinioni, poterit is ſenæ dilutum exempli gratia parare, & aliquot vncias inſumere. Deinde vero dilutum ad medias coquere tantundemq; illius altera die ebibere, hoc ſi fecerit facile ſententiam mutabit, cogente ita experimento. Cæterum mihi perſuadere non poſſum, quin tu, cui peritiæ plurimum in Medica materia attribuere ſoleo, hæc ignoraueris. Ideoq; te ea à me expetiſſe cenſeo, vt experireris quantum conſilij in medicamentis parandis præſtare poſſim. In quo ſi tibi ſatis fecerim, non parum ſane lætor: Si vero ſecus euenerit, tuam de me accuſabis opinionem. Vale.*

Rhabarbari deiectoria vis maceratione non coctione excipienda.

Syrupi de Glycyrrhiza examinatio.

Dilutum quodlibet ſi coquatur vires amittere.

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Balthaſari Cleuſelio Myropolæ S. P. D.

*Agitur de quibuſdam ſimplicibus medicamentis, quæ in Antidoto Diatriaſantalo, in Paſtillis de violis & in Philonio perſico adduntur.*

*Laudaui ſemper (mi Balthaſar) apud omnes diligentiam, & ſolertiam tuam in parandis compoſitis medicamentis, quæ tuo in Myropolio in medicum vſum aſſeruas, quod non ſolum ſelectiſſima cuiuſcunque generis ſimplicia tibi comparare ſoleas, ſed quod etiam, vbi dubium aliquod ſeſe offerat in libris de medicamentorum compoſitione, quorum ſcripta paſſim ſequuntur Myropolæ, ſtatim rei medicæ peritos conſulas. Video id nunc apertiſſime ex tuis literis, quibus mihi dubia proponis, quæ habere videris in ea paranda Nicolai Myrepſici antidoto, quæ à tribus ſantalis Diatriaſantalum appellatur. Quinetiam in Paſtillis de violis & in Philonio quod Perſicum appellauit Meſues. Porro dubitas in primis Cordi diſpenſatoriũ ſequutus, quo nullum præſtantius eſſe putant Germani Pharmacopœi, cur in ea de Santalis antidoto bis ſaccharum repetatur, & an vbi primo loco ſaccharum habetur, ibi aliqua fortaſſe adſit menda: adeo vt non ſine ratione putes aliquod aliud ſimplex medicamentum, ibi pro ſaccharo eſſe deſiderandum quum præſertim non deſint (vt ais) qui non ſaccharum, ſed zaccaram: id eſt: Pſyllium legi debere contendant, Matthæi Syluatici pandectis perſuaſi, quippe qui zaccaram ibi Pſyllium interpretatur. Hæc tua prima eſt dubitatio quam non magno admodum negotio tibi ſtatim exoluam. Sed audias velim rei veritatem & eorum ignorantiam agnoſcas, qui Pſyllium pro ſaccharo addi iubent. Huiuſce antidoti, vt prædiximus, author eſt Nicolaus Myrepſicus Alexandrinus, cuius Græcus codex hac in antidoto ſacchari nuſquam meminit, nec item Latinus, quem poſtremo interpretatus eſt Fuchſius. Atqui antiquus Nicolai codex, qui vna cum Meſuis operibus haberi ſolet, non bis, vt Cordi diſpenſatorium, Saccharũ admittit, ſed ſemel tantum ſtatim à roſis. Quo fit, vt perperam Cordus Saccharum in fine iterum addiderit droſati. vel Syrupi roſacei loco, vt Nicolaus Alexandrinus præcipit, qui non ſimplici Sacchara hanc Antidotum excipit, vt nunc omnes faciunt tum Medici tum Myropolæ, ſed Droſato roſaceo, vt magis refrigeret ac roboret. At Cordus quum ſciret hanc antidotum nunc vbiq; parari in ſolidis orbiculis, vel oblongis particulis, quas Myropolæ ſuo more morſellos vocant, Saccharum roſacei droſati vice eidem addidit. Quo poſtea factum eſt, vt ij qui nunquam Nicolai codicem legerunt, de re hac dubitare cœperint, mendamq; ſubeſſe crediderint. Cæterum ſi quæreres quam ob cauſam in antiqua Nicolai verſione additum ſit Saccharum, quum in Græco non reperiatur, reſponderem hoc proculdubio addidiſſe Medicos, qui iam diu ante nos claruerunt, vt guſtui Antidotus gratior, ac ſuauior eſſet, quum in puluere propinatur ex ſtillatitiis aquis, vel carnium iure, vel modo quocunque alio: Quo fit vt Saccharum non ſine ratione additum ſit. Opinioni huic noſtræ aſtipulatur Platearius huiuſce antiqui codicis commentator his verbis: Conficitur Triaſantalum ſic. Pulueribus paratis additur Caphura cum parte ipſius pulueris poſt Saccharum contritum vt melioris ſit ſaporis. Hæc ille. Verum enimvero non ſolum Saccharum addendum putarim, vt Antidoti puluis magis guſtui placeat, ſed vt diutius à carie & ſitu conſeruetur. Siquidem eandem ob cauſam Saccharum, quod Seplaſiæ Candium vocant, in Abbatis Diarrhodone addi ſcio, in quo etiam bis Saccharum ingreditur, e Nicolai ipſius ſententia, vt Græcus habet codex. Quamobrem eos proculdubio hallucinatos eſſe crediderim, qui Pſyllium addendum cenſent: quum Pſyllium contritum in antidota veniſſe nuſquam me legere meminerim. Siquidem quum inter venena tam Græci quam Arabes, qui de lethiferis pharmacis, ac medicamentis ſcripſere, Pſyllium recenſeant, cur in hac competat Antidoto, quæ ad æſtuantem ventriculum roborandũ refrigerandũq;, ad iocinoroſos, hydropicos ac ſpleneticos facit, ſane non video: præſertim quum ſcribat Meſues Pſyllij medullam deleteriam eſſe ex quarto excalfacientium ordine. Neſcio profecto qua ratione, quave authoritate Syluaticus ille Zaccarã Pſyllium fecerit, quum ea vox nec apud Græcos, nec Arabas nil aliud deſignet quam Saccharum. Nã tametſi id ex libro de Dynamidis perperam Galeno aſcripto, & ex Iſaaci viatico probare contendat Syluaticus, ne ſyllabã tamen in iis codicibus reperire potui, quæ Syluatici ſententiã tueretur, quum nil aliud quã Zaccara ſimpliciter habeatur ibi abſq; vlla authorum commentatione. Sed mea ſententia nil aliud Zaccara illis deſignat, quam Saccharum, quod ibi eadem ratione adeſſe cenſeo. Quod autem Zaccara Saccharum deſignet, manifeſto eſt argumento Oxyzaccara, quæ ab aceto & Zaccaro ita cognominatur. Sed nec Cordus ſine cenſura dimitti debet, quod is temere Nicolai ſententiam peruerterit*

Diatriaſantalon.

Zaccara, Pſylliũ.

Cordi erratum.

Reſponſio ad tacitam quæſtionem.

Error quorundam Pſyllium addentium.

Zaccara non eſt Pſyllium.

Syluatici erratũ.

Cordus notatur.

*Etenim vbi in fine Zuccharum addidit, ibi ſane admonere Myropolas debuerat, cur roſaceum Droſatum in Saccharum commutarit, vt nihil eis dubitandum relinqueretur. Sed is breuitati nimium indulgens & celerius quam par fuerit percurrens, nil mirum cuiquam videri debet, ſi ſæpe pedem impegerit. Sed iam ad violaceos Paſtillos me confero, in quibus dubitas, an ex purpureis violis, quæ ineunte vere in campeſtribus florent, an ex Leucoio parari debeant, quum ſcribat Cordus contra communem vſum ex albis violis quas Arabes Keyri vocant, hoſce paſtillos eſſe parandos. Hoc dubium ſane paucis tibi aperiam ſi mihi diſtinxeris an Nicolai Paſtillos an Meſuæ parare volueris. Etenim ſi Nicolai Paſtilli tibi conficiendi ſunt, Leucoium album accipito. Si vero, quos Meſues habet, purpureas violas deſumito. Id quod per te facile cognoſces, ſi relicto Cordo Meſuem & Nicolaum conſulueris. At qui id ſane haudquaquam ignorare debes, Medicos in vniuerſum omnes, nullos alios in ſuum vertiſſe vſum quam qui Meſui deſcribuntur. Proinde velim vt hoſce, quos haud recte neglexit Cordus, non illos paratos habeas, ne Medici qui tuis vtuntur medicamentis decipiantur, & ægri ſubinde defraudentur. Qui à Meſue deſcribuntur, ab iis ſatis longe abſunt quos parat Nicolaus. Illi enim ex purpureis violis biduo iam flaceſcentibus, turpeto manna & Glycyrrhizæ ſucco conficiuntur, addito etiam quandoque Scammonio. Hi vero (quod plurimum diſtat) ex albi Leucoij floribus Amylo Rhabarbarico plantaginis & papaueris ſemine, Balſamo & Rhodoſtagmate parantur. Qui ſi recte expendantur contrarios prorſus effectus facere eos, nemo fortaſſe ambiget. In Perſico philonio nihil tibi dubitandum erit an piper album aut papauer album commiſcendum ſit, ſi Meſuis librum legeris, vbi de ſanguinis reiectis curatione ſcribit. Ibi enim ad capitis calcem Philonium Perſicum afferens, papauer album non piper album imponit, quod in ſanguinis fluxione nullo pipere opus ſit, ſed quæ refrigerent & fluxiones cohibeant, cuiuſmodi eſt papauer. Quo fit vt hallucinari Fuchſium in hoc perinde ac in multis aliis facile quis deprehendere poſſit: Qui ſi Meſuis librum legiſſet, non ita in Cordum inuectus fuiſſet, & rei veritatem proculdubio agnouiſſet. Recte autem Philonium hoc pipere deſtituitur, nam quum pro infrenando Opio & croci & caſtorei ſatis excipiat, illi ſane opus non eſt addere piper, vt magis incaleſcat, vbi potius refrigerari debet medicamentum, quod ſiſtendo ſanguini paratur. Poſtremo quod Fuchſij ſententiam improbes, quod non ſolum in antidoto è Santalis Nympheæ flores pro Caphura ſubſtituat, ſed in cæteris compoſitis medicamentis, quæ Caphuram accipiunt, recte te quidem facere arbitror: Siquidem nunquam probarim quæ nulla aſtipulante ratione ita proferuntur temere. Sed de his fortaſſe latius alias. Vtitor tu interim Caphura, vbi medicamenta quæ Caphuram admittunt parabis, & Fuchſio ſua Nymphea flores relinquito. His paucis audiſti ſententiam meam de hiſce tuis dubitationibus: quam ſi ſequaris profecto, vt ſpero, non aberraueris. Vale.*

Violacei paſtilli qui parandi.

Philonium Perſicum.

Fuchſii ſententia exploſa.

Fuchſii erratum.

## IOANNES ODORICVS MELCHIOrius Medicus, Petro Andreæ Matthiolo S. P. D.

*Agitur de quadam admirabili planta, in Hiſpania reperta, & de Belenio apud Ariſtotelem.*

*BInas abs te accepi literas eiuſdem propemodum argumenti, quæ etſi grata mihi quidem fuerint eo nomine quod memorem te mei eſſe teſtabantur, dolore tamen non leui animum meum perſtrinxerunt. Intelligebam enim ex illis haud ſane libenter, perturbari te plurimum quorundam calumniis & obtrectationibus, quos præter meritum & expectationem non ſatis æquos tuorum ſcriptorum reperiſti iudices. Hic ego ſi mœſtitiam meam quæ mihi perlectis literis tuis plenis illis iuſtiſſima querimonia, oborta eſt, referre omnem velim modeſtiæ profecto finē excedere iudicer, tuiſq; auribus non citra adulationis ſuſpicionem nimium tribuere. Illud certe aſſeuerare non dubitem, nunquā me ex quo tempore vitali hoc ſpiritu diuina benignitate inter homines fruor, magis indulſiſſe dolori meo, neq; etiam putare maiorem me dolendi cauſam habuiſſe vnquā. Primū enim te de ingeniis, de valetudine, de ſalute hominum tam benemeritum, ita conuitiis proſcindi ferebam iniquiſſime, præſertim, quem ego mihi ex omnibus hac ætate, non tam omni officiorū genere colendum, quā ſyncero amore & tacita veneratione quadam proſequendum elegeram. Deinde à tua vnius iniuria ad conſiderationem noſtrorum temporum tranſiens, vſitatam illam hodie inuehendi in optimos quoſq; impunitatem, in vniuerſum deplorabam. Videas enim licet quamcunq; in partem te vertas, magnam tandem libellorum qui noſtra ætate editi publice in Bibliopoliis proſtant copiam, alio argumento propemodum conſtare nullo, quam quod conuicientur viris vndequaq; doctiſſimis & bonis, eamq; conſuetudinem, tam profecto deteſtandam ita nunc inualuiſſe animaduertimus, vt nullum ſit tam abiectum ingeniū quod ex obtrectatione & calumnia, eruditiſſimi cuiuſq; laudem & applauſum hominum promereri ſe poſſe non ſperet. Nec falluntur vnquam profecto ſpe ſua. Nam ſimulatq; aliquem magni nominis traducere ad populum & reprehendere audacter cœpit quiſpiam, haud dubie reperiuntur ſubito (vt eſt ad nouitatem & contentionem rerum cognitarum proniſſimum vulgus) qui illum doctum, & egregium hominem cæteriſq; longe ſuperiorem: reprehenſum vero illum alterum ob ignorantiam à meliore magiſtro redactum in ordinem eſſe conſtituent. Hæc cæca & inepta præcipitiaq; hominum iudicia audaciſſimo cuiq; tradunt animū debacchādi in quoſcunq;: certo nimirum eam eſſe populi leuitatem & inconſtantiam, vt repente atq; turgidi quidpiam faſtuoſa oratione commendatum aliorumq; caſtigationem promittens, in medium prolatum eſt, id cum applauſu omnes alij, quod aiunt, vlnis libentiſſime excipiant. Quo fit vt commendaturi iam libellos emptoribus hoc tempore illorum venditores hoc potiſſimum nomine vendibiliores efficiant, cum in titulo polliceantur correctas & emendatas in illis aliorum ſententias eſſe. Simulac hoc dixit aliquis, impetratur ab omnibus facile fides, & magno accurſu mox diuenduntur exemplaria. Hi mores inquam, & hæc plebis inſcitia, hæcque profligatorum hominum impudentia & arrogantia, impedimento diſcentibus maxime ſunt, & reliquam vitam quam addiſcendis & tractandis vitæ bonis artibus ſumma cum voluptate eramus tranſacturi, importuniſſime perturbant omnem, & ex dulci longe acerbiſſimam reddunt. Atque ideo cum nunc in tot malorum cogitationem, occaſione doloris tui deuenerim, duplicata mihi ægritudo animi eſt, dum & tuam, non bene affecti cauſam, & publicam inprimis vicem deploro. Scribis pertæſum iam te tot laborum quos publicæ vtilitatis gratia ſuſceptos & exantlatos cum qui etiam & glorioſam ſenectam tibi parituros eſſe exiſtimaſſes, nunc videas probrorum & conuitiorum occaſiones tantum dediſſe. Idque nunc tandem ſenilibus annis contigiſſe quereris, in quibus cum præter cætera incommoda, quæ illa fert ætas, moleſtiarum abunde tibi domi naſcantur tuæ,*

etiamſi

*etiamſi aliunde nihil aduerſi ſeſe ingerat, in pace te, & otio ſine odiis & inuidia, atque obtrectatione optime factorum conſcientia munitum pie & religioſe decebat viuere. Equidem fateor ſi obſcuro genere vitæ olim probato Græcorum præceptum illud λάθε βιώσας ſequi, & tibi viuere tantum, non etiam prodeſſe Reipub. cõmentando ſtatuiſſes, nunquam hoc fuiſſe euenturum, vt homines ambitioſi hoc tempore violando honore & oppugnanda dignitate ſenij tui gloriam ſibi & famam aucuparentur. Qui poſſent enim inuidere, ſi opes tu omnes tuas domi diligenter obſeruatas, tibi tuiſq; vſurpares tantum? Verum quando ampliſsimos theſauros ingenij tui, foras omnibus conſpiciendos protuliſti, tuarumq; diuitiarum amplitudinem liberaliter impartiendo, hoc eſt, candide docendo omnibus nationibus pateſeciſti: non eſt mirum tam ampla bona, tam ſplendida, tam omnium oculis expoſita, imo omnium manibus contrectata indies, mouiſſe alicui ex tam multis ad inuidiam animum, quæ cum is ipſe deſideraret maxime, nulla tamen ratione ſe conſequi poſſe confideret, tibi ea iam liberaliter diuino munere contigiſſe doleret ſummopere. Dolor ille in odium vertit, odium ad calumnias, & conuitia reperienda ingenioſos vel quoſlibet facit, & nunquam non, ſicut in ſcirpo nodum, ita in quantumuis bene dictis & factis reprehenſionis aliquam cauſam, quærit & inuenit: aut certe inueniſſe credit. Hæc cauſa eſt inuidiæ, qua te flagrare dicis: quæ quidem eiuſmodi eſt, vt nemo omnium hominum ſit, qui non eandem eadem de cauſa ſibi conciliatam omnibus votis exoptet, eamq; ſi contingat in ſummorum bonorum numero ponat. Dices, at grauis illa mihi ſeni eſt: Ad hæc etſi dicere multa poſſem: viridem nempe adhuc tibi ſenectam eſſe, & viuendi robore præditam, & complura alia in in eandem ſententiam: tamen aliud eſt, quo magis vti, tuoſque te canos (quanquam ne illi quidem annoſo adeo prodierint multi) conſolari in primis velim, nimirum vt cogites in virtute tua & recte factorum conſcientia, tuorumq; pulcherrimorum & vtiliſsimorum operum contuitu acquieſcere te toto animo debere. In his enim rebus ſolida in primis & nunquam peritura laus potiſsimum conſiſtit: nec eſt ſane homini finem bonorum omnium ſerio ſpectanti, præter has externorum commodorum magnopere quippiam expetendum. Illæ enim ſolæ ſunt tuæ, non tantum in hoc breui ſpatio vitæ, quod hic degimus, contra omnes fortunæ viciſsitudines duraturæ conſtanter, ſed & apud Deum Optimum Maximum immortalia tibi in cœlo præmia comparaturæ. Eiuſmodi fundamentis cum optima ſpe confidentiſsime inniti poſſis, caue aliunde, vt tibi pendendum eſſe arbitreris, vt ab inconſtanti hominum iudicio, rumore vulgi, applauſu populari, laude vel vituperio cuiuſpiam: quæ indignis ſæpenumero blandiri quam indulgentiſsime quotidiana experientia comperimus omnes. Hæc cum pro tua prudentia perſpecta tibi abunde ſint, opus eſt auertere te iam poſthac oculos atque aures, animumque ſimul, à vultu & à ſermone ignobilis & ſtolidi vulgi, nec ex illorum iudicio colligere, quid ſentire, quid gaudere, quid dolere de te ipſe debeas. In te deſcendas ipſe oportet, tuaq; bona noſſe, & recto, hoc eſt tuo, & non aliorum iudicio ea æſtimare conſueſce. Deprehendes nimirum in te, quæ ſi in alio quopiam cernere poſſes, beatum illum profecto & ſumme fœlicem eſſes prædicaturus. Neque immerito ſane. Nam ſi rem recte cogitare, & contemplari animo attentius velis, quanta te lætitia perfundi neceſſe eſt, quoties meminiſti tot laborũ, moleſtiarum & itinerum, curſitationum, vigiliarum, quæ omnia publicæ vtilitatis gratia ſuſcepta, & infracto animi robore tam multos annos tolerata, tibi & toti Italiæ, imo vero toti hominum ſocietati, quà terrarum orbis patet, tam bene, tam vtiliter, & fœliciter ceſſerunt. Iam quid tibi ſpectatu iucundius eſt, quam cum cernis in generoſiſsimis quibuſque noſtri ſeculi mentibus iam emicare paſſim radios doctrinæ, de luculentiſsimo ingenij tui numine accenſos, diſcuſſa nimirum ſuperiorum annorum caligine: qua contecta & obuoluta delituerunt omnia: & per doctiſsimos Commentarios tuos, in lucem ſunt prolata? Sane quoties maiorum noſtrorum memoriam cogitatione repeto, eorum ego cum in cæteris artibus capeſſendis, tum vero etiam in Medicina addiſcenda miſerrimam conditionem fuiſſe iudico. Vt enim tunc fœliciſsima prodiiſſe ingenia demus, & ad ratiocinandum in rebus difficilimis inprimis appoſita: Vbi cæteris rebus omnibus abunde inſtructi iam ad medendum acceſſerant, inſtrumentorum notitia, quæ ex antiquis authoribus petenda ad hanc rem neceſſario requirebantur, deſtituebat medicaturos. Quæ quidem ex re inſignis calamitas & innumera damna in vniuerſum genus humanum redundarunt, donec tandem res hominum placatiore vultu reſpiciens ille mundi & rerum omnium fons & effector Deus, excitatis aliquot ad hoc negotium idoneis ingeniis, hac in parte ſuccurrere noſtris neceſsitatibus ſtatuit. Extiterunt igitur hoc æuo linguarũ externarum periti & in antiquorum lectionibus exercitatiſsimi viri non pauci, quorũ nomina doctis omnibus nota ſunt, Hermolaus Barbarus, Nicolaus Leonicenus, Ioannes Manardus, Ioannes Ruellius, Marcellus Virgilius, Leonardus Fuchſius, Antonius Muſa, Iacobus Sylvius Aloyſius Mundella & aliquot præterea alij, qui omni diligentia, ſtudio, vigiliis & laboribus hoc vnum enixi ſunt maximopere omnes vt auxilia Medica à veteribus deſcripta in cognitionem, & viſum tandem reuocarent. At deerat adhuc, qui extremam his conatibus manum imponeret, & quaſi iudex quidam diuerſiſsimarum opinionum quibus illi inter ſeſe diſsiderent, cuius tandem iudicio, altercantibus inter ſe tot excellentiſsimis viris, ſtaret hæc ætas noſtra, vt certa indubiæ veritatis poſſeſsione frueretur. Hic tu Matthiole diuina procul dubio prouidentia ad eam rem deſtinatus, id vnum omnibus optantibus nobis, doctiſsimo calamo tuo erudire ætatem noſtram cœpiſti. Idque, vt faceres fœlicius cæteris, omnes dotes, quæ ad virum tantas res ſuſcepturum pertinerent, in te cumulatiſsime diuinitus collatæ ſunt. Summa doctrina, ſummum ingenium, excellens iudicij acumen, admirabilis rerum lectarum memoria, pertinax in vrgendis ſemel ſuſceptis laboribus conſtantia, ardentiſsimus veri amor, animi robur nullis difficultatibus cedens Quid multa? Molituro rem tantam nihil defuit. Atque ideo quam primum admirandum illud opus tuum typis excuſum in hominum manus peruenit, tanquam Gorgonei capitis aſpectu præ admiratione quaſi obſtupuerunt omnes, quibus eadem de materia ſcribere animus erat, depoſitisq; de manu calamis, & ſcribendi propoſito mutato in te vnum ora animosq; conuerterunt. Tanta apud omnes eodem momento & nominis & operis tui veneratio extitit. Suſcepiſti autem hoc negotium ea ratione tractandum, vt meliore quiſquam hominum id tractare neutiquam poſſet. In authorem enim antiquiſsimum commentarios ſcribere inſtituiſti, qui quidem ſolus propemodum ex vetuſto illo ſeculo relictus erat, diligens ſcriptor rerum eiuſmodi, Dioſcoridem dico, quem Galenus inter omnes eos, quorum ſcripta ad illius ætatem peruenerant, approbat & laudat maxime. Nemo quippe Græcorum hominum remedia in vſum conferre poteſt commode, cui Dioſcorides non ad vnguem ediſcatur. Qui enim poſſet? cum præter illum, quas res quibus verbis indicarint, nemo tradiderit alius. Itaq; iam eo deuentum erat, vt quidam etiam magnæ exiſtimationis Medici non iam clanculum apud ſuos, ſed palam in cœtibus publicis negarent manifeſto, poſſe quenquam ex Galeni libris Medicinam facere. Quid cauſæ eſt? Quia nimirum Dioſcoridis lectione neglecta, quibus inſtrumentis Galenus vti exiſtimaret, ignorabatur. Hac igitur in parte anxiis & laborantibus, peroportune tu ſane nobis affuiſti. Introducti enim tua opera in Dioſcoridis lectionem, quo pacto Galeni conſiliis vtiliter medicando vti poſſemus, didicimus. Itaque debere ſe tibi hac de re quotquot ſunt elegantioris Medicinæ ſtudioſi omnes fatentur vnanimiter. Ita autem nobis Dioſcoridem declaraſti, vt vna cum illo & Galenum & cæteros Græcos ac Arabes omnes, vbi opus erat, diligentiſsime contuleris, ne ad tanti authoris ac Medicæ materiæ intelligentiam*

à nobis quicquam deſideraretur, Qua ratione ſimul factum eſt vt & in cæteris Medicinæ authoribus, multi loci à te explicati ſint, quorum intelligentia in primis erat neceſſaria ad medicandum. Sed hæc tu non ex profeſſo, ſed tanquam obiter, & velut aliud agens, feciſti. Primus enim laborum tuorum ſcopus erat, vt Dioſcoridis lectionem bonis ingeniis planam redderes, tum vero etiam cum multa eſſent materiæ Medicæ partim noſtra ætate, partim paulo poſt illa fœlicia Græcorum tempora inuenta, earum etiam rationem habendam eſſe ducens, ſingulas per occaſionem oportunam notis omnibus diligentiſſime deſcripſiſti, vires enumeraſti, vtendi modum fideliſſime docuiſti. At vero vt nulla non in re cæterorum, quotquot ante te ſcripſerunt, diligentiam vinceres, picturæ à te tam elegantes & ſumma induſtria ad viuum expreſſæ additæ ſunt, vt vel ex illis incognitas plantas cognoſcere, vel conſpectas quidem antea, ſed è memoria lapſas in mentem rurſus reuocare, non admodum ſit difficile. Qua quidem in re quanta tibi cura adhibenda fuit, vt optimos quoſq; pictores, & quod longe difficilius fuit, ſculptores quoque vndique optimos, vt nunc continuo facis, conquireres? Hic tu ſumptibus nullis peperciſti, de longinquis regionibus homines idoneos accerſens, quoſdam etiam ipſe ad recte pingendas & ſculpendas herbarum imagines facta rerum propriarum iactura exercens. Iam vero tot numero tamque varias res vt inueſtigares, quantas moleſtias perferre te oportuit, tot peragrare magno cum ſumptu regiones, excelſiſſimos ac prærruptos ſcandere montes, ſub ardentiſſimis ſolibus ſqualidum vagari per prata, per agros, per ſyluas, per marium, ac fluminum littora. Vitam ſæpe maris tempeſtatibus diſcendi gratia committere: ac ne quid aliud dicam, quantus labor tibi ſubeundus fuit fatigandis amicis per literas, qui diuerſis & longinquiſſimis regionibus commorantes, exquiſita plantarum exempla magna ſane cura aſſeruata tibi ſuppeditarunt? Quid igitur mirum ſi è recentioribus quidam, qui ante te plantarum imagines in ſuis Herbarijs craſſiori ſatis, ac rudi omnino facie pinxerunt, vt Lonicerus nunc primum quamplurimas recudi curauerint ex iconibus tuis in ſua volumina transferentes? Quid item ſi nonnulli qui poſt te de plantarum hiſtoria, ac viribus ſcripſerunt, nullis aliis ſtirpium imaginibus ſua exornauerint ſcripta (vt Lacuna in ſuis Hiſpanicis commentariis, quas etiam Luſitanus ille alter ex tuis fere prorſus deprompſit) quam ijs quæ è tuis viridariis apertiſſime radicitus extirparunt? Id fortaſſe magis mirum quamplurimis videbitur, quod hiſce apertiſſimis furtis tuorumque laborum depopulationibus viſis, non ſolum illis, non iraſcaris, ſed potius plurimum tibi gaudeas, & illis non modicas videaris habere gratias, quod tuos tanti fecerint labores, vt illos tanquam patentes theſauros deprædari haudquaquam ſint veriti: ea ratione fretus, quod dum ij ſe ditari illuſtrariq; ſatagunt, tum non illorum, ſplendor in illis emicare videatur. Sed hæc ſi aggrediar dicere, obliuiſcar epiſtolam ſcribere. Me illud ſaltem dicere neceſſe eſt, Fortis hoc omnino animi fuiſſe & ardentis cum veritatis amore, tum ſtudio prouehendi publici boni tantas nimirum offenſiones magnorum hominum incurrere te ſuſtinuiſſe, quos de errore conuictos nominatim reprehendere palam auſus es, Odioſa quidem hæc res & tibi ſane parum vtilis. Dicere tamen veriſſime hoc omnes poſſumus, niſi id feciſſes, nequaquam tuos libros tam multis vſui futuros fuiſſe. Quanquam enim à te omnia rectiſſime inuenta, & firmiſſimis rationibus, ac veterum ſcriptorum authoritate confirmata ſint, vt nemo iam de veritate dubitet, qui tua attente legerit, vides tamen, quæ vulgo ſit diſcentium in perpendendis rationibus ignauia, ac negligentia. Nam quod quiſque alicuius nominis vir dixit, id nulla adhibita ampliore conſideratione tanquam certum arripiunt. Atqui ſi reprehendi quempiam animaduertunt ab alio, ibi primum quaſi coacti excitant mentem, & rationes, & argumenta, quæ ex vtraque parte adducuntur, tunc demum diligentius expendunt. Id cum pro tuo exquiſitiſſimo iudicio optime intelligeres, non dubitaſti veritatis gratia te ipſum præcipitare, & odia & inimicitias multorum, quos amicos te habere, niſi communis boni maiorem rationem ducendam eſſe cenſuiſſes, priuatarum tuarum rationum magis interesset. Hæc commemoraui eo prolixius, vt oſtenderem recordationem tanti operis, tamque laborioſe confecti in deliberationibus tuis opponere te debere calumniis perditorum hominum magis, quam æſtimare fœlicem te ex bono domeſtico tuo, quam ex alieno malo infœlicem. Calumnia enim non tibi malo eſt, ſed illi, qui tam male affecto & corrupto ac perdito eſt animo, vt conuitio afficiat nihil tale merentem. Quid? quod omnium ſapientum & magnorum hominum inde vſque à mundi primordiis ſemper aliqui reperti ſunt oppugnatores, ijque non pauci numero, per quos illorum virtus, prudentia, ſtudium, patientia, ingenium denique ipſum exercetur. In horum numero recenſeri te ſi cupias, conditiones etiam illas non recuſes oportet, quas commune fatum ſemper adiunctas eſſe voluit, veræ virtuti & ſapientiæ, quæ quidem certè morſibus & inuidiæ maleuolorum ſemper fuit obnoxia. Quinimo plane optabilius eſt vituperari à talibus, quorum calumniis præter omnem rationem affici te animaduerto, quam ſummis ab eiſdem laudibus vehi. Illi enim neminem arbitror alium laudauerint, quam qui per omnia eis ſimillimus ſit. At enim mors tibi, potius ipſa & fortunarum omnium diſcrimen adeundum ſit, quam illis, moribus, inſtituto, ingenio, aſſimilari vt optes. Fuerunt profecto, & ſunt etiam hactenus celebres aliquot & magni viri, qui cum tanti eſſent, vt amplitudinem, & præſtantiam tuam concipere omnino facile poſſent, & ſenſerunt, & loquuti ſunt ſemper de te honorifice & amantiſſime. At vnum tantum inter multos commemorem, qui tamen vnus plurimorum loco ab omnibus nobis haberi merito debet, Illuſtriſſimus ille, ac omni laudis genere celeberrimus vir, Bernhardus Cleſius olim Cardinalis Tridentinus, Sereniſſimi Regis Romanorum Cancellarius, in tanto te ſemper honore habuit, vt à latere ſuo nunquam, niſi inuitus, dimiſerit. Non enim ille tibi vitam tantum & valetudinem credidit (quod per ſe maximum eſt) ſed & in maximis arcaniſque negotiis, ſine tuo conſilio decernere nihil voluit vnquam. Tanti enim fecit, non ſolum eruditionem, ſed & prudentiam & fidem tuam, homo tanti iudicij, vt quem cum eo comparemus, hoc ſeculo non facile alium reperiamus. Annos quatuordecim in Ananiæ valle vixiſti, vbi tuam induſtriam, fidem, benignitatem morumq; tuorum innocentiam ita approbaſti, illuſtri præſertim Cleſiacæ familiæ, aliis cæteris, & toti in vniuerſum populo, vt abiturum inde magna multitudine, cum viri, tum etiam matronæ vna cum liberis flentes longe ſatis per agrum illum te proſequuti ſint, benefactorem & patrem ſolenni voce appellantes. De Goritienſibus vero, apud quos annis duodecim Medicinam feciſti, quo illi in te animo fuerint, peruagata iam in omnes terras propemodum fama eſt. Vt enim non recenſeam omnia quot illi & quales ſuæ erga te obſeruantiæ notas ediderunt. Nam præter id, quod dum illic viueres honeſtiſſimum ſtipendium tibi ſponte contulerant, ac inſtituerant, palam etiam tunc omnibus eorum in te animus fuit, cum incendio tibi domus vna cum facultatibus omnibus vna nocte interiret: nimirum poſtridie ad te certatim confluentes viri, ac matronæ ſinguli aliquid ſupellectilis obiecerunt, alij etiam pecunias non modicas ad ſubleuandam illam ingentem iacturam contribuerunt, fuitq; tanta eo tempore plurimorum nobilium virorum erga te liberalitas, vt eodem die poſt tantam factam iacturam rerum omnium, ditior mox quam prius fueras, effectus ſis. Sed maior fuit æſtimatio virtutis tuæ apud illos, quam vt ſufficere tibi hæc præmia putarent. Ideo Magiſtratus Nobilium decretum publicum fecit, vt tibi illico annui ſpatij ſtipendium ab ærarij præfecto perſolueretur. Quippe [illegible] meritis tuis deuincti, & miſericordia tam ſubita calamitatis affecti, non tantum ſubleuari te, ſed & territum conſolari.

*inſolari, ſuæ pietatis humanitatiſq; eſſe partes conſueuerunt. Deinde, vbi fama nominis tui ad Cæſarem Ferdinandum perlata, is te Sereniſſimi filij Medicum eſſe voluiſſet, vt teſtarentur, ad vltimum conſtantiſſimam ſuam erga te beneuolentiam, torquem tibi aureum non contemnendi ponderis donarunt. Id ſimul etiam apud te palam profeſſi, neminem ſe Medicum ſibi aſcituros, niſi quem tu eis nominaſſes. Poſtremo datæ ſunt literæ ad Sereniſſimum Archiducem, quibus impenſe petierunt ab illo, vt ſi quando vel ob ſenium, vel ob quemcunque caſum alium aulicos labores amplius ſuſtinere non poſſes, non liceret tibi demigrare alio, quam Goritiam: ſcilicet vt, cum te viuo & valente frui non poſſent, oſſibus ſaltem & cineribus tuis ſua in ciuitate conditis extrema pietatis officia præſtarent. Tanta in colendo & amando te conſtantia in homines quantumuis pios humaniſſimoſque cadere non poſſet, niſi eà à virtutis admiratione ortum duceret. Vides, doctiſſime Matthiole, abunde te à non paucis honoratum eſſe, idque ab honoratis viris, vt tibi iam iſti caniculorum latratus obeſſe magnopere non poſſint. Verum vt non ita magnifaciamus hæc, an non ſumma hæc tua gloria eſt, quod Inuictiſſimus totius Chriſtiani orbis Imperator, te tuoſque præclariſſimos in Dioſcoridem Commentarios tanti faciat, vt non tantum ampliſſima acceſſione ſtipendium auxerit, ſed & peculiariter magnam ſummam argenti ad pertexendos, quos nunc in manibus habes, libros donauerit? Exemplum ſequuti liberaliſſimi Imperatoris ipſius filij, & omnes totius Bohemiæ proceres magnam ſane vim pecuniæ ad eandem rem tibi contulerunt, viſis præclariſſimis plantarum, & animalium figuris ad viuum delineatis, quibus ſane pares hactenus non extant, nec fortaſſe in poſterum extabunt: quas nunc præ manibus habes. Iam verò, ſi in partem gloriæ tuæ publicam famam, quam tu tamen nec captaſti vnquam, nec magnifeciſti (quæ tua modeſtia eſt) admittere velis, quid illa celebrius eſt? In Italia, in Gallia in Hiſpania, in Germania nemo iam eſt rei literariæ ſtudioſus, qui tuum nomen non ſemper in ore animoque, Commentarios in manibus habeat, imo iam eo ventum eſt, dedecus vt ſummum ſit, in bibliotheca ſua non poſſe oſtentare Matthiolum. Magna vero laus in eius lectione plurimum profeciſſe: contendentibus nimirum iam certatim omnibus, occaſione tuorum ſcriptorum ingenium in re herbaria cognoſcenda periclitari. Vnde non mirum mihi eſt, quod retulit recens diligentiſſimus & fide dignus Typographus Vincentius Valgriſius à prima illa editione ſupra triginta duo millia exemplarium eſſe diuendita, accurrentibus nihilominus ad emendum vſque tam multis, ac ſi nunc demum in lucem editus prodiret. Eam fortunam vllius vnquam libri fuiſſe, nemo eſt, qui aſſeuerare audeat. Quinetiam videas iam inſtrui vbique hortos inſignium plantarum refertiſſimos, quas ex tuis libris cognitas, magnis ſumptibus aliunde ad ſe apportatas domi quiſque ſuæ ſummo ſtudio & aſſiduitate educant & colunt. Illud etiam addendum puto, quod mirum fortaſſe omnibus videri queat, iactari iam hoc vulgo à mercimoniorum negotiatoribus, qui lucri quærendi gratia longinquiſſimas & diuerſas mundi regiones adeunt, vbique locorum haberi & legi Matthioli Dioſcoridem. Sunt qui in Syria ſe eum vidiſſe dicant, alij in Perſia, in Ægypto, alij cùm Alexandria, tum etiam Memphi, quin & Arabes & Pœnos delectari eius inſpectione dicunt. Ipſe quidem audiui, qui diceret Theſſalonicæ ſe illum Hebraice ſcriptum reperiſſe à docto quodam Hebræo tranſlatum. Cæterum quid dicam de pietate ſumma, ac liberalitate ingenui animi tui? neſcio profecto quid magis: cum in minori ſatis fortuna, ac rerum omnium tenuitate ſtudioſos nonnullos adoleſcentes, qui præ rei domeſticæ anguſtia, ſua proſequi ſtudia non poterant, in publicis Italiæ academiis propriis aluiſti pecuniis magnis à te laboribus conquiſitis, libros illis innumeros coemiſti, Doctoratus inſignia perſoluiſti, atque his poſtremo peractis, eos omnes honeſtiſſimis in locis collocaſti. Ipſe quam plurimos audiui Materiæ Medicæ ſtudioſos, Patauium Goritia reuerſos, vbi tecum fuerant plantarum cognoſcendarum cauſa, vel te fortaſſe tantum videndi, allecti præclari nominis tui fama, qui non ſolum tuam in rebus omnibus agendis dexteritatem, & in oſtendendis cenſendiſque plantis facilitatem ſunt admirati, ſed magnis quoque vbique præconiis tuam decantabant liberalitatem, humanitatemque ſummam, cum præter id quod in conquirendis demonſtrandiſque plantis, nunc in montibus, nunc alibi, nuſquam laborum pertæſus inſpici poteras, quotquot ad te veniebant, domi tuæ exceptos à te eſſe aiebant, perinde ac fratres amantiſſimos. Tot tu laudatores & admiratores tuorum operum, ac animi morum dotumque adeptus, ſpernere cæteros citra vllam iacturam tuam, tuto & facile potes. At dices: optabile erat omnium conſenſu recte facta approbari, & paribus ſtudiis certatim laudari illos, qui de omnibus in vniuerſum benemeriti eſſent. Equidem ſic exiſtimo eum te eſſe virum, in quo cohoneſtando omnes ſimul elaborare merito conueniebat. Verum tanto honore dignus cum ſis, ſi non agnoſcens te tantum, aſinus quiſpiam calcibus feriat, nunquid tuis ornamentis quicquam ex eo deceſſiſſe arbitraberis? Liceat enim mihi cum hoc animante conferre æmulos tuos: ſiquidem cum nullo conferri poſſunt magis appoſite, quippe qui non reprehenderis ab illis, ad quos hoc pertinet, vt de ſummorum virorum monumentis ſententias ferant, ſed à ſtolidis quibuſdam ac impudentibus, extremeque ignaris hominibus. Qui cum vix communi ſenſu prædti ſint, vulgato tamen illo animi morbo infecti tanquam totius ſapientiæ arcem tenerent, non modo cenſent omnes, damnant, pronuntiant, nihil neſciunt, vt eſt inſcitia nihil impudentius, vel arrogantius, verumetiam, quod longe deteſtabilius eſt, vbi, quod iuſtis rationibus reprehendant, reperire nequeunt, conuitiis & maledictis omnique criminum genere optimorum & doctiſſimorum virorum labores inſectantur. Verum hos obſcurabit & opprimet tandem fama ſplendorque nominis tui. Et ſane iam vidimus quibuſdam per ſummam ignominiam & dedecus ſilentium impoſitum per Magiſtratus publicos eſſe. Vix enim annus elapſus eſt, cum ſcripto in te acerbiſſimo libello quodam, vbi eum editum eſſe comperit Senatus Venetus, non tantum grauibus ſub cenſuris vetuit ne diſtraherentur exemplaria, ſed vt igni impoſita cremarentur, mandauit ſeueriſſime. Itaque iam & ſummi Monarchæ & ampliſſima illa Reſpublica pro tuo honore depugnant. Quo futurum facile non dubito, vt breui repreſſi, manus dent aduerſarij iſti tui, aut ſi quid omnino magni conentur efficiantque, tempus ipſum profecto tandem poſteritaſque doctorum hominum ſcriptis ſemper æquiſſima, meritam tibi gratiam, dignaſque laudes referet. Cum enim hæc ætas, tuque ipſe, atque inuidi tui fatali mortalitatis lege tranſierint, nouumque ſucceſſerit ſeculum, tunc ſine nominis ſtatuſque dignitate, aut reſpectu, ſola exiſtimabuntur ingenia, nec conſiderabit lector cuius, ſed quale ſit, quod legitur. Tunc nec amicorum authoritas claritaſque deterrebit, nec inimicorum calumnia auertent, nec munera opesve corrumpent, nec officia, aut odia, amorve ſeducent ac perturbabunt iudicaturos de ſcriptis homines. Sed nuda illa, remotis omnibus, quæ à recte iudicando abducunt, obſtaculis, per ſe vt ſunt conſiderabuntur. Tunc ſi quis poſt fata ſupereſt ſenſus, vt eſt ſanè, candida veraque de tuis ſcriptis iudicia experieris, recipieſque tuorum laborum æterna & immortalia præmia. Sed de his hactenus. Verum ne ſine aliquo fructu, vnde commodi, vel beneficij aliquid ad Rempublicam per te redire poſſit, hæc noſtra ad te perueniat epiſtola, plantam quandam ſiccam ex Hiſpaniis ad me tranſmiſſam, vna cum eius imagine ad te mitto, quod nihil ſane magis mihi nunc ſit in votis, quam vt herbam hanc viuam virentemque conſpicere poſſim. Scio enim in herbaria facultate doctiorem te eſſe neminem: quo fit vt aliquam huiuſce herbæ notitiam abs te conſequuturum me ſperem, ſi tamen alibi quam in*

*Hiſpania naſcatur. Quapropter te plurimum rogatum velim, quod ſi quam illius cognitionem habes, id mihi (vt ſoles cum cæteris) amanter ſignificare velis. Namque digna eſt vt ob admirabiles eius facultates vbique habeatur in hortis.*

Planta ex Hiſpania allata.
Plantæ hiſtoria.



*Imaginem hanc vna cum herba & radicibus ex Hiſpania miſit ad me Clariſſ. Cæſareus Medicus, Petrus Cannizerus cũ hac inſcriptione. In hac depingenda herba multiplici luxu rerum parens natura colorum ornatu, fœliciſſime laſciuire viſa eſt. Illius ſiquidem radix dodrantalis, ſimplex & vnica nonnullis circumquaque prodeuntibus fibris innititur, craſſitudine ſatiuæ Paſtinacæ, ipſa carnoſa, rara, teres in mucronem turbinatur. Cortice obtegitur ſimplici, ſubnigro, aſpero, tenui: hic ſimulac inaruerit contrahitur, & in tenues rimas fatiſcit. Candida eadem intus eſt, pingui quodam & digitis adhærente præ lentore ſucco, guſtu ſubdulci qualis fere in Pontica nuce. Summa tellure laciniata herbæ folia diffunduntur, carnoſa, longa, acuminata, colore viridi langueſcente, ſingulaq́; ex interuallo diſpoſita. Caules gerit plures teretes, graciles ac duriſculos, in quorum ſummitatibus herbacei prodeunt calices longiuſculi, toroſi atq; teretes, cuſpide toto ambitu denticulata: è qua Maio menſe lutei prodeunt flores adeo numeroſis foliis denſe ſtipati, vt numero, ac longitudine latitudinis anguſtiam abunde penſent, vbi vero prorſus explicata fuerit, orbem radiatim circinantes adeo pulchri viſuntur, vt aureo colore, & figura ſolem exprimere videãtur. Ineunte autem ſolſtitio planta hæc deſloreſcit, mirabili facta tranſmutatione. Nanque calices ipſi globoſo horrent ariſtarum agmine, quæ acie diſpoſita glumis continuo excubant, vt ſemina ipſa denſiori congerie intra ariſtarum vallum munita ſtatuto à natura tempore demum proſiliant. Prouenit in montibus vliginoſo ſolo mortalibus opem latura.*

Vires.

*Namque præſentaneo remedio aduerſus viperarum cæterorumque venenatorum morſus ictuſve, ac peſtiferos morbos quoſcunque, tam è foliis, quam e radice ſuccus deſumitur, præbeturq́; potandus. Comitialibus item ingruente inſultu mire affectis ſubuenit. Cardiacis item datur & vertiginoſis. Enimuero commanducata per ſe radix triſtitiam diſcutit, hilaritatemq́; conciliat. Quinetiam lacteus radicis ſuccus oculorum aciem acuit. In ſumma, tota planta magni eſt ad omnia vſus. Hæc ſunt quæ plantæ ipſius iconi ſubſcripta erant.*

Quo pacto primum in Hiſpania inuenta.

*Sed Hiſpanus, cui hanc mihi ferendam dederat Cannizeus, addebat hanc in Catalonia à quodam ſeruo Aphro à Ceruero Letidano viro nobili, pretio emptam primum fuiſſe oſtenſam. Nam quum quidam (vt ille aſſerebat) in agro meſſores à viperis demorderentur hic, qui in Aphrica plantam hanc nouerat, propinato eiuſdem ſucco, incolumes ſeruabat omnes, quotquot demorſi fuerant. Sed nemini plantam oſtendebat, ne lucro defraudaretur. Quo poſtea factum eſt, vt vafriores quidam obſeruantes à longinquo tractum à quo Apher ille plantam deferebat, illuc conceſſerint, plantamq́; conſequuti ſint, inuentis reſciſſæ nuper herbæ reliquiis, & repertis quibuſdam huius herbæ plantis, à quibus humo tenus folia reſciſſa erant, certiores facti ſunt, ſe plantam adinueniſſe, quam quærebant. Ea deinde effoſſa, factoq; ſucci in aliquibus periculo diuulgata res eſt.*

SCVRZONERA

*Quoniam autem vipera cuius venenum ſuperat hæc herba Hiſpanice Scurzo appellatur, poſt hac eadem* SCVRZONERA *nominata eſt: quod idem ſignificat, quod viperina. Nam & Græci ab ἔχις Echium appellauere. Mihi vero nihil carius eſſe poterit, quam ſi tua opera in eius cognitionem deueniam.*

Quæſtio de Helenio.

*Habeo præterea quod etiam in Helenio abs te quæram. Siquidem dubium non parum me reddidit ſuperioribus diebus, liber ille Galeni de Theriaca ad Piſonem, quod ibi legerim Dacas & Dalmatas tela Helenii ſucco inficere: idque hoc pacto vulneratorum ſanguini congrediens occidere poſſe. Verum quo pacto id fieri poſſit haudquaquam intelligo, quod non ſolum à nemine ſcriptum ſit, Helenium vim aliquam habere lethiferam, ſed quod ſcribat Dioſcorides ſerpentium morſibus auxiliari: te conſulendum putaui, quod tuo ſperem auxilio ac doctrina ex hac ambiguitate me extricaturum. Reliquum erat, vt te hortarer ad vrgendos ſuſceptos labores tuos. Sed excreuit iam nimium epiſtola, quam ne alias occupatiſſimo ſibi negotium faceſſat amplius, melius eſt me hoc loco abrumpere. Vale.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Ioanni Odorico Melchiorio, Sereniſſimæ Reginæ Bohemiæ Medico S. P. D.

*Reſpondetur ad præcedentem Epiſtolam, & declaratur quid Helenium ſignificet apud Ariſtotelem.*

TAmetſi ſolatii plurimum mihi attulerunt humaniſſimæ literæ tuæ, quod modis omnibus cõtra inuidorum obtrectatorumq́; morſus, iis confirmare & quaſi munire me nitaris, non tamen animi perturbationes adeo lenire potuerunt, quo minus vicem meam adhuc dolere perſeuerem. Non quod videam à peſſimo nebulone citra cauſam omnem non ſolum noſtros dilacerari labores, ſed etiam dignitatem conuiciis, probris & maledictis petulantiſſime impugnari. Habeo tamen tibi gratiam, quod tuis dulciſſimis verbis, tua dicendi ſcribendiq́; facundia, ac fideli de rebus à me geſtis commemoratione, dolores animi mei haud parum demulſeris. Sed quemadmodum tu, quem filii loco dilectiſſimi ſemper habui, amoris in te noſtri omnibus tuis officiis haud immemor [illegible] ita nunquã obliuiſcar ego, vnum te ſemper extitiſſe, qui me ex animo dilexeris, obſeruaueriſq́; quam maxime.

[illegible] Pro qua tua [illegible] in me propenſione ac pietate, ego tibi viciſſim modis omnibus perpetuo reſpondebo. Dicant ſcribant agant, latrent contra me hi perditiſſimi Sycophantæ, lacerent labores noſtros, addant maledicta, criminationes, contumelias, non tamen ob id à ſtudiis iuuandæ Reipublicæ, propagandæq; veritatis me auertent, nec vnquam ſatis venenatis morſibus ſcripta mea adeo dilacerabunt labefactabuntq;, quin contra innatam eorum malignitatem continuo in medium doctorum virorum emergant, & eluceſcant. O te ſi haberem, quo cum ſtudia mea communicarem, vt antea ſolebam, nihil mihi putarem euenire poſſe beatius. Hæc enim in ſtudiis voluptas ſocium requirit, ſine quo quanquam illa quidem manca non eſt, eſſet tamen ea proculdubio hilarior, vberior, dulciorq;, vbi adeſſes tu, quo cum quotidie conferre poſſem. Sed fortaſſe coniunget nos Deus Opt. Max. anteaquam à corpore animam diſiungat. Ille autem, cum animi mei vota in conſpectu habeat, tui vice, paucis ante diebus ſocium mihi addidit Ioannem VVillebrochium Boruſſum Medicum, hominem vt literarum, ita virtutis in primis ſtudioſum. Is in aulam Sereniſſ. Principis noſtri nunc primum aſcitus eſt, vt mihi animalium hiſtoriam meditanti aliisq; interim negotiis occupatiſſimo ſua opera ſit auxilio. Nec dubito quin coniunctis operis hanc doctrinam ita negligenter hactenus tractatam excultiorem & veriorem aliquando ſtudioſis propoſituri ſimus. Eſt enim Sereniſſ. Princeps noſter adeo huiuſce inſtaurandæ hiſtoriæ ſtudioſus, vt multis iam in locis doctos, ac induſtrios homines alat, qui non libros tantum antiquorum ea de re conſulant, ſed in ipſis animalibus oculati teſtes, quid ſit, quid non ſit verum, conſiderent. Taceo pictores qui externis in regionibus principis ære, quadrupedum, volatilium, reptilium, inſectorumq; omnium imagines ex ipſis viuis animalibus calamo perquam diligentiſſimo delineant ac propriis pingunt coloribus. Itaq; tanto principe autore habebunt iam Philoſophi in poſterum pulcherrimam illam ſuæ profeſſionis, qua hactenus caruerunt, partem integram, bona fide, non ex libris collectam, ſed ab ipſa rerum natura deſcriptam.

*Animalium hiſtoriam inſtaurari.*

Quanta enim ingenij excellentia Principem hunc diuina prouidentia ornauerit, vel ex eo manifeſtum eſt, quod cum in Philoſophorum libris adductus inde maturius ad maiorem, Regni nimirum adminiſtrandi gloriam, magnopere verſari non potuerit, ita tamen de naturis rerum & ſentit, & diſſerit, vt non tantum intelligere Philoſophorum decreta videatur, ſed eis etiam, adductis rationibus & obſeruationibus propriis contradicere audeat. Vnde fit ſæpe, vt non illum à nobis, qui nomen titulumq; doctrinæ gerimus, ſed nos ab ipſo de rerum huiuſmodi veritate, exquirere ſæpenumero neceſſe ſit. Sed vt redeam vnde diuerteram ego me eius ſtudiis perſequar, nec ab illis vnquam me ſeparabo, quouſq; anima ſeparetur à corpore, ne poſthac temporis amiſſi reddenda mihi ratio foret. Sed venio ad plantam, cuius imaginem vna cum hiſtoria, & viribus ad me miſiſti: quam etſi antea Norimberga mihi miſit examinandam Ioannes Heſſus Medicus, qui conquirendis comparandiſq; ſibi plantis, vniuerſam fere peragrauit Europam non tamen fit, quin tua mihi tam grata fuerit, quam quod gratiſſima: quum vna cum imagine integram ſiccæ herbæ plantam ad me tranſmiſeris, in qua omnia viua ſum contemplatus quæ ea in imagine mortua fere apparebant. Ex illa enim non ſolum viuam veramq; omnium partium delineationem ſum magna cum voluptate contemplatus, ſed radicis ſaporem ac etiam odorem deguſtare licuit. At doleo profecto plurimum, quod tuæ petitioni, vt velim, ſatisfacere nequeam. Nam planta hæc peregrina antea mihi viſa non eſt, & ſi fortaſſe viſa, nō tamen cognita. Memini quidem talem fere me conſpexiſſe plantam in Goritienſi agro quodam in prato parum vltra Sontij fluminis pontem quam cum à longo Tragopogonum cenſerem, alia poſtea reperta eſt. Verum an hæc illa fuerit planta affirmare ſane non auſim quod foliorum imaginem in mentem reuocare nequeam, nec radicem viderim effoſſam. Habet enim Scurzonera hæc tua flores Tragopogoni æmulos, quin etiam radicem perinde ac in illo dulcem, adeo vt Tragopogoni ſpecies dici poſſet, ni folia Cichoraceæ plantæ ſpeciem referrent, caules longe aliter quam in Tragopogono ſe haberent, & ni radix craſſior, ſuccoſior & lacte prægnans haberetur. Porro vetant hæc ne Scurzoneram Tragopogoni congenerem faciam. Non deſunt præterea, vt audio, in Hiſpania rei herbariæ fortaſſe non ignari qui hanc plantam Chondryllam eſſe cenſent, tum quod foliis eam referat, tum etiam quod Chondrylla ex vino pota viperarum morſibus ſuccurrat. Atqui cum flores Cichorij non ſint, radix amara non ſentiatur, ſed dulcis, & eius natale ſolum circa montium cacumina vliginoſis locis habeatur, non poſſum horum ſubſcribere ſententiæ. Quo fit, vt putem hanc proprij ſuiipſius generis eſſe plantam, cuius nulla apud antiquos extet hiſtoria, quemadmodum & aliarum multarum, quæ noſtris temporibus repertæ ſunt. De huiuſce herbæ inuentione, eandem hiſtoriam quam tibi retulit Hiſpanus ille, qui herbam hanc tibi reddidit, narrauit etiam mihi, dum hac æſtate iſtic agerem, clariſſimus Rybera Cæſareus Phyſicus, cuius teſtimonium, ad ea omnia confirmanda non parum conferre cenſeo. Plura de hac planta non habeo, quæ tibi nunc explicem. Sed vellem vt ſemen à Cannizero peteres. Hoc enim conſilio id quod plurimum deſiderare videris, facile conſequeris. Hoc ſi tibi comparare curaueris, & Medicos & rei herbariæ ſtudioſos omnes ob tanti antidoti collata beneficia perpetuo tibi deuincies.

*Matthioli de Scurzonera cenſura.*

Sed ad Helenium venio, de cuius venenoſa facultate te dubitaſſe non miror, quod ipſe de eodem longe antea dubitauerim. De qua re dum alias cum docto quodam amico, & rei herbariæ ſtudioſiſſimo, conferrem; dicebat non ibi Helenium legi debere, ſed Belenium, Ariſtotelis teſtimonio, qui libro primo de plantis ſic habet, Βελένιον δὲ τὸ [illegible] τὸ γενόμενον ἐν τῇ Περσίδι μεταφυτευόμενον ἐν Αἰγύπτῳ ἢ ἐν Παλαιστίνῃ γίνεται βρώσιμον: id eſt Belenium vero, quod pernicioſum eſt in Perſia natum, in Aegyptum tranſplantatum & Palæſtinam fit edendo. Atqui (quantum conijcere poſſum) Ariſtotelicam hanc lectionem doctis viris deprauatiſſime legi conſtabit, quum ibi Ariſtoteles de Perſeæ arboris fructu, vel de ipſa Perſea potius ſcribere videatur, quam de alia quauis planta. Nam hoc idem de Perſea ſcribunt Dioſcorides & Galenus. Idq; eo magis mihi perſuadeo, ꝙ nuſquā apud antiquos ſcriptores repererim, qui Belenij meminerint. Porro ſi conijectari licet, an verā liber ille ad Piſonem de Helenij veneno nobis referat hiſtoriam, dicerem ego ſatis dubiam eſſe illius libri fidem, quod non ſolum certo ſciam librum hunc non eſſe Galeni, tum quod de trifolio Aſphaltite fabuloſe ſatis ſcripſerit, ac etiam in aliis quibuſdam non parum claudicare obſeruauerim. Niſi fortaſſe autor libri illius de alio Helenij genere intelligat, de quo libro primo ſcribit Dioſcorides, præſertim cum dicat, Helenium illud ab incolis Nico appellari. Plura certioraq; de his, quæ ad te ſcribam, non habeo. nam de incertis quicquam affirmare non auſim, nec etiam diuinare poſſum.

*Helenium.*

*Βελένιον quid.*

*Ariſtotelis locus reſtitutus.*

*Libri de Theriaca ad Piſonem dubia fides.*

Cæterum cogitanti mihi, quo pacto munus tuum compenſare valerem, id commode fieri poſſe ſuccurrebat, ſi rarum etiam aliquid tibi mitterem: quo factum eſt, vt hanc tam rari incognitiq; animalis imaginem, de quo nullum antiquorum meminiſſe reperio, tibi mittendam decreuerim. Emit autem id Sereniſſimus Princeps meus paucis ante diebus à Theodorico quodam Neus Colonienſi pluribus ducatorum centenis, animalis raritatem contemplatus ad publicum ſpectaculum. Aiebat Neus ille ex Peru Occidentalium Indiarum regione, à quodam mercatore Antuerpiam primum eſſe allatum, & inde Mittelburgam Selandiæ ciuitatem. Refert hoc animal partim Camelum, partim vero Ceruum, adeo vt recte quidem Græco idiomate Ελαφοκάμηλον appellari poſſe crediderim. Longitudo totius corporis à ceruice ad caudam ſex pedum eſt: altitudo vero à dorſo ad pedis plantam quatuor tantum, & colli longitudo à ſcapulis ad ceruicem, dubium. Capite, collo, ore, ſuperioris præſertim labri ſciſſura, ac genitali Camelum fere refert. At caput [illegible] eſt, aures habet Ceruinas, oculos bu-

*Ελαφοκάμηλος, & eius hiſtoria.*



*bules. Anterioribus dentibus in ſuperiori mandibula caret, ſed molares vtrinq; habet vt biſulca fere omnia & vt illa etiam ruminat. Dorſo eſt ſenſim promineute, quod per incuriam à pictore neglectum eſt. Scapulis prope collum depreſſis, lateribus tumidis, ventre lato, clunibus altioribus: & cauda breui ſpithamæ fere longitudine: quibus omnibus ceruum fere refert, quemadmodum etiam crurib. præſertim poſterioribus. Pedes illi biſulci ſũt, diducta anteriori parte diuiſura. Vngues habet acuminatos, qui circa pedis ambitum in cutem craſſam abeunt. Nam pedis planta non vngue ſed cute, vt in multifidis & in ipſo Camelo, contegitur. Retro mingit hoc animal, vt Camelus, & teſtes ſubſtrictos habet. Pectore eſt amplo, ſub quo vbi thorax ventri connectitur, extuberat globus, vt in Camelo, vomicæ ſimilis, è quo neſcio quid excrementi ſenſim manare videtur. Color colli, ceruicis, pectoris & anteriorum crurum eſt illi albus, Reliqui vero corporis ſubruber, vel ex nigro rufeſcens. Roſtro tamen eſt nigro & anterioribus cruribus à genu albicantibus. Cicur ac manſuetum eſt animal, ſed frigoris impatiens, vt alia quæ è calidis ad nos ducuntur regionibus. Neminem offendit ſed miro admodum ingenio ab illata ſe vindicat iniuria. Nam vbi aliquis illud vexet, vel circa clunes opprimat, non calcibus, aut morſibus ſe defendit, ſed vomitu, vel cibi, vel humoris in vexantem retrorſum cum impetu eiaculato, ob protenſam colli longitudinem. Salaciſſimum hoc eſſe animal, id mihi coniecturã facit, quod cum ſui generis fœmellis ſit deſtitutum, magna cum prurigine capris ſe commiſceat, non tamen erectis, vt alias capræ hirco aſcendente ſolent, ſed humi ventre accubantibus, ita cogente animalis anterioribus cruribus. Itaq; ſuperaſcendens coit, non autem, vt falſo de retro mingentibus animalibus affirmat Ariſtoteles, auerſis clunibus. Id quod etiam falſum eſſe de Leone obſeruauimus, illis dum coiret aſtantes. Adeo Venere vernali autumnaliq; tempore ſtimulatur hoc animal, vt illud viderim ego humile quoddam præſepium auena refertum conſcendiſſe, genitaleq; illi magno cum murmure tam diu confricaſſe, quouſq; ſemen redderet, pluribus vna hora replicatis vicibus. Non tamen concepere capræ huiuſce animalis ſemine refertæ, quod, vt puto, vi coactæ illi proſtiterint continuo balantes, tum quod hoc cum animali earum non conueniat ſpecies. Indicam ouem appellabat hoc animal, qui illud ad nos aduexit. Atqui à noſtris ouibus quantum diſtet, tuipſe indicare poteris. Sed de Ceruocamelo hactenus. Vbi vero alia rara afferentur, nihil præteribo, quin te de oĩs certiorem reddam. Quod, vt tu etiam facias (vt cœpiſti) plurimum opto. Vale.*

Ariſtoteles arguitur.

Indica ouis.

# PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS
## Aliprando Spezzalancio Chirurgico
## S. P. D.

*Declaratur quid ſit Cozumbri in Catapotiis è Cynogloſſo.*

*QVum catapotia paſſim è Cynogloſſo appellata, ſecundum antiquam Nicolai verſionem nunc in tui Myropolij vſum parare decreueris, petis à me quid ſignificet ibi* COZVMBRI, *& an pro eo liquidi Styracis facem, vt inquit autor Luminaris maioris, vel Styracem rubeam, vt inquit Cordus, vel vt quidam alij præcipiunt, Thymiama, quod vulgo Itali Pharmacopœi appellant Tigname, admiſcere debeas. Nam cum videas tot varias hominum ſententias, nec ab iis te explicare valeas, longe tutius facturum te putas, ſi de re hac me conſulas, quam ſi eorum ſequaris confuſiones. Ego vero etſi non adeo multum in cenſendis examinandiſq; compoſitis medicamentis hactenus inſudauerim, perinde ac in ſimplicibus, dicam tamen, ne tua de me te fallat opinio, quid in hac re ſimpliciter ſentiam. Quod eſt vt pro Cozumbri ſelectiſſimum imponas Styracem, non liquidum tamen nec eius facem, vt perperam ſcribit ille, ſed quem à calamis, in quibus olim afferebatur, Calamitem vocant officinæ. Etenim is cum Dioſcoridis, tum etiam Galeni teſtimonio, tuſſi, diſtillationibus, raucedini, grauedini & interceptæ voci mirifice medetur, quinetiam cum præter haſce facultates ſoporiferum ſit medicamentum, in hiſce Catapotiis vtiliter additur. Soporiferæ facultatis eſſe Styracem idem facile teſtatur Galenus libro 12. cap. 1. de Methodo medendi, lib. 6 commentario quinto, de morbis vulgaribus de aurium doloribus agens: & lib. 2. cap. 1. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, de dolore capitis febricitantium differens. Quippe omnibus iis in locis Styracem ſoporiferum eſſe medicamentum apertiſſime fatetur. id quod ante ipſum poſteritatis memoriæ tradidit Dioſcorides libro primo, in Styracis capitis calce. Quibus palam eſt in Catapotiis de Cynogloſſo nihil conuenientius, ac magis legitime pro Cozumbri addi poſſe, quam ſelectiſſimum Styracem calamitem. Namq; Catapotia hæc rheumatiſmis, tuſſi, diſtillationibuſq; peridonea ſunt, non ſolum quod medicamenta excipiant hiſce affectibus conuenientia, ſed quod præter id ſoporifica eorum facultate quibus omnibus refertus eſt Styrax, defluxiones cohibeant, quibus hæc ſymptomata plerunq; excitari ſolent. Sententia noſtra aſtipulatur Simon Ianuenſis Arabici idiomatis fidus interpres, qui Cozumbrũ Styracem interpretatur. His accedit Nicolai Myrepſici authoritas, quippe is lib. 32. de Catapotiis omne genus agens, vbi ad ſoporifera deuenit, quorum plures parandi rationes habet, ad diutinam tuſſim, purulentas excreationes, ad arteriacos & deſtillationes omnib. Styracem admiſcet. Quo fit, vt eo magis meæ inhæream opinioni, quo euidentiores ſunt rationes, quæ in hanc me trahunt ſententiam. Placeret quidem hic Valerij Cordi doctrina, qui rubeum Styracem imponi iubet, ſi tamen pro rubeo flauum, vtpote præſtantiſſimum intelligeret. Sed cum ipſe Germanus fuerit, & ſciam ego Germanicas Seplaſias nihil aliud quam Thymiama, quod Dioſcoridi Narcaphthum vocari cenſeo, Styracem rubeum appellare: vereor ſane, ne ipſe quoq; pro Cozumbri, Thymiama addendum crediderit. Sed demus eum de ſelectiſſimo Styrace intellexiſſe, errauit tamen, cum ſciret quid apud ſuos Myropolas rubeus deſignaret Styrax, quod illis manifeſtam errandi anſam præbuerit, à quo errore non habeo quibus eum excuſem: præſertim cum mihi certo perſuadeam, Cordum in hoc Iacobum Manlium eſſe ſecutum. Namque Manlius ſimulac perperam expoſuit Cozumbri, facem eſſe Styracis liquidi, mox ſubiunxit Arabicum nomen ſecundum Compoſitorem nil aliud deſignare, quam rubrum Styracem ſeu Thymiama, ſeu Thus Iudæorum. Quæ vt inepta, inania, & incertis autoribus allata, irridenda & reiicienda videntur. Vale.*

Pro Cozumbri, Styrax.

Styrax Soporiferæ eſt facultatis.

Catapotiorum è Cynogloſſo facultas.

Styrax rubeus Germanis qualis.

Cordi erratum.

PETRVS

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS IACObo Antonio Cortuſo Patritio Patauino S. P. D.

*Examinantur quædam plantæ & reſtituitur Dioſcoridis locus in Oſyride.*

GRatæ mihi literæ tuæ tantum ne? imo vero & peroptatæ & dulces, quod iis intelligam, quanta me proſequaris beneuolentia, quantaq́; ingenui animi tui liberalitate continuo perſeueras cum nouas tum etiam raras ad me mittere plantas: quibus contemplandis eo maiorem capio voluptatem, quo dulcior eſt fructus, quem ex his capere ſoleo. Magnus earum catalogus mihi palam facit, quam diligens in iis comparandis fueris, quamq́; ſedulus in iuuando labores noſtros. Pro quibus collatis in me officiis, ac beneficiis, ego quidem multum me tibi debere ſcio. Sed cum ea non ſim facultate, vt hanc tuam erga me benignitatem ſolus compenſare queam, dabo modis omnibus operam, vt non ſolum præſentes rei plantariæ ſtudioſi, ſed ētiam poſteri tibi ſe plurimum debere fateantur. Quod ad cenſuram harum plantarum attinet, vtinam ea eſſem doctrina, eo ingenio, eaq́; in plantaria facultate experientia, vt recte, ac aliquo cum iudicio de omnibus iudicare poſſem. Cupio enim non tantum tibi petenti morem gerere, ſed mihi ratiocinanti etiam ſatisfacere. Verum etſi ſciam, id à me non ita exacte, vt velim præſtari poſſe, dicam tamen de his, quemadmodum de aliis prius dixeram, libenter quod ſentio, ne ſi nunc id facere recuſarem, viderer negligentior factus. Primum itaq́; ad eam venio, quam quibuſdam SIDERITEM Heracleam vocari ais. Sed cur horum probem ſententiam, nihil eſt quod me moueat. Folia enim quæ Saluiæ maiora ſunt non minora, quæq́; longe magis Betonicam referunt, quam Marrubium vel Saluiam ipſam, Sideritem haudquaquam referre videntur. Crederem ego hanc plantam ſylueſtris potius Hormini eſſe genus, quod plures eius habeat notas.

Sideritis Heraclea.

FOLIA quorum ſubſcriptio eſt BETA SYLVESTRIS, Spinachij potius folium referunt, quam Betæ. Galenus agreſtem Betam nullam reperiri ſcribit præter Rumicem. Sed Plinius Limonium, ſylueſtrem Betam appellauit.

Beta ſylueſtris.

LAMPSANAE profecto ſpeciem refert illa, qua Chirurgicos vti ais tam fœlici ſucceſſu ad vulnera glutinanda. Sed Lampſana non eſt (quantum mea fert opinio) de qua ſcripſere Dioſcorides & Plinius, cuius nos imaginem dedimus.

Lampſana.

TORAM non eſſe Aconitum Pardalianchen plures indicant notæ, de quibus cum fuſius nobis dictum ſit in ipſius Aconiti appendice in commentariis noſtris in Dioſcoridem non eſt vt hic pluribus tecum agam. ALIAM vero plantam, quam quidam Aconitum faciunt, folio aliquatenus cucumeri ſimili auerſa parte albicante, Lucas Ghinus Cacaliam non male cenſebat. Siquidem Cacalia folia fert alba, magnaq́;, & tuſſi & ſcabriciei arteriarum prodeſt, Tragacanthæ modo. Id quod in hac planta ipſa Tuſſilaginis facies indicat. Eſt enim adeo per omnia illi ſimilis, vt niſi folia oblongiora eſſent, ac maiora paulo, nemo eſt, qui eam Tuſſilaginem ipſam eſſe non diceret. In Aconito Pardalianche folia requiruntur Cyclamini, Cucumeriſue minora, ac ſubhirſuta. at qui hæc longe maiora ſpectantur, alba lanugine, vt Bechium, auerſa parte obducta & tactu leuia. Adde quod herba hæc venenoſa non eſt, nec radicem ſcorpionis caudæ ſimilem habet, quo fit, vt ego Lucæ Ghini ſententiam ſequutus Cacaliam hanc eſſe cenſeam.

Toram non eſſe Aconitum Pardalianchen.

Cacalia.

POTERIVM Dioſcoridi large fruticat. Cortice eſt obductum tenui, ſpinis horridum, lanugine ſpiſſa, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, Tragacanthæ proximis, foliis paruis, rotundis, flore exiguo, candidi coloris, & ſemine guſtu lento & odorato. Sed cum illius plantæ ramuſculus, quam quibuſdam Poterium appellari ſcribis, large fruticare plantam non indicet, nec ſpiſſa, nec rara lanugine veſtiatur, ramulis longis non ſit, nec lentis, non video, qua ratione hanc Poterium faciant. Poterij plantam, quæ omnibus ſuis notis legitimum refert, habeo ego Conſtantinopoli allatam, ab Augerio Sereniſſ. Cæſaris Ferdinandi Oratore. Nil enim illi deeſſe videtur, quod in Poterio deſiderari poſſit.

Poterium.

HERBA cui inſcriptum eſt Split ſplec, ſplet, Corydalis, & tertium Fumariæ genus nuſquam antea mihi viſa eſt. Scio tamen Corydalis meminiſſe Galenum lib. 11. de ſimpl. medic. facul. de Corydo, id eſt Galerita aue ſcribens, quam herbam calicis conuenire ait, perinde ac ipſam Galeritam. Atqui cum eius notas non deſcripſerit is, nec quenquam antiquorum habeam, qui illius faciat mentionem, neſcio quo pacto hanc Corydalim eſſe credam. Verum cum non ſine ratione, & autoritate ita abs te plantam appellari cenſeam, gratiſſimum mihi feceris, ſi tuas de hac herbula coniecturas mihi impartiri volueris.

Corydalis.

PLANTAM quæ ſummis cauliculis quaterna gerit folia crucis in modum diſtincta, lentes racematim ſine folliculis proferens, & quam aquis innatare ſcribis, magna cum admiratione ſum contemplatus. Eſt enim vt rara, ita omnium ſpectatu digniſſima. Hæc longe alia eſt à lente paluſtri Dioſcoridis. Sed vbi in Italia naſcatur, & quibus ſit prædita facultatibus, quam libenter abs te audirem.

Lens aquatica altera.

LAPPAGO Plinio ita appellata folio eſt Anagallidis, cui folia ineſſe oblonga, nec vſpiam in ambitu ſerrata, nemo eſt qui neſciat. Sed planta, quam Lappaginem nonnullis cenſeri ſcribis, folia habet rotunda, circunquaq́; denticulata, Pimpinellæ noſtratis modo. Id quod me maxime adducit ad credendum, eam haudquaquam eſſe Lappaginem.

Lappago.

SAGITTA, quam Magonis teſtimonio, Piſtanam Græcis appellari, & inter vluas naſci ſcribit Plinius, copioſa hic in Bohemia prouenit circa Muldam fluuium, qui Pragam tranſit, media inter Vluam & Typham appellant eam hic Herculis ſagittam. Videtur ex eo eſſe plantaginis genere, quam Fuchſius Barbā ſyluanam appellat, quanquam folio diſſimili.

Sagitta.

GERANII imaginem radice rotunda, cuius primo loco meminit Dioſcorides, iam diu miſit ad me Vlyſſes Aldrouandus. Nunc vero tua liberalitate & herbam ipſam & radicem inſpicio. Plantam ille ex Dalmatia ſibi allatam referebat. Sed an tua illinc ad te peruenerit, vel in aliqua Italiæ regione oriatur, non parum ſcire deſidero.

Geranium.

LONCHITIDIS aſperæ plures eſſe ſpecies, ex tua quam ad me mittis, iam primum animaduerto. Nihil tamen à mea differt, niſi quod tua nil magis folium diuiſum habeat, quam Scolopendrium, & minor ſatis eſt planta, in cæteris vero nihil ſimilius, nihilq́; æqualius, adeo vt putem meam marem, tuam fœminam eſſe, quod mea omnib. ſuis partibus vegetior, grandior, firmior, diſtinctiorq́; ſit quam tua. Nam fœmininū genus imperfectius eſt, quo fit vt in animantium fœminis capitis ſutura, non ita, vt in viris, perſpicue cernantur. Tuam non nouiſſe Dioſcoridem ex hoc animaduerto, quod ſuam faciat folio Aſpleno magis diuiſam. Id quod in mea apertiſſime videtur, in tua vero minime. Hanc non credo vſquam vidiſſe Marantam. Nam ſi eius aliquam habuiſſet notitiam, non ita fortaſſe ſuæ fuiſſet addictus opinioni.

Lonchitis aſpera altera.

ALATERNVM ſcribit Plinius foliis haberi inter Ilicem & oleam, quib. cum minime correſpondeant ramuli illius folia, quem ad me tranſmiſiſti, nihil dubito quin tu id recte animaduerteris, quū videris folia illi eſſe in cacumine ſpinoſa & olea

Alaternus.

Attinia.

*& oleæ perquam longe minora. Idem dicam de Attinia, cum ramuſculum ad me tranſmiſſum folia habeat Lauri, aut Vlmi, & flores vmbellatim cohærentes, è quibus baccas gigni corimbaceas non ambigo. Attinia enim Plinio omnium Vlmi generum excelſiſſima recenſetur, ac ſterilis. Quo fit, vt illorum opinionem, qui hanc Attiniam faciunt, minime comprobare queam.*

Fucus marinus.

PLANTA *cuius titulus eſt Fucus marinus, albicantibus ac tomentoſis foliis, alias Goritiæ fuit ad manus. Vtebatur ea quidam circunforaneus ad Enterocelas, ſed an fucus Marinus ſit non ita facile decernam, præſertim cum ſciam hanc in mari ſub aquis non naſci, & aſſeras tu oriri etiam eam in agro Foroiulienſi in ſicco Tiliauenti fluuij alueo. Naſci autem Fucum marinum ſub aquis, non in ſicco quiſpiam ex Galeno certior fieri poteſt: quippe qui libro 8. de ſimplicium medicamentorum facultatibus de eo ſic habet. Phycos etiamnum humens & virens ex mari exemptus deſiccat ordine ſecundo. Id quod etiam teſtatur Plinius libro 13. capit. 23. Dicerem ego potius hanc plantam Gnaphalium eſſe, vel eius aliquod genus, quod folia illi ſint craſſa, alba, & adeo ſpiſſa lanugine obducta, vt pro tomento iis quis commode vti poſſit.*

Gnaphalium.

Ononis flore luteo duplex.

ONONIS *flore luteo naſcitur pluribus in locis circa Pragam, ſine aculeis tamen. Sed iam primum ex hac tua animaduerto, eandem aculeatam reperiri. Eſt enim proculdubio Ononidis tertia ſpecies, ſed quartam etiam hic Ononidem reperi, flore vbique candido, quam alibi nuſquam videre licuit.*

Aſter Atticus.

ASTER ATTICVS *flore in ambitu purpureis foliolis, circumſepto, in medio vero luteo, naſcitur hic vbiq; copioſus nullis deficientibus notis. Manebo ergo in ſententia, ac interim ridebo blateronum quorundam petulantiam, qui in meam de Attico Aſtere imaginem inuehuntur.*

Spina alba.

PLACET *ſane Spinæ albæ ſtirps, ſed eſt adhuc aliquid, quod in ea deſiderem. Contemplabor diligentius omnes eius notas, deinde meam ſolidiorem de ea aſſeram cenſuram.*

Cytiſus.

*Vidi* CYTISI *florentis ramum, quem à Maranta te accepiſſe ſcribis, ſed nolim ob hoc prætermittas, quin alium quoque ab Aegidio Cumano, viro vt nobili, ita doctiſſimo meo nomine petas: Cupio enim ſiliquas, quibus ille refertus eſt, veras ac viuas inſpicere.*

Verbena.

VERBENAM *quam à Maranta te accepiſſe ſcribis, cur legitimam faciam, nihil habeo. Scribam de hac ad illum, Deo volente, vna cum aliis nonnullis, quæ annotaui in illius Methodum de cognoſcendis ſimplicibus. Hanc ſcribit ille Tribuli terreſtris modo humi repere, & plures habere ramos, cum tamen Verbenacam ſingulari tantum ramo radiceq; ſola conſtare, nec vllibi humi repere ſcribat Dioſcor.*

Clymenum.

*Cui* CLYMENVM *inſcriptum reperi, planta ſane eſt (vt inquis) folio Plantaginis minore, caule quadrato, compreſſo tamen, pinnulis herbaceis vtrinq; ſecundum longitudinem ſe diffundentibus, capreolis multis referto, quibus vicinis ſe implicat plantis. Siliqua Geniſtæ, vel viciæ modo, in longum protenſa craſſiore tamen longiore q; & ſenſim in cacumine prona ſubrubeis maculis tranſuerſim ſeſe diffundentibus: quas quidem notas, ſi diligenter quiſpiam intueatur, facile cognoſcet, hanc plantam non eſſe Clymenum. Ego ſylueſtre Piſum potius appellarem: Clymeno enim folliculos tribuit Dioſcorides in ſeſe inflexos, vt in Polyporum piſcium cirris, à quibus quam longe diſtent huiuſce plantæ ſiliquæ nulla ſui parte inflexæ, ſed quatuor digitorum longitudine protenſæ, & longo pediculo adalligatæ, non dubito ſane quin tu ipſe videris: ſed tanta tua modeſtia eſt, vt potius mea velis acquieſcere cenſura, quam tuo ipſius iudicio. His accedit, quod nuſquam Dioſcoridi ſcriptum ſit Clymenon capreolos mittere, quibus propinquis ſe implicet ſtirpibus huiuſce ſylueſtris Piſi modo.*

Piſum Syluest.

Chamæſyce.

CHAMAESYCEN, *quam mihi cenſendam proponis, etſi humi repat, cum tamen folia lentis non habeat, ſed minori Ocimo grandiora, oblongioraq; nec ſemen ſub foliis preferat, ſed in ipſo foliorum exortu, non poſſem iis aſtipulari, qui eam Chamæſycen eſſe cenſent.*

Corchorus.

CORCHORVS *(vt Theophraſtus inquit, libro & cap. 7. de hiſtoria plantarum) ob amaritudinem in prouerbio eſt. Sed ſtirps, quam pro Corchoro Alexandria Aegypti ad te allata eſt omni prorſus amaritudine vacat. De foliorum facie diſſidet Plinius à Theophraſto: quippe hic Corchori folia Ocimo ſimilia facit: ille conuoluta eſſe dicit, ſimilitudine Mori. Sed in hac planta potius ad Ocimi ſimilitudinem accedunt, quod Theophraſti Corchoron eſſe indicaret, ſi tamen amarorem reſiperent folia. Qui vero eandem Circæam eſſe volunt, ſi folia diligentius inſpicerent, quæ nullam cum hortenſi ſolano habent cognationem, ſi flores aureos, non nigros, & ſemen non Milio, ſed Echio ſimile, nil ſane vereor quin aliter ſentirent.*

Circæa.

Clematitis alterius, altera ſpecies.

PLACVIT *ſummopere Clematitis alterius, altera minor ſpecies, quam nunc primum tua ſumma benignitate agnoſco. Atqui ſi ſemen conſequi liceret, eſſet quidem mihi gratiſſimum, quod in recenti herba vehementem acredinem illam deguſtare cupiam, & florum ſuauitatem percipere, quinetiam vt omnes eius partes, folia, inquam, flores, capreolis, ſarmenta & radices inſpicere poſſem.*

Oſyris.

OSYRIDIS *ſtirpem perquam diligentiſſime ſum contemplatus, quæ quanquam quibuſdam notis Dioſcoridis deſcriptioni reſpondere videatur, nempe quod tenues habeat ramulos & lentos, & in his rara Lini folia, vt ille, inquit, terna, quaterna, quina, ſenaue, ſunt tamen quædam, quæ me mouent, vt non ita facile fatear hanc plantam legitimam eſſe Oſyridem. Eſt enim in primis Galeni, Pauli, & Aetij autoritas, quippe qui ſcribant ex Oſyride commode parari ſcopas. Quibus parandis, planta quam miſiſti, inidonea ſatis apparet, ob nimiam ſurculorum tenuitatem imbecillitatemq;. Deinde tametſi rara in ſurculis ſint illa folia lini æmula, non leui tamen coniectura mihi conſtat, hæc verba Dioſcoridi eſſe addita,* γ΄, δ΄ ἢ καὶ ς΄ ἢ ε΄ ς΄, *cum hæc non legat Oribaſius, ſed ſimpliciter ſcribat in Oſyridis ramulis folia haberi ceu lini, quemadmodum etiam habet Plinius. Præterea eſt etiam ad manus antiquiſſimus Dioſcoridis codex manu ſcriptus, in quo hæc verba nõ reperiuntur,* Μέλανα κατ' ἀρχὰς μεταβαλλόμενα δ' ὑπέρυθρα γίνονται. *Id quod manifeſto eſt argumento in hoc capite, in Dioſcoridis codice, qui paſſim circumfertur, non deeſſe mendas. Quo fit, vt potius ad credendum meus inclinet animus, Oſyridem eam eſſe plantam, quam vulgo nos appellamus Beluedere, quam aliam quancumq;, quam hactenus viderim. Eſt enim hæc ſaturate viridis, ramulos ferens tenues folia prorſus lini æmula, & ad ſcopas parandas adeo idonea, vt plurimi ſint, qui hac tantum cauſa eam ſerant & alant.*

Dioſcoridis locus emendatus.

Beluedere.

Suber.

DVM *hæc ſcriberem, allatus eſt ad me, vna cum tuis literis, Suberis ramuſculus glandibus refertus, quem Romam ad te miſſum dicis, vt abs te petieram. Quo fit vt continue tuam erga me beneficentiam augeri intelligam, pro qua quantum tibi debeam, non facile dixerim. De cæteris non eſt, vt nunc meam expectes cenſuram: nam cum partim mihi ignota ſint, partim vero adeo mutila, vt difficile iudicari queant, non ægrè feras obſecro, ſi nunc plura de his ad te non ſcribo. Sed alias fortaſſe id præſtabo, cum quietior fuerit animus. Reliquum eſt, vt clariſſimo Marco Antonio Caballino me plurimum com-*

*tuum commendes, & ne ægre ferat meo nomine ſignifices, ſi nunc ad eius humaniſsimas literas non reſpondeo. Agnoſco certe me illi plurimum debere, ob eam non vulgarem, quam de me habet, opinionem. Vale.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS MARtino Guidottino Pharmacopœo Tridentino. S. D.

*Docetur ratio parandæ antidoti quam Mithridaticam nominant.*

*Legi literas tuas, quas vna cum lapide Aſio pulcherrimo ad me miſiſti, verum non tam hac de cauſa te nunc ad me ſcribere animaduerto, quam quod me conſulas, quomodo in paranda Mithridatis antidoto te gerere debeas: quum non deſint ſcopuli, quos tamen ſi poſſes, vitare velles. Sed vtinam tam prudens, tamq; exercitatus ſim nauclerus, vt meo conſilio te adeo iuuare poſſim, vt nauiculam tuam in portum illæſam reducas. Faciam tamen, vt gratificer tibi, periculum, cum tibi omnino perſuadeas, te neminem me habere præſtantiorem, cui te committere poſſis.*

PETIS *itaq; primum, an in hac paranda antidoto Andromachum, an Damocratem ſequi debeas. Nam cum videas Andromachi Theriacam cæteris prætuliſſe Galenum, putas fortaſſe te recte facturum ſi Mithridatis antidotum parares, quæ ab eodem Andromacho deſcribitur. Quæ quidem ſententia, & ſi haud infirmis nitatur rationibus, ſunt tamen argumenta quibus fateri cogamur, Damocratem in hac paranda antidoto, Andromacho alias Philoſopho ac medico clariſsimo eſſe præferendum. Nam ſi ex medicamentorum præſtantia ac viribus iudicium ferendum eſt, cum capiat Damocratis compoſitio Agaricum, Stœchadem, longum & album piper, Balſami baccas, Bdellium, Creticum Dictamnum, Aſarumq;, quibus omnibus altera deſtituitur, veniantq; hæc omnia præter Aſarum etiam in Theriacam, quod venenis mirifice reſiſtant, non cenſeo haberi quenquam qui aliter ſentiat quam quod ea, quæ Damocrati deſcribitur, alteri ſit præferenda. De his autem, quæ ad ſuccedanea ſpectant, meam intelliges opinionem ex hac epiſtola ad Balthaſarem Pepulum de paranda Theriaca quam huic adnexam reperies. Siquidem quid pro Opobalſamo, Coſto, Malabathro, Carpobalſamo, Cardamomo, Acoro, Meo, Acatia, & Petroſelini ſemine ſupponendum ſit, ibi diffuſius ſcriptum reperies.*

Mithridatis antidotus a Damocrate deſcripta cæteris præſtantior.

DE ACORO *nihil etiam dicam, quod antea à me ſatis ſuperq; comprobatum ſit in meis in Dioſcoridem commentariis, calamum aromaticum vulgaris vſus legitimum eſſe Acorum.*

PRAETEREA *animaduertas oportet, haberi huiuſce antidoti compoſitiones quæ Aſari loco Ari legunt, ſed mea quidem ſententia longe vtilius Aſarum, quam Arum capit. Eſt enim Aſarum odoratum medicamentum, Nardo fere proximum, quin & Opobalſamo, & Carpeſio facultatibus proximum. Quod facile comprobatur Galeni teſtimonio: Quippe qui libro ſecundo de comp. medica. ſecundum locos, vbi hieram componit ad eos quibus ex ventriculo caput dolet, pro Aſaro Carpeſium ſupponit, quo pro Cinnamomo quidam Galeni æuo in Theriaca vtebantur. Et libro nono eiuſdem voluminis capite 3. in quodam medicamento ad hydropem Opobalſamum Aſari loco ſupponendum ſuadet. Quo fit vt Cordo tibi aſtipulandum non ſit, qui Arum Aſari loco imponit.*

Aſarum imponendum non Arum.

Cordi erratum.

CYPHIS, *de quo etiam meam expoſcis ſententiam, Aegyptiorum antiquorum thymiama diu tantum extitit, cuius ſuffitu Solem placare venerariq; ſolebant in ſacris. Quod magno nobis eſt argumento, antiquiſsimum medicamentum eſſe Cyphim. Cæterum ſequuta ætas non ſolum Cyphi vſa eſt pro ſuffitu ad aeris infectiones arcendas, ſed etiam ad antidota, quæ ſumuntur in corpus & per ſe quoq; ad nonnullos corporis affectus. Atqui extant Cypheos variæ, ac inter ſe pugnantes compoſitiones, quod hæc plura, quam illa admittat medicamenta, altera vero ab altera ponderum numeris euariet: quemadmodum videre eſt apud Dioſcoridem, Andromachum, Damocratem, Galenum, Alexandrum, Paulum, Aetium, Actuarium, Nicolaum Myrepſicum, & alios plerosq;, quibus omnibus fere ſingularis habetur Cypheos compoſitio. Præclariſsimi tamen ætatis noſtræ medici Damocratis Cyphim cæteris anteponunt. Quorum placitis eo vtilius nobis adſtipulandum eſt, quo præſtantius medicamentum eiuſdem authoris eſſe cenſemus, qui ſuæ conficiendæ antidoti, eiuſdem Cypheos ſibi propriam compoſitionem parauit. Quæ ſic habet.*

Cypheos variæ compoſitiones.

Sumito.
- *Vuæ paſſæ pinguiſsimæ detractis cortice & vinaceis contuſæ & ſubactæ.*
- *Terebintinæ igne torrefactæ ſingu. vnci. 3.*
- *Myrrhæ*
- *Floris Iunci odorati cuiuſq; ſeſcunciam.*
- *Cinnamomi drachmas 4.*
- *Vnguium Bdellij.*
- *Spicæ nardi.*
- *Caſiæ ſelectiſsimæ.*
- *Cyperi.*
- *Baccarum Iuniperi magnarum ſin. drac. j*
- *Aſpalathi drach. 2. S.*
- *Calami odorati drach. 9.*
- *Mellis quantum ſat eſt.*
- *Vini odorati parum.*

Cypheos parandi ratio.

*Myrrha, Bdellium, & Terebinthina vino ſubiguntur ad mellis conſiſtentiam, deinde vua paſſa per ſe ſubacta additur, ſimulq; tritis mellis quod ſat eſt infunditur, cæteraq; in puluerem trita inſperguntur. Et inde demum formantur paſtilli & in vmbra ſiccantur. Porro ne in his parandis vllus committatur error, ſunt quædam, quæ te diligenter inſpicere oportet. Quorum in primis occurrit Vua paſſa, quæ (vt puto) ea minima eſſe non debet, qua paſsim vtimur omnes. Quippe præter id, quod laborioſum eſſet, ab ea corticem & nucleos detrahere, nihil fere vbi hæc fierent pulpæ reliquum eſſet, quo fit, vt de maiori Vua paſſa mihi perſuadeam intellexiſſe Damocratem, quam nos Zibibum vocamus Damaſco Syriæ allatam, vel de Scybelitica huic ſimile, quam è Pamphylia aduehi ſolere ſcribit Galenus libro ſecundo de aliment. facultatib. In enim plurimum ineſt carnis, quæ ſi fortaſſe non eſſent ad manum, præſtabunt, quæ ex Creta, Cypro, Corcyra, & aliis quibuſdam Aegei pelagi inſulis ad nos comportantur. Nam vuæ omnes, quæ inſolatæ ſiccantur, paſſæ in vniuerſum Galeno appellantur, quæ eo præſtantiores habentur, quo generoſiores ſunt vites à quibus decerpuntur. Atqui cum hic pulpa plurima opus ſit, maiores ac pinguiores ſunt deligendæ.*

Vuæ paſſæ quæ imponenda.

Zibibum.

CVM

*CVM flore odorati iunci omnino deſtituamur, quod etiam ſua ætate eueniſſe ſcribit Galenus, præſtabit vti recentioribus ipſius foliis, quippe hæc guſtantibus, non obſcuram reddunt acredinem, grato quodam odore accedente.*

Cornarii erratum.

Quid pro Bdellio ſubſtituendum.

Belzoinum.

Styrax.

*VNGVIVM Bdellij meminit Dioſcorides libr. 1. Namq; vbi per notas probatiſſimum Bdellium expendit, illud aliis prætulit, quod præter cætera vnguibus ſit ſimile. Ideoq; recte hic Damocrates Bdellij vngues immiſcet. Cornarius tamen vbi in Aetio hanc Cypheos compoſitionem interpretatur vnguium Bdellij loco vngues odoratos addidit, eum locum perperam vertens, quod Bdellium ignorauerit ſuos etiam habere vngues. Cæterum cum (vt puto) legitimo ac genuino Bdellio deſtituamur, vt in commentariis noſtris in Dioſcoridem fuſius diſſeruimus, quid pro eo ſupponi poſſit, erit nunc decernendum. Codex Galeno aſcriptus de ſuppoſititiis medicamentis in Bdellij penuria Sphagnũ ſupponit, ſed cum nulla ſit Sphagni cum Bdellio communis facultas, id ſane probare non auſim. Ego vero potius Belzoinum nobis vocatum ſupponerem. Eſt enim gummi perquam odoratum. quemadmodum & Bdellium faciunt, quod in Cyphi odoris gratia addidiſſe antiquos haud vnquam dubitarem. Nec ab re factum mihi videretur, ſi & Bdellij loco ſelectiſſimus adderetur Styrax. Quippe hic maxime ſuis facultatibus cum Bdellio conuenit. Quo factum eſſe cenſeo, vt illico poſt Styracis caput de eo tradiderit Dioſcorides. Excalfacit enim Styrax, emollit, concoquit, tuſſientibus prodeſt, vuluæ ſpiracula laxat, menſes ciet, & diſcutientibus malagmatis vtiliter admiſcetur. Quibus facultatibus præſtare Bdellium maxime teſtatur Dioſcorides. Reliqua quæ ſupponi debent, ſi qua tamen ſupponenda erunt, ea in epiſtola inuenies, quam ad Pepulum ſcribimus. Nunc alia aggrediar, de quibus præter prædicta meam etiam petis cenſuram.*

Philonio Perſico an piper album, an papauer album addendum.

Cordus defenditur.

*AD ID in primis, quod quæris an in Philonio Perſico addi debeat album piper, an papauer album. quod non parua ſit de hoc inter Myropolas controuerſia, id tibi reſpondebo, quod ſuperioribus diebus reſponderam Balthaſari Cleoſelio Sereniſſimi Principis mei Pharmacopœo, idem à me petenti, quod eſt, vt Meſuem conſulas. Nam vbi de ſanguinis reiecti curatione agit, Philonij huiuſce compoſitionem inſtituens, papauer album, non piper album imponit. Ita enim habet Meſuis codex, qui ad manus eſt. Id quod non ſine ratione factum videtur, quod vbi ſanguis abrupto vaſe fluat, nullo pipere opus ſit: ſed quæ ſua frigida vi, ſanguinem craſſiorem reddant, & fluxiones ſiſtant. Recte itaq; faciunt (vt mea fert opinio) qui piper negligentes, papaueris ſemen addunt. Nam cum ad coercendam opij malitiam & croci, & caſtorei ſatis excipiat antidotus, non video cur opus ſit addere piper vt magis incaleſcat, vbi potius refrigeratione ſit opus. Quo fit vt Fuchſius alioqui doctiſſimus haud recte Cordum reprehenderit, quod papauer non piper admiſcuerit. Ponito itaq; tu audacter albi papaueris ſemen, & ne cures aliorum errata imitari.*

Electuarij è Sebeſtenis parandi ratio contra Cordum.

*QVAERIS item an in compoſitione Electuarij de Sebeſtenis Montagnanæ aberrauerint Luminaria Manlij & aliorum in aquæ ponderibus, quod fere impoſſibile tibi videatur, vt tam parua aquæ quantitate, quæ vix ſufficit ad macerãda ea omnia medicamenta, poſſe quempiam illa omnia macerare, coquere, ac diſſoluere. Qua in re vellem ſane tibi ſatisfacere, ſi id Medici munus eſſet non Myropolæ. Sed cum ego cenſendis medicamentis, non decoquendis me totum dederim, conſultius tibi fore ſperarem, ſi de re hac teipſum conſuleres. Quod ſi feceris, cum ſciam te ſeplaſiarium eſſe exercitatiſſimum, nihil ſane vereor, quin tuus ſtatim tibi ſuaſurus ſit genius, vt aquæ pondus augeas, vbi ad illa omnia paranda aquæ illius quantitas non ſufficiat. Cæterum vbi medicamentum parare decreueris ſuadeo, vt genuinum autorem ſequaris non Cordum. Nam etſi electuarium hoc Montagnana is referat acceptum, longe tamen id ab eius compoſitione euariat, quod genuinum Sebeſtenorum, Prunorum, Tamarindorumq;, quinetiam ſeminum frigidorum decoctum tantum excipiat, Cordinum vero (vt ita dicam) horum omnium pulpam, præter authoris ſententiam, & ſeminum frigidorum duplum habeat.*

Serum quod præſtantius.

Seri ab àcore conſeruandi ratio.

*QVAERIS præterea an ſerum, quo vti debent Myropolæ ad maceranda medicamenta, & ea præſertim quibus paratur confectio Amech paſſim vocata, ſumi debeat, quod à caſeo ſeparatur, dum premitur, an illud, quod expreſſo caſeo coquitur, & à caſei reliquiis, e quibus recocta paratur, ſecernitur altero longe clarius. Hæc tua quæſtio eſt. Verum ſi recte conſiderabis, nil aliud eſſe ſerum, quam partem lactis aquoſam à butyro, & caſeo omni ſeparatam, illud proculdubio legitimum, ac purum erit, quod à caſei & butyri reliquiis prorſus fuerit expurgatum. Tale enim eſt, quod expreſſo caſeo coquitur, & à recocta ſecernitur. Sed nec id quidem præſtabit pro iis macerandis medicamentis quinq; aſſiduis diebus, quæ in illam veniunt antidotum, quam Amech Arabs conſcripſit. Aceſcet enim ſerum hoc, quod tandiu manſerit anteaquam coquatur, & antidotum acidam reddet, niſi ab initio tantum ſacchari, vel mellis addatur, quod id ab acore & putredine ſeruare poſſit. Quamobrem recte ſerum à caſeo ſeparabant antiqui, additis feruenti in fictili nouo lacti, tot oxymelitis cyathis, quot erant lactis heminæ continue ficulneo ramo verſantes, vt ſecundo libro docet Dioſcorides. Verum vt diffuſius, ac clarius parandi. ſeruandiq; ſeri rationem intelligas, mitto tibi aliam etiam epiſtolam, quam ſuperioribus menſibus Bono Baldino Pharmacopœo exercitatiſſimo Viennæ commoranti miſeram, quod is etiam de parando ſero plura à me eſſet percontatus. Ex ea enim facile intelliges ſeri cuiuſq; explicationem.*

Vnguentum Alabaſtri.

Vnguentum quo inunctus eſt IESVS à Maria Magdalena.

*PRAETER id à me etiam ſcire deſideras, an vnguentum Alabaſtri, quod deſcribitur à Iacobo Manlio in ſuo Luminari, illud ſit vnguentum Nardi ſpicati vt ipſe nulla dubitatione affirmare videtur, quo à Maria Magdalena inunctus eſt SALVATOR NOSTER CHRISTVS. Nam cum vnguentum hoc, quod Galbanum, reſinam Terebinthinam, Colophoniam, Sabinam & Hederæ gummi excipit grauiſſime, non ſuauiſſime oleat, non parum dubitandum ibi fore inquis, an Manlius vera referat, vel fabulas narret. Sed non ab re quidem dubitas. Ego enim longe antea animaduerteram id eſſe falſum, quod in ſacris literis habeamus, tantam fuiſſe vnguenti fragrantiam, vt vniuerſa domus repleta ſit ſuauiſſimo illius odore, quinetiam tam magno pretio fuiſſe emptum, vt proditor dixerit Iudas poſſe illud venundari multo, & dari pauperibus. Atqui ſi meam tibi debeam aperire ſententiam, crediderim ego, Nardinum illud fuiſſe pretioſiſſimum, quod antiqui parabant (vt habet Dioſcorides) ex Malabathro, Nardo, Iunco odorato, Coſto, Amomo & Opobalſamo. Hoc enim Romanorum luxu parari ſolitum, ad gratiam delicatarum mulierum, inquit Galenus, tum lib. 6. de ſanitate tuenda, tum etiam 8. de Methodo medendi: vbi de diariis febribus egit, quæ à ventriculi cruditate proueniunt. Quo fit, vt putem Mariam Magdalenam hoc vnguento haudquaquam fuiſſe deſtitutam, vtpote quæ mundanis delitiis ac voluptatibus ſe totam prius dediſſet. Fiebat olim hoc vnguentum pretioſiſſimum, omnium præſtantiſſimum (vt Galenus eſt autor locis ſuperius citatis) Laodiceæ Aſiæ vrbe, vnde poſtea deferebatur à negotiatoribus ad alias nationes quemadmodum nunc fieri videmus, cum Moſcho, Ambaro, & Zibeto, quæ partim ex India partim ex AEthiopia, partim ex aliis longinquis regionibus voluptatis & laſciuiæ gratia ad nos afferuntur ad ſuauiſſima vnguenta, quibus non ſolum mulieres vtuntur, ſed etiam viri. Tantus inualuit hoc tempore delitiarum luxus apud omnes. His autem cum antiqui deſtituerentur, excogitarunt etiam ipſi aromatis omnium ſuauiſſimis parare odoramenta, quibus poſtea delicatæ vterentur mulieres quorum poſthac exoleuiſſe vſum facile crediderim, ſimulac Moſchum, Ambarum, & Zibetum afferri cœperunt, cum illis ſuauio-*

*ſuauiora, odoratiora, pretioſioráq; haberentur, nil mirum, ſi neglectis illis, ſequuta poſteritas priorum loco hac in vſum vocauerit.*

Spinæ albæ & Arabicæ loco quid ſupponendum.

CAETERVM *ad ea quæ quæris, an in Syrupo de Eupatorio Spinæ albæ, & Arabicæ loco, quibus nos deſtitui putas, addi poſſint Caryophyllatæ radices, aliud quidem reſpondere non poſſum, quam quod hoc optime factum crediderim. Siquidem non ſolum hæ Caryophyllorum odore, quo præditæ ſunt, vitales ſpiritus non parum recreant, ſed aliis non vulgaribus facultatibus huic Syrupo quam maxime conueniunt. Proſunt enim epotæ Cœliacis, Stomachicis, Dyſentericis, & cruenta expuentibus, menſes cohibent ac cæteras quaſcunque fluxiones, adeo vt Spinæ albæ & Arabicæ facultates omnes habeant, ſintq; præter id ſuauiter odoratæ.*

Mumia an in vſum medicum conueniat.

Mumiam duplicem eſſe contra Bellonii ſententiam.

QVAERIS *vltimo loco, an Mumia, quæ ex Alexandria AEgypti ad nos affertur in vſum medicum conueniat, vbi in Arabicis compoſitis medicamentis Mumia fuerit imponenda. Huic quæſtioni, & ſi ſatis ſuperq; reſponderimus in noſtris in Dioſcoridem commentariis, vbi errare eos diximus, qui ſiccas humanorum corporum carnes, vel oſſa pro Mumia ſuis interponunt medicamentis, non tamen ob id præteribo, quin noui aliquid de Mumia ad te ſcribam, vt ſcias præter Piſſaſphaltum aliam Mauritanis eſſe Mumiam, qua ij olim vtebantur. Sed audias quæ de Mumia Arabum mihi ſeſe offerunt ſcribenda, contra Bellonij ſententiam. Scribit itaq; is, & longis contendit ambagibus, maxime hallucinari eos, qui putant Mumiam Mauritanis illud deſignare condimentum, ex Aloe, Myrrha, Croco, Balſamo, & aliis fortaſſe aromatibus paratum, quo apud Syros, AEgyptios & alias iis conterminas nationes hominum cadauera infarciri ſolebant, cum ſibi perperam perſuadeat, nullam vſquam extare Mumiam præter Piſſaphaltum. Præterea ſpiculis quibuſdam occultis me pungit, quod ſcripſerim poſſe & apud nos parari Mumiam, ſi defunctorum corpora huiuſcemodi odoratis medicamentis condirentur, & deinde AEgyptiorum more linteis, faſciiſq; colligarentur, & idoneis collocarentur in ſepulchris. Sed quam magno ducatur errore, dum nos perperam hallucinari contendit, pluribus ſane Arabum teſtimoniis facile comprobari poteſt. Etenim Rhaſis libro de Arabicis nominibus, authoritate Iſach, Mumia, inquit, eſt nomen Perſicum, & eſt res nigra confecta, & eſt etiam alia res reperta in ſepulchris, quando fodiuntur, quæ ponitur cum mortuorum cadaueribus, vt vermes non approximentur eis. Rhaſi ſubſcribit Serapio cap. 293 primo ſtatim initio vbi ſic habet. Mumia ſepulchrorum ſit, cum Aloe, Myrrha, & quod admiſcetur eis ex humiditate corporis humani ſimul coierint. Hæc ille. Quibus nunc facile cognoſcet ille, ſi hæc quandoq; perleget, ſuam in Mumia ignorantiam, nec longas poſſe peregrinationes docere quenquam, vbi bonorum authorum lectio, experientia & iudicium abſint. Vale.*

## PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Medicus, Ioanni Viſcero Dembdingenſi S. P. D.

### *Tractatur de vertigine, Occipitij dolore, ſtupore, pilorum defluuio, & glandibus in inguinibus exortis.*

*VNam potiſſimum habeo cauſam, vir doctiſſime, à qua orti ſint affectus ij quibus vexaris, nempe vertigo, Occipitij dolor, ſtupor in dextro brachio & glandes in eodem brachio, atq; in inguinibus obortæ, eamq; externam, & à frigore tantum genitam. Ais enim præterita hyeme, dum è Germania Patauium veniſſes, frigora ibi te adeo magna perpeſſum fuiſſe in pedibus præſertim, & cruribus, vt partes eæ fere ſtupidæ redderentur, & quamuis frigora longe maiora, diuturnioráq; ſint in Germania, quam Patauij, & in vniuerſa fere Italia: in Germania tamen ſuis hypocauſtis incluſi ab ingentiſſimis frigoribus diu ſe tuentur homines, in quibus ſua tractantes negotia, hyeme perpetuo ferme morantur. Ea propter factum exiſtimo, vt quum præterita hyeme ſtudiis aſſiduam operam impenderes, in loco fortaſſe nunquam vel raro calefacto, nerui in crura & pedes excurrentes tanta frigiditate fuerint affecti, vt plurimum inde noxæ contraxerint, quæ poſtea cerebro per os communicata, vertiginem effecit, ſtuporem, & Occipitij dolorem. Nec ſane mirum, cum dicat Hippocrates: Frigidum inimicum eſt oſſibus, dentibus, neruis, cerebro & ſpinali medullæ. Frigus enim exterius adueniens non modo vertiginem, ſed quandoq; apoplexiam, Epilepſiamq; procreat, vt Galenus eſt autor, libro de morborum cauſis. Quod autem vertiginis & horum morborum cauſæ eædem eſſe poſſint, comprobatur eiuſdem Galeni teſtimonio, libro qui dicitur Medicus, vbi ſic habet. Caligines oculis infuſæ & vertigines, cognata ſunt vitia morbo comitiali, ab eiſdemq; cauſis prodeunt, atq; eaſdem ſedes occupant. Idem III. Aphoriſmorum inquit. Vertigines quoq; cerebri læſiones conſequuntur, ſicuti & apoplexia. nam & hæc paſſio fit, cum caput repletur pituita: Quod facile euenit cerebro pluſquam par ſit refrigerato. Quandoquidem oppreſſo diminutoq; eius calore, quæ eo deferuntur, tum alimenta, tum excrementa concoqui recte nequeunt, quo fit, vt inde excrementitia pituita plurimum oriatur, à qua prædicti morbi oriuntur. Ob id itaq; dicebat Paulus vertiginem affectum naſci, cum frigidus glutinoſuſq; humor cerebrum occupat. Hinc quoq; & occipitij dolor fit & in brachio quandoq; leuis ille ſtupor, hincque glandulæ illæ duxerunt originem. Siquidem pituita in occipitio decumbens, immutata partis ipſius temperie dolorem excitat. Nam, vt Galenus inquit lib. 2. de Symptomatum cauſis, Nullum corpus offenditur à propria natura. Adde quod etiam ex flatu in capite genito, ob partis refrigerationem poſſit vtiq; fieri dolor hic ex Galeni ſententia, II. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cum inquit. Et adhæc alia eſt capitis doloris cauſa, cum ſcilicet in quibuſdam capitis partibus propter imbecillitatem flatuoſus ſpiritus innaſcitur. Et quarto Aphoriſmorum Aphoriſmo LXX. Fiunt, inquit, capitis dolores & ex humorum abundantia caput opprimente, & propter aliquam loci obſtructionem, vel ſpiritu flatuoſo habente in parte ipſa generationem, qui quidem flatuoſus ſpiritus non modo doloris cauſa eſſe poteſt, ſed etiam ipſius vertiginis, cum dicat Galenus 3. de locis affectis: quod vbi quis cerebro vertitur, inæqualem & turbulentum & inordinatum motum, tum humorum, tum ſpiritus in eo fieri omnibus in confeſſo ſit. Porro ex eadem etiam pituita neruorum in brachium excurrentium originem quadam tenus obſtruente oritur leuis ille ſtupor: quemadmodum & glandulæ ab ea, quæ ad inguina decurrit & in affectum brachium: namq; hæ ſemper à craſſis proueniunt humoribus. Nec profecto mihi vnquam perſuaſerim, quod hæc à Gallica lue originem duxerint, cum mihi ſæpius affirmaueris; te nunquam ſcortis vacaſſe, nunquam cum hoc morbo affectis in eodem lecto cubaſſe, nunquam penis vlceribus, nec puſtularum eruptionibus, nec compagum doloribus laboraſſe. Neq; illud meæ opinioni repugnare videtur, quod tibi quandoq; & capilli, & barbæ pili de-*



pili de-

Non omnes quibus pili defluunt Gallicalue laborare.

pili decidere conſpiciantur. Non enim ſolo pilorum defluuio Gallica lues deprehenditur, cum (vt Galenus eſt autor primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos) ab aliis etiam cauſis affectus hic oriatur. Qui enim ex Gallica lue pilorum defluuio afficiuntur, iis in vniuerſum decidunt, & cutis vbiq; glabreſcit, quod vitioſus humor in iecinore ſedem habens, non in caput tantum, ſed in vniuerſum feratur corpus. Verum tibi id nunquam accidit: cum per temporis interualla non ex vniuerſo corpore, ſed tantum è barba & capite aliqui modo decidant pili, modo renaſcantur. Quin potius ideo illud factum eſſe crediderim, quod cutetenus in facie & capite facta ſit aliqua pituitæ exuſtio, id quod indicant tenues ſquamulæ furfuri ſimiles inde manantes, quæ vbi pilorum radices areſecerit, eſt cauſa, vt ij poſtmodum decidant. Namq; id mali, aut humidi defectu, aut ſucci prauitate contingit. His igitur rationibus compulſus, aduerſam tuam hanc valetudinem à contracto frigore primum, deinde ab humore frigido, non autem à Gallica peſte emerſiſſe putauerim. Sed auxit fortaſſe morbum ſecunda etiam cauſa: nempe longa coitus abſtinentia, quæ iuuenes multoties in magnum ducit diſcrimen.

Continentiam à venereis, iuuenibus plurimum nocere.

Ait enim Haliabbas ſi ſpermatica ſuperfluitas ſuis aucta in vaſis coitu non purgetur, nec poterit eam expellere natura, in inguinibus extenſio fit, & aliis corporis partibus omniq; in corpore grauitas. Id quod etiam ante dixerat Galenus 6. de locis affectis, cap. 5. his verbis. Equidem noui quoſdam quibus huiuſmodi erat natura, qui præ pudore à libidinis vſu abſtinentes torpidi pigriq; facti ſunt, nonnulli etiam Melancholicorum exemplo præter modum mœſti, ac timidi, cibi etiam tum cupiditate, tum concoctione vitiata. Quamobrem cum fatearis longo iam tempore à Venereorum vſu te abſtinuiſſe, certiſſimum hinc ſumi poteſt argumentum, quod etiam à retento ſemine aucta fuerit noxa & glandularum in inguinibus extenſio, & nunc primum emerſerit Gonorrhœa. Cæterum quibus medicamentis quoue regimine victus reliquum noxæ curari tolliq; poſſit, cum eius non parum ſuſtulerint, & Guaiaci decoctum & alia plura quibus mea opera hac æſtate vſus es, certoq; ſciam te ex iis maius longe commodum reportaſſe: ni æſtus & Sirius iam præſens, quæ mente conceperamus ad finem vſq; proſequi interdixiſſent, noſtrum illud conſilium eſſet, vt proximo autumno, Septembri præſertim, illa omnia quæ fecimus, audacter repeterentur. At ſi fortaſſis id negotij inuitus ſuſceperis, non niſi multum tibi profutura putauerim Patauina balnea. Sed cum eo breui te conferre decreueris, ſintq; ibi Medici omnium præclariſſimi, & qui ſuorum balneorum vires præ cæteris norunt, non eſt cur hac in re plus conſilij à me expectes, nec præterea aliam, vel alimentorum, vel medicamentorum ſeriem, ne videar (vt in communi prouerbio eſt) noctuas Athenas mittere. Nec putes velim quod hoc facere recuſauerim ſubterfugiendi laboris cauſa, cum non te latere exiſtimem, me ea qua potui maiori humanitate te primum ſuſcepiſſe (ita enim virtus, ac mores ingenij expetebant tui, & meus in omnes probos amor) poſtea omni ſtudio, ac diligentia te ſemper adiiſſe, atq; omnem meam curam, & operam in ægritudine tua adhibuiſſe. Quod ſi vltra nobiſcum manendi tibi daretur facultas, pro viribus adniterer, vt omne meum officium apud te teſtatum relinquerem. Sed illud te admonere non prætermittam, quod ſi Patauij futura hyeme (vt putas) moram traxeris, omnino hypocauſtum tibi parari cures, ne denuo frigoris & algoris noxam expertus in eoſdem affectus recidas, vel conceptos adaugeas, è quibus ante hyemis aduentum te prorſus euaſurum ſpero Dei Optimi Maximi munere, ſi modo Medicorum conſiliis obſequi ſtatueris. Vale.

## IOANNES VISCERVS VEMDINGENSIS, Petro Andreæ Matthiolo Medico S. D.

*Reſpondetur præcedenti epiſtolæ.*

CVm in animum reuoco mihi, vir clariſſime, dulciſſimum ac ſuauiſſimum conuictum, quo per menſes aliquot, quibus tecum fui, non ſine maximo ſanitatis & ſtudiorum fructu & commodo, frui licuit, recoloq; eruditiſſimos ſermones ac doctiſſima colloquia, quibus me de rebus Medicis quærentem erudiebas, vehementi, mehercle, tui deſiderio animum meum percelli ſentio, & ad veſtras amœniſſimas valles hinc, ſi poſſem mox auolare cupio. Multa enim ſunt, quæ me alliciunt, cœli ſalubritas, loci pulcherrimus ſitus, vina ſuauia: in primis vero præclaræ tuæ virtutes atq; eruditio præſtans. Turpe tamen æſtimo, vitamq; ob hoc acerbiorem duco, quod tot tantiſq; beneficiis quibus me ignotum & immeritum cumulatim affeciſti, nulla ratione reſpondere potuerim, nec adhuc vlla gratitudinis meæ ſigna edere poſſim. Agnoſco enim ita officiis tuis me tibi deuinctum, vt & vſu & proprietate, vt Iuriſconſultorum verbis vtar, me totum tuum eſſe profitear. Animi certe gratitudinem perpetuam tibi polliceor, meaq; ſtudia & offiſia ſeruiliter offero, & quod ſolum poſſum nunc præſto. Omnibus cum quibus ſum animi tui dotes narro, præclaram tuam eruditionem, ſolertiam in medicando inſignem, diligentiam in excolenda re herbaria eximiam, miram ingenij ſuauitatem & animi candorem, in conuictu familiari comitatem humaniſſimam, in ſermone leporem dulciſſimum, meis conuictoribus quotidie prædico: idq; faciam ſemper dum ſpiritus hos reget artus. Et ſi Deus me patriæ incolumem reddiderit, nomini tuo ita patrocinabor, vt omnes animi mei gratitudinem cernant. Victori Trincauellio & Bellacato ſcriptum tuum de cauſis ſymptomatum quibus adhuc premor, cum honorifica tui commendatione exhibui: vterq; conſilium tuum & approbauit & laudauit. Hiſq; authoribus ante quinq; dies aquam Patauinam bibere cœpi, etſi fere deſiſtere à propoſito coactus fuiſſem: nam primo triduo vix dimidium aquæ adhibita omni induſtria, excernebatur: verebar igitur ne obſtructiones aliquas in venis, aut hepata gigneret, quod repoſitione huius aquæ in corpore fieri ſolere audio. Quarto tamen die aqua ſibi viam inuenit adeo vt nunc ſatis fœliciter tota reddatur. Quando completa fuerit iſta medicina, ſcribam quid ex ipſius vſu commodi acceperim. Semen Senæ & ſi qua alia ſemina habeas rariora ſummopere oro, vt mihi mittere digneris, quæ donem cognato meo Doctori Fuchſio.

V A L E.

PETRVS

# PETRI ANDREÆ MATTHIOLI SENENSIS MEDICI

## IN LIBRVM SVVM, DE MORBI GALLICI CVRANDI RATIONE, PRÆFATIO,

CVm valle quadam ſecreta, locíſque deſertis ab omni ſequeſtratum penitus medicorum conuictu fato me continerem, cenſuiſſemq́;, ſicut olim Philoctetes, diutius in ſolitudine mihi permanendum, per hyemem noſtræ diſciplinæ memoriam literis propagare non alienum putaui, vt & nobis ſolatium, & lecturis pro virili vtilitatem pararemus, ne quando non ſolum vitæ in obſcuro tranſactæ, ſed etiam temporis amiſſi reddenda ratio foret. Nam dum tempus ferebat, & herbæ, arbores, virgulta, cæteraque id genus in collibus, pratis, & conuallibus germinabant, quæ aliquid medicinæ conferre videbantur, ea conſectabar, ſolatiique loco mihi tunc erat, hæc vacuum partim ſub vmbra, vt flacceſcerent, collocare, partim æneis & vitreis organis igne ſubdito in puriſſimas aquas redigere: ſicut ardente iam Syrio domi ſubtiliſſimæ naturæ liquorem, ſummoque pretio comparatos medicamentorum potus conficiebam. Longum eſſet antidota, collyria, cataplaſmata, quibus tunc inſudabam, ſigillatim connumerare. Nec ab induſtria vacuus autumnus erat: per altiſſimos namque montes ſedulo gradu radices vtriuſque Veratri, quod Helleborum Græci dicunt, Dictamnique Bezoardici perſcrutabar, herbarumque ferme omnium, quarum apud Medicos nomen eſt celebre paſſim, gramina radicitus extirpabam. Nec minus, prout occaſio ſeſe ingerebat, & abietis oleum ſummo odore præditum, vulneribuſque conglutinandis aptiſſimum, & ex larice cum Agaricum, tum gummi liquidum, ex quibus ſumma male habentibus medicina ſalutem promittit, colligebam. Nunc vero cum hyems in autumni locum ſucceſſerit per Brumam quid aliud agendum ſupereſt, quam quæ à diuerſis authoribus de medicina tradita fuerint, memoriæ commendare, ſiue aliquid ſcribere? Sed cogitanti mihi aliunde mortuorum memoriam minime pendere, niſi ex monimentis literarum, dubius diſtrahebatur animus, Commentariane conſcribere in eminentiſſimos medicinæ Profeſſores, an aliquid meo Marte cudere deberem: nec ſane quid potius eſſet præſtandum ſuppetebat: nam primum ſatis vulgare videbatur, ab altero detinebat negotij magnitudo. Quæ dum egomet mecum diſquiro, forte fortuna in manus inciderunt, quædam de morbo, quem Gallicum dicunt, à neotericis conſcripta, quibus cum multa mihi comperta adiici, & pleraque meliora fieri poſſe viderentur, accepiſſemque iam calamum exaraturus opuſculum, quod meo iudicio poſſet nonnihil laborantibus opis afferre, Franciſcus Aliger præſto fuit, in quo præter fidem, mirificamque in me animi inductionem, ſumma inerat comitas. Mutua igitur data acceptaque ſalute, confectiſque tribus aut quatuor ſpatiis in tepidario ſedimus, vbi poſt familiarem ſermonem friget, Franciſcus huc euaſit. FRANCISCVS. Et otium tuum. & hyemis ſolitudo hortantur, vt te pro ſumma inter nos beneuolentia, quod iam dudum concupieram, ſed pudore pene ſubruſtico deterritus non audebam, tot alioqui negotiis diſtrictum diutius interpellare, nunc obteſter, de morbo gallico diligenter vt diſſeras. Nam hæc opuſcula, quæ circumferuntur potius aliquando infirmitatem, quam ſanitatem patientibus exhibent, quæ quidem tanquam deterrima deteſtor: nec me hercule iniuria. Quid etenim præter ſuffitus illinitioneſque viui argenti (extinctum, quod viuum eſt, dicunt) quibus mea ſententia nihil eſt deterius in ſe habent? A te vero cumprimis originem, cauſam, cognationem, principium, qualitatem prædicti mali, deinde victum, abſtinentiam, quam ſuſtinere debeat affectus, tum potiones, medicamenta, Pharmaca, fomenta, quibus

huiuſmodi noxa fere plerunque ſolet expugnari, deſidero, nulla alia de cauſa, niſi, vt vbi primum talia fuero diligenter expiſcatus, tanquam planus improbiſſimus ſecundarum partium, ſtatim primarum fiam. Proinde vide quid agas. Hæc te prius ſcire volui, ne poſtea dicas non prædictum. ANDREAS. Bene profecto & ex vſu noſtro id ſermonis nunc incidit, quippe de his me percunctaris, quæ iamdudum ſcribere conceperam animo: calcaria igitur equo ſponte currenti (vt aiunt) addidiſti. nam quod tu perplexe minitaris poſtea videro: quamuis (vere dicam) nimium oneris, nobis imponis, quaſi vero cæteros in hac cura medicos excellamus. Tu quidem mi Franciſce, qui tantum mihi tribuis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis amice: tametſi vellem aliquando confore, quod credis eſſe, aut futurum breui ſperas: ſed certe (ingenue dicam quod ſentio) nihil in me video ſigni, quo poſſim quandoq; id futurum mihi promittere. Sed de his hactenus. Verum antea quam hi ſermones ſe altius efferant, vt viua tantum Veritas cœleſtis ſpiritus gratia ore noſtro proferatur in lucem, in primis Deo Optimo maximo inuocato colloqui incipiamus.

# DE MORBI GALLICI CVRANDI RATIONE DIALOGVS.

ENARRATIO.

*OMnipotens pater (vt Heſiodus) antiquorum peruicaciam perſpiciens, Pandoram cum dolio malis referto terris immiſit. Denuo memoria patrum, vt in effrenatam mortalium luxuriam debitis afficeret pœnis, aut propoſitis contineret ſuppliciis, morbo quem Gallicum vocamus, Italiam bellorum procellis concuſſam confecit, qui poſtea contagione vulgatus eſt. Quidam Deo, cum ſit ſumma bonitas, mala tribui non debere contendunt, proinde gentium colluuione aerem infectum producunt. Habes originem, nunc cauſam cognoſce, de qua medicorum præſtantiſſimo cuiq; diuerſa ſententia eſt, vt non poſſis quis vero propius acceſſerit, facile conticere: quippe quoniam philoſophantes pleriq; in Saturni Martiſq; aſpectu cum retrograda Venere cauſam coniiciunt, cuius coniunctionis tanta fuerit malitia, vt non immerito morbus inde proceſſiſſe ſit viſus. Fuere qui corruptum cœli tractum ſanguinem in atram bilem, conuertentem cauſati fuerint. Nonnulli morbum Gallos, cum per montem Saluium iter facerent, à fœminis leproſis per coitum primitus contraxiſſe, eorum poſtea intemperantia atram bilem pituitamque procurante, memoriæ prodiderunt. Inde putarunt medicinam plerique profitentes malum Elephantiæ non abſimile, qui Cornelij Celſi, Galeni, Paulique Æginetæ ſententiis videbantur inniti. Nonnulli melancholicos varos, quos etiam morbillos dicunt, aut malum mortuum dixerunt. Nos vero multis, eiſdemque potentioribus argumentis conuincemus, hunc morbum ab Elephantia plurimum diſtare. Cæterum morbillos melancholicos, ſiue malum mortuum, quis ſanæ mentis dixerit, qui nouerit morbum Gallicum ſæuas neruorum diſtentiones, iuncturarum dolores, oſſium putreſcentium corruptiones, & vlcera ſequi malignitatis ſupremæ? Quibus omnibus ſane conuincitur, nobis acceſſiſſe ægritudinem nouam.*

FRANCISCVS. *Agis perplexe mecum, tardiuſculus ſum, quamobrem cum hæc abs te diſſeri verboſius velim, tum illud inprimis, quod minus eſt triuiale, quibus ſcilicet ſignis Medicus ille, qui laborantem ſit ſuſcepturus, hunc morbum à ſanguine, aut à bile, aut à pituita, aut ab atra bile cognoſcet procedere, quoniam mihi ſatis compertum eſt à quatuor humoribus hunc foueri poſſe.*

ANDREAS. *Recte tu quidem Franciſce, & vere: neque enim ab iſto morbo, ni ita eſſet, vt dixti, tanta contagio, tanta nobis impenderent mala: quoquo te verteris, hæc noxa præſto eſt, nullo pacto excluditur, ſemper intempeſtiua, ſemper moleſta eſt. Verum tibi mos geratur. Nonnullos plerunque videmus puſtulis, & tuberculis exilibus ſubrubeis totum corpus aſperſum gerentes, quibus ſub alis, & in inguinibus, abſceſſus corporis turbinati, quadam malignitate ſubito emerſerunt. Quod Galenus cum à ſanguine, tum à bile fieri credidit his verbis, ſexto Aphor. libr. Sublimiores puſtulæ, atq; tubercula, ab humore calidiore generantur. Hæc ille. Sed is morbus, cum à ſanguine fouetur, humoris benignitate leuioribus curatur remediis. Sunt qui maculas tantum rubeas, in luteum tendentes colorem monſtrauerint, quibus & in faucibus, & circa pubem, nunc eriſypelas, nunc Perſicus ignis, & Phthiriaſis noua quadam ſpecie ſe efferant: hi fere bilioſi circa frontem dolore conflictantur. Pituitæ vero, & atræ bilis ſigna ſunt, dolor in occipite, diſtentio neruorum, crurum vexatio, liuentes & verrucoſæ ſuppurationes, è gypſo præterea concretis nodis affecti, nocte magis quàm die torquentur. Vnde non abnuerim, morbum Gallicum à quocunque foueri humore, præſertim cum viderimus omnes ſpecies apoſtematum, cutiſque exulcerationis, & malorum vlcerum, ab expertis chirurgis, eiſdemque doctiſſimis viris, eorundem monimentis annotata, huic complicari, quibus rarius, aut nunquam fortaſſe remedia monumentis literarum prodita Gallicæ malignitate contulerunt. Omnia itaque (vt vno verbo dicam) morborum genera, quæ à medicis deſcribuntur, poſſunt cum Gallico concurrere: tantum etenim ineſt virus, vt vbi primum iecur occupauerit, mortales illico in morbos paratos fieri detrudat. Si quod etiam corpus occupauerit, infeceritue, aliqua ægritudine prius imbutum, in ſuam malitiam breui conuertit eam, vt ſcelerum multitudine nobis tam virulentam peſtem à diris immiſſam non immerito videar dixiſſe. Sed nunc quod pollicitus ſum. Nonnulli medicinæ interpretes non contemnendi tempeſtate noſtra, pluribus priſcorum monumentis innixi, morbum Gallicum eſſe Elephantiam omnino voluerunt. Quorum ſententiæ non accedentes, dicimus teſtimonio eorum, qui de Elephantia conſcripſerint, ſemper ex ea pedes ægrotantium intumeſcere. Celſus etenim his verbis vtitur: Summa eius cutis inæquabiliter craſſa, tenuis, dura, mollisque, quaſi ſquamis quibuſdam exaſperatur, corpus emacreſcit, & pedes intumeſcunt. Galenus etiam de medicis diffinitionibus ſic autumat: Elephas eſt affectus, qui cutem craſſam, & inæqualem reddit, tum colorem liuidum in albo oculorum facit, exeduntur pedum, manuumque ſummæ partes, ſanies defluit liuida, & male olens. Plinius etiam libro 26. capit. primo naturalis hiſtoriæ ſic: Diximus Elephantiaſim ante Pompeij Magni ætatem non accidiſſe in Italia, & ipſam à facie ſæpe incipientem, in nare primo veluti lenticula, mox inualeſcente per totum corpus, maculoſa, variis coloribus, &*

Omnia morborum genera cum Gallico concurrunt.

Morbum Gallicum non eſſe Elephantiam.

ribus, & inæquali cute, alibi craſſa, alibi tenui, dura ceu ſcabie aſpera, ad poſtremum vero nigreſcente, & ad oſſa carnem apprimente, intumeſcentibus digitis in pedibus manibuſque. Hæc equidem dicta ſi recte perpendimus, maximum diſcrimen inter hos innuunt, cum dicant, quod ſumma cutis eſt inæquabiliter craſſa tenuiſq;. Quod morbo Gallico laborantibus fere non euenit. nam quamuis ſint tubercula, puſtulæue in corpore fere toto, ſumma tamen cutis æqualis apparet. Addunt Elephantiam prope nares ſemper oriri: at Gallicus colem teſticuloſque quam primum infeſtat. Poſtremò Elephantiaci maximos in pedibus patiuntur tumores, ſicut etiam pedum, manuumq; ſummæ partes exeduntur: at in Gallicis ſecus eſt.

FRANCISCVS. Quid tu hæc mihi? quaſi vero cum imperitiſſimis rerum omnium ſermonem habeas: nam quotuſquiſq; eſt, qui tibi talia diſſerenti tacitus aſſentiatur? Verum vt ad me redeam, quod ex autoritatibus veterum perſuadere conaris, aliter eſſe experientia compertum habeo. Romæ dum eſſem, nonnullos vidi turbæ prætereuntium expoſitos in Aurelio ponte, iuxta molem Hadriani, morbo Gallico male affectos, manibus exeſis, naribuſq;, tum detritis omnibus articulis, inæquali ſumma cute: quo fit, vt aut hunc morbum Gallicum non fuiſſe dicas, aut Elephantiam Gallicum morbum fatearis præter ſententiam.

ANDREAS. Noli tam ſuperbe: ne dicam ſubabſurde, dicentem compellare, cum tu, ſi recte memoria teneo, ſuperius cum omnibus humoribus conglutinari, ego cum omnibus ægritudinibus habere cognationem dixerimus. Quod cum ita ſit, qui fieri poteſt, vt annuat, Elephantiam pedum potius, quam aliarum corporis partium malum? Quod ſi ſuperioribus verbis parum credideris, adducam Galenum ad Glauconem libro ſecundo, cap. de Cancro, talia dicentem: Sæpius cancer ad varices decurrit, & quandoq; ad cutim vniuerſam expellitur, fitque is morbus, quem Elephantem nominant. Quid igitur obſtat, cur non in Gallicis, quos adduxiſti, tum humoris admiſtione melancholici, tum medicorum præterea negligentia, Elephantia acceſſerit? Quin etiam Auicenna III. ſui Canonis, Elephantia, ait, eſt additio in pedibus ſecundum modum, qui accidit in venis varicum. Item Raſis in libro diuiſionum ſic: Elephantia accidit in pede, & crure, ita quod quando confirmatur, non habet curationem. Subſequitur iis Auenzoar: Dicitur Elephantia, quia taliter diſponuntur pedes, vt aſſimilentur pedibus vel tibiis Elephantis. Cauſas autem eiuſmodi ægritudinis paucis VI. Aphor. libr. Comment. 21. aperuit Galenus, cum dicit: Varix autem eſt, cum venæ latiores fiunt in coxis, & cruribus, quod ex craſſo, & melancholico humore contingit.

FRANCISCVS. Hoc me iudice nihil ad rem: nam Galenus de varicibus tantum, non de Elephantia loquitur.

ANDREAS. Sat tibi erit audire Auicennam, Galeni interpretem, aſſerentem III. Can. Elephantiam eſſe in pedibus augmentum, ſecundum modum, qui accidit in venis varicum: quod non aliter à Galeno ſuperius percipi videtur, cum dicit: Fitq; is morbus, quem Elephantem nominant. Eiuſdem ſunt ſententiæ neotericorum pleriq;, quorum rationes pluribus explicare longum foret. Elephantia igitur cum in cruribus, & pedibus plerunq; verſetur, & morbus Gallicus cum in pudibundis particulis, tum deinde per totum corpus emergat idem eſſe non poſſunt. Non tamen inficias eò, Gallicum morbum Elephantiæ accedere poſſe, ſicut etiam contra. Nam ſecundùm Galenum Elephantiæ duæ ſunt ſpecies: cum enim aſſerit cancrum ad varices decurrere, pedum Elephantiam excitare comprehendit: cum vero ad cutim vniuerſam, Elephantiam in toto corpore, quam ab Arabia autores Lepram appellant. Verum cum ab eiſdem cauſis atq; humoribus non minus vna, quam alia eueniat, de his tecum indifferenter ſum locutus: nam de ægritudinum nominibus parum curandum cenſemus (vt Galenus) cum aderit morborum bona curandi ratio. Iſach enim in ſuo Viatico: Conſtantinus ac pleriq; alij excellentiores vnam tantum Lepræ ſpeciem Elephantiam dixerunt, cum quatuor lepræ à quatuor humoribus ingruant. Prima cauſatur ex ſanguine combuſto, quæ alopecia dicitur. Secunda à pituita corrupta, non abſimilis Tiri ſerpentis, à quo nomen accepit, excoriationi. Tertia ex bile combuſta fit leonina calidior aliis, oris diſtinctionem terribilem tanquam faciem leonis efficiens. Quarta & vltima ab atra bili, quæ cum ægrotantium crura ad Elephantum ſpeciem tumeant, Elephantia dicitur. Quibus liquido patet, Elephantiæ duas eſſe ſpecies, ægritudinem ſcilicet pedum peculiarem, tum etiam Lepram, de qua Plinius & Celſus dixerunt: quia cum iſta complicantur, maculæ per totum corpus, oſſa corrumpuntur, & articuli decidunt. Ideoq; bene Galenus: Exeduntur ex ea manuum, pedumq; ſummæ partes. Quamobrem liquido patet, cum vnaquaque Elephantia, manuum, pedumque tumorem, articulorumque caſum complicari, ac alteram in cruribus & pedibus, alteram prope nares oriri. Non igitur recte morbum Gallicum Elephantiam dixerimus.

FRANCISCVS. Cogor autoritatibus, rationibuſq;, quas attuliſti mihi, omnino aſſentiri: Quo fit vt te facile patiar iſto modo diſſerentem.

ANDREAS. Atqui res maxima agitur, quæ pluribus indigeat autoritatibus: neq; mihi tantum tecum eſſe ſermonem iudico: volo igitur vt ſeſe efferant ij ſermones noſtri: quamobrem me pluribus ratiocinantem feras. Nunc vt ad rem redeam, Raſis libro diuiſionum: Quando ait, cum Elephantia magnificantur eminentia, non recipit curationem. Item Almanſoris nono: Hæc paſſio poſtquam inueterata fuerit, ad ſanitatem omnino redigi non poteſt. Cui aſtipulatur Auic. inquiens Elephantiam malignam eſſe, quæ parum ſaneſcit, & oportet, vt dimittatur cum diſpoſitione ſua. Quibus omnibus cum ſit comprobatum, inueteratum Elephantiacum nullis medicamentis ſaneſcere, liquido patet Gallicum ab hoc plurimum diſcrepare, vtpote qui tam vetus, quã recens à nobis recte curetur. FRAN. Confundis, me iudice, orationẽ, neq; poſſum recte coniicere, an de Elephantia Arabum, an Græcorum loquaris. ANDR. De vtraq; profecto mi Franciſce loquor: neq; Arabum, neq; Græcorum morbum Gallicũ eſſe Elephantiam puto. FRAN. Cur igitur Galenus vndecimo de ſimplici medicina, Cap. de carne, quem Elephantia iamdudum torſerat, hauſtu vini, in quo forte fortuna vipera quadam vitam cum morte commutauerat, diebus caniculæ curatum fuiſſe memoriæ prodidit, cum tu inueteratum Elephantiacũ nullis medicamentis ſaneſcere contendas? AND. Hoc totum nihil ad me: quippe quod aſſerit, prodigij loco habetur. Nam Galenus idem lib. ſecundo ad Glauconem videtur aliter ſentire, cum dicit: Viperas etiam decoctas ex oleo, ſale aſperſas modico perinde ac anguillas in cibum recte dabis: quæ morbi initio omnia tentabis: quippe inueteratam Elephantiam, radicibuſq; innixam, reprimes potius, quam curabis. Iterum VI. Aphor. Comment. 47. inquit, in altero Elephantem inchoantem, primo per Venæ ſectionem, & purgationem ſe curaſſe, & ſingulis deinde annis hunc purgaſſe vna tantum purgatione, qua tamen omiſſa ſtatim morbum rediuiuũ fuiſſe. Nos aũt pleroſq; à morbo Gallico, tum recenter contracto, tum cum malis pernicioſiſq; accidentibus inueterato curauimus, qui poſtquam conualuerunt purgatiuam potionem nunquam acceperunt, & iis tamen nequaquam morbi accidens aliquod rediuiuum fuit. Quo argumento iſtorum morborum differentia aperte conuincitur: Nec hoc tantum dixiſſe ſufficit: alia eſt addenda ratio, Galeni autoritate nixa, qui libro de tumoribus aſſerit, Elephantiam à melancholico ſanguine in atram bilem temporis interuallo conuerti, cuius os fœtidum argumentum fuerit, & horribilitas in vultu. Morbus igitur Gallicus cum à quocunq; humore defluat, & Elephantia ſit tan-

*ſit tantum ſanguinis melancholici, longe ab eo diuerſa comprobatur. Et quoniam præmiſimus medicorum multorum ſententia morbum, quem Gallicum dicunt cum pituita & atra bile tantum habere conſortia: propterea multi ab eiuſmodi morbo non emergunt: quippe quoniam ſanguineus humor aliter quam biliosus curatur, & diſcrepat in curatione pituita ab atra bili, vt inferius docebimus. Nam ſi biliosum & melancholicum iiſdem medicamentis quibus ſanguineum & quem pituita male habet curauerit, aggreſſi fuerimus, magis mortem quã valetudinem promittemus. Quod nonnullorũ Empiricorum vno pharmaco omnes homines curantium inſcitia ſiue dementia potius deprehenditur, teſte Galeno qui primo Aphoriſmorum ſic ait: Quod ſi aliorum humorum fiat euacuatio, & non eorum qui corpora noſtra moleſtant, contrarium euenit, neq; enim confert & grauiter ferunt. Quamobrem morborum cauſas altius inueſtigandas recte patet. Quod aſſerit idem Galenus primo Aphor. libro: Morbos ait inprimis maxima diligentia indagandos, quoniam ſi recte coniiciantur, quæ ſit adhibenda proprie medela facile coniiciemus.* FRAN. *Bene ſane & ex ſententia dixiſti: quo fit vt non poſſim iſtorum non deteſtari iudicium, qui nunquam ſe ſatis euaſiſſe vim morbi ducũt, niſi in Empiricorum manus inciderint, qui nullo diſcrimine ætatis, habitudinis, ſexus, eodem medicamento mortales curant, ſiue potius vrunt.* ANDR. *Quod mirum tibi non eſt abſurdum: nam & eiuſmodi hominum genus, ea promittunt ſe præſtaturos, quæ vnquam ne ſomniarunt quidem, nedum præſtiterint, paucis pecuniis conducti. Eſt etenim tanta morbi malitia, graueolentia, contagioſa vis, vt non iniuria medici, quorum exiſtimationem plurimi faciunt, id empiricis condonent, id eſt, tonſoribus, Iudæis, & circumforaneis pharmacopoiis, nihil omnino purgationis agnoſcentibus, præter vnam colocyntidem, quam vt filiolam ſemper amplexantur. Sed ad propoſitum reuertamur. Memoria teneo nonnullos me legiſſe, qui morbum Gallicum pituitæ tantum dixerint complicari, idque aſtruere non dubitarunt hoc argumento: Hominem quendam defunctum membratim inciderant, cuius iuncturis magna vis pituitæ ſuberat. Quod quamuis dederim fuiſſe, nihil eſt tamen, nam præmiſimus, cùm quouis humorum Gallicum morbum conglutinari. Huic igitur cum multa laboraſſet pituita viuens, quæ ſuapte natura ad iuncturas ſemper defluit, mortuo id eueniſſe non eſt mirum. Nam Galenus VI. Aphor. Semper, inquit, in articulis compagibuſque humor pituitoſus aceruatur quem mucronem appellant. Quod ſi dixiſſent, ex viginti inciſis eodem morbo confectis hæc omnib. apparuiſſe ſigna, ſatis apud me ponderis haberet. At ego dum eſſem Romæ à Sancti ſpiritus diuerſorio curationi ægrotantium conductus, mecumque eſſet Bernardinus Hiſpanus, Bartholomæuſque quem noueras, ad Xenodochium incurabilium ſancti Iacobi ſæpius acceſſimus, vbi multos morbo Gallico iam defunctos articulatim obtruncauimus, ex quibus pleroſque, nulla penitus iuuenta pituita deprehendimus. Sed vt procedat oratio, ſub idem fere tempus ligno, quod Indicum dicunt, iis prudentiores medici temere medebantur: quod meo iudicio, experientia magis quam ratione procedebat. Nam lignum, vt inferius explanabimus, bilioſis & melancholicis minime competit, cum ſanguineis & phlegmaticis maxime conueniat, Galeno VI. Aphor. ſic dicente: Carnes habentibus humidas famem adhibere conuenit, fames enim exiccat corpora. Vnde nec audiendi ſunt à Germania medici, qui morborum generibus fere cunctis, hoc ex aqua decocto medentur. Nam apud Germanos apprime ventri deditos, plerunque quod hoc curæ genus ſucceſſerit, non eſt mirum, cum cuncti eorum morbi fere ventris indulgentia eueniant. Verum quod ſupereſt videamus. Huic morbum ætate patrum, ſicut diximus, irrepſiſſe conſtat: nec miremur, cum ſæpe alias in aliis morbis idem vſu euenerit. Nam Plin. 26 hiſtoriæ natur. Capit. primo: ſenſit, inquit, & facies hominum nouos, omniq; æuo priore incognitos non Italiæ modo, verum & fere vniuerſæ Europæ morbos, tunc quoque, nec tota Italia, nec per Illyricum, Galliaſue, aut Hiſpanias magnopere vagatos. Celſus etiam ſæpe ait incidere genera morborum, quorum cauſa & natura ignorantur. Cæterum fons huiuſce mali ab hepate eſt, namque cum eo gradatim aſcenderit, omnes inficit humores, ſed magis atram bilem, & pituitam. Quod cum ita ſit, nunc nomen eius vnde primum defluxerit, differamus.*

Morbum Gallicum cum ſola pituita non complicari.

FRANCISCVS. *Iſtud abs te tacitus deſiderabam. Nam quamuis quæpiam ſupra dixeris, pluribus tamen verbis ſigillatim nomen explicandum videtur, vt cum vigilantiam patrum mirificam cognouerimus, qui nobis induſtria ſumma comparauerint hoc malum, quo nomine appellarint etiam non neſciamus.*

ANDREAS. *Iocaris tu quidem: ſed mehercule extra iocum hoc vnum ſcias, ante Caroli Francorum regis aduentum, nec morbum nouiſſe Italiam, nec nomen audiuiſſe: tunc primum Gallorum intemperantia, victorumque temeritate coniuncta ſuperbia, ſacra prophana iuxta habentium, hic morbus inuaſit: præſertimque cum per Campaniam populabundi vagarentur: nam (vt noſti à Salluſtio dictum) victoria non ſaltem inſolentes effert, verum etiam ſapientiores corrumpit. At eorum furor, vecordiaque proceſſit eo, vt non ab intactis, non à religioſis, non ab infectis iniuriæ vim abſtinerent, ſanæ infectæque mulierculæ iuxta habebantur, nihil ſibi officere poſſe ducentes: quæ eſt eius gentis mira ſuperbia, innataque vanitas. Forte fortuna dum mœchabantur inciderunt in quaſdam morbo confectas contagioſo, quem (vt par erat) contrahentes, nec à meretricibus abſtinentes tum in deterius prolabebantur, tum ſanas, quod deterius, inficiebant: inde vulgari morbus cæpit, vt veluti continens incendium prouincias totius orbis momento temporis inuaſerit. A Gallis igitur quoniam primum emerſerat, dici Gallicus iure is morbus ab omnibus eſt cæptus, præterquam, quod Galli nomen hoc patriæ infame non agnoſcentes, Parthenopeum à loco dixerunt. Porro quocunque nomine appelletur, coitu inprimis, & vnius lecti conſortio contagioſus, primum pene viris inficit colem, ſcrotum, & inguina infeſtat. Os autem vuluæ fœminarum quibuſdam cruſtis, & exulceratione, ſtatim corrumpit, ex quo grauis odor, & pus virulentum maxime, defluit, vt nares ſint propius accedentibus non immerito continendæ. Nam ſunt qui crediderint contrahi noxam non ſolum coitu, ac lectuli conſortio, verum etiam ſolo odore. Quibus refragatur Nicolaus Maſſa, nulla aliquando contagione Gallicum fieri ducens, ſed euenire ex affectis humoribus, aliiſque Cauſis nonnullis, vt febres, cæteræque ægritudines indies eueniunt: vnde non immerito ſibi videtur, quo magis ſuam aſtruat ſententiam, exempla puerorum non lactentium, quos ipſe curauerat, ne totum hoc ſcilicet lacti infecto aſcribatur, appoſuiſſe. Addidit etiam pleroſque hoc morbo affectos, quorum colem & ſcrotum neque puſtulæ, neque exulcerationes vnquam aggreſſæ ſunt. Quam ſententiam nos improbantes, aſſerimus duplici de cauſa fieri potuiſſe, tum quod materia non mordax primo iecur occulte ſerpens inuaſerit, inde diffuſa totum corpus ſæuis accidentibus corripuerit paruæ temporis intercapedine: nam ex ſubagitatione verendorum pori laxantur, & commode ingrediens inde virus hepar occupat, vt Conciliatori diffe. 177. de lepra differenti placuit: tum vero fieri potuiſſet, vt oſculo, complexuque, dum venerem exercerent, inhærentes, haud difficulter inficerentur. Nam mirum non eſt ex anhelitu poſſe quempiam noxam contrahere, ſi Plinio credimus qui libro 26. capit. primo ſic ſcribit de morbo lichene: Grauiſſimum ex his lichenas appellauere græco nomine: latine, quoniam à mento fere oriebatur, ioculari primum laſciuia, vt eſt procax natura multorum in alienis miſeriis, mox & vſurpato vocabulo Mentagram, occupantem in multis totos vtiq; vultus, oculis tantum immunibus, deſcendentẽ vero & in colla pectuſq; ac manus, fœdo cutis furfure. Non fuerat hæc lues apud maiores patreſque*

De Morbi Gallici contagione.

noſtri

beſtros & primum Tib. Claud. Cæſaris principatu medio irrepſit in Italia, quodam Perſino equite Romano quæſtorio ſcribæ, cum in Aſia apparuiſſet, inde contagionem eius importante. Nec ſenſere id malum fœminæ, aut ſeruitia, plebeſque humilis, & media, ſed proceres veloci tranſitu oſculi. Id ſi quis dederit paucis oſculis fieri potuiſſe, tanto magis continuo complexu, iugiq; oſculo dabit. Nam & pueri familiares et cognati deoſculantur, vlnis geſtant, ſecum habent: inde teneli, delicatique, tum pituita multa imbuti, contagioni ſunt obnoxij. Conſentaneum fuerit igitur morbum Gallicum ſola cõtagione per mortales graſſari. Nam Aſtronomorum apud me iamdudum eſt exploſa ſententia, qui conſtellationibus hoc totum tribuunt: quippe quoniam ſi vera dicerent, cum magis atq; magis indies inualeſcat hoc malum, neceſſe eſſet quoque quotidie fere eoſdem fieri ſtellarum concurſus, quod quàm conſentaneum ſit, ipſi viderint. Certe ſanctiſſimus ille vir Damaſcenus, quo cum libentius errauerim, quàm cum iis vera dixerim, in Aphoriſmis, ſic contra Mathematicorum ſententiam ſuperius enarratam teſtatur: Nulla res ſub cœleſti globo, vel circulo poſita, quocunque gradu mutetur circulus vltra reuocatur in æternum ad illud qualitatis, & quantitatis, in quo fuerit in ipſo circuli motu. Hæc ille. FRAN. Vere meo iudicio nonnulli morbum Gallicum non eſſe ægritudinem nouam aſſerentes à veritatis via penitus diuerterunt. Nam diebus elapſis, Aggregatoris cuiuſdam Lugdunenſis de Medica materia opus ad manus meas deuenit, quod dum lego, quædam de morbo Gallico oculis meis ſeſe offerunt. Quamobrem noui aliquid addiſcere deſiderans, quod de re ipſa ibi ſcriptum inueni, diligenter excerpſi. Omnibus igitur deinde perſcrutatis, maxime aberrare mihi videbatur: nam & Morbum Gallicum appellare Mentagram auſus eſt eadem Plinij autoritate, quam tu contra Maſſam adduxiſti. Nam ſi Mentagra (quod morbi genus Græci lichenas appellant) fœminas, ſeruos, plebemq; humilem, ac mediam non inuaſit, verum proceres tantum veloci tranſitu oſculi, Aggregator ipſe viderit, quomodo rectius dicatur Gallicus. Nam tempeſtate noſtra, nullis immunibus relictis, per mortales graſſatur. ANDR. Ingenue tu quidem, quamuis etiam alia ratione eius opinio confutari poſſit. Præmiſimus enim, Gallicum ſæpius in verendorum particulis oriri, at lichen, quoniam mentum inuaſerat, Mentagræ nomen ſibi vendicauerat. FRAN. Laurentium quendam Phriſium diebus iſtis offendi, qui Auguſto menſe præterito, de morbo Gallico ſuum opuſculum omnibus aperuit: quo fere tantum ſyderum aſpectibus morbum eueniſſe fatetur, ac deinde digeſtiuis, ſolutiuiſq; pharmacis non omiſſis, linimentis argento viuo carentibus iſtum pellere morbũ atteſtatur: quod quidem perpulchrum videtur, cum omnes fere Medici in Mercurium inuehant. ANDR. Hic etenim, quem aſſers, penitus ignorantia refertus dici par eſt, nec vna tantum veritas ab eo elici poteſt. Nam ea quæ ſcripſit, potius ſomnia, quàm experta dici poſſunt. Putat enim ſuis linimentis Gallicum morbum fugare, quo nil eſt deterius, quibus quidem pene leuis ſcabies curari poterit. Semel eius tantum perlegi librum, qui mihi poſtmodum tantam nauſeam euocauit, vt ipſum è domo noſtra perpetuo exulare decreuerim. Quod ſupereſt, ſicut arbores plerunq; ſolent primo vere frondeſcere, variiſq; florum generibus ornari, ita diuerſicoloribus puſtulis humanum corpus fœdabatur: quas ſi medicorum cura peruigil expulẽrat, denuo nihilominus repullulabant, ſine certo temporis interuallo continuis vlceribus diffundebantur, aut glandulas ſtantes & tubera ex ſe gignebant, aut oſſa penetrantes vitiabant: quanquam ſine his etiam ſuperiora nonnunquam ſiebant. Multi, quos morbus male habebat, noctu magis quam interdiu intolerabili frontis dolore, neruorum, compagumq; ac tibiarum diſtentione torquebantur. Nunc omnia ſe mitius habent, tum quod non ita morbus ſit noxius, tum quod iam à medicis vera monſtrentur huic excogitata remedia. Nam, vt in aphoriſmis Damaſcenis, ex mutatione ſtellarum in longitudinem & latitudinem vitia, & conſuetudines mutantur. FRAN. Satis quæ abs te primo loco petieram, explicaſti. Supereſt, vt de medicinis eius agamus. Attentum interea auditorem me præſtabo. ANDR. Fiat vt vis. Iam dudum morbum Gallicum ex quatuor humorum oriri aliquo tenes: aut enim in ſanguine, aut bile verſatur, aut pituita, aut cum atrabile commiſcetur. Quæ quatuor, quanquam inter ſe colligata, atq; implicita ſint genera, tamen ex ſingulis certæ medicamentorum ſpecies naſcuntur. Hæc omnia ſigillatim cum decreuerimus agere, latius declarabimus: tamen videtur altius quædam prius repetere conſentaneum.

Gallicum morbum non eſſe mentagram.

## Diuiſio Medicinæ.

Diuiditur Medicina in tres partes, cuius prima διαιτητική, ſecunda φαρμακευτική, tertia χειρουργική, à Græcis recte dicitur, ſecundum Celſum, ex Dioclis, Cariſtij, Praxagoræ, Herophili, Chryſippiq; ſententia, vt eſſet quæ victu, quæ medicamentis, quæ manu mederetur. Hæc in huiuſmodi curatione nobis omnia neceſſaria ſunt. Nam nequaquam meo quidem iudicio, recte curatur is qui maxima abſtinentia, longioribus medicamentis & ſolerti manuum cura morbo non oppugnauerit, quoniam vix ſupra dicta ſufficiunt. Sed quoniam quadrifariam, id eſt, per quatuor humores hunc diuiſimus, ſigillatim medicinas iis applicabimus.

## De morbo Gallico ſanguineo.

Morbus itaque Gallicus cruori admixtus ſine compaginum dolore, plerumque exulceratis pudendis, abſceſſus corporis, quæ Græci apoſtemata dicunt, interdum in dextro, nonnunquam in ſiniſtro inguine, aliquando vtrinque gignit: qui rubentes calidique, & nonnihil intumeſcentes, continuam febrem ſæpius gignunt. Nonnunquam per totum fere corpus, circa collum potiſſimum frontemve, puſtulæ ſubtumidæ rubeo colore ſubfuſæ ſolent emergere, oculi rubent, venæ intenduntur, præter conſuetudinem dulceſcit os, cætera membra torpent, à nona noctis ad tertiam diei horam maximum ingraueſcit, arteriæ ſiue pulſus concitatius mouentur, vrina vero ſubrufa admodum ſpiſſa deprehenditur: præſertimq; conſiderabis ætatem, corporis habitudinem, regionis tractum, animi tempeſtatem, præcedentem victum, & iis ſimilia. Quæ ſi ſanguinis dominium præ ſe tulerint, fies certior. Enimuero cum morbum miſceri cum ſanguine cognouerimus, triplici via curationi inſiſtemus, quippe diæta potioneque non omiſſa, per vnctiones, ſuffitusque primo loco tentabimus. Ligno vero ab Indis accerſito, quod Guaiacum dicimus, deinde: poſtremo aqua noſtra philoſophica curationem perficiemus: qui tamen modus medendi verboſius infra patebit, nunc alias curationes explanabimus. FRAN. Hoc abs te expeto. ANDREAS. Tacitus omnia citius audies. Aer primũ omnium ſit frigidus & ſiccus, hunc roſacea, plantaginis, acetoſæ aquis, aceto commixtis, ſuffitu præterea ſandalorum, camphoræ, myrtillorum, roſarumq; ſalubriorem reddes. Cibus ſit boni ſucci, id eſt, ex obſoniis bonum procreantibus, malum vero ſanguinem puriorem facientibus. Simila panis fermentatus, ſale conditus, diligenter in clibano toſtus. Carnes vitulinas affectus edat: hœdos non aſpernetur: pullos denique Gallinaceos appetat: aucupij omne genus ex montibus, pratis, & ſyluis petitum, præter coturnices, quibus (ſi Plinio credimus) ex veneno ſumitur cibus. Horum carnes tum aſſas, tum elixas, prout eius appetit ſtomachus, recte dabis tunditas amygdalis, medulla panis, acriq; vino. Ordei cremore, alica, tum pane intrito ex aqua vel carnium iure fruatur.

Victus ratio.

*tur. Iis adiici poteſt lac amygdalinum, aqua ex ordeo ſuccoq; malorum aureorum, quæ hodie Arancia dicimus, ſiue vino acri confectum. Quandoque piſces huic etiam conferunt parui, ſaxatiles, ſabuloſi, ex aceto elixi. Trunculi etiam, cum petiolis hœdorum, vitulorumque, ex vino punicorum malorum, & puſca decocti, congelatique, vt prouocetur appetitus, rectè dantur. Ex oleribus ſpinacia, borago, lactuca, intybus, lupulus, cicorea ſcariola, acetoſa, portulaca, cucurbita etiam ex vino acri, vel ſucco arantiorum condita. Legumina vero, lac, lacte confecta, bulborum omne genus, & obſonia pipere aſperſa, vt piper linguam adurentia, vitanda ſunt omnia. Fructus ferme omnes fugiat, præter pruna damaſcena. Pyra etiam & poma decocta, tollendæ nauſeæ gratia ſacchato aſperſa in cibum itidem non negauerim. Conferunt tamen cydonia prunis toſta, quippe quæ & ſtomachi exhalationes prohibeant, & concoctionem adiuuent. Quod ſi æger ſine febre fuerit, oua ſorbilia ex aqua decocta, cortice libera, cum acri ſucco dabis. Euenit plerunque, vt affectus oris exulceratione non mediocri cibum conficere non poſſit: huic pullorum gallinaceorum intritum, medulla panis addita, lac amygdalinum, & ius carnium imbecillarum, ex cyatho propinabis. Potio ſit vinum album, ſiue rubeum, lene, decocta aqua dilutum, ſiue berberorum, ſiue punicorum malorum ſuccus. Quod ſi poſt hanc ſiti male torquebitur, ℞. tamarindorum, prunorum damaſcenorum, ſebeſten, ordei, florum lupulorum, ſem. quatuor frigidorum maiorum, ſingulorum vnciam florum violarum manipulum. Hæc omnia in aqua libris decem coquantur ad quartam, poſt hæc exprimantur, expreſſioniq; ſucci citri, vini granatorum, vini berberorum ſingulorum vnc. j. ß. addantur, & fiat cum ſacchato potio longa. At ſi pituitæ innatant, quæ confecerit ſtomacho, tunc is illinatur oleo cydoniorum malorum, nardino, ac etiam maſtichino. Sex horis, aut ad ſummum ſeptem, per noctem dormiat. Die vero, ſi fieri poteſt, ſomno abſtineat. Pilæ ludus ante prandium per horam hunc exerceat: deambulatio ſit concitatior vſque ad ſudorem, quippe quoniam curationi morbi Gallici exercitatio plurimum confert. Bis die cibum capiat: à prandio ſeptem horarum decurſo ſpacio, exilior ſit cœna. Pro viribus triſtitiam expuat ægrotus, & lætitiam complectatur.* FRAN. *Quid tandem cauſſæ eſſe dicam, quamobrem medicamentorum pondera, etiam iuxta præſcripta antiquorum, præſertimq; Cornelij Celſi quē ſemper in manibus habes, quem tantopere miraris, & pro viribus æmularis alioqui, non dirigas?* ANDR. *Quaſi vero è media ſuburra ſermones noſtros expectes: non eſt ita. Hæc enim quamuis tecum agam, Conſentinis tamen & Brutiis Luciliano more arbitramur eloqui. Pingui igitur (vt aiunt) Minerua: cum præſertim ſi volueris nimis obſoleta, quæ tu requiris, denuo in lucem proferre, miræ non obſcuritates modo, ſed tenebræ etiam ſint ſecuturæ. Nam quibus vulgo medici nominibus iis componendis vtuntur, & nos vti quis vetat? Sed nos ad propoſitum. Iis ita ſe habentibus, vrina ſi erit admixtione bilioſa, non admodum ſpiſſa, ante venæ inciſionem, accipiat pro alui lenitione floris caſſiæ drachmas 10. ſiue electuarij lenitiui tantundem: ſi fuerit ſpiſſior, & ſubruſſa, violarum, maluarū betæ, mercurialis, ſingulorū accipiatur manipulus, & ex aquæ tribus libris omnia decoquantur, & per clyſterē infundantur, quibus additæ prius fuerint caſſiæ cribratæ drach. 10. olei violacei vnc. ij. ſacchari rubei vnciola, ouique vitellus. Clyſtere deinde reddito, ex vena hepatis quantum ſufficit ſanguinis extrahatur.* FRAN. *Quæſo me interpellantem ſuſtineas, quippe nunquam ſatis attendi, quis modus ſit mittendo ſanguini, quis cruor ſyncerus, quis infectus. Nam ſi Cornelio credimus, craſſus & niger vitioſus, pellucens autem & rubens eſt integer: idemq; præcipit tamdiu ſanguinem mittendum, quoad is pellucere incipiat: Sed vereor vt noſtrorum corporum imbecillitas ferre poſſit: quamobrem hæc abs te diſſeri latius velim.* ANDR. *Mos geratur. Recte quidem Cornelius Celſus: nam ſi fuerit niger ſanguis & craſſus, donec colorem immutauerit, recte mittetur. Quod ſi diutius idem perſeuerauerit, ſupprimendus eſt, ne patientis deficiat anima. Nam dicit hæc Auerrois vij. colliget, cap. de cura ſynochæ: Ars imitatur naturam, ſed ipſa nunquam in laudabili criſi vſq; ad ſyncopen euacuat. Propterea clinicus chirurgo mittendo ſanguini ſemper aſſiſtat, ne haſitatione timidius demittentis ſcalpellum fiat, vt ſumma cute tantum lacerata exiliat ſanguis ſubtilior, ſubſidatq; craſſior. Ad hæc illud accedit, quod ſi pelluceat, eſt ſtatim ſupprimendus, etiam præter quod iuſſerit abſens medicus. Nam operarij chirurgi non recte agunt, qui à mandatis ne tranſuerſum quidem vnguem nunquam audent aberrare ſua ignorantia haud ſanguinem agnoſcentes. Nam Hippocratem ij quidem non attendunt primo Aphor. dicentem: Et vaſorum inanitio ſi talis fiat, qualis fieri debet, & confert, & bene tolerant: ſin minus, contra. Hinc deterior habitudo, medicorum dedecus, & ægrotantium mors. Si vero ætas, & vis corporis, eiuſmodi venarum inciſionem tergiuerſantur, cucurbitulas (cute prius inciſa) ſcapulis & clunibus admouebimus. Cæterum, vt materia digeratur, qua plerunq; ſanguis putreſcit, hic ſyrupus rectè ſepties propinetur qui conficitur ex rheubarbari electi drach. ij. florum violarum, boraginis, bugloſſæ, capillorum Veneris, lupulorum, radicum intybi, ſingulorum manipulo, ordei ſemuncia, ſeminum com. frigid. minorum. ſing. drach. ij. tamarindorum, prunorum, ſebeſten, ſingulorum drach. vj. Contundantur ſic omnia leniter, macerenturq; ex aqua fumiterræ, lupulorum, & intybi, triduum deinde bulliant ad decoctionem quartæ partis, tum colentur, & prælo diligenter exprimantur: cremori ſacchari quantum ſufficit addatur, poſtea defecentur, & fiant ſyrupi ſeptem, qui plurimum iecinori conferunt. Quod ſi impendio voluerimus parcere, ℞. ſyrupi de cicorea compoſiti, de fumoterræ, roſati, ſingulorum vnc. ij. ß. aquarum lupulorum, intybi, fumiterræ, ſingulorum vnc. v. & fiant ſyrupi ſeptē. Qui etiam ſic fieri poſſunt: ℞. ſyrupi de ſucco citri, de lupulis de fumoterræ, de ſucco intybi, ſingulorum vnc. ij. aquarū portulacæ, intybi, lupulorum, violarum ſingularū vnc. v. Digeſta materia hoc potu ſecurius euacuari poterit. ℞ electuarij lenitiui drach. iij. de ſucco roſarum, de pſyllio, ſingulorum drach. ij. ſyrupi roſati ſolutiui vnc. j. ß. & cum decocto florū, & fructuum cordialium fiat potus. Vel ſic: ℞. Mannæ electæ vnc. ij. diſſoluantur ex decocto, florum & fructuum cordialiū, & indantur diacatholiconis drach. iiij. ß. electuarij roſati Meſ. drach. iij. ſyrupi de cicorea cōpoſiti vnciola, & fiat potus. Vel ſic: ℞ Rheubarbari electi drach. ij. ſpicænardi dimidium ſcrupuli, nocte vna macerentur ex aquis lupulorum & intyborum, accedatq; pauxillum vini aromatici albi: deinde facta vehementi expreſſioni mannæ maſtichinæ vnc. ij. ß. addātur: diacatholiconis præterea, electuarij de ſebeſtē ſol. ſing. drach. de pſyllio drach. j. ſyrupi violati vnc. ij. & fiat potus. Ægro ſic perpurgato cucurbitulæ, quæ ſanguinem inter cutem exhauriant, ferro prius ſcarificata cute conueniunt: iuxta illud Gal. cap. de hirudinum curatione, & cucurbitulis: Eæ, inquit, purgatis prius corporibus vtiles quidem, ſed in repletis (quæ plethorica Græci vocant) prætermittendæ ſunt: debent itaque ſcapulis apponi vtrinq; prope ſpinam, natibus, & fœminibus. Poſtremo die cubiculo ſe contineat æger.* FRAN. *Quid tu? Quantum video, ægro pro ægroto pro libidine vteris: quod ſi reſciuerit Grammaticorum turba, tanquam Iudæi cogent te in verba ſua iurare: namque præcipiunt ac iubent, ægrotum corpore affectum dici debere: ægrum vero cuius animus ſit perturbatus.* ANDR. *Quaſi tu ſis ex Grammaticis vnus, ita videris eorum partes ſuſcipere. Quod ſi mihi ſtomachum feceris, adducam vel ſexcenta in te poetarum teſtimonia: quibus ſi minus credideris, Ciceronem citabo. quid hoc? credis tibi cum imperatis rem eſſe? Sed vno ero contentus, ne tibi multitudine verborum ſim moleſtior. Virg. lib. III. Æneid. Aut ægra trahebantur corpora. Quem teſtem ſi tanquam poetam repudiaueris, Cic. in familiaribus ad Patum: Statueram ægro tibi quidem parcere, cum ſcilicet Patus Po-*

*dagra*

*dagra laboraſſet.* FRAN. *Perge qua cæpiſti.* ANDR. *Quieſcat igitur æger in lecto. Lotus, quo cubat, eodem ſuffitu, quem ſuperius expoſuimus, foueatur, ſemelq́; vel bis ad ſummum quotidie pro viribus iſto linimento tibiæ, dorſum, & brachia inungantur. Recipe vnguenti roſacei, Meſ. vnguenti triapharmaci in mortario plumbi ex oleo, & aceto roſato ſubacti, ſingulorum libram, mercurij extincti vnc. vj ſublimati drach. ij. camphoræ drach. ß. & fiat in mortario linimentum. Siue, Recipe adipis porcini, butyri recentis, ſing. lib. liqueſiant omnia lento igne, ex aceto poſt modum & aqua roſarum cum plantagine ſpatbula lignea vnius horæ momento ſubagitentur. Deinde eiectis aquis, & aceto, addantur vnguenti triapharmaci (ebullito prius lithargyro ex aceto) vnc. vj. vnguenti ſandalini vnc. iiij. mercurij extincti vnc. viij. camphoræ ſcrup. ij. & fiat vnctio. Quam ſi efficaciorem volueris, ſic efficies. Recipe vnguenti roſacei Meſ. libræ pondo, butyri recentis vnc. vj. vnguenti triapharmaci ſuperioris vnc. iiij. ſandalini vnc. ij. ſaponis nigri vnc. vj. olei amygdalini dulcis vnc. ij. mercurij extincti vnc. vij ſublimati drach. ij. ſucci braſsicarum, ſcabioſæ, fumiterræ, ſingulorum drach. iiij. & conficiatur in mortario linimentum. Porro haud ſis inſciens, patientem tantiſper ſuperioribus vnctionibus inungi debere, quoad putauerimus omnino materiam conſumptam. Quod cum ita ſit, dierum numero diffinire qui poſſumus? Signa tamen certiſsima dabimus, quibus certo ſcias, illinitum ſatis: cum dentes dolent, os exulceratur, lingua intumeſcit, dolores medicamentis cedunt, diſtentio neruorum deficit, & totum corpus laſſatur, ſatis illeuiuimus: quibus perceptis, cibo ſuperius dicto, potuq́; liberalius affectum fouebimus, quod tamen ad peritioris medici aſsiſtentis ſententiam reiicio. Interea ſi cor ægri deficere videbitur, hoc remedio obuiam ibis. Recipe aquæ roſaceæ, violaceæ, buglossæ, boraginis, acetoſæ, meliſſæ, ſingularum vnciam, aceti roſati, vini malorum punicorum, ſingul. ſemunciam, pulueris cordialis temperati drachmā, croci ſcrupulum, & fiat Cataplaſma cordi applicandum. Sed euenit ex huiuſmodi vnctionibus, propter humorem qui ex toto corpore ad os redundat, vt fauces exaſperentur, guttur, exulceretur, & gingiuæ male habeant, tametſi ſanguineis minus id fiat. Primis igitur diebus id diligenter per os eiiciatur: nam ſi malignitatem peccantis materiæ retinuerit æger, nunquam ſaneſcet. Colluat ergo os aqua ex ordeo, melle roſaceo admixto, ſiue aqua ordeacea, & diamorone, ſiue aqua intybi, & ſyrupo roſaceo. Sed ſi dolor cum rubore, & inflammatione non mediocri circa guttur ægrum male torſerit, lacte caprino, in quo ex igne candens chalybs deferbuerit, fiat gargariſatio: nam mirificè dolorem ſedat, ac incendium extinguit. A ſeptima die ſyrupo roſaceo cum aqua plantaginis, lactucaq́;, totum os foueat. Mundabimus, & ad cicatricem perducemus exulcerationes, ex aqua plantaginis, admixto melle roſaceo, & alumine. Poſtremo poteris idem perficere gargariſſatione tali. ℞. aquæ fabrilis l.b vij. plantaginis vini cidoniorum malorum, ſing. vnc. iij. balauſtiarum, myrtillorum, ſumach. roſarum, ſing. manipulum, caudæ equinæ manip. ij. aluminis vnciam: & bulliant hæc ad tertiæ partis conſumptionem poſt coleutur, & addantur diamoronis, mellis roſacei, ſingulorū vnc. ij. & fiat gargariſſatio. Quib. remediis ſi morbi malignitas nequaquā parebit, ſcapulis & natibus, inciſa cute, per cucurbitulas materiam diuertes: quin etiam ſi neceſſitas compulerit ex vena capitis, ſiue brachij, protinus ſanguis mittatur.* FRAN. *Bene ſane, & ex vſu ægrotantium gargariſſationes addidiſti, quibus exulceratum guttur & os ſaneſceret. Empiricorum etenim turba cum ſibi traditum perunxerint, faucibus ilico morbos emergentes nullis medicamentis diſcutiunt: quorum inſcitia plerumque euenit, vt momento temporis edentuli penitus fiant.* AND. *Hoc nihil eſt: vidimus enim multos edentulos, inſuper lientericis, dyſentericis paſsionibus miris iugiter male torqueri, quibus etiam ſuccubuerint: quamuis non negauerimus, hæc ſi in corpore athletico fiant, corrigi ſtatim recte non debere, inde enim ſæpe ſequitur perfecta ſalus in validis: at exiliori cibos valentes ſæpius vnoquoque die recte dabis, vinumque rubeum dilutum fabrili aqua propinabis, ſtomachum & aluum oleo cotonei mali, roſaceo, myrtillo, nardino, ſpinaq́; hircino ceruinove adipe perunges: lac præterea chalybeatum, ſiue ius capitis veruecini, addito melle, & oleo roſaceo, adipeque hircino per clyſterē infundes. Quod ſi caſus eiuſmodi deſperationi proximus fuerit, athanaſiam, vel Philonium affectus bibat. Somni præterea difficultas vim maxime deprimit. Sic igitur affectis, ex ſemine papaueris contrito lactucaq́;, aqua cremorem in potum recte dabis. Accedet temporibus & brachiis ſpongia, ex collyrio eiuſmodi ℞. vini cretici cyathum mediū ſucci hyoſcyami vnc. ij. croci eliſci drachmā, quæ ſubigātur in vnū corpus omnia: rectius tamen ex eo ſpongiam naribus appoſueris. Cæterum donec laborauerit, nec culcitras, nec veſtes in quibus cubuerit vnquam mutaueris. At ſi nihil venter excreuerit, per clyſteres lenitiuos aluus ducatur. In priſtinam ſanitatē redactus æger, hac lotione calida totum ſibi corpus lauet. ℞. vini albi odoriferi ℔ 10. lixiuij ℔. 5. roſarum, myrtillorum, camomillæ, florum ſalicis ſing. m ij quæ decoquantur ad tertiam. Deinde ſtrigilibus puris bene ſiccatum, per illam diem conquieſcere iubebis. Eidem gallinaceis pullis, & carnibus boni ſucci, vires priſtinas paruo temporis interuallo reuocabis. Solet plerunq́; medendi genus hoc, morbum Gallicum non ſolum recenter contractum verumetiam inueteratum diſcutere. Sed quoniam nonnunquam vlcera putrida, exciſa, carcinomati proxima, quæq́; ſerpunt more phthiriaſis, morbum Gallicum ſequuntur, cum eo etiam vt oſſa vitientur, manus operā male affectus etiam deſiderat, ſine qua fruſtra remedia omnia tentabimus. Quam ne deſideres, multis in calce tractabimus.*

## De biliosſo morbo Gallico.

*IAm ſatis de morbo Gallico ſanguineæ qualitatis dictū puto, reliquū eſt, vt agamus de bilioſo, qui cū pudenda cuiuſpiam inuaſerit, vlcere ſtatim virulento ſerpenti, carioſo, cum rubore & inflammatione nō mediocri debacchatur. Puſtulæ ſe exterius ingerentes, citreū colorē referunt. Pus fertur ex his fœtidū, admixta ſanie citrina, virulentaq́; Accedit pruritus, dolorq́;, qui nō mediocriter affectum pungit. Frons à dextro tempore, magis quam ſiniſtro, à tertia potiſsimū ad nonam diei horā, ſummo tentatur dolore. Guttur vt plurimū tumet eriſypelate. Nonnunquā vero is morbo in Phthiriaſim cōmutato, adeo palatū male habet, vt cibus & potus per nares aſcendendo defluat: macies totū inficit corpus, fiuntq́; tabificis haud diſsimiles: vultus & oculorū albū, croceum contrahunt colorē: accedit febricula quæ tertianæ tenorē, ſiue ethicæ modū referens ſolet affectos exercere: at vrina ad citrinū tendit. Brachij vena pulſu veloci frequentior & dura deprehenditur. Amaror & ſiccitas mira ineſt ori. Quod ſi corporis habitudo præcedens, victus, ætas, regio, & tempeſtas anni concurrerint, materiam bilioſam facile cōucere poteris. Porro curatio morbi prædicti ad frigidū & humidum tendentia poſtulat, quæ ne tibi multitudine verborū ſim moleſtior, prætermitto.* FRAN. *Non adeo ſimplicium medicinæ rerum ſum expers, vt quæ morbo iſto bilioſo in regimine victus, ac ſex rerū non naturalium cōueniant, facile non agnoſcā: nam & multa, imo fere cuncta, quæ ſanguineo conferre hodie mecū es collocutus, huic etiam adhiberi poſſunt. Perge igitur recto tramite.* ANDR. *Bene profecto. Igitur cum bilem deprehenderis, medicamentum quod leniat huiuſmodi poteris conficere. ℞. florū Caſsiæ vnciā, elect. lenitiui. de ſebeſten ſol. ſingul. drach. j. addatur iis ſacch. & in troch. redigantur. Vel ſi delicatius per potionē volueris agere, ℞. ſyrupi roſ. ſolutiui vnc. iij. mānæ elect. vnc. j ß. aquæ violarū vnc. ij & fiat potio. Si vrina ſpiſsior feretur, hepatica vena vtiliter ſcindetur, eo modo quo ſup. At ſi tenuior pro libidine ſanguinis miſsionē poteris prætermittere, quāuis*

per

*per vrinam non poſſimus id recte iudicare. Nam quoſdam bilioſos curaui, quibus etſi ſubtilior vrina, tamen craſſus ſanguis, & niger facta inciſione ferebatur. Non igitur fuerit abſurdum fortaſſe ſemper iis ſic affectis ſanguinem mittere, cum, teſte Auicenna, phlebotomia ſit euacuatio vniuerſalis. Nam ſanguinem bonum ſtatim ſupprimemus, infectum vero tandiu ſinemus defluere, quandiu eundem retinuerit colorem. Quod atteſtatur* Albucaſis Cap. *de vtilitate phlebotomiæ, dicens: Nam ſanguis ſi eſt niger, tunc dimitte ipſum exire, donec rubeat: & ſimiliter ſi vides ipſum groſſum, tunc dimitte eum, donec ſubtilietur: & ſimiliter ſi eſt acutus, donec auferatur acuitas eius. Hæc ille. Poſt venarum inciſionem, vt materia concoquatur, quinquies vel potius ſepties ſyrupus hauriatur. Recipe ſcariolæ, intybi, cicoreæ, lactucæ, portulacæ, acetoſæ florum violarum, ſing. manip. j. ß. ſeminum com frigid. ma. vnciam, rheubarbari electi ſcrup. ij. radicum centaureæ maioris ſcrup. ij. ſpicæ grana tria, ſeminis papaueris albi, floris nenupharis ſing. drach. ij. ß. ſandalorũ omnium ſcrup. iiij. contundantur vna rheubarbarum, ſpica, radices, ſemina ſandaliq; in aqua libræ vnius ponderis, intybi, & fumiterræ, & lupulorum, per dies continuos tres macerentur poſtmodum ex libris tribus aquæ ordeaceæ, & libra vini malorum punicorum, cum prædictis herbis, ad mediam concoquantur. Addantur iis flores ad finem fere decoctionis, poſtea colentur, & exprimantur prælo, expreſſioni ſacchari vnc viij. addantur, inde ſint ſyrupi vij. Vel ℞. ſyrupi acetoſi ſimplicis. ſyrup roſarum ex infuſione, ſyrupi de fumoterræ, ſingulorum, vnc. ij. ß. aquarum intybi. acetoſæ, lupulorum, fumiterræ, ſing. vnc. vj. miſceantur hæc omnia, fiantq; ſyrupi vij. Qui ſic etiam fieri poſſunt: ℞. ſyrupi de acetoſitate citri, de ſucco intybi, oxyſacchara, ſing. vnc. iij. violati. vnc. ij. aquarum cicoreæ, intybi, portulacæ, fumiterræ lactucæ ſingul. vnc. v. & fiant ſyrupi vij. Enimvero cognoſcens materiam iam digeſtam, ℞. ſeminum quatuor com frigidorum mai. ſing. drach. ij. ſeminis papaueris albi drach. iij. Contuſis deinde in mortario lapideo ex vnciis duabus aquæ egelidæ intybi, & fumiterræ, exprimas cremorem, cui ſyrupi roſacei ſolutiui vnc. ij. Electuarij roſ. Meſ. diacatholiconis, ſing. drach. iij. addes, quam potionem affecto propinabis. Vel, ℞. diacatholiconis drach. ij. elec. de pſyllio. confectionis Hamech. ſing. drach. ij. ß. & cum infuſione drach. j. rheubarbari præparati ex aqua intybi. & fumiterræ: fiat potus. Sic aliter fieri poteſt. ℞. ſyrupi roſacei ſolutiui, ſy. de cicorea compoſiti, mannæ electæ ſing. vnciam, elect. lenitiui drach. iij. de ſucco roſarum drach. ij. ß. rheubarbari ſubtiliter puluer iſati drach. mediam. ſpicæ gra. ij. & cum decoctione florum, & fructuum cordialium, fiat potio longa. Reliqua poteris ſuperioribus recte conijcere. Cæterum tibiæ, tum cætera corporis compagines hoc vnguento illiniantur: ℞. vnguẽti roſacei Meſ. libram, ex aquis florũ pomorum heſperidum, quæ hodie arancia vocant, ſiue florum myrti, roſarumq; damaſcenorum, ſing. quantum ſufficit. Hæc ſpathula lignea per horam ſubagitabis, poſtremo proiectis aquis, in mortario marmoreo, pomatæ tum odoriferæ, tum recentis vnc. vj. ſaponis damaſceni odoriferi minutim inciſi vnc. ij. vnguẽti triapharmaci ex oleo roſaceo omphacino, & aceto roſato vnc. iiij. muſci ex aqua roſacea ſcrup. ſemis, camphoræ ſcrup. ij. pulueris cypri drach. iij. mercurij extincti vnc. vj. ſublimati drach. iij. ſandalorum alborum drach. j. adiectis in vnguentum rediges. Si vero pauperibus conſulere volueris, ℞. axungiæ porcinæ libram, butyri recentis vnc. ij. liqueſiant ſimul ad ignem, ex aqua poſtea ſolatri. portulacæ. ſemperuiuæ, & aceto roſato, ex vaſe fictili ligneo baculo ſubagitentur, dehinc proiectis aquis, addantur vnguenti triapharmaci ſuperius dicti vnc. iiij. cerusæ lotæ vncia, mercurii extincti vnc. v. ſublimati drach. ij. & fiat diligenter linimentum Reliqua ſuperius diximus. Hoc etiam morbi Gallici contractam recenter noxam, ſine vnctionibus diſcuties. ℞. aquæ roſarum lib. ij. plantaginis. ſolatri, ſing. lib. j. ß. vini granatorum. ſucci vuæ acerbæ, ſingulorum lib. ß. aquarum ſcabioſæ, fumiterræ, ſing. vncias tres. mercurii ſublimati vnc. ij. Mercurius in puluerem tenuiſſimum redactus, prædictis aquis maceretur: Hæc deinde omnia ex vaſe vitreo, igni ſuccenſo ferueant, non alio mehercule pacto, quam decocta aqua ex ordeo fieri ſolet. Hoc quidem egelido omnes corporis compages lauentur, brachiaq; cum tibiis, à genu, & à cubito, donec dolores cum cæteris euaneſcant. Diebus lotionis e cubiculo pedem male affectus non efferat, ſed caueat omnia perinde ac ſi inungeretur. Hinc etiam quæ præmiſimus accidere ſolent, oris ſcilicet vlceratio, defectus animæ, ventris deductio, ſomni difficultas: quibus omnibus quo pacto fuerit occurrendum declarauimus. Enimuero non ab re fuiſſet oſtendere, quantum hoc morbo affectis inuehat detrimenti curatio per lignum, quod ſuperius declarauimus, præſertim ſi Gallicus is macie affectus fuerit, niſi id inferius aſſerere decreuiſſem.*

FRAN. *Satis ſuperq; te diſſerentem de ſanguinis, bilisq; qualitate, tulimus: quamobrem iam pituita ſe ingerat.*

## De morbo Gallico pituitoſo.

ANDR. *Omnibus igitur ægrotantibus, quos pituita male habet, rarius puſtulæ per totum corpus emergunt, niſi fortaſſe ſanguinis aliquid adiectum fuerit: quia pituitæ natura (vt dixit* Gal. 6. Aphor.) *ad iuncturas potiſſimum decurrit: vnde omnium non ſolum iuncturarum, verum etiam articulorum intolerandi dolores fiunt, qui occiput potiſſimum tibiasq; male habent, noctu magis quam interdiu, id eſt, à tertia hora noctis, ad nonam potiſſimum torquentur. Horror eſt in capite, cæteriſq; membris: at cum materia ſalſior accedit, tota inguina, cum coleis, vultumque, tum volas manuum, pedumque, impetigo arripit. Quod ſi cum ſanguine complicatur, vt plerumque vidimus, circa collum, gulamque, ſub alis, inguinibus, & pedum compagibus quædam glandulæ ſtrumis haud diſſimiles emergunt, os albeſcit, ſenſus obtunduntur, bucca multo fluore inſulſo, acri, nonnunquam ſalſo redundat, nares mucoſæ, ſtomachus male concoquit, vrina alba, ſpiſſaque fertur, vena ſubſidit. Quod ſi corpus, ætas, cæteraq; eiuſmodi à pituita fuerint, morbum admixtum eſſe phlegmati conicies. Requiritur huic ergo curationi primo loco ſex rerum non naturalium regula ad ſiccum & calidum declinans. Cubiculum ſit meridiano. ſiue exorienti ſoli expoſitum, cuius aër, præter æſtatem, quotidie bonis odoribus ſuffiatur. Nec abſurdum fuerit hæc omnia in pilam redacta per hyemem manibus affectum geſtare. ℞. ladani electi vnciam, ligni aloes ℥. ß. ambræ ℈ ß. galliæ muſcatæ, ſtyracis Calamitæ, bẽzuin, ſing. ℥. ij. ß. ſerpilli, amaraci, ſatureiæ, ſing. ℈. ij quæ terantur omnia, & ex aqua lauendulæ in pilam ſubigantur. Cum vero inedia, teſte Damaſceno, Celſoque, medicina potiſſimum nitatur, de ea primum erit ſermo. Nec diuerſis cibis pro libidine vti decet affectum, neque nimia inedia torqueri: nam Auicenna primo Can. fen. iij. cap. vij. nihil deterius eſſe ait, quam diuerſa nutrientia ſimul adiungere, & cibi ſumendi tempus prorogare, nec cum ſumpſeris poſtremũ, primus iam incipiat concoqui cibus. Hæc ille. Nos enim in primis præcipimus famis tempus ſemper expectandum, cum eo tamen, ne deſiderium cibi nimis vrgeat: quoniam, teſte Principe, loco quo ſupra, inedia nimia ſtomachum malis humoribus inficit, & imbuit. Panis ſit ab omni mixtione, grauitate, humiditate, aſperitate, graueolentiave ſequeſtratus, ideo iubemus fieri ex farina pura boni tritici, & quod ſit fermentatus, bene coctus, biduanus, triduanus, quatriduanus, & ſale mediocriter conditus: neque recoctus ab re fuerit, quem, cum de ligno Guaiaco tractabimus, paucis abſoluemus, niſi fortaſſe ventris nimia ſubductio obſtiterit. Carnes edat vitulinas, hædinas, veruccinas: agninas vero fugiat, quod pituitoſum ſanguinem reddant. Nec à venatione abſtineat, vtpote cum damæ, hinnuli, lepuſculi, maxime ſint ex vſu. Nec aucupium ſpernat. nam perdices, porphyriones, attagena,*

*Attagenæ, phaſianæ, turdi, ficedulæ palumbuli, merulæ conferunt: quamuis grues, anates, anſeres, querquedulæ, aucupijq; omne genus in ſtagnis, & paludibus degentis noceant. In cibus etiam caueat piſces, quoniam teſte Principe comedendi non ſunt, quod facillime corrumpantur, & humores corrumpant, & pituitam gignant, præſertim poſt exercitium. Oua etiam recentia ex iuſculo ſumpta proficiunt, ſicut abhorrent eadem frixa, duraque. Lac, lacteque confecta fugiat. Ex leguminibus cicerum decocto tantum perfruatur additis amaraci, menthæque foliis. Ex oleribus petroſelino, fœniculo, ſerpyllo ſaluia, mentha, roermarino, meliſſa, amaraco, tanaceto, ſatureia, arthemiſia, origano, calamento, pulegio, & ſi qua alia calida fuerint. Ex radicibus baucia, paſtinacæ, radices petroſelini, fœniculi, recte in cibum ſumūtur. Allium, cæpas, bulborum omne genus, radiculam, raphanum, erucam, ſinapi, quod inflent & innatent ſtomacho, & ſanguinem adurant, fugiat. Ex iuſculis amygdalarum, panem decoctum ex iure carnium conducentium, dare poteris. Ex fructibus conferunt palmulæ, ficus, nuclei pinei, piſtacia, amygdala, cydonia decocta, additis fœniculo, & coriandro: ſiccati poma, pyra, chryſomela, ceraſa, cum ſint humiditatis & frigiditatis maximæ, non mediocre his inferunt nocumentum. Ex conditis myrobolani chebuli, cortices citri, gingiber, hyringi, & acori radix nux myriſtica, cubebæ, carpobalſamum, crocus, lignum aloes. Vtatur in potu vino albo, ſiue ſubrubeo leni, iuxta illud Auicennæ primo Can. cap. de eo quod comeditur & bibitur, qui ſic: Scias etiam quod ex vinis illud eſt melius, quod inter vetuſtatem & nouitatem eſt æquale, & quod ad rubedinem trahit, bonum habens odorem, æqualis ſaporis, & quod non eſt acre, neque dulce: dulcia enim ad faciendas oppilationes ſunt velocia, quoniam natura attrahit ea, antequam digerantur. Nec poſt cibum hoc bibendum eſt, quia eſt ex rebus magis impedientibus concoctionem, quoniam digeritur velociter, & facit penetrare cibum indigeſtum, & facit hereditare oppilationes, & putrefactiones. Quod ſi Gallicum ſitis male habuerit, is poſt cibum talem potionem pitiſſet. ℞. ligni aloes ℈ ij. cinnamomi ℈ j. coriandrorum præparatorum ℥ iij. iuiubarum, ſebeſten ſingulorū ℥. liquiritiæ raſæ ℥ j florum cordialium m. j. Hæc omnia ex aqua librarum decem ponderis, vſq; ad tertiam concoquantur, inde colentur, & addantur ſacchari ℥. vj. & fiat iuleb longum. Nec audiendi ſunt noſtrates Empirici, qui quoties ægrotu viſum fuerit, vinum rubeum, nec minus album ſubauſterum iiſdem propinant: ſed ſuæ ſententiæ rationem videant. Nobis vero qui traditus eſt æger, nec nimium cibo repleri debet, nec nimium fame torqueri, teſte Hippoc. Aphor. II. ſic aſſerente: Non ſatietas, non fames, nec aliquid quicquam quod modum naturæ exceſſerit. Galeno quoque aſtipulante primo de regimine ſanitatis, qui, Duæ, ait, ſunt intentiones ſanatiuæ diætæ, vna ſcilicet repletio euacuatorum, altera vero euacuatio ſuperfluitatis. Magna igitur cum diligentia horum affectibus ſuccurrendum cenſeo, quamobrem ſi maior appetitus extiterit, quam pro viribus ſtomachi, adhuc etiam fameſcentibus cibo finis eſt imponendus, vt intemperantia comedentis à cibo, neque venarum pulſus inualeſcat, neque ſpiritus difficulter reddatur. Nec edendum prius, quam bene concoctum fuerit: id enim ſeptem horarum interuallo plerunque fit. Porro cibus niſi leuitas inteſtinorum acceſſerit, ſit liquidior. Si quis debilitate ſtomachi bis quotidie comedere ſat non habet, proportione tribus vicibus voret. Prandium ſit prolixius quam cœna. A ſomno ſurgentibus ſuperfluitates corporis expellantur. Lauentur manus, & facies, ex aqua ſalviæ, primulæ veris, amaraci, lauendulæ, ſiue vino odorifero. Corrigatur alui nimia ſubductio, clyſteribus lenientibus, & balanis ex melle confectis: aut æger aliquando ℥. ij. vuæ thyminiæ ex ſyrupo violaceo contritæ, addito nōnihil olei dulcium amygdalarum, tribus ante cibum horis ſumat. FRAN. Sol iam columnas Herculis ſpectans exhauſta clepſydra, nos admonet, vt vela iā contrahamus, remos inhibeamus, & portum deſpiciamus: quæ ſequuntur igitur in pauca conferas: AND. Libero te iſta cura, nam quod times propulſabo facile, quippe abiturum detenturus, cubiculum, culcitras, veſteſque tibi iam parauimus. Sed vt redeam vnde diuerteram, huic opus eſt pila, ſimilibuſq; corpus exercere: nam Galenus vno libro inde confecto, pilam ſummis laudibus extulit. Cornelius etiam Celſus non vnquam prætermiſit, cuius exercitij laudes ſi ſigillatim coner cōnumerare, dies me profecto defecerit Ad hoc illud accedit etiam quod plurima non ſolum Galenus, verum etiam plerique alij, multis in locis de pila monumentis literarum commendata non immerito reliquerunt. Nam per deos immortales quid dici poteſt conducibilius? hac ſuperflua quæque digeruntur, pila naturæ vim prouocat, eadem virtutes amiſſas reficit, corpus exiccat, ſpiritus exhalationib. noxiis liberat, poros corporis aperit. Plurimos deniq; vidi morboſos, qui exercitio tantum ſanitatem receptam referre meritò poſſent. Morboſi igitur corpus pila, aut quouis alio tali ludo exercendū eſt, donec citra laſſitudinem concaleſcat, & hoc eo tempore, quo mundius ſit, quod teſte Principe tum videtur eſſe, cum ieiunum ſit, ne mali ſubſidentes humores exercitio tali diffuſi, venas atque inteſtina corrumpant. Qui ſi forte eo tempore ſubſidere deprehendantur, euacuatione aliqua primitus depellantur. Poſteaquam ſe ſatis exercuerit æger, cibū capiat, ſecundum quem conquieſcat vſquequo ſatis concoxit, ea tamen lege, ne poſt cœnam ſtatim cubitum ſe recipiat, quippe tres horas ad minus ægroto præſtolandum. Cum vero lecto ſe dederit, horis ſeptem, ſiue octo ad ſummum dormiendum. Somniculoſis etenim (vt inquit Princeps II. Cant.) ſequitur animæ torpor. At ſi ieiunus obdormiuerit, repletur fumo caput & vaporibus, à fecibus & ſuperfluitatibus eleuatis. FRAN. Quid hoc? ergo nec ſaturo, nec ieiuno dormiendum? Nam quæ eſt hæc fabula? eo rediges me tuis ſermonibus, vt nunquam, aut ſaltem parum conquieſcam. Mori mehercule ſatius eſt, quam ſomno toto illo tempore non conquieſcere. ANDR. Atqui ſomnum non prohibeo, niſi qui nimius. Nam cum dico, neque ieiuno, neque repleto dormiendum, perinde eſt ac ſi dicam, quieſcendum quando id tempus poſtulat, ita præcipiente Cornelio Celſo. Et Auicenna tertia primi cap. VII. ſic inquit: Non ilico poſt comeſtionem eſt dormiendum. FRAN. Quid hoc monſtri eſt? Auicenna ſibiipſi diſſidet quantum video: ſecundo enim Canticæ dicit: Poſt cibum eſt dormiendum immediate accumbendo, donec ad locum digeſtionis peruenerit cibus aſſumptus. ANDREAS. Recte tu quidem, nihilominus duobus modis hoc explanare non dubitabo. Primo quidem ſcias hoc Principis dictum (ſi recte ex Arabica in Romanam linguam tranſlatum eſt) quadam lege intelligi debere: quippe quoniam, quando à ſomno abſtinere omnino non poſſumus, dicit accumbendo nobis dormitandum: quæ quidem fuit Auerrois ſententia. Secundo modo poteſt hæc contradictio tranſlatorum, aut impreſſorum errore euenire. Nam ſi legeris nouum Canticæ textum ab Andrea Belunenſi recognitum, qui Arabicæ linguæ fidus fuit interpres, leges profecto, Non eſt quoque poſt cibum & comeſtionem dormiendum: quod vnuſquiſque ſanæ mentis credere poteſt. Hinc igitur eſt, vt plerique Auicennam expo-nentes in aliquibus locis maxime dubitauerint. Quod vero tu cauillaris neq; ſaturo, neq; ieiuno dormiendum, canones cō-probant. Princeps tertia primi cap. IX. habet, quod ſuper vacuitatem dormire, eſt malum, quia eſt deiiciens virtutem: & ſuper repletionem eſt malum anteaquam à ſuperiori ventre fiat deſcenſio, quoniam replet caput vaporibus, & ſomnus erit cum frequenti reuolutione de latere ad latus. FRANCISCVS. Aſſentior tibi tantum in præſentia, verum aliàs hoc totum videro: tu dic hoc primum, quomodo ſit corpus ſomno componendum. ANDREAS. Bis Auicenna quod quæris explanauit tertia primi, ſeptimo capite ac nono. In ſeptimo: Sic oportet præterea vt ſuper dextrum latus dormiat pauxillo tempore, deinde reuoluatur ſuper ſiniſtrum, & poſtea reuoluat ſe ſuper dextrum.*

Nono

*Nono vero: Sed quæ ex figuris ſomni eſt melior, eſt vt ſuper dextrum incipiat latus, & deinde ad ſiniſtrum reuoluatur:
quod ſi eius inceptio ſuper ventrem fiat, auxilium fert magnum in digerendo, propterea quod calorem retinet naturalem.*
FRAN. *De die poſtquam concoxerit, poteritne ſomni tantillum capere?* ANDR. *Nihil minus: nam Princeps tertia
primi: In die quoque dormire eſt malum, generat enim ægritudines humectantes, & rheumatiſmos, & corrumpit colo-
rem, & grauat ſplenem, laxat neruos, & generat pigritiam, debilitat deſiderium, & generat apoſtemata, & febres. Quo
fit vt dies vigiliis, nox quieti ſit nata.* Nam Paulus Aegineta, *in præceptis de tuenda valetudine, cap. 97. dixit: No-
cturno autem ſomno haud alius melior eſt: ſiquidem nox ſuapte natura, tum humore, tum tranquillitate ſomnum alli-
ciens, concoctionem perfectam efficit. Et Auerrois in commento* Canticæ: *Tempus matutinæ refectionis eſt totum tem-
pus ſomni.* Cornelius Celſ. *libro primo, nocte dormiendum, die vero vigilandum ſuadet.* FRAN. *Huius argumenti
nihil reliquum mihi videtur eſſe, niſi quæpiam de contingentibus animæ volueris addere.* ANDR. *Haud inuitus mi* 1
*Franciſce.* Gaudium *igitur, angor, iracundia, odium, furor, mœſtitia, ſollicitudo, metus, inuidia, luxuria, auaritia: quæ
quidem omnia, affectus animæ ab autoribus recte dicuntur: iis etenim cum mortales ſe intemperantius extulerint, in per-
nicioſos corporis morbos penitus conuertuntur.* Nam Galenus *primo regiminis ſanitatis dixit, oportere medicum, qui
ſanitati mortalium ſtudet, pro virili operam dare, ne mores animi corrumpantur, quibus aditus ægritudinibus corporis
pateat: quippe furor, fletus, ſolicitudo, cæteraq; id genus magis quam par eſt, febrium, morborumq; cæterorũ ſunt prin-
cipia.* Quin etiam Princeps *tertia primi (ſi recte memoria teneo) dicit:* Accidentia animi horribilia, *& motus corporei
fortes, digeſtionem fieri prohibent, cum multi proficiſcantur ex cruditate morbi.* Galenus *etiam libro artis medicinalis
inſcripto huic aſtipulatur dicens, omnes animi immoderatos affectus, iram, furorem, mœrorem, metum, inuidiam, à
naturali gradu corpus deiicere. Deinde inferius: omnes animi motus, ſiue perturbationes maluerimus dicere, corpus hu-
manum exiccare.* FRAN. *Sed quid iram dicemus?* ANDR. *Ariſtoteles in primo problematum, iram nihil aliud eſ-* 2
*ſe ait niſi accenſionẽ ſanguinis, circa cor. Quinetiam* Cicero *libro* Tuſculanorum *quæſt. idẽ ex autoritate* Homeri *videtur
dicere: quod ſic in Latinum traduxit:*

Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris:
Cum decore atque animi me orbatum laude recordor.

*Galenus etiam libro de differentiis febrium ſic: Ira eſt æſtuatio quædam, & motus vehementior virtutis ad iraſcendum
prona, quæ cordi inſidet, cum caleſcit ipſa ſubſtantia. Et in ſecundo quoque de accidenti & morbo: Ira eſt feruor caloris in
corde propter motum animæ. Et in quinto: Ira eſt magnus & fortiſſimus motus, & propterea valde corpus perturbat, &
permutat à naturali conſiſtentia.* FRAN. *Apud Haliab. eandem pene ſententiam vidimus, ſua* Theor. *lib.* V. *cum dicit:
Ira eſt ſanguinis cordis ebullitio, naturaliſq; motus caloris, & eius ad exteriora exitus: ſemel ſubitoq; ad vlciſcendum no-* 3
*cent. Sed heus tu, quidnam inter odium & iram differentiæ eſſe dicemus? Nam differre ea inter ſe ex Valerio Maximo
didici, qui libro* IX. *cap.* XXX. *memorabilium ſuorum ſic: Ira quoque aut odium in pectoribus humanis magnos fluctus
excitant, procurſu celerior illa nocendi cupidine, hoc autem pertinacius, ac nunquam ſine tormento ſui violentius.* AND.
*Princeps libro de viribus cordis ſic: Eſt quidem ſciendum, quod ira quando ceſſat velociter, non perdurat in imaginatione,
ſeu phantaſia forma nociui, ſed cito deletur, & ideo non cauſat odium, ſiue rancorem: odium enim eſt perſeuerantia for-
mæ nociui in imaginatione ſeu phantaſia, & perſeuerantia ſiue imaginationis affectus ad vindictam ſumendam ex eo. Di-
cemus ergo, quod ex odio accenditur ira: quod quidem odium poſt iram confirmatum rancor appellatur. Quod forſitan re-
ctius non intellexit Valerius. Ex ira etiam nonnunquam, cum bilis concitatur, melancholica oriuntur paſſiones, ſicut
Haliab.* V. *Theor. Nam inquit* ANDR. *Ariſt.* X. *problematum: Timor eſt infrigidatio exteriorum, & caloris contractio
ad partes interiores ſub corde. Et trigeſima particula eorundem ait: Timor quidem infrigidat manifeſtè: & manifeſtant* 4
*hoc terrefacti, tremunt enim.* FRAN. *Quid enim noxij in ſe habet?* ANDR. *Galenus* V. *de acciden. & morb. Timor
ſanguinem calorem, ac ſpiritum reportat ad interiora, ſcilicet ad ſuam originem, & ad cor, atque exteriora corporis in-
frigidat: & in timore virtus animæ non confortatur. Et lib. de ſympto. Timor eſt terror, qui turbat virtutem, & debi-
litat ipſam non minus aliis cauſis.* FRAN. *Inde proceſſit illud Auicennæ in Cant. dicentis: Timor incitat frigiditatem,
qui quandoque magnificatur in tantum, donec lædat in vltimo.* ANDR. *At mœror exitioſior, ex quo complures ſibi ne-
cem conſciuerint, Galeno de acciden. & morb. ſic aſſerente: Quibus accidit triſtitia frequenter mortui ſunt: & hoc puſil-
lanimibus ſolet euenire: nam eorum anima debilis atque defecta extinguitur. Princeps etiam decimatertia tertij ſic ait:
Triſtitia eſt cauſa corruptionis digeſtionis. Et Gal.* V. *de methodo medendi: Triſtitia, & ira, & agnonia, & ſolicitudines
quolibet modo nocent diſſoluentes virtutem.* FRAN. *Frons ſemper igitur eſt exporrigenda, quoad eius fieri poteſt.* AND.
*Modus omnium rerum eſt optimus: nam non minus nimia lætitia geſtiens (ſi Ciceroni credimus) quam mœror exitio eſt.* 5
*Princ. iij. primi: Multum gaudium pernicioſum, nam ex eo ventriculi cordis ſanguine euacuantur. Et Auer. ſuper Cant.
Magnum gaudium eſt ex rebus impinguantibus corpus: quod ſi magnificetur valde & contingat, ſubito necat, & interfi-
cit, & maxime valde pingues. Monumenta literarum, Romaniq; cum primis annales id nos docent: Titus enim Liuius
poſt illam Cannarum cladem memorandam, mulierculas duas, quibus falſo nunciata filiorum mors fuerat, ſtatim ſoſpi-
tibus eiſdem viſis, lætitia expiraſſe memoria prodidit. Animæ igitur affectibus temperandum, teſte Principe, ſic dicente
tertia primi cap. 4. In temperamento morum cuſtodia ſanitatis animæ & corporis ſimul conſiſtit. Haliab. etiam in* V.
*Theoricæ cap. vltimo ſic: Gaudium naturalis eſt exitus caloris corporis ad exteriora, eiuſq; diffuſio, ſi quaſi paulatim fa-
cta fuerit, animam habet confortare, caloremq; naturalem in omni corpore, & humores temperare, & ſanguinem calo-
ris naturalis temperantia, & calorem augere, niſi quod quando ſemel, ſubitumq; fit, aliquando interficit naturalis diſſo-
lutione caloris. Et Galenus* V. *de accidenti & morbo: Ex ira nullus vnquam mortuus eſt, ex gaudio autem quamplurimi* 6
*puſillanimes.* FRAN. *Supereſt vt de inuidia diſſeramus.* ANDR. *Inuidiã nil aliud eſſe manifeſtum eſt quam bonis
alterius angi. Boni igitur hominis eſt inuidia omnino abſtinere. Luxuriæ etiam tanta eſt fœditas, vt nihil ſupra: quam-
uis aliquando aliquibus corporibus opem præſtare videatur: nam Cornelius Celſ. neque nimium indulgendum Veneri, neq;
nimis abſtinendum præcipit: ſed nos qui morboſis conſulimus, ne ſibiipſis, ac fœmellis etiam maxime noceant, hac omni-
no abſtinendum cenſemus. Nam Galenus Aphor.* VI. *ait: Coitus eſt fortis cauſa in generanda podagra.* FRAN. *Atque
XXX. problem. philoſophus: poſt Venerem, inquit, plurimi magis læti fiunt. Et Haliab.* V. *Theorica: Si ſpermatis ſu-
perfluitas ſuis aucta in vaſis coitu non purgatur, nec poterit eam expellere natura, in inguinibus fit & aliis ſimul extenſio,
omniq; in corpore grauitas: ſæpeq; ſuis ſperma caleſit in vaſis, fitq; febris: nonnunquã autem eius aſcendunt ad cerebrum
vapores, vbi & peſſimos generant morbos. Et Haliab. Rod.* III. *Techni: Superfluitas aggregata in corpore ex ſpermate
quod*

quod non egreditur per coitum, obarctatur in corpore, & generantur ex ea ægritudines malæ, & vapores mali, qui aſcen-
dentes ad cor & cerebrũ, & ſtomachum, corrumpunt ſanitatem illorum membrorum, & generant ægritudinem. AND.
Sed hoc totũ ſuperfluitatis eſt retentæ: inde dicit Haliab. ſuperfluitas aggregata. FRAN. Princeps in Canticis cõmenda-
uit etiã Venerẽ iuueni, dicens: Coitus cõmendatur iuuenibus, quatenus per eum à nocumentis pernicioſis liberantur. AND.
Dixit ergo, tantũ iuuenibus conuenit, eo quod iuuenes exuberent ſpermate: ſed de ſuperflua Venere ne verbũ quidem vllum
fecit: nam prima tertij ſic: Quandoq; accidit homini, vt in vaſis ſeminalib. aggregetur ſperma plurimũ, & corrumpatur,
& infrigidetur, & cõuertatur ad qualitatem venenoſam: & quia fit hoc pluries iuuenibus, eiſdem dixit venerem conue-
nire: nam cum quis appetit, non nocet: vt Almanſoris IIII. voluit Rhaſis dicens: Viri præterea ac mulieres cum appetunt,
coire debent: quod quidẽ faciant natura nõ repugnantes. FRAN. Modo ais, modo negas veneri indulgendum. Quouſq; pa-
tiar te iſto modo differentẽ? Quin tu vno verbo dic: quid eſt, quod me præſtare velis? AND. Ita faciam. Primum in hac re il-
lud dico tibi, mulieroſi corpus in deterius ſemper lati, teſte Conciliatore diff. CXXIII. ſic aſſerente: Coitus ſuperfluitas, &
frequentia omnẽ prauam corporis acquirit diſpoſitionẽ. Ariſt. quoq; IV. probl. Coeuntes exoluuntur, & infirmiores fiunt.
Gal. 2 de ſpermate: Non ſolum à ſeroſa humiditate priuari omnes animales particulas accidit ex ſuperfluo coitu, ſed & vi-
tali ſpiritu. Et princ. XIII. tertij: Coitus eſt ex reb. magis nocentib. ſtomacho, & dimiſſio eius eſt ex reb. maxime cõferentib.
Ariſt. etiã quarto probl. Plurimo coitu vtentes manifeſte in oculis, & anchis patiuntur. Et princeps tertia tertij Cap. V. Mul-
tiplicatio coitus eſt res nocibilior oculo. Et Almanſoris quarto: Qui coitu ſæpe vtitur, oculorũ habet concauitatẽ. Poſt reple-
tionem ſuperflua eſt venus. Haliab. V. Theor. Si cibo homo repletus aut potu coitu vtatur, debilitas eius fit corpori, eneruа-
tio neruis, dolor in genubus, viſcerũ oppilatio, generanturq; abinde humores groſſi. Cuius vſus ſi hoc fiat modo frequens, &
aſſiduus, hydropiſis ſequitur, aſthma, & tremor. Nam nihil obſtat quod Paul. Ægin. lib. de tuenda valetudine, poſt cibũ, &
ante ſomnũ præcipiat concumbendum, nam nonnullã vult eſſe inter eos diſtantiã, qua corpus neq; repletum, neq; vacuum
dici poſſit. Idem etiam volui: Gal. in arte medicinali, cum dicit: Tempus autẽ ad coitum opportunum eſt, cum in exceſſuum
omnium mediocritate corpus fuerit conſtitutum. Cui aſſentitur Auicen. XX. tertij dicens: Et oportet etiã ne coitus fiat ſu-
per repletionẽ, quia prohibet digeſtionẽ & debilitat: neq; coeat aliquis cum adeſt vacuitas, hoc eſt enim nocibilius, & one-
roſius naturæ & magis pernecans calorẽ innatum. FRAN. Sat habeo: ſed dicas quæſo, quanta temporis intercapedine in-
ter coitus vti nobis par eſt: nec ab re te percunctor, ſcimus etenim quoſdã ſingulos noctis vnius ſpacio fœmellas ſingulas iniiſſe
decies, citra noxã. AND. Abeant ij, quos attuliſti mihi, in malam crucem, cum hac ſua intempeſtiua venere, nam mihi con-
ſilium non placet, aliorũ explere luxuriam, mihi dum noceã, cum creberrimam ægrotationes pernicioſæ, ſenectuſq; matu-
ra ſubſequantur. Vnde Cicero: Luxurioſa iuuentus maturã tradit ſenectutem. Item lib. de ſenect. Libidinoſa etenim, & in-
temperans adoleſcentia affectũ corpus tradit ſenectuti. Galenuſq; in arte medicinali ſic inquit: Venereorũ vero, iuxta Epi-
curi ſententiam, nullus eſt vſus ſalubris: re autẽ vera confert, ſi tantum interualli in earum vſu adhibeatur, vt neq; reſolu-
tio aliqua ſentiatur, & ipſe ſe homo quodãmodo ſenior factus melius ſpirare videatur. Quod caput eſt tandẽ ſic habeto, nul-
lam capitaliorẽ peſtem eſſe, quam corporis inſatiabilẽ voluptatem. Sed ad curationẽ morbi Gallici redeamus. Seruatis igi-
tur ſex rebus non naturalibus, materia pituitoſa digerenda videtur hoc ſyrupo: ♃ amaraci, ſaluiæ, origani, mẽthæ, abſyn-
thij, eupatorij, fumiterræ, baccaris, lauendulæ, calamenti, pulegij, thymi, ſatureiæ, ſticados. ſing. m. j. calami aromatici,
zedoariæ, dictamni albi, hermodactylorum, hellebori nigri, ſing. ℈. ij. Rheubarbari electi ʒ. ij. ſpicæ, ſquinanthi, ſing. ℈. ß. ex
aqua vſq; ad mediũ decoquantur, inde colentur, addanturq; ſyrupi de fumoterræ, de ſticados, mellis roſ. ſing. ℥. iij. & fiant
ſyrupi vij. ſunt qui errant, mea quidem ſententia, nolentes haurire decoctionẽ, ſed appetentes ſyrupos ex aquis elaboratis.
Quippe maiorem decoctionis vim comperi. Verum vt & illis morem geramus, ♃ ſyr. de ſticados, oxymellis comp. mellis
roſati, ſing. ℥ ij. ß. aquarũ ſaluiæ, lauendulæ, amaraci, ſing. ℥ ix. & fiant ſyrup. vij. vel ♃ oxymellis ſimp. ſyr. de ſticados, de
praſſio, de abſynthio, ſing. ℥ ij. ß. aquarũ abſynthij, praſſij, iuæ, meliſſæ, & fiant ſyr. vij. Facta digeſtione, vt ad extrahendã
materiam procedamus, ♃ Rheubarbari electi ʒ. ß. agarici præparati ʒ. j. aloes hepaticæ lotæ ʒ j. ß. turbit gra. x. hermoda-
ctylorũ gr. vj. gingiberis gr. iij. ſpicæ gr. iij. hæc ſimul ex aqua ſaluiæ libra macerentur per noctẽ, deinde ad medium cõcoquã-
tur, poſtea colentur, & accipiantur decoctionis iſtius vnc. V. vel VI. ſecundum virtutẽ ægrotantis, dulcorenturq; cum vn-
cia oxymellis ſimpl. & fiat potio. Vel ſic: ♃ Rheubarbari electi, agarici præparati, turbit albi & gummoſi, ſing. ʒ ß. ſpicæ
grana tria, gingiberis, hermodactylorum, ſingulorum ſcrupulum, contundantur hæc omnia leuiter, & infundantur inde
aqua lauendulæ, vel amarici ℥ vj. decem horarum ſpatio, inde cõprimantur: expreſſioni addantur, electuarij lenitiui ʒ. ij.
diaſiniconis, electuarij Indi, ſing. ʒ. ij. ß. & fiat potio, additis mellis roſacei ʒ. iiij. Tertius iis etiam accedit modus. ♃ Rheu-
barbari electi drach. j. ſquinanthi grana v. redigantur hæc in puluerẽ, cui addas agarici præparati ℈ ij. turbit gr. v. gingibe-
ris gr. iij. aloes lotæ ℈. j. elect. lenitiui ʒ. ij. diaſiniconis drachmam, & cum ſaccharo fiat paſtillus. Ex quibus primum me-
dicamentum validius cõperi, quamuis difficilius ſua amaritudine hauriatur. FRAN. Quid autem de phlebotomia nobis fa-
ciendum videtur? nunquid iis etiam adhibebimus, Auicen. teſtimonio fulti, dicentis: Phlebotomia eſt euacuatio vniuerſa-
lis, quæ multitudinem euacuat humorum, multitudo vero eſt augmentum humorum ſuper æqualitatem ipſorum in venis.
AND. Recte tu quidem ex Auicenna: nam ſubſequitur Vgo de Senis, quod iſta euacuatio vniuerſalis intelligi debet ex hu-
more, qui continetur cum ſanguine in ipſis venis: & de his locutus eſt Princeps: quoniam humores extra venas ſecus na-
turam procedentes, potione potius ſunt elidendi. Morbus igitur Gallicus à pituita, cum magis in iuncturis, quam in venis
exiſtat, ſanguinis miſſio per inciſionem venæ videtur ſuperuacanea. Dicitur enim phlebotomia euacuatio vniuerſalis, quod
omnes vniuerſaliter educat humores, & neque aliquem eligat. Pharmacum vero à forma ſpecifica euacuans eligit illum
quem ſibi proprium eſt euacuare. Cum autem pituita ſit in membrorum compagibus coaceruata, & indigeat potione, par-
ticulariter eligi phlebotomiam penitus relinquam. FRAN. Sententiæ tuæ non acceſſerim, tametſi ſexcentos adduxeris au-
tores, quippe in te ipſum hæc omnia militant, cum ſuperius totius mali fomitem iecur dixeris. Iecur igitur, cum ſit totius
ſanguinis purioris hoſpitium, vtiliter in his morbis nimirum exhauritur. ANDR. Nihil agis, nam hæc omnia minimo (vt
aiunt) digito proſternam: nam quod tu dicis, recte fieret, ſi materia calida foret. Nam Rhaſis ſic VII. Alm. atteſtatur:
Oportet autem cauere quantum poſſibile eſt, ne phlebotomia in tempore calidiſſimo, aut frigidiſſimo fiat: neque phlebo-
tomentur ij, quorum ſtomachus & hepar in frigiditate diſtemperata exiſtunt. Præterea multos offendimus, qui diutius
morbum ignominiæ cauſa diſſimulauerunt, quibus minime ſanguis mittendus eſt. Nam princeps in corporibus, quæ proli-
xas perpeſſa ſunt ægritudines, cauendum eſſe à phlebotomia affirmauit. FRAN. Quamuis mea te exagitem ſententia,
aſſentior tamen: nam apud Galenum legitur, quod ij qui per totum corpus humorum multitudine grauantur, minime
ſanguinis miſſionem pati debeant. AND. Vtiliter igitur ſi puſtulæ per totum corpus emerſerint, ſanguinem inter cutem
pituitoſum poteris per cucurbitulas extrahere. Nunc autem ad linimenta, quæ huic conferunt morbo. ♃ radicum ebuli,

*hederæ, dictamni, gentianæ, inulæ, bryoniæ, hermodactylorum, ſing. manip. cõtundantur hæc omnia leuiter, & ex vini cretici lib. xij. ad tertiam decoquantur. Inde addantur amaraci, baccaris, camomillæ, abſynthij, hypericonis, lauendulæ, origani, thymi, nepitæ, pulegij, calamenti ſing. m j. ß. iterum ferueant ad medium, inde accedat florũ, roriſmarini, primulæ veris, ſaluiæ, ſing. manipulus, & bulliant leuiter vna paruo temporis interuallo, poſtmodum colentur, & prælo expreſſo indantur, olei roſacei, camomillini, anethini, hypericonis, coſtini, ſing. ℥ j. ß. olei terebinthini ℥ vj. reſinæ pineæ ℥ iij & bulliant vſq; ad perfectam vini conſumptionem, denuo addantur cum tolluntur ab igne, croci ʒ ij. cinnamomi calami aromatici, ligni aloes, ſtyracis calamitæ, ladani, benzuin. ſing. drachma, cinnabaris vncia, mercurij extincti vnc. vj. ſublimati drach. iij. aruinæ porcinæ libra, ceræ quantum ſufficiat. & fiat fortiter agitando linimentum. FRAN. Hæc tametſi congruant, tamen quidpiam breuius deſiderarem. AND. Mos gerendus eſt tibi. Igitur ℞ axungiæ porcinæ colliquatæ lib j. butyri recentis ℥ vj. olei laurini ℥ iiij. olei vulpini, hypericonis, terebinthini, ſing. ℥. v. ſtyracis liquidi loti cum aqua camomillæ, & vino cretico, ℥ ij. olei de ſulphure ʒ. iiij. cinnabaris ℥ j. ß. mercurij extincti ℥ vj. ſublimati ʒ j. ceræ quantum ſufficiat, & fiat vnctio. Quod ſi compendium magis affectas, ℞ axungiæ colliquatæ libram, vnguenti Agrippæ, marciatonis, olei laurini, terebinthini, ſingulorum ℥ iij. mercurij extincti ℥ vj. ſublimati ʒ ij. & fiat in mortario illinimentum: ſed iſtorum primum laudabilius, meo quidem iudicio ſemper fuerit. FRAN. Memini quoſdam ſe dicentes ſuffitu, laconicoq; tantum ſanatos. AND. Quamuis nonnullis id euenerit, multi tamen ſuccubuerunt. Ideoq; niſi cum de ægroto deſperatum fuerit, ſuffitus omnino ſunt excludendi, teſte Galeno, ſic dicente: Ægritudo quæ non habet niſi vnam viam ad curandum, velit nolit infirmus, oportet quod per eam tranſeat, & primo Aphor. Hippocrates: Extremis morbis, extrema exquiſite remedia optima ſunt. Quamuis non negauerim ſuffitus me tentaſſe ſucceſſu laudabili, in hominibus videlicet athleticis: qui quidem ſuffitus fuerint huiuſmodi: ℞ Cinnabaris vnc. iij. myrrhæ, thuris ſing. vnciam, aloes hepaticæ, ſandarachæ, ſtyracis calamitæ, benzuin. ſing. drach. iij. miſce, & fiat puluis craſſior. Itẽ alioquin ℞ cinnabaris vnc. iij. myrrhæ, thuris, aloes, ladani ſing. vnc. j. contundantur in puluerem, & cum ſtyrace liquido ſubigantur, inde fiant trochiſci iuglandis magnitudine, qui ſinguli ſuo tempore ſigillatim prunis ſubditi colliqueſcant. Item ℞. cinnabaris ℥ ij. ß. auripigmenti, cadmeæ argenteæ, ſing. ʒ iij. thuris, aloes, myrrhæ, ſtyracis calamitæ, ladani, ſingulorum ℥ miſceantur hæc omnia, & in puluerẽ craſſum redigantur: erit enim hoc aliis potentius. Etſi ſuperius in athleticis tantum hoc fieri debere affirmauimus, accidit mihi tamen aliquando hoc feciſſe felici ſucceſſu etiam in corporibus delicatis, & debilibus: & fuit eiuſmodi: ℞ cinnabaris vnc. ij. auripigmenti drach. ij. dictamni albi, tormentillæ, gentianæ, ben albi & rubei, angelicæ, ſing. drach. iiij. ſem. citri, ſem. acetoſæ, ſem. ocimi, doronici ſing. drach. ij. cinnamomi, gariofilorum, calami aromatici, croci ſing. ſcrup. ij. thuris ſandaracæ, ſtyracis calamitæ, benzuin ſing. drach. ß. aloes drach. iiij. redigantur hæc omnia in puluerem, vel cum theriaca formentur trochiſci. Poſteaquam male ſe habentes perpurgati fuerint, cubiculo claudantur, & ſub conopæo nudi carbonibus accenſis imminentes altius ſedeant: quos ſemuncia pulueris prædicti, ſiue vnius trochiſci fumus, niſi vis ægroti difficilius patiatur, per horam torqueat: nec ſatis decidi poteſt, quoties id tentandum: ideo non alio mehercule pacto, quam ſi eundem inunxeris, id obſeruare poteris. FRAN. Quod ſi anima defecerit? poteritne æger e conopæo tantillum caput educere? AND. Recte quidem, modo ne ſæpius id fiat. Sed pergamus, quæ cœpimus. Quoties ſuffitus per diem ſit tentandus, corporis habitus, anni tẽpus, ætas decurſa, ſexuſque poterunt nos edocere. Sed vt fortius hoc ferãt, initio cataplaſma, quod ſuperius enucleauimus, eſt applicandũ cordi, horaq; ante ſuffitum oua bina recentia ſorbeãt affecti, aut cochlear vnum ſyrupi de corticibus citri liguriant, aut trochiſcum confectionis eiuſmodi vorent. ℞. pulueris electuarij Conciliatoris, pulueris diamoſchi dulcis, diamargaritonis, ſingulorum ſcrup. ij. inde cum aqua meliſſæ, & ſaccharo fiant cum igne trochiſci. Euenit etiam plerumque, vt tam ſuffitu, quam vnctionibus vtentium bucca exulceretur, quibus ea poteris applicare remedia, quæ ſuperius diximus: quamuis hoc addere non alienum putauerimus. ℞ rad. prunellorum ſylueſtrium m. ij. cymarum rubi, roſarum, myrtillorum, ſumach, caudæ equinæ, ſorbariæ, piloſellæ, gariofilatæ, millefolij, trinitatis, foliorum oleaſtri, ordei, balauſtiarum ſing. manipulum ireos, rubeæ fullonum, conſolidæ vtriuſque, centaureæ maioris, ſing. drach. iij. myrobalanorum citrinorum, conorum cupreſſi, ſing. vnciam. Contundenda leuiter contundantur, & bulliant ex libris x aquæ ferrariorum fabrorum, vini granatorum, ſucci cotoneorum, aquæ plantaginis ſing. libra, ad medium concoquantur, inde addantur cum iam pene concoxerint, aluminis rochæ vnc. ij. nitri drach. ij. diamoronis, mellis roſacei, ſing. vnc. iij. licij vnc. ij. hæc colentur, inde expreſſum ſeruetur in vaſe vitreo, ex quo ſubinde ſibi colluat os affectus. Verum enimuero pleroſque vidimus ægrotantes, quibus os totum adeo deprauatum Empiricorum incuria erat, vt cancri ſpeciem acceſſiſſe vnuſquiſque ſanæ mentis dixerit: illis etenim quamuis ſuperior gargariſſatio conſentanea fuerit, hoc tamen conducibilius arbitramur. ℞ decoctionis prædictæ ℔ iij. vnguenti ægyptij ℥ ij. ß. diſſoluanturq; ſimul, inde frequentius os colluatur. At ſi gingiuarum acceſſerit exulceratio, vnguento tanto prius ægyptio perungantur eædem, mundificat enim cum primis, & vt ſæpius experientia comperi, redundantem malitiam reprimit. Quod ſi materiæ ſuperfluitas medicamentis ſuperius enarratis, haud facile ceſſerit, cucurbitulis, clyſteribus, lotionibus, frictionibus, fibulis non parum doloris ingerentibus, & cæteris id genus eſt ab ore diuertenda malitia. FRAN. Poſt oris exulcerationem accedunt dentibus gingiuarum mira diſcidia, vt ij paruum à caſu abeſſe videantur. Adde ſpectaculum, quod etiam ſputorum fœditate contuentibus nauſeam commouent, vt non immerito tale ſpectaculum fugiant omnes. ANDR. Ita eſt: tunc hoc puluere non erit eis abſurdum ſuccurrere. ℞ ſquillæ aſſatæ, pulueris leuiſſimi teſtacei, cornu ceruini vſti, oſſis ſepiæ, oſſium dactylorum combuſtorum, conſolidæ vtriuſque, roſarum, ſumach, ſing. drachmam, cinnami, thuris, maſtichis, ſandarachæ ſing. drach. j. ß aluminis exuſti ſcrup. ij. corallorum rubeorum & alborum, ſing. drach. iiij muſci grana vj. Omnia redigantur in puluerem, ex quo frequentius cum gingiuæ tum dentes fricentur. Superfluum fuerit de reliquis diſſerere, de quibus ſatis dictum ſuperius.*

Suffitus inutiles et noxij

## De morbo Gallico Melancholico.

A *Pituitoſo ad melancholicum nunc igitur deflectas oratio: quamobrem tibi perſuadeas velim, malum hoc atrabili commixtum, modo ſupercilia, modo craneũ, nec non brachia pernaſve, tuberibus duriſſimis, ab apoſtematibus, quæ Græci ſchirrhos appellant, non diſſimilibus infeſtare: quin etiam per totum corpus emergunt liuentes puſtulæ verrucarum ſpeciem repræſentantes. Siniſtrum tempus per noctẽ male habet, inde vigiliæ, color plumbeus, inflammatio thoracis, debilitas ſtomachi, ſplenis grauitas, aut dolor, aut durities vrget: vrina fertur alba, plumbea, ſiue ſubruffa, tendens ad nigrũ colorem: vena brachij exilis, & tardior: nigra excrementa deiiciuntur: excreatio plenior: ructus ſunt acidi: crura varices, tumor pedes inuadunt, vt elephantiacos referant: quibus eadem fere confert viuendi formula, quam ſuperius, cum de pituitoſo diſſereremus, explicauimus: vt tamen non ſit alienum, quæ ſequantur annectere. Si perſpexeris igitur à fece ſanguinis in melancholicum verſi hoc fieri, ſiniſtræ manus venam, quam ſaluatellam recentiores appellant, ſiue varicum, ſiue quam ſaphenam vocant, recte ſcindes. Prodeſt etiam ſanguiſugarum ad ora venarum, quas hæmorrhoidas Græci vocant, applicatio,*

ratio. Quod quidem ſi à biliosa aduſtione pendere videatur, ſanguinis miſſio penitus fugienda decernitur. Cucurbitulæ etiã cum balneo, quando eſt error ſanguinis craſſioris, conuenire poſſent: quanquam Princeps quarta primi dixerit, cucurbitularum quidem iuuamentum in corporibus groſſum habentibus ſanguinem eſt paruũ, quoniam ex iſtis non extrahitur ſanguis ſicut oportet: imo qui ex eo vehementer eſt ſubtilis: & hoc accidit quia reſoluuntur Spiritus illius membri, & ſic calorem naturalẽ debilitando, reſoluendo etiam de humido ſubſtantifico, membra debilitant. Huic obſtat ſententia Haliabbas, cum nono Practicæ cap. VIII. cucurbitulas melancholiæ conferre teſtetur. Hæc quidem ratio biſariam diſtrahitur, quippe & ſine ſcarificatione capitis humores deriuando, cucurbitulæ melancholiæ conferre poſſunt, & ex balneo cutis inciſione, ſubtiliatum ſanguinem, qui prius fuerat craſſior, recte exhauriunt, cum ægritudines melancholicæ per totum fere corpus verſantur. Vnde Germani ganeis confecti, proptereaq; varicoſi ac elephantiaci, hypocauſtis incluſi, quibus ſanguis craſſior plerunq; ſubtilior fit, iis vtiliter curantur. Quo fit, vt ex balneo non negauerim, melancholicis potiſſimum, (ſi tamen purgatis corporib. id fiet) ſcarificata prius cute, cucurbitulas. Optime ſic ergo eos purgabimus. ℞ epithymi Cretenſis, folliculorum ſenæ, capillorum Veneris, florum boraginis, bugloſſæ, violarum, roriſmarini, meliſſæ, ſing. mani. rad. centaureæ maioris, polypodij, rheubarbari, ſing. drach. j. ſucci ſcabioſæ vnc. iiij. radices contundantur, & ex aqua ad mediam decoctæ diligenter exprimantur, inſtillentur inde ſyrupi epithymi & fumiterræ quantum ſat eſt, fiantq; ſyrupi v. aut ſeptem. Vel, ℞ ſyrupi de fumoterræ, mellis roſacei, de lupulis, de epithymo, ſing. ℥ iij. aquarum fumiterræ, bugloſſæ, lupulorum, meliſſæ, ſing quantum ſufficiat. & fiant ſyrupi V. aut VII. Quinetiam, ℞. ſyrupi intybi compoſiti, de epithymo de fumoterræ, ſing ℥ ij ß. aquarum fumiterræ, Capil. Veneris, bugloſſæ, lupulorum, meliſſæ, ſing ℥ iiij. & fiant ſyrupi numero v. FRAN. Recte tu quidẽ. verum quod magis cõcupiſcit animus meus, id tacices. AND. An dicis ſyrupum, quo plerunq; ſine vllis vnctionibus, aut aliis eiuſmodi medicamentis ad ſanitatẽ perduximus quoſdã male affectos? FRAN. Iſtum ipſum. AND. Quamuis in gurguſtio cordis mei delituerit hactenus, vt ita dicã, tẽ tamẽ iubente protrahatur in lucẽ: nihil etenim meum tibi recenditum fuerit vnquam. Viuentibus igitur adhuc anguibus, poſteaquam extremitates vtrinq; quatuor digitos menſura à cætero corpore gladio ſecueris, permittes totum ſanguinẽ defluere, mundatas inde carnes, lauataſq; ter in aceto, tũ liquore bugloſſæ, citrariæq; ſuſcipies theraicæ optimæ vnc. viij. ſucci fumiterræ, lupulorũ, intyborũ, bugloſſæ, ſing. ℔. ij. polypodij recentis corticũ citri ſing. vnc. ij. aloes hepaticæ vnc. v. hæc omnia ex vitreo vaſe, per Balneũ mariæ, in cuius fundo quantitas harenæ reſideat, ſubdito vapore ignis, in aquas puriſſimas rediges, quarum tres vncias æger, addita vncia ſyrupi de corticibus citri, vel de epithymo. quotidie diluculo ſumat. Iis ſyrupis à XL. die multos (vt prædiximus) Deo duce curauimus. Eſt etiam, quod imprudens ſilentio pene præterieram, non prætermittendum, quo minus æger ſeptimo quoq; die catapotia voret hellebori, quæ conſtabunt inferius, cum purgationes humoris melancholici te docuero. ℞ igitur myrob. Indorum drach. ij. florum bugloſſæ epithymi, ſingulorum manipulum polypodij recentis ſemunciam, contundantur hæc prius, deinde ex ſero caprino decẽ horarũ ſpatio macerentur: ſedulo expreſſis omnibus, addantur expreſſioni confectionis Hamech. drach. iiij. diacatholiconis, diaſenæ, ſing. drach. ij. ſucci fumiterræ vnc. j. ſyrupi de epithymo vnc. v. fiat potio. Secundo modo ℞ electuarij lenitiui, conſ. Hamech, ſingulorum drach. iij. pulueris ſenæ drachmã ſucci fumiterræ vnciam, ſyrupi de bugloſſa, vnc. v. ex aqua fumiterræ fiat potio. Vel, ℞ myrobalanorum Indorum drach. j. ß. epithymi Cretenſis, rheubarbari, ſing. drachmam: cõtundantur hæc leuiter, deinde die nocteq; in aqua fumiterræ bugloſſæq; macerentur, exprimantur, expreſſioni addas electuarij lenitiui, diacatholiconis ſing. drach. ij. cõfect. Hamech drach. iij. elect. Indi drachmã, ſyrupi de epithymo vnciã, hinc fiat potio. Nunc quoniã ſatis de potionib. eſt dictũ ſupereſt vt de Catapotiis agamus, quæ ſuperius tibi pollicitus ſum. ℞ igitur rad. nigri veratri recentis drach. iij. dauci, aniſorum, piperis, ſing. drachmã. florum bugloſſæ drach. ß. muſci gr. vj. epithymi ſcrup. ij. contundantur hæc omnia leniter, inde diem nocteniq;, ex vini cretici ℔. v. macerata, potenter exprimãtur. Huius expreſſionis ℥ iij. pulueris pillularũ fumiterræ, cochiarũ, aurearũ, ſing. drach. ij ß. ſuſcipias, ſubagitesq;, inde permittas exiccari: porro ſiccas & iterũ in puluerẽ redactas, ex eodẽ vino cretico macerabis, vt ſupra. & hoc quater. Catapotia autẽ eiuſmodi ſigillatim ſumenda ſunt drachmæ pondere. Quinetiã poteſt ingeri catapotium, quod ex præcipitato conſtatur. FRAN. Quidnam hoc verbi eſt? AND. Eſt quidã puluis è mercurio conſtatus hoc pacto: ℞ aquæ, qua aurum ab argento dimiditur, ℔ iiij. argenti viui ℔ j. ß. hæc vaſe vitreo, ore anguſto, collo obtorto, vndiq; argilla præmunito, quod ab altero recipiatur, imponantur, compages inde vaſorum luto figulino ſedulo obturentur, ad hæc ſubdatur ignis ex carbonibus conflatus, vt ſemper ingraueſcat, eouſq; quo tota defluxerit aqua. Poſt hæc phialam frangas. in cuius fundo reſidentem placentulam rubeã leuiter extrahens, quod album inhæſerit proiicias. rubeũ vero in puluerem redigas. Verum enimuero quoniam ex puluere iſto plurima poſſent contingere noxæ aſſumẽtibus ipſum, niſi prius debita fieret præparatio, ℞ ℥ ij. prædicti pulueris, & macerentur per noctẽ in aqua plantaginis. & acetoſæ. ſingularum vnc. ij. inde ſummo mane aquas exhauriens, & nouas ſuperinfundens, ad ignem in vaſe æneo, ſiue teſtaceo colloces, feruẽtes ferrea vel lignea ſpathula nõ ceſſes agitare, quouſq; in puluerem non difficulter omnia redigantur, ex quo poteris cum libuerit in morbũ Gallicum tam pituitoſum, quam melancholicum, catapotium tale componere. ℞ Electuarij Conciliatoris ſcrup. ß. margaritarum, hyacinthorũ, ſing. gr. v. pulueris præcipitati gran. v. pulueris diamuſci, diamargaritonis ſing. ſcrup. ß. & fiant catapotia quinque numero, quæ hora ante diluculum ſumantur, inde lecto ſe contineat æger horas quinque, breui mihi crede, Gallici dolores, hoc catapotio elidentur. Pituita etiam & atra bilis vomitu, necnon alui deiectione euaneſcent. Ad hæc ſunt plurima morborum genera qua curauimus tali puluere: nam non ſolum ſaniem carnemq; putridam delet aſperſus, verumetiam non difficulter vlcera ad cicatricem deducit: peſtilentiam etiam pauxillo theriaces addito, ſuccoq; tunecis herbæ, quam Carduũ benedictum vocant, ſiue electuario de gemmis, ante eius confirmationem mirum in modum fugat. Multos etiam lymphaticos, melancholicoſve, quos à cacodæmonibus incurſari vulgo credebant, eodem curauimus. Quid pluribus immoror? Quartana confectos ſacchåro bugloſſato ſiue theriaca, mithridatove additis, facta digeſtione aliqua, hora ante acceſſionem, quinque vel ſeptem granorum pondere, pro ætate. & proni corporis affecti, hoc puluere liberauimus. Quin etiam valet coli, & iliorum doloribus adhibitus. nam quoſdam ſtercus per os eiicientes ſanauimus, Pauli Æginetæ monimentis innixi, qui ait: Aliqui quidem medicorum argentum viuum extinctum dederunt in ileo. Quam quidem autoritatem Princeps ij. Cant. capit. de argento viuo annotauit. Faſcino idem aduerſatur: pluribus ad hæc virtutibus eſt inſignis, quas cum plus ocij nactus fuero, tibi ſigillatim connumerabo: fortaſſe tunc iucundiſſimum fuerit etiam explicare, quonam pacto puluerem cum auro, viuoque argento, ſine aqua ſuperius explanata poſſis conficere: nunc quoniam tempus vrget, vnctiones virium maximarum differam. ℞ fumiterræ recentis manip. iiij. radicis ebuli, bugloſſæ, meliſſæ, ſing. mani. ij. terantur omnia cum libris duabus axungiæ porcinæ, ℥ x. butyri recentis additis: inde in vaſe figulino vitreato loco vliginoſo dies quindecim reſeruentur, vt computreſcant: inde liqueſiant igne ſubdito: demum liqueſacta colabis omnia ex linteolo: poſtmodum ℞ olei roſacei, camomillini, terebinthini, ſing. ℥ ij. ſtyracis liquidi, ex aqua fumiterræ

eloti ʒ iij. lithargyri argentei ʒ v. reſinæ albæ ʒ iij. mercurij extincti ʒ vij. ſublimati ʒ iiij. & fiat ex mortario vnguentum. Vel. ℞ radicis hellebori nigri recentium libram, hellebori albi ʒ iij. radicis arthanitæ vnc. vij. contundantur cum axungia & butyro, & vt ſupra denique omnia fiant. Inde accipe huius adipis libram, olei roſacei, capparis, terebinthini, ſing. vnc. j. ß. ſulphurei drach. iiij. hellebori nigri redacti in puluerem drach. iij. lithargyri aurei vnc. iiij. ſtyracis calamitæ liquidi ex ſucco fumiterræ loti, ladani. ſing. vnc. j. ß. reſinæ pineæ vnc. iij. mercurij extincti vnc. viij. ſublimati drach. iiij. inde fiat vt ſupra. Vel. ℞ quatuor aut quinque nigros angues excoriatos, euiſceratoſque, deciſis vtrinque extremitatibus, minutim conciſos, quos vas vitreum oris anguſti capiat, quod poſtea obturato ore ponas in caldario aqua refertum, hoc ſinas diem noctemque feruere, poſtmodum repertum liquorem colabis: extractum qui fluxerit commiſce libris ij. illius adipis confecti ex radicibus hellebori, & arthanitæ, addas mercurij extincti vnc. viij. cinnabaris vnciam, ſublimati drach. iiij. theriaces vnc. vj & fiat vt ſupra. Seruabis hoc diligentiſſime: maioris etenim ponderis eſt, quam tu fortaſſe reris. Propterea conſentaneum omnino fuerit olei ſulphurati, cum aqua meliſſæ, nonnihil ægrum diluculo bibere: quippe quoniam, vt ſuperius explicatum fuit, magnum ex eo percipitur iuuamentum. FRAN. Nimirum volo ne oleum hoc, quod tantopere collaudaſti, intactum relinquas: In hoc etenim in præſentia mihi ſunt omnia. ANDR. Tibi nihil inuitus dixerim. Vitreum igitur vas tintinabulo (campanam hodie appellant) non abſimile, illitum figulari luto, à terra vnius cubiti menſura, æneo vel ferreo filo ſuſpendens, ſub quo metretam vitream maioris circumferentiæ, cuius medio in verſus fuerit cyathus, ſtatues. Porro cyathi fundus ferream bracteam digitorum quatuor latitudinis ex igne candentem ſuſtineat, ex qua ſulphur accendatur. Hoc dum comburitur recentius ſuperaddatur: inde fiet, vt ex fumo aſcendente ſuſpenſum vas breui temporis interuallo guttatim in inferiorem paropſidem diſtillet oleum, quod diligenter collectum, vitrea conſeruabis ampulla: nam plurimi ſemper apud me ponderis fuit: nec me hercule iniuria, quippe non ſolum confert, huic morbo, ſed hauſtum per hebdomadam, ſtomachi, inteſtinorumque torminibus ex materia ventoſa frigidiorive prouenientibus medetur, ſplenis vitia corrigit, vuluæ, vrinæq; difficultatibus ſuccurrit ex aqua tamariſci, vel capil. Veneris quantitatis guttarum ſex. Quinetiam tres vel quatuor guttæ ex aqua abſynthij, lumbricos fugat. Item contra ſcabiem, impetiginem, lichenam, ſtrumaſque illinitum valet. Doloribus quidem podagricis frigidis mirum in modum fert opem. Præterea male curatis ex morbo Gallico, ad extrahendum vires eiuſmodi potum vt ducimus plurimum prodeſt. Nunc autem mercurij, quem viuum argentum dicunt, vires tibi paucis abſoluam. Auicenna ſecundo Can. frigidum & humidum eſſe dixit in ſecundo gradu. Paulus vero Aegineta calidum & ſiccum aſſerit in quarto. Verum nos cum Gebere, qui de rebus metallicis optime conſcripſit, dicemus mercurium humidum & frigidum palam caliditatem ſiccitatemq; clandeſtinam in ſe habere. Probatur hoc ab eodem Gebere cap. de eſſentia mercurij. cum dicit: In argento viuo ſimiliter neceſſe eſt ſuperflua demi, habet enim corruptionis cauſam terream, & aduſtibilem. Item libro ſecundo capite de coagulatione mercurij: Habet ſimiliter ſulphuris partes naturaliter ſibi mixtas, quas remouere per artificium non eſt poſſibile. Quam quidem ſententiam nobilis etiam Arnoldus agnouit, libro qui dicitur Roſarius philoſophorum, dicens: Manifeſtum eſt igitur quod argentum viuum continet in ſe ſulphur ſuum bonum fixum, ex quo coagulatur in aurum & argentum, ſecundum diuerſum diſponendi modum. Et Ariſt. in Meteor. Argentum viuum eſt aqua, quæ admiſcetur cum terra nimis ſubtili ſulphurea admixtione forti, donec non quieſcat in ſuperficie plana, & hoc eſt ex ſiccitate magna, quæ ineſt illi, & ideo non adhæret tangenti. Quib omnib. ſatis conſtat, terram talem ſiue ſulphur eſſe calidæ & ſiccæ complexionis. Cognoſcitur etiā hoc ſua diſſolutione, inciſione, penetratione, atq; corroſione, quæ quidem omnia caliditatem & ſiccitatē maximam oſtendunt. Nam de eo Dioſcorides proprio capite ſic autumat: Virtus, inquit, argenti viui eſt homicidialis corrodendo inteſtina. Et Aggregator: Argentum viuū corrodit omnia, cui obuiat ex membris intrinſecis. Quod autem ſit frigidum & humidum, licet per Auicennā hoc comprobari poſſit, apparet hoc etiam experimento. Cognoſcitur in primis mira eius frigiditas per tactum eius, deinde per operationes, quibus agit in humano corpore: nam nō legitime extinctus maxime repercutit, ac neruis, vt Auicenna aſſerit, dum tremorē ſtuporem, conuulſionem atq; paralyſim cauſat, magnum affert diſcrimen: quæ quidem omnia à frigiditate maxima, quæ illi ineſt, eueniunt. Humiditatē verò eius oſtendunt ſuperiores autoritates cū dicant, quod eſt aqua viſcoſa. Nam & hoc non ſufficeret, niſi quotidie ipſum videremus oſſa corrumpere, carnemq; & neruos putrefacere, eorū ſcilicet ægrotantiū quibus Empiricus aliquis mercuriū ipſum inunxit. FRAN. Hanc quidem ſententiā aliqui minime comprobant. & putrefactionem non tantum mercurio. verum totū morbi venenoſitati tribuunt. AND. Falſa quidē ratio iſta mihi videtur. Nam ſi mulieres inſpexeris, quæ ex eo pigmenta conficiunt, vt pulchriores hominibus appareant, eis quidē dentes fere omnes tum carioſos, tum deniq; putreſcentes inuenies. Concordia tamen hac Geberis autoritate inter diſcrepantes de mercurio eſt imponenda Inquit enim ipſe argentum viuum manifeſtū eſt, quod mercurius appellatur: antiquorū vſu eſt aqua viſcoſa, ſubſtantiæ ſubtilis, albæ, tincta per calorē temperatiſſimum, vnita tali vnione per minima, quouſq; humidū contemperetur à ſicco, & ſiccū æqualiter ab humido, & quouſq; calidū contemperetur à frigido, & frigidū æqualiter à calido. Galenus tamen in VIII. ſimpliciū ſibi nil de eo cognitū fuiſſe teſtatur, non alia mehercule de cauſa, niſi quod tanta in eo diſſidia ſibi cōperta erāt, vt non facile quid potiſſimum de eo ſcriberet inueniret. Inde ſapientes Mercurio Planetarū inſtabiliſſimo, propter variā ipſius oſtentationem, inſtabilitatemq; cōpararunt. Vnde recte Plato: Dotauit res natura proprietatibus, omnino enim quodlibet ſecundum quod mouetur à ſpecie ſua, agit quod propriū eſt: vtiq; enim nullius rei eſt actio propria, niſi quā ſpecies regulat. Verum hoc totū certificare (Meſuæ ſententia) non eſt medici, ſed illius qui ſe altius agit. FRAN. Sat habeo, verum quid ita in mercurium omnes medicinæ Profeſſores veluti coniurati ſtyli acerbitatē diſtrinxerunt? AND. Nihil dictu facilius eſt: hunc nanq; doctores compertis noxiis viribus, de quibus ſuperius, merito videntur abdicaſſe: quamuis reuera ſit innocens, modo recte extinguatur: nam quæ ſuperbiunt circumforanei, ac pleriq; alij, non extinctionē ſed occultationem recte dixeris: quippe cum horum vnguentū, in quo erit admixtū mercurij, nōnihil ex vaſe lento liquefeceris igne, in fundo coeuntē mercurium liquido deprehendes. Inde fit, vt ſi quis vnguento tali fuerit imbutus, ad interiora progreſſus rurſus coeat: nam naturalis calor facile in priorē viuacitatem ipſum reſtituit: quo fit, vt praua corporibus accidentia eueniant. FRAN. At vide quam inſolenter ſe iactitent iſti pharmacopolæ, quanto molimine circūferantur: diceres in his ſitā mortaliū ſanitatem: quorum inſcitiā nuper chirurgus quidā ſummus meus aperuit: teſtatus eſt enim ex cruris oſſe corrupto, pumilionis cuiuſdā, qui decies à diuerſis Empiricis inunctus fuerat, argentum viuum non ſemel emanaſſe. AND. Hoc mihi nouum non eſt nam & operanti mihi ſæpius accidit. FRAN. Quonam igitur pacto extinguitur? AND. Quamuis ſatis ſuperius quod petis inſinuaſſe me tibi crediderim, tamen non erit incōmodum, hæc eadem vel vlterius explicare. Tantum igitur tibi perſuadeas velim, verā mercurij extinctionē non aliunde pendere, præterquam à præcipitatione: hac etenim via frigidit. & humiditatis ſit expers, quarū cauſa, quas ſuperius diximus, ægritudines procedūt: nec fieri poteſt vt præcipitatione mortuus ſemel mercurius reuiuiſcat. Hac etenim arte frigid. & humiditate priuatus in calcē rubicundiſ-

*nundiſſ fertur. Ideo dicebat Rhaſis Almanſ. V. Argentū viuū quando extinguitur ardens eſt & corroſiuū & tale eſt cū præcipitatur: nā male olentia vlcera corrodit, & mūdificat ſine dolore: quod ſi alioquin extinguatur, idem non efficit. ſed potius repercutit.* FRAN. *Quid ergo? cū argenti viui extincti memineris, vtiq; de præcipitato intelligi vis.* AND. *Etenim, nō enim repercutere morbos ad interiora melior, ſed omnino purgationibus prius deducere, tum vnguento mundare. Verum dum iſtis immoror, cataplaſma ſparadrappum imprudens prætericram, quod brachiis & tibiis decem diebus applicatum, ſine vllis vnctionibus morbum Gallicum delet.* Cataplasma Sparadrappum FRAN. *Expecto quid hoc ſibi velit.* AND. *Recipe igitur emplaſtri de pelle arietina, quod inguinariæ herniæ doctores applicari præcipiunt, vnc. iiij. emplaſtri triapharmaci ad ignem confecti, diachilonis maioris, ſingulorum vnc. VI. reſinæ pineæ vnc. ij. liqueſiant hæc ad ignem, & cum infrigidari cœperint, mercurij extincti vnc. V. cinnabaris vnc. ij. ſublimati vnc. iij. addantur, & longo temporis interuallo ſpathula citra ignem commiſceantur, & (vt mos eſt) ex linteolis fiat (vt ita dicam) ſparadrappum: hoc tibiis à genu, brachiis vero à cubito, donec ſigna remotionis aduenerint, applicetur.*

## De morbo Gallico à quocunque humore contracto.

F RAN. *Etſi diffuſius hucuſq; de huiuſmodi morbo vnicuiq; humorum admixto differuiſti, vellem tamen vt potum illum, quem tibi ſecretum aſcribis, quo quidem etiam vnumquemq; morbum Gallicum recenter contractum fugas, mihi propalare digneris. Hoc te tamen ægre ferre non permittas, cum ego tibi non ſolum corpus ipſum, verum & vitam iamdudum dicauerim.* AND. *Decreueram omnino mi Franciſce nemini ſecretum hoc vnquam aperire: tibi tamen virtutum tuarum munere, etiam maiora dicere non dubitabo. Cum igitur aliquem ab eiuſmodi morbi iaculis recenter vulneratum offenderis, ipſum eiuſmodi pharmacum quadraginta dies abſorbere iubebis. Aſſumitur enim calidum in aurora pondere ſex vnciarum provice. ℞. igitur myrobalanorum emblicorū, belliticorum, Indorū, ſin. vnc. florum boraginis, bugloſſæ radicis, ipſarum florum violarum, cicoreæ, camomillæ, ſingul. manipulum, ſuccorum fumiterræ, boraginis, enduiæ, bugloſſæ, lupulorum, ſing. vnc. iij. ſucci pomorum dulciam vnc. VIII. vuæ thyminiæ, iuiubarum, prunorum ſebeſten, ſingul. drach X liquiritiæ mundæ vnc ij polypodij quercini, ſticados rad. acori, ſing mani. j. ß. ſeminis fœniculi dulcis drac. iij ſcolopendriæ, capillorum Veneris, callitrici, polytrici, ſing. manipulum foliculorum ſenæ, epithymi, fumiterræ. ſingul. vnc. ß. agarici boni drach. XVIII. hellebori nigri drach. XIV. aquarum intybi capill. Veneris fumiterræ, bugloſſæ, ſing. ℔. iij vini granatorum ℔. ß. radicum inulæ, hæderæ, fœniculi, apij, cicoreæ ſing. vnc. j ß. chamæpityos, ſticados chamædryos, ſin. vnc. ſquinanthi drach ij eupatorij drach. iij. rheubarbari drach. iiij. addita aqua pluuiali quantum ſufficiat, arte & igne bulliant omnia. poſtmodum linteolo ſpiſſiori colentur, præloq; exprimantur. & addito ſaccharo quantum ſufficit, fiat potus longus. Vnaquaq; tamen decimo die dum pharmacum hoc aſſumpſerit æger, accipiat ad materiam expellendam vnc. ß. iſtius conſ. ℞. turbit, hermodactylorum, rutæ agreſtis, ſingu. drach. iij. diagridij drach. iiij. gariof. gingiberis, cinnamomi ſing. drach. ß. piperis gr. ij. ſquinanthi, ſpicæ, epithymi, ſalis gemmæ, ſingul. drach. ß. ſandalorum citrinorum, alb. rub. croci ſingul. ſcrup. j, mannæ electæ vnc. ß. rheubarbari drach. ij. zedoariæ ſcrup. ij. ſacchari vnc. VIII. & cum aqua bugloſſæ ad ignē fiant trochiſci. Scias enim pro certo, multos hoc remedio fuiſſe ſanatos. Reliqua vero ſuperius explicauimus.*

## De curatione morbi Gallici per lignum Indicum.

S*Ed quoniam quemadmodum medelæ ducerentur ab extincto mercurio, atq; ab omni genere pharmacorum, ſatis explicatum arbitror verbis ſuperioribus, ſequitur vt hæc ligni Indici medicamenta perſequar, quæ pertinent ad nouos medicos, quibus vtuntur homines nunc potiſſimum, ſe tutius curari ſic arbitrantes. Lignum igitur quod alij Indum, alij vero Guaiacum nominant, ex Taprobana, America, Indiaq; petitum noſtratibus medicis interuallo locorum minus compertum eſt. Quidam putarunt Auicennam ſecundo canonis indictione Karon, hoc lignum rememorare, dicentē: Karon eſt lignum Indum, cuius allatio ad terram noſtram multiplicatur, & eſt magni iuuamenti in negotio fracturæ, torſionis, & diſlocationis. non ab re fortaſſe, nam Princeps ex Arabia genti Indorum propior erat. Quamuis Romæ, mihi ſub Hadriano VI. Pontifice Max. degenti fratres ab India cucullati exulceratarum tibiarum remedium quærenti affirmarint iureiurando lignum duodecim cubitorum altitudinē explere, craſſitudine vlnarum duarum, folia plantagini non diſſimilia, corticem cū nigrum tum ſubcineritium, flores luteos, fructus rotundos, acidos, quorū ſpecies oliuæ figuram redderent, habere. Præterea morbū Gallico ſimilem. medicos illius oræ diſcutere viridi ligno, ex quo, quod nigrum corticem gereret, palmam haberet. Nos quoniam viridi caremus, carioſum dimittentes, id eligimus, quod aqua non innatet, propinquius radicibus. Medicis valentius compertum eſt, quod in ſuperficie ſandalorum citrinorum colorem medio nigreſcente referat. Iidem croceum debilius admodum, fœminis & pueris reſeruant, cuius naturam vimq; cum nemo ſatis recte deſcripſerit, ad vnguem cognoſcere quis poteſt? quamuis ab vſu caliditatem, ſiccitatemq; manifeſto deprehenderimus, cum eius decoctum bibentium guttur & ſtomachus patiantur incendium. Superioribus etiā diebus ſiccioris habitudinis homines vidi, morbo Gallico laborantes, ligni potatione cum ethicam febriculam, tum tamen incurriſſe. Reſinæ præterea gummi non abſimile ab eo in igne proiecto, flammis obnoxium, emanare videtur, nec non decoctio prima eius pinguis, & craſſa colorem lactis referens, magnum corpori nutrimentum præſtat: vnde bibentes quamuis inedia torqueantur, rarius fame vexantur. Poſtremo per euaporationem ab eo non modicum manat oleum. Cum ſit igitur omnibus perſuaſum, reſinas omnes, oleumq; fundentes arbores, caliditatis & ſiccitatis eſſe non expertes, idem de hac arbore poſſumus aſſignare. At hoc (vtcunq; ſit) non labore modo, nam à proprietate (vt aſſeruimus) in eiuſmodi morbo videtur agere. Noui enim medicum quendam, dicentem ægrotos potius medicinæ inediæ, quam ligno ſanitatem receptam ref. rre debere. Qui tamen fruſtratus eſt, cum quercus decoctionem eadem inedia nullo ſucceſſu cuidam dediſſet.* FRAN. *Diebus iſtis, ſicut iam prius, non videtur huiuſmodi lignum male habentibus conferre: nam pleriq; eius decoctum aſſumentes: non ſanantur.* AND. *Euenit hoc exhibentium incuria: nam fere omnes, vt male affecti inediam arduam abhorrentes decocto hoc perfruantur, quotidie carnes, citra canones eis exhibent. Peruerſo igitur ordine ruunt omnia.* FRAN. *Ex eo olei conficiendi rationem, quam iamdudū pollicitus es, exſpecto.* Olei ex ligno Guaiaco conficiendi ratio. AND. *Hoc igitur ligno teſſeratim conciſo, nouum fictile refertum vas, operculo teſtaceo punctim pertuſo obturetur, quod diligenter argilla circumlitum, excipiat altera teſta vacua, terra defoſſa ad os vſq; ſuperiori deſuper incumbente luto conglutinata, vt per operculum flammarū vi circūcirca æſtuante, in vacuā quatuor aut quinq; horarum ſpacio defluat oleū: & poſteaquā deferbuerint, aperiens, offendes obrutam refertam aqua oleo innatante: quo ſi papulas, exulcerationes, tubera, compagum & neruorum dolorib. inunxeris, iuuamentū non modicū præſtabis. Aqua vero oleo ſubſidens, diluculo, veſpereq; pota loco decoctionis vnciarum quatuor ponderis, quatuor horis ante cibum, mirum in modum confert: magis tamen ſi ſyrupus acceſſerit eiuſmodi. ℞. rheub. elec. vnc. ß. radicum centaureæ maioris drac. ij. ſpicæ, ſquinanthi, ſin. ſcru. ß. ligni, aloes, ſandalorum rub. ſin. drac. j. ß. radicum hyringi vnciam, herbæ tunecis mani. ij ſem. ebuli*

*drach.iij hellebori nigri drach florum cordialium, ſticados ſing. mani. ij Omnia contundantur leuiter, & ex vini cretici, aquarum intybi, & fumiterræ, ſing. ℔ iij. dies octo macerentur. poſtmodum decoquantur ad tertiam, inde prælo exprimantur, expreſſioni ſacchari quantum ſufficiat addatur, & fiat ſyrupus, cum quo prædictæ deſtillationis vnc. iij ſiue ligni decoctionis de qua dicemus vnc. V. bis in die, ſummo mane ſcilicet, & inclinato iam ſole bibat affectus ante cibum quatuor horis. Quod ſi decoctionem volueris audire, paucis abſoluam. ℞. Guaiaci conciſi ℔. ij. ß. aquæ pluuiæ ℔. XXX. ex quibus fruſtula biduum macerentur, quæ noua vitreata teſta cooperculo prædita capiat ad bulliendum lento igni: ſpuma calida, quæ interea fit, patientis vlcera curantur, membrorum compagibus dolore percitis eadem vtiliter adhibetur, ac etiam tuberibus, puſtulisq; opem afferre videtur. Facta deſpumatione lignum prædictum decoquas, quouſq; ſuperſit tertium. Cum autem tepuerit, linteolo ſpiſſiore coletur, conſeruetur quod inde fluxerit vrnula vitrea bene obturata, ne ſcilicet vis euaneſcat. Huius decocti pro ſyrupo XL. dies diluculo quatuor horis ante prandiũ, nec minus inclinante iã ſole quatuor horis ante cœnam, vncias quinq; ſigillatim tepidas bibat. Ad hac libræ XXX. cœleſtis aquæ ligno primæ decoctionis accedant, vt ferueant eadem olla tecta cooperculo, quouſq; libræ XX. tantum fiant, & ritu primæ decoctionis in vaſe oris obducti ſeruato, hanc poterit affectus, cum ſitiuerit, ſiue tepidam ſiue frigidam ſumere. Quod ſupereſt, ſi primam decoctionem cum ſyrupo rheubarbari prædicto biberit affectus, citius valebit. At ſi vino lignum incoquere placuerit, maiori cum vtilitate curam efficies. Nam in pituitoſis felici ſucceſſu ego ſæpius periculum feci. FRAN. Quid hoc? Percepi à peritioribus medicis ligno iſto curantibus, affectos in hac cura vinum bibentes nullo pacto ſanitatem adipiſci. ANDR. Recte tu quidem, at non minus ego, cum decoctionem ex aqua morboſi biberint. Verum enimuero vinum decoctionis eiuſmodi nullo pacto obeſſe poterit, efficitur enim ex concoctione medicina valentior, quod adhuc neminem tentaſſe puto, at ego ſæpius in frigido morbo felici ſucceſſu periculum feci. FRAN. Sequere igitur. ANDR. Recipe Guaiaci recentis conciſi & electi, ℔. ij. rheubarbari electi drach. ij. radicum centaureæ maioris drachmam, folliculorum ſenæ manipulum, ſquinanthi ſcrup. ß. contuſa hæc omnia ex libris XX. vini albi odoriferi, & eius aquæ dimidio biduum macerentur, inde decocta colentur, non alio mehercule pacto, quam quo ſuperius eſt dictum: hoc ſine præcedenti ſyrupo vti poteris. Ad hoc Rec. Guaiaci recentis ℔. j. quam ex vini albi leuioris ℔. XV. per diem macerabis, ita vt poſtea bulliant omnia, quouſq; reſtent ℔. X. tunc infundas deſuper aquæ feruentis ℔. XV. quæ ſimul cum vino bulliant, quouſq; libræ viginti tantum reliquæ ſint. Poſtmodũ colentur, ſeruenturq; in potum prandentiſq; cœnantiſq; affecti. Sic curabis quos non ſolũ victus tenuitas, ſed ẽt aquæ auſteritas terret: neq; abſurdum fuerit autumni tempore conciſum lignum quindecim diebus cum vuis ad bulliendum ponere, nam nonnullos ex huiuſmodi potu ſanatos percipies. Iis etiam optime conſultum fuerit, ſi poſt decocti potionem ante prandium ſpatio vnius horæ, cochlearis dimidiũ illius electuarij abligurierint. ℞. Ligni prædicti ſubtiliter puluerizati vnciam, ſand. rubr. ligni aloes, thymi, florum bugloſſæ, boraginis, ocimi, ſing. ſcru. j. pulueris diarhodonis abbatis diamuſci dulcis, diambræ ſin. gra. X. & cũ ſyrupo de corticib. citri in pituitoſa materia, vel cũ ſyrupo de cicorea compoſito in ſanguinea, quantum ſufficiat, ex arte tũ fiat electuarium. Verum vt res quam tractamus ad calcem tandem decurrat, de regimine ſex rerum non naturalium ſummatim dicemus. Hos igitur oportet diebus viginti bis die tantũ comedere, nil aliud aſſumentes, quam panis recocti binas vncias, accedat vna thyminia præterea tantundem, bibant aquam ſiue vinũ decoctionis ſecundæ prædicti ligni. Tranſactis hiſce diebus panis albi bene fermẽtati ſine ſale clibano toſti vnc. ij. tantundemq; carnis aut aſſæ aut elixæ, pullorum gallinaceorum, ſiue aucupij ex ſyluis & montibus petiti prandeant, cœnent vero thyminias vnas, recoctumque panem, ad trigeſimum diem. Qua tranſacta duas vncias panis albi, carneſq; prædictas ponderis eiuſmodi, & prandere, & cœnare recte poterint. Cubiculũ quo ſe continet æger, per æſtatẽ orienti ſit expoſitũ: per hyemem tepidariũ, vel locus maxime clauſus, vbi continue lignorũ boni odoris fiat ignis. Nec inde egrediatur niſi à quadrageſimo die: nocte dormiat horis ſex aut ad ſummũ ſeptem. Diluculo primam ligni decoctionẽ ex aqua cum illo ſyrupo, ſiue vini abſq; ſyrupo bibat, ſtatimq; lecto cubans periſtromate, veſtibuſq; ſudorem prouocet, quem caleſcentibus linteolis, poſteaquam ſatis ſuperq; deſudauerit, abſtergat. Inde ſubucula, veſtibuſq; pelliceis munitus, linteo capite obuoluto, præcedens horæ ſpatio prãdium, ſurgat, tum lotis manibus, facieq; mundata, decoctione prima ligni nares & aures purget, deambulans per cubiculũ: cui ſi aluus ſuppreſſior fuerit, balano mellis, clyſtereue ex prima decoctione ligni, addito ſale, oleoq; camomillino & violaceo poteris eandem ciere, quo reddito ſtatim prandeat: pranſus quieſcat, legat, aut ludat, meridianum ſomnũ pro virili declinans: angorẽ nec minus reliquos animi morbos fugiens, exhilaretur. FRAN. Recoctum panem iãdudum ingeſſiſti mihi, nec quis ſit ſatis explicaſti. AND. Imprudens præterieram. ℞. pollinis farinæ triticeæ quantũ volueris, non ſine fermẽto congruo, quam ſubactam quatuor digitorũ craſſitudinis quoquouerſum, longitudinis duarũ ſpithamarũ in paſtillos formabis, decoques in clibano vſq; ad non completã coctionẽ, extrahes deinde, & poſteaquã deferbuerint, acutiſſimo cultello poteris in tenuiſſimas partes ſecare, quas ex aqua roſacea, & ſacchara prius maceratas, in tabula ſigillatim collocabis, furnoq; iterũ mandabis, vt legitime concoquantur. Porro priuſquã prædicti ligni decoctũ ſumant, pro morbo pharmacis & ſyrupis ſuperius enarratis ſunt muniendi: quin ẽt ſi morbus expoſtulauerit, ſanguis prius erit mittendus. Verum poſteaquã ad quartum decimũ diem peruentũ fuerit, ſumat pituitoſus, poſtridie eius diei, purgationẽ hanc: ℞ agarici præparati, turbit electi, hermodactylorum, ſing. ſcrup. j gingiberis ſcrup. ß. hellebori nigri grana V. contuſa per noctẽ, ex aqua abſynthij, meliſſæ & fumiterræ, exprimantur. expreſſioni ſocientur electuarij lenitiui drach. iij. conf. Hamech, diaſinicsing. drach. j. & fiat potio addita rhodomellis vncia. Vel, ℞: polypodij quercini drach. iij. ſem. ebuli contriti drac. j. folliculorum ſenæ, epithymi, thymi, ſticados, amaraci, aſari, florum ſaluiæ ſin. pugillum, fiat decoctio in qua colliqueſcant electuarij lenitiui drach iij. confectionis Hamech, electuarij Inds ſing. drach. j. ß. agarici præparati ſcrup. ß. triferæ perſicæ ſcrup. j ſyrupi de fumoterræ vnc. ß. fiat potio: quam trigeſimo etiam die iterum dare tibi erit expediens. Quod ſi Gallicus adhæſerit ſanguini, hoc pharmaco poteris vti. ℞. rheubarb. electi drach. ij. ß. ex aqua intybi & vino cretico, cum nardi ſpica: permaneant ſex horas. hæc omnia ſuperioribus liquoribus infuſa, deinde facta forti expreſſione, diacatholiconis addatur drach. iij. elect. roſ. Meſ. drach. iij. de ſucco roſarum drach. ß. & cum decoctione florum, & fructuum cordialium fiat potus, addita ſyr. violacei vncia, quem hauriant cum quintadecima, tum etiam trigeſima luce. Qua die purgationes æger exhauſerit, carnes elixas prandeat, eiuſdẽ ponderis, eiuſdemq; qualitatis: nec minus pane veſcatur, ex iure carnium prædictarum: bibat ius tantum earundem, die vero ſequenti iterũ redeat ad ligni potationem, quam ſupra ſæpius meminimus. Tranſacta quadrageſima luce liberalius poteris hunc habere. Poſtridie parum è cubiculo procedas. Quæ ſequetur die domo pedem efferre poterit, ſtatim cubiculo ſe tamen reſtituens. In ſequentibus diebus, gradatim ſic ſe habens, negocia ſua breui peraget, cum eo tamen vt diutius cibos ſanguinem adurentes, in ſtomacho putreſcentes, pituitamq; gignentes auerſetur. Sed quoniam cum his qui ligno curantur actum fuerit optime, ſi in ethicam, aut in tabem non inciderint, non eſſet abſurdum, dieb. ex actis quadraginta reſtaurandarũ viriũ gratia per menſem quotidie duabus horis ante prandium*

*cochlearis*

*Electuar. ex pulvere ligni.*

*cochlearis dimidium iſtius electuarij aſſumere. ℞. nucis Indicæ recentis vnc. VI. nuclearum pineorum præparatorum, amygdalarum dulcium, piſtaciorum ſing. vnc. j. ſeminis peponis mundati vnc. V. ſem. papaueris albi vnc. i. ß. vuæ thyminiæ ex aqua violacea vnc. ij. pinidiorum, ſacchari viol. nenufarini ſing. vnc. iij. hæc omnia terantur optime lapideo mortario, & ex ſyrupo violaceo compoſito fiat electuarium. At nonnunquam fit, vt non ita exacte curentur: ergo catapotium tale poterunt tribus vel quatuor menſibus poſt aſſumptionem ligni ſemel in hebdomada duabus horis ante crepuſculum, drach. j. pondere ſumere ℞. myrobalanorum omnium, troch. colocyntidæ, maſticis, diagridij, hermodactylorum turbit, agarici præparati ſingul. drach. j. origani, cymini ſing. dra. h. ß. rheub. drach. j ß. ſpicæ nardi, gingiberis ſing. ſcrup. j ſalis gemmæ ſcrup. ß. hellebori nigri ſcrup. ij polypodij quercini drach. j. ſeminis ebuli, ſingul. drach. ij pulueris hieræ ſimplicis, diamuſci dulcis, ſin. ſcru. ij. aloes elotæ vnc. ij. theriaces drach. ij. Contuſis contundendis cum ſyrupo de fumoterræ fiat catapotiorum tro. bj. us. Verum vt mea conſilia tibi credam omnia, ſi etiam per aliquot menſes electuarium cum puluere ligni confectum quotidie, vel alternatim affecti aſſumerent, ab omni derelicta malignitate liberarentur.*

## De curatione morbi Gallici per aquam philoſophicam.

R*Eliquum eſt cognita ingenij tui mira facundia, cognitoq; amore, ac fidelitate, quibus me ſemper proſecutus es, vt ea quæ alicui nunquam dicere volui, tibi condonare non derelinquam. Morbum igitur Gallicum ſanguineum, cholericumq; recenter contractum poteris hac aqua philoſophica diſcutere. ℞. aloes hepaticæ lotæ ex ſucco intybi ℔. j. rheub. electi radicum centaureæ maioris (rheponticum vulgus appellat) ſing. vnc. ij. ſem. quatuor communium frigid. mat. excorticatorum ſing. vnc. iiij. capillorum Veneris recentis manip. iiij. vuæ thyminiæ vnc. VI. pulpæ ſebeſten, caſsiæ extractæ, ſin. vnc. VII. pulueris trium ſandalorum, aromatici roſaci, ſing. vnc. j ſucci roſarum puri, intybi, cicoreæ, fumiterræ, lupulorum, ſcabioſæ ſing. vnc. VI. liquoris malorum punicorum, berberorum, ſing. libram vnam, ſucci boraginis vncias octo, ſyr. de cicorea compoſiti, de bugloſſa, de fumoterræ ſing. libra pondo: contundenda contundantur, & in vaſe ſublimationis vitri conflato è ſuccis vino & liquorib. prædictis, dies octo macerentur. Porro per balneum feruentis aquæ, cui harena quantitas ſit commixta, ſublimetur aqua. Verum vas ipſum operculo roſtrato ſit tectum, cui phialam vitream diligenter, ne quid ex commiſſuris expiret, copulabis, accedente ex lignis ſin pettus carbonibus igne: ex quo cum clara tota defluxerit aqua, & rubentior appareat, phialam remouens, huic ſimilem vacuam ſtatue, quod fluxerit totum ſerua. nam ſanguineo bilioſoq; recenti male plurimum liquores eiuſmodi proſunt. At in morbum pituitoſum, melancholicumq; quo valentius est nihil accipe agarici præparati vnc. iiij. aloes elotæ ex ſucco fumiterræ vn. IX. Catapotij de aromatib. vnc. iiij. myrobalanorum omnium ſing. vnc. j. ſenæ, epithymi, meliſſæ recentis, florum cordialium ſing. vnc. iij hermodactylorum, turbit, ſing. vnc. iiij rutæ arthetica, baccaris, ſticados, chamedryos ſaluia, primula veris, origani, ſatureiæ, ſing. mani. iiij. radicum centaureæ maioris, rheubar. ſin. vnc. j. rad. hellebori nigri recentis vnc. VI. gingiberis, nucis myriſticæ, gariofilorũ, cinnamomi, cubebæ, carpobalſami, calami aromatici, croci, ſing. drac. j. ſucci radicũ ebuli, ſucci rad. inulæ, ſucci arthanitæ, ſucci abſynthij ſucci eupatorij, ſucci bugloſſæ ſucci fumiterræ, ſucci meliſſæ, aceti ſquillitici, ſin. deunx, vini cretici ℔. X. theriaces optimæ ℔. ij pulpæ ſebeſten libra pondo: contundenda contundantur, & cum ſuccis & liquorib. in vaſe vitreo magno commiſceantur, & ſic dies octo permaneant, inde ſublimentur ſicut ſuperius diximus. Quod ſi efficacius in atram bilem deſideraueris, tres aut quatuor angues, longos, nigros, excoriatos, exenterateſq; , tum multo ſale, temporis aliquo ſpacio, tum aceto perfricatos, vt vna colliqueſcant, addere poteris. Nam hoc non ſolum morbo Gallico, ſed lepræ, multiſq; aliis agritudinibus, quas nunc prætermittendas duximus maxime confert.* FRANC. *Aueo ſcire quonam pacto ſublimatio talis ſit ægrotantibus exhibenda.* ANDR. *Cum recte cognoueris aliquem morbo Gallico calidiori confectum, ſex rebus non naturalibus obſeruatis, vt diximus, factaq; prius phlebotomia, ſi neceſſe fuerit, non minorem huic inediam imperabimus, quam iis quos illinimus. Poſt hac æſtate poteſt hanc aſſumens per domum deambulare: bruma vero vrgente cubiculo ſe continere: nec interdico quo minus pila vnius horæ ſpacio ante cibum, loco clauſo ſe exerceat. Sumat ſingula quoq; die luce apparente ſanguineus ſiue bilioſus, ſyrupi roſati, de ſucco citri, ſing vnc. ß. olei de ſulphure gra. X. quibus addantur primæ ſublimationis limpidæ vnc. ij. ſemis rubentis vero drach. iij. quod eligendum bibat decem diebus: inde vnoquoq; die prouocet ſudorem. At ſi cognoueris humores non euocari potione hac, decimo die ℞. elec. lenitiui drach. iiij. roſacei Meſ. diaſ. ſingul. drach. ij. & ex rheub. infuſione drachmam, pauxilliq; ſyrupi de ſucco citri: fiat potio. Poſtridie vero rurſus ad ſyrupos redeat, ad alios decem dies quæ omnia ſi nihil eduxerint, voret æger diluculo rheubarbari drachmam, addita thyminia vna: dehinc ſublimationem prædictam bibat, extendatq; ſyruporum hauſtum in trigeſimum diem, ex quo denuo ſolutiua potione purgetur. ſi vero ſublimationi parere humores videbuntur (quod in multis ſæpe deprehendi) alterum purgationis genus ſuperuacaneum fuerit. Idem præſtare poteris in frigida quoq; aqua, ſi prædictam aliam ſublimationem cum ſyr. de fumoterræ, & de ſticados, non omiſſo tamen ſulphur. oleo propinabis. Si autem res poſtulauerit, decimo quoq; die peculiaribus pharmacis euacuentur ab humoribus affecti.* FRAN. *Quid ſi ante trigeſimum diem ſanatus fuerit, debetne potionem ad præſtitutam diem extendere?* AND. *Neutiquam: quippe quoſdam decimo potu curaui: ſed corruptiores ad eam diem poſſunt accedere: corruptiores autem dico, qui longiori tempore hoc morbo fuerint affecti.*

## De chirurgia.

Q*Voniam nunc de purgationibus his, quæ tum inedia, tum etiam potionibus fiunt, ſatis diximus: reliquum eſt, vt de chirurgia agamus. Manus etenim opera ab antiquis maxime culta, Homeri, Cornelijq; Celſi teſtimonio comprobatur. ſine qua Gallici perpauci poſſunt ſaneſcere. Nam corporis abſceſſus ab hoc morbo, qui verendorum, inguinumq; partes infeſtant, duab. de cauſis minime ſunt repellendi: nam inguen iecinoris & ſplenis emiſſariũ recte dicemus. Apoſtemata ergo tibi tumẽtia repercutere qui poſſumus? quũ Auicenna quarta primi ſic aſſerat: ſi vero mẽbrũ apoſtemoſum mẽbri principalis emunctoriũ fuerit ſicut loca glandulosa in collo, q̃ ſunt emũctoria cerebri, aut aſcellæ q̃ ſunt cordis, aut inguina, quæ ſunt hepatis, nullo mõ erit applicandum aliquod, quod refrenet: accedit materiæ malignitas, quã ſi noſtratibus credimus, cataplaſmatib. cohibere minime conari debemus.* FRAN. *Quid igitur erit præſtandum?* AND. *Pro virili laborandũ, vt malagmatib. matureſcentia ſecanti ferro ac ẽt aliquando actuali cauterio aperiamus, faci totius corporis tanquam feſtram pateſacientes. Quod ſi prædictum malagma quæris, eſt eiuſmodi: ℞. foliorum maluæ, brancæ vrſinæ, violarum, ſing. manip. radicum bryoniæ recentis vnc. ij. bulbos liliorum binos. Hæc aqua recte coquantur, terantur, incernanturq; : quibus accedant adipis porcini vnc. ij. butyri recentis vnc. ß. olei de lilio, hypericonis, viol ſing. vnc. j. ß. fœnogræci vnc. VI. & ex iure herbarũ radicumq; prædictarũ ſubactũ cataplaſma calidum applicetur: quod cum in calidis, tum etiam in frigidis corporis abſceſſibus valere coniecimus. At ſi materia ſclerotica eſſe videbitur, eiuſmodi alterum conficies. ℞. radicum althææ vnc. ij. radicum bryoniæ recentium vnc. j. ß. bulbos liliorum tres, chelidoniam, ß. ficuum ſiccorum vnc. ß. bulliant*

*hæc omnia in aqua quantum ſufficiat, poſtmodum conterantur & incernantur: indantur deinde axungia porcina, olei de lilio, butyri recentis, ſing. vnc. ij. frumenti triticei vel ſiliginei vnc. iij. allij decocti ſub prunis vnc. j. ß. farinæ frumenti, fœnogræci, ſeminis lini, ſing. vnc. iij. ammoniaci diſſoluti in aceto vnc. iij. & conficiatur emplaſtrum: nec exſpectandum quouſq; cutis ſumma per ſe deducatur, tanta etenim eſt morbi malitia, vt affectum locum in Carcinoma plerunque ſua malignitate præcipitet. Satius igitur fuerit ſcalpello iã nigreſcens aperire, quod præparabimus facta inciſione prima die albumine oui, ac pulueribus conducibilibus, inde per tres vel quatuor dies digeſtiuo de terebinthina & ouorum vitellis, inde hoc vtemur mundificatiuo: R. terebinthinæ claræ ex aqua fumiterræ, vnc. iiij. vitellos oui binos, mellis roſacei, ſyrupi de fumoterræ, ſing. vnc. ij farinæ orobi vnc. iij. thuris, maſticis, aloes hepaticæ, ſing. drach. ij. rad peucedani drach j. & fiat mundificatiuum. Si volueris virium maiorum mundificationẽ, accedat vnguentum apoſtolicum: vel ſi adhuc maximam, Ægyptium. Attamen hoc vnum ſcias, præcipitatum mercurium cum æquali pondere aluminis exuſti commiſtum, mirifice mundificare. FRAN. Quid? ad cicatricem obducendam valebit idem? ANDR. Non, ſed triapharmacum ceratum opem præſtabit: vel hoc, quo valentius nihil eſt, adminiſtrabis. R. roſarum, myrtillorum, balauſtiarum, caudæ equinæ, ſeminis plantaginis, ſingul. manip. j. myrobalanorum citrinorum, conorum cupreſſi, ſing. vnciam mediam, acatiæ, hypociſtidos, ſing. drach. iij. Hæc omnia prius contuſa, tribus diebus macerentur in aceto fortiſſimo, poſtmodum in eo bulliant quouſq; medietas euaneſcat, tunc quidem prælo exprimantur, expreſſum deinde cum oleis roſaceo & myrtino copulabis, lithargyrio minioq; additis, ceratum ad ignem conficies, addita tutiæ ſemuncia. FRAN. Plerunq; fieri ſolet, vt à morbo Gallico exulcerationes ſordidæ, corrodentes, ſpongioſæq;, ſæpius oſſa corrumpant: his quibus remedijs obuiam eundum fuerit, explana mihi. ANDR. Bifariam procedit hæc curatio: nam ſi ligno ab Indis petito curare fuerit conſilium, pluribus diebus præcipitato puluere mundificanda ſunt vlcera. Nam quamuis ipſius potione materia peccans euertatur, tanta eſt tamen materiæ vlceribus coniuncta malignitas, vt niſi quis optimus operarius acceſſerit, vix poſſint ad cicatricem deduci. At ſi per vnctionem ſuffitumue procedis, ea tamen prius, quæ oſſa penetrarint, curare oportet vlcera, corroſiua quippe, cauernoſa, quæq; his ſimilia. Ad oſſa non accedentia, vnguento, ſuffituq; delentur ſed os corruptum omnino abradatur, cauterioq; inuratur, iuxta illud Auicen. iiij. quarti, Capitis de corruptione oſſis ſic dicentis: Neceſſe eſt fricare ipſum, & radere, aut cauterizare, perueniendo ad vltimum corruptionis eius, vt cadant cortices corrupti, & remaneat ſanum. Itaq; cum certiſſimis argumentis oſſis vitium deprehenderis, aut inciſione & cauterio poteris operari, aut cauterio tantum. Sane in obducti oris vlcere ſpongioſo, corruptiorią;, nouacula penetrandum erit vſq; ad os incidendo carnem affectam, quæ diligenter vtrinq; poſtea diducta, linimentis ex albo ouorum, & pulueribus obducentibus cicatricem per vim infarciatur: inde fiet, vt poſtridie eius diei ſubiiciatur os totum noſtris oculis vitiatum, quod cum videris, bene ſecanti ferro putredinem carioſam diduces, & ſanum à vitiato ſepares: inde candenti ferro, carne madidis ſtuppis præmunita, os vſtulabis: Si vero latius patebit vlcus, carnem prius incidere fuerit inconueniens: nam cute deficiente, non poterit niſi fruſtulatim, idq; difficulter ab oſſe diduci, non ſine maximo ſanguinis fluxu. Sat erit igitur candenti ferro, quod minima fiet ſanguinis miſſione, carnẽ ad os vſq; vitiatam comburere, tunc. n. ex linamentis eiuſmodi medicamentũ curabit, quod combuſtũ fuerit. R. vernicis liquidæ drac. iij. ex aqua ſolatri ſiue plãtaginis, vitellos oui tres, butyri recentis vnc. ij. olei roſacei, omphacini, violati, nenupharini, ſin. drac. ij. Miſce ſimul omnia hæc, & fiat vnguentũ, quod locis vſtulatis mirũ in modũ confert. At vlceris circumſtantes particulas triapharmaco ex oleo acetoq; roſaceo, ac lythargyrio, in mortario plũbeo ſubacto ad reſtringendã cauterij vim illinies: quam operationẽ ſi quis reformidauerit, poterit quorundã ſententia p euphorbij puluerẽ eodẽ peruenire: ſed mihi quidẽ non ſit veriſimile vt in profundo vlcere valeat is, aut eiuſmodi quippiã, præter cauterium, quod curans D. Angelum, Illuſtriſſ. reuerendiſſimiq; Cardinalis Tridentini ærarij Fiſcalem, deprehendi, qui quamuis hoc morbo minime teneretur, ex calce tamen equi plurimo temporis ſpacio contracto, & inueterato vlcere laborabat ſiniſtro crure. Multa medicorum manus, ſatis honeſto conducta ſalario, ex circumuicinis ciuitatibus ad eum fruſtra confluebat: quo factum fuit, vt is ſalutem pene deſperans, mihi ſe curandum tandem tradiderit. Poſtridie eius diei, quoniam vlcus eiuſmodi à cute & carne fere ſpoliatum erat, quinq; medicis aſtantibus, vitioſam carnem cum oſſe corrupto cauterio concremauimus. Difficile dictu eſt, inter curandum quanta fuerit viri conſtantia coniuncta prudentiæ: enimuero, (quod dictum citra inuidiam fuerit) C. Mario præſtantiſſimo viro æquauimus non ſolum Angelum, verumetiam merito prætulimus: quippe qui non ſolum teneri ſe noluerit, ſed crus immotum nullo doloris argumento præbuerit. Sed vt ad rem redeamus, patuit quamobrem remedijs cæterorum nunquam ceſſarat malum: ad medullam namque peruenerat vis morbi, circumuicina quæq; corrumpens: quod tamen omne quicquid erat in eo noxij, deo dante, duorum menſium ſpacio curauimus. FRAN. Huius etenim curæ argumento innixus, tantum mihi polliceor breui conſore, vt noſtrates non ſolum, verum etiam præſtantiſſimos quoſq; medicos antecellas. ANDR. Agnoſco miram animi tui in me inductionem, qua fit, vt noſtra tibi maiora videantur, quibus (ingenue dicam) laudari à laudato viro, virtuteſq;, quas ne agnoſcam quidem, mihi tribui facile patiar. FRAN. ſæpius fauces palatumq; vidimus affectorum malignis vlceribus, ſerpentibus, exeſiſq; teneri, quæ quo pacto ſint oppugnanda, vellem libentius abs te audire. AND. Fiat vt vis. Recipe igitur aquæ cuius virtute aurum ab argento diuiditur, ℥. ij. roſatæq;, hyoſcyami, ſing. ʒ. iij inde miſceas. Aut. ♃ aquæ ſaponis ℥. ij vitreoli romani ʒ. iiij. ſalis ammoniaci ʒ. j. vitreolum & ſal diluantur optime, & fiat aqua. FRAN. Qui fieri poteſt vt aquæ quas dixiſti partes vlceribus circumſtantes non lædant? AND. Styli lignei ſummitatem tomento circumligabis, qua madefacta ex aquis ſuperius enarratis illinies vlcera, quæ cũ cœperint mundari, os affecti ſibi colluant ex aquis conſolidantibus, quas ſuperius tibi pluribus explicauimus. Quin etiam puſtulis verrucoſis eiuſdem morbi plurimum confert, nam decidunt ſtatim, reſoluunturq;. FRAN. Solent plerunq; duriſſimæ ſtantes glandulæ ægrotos male habere, quibus quid apponendum ſit ſcire deſidero. ANDR. Inprimis illud ſcias, iſtorum tuberum duas eſſe ſpecies, quorum altera carni adhæreſcens diaquilone magno de gummis, aliiſq; diſcutientibus emplaſtris cum per reſolutionem, tum quidem per ſuppurationem curantur nonnunquam. Altera procedens ab oſſe difficillime ſaneſcit, niſi cauterium adhibueris: quam curationem cum pleriq; auerſentur, cauterium potentius adhibeas, quo quatuor horarum aut quinq; ſpacio dolore modico vrgente macerabitur, ac deſtruetur caro. Recipe igitur aquæ primæ, quæ fit ſapo ℔. iij. vitreoli romani, vitri, ſalis ammoniaci, ſing. vnciam: quæ diligenter vna diſſoluta, ex teſta decoquantur ad ſordium craſſitudinẽ, tunc adde opij thebaici vnc. j. ß. deinde torreantur igne tamdiu, vt lapideſcant: effracta aula lapillos adhærentes obturato vaſe vitreo conſeruato, quippe noxius eſt aer aduentitius, quo ſtatim in aquam conuertuntur. FRAN. Apicem tuorum in me immortalium meritorum hoc addidiſti: quo fit, vt nihil aliud abs te nunc expetam, niſi vt ſæpius ad te accedam, quo tempore omnes circa morbos ex viridario tuo fructus colligere poſſim. AND. Libentiſſime quidem, vt prius cognouero auditorem attentum te præſtitiſſe. At nunc reliquum eſt tantum, vt curandi corporis neceſſitate ad cœnaculum accedamus.*

# INDEX EORVM QVÆ IN ANDREÆ MATTHIOLI POSTERIORIBVS TRACTATIBVS, NIMIRVM EPISTOlis, Apologia & de Lue venerea ſcripto, continentur.


A.

Abies in Centro Saxei montis in lapidem conuerſa 142
Abietina reſina præſtantia 189
Abſceſſus pulmonis num per vrinas purgetur 46. & 49
Abſynthii Seriphii examinatio 191. Eius caput Dioſcoridi pluribus in locis eſſe deprauatum ibid.
Acacalis 24
Acacia legitima nos deſtitui 192. Quid eius loco ſupponendum ibid.
Acaciam alteram Matthioli non eſſe aſpalathum 170 eius hiſtoria ex Dioſcor. 173. nihil aliud eſt quam ſpina AEgyptiaca ibid.
Acanthium Matthiol. 182
Aconitū pardaliāches homines æque ac pardos & lupos necat 171 ex Plinio omnium venenorum eſt ocyſſimum ibidem.
Aconitum 37
Acorus 21. Acorus & Galāga ſunt diuerſa ibid. eſt calamus aromaticus ibid.
Acorum legitimum pro Amomo ſubſtitui 191
Adeps Galeno quid 73
Adoreum ſemen eſt tritici genus. 53
Adipem ſeu ſeuum quæ animalia gignant. & quæ axungiam 72
Adulatio maxima amicitiæ peſtis 159
AEgrum & ægrotum eſſe num inter ſe differant. 214
AEris tria genera Plinio 80. ſquama duæ ſpecies Dioſc. ibid. ſquama nigra ibid.
Affectus animi immoderati à naturali gradu corpus deiiciunt 228
Agallochum odorem reddere etiamſi nō ſuffiatur 175
Agaricum 187. In agro Tridentino copioſum reperiri ibid. Optimi nota ibid.
Agaricum vires ſuas in paſtillis conſeruat 30
Ageratum Dioſcoridis eſt verum Meſuæ Eupatorium 123
Aglaipbotis terreſtris Aeliani 88. Geſn. 93. vbi & quomodo colligatur ibid. eius vires ib.
Agriculturam apud antiquos in magna fuiſſe exiſtimatione 137
Aiacis in hyacinthum conuerſi fabula 52
Alaternum fol. 213
Alcyonium Mileſium Turci vocant Bozeth 104
Alica vnde fiat 53. eius tria genera 53. differt à farre 23
Aliſma Matth. 36
Allium ſylueſtre 88. caninum Tragi ibid. alterius canini dicti deſcriptio 98
Aloe. 44
Alumen Iameni à Perſis dictum 101. eſt chalcanthum ſeu alumen ſciſſile 104. eius tres ſpecies ibid. liquidū fit plumoſum, ex plumoſo ſciſſile 113
Alyſſum 34
Alzelis quid. 87

Amaracum nō eſt Parthenium 13. & Sampſuchum idem ibid.
Amaranthus eſt Helichryſum Dioſc. 19. non eſt Chryſocome ibid.
Amathus furtiuam frugem ex meſſe aliena in ſuū transfert horreum 10. eius vulpinā religio 10. flos paſſerculū referens 30. Centuriæ ſunt fabuloſa 33. ad Iudaiſmum deſciuit 84
Ambroſia Matth. 34
Ambubeia 81
Amicitiæ vinculum certiſſimum eſt conſenſus conſiliorum & voluntatum 159
Ammi verum 190
Amomum 181
Amomum ex India in Luſitaniam aſſertur 10.
Amomum legitimū nec Matthiolus nec Medicus quiuis alius vidit 190. Quid eius loco ſubſtituendum ibid eſſe plantam racemiferam ibid. eius deſcriptio ibid. Optimi nota 192
Amperlam Matthioli genuinam eſſe oxyacantham 170
Amygdala duorum generū 138. amara quomodo fiant dulces 138. quomodo inſcripta naſcantur 139. dulcium facultas ibid. viridium facultas ibid. amararum facultas 140. amara necant vulpes, anſeres & gallinas 140
Amygdalus ſterilis vt ferax reddatur 139. facile degenerat ibid.
Andreas à Lacuna Dioſcoridem in Hiſpanicam linguam vertitit 158
Anemones vires 96
Angelica coſto ſimilis 188. pro coſto in Theriaca ſupponi poteſt ibid.
Angelica ſemen 197
Animalia hyeme delitеſcentia cur pingueſcant 92
Animalia, quæ in medicinæ vſum veniunt, haudquaquam veneno necanda 172
Antirrhinum 122. eius quatuor genera 123
Anthophylli 200. Saitaragi ſecundum genus ibid.
Antidotus Mithridatis à Democrate deſcriptus cæteris præſtantior 213
Antirrhinum 39
Antora ſiue Antitora 105
Antoram ſiue antitoram eſſe legitimā Zedoariam 201. præclariſſimum contra venena medicamentum ibid.
Antora 144. eius vſus ibid.
Antyllis 35
Apii figura mutata 163. eius & piſtatii figura 183
Apium orientale 169
Aqua noſtra non eſt extreme frigida 70. eius qualitates 68
Aqua fortis 175. regia 175. aurea ex vino parata 176

Aquileia non eſt Thalictrum 123
Arabes Medici res diuerſas confundunt & vnam diuerſas faciunt 92
Arbores omnes reſinas oleumque fundentes caliditate aliqua & ſiccitate pollere 233
Arbores quando fœcundiores 77
Arbores in ſiliquis mel ferentes 76
Arboris nota propria ex Theophraſto 170 quæ perpetua coma virent 146
Argemone altera non eſt Argentina recentiorum 36
Argentum viuum quid 231. Eius vires ibid. Cur planetæ Mercurio comparetur ibid. Quomodo extinguatur ibid.
Argentum viuum contra vermes tuto dari poſſe 158. datur parturientibus ibid lauatur ibid. ſolum aurum admittit, cætera metalla reſpuit omnia 180
Argentina 181
Argillada eſt Pſeudocaſsia 106
Ariſtolochiam tenuem eſſe Clematidem 193. Eius loco longam vel rotundā ſupponi poſſe ibid.
Ariſtolochia clematis non eſt longa vulgo vocata 68
Ariſtoteles quæ fuerit paſſus 151. in humana ſapientia ad miraculum eruditus, idem ibid.
Ariſtoteles vnicum naturæ miraculum 84
Arnabo Pauli & Auicennæ Zarnabū repræſentat Serapionis Zarnabum 98
Artemiſia Matth. 16. eius genera duo ibidem. differunt craſsitudine & magnitud. 17
Artium bonarum calamitas 152
Arum Cyrenis acredine vacat 111
Aſpalathum non eſt Aloe nec Santalum rubrum 12
Aſplenii foliorum diuiſio 167
Aſperitas quid 166. Aſperum quid ibidem
Aſphaltus Iudaicus 193. vbi naſcatur 195. Quid in huius defectu in theriaca ſit ſumendum ibid.
Aſter Atticus 157
Aſter Atticus fol. 214
Aſtragalus 37
Atractylis 34
Attinia fol. 214
Attractylis 190. eius loco Carduum benedictum ſubſtitui non poſſe ibid.
Aues leuiſſimum prabent alimentum 73
Auicenna notatur Epiſt. lib. 2. 96
Aureæ Alexandrinæ vſus 202
Auri diſſoluendi modus per aq. fortem 175 alius modus Vlſtadii 176. vis in ſalibus cōſiſtit 177. per oleum ſalis communis 177
Auri potabilis ſimpliciſſima conficiendi ratio 176. ex ol. ſalis parati facultates 177
Auri puluis Auicenn. 178
Auripigmentum 39

B.

Balanocaſtanum & Bulbocaſtanum 94. eius de-


XX

deſcriptio 86. facultates 93
Balſamita 61
Balſamum etiam Theophraſti tempore fuiſſe adulteratum 187. Nouum balſami genus ibid. Opobalſamum ibid.
Barbaria Antiquorum 75
Bdellu legitimi nota 105
Beben album rubri radices ſunt 105. Biſtorta ſeu colubrina 105
Beben loco in Aurea Alexandrina quid eligẽdum 202
Βελένιον quid? 211
Beluedere fol. 214
Bezahar lapis 104
Belzoinum 214
Beta ſylueſtris fol. 214
Betonica duplex 122
Betonica fol. 123. & 173
Betonica prima Pauli quæ ſit 118
Blattia Byzantia 101. nihil aliud eſſe quã vnguem odoratum 104
Boletum ceruinum 145
Bolus Armena orientalis 106
Bolus Armenius verus non eſt terra ſynopica 133. orientalis vnde afferatur 157
Boruſſorum doctorum laus 135
Botryn theriacæ compoſitioni nõ eſſe addendam 191
Bezaeth 101. eſt Alcyonium Mileſium legitimum 104
Brion Marinum Plinii 138
Britanica 36
Bryoniæ radix Epilepticis confert 129
Bugloſſum vulgare non eſt Cirſium 19. vulgare 20
Bulbus eſculẽtus & Aſcalonica cepa nõ eſt 30
Buphthalmum Cerdi 124
Burungi examinatio 198
Buxus ſylueſtris 198

C

Cacalia fol. 213
Calamus odoratus 125
Calamus odoratus 10. vnde deferatur 11. non eſt legitimus ibidem. verus vbi proueniat ibid. vulgaris eſt acorum 103
Calamum odoratum non eſſe eam radicem, quæ ſub eius nomine vtuntur Seplaſiæ 195 pro eo in conficienda theriaca quid ſubſtituendum ibid.
Calami lapidei non ſunt calamus aromaticus 105
Calamintha 187
Calamintha 32
Calculos in iecore facile gigni poſſe 184. è felle per aluum quandoq; excerni ibid.
Callyphyllum Hippocratis 144
Cancamum 58. eius vires ibid.
Canes, cadauera veneno interẽpta deuorantes in rabiem agi 172
Cancri fluuiatiles 26
Cancrum frequentibus medicamentis purgantibus curauit Galenus 128
Capitis doloris cauſa 217
Capillorum humanorũ ad ductilia reddenda metalla magna vis 176
Caphura non eſt frigida contra Mauritanos 137
Cur frigidis medicamentis miſceatur ibid. nõ eſt aliquod genus bituminis ibid.
Cadhura viua 102. eſt lachryma 104. eius genera ſecundum Arabes 75
Capreoli plantarum quid ſint 62
Carbones foſsiles 142
Cardamomum 101. 21. 112. 113. amomo ſimile Plinio 114. Græcorũ ab Arabico differt ib eius tria genera 104. minoris nota 114
Cardamomum eſſe duplex 192
Carlinæ alterius radices in acetariis haberi 169
Carnabadium, Zarnabo, Arnabo aut idem ſunt aut ſubſtitui poſſunt 92. eius vires ibid. examinatio 98. 102
Carnabadium non eſſe Doronicum nec cuminum AEthiopicum 202
Carolus V. Imp. in cœnobio et hortis vixit 137
Carpeſium Galeno quid 22. & 112. 114
Carpobalſami vice quid ſubſtituendum 192
Caryophyllorum feſtuca Saitaragi primum genus 198
Carum 63
Caſsia & Cinnamomum non eſt vnius planta cortex 156. mutatur in Cinamomum non contra 133. Virgilii eſt Cneoron 172
Caſsia odorata 189. Optima nota ibid.
Caſtanea equina 125
Caſtanea in glandium numero habenda 94. equina 101. 104
Caſtoreum ſelectiſsimum vbi reperiatur 193
Catanance 173
Cataplaſma ſparadrappum 232
Catapotiorum è cynogloſſo facultas 212
Cauda vulpina 197
Cauſas morborum cur Medici nonnunquam ignorent 85
Centaurium maius & minus 198. Marinum ibid.
Centaurium minus 193
Chalcanthum igne torrefactum pro chalciti ſupponi poſſe 191
Chalcitis 145
Chalcitim, ſory, Miſy, melanteriam in Miſnia plurimum haberi 191
Chalcitim & Chalcanthum ex eodem metallo, eaſdemq; habere vires 191
Chamædrys & Chamæpytis 190
Chamæleo niger 197
Chamæleon albus & niger 31. & 117. 118. 64
Chamæleones 125. albus 162. eius examinatio 168 nigri examinatio 169
Chamæſyce fol. 214
Chelidonium minus 62. conuenit cum Anemone 86. in Græcia acre in Italia non 111
Cheſinezen eſt Acacalis Bellonio 101 non eſt Acacalis 104
Chirurgorum inſcitia 224
Chondrus Græcis quandoq; aliud deſignat 53 eſt Zeæ genus 27. eſt nomen generale 53.
Chõdrilla eſt cichorii ſpecies 28. differt à Cichorio ibid.
Chryſanthemum 19
Chryſitis 19
Chryſocolla 101 non eſt legitima 104
Chryſocome 19
Cibi optimi qui ſint 73
Cicero quæ perpeſſus mala fuerit 151
Cicuta vt interficiat 171. & 172
Cinamomum 22. eius plura genera 23
Cinamomum 187. quid eius loco ſupponendũ ibid.
Circea fol. 214
Clematitis alterius altera ſpecies fol. 214
Clymenon fol. 214
Cneoron non eſſe Thymelæam neq; chamælæam 134. & 172. vtrumq; Theophraſti à Cneoro Dioſcorid. & Galeni differre ibid.
Coccognidium 58
Colchicum 88
Color ſubalbidus & ſubniger qui ſint 21
Color melinus qualis ſit 68. vnde melinus dicatur ibid.
Condimentum ex amygdalis pro ferinis carnibus 139
Conferua 183
Conſiligo 124. & 126. eius examinatio 126
Corchorus fol. 214
Coriandrum 35
Corydalis fol. 214
Coſtus 134
Coſtum. 188. Legitimum non haberi Ibid. Amarum Ibid.
Cotonea mala eſſe Antitodum ad venenatas ſagittas 127
Cotulæ Elephantinæ vnde afferantur. 137. Cur à Germanis ita vocentur Ibid. ab Italis baccæ orientales Ibid.
Cotulam fœtidam non eſſe Parthenium 17
Coulcoul & Hebulben nucleus 102. eſt ſtaphylodendron 104
Cratonis exhortatio ad Matthiolum 132. eius conſilium laudatur à Matth. fol. 133
Crocodilium non eſſe idem cum Carlina 31
Crocum eſſe præſtantiſsimũ in Auſtria 188
Cretamus aculeatus 138
Cubeba 22 Noſtras Cubebas non eſſe veras Arabum, nec legitimũ Galeni Carpeſiũ 192 vulgares baccarum generibus ſunt aſcribenda Ibid.
Cucumer ſatiuus 14
Græcorũ quis ſit 15. in Luſitan. raro videtur Ibid. à curuore dictus. Varro Ibid. vulgaris ſatiuus ab erratico fructu tantum differt Ibid.
Cucumis anguinus eſt ſylueſtris 16. vulgaris non eſt Pepo ibid.
Cuminum ſylueſtre 69. pauci legitimũ cognoſcunt 54. eius genera plurimum differentia ibid. AEthiopicum carnabadium eſſe Fuchſius negat 92
Cyceon Hippocratis quid? 145
Cyclaminus altera 30
Cynosbati qualis fructus 60. fructus quo pacto colligẽdus ib. à Roſa ſylueſtri differt ib.
Cytiſus 197.
Cytiſus fol. 214
Cytiſus 12. cur eius imaginem Matthiolus in commentario non appinxerit 122
Cytiſum eſſe arbuſculam nõ herbam 111. eius imaginem cur ſuo loco non monſtrauerit Matthiolus ibid.
Cytiſum Dioſcoridis eſſe Melilotum officinarum 189

D.

Dactyli 197
Dauci loco in Theriaca quid ſupponendũ 129
Daucus 66. eius ſpecies ib.
Decoctorum vtilis conſideratio 69
Demoſthenes quæ perpeſſus fuerit 151
Dendromalache 144. & 145
Deſtillandi ſcientia Medico neceſſaria 180

Dia-

Diatria ſantalon 205
Dictamnus albus non eſt Tragium Dioſc.134 & 157. in Creta ſolum naſcitur 173
Dictamnus Creteſis alter 32.& 65
Dictamnum 159. Optimi notæ ibid.
Dioſcorides ſimplicium parens 83
Dioſcorides exactiſſime medicam materiam pertractauit 149
Dilutum quodlibet, ſi coquatur, vires amittere 205
Diſcentium conditionem eſſe duplicem 89
Dolichus 28
Doronicũ Orientale non eſt Arnabo Pauli 98
Doronicum non eſt Aconitum 171. non eſt venenoſum 172. eius examinatio 171
Doronicum Europæum ab Orientali differt 87. dulciſſimum 91. veterum a vulgari noſtro differt ibid. vulgare non eſt Mamiras 86. 97. legitimi facultas 97
Doronicum 199
Drabæ caput in Dioſcor. eſſe adulterinum 170
Δρῦς Græcis ſignificat glandiferas quaſcunque ſtirpes 125
Dubitare de incertis virtuti potius quam vitio aſcribendum 62 de difficilibus licet 56
Dulcichinum Mamira eſt 86. & granum zelin differunt 87
Dyſentericifrixis & torrefactis alendi 31.

E

Elates duo genera 25
Elatine 181
Ἐλαιοσέλινος 211. Eius hiſtoria ibid.
Elæomeli 23. non difluit ex palmarum caudicibus 23 29
Electuarij e ſebeſten parandi ratio 214
Elect. ex Guaiaco 234
Elect. reſtaurans vires a gall. lue reconvaleſcent 235
Elephantiaſis quid 220. & 221. vnde dicatur 221. duæ ſpecies 26. prognoſtica ibid.
Ellebori nigri altera ſpecies 126. ſucco ſagittæ illinuntur & venenatæ redduntur 127. eo ſanantur quadrupedia peſte laborantia 127
Elleborine 182
Elleboriſmus 120
Elichryſum 197
Eliſoth ſeu herba Gladiolus 101.& 104
Elixir & aurum potabile idem ſunt 177
Emplaſtrum album Democratis 12
Ephemeron 38
Epilepſiæ puerorum medicamentum 158
Equiſeti plures ſpecies 198
Erica 24. bis in anno floret ibid.
Eruca vt arceantur 141
Eruilia 28
Eruum ſanguinem ducere poteſt 174
Euphorbium 67
Exercitia curationi gallici morbi plurimum conferunt 224

F

Faba craſſa 19
Fabaria non eſt facultate Telephij 135
Fallopij laus 94.& 95
Far quid ſit 27. vnde fiat 52. 53. ex omni frumentorum genere duriſſimum ib. ubi naſcatur optimum ib. græcis non innotuit ib.
Fel decrepiti ſenis lapideum factum 185
Ferdinandi Archiducis Auſtriæ laus 211
Fœtum nutriri ſanguine menſtruo 107
Fœniculum barbaricum 190
Fraxinus in Hetruria naſcitur 135. eius ligni ſcobs non eſt veneſioſa 174
Fuchſij laus 21
Fucus Marinus fol.214
Fumaria duplex 122
Fungi cervini hiſtoria 149. vires ibid.

G

Gagates 39. ubi reperiatur maxime ib.
Galanga 56
Galangam maiorem non eſſe Acorum 202
Galbani optimi notæ 193
Galenus quæ mala ſuſtinuerit 151 negligenter legit Dioſcoridem 44. parem non habet in Philoſ. & Medicina 45 eius non eſſe librum illum, qui de ſubſtitutis mandatis inſcribitur 192
Galiopſis 174
Gallicus morbus a quocunq; fouetur humore 220. non eſt Elephantia ibid. Poteſt Elephantiæ accedere 221. cum ſola pituita nõ complicatur 222. ab epate dependet 226 Caroli Francorum regis tempore emerſit 226. quæ membra primo inficiat ibid. ex anhelitu etiam quandoque contrahitur ibid. ſola contagione graſſatur 223. non eſt Mentagra
Gallicæ luis bilioſæ ſigna & curatio 225. pituitoſæ ſigna 226. ex pituita ſalſa, ibid. ex pituita cum ſanguine complicata ibi. Melancholica ſigna 230
Gallina 27. Belgarum malum præbent alimentum ibid.
Gallorum ſuperbia & vanitas 226
Gargariſmus 225
Gaudij commoda & incommoda 228
Geber Chynicorum princeps 176
Gelſiminum 112. & 198. eius examinatio 114.& 173.
Gentianula 182
Geranium 213. bulboſæ radicis 125
Gingidium 29 & 181. non eſt Cherophyllum ibid. non eſſe Cherophyllum 196
Gladiolus herba ſeu Eliſeth 101
Glandes omnes hæmoptoicis conferunt 94
Glaucium 33.& 102
Glaux Matth. 182
Glyzyrrhiza vulgaris non eſt Dioſcoridis 112 eius fructus aculeatus 115. duplex ib. eius succus 187
Gnaphalium 214.& 35
Gnidium granum non eſt Cneori fructus 18. 134. e Thymælea provenit 172.
Gramen harundinaceum 37
Granum zelin Dulceghinum eſt legitimum 97
Granum Alzelinum 92
Gratiola febrib. quotid. & tertianis ſpurijs conducit 121. non eſt Eupatorium 123. vocatur ſtanco cauallo 123
Guaiacum vnde afferatur 233. eius vires & vſus ibid. eius decoctum potantes non omnes reſtituuntur ibid. eius parandi ratio 234. in vino [illegible]oqui vtiliter poteſt ibid. decoctum bilioſis & melancholicis gallicis minime conuenit 222.& 226
Guaiaci decoctum non cõuenit omnibus gallica lue affectis 68. eius parãdi ratio ibid. cur longa opus habeat coctione 69. excalfacit ibid. quib. admiſcendum in bilioſis affectib. 70. decocto detectoria ſemper admiſcenda 129
Guilandini ignorantia in Beben rubro cenſendo 134
Calumniam in Cedro explodit Matthiol. 134 in Amello manifeſta inſcitia 135. Apologia 133
Gummi è pruno ſylueſtri vel cotonea malo, vel auſtero ceraſo in Theriacæ compoſitione probatur 192

H.

Habzelin quid 97
Haloſanthon eſt ſperma ceti 113. Opinio Matth. 114
Harmala legitima 1:6
Harundinum radices quales ſint 21
Hæmatites lapis 97. eius notæ 105
Hedychroi gennina parandi ratio 194
Helenium 210.211
Herba Diui Guilhelmi 183
Herba tinctoria 106
Herba veneræ cur quædam dicantur 21
Hermodactylus 106 verus 113. nõ eſt Ephemerum Colchicum ibid.
Hippocampus 14. quid ſit ambigitur ibid.
Hippocrates ex Ioue genus duxit 151. quæ incommoda ſuſtinuerit ibid.
Hippoſelinum 203
Hirci tres in Bohemia reperti lac præbentes 141
Hircinum lac Epilepticos ſanat 141
Hirculus herba 190
Hirſutum & ſcabrum idem non eſt 166. & aſperum non eſt idem ibid.
Holoconitis Hipp. eſt dulcichinum & differt à Molyo 87
Homerus vnicus ingeniorum omnium fons & victor 87
Hordeum 45.48
Horminum 35
Hyoſcyamum album non vidit Matth. 114
Hypericum 192. eius flores quales ſint 67
Hypocyſtis 190. Non eſſe fungum ibid.
Hyſſopus 65

I.

Iacobus Syluius in Gal verſatus 56
Iaſmini oleum ex Leucoii flor. pararunt antiqui 114. eius facultas ibid.
Iecur eſſe totius ſanguinis purioris hoſpitium 229. iecoris præternaturalis magnitudinis cauſa 184. Hircinum Epilepticis confert 141
Ielenialbin Mauritanor. eſt mel roſatum 25
Imperatrix herba 56
Inguina iecinoris & ſplenis eſſe Emiſſaria 235. lin. 57
Inuidia quid 228. cum virtute naſcitur 7. virus ſuum non in obſcuros ſed excellentes viros eructat ibid.
Iunctio pro gallico morbo ſanguinei 225
Ira quid 228. vt ab odio differat ibid.
Irionis plures haberi ſpecies 197

Iris Illyrica præſtantior cæteris 187
Iunçus odoratus 189. & 102. de eo monachorum error ibid.
Iuniperini ligni ſcobs venenoſa non eſt 174

K.

Kaly hiſt. 18. præbet alumẽ vitrariorum ibid.

L.

Lac ſciſſile 27. quomodo paretur ibid.
Lacca Arabum 23. vbi gignatur ibid. duplex ibid.
Lagopus 36
Lamphana fol. 213. & 61
Lappago fol. 213
Lapis Armenus 106. eius examinatio 116. color ibid. à cæruleo in quibus differat ibid. non dandus pueris 158. qua quantitate ſumendus ibid.
Lapis philoſophorum 179
Lapidis in homine generatio quomodo fiat 184. tũ gignenti a omnia in iecore etiã eſſe 185. amygdalæ nucis magnitudine in iecore mulieris eſſe repertum ibid. in humano felle gigni ibid.
Lapides concreſcere 142. quantumcunq; læuigatos nihil ab innato colore immutari poſſe, 203. iis lignorum loco ad ignem quæ vtantur 147
Larix Plinii 146. noſtra eadem cum antiquorum ibid. ardet, contra Plin. & Vitru ibid. & 183.
Laſerpitium 67
Laurentius Phryſius minus recte de gallico morbo ſcripſit 223
Laus ex alterius ignominia male petitur 132
Lætitiam nimiam geſtientem non minus quã mœrorem exitio eſſe 228
Lens aquatica altera fol. 213
Lentiginum remedia 184
Leoniceni laus 151
Lepidium & Iberis Maranta 170. vna & eadem planta ibid.
Lepræ quatuor ſpecies 21
Leucacantha 32. & 65
Leucoium Attici Iaſmen vocarunt 114
Liber de Theriaca ad Piſonem non eſt Galeni 45. & 51
Ligni in Armenium lapidem mutatio 142
Liguſticum 161
Lilium conuallium 122. non eſt polygonati ſpecies 123
Lithoſpermon 36
Lonchitis aſpera 125. & 213. veræ nota ibid. ſimilitudo cum aſplenio 162. & 165
Lotus arbor 126. vrbana 38
Lucas Ghinus alter Dioſcorides 125. eius laudes 118
Lupinus Hiſpanicus 123
Luxuria aliquibus corporibus nonnunquam opem præſtat 228
Lychnis 34

M.

Macedonicum, eſſe Petroſelinum Macedonicum 203
Macer 24. 58. eius duo genera 59
Macerona 182
Macis 190. & Macer differunt 24
Malabathrum 190. & Folium 133
Malorum varia genera 140. facultas & vſus ibid. quæ vitanda ibid. caducorum remedia 141
Mamiras & Bulbocaſtanum eſſe diuerſa 90. eius hiſtoria ibid. earundem cum chelidonio virium 91. eius facultates examinatio 96
Manardi laus & incommoda quæ perpeſſus eſt 151
Mandragoræ eradicatio 93
Manna ſemen 124. vbi colligatur ibid. à paſtoribus ſubſtratis pellibus legitur 76. eius & roſarum deiectoriam facultatẽ ignorauit Galenus 128
Marantæ laus 165
Marum legitimũ 196. Quid eius loco in Theriaca compoſitione ſit ſumendum 195
Marrubium 188
Martagon 84
Martiapanum facultas 134
Maslach 105. 102
Matthioli laus 83. aduerſarios duum eſſe generũ 152. eius virtus & doctrina 154. 155. eius commendatio 149. oſores 150
Mauritanis Medici plurimum debent 130. eorum ſcripta vitiis ſcatent 57
Meconium ab opio differre 186
Medicamenta clementia quæ dicantur 128. Electiue purgantia quæ? ibid. clementia in morborũ principiis cum vtilitate propinari ibid. Electiue purgantia cum clementioribus mixta quid præſtare poſſint 129
Medicinæ præſtantia 148. & 149. Eius partes 223. partem ὑλικὴν ſeu φαρμακευτικὴν cæteris eſſe præferendam 149
Medicamentorum ſimilitudo plures fallit 98
Medicæ materia duæ partes 149
Medium 181
Melancholicis an conueniant cucurbitulæ 232
Melanteria 39
Melanthium pro Burungi non eſſe ſumendũ 199.
Meleghetæ 22. non eſt Cardamum ibid. vnde nomen ibid.
Melilotum 197
Melochites lapis vulgaris genuinus non eſt 116.
Mellis optimi notæ 193. Quale in componenda Theriaca ſit eligendum ibid. vetuſtate amareſcere ibid. propriũ eius eſſe, ea, quæ illi admiſcentur ſeruare incorrupta 204
Menſtruus ſanguis qualitate peccat 107. eius malitia ibid. in quatuor diuiditur partes ibid non eſt ſimpliciter venenatus ibid.
Mentagra nomen vnde? 223
Mentha Sarracenica 188
Meſues in componendis medicamẽtis primas tenet cenſura in Luſit. 43. 74
Metallica corpora omnia fere calcinata ſolui per reiterationem calcinationis 176
Meum 190. vbi naſcatur ibid. ab Apulis Imperatricem vocari ibid. an legitimum ſit 9. eius ſpecies ſecundum Plin. 56
Mixa 197
Moly Homeri eſt Cynoſpaſtum ſeu aglaophotis terreſtris Æliani 88. non eſt Narciſſus Theoph. nec Colchicum Dioſco. 88. vocatus Eringium & Solanum ſoporiferum à Dioſc. ibid. eſt ruta ſylu. 92 eius deſcriptio 98. non eſt holoconitis 99
Montani laus & incommoda quæ ſuſtinuit. 151
Morbi Gallici Chirurgica curatio 235. per lignum Indicum 233. ſanguinei ſigna 223. curatio ibid.
Morbillis cur & adoleſcentes & ſenes interdum tententur 107. quidam citius quidam tardius afficiuntur 108. qua ætate vtplurimum fiant. 108. eorum cauſa 109
Morborum genera multa, quorum cauſæ & natura ignorantur 222
Morochthus lapis vbi reperiatur 113. & 115
Muſa. fol. 184. Eius imago. 197
Mumia an in Medicum vſum veniat 217
Eſſe duplicem. ibid.
Myle Galeni Co Moly Dioſc. 92
Myrepſij Codicem Græcum innumeris ſcatere mendis. 191
Myricæ duo genera 24
Myrrha. 187. Eius ſelectio. ibi.
Myrtinum ol. 58. quomodo paretur.

N

Napellus Moyſi. 144. & 145
Napi ſemen 186. domeſtici ſemen præſtantius contra venena quam ſylueſtre ibi.
Naturam plurimum variare fol. 169
Narciſſus hyacinthus bulbi. 183
Nardi Indicæ optimæ notæ 189 In huius defectu Celticam ſubſtitui poſſe. ibid.
Nardus Celticus 190
Nebulonum ſycophantarumq; munus 138
Nicol. Myrepſicus diligenter ſcripſit de medicamentorum compoſ. 75
Nigella citrina 22. quid 64. vnde dicatur 22
Nihil tam eſſe prauum & ineptum quod non ſuos reperiat admiratores & approbatores. 156
Nitrum 105. & 125
Nux AEgyptia 102. & 105. Farfalach 102. & 105. vomica & Metella 61

O

Obeſorum corpora aſſiduis purgantibus medicamentis extenuari. 129
Ochra 39. quid ſignificet ibid.
Ocimi tria genera 62
Ocimum Bedarungi Aphris. 199
Oenanthe. 183
Oenanthe herba 35
Olea ſylu. eſt ſpinoſa 60
Olei eiuſdem Matthioli multiplex vtilitas 193. ex ligno guaiaco conficiendi ratio 233
Oloconitis Hipp. eſt Moly Dioſc. 92. eius examinatio 96
Olyra 27
Ononis flore luteo duplex. fol. 214
Onoſma 35
Opera laudanda non opus 88
Opium, quod paſſim habetur, non eſſe genuinum. 186
Opopanax ex Heracleo tantum profluit 36
Optimi notæ. 193


Ori-

Oreoſelinum 64
Orocentis Dioſc. 88
Oſyris. fol. 214
Oua Indica. 212
Ouorum temperamentum, 174
Oxyacanthe fructus duplici nucleo 126
Oxyacantha 170 arborem eſſe non fruticem. ibid.

P

Paliurus 24. non eſt Agri folium ibid. Plinij & Theophr. non eſt idem cum Dioſ. ibid.
Palma: 184
Palma Elate. 197
Palmæ inuolucrum 25. Elate quid. eius hiſtoria ibid.
Panax 63. Meſuis in Panace error ibid.
Panicum pratenſe. 124
Panis recocti parandi ratio 234
Papauer Corniculare flore rubro 182
Paſtilli violacei quomodo parandi 205
Patala ſiue Patalena 75
Paulus notatur à Matth. 96
Pelacinum. 183
Pentaphyllon. 182
Pepo quid 15. peponum facult. 16
Periploca 182. & 196
Perſea arbor 25. differt à Perſico 26. & 173.
Perſici flores aſſumpti nocent 25
Petaſitis 121. radicis puluerem contra peſtem facere. ibid. eius examinatio 122 Eſſe perſonatam Plinij ibid.
Petroſelinum 33. & 188. Macedonicum 183. Quid pro Macedonici ſemine in theriacæ compoſitione ſit ſumendum. 188
Peucedanum 67
Pharmacum ad capiendos piſces. 136
Phaſeolus ab omni Eruilia & piſo differt 28. eorum comeſtorum incommoda 26
Philonium Perſicum 205. an piper album an papauer album huic ſit addendum 214
Phlebotomia quid 229. eam non eſſe adminiſtrandam in corporibus quæ longas ægritudines ſunt perpeſſa ibid.
Phu Ponticum 192. Quod ſit optim. ibid.
Phyllum 35
Picea & pinus 117 eiuſdem generis, ſed ſpecie tantum differre 124 horum folia qualia ſint. 125
Piceam abietis folio eſſe, non pini ibi.
Pinus Tarentina ibid.
Pinorum ſyluas eſſe in Bohemia frequentiſſimas 147
Pilæ paruæ vſus. 227
Pimpinella maior 197. vnde dicta 34
Pinguedo à frigiditate fit 72
Pinus 14. montana non eſt picea 118
Piper nigrum 189 rotundum non eſſe Cubebam 134. longum 186. longum domeſticum & ſylueſtre reperiri. ibi. AEthiopici deſcriptio 114
Piſum ſylueſtre 213
Piſſaſphaltus 85
Piſtacium 197
Pix liquida nunquam ſua ſponte fluit 80
Planta varie pro varijs regionibus vocatur 38. quando criſpentur & dilatentur 77
Plantas ſecundum ſubſtantiam conferri inauditum eſt 167. nullius plantæ ſapores vt nec facultates ex facie illius immutari. 174. Nullam eſſe quæ propria careat facultate 186
Planta ex Hiſpania allata. 210. Eius hiſtoria ibi. vires. ibid.
Plantarum ſpeciem non genus color immutare poteſt 63
Platani plures ſpecies. 125. Orientalis ibi.
Platonis diuina ꝑpe ac cœleſtis doctrina. 151
Platonicos paucis demptis fieri Chriſtianos ibid.
Plinius ſibiipſi contradicit 146. non ſatis ſib conſtat. 10. ſæpe πίτυν ex Theophr. Laricem vertit 147. eius locus reſtitutus ibid. eius in Agarico erratum 147. autoritas defenditur 157. notatur 146
Podagræ cauſam fortem eſſe coitum 228
Polemonia 35
Poligoni genus quod centum grana officinæ vocant. 182
Polium. 189
Polygala 39. à Matth. cammentariis ſuis cur non aſſcripta 111
Pompholyx legitima vbi creſcat 52
Populi tria genera 125
Portulaca arbor 183
Potamogeton 38
Poterium à pruno ſylu diuerſum 32. & 213
Potus Matthi. ad gallicam luem recentem 233.
Præcipitatum quid 231
Pſeudacori radix non eſt acris 56
Pſeudomedici ſunt, qui vno medicamento omnes morbos curare volunt 96
Ptiſana vnde fiat 52. cruda quæ ſit ibid. hordeacea & triticea apud Græcos reperitur 53. ſitim magis extinguit quam aqua 70. eius facultates. ibid. magis humectat quam aq. 70
Pyrethrum Ghini. 126
Pyrethrum Lucæ Ghini 114. 118 Matthi. ibi.
Pythagoras omnium Philoſophorum parens. 150. eius mors. ibid.

Q

Qualitates medicamentorum fere ſolo guſtu cognoſcuntur 70
Quartanariis ſyrupus conueniens 120. Elleboriſmus 120
Quinquefolium 188

R

Rhabarbarum 31. & 197. Auicennæ eſt Græcorum Rhaponticum 31. à Rhapontico differt 62. eius nomenclatio 71. eius vires 31. potum cõuenit Dyſentericis 31. eius imago. 181. vim eius deiectoriam maceratione, non coctione excipiendam eſſe. 205. eius in febribus diuturnis vſus in ſyrupis. 129. Eius loco Ponticum ſubſtitui poſſe 188
Rhacoma quid 71
Ranæ 22. q̃ ſint venenoſæ 27 duplices ſunt ib.
Rhaponticum ex India etiam & Barbaria affertur 75
Rha ſcenicum 71
Rha ſinicum à Barbarico differt. 75
Origanum Perſicum 200. Noſtrate ibid.
Rha Turcicum 71
Rhauetſcheni 72
Reprehendere facilius eſſe quam docere 156
Reſinæ colophoniæ duæ ſpecies 78 pineæ tria genera 79. liquidæ & aridæ inter ſe differunt 79. liquidæ quo tempore legantur ibid. optimæ 56
Reſini feræ arbores quæ & quot ſint 79 non fundunt gummi aut reſinam quando adoleſcunt 77
Ribes 24 vulgaris non eſt eadem cum Mauritanorum Ibid.
Roccha de Turchine 101
Rhodij oleaſtri hiſtoria 12
Roriſmarini genera 66
Roſa 186 Damaſcena 24 vnde dicta 25
Roſa Perſica apud Auicẽn. quid ſignificẽt ib.
Ruborum & roſarum differentia 60
Rubricarum tria genera 106
Rubus caninus 59 & 37
Ruellium in Gallia tantum rei herbariæ operam dediſſe 191
Ruta Sylueſtris 183 & 32 & 63 & 101 eſt Harmola 104

S

Sabinam bacciferam reperiri 134
Saccharum athaſer 106 quo pacto ſeipſo multo dulcius efficiatur 178 eius præparatio. ibid. eſt duplex 75 græcus improprie mel appellatur 76 antiquorum ibi.
Sacchar o harundinum inebriari homines Strabo affirmat 78
Sadethur non eſt Glaucium 102 & 105
Sagapeni optimi notæ. 193
Sagitta fol. 213
Sal ad aurum diſſoluendum quo pacto præparandus 178 communis vſus neceſſarius 177 ex eſſe humani capitis 180
Saliunca 22 & 57 non eſt Pſeudonardus 22 à Celtico Nardo differt 134 & 202
Salſa parilla eſt ſmilacis ſpecies 112
Saluiam Gallos perferre 197
Sampſuchus & Amaracus idem 13 & 33
Sannicula dentata 182
Santalum rubrum 52
Santala noſtri vſus legitima & Mauritanorum eſſe 134
Saporum in radicibus diſſimilitudo vnde 86
Saxifraga 117 non eſt betonica Pauli 118 legitima 125 ei quid ſupponendum 202 Dioſcoridis eſſe Pauli Betonicam ib.
Scabrum 166
Scamonium 182 & 196
Scandella eſt hordeum minus 27
Scandix 29 non deſcripta ab antiquis ibi.
Scillam veram nos non habere 194
Schænianthum 57
Scolopendrium veneficum 196
Scorpiciades Dioſc. eſt Telephium 109 differt à Telepſio 110
Scorpio Marinus 26
Scordium 186
Scurzonera 210. 211
Secacul examinatio 199 eſſe radicem peregrinam 127 Indicam 199 Eius loco ſupponi paſtinacam 199
Seitaragi examinatio 199
Semperuiuum minus 19. magnum 192
Sena 33 Zinziber admiſcetur 66
Senecion duplex 122 Maior Germanis flos

S. Iacobi 123
Serapij de celebrico error 39
Serapio inter Arabes in ſimplicium hiſtoria enarranda primas tenet 21
Serum, cum oxymelite paratum cur non corrumpatur 204 Serum communis vſus non eſſe improbandum ibi. Quomodo parari debeat in conficienda hamecti antidoto ibid.
Seſamoides minor 182
Seſeleos quatuor genera 189 Aethiopicum 182
Sferra cauallo 183
Sideritis heraclea 213
Siſer eſſe ſecackul 122 eius vſus ibid.
Smilax hortenſis 29. 62. aſper curat gallicum morbum 112 gland[illegible] 197
Smyrnium 196 non eſſe H[illegible]elinum 203 Creticum 182 Semen cur Mace[illegible]am vocetur 203
Socrates quæ mala ſuſtinuerit 150
Solanum hortenſe 174 Maius Mandragoram Theophraſti non eſſe 134 Somniferum ibi. & fol. 198 eius nota 134
Solon quas & quantas ſuſtinuerit ignominias 151
Somni diurni incommoda 228
Sory 39
Spartum 183
Spatula fœtida non eſt Xyris ſed ſparganium 17
Spina alba 214 & 182
Spinachium 28
Spodium 52 eſt pompholygos pars grauior & impurior 52
Stacten balſami vice ſupponi 187
Stœchas 65 & 188 Cretica ibid.
Styrax quid 190 adulteratus 189 Soporiferæ eſſe facultatis 212 rubeus Germanis qualis ibid.
Stibium calcinatum 179
Struthium 30
Suber 125 & 183 & 214
Succinum eſt bituminis ſpecies 112
Suffitus in lue gallica non admittendi, niſi in deſperatis 230
Suilla caro valenter nutrit 73
Symphytum petræum 17

T

Talietri tres ſpecies 122
Telephium 30 eius deſcriptio 10 vires & facultates ibi. Nicandri Scholiaſtæ qd? 135
Telyphonum dicitur Scorpioides 110
Tempus rerum omnium pater 149
Terebinthina reſina legitima 189
Terra Armenia 106 Lemnia 106 Synopeia vnde habent nomen 133 eius hiſtoria ibi. vſus ibid. Lemniam nihil aliud eſſe poſſe, quam bolum Armenam nunc ſeplaſiis dictam 190
Teucrium 34
Thalictrum 34
Theodorus notatur pluribus erroribus 147
Theriacam à nobis ea fœlicitate parari non poſſe, qua parauerunt antiqui 185 à nobis quoq; parari poſſe 186 eius baſes ibid. Ratio miſcendorum medicamentorum eam ingredientium 195 color niger vnde ei accidat ibid.
Thlaſpi 29 & 182 & 196 Cappadocicum ibi. eſſe inter alia optimum. 190
Thus vnde ad nos proueniat 189 optimum notæ ibid.
Thutia 106
Timor quid 228
Tithymalus omnibus piſces necandi vim facultatemue ineſſe 136
Toram non eſſe aconitum pardalianchen. 214
Tormentilla 188
Tragacantha 65 eius vſus ibid.
Tragium in Creta tantum naſci 127
Tragopogon 29 non eſſe Aphris ciſtum 190
Tragum non eſt iunci ſpecies 18 non eſt Kalus ib genuini hiſtoria ib.
Traſci eſt Hippocr. holoconitis 85
Traſorum examinatio 96 temperamentum ibi. vbi plurimum naſcatur ibi.
Trichomanes 162 eius folia aliter Lōchitidis folia appellauit Dioſcorides, & qua id de cauſa 167
Trifolium aſphaltite 163 & 183 eius tria genera 34 aſphaltites ſiue hyacinthinum 44
Tryphera quid 121
Tripolium 111
Turdorum facultas 73

V

Veneris abſtinentiam Iuuenibus ſæpè plurimum nocere. fol. 218 poſt Venerem plurimos fieri magis lætos 228. Abſtinentiam illius quæ ſequantur incommoda 229 quæ nimiam frequentiam ibi.
Veratrum nigrum non eſſe conſiliginem 134 & polypodium in ptiſſana Gale. quotidie propinat 129
Verbena 214
Verbenaca ſupina 174
Vertiginis cauſa 217
Veſalij laus & incōmoda q̄ eſt perpeſſus 151
Viburnum quid 133
Victoriā non ſaltem inſolentes efferre verum etiam ſapientiores corrumpere fol. 221
Victus ratio gallicorum 234
Vini optimi notæ 195 Quę ad antidota conficienda apta ſint ibi. Creticū eſſe omnium optimum ibid.
Violas marinas Dodonæi legitimum eſſe Marum 196
Viperarum fœminarum notæ 193 Quo tempore capiendæ ibi. Earum præparatio ibi. viperei paſtilli 194
Vlcerum gallicorum curatio 236
Vmbilicus veneris 38
Vnguentum violaceum ſeu Iaſmenum 14 Alabaſtri 214

X

Xylobalſamum, quod in myropoliis habetur, adulterinum eſſe 195
Xyphium 37

Z

Zaccara 205 Non eſſe pſyllium ibid.
Zea res eſt Romana 53
Zedoaria & Zurumbeth Mauritanis non eſt idem 29 & 92 Indica 102 eſt Antora 105 eam non eſſe legitimum coſtum 134 veſtram non eſſe legitimam 201 præſtare contra venena 202
Zinziber 188 Non eſſe piperis radicem 173 eius facultas 66
Zizabum 213

# F I N I S.